BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
H
14
NAPOLI

R. 155. 30.

Digitized by Google

Digitized by Google

XLII
H
14

Digitized by Google

ADAGIA,

Ideſt:

PROVERBIORUM, PAROEMIARUM ET PARABOLARUM OMNIUM, QUÆ APUD GRÆCOS, LATINOS, HEBRÆOS,

Arabes, &c. in uſu fuerunt, Collectio abſolutiſſima in locos communes digeſta.

IN QUA CONTINENTUR SUIS QUÆQUE LOCIS ACCURATO ordine poſita:

DES. ERASMI ROTERODAMI Chiliades.
HADRIANI IUNII Medici Adagia.
IOANN. ALEXANDRI Braſſicani IC. Symmicta.
IOANNIS VLPII IC. Epitome.
PETRI GODOFREDI Carcaſſonenſis IC. Proverbia.
GULIELMI CANTERI IC. Adagia Iuridica.
VICTORIS GISELINI Medici Specimen adagiorum.
HENRICI STEPHANI Animadverſiones in Eraſmum.
GILBERTI COGNATI NOZARENI Sylloge.
M. GRUNNII COROCOTTÆ Porcelli Teſtamentum.
POLYDORI VERGILII Adagia.
CAROLI BOVILLI Proverbia.
HADRIANI TURNEBI & M. ANTONII MURETI excerpta Adagia.
GULIELMI GENTII IC. Agagia Iuridica.
MELCHIORIS NEIPEI BREDENANI Adagia.

QUORUM OMNIUM AC SINGULORUM PROVERBIA ET Adagia juxta locorum communium ſeriem, Eraſmicis, præpoſito cujuſq; authoris nomine commodiſſima methodo ſubjunguntur.

ADIECTI SUNT INDICES DUO ACCURATISSIMI, UNUS proverbiorum juxta ordinem alphabeti, alter rerum & verborum.



FRANCOFURTI,
Sumptibus IOHANNIS PRESSII Viduæ.

ANNO M. DC. XLVI.

NAPOLI

ERASMUS LOQUITUR.

Perfacile eſt, ajunt, pro-verbia ſcribere cuivis
Haud nego: ſed durum eſt ſcribere Chiliadas.
Qui mihi non credit, faciat licet ipſe periclum:
Mox fuerit ſtudiis æquior ille meis.

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMVS PHILOLOGIS OMNIBVS S. D.

SI, juxta vetus proverbium, omni in re modus eſt optimus, par erat & in colligendis proverbiis adhibere modum: eſt enim optimarum quoque rerum, ſi minus ſatietas, certe modus quidam. Multis itaque de cauſis ſtatueram ab hoc ſtudii genere poſthac feriari: vel quod argumenti natura ſit infinita, ut nihil egerit qui hoc agat ne quid omnino prætermittatur, præſertim vetuſtis authoribus qui hactenus delituerunt, in lucem emergentibus: vel quod tantum operæ ſit huic impenſum negocio, ut citius metuendum exiſtimarem, ne lector copiam pertæſus clamaret, Ohe jam ſatis eſt; quam aliquam deſideraret acceſſionem: vel quod hæc ætas ac mens jam profecto non ab hujuſmodi literis abhorrens, magis ad ea raperetur, quibus vel immori nec indecorum ſit, nec inutile: vel quod perpenderem, hoc genus floſculos ac gemmas, quibus eruditi ſcripta ſua conſueverunt inſignire, pluſculum habere gratiæ, ſi quis eos ſibi ex authoribus non omnino vulgo proſtitutis decerpat, quam ſi ex protritis hujuſmodi collectaneis deſumat. Quanquam hæc cauſa non deterruit Græcos, quo minus tam multi viri graves juxta ac eruditi, parœmiologias conſcriberent. Apud me quoq; vicit utilitatis ratio, quod hanc operam plurimum conducere videbam, quum ad eluendas mendas ex priſcis authoribus, tum ad ſubmovendas ſalebras, ad quas ſubinde reſtitabant mediocriter literati. Proinde quod nunc hanc non exiguam coronidem adjecimus magis ne dolo dicam, datum eſt Typographorum efflagitationi, quam animo meo. Facit enim Pyladea quædam amicitia, quæ mihi quondam cum optimo viro IOANNE FROBENIO, nunc cum patris ſimilimo Hieronymo Frobenio intercedit, & par utriuſque in provehendis optimis ſtudiis induſtria mirabilis, ut quum interdum illis quædam negare noluerim, ac fortaſſe debuerim, pernegare quiverim nihil. Vtinam autem hæc laboris portio tantum utilitatis adferat ſtudioſis, quam mihi parum attulit voluptatis. Porro ut nihil horum fuerit, tamen incivilius parumque candidum videbatur, aliis eruditis, ad ejuſdem argumenti tranſactionem accinctis nihil facere reliqui, qui vel ingenii vigore vel induſtria juvenili, vel copioſiore voluminum lectione inſtructi, fructum uberiorem ſtudiis allaturi ſunt. Quorum conatibus adeo non eſt animus obſtare, ut vehementer etiam gaviſurus ſim, ſi quis noſtram obſcuret operam. Illud modo lectorem, quod jam pridem admonui, nolim oblviſci: ne quid miretur, ſi in hoc opere quædam occurrent diverſis temporibus ſcripta. In cauſa ſunt crebræ æditiones, non ſine novis auctariis. Primum enim hujus argumenti guſtum dedimus apud Pariſiorum Lutetiam, per typographum Ioannem Philippum, natione Germanum, qui tum officinam habebat in vico divi Marci, ad inſigne Trinitatis, Anno 1500. Menſem non expreſſit Typographus, ſed epiſtola quam præmiſit Fauſtus Andrelinus, habet ejuſdem anni decimumquintum diem Iunii. Hanc æditionem aliquanto poſt æmulatus eſt Iodocus Badius, deinde Matthias Schurerius Argentorati: poſt hæc opus ad juſti voluminis magnitudinem adauctum, Venetiæ ædimus apud Aldum Manutium Anno 1508. Aldinam æditionem me inſcio æmulatus eſt Baſileæ Ioannes Frobenius: à quo plus ſepties excuſum eſt idem opus, at nunquam ſine acceſſionibus. Quoniam autem hoc ſcripti genus conſtat induſtria hinc atque hinc decerpendi, non ita multum laudis tulerit qui primus apud Latinos aggreſſus ſit παροιμιολογῶν: niſi ſi quid promereatur tractandi qui judicandi dexteritas. Si quis proferet æditionem vetuſtiorem ea quam oſtendi fuiſſe primam, ei lubens hoc laudis tribuero, quod illi non illiberalis cogitatio ante alios venerit in mentem. Et ſane mirum eſt, quum apud Græcos tot clariſſimi ſcriptores ex profeſſo tractarint hoc genus, apud Latinos nullum extitiſſe vel è turba grammaticorum, qui ſimile negocium ſuſciperet: quum mea ſententia, Latinorum horti non minus vernent iſtiuſmodi floſculis quam Græcorum: ſed neſcio quo pacto Græcorum admiratio propenſior effecit, ut Latini ſua videantur habuiſſe neglectui. Alioquin non video, quam ob rem Virgilius ſit Homero & Heſiodo

poſthabendus, aut Seneca, quisquis is fuit, Euripidi, aut Plautus & Horatius Ariſtophani. Nam M. Tullius, quod ad hanc ſane rem attinet, longe ſuperat Demoſthenem. Quiſquis igitur hoc primus apud Latinos aggreſſus eſt, rem nec illiberalem nec infrugiferam aggreſſus eſt. Iam biennium exierat, ex quo Lutetiæ operis hujus guſtum fueram auſpicatus: quum Lovanii agens, forte ex Hieronymo Buslidio, qui tum recens ex Italia venerat, nactus ſum libellum adagia pollicentem, in eo comperi proverbia fere ſeptuaginta, è Latinorum, præſertim Philippi Beroaldi commentariis collecta. contuli annum ac diem. annus erat idem, ſed æditio mea tribus menſibus præceſſerat: & res ipſa ſatis declarabat, neutrum alteri tum fuiſſe notum, ſed ambobus eandem cogitationem incidiſſe in mentem. Itaque ſi quid refert, quis primus hoc argumentum attentarit, uterque noſtrum primus fuit: ſi primus eſt qui neminem eſt ſequutus. De Latinis loquor, Quod ſi auxit proverbia, qui plura edidit, ego nimirum auxi, qui prima ſtatim æditione dedi plus quam octingenta: quorum bonam partem hauſeram ex fragmentis Diogeniani Græcis. At poſteaquam emiſi tot Chiliadas, cuivis proclive fuit ſuis collectaneis aliquam acceſſionem adjungere, quam profiteatur ex bonis authoribus eſſe decerptam, nec mentiatur tamen. nos enim Chiliadas omnes ex optimis quibuſque authoribus decerpſimus, diligenti nomenclatura, ſicuti par eſt, indicantes, quid cui feramus acceptum: adeo ut nec Apoſtolum debita laudis portione fraudaverimus: tantum abfuit, ut me plumis alienis venditare voluerim. Hæc indigna ducerem quæ commemorentur, niſi viderem hoc à quibuſdam agi ſerio, ut primi hoc exemplum induxiſſe videantur ab aliis, ne quid ex meis Chiliadibus videantur ſumpſiſſe mutuo, ſed rem totam ſuis auſpiciis, ſuoq; Marte confeciſſe. Atqui ſi decerpunt ex vetuſtis authoribus quæ produnt, quum in his reſideat infinita proverbiorum copia quæ nos prætermiſimus: quur his præteritis tam multa congerunt à nobis prodita, tam pauca adferunt nobis intacta? Quur tam raro citant authores à nobis non citatos: Et ſi quid paululum novent: an credunt illico bene diſſimulatum furtum, ſi veteribus ollis novas affigant anſas? Si noſtra non legerunt, qua fronte profitentur ſe nihil habere mecum commune? Si legerunt, ac diſſimulandum putant, certe diligentia & dexteritate tractandi perficiendum erat, ne cui ſubdoleret fucus. Ego ſane, quanquam ita verſatus videor in bonis authoribus, ut non magnopere ſit opus ex recentiorum miſcellaneis ſuffurari: tamen nullus eſt hodie literator tam trivialis, quin, ſi libellum æderet adagia pollicentem, dignaturus ſim eum lectione: quod vere dictum ſit, nullum eſſe librum tam malum, unde non aliquid boni poſſis decerpere. Nolle legere eos qui tractant argumentum commune tecum, turpis eſt arrogantiæ: diſſimulare quum legeris turpioris eſt ambitionis: inficiari beneficium, turpiſſimæ ingratitudinis. Hæc illorum cauſa dixerim potius quam mea. Nam quod ad meum attinet animum terq; quaterq; liberum omnibus eſſe volo, cudere ac recudere proverbia, ſeu nova velint, ſeu malint vetera, Si id fecerint me infelicius, nihil offecerint meo nomini: ſed admota purpura deterior purpuram meam illuſtrabit potius. Sin felicius, gratulabor communibus ſtudiis, & in his mihi quoq;, Nec addubito, quin hoc ſeculum plurimos habeat juvenes, qui me valeant in hoc ſtadio præcurrere. palma in medio eſt, arripiat qui poteſt. Sed de his plura quam ſtatueram: Unum eſt in quo mihi fortaſſis opus erit lectoru æquitate.

Quoniam toties ex longis intervallis æditum eſt hoc opus, non arbitror ubiq; vitatum ne repetantur eadem. Vale quiſquis es amice Lector.

NOBI-

NOBILITATE GENERIS
ET VIRTVTE ILLVSTRI VIRO
D. REINHARDO A SYCKINGEN,
Ioan. Iacobus Grynæus
S.D.

SI punctum omne tulit, qui miſcuit utile dulci: omne profecto, punctum, in Philologiæ Comitiis, Diis, (ut habet proverbium) hominibuſq; plaudentibus, Phœnix ille Germaniæ Deſ. Eraſmus Rot. editis, ſæpeq; locupletatis Adagiorum Chiliadib. tulit: ac eadem opera μνημόσυνον cum diligentiæ eruditioniſque ſuæ, tum fidei in promovendis diſcentium ſtudiis, toti poſteritati admirandum, poſuit. Etenim quæ Vir ille extra omnem ingenii aleam poſitus, multorum annorum vigiliis, judicio delectuque rerum ſingulari adhibito, ἑκὼν ἀέκοντι conceſſit, inq; Centurias & Chiliades veluti quaſdam claſſes digeſſit, ut uſib. ſuis privatim ſervirent: ea univerſa, plena manu καὶ ἀφθόνως Philologiæ candidatis largiri opibuſq; ſuis inopiam aliorum ſublevare prædicando ad omnem poſteritatem exemplo, voluit. Sane cum magnæ parti eorum, qui doctrinę ſtudiis animos olim appulere, τὸ τῆς φιλολογίας ταμιεῖον clauſum eſſet, & è Perotti Collectaneis, & Angeli Politiani Centuriis, ingeniorum opes petendæ viderentur, nec niſi eminus & quaſi per tranſennam, eas videre liceret: Eraſmus admirabili ſagacitate mentis, & pluſquam Herculano labore ejus clauſtra egreſſus eſt, & judicii acrimonia velut clave quadam aperuit, repagula obſtantia ſuſtulit, foreſq; velut divina virgula tactas effregit, luceq; linguarum, Græcæ inquam & Latinæ, illata, ac introductis in ejus poſſeſſionem earundem Muſarum æmulis reipſa probavit id quod παροιμιαζόμενοι dicere ſolemus ἀνοιγνύναι μουσῶν θύρας. Hoc ἀνεκτίμητον viri incomparabilis beneficium, aurea propemodo ætas (ſi literas, quæ ab humanitate celebrantur, ſpectes) ſecuta eſt. Linguis enim & optimis artibus quaſi poſtliminio reſtitutis, Barbaries ex Europæis Academiis magna ex parte profligata eſt, & ex ſacris iſtis virtutum & doctrinarum Gymnaſiis, tanquam è Trojano, quod ajunt, equo ſubito in Philologiæ proſcenium progreſſi ſunt ingeniis, eloquentia & doctrinæ liberalis ingenuæque cognitione, celeberrimi viri, qui Eraſmi, velut ἐγκελεύσαντι exemplo & inſtitutione moti, ſuam ſinguli Spartam exornare, doctrinæque lampada non modo in Philologiæ ſtudio aliis præferre, ſed etiam ſtudio vigilantiaq; ſua egregie illuſtratam, poſteris tradere ſtuduerunt. Equidem non me fugit, Monachorum quorundam magnificentia, & aliorum inferioris ordinis Magiſtratuum liberalitate, pullulantia primum, mox ēt herbeſcentia Mundi ſeneſcentis ſtudia, mirifice aucta, & ut καρποφορεῖν poſſent adjuta fuiſſe: ac hanc benevolentiam & munificentiam erga optimarum literar. & linguarū Myſtas magnopere probo & requiro. Verum quem tandem ex horum omnium numero dabis, qui vel διδάκτρα numerans, vel docentib. & diſcentib. ſedes & hoſpitia concedens, tantum præſtiterit, quantum Eraſmus hoc Adagiorum opere conſcripto & evulgato præſtitit, profuitq;? Magiſtratus enim munificentia, docentib. præcipue, ac non niſi paucis diſcentib. prodeſſe poteſt, cum interim hujus voluminis utiliſſimi, velut ampliſſ. fertiliſſimiq; fundi uſufructu, omnib. quotquot uſquam ſunt in orbe Chriſtiano Philologis, velut opibus partis, uti & frui conceſſum ſit. Vtinam vero tantū ſit in nobis (qui meſſe ea fruimur, cuj' ſementem majores noſtri ἀνδρωστὶ fecerunt) ſtudium, in illis quæ à Patrib. inventa ſunt, exornandis & augendis, quantum olim fuit in iiſdem inveniendis, inq; lucem producendis: non certe tantum eſſet periculum, ne forte poſterorum ſocordia & ſcelere intercidant, quæ vigilantia & labore Majorum longe maximo parta fuere.

Operoſum autem, mea quidem ſententia, foret hujus operis utilitates vel percēſere, nedum fando παρέργως explicare: cum de iis dicturo ſtatim occurrat illud πολυθρύ-

μετω; τί πρῶτον, τί δ' ὕστατον καταλέξω; Præcipuas tamē, velut exerto digito monſtrabo, ut Philologiæ ſtudioſo, ſi fieri queat , calcar animumque addam, ad ejus diligentem multamq; lectionem. principio, ſi cui cordi eſt Græcæ & Latinæ linguæ cognitio, habet in hiſce Adagior. explicationibus infinita prope earum linguarum adminicula & progymnaſmata, tum in ἐμμέτρῳ ſermonis genere, tum in oratione ſoluta. Vocum ſimplicium & conjunctarum ſignificationes & φράσεις paſſim adnotavit & expoſuit Eraſm. Exemplis etiam quomodo de rebus, perſonis & factis, ſeu ſeriis ſeu jocoſis, oratio inſtituenda ſit, & quo pacto Græca Latine reddenda, edocuit. Hæc omnia magnum habere uſum & digna eſſe quæ in artificum operibus accurate obſerventur, & ad uſum in imitatione transferantur, nemo niſi prorſus ἀναλφάβητος negabit. Scio quoſdam aſperitatem in carmine pangendo, aut etiam in Romanum ſermonem transferendo; perſtringere ſolitos: quibus nihil aliud reſpondere libet. quam hoc unum Eraſmo homini occupatiſſ. diverſiſq; temporibus iſta ſcriptitanti vitio dandum non eſſe, quod citra anxiam & ſuperſtitioſam diligentiam, quædam poëmatia Græcanica, verterit ἀμαθέστερον. Maluiſſe etiam videtur imitari in carmine pangendo Flaccum, quam Naſonem: eamq; quam quærebat Horatiani carminis laudem aſſecutum eſſe, Ludov. vives auctor. Secundo, ſi res ipſas, hoc eſt philoſophicam quādam Philologiam ſpectes, in hiſce Adagiorum promptuariis plurima occurrunt, ad dicendi arteis, ad doctrinam Ethicam, Phyſicam, Logiſticen, Muſicen pertinentia, quæ à philoſophiæ ſtudioſis non ſine fructu & voluptate legi ſolent. Non equidem ignoro, ſolidam illam Philoſophiam, quæ circa ſermonem, mores & naturæ obſcuritatem verſatur, ex Ariſtotelicis fontibus præcipue petendam. Sed tamen cum expediat, à ſeverioris illius & ſolidioris Philoſophiæ τῇ θεωρίᾳ, animum fatigatum, interdum laxare quodammodo & exhilarare, commodiſſime maximoq; cum fructu in hiſce Philologiæ campis, ceu hortis Heſperidum, id fieri poſſe adfirmo. Tertio ἠθολογίας ἰδέαν ſi forte ad mores formandos vitamq; recte inſtituendam, requiris, ne illam quidem deſiderabis in hoc Opere, Etenim ſelectiſſimarum, de virtutib. & vitiis, de vitæ humanæ conditionib. de officiis ſententiarum opulentiſſimum Copiæ cornu tibi ſubminiſtrabit. Ac ea de cauſa initio huic τῇ συναγωγῇ Proverbiorum, Eraſmum manus admonuiſſe reor, ne videlicet periret Theſaurus ſententiarum Moralium, quem collegerat cum genus omne bonorum auctorum, argutæ apis inſtar perluſtraret, & è multis optima ſeligeret, inque ταμιείῳ hocce congereret. Quantam autem gratiam habeant arguti, concinni, breveis aphoriſmi de moribus & vita juxta decori normam inſtituenda, nemo non videt. Quarto plurimum etiam conducit lecturo veteres optimoſque Auctores, Proverbiorum Chiliades non tantum delibaſſe, ſed etiam penitus imbibiſſe, & familiariter notas habere. Agnovit hoc & Ludovicus Vives, cujus in libro tertio de tradendis Diſciplinis hæc verba ſunt: Eraſmi Adagia, quod opus aſſuefacere poteſt lectioni magnorum Auctorum, ut ad eos adoleſcens non veniat omnino rudis ac novus. Hæc ille. Quomodo enim obſcuriores loci illuſtrandi ſint, & corrupti ſcribarum incuria corrigendi, quæ κεφάλαια tum generalia tum ſingularia, in lectione bonorum librorum obſervanda ſint , multis exemplis in medium productis, docet Eraſmus Pluribus non libet de utilitate hujus operis agere: cum ſufficiat Lectorem monere, profuturam ejus lectionem nó modo ad linguarum & Philoſophiæ cognitionem, ſed etiam ad vitam recte inſtituendam, & ad legendos cum fructu optimos quoſq; Auctores. Supereſt ut paucis oſtendam, quam jucunda & ſuavis ſit Adagiorum lectio. Profecto vere & ſcite Philippus Melanchthon, vir perpetua memoria & benevolentia omnium eruditorū digniſſimus, pronunciavit: Vivet Eraſmus in his utilibus operibus, in novi teſtamenti interpretatione, & in eo libro qui eſt velut Copiæ cornu in quo tam varia eſt & dulcis Proverbiorum interpretatio: quem librum ut ſæpe multumque legatis valde

vos

vos adhortor. Duo autem ſunt, quæ librorum lectionem iucundam reddunt, Oratio & Rerum varietas De Oratione nihil aliud dicam, quam eam eſſe Eraſmianam, hoc eſt Latinam, perſpicuam, omnis generis, ænigmatis, allegoriis, ceu floſculis & emblematis teſſellatis exquiſitis inſtructam ornatamq; Etſi autem Critici quidam immodicas eſſe delicias aiunt, & modum in congerendis & uſurpandis proverbiis deſiderant: revera tamen in ſcyrpo nodum quærunt, eaq; in oratione Eraſmi ſuperflua eſſe affirmant, quæ in cibo potuq; velut neceſſaria requirunt: videlicet ne ſit inſipidus immundus, ſqualidus. Vt autem ἱπποτεία equeſtris pedeſtrem, & hanc curulis ſublevare ſolet: ſeu, ut Plutarchi verbis utar, ὥσπερ πλοῦς μὲν παρὰ γῆν, περίπατος δὲ παρὰ τὴν θάλατταν ἥδιστος: ſic oratio Latina Græcam in hoc opere excipiens, pedeſtris etiam ſolutam, & & hæc illam, facit ut nunquam non ſit dulcis & jucunda eius lectio. Porro Romani ſermonis ſtructura concinna, elegans, illuſtris, ſi cui admirationi & voluptati non eſt, nec tam efficaciter, aureis animumq;, quam Muſica harmonia, ferit & afficit: næ eum Bœotum craſſo iuraſſes in aere natum. Porro, Rerum pulcherrimarum & utiliſſimarum quæ in hoc opere occurrit varietas, non poteſt non eſſe jucunda Recte Ariſtot. lib. 2. Rhetor. ad Theodecten ait: καὶ τὸ μεταβάλλειν ἡδύ, εἰς φύσιν γίνεται μεταβάλλειν τὸ αὐτὸ ἀεὶ ὑπερβολὴν ποιεῖ τῆς καθεστώσης ἕξεως, ὅθεν εἴρηται μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Facit huc feſtiva illa epagoge apud Comicum veterem, qui ſervulum cum hero Chremylo ita loquentem introducit:

Τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πλησμονή.
Ἔρωτος. καρ. ἄρτων. χρ. μουσικῆς. καρ. τραγημάτων.
Χρ. τιμῆς. καρ. πλακούντων. χρ. ἀνδραγαθίας. καρ. ἰσχάδων.
Χρ. φιλοτιμίας. καρ. μάζης. χρ. στρατηγίας. καρ. φακῆς.

Quemadmodum autem in hiſce aliiſq; rebus prope omnibus, varietas & viciſſitudo iucunda eſſe conſuevit: ſic in parœmiis quoq; eadem gratiam habet incredibilem. Videas quoſdam libros, in quibus ſingularis eſt doctrinæ methodiq; ἀκρίβεια, invitare quidem diuq; detinere obſtupeſcentem & rerum cognoſcendarum ſtudio exardeſcentem animum; quem tamen acie ingenii nonnihil obtuſa acriore conſideratione rerum defatigatũ & ſtupentem vel dimittant, vel non ſine tædio remorentur. Hujus vero libris is eſt genius, ea gratia, ut perſpicuæ utiliſq; doctrinæ pollicitatione, non modo blande invitet Lectorem, ſuaviterq; volentem detineat, dum plura habet in receſſu, quam in fronte promittat: ſed etiam alacrem, & ad relegendum promptum, dimittat. Continet Proverbia, γνῶμας, ἀποφθέγματα, ſacra & profana; item Hiſtorias, Apologos, Encomia illuſtrium in Repub. & Eccleſia virorum etiam reprehenſiones, aliaq; non minus utilia quam iucunda. Libet autem Guilhelmi Budæi, clariſſimi viri, verba adſcribere, quæ in eius quadam Epiſtola (quæ inter Eraſmianas, lib. 2. Epiſtolarum extat) leguntur; Etenim ut mittam, ait ille, Panegyricum & Chriſti Militem, multorum eius operum nobilium nomenclaturam, & morias Encomium, quod ſtudioſi fere habent in deliciis, certe cum Iliadem (ut ita loquar) illam leporum Græcorum iuxta Latinorumq; lego, quæ Parœmiæ vocantur, nunc Logothecam Minervæ mihi videre videor, nunc Mercurii Salinũ, quem Logium appellãt, arte eximia fabrefactũ, & in quo tamen ipſo materia cũ opificio certet, unde ſales candidiſſimos Oratoria Comicaq; facundia ad uſus dicteriorũm ſumat: nunc Pithus delicias & condimenta, vel Suadæ medullam; interdum viſendã quandã copioſamq; ſupellectilem, longo intervallo promptã (ſi tamẽ unquam ſic confertim prompta eſt) in taberna ampliſſima expoſitã, prædivitis cuiuſdam inſtitoris, eloquentiæ ordine deſcriptam digeſtamq; decentiſſime In eo volumine invenias duarum elegantium Mattonarum, Poeticæ & Oratoriæ artis cultũ, mundicias & ornamenta, ornatriciſq; earum, quam venuſtatẽ vocant pigmenta atq; lenocinia, quibus artifices dicendi, & qui Logodædali dicuntur, ſcripta quondam ſua vẽdibiliora reddebant. Huic ὁμόψηφον Cuthberti Tonſtalli de iiſdem parœmiis teſtimonium in Epiſtola ad Budæum occurrit. Ille, ait Tonſtallus de Eraſmo, genus omne perluſtrans Auctorum, adagia vetera, pene tot ænigmatum ſpeciem reddentia, & graves lectoribus offendentia tenebras induſtria mirifica, velut alter Oedi-

pus,Studioſis enarravit. Sed iam vela colligo,finemq; facio commonefactionis de utilitate & ſuavitate huius Operis,ne actum agere,caſque viri celeberrimi Lucubrationes anxie laudare videar,quas nemo cordatus & eruditus hactenus reprehendit.

Tibi autem,Rheinharde nobiliſſime,inſigne hoc adagiorũ opus, ſucciſivis horis à me communium locorum τῇ ἀποσημειώσει illuſtratum, à typographicis mendis repurgatum, & auctario accuratiſſimarum Henrici Stephani Annotationum, aliorumque eius generis libellorum, locupletarum, inſcribere & commendare viſum eſt:ut te duce & auſpice feliciſſimo, Typographica τῇ παλιγγενεσίᾳ toties renatum, in publicum redeat,quod nunquam ante hac ſine publico bono prodiit.

Victurus genium debet habere liber, ut ait ille.

Eſt autem is huius operis genius,ut & maioribus noſtris probatum fuerit, & nobis qui illis ſucceſſimus,mirifice probetur. Annus jam decimus agitur, cum Tubingæ Suevorum in illuſtri Academia, tu quidem Iuriſconſultos, ego vero Theologos, utroſque ſapientia & virtute præſtantes viros,docentes audiremus. Ibi familiaritate καὶ συνουσίᾳ non quidem diuturna,ſed tamen iucunda,& utroq; noſtrum non indigna, uti & frui,nobis conceſſum fuit. Eam annis aliquot poſt literaria τῇ προσηγορίᾳ fovere & conſervare ſtuduimus. Huic inter abſentes τῇ συμφιλολογίᾳ ſucceſſit ſilentium &,ut ita loquar,Pythagorica ἐχεμυθία: quam ut abrumperem tandem aliquando, utq; virtutis,doctrinæ & humanitatis tuæ memorem me eſſe & amantem,teſtarer,longe eloquentiſſimum clariſſimumq; internuncium, ac veluti Mercurium, Eraſmum, Proverbiorum nobilem librum una ſecum adferentem,ad te abmandare volui, qui tibi aurem velleret,meiq; memoriam refricaret. Eum tu quidem more tuo, hoc eſt,fronte exporrecta hilariq; excipies,digniſſimum profecto, familiaritate patrocinioq; tuo. Non erit ille vel incivilis,vel ingratus Bibliothecæ tuæ hoſpes:ſed prorſus ἀστεῖος, iucundus, eruditus argutus: feretq; ſecum ἀγαθῶν, μυριάδας, & opulentiſſimum liberalis utiliſq; doctrinæ Copiæ cornu Scio te hæc ingentia bona, quibus animus, vere generoſus excolitur & illuſtratur, maximi facere, & magno ſtudio acquirere, ut eorum poſſeſſionem,cum externorum bonorum uſufructu,coniungas. Ideo tibi gratam fore hanc προσφώνησιν noſtram, nobiliſſimiq; theſauri dedicationem, haudquaquam novo inter pios doctoſq; viros exemplo inſtitutam,non dubito. Sane officium mihi facere videor,ſi quando memoria recolo, qui fuerint Patrum noſtrorum memoria Mecœnates & patroni optimorum doctiſſimorumq; virorum:quos divinitus excitatos ad repurgationem & profeſſionem cœleſtis doctrinæ, res ipſa teſtatur. Inter illos avum tuum Franciſcum à Syckingen numerandum eſſe, multi & fide digni teſtes affirmaverunt. Non enim is tantum proſapia,facultatibus opum peritia rei militaris nulli ſuæ ætatis Heroum ſecundus fuit:ſed etiam veræ religionis ſtudio & munificentia erga lumina illa Germaniæ noſtræ, Huldrichum ab Huttem Equeſtris ordinis virum, Martinum Bucerum, Ioannem Oecolampadium, Volfgangum Fabricium Capitonem,& alios.plurimũ excelluit. Agnoſcunt eruditi plurimum ſe debere Mediceæ apud Italos familiæ, cuius liberalitate olim vixere celeberrimi viri Angelus Politianus, Marſilius Ficinus,& nonnulli alii,qui in re literaria illuſtranda & provehenda deſudarunt. Sed multo plus familiæ Syckingiæ in Germania.pii omnes ſe debere intelligunt: cuius φιλοξενία & munificentia ſe lectiſſimis Eccleſiæ Chriſtianæ organis, ad excitanda & continuanda pia ſtudia, eo tempore profuit:quo & ſtudiorum dignitas pleriſque ignota, & religionis puritas neglecta adhuc,immo à maxima parte hominum peroſa jacebat. Quæ vero major nobilium & equeſtrium familiarũ gloria & commendatio eſſe poteſt, quam ſi non tam imaginibus,ſcientia rei militaris,opulentia,& dignitatibus,excellant: quam ſtudio cæleſtis doctrinæ, benevolentia καὶ τῇ εὐεργεσίᾳ erga hujus profeſſores, & multarum aliarum virtutum exemplo? Faxit Dominus noſter Jeſus Chriſtus,ut hæc decora & veſtræ familiæ perpetua ſint,& cum multis aliis Heroum eiuſmodi familiis, per Germaniam σποράδην verſantibus,communia

ELENCHVS ET SERIES HVIVS OPERIS.

Deſ. Eraſmi Rot. in ſuas Proverbiorum Chiliades Prolegomena.
Eiuſdem Adagiorum Chiliades quatuor cum ſeſquicenturia juxta locos communes distributa.
Henrici Stephani in Chiliadas Eraſmi animadverſiones.
Hadriani Iunii Adagiorum centuria octo cum dimidia, juxta locos communes Eraſmicis ſubiectæ.
Ioann. Alexandri Braſſicani proverbiorum σύμμικτα, cum appendice Symbolorum Pythagoræ, ex Iamblicho, Iunianis ſubiecta.
M. Grunni Corocottæ Procelli teſtamentum.
Ioan. Vlpii Adagiorum Epitome.
Gilberti Cognati Adagiorum ἐκλογὴ, iuxta locos etiam diſpoſita.
Ejuſdem Cognati nova Adagiorum appendix ad ſuarum Parœmiarum Syllogen.
Adagia quædam ex Cælio Rhodigino.
Adagia ſelectiora ex opere Polydor. Virgilii.
Ex proverbiorum libro Petri Godofredi I. C.
Paucula proverbia Caroli Bovilli.
Ex Hadr. Turnebi, M. Antonii Mureti, & aliorum ſcriptis, quædam Adagiorum miſcella.
Adagia aliquot è jure ſcripto, & variis eius interpretibus, à Gul. Gentio I. C. collecta.
Specimen quoddam Adagiorum, quæ ab Iunio, Canthero & Giſelino partim collecta ſunt & conſtituta, partim adhuc colliguntur.
Adagia aliquot Melchioris Neipei Bredenani, numquam antehac edita.

Horum omnium authorum proverbia iuxta locorum communium ſeriem, Eraſmicis ſuo quæque ordine, auctoris nomine præpoſito, ſubiunximus.

DES. ERASM. ROTERODAM. CLARISSIMO VIRO CAROLO MONTIOIO. S. D.

UT vere γνήσιος ſis patris ornatiſſimi filius, ut vere bonorum illius hæres, Carole fili chariſſime, præcipue tibi cura ſit oportet, ne quid à paternis ornamentis degeneres, teque magis in virtutum quam in facultatum paternarum ſucceſſionem pares. Quamquam enim ille eſt antiquiſſimis majorum imaginibus illuſtris, nec deeſt ſplendori generis juſta divitiarum copia: tamen ſi totum illum æſtimes, literarum ornamentis ac virtutum opibus non paulo tum illuſtrior eſt, tum opulentior, quam ſtemmatis aut poſſeſſionibus. Atque in poſſeſſiones cæteras liberos ſuccedere parentibus, niſi vita defunctis, nec mos nec lex patitur: eorum vero quæ præcipua bona ſunt, oportet liberos, jam inde à teneris unguiculis hæreditatem capeſſere. Optat hoc ardentiſſimis votis amantiſſima tui patris pietas: & jacta ſunt ad id præclara fundamenta, deguſtatis utriuſque literaturæ primordiis, quantum quidem iſta fert ætas: & habes ad profectum undique ſtimulos & calcaria nequaquam obtuſa, primum ipſum parentem, deinde generoſiſſimam puellam ac tibi ferme parem ætate Mariam principem, ex Rege docto, Regina docta, nec minus pia prognatam, quæ jam ſcribit literas & bene latinas, & indolem tali genere dignam præ ſe ferentes: tum Moricæ familiæ tot puellas, veluti quendam Muſarum chorum: ut exiſtimem nihil opus, ultro currentem incitare. Tantum illud admonere viſum eſt, ut quoniam Adagiorum opus jam olim nomini paterno dicatum eſt, in hujus quoque poſſeſſionis conſortium temet inferas, parenti quidem nihil laudis detracturus, operi vero non parum ſplendoris additurus: tibi denique, niſi me fallit animus, fructum haudquaquam pœnitendum conciliaturus. Nihil eſt novum, idem monumentum pluribus inſcribi: & ſi novum eſſe, reſponderem, patrem, & patri ſimillimum filium, pro uno potius quam duobus habendos eſſe. Quid enim aliud eſt filius, quam pater in altero ſe repubeſcens? Et fortaſſe patri non ſatis vacat per aulica negocia talibus curis intendere, tibique jam veluti feſſus hanc lampadem tradit. Legito igitur, mi Carole, patri conſecratum opus: & inter legendum Eraſmum, quondam patris tui præceptorem, tecum loqui putato. Dominus Jeſus ſervet ac proſperet vitam tuam omnem, puer ornatiſſime. Datum Baſil. Id. Auguſt, Anno Domini M. D. XXVIII.

DES. ERASM. ROTERODAMUS CAROLO MONTIOIO.

POSTEAQUAM obitu clariſſimi viri Gulielmi Montioii, tu parentem amantiſſimum perdidiſti, ego patronum & amicum conſtantiſſimum, Carole juvenis ornatiſſime, par eſt ut qui eo vivo in partem hæreditatis veneras, nunc totam paternæ in me benevolentiæ ſucceſſionem capeſſas: operiſque communiter ambobus dicati, ſolus tutelam ſuſcipias, in quo tibi pater quodammodo ſuperſtes eſt. Mortem illius hoc moderatius ferre decet, quod deceſſit ætate juſta, fama illibata, rebus omnibus feliciter atque ex animi ſententia compoſitis. Vale. nona die Febr. Anno a Natali M. D. XXXVI.

DES.

DES. ERAS. ROTERODAMVS
GVLIELMO MONTIOIO, CLARISSIMO ANGLIÆ BARONI, S. P. D.

OLim Lutetiæ proverbiorum ceu ſyluulam quandam, pauculis ſanè diebus, nec id quidem admodum accuratè, denique in ſumma Græcorum inopia voluminum, congeſſeram, Ornatiſſime GVILIELME MONTIOIE: videlicet ut tibi privatim commentarioli vice foret: quod animadvertiſſem, te hoc genere peculiariùs delectari. Eam quidam, ſeduló quidem illi, ſed ſiniſtro nimioque ſtudio mei, publicandam etiam ac formulis excudendam curarunt: ſed adeò depravatè, ut alioqui dedita factum opera videri. Attamen ſic congeſtam, ſic editam major opinione favor excepit, ſive is tuus, ſive operis fuit genius. Tantum autem adjumenti videbatur attuliſſe politioris literaturæ candidatis, ut plurimum amplitudini tuæ, nonnihil etiam induſtriæ noſtræ debere ſeſe faterentur. Proinde quò ſimul & ſuperioris æditionis alienam culpam ſarcirem, & cumulatiore munere ſtudioſos omneis noſtrum utrique demererer: peculiariter autem Angliæ tuæ, indies magis ac magis gliſcentia ſtudia hac parte juvarem, nactus juſtam propemodum Græcanicorum librorum ſupellectilem, idem illud operis ſub incudem revocavi, ſupraq; chiliadas adagiorum treis, & centurias duas (cur enim hæc non ceu theſauros numeremus etiam?) è plurimis autorib. in commentarium redegi. Erat animus, veluti de eodem, quod ajunt, oleo adjungere metaphoras inſignes, ſcitè dicta ſententias, eximias, alluſiones venuſtiores, allegorias poeticas; quod omnis ea ſupellex adagiorum generi confinis eſſe videbatur, ac pariter ad locupletandam venuſtandamque orationem conducere: accuratiùs autem arcanarum litterarum allegorias ex veteribus illis Theologis ſtatueram annectere: quod ibi tanquam in mea harena proprioque meæ profeſſionis munere mihi, videbar verſaturus, quodque ea pars non ſolùm ad ingenii cultum, verùm etiam ad vitæ pietatem pertineret. Sed cum viderem hanc operis partem in tantam molem aſſurgere, deterritus infinita prope magnitudine laboris, reduxi calculum, & hoc curſu contentus, alii, quicunque volet operis vices capeſſere, lampada tradidi. Me quidem hujus laboris non admodum adhuc pœnitet, ut qui mihi puerilium ſtudiorum jam obſoleſcentem memoriam aliqua ex parte renovarit. Sed hactenus peregrinatum eſſe licere videbatur. Cæterùm in alieno negocio conſeneſcere, magnamque vitæ partem inſumere, id neque decorum mihi, neque calumnia cariturum exiſtimabam. Itaque Theologicas allegorias, quando noſtri ſunt muneris; cum erit Græcorum in hoc genere voluminum copia, tractabimus: & hoc tractabimus libentiùs, quòd videam multis jam ſeculis theologos hac vel præcipua parte neglecta, omnem operam in quæſtionum argutiis contere, re non perinde reprehendenda, niſi ſolùm hoc ageretur. Reliquas autem parteis hoc libentiùs prætermittam, quod intellexerim jamdudum ſuapte ſponte ad eas accinctum Richardum Pacæum, juvenem ea utriuſque literaturæ ſcientia præditum, ut unus omnem Britanniam ingenio ſuo poſſit illuſtrare: ea morum puritate modeſtiaque, ut tuo, tuique ſimilium favore ſit digniſſimus. Hoc itaque tam idoneo ſucceſſore pariter fiet, ut & nos non ſolùm nulla ſtudioſorum jactura, verùm etiam lucro aliquo reliquum illum laborem ſuggeramus, & totum hoc, quidquid eſt operis, veſtræ Britanniæ debeatur. Habes, quibus adductus rebus hoc operis, & hoc tantum ſuſceperim: nunc quid ſecutus ſim, paucis accipe. Ordinis vice ſi modo ullus in his ordo, ſubſtituimus indicem, in quo proverbia, quæ veluti conſimilis monetæ, confiniaq; videbantur, in ſuam quæq; tribum digeſſimus. In colligendo nec uſq; adeò ſuperſtitioſi fuimus, ut vereremur aſſcribere, niſi quod τὸ φασὶν, aut ejuſmodi manifeſtarium aliquod ſymbolum præ ſe ferret: neque rurſum ita temerarii, ut quicquid quocunque pacto ad aliquam adagii ſpeciem accederet, illicò converteremus: ne plane, quemadmodum Midæ in aurum, itidem nobis quicquid fortè contigiſſemus, protinùs in adagiū verti, jure quis calumniari poſſet. Græca, quæ citamus, omnia fermè Latinè reddidimus, haud neſcii, cùm præter veterum conſuetudinem id eſt, tum ad orationis nitorem inutile: ſed noſtri temporis habuimus rationem. Atque utinam Græcanicæ literaturæ peritia ſic ubique propagetur, ut is labor meus tanquam ſupervacaneus meritò contemnatur. Sed neſcio quo pacto ſumus ad rem tam frugiferam cunctatiores, & quamvis eruditionis umbram citiùs amplectimur, quam id, ſine quo nulla conſtat eruditio, & à quo uno diſciplinarum omnium ſinceritas pendet. Carminum, quorum hic infinita vis incidit, ſuo quoque metri genere reddidimus, pauculis admodum exceptis nempe Pindaricis aliquot Choricisque: quod ridiculæ cujuſquam anxietatis videbam fore, ſi totidem ſyllabis ea reddidiſſem: rurſum ineptum, ſi diverſum è proxima ſerie genus voluiſſem

luiſſem

luiſſem aſſuere. In reliquis autem, quod ad metri legem attinet, rariùs quidem, ſed tamen aliquoties, nobis idem permiſimus, quod ſibi permiſerunt authores, à quibus ea mutuamur: velut in Ariſtophanicis trimetris anapæſtum in paris numeri locis: In Homericis hexametris μείωσιν ac ſyllabæ finalis ectaſin in prima cujuslibet pedis arſi: & ſi qua præterea ſunt hujuſmodi. Quod ideò duximus admonendum, ne quis temerè, tanquam inſcitia factum calumniaretur. Nos ſanè quoad licuit in tam infinita rerum turba, præſertim antiquarum: deinde in tanta codicum, cum inopia, tum vero depravatione: denique tam anguſto temporis ſpacio, quod ocio noſtro magis, quàm operis ratione metiri fuit neceſſe, ſedulo dedimus operam, ne quid ab æquo lectore deſideraretur. Reſtant tamen nonnulla, quæ juxta proverbium melior eſſe conſuevit, vel uberior librorum copia ſuppeditabit, haud quaquam pudebit παλινῳδεῖν, idque veterum exemplo. In quo ſi quis alius anteverterit, noſtraque caſtigarit, huic multam etiam gratiam habituri ſumus: tantum aberit, ut nobis injuriam eſſe factam arbitremur. Equidem ut probo diligentiam eorum, qui id conantur, ita felicitatem admiror, qui præſtare quoque poſſint in ſcriptis ſuis, ne quid homo reliqui fiat, quod queat carpere. Noſtra certè mediocritas non iſtud auſit polliceri, præſertim in hoc argumenti genere. Verùm ſi quid incognitum vulgo potuimus eruere, cujuſmodi non parum multa, ni fallor, in hoc volumine reperies, libenter citraq; jactantiam impertimus: contrà ſi quid fefellit, nõ minùs libenter admoneri nos patiemur: juxta parati, vel candidè docere quod ſcimus, vel ingenue diſcere quod ignoramus. Neque enim unquam mihi placuit iſtorum exemplum, qui pro vocula ſi quam invenerint, perinde quaſi Babylonas ceperint, ita geſtiunt exultant, triumphant, officiumq; ſuum ſtudioſis velut exprobrant. Rurſum ſi quis verbo diſſentiat, ibi non aliter atque pro focis ariſque digladiantur. Spes eſt autem, ita vel maximè candido lectori probatum iri vigilias noſtras: ſi tu quidem eas, fronte qua ſoles, acceperis, unice ſtudiorum meorum Mecœnas. Nam quo alio verbo breviùs pleniùſve complectar, vel tuum iſtum tam ſingularem in nos animum, vel laudum tuarum ſummam: qui quidem es unus pulcherrimo illo Apulei dignus elogio: Inter doctos nobiliſſimus, inter nobiles doctiſſimus, inter utroſque optimus: illud adjiciendum, inter omneis modeſtiſſimus. Ut enim antiquam generis claritatem eruditione, eruditionem miro vitæ candore decoraſti: ſic his omnibus omnium pulcherrimum apicem, & colophonem, ut ajunt, addidiſti, admirabilem animi modeſtiam. Quin iſtud tibi abſolutæ laudis, & vel longiſſimi encomii inſtar fuerit, placuiſſe Regi non modo quos noſtra vidit ætas, ſed quos veterum etiam annales referunt, cordatiſſimo: quæque præcipua regum virtus, in deligendis quos diligat, diligentiſſimo. Quanquam autem is mos eſt ſcriptoribus, ut eorum laudibus, quibus ſuas nuncupant lucubrationes, bonam præfationis partem occupent: & hoc veræ virtuti præmium deberi videtur, ut ejus memoria poſteritati conſecretur: id quod non aliis monumentis rectiùs fit, quam libris: mihi verò tantus verè citraque fucum laudandi campus patebat, quantus aliorum nemini: tamen quoniam & mea ſimplicitas tibi nequaquam ignota, non ab adoratione tantùm, verùm etiam ab omni blandiloquentiæ ſpecie vehementer abhorret: & tua ſingularis modeſtia nihil minùs pati ſolet, quàm laudes etiam modeſtiſſimas: prætermiſſis his ad adagiorum tractationem accedemus, quam quidem viſum eſt à finitione, juxta philoſophorum præceptum, auſpicari. Tu lege, ac vale, vel interim potiùs quam maximè mecum eſto.

DES.

DES. ERASMI ROTERODAMI IN SUAS PROVERBIORUM CHILIADES PROLEGOMENA.

Quid ſit Parœmia?

PAROEMIA, definitore Donato, eſt accommodatum rebus temporibuſque proverbium. Diomedes autem finit hunc admodum: Parœmia, eſt proverbii vulgaris uſurpatio, rebus temporibuſque accommodata, cum aliud ſignificatur quam dicitur. Apud Græcos ſcriptores variæ feruntur finitiones. A nonnullis deſcribitur hoc pacto: *Παροιμία ἐστὶ λόγος ὠφέλιμος ἐν τῷ βίῳ ἐπικρυφῇ μετρίᾳ πολὺ τὸ χρήσιμον ἔχων ἐν ἑαυτῷ.* id eſt: Proverbium eſt ſermo ad vitæ rationem conducibilis, moderata quadam obſcuritate multam in ſeſe continens utilitatem. Ab aliis hoc finitur modo: *Παροιμία ἐστὶ λόγος ἐπικαλύπτων τὸ σαφὲς ἀσαφείᾳ.* id eſt: Proverbium eſt ſermo rem manifeſtam obſcuritate tegens. Neque me clam eſt, compluresalias & apud Latinos & apud Græcos parœmiæ finitiones extare, verum eas omneis hic referre, non arbitratus ſum operæ precium fore: cum quod in hoc opere præcipue propoſitum ſit, brevitatem illam, quam a docente requirit Horatius, ubique quoad licebit, ſequi: tum quod eandem fere cantilenam canunt, eodemque recidunt: maxime quod inter tam multas nulla reperitur, quæ vim naturamque proverbii ſic complectatur, ut non aliquid vel redundet, vel diminutum ſit. Siquidem Donatus ac Diomedes, ut interim alia non excutiam, in omni parœmia requirere videntur involucrum aliquod, ut qui eam allegoriæ ſpeciem fecerint. Deinde *γνωμικόν*, id eſt, ſententiale quiddam, expectant, cum addunt, Rebus temporibuſque accommodatum. Græcorum item quotquot ſunt finitiones, aut ſententiam ad vitam inſtituendam conducibilem, aut metaphoræ tectorium admiſcent, quædam utrunque cum altero conjungunt. Atqui permulta reperies apud *ἀξιοπίστους*, id eſt neutiquam violandæ authoritatis ſcriptores, proverbii nomine citata, quæ nulla metaphora tegantur. Rurſum non pauca, quæ nihil omnino pertineant ad inſtitutionem vitæ, & a ſententiæ ratione prorſus *ἐκ διαμέτρου*, quod ajunt, diſſideant. Exempla pro multis duo ſuffecerint, *μηδὲν ἄγαν*, Ne quid nimis, nemo non ponit inter adagia, nihil tamen habet integumenti. Et, *τίς ἂν θυρῶν ἁμάρτοι*; hoc eſt, Quis aberret à foribus, ab Ariſtotele parœmiæ titulo refertur. At id non video quid conferat ad vitæ rationem. Jam vero non omne proverbium allegoria quapiam tegi, vel ex Fabio liquet, cujus hæc verba ſunt, libro Inſtitut. quinto: Cui confine eſt parœmias genus illud quod eſt velut fabella brevior: videlicet palam indicat, & alia parœmiarum eſſe genera, quæ non ſint allegoriæ cõfines. Quanquam haud inficias iverim, maximam adagiorum partem aliqua metaphoræ ſpecie fucatam eſſe. Tum optimas fateor eas, quæ pariter & translationis pigmento delectent, & ſententiæ prodint utilitate. Verum multo aliud eſt, commendare parœmiam, & quænam ſit optima, demonſtrare: aliud, quid ea ſit, in genere definire. Mihi, quod Grammaticorum pace fiat, abſoluta, & ad noſtrum hoc inſtitutũ accommodata parœmiæ finitio tradi poſſe videtur ad hunc modũ: Parœmia eſt celebre dictum, ſcita quapiam novitate inſigne. Ut Dictum, generis: Celebre, differentiæ: Scita quapiam novitate inſigne, proprii vicem obtineat. Quandoquidem his tribus partibus perfectam conſtare definitionem, Dialecticorum conſenſus eſt.

Quid Parœmiæ proprium & quatenus.

Itaque peculiariter ad proverbii rationem pertinent duo, *τὸ θρυλλούμενον, καὶ καινόν*, hoc eſt uti celebratum ſit, vulgoque jactatum. Nam hinc etiam parœmiæ Græcis vocabulum, videlicet *ἀπὸ τοῦ οἴμου τὸ ἐστὶ ... παρόδιον*, quod paſſim per ora hominum obambulet: & adagii Latinis, quaſi dicas circumagium, autore Varrone. Deinde ſcitum, ut aliqua ceu nota diſcernatur à ſermone communi. Neque enim protinus, quod populari ſermone tritum ſit, aut figura novatum, in hunc catalogum adlegimus: ſed quod antiquitate pariter & eruditione commendetur: id enim ſcitum appellamus. Quibus ex rebus accedat novitas adagiis, mox oſtendemus: nunc quot modis celebritas contingit, paucis indicabimus. Veniunt igitur in vulgi ſermonem, vel ex oraculis numinum: quod genus illud, *οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι*: id eſt, Neque tertii, neque quarti. Vel à ſapientum dictis, quæ quidem antiquitas oraculorum inſtar celebravit: quale eſt illud, *δύσκολα τὰ καλά*: hoc eſt, Ardua quæ pulchra. Vel è poeta quopiam maxime vetuſto: ut Homericum illud,

— *ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω*: id eſt,
Rem factam etiam ſtultus intelligit.
Item illud Pindaricum,
ποτὶ κέντρα λακτίζειν: id eſt,
Contra ſtimulum calcitrare. Et illud Sapphus,
μήτε μοι μέλι, μήτε μέλισσα: id eſt,
Neque mel mihi neque apis.

Siquidem dum linguæ adhuc incorruptæ manerent, poetarum verſus in conviviis etiam canebantur. Vel è ſcena, hoc eſt tragicorum & comicorum actis fabulis: quod genus illud ex Euripide, *ἄνω ποταμῶν*. Rurſum illud ex Ariſtophane *βάλλ' ἐς κόρακας*. Præcipue vero comœdia mutuo quodam commercio & uſurpat pleraque jactata vulgo, & gignit traditque vulgo jactanda. Nonnulla ducuntur ex fabularum argumentis, ut *ἄπληστος πίθος*, ex Danaidum fabula, *ἄδου κυνῆ*. Orci galea, ex fabula Perſei. Quædã trahuntur ex Apologis: è quibus illud, At non videmus manticæ quod in tergo eſt. Aliquot ex eventu naſcuntur: ſicut hoc, *ἄλλα μὲν Λεύκων, ἄλλα δὲ Λεύκωνος ὄνος φέρει*: id eſt, Alia Leucon, alia Leuconis aſinus portat. Ex hiſtoriis aliquot mutuo ſumpta ſunt: quorum eſt illud, Romanus ſedendo vincit. Quædam profecta ſunt ex apophthegmatis, hoc eſt, ſcite breviterque reſponſis: ſicut illud, *ὃς αὐτὸς αὑτὸν οὐκ ἔχει, ...*: id eſt, Qui ſemetipſe non habet. Samũ petit. Sunt quæ ex verbo temere dicto ſunt arrepta: velut, *οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ*, id eſt, Non eſt curæ Hippoclidi. Denique mores, ingenium, ſeu gentis, ſive hominis alicujus, ſive etiam animantis: poſtremo rei quoque vis quæpiam inſignis, ac vulgo nota locum fecerunt adagio: cujuſmodi ſunt, *Σύροι πρὸς Φοίνικας*: id eſt, Syri contra Phœnices. *ἀκκίζειν*, pro eo quod eſt, ficte recuſare, quod accipere cupias. &, *ἡ ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται*: id eſt, Vulpes non capitur muneribus. &, *δὶς κράμβη θάνατος*: Bis crambe mors. &, *κληματὶς αἰγυπτία*: Clematis Ægypta.

Quibus ex rebus accedat novitas parœmiæ.

Jam quod de novitate diximus, id neutiquam ſimplex eſt. Nam hanc nonnunquã ipſa res ſecum adfert: ut, *κροκοδείλου δάκρυα*, Crocodili lachrymæ. Nonnunquam eam figura conciliat, cum per omneis ferme Schematum ſpecies adagium varietur, quas ſingillatim perſequi non eſt neceſſe. Eas duntaxat attingam, quas frequentiſſime recepit. Metaphora pene ſemper adeſt. Multas autẽ parteis

ea complectitur. Allegoria non minus crebra: quanquam & hæc quibuſdam metaphoræ ſpecies eſt. Exemplum prioris, Res omnis in vado eſt: poſterioris, λύκος ἔχανε, Lupus hiat. Nec infrequens hyperbole: velut, γυμνότερος λεβηρίδος: id eſt, Nudior exuvio ſerpentis. Nonnunquam uſq; ad ænigma pervenit, quod autore Quintiliano, nihil aliud eſt quam obſcurior allegoria: quod genus, πλέον ἥμισυ παντός: id eſt, Dimidium plus toto. Nonnunquam alluſio venerem adjungit parœmiæ: veluti, βάλλ' οὕτως: id eſt, Sic ferito, &, σύν τε δύ' ἐρχομένω: id eſt, Duobus ſimul euntibus. &,

ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται: id eſt,
Ædibus in propriis quæ rectave pravave fiant.

Aliquoties αὐτὴ διάλεκτος καὶ ἰδίωμα, id eſt, verbi proprietas, proverbii ſimulacrum addit: ut, ἄγριον κακόν: id eſt, Ingens malũ. Fit interdum, ut ipſum ἀμφίβολον hoc eſt, ambiguitas decus apponat proverbio. Cujus generis eſt, βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ: id eſt, Bos in lingua. &, ὅπου μῦς ἐν πίσσῃ, id eſt, Quæcunq; mus in Piſa. Siquidem bos & animal ſignificat & numiſma. Mus item animantis eſt nomen, & item athletæ cujuſdam vocabulum. Et Piſa nomẽ urbis, acceſſione literulæ auctum, picẽ ſignificat πίσσα. Nonnunquam ipſa eloquendi novitas parœmiam efficit: ut, ἐν οἴνῳ ἀλήθεια: id eſt, In vino veritas. Nam ſi dicas, ebrios vera loqui, non videbitur adagium. Item ſi dicas, Sine cibo & potu languet libido, nõ habebit adagii faciem. Contra, Sine Cerere & Baccho friget Venus, nemo non agnoſcit adagii ſpeciem. Quanquã hæc ipſa novitas, ut omnis alia, proficiſcitur a figura. Decorat interim & antiquitas: ut ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη: Sponde, ſed præſto eſt jactura. Denique in parœmiis omneis τοῦ γελοίου, id eſt, ridiculi formas invenies. Sed hæc minutim perſequi, moleſtæ cujuſdam diligentiæ forte videatur. Tametſi de figuris proverbialibus paulo poſt aliquanto copioſius dicturi ſumus.

Quomodo parœmia differat ab iis, quæ videntur illi confinia.

Sunt autem quædam affinia parœmiis: puta, γνῶμαι, quas noſtri Sententias appellant: ad hæc αἶνοι, qui a noſtris Apologi vocantur: tum, ἀποφθέγματα, quæ Latine, Breviter, ac ſcite dicta, vertere licebit. Præterea σκώμματα, id eſt Salſe dicta. Denique quicquid allegoriam, aut aliam quampiam figuram proverbialem, ceu perſonam præ ſe gerit. Ea tametſi difficile non ſit ab adagiorum genere ſecernere, ſi quis ad finitionem tanquam ad gnomonem & regulam unumquodque noſtit applicare: tamen quo faciam ſatis etiam imperitioribus, haud gravabor rudius, & pinguiore, quod ajunt, Minerva rem explicare, ut plane conſtet, quid in hoc opere ſim ſequutus. Primum inter ſententiam & parœmiam ejuſmodi ratio eſt, ut utraq; cum altera conjungi, utraque rurſus ab altera queat ſejungi, non aliter quam album ab homine. Ut enim non ſtatim album quod homo, neque protinus homo quod album: nihil tamen vetat id album eſſe, quod ſit homo: ita non raro ſit, ut ſententia parœmiam complectatur: at non ſtatim quod parœmia fuerit, idem erit & ſententia, neque contra, velut,

Avaro tam deeſt quod habet, quam quod non habet. Et:
Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit:

non ut ſententiæ ſunt, ita ſunt & adagia. E diverſo, Ego in portu navigo, ut eſt proverbium, ita ſententia non eſt. Rurſum, μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν. i. Ne puero gladium: pariter & parœmiæ ſententiæque rationem complectitur, denique & allegoriæ. Neque defuere tamen, permulti apud Græcos, qui gravati non ſunt operam in hoc genere ſumere, γνωμολογίας, id eſt, ſententiarum collectionem conſcribentes: inter quos præcipuus Nicolaus Stobæus. Quorum ego certe laborem probarim libentius, quam æmulari velim. Sed ad reliqua. αἶνον Aphthonius in Progymnaſmatis, ſimpliciter μῦθον, id eſt fabulam vocat. Huic ſunt, ut ait, varia ex inventoribus cognomina, συβαριτικός, κιλίξ, κύπριος, αἰσώπειος. Quintilianus αἶνον ait à Græcis appellatum λόγον μυθικὸν ἀπολογητικόν, à Latinorum nonnullis apologationem, non ſatis in uſum recepto nomine. Neque negat αἶνον parœmiæ confinem eſſe: verum ita diſtingui, ut αἶνος totus ſit apologus, parœmia, veluti fabella brevior, Exempli loco poſuit, Non noſtrum onus, bos clitellas. Ad hunc quidem modum uſurpavit Heſiodus.

νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.
ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον: id eſt,
Æ non principibus referam, norint licet ipſi.
Vocalem accipiter ſic affatus Philomelam eſt.

Utitur eundem ad modum & Archilochus & Callimachus. Etiamſi Theocritus ἐν τοῖς βουκολικοῖς αἶνον pro parœmia videtur uſurpaſſe:

αἶνος θην λέγεταί τις, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν.

Jam vero apophthegmata non alio diſcrimine diſſident à parœmiis quam ſententiæ. Quemadmodum enim illud, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης, ſimul & adagium eſt & apophthegma: ita illud Simonidis ad quendam in convivio tacentem, εἰ μὲν ἠλίθιος εἶ, σοφὸν πρᾶγμα ποιεῖς, εἰ δὲ σοφὸς, ἠλίθιον: id eſt, Siquidem ſtultus es, ſapientem rem facis: ſi vero ſapiens, ſtultam. Item illud: Decet Cæſaris uxorem non ſolum crimine, verum etiam criminis ſuſpicione vacare: apophthegma quidem eſt, at non item parœmia. Item, Soles duabus ſedere ſellis, ſimul & proverbium, & λοιδόρημα eſt, Contra, Mater nunquam, pater perſæpe. item illud Turonii, Ad molas ſunt σκῶμμα quidem eſt, at non item adagium. Quanquam ſunt in hoc genere quædam adeo commode dicta, ut facile poſſint in adagiorum ordinem aſciſci: velut illud, μέχρι βωμοῦ φίλος εἰμί: id eſt, uſque ad aras ſum amicus. Adeſt enim ſimul & brevitas & ſententia & figura. Hæc paulo verboſius inculcavimus, ne quid à nobis in hoc expectetur opere, niſi quod ſub parœmiæ cadit appellationẽ: neve quis per negligentiam præteritum exiſtimet, quod prudentes conſultoque tanquam ab argumento alienum prætermiſimus.

Commendatio proverbiorum à dignitate.

Porro autem ne quis hanc doctrinæ partem, tanquam nimium humilem, & impendio facilem, peneque puerilem faſtidiat atque aſpernetur, paucis exponam, quantum hæc, ſicuti videntur, minutula, apud antiquos illos obtinuerint dignitatis: deinde quantum adferant commoditatis, ſi quis in loco ſciteque utatur: poſtremo nõ uſque adeo cujuslibet eſſe, recte proverbiis uti. Principio cognitionem adagiorum nõ in poſtremis habitam apud ſummos viros, vel illud ſat argumenti puto, quod primi nominis autores non indigna duxerint, de quibus diligenter voluminibus aliquot conſcriberent. Quorum primus eſt Ariſtoteles, nimirum tantus philoſophus, ut unus hic pro multis ſuffecerit. Reliquit is, teſte Laertio, de parœmiis, volumen unum. Chryſippus item ad Zenodotum duos de proverbiis libros conſcripſit. Scripſit eadem de re Cleanthes. Quorum virorũ ſi labores extarent, nobis non fuiſſet neceſſe tanto ſudore quædam ex minutis iſtis ſcriptoribus, & iiſdem ut indiligentibus, ita depravatiſſimis etiam, expiſcari. Reperiuntur nonnulla proverbiorum collectanea Plutarchi nomine: ſed paucula, eaque ferme nuda. Inter parœmiographos ſubinde citatur, tum ab aliis, tum ab Athenæo in Dipnoſoph. Clearchus Solenſis Ariſtotelis auditor, & Ariſtides: deinde Zenodotus, qui Didymi Tarrhæiq; parœmias in compendium redegit. Citantur & Theophraſti proverbia in commentariolis Demoſthenis. Unde liquet, & illos hiſce de rebus commentarios reliquiſſe. Neq; me fugit, id operis Zenobii nomine circumferri. Verum quoniam invenio quædam apud Ariſtophanis interpretem, Zenodoti ejus, qui Dydymũ ac Tarrhæum in compendiũ redegerit, nomine relata, quæ ad verbum in hujus commentariis leguntur, velim mihi citra fraudem eſſe, quod is quocunque fuerit nomine, quid enim refert? in hoc opere Zenodoti titulo adducetur. hic præter alios Milonem quendam parœmiographum allegat. Citatur & Dæmon quiſpiam, cum ab aliis compluribus, tum ab eo qui dictiones aliquot ex orationibus Demoſthenis eſt interpretatus, qui multos de proverbiis libros videtur compoſuiſſe. Nam citatur liber XL. Extant & Diogeniani collectanea, Heſychii præfatio teſtatur ab ipſo copioſius explicata proverbia, quæ nudius recenſuiſſet Diogenianus, etiamſi opus ipſum pugnat cum ſuo prologo: cum is nomenclaturam autorum profiteatur, & proverbiorum argumenta, hic ita nudus ſit, ut nihil eſſe poſſit magis. unde in conjecturam adducor, opus hoc copioſius ab autore deſcriptum, poſt ab alio quopiam in compendium contractum. Suidas, qui & ipſe in hoc numero ponẽdus eſt, Theætetũ quendam adducit, qui de proverbiis cõnſcripſerit. Sed quid ego hos, cum ſapientes illi Hebræi non dubitarint hoc titulo libros aliquot edere, & arcani numinis adoranda myſteria parœmiis includere, in quibus eruendis tot tantorum Theologorum ingenia deſudarunt, hodieq; deſudant. Nec illud argumentum leve, quod inter bonos autores, ut quiſq; fuit eruditiſſimus eloquentiſſimuſq; ita quamplurimum adagiorum ſuis libris aſperſit. Et ut a Græcis exordiar, quid magno illo Platone, ne dicam divino, παροιμιωδέστερον, ut ſic dixerim? Ariſtoteles, ſeverus alioqui philoſophus, haudquaquam gravatur, ſuis illis diſputationibus parœmias crebras ceu gemmulas intertexere. Quem quidem ſicut in cæteris, ita hac quoq; in parte Theophraſtus eſt æmulatus. Plutarchus gravis ſanctusq;, ac pene tetricus autor, quam multis undiq; ſcatet adagiis? quem nec piguit inter problemata quaſdam parœmias & proponere & excutere, idq; Ariſtotelis exemplo. Jam ut ad Latinos veniam, omiſſis utroq; in genere grammaticis ac poetis (niſi ſi quis in his M. Varronem exiſtimat annumerandum, qui Menippeis illis ſuis proverbiales indidit titulos, ut plane conſentaneum ſit, illũ argumenta fabularum non aliunde, quam a proverbiis ſumpſiſſe mutuo) Romani principes non exiſtimaverunt inferius eſſe majeſtate imperiali, ut magis de rebus conſulti proverbio reſponderent: quod etiam nunc extat in Digeſtis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντη, οὔτε παρὰ πάντων: id eſt, Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnib. Deniq; quis auſit hoc genus faſtidire: cum videat ſacrorum vatum oracula quædam proverbiis conſtare? Quorum de numero eſt illud. Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes noſtri obſtupuerunt. Quis nõ etiam veneretur, ut rem quampiam ſacram, & myſteriis accõmodatam, cum ubiq; nobis imitandus Chriſtus ipſe peculiariter hoc ſermonis genere delectatus fuiſſe videatur? Apud Græcos hoc adagium fertur, ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκεται: id eſt, E fructu arborem judico. Apud Lucam item legitur, οὐ γάρ ἐστι δένδρον καλὸν ποιοῦν καρπὸν σαπρὸν, οὐδὲ δένδρον σαπρὸν, ποιοῦν καρπὸν καλόν, id eſt, Non enim eſt arbor bona, quæ fructũ faciat vitioſum: neq. arbor vitioſa, quæ fructũ faciat bonũ. Apud Græcos Pittacus philoſophus conſultorẽ ſuũ ad pueros turbine ludẽtes mittit, à quib. deducẽda uxore proverbio doceatur, audiatq;, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Chriſtus puerorũ citat parœmiam ſic in foro ludentium, ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε. ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε: id eſt, Cecinimus vobis tibiis, & non ſaltaſtis: cecinimus lugubre, & non ploraſtis. Cui ſimillimum eſt illud Theognidis, ſi ſacra licet conferre profanis,

—— οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς, οὔθ' ὕων πάντεσσ' ἁνδάνει, οὔτ' ἀνέχων: id eſt,
Non etenim cunctis placeat vel Jupiter ipſe,
Seu mittens pluviam, ſeu cohibens pluviam.

Quod ſi quem movet antiquitatis autoritas, nullum doctrinæ

genus

genus antiquius fuiſſe videtur, quam parœmiarum. In his ceu ſymbolis tota ferme priſcorum philoſophia continebatur. Quid aliud veterum illorum ſapientum oracula quam proverbia? Quib⁹ tantum honoris habitum eſt olim, ut nõ ab homine profecta, ſed cœlitus delapſa viderentur. E cœlo, inquit Juvenalis, deſcendit, γνῶθι σεαυτόν, id eſt, Noſce teipſum. Proinde pro foribus templorum velut digna diis inſcribebantur: paſſimq; columnis ac marmoribus inſculpta viſebantur, tanquam immortali digna memoria. Quod ſi minutula quæpiam res videtur adagium, meminerimus iſta non mole, ſed precio æſtimari oportere. Quis enim ſanus non pluris faciat gemmulas quamvis perpuſillas, quam ſaxa quædam ingentia? &, ut autore Plinio in minutiſſimis animantibus, velut, araneolo culiceq; majus eſt naturæ miraculũ, quam in elephanto, ſi quis modo propius contempletur: itidem in re literaria nonnunquam plurimum habeat ingenii, quæ minima ſunt.

At quot res utilis parœmiarum cognitio?

Reliquum eſt, ut paucis oſtendamus non minus utilitatis ineſſe proverbiis, quam olim adfuerit dignitatis. Conducit autem parœmiarum cognitio, cum ad alia permulta, tum potiſſimum ad quatuor: ad philoſophiam, ad perſuadendum, ad decus & gratiam orationis, ad intelligendos optimos quoſque autores. Principio ne cui mirum videatur, quod proverbia dixerim ad philoſophiæ ſcientiam pertinere. Ariſtoteles apud Syneſium exiſtimat nihil aliud eſſe parœmias, quam reliquias priſcæ illius philoſophiæ, maximis rerum humanarum cladibus extinctæ. Eaſq; ſervatas eſſe, partim ob compendium brevitatemque, partim ob feſtivitatem ac leporem ideoq; nõ ſegniter nec oſcitanter, ſed preſſius ac penitius inſpiciendas: ſubeſſe enim velut igniculos quoſdam vetuſtæ ſapientiæ, quæ in pervestigãda veritate multo fuerit perſpicacior, quam poſteriores philoſophi fuerint. Plutarchus item in commentario, cui titulum fecit, Quo pacto ſint audiendi poetæ, veterum adagia ſimillima putat ſacrorum myſteriis, in quibus maximæ quæpiam res ac divinæ minutulis & in ſpeciem pene ridiculis ceremoniis ſignificare ſolent. His enim tam brevibus dictis per involucrum quoddam eadem innuit, quæ philoſophiæ principe tot voluminib. tradiderunt. Neque enim aliud ſibi velle parœmiam illam Heſiodiam, πλέον ἥμισυ παντός, quam quod Platonem in Gorgia, tum in libris politicis, tam multis argumentis conatur oſtendere, βέλτιον εἶναι τὸ ἀδικεῖσθαι τοῦ ἀδικεῖν, id eſt, Satius eſſe injuriam admittere, quã injuriam inferre. Quod autem unquam dogma proditum eſt, à philoſophis, vel ad recte inſtituendam vitam ſalubrius, vel Chriſtianæ religioni vicinius? At rem tantam videlicet, tantillum proverbiorum complectitur, πλέον ἥμισυ παντός, id eſt, Dimidium plus toto. Nam qui totum aufert, is alterum fraudat, ut cui nihil reliqui faciat. Contra, qui dimidiũ duntaxat accipit, is aliqua parte fraudatus videtur. Præſtat autẽ fraudari quã fraudare. Præterea ſi quis Pythagoricum illud, κοινὰ τὰ τῶν φίλων, id eſt, Communes res amicorum: diligentius penituſq; diſcutiat, nimirum inveniet in tam brevi dicto felicitatis humanæ ſummã eſſe comprehenſam. Quid enim aliud agit Plato tot voluminibus, quam ut communitatem perſuadeat, & hujus autorem amicitiam? Quæ ſi mortalibus perſuaderi queat, illico faceſſant è medio, bellum invidia fraus: breviter univerſum malorum agmen ſemel è vita demigret. Quid aliud egit princeps noſtræ religionis Chriſtus? Nimirum unicum duntaxat præceptum mundo tradidit charitatis, admonens ab ea una, ſummam & legem & prophetarum pendere. Aut quid aliud hortatur charitas, quam ut omnium omnia ſint communia? Videlicet, ut amicitia coagmentati cum Chriſto, glutino nimirum eodem, quo ille cum patre cohæret, abſolutiſſimam illam communionem quoad licet imitantes, per quam ille & pater idem ſunt, nos item idem cum illo ſimus: &, ut ait Paulus, unus ſpiritus & una caro cum Deo efficiamur, jamq; amicitiæ jure omnia illi nobiſcum, omnia nobis cum illo ſint communia. Deinde paribus amicitiæ vinculis alii cum aliis inter nos copulati, velut ejuſdem capitis membra, tanquam idem & unum corpus, eodem animemur ſpiritu, iiſdem doleamus, iiſdem gaudeamus. Id quod etiam myſticus ille panis è pluribus granis in eandem coactus farinam, & vini potus è multis racemis in eundem liquorem confuſus, admonet. Poſtremo, ut cum ſumma rerum creatarum ſit in Deo, Deus viciſſim in omnibus omnium univerſitas velut in unum redigatur. Vides quantum philoſophiæ, vel Theologiæ magis, Oceanum nobis parœmia tantilla aperuit.

Ad perſuadendum conducere proverbia.

Quod ſi cui ſatis non ſit ipſum ſapere, verum etiam aliis perſuadere cupiat, quam non inutilis ſit hæc proverbiorum ſupellex: vel Ariſtoteles ipſe ſatis declarat, qui non ſemel in rhetorices præceptis, parœmias inter teſtimonia connumerat. Quemadmodum inquiens, ſi quis ſuadere velit, ne cum homine ſene copulet aliquis neceſſitudinem: utetur hujus proverbii teſtimonio, μήποτ' εὖ ἔρδειν γέροντα, id eſt, Ne unquam benefacias ſeni. Rurſum ſi quis perſuadeat, ut liberos item interficiat qui parentem occiderit, huic uſui futurum eſt hoc proverbium.

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας παῖδας καταλείπει:
Stultus qui natos occiſo patre relinquat.

Quantum autem adferant ad perſuadendi facultatem momenti teſtimonia, cui non cognitum eſt? Neq; mediocriter conducunt ſententiæ. At inter hæc quoque idem proverbia collocat; Quintilianus item in Inſtitutionum libris, compluribus locis proverbiorum mentionem facit, tanquam non una ratione ad bene dicendum conducentium. Nam 5. lib. parœmias exemplis conjungit, ut parem cum illis vim obtinentes, quorũ eſt vel præcipua. Rurſum eaſdem eodem in libro in argumentorum genere collocat, quas Græci χρείας appellant. Quorum & frequentiſſimus uſus. magis ipſa Fabii verba libet adſcribere. Nec hæc quidem, inquit, vulgo dicta & recepta perſuaſione populari, ſine uſu fuerint teſtimonia. Sunt enim quodam modo vel potentiora etiam, quod non cauſis accommodata, ſed liberis odio & gratia mentibus, ideo tantum dicta factaque, quia aut honeſtiſſima, aut veriſſima videbantur. Pauloque inferius: Ea quoq; quæ vulgo recepta ſunt, hoc ipſo quod incertum autorem habeant, velut omnium ſunt. Quale eſt, Ubi amici, ibi opes. Et, conſcientia mille teſtes. Et apud Ciceronẽ, Pares cum paribus, ut eſt in veteri proverbio, facillime congregãtur. Neq; enim duraſſent hæc in æternum, niſi vera omnibus viderentur. Hactenus Fabii verba retulimus. Idem autem paulo poſt deorum oracula parœmiis ſubnectit, velut his affinia cognataque. Jam quid M. Tull. nonne in actione pro L. Flacco, proverbio fidem teſtibus abrogat? Id eſt hujuſmodi, ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον: id eſt, In Care periculum. Annon in eadem totius gentis Græcorum, in ferendis teſtimoniis fidem elevavit hoc proverbio: Da mihi teſtimonium mutuum. Quid quod ipſi etiam Philoſophi paſſim ſuas rationes proverbiis fulciunt. Quo minus mirandum, ſi frequenter hiſtoriographi, narrationis fidẽ ex adagio quopiam petunt. Adeo quod in literis intercidit, quod tabulis, quod coloſſis, quod marmoribus ſervari non potuit, proverbio ſervatur incolume, ut & hanc obiter adagiorum laudem indicem. Denique non gravatur divus Hieronymus Evangelicam ſententiam adagii vulgati teſtimonio confirmare. Dives, aut iniquus, aut iniqui hæres. Ne Paulus quidẽ ipſe dedignatur locis aliquot proverbiorum uti teſtimoniis: neq; injuria. Etenim ſi τὸ πιθανόν, id eſt, probabilitas, ad perſuadendum vel primas obtinet partes: quid? quæſo, probabilius, quam quod nemo non dicit? Quid veriſimilius, quam id quod tot ætatum, tot nationum conſenſus, & velut idem ſuffragium comprobavit? Ineſt nimirum, ineſt in his parœmiis nativa quædã & genuina vis veritatis. Alioquin qui fieri potuit, ut eandẽ plerumq; ſententiã in centum dimanaſſe populus, in centum videamus transfuſam linguas, quæ ne tot quidem ſeculis, quibus nec pyramides obſtiterunt, vel interierit, vel conſenuerit: Ut merito dictum illud videatur, Veritate nihil eſſe robuſtius. Deinde fit, neſcio quo pacto, ut ſententia proverbio quaſi vibrata, feriat acrius auditoris animum, & aculeos quoſdam cogitationum relinquat infixos. Nam longe minus tanget animum ſi dixeris, Caduca & brevis eſt hominis vita: quam ſi proverbium cites, Homo bulla. Poſtremo quod de riſu ſcribit Fabius maximas difficultates cauſarum, quæ nullis argumentis diſſolvi queant loco eludi, id vel maxime præſtat parœmia.

Ad ornatum conducere parœmiam.

Porro quantum vel dignitatis, vel Veneris adjungat orationi tempeſtivus proverbiorum uſus, non arbitror plurib. explicandũ. Primum enim quis non videt, quantum majeſtatis vel ex ipſa antiquitate, concilient orationi. Tum ſi quod ſchema, quod amplitudinem ac ſublimitatem apponat ſermoni: ruſum ſi quod ad gratiam dictionis facit, denique ſi qua ratio feſtivitatis, cum parœmia plerunq; per omnes figurarum ſpecies, per omnes facetiarum formas varietur: nimirum quicquid illa ſolent adferre, conferet, ac genuinam quandam peculiaremq; gratiam de ſuo inſuper adjunget. Proinde ſi ſcite & in loco intertexantur adagia, futurum eſt ut ſermo totus, & antiquitatis ceu ſtellulis quibuſdam luceat, & figurarum arrideat coloribus & ſententiarum niteat gemmulis, & feſtivitatis cupediis blandiatur: denique novitate excitet, brevitate delectet, autoritate perſuadeat.

Ad intelligendos autores conducere parœmiam.

Jam ut non ſit alius parœmiarum uſus, certe ad intelligendos optimos quoſq; hoc eſt, vetuſtiſſimos autores, nõ utiles modo ſunt, verumetiam neceſſariæ. In quibus cum pleraque ſunt depravata, tum hæc vel depravatiſſimæ ſunt, propterea quod ferè ænigmaticum quiddam habent, ut etiam à mediocriter eruditis non intelligantur: tum plerunque velut ex abrupto interſeruntur, nonnunquam etiam mutilatim: ut ἄνω ποταμῶν id eſt ſurſum fluminum. Aliquoties unico verbo notantur: ut apud Ciceronem in Epiſtolis ad Atticum, Subveni quæſo, dum eſt ἀρχή, id eſt principium. Indicat autem illud proverbium.

ἀρχῇ ἰᾶσθαι πολὺ λώιον ἢ τελευτῇ: id eſt.
Principio præſtat quam fini adhibere medelam.

Hæc itaque multum offundunt tenebrarum, ſi ignorentur, at rurſum lucis plurimũ adferunt, ſi fuerint intellecta. Hinc illæ tum Græcorum tum Latinorum codicum prodigioſæ depravationes: hinc fœdi interpretum lapſus, Græca Latine vertentium: hic quorundam etiam eruditorum in enarrandis autorib. ridicula ſomnia, meraq; deliramenta. Quorum equidem hoc loco nonnulla referrem, niſi placabilius judicarem, meoque accommodatius inſtituto, ut noſtris perlectis commentariis ſua cuique cogitatio ſuggerat, quantopere magni nominis ſcriptores quibuſdam in locis delirarint. Denique fit nonnunquam, ut ſcriptor tacite ad proverbium alludat: quod ſi nos fugerit, etiam ſi videbitur intellecta ſententia, tamen magna voluptatis pars aberit, ignorata parœmia. Quod genus eſt Horatianum illud,

—Equus ut me portet, alat rex. Et apud Vergilium:

—Fatis nunquam conceſſa moveri.
Apparet Camarina procul.—

Subeſt enim in illo proverbium, ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει: in hoc, μὴ κινεῖν τὴν Καμαρίναν.

Commendatio à difficultate.

Quod ſi juxta proverbium, Δύσκολα τὰ καλά, eaq; vulgo ceu vilia faſtidiuntur, quæcunq; facilia videntur: ut de me interim nihil dicam, quantis ſudoribus opus hoc mihi conſtiterit, ne quiſquam arbitretur uſque adeo proclive, vel intelligere, vel ſermoni parœmiam intexere. Siquidem, ut non mediocris eſt artificii, gemmulam ſcite includere annulo, & aurum purpuræ intertexere: ita non eſt, mihi crede, cujuſvis, parœmiam apte decenterq; orationi inſerere. Quodque Fabius ſcribit de riſu, nihil affectari periculoſius: idem de proverbio non injuria dixeris. Etenim in hujuſmodi, quemadmodum & in muſica, niſi ſummum præſtes artificem, ridiculus ſis: & ad laudem eximiam, aut riſum auferas oportet.

Quatenus utendum adagiis.

Proinde quatenus quibuſque modis uti conveniat adagiis, indicabimus. Ac primo loco meminiſſe oportebit, ut quod eleganter Ariſtoteles in commentariis rhetoricis admonuit de adhibendis epithetis, id nos in uſurpandis adagiis obſervemus: nempe ut illis utamur non tanquam cibis, ſed veluti condimentis: id eſt, non ad ſatietatem, ſed ad gratiam. Præterea ne quovis inſeramus loco: quemadmodum enim ridiculum ſit, ſi quibuſdam locis gemmam alligaris, itidem abſurdum, ſi non ſuo loco adhibueris adagium. Quod vero Fabius libro Inſtitutionum octavo de ſententiis uſurpandis præcepit, id totidem ferme verbis de parœmiis præcipi queat. Primum, ne quemadmodum dictum eſt, nimis crebriter utamur. Denſitas enim earum obſtat in vicem, quo minus eluceant. Quemadmodum nec pictura, in qua nihil circumlitum eſt, eminet. Ideoque artifices etiam cum plura in unam tabulam opera conferunt, ſpatiis diſtinguunt ne umbræ in corpora cadunt. Subſiſtit enim omnis parœmia, ideoque poſt eam utique aliud eſt initium. Unde ſoluta fere oratio eſt: & è ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret. Porro ut adfert lumen clavus purpuræ in loco inſertus, ita certe neminem deceat intertexta pluribus notis veſtis. Accedit hoc quoque incommodi, quod crebras captanti parœmias, nonnullas neceſſe eſt admiſcere vel frigidas vel coactas. Non enim poteſt eſſe delectus, ubi de numero laboratur. Poſtremo gratiam amittit, quicquid aut immodicum eſt, aut intempeſtivum. In epiſtolis tamen familiaribus licebit paulo liberius hoc genere ludere: in oratione ſeria, ſicuti parcius, ita etiam accuratius adhibendæ.

Varius proverbiorum uſus.

Hoc in loco non ab re futurum arbitror, ſi paucis velut indicaro, quib' rationibus variari queat parœmiarum uſus, ut poſſis idē adagium alia atq; alia forma producere. Principio nihil vetat interdum, quominus idem dictum ad complureis ſenſus accommodes: ut illud, τετρημένος πίθος, id eſt, Pertuſum doliū, vel ad obliviofum, vel ad profuſum, vel ad avarum, vel ad futilem, vel ad ingratum traduci poteſt. Effluit enim, quicquid infuderis in animū immemoris, apud prodigum nihil durat, avari cupiditas nūquam expletur, futilis & garrulus nihil continet, perit quicquid contuleris in hominem ingratum. Nonnunquam per ironiam ad contrarias etiam ſententias deflectitur: quod genus, ſi de mendaciſſimo quopiam loquens, dicas, ἄκουε τὰ ἐκ τρίποδος, id eſt, Audi è tripode dicta. Fit interim ut unius voculæ commutatione diverſis conveniat ut, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, id eſt, Hoſtium munera non munera: &, πτωχῶν ἄδωρα δῶρα, κολάκων ἄδωρα δῶρα, ποιητῶν ἄδωρα δῶρα: ut idem adagium ad hoſtes, ad pauperes, ad aſſentatores, ad poetas deflectatur. Nam hoſtium munera perniciem adferre creduntur. Et ſi quid donant pauperes, aut adulatores, aut poetæ, captationes ſunt verius quam munera. Breviter ad omnia, in quæ quocunque modo hæc ſimilitudo competit, accommodes licebit. Illa ratio ferme communis omnibus, quoties à perſona ad rem, aut contra fit deflexio. Ad perſonam hoc pacto: proverbium eſt, μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο, id eſt, Ne Hercules quidem adverſus duos. Ego vero Therſites magis quam Hercules, qui poſſim utrique reſpondere. Ad rem torquebitur hoc modo: Proverbio dictum eſt, μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο, ego qui poſſim pariter & morbo, & inopiæ tolerandæ par eſſe? Variatur & inverſione proverbium ut, dictum eſt, μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο & tu unus contra duos Hercules audes congredi. Item hoc pacto: Contra tritum Græcis proverbium, expectatis carbonibus theſaurum reperi. Et commutavimus, non χρύσεα χαλκείων, id eſt, aurea æreis, ſed plane, χάλκεα χρυσείων, id eſt, ærea aureis. Præterea nonnunquam explicatur adagium & confertur, nonnunquam ſimplex allegoria refertur. Aliquoties etiā mutilum proponitur: ut ſi quo reſpondente, quod nihil ad rem pertineat, dicas, ἄμας ἀπῄτουν, id eſt, Falces poſtulabam. Et apud Ciceronem, τὰ διδόμενα δέχου, id eſt, Quæ dantur. Interim ſatis eſt unico verbo alluſiſſe: ut apud Ariſtotelem, Omnes ejuſmodi inter ipſos κεραμεῖς, id eſt figuli. Sunt & aliæ variandi rationes: verum eas, ſi quis exactius perſequi cupiet, è noſtris commentariis, quos De duplici copia conſcripſimus, petat licebit.

De figuris proverbialibus.

Reliquum eſt ut parœmiarum catalogum accingamur, ſed ſi prius figuras aliquot proverbiales oſtenderimus. Quædam enim dicta ſunt, ſpecie non magnopere proverbiali, quædam autem παροιμιώδη, id eſt proverbiali figura, ut facile poſſint in parœmiarum ordinem cooptari. igitur in totum, proverbiorum generi confinis eſt omnis ſententia, præterea metaphora, peculiariter allegoria. Et in his præcipue quæ ſumuntur à rebus inſignibus, & vulgo celebratis, ut à navigatione, à bello. Quod genus ſunt illa: Secundis navigare ventis, naufragium facere, vertere vela, tenere clavū, & exhaurire ſentinam, & tradere ventis vela, contrahere vela. Item illa: Bellicum canere. &', verſis gladiis pugnare, receptui canere, cominus atq; eminus pugnare, conferre pedem, conſerere manus, atq; id genus alia ſexcenta. Quæ ſi paulo longius traducantur, abeunt in parœmię formam. Item quæ ducuntur à rebus notis, ac vehementer quotidiano ſenſui familiaribus: ut quoties corporis geſtus ad animi rem transferuntur: cujuſmodi ſunt, premere pollicem, pro favere: corrugare frontem, pro moleſte ferre: ringi, pro indignari: exporrigere frontem, pro hilareſcere. Præterea quæ trahuntur à ſenſibus corporis, velut olfacere, pro reſciſcere: deguſtare pro experiri. Proverbii fere faciem habent, quoties quæ ſunt artibus peculiaria vocabula, alio detorquentur: ut, δὶς διὰ πασῶν id eſt, bis per omnia, à muſicis: ἐκ διαμέτρου id eſt, ex dimetiente, à mathematicis: item, ſeſquipedalia verba. Incudi reddere, à fabris ærariis: ad amuſſim, à fabris lapidariis: nullam lineam duxi, à pictoribus: extremum actum adjungere, à ſcenis. Interdum citra figuram tacita alluſio proverbiale quiddam adfert. Ea tum erit optima, quoties ad autorem aut rem ſpectat magnopere celebrem, nullique incognitam: qualis eſt apud Græcos Homerus, apud Latinos, Vergilius. Quod genus eſt illud apud Plutarchum, ἐπεὶ μάρτυρές γε τῷ Πλάτωνι πολλοί τ' ἀγαθοί τε πάρεισι: id eſt, Quandoquidē teſtes ſane Platoni multique bonique adſunt. Alluſum eſt enim ad morem ſacrorum in quibus ſacerdos dicere conſuevit, τίς τῇδε; id eſt, Quis hic, Deinde qui aderant, reſpondebant:

Πολλοί τ' ἀγαθοί τε πάρεισι: id eſt,
Multique bonique adſunt.

Item illud apud Ciceronem ad Atticum: σύν τε δύ' ἐρχομένω, id eſt, Simul duobus euntibus. Et apud Lucianum, ἰατρῶν παῖδες, id eſt, Medicorum filii: pro medicis ipſis. Accedunt ad proverbii ſpeciē & illa bucolico carmini familiaria. ἀδύνατα, ἀνάγκαια, ἄτοπα, ἐναντία, ὅμοια id eſt, impoſſibilia, abſurda, contraria, ſimilia. Ἀδύνατα ſunt ejuſmodi:

ἀλλ' ἶσον γ' ὁ μόχθος ἐπ' ἀόνι κύματα μετρεῖν. id eſt:
Sed labor adſimilis metiri in littore fluctus.
Et apud Vergilium:
Ante leves ergo paſcentur in æthere cervi.
Et freta deſtituent nudos in littore piſces.

Ἀναγκαῖα ſunt hujuſmodi:

Dum juga montis aper, fluvius dum piſcis amabit.
Et apud Senecam:
Lucida dum current annoſi ſidera mundi.

Ἀτόπων exemplum hoc erit:

Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
Contrariorum hoc:
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos,
Me tamen urit amor. Item apud Theocritum:
ἠνίδε σιγῇ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται·
ἁ δ' ἐμὰ οὐ σιγῇ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία. id eſt:
Ecce ſilet maris unda, ſilent & flamina venti:
Haud tamen intra noſtra ſilent præcordia curæ.
Similium:
Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam.
Et apud Theocritum:
ἁ αἲξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει.
Capra petit cytiſum, ſequitur lupus ipſe capellam.

Sunt & aliæ duæ figuræ, maxime confines parœmiarum generi, quæ conſtant vel ejuſdem aut ſimilis iteratione vocis, vel contrariarum contextu. Quod genus ſunt, ἀπόλοιο κακὸς κακῶς. κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, id eſt, Perdam te malum male. Mali corvi malum ovum. Et, θρέμμα σοφοῦ σοφόν: id eſt, Alumnus ſapientis ſapiens. Id quod apud Græcos comicos pariter ac tragicos pene ſolenne. Et eveniunt digna dignis, Amico amicus. Malis malus. Bonis bonus. Uterque utrique cordi. Suus rex reginæ placet. Et manus manum fricat. Graculus ad graculum. Contrariorum genus ſic habet: δίκαιά τε κἄδικα, εὖ καὶ φαύλως id eſt, & juſta & injuſta, probe & improbe, apud Ariſtophanem. ἑκόντες τε καὶ ἄκοντες: id eſt, Volentibuſque & nolentibus. apud Platonem. Item, οὐδὲν ἔπος, οὐδὲ ἔργον: id eſt, nullum dictum, neque factum. Apud noſtros item: Verum ubi; has verſum atque nephas: Facta atquē infecta canebat. Quo topo ſic uſus eſt Valerius Maximus, ut ad verum ſenſum non cohæreat, tantum exaggerat: Obteſtantem; inquit, ſe adverſus omne phas & nephas, quum in ſummo eſſet imperio, à te equite Romano fuiſſe trucidatum. Nam qui conſiſtit ut facinus nepharium dicatur eſſe factum adverſus omne nephas. Quo jure, quaque injuria. Quidvis & facere & pati. Digna atque indigna. Quid dixit, aut quid tacuit? Domi belli que Publice, privatim. Quod ſcis, neſcis: clamque palamque: jocaq; & ſeria. Manibus pedibuſque: nocteſque dieſque. Quæ prima, aut ultima ponas: neque magnum, neque parvum. Juveneſque ſeneſque. Diis hominibuſque plaudentibus. Ad hanc formam pertinent etiam hæc paſſim apud poetas obvia: παρθένος ἀπάρθενος. ἄνυμφος νύμφη.

νύμφη. ἄνυμφος γάμος. ἄπολις πόλις. δύσπαρις πάρις. δυσδαίμων εὐδαι-μονία. ἄδωρα δῶρα. ἄφοβος φόβος. ἀπόλεμος πόλεμος. κόσμος ἀκόσμητος. ἄχα-ρις χάρις. ἀχρήματα χρήματα. id eſt: Virgo non virgo. Sponſa nõ Sponſa. Nuptiæ non nuptiæ. Non civitas civitas. Malus Paris Paris. Infelix felicitas. Non dona dona. Non metuendus metus. Non bellum bellum. Ornatus inornatus. Ingrata gratia Inopes opes. Hæc ἐναντίωσις nonnunquam accidit & in dictione compoſita: ut μωρόσοφος, id eſt, Stulte ſapiens: & γλυκύπικρος, id eſt, Dulciter amar⁹. Sic enim Plutarcho teſte, ſuum affectum vocant amantes ex voluptate & dolore mixtum, ita ut libenter contabeſcant. Huc pertinet & illa ἐναντιώσεις αἰνιγματώδεις, id eſt, contrarietas ænigmatica: ut, φέρων οὐ φέρω ἔχων οὐκ ἔχω, & ἀνήρ τε καὶ οὐκ ἀνήρ, ὄρνιθα καὶ οὐκ ὄρνιθα, ἰδὼν καὶ οὐκ ἰδὼν, ἐπὶ ξύλου καὶ οὐ ξύλου καθημένην, λίθῳ καὶ οὐ λίθῳ, βάλοι τε καὶ οὐ βάλοι, id eſt: Portans non porto, habens non habeo: vir & non vir, avem & non avem, videnſque & non videns, in ligno & non ligno, ſedentem & non ſedentem, lapide & non lapide, jaculatur & non jaculatur. Quod ænigma refertur & apud Athenæũ ex Clearcho, & apud Tryphonem: cujus meminit Plato quoque. Hujus formæ ſunt & illa: ἄγλωσσος λάλος, id eſt, Elinguis loquax: τρωτὸς ἄτρωτος, id eſt, Vulnerabilis invulnerabilis: δασὺς λεῖος, id eſt, Hirſutus levis: ἄγονος γόνος, id eſt, Fœtus non fœtus. Cujuſmodi permulta proponit ac ſolvit Athenæus libro decimo. Neque reſpuit ad adagiorum ratio ænigmaticam obſcuritatem, quanquam altas improbatam: imo veluti familiarem libenter amplectitur. Quod genus fuerit ſi quis parum ſane locutum jubeat Anticyram navigare, aut porcum cædere aut ſquillam è ſepulchris vellere: quorum primum eſt apud Horatium, alterum apud Plautum, tertium apud Theocritum. Proinde & oracula pleraq; in jus proverbiorum abierunt, & Pythagoræ ſymbola ad parœmiarum naturam videntur pertinere. Præcipue peculiaris eſt adagiorũ generi hyperbole: ut, Cœlum territat armis: &, Saxa clamore rumpit: &, Riſu diffluo: maxime ſi qua metaphoræ ſpecies admiſceatur. Efficitur variis modis, vel per denominationem, vel per comparationem, vel per ſimilitudinem, vel per epitheton. Exempla ſunt. Alter Ariſtarchus. Et, Noſter hic Phalaris. Et, Stentore clamoſior. Velut leæna in machæra Stentorea vox. Neſtorea facundia. Neque vero pigebit cen fontes aliquot indicare, à quibus genus hoc figurarum duci poſſit.

Ad ipſa re.

Sumitur enim interdum ab ipſa re, quoties hominem ſceleſtum ſcelus appellamus: dedecoroſum, dedecus: peſtilentem, peſtem: lurconem, barathrum: tenebrionem, tenebras: contaminatum, labem: ſputum, cœnum, contemptum, quiſquilias: impurum, ſterquilinium: portentoſum, portentum: moleſtum, hulcus: carcere dignum, carcerem. Quorum unumquodque fere poteſt & per comparationem efferri: ut, χρυσοῦ χρυσότερος, id eſt, Auro magis aurea: &, Ipſa nequitia nequior, Cæcitate cæcior, Loquacitate loquacior, Deformitate deformior, Ipſa ſiti ſiticuloſior. Paupertate pauperior. Infortunio infortunatior. Ipſa infantior infantia. Ad hanc claſſem pertinent & illa, Pater eſuritionum: &, Omnis eloquentiæ fons: &, Plus quam infantiſſimus: & plus quam perditus.

A ſimilibus rebus.

Huic proxima ſunt, quæ à rebus ſimilibus trahuntur: ut, Melle dulcior, Pice nigrior, Nive candidior, Oleo tranquillior, infima auricula mollior. Auro purior. Plumbo ſtupidior. Stipite tardior, Litore ſurdior, Iracundior Adria, Æquore ſurdior. Spongia bibacior, Harenis ſitientior, Pumice ſiccior, Ære Dodonæo loquacior, Vitro fragilior, Pila volubilior, Cothurno inſtabilior Clematide Ægyptia gracilior, Alno procerior, Cote durior, Sole clarus, Sidere pulchrior, Buxo pallidior, Sardois herbis amarior. Alga vilior, Ætna æſtuantior, Beta inſulſior, Trutina juſtior, Spina diſtortior. Ampulla vanior, Pluma levior. Vento inſtabilior, Morte odioſior, Barathro capacior; Labyrintho involutior, Corchoro vilior, Subere levior. Dolio pertuſo incontinentior, Laterna perlucentior, Clepſydra perſtillantior, Fonte purior, Euripo mobilior. Oculis charior, Luce dulcior. Vita antiquior, Rubo arefacto præfractior, Crambe recocta moleſtior, Clavo purior; Floralibus licentioſior.

Ab animantibus.

Item ab animantibus ut, Muliere loquacior, Paſſere ſalacior; Hirco libidinoſior, Cervo vivacior. Cornice annoſior. Graculo magis obſtreperus, Luſcinia vocalior, Dipſade nocentior. Vipera virulentior, Vulpe fraudulentior, Echino aſperior, Porcello Acarnanio lenior. Anguilla magis lubricus, Lepore timidior, Limace tardior, Piſce ſanior. Piſce magis mutus. Delphino laſcivior, Phœnice rarior, Scropha fœcundior alba. Nigro cygno rarior, Hydra magis verſipellis, Albo corvo rarior, Vulture edacior. Scorpiis improbior, Teſtudine tardior, Glire ſomniculoſior, Sue indoctior; Aſello ſtolidior, Hydris immitior, Dama pavidior. Hirudine bibacior. Cane rixoſior, Urſo hiſpidior, Tipula levior. Cujuſmodi quædam congerit & Lucianus: ὀργιλώτεροι μὲν τῶν κυνιδίων εἰσί, δειλότεροι δὲ τῶν λαγωῶν, κολακικώτεροι δὲ τῶν πιθήκων, ἀσελγέστεροι δὲ τῶν ὄνων, ἁρπακτικώτεροι δὲ τῶν γαλῶν, φιλονεικότεροι δὲ τῶν ἀλεκτρυόνων. id eſt: Cum ſint iracundiores catellis, timidiores leporibus, adulantiores ſimiis, libidinoſiores aſinis rapaciores felibus, contentioſiores gallis gallinaceis. Item Plutarchus adverſus uſuram: ἀπιστότερος ὢν κολοιοῦ, ἀφωνότερος πέρδικος καὶ κυνὸς ἀτιμότερος, id eſt: Cum minus fidei tibi habeatur quam graculo, magis mutus ſis quam perdix, abjectior ſerviliorque cane.

A perſonis Deorum.

Ducuntur à perſonis deorum: Diana intactior, Ipſis Charitibus humanior. Priapo ſalacior, Venere formoſior, Mercurio facundior, Momo mordacior, Vertumno inconſtantior, Proteo mutabilior, Empuſa magis varius.

A perſonis fabuloſis.

A perſonis fabuloſis: Tantalo ſitientior, Atreo crudelior, Cyclope immanior. Oreſte inſanior. Ulyſſe doloſior. Neſtore facundior. Glauco ſtupidior. Iro pauperior. Penelope caſtior, Nireo formoſior, Tithono vivacior, Eriſichthone eſurientior, Niobe fœcundior, Stentore clamoſior, Tireſia cæcior, Buſiride illaudatior. Sphinge involutior, Labyrintho intricatior. Dædalo ingenioſior, Icaro audacior, Gigantibus elatior, Gryllo ſtultior, Lynceo perſpicacior. Electra pertinacior.

A perſonis comœdiarum.

A perſonis comœdiarum: Thraſone Terentiano glorioſior, Demea jurgioſior, Mitione facilior, Gnathone adulantior, Phormione confidentior, Davo verſutior, Thaide blandior, Euclione parcior.

A perſonis hiſtoriarum.

A perſonis hiſtoriarum: Zoilo invidentior. Catone ſeverior, Timone inhumanior, Phalaride crudelior. Timotheo felicior, Sardanapalo nequior. Numa religioſior. Phocione juſtior. Ariſtide incorruptior, Crœſo ditior, Craſſo nummatior. Codro pauperior. Æſopo luxurioſior, Heroſtrato ambitioſior. Fabio cunctantior. Socrate patientior, Milone robuſtior: Chryſippo acutior, Trachalo vocalior, Curione oblivioſior, Noſtri temporis Ariſtarchus, Chriſtianorum Epicurus: item, Præpoſterus Cato.

A gentibus.

A Gentibus: Pœno perfidior, Scytha aſperior, Scythotauris inhoſpitalior, Cretenſi mendacior, Parthis vanior, Thracibus bibacior, Theſſalo perfidior, Care vilior. Sybarita faſtuoſior. Mileſiis effœminatior, Arabibus ditior, Pygmæo brevior, Arcade ſtolidior.

Ab officiis.

Ab officiis: Leone magis perjurus, Cynædo mollior. Milite glorioſior, Areopagita triſtior, Tyranno violentior, Carnifice immanior.

De præmollienda parœmia.

Jam illud, tametſi minutulum humilluſq; videatur, tamen poſteaquam docendi munus ſuſcepimus, non gravabimur propter imperitiores admonere: videlicet ut in uſurpandis adagiis meminerimus, quod in verbis novatis, aut durius translatis fieri Fabius jubet, id quod ait à Græcis elegantiſſime præceptum eſſe, videlicet προεπιπλήττειν τῇ ὑπερβολῇ ita nos oportebit προεπιπλήττειν τῇ παροιμίᾳ, hoc eſt, præcaſtigare, & velut occurrere parœmiæ: ſi quando vel obſcurior, vel alioqui durior videbitur. Recipit enim hoc genus, ſicuti paulo ſuperius oſtenſum eſt, & metaphoras quantumlibet duras, & novationes vocum licentioſas, & hyperbolas parum pudentes, & allegorias ad ænigma uſque obſcuras Græci προεπιπλήττουσι his ferme modis; κατὰ τὴν παροιμίαν, ὡς φασί, φασὶ τὸ λεγόμενον, τὸ τοῦ λόγου, ὡς παλαιὸς φησὶ λόγος, ὥσπερ λέγουσιν, ὡς λέγεται, ὡς λέγομεν παροιμιαζόμενοι, ὡς λέγουσιν οἱ παίζοντες, καλῶς εἴρηται. id eſt, juxta proverbium, ut ajunt, quod dicitur, quod dici ſolet, ut antiquum ait dictum, ut dicunt, ut dicitur, ut dicimus proverbio, ut dicunt jocantes, recte dictum eſt. Iiſdem ferme rationibus utuntur Latini: Ajunt, ut ajunt, ut eſt in veteri proverbio, juxta vulgo tritum ſermonem, quemadmodum vulgo dici conſuevit, ut vetus verbum uſurpem, ut adagio dictum eſt, vere hoc dicunt.

DES. ERASMI ROTERODAMI, JUNII, COGNATI, ET ALIORUM παροιμιογράφων ADAGIA IN LOCOS COMMUNES

Digeſta. *Locus I.*

ABERRANDI.

Quis aberret à janua.

Τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; id eſt: Quis aberret à janua? Dici ſolitum, ubi quis penitus aberrat à vero, totoque fallitur judicio. Uſurpatur ab Ariſtotele τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ libro 2. ipſa ſtatim in fronte: & in omnibus quidem exemplaribus, quæ mihi videre contigit, θύρας per υ ſcriptum reperio. Præterea januam vertit Argyropylus, nec malus interpres, nec philoſophus cuiquam aſpernandus. Ad hæc Averrois, cujus nunc præcipua in philoſophiæ ſcholis autoritas, hunc enarrans locum, palam declarat ſeſe de janua ſenſiſſe. Denique in commentariis Alexandri Aphrodiſei, conſimili modo θύρας invenio. Quod ſi quo modo fas eſſet, à tot exemplaribus, à tantis autoribus diſſentire, mihi quidem magis probabilis lectio videatur, ſi θήρας legatur per η non per υ. Quod autem θύρας irrepſit, mirandum non eſt. Primum, quod perfacilis erat lapſus unius litterulæ depravatione, haud ſcio an fortuita, maximè cum in ſono nihil ferme ſit diſcriminis. Deinde metaphoræ ratio magis obvia, magisq; ad manum ſita. fieri potuit, ut doctis etiam philoſophis impoſuerit. Quippe quibus fabula nō perinde de nota fuerit, ut communis illa ſimilitudo de domus ingreſſu, deque primis cognitionis principiis. Poſtremo de codicum inter ſe conſenſu nequaquam mirandum videbitur, iis qui ſunt vel mediocriter in penſitandis conferendiſque codicibus exercitati. Fit enim ſæpenumero, ut unius archetypi mendum, modo veri fucum aliquem præ ſe ferat, in univerſam deinde veluti poſteritatem librorum propagetur.

Καὶ παῖδας παίδων & τι μετόπισθε γένωνται....

Neque vero hæc dixerim, quod hac de re, ſi quis forte diverſum ſentiat, digladiari velim, vel quod hoc ſit ab noſtro inſtituto alienum, vel quod non ignorem quam lubrica, plenaque diſcriminis res ſit, in tantis autoribus quicquam immutare. Tantum conjecturas, quibus adducor, in medium adferam. Quæ ſi cui videbuntur idoneæ, noſtræ ſubſcribet opinioni: ſin minus, veterem ſententiam hoc jam obtinebit libentius, quod etiam in dubium vocata, vicerit. Primum igitur omnium mihi ſcrupulum haud mediocrē injecit vetuſtiſſimus ſimul & emendatiſſimus codex orationum Ariſtidis rhetoris, in quo non ſolum θήρας invenio ſcriptum, verum etiam indicatam fabulam antiquiſſimam pariter & autorem unde proverbium hoc Ariſtotelicum, ni fallor, dimanarit. Igitur Ariſtidis in oratione, cui titulus, Pericles, verba ſunt hæc: οὐκοῦν πρίν τινα τῶν ἀντιπάλων ἑλεῖν, ἕνα τῶν φίλων θηρεύων ἄγεις· καὶ σὺ ταὐτὸν πέπονθας τῷ Πηλεῖ, ὃς τῆς θήρας διήμαρτε, καὶ τὸν Εὐρυτίωνα φίλτατον ὄντα αὑτῷ ἀπέκτεινε. id eſt: Itaque prius quam adverſariorum quempiam ceperis, unum ex amicis venatu nactus adducis. Atq; idem accidit tibi, quod apud Pindarum Peleo, qui aberrans à fera, quam petebat, Eurytionemq;, quem ſibi chariſſimū habebat, interemit. Adſtipulantur huic loco ſcholia, quæ extāt in hunc autorem: nullo quidem certo titulo, veruntamen, ſicuti res indicat, hominis nec indiligentis nec indocti. Proinde non gravabor & hujus adſcribere verba, ſi quis forte fortuna requiſiturus eſt. μέμνηται, inquit, ἐν ὕμνοις Πίνδαρος, ὅτι τὸν Εὐρυτίωνα τὸν τοῦ Ἴρου τοῦ Ἄκτορος παῖδα, ἕνα ὄντα τῶν Ἀργοναυτῶν, συνθηρεύοντα ἄκων ἀπέκτεινε Πηλεύς. φίλον δὲ λέγει, ἐπειδὴ συγγενὴς τυγχάνει. Πηλεὺς γὰρ πρὸ Θέτιδος, ἔγημε θυγατέρα Ἄκτορος τὴν Πολυμήλην τὴν γυναῖκα. ὁ δὲ Ἄκτωρ πατὴρ ἦν Ἴρου, οὗ παῖς ἦν Εὐρυτίων. id eſt: Meminit in hymnis, Pindarus, quemadmodum Eurytionem Iri, cui pater Actor, filium, ex Argonautis unum, ſecum venantem imprudens occiderit Peleus. Amicum autem vocat, quod huic eſſet affinis. Nam Peleus ante Thetidem, Polymelum habuerat uxorem Actoris filiam. Porro Actor Iri pater erat, cui filius Eurytion. Proinde non diſſimile veri videtur, ex Pindaro profectum adagium quod tacito, ſicuti fere facit, autoris nomine uſurpavit Ariſtoteles: ut intelligamus illum τοῦ θήρας διαμαρτόντα, qui non ſolum feram ea parte non ferit, quam deſtinarat, verum toto aberrat captu, ne attingens quidem quod appetebat. Jam vero neq; poſtularim, ut quiſquam hæc probet: niſi videbuntur cum Ariſtotelis ſententia vel ad amuſſim, ut ajunt, congruere. Diſſerit enim eo loco Philoſophus de rerum naturalium cognitione, quæ ſit eadem & facilis & difficilis. Facilitatis illud argumentum adducit, quod ea nemini non aliqua ex parte contigit: difficultatis, quod exacte nulli. Neminem autem fuiſſe, qui nihil omnino veritatis in rerum cognitione naturaliū attigerit, id proverbio veluti fulcit: τίς ἄν, inquiens, θύρας ἁμάρτοι. Tanquam ſingulorum exactam tenere ſcientiam, perinde ſit, quaſi ſi quemcunq; partem deſtinatis, eam citra errorem ferias: rurſum ubiq; labi ſit veluti à toto corpore aberrare, & in aliud longe diverſum ceu telum deflecti cōjecturam. Verum quo curioſo etiam lectori, ac ἀδυνάτῳ fiat ſatis, ipſius Ariſtotelis, ex eo quem dixi libro, verba ſubſcribam: ἡ περὶ τῆς ἀληθείας θεωρία τῇ μὲν χαλεπὴ, τῇ δὲ ῥᾳδία. σημεῖον δὲ τὸ μήτ᾽ ἀξίως μηδένα δύνασθαι τυχεῖν αὐτῆς, μήτε πάντας ἀποτυγχάνειν, ἀλλ᾽ ἕκαστον λέγειν τι περὶ τῆς φύσεως, καὶ καθ᾽ ἕνα μὲν ἢ μηθὲν ἢ μικρὸν ἐπιβάλλειν αὐτῇ, ἐκ πάντων δὲ συναθροιζομένων γίνεσθαί τι μέγεθος. ὥστ᾽ εἴπερ ἔοικεν ἔχειν, καθάπερ τυγχάνομεν παροιμιαζόμενοι, τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; ταύτῃ μὲν ἂν εἴη ῥᾳδία. τὸ δ᾽ ὅλον τ᾽ ἔχειν καὶ μέρος μὴ δύνασθαι, δηλοῖ τὸ χαλεπὸν αὐτῆς. id eſt: Veritatis conſideratio partim difficilis eſt, partim facilis. Hujus rei illud argumentum, quod neq; quiſquam illam ſit aſſecutus pro rei dignitate, neque rurſum omnino fruſtratus ſit aliquis: ſed cum unuſquiſque aliquid de natura diſſerat, fit ut unuſquiſq; per ſe nihil, aut paulum adferat ad illam momenti: verum ex omnib. in unum collectis aliqua magnitudo cōflctur. Itaque ſi res ad eum videtur habere modum, quemadmodū proverbio dicimus: Quis non attigerit oſtium? hoc quidem nomine facilis fuerit. Cæterum habere totum, partem autem non poſſe, difficultatem illius declarat. In his philoſophi verbis non video quis locus ſit januæ. Verum illa ſimilitudo principiorum & oſtii præbuit, ni fallor, erroris anſam. Quin potius, ἁμαρτάνοντα τῆς θήρας Ariſtoteles ſentit eum, qui nulla ex parte conſequitur quod petit: id quod mox τὸ ὅλον ἔχειν vocat, quaſi cōfuſim, ac generatim habere: cui contrarium τὸ μέρος ἔχειν, facit, velut exacte tenere, & non ſolum feram utcunq;, ſed hanc aut illam belluæ partem, quam maxime velis, attingere. Tametſi in hunc locum interpres tam multos adfert ſenſus, ut nullum idoneum percepiſſe videatur. Idem admonet etiam lectionem aliam aliis placere. Quod quoties fit, mihi protinus ſubcritur ſuſpicio, mendū aliquod ſubeſſe. Alioqui ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ: id eſt, Simplex veritatis oratio, quemadmodum vere dixit Euripides. Jam vero mihi telum illud reſtat potiſſimum. Alexander Aphrodiſeus: qui præterquam quod tota ejus oratio noſtræ ſententiæ palam ſuffragatur, nominatim etiam admonet, proverbii metaphoram a ſagittariis eſſe ductam, quorum nemo ſolet a lato aberrare ſcopo, nimirum cujuſmodi eſt tota bellua, cum ab exili ſcopo nonnunquam aberrent. Sed præſtiterit & hujus verba catenus ſubſcribere, quatenus ad proverbii pertinent explanationem: ἔοικε δέ μοι διὰ τοῦ μὲν τοὺς πολλούς τι ἐπιβάλλεσθαι λέγειν περὶ αὐτῆς, καὶ μηδένα αὐτῶν πάντῃ διαμαρτάνειν, δεικνύναι τι ὡς φύσει ἡμῖν εἶναι τὴν περὶ τὴν πραγματείαν. διὰ δὲ τοῦ μηδένα κατ᾽ ἀξίαν εἰρηκέναι περὶ αὐτῆς τὸ μέγεθος αὐτῆς ἐνδείκνυσθαι καὶ τὴν χαλεπότητα, καὶ ἅμα μὴ χρῆναι παρέργως ποιεῖσθαι τὴν ζήτησιν αὐτῆς. ἔχεσθαι δὲ γὰρ αὐτῆς χρὴ ὅτι καὶ ἐν κατὰ φύσιν μὴ παρέργως· ἢ ὅτι ἐστὶ χαλεπή. προτρέπει δ᾽ ἡμᾶς διὰ τῶν εἰρημένων καὶ ἐπὶ τὸ μήτε καταφρονεῖν αὐτῆς ὡς ῥᾳδίας πάντῃ, μήτε ἀπογινώσκειν ὡς πάντῃ χαλεπῆς. ὥστε εἰ ἔοικεν ἔχειν καθάπερ τυγχάνομεν παροιμιαζόμενοι, τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; ὅτι τὸ πάντας τι ὑγιὲς εἰρηκέναι τι περὶ αὐτῆς λέγοντας σημεῖον εἶναι τοῦ ῥᾳδίαν αὐτὴν εἶναι, ἔδειξε τῇ παροιμίᾳ προσχρησάμενος τῇ τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι; εἴρηται μὲν ἐπὶ τῶν ῥᾳδίων καὶ μηδὲν χαλεπὸν καὶ δυσχερὲς ἐχόντων· εἴρηται δὲ ἀπὸ τῶν τοξοτῶν τῶν ἐπὶ σκοπὸν τοξευόντων. ὅτι γὰρ ὁ μὲν μικρὸς ὁ σκοπός, ῥᾳδίως αὐτοῦ ἀποτυγχάνουσιν. εἰ δὲ ὁ πλατύς, οὐ χαλεπὸν τὸ τούτου τυγχάνειν, διὸ καὶ πάντες τυγχάνουσι, ῥᾴδιον τοῦτο. id eſt: Videtur autem mihi quod permulti tentant de ea diſſerere, neque quiſquam illorum omni ex parte fallitur, hoc argumento demonſtrare, tractationem hanc nobis naturalem eſſe. Ac rurſum quod nemo, pro dignitate, pleneque de illa ſit locutus, ex hoc & amplitudinem illius & difficultatem argui poſſe. Simulq; illud admonere, non oportere obiter aut indiligenter veſtigationem illius peragere: imo ſectandam quidem eſſe, propterea quod ad eam natura propenſi videamur: aut rurſum nō oſcitanter, eo quod ſit difficilis. Atq; his verbis adhortatur nos, ut eam neq; contemnamus, tanquam omnino facilem: neque rurſum per deſperationem ab ea deterreamur, tanquam admodum difficili. Itaq; ſi perinde videtur habere quemadmodum proverbio dicimus, quis non attigerit januam; quod omnes aliquid recte dixerint, quicunq; de ea ſunt locuti, id facilitatem illius arguere, adhibito proverbio demonſtrat, nempe illo, Quis non attigat oſtium. Quod quidem uſurpari conſuevit, de reb. factu proclivibus, in quib. omnino nihil inſit vel difficile vel arduum. Sumptum eſt autē à ſagittariis, ad ſcopum propoſitum jaculantib. Siquidem ii, ſi ſcopus fuerit minutus, facile fit ut fallant, neq; feriāt: ſin autem amplus, haud difficile feriunt. Hactenus, Alexandri verba retulimus, è quib. ſatis abunde arbitror liquere, θήρας legendū non θύρας. Quanquā totum hoc quicquid eſt, eruditorum judicio relinquimus. Etenim ſi quis erit, cui janua illa impendio placebit, habiturus eſt quo ſuffragium ſuum non omnino abſurde tueri poſſit. Haud enim ſcio an & antiquitus fieri ſoleat, quod hodie nonnullis in locis videmus, ut aggeres, qui ſcopū ſuſtinent, à laterib. atq; item a tergo muris defendātur, ſuperne imminente tecto, ut ingreſſus ille, qui patet, januæ ſpeciē habere videatur. Porro vehementer imperitus ſit oportet, qui nō ſolū non attingat ſcopum aut aggerē, verumetiam ab ipſo aberret ingreſſu, quē difficile non ſit, vel cuivis attingere. Mihi tamen vero propius videtur, ut ad Pindaricam fabulam referatur adagium. Sed ſuper hoc, quemadmodum dixi, docti pronunciabunt. Nos commentatoris

officio

officioſuncti, ſat habuimus, quod apud autores invenerim, quodque nobis videatur, id expendendum in medium proponere. Affine videtur huic proverbio, quod apud Platonem legitur in Phædro: Λυσίας τοῦ παντὸς ἡμάρτηκε. id eſt: Lyſias prorſum aberravit. Alluſit huc leviter Lucianus in Timone, cum ait: Jovis fulmen, quod in Anaxagoram philoſophum torſerat, fallente manu, ab ipſo quidem aberraſſe, cæterum in Caſtoris ac Pollucis templum fuiſſe detortum. Nec abhorrent ab hac forma, Toto aberrare cœlo: &, Tota aberrare via, quæ retulimus alias.

Tota erras via.

Τῆς πάσης ὁδοῦ ἀποπεπλανῆσθαι: id eſt, Tota aberrare via, proverbium eſt in eos, qui vehementer aberrant. Terent. in Eun. Tota erras via. Translatum à viatoribus, qui nonnunquam ita ſolent aberrare à via, ut non ſine diſpendio quidem, tamen quo tendebant, perveniant: nonnunquam ſic aberrant, ut longe divertant, & in diverſum tendant. Unde & exorbitare dicuntur, qui à vero aberrant. Ariſt. in Ethicis: Haud tota aberrant via. Idem Naturalium lib. 1 ſcribit, priſcos illos philoſophos naturalium cauſarum ſcrutatores, exorbitaſſe, ac veluti è via depulſos prorſus aberraſſe à vero. Sumptum eſt ex Ariſtophan. Pluto:

ἢ τῆς ὁδοῦ τὸ παράπαν ἐξημάρτομεν;
Viane tota prorſus exerravimus?

Quin etiam hodie dictitant eos in via eſſe, qui recto conſilio quippiam inſtituunt: extra viam, qui qua non oportet, ratione, rem aggrediuntur. Sunt ferme proverbiales & illæ metaphoræ, doctis uſitatiſſimæ: Depellere à via, reducere in viam, monſtrare viam, facere viam, ſternere viam, aperire viam, præcludere viam, includere viam. Cicer. in 1. Philip. Quod ſi putas, totam ignoras viam gloriæ. Celebre habetur & illud apophthegma: Bene currunt, ſed extra viam: Καλῶς μὲν τρέχουσιν, ἀλλ' οὐ τῆς ὁδοῦ.

Toto cœlo errare.

Huic confine eſt, quod uſurpat Macrobius Saturnal. li. 3. Nunquamne, inquit Prætextate tibi venit in mentem, toto, ut ajunt, cœlo erraſſe Vergilium: Sumptum videtur ex Ariſtophanis Ranis:

ὅλῳ ἡμάρτηκεν οὐρανῷ γ' ὅσον.

Ab Euripide dicitur Æſchylum, qui plurimum erraſſet in his quæ dixerat. Metaphora ducta vel à Phaetontis, aut Cereris fabula: vel à navigantibus, qui cœli ſiderumque obſervatione curſum moderantur: proinde naucleri, cum vehementer aberrant, in cœli parte longe diverſa cynoſuram imaginantur nonnunquam, totoque aberrant curſu. Niſi malumus cœlum pro regione accipere, velut Horatius:

Cœlum non animum mutant, qui trans mare currunt.

Extra calcem.

Idem libr. 21. Ne igitur extra calcem, quod dicitur, ſermo decurrens lecturo faſtidium ferat, ad explicanda proſpecta revertamur. Quanquam arbitror ſcripturam vitiatam: legendum autem eſſe, extra callem, pro extra viam (quod alibi nobis dictum eſt) ubi quis digreditur a re propoſita.

In portu impingere.

Eſt apud Quintilianum in Inſtitutionibus, In portu impingere: pro eo quod eſt, ſtatim in ipſo operis ingreſſu peccare. Uſurpatur & à divo Hieronymo in apologia ſecunda adverſus Ruffinum: Statim de portu egrediens, navim impegi. Idem ad Pammachiũ: Egrediens de portu ſtatim impegimus. Sumptum a navigantibus, qui magno cum dedecore prius quam portu exierint, navim illidunt. In diverſum ſenſum inflexit Papyrius Fabianus, referente Seneca in controverſiis: Navem in portu mergis: de ſene qui luxuriari cœperat aliena ætate. Apte dicetur in omnes, qui negocio jam propemodum cum laude confecto, in extremo degenerant. Idem eſt apud Græcos, ἐν τῷ λιμένι ναυαγεῖν: id eſt, in portu impingere. Nilus quidam Græcus autor ita refert: μὴ ἐπαίρου, μήπως τὸ ναυάγιον ἐν τῷ λιμένι γένηταί σοι. id eſt, Ne efferaris animo, ne forte naufragium tibi fiat in portu.

In limine deficere, aut offendere.

Huic proximum ſit illud; In limine offendere, aut deficere. Translatum ab iis, qui domum egreſſi, ſtatim in limine pedem offendunt, priusquam quicquam occeperint agere. Vergil.

Cũt indecores in limine primo Deficimus?

Id eſt ſtatim ac vix dum initio bello. Durinſcule dixit Quin. Curtius lib. 6. In ipſo limine victoriæ ſtamus. pro eo quod eſt, proxima eſt victoria. Huic contrarium eſt, quod in Epiſtolis ad Lucilũ ſcribit Seneca: In ſummo deficit clivo. Ducta tranſlatione ab iis, qui conſcenſo propemodum monte, cum delaſſantur, cum proximi ſunt cacumini.

Cantherius à porta.

Confine eſt ſuperioribus: Cantherius in porta. Natum à Sulpitio Galba quodam, cui cum provinciam exituro, Cantherius in porta cecidiſſet: Rideo, inquit, te Canthari in porta, cum tam longum iter ſis iturus, jam laſſum eſſe te, cum vix dum ſis ingreſſus. Quod dictum in proverbium abiit. Refertur adagium à Feſto Pompeio in dictione, Ridiculus atq; is indicat convenire, cum quis in principio rei vix inchoatæ deficit animo. Quid autem ſit Cantherius, dilucide exponit, nempe equus ex ectis teſtib. ut hoc differat Cantherius ab equo, quo majalis à verre, capus à gallo, vervex ab ariete.

De limine offendere.

De limine offendere dixit Tertullianus ſpecie proverbii, pro in ipſo operis negotiive ſuſcepti primordio peccare: ut ſit idẽ quod illud Fabii Quintiliani, in portu impingere. Uſus eſt in libro adverſus Valentinianos; A manifeſto ad occultum retorquere, de limine offendere eſt.

Ἀμφαξονεῖν.

Ἀμφαξονεῖν Proverbialiter dicitur, ut annotat Iliad. 5. Euſtathius, qui non recta via incedit; quod ſimili tropo Exorbitare Latine dicimus. nam ἄξονες etiã orbitas ſignificant, quas ἁρματροχιὰς Callimachus dixit. Sic Epicureos voluptatibus ſummum bonum metientes ἀμφαξονεῖν dicemus. quod Auguſtinus in libris de Civitate Dei exorbitare ab itinere ſapientiæ & lege juſtitiæ. Quanquã & labare genib ac ſuccidere inceſſu parum firmo, ἀμφαξονεῖν ſignificare. Heſychius & Pauſanias in Rhetorico lexico annotant; id quod accidit infirmis, & invalido corpore nutantibus, aut quibus epigonatis, ſeu conhula genu muniens luxata eſt. Dicetur ergo non modo de iis, qui à vulgata veraq; opinione recedunt, & longo uſu receptam à doctis ſententiam faſtidiunt, quomodo Cleanthes Samius olim, & nuper Copernicus, cœlũ ſtare, ſedemq; telluris circumrotari aſſeverarunt, præter aſtronomorum omnium conſenſum; verum etiam de his, qui inſtabili doctrina ad quemvis argumenti crepitum vacillant, atq; in alienam ſententiam manus dant.

A lineis excidere.

Proverbialiter utrunque Tertullianus. A lineis excidere, pro eo quod eſt, ab inſtituto, & propoſito aberrare, libro adverſus Hermogenem. Et hic à lineis tuis excidiſti, quibus circa perſonã Dei uſus es. Tranſlatione ſumpta à Geometria, quæ lineis omnia perficit. ita concionatorem à propoſita materia latius evagantem, à lineis excidiſſe dicemus. Sic è diverſo. Lineæ inſiſtere dixit lib. 4. adverſus Marcionẽ: pro, in inſtituto permanere, ſic enim inquit: Puto me non temere huc uſque adhuc lineæ inſiſtere, qua defenio nuſquam omnino alium Deum à Chriſto revelatum. Frequens autem uſus linearum ſpecie proverbii apud hunc autorem eſt. nam & iiſdem dimicare lineis dixit: pro, intra certa argumentorum ſepta permanere, & Lineas aliquas producere: pro, certam materiæ legẽ præfinire. & Ad lineas & in gradum, libro 1. adverſus Marcionem: pro, ad propoſitum atque inſtitutum. & Lineis claudere materiam: hoc eſt, ſtata quædam argumenta præfinire, intra quæ ceu cancellos quoſdam coerceatur liberior orationis evagatio. Ducta metaphora à certantium luctantiumve lineis, quas intra decertent. Hinc maneat urbanus jocus Caſſii Severi, qui adverſus eos qui in diverſa ſubſellia tranſeunt, lineam popoſcit, ut eſt apud Fabium, velut obicem certum & præfinitum limitem, quem tranſgredi nõ liceat. ridiculum enim eſt, quod Cælius iſtud de longurius interpretatur. Eodem ſpectat & Hieronymi illud in Luciferiani dialogo: In gradum rurſus ac lineas regredere. Ab eadem metaphora fluxerunt & hæ loquendi formulæ apud Ciceronem, pro Pub. Quintio: Si extrà has cancellos egredi conabor, quos mihi ipſi circundedi, & lib. de oratore 1. Et quaſi certarum artium forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam. Neque ſilentio prætereundum eſt quod annotat Donatus in Eunuchum Terentianum: Longis lineis fieri: pro eo quod eſt, de longinquo.

Faber cadit cum ferias fullonem.

Arnobius lib. 6. adverſus gentes lepidum uſurpat adagiũ: quo uti licebit, quoties ſignificabimus immerentem plecti aut perſtringi: veluti ſi quis in re ridicula, expoſita muri eſca letifera, patellum imprudenter è medio tollat: ejus verba ſunt: Nonne illud eſt quæſo, quod in vulgaribus proverbiis dicitur, fabrum cadere quum ferias fullonem: Eleganter ad uſum trahi poterit hoc acto, ſi quis Ruelli opinionem de herba quapiam flagellare volens, inſcienter Fuchſium etiam aut Donodæum Rembertum erroris convincat: iſtic enim quadrabit dicterii ſalſugo, dum alter fullonem ferit, fabrum ſimul concidere. Finitimum huic eſt quod apud Athenæum Philyllius comicus in fabulæ quæ πόλεις inſcribitur, extulit:

—— ὅ, τι ἂν τύχῃ
μάγειρος, ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν
πληγάς —— id eſt:
—— Quicquid coquus
Deliquerit, cædi flagris tibicinem:

Eubulus in Leda:

ἐγὼ νομίζω τοῦτο καὶ τὴν ἑστίαν
ἤκουσα πάλ' ὡς ὁ μάγειρος ἐξαμαρτάνει.
τὸν πλήσσεσθαι αὐλητήν. —— hoc eſt:
Ecaſtor audiſſe memini olim me domi,
Tibicinem cædi, ubi coquus peccaverat.

Solœcus.

Σολοικίζειν, ſive Solœciſare dicitur parœmiæ vice, qui a publico uſu quavis ratione diſcedit: quomodo σολοικίζειν τὸ νόημα dicitur, qui dictum quodpiam authoris aliter interpretatus, quam communis uſus recipiat, ut annotat Iliad. 22. Euſtathius. ſic & σολοικίζειν τῷ νεύματι, hoc eſt, nutu ſolœciſare quidam ſcommate dicitur in Epigrammatibus, ubi Lucilius Flaccum rhetorem τῇ χειρὶ σολοικίζειν dixit eo verſu:

Καὶ τῇ χειρὶ πάλαι καὶ σολοικίζει διαλέγων.

Quod Fabius lib. 1. exponit, in geſtu ſolœciſmum ineſſe ſcribens,

quum

quum aliud voce, aliud nutu, vel manu demonſtratur, qua ratione Polemô Laodiceus inter agonothetas Olympiis ludis, qui Smyrnæ celebrantur, præfectus, quum tragædus indoctus ad ea verba, ὦ Ζεῦ, terram commonſtraſſet: rurſus ad illa, ὦ γῆ, id eſt, ô terra, manus ad cœlum extuliſſet: actoris nomen è præmiorum participibus eraſit, dictitans, οὗτος τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε: id eſt, Hic manu ſolœciſmum commiſit. Strabo lib 14. ambigit unde natum ſit, τὸ σολοικίζειν, an à ſolis oppido, Soloni cognomini, an aliunde. Plutarchus Sympoſiac. prima decade: ἐσθῆτι καὶ σχήματι καὶ ἀγωγῇ παίδων ὑποσολοικότερος, id eſt: Veſtitu & operoſo puerorũ comitatu à plebe differens, & (ut ita dicam) ſolœciſans nonnihil. Cicero ὑποσόλοικον, dixit quod indecorum ſit, & ab honeſtate abſonũ, ut libro ad Attic. 2. Eſt enim ὑποσόλοικος, qui velim vitare omniũ deliciarum ſuſpicionem, repente ἀναφαίνεσθαι non ſolum delicate ſed etiã inepte peregrinantem. Anacreon lyricus σόλοικον φθέγξιν, pro lingua barbara extulit. & Hipponax Solœcos barbaros vocat, ibi: καὶ τοὺς σολοίκους ἢν λάβωσι περνᾶσι hoc eſt: Barbaros ubi habet venum exponunt. Eubulus in Amalthea κρέας βόειον ἀσόλοικον dixit fruſtum bubulæ carnis integrum, nihilq; habens vitii, quaſi dicas, non ſolœcum, ſimiliter & ἀσόλοικος λέξις id eſt, oratio non Solœca dicitur Laertio, ab omni vitio pura. Ridiculum eſt grammaticorũ commentum, qui Solœciſmum exponunt etymo, τοῦ λόγου αἰκισμόν, velut ſani ſermonis ludibrium. Plutarchus alicubi diſcipulum minus attentum, atque in auditorio aliud agentem, σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν dicit, hoc eſt, in auſcultando ſolœciſare & Lucianus σολοικισμὸν ἡδονῶν, id eſt, voluptatum ſolœciſmum nove dixit, ſed tamen proverbii ſpecie, pro earum abuſu.

Non reſpondet opinioni calculus.

Juſtinianus in ſuis Inſtitutionibus, tit. Quibus ex cauſis manumittere non licet: Sæpe enim (inquit) de facultatibus ſuis amplius, quam in iis eſt, ſperant homines. Et ſane ea eſt hominum philautia, ut unicuique ſua facile quam maxima videantur, & plus ſæpe ſit in opinione, quam calculo. Franciſc. Balduinus in eundẽ Juſtiniani locum: Sed ubi in ea re (inquit) peccavimus, fit errore opinionis, non quidem elevantis, ſed minuentis cenſum: qui major eſt: ſed potius extollentis minorem, & ita liberaliter magnificantis, ut plerumque non reſpondeat opinioni calculus.

Solœciſmum admittere.

Quicquid fit perperam, nec recte & ordine peragitur, ſolœciſmus communi proverbio dicitur. Sic Lucianus de ſaltatione πολλοὶ γὰρ τῶν ὀρχηστῶν καὶ σολοικίας ἀσχήμονας ἐν τῇ ὀρχήσει ὑπ' ἀμαθίας, ἐπιδείκνυνται. Multi enim ſaltatores præ imperitia ſolœciſmos luculentos inter ſaltandum præferunt: cum ſcilicet aut in concinne & extra numeros rhytmoſque moventur, aut ſerius tardiuſve moventur. Et alibi idem, tum in Pſeudologiſta ſeu ſolœciſta. Solœciſmus autem eſt vitioſa orationis partium conſtructio. Sic vitioſa conſtructio menſæ eſt ſolœciſmus. Extruuntur fercula, conſtruitur oratio. Cicero in Tuſculanis: Menſæ epulis conquiſitiſſimis extructæ. Item in Cat. At Cares epulis extructiſque menſis, & frequentibus epulis. Budæus Lud. Ruzæo: Mitteres obſodædalum coquum, qui ferculum coqueret ſcite, atque condiret? mitteres quæ opus ſunt ad operoſæ culinæ condimenta, ne ſolæciſmum in extructione luxuque admitteremus, id eſt, ne perperam, & inſcite aut eo piſce fercula extrueremus. Committitur etiam Solæciſmus in voluptatibus, ut ait Lucianus in Nigrino, ſive de morib. philoſophorum. Juvenalis ſat. 6.

— Solœciſmum liceat feciſſe marito. *Martialis:*
Sæpe ſolœciſmum mentula noſtra facit. Idem lib. 5.
Unus quum ſitis, duo Callіodore ſedetis:
Surge, ſolœciſmum Calliodore facis.

Solecіſmum quoque dicunt admittere, qui cum Leophanis reminiſci ſtudeant, in Leoſthenem deflectunt. Plutarchus auditorem minime attentum, σολοικίζειν περὶ τὴν ἀκρόασιν, nove dixit. Vide annotationes noſtras in Luciani Pſeudoſophiſtam, ſeu Solœciſtam.

Retrorſum currere.

Græci, ἐπὶ πυγὴν χωρεῖν: Galli, reculer: Germani, auſſ ing lauffen, vice proverbii uſurpant. Suidas apud Græcos, ἔμπαλιν ἑαυτοῦ τρέχειν, apud Herodianum.

Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Verſus eſt Ennii proverbialis, in divinos, citante Eraſmo noſtro, in eos, qui non ſibi, ſed alii ſapiunt. Cic. in fine libri primi de Divinatione. Nunc illa teſtabor, non me ſortilegos, neque eos qui quæſtus cauſa hariolentur, ne pſychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti ſolebat, agnoſcere:

Non habeo denique nauci Marſum augurem,
Non vicanos auruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiaços conjectores, non interpretes ſomniorum.
Non enim ſunt ii aut ſcientia aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipſi petunt.
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

His verſibus ſubjungit Cicero: Atq; hæc quidem Ennius. Huc pertinet & hic verſus, quem idem Cicero antea ex eodem Ennio attulerat de vatibus;

Qui quæſtus cauſa fictas ſuſcitant ſententias.

Idem de divinatione libro 2. Democritus tamen non inſcite nugatur, ut Phyſicus, quo genere nihil arrogantius:

Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat, cœli ſcrutantur plagas.

Qui verſus in oculatos, & cautos aliis, non ſibi, etiam dicitur. Idem Cic. ibidem. Sed jam ad te venio.

O ſancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obſides,
Unde ſuperſtitioſa primum ſæva evaſit vox fera.

Subjungit idem. Tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen implevit, partim falſis (ut ego opinor) partim caſu veris, ut fit in omni ratione ſæpiſſime, partim flexiloquis & obſcuris. Apud Eraſmum autem vox, Temetipſe in 7. verſu Ennii. Qui ſibi ſemetipſe non ſapiunt, &c. mendo nec ipſa videtur carere: & pro, Semetipſe reponendum, ſemitam.

Tota regione errare.

Sic loquuntur boni ſcriptores, Toto cœlo errare, tota via. Jam tota regione, & tota via, idem valent. T. Lucretius lib. de rerum natura 6.

Quo magis errantes tota regione feruntur.

Sunt qui pro regione, legunt ratione: & qui, cæca ratione. Eraſmus noſter habet. Toto cœlo: & Tota via.

Avius à vera longe ratione recedit.

Delectatus videtur Lucretius his verſib. lib. 1.

Avius à vera longè ratione vagaris. ibidem:
Magnopere à vero, longeque erraſſe videntur. lib. 2.
Avius a vera longe ratione recedit. Ibidem:
— Procul avius erras.

Sunt illi etiam uſitata hujuſmodi loquendi genera: Deſipere eſt. furioſum eſt, pingue eſt, ridiculum, delirum, perdelirum eſt, æqua dementia lib. 5.

Cætera de genere hoc adfingere & addere *Memmi,*
Deſipere eſt — ibidem.
Proinde putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt. — Laertius:

Sed valde pingue eſt (inquit Ariſtot. 1. Meteor.) unumquodque eorum quæ moventur in cœlo, exiſtimare parvum eſſe, &c. Idem, de Epicuro agens: Unam autem earum rerum afferre cauſã, quæ multis modis videntur diſputari poſſe, furioſum eſt. Ariſtot. lib. 2. Meteor. Ridiculi ſunt etiam omnes, qui ſolem ali humido exiſtimarunt. Idem ibidem cap. 3. Similiter ridiculum eſt etiam, ſi quis dixerit terræ ſudorem eſſe mare, &c. Lucr. lib 1.

— Tum delirum eſſe videtur. Item:
— Perdelirum eſſe videtur. Ibidem.
Æqua videtur enim dementia, dicere utrumque.
Idem libr. 3.
Denique connubia ad Veneris, partuſque ferarum,
Eſſe animas præſto, deridiculum eſſe videtur.

A ſigno aberrare.

Ibidem: Inſtar imperiti ſagittarii à ſigno procul aberrat: quod quidem mendacium nuncupatum eſt, Aberrare à ſcopo, atque id genus aliæ figuræ omnes proverbium ſapiunt. Unde apud. Eraſm. Scopum attingere. Ante, Scopus nullus propoſitus; & infra, Ex pharetra obſcura ſagittare.

In foveam incidere.

Ibidem: In foveas ambiguitateſque multas propter rerum imperitiam incidit. Vide Eraſm. Incidit in foveam.

Viam in forum ignorat.

Ibidem, Qui philoſophiæ ſtudio abutuntur ab ineunte ætate. primum quidem viam in forum ignorant, neque judicium, aut conſilium aut conſilium civitatis aliud ubi ſit, norunt: leges autem decretaque vel promulgata, vel ſcripta, nec vident, nec audiunt. Huic haud abſimile ante. Ne numerare ſcit.

Ad pedes.

Ibidem: Si quando vir talis, vel privatim cum aliquo, vel publice in judicio, ſive alibi, de his quæ ad pedes & in conſpectu ſunt, diſſerere cogitur. Paulo ante de Thaletis caſu: Thaletem: dum cœlum ſuſpiceret, intentus ſideribus, in foveam cadentem, Thracenſis, quædã ejus ancilla concinna & lepida arguiſſe dicitur, quod quæ in cœlo ſunt, pervidere contenderet, quæ vero proxima & ad pedes, non videret. Quæ ſub terra ſunt, & quæ ſupra dimetiens, & arte cœlum tranſcendens, omnem perſcrutata naturam rerum omnium, quæ ad univerſum pertineat: his autem quæ prope ſunt, ſolis, nullo modo applicans ſe, idem ſimiliter omnibus, qui in philoſophia verſantur, objici poteſt. Latet enim philoſophum non modo quid agat ejus proximus, ſed fere homo ne ſit, an brutum. Quid autem homo ipſe ſit, & quid ipſius naturæ maxime conveniat agere aut pati, exquirit, & laborioſe perſcrutatur.

Ne currente rota funis eat retrò.

Hac elegantiſſima verborum umbra utitur idẽ Carm. 3. 10. ubi Lycen ſuã admonet, ut depoſita animi duritie, ſeſe in æquã amoris partem recipiat, ni faxit, metuendum ipſi eſſe, ne fortunæ curſus lætus & ſecundus aliquando magno ipſius malo in diverſum commutetur. Ingratã, inquit, Veneri pone ſuperbiã, nec currente rota funis eat retro. Metaphoram quidam accerſunt à rotis, ſunc circum

cum actis, quo rupto illæ in contrariam partem volvuntur. Alii à funè, id eſt, equo funali, quem, σειραφόρον Græci, nonnulli Helciarium vocant: ut ſit, ne funalis equus in diverſum feratur, cum ſequente rota & curru, quo ipſa vehatur, curſu præcipiti. Sed multo verius & facilius mihi videtur, quod etiam Gul. Cantero, viro doctiſſ. mihique amiciſſimo, memini, mirifice placuiſſe. Horatium nempe reſpexiſſe potius ad machinas illas, rotarum figuram exprimentes, quibus pontes, aliaque immenſi ponderis onera, ſubducuntur. ubi ſi quid peccetur, aut ab opere manus amoveatur: temporis puncto, omnes etiam maximi conatus peſſum eunt: & quæ antea ſuperba ſummè erant & elata, repente concidunt, ac in imo delitueuntur.

Pro amphora urceus.

Idem initio de arte poetica, ex eadem plane fornace igneum illud adfert:

Amphora cœpit Inſtitui: currente rota cur urceus exit?

qua proverbiali locutione ingenioſe & apte optimus ſententioſæ brevitatis magiſter ſecundum artis præceptum: aut, ſi malis primi præcepti appendicem, & ſimul majoris lucis gratia adductâ ſimilitudinem concludit. Præceperat ut ſcripta, præſertim magnifica, partibus libriſque utique bellè & apte compoſitis, conſtarent, & ut longa ἐκτρέψια aliaque ambitioſa ornamenta, ipſam rem principem obſcurantia & deformantia, fugerentur. Laudabat pictores qui hæc vitia ſua in arte ſtudioſe caverent. Subjicit deinde, utrumque poetam & pictorem, ſi aliter fecerint, nihil aliud quam proditurus eſſe ſuperbam ſuam inopiam & imperitiam: non ſecus atque illi, qui amphoram, magnum & amplum vas, meditati & aggreſſi, urceum tandem, minimum & alia longe forma vaſculum effingunt: & opus auſpicati (ut Turnebi verbis utar) in opuſculū monſtroſe deſinunt. Licebit commode torquere in omnes eos, qui oneri ſuſcepto impares ſuccumbunt: item qui temere ad aliena a re propoſita aberrant. Utitur eodem Hieronymus ſæpius in Epiſt.

Dum vitat humum, nubes & inania captat.

Ex eadem officina prodit illud, quo licebit uti pro in ſcriptorem ludere, qui ſermonem rei aut perſonæ non accommodat, ſed aut nimium abjecta & famulari oratione utitur, ubi grandi & elata opus erat: aut contra.

Verum ita riſores, ita commendare dicaces
Conveniet Satyros, ita vertere ſeria ludo.
Ne, quicunque deus, quicunque adhibebitur heros,
Regali conſpectus in auro nuper, & oſtro,
Migret in obſcuras humili ſermone tabernas:
Aut, dum vitat humum, nubes & inania captet.

Caſtigat Horat. poetas, qui præter decorum diis & heroibus tabernariorum & opificum orationem tribuunt: & contra opificibus & magnificentiam verborum plane Heroicam & cœleſtem. Metaphoræ rationem nos natura docet: aut ab Icaro, aut aliunde, non opus ſit eam arceſſere. Non invenuſte idem quadrabit in eos qui nulla in remedium tenent, ſed ut plurimum in alterutram partem peccant. Similiter, migrare in obſcuras tabernas, non male uſurpabimus pro abjicere ſe, & in infimo hominum genere dignari ſe admittere.

Hærere in iiſdem ſcopulis.

Tritum eſt, omnibuſq; notum & familiare, offendere ad eundem ſcopulum, impingere ſcopulis: nuſquam tamen vel uſitatum vel explicatum a noſtræ ætatis ſcriptoribus offendi, inhærere iiſdem ſcopulis: quod non minus quam illa ſuperiora, proverbiis adſcribendum videtur, quod ille per metalepſin ſignificat, in eodē verſari negocio, vel arte: vel in eodem loco ſedem figere: ut ſynecdochicôs ſpecies pro genere, quod crebrum eſt, accipiatur. Ovid. Metam. 3. Mox egone ſcopulis hærerem ſemper iiſdem.

II. AB INITIO AD FINEM.

Ab ipſo lare.

Ἀφ' ἑστίας ἄρχου id eſt, à lare incipe. hoc eſt, à domeſticis ac familiaribus initium ſumito. Recte dicetur in magiſtratus, & alienæ vitæ cenſores: quorum officium eſt, ut in primis ſuis ſuorumque vitam corrigant. Nam ἑστίαν Græci vocant, quem nos Larem ac Veſtam vocamus. Ariſtophanes σφηξὶν.

οὐκ, ἀλλ' ἵνα ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενος ἐπιτρίψω τινά. id eſt:
Non, verum ut aliquem exorſus a Lare, obteram.

Ductum à vetuſto ritu ſacrorum, in quib. primitiæ Lari. immolabantur. Ariſtocritus, citante interprete, fabellam hujuſmodi refert. Cum devictis Titanibus Jupiter imperio potitus eſſet, Veſtæ permiſit optionem, ut quicquid vellet, eligeret. [illegible] Illa primum virginitatem popoſcit: deinde ſacrorum omnium, quæ diis immolarent homines, primitias. Inde abiiſſe in conſuetudinem, ut in omni ſacro primæ partes Lari tribuerentur. Uſus eſt hoc adagio Plato in Euthyphrone: Βουλοίμην ἄν, ὦ Σώκρατες, ἀλλ' ὀρρωδῶ μὴ τοὐναντίον γένηται, ἀτεχνῶς γάρ μοι δοκεῖ ἀφ' ἑστίας ἄρχεσθαι κακουργεῖν τὴν πόλιν, ἐπιχειρῶν ἀδικεῖν σε. Id eſt: Equidem cupiam, verum vereor ne res in diverſum exeat. Nam mihi quidem lædēde Reip. ab ipſo Lare facere videtur initium, cum te tendat lædere. Plutarchus in libello de Polyphilia: πρῶτον μὲν οὖν ὥσπερ ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενος, i. Primum igitur velutà Lare exorſi. Totidem ferme verbis utitur in commentario, [illegible] Uſurpat & in libello, quem ſcripſit adverſus Herodotum. Ariſtides in Pericle: ὁ δ' ἀφ' ἑστίας ἀρξάμενος [illegible] id eſt: At ille a ſuo ipſius exorſus Lare, maluit æqualitatem ſequi, quam reliquos antecellere. Interpres admonet, dici ſolitum de iis, qui ab ipſo ſtatim initio vel boni ſunt, vel mali q. d. ab ipſis incunabulis, quod Lar ſtatim naſcentes excipiat.

A capite uſque ad calcem.

Cum rem totam ſignificamus, á capite uſque ad calcem dicimus. Cujus adagii triplex eſſe poteſt uſus. Aut enim ad corpus refertur, aut ad animum, aut ad rem: qui duo poſteriores plus obtinent venuſtatis, nimirum quo plus habent figuræ. Ad corpus, apud Homerum Iliad. ψ.

Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς — id eſt.
A capite uſque pedes. —

Item Theocritus in Bucoliſco:

Καί μ' ἀπὸ τᾶς κεφαλᾶς ποτὶ τὼς πόδας [illegible] id eſt:
Me à capite uſque pedes luſtravit lumine totum.

Plautus in Epidico: Contempla Epidice ab unguiculo ad capillum ſummum. Horatius:

— Talos à vertice pulcher ad imos.

M. Tullius pro Roſcio Comœdo: Nonne ipſum caput & ſupercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, ſi quam conjecturam adfert hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallaciis, mendaciis, totus conſtare videtur? Ad rem ut apud Ariſtophanem in Pluto.

Ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα
Ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ. id eſt:
Audi ergo, quando totum ego negocium
A Pedibus uſque tibi ad caput percenſeo.

Quanquam hic Comicus joci cauſâ præpoſtere poſuit pedes & caput. Divus Hiero. in præfatione libri, quem Dierum inſcribunt Hebræi: Contuli cum eo à vertice, ut ajunt, uſque ad extremum unguem. Ad animum hoc pacto poterit transferri: Ego tibi mores & ingenium illius, breviter hominem quantus eſt a ſummo, ut ajunt, capillo ad imum uſq; calcaneum depingam. Quanquam exemplum M. Tullii, quod modo retulimus, magis ad animum, quā ad corpus videtur pertinere. Quin etiam dividitur adagium, cum caput negocii vocamus, præcipuum autorem, perinde ut & fontem dicimus. Terentius, Te eſſe huic rei caput. Item apud Græcos, τὸ κεφάλαιον τοῦ πράγματος. Lucianus in Tyrannicida, τῆς τυραννίδος κεφάλαιον: id eſt, tyrannidis caput. Et Plato lib. De legib. 3. τὴν τῶν στάσεων πηγήν, dixit. id eſt, ſeditionum fontem. & Ad calcem venire. In calce operis. In extremo literarum tuarum calce. Ab ipſo exordii capite, A calce ad caput recurrere: atque id genus aliæ loquendi formulæ, quæ paſſim apud autores obviæ ſunt. Plutarchus adverſus Stoicos: ἐκ προθύρων καὶ ἀρχῆς ἄχρι κορωνίδος: id eſt: Ab ingreſſu & initio uſque ad coronidem.

A capite arceſſere, A fonte ducere.

Quum res ab eo repetitur, quod eſt in negocio præcipuum, à capite arceſſi dicitur. M. Tull. li. De orat. 2. Etiam ætatis eſt, uſuſque noſtri, a capite quod velimus arceſſere, & unde omnia manant videre. Idem lib. De legib. 1. Alte vero, & ut opinor, à capite frater repetis quæ quærimus. Et paulo poſt ibidem: Viſne ergo ipſius juris ortum à fonte repetamus? Quod ante dixit A capite, hic dicit A fonte. Rurſus in Topicis: Quum autem à genere ducetur argumentum, non erit neceſſe id uſque à capite arceſſere. In Tuſculanis quæſtionibus alicubi dicit. A capite ducere: pro eo quod erat, ab exordio repetere.

Prora & puppis.

Πρῴρα καὶ πρύμνα id eſt. Prora & puppis. M. Tullius lib. Familiarium epiſt. ultimo, ſcribens ad Tyronem ſuum, parœmiam hanc refert his verbis: mihi prora & puppis ut Græcorum proverbium eſt, fuit à me tui dimittendi, ut rationes meas explicares. Prora itaque & puppi, ſummā conſilii noſtri ſignificamus: propterea quod à prora & puppi, tanquam à capite & calce pendeat tota navis. Apud Græcos invenio pronunciatum hoc pacto: [illegible] id eſt: A prora pariter atque à puppi pereunt: ſive, Prora pariter ac puppis perit: hoc eſt, ad internecionem. Philoſtratus in Heroicis: [illegible] id eſt: Sed oportet Ulyſſis in morem navi alligatum eſſe: abſqui & prora, quod dici ſolet, & puppis perit. Conſimili figura dictum eſt in Apocalypſi: ἐγώ εἰμι τὸ ἄλφα καὶ τὸ ω. Ego ſum alpha & ω. Ego ſum rerum omnium ſumma. Omnia proficiſcuntur à me, velut à fonte, & ad eundem omnia referuntur, tanquam ad felicitatis portum. Nam alpha α Græcis prima litera eſt, ω magnum poſtrema. Neque diſſidet hinc illud Theocriti in Encomio Ptolomæi:

Ἀνδρῶν δ' αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω,
Καὶ πύματος καὶ μέσσος. — id eſt;
Aſt hominum in numero decantetur Ptolemæus;
Primus ultimus ac medius —

Item Vergil. illud:

A te principium, tibi deſinet. —

Huc pertinet, quod Demoſthenes pronunciationem, τὸ πρῶτον, τὸ δεύτερον καὶ τὸ τρίτον eſſe dixit, univerſam eloquentiam intelligens. Plato de legib. lib 4. ὁ μὲν δὴ θεὸς, ὥσπερ καὶ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευ-

ſunt. Eundem in modum & Arcem dicimus rei cujuſpiam. Ariſtoteles in præfatione Rhetoricorum ad Alexandrum: ὡς κεφάλαιον ἐν σωτηρίας. id eſt: Quoniam incolumitatis arx eſt. Παροιμίας apud Athenæum lib. 10. πάντων δὲ κακῶν μητρόπολιν τὸν οἶνον εἶναι. id eſt, Vinum omnium malorum metropolim eſſe dixit. Hinc enim temulentiam, hinc inſaniam, hinc debacchationes. Plato De legib. lib. 1 κεφάλαιον δὴ παιδείας λέγομεν τὴν ὀρθὴν τροφήν. id eſt: Caput eruditionis cenſemus rectam educationem. Plautus in Aſinaria: Ego caput huic argẽto tui hodie reperiundo, ego pes fui. Quin nec caput nec pes ſermonis apparet. Idem in Captivis: Quod neque pes uſquam, neq; caput appareat. Aliter uſurpant capitis vocabulum, cum indicant rem non ſingulatim explicari, ſed in ſumma proponi. Sic Æſchines adverſus Timarchum ὡς δ' ἐν κεφαλαίῳ εἰρῆσθαι. id eſt: Ut in ſumma dicam. Idem in oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας eodem ſenſu dixit, ἀλλὰ κεφάλαιον. id eſt: Per ſingula. Itidem Demoſthenes in oratione περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ: ἐν κεφαλαίῳ δ' ἃ λέγω φράσας, καταβῆναι βούλομαι. id eſt: Ubi in ſumma de quibus loquor, dixero, volo deſcendere. Rurſus in oratione contra Zenothemin: τὸ μὲν οὖν πρᾶγμα περὶ οὗ τὴν ψῆφον οἴσετε, ὡς ἐν κεφαλαίῳ, τοιοῦτόν ἐστιν. id eſt: Itaque negocium quidem de quo feretis ſuffragia, ut in ſumma dixerimus, ſic habet.

Quodcunque in ſolum venit.

Quodcunque in ſolum venit: id eſt, Quicquid in rerum natura producitur M. Tullius libro De natura deorum 1. Hinc quodcunque in ſolum venit, ut dicitur, effingis atque efficis. Ridet atomos Epicureorum, ex quibus illi cuncta progigni credunt, quicquid uſquam naſcitur in univerſo.

Ea tela texitur.

Proverbialis allegoria, Ea tela texitur: pro eo quod eſt, ejuſmodi negocium in manibus eſt, & res inceptantur tales. Tranſlatio ſumpta à textoribus telam inſtituentibus. M. Tullius in extremo De oratore lib. Quinquam ea tela texitur, & ea incitatur in civitate ratio vivendi, ac poſteritati oſtenditur, ut eorum civium, quos noſtri patres non tulerunt, ſimiles habere cupiamus. Plautus dixit, Exordiri telam: pro, incipere negocium: Exorſa eſt hæc tela non omnino peſſime mihi. Affine eſt illi quod alibi dicemus, Exordiri telam.

Exordiri telam.

Pleræq; metaphoræ quæ ducuntur à textrina, proverbii faciem præ ſe ferunt. Plautus in Bacchidibus: Exorſa hæc tela eſt non male omnino mihi. Idem in Pſeudolo: Neq; nunc quid faciã ſcio: Neque exordiri unde occipias habeas: Neq; ad detexundam telam certos terminos. M. Tull. lib. De oratore dixit, Pertexere, & perficere. Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorſus es. Rem enim quam arte conſilioque inſtituimus. Exordiri dicimur. Et Reteximus quæ denuo refingimus. Item illud ad Herennium: Ego te jam detexam ab exordio, id eſt, ab initio vitæ explicabo qualis ſis. Cognatum illi quod alio commemoravimus loco, Ea tela texitur: ὑφαίνεται τάδε, Pollux citat ex Græcis autoribus.

Scindere glaciem.

Scindere glaciem, eſt aperire viam, & in incipiundo negocio priorem eſſe. Tranſlatũ a nautis, quorũ unus aliquis præmittitur, qui flumine concreto, glaciẽ præ rumpat, reliquiſq; viam aperiat.

Toto organo.

Quintilianus lib. 11. Eſt enim quædam ad auditum accommodata, non magnitudine, ſed proprietate ad hoc velut tractabilis: utiq; habeos omneis in ſequi deſiderantur, ſonos, intentioneſque & toto, ut ajunt, organo inſtructa. Hactenus ille. Proinde Toto organo inſtructa recte dixeris, quæ numeris omnibus conſtant, & undiq; quadrant. Sumptum & hoc à muſicorum inſtrumentis.

A fronte atque à tergo.

πρόσσω καὶ ὀπίσσω. A fronte atque à tergo. Proverbii vice receptum, pro eo quod eſt, diligenter inſpicere, & præterita cum præſentib. ac futuris conferre. Sumptum eſt autem ex Iliados lib. 1. ubi Achilles Agamemnonis incogitantiam accuſans, ſic ait:

οὐδέ τι οἶδε νοῆσαι ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. id eſt:
Nec novit ſimul a tergo atque à fronte videre.

Rurſum in ejuſdem operis lib. 3.

— ὁ δ' ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω
λεύσσει — — id eſt:
A tergo ſimul atque à fronte videbit.

Iterum Iliados σ.

— ὁ γὰρ οἶος ὅρα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. id eſt:
Solus enim hic à fronte ſimul tergoque tuetur.

M. Tullius proverbii vice uſurpavit lib. Familiarium epiſtolarum 13. quem verſum ſenex Præcilius laudat egregie, & ait poſſe eundẽ ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω videre. Huic affine videtur illud Heſiodium:

πάντα νοήσας, εὖ ἀμφὶς ἰδὼν, μὴ γείτοσι χάρματα γένῃ. id eſt:
Cuncta bene undique diſpiciens, ne gaudia duces
Vicinis.

Plato in Cratylo monens ea quæ dicta fuerant, etiam atque etiam qualia ſunt diſpici, uſurpat hoc Homeri dictũ, βλέπειν ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. M. Tull. Philip. 3. uſurpat pro undiq.: A tergo, a fronte, à lateribus tenetur. Hoc ſermonis colore non ſemel utitur & alias. Antiquitas Janum bifrontem fingens, regum prudentiam indicabat, quorum eſt & præterita meminiſſe perpendereque, & futura proſpicere: quamobrem & divinitati duas comites addebant, An-tevortam & poſt vortam, quas olim religioſe colebant Romani, ut indicat Macrobius in Somnium Scipionis libro primo.

A carcere.

Ἀπὸ βαλβῖδος: id eſt, A carcere, ſive repagulo. id eſt, ab ipſo rei principio. Sumptum à certaminib. equeſtribus, ubi curſus initium eſt à carceribus, id eſt repagulis: finis meta. Itaque cum exorſum negocii ſignificamus: Ab ipſis carceribus dicimus: quum finẽ, Ad metam uſq;. Veluti ſi quis dicat fœdum eſſe, ſi quis artifex ab ipſo ſtatim carcere peccet: aut neminem tam ignavum, qui non ἀπὸ βαλβῖδος ſtrenuus eſſe videatur. Extat apud Ariſtophanem confine, quod alibi poſitum eſt, ἀπὸ γραμμῆς: id eſt, A linea.

A cœlo ad terram.

Ἀπ' οὐρανοῦ μέχρι γῆς: id eſt, A cœlo ad terram. Proverbialis figura, perinde valens quaſi dicas: Quacunq; de re, ab extremo initio uſque ad ſupremum finẽ. Sic apud Plautum in Perſa ſcitatori roganti, num ex puella quædam ſcitari liceret: venditor quantum vellet percontari, permittens: A cœlo, inquit ad terrã, quod lubet.

Ne inter apia quidem ſunt.

Οὐδ' ἐν σελίνοις εἶναι: id eſt, Ne in Apio quidem ſunt, pro eo quod eſt ne ingreſſum quidẽ aut initiũ rei attigerunt. Sumpta metaphora ab iis, qui hortos ingrediuntur. Nã antiquitus extremus ille hortorum ambitus, apio conſerebatur: quem qui nondũ præteriſſent, velut in horti limine adhuc eſſe videbãtur. Ariſtophanes in Veſpis.

νῦν δ' οὐδ' ἐν σελίνῳ 'στιν, οὐδ' ἐν πηγάνῳ. id eſt:
In apio nondum eſt vel ipſo, ſed nec in rutis adhuc.

hoc eſt, nec initiũ habet eorum, quæ ſunt futura. Interpres & aliã quandam hoc loco refert ſententiam, volens adagium ad gymnicũ agonem pertinere: ad quod qui præpararent infantes, ſtatim ut eſſent nati in apio collocare conſueverunt. Itaq; perinde dictũ videtur, Ne in apio quidem: quaſi dicas, ne in primis quidem rudimẽtis. Rutam autem Comicus addidit riſus cauſa, quod apium prælocutus fuerat. Porro morem apio coronandi, putant jam olim ab Hercule inductum, poſt interfectum Nemeæ leonẽ: quod & Pindarus indicare videtur alicubi. Nã in Nemeis hymno quarto dicit: ἵνα ἐν ἀγῶνι βαρυκτύπου θεοῦ ... Κορινθίοις σελίνοις. id eſt. Ubi in certamine tumultuoſi floruit Corinthiacis apiis. Significat, quendam in certamine Neptuni Iſthmico coronatum fuiſſe à Corinthiis.

Fores aperire.

Ἀνοίγειν τὴν θύραν: id eſt, Fores aperire: proverbio dicebatur, qui rei cujuſpiam ingreſſum initiumq; patefaceret. Plinius avunculus lib. 2. cap. 8. Obliquitatem ejus intellexiſſe, hoc eſt, rerũ fores aperuiſſe Anaximander Mileſius traditur. Indicavit hoc adagium Plutarchus in Sympoſiacon Decade 2. ἔλαθες σαυτὸν ὦ φίλε Φίρμε τὸν κόσμον αὐτὸν τῆς παροιμιακῆς θύρας ἐπὶ σεαυτὸν ἀνοίξας. id eſt: imprudens Firme, mundum pro janua proverbiali, in teipſum aperuiſti. Feneſtram aperire, in eandem ſententiam eſt apud Terentium.

Primum cunabulum.

Πρώτων σπαργάνων, id eſt, Primum cunabulum, proverbiali ſpecie dixit Gregorius Nazianzenus, pro initio & rei auſpicatu, in oratione Athanaſio dicta: ἀρχὴ γὰρ σοφίας φόβος κυρίου, καὶ οἷον τι πρῶτον σπάργανον. id eſt: Sapientiæ namq; initium eſt, & veluti primũ cunabulum Dei metus. Fortunatianus Afer cunabula verborũ dixit, pro ipſa origine. & Virgilius Gentis cunabula, pro exordio generis, neq; enim placet Servii explicatio, interpretantis illud pro nutrimentis. Juriſconſultus legum cunabula pro prima inſtitutione & rudimento legum. Apuleius lib. 1. De aſino prima cunabula urbis cõditæ dixit prima auſpicia & primordia. Cic. invectiva in Salluſtium, de eloquentia loquens: An ulla alia putas eſſe rudimenta & incunabula virtutis, hoc eſt, initia Latinus Pacatus Panegyriſta: Terra Cretenſis parvi Jovis gloriata cunabulis, id eſt, ortu.

Ex eodem lare.

Ἐκ μιᾶς ἑστίας. id eſt, Ex uno & eodem lare, proverbiali figura dictum eſt a Syneſio, pro, eodem ex principio, in lib. De providẽtia: ὡς ἐκ μιᾶς ἑστίας ἀφῖχθαι τὰ τοσοῦτον ἀλλήλων διεστηκότα, καὶ μίαν εἶναι τοῖν δυοῖν βλαστημάτοιν τὴν ῥίζαν. id eſt: Ut ex eodem lare ortum habeam res tantopere diverſæ, ſitq; una duorum germinum radix. Ariſtides, κοινῆς τοῦ γένους ἑστίας: id eſt, Communi generis lare: hoc eſt, origine. Ita accipiendum eſt illud quod in Aratæo commentario male redditum ſuſpicor: Sophron. in mimo, qui Nuncius inſcribitur, A Veſta incipiens, omnes in vocant Jovem omnium principem: Græce arbitror eſſe, ἀφ' ἑστίας: quod interpres communi vertendi ratione, à Veſta, vertit quum debuiſſet hoc pacto. Sophron in ipſo exordio à Jovis invocatione auſpicatur, cauſam namq; reddit, cur Aratus operis ſui initium à Jove ordiatur, neq; enim Veſtæ illic ſit mentio: quamvis ea vox Veſtam quoque Græcis ſignificet.

Primas lineas ducere.

Quintilianus in 2. & in 4. utitur eleganti metaphora à pictorib. ſumpta: pro eo quod eſt, umbrã tantum alicujus rei exhibere, atq; obiter tantum, quod intelligi cupias, delineare. De linea ab Apelle in Protogenis officina, magna ſubtilitate ducta, meminit Plinius lib. 35. cap. 10. Ducit & primas lineas, qui formulam exordiendi negocii præſcribit. hujus enim metaphoræ varius uſus eſt.

A calvo ad calvum.

Parœmiacum eſt illud, quo immaniſſimus Caligula uſus legitur, cum magnam carceratorum manum quodam tempore conſpicatus, cunctos à calvo uſq; ad calvum trucidari, præcepit ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ μέχρι τοῦ φαλακροῦ: ut refert Dion.

Te-

Telam texere.

Cicero 3. De Oratore, ubi Craſſus de via, quam errore quodam ducti, in republica tenuere Gracchi, queritur: Doleo quidem, inquit, illos viros in eam fraudem in rep. eſſe delapſos, quanquam ea tela texitur, & ea in civitate ratio vivendi, ac poſteritatis oſtenditur, ut eorum civium, quod patres noſtri non tulerunt, jam ſimiles habere cupiamus. Oſtendit Craſſus ſe metuere, ne interitus reip. appropinquet, quia in ea civitate ratio vivendi ac poſteritatis oſtenditur, ut optandi ſint cives ſimiles Gracchis, quavis majores ipſos ut perturbatores oci, ſuſtulerint. Quod autem Cicero telam texi dixit, cum vivendi rationem inſtitui intelligeret, elegantiſſimus quoque ſcriptor in Phædone eodem pacto locutus eſt, ab eademq; re ſimile duxit, cum de ſapientis animo diſſereret, qui implorat, auxilio Philoſophiæ, beneficioque ipſius ſolutus è vinculis, nollet voluptatibus ſe ac ægritudinibus tradere, atq; ita rurſus implicari, idque agere, quod exitū non haberet, perindeq; eſſet ac Penelopes telam quandam tractare. Verba Platonis hæc ſunt, quæ ad locum hunc faciunt: πάλιν αὖ ἐγκαταδεῖν ἑαυτὴν, ἀνήνυτον ἔργον πράττειν, Πηνελόπης τινὰ ἐναντίως ἱστὸν μεταχειριζομένην.

Curſum vitæ.

M. Varro: Vitæ curſum ut cognoſcere poſſem, & quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium ductæ. Exodium, inquit Nonius, eſt finis vitæ. Curſum vitæ etiam μεταφορικῶς dici certum eſt, pro quacunque vitæ conditione. Cicer. pro Milone: Veſtras vero, & veſtrorum ordinum occursationes, ſtudia, ſermones, quemcunq; curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Virgilius quoque:

> Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi.

> Achilles 9. Iliad. Homeri.

Ulyſſi abiturum ſe dicit, & ſi Neptunus proſperum curſum dederit, tertio die in patriam perventurum:

> εἰ δέ κεν εὐπλοΐην δώῃ κλυτὸς ἐννοσίγαιος,
> ἤματί κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην. id eſt:
> Quod ſi Neptunus facilem dederit mihi curſum,
> Tertia lux Phthiæ lætis me ſiſtet in arvis.

Curſum ſimpliciter pro navigatione dicit.

A planta pedis uſq; ad verticem.

Hæc quæ ſequuntur Eſaiæ prophetæ adagiorū inſtar celebrantur in primis iſtud: A planta pedis uſq; ad verticem non eſt in eo ſanitas, id eſt, ab infimo ad ſummum, ab extremis uſq; ad primos. Toto enim in Hieroſolymitani populi corpore, nihil eſt ſanum & integrum, à ſummo vertice ad imos uſque talos. Id genus aliæ loquendi formulæ paſſim apud authores Græcos & Latinos obviæ ſunt: qui & præpoſterè ponunt caput & pedes, ſummum capillum, & imum calcaneum ſive calcem vel unguiculum. Hoc quoq; ſchemate, A vitta capitis ad calcei corrigiam. Hæbrei intelligunt, quicquid à capite ad pedes uſque, totum ſcilicet à maximo ad minimum. Exemplum eſt, ubi Abraham regi Sodomorum dicit Gen. 14. A filo ſubtegminis, uſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, quaſi diceret: Nihilominus capiam, ſive magnum ſit, ſive parvum, &c.

Extrema linea.

Terentius in Eunucho proverbialiter dicit, Extrema linea amare: pro, impēſiſſime: ducta tranſlatione à curriculis, vel ſtadiis, in quibus prima linea cui ſus erat in carceribus, ultima in fine: quæ & calx dicebatur, quod ſcilicet calce vel creta notaretur. Ultra autem calcem nihil ſupereſt, quo curſus tendatur: ſpaciaq; palæſtratum & curriculorū lineis erant incluſa. Tertull. ad verſus Hermogenem: Adjiciam & ego propter non intelligentes, quorum Hermogenes extrema linea eſt. Vocat eum ignorantium extremam lineam: quod ultimus, ut Eraſmus noſter inquit, eſſet hæreticorū.

Organo toto.

Eleganter etiam vox firma, facilis & tractabilis, quæque per omnes intentionis & remiſſionis gradus ſequax & flexibilis traducitur, toto inſtructa organo ab eo dicitur: tranſlato ſermone à muſicis organis & hydraulis, quæ totius canonis muſici varietates & flexus vocis & ſoni complectuntur. Sed Fabii verba audire eſt operæ precium: Utriq; habens omnes in ſe, qui deſiderantur, ſonos intentionesq; & tote, ut ajunt, organo inſtructa.

Ad caput.

Ad caput, Caput eſt, tranſlate dicuntur, nec rara, nec infrequentia ſunt: quorum exempla tum apud Græcos ſcriptores, tum apud Latinos paſſim obvia ſunt. Ea autem valent in re quapiam præcipuum, & ad quod unum reliqua omnia conferuntur: tum præcipuam rei partem, aut authorem & originem. Lucret. lib. 5. & 6.

> —— Et ad caput amnibus omnis Convenit.
> id eſt, ad fonteis.

Sic fonteis, ſeu fontium origines, & aquarum ſcaturigines, capita appellamus. Idem:

> —— Ex uno capite hic ut profluat ardet.
> Idem eodem 5. lib.
> Nec ratione alia res poſſe in ſole videri,
> Perpetuo ni ſuppeditet lucis caput ipſum.

Lambinus in ſuis in Lucretium comment. libr. 5. ſub finem: Et (quod caput eſt) longe ſignificantius ſit quam protraxe. Pro eo autem, proeraxe, reſtituit. Idem in dedicatoria lib. 6. Lucr. ad Joan. Auratum: Deinde in ipſa collegii neceſſitudine eaſdem literas docentem, ac profitentem, deinde quod caput eſt, amicum.

A teneris annis.

Ibidem. Exiſtimare decet, a teneris annis uſque ad vitæ finem erudiri eos atque moneri. Eraſmus noſter habet, A teneris unguiculis: &, Ab incunabulis.

ABSVRDA INDECORA PRÆPOSTERA.

Flavius, quæ procul abſunt, irrigat.

Ποταμὸς τὰ πόῤῥω ποτίζει, τὰ δ᾽ ἐγγὺς καταλείπει: id eſt. Flavius quæ longe diſſita ſunt, irrigat: quæ proxima ſunt, prætérit. De his dici conveniet, qui bene merentur de externis & nihil ad ſe pertinentibus, ſuos negligunt. Refert Diogenianus. Apparet inde ductum, quod ubi fluvius oritur, minor eſſe ſolet, minuſque argillæ ſecum trahens, & quo longius receſſit a fonte, hoc eſt copioſior, uberiorque.

Fruſtra habet qui non utitur.

Si quem increpare voles, quod ingenio, divitiis, literis non utatur, cum habeat, conveniet illud ex eodem Iliad. Φ.

> Τίπτε τόξον ἔχεις ἀεργὸν αὔτως; id eſt
> Cur fruſtra tibi jam geſtatur inutilis arcus?

Ὄνος ὄρνις: id eſt, Aſinus avis. Eſt apud Ariſtophanem in Avibus. Sumptum ab omine quodam. Quidam enim conſultus de eo, qui adverſa laborabat valetudine, forte fortuna conſpexit aſinum ſurgentem a lapſu, ſimulq; alium quendam audivit dicentem, ὁρᾷς τὸν ὄνον, id eſt, Vide quo pacto, aſinus cum ſit, ſurrexit. Id ominis ... prenſille, protinus reſpondit, fore ut valetudinarius ille revaleſceret. Itaq; jocatur Ariſtophanes, quaſi & aſinus avis eſſet, & augurii nonnihil haberet. Nec hoc proverbium è comœdia natum eſt, ſed a vulgo ad jocum detortum, & a comico uſurpatum. Dicetur non intempeſtive, cum ex indicio quopiam ridiculo quippiam colligimus.

Herculis cothurnos aptare infanti.

Herculis perſonam aut cothurnos aptare puero, eſt minimis applicare maxima, quæ nequaquam vel congruant, vel deceant: veluti ſi quis rem humilem oratione tragica proſequatur. Quintilianus lib. 6. De peroratione: Nam in parvis quidem litibus has tragœdias movere, tale eſt, quaſi perſonam Herculis & cothurnos aptare infantibus velis. Plutarchus commemorat apophthegma quoddam Ageſilai, non admodum ab hoc alienum. Cui cum ſophiſta quiſpiam hoc nomine laudaretur, quod res minimas dicendi artificio maximas efficeret, negavit is vel cerdonem bonum ſibi videri, qui parvo pedi magnum induceret calceum: ſignificans orationem oportere cum re congruere, non aliter quam veſtis convenire debet corpori.

Lumen ſoli mutuas.

Τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζεις, id eſt, Lumen ſoli mutuum das. Cum docemus doctiſſimum, monemus vehementer prudentem: aut cum conamur exponere, quæ per ſe ſunt clariſſima: aut ſermone celebrare, quæ ſua ſponte illuſtria ſunt. Sol enim fons omnis luminis putatur, qui lucem mutuare ſolet, non mutuo accipere. Refertur in iis collectaneis, quæ Plutarchi titulo circumferuntur. Eſt ſimile quiddam apud Fabium, de iis qui per ſe clara conantur illuſtrare, eos perinde facere, quaſi ſi quis ſtudeat clariſſimo ſoli mortale lumen inferre.

Lucernam adhibes in meridie.

Λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ ἅπτεις: id eſt, Lucernam accendis in meridie id eſt, facis non ſuo tempore: aut, explicas quæ per ſe ſunt clariſſima. Quorſum enim lucernis opus clariſſima luce? Natum videri poteſt a ridiculo Diogenis facto, qui adhibita interdiu lucerna, rogatusq; quidnam ſibi vellet: reſpondit, ἄνθρωπον ζητῶ: id eſt, Hominem quæro. quemadmodum teſtatur Diogenes Laertius. Seneca libro de Beata vita, indicat hoc fieri ſolere per ſuperſtitionem, ſi quando denuntiebatur ira numinis: Cum, inquit, ſiſtrū aliquis concutiens ex imperio mentitur: quum aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex, brachia atq; humeros ſuſpenſa manu cruentat: quum aliqua genibus per viam repens ululat, laureumq; linteatus ſenex & medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum, concurritis & auditis.

Soli lumen inferre.

Quintilianus Inſtitutionum oratoriarum libro 5. tit. De uſu argumentorum, ſimillima huic figuræ dixit, eum ſoli lumen inferre, qui rem per ſe evidentiſſimam conaretur argumentationibus probare. Videtur idem cum illo, quod alio retulimus loco: ἡλίῳ τὸ φῶς δανείζειν, id eſt, Soli mutuari lumen.

Ranæ aquam.

Βατράχῳ ὕδωρ: id eſt Ranæ aquam. ſubaudiendum, miniſtras. Ubi quid exhibetur, quo vel præcipue gaudet is qui accipit. Veluti ſi quem natura bibacem ad bibendi certamen provoces, aut homini loquaculo narrandi materiam & occaſionem ſubminiſtres. Diverſum ab illo, βατράχῳ οἰνοχοεῖν. Recte accommodabitur, ubi quid datur abundanti. Nam ranis affatim eſt aquæ. Apud Athenæum refertur hoc carmen in Syracuſanos:

> οἳ πίνουσι μόνοι βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες. id eſt:
> Qui abſque cibo vivunt ranarum more bibentes.

Theo-

Theocritus in Ergatinis:

ζηλωτὸς ὁ τῷ βατράχῳ παῖδες βίος, οὐ μελεδαίνει
τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα. πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτῷ. id eſt;

O pueri tantæ vita eſt optabilis, ut quæ
Non metuat potans effundere: copia namque
Larga ſubeſt illi.

Paſtor taxat parſimoniam Ergodotæ, quod ſudantibus maligne præberet potum, quum ranis in ocio viventibus liceat bibere quantumlibet. Sunt & hodie bibones quidam, qui ſibi videntur perire ſiti, quod non in ipſis doliis habitent. Huic non diſſimile eſt illud. Equum in planiciem: illud autem diverſum, ἀσπάλακα εἰς Κορώνειαν: id eſt, Talpam Coroneam. Eſt autem Coronea, Bœotiæ civitas, quæ talpam non gignit: & ſi aliunde inferatur, emoritur. Ita Stephanus, quemadmodum ſcarabeus in loco Thraiciæ juxta Olynthum autore Plinio.

Sus Minervam.

Tritiſſimum apud Latinos autores adagium: ὗς τὴν Ἀθηνᾶν: id eſt, Sus Minervam, ſubaudiendum, docet aut monet. dici ſolitū, quoties indoctus quiſpiam atque inſulſus eum docere conatur, à quo ſit ipſe magis docendus: aut, ut Feſti Pompeji verbis utar, cum quis id docet alterum, cujus eſt ipſe inſcius. propterea quod Minervæ artium & ingeniorum, ut diximus, tutela tribuitur à poetis. Porro ſuæ nullum aliud animal magis brutum magisq; ſordidum, ut quod ſtercoribus impenſe gaudeat: vel ob jecoris magnitudinem, quæ ſedes eſt concupiſcentiæ ac libidinis: vel ob nariū craſſitudinem, & olfactum hebetem: unde fit, ut non offendatur fœtore: tum adeo pronum, ciboque deditum, ut ſi forte ſurſum aſpicere cogatur, protinus ſtupore ſileat ob inſolentiam, ut tradit Alexander Aphrodiſeus. Nec eſt aliud magis indocile: proinde non ad uſum aliquem, quemadmodum pecudes nonnullæ, ſed ad epulas duntaxat à natura donatum videtur. Cui rei teſtis eſt Plinius l. 8. c. 51. Animalium, inquit, hoc maxime brutū: animamq; ei pro ſale datam, non illepide exiſtimabatur. Idem affirmat Varro lib. De re ruſtica 2. Suillum, inquit, pecus donatum à natura dicunt ad epulandum. itaque his animam datam pro ſale, quæ ſervaret carnem. Atque hæc quidem verba quid ſibi velint, explicat M. Tullius lib. De finibus bonorum 5. Etenim omnium rerum, inquit, quas & creat natura, & tuetur, quæ aut ſine animo ſunt, aut non multo ſecus, eorum ſummum bonum in corpore eſt, ut non inſcite illud dictum videatur in ſuem, animum illi pecudi datum pro ſale, ne putreſceret. Sunt autem beſtiæ, in quibus ineſt aliquid ſimile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis: in quibus non corporum ſolum, ut in ſuibus, ſed etiam animorum aliqua ex parte motus aliquos videmus. Ariſtoteles in Phyſiognomicis ſcribit, exigua fronte homines, indociles, & ad diſciplinas ineptos videri, atque ad ſuum genus pertinere: tanquam a docilitate, humaniſque artibus longe omnium alieniſſimum. Nam reliqua ferme docilitatis eſſe capacia. Unde nunc quoque vulgo inſipidos iſtos, & quaſi ventri atque abdomini natos, ſues appellare conſuevimus. Quin & Suetonius in catalogo illuſtrium grammaticorū, refert Palæmonem arrogantia tanta fuiſſe, ut M. Varronem porcū appellaret, ſecum & natas & morituras literas. Præterea ſi quid indoctum atque illiteratum ſignificare volumus, id ex hara profectum dicimus. Quemadmodum M. Tullius in Piſonem: Ex hara producta, non ſchola. Hinc igitur natum adagium, Sus Minervam. L. Cæſar apud Cic. lib. de Oratore 2. Sic ego, inquit, Craſſo audiente primum loquar de facetiis, & docebo ſus, ut ajunt, oratorem eum, quem cum Catulus nuper audiſſet, fœnum alios ajebat eſſe oportere. Idem Cicer. lib. de Academicis quæſtionib. 1. Nam etſi non ſus Minervam, ut ajunt, tamen inepte quiſquis Minervam docet. Hieronymus in Rufinum: Prætermitto Græcos, quorum tu jactas ſcientiam, & dum peregrina lectaris, pene tui ſermonis oblitus es: ne vetere proverbio, Sus Minervam docere videatur. Uſurpat idem verbis commutatis in epiſtola ad Marcellam, cujus initium: Menſuram charitas non habet. M. Varro, & Evemerus adagium ad fabulas retulerunt: id quod ex Pompeji verbis licet conjicere. Quam rem, inquit, in medio, quod ajunt, poſitam ineptis μύθοις involvere maluerunt, quam ſimpliciter referre. Celebratur à multis Demoſthenis ſcomma qui, cum Dema des vociferaretur in eum: Δημοσθένης ἐμὲ βούλεται διορθοῦν· ἡ ὗς τὴν Ἀθηνᾶν. id eſt: Demoſthenes vult me corrigere ſus Minervam. reſpondit: αὕτη μέντοι πρώην ἐν κλωπῇ μοιχεύουσα ἑάλω: id eſt: Atqui nuper hæc Minerva in adulterio fuit deprehenſa. Dictum alluſit ad Minervam virginem.

Mercurius infans.

ἑρμῆς ἀμύθητος, id eſt, Mercurius infans, elinguis, ſive indoctus. Ironia proverbialis, ubi quis fingit ſe rudem ejus artis, cujus eſt callentiſſimus. Mercurius enim eloquentiæ diſciplinarumq; parens eſt. Non diſſimulandū arbitror in vulgatis exemplarib. haberi, ἑρμῆς ἀμύητος, id eſt, Mercurius prophanus, & non initiatus. Quę lectio ſi cui magis probatur, ne mihi quidem admodum diſplicet. Quis enim myſteriorum peritior, quam Mercurius interpres deorum, ſuperis & inferis ex æquo communis: demq; μυσταγωγὸς ipſe, hoc eſt, myſteriis præfectus. Reſpondet illi quod eſt apud Ariſtidem in Pericle, ὁ Κρὴς τὸν πόντον; id eſt, Cretenſis mare.

Sus cum Minerva certamen ſuſcepit.

Cum hoc aut idem, aut certe quam maxime finitimum, quod apud Theocritum legitur in Hodœporis.

ὗς ποτ' Ἀθαναίαν ἔριν ἤρισε. --- id eſt:

Cum diva eſt auſus ſus decertare Minerva:

quoties indocti ſtolidique, & depugnare parati, non verentur ſummos in omni doctrina viros in certamen literarium provocare. Theocriti enarrator ſic efferri vulgo παροιμίαν ſcribit: ὗς ἀν ἀθηνᾶν ἐρίζεις. i. Sus cum ſis cum Minerva contendis. Scholiaſtes neſcio quis addit, eos ἐρίζειν dici, qui verbis certant: ἐρίδειν, qui factis. quo magis ridiculum eſt, ſi ſus indocilis certet cum Minerva, diſciplinarum præſide.

Veſpa cicadæ obſtrepens.

σφὰξ βομβεῦν τέττιγος ἐναντίον. ----

Scilicet obſtrepitans argutæ veſpa cicadæ.

Apud Theocritum eſt in Hodœporis. Nam his verbis contemnit quidam paſtor paſtorem, à quo provocatur. Quadrabit in eum, qui certat longe impar cum ſuperiore. Aut qui negocium faceſſit longe ſe præſtantioribus. Quod genus eſt illud: Catulus leonem allatrans.

Pica cum Luſcinia certat, Epopa cum cygnis.

Conſimilem habent ſententiam, quæ leguntur apud eundem in eadem Ecloga.

οὐ θεμιτὸν Λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδειν,
οὐδ' ἔποπας κύκνοισι. ---- id eſt:

Haud fas eſt Lacon, philomelam ut provocet unquam
Pica, nec argutis epopa obſtrepat improba cygnis.

Currus bovem trahit.

ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν ἕλκει; id eſt, Currus bovem ducit, de re quæ præpoſtere geritur. Veluti ſi uxor præſcribat marito, ſi diſcipulus reprehendat præceptorem, ſi populus imperet principi, ſi ratio pareat affectui. Lucianus in Terpſione: νῦν δὲ τὸ τῆς παροιμίας, ἡ ἅμαξα τὸν βοῦν πολλάκις ἐφέλκει. id eſt: Nunc id evenit, quod vulgo dici ſolet: Plauſtrum ſæpenumero bovem ipſum aufert. Tranſlata metaphora à plauſtris per declive retro labentibus, unaque ſecum bovem auferentibus.

Cancer leporem capit.

Καρκῖνος λαγωὸν αἱρεῖ: id eſt, Cancer leporem capit. De re nequaquam veriſimili, dictuque abſurda, velut ſi quis dicat, ab indoctiſſimo ſuperari doctum.

Velocem tardus aſſequitur.

Κιχάνει βραδὺς ὠκύν, id eſt, Aſſequitur celerem tardus. In eum competet, qui viribus imbecillior, arte atque ingenio vincit potentiorem. Natum adagium ex Odiſſeæ θ, ubi lepidiſſima narratur fabula, quemadmodum Vulcanus claudus, cum ſuſpectam haberet uxorem Venerem, quod furtim cum Marte congrederetur, nec vires ſuppeterent, quibus adulterum deprehenderet, ad artes atque ingenium confugit. Lectum ſuum adamantinis atque inviſibilibus catenulis circumvinxit: quod ubi feciſſet, foras abire ſe ſimulat. Deinde cum in arctiſſimis eſſent complexibus, Mars & Venus vinculis illis hoc magis irretiti, quo magis ſe circumagerent, ecce tibi repente redit Vulcanus, & prodente ſole, deos omnes adhibet, deprehenſi adulterii teſtes. Quo loco Homerus.

---- κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν,
ὡς καὶ νῦν Ἥφαιστος ἐὼν βραδὺς εἷλεν Ἄρηα,
ὠκύτατόν περ ἐόντα θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι,
χωλὸς ἐὼν τέχνῃσι, τὸ καὶ μοιχάγρι' ὀφέλλει. id eſt:

Nonnunquam aſſequitur tardus celeremque citumque
Sicuti nunc Vulcanus, ut eſt veſtigia tardus,
Mavortem cepit, qui perniciſſimus unus
Cunctorum quicunque tenent ſuper aſtra deorum.
Et quanquam eſt claudus pede, rem tamen arte peregit.
Proinde etiam debet pœnas deprenſus adulter.

Eodem pertinet apologus de vulpe & corvo, prædam eandem curſu petentibus, quam vulpes celeritate impar, ingenio ſibi vendicavit. Item de cancro, curſu cum vulpe certante. Idem de corydo aycula, volatu certante cum aquila. Accidit hujuſmodi quiddam & in piſcibus, ut qui tardiſſimi ſint, arte capiant velociſſimos. Quorum de numero eſt rana, quæ abdens ſeſe locis harenoſis, aut limoſis, capillamentis illis ſuis porrectis piſces allicit, allectoſq; ad os uſq; pertrahit. Item torpedo abſcondit ſeſe in harena, limove, ac piſces forte incidentes corpore afficit, atque ita depaſcitur. Qua quidem arte venatur etiam hominem. Occultat ſeſe & paſtinaca, Græcis trigonis dicta: ſed diverſa ratione. Atqui ita fit, ut cum ſint ipſæ ſegnes, tamen aliquando capiantur, mugilem habentes in alvo. Autor eſt Ariſtoteles libro, De naturis animalium nono. Plinius lib. 9. teſtatur, mugilibus præcipuam eſſe velocitatem, ut aliorum piſcium vim timentes, tranſverſa navigia ſuperjactent: Theognis adagium retulit ad hunc modum:

καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων. id eſt:

Callidus ac tardus celerem inſectando prehendit.

Virgultea ſcapbula Ægeum tranſmittere.

Ῥιπίδι τὸν Αἰγαῖον διαπλεῖν: id eſt, Virgulto Ægeum tranſmittere. In eos dicitur qui rem ſupra modum arduam, levi opera conficere tentant. Lucianus in Sectis: ῥιπίδι, ὡς ἡ παροιμία φησί, τὸ Αἰγαῖον ἢ τὸν Ἰόνιον διαπλεύσεσθαι θέλοντας. id eſt; Virgulto, quemadmodum

dum

dum proverbio dicitur, Ægæum aut Jonium mare tranſmittere cupientes. Citatur hic ſenarius a Suida. Extat autem apud Ariſtophanem in Pace:

κέρδους ἕκατι κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι. id eſt;
Cauſa lucelli naviget in vimine.

Taxat Simonidem, tanquam lucri cupidiorem, quod ad quæſtum ſcriptitarit carmina. Porro ῥὶψ vimen eſt flexibile, aut ramus ſalignus, παρὰ τὸ ῥέπειν: videlicet quod inflectatur ob lenitudinem. Citatur & hic:

σὺν τῷ θεῷ πλέων, κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοι. id eſt;
Quiſquis ſecundo navigarit numine,
Is vel ſaligno navigarit vimine.

Extat & hic inter ſententias proverbiales, citatus item ab Ariſtophanis interprete:

θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέοις. id eſt;
Deo favente naviges vel vimine.

Annulus aureus in naribus ſuis.

Huic pene cognatum eſt illud quod extat in proverbiis Hebræorum: Anulus aureus in naribus ſuis. Sic enim habetur, Proverb. cap. 11. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. ubi res quæpiam per ſe præclara, illic adhibetur, ubi minime addecet. Ut ſi ſtulto contingant opes fatuæ forma, genus ignavo, eloquentia viro improbo, magiſtratus imperito. His enim rebus non modo non ornantur, verumetiam magis ridiculi fiunt. Olim autem anulis quibuſdam aureis in auriculas inſertis, ornari ſeſe credebant, maxime barbari. Inſeritur & ſuillis naribus anulus æreus, quo minus noceant agris roſtri ſuffoſſione, quæ peculiaris eſt huic animanti: quapropter & agricolationem monſtraſſe creditur. Quod ſi anulum aureum roſtro ſuillo inſeras, res ſit oppido quam ridenda. Celebratur apud Græcos Menandri verſiculus, ab hac ſententia non admodum abhorrens:

μισῶ πονηρὸν, χρηστὸν ὅταν εἴπῃ λόγον. id eſt;
Odi improbum, qui verba proloquitur proba.

Huc pertinet illud, quod memorat in Noctibus A. Gellius: Cum quiſpiam improbatæ famæ vir ſententiam dixiſſet Reip. conducibilem, juſſerunt eandem ab alio quopiam integro, bonoque viro pronunciari, atque illius nomine decerni: quod abſurdum exiſtimarent, à malo viro bonum conſilium, aut bonam ſententiam proficiſci. His adjungendum eſt illud Antiphanis apud Athenæum libro 6.

σαπρὸν σίλουρον ἀργυροῦν πίνακ᾽ ἔχων.
Putrem ſilurum quadra habens argentea.

Quidam Silurum exiſtimant eum eſſe, quem nunc vulgo Sturionem dicimus, piſcem multo omnium laudatiſſimum.

Archilochi melos.

Ἀρχιλόχου μέλος; id eſt, Archilochi cantio, dicebatur hymnus qui ad multos poterat accommodari: qualem ferunt Archilocho fuiſſe repertum, qui fuerit ante Pindarum, & alios hoc genus lyricos qui ſingulos propriis laudibus exornabant. Archilochi carmen erat idem in omnes, quod cithara canebatur. Citharœdus tantum ad ſingula cantionis intervalla, victorum nomina voce ſua repetebat: veluti ſi Herculem laudabat, accinebat: Tenella Callinice χαῖρε ἄναξ Ἡράκλεις. Aut aliud, ſi quem alium canebat. Huic non diſſimile eſt quod refert Horatius de pictore, qui depicta cupreſſo nautam rogabat, ecquid vellet addi. Quadrabit in rem priſcam ac rudem. Meminit Ariſtophanis & Pindari interpres. Sumptum eſt è Pindari Olympiorum Encomia ſeptimo; τὸ μὲν Ἀρχιλόχου μέλος φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ καλλίνικος. Quo quidem loco varia commenta refert enarrator: quæ repetere, non videtur ad hoc quod agimus neceſſarium.

Agninis lactibus alligare canem.

Ballio in Pſeudolo Plautina. Quia pol qua opera credam tibi, una opera alligem fugitivum canem agninis lactibus. Qui canem alligat inteſtinis agninis, is non modo canem amittit, verum & prædam ultro dederit fugitivo. Sic qui credit homini malæ fidei, & rem perdit, & fruſtra obligatum habet eum, qui non eſt ſolvendo. Lactes enim dicuntur inteſtina molliora.

Diſerte ſaltare.

Cornelius Tacitus in dialogo De oratoribus ſignificat hoc convicium fuiſſe vulgo jactatum in oratores ſuorum temporum, qui laſcivia verborum, & levitate ſententiarum, licentiaque compoſitionis, hiſtrionales modos exprimebant: atque adeo laudis & gloriæ, ingeniique loco jactabant, ſaltari cantarique commentarios ſuos, oratores temere dicere, hiſtriones diſerte ſaltare. Argutia dicti in hoc ſita eſt: Oratores hiſtrionice dicebant, quod illis erat indecorum, hiſtriones ad oratorum actionem ſeſe accommodabant: ita factum eſt, ut illi pejus dicerent, hi ſaltarent melius. Hiſtrionum eſt, ſaltare: oratorum, dicere: quod qui perite faciunt, diſerti vocantur. Jocus autem duo diverſa conjunxit.

Eodem collyrio mederi omnibus.

Leges, admonitiones & objurgationes non oportet omnibus eaſdem admovere, ſed pro gentium, temporum & ingeniorum varietate ſermonem attemperare. Hanc dexteritatem beatus Hieronymus, enarrans epiſtolam ad Epheſios, laudat in apoſtolo Paulo, qui factus eſt omnia omnibus, ut omnes lucrifaceret. Verba Hieronymi citantur diſtinct. 29. Nec ad inſtar, inquit, imperiti medici uno collyrio omnium oculos vult curare. Alibi retulimus ex Galeno, Eundem calceum omni pedi inducere.

Eundem calceum omni pedi inducere.

Galenus Therapeutices lib. 9. ἐκεῖνοι μὲν οὖν οὔτε ζητοῦσιν, οὔτ᾽ ἴσασιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἑνὶ καλάποδι πάντας ὑποδοῦσιν. id eſt: Iſti quidem igitur neque inquirunt, neque ſciunt: quin magis juxta proverbium, eodem calceamento calceant omnes. Loquitur de quibuſdam medicis imperitis, qui non habita ratione morborum, eadem remedia admovent omnibus: cum diverſa mala, diverſam curationem deſiderent. Non diſſimile illi, quod alio dictum eſt loco, Scis ſimulare cupreſſum. Ad hanc formam pertinet, quod adducit Hieronymus in prima præfatione Commentariorum, quos ædidit in Epiſtolam ad Epheſios: Nec ad inſtar imperiti medici uno collyrio omnium oculos velle curare.

Præpoſtere.

Quum ſentiemus rem præpoſtere geri, veluti quum populus imperat principibus, aut diſcipulus docet præceptorem, conveniet illud M. Tull. ex eadem epiſtol. Ego, inquit, reſpondebo tibi ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Eſt autem figura grammaticorum, quam illi & πρωθύστερον, ſive ὑστερόπρωτον appellant, quum, quod prius eſt natura, poſterius refertur. veluti ſi quis dicat: Cornelia Gracchus educavit ac genuit. In Homero talis tropus frequenter eſt obvius.

Ante barbam doces ſenes.

Πρὸ τῆς γενειάδος διδάσκεις τοὺς γέροντας, id eſt. Ante barbam doces ſenes. Cum imberbis majorem natu docet. Eſt autem figura proverbialis, quod ait Perſius. Ante pilos:

Et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda, tacendaque calles.

Hanc prudentiam, quam præcoquam, ſeu præcocem appellant, vulgo non admodum fauſti ominis habitam, oſtendit Apulejus in ſecunda Apologia, ſcribens hunc ſenarium nobilem & celebrem fuiſſe, poetæ neſcio cujus (neque enim nominat:)

Odi puerulos præcoci ſapientia.

Nec Fabio placet præcox ingeniorum genus, quod negat ad frugem ſoſtre pervenire. Pindarus in Pithiis hymno 5. ſic laudat quempiam, κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται, γλῶσσάν τε· θάρσος δὲ τανύπτερος ἐν ὄρνιξιν αἰετός. id eſt; Præſtantiorem quam pro ætate mentem alit, linguamque, audacia vero pennix inter aves aquila.

Aratro jacularis.

Ἀρότρῳ ἀκοντίζειν; id eſt, Aratro jaculari dicuntur, qui quippiam incircumſpecte faciunt, haud proſpicientes quid ſit in poſterum eventurum: aut, qui ſuo magno incommodo conantur alterum lædere. Quiſquis enim jacto aratro petit alium, is quo morem gerat iræ, ſemet re neceſſaria privat, cujus uſum paulo poſt ſit deſideraturus. Recenſetur a Diogeniano. Tranſlatum videri poteſt à belli temporibus, quibus vomeres, marræ, & ſarcula, reliquaque agricolationis arma, in Martia diffinguntur arma. Plutarchus in commentario περὶ τῆς εὐθυμίας uſurpat, veluti de re vehementer abſurda: οὐδὲ γὰρ ὁ τοξεύειν ἀρότρῳ βουλόμενος, καὶ τῷ βοὶ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖν, δυστυχής ἐστιν. id eſt; Neque enim is qui vult aratro jaculari, & bove leporem venari, eſt infortunatus.

Bove venari leporem, & ſimilia.

Τῷ βοὶ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖν; id eſt, Bove leporem venari, dicuntur qui rem abſurdam, ſtultam, ac præpoſteram aggrediuntur, veluti ſi quis in curia Romana, citra pecuniam ambiat epiſcopi dignitatem. Plutarchus in commentario De animi tranquillitate: οὐδὲ γὰρ ὁ τοξεύειν ἀρότρῳ βουλόμενος, καὶ τῷ βοὶ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖν, δυστυχής ἐστιν· οὐδὲ γὰρ γρίφοις καὶ σαγήναις ἐλάφους μὴ λαμβάνοντι, μηδὲ εἷς δαίμων ἐναντιοῦται μοχθηρὸς, ἀλλ᾽ ἀβελτερία καὶ μωρία τοῖς ἀδυνάτοις ἐπιχειροῦσιν. id eſt: Neque enim qui aratro velit jaculari, ac bove venari leporem, infortunatus eſt. Neque ei qui piſcatoris retibus cervos non cepetit, ullus malus adverſatur genius, ſed ſtultitia & perverſitas aggrediuntur quæ fieri non poſſunt. Non quidvis eſt accommodum ad omnia: veluti ſi quis homini ſtudiis & ocio nato, bellum aut rempublicam adminiſtrandam mandet, τῷ βοὶ τὸν λαγὼ κυνηγετεῖ. Aut ſi quis ſtupido & inſulſo judicia committat. Citat in eodem libello verſus, ni fallor, Pindari; ἐν ἅρμασιν ἵππος, ἐν δ᾽ ἀρότρῳ βοῦς, παρὰ ναῦν δ᾽ ἰθύει τάχιστα δελφίς, κάπρῳ δὲ βουλεύοντι φόνον, κύνα χρὴ τλάθυμον ἐξευρεῖν. id eſt, In curribus equus, in aratro vero bos, navem autem prævertitur quam ocyſſime delphinus. ut apro paranti mortem, canis eſt fortis inveniendus. Nam hæc quoque proverbii ſpeciem habent.

Primas jactare haſtas.

M. Tullius lib. de Oratore 2. primas jactare haſtas dixit, pro velitari, quod ad oratorem transfert, cujus dictio initio debet eſſe lenis ac ſedata, ut paulatim incandeſcat oratio. Notat ibi Philippum oratorem, qui ſolitus ſit ita ad dicendum ſurgere, ut neſciret primum verbum quod eſſet dicturus: ſed ajebat, ſe poſteaquam concalefeciſſet brachium, tum pugnare. Atqui non attendit, inquit, eos ipſos unde ſimilitudinem ducit, illas primas haſtas ita tractare leniter, ut & venuſtati vel maxime ſerviant, & reliquis viribus ſuis conſulant. προοιμιάδης erit ſi ad diſputationis aut contentio-

ſentionis exordium transferatur. Idem unico verbo dicitur Velitari.

Omiſſis fontibus conſectari rivulos.

In eodem libro non ſine proverbii ſpecie dixit, rivulos conſectari: pro eo quod eſt, minus ad rem pertinentia dicere, omiſſo eo, quod eſt negotii caput. Hac metaphora videtur admodum delectatus Hieronymus. M. Tullii verba ſic habent: Tamen tardi ingenii eſt, rivulos conſectari, fontes rerum non videre. Etiam ætatis eſt, uſuſque noſtri, à capite quod velimus arceſſere: & unde omnia manant videre.

In herba luxuries.

Ruſtici ſemina copioſius quam expedit herbeſcentia, dicunt luxuriare: cum præproperam lætitiam appellant luxuriem, quam immiſſis in agrum jumentis aut pecudibus corrigunt, quod illa vocant depaſcere. Maro:

Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba.

M. Tullius eodem lib. quem modo citavi: Quod ſi hic noſter Sulpitius faceret, multo ejus oratio eſſet preſſior: in qua nunc interdum, ut in herbis ruſtici dicere ſolent, in ſumma ubertate ineſt luxuries quædam, quæ ſtylo depaſcenda eſt.

Sus comeſſatur.

Ὗς ἐκώμασεν: id eſt. Sus ſaltavit, aut comeſſatur. Diogenianus oſtendit dici ſolitum de iis, qui præter decorum quippiam facerent. quique rerum ſucceſſu præter meritum objecto, ſemet inſolentius efferunt. Attingunt & Suidas & Zenodotus. Eſt autem Græcis κωμάζειν, in veorum amantium more coronis, cantilenis, ſaltationibus, cæteriſque juvenilibus nugis laſcivire, & in domos alienas irrumpere. Irrumpunt & ſues. Unde Theocritus in Syracuſis:

ἄθροος ὄχλος. ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες. id eſt:

Turba ſimul conferta ſuum more irruit.

Cæterum qui ruſticiore ſunt ingenio, mirum quam hæc dedecent. Locus erit, ubi natura ſævus & agreſtis affectat videri feſtivus.

Quam in tragœdia comici.

Ubi quis in aliena verſatur harena, inducti dicentur in tragœdiam Comici. Diverſi generis ſunt Tragœdia & Comœdia: nec phas eſt tragicas perſonas in comœdiam inducere, nec contra. Plautus in Pœnulo: Quin ædepol indoctior ſum quam in tragœdia Comici. Ego legendum arbitror, inductior ſum. Alluſit enim Colabiſcus ad id quod dixerat Milphio: Fac modo ut conducta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam. Reſpondit jocans. Inductior ſum: id eſt, inſtructior ſum.

Iungere vulpes.

De re palam abſurda dicitur, ζευγνύειν τὰς ἀλώπεκας. Vulpes jungere. Verg. in Palæmone;

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mevi,
Atque idem jungat vulpes & mulgeat hircos.

Eſt enim vulpes animal ab aratro vehementer alienum.

Mulgere hircum.

Τράγον ἀμέλγειν; id eſt, Mulgere hircum: eundem habet ſenſum. Lucianus in vita Demonactis, inter hujus feſtiviter dicta commemorat & illud, Cum cōſpiceret duos quoſdam philoſophos, utroſque pariter indoctos, inter ſe diſceptantes, & alterum quidem ridiculas quaſdam quæſtiones proponentem, alterum item aliena, neque quicquam ad rem facientia reſpondentem; Quid, inquit, amici, an non horum alter hircum mulgere videtur, alter cribrum ſupponere? Refertur à Diogeniano his verbis: πότερος ὁ τὸν τράγον ἀμέλγων, ἢ ὁ τὸ κόσκινον ὑποτιθεὶς, ἀφρονέστερος; id eſt; Utrum ſtultior, qui mulget hircum, an qui cribrum ſupponit? cum uterque pariter abſurde facit. Ab hoc ſane non abludit illud. Similes habent labra lactucas, & Dignum patella operculum.

Nocte lucidus, interdiu inutilis.

ἐν νυκτὶ λαμπρός, ἐν φάει δ' ἀνωφελής. id eſt;

In nocte lucens, luce vero inutilis.

De præpoſteris, qui ſapiunt, ubi nihil eſt opus; cum opus eſt, ibi dormiunt. Cæterum ipſe magis arbitror competere in eum, qui inter indoctos videatur aliquid eſſe in literis, inter eruditos nihil ſapiat. Aut invertendum eſt proverbium,

ἐν φάει λαμπρός, ἐν νυκτὶ δ' ἀνωφελής.

Sumptum à gemma quadam, cujus alibi fecimus mentionem.

Cum aqua fauces ſtrangulet.

Ariſtoteles Moralium libro 7. citat hujuſmodi quoddam adagium, ὁ δ' ἀκρατὴς ἔνοχος τῇ παροιμίᾳ ἐν ᾗ φαμέν, ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, τί δεῖ ἐπιπίνειν; id eſt, Intemperans autem obnoxius eſt proverbio quo dicimus: Cum aqua fauces ſtrangulet, quid jam opus eſt bibere. Refert idem in eundem uſum libro Moralium Eudemiorum 6. diſputans, de eo, qui prudens intemperantię vitio noxia ſequitur, haudquaquam ignorans, quid ſit optimum: hunc autem longe inſanabiliorem eſſe eo, qui falſus opinione non expetenda expetit. Uſurpavit & Galenus alicubi: ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, τί ἐπιῤῥοφήσομεν; id eſt; Quum aqua præfocat, quid inſuper ſorbebimus? Fortaſſis Galenus ſcripſerat, τί ἐπιῤῥοφήσομεν; Quadrat in eos, qui in abſurdiſſima ſententia pertinaciter manent, vel manifeſta negantes, quibus cum fruſtra diſceptes. Conſtat enim, faucibus, ſiti arentibus aquam eſſe remedio, ac ſolvere præfocationem. Confine illi, quod paulo poſt ſequitur,

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Tuum tibi narro ſomnium.

Τὸ σὸν ὄναρ σοὶ διηγοῦμαι; id eſt, Tuum ſomnium tibi narro, id eſt; Narro tibi quod ipſe me rectius noſti. Apud Suidam hæc referuntur ex autore quopiam: εἰ γὰρ ἐμὲ σὺ νῦν αὐτὸν γνωρίζειν, τὸ τῆς παροιμίας, τὸ σὸν ὄναρ σοὶ διηγοῦμαι: id eſt; Quod ſi te tibi ipſi notum reddere coner, tum mihi acciderit id quod proverbio dicitur, ut tuum tibi ſomnium narrem. Plato lib. De Repub. octavo, τὸ ἐμόν γ' ἔφη ἐμοὶ λέγεις ὄναρ. id eſt: Meum quidem, inquit, mihi narras ſomnium. Traductum videtur ab his, qui ὀνειροπόλους, id eſt, ſomniorum interpretes conſulunt. A quibus nonnulli hoc quoque requirunt, ut quid ſomniarint conjiciant; quaſi parum ſit, ſi interpretentur. Ad eum modum ægroti quidam imprudentes à medicis expectant, ut viſo duntaxat lotio divinent, & ſexum, & ætatem, & omnem morbi naturam, ubi & unde acciderit, quid ſentiant: ac propemodum etiam quid in febri ſomniarint.

Terra volat.

Ἡ γῆ πέταται: id eſt. Terra volat. De re vehementer abſona, quęque nullo pacto fieri queat. Suidas hoc adfert exemplū τῶν ἀδυνάτων. Julianus in epiſtola quadam proverbii nomine refert, mutato verbo; κούφα ἡ γῆ καθάπερ ὁ λόγος; id eſt. Levis terra, quemadmodum dicitur. Adagium hoc ad illorum affinitatem pertinet, quæ retulimus alibi: ζεὺς ἄπαις, id eſt; Jupiter orbus. Et:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Eſt verſus proverbialis apud Horatium in Epiſtolis: dicendus in eos, qui ad inſaniam uſque impudentes, non verentur & confeſſa negare, & manifeſto falſa pro certis affirmare: denique quidvis dicere, ne victi in diſputando videantur. Qualem Plato inducit ſophiſtam Euthydemum, qui canem ajebat ſuum patrem eſſe, & eundem patrem omnium; & omnes omnia ſcire: atque id genus portenta pertinaciter, ne coargueretur, aſſeverabat. Carmen Horatianum eſt hujuſmodi,

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Nimium inter ſanos convenit, & nucem corticem habere durum, & baccam oleæ, lapillum intus durum. Proinde ludit operam, quiſquis cum id genus hominibus diſceptat, qui dicunt lucem tenebras, & tenebras lucem. ut ait vates ille divinus. Simile eſt quod adfert Galenus De virtute ſimplicium remediorum, lib. 2. quoſdam Anaxagoram autorem citaſſe, qui pronunciaſſet nivem non eſſe albam. Verba Galeni ſic habent: καί τινες ἐξ αὐτῶν καὶ τὸν Ἀναξαγόραν ἐπικαλοῦνται μάρτυρα, ὡς χιόνα ἀπέφηνεν ἄλευκον, ὡς οὐκ οὖσαν λευκήν. Atque iſtorum nonnulli, etiam Anaxagoram teſtem adducunt, qui de nive pronuntiarit, quod non ſit alba.

Iupiter orbus.

Ζεὺς ἄγονος; id eſt. Jupiter orbus. ubi quis palam falſa aſſeverat. Conſtat enim, Jovi quam plurimos eſſe liberos, utpote deo longe mulieroſiſſimo, ſalaciſſimoque: qui non una tantum corporis parte gignat, ſed è femore Bacchum, è cerebro Palladem produxerit.

In mari aquam quæris.

Ἐν θαλάσσῃ ζητεῖς ὕδωρ; id eſt, In mari quæris aquam. Ibi quęris, perinde quaſi difficile inventu, ubi nihil aliud occurrat. veluti ſi quis in moribus ſceleſtiſſimi hominis unum aut alterum admiſſum veſtiget, cum tota vita ſit contaminata: aut ſi quis in ſcriptoribus indoctis pauca captet quæ reprehendat, cum nihil occurrat non reprehendendum. Martialis, ſi memini:

Per mare, inquit, quæris aquam.

Item Propertius Elegiarum lib. 1.

— Nuoctu
Inſanus medio flumine quæris aquam.

Balba non credit.

Ἡ ψελλὴ οὐ πιττεύει, id eſt, Balba non credit. Jocus proverbialis, ubi quis ſua mala conatur diſſimulare, quæ præ ſe fert, etiam cum diſſimulat. Veluti ſi quis neget ſe blæſum eſſe: idque ipſum non poſſit, niſi blæſe dicere. Dictum eſt enim πιττεύει pro πιστεύει; propterea quod qui linguæ vitio laborant, in literibus duabus, Sigma & Rho potiſſimum laborant. Refertur à Suida. Notatus eſt & Alcibiadis labdaciſmus, qui pro ρ litera, λ ſolitus ſit pronunciare, non linguæ vitio, ſicut arbitror ſed magis ob delicias. Apud Ariſtophanem in Veſpis, ubi quiſpiam pro Θεωρὸς Θέωλος proque κόρακος κόλακος dixiſſet, ὁλᾷς Θέωλον; τὴν κεφαλὴν κόλακος ἔχει, alter ſubjicit.

ὀρθῶς γε τοῦτ' Ἀλκιβιάδης ἐτραύλισεν. id eſt;

Recte Alcibiades hæc quidem ebalbutiit.

Iugulare mortuos.

Huic ſimile videtur, Jugulare mortuos: pro eo quod eſt, inſectari defunctos, & pugnare cum iis, qui jam extincti ſint. Tranſlatum à bellis, in quibus ignavum ac ridiculum ſit, proſtratos atque interfectos jugulare: rurſus cum vivis congredi, forte. Refertur à Laertio in Menedemo. Is Bionem cum divinos ſtudioſe inſectaretur,

ait jugulare mortuos, nimirum jam exploſos, & omnium ſententiis reprobatos. Ariſtoph. ἐν βατράχοις ſcripſit, τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν: id eſt, defunctos occidere. Fiet lepidior metaphora, ſi paulo longius detorqueatur. Veluti ſi quis dicat eum jugulare mortuos, qui librum impugnet, à nullo non damnatum: aut diſputet adverſus ſententiam, omnium ſuffragiis jam olim rejectam: aut ſi quis vituperet rem, omnibus per ſe deteſtatam.

Mortuum unguento perungis.

Νεκρὸν μυρίζεις, id eſt, Mortuum unguento perungis. De ſumptu ſupervacaneo, ſive cum ſero quid adhibetur. Mos erat apud priſcos, maxime Ægyptios, defunctorum cadavera ne putreſcerent, unguentis perungere. Qui mos & his temporibus apud principes, ſicut alia pleraque gentilium, magno ſtultitiæ argumento, durat.

Ad conſilium ne acceſſeris antequam voceris.

Μὴ πρότερον εἰς βουλὴν παραβάλῃς πρὶν ἂν κληθείης: id eſt, Ad conſilium ne acceſſeris, prius quam voceris. Hæc ſententia, quæ nunc nomine Catonis celebratur proverbialis fuiſſe videtur, vel Plutarcho teſte, cujus hæc verba ſunt li. συμποσιακῶν, ἔνοχος γέλωτι ἦν καὶ παροιμίαις ὁ Μενέλαος, σύμβουλος γενόμενος μὴ παρακληθείς. id eſt: Ridiculus igitur, inquit, & proverbio obnoxius Menelaus, ſiquidem conſultor factus eſt non accerſitus. Niſi quis mavult hęc ad illam referre parœmiam.

αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.

quod alias referemus.

Adverſus ſolem ne loquitor.

Πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένος μὴ λαλεῖν. id eſt: Adverſus ſolem ne loquitor: hoc eſt, manifeſtis ne repugnes. Nam quod maxime conſtat maximeque in confeſſo eſt, id ſole clarius dicimus. Ergo contra ſolem loquitur, qui dicit:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Lanam in officinam fullonis.

Qui præpoſtere rem gerunt, veluti ſi quis Theologo committat puerum in grammaticis rudimentis inſtituendum, lanam in officinam fullonis ferre dicitur. Fullonum enim ars, non rudem lanam, ſed jam contextum pannum tractat. Galenus De differentia pulſuum lib. 2. ὥσπερ δ' ἠκριβῶς τις ... id eſt: Quod ſi quis exacte hæc velit aſſequi, prius exercitatum eſſe oportuit circa prædicamenta. Nam ſcitum eſt, quod dixit Arceſilaus, nemo defert lanam in officinam fullonis. Quemadmodum enim eſt ordo in operandis lanis, ita eſt & in diſciplinis. Refert hunc inter Academicos Laertius: qui ſolitus ſit non ferre eos qui liberales diſciplinas non ſuo tempore attingerent: ut ſi quis velit diſcere poeticen aut rhetoricen, ignarus grammatices.

Accepta candela.

Diphilus apud Athenæum lib. 15. in fabula cui titulus ἁγνεία: ἅψαντες λύχνον λυχνοῦχον ἐζητοῦμεν. id eſt: Accepta candela, candelabrum quærebamus. quum res improvide geritur: oportuit enim candelabrum eſſe paratum, antequam candelam attingeres.

Nec aures habeo nec tango.

Nec aures habere, nec tactum, proverbio dicebatur, cui in manifeſtis ab omnibus reclamabatur. Hieronymus in præfatione declamationis, Demarte & filia reconciliandà: [cur autem verear appellare declamationem, cum ipſe quodam in loco nominatim hoc argumentum exercitii cauſa confictum à ſe ſubſignificet?) Poſteaquam enim, inquit arguendo crimina, factus ſum criminoſus, & juxta tritum vulgi ſermone proverbium, jurgantibus & negantibus cunctis, nec aures me credo habere, nec tango. id eſt, taceam neceſſe eſt, & quod audio tangoque, quaſi neſciam. Poteſt videri ſumptum ex Ariſtophanis Theſmophoriazuſis: μήτ' ἀκούω μήτ' ὁρῶ. id eſt: Neque audio, neque video.

Sincerum vas incruſtare.

Eodem ferme pertinet Horatiana metaphora, quæ in Sermonum lib. 1. legitur, Satyra 3.

At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare.

Hoc eſt, quæ per ſe recta ſunt, ea nominibus alienis impoſitis depravamus atque obtegimus. Quanquam poteſt & ad ſuperiorem ſententiam eleganter accommodari: hoc eſt, cum rebus per ſe decentibus rectorium inducimus, quod tegat & obſcuret nativum decus, non augeat.

Iuxta fluvium puteum fodit.

Παρὰ ποταμὸν φρέαρ ὀρύσσει: Ad flumen puteum fodit. De ſtultam & inanem ſumente operam. Finitimum illi, In ſylvam importas ligna. Putei fodiuntur ob aquarum inopiam.

Per parietem loqui.

Διὰ τοίχου λαλεῖν: id eſt. Per parietem loqui. Dicitur qui ridicule quid facit. Sive quod obſtante pariete neuter alterum audit, ſive quod ad eum modum colloquuntur amantes, ut teſtatur Ovidius de Pyramo & Thysbe.

Prius quam aſſa ſit farina.

Πρὶν ὀπτῆσαι τὰ ἄλφιτα: id eſt, Prius quam coxeris farinam, ſubaudi eodum, inſpergis, aut ſimile quippiam. Euſtathius in Odyſſeæ π, refert utrunque, tum illud proximum. Solitum autem eſt, aſſis carnibus apud quoſdam inſpergere farinam.

Prius quam mactaris, excorias.

Πρὶν σφάξαι, δέρεις: id eſt, Prius quam mactaris, excorias. Dicendum, ubi quid præpoſtere fieri videtur. Videri poteſt ex Homero ſumptum, apud quem ſæpe excoriatur taurus, priuſquam occiditur: figura quam Grammatici ὕστερον πρότερον appellant. Finitimum illi quod alibi retulimus, Actum agere. Nam id etiam adagium M. Tullius putat ad conſilii præpoſteri ſignificationem pertinere. Sic enim ſcribit in dialogo De amicitia: Præpoſteris enim conſiliis utimur, & acta agimus: quod vetamur veteri proverbio.

Prius antidotum quam venenum.

Divus Hieronymus adverſus Ruffinum reſpondens: Quomodo eorum præfationes librorum quos neſcias, accuſes? quæ quodam vaticinio futuræ calumniæ reſponderunt implentes proverbium, Prius antidotum, quam venenum, ſubaudi, exhibes. Conveniet uti, quoties aliquis ſe purgat antequam accuſetur. Antidotus enim adverſus venena datur: Hanc nemo ſumit, niſi guſtato veneno. Quanquam ſunt qui ſe præmuniant antidotis, ne noceat ſi fors contingat ſumere toxicum. Quemadmodum feciſſe legimus Mithridatem.

Capra nondum peperit, hœdus autem ludit in tectis.

Αἲξ οὔπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματι παίζει. id eſt:

Nondum enixa capra, at jam ludit in ædibus hœdus.

Qui poſt rem a perfectaque jam aggrediuntur, præteritis iis quæ præceſſiſſe oportuit: aut qui glotiantur, jam aſſecutos ſeſe, cujus rei fundamenta quidem ſunt jacta; aut qui rem agunt præpoſtere. Prius eſt enim peperiſſe, quam ut hœdus ludat in tectis. Refertur à Zenodoto.

Vmbram ſuam metuere.

Τὴν αὑτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι: id eſt, ſuam ipſius umbram metuere, dicuntur qui pueriliter trepidant, ubi nihil omnino ſit periculi. Translatum vel ab his, qui forte conſpecta corporis ſui umbra, ſubito expaveſcunt, vel a melancholicis quibuſdam, qui (autore Ariſtotele) propter oculorum imbecillos ſpiritus, in aere proximo veluti ſuam quandam imaginem contemplantes, arbitrantur ſeſe ſuos videre manes. Socrates in Phædone Platonis: Tu vero tuam quemadmodum dici ſolet, metuens umbram, id eſt, tibi ipſi diffiſus. Qu. ad Ciceronem de Conſulatu petendo: Alter vero, quo, dii boni, ſplendore eſt? Primum nobilitate eadem qua Catilina. Num majore? Non: ſed virtute. Quamobrem qui manium umbram ſuam metuit, hunc negliges quidem. Quanquam is locus non uno modo erat depravatus in codicibus. Plutarchus Sympoſiacorum problematum decade ſeptima: τὸ μὲν τὸ τῆς σκιᾶς ὄνομα ... id eſt: Qui umbræ nomen refugiat ac moleſte ferat, is vere umbram videbitur formidare. Agit autem de umbris ita vocatis, qui non ipſi vocati à convivatore, ſed vocatum ſequentes adeunt convivium.

Furari litoris harenas.

Littoris harenas furari dicitur, qui rem ab omnibus neglectam & incuſtoditam tollit. Ovidius in Amorib.

Ille poteſt vacuo furari littore harenas,
Vxorem ſtulti quiſquis amare poteſt.

Convenit cum illo quod alibi retulimus ex Ariſtotele, ἐν θύραις τὴν ὑδρίαν: id eſt, In foribus aqualem. Aptius per negationem uſurpabitur proverbium: ut Quis litoris harenas furetur?

Canem excoriatam excoriare.

Κύνα δέρειν δεδαρμένην: id eſt, Canem excoriare excoriatam. Suidas ait, dici ſolere de iis, qui iterum ea patiuntur, quibus aliquando fuerunt afflicti. Ariſtophanes in Lyſiſtrata (nam hanc quoque nomine hujus inſcriptam invenio:)

τὸ τοῦ Φερεκράτους κύνα δέρειν δεδαρμένην. id eſt:
Juxta Pherecratem detrahere cutem cani,
Detracta cui jam eſt.——

Diogenianus ait, convenire in eos, qui fruſtra ſumunt operam. Sunt qui putét magis convenire, cum quis affligit afflictum. Confine eſt illi quod alibi diximus, ἀσκὸν δέρεις, id eſt. Utrem excorias. Quod uſurpat Ariſtophanes in Nebulis.

Nudo veſtimenta detrahere.

Ad hanc ſententiam pertinet hoc quoque, quod ab eodem eſt uſurpatum poeta: Nudo veſtimenta detrahere: pro eo quod eſt, ab eo ſperare emolumentum, cui ne ſit quidem quod auferri queat. Sic enim idem Libanus in Aſinaria Plautina admonitus ab hero, ut ab ipſo per fallaciam argentum abraderet, quo filio emeretur amica: Maximas, inquit, nugas agis: Nudo detrahere veſtimenta me jubes. Adducit & D. Chryſoſtomus proverbium vulgo jactatum, quo dicebant: Nec a centum viris unum nudum ſpoliari poſſe, Apulejus Afinus libro primo ſcripſit, Nudum nec a decem palæſtritis poſſe ſpoliari.

Nudo mandas excubias.

Γυμνῷ φυλακὴν ἐπιτάττεις: id eſt: Nudo cuſtodiam mandas: Quoties

ties negocii quippiam mandatur ei, cui deeſt præſtandi facultas, obeundæque provinciæ propter inopiam neutiquam idoneus eſt. Neq; enim nudus commode poteſt excubias agere propter rigorem nocturni frigoris, neque ad pugnam eſt idoneus inermis. Refertur a Zenodoto. Quo longius deflectetur, hoc erit proverbialius. Injungis ut aliquid in hunc poetam ſcribam, verum juxta vetus proverbium, γυμνῷ τὴν φυλακὴν ἐπιτάττεις. Neque enim eſt quo meum interim ocium alam. Heſychius nonnihil diſſidet ab his, quæ à Suida Zenodotoque traduntur: licet is locus apud hunc depravatus habeatur in æditione Aldina. Cæterum conjicio ſenſum hunc eſſe, proverbium dici ſolere, ubi quid mandatur his, quibus nihil opus eſt: propterea quod vel injuſſi cogantur id facere, niſi fallor, ob id quod nudis nihil eſt quod egeat aſſervatore.

Caput artis, decere quod facias.

Quintilianus libro Inſtitutionum oratoriarum 11. videtur velut vulgo celebratum adducere: Caput eſt artis, decere quod facias. Ipſius verba ſubſcribam: Vnum etiam his adjiciendum eſt, cum præcipue in actione ſpectetur decorum: ſæpe aliud alios decere. Eſt enim latens quædã in hoc ratio, & inenarrabilis: & ut vere dictum eſt, caput eſſe artis, decere quod facias, ita nec ſine arte eſſe, nec totum arte tradi poteſt. Hactenus Fabius. Id uſurpare licebit, non ſolum ubi quid fiet parum decore: veluti ſi cantillet aut luſitet ſenex, ſi præeat & objurget juvenis, verumetiam cum negabimus quibuslibet quidvis eſſe decorum. Quod ſæpenumero videamus evenire, ut quod ab hoc dictum aut factum placet univerſis, ſi idem tentet alius, etiamſi doctior peritiorque, nemo tamen ferat. Id cum quotidie videamus accidere, tamen cur accidat, ratio reddi non poteſt.

Gallos quid execas?

Γάλλους τί τέμνεις; id eſt, Gallos quid execas? Quid actum agis? Nam Galli Cybelis ſacerdotes ſua ſponte ſunt exectis teſtibus. Quid ſpolias nudum? Cur affligis afflictum? Cur ſenile corpus jejuniis attenuas? Quanquam id ad quamvis inanem operam ſignificandam conveniet. Quemadmodum illa, Laterem lavas, Actum agis.

In aere piſcari: Venari in mari.

Ejuſdem generis ſunt & illa, quæ Plautus uſurpat in Aſinaria: In aere piſcari, & in mari venari jaculo. Quadrabunt ſimpliciter in eos, qui fruſtra moliuntur τὰ ἀδύνατα: aut qui præpoſtere ibi quærunt aliquid, ubi ne ſperari quidem poſſit. Vt ſi quis in magiſtratibus vitam tranquillam, in voluptatibus beatam, in opibus felicem quærat. Itaque Libanus ſervus ab hero ſuo Demæneto juſſus ut uxorem ipſius argento defraudaret, ſignificans nulla ratione fieri poſſe, ut à muliere tenaciſſima quicquam auferretur. Jube, inquit, una me opera piſcari in aere, venari autem jaculo in medio mari.

Piſcem natare doces.

Ἰχθὺν νήχεσθαι διδάσκεις. id eſt, Piſcem natare doces. Perinde eſt ac ſi dicas, doctum doces. Confine illi quod alibi retulimus, δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις; id eſt, Delphinum natare doces. Quod idem ad hunc effertur modum, τῷ δελφῖνι νήχεσθαι συμβουλεύεις: id eſt, Delphini quemadmodum natare oporteat conſulis. Autor Diogenianus.

Aſinum tondes.

Τὸν ὄνον κείρεις: id eſt, Aſinum tondes. De his, qui rem abſurdam atque inutilem aggrediuntur: propterea quod aſinum neque pectere poſſis propter villos, neque tondere cum lanam non habeat. Hujus meminit Ariſtophanes in Ranis.

Lupi alas quæris.

Λύκου πτερὰ ζητεῖς: id eſt, Lupi alas quæris. De iis, qui quærunt ea quæ nuſquam ſunt. Aut ubi quis verbo duntaxat territat, alioqui re nunquam facturus quod minatur. Neque enim fieri poteſt, ut lupus alatus inveniatur. Proverbium recenſetur à Suida.

Serenitati nubem inducit.

Non tam ovum ovo ſimile, quam illud proverbii faciem præ ſe fert, quod refertur a Plutarcho in commentario De dignoſcendo adulatore ab amico, νέφος ἐπάγει γαλήνῃ: id eſt, Serenitati nubem inducit. De eo, qui inter pocula ludoſque virulentum aliquid admiſcet, quod offuſcata hilaritate frontem corruget, ſuperciliaque contrahat. Ad eundem modum Horatius lib. 3. Ode 1. de anu deformi, quæ ſe puellarum choris admiſcebat:

Et ſtellis nebulam ſpargere candidis.

Cervus canes trahit.

Inter adagia quibus ἀδύνατον, ſeu præpoſterum quippiam ſignificamus, adnumerandum & illud quod eſt apud Theocritum in Thyrſide:

—τὼς κύνας ὤλαφος ἕλκοι. id eſt:

Canes cervus trahit.

Præpoſterum enim eſt, ut cervus venetur canes. Carmen Theocriti ſic habet:

Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει, καὶ τὼς κύνας ὤλαφος ἕλκοι. id eſt;

Poſtquam Daphnis obit, cervus trahat ipſe moloſſos.

Ad conſimilem formam Vergilius in Pharmaceutria:

Nunc & oves ultro fugiat lupus.

Aqua igni miſcere.

Inter proverbia quibus ἀδύνατον ſignificamus, referendum & illud, πῦρ ὕδατι μιγνύειν: id eſt, Ignem aquæ miſcere. Plutarchus in libello cui titulum fecit, περὶ πρώτου ψυχροῦ, adducit hujus proverbii teſtimonium, ſtudens probare aquæ proprium eſſe frigiditatem, potius quam aeris. Pugnat autem utraque qualitate ignis cũ aqua: quippe calidus & ſiccus cum humida & frigida. Narrat eodem in loco, morem fuiſſe apud Perſas, ut ſupplex in fluvium deſcenderet, ignem geſtans, minitans ni conſequeretur quæ petebat, ſe ignem miſſurum in aquam. Atque ad eum modum impetrabat quidem quæ rogabat, ſed mulctabatur, quod minatus eſſet ſe facturum, id quod eſſet contra rerum naturam. Nam aqua hoſtis eſt ignis eumque ſemper extinguit. Id ſupplicandi genus apud barbaros maximum habebatur, & in quo non eſſet fas recuſare quod petebatur. M. Tul. Philippica 13. Prius unda cum flamma redibit in gratiam. Rurſus: Prius undam flammamque, ut ait poeta neſcio quis, prius denique omnia quam aut cum Antoniis Reſpub. aut Antonii cum Repub. redeant in gratiam.

Faber cum ſis.

Plutarchus in Præceptis civilibus, ſenarium hunc haud dubie proverbialem ex Euripide citat.

Τέκτων γὰρ ὤν, οὐκ ἔπραττες ξυλουργικά. id eſt:

Cum ſis faber, opera haud facis fabrilia.

Congruet in eum qui tentat ad quæ non eſt idoneus, vel ob imperitiam, vel ob naturam alienam: veluti ſi quis infans, & ad perſuadendum ineptus, ſuſcipiat legationem: aut indigens diſpenſet rem domeſticam: aut ſenex, ſive invalidus militiam capeſſat: ſi venetur ſacerdos, rhetoricetur Scotiſta Jamdudum & illud Horatianum ceſſit in proverbium, quod hinc imitatum videtur:

—Tractant fabrilia fabri.

Elephantum ex muſca facis.

Ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖς: id eſt, Elephantum ex muſca facis. id eſt, res exiguas verbis attollis, atq; amplificas. Lucianus in muſcæ encomio: Πολλὰ δ' ἔτι ἔχων εἰπεῖν καταπαύσω τὸν λόγον, μὴ καὶ δόξω κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐλέφαντα ἐκ μυίας ποιεῖν. id eſt, Multa adhuc commemorare poſſem, ſed finem dicendi faciam, ne videar & ipſe juxta tritum proverbium, ex muſca elephantum facere. Sumptum videri poteſt ex Homero, qui inter prelia deorum & Heroum muſcæ improbitatem deſcribit, cum hac invictum & acrem bellatorem conferens Menelaum, Iliad. ρ. Quin & divus Auguſtinus libro contra Manichæos de duabus animabus, non dubitat muſcam conferre, ac præferre Soli, velut animal inanimi.

Ebur atramento candefacere.

Ebur atramento candefacere, eſt genuinæ formæ, cultum atque ornatum externum inducere, quo decus illud nativum obſcuretur magis quam illuſtretur. Proinde lena Plautina puellæ naturali forma præditæ, tamen ceruſſam ad oblinendas malas poſtulanti: una, inquit, opera ebur atramento candefacere poſtules, propterea quod omne lenocinium rebus natura pulchris dehoneſtamentum adferat, non venuſtatem. Veluti ſi quis veritatem, qua nihil eſt pulchrius, rhetorum pigmentis conetur exornare. Porro quemadmodum ceruſſa ad candorem conciliandum adhiberi conſuevit, itidem purpuriſſa ad tingendas rubore malas. Simili forma dixit in Moſtellaria: Nova pictura interpolare vis opus lepidiſſimum.

Exacta via viaticum quærere.

Seneca in libello De moribus: Quid enim ſtultius eſt, quam, quod dici ſolet, via deficiente, viaticum quærere, aut augere; Quadrat in ſenes avaros. Laborat enim ea ætas plerunque hoc vitio, ut quo minus ſupereſt vitæ, hoc magis ſit de victu ſolicita. Contra juventus, hujus ſtudii vel maxime negligens eſt. M. Tullius in Catone Majore: Avaritia vero ſenilis quid ſibi velit, non intelligo. Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?

Qui ſe non habet, Samum habere poſtulat.

Ὃς αὐτὸς αὑτὸν οὐκ ἔχει, Σάμον θέλει. id eſt:

Qui ſemetipſum non habet, Samum cupit.

In eos convenit, qui impudenter quippiam poſtulant, aut qui minora curant, majorum negligentes. Natum ex hiſtoria quapiam, cujus meminit Plutarchus in apophthegmatis Laconicis, Athenienſes urbe victori tradita poſtularunt, ut Samum duntaxat ſibi relinqueret. Atque is reſpondit ad hunc modum: Cum veſtri non ſitis, alios habere poſtulatis. Atque hinc ducta parœmia:

Ὃς αὐτὸς αὑτὸν οὐκ ἔχει, Σάμον θέλει. id eſt:

Qui ſemetipſum non habet, Samum petit.

Dion ſophiſta in libello, περὶ ἀπιστίας. eleganter accommodat in alium ſenſum: ὁ αὐτὸς αὑτῷ μὴ φίλος, πῶς ἄλλῳ φίλος. id eſt: Qui ſibi ipſe non eſt amicus, quomodo alteri eſt amicus? Quadrabit & in eos, qui imperium affectant in alios, cum ipſi ſibi nequeant imperare.

Leonis exuvium ſuper crocoton.

Λεοντῆ ἐπὶ κροκωτῷ: id eſt, Leonis exuvium ſuper Crocoton.

Cum duo quæpiam copulantur, quorum alterum cum altero nequaquam congruit. Sumptum à Baccho, qui hoc ornatu deſcendit ad inferos apud Ariſtophanem, ut veſte muliebri delicataque indutus eſſet, eque veſti leonis exuvium impoſitum geſtaret: quo videlicet Hercules creditus, formidabilis videretur inferis. Hunc igitur ad eum modum adornatum, ſic in ranis ridet Hercules:

'Αλλ' οὐχ οἷός τ' εἰμὶ ἀποσοβῆσαι τὸ γέλων,
Ὁρῶν λεοντῆν ἐπὶ κροκωτῷ κειμένην.

Id eſt:

Riſum profecto haud ſum potis compeſcere,
Crocoton additum leontæ conſpicans.

Appoſite diceretur in Monachos quoſdam, aut Scholaſticos, qui foris inſignia ſui inſtituti portant, interius militarem imitantes cultum: aut qui vultu terrico, moribus ſunt effœminatis.

Cantherium in foſſa.

Cantherium in foſſa: ruſticum proverbium, ſed tamen è re militari natum. Hoc licebit uti, quoties quis ad id negotii trahitur, in quo nequaquam valeat: aut ibi res vehementer erit impedita, periculoſaque. Refertur à T. Livio decadis 3. lib. 3. Narrat autem, cum Fabius Capuam obſideret ſecundo bello Punico, Jubellium Tauream inter equites Campanos nobiliſſimum, è Romanorum exercitu quemvis ad ſingulare certamen evocaſſe, auſumque prodire Claudium Aſellium. Deinde ubi diutius uterque alterum libero campo eluſiſſet, Campanus in cavam viam deſcendere juſſit: alioqui equorum, non equitum fore certamen. Eo cum Romanus, re quam verbis ferocior, extemplo deſcendiſſet, rurſum eluſit Taurea ſermone, qui poſtea in ruſticum verſus eſt proverbium. Minime ſcis, inquiens, cantherium in foſſa? Quanquam ex Livianis verbis parum liquet adagii ſenſus, tamen conjecturis facile deprehenditur: Pugnat autem cum illo, quod alibi dicemus: τὸν ἵππον εἰς πεδίον, id eſt: Equum in planitiem. Etenim quemadmodum plurimum valet equus in planicie, ita minime valet in foſſa.

Iocandum ut ſeria agas.

Eodem libro refert ſententiam Anacharſidis, qui taxarit eos qui ſeria agunt ut jocentur: quum jocus in hoc interdum admittendus ſit, ut ſeriis rebus vacare liceat. Velut qui per omnem vitam magnis laboribus hoc agunt, ut fiant boni ſaltatores, aut egregii tibicines. Ariſtotelis verba ſunt hæc: σπουδάζειν δὲ καὶ πονεῖν παιδιᾶς χάριν, ἠλίθιον φαίνεται καὶ λίαν παιδικόν. παίζειν δὲ ὅπως σπουδάζῃ κατ' Ἀνάχαρσιν, ὀρθῶς ἔχειν δοκεῖ. id eſt: Studere vero ac laborare ludendi gratia, ſtolidum videtur, atque admodum puerile: at ludere ut agas ſeria, juxta Anacharſidis ſententiam, recte videtur habere.

E natali emortualem facere.

In eadem fabula Ballio leno coactus reddere argentum, dicit: Certum eſt mihi hunc emortualem facere ex natali die. Emortualem dixit pro triſti ac funeſto, natalem pro læto ac felici.

Ibyci equus.

Ἰβύκειος ἵππος. id eſt: Ibyci equus, in jocum proverbialem abiiſſe videtur de iis qui nolentes præter ætatem ac vires ad periculoſum negotium adigerentur. Dicti originem refert Plato in Parmenide. Ibyco poetæ equus erat jam annoſus athleta, multis certaminibus detritus. Is quum ad certamen curruſ jungeretur, extimuit, videlicet expertus ejuſmodi ludorum aleam. Ridente populo, Ibycus ſurgens: Equus inquit, domini ſimilis eſt: nam & ipſe jam ſenex ad amandum compellor. equo ſuo ſeſe comparans, quod ipſe non minus intempeſtivus eſſet ad amores, quam vetulus equus ad certamen. Nam admonet hoc quoque Suidas, Ibycum vulgo male audiſſe ob adoleſcentulorum amorem. Hac imagine Parmenides queritur ſe ſenem adigi ad rerum difficillimarum explicationem. Huc alluſiſſe videtur Horatius in Epiſtolis:

Non eadem eſt ætas, non mens. —— &:
Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus. & ilia ducat.

Forſaſſe dum in hoc adagiorum piſtrino verſor, videbor alicui non multum diſſimilis equo Ibyci. De Ibyci gruibus dictum eſt alias.

Poſt rem devoratam ratio.

Quemadmodum de ſera ope dicitur, Poſt bellum auxilia: ita de ſera parſimonia dicitur, Poſt abſumptam rem ſupputatio. Staſimus in Trinummo Plautino: Sero atque ſtulte, prius quod cautum oportuit, poſt quam comedit rem, poſt rationem putat. Loquitur ſervus herili filio, ſupputanti rationem accepti, quum tota ſumma jam eſſet nequiter abſumta. Nimirum hoc eſt numerare prætcritas undas quum venientes oporteat cenſere.

Trabem bajulans.

Ariſtoteles libr. Rhetoricorum; diſputans de quibuſdam verbis quæ non habent gratiam, niſi pronunciatione geſtuque adjuventur: Alioqui, inquit, φαίνεται ὁ τὴν δοκὸν φέρων: id eſt, ſit ille trabem geſtans. Id accidit in dictionibus, præſertim nominibus propriis ac pronominibus, & vocibus crebro repetitis, quæ tacitam habent emphaſin: ut Therſites contemnit Achillem: &, Tu me aſinum vocas? Similiter & in aſyndetis: ut, veni, vidi, vici. Et ſi qua ſunt ſimilia, quæ ſine commendatione actionis non habent eandem gratiam. Quod genus Terentianum illud: Excluſit, revocat, redeam? Et mox: Egone illam? quæ illum? quæ me, quæ non. Sine modo. Rurſus illud in Adelphis: Storax, non rediit hac nocte Æſchynus à cœna? Storax enim vocantis vox eſt, & ob id clarius pronuncianda: reliqua ſecum loquitur. Nihil addubito quin aſſumptum ſit ex fabula quapiam. Nam ὁ τὴν δοκὸν φέρων, finis eſt jambici trimetri. Qui trabe onuſtus eſt, non eſt idoneus ad geſticulationem, ſed oneri ſeſe accommodet oportet. Talis opinor perſona riſus gratia alicubi producta fuerat in comœdia. Interdum inducuntur σκευοφόροι, geſtantes ſarcinas. Cujuſmodi ſunt quibus dicitur in Andria: Vos iſthæc intro auferre. Et in Hecyra. Suſia. Tales aut nihil dicunt aut geſtu non reſpondent pronunciationi. Vide, num Ariſtoteles ſentiat de Atlantibus, qui trabibus ædificium ſuſtinentibus ſupponi ſolent. videntur enim laborare, quum nihil agant. Actio autem quaſi vita eſt orationis. Vitæ indicium eſt motus. Tale quiddam in tragœdiis erat δορυφόρημα, tantum adſtabat nihil agens. Et fortaſſis pro ὁ δοκὸν φέρων, ſcriptum erat, ὁ δορυφορῶν. Sed nihil pronuncio. Excutiant eruditi.

Caligare in ſole.

Apud Quintilianum legitur, ut eleganter, ita & proverbialiter, dictum, Caligare in ſole: pro eo quod eſt, in re clariſſima caecutire: idque ſolet accidere vitioſis oculis, qui nihil vident in luce quam maxime perſpicua: videlicet ſenſum debilem obruente vi ſplendoris. Idem evenit noctuis & luſcioſis. Nam iis lumen pro tenebris eſt. Non invenuſte torquebitur in iſtos, qui velut obſcurum cauſantur, quicquid eruditum fuerit: quibus tenebricoſa eſt vel Ciceronis oratio. noctem enim in oculis circumferunt. Quemadmodum apud Senecam Portius dicebat, quendam ſpinas in pedibus habere: cum ſe per ſpinas ingredi quereretur, videlicet ingenii vitium in argumentum conferens: At pedes inquit, tui ſpinas habent, non locus. Itidem iſti noctem, qua ſe prædicant offendi in bonis autoribus, in oculis ſecum adferunt, non in libris reperiunt.

Teipſum non alens, canes alis.

Αὑτὸν οὐ τρέφων, κύνας τρέφεις: id eſt, Cum temetipſum non alas, canes alis. In eum dicebatur, qui cum per inopiam ſibi, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, ſuppeditare non poſſet, conaretur aut equos, aut famulos habere domi. Appoſite dicetur adverſus iſtos, quibus cum ob rei familiaris anguſtiam vix ſuppetat quo vitam ſuſtineant, tamen per ambitionem conantur faſtu veſtium, reliquoque ſtrepitu potentes & opulentos imitari. Breviter conveniet in omnes qui quæ ad voluptatem aut ſplendorem pertinent, curant, neglectis his quæ magis ſunt neceſſaria. Porro neceſſariis prima debetur cura, dignitati poſterior: veluti ſi quis in eruditione comparanda laboret, vitæ ſecurus de qua periclitetur.

Mari è foſſa aquam.

Θαλάττῃ ἐκ χαράδρας ὕδωρ: id eſt, Mari è lacu aquam. ſubaudiendum infundis. Simile illi, βῶλος ἀρούρῃ: id eſt, Gleba arvum. Ovidius in Elegiis amatoriis:

In freta collectas alta, quid addis aquas?

Cognatum illi quod alibi recenſuimus, In ſylvam vehere ligna: &, oleum camino addere.

Mus non ingrediens antrum, cucurbitam ferebat.

Μῦς εἰς τρώγλην οὐ χωρῶν, κολοκύντην ἔφερε: id eſt, Mus non potens ſubire antrum, geſtabat cucurbitam. In eum congruit, qui cum ipſe ſibi conſulere non poſſit, aliis conatur opitulari. Aut qui conatur majora viribus ſuis. Videtur ab apologo natum, ſed anili, ni fallor.

Solem adjuvare facibus.

Alioqui retulimus, τὸ φῶς ἡλίῳ δανείζεις. Huic ſimillimum eſt, quod refert Gratianus ex Anacleto Papa, cauſa 6. q. 1. in eos qui hic uſurpant ſibi divinum judicium, quod nullus hominum poteſt effugere. Nam incerta ſunt hominum judicia: neque ſecus ſeſe habent ad judicia Dei, quam fax ad ſolem: Si omnia, inquit, in hoc ſeculo vindicata eſſent, locum divina judicia non haberent. Supervacuis laborat impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare, &c. Quanquam in libris vulgaribus librarii pro facibus, depravant falcibus.

Ad menſuram aquam bibunt, citra menſuram offam comedentes.

Μέτρῳ τὸ ὕδωρ πίνοντες, ἀμέτρητον δὲ μάζαν ἔδοντες. id eſt, Ad menſuram bibentes aquam, citra menſuram offam edentes. Zenodotus ſcribit hunc verſiculum oraculo proditum in Sybaritas, in vulgi ſermonem abiiſſe, qui ob immoderatum luxum a Crotoniatis ſubverſi ſunt, quemadmodum alibi retulimus. Unde poterit accommodari, vel in eos qui ex ſummis deliciis, opibuſque rediguntur ad extremam inopiam; vel in eos qui præpoſtere ſunt ſordidi, parciſſimi in rebus minutiſſimis, in magnis negligentes: cujuſmodi pleroſque videas mortales. Eſt autem verſus heroicus; qui tamen in omnibus, quos adhuc viderim, codicibus depravate legitur. Reſtituetur autem hoc pacto:

Μέτρῳ ὕδωρ πίνοντες, ἀμετρὶ μάζαν ἔδοντες.

Conſimilis formæ eſt illud Theocriti in Bucoliaſtis:

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει. id eſt:

A vet-

A verſum inſequitur, rurſum averſatur amantem.

Aliorum medicus, ipſe hulceribus ſcatens.

Plutarchus in commentario, cui titulus, Quo pacto quis ab inimico juvari poſſit, hunc ſenarium ex tragœdia quapiã allegat:

Ἄλλων ἰατρὸς, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Aliis medens, at ipſus hulceribus ſcatens.

In eos torquendus eſt, qui ceu ara caſtigant inceſſuntq; aliena, intercutibus vitiis ipſi madentes. Illud vulgo tritiſſimum. Medice, tibi ipſi medicus eſto Gregorius in Apologia de fuga ſua: [illegible] id eſt: aut proverbium procul effugimus, aliis mederi parantes, ipſi ſcatentes ulceribus. Non diſſimilem ſententiam refert M. Tullius Philippica duodecima. Etenim qui multorum cuſtodem ſe profitetur, eum ſapientes ſui primum capitis ajunt cuſtodem eſſe oportere. Xenophon in convivio ſimile quiddam indicat vulgo jactatum in divinatores: [illegible] id eſt: Ajunt hos divinos aliis quidem prædicere futura, ſibi ipſis vero non proſpicere quod inſtat.

Aliorum medicus.

Manet hoc dictum his quoque ſeculis celebratiſſimum, quod refertur à Plutarcho in commentario, De dignoſcendo aſſentatore ab amico e poeta quopiam.

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. id eſt:

Aliis medetur, ipſus hulceribus ſcatens.

Utitur eo & in commentario, quem inſcripſit adverſum Colotem. Conveniet in eos, qui aliis ſapiunt, non ſibi: aliis oculati ſunt & cauti, non ſibi: alios conſolari norunt, ipſi ſua mala non ferunt æquo animo. In eundem ſenſum uſus eſt Chriſtus apud Lucam. Judæis enim admirantibus ejus dicta factaque, ac dicentibus: [illegible] id eſt; An non hic eſt filius Joſeph? reſpondit ad hunc modum: [illegible] id eſt: Omnino dicetis mihi parabolam hanc, Medice cura teipſum. Quæcunque audivimus facta in Capernaum, facito & hic in patria tua.

Anus eriphus.

Γραῦς ἔριφος: id eſt, Anus hœdus. Apollodorus apud Zenodotum ait, anum quandam fuiſſe, quæ dicta ſit Eriphe, quod in virginitate conſenuiſſet; perinde quaſi eadem & anus eſſet per ætatem, & puella, quod adhuc innupta. Sunt qui tradant locuſtam agreſtẽ, à nonnullis mantim appellatam, in Sicilia γραῦν ἔριφον appellari. Ajunt autem, quodcunque animal aſpexiſſet, illi mali quippiam accidere. Proinde in mulierem veneficam & faſcinatricem quadrare videtur. Quod genus apud Horatium Canidia.

Titius.

Titium ſaltare dicebantur, qui incompoſite ac ſolute geſtiebant. Fuit enim hujuſmodi ſaltationis genus, quod à Titio quodã malo oratore nomen invenit. M. Tullius eo quod modo citavimus opere: Quos Sextus Titius conſequutus, homo loquax ſane & ſatis acutus, ſed tam ſolutus & mollis in geſtu ut ſaltatio quædam naſceretur, cui ſaltationi Titius nomen eſſet. Ita cavendum, ne quid agendo dicendo ve facias, cujus imitatio videatur. Citat hunc Ciceronis locum Quintil. lib. 11. cap. de pronunciatione. Similia his ſunt, ſaltare Cyclopem. Horatius:

——— Saltaret uti Cyclopa togabat.

&, Saltare cordacem more Sileni.

Anus ſaltat.

Γραῦς χορεύει: id eſt, Anus ſaltat. In eum convenit, qui indecore quippiam facit: velut, ſi ſenex ludat nucibus: aut theologus rhetoricis floſculis laſciviat: aut princeps exemplo Neronis muſicetur. Conſine eſt illi quod ſupra retulimus, Camelus ſaltat. Horatius in anum intempeſtivæ libidinis.

Te lanæ prope nobilem
Nec flos purpureus roſæ,
Tonſæ Luceriam, non citharæ decent;
Nec poti vetulam fæce tenus cadi.

Apud Plutarchum in vita Periclis legimus, Elpinicem quandam quum eum indecoris conviciis palam inceſſeret, nihil aliud reſponſi tuliſſe quam verſiculum illum ex Archilocho.

[illegible] id eſt.

Unguento anus quum ſis caveto inungier.

Quid autem ſequutus Lapus vertit, Haud unguento, vetula quum ſis, oblita es, non ſatis conjecto: niſi forte pro ἀλείφου legit [illegible].

Anus cothoniſſat.

[illegible] id eſt, Anus cothonizantes. De vetulis indecore laſcivientibus κώθων enim temulentum ſignificat: inde fictum verbum κωθωνίζειν. Athenæus lib. 11. variis authorib. cothonem eſſe oſtendit poculi genus: unde dicatur κωθωνίζεσθαι, pro inebriari, & κωθωνισμὸς ipſa temulentia. Et Heſychius admonet, Græcis hominem temulentum appellari cothonem: quemadmodum Latinis lagenam vocari, aut utrem. Horatius in Od. 3. in anum uxorem pauperis Ibyci:

Te lanæ prope nobilem
Nec flos purpureus roſæ.

Tonſæ Luceriam, non citharæ decent;
Ne poti vetulam fæce tenus cadi.

De anu ſaltante dictum eſt ſupra.

In toga ſaltantis perſonam inducere.

Saltantis perſonam in toga inducere, eſt, quippiam facere neutiquam decorum: veluti ſi ſenex, aut theologus ineptiat: aut ſi quis ſeriis miſceat ludicra. Martialis in præfatione ſecundi libri: Noli ergo ſi tibi videtur, rem facere ridiculam, & in toga ſaltantis inducere perſonam. Toga civium erat Romanorum, & honoris gratia ſumebatur ab his, qui jam exceſſiſſent e pueritia, depoſita prætexta, ipſo cultu virilem animum ac mores profitentibus: unde & virilis toga dicebatur. Hinc illud Ciceronis in Philip. Sumſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam reddidiſti. Quin & pacis tempore geſtabatur, quemadmodum ſagum in bello, Unde M. Tullius in Philippicis ſubinde jubet, depoſitis togis ſaga ſumere. Et idem:

Cedant arma togæ.

Item Lucanus de Pompeio:

Prætulit arma togæ ſed pacem armatus amavit.

Camelus ſaltat.

Ubi quis indecore quippiã facere conatur & invita, ſicut ajunt, Minerva. Camelum ſaltare dicebant. Veluti ſi quis natura ſeverus ac tetricus, affectet elegans ac feſtivus videri, naturæ genioque ſuo vim faciens Divus Hieronymus proverbii nomine citat torquetque in Helvidium: Riſimus, inquit, in te proverbium, Camelum vidimus ſaltitantem. Taxat Hieronymus hominis ineptiam, qui cum à muſis eſſet alieniſſimus, tamen diſertus haberi vellet.

Clave findere ligna & ſecuri fores aperire.

[illegible] id eſt, Clavi ligna findere, ſecuri vero fores aperire conatis, cum res præpoſtere geritur: veluti ſi quis liberos metu ſtudeat emendare, ſervos beneficiis ſibi adjungere: aut ſi quis apud imperitos philoſophicis rationibus agat, apud eruditos clamore & improbitate vincere conetur. Refertur à Plutarcho, libello cui titulus, [illegible].

Cani das paleas, aſino oſſa.

Κυνὶ δίδως ἄχυρα, ὄνῳ δὲ ὀστέα: id eſt, Cani das paleas, aſino vero oſſa. Cum res præpoſtere diſtribuuntur. Veluti ſi quis indocto munus mittat literarum, erudito floſculos, aut gladium baltheumve; militi librum, epiſcopo canes venaticos. Siquidem munera hoc ipſo ſunt ingrata, quod apta non ſunt. Interdum vertuntur in contumeliam.

Vulpes bovem agit.

Ἀλώπηξ τὸν βοῦν ἐλαύνει: id eſt; Vulpes bovem ducit. Cum res abſurde geritur (nihil enim vulpi cum agricolatione:) veluti ſi quis poeta de rebus ſacris concionetur: aut leno tractet rempublicam. Licebit & ad eum torquere, qui non ex animo, ſed alio ſpectans, fingit ſeſe quippiam velle facere. Extat & hoc apud Suidam.

Daſypus carnes deſiderat.

Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ: id eſt, Daſyppus carnes deſiderat. Dicitur in eos, qui ea requirunt ab aliis, quæ ipſis affatim ſunt domi, Eſt enim daſypus de genere leporum. Lepus autem, ut autor eſt Plinius lib. 8. cap. 55. animal eſt innocuum eſculentum & fœcundum, omnium prædæ naſcens. Solus præter daſypodem ſuperfœtat, aliud educans, aliud in utero pilis veſtitum, aliud implume, aliud inchoato gerens partu. Dictus eſt autem daſypus à pedibus hirſutis ac villoſis.

Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

Sunt qui exiſtiment cum proximo idem eſſe, quod legitur in Eunucho Terentiana: Tute lepus es, & pulpamentum quæris. Dictum eſt autem à milite glorioſo in adoleſcentem Rhodium, qui ſcorto ſuo alludebat, ipſe ea ætate, qua ſcorti vicibus fungi poſſet. Donatus allegoriam variis modis exponit, indicans proverbium hoc in molles convenire: propterea quod lepus à poſteriore parte hoc eſt, à lumbis & clunibus pulpamentum de ſe præbeat, eaque corporis parte lautiſſimus ſit: vel quod eum canes, amatorum inſtar, ſequantur: vel quod lepus à Phyſicis dicatur incerti ſexus, modo mas, modo fœmina. Quæ commenta mihi frigidiora videntur: ac ut ſimplicius, ita verius eſſe puto ad Græcam parœmiam referre, Δασύπους κρεῶν ἐπιθυμεῖ. Flavius Vopiſcus in Numeriano imperatore, ſcribit adagium Terentianum, Livii eſſe Andronici vetuſtiſſimi Romanorum comici.

Sidera addere cœlo.

Addere cœlo ſidera, pro eo quod eſt, adjungere, quibus ipſi, ſumma eſt copia, proverbiali ſchemate dictum, ut illud ſat ſignis fuerit, quod Ovidius ſecundo Elegiarum amatoriarum libro, duobus proverbiis intertexuit:

Quid folia arboribus, pleno quid ſidera cœlo,
In freta collectas alta quid addis aquas?

Culicem colant.

Pleraque ſunt in Evangelicis literis à vulgo ſumpta. Nec id indignum Chriſto, quin potius vel maxime congruebat, ut quemadmodum aſſumpto corpore, velut unus quilibet è nobis eſſe voluit, ita ſermonibus quam maxime familiaribus uteretur: quo noſtram humilitatem modis omnibus ad ſuam proveheret ſublimi-

tatem. Verum ex iis non mihi viſum fuit plura referre : partim quod quidam poeticis nimium addicti ſtudiis, parum venuſtum exiſtimant : quicquid ſacras literas redoluerit : partim quod ea viderem cuique ſatis expoſita eſſe. Maxime vero, quod verebar ne quis homo pius exiſtimaret me divinis literis injuriam facere, ſi eas huic operi ſubinde miſcuiſſem : in quo non modo gentilia pleraque, verum etiam quædam non admodum munda. Quæ nos & inviti, & quam potuimus tectiſſime retulimus : nec ea quidem omnia. Cæterum ex Evangelicis adagiis illud non poſſum prætermittere, quod in ſuperſtitioſos quoſdam, & præpoſtere meticuloſos dictum eſt præceptori noſtro Jeſu, qui vel ignorantes vel diſſimulantes, quib. in rebus ſita ſit vera Chriſtianaq; pietas, in nugis ſibi nunc placent, nunc trepidant, in maximis ſecuri, pleni Judaicarum ſuperſtitionum, vera charitate vacui. In hos Chriſtus veræ pietatis doctor, *Matth. 23* hujuſmodi torquet proverbium: τὸν κώνωπα διϋλίζοντες, τὴν κάμηλον καταπίνοντες. id eſt : Culicem liquant, camelum glutientes. Ab hoc non abhorret, quod alibi retulimus, αὐθέκαστος γαργαλίζειν : id eſt, Statum colare gutture.

Smaragdus in luce obſcurus.

Ἀρίγνωτος σμάραγδος, ἐν δὲ τῷ φαινομένῳ τυφλός : id eſt, Inſignis ſmaragdus, in luce quidem obſcurus. In eos jaci ſolitum, qui præpoſtere ibi ſemet occultarent, ubi maxime conveniebat ædere virtutis ſpecimē. Plinius inter Smaragdorum varietates commemorat, qui dicti ſint cæci, quod colore ſint obſcuriore. Id vitii magis in ſole deprehenditur : quum ingens color ille ſuaviter virens, nec ſole mutetur, nec umbra, nec lucernis, ac ne aquis quidem. Quemadmodum idem docet Plin. lib. 37 cap. 6.

Piſcis eget ſale.

Ἰχθὺς δεῖται ἁλός : id eſt Piſcis eget ſale. De re abſurda & incredibili. Nec enim veriſimile eſt, Piſces in mari agentes opus habere ſale. Hoc videtur a populo acclamatum Androcli Pitenſi, quum legem quandam reprehendens dixiſſet, δέονται οἱ νόμοι νόμου διορθώσοντος. id eſt : Egent leges lege correctrice. καὶ γὰρ ἰχθύς ἁλός. Nam & piſces ſale. Leges enim in hoc datæ ſunt, ut ad harum regulam corrigantur hominum actiones. Quod ſi ipſe leges indigent correctione, leges non ſunt, idque non minus abſurdum ſit, quam ſi piſces marini dicuntur egere ſale. Refert Ariſtot. in Rhetoricis.

In pace Leones.

Ariſtophanes in Pluto :

Ὄντες οἴκοι μὲν λέοντες ἐν μάχῃ δ᾽ ἀλώπεκες.

Id eſt :

Quum leones ſint domi, iidem in Marte ſunt vulpeculæ. Ariſtophanis interpres oſtendit proverbium jactatum in Lacones, qui in Aſia infeliciter rem geſſerant :

Οἴκοι λέοντες, ἐν Ἐφέσῳ δ᾽ ἀλώπεκες.

Id eſt :

Domi leones, in Epheſo vulpeculæ.

Ad hoc nimirum alluſit Comicus. Plutarchus in comparatione Syllæ & Lyſandri refert hāc ſententiam, tanquam vulgo jactatam in principes. Sic enim de Lyſandri frugalitate prædicat :

Ἀλλ᾽ αὐτὸς ἄλλος ἐν φυγῇ τὸ κοινὸν ἐξείπατο,
Οἴκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ δ᾽ ἀλώπεκες.

Id eſt :

Imo ſi quis alius effugerat illud quod vulgo circumfertur.
Domi leones, ſed foris vulpeculæ.

Olim fortaſſe ſic emergebant potentes: poſt & domi & foris leones eſſe cœperunt, aut ſi quod animal leone violentius. Conveniet in eos, qui præpoſtere ſe gerunt : ibi feroces, ubi nihil erat opus: ibi fugaces, ubi res poſcebat virum : aut qui in ſuos ſævi, non itidem audent adverſus inimicos. quod Ciceroni objicit Saluſtius, videlicet quod contumelioſus in amicos, ſupplex inimicis. Aut in illos, qui ſimulata manſuetudine perveniunt ad tyrannidem.

Ollam exornas.

Χύτραν ποικίλλεις. De re abſurda, qualis eſt vaſi uſibus culinariis deſtinato picturæ lenocinium adhibere, & bracteis aureis inaurare juglandium putamina.

Aquas infundere cineri.

Quid, quod medicina mortuorum ſera eſt ? quid, quod nemo aquas infundit in cineres ? Quintil. in . indicans ſerum remedium: ſiquidem ægroto mortuo, ſero affert medici famulus linimentum, & ædibus in cinerem redactis, ſero infunditur aqua.

Χαρωνῖται.

Olim Charonitarum cognomen apud Romanos populari joco tributum eſt iis, qui ex defuncti Commentariis tuebantur, quod perperam agebant : quo artificio quidam abutuntur hodie teſtamentis.

IVNII. *Fronti ocream, tibiæ galeam applicat.*

Ubi præpoſtere omnia fiunt, & quæ in poſtremum locum referri deberent, primore in parte velut acie collocātur, & è diverſo, prorſus quod dici ſolet ὕστερον πρότερον : uti licebit adagio illo Lucianico, in libello de errore in ſalutatione commiſſo : ὥσπερ οἱ τὰς κνήμιδας ἐπὶ τῇ κεφαλῇ, τὰς κόρυθας ἐπὶ τῇ κνήμῃ. id eſt : Non aliter quam ſi quis tibiæ caſſidem, aut capiti ocream adaptet. & alibi : τὸ πρῶτον ἐμπεσόν, πρῶτον λεγέσθω, καὶ ἣν οὕτω τύχῃ, περὶ τῷ μετώπῳ ἡ κνημίς, περὶ τῇ κνήμῃ δὲ ἡ κόρυς. id eſt : Quod primum occurrit, prius dicatur, & ſi uſus ita ferat, fronti ocrea, tibiæ galea applicetur, innuens, ut quidque in dicendo obvium eſt, ita nulla habita ordinis ratione inferendum eſſe.

Herculis ſacrificium.

Ἡρακλέους θυσία, Herculis ſacrificium vocari annotat Heſychius, quum quis ubi minime opus eſt, ſacrificat, ἐπὶ τῶν εἰκῇ τὰς θυσίας ἀγόντων. Poteſt & alio transferri: ut ſi quis munus offerat, qui ipſe cœleſtium numerum auxerit, ut apud Livium Evander ait, inter indigetes deos relatus.

Acceſſorium operis loco.

Πάρεργον ἔργον ποιεῖς, id eſt, acceſſorium in opus commutare dicuntur, qui plus collocant operæ in negocio levi, quodq; obiter in tranſcurſu delibandum erat, quam in primario præcipuoq; inſtituto. Galenus initio lib. 1. De naturalibus facultatibus, εἰ δὲ τούτοις ἀντιλέγειν ἐπιχειρήσαιμι, μεῖζον ἄν μοι τὸ πάρεργον τοῦ ἔργου γένοιτο. quod Thomas Linacer commode ita vertit : Ergo ſi ad hos refellendos digrediar, plus in operæ acceſſorio, quam in propoſito ſumam. Plato in Epiſtol. ἵνα μὴ πάρεργα ἔργων μοι ξυμβαίνῃ λεγόμενα, id eſt: Ne acceſſoria, vice operum nominari mihi contingat. Polybius hiſtor. οἱ δὲ πολλοὶ τὰ μὲν ἔργα τῶν διευτυχούντων οὐ πειρῶνται μιμεῖσθαι, τὰ δὲ πάρεργα ζηλοῦντες, ἐμφανῆ ποιοῦσι τὴν ἑαυτῶν ἀκρισίαν. id eſt: Pleriq; homines facta magnatum imitari negligunt, ac æmulando acceſſoria nihil ad rem facientia ſuam ipſi produnt ſtultitiam. D. Clemens lib. 5. ex Agathone tragico duos ſenarios adducit.

Ὅπως μὴ τὸ τοῦ τραγικοῦ, Ἀγάθωνος περιπέσωμεν καὶ αὐτοί.
Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμενοι.
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμενοι. hoc eſt :
Ne impingamus & nos in illud tragici Agathonis.
Operis loco ducentes acceſſorium,
Inque operæ ſatagentes ut acceſſorio.

Quos verſus recitat & Athenæus lib. 5. Greg. Nazianz. elegantiſſime eo uſus eſt in funebri oratione in Baſilium dicta, de Saule loquens ; Βασιλείαν εὗρεν τι μεῖζον τοῦ ἔργου τὸ πάρεργον ἐμπορευσάμενος. id eſt; Saul paternos aſinos inveſtigans, regno potitur, acceſſorium ipſo inſtituto negocio majus nactus. Idem in carmine :

Ἔργον πάρεργον οὐδαμοῦ ἔργον λόγου.

Id eſt :

Extrarium negocium, haud opus vocem.

Non ocioſum fuerit huc adſcribere Prioris Græci monachi dictū: qui interrogatus cur obambulando cibum ſumeret, reſpondit : ὅτι οὐ βούλομαι τὸ διαίτημα ὡς ἔργον χειρίσασθαι, ἀλλ᾽ ὡς πάρεργον. id eſt : Quia nolo cibo tanquam opere, ſed tanquam operis acceſſorio.

Priuſquam pinſueris farinam ſubigis.

Πρὶν ἢ πτίσαι, καὶ ἀλφιτεύεις, ſubaudi πτίσαι : id eſt, priuſquam pinſueris, farinam ſubigis aut maceras. Dicitur in homines præpoſteros qui perverſo ordine, quod poſtremo factum oportuit, primū omniū faciunt. Præpoſtere agit qui ſubigere tentant, priuſquā triticum à glumis ſeparetur & pinſatur. Euſtathius in decimum ſextum Odiſſeæ, perperam legens, πρὶν ὀπτῆσαι quod ſonat, priuſquam aſſaveris, occaſionem ludendi dedit lectionē ejus ſecutis, minus venuſtam, minuſq; explicitam. Simile iſti adducit Suidas, & ex eo procul dubio Euſtathius mutuatus tale proverbium ? πρὶν ἢ τοὺς ἰχθῦς ἑλεῖν, σὺ τὴν ἅλμην κυκᾷς. id eſt : Ante captos piſces mare agitas, aut ſalem aquæ miſces. Quod convenit in præproperos homines, qui locuplete ſpe præcipiunt futuram adhuc victoriam.

In pace leones, in prælio cervi.

Uſurpatur proverbii loco à Qu. Septimio in lib. de Corona militis : Novi (inquit) & paſtores eorum in pace leones, in prælio cervos : quibus verbis perſtringit epiſcopos qui in perſecutionis tempore, quo conſtantiæ fideique documentum populo præſtari debuerat, primi fugam arripiant. Alluſum videtur ad Ariſtophanis verſiculum :

Οἴκοι μὲν λέοντες ἐν μάχῃ δ᾽ ἀλώπεκες ;
Domi leones, at vulpes in prælio.

Dictum apparet in Lacedæmonios, qui infeliciter in Aſia depugnaverant. unde illud apud eundem in fabula quæ Pax inſcribitur.

Οἴκοι λέοντες, ἐν Ἐφέσῳ δ᾽ ἀλώπεκες;
Domi leones, apud Epheſum Lacones.

Sic Alciphron in Epiſtolis Græcis : καὶ μάλιστα οἱ μιαροὶ Λακεδαιμόνιοι ἵνα δοκῶσιν ἄνδρες εἶναι οἱ ἐν Ἐφέσῳ ἀλώπεκες, id eſt : Ac imprimis ſcelerati Lacedæmonii, ut viri viderentur, qui apud Epheſum vulpes fuerant. Cōforme huic eſt illud T. Livii; In otioſi tumultuoſi, in bello ſegnes. Quadrat in eos, qui pacis tempore ferociunt, militiæ meticuloſi ac ficulnei; aut in locupletes, qui privatos homunculos & conſilii inopes laceſſere ſtrenue ſolent, ſi cum potentiorib. res ſit, & qui animoſe contraeunt, illic manus continent, ac ne hiſcere quidem audent; qualem ferme Therſiten depingit Homerus, qui jam tū ſuadente reditum Agamemnone, & ad naves remeantibus Græcis, acrem ſe oſtendit & fortē præliatorem, ipſe belli nuſquam nobilis. Tales ſunt qui Iliados ultimo ab Homero dicuntur

Ἀρνῶν ἠδ᾽ ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες.

id eſt :

populares agnorum hædorumq; (innoxiorum animalium) raptores: qui verſiculus & ipſe in proverbii uſum ceſſerit. Ejuſmodi homines apte ſuis colorib. depingit Synesius in epiſtola ad fratrē in hæc verba : τοὺς αὐτοὺς, ἐν εἰρήνῃ θρασεῖς, ἐν δὲ πολέμῳ δειλοὺς, τοὺς ἐπὶ λῃστείᾳ πονηρούς : οἳ μηδένα ταύτην τῆς δυνάμεως εἰδέναι χρείαν

τῷ πολέμῳ, ἐν δὲ ταῖς ἐν ὅπλοις τῶν χεῖρας οὐκ ἀνδρεῖοι. Notat Johannem quendam, ad ſolam de hoſtium adventu famã perterritum, ac ſub cauſatis morbi prætextu, fugam adornantem. ita autem ſonant verba Græca: Eoſdem videas in pace feroces, in bello formidoloſos, hoc eſt, utrobiq; ignavos, ut jure hæc bello gratia referenda videatur, quod ſanguinis, qui in corde exiſtit, explorator, ac veluti Lydius quidam lapis ſit.

Piſtillum exornatum.

Demetrius Phalereus de frigiditate ſcriptorum diſſerens, adagio hoc utitur, ubi ait, idem eſſe frigiditatem, quod arrogantiam. nam ut homo arrogans quæ in ſe non agnoſcit, ſibi tamen vendicat, tanquam adſint, ita qui humilib. reb. pondus orationis adjicit, ſimiliter agit illi qui in re tenui ſuperbit: καὶ ἔστιν ὥσπερ ἐν τῇ παροιμίᾳ κοσμούμενον ὕπερον. τὸ γὰρ ἐν τῇ ἐρμηνείᾳ ἐξεῖργον ... id eſt: Cujuſmodi eſt piſtillum exornatũ, quod in proverbio eſt, talis fuerit & tumor orationis in re exili. Dicitur de re præpoſtere aut inepte compta, aut oratione inepta floſculis quibuſdam parum appoſite picturata. Quadrabit & in hominem glorioſum aut operoſe veſtitum, in quo nihil ſit ſalis aut prudentiæ.

BRASSICANI. *Subula leonem excipere.*

Proverbio utitur Seneca libro undecimo Epiſtolarum, in fine: cujus uſus eſt, ſi quando rem periculi plenã, levibus admodum & infirmis præſidiis depellere volumus. Subula leonem excipit, qui frigidis rationibus fortiſſima argumenta convellere nititur.

Sana corporis parti ſcalpellum adhibere

Proverbii uſus eſt, quoties aliquid præpoſtere fit, & eo loco præſidium adhibetur, ubi minime opus fuerat. Ita Cicero pro Seſtio: Non ea eſt medicina, cum ſanæ parti corporis ſcalpellum adhibetur.

Calcei Sicyonii.

Ὑποδήματα σικυώνια, Calcei Sicyonii, quemadmodum & Stephanus meminit, proverbio dicuntur de re pulchra quidem, ſed quæ virũ parum deceat. Cicero in 1. de Oratore, ubi de Socrate loquitur: Quin etiam cum ei ſcriptam orationem diſertus orator Lyſias attuliſſet, quam ſi ei videretur, ediſceret, & ea pro ſe in judicio uteretur, non invitus legit, & commode ſcriptam eſſe dixit. Sed, inquit, ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſes, non uterer. quamvis eſſent habiles & apti ad pedem: quia non eſſent utiles: ſic illã orationem diſertam ſibi & oratoriam videri, fortem & virilẽ non videri. Athenæus libr. 4. meminit, ſaltatores in convivis Sicyoniis eſſe uſos. Nam σικυώνια tantum plerique Græci vocant ejuſmodi effœminatum calceorum genus. Lucianus in Rhetore: ἢ ἐμβάδας σικυωνίας πιλοῖς τοῖς λευκοῖς ἐπιπρεπούσας, id eſt: Solea Sicyonia albis vinculis ornata. Lucretius in quarto de delicatiſſ. mollitie ſcribens:

> Languent officia, atque ægrotat fama vacillans,
> Unguenta, & pulchra in pedibus Sicyonia rident.

Feſtus Pompeius citat hunc verſiculum Lucilii,

> Et pedibus lævæ Sicyonia demit honeſta.

Proverbio uſus eſt & Picus ad Hermolaum Barbarum lib. 9. Epiſtolarum Ang. Politiani.

Teſtudo volat.

De re abſurda aut impoſſibili dicitur. Claudianus lib. 1. adverſus Eutropium (qui cum eunuchus eſſet, tamen Romæ factus fuit conſul) multas hujuſmodi ἀδυνάτων ſpecies adfert;

> Jam teſtudo volat, profert jam cornua vultur,
> Prona petunt retro fluvii vada, Gadibus ortum
> Armenii dixere diem, jam frugibus aptum
> Æquor, & aſſuetum ſylvis Delphina videbo.

Ornamentum in luto, dignitas in indigno.

Ut minime convenit ornamentum aliquod in luto jacere: ita parum dignitas homini inſulſo & indocto, qui honorem & titulum ſuum defendere non poteſt. Salvianus.

Pica Syrenem imitans.

Simile eſt illi, Sus Minervam docet. de iniqua dicitur comparatione, & abſurda imitatione. Stulte enim pica Syrenas imitatur, garrula potius & obſtrepera quam canora. Galenus.

Eburneis raſtris ſolum vertere: Ligonibus aureis terram fodere.

Pro, re inſigni & præclara abuti: ut ſi quis eruditione pollens ea in rebus vanis, inutilib. & famoſis abutatur. Prudent. in Symm.

COGNATI *Τὸ λεγόμενον ἴσως λέγεις ὄναρ.*

Sententia hæc Platonis, in 8 libro de Republica, ab aliis ſumpta immutatis quibuſdam, ita pronunciata; τὸ σὸν ὄναρ σοι διηγήσομαι vim proverbii habere liquido intelligitur, & ſignificat idem quod, Meum mihi ſomnium quaſi exponis, quod ignotum mihi eſſe non poteſt: id eſt, idem de hac re, quod ego, ſentis, ſed Cicero ipſe totã rem quaſi interpretatur apertiq; qui ſit ſenſus illorum verborum, quum inquit in Epiſtola poſtrema ſexti libri ad Atticum: Monebas de Quinto Cicerone filio, ut cum quidem neutiquam relinqueremus: τὸ ἐμὸν ὄναρ ἐμοί eadem omnia quaſi collocuti eſſemus, vidimus, non fuit faciendum aliter. Sophocles in Electra.

Piſtillum ornatum.

Demetrius Phalereus in libr. de Elocutione καὶ ἔστιν ὥσπερ ἐν τῇ παροιμίᾳ κοσμούμενον ὕπερον: Quale illud quod in proverbio dicitur, Piſtillum ornatum. Agit de iis, qui verbis parvam rem magnã faciunt. (Repete ſupra explicationem in idem proverb.

Annulus aureus in nare ſuilla.

Significantes quippiam non in loco factum dictumve, dicunt quidam: Annulus aureus in nare ſuilla: pro quod alii, in lenticula unguentum. Habetur Proverb. ap. 11 Circulus aureus in naribus ſuis. Id transferri commode poteſt in improbum & facinoroſum hominem, de virtute & honeſtate verba facientem, aut præcepta de moribus præſcribentem: cum id non deceat, niſi eum qui ſit moratus & vitæ inculpatæ. Malum enim hominem etiam bene loquentem non eſſe audiendũ, cenſet Plato apud Gellium li. 18. c. 3.

Saul inter Prophetas.

Ubi videmus aliquem indecenter alieno gregi admixtum, dicere ſolemus: En Saulem inter Prophetas, aut corvum inter holera. Saulem autem fuiſſe in prophetarũ numero, proverbis quoque Hebræorum teſtatum eſt, 1 Regum 10. Videntes enim omnes qui noverant Saulem, quod eſſet cum prophetis & prophetaret, dixerunt ad invicem: Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter Prophetas? Reſponditq; alius ad alterum, dicens, Et quis eſt pater ejus? propterea verſum eſt in proverbium Dicitur etiam in (Eraſmo noſtro authore) qui repente ſunt mutati. Gregorius Nazianzenus in oratione electionis ſuæ in Aſimorum Epiſcopum, de Saule: Sed & prophetabat, idque adeo præter ſpem, & tam inopinate, ut miraculum illud abierit in proverbium, Nunquid & Saul inter prophetas? Quod & nunc quoq; audiri & dici ſolet. Idem in Apologetico: Proco quo doctiles Dei eſſe debebant, & cunctis prophetantibus, ſicut & Saul, juxta veterem hiſtoriam & paræmiam inter prophetas habeatur.

Præfatio libro prolixior.

Sæpe enim in Libris non præſtatur, quod exordia pollicentur, omnium maxime celebre, & in omnium ore. Cui non abſimile eſt hoc Joann. Longi in præfatione ad D. Gregorii Theologi ſententias: Sed plura nobis non licet jam dicere, ne prologus ſit fabula prolixior. Baſilius idem aliis verbis expreſſit lib. de Spiritu Sancto: ad iſtum alioqui modum acceſſorium multo majus eſſet ipſo principali. Lucianus itidem in Demoſthenis encomio: Attu fortaſſe veteris, ne in te torqueatur illud proverbiale dicterium de male reſpondente proportione: nempe, ne tibi thylaco ſive mantica major ſit acceſſoria ſarcinula.

Manum peteris, & pedem porrigis.

Manum peteris, & pedem porrigis: adagio utitur Hieronymus in Roffinum. Eo uti poſſumus in hominem averſi ingenii & præpoſterum, qui aliud rogatus, aliud & quidem diverſum oſtentans aut reſpondet. Convenit cum illo celebri: ἄμας ἀπῄτουν, οἱ δ᾽ ἀπηρνοῦντο σκάφας, id eſt: Falcem petenti, denegabant ſarculum.

Coquus male condiens.

Μάγειρος πικρὰ ἀρτύων, id eſt, Coquus male condiens proverbiali tropo dicitur homo eruditus, ſed qui inſcite & perperam pronunciat, breves ſyllabas producens, longas extenuans: quod vitium Gallicæ nationi ita proprium eſt, ut vix maximo ſtudio & Demoſthenico quodam labore, eluctari ac dediſcere queant: olim etiam Cappadocum genti familiare. Philoſtratus in Pauſania Cæſarienſi ſophiſta: ὡς Καππαδόκαις ξυνήθως ξυγκρούων τὰ σύμφωνα τῶν στοιχείων, συστέλλων μὲν τὰ μηκυνόμενα, μηκύνων δὲ τὰ βραχέα, ὅθεν ἐκάλουν αὐτὸν οἱ πολλοὶ μάγειρον πολυτελῆ ὄψα πονηρῶς ἀρτύοντα hoc eſt. Cappadocum more conſonantes elidens, longaq; brevians, & brevia producens, qua de cauſa vulgo nominabatur coquus, opipara fercula imperite condiens. Dictum eſt & à Sophocle proverbialiter illud:

> Ἐγὼ μάγειρος ἀρτύσω σοφῶς
> Ego ut coquus perite condiam.

Quo licebit uti, quum quid recte curaturos nos aut turbas compoſituros ſignificabimus. Huc adſcribendum eſt & illud Theopompi apud Athenæum: πολλοὶ μὲν ἀρτύματος μέδιμνοι id eſt: Multi medimni conditurarum. Multiformis eſt condiendæ dictionis ratio, multiplex & difformis ſtylus, magiſq; varius quam Proteus ille Ægyptius, qui nunc in aquam diffluebat, nunc igne flagrabat, nunc in arborem aſſurgebat, ruſus repebat ut draco, mox leoninam feritatem induebat, iterum ex maculoſo pardo ſpumeus aper excandeſcebat.

Mandrabuli in morem.

Ἐπὶ τὸ Μανδροβούλου. Aliam ab Eraſmo hujus adagii occaſionem inſinuare mihi videtur libro de animalibus duodecimo Ælianus, nam quum apud diverſas nationes religio fuerit, certa quædam animantia occidere, quod ea diis ſuis conſecraverint, veluti apud Delphos lupum, quod is Apollini ſacer haberetur: apud Syros piſces quod hi Atargatæ devoti eſſent: ita apud Samios ovem quod ea olim balatu ſacrilegum, qui templi κειμήλια furto rapuerat, prodidiſſet. Itaq; Mandrabulus quidam inconſulte Samiæ Junoni ovem mactavit, factum illius numini animal: unde in præpoſtere inconſultaque temeritate aliquid factitantes dictum videtur proverbium. Nam ephorus hiſtoricus aliter rem narrat. Mandrabulum quempiam repertis in Samio agro aurifodinis, primum aureum arietem Junoni inter donaria poſuiſſe, deinde argenteum, poſtea ex ære exiguum, tandem nihil dediſſe.

Fulmen:

Fulmenta lectum ſcandunt.

Citatur à Nonio proverbium Varroni frequ-us. Fulmenta le-
ctum ſcandunt, quanquam in impreſſis codi-bus. ut ubique ſca-
tent portentoſis mendis, ſingulari numero-ulmentũ vitioſe ſcri-
ptum legitur: veriorem lectionem è -anuſcripto vetuſtiſſimo
exemplari integritati primus ego reſt-ati. Videtur autem quadra-
re, quoties præpoſtere aliquid fit, -- ubi hero imperare ſervus,
& ſupra patronum cliens habere -æſumit arroganter. Nihil au-
tem in rerum natura magis eſt -æpoſterum, quam ubi fulcra ſu-
ſtentando lecto deſtinata, op- ipſa lecti eſſe volunt, & ab eo porta-
ri quodammodo. Eſt au- -um. quod vel ex Plautino exemplo in
pleniore voce fulcim- -teſt ubi vulgati codices fulcimenta præ-
Trinummo liquere -ſino fulmentas veriore lectione emẽdatiores
ferunt: quum ſoc- modo:
libri habeant h- -cas jubeant ſuppingi ſoccis.
Fulm-

Monitor capras age.

Ἐ[illegible], αὐτὸς αἶγας [illegible]: id eſt, Qui me admones, ipſe capras ag[e]. [Q]uadrabit in conſultorem ineptum, qui alteri dictare conſi-[lium] parat, ipſe ſupra ſtivam non ſapiens. Attigit illud Ariſtides in [or]atione, περὶ παραφθέγματος, hoc eſt, De inepto reſponſo: ἵνα [illegible] τῆς παροιμίας [illegible]. id eſt; [U]t intelligas cujuſmodi vir ſis qui me admones, quum proverbi-um jubeat te capras paſcere.

Indoctus pater filium reddit.

Πατὴρ ἀνοηταίνων παῖδα νουθετεῖ.

Id eſt;

Mentis parum compos pater gnatum inſtruit:

Senarius proverbialis apud Clementem Alexandrinum in Protreptico: ἐντ[αῦθα] [illegible] παροιμιῶδες ἐπιφθέγξασθαι ἁρμόττει, πατὴρ ἀνοηταίνων παῖδα νουθετεῖ. id eſt; Iſthic conveniet proverbiale illud incinere, Gnatum erudit mentis parum ſanus pater. Quadrabit in eum, qui doctiorem docere velit: aut ubi quempiam malo conſultore uti ſimulamus. Hinc non multum abludit illud Sophoclæum:

Ἄνολβον ἀνδρ' ὁ [illegible] [illegible].

id eſt;

Præſens virum imperitum conſilio imbuit.

Ubi ἄνολβον ἄνδρα vocavit indoctum hominem: quod eruditio genuinæ ſunt animi opes.

Crocum in Ciliciam.

Εἰς Κιλικίαν κρόκον, id eſt, in Ciliciam crocum, proverbiale eſt in eos, qui cumulate merces eò comportant, ubi magna ſit earum affluentia, aut qui divitibus opima munera largiuntur. Citat Suidas: εἰς Αἴγυπτον ἄγειν σῖτον καὶ εἰς Κιλικίαν κρόκον. id eſt: In Ægyptum deferre fruges, in Ciliciam crocum. Cilicia croci fœtura abundat apud Corycum Ciliciæ urbem & in Tmolo monte. unde Virgilius in Battaris:

—— Cilicio crocus æditus arvo. & in Georgicis;
—— Nonne vides, croceos ut Tmolus odores
Mittit. ——

Reſpondet adagio noſtrati, in Norvegiam aſſeres comportat; quod ea regio admodum nemoroſa, lignis abundantiſſima ſit.

Morſimi verſus quis deſcripſerit.

ἢ Μορσίμου τίς ῥῆσιν ἐξεγράψατο

id eſt;

Quis verba Morſimi velit deſcribere:

Adagium, quo utemur, quum quid putidius ineptiusque eſſe indicabimus, quam ut ediſci, aut etiam prælo excudi mereatur. Suidas annotat, dici ἐπὶ τῶν ἀπεβλημένων καὶ διαβεβλημένων; hoc eſt, de contemptis & rancidis, infamibuſque. Morſimus Athenienſis Poeta fuit, Tragicus, admodum frigidus: cujus tragœdiam canere in devotionis cujuſdam loco ponit Ariſtophanes, ut idem illi ſit explodi, quod Morſimi verſus ediſcere.

A cauda ad os transferre.

Ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ τὸ στόμα μετάγειν, id eſt, A cauda ad os transferre, apud Plutarchum in 9 Sympoſiac. proverbii vice poſitum eſt pro, à calce ad initium transferre: ut quod poſtremum locũ obtinere debuerat, ad primum mutato ordine tranſponatur. ſic autem inquit: αἱ γὰρ καλούμεναι ψυχραὶ τράπεζαι ἀπ' οὐρᾶς ἐπὶ στόμα μετενεχθεῖσαι τὴν πρώτην ἀντὶ τῆς ἐσχάτης τάξιν ἔχουσι. id eſt; Quas frigidas nominamus menſas, à cauda ad os tranſlatæ, primum pro poſtremo ordinem obtinent.

Papulas alienas obſervans, ipſe hulceribus obſitus.

Proverbii ſpeciem ſapit illud Senecæ ex libro. De vita beata; Papulas obſervatis alienas, obſiti plurimis hulceribus, hoc eſt, ut ſi quis pulcherrimorum corporum nævos aut verrucas derideat quem vera ſcabies depaſcitur. Quadrabit in eos, qui alienis in rebus oculatiſſimi ſunt emiſſitiis oculis Lamiarum inſtar cuncta explorantes, domi ſuæ talpis cæciores. Concordat cum illo ex Tragœdia.

Ἄλλων ἰατρός, αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Id eſt;

Aliis medetur, ipſe plenus hulcerum.

Sunt autem papulæ, aſpredines quædam cutis, quibus ea & rubet & leviter roditur, authore Cornelio Celſo, ex eorum genere quos ἴονθους vocant Græci, & exanthemata.

Camelo tranſmiſſo, culex in cibro deprehenſus hæſit.

Guilielmus Xylander in Plutarchi Alcibiadem; Certe plerunque, inquit, tranſmiſſo camelo, culex in cribro deprehenſus hæſit. hoc eſt, maximis & pernicioſis erroribus præteritis, levicula quædam annotantes, officio ſe probe functos crediderunt. Alludit ad illud Anacharſidis Scythæ longe celebratiſſimum, Leges aranearum telis eſſe ſimiles, in quibus infirmiora animalia hærerent, valentiora perrumperent: ita leges, humiles ac tenues conſtringunt, à potentioribus impune violantur. Meminit Valerius, & Plutarchus in Solone. Idem & diviti adſcribitur Lucæ 18. ubi divitem Camelo comparat. Sic à Gallis exprimitur: Les petits ſont ſubjects aux Loix, & les grands en font à leur guiſe. Huic cognata ſunt hæc Matth. 23. Excolantes culicem, camelum autem glutientes, id eſt, parva peccata obſervantes, & magna deſpicientes, & Luc. 6. Matth 7. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo proprio eſt, non animadvertis? Vide infra Medice cura te ipſum.

Muſica in luctu importuna.

Celebre proverbium eſt ex Eccleſiaſtici 22. cap. Muſica in luctu importuna narratio eſt. Non diſſimiliter Horatius in Arte poetica.

—— Triſtia mœſtum
Vultum verba decent. & Perſius:
—— Cantas, ait, cum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes.

Innuit autem, hilaritatem ridicule accommodari triſtibus. Nam ut inquit Plautus in Ciſtel. immundas fortunas æquum eſt ſqualorem ſequi. Unde Ovidi. 1. Triſtium, ad librum ſuum inquit;

Vade, ſed incultus, qualem decet exulis eſſe,
Infelix habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia ſucco;
Non eſt conveniens luctibus ille color.

Vide ſupra. Ludere inter mœrentes. Euripidis quidem ſententiã mirari ſæpe ſoleo, qui non in conviviis, ſed in luctu potius Muſicam adhibendam eſſe cenſet, quod convivia ſatis ipſa per ſe læta ſint; in luctu autem quærendum ſit aliquid, quo minuatur dolor, Ego vero ſi uſquam, inter pocula maxime, talibus blandimentis & relaxationibus animi locum eſſe duco.

Medice cura te ipſum.

Haud dubie olim pro proverbiali ſpecie dictum fuit, & adhuc hodie uſurpatur. Chriſtus apud Lucam cap. 4. omnino dicetis mihi parabolam hanc; Medice cura teipſum. Joan. Rivius in lib. De officio paſtorali. Cave ne quorum vitia reprehendis, ab iiſdem Evangelicum illud audias; Medice cura teipſum. Sunt autem qui aliis conſulere norunt, non ſibi. Hinc Demoſthenes oratione 2. contra Ariſtogit. τοὺς ἐπιλήπτους φησὶν ἰάσασθαι αὐτὸς ὢν πάλαιστος πάσῃ πονηρίᾳ. id eſt; Epilepſia laborantes prædicat ſe ſanaturum, cũ ipſe omni improbitate & malitia laboret. Cõgruit huic & illud, quod refertur a Plutarcho in libello de Dignoſcendo aſſentatore ab amico, & contra Colotem; Aliorum medicus. de quo Eraſmus noſter. Hinc Galli: Bon eſt le medicin, qui ſe ſcait guerir. Non diſſimile eſt illud. Matth. 7. c. & Luc. 6. Hypocrita ejice prius trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies, ut eximas feſtucam ex oculo fratris tui. Vide ſupra, Camelo tranſmiſſo, culex, &c.

Perſvadebit album eſſe nigrum.

Hoc dicto non eſt aliud hodie vulgo tritius apud Gallos, qui ſua lingua dicunt; Il me fera à croire que le blanc eſt noir. Tractum videtur ab Anaxagora Clazomenio. qui affirmabat, nivem non eſſe albam. Proverbium in eos, qui ad inſaniam uſque impudentes, aut quæ perſpicue vera ſunt, negant, aut quæ perſpicue falſa, ajunt. Quid enim certius, quid apertius eſt, quam nivem eſſe albam, & lunam frigidam ac gelidam? Quintianus:

Non vicit ingens candidas ignis nives.
Theocritus:
—— Ut canis è montibus albæ Sæpe nives.
Pamphilus.
Et redit ad noſtros frigida luna polos.
Cimbriacus;
Seu quæ regna manent gelidæ prope Cornua lunæ.

Talis eſt Royetus διεστραμμένος, id eſt ſtrabo, & aliter quam decet cernens: qui non veretur & confeſſa negare & manifeſto falſa pro certis affirmare, denique quidvis dicere, ne victus in diſputando videatur. *Multa enim portenta pertinaciter, indocte, & ſine ratione, ne coarguatur ebrius, ſæpe aſſueverat.* Proinde ludit operam, quiſquis cum id genus hominibus diſceptat, qui dicunt lucem tenebras & tenebras lucem, ut ait vates ille divinus. Michael Fabricius Bezæ, pro Balduino: Facilius quidem perſuaſeris nivem eſſe atram, quam meum eſſe tuum, vel tuum eſſe meum, ubi nulla ne ſocietas quidem eſt, aut communio.

Lux tenebræ.

Proverbii vice & loco uſurpari cœptum eſt, in epiſcopos, quibus à Chriſto dictum eſt Matth. 5. Vos eſtis lux mundi. Sic luceat lux veſtra corã hominibus; ut videant veſtra bona opera, glorificentque patrẽ veſtrum qui eſt in cœlis. Et Luc. Videte ergo, ne lumen

quod

quod in vobis eſt, tenebræ ſint. Matth. 6. Quod ſi lumen quod in vobis eſt, tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Paul. Rom. 2. Confidis te ipſum ducem eſſe cæcorum, lumen in tenebris verſantium, eruditorem inſipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac veritatis per legem. Doces alium, teipſum non doces: prædicas non furandum, & furaris: dicis non adulterandum, & adulterium committis, &c. Joan. 3. Lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Paul. 2. Corinth. 6. Quæ communio lucis cum tenebris? aut quid convenit templo Dei cum ſimulachris? Ad hæc omnia eleganter alluſit.

Idem Greg. eodem Sentent. lib. 1.

Ὑμῖν λέγω ... [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

id eſt:

Qui dignitatis obtinetis culmina,
Caliginoſa veſtra ne ſint lumina,
Antiſtites ne cenſeamini mali.
Si lux tenebræ quid tenebræ tandem erunt?

Ad eundem ſenſum vulgo detorquetur hoc Chriſti, quod etiam habetur eodem Matth. ca. 5. Sal infatuatus. Vos eſtis ſal terræ, inquit Chriſtus. Quod ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? Ad nihil valet ultra, niſi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Eſt enim, ut idem Gre. inquit, lib 2.

[illegible]
[illegible]

id eſt:

Eſt maximum vitæ decus ſcientia:
Si rite non utare, maximum malum.

Ariſtoph. principio νεφελῶν, non abſimiliter dixit, noctem & lucem:

[illegible]
[illegible]

Rex Jupiter, quam immenſa res eſt noctium.
Nunquam ne pulſa nocte naſcetur dies?

Vide ſupra, Noctem ſive tenebras inducere rebus.

Sine ſcopo jaculari.

A ſcopo ad quem ſagittas dirigimus, manarunt proverbiales locutiones: Attingere ſcopum. Aberrare a ſcopo, & ſimiles; qui etiam per metaphoram pro fine illo accipitur, quo mentem & propoſitũ noſtrum dirigimus. Cicer. Attic. lib 15. Scopus enim hic eſt huic noſtro, nihil præbere. Macrobius propoſitum vocat, quod Græci σκοπὸν nominant. Hinc Lucianus in Toxaride, ſub finem: [illegible] id eſt: Quandoquidem in præſentiarum nullo propoſito ſcopo ſumus jaculati, de integro, delecto arbitro, alia amicorum paria referamus, &c. Quemadmodum enim ſagittarii certam metam atque ſcopũ ſibi proponunt, ad quem ſagittas ſuas dirigant: ſic & adoleſcentes certum vitæ genus deligere debent, ad quod omnes ſuas actiones referant. Quod faciendum etiam ſuadet Cic. 1. Offic. Æſchylus Agamemnone: [illegible]. Attigiſti, ut ſagittarius ſummus, ſcopum. Idem Lucianus in indoctum librorum emptorem; [illegible], id eſt. Ad ſcopum jaculari. Vide ſupra. Intendere in ſcopum.

Accepto damno januam claudere.

Vulgatum eſt proverbium, quod ſolet dici in eos, qui pecoris ſui diligentes fuere cuſtodes: quibus deriſum imperatur, ut accepto damno, ſtabulum claudant, ac per hoc ſciant ſibi ereptam eſſe ſpem recuperandi quod amiſerunt. Juvenalis ſaty. 13.

Quandoquidem accepto claudenda eſt janua damno.

Meretrix Pudicam.

Subaudi, monet vel arguit. Speciem habet proverbii: quale eſt, Sus Minervam. Uſus ejus eſſe poterit, ubicunque improbi homines, bonos ex ſuo animo, ſuiſque moribus metiuntur, aut immerentes vituperant. Athenagoras Athenienſis, philoſophus Chriſtianus, in apologia pro Chriſtianis, ad imperatores Romanos Antonium & Commodum ejus filium: ἀλλ' οἱ [illegible] id eſt: Cæterum tales quum ſimus, non deſunt qui hæc crimina nobis objiciant, &, ut proverbio dicitur, Meretrix pudicam.

Iungere gryphes equis.

Proverbialis figura, de his quæ natura plurimum diſſidet. Gryphes enim animalia equis vehementer infeſta ſunt, ex quadrupedum & feratum volucri genere, aliſque & facie aquilis ſimiles. His cum Arimaſpis, uno oculo in fronte inſignibus, circa Metella aſſidue bellum eſt. Plin lib. 7. c. 2. Et idem lib. 10 cap. 49. Pegaſos equino capite volucres, & gryphas auritos aduncitate roſtri; fabuloſos reor: illos in Scythia, hos in Æthiopia.

Jungentur (inquit poetarum princeps in pharmacentria)
Jam gryphes equis, ævoque ſequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

Eſt enim ſimilis figura; quibus utimur, quoties diſſimilia & diſſidentia penitus conjunguntur. Acceſſu temporis, inquit Virgilius, non ſolum pulchra deformibus nubent, ſed etiam contrariæ naturæ animalia jungentur. Quid damis, timidis animalculis, cum moloſſis & vertagis? Eadem figura duo illa animalia conjungit. His figuris ſimiles ſunt hæ: Corio panthera magis varius, magiſque maculoſus: & Non magis aſſimile eſt, quam Indo Scytha. & Serpentes avibus, agnos tigribus geminare.

Deploratis vulneribus manus admovere.

Joſephus Scaliger in conjectaneis ſuis in lib. 6. Varronis De lingua Latina. Ex ſtabunt quidam, qui quod tam deploratis vulneribus manus admoveant, mirabuntur. Morbus enim deploratus, & ægroti deplorati dicuntur, quibus nullo remedio poteſt ſuccurri. Sic rempublicam dicimus deploratam, jam everſam, vel de qua nihil melioris ſpei ſupereſt.

Ante victoriam encomium canis.

Plato in Lyſide, vel de amicitia, O ridicule Hippothales, antequam viceris, encomium in te ipſum componis, cantaſque. In Theæteto. Videmur mihi ignavi galli inſtar, antequam vicerimus, ad cantandum ſtatim proſilientes à diſputatione.

Excolantes culicem, camelum glutiunt.

Matth. 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt legis, judicium & miſericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci exolantes culicem, camelum autem glutientes. Quadrabit in ſuperſtitioſos, qui ſimulantes neſcire te in quo vera ſit pietas, ceremoniis duntaxat inhærent. Quæ voramus, minus deguſtamus: quæ vero liquantur & excolantur, plane palato ſapida ſunt. Culex parva beſtiola, decimas menthæ; camelus præcepta, fidem, &c. notat.

Clypeum poſt vulnera ſumere.

Nec hoc quidem relatum ab adagiorum ſcriptoribus, abſque controverſia [illegible] offendi. Dicitur autem de intempeſtivo auxilio, & præſidio. Ovid. de triſt. lib. 1. 3.

Et quanquam ſero clypeum poſt vulnera ſumo;
Attamen hanc odiis exonerate fugam.

Convenit huic Diogenianum illud, Poſt bellum, machinas. Quo longius trahetur, eo erit venuſtior ejus uſus. Ad externa. Hic homo incipit eſſe parcior frugaliorque, jam conſumptis opibus: clypeum poſt vulnera, ut ajunt. Ad corpus: Aſſidua [illegible] offectum & enervatum corpus jam continentiam meditatur: clypeum nempe poſt vulnera. Ad animum: Hic filium ſuum perverſa animi natura & improborum ſocietate perditum, ad probam frugem videtur recepturus: vereor ne poſt vulnera, quod ajunt clypeum ſumat.

Cœlum in tartara ſolvere.

Quemadmodum proverbio dicimus, Cœlum terræ miſcere, & mare cœlo, quod utrunque apud Juvenalem ſat. 2. reperitur: ita quoque Virgilius, Tellurem undis miſcere, cœlumve in tartara ſolvere, uſurpat. Hujuſmodi enim propemodum idem ſignificant, nempe omnia perturbare, rerumque univerſi naturam evertere & confundere. Æneid. 12.

Quo reſcumque cadent, nec me vis ulla volentem.
Avertet: non ſi tellurem effundat in undas
Diluvio miſcens, cœlumque in tartara ſolvat.

Albati ad exequias pullati ad nuptias procedunt.

Staniſlaus Hoſius pontifex eccleſiæ Varmienſis in Pruteniæ; vir egregius, ſingularique Chriſtianæ religionis defenſor, in explicatione ſynodi Petricovienſis, ubi agit de ceremoniis à temporc ſumptis, citat ex Synodio Arvernorum epiſcopo, elegans adagium his verbis: Procedunt albati ad exequias, pullati, ad nuptias, teſtaturque convenire iis, qui præpoſtero judicio hilarem ſumunt diem, gaudioque ac lætitia exultant, quando luctus & mœroris ſigna erant exhibenda: contraque lugentibus ac mœrentibus, ubi lætari ac gaudere oportebat. Pullata enim veſtis decet exequias; at nitidos & albatos congruit nuptias accedere.

Alcinoo poma dare.

Mere proverbiale eſt illud Martialis, poetæ faceriſſimi pariter & lepidiſſimi, quod [illegible] ejus inique ſtudiis ſodalis [illegible] ſatyr. 5. Alcinoo poma dare. Quando tenuis rei vel facultatis homo, magis opibus abundanti, ejuſq; quod datur largiſſime diviti, munus aliquod [illegible] offert dedicatq; ; vel cum tenuioris conditionis vir, ſummo excellentique ingenio viro, ſummaq; doctrina nobili, ingenii aliquod leviden ſe, ut ait Cicero, munuſculum nuncupat; quod nec ſic faſtidiri convenit, contra quam faciunt ſupercilioſi quidam Thraſones, magna inſolentia & ſtultitia dementi rejicientes; ſi quid ejuſmodi aliquando contigerit, læta indolem majeſtatem ſuam arbitrantes, ſi cogantur huc deſcendere, ut humilia accipiant, vel legant. Martial. lib. 7. ad Caſtricum, eo do quo expoſuimus utitur: cujus hæc ſunt verba:

Muneribus cupiat ſi quis contendere tecum,
Audeat hic etiam, Caſtrice, carminibus.
Nos tenues in utroque ſumus vincique parati;
Inde ſopor nobis, & placet alta quies.
Tam mala cur igitur dederim tibi carmine, quæris?
Alcinoo nullum poma dediſſe putas?

Juvenalis ſatyr. 5. taxans Trebium amicum, qui ſe paraſitum Virroni cuipiam opulento exhibebat, omni contumeliarum genere quoti-

quoti ſianiſque probris à divite illo vexatus, ad proverbium ſuperius alludit carminibus, quæ ſubjiciam: etſi poma Alcinoi, de ſapore & guſtu ſuavibus & delicatiſſimis, ſpecie pro genere utendo, licebit dicere etiam proverbiali colore:

Virro ſibi & reliquis Virronibus illa jubebit
Poma dari, quarum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum autumnus habebat.

Alcinoi pometum (ſic enim Tertullianus loquitur) graphice deſcribit Homerus Odyſſ. η.

ACCESSIO PUSILLA AUT NIMIA.

Crœſi pecuniæ teruncium addere.

M. Tullius lib. de finib. 4. Itaque in quibus propter earum exiguitatem obſervatio conſequitur, ſæpe accidit, ut nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa nec ne ſint: ut in ſole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere, nihil intereſt, ad teruncium addere Crœſi pecuniæ. Teruncii nummi, à tribus unciis dicti, utilitas proverbio locum fecit. Crœſus Lydorum rex inter prodigioſe divites celebratur.

Holerum appoſitiones.

Αἱ τῶν λαχάνων προσθῆκαι: id eſt. Holerum additamenta. De re nullius momenti. Sumptum videtur vel ab holeribus appoſitis in menſa, vili nimirum cibo: vel auctariis holerum, quæ nonnunquam emptores ſordidi ac tenues requirunt, Autor Diogenianus.

Gleba arvum.

Βῶλος ἄρουρα: id eſt, Gleba arvum. ubi quis exigua maximis apponit credens ſeſe nonnihil juvare. Proinde legendum ſuſpicor, βῶλος ἀρούρᾳ, aut ἀρούρῃ: ut ſubaudias, προστίθεται, aut αὔξανει aut ejuſmodi quippiam. Nihil enim adfert momenti, ſi gleba arvo adjungatur: quod perinde ſit, ac ſi quis aquam è lacu hauſtam infundat mari.

Gutta vini.

Σταλαγμὸς οἴνου ἐν χοῒ ὕδατος οὐ μίγνυται: id eſt, Gutta vini non miſcetur aqua ſæpius infuſa. Cum paululo boni nimia mali vis admiſcetur. Diluitur enim & evaneſcit ſi pauxillum vini plurima corrumpat aqua.

Ne major thylaco acceſſio.

Lucianus in Encomio Demoſthenis: σὺ δ' ἴσως ἐνδέδοικας τὸ τῆς παροιμίας σκώμμα ἐπὶ τῇ ἀσυμμετρίᾳ ἐπαγαγόντος, μὴ σοι μεῖζον προσγένηται τὸ ἐπίσαγμα τοῦ θυλάκου. id eſt: At tu fortaſſe vereris, ne in te torqueatur illud proverbiale dicterium, de male reſpondente proportione: nempe, ne tibi thylaco major ſit acceſſoria ſarcinula. Thylacus enim culeus eſt ſive mantica, parata geſtandis oneribus. Neq; me clam eſt in vulgatis exemplaribus eſſe τὸ ἐπίχαγμα; non τὸ ἐπίσαγμα. Verum niſi ſcripturam mutaris, nulla ſententia poteſt elici. Eſt autem ἐπίσαγμα à σάττω, velut oneris adſertura. Tranſlatum autem à mulionibus, qui præter legitimum onus, vaſcula quædam ſuperimponunt. Ergo cum digreſſio longior eſt quam ipſa res, uti licebit hoc proverbio. Baſilius idem aliis verbis expreſſit libro De ſpiritu ſancto: ἢ οὕτω γε ἂν τὸ ἐπεισόδιον πολλαπλάσιον ἦν τοῦ κεφαλαίου. id eſt: Ad iſtum alioqui modum acceſſorium multo majus eſſet ipſo principali.

AD REM PERTINENTIA.

Nunc in regionem veni.

Νῦν εἰς χώραν ἦλθον: id eſt, Nunc in regionem veni. Ab iis dictitari ſolitum, qui tandem ſua ſponte illuc quo oportuit, pervenirent, cum diu non quiverunt. Fit enim plerunque, ut res diu quæſita non occurrat, tandem velut ultro veniat in mentem. Quidam ſic efferunt, νῦν εἰς χώραν ἦλθες: id eſt. Nunc in regionem veniſti: ubi quis eo venit, quo ſe venturum negarat.

Ipſum oſtii limen tetigiſti.

Αὐτῆς ἐψαύσας τὴν βατῆρα τῆς θύρας.

Id eſt:

Ipſum attigiſti limen oſtii pede.

Dici ſolitum, quoties ad rem ipſam pervenitur. Ariſtophanes in Ranis:

Ἀλλ' ἴσθ' ἐπ' αὐτὴν τὴν θύραν ἀφιγμένος.

Id eſt:

Sed noveris veniſſe te ipſas ad fores.

Rem acu tetigiſti.

Eſt apud Plautum in Rudente, Rem acu tetigiſti: pro eo quod eſt rem ipſam divinaſti, nihil aberrans. Metaphora ſumpta videri poteſt à luſu quopiam, in quo divinator, id quod alius notaſſet, ſumma acu tangebat: aut lineam, aut calculum, aut aliud quiddam ſimile. Igitur acu tangere, perinde eſt quaſi dicas, ipſiſſimum punctum attingere. Nam minutiſſima puncta denotantur acu.

Ædibus in noſtris quæ prava, aut recta geruntur.

Aulus Gellius ſcribit hunc Homericum verſiculum, qui eſt Odiſſeæ δ. proverbii vice Diogeni ſemper in ore fuiſſe.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Id eſt:

Ædibus in noſtris quæ prava, aut recta gerantur.

Quod alii tribuunt Socrati: Diocles adſcribit Diogeni, ut refert Laertius. Socrates autem hoc dicto dehortatus à ſtudio rerum naturalium ac ſupernaturalium, item a diſciplinis mathematicis, revocabat ad curam moralis philoſophiæ, quod hæc tractat ea quæ proprie ad nos pertinent. Plutarchus in commentario De ſervanda bona valetudine proverbii vice uſurpavit: ἢ μᾶλλον αὐτὸς ἔτι τῶν θεωρίων χρησιμώτατα διαλεκτικῆς καὶ μουσικῆς ὀργάνων μεταχειριζόμενος. ἢ ζητεῖν, καὶ μανθάνειν βουλόμενος.

Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Id eſt

Si magis officii ſui putat eſſe, ut in geometriæ, dialecticæ, muſicæque ſtudio verſari videatur, quam ut inquirat, cupiatque cognoſcere.

Ædibus i propriis, quæ prava aut recta gerantur.

Quo verſu monemur, ut ea potiſſimũ, quæ ad noſipſos pertinent, curemus, externa atque aliena ne inquiramus. Quo vitio feſtiviter Martialis Ollum quendam notat, qui malorum alienorũ erat obſervator curioſiſſimus, & taxator acerrimus: cum ipſe uxorem haberet adulteram, filiam viro maturam, deberetq; etiamnũ protogula. Diogenes Cynicus, cui carmen hoc, ut modo dixi, ſemper in ore conſvevit eſſe, grammaticos nimis ridicule facere ajebat, qui tanto ſtudio Ulyſſis mala inquirerent, ſua ignorarent. Huc referri poteſt & illud apud Homerum pene ſolenne: habetur enim ζ. Iliad. Odyſſ. α φ. & φ.

Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε.

Id eſt:

Quin in tecta abiens, tu propria munia cura.

Plutarchus πολυπραγμοσύνην definit φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν id eſt, Curioſitatem, ſtudium aliena mala cognoſcendi. Atque id hominum genus lamiis ſimiles ait, quæ domi oculos reconditos habent, foras egreſſuræ reponunt: atque ita fit, ut domi cæcutiant, foris ſint oculatiſſimæ. In hujuſmodi præpoſtere oculatos eleganter torſeris illud Sophoclis de ſenibus dictum:

Πόρρω βλέπουσι, ἐγγύθεν δὲ πᾶς τυφλός.

id eſt:

Procul videns, ſed cominus videns nihil.

Nam id ſenibus accidit, ut propius admota non cernant, longius ſemota videant: atque hujus rei cauſam reddit Plutarchus, Convivialium quæſtionum prima decade.

Ipſi curandum.

Αὐτῷ μελητέον, ἀλλ' ἐπὶ τὴν οἰκίαν; Id eſt, Ipſi curandum eſt, ſed in domum. Zenodotus aut hujus adagii mentionem fieri apud Ariſtophanem in Agricolis, præterea apud Platonem in grammaticum. Natum autem ab ædibus quibuſdam maximis, quæ locabantur conducere volentibus. Unde convenire videtur; (ſi quidẽ conjecturas ſequi fas eſt, ubi nihil adferunt quod ſequaris Græci ſcriptores) in eos, qui rebus alienis liberius utuntur: ut ſolent qui in conducto habitant.

Omiſſis nugis rem experiamur.

Qui conviciis omiſſis jubebit ipſa re periculum fieri, Uter vincat aut vincatur, non intempeſtiviter accommodaverit illud ex eodem libro.

Βέλτερον αὖτ' εἴη ξυνελαυνέμεν, ὄφρα τάχιστα
Εἰδῶμεν ὁππότεροισιν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ.

id eſt:

Sed præſtet pugnam committere cominus, ut mox
Utri Jupiter eſſe velit laudemque decuſq;
Perſpicuum fiat: —— ——

Pedem conferre.

Pedem conferre, à militia ſumptum. Uſurpatur, ubi propius acceditur ad rem. Cicero in actione pro Plancio: Non poſſum magis conferre pedem, ut ajunt, aut propius accedere. Hujus obiter & alibi meminimus ex Quintiliano. Sumptum videtur ex Homero: apud quem illud frequens eſt, ἐγγὺς ἰόντες. id eſt: Prope venientes. hoc eſt, cominus congreſſi. Idem non minus jucunda figura extulit Vegetius De re militari lib. 3. cap. 14. Prima autem & ſecunda acies, quum ad ſpathas & pila, ut dicitur, ventum fuerit, totum ſuſtinet bellũ. Spathas autem vocabant gladios longiores: quemadmodum pila, haſtas breviores: nimirum quinque ſemis pedum, quæ deinde ſpicula ſunt dicta. Autor Modeſtinus. Hujuſmodi pugnæ genus deſcribit Q. Curtius libro tertio. Ergo cominus conſerere, gladios impigre ſtringunt, tum vero multum ſanguinis fuſum eſt. duæ quippe acies ita cohærebant, ut armis arma pulſarent, mucrones in ora dirigerent: non timido, non ignavo ceſſare tum licuit: collato pede quaſi ſinguli inter ſe dimicarent, in eodem veſtigio ſtabant, donec vincendi locum ſibi facerent. Et Maro:

Hæret pede pes, denſuſque viro vir.

Ab unguibus incipere.

Ἐκ τῶν ὀνύχων ἄρχεσθαι dicuntur, qui à leviſſimis, minimeq; ad rem perti-

Pertinentibus ordiuntur. Ita Baſilius epiſtola quadam: καταγε-λαστον, ἐκ τῶν ὀνύχων ἄρχεσθαι, καὶ μὴ αὐταῖς αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς διαλέγεσθαι. id eſt: Ridiculum eſt ex unguibus initium ſumere, ac non potius cum ipſis illorum capitibus colloqui. Caput rei dicitur, quod eſt illius præcipuum. Vſus erit, quoties admonebimus, ut omiſſis parergis, ac frivolis, agatur de cauſa. Aut ſi quis velit emendare reipubl. ſtatum, ordiatur à principibus potius quam ab humilibus qui non multum adferunt momenti, vel ad perniciem civitatis, vel ad ſalutem.

Rectam inſtare viam.

Pro, rem ipſam deprehendere. Plaut. Rectam viam inſtas, ea res eſt. Idem nunc ego pol demum in rectam redii ſemitam.

Ventorum ſtationes.

Ἀνέμων στάσεις γινώσκουσιν οἱ ἐγχώριοι: Ventorum ſtationes norunt indigenæ. De rebus multo uſu obſervatis: aut cum ſonuemus cuique ſua omnia, ut artem, patriam, domeſtica, amicos, eſſe notiſſima. Suid. ſunt pleriſque regionibus ſui quidam venti, quorum naturam incolæ optime & norunt & reipſa ſentiunt.

Junii *Quod ſal carni.*

Quum ſignificare volumus proprium aliquid eſſe & peculiare alicui rei, proverbii uſus erit: veluti ſi dicamus, veritatem propriũ eſſe condimentum hiſtoriæ non aliter quam ſal carni ſit, aut poetices delectationem. Vſus eſt Philon Judæus libro de mundi opificio, de piſcibus loquens, quibus ad conſervationem corporis aſperſa ſit vitalis facultas: καθάπερ φασὶ τοὺς ἅλας ταῖς σαρξὶν ἵνα μὴ ῥᾳδίως διαφθείρηται. id eſt: Quemadmodum ſal, uti dicitur, carni, ne facile computreſcat. Ita Varro libro Rei ruſticæ 2. Suibus animam datam pro ſale ait, qui ſervaret carnem. At ſal fatuus, de inſipido homine dicitur: quomodo, Hecebolius ſophiſta legitur ſe humi ſtraviſſe ante templi veſtibulum, exclamaſſeque πατήσατέ με τὸν ἅλα τὸν ἀναίσθητον, id eſt; Proculcate me ſalem inſenſibilem. quod refert Nicephorus Calliſtus.

Lapis ad funiculum.

Λίθος ποτὶ στάθμαν ἄγεται, id eſt, Lapis ad funiculum aptatur; proverbium accommodatur, quum quid rite fit & ex uſu; nec enim rubrica ad lapidis poſitum adaptatur, ſed pro rubricæ ſeu funiculi ductu coria in ædificiis ſeu lapidum ordines appoſite locantur. Vtitur eo Gregorius Palama: καὶ λίθος ποτὶ στάθμαν εὐθετεῖται, οὐ στάθμη ποτὶ λίθον συναρμόζεται, id eſt; Et lapis ad funiculum apte locatur, non autem funiculus ad lapidem componitur Confine eſt illi, Bos currum trahit, non bovem currus. Eſt autem στάθμη, is funiculus fabrorum cæmentariorum, quem ad perpendiculi normam extendunt, ut lapidum coria concinnius aptent atque componat. Poteſt & inverti adagium, quum quid præpoſtere adminiſtrari ſignificabimus. Euripidis Scholiaſtes citat hoc modo adagium: τὸν λίθον ποτὶ τὰν στάθμαν ἄγε. id eſt; Funiculo lapidem applica. Refertur & ab Apollonii interpretibus Doricæ parœmiæ nomine, ita, ἡ Δωρικὴ παροιμία τὸν λίθον ποτὶ τὸ σπάρτον ἄγοντες, id eſt; Dorico proverbio dicitur, Lapidem ad ſparton agentes.

Veſtigia relegere.

Frequens eſt apud Platonem metaphora, proverbii ſpeciem reſipiens, a veſtigiis ſumpta ἴχνος μετελθεῖν, Veſtigium relegere: ἴχνη διώκειν, id eſt, Veſtigia perſequi; ejuſque generis locutionibus incluſa, & quidem de his qui ante propoſitam materiam ordine perſequuntur, aut inſtituto ſermoni inhærent; occaſione petita ab odoriſequis canibus qui feræ veſtigia inſequuntur. Plato in Theæteto; ἴσως γὰρ οὐκ ἀπὸ καιροῦ πάλιν ὥσπερ ἴχνος μετελθεῖν. id eſt; forte non abs re atque intempeſtivum fuerit, denuo veſtigia relegere. Item in Phædone; καὶ μὴ θέλητε ὥσπερ κατ' ἴχνη κατὰ τὰ νῦν τε εἰρημένα καὶ τὰ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ ζῆν. id eſt; Si nolitis vitam inſtituere ad eorum, quæ modo & ante quoque diximus, rationem, tanquã veſtigia perſequendo. Rurſus in Politiæ octavo: ζηλοῖ τὸν πατέρα καὶ τὰ ἐκείνου ἴχνη διώκῃ, id eſt, Si æmuletur genitorem ejuſque perſequatur veſtigia. quod Cicero dixit, In majorum ſuorum veſtigiis ſtare. Idem in Cratylo δοκῶ μοι ὥσπερ ἴχνους ἐφάπτεσθαι τῆς Ὁμήρου δόξης περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος. id eſt; Ratus me Homeri ſententiam de recta nominum impoſitione, tanquam veſtigium quodpiam attigiſſe. Pindarus Pythiorum decima oda. τὸ δὲ συγγενὲς ἐμβέβακεν ἴχνεσιν πατρός. id eſt; Generis amor fecit illum patris inſiſtere veſtigiis. Propertius lib. 3.

Cæſaris & famæ veſtigia juncta tenebis.

Seri & meti.

Dixere Latini proverbialiter, Seri & meti, de ſpe & fructu conſiliorum atque actionum. & Salomon Proverbiorum capite 22. ὁ σπείρων φαῦλα, θερίσει κακά. Qui ſeminat iniquitatem, metet mala. Oſeæ decimo capite; Seviſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, Paulus ſecunda ad Corinth. 6. Qui parce ſeminat, parce metet. Idem ad Galat. 6. Quæ enim ſeminat homo, hæc & metet. Iob. 4. Seminant dolores & metunt eos. Eſaiæ 37. Serite & metite. Hæ metaphoræ admodum communes ſunt ſacris literis. In ſumma, ut ſementem feceris, ut elegantiſſime dixit Cicero, ita & metes; hoc eſt, reportabis præmium tuis factis dignum; Eraſmo noſtro interprete in ſuis Adagiorum chiliadibus, opus plane divinum, quo illuſtriſſima ſimul & lectu facilia ac jucunda reddidit Adagia, & ipſos authores. Hunc certe libentiſſime citamus. nam & labentis jam literaturæ perpetuus vindex, & ἰσοπαλὴς τῶν ἐγκωμίων noſter fuit (Simile huic, Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur: in Chiliad.)

Vinalia ſine vino expediri non poſſunt.

Varro in libri De lingua Latina præfatione: Multa, inquit, ſocietas verborum, nec vinalia ſine vino expediri, nec curia calabra ſine calatione poteſt aperiri quibus dictis proverbialibus ſeſe excuſat, ſi in libris ſuis quædam adferat, quæ abſurdiora videantur. Non enim poteſt fieri ut ille, qui nominum origines conatur explicare, non interdum dicat, quod ab omnibus non probetur.

ADVLATIO.

Erasmi *Mercenarium præconium.*

Laudes non ex animo tributas, ſed commodi gratia per adulationem oblatas. M. Tullius actione in Verrem 3. Mercenarium præconium appellat. Itaque quum à te caput illud tam multis verbis Mercenario præconio eſſet ornatum, ecquis inventus eſt poſtea prætor, qui illud idem ediceret? Quanquam in vulgatis codicibus me non fugit, pro præconio haberi procœmio: an recte docti viderint.

Salvete equorum filiæ.

Apparet joco vulgari fuiſſe jactatum in eos, qui emolumenti gratia blandiuntur, Refert Ariſtoteles libr. Rhet. 3. in certamine mulorum quum is qui vicerat, dixiſſet exile precium pro carmine, Simonides recuſavit, indignans mulos celebrare ſuo poemate. verum ubi victor dediſſet ſatis magnum præmium, carmen tale fecit:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Id eſt:

Salvetote voluci pedum ſoboles equorum.

Siluit enim quod eſſent ex aſinis quoque nati: & quod honeſtius erat expreſſit, equorum filias.

Verbis coquinariis.

Ῥήματα μαγειρικά: id eſt, Verba coquorum, venuſte dixit in eadem fabula, proverbiis mollibus, blandis ac dulcibus. Coquorum enim eſt, condimentis edulcare cibum per ſe ſubauſterum. Monetur illic quiſpiam, ut populum Athenienſem blandiloquentia demulceat, Carmen ſic habet.

Ὑπογλυκαίνων ῥηματίοις μαγειρικοῖς.

id eſt:

Deliniens eos coquorum verbulis.

Μαγειρικοῖς dixit, pro μειλιχίοις hoc eſt placidis ac dulcibus. Habebit gratiam, ſi quis dicat Epicuri philoſophiam demulcere vulgarium animos ῥηματίοις μαγειρικοῖς: quod voluptatem aſſerat eſſe ſummum bonum.

In oſtio formoſus.

Ἐν θύρᾳ καλός: id eſt, In oſtio formoſus. De iis qui adamantur, vulgoque gratioſi habentur. Sumptum à veterum conſuetudine, qui formoſorum aut amaſiorum nomina, arboribus, foliis ac parietibus inſcribebant, ὁ δεῖνα καλός. Ad id alludens Ariſtophanes in Veſpis:

Καὶ νὴ Δί' ἢν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον.
Τὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλὸν,
Ἰὼν παρέγραψε πλησίον κημὸς καλός.

id eſt:

Ac per Jovem ſcriptum uſpiam ſi viderit
Demum venuſtum in Pyrilampus oſtio.
Adſcribit, ——
Accurrit ac Cemum venuſtum proxime

Idem ἐν Ἀχαρνεῦσιν:

Ὑμῶν ἐραστὴς ἦν ἀληθῶς, ὥστε καὶ
Ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφεν Ἀθηναῖοι καλοί.

id eſt:

Is veſtri amans haud ficte erat: nam id ædium
Muris, venuſti Athenienſes ſcripſerat.

Alteri verſui Græco ſupereſt ſyllaba, tametſi ſic habet Aldina editio: ſuſpicor inverſum ordinem dictionum. Conſtabit, ſi legas hoc modo: ἐν τοῖς ἔγραφεν τοίχοις Ἀθηναῖοι καλοί. niſi magis placet ut legamus, ἐν τοῖσι τοίχοις ἔγραφεν Ἀθῆναι καλαί. quaſi blandientes civitati, hoc in illius mœnibus ſcripſiſſent. Apud Athenæum lib. 6. refertur ex autore quopiam, quod qui Athenienſium rempublicam adminiſtrabant, aſſentabantur populo, dicentes cæteras quidem omnia eſſe Græcorum communia, verum illud eſſe proprium Athenienſibus, quod viam noſſent, quæ perduceret in Cœlum. Quiſquis legerit encomium Æſchinis & Menonis apud Platonem, intelliget quam formoſos pinxerint Athenienſes, miro dicendi artificio illis blandientes. Interpres diſtichon hoc citat ex Callimacho:

Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φλοιοῖσι κεκομμένα τόσσα φέροιτε
Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν.

id eſt:

Literulas tot ferte inſculptas frontibus hiſce,
Cydippen pulchram quod memorare queant.

Id imitatus Maro:

Teneris, inquit, incidere amores
Arboribus: creſcent illæ, creſcetis amores.

Torquere licebit & in eos, qui falſo per aſſentationem laudantur, aut in mendaciſſimos principum quorumdam titulos: quod genus ſunt, Pater patriæ, deliciæ orbis, amor mundi, ſereniſſimus, inclytus, clementiſſimus: cum meri ſint Reipublicæ prædones.

Μυοσόβαι.

Et hodie vulgo dicuntur μυοσόβαι, id eſt, muſcarum abactores, qui frivolis officiis cuipiam obſerviunt. quod à Perſarum deliciis natum indicat Athenæus libro 12. qui in conviviis μυοσόβας adhibebant, quod nunc apud Italos plebejum eſt. Et μυοσοβεῖν eſt abigere muſcas, quod quadrabit etiam in illos, qui tenere amant quempiam, ut minimo etiam illius incommodo offendantur: ut conveniat cum illo quod alibi retulimus ex Homero:

--- Ὡς ὅτε μήτηρ
Παιδὸς ἐέργῃ μυῖαν ὅθ' ἡδέϊ λέξεται ὕπνῳ.

Id eſt:

--- Non ſecus atque genitrix
Muſcam arcet puero ſomno mulcente cubanti.

Haud quaquam difficile, Athenienſem Athenis laudare.

Ariſtoteles libr. Rhetor. 1. ὥσπερ γὰρ ὁ Σωκράτης ἔλεγεν, οὐ χαλεπὸν Ἀθηναίους ἐν Ἀθηναίοις ἐπαινεῖν. id eſt: Quemadmodum enim dixit Socrates, haud difficile eſt, Athenienſes Athenis laudare. Citat idem eodem in opere de prooemiis agens, haud quaquam eſſe difficile, Athenienſes laudare apud Athenienſes, verum apud Lacedæmonios id fore difficile. Extat autem in Menexeno Platonis, idque in adagionis locum ceſſit. Dictum eſt autem, propter encomia, orationeſque panegyricas, quæ Athenis ex more exhibebantur iis, qui fortiter oppetiiſſent in bello: in quibus quoniam plurima dicebantur in laudem populi Athenienſis, pronis auribus audiebantur propterea quod ſuis quiſque laudibus favet.

Pithon formoſus.

Πίθων καλός: id eſt, Pithon formoſus. Conveniet, ubi quis per adulationem falſo laudatur. Pindarus in Pythiis hymno 2. καλός τοι πίθων παρὰ παισὶν αἰεὶ καλός. id eſt: Formoſus Pithon ſemper apud pueros formoſus. Interpres oſtendit ſumptum à pueris adulantibus ſimiæ, ſubinde dictitantibus, καλὲ πίθων. Videtur autem pithon eſſe diminutivum hujus dictionis πίθηκος, quaſi dicas ſimiolus. Taxat Pindarus oblique quendam: vel quod ab indoctis laudatus tolleret criſtas, vel quod ipſe adularetur Hieroni, laudans non laudanda. Eſt autem φιλαυτία peculiaris huic animanti, adeo ut laudes ſentiant, & ſpeculis delectentur, & ſuos catulos contrectari gaudeant, ipſique ſuos catulos complexu enecent. Ad gratiam loqui, veteres dicebant χαριτογλωττεῖν, quo verbo uſum Æſchylum in Prometheo vincto, docet Athenæus libr. 4. Eodem referente, qui jucunda potius quam vera loqui ſtudio habebant, ἡδυγλωττεῖν dicebantur.

Cura eſſe quod audis.

Ad proverbii ſpeciem accedit Horatianum illud;
— Cura eſſe quod audis
Convenit in divites, qui ita demum felices fuerint, ſi id ſtudeant eſſe quod audiunt ab adulatoribus, Carmen Horatii ſic habet:

Tu recte vivis, ſi curas eſſe quod audis:
Jactamus jam pridem omnis te Roma beatum.
Sed vereor, ne cui de te plus quam tibi credas.

Herculana ſcabies.

Ἡράκλειος ψώρα: id eſt, Herculana ſcabies: de ſcabie jucunda, facileque ſanabili, interprete Suida, aut qui deſideret Herculana, id eſt, calida balnea. Narrant enim Herculi laboribus illis ingentibus fatigato, Palladem ac Nymphas crebro balnea ferventia ſuppeditaſſe. Uſum hujus adagii non indicat, neque Zenodotus, neque Suidas. Equidem opinor dici poſſe vel in eos, qui multo ſtudio aliove labore valetudinem offenderunt, ut quibus aliquo laxamento ſit opus: vel in eos, qui blandis adulationibus deliniti, veluti jucunda quadam ſcabie pruriunt.

Ficum cupit.

Σῦκα αἰτεῖ, id eſt, Ficum petit. In eum dicebatur, qui commoditatis alicujus gratia blandiebatur. Inde natum tradunt, quod olim Athenienſes agricolis blandiri ſoleant, ut ab illis ficos præcoquas acciperent, bene ominantes ac precantes, ut in annum ſequentem fici feliciter provenirent. Ruſtici vero poſteaquam ſenſerint civium blandiloquentiam eo ſpectare, ut ficos acciperent, in proverbium verterunt, ut commodi ſpe adulantem, ficos petere dicerent. Ariſtophanes in Veſpis:

Σὺ δ' αὖ νῦν σῦκά μ' αἰτεῖς. id eſt:
Tu vero nunc ficos a me petis.

Ἀδελφίζειν.

Ἀδελφίζειν dicuntur, qui vocabulis adoptivis alicui blandiuntur, quod hodieque apud Italos eſt vulgatiſſimum, ut quibus blandiuntur fraterculos appellent. Dictum eſt autem ἀδελφίζειν, appellare fratrem, quemadmodum dicimus [illegible] & [illegible]. Horatius in Satyris:

—— Frater, pater adde:
Ut cuique eſt ætas, ita quemque facetus adopta.

Ruſus alibi:
— Pater audiſti coram, nec verbo parcius abſens.

Hujus exemplum eſt apud Ariſtophanem in Equitibus. Item apud Plautum, cum alias, tum in Pſeudolo. Sic amans herus blanditur ſervo ſuo.

Dic utrum patrem an matrem te reſalutem Pſeudole.

Demulcere caput.

Demulcere caput, allegoria proverbii vice recepta, pro blandiri: ſumpta ab adulantium geſtu. Quanquam hunc inter moras commemorat Fabius lib. 11. In hac, inquit, cunctatione ſunt quædam non indecentes, ut appellant ſcenici, moræ, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos. Chremes in Heautontimorumeno, negat ſe ſibi temperare poſſe, quin Syro caput demulceat. Eſt ſubinde & apud Plautum. Divus Hieron. ad Auguſtinum: Prætermitto ſalutationis officia, quibus meum demulces caput. In eundem ſenſum uſurpavit Lucilius, Scabere caput, apud Nonium: Hic ubi me videt, ſubblanditur, palpatur, caput ſcabit.

Refutantis laudem immodicam.

Οὔτις τοι θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις.

id eſt:

Nullum ego ſum numen, quid me immortalibus æquas?

Plutarchus in commentario, cui titulus, Quo pacto quis intelligat ſe profeciſſe, monet ut hoc Homericum carmen ſemper habeamus in promptu, tanquam pharmacum adverſus venenum adulationis, aut ubi quis nos magnificentius quam pro merito laudat. Uſurpatur a Luciano in Icaromenippo. Carmen extat Odiſſeæ π. ſub perſona Vlyſſis, loquentis ad Telemachum filium.

Cauda blandiri.

Κέρκῳ σαίνειν. id eſt, Cauda blandiri dicuntur, qui ſpe commodi cuipiam adulantur. Ariſtophanes in Equitibus:

Ὃς σαίνων σ' ὅταν δειπνῇς ἐπιτηρῶν,
Ἐξέδεταί σου τοὔψον ὅταν σύ ποι ἄλλοσε χάσκῃς.

id eſt:

Qui cauda alludens cum cœnam obſervat, amice,
Te ſpectante alio, tua edulia devorat ille.

Pro eodem frequenter uſurpat αἰκάλλειν, quod canum eſt, auribus, cauda, totoque corpore blandientium, in Equitibus.

τὰ μὲν λόγι' αἰκάλλει με.

Id eſt:

Oracula quidem blandiuntur hæc mihi.

Θωπεύειν. item ab animante dictum eſt, ſi Græco Etymologico credimus. Thos Græcis lupi genus eſt. Blandiuntur enim & lupi quidam more canum. Thoas refert Plinius lib. 8. cap. 34. de luporum quidem genere, ſed quod homini ſit amicum animal. An hinc dicatur θωπεύειν, dubito.

Præſtat habere acerbos.

M. Tull. in dialogo de amicitia: Scitum eſt enim illud proverbium Catonis. Multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur. Equidem ut præclaram eſſe ſententiam fateor, ita proverbium eſſe negaverim. Primum quod nullam omnino proverbii ſpeciem præ ſe ferat: deinde quod proverbia vulgi ſunt non hujus aut illius. Unde legendum arbitror: Scitum eſt enim illud Catonis: aut illud verbum Catonis, tamen adſcribendum putamus, ne quis indiligentia prætermiſſum exiſtimaret.

Benignior bellace vulpe.

Ὡς πιθανώτερος αἰκάλλει ἀλώπηκος.

id eſt:

Pellace quanto eſt blandior vulpeculas.

De eo qui commodi ſui cauſa ſimulat benevolentiam. Archilochi vulpeculam commemorat Plato libro de Repub. 2. ἐπειδὴ τὸ δοκεῖν, ὡς δηλοῦσί μοι οἱ σοφοί, καὶ τὴν ἀλήθειαν βιᾶται καὶ κύριον εὐδαιμονίας, ἐπὶ τοῦτο δὴ τρεπτέον ὅλως, πρόθυρα μὲν καὶ σχῆμα κύκλῳ περὶ ἐμαυτὸν σκιαγραφίαν ἀρετῆς περιγραπτέον, τὴν δὲ τοῦ σοφωτάτου Ἀρχιλόχου ἀλώπεκα ἑλκτέον ἐξόπισθεν. id eſt: Itaque poſteaquã opinio, quemadmodum declarant homines ſapientia præditi, etiam ipſam veritatem cogit quod felicitatis eſt proprium, ad hanc ſane prorſus incumbendum eſt, ac ſibi quiſque ceu veſtibulum ac virtutis umbram circumponere debet, ſed ita ut ſapientiſſimi Archilochi vulpem à tergo trahat. Hæc ibi Glauco, laudans injuſtitiam, quo Socratem ad juſtitiæ prædicationem exciret. Archilochi vulpeculam commemorat & D. Baſilius, cum alias, tum in libello ad nepotes ſuos: & Philoſtratus in imaginibus. Multi ſunt apologi de vulpis aſtutia: ex his quis ſit Archilochi, non ſatis liquet.

Lethale mulſum.

Θανάσιμον μελίκρατον: id eſt, Lethale mulſum, eandem cum ſuperiori habet ſententiam. Diogenes formoſa ſcorta, θανάσιμον μελίκρατον, id eſt, Lethiferum mulſum, appellare conſuevit, tametſi nihil vetabit, & in aſſentationem, in fœdas voluptates torquere: breviter, quicquid ita jucundum eſt, ut idem ſit pernicioſum. Legimus & Mellitum venenum, apud Plinium. Et idem Diogenes orationem ad gratiam comparatam, auriumque pruritum, μελιτίνην ἀγχόνην, id eſt, Melleam præfocationẽ appellabat: quod aſſentatione quidem delectaret, cæterum mendacio ſtrangularet admittentem.

Quod

Quod videlicet ille Hieronymiano ſimillimum eſt, adeo ut ſuboleat mendum ſubeſſe exemplaribus, & pro gladio, laqueum legi debere. Quis enim ſolet gladium oblinire melle? Ad hanc formã attinet, quod refert Irenæus lib. 3. c. XIX. Lacte gypſum male miſceri. præſcus enim venenum habet gypſum: & additũ lacti fallit.

Χρηστολόγος.

χρηστολόγοι dicebantur, atque hodie quoque vulgo dicuntur, qui probe loquuntur, & improbe faciunt. Dictum autem peculiariter in Pertinacem imperatorem, quemadmodum, in hujus vita teſtatur Julius Capitolinus. Paulus in epiſtola ad Romanos hujuſmodi blandiloquentiam χρηστολογίαν vocat. καὶ διὰ τῆς χρηστολογίας, καὶ εὐλογίας, ἐξαπατῶσι τὰς καρδίας τῶν ἀκάκων, id eſt: Qui per blandiloquentiam ac beneficentiam ſeducunt corda innocentium.

Io Pæan.

Jo Pœan, acclamatio proverbialis, qua conſuevimus uti re graviter & feliciter peracta: cui non diſſimile videtur illud Homericum, εὖ γ' ἔειπες: & apud Latinos, Macte virtute. Athenæus ex Clearchi primo de proverbiis libro citat, ἰὴ παιῶν, ἰὴ παιάν. id eſt: Ie Pæon, Ie Pæan. Nam utroque modo ſcriptum reperio. Natũ hinc exiſtimant. Cum Latona ex Chalcide Eubœæ civitate Dianam & Apollinem in Delphos tranſportaret, evenit forte fortuna, ut juxta ſpecum, in quo Pytho latitare dictus eſt, prætereiret. Ubi vero jam proſiliens Pytho impetu ferretur in illos, Latona mulierum more territa, filii auxilium inclamavit his verbis, ἵει παῖ, id eſt, Jaculare fili. ibi Apollo, qui tum forte geſtabat arcum, miſſo telo Pythonem interemit. Inde vox deflexa eſt, ut diceretur, ἰὴ παιάν. Idque cum ter iterari conſueverit in ſacris Apollini factis, quidam arbitrantur primum ortum eſſe carmen hexametrum heroicum & jambicum trimetrum. Etenim ſi pronuncies primis productis ſyllabis,

Ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν, ἰὴ παιάν:

hexametrum erit, meris conſtans ſpondeis. ſin primis correptis, jambicum erit trimetrum, puris jambis abſolutum. Cujus rei meminit etiam Terentianus grammaticus. Item Julius Pollux in quarto demonſtrat, in Pythicis ludis quinque fuiſſe cantus ſpecies. πεῖραν repræſentari Apollinem, certaminis diſpicientem locum: κατακελευσμόν, provocantem Pythonem, ἰαμβεῖον, pugnantem: σπονδεῖον, vincentem, καταχόρευσιν, ovantem. Hinc vulgo proverbii vice receptum eſt, ut re feliciter peracta, acclamemus, ἰὴ παιάν. Latini videntur ε, in ω mega commutaſſe. Ovidius in opere De arte amandi:

Dicite io Pæan, & io bis dicite pæan.
Decidit in caſſes præda petita meos.

Et in triumphis acclamabatur, Io triumphe. Horatius in Odis.
Non ſemel dicemus, io triumphe.

Polycrates matrem paſcit.

Πολυκράτης μητέρα νέμει: id eſt: Polycrates matrem paſcit. Hoc adagium ex hiſtoria petunt, narrantes Polycratem Samiorum tyrannum matres militum qui in bello interiiſſent, recenſuiſſe eaſque locupletioribus civibus nutriendas tradidiſſe, unam quamque his commendantem verbis: σοὶ ταύτην μητέρα δίδωμι, id eſt: Hanc tibi do matrem. Uſum proverbii non adſcribit Zenodotus: proinde liberum eſt unicuique conjicere, cui ſententiæ rectiſſime poſſit accommodari. Ego puto non incommode poſſe uſurpari, quoties aliquis in commendandis amicis eſt benignior, officioſiorque. Aut ubi quis alieno ſumptu de quopiam bene mereri ſtudet, ita ut aliis nummos impendentibus, ipſe præter officioſa quædam verba nihil inſumat. Qui mos hodie quoque vulgo principibus manet. Siquidem miniſtros, annis jam ad aulicum uſum inutiles, monaſteriis, aut civium ditionibus alendos mandant.

Ipſe ſemet canit.

Αὐτὸς αὑτὸν αὐλεῖ: id eſt, Ipſe ſibimet tibicen eſt, hoc eſt, ipſe cujuſmodi ſit, factis ipſis declarat. Tibicines enim olim laudes fortium virorum decantabant. Proinde qui recte geſtis ſibi ſatis magnam gloriam comparat, quorſum huic neceſſum eſt conducere buccinatorem laudum ſuarum? Adagium in utramlibet partem poterit applicari, bonam vel malam. Nihil huic opus tibicine, qui ſuis egregie geſtis ſat illuſtris eſt. aut: Nihil opus hujus vitam inſectari, ſatis per ſe fœdam atque infamem. Conveniet & in illos, qui ſemetipſos laudant, qui mos eſt gallis gallinaceis, etiam quum e pugna ſe proripuerint. Plato in Theæteto, φαινόμεθά μοι ἀλεκτρυόνος ἀγεννοῦς δίκην πρὶν νενικηκέναι, ἀποπηδήσαντες ἀπὸ τοῦ λόγου ᾄδειν. id eſt: Videmur mihi ignavi galli in morem, quum ante victoriam à ſermone reſilierimus, canere.

Magis ipſe Phryx.

Μᾶλλον ὁ Φρύξ: id eſt, Magis ipſe Phryx. Equidem conjicio dictitatum, quoties ea magis probarentur, non quæ veriora ſint, ſed quæ adulantius dicta. Narrant Crœſum Lydorum regẽ aliquando percunctatum ſeptem illos ſapientes, cui nam primum felicitatis titulum tribuerent. At cum varie reſponderetur, aliis dicentibus, feras indomitas ſibi videri feliciſſimas, quod pro tuenda libertate mortem oppeterent: aliis ciconias, quod citra legem, ſuapte natura jus piumque ſervarent: Solone vero negante, quenquam appellandum felicem, prius quam ex vita deceſſerit, aſſiſtens Phrygius ille fabulator Æſopus, Tanto, inquit, rex cæteros antecellis, quanto mare præſtat fluviis. Id ubi rex a[illegible] reſpondiſſe fertur: μᾶλλον ὁ Φρύξ. Ea vox in proverbium ceſſit. Equidem haud ſcio an ita legendum ſit, μᾶλλον ἢ Φρύξ, ut ſit libenter agnoſcentis eam laudem, & cum eſſet maxima, tamen aliquid etiam adjungi deſiderantis. unde cum quis aperte nobis adulatur, ſuccinere licebit; μᾶλλον ἢ Φρύξ. Referunt Suidas & Zenodotus.

Pulchre dixit;
Belle narras.

Huc pertinere videntur ironiæ illæ proverbiales, paſſim in comœdiis obviæ; Dixit pulchre, belle narras καλῶς λέγεις; de re dictu vehementer abſurda. Plato in Euthydemo nominatim pro proverbio commemorat. Verba Platonis ſunt τὸ γὰρ λεγόμενον καλὰ δὴ πάντα λέγεις, id eſt: Etenim quod dici ſolet, omnia pulchra dicis. Item in Gorgia: ἄκουε δή, φασί, μάλα καλοῦ λόγου. id eſt: Audi jam, ut ajunt, valde pulchrum ſermonem.

Climacides.

Κλιμακίδες: id eſt, Scadulæ per jocum vocari potuerunt, qui ſe divitibus ad quidvis obſequii ſubmittunt, etiamſi ſordidiſſimum ſit. Sic autem vulgato convicio ſunt appellatæ mulierculæ quædam Cypriæ, adulatrices apud Syros, quod regum uxoribus ſubmitterent ſeſe, ut per eas ceu per ſcalas currum conſcenderent: Meminit Plutarchus in libro de diſcernendo adulatore ab amico: Et Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 6. Et Valerius Maximus, Rerum memorabilium lib. 9. cap. 1.

Gloſſogaſtores.

Qui linguam habent venalem, ea loquentes quæ ventri conducunt Comicorum ſalibus taxati ſunt, dictique γλωσσογάστορες, voce ridicule ex lingua & ventre compoſita. Quadrabit in malos advocatos, in concionatores, quorum oratio quæſtum ſapit, in aſſentatores. Autor eſt Julius Pollux libro de rerum vocabulis 2. Athenæus libr. 3. docet ejuſmodi homines a poetis aliquot dictos κνισοκόλακας, & κνισολοίχους: quod ob culinæ nidorem adulentur & nidorem liguriant: morbum dictum κνισολοιχίαν: Ita Juvenalis:

Te putat ille ſuæ captum nidore culinæ.

Ex cohorte prætoris.

Qui ad omnem nutum præſto ſunt, & cum autoritate delegantur ad hoc aut ad illud exequendum, ex cohorte prætoris appellari dicuntur. M. Tull. ad Qu. fratr. epiſtola 1. Quos vero aut ex domeſticis convictoribus, aut ex neceſſariis apparitoribus tecum eſſe voluiſti, qui quaſi ex cohorte prætoris appellari ſolent, horũ non modo facta, ſed etiam dicta nobis præſtanda ſunt, &c. Miniſtri prætorum non egent alia excuſatione, quam ut dicant ſe quod fecerunt illorum juſſu feciſſe: ut jam in prætorem ſit actio: non in miniſtros: Simile imperium in quoſdam cibo officiiſque ſic devinctos, ut nihil auſint recuſare.

Conſeſſus in talario ludo.

Nec proverbii ſpecie caret quod habetur in eadem epiſtola, Conſeſſus talarius: pro conventu hominum parum honoratorũ. Nam conſeſſus Græce συνέδριον, proprie dicitur Senatus aut judicum, qui ſolent ex honeſtiſſimis deligi. In conſeſſu talario qui nequiſſimus eſt, primas tenet. verba Ciceronis ſunt hæc: Nõ enim unquam turpior in ludo talario conſeſſus fuit, maculoſi ſenatores, nudi equites: tribuni non tam ærarii quam ut appellantur ærati: pauci tamen boni inerant, &c. Quanquam & is jocus eſt proverbialis, quod ait illos vulgo appellari ſolere pro tribunis ærariis tribunos æratos, hoc eſt, obæratos, aut certe bene nummatos peculatu.

ERASMI APPENDIX. *Herculana ſcabies.*

Poteſt dici etiam in eos, qui blandis adulationibus deliniti, velut jucunda quadam ſcabie pruriunt. Herculi laboribus fatigato, narrantur nymphæ una cum Pallade crebro calida balnea ſuppeditaſſe: quæ balnea, dum corpus ſubeunt & laſſitudinem auferunt, titillationem quandam ac veluti pruritum conjunctam habere notum eſt. Lege Chil. 2. Cent. 4. Prov. 26.

Οἰκουρία.

Μισθοὶ τῆς οἰκουρίας. Ludicra, quæ pueris dantur, quo domi maneant. tralate, pro donis exilibus, quibus tamen alios inveſcamus, eorumque benevolentiam parare nos arbitramur. Euſtath.

Ius in manu.

Τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ τίθεσθαι, jus in manu reponere, dicuntur qui æqui ſunt tyrannis καὶ τὴν μάχαιραν δίκην ἔχουσιν: aut qui arma legibus præferunt: aut denique, qui potentioribus in judiciis favent, neglecto jure. Lucian. Iidem dicuntur διαλαχεῖν ξυρῷ ὀξεῖ, acuto dividere ferro. Plutarchus.

Ἀδελφίζειν.

Vocabulis adoptivis alicui blandiri, & in genere adulari in os: proprie appellare fratrem, quemadmodum dicimus πατερίζειν, & μαμμίζειν. Horat. Ariſtoph. Plautus.

JUNII. *Floccos demere.*

Κροκίδας ἀφαιρεῖν, id eſt, Floccos demere, proverbialiter dicitur:

qui alicui aſſent[illegible] palpum obtrudit, & adulationis gratia quidvis factitat, ut annotatur ab Eudemo. Ariſtophanes:

Εἴ τις κολακεύει παρὼν καὶ τὰς κροκίδας ἀφαιρῶν.

Id eſt:

Si quis palpatur præſens & floccos auferens.

Idem & κροκιδίζειν dicitur. Familiare hoc officii genus eſt adulatoribus, ut pilos, floccos, & pulviſculum curioſe de veſtibus colligant: quod κροκυδισμὸν nominant, Heſychius κρανύλογμον.

Frumentum in populum.

Πυρὸς εἰς δῆμον, id eſt, Frumentum in populum: proverbiale dicterium in ambitus ſuſpectos, & officiis muneribusve gratiam vulgi demereri ſtudentes: cujuſmodi fuere, qui frumentum populo viritim dividendo, tyrannidis gratia id facere putabantur, ut civium libertatem in periculum vocarent, occupatis tali libertate illorum animis. Cicero lib. ad Attic. 6 jocatur in eum, quod largitus fuiſſet in Athenienſes frumentum, tanquam qui ad tyrannidem viam quandam affectaret, itaque ait: Sed heus tu πυρὸς εἰς δῆμον Athenis placet hoc tibi; Memorat Vellejus Paterculus Tiberium, ejuſque fratrem Cajum, Gracchos, præmuniendæ regalis potentiæ gratia, frumentum populo dari inſtituiſſe. Quadrabit in omnes, qui quavis ratione gratiam captant popularem.

Laudare nimis mane.

Varie exponitur hoc Salomonis proverbium, cap. 27. Quidam ſic. Qui nimis accurate & magnifice laudat aliquem, videbitur execrare. Alii ſic: Laudare aliquem nimis mane, hoc eſt, antequam tibi perſpectus ſit, vitio vertitur, &c. nimis præpropere.

COGNATI *Chreſtologus.*

Χρηστὸς ſuavem, facilem, & benignum ſignificat: de quo nomine eſt elegans Auſonii epigramma, & Tertulliani locus in Apologetico: De ſuavitate, inquit, vel benignitate nomen compoſitum eſt. Oditur itaque in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. Inde & Pertinacem Chreſtologum vulgo dictum Capitolinus ſcribit, quod verbis magis quam ipſa benignus eſſet: hoc eſt, ut Aurelius Victor eleganter expreſſit, blandus magis quam benignus. Non erit etiam valde alienum, hic adjicere nomen affine, quo veteres inter ſημεῖα, id eſt notas aliquando uſos notavi: ut cum quid in alienis ſcriptis vitandum putarent, ἄχρηστον adſcribebant: cum quid utile, χρήσιμον. Caſſiodorus lib. 1. inſtitut. divin. ſcript. Ticonius (inquit) Donatiſta in eodem volumine quædam non reſpuenda ſubjunxit, quædam vero venenoſa dogmatis ſui ſecilenta permiſcuit: cui tantum in bonis dictis chreſimon, in malis achreſton, quantum tranſiens valui reperire, ut arbitror competenter adſixi. Solebant etiam veteres θ adſcribere, pro veruto his quæ non probarent: quæ fuit etiam Triumvirorum capitalis nota.

Vulpinari non decet, nec utrique parti illudere.

Iſtud in adulatorem competit qui ut rectius verſutiuſque imponat, diſſimulare ſe fingit ex compoſito. Tale eſt Praxillæ poetriæ Sicyonæ, quod inter ea, quæ παροίνια ſive convivalia inſcripſit, à veteribus recenſetur:

Οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν,
Οὐδ᾽ ἀμφοτέροισι γίγνεσθαι φίλον.

Nemo neſcit, vulpem animal eſſe fraudulentum, de cujus aſtutia multi ſunt apologi: unde alio proverbio dicitur, Benignior pellace vulpe: de quo Eraſmus noſter. Vide quoque infra,

—— Fronte politus,
Aſtutam vapido ſervat ſub pectore vulpem.

Varro in Myſteriis: Vulpinare modo, & concuſſa qualibet.

Rex eris.

Ita loquebantur veteres, & nos quoque hodie vulgo facimus. Horatius:

At pueri ludentes, Rex eris, ajunt,
Si recte facies——
Qui faciet recte non qui dominatur, erit rex.

M. Varro de lingua Latina: Qui ad quartum, inquit, gradum pervenerit, is rex fuerit, & plane numeris omnibus rem abſolverit. Quartus aditus, regis eſt: & magnum fecerit, qui ad eum acceſſerit. Tale eſt illud Plautinum Pœnulo:

Rex ſum, ſi ego illum hodie hominem ad me allexero. Sic victor, qui aliquid abſolvit & perfecit. Virg. Georg.

——Victorque virum volitare per ora.

Ibidem paulo poſt, Ego virgilius effector propoſiti, cui vota proceſſerunt, & voti animi compos: id eſt, ἐπιτυχής.

Sic Nonius. Idem Virg. Æneid. 10.

Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantes.

Itaque Victoriam Cic. in Bruto pro abſolutione poſuit, quæ nos voti compotes reddit. Et ejus verba ſunt: Eloquentem neminem video factum eſſe victoria.

Rex eris.

Ad exemplum Plauti, quod attulimus alibi nihil peccem, credo, ſi ex eodem Turnebi capite hæc addam: Varro: Quartus ubi eſt aditus & initia, regis qui ad quartum, ait, gradum pervenerit, is fuerit rex, & plane rem modis omnibus abſolverit. Horat. 1. epiſt. 1.

—— Rex eris, ajunt,
Si recte facies ———— Auſon.
Qui recte faciet, qui non dominatur, erit rex:

Sic victor etiam dicitur, qui aliquid perfecit & abſolvit: Virgil.

——Victorque virum volitare per ora, Iterum:
Illi victor ego & Phrygio conſpectus in oſtro.

COGNATI *Oleum ore ferre.*

Proverbium eſt, quod de aſſentatoribus, & blandientibus dicitur. Oleum autem pro aſſentatione & blanditiis, palpoque, ac fictis ſermonibus, etiam in ſacris libris invenimus: & perinde etiam ita ſacri interpretes exponere conſueverunt, ut illud præcipue Pſalm. 149 ἔλαιον ἁμαρτωλοῦ μὴ λιπανάτω τὴν κεφαλήν μου. Oleum, inquit peccatoris non pinguefaciet caput meum: id eſt, palpo & fictus ſermo. Et propterea illud etiam Martialis ab Eraſmo noſtro obſervatum, Oleum ferre in auricula, videtur dici de eo, qui aſſentatoribus & adulantibus aures patefaciebat. Id quod hodie reges, principes, & pontifices majores ac minores faciunt, qui aſſentatoribus, & adulantibus, non ſedes tantum perfundendas oleo, ſed & caput & aures ipſas patulas ſponte offerunt opplendas, & nullos magis admittunt ad contubernia & conſuetudines, atque ad arcana etiam tractanda. De adulatoribus iterum David Pſal. 54. dicit: Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula. Diogenes etiam orationem blandam, ut pote ad fallendum vel ad gratiam paratam, melitum laqueum vocitabat. Ajunt quoque medici, cibaria dulcia confeſtim in bilem abire & converti. Vide Scorpiones & apes.

Rex eris.

Frequentiſſimum Latinis & Gallis eſt, ad excitandum aliquem hoc genus loquendi. Horatius:

——Rex eris, ajunt, ſi recte feceris.
Auſonius:
Qui recte faciet, qui non dominetur, erit rex.

Tale eſt illud Varronis: Quartus ubi eſt aditus & initia Regis. Qui ad quartum, ait, gradum pervenerit, is rex fuerit, & plane modis omnibus rem abſolverit. Sic victor etiam dicitur, qui aliquid perfecit, & abſolvit, votique compos eſt, id eſt ἐπιτυχής, animi compos, ut interpretatur Nonius, effector propoſiti, cui vota proceſſerunt. Virg. in principio tertii libr. Georg.

——Victorque virum volitare per ora.
Iterum paulo poſt:
Illi victor ego.——
Et alibi:
Ille ſedens victor, &c.

Nonius alibi: Victorem alicui rei ſuperatorem dici voluit Virgil. Georg.

Inde ſecutus
Per montes victor, atque alta cacumina regnat.

ÆQUALITAS.

ERASMI *Æqua concertatio.*

Cum ſignificabimus duos ex æquo paratos ad diſceptandum, rixamve, licebit accommodare carmen illud ex eodem libro:

Τὼ μὲν ἄρ᾽ ἐν χείρεσσι τὰ ἔγχεα ὀξυόεντα,
Ἀντίον ἀλλήλων ἴσχον μεμαῶτε μάχεσθαι,

id eſt:

Illi inter ſeſe, jamjam pugnare parantes
Obtendunt, pariterque manus, præacutaque pila.

Ἴσον ἴσῳ.

Ἴσον ἴσῳ: id eſt, Par pari dicebant, ubi quid ex æquo moderatum ſignificabant. Sermo ductus à potoribus, qui frequenter de æqualitate diſputant, interdum pugnis & ictibus. Sed olim æqualitas erat, ut tantundem adderetur aquæ, quantum eſſet vini. Athenæus lib. 11. ex Ariſtophanis fabula, cui titulus Philonides, citat:

Τοιγαροῦν ἐμοί ποθ᾽ ἥρως ὁ δεσπότης
Ἐν Θηρικλείοις ἀρετῆς οὕνεκ᾽ ἀσπίδα,
Ὑπεραφρίζουσαν, ἐκπέπωκεν ἴσον ἴσῳ κεκραμένην
Προσφέρων ἔδωκεν.

Id eſt:

Proinde jam nuper meus
In Thericleis mihi virtutis ergo præſtitæ,
Scutum herus pulchre rotundum, deferens dono dedit,
Spuma inundans, declinatum, temperatum par pari.

Ex Stratone comico citat hoc carmen:

Ἐρυθροὶ ὅλκουσ᾽ οἱ μὲν ἐκ προχιδίου,
Οἱ δ᾽ ἐκ καδίσκου ἴσον ἴσῳ κεκραμένον.

Id eſt:

Sors quam trahunt alii quidem è prochidio,
Alii ex cadiſco temperato par pari.

Primus trochaicus eſt imperfectus, & hic legendum arbitror prochoidion, utrumque vas eſt vinarium. ἴσον autem pro ſorte ponitur: quæ prima dicitur, ut alias docuimus. Idem eodem libro refert ex Hermippo:

Ἀνάδει

Ἄμυστιν ἐκπιών.
Ὡς ἄν τις ἀθρόον ἐκπιὼν ἐκκεχυμένον.

Id eſt:

Quem ſpiritu uno exhauſeram.

Suaviſſime, contemperatum par pari.

Alibi retulimus, par pari: verum non eſt idem proverbium. Illud de penſatione dicitur, hoc de mixtura æquali. veluti: Utinam natura viam hominum miſcuiſſet ἴσον ἴσῳ, nunc nimio plus eſt mali quam boni. Hæc autem verba, ἴσον ἴσῳ, ponuntur velut abſolute, præter rationem conſtructionis: quemadmodum dicimus διὰ παντός.

Pari jugo.

Pari jugo dixit Plin. in Epiſt. pro eo quod eſt, pari ſtudio, parique conatu. Quadrabit in eos, qui negocium commune certatim ac ſimili contentione agunt. Translatum à bubus, idem plauſtrum æquali jugo trahentibus. Plinii verba ſunt hæc: Habet quidem gloria, in ſtudiis præſertim quiddam ἀκοινώνητον: nobis tamen nullum certamen, nulla contentio, cum uterque pari jugo non pro ſe, ſed pro cauſa niteretur. Theocritus in Aita:

Ἀλλάλους δ' ἐφίλαςαν ἴσῳ ζυγῷ.

Id eſt.

Parique jugo ſeſe invicem amabant.

De amore mutuo & æquali, quem Græci vocant ἰσόῤῥοπον. Huic finitima ſunt, quæ ſcribit divus Hieronymus ad Auguſtinum: Romæ dicuntur eſſe quam plurimi, qui poſſint & audeant tecum congredi, & in diſputatione ſanctarum ſcripturarum jugum ex æquo ducere. Extat & Græcis proverbium:

Ἐγώ τε καὶ σὺ ταυτὸν ἕλκομεν ζυγόν.

Id eſt:

Idem egoque tuque ducimus ſimul jugum.

Quod ſuo referemus loco.

Pertinax contentio.

Quoties oſtendemus obſtinatam ac muliebrem æqualium inter ipſos contentionem, cum neuter altero vult inferior videri: conveniet illud, quod Iliad. lib. 4. Juno dicit ad Jovem:

Καὶ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι, γένος δέ μοι ἔνθεν, ὅθεν σοι.

Id eſt:

Ipſa etiam dea ſum, genus inde mihi, unde tibi ortus.

JUNII *In eandem lancem imponere.*

Εἰς τὴν αὐτὴν θεῖναι πλάστιγγα: id eſt, Eidem bilanci imponere, proverbialiter accepit Athenæus, pro eodem in loco habere, aut æqualiter æſtimare, Sic n. ait libr. 2. Dipnoſoph. εἰς τὴν αὐτὴν θεὶς πλάστιγγα τὴν μέθην τῇ μανίᾳ. id eſt: in eandem lancem cum inſania temulentiam componens. Sumptum à nummulariis, aut ab inſtitoribus, æqualia lancibus iiſdem ponderum momenta appendentibus. Huic finitimum eſt illud Simotati: οὐκ ἰσοῤῥόπους ἔχει ὁ ἔρως πλάστιγγας. id eſt: Amor non habet bilances æquilibrio æquales: & iterum: τὴν ἰσόῤῥοπον πλάστιγγα τὸ θεῖον σοι ταλαντεύσει. id eſt: æqualem bilancem Deus tibi appendet.

Media agina ferri.

Media agina ferri dicitur, quod æquo momento in neutram partem vergente declinat: Sic judicem integrum animi æquilibrio in neutram partem pronum media agina ferri dixerimus. Tertullianus libr. adverſus Hermogenem: Qui inter bonum & malum ſuo arbitrio agitatus, in neutram tamen partem pronus & præceps, mediæ, (quod ajunt) aginæ æquilibrato impetu ferebatur. Eſt autem Agina, illud in quo trutinæ ſcapus inſertus agitur vertiturque, teſte Sex. Pompejo: unde & Aginatorem dici annotat, qui exiguo lucro quovis impellitur, variarumque ſit partium.

Æqualia reddere capita in pugna.

Nazianzenus in funebri oratione Baſilio magno dicta: καὶ τὴν παρ' ἐμαυτοῦ ῥοπὴν χαρισάμενος, ἵνα ἰσοῤῥόπους τὰς κεφαλὰς τὸ τοῦ λόγου ποιήσῃ. id eſt, addito à me ſubſidii momento, æqualia in conflictu capita, juxta proverbium, ut eſſent effeci. Quadrabit, quum quis diſceptantibus arbiter datus, nunc hunc, nunc illum auxiliaribus argumentis ſuppeditatis ſuſtinet in æquilibrio quodam contentionis. nam parva acceſſio in tali pugna, ἑτεραλκέα νίκην, hoc eſt, victoriam alterutro declinantem tribuere poteſt. Locus videtur deſumptus ex Homero Iliados 11. ubi Græci pariter & Trojani pari Marte depugnantes, neutro alternante victoria ἴσας δ' ὑσμίνη κεφαλὰς ἔχεν. hoc eſt, æqualia in duello capita habebant.

COGNATI *Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus.*

Hujuſmodi figuræ aliæ plures ex contrariis verbis concinnatæ ferme proverbiales ſunt: quæ hujuſmodi ſenſum habent, ut nullo diſcrimine quippiam fieri ſignificent: Græcis igitur & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, proinde à Paulo dictum eſt: Quaſi nulli non debeo miniſterium meum, niſi ſi quis repellat. Qua dicendi figura ferit Judæos, qui ſibi proprie deberi Evangelii præconium credebant, excluſis à ſalute gentibus.

Aſſectus ejuſdem.

Hoc in publico apud Gallos verſatur. & vel ad ingenium, vel ad naturæ conſenſum transfertur. Ingeniorum autem συμπάθεια, eſt conſenſus naturæ ad ea ſtudia, eandemque animorum contentionem: quæ συμπάθεια conciliatrix eſt hominum blandiſſima. Cic. in 2. De divinat. Cognationem, inquit, naturæ & conſenſum, & quaſi concentum συμπάθειαν Græci appellant Bud. Fliſco. Non invitus ut agnoſcam ingeniorum συμπάθειαν tibi mecum intercedentem ad benevolentiam naturæ ſponte conciliandam, &c. Gell. lib. 18. Oſtrea, & alia quædam συμπάθειαν cum luna habere dicit, ut cum ea augeſcant & ſeneſcant: talis eſt maris cum luna, & heliotropi cum ſole natura. Conſenſus quoque naturalis eſt inter ferrum & lapidem magnetem, ut inter aquam & ignem ἀντιπάθεια, ex Plinio in præfatione libro 20.

Parere legem, quam ipſe tuliſti.

Paulus lib. Pandect. 32. tit. de legatis fideicom. cap. 23. ad hoc vulgo jactatum proverbium alluſiſſe videtur: Decet enim imperatoriæ majeſtati, eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur. Unde Claudianus:

In commune jubes ſi quid cenſeſve tenendum,
Primus juſſa ſubi: tunc obſervantior æqui.
Fit populus, nec ferre vetat cum viderit ipſum
Authorem parere ſibi. ———

Auſonius:

Legi pareto, quiſque legem ſanxeris.

Pari filo.

Quæ ſunt ſimili textura & lineamento, ea eſſe pari filo, politi ſcriptores dicunt. Lucret. lib. 2.

Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
Eſſe pari filo, ſimilique affecta figura.

Translatio a tela, ſeu lino aut lana, quæ digitis carpitur ac deducitur. Filum interdum eſt res quæque ad tenuitatem ducta. Henricus Stephanus in lib. 1. Cicer. de Tuſcul. Quo etiam modo Latini, quum ſatis multa per parentheſin inſeruerunt verba & ſermonem ſuum non una ſerie, eodemque velut filo continuarunt particulam inquam ad colligenda ſequentia cum præcedentibus adhibent. Sic dicimus, poema & orationem eſſe tenui filo, craſſo filo, ſubtili filo. Item lib. 4.

Quæ vulgo volitant ſubtili prædita filo.

id eſt: ſubtili textura. Huic ſimile μονόξυλον. uno è ligno: quo uſus eſt Plato lib. 12. De legibus, & poſt eum Cic. 2. de legib.

Ejuſdem notæ.

Quum aliquid ſignificamus eſſe ejuſdem formæ & generis & rationis, dicimus cum Seneca ex libr. De Clementia 2. c. 2. Et alia hujus notæ. Ducta translatione à forma publica qua nummi percutiuntur. Idem epiſt. lib. 5. cum vellet demonſtrare, facta ac dicta ſapientis ejuſdem rationis eſſe: Reſpondeant, inquit, ſibi, & una forma percuſſa ſint. Idque quia, ut ait Paulus Juriſc. l. 1. ff. de contrah. empt. Forma publica qua ſignantur pecuniæ, facit perpetuam æſtimationem. Seneca in Medea:

Quam levia fuerint quamque vulgaris notæ,
Quæ commodavi ſcelera.

Seneca lib. 1. epiſtol. Unicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ.

ÆQVANIMITAS.

ERASMI *In re mala, animo ſi bono utare, adjuvat.*

Meretur omnino Plautinus ille ſenarius ex captivis duobus, ut inter adagia recenſeatur:

In re mala, animo ſi bono utare, adjuvat.

Fortiter ferendo vincitur malum quod evitari non poteſt. Eandem ſententiam paulo ſecus explicat in Pſeudolo.

Bonus animus in re mala, dimidium eſt mali.

Iactare jugum.

Jactare jugum, eſt incommode ferre ſervitutis neceſſitatem. Translatum a bubus, nondum aſſuetis jugo.

Nec jactare jugum vita didicere magiſtra.

Simile illi, Contra ſtimulum calcitrare. Congeminatur enim infortunium, quod feras impatientius: minuitur animi æquitate. Quemadmodum ait Plautus:

In re mala, animo ſi bono utare, adjuvat.

Magiſtratum gerens, audi & juſte & injuſte.

Ἄρχων ἄκουε καὶ δίκαια κἄδικα.

id eſt:

Princeps iniqua & æqua pariter audias.

Sumptum ajunt hoc adagium ex Solonis elegiis, etiamſi hic trimeter eſt jambicus. Admonet, ut qui in tractandis Reipubl. muneribus verſatur, patentiſſimis ſit auribus, æquoque animo & bene & male audire conſueſcat: neque facile populi vel laudibus vel conviciis à recto dimoveatur. Congruit huc illud Sophocleum in Antigone:

Ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν
Καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τἀναντία.

Id eſt:

 Sed

Sed quem inſtituerit civitas & parva eum
Audire oportet & æqua, & his contraria.

Poteſt & ad hoc accommodari, quod quidam Romanus Imperator dixiſſe legitur, In civitate libera, linguas item liberas eſſe oportere. Neque vero mirum aut magnum, ſi principes permittant populo quæ velint dicere: cum ipſis liberum ſit quæ velint facere. Præterea de principium factis vulgus varie pronunciare conſuevit, quod alius probat, alius damnat. Majore autem animo oportet eſſe principem, quam ut hujuſmodi voces captandas aut obſervandas exiſtimet: tantum id ſpectet, quod ex uſu ſit reipublicæ. Huc Alexandri dictum pertinet: cui cum quidam renunciaſſet, eſſe qui de ipſo male loqueretur: Regium eſt, inquit, male audire, quum benefeceris.

10. *Ad finem, ubi perveneris, ne velis reverti.*

Μὴ ἐπὶ τὰ ὅρια ἐλθὼν ἐπιστρέφου, id eſt: Ne reflectas, ubi ad terminos perveneris. hoc eſt, interprete Plutarcho: Cum aderit fatalis dies, videriſque vitæ finem adeſſe, æquo animo feras, neque turpi vitæ cupiditate exanimeris. In vita Numæ paulo ſecus refert: Βαδίζοντας εἰς ἀποδημίαν μὴ μεταστρέφεσθαι hoc eſt: Qui peregrinationem ingreſſi ſunt, ne revertantur. Hieronymus aliter: Poſt mortem hanc ne deſideres vitam. Quemadmodum vulgo quoſdam dicentes audimus Vergilianum illud,

O mihi præteritos referat ſi Jupiter annos.

COGNATI *Quo fata trahunt, retrahuntque, ſequamur.*

Hujus etiam paſſim uſus eſt, cum ſignificatur, neceſſitati fatali parendum eſſe. Etenim quod fatis ſemel placuit, id nemini licet evitare: quoniam illa irrevocabiliter jus ſuum peragunt. Virgil. 5. Æneid.

Nate dea, quo fata trahunt retrahuntque ſequamur.

Porro autem quam neceſſitatem dicas, aut quæ fata innuat ſequenda, addit:

Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo.

Contulit nautes Æneæ præſentem neceſſitatem boni conſulendam. Item in adverſis, contra ea quæ evitare nequeas, optimum remedium eſſe tolerantiam dicit: qua quidem ſuperatur omnis adverſitas. Non læditur is, qui contemnit: proinde vincit. Similem ſententiam Eraſmus præceptor noſter ex Homer. Odyſſ. 5. in ſuas Chiliadas retulit, quam etiam interpretatus eſt.

Id devorandum tanquam lacte dulcius.

Gallica lingua proverbialiter dicere ſolet, cum neceſſitas patientiæ nobis inſtat: Cela ſe doit avaler plus doux que laict, hoc eſt, glutiendum id eſſe tanquam lacte dulcius. Eſt autem quoquo modo tolerare & tranſmittere, concoquere, id eſt, perferre, ἐμφορεῖσθαι injuriam, moleſtiam, ſive tædium, aut aliud quid vis ſimilem. Cicero in Bruto. Hominum ſtultitias ac ineptias, quæ nobis devorandæ ſunt, non ferebat ille. id eſt, quæ ad animum non ſunt revocandæ, nec ſtomachoſe æſtimandæ. Idem in Philippica 6. Paucorum dierum moleſtiam devorate. Quint lib. 11. Devoret initio tædium illud, & ſcripta & lecta ſæpius revolvendi, & quaſi eundem cibum remandendi. id eſt, vincat ipſe tædium patientia & obſtinatione animi, in quibus amarulentum aliquid devorandum eſt. Tranſlatum videtur a cibis fetvidis, in os temere immiſſis: vel à catapotiis amaris & Pharmacis, quæ cito devorantur, nec reguſtantur. Devoramus enim quæ guſtare piget. Et ſic dicimus devorare injuriam, ut haurire dolorem vel oculis, vel auribus: quod eſt videre aliquid quod tibi doleat, vel audire rem triſtem.

COGNATI *Durate: Durandum.*

Donatus in Adelphis: Durare, inquit, verbum perferendis malis convenit: quod etiam notavit Priſcianus libro 8. de Partibus. Eo jacentes animos ſpe lautioris vitæ erigimus. Virgilius libr. 1. Æneid.

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis,

id eſt, proſperis. Concludit enim Æneas, præſentia incommoda hoc æquiori animo ferenda eſſe, quo ſit propior felicitas & quies. Quid enim conſolationis magis proprium eſt, quam cataſtrophem malorum quaſi digito monſtrare, quibus defuncti, beati ſunt futuri? Proin, Durate dixit, pro perſeverate, perſiſtite: quaſi duros infractoſque animos habere. Suetonius in Cajo: Sicut erat, ait, loricatos monuit, ut diſcumberent illo notiſſimo Virgilii verſu, quemadmodum eſt,

Durarent, & ſecundis ſeſervarent rebus.

Idem verbum, Durate, reverendiſſimus ac impenſe doctus D. Antonius Perrenotus, Atrebatenſis epiſcopus, pro ſymbolo accepit, quo admonere & adhortari voluit ad tolerantiam: ſive pro præcepto, quo in adverſis durandum admoneamur, neque ullis procellarum ſævientium tempeſtatibus moveamur, ſed contra fortunæ quantumlibet injurioſæ ictus enitamur, nec ullus labefactandi locus illi relinquatur. Cic. lib. 2. de Orat. Aſſiduis, inquit, uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, de iis, qui præſtante, ut Lucretius ait, labore vincunt, quod deſignarunt facere. Item Juvenalis ſat. 9.

——— Durate atque expectate cicadas.

Id eſt, æquo animo ferre frigoris injuriam.

Nil paſſus, ſi diſſimulaveris.

Mercurius Jovem conſolatur apud Lucianum in Jove tragœdo ſub finem, hoc noto Menandri verſiculo:

Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, ἂν μὴ προσποιῇ.

Nil paſſus es mali, ſi diſſimulaveris.

id eſt, ut Baſilius iratos concionatur: οὐδὲν ἤκουσας δεινὸν, ἐὰν μὴ προσποιῇ τὰ εἰρημένα. id eſt: Nihil audiſti grave, ſi non referas, quæ dicta ſunt, ad te. Mimus Publius, Injuriarum remedium eſt, oblivio. Vindicta enim non medetur injuriis, ſed oblivio optime. Euripides in Oreſte:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ᾽ εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ᾽ ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Hos verſus Cic. Tuſculan. 4 ſic interpretatus eſt:

Neque tam terribilis ulla fando oratio eſt,
Nec ſors, nec ira cœlitum invectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Non diſſimilis ſententia eſt apud Plutarchum in Fabio: Fabius, inquit, id quod actum erat, æquo animo tulit: uſque philoſophis, qui aſſerunt bonum & honeſtum virum contumelia & dedecore affici non poſſe, evidens argumentum ſuo exemplo ſuppeditavit. Herman. Buſchius Paſiphilus:

Rhonchos nec non ludibria turbæ
Naſutæ, & quicquid fingere livor amat,
Diſſimula ———

Fiet id vero, ſi Periclis Athenienſis patientiam cogitaverimus. Juſtinianus in Inſtitut. juris de actione injuriarum loquens, lib. 4. Hæc actio diſſimulatione abolétur. Budæus Sal. Macrino: Patiere igitur, ſi me audies, eam ſive injuriam, ſive aliud quicquid eſt, mutua inter nos diſſimulatione aboleri. Ad hæc ita ex opinione injuriæ naſcitur. quare ſi deſinent putare, injuriam ſibi fieri, iraſci deſinent.

Non eſt inventum reſtandum.

Hoc nobis documento eſt, præcavere ſi fieri poſſit, ne immineens nos occupet calamitas: quod ſi vicerit, ne adverſus prævalentis fortunæ impetum reluctabundi fruſtra fatigari velimus: flectendam vero viam velis, cum obniti contra non detur quoque trahit fortuna, iter intendendum. Non enim eſt, ut inquit Phocylides, in ventum reſtandum. Quin potius tales ſimus, ut quo nos cunque rapit tempeſtas, æquo animo deferamur: atque ut optime Virgilius monet, ſi quo Italiam contingere cœlo nequeamus, quia ſcilicet

Mutati tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti, atque in nubem cogitur aer,
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus, ſuperat quoniam fortuna: ſequamur
Quaque vocat vertamus iter.

Verba autem Phocylidis ſunt hæc:

Καιρῷ λατρεύειν μηδ᾽ ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν.

Id eſt:

Temporibus ſemper cautus ſervire memento,
Nec reſtare velis adverſum flamina venti.

Metaphora ducta eſt à navigantibus, quos neceſſe eſt ſemel ingreſſos mare, ventorum atque æſtus arbitrio ferri, fruſtra conaturos, ſi velint adverſus iſta pugnare. Nec diſſimili forma Plato l. 3. De rep. ἀλλ᾽ ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον. id eſt: Sed quocunque ratio ceu ventus tulerit, hac eundum eſt. Et Horatius in Epodis, Ode 13.

Ire quocunque per undas
Notus vocabis aut protervus Africus.

Rurſus in Odis libr. 3 Ode 11.

I, quo te rapiunt auræ ——

Nil paſſus es mali ſi diſſimulaveris.

Sententia valde elegans & nota Menandri, & qua apud Lucianum Jovem conſolatur Mercurius: οὐδὲν πέπονθας δεινὸν ἂν μὴ προσποιῇ. Nil paſſus es mali, ſi diſſimulaveris. Meminerunt Diogenianus, & Eraſmus noſter. Plutarch. in Fabio Max. refert huic verſiculo ſimilia: Neque enim, inquit Fabius, eorum inſcitiam ſuum malum putavit, ſed ut Diogenes philoſophus dicentibus, Iſti te derident, reſpondit, ſe tamen non derideri (quod eos tantum derideri judicaret, qui ſannas curant, & iis perturbantur) ita Fabius id quod actum erat, æquo animo tulit, uſque philoſophis, qui aſſerunt bonum & honeſtum virum contumelia & dedecore affici non poſſe, evidens argumentum ſuo exemplo ſuppeditavit. Huic non diſſimile illud Æneæ apud Virgil.

Item hoc Catulli ad ſeipſum:

& Ovidius in 3. Amor.

Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.
Sed obſtinata mente perfer & obdura.
Perfer & obdura, poſt modo mitis erit.

Catulus & Bibaculus in Cæſarem & D. Aug. ſcripſerunt, & quod indicant Corn. Taciti verba in 4. Carmina inquit, Bibaculi & Catulli referta contumeliis Cæſarem leguntur, ſed ipſi Dd. Julius & Auguſtus, & tolere iſta, reliquere, haud facile dixerim: moderatione magis an ſapientia. Namque ſpreta exoleſcunt: ſi iraſcere, agnita videntur.

Ferre

Ferre frænum.

Ferre frænum, proverbio dicitur, obedienter imperata facere, & domini aut principis imperium moderate ferre. Cui contrarium eſt, frænum mordere: hoc eſt, obluctari, & oſtendere ſe graviter aliquid ferre, quod tamen ferendum eſt, ἐνδάκνειν χαλινόν, τὸν χαλινὸν ἐνδάκνειν. Translatio eſt ſumpta ab equis, qui quum frænum excutere non poſſunt, perpetuo tamen mordent & arrodunt, oſtenduntque coactos & invitos frænum ore recipere. Brutus ad Cic. Si frænum momorderis, peream, ſi te omnes quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt. Sunt autem ferme proverbiales in totum illæ metaphoræ, Injicere frenum, freno compeſcere, & revocare: accipere frænum, pro, dedere ſe alteri. Virg. 12. Æneid.

Ni frænum accipere, & victi parere fatentur.

COGNATI *Difficile juſtum dolorem temperare.*

Juriſconſultorum ſermone celebratum proverbium, Papinianus in lib. Pandectarum 48. tit. 5 ad legem Juliam de adulteriis & ſtupro, l. 38. §. Imperatores. Difficillimum, inquit, eſt, juſtum dolorem temperare. Franciſcus Balduinus Juriſconſ. in reſponſione altera ad Joan. Calvinum: Ut autem gemens & invitus ad illam neceſſariam defenſionem mei capitis & famæ, depulſionemque contumelioſæ injuriæ pertractus ſum, ſic viros bonos & ſanos & ſedatos, gaudeo judicaſſe, neque iniquam neque intemperantem illam fuiſſe, atque adeo miratos eſſe, non fuiſſe vehementiorem: cum quidem ſcirent in medio præcipitis exiſtimationis, indignationiſq; juſtiſſimæ calore effuſam eſſe, & meminiſſent (quod lex ait) difficile eſſe juſtum dolorem temperare. Idem ibidem: Indigniſſime vexatus, putavi mihi licere aliquem gemitum edere: quem plane comprimere juſtiſſimus dolor non ſinebat. Ad hanc Papiniani proverbialem ſententiam alluſiſſe videtur Quintil. anus, quum inquit: In maximo dolore nulla eſt artis obſervatio, ſed ab exordio uſque ad ultimam vocem, perpetuus quidam gemitus: & argumentis uti licet minutis & confuſis. Vide ante, vulneratus ſemper plagam contrectat.

ALIA ALIIS PLACENT.

ERASMI *Felix Corinthus, at ego ſim Teneates.*

Εὐδαίμων ἡ Κόρινθος, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.

id eſt:

Fortuna Corinthus, at ipſe ſiem Teneates.

Tenea vicus quidē haud procul à Corintho, nemoroſus & amœnus. Porro Corinthiorum opulentia inſignis fuit. Strabo lib. 8. ſcribit, hunc verſum oraculo proditum fuiſſe cuidam Aſiano, conſulenti num præſtaret Corinthum demigrare. Unde videtur, ſicut alia pleraque, in vulgi ſermonem abiiſſe: atq; adeo refertur in catalogo Græcaniorum adagiorum. Tempeſtivum fuerit hoc uti, quoties in contentione duorum, non inficiabimur alterum per ſe præſtantius, verum alterum magis arridere, placereque animo noſtro. Veluti ſi quis dicat: Equidem fateor juris ſcientiam, & ad rem & ad famam comparandam magis idoneam quam ſit poetica: verum

Εὐδαίμων χρυσὸς ἔστω, ἐγὼ δ' εἴην Τενεάτης.

Sit illud melius aut utilius, hoc animo meo gratius. Strabo admonet, à quibuſdam pro Τενεάτης, per p. tam legi Τεγεάτης. Nam Tegea civitas eſt Arcadiæ.

Aſinus aſino, & ſus ſui pulcher.

Ὄνος ὄνῳ κάλλιστος: id eſt: Aſinus Aſino pulcherrimus, ſimile ſimili placet. Alcimus apud Diogenem Laertium inter multa quæ collegit ex Platonis philoſophi & Epicharmi comici ſcriptis, quibus perſvadere conatus philoſophum a comicis multa fuiſſe ſuffuratum, & hos refert ſenarios.

Θαυμαστὸν οὐδὲν ἐστὶ με ταῦθ' οὕτω λέγειν,
Καὶ ἁνδάνειν αὐτοῖσιν αὐτοὺς καὶ δοκεῖν
Καλοὺς πεφύκειν, καὶ γὰρ ἁ κύων κυνὶ
Κάλλιστον εἶμεν φαίνεται, καὶ βοῦς βοΐ,
Ὄνος δ' ὄνῳ κάλλιστον, ὗς δὲ θην ὑΐ.

id eſt:

Res mira non eſt, iſta ſi ſic proloquor,
Ipſique nobis ſi placemus invicem,
Pulchreque nati ſi videmur, nam & cani
Pulcherrimus canis videtur, bos bovi:
Aſinus aſello pulcher eſt, & ſus ſui.

Conveniet, ubi inter inhoneſtos ſimilitudo morum inſtituti conciliat benevolentiam: veluti quum mœces placet mœcho, aleator aleatori potator potatori, ſophiſta ſophiſtæ. Mirum eſt ab Epicharmo præteritam ſimiam: quum nullum animal ſibi placeat impenſius.

Quot homines, tot ſententiæ.

Nihil vel hodie vulgo tritius eſt quam hæc Terentiana ſententia: Quot homines, tot ſententiæ. Cui ſimilis eſt apud eundem & illa, Suus cuique mos eſt. Perſius item:

Mille hominum ſpecies & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Eodem pertinet & illud epigrammaticum quo dictum eſt, Inveniri qui non recuſent agris paternis cedere: qui velit ingenio cere, reperiri neminem. Horatius decentiſſimam addidit allegoriam:

Tres mihi convivæ prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.

Idem primam omnium Odam hujus argumento ſententiæ conſcripſit, aliis ſtudiis alios duci, aliis alia cordi eſſe. Alluſit facetiſſime Terent. in Phorm. cum è tribus advocatis primus ait, ſecundus negat, tertius deliberandum cenſet. Huc alluſiſſe videtur & divus Paulus Apoſtolus, cum admonet, ut ad præcludendam æmulationem ſinamus unumquemque in ſuo ſenſu abundare. Cui conſilio ſi Theologorum vulgus auſcultaret, non eſſet hodie tanta digladiatio de nihili quæſtiunculis. Sunt enim omnino quædam, quæ citra pietatis diſpendium ignorari poſſunt. Eam ſententiam Euripides in Phœniſſis latius explicuit.

Εἰ πᾶσι ταὐτὸ καλὸν ἔφυ, σοφόν θ' ἅμα,
Οὐκ ἦν ἂν ἀμφίλεκτος ἀνθρώποις ἔρις.
Νῦν δ' οὔθ' ὅμοιον οὐδὲν οὔτ' ἴσον βροτοῖς,
Πλὴν ὀνομάσαι· τὸ δ' ἔργον οὐκ ἔστιν τόδε.

id eſt:

Cunctis idem ſi pulchrum & egregium foret:
Nulla eſſet anceps hominibus contentio,
At nunc ſimile nil, nil idem mortalibus,
Niſi verba forſan inter iſtos convenit:
At re tamen factiſque convenit nihil.

Idem in Hippolyto coronato:

Ἄλλοισιν ἄλλος θεῶν τε κἀνθρώπων μέλει.

id eſt:

Hic his, hic illis, & homo cordi eſt & Deus:

Huc reſpexit Homerus in Odyſſeæ ξ.

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.

id eſt:

Namque aliis aliæ res arridentque placentque.

Suum cuique pulchrum.

Proverbialis ſententia, Suum cuique pulchrum: in eos quibus ſua, qualiacunq; ſunt, tamen ſtudio quodam magis quam judicio placent. Eſt autem à communi mortalium ingenio ſumpta, quibus uſque inſita eſt illa φιλαυτία, id eſt, amor ſui, ut neminem tam modeſtum, tam attentum, tam oculatum invenias, quin in propriis æſtimandis, quadam animi propenſione corruptus cæcutiat atque hallucinetur. Et quem unquam vidimus in tam barbara regione natum, cui ſua patria non vel optima videatur? quæ gens tam efferа, tam horrida lingua, quæ non alias præ ſua contemnat? Quæ tam ferina corporis ſpecie, quæ ſibi non appareat formoſiſſima? Proinde vere ſcripſit Ariſtot. lib. Rhetor. 2. ἐπεὶ δὲ φίλαυτοι πάντες, καὶ τὰ αὐτῶν ἀνάγκη ἡδέα εἶναι πᾶσιν, οἷον ἔργα, λόγους. διὸ καὶ φιλοκόλακες ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. id eſt: Quoniam autem omnes ſui ſunt amantes, & ſua cuique iucunda eſſe neceſſum eſt, ut facta dictaque: idcirco plerumque etiam aſſentatorib. gaudent. Id tametſi omnibus in rebus generaliter verum eſt, ut ſit quemadmodum ait Horat. Cæcus amor ſui. tamen in artifices atq; ex his potiſſimum in poetas, ad hæc in amantes præcipue quadrare videtur. Etenim rectiſſime ſcripſit Ariſtot. 4. Moral. libro, Suo quemque artificem opere impenſe delectari, non aliter quam rebuſquibuſdam ex ſeſe prognatis. Neque ſecus adamant ſua carmina poetæ, quam parentes liberos. Eſt enim artificis opus, quaſi quidam ingenii fœtus: de quo Socrates ait rectius judicare obſtetricem quam matrem ipſam. Sponſis item amantib. mos eſt, ſuam cuique ſponſam ceteris extollere. Cujus rei ſat magnum exemplum extat de Tarquiniis adoleſcentibus. Unde & hodie vulgo ſene dicunt: Nullum reperire deformem amaſium, propterea quod amanti vel non pulchra pulcherrima videantur. Quam ſententiam eleganter extulit Theocritus in Ecloga 6.

— ἦ γὰρ ἔρωτι
Πολλάκις ὦ Πολύφαμε τὰ μὴ καλὰ, καλὰ πέφανται.

Id eſt:

— Etenim haud raro Polypheme,
Quæ minima ſunt pulchra, ea pulchra videbitur amori:

Plato proverbium extulit in Lyſide, ſed inverſe: κινδυνεύει, inquit, κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι. id eſt: Periculum eſt, ne juxta vetus adagium, amicum ſit quod pulchrum eſt. Quaſi non ideo pulchrum haberi debeat aliquid, quod ſit amicum: ſed ideo oporteat eſſe amicum, quod ſit pulchrum. Huc pertinet & illud quod ſcribit M. Tullius libro de Finibus 5. Suo enim quiſque ſtudio maxime ducitur. Et rurſum in 1. Officiorum: Quorum uterq; ſuo ſtudio delectatus contempſit alterum. Quanquam hoc venia dignum, hactenus communem illam φιλαυτίαν valere, ut ſibi quiſque liberis, ſuis artibus, ſuo inſtituto, ſuis inventis, ſuæ patriæ paulo impenſius faveat, niſi eouſque cæcitatis nos rapiat, ut virtutes alienas calumniemus & noſtris blandiamur vitiis, eaque virtutum nomine donemus. Ac ſibi quiſq; ſit, quod ſibi fuit Suffenus Catullianus, aut Menius Horatianus. Quod vitii Flaccus in epiſtolis notans.

Dum mihi, inquit, delectent mea me, vel denique fallant.

Atque hoc loco Porphyrion indicat, Horatium reſpicere vulgatam ſententiam, quod homines ſuis malis non ſolum nõ doleant, verū etiam delectentur. Atque de re Græcum adagium eſſe celebratum:

bratum: verum id adagium vitio librariorum deſideratur in ſcriptura. Eodem pertinet quod alibi dixit Horatius:

Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam ipſa hæc
Delectant, veluti Balbynum polypus Agnæ.

Nam Balbino ſtulto amanti, etiam polypus Agnæ amicæ, ſuave quiddam olere videbatur. Eſt autem polypus, vitium narium grave olentium, itidem ut hircus alarum. Unde & polypoſos & hircoſos dicimus. M. Tullius ad Attic. lib. 14. Accipe, inquit a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα earum rerum in quibus exercitati ſumus ſatis. Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quenquam meliorem ſe arbitraretur. Hoc etiam malis contingit. Quid tu Bruto putas ingenioſo & erudito, de quo etiam experti ſumus? Nuper in edicto ſcripſeram rogatu tuo. Meum mihi placebat, illi ſuum. Quin etiam quum ipſius precibus adductus pene ſcripſiſſem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, ſed etiam tibi ſcripſit, ſibi illud quod mihi placeret, nō probari. Quare ſinamus quæſo quenque ſibi ſcribere. Suam cuique ſponſam, mihi meam. Suum cuique amorem, mihi meum. Non ſcite. Hoc enim Attilius poeta duriſſimus. Hactenus Cicero. Cujus ex verbis apparet, hos duos verſiculos, Suam cuique, & cætera, ex Attiliana quapiam fabula ſumptos eſſe. Idē Tullius lib. Tuſc. quæſt. 5. Muſicorum vero perſtudioſum accepimus, poetam etiam Tragicum, quam bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere neſcio quo pacto magis quam in aliis ſuum cuique pulchrum eſt. Adhuc neminem cognovi poetam, & mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui ſibi optimus videretur. Sic ſe res habet. Te tua, me delectant mea. Eandem ſententiam Plautus in Sticho, diverſis verbis, ſed nimis quam eleganter extulit. Suus, inquit, rex reginæ placet: Sua cuique ſponſa ſponſo. Huc referendum & Theocriticum illud.

Καὶ γὰρ θὴν οὐδ' εἶδος ἔχω κακὸν, ὥς με λέγοντι.
id eſt:
Nec mihi forma profecto mala eſt, ſi vera loquuntur.
Id imitans Maro:
Nec ſum adeo informis, nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare.

Apertius alluſit ad adagium Flaccus, in epiſtola quadam,

— Jovis auribus iſta
Servas: fidis enim manare poetica mella,
Te ſolum tibi pulcher —

Tibi pulcher, dixit: pro, tibi ipſi placens. Non diſſidet ab hac forma, quod divus Auguſtinus cum aliis aliquod locis, tum in Epiſt. 48. adducit ex Tychonio quodam: Quod volumus, ſanctum eſt. Eſt autem hemiſtichium carminis heroici. Quod dictum utinam non perinde locum haberet in moribus eorum, qui hodie ſibi arrogantius vindicant pietatem, quam unquam fecerint Phariſæi: qui cū vitiis nec ferendis, nec nominadis madeant, miro tamen ſupercilio debacchantur in vitam alienam.

Velle ſuum cuique eſt.

Quoties ſignificabimus aliis alia curæ eſſe alioſque aliis ſtudiis duci, Perſii illud uſurpabimus:

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno.

Item illud, Suus rex reginæ placet. Item, Sibi pulcher. Item Te tua, me mea delectent. & Virgil. illud:

--- Trahit ſua quenque voluptas.
Suo quiſque ſtudio gaudet.

JUNII. *Alia apud alios bona.*

Ἄλλα παρ' ἄλλοις καλά: id eſt: Alia apud alios bona. Tritiſſimum uſu proverbium, quod ad ingeniorum varietatem aptiſſime transfertur: hic hiſtoricæ magnificentiæ aptior eſt, illum pangendo carmini natura finxit: eſt quem Comicus ſoccus, alium Tragicus cothurnus magis decet. Parœmiæ affinis eſt Homeri verſus Odyſſ. ξ.

Ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις.
id eſt:
Alius aliis rebus afficitur.

COGNATI. *Multi Multa.*

Subauditur quidvis. Autor diſtichorum moralium, vulgo Catonis inſcriptorum titulo, lib. 1.

--- Quia multi multa loquuntur.

Joſephus Scaliger in ſuis conjectaneis in *M. Varronem* De lingua Latina, ad illud, Divi potes: De his multi multa. Genus loquendi uſitatum, & maxime Latinæ linguæ ignaris.

ALIBI DIMINUTUM ALIBI REDDITUM.

ERASMI. *Claudus optime virum agit.*

Ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ: ſive, ut alias legitur ὀχεῖ: id eſt, Optime claudus virum agit. Dici ſolitum, ubi quiſpiam ſuam ſortem, vel parum egregiam, anteponit alienæ, tametſi præſtantiori. Ab Amazonum apophthegmate natum aiunt. Tradunt morem Amazonibus fuiſſe quondam, ut pueros maſculos detorta tibia coxave claudos efficerent. Porro cum bellum eſſet illis adverſus Scythas, atque illi eas conarentur illicere, ad ſeſe deſciſcerent, dicentes futurum ut poſthac non cum claudis ac mutilis, ſed cum integris viris rem haberent. Antianira Amazonum dux reſpondit ad hunc modum ἄριστα χωλὸς οἰφεῖ. Uſurpavit Athenæus libro decimo tertio, ὄντως γὰρ ἄριστα χωλὸς οἰφεῖς. id eſt: Vere enim claudus optime virum agis. Theocritus φιλοίφαν appellat virum coitus avidum: Heſychius φίλοιφον dicit. Animadverſum eſt etiam illud noſtris temporibus, plerumq; qui tibiis ſunt mutilis, aut quopiam membro trunci, eos ad uſum Veneris reliquis magis idoneos eſſe: nimirum parta faciente natura. De claudo quare ſit ſalacior cæteris, cauſam reddit Ariſtotel. in Problematibus, ſectionis 10, problem. 26. quod in hoc parum alimenti deorſum delabatur, ob crurum vitium, plus autem ſuperiora petat, & in ſemen vertatur.

Non omnia poſſumus omnes.

Non omnia poſſumus omnes, apud Vergilium in Pharmaceutria. Proverbialis ſententia, qua vix tritiorem aliam reperies. Sumpta videtur ex Homero, apud quem Iliados ν. Polydamas ſic alloquitur Hectorem:

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήια ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἐσθλὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι.
Id eſt:
Haudquaquam poteris ſortitier omnia ſolus.
Namque aliis divi bello pollere dederunt,
Huic ſaltandi artem, voce huic citharaque canendi,
Rurſum alii inſevit ſagax in pectore magnus
Jupiter ingenium, at multis eſt utilis ille.
Item Odyſſeæ θ.
Οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
Ἀνδράσιν οὔτε φυὴν οὔτ' ἂρ φρένας οὔτ' ἀγορητύν.
Ἄλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ.
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.
Id eſt:
Non ita cœleſtes tribuunt ſua dona quibuſvis,
Seu formam, ſive ingenium, vireſve loquendi.
Eſt etenim informis ſpecies cui contigit: atqui
Linguæ dote Deus penſat diſpendia formæ.

Euripides in Rheſo.

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας.
Id eſt:
Ut cuncta norit, nemini mortalium
Datum eſt, at alia dos adeſt alii viro.

Eodem pertinet quod ſcribit Theognis:

Παύροις ἀνθρώποισιν ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ·
Ὄλβιος ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.
Id eſt:
Sunt pauci quibus iiſdem & virtus ſuppetit & ars:
Felix cui ſimul hæc ſunt data ſorte Deum.

Titus Livius libro 22. Non omnia eidem dii dederunt, Vincere ſcis Hannibal, victoria uti neſcis. Videtur Livius retuliſſe illud ex Iliados ψ.

— οὐδ' ἄρα πως ἦν,
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.
Id eſt:
Haud illud contigit unquam, ut
Omnibus in factis callens appareat idem.

Huc pertinet & Pindaricum illud ex Nemeis:

Τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι.
Id eſt:
Artes aliis aliæ.

Interpres oſtendit, illud Atticis proverbii loco dictum fuiſſe:

Ἄλλαι δ' ἄλλων ἐπιτεχνήσεις:
Id eſt:
Aliæ aliorum inventiones.
Item alibi,
Φυᾷ δ' ἕκαστος διαφέρομεν βιοτὰν λαχόντες ὁ μὲν τὰ, τὰ δ' ἄλλοι
Τυχεῖν δ' ἕν' ἀδύνατον εὐδαιμονίαν ἅπασαν.
Id eſt:
Natura differimus, vitam ſortientes, hic hanc, illam alii:
Porro fieri non poteſt, ut omnis felicitas uni contingat.

Idem Olympiorum hymno primo:

Ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι
Id eſt:
In aliis alii magni ſunt.

Idem expreſſius Encomio octavo:

Ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλον ἔβαν
Ἀγαθῶν, πολλαὶ δ' ὁδοὶ
Σὺν θεοῖς εὐπραγίας.
Id eſt:
Alia ad alium venerunt bona: ſed diis faventibus multæ ſunt viæ felicitatis. Rurſus ejuſdem tituli hymno novo:

ἐντὶ γὰρ ἄλλαι ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι,
μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει μελέτα
Id eſt:
Sunt enim aliæ viæ aliis efficaciores, ſed non omnes nos alet unum ſtudium.

Facta

Facta juvenum, conſilia mediocrium, vota ſenum.

Celebratur hic verſus moralis apud Græcos:

Ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων.

id eſt:

Vota ſenum, conſulta virorum, & facta juventæ.

Hujus adagii meminit Ariſtoph. grammaticus. Hyperides in oratione contra Autoclem ex Heſiodo citavit. nam illius creditur eſſe carmen. Senſus per ſe liquet, nempe ad rem gerendam adhibendos juvenes. nam viribus ætas ea præpollet. In conſilium aſciſcendos mediocris ætatis viros, propterea quod in his nonnihil detrito virium vigore, valet tamen uſu rerum aucta prudentia. Senes utpote religioſi, ſolent à ſuperis optima precari: cæterum neq; viribus jam utiles, neque mente ſatis conſtantes ætatis vitio. Euripides in Melanippo apud Stobæum.

Παλαιὸς αἶνος· ἔργα μὲν νεωτέρων.
Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.

Id eſt:

Dictum eſt vetuſtum, Facta juvenum, cæterum
Magis valent conſilia natu grandium.

Idem innuit Pindarus, cum ait:

Νέοισι μὲν ἁρμόζει θράσος δεινῶν πολέμων.

Id eſt:

Juventuti congruit audacia crudelium bellorum.

Item Homerus Iliados π. docet in bello requiri vires, in conſultationibus orationem:

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.
Τῷ οὔ τι χρὴ μῦθον ὀφέλλειν, ἀλλὰ μάχεσθαι.

Bella manu conſtant, ac conſultatio dictis:
Illic pugnandum eſt, neque proſunt aſpera dicta.

Apud eundem Neſtor in conſiliis præcipuus, bello inutilis. Plutarchus in commentario, cui titulus *εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον*: *καὶ μάλιστα σώζεται πόλις, ἔνθα βουλαὶ γερόντων, καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριστεύουσιν αἰχμαί*. id eſt: Et maximè ſervatur civitas, ubi conſilia ſenum, & juvenum virorum præcellunt lanceæ. Æſchines in oratione contra Cteſiphontem teſtatur, hoc Solonis legibus fuiſſe cautum, ut in conſultatione natu maximus primus diceret. Et apud Athenienſes olim fuiſſe morem, ut præco facturus dicendi facultatem ita ſonaret: *τίς ἀγορεύειν βούλεται τῶν ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότων*; id eſt: Quis vult concionari ex iis qui quinquageſimum excellerunt annum?

Marinam auditionem fluviali abluit ſermone.

Ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύζειν ποτίμῳ λόγῳ: id eſt, Salſuginoſū ſermonem potabili diluvii oratione: ubi quod erat audire moleſtum, id diverſa oratione velut edulcatur. Quod erat guſtus, id traductum eſt ad aures. Etenim quod palato aqua marina, id auribus oratio triſtis aut contumelioſa. Item, quod palato liquor fontanus, id auditui ſermo placidus ac benignus. Uſurpat adagium Plato in Phædro: *ἐπιθυμῶ ποτίμῳ λόγῳ οἷον ἁλμυρὰν ἀκοὴν ἀποκλύσασθαι*. id eſt: Cupio ſermonem velut amarum potabili ſermone diluere. Item Athenæus Dipnoſophiſtarum lib. 3. *ἐπὶ τούτοις λεχθεῖσιν ὁ Κύνουλκος ᾔτει δεκόκταν, δεῖν λέγων ἁλμυροὺς λόγους γλυκέσιν ἀποκλύσασθαι νάμασιν*. Id eſt: His dictis Cynulcus poſcit decoctam, dicens amaros ſermones dulcibus lymphis oportere diluere. Cynulcus uſus eſt voce Romana, quum Græce loqueretur, ſiquidem Ulpiano indignanti, quod voce inſolenti ac barbara uteretur, reſpondit, ſe in urbe Roma uſum eſſe vocabulo urbis Romæ vernaculo. Nam illic ſic loquebatur. Popoſcit frigidam, popoſcit calidam aut decoctam: ſubaudientes aquam.

Quod alibi diminutum, exæquatur alibi.

In eum in quo deſideratur virtutis aliquid, ſed cujus jacturam alia quapiam dote compenſes: veluti ſi quem intelligi velimus parum eloquentem, ſed admirabili tamen judicio: aut qui ſit indoctus quidem, ſed bene nummatus: competet illud ex eodem loco, quem modo citavimus ex Iliados κ.

Ὃς δή τοι εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης.

id eſt:

Qui ore quidem deformis erat, pedibus tamen acer.

Semper ſeni juvenculam ſubjice.

Ἀεὶ γέροντι νέαν ἐπιβάλλειν κόρην.

Id eſt:

Semper puellam virginem ſubjice ſeni.

Senarius proverbialis, admonens ut provectioris ætatis viri puellam ducant magis quam anum: ne ſi frigus acceſſerit frigori, languente Venere, ſteriles exiſtant nuptiæ. Quanquam non inepte trahetur ad alios item uſus, quoties ſignificabimus ita rerum conjunctiones temperandam, ut quod alibi diminutum ſit, aliunde ſuppleatur: videlicet ut ſeni convictor addatur juvenis, quo ſenilis ætatis triſtitiam hujus hilaritas moderetur: rurſum juventutis exultantiam, ſenilis ſeveritas temperet. Item ut loquaculus adjungatur plus ſatis taciturno, audaculus timido, pauper diviti. Proverbii meminit Diogenianus.

Non omnis fert omnia tellus.

Ut Vergilianum illud,

—— Non omnis fert omnia tellus.

proverbium erit, ſi traducatur ad diverſas ingenii dotes, aut non quidvis à quovis eſſe petendum: ita proverbii rationem habebit illud Theocritum ex Cyclope.

Ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίνεται ἐν χειμῶνι.

Id eſt:

Illa quidem producit hyems, illa educat æſtas.

Cum ſignificabimus, aliud agendum juveni, aliud ſeni, aliis atque aliis temporibus diverſis moribus utendum. Quid autem quæq; ferat tellus, eleganter deſcribit Vergilius in Georgicis, & Hermippus apud Athenæum lib. 1.

Ex Appendice.

Pauperis eſt numerare pecus.

Ex multis adagiis quæ in noſtrorum hominum ſcriptis obſervata, nec dum ipſis authoribus, unde imitatione expreſſa eſſe arbitror, reſtituere potui: unum hic propoſui, quod elegantia & venuſtate nulli dictorū concedit. Uſus eſt eo Muretus in Variis lect. laudans Pauli Manutii in reſtituendis authoribus induſtriam & ingenium. Item Joach. Camerarius in carmine, quod Macrobio à ſe doctiſſime caſtigato præfixit. Veriſſime autem & merito ſuo uterque uſurpavit. Nam modo rem ipſam fateri velimus, quidquid illud eſt, quo magnam partem adeo miſere & ridicule efferimur, omne illud alium hominum labori & eruditioni acceptum ferre debemus. ſed nolumus, imo id unum ſtudio habemus, illorum ſtudia premere, noſtra magnifice nuſquam non oſtentare. Et, ut jure quodam id facere videamur, mirum quas nebulas & offucias rudiorum tenellis oculis objiciendas excogitemus. In primis ut nos ab eruditiorum vulgo ſegregemus, antiquitatis nomen è vetuſto ſcribendi more, pronunciatione, & lucifugis aliquot vocalis aucupamur, eaque re non monumenta ipſa veterum, ſed a noſtris hominibus ſcriptas illa annotationes, commentarios, collectanea magno ſtudio & ſingulari arte pervolutamus: inde belliſſima quæque ſeligimus, & tā diu inter ſe componimus, donec novi aliquid excundamus, aut ſaltem rei jamdiu inventæ novam faciem induamus. Inde majori animo authorem è multis unum nobis ſumimus, in quo omni animi contentione laboremus. cavemus tamen ne in avia, & nullius ante ſolo trita loca veniamus, imo quo alii diligentius nobis viam munivetint, hoc lubentius hujuſmodi opus capeſſimus, minimo enim negocio ſuperiorum laboribus culmen detrahimus, cum aut laudatos ſemel, ſtrenue porro tacite contemnimus, & graviora errata loco maxime conſpicuo & illuſtri prodimus, aut nova annotationum forma recte olim dicta, ut inaudita proponimus, trajicientes, addentes, commutantes. mille enim hic nocendi artes. Interea bonorum omnium familiaritati, unde aliqua obſervationum ſpes eſt, nos adjungimus: ab iis, quæcunque vi ingenii aut multo ſtudio ſibi ipſi pepererunt, bonaq; fide ab amicis acceperunt, expiſcamur, exſculpimus omnia. Denique ubi nihil reſtat ſublegendum, nos eadem mente, iiſdem artibus alio traducturi, ultro amicitiam illam ſanctam non diluimus, ſed præcidimus, adeoque familiares noſtros quocunq; modo laceſſimus, irridemus, ut iiſdem alienos perpetuò fuiſſe nos alii judicent. Atque hæc omnia, ut noſtrum hoc novem Muſis cælatum opus exornemus & extendamus. Neque enim noſtris finibus nos circumſcribimus, ſed in omnia, præſertim amicorum ſcripta nos impudenter ingerimus: in quibus modo parum liberaliter corraſas L. circiter emendatiunculas proferre audeamus: deum immortalē, quæ orationes, qui triumphi? Statim ſe erumpunt magnifica illa epiphonemata: ut Clementem purgemus, ſi fieri poteſt omnino: Eum poetam quia nunc, ut opinor, fere totum vindicavimus mendis innumerabilibus, &c. Quid multa? Alii cum ſexcenta loca reſtituerint, nihil egerunt, nobis omnia debentur abſq; nobis eſſet, vileſceret author, ad Pharmacopæus amandandos, Hæc, amice lector, noſtra ſtudia, hæc ætas. Ita humanioribus literis nihil hodie immanius.

COGNATI.

Non eſt cujusvis manu lyram pulſare.

Eſt iſtud quoque frequens quod preſſius Architrenius expreſſit:

- Non præcinit omnem
Ad digitum Phœbea chelys, non novimus aures
Aonia mulcere lyra, non pectinis hujus
In plebem vileſcit apex, hæc gloria vatum:
Hoc jubar, hic titulus ſolos contingit Homeros.

Non diſſimile mihi videtur: non cuivis homini contigit adire Corinthum. & hoc Plauti: Non omnes poſſunt olere unguenta exotica.

Nec omnis fert omnia tellus.

Hoc Virgilii hemiſtichio in Pollione, vulgo indicatur, non æque feliciter omnibus locis eadem provenire. Stirpes autem pro loci natura & qualitate, pro aeris ambientis conditione, nunc procerius adoleſcunt, nunc humilius: quædam multis ſtolonibus pleræque nullo agnato frutice ac propagine humo proſiliunt: alia pro terræ habitu, diluto lacteoque colore, alia ſaturata vergentique ad atrum viriditate. Sic alia aliis locis laudatiora exiſtunt, ac propriis natalibus felicius proveniunt. Cujus rei fidem nobis facit ex natura rerum his verſibus Virg. lib. 2. Georgic.

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices craſſique paludibus alni

Naſcun-

Naſcuntur ſteriles, ſaxoſis montibus orni,
Littora myrthetis lætiſſima: denique apertos
Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.
Diviſæ arboribus patriæ, &c.

Quorum pleraque ſi tentes in aliud ſolum transferre, vel elangueſcent, vel emorientur, aut ægre refocillata creſcent quidem, ſed ut nomen ſuum tueri, ſuamq; generoſitatem ſervare nequeant, non diſſimile eſt iſtud, Ἡ γὰρ δὴ ἐκ τῆς αὐτῆς γῆς οὐ πάντες τῶν αὐτῶν φέρουσι βοηθήματα. id eſt: Non omnes loci eadem auxilia ferunt, in oratione legati ad Athenienſes, quam habuit in ſenatu eorum, cum patriæ excidium deprecaretur. Herodot. lib. 9. ſcripſit, natura cōparatum eſſe, ut è mollibus regionibus molles viri exiſtant, neve ex eadem terra admirandæ fruges, & egregii bello viri gignantur. Vulgo hoc adagium ita profertur: Alia alibi proveniunt.

Aliud ſceptrum, aliud plectrum.

Stratonicus citharœdus natione Athenienſis, arte muſica celebris, Ptolemæo rege de cithariſtica cum ipſo contentioſius diſſerente: Aliud eſt, inquit, ô rex ſceptrum, aliud plectrum ſignificans, non eſſe regium de muſica cum muſico diſputare, & unumquemque adhibendum ad id quo valet. Sic Græce apud Athenæum lib. octavo habetur: ἕτερόν ἐστιν, ὦ βασιλεῦ, σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον. Vſurparunt Eccleſiaſticæ hiſtoricæ ſcriptores, Flaccius, Vulgandus, & Judex, in eadem dedicatoria epiſtola. Manifeſtum eſt, inquiunt, ex ſacris literis & perpetuo Eccleſiæ Dei uſu, diſtincta eſſe officia poteſtatis politicæ & Eccleſiaſticæ. Leges civiles earumque executio, magiſtratui conveniunt. Docere autem verbum Dei, & adminiſtrare claves & Sacramenta ordinato quidem modo miniſtris verbi Dei legitime vocatis proprium eſt: niſi extrema neceſſitas diverſum cogat, ubi quilibet Chriſtianus eſt ſacerdos. Qui autem falcem in alienam meſſem mittunt, & alienam functionem temere invadunt, illis commode hoc objicitur: Aliud eſſe ſceptrum, aliud plectrum.

Nullus omnia ſcire poteſt.

Nec Homerus, nec alius quivis revera poeta abſque cœleſti afflatu poeſim conſecuti ſunt. Artes & ſcientias poetæ tradunt: ſed omnes didiciſſe humano ſtudio, impoſſibile eſt: cum unicam ex parte percipere ſit difficillimū. Non igitur arte humana, ſed divina quadam infuſione, ſcientia conceditur. Magna enim in momēto aſſequi non humani ingenii eſt, ſed divinitus inſpirati. Plato in Ione, & in Sophiſta, hoſpes Eleates, Quærebam, utrum hominū quiſpiam ſcire omnia poſſit. Omnia non poſſunt ſimul memoria teneri. l. 2. § ſi quid autem. Cod. de veteri jur. enucl. Baptiſta Egnatius in Epiſtola ad Lectorem, in ſuas annotationes, quas addidit authoribus quibuſdam, qui Rom. Imper. vitas ſcripſerunt: Sciant in homine multo minus mirum eſſe, neſciſſe quædam, cum uni conſtare omnia, &c. Idem in annotationibus in Suetonium: Nec ſcire fas eſt omnia.

ALIENA A RE.

ERASMI. *Nihil ad verſum.*

Οὐδὲν πρὸς ἔπος: id eſt, Nihil ad carmen. De iis qui longe diſcrepant ab iis, quæ propoſita ſunt. Translatum videtur a ſcena, ubi hiſtrio ſaltatu geſtuque carminis genus repræſentat. Et haud ſcio an alius fuerit qui recitaret verſus, alius qui geſticularetur. Apparet enim unum aliquem fuiſſe recitatorem, cujus eſt illa vox in calce Comœdiarum. Calliopius recenſui. Nec alioqui video quorſum pertineat, quod admonet Cicero, ab hiſtrione deligi fabulam, ad quam natura ſit appoſitus, quod in Prologo Comœdiæ Terentianæ, qui Prologum dicit, queritur clamoſas fabulas ad ſe deferri, minus laborioſas ad alios.

Quod ſi ſaltatio parum reſpondiſſet ad numeros carminis, ajebant: οὐδὲν πρὸς ἔπος, Lucianus in Philopſeude: οὐδὲν πρὸς ἔπος ταῦτα, φασί, οὐδὲ περὶ τούτων ἠρόμην. id eſt: Iſta nihil ad carmen, ut dici ſolet, neque enim de iis interrogabam. Qui in choreis non reſponderet ad numerum ſaltationis, eum ἀκρότητον appellabant: isq; ἀχορεύειν dicebatur: Andreas Alciatus, hoc ſeculo non modo juris Cæſarei, verum etiam omnium ſtudiorum decus, nec minus ſuſpiciendus ob verum quendam ingenii candorem, quam ob exactā omnium liberaliū diſciplinarum peritiam, libro Diſpunctionum ſuarum 2. conſentit quidem mihi in ſenſu uſuque proverbii, cæterum de origine nonnihil diſſentit: mavultque ab oraculis eſſe natum, quæ quondam carmine reddebantur, præſertim heroico, cujus inventor fuerit Pythius Apollo. Græcis autem ἔπος dicitur, quod ἔπεσθαι τοῖς πράγμασι τοὺς χρησμούς: id eſt: quod res oraculis reſpondeant. Hanc enim etymologiam adfert Euſtathius in principio Iliados Homericæ: unde probabilius eſſe judicat Alciatus noſter, quoties evenirent quæ promiſſis aut propoſito non quadrarent, dici ſolitum: οὐδὲν πρὸς ἔπος. Uſus eſt eo Ulpianus in Pandectis libr. 11. tit. de interrogatoriis actionibus, capite duodecimo. Quod autem ait prætor, omnino non reſpondiſſe, poſteriores ſic acceperunt ut omnino non reſpondiſſe videatur, qui ad interrogata non reſpondit, id eſt: οὐδὲν πρὸς ἔπος. Suidas indicat nonnunquam uſurpari, οὐδὲν πρὸς ἔπος pro temere ac de nihilo, ſive abs re. Adducit hos verſus ex poeta, neſcio quo:

Οὐδὲν πρὸς ἔπος οὕτως ἀνέμως ἐκλαλῶ,
Πρὶν ἂν ἅπαντα τὸ πρᾶγμ' ὅπως ἔχει.

id eſt:

Adeo ne temere & inſcienter efferam,
Prius atque rem omnem ut ſeſe habet cognovero? Prior verſus Græcus conſtabit, ſi legas pro ἀνέμως, κατ' ἔπος. Uſurpavit idem Ariſtophanes in Concionatricibus: quem locum retulimus proverbio, Extra cantionem.

Nihil ad fides.

Οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν: id eſt. Nihil ad chordam In eos quorum vita vehementer eſt inæqualis, quorumve mores ab oratione diſſident. Lucianus De ſaltatione: καὶ μηδέν, ὡς φασι, πρὸς τὴν χορδήν. ἄλλο γὰρ ὁ ποῦς, ἄλλο δὲ ὁ ῥυθμὸς λέγει. id eſt: Nihil ad chordam, ut dici ſolet: nam alia pes, alia loquitur rhythmus. Idem in Meretriciis: καὶ ὅτι ὁ ποὺς πρὸς τὴν κιθάραν ... id eſt: Et quod pes probe reſponderet ad citharam. Plutarchus in commentario De verecundia: καὶ γὰρ οὐ διὰ τὴν ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀπειθίαν, ὡς Πλάτων ἔλεγε, καὶ πόλεις πόλεσι, καὶ φίλοι φίλοις διαφερόμενοι, ἔσχατα καὶ δρῶσι τε καὶ πάσχουσιν, ἀλλὰ περὶ τὴν περὶ τὰ νόμιμα καὶ δίκαια πλημμελοῦντες. id eſt: Haud quaquam ob id quod pes à lyra diſſentiat, ſicut ait Plato, civitates cum civitatibus, amici cum amicis confligantes, extrema tum faciunt, tum patiuntur: ſed quod circa leges atq; æquitatem peccetur. Locus autem quem citat Plutarchus, eſt in libr. De legibus 7. ἀποδιδόντας πρόσχορδα τὰ φθέγματα τοῖς φθέγμασι. τὴν δ' ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας, ἄλλα μὲν μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τὴν μελῳδίαν συνθέντος, ... id eſt: Reddentes voces cum lyræ ſono concordes. Porro vocis diſcrepantiam, diverſitatemque quoties alios modos edunt chordæ, alios is qui cantilenam compoſuit & cætera. Videtur ad hoc proverbiū alluſiſſe divus Auguſtinus in epiſtola quadam ad Licentium: Aut ſi ego canto, inquit, tu autem ad aliam vocem ſaltas, nec ſic quidem me pœnitet. Habet enim ſuam hilaritatem ipſa cantatio, etiam cum ad tam membra nō movet, cui plena charitatis modulatione cantatur.

Nihil ad Bacchum.

Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον id eſt, Nihil ad Bacchum. Vbi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil attinent. Adagionis origo varia traditur. Zenodotus ait, antiquitus in choris Dithyrambos in Bacchum cani ſolitos, deinde poetas mutata conſuetudine, Ajaces, Centauros, atq; id genus fabulas cœpiſſe deſcribere. Proinde ſpectatores per riſum acclamaſſe: Nihil ad Bacchum. Quo convitio moniti, deinceps ſatyros inducere cœperunt, ne Dei prorſus obliti viderentur. Strabo Geographiæ ſuæ lib. 8. ſcribit, everſa funditus à Romanis propter violatos legatos, Corinthiorum urbe, ubi milites in opera quoque nobilia, quibus ea civitas præter cæteras abundabat, ludibriis inſultaſſe, citatq; teſtem Polybium, qui prædicet præſentem vidiſſe ſeſe, tabulas quaſdam abjectas in ſolum, in quibus milites talis luſerint, (Quarum una fuit ab Ariſtide depicta. Argumentum erat Bacchus. Hinc, inquit, quidam ajunt manaſſe quod proverbio dicitur οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: id eſt, Nihil ad Bacchum, Suidas refert Epigenem quendam Sicyonium tragœdiam de Baccho conſcripſiſſe: quæ cū indigna Deo videretur, quoſdam è ſpectatoribus acclamaſſe: Nihil ad Bacchum. Eamq; vocem in proverbium abiiſſe. Verū magis approbat eorū ſententiam, qui dicunt quondam poetas de Baccho fabularum argumenta conſueſſe tractare eaque demum actitari ſolita. Deinde paulatim ad tragœdias ſcribendas converſos alias fabulas & hiſtorias ſcriptitaſſe, prætermiſſa Bacchi mentione: ſpectatores igitur acclamaſſe, Nihil ad Bacchum, Ejuſque ferme ſententiæ ſuffragatorem citat Chamæleontem. Huic opinioni aſtruit Plutarchus in 1. libr. Sympoſiacon, oſtendens ab Æſchylo & Phrynicho natam parœmiam, qui fabularum argumenta ad hiſtorias & calamitates deflexerint. At Theætetus apud eundē Suidam, in opere de proverbio, ſcribit Parrhaſium pictorum Bacchum ſumma arte finxiſſe. Itaque cum apud Corinthios pictorum inter ipſos de arte certamen ageretur, & complures Bacchum pictum proferrent, quorum nullus ad Parrhaſii Bacchum accederet, ſuccla maſſe populum. Nihil ad Bacchum. Apud eundem, quidam cum Corœbum, Ulyſſem illum vafrum & verſipellem vocaſſet, audiit. Canē adducis ad præſepe, & nihil adfers ad Bacchum. Utroque proverbio ſignificatum eſt, nimis inæqualem eſſe comparationem Corœbicum Ulyſſe. Lucian. in Baccho: ἀλλὰ τί πρὸς τὸν Διόνυσον οὗτος ὁ Διόνυσος; φαίη τις ἄν id eſt: Sed dixerit quiſpiam. Quid ad Bacchum, hic Bacchus? id eſt: Quid ad rem propoſitam pertinet hæc de Baccho fabula. Itaque videtur adagium quadraturum, vel de re ab inſtituto aliena, vel multo inferiore, vel contemnenda. Plutarchus in Sympoſiacarum quæſtionum prima, de iis agens, qui anxios ſyllogiſmos, veluti eum quem κυριεύοντα vocant, in poculis proponere ſolent: τί ταῦτα, inquit, πρὸς τὸν Διόνυσον; Idem mihi: πέμψω δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τάχιστα, εἰ ταῦτα δόξει μὴ παντελῶς ἄμουσα μηδὲ ἀπροσδιόνυσα εἶναι. id eſt: Mittam autem propediem & reliqua. ſi quidem hæ quidem videbuntur non uſquequaque inſcita, neq; nihil ad Bacchum pertinentia. Novi quidem, ſed tamē oppido quam eleganter dixit, ἀπροσδιόνυσα: tacite alludens ad proverbiū. Significat autem, οὐκ ἀπροσδιόνυσα, non aſpernenda, & ad rem pertinentia. Idem in ejuſdem operis li. 4. οἶμαι δὲ καὶ τὴν τῶν σαββάτων ἑορτὴν μὴ παντάπασιν ἀπροσδιόνυσον εἶναι. i. Arbitror autem nec ſabbatorum feſtū nihil prorſus ad Bacchum pertinere. Athen. li. 11. ἀπροσδιονύσους λόγους προσφέρον-
ται.

τελέθρου. id eſt: Solutiones nihil ad rem pertinentes moliens, tertio, πράγματα μέλη dixit, modos non reſpondentes ad tibiam. Ac mox ἀρρύθμα κύμβαλα, hoc eſt, cymbala non congruentia ad numeros ſaltationis. Sic enim vocat ſermones intempeſtivos, aut nihil ad rem pertinentes, quos idem ἀμυστολογίας vocat. De hujus formæ proverbiis dictum eſt nobis alias: Nihil ad verſum. Pindarus in Nemeis, παρὰ μέλος ἔρχεται, dixit: pro eo quod erat, ſecus quam conveniret loqui. M. Tullius lib. ad Atticum 16: Sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo videbatur, quam ad has literas, quibus ego a te conſiliũ petieram, te mihi illa reſcribere. Tametſi quidam hoc loco pro ἀπροσδιόνυσον legunt ἀπροσδόκητον, hoc eſt inopinatum, inexpectatum. Proverbii ſpeciem habet quod eſt apud eundẽ Ciceronem in Bruto: Sed domum redeamus. Id velut interpretans ſubjecit, id eſt, ad noſtros revertamur. Utimur & hodie ſermonis hujus colore, quoties ſignificamus, nos a digreſſione ad id reverti quod inſtitueramus.

Alia Menecles, alia Porcellus loquitur.

Ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Id eſt:

Non eadem loquitur ſuſula, quæ Menecles.

Ubi quis multum verborum effutit, quæ nihil ad rem pertineant. Mihi ſubeſſe proverbiũ videtur, tametſi nondum ſatis liquet unde natum ſit. Alludit ad illud Lucilius in epigrammate, quod quoniam eſt argutum & elegans non pigebit ſubſcribere:

Χοιρίδιον καὶ βοῦν ἀπώλεσα, καὶ μικρὰν αἶγα,
Ὧν χάριν εἰς σὲ, Μενεκλῆς, μισθὸν ἔδωκα, μικρόν.
Οὔτε δέ μοι κοινόν τι καὶ Ὀθρυάδαις γέγονέν ποτε,
Οὔτ᾽ ἄγω κλέπτας εἰς τὰς Θερμοπύλας.
Ἀλλὰ πρὸς Εὐτυχίδην ἔχομεν κρίσιν· ὥστε τί μοι νῦν
Ἐνθάδε Ξέρξης καὶ Λακεδαιμόνιοι;
Πλὴν κἀμοῦ μνήσθητι νόμου χάριν, ἢ μέγα κράξω,
Ἄλλα λέγει Μενεκλῆς, ἄλλα τὸ χοιρίδιον.

Sucula, bos & capra mihi periere Menecles,
Ac merces horum nomine penſa tibi eſt.
Nec mihi cum Othryade quicquam eſt, vel fuitve negoci,
Nec fures ullos huc cito Thermopylis.
Sed contra Eutychidem nobis lis proinde quid hic mi
Aut Xerxes facit, aut quid Lacedæmonii?
Aut pactum & de me loquere: aut clamavero clare,
Multo aliud dicit ſus, aliud Menecles.

Cum hujus epigrammatis argumento convenit & illud quod eſt apud Martial. in lib. 6.

Non de vi, neque cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror, has abeſſe furto.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Mariosque, Muciosque,
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic poſthume de tribus capellis.

In Martialis epigrammate hoc ipſum Tota manu, proverbii ſpeciem gerit. Solent enim rhetores in contentione manu totata geſticulari. Utrumque igitur in eum recte dicetur, qui ἔξωθεν τοῦ πράγματος, hoc eſt, extra cauſam quæ ſunt, & ad rem nihil attinent, dicit: Aliud ſus, aliud loquitur Menecles: &, Dic de tribus capellis.

Quid ad farinas.

Τί πρὸς τὰ ἄλφιτα; id eſt, Quid ad farinas? id eſt, quid attinet ad parandas facultates? Nam ἄλφιτα, pro victu, proque re familiari ponere poetis eſt familiare. Ariſtoph. in Nebulis.

Τί δαί μ᾽ ἐφίλησας; τί δαί μ᾽ ὠφέλησας πρὸς τ᾽ ἄλφιτα;
Quid me numeri tandem ad farinas juverint?

Id recte torquebitur ad artes ſteriles, ut poeticen πρὸς τ᾽ ἄλφιτα, quod vulgo dicunt, De pane lucrando, ſermone celebri magis quam erudito.

Mira de lente.

Rodolphus Agricola, vir immortalitate dignus, libro Dialecticès 3. teſtatur apud Græcos proverbio dici ſolere, Egregia de léte, quoties res humilis & puſilla magnificis laudibus attolleretur: perinde quaſi lenti, minutum ac vile legumen, ſplendidis encomiis eſſetus. Opinor Græcis eſſe in hunc in modum: θαυμαστὰ περὶ φακῆς.

Neq; cœlum neq; terram attingit.

Οὔτε γῆς ἅπτεται οὔτε οὐρανοῦ: id eſt, Neq; cœlum neque terram attingit. De re vehementer abſurda atque aliena, quæque nulla vicinitate pertineat ad id de quo agitur. Lucianus in Pſeudomante: ἐκπέμψας χρησμοὺς ἐπ᾽ αὐτῶν, ἃ μήτε γῆς, φασίν, μήτε οὐρανοῦ ἐφήπτετο. id eſt: Octo mihi miſit oracula, ſed quæ neque cælum, ut ajunt, neque terram attingerent. Ariſtides in ſermone leviter alludens ad proverbium, indicat metaphoram ſumptam ab iis, qui in medio pendent acre, utrinque liberi.

Quid ad Mercurium?

Τί πρὸς τὸν Ἑρμῆν; Quid ad Mercurium? Idem cum illo, οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον: &c. Nihil ad Bacchum. Nihil ad rem. Nam Mercurius orationis autor. Competunt in eos, qui loquuntur aliena ab eo quod agebatur.

Ego tibi de alliis loquor, tu reſpondes de cæpis.

Ἐγὼ σκόροδά σοι λέγω, σὺ δὲ κρόμμυα ἀποκρίνῃ: i. Ego tibi loquor de alliis, tu reſpondes de cæpis. Simillimum illi, ἄμας ἀπῄτουν: quũ aliud reſpondetur, quam rogatis: vel contra, quum inepte reſpondetur, inepte ſciſcitanti. Confinia ſunt inter ſeſe cæpe & allia.

Falces poſtulabam.

Ἄμας ἀπῄτουν, id eſt, Falces poſtulabam. In eos, qui reſpondent id, quod ad ad rem nihil attinet. Plutarch. in commentario περὶ ἀδολεσχίας, admonet, ut qui velit accurate reſpondere, mentẽ rogantis diligenter perpendat: ne illud fiat, quod proverbio dici convenit, ἄμας ἀπῄτουν. eſt autem ſenarius proverbialis apud Suidam & Zenodotum

Ἄμας ἀπῄτουν, οἱ δ᾽ ἀπηρνοῦντο σκάφας.

Id eſt:

Falces petebam, at illi ligones denegant.

Videtur hinc natum, quod agricolæ cuipiam à vicino falcem commodato petenti, negavit ille ſibi ligonem eſſe domi. Theocriti ſcholiaſtes in Paſtoribus annotavit, Atticis ἀμὴν dici, quod communis Græcorum lingua vocat δίκελλαν, ſive σκαφεῖον, id eſt, ligonem. Quod ſi σκάφας, idem ſignificat quod σκαφεῖα, ridiculum erit in reſponſo, perinde ac ſi quis petenti gladium neget ſe habere enſem.

Extra chorum ſaltare.

Ἐκτὸς χοροῦ ὀρχεῖσθαι: id eſt, Extra chorum ſaltare dicitur, qui dicit aut facit a re quam propoſuit alienum aliquid: Etenim qui choros agunt, certis limitibus, certiſque numeris adſtricti moventur, ut liberum non ſit quo libet evagari. Quod ſi quis diſcrepet a lege chori, ridiculus habeatur.

Ultra ſepta tranſilire.

Ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν: id eſt, Septa tranſilire. Congruit vel in eos, qui rem quampiam novam & incredibilem deſignant longeq; ſupra vulgarium hominum facultatem: vel in hos, qui à re propoſita digrediuntur: vel in illos, qui præſcriptos ſibi terminos, & poteſtatis mandatæ modum tranſeunt. Natum adagium à Phayllo quodam pentathlo Opuntio, ut quibuſdam placet. Crotoniata qui tum ſaltu, tum diſco mirum in modum valuiſſe legitur. Hæc ferme Suidas. Extat & inſcriptio ſtatuæ illius hujuſmodi:

Πέντ᾽ ἐπὶ πεντήκοντα πόδας πήδησε Φάυλλος,
Δίσκευσεν δ᾽ ἑκατὸν, πέντ᾽ ἀπολειπομένων.

Id eſt:

Quinque ſupra quinquaginta pedes ſaliit Phayllus:
Diſcum autem jacit centum, exceptus quinque.

Meminit hujus adagii Plato in Cratylo καὶ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἅλλεσθαι id eſt: Ultra ſepta ſalire. Refert & Julius Pollux libro De rerum vocabulis tertio. Lucianus in Somno ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα ἤδη πηδᾷ. id eſt, Et ultra ſepta jam tranſilit. De ſomnio, cujus finis cum ſit ſomnus, jam etiam vigilanti duraret. Chryſoſtomus Homil. in 2. Cor. 5 τὰ ἐσκαμμένα ὑπερβῆ. id eſt. Septa tranſcedit, de Paulo loquitur, qui cum gratis doceret Evangelium, plus præſtitit quã ab Apoſtolis exigebatur. Cicero de oratore libr. 1. Et quaſi certarum artium forenſibus cancellis circumſcriptam ſcientiam. Idem in actionibus: Ab his cancellis, quibus me circumſcripſi, declinavero. Locus enim is, in quo celebrantur ludi forenſes, foſſis, cancellis, aut aliis id genus ſeptis erat circumſcriptus.

Extra oleas.

Ἐκτὸς τῶν ἐλαῶν φέρεται: id eſt, Extra oleas fertur, ubi quis terminos præſcriptos tranſgreditur, aut aliena, nec ad rem pertinentia facit dicitve. Ariſtophanes in Ranis:

Μή σ᾽ ὁ θυμὸς ἁρπάσας
Ἐκτὸς οἴσει τῶν ἐλαῶν.

Id eſt:

Ita ne concitum rapiat extra olivas.

Interpres adagium hinc natum ait. Stadia in quibus currendi certamina peragebantur, oleis per ſeriem poſitis, utrimque ſepiebantur, quas præterire non licebat: proinde qui præcurriſſet oleas extra ſtadium currere videbatur.

Incita equum juxta Nyſſam.

Κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν: id eſt. Stimula equum juxta lineam ſive metam: dicebatur, ubi ſermo loquentis aberraret abeo quod eſſet inſtitutum. Natum videtur ex Iliados Homericæ ψ. ubi Neſtor multis verbis docet filium Antilochum, quo modo debeat equos regere, addit & hoc:

Ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω,

Id eſt:

Cæterum equum lævum conſtringat linea metæ.

Sumptum ab equeſtri cuſu, qui inter præſcriptas metas ac lineas agebatur, quas tranſilire nefas erat. Ad quod haud dubie Fabius alluſit, in undecimo Inſtitutionum Oratoriarum libro, referens Caſſium Severum lineam poſcere ſolitum, adverſus eos qui in aliena tranſirent ſubſellia, veluti qui præſcriptum limitem egrederentur. Finitimum illi, ἐκτὸς τῶν ἐλαῶν: id eſt, Extra oleas. Item illi, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν. Uſurpavit, pverbii titulo Greg. Nazianz. in orat. de S. paſcha: ἀλλ᾽ ὅτι πῶλος ... φ ... ἐκ ... περὶ τὴν νύσσαν, τὰ νῦν ... ψιλοσοφοῦντα.

Id eſt:

id eſt: Sed hic fortaſſis aliquis nobis dixerit, ex his qui amant dies feſtos, ac calidiores ſunt, Incita equum juxta Nyſſam, ac de feſto diſſere. Utitur eodem proverbio in oratione De natali Jeſu Chriſti. Idem variavit non nihil in oratione contra Eunomianos: μηδ' ὥσπερ ἵπποι θερμοὶ καὶ δυσκάθεκτοι, τὸν ἐπιβάτην λογισμὸν ἀπορρίψαντες, καὶ τὴν καλῶς ἀγχαλῶσαν εὐλάβειαν ἀποπτύσαντες, πόρρω τῆς νύσσης θέωμεν. id eſt: Ne velut equi fervidi & intractabiles, poſteaquam rationem ſeu ſeſſorem excuſſerimus, & religionem cautionem pulchre nos ſeptis cohibentem, procul à meta curramus.

Haud contra oſtium.

Οὐ κατὰ θύρας: id eſt: Haud contra januam: pro eo quod eſt, non propriè ad rem, & aptè ad id, de quo agitur, proverbiali certe figura dictum eſt ab Ariſtotele, libro Phyſicorum 4. ὅτι μὲν οὖν οὐ κατὰ θύρας αὐτοῖς τὸ ζητούμενον ἀπαντᾷ τούτοις. id eſt: Iſtis quidem igitur haud contra oſtium occurrunt quæſtioni. Argyropilus οὐ κατὰ θύρας vertit non recte, neque non recte tamen id quidem. Perinde valet, quaſi dicas, ad ſcopum. Illud expende lector, num hoc adagium illi ſit affine, τίς ἂν θύρας ἁμάρτοι, id eſt: Quis aberraverit à janua?

Extra cantionem.

Παρὰ τὸ μέλος: id eſt, Extra cantum agi, dicive dicunt, quod ad rem non pertinet. Etiamſi proverbio in alienam transfuſo linguā, perit genuina illa gratia. Siquidem παρὰ μέλος perinde ſonat, quaſi dicas, parum concinne, parum apte, parum decore. Nam quod in Muſica eſt μέλος id in vita decorum. Lucianus in Eunucho: καὶ ἐφ' ὧν αἰδέσαιτ' ἄν τις παρὰ μέλος τι φθέγξασθαι id eſt: Et apud quos vereretur aliquis præter cantum quippiam dicere, id eſt, quod a re eſſet alienius. Imitatus eſt hanc figuram ex Platone, qui lib. de legibus 3. ſcribit ad hunc modum: παρὰ μέλος ἐμοὶ γὰρ δοκεῖς φθέγξασθαι, id eſt: Præter cantilenam mihi dicturus fuiſſe videris. Et in Critia: παρὰ μέλος δ' εἴ τι περὶ τῶν ἄρτι τὸ μὲν ἐλέγομεν, τὴν πρέπουσαν ἐπιθήσει. id eſt: Quod ſi quid extra cantionem imprudentes de ipſis ſumus locuti, congruam pœnam exiget. Ariſtophanes in Concionatricibus, eleganter unico verbo dixit, παραχορδεῖν pro eo quod eſt, abſona, nec ad rem facientia loqui:

——φυλαττόμενος ὅπως
μηδὲν παραχορδιεῖς ὧν δεῖ σ' ἀπολέξαι
id eſt:
—— Attente cavens
Ut ne quid alienum loquare & abſonum

Ariſtotel. lib. Rhetoricorum 3. notat a poetis quibuſdam dictum ἄχορδον καὶ ἄλυρον μέλος, cantionem diſſonam, nec finibus reſpondentem. Apte torquebitur in eos, qui ſecus vivunt quam docent. Finitimum eſt huic quod alibi retulimus, οὐδὲν πρὸς ἔπος: Nihil ad verbum, ſeu nihil ad carmen. Quo quidem Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις, nove utitur pro temere:

Οὐ γάρ τι τοὐμὸν ἱδρῶτι καὶ φειδωλίᾳ
Οὐδὲν πρὸς ἔπος κ' ἀνεμιαίως ἐκβαλῶ.
Id eſt:
Neque enim meo ſudore quod paraverim
Meaque parſimonia, temere ac nihil
Ad rem profudero.

Οὐδὲν πρὸς ἔπος. Scholia exponunt ὡς ἔτυχεν, εἰκῇ, μάτην: id eſt, temere, & abſque cauſa. Poſterior verſus Græcus non conſtat ſuis pedibus. Reſtituetur ſi legamus οὐδέν τι πρὸς ἔπος κ' ἀνεμιαίως ἐκβαλῶ. Quod carmen equidem duxi ſatius, vel alieniore citare loco, quam coſtudioſum fraudare lectorem. Natum, ut videtur, ab apophthegmate Themiſtoclis, qui Simonidi poetæ petenti quiddam a ſe parum æquum reſpondit ad hunc modum: Neque tu bonus eſſes poeta, ſi præter cantum caneres, neque ego bonus princeps, ſi præter leges judicem Sumptum eſt ab antiquis cantoribus, qui, vocem ad lyram accommodabant, aut certe a concentu vocalium muſicorum: ubi ſi quis diſſonat ab harmonia, graviter offendit aures Lucianus ἐξάχορδα vocat, quæ ad cauſam non pertinent. M. Tullius οὐδὲν πρὸς ἔπος, quæ aliena à re propoſita.

Nihil ad rem.

In eum qui dixerit abſurde quippiam, & alienum à re propoſita, quadrabit illud ex eodem libro, quanquam idem aliis aliquot repetitur locis:

Νήπιος εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
id eſt:
Hoſpes ſtultus, aut longinquis advena ab oris
Nuper adeſt——

Meos corymbos necto.

Τοὺς ἐμοὺς κορύμβους πλέκω: id eſt, Meos necto cincinnos Ubi quis reſpondet, quod nihil pertineat ad interrogata. Refertur ad hunc modum: χαῖρε ὦ Ὑψιπύλη. τοὺς ἐμοὺς κορύμβους πλέκω. ὅτι λέγω περὶ τούτου. ὁ ἀνήρ μου ἔνδον ἐστί: id eſt: Salve Hypſipyle. Meos corymbos necto. Nō tibi loquor iſta de re. Maritus meus hic eſt! Ex aliquo comœdiæ loco ſumptum apparet, in qua perſona quæpiam per diſſimulationem, diverſa reſponderit. Quod genus eſt & illud apud Terentium in Phormione, cum Phædria rogatus, ubi nam eſſet Antipho, reſpondens iterat ſalutationem, deinde ait illum recte valere. Eſt conſimilis locus & apud Plautum in Mercatore: Jam machæra eſt in manu. Nam ſi eo te introducam, Tollo ampullam atque hinc eo: & reliqua Nam locus longior eſt, quam ut citra tædium poſſit recenſeri. Confine ei quod alibi retulimus ἄλλως ἀνήνυτα.

Omiſſa hypera, pedem inſequeris.

Ἀφεὶς τὴν ὑπέραν, τὸν πόδα διώκεις: id eſt. Omiſſa hypera pedem ſectatur. Convenit, ubi quis omiſſis his quæ magis ad rem attinebant, levicula quæpiam curat Hyperæ nautici funes ſunt, quibus antennarum cornua traducuntur. Pedem autem vocant imam clavi partem. Verum hyperarum maximus uſus in navigando. Suidas adagium citat ex Hyperide, item qui ſcripſit ſcholia in Demoſthenem ex libro περὶ πρεσβείας primo.

De curru delapſus.

Ἐξ ἁμάξης καταπεσών. id eſt, de curru delapſus. In hodiernum quoque vulgo durat adagium, in eum qui oblitus propoſiti alio ſe transfert: aut qui in ſententia labaſcit, ut de curru de lapſus dicatur, quemadmodum ab aſino delapſus. Ariſtophanes in Ranis:

Ἐξαμαξευθεὶς φρενῶν.
Id eſt:
Animus à curru decidens.

hoc eſt aberrans ab inſtituto. Natum apparet à fabula Phaetontis, quem ferunt curru excuſſum. Siquidem animus velut auriga corporis eſt, & corpus ceu vehiculum. Eſt & apud Platonem de animabus è cœlo delapſis, quod curribus ſuis eſſent excuſſæ.

Quo terrarum raperis?

Qui non ſunt attenti ad rem propoſitam, negantur eſſe domi: qui longius aberrant à vero, in alia regione eſſe dicuntur. Electra ſorori nuncianti Oreſtem vivere, qui dictus erat mortuus, ita reſpondet:

Οὐκ οἶσθ' ὅποι γῆς, οὐδ' ὅποι γνώμης φέρῃ.
Id eſt:
In quod ſolum rapiare non intelligis.
Nec quo ferat mens.

Proverbium eſt in tropo Sic in eum qui aberrat à re propoſita, apte dicetur illud:

-- Quo nunc ſe proripit ille?

aut, In quam regionem abripitur: Translatum videtur à nautis.

Me mortuo terra miſceatur incendio.

Extat Græcus ſenarius παροιμιώδης apud Suetonium Tranquillum in vita Neronis:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
Id eſt:
Me mortuo conflagret humus incendiis.

Quod cum a quodam ſermone commune diceretur, Nero reſpondens, Imo, inquit ἐμοῦ ζῶντος: id eſt, Me vivo: alludens ad urbis incendium, quod paulo poſt effecit. Meminit hujus proverbii M. Tullius lib. De finibus bonorum. Quoniamque illa vox inhumana & ſcelerata dicitur eorum, qui negant ſe recuſare, quo minus ipſis mortuis, terrarum omnium deflagratio conſequatur, quod vulgari quodam verſu Græco pronunciare ſolent. Item Seneca libro De clementia 2. cum dicit, multas voces magnas, ſed deteſtabiles in vitam humanam perveniſſe, celebreſque vulgo fieri, ut illam, Oderint dum metuant: Cui, inquit, Græcus verſus ſimilis eſt, qui ſe mortuo terram miſceri ignibus jubet. Quin eadem ſententia hodieque vulgo durat inter mortales: Mihi, inquiunt, moriente mundus univerſus moritur. Qua ſignificant nihil ſua referre, quid poſteris accidat vel boni vel mali, cum ipſi tollantur è vita, nequaquam ſenſuri.

Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur.

Plautus in Epidico, ſane quam elegans adagium uſurpavit, Mihi inquiens, iſthic nec ſeritur, nec metitur. id eſt: res iſta nihil ad me pertinet, ut quæ neque meo fiat periculo, neq; emolumento. Metaphora notiſſima eſt. Etenim qui ſementem facit, is ſuo impendio ſuoq; periculo facit: qui metit, compendium accepit, & in tuto eſt. Diverſum eſt huic quod eſt apud Plautum in Mercatore: Tibi aras tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis.

Non luctu, ſed remedio opus in malis.

In malis non lamentis, ſed auxiliis utendum. At id conveniet illud ex Iliados ω quanquam aliis item iteratum locis.

Οὐ γάρ τις πρῆξις πέλεται κρυεροῖο γόοιο.
Id eſt:
Quippe nihil miſeri fletus lamentave proſunt.

Reſpublica nihil ad muſicum.

Hæc perſuaſio quemadmodum olim multorum animos occupavit, ita nunc quoque multis inhæret, ut credant doctos ac probos viros non eſſe accommodos ad gubernandam Remp Plato abſtinuit, Socrates fruſtra tentavit, Demoſtheni ac Ciceroni parum feliciter ceſſit, Deniq; mater Neronis deterruit filium à ſtudio philoſophiæ, quod exiſtimaretur inutile geſturo principatum. Ad hæc D. Auguſtinus redarguit in epiſtola quoſdam, qui jactabant Euangelicam philoſophiam officere Rempubl. adminiſtranti. Id venuſte expreſſit Ariſtophanes in Equitibus. Nam illic principa-

tum

ſum recuſanti, quod muſices eſſet imperitus, ita reſpondetur:

> Ἡ δημαγωγία γὰρ οὐ πρὸς μουσικοῦ
> Ἔτ' ἐστὶν ἀνδρός, οὐδὲ χρηστοῦ τοὺς τρόπους.
> Id eſt;
> At gerere nunc Remp. non eſt viri,
> Qui muſicus ſit ac probatis moribus.

Muſices nomine omnem liberalem eruditionem deſignabant veteres.

Ἐξορχεῖσθαι.

Qui fugiunt, & ab eo quod agitur alio ſe vertunt, Græcis ἐξορχεῖσθαι dicuntur: ſumpta metaphora à ſaltationibus, præſertim ſacris, unde ſubtrahere ſeſe inauſpicatum erat: quemadmodum indicatum eſt in proverbio, Omnia ſecunda, ſaltat ſenex. Notum eſt quod refert Herodotus de Hippoclide, qui indecora ſaltatione excidit à ſpe nuptiarum, & audivit, ἀπωρχήσαο γε τὸν γάμον.

Simia in pelle leonis.

Ὑπὸ τῇ λεοντῇ γελοῖόν τινα πίθηκον περιστέλλειν, ſub leonis exuvio ridiculam quandam ſimiam tectam habere, In ardelionem merum, qui ſe magnis titulis aut nominibus oſtentavit. Lucianus.

Prorſus ignotus.

In eum, quem plane ignotum videri volumus, aut qui in diſciplinam, aut artem quam ignorat, ſeſe ingerit, licebit torquere ironice illum Homeri:

> Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;
> Id eſt:
> Dic, quis, & unde venis, tibi ubi patria, atque parentes?

Ἀπροσδιόνυσα.

Unico verbo elegantiſſime exprimunt Plutarch. Athen. illud, quod eſt ſup. Nihil ad verſum: &, Nihil ad Bacchum: &, Quid ad Mercurium? & 130. Non diſſimile, cum idem Athen. intempeſtivos ſermones & à propoſito alienos vocat ἀκαίρους κύμβαλα, cymbala non congruentia ad numeros ſaltationis: & παραυλα μέλη, modos non reſpondentes ad tibiam: item ἀμουσολογίας.

Junii *Charixena non ſunt iſta.*

Apud Ariſtophanem in Concionatoribus anus loquitur: οὐ γὰρ τ' ἐπὶ Χαριξένης τάδ' ἐστίν, id eſt: Neque enim ad Charixenam iſta pertinent. Euſtathius in Navium catalogum ſcribens, ait eſſe proverbium à Charixena poetria fidicina tractum, ſed non explicat. Scholiaſtes Ariſtophanis annotat Charixenam fuiſſe ſtolidam & fatuam mulierculam. Videtur dici poſſe cum indicare volumus, alia de re quam alter exiſtimet, ſermonem nobis eſſe.

Ilio indigna verba.

Ilio indigna verba dixit Euripides non ſine proverbii ſpecie, verba parum fortia, & imbellem animum prodentia, ſic enim apud illum loquitur Menelaus, ſuadente Helena, ut vitæ ſuæ conſuleret, habita utriuſque ſalutis ratione:

> Ἄνανδρ' ἔλεξας, Ἰλίου τ' οὐκ ἄξια,
> Id eſt:
> Imbelle verbum dixti, & haud dignum Ilio.

Fortia facinora decennali potentiſſimæ urbis Trojanæ obſidione à Græcis edita, veterum ſcriptis paſſim celebrantur.

Theatrum ſimul & aperit & claudit.

Proverbiale eſt in eum, qui pollicetur dicturum ſe aut explicaturum aliquid oportunum & magni momenti, ſimulque alio orationem dirigit. Heliodorus lib. 5. ὥσπερ κατόπιν ἑορτῆς ἥκοντα τὸν τῶν λόγων παραγγελματικῶς, ἐμοῦ τε ἀνοίξας καὶ κλείσας τὸ θέατρον. i. Me veluti peracto jam feſto advenientem, juxta proverbium, prætereis, & reſervans ſimul & claudens theatrum. Poteſt & in ſordidum torqueri, qui ſpem oſtentat domi, ſed mox revocat.

Equus ſeſſorem rapit.

Ἵππος τὸν ἱππότην, id eſt, Equus ſeſſorem: ſubaudi, ἀφαρπάζει, id eſt, abripit. Proverbiali figura dicitur, quum orationis impetu abducimur, & in aliam divertimus materiam. Gregorius presbyter: ἀλλ' ὁ λόγος συναρπάσας τὸν λέγοντα καθάπερ ἵππος τὸν ἱππότην [illegible]. id eſt: Orationis curſus dicentem veluti ſeſſorem equus, in laudes B. Baſilii abduxit. Horatius etiam orationem equo aſſimilat. & Græci ἵππον vetat equeſtrem vocant orationem numeris adſtrictam: quod quaſi equo invecta ſublime ſpirer.

Herculis ædem mulier non intrat.

Γυνὴ εἰς Ἡρακλέους οὐ φοιτᾷ: id eſt, Mulier Herculis ædem non ingreditur. Quadrat proverbium in eos, qui rei alicui indigne manus injiciunt & attrectant: velut ſi profanus cerdo ad altiſſima ſacræ philoſophiæ myſteria, illota mente irrumpat. quadrabit & in indignos, & adminiſtrandis reip. muniis neutiquam aptos. Natum opinor à veterum religione, quæ fœminas Herculis indigetis fano excludebat, velut Dei illius opprobria, ob ſervitium Omphale Lydorum reginæ præſtitum: quemadmodum viris non dabatur acceſſus in Bonæ deæ templum. Citatur a Suida.

Quid cothurnus cum clava.

> Τίς ὁ κόθορνος καὶ ῥόπαλον ξυνηλθέτην; id eſt:
> Quid conveniunt cothurnus & clava?

Verba ſunt Herculis ad Bacchum apud Ariſtophanem in Ranis, crocoto muliebri indumento & cothurno mollium & delicatorum geſtamine indutum, quibus ſuperinjectum erat leoninum tergus cum clava. De rebus incongruis & indecoris: veluti ſi ſacrificus militarem abollam geſtet, & diſſectis thorace & caligis incedat, pileoque peonis ſarto.

Quid barbiton Crocoto loquitur.

Τί βάρβιτος κροκωτῷ λαλεῖ, τί δ' ἡ λύρα κεκρυφάλῳ; id eſt,

Quid barbiton crocoto loquitur, quidve lyra calanticæ? De re abſurda, nihilque conſoni habente. Citatur a Suida ex Ariſtophane: veluti ſi Manardus medicas rationes cerdoni alicui aut craſſo ruſtico enucleet: vel ſi colores rhetoricos rudi ejus artis fabro exponat rhetor. Eſt autem Barbiton ſive Barbitus, inſtrumentum Lyricum fidibus intentum, plectro pulſatile: quod a gravioris fortaſſe ſoni modulis βαρύμιτον, quaſi gravichordum dicas, Pollux lib. 4. nominat. quam lectionem ſaniorem judico, quam quæ in Athenæo libr. 4. βάρωμος legitur, & in 14. βάρμος. De quo Halicarnaſſæus lib. 7. βαρβίτων κρούσματα: id eſt, Barbita plectris radiiſve percutientes. Theocritus, βάρβιτον ἐς πολύχορδον: Barbiton multichordum.

Ubi Atridarum ſcapha.

Ποῦ σκάφος τῶν Ἀτρειδῶν: id eſt, Ubi ſcapha Atridarum. Adagio utemur, quum ſignificabimus non eſſe curioſos nos de re à nobis peregrina, quæ nihil ad nos pertineat, de qua non admodum ſit nobis laborandum, verbi gratia, ſi dicat quis ſe melioribus ſtudiis addictum, non curare aut ſolicite velle indagare, quid rerum agat Pontifex, ubi æſtivet Turca, quid apparet Cæſar, quidve moliatur Gallus, quo ſenſu cecinit illud in odis Horatius:

> Muſis amicus triſtitiam & metus
> Tradam protervis in mare Creticum.
> Portare ventis, quis ſub arcto
> Rex gelidæ metuatur oræ,
> Quid Tyridaten terreat, unice Securus.

Utitur Cicero libro ad Atticum 7. Sed quoniam res eo deducta eſt, non quæram, ut ſcribis, ποῦ σκάφος τῶν Ἀτρειδῶν. Videtur alicunde e tragœdia ſumptum.

Aliud quippiam exorna.

Extat apud Syneſium in epiſtola ad Athanaſium, proverbiali ſchemate prolatum haud dubie, ἄλλο τι ποίκιλλε: id eſt, Aliud coloribus exorna. nam quum Ulyſſes evadendi ſpecu Cyclopis modos omnes rimatus, ſpem Galatheæ amorum illi feciſſet, autrumque prius evertendum ab illuvie pecoris, ac thymiamate quopiam fragranti adolendum, & ſertis corollis ornandum inſtaret, quo ſic fugam captare liceret, ille non omnino ſtupide verba ſibi dari ſubodoratus: [illegible], inquit, [illegible], id eſt: Callidiſſimus mihi videris homuncio, & in rebus verſatiſſimus, nempe aliud pigmentis exorna, neque enim iſthinc effugies. Sumptum à pictoribus, qui colorum delinimentis variis rem exornant. Locus videtur alicunde ex poetæ tragici alicujus fabula, cui Cyclops nomen ſit, deſumptus. Non abſimile eſt illi quod apud Plutarchum in Sympoſ. 8. Autobulus dicit, παῦσαι ταῦτα ποικίλλων πρὸς ἡμᾶς: id eſt, Deſine iſta apud nos variegare. Sophocle in Trachiniis: οὐδὲν ξυνίημ' ὧν σὺ ποικίλλεις πάλαι. id eſt: Nihil horum capio quæ tu dudum exornas, & lenocinio verborum illecebriſque venuſtas, & iterum, Lichas ad Dejaniram: τί ταῦτα ποικίλλας ἔχεις: id eſt: Quid artificioſe molitis & exornas?

Ὑπόξυλον.

Ὑπόξυλον, quaſi Ligneum, dicitur proverbiali tropo quicquid ineptum eſt: ſive ad rem, ſive ad perſonam id transferas. Hermogenes rhetor ubi de verbis tropice prolatis agit, quam ſit eorum uſus in civilibus periculoſus, poſtquam negavit id eſſe Demoſthenicum, ſubjicit: παρὰ δὲ τοῖς ὑποξύλοις τούτοις σοφισταῖς πάμπολλα εὕροις ἄν, γῦπας γὰρ ἐμψύχους τάφους λέγουσιν, ὧν εἰσὶ μάλιστα ἄξιοι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα ψυχρευόμενοι πάμπολλα. id eſt: At apud ligneos iſtos ſophiſtas plurima ejus generis invenias, ſiquidem vultures appellant animata ſepulchra, his ipſis longe digniſſimi: aliaque id genus permulta frigide proferunt. quo convicio Gorgiam Leontinum perſtringit, cujus illud eſt, γῦπες ἔμψυχοι τάφοι: id eſt, Vultures viva ſepulchra: quod ipſum ridet in illo Dionyſius Longinus, quemadmodum & illud, Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν Ζεύς, Xerxes Perſarum Jupiter. Uſus eſt & Alexis comicus in fabula cui Sceleſtæ nomen dedit,

> Ἄνω λιπαροί, τὰ δ' ἄλλα σώματ' ὑπόξυλοι.
> id eſt:
> Super ne nitidi, reliquo corpore lignei.

Belgica etiamnum ligneum hominem nuncupat inſulſum rebuſque gerendis ineptum.

Extra curriculum ferri.

Ἐκτὸς δρόμου, id eſt, Extra curriculum, non abſque proverbii ſchemate dixit Plato, de re à propoſito aliena: ita namque in Cratylo ait: ἆρ' οὖν ἐννοεῖς με ὥσπερ ἐκτὸς δρόμου φερόμενον, ἐπειδὰν λείου ἐπιλάβωμαι: id eſt: Annon vides me tanquam extra curriculum provectum, poſtquam in lubrico veſtigium poſui? Sumpta metaphora à ſtadii decurſu, in quo qui plurimum exorbitat, aut à trita ſemita deviat, is a meta abſcedit longius.

Inter lugentes jocari.

De eo qui alieniore tempore intempeſtive aliquid deſignat aut

loquitur, competit quod parœmiæ nomine recitat Demetrius Phalereus, ἐν πενθοῦσι παίζειν, id eſt, inter lugentes ludere. verba ejus ſunt in capite de homœoteleutis, ubi affectatam vocum ſtructuram criminatur: οὐ μὰ τὸν Δία πάθος κινήσεις οὐδ᾽ ἔλεον, ἀλλὰ τὸν καλούμενον κλαυσιγέλωτα. τὸ γὰρ ἐν πενθοῦσι παίζειν, κατὰ τὴν παροιμίαν, τὸ τὰ τοιαῦτα ἐν τοῖς πάθεσι κακοτεχνεῖν ἐστι. id eſt: Non hercule affectum movebit aut miſerationem. ſed eum quem nominant mixtum fletui riſum. nam in affectibus talia vitioſe affectare, eſt idem quod inter lugentes ludere, juxta proverbium, quo in loco turpes mendæ in codicibus impreſſis inſederunt ſiquidem male πάθες pro πάθος ſcriptum legitur: & ἔλαιον pro ἔλεον, & ἐν ποιοῦσι loco ἐν πενθοῦσι. Quid, quod vox ipſa κλαυσιγέλως proverbialis eſt, de ſimulato fletu, qualis hæredum eſſe ſolet juxta Mimum Publianum:

Hæredis fletus ſub perſona riſus eſt.

Qua uſum oſtendit Xenophontem Hermogenes rhetor. cap. De tenuitate. Eſt autem locus Græcarum rerum libr. 7. πάντας δὲ τοὺς παρόντας τότε γε τῷ ὄντι κλαυσιγέλωτα ἔχειν. id eſt: Cunctos qui aderant tenui revera permiſtus lacrymis riſus. Apollodorus apud Athenæum libr. 13. refert duas fuiſſe Phrinas meretriculas, quarum alteri à fictis lacrymis cognomen dicit fuiſſe κλαυσιγέλως, alteri à putiditate σαπέρδιον.

Ocream capiti, tibiæ galeam adaptare.

Lucianus in Rhetor. διδασκάλῳ Rhetorem ſic inſtituit: ἀλλὰ τὸ πρῶτον ἐπελθὸν, πρῶτον λεγέσθω, κἂν οὕτω τύχῃ, περὶ τῷ μετώπῳ μὲν ἡ κνημίς, περὶ τῇ κνήμῃ δὲ κόρυς. Verum ut unumquodque primum inciderit, primo loco dicatur: ad hæc, ſi fors ita contigerit, fronti quidem ocrea, tibiæ vero galea adponatur. Proverbium indicat nihil ſuo loco, ſed omnia præpoſtere fieri. Adagio rurſus utitur Lucianus in Commentariolo, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῇ προσαγορεύσει πταίσματος, id eſt, de errore compellationis: ὥσπερ ἄν τις κνήμῃ τὸ κράνος ἢ περὶ τῇ κεφαλῇ τὰς κνημῖδας ἐπιδούμενος. Saluſtius in bello Jugurthino præpoſteros homines vocat, qui majorum acta, & Græcorum militaria præcepta tum primum legunt, quando jam conſules facti ſunt. Nam gerere, quam fieri, tempore poſterius eſt. Plinius ſcribit, Oryges eſſe contrario pilo, & ad caput verſo veſtitos, ita reperias quoſdam homines qui nihil ament, niſi quod ſit præpoſterum.

VLPII *Hercules in Lydia.*

Dicitur in eum, qui cultu indecoro & ſibi neutiquam accommodato utitur. Vlpian.

COGNATI *Ludere inter mœrentes.*

Demetrius Phalereus in libro de Elocutione: τὸ γὰρ ἐν πενθοῦσι παίζειν κατὰ τὴν παροιμίαν, τὸ τοιοῦτον ἐν τοῖς πάθεσι κακοτεχνεῖν ἐστι. Ludere enim inter mœrentes eſt, ut in proverbio dicitur, malo artificio in movenda & excitanda perturbatione uti. Vide alibi Muſica in luctu importuna.

ALIENA CVRANTIS.

Bellum Cononi curæ fuerit.

——Πόλεμος Κόνωνι μελήσει.

Id eſt:

——Curabit prælia Conon.

Hemiſtichium eſt heroici carminis: nec ſatis liquet unde ſumptum. Porro Conon dux Athenienſium fuit multum in belli negociis exercitatus. Primum navali prælio ſuperatus a Lyſandro Lacedæmoniorum duce, redintegratis copiis, eundem terreſtri prælio vicit, & Athenarum libertatem reſtituit. Proinde conveniet ad hunc modum reſpondere, curanti negocium, quod ad ſe nihil attineat. Item Hector Andromachæ ſuæ Iliados 2.

——Πόλεμος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει.

Id eſt:

—— Viris curæ ſunt bella futura.

Et Turnus apud Vergilium:

Arma viri bellumque gerant, queis bella gerenda.

In alieno choro pedem ponere.

Ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τίθεσθαι. id eſt: In alieno choro pedem ponere: eſt ſeſe miſcere negociis alienis, & aliorum ſibi vendicare partes. Plutarchus in commentario, quem inſcripſit, Quo pacto ſeipſum aliquis citra invidiam laudare poſſit. τὸν μὲν γὰρ ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθέντα περίεργον ἡ παροιμία καὶ γελοῖον ἀποδείκνυσι. id eſt: Eum quidem qui alieno choro pedem imponit, curioſum ac ridiculum eſſe, proverbium declarat. Idem in Sympoſiacis: ἐγὼ δὲ καίπερ ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθεὶς εἶπον. id eſt: Ego vero tametſi pedem in alienum inferens chorum dicebam. hoc eſt, reſpondens de re, quæ ad philoſophi profeſſionem non pertinebat. Affinis eſt huic adagio metaphora perquam elegans, neque diſcrepans à ſpecie proverbiali, qua uſus eſt Ariſtides in Miltiade. Μιλτιάδην δὲ τὸν ἐν Μαραθῶνι, ποῦ χοροῦ τάξομεν: id eſt: Porro Miltiadem, qui eſt apud Marathonem, qua chori parte collocabimus? Interpres addit metaphoram ſumptam a choreis ac ſaltationibus. Quibus ſi quis ignotus admiſceat ſeſe, deridea tur, atque exſibiletur illico. Plato in Euthydemo: τὴν δὲ σοφίαν ποῦ χοροῦ τάξομεν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς, ἢ πῶς λέγεις. id eſt: Hanc ſapientiam in quo choro ſtatuemus, inter bona, aut quid cenſes?

Ne depugnes in alieno negocio.

Ubi ſignificabimus non nolle noſmet admiſcere litiali enæ, quæ nihil ad nos pertineat, ſed permiſſuros ut ipſi inter ſeſe ſuo decertent periculo quorum agitur negocium, verſiculo fuerit locus ex eodem libro.

Οἴους ἀμφ᾽ Ἑλένῃ καὶ κτήμασι πᾶσι μάχεσθαι.

id eſt:

Proque Helena, proque omni re decernere ſolos.

Dictum de Menelao & Paride. ſingulari certamine congreſſuris.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

Τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. id eſt; Quæ ſupra nos, nihil ad nos. Dictum Socraticum, deterrens a curioſa veſtigatione rerum cœleſtium & arcanorum naturæ. Fertur proverbii vice à Lactantio lib. 3. c. 20. Ex his, inquit, unum eligam, quod ab omnibus ſit probatum. Celebre hoc proverbium Socrates habuit: Quod ſupra nos, nihil ad nos. Torqueri poteſt & in illos, qui de negociis principum aut Theologiæ myſteriis temere loquuntur. Vertere licebit & in contrarium, Quæ infra nos, nihil ad nos: ubi ſignificamus res leviuſculas, quam ut nobis curæ eſſe debeant.

Utere curru, de aſinis nihil laborans.

Ἀπήνῃ τῇ σῇ ἀγάλλου, τῶν δ᾽ ὄνων οὐδὲν μέλει.

id eſt:

Utere plauſtris tuis, aſinoſque ne curaveris.

Verſus eſt trochaicus tetrameter. Hoc proverbio monebant, ut ſuarum quiſque rerum curam ageret, hiſque frueretur, alienarum negligens, atque incurius. Hinc ducta metaphora, quod quibus plauſtrum eſt domi, nihil neceſſe habeant deportandis oneribus aſinos alienos conducere.

Stultior Morycho.

Μωρότερος εἶ Μορύχου: id eſt, Stultior es Morycho. Siculum proverbium, in eos qui ridicule ſtulteve quippiam facerent. Mihi videntur peculiariter obnoxii huic adagioni, qui domeſticorum negociorum negligentes, foris agunt, aliena curantes. Quod genus inducitur Ollus apud Martialem. Cujuſmodi ſunt & apud Plutarchum Lamiæ. Zenodotus tradit. apud Siculos Baccho cognomen eſſe Morycho, idque inde datum, quod in vindemiis, hujus dei facies muſto ficiſque virentib. oblini conſueverit: quod utriuſque arboris inventæ laudem Baccho tribuunt veteres, ut teſtis eſt Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 2. παρὰ τὸ μορύξαι τὸ μολῦναι id eſt, a moryxai, quod eſt contaminare: unde & Homerus, μεμορυγμένος dicerit, pro μεμολυσμένος. Bacchus autem ubique ridiculus, ac parum cordatus inducitur à poetis, utpote deus temulentus: velut in Ranis Ariſtophanis. ideoque in hujus ſacris ludicra quædam tanquam in ejus contumeliam fiebant. Quin & cognomen additum contumeliæ cauſa ἠλίθιος. Apud Siculos hujus ſimulachrum, non in templo, ſed extra phanum ſub dio poſitum erat, juxta ingreſſum ſive veſtibulum, confectum e lapide cui nomen Pſella, arte Simmii cujuſdam Bupalami. Proinde vulgari joco jactatum eſt de illo, μωρότερος εἶ Μορύχου, ὃς τὰ ἔνδον ἀφεὶς ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται. id eſt. Stultior es Morycho, qui omiſſis his quæ ſunt intus, foris extra domum deſidet. Zenodotus adagium citat ex epiſtola quadam Polemonis ad Diophylum. Quanquam alieniſſimum eſt ab ingenio moribuſque meis, veſtigandis, aut inſectandis aliorum erratis operam conterere: tamen non poſſum hoc loco mihi temperare, quin ridendi magis quam inſectandi cauſa proferam cujuſdam apud Italos non infimi nominis, inſcitiam, ne dicam, ſocordiam: præſertim cum is τὴν λευκὴν ἐνδύς, tantum ſibi ſumat in literis, ut arrepta veluti cenſoria virgula, non ſolum de ſcriptoribus cæteris magna pronunciet autoritate, verumetiam Angelum Politianum, virum modis omnibus & incomparabilem & inimitabilem, ceu præceptor quiſpiam flagellet, atque emendet. Cui cum non pauca concedat homo candidus, tamé delicatæ illæ, & meris Atticiſmis aſſuetæ aures tranſmarinæ Veneris ſenſum in eodem deſiderant, quod οὐδ᾽ ἀρχὴν verterit, ne initio quidem. Audiamus igitur in hoc Ariſtarcho Venerem illam tranſmarinam, ac germane Græcanicam. Principio proverbium hoc è vulgatiſſimis Zenobii collectaneis enarrans, Polemonem perinde citat quaſi locum ipſe legerit: Id quod ſuo more facit. videlicet ut in abſtruſis, minimeque vulgaris autoribus verſari videatur. Deindé Græca, quæ modo retulimus indidem ὃς τὰ ἔνδον ἀφεὶς, ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται, reddidit ad hunc modum: Qui relinquens habitationem interiorem, extra poſitam quærebat. Rurſum quod habetur in iiſdem collectaneis: Μόρυχος δὲ Διονύσου ἐπίθετον ἀπὸ τοῦ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ μολύνεσθαι, ἐπειδὰν τρυγῶσι τῷ ἀπὸ τῶν βοτρύων γλεύκει, καὶ τοῖς χλωροῖς σύκοις: expreſſit hoc pacto: Morychus ſane epithetoa eſt Bacchi, ἀπὸ τοῦ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ μολύνεσθαι, id eſt, ab inquinando videlicet propriam faciem. Inquinare namque ſolet eam Bacchus racemis, & viridibus ficis. Deinde quod idem coacervator etymologiam nominis reddens ſcripſit, μορύξαι γὰρ τὸ μολῦναι, ſic interpretatus eſt lepos Atticus noſtri temporis: μορύξαι, inquit, porro idem eſt quod μολῦναι: hoc eſt, ineptire, hoc eſt, deſipere. Jam illud quanto eſt, παντὸς Μορύχου μωρότερος, quod de Bacchi ſtatua reddidit? Græca ſic habent: καθέζεται ἔξω τοῦ νεὼ τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ παρὰ τὴν εἴσοδον ἐν ὑπαίθρῳ. Ea ſic extulit tranſmarina Venus:

Præ-

Præterea dicitur à ſimplicitate Bacchi, cujus ſimulachrum in aperto ſtatuitur apud Heſiod. Vide quot veneres in uno, eoque perbrevi capite prodidit hic venuſtus. Primum Bacchus faſtidiis penetralibus ędium ſuarum, peregrinas ſectatur domos: deinde cum ſaxeus ſit (ſit enim de ſtatua mentio) tamen ipſe ſibi faciem racemis & ficis oblinit, quo vindemiatores delectet. Ad hæc cum idem ſignificent, μωραίνειν & μωρὸν ποιεῖν, utrumque declarat, ineptire & deſipere: verum his duntaxat, qui Venerem illam tranſmarinam uſquequaque percalluerint. Denique quod eſt omnium venuſtiſſimum, è veſtibulo (ſiquidem autore Polluce, πρόδομος templi vocatur, quod & προνάϊον dicitur) Heſiodum fecit: hoc eſt, è mutis ſaxis eloquentiſſimum poëtam. Et habet tamen hic talis artifex quibus ſit admirationi, hoc eſt, Similes habent labra lactucas: cum innumera ſint in hujus commentariis, pari flore reddita Græca, ὄνου ὑγρῷ, quod ajunt, ὄνος γῆς ἀπέδρα, quæ vel ipſe ſaxeus Morichus rideat. Homo mehercle ſuavis, atque adeo Moriæ beneficio felix, qui tranſmarinæ Veneris ſeorſum requirat in aliis, ipſe communicatens, & ut videtur, marinæ quam tranſmarinæ veneri familior. Sed præſtat, opinor, ut omiſſis jocis ad inſtitutum negocium calamus recurrat. Jocatur in Morychum & Ariſtophanes in Veſpis, ζῆν βίον γενναῖον ὥσπερ Μόρυχος: id eſt, Vivere vitam generoſam, quemadmodum Morichus. At Suidas indicat, hujus nominis poëtam quempiam fuiſſe tragicum, cujus vita non caruerit luxus ac mollitiei nota. Citatque hoc in eum carmen Ariſtophanis. Extat autem in Acharnenſibus:

> Ὦ φιλτάτη σὺ, καὶ ποθεινὴ φαινομένη,
> Ἦλθες, ποθεινὴ μὲν τρυγῳδικοῖς χοροῖς
> Φίλη δὲ Μορύχῳ — id eſt:
> Chariſſima ac deſiderata jamdiu
> Optata ades, fæce ſublitis choris
> Grata & Moricho:

BRASSICANI. Senator abſque provocatione, Legatus ſine mandatis.

Cicero libro 3. de Legibus: Sed quæro quid hac re ſit turpius, quam ſine provocatione Senator, Legatus ſine mandatis. Adagia ſunt egregie venuſta, de iis qui cum nihil authoritatis habeant, nullis denique civilibus muneribus fungantur, volunt tamen, ut conſuevit imperioſum hoc hominum genus, primi eſſe in omni loco & tempore: ad hæc ingenerata quadam inſolentia nihil non ſibi tribuunt. Nemo autem ignorare poteſt, ex juriſconſultorum & hiſtoricorum ſententia, provocationes ad ſenatum fieri ſolitas. quanquam lege à Publicola lata, ut Livius lib. 2. ab urbe condita docet, priſcis Romanorum temporibus provocatio à magiſtratibus ad populum erat. Cæterum quod ad adagium pertinet, nemo legatus eſſe poteſt, qui non reipublicæ ſuæ legitimis mandatis inſtructus atque alio miſſus ſit. Idem in 13. Philippica inquit: Senator voluntarius lectus ipſe à ſe, de iis qui ſe negociis alienis adminiſtrandis etiam non acceſſiti ingerunt.

COGNATI. *Curioſus idem & garrulus.*

Hoc adagio notatur vitium deterrimum curioſitatis & levitatis, in exquirendo aliena negocia, & diſſipando rumores, quæ eſt πολυπραγμοσύνη καὶ ἀδολεσχία. Græci enim vocant πολυπράγμονας curioſos, & ubique ſe ingerentes, contra officii rationem. Tales & à Salomone reprehenduntur in proverb. cap. 26. Qui tranſit ad litem ſua nihil referentem, perinde eſt, ſi canem vellicet auribus, ac laceſſat. Nam germana inter ſe vitia ſunt curioſitas & garrulitas, teſte vel Horatio:

> Percunctatorem fugito, quia garrulus idem eſt.

Utraque à Plutarcho copioſè refutatur. Et Plautus in Sticho, pronunciat de curioſis hoc modo:

> Curioſus nemo eſt, quin ſit malevolus.

Idem optat alibi, ut qui geſtant linguis, quique auſcultant auribus, omnes pendeant. Reperiuntur in ocio viventes, qui ſuis negociis non diſtinentur, ſed aliena curare conſueverunt, quemadmodum Damaſippus Horatianus,

> —Aliena negocia curans, Excuſſus propriis.—

ALIIS SAPERE.

ERASMI. *Aliis proſpiciens, non ſibi.*

Si libebit in quempiam jocari, qui cum artem divinandi profeſſus, aliis ſua mala prædixerit, ipſe ſuum malum non potuerit prævidere, non inconcinniter accommodabimus illud ex Homeri Beotia:

> Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν.
> id eſt:
> At non Auguriis fatum ſibi depulit atrum.

Quod imitatus Maro:

> At non augurio valuit depellere peſtem.

Dictum eſt de Eunomo Myſorum duce, perito quidem auguriorum, at nihilo minus ab Achille occiſo.

Facile, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus.

In Andria Terentiana ab adoleſcente non admodum cordato, cordatiſſima ſimul & elegantiſſima ſententia profertur: Facile cum valemus, recta conſilia ægrotis damus. Tu ſi hic ſis, aliter ſentias. Ea nata videtur ab oraculo Thaletis philoſophi. Nam is, ut autor eſt Laertius, interrogatus, quidnam eſſet difficillimum? reſpondit, γνῶναι ἑαυτόν: id eſt, noſſe ſeipſum. quid facillimum? reſpondit, ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι: id eſt, alteri conſilium dare. Comicus autem tranſlationis gratiam admiſcuit. Euripides in Alceſtide:

> Μὴ νῦν ὑπέρφευ, ἀλλ' ἐναισίμως φέρε.
> Id eſt:
> Ne nimius hic dolor eſto, ſed modice feras.

Verba ſunt Herculis Admetum conſolantis ſuper uxoris morte. Attili:

> Ῥᾷον παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν.
> Id eſt:
> Facilius eſt monere, quam ſitum in malis
> Animo imperare.

Fertur & huic ſimilis ſententia proverbialis:

> Ἅπαντες ἐν τῷ νουθετεῖν ἐσμὲν σοφοί,
> Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
> Id eſt:
> In admonendo ſapimus omnes: verum ubi.
> Peccamus ipſi, non videmus propria.

Ducta eſt ſententia à communibus hominum moribus. Omnes enim ægrotantibus recte præcipiunt, quid fugiendum, quid agendum: & objurgant nonnunquam, quod ſalutis cauſa nō obtemperent bene monentibus. Ipſis, poſteaquam in morbum inciderint, non ſuccurrunt illa præclara monita, ſed aliis item monitoribus & objurgatoribus eſt opus. Porro cupiditas omnis animi morbus eſt, quo velut excæcatus, aut non perſpicit, aut ſi perſpicit, ſequi non poteſt ea, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. N[illegible] Phædria Terentianus prudens & ſciens in flammam manum mittit, & vivus videnſque perit. Item Horatius fugienda ſequitur, fugiens quæ profore credit. Perſpicit avarus aliquando, quam prodigioſa res ſit ambitio. Contra, ambitioſus avari morbum pervidet, & uterque alteri in alieno malo recte conſulit, neuter in ſuo ſapit.

Quarta luna nati.

Ἐν τετράδι γεγόνασι: id eſt, Quarta luna nati, dicuntur qui parum feliciter nati ſunt: ut autor eſt Euſtathius in lib. Iliad. 2. propterea quod Hercules hac luna natus feratur: cujus omnis vita voluptatum omnium expers, ac laborum plena fuit. Dici poteſt & in eos, qui laboribus ſibi neutiquam frugiferis fatigantur. Herculis videlicet exemplo, qui juvandis aliis ſudavit, ſibi inutilis. Pyrrhus apud Lucium Florum dicebat, ſe ſibi videri Herculis ſidere natum: quod quo pluribus victoriis Romanos concideret, hoc acriores in ipſum conſurgerent. Id quod Horat. eleganter tranſtulit ad Annibalem.

> Vt hydra ſecto corpore firmior
> Vinci dolentem crevit in Herculem.

Nummum quærit peſtilentia: duos illi da, & ducat ſeſe.

Admonemur hoc proverbio, ut lites & fora judicialia quam poſſumus maxime fugiamus, & potius peſtilentiæ, id eſt, peſtilenti & pernicioſo homini poſcenti nummum duos demus, quam propter unum, litem cum eo conteſtemur: perdituri aliter in primis tempus, dein animi tranquillitatem, innocentiam & amicitiam. Auguſtinus.

COGNATI. *Plus in alieno, quam in ſuo videt.*

Idem epiſt. 110. Ajunt homines plus in alieno negocio videre, quam in ſuo. Hoc autem illis evenit, quos amor ſui excæcat. & vulgo uſurpatur. Epiſt. 124. Iſtos triſtes & ſuperciliofos alienæ vitæ cenſores, ſuæ hoſtes, publicos pædagogos, aſſis ne feceris. Cicero lib. 1. Offic. Fit enim neſcio quo modo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobiſmet ipſis, ſi quid delinquitur. Hinc Mich. Verinus.

> Cur aliena magis, quam crimina noſtra videmus?
> An quia noſtra procul ſunt, aliena prope.

Chriſtus apud Luc. 6. Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras? Cic. lib. 4. Tuſcul. quæſt. Eſt enim proprium ſtultitiæ, aliorum vitia cernere, oblviſci ſuorum. Horatius lib. 1. Sermonum.

> Quum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
> Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
> Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius?
> At tibi contra
> Evenit, inquirant vitia ut tua rurſus & illi.
> Verinus:
> Eſſe quid hoc dicam, alterius ſi crimina Lyncis
> Aſpicis, at cæcis ſi tua luminibus?
> Hinc Gregorius Theolog. lib. 1. Sententiarum:
> Magis tuas inquire, quam res proximi.

Cenſor omni careat peccato.

Vnum eſt hominum genus, quod omni vitio purgatum eſſe debet, qui ſcilicet præſunt moribus, & aliorum vitia corrigunt. Hoc genus tamen homines iniquiſsimi ſunt aliis judices, æqui ſibi: & hoc neſcio quo modo accidit, ut quæ aliis ægre aut nullo modo

permittunt, ſibi facile indulgeant, Seneca De ira 2. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo noſtra ſunt: nihil alienæ luxuriæ ignoſcit, qui ſuæ nihil negavit, Et homicidę tyrannus iraſcitur, & punit furta ſacrilegus. Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Vbi etiam alludit ad Æſopi manticam. Idem De clementia lib. 1. cap. 6. Quotus quiſque accuſator vacat culpa? Seneca tragicus in Agamemnone:

> Nobis maligni judices, æqui ſibi:
> Id eſſe regni maximum pignus putant,
> Si quicquid aliis non licet, ſolis licet.

Michael Verinus hanc proverbialem ſententiam hoc diſticho docte expreſſit:

> Aſpiciat lucem, qui vult damnare tenebras:
> Qui carpit mores labe carere decet.

Sed ante eum quidam libro moralium diſtichorum primo:

> Quæ culpare ſoles, ea tu ne feceris ipſe.
> Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Vita enim turpis abrogat authoritatem docenti. His ſimile eſt illud Ovidii Faſtor. 5.

> Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
> Cum Judex alios quod monet, ipſe facit.

Solus habet mentem, reliquis errantibus umbris.

Verſiculus eſt Homeri ex libro 10. Odiſſeæ, de Tyreſia, qui ſolus inter omnes umbras apud inferos ſaperet. quo uſus eſt Cato Major apud Plutarchum, reliquos nihil eſſe niſi umbras ducum exiſtimans, ſi cum Scipione Æmiliano conferrentur Plato ſub finem Menonis, vel de virtute: Talis hic inter viventes erit, qualem Homerus ait ἔδωρ. κ. Tireſiam inter mortuos eſſe, ſic dicens: Inter eos, qui apud inferos ſunt, ſolus ſapit, cæteri verò umbræ volitant. Similiter & hic ad alios, tanquam ad umbras ſe haberet. Divinos quoque hujuſmodi viros appellare decet qui multa ac magna faciunt, & agendo & dicendo diſponunt divino afflati numine. Deoque penitus occupati. Mulieres quoque, bonos viros divinos nuncupant. Et Laconici, quoties bonum quendam virum commendare volunt, Divinus hic vir, ajunt. Vide etiam Divinus. Illud omnino manifeſtum eſt, Virgilium defunctorum omnes animas nequaquam divinantes inducere, ſed paucas tantum, quæ purgatæ jam eſſent, lætaque tenerent arva: qualis apud illum eſt Anchiſes.

ALIENO PERICULO.

ERASMI *De alieno ludis corio.*

De alieno corio ludere proverbio dicuntur, qui ſecurius agunt, ſed alieno periculo. Sumpta allegoria vel à coranis vel ab apologo quopiam, vel à ſervis, qui ſi quid peccatum ſit, tergo dant pœnas. Apulejus in Aſino aureo lib. 7. Quod ſi quomodo cæteri latrones perſenſerint, non rurſus recurres ad aſinum, & rurſum exitium mihi parabis. Revera ludis de alieno corio. Verba ſunt aſini, puellam accuſantis: quod cum prius illius culpa fuiſſet in diſcrimen adductus in fuga, nunc denuo committat, ut ſit rurſum fugiendum, idque ſuo potiſſimum periculo. Alluſum eſt autem ad aſini corium, quod mortuis detrahitur. Eſt ſimile quiddam & apud Plautum: De meo tergo degitur corium. id eſt: Res meo ſit periculo. Neque diſſimile quod refert Feſtus, Pro ſcapulis: id eſt, pro periculo plagarum. Non admodum abludit ab hac forma, quod Seneca jocatur in Declamationibus: Cicero patri de corio Ceſtii ſatis fecit. Nam is Ceſtius erat ex eorum numero, qui contemnebant Ciceronis ingenium. hic cum forte accumberet in eodem convivio cum Cicerone M. Tullii filio, qui tum Aſiam obtinebat, & ſubmonente quopiam è famulis, cognitum eſſe, eum eſſe Ceſtium cujus judicio nihil ferret M. Tullius: illico ſublatus è convivio, juſſus eſt flagris cædi. Circumfertur apud noſtratium vulgus non abſimile huic proverbium, Ex alieno tergore lata ſecari lora. Quo quidem ſignificant, unumquenque minus eſſe parcum in alieno quam in ſuo, Tertullianus in libello De pallio, ſecus aliquanto uſurpavit: Hoc ſoli chamæleonti datum, quod vulgo dictum eſt, de ſuo corio ludere. Seniit chamæleontem pro ſuo arbitrio vertere colorem.

Alienam metis meſſem.

Ἀλλότριον ἀμᾷς θέρος: id eſt, Alienam metis meſſem. Duplex eſt uſus hujus adagii, quippe quod pariter & in eos convenit, qui commoditatibus alienis partis opera potiuntur: & in hos qui negocium non ſuum parum diligenter curant. Ducta metaphora a veruſto more, quo vicini ruſtici in demetenda ſegete mutuam inter ſeſe operam commodabant. Fit autem hominum more, ut in ſuopte quiſque negocio longe ſit attentior, quam in alieno. Id quod eleganter admonet Apologus ille de caſſita: quem non pigeret referre, niſi promptum eſſet cuilibet apud A. Gellium legere. Poteſt & eo referri, quod aliquoties fit ut ejectis iis qui ſementem fecerunt, alii in eorum locum ſuccedant, citraque laborem alienis fruantur ſudoribus Unde Maronis illud:

> En queis conſevimus agros?

Ariſtophanes in Equitibus: ἀλλότριον ἀμῶν θέρος. id eſt: Alienam meteus meſſem. Dictum eſt in Cleonem: qui in rem paratam, multiſque laboribus à Demoſthene prius labefactam veniens, Pylo capta, gloriam omnem victoriæ in ſe tranſtulit. Demoſthenei præter invidiam nihil relictum, Cui confine, eſt illud Homeri ex Odyſſeæ libro primo:

> —Ἐπεὶ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν.
> Id eſt:
> Quandoquidem impune victum comedunt alienum.

Eandem ſententiam Ariſtophanes in eadem fabula ſic extulit:

> Ἐγὼ δ' ὑπεκπεριέρπων ἐκ τοῦ ἐργαστηρίου
> Ἑψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὑφειλόμην.
> Id eſt:
> Ego obambulans ab officina longius,
> Alio coquente, ollam paratam ſuſtuli.

Non eſt meum negocium, multum valeat.

> Οὐκ ἐς' ἐμὸν τὸ πρᾶγμα πολλὰ χαιρέτω.
> id eſt:
> Multum valeat, haud eſt meum negocium.

Quoties negabimus nos laborare de re quæ nihil ad nos pertineat Refertur à Diogeniano. Non diſſimile illi:

> Ædibus in noſtris quæ prava aut recta gerantur.

Item illud quod eſt apud Ariſtophanem in Equitibus, ἀλλότριον ἀμῶν θέρος, id eſt, Alienam metens meſſem, quidam ad eandem accommodant ſententiam: etiamſi Comicus ſentit de eo qui alienis fruitur laboribus. Propius huc pertinet quod ſcribit Pindarus in Nemeis hymno ſ. τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει πάντ' ὁμῶς. εὐθὺς δ' ἀπήμων κραδία κᾶδος ἀμφ' ἀλλότριον, id eſt: Quod enim proprium eſt, premit unumquemque pariter: cæterum protinus cor noxa vacat circa dolorem alienum.

Innocuus alium aſpiciam, meum habentem malum.

> Ἐξώπιος λεύσσω τὸν ἐμὸν ἐχοντ' ἄλλον κακόν.
> Id eſt:
> Indemnis ſpectabo alium mala noſtra ferentem,

hoc eſt: ex aliorum malis ipſe rebus meis conſulam. ἐξώπιος autem dixit, quaſi ἔξω τῆς ἄτης: id eſt, extra noxam ſitus, & illæſus. Simillimum illi Plautino:

> Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.

Coctum ab alio edere.

Ἑψοντος ἑτέρου τὴν χύτραν ὑφειλόμην, Alio coquente ollam paratam abſtuli. Hom. Ariſt. De adipiſcente parta alieno labore.

COGNATI *De alieno liberalis.*

Idem epiſt. 16. Non eſt quod mireris animum meum, adhuc de alieno liberalis ſum. Celebratum Senecæ dictum, de ſe ſatis planum. Huic non diſſimile eſt hoc Gregorii Theologi lib. 1. Sentent. τοῖς περιττοῖς ἔσο χρηστός. id eſt: Pius eſto de ſuperfluis. Idem Seneca de clementia lib. 1. c. 20. Non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt: ſed ille qui, quod alteri donat, ſibi detrahit. Præpoſtera enim liberalitas quæ aufert aliis. quod aliis largiatur, non eſt magno animo digna. Primum Senecæ locum citat Eraſmus noſter in Chiliadibus. Pro eodem Apulejus lib. 7. Metamorphoſ. dixit, Ludere de alieno corio. Qui enim alieno diſpendio benefici videri volunt, in eadem ſunt injuſtitia, ac ſi in rem ſuam, alienam convertant Vide Cic. offic. lib. 1. contra idem lib 3. epiſt. Cum & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior.

Alieno diſce periclo.

In vulgus ſæpe ſpargitur & hoc, de quo alias nobis dictum eſt. Eo enim admonemur, ut ex aliorum erratis cautiores & prudentiores reddamur. Ex alienis autem erratis ſapiens colligit, quid ſibi ſit cavendum, atque in melius inſtituit vitam ſuam: &,

> Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Quæ ſententia à variis authoribus varie exprimitur. Mimus Publianus:

> Bonum eſt fugienda aſpicere alieno in malo.
> Idem:
> Ex vitio alterius, ſapiens emendat ſuum:

Vbi Eraſmus noſter: Quid tibi ſit fugiendum, id diſcas non tuo malo, ſed ex aliorum malis exemplum ſumito. Terentius in Heautontimor.

> Ex aliis periculum facio, quod ex uſu ſiet.
> Item Plautus:
> Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.
> Tibullus lib 3. eleg. 8.
> Vos ego nunc moneo, felix quicunque, dolore
> Alterius diſces poſſe carere tuo.
> Hoſpitalius de pace:
> Namque malum hoc domibus ſi nondum attrepere veſtris.

Senſiſtis, moveant aliena pericula ſaltem.

> Idem de Metenſi propug.
> Diſce modum ſervare, alieno diſce periclo.
> Diſce cupidinibus certos præſcribere fines.

Idem in Franciſc. Franciæ Delphini, & Mariæ Scotorum reginæ nuptias, his verſibus eo reſpicit:

His

—Hic noſtras veterum malus error avorum
Erudiit mentes, & cernere fecit acutum
Vos inimicitias, odia aut privata ſecuti,
Non potuiſtis idem perpendere, quid ſit honeſtum,
Et quid damnoſum, aut communiter utile nobis.

Galli: Belle doctrine neſten lui, qui ſe chaſtie par autrui: Demoſt. in 14. procem. Reliqui omnes homines, inquit, aliorum exemplis uſi, cauti magis ipſi fiunt: vos autem, ne auditis quidem aliorum infortuniis, metuere poteſtis.

Erasmi AMICITIA.

Amicitia ſtabilium felicitas temperantium.

Ariſtoteles libro Moralium Eudemiorum 7. ſententiam hanc velut è medio ſumptam refert, Amicitiam eſſe ſtabilium & felicitatem eorum, qui ſua ſorte contenti ſunt. ὀρθῶς λέγεται, ὅτι ἡ φιλία τῶν βεβαίων, ὥσπερ ἡ εὐδαιμονία, τῶν αὐτάρκων. Amicitia virtute, non pecuniis aut forma conciliand a eſt, Etenim ſi rebus caducis conciliettur, caduca fit & ipſa neceſſe eſt. Nihil autem in rebus humanis ſtabile, præter unam virtutem, quæ ſola fortunæ ludibriis obnoxia non eſt. Deinde felicitas hominis non eſt in facultatibus ſita, quæ cupiditatem animi non explent, ſed irritant: verum in hoc, ut ſuam quiſque fortunam boni conſulat. Ariſtoteles libro Rhetoricorum 2. pro exemplo ſententiæ ſimplicis ac dilucidæ, ſi quis inſpiciat, ponit hunc verſiculum:

Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.
id eſt:
Haud quiſquam amator eſt, ni amarit jugiter.

Huic aſtipulatur illud Senecæ: Amicitia quæ deſinere potuit, nunquam vera fuit.

Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus.

Δεῖ φιλεῖν ὥσπερ μισήσοντας, μισεῖν δ' ὥσπερ φιλήσοντας: id eſt, Sic amandum tanquam ſis oſurus, ſic oportet odiſſe tanquam ſis amaturus. Hanc Biantis ſententiam Ariſtoteles in libris Rhetoricorũ ſatis indicat in proverbium abiiſſe, cum ita ſcribit: ὅτι οὐ δεῖ, ὥσπερ φασί, φιλεῖν ὡς μισήσοντας, ἀλλὰ μᾶλλον μισεῖν ὡς φιλήσοντας. i. e. Non eſt amandum quaſi ſis oſurus, quemadmodum ajunt, ſed ita exercendum odium, tanquam ſis aliquando amaturus. Ac paulo inferius: δεῖ φιλεῖν οὐχ ὥσπερ φασὶν ἀλλ' ὡς ἀεὶ φιλήσοντας. id eſt: Oportet amare non quemadmodum ajunt, ſed tanquam ſemper amaturum. Commonſtrat enim illic philoſophus, quo pacto refellendæ corrigendæque ſint ſententiæ vulgo receptæ, atque inculcatæ. M. Tullius in ſermone De amicitia, ſcribit Scipioni uſque adeo non placuiſſe dictum hoc Biantis nomine celebratum, ut negaret ullam vocem inimiciorem amicitiæ reperiri potuiſſe, quam ejus qui dixiſſet, ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſet oſurus: nec vero ſe adduci poſſe, ut hoc quemadmodum putaretur, a Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus è ſeptem: ſed impuri cujuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo, inquit, quiſquam amicus ejus eſſe poterit, cujus ſe putabit inimicum eſſe poſſe? quin etiam neceſſe erit cupere & optare, ut quam ſæpiſſime peccet amicus, quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum. Rurſum autem rectè factis, commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolore, invidere. Quare hoc quidem præceptum, cujuſcunque eſt, ad tollendam amicitiam valet. illud potius præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis parandis, ut ne quando amare inciperemus eum quem aliquando odiſſe poſſemus. Hactenus Cicero. Refertur ab eodem Ariſtotele paulo ſuperius ac repetitur libro Moralium Eudemiorum 7. hic ſenarius:

Οὐκ ἔστ' ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ. Id eſt:
Non eſt amicus hic, qui amare deſinit.

Qui emolumenti cauſa amat, potius eo quod concupiſcebat, amare deſiit. At bonorum amicitia quoniam virtute nititur, immortalis eſt. Extat autem hic verſus apud Euripidem in Troadibus. Diogenes Laertius mutilum adagium refert: ἔφασκε φιλεῖν ὡς μισήσοντας, τοὺς γὰρ πλείους εἶναι κακούς. id eſt, Jubebat amare tanquam oſuros, plurimos enim eſſe malos. Huc adſcribendus Mimus ille Publianus, qui eſt apud Aulum Gellium:

Ita amicum habeas, poſſe ut fieri inimicum putes.

Et alius ejuſdem, ut opinor: ſed Senecæ titulo:

Ita crede amico, ne ſit inimico locus.

Sophocles item in Ajace maſtigophoro:

Ἐγὼ δ' ἐπίσταμαι γὰρ ἀρτίως, ὅτι
Ὅ τ' ἐχθρὸς ἡμῖν ἐς τοσόνδ' ἐχθαρτέος,
Ὡς καὶ φιλήσων αὖθις, εἴς τε τὸν φίλον
Τοσαῦθ' ὑπουργῶν ὠφελεῖν βουλήσομαι,
Ὡς αἰὲν οὐ μενοῦντα. τοῖς πολλοῖσι γὰρ
Βροτῶν ἄπιστός ἐσθ' ἑταιρείας λιμήν.
Id eſt:
At ipſe didici nuper, ut ſi quando ſim
Inimicus illi, hunc oderim hactenus, velut
Aliquando amicum habiturus: erga amicum item
Officia ſic exercueam, ut qui non ſiet
Semper futurus amicus, etenim plurimis
Sodalitatis portus eſt tutus parum.

Mores amici noveris, non oderis.

Porphyrion in Horatium, hunc verſum proverbialem admonet fuiſſe:

Mores amici noveris, non oderis.

Eum nos inter Græcas ſententias repertum reſtituimus. Eſt enim hujuſmodi:

Φίλου τρόπους γίνωσκε, μισήσῃς δὲ μή.

Admonet, in amicorum moribus quædam vitia diſſimulanda, ſic ut intelligantur quidem, ſed tamẽ tolerentur: ne ſeverior & oculatior in obſervandis amici malis, ſubvertas amicitiam. Atque id præcepti locum habebit in levioribus morbis, non his quæ ad famam, aut ingens periculum pertinent amicorum. Non noſſe amici vitia, eſt hominis parum diligentis quos diligat: odiſſe, parum civilis: Noſcenda ſunt, ut aut corrigas, aut certe minuas: at non ſic, ut ob ea videaris amicum odiſſe. Siquidem nulli futurus eſt amicus, qui nihil vitiorum in amico ferre poſſit.

Novos parans amicos, ne obliviſcere veterum.

Νέους φίλους ποιῶν, λῷστε, τῶν παλαιῶν μὴ ἐπιλανθάνου: id eſt, Novos parans amicos, optime, veterum ne obliviſcere. Torqueri poteſt & ad mutua ſtudia, ad quæ convenit nonnunquam inſpicere, etiam poſteaquam diverſæ te addixeris diſciplinæ. Veluti ſi moneas, qui ſe ad juris ſtudium contulerit, ut obiter recurrat ad bonas literas. Vſurpatur ab Hermolao Barbaro in epiſtola quadam ad Picum Mirandulanum.

Non potes Thetidem ſimul & Galateam amare.

Οὐ δύνασαι Θέτιδος τε καὶ Γαλατείας ἐρᾷν: id eſt, Non potes ſimul & Thetidem & Galateam amare. id eſt, non potes idem diverſa ſequi, velut literas & pecuniam, voluptatem & gloriam, mundum & Chriſtum: Nam Galateæ fluvio male convenit cum marinis fluctibus. Declarat hoc Luciani dialogus inter Galateam ac Doridem. Suſpicor & hoc è vulgi fæce hauſtum.

Vnus Deus, & Plures amici.

Εἷς θεὸς, καὶ φίλοι πολλοί: id eſt, Unus Deus, & plures amici. Proverbium admonet, quam plurimos eſſe parandos amicos: quod hi ſecundum Deum plurimum opitulari poſſint. Quanquam Heſiodo non probatur πολυφιλία, neque rurſum ἀφιλία; Opinor & hoc à vulgo mutuo ſumptum, non ex autoribus.

Mus non uni fidit antro.

Nihil eſt hodie decantatius apud vulgus, quam eum murem eſſe miſerum, cui non eſt niſi unus cavus. Idem Plautus expreſſit in Truculento:

Sed tamen cogitato, mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam.
Quia ſi obſideatur unum, aliunde præſidium gerit.

Locus erit adagio, ſi quem admonebimus, ut ſibi plures amicos paret, aut una cum opibus ſtudeat philoſophiæ, ut ſi fortuna quod ſuum eſt eripiat, in literis ſit præſidium.

Neque nulli ſis amicus, neque multis.

Carmen illud Heſiodi, ſicut & alia pleraque, ceſſit in proverbium:

Μηδὲ πολύξεινον, μηδ' ἄξεινον καλέεσθαι. Id eſt;
Nec multis, ac nec nulli dicaris amicus.

Ariſtoteles libro Moralium 9. tanquam proverbio jactatum, citat, ac dictum probare videtur, propterea quod prorſus citra ulli us amici conſuetudinem vivere, ferinum atque injucundum eſſe videatur. Rurſum nec vehementer amare poſſumus ſimul multos, nec pluribus morem gerere. Quin & Lucianus in Toxaride narrat, apud Scythas πολυφιλίαν id eſt complurium amicitiam, nõ aliter infamem fuiſſe quam apud alias gentes unius mulieris cum pluribus viris conſuetudinem. Quanquam diverſa ſẽtentia. M. Tullius in libro De amicitia, & Plutarchus in commentario περὶ πολυφιλίας.

Ne cuivis dextram injeceris.

Μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιάν: id eſt, Ne cujus porrigas dextram, hoc eſt: Ne temere quemlibet in familiaritatem admittas, ſed deligas quem diligas. Idem citatur atque exponitur a Plutarcho, ἐν τῷ περὶ τῆς πολυφιλίας. Convenit cum illo Solonis apophthegmate quod ex Apollodoro refert Diogenes Laertius: φίλους μὴ ταχὺ κτῶ. οὓς δ' ἂν κτήσῃ μὴ ἀποδοκίμαζε, id eſt: Amicos ne cito pares: quos autem paraveris, ne rejice.

De manu in manum.

Vt non arbitror idem eſſe cum ſuperiori, ita non uſque quaque diſſimile eſt, quod ſcribit Cicero lib. Epiſt. famil. 7. Totum denique hominem tibi trado de manu, ut ajunt, in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtantem. Traduntur enim & qui commendantur. Terentius: Hanc in manum dat. Item Horatius:

-----Vt tibi ſe laudare ac tradere coner.
Item:
Hunc hominem velles ſe tradere. ---

Ex ſinu illius.

Quos ex intima familiaritate volumus intelligi, hos è ſinu illius aut illius eſſe dicimus. M. Tullius actione in Verrem 3. Verres ſimul ac tetigit provinciam, ſtatim Meſſanam literas dedit. Dionem evocavit, calumniatores ex ſinu ſuo appoſuit, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commiſſam eſſe dicerent. Idem actione 4. Satis ne nobis magnam pecuniam Venerius homo, qui è Chelidonis ſinu in provinciam profectus eſſet, Veneris nomine quæſiſſe videtur. Idem in Catilinam invectiva 2. Poſtremum autem genus eſt non ſolum numero, verum etiam genere ipſo atque vita, quod proprium eſt Catilinæ de ejus electu, imo vero de complexu ejus ac ſinu. Plutarchus in vita Catonis Uticenſis ſimili forma dixit, γνώριμον παῦλον ἐκ τῶν Πομπηΐου κόλπων ἄνθρωπον: id eſt, Gabinium Paulum ex Pompeji ſinu hominem. Qui locus nobis alias citatus eſt in proverbio, In ſinu gaudere: ſed ſenſu nonnihil diverſo. De grege illo nobis ante dictum eſt. M. Tullius aliquoties gregales appellat, ejuſdem ſodalitii congerrones.

Χειρὶ καὶ κτήσει.

Qui ſe totum alicujus haberi volebat, dicebat. χειρὶ καὶ κτήσει tuus ſum: hoc eſt, Et uſufructu & proprietate. Siquidem in poſſeſſionibus ſæpenumero fit, ut penes alium ſit dominium, penes alium uſusfructus. M. Tullio Curius libro 2. Si vales, bene eſt: ſum enim χειρὶ μὲν tuus, κτήσει δ' Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus, mancipium illius. Sentit Curius ſe ſic eſſe addictum Attico, ut tamen bene velit Ciceroni. Id M. Tullius velut exponens, ita reſpondet: Et niſi haberem ſtudiorum meorum ſocium Atticum noſtrum, cujus quando te proprium eſſe ſcribis mancipio & nexu, meum autem uſu & fructu, contentus iſto ſum: id enim cujuſque eſt proprium, quo quiſque fruitur atque utitur. M. Tullius ludens cum Jureconſulto, oſtendit proprietatem bifariam conſtare, mancipio & nexu. Nec hoc jus deſiderat, modo liceat uti frui: propterea quod quandiu manet jus utendi fruendi, perinde eſt ac ſi res ſit propria.

Ipſis & Chiis.

Αὐτοῖς καὶ Χίοις. Non obſcurum eſt has voces ex ſolenni more vulgo jactatas, quoties aliquis ſibi bona precabatur & amicis, ſic enim precatur apud Ariſtophanem Avis

Διδόναι Νεφελοκοκκυγιεῦσιν
Ὑγίειαν καὶ σωτηρίαν
Αὐτοῖσι καὶ Χίοισι.

Id eſt:

Ut detis Nephelococcygienſibus,
Bonam valetudinem & incolumitatem,
Ipſis & Chiis.

Interpres oſtendit, hunc ſermonis colorem ductum ex publica Athenienſium conſuetudine, qui in ſolennibus comprecationibus ac ſacrificiis bona à diis precantes reipub. addebant καὶ Χίοισι. Atque hujus hiſtoriæ teſtem citat Theopompum in 12. lib. rerum Philippic. opinor quod è Chio nonnullam haberent Athenienſes commoditatem. Qui ſibi uni bene precatur, nulla facta mentione amicorum aut bene meritorum, facere ſuccinctus, ἢ Χίοισι.

Amicorum communia omnia.

Τὰ τῶν φίλων κοινά, id eſt, Amicorum communia ſunt omnia. Non eſt aliud hoc proverbio, neque ſalubrius, neque celebratius. Quod quidem ſi tam eſſet fixum in hominum animis, quam nulli non eſt in ore, profecto maxima malorum parte vita noſtra levaretur. Ex hoc proverbio Socrates colligebat omnia bonorum eſſe virorum non ſecus quam deorum. Deorum, inquit, ſunt omnia Boni viri deorum ſunt amici, & amicorum inter ſe communia ſunt omnia. Bonorum igitur virorum ſunt omnia. Refertur apud Euripidem in Oreſte:

Κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων.

id eſt:

Inter enim amicos cuncta ſunt communia.

Idem in Phœniſſis:

Κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη.

Id eſt:

Communis omnis eſt amicorum dolor.

Idem in Andromacha:

Φίλων γὰρ οὐδὲν ἴδιον, οἵτινες φίλοι
Ὀρθῶς πεφύκασ', ἀλλὰ κοινὰ χρήματα.

Id eſt:

Nam vere amicis proprium prorſus nihil:
Sed inter ipſos cuncta ſunt communia.

Terent. in Adelphis: Nam vetus quidem hoc verbum, amicorum inter ſe communia eſſe omnia. Teſtantur & apud Menandrum fuiſſe in eadem fabula. M. Tullius lib. Offic. 1. Ut in Græcorum, inquit, proverbio eſt, amicorum eſſe omnia communia. Citatur & ab Ariſtotel. lib. Moralium 8. & à Platone de legib. 5. Quo loco conatur demonſtrare, feliciſſimum reipub. ſtatum rerum omniũ communitate conſtare: πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐστι καὶ πολιτεία καὶ νόμοι ἄριστοι, ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα· λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐστὶ κοινὰ τὰ φίλων. id eſt: Prima quidem igitur civitas eſt & reipub. ſtatus, ac leges optimæ, ubi quod jam olim dicitur, per omnem civitatem quam maxime fieri poteſt, obſervabitur. Dictum eſt autem vere, res amicorum communes eſſe. Idem ait, felicem ac beatam fore civitatem, in qua non audirentur hæc verba: Meum & non meum. Sed dictu mirum, quam non placeat, imo quam lapidetur a Chriſtianis, Platonis illa communitas: cum nihil unquam ab ethnico philoſopho dictum ſit magis ex Chriſti ſententia. Ariſtoteles lib. Politic. 2 temperat Platonis ſententiam, volens poſſeſſionem ac proprietatem eſſe penes certos: cæterum ob uſum, virtutem & ſocietatem civilem, omnia communia juxta proverbium. Martialis lib. 2 jocatur in quendam Candidum, cui ſemper in ore fuerit hoc adagium, alioqui nihil impertiret amicis.

Candide κοινὰ φίλων, ſunt hæc tua Candide πάντα,
Quæ tu magniloquus, noctedieque ſonas.
Atque ita concludit epigramma:
Das nihil, & Dicis Candide, κοινὰ φίλων.

Eleganter Theophraſtus apud Plutarchum in commentarioſo, cui titulus περὶ φιλαδελφίας, εἰ κοινὰ τὰ φίλων, ἐν μάλιστα δεῖ κοινοὺς τῶν φίλων εἶναι τοὺς φίλους. id eſt: Si res amicorum communes, maxime convenit ut amicorum item amici ſint communes. M. Tull. lib. de leg. 1. videtur hoc adagium Pythagoræ tribuere cum ait: Unde enim illa Pythagorica vox, τὰ φίλων κοινὰ καὶ φιλίαν ἰσότητα. id eſt, Res amicorum communes & amicitiam æqualitatem. Præterea Timæus apud Diogenem Laertium tradit, hoc dictum primum a Pythagora profectum fuiſſe. A Gellius Noct. Attic lib. 1. cap. 9. teſtatur, Pythagoram non ſolum hujus ſententiæ parentem fuiſſe, verumetiam hujuſmodi quandam vitæ ac facultatum communionem induxiſſe, qualem Chriſtus inter omneis Chriſtianos eſſe vult. Nam quicunque ab illo in cohortem illam diſciplinarum recepti fuiſſent, quod quiſque pecuniæ familiæque habebant in medium dabant: quod re atque verbo Romano appellatũ κοινόβιον, id eſt, cœnobium: nimirum à vitæ fortunarumque ſocietate.

Amicitia æqualitas. Amicus alter ipſe.

Hæc quoque ad Pythagoram autorem referunt, quod eandem complectuntur ſententiam, τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι καὶ μίαν ψυχήν, τὸν φίλον ἕτερον αὐτόν, id eſt: Amicitiam æqualitatem eſſe, & eandem animam, & amicum alterum ipſum. Neque enim quicquam non commune, ubi fortunarum æqualitas: neque diſſenſio, ubi idem animus: neque divortium, ubi coagmentatio duorum in unum. Ariſtoteles magnorum Moralium lib. 2. ὅταν βουλώμεθα σφόδρα φίλον εἰπεῖν, μία φαμὲν ψυχὴ ἡ ἐμὴ καὶ ἡ τούτου. id eſt: Quoties volumus vehementer amicum dicere, una inquimus anima mea & hujus. Idem eodem lib. ἔστι γάρ, ὡς φαμέν, ὁ φίλος ἕτερος ἐγώ, id eſt: Eſt enim, ut dicere ſolemus, amicus alter ego. Plato lib. de Legib. 6. citat tanquam vetus dictum & ceu proverbio jactatum: παλαιὸς γὰρ λόγος ἀληθὴς ὤν, ὡς ἰσότης φιλότητα ἀπεργάζεται, μάλα μὲν ὀρθῶς εἴρηται, καὶ ἐμμελῶς. id eſt: Nam vetus illud verbum, & vere & eleganter dictum eſt æqualitatem amicitiæ auctorem eſſe. Neq; tamen id ſentit Plato, juvenibus ac ſenibus, doctis atque indoctis, ſtultis ac ſapientibus robuſtis ac debilib. omnia æqualia exhibenda eſſe, ſed cuique pro ſua dignitate diſtribui oportere. Alioqui, quemadmodum ait inibi Plato, τοῖς ἀνίσοις τὰ ἴσα ἄνισα γίγνοιτ' ἄν, id eſt, inæqualibus æqualia erunt inæqualia. Et ut ſummum jus in ſummam injuriam vertitur, ita ſumma æqualitas ſumma fit inæqualitas. Quemadmodum feſtiviter dixit Plinius, æqualitate in ferendis ſententiis nihil inveniri poſſe inæqualius. Quanquam hoc quoque quidam ex Homero ſumptum exiſtimant, apud quem eſt illud aliquoties, ἶσον ἐμῇ κεφαλῇ: id eſt, Æque atque meum ipſius caput. Nec ab hoc diſſidet Hebræorum lex, jubens ut proximum perinde ut noſmetipſos diligamus. Atque hæc omnia Ariſtoteles lib. Moralium 9. proverbii titulo citat.

Vultu ſæpe læditur pietas.

M. Tullius in oratione pro Roſcio, obiter citat ſententiam à ſapientibus jactatam: Etenim, inquit, ſi id quod præclare a ſapientibus dicitur, vultu ſæpe læditur pietas: quod ſupplicium ſatis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipſum, ſi res poſtularit, jura divina atque humana cogebant. Proverbium admonet; pietatem erga parentes adeo religioſe colendam, ut non ſolum non offendamus eos verbis aut factis impiis, ſed ne vultu quidem atrociore aut contumaciore. Habent enim oculi frons & ipſe vultus ſuum ſermonem. Evangelium altius repetit, nimirum ab ipſo fonte cordis, in quo concipitur ira. Ea erumpit in vocem indignationis: ſed incertam: proximus gradus eſt manifeſtum convitium; tertius homicidium.

Sal & menſa.

Apud priſcos hoſpitii jus fuiſſe ſanctiſſimum, alias nobis eſt dictum. Id contrahebatur ſalis & menſæ conſortio quemadmodum apud Germanos acceptus à propinante cyathus, adimit omne jus agendi injuriarum, Æſchines, De perperam obita legatione: τοὺς γὰρ τῆς πόλεως ἅλας καὶ τὴν δημοσίαν τράπεζαν περὶ πλείστου φησὶ ποιεῖσθαι. id eſt: Etenim civitatis ſalem, publicamque menſam, ait ſe plurimi facere. Non exciderat hoc proverbium antea commemoratum, verum hoc exemplum hoſpitii publici religionem nobis commendat: eoque commemorandum putavi. Manent hujus hoſpitalitatis publicæ veſtigia in hunc uſque diem apud Germanos.

Philo

Philoteſium Crater.

Κρατὴρ φιλοτήσιος dicitur, quo in conviviis conciliantur amicitiæ: qui mos etiamnum durat apud Germanos, quibus turpiſſimũ eſt, poſt acceptum Philoteſium poculum, veterum offenſarum quamvis capitalium meminiſſe, ne judices quidem admitterent actionem injuriarum. Plutarchus in commentario De fortuna Alexandri, qui barbaros armis, Græcos civilibus inſtitutis conabatur ad humaniorem ac ſanctiorem vitæ rationem adducere: ὥσπερ, inquit, ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ μίξας τοὺς βίους καὶ τὰ ἤθη, καὶ τοὺς γάμους καὶ διαίτας, id eſt, Velut in philoteſio poculo miſcens vitas, mores, cõjugia, ac vivendi rationes. Apud Plautum in Pſeudolo, ſervus ebrius diis proximum putat, manu candida cantharum dulciferũ propinare mitiſſimam amicitiam. Heſychius indicat, hanc φιλοτησίαν ſolere adhiberi poſt cœnam, quum in ſignum amicitiæ ex eodem poculo de eodem vino bibunt omnes. Qui mos apud nos nondum exolevit, ſed rarior eſt ob metum novæ lepræ, qua plerique laborant. Aſconius Pedianus in actionem adverſus Verrem tertiam, putat hoc eſſe, quod M. Tullius comminatur Verrem cum ſuis potaſſe more Græco. Nam vulgus exiſtimat, illos Græco more bibere, qui largius ac cyathis grandioribus bibunt. At ipſe magis probat, ut intelligamus eos Græco more bibere, qui merũ bibunt. Id autem ſolent facere Græci, ut quum in convivio libant, primum ſalutent deos, paululum è cyatho profundentes, dein amicos ſuos: toties q; bibunt merum, quoties deos aut charos ſuos nominatim vocant. Ita ferme Pedianus. Quidam putant hunc craterem etiam ἀγαθοῦ δαίμονος appellari.

Amico amicus.

Quod eſt apud Terent. in Phorm. Solus eſt homo amico amicus: Donatus indicat eſſe parœmiam, atque ita legi apud Apollodorum, cujus utique Phormio Græca eſt: μόνος ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους, id eſt: Solus novit diligere amicos. Ariſtoph. apud Athenæum:

—— ἀλλ' οὐδὲν μέλει
Τῶν σκωμμάτων μοι. τὸν φίλον γὰρ ὢν φίλος
Ἔργοισι χρηστοῖς, οὐ λόγοις ἐβουλόμην.

Id eſt:

—— At nil moror dicteria
Amico amicus cum ſiem factis, neque
Verbis modo prodeſſe propoſitum mihi,
Sed re ſimul factiſque.

Ipſa figura proverbium præ ſe fert, quemadmodum initio demonſtravimus. Quadrabit in eos qui nullum officium refugiunt, modo gratum faciant amicis. Huic affine videtur illud Euripidis in Medea:

Βαρεῖαν ἐχθροῖς καὶ φίλοισιν εὐμενῆ. id eſt:

Benevolam amicis, rurſus aſperam hoſtibus.

Theocritus in Aita:

Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ, ἦ ῥα τότ' ἦσαν
Χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.

Id eſt:

Par amor ambobus, mortales aurei olim
Vivebant, tum cum redamabat amatus amantem.

Ariſtoteles apud Laertium crebro ſolitus eſt dicere, ὦ φίλοι φίλος οὐδείς: ſignificans veram amicitiam interiiſſe inter mortales.

Amicus magis neceſſarius, quam ignis & aqua.

Ἀναγκαιότερος πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος: id eſt, Amicus magis neceſſarius quam ignis & aqua. Hyperbole proverbialis admonens neminem eſſe tam divitem aut potentem, quin opus habeat amicorum officiis. Quemadmodum enim citra ignem & aquam non conſtat hominum vita, ita nec ſine conſuetudine atque opera familiarium: quos ob idipſum Latini neceſſarios vocant, ut amicitiam neceſſitudinem. Innuit adagium, duo quædam maxima commoda colligi ex amicitia: voluptatem, & uſum. Nihil enim eſt neque jucundius igni, neque utilius aqua. Quamobrem ſcripſit Horatius:

Nil ego contulerim jucundo ſanus amico.
Ἐν ὄμμασιν δ' ἀνδρὸς φιλίου βλέπειν γλυκύ.

Id eſt:

Dulce eſt tueri hominis amici lumina.

Recenſetur adagium à Plutarcho, commentario quem inſcripſit, Quo pacto ſit dignoſcendus aſſentator ab amico: διὸ καὶ λέγεται, πυρὸς καὶ ὕδατος ὁ φίλος ἀναγκαιότερος, id eſt: Quapropter dicunt etiam, amicum igni quoque & aqua magis neceſſarium eſſe. Extat & apud Ariſtotelem in Moralibus, & apud Ciceronem in Lælio. Hodieque vulgus indoctum habet in ore, quod eſt veriſſimum: Tolerabilius vivi ſine pecuniis, quam ſine amicis.

Naxra & Charmione.

Νάξρα καὶ Χαρμιόνη: id eſt, Naxra & Charmione. De fidis amicis dici ſolitum ſcripſit Zenodotus, quiq; non dubitarent, vel mortis eſſe comites amicis. Erat autem hoc amicitiæ genus laudatum apud Ægyptios, quod appellabant συναποθανουμένων, id eſt, commorientium. Quibus hoc neceſſitudinis genus placebat, ii hac lege copulabantur, ut ſi alteri fatale quippiam accidiſſet, alter ultro mortis ſocium ſeſe adjungeret. Hoc fœdere cohæſerant Antonius & Cleopatra. Significat & Horat. lib. 2. Od. 17. ſimile quiddam erga Mecœnatem;

—— ille dies utramque
Ducet ruinam. non ego perfidum
Dixi ſacramentum, ibimus, ibimus.
Utcunque præcedes, ſupremum
Carpere iter comites parati.

Rurſum alio loco:

Quid nos? quibus te vita ſuperſtite
Jucunda: ſi contra, gravis. ——

Sed ut redeam ad proverbium. Naxra & Charmione, duæ erant Cleopatræ reginæ pediſſequæ, quæ ſpontaneam Cleopatræ mortem ſunt imitatæ: ac ſemivivæ repertæ ſunt, dominæ jam mortuæ coronam capite delapſam reponentes. Eſt quidem hiſtoria memoratu cum primis digna, nec injucunda cognitu: verum eam ſi quis forte requiret, petat licebit ex Plutarcho in vita M. Antonii. Ego nec adagium hoc fueram adſcripturus, ni veritus eſſem, ne, quoniam extat in Zenodoti collectaneis ſemel atque iterum excuſis publicatiſque, parum eruditus aliquis calumniaretur a me præteritum. Nam mihi, ſi modo non fallit naſus, ſubolet hoc proverbium haud eſſe profectum ab antiquitate, ſed in Zenodoti natum officina.

Salem & fabam.

Ἅλα καὶ κύαμον: id eſt, Salem & fabam. ſubaudiendum, propoſuerunt, aut ſi quod aliud ad ſententiam magis appoſitum verbum. Diogenianus admonet, dici ſolitum de his qui fingerent ſe ſcire quidpiam, quod neſcirent: atque hinc eſſe natum proverbium, Quod olim mos fuerit, ut divini ſalem & fabam proponerent. Quod quoniam dubitabam diverſumne eſſet ab illo, quod in prima retulimus Chiliade, annon, hic repetendum duxi. Nam hoc modo citatum invenio in vetuſtis Græcorum exemplaribus.

Intempeſtiva benevolentia nihil à ſimultate differt.

Senarius eſt Græcis proverbii vice celebratus:

Ἄκαιρος εὔνοι' οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει.

id eſt:

Par odio importuna benevolentia.

Suidas in dictione ἄκαιρος, narrat hoc verſu Hippolytum reſpondiſſe Phædræ novercæ, dicenti ſe illius amore captam eſſe. Quadrabit in eos, qui dum officioſi ſtudent eſſe, non habita temporis ratione, nocent, aut moleſti ſunt ſedulitate. Veluti qui non apto tempore objurgant amicum: aut qui immodicis & intempeſtivis laudibus conciliant homini invidiam: aut qui pecuniam ſuppeditant adoleſcenti, qua fiat deterior. Fertur & alter huic conſimilis:

Φίλος μὲ βλάπτων οὐδὲν ἐχθροῦ διαφέρει.

Id eſt:

Cum nocet amicus, nihil ab hoſte diſcrepat.

Huc reſpexit Horatius in Epiſtolis

Nil moror officium, quod me gravat. ——

Rurſum alibi;

Sedulitas autem, quem ſtulte diligit, urget.

Itidem Seneca libro De beneficiis 2. Sæpe inquit, nihil intereſt inter amicorum munera, & hoſtium vota. Quicquid illi accidere optant, in id horum tempeſtiva indulgentia impellit atq; inſtruit. Quid autem turpius, quam quod evenit frequentiſſime, ut nihil interſit inter odium & beneficium? In his Senecæ verbis, pro vota, quod nos ex vetuſtis exemplaribus repoſuimus, vulgati codices habebant acta. Id admonendum erat, ne quis ignarus ut mendum tollat, quod in multis antehac uſu venit. Huc pertinet illud Ennianum, optimo jure laudatum a Cicerone libr. 2. De officiis; Benefacta male locata, male facta arbitror. Proverbio accedet nonnihil gratiæ, ſi paulo longius deflectatur; veluti ſi dicas. Nullos æque nocere bonis literis, atque hos qui ſedulo quidem, at parum feliciter tractant eas. aut, Neminem magis officere famæ, quam ineptum præconem. aut, Secundam fortunam nocentiorem eſſe adverſa.

Non ſunt amici qui degunt procul.

Τηλοῦ φίλοι ναίοντες οὐκ εἰσὶν φίλοι.

Id eſt:

Hanc parœmiam recenſet Athenæus libr. Dipnoſop. 4. eamque omnium μισανθρωποτάτην, id eſt, inhumaniſſimam vocat. videlicet quod abſentium amicorum memoriam obliterare videatur. Eſt omnino ex amicis, qui adſunt, uberior amicitiæ fructus, propter officia mutua, conſuetudinemque quotidianam. Præterea vulgo fit, ut ſimulatq; e conſpectu neceſſariorum ſejuncti ſumus neſcio quomodo obrepat oblivio quędam familiarium: ut id jam omnibus in ore ſit. Qui ſemotus ſit ab oculis, eundem ab animo quoque ſemotum eſſe. Ariſtoteles libr. Moralium Neomachiorum 8. fatetur locorum ſejunctionem non dirimere quidem amicitiam, ſed tamen officia interrumpere. Et quoniam vulgus amicitias utilitate probat, ſublatis officiis velut alumnis amicitiæ, emoritur & amicitia. Proinde Heſiodus, vicinos potiſſimum ad convivium vocandos eſſe monet.

Καλεῖν, inquiens, ὅς τις σέθεν ἐγγύθι ναίει.

Fatentur & Hebræorum proverbia, potius eſſe, amicum habere vicinum, quam fratrem qui procul abſit. Terentianus idem Chremes in propinqua amicitiæ parte ponit vicinitatem. Nec abludit hinc Propertius lib. 3.

Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Quanquam equidem non video, quamobrem Athenæo videatur adagium hoc uſque adeo ab humanitate alienum. Quandoquidem, ut opinor, non tam docet quid nobis faciendum ſit, quam admonet, quid vulgo factitetur. Quotum autem quemque reperias amicum tam certum, qui ſi abſis, non ſui diſſimilis eſſe incipiat? Proinde proverbio hoc veluti Delphico gladio utrolibet pacto utaris licebit: ut intelligas, aut non eſſe fidendum amicis, qui longo locorum intervallo ſejuncti ſunt: aut non eſſe colendos amicos longinque diſſitos, unde non queas multum ſentire commoditatis, ſed hos potius quibus præſens præſentibus fruare.

Multas amicitias ſilentium diremit.

Πολλὰς φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν: id eſt, Multas amicitias ſilentium diremit. Admonet adagium, aſſiduo convictu, ac frequentibus alloquiis neceſſitudines ali, intermiſſione & abſentia diſſolvi. Meminit hujus Ariſtoteles libro Moralium 8. ἐὰν δὲ χρόνιος ἡ ἀπουσία γένηται, καὶ τῆς φιλίας δοκεῖ ἡ ἀπουσία λήθην ποιεῖν· ὅθεν εἴρηται, πολλὰς δὴ φιλίας ἀπροσηγορία διέλυσεν. id eſt: Quod ſi diuturna fuerit abſentia, videtur & neceſſitudinis oblivionem afferre: unde dictum eſt illud, Multas amicitias ſilentium diremit. Verſus ut refertur in collectaneis, diminutus eſt una ſyllaba. Ab Ariſtotele citatur integer Heroicus:

Plurimum amicitias ſolvere ſilentia ruptas.

Apud Athenæum lib. 5. citantur ex anonymo poeta verſus hi:

Οὐ χρὴ συμποσίων φίλους ἀπέχεσθ' ἑταίρους
Δηρόν· ἀναμνήσεις δὲ πολὺ χαριέσταται αὐτή.

Id eſt:

Non diu amicorum menſis decet abſtinuiſſe,
Quippe animi memoris renovatio bella eſt.

Figuratius, atq; ob idipſum elegantius eſt illud Alphii fœneratoris dictum apud Columellam: Bona nomina nonnunquam mala fieri, ſi nunquam interpelles. Ille Nomina, Jureconſultorum more, debitores vocat: & interpellare, ſubinde creditum repoſcere. Vox autem Græca ἀπροσηγορία, non ita commode reddi Latine poteſt: neque enim ſimpliciter ſignificat ſilentium, ſed illud ſilentium, cum quis non appellat ac ſalutat amicum.

Ubi amici, ibi opes.

Plautus in Truc. Verum eſt verbum quod memoratur: Ubi amici, ibidem opes. Citatur & à Fabio proverbii vice, libr. Orat. inſtit. 5. Senſus eſt, potiores eſſe amicos quam pecuniam: & ad vitæ præſidium plus habere momenti amicos citra pecuniam, quam abſque amicis opes. Unde & apud Scythas, autore Luciano, is habebatur ditiſſimus, qui certiſſimos & optimos amicos poſſideret. Verum ſi quis ad hujus ſeculi mores reſpiciat, adagium invertendum exiſtimabit: Ubi opes, ibi amici. Quandoquidem

Vulgus amicitias utilitate probat: Et:
Illud amicitiæ quondam venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Uſque ad aras amicus.

Μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί: id eſt, Uſque ad aram ſum amicus. Tametſi non eſt hujus inſtituti quælibet apophthegmata colligere, tamen hoc ita commode dictum, & ſpecie uſque adeo proverbiali, præterea ſic à magnis celebratum autoribus, ut merito videatur in hunc ordinem cooptandum. Reſponſum eſt autem à Pericle: quem cum amicus quiſpiam rogaret, ut in cauſa quadã ſua gratia falſum dejeraret: δεῖ με συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι βωμῶν. id eſt: Oportet me commodare amicis, ſed uſque ad aras. Ita refert Gellius. Commodius refert Plutarch. in libello περὶ δυσωπίας: μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμί. id eſt, Uſque ad aram ſum amicus. Admonet proverbium, nonnunquam, quo conſulamus amicorum commodis, eorumque voluntati morem geramus, fas videri paululum à recto deflectere: verum eatenus, ne propter hominem amicum numinis reverentiam violemus. Olim jurantes aram manu contingebant. Porro quatenus & quouſque ſit ab honeſto deflectendum, amici cauſa, copioſe docteque diſputat Aulus Gell. lib. Noctium Atticarum 1. c. 3.

Amicorum eſt, admonere mutuum.

Sententia proverbialis videtur, quam legimus Iliad. λ.

— Ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.

Id eſt:

— Bonus eſt affatus amici Admonitoris.

Hanc licebit uſurpare, ſi quando dicemus amici munus eſſe, ut amicum, ſi quid erret, liberius admoneat.

Fidus amicus.

Fidus amicus non eſt poſthabendus germano. Homerus in eodem libro:

Εἴτις που καὶ ἑταῖρος ἐὼν κεχαρισμένα εἰδώς,
Ἐσθλὸς ἐπεὶ οὐ μέν τι κασιγνήτοιο χερείων.

Id eſt:

Si quis forſan amicus ſit, gratuſque bonuſque,
Quandoquidem is non inferior vel fratre putandus.

Quem nobis officiis obſtrictum ſignificamus, ita ut jam totus certoque noſter ſit, eum in ære noſtro dicimus eſſe. Nam antiquitus omnis pecunia ærea erat, auri uſu nondum reperto in feriendis numiſmatis. Memini legere apud Ciceronem libro Epiſtolarum familiarium 13. Et mehercle ſemper ſic in animo habui, te in ære meo eſſe, propter Lamiæ noſtri conjunctionem & ſingularem neceſſitudinem. Item lib. 15. Marcum Fabium, quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quæſtum. Multi enim anni ſunt, quum ille in ære meo eſt, & à me diligitur.

Ἀμφιθαλὴς ἔρως.

Ἀμφιθαλὴς ἔρως: id eſt, Utrinque florens amor, olim dicebatur, quoties uterque pariter eſſet incolumis, ac mutuo reſponderet amore. Nam dimidiari dicimur, quoties amicus diſtrahitur, velut altera pars noſtri. Extat apud Ariſtophanem in Avibus, in calce fabulæ. Talem amorem in Eunucho optat Phædria: Utinam eſſet mihi pars æqua amoris tecum. Congruit huic Pindaricum illud in Pythiis: φιλέων φιλέοντ', ἄγων ἄγοντα προφρόνως. id eſt: Amans amantem, & ducens ducentem libenter.

Abiit & taurus in ſylvam.

Ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν. id eſt: Abiit & taurus in ſylvam. Paſtorale proverbium, allegoria ſubturpicula, ſignificans divortium, ac neglectum veteris amicæ. Tametſi licebit in uſum verecundiorem trahere hoc modo, ſi per jocum accommodabitur ad eos, qui priſtinos amicos negligere videntur, & à familiarium congerronumque grege deſueſcere. Aut in illos etiam, qui à ſolitis deſciſcunt ſtudiis, diverſumque vitæ ſequuntur inſtitutum. Theocritus in Idyllio, cujus titulus eſt Theonycho, nominatim etiam proverbii vice refert:

Αἶνός θην λέγεταί τις, ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν, id eſt:
Fertur & hoc olim, in ſylvam ſecedere taurum.

Queritur autem amans, ſe jam pridem ab amica relictum: plurimumq; jam eſſe temporis oſtendit, quod Cyniſca, id eſt, Catella (nam id erat nomen puellæ) ſeſe Lyco quodam oblectet, neque omnino curet ad priſtinam redire conſuetudinem: non magis quã tauri, qui & ipſi nonnunquam à vaccarum armentis, ſecedunt, & aut reliquis aggregantur tauris, aut ſolitarii per nemora vagantur, nullo fœminarum deſiderio tacti. Eum ſeceſſum, cumq; vaccarum neglectum, quaſiq; divortium, paſtores peculiari verbo vocant ἀτιμαγελεῖν: voce nimirum compoſita ἐκ τοῦ ἀτιμεῖν τὸ ἀτιμάζειν, καὶ καταφρονεῖν, quod eſt deſpicere, negligereq, ac pro nihilo ducere: & ἐκ τῆς ἀγέλης, quod armentum ſonat. Ac tum ἀτιμαγελεῖν dicuntur tauri, cum ſegregati à vaccarum commercio, adeo non curant illas, ut non modo coitum non appetant, ſed ne paſcuis quidem iiſdem uti velint. Hunc animantis morem, ſimulq; vocem ipſam ei tributam rei, demonſtrat Ariſtoteles lib. De natura animalium 6. his verbis: ὁ δὲ ταῦρος ὅταν ὥρα τοῦ ὀχεύειν ᾖ, τότε γίνεται σύννομος καὶ μάχεται τοῖς ἄλλοις. τὸν δὲ πρὸ τοῦ χρόνον μετ' ἀλλήλων εἰσὶν, ὃ καλεῖται ἀτιμαγελεῖν. πολλάκις γὰρ οἵ γε ἐν τῇ Ἠπείρῳ οὐ φαίνονται τριῶν μηνῶν. ὅλως δὲ τὰ ἄγρια πάντα, ἢ τὰ πλεῖστα οὐ συννέμονται ταῖς θηλείαις πρὸ τῆς ὥρας τοῦ ὀχεύειν. Ea verba nos appendemus magis quam annumerabimus, hoc modo: At taurus, cum tempus coitus adfuerit, tum demum incipit communibus cum vaccis paſcuis uti, cumque reliquis tauris dimicat. Nam ante id temporis inter ſeſe paſcuntur, quod quidam appellant ἀτιμαγελεῖν. Sane qui ſunt in Epiro provincia, tauri ſæpenumero trium menſium ſpacio non apparent. Porro fera animantia aut omnia, aut certe pleraque, ante tempus coeundi non aggregantur ad communes cum fœminis paſcuas. Illud admonitu dignum mihi viſum eſt, in verſione Theodori Gazæ, pro Græca voce ἀτιμαγελεῖν, quam Romana lingua nullo pacto reddere poteſt, ſcriptum eſſe, coarmentari. Idque verbi doctis etiam viris nõ parum caliginis offudit ita ut depravatum apud Ariſtotelem locũ exiſtiment, commutataque lectione, longe diverſum ſenſum inducant, putentque Theodorum in transferendo non mediocriter hallucinatũ. At ego tota re diligentius penſiculata, videre videor, Ariſtotelicorum verborum ſententiam, citra ullius vocis commutationem ad amuſſim quadrare: videlicet taurum aggregari cum vaccis, & in iiſdem verſari paſcuis, appetente coitus tempore, eique non convenire cum reliquis taurorum armentis, ſe & bellum cum aliis gerere: reliquis autem temporibus tauros cũ tauris ſocialiter iiſdem uti paſcuis: neque fœminarum convictum ſequi, ſed inter ſeſe agere, quod idem accidat in feris ferme omnibus. Hanc autem taurorum cum tauris ſocietatem, neglectis vaccarũ armentis, vocari ἀτιμαγελεῖν. Quæſo quid hic ſcrupuli, cur Ariſtotelicam lectionem mutandam exiſtimemus: niſi ſi quid offendis mutatus numerus in ταῦρος & εἰσὶν, id quod Ariſtoteli, præſertim eo in opere, pene familiare deprehenditur. Dictionem autem illam coarmentari, non germanam, ſed ſuppoſititiam eſſe, dubium non eſt, & aut librariorum incuria, aut alicujus parum eruditi temeritate inductam. Suſpicor enim legendum, vel dearmentari vel abarmentari. Neque enim adduci poſſum, ut credam Theodorum hominẽ tam in omni doctrinæ genere abſolutum, fuiſſe lapſum, præſertim in voce, neque magnopere prodigioſa, nec inuſitata Græcis autoribus: utpote cujus vim vel ipſa ſtatim indicat etymologia: præterea quæ apud Theocritum, authorem uſque adeo notum vulgatumq;, legatur ἐν νομεῦσιν, ἢ βουκόλοις, id eſt, in paſtore, ſive bubulcis:

Χ' αἱ μὲν ἄρα βόσκοντο, καὶ ἐν φύλλοισι πλανῶντο,
Οὐδὲν ἀτιμαγελεῦντες — Id eſt:
Atque hi paſcuntur ſimul, inque comantibus herbis
Errant & non ulla gregis divortia quærunt.

Ad hæc Suidas oſtendit, ταῦρον ἀτιμαγέλην appellatum τὸν τῆς ἀγέλης καταφρονοῦντα: id eſt, qui negligeret armentum. Huc mihi videtur nonnihil alluſiſſe. Vergilius in Silvo.

Ab virgo

Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.
Aut aliquam in magno ſequitur grege. claudite nymphæ
Dictææ, nymphæ nemorum jam claudite ſaltus.
Si qua forte ferant oculis ſeſe obvia noſtris
Errabunda bovis veſtigia: forſitan illum,
Aut herba captum viridi, aut armenta ſecutum
Perducant aliquæ ſtabula ad Gortynia vaccæ.

Cum enim ait,

Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas:

taurum innuit ἀτιμαγελοῦντα.

Item cum ait:

Errabunda bovis veſtigia ——

Significat autem poeta taurum quem adamabat Paſiphae, aut prorſus ἀτιμαγελοῦντα, aut catenus ἀτιμαγελοῦντα, ut ſuo armento neglecto, vaccas alias ſequeretur. Porro de pugna taurorum inter ipſos, coitus tempore, meminit idem Maro lib. Georg. 3.

Nec mos bellantes una ſtabulare, ſed alter
Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
Victoris, tum quos amiſit inultus amores,
Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.

Equidem arbitror, hanc ipſam vocem ſi deflectatur alio, proverbialem eſſe, quemadmodum ſunt & illæ [illegible] & [illegible]: ad eamque potiſſimum reſpexiſſe Theocritum, cum ait proverbio dici,

—— ἔβα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν.

Scholia quæ feruntur in Theocritum, habent ἔβα κεν ταῦρος: pro καὶ conjunctione copulativa mutata κεν expletiva: addunt eſſe proverbium de his dici ſolitum, qui abeſſent non reverſuri. Taurus enim ſi ſemel aufugerit in ſylvam, capi non poteſt. Unde non inconcinne quis dixerit, maritum diutius ab uxore ſecubantem, ἀτιμαγελεῖν: & eum qui familiares deſierit inviſere ἀτιμαγελεῖν: & qui diutius à Muſis, ac librorum abſtinuerit contubernio, ἀτιμαγελεῖν. Idem qui à convictu hominum abhorreat, ſecumque vivat ἀτιμαγέλην licebit appellare. Et qui à legitimo contubernio aberrarit ſeceſſeritque, non inepte dicetur ἀτιμαγελεῖν. Nec prorſus abhorret ab hac forma, quod eſt apud Ariſtoph. in Lyſiſtrata.

Οἴκοι δ' ἀταυρώτη διάξω τὸν βίον. id eſt:
Domi abſque tauro cœlibem vitam exigam.

Sic enim ſignificavit vitam cœlibem fœminæ, negligentis taurū, id eſt, maritum. Sic & Horatius:

—— Pereat male quæ te
Lesbia, quærenti taurum, monſtravit inertem.

Animo ægrotanti medicus eſt oratio.

Celebratur hic verſus apud Græcos proverbii vice, citaturque à Plutarcho ad Apollonium.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
Id eſt:
Ægroto animo medicus eſt oratio.

Sumptum apparet ex Æſchili Prometheo:

Οὐκοῦν Προμηθεῦ τοῦτο γιγνώσκεις, ὅτι
Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
Id eſt:
Non hoc quidem te præterit Promethee,
Morbo quod iræ medicus eſt oratio.

Siquidem, ut inquit ille ſapiens Hebræus, Sermo mollis frangit iram. Et ira juxta Stoicos, nihil aliud eſt quam furor brevis. Huc alluſit Horatius in Epiſtolis:

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi depellere partem.

Ex opinione Stoicorum, cupiditates animi morbos appellat His philoſophia medetur pharmacis verborum, id eſt, monitis ſalubribus. Et apud Terent. arguit ſeſe Menedemus, qui non ut decuit, tractarit ægrotum animum adoleſcentis. Ut enim in corporum morbis pro ratione valetudinis, alia atque alia adhibentur pharmaca: itidem in animi malis non eadem adhibenda eſt oratio: ſed interim blandius monendum, interim acrius jurgandum, nonnunquam diſſimulandum, & imprudenti pharmacon admovendum, juxta Pauli monitum: Argue, obſecra, increpa. Feruntur in eandem ſententiam & hi ſenarii.

Λόγος γάρ ἐστι φάρμακον λύπης μόνος.
Id eſt:
Dolori enim medetur una oratio. &:
Λόγῳ μ' ἔπεισας φαρμάκῳ σωτηρίῳ.
Id eſt:
Sermone flexiſti optimo me pharmaco. &:
Ὁ λόγος ἰατρὸς τῶν κατὰ ψυχὴν παθῶν.
Id eſt:
Animo laboranti medicus oratio eſt.

Iſocrates in oratione De pace, eleganter uſurpavit hanc ſententiam: ὑμᾶς δὲ χρὴ πρῶτον μὲν τοῦτο γιγνώσκειν, ὅτι τῶν μὲν περὶ τὰ σώματα νοσημάτων πολλαὶ θεραπεῖαι καὶ παντοδαπαὶ τοῖς ἰατροῖς εὕρηνται, ταῖς δὲ ψυχαῖς ταῖς νοσούσαις καὶ γεμούσαις πονηρῶν ἐπιθυμιῶν οὐδέν ἐστιν ἄλλο φάρμακον, πλὴν λόγος ὁ τολμῶν τοῖς ἁμαρτανομένοις ἐπιπλήττειν. ἔπειθ' ὅτι καταγέλαστόν ἐστι τὰς μὲν καύσεις καὶ τὰς τομὰς τῶν ἰατρῶν ὑπομένειν, ἵνα πλειόνων ἀλγηδόνων ἀπαλλαγῶμεν, τοὺς δὲ λόγους ἀποδοκιμάζειν πρὶν εἰδέναι σαφῶς, εἰ τοιαύτην ἔχουσι τὴν δύναμιν, ὥστ' ὠφελῆσαι τοὺς ἀκούοντας. id eſt: Vos autem illud in primis ſcire oportet, quod adverſus corporis morbos multa variaque remedia a medicis reperta ſunt: animis vero ægrotantibus, ac pravis cupiditatibus oppletis, non eſt aliud remedium quam oratio, quæ non vereatur errantes increpare. Deinde deridiculum eſſe, quum medicorum uſtiones ad ſectiones perferamus, ut à gravioribus cruciatibus liberemur, orationem rejicere priuſquam liqueat, an hujuſmodi vim habeat, ut utilitatem adferat audientibus. Verum ut amica, ſalubris, & tempore adhibita oratio, remedium eſt efficax ac præſentaneum: ita ſermo inimicus, aut peſtilens aut non in tempore dictus, lethale venenum eſt.

Syncretiſmus.

Συγκρητισμὸς Cretico proverbio dicebatur, quoties fieret, ut qui modo videbantur hoſtes acerrimi, repente in ſummam concordiam redigerentur: id quod frequenter evenire ſolet, maxime ſi quando malum aliquod inciderit utriuſq; commune. Plutarchus in comment. φιλαδελφίας, id eſt, de fraterna charitate, recenſet, ſimulque explicat parœmiam his verbis: Ἔτι τοίνυν δεῖ μνημονεύειν ἐν ταῖς πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς διαφοραῖς, καὶ φυλάττειν τὸ τοῖς φίλοις αὐτῶν ὁμιλεῖν καὶ πλησιάζειν τότε μάλιστα, φεύγειν δὲ τοὺς ἐχθρούς, καὶ μὴ προσδέχεσθαι, μιμούμενον αὐτὸ γοῦν τοῦτο Κρῆτας, οἳ πολλάκις στασιάζοντες ἀλλήλοις καὶ πολεμοῦντες, ἔξωθεν ἐπιόντων πολεμίων διελύοντο, καὶ συνίσταντο· καὶ τοῦτο ἦν ὁ καλούμενος ὑπ' αὐτῶν συγκρητισμός. id eſt: Præterea oportebit & illud meminiſſe fratribus inter ſe diſſidentibus: obſervareq; ut potiſſimum eo tempore conſuetudinem habeas & convictum cum illorum amicis. Rurſum inimicos fugias, neque admittas ad familiaritatem: illud videlicet Cretenſium exemplum ſecutus, qui frequenter quum factionibus & bellis inteſtinis inter ſeſe pugnarent, invadentibus aliunde hoſtibus, omiſſa contentione conjuncti ſunt: atque is erat quem illi ſyncretiſmum appellabant. Hactenus Plutarchus. Simile quiddam refert de Sudracis & Mallis Quintus Curtius lib. 9. quos alias bellare inter ſe ſolitos periculi ſocietas junxerat, imminente Alexandro. Pertinet huc quod alias ex Ariſto. referemus: συνάγει τοὺς ἀνθρώπους τὰ κακά. id eſt: Cōciliant homines mala. Adagium recte accommodabitur & in illos qui amicitiam ineunt, non quod ſeſe ex animo diligant, ſed quod alter alterius opis egeat: aut quo veluti conjunctis copiis communem inimicum perſundent. Id quod his temporibus ſæpenumero factitari videmus, ut arma jungant, alioqui inter ſe infenſiſſimis animis. Tanta ineſt & Chriſtianis hominibus ulciſcendi rabies. Refertur & ab Apoſtolio quodam Bizantino, recentiſſimo apud Græcos proverbiorum coacervatore.

Conciliant homines mala.

Συνάγει τοὺς ἀνθρώπους κακά: id eſt, Conciliant homines mala. Sententia proverbialis, quæ declarat id, quod vulgo fit, ex hoſtibus nonnunquam amicos fieri propter malum aliquod incidens utriſque commune. Ariſtoteles libro Rhetoricorum 1. οὐδὲν γὰρ κωλύει ἐνίοτε ταὐτὸ συμφέρειν τοῖς ἐναντίοις. ὅθεν λέγεται, ὡς τὰ κακὰ συνάγει τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν ᾖ ταὐτὸ βλαβερὸν ἀμφοῖν. id eſt: Nihil enim vetat, quo minus idem conducat ambobus adverſariis. Unde dicitur illud, Conciliāt homines mala, quoties idem utriſque noxium fuerit. De ſyncretiſmo diximus alibi. Quin huc quoque poteſt deflecti proverbium, ut dicamus, indoctum favere indocto, infantē infanti, nepotem nepoti. Neque enim bonarum modo rerum ſimilitudo conglutinat neceſſitudinem, verum etiam ex malis communibus ſæpenumero mutua naſcitur benevolentia. Amant fere inter ſe, qui ſimul fecere naufragium, qui militarunt una, qui ſimul capti fuerunt ab hoſte: denique qui corporis aut animi morbis iiſdem laborant.

Cum amico non certandum æmulatione.

Cum amico & benemerito non eſt ſuſcipiendum certamen, ne quid obſcuretur amicitia propter æmulationem, hujuſmodi comitem contentionum. Id innuit Homerus in Odyſſeæ 9. cum Ulyſſes excipit Laodamantem, quod hoſpes eſſet:

—— Τίς ἂν φιλέοντι μάχοιτο;
Id eſt:
—— Quis namque benigno cum hoſpite pugnet?

Locum etiam habuerit, ubi dicemus hoſpitis eſſe munus, cedere iis, apud quos diverſatur, etiam ſi poſſit vincere. Nam inibi ſtatim ſubnectitur hujuſmodi ſententia.

Ἄφρων δὴ κεῖνός γε καὶ οὐτιδανὸς πέλει ἀνήρ,
Ὅς τις ξεινοδόκῳ ἔριδα προφέρηται ἀέθλων.
id eſt:
Vir ſiquidem vecors eſt iſte, nec unius aſſis,
Quiſquis ad eventum certaminis evocat illum,
Quem penes hoſpitio fruitur, tectoque juvatur.

Queruli in amicitia.

Οἱ φιλομεμφεῖς εἰς φιλίαν οὐκ εὐφυεῖς: id eſt, Qui queruli ſunt in amicos, non ſunt ad amicitiam idonei. Connivere ad amicorum vitia, hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos. Sententia videtur deſumpta ex Herodoto. Conſtabit tamen trimeter, ſi legas, οἱ φιλαιμεμφεῖς, εἰς φιλίαν οὐκ εὔθετοι. Nec tamen video quid ſi φιλομεμφεῖς. Si legimus φιλομεμφεῖς, addenda eſt conjunctio, οἱ δὲ φιλομεμφεῖς ita conſtabit verſus:

Qui querulus eſt, amicitiæ haud accommodus.

Felicitas multos habet amicos.

Εὐτυχία πολύφιλος: id eſt, Felicitas multos habet amicos. Simillimum illi quod alibi retulimus.

Τῶν δ' εὐτυχούντων πάντες οἱ συγγενεῖς

Id eſt:

Felicibus cognatus eſt vel quilibet.

Notior eſt ſententia, quam ut requirat interpretem. Contra in rebus adverſis, aut nulli, aut pauci ſunt amici. Pindarus in Nemeis Oda 10,

Οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ
Φωτί, παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν
Καμάτου μεταλαμβάνειν.

Id eſt:

Perit honor amicorum afflicto viro, paucique in rebus adverſis fidi mortales ad laboris ſocietatem.

Amicus certus in re incerta cernitur.

M. Tullius in Lælio, ſenarium hunc ex Ennio citat, proverbii ſpecie:

Amicus certus in re incerta cernitur.

Quo ſignificatum eſt, amici fidem in rebus adverſis explorari. Nã quod cum periculo conjunctum ſit, id dubium appellant: pro quo Ennius poſuit incertum, affectans ὁμοιόπτωτον & ὁμοιοτέλευτον, quibus ſchematis impendio delectatus eſt, atq; adeo non ipſe ſolum, ſed & omnis illa ætas uſque ad M. Tullium. Plautus item cum amicum pronuntiat, qui in re dubia juvat. Habent eandem ſententiam Hebræorum proverbia: Omni tempore diligit, qui amicus eſt, & frater in anguſtiis comprobatur.

Lingua amicus.

Ἀπὸ γλώττης φίλος: id eſt, Lingua amicus, qui verbis oſtendit, non re præſtat beneficium: aut qui non amat ex animo, ſed benevolentiam oratione præ ſe fert. Quod genus inducit Candidus apud Martialem, Et apud Homerum Odyſſeæ σ.

Οἵ τ' ἄλλα μὲν βάζουσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέουσι.

Id eſt:

Qui recte dicunt, à tergo prava volutant.

Theognis in Sententiis:

Ἀλλὰ δόκει μὲν πᾶσιν ἀπὸ γλώσσης φίλος εἶναι.
Χρῆμα δὲ συμμίξῃς μηδενὶ μηδ' ὁτιοῦν.

Id eſt:

Sic facito, ut lingua cunctis videaris amicus:
At factis cuiquam te cave miſcueris.

Contra Sophocles in Antigone:

Λόγοις δ' ἐγὼ φιλοῦσαν οὐ στέργω φίλην. id eſt:

Non diligo hanc verbotenus quæ diligat.

At idem Theognis paulo poſt, damnat hujuſmodi genus amicorum

Μή μ' ἔπεσιν μὲν στέργε νόον δ' ἔχε καὶ φρένας ἄλλας.

Id eſt:

Ne me diligito verbis, cum mens alibi ſit.

Rurſum alibi:

Μή μοι ἀνὴρ εἴη γλώσσῃ φίλος, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ.

id eſt:

Ne lingua mihi quis ſit amicus, ſed mage facto.

Similimum eſt huic quod alibi refert idem, μέχρι προσηγορίας, id eſt: Uſque ad ſalutationem:

Σπάνιον μὲν ἰδεῖν φίλον πάνυ πιστὸν ἐόντα δ' ὀλίγοι
Καὶ σχεδὸν οἱ πάντες μέχρι προσηγορίας. id eſt:

Res perdifficilis quidem amicus ſunt quia multi
Atque adeo cuncti pene, ſalute tenus.

Oculis ferre & ſimilia.

Proverbialia ſunt & illi, Oculis ferre, In ſinu ferre: ſi quis quem inſigniter amat, fovetque. Tranſlatum à matribus, tenere liberos ſuos amantibus, à quibus non dimovent oculos, ſolicitæ ne quid illis accidat incommodi, geſtantq; in ſinu atque in complexu. Exempla utriuſque ſunt apud M. Tullium crebra. Non diſſimile eſt, quod eſt apud Platonem lib. de Rep. 10. ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρειν, id eſt: Super capita ferre: καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ σοφίᾳ οὕτω σφόδρα φιλοῦνται, ὥστε μόνον οὐκ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτοὺς οἱ ἑταῖροι. Id eſt: Et ob hanc ſapientiam in tantum amantur, ut ſectatores eos tantum non in capitibus circumferant.

Felicium multi cognati.

Τῶν δ' εὐτυχούντων πάντες εἰσὶ συγγενεῖς.

Id eſt:

Cognatus unuſquilibet felicium.

Id hodie vulgo dicunt, locupletum pluſimos eſſe cognatos. Huc alluſit Terentius in Phormione: At ſi talentũ rem reliquiſſet decem, primus eſſes, memoriter progeniem veſtram uſque ab avo atque atavo proferens. Pindarus in Nemeis hymno 10. ſic extulit οἴχεται τιμά, φίλων τατωμένῳ φωτί, παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν. id eſt: Perit honos, viro privato amicis, pauci autem mortales in rebus aſperis fidi. Plato in epigrammate.

—— Ἡμὲν ἄληθές
Νῦν ἔγνων, ὡς οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντι φίλος.

Id eſt:

At tandem expertus noſti verbum vetus illud.
Quod qui nil habet, huic nullus amicus adeſt.

Ad felicem inflectere parietem.

Ariſtophanes in comœdia cui titulus, Ranæ, Belliſſimum uſurpat adagium, quod utinam in literis duntaxat extaret, non etiam in omnium prope mortalium vita.

Ταῦτα μὲν πρὸς ἀνδρός ἐστι
Νοῦν ἔχοντος καὶ φρένας, καὶ
Πολλὰ περιπεπλευκότος,
Μετακυλινδεῖν αὑτὸν ἀεὶ
Πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον

Id eſt:

Nam viri eſt prudentis illud,
Atque cordati, catique,
Multum æque cui navigatum, ut
Semper ad felicius ſe
Cautus inflectat latus.

Proverbium autem ita commodius effertur: πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον μετακυλινδεῖν, id eſt: In felicem parietem vergere. Ariſtophanis interpres tranſlatum exiſtimat ab his qui navi vehuntur: qui ſi quando navis alterum latus fluctu deprimatur, protinus in alterum tranſcurrunt, quod altius extat ab undis. Dicetur & in hos, qui commodi ſui reſpectu ſemper ad potentiores ac fortunatiores amicos applicant ſeſe: ac quemadmodum muſcæ ad culinæ nidorem advolant revolantque, ita fortunam potiorem in amicitia, nõ fidem ſequuntur. Aut qui, dum eſt anceps exitus belli, quietem agunt: porro ſimul atque jam inclinarit fortuna, ut appareat utra pars ſit victoriam reportatura, protinus ad eam adjunguntur. Hoc animo legitur fuiſſe Metius ille Vergilianus, & Polymneſtor, qui victricia arma ſecutus magis quam hoſpitii fidem. Polydorum obtruncat, & auro vi potitur. Hujuſmodi genus hominum eleganter notat idem Ariſtophanes in Pluto. Siquidem hic Chremylus jam dives factus, queritur ſeſe obtundi hujuſmodi ſalutatoribus qui aurum olfecerant:

Βαβαί ὡς ἡδύ ἐστ' ὦ ἄνδρες τὸ πράττειν εὐτυχῶς
Οἱ φαινόμενοι παραχρῆμ' ὅτ' ἦν ἄρα πλουτῶν πρὸ τοῦ.

Id eſt:

Malam in crucem: ut res eſt moleſta, ubi illico
Ad res ſecundas demum amici provolant.

Eodem pertinet Euripideum illud ex Medea.

Πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.

Id eſt:

Tenuem atque egenum cuncti amici deſerunt.

Antiphanes in Progonis, citante Athenæo lib. 6.

Μήποτ' ἔλθῃς ἔτ' ὦ φίλ' ὅταν πράττω κακῶς.

Id eſt:

Ne tum mihi adſis, quando res cedunt male.

Interpres proverbium ſubeſſe admonet, dici ſolitum in eos, qui tum amicorum conſuetudinem deſerunt, cum in periculis verſantur. Cæterum poetam verbis in contrarium verſis ad parœmiam alluſiſſe, quæ recte ſic afferri conſueverit:

Μή μοι τότ' ἔλθῃς ὅτ' ἂν ἐγὼ πράττω καλῶς.

Id eſt:

Ne tum mihi adſis, quando res ſunt proſperæ.

Ad hoc facit & illud apud Euripidem in Oreſte:

—— Τοὺς φίλους
Ἐν τοῖς κακοῖς χρὴ τοῖς φίλοισιν ὠφελεῖν.
Ὅτ' ἂν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ τί χρὴ φίλων;
Ἀρκεῖ γὰρ αὐτὸς ὁ θεὸς ὠφελεῖν θέλων.

Id eſt:

Juvare amicos rebus afflictis decet.
Quorum opus amicis, cum benigna ſors favet,
Siquidem ipſa per ſe ſufficit Rhamnuſia,
Volens ſecundis adjuvare favoribus.

Idem poeta propius alluſit ad adagium in eadem tragœdia, niſi quod catholicam ſententiam ad præcones retulit:

Τὸ γὰρ γένος τοιοῦτον· ἐπὶ τὸν εὐτυχῆ
Πηδῶσ' ἀεὶ κήρυκες· ὅδε δ' αὐτοῖς φίλος,
Ὃς ἂν δύνηται πόλεος ἔν τ' ἀρχαῖσιν ᾖ. Id eſt:

Namque id genus ſunt uſque præcones, uti
Feliciorum partibus ſe accommodent,
Amentque demum hunc, qui ſit ſit inter principes,
Reique qui temperat habenas publicæ.

Idem in Hercule furente:

Καὶ τῷ μὲν εὖ πράσσοντι πᾶς ἀνὴρ φίλος:
Συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισι δυστυχοῦσιν οὐ Id eſt:

Cui res ſecundæ, huic naviganti quilibet
Comes ire quærit, non item infelicibus.

Huc pertinet, quod Ariſtoteles libro Moralium Eudemiorum 7. proverbium dictum oſtendit, χρόνος δείκνυσι τὸν φίλον ἄνδρα. id eſt: Tempus indicare quis vere amet. Tempeſtas enim arguit amicitiam, ac fucatos illos amicos detegit.

Qui circa ſalem & fabam.

Περὶ ἅλα καὶ κύαμον. id eſt, Juxta ſalem & fabam, In eos dicebatur, qui ſe ſimularent ſcire quod neſcirent. Si quidem divini reſponſuri, Fabam & ſalem apponebant. Unde qui inter ſeſe de rebus arcanis communicarent, τοὺς περὶ ἅλα καὶ κύαμον appellabant. Ad hunc quidem modum ſcriptum legitur in Diogeniano, reliquiſque Græcarum parœmiarum collectoribus. Verum Plutarchus in Sympoſ. probl. Decad. 4. non fabam, ſed cuminum ſcribit, niſi forte depravatus eſt codex: ἐκεῖνο δὲ πως ὑμᾶς λέληθε τὸ περὶ ἅλα καὶ κύμινον, ὅπερ οἱ πολλοὶ λέγουσι, τὸ δὲ ὕδωρ. id eſt: At illud fortaſſe vos fugit, quod ajunt, qui juxta ſalem ac cuminũ: quod illud quidem

quidem lautius, hoc ſuavius. Rurſum ejuſdem operis Decade 5. ἐζήτει Φλῶρος ἑστιωμένων ἡμῶν παρ' αὐτῷ, τίνες ἂν εἶεν οἱ περὶ ἅλα καὶ κύμινον ἐν τῇ παροιμίᾳ λεγόμενοι. id eſt: Quærebat Florus, quum apud ipſum cœnaremus, quinam eſſent qui in proverbio juxta ſalem & cuminum dicerentur. Apollophanes autem grammaticus ſic eam quæſtionem diſſolvit, ut dicat, adagium ſummam familiaritatem ſignificare. Siquidem qui magnopere inter ſe familiares ſunt, hi vel ſalem vel cuminum una cœnant, neque requirunt apparatum ullum ciborum. Unde & ille jocus eſt Octavii Cæſaris ad quendam, à quo fuerat convivio perparco frugalique acceptus: Neſciebam me tibi eſſe tam familiarem. Huc pertinet etiam illud quod ſuo loco referemus: ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν. id eſt: Non oportet tranſgredi ſalem ac menſam, hoc eſt amicitiæ jus quod his rebus conciliatur, non eſt violandum. Porro ſalis nomine frugalem victum innui paſſim ex poetis licet cognoſcere: Horat. in Odis:

> Vivitur parvo bene, cui paternum
> Splendet in menſa tenui ſalinum.
> Idem in Sermonibus:
> Modo mihi ſit menſa tripes &
> Concha ſalis puri.

Verum in divinationibus videtur magis religionis cauſa ſolitus apponi. Cur autem hic honos ſali potiſſimum ſit habitus, quæritur apud Plutarch. in eo quem modo citavi loco. Nam & Homerus ſalem divinum appellat: & Plato ſcripſit ſalem rebus divinis amiciſſimum, familiariſſimumque. Proinde Ægyptii honoris cauſa prorſum à ſale abſtinent, adeo ut ne panibus quidem veſcantur ſale conditis. Tametſi Plutarch. arbitratur, Ægyptios hac gratia potius abſtinuiſſe, ſi quando pure vivere vellent, quod præcipue libidinem irritare putetur, idque propter calorem. Præterea non eſt veri diſſimile, illos abdicaſſe ſibi ſalem, tanquam condimentum omnium ſuaviſſimum: ita ut non immerito opſoniorum opſonium appellari poſſit. Nam ſunt qui hac de cauſa ſalem gratiam nominarint, quod citra hunc omnia videantur inſipida ingrataque. Quanquam illud maxime divinũ in ſe ſal habere videtur, quod à corporibus vita deſtitutis putrefactionem ac tabem arcet, neque ſinit prorſũ interire, diu morti velut reſiſtens, animæque quoad licet, vice fungens. Atqui nihil eſt anima divinius. Hujus ut eſt officium, animantia tueri, continereque, neque ſinere compaginem dilabi: itidem ſal animæ exemplo cohibet corporum harmoniã ad tabem tendentium, & membrorum inter ſeſe amicitiam conſervat. Hac eadem ratione, fulguris ignem ſacrum ac divinum arbitrantur, quod ictorum corpora multo tempore perdurent, neque putreſcant. Habet & illud quaſi divinum ſal, quod vim quandam gignendi genuinam habere credatur, vel hoc argumento, quod (ſicuti paulo ſuperius dictum eſt) ſeminalem vigorem expergefacit, acuitq;. Proinde qui canibus alendis dant operam ſalſis carnibus ac ſalſamentis eos paſcunt, quo ad gignendum reddantur alacriores. Accedit huc, quod è navibus marinis immenſa murium vis ſoleat enaſci. Neque deſunt qui dicant, mulieres etiam citra virilem operam fieri gravidas, ſi ſalem lingant. Præterea putant huc alluſiſſe poetas, qui non ſine cauſa finxerunt, Venerem genituræ principem e ſalo natam fuiſſe: quã etiam ἁλιγενῆ id eſt, ſaligenam cognominant. Quin iidem deos omnes marinos fœcundos, & plurimorum liberorum progenitores faciunt. Denique nullum eſt animal, neque terreſtre neque volatile, perinde fecundum, ut ſunt omnia marina. Hujuſmodi ferme de ſale diſſeruntur apud Plutarch.

Salem & menſam ne prætereas.

Ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν: id eſt, Salem & menſã ne prætereas. Ne negligas amiculorum conſuetudinem: aut Ne violes amicitiæ jura. Nam his rebus olim conciliabantur amici: & familiares antiquitus mutua inter ſeſe convivia actitabant. Quemadmodum teſtatur etiam Diogenes Laertius in vita Pythagoræ. Et aſtipulatur Theocritus in Hyla.

> Οἱ μίαν ἀμφότεροι αἰεὶ δαίνυντο τράπεζαν.
> Id eſt:
> —— Qui ad menſam ſemper eandem
> Cœnabant ambo fidi nimirum ut amici.

Loquens de Hercule ac Telamone. Tum Euripidis Hecuba, Polymneſtoris exaggerans facinus, hoſpitalis etiam menſæ facit mẽtionem.

> Κοινῆς τραπέζης πολλάκις τυχὼν ἐμοί.
> Id eſt:
> Menſa receptus ſæpe communi mihi.

Quin & Eſdræ lib. 1. cap. 4. ita legimus: Nos ergo memores ſalis quod in palatio comedimus, quia læſiones regis videre nephas ducimus, &c. Inde eſt, quod (ut docet apud eundem Laertium Alexander in commentariis Pythagoricis) Pythagoras vetabat frangi panem, videlicet ne diſſecaretur, quod amicos copularet. Idem cenſuit ſalem potiſſimum in menſa apponendum, quod æquitatis ac juſtitiæ nos admoneat, ut quod & ſervet, tueaturque quicquid occuparit, & ex liquidiſſimis rebus aqua marique fiat. Origenes adverſus Celſum libr. ... Parium quempiam jambographum adducit, qui Lycomantem inſectatus ſit, quod ſalem ac menſam eſſet prætergreſſus. Idque detorquet ad Judam Chriſti proditorem. Idem in Matthæum ſic loquitur de Juda: Neque ſalis ejuſdem, neque menſæ, neque panis communicati memor eſt factus. Atq; haud ſcio an Chriſtus ipſe religionis noſtræ princeps huc alluſerit, ut illi conſilium fuiſſe videtur in rebus multo vulgatiſſimis altiſſima myſteria ſua recondere, præſcius fore ut hoc ſymbolum à Judæis irriſum gentes amplecterentur. Certe apud Macedones patrio ritu fœdus, quod ſanctiſſimum vellent haberi, ſic inibant, ut panem gladio divisum uterque libaret. Autor Q. Curtius lib. 8.

Ollæ amicitia.

Χύτρας φιλία: Ollæ amicitia. In amicos iſtos vulgares quadrabit, quos patina, non benevolentia conciliat. De cujuſmodi Juvenalis:

> Te putat ille ſuæ captum nidore culinæ:
> Nec male conjectat.

Hos arcanæ literæ, menſæ amicos nominant. Plutarchus item in libello cui titulus, Quo pacto dignoſcas adulatorem ab amico, id genus homines, ἀπολειχόντες καὶ τραπεζῆες, vulgo dici ſolitos narrat: quod ventriculi cibique cauſa diligant, non ex animo: quique tum præſto ſunt, quoties audiunt, κατὰ χειρὸς ὕδωρ. Nam Ariſtophanes grammaticus apud Athenæum libro nono, tradit lotionem manuũ, quæ præcedebat cœnam vocari, τὸ κατὰ χειρός: à cœna ἀπόνιμμα. In eoſdem, ni fallor, dictum eſt illud à Menandro comico, citante Athenæo:

> Οἱ δ' ἐπὶ χειρῶν λαβόντες περιμένουσι φίλτατοι.
> Id eſt:
> Manibus ut data eſt aqua, hærent tunc amici maxime.

Effertur ad hunc modum parœmia, ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία. id eſt: fervet olla, vivit amicitia.

Nudæ Gratiæ.

Αἱ χάριτες γυμναί. id eſt, Gratiæ nudæ. Admonet adagium, ut candide ac benigne res impertiamus amicis: aut ne quid inter amicos fictum, aut fucatum, verum nuda ſimpliciaque omnia. Nam poetæ tres fingunt Charitas, id eſt, Gratias, humanitatis & benevolentiæ præſides. Horatius in Odis:

> Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet
> Ducere nuda choros.

Idem alibi:

> Et ſolutis Gratiæ Zonis.

Sunt qui parœmiam ad ingratos referant, quod ab iis gratiæ velud deſpolientur, dum ſemper auferunt beneficiis quippiam, nihil rependunt. Itaq; conveniet in illos, qui ſua benignitate rediguntur ad inopiam, largientes amicis quicquid nacti fuerint.

Viri infortunati procul amici.

> Ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος, ἐκποδὼν φίλοι.
> id eſt:
> Viri ſiti in malis, amici ſunt procul.

Parœmia notat mores amicorum vulgarium, qui hirundinum ritu, pro ratione temporum advolant ac devolant, advolant ubi res ſecundæ, devolant ingruente rerum tempeſtate. Ariſtides in oratione Panathenaica nominatim adagii titulo uſurpavit: καὶ τὴν παροιμίαν ἐνήλλαξεν· οὐ γὰρ ἐκποδὼν εἶναι τοὺς φίλους κακῶς πράσσοντος, ἀλλὰ πολλοὺς καὶ τῶν πρόσθεν διαφόρων ἐν ταῖς ἀτυχίαις φίλους πεποίηται, id eſt: Ac proverbium invertit. Declaravit enim haudquaquam eſſe procul amicos, ejus cui res ſunt adverſæ, verum etiam multos qui ante diſſidebant, in rebus afflictis ſibi reddidit amicos. In hanc ſententiam extat & hujuſmodi ſenarius.

> Τῶν δυστυχούντων εὐτυχὴς οὐδεὶς φίλος.
> Id eſt:
> Felix amicus nullus infelicibus.

Item alter huic ſimilis:

> Κρίνει φίλους ὁ καιρός, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.
> Id eſt:
> Ut ignis aurum, amicum ita tempus arguit.

Ad hanc ſententiam palam alluſit Cicero libro Familiarium epiſtolarum 9. Nam etſi non facile dijudicatur amor verus & fictus; niſi aliquod incidat ejuſmodi tempus, ut quaſi aurum igne, ſic benevolentia fidelis, periculo aliquo perſpici poſſit. Cætera ſunt ſigna communia. Horatius:

> Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.

Paſſim habentur amici, qui petant: qui dent, perpauci, Pindarus item in eandem ſententiam:

> Οἴχεται τιμὰ φίλων τητωμένῳ
> Φωτί· παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν,
> Id eſt:
> Perit honos homini, amicis orbato:
> Sunt autem pauci mortales fidi rebus afflictis.

Plures adorant ſolem orientem, quam occidentem.

Πλείονες προσκυνοῦσι τὸν ἀνατέλλοντα ἢ δυόμενον: id eſt, Plures adorant ſolem orientem quam occidentem. Juveni magis adhæretur quam ſeni. Plutarchus ſcribit, Pompeium hoc adagio minatum Cinnæ. Senſit autem Pompeius, ſe ſolem eſſe orientem, nimirum juvenem indies magis fama creſcentem: illum occidentem, utpote affecta jam ætate, & cujus dignitas gloriaque jam conſeneſceret. Cæterum quod Pompeius erat Cinnæ, hoc Cajus Cæſar poſt fuit Pompeio. Simile quiddam Athenæus libro 3. ex poeta quopiam: οὐκ ἀείδω τὰ παλαιά· καινὰ γὰρ ἅμα κρείσσονα· νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει. id eſt: Non cano vetera: nova ſi quæ

quæ ſunt, eadem & meliora ſunt. Jupiter qui juvenis eſt, regnat. Moſes erat antiquis adorare ſolem, quem deum exiſtimant, & à Perſis præcipue colebatur, nomine Mithræ. Idem apud Ægyptios Oſiridis, apud Græcos Apollinis, apud alios aliis atque aliis nominibus. Hunc orientem ſalutabant religionis cauſa. Quem morem tradit Socrati fuiſſe Plato. Ferunt & ab elephantis adorari ſolem in exortu. Salutabatur & occidens ſed à paucioribus. Habet & cujuſque hominis ætas ſuam veſperam: quæ ſimul atque advenit juventæ gratia vertitur in tædium. Ita ſenex quidam apud Alexidem,

Ἤδη δ' ὁ βίος ἐμὸς ἐπὶ ἑσπέραν ἄγει.

Id eſt:

Mea quippe feram vita ducit veſperam.

Sub occaſum autem ſolis incumbunt umbræ. unde Euripides:

Τί δ' ἄλλο; φωνὴ καὶ σκιὰ γέρων ἀνήρ;

Id eſt:

Quid aliud atque vox & umbra vir ſenex?

Sapientes tyranni, ſapientum congreſſu.

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.

Id eſt:

Commercio ſapientium princeps ſapit.

Zenodotus citat ex Ajace Locrenſi, addens eundem verſiculum à Platone citatũ eſſe Euripidis nomine. Certe hujus nomine comperi adductum libro de Rep. 8.

Σοφοὶ τύραννοι τῇ σοφῶν συνουσίᾳ.

Quo magis admiror, quare A. Gellius citet ex Theæteto Platonis: niſi forte ſcribarum vitio, pro Theago, depravatum eſt Theæteto. nam & in Theage refertur. A. Gellius lib. 13. oſtendit eundem apud utrumque fuiſſe, apud Sophoclem, in ejuſdem nominis fabula, & apud Euripidem, quemadmodum & alii nonnulli verſus apud Euripidem inveniuntur, quos eoſdem apud Sophoclem & Æſchylum licet invenire. Porro verſiculum quem modo citavimus, Gellius notæ vetuſtatis eſſe dicit: ut intelligas velut in proverbium abiiſſe. Atque utinam quam eſt graviter ſimul & eleganter ſcriptus, tam placeret ætatis noſtræ principibus, in quos illud fere dixeris:

Μωροὶ τύραννοι τῶν κολάκων συνουσίᾳ.

Amicitias immortales eſſe oportet.

T. Livius libr. 10. De bello Macedonico & Aſiatico, cujus fragmentum debemus aureæ Mogontiæ, ſcribit in hunc modum: Vulgatum illud quia verum erat, in proverbium venit: amicitias immortales eſſe debere. Sic enim legendũ eſſe, vel ipſe ſermonis tenor admonet. Recte quidem admonet proverbium: verum eo redire mores mortalium, ut ſimultates ſint immortales, amicitiæ plus quam vitreæ: pluſque poſſit una Ate, quam centum Litæ: atque omnium tardiſſime ſeneſcat ira, benevolentia ob quamvis levem occaſionem intereat: quæ ſi ſarciatur, nequicquam coit & reſcinditur. Arbitror in cauſa eſſe, quod ab iſtis philoſophis didicimus, commodo publico neglecto, ſuis quiſq; privatis commodis ſervire. In hanc ſententiam citat carmen Ariſtoteles Rhetoricorum lib. 2. quod alibi, ni fallor, retulimus:

Οὐδεὶς ἐραστὴς ὅστις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

Id eſt:

Non eſt amicus quiſquis amare deſiit.

Citat ibidem & alterum carmen:

Ἀθάνατον ὀργὴν μὴ φύλαττε θνητὸς ὤν.

id eſt:

Ne maneat Immortalis ira te penes,
Mortalis ipſe quum ſies.

IV NII. *Tota vita.*

Ὅλος βίος, Tota vita, de re ſuavi & neceſſaria proverbialiter dicitur. Plato libr. 5. De rep. τοιούτους λόγους ἀκούειν ὅλος ὁ βίος τοῖς νοῦν ἔχουσι. id eſt: Tales audire rationes ſapienti tota vita eſt. Conſonat cum hoc vulgare noſtratis linguæ diverbium, quo dicimus, Totam vitam nobis eſſe, de re quæ nobis impendio adlubeſcit. Philoſtratus in vitis Sophiſtarum de Scopeliani patre loquens, qui coquum ſuum heredem ſcripſerat: κλήρονόμον ἔγραψε τὸν μάγειρον ... ὀφθαλμοὺς καὶ ψυχὴν πάντα. id eſt: Hæres ſcribitur, nuncupatus & filii nomine, & ocellus, & vita deniq; tota. Huc ſpectat ſenarius jambicus, quem apud Euripidem Andromacha loquitur:

Ἅπασι δ' ἀνθρώποισιν ἡ ψυχὴ τέκνα.

Id eſt:

Mortalibus cunctis ſunt vita liberi.

quem genetalius maluiſſet Apollonius de cunctis animantibus proferri ita:

Ἅπασι τοῖς ζώοισιν ἡ ψυχὴ τέκνα.

Id eſt:

Animantibus cunctis fœtus ſui vita ſunt.

Tantali philoteſia.

Ταντάλου φιλοτησία, Tantali philoteſia dicebatur poculum amicitiæ, benevolentiæque auſpex, ſed paulo grandius, quo plerumque à cœna & ſub ſomnum ſe invitabant. Ferunt apud Indos morem fuiſſe, ut majoribus poculis præbiberent cubitum ituri, pronis in phialas capitibus ad conciliandam amicitiam: ejuſque poculi initiatorem Tantalum faciebant. is namque, Philoſtrato teſte, φιλικώτατος ὢν ἀνθρώπων, incredibili inter homines benevolẽtia liberalitateque præcelluiſſe creditur: Itaque quum amicitiam cum quopiam conflare, aut injuriæ ſuſpicionem oblitterare volentes, poculo ejus auſpicium ſancimus, dicemus; τοῦτο ἡ φιλοτησία πινέσθω. Qui mos etiamnum in tota ferme Germania durat, ut hoſpiti finita jam cœna, ingens phiala meracioris generoſiorisque vini plena, apponatur. Carpit tamen D. Clemens lib. 2. Pædag. iſtos, qui ceu in dolium ingerunt affatim vinum Philoteſiæ nomine, ὥσπερ τὰς ἀμφορέας ἐξαντλίζοντες ἀλλήλοις τὴν ἄκρατον φιλοτησίαν ἐνέχειν.

Sanguis & anima.

Αἷμα καὶ ψυχή, Sanguis & anima, proverbii ſpecie de re impenſe nobis grata & adamata efferτur; tranſlatum ab amantium thoris, quibus id in ore frequens eſt. Antiphanes comicus.

Τ' ἀργύριον ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Id eſt;

Argentum & anima & ſanguis eſt mortalibus.

Citatur à Stobæo. Sanguis quia vehiculum & ſedes eſt animæ, pro vita accipitur, quia nihil poteſt eſſe nobis dulcius.

Plus oculis ſuis.

Quod quis unice charum habet, id plus oculis ſuis amare dicitur. Catullus in luctu paſſeris;

Quem plus illa oculis ſuis amabat.
& iterum ad Calvum;
Ni te plus oculis meis amarem
Jucundiſſime Calve,
& rurſus alio loco;
Ambobus mihi quæ charior eſt oculis.

Æſchylus in fabula, cui nomen, Septem ad Thebas;

Ὄμνυσι δ' αἰχμὴν ἣν ἔχει μᾶλλον θεοῦ
Σέβειν πεποιθώς, ὀμμάτων θ' ὑπέρτερον.

Adjurat haſtam, quam Deo reverentius
Colit ferox, & longe plus oculis ſuis.

Moſes in cantico ſuo, quod Deuteron. 2. extat; διεφύλαξεν αὐτὸν ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ. id eſt; Cuſtodivit eum juſtar pupillæ oculi. Nihil autem charius nobis eſt ipſo oculorum ſenſu. hinc in exprimenda amoris vi oculorum mentio frequens apud authores. Sic oculiſſimum hominem dixit Plautus, pro chariſſimo; & oculitus amare, in Cornicularia, pro unice amare;

Qui amant ancillam meam Hedylium oculitus.

Ita enim lectio emendanda venit apud Nonium Marcellum. Alioqui etiam pro ornamento oculus accipitur. Sic Julianus Damaſcum urbem τῆς ἑῴας ἁπάσης ὀφθαλμόν, totius Orientis oculum dixit; quemadmodum Cicero in Pompeiana, Corinthum totius Græciæ lumen & Æſchyli illud de Oreſte in Agamemnone tragœdia, quod chorus loquitur, ita accipi debet:

Τόνδ' ἔμπας αἰνέσωμεν
Ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν.

Id eſt;

Id pariter ratum decernimus,
Ne ſtirpitus oculus familiæ intereidat.

Idem in Perſis Alpiſtum quendam ὀφθαλμὸν πιστὸν Ξέρξου vocat velut oculum Xerxis, & Nazianzenus Nemeſium vocat ὄμμα δίκης καὶ μύθων, velut juris & eloquentiæ præcipuum ornamentum. & Philo lib. De mundi fabricatione, a naturæ curioſis indagatoribus pupillam oculi oculum velut ornamentum ſingulare vocari ſcribit, ὀφθαλμοῦ ὀφθαλμὸν λέγουσιν οἶμαι τὴν κόρην. Annotat & Joan. Zezes ὀφθαλμοὺς id eſt, oculos regum ab antiquis vocari viros ſpectabiles & ſenatus principes. Pindaricus Adraſtus quærens Amphiaraum extinctum: ποθέω, inquit, τὸν Οἰκλείδην τὸν ὀφθαλμὸν τᾶς στρατιᾶς. id eſt: Deſidero Oicliden vatem exercitus oculum.

Amicus cum vitiis ferendus.

Convenit cum eo, quod eſt apud Eraſm. Mores amici noveris, non oderis: non enim, inquit Chryſoſtomus, fratres tantum ſumus, ſed & membra & corpus unum. Vide Satyr. 3. Horatii, 1. Sermon.

Amare fruſtra, odio ne ſis fruſtra.

Innuit, apud omnes homines quærendam eſſe gratiam & amicitiam, quouſque ſine noſtro fieri poſſit damno: ſed nullum temere ſuſcipiendum eſſe odium, ſi non aliqua inde ad nos profectura ſit utilitas. Chryſoſtomus hoc dictum minime in Chriſtianis probat, qui libere alter alterum admonere debent, neq; odii cauſa tacere. Vult autem tum memores ejus dicti nos eſſe, quando lingua noſtra videtur provolatura in convitia & maledicta.

Amicus Plato, magis amica veritas.

Φίλος μὲν Πλάτων, ἀλλὰ μᾶλλον ἡ ἀλήθεια, Iſtud ſeu proverbium, ſeu apophthegma, innuit nullum hominem tam charum nobis eſſe debere, ut in illius gratiam veritas ullo ſupprimatur modo. Galenus.

Charitate ſeptum eſſe oportet.

A nequitia, rapina, & ſceleribus virum bonum abeſſe oportet: charitate autem (ut inquit Salvianus) & benevolentia, non armis ſeptum eſſe.

COGNATI. *Non odi: Odi & amo.*

Quum, Non odi, dicitur, gravius quiddam intelligit auditor, quam

quam verbis expreſſum ſit. Agnoſcunt, qui literas didicerunt, figuram vulgo tritam, quando, non vulgarem amicum dicentes, præcipuum & rarum ſignificant &, non triviali doctrina, pro ſumma atque exactiſſima. Non odi, hoc eſt, vehementer & amo, Itidem & Paulus, Non erubeſco, id eſt, imo glorior & jacto me de Evangelio Chriſti: quemadmodum alibi ſine figura dixit: Mihi (inquiens) abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti. Item cum ſignificamus nos odiſſe mores & vitia hominum, aut ipſum & ejus ingenium ac eruditionem amare, denique formam alicujus mulieris & venuſtatem. Odi & amo dicimus. Catullus in Lesbiam:

Odi, & amo: quare id faciam, fortaſſe requiris?

Marullus ad Catulli imitationem:

Odi te, mihi crede, quantacunque es:
Odi confiteor, Camilla: ſed quam
Neſcio: ſed fieri ſentio, & excrucior.
Et odi, & magis indies magiſque
Velim odiſſe, ſequi atque amare cogor, &c.

Plutarchus in Alcibiade. Populi Athenienſis qui fuerit de Alcibiade ſenſus, haud male verbis expoſuit Ariſtophanes:

Deſiderat hunc, & odit: habere vult tamen.

Fac nidum unum una in arbore.

Habetur in eidyllio 35. & frequens hodie in populi ore verſatur; quum ſit ſermo de non temere mutandis veteribus amicis. Amicos enim ſubinde novos amplecti, veteribus neglectis, turpe eſt. Inconſtantia in amore nihil crebrius, neque vulgarius eſt in communi vita, πολυφιλία, id eſt, ſubinde mutare amicos, veteres faſtidire, & novos amplecti. Id olim perinde probroſum atque infame habebatur, ut ſi qua mulier ſubinde alios atque alios viros admitteret. Eum igitur qui bene audire apud homines honeſtos vult, non levem neque inconſtantem in colendis amicitiis eſſe oportet.

Idem velle, atque nolle ea demum firma eſt amicitia.

Hanc Saluſtii ſententiam non ſolum in authorum libris proverbii vice uſurpatam deprehendimus, verumetiam in conviviis & colloquiis celebratam obſervavimus. Cicero lib. 1. Offic. Nihil amabilius, nec copulatius, quam morum ſimilitudo bonorum. In quibus enim eadem ſtudia ſunt, eædem voluntates, in his fit, ut æque quiſque altero delectetur, ac ſeipſo: efficiturque id quod Pythagoras ultimum in amicitia putavit, ut unus æque fiat ex pluribus. Hæ autem neceſſitudines, ſunt communes eorum utrique quibus uterque cum altero æque devincitur. Ideo in lib. de Amicitia, Lælius: Recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beate vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim, quo cum mihi conjuncta cura de republica & de privata fuit, quo cum domus fuit & militia communis, & in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum ſumma conſenſio. Idem pro Plancio: Vetus enim lex eſt, inquit, illa juſtæ veræque amicitiæ, ut idem amici ſemper velint: neque eſt ullum certius amicitiæ vinculum, quam conſenſus & ſocietatis conſiliorum & voluntatum.

Pulchrum amicum.

Ficinus in Timæum cap. 40. Et videtur, ut vetus habet proverbium, pulchrum ipſum amicum eſſe.

AMOR.

Caunius amor.

Καύνιος ἔρως: id eſt, Caunius amor. De fœdo amore dicebatur: aut ubi quis ea deſideraret, quæ neque fas eſſet concupiſcere, neque liceret aſſequi. Biblis Caunum fratrem impotenter adamavit: à quo cum eſſet repulſa, ſibimet necem conſcivit. Ovidius:

Biblis in exemplo eſt, ut ament conceſſa puellæ.

Adagium refertur à Diogeniano, præterea ab Euſtathio in Dionyſium.

Liberorum amantior quam Gello.

Γελλοῦς παιδοφιλωτέρα: id eſt, Puerorum amans Gello, Dici ſolitum vel in eos, qui morte præmatura periſſent: vel in eos, qui mira quidem charitate filios proſequerentur, ſed eoſdem indulgentia deliciiſque corrumperent. Ajunt Gello virginem quampiam fuiſſe, quæ puella adhuc vita deceſſerit. Hujus ſpectrum oberrare Lesbii creditum eſt, ac pueros impetere. Unde puerorum mortem, qui præmaturo fato perirent, huic Gello imputabant. Citatur Sappho, quæ hujus fabulæ meminerit.

Injuria ſolvit amorem.

In Græcorum Epigrammatibus proverbii titulo citatur, ὕβρις ἔρωτας ἔλυσεν: id eſt, Injuria ſive contumelia ſolvit amores: quod contemptus amor plerumque vertitur in iram, ira in odium. Sic in comœdia Phædria: Excluſit, revocat, redeam? Non ſi me obſecret. Item Horatius:

Nam ſi quid in Flacco viri eſt,
Non feret aſſiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.
Nec ſemel offenſæ cedet conſtantia formæ,
Si certus intrarit dolor.

In epigrammate queritur amans, hoc dictum falſo jactari vulgo, quod ipſe ab amica excluſus non ſine convicio, quum juraſſet ſe toto anno non rediturum ad illam, poſtridie diluculo ſupplex ad eam redierit. Carmen ſic habet:

Ὕβρις ἔρωτας ἔλυσε· μάτην ὅδε μῦθος ἀλᾶται,
Ὕβρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην.

Falſum eſt quod jactant, injuria ſolvit amores,
Morbum quippe meum provocat illa magis.

In genere tamen verum eſt, officiis mutuis alii benevolentiam, injuriis extingui.

Amantium iræ.

Τῶν φιλούντων: id eſt, Amantium iræ. Ubi qui non ex animo indignantur invicem, aut de iracundia neutiquam duratura. Terentius in Andria: Amantium iræ, amoris redintegratio eſt: Et juxta Græcam ſententiam:

Ὀργὴ φιλούντων μικρὸν ἰσχύει χρόνον

Id eſt:

Puſillo amantum durat ira tempore.

Atque hujuſmodi diſſidiola quæ nonnunquam incidunt inter amicos, modo abſit amaritudo, quaſi revocant amicitiam excuſſo diuturno conſuetudinis tædio: Quod eleganter indicat & Mimus ille, ni fallor, Publianus:

Diſcordia fit charior concordia.

Manſum ex ore dare.

Quos temere amamus, his manſum ex ore dare dicimur: quod à matribus ac nutricibus mutuo ſumptum eſt. Lucilius, citante Nonio:

Sperans ſi ætatem eandem proferre poteſſet,
Manſum ex ore daturum.

Quanquam M. Tullius & A. Gellius paulo diverſius uſurparunt præmandere, quemadmodum ante monuimus.

Medullitus, Oculitus.

Intimum affectum veteres variis modis exprimebant, Ex corde, Ex animo, Toto pectore, de quo diximus: Penitus, Ex intimis præcordiis, Medullitus, Animitus: Oculitus. Plautus apud Nonium in Cornicibus: Qui ancillam meam ſedulium oculitus. Amantium enim eſt, oculum appellare, quod unice charum eſt. In Muſtellaria: Fuge oculus meus. Rurſus: Volo placere meo Philolacheti, meo oculo, meo patrono.

Ut lupus in ovem.

Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ: id eſt: Ut lupus ovem amat, qui ſui commodi gratia ſimulat amorem. Nam is vulgo dicitur amor, quum revera ſit odium. Juvenis enim cum puellam venatur, ut illi pudicitiam, theſaurum incomparabilem eripiat, ut pro honeſta fama turpi rumore traducat, ut parentibus, amicis ac bonis omnibus inviſam reddat: denique ut quod eſt omnium chariſſimum, bonam mentem eripiat, quæſo quid deterius hoſtis faciat hoſti. Socrates citat carmen in Phædro, veluti populari uſu jactatum:

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ' ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.

Id eſt:

Ut lupi oves, ita amat puerum veſanus amator.

Maro:

Torva leæna lupum ſequitur; lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella:

Et Horatius:

Non ego te, tigris ut aſpera,
Getuluſve leo frangere perſequor.

Ut Phrygius amavit Pieriam.

Plutarchus in lib. περὶ γυναικῶν ἀρετῶν, oſtendit ad ſuam uſque ætatem duraſſe conſuetudinem, ut uxores optarent ſic amari a viris, ὡς Φρύγιος ἠράσθη Πιερίας: id eſt, quemadmodum Phrygius amavit Pieriam. Id ortum eſt ab hujuſmodi hiſtoria. Jonum, qui in Miletum commigrarant, nonnulli ſeditione mota adverſus Nelei filios. ſeceſſerunt Myuntem, atque ibi ſedem conſtituerunt, multis injuriis affecti à Mileſiis, qui cum illis bellum agitabant ob defectionem, verum nec atrociter, nec excluſo omni commercio, ſed nonnullis diebus feſtis mulieres è Myunte Miletum itabant. Erat autem ex his qui receſſerant, vir quidam nomine Pythes, cujus uxor dicta eſt Hippygia, filia Pieria. Cum autem Mileti die feſto ſacrificaretur Dianæ, quam illi Neleidam cognominant, miſit eo uxorem & filiam, id precatus, ut ſibi feſto liceret intereſſe. Ex Nelei vero filiis longe potentiſſimus erat Phrygius. Is captus amore Pieriæ, cogitabat qua re poſſet puellæ quam maxime gratum facere. Cumque illa dixiſſet, nihil accidere poſſe gratius, quam ſi efficeret ſibi liberum frequenter Miletum commeare, multis virginibus comitatam: ex his verbis Phrygius intelligens, ab illa quæri pacem & amicitiam civibus ſuis, bellum compoſuit. Hinc Pieriæ nomen & apud Mileſios & apud Myuntios mire gratioſum eſſe cœpit: adeo ut puellæ quæ viris nuberent ominis cauſa precari ſoleant: Utinam ſic amet à viro, ut Pieriam amavit Phrygius.

Adamantis tenere.

In eum qui tenere diligit quempiam, vel adamat magis, ita ut

non patiatur vel leviſſimis incommodis à quoquam affici, non inſcite torſeris illud ex eodem libro:

—Ὡς ὅτε μήτηρ
Παιδὸς, ἐέργῃ μυῖαν ὅτ' ἡδεῖ λέξεται ὕπνῳ.

Id eſt:

—Non ſecus atque genitrix
Muſcam arcet puero ſomno officioſa cubanti.

Dictum de Pallade, curante vulnus Menelai.

Ceſtum habent Veneris.

Τὸν κεστὸν ἱμάντα habere dicuntur, qui novis modis quemlibet in amorem ſui pelliciunt. Sumptum eſt autem ex Homericæ Iliados ξ. quo loco Iuno concubitura cum ſuo Jove, Venerem adit, atque ab ea cingulum gratiarum & amorum conciliatorem commodato petit. Hunc poeta deſcribit ad hunc modum:

Ἦ, καὶ ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα,
Ποικίλον· ἔνθα δ' οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο.
Ἔνθ' ἔνι μὲν φιλότης, ἐν δ' ἵμερος, ἐν δ' ὀαριστὺς,
Πάρφασις ἥτ' ἔκλεψε νόον πύκα περ φρονεόντων.
Τόν ῥά οἱ ἔμβαλε χερσὶν, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζε.
Τῆ νῦν τοῦτον ἱμάντα, τεῷ δ' ἐγκάτθεο κόλπῳ,
Ποικίλον ᾧ ἔνι πάντα τετεύχαται, οὐδέ σε φημὶ
Ἄπρακτόν γε νέεσθαι, ὅ τι φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς.

Id eſt:

Sic ait, & ſoluit de pectore texile lorum
Picturatum: in quo lenimina cuncta ferebat.
Huic inerat deſiderium, huic amor, huic muliebris
Blandiloquentia, quæ quidem & egregie ſapientem
Furtivis adjuta dolis fallitque capitque.
Quod manibus ſimul impoſuit, ſic ore locuta:
Hanc cape nunc, ſinuique tuo ſuccingito zonam
Contextam varie, per quam quæcunque parabis,
Polliceor, nil tu fruſtra tentaveris unquam.

Meminit hujus & Theocritus in Adonidis epitaphio:

Σοὶ δ' ἅμα κεστὸς ὄλωλε.-----

Id eſt:

Tecum una & ceſtus periit.

Eſt igitur ceſtus Veneris, Cingulus efficax ad illectamenta gratiarum & amorum, quo illa dicitur Martem ſibi conciliare. Meminit hujus & Martialis:

Collo necte puer meros amores,
Ceſtum de Veneris ſinu calentem.

Idem alibi:

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceſton:
Uſſit amatorem baltheus iſte Iovem.

Rurſum alibi:

A te Iuno petat ceſton & ipſa Venus.

Duplex erit hujus uſus adagii: ſive cum dicemus cuipiam ceſtum eſſe Veneris, quod neminem non inflammet amore ſui: ſive cum dicemus jam opus eſſe Veneris in ceſto, aut ne illum quidem profuturum ei, cui per ætatem vires ac forma defluxerit, quiſque jam ἄζωρος eſſe factus videatur. Nam florens ætas ſuapte ſponte ſuſcitat amores, ſenectus aut muneribus aut pharmacis ſibi conciliet oportet: quanquam nec his rationibus efficere poteſt ut ametur.

Ex aſpectu naſcitur amor.

Ἐκ τοῦ ὁρᾶν γὰρ γίνεται ἀνθρώποις ἐρᾶν.

Id eſt:

Amor ex videndo naſcitur mortalibus.

Senarius proverbialis, admonens, oculos amorem potiſſimum conciliare. Non enim amatur incognitum. ex convictu naſcitur amor mutuus. Et oculi præcipue ſunt ad amandum illices. In his enim peculiari animi ſedes. Et in his ajunt poetæ. Cupidinem excubantem ſua jacula mittere. Maro velut indicavit adagium, cum ait:

Vt vidi, ut perii, ut me malus abſtulit error.

Rurſum in Georgicis:

—Vritque videndo
Fœmina —

Item apud Terent. Chærea viſa duntaxat virgine, quam impotenter cœpit ardere. Juvenalis prodigii loco refert de cœco amante:

Qui nunquam viſæ flagrabat amore puellæ.

Legimus philoſophos quoſdam, & inter hos Democritum, ſibimet oculos ademiſſe, tanquam omnium malarum cupiditatum autores: Quapropter piorum hominum eſt, meminiſſe, haudquaquam eſſe tutum videre, quod non licet concupiſcere. Proverbii meminit Diogenianus.

Parvus ſemper tuus pullus.

Μικρὸς ἀεὶ ὁ σὸς πῶλος: id eſt, Parvus ſemper tuus pullus. ubi quis ob ſtaturæ brevitatem diu puer videri cupit. Conveniet & in hos, qui tametſi natu grandiores, tamen verborum deliciis affectant videri juvenculi: aut cum ob amorem caſcus caſcam puppam vocat & ipſe viciſſim puppus audit: quod alias indicavimus. Ariſtophanis Interpres admonet, apud Græcos quod cuique vehementer charum eſſet, id pullum illius appellari ſolere. Blandimur autem verbis diminutivis: eoque in Equitibus quidam populo blandiens, appellabat illum δημίδιον, id eſt, popellum: eoque mox audit, ὡς ἀπὸ μικρῶν εὔνους αὐτῷ θωπευματίων γεγένησαι: i. e. Vt è puſillis blandiciolis benevolus illi factus es. Parva vocat blanda: atque is viciſſim audit, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸν πολὺ μικροτέροις τούτων δελεάσμασιν εἷλες: quod ipſe multo abjectius adulatus eſſet populo.

Aureæ compedes.

Χρυσαῖ πέδαι, id eſt, Aureæ compedes Proverbiali metaphora dicitur ſervitus ſplendida & amabilis, qualis eſt fere aulicorum vita. Diogenes in epiſtola quadam ſcriptum reliquit, Ariſtippum in aula regis aureis teneri compedibus, ne poſſet avolare. Seneca in dialogo quodam affectus & rationis: Stulti eſt, inquit, compedes ſuas, quamvis aureas amare. Loquitur de uxore formoſa. Horatius item de amica formoſa.

— Tenetque grata
Compede vinctum.

E Creta raptus.

Plutarchus in commentario De puerorum educatione: καὶ τοὺς μὲν Θηβαίων καὶ τοὺς Ἠλείων φευκτέον ἔρωτας, καὶ τὸν ἐκ Κρήτης καλούμενον ἁρπαγμόν. τοὺς δὲ Ἀθήνησι καὶ τοὺς Λακεδαίμονι ζηλωτέον. id eſt: Thebanorum quidem ac Helienſium amores oportet fugere, cumque qui vocatur è Creta raptum: Athenienſium vero & Lacedæmoniorum, imitari. Apparet furtivum amorem his verbis olim ſignificatum fuiſſe, quod aliquoties illinc virgines à negociatoribus advehercntur.

Capite geſtare.

Quos tenere amamus, capite geſtare dicimur. Plato de repub. 10. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ σοφίᾳ οὕτω σφόδρα φιλοῦνται ὥστε μόνον οὐκ ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς περιφέρουσιν αὐτοὺς οἱ ἑταῖροι, id eſt. Et hujus ſapientiæ gratia tam vehementer amantur, ut amici tantum non eos in capitibus circumferant. Translatum apparet à matribus ac nutricibus, quæ infantulos cunis impoſitos, capite portant. Simili figura Cicero dixit. Oculis ferre, pro vehementer amare; & In ſinu ferimus, quos ſingulari affectu proſequimur.

Qui non zelat.

D. Auguſtinus adverſus Adimantem cap 13. indicat vulgo jactatum: Qui non zelat, non amat. Quod ſane & hodie fertur, quum negant illic eſſe amorem, ubi non eſt zelotypia. Verum eſt, ex amoris vehementia naſci zelotypiam: ſed eadem interdum naſcitur ex inopia mentis. Deus in ſacris literis Zelotes dictus eſt, quod ſolus amari velit, nec patiatur quicquam amari præter ipſum, niſi ametur propter ipſum.

Muſicam docet amor.

Plutarchus adducit & hoc adagium, trochaico verſu expreſſum:

Μουσικὴν ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Id eſt:

Muſicen docet amor, etſi fuerit indoctus prius.

Senſus eſt, amorem ad induſtriam excitare animum, artiumque & omnis elegantiæ magiſtrum optimum eſſe. Socrates in convivio Platonis, putat animam immerſam corpori, velut expergiſci amoris ſtimulis, & hinc primos ad honeſta impetus capere, tanquam excuſſo veterno. Unde deum hunc idem Plato παντὸς ἐπιχειρητὴν appellat, quod nihil non experiatur. Siquidem è taciturno reddit loquaculum, è verecundo ſtupidoque comem ac blandũ, è negligente diligentem. Extat in hanc ſententiam non illepida fabella Boccatii, ni fallor, de Cimone: qui tactus amore puellæ, ne poſſet ut ruſticus faſtidiri, omni literarum ac morum genere ſemet expolivit. Nam Muſicen hic ſentit literas, quas antiquitas novem Muſis dicabat. Alluſit ad proverbium Bion in Bucolicis: qui quum multis verſibus docuiſſet, Muſas ſemper eſſe comites amoris ſubjicit:

Μάρτυς ἐγὼν, ὅτι μῦθος ὅδ' ἐμπέλει πᾶσιν ἀληθής.

id eſt:

Teſtis ego dictum hoc haud unquam fallere quenquam.

Poteſt & ad verecundiorem uſum detorqueri proverbium, ſi dicas: non mediocrem eſſe gradum ad diſcendum, amaſſe præceptorem. Poteſt & ad pium, ſi dicas, charitatem eſſe virtutum omnium magiſtram: quæ niſi adſit, nihil recte feceris.

Iynge trahor.

Qui vehementi & impotenti deſiderio trahuntur ad aliquid, Iynge trahi dicuntur. Ita Pindarus in Nemeis hymno 4. ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ, id eſt: Iynge trahor animo. Interpres addit, alii Pithus hujuſmodi fabulam. Iyngem ajunt fuiſſe filiam Echus: quæ quum amatoriis venenis incitaſſet Jovem in amorem Jus, à Junone irata verſa eſt in avem, qua mulieres uti conſueverunt in amatoriis veneficiis, quemadmodum indicat Theocritus in Pharmaceutria:

Ἶυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Id eſt:

Per te Iynx meus ille domum vir quæſo trahatur.

Quidam Iyngem vertunt motacillam, quod caudam aſſidue moveat.

JUNII *Capra Cinnamomum.*

Αἲξ τὸ κιννάμωμον, id eſt, capra cinnamomum: videlicet ſequitur, autamat. Euſtathius dici teſtatur in eos, qui rem quampiam impenſe amant, & fervide depereunt. Cinnamomum ſurculus eſt Arabicus, miræ fragrantiæ, viti non diſſimilis, qui naribus admotus odoris gratia, voluptatis plena, lachrymas etiam invitis elicit, ut ex Porphyrio annotat ille in Dionyſii Afri commentariis: adamaturque vehementer ab indigenis capris. Philoſtratus.

lib. 3.

lib. 3. de vita Apollonii, originem adagii docet. quum namque o-
ſtendat, Capram documentum præbere bonitatis cinnamomi,
ita ſubjungit: Si quis capræ porrigat cinnamomi ſurculum, ea ca-
tuli inſtar admurmurat, abeuntemque ſequitur, naribus quarum
por eſt admotis: atque adeo repulſa, non aliter, quam ſi pabulum
denegatum foret, quiritatur.

COGNATI *Maritalis affectio.*

Paulus libro Pandect. 24. titulo de donat. inter vir. & uxor. cap.
31. Non enim coitus matrimonium facit, ſed Maritalis affectio.
Maritalis affectio Paulo eſt, quod Vlpiano titul. de condit. & de-
monſtrat. cap. 15. de diverſ. reg. jur. c. 30 conſenſus pudicus: Nu-
ptias non concubitus (inquit) ſed conſenſus facit. Præclare in hanc
ſententiam Plutarch. in præceptis connubialibus. Martia enim
Catonis filia minor rogata, cur à morte mariti nollet iterum nu-
bere? Quoniam, inquit, non invenio virum, qui me magis ve-
lit quam mea. Non probavit conjugium, quod non conciliaret
amor mutuus. Quæ ducitur dotis cauſa, conductum habet concu-
binum verius, quam conjugem.

Amor fit ira jucundior.

Iſtud præterquam quod uſu verum eſſe intelligitur, teſtimonio
etiam atque authoritate Plutarchi confirmatur, in commentario,
quem ἐρωτικὸν vocavit: Quemadmodum enim, inquit, cum è nu-
bibus exiit ſol, ac poſt caliginem denique ferventior eſt: ita amor
cum interceſſit ira aut ſuſpicio, pace facta, reconciliatiſque animis
jucundior eſt atque acrior. Plautus præterea ſimulatum Amphi-
trioni Jovem idem induxit loquentem: Verum iræ, ſi quæ forte
eveniunt hujuſmodi, inter eos: rurſum ſi reventum in gratiam
eſt, bis tanto amici ſunt inter ſe quam prius. Hinc Terentius in
Andria: Amantium iræ amoris integratio eſt, de qua Eraſmus in
Chiliadibus, Sed & apud Ælianum lib. 2. de varia hiſtoria, legiſ-
ſe videor quiddam ab hoc loco non nimis alienum, id eſt hujuſmo-
di. Pauſaniæ Agatho poeta, in amoribus ac deliciis fuit. Ventita-
bant autem ſæpe uterque eorum una ad Archelaum regem, qui &
Muſarum erat ſtudio deditus, & à rebus amatoriis minime alie-
nus. Hic cum illos inter ſe crebro diſſidentes videret, contemptui
eſſe amatorem amato autumabat. Quodam igitur die: Quæſo,
inquit, Agatho, quod ingenium tibi eſt, qui homini uni ex omni-
bus maxime te diligenti tam frequenter iraſceris? Ego dicam tibi
ô rex, inquit ille, non enim iſta facio, vel quod Pauſaniæ parum
cupiam, vel quod agreſti ſim effero que ingenio, quin ſi mihi vel
aliunde, vel ex eo ipſo poetices ſtudio aliqua affectuum quibus
hominum tentantur animi, cognitio eſt, eam ego demum ſum-
mam eſſe voluptatem amantibus duco, cum è diſſenſione in gra-
tiam cum iis quos amant, redeunt, exploratumque habeo, nihil
ipſis accidere poſſe jucundius. Hanc igitur voluptatem ſæpe Pau-
ſaniæ impertior, qui ei frequenter iraſcar. non modico enim gau-
dio perfunditur cum me ſibi ſtatim conciliari videt. Id gaudium
non perſentiſceret, ſi amor in eum meus uno quaſi tenore, & ſine
ulla ejuſmodi offenſione procederet. Hæc Agatho: quæ rex non
mediocriter laudaſſe perhibetur.

Caunius amor.

Caunius urbs fuit Cariæ, à quodam Cauno ſic dicta: cujus a-
more capta Biblis ſoror, cum eſſet repulſa, mortem ſibi laqueo
conſcivit. Unde in proverbium abiit. Caunios amor, de injuſte
amantibus, vel de læſis, ab iis quorum injuſto amore eſſent capti.

Iyngem habet.

Uſus apud Græcos obtinuit, ut hi jyngem habere dicantur, qui
velut præſtigiis quibuſdam homines ad ſe amandum provocant.
Iynx enim avicula eſt, Græcis & Magis decantata, oblongo collo
& lingua, crebro collum circum agitans. ea veneficæ ad excanta-
tiones utuntur, ut inquit Pindari interpres in Nemeis. Latine
torticem ſive tortillam nominare poſſumus, à torquendo collo.
Quidam putant eam eſſe, quæ alio nomine vocatur σεισοπυγίς:
Latini motacillam vocarunt, à caudæ continuo motu. Iynge ve-
ro trahi etiam proverbiali figura dicitur à Theocrito, in Pharma-
ceutr. eidyllio 2. verſu qui repetitur. Vide adagia Eraſmi noſtri,
ne quis ſua gloria fraudetur. (Nimirum proverbio, Iynge trahor,
& Iuoli, Iynges, quod eſt 92. Cent. 4.) & Ælianum lib. 6. cap. 19. &
31. lib. 9. & cap. 13. De hiſtor. animalium: ἴυγγας, inquit, ἐρωτικὰς
ἀνθρωποι, φασὶν εἶναι τινάς. id eſt: Dicunt homines, Iynges eſſe amo-
ris philtra & illecebras, & perinde ut paguri muſica è littore maris
in continentem alliciuntur ut capiantur, ſic amatores Iyngis ve-
neficiis capi & ineſcari. Ob eam cauſam Magi rerum naturalium
ſympathias, odia & illecebras, quibus cum aſtris conſentiunt &
conſpirant, Iynges quoque appellarunt: quibus videlicet admi-
randa & incredibilia naturæ, non dæmonum virtute & opera ef-
ficere poterant. De hac magia Auguſt. lib. De civit. Dei 8. cap. 10.
& lib. 18. Picus Mirand. in oratione Romæ habita.

Sanguis meus.

Itala mulieres hanc blandam eloquutionem adhuc hodie reti-
nent: partes enim quum blandiuntur, ita eos compellant, ſangue
mio. Eiuſque apud Virgilium 6. Æneidos.

Projice tela manu, ſanguis meus.——

Parco aliorum poetarum exemplis, quia hoc ſatis ſuperque eſ-
ſe putamus.

Oculis charius.

Oculorum ſenſus nobis omnium chariſſimus eſt, ut præclare
diſputat Ariſtot lib. 1. de Sapientia. Ideo oculorum in exprimen-
da vi amoris crebra fit mentio. Catullus ad Quintium.

Aut aliud, ſi quid charius eſt oculis.

Item in luctu paſſeris:

Quem plus illa oculis ſuis amabat,
Nam mellitus erat.

Idem ad Licinium Caluum:

Ni te plus oculis amarem,
Jucundiſſime Calue.

Et alibi:

Ambobus mihi quæ charior eſt oculis.

Plautus quidem, oculitus amare, pro eo quod eſt ſingulariter a-
mare. In Cornicularia comœdia quidem amiſſa, ſed à Gramma-
ticis Latinis citata, Et oculiſſimum hominem, pro clariſſimo di-
xit Sextus Pomponius ex Plauti Curculione citat, Oſtium amicæ
oculiſſimum: & interpretatur chariſſimum & gratiſſimum. In
Truculento: Herus meus, ocellus tuus ad te ferre me hæc juſſit
tibi dona. Ibidem Phroneſium Dinarcho: Jam me tuum oculum
non vocas? In Trinummo: Ibi ille cuculus, Ocelle mi, fiat &
iſthuc. Pſalm. 16. Cuſtodi me ut pupillam oculi. Hinc in oculis
ferre, eſt præcipue amare. Cicero in Aruſp. reſponſ. Ferebant (in-
quit) in oculis hominem, In Philip. 6 Jam Trebellium fert in o-
culis, valde jam diligit. Quintus Cicero in epiſtola ad Tyronem:
te fero oculis, id eſt, ita te amo, ut ſemper mihi te obverſari coram
putem: itaque te non tantum animo & mente, ſed oculis etiam
videre videor. Terent. Rex te ergo in oculis geſtare. Eſt quoque
& vulgi celebratiſſimo ſermone uſitatum proverbium, Nec oculis
quidem parcere, vel, Oculos impartiri: cum ſummam volunt ani-
morum conjunctionem, & fidem omnium maximum ſignificare.
Ad quod alluſiſſe videtur Paulus ad Galat. 4 Oculos veſtros ef-
foſſos dediſſetis mihi, ſi fieri potuiſſet. (Repete ex Junio, Plus o-
culis ſuis.)

Mellitus, Mulſus.

Græci quicquid ſuave & amabile eſt, μελίτειον vocant. Ita Lati-
ni. Catul. de paſſere:

Nam mellitus erat.

Alibi:

Mellitos oculos tuos Juventi: Et:
Surripui tibi, dum ludis, mellite Juventi.

Plautus in Pſeudolo: Natalem ſcitis mihi diem eſſe hunc, ubi ſunt
iſti, quibus vos oculi eſtis, quibus mellitæ. In Penulo: Obſecro
hercle ut mulſa loquitur. Ibidem: Meum mel, meum cor: Alibi:
Ut mulſa dicta dicis. Mulſum autem melle mixtum eſt: & aqua
mulſa Plinio. Hinc mulſa officia, Budæo dicuntur dulcia & ſua-
via, ut ſibi ſaccharati & melliti. Varro Hirtium ſenatorem, in ſe-
natuque ſcriptum eſſe optabat: quem ordinem aſſequebantur æ-
diles & prætores, aliique magiſtratus. Cum eum audiſſet prætorem
renunciatum Plautius, Varroni dixit: Mulſa tibi affero, affero tibi
optabilem nuntium: tam tibi ſatisfaciam, quam qui bugoniam
(id eſt, apiarium) aut qui de apibus ſcripſit. Mel erat antiquis in
deliciis: unde mihi eſt mellinæ. Sed & apum jucunda & dulcis ob
mellificium eis memoria erat. Plautus: Egone apicularum ope-
ra congeſtum non feram? Quamvis autem Bugonia verbum Græ-
cum ſit, tamen id in Latina poſuit oratione Plautus. Cicero in e-
piſt. Cælii: Scitum Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas, &c.
Hinc illud de Senectute Ciceronis, de Neſtore ex Homero: Ex
ejus lingua melle dulcior fluebat oratio, μέλιτος γλυκίων αὐδή.

Deſultoria amicitia.

Budæo in lib. De aſſe, & aliis authoribus, deſultoria amicitia
dicitur nec vera, nec conſtans, ſed tempori tantum ſerviens, & ex
uſu & compendio amantis inſtituta, ob idque mutabilis, & varia
pro conditione temporum. Tranſlatum eſt à deſultoribus equiti-
bus, quos Græci ἀμφίππους appellant. De quibus Livius lib. 3. de
ſecundo bello Punico: Nec omnes Numidæ in dextro locati cor-
nu, ſed quibus deſultorum in modum binos trahentibus equos,
inter acerrimam ſæpe pugnam, in recentem equum ex feſſo tran-
ſultare mos erat Vide Cælium libr. 11. cap. 64. & Pollucem lib. 1.
Hinc deſultorium dicitur, identidem ab alio in aliud commeans,
& inſtabile.

COGNATI *Amicorum communia omnia.*

Plato in Lyſide: Amici quidem eſtis: amicorum vero commu-
nia eſſe dicuntur.

Delige quem diligas.

Ibidem: Quicunque in comparandis amicis ſapit, non prius
quenquam eorum laudat, quam ipſorum familiaritatem fuerit aſ-
ſecutus: futura namque formidat, plerique enim cum laudari ſe,
& extolli ſentiunt, faſtu & inſolentia tumeſcunt.

Comaſtes.

Vox eſt Eidylliorum ſcriptoribus uſurpatiſſima, qua etiam paſ-
ſim utimur, pro his qui cantu puellis blandiuntur, & earum amo-
rem captant. Introducitur à Theocrito eidyllio 3. amator quidam,
Amaryllidis puellæ amore incenſus, quem Comaſtem vocat Lu-
cianus in Amoribus: τοὺς χαμαὶ ... id eſt: Illos vero qui apud Græcos

Comaſtæ appellantur, nihil aliud quam certos ac manifeſtos amatores puto, &c.

COGNATI *Amantes amentes ſunt.*

Affectus animi, ut ægritudines fere omnes quæ calore nimio corpus accendunt, & commovent, omnes promotionis ſuæ vehementia, ſtultitiam, delirium & furorem faciunt. Et vulgo pronuntiatur, Amantes amentes eſſe.

Hinc illud:

Si ſapis amentem dicas, non lectora mantem.

Amantem autem inſanire, ipſo propemodum congruo nomine cum amente ſignificatur. Nam amare occipere, amarum eſt, ut Plautus in Ciſtellaria ait. Hinc ſervus quidam apud Terentium in Eunucho: Dii boni quid hoc morbi eſt inquit: Adeon' homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eundem eſſe.

En amour eſt folie & ſens.

Omnes qui amant ægre ſibi uxores dari ferunt.

In Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Centuria 8. cap. 6. de ceremoniis monachis & monialibus: Monachis & monialibus, inquit, promiſcuas libidines exercere, voluptati magis erat, quam in legitimo matrimonio œconomię onus ſuſtinere. Quare cum Imperator Conſtantinus Copronymus illis conjugium imperaret, adeo moleſte id tuliſſe ſcribuntur, ut paſſi ſint potius martyrium, juxta illud Terentianum: Omnes qui amant, ægre ſibi uxores dari ferunt. Sigebertus in Chronico, & Paulus Diaconus. Moniales autem Carolus magnus Nonnanes vocavit à Nunna, Germanica voce, qua fœminam ſuem caſtratam ſignificat.

COELII RHODIGINI *Amantium marſupia folio porri vinciuntur.*

Πράσου φύλλῳ τὰ τῶν ἐρώντων δέδεται βαλλάντια. Amoris laqueis irretiti nihil vere temperant ſibi ſed quicquid habent, paſſim profundunt, nihil penſi habentes.

GENTII *Non ſoli Atridæ uxores amant.*

Refert Vlpian, in cap. 1. de adult. ex Homero: apud quem ipſum reſpondit Achilles Vlyſſi, cum ab eodem rogaretur ut in caſtra, unde cauſa Briſeidis ſibi ab Agamemnone ademptæ abierat, redire vellet. Sextus Cæcilius hoc dictum venuſte tranſtulit ad eos, qui uxores quamvis injuſtas habent, ut adulterii accuſatio non minus ipſis, quam iis qui juſtas uxores habent, permittatur.

ANCEPS ET DVBIVS.

Neceſſarium malum.

Huic finitimum eſt illud, ἀναγκαῖον κακόν, id eſt, Neceſſarium malum: de iis quos neque rejicere poſſis, quod quibuſdam in rebus opus ſit eorum opera: neque commode ferre, qui viri ſint improbi. Natum videtur ex Hybreæ cujuſdam apophthegmate, de quo meminit Strabo lib. 14. Cum haberet Euthydamus tyrannicum quiddam, multis alioqui nominibus utilis civitati, ita ut cum vitiis virtutes paria facere viderentur: Hybræas orator in oratione quadam ſic de illo locutus eſt: Malum es, inquit, civitatis neceſſarium. Nam nec tecum vivere poſſumus, nec ſine te. Alexander item Severus Imperator, rationales, quos tollere decreverat, poſteaquam perpendiſſet eos citra Reip. incommodum tolli non poſſe, neceſſarium malum appellabat. Hujuſmodi fuit & P. Cornelius Ruffinus, furax quidem & impendio avarus, ſed idem egregius imperator: A quo Fabritius Luſcinus compilari maluit, quam ſub haſta venire: quemadmodum refert Gellius libr. 4. & Cicero De oratore lib. 2. Torqueri poterit & in uxores cum quibus incommode vivitur: ſed abſque his Reſp. omnino conſiſtere non poteſt. Poteſt & ad rem accommodari. Veluti ſi quis dicat, pharmacon, rem quidem moleſtam: neceſſariam tamen. Euripides in Oreſte.

Ἀτερπὲς ἀτερπὲς, ἀναγκαῖον δ' ὅμως.

id eſt:

Moleſta cum ſit res, neceſſaria tamen.

Non abhorret ab hac forma, quod Plinius ſcribit: oraculo proditum fuiſſe. lib. 18. cap. 6. Quonam igitur, inquit, modo utiliſſime coluntur agri? Ex oraculo ſcilicet, malis bonis. Hoc velut ænigmate ſignificatum eſt, agros quam minimo poteſt impendio colendos eſſe.

Neque cum malis neque ſine malis.

Ariſtophanes apud Suidam in Lyſiſtrata.

Κἄστ' ἐκεῖνο τοὔπος ὀρθῶς κοὐ κακῶς εἰρημένον,

Οὔτε σὺν πανωλέθροισιν, οὔτ' ἄνευ πανωλέθρων.

Id eſt:

Iſtud haud male, imo recte proditum eſt proverbium,

Nec ſimul cum peſtibus, nec rurſus abſque peſtibus.

De uxoribus dictum, cum quibus incommode ſane vivitur: ſed nec citra has conſtant familiæ. Simile illi, quod eſt in Epigrammatis.

Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.

Et quod alibi retulimus, ἀναγκαῖον κακόν. Citantur eodem loco verſus & hi:

Κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως ὦ δημόται

Οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ. Id eſt:

Malum quidem uxor, attamen cives, ſine hoc

Nulli licet parere familiam malo.

Notum eſt illud Catonis, quod cum uxoribus incommode vivitur, ſine illis omnino non vivitur.

Polypi caput.

Πολύποδος κεφαλή: id eſt, Polypi caput. In hominem varium & in quo pariter & vitia quædam & virtutes invenias: cujuſmodi Catilinam deſcribit Saluſtius. Competit & in rem, ex qua non parum commoditatis capere queas, ſed quæ eadē nonnullis incommodis noceat. Allegoria ducta eſt ab ejus piſcis capite, quod (ſicuti teſtatur Plutarchus in libello, cui titulus, Quomodo ſint adoleſcentibus audiendi poetæ) eſu quidem ſuaviſſimum & eſculentum, cæterum ſomnia parit triſtia ac prodigioſa. Unde hujus eſum interdicebant iis qui cuperent ex inſomniis præſcire futura, quemadmodum & fabarum: ut teſtis eſt idem Plutarchus in Sympoſiacis. Proinde poeticen, polypi caput vocat: in qua ſicuti ſunt permulta cognitu tum jucunda, tum frugifera, ita ſunt nonnulla, niſi caveas peſtilentia. Porro ex hujuſmodi rebus id quod ineſt commoditatis convenient excerpere: quod noxium, vitare, juxta Simonidis doctrinam apiculas imitari, quæ prætteritis reliquis, ad ea duntaxat advolant, unde poſſint aliquid ad mellificium idoneum excerpere, nec aliud colligunt, quam quod ſit uſui futurum. Proverbium integre refertur apud Plutarchum hoc pacto:

Πουλύποδος κεφαλῇ ἔνι μὲν κακὸν, ἐν δὲ καὶ ἐσθλόν.

Id eſt:

In Polypi capite ineſt quidem malum, ineſt & bonum.

Itidem Theognis in ſententiis de vino prædicat:

Ἐσθλὸς καὶ κακός ἐστι.

Id eſt:

Bonum ac malum es.——

Poſſet ad hanc formam torqueri fabula de haſta Achillis, quæ vulnerans auxilium tulit, eadem quæ vulnus infixerat.

Gaudium dolori junctum.

Cum pariter accidit, quod & gaudeamus & doleamus (quod genus ſi cui parentes opulenti vita deceſſerint, partim excruciatur morte ſuorum, partim gaudet hæreditatis obvento, atque acceſſione libertatis) conveniet illud ex eodem libro:

Τὴν δ' ἅμα χάρμα καὶ ἄλγος ἕλε φρένα.

Id eſt:

Lætitia huic, mœrorque ſimul præcordia cepit.

Plus aloes quam mellis habet.

Plus aloes quam mellis habet. Proverbialis metaphora, perinde declarans ac ſi dicas, plus moleſtiæ quam voluptatis. Nam aloe frutex quidam eſt, odore gravi, guſtu amariſſimo: cujus meminit Dioſcorides lib. 3. Plautus in Amphitryone: Ita cuique comparatum eſt in ætate hominum, ita diis placitum, voluptati ut mœror comes conſequatur: Quin incommodi plus malique adſit, boni ſi obtigit quid. Apud eundem alicubi legitur, vitam hominis plus aloes quam mellis habere.

Et Juvenalis de uxore.

Plus aloes quam mellis habet.——

Apulejus citra metaphoram ſic extulit in Floridis: Sed verum verbum eſt profecto quod ajunt, nihil quicquam tam proſpere divinitus hominibus datum, quin & tamen admixtum ſit aliquid difficultatis. Has rerum humanarum vices, ac triſtium lætorumque mixturam, Homerus Iliados lib. ult. perquam eleganter indicavit, figmento duorum doliorum, quæ ſcribit in Jovis limine ſita eſſe: quorum alterum ſit plenum triſtibus, alterum lætis. Ex quibus ille mortalium fortunas temperans,

Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅ γε κύρεται, ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ.

Nunc lætis vitam miſcet, nunc triſtibus idem.

Quemadmodum & ſuperius indicavimus. Verum admodum maligne temperat Jupiter Homericus, nimio plus admiſcens malorum, quam bonorum: ut ſi ſuam quiſque fortunam ad calculos vocet, minima ſit futura ratio eorum, quæ nobis ex animi ſententia evenerunt. id quod eleganter dictum eſt à Pindaro in Pythiis hymno: ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. id eſt: Ad unum enim bonum duo pariter incommoda diſtribuunt mortalibus immortales. Plin. libr. 27. ſententiam invertit, cum ait: Nihil eſſe tam malum in rerum natura, cui non boni quippiam ſit adjunctum. Quandoquidem compertum eſt, etiam aconito, quo non aliud venenum nocentius, ineſſe remedium, cum ad alia, tum ad oculorum vitia. Ad eundem modum Euripides, citante Plutarcho:

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,

Ἀλλ' ἐστί τις σύγκρασις.

Id eſt:

Bona ſeparare non licet malis, ſed eſt

Mixtura quædam. ——

Quid primum aut ultimum.

Τί πρῶτον, τί δ' ὕστατον, id eſt, Quid primum aut ultimum? Figura proverbialis, qua utimur quoties aut rerum copiam tantam ſignificamus, ut hæſitemus unde potiſſimum exordiamur: aut cum perplexi dubitamus, quid primum agere debeam? Lucian. in libello, cui

cui titulus De mercede ſervientibus: καὶ τί σοι πρῶτον, ὦ φιλότης, ἢ τί ὕστατον καταλέξω ταῦτα καὶ πάσχειν ἢ ποιεῖν ἀνάγκη τοῖς ἐπὶ μισθῷ συνοῦσι. id eſt: Quidnam tibi primum amice, aut quid poſtremum ut dici ſolet, commemorem, ex his quæ & pati & facere coguntur ii qui mercede ſerviunt? Porro Lucian. deſumpſit ex Odyſſeæ lib. 9. in quo Ulyſſes ad hunc loquitur modum.

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω:

Id eſt:

Quid primum, quid mox, & quæ tandem ultima dicam?

Juvenalis:

Quo te circumagis? quæ prima aut ultima ponas.

Ejuſdem characteris eſt illud Euripidis in Junone inſaniente:

Ὦ μοι τίν' ὑμῶν πρῶτον, ἢ τίν' ὕστατον

Πρὸς στέρνα θῶμαι.

Id eſt:

Quem veſtrum ohe, quem pectori admoveam meo.

Primum ultimumve.——

Etiam capillus unus.

Celebratur & Mimus, ni fallor, Publianus, admodum proverbiali ſpecie:

Etiam capillus unus habet umbram ſuam.

Quantumvis puſillum commodum, juvat, quantumlibet exiguum delictum, nocet.

Aut mortuus eſt, aut docet literas.

Ἢ τέθνηκεν, ἢ διδάσκει γράμματα.

Id eſt:

Aut periit, aut profecto literas docet,

Senarius proverbialis, quo ſignificabant olim, cuipiam omnino male eſſe, tametſi parum liqueret, quid rerum ageret. Is autem hac occaſione venit in vulgi ſermonem, autore Zenodoto. Athenienſes duce Nicia parum feliciter aliquando pugnaverunt adverſus Siculos, permultis occiſis, pleriſque captivis in Siciliam abductis; qui Siculorum filios literas docere coacti ſunt. Proinde pauci qui fuga elapſi redierant Athenas, rogati quid aut hic aut ille faceret in Sicilia, modo memorato verſiculo reſpondebant, Aut periit, aut docet literas.

Aut quinque bibe, aut treis, aut ne quatuor.

Athenæus lib. 10. de bibacitate diſputans ſcribit adagium hujuſmodi vulgo fuiſſe celebratum. ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα, id eſt: Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor. Præſcribit modum diluendi vini. Hæc autem temperatura maxime placebat antiquis, ut quinque vini cyathis duo adderentur aquæ, aut duobus unus. Hujus rei teſtem citat Jovem poëtam qui ſcripſerit, vatem quendam Palamedi prædixiſſe Græcos navigaturos, qui treis cyathos ad unum biberent. Ita Nicocharem in Amymone χαῖρε πέντε καὶ δύο. id eſt; Salve quinque & duobus. Præterea Amypſiam: ἐγὼ δὲ Διόνυσος πᾶσιν ὑμῖν εἰμι πέντε καὶ δύο. id eſt: Ego autem Bacchus omnibus vobis quinque & duo. Verum hac de re copioſius aliquanto Plutarchus, τῶν συμποσιακῶν Decade tertia, teſtans convivialibus cantiunculis celebratum fuiſſe: ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα: ne quis temere Plauti verba commutet, nam apud hunc quoque referuntur. Atque in hanc rem jocatur Ariſton, quemadmodum in muſica hemiolii proportio ſymphoniam reddit diapente, dupla ſymphoniam efficit quæ dicitur diateſſaron, at eam quæ vocatur diateſſaron; ſymphoniam eſſe præter cæteras hebetem & obſcuram, & epitrito conſtare; itidem & in bibendi harmoniis treis eſſe ſymphonias vini ad aquam, diapente, διὰ τριῶν & diateſſaron: Nam Diapente ſymphoniam ex hemiolio conſtitui, ſi tres aquæ cyathi duobus vini cyathis admiſceantur. Quod ſi duobus admiſceas duos, dupli proportionem exiſtere: diateſſaron harmoniam fore, uni vini cyatho treis aquæ cyathos addideris. Atque hic eſſe epitritum, quæ proportio pertineat ad treis magiſtratus in Prytaneo ſapientes ac ſobrios, aut ad dialecticos, cum adductis ſuperciliis de ſuis anxiis argutiis diſputant. Jam ſi duos uni admiſceas, tonum naſci maxime turbulentum, & ut appellat ipſe, ἀκροχολίας, chordas moventem non movendas mentium: propterea quod per hunc nec omnino ſobrios eſſe licet, nec ſtultitiam mero immergere. Quod ſi duo tribus addideris, harmoniam exiſtere omnium maxime muſicam, ut quæ ſomnos invitet, tranquillitatem ac ſummam quietem inducat. His ita per jocum dictis, adjecit Plutarchi pater, priſcos Jovi duas addidiſſe nutrices, Iten & Adraſtiam; Junoni unam, nempe Eubœam: Apollini duas, Alethiam & Corythalam: Baccho vero plures, quod hunc deum oporteat pluribus lympharum menſuris manſuefactum ac domitum, moderatiorem ac mitiorem reddere. Significat autem, unum multa aqua diluendum. Meminit hujus adagii Plautus in Sticho, ſervos compotantes inducens: Sed interim Stratege noſter, cur hic ceſſat cantharus? Vide quot cyathos hos bibimus. Tot quot digiti ſunt tibi in manu. Cantio eſt Græca:

Καὶ πέντε πῖνε, καὶ τρία πῖνε, ἢ μὴ τέτταρα,

Quanquam hic Plauti locus non caret ſuſpicione mendi. Quod autem prohibet Græca cantio, ne quatuor biberet, ad veterum ſuperſtitionem pertinet, qua creditum eſt, impares numeros ad omnia efficaciores eſſe: id quod Plinius intelligi putat in febribus, dierum obſervatione. Porro de quaternione vitato in poculis. idem lib. 28. c. 6. ſcribit ad hunc modum: Numerum quoque ternarium Democritus condito volumine, & quare quaterni cyathi, ſextariive non eſſent potandi. Huc nimirum alludit Horatius libro Odarum 3.

Da lunæ propere novæ.
Da noctis mediæ, da puer auguris
Murenæ, tribus aut novem,
Miſcentur cyathis pocula commodis
Qui muſas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates, treis prohibet ſupra,
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta ſororibus.

Item Auſonius:

Ter bibe, vel toties ternos, ſic myſtica lex eſt.

Id eſt:

Aut treis cyathos, ad numerum Gratiarum: aut novem, ad numerum Muſarum.

Excubias agere in Naupacto.

Φρουρήσατ' ἐν Ναυπάκτῳ: id eſt. Excubate Naupacti, Achivi, capta Naupacto, Pauſaniam excubiis cuſtodiæque præfectum interfecerunt, autore Theopompo. Unde res in jocum vulgi videtur abiiſſe, adverſus eos, qui pereunt ignavia ſua, aut qui munus odioſum, ac plenum diſcriminis adminiſtrant. Refertur à Zenodoto. Suidas effert ad hunc modum. Φρουρήσεις ἐν Ναυπάκτῳ: id eſt: Excubabis Naupacti. Is adfert & aliam adagionis originem. Quum iis, qui Naupactum præſidio tuebantur, perpuſillum ſalarii penderetur, atque illi plurima quæ ad rem pertinebant, emerent. militaris joco jactatum eſt, ut apparet, in eos qui fruſtra ſudarent, quoſque ſua ſpes fruſtraretur. Naupactus autem Ætoliæ civitas, quam tum Philippus obtinebat, a compingendis navibus dicta, quod illic Heraclidæ primum navim extruxerint.

Quocunque pedes ferent.

Ἐφ' ἃ ἂν οἱ πόδες φέρωσι: id eſt. Quocunque ferant pedes. pro eo quod eſt quovis. Quadrabit ubi nihil certum ſpectatur, ad quod noſtri dirigantur conatus, Lucianus in Hermotimo: οὐδὲ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐφ' ἃ ἂν ἡμᾶς οἱ πόδες φέρωσιν ἐκεῖσε ἀπιόντες. id eſt: Neque juxta proverbium, quocunque nos pedes tulerint, illuc ibimus. Horatius in Epodis:

Notus vocabit aut protervus Africus.

Rurſus in Odis:

I, pedes quo te rapiunt & auræ.

Ita & Theocritus in Hyla:

——Ἆ πόδες ἆγον ἐχώρει.

Id eſt:

Ducebant quocunque pedes, ibant:——

Rurſus in Thalyſiis:

——Πᾷ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις:

Id eſt:

Quo tandem te quæſo pedes medio trahis æſtu?

Et Vergilius:

Quo te Mœri pedes? an te via ducit in urbem?

Nec diſſimili forma Plato lib. de Rep. 3. ἀλλ' ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον: id eſt, ſed quocunque ratio, ceu ventus tulerit, hac eundum eſt.

In trivio ſum.

Ἐν τριόδῳ εἰμὶ λογισμῶν: id eſt, In trivio ſum conſilii. In eos qui dubitant, quique incerti ſunt animi, hæſitantes quid potiſſimum eligant. Translatum ab iis, qui faciunt iter, & ſi quando trivium occurrit, addubitant quam viam oporteat ingredi. Nam viam pro ratione conſilii frequenter apud Græcos autores reperies, ut apud Euripidem in Hecuba: σῶν ὁδὸν βουλευμάτων: id eſt, Tuorum viam conſiliorum, Theognis. ἐν τριόδῳ ἕσταμαι: id eſt, In trivio conſiſto. Alludit huc & Plato lib. De legib. 7. vetans ne ſi qua res admiranda atque inuſitata occurrerit, protinus ad eam amplectendam accurramus, ſed perinde quaſi ad trivium aliquod venerimus, ignari vix conſiſtamus, neque ante pergamus, quam perveſtigatum ſit, quo quæque ducat via καθάπερ, inquit, ἐν τριόδῳ γενόμενος.

Vtroque nutans ſententia.

Διχόλοι γνῶμαι: id eſt, Vtroque claudicantes ſententiæ: aut animus huc atque illuc verſatilis. Sic enim arbitror legendum, δίχωλος; per ω magnum; ut ſit, utroque claudicantes. Nam in vulgaris libris per ο micron ſcriptum repperi. Conveniet igitur in hominem lubricæ fidei, & incertarum partium, in quem congruet illud Homericum;

Ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει;

Id eſt:

Claudicat inceſſu, pedibuſque vacillat utriſque,

Refertur a Zenodoto.

Volens nolente animo.

Ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ; id eſt, Volens invito ſane animo. Hemiſtichium Homericum Iliados libro quarto. Dicendum, ubi quis fingit ſe nolle quod cupit; aut contra. Terentius non diſſimili figura dixit in Andria; Tu voluntate coactus es tua. Nonnunquam

nunquam de ambigente, animique incerto dicitur: ut apud Euripidem in Hecuba.

Ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων.

Id eſt:

Atis volenſque & non volens.

Eſt etiam in arcanis proverbiis Hebræorum, Pigrum velle & non velle.

Nolens volens.

Omnes id genus figuras proverbiales eſſe, ſicuti ſuperius oſtenſum eſt, Donatus admonet, quæ nimirum conſtant ex contrariis: propterea quod ænigmaticum quiddam habere videantur. Sunt autem frequentes apud Græcos poetas, ut apud Euripidem in Hecuba:

Ὁ δ' οὐ θέλων τε καὶ θέλων.

Id eſt:

Atque ille nolens pariter ac volens.

Idem in Iphigenia in Tauris:

Φεύγω πρὸς αὐτῶν γ' οὐχ ἑκὼν ἑκών.

Id eſt:

Sane exulo quodammodo nolens, volens.

Ad hanc pertinet formam quod ait Terentius in Andria:

——— Tu coactus tua voluntate es.

Unica filia duos parare generos.

His ſimile quiddam etiam nunc vulgo dicunt, dignum videlicet, quod vel unum inter antiquitatis adagia connumeretur: Unica filia geminos vis parare generos. ubi quis idem beneficium duobus ſimul pollicetur: aut pro eodem officio, quod alteri præſtiterit, à duobus gratiam repoſcit.

Inter pueros ſenex.

Ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς: id eſt, Inter ſenes puer, idem at in pueris ſenex. Conveniet in hominem grandiuſculum, majorem quam ut puer videri poſſit, minorem quam ut vir. Dictum eſt autem ab æmulis in Hermogenem rhetorem. Accommodare licebit in hominem ſic eruditum, ut inter idiotas videri poſſit doctulus, inter eruditos indoctus,

Aut cucurbitæ florem, aut cucurbitam.

Ἢ κρίνον, ἢ κολοκύντην: id eſt, Aut florem, aut cucurbitam. Id perinde valet quaſi dicas: Aut mortem, aut vitam: aut lucrum, aut damnum. aut victoriam, aut contra. Græci cucurbitæ florem κρίνον appellant. Incertum autem, utrum mox evaneſcat, an cucurbitam ſit pariturus. Proinde per florem, mortem, aut fruſtratam ſpem ſignificabant: per cucurbitam, vitalem. Diphilus apud Zenodotum: ἐν ἡμέραις αὐτὸς ἐγὼ πέντε σ' ἢ θήσω κρίνον ἢ κολοκύντην: id eſt: Poſſum efficere, ut aut recte valeas, aut moriaris. Huic non diſſimile eſt illud quod apud Homerum Odyſſeæ δ, dicit ſpectrum apparens Penelopæ dormienti:

Ζώει ὅγ', ἢ τέθνηκε, κακὸν δ' ἀνεμώλια βάζειν.

Id eſt:

Is ſupereſt, aut interiit: nam vera loquendum eſt.

Et quod ad hujus imitationem Horatianus dixit Tireſias.

O Laertiade, quicquid dicam, aut erit, aut non.

Aut Plato Philoniſſat, aut Philo Platoniſſat.

Divus Hieronymus in Catalogo ſcriptorum illuſtrium, Philonem quoque Judæum recenſet, qui & eloquentiam & omnem Græcanicam eruditionem ita ſit aſſecutus, tum Platonicam in dicendo majeſtatem ubertatemque ſic expreſſerit, ut eum alterum Platonem appellet. Teſtatur autem apud Græcos, vulgo de illis dici ſolitum: ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει. id eſt: Aut Plato Philonem imitatur, aut Philo Platonem. Extat hujus opus, in quo vitas illuſtrium aliquot Hebræorum tractat, orſus ab Abraham. Tractat autem non tam ad hiſtoriæ cognitionem, quam ad inſtitutionem regulamque vivendi: videlicet omnia trahens ad morales allegorias, unde Theologis præcipue legendus. Stylus tum candidus eſt, tum ſublimis, ac divinum quiddam præ ſe ferens, qualis eſt & Platonis. Gaudet ſymbolis ac myſteriis numerorum: quod ipſum Pythagoræ Platonique familiare. Ad morum inſtitutionem accommodat omnia: nec hac parte diſſidens à Platone. Per allegoriam torqueri poterit ad quoſvis inter ſeſe vehementer ſimiles. Nam hoc ipſum non ſimpliciter, ſed figurate dictum, illud ſat argumenti eſt, quod Philonem longe Platone conſtat poſteriorem eſſe. Cæterum in malam partem fiet proverbialius: veluti ſi quis dicat, Aut Cretiſſat Africa, aut Afriſſat Creta: aut Neroniſſabat Galba, aut Galbiſſabat Nero. Huic figuræ confine videtur illud Platonis τὸ πολυθρύλητον, ut ait Ariſtides: Beatas fore reſpublicas, εἰ ἢ οἱ βασιλεῖς φιλοσοφήσειεν, ἢ βασιλεύσειεν οἱ φιλόσοφοι. id eſt: Si aut reges philoſophatentur, aut regnarent philoſophi.

Aut oportet tragœdias agere omneis, aut inſanire.

Ἢ χρὴ τραγῳδεῖν πάντας, ἢ μελαγχολᾶν.

Id eſt:

Aut furere, aut agere tragœdias.

Dici ſolitum de iis, qui ſemper quaſi ſtupent, frigentque: & nec gaudere poſſunt ex animo nec dolere. Porro tragœdia vehementiſſimis conſtat affectibus, ita ut tragœdias agere, videatur eſſe quiddam inſaniæ ſimillimum. Proinde Lucianus in commentario, cui titulus πῶς δεῖ τὴν ἱστορίαν συγγράφειν, narrat Abderitis ex Euripidis tragœdia recitante tragœdo Archelao publicitus febrim obortam: eam ſeptimo poſt die tranſiiſſe in inſaniam, ita ut omnes ingenti voce verſus quoſdam ex Archelai Andromeda pronunciarent. Quanquam Plato poetis omnibus ſacrum quendam tribuit furorem. Et Ariſtoteles in Problematis meminit de Maraco quopiam Syracuſano, qui tum meliora fecerit poemata, cum mente eſſet alienatus. Eodem ſpectat illud Horatianum:

Adde poemata nunc, hoc eſt, oleum adde camino.

Finitimum videtur illi, quod alio retulimus loco:

Ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν.

Quem ſenarium Athenæus citat ex Terpſione doctore Archiſtrati. Nos alio retulimus loco.

Oportet teſtudinis carnes aut edere, aut non edere.

Ἢ δεῖ χελώνης κρέα φαγεῖν, ἢ μὴ φαγεῖν.

Id eſt:

Teſtudinis carnem aut edas, aut non edas.

Trimeter proverbialis, in eos, qui negocium ſuſceptum frigide ducunt, neque explicantes, neque relinquentes. Sunt qui putent hoc dictum ab autore Terpſione profectum eſſe: quorum eſt Athenæus libro octavo, declarans hunc primum præcepiſſe de gaſtrologia: æditis regulis, per quas liqueret à quibus eſſet abſtinendum, quibus contra veſcendum: inter quas erat & hæc de teſtudine, ἢ φαγεῖν ἢ μὴ φαγεῖν. Addunt teſtudinis carnem ſi modice edatur, ventris tormina facere: rurſum ſi copioſe, lenire. Cujuſmodi quiddam & de lactucis refert Plinius. Perinde quaſi dicas, Aut bellandum eſt, aut non bellandum: aut ſtudendum, aut non ſtudendum. Nam pleræque res ſunt, quæ ſi facias acriter, plurimum conducunt: ſin ignaviter, officiunt, velut ea quæ mediocritatem non recipiunt, quod genus eſt muſica poeticaque. Sunt rurſus quædam, quæ deguſtaſſe ſit ſatis. Quo de genere putavit eſſe philoſophiæ ſtudium Ennianus ille Neoptolemus, & Callicles Platonicus. Non abhorret ab eo quod eſt in Apocalypſi: Utinam aut calidus eſſes, aut frigidus.

Ancipitis animi.

Animum ancipitem & incerti conſilii, licet indicare verſiculo, qui eſt Iliad ξ.

Ὡς ὁ γέρων ὥρμαινε δαϊζόμενος κατὰ θυμὸν Διχθάδια.

Id eſt:

Sic ſenior verſans animo diſquirit utroque

Nutans.——

Id Maro ſic eſt imitatus:

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc.

Rurſum Iliad. π.

Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι.

Id eſt:

Huc animus mihi verſanti inclinat & illuc,

Ancipitis conſilii.

Ad ſignificandum hominem perplexum & ancipitis ſententiæ, ſuſpenſumque animo, congruet illud ex Iliad. ε.

Μεσσηγὺς γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Id eſt:

In medio terræ ſimul & ſtellantis Olympi.

Dictum eſt apud poetam de equis Junonis, inter cœlum & terram.

Haſta caduceum.

Δόρυ κηρύκειον: id eſt: Haſta caduceum. Dici ſolitum, quoties aliquis ſimul & minaretur, & ad concordiam invitaret. Ex oraculo natum, quod hujuſmodi fertur:

Ἀνδρὶ Γεφυραίῳ φίλος οἶκος.

Id eſt:

Viro Gephyræo grata eſt domus.

Admoniti erant Gephyræi, ut ſequentes Athenienſium exercitum, ubi illos defeſſos conſpicerent, ibi manerent. Itaque cum Athenienſes ab Eumolpo oppugnarentur, ad Tanagram iter inſtituerunt: hac ſpecie, ut dux caduceum præferret, juventus armata à tergo conſequeretur, ut ſimul & pacem petere viderentur, & ad bellum nihilo ſegnius parati, ſi quis laceſſeret. Recenſet Suidas, & meminit Polybius libro hiſtoriarum 4. Legatum, inquit, ad Byzantios Aridicem miſere, & cum eo Polemoclem cum tribus triremibus, volentes id quod eſt in proverbio, haſtam ſimul & caduceum Byzantiis mittere. Simillimum eſt huic quod eleganter uſurpavit D. Hieronymus, Scuto pacem petere.

Delphicus gladius.

Δελφικὴ μάχαιρα: id eſt, Delphicus gladius. De re dicebatur ad diverſos uſus accommodabili, Quemadmodum iiſdem vaſculis, & poculorum vice in conviviis, & clypeorum vice in bellis utebantur. Nam Delphicus gladius ad eum modum erat fabrefactus, ut eodem ſimul & ſacras mactarent victimas, & nocentes afficerent ſupplicio. Meminit hujus gladii, cum Euripides in tragœdiis

gœdiis,tum Ariſtoteles Politicorum lib.1.diſſerens, naturam non ſinguere ſingula ad plures uſus. Sed unumquodque ad ſuum peculiarem propriumque finem: οὐδὲν γὰρ ἡ φύσις ποιεῖ τοιοῦτον, οἷον χαλκοτύποι μάχαιραν Δελφικὴν πενιχρῶς, ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν. id eſt: Neque enim natura tale quippiam facit, quemadmodum ærarii fabri gladium Delphicum quaſi per inopiam, ſed unumquodque ad ſingula. Meminit idem hujus rei, lib. De partibus animalium 4. tractans de linguis inſectorum, quæ pluribus funguntur officiis, ſimul & tentantes cibum & attrahentes, & ſpiculi vice adverſus injurias defendentes: id quod negat facere naturam, niſi coactam inopia, ut idem inſtrumentum ad uſus diſſimiles accommodet: quandoquidem ad defendendum magis appoſitum videatur quod ſit acutiſſimum: ad guſtandum, quod ſit fungoſum. Ubi enim inquit, licet duobus uti ad duo opera, nec aliud impedit, nihil tale natura facere ſolet, quale per inopiam ars excuſoria obeliſcolychnium ex veru lucernaque componit. Attamē ſi id fieri non poteſt, eodem ad plura opera abutitur. Unde mihi videtur ὀβελισκολύχνιον jucundius quadraturum proverbio, quam Delphicum gladium: niſi forte hic ipſe Delphicus eſt gladius. Idem Euripides in Oreſte:

> Θανεῖν γὰρ αὐτὴν μοῖραν Δελφικῷ ξίφει.
>
> Id eſt:
>
> Fatale enim illi eſt enſe Delphico mori.

quadrabit igitur vel in pauperes, qui ob penuriā eandem veſtem, aut aliam rem quampiam ad varios uſus accommodant: aut in vitioſum procœmium, & diverſis cauſis applicabile. Licebit & in ſerium ſenſum accommodare proverbium, ut ſi quis eruditionem Delphicū appellet gladium, quod in omni ætate, omni vitæ conditione ſit utilis. Nam literæ juvenibus ſunt neceſſariæ, ſenibus jucundæ: pauperibus opes ſuppeditant, opulentis adjungunt ornamentum: in rebus adverſis ſolatio ſunt, in ſecundis gloriæ: claro natis genere ſplendorem augent: obſcuro genere natis, claritatis initium conciliant.

Utrunque.

Enarrator Apollonii citat hunc ex Callimacho verſiculum:

> Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν καὶ μέτρον ἀρούρης.
>
> Id eſt:
>
> Utrumque eſt, ſtimuluſq; boum, menſuraque terræ.

Dici poteſt de re quapiam, ad diverſum uſum accommodabili, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt de gladio Delphico. Sentit autem Callimachus de virga, quam ἄκαιναν Græci vocant, Latini, ni fallor, decempedam. Eam ajunt à Theſſalis inventam, pedum longitudine decem. Hac eadem paſtores pedi vice conſueverunt uti.

Iiſdem è literis comœdia ac tragœdia componitur.

Ἐκ τῶν αὐτῶν γραμμάτων γίνεται καὶ κωμῳδία καὶ τραγῳδία: id eſt, Ek iiſdem literis comœdia tragœdiaque componitur. Convenit in eos, qui eadem de re notum diverſa fingere: aut qui eadem operā diverſa poſſunt.

Navis aut galerus.

Πλοῖον ἢ κυνῆ: id eſt, Navis aut galerus. De re ancipiti. quod genus ſi quis de voce incognita diceret. Aut piſcem ſignificat, aut cucurbitam. Nec invenuſte dicetur in eos, qui cultu, moribuſque diverſam perſonam præ ſe ferunt. Veluti ſi quis pallio philoſophico balrheum adderet militarem, aut cultu monachum, moribus & lingua lenonem ageret. Fragmentum eſt ſenarii ex Avibus Ariſtophanis, πλοῖον ἢ κυνῆ: id eſt, Aut galerus aut ratis. Sumptum ab hoc tritremium genere, quas hodieque vulgo dicunt galeas, veluti dicas galeatas. Hæ ſic erant inſtructæ, ut remos ſtratum vice porrigerent, moverentque: cæterum ſummo malo galerum, ſeu petaſum inſtar Mercurii præferrent. Nam Peloponneſes πίλημα, id eſt, galerum, appellant κυνῆν, κυνέαν, à cane: quod hoc genus pilei primum è pellibus canum fieri conſuevit. Hinc jocus militaris videtur fuiſſe natus in elatos & faſtuoſos, ſuperciliōque arrogantes. Itidem Feſtus Pompeius indicat quaſdam naves onerarias appellatas Corbitas, quod in ſummo malo pro ſigno, Corbem haberent. Quæ bello erant paratæ, galeam habebant: atque ad celeritatem, petaſum Mercurii ſignum geſtabant.

Tertium caput.

Τρίτη κεφαλὴ, τρίτῃ ἐγκεφάλῳ: id eſt, Tertium caput, & tertio cerebro. In onerum bajulos dictum, qui non humeris modo, verum & capite geſtant onera. Extat in iiſdē quæ modo citavi Collectaneis. Apte torquebitur in homines variis diſtractos negociis:

Triceps Mercurius.

Τρικέφαλος Ἑρμῆς. Id eſt, Triceps Mercurius. Dictum videtur in ambiguos, ancipiteſque, aut in vehementer aſtutos. Ad hunc modum fingebatur antiquitus Mercurius: vel quod plurimū vim habeat oratio, vel quod idem deus index viæ, proinde in ſingulis capitib. inſcriptionem habebat, quo duceret hæc via, quo rurſum illa. Hujuſmodi Mercurii ſimulacrum primus poſuit Proclides, autore Philochoro.

Pſecas aut ros.

Ψεκὰς ἢ δρόσος: id eſt, Pſecas aut ros. In crebrius expuentes dictitabant, ψεκὰς enim aſperſio illa, ac velut irroratio vocatur, quoties minutiſſimis guttulis irrigamur, ut pluvia rori ſimillima, Primitus autem per luſum dictum eſt in Antimachum Lyricum poetam, quod ſubinde expuens eos, quibus cum loquebatur, conſpergeret. Idem cognominis datum fuit & Olimpico cuidam: quem nonnulli putant tuliſſe legem, ne quem nominatim taxarent poetæ: atque ita factum, ut multo quam prius pauciores accederent ad certamen, & qui prodibant, laudarent, non carperent. Unde hujuſmodi delinimenta, ψεκάδες appellata videntur. Vocantur enim Pſecades ancillæ, quæ delicatarum matronarum capillos medicato fuco conſpergunt.

VLPII. *Quod dubites ne feceris.*

Bene, inquit Cicero, præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquumne ſit an iniquum. æquitas enim vult per ſe, dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.

COGNATI. *Ingratiis, Velim, Nolim.*

Hujus eſt uſus, quum contra ſententiam animi noſtri fit aliquid: Seneca in ludo de morte Claudii Cæſaris, εἰρωνικῶς dixit: Velit, nolit, neceſſe eſt illi omnia videre quæ in cælo aguntur. Barthol. Maranta lib. 5. Lucull. quæſtionum. Agnoſco veſtram in me conjurationem, inquit Columna, ac dum vos me hortamini, ille pene minatur: animadverto me volentem nolentem oportere vobis præſtare aliqua, &c. Plautus in Ciſtellaria, & ſæpe alibi, pro hoc uſus fuit, Ingratiis: adverbium tryſſallabum, quod valet, invito, & velut nolint. Lucretius lib. 3. in extr.

> ——— Ingratiis hæret & angit.
>
> Idem: lib. 5.
>
> Atque pericula tunc ingratiis inſinuandum.

id eſt: quæ tunc pericula adire nos oportet vel invitos? Inſinuandum, ſubintellige, eſt: id eſt, inſinuare & ſubire nos oportet. Ingratiis, id eſt, velimus nolimus. Idem lib. 6.

> Cadant ingratiis illa neceſſe eſt Semina

Cicero pro Quintio: Extorquendum eſt invito atque ingratiis: In Curculione Phœdromus:

> Quo Venus Cupidoque imperat, ſuadetque amor:
> Si media nox eſt, ſive eſt prima veſpera:
> Si ſtatus condictus cum hoſte intercedit dies,
> Tamen eſt eundum quo imperant ingratiis.

pro, ingratis: id eſt, invitis, ut gratiis gratis. In Rudente: Has hirundines ex nido vult eripere ingratiis. In Milite glorioſo: Imo vi atque invitam ingratiis, niſi voluntate ibis, rapiam te domum. Apud Terentium autem in Hecyrone, quatuor ſyllabarum: Protenuiſt, hinc, ea coacta ingratiis, &c. In Eunucho: Opus faciam, ut defetiger uſq; ingratiis ut dormiam. id eſt, præter voluntatem, invitus, velim, nolim, & non ſponte: quod Græci dicunt ἀκουσίως. Non diſſimilis eſt apud Græcos, præſertim hiſtoriographos, crebra hæc loquendi formula, ἀγόμενοι καὶ φερόμενοι: cum quis alieno arbitrio tractatur, nimirum violenter: id quod in bello accidere ſolet. [Eraſm. Chiliad. Nolens, volens.]

In medio relinquere.

Cicero pro Muræna: Quod dubium eſt, id relinquere incertū: quod dubium non poteſt eſſe, id judicare. Saluſt. in Catilinario: Nos eam rem in medio relinquemus. id eſt, hoc aliorum eſſe judicium volumus. Cic. pro Cælio: Neminem nominabo, in medio relinquam. hoc eſt, controverſum, relinquam, nihil ſtatuam vel conſtituam, in medio proponam, Sic Gellius lib. 6. cap. 14. Ego in medium relinquo. id eſt, aliis judicandum dimitto. Livius 5. Bello Pun. pro remittere ad conſultationem, relinquere conſultationi dicit. Cic. 1. Academ. Illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla affirmatione adhibita conſuetudinem diſſerendi reliquerunt. Et hoc ita pervagatum atque pervulgatum eſt, ut in dubiis rebus utamur.

Aqua hæret.

Cic. ad Quint. fratrem: Quod de agro Campano ſuerat dictū, actum iri, non eſt actum. In hac cauſa mihi aqua hæret. hoc eſt, id negocium & ea cauſa male mihi procedit. Idem 3. Offic. Dicit ille quidam multa multis locis, ſed aqua hæret, ut ajunt. Significat Epicurum patum involvere. Tranſlatio eſt ab aqua rivali, quæ interdum non fluit, ob aliquem obicem, qui in emiſſarium incurrit. Budæus Vivi: Aqua enim identidem hæret (ut dicitur) niſi flumen ſecum in diſputando conſtare, &c. Sic res hærere dicitur, quæ impedita eſt. Plautus: Periſ, nunc homo in medio luto eſt: hæret hæc res, neſcit nomen, id eſt, explicare ſe non poteſt. Ut autem in luto hærere dicit, ſic etiam hærere in ſalebra. Cic. in finib. Proclivius currit oratio, venit ad extremum, hæret in ſalebra. Tranſlatio eſt à venatoribus, qui cum in loca confragoſa inciderunt, ſiſtere coguntur: ἱστάναι πόδα, hoc eſt, pedem in veſtigio ſiſtere, greſſumque coercere: Ubi alibi, Luto pedem evellere.

Fortaſſe. Fieri poteſt Arbitror.

Pyrrhoniis ſunt voces quædam Scepticæ affectionis, & ſuæ propriæ, hoc eſt, humanæ paſſionis indices: videlicet οὐ vel οὐδὲν μᾶλλον. id eſt: Non vel nihilo magis. Utram vis enim indifferenter pronunciant, & perinde valent atque: Non magis hoc quam illud. οὐδὲν ὁριστέον: Nihil definiendum, aut certo ſtatuendum. οὐδὲν ὁρίζω: Nihil definio. Omnia, inquiunt, quantum ad nos attinet, ἀόριστα ſunt, id eſt, nobis indefinita videntur. Sunt enim, pro videntur, accipitur. ἀφασία autem, ſive affectio illorum nec ponic quie-

quicquam, nec tollit eorum, incertorum, quæ dogmatice quæruntur, aſtruuntur & afferuntur. Omnia quæcunque evolvimus & percurrimus dicunt, ex illis dubiis & incertis; quæ dogmaticorum quæſtionibus agitantur, nobis indefinita & incomprehenſibilia habentur, hoc eſt: Exiſtimamus nos nihil illorum adhuc percepiſſe propter contrariorum æquipollentiam: atque nihil eorum magis aut minus fide dignum, quam contrarium. Hinc ἀκαταληπτῶ & οὐκ ἀκαταλαμβάνω. id eſt: Non comprehendo, percipio, cognoſco, conſtituo. ſunt enim ἀσύγκριτα, & inter ſe pugnantia: itaque ad ἀφασίαν delabimur, id eſt, ad neutram partem aſſenſum præbemus. ἐπέχομεν: id eſt, ignoramus cui horum quæ propoſita ſunt, aſſentiri, & fidem adhibere, cui minime ac fidem derogare oporteat. His enim à quibus patimur, & à quibus ita coacti ad aſſenſum adducimur, cedimus & acquieſcimus. Inter Scepticas autem voces recenſentur & hæ: ἐνδέχεται, fieri poteſt: ἴσως, fortaſſe: & licet cum ipſis repugnantibus: ut, οὐκ ἐνδέχεται, &c. Obſervavi Græcos pleriſque in locis adhibere, tum Gallos noſtros ſemper in ore habere adverbium ἴσως, id eſt, fortaſſe: & τάχα, quod idem valet. Item verbum οἶμαι, id eſt, arbitror. Eodem autem officio & verbum δοκῶ competit. Hujuſmodi eſt etiam Fabianum fere: Ea aliqui minime neceſſaria ſunt, ſed extenuant duntaxat, vel potius quandam modeſtiæ ſpeciem præ ſe ferunt. Multa alia hujuſmodi afferre poſſem, quæ ſtudio brevitatis ſilentio prætereo. His confine eſt hoc Horatianum:

> O Laertiade quicquid dicam, aut erit, aut non.

Volentibus & invitis.

Plato in Philebo: quod omnibus hominibus moleſtum eſt & volentibus & invitis. Idem in Theæteto: Ab his itaque rationem nullam unquam accipies, nec volentibus, nec invitis. Ibidem: Sermo illius urgebat, quod videlicet ſeu velim ſive nolim, talis eſſem. In Civili: ſive invitis, ſive volentibus. Ibidem: Curationem humanam in duo partiri neceſſe eſt: in eam quæ invitis, & eam quæ volentibus imperat.

Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

Hujus Catulli carminis uſus eſt, quando animum aliis rebus intendimus, & advertimus, & aures aliis ſermonibus præbemus:

> Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

Simile eſt illud Maronis, Æneid. 4.

> Atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc,
> In parteſque rapit varias, perque omnia verſat.

Iſti duo verſus, in quibus anceps eſt animus, ad verbum repetuntur in initio Æneid. 8. & eadem ſententia Æneid. 5.

> At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,
> Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
> Mutabat, verſans Siculiſne reſideret arvis, &c.

Tanta fuit cura dubii principis. Hæc tamen parum faciunt ad Catulli carmen: quod Victor Giſelinus uſurpavit in commentariis ſuis in Prudentii καθημερινῶν, inquirendi laborẽ, inquit, iis relinquo.

> In his tota penitus qui mente laborant,
> Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

Quid facerem.

Proverbialis hæſitantium addubitatio. Virg. in Tityro, eclog. 1.

Quid facerem?—	In Melibœo, eclog. 7.
Quid facerem?	Georg. 4.
Quid faceret? —	Æneid 9.
Quid faciat?	

Perplexos nos reddidiſti.

Vide alibi, quo me vertam, neſcio: & Mutum reddidiſti.

Fluctuantium inſtar.

Quæ circa viventium corpora ſunt, ignem, aquam, ſpiritum, atque terram, in compoſitione ineſſe conſpicimus, ſed fluctuantium, ut ajunt, inſtar. Et maxime quidem. in his enim ſermonibus revera propter ambiguitatem fluctuamus. Et in Theæteto, In idem ſane hæc concurrunt ſecundum Homerum & Heraclitum, & omne id genus, univerſa decurrere, fluminis inſtar. Idem, Si autem omnino deficiemus, humiles facti, veluti fluctuantes & nauſeam patientes, orationi nos permittemus, ut vel conculcet nos, vel agat quo velit. Itaq; ſi quem exitum inveniam quæſtionis hujus, jam audi.

Quo me vertam, neſcio.

Quo me vertam, neſcio: hæſito enim & ambigo. Perplexi, animique conſternati, ſic fere loquuntur, Vide alibi, Perplexos nos reddidiſti: & Mutum reddidiſti. Catull. in nupt. Pelei & Thedidos, Quo me referam: pro, Quo me vertam, dixit. Similiter Medea apud Euripidem. Cicero in extrema oratione pro Murena, ſimili figura eſt uſus orationis, vel eadem potius cum ſequentibus.

Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

Carmen eſt Catulli nuptiale. Sic Ovid. in ii. De remed amor. mentem ſectam dicit:

> Secta bipartito, cum mens diſcurrit utroque,
> Alterius vires ſubtrahit alter amor.

Huic haud diſſimilia ſunt, Mente agitare coquos: & apud Eraſmum noſtrum. Mens videt, mens audit: Mens peregrina, Præſens abſens. Poſt, Aliud agendo male interdum agitur.

APERTE ET CRASSE.

Præmanſum in os inſerere.

M. Tullius in Oratore ſuo, lib. 2. Proverbii vice uſurpat, Præmanſum in os inſerere: pro eo quod eſt, rem in docendo nimis enucleate: nimiſque fruſtulatim tradere. Quod facere quidam aſſolent, qui velut ingeniis auditorum diffidant, ita nihil omittunt, inculcantes etiam minutiſſimas nugas. Sumpta eſt figura à nutricibus, quæ pueris adhuc edentulis cibum præmanſum in os inſerunt. Verba Tullii ſunt hæc. Ego autem ſi quem nunc plane rudem inſtitui ad dicendum velim, his potius tradam, aſſiduis uno opere eandem incudem die noctuque tundentibus, qui omneis tenuiſſimas particulas, atque omnia minima manſa, ut ajunt nutrices, infantibus pueris in os inſerant. Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 4 cap. 1 (etiam ſi locus hic depravatus eſt, ſic enim habent codices vulgati: Nam hoc quidem pervulgatũ eſt, diffinitionem omnem ex genere & differentia conſiſtere.) Sed ſi item Præmandare, quod ajunt, poſtulas, faciam ſane id quoque honoris tui gratia. Ego legendum arbitror: ſed ſi idem me tibi præmandere, quod ajunt, poſtulas. Præmandere dixit, pro eo quod eſt, plus quam craſſe explicare rem alioqui non difficilem, ut ſi quis plane ſit puer. Hoc adagii manet etiam hodie, cum ajunt: Annon ſat, tibi datam occaſionem eſſe? Num poſtulas, ut tibi præmandatur etiã? Non diſſimile eſt huic quod idem Cicero ſcripſit ad Atticum: Sed hæc hactenus, ne videar, περὶ μικρὰ σπουδάζειν. etſi nunc quidem maxima mihi ſunt hæc. Et Græci μικρολογεῖν ajunt, pro eo quod eſt, circa minutula quempiam anxium eſſe.

Craſſa Minerva: Pingui Minerva: Craſſiore Muſa.

Minerva, juxta poetarum fabulas, artibus atque ingeniis præſidet. Unde & illud fluxit: Invita Minerva. Præterea illud, Pingui ſeu craſſa Minerva, quod quidem jam olim proverbii vice celebratur. Columella lib. de re ruſt. 12 cap. 2. In hac autẽ, inquit ruris diſciplina non conſideratur ejuſmodi ſcrupuloſitas, ſed quod dicitur, pingui Minerva, quantumvis utile continget villico tempeſtatis futuræ præſagium. Idem in primi libri præfatione: Poteſt enim nec ſubtiliſſima, nec rurſum (quod ajunt) pingui Minerva, res agreſtis adminiſtrari. Idem lib. 10. Nec tamen Hipparchi ſubtilitas pinguiorib. ut ajunt, ruſticorum literis neceſſaria eſt. Dicitur pinguiore Minerva fieri, quod inconditius ſimpliciuſque quaſique indoctius fit, non autem exquiſita arte, nec exactiſſima cura. Unde & Priapus ille, cum rem obſcœnam, quam poterat urbanius per involucra verborum petere, nudis verbis rogat:

> Craſſa, inquit, Minerva mea eſt.—

Et Horatius philoſophum deſcribens, non exactis illis Stoicorum rationibus atque argutiis inſtructum, ſed veluti citra artem philoſophiam moribus exprimentem, neq; tam diſertum, quam ſimplicem ac ſincerum:

> Ruſticus, inquit, enormis, ſapiens, craſſaque Minerva.

A. Gellius lib 14. cap 1. Nequaquam tamen id cenſebat in tam brevi exiguoque vitæ ſpacio, quantovis hominis ingenio comprehendi poſſe, & percipi, ſed conjectari pauca quædam, &, ut verbo ipſius utar, παχύτερον, id eſt, craſſius & pingui *Minerva*.

Craſſiore Muſa.

Παχυτέρᾳ μούσῃ id eſt: Craſſiore Muſa. Eandem parœmiam ſic extulit Quint. inſtit. orat. libro 1. Libet quoſdam propter imperitiores etiam craſſiore, ut vocant, Muſa dubitationem hujus utilitatis eximere. Invenitur aliquoties apud ſcriptores non idoneos, pinguiore formula, pro eo quod eſt planius atque intelligibilius. Dictum eſt & Latine loqui, pro eo quod eſt aperte & ſimpliciter. M. Tullius in Verrem: Latine ſcitote, non accuſatorie loqui. Idem Philip. Sed ut ſolent ii qui plane & Latine loquuntur. In Priapeiis:

> Simplicius multo eſt, da pædicare, Latine Dicere.—

IVNII. *Rudius ac planius.*

Inelegantius quidem eſt illud apud Græcos, ſed idem tamen pollet: ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον εἰπέ. quod refertur apud Gellium: Noſti enim, inquit, credo verbum illud vetus & pervulgatum, ἀμαθέστερον εἰπὲ καὶ σαφέστερον. id eſt: indoctius rudiuſque quodammodo loquere, & apertius ac clarius fare. Sumptum apparet ex Ariſtophanis comœdia, cui titulus, Βάτραχοι. id eſt, Ranæ:

> Ἀμαθέστερός πως εἰπὲ καὶ σαφέστερος.
>
> Id eſt:
>
> Indoctius proloquitor, atque clarius.

Quo carmine Bacchus Euripidis obſcuritatem taxat, qui neſcio quid parum dilucide propoſuerat. Suidas & interpres admonet ſubeſſe proverbium quod hunc ad modum feratur:

> Σαφέστερόν μοι κἀμαθέστερον φράσον.
>
> Id eſt:
>
> Apertius mihi loquere, atque indoctius.

Suſpicor inde ſumptum, quod antiquitus illi σοφοὶ, quos vocant, ſoleant myſteria ſapientiæ quibuſdam ænigmatum involucris data opera obtegere: videlicet ne profana turba, ac nondum philoſophiæ ſacris initiata, poſſet aſſequi. Quin & hodie nonnulli philo-

ſophiæ

ſophiæ ac theologiæ profeſſores, cum ea quandoque tradant, quæ quævis mulier cula aut cerdo dicturus ſit: tamen quo docti videantur, rem ſpinis quibuſdam ac verborum portentis implicant & involuunt. Sic Plato numeris ſuis obſcuravit ſuam philoſophiam: ſic Ariſtoteles multa mathematicis collationibus reddidit obſcuriora.

COGNATI. *Homo multum demiſſus & pinguis ſive ſpiſſus.*

Horatius:

> Sincerum cupimus vas incruſtare, probus quis
> Nobiſcum vivit, multum demiſſus homo: illi,
> Tardo cognomen pingui damus.

Innuit Horatius probos & modeſtos ignominioſe vulgo appellari demiſſos, id eſt, animo minime erecto & alacri: tardos & (ut fere ſunt prudentiores) cunctabundos dici pingues, id eſt, nullius ingenii. Quintilianus lib. Inſtitutionum 1. de puerorum inſtitutione agens, Sunt (inquit) quidam, niſi inſtites, remiſſi. Pinguis ſive ſpiſſus, porro tardus eſt, minime erectus atque alacris, hebes & ignavus, hoc eſt lenti, & cunctabundi ingenii. Dicitur itidem vulgato ſermone, Pingui ingenio, craſſaque mente eſſe, qui ad diſcendum duri ſunt & intractabiles, quod animus velut arvina morſus, nullam ſpiritualium rerum ſubtiliorem cognitionem admittat. Simile huic eſt cor craſſum, quemadmodum illud Deut. 32. Incraſſatus, impinguatus & dilatatus. Item Hier. 5. Incraſſati ſunt & impinguati, Matth. 13. & Actor. 28. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus. Sed ut durities ad affectum videtur pertinere, ita craſſitudo vel pinguitudo ad cognitionem. Craſſo ſunt corde qui ſcientiam viarum Dei recuſant diſcere, quo peccent licentius, quibus ſpontanea ignorantia per contemptum eſt. Cicero De fato: Pingues Thebani. Idem alibi: Quod ipſi Antiocho pingue videbatur: Horatius:

> Pingue pecus domino facias, & cætera, præter
> Ingenium.——

Cambius apud Marantam lib. Lucullianarum quæſtionum 2. in fine: An me rejicitis, propterea quod habitioris ſim corporis? Profecto de meipſo periculum hodie faciam, magno veſtro damno, Imo ſi quis veſtrum eſt, qui mecum curſu contendere velit, non dubito fore ut illum pæniteat peſſimi ſui judicii, dum obeſiores omnes inertes putat. Admonent adagia, luxu corporis hebeſcere mentis aciem. & Plutarchus ſcribit, pueros multo paſtu ſtupidioris ac tardioris ingenii evadere. Etiam apud Lacedæmonios infame erat, ſi quis corpore fuiſſet vehementer obeſo. Hinc illud, Pingui Minerva: & Græcis παχύτερον. ſupr. in Chiliad. Potes & huc illud referre, Venter pinguis non gignit ſenſum tenuem.

COGNATI. παχυμερέστερον, ſive παχυμερέστερον.

Id eſt, craſſius & rudius: cui contrarium λεπτομερῶς. Ulpian. lib. Pandect. 15. titul. de peculio, cap. quam Tuberonis: Scire autem non utiq; ſingulas res debet ex neceſſitate, ſed [illegible]. & hanc ſententiam inclinat Pomponius. Vox ſumpta eſt ab exacta partium diviſione, cum ſingulæ ſeorſum excutiuntur. Gell. lib. 14. cap. 1. Sed conjectari pauca quædam, ut verbo ipſius utar, [illegible], i. craſſius & pingui Minerva. Græci interdum dicunt λευκότερον, i. dilucidius, quod albus color plurimum habeat lucis. Vide Chil. Craſſa aut pingui Minerva.

τύπῳ γε ὑπογράφειν.

Græcis eſt, quod Ciceroni formam rei adumbrare, aut rem informare. Sic ille Oratore perfecto: Excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus. Et ibidem: Informabo qualis fortaſſis nunquam fuit, id eſt, veluti rudi imagine adumbrabo. eſt autem tranſlatio ducta à pictoribus, primum obſcurius adumbrantis, deinde poſtea illuſtrius exprimentibus. Idem ad Atticum lib. 4. [illegible], uti illud hoſpes plane ventum, id eſt, præſentem reipublicæ ſtatum mitte ad me, rudi quadam forma adumbratam, &c. Ariſtoteles li. 1. Ethicorum, duobus in locis uſus eſt.

COGNATI. *Loquor, quæ ſentio.*

Vulgo dici ſolet, Ea ex ore profero, quæ corde concepi, ea ſcilicet loquor, quæ ipſe ſentio, omni fuco mendacioq; procul. Hoc ipſum Cicero, toto pectore, de ſynceritate loquens dicit, in pectore enim ſedem habere cor, manifeſtum: atque illud, Aperto pectore, frequentiſſimo eorum uſu, qui citra fucum loqui ſe profitentur, quique mentiri aut fallere neſciunt, aut nolunt. A quo loquendi candore Mercurius fuerit [illegible], appellatus: candidum enim veteres [illegible] dicebant. Vide alibi. Tam verum, quam quod veriſſimum: &, Tam clarum eſt hoc, ut nihil clarius.

Dicis Cauſa.

A multis, Dicis cauſa, ſive ergo, proferri ſolet, pro, verbi cauſa: quod in Galliis tritum & vulgatum eſt. Cicero pro Murena: Sed an ne tu, dicis cauſa, vindicaveris? Et in Verrem: Arragatho imperat ut aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſa daret. Varro lib. 5. De lingua Latina: Id inceptum credo, cum non adeſſet accenſus, & nihil intererat cui imperaret, & dicis cauſa fiebant quædam, neque item facta, neq; item dicta ſemper. Plin lib. 28. cap. 2. Si Pontifici accidat, dicis cauſa epulanti in menſa utiq; eſt reponi, adolerique ad Larem, piano eſt Joſephus Scaliger in eundem Varronis 5. librum De ling. Lat. Sic ergo Romani in ſacris quædam nomina dicis cauſa ſolebant proferre, in nuptiis Caiam, &c. Sic [illegible]: ut, Dicis ergo.

APPROBANDI.

Uno ore.

Uno ore, pro ſummo conſenſu, paſſim apud autores obvium eſt. Terentius: Uno ore omnes omnia bona dicere. M. Tullius in ſermone De amicitia. Una eſt enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt. Seneca epiſtolarum lib. 11. epiſtola 82. in tanta judiciorum diverſitate, referendam bene merentibus gratiam, omnes uno tibi (quod ajunt) ore affirmabunt. Ariſtophanes in equitibus.

> [illegible]

Id eſt:

> Ore univerſi clamitant uno ſimul:

Plato lib. De legib 1. [illegible], id eſt: Una voce, & ex eodem ore omnes concinere. Idem lib. de repub. 2. [illegible], id eſt: Omnes enim uno ore prædicant, quod honeſta res ſit & modeſtia & juſtitia.

Premere pollicem, convertere pollicem.

Antiquitus in pollice favoris erat ſtudiique ſignificatio. Qui faveret, pollicem premebat: qui minus faveret, pollicem convertebat. Qui geſtus in proverbium abierunt, ut jam premere pollicem dicatur, qui quoquo pacto favet: convertere, qui male vult. Plinius libr. 27. cap. 11. Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur. Juvenalis:

> —— Converſo pollice vulgi,
> Quemlibet occidunt populariter.——

Horatius Utroque pollice dixit, pro ſummo favore,

> Conſentire ſuis ſtudiis qui crediderit te,
> Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum.

Porphyrion enarrat hunc ad modum: Utroque pollice, id eſt, utraq; manu, [illegible]: ſynecdoche à parte ad totum. An qui vehementius laudat, manus jungens, jungit pollicem cū proximo? Acron hoc pacto: Utroque pollice [illegible], manu utraque ſublataque pariter, ac ſæpius mota: hic enim geſtus valde laudantium eſt. Sane utrumque, ſicut ex iis conjici licet: proverbii origo fuit.

Album calculum addere, & ſimiles figuræ.

[illegible]: id eſt, Album calculum addere: pro approbare, ſubinde legimus apud doctos. Inde ſumptum quod antiquitus miſſis in urnam calculis, ita ferebantur à judicibus ſententiæ, ut albis abſolverent, nigris damnarent. Qui ſi forte fortuna fuiſſent æquales, tamen liberabatur reus. ejuſque rei cauſam Ariſtoteles copioſiſſime reddit in Problematibus. De calculorum more meminit Ovidius Metamorph. lib. 15.

> Mos erat antiquis niveis atriſque lapillis,
> His damnare reos, illis abſolvere culpa,
> Tunc quoque ſic lata ſententia triſtis, & omnis
> Calculus immitem demittitur ater in urnam,
> Quæ ſimul effudit numerandos verſa lapillos,
> Omnibus è nigro color eſt mutatus in album,

Plinius junior in epiſtola quadam: Nam quo magis intendam limam tuam, confitebor & ipſum me, & contubernales, ab editione non abhorrere: ſi modo tu fortaſſe errori noſtro album calculum adjeceris, id eſt, ſi noſtrum hunc errorem tuo judicio comprobaris. Lucianus in apologia: [illegible], id eſt: Haud parvo æſtimans, ſi mihi contingat, album abs te plenumque ſuffragium auferre. Plato libro De legibus 2. [illegible]. id eſt: Haud poſuerim hunc calculum. Huc adſcribendum quod Alcibiades, nolens ſeſe judicum permittere ſententiis, ait: Ne matri quidem cōfidere velle, ſed etiam hanc in ejuſmodi periculo ſuſpectum habiturum, ne nigrum calculum pro albo ſubjiceret. Ariſtides in Pericle, ſimplici verbo dixit, ἐπιψηφίζειν, pro comprobare: eamque vocem tanquam Platonicam uſurpat.

Creta notare: carbone notare.

Ad hanc formam pertinent & illa: Creta notare, pro eo quod eſt approbare: & Carbone notare, quod eſt damnare, propterea quod Pythagoras ajebat id, quod eſſet colore candido, ad boni naturam pertinere, quod atro, mali. Unde & felicia alba dicimus, infames nigros. M. Tullius in actione pro Cecinna, de teſte Sexto Clodio Phormione. Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio. Horatius:

> —— Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto:

Idem in ſermonibus,

> ——Sani, an creta, an carbone notandi:

Quem imitatus Perſius, ait in quinta Satyra:

> Quæque ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim,
> Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.

Ruſum Horatius in Odis:

> Creſſa neu careat pulchra dies nota.

Candidum calculum Creſſam notam appellat, qua veteres dies fortunatos ſignare conſueverunt. Tametſi ſunt qui hoc loco pro Creſſa, legunt Threſſa: quod hic mos fuiſſe perhibetur Tracibus. Ad hanc formam pertinet etiam illud. Unione ſignare: quod

quod ſæpius apud autores eſt, pro eo quod eſt, inter felicia proſpera que numerare. Ductum à veterum ſuperſtitione, qui unumquemque anni diem miſſis totidem in urnā, aut (ut apud Scythas) in pharetram, calculis ſignabant: quem, arbitrabantur proſperum abiiſſe, candido calculo, aut creta: quem egregie felicem, unione: contra quem inauſpicatum, nigro lapillo notabant. Perſius:

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo.

Hujus ſuperſtitionis meminit Plinius lib. 7. cap. 40. Vana, inquiens, mortalitas, & ad circumſcribendam ſeipſam, ingenioſa computat more Thraciæ gentis: quæ calculos colore diſtinctos, pro experimento cujuſque diei in urna condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atque ita de unoquoque pronunciat. Quid quod iſte calculi candore illo laudatus dies originem mali habuit? Hactenus Plinius. Plutarchus in vita Periclis, hiſtoriam refert ab his nō abhorrentem, quam fortaſſis non ab re fuerit hic ipſius verbis adſcribere: Εἰς ὀκτὼ μέρη διελὼν τὸ πᾶν πλῆθος, ἐπὶ κλήρῳ, καὶ τῷ λαβόντι τὸν λευκὸν κύαμον εὐωχεῖσθαι, καὶ σχολάζειν παρεῖχε, τῶν ἄλλων μαχομένων. διὸ καί φασι τοὺς ἐν εὐπαθείαις τισὶ γενομένους, λευκὴν ἡμέραν ἐκείνην, ἀπὸ τοῦ λευκοῦ κυάμου προσαγορεύειν. id eſt: Univerſalem multitudinem partitus in octo partes, ſortibus utebatur: & cui contigiſſet alba faba, huic cæteris pugnantibus permittebat in conviviis atque otio agere, quapropter etiam ajunt eos, quibus res alique ſuaviter ſuccedunt, eum diem album vocare, nimirum ab alba faba. Ad hanc viciniam pertinet, quod quæ præcipua ſunt, ea melioris notæ eſſe dicimus: veluti quum M. Tullius alicui ſalutem dici jubet de nota meliore. Triſtem notam dixit Livius Decad. 1. lib. 4. Poſthumius nulla triſti nota eſt inſignitus, id eſt, nulla crudelitatis infamia aſperſus.

Omne tulit punctum: Omnium calculis.

Omne tulit punctum, & cunctorum calculis, legimus pro eo quod eſt, omnium ſententia & comprobatione. Quorum prius translatum eſt à conſuetudine comitiorū, ubi tabula circumferri conſuevit, in qua puncto appoſito ſignificabant, cui candidatorum ſuffragentur. Poſterius à judiciorum ſortibus, de quibus, Paulo ſuperius meminimus. Horat.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Nam qui jucunda modo ſcribunt, iis duntaxat placent, qui voluptatem appetunt: contra qui utilia, ab iis tantum probantur, quibus utilitas quæritur. At qui voluptatem cum utilitate conjunxit, is omnium ſuffragio laudabitur. Idem in epiſtolis:

Diſcedō Alcæus puncto illius. ille meo quis?
Quis, niſi Callimachus?

Itē in epigrammate Choriambico, quod refertur à Porphyrione.

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.

Ariſtides in Themiſtocle: ὁ κοινὸς ψῆφος Ἑλλήνων, id eſt: Qui eſt cōmunis Græcorum calculus: dixit pro eo quod erat, totius Græciæ conſenſus, Cicero libro Tuſculanarum quæſt. 2. Quæ flamma eſt, per quam non cucurrerunt, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant? Agit autem de magiſtratibus, qui ſingulorum civium ſuffragiis mandabantur, Apuleius Aſini ſui libro 6. Certe calculo cunctorum, utcunq; mors ei fuerat deſtinata, id eſt omnium ſuffragiis, ſententiiſque.

Momo ſatisfacere: & ſimilia.

Τῷ Μώμῳ ἀρέσκειν: id eſt: Momo ſatisfacere. Proverbialis eſt hyperbole, Heſiodus in Theogonia & Momi cujuſdam meminit, quem ait, Nocte matre, Somno patre progenitum, Huic deo mos eſt, ipſum quidem nihil operis ædere, ſed aliorum deorum opera curioſis oculis contemplari, & ſi quid eſt omiſſum, aut perperam factum, id ſumma cum libertate carpere. Nam μῶμος Græce reprehenſionem ſonat, Ariſtoteles de partibus animalium lib. 3. meminit hujus, qui naturam incuſarit, quod bobus cornua in capite, ac non in armis potius addiderit, videlicet quo vehementius poſſint ferire. Ad quod alluſiſſe videtur Lucianus, cum in ſecundo verarum narrationum libro, ſcribit, ſe vidiſſe boves quoſdam, quibus cornua ineſſent, non in fronte, quemadmodum reliquis, ſed ſub oculis, Idque ita viſum eſſe *Momo*. Hujus idem Lucianus cum aliis compluribus locis meminit, tum in Dialogo de hæreſibus. Hujuſmodi quandam de eo fabulam refert: Minervam, Neptunum, & Vulcanum de principatu artificii inter ſe contendiſſe. Et ut quiſq; artis ſuæ præcipuum aliquod ſpecimen æderet, Neptunum taurum quendam finxiſſe, Minervam domum excogitaſſe, Vulcanum hominem compoſuiſſe Momus delectus arbiter certaminis & artis expenſor. Ille inſpecto unius cujuſque opere, præter alia quæ in reliquorum operibus reprehendit, illud potiſſimum in hominis opificio notavit, quod artifex non in pectore feneſtras aut oſtiola quædam addidiſſet, quo perſpici poſſet quid in corde lateret, quod illi ſpecioſum alioqui, multiſque receſſibus ſinuoſum finxiſſet. Cujus fabulæ mentionem facit & Plato. Philoſtratus in epiſtola quadam ad uxorem, de Momo ſcribit in hanc ferme ſententiam: Hunc in Venere nihil alioqui quod reprehenderet, inveniſſe, niſi quod ſandalium illius calumniabatur, ut ſtridulum, nimiſque loquax, ac ſtrepitu moleſtum. Quod ſi Venus citra ſandalium inceſſiſſet, ita ut emerſit à mari tota nuda, nullam omnino cauſam carpendi Momus inveniſſet Qui quidem deus tametſi non perinde gratus eſt atq, cæteri, propterea quod pauci veram reprehenſionem libenter admittant: tamen haut ſcio an ullus alius è maxima poeticorum deorum turba ſit utilior. Quanquam nunc noſtri Joves, excluſo Momo, ſolam Euterpen audiant, blanda ſalutaribus anteponentes. Hic igitur Momus varias adagiorum formas ſuppeditat. Vel cum Plato de Repub. lib. 6. ſcribit, philoſophiæ ſtudium eſſe ejuſmodi, ut ne à Momo quidē poſſit reprehendi. Vel cum Venus Lucianica tam itura in judicium, negat ſe dubitaturam, etiam ſi Momus ipſe judicaturus eſſet. Vel cum Cicero ſcribit ad Atticum, lib. 5. Quod me maxime hortaris, & quód pluris eſt, quam omnia, in quo laboras, ut etiam Ligurino Momo ſatis faciam: moriar ſi quicquam fieri poterit elegantius. Ergo proverbii ſpeciem habebunt omnes id genus formulæ: Haud dubitem tecum vel Momo judice decertare. Inculpatior eſt ejus viri vita, quam ut vel Momus ipſe poſſit carpere. Hanc faciem ne Momus quidem poſſit reprehendere. Nec Momum judicem recuſarim. Hæc vel Momo ipſi ſatis faciant. Et ſi quæ fingi poſſunt conſimiles. Ad hanc formam pertinet illud Ovidianum de forma Adonidis:

Laudaret faciem livor quoque.

Breviter, omnes id genus hyperbolæ proverbii faciem obtinent: veluti Terentianum illud: Ipſa ſalus ſi cupiat, ſervare domum hāc non poſſit. De familia deplorata. Idem de loco vehementer munito: Hanc arcem ne Mars quidem ipſe expugnarit. De homine præfracto ac pertinaci: Hujus animum ne Vertumnus quidem ipſe verterit. De fœmina ſupra modum viroſa: Hujus fœminæ libidinem ne Priapus quidem ipſe ſatiarit. De re neutiquam probabili: iſtud ne Pitho quidem ipſa perſuaſerit. De re tacitu difficili: Hos ne Harpocrates quidem ipſe aut Angerona continere queat. In tanto rerum ſtrepitu ne Somnus quidem ipſe ſomnum ceperit. De homine præter modum ſuſpicaci & diffidenti: Iſte ne Fideī quidem ipſi fidem habeat. Hic vel Argum fallat: de vehementer aſtuto. Hic miſerior eſt, quam ut ei vel ipſa invidere poſſit invidentia. Verum de his loquendi formulis admonuimus in operis hujus initio,

Pedibus in ſententiam diſcedere.

Quid ſit pedibus in ſententiam diſcedere, & quid pedaria ſententia ſatis explicuit A. Gellius lib. 3. cap. 18. id ſi transferatur ad quamlibet alienæ ſententiæ comprobationem proverbii formam accipiet. Veluti ſi quis dicat: Non eſt viri prudentis, quicquid uxori libuerit, protinus in illius ſententiam pedibus diſcedat, non contra. Ego vero in tuam ſententiam manibus pedibusque, ac toto corpore diſcedo. Translatum eſt a veteri conſuetudine, quæ ſervari conſuevit, quoties ingens erat turba ſuffragia ferentium. Livius decadis primæ, lib. 6. Ubi ſententiam meam vobis peregero, tum quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti tranſibitis. Quæ pars major erit, eo ſtabitur conſilio. Et aliquanto poſt: Quibus hæc ſalutaria videntur, agite dum in dextram partem pedibus tranſite. Omnes tranſierunt, vadentemque per intermiſſa cuſtodiis loca Decium ſequuti ſunt. M. Tullius Philippica 11. Dixit tamen ſi quis eorum qui poſt ſe rogati eſſent, graviorem ſententiam dixiſſet, in eam ſe iturum. Item in epiſtola ad Lentulum: Perſpiciebant enim in Hortenſii ſententiam multis partib. plures ituros, quam aperte Volcatiō aſſentirentur. Ibidem: Frequentes ierunt in alia omnia. Idem Planco. Frequens eum ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceſſit. Hæc ratio ferendorum ſuffragiorum, Diſceſſio dicebatur. Plinius nepos epiſt. lib. 2. Adriano: Sed quum fieret diſceſſio, qui ſellis curulibus aſtiterant, in Cornuti ſententiam ire cœperunt. Tum illi qui ſe collegæ adnumerari patiebantur, in diverſum tranſierunt. Qui ſententias interrumpebat, Intercedere dicebatur. T. Livius lib. ab Urbe condita 9. Quum omnes laudibus modo proſequentes virum, in ſententiam ejus pedibus irent, tentata paulisper interceſſio eſt. Idem ab Urbe condita 5. In quam ſententiam quum pedibus iretur, cæteri tribuni militum nihil contradicere. Plin. major lib. 1. cap. 7. non nihil notavit ſermonis formam: Sedere, inquiens, cœpit ſententia hæc, pariterque & eruditum vulgus & rude in eam curſu vadit. Vehementer ac præcipitanter aſſentiri, dixit Curſu vadere in ſententiam: & Sedere dixit, pro placere. Nam Flavius Vopiſcus in vita Aureliani imperatoris, indicat & manuum porrectione ſententiam alienam comprobari ſolere. Sic enim ſcribit: Deinde aliis manus porrigentibus, aliis pedibus in ſententiam euntibus, pleriſque verbo conſentientibus, conditum eſt ſenatusconſultum. Tale quiddam ſenſit & Saluſtius in bello Catilinario, quum ait, Sillanum poſtea permotum C. Cæſaris oratione, pedibus in ſententiam Tiberii Neronis iturum ſe dixiſſe: cæteros verbo, alias varie Cæſari aſſenſiſſe. Quintilianus dixit, Manibus pedibuſque in ſententiam diſcedere. Porro qui vultu quoq; ac geſtu ſignificant ſe aſſentiri toto corpore in ſententiam diſcedere dicuntur. Suffragiorum genus quod porrectis manibus peragitur, Græci vocant χειροτονεῖν & χειροτονίαν: quam vocem uſurpant & ſacræ literæ. ut 2. Corint. 8. χειροτονηθείς. Quin etiam Subſcribere ſententiæ, ſubſcribere judicio, ſubſcribere voluntati, ſuffragari, refragari, atque id genus aliæ metaphoræ, quoties longiuſcule trahuntur ab oratione ſimplici, in proverbii ſpeciem paulatim abeunt.

Ut Phidiæ ſignum.

Quæ primo ſtatim aſpectu probantur omnium ſuffragiis, ut Phidiæ ſignum placere dicuntur. Nam quædam ſigna non ſtatim arri-

arrident,ſed frequenter & propius inſpecta paulatim, incipiunt placere. M. Tullius eodem libro: Nam Q. Hortenſii admodum adoleſcentis ingenium ut Phidiæ ſignum ſimul aſpectum & probatum eſt. Is L. Craſſo, Q. Scævola Conſulibus, primum in foro dixit, & apud hos quidem conſules: eorum qui adfuerunt,tum ipſorum conſulum, qui omnes intelligentia anteibant, judicio diſceſſit probatus. undeviginti annos natus erat eo tempore. hæc ille. Arbitror autem Ciceronem ſentire de Jove Olympio, quem finxit inſignis ſtatuarius Athenienſis Phidias: quemadmodum refert Plin.lib.34.c.8. & lib.36. cap.5.

Ne Iupiter quidem omnibus placet.

Theognis in Sententiis:
—— Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς
Οὔθ' ὕων πάντεσσ' ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων.
—— Neque Jupiter ipſe,
Sive pluat,ſeu non,unicuique placet.

Hodieque vulgo dicunt,neminem inveniri,qui ſatisfaciat omnibus. Nam aliis alia probantur. Et:

Tres mihi convivæ,prope diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.

Pindarus in Olympiorum octavo.
Τερπνὸν δ' ἐν ἀνθρώποις ἴσον ἔσσεται οὐδέν.
Inter homines nihil erit æque jucundum.

videlicet quod alios alia delectant, & ſuum cuique pulchrum eſt. Cui ſimile eſt illud Evangelicum,quod in operis initio retulimus, cũ de parœmiæ dignitate loqueremur. ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκλαύσατε: id eſt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis, & non ploraſtis.

Servum haud veho.

—— Δοῦλον οὐκ ἄγω
Εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν.
—— Servum ego haud veho,
Niſi quis prius pro carnibus certaverit,
Certamine in navali,

Id eſt, non admitto ſervum, niſi multis magniſque ſpectatum experimentis Eſt autem carmen hoc apud Ariſtophanem in Ranis. à nobis alio citatum loco, Admonent interpretes, duplicem eſſe lectionem. περὶ τῶν κρεῶν, & περὶ τῶν νεκρῶν: id eſt, pro carnibus, & pro cadaveribus, Pro carnibus accipiunt,pro vita: carnem enim corpus appellant. Porro ſervi cum pugnant, quoniam nullas habent poſſeſſiones.pro vita duntaxat dimicant Qui legunt νεκρῶν, hanc adferunt fabulam. In prælio navali, quod actum eſt apud Arginuſas,ſuperiores extiterunt Athenienſes, vetueruntq; ne cadavera cæſorum tollerentur: & hac quoque de re digladiatum eſt. In hoc autem bello ſervi egregiam operam navaſſe leguntur: quapropter & libertate donati ſunt. Recenſetur proverbium in Plutarchi Collectaneis.

Si tibi amicum,nec mihi inimicum.

Plato in Theæteto: ἀλλ' εἰ ὄντως σοὶ φίλον, οὐδ' ἐμοὶ ἐχθρόν, φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι. Id eſt. Si iſtud tibi amicum Theodore,nec mihi eſt inimicum: quemadmodum proverbio dicunt. hoc eſt: Si tibi res placet, mihi non diſplicet. Captata eſt autem in figura vocum pugnantia,deinde τὸ ἀμφίβολον. φίλον καὶ ἐχθρόν. quorũ utrunque è perſonis ad res detorquetur: quanquam ad perſonas relata ſunt uſitatiora. Vſus erit,quoties alienæ obſequimur voluntati.

ERASMI APPEND. *Omni voce.*

Πάσῃ φωνῇ. Quod ſumma contentione aſſeritur, dicitur omni ſeu tota voce prædicari affectus vocem intendunt: & interdum mutant preces in minas, blanditias in jurgia. Plato. Significant extremum conatum & illa: Cominus & eminus niti.

Καὶ νῦν ἤδη ὑμῖν μελέτω χερσίν τε βίῃ τε.
Dein vobis curæ ſunto vireſque vigorque. Homer.

Τὸ δὲ ποθεινὸν ἔλαχε στέφανον, χερσὶ ποσὶν τε καὶ ἅρματι νικάσαις [illegible] Qui tandem deſiderabilem coronam aſſecutus eſt manibus,pedibuſq; & curribus? Pindarus.

Continere.

Τὸ ξυναυλεῖν καλοῦμεν. eſt iiſdem de rebus ſimiliter queri ξυναυλία enim eſt, cum plures tibiis eandem cantionem canunt aut cum citharæ tibia accinitur. Ariſtoph. ſic δωριστὶ ἁρμόζειν, Dorica harmonia canere,eſt moribus ab oratione non diſſentire, aut alioqui concorditer agere. Plato: Dorica muſica inter Phrygiam & Lydiam temperata erat.

IVNII. *Omnibus judicibus vincit.*

Πᾶσι τοῖς κριταῖς νικᾷ, id eſt, Omnibus judicibus vincit: de eo qui facile principatum obtinet aliqua in re, cui cuncti primas partes deferunt. Ariſtides contra criminatores, [illegible] id eſt, Ruſus nonnulli in Tragœdia ſcribenda celeberrimi? & univerſis,ut ita dicam, judicibus victores. Idem in oratione De concordia. [illegible] τοῖς κριταῖς. id eſt: Qui factioſo contrarius eſt.omnibus judicibus victor eſt.

COGNATI. *Macte virtute.*

Hæc oratio vim naturamque verbi,ac propemodum interjectionis apud Latinos habet, præter enim affectum quendam nihil ſignificat. Verum vulgo proverbii vice recepta eſt,tanquam gratulantis & approbantis alienam virtutem,remq; feliciter peractam. Lucilius lib.4. Satur.

Macte inquam virtute,ſimulque his verſibus eſto.
Nonius in *Macte*:
Macte nova virtute puer,ſic itur ad aſtra.

Itidem Livius libro 4. decadis primæ: Tum dictator: Macte virtute,inquit, Servili eſto,liberata republica. Idem lib 10. Tu quidem macte virtute diligentiaque eſto. Et Cic. Tuſcul. 1. Macte virtute: ego enim ipſe cum eodem ipſo non invitus erraverim. Horatius Satyra ſecunda:

—— Macte Virtute eſto,inquit ſententia dia Catonis.

Unde qui ſpectata ſunt virtute, eos mactos virtute vocant. Huic non diſſimile videtur illud Homericum, βάλλ' οὕτως. Athenæus ex Clearchi primo De proverbiis libro citat;

Ἰὴ παιών, ἰὴ παιών.

quod Ovidius De arte amandi acclamat. Horatius vero in Odis;

—— Io triumphe.

De quibus Eraſmus noſter. Mactus,magis auctus,teſte Feſto;non quaſi mactatus,id eſt,ſpectatus; ut H. Stephan. adnotavit,& Nannius 3. Miſcel.

COGNATI. *De meliore nota.*

Cum aliquem commendamus,dicimus, De meliore nota, quo genere loquendi eſt uſus doctiſſimus & eloquentiſſimus poeta Catullus,& Curius in Epiſtola ad Ciceronem. Niſi fallor,tranſlationẽ a vino ducimus;in quo melior & optima nota dici ſolet,quod ab eruditiſſimis. Turnebo & Lambino,obſervatum eſt. Curii autem verba hæc ſunt lib.7. Epiſt fa. Cic. Quare, Cicero mi, perſevera conſtanter nos conſervare, & Sulpitii ſucceſſori nos de meliore nota commenda. Amphoræ autem & cadi in quibus vinum erat conditum,notis ſignabantur,& titulis; ut indicat Juvenalis;

—— Cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſtæ

Proinde Cicero in Bruto ſcribit; Ut ſi quis falerno vino delectetur,ſed eo nec ita novo,ut proximis coſſ. natum velit; nec rurſus ita vetere,ut Opimium aut Anitium conſ. quærat. Atqui hæ notæ ſunt optimæ credo; ſed nimia vetuſtas nec habet eam quam quærimus ſuavitatem,nec eſt jam ſane tolerabilis.

ARROGANTIA, JACTANTIAQVE.

Sine ut incolumis redeat.

Habet proverbii ſpeciem quod eſt apud Theocritum in Hodœporis;

Εἶα λέγ' ὅττι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις
Ζωὸν ἄφες —— id eſt;
Dic age ſi quid dicis,& hoſpes ut unde profectus,
Vivus eo redeat,permittito ——

Sic & hodie dicimus iis, qui verbis minacibus & conviciis ferociunt: Eja,ſine hominem vivere. Verba ſunt Laconis ad Comatam, qui de ſe arroganter in alterum contumelioſe fuerat loquutus. tametſi locum varie interpretatur Scholiaſtes.

Arcem ex cloaca facere,

Qui rem hominemve nihili laudibus magnificis attollunt, dicuntur autem ex cloaca facere. M. Tullius pro Cn. Plancio: Nunc venio ad illud extremum quod dixiſti,dum Plancii in me meritũ verbis extollerem,me arcem ex cloaca facere,lapidem è ſepulchro venerari pro deo; neque enim inſidiarum periculum ullum, neq; mortis fuiſſe. Hactenus Cicero. In cujus verbis & illud proverbii figuram habit; Lapis è ſepulchro. de homine nullius potentiæ.

Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt.

Quod ſcriptum eſt in ludicro Senecæ, proverbii ſpeciem habet. Intellexit,inquit,neminem parem ſibi Romæ fuiſſe.illic quo non habere ſe idem gratiæ; gallum in ſuo ſterquilinio plurimum poſſe. Alluſit ad Claudium imperatorem Lugduni natum. Hodieque de cane vulgo dicunt,cum in ſuo ſterquilinio plurimum audere. In alieno timidiores ſumus omnes; in ſuo quiſque regno ferocior eſt & animoſior.

Tollere criſtas.

Tollere criſtas. Diverſa metaphora,ſenſus idem. Juvenalis;

—— Quid apertius; & tamen illi Surgebant criſtæ ——
Id eſt,ſibi placebat.

Tranſlatum ab avibus criſtatis, in quibus criſtæ erectiores alacritatis atq; animorum judicia ſunt;niſi ad militum criſtas referre malumus,quo ſane hominum genere nihil nec inſolentius, nec ſtolidus. In hanc ſententiam Ariſtophanes in Pace dixit, Detrahere criſtas: τοὺς λόφους ἀφεῖλε. id eſt,Quæ nobis criſtas detraxit. videlicet reddita pace. Contra, Submittere faſces dicuntur,qui de jure ſuo concedunt, ac legitimam poteſtatem ultro ad privatam mediocritatem demittunt. Plinius libro 7. cap. 30. Cui Pompeius confecto Mithridatico bello,intraturus Poſidonii profeſſione ſapientiæ clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit. & faſces lictorios januæ ſubmiſit,is cui ſe oriens occidenſq; ſubmiſerat. M. Tullius in Bruto: Cum enim in maximis cauſi verſa

verſatus eſſes, & cum ibi ætas noſtra jam cederet, faſceſque ſubmitteret. Et apud T. Livium in ſecundo ab urbe condita: Publicola ſubmiſſis faſcibus in concionem aſcendit. Tropus addit gratiam dicto. velut ſi dicas, Philoſophiam Theologiæ ſubmittere faſces.

Attollere ſupercilium, Ponere ſupercilium.

Plinius, Supercilia, inquit, homini & pariter & alterne mobilia. Et in his pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant faſtus. Superbia alibi conceptaculum. ſed hic ſedem habet, in corde naſcitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiuſque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet. Hactenus ille. Inde proverbio, Attolli ſupercilium dicimus faſtidium indicantes. Citat & Suidas, *ἀνασπῶντες τὰς ὀφρῦς καὶ τὰς γνάθους φυσῶντες*, id eſt, Contractis ſuperciliis & inflatis buccis. Quod Græci unico verbo dicunt *συνοφρυοῦσθαι* Lucianus à perſona ad rem tranſtulit, ſermonem arrogantem ac ſuperciliosum appellans *κατωφρυωμένους λόγους*. Poni dicitur ſupercilium, cum à faſtu receditur. Et faſtuoſos homines, ſuperciliosos nominamus. Denique ſimpliciter ipſum Supercilium pro faſtu atque arrogantia ponitur. Philoſophorum ſupercilium pro faſtu atque arrogantia ponitur. Philoſophorum ſupercilium quis ferat? Porro quod Plinius ait, ſuperciliis annuere nos, atque renuere. Homerum ſecutus eſt, apud quem verſus hic aliquoties legitur.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων.

Id eſt;

Sic ait, atque ſuperciliis pater annuit atris.

Id æmulatus Maro.

Sic ait, & totum nutu tremefecit Olympum.

Naupbracton tueri.

Ναύφρακτον βλέπεις. Nauphracton Græce, claſſis eſt ad bellum inſtructa. Solent autem in triremibus magna quædam ineſſe foramina, oculorum inſtar, per quæ remos inſerunt. Unde velut ænigmatice dictum, Claſſis more intueris, de his, qui latis ac prægrandibus, aut torvis & minacibus oculis quempiam aſpicerent. Ariſtophanes *ἐν Ἀχαρνεῦσι*.

Πρὸς τῶν θεῶν ἄνθρωπε ναύφρακτον βλέπεις.

Id eſt:

Homo per deos, quiddam obtuere claſſicum.

Fortaſſis & hinc proverbii jocus eſt natus, quod Athenienſes aliquoties feliciter navali pugna rem geſſerint. velut apud Artemiſium & Salaminam, unde ſublati animi. Unde videtur dictum in turgidos & arrogantes.

Tollere cornua.

Tollere cornua, pro eo quod eſt, animo efferri, nunc quoq; vulgo tritiſſimum eſt. Horat. de Baccho:

Et addis cornua pauperi:

Ovidius item de ebrietate:

Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit.

Tranſlatum à pecoribus, quæ cornibus oppoſitis minantur.

Horatius in Epodis:

Namque in malos aſperrimus,

Parata tollo cornua.

Arrogantia non ferenda.

In eos qui intoleranda ſunt arrogantia, non inſcite torquebitur illud ex eodem libro, ab Eumæo dictum in procos.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

Id eſt:

Horum uſque animuſque ferox, contingit olympum.

Idem in φ. dicitur ab Ulyſſe ad Eumæum.

Tuo te pede metire.

Ad eandem ſententiam pertinet illud Horatianum:

Metiri ſe quenque ſuo modulo, ac pede, verum eſt.

Lucianus in libello, cui titulus, *ὑπὲρ τῶν εἰκόνων*: *ἀλλὰ διαγνώσῃ καὶ παραμετρήσῃς τῷ οἰκείῳ μέτρῳ ἑκάτερον*. id eſt: Verum dijudices dimetiariſque propria utrumque menſura. Nimirum hoc eſt quod dixit Horatius, ſuo modulo, *οἰκείῳ μέτρῳ*: & tanquam interpres ſui adjecit, ac pede. Pindarus item:

Χρὴ δὲ κατ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον.

Id eſt:

oportet autem juxta ſuam quenque conditionem uniuſcujuſque rei ſpectare modum. Et Ariſtophanes in avibus:

Οὐκ ἀναμετρήσεις σαυτὸν ἀπιὼν ἄλλοσε.

Id eſt:

Non ipſe te remetieris hinc loci Alio profectus.

Monet adagium, ne quis ſe dilatet ultra conditionem ſuam, neve ſeipſum ex aſſentatorum laudibus, aut vulgi opinione, aut fortunę favore, verum propriis ac veris dotibus, animiq; virtutibus æſtimet. Tranſlatum ab iis, qui corporis humani modum, pedum numero æſtimant. Porro iſta cujuſque hominis menſura ſeptem ipſius pedibus conſtat, ſi quid pictoribus & ſtatuariis credimus. Eodem pertinet illud Martialis:

Qui ſua metitur pondera, ferre poteſt.

Ultra peram ſapere.

Ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν: id eſt, Ultra peram eſſe ſolicitum: Proverbiali figura dictum apud Lucianum in Timone: *ἀναγραφεῖ γὰρ καὶ* *μέτριον χρὴ εἶναι τὸν φιλοσοφοῦντα, καὶ μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν.* id eſt. Oportet enim philoſophum paucis contentum ac frugalem eſſe, neque quicquam ultra peram quærere. Quadrabit vel in philoſophum, vel in pauperem, ſed præcipue in Chriſtianum, quem Jeſus vetat cogitare de craſtino. Confine illi, Vita doliaris.

Videberis me videns plane Martem videre.

Βλέψει με πυρρίχην ... ἄρην. [illegible]

Id eſt:

Martem videre me, videberis palam.

De his qui ſe ſtrenue pollicebantur opitulaturos: ac Martē quendam acturos. Eſt alicubi apud Ariſtophanem; nam locus nondum occurrit.

Hamaxiæa.

Ἁμαξιαῖα, proverbiali verbo dicebantur ampla, magnificaq; quod perinde ſonat, quaſi Latine dicas, pluſtralia; id eſt, tanta, ut juſtum plauſtri onus videri poſſint. Unde *ἁμαξιαῖα ῥήματα* dictitabant eo pacto, quo Flaccus dixit, ſeſquipedalia verba, quod genus ſunt illa apud Ariſtophanem in Veſpis:

[illegible]

Apud Plautum item in Curculione militis nomen Therapontigonoplatagidorus: quo ſe trapezita ait ſæpenumero quatuor totas expleviſſe ceras, dum ſcribit in ſuis rationibus. Extat jocus cujuſdam in Hermetem quempiam, huſcemodi ſeſquipedalium verborum affectatorem.

Gaudet honorificabilitudinitatibus Hermes

Conſuetudinibus, ſolicitudinibus.

Athenæus libro decimo referens olim taxatam fuiſſe Theſſalorum edacitatem, cœnas illorum vocat *ἁμαξιαίας*, ſive [illegible] adfert carmen Ariſtophanis *ἐν* [illegible]:

[illegible]

Etruſlus:

[illegible]

Id eſt:

Ad Lyda quid ſe Theſſalica convia,

Theſſalica ſunt multo magis plauſtralia.

Porro Theſſali vehicula dicunt [illegible] Item lib. 7. tradidit, apud Sicyonios congros capi permultos *ἀνδραχθεῖς*: hoc eſt, tantæ magnitudinis, ut juſto pondere bajulum onerent: nonnullos etiam *ἁμαξιαίους*. hoc eſt, juſtum onus vehiculi. Quin & [illegible] dicta ſunt ingentia: vel a talento, quod apud illos habebatur majus cæteris vel e [illegible] negociatorum, varias complectentibus merces, quæ Heſychius teſtatur Græcis dici [illegible]: ſic enim ſcriptum eſt antepenultima acuta. Eas farcinas qui commercantur appellari [illegible]. Addit & nomiſma quoddam argenteum ingens dici Græcis [illegible].

Sophocles, Laudiceni.

Qui ad oſtentationem dicebant. aut recitabant, vulgato convicio Sophocles & Laudiceni dicebantur: adagium natum, ut apparet, ætate Plinii minoris cujus verba paulo altius repetemus, quo planius proverbii ſententiam intelligere liceat. Nam in epiſtola quadam adoleſcentiam quorundam ridiculam in agendis cauſis arrogantiam & ambitionem taxans, ſic ait: At hercule ante memoriam meam (ita majores natu ſolent dicere) ne nobiliſſimis quidem adoleſcentibus locus erat niſi aliquo conſulari producente. Tanta veneratione pulcherrimum munus colebatur. Nunc refractis pudoris & reverentiæ clauſtris omnia patent omnibus: nēc inducuntur, ſed irrumpunt. Sequuntur auditores actoribus ſimiles, conducti & redempti mancipes. Convenitur à conductis & redemptis in media baſilica, ubi tam palam ſportulæ quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede tranſitur. Inde jam non inurbane, *σοφοκλεῖς ἀπὸ τοῦ σοφῶς καλεῖσθαι*, vocantur. Iiſdem Latinum nomen impoſitum eſt, Laudiceni. Hactenus Plinius. Utroq; verbo notantur, qui facundi dici malebant, & videri quam eſſe. Sophocles enim Græce dicitur *ἀπὸ τοῦ σοφοῦ καὶ κλέος*. At illi debita opera, perperam interpretabantur *ἀπὸ τοῦ σοφῶς καλεῖσθαι*: id eſt, ab eo quod ſapientes vocarentur. In hoc igitur eſt, alluſio feſtiva ad poetæ tragici nomen: in Laudiceni vocabulo, ad gentis nomen alluditur.

Baſilica facinora.

Ante admonuimus, quicquid magnificum eſſet, appellari ſolere *βασιλικόν*: ut, Valete *βασιλικῶς*. & magnificas ædes, baſilicas appellabant. Plautus in Trinummo de ſervo nullius rei, ſed philoſophica quædam loquente: Dii, inquit, immortales, baſilica hic quidem facinora inceptat loqui. Notum eſt illud Pori reſponſum: qui roganti Alexandro, à quo fuerat bello ſuperatus, Quomodo te tractabo? *βασιλικῶς*, innuit. Roganti, Nunquid aliud? reſpondit *ἐν τῷ βασιλικῶς* omnia comprehendi. Nihil enim humile decet reges. Duriuſculum eſt quod Plautus dixit in Epidico: Dii immortales, ut ego perii baſilice.

Campana ſuperbia.

Felicitatis comes eſſe ſolet ferocia. Campaniam autem Italiæ quondam fuiſſe regionem longe beatiſſimam, teſtantur tum alii complures, tum Plinius lib. 3. cap. 5. Hinc, inquit, felix illa Campania eſt, ab hoc ſinu incipiunt vitiferi colles, & temulētia nobilis

ſucco

ſucco per omnes terras inclyto, atque ut veteres dixere, ſummum Liberi patris cum Cerere certamen. & cætera quæ ſequuntur, de fertilitate ſimul & amœnitate Campaniæ. Conſtat autem, Capuam olim cum Roma de principatu concertaſſe. Hinc Campana ſuperbia, & Campana arrogantia in proverbium venit. M. Tullius in oratione pro Rullo: Itaque illam Campanam arrogantiam, atque intolerandam ferociam, ratione & conſilio majores noſtri ad inertiſſimum ac deſidioſiſſimum otium perduxerunt, ſic & crudelitatis infamiam effugerunt, quod urbem ex Italia pulcherrimam non ſuſtulerunt, & multum in poſterum providerunt, quod nervis omnibus urbis exectis urbem ipſam ſolutam ac debilitatam reliquerunt. In eadem aliquanto poſt, Capuam domicilium ſuperbiæ, ſedemque luxuriæ vocat. Itaq; electi coloni Capuæ in domicilio ſuperbiæ, atque in ſedibus luxuriæ collocati. Quemadmodum in oratione habita in Senatu poſt reditum ſuum. Capuæ ne, inquit, te putabas, in qua urbe domicilium quondam ſuperbiæ fuit, conſulem eſſe, ſicut eras eo tempore? Rurſus in fragmento orationis contra eundem: Qui locus propter ubertatem agrorum, abundantiamque rerum omnium, ſuperbiam & crudelitatem genuiſſe dicitur. Ac mox: Si luxuries Annibalem ipſum Capuæ corrupit, ſi ſuperbia nata inibi eſſe, ex Campanorum faſtidio dicitur. Titus item Livius libro primo Decad. 9. ſcribit Campanis ingenitam eſſe ſuperbiam. Ad hæc Aulus Gellius lib. 11. cap. 14. Nævianum epitaphium, quod in ſeipſum tumidius prædicat, ait eſſe plenum Campanæ ſuperbiæ. Opinor autem Nævium fuiſſe Campanum. Ita quemadmodum olim omnem inſignem Perfidiam populus Punicam appellat, ſic cujuslibet ferociam Campanam appellabat. At nunc de moribus gentis nihil dicam, cæterum quum ipſe per Campaniam iter facerem, nuſquam reperi ſuccũ illum per omnes terras inclytum. Nuſquam gutta vini Phalerni, Caleni, Maſſici, Setini, Cecubi, Surrentini. Imo minimum abfuit, quin in ipſa, quæ nunc monſtratur, Capua, vinaria angina fuerimus præfocati. Implevimus totam phialam ſaccaro contuſo: vicit vinum, quovis aceto acerbius. Fere defrutis vtuntur, quod alioqui non durent uſque ad proximam vindemiam. Et ubi ſunt illa lauta vina quorum nomen patriamque vetuſtas delevit? Pulveris affatim hauſimus. Adeo natura nihil in rebus humanis patitur eſſe perpetuum.

Dea excogitavit.

Ariſtophanes in Equitibus:

> Τὸ μὲν νόημα τῆς θεοῦ, τὸ δὲ κλέμμ' ἐμόν.
>
> Id eſt:
>
> Excogitavit dea, meum ſed furtum erat.

Non ſine proverbii ſpecie dictum eſt in Rhetores, qui apud populum jactabant Minervam ipſis quod ſuaderent miſiſſe in mentem, & tamen rerum geſtarum gloriam ſibi vindicabant. Color ſumptus eſt ex Homero, ubi quoties facti ratio reddi non poteſt, Pallas dicitur ſuggeſiſſe. Pallas Athenienſium erat protectrix. Comicus autem joci gratia, pro ἅρπαγμα poſuit κλέμμα, notans Cleonis rapacitatem.

Altius Oromedonte.

Theocritus in Thalyſia:

> Ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
> Ἶσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.
>
> Id eſt:
>
> Sic mihi magnopere faber eſt inviſus, in altum
> Qui ſtruit, adnitens ſuperare jugum Oromedontis.

Allegoria proverbialis eſt, deterrens ab inſolentia, ne quis ſe præponat iis, quibuſcum nullo pacto eſt conferendus. Scholiaſtes indicat, Oromedontes eſſe montem in inſula Co. Suſpicor alluſum ad poetam Coum. Nam paulo poſt, Homerum appellat Poetam Chium.

Laureolam in muſtaceo quærere.

M. Tullius in epiſtolis ad Atticum: Bibulus cœpit laureolam in muſtaceo quærere, hoc eſt, ex frivolis negociis captare famam haud præclaram, neque magnificam. Eſt autem muſtaceum ſive muſtaceus, libi genus, cui aliquid additur de virga lauri deraſum, ac decoquitur ſuppoſitis lauri foliis, ut indicat Cato libro de agricultura. Vnde Plin. lib. 15. cap. 30. Muſtaceum dictum putat tertium lauri genus, quod ad eum uſum adhibebatur. Alioqui laurus erat triumphalis, ornamentum ædium principalium ac pontificiarum. Hanc qui non poterant aſſequi laurum, in muſtaceo quærebant laureolam. M. Tullius epiſtolarum ad Atticum lib. 5. epiſtola cujus initium, Saturnalibus mane: Bibulus, inquit, credo voluit hac appellatione inani nobis eſſe par. In eodem Amano cœpit laureolam in muſtaceo quærere. Cicero in provincia res præclaras geſſerat, Bibulus frigebat. Idem ad M. Cælium Rufum lib. 2. qualemcunq; triumphum laureolam appellat. Velles enim, ais, tantummodo ut haberem negocii, quod eſſet ad laureolam ſatis.

Palmarium facinus.

Palmarium facinus, pro inſigni ac triumpho digno dixit Terentius in Eunucho: Tum hoc alterum, id vero eſt, quod mihi puto palmarium. pro eodem M. Tullius dixit, Palmas, ut pro Sexto Roſcio Amerino: Si quemadmodum paratum eſſe audio, teſtis prodierit, tum alias quoq; ſuas palmas cognoſcet. Rurſus Philippica 11. Sexta palma urbana, etiam in gladiatore, difficilis. ſed hæc judicum culpa, non mea eſt. Plautus in Muſtellaria, palmam idem uſurpavit in malam partem, loquens de adoleſcente, qui ex moribus continentiſſimis degeneraverat ad mores corruptiſſimos. Is nunc in aliam partem palmam poſſidet.

Periſtromata Campanica.

Origenes opus quoddam varias tractans materias στρωματεῖς, Inſcripſit: ſumpta metaphora ab auleis & ſtragulis picturatis, quibus olim divites impenſe delectabantur. quod ad hominem verſipellem transferri poteſt. Siquidem aulæa explicata aut complicata, & rurſus aliter atque aliter complicata, varias rerum formas præbent. Leno in Pſeudolo Plautina minitatur ſuis famulis hoc modo: Ita ego veſtra latera loris faciam ut valide varia ſint, ut ne periſtromata quidem æque picta ſint Campanica. Campania quum floreret opibus, præter modũ luxui ac deliciis indulgebat. Campanicis periſtromatibus Plautus adjungit Alexandrina tapetia. De Atagena dictum eſt alias.

Pulchrum ſepulchri elogo.

Non videbatur in proverbiorum claſſem referendum, niſi nominatim proverbii titulo referretur apud Procopium libro De bello Perſico 1. ſub perſona Auguſtæ, Juſtinianum maritum ſic alloquentis. Igitur optime imperator, volenti nunc vivere procul dubio nullo negocio licet: pecuniæ nobis magna vis, mare opportunum, navigia multa. Conſidera tamen, ne ſervato tibi contingat, vitæ jucunditatem cum mortis ad extremum acerbitate commutare, mihi autem antiquum ſane placet proverbium. Quam pulchrum eſt in ſepulchri elogio imperatorem aſcribi. Quoſdam novi, qui in extremo vitæ magnis impendiis redemerunt galerũ Cardinalicium, ut in ſepulchro titulus aſcriberetur.

Phaniæ janua.

Φανίου θύρα: id eſt, Phaniæ janua. Euſtathius in Odyſſeæ ω. oſtẽdit dictum de his qui ſimulant ſeſe congeſtas opes habere, quę nuſquam ſunt. Ductum a Phania quodam, qui falſam de ſe præbuerit opinionem, quaſi multam divitiarum vim domi conſtructam ac reconditam haberet. Diximus alibi de Phani janua, in proverbio, Phani oſtium: quod an idem ſit cum hoc, nec ne, viderint docti.

Sybaritæ per plateas.

Συβαρῖται διὰ πλατείας: id eſt, Sybaritæ per plateas: contra faſtuoſius ingredientes per viam ſeſeque velut oſtentantes. Sumptum adagium a faſtu luxuque Sybaritarum. Aphricanus in oratione quæ ceſtis inſcribitur: Sed enim, inquit, Sybaritæ faſtu præturgidi. Venuſtius erit, ſi paulo longius detorqueatur: veluti ſi de homine inſolentius ſe gerente, aut arrogantius de ſe loquente aut de ſtylo phaleratiore dicas: συβαρῖται διὰ πλατείας. Cognatum eſt illi, quod alio dictum eſt loco, δημοπαγίτης. Refertur adagium à Suida atque Zenodoto.

Cicadis pleni.

Τεττίγων ἀνάμεστοι: id eſt, Cicadis operti. In glorioſos ac ſtultos olim dicebatur, aut obſoletis, ac jam deſitis utentes. Antiquitus enim Atticus mos erat, capillorũ cincinnis aureas cicadas addere. Unde & τεττιγοφόροι dicti ſunt: hoc indicio ſignificantes, αὐτόχθονας eſſe ſeſe, id eſt, indigenas: quemadmodum & cicadæ non aliunde commigrant, ſicut pleraque alia, ſed inibi naſcuntur ubi vivunt. Ariſtophanes in Nebulis:

> Ἀρχαῖά γε καὶ διπολιώδη, καὶ τεττίγων ἀνάμεστα,
> Καὶ Κηκείδου καὶ βουφονίων.
>
> Id eſt:
>
> Priſca hæc ſane atque obſita canis, nec non repleta cicadis:
> Ac Cecide, cum buphoniis.

Cecides pervetuſtus quiſpiam fuit dithyramborum ſcriptor. Buphonia item, feſtum priſcum, & jam olim ob vetuſtatem deſitum. Quæ ſane omnia proverbiali ſchemate ſunt dicta.

Ex Academia venis.

Ἀκαδημίαθεν ἥκεις: id eſt. Ex Academia venis. De ſevero & compoſito, ſeu docto. Sumptum à Platonis ſchola. Quanquam & per ironiam torqueri poterit in faſtuoſum, & vultu tetrico philoſophum agentem. Quin Athenæus lib. 12. ſignificat dictum in nitidos & cultu inſignes, quod his Plato delectaretur mundiciis. Ita Antiphanes Philoſophum elegantius cultum ubi depinxiſſet, apud hunc ipſum: τί μακρὰ δεῖ λέγειν; ὅλως αὐτὴν ὁρᾶν τὴν Ἀκαδημίαν δοκῶ. id eſt: Sed quid neceſſe eſt plura dicere? ipſam videre videor mihi Academiam.

Ingredi Iunonium.

Βαδίζειν ἡραῖον ἐμπεπλεγμένον. id eſt: Incedere complicatum Junonis ſacrum. Extat & hoc apud Athenæum libro Dipnoſophiſtarum 12. Dictum apparet in faſtuoſum ac lentum quorundam inceſſum, quem notat & Horatius in ſermonibus.

> Vt ſi Junonis ſacra ferret.

Summis unguibus ingredi.

Ἐπ' ἄκρων ὀνύχων: id eſt. Summis unguibus. Metaphora proverbialis in eos, qui avidius auſcultant. Nam ii ſolent ſemet in ſummos pedes erigere, καὶ ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν: i. Summis ingrediens pedum unguibus: in faſtuoſos. Refertur adagium ab Ariſtophanis interprete ἐν ἀχαρνεῦσι, putatque hunc alluſiſſe poetam, cum ait.

Εὐθύς, ἀλλ' ἐπὶ τοῖς στεφάνοις ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκάθησθε.

id eſt :

Summis natibus mox reſidetis, animos addente corona.

Id eſt :

Efferimini, vobisque placetis.

Cœlum territat.

Proverbialis hyperbole apud Vergilium in Æneide :

—Et cœlum territat armis.

Convenit in minaces & feroces, Thraſoneſq; magniloquos. Sumpta videtur a bello Giganteo : quæ fabula notior, quam ut hic ſit repetenda. Confine huic illud Syneſii in epiſtola contra Andronicum : τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανὸν ἐξαράττειν ἐπιχειρεῖ, id eſt : Capite cœlum perrumpere conatur.

Ex uno multa facere.

Ἐξ ἑνὸς πολλὰ ποιεῖν : id eſt, Ex uno multa facere, proverbio dicebantur, qui rem quampiam minutim ſecabant. Quadrabit in eos qui idem aliis atq; aliis modis variant, ut non jam unum, ſed plura videantur. Plato in Menone : καὶ παῦσαι πολλὰ ποιῶν ἐκ τοῦ ἑνός, ὅπερ φασὶ τοὺς συντρίβοντάς τι ἑκάστοτε οἱ σκώπτοντες. id eſt. Ac parce ex uno plura facere, quo dicto taxant eos, qui rem quampiam undecunque comminuunt. Narratur apud Titum Livium belli Macedonici lib. 5. non illepida fabula de caupone quodam, qui ſuis unius carnes tum vario coctas apparatu proponebat, ut dux Romanus admiratus rogaret, unde nam media bruma ſuppeteret tanta venatus copia. Tum arridens caupo, confeſſus eſt, eas omneis ciborum ſpecies ex uno ſue domeſtico confectas fuiſſe. Neque ſecus iſti faciunt, inquit, qui commemorandis variis & hortendis nominibus vos territant, cum hæc omnia una gens ſit.

Cœlum digito attingere.

Proverbiali nimirum hyperbole, digito cœlum attingere dicuntur, qui longe ſupra mortalium conditionem, ac diis proximi eſſe videntur. M. Tullius ad Atticum lib. 2. Noſtri autem principes digito ſe cœlum putant attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant. Cognatum illi quod alias ex eodem retulimus, In cœlo eſſe. Ad conſimilem modum Horatius.

Quod ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera vertici. Ovidius :
Huic tu quum placeas, & vertice ſidera tangas.

Et apud Theocritum in Hœdeporis.

—Ὅκκα τὺ ἀλλᾶ
Αὐτίκα τὺν ἄρνα, ἐς οὐρανὸν ὔμμιν ἁλεῦμαι.

Id eſt :

Agnum quando tuli, vobis in ſydera abibo.

Lyſimachus quum ad Thraciam perveniſſet, velut occupatis extremis regni finibus : Nunc inquit, Byzantii ad me veniunt, poſteaquam cœlum attingo lancea. Eam vocem inſolentiſſimam ita caſtigavit Paſiades Byzantius, qui tum forte aderat, ut diceret : Abeamus, ne lanceæ mucro cœlum pertundat.

Iovis ſandalium.

Τῦ Διὸς σάνδαλον : id eſt, Jovis crepida. Per ironiam dicebatur in eum, qui magni quippiam videri vellet, propter principis alicujus familiaritatem : veluti ſi quis inſolens ac ferox, quod regius ſit coquus, aut Imperatoris ſatelles, aut Pontificius tonſor, appoſite dicetur, Διὸς σάνδαλον. Nihil autem vetat, quo minus & ad rem accommodetur : ut ſi quis equum regium, aut veſtem miretur, quemadmodum vulgus facere conſuevit, non ob aliud, niſi quod regis ſit. Suidas ex Eupolide citat.

Imperitus anaxyride indutus, omnibus id oſtentat.

Ἀγροῖκος ἀναξυρίδα περιθέμενος, πᾶσι ταύτην ἐνδείκνυσι : id eſt : Imperitus ſubligaculum ſive brachas indutus, paſſim eas oſtendit. In eum congruit, qui propter inſolentiam, etiam ineptiſſimis rebus effertur. Nam rerum imperitis quicquid peregrinum ac novum eſt, videtur elegans. Eruditi quidam putant anaxyridem Græcis dici, quas Latini vocant brachas ſive Feminalia, quæ tegebant mediam corporis partem una cum feminibus. Brachæ igitur Barbaricæ veſtis genus erat, ſed præcipue Gallorum quorundam, unde & Gallia Brachata eſt. Anaxyriden vero & Perſis in uſu fuiſſe declarat Strabo. Vidimus & Venetæ patritios juvenes ſi quando peregrinantur gaudere Gallicis ſubuculis, abſque veſte ſuperiore, quod idem domi non faciunt. Quadrabit & in eos, qui ſibi videntur aliquid, quod Gallice loquantur inter Germanos : aut qui vocibus obſoletis, obſcuris aut peregrinis venditant ſeſe. Subolet hoc ab Apoſtolio additum ex hujus ætatis adagiis.

Faſtuoſus maximus.

Κόμπος μέγιστος. id eſt, Faſtuoſus maximus. In eum dicebatur, qui ſibi plus ſatis arrogaſſet in ſapientia. Sumptum a moribus Maximi cujuſpiam arrogantis, & ſibi immodice placentis. In nonnullis exemplaribus invenio κομπασμὸς μέγιστος. Græcis κόμπος arrogantiam inſolentiamq; ſignificat : unde κομπεῖν καὶ κομπάζειν. Proinde & Euripides, γλώσσης τε κόμπον : id eſt, linguæque faſtus. Recenſetur & in Diogeniani collectaneis

Tanquam argivum clypeum abſtulerit, ita gloriatur.

Ὡς τὴν ἐν Ἄργει ἀσπίδα καθελὼν σεμνύνεται : id eſt, Superbit tanquam Argivum clypeum detraxerit. In faſtuoſos, & magnificentius ſeſe gerentes dicebatur : Ajunt apud Argivos ſacrum quendam eſſe clypeum, clavis affixum, ut facile detrahi non poſſit. alii dicunt, apud eos ordinem, ac delectum juvenum viribus antecellentium, ἀσπίδα id eſt, clypeum appellari. Autor Zenodotus.

Homo bombylius.

Βομβύλιος ἄνθρωπος : id eſt, Bombylius homo, dicitur verboſus, multique ſtrepitus, cæterum inutilis. Bombilius Græcis, apis aut veſpæ genus, a ſonitu ſicuti videtur, appellatum : ingens, ſed ad mellificium inutile : favos ſibi nectit e luto. Eſt ingens apis ac muſca, quam a ſtrepitu ſic dixerunt. Heſychius addit βομβυλίδας Græcis dici bullas, quas naſci videmus ex aqua, quæ mox evaneſcunt. Idem bombylion dici poculi genus, quod paulatim exſtillante potu, ſonitum reddit in modum animantis, de quo dictum eſt : quanquam & huic a bombo vocabulum. Apud Suidam quidam tibicinem, pro bombylio, βαμβαύλιον dixit addita litera α, παρὰ τὸ αὐλεῖς βομβεῖν. Quin & M. Tullius Philippica 3 meminit cujuſdam Bambalionis, hominis nihili, & impeditæ linguæ. Bambalio, inquit, quidam pater homo nullo numero. Nihil illo contemptius, qui propter hæſitantiam linguæ ſtuporemque cordis cognomen ex contumelia traxerit. Heſichius ait Græcis βαμβαλύζειν eſſe labris tremere. Nam id accidere ſolet hoc vitio linguæ laborantibus, quemadmodum & frigore horrentibus. Quanquam autem hæc vox variis modis deſcribitur, tamen eadem eſt origo, nimirum a ſono titubantes loquentium, aut vehementer algentium. Adagium refertur apud Zenodotum.

De pulmone revellere.

Dubium non eſt, quin ad proverbiorum formam pertineat & illud Perſianum, De pulmone revellere : pro eo quod eſt, ſtultam & arrogantem opinionem animo eximere.

Dum veteres avias tibi de pulmone revello.

Tumorem animique faſtum in pulmone collocant : unde μεγαλόπνοιαν, apud Græcos. Et idem Perſius alibi.

Grande aliquid, quod pulmo anima prælargus anhelet.

Ipſe dixit.

Αὐτὸς ἔφα : id eſt, Ipſe dixit. Quoties tantam eſſe cujuſpiam autoritatem ſignificamus, ut ea vel citra rationem ad quid vis credendum ſufficiat, ut in arcanis literis ſatis eſt, αὐτὸς ἔφα : in reliquis nō item. Adagium autem a Pythagora natum : qui quo plus venerationis & autoritatis ſibi ſuiſque conciliaret, in diſſertationibus dicere ſolitus eſt, αὐτὸς ἔφα : id eſt, ipſe dixit, perinde quaſi non ſua referret ſed ab oraculo quopiam accepta. Ea vox deinde in vulgarē abiit ſermonem. Hujuſmodi ferme Suidas. Diogenes Laertius indicat hoc dictum a Pythagora Zacynthio manaſſe. Quanquam M. Tullius libro De natura Deorum 1. ſecus rem narrat. Non enim, inquit, tam autores in diſputando, quam rationis momenta quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque iis qui diſcere volunt autoritas eorum, qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum judicium adhibere : id habent ratum, quod ab eo, quem probant, judicatum vident. Nec vero probare ſoleo id quod de Pythagoricis accepimus : quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, quum ex his quæreretur, quare ita eſſet : reſpondere ſolitos, Ipſe dixit. Ipſe autem, erat Pythagoras. Tantum opinio præjudicata poterat, ut eſſet ſine ratione valeret autoritas. Quintilian. in inſtitutionibus : Nam & inviti judices, inquit, audiunt præſumentem partes ſuas : nec hoc oratori contingere inter adverſarios, quod Pythagoræ inter diſcipulos contigit, poteſt : Ipſe dixit. Sed iſtud magis minuſve vitioſum eſt, pro perſonis dicentium. Allufit horſum & Ariſtophanes ἐν Νεφέλαις :

Φέρε τίς γὰρ οὗτος, ὁ 'πὶ τῆς κρεμάθρας ἀνήρ ;
Αὐτός. τίς αὐτός ; Σωκράτης. ὦ Σώκρατες,
Ἴθ' οὗτος ἀναβόησον αὐτόν μοι μέγα.
Αὐτὸς μὲν οὖν σὺ κάλεσον, οὐ γάρ μοι σχολή.

Id eſt :

Dic age quis eſt iſte cremathræ inſidens homo ?
Ipſe eſt. quis ipſe ? Socrates ? quis Socrates ?
Ab ipſius ipſum voce magna mihi voca.
Quin ipſe magis acceſſe, non mi eſt ocium.

Quod autem dixit, ὁ 'πὶ κρεμάθρας (ut hoc obiter indicem) riſus cauſa novatum eſt : cum Socratem intelligi vellet, animo ſuſpenſo nubes ſuſpicientem. Nam cremathra vaſculum eſt penſile, in quo obſoniorum reliquiæ conſueverunt reponi. Dicitur autem bifariam, ſimpliciter aliquoties, ſed frequentius per ironiam : veluti ſi quis Ariſtotelem, ceu oraculum citanti dicat, αὐτὸς ἔφα, rationem dicti flagitans, neque contentus ſimplici ſcriptoris autoritate. Conveniet etiam, quoties ſententiæ vel invidiam vel defenſionem a nobis ad ipſum autorem rejicimus.

Juvenalis :

Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Melius Horatius :

Nullius addictus, jurare in verba magiſtri.

Illud admonendum videtur, αὐτὸς ἔφα, in hac parœmia perinde valere, quaſi dicas, Dominus dixit : ut Pythagoras ab Ægyptiorum vatibus videatur didiciſſe figuram hanc Prophetis familiarem. Ariſtophanes in Ranis :

Φράσον ταῖς ὀρχηστρίσιν, ὅτι αὐτὸς εἰσέρχομαι.

Id eſt :

Dic ſaltatricibus, meipſum advenire.

hoc

hoc eſt herum: quod is quodammodo & famulis miſſis advenire videatur. Item id Prophetis arcanis: Ecce ipſe adſum, id eſt, Dominus & autor. Huc pertinent quæ nobis antea dicta ſunt proverbio, Invito aculeo. Sic Auguſtinus alicubi recenſens opinionem Manichæi, ni fallor: Hæc, inquit, Manichæus dixit, atq; abiit: notans illum, quod ſat haberet dixiſſe, quum docendum eſſet quod dixerat. Galenus item lib. περὶ φυσικῶν δυνάμεων 1. πάντα καὶ τὰ τοιαῦτα εἰπὼν, ἐξαίφνης ἀπῆλθεν ὡς τι φεύγων ... id eſt: Hæc & his ſimilia loquutus, repente ore nihil cunctante quaſi labi non poſſet, verbis apertis abſoluit ſermonem, moxque proripiens ſeſe abiit, nobis ita relictis, quaſi nihil omnino reperire poſſemus, quod vel probabiliter contradiceremus.

Auro loquente nihil pollet quævis oratio.

Χρυσοῦ λαλοῦντος πᾶς ἀπρακτεῖ τις λόγος.
Πείθειν γὰρ οἶδε, ϰ᾿ οὐ λέγων μηδὲν λέγει. id eſt:
Auro loquente, ratio quævis irrita eſt.
Suadere ſiquidem novit, & loquens nihil.

Proverbium indicat, munera ubique longe plurimum valere. Vulgaris jocus ait, tinnulas rationes præcipuam habere vim ad perſuadendum: pecuniam indicans.

Ne mihi Suffenus eſſem.

Ne mihi Suffenus eſſem, ne mihi ipſi blandirer, ac ſtulte meipſum admirarer. Suffenus erat poeta longe ineptiſſimus in aliorū vitia dicax, ad ſua cæcus. Itaque proverbium receptum, ut qui ſibi inaniter placerent, Suffeni dicerentur. Catullus in epigrammate:

Idem infaceto eſt infacetior rure,
Simul poemata attigit: neque idem unquam
Æque eſt beatus, ac poema cum ſcribit:
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.

Ibidem:

Quem non in aliqua re videre Suffenum Poſſis——

Suffeni ſimilimum Mævium facit Horatius, ſuis ignoſcentem vitiis, aliena mordaciſſime inſectantem:

——Egomet mi ignoſco, Mævius inquit.

Pennas nido majores extende.

Eſt apud Horatium in epiſtolis, non dubitem quin proverbialis metaphora: Pennas nido majores extendere, pro eo quod eſt, rem fortunamque, quam mediocrem aut tenuem a majoribus acceperis, auctiorem reddere. Quod quidem, ſi virtute fiat, ſumma laus eſt, tantum abeſt ut vitio dandum exiſtimem.

Me, inquit, libertino natum patre & in tenui re,
Majores pennas nido extendiſſe loqueris,
Ut quantum generi demas, virtutibus addas.

Translatum ab avium pullis, qui ſic grandeſcunt, ſubnaſcentibus plumis, ut materno nido capi non poſſint.

Ne ſutor ultra crepidam.

Huic finitimum eſt illud, Ne ſutor ultra crepidam: id eſt, Ne quis de his judicare conetur, quæ ſint ab ipſius arte, profeſſioneq; aliena. Quod quidem adagium natum eſt ab Apelle, nobiliſſimo pictore. De quo Plin. lib. 35. cap. 10. ſcribit in hunc modum. Idem perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atque poſt ipſam tabulam latens, vitiaque notarentur, auſcultabat, vulgū diligentiorem judicem quam ſe præferens: feruntque a ſutore eſſe reprehenſum, quod in crepidis una intus pauciores feciſſet anſas. Eodem poſtero die ſuperbe ob emendationem priſtinæ admonitionis cavillante circa crus, indignatum proſpexiſſe, denuncıantem ne ſupra crepidam ſutor judicaret. Quod & ipſum in proverbium venit. Hactenus Plin. Huic ſimillimum eſt, quod refert Athenæus, Stratonicus citharœdus fabro ſecum de muſica contendenti, non ſentis, inquit, te ultra malleum loqui? Eodem pertinet, quod hujus nepos in epiſtolis ſcripſit. De artificio non recte judicare quenquam, niſi & ipſum artificem. Quodque primo Moralium libro dixit Ariſtoteles. Earum rerum unumquenque judicem eſſe idoneum, quarum ſit eruditus. Et quod idem ſcripſit libr. 2. Naturalium, Cæcum diſputare de coloribus. Quæ verba jam inter noſtri temporis ſcholaſticos in proverbium abierunt, quoties quiſpiam de rebus ignotis diſputat. Ad eandem ſententiam referendum, quod ait Fabius Pictor apud Quintilianum, Felices futuras artes, ſi ſoli artifices de iis judicarent.

Canei haſta.

Τὸ Καινέως δόρυ; id eſt, Cænei haſta. Cæneus Elati filius, Lapitharum rex, prius fuerat elegans puella; è puella converſus eſt in virum, annuente Neptuno, quem ad coitum admiſerat. Cui illud etiam donatum eſt, ne ſaucius ullis vulneribus fieri, ferrove occumbere poſſet: quemadmodum refert Ovidius xij. Transformationum libr. Ferunt hunc certaſſe cum Apolline. Præterea morem huic fuiſſe, ut qui ad ſeſe venirent, jubere per ſuam haſtam jurare; unde proverbium arreptum, ut indicat enarrator Apollonii in Argonauticæ primum librum. Quem locum adducit Euſtathius in primum Iliados librum. Is addit, illum quum eſſet ætatis ſuæ hominum præſtantiſſimus, fixo in medio foro jaculo, præcepiſſe diis, ut numerarent. Qua ferocia offenſus Jupiter pœnas de illo ſumpſit. Quum enim bellum gereret cum Lapithis, eſſetque invulnerabilis, hoc pacto devicit hominem. Lapithæ quercus & abietes in eum jaculantes dejecerunt illum in terram.

Gigantum arrogantia.

Γιγάντων ἀπόνοια: id eſt, Gigantium amentia. Dicebatur, ubi quis viribus ſuis fretus, temere, nulloque conſilio res non tentandas moliretur. Tractum à notiſſima gigantum fabula. Proverbium admonet inauſpicato cedere, quæcunque citra conſilium, adverſus deos, adverſus pietatem, adverſus jus & æquum, per vim inſtituuntur. Horatius in odis:

Vis conſili expers, mole ruit ſua,
Vim temperatam dii quoque provehunt In majus:——

Homerus item Iliados ψ. elegantiſſima ſententia demonſtrat in omni negocio nimio plus habere momenti rationem, conſiliumque, quam corporis vires:

Μήτι τοι δρυτόμος μέγ᾿ ἀμείνων ἠὲ βίηφι.
Μήτι δ᾿ αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ
Νῆα θοὴν ἰθύνει ἐρεχθομένην ἀνέμοισι.
Μήτι δ᾿ ἡνίοχος περιγίγνεται ἡνιόχοιο.

Id eſt:

Conſilio ſane multo quam robore præſtat
Hirſutam quicunque parat ſuccidere ſylvam:
Conſilio rurſum nauclerus in æquore nigro
Dirigit undivagam navim raptantibus auſtris:
Conſilio auriga aurigam vincitque præitque.

Ariſtoteles libro de Rhetoricis ii. citat hunc verſum trochaicum, tacito autoris nomine:

Θνατὰ χρὴ τὸν θνατὸν, οὐκ ἀθάνατα τὸν θνατὸν φρονεῖν.

Id eſt:

Non decet immortalis ut qui eſt, curet immortalia:
Sed magis mortalis ut qui eſt, cogitet mortalia.

Magis ſibi placet, quam Peleus in Machæra.

Μέγα φρονεῖ μᾶλλον ἢ Πηλεὺς ἐπὶ τῇ μαχαίρᾳ: id eſt, Magis ſibi placet, quam Peleus ſua machæra. In eum competit, qui præter modum re quapiam inſolens eſt ac tumet. Ajunt autem hunc gladium a Vulcano fabrefactum, a diis dono datum fuiſſe Peleo, virtutis illius ac prudentiæ ſymbolum. Quo quidem ille utens & in præliis & venatibus conſequebatur quicquid optabat. Zenodotus ait, hujus mentionem factam & apud Anacreontem & apud Pindarum.

Hic Rhodus, hic Saltus.

Αὐτοῦ Ῥόδος, αὐτοῦ πήδημα. id eſt, Hic Rhodus, hic ſaltus. Vulgo jactatum de his qui ſeſe de negotio quopiam jactarent inſolentius, cujus fides non extaret. Sumptum ex apologo, qui fertur inter Æſopicos. Adoleſcenti cuidam jactanti ſeſe, quod dum Rhodi eſſet, admirabiles feciſſet ſaltus, quidam ex auditoribus interpellato ſermone: ἰδοὺ Ῥόδος, inquit, ἰδοὺ πήδημα, id eſt, Ecce Rhodus, ecce ſaltus: Convenier igitur, ubi quis jubetur re præſtare, quod alibi ſe feciſſe jactat. Ovidius:

——Sua narret Ulyſſes
Quæ ſine teſte gerit.——

Arbitror huic affine, quod dictum eſt apud Theocritum in Hodœporis.

Αὐτεῖ μοι ποτίγεσδε, καὶ αὐτεῖ βουκολιάσδευ.

Id eſt:

Mecum iſthic certa, ſimul iſthic paſcito tauros.

Quidam quum tutum eſt glorioſa loquuntur: ubi præſto periculum, tergiverſantur. his occini poterit hoc carmen. Simili figura Græci quum jubent protinus numerari præſentem pecuniam, αὐτοῦ καταβάλλε, id eſt: Hoc ipſo loco depone. Apud Athenæum lib. 6. ἔπειτα μοι πάρεχε αὐτοῦ καταβάλλε, id eſt: Deinde ſi pecuniam præſentem numeraris. quanquam in excuſis codicibus habetur αὐτῆς, ſed mendoſe, ni fallor.

Atticus in portum.

Ἀττικὸς εἰς λιμένα: id eſt, Atticus in portum. In eos dicebatur, qui illic virtutem oſtentare ſolent, ubi tutum eſt, atque ubi nihil opus. A nautis Atticis ſumptum, qui portum ingreſſuri oſtentandi ſui gratia, magnifice ſeſe gerebant: in ipſa re, hoc eſt in prælio navali, non perinde ſtrenui.

Calliphanes.

Καλλιφάνης. Calliphanes. Ridicula quædam hujus hominis ambitio, proverbiali joco fecit locum. Ajunt enim huic fuiſſe poetæ morem, ut diverſorum carminum & orationum initia conſcriberet, ad tres aut quatuor verſus, eaque pronunciaret oſtentaretque: quo commentum ignorantibus, multiſcius & eruditus videretur. Meminit hujus Athenæus Dipnoſophiſtarum lib. 1. atque cognomen fuiſſe Parabryconti. Neque vero deſunt his noſtris temporibus id genus impoſtores literarii: quibus hoc modo ſtudium eſt, ex ſummis aliquot diverſæ profeſſionis autorib. locos aliquot inſignes, nec eos admodum vulgatos ediſcere. Quibus inſtructi, non verentur in conciliabulis quemvis quantumlibet eruditum adoriri. Atque illud aſſequuntur prompte decantandis illis locis ſuis, ut imperitis plane Solones eſſe videantur. Cum quibus tamen Solonibus, ſi tertium aut quartum congrediare, Deum immortalem! nihil infantius, nihil indoctius, videlicet theſauris illis ſemel effuſis. Vix hæc ſcribens a riſu tempero, cum recordor Calliphanis cujuſdam, quem olim cognovi, cum in familia clariſſimi patris

Henrici Bergenſis, epiſcopi Cameracini verſaretur. Sed nomini parcetur, propter convictum domeſticum. Is permulta volumina concinnabat, exornabatque: ſed chartis inanibus, niſi quod in fronte videre erat magnificos quoſdam titulos: velut carminum, orationum, epiſtolarum. Singulis præſcriptum erat hominis tergeminum nomen, ut qui titulos forte legiſſent, crederent eruditum, & in literis multa magnaque molientem.

Bullatæ nugæ.

Ventoſa atque inania, bullata dicuntur. Sumpta metaphora περὶ τῶν πομφολύγων: de quibus alias dictum eſt in proverbio, Homo bulla. Perſius:

—Bullatis ut mihi nugis
Pagina turgeſcat.—

Bullatas nugas appellans inanem perſtrepentium vocum congeriem, in quibus nihil ſubſit ſolidioris ſcientiæ.

Horatius nugas canoras vocavit in Arte poetica.
Quam verſus inopes rerum, nugæque canoræ.

Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil opus.

Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil opus, id eſt: Vera virtus non eget alienis præconiis: aut: Res præclaræ per ſe placent, neq; deſiderant exoticam commendationem. Sumptum apparet a cauponum more, qui vinariis tabernis ſignum hederaceum ſolẽt prætendere. Ita Plautus idem in Pœnulo: Invendibili merci oportet ultro emptorem adducere, proba merx facile emptorem reperit.

Horatius:
—Ubi largius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere merces.

Selliſſare.

Σελλίζειν proverbiali joco dicebantur glorioſi, faſtuque præturgidi. Suidas admonet ſumptum a moribus Selli cujuſpiam, qui cum re eſſet perquam tenui, tamen affectabat haberi dives. Torqueri poterit & in eos, qui ſe doctrinæ jactitant ac venditant opinione, cum a literis ſint alieni. Heſychius indicat, Græcis idem ſignificare σελλίζεσθαι ἢ ψελλίζεσθαι. Qua voce ſemel atque iterum uſus eſt Plato in Gorgia: & ψελλὸς dicitur, qui ſigma craſſius profert. qua de re nonnihil attigimus in proverbio, ἢ ψελλοῦ [illegible]. Addit Heſychius, nonnunquam σελλίζειν idem eſſe quod ἀλαζονεύειν: videlicet adſtipulans Suidæ.

Divinum excipio ſermonem.

Plato libr. De Republic. 6. demonſtrat proverbii vice in ore fuiſſe vulgo: θεῖον ἐξαίρω λόγον. id eſt: Divinum excipio ſermonem quoties, opinor, glorioſius aliquid dictum eſſet, omnis gratia deos excipiebant, qui nihil non poſſunt, & quibus nemo præſcribit. Platonis verba ſubſcribam: οὔτε γὰρ γίγνεται οὔτε γέγονεν, οὐδ' οὖν μὴ γένηται ἀλλοῖον ἦθος πρὸς ἀρετὴν παρὰ τὴν τούτων παιδείαν πεπαιδευμένον ἀνθρώπειον, ὦ ἑταῖρε. θεῖον μέν τοι κατὰ τὴν παροιμίαν ἐξαίρω λόγον. id eſt. Neque enim ſunt, neque fuerunt, neque futuri ſunt mores aliter ad virtutem inſtituti, quam ad horum inſtitutionem. De humanis loquor, amice: at divinum (juxta proverbium) excipio ſermonem. Apparet eſſe fragmentum carminis jambici:

Θεῖον ἐξαίρω λόγον.

fortaſſis ex Homero natum:

—Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Id eſt:

—Divi tamen omnia poſſunt.

Accommodari poteſt ad ſummos principes, veluti Pontificem, aut Cardinales, aut Monachos.

Ex Append. Eraſm. *Altius Oromedonte.*

Ὥς μοι καὶ τέκτων μέγ' ἀπέχθεται, ὅστις ἐρευνῇ
Ἴσον ὄρευς κορυφᾷ τελέσαι δόμον Ὠρομέδοντος.
Sic mihi magnopere faber eſt inviſus, in altum
Qui ſtruit, admittens ſuperare jugum Oromedontis.

De inſolentibus, quique ſe præponunt iis, quibuſcum ne comparandi quidem ſunt. Oromedon mons altiſſimus in Coo inſula. Theocritus.

Salacones.

Quemadmodum Codrus & Irus ob inopiam in vulgi fabulam abierunt, ita & Salacon quidam ob ſummam in extrema inopia arrogantiam: adeoque σαλάκων vocatur πένης ἀλαζών, pauper arrogans: & σαλακωνεία ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία, in paupertate arrogantia: quin & σαλακωνίζειν, ac σαλακωνεύειν, fractum & effœminatum eſſe, ἀλαζόνα τρυφερὸν εἶναι, καὶ τρυφερεύειν. Suid. Heſych. Theo. At Ariſt. exponit in genere σαλακωνείαν, τὸ ἐν οἷς οὐ δεῖ μεγαλοπρεπεύεσθαι, cum volumus circa ea quoque ſumptuoſi eſſe, quæ ſumptu & magnificentia digna non ſunt.

JUNII *Delphinis in terra vires.*

Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία: id eſt, Vis Delphini in terra. videtur dici de eo, qui vires ingenii in negocio cui par nõ ſit, periclitatur, & judicii lubricum ferre vult, ubi impos ſit. Plutarchus in Demoſthene, comparare & expenſo judicio ſententiam ferre de Ciceronis & Demoſthenis orationibus ac ſtylo, male ſani hominis, neque vires ſuas exploratas habentis eſſe exiſtimat: Idem namq; agere illum, quod Delphinus, velociſſimum agilliſmumque in mari animal, ſed in arida humo deſtitutum, ſui impotens citoque expirans: unde Pindarus pernicitatem ſummam volens oſtendere, dixit, θαλασσίαν παραμεύεται δελφῖνα. id eſt: Marinum Delphina ſuperat. verba ejus ſunt ex Jone Chio ſumpta: τύχοι δ' ὡς φασὶν ὁ ἴσος δελφῖνος ἐν χερσαίᾳ. id eſt: illuc namque contingit uti Delphinis robore in tellure, quod Ion dixit Quadrabit non male in pauperem qui litigare velit cum potentiore opibus affluente, qui litem in longum extrahere corruptelis poſſit, illo interim exhauſto. talis namque δελφῖνος βίᾳ ἐν χέρσῳ nititur. Deniq; in quemvis, ſupra vires tentãtem aliquid, ſupra crepidam ſutorem, ſupra malleum fabrum.

Coturnicis naturam induere.

Ὀρτύγων ἀναλαβεῖν φύσιν: id eſt, Coturnicum induere ingenium. Proverbium dicitur in pugnaces, & feroci ingenio homines, quique velut re præclare geſta criſtas attollunt. Natura coturnicum ea eſt, quod in ludicro certamine productæ (quod olim uſitatiſſimum fuiſſe, ex Polluce & Ariſtophanis commentariis diſcimus) vel etiam inter ſe ipſæ concertantes depugnent collidantq; ſe mutuis ictibus, & caput cervicemque arduam altius attigant, ut in gallinaceis videri licet. Ariſtides ſophiſta de quodam deprecante nẽ Sparta muris cingeretur, ita exultit apud Philoſtratum: μὴ δῆτ' ἐν τείχει ἐκλιπεῖν ἀξιώμεθα, ὀρτύγων ἀναλαβόντες φύσιν. id eſt: Ne capita illidamus mœnibus coturnicum aſſumpto ingenio.

Opulentum ſpirat.

Qui nihil mediocre ſpirat, ſed magnifica omnia crepat, aureos tantum non montes ſemper in ore habens, ἀφνειὸν πνεῖ: id eſt, Opulentum ſpirare, proverbiali figura dicitur. Philoſtratus de Pelope in Iconib.

ὁ δ' ἐκεῖ φρονῶν ὅλη καὶ ἀφνειὸν πνεῖ.

Id eſt:

At ille clarum quiddam & opulentum ſpirat.

Ubi obiter indicandus eſt error Græci codicis: in quo male legitur, ἀφνειόν. Fuit autem Pelops Tantali filius ditiſſimus, cujus talenta in proverbium abiere.

Ampullas loqui.

Ampullari dixit Horatius epiſtola 3 libro primo, pro verbis tumidis uti, qualibus cothurnus Tragicus ſolet ibi.

An Tragica deſævit & ampullatur in arte.

Idem in arte poetica, Ampullas vocat verba grandiloqua & turgida, quorum egeno homini ineptus uſus eſt. ibi:

Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

Simili ratione φυσήματα efferunt Græci proverbiali figura. Ita Hyperides orator de Demea. Demadæ oratoris è tibicina filio, dixit os illi magna in ſuggeſtu crepanti obſtruens: οὐ σιωπήσεις πλεῖον τῆς μητρὸς ἔχων τὸ φύσημα. Id eſt: Num tacebis qui amplius matre phyſema habes. φῦσα proprie follem Græcis ſonat, à flatus argumento: at φύσημα: bullam ſpiritu inflatam & tumentem, unde ad inanem futilium hominum garrulitatem transfertur, ita quod Theodoritus poeta de Vulcano dixit, φυσητῆρσι μεγάλοισι χρῆσθαι, id eſt, Utricularibus follibus uti, poterit contorqueri in blateronem cujus pleni ſpirent mendacia folles. Hinc non abludit oraculum de Athenienſibus editum.

Μή μοι Ἀθηναίους αἰνέετε, μέλλουσ' ἔσονται.

Id eſt:

Ne mihi Cecropidas laudetis, erunt etenim utres.

hoc eſt, elati & tumidi. Eſt autem ampulla, lecythi aut olearii vaſis genus, grandi ventre tumens. Porro quod annotat Eraſmus, apud Plautum in Menæchmis, Ampullaceam dici fœminam magnifice excultam: vitio pravorum codicum deceptus eſt, in quibus ita legitur: quum ejus loco ſcribatur rectius in emendatioribus libris (quos ſingulari induſtria in lucem emiſit Joachimus Camerarius, vir reſtituendis bonis literis & adjuvandis natus, præclarum Germaniæ ornamentum) ancillas, penum. id quod & locus poſtulat.

Lapitha.

Λαπίθης Lapitha falſe vocatur proverbio homo faſtuoſus quique vulgi animos commovere præſumit, & in ſui admirationem trahere magnos ſibi ſpiritus ſummendo: ὁ ἀσχημονίας, παρὰ τὸ τοῖς λαοῖς εἰς ὄψιν ἄγειν [illegible]. ſonat enim λαπίζειν, vocabuli etymon ſpectantibus, plebis perſuaſorem, quod de ſe jactabundus magnopere glorietur ſic enim annotatum eſt ab Euſtathio, Iliados ; Eo ferme ſenſu extuliſſe videtur Plutarchus in libello, quo Stoicos alieniora a communi hominum exiſtimatione invexiſſe diſputat, quum ait: ὁ δὲ Στωϊκὸς Λαπίθης, ὥσπερ ἐξ ἀδαμαντίνης ὕλης αὐτοῖς τῆς ἀπαθείας σφυρήλατος. i. Stoicus iſte Lapitha fabricatus velut ex adamantina materia, impaſſibilitate quam ipſi invexerunt. Porro Lapithæ heroicum genus fuere in Theſſalia, Centauris perduelle, à Lapitha Apollinis & Stilbes nymphæ filio ortum ducentes.

Lemnium obtueri.

Λήμνιον βλέπειν, id eſt, Lemnium obtueri, de truculento & quaſi igneo aſpectu proverbialiter dici oſtendit Euſtathius Iliad. t. & exponit, δεινὸν καὶ πυρῶδες βλέπειν. Lemnii homines efferi & immanes ferebantur, qui natos ſibi ex Atticis fœminis liberos nefarie trucidarunt, teſte Herodoto, unde & Lemnia manus, pro ſanguinaria, & lemnium malum, de inſigni & inevitabili malo natum eſt.

Citatur

litatur ab Heſychio, addita cauſa, quoniam in Lemno inventus ſit ignis. Quid? quod primi ferrarias officinas, fabricatis exitio mortalium & ad cædes repertis telis inſtituerunt: qua de cauſa & Sinties, à nocendi argumento nuncupati fuere.

Tigranem ſalutare.

Tigranem ſalutare, ſpecie proverbii dicimr, cui res eſt cum faſtuoſo & potentia elato homine, qui humana ſorte majorem ſe ducit. Ita uſurpatum video à Cicerone ad Atticum lib. 2. Quid enim ad plebem tranſiſti? ut Tigranem ires ſalutatum? narra mihi, Reges Armenii patricios ſalutare, non ſolent. Dialogiſmus eſt. quo cum Publio jam plebejo facto inſtituerat litigare: Pompejus quo plebeja cauſa nitebatur, inſolentior erat. unde Sampſiceramum velut Syriæ dominum, & Arabarchen quaſi Arabum regem cum nominat non ſemel Cicero. Porro regum Perſarum & Armeniorum tantus fuit faſtus, ut nunquam ſe homines cõfiteri dignarentur, ut in Panegyricis Mamertini legitur. Fuit autem Tigranes Armeniæ rex potentiſſimus, qui Mithridatem Ponti regem rebus ſuis diffidentem confirmavit atque erexit.

Groſſus maturus eſui ineptus.

Πέπων ἐρινὸς εἰς βρῶσιν ἀχρεῖος ὢν ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ: id eſt, Maturus quum ſis groſſus eſui ineptus, alios loquela tua groſſis expolias. Extat apud Sophoclem in Helenes nuptiis: & citatur ab Euſtathio Iliados 20. ut proverbiale in hominem indoctum & inſcitum, qui ſe doctiores erudire præſumat. Verſus ſuis numeris integri leguntur in tertio apud Athenæum, hoc modo.

Πέπων δ' ἐρινὸς ἀχρεῖος ὢν
Εἰς βρῶσιν ἄλλους ἐξερινάζεις λόγῳ.
id eſt:
Maturus groſſus eſui ineptus,
Aliis verbo groſſos excutis.

Talem γεροντοδιδάσκαλον compoſita voce dixit in Satyris Varro, qua notatur arrogantis ingenii adoleſcens, qui ſupra ætatem plus quam ſenes ſapere velit, quæ dictio in duas perperam diffiſa apud Nonium Marcellum legitur non uno in loco, Aldinis exemplaribus legentibus γέροντος διδασκάλῳ, pro unico γεροντοδιδασκάλῳ. Eſt autem ἐρινὸς agreſtis ficus arboris fructus, groſſum vocant: qui frugiferæ ficui appenſus, pediculis ex ea in groſſos emicantibus (ut annotat Suidas) efficit ut perficiantur ejus fructus.

Verba ſine penu & pecunia.

In oſtentatores opum immodicos, quum nec araneus illis in arca ſit, aut in crumena teruncius, & quorum verba res non ſequitur, juxta vulgi dicterium, convenit illud Plauti ex Captivis.

Quibus ſunt verba ſine penu & pecunia.

Eſt autem elegans alluſio in vocibus cognatis penus & pecunia: illud in rebus ad uſum comparatis, hoc in præſentibus opibus quæritur.

Nihil ad medicorum arrogantiam.

In faſtuoſum & elato ſupercilio oſtentatorem, illud Euphronis comici in Synephebis contorquebitur.

Μέγας δ' ἐστὶ σοφιστὴς κοὐδὲν τῶν ἰατρῶν εἰς ἀλαζονείαν.

Magnus ſophiſta eſt, nihilque ad medicorum ſupercilium. Natum ex intolerando veterum quorundam medicorum faſtu: inter quos primus recenſeri meretur. Menecrates Syracuſanus, qui Jovis cognomen ſtulte uſurpabat velut qui ſua arte vitam mortalibus exemplo Jovis daret. quo nomine glorïabundus veluti cætum quendam Conſentium deorum ſibi aſciſcebat eos ipſos, quos comitiali morbo obnoxios ſanitati reſtituerat, ſacramẽti lege obſtrictos, juſſoſque famulantium more ſubſequi, hunc Herculis habitu, illum Mercurii, chlamide talaribus caduceoque inſtructum. rurſus alium Apollinis, alium Æſculapii amictu: quum interim ipſe Jupiter præ omnibus emineret, purpureo paludamento aureaque corona conſpicuus, manuque ſceptrum tenens, pedibus crepidatus. Neq; ſtetit intra hoſce fines vecordia hominis, ſed in majus etiam erupit, quando ad Philippum Macedonum regem per literas in hunc modum ſcripſiſſe legatur. Menecrates Jupiter Philippo ſalutem. Tu quidem Macedoniæ rex es: ego vero Medicinæ. Tu ſanos quum velis, perdere potes: at ego ægros ſervare in vita, & bona valetudine preditos, qui mihi obſecundaverint, ad extremã uſque ſenectam incolumes & integros tueri. Quapropter te Macedones armis ſtipant: me vero victuri, ſiquidem illis Jupiter ego vitam largior. Cujus inſanæ belluæ protervìam trib⁹ verbis caſtigaſſe contentus fuit Phil. ita reſcribens: Philippus Menecrati mentis ſanitatem. Eidem ad cœnam vocato cum aſſecla deorum ſuorum comitatu, medio in triclinio loco editiore menſam adornari juſſerat Philipp⁹, magnifico & ſacrorũ apparatu, exſtructa inſuper media in menſa ara, in qua fructuũ omnis generis primitiæ adolebantur, ita ut quum cæteris convivis fercula varia apponerentur, huic cum aſſeclis ſuis pueri thymiamata libaminaq; qualia in ſacris ſolent, adolerent. Qua ratione exceptus, quum nihil inferretur quod eſuriem placaret, irriſus, ludibrioque omnium ſannïſque traductus, è convivio cum ſuis proripuit ſe, indignabundus: uti ab Hegeſandro literarum monumentis conſignatum fuit. Ejuſdem vecordiæ æmulus fuit Themiſon Cyprius, Antiocho regi in deliciis habitus, ut Athenæus refert. Æqualis arrogantia traducitur in Theſſalo medico apud Galenum, qui novam ſectam condidiſſe ſe glorians, edito ad Neronem volumine, Hippocratem priſcoſque medicos noxia præcepta tradidiſſe inſimulat, nihilque proficui prodidiſſe.

Tragici cothurni ſtrepitus.

Tragici cothurni ſtrepitus ab Ammiano Marcellino uſurpatur proverbialiter pro oſtentatione & magnicrepa verborum jactantia. ſic enim ait libr. 20. de Lupicino armorum magiſtro: Bellicoſum ſane & caſtrenſis rei peritum, ſed ſupercilia erigentem ut cornua, de Tragici, quod ajunt, cothurni ſtrepitu. Ut autem Comicorum proprius eſt ſoccus, ita Thragicorum cothurnus: ille vulgaria & plebeja tractat humili ſtylo: hic altiſonus heroum regumque res & fortunas perſequitur. unde & pro ſublimi & grandiore genere accipiunt. Virgilius in Bucolico carmine:

Sola Sophocléo tua carmina digna cothurno.

Propertius poeta alicubi:

Deſine & Æſchyleo componere verba cothurno.

Horatius Odarum 2. ad Aſinium Pollionem:

Grande munus Cecropio repetes cothurno.

Simile huic adagio eſt illud Theodoriti de Marco Arethuſio: τὰ δέ γε Μάρκου δράματα τῆς Αἰσχύλου καὶ Σοφοκλέους μεγαληγορίας δεῖται, ἵν' ἀξίως τὰ ἐκείνου τραγῳδήσωσι πάθη id eſt: Marci factum Æſchyli & Sophoclis cothurno opus habet, ut dignis verſibus Tragice deſcribant ea quæ ſit perpeſſus.

Cenſorium ſupercilium.

Cenſorium ſupercilium proverbialiter dixit Lu. Seneca in Declamationibus pro eximia gravitate, & tetrica ſeveritate, ubi ait: Affectabat enim cenſorium ſupercilium, quum alius animo eſſet. quanquam in nonnullis codicibus legatur ibi, faciebat, pro affectabat: & alias, pro alius: ſed utrumque male: Cenſores Romæ erant magiſtratus quinquennalis, penes quos authoritas maxima erat, ſummumque arbitrium animadvertendi in mores civium. nam & ſenatores loco movere, troſſulis, hoc eſt, equitibus equos adimere, plebejos infamia notare, illis licebat.

Angularis Bombyx.

Γωνιοβόμβυκες hoc eſt, angulares bombyces proverbii facie dicuntur vani eruditionis oſtentatores, qui in triviis & platearum angulis cœtus hominum faciunt, ut doctrinam populo ſuam venditent. qui moribus indoctioribus plerumque familiaris eſt, qualem deſcribit Agathius Vranium Syrum, qui ante regiam porticũ obambulans & in librariis officinis, magnifice crepabat, & in corona hominum altercabatur, nihil exacte ſciens, & tamen plurima ſe ſcire jactitãs. Is mos apud Italos inolevit, majore oſtentationis, ne dicam altercationis quam doctrinę aut profectus periculo: Herodicus Babylonius in quodam epigrammate, grammaticorum nationem proſcindit dicterii iſtius aſpergine: φεύγετ' Ἀρισταρχεῖοι γωνιοβόμβυκες. id eſt: Fugite procul Ariſtarchei angulares bombyces, aut obſtreperi culices. βόμβυξ inſecti genus, ab obſtrepero murmure, quod βομβεῖν ſonat, nomen habens quod & βομβύλιοι.

JUNII. *Briareus, alias lepus.*

Βριάρεως φαίνεται, ὢν λαγώς: Briareus apparet eſſe, quum ſit lepus. Competit in Thraſonica jactantia feroces, qui de ſe magnifice crepant, deque ſua virtute, lepore timidiores, cum res poſtulat viros. Poſidippus comicus in Tripudiantibus:

Εἶτ' ἀγὸς οὗτος εἴ τις αὐτὸν μισθὸν ἔχει
Φολίδι τὴν ἢ δράκοντα σιδηροῦν
Ἐφάνη Βριάρεως, ἂν τύχῃ δ' ἐστὶ λαγώς.

Stipem merentum ductor iſte ſquammeo
Thorace tectus, aut dracone ferreo
Briareus videtur: ſi ferat res eſt lepus.

Briareum centum manibus armavit fabula, Jovi auxiliarem à cæteris diis per inſidias appetito: unde ἑκατοντάχειρος. Homerus centimanum Latini, & centum geminum Virgilius vocant: nominis etymo robuſtum & prævalidum ſignificante. Id enim eſt βριαρός, manu validus. Meminit ejus Homerus.

—Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοὶ ἄνδρες δέ τε πάντες
Αἰγαίωνα: —

Lepore vero nihil eſſe meticuloſius fugaciuſque, oſtendit & hyperbole proverbialis, λαγὼ ἢ λαγωοῦ δειλότερος. Lepore timidior. Nazianzenus in funebri orationem patris publicanos ait Briareí manus pecuniis publicis immittere: innucos, undecunque hamatis manibus diripere reip. vectigalia. ſic enim ait, τὰς Βριάρεω χεῖρας ἐπιβάλλοντας τοῖς δημοσίοις.

Non verbis, at factis opus eſt.

Οὐ λόγων ἀγορὰ δεῖται ἡ Ἑλλὰς, ἀλλ' ἔργων.

Id eſt:

Non verbis indiget Græciæ forum, ſed factis.

Citatur proverbiale Suidas, dicique admonet, ἐπὶ τῶν κομπαζόντων, hoc eſt, in Thraſonice arrogantes. & tumidis verbis cælum ipſum territantes. Huc alluſiſſe videtur Virgilius in xj. ubi Drancen lingua quam dextra meliorem hoc dicto caſtigat Turnus:

——Sed non replenda eſt curia verbis.

Talem inſimulat Græcorum gentem T. Liv. lib. 8. lingua magis ſtrenuam, quam factis.

Megabyzi ſermones.

Μεγαβύζου λόγοι, id eſt, Megabyſia dicta, proverbiali ſchemate dicuntur ſuperba, & inſolentius, ac velut elato magnumq; ſpiranti animo dicta, quaſi μεγαφῶνα: cujuſmodi Thraſonica apud Romanas aures vocitantur. A Megabyces ſatrapis regis Parſarum, in quo genere hominum ferocia pleruṁque & impotens ſupercilium ſpectatur, nata parœmia. Megabyzi meminit non ſemel Herodotus. Sic Megabocchum appellat Cicero Pompejum, haud vano inſolentiæ ſingularis convicio, quod Bocchum Africæ potentem regem faſtu tyrannico imitaretur.

Ruſticanus Oenomaus.

Ἀρουραῖος οἰνόμαος, id eſt, Ruralis Oenomaus, proverbio dicitur, qui magnos ſibi ſpiritus ſumit, & de præclara nobilitate aut inſigni eruditione ſe jactat, ruſticis alioqui moribus & è plebe natus, aut proletaria doctrina imbutus. Demoſthenes oratione de Corona utrumque ferme in Æſchine notat, quem patre ſervo natum, & ſubito oratorem factum inceſſit, quum ille pro Tromete Atrometum, velut impavidum, parentem ſuum præferret, & pro Empuſa à ſpectri cujuſdam ſimilitudine ſic dicta, matrem Glaucotheam, Nymphæ marinæ nomine vocitaret, deinde & Oenomaum Sophoclis tragœdiam malum hiſtrionem male egiſſe Æſchinem inſimulat. Proinde his verbis invehitur in eum: τοῦτο δ᾽ ἐστὶ φύσει κίναδος ἄνθρωπος, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς ὑγιὲς πεποιηκὼς, οὐδ᾽ ἐλεύθερον, αὐτοτραγικὸς πίθηκος, ἀρουραῖος οἰνόμαος. id eſt: Hic homuncio natura eſt vulpecula, qui nihil unquam ſani fecit, aut liberale quod fuerit, ipſiſſima tragica ſimia, rure natus Oenomaus: quanquam Philoſtratus paululum immutata lectione, non αὐτοτραγικὸς compoſita dictione, ſed fortaſſis ita, οὐδ᾽ ἐλεύθερον αὐτὸ, τραγικὸς, &c. divulſum legiſſe videtur, quum in Ariſtide Sophiſta ita meminit: ἐπὶ δὲ τραγικὸν πίθηκα, καὶ τὸν ἀρουραῖον οἰνόμαον. id eſt: De tragica ſimia, & rurali Oenomao. Fuit autem Oenomaus Piſæ ditionis rex, Alxionis, Pauſania teſte, filius, vel ut alii fabulantur, Martis ex Sterope Atlanthide aut ſecundum alios ex Harpinna Aſopi, pater Hippodamiæ, qui inſigni crudelitate filiæ procos non paucos interemit, Heſychius annotat. Ruſticanum Oenomaum à Demoſthene dictum Æſchinem, eo quod vicatim pagos circumiret, Sophoclis Oenomaum hiſtrionico habitu actitans.

Ambitioſior Cleophonte.

Φιλοτιμότερος Κλεοφῶντος, id eſt, Ambitioſior Cleophonte. Proverbialis hyperbole in vecordem & indoctum, gloriæ plus æquo ſtudioſum. Cleophon homo ignobilis caſeario patre natus, literarum ignarus, primas ſibi in repub. partes Athenis vendicabat: in quem Plato comicus fabulam Cognominem Cleophontem docuit, cujus ſemel atque iterum meminit Athenæus. extat apud Ariſtophanem. Dicitur itaque in ſcriptorem ineptum qui tamen de principatu doctioribus non concedat.

Gigantiſare.

Γιγαντιᾶν, Græci proverbialiter uſurpant, pro gigantum in morem tyrannice in alios ſtatuere, aut pro libidine ſubditis imperare: Piſides de Choſroe Perſarum rege (de quo multa Procopius & Agathius in ſcripta retulerunt) ſcribens, ita inquit:

Γιγαντιᾷ δὲ καὶ τυραννεῖν θέλει.

Id eſt:

Gigantem agit tyrannidemque ſuſcipit.

Legimus & γιγαντιαῖον ὄνομα, nomen giganticum, pro magno, quodq; multis ſyllabis connexum eſt, cujuſmodi olim divites audire gaudebant, pro Simon Simonides, ut eſt apud Lucianum: aut cujuſmodi ſunt ſeſquipedalia verba. Ariſtophani frequentiſſima: vel certe pro nomine late divulgato & celebri propter facinora ingentia. quin & in epigrammatibus Græcis, γιγαντείαι χεῖρες, manus gigantææ pro validis, toroſis & ingentibus leguntur. Sibylla quoque lib. 8. oraculorum, violentiam Romæ inceſſens eam χερσὶ γιγαντείαις, id eſt, gigantæis manibus uti inſimulat. Sic procera corporis ſtatura homo, minimeque vulgari, γιγαντώδης velut gigantæus vocatur. Suidas ex incerto authore: ἐβάσταζε τὸ σῶμα γιγαντώδης εἶναι, καὶ τὸν θυμὸν θηριώδης: Corpore gigantem ferebat, animo belluam. David propheta ſolis magnitudinem giganti comparat, Pſalm. 18. eo namque ſimilitudinem refert Nazianzenus his verbis: λάμπει τις ὡς νυμφίος, ἀγαλλιῶν ὡς γίγαντος, id eſt: Fulgentis in modum ſponſi prægrandis ad inſtar gigantis. Gigantes autem immani corporis mole homines, & propter robur eximium in reliquum vulgus duriores fuiſſe, tyrannidemque affectaſſe, etiam Moſis liber de mundi fabrica ſcriptus teſtatur: quos Nephilim Hebræa lingua nominat, terroris argumento, quo vulgus hominum metu præpeditum humi procumbere coram illis ſolebat. Memini legiſſe aliquando in divi Menæ templo, quum illud expiraretur, ſpecum ingentem repertum fuiſſe, in quo permulta gigantum oſſa, viſendæ magnitudinis ſepulta fuerint: quæ omnia Anaſtaſius Imperator, tam miraculo obſtupefactus, in palatium ſeponi curaverit. Solomon in parœmiis proverbialiter dixit, In cœtu Gigantum commorari: pro, opprimi & male diſperire.

Pallenicum tueri.

Παλληνικὸν βλέπειν, Pallenicum tueri dicebantur, qui magnos ſpiritus præferebant, & maſculum animum. Varinus exponit παλληνικὸν βλέπειν, ἀντὶ τοῦ γενναῖον, generoſum obtueri. Sumptum videtur à pugna, qua occubuerunt in Pallenæis agris Athenienſes, Piſiſtrato ad tyrannidem aſpirante, vel potius à conflictuque Gigantes in Phlegræis campis (Pallene autem Thraciæ urbs vetus Phlegræ nomen mutavit) decertaſſe cum diis fabulæ produnt, hiſtoriam ex Theagene ita memorat Stephanus: Phlegræ incolæ gigantes dicebantur: ad quos profectus Hercules gentis protervam & immanitatem accuſando, animos illorum efferavit in ſe, itaq; correptis armis ad manus cum illis veniens, pro hoſpitali teſſera bellum inferentes occidit. Contigit autem durante conflictu tonitrua & fulmina edi. inde nata fuit opinio vulgi, fabulæ locum dans, quod dii cum gigantibus debellaſſent ibi locorum. Euſtath. Odyſſ. 9. βαλληνικὸν βλέπειν dici annotat & βαλληνικὸν, à Pallene, quæ & Ballene, Thraciæ oppido: & eſſe ænigma quod innuat inimicum etiam ſaxis licere ferire, χερσὶν οἷον τε καὶ λίθοις βάλλειν, τὸν ἐχθρόν.

Iube factu proclivia.

Τῶν δυνατῶν τι κέλευε· οὐ γὰρ παρὰ κενταύροισι.

Præcipito factu proclive: nec eſſe furentes
Centauros inter te certum eſt.—

Verſus eſt ſpondaicus, quo imperioſi hominis, & duriora nobis imponentis libidinem caſtigabimus: ſumptus ex Teleclide Athenienſi. Verſus autem finem proverbii ſpecie, torquere apte licebit in clamoſos, qui intempeſtivis clamoribus pertinaciter cauſam obtinere volunt, uno pugnis interdum potius, quam æqualitate & ... παρὰ κενταύροις: Neque verò inter Centauros verſaris, aut res tibi eſt.

IVNII. *Saperdæ videmur, quum ſimus σαπροί*

Proverbialis eſt ſententia Varronis ex Modio, & fabulæ nomen eſt, in eos qui ſua, qualiacunque tandem ſint, mirifice approbant, ſuis operibus, ſuis inventis impenſe favent, cœco quodam ſui amore ducti:

Omnes videmur nobis eſſe belluli,
Et feſtivi ſaperdæ, quum ſimus σαπροί.

Ita namque corrigenda eſt lectio apud Nonium Marcellum: ubi nec ſervata ex lex ſenatiorum, & pro σαπροὶ perperam ſapere legitur, ludit enim in ambiguis & affinibus voculis Saperdæ & σαπροὶ: quarum illâ ſapientes & venuſti ſignificatur, hac putidi & marcidi.

BRASSICANI.

Campana ſuperbia.

Aulus Gellius noctium Atticarum lib. 1. cap. 24. Epigramma Nevii plenum eſſe Campanæ ſuperbiæ ſcribit. Sic autem habet:

Immortales mortales ſi fas foret flere,
Flerent divæ Camœnæ Nevium poetam.
Itaque poſtquam eſt orchio traditus theſauro,
Obliti ſunt Romæ lingua Latina loquier.

Campanam ſuperbiam vocat arrogantem inſolentiam & inſolentiſſimam arrogantiam: quo nomine male audiunt Campani apud veteres. Cic. in oratione poſt reditum in Senatu: Capuæ ne te putabas, in qua urbe domicilium quoddam ſuperbiæ fuit, eſſe conſulem? Idem de lege Agraria contra Rullum. ſuperbia Capuæ nata. & rurſus: Campani ſemper ſuperbi bonitate agrorum, magnitudine fructuum, ſalubritate aeris, & pulchritudine regionis. Ex hac copia nata illa arrogantia, quæ a majoribus noſtris alterum conſulem poſtulavit. Idem: Itaque illam Campanam arrogantiam atq; intolerandam ferociam ratione & conſilio majores noſtri ad inertiſſimum & deſidioſiſſimum ocium perduxerunt. Livius Decad. 1. libro 9. ſcribit eſſe Campanis ingenitam ſuperbiam. Rurſus de Campanis Decad. 3. lib. 6. ſic inquit, Inde ingens ferocia ſuperbæ ſuopte ingenio genti crevit.

Ne Sannione domi relicto.

Idem lib. 14. Agitant familiarium agmina, tanquam prædatorios globos poſt terga trahentes, ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto. Adagium ex Eunucho Terentiana dicitur in eos, qui cum in publicum prodeunt, magnifico & frequenti comitatu delectantur, quo potentiores eſſe videantur. Ejuſmodi multos in principium aulis invenias, qui paſſim ſervorum & comitum multitudinem contrahant, quum apud veteres, ut Athenæus docet & Apulejus in prima apologetica meminit, præſtantiſſ. quiq; Romani paucitate famulitii (ſic enim ille inquit) glorati ſint. M. Antonius octo ſervos habuit. Manius Curius cum duobus tantum calonib. uteretur, pauciores ſervos habuit, quam triumphos. Marcus Cato tres tantum ſervos in Hiſpaniam ex urbe ſecum duxit. Idem authore Plutarcho quinque tantum ſervos in militia habuit. quod & de Scipione Æmiliano Plinius ſcribit, eum duobus tantum ſervis, ſi quando etiam ad reges mitteretur, eſſe uſum.

Laureolam in muſtaceo quærere.

Cicero lib. 5. epiſtolarum ad Atticum: Venit interim Bibulus, credo voluit hac appellatione nobis eſſe par, in eodem Amano cœpit Laureolam in muſtaceo quærere. Proverbio ſignificamus aliquem in re minima multum gloriæ quærere: Plinius ſcribit lib. 15. cap. 30. ex ſententia Pompeji Lenæi, Laurum muſtaceis ſubjici ſolitam, quæ ob id cognomento vocaretur Muſtace.

Tritones piſcinarum.

Cicero lib. 2. Epiſtol. ad Atticum: Erit nebulo iſte cum iis dynaſtis in gratia, non modo de Cynico conſulari ſed ne de iſtis quidem piſcinarum tritonibus poterit ſe jactare. Tritones piſcinarum appella-

appellat, qui ob potentiam aut aliam præſtabilem facultatem in republica partes aliorum ſibi vendicant.

Vbi uber, ubi tuber.

Indicat, opulentiæ comitem eſſe faſtum & ſuperbiam. Apulejus. Terentius in Hecyra: Quia paululum vobis acceſſit pecuniæ, ſublati animi adſunt. Vide ſupra in Collectan. ex Godofredo Idem proverb.

VLPII *Vter.*

Proverbialiter homo faſtuoſus & ſuperbus à Græcis μολγὸς vel ἀσκὸς vocatur, quod ſcilicet in modum utris inflatus tumeat. Ariſtophanes:

> Μή μοι Ἀθηναίους αἴνει· μολγοὶ γάρ εἰσιν.
> Me mihi Athenienſes laudate, utres ſunt.

Neſcit ſeipſum.

Contrarium eſt Delphico oraculo: Noſce te ipſum. Competit in ſuperbos, arrogantes & homines inflatos. Notatur etiam Philautia, quod vitium, homines vel talpa cæciores in propriis erroribus reddit Chryſoſt.

COGNATI. Γοργιάζειν.

Γοργιάζειν apud Syneſium proverbialiter accipi videtur, pro eò quod affectatum eſt & turgidum: & ab hujus viri ſtudio Theſſali γοργιάζειν dicebant, τὸ ῥητορεύειν oratorem agere: quod in Philoſtrati epiſtolis legitur.

Piſces magni parvulos comedunt.

Id apud Græcos & majores noſtros in uſu fuit, & adhuc hodiè vulgo nos uſurpamus, cum de injuriis opulentorum querimur, ſignificamusque novum non eſſe, quod tenuiores exuantur patrimonio à potentioribus: ſumptum ab animante immani, atque experte omnis humanitatis. M. Varro in Menippeis lib. quem Margopolim ſive περὶ ἀρχῆς inſcripſit apud Nonium:

> Natura humanis omnia ſunt paria:
> Magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.
> Qui pote plus urget, ut ſæpe minutos.

Polybius xv. lib. hiſtoriarum, [illegible] id eſt: Nec faciunt (inquit) hoc more tyrannico ſed modicum aliquem dedecoris prætextum præmittunt & confeſtim impudenter ac ferociter ſic agunt, ut atrocitas ipſorum, vitæ piſcium conformari poſſit: de quibus fertur, quod cum ejuſdem generis ſint nihilo tamen minus minorum perditio majorum ſit cibus & vita. Inermes enim & debiles in prædam potentiorum cedunt. Eam autem eſſe in piſcibus feritatem, ut in genus ſuum ſæviant, multi optimæ notæ authores prodiderunt: ut Oppianus lib. 2. ἁλιευτικῶν, id eſt, Piſcatoriorum, his verſibus:

> [illegible]
> id eſt:
> Piſcibus autem neque juſtitia eſt æquabilis, neq; ullus pudor,
> Non amicitia. Omnes enim inimici inter ſe
> Infenſi natant. Fortior autem ſemper
> Vorat infirmiores. Alii autem annatat alius
> Mortem agens. Alter autem alteri præbet cibum.

Neque tantum a majoribus minores, ſed interdum quoque majores a minoribus arte ſuperari ac vorari, docet Homerus quoque Iliad. Φ. Trojanos Achillē fugientes comparat piſcibus delphina fugientibus, ne ab ipſo vorentur. Sed & apud Ælianum principio librorum de varia hiſtoria, & apud Ariſtot. lib. viij. De natura animalium, quædam idem confirmantia leguntur. Diodorus lib. 1. [illegible], id eſt: Valentiore imbecilliorem opprimente. Natura autem comparatum eſt, ut debiliora à validioribus abſumantur. (Vide Animadu. Junij, & ejuſd. prov. ij. Cent. ix. Piſcium vita: ex quo hæc videntur ſumpta)

Tollit ſupercilia.

Quum iratum hominem & qui malum alicui minatur, ſignificamus, Tollit ſupercilia, dicere ſolemus. His enim indiciis vultus, animi ſenſus aperiuntur, ſive irati ſive mœrentis. Catullus in extremo carmine, quo januam alloquitur;

> Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
> Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.

Diphilus comicus ſublationem ſuperciliorum, notam exiſtimavit eſſe triſtis hominis, mœrentiſque: [illegible] Author autem laſcivi illius carminis, quod poſitum eſt initio luſuum in Priapum, contractum ſupercilium jocans, ſeveritatis indicium eſſe putavit (Vide alibi, Ponere ſupercilium: &, Attollere ſupercilium.)

Vter faſtu plenus.

In hominem faſtu turgidum & ſuperciliosum, elegans eſſe dicterium proverbiale Timonis Phliaſii, qui Philoſophorum arrogantiam mordaci opere, quod a re σίλλους inſcripſit, convellit atque exagitat: [illegible] id eſt: Uter quem implevit opinio vana? Quid: aliu & in ſui ingenii hominem, qui ſuo ſenſu, juxta Paulum, abundat, nec a concepta opinione facile reſilit. Verſus ejus hi ſunt.

> [illegible]
> id eſt:
> Quæ vos ſeducunt rixæ, vel qui blaterones?
> Ah ventoſi utres quos implet opinio inanis.

Huc pertinet illud Syneſii in Epiſtola ad Herculianum: [illegible] id eſt. Qui ventoſo folle inflati, divina decreta conſpurcarunt. idem in libro De providentia: [illegible] id eſt, Follis in modum vento pleni imperium expectabant. Eunapius Sardianus: [illegible] hoc eſt: Feci & ego aliquoties illius periculum, qui inani flatu abſque ingenio tumebat. Epicharmus comicus: φύσις ἀνθρώπων ἀσκοὶ πεφυσημένοι. id eſt: Homines natura ſunt utres vento diſtenti.

Iovi paria tonat.

In ferocem & ſuperbe grandiloquum, nihilque mediocre ſpirantem, quadrabit illud Rhiani Cretenſis apud Stobæum:

> Ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ' ὑπέροπλον ἀείρει.
> Id eſt;
> Par Jovis imperio fremit, & capite arduus exit.

Cui cognatum eſt illud Soſiphanis apud eundem:

> Ἂν δ' εὐτυχήσῃ μικρὸν ὄλβιος, αὐτίκα
> Ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖ. id eſt:
> Affulſerit ſi ſors egenis, illico
> Attollit is cœlo arduum caput.

Ita ut idem ſit, ἴσα Διὶ βρομέειν &, ἴσ' οὐρανῷ φρονεῖν, illud poteſtatis æqualitatem, hoc inimitabilem altitudinem ſimulat.

Tanquam pavo circumſpectans ſe.

De philauto homine, & qui ſibi quacunque tandem in re placet impenſius, ſuoque ingenio indulget: aut qui forma ſua delectatur, Syneſius de Dione Pruſiæo, ſophiſticis politicisq; argumentis admodum delectato: [illegible] id eſt, In illis reſupinus gloriatur, in illis decorem oſtentat, pavonis in morem ſeipſum circumluſtrans, & quaſi ſuperbiens orationis ſplendore. Pavo ſuperba avis gemmantes ſuas pennas mirari ſolet & ad laudes ſuas explicare opes. Philoſtratus in Hippodromo: [illegible] id eſt, Exorſus à pavone, ut qui laudatus pennas ſurrigat. Simocatus in Epiſtolis: [illegible] i. e. Pavo Medica avis Medorum etiam ſuperbiam velut hæreditario jure adepta, immenſum ob pulchritudinem ſuperbit. Ab hac ave etiam aliud proverbium deducitur, propter multi colorem pennarum varietatem, ut quicquid mirifice varium ſit, [illegible]. i. Pavone magis varium dicatur. Syneſius lib. De imperio ad Theodoſiū juniorem, [illegible] id eſt, Maxime variū & omnicolor pavonum inſtar. Alexis comicus in Crateva, (fabulæ nomen eſt à Crateva herbario ῥιζοτόμῳ, male enim apud Athenæum κρατεία legitur) ſeu Pharmacopola.

> Ποιήσατ' αὐτὸ ποικιλώτερον ταώ, Id eſt:
> Sartaginem inſtruxit variam quam pavo magis.

Clitophonti apud Achillem Statium, vultus Leucippes amicæ, ſuperare videtur inimitabilem illam pavonis pulchritudinem.

Pavonis more rotare.

Rotare pavò dicitur (ut inquit Columel. lib. 9.) cū ſemetipſum admirans, caudæ pinnis gemmantibus pertegit. ἀγλαΐζεσθαι Græci dicunt: Galli dicunt Pavoner. Budæus lib 3. De contemptu rerum fortuitarum: Ita fit interdum, ut belli aſtu fortunati ab illa ſua ornatrice (Fortuna) deſerti ac proditi, ſimiles ſint pavonū, quibus caudæ ſpecioſæ inſignia evulſa ſunt, aut excuſſa: qui ſi exempti decoris immemores efferre ſe & oſtentare cœperint, riſu excipiuntur, cum inaniter iritèque rotentur. Lucianus de Domo. Pavo autem incipiente vere ad pratum aliquod accedens, quando ad flores prodeunt non amabiliores modo, ſed & (ut ita dixerit quiſpiam) floridiores, & quod ad colores & tincturam attinet liquidiores: ipſe quoq; extentis pennis, iiſque oſtenſis ſoli & ſublata cauda, eamq; undique circa ſe pandēs, ſpectandos exhibet & illius flores, & ver illud pennarum, perinde ut prato ad hujuſmodi contentionem & certamen ipſum provocante, convertit quippe ſeipſum, & circumagit, & quaſi quandam pompam agit pulchritudinis ſuæ, quando videlicet etiā admirabilior apparet ad ſolis ſplendorē, variantibus ſe coloribus, & paulatim in alios tranſeuntibus, aliamq; ac novam formoſitatis ſpeciem ſubinde recipientibus. Accidit autem hoc potiſſimum in circulis, quos in ſummis pennis habet, quorum quemlibet quaſi quædā irides circundant. Nāqui ante æreus viſus fuit, mox inclinante ſe paululum illo, aureus conſpicitur: & ruſū quod ad ſolem cæruleum apparuit ſi ſub umbrā transferatur viride videtur. Adeo ad luminis viciſſitudinem pennarum ille ornatus variatur. Hactenus Lucianus. Perſius ſatyr. 4. Caudam jactare, dixit: quæ eſt quoque allegoria à pavonibus, qui caudam rotantes agitant. Vide alibi, Laudata pavone ſuperbior: &, Caudam trahere.

Gorgonei capitis poſteritas.

Γοργείας κεφαλῆς ἀπόγονοι, id eſt, Gorgonei capitis progenies: de protervis & inimitib. dicitur, vel de faſtuoſis hominibus, qui cunctis ſunt formidoloſi, quaſi qui fugent ab ſe aliorū congreſſum. Ariſtides: [illegible] i. e. Cenſendi

ſunt progenies quædam eſſe Meduſæi capitis. Poſſunt & detractores ita vocari, qui ſerpentinis linguis alienam vitam mordicus appetunt, eo quod angues è cruentis guttis de Meduſæ capite à Perſeo interfectæ manantibus, enatos fuiſſe fabula narrat: ut in nono Pharſaliæ canit Lucanus, & in 4. Metamorph. Ovidius.

Piſcium vita.

Abiit in proverbium, vita piſcium, de intolerabili potentiorum ſuperbia erga tenuiores, qua deglubere tantum non eos ſtudent, boniſque exuere, ac patrimonia devorare. Polybius libr. 18. οἱ δ' οὐ καθάπερ οἱ τύραννοι βραχεῖάν τινα προβαλλόμενοι τῆς αἰσχύνης πρόφασιν, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς ἀνέδην καὶ θηριωδῶς οὕτως, ὥστε προσοφείλειν τὸν λεγόμενον τῶν ἰχθύων βίον, ἐν οἷς φασιν ὁμοφύλοις οὖσι τὴν τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίνεσθαι καὶ βίον. id eſt: Diſpartiri inter ſe pueri derelicti imperium aggreſſi ſunt, non tyrannorum ritu, qui verecundiæ obtentum quempiam prætexere ſolent, ſed mox impudentes adeo & belluine, ut diſtringi in eos debuerit, Piſcium vita, proverbio nota. inter quos, tametſi congeneres, minoris exitium a validiore in eſcam qua vitam trahat, convertitur. Adagium idem expreſſit M. Varro in his verſibus quos apud Nonium corruptiſſimos olim ita reſtitui in noſtris Animadverſorum libris:

Natura humanis omnia ſunt paria.
Qui pote plus, urget piſceis ut ſæpe minutos
Magnu' comeſt' ut aves enecat accipiter.

Piſcium mutuam lanienam non tacuit Oppianus Halieut. 2.

Οἱ δ' ἀντίβιοι καὶ ἀνάρσιοι ἔξοχ' ἔασιν
Εἰναλίων, μούνοις δὲ μετ' ἰχθύσιν ὁμοφύλοισι
Πολυτῆρες τοσοι καὶ ἀλλήλων ὀλετῆρες.

id eſt:

Inter ſe exercent odiis capitalibus iras
Squamigerum genus, & laniena mutua in hoſtes
Graſſantur ſoli piſces, ac vindice rictu.

Io Saturnalia.

Dion lib. 60. refert vulgatum fuiſſe dicterium, ἰὼ σατουρνάλια: hoc eſt, Io Saturnalia, quo uti licebit, ubi quis ſuæ conditionis immemor, authoritatis ſibi pluſculum arrogat. Novi qui humili genere natus, plenioris fortunæ blandimento, Eccleſiaſticis opibus adauctus, principum virum precario jure à ſe principatui inaugurandum, non niſi ad genua ſibi advolutum admiſit, præclaro edito de ſe teſtimonio humilitatis ſubmiſſioniſque, quam inter prima religionis ſuſcipiendæ incunabula fuerat profeſſus. Refert autem Dion, quum expeditionem in Britannos, velut extra orbem poſitos detrectarent legiones, nec Au. Plautio, egregiæ militaris famæ ſenatori, ejus militiæ duci, obtemperarent, Narciſſum, Claudii libertum, ab imperatore immiſſum, ſuggeſtum conſcendiſſe: ſed verba facere pro concione ad milites tentantem, coercitum fuiſſe, acclamante undequaque exercitu notum illud diverbium. Io Saturnalia: eo quod in Saturnalibus ſervi herili apparatu induti epulabantur. Græce eſt: συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦτο δὴ τὸ θρυλλούμενον, ἰὼ σατουρνάλια, ἐπειδήπερ ἐν τοῖς κρονίοις οἱ δοῦλοι τὸ τῶν δεσποτῶν σχῆμα μεταλαμβάνοντες ἑορτάζουσι. Paulo diverſius extulit Martialis lib. 11.

Clamant ecce mei, Io Saturnalia, verſus,
Et licet, & ſub te præſide Nerva libet.

Laudato pavone ſuperbior.

Ovidius 13. Metamorph. de valde ſibi placente dixit:

Laudato pavone ſuperbior, acrior igni.

Et alibi:

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas:
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.

Metaphora notior eſt quam ut oporteat explicare. Pennas quas in cauda gerit, ſplendente ſole expandit: maxime vero id facit laudatus pavo: ut cap. 20. lib. 19. Plinius ait. Vide alibi, Pavonis more rotari: & poſt, Caudam trahere.

Caudam trahere.

Hoc proverbium frequentant Galli, de iis qui magnifice ſuperbeque incedunt, ut qui talari toga pallave ornati, longo ſyrmate verrunt terram. Horatius:

—— Traxitque vagus per pulpita veſtem. id eſt:

magnifice inceſſit ſaltans. Nam ad ſyrma alluſum eſt, quod à tractu nomen eſt adeptum: aut, quod non æquè placet, tractum erit ab avibus, ut gallis gallinaceis, & pavonibus qui ſua inſoleſcere videntur cauda. Unde Horatius ſatyr. 2 lib. 2.

—— Et picta pandat ſpectacula cauda.

De pavonis cauda Athenæus lib. 9 Horatius ſatyr. iij. lib. 2.

—— Nihilo eſt ſapientior iſte,
Qui te derider, caudam trahat ——

Trahere igitur caudam dicitur, qui ſibi placet, ſeque ſapientem, & (ut Varronis verbo utar) ſarpedam putat Sic Perſius ſatyr. 4.

Ante diem blando caudam jactare popello.

Sunt qui opinantur, natum à puerorum more. Solent enim eorū, quos irrideri, ſiniſtroque vulgi clamore excipi volunt, tergo animantium caudas aſſuere, aut alligare, iiſque uſque eo acclamare, dum hi clamoris cauſa cognita, caudam ſibi avellant. Illis igitur caudam trahere dicuntur, qui ſibilis & riſu digni ſunt. Prior ſententia mihi placet. Vide ante, Pavonis more rotari: &, Laudato pavone ſuperbior.

Ampullatur.

Verbum Latinis frequentatum, in primis Horatio, de his qui turgent, inflati atque elati ſunt. Lib 1. epiſt. ad Julium Florum:

An tragica deſævit, & ampullatur in arte?

Idem in Arte poetica:

Projicit ampullas & ſeſquipedalia verba.

quod eſt orationis amplitudinem & ſuperbiam emittit. Sed orationis elegantia & amœnitas cum magnificentia & gravitate plerumque conjungi ſolet. Hoc certe conſtat, a tumore ampellarum, quæ λήκυθοι Græcè dicuntur, genus hoc translationis profectum eſſe. Hinc & Strabonis illud: ἀναβοᾷ καὶ ληκυθίζει. Quemadmodum igitur Græci ληκύθους uſurpant pro orationis ornamentis, iiſque omnibus dicendi figuris, quibus altior, grandior amplior denique fit oratio: ita & ampullas Latini, à quibus verbum Ampullari deductum eſt: quod eſt verborum ampullis uti. Eadem enim qua Horatius translatione dixit ampullas, Cicero ad Atticum lib. 1. Epiſtol. de oratione tumida interpretatur? Quid multa? totum hunc locum, quē in Ariſtocratia ego varie in meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere, de flamma, de ferro noſtri illas ληκύθους, valde graviter pertexuit. Ita Plinius accipit de oratione amœna, & pigmentis orationis perpolita, ſic enim in epiſtolis ſcribit: Non tamen omnino Marci noſtri ληκύθους fugimus, quoties paulum itinere decedere non intempeſtivis amœnitatibus admonebamur. Plautus in Menæchmis videtur Ampullaceam vocare mulierem magnifice cultam. Cæterum quod Horatius dixit,

An tragica deſævit:

& lib. Epiſtol. 2. ad Auguſtum, Epiſt. 1.

Et ſpirat tragicum ſatis, & feliciter audet.

legimus & τραγικῶς λέγειν: id eſt, loqui tragice: & ἐκτραγῳδίζειν, pro eo quod eſt, magnificis verbis efferre. Seſquipedalia verba apud Flaccum, non tam intelligo longa & extenſa, quam turgida & inflata, ac prætumida. Nam ab architectis eſſe translationem ſumptam puto, apud quos ſunt tigna ſeſquipedalia, materies craſſior, ita loquitur non raro Vitruvius. Inde igitur Horatium explicandum arbitror: ampullarumque figura quæ tumidæ ſunt, huic congruit interpretationi.

Labeone inſanior.

Labeo Antiſtius juris civilis legumque Romanarum apprime doctus fuit, ſed agitabat hominem (ut inquit Gell lib. xiij. c. xij. & xiij.) libertas quædam nimia, & vecors uſque eo, ut D. Auguſto ſæpe reſtiterit ac reſponſarit. Hinc illud. Horatii Serm. lib. 1. ſatyr. 3.

—— Labeone inſanior inter
Sanos dicatur. ——

In eos fertur, qui immodica libertate ſunt, & nimis pertinaces, ſive contumaces. Hujus meminit & Suet. Vide poſt, Duræ cervicis: &, Præfracti.

Duræ cervicis.

Dicimus hominem duræ cervicis, indomitæ, opinioniſque deſtinatæ: quaſi indomabilem, more ferocium boum, & à D. Hieron. in interpretatione Veteris Teſtamenti eſt dictum: Populus iſte duræ cervicis eſt. Sic Deut. xxxij. Cervicem tuam duriſſimam, id eſt, tuam contumaciam, qui impatiens ſis imperii & jugi. Deuteron x. Cervicem veſtram ne induretis amplius, id eſt, ne poſthac recuſeris Domino obſequi & obtemperare. Act. vij. Dura cervice, & non circumciſo corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Eſt autem cervix, quæ Græce dicitur αὐχὴν poſterior pars colli, ex qua origo eſt omnibus nervis: dicta, quod per eam cerebrum ad medullam ſpinæ dirigitur, quaſi cerebri via. Qui autem nec cogi nec flecti poteſt, & Cervicoſus dicitur. ἀντιγνώμων Græce, item ἄκαμπτος, αὐθάδης, In quem recte torquebitur illud Homericum, ex Odyſſ κ.

Σοὶ δέ τις ἐν στήθεσσι ἀκήλητος νόος ἐστί.

Id eſt:

At tibi non unquam placanda in pectore mens eſt.

Vide poſt, Præfracti: & alibi, Labeone inſanior.

Præfracti.

Præfracti dicuntur per translationem duri, contumaces, pervicaces, Cic. Officior. iij. Cato nimis præfracte videbatur mihi ærarium defendere, id eſt obſtinate. Idem in orat. Thucydides autem præfractior, nec ſatis (ut ita dicam) rotundus. Tales dicuntur in ſacris literis, Duræ cervicis: &, Indurare cervicem. Metaphora à bobus vel equis qui dura ſunt cervice. ij. Reg. xvij. ca. Induraverunt cervicem ſuam. pro, perſtiterunt indurati. Duri facie, ſive corde, Ezech. ij. impudentes, & qui non noverunt erubeſcere, dicuntur. Vide alibi, Duræ cervicis: &, Labeone inſanior.

Ἱπποτυφία.

Hippotyphiam Græci pro ingenti faſtu, & nimia gloriæ affectatione accipiunt. Nam ἵππος in compoſitione auget, τῦφος autem ſuperbiam & faſtum ſignificat. Lucia. Quomodo hiſtor. ſcribenda ſit. Quare maxime tum fidendum freno eſt, & ratione utendum: illud ſcientes quod & in verbis non mediocre malum hippotyphia eſt.

Leo-

Leonum animos præ ſe ferentes.

Lucianus in Philopatre, ſub finem: O miſeri hominum, ne vana adeo loquacitate efferamini, acuentes dentes adverſus viros leonum animos præ ſe ferentes, ſpirantes haſtam & lanceas, & candicantes criſtis galeas, ſed ita in veſtrum caput convertantur: quando ita patriam veſtram deprimitis. Leonum animos Græce θυμολέοντας: quo verbo Homerus utitur. Pindarus in Iſthmiis indicat, verum fortem leonem oportere præſtare in exhauriendis certaminũ laboribus, vulpem in conſiliis. ſic enim ſcribit: τόλμᾳ γὰρ ἐοικὼς θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλώπηξ.

Gallinacei lactis hauſtum polliceri.

Franciſcus Floridus in epiſtola ad Rodolphum Pium, quam ſuis ſucceſſivis lectionibus præfecit: Parvum namque (ut recte ait Horatius) parva decent. & fumoſæ lucubrationum inſcriptiones, iis ſunt relinquendæ, qui lectores dulcia utilibus miſcentes erudire pariter ac delectare, & gallinacei lactis hauſtum in receſſu polliceri queunt.

Superfluens.

Superfluentes vocantur, qui ut vulgo loquimur, continere ſe in ſua pelle præ ſuperbia nequeunt. Metaphora eſt a vaſis nimium plenis. Catullus in Cæſarem.

Et ille nunc ſuperbus & ſuperfluens,
Perambulabit omnium cubilia.

Perſius Lat. iij.

— Effluis amens.

hoc eſt, teipſum fallis, & tanquam Terentianus ille Parmeno ſuperfluis. (Hoc vitium notatum ab Homero in juvenibus cum eos dixit eſſe ὑπερφιάλους. Lege Muretum in illud Catulli proxime citati.)

Cælo animum ferre.

Parœmia de iis, qui magna de ſe prædicant, inaniterque venditant. Virg. x. Æneidos.

Dixerat ille aliquid malum, vimque afforè verbo
Crediderat, cœloque animum fortaſſe ferebat.

Videtur alluſiſſe ad illud, Cœlum manibus contingere. Virgilio hæ & ſimiles hyperbolæ proverbiales, peculiares ac frequentes ſunt. Æneid. xj.

— Et cœlum territat armis.
& : — Non replenda eſt curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant.

Idem:

Proinde tona eloquio, ſolitum tibi —

paulo poſt:

— An tibi Mavors Ventoſa in lingua —

Hæc enim Turnus in Drancem, lingua in concilio pollentẽ, alioqui reipſa imbellem. Simili oratione Therſitæ loquacitatem reprimit Vlyſſes Iliad. 2.

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

Hic Claudiani verſus proverbii vice frequenter celebratur, atq; de iis dicitur, qui ante deſpicatiſſimi & imbecilli homines, nemini nocere potuiſſent, his enervati, & exanguibus, quovis Iro pauperioribus, cum opes, cum magiſtratus & honor tanquã gladius eſſet datus, non ſolum pungere ſuopte ingenio cito didicerunt, ſed acie authoritatis bonos cives, ſe meliores ac ſanctiores, atque nobiliores, vulnere inflicto contrucidant. Deinde cum velut muſcæ famelicæ accedunt, quo ſaturent inexplebilem habendi cupiditatem, ex ſanguine & miſeriis pauperum comparant, quam non habent opulentiã. Ita cæca fortuna ut illos promovit, ita promotos facit cæcos quoque: cui non ſatis eſt malos provexiſſe, niſi authoritate armatos reddat nocentiores. Huic non diſſimilis eſt verſus vetuſtiſſimus:

Cum ſurgunt miſeri, nolunt miſeri miſereri.

Sic honores mutant mores. Cicero in Lælio. Non enim ſolum ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt. Itaque illi efferuntur faſtidio & contumacia: neque quicquam inſipiente fortunato, intolerabilius fieri poteſt. Atque hinc quidem videre licet, eos qui antea commodis fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari. Et Euripides in Iphigenia in Aulide: καὶ τὰ πράγματα δεσπότης, &c. D. Hippolytus, Epiſcopus & martyr. in oratione De conſummatione mundi: Sublatus in regnum Antichriſtus, inquit, extollet animum: & qui prius erat manſuetus, evadet ferox & immiſericors: qui animum gerebat ſummiſſum, ſuperbus atque inhumanus evadet, juſtos perſequetur, &c. Salomon Prover. cap. 14. Divitiæ ſunt ornamento ſapientibus: ſtultis nihil niſi ſtultitia eſt. Hinc Pallad. lib. 1. Epigram.

Μήποτε δουλεύουσα δυνὴ δέσποινα γένοιτο.

Id eſt:

Famula nunquam debet fieri domina.

Vide alibi, Imperito nihil iniquius.

Ἀλαζών.

Alazones Græco proverbio dicuntur oſtentatores, vani, arrogantes, ſuperbi, gloriatores, jactabundi, inſolentes, præferoces, & ultra modum uſitatum elati, qui plura promittunt, quam poſſint præſtare, quod vitium Vlpianus. Demoſthen. interpres vocavit ἀλαζονείαν: atque huic contrariam eſſe εἰρωνείαν ait, quæ quod facere poteſt, elevat ac minuit. Tale genus hominũ producitur nobis à Plauto & Terentio: in Pyrgopolinice glorioſo milite & Thraſone. Plautus, ἀλαζὼν Græce huic nomen eſt comœdiæ. Id nos latine glorioſum dicimus. Iidẽ dicuntur αὐτοπαινεῖς, de ſe loquentes, ſuaque jactantes: ut ſunt in quinto Idyllio Theocriti paſtores: & apud Virgil. 3. ecloga.

Laus in ore proprio ſordeſcet.

Hodie ab omnibus tanquam proverbii loco uſurpatur. Michael Verinus:

De te alii narrent proprio ſordeſcit in ore
Gloria: ſi taceas, plus tibi laudis erit.

Salom. Proverb. c. 22. Laudet te alienus, & non os tuum. Idem Verinus:

Omnibus inviſa eſt ſtolidæ jactantia mentis:
Dum de te loqueris, gloria nulla tua eſt.

Joannes Langus in præfatione ad D. Gregorii Theologi ſententias: Sed plura nobis non licet jam dicere ne propriam ſupra modum laudare mercem cenſeamur.

Collo valido.

Eſt vernacula Gallorum ac Germanorum lingua uſitatum, ut homines impudentes, & in dicendo præſertim temerarios, valido collo vel ore præditos dicamus. Atque ita etiam Marius (ut refert Plutarchus) in ſenatu reſpondit: Non ita latum ſibi eſſe collum, ut de tanta re quicquam affirmare auſit: de lege Saturnina loquens. Eo alludens Cicero apud eundem Plutarchũ, ſtrumas Vatinii eleganti dicto notavit: Tantum, inquit, collum non habeo. hoc eſt, tantum onus in me non recipio.

Oſtentator.

Xenophon παιδ. 2. ὁ ἀλαζὼν δοκεῖ ὄνομα κεῖσθαι ἐπὶ τοῖς προσποιουμένοις καὶ πλουσιωτέροις εἶναι, ἢ εἰσὶ καὶ ἀνδρειοτέροις, καὶ ποιήσειν ἃ μὴ ἱκανοί εἰσιν ὑπισχνουμένοις, καὶ ταῦτα φανεροῖς γιγνομένοις, ὅτι τοῦ λαβεῖν ἕνεκα καὶ κερδᾶναι πράττουσι. Oſtentatoris nomen videtur in eos quadrare qui ſe ditiores ſimulant, & fortiores quam revera ſunt, & qui ſe facturos promittunt quæ præſtare non poſſunt, quoſque hæc manifeſtum ſit compendii ac lucri cauſa facere. ἀλαζὼν ϑρασωνίδης, miles glorioſus transfertur a Plauto. Iſocrates in Panathenaico, ἀλαζονεύεσθαι dixit pro, ψευδολογεῖν, & oſtentabunde mentiri. Ulpianus Demoſth. interpres ait, ἀλαζονείαν eorum eſſe, qui plura promittunt quam poſſint præſtare: atque huic contrariam eſſe εἰρωνείαν, quæ quod facere poteſt, elevat ac minuit. Leontichi militis glorioſa jactantia apud amicam nimia, eam abalienat, in Luciani quodam meretricio dialogo.

Vaſa vacua plurimum ſonant.

Eraſmus noſter in Lingua ſua: Nullus, inquit, habet fidem ei qui non ex judicio, ſed ex morbo dilertus eſt: ne dicam interim, quod loquacitatis vitium ſemper comitatur ſtultitiæ opinio. Huc illud vulgo jactatum. Vaſa quæ ſunt inania, plurimum ſonare.

BOVILLI. *Homo genibus elephantinis.*

De ſuperbo, qui vix Deum, ne dicam hominem ullo honore nẽ aperti capitis aut genu flexi, afficere dignetur. Elephanti genua non plicant, neque ſe incurvant. Undè cadentes ſurrigere ſe nequeunt: ab homine erigi debent.

Vacuum vas altius pleno vaſe reſonat.

Minime dites, eruditi, fortes, aut alia re præditi, maxime loquaces & jactabundi, ut plurimum ſunt. Et qui omni animi ornatu nudiſſimi ſunt, omnino, quin bonis & ſibi diſſimilibus detrahant & obloquantur, ſibi temperare non poſſunt.

GODOFREDI.

Loqueris ego inſidens.

In ignavi hominis ineptam audaciam, qui videri vult magnanimus, fortis, & patiens, ipſe in tuto collocatus, & liber, iis qui in periculo ſunt, ac ærumnis ingentibus premuntur. non ſecus atque eques equo fretus, facile contemnit, & fortitudinis admonet alium pedeſtri labore fatigatum.

EX APPEND. COGNATI ET ALIORVM.

Timones.

Inhumani, hominumque congreſſus ac ſocietatem vitantes; imo etiam publicis malis gaudentes, dicitur Timones: à Timone, μισάνθρωπος Athenienſibus dictus eſt: cui ſimiles redduntur & divites, utpote quos divitiæ & faſtuoſos & inſolentes, & plane barbaros efficere conſueverunt. Hinc Timonia vita, pro ſolitaria ac moroſiſſima: & Timoniano more, ab omni gratia & humanitate alieno: & Timonia cœna, pro cibis non modo vulgaribus, ſed etiam viliſſimis conſtante. Fingit autem Lucianus, Timonem ab initio divitem fuiſſe, ſed ob liberalitatem: & quod abſque judi-

judicio in quoſvis benignus eſſet, ad paupertatem redactum eſſe. Quam rem cum Jupiter ex ipſius querela, qua cum illo expoſtulando, in hominum malitiã & ingratitudinem invehitur, cognoviſſet, miſertus illius, eo quod & in deos pius fuerat, & multa illis ſacra peregerat, divitem denuo facere ſtatuit, ac Plutum cum theſauro ad ipſum mittit. Qui principio ire detrectat, oſtendens illũ ſua culpa pauperem factum eſſe, & cum talib. hominibus minime perdurare ſe poſſe, atque æque odiſſe eos, ut ſordidos atq; avaros illos, qui nunquam omnino ſe utantur. Mediocritate enim utendi ſe gaudere. Atque hoc figmentum, uſum divitiarum, & quomodo conſervari eædem debeant, docet. Deinde cum Jupiter in ſententia perſiſteret, atque ita Plutus ducente Mercurio ad Timonem proficiſceretur, inter eundũ fingitur claudicare. Ibi interrogante Mercurio, cauſam ejus rei reddit, quod quoties a Jove mittatur, tarde incedat, neque videat quorſum eat, neq; norit ad quos eat. Quoties autem à Dite mittatur, etiam alatum eſſe. Quo figmento ſignificare videtur, improbos ac malos, ſæpe meliorib. ſucceſſib. frui: probos autem, & à Jove dilectos, aut nunquam, aut tarde in hac vita felices ac divites fieri. Poſtremo interrogatus à Mercurio, cur deformis ac pallidus, tantopere ametur ab hominib. reſpondet, inſcitiã ac cæcitate illorum hoc fieri. Atque ibi cum hos, tum alios effectus ſuos exponit: quæ omnia poſtremo actione, & quaſi ipſa re comprobantur, dum Timonem ab initio Plutum rejicere, atq; averſari fingit, utpote ex paupertate modeſtum ac temperantem jam factum, & agnoſcentem ſuperiora mala, In quæ ex divitiarum copia inciderat. Mox eundem acceptum cum ſumma cura aſſervare, tumidumque & inſolentem omnes alios homines vitare atque contemnere. Additis ad finem etiam adulatoribus, ſcurris, aſſentatoribus, ſycophantis, fumi venditoribus, & id genus aliis: qui ut corpus umbra, ſic ipſi divitias atq; fortunam comitantur. M. Antonius 4. libr. De vita ſua, dixit ſtatim in principio, Seceſſus quærere, hominum eſſe abjectæ ſortis.

Ardelio.

Ardeliones Latini frequenter vocant homines inquietos ac jactabundos, qui omnibus ſe negociis ingerunt, atque ultro citroq; diſcurſant, mirisq; utuntur geſtibus, manus jactantes, togam modo dejicientes, modo reponentes, curioſi, contraque rationem officii ſui actuoſi: quos etiã ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoque corporis habitu: quorum ſingula variis modis componunt, atq; immutant: aliamque perſonam ſubinde ſibi aſciſcunt, nempe vel hiſtrionis, vel palæſtritæ, aut denique agyrthæ, hoc eſt, circum foranei circumlatoris, qui ad nugas plebẽ convocat: qualem fuiſſe Attalum legimus: ad quem ſic ſcribit Martialis lib. 2.

Declamas belle, cauſas agis Attale belle:
Hiſtorias bellas, carmina bella facis.

Deinde ſubjungit:

Nil bene quum facias facis attamen omnia belle:
Vis dicam qui ſis? magnus es ardelio.

Talis Græcis dicitur πολυπράγμων. Inferioris Germaniæ hominibus, tantaffaire. Sic Cicer. Virtus autem actuoſa, & Deus noſter nihil agens.

Siſyphidæ.

Siſyphus apud inferos lapidem urgere in montis verticem dicitur, qui identidem ipſe in imum revolvitur. qua allegoria ambitio ſignificatur: & homines honores ambientes. Siſyphidæ dicuntur quo nomine Leguleii quoque hodie appellantur, qui inexhauſto quopiam atq; inutili labore in Accurſianis gloſſematibus defatigantur. Hac voce Budæus ſæpe uſus eſt.

ASPERITAS, MOROSITAS.

ERASMI. Inexorabilis.

Inexoratu difficilem ac præfactum, ſuoque relinquendum ingenio, ſive in eum cujus operam nihil moramur, appoſite torquebitur, quod Iliados ι. Diomedes dixit in Achillem, qui legatos & Agamemnonis dona rejecerat:

Ἀλλ' ἤτοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν, ἤ κεν ἴῃσιν,
Ἤ κε μένῃ. —
Id eſt:
Quin magis ipſius hunc animo, ingenioque ſinamus,
Sive venire velit, ſive hic remanere. —

Inexorabilis.

In durum & inexorabilem competet illud ex Odyſſeæ ψ.

Σοὶ δ' αἰεὶ κραδίη στερεωτέρη ἐστὶ λίθοιο.
id eſt:
At tibi perpetuo cor ſaxo durius omni eſt.

Ita Telemachus ad matrem.

Cornea fibra.

Neque diſſimili figura dixit Perſius:

— Neque enim mihi cornea fibra.

Nam cornua & duriſſima ſunt, & ſenſu carent, quemadmodum & ungues. Quanquam poteſt & a corno arbore corneum dici, cujus lignum duriſſimum eſſe conſtat. Perſii carmen in prima ſatyra ſic habet:

Non ego cum ſcribo, ſi forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis eſt: ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra eſt.

Unde qui carent humanis affectibus, robur adamantem, ſilicem, ferrum, cornu in pectore geſtare dicuntur.

Ferreus, Aheneus.

Simili figura ferrea atque ahenea dicuntur, quæ ſolida firmaq; ſignificamus. Virgilius:

Non mihi ſi centum linguæ ſint, oraque centum,
Ferrea vox. —

Quo quidem in loco videtur expreſſiſſe illud Homericum ex ſecundo Iliados libro:

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.
Id eſt:
Non mihi ſi ſint ora decem, totidem quoque linguæ
Vox infracta animusque mihi ſimul æreus adſit.

Horatius in prima epiſtola:

— Hic murus aheneus eſto,

de decreto animi non convellendo.

Homerus Iliados χ.
— Ἦ γὰρ σοί γε σιδήρεος ἐν φρεσὶ θυμός.
Id eſt:
Ferrea nimirum tibi mens in pectore clauſa eſt.
Idem Odyſſeæ ε.
— Οὐδέ μοι αὐτῇ
Θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων.
Id eſt:
Neque enim mihi ſcilicet ipſi
Ferreus eſt animus ſub pectore ſed miſereſcens.

Et Iliados ψ. σιδήρεον μένος τοῦ πυρός: id eſt: Ferream incendii vim, dixit:

Ἐν δὲ πυρὸς μένος ἧκε σιδήρεον. —
Id eſt:
Ferrea vero ignis venit in præcordia virtus.

Paulo diverſius eſt, quod Cicero Attilium ferreum ſcriptorem vocat, pro duro atque imperito. Nam in artibus dura dicuntur, quæ parum ſunt artificioſa: contra mollia quæ ſumma arte perfecta. Verba M. Tullii lib. De finib. 1. ſunt hæc: Electram tamen male converſam Attilii mihi elegendam putem. De quo Licinius, ferreum ſcriptorem: verum opinor ſcriptorem, ut tamen legendus ſit. Eundem in libris De divinatione doriſſimum & malum poetam vocat.

Verſatilis Artemon.

Ὁ περιφόρητος Ἀρτέμων: id eſt, Verſatilis Artemon. Extat in iiſdem Collectaneis. Ajunt dici ſolitum de his, quorum gratia vehementer decertatur. Nam Artemonem adoleſcentem fuiſſe quempiam certatim adamatum à mulieribus ob inſignem formã: quem ſuſpicor ob id dictum περιφόρητον, vel quod circumferretur in ore omnium verſans, vel quod paſſim obambularet, velut oſtentans ſeſe. alii malunt, Artemonem machinarium fuiſſe fabrum, in arte præcellentem, temporibus ferme Periclis. Qui cum claudus eſſet, paſſim ſuas machinas circumferebat. Athenæus in 12. Dipnoſophiſtarum libro referens hoc proverbium citat authorem Chamæleontem Ponticum, qui teſtatur Artemoni περιφορήτῳ cognomen additum, quod præ deliciis in lecto circumferretur: ſive, quod is poſtea cœperit voluptariam ac mollem agere vitam, cum antea pauper fuiſſet. Ex Anacreonte citat hæc de eodem, ψιλὸν μὲν ἔχων περὶ πλευρῇσι δέρριον βοὸς νήπλυτον εἴλυμα κακῆς ἀσπίδος, ἀρτοπώλισιν κἀθελοπόρνοισιν ὁμιλέων, κίβδηλον εὑρίσκων βίον, πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ δεθεὶς αὐχένα, πολλὰ δ' ἐν τροχῷ, πολλὰ δὲ κόμην πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος, id eſt. Tenuem quidem habens circum latera bovis recentem amicum mali clypei, cum panum caupomib. & proſtibulis conſvetudinem agens, inſinceram inveniens vitã: ſæpe ut ſuperet. in haſta ponens cervicem, ſæpe rurſum in rota, ſæpe vero coma barbaque revulſus. Quibus ex verbis apparet, dictum in hominem ſui diſſimilem, ac moribus inæqualib. præditum, qualem perhibent fuiſſe Alcibiadem, qui, ut refert Satyrus apud Jones deliciabatur, ut illos quoque vinceret: apud Thebanos exercitamentis corporis erat quovis Bœoto Bœotior: apud Theſſalos equeſtris rei ſtudio ſuperabat ipſos, apud Lacedæmonios temperans ac patiens, magis ipſis Lacedæmonibus: in Thracia Thraces ſuperabat vinolentia. Id & cum laude fieri poteſt. Cæterum περιφερόμενος probos è dicitur, qui ſeſe per omne rerum genus voluit, Indicat Pollux lib. vj. Plutarchus indicat fuiſſe claudũ quempiam qui vehiculo circumferretur, quum alioqui meticuloſus eſſet, ac plerumq; deſideret domi, duobus famulis ſcutum æreum ſupra caput ſuſtinentibus, ne quid ex alto decideret in caput. Quod ſi quando cogebatur exire, vehiculo utebatur, ſed humili, metu ruinæ. Hujuſmodi quædam refert Plutarchus in vita Periclis. Proinde, dictum videtur in molles ac meticuloſos. Quin & Plinius lib. 34. c. 8. inter Polycleti opera meminit Artemonis, qui dictus ſit περιφόρητος. Alluſum autẽ eſt ad artemonẽ nauticum, quo vela circũferuntur, & onera tolluntur è na-

è navibus: Nam hodie nautæ ad utrunque utuntur antenna: Nam Artemon Græce proprie eſt machina tollendis oneribus apta, quam Latini, ni fallor, trochleam appellant: Ea ſic compoſita eſt, ut facile circum voluatur.

Scytharum oratio.

Scytharum feritas, apud Græcos in proverbium ceſſit, ut quicquid agreſte, quicquid barbarum ac ſævum intelligi vellent, id Scythicum appellarent. Eſt apud Lucianum cum aliis aliquot locis tum in meretricio Dialogo Chelidonii & Droſæ: τὰ μὲν ἄλλα ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις, id eſt: Reliqua quidem Scytharum oratio, ſentit in calce literarum fuiſſe quiddam mitius dictum, reliqua nihil præ ſe ferre humanitatis. Quidam inde natum exiſtimant, quod Scythæ Dario regi nihil aliud reſponderint, quam κλαίειν, id eſt, ut ploraret: quæ quidem ipſa etiam vox in proverbium abiit, ut plorare jubeamus, quos contemnimus. Ælianus in epiſtolis: [illegible] id eſt. Itaque Scytharum, ſicuti vocant, reſponſum hoc tibi ſit: Ego inſanio & ſapio, & odi mortalium genus. Diogenes Laertius in Vitis Philoſophorum putat hoc proverbium natum eſſe ab Anacharſidis aſperitate. Nam is Scytha natus inter celebres philoſophos habitos eſt Athenis. Sed vero proximum eſt quod refert Athenæus libr. XII. Scythas olim opibus ac deliciis florentes in tantam veniſſe ferociam, ut quoſcunque populos adiſſent, ſummas nares viris amputarent, horum mulieres Thracum uxoribus corpora pungerent, denique cunctis ſub illorum dominatu lachrymoſa fuerit ſervitus, ut in poſteros derivatum ſit proverbium: ἡ ἀπὸ Σκυθῶν ῥῆσις, id eſt, Scythica juſſio ſive præſcriptio, & ἀποσκυθίσαι dicatur ferro cæſariem amputare: quod præter Athenæum indicat & Stephanus. Denique σκυθρωπὸς & σκυθρωπὸς, pro torvo, triſti, auſtero ac truculento, ab ejus gentis moribus dictum videtur: & σκύζεσθαι iraſci, quod ea gens ſit ſupra modum iracunda.

Pandeletias ſententias.

Πανδελετίους γνώμας: id eſt, Pandeletiam ſententiam appellat in deterioribus Cratinus, ut citant, moroſam ac moleſtam. A Pandeleto quopiam ſycophanta, ex eorum genere, qui quo quæſtum faciant, dicas impingunt grandes, ut ait Phormio Terentianus & ſimili ſtudio ferunt ſuffragia.

Thymbra victitans.

Θυμβροφάγοι: id eſt, Thymbra victitantes adagio dicebantur, vel qui tutius ac liberius vitam agerent, vel qui moribus eſſent parum blandis, vel qui hilariter citraque ſollicitudinē parvo contenti viverent: quod Thymbra quam eandem cunilam dicunt, herbæ genus ſit, quam Plinius non diſtinguit a Satureia, Columella diſtinguere videtur.

Et Satureia, inquiens, Thymi referens, Thymbræque ſaporem.

Eſt autem ſaporis ſubamari, in agris paſſim provenit, & pratenſis ad remedia præſtantior eſt hortenſi (ut autor eſt Dioſcorides) locis gaudens petricoſis. Hortenſis cibis aptior, proverbium recenſuit Suidas & Heſychius. Fertur Epaminondas mire frugalem vitam egiſſe: itaque de prandio parco tenuique dixiſſe, Τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν: id eſt, Tale prandium non recipit proditionem. Senſus autem dicti geminus eſt: vel quia nemo molitur inſidias rebus modicis, vel quia qui modicis contenti ſunt, non facile corrumpuntur, ut prodant rempublicam. Amphis apud Athenæum libr. x.

Ἐν τοῖς γὰρ ἀκοῖσιν οὐ παροινία. [illegible]

Ubi cœna frugi eſt, nulla debachatio.

Græcus trimeter videtur corruptus inverſione duarum dictionum: reſtituetur ſi legas [illegible]. & ſubdit ex Alexide, Ex prolixis conviviis primum naſci ſcommata, è quibus fere plus eſt doloris quam voluptatis. hinc maledictum. id regeritur ac reciprocatur in dicentem: mox a verbis ad verbera. Non ita qui thymbra victitant.

Scabroſior leperide.

Καπυρώτερος λεβηρίδος: id eſt, Aſperior leberide. De vehementer aſperis & inſuavibus. Nam leberis, Græcis dicitur exuvium illud vel ſerpentum, vel piſcium exuentium ſenectam, quod & σύφαρ vocatur: id autem aſperrimum eſſe conſtat, nimirum ob ſummam ſiccitatem. Refertur à Suida.

Totus echinus aſper.

Ἅπας ἐχῖνος τραχύς: id eſt, Totus echinus aſper. In moroſos & injucundis moribus quadrat. Echinus piſcis, & item erinacius undique ſpinis obſeptus eſt, ut nuſquam impune poſſis attingere. Eſt & hominum hujuſmodi genus, cum quibus nulla ratione poſſis agere citra litem. Ariſtophanes in pace:

Οὐδέποτ' ἂν ποιήσαις τὸν καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν. [illegible]

Id eſt:

Ex ſcabro in lævem nunquam vertetur echinus.

Durus alloquio.

Ἄτεγκτος ἄθρους ἀπεγνωσμένος, id eſt, Immobilis ſive inflexibilis alloquio. Ductum a cera, quæ tractando molleſcit. ἄτεγκτον autem dicitur, quod non queat liquefieri. Competet igitur in hominem inexorabilem.

Echino aſperior.

Ἐχίνου τραχύτερος: id eſt, Echino aſperior: in hominem intractabilem & inſuavibus moribus dictum. Metaphora ſumpta ab animante, cujus duplex eſt genus: terreſtre, ſpinis obſitum: & marinum, pinnata undique teſtudine, ac ſpinis obductum, quibus ſe pedum vice voluit, autore Plinio. Martialis:

Cortice depoſito mollis echinus erit.

Ariſtoteles libro De generatione animantium quinto, tradit echinum ipſum quidem puſillum eſſe, cæterum ſpinas habere & longas & acutas. Athenæus dipnoſophiſtōn libro iij fabellam haud infeſtivam refert è Demetrio Scepſio: Laconem quempiam vocatum ad cœnam, appoſitis echinis, cum ignoraret quo pacto ſolerent edi, nec obſervaret quomodo cæteri convivæ his veſcerentur, corripuiſſe quendam, & in os conjeciſſe una cum ipſa teſta. Porro cum inter dentes ſtrideret echinus, & hominis os cibo miſere cruciaretur: O ſceleratum, inquit edulium: neque nunc te omittam tibi mitis: nec te poſthac unquam ſumpſero.

Corinthus & collibus ſurgit, & vallibus deprimitur.

Strabo libro Geographiæ viij. ſcribit, Corinthios opibus & artibus & ingeniis præcelluiſſe, cæterum regionem illorum non admodum fuiſſe feracem, quod inæqualis eſſet, & aſpera, ac petricoſa. Eamque ob cauſam ſenarium hunc proverbio jactatum fuiſſe:

Κόρινθος ὀφρυᾷ τε καὶ κοιλαίνεται.

Id eſt:

Alibi tumet Corinthus, alibi cava eſt.

Meminit & Euſtathius in Bœotiam Homeri. Hujuſmodi autem terræ genus non perinde ſementi idoneum eſt, atque campeſtris. Id adagium ubinam poſſit eſſe uſui non ſatis video: niſi ſi quis detorqueat ad hominem intractabilem, aſpero ingenio, & ſibi ipſi inæqualem, parumque ſecum conſtantem. Cœlius Rhodiginus etiam atque etiam contendit adhibendum eſſe proverbium, ubi ſignificabimus felicitatem aliquo incommodo vitiatam, ut eſt fere rerum humanarum conditio. Quem libentius ſequeremur autorem, ſi quod contendit & aſſeverat, vel unius authoritate probaſſet.

Etiam quercus bacchatur.

Καὶ δρῦς μαινὰς ἐγένετο, id eſt, Etiam quercus Mænas facta eſt. De iis qui vix deliniuntur. Ab Orphei fabula, quercus ſua cithara demulcente. Mænades enim ſunt mulieres afflatæ Baccho.

Agamemnonis hoſtia.

Ἀγαμέμνονος θυσία, id eſt, Agamemnonis victima. Quondam in duros & perſuaſu difficiles dicebatur. Inde natum, quod Agamemnone rem divinam in Troja facturo, bos effugerit, vixque multo negocio comprehenſus, reductus eſt. Tantum Zenodotus. Quadrabit etiam in eos, qui nolentes & adacti quippiam agunt. Olim in ſacris ſpectabatur, ut hoſtia lenis ac volens adſtaret. Quod ſi refracto fune profugiſſet, infauſtum omen habebatur. Mihi videtur & huc poſſe referri, quod Agamemnon in Aulide filiam Iphigeniam ſacrificavit: ſed admodum invitus. Recenſetur a Zenodoto.

Matiolœchus.

Ματιολοιχός vulgato convicio dicebatur liguritor, & in minimis etiam rebus exquiſitus. Quin & Heſychius indicat, quod puſillum ſit, id Græcis dici ματτύη. Ajunt autem eſſe cibi genus. Siquidem in commentariis Græcorum invenio, ματτύην vocari, quod eſt minimum, aut genus menſuræ. Proinde quadrat in eos, qui per fraudem minimis è rebus ſectantur compendium. ἀπὸ τῆς ματίας καὶ τοῦ λείχειν: niſi mavis à λείχειν. Uſurpatur ab Ariſtophane in Nebulis inter multa epitheta, quibus virum improbum notat. Interpres tam varie exponit, ut ſatis fateatur ſe neſcire, ſcribens de eo dici qui malignam dat menſuram, de parco ac ſordido, de eo qui cogitat inania, ſive nanciſcitur frivola.

Ne move feſtucam.

Μὴ κινεῖ κάρφος: id eſt, Ne move feſtucam. Iocus proverbialis, ubi quis omnis ſtrepitus impatiens eſt. Quoſdam videas uſque adeo moroſos, ut quicquid agas, offendantur, etiamſi ſtipulam duntaxat moveas.

A laſſo rixa quæritur.

Seneca De ira libro iij. proverbium hujuſmodi refert: A laſſo rixa quæritur, aut, Laſſus rixam quærit. Quod in quem ſenſum antiquitus fuerit uſurpatum, non ſatis liquet. Quod ſi conjecturas ſequi licet, apparet dictum in quoſdam moroſiores, & ad rixandum procliviores: non quod offendantur, sed quod alioqui animo male affecti ſunt: ut ſunt difficiles ac ſubmoroſi,

qui-

Et fructus, Graio ſermone κεράσβολος audit
Qui cunctos inter, tellus quos educat alma,
Solus habet corpus durum atque immite, nec imbre
Turget, nec glebæ injectu molleſcit: at horret
Perpetuum exuccus, cornu prædurior uſque:
Cornea durities cornu è bovis accidit ortum,
Quum jam ſementem terræ committit arator.
Hinc venit è cornu nomen, naturaque fructus.

Omphacinus.

Ὀμφακίαν nominant Græci durum, præfractum, & moroſo ingenio aſperum hominem, σκληρὸν καὶ ὠμὸν: translatione petita ab immaturis uvis, quas ὄμφακας vocant: unde & Omphacium latex nondum pubeſcentis uvæ. Ariſtophanes in Acharnenſibus fabula.

Δεινὸν γὰρ οὕτως ὀμφακίαν πεφυκέναι
Τὸν θυμὸν ἀνθρώπων, ὥστε βάλλεσθαι, βοᾶν,
Βλέπειν τ' ἀκούειν μηδὲν ἴσον ἴσῳ φέρειν.

Id eſt:

Res mira, mens ut hominis inſtar omphacis
Sic rigeat, ut damnum det, inclamet tamen,
Nolitque par & æquum admittere auribus:

Simili metaphora ὠμὸν, id eſt crudum accipitur, quomodo Ajax Sophoclæus mores ſuos ὠμοὺς νόμους, id eſt, crudas leges appellat pertinaciæ argumento. Ab omphace compoſita voce σίμφακα vocat Æſchylum Ariſtophanes in Nebulis, velut acerbum & in oratione durum, à σιμὸς & ὄμφαξ. Refertur & ὀμφάκινον à Julio Polluce inter veſtium colores, quo Alexandrum mirifice oblectatum ſcribit: cujus in Pædagogo meminit & Clemens. Paulo diverſius ὄμφακα intelligit Horatius puellam immaturam, nec dum nubilem ibi:

——Tolle cupidinem Immitis uvæ.——

ita & Varro in Agathone: Ideo majores noſtri virginis acerbæ aures, Veneris vocabulis imbui voluerunt. E diverſo πέπονα quaſi maturum, vocarunt placidum, & facilis clementiæ hominem. Æſchylus in Danaidibus:

Ἐχθροῖσι τοῖς σοῖς οὐκ ἔσομαι πέπων.

Id eſt:

Non ero pepon nec hoſtibus clemens tuis.

Theopompus apud Athenæum:

μαλθακώτερος πέπονος καὶ σικυοῦ μοι γέγονε.

Id eſt:

Molliorem ſe mihi præbuit pepone & cucumere.

COGNATI. *Æs triplex.*

Æs triplex, pro ferreo, etiam uſus eſt Horatius Ode tertia:

Et æs triplex, circa pectus erat.

Acron dixit hoc verbum ab uſurariis tractum, quorum avaritia ſpe lucri vel commercii inventum navigium ſit.

Fretis acrior Adria.

Idem Ode 33. Fretis acrior Adriæ. In hominem moribus aſperis & iracundo ingenio.

Neminem in os vultumque reſpicit.

Itali patrio ſermone dicere conſueverunt, quum aliquem ſeverum eſſe aut nimis durum ſignificare volunt: Neminem in os vultumque reſpicit. Hinc Virgilius Æneid. 1.

Diva ſalo fixos oculos averſa tenebat.

Græci autem unico verbo κατηφιᾶν dicunt, pro, oculos ad ſolum flectere, in terram intueri. Tales autem animo plane demiſſo dejectoq; ſunt, aſpectu vero torvo, ſi õre obducta, &, ut inquit Perſius:

Obſtipo capite, & figentes lumine terras,
Murmura qui ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello.

Ferreus.

Hominem ferrei & duri oris dicere ſolemus impudentem. Cicero in Piſonem. Si os tuum ferreum Senatus convicio verberari noluiſti. Catullus in quandam:

Ruborem Ferreo canis exprimamus ore.

Ariſtophanes in fabula Acarnanibus, σιδηροῦν vocavit impudentem hominem, dicens:

Ἰδοὺ νῦν αἰσχρὸν ὡς σιδηροῦς τ' ἀνήρ.

Ferreus quoque nobis proverbio valet crudelem, immanem, durum, implacabilem, ſine ſenſu. Etenim proverbiali hyperbole, uſurpantur adamantinum, corneum, & ſimilia, de rebus inexplicabilibus. Quamobrem Virgilius libr. Æneid. 10. & 12. ſomnium vocat ferreum, quaſi mortem duram, & invictam. Homerus libr. Iliad. 11.

Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Ovid. in elegia quadam:
Tibullus:

Ferreus eſt ſi quis, quod ſinit alter, amat.
Quis fuit horrendos primus qui protulit enſes?
Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.

Apul. lib. 2. Vides hominem ferreum & inſomnem. Hinc pro moribus hominum poetæ nunc aurea vocant ſecula, nunc ferrea. Vide adamante durior: &, Totus ſaxeus: &, Ferreus, Aheneus: item, Durus & implacabilis: &, Difficilis vir, Inexorabilis & durus.

Adamante durior.

Huic proverbio inenarrabilis hujus lapidis indomita vis locum fecit: quo utimur, quando inexorabile & invictum ſignificare volumus. Franciſcus Floridus Sabinus in apologia in linguæ Latinæ calumniatores: Valerium Maximum, inquit, doctiſſimorum judicio, non multum laudis eſſe aſſequutum dicam, quod quum florentiſſimo Auguſti ſeculo proximus vixerit, quovis adamante ſit durior, quovis in orationis ſtructura ſaxeto aſperior, &c. Theocritus in Pharmaceutria dixit.

Adamantem movere poſſe, cujus vires ſunt invictæ.

In Æpolo:

Καί κέ μ' ἴσως ποτ' ἴδῃς ὅτι οὐκ ἀδαμάντινος εἰμί,

Id eſt:

Et forte me aſpicies, quoniam non adamantina eſt.

Lucianus in Pſeudomante, mentem adamantinam dixit. Et in Tragopodagra chorus dixit podagram ingenium adamantinum. Item in Lucio ſive Aſino: Me quidem, inquit, qui hactenus velut adamantinus (ut ajunt) in nullam unquam mulierem oculos amoris cauſa conjeci, ſervum effeciſti, animo amatorio devictum. Eſt metaphora proverbialis apud Siracidem capite 16. ἐμίγησαν τῷ ἀδάμαντι: qua immutabiles eſſe vices lucis & tenebrarum, & has infringi non poſſe ſignificat. Sic & in oraculo apud Herodotum, ἀδάμαντι πελάσσας: id eſt, firmum & infractum reddens. Et in epigrammate Agathiæ, de Zenone, libr. 1.

Τοῦτ' ἀδάμαντι μένει.——

Manet firmum ac durat.

Et ἀδαμάντινα δεσμά, vincula quæ rumpi nequeant. Dionyſ. Areopagita de Eccleſiaſtica hierarchia, vocavit ἀμαλθώλακτον εἶναι, invictum, durum, indomitum, fortem, qui inclinari non poteſt ad ullam ſubmiſſionem.

Totus ſaxeus.

Proverbiale in hominem durum, immitem, & omnino inexorabilem. Idem in Æpolo:

Ὦ τὸ καλὸν πεφιλημένε, τὸ πᾶν λίθος.——

Id eſt:

Tota ſaxea, In Amatore, eidilio 28.

Λάϊνε παῖ. Id eſt: Saxee puer. In Megara:

Πέτρας ἐκ ἔχων νόον ἢ σιδήρου.

Id eſt:

Ex rupe habens animum aut ferro.

Terent. in Eunucho: Satis diu jam hoc ſaxum voluo. id eſt, Thraſonem, ſaxo ſimilem. Idem in Heaut. Quid ſtas lapis? cum hominem ſtupidum appellaret. Metaphoræ ſunt ſecundum materiam ex nomine ſimplici. Aloyſius Luiſinus De compeſcendis animi affectibus lib. 2. cap. 2. Stoici in ira mihi ſaxeum hominem eſſe volunt, immobilemque prorſus. Lapis autem & caudex, pro ſtupido & alienatæ mentis homine, apud Comicos ponitur, ut alibi diximus. De ferreo vide, Et adamante durior.

Deme ſupercilium nubem.

Horatius in epiſtola ad Lollium:

Deme ſupercilio nubem.——

hoc eſt, ne ſis triſtis aut nimis ſeverus. Nubes frontis ſuperciliique μεταφορικῶς appellata eſt, ſeverus nimis ac triſtis vultus, ſine cogitatione aliqua majore ægritudineque perturbatus. Ut enim nubes cœli ſplendorem ſerenitatemq; maculat: ita hæc triſtitia mœrorque oris hilaritatem polluit. Cicero in Lucium Piſonem: Neque fui timidus, ut qui in magnis turbinibus ac fluctibus reipublicæ navem gubernaſſem, ſalvamque in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam tum collegæ tui contaminatum ſpiritum pertimeſcerem. Frontis nubeculam, ſeveritatem appellat. Futuræ namq; tempeſtatis nubes ſigna ſunt, ac ſpiritus ventique fluctus excitant. Euripides in Hippolyto coronato, ubi chorum ita canentem induxit, viſa regina Phœdra valde animo perturbata vultuque ægritudinem ſignificante: στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὔξεται. Nec non chorus itidem in Phœniſſis in extremo ſui cantu: ἀλλὰ γὰρ ἀρχόντων λόγον οὐδ' δάκρυ συννεφῆ. Severitas autem contracto ac ſublato ſupercilio ſignificatur: quod ipſi Græci τὸ τῶν ὀφρύων νέφος, id eſt, ſuperciliorum nubem appellant: ex quo ὀφρυῶντες ab ipſis Græcis appellantur ſeveri, triſtes, ſuperbi. Et ἀτέγκτον συνωφρυωμένον. Euripid. in Alceſtide. Et αἴρειν τὰς ὀφρῦς, id eſt, tollere ſupercilia, proverbii locum obtinet, tum apud Græcos tum apud Latinos: pro eo quod eſt, vultu triſtitiam quandam præ ſe ferre. Diphilus comicus apud Athenæum libr. 2. τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα, συμπνίγοντα γέλων, τόν τ' ἀθεώρητον πλημμελῆ, τὸν δεινὸν, θρασύν. Et ita Catulus ad januam mulieris impudicæ:

Præterea addebat quendam: quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra ſupercilia.

id eſt: Ne ſublato ſupercilio ſignificet ſe mihi iratum eſſe, ne graviter & iniquo animo ferat. συνοφρὺς etiam appellatur à Græcis is, qui ſupercilii nube, id eſt contractione, triſtitiam quandam præ ſe fert: ex quo verbum συνοφρύω, & συνωφρυωμένοι apud Euripidem in Electra. Et Sophocles in Antigone, diſerte νεφέλην ὀφρύων nominat aſpectum mœſtum ac triſtem. Sic Sophocles νεφέλη δ' ὀφρύων ὕπερ αἱματόεν ῥέθος αἰσχύνει τέγγουσ' εὐῶπα παρειάν. Sic Cicero in eadem oratione in Piſon. ὑπερβολικῶς quidem illud, ſed tamẽ urbane ac facete, Piſonem interrogatum quid ſentiret de ſuo conſulatu, ait reſpondiſſe, altero ad frontem ſublato altero ad mentum depreſſo ſupercilio, crudelitatem ſibi non placere: ſignificans ac deſcribens ejus ineptam atq; importunam ſeveritatem, quam nubeculam appellavit. Idem de eodẽ in orationem pro Sextio: Tan-

ta erat gravias in oculo, tanta frontis contractio, ut illo ſupercilio, tanquam Atlante cœlum, reſpublica niti videretur. Et συνάγειν τὰς ὀφρῦς, apud Ariſtophanem in Pluto, triſtitiam & mœſtitiam ſignificat.

Non re, ſed viſu terribiles.

Seneca Epiſt. libr. 18. epiſt. 105. Egregie Vergilius noſter non re dixit terribiles eſſe, ſed viſu, i. videri non eſſe: Quid, inquam, in iſtis eſt tam formidabile, quam fama vulgavit?

Terribiles viſu formæ lethumque laborque.
Hic verſus eſt Æneid. 6. Galli ſic uſurpant.
Il n'eſt ſi terrible que l'on dict.

Non eſt tam formidabilis, quam fama vulgavit.

Κερασβόλος.

Semel hac voce uſus fuiſſe Plato adnotatur, innuereque duræ cervicis hominem, quique animi cultum non recipit, nec legibus audit. Semina vero κερασβόλα, & ignis injuriæ invicta reſiſtere in decimoquinto γεωπονικῶν legitur: nec aqua macerata teneſcere, Etymologici author addit.

Ἀρχαϊκὸς ἢ ἀρχαῖος.

Pro ſimplici & agreſti uſurpata ſunt. Horat. lib. Epiſt. 1.

Si potes Archaicis conviva recumbere menſis:

id eſt, rudibus & impolitis quas priſci illi homines poſſidebant, non citrinas, neque marmoreas, (Ita Nannius Miſcellan. 4. cui tamen adverſatur Turneb. Adverſ. 1. cap. 24. qui hoc Horatii loco Archiacis legendum eſſe cenſet ex libr. vet. omni. & interpretum ſcholiis.)

Ἑαυτὸν τιμωρούμενος.

Heauton timorumenos Comicis dicitur ſeipſum excrucians mentis perturbatione, ſeu languore, vel certe animi paſſione æger, uti cupidus, ambitioſus, invidus, curioſus, ſolicitus, avarus: de quo Virgilius Æneid. 1.

——Curiſque ingentibus æger,
Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Hunc titulum Terentius uni ex ſuis Comœdiis indidit, atque hujus proverbii emblemate eam exornavit. Ad quem alluſit Horat. lib. Serm. 1. ſatyr. 2.

——Vix credere poſſis,
Quam ſibi non ſit amicus: ita ut pater ille, Terenti
Fabula quem miſerum nato vixiſſe fugato
Inducit, non ſe pejus cruciaverit, atque hic.

Menedemum intelligit. Ex his intelligi poteſt, quid hoc & ſimilibus locis exempli nomen valeat: itemque, quam proprie inſcripta ſit illa fabula. Sic M. Varro Menippeis illis ſuis proverbiales indidit titulos: ut plane conſentaneum ſit, comicos argumenta fabularum non aliunde, quam a proverbiis ſumpſiſſe mutuo. Cicero Tuſcul. 3. Quid ille Terentianus ipſe ſe puniens, id eſt, ἑαυτὸν τιμωρούμενος?

Sortitus es M.

Erat in antiquorum ſortibus M. litera moroſitatis & ſtoliditatis ſignum: unde proverbium, ἔλαχες τὸ μ: Obvenit tibi M. Objectumque aliquando Dionyſio, cavilli vice, cui ſors obvenerat M. μωρολογεῖς Διονύσιε. id eſt: Morio es: cui tamen & vafre. & vero de ſe præſagio reſpondit ille: μοναρχήσω. id eſt: Monarcha ero. Quanquam ex eo quod res optime ſucceſſit Dionyſio, proverbiũ illud Sortitus es M. de callidis, & longe majora quam in hominum ſpe aut opinione fuerint, attentantibus, dici mox cœptum. Dionyſius adeptus magiſtratum protinus imperator electus eſt à Syracuſanis. Magni erat animi, quod illo joco non offenderetur, contentus omen literæ ſecus interpretari. Magiſtratus enim per literas ſorte creabantur. Illi autem contigerat M.

Abſynthium.

Abſynthium ob immenſam ſuam amaritudinem prohibens hilaritatem & alacritatem, Gallis in proverbium venit, de re inſignis amatoris. Dicunt enim: fort comme aloyne, ou abſynte: quod ideo, fort, quidam vocant. Veteres Græci comici ἀπίνθιον, quaſi impotabilem dixerunt. Apellus in Iſagogico: Nihil prorſus ab Accurſiano abhorrens abſynthio: hoc eſt, eximia amaritudine & lectionis tædio. Parum enim enucleate parumque recte Accurſius leges interpretatur, & adeo obſcure & perverſe loquitur, ut ejus difficultate & ſcrupuloſitate lector opprimatur ac perterreatur. Salom. 5. Proverb. Ne intenderis fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis. Noviſſima enim illius amara, quaſi abſynthium, &c. Quintil. lib. 3. cap. 1.

Ac veluti pueris abſynthia tetra medentes.

Id eſt, ſupra modum amara: verſus eſt Lucretii lib. 1. Siquidem ut eſt author Dioſcorides lib. 3. tam eſt acerbum abſynthium, ut ventris ac ſtomachi dolores diſcutiat: qua potiſſimum ratione pueris tormina ventris patientibus ſolet inſeri: Nazian. in Apologetico: Modicum abſynthii amaritudinem ſuam melli celerrime indit. Varro in Quinquatribus: Abſynthium uti bibam gravem id eſt, amarum. Abraham in dialogo Petri Philicini, de Iſaaci immolatione: Dominus inquit, hoc abſynthium, quando dignabitur, ſuæ conſolationis melle condulcabit.

Tryceps Geryon.

Proverbium eſt in eos, qui ſunt moribus efferatis & indomitis, Geryones ſive Ceryon trium Hiſpanicarum inſularum rex fuit, Balearidum videlicet duarum, & Ebuſi, quæ res locum fecit Poetarum fabulis, ut tricorporem fuiſſe dicerent. Alii, quod tres fuerint eodem nomine fratres, tanta inter ſe animi concordia viventes, ut anima una putarentur. Hunc Hercules interfecit, boveſq; ejus in Græçiam abegit. de quo Virg. 8. Æneid.

E mari natus.

Solent poetæ, quem ſignificare volunt inhumano atque immiti ingenio eſſe præditum, è mari eum dicere eſſe natum. Homer. I. λ. π.

-- Γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.
Lucret. lib. 2.
Nec mare, nec fluctus plangentes ſaxa crearunt.

Neptuni etiam liberos vocant immanes, διὰ τὸ τῆς θαλάσσης ἄχαρι, atque ab omni humanitate alienos, tanquam è mari genitos: ſicuti terræ filios, vel terra ortos, ignoto obſcuroque genere procreatos, aut enormi & monſtroſo corpore præditos, a poetis dici conſuevisse legimus. Nam a Iove ſati, quos Græci διοτρεφεῖς appellant præſtantiſſimi virtute, prudentia, viribus intelliguntur. Quæ Euſtathius in α. Iliados copioſiſſime perſequitur. Hæc centuria 4. etiam ex Gellio indicavimus.

Fronte caperata.

Pro obducta, corrugata, & contracta: cui contraria, explicita & ſerena, exporrecta. Pacuvius in Duloreſte:

Hiccine is eſt, quem gratia formæ ante omnes nobilitas viros,
Amplus, rubicundo colore, ſpectu protervo, ferox, caperata fronte?

Feſtus & Nonius hos verſus ex ea fabula produxerunt, Plautus:

Quid illud eſt quo illi caperat frons ſeveritudine?

Græci συνάγειν τὰς ὀφρῦς dicunt. & συνεσταλμένον, caperatum, & rugoſum.

Auſteritas ſolitudinis ſocia & comes.

Plato Epiſt. 4. Itaque ut te lateat, hominum charitate & benevolentia rerum gerendarum facultatem maxime contineri: auſteritatem autem ſolitudinis ſociam eſſe & comitem.

Paucorum hominum homo.

Vetus ac Romanum proverbium eſt, quod adhuc hodie in quavis lingua relucet & viget, de eo qui paucos in amicitiam recipit, neque vulgo ad eum familiariter aditus patet, neq; ſe multis communicat, ſed paucis, iiſque prudentibus ſaniſque qualis fuit Mecœnas, ad quem paucis hominibus patuit aditus & familiaritas. Horatius ſatyra 9.

-- Paucorum hominum, & mentis bene ſanæ.

Sic Terent. Eunucho: immo ſic homo eſt, perpaucorum hominum. Gnato: immo nullorum eſt, ſi tecum vivit. Apud Ciceronem de Fato, Acipenſer paucorum hominum perfacete dicitur, ad cujus opes multi convivæ non ſunt adhibendi, quaſi Acipenſer multis communicari nolit. Cicero: Nam cum eſſet apud ſe ad lacum Avernum Scipio, unaque Pontius, allatus eſt forte Scipioni Acipenſer, qui admodum raro capitur: ſed eſt piſcis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex his qui eum ſalutatum venerant invitaſſet, pluresque etiam invitaturus videretur, in aurem Pontius: Scipio, inquit, vide quid agas: Acipenſer iſte paucorum hominum eſt, eoque difficiles aditus primos habet.

ASSIDVITAS.

Minutula pluvia imbrem parit.

Ψακάδες ὄμβρον τίκτουσι: id eſt, Minutæ guttulæ imbrem parientes. quoties res initio puſilla creſcit in majus. Quemadmodum apud Plautum in Menæchmis:

Nunc in te cadunt folia, poſt cadent arbores.

Quare in minutis vigilandum, nec paulatim incidamus in maxima incommoda, admonente proverbiali ſenario.

Εἰ μὴ φυλάξαις μικρὰ, ἀπολεῖς τὰ μείζονα.
Id eſt:
Majora perdes, parva ni ſervaveris.

Eſt enim pſecas tenuis irroratio, qualem reddunt & nebulæ denſiores.

Aſſidua ſtilla ſaxum excavat.

Ῥανὶς ἐνδελεχοῦσα κοιλαίνει πέτραν: id eſt, Stillicidium perpetuum ſaxum excavat. Admonet, nihil eſſe tam durum, quod non emolliat: nihil tam arduum, quod non efficiat aſſiduitas: quandoquidem ſtilla aquę, nimirum res tam tenuis ac levis, ſaxum etiam duriſſimum exhauriat, quod vix ferro poſſis evincere. Plinius tradit, inveniri ſilices, formicarum pedibus attritas: idque graviſſimum exemplum eſſe putat, quantam vim habeat aſſiduitas. Menander apud Stobæum:

—— Πάντα γὰρ ταῖς ἐνδελεχείαις καταπονεῖται πράγματα.
Id eſt:
-- Nam vinci ſolent
Aſſiduitate quælibet negocia.

Ovi-

Ovidius:

Quid magis eſt durum ſaxo, quid mollius unda?
Dura tamen molli ſaxa cavantur aqua.

Galenus περὶ κρίσεων libr. 3. eandem ſententiam refert, carmine heroico: οὕτω δὴ καὶ τοῦτο καλῶς εἰρῆσθαι δοκεῖ·
Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Id eſt:

Ita nimirum & illud recte dictum videtur:

Stillula mollis aquæ lapidem aſſiduo cavat ictu.

Huc adferunt Homeridæ, quod quum poculum plenum cæteri vix tollerent à menſa, ſolus Neſtor facile nulloque negotio ſuſtulerit, quum eſſet admodum ſenex, & viribus multis inferior: verum hoc illi dabat uſus & exercitatio. Nam Homerus facit Neſtorem φιλοπότην. Homeri carmen ſic habet,

Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
Πλεῖον ἐόν, Νέστωρ δ᾽ ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.

Id eſt:

Vix alii poclum poterant ſuſtollere menſa
Plenum: at grandævus Neſtor facile abſtulit illud.

Quæ ſententia non ſolum accommodari poteſt ad aſſiduitatem, ſed huc quoque, quod ea facile facimus, quæ libenter facimus.

Latum unguem: ac ſimiles hyperbolæ proverbiales.

Tranſverſum digitum aut unguem diſcedere, frequenter eſt apud Ciceronem: pro eo quod eſt, quam minimo ſpacio. Fit autem feſtivior metaphora, quoties his verbis perfectam imitationem, ac plenum undequaque conſenſum ſignificamus: ut Academicarum quæſtionum lib. 2. Ab hac regula mihi non licet tranſverſum ut ajunt, unguem diſcedere. ibidem: Vbi enim aut Xenocratem ſequitur, cujus libri ſunt de ratione loquendi, multi & multum probati: aut ipſum Ariſtotelem, quo profecto nihil eſt acutius, nihil politius? A Chryſippo pedem nunquam. Loquitur de Antiocho, qui reliquis contemptis Chryſippum per omnia ſequeretur. Rurſus Academicarum qu. lib. 2. Quibus conceſſis digitum progredi non poſſunt. Idem Atticum: Mihi certiſſimum eſt, ab honeſtiſſima ſententia digitum nunquam. Rurſus ad eundem lib. 13. Curandum eſt, atque in omni vita, ſua quenque, à noſtra conſcientia tranſverſum unguem non oportet diſcedere. Idem in Epiſt. familiaribus Vrge igitur tranſverſum unguem quod ajunt, à ſtylo. Sunt illa quidem minus figurata, ſed tamen proverbialia, quæ loquitur Plautinus Euclio in Aulularia: Si tu hercle ex iſtoc loco digitum tranſverſum, aut unguem latum exceſſeris. Et Cicero in Verrem: Digitum non diſcedebant. Idem ad Atticum lib. 13. epiſtola 1. Pedem adhuc è villa egreſſi non ſumus, ita magnos & aſſiduos imbres habebimus. Idem Academicarum quæſtionum libr. 1. Non quæro ex his illa initia Mathematicorum, quibus non conceſſis, digitum progredi non poſſunt. Atque hunc imitatur divus Hier. Et Apoſtolicæ voluntatis ſequẽtes veſtigia, ne puncto quidem ut dicitur, atque ungue tranſverſo, ab illius ſententiis recedamus. Metaphora partim ſumpta videtur ab iis, qui tabulam aut ſaxum, aut ſimile quippiam digitis latis metiuntur, quoties exquiſite rei modus ſpectatur (nam reliqua cubitis metiri ſolemus, nimia menſurarum, latus digitus eſt) partim à jugerum menſoribus, qui ſtadiis, paſſibus & ut minima menſura, pedibus, ſoli ſpacium metiuntur. Vulgo etiam nunc dicunt, Culmum latum, ſimili figura: pro eo quod eſt, ne tantulum quidem.

Bis ſeptem plagis polypus contuſus.

Δὶς ἑπτὰ πληγαῖς πιληθεὶς πουλύπους.

Id eſt:

Plagis adactus polypus quatuordecim:

Dici ſolitum, ubi quis multo tandem malo fit emendatior. Quemadmodum accidit indomitis adoleſcentibus, qui plurimorum experientia malorum tandem cicurantur. Conveniet & in eos, qui duriore ingenio præditi, non niſi gravib. ſuppliciis corriguntur. Ajunt polypum piſcem captum, diu multumque tundi cædique ſolere, quo mitior fiat, & ad eſum accommodatior. Autor Zenodotus.

Dicendo dicere diſcunt.

Ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν περιγίνεται: id eſt, Dicendo conſequuntur ut dicamus. Syrianus Hermogenis interpres, Evagoram ſophiſtam taxat, qui dicendi facultatem non putarit ratione, ſed uſu duntaxat conſtare, fierique ut dicendo conſequeremur dicendi facultatem. ἀξιοῦντος δὲ inquit, κατὰ τὴν κοινὴν παροιμίαν τὸ λέγειν ἐκ τοῦ λέγειν περιγίνεσθαι. id eſt: Exiſtimantis juxta vulgare proverbium, dicendi facultatem dicendo contingere. Vſurpavit & M. Tullius lib. 1. De oratore: In quo, inquit, fallit eos, quod audierunt, dicendo homines ut dicant efficere ſolere. Verum etiam illud dicitur, perverſe dicendo facillime conſequi. Plin. lib. Epiſt. 9. Video etiam multos parvo ingenio, literis nullis, ut bene agerent, agendo conſequutos. Latius autem patet adagium, nempe ad cujuſvis rei peritiam, quam potiſſimum uſus ſuppeditat, optimus rerum omnium magiſter. Proinde proverbiales erunt omnes id genus: Fabricando fabricam diſces, canendo muſicam, militando militarem artem, ſcribendo diſces ſcribere.

Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit.

Adagium in fornice natum, uti videtur, ſed quod ad uſum verecundiorem commode torqueri poſſit, ſi quando ſignificabimus majora peccaturũ adultum, qui puer vitiis minoribus aſſueverit. Extat in fragmentis Arbitri Petronii his quidem verbis: Obſtupui ego, & nec Gitonem vereeundiſſimum puerum ſufficere huic petulantiæ affirmavi, nec puellam ejus ætatis eſſe ut muliebris patientiæ legem poſſit accipere. Itaque, inquit Quartilla, minor eſt quam ego fui cum virum paſſa ſum? Junonem meam iratam habeam, ſi me unquam meminerim virginem fuiſſe. Nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Hinc etiam puto natum proverbium illud, ut poſſe dicatur taurum tollere, qui vitulum ſuſtulerit. Non abſurdum videtur, adagium ad Milonis Crotoniatæ factum referri: qui quotidie vitulum aliquot ſtadiis geſtare ſolitus, eundem taurum factum, citra negocium geſtaſſe legitur. Atque iſta quadrabit in eos, qui paulatim rebus etiam maximis aſſueſcunt.

Noctéſque dieſque.

Aſſiduam atque infatigabilem diligentiam paſſim hac figura ſignificant, noctéſque & dies. Horatius in Arte:

——Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Heſiodus:

Νύκτας τε καὶ ἦμαρ.

Id eſt:

Noctéſque dieſque.

Item alibi:

Ἠμὲν ὅτ᾽ εὐνάζῃ, καὶ ὅταν φάος ἱερὸν ἔλθῃ.

Id eſt:

Cumque cubile petit, cumque aureus exoritur ſol.

Eſt ſubinde & apud Homerum:

Νύκτας τε καὶ ἤματα πάντα.

Id eſt:

Omneis noctéſque dieſque.

Velut umbra ſequi.

Ὥσπερ σκιὰ ἕπεσθαι: id eſt, Velut umbra ſequi. Dicitur qui nunquam deeſt. Nam umbra corpus aſſectatur, velit nolit. Plaut. in Caſina: Decretum eſt mihi quaſi umbra quoquo ibis tute, perſequi. Vnde aſſeclas individuos, umbras vocamus, & ultro comitantes ad convivium: ut indicatum eſt alibi, in proverbio Vmbræ. M. Tullius lib. Tuſculanarum quæſtionum 1. Etſi enim nihil in ſe habeat gloria cur expetatur, tamen virtutem tanquam umbra ſequitur.

Ne altero quidem pede.

Μηδὲ τὸν ἕτερον πόδα: id eſt, Ne alterum quidem pedem diſcedere. Lucianus in Harmonide. Idem in ſectis: οὐδὲ πώποτε ἐξ Αἰθιοπίας τὸν ἕτερον πόδα προβεβηκώς, id eſt: Qui ex Æthiopia nunquam vel alterum promoverit pedem. Annumerandum illis quæ retulimus alibi, Latum digitum, & latum pedem, latum unguem: quibus vel conſenſus opinionum, vel ſtudii aſſiduitas ſignificatur, velut illo, Nocte dieque. quod aliter extulit T. Livius belli Macedonici primo: Alii in caſtris ſine ſtationibus per ſomnum vinumque diem noctibus æquabant.

Saxum volutum non obducitur muſco.

Λίθος κυλινδόμενος τὸ φῦκος οὐ ποιεῖ.

Id eſt:

Muſco lapis volutus haud obducitur.

Qui non poteſt eodem in loco conſiſtere raro, ſit diteſcat. Id totidem pene verbis etiam hodie dicunt. Simile illud Fabii: Planta quæ ſæpius transfertur, non coaleſcit.

Multis ictibus dejicitur quercus.

Πολλαῖσι πληγαῖς δρῦς σκληρὰ δαμάζεται.

Id eſt:

Multis rigida quercus domatur ictibus.

Senarius hic extat in Diogeniani collectaneis, de re factu quidem ardua, quæ tamen aſſidua induſtria pervincatur. Huic non diſſimile videtur Heſiodium illud:

Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦτ᾽ ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.

Id eſt:

Si paulum paulo adjicies, facieſque ita crebro,
Mox magnum quiddam tibi conficietur & ingens.

Id quod non tantum ad lucri naturam pertinet, quod ex minutiſſimis ſæpe maximum conflatur, verum etiam ad induſtriam aſſiduam: quæ ſi vehemens non ſit, tamen ſi perpetua atque indefatigata fuerit, res difficillimas quoque facile conficit. quemadmodum unicus ictus nihil adferre momenti videtur ad dejiciendam molẽ querni roboris, verum ea crebris ictibus facile proſternitur.

Exercitatio poteſt omnia.

Μελέτη πάντα δύναται: id eſt, Cura omnia poteſt. Laertius hanc ſententiam Periandro tribuit, qui Iſthmum etiam tentarit perfodere? ſignificat autem, nihil eſſe tam arduum, quod diligentia curaque non efficiatur. Vergilius in Georgicis:

——Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.

Extat apud Græcos proverbialis ſententia: θεοὶ τὰ ἀγαθὰ τοῖς πόνοις πωλοῦσιν. id eſt: Dii bona laboribus vendunt. Huc alluſit Horat.

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Sophocles in Electra

Πόνου τοι χωρὶς οὐδὲν εὐτυχεῖ.

Id eſt:

Citra laborem nil bene eſt.

Fertur & verſus Menandri:

Πάντα τὰ ζητούμενα
Δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτεροι.

Id eſt:

Quæcunque votis expetuntur, prædicant
Egere curis, qui valent prudentia.

Simplicius Antiphanes:

Τοῖς ἐπιμελείαις πάντα δοῦλα γίγνεται.

Id eſt:

Domat atque ſubigit cuncta diligentia.

Quanquam autem in præſentia non eſt neque propoſiti, neque operis hujus, quicquid ad hujuſmodi ſententias facit, in unum convertere: tamen haud gravabor, quando quidem caſus obtulit, adſcribere verba Senecæ ex libro De ira 2. Atque nihil eſt, inquit, tam difficile & arduum, quod non humana mens vincat, & in familiaritatem perducat aſſidua meditatio. Nullique ſunt tam feri, ſuique juris affectus, ut non diſciplina perdomentur. Quodcunq; imperavit animus obtinuit. Quidam nunquam ridere conſueti ſunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus. Alius contectus brevi ſomno, vigiliam indefatigabilem extendit. Didicerunt tenuiſſimis & adverſis funibus currere, & ingentia, vixque humanis toleranda viribus, onera portare, & in immenſam altitudinem mergi, ac ſine ulla reſpirandi vice peti maria. Mille ſunt alia, in quibus pertinacia impedimentum omne tranſcendit, oſtenditque nihil eſſe difficile, cujus ſibi ipſa mens patientiam indixerit.

Ne genu quidem flexo.

Οὐδὲ γόνυ καμψάμενος: id eſt, Ne genu quidem flexo. Philoſtratus in Antæo: καὶ οὐδὲ γόνυ φασὶ κάμψαι τὸν Ἀνταῖον πρὸς τὸν αὐτὸν. id eſt, Ac ne genu quidem curvato adverſus Antæum exuitur. Idem in Herode: ἐκάμψαμεν, ἔφη, γόνυ κάμψωμεν. id eſt: Hic, inquit, genu flectamus. Dictum eſt autem ὑπερβολικῶς pro eo quod eſt, ne tantulum quidem. Etenim qui jam incipit ad quietem componere ſeſe primum genu flectit. Itaq; perinde valet, οὐδὲ γόνυ κάμψας: quaſi dicas, citra reſpirationem, ſine omni intermiſſione. Sumptum apparet ex Æſchyli Prometheo, ubi Vulcanus ſic loquitur.

Ἀνθ' ὧν ἀτερπῆ τήνδε φρουρήσεις πέτραν,
Ὀρθοστάδην ἄυπνος, οὐ κάμπτων γόνυ.

Id eſt:

Ideo petram ſervabis hanc inamabilem.
Inſomnis aſtans, nec genu unquam flexeris.

Niſi mavis mutatum ex Homericæ Iliad. κ. ubi de Hectore ſic loquitur Menelaus:

Φημί μιν ἀσπασίως γόνυ κάμψειν, ὅς κε φύγῃσι
Δηΐου ἐκ πολέμοιο.

Id eſt:

Ille lubens genua flectet, puto, ſi modo triſti
fugerit e bello.———

IVNII *Gutta cavat lapidem.*

Hoc Ovidiano hemiſtichio ex quarto libro de Ponto utimur, quoties temporum diuturnitate omnia abſumi ſignificamus,

Gutta cavat lapidem, conſumitur annulus uſu,
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Chærilus, malus poeta:

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ,

Hunc verſum citat Simplicius in commentario ſuo in octavum librum Naturalis auſcultationis, quem his verbis Lucretius protulit, libr. 4.

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris longo in ſpacio pertundere ſaxa?

Quod ad ſententiam attinet, eam lib. 1. tractavit:

Stillicidi caſus lapidem cavat.---

Tibullus eleg. 4. lib. 1.

Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Sine fine.

Quando inceſſanter & ſine intermiſſione aliquid fit, dicitur ſine fine fieri Perſ. ſatyr. 3.

Nunc nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota.--

Virg. ſub finem 2. Æneid.

Quærenti & tectis urbis ſine fine furenti

Hoc verbo amplificat laborem, & indicat ſe furenti ſimilem ſurſum deorſum per totam urbem diſcurriſſe. Ovid. 2. Metam.

---Immotoſque oculos in ſe ſine fine tenentem
Neſcius extimuit.

Hoc eſt quod palles.

Hoc autem Perſii hemiſtichio literarum & philoſophiæ ſtudioſi irridentur, & expalleſcere dicuntur aſſiduo ſtudio, qui etiam minimo cibo contenti ſe macerant, atque inde palleſcunt. unde impranſi à Gallis & ab Horatio 2. Serm. ſatyr. 3. appellantur:

Poſtquam eſt impranſi correptus voce magiſtri.

Nam cum omnes homines decet ſobrietas, tum vero eos maxime qui literis incumbunt. Mente enim recte uti non poſſunt, multo cibo & potione completi: ait Cic. 5. Tuſc. Ariſtoph. in ea comœdia cui titulus eſt νεφέλαι: philoſophus ὠχριῶντας & ἀνυποδήτους, cōmelioſe vocat: id eſt, pallentes & nudipedes, Juven. ſatyr. 7.

---Tunc utile multis
Pallere, & toto vinum neſcire Decembri.

Studio enim pallor contrahitur, unde pallida Pyrene dicitur à Perſio in prologo, & ſatyr. 5.

Atte nocturnis juvat impalleſcere chartis.

Labor improbus omnia vincit.

Ingenium & induſtria quid non præſtat? quo ſi accedat aſſiduitas ſedula & indefeſſa, crebris operis eandem incudem nocte diuque tundentibus, operis inſtans, nœ tum rotundum neſcio quid & abſolutum exiſtat inde neceſſum eſt. Vetus illud ac veritati conſonum eſt ab Eraſmo noſtro obſervatum, Crebris ictibus quercum dejici: continuæ atque infatigabilis diligentiæ argumento, quod difficillima etiam quæque, ea via ſi petentur adeo & perficiantur Herculeis & Theſeis laboribus omnia, quamvis ardua, cœlum denique ipſum pateant: Vere Virg. 1. Georg.

---Labor omnia vincit Improbus,

Ἀκάματος, magnus & indefeſſus. Ut enim dicitur, volenti nihil operoſum aut difficile eſſe: ita ei qui nervos animi in aliquam rem contenderit, minimo negocio etiam ardua ſuperantur.

ATTENTIO ET CONTRA.

Purgatis auribus.

Purgatis auribus, pro attentis ac vacuis proverbium reſpicit Plautus in milite.

Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus.

Horatius in Epiſtolis.

Eſt mihi purgatam crebro qui perſonet aurem.

Perſius quinta Satyra:

Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto.

Nam ſordes in auribus collectæ auditum hebetant, exempteq; reddunt acriorem.

Mens peregrina.

Νοῦν ἔξω: id eſt, Mentem peregrinam habere dicuntur cogitabundi, nec ſatis ob id attenti ad ea, quæ coram aguntur. Jocatur Ariſtophanes ἐν ἀχαρνεῦσιν. in Euripidem, tanquam dialecticis utentem argutiis. id quod indicat etiam Fabius Quintilianus in Inſtitutionibus, his verſibus.

Οὐκ ἔνδον, ἔνδον ἐστὶν εἰ γνώμην ἔχεις.
Πῶς ἔνδον, εἶτ' οὐκ ἔνδον; ὀρθῶς ὦ γέρον.
Ὁ νοῦς μὲν ἔξω συλλέγων ἐπύλλια,
Οὐκ ἔνδον, αὐτὸς δ' ἔνδον ἀναβάδην ποιεῖ Τραγῳδίαν.

Id eſt;

Eſt intus, haud eſt intus idem ſi ſapis.
Quinam intus & non intus? optime ſenex.
Nam mens foris abeſt, colligens epyllia,
Non intus, ipſe at intus eſt, tragœdiam
Scribens ſupinus.

Epyllia verſiculos dicit, voce diminutiva ab Epos.

Idem in Equitibus:

Πρὸς τοῦτον λέγετ' ἀεὶ
Κέχηνας, ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ.

Id eſt:

Vſque ad loquentem inhias, at ipſa mens tua,
Præſens peregre eſt:

In eundem ſenſum Terentius: Præſens, abſens ut ſies.

Præſens abeſt.

Παρὼν ἀποδημεῖ: id eſt, Præſens peregrinatur. In eum dicendum qui non animadverterit ea quæ dicuntur, cogitatione aliis in reb. occupata Vnde quos jubemus attentos eſſe, iis ſic loqui ſolemus, Hic eſtote: &, hoc agite: &, Adeſte animis. Hodieque vulgo dicitur cogitatione peregrinantem, domi nō eſſe, ſed foris. Terent. in Eunucho: Cum iſto milite præſens abſens ut ſies, i. corpore quidem præſens, cæterum animo ſemota. Contra qui amant, abſentes præſentes ſunt: velut de Didone Vergilius in 4.

- Abſens abſentem auditque videtque.

Theodoritus Cyrenenſis Therapeutices lib. 1. ex Heraclito Epheſio adducit, ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖσιν ἐοίκασι, φάτις αὐτοῖσι μαρτυρεῖ, παρεόντας ἀπεῖναι. id eſt: Stolidi quum audierint, ſurdis ſunt adſimiles. Teſtatur proverbium illos præſentes abeſſe. Item Ariſtophanes in Equitibus:

Πρὸς τοῦτον λέγετ' ἀεὶ
Κέχηνας, ὁ νοῦς δέ σου παρὼν ἀποδημεῖ.

Id eſt:

Tu ſemper inhias ad loquentes, cæterum
Animus peregre eſt, menſque tua præſens abeſt.

Auribus arrectis.

Ὀρθοῖς ὠσίν. id eſt, Auribus arrectis, A Diogeniano proverbii loco refertur. Quadrat in illos qui ſitienter atque avide auſcultant quæ dicuntur aut expectant quid dicendum ſit. Ducta metaphora ab animantibus, quorum pleriſque mos eſt, ſi quando quid eminus audierint, aures ſurrigere. Nam uni animantiū homini natura dedit

dedit auriculas immobiles. Plinius tradit hoc eſſe peculiare cervis ut cum aures ſubrexerint, nihil ſit illis auritius: rurſum ubi demiſerint, nihil ſurdius. Ariſtoteles item libro De naturis animalium 9. tradit cervos haudquaquam latere inſidias, quoties arrectis ſunt auribus, propterea quod tum auditus ſint acerrimi: contra cum demiſerint aures, facile capi. Terent. in Andria: Arrige aures Pamphile. Et Virgil.

—Arrectiſq; auribus aſtant.

Propertius libro tertio.

—Ab origine dicere prima
Incipe, ſuſpenſis auribus iſta bibam.

Cui diverſum videri poteſt quod ſcribit Horatius:

Demitto auriculas ut iniquæ mentis aſellus.
Quum gravius dorſo ſubiit onus. ——

Erecti.

Athenæus in Dipnoſophiſtarum lib. 5. καὶ τὸ θαυμασιώτατον, ὅτι πεπιεσμένοι καὶ καρηβαροῦντες ὑπὸ τῆς μέθης, ὁπότε τι τῶν ἀγαθῶν εἰσφέροιτο, πάντες ἐξηγειρόμεθα, ὀρθοί, λεγόμενοι, ἀκροώμενοι. id eſt: Et quod dictu mirum, cum depreſſi eſſemus, & capite gravato temulentia, quoties ſpectaſſemus aliquid eorum quæ inferebantur, omnes expergiſcebamur, recti (quod dici ſolet) ſurgentes, accommodum erit, ubi ſignificabimus aliquem toto pectore attentum ad rem quampiam. Erigunt enim ſe totos, & ſummis nonnunquam inſiſtunt pedibus, qui auſcultant aut ſpectant avidius.

Auſculta, & perpende.

Quoties ſignificabimus nos aliquid dicturos quod ad rem pertineat, quodq; ratum ac certum futurũ ſit, conveniet illud ex eodem libro, quanquam & alias apud eum poetam ſæpius obvium:

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.

Id eſt:

Imo aliud quiddam, tu mente recondito, dicam.

Conſulendum, & conſiliis parendum.

Cum admonebimus quempiam, ut viciſſim & rectum conſilium aliis det, & ab aliis accipiat: aut ut & ſecum rem diligenter perpendat, & alienam ſententiam auribus attentus audiat, non intempeſtivum erit illud ex eodem libr.

Ἀλλὰ ἄναξ αὐτός τ' εὖ μήδεο, πείθεό τ' ἄλλῳ.

id eſt:

Ipſe age rex bene conſulito, & pareto viciſſim.

Hoc age.

Quum aliquem jubemus eſſe attentum, dicimus, Hic eſto: aut: Hoc age. Caligula Imperator ab iis qui venerant illum interfecturi, Hoc age. Et Plautus in eadem fabula, Hoc agamus.

Ceram auribus obdis.

Κηρὸν ταῖς ὠσὶν ἐναλείφεις: id eſt, Ceram auribus oblinis. In eos qui recuſant audire vel æqua, vel iniqua. Natum ab Ulyſſis cera, qua ſuas ac ſociorum aures obturat apud Homerum, adverſus Sirenarum cantilenas.

COGNATI. Ἔναυλον ἔχειν.

Frequens hic modus loquendi eſt in Græco ſermone, & ab optimis authoribus uſurpatur: idemque arbitror valere quod Cicero dixit ad Leptam, Perſonare aures. Significat autem aliquid ex audito ſonore cantuque reſtare in auribus, quod quaſi idem inſuſurret, diutiuſque illic maneat: Leptam noſtrum, inquit Cicero, cupio delectari jam talibus ſcriptis, ut ſi abeſt maturitas ætatis, tamen perſonare aures ejus hujuſmodi vocibus non eſt inutile. Plutarchus in libro, Quomodo ſint ab adoleſcentib. audiendi poetæ: αὐτοὺς πολλὰ δεῖ πάλιν παρακελευόμεθα ... ἐξ ἀρχῆς ἔχειν ἔναυλον ἐν ... μᾶλλον ἐπὶ τῆς ἀληθείας. id eſt: in auribus ſemper obſtrepentem hanc vocem habere, & quæ continẽter eandem ſententiam renovet. Plato quoque in 3 libr. de legibus, eodem modo locutus eſt: ἐν γὰρ τῶν ὀλιγαρχιῶν ... φωνὸς ἔναυλος ἐγκεῖται. Sed etiam Ariſtoteles in 21. ſegmento problematum: ὡς ἔναυλον εἶναι τὴν δύναμιν, ἕως ἂν αὐτῶν ἀπολαύσωσι, καὶ μὴ ταχὺ ἐκλανθάνεσθαι τὴν αἴσθησιν. Qui tanquam interpretatus eſt hunc modum loquendi, declaravitque quid illic valeret: metaphorice namq; illo uſus fuerat. Neq; enim de voce, ſonoreve aliquo ſermonem fecerat, ſed cauſa tunc querebatur, cur ſuaves quidam cibi dulceſque citius faſtidium gignant. Ea autem dicitur eſſe, quod concoctis etiam illis vis quædam eorum, & quaſi ſuccus reſtat, nec penitus extinguntur.

Hoc age.

Antiquum hoc adagium Plutarchus in Numa explicat ſic: Numa ſacerdotiis ordinatis, regiam ædificavit prope templum Veſtę. ibi ut plurimum degebat ſacra peragens, aut docens ſacerdotes, aut una cum illis rerum divinarum conſiderationi vacans. Cum vero ſacrorum pompæ ducerentur, præcones per urbem præcedebant, vocare, & ab opere deſiſtere jubentes. Nam quemadmodum ferũt, Pythagoricos noluiſſe, ut obiter quiſquam in tranſitu diis ſupplicaret, ſed ut domo prius animis ad hoc præparatis adoratum veniret: ita Numa cenſuit, debere cives nihil rerum ſacrarum vel videre, vel audire obiter, & neglectũ, ſed vacantes ab omnib. aliis rebus cultui Deũm, tanquam maximo negocio, animũ intendere, & tempore ſacrificiorum, vias ſonituum, ſtrepituũ, gemituum, aliorumque id genus, quæ duros & illiberales labores ſequuntur, vacuas exhibere. Cujus rei etiamnum veſtigium quoddam Romani ſervantes, principe circa auguria aut ſacrificia occupato clamant: Hoc age. quæ vox eos qui interſunt, ad rem quæ agitur attentos reddit. Hactenus Plutarchus. Religioni autem cum ſerio vacandum eſſe, & non obiter, ſignificabimus, hac voce utemur, quæ eam vim habet, & valet: negocium ſuſceptũ accurate adminiſtrare, attentum eſſe in re aliqua, aut in ſermone qui habetur, totum ſuum ſtudium, & cogitationem in una re ponere: in hanc rem incumbere. Huic rei dare operam aſſiduam, ut convaleſcas & vivas. Proverbium hoc etiam in Chiliadibus Eraſmi mei exponitur, ſed aliter, præterito Plutarchi loco: Idem Plutarch. in Coriol. Cum magiſtratus, inquit, aut ſacerdotes, rem divinam faciunt, prodit præco magna voce, clamans: ὃκ ἄγε. Significat autem vox, τούτῳ πρόσεχε: jubens attendere ad ſacra, & nullum opus intermiſcere. Sic Xenophon. ἐπιλιπεῖν δ'. οὐδὲ γὰρ ἐνλείπειν αὐτοῖς Ξενοφῶν ἐδόκει, ἀλλ' ἐν ἀγορᾷ ὅ τι ἔχω, τοῦτ' ἀγορεύω. Terent. in Andr. Hoccine agis, an non. D. Ego vero iſthuc: Ibidem: Ipſum adeo præſto video cum Davo: hoc agam. Plaut. in Milite glorioſo: Hanc age rem: res ſubitaria eſt. Horat. libro 2. ſat. 3.

Vt vivas igitur vigila: hoc age.—

Hac voce iterum uſus eſt lib. 1. epiſt. ad Lollium. Plautus in Perſa: Hoc age, opuſne eſt hac tibi empta? hoc eſt, animadverte, & intentus eſto in hanc rem. Cic. in Tuſc. Vt facile intelligi poſſit, animum & videre & audire, non eas partes animi, quæ quaſi feneſtræ ſunt animæ, quibus tamen mens nihil ſentire queat, niſi id agat & adſit, id eſt, niſi magnopere intenta ſit. Budæus Franciſco Deloino, libr. 3. epiſt. Et ago, inquit, quod agitur. id eſt, totus in eo ſum, quod mihi agendum propoſui. Inde contraria locutio, Alias res agis: de qua infra: &, Nihil agit: ſupra.

Aliud agit.

Loquendi genus Latinis & Gallis uſitatiſſimum. Aliud agere dicitur, qui curam omnem depoſuit ejus rei, quæ inſtat, nec animum advertit. Solenne & uſitatum olim, & adhuc hodie, Alias res agis: quod ſignificat, Non animadvertis. Terent in Eunucho: Chr. Alias res agis: quod ſignif. non animaduertis: T. in Eunucho: Chr. Alias res agis. P. iſthuc ego quidem. Vide ſupra, Hoc age: &, nihil agit.

Mens volat.

Ibidem: Corpus illius in urbe habitat, atq; verſatur: mens hæc omnia parvi, imo nullius exiſtimans, paſſim volat, ut ait Pindarus, &c. Huic ſimilia apud Eraſmum: Præſens abſens: &, Mens peregrina: &, Mens videt, mens audit: Cor ſalit.

Arrectis auribus.

Plato in civili: ſed jam fabellam, quod pueri ſolent, accipe, arrectis auribus. Idem in Philebo: attentis auribus aſtare. Vide apud Eraſmum noſtrum, Auribus arrectis, Erecti, Purgatis auribus: & his ſimilia, in Attentione, & contra, locis communibus.

AVARITIA ET RAPACITAS.

A mortuo tributum exigere.

Ἀπὸ νεκροῦ φορολογεῖν: id eſt, à mortuo tributum exigere, dicebantur, qui per fas nefaſque divitias undecunq; congerunt. Citat Ariſtoteles lib. Rhetoricorum 2. καὶ ἀπὸ νεκροῦ φέρει. id eſt: Vel à defuncto vectigal aufert, oſtendens dici ſolitum in eos, qui turpiter undecunq; lucrum aucuparentur è rebus minutis ac ſordidis, veluti Veſpaſianus è lotio: aut è turpibus, velut è lenocinio, quæſtuq; corporis: aut cum à quibuslibet extorquetur, ab amicis, à tenuib. à mendicis, poſtremo vel à mortuis: Probro datum eſt Romanis principibus, quod ſuffoſſis Corinthiorum monumentis: æra Corinthia ſuſtulerunt, ipſo etiam vocabulo rei turpitudinem exprobrante. Nam ad eum ſublata modum νεκροκορίνθια dicta ſunt. Attici φόρον vocant emolumentum, ſive vectigal, quod ex re quapiã fertur, etiam pecuniarum. Qui prædas hujuſmodi colligunt, φορολόγους appellant inviſum omnibus hominum genus, & optimo jure inviſum. Deductum eſt autem φόρος, à verbo φέρειν quod eſt ferre: à quo latinis quoq; dictum fœnus: qua voce veteres non utebantur, niſi de proventu terræ quæ veluti gratiſſima debitrix, pro ſingulis granis aliquoties centena reddidit. Siquidem præter naturam eſt (quemadmodum in Politicis ſcripſit Ariſtot.) ut pecunia pecuniam pariat. At hodie res adeo recepta eſt apud Chriſtianos, ut contemptis Agricolis, quo nõ aliud hominũ genus vel innocentius, vel magis neceſſariũ reipublicæ. fœneratores propemodum inter Eccleſiæ columina habeantur: cum uſuram priſci quoq; mortales illi damnarint, ethnicorum etiam leges moderentur & coerceant, Hebræorum prorſus interdicant, ſanctorũ pontificum decreta deteſtentur, ac modis omnibus inſectentur. Non quod peculiariter infenſus ſim fœneratorib. quorum artem video probe defendi poſſe, niſi Patrũ autoritas olim eam damnaſſet. Pręſertim ſi reſpicias ad horum temporum mores citius fœneratorem probarim quam ſordidum hoc negociatorum genus, qui technis, mendaciis, impoſturis, fucis, undecunq; venantur lucellũ, hic coemẽtes ut ibi pluris duplo vendant, aut monopoliis expilãtes miſerum plebem: & tamẽ hos nihil aliud agentes, in vita, pene ſolos ho-

neſtos dicimus. Opinor hoc proverbium, aut idem, aut certe vehementer cognatum eſſe illi, quod alibi retulimus:

Αὐτοῖς γε καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἀλφίτω,

Id eſt:

Ipſis farinas poſcit à ſtatuis quoque.

Per jocum enim pro vectigali farinas poſuit, quod ad cibum referantur omnia, & defunctis ligna ponebantur, memoriæ cauſa. Proinde qui veſtigal hinc quoq; corradit, is à mortuis extorquere videtur. Apud veteres autem magna fuit ſepulturæ religio, & ſepulchrorum immunitas. Nunc eo proceſſit habendi rabies, ut nihil ſit usquam in rerum natura, neque ſacrum, neque prophanum, unde non aliquid fœnoris extundatur. Idque non ſolum à principibus, verum etiam à ſacerdotibus. Olim ſub tyrannis etiam, ſed rudibus adhuc & nondum ſatis, quid eſſet tyrannis, intelligētibus, vel hæc omnium erāt communia, maria, flumina, viæ publicæ feræ. Nunc optimates quidam quaſi ſoli ſint homines, vel dii potius, omnia ſibi vindicant. Cogitur miſerrimus nauta vel cum periculo curſum flectere, & ad inſolentiſſimi prædonis arbitrium quidvis & facere, & pati: ceu parum ſit infelici, cum fluctibus & ventis rem habere, niſi tales quoque tempeſtates acceſſerint. Occurrit portus, aliquid extorquetur: tranſeundus pons eſt, dandū eſt. Trajiciendum flumen, ſentis principū jus: eſt tibi ſarcinula, redimenda eſt à ſacrilegis illis: & quod his eſt multo crudelius, miſerrimæ plebis genius fraudatur, & toties decimis ac vectigalibus arrodūtur pauperum alimenta. Non eſt fas ex agris tuis convehere frumentum, niſi decimatum, Non molis, non pinſis, niſi rurſus arroſum. Vina non importantur, niſi ſæpius decimata. Non recondis in cellam, niſi dimidium, aut certe quadrantem totius precii ſeces Harpyis illis ſceleratiſſimis. Apud quosdam ex cerviſia, quam vocant, plusquam dimidium ſeponitur principi. Non mactas pecudem, niſi numeres exactoribus: nō revendis equum, tuo emptum ære, niſi penderis aliquid. Vidi cum agerem rure Bononienſi, Iulio jam ejus urbis ditione potito, extremæ paupertatis agricolas quibus univerſæ facultates in duobus bubus erant (nam horū labore totam familiam ſuſtinebant) pro ſingulis ſingulos ducatos dependere. Sunt apud quos liberum non eſt coire legitimum matrimoniū, niſi vectigal ſolverit. Sed quid ego ſingula percenſere coner? vincit omnem eloquentiam iſtorum rapacitas. Nihil eſt rerū unde non aliquid exprimant emolumenti: Nec modus eſt, nec finis: quotidie novas exigēdi vias excogitant: & quidquid ſemel invaſit per occaſionem temporis, id mordicus retinent. Hæc per ſe ſatis odioſa dum per inſolentes miniſtros odioſius exercentur, nō mediocrem invidiam conciliant principibus: ſed ſeſe nihil indignum exiſtimāt, unde colligatur emolumentum: hoc eſt, unde fames accreſcat tenuibus, & procerum, vel prædonum magis, luxuries alatur. Neque deſunt, qui è nocentum facinoribus haud mediocrem faciant quæſtum, legibus ceu retibus utētes. Iam quis eſt magiſtratus, quod officium, quæ præfectura, quæ nō ematur apud complureis? Deniq; cum hæc tam multa non poſſint explere vere pertuſum dolium hoc eſt, principum fiſcum, bellū prætexitur, colludunt duces, populus infelix ad medullas usque exugitur: perinde quaſi principatus nihil aliud ſit, quā ingēs negotiatio. Quanquam autem fœdum eſt, Chriſtianos principes in hiſce rebus inhumaniores videri, quā ulli fuerint ethnici tyranni: tamē aliquanto minus execrandum hoc, quam quod apud ſacerdotes quoque, quibus oportebat omnem pecuniam eſſe vilem, & quorum erat, ſuas dotes gratis acceptas, gratis item communicare, nihil nō venale eſt, nihil immune. Quas non tragœdias movent pro ſuis illis decimis, quam odioſe divexant miſeram plebeculam: Non datur baptiſmus, hoc eſt, non licet fieri Chriſtianum, niſi numeres, atque his præclaris auſpiciis foreis ingrederis Eccleſiæ. Non comprobant matrimonium, niſi numeres, non audiunt pœnitentium commiſſa, niſi ſperent præmium. Sacrificant conducti. Non pſallunt gratis, non orant gratis, non imponunt manum gratis. Vix procul mota manu benedicunt, niſi dederis. Non conſecrant ſaxum, aut calicem, niſi data mercede. Quin & illud vere pontificiū munus docendi populum, quæſtu vitiatum eſt. Denique non impertiunt corpus Chriſti, niſi numeres. Vt ne dicam interim quāta meſſis colligatur ex litibus, ex diſpenſationibus (ſic enim vocant) ex condonationibus (quas vulgus appellat indulgētias) è conferendis ſacerdotiis, confirmandis epiſcopis & abbatibus. Sed quid apud iſtos gratuitum ſit, apud quos emitur & ſepultura etiam in alieno ſolo: Apud Ethnicos miſeræ plebi ſtabat cōmune ſepulchrū: erat ubi gratis quos velles ſepelires. Apud Chriſtianos nec mortuis operiri terra licet, niſi à ſacerdote tantulum ſpacii conduxeris: & pro precii modo dabitur locus amplus ac magnificus. Si plurimum numeraris, in templo proxime ſummū altare licebit putreſcere: ſin parce dederis, inter plebeios ſub dio cōplueris. Turpe, ſi precium acciperent oblatum: nūc jus ſuū vocāt, & dictu mirum, quanta exigāt improbitate Barbarus ille & gentilis Hebrō offert Abrahæ ignoto hoſpiti gratuitum ſepulchri munus, & vix adduci precibus poteſt, ut oblatā accipiat pecuniā: & ſacerdotes ſepulturæ ius vēdimus in alieno: vel potius quod publicū eſt, id ceu privatū ære locamus: Atq; huiusmodi meſſem nulli metunt avidius, quam hi, qui nihil ſerunt populo, ſed toti ſibi vivunt aut certe principi. Alii cantionem illam nobis occinunt: Dignus eſt operarius mercede. perinde quaſi nihil inter ſit inter epiſcopum & conductum militem aut foſſorem. Serviles operæ præmio penſantur. Principum & ſacerdotum munus ſublimius eſt, quam ut mercede ſit æſtimandum.

Vndecunque lucrum captant.

In advocatos, in calumniatores, in malos medicos, qui captant undecunque, ſi quis incidit in caſſes, quem poſſint expilare, congruet illud, quod in eodem eſt libro.

Ἀεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός.

Id eſt:

Semper enim quaqua patet inſula, piſcibus homo
Inſidiabantur, ventrem famis enecat atra.

Fabarum arroſor.

Κυαμοτρὼξ: id eſt, Fabarum arroſor dicebatur, qui in creandis magiſtratibus vendebat ſua ſuffragia, eoque quæſtus gratia ſedulo verſabatur in comitiis. Quod utinam hodie non fieret in creādis ſummis Eccleſiæ proceribus, & orbis monarcha. Tunc à populo convicio notati ſunt, qui magiſtratulum ambienti favebant accepta pecunia: nunc palam donantur ingentia præmia, qui ſuffragantur in creando ſummo Pontifice & Cæſare. Quin & ipſi principes quidam ſimpliciter vendunt magiſtratus: & miramur collabi civitatum diſciplinam. Priusquam repertus eſt uſus calculorum, quos Græci ψήφους appellant, ſuffragia nigris & albis fabis ferebantur. Vnde fabis victitare dicebantur, quibus hinc erat quæſtus: Suidas citat ſenarium, ſed (ut fere ſolet) tacito autoris nomine:

Κρινεῖ δὲ τούτους οὐ κυαμοτρὼξ Ἀττικός,

Id eſt:

Hos judicabit non fabæ eſor Atticus.

Proverbii meminit & Heſychius, indicans hunc morem fuiſſe apud Ætolos, ut cui alba faba obtigiſſet, is magiſtratum ſuſciperet. Vnde ferre ſuffragia, ſive ſortiri κυαμεύειν appellabant, & judicem κυαμοβόλον. Nam & judiciis quibusdam non voce, ſed calculis ferebantur ſententiæ. Manet in hodiernum usq; idem mos, ut in Epiphaniis rex convivii faba deligatur. Extat autem & apud Ariſtophanem in Equitibus:

——νῷν γάρ ἐστι δεσπότης Ἄγροικος ὀργὴν κυαμοτρώξ.

Id eſt:

Nobis agreſti eſt dominus ira, qui fabas Arrodit,——

Dici poterit & in tenuem parcumque. Nam hinc ſumpta eſt metaphora in magiſtratus affectatores, aut ex ſuffragiis ſuis venantes quæſtum:

Feles Tarteßia.

Γαλῆ Ταρτησσία, id eſt, Feles Tarteſſia. De magnis & ridiculis dicebatur. Tarteſſi ſunt in Iberia, apud quos feles maxime naſci dicuntur. Fortaſſe non inepte dicitur & de rapacibus. Ariſtoph. in Veſp.

Ὥσπερ με γαλῆν κρέα κλέψασαν
Τηροῦσιν ἔχοντ' ὀβελίσκους.

Id eſt:

Nunc uti felem rapta carne,
Obſervant geſtantem verua.

Item Lucianus, cum ait: ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν: id eſt, rapaciores felibus: nimirum & ipſe felium ſignificat rapacitatem vulgo notam fuiſſe.

Lacunam explere.

Lacunam explere, pro ſarcire damnum, non ſine proverbii ſpecie dixit Cicero, actione in Verrem 4. Cenſores fecerunt idem quod in noſtra Republica ſolent ii, qui per largitionem magiſtratus adepti ſunt: dederūt operam, ut ita poteſtatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Detrimentum facultatum appellat lacunam. Idem in epiſtolis ad Atticum: Vide ne qua lacuna ſit in auro, hoc eſt, ne quid deſit. A Gel. Noct. Attic. lib. 1. c. 3 famæ lacunam dixit pro macula: Minimaque illa labes, & quaſi lacuna famæ imminentis, partarum amico utilitatum ratione ſolvitur. Quin & in libris Mendum dicitur, quod depravatum eſt: lacuna, ubi deeſt aliquid: illud, eluitur, hæc expletur.

Nullam corporis partim.

Æſchines de perperam obita legatione: ὁ δ' οὐδὲν ἄπρακτον ἔχων μέρος τοῦ σώματος, οὐδ' αὐτὴν τὴν φωνὴν ἀργὴν, ὥσπερ Ἀριστείδης τοὺς φόρους τάξας τοῖς Ἕλλησιν, ὁ δίκαιος ἐπικαλούμενος ἀπεχρέμπτετο καὶ τὰς δωροδοκίας. At is qui nullam corporis partem habet ocioſam, ne eam quidem qua vocē promit, perinde ac fieſſet Ariſtides, qui vectigalia præſcripſit Græcis, & juſti cognomē meruit, indignatus ac deſpuit munerum acceptionem. Diſpiciat prudens lector, an pro ἄπρακτος, legendū ſit ἄπρατος, id eſt, ἀπράτικος: ut intelligas illi omnia membra fuiſſe venalia, etiam os & vocem. Tametſi dici poteſt ἄπρακτος, qui nihil exigit. ut intelligas non manibus tantum, ſed toto corpore rapacem.

Quod utile, honeſtum.

Τὸ μὲν ὠφέλιμον, καλὸν· τὸ δὲ βλαβερὸν, αἰσχρόν id eſt. Quod utile eſt, honeſtum eſt: quod autem noxium, turpe. Hoc de Plato de Rep. 5 refert, quaſi vulgo jactatum: κάλλιστα γὰρ δὴ τοῦτο καὶ λέγεται καὶ λελέξεται, ὅτι τὸ μὲν ὠφέλιμον, καλὸν· τὸ δὲ βλαβερὸν, αἰσχρόν. Nam pulcherrime profecto hoc & dicitur, & decretur, quod utile eſt, id eſſe honeſtum: quod noxium, id eſſe turpe. Agit enim illic de fœminis, ad omnia maſculorum munia pariter vocandis, ſi modo reperiantur æque utiles reip. Vult igitur illarum corpora nudari civitatis

cuſtodibus, & ſi videantur habiles, unà cum maſculis publicitus exerceri. Vehementer autem contemnit illos, qui rideant nudata fœminarum corpora, modò ob reip. commodum. Dubitat & M. Tullius, an turpe ſit viro bono, nudū ſaltare in foro, ſi liceat ejuſmodi ſaltatione ſervare temp. Sed hominum vulgus invertit ſententiam, honeſtum eſſe quicquid eſt utile: quum philoſophis nihil utile, niſi quod honeſtum eſt.

Exigit & à ſtatuis farinas.

Αἰτεῖ γε κἀπὸ τῶν ἀνδριάντων ἄλφιτα.

Id eſt:

Sane cibum & ſignis ab ipſis exigit.

In eum dicendum, qui nullius miſertus, undecunque quod poteſt avellit, vel ab ipſis mortuorum ſtatuis. Similimum illi, κ' ἀπὸ νεκροῦ φορεῖς, id eſt, Et à mortuo tributum colligis. Competit in principes expilatores plebis, qui nulla non ex re vectigal exprimunt, vel ex lotio: aut in avaros ſacerdotes, apud quos ne ſepulchrum quidem gratis conceditur.

Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus.

Οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων, id eſt, Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus. Admonet adagium in muneribus accipiendis non ſolum verecundiam adhibendam eſſe, verum etiam delectum. Sunt enim quædam, quæ neutiquam decorum ſit accipere. Eſt item locus, & tempus quo pulchrum ſit recuſare munus oblatum. Sunt quidam à quibus inhoneſtum ſit admittere donum. Laudat Horatius Telemachum Homericum, qui equos ab Menelao oblatos recuſarit. Hoc adagium citatur ab Vlpiano in Pandectis lib. j. tit. de officio proconſulis, ex epiſtola divi Severi & Antonini imperatorum. Verba ipſa ſubſcribam: Quantum, inquit, ad xenia pertinet, audi quid ſentiamus. Græcum proverbium eſt, οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων, id eſt, Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus. Nam inhumanum, à nemine accipere: ſed paſſim, viliſſimum eſt: & omnia avariſſimum. Hactenus illi. Græca verba in omnibus exemplaribus deſiderabantur. Ea Politianus ex archetypis reſtituit, ne quid hunc interim debita fraudemus laude. Alluſit huc Theocritus in Thyonycho:

--- Αἰτεύμενος οὐκ ἀνανεύων,
Οἷα χρὴ βασιλῆ. αἰτεῖν δὲ δεῖ οὐκ ἐπὶ παντί.

Id eſt:

--- Non ſolet ille negare rogatus
Principe digna, nec eſt, de re quacunque rogandum.

Mendici pera non impletur.

Πτωχοῦ πήρα οὐ πίμπλαται, id eſt, Mendici pera non impletur. Zenodotus ait ex Callimacho ſumptum. Senſus per ſe liquet, nempe inexplebilem eſſe mendicitatem. Nam quo plura dederis iis qui animo ſunt mendico, hoc plura petunt. Deflecti poteſt vel ad improbos, qui ſemper aliquid flagitant ab amicis: vel in divites, quibus nihil eſt ſatis: vel in principes δημοβόρους, quorum rapacitatem nullæ plebis expilationes poſſunt explere. Aptiſſime congruet in illos qui libidini, cupiditati, ambitioni, reliquiſque id genus affectibus addicti ſunt. Nam iis illud evenit, ut quo intemperantius explent ſeſe, hoc magis magiſque ſitiant, eſuriantque. Idquod innuit etiam Evangelica parabola de filio prodigo, cui ne ſiliquis quidem contingit explere famem.

Mendicorum loculi ſemper inanes.

Πτωχῶν οὐλαὶ ἀεὶ κεναί: id eſt, Mendicantium ſacculi ſemper inanes. De petacibus dictum & inſatiabilibus: cognatum ei, quod alio redditum eſt loco, πτωχοῦ πήρα οὐ πίμπλαται, id eſt, Mendici pera non impletur. Vtrunque refert Suidas. quanquam οὐλαὶ pro peris non invenio, ſed οὐλάδας, invenio pro vaſis farinariis, tametſi & ventres interdum eo verbo ſignificantur ob molliciem.

Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.

Faceta quidem ſed tamen peſtilens illa vox Veſpaſiani: qui cum ex lotio vectigal faceret, homo turpiter avidus, ſuperque eo facto à filio admoneretur, quod è re tam putida lucrum faceret: paulo pòſt collectam pecuniam, filii naribus admovit, rogavitq; ecquid illa puteret. Unde Juvenalis.

--- Lucri bonus eſt odor ex re
Qualibet. ---

Ad quod alludens Ammianus libro xxij. dixit: Et lucrum ex omni odorantes occaſione. Jam & Ennianus ille verſiculus, non in ſermonem modo, verum etiam animos & vitam hominum penitus abiit:

Vnde habeas curat nemo, ſed oportet habere.

Quin illud ab Horatio dictum εἰρωνικῶς, ſeriò ſequimur.

O cives quærenda pecunia primum,
Virtus poſt nummos. ---

Chephiſodorus apud Athenæum libr. iij. docet, apud poetas celebres ac ſapientes viros inveniri ſententias quaſdam improbatas: velut illud apud Archilochum: πάντ' ἄνδρ' ἀποσκολύπτειν. id eſt: Quemvis hominem excoriare ſive ſpoliare, apud Theodorum illud: πλέον μὲν πλεῖον ἔχειν ἐπαινεῖν δὲ τὸ ἴσον. id eſt: Quod jubet plus æquo habere. laudare tamen quod æquum eſt, apud Euripidem: τὴν γλῶτταν ὀμωμοκυῖαν φάναι, id eſt: Quod dixeris, linguam juraſſe, de quo nobis alias dictum eſt apud Sophoclem.

Τοιαῦτα πίστει, σοὶ δὲ χαίρειν τἄν βίᾳ
Λέγω. οὐδ' αὐτὸς ὥσπερ οἱ σοφοὶ τὰ μὲν
Δίκαι' ἐπαινῶ, τῶν δὲ κερδαίνειν ἔχω.

id eſt:

Ad gratiam tibi iſta dico: haud impero:
At ſe, uti ſolent facere prudentes viri,
Laudato juſta, cæterum lucro hæreas.

Idem alibi dixit, μηδὲν εἶναι τῷ κέρδει κακόν. id eſt, Nullum eſſe malum quod cum lucro conjunctum ſit. Apud Homerum, quod facit Junonem inſidiantem Jovi, quod Martem fingit adulterum. Hæc Athenæus. Mirum autem, populum indignari poetis aut hiſtrionibus, ſi quando talia recitant in theatris: cum magis debuerit indignari quiſq; ſibi quod ea ſequeretur in vita, quorum commemorationem in theatro ferre non poterat.

Vna cum ipſis manipulis.

Αὐταῖς ἀμάλλαις, id eſt, Cum ipſis manipulis, Cum omnia funditus pereunt, hoc eſt, cum ne gluma quidem ſit reliquum. Proverbium à ruſticis natum videtur. Refertur à Suida.

Cum pulviſculo.

Vel cum pulviſculo dicimus, quoties omnia ſic tolluntur, ut nihil ſiat reliqui, ne pulvis quidem. Metaphora mutua ſumpta videtur ab iis, qui frumentum ab area converrunt non ſine pulvere. Plautus in Rudentibus: Converret hic jam me totum cum pulviſculo. Idem in Truculento: Quo citius me ab eo auferant cum pulviſculo. Simili figura dixit Juvenalis, Cum ærugine, pro eo quod eſt, integrè & nulla parte diminutum.

Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine follem.

Eodem pertinet Evangelicum illud quod jubentur etiam pulverē excutere Apoſtoli: id eſt, ne minimum quidem ab eis auferre ſecum.

Lucrum pudori præſtat.

Κέρδος αἰσχύνης ἄμεινον: id eſt, Lucrum pudori præſtat. Plautus in Pſeudolo. Nimio illud quod pudet facilius fertur, quam illud quod piget. Eundem ſenſum aliter extulit in Trinummo. Pol pudere, quam pigere, præſtat totidem literis. Sententia bono viro indigna, eoq; illic à lenone dicitur, hic a ſene, Sed commode ad perſuadendum ſententiam etiam parum probam arripuit. Alioqui longe ſatius rei jacturam, quam famæ diſpendium accipere. Huc alludit Terentius in Phormione: Non te pudet vanitatis. Non, dum ob rem. Quin & hodie vulgato proverbio jubent valere pudorem, ubi de pecuniaria re agitur, Plutar. in commentario De audiendis poetis, refert è poeta neſcio quo ſenarios hos:

Τὸ μὲν δόκησιν τοῦ δικαίου ἄτιμα,
Τὰ δ' ἔργα παντὸς δρῶντος, ὅτου κερδανεῖς.

Id eſt:

Opinionem ſpernito juſti, ac virum
Quidvis agentem ſequere, cum ſpes lucri.

Refert & hunc ex Sophocle.

Τὸ κέρδος ἡδὺ κἂν ἀπὸ ψευδῶν ἴῃ.

Dulce eſt lucrum, profectum & à mendaciis.

Charybdis barathrum.

Hyperbolæ proverbiales ſunt & hæ, cùm hominem majorem in modum edacem, bibacem, rapacem, helluonem, Charybdin aut barathrum vocamus. Ariſtoph. in Equitibus.

Καὶ τελώνην καὶ φάραγγα, καὶ Χάρυβδιν ἁρπαγῆς.

Id eſt:

Et telonem & barathron & rapinæ gurgitem.

Huc adſcribendum opinor quod Diogenes, autore Laertio, ventrem, τὴν βίου Χάρυβδιν i. Facultatum Charybdin vocavit. Horatius de lurcone quodam.

Ingluvies & tempeſtas barathrumque macelli.

Megaricæ ſphinges.

Μεγαρικαὶ σφίγγες, id eſt, Megaricæ ſphinges ita ſcorta quædam vulgus olim appellabat, ſive quod vulgo molles ſphictæ παρὰ τὸ σφίγγειν dicuntur apud Græcos: ſive quod apud Megarenſes nutrix ſpinx appelletur, ſive quod Megarenſium mores improbi fictique, & populari convicio quondam notati fuerint. Vnde Ariſtophanes in Veſpis, riſum Megaricum, de quo dictum eſt alibi, taxat.

Μηδ' αὖ γέλωτα Μεγαρόθεν κεκλεμμένον.

Id eſt:

Sed ne Megaricos rurſus infractos jocos.

Suidas refert & hunc verſiculum, ſed tacito, ut ſolet autoris nomine:

Ἀλλ' ἔστ' ἡμῖν Μεγαρική τις μηχανή.

Id eſt:

Nobis adeſt Megarica quædam machina.

Riſum ſeu jocum Megaricum, intelligit molliciem Megarēſium, Refertur in collectaneis Diogeniani.

Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.

Hodieque vulgo celebratum durat, ubi quis eſt exactor durior, atque inſtantior: Quid? Num & pellem vis? Quaſi conveniat lana contentum eſſe. Id adagii Tiberius Cæſar, autore Suetonio, aut reperit, aut certe, uſurpavit. Nam is admonitus ab amicis, ut provincia lib. augeret vectigalia, reſcripſit: Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere. Eſt autem deglubere, detrahere pellem. Tractum à ruſticis, qui deglubere vocant, ſiliquam aut

folliculum excutere, & granũ ſua nudare tunica: unde & Catullus in obſcœnum ſenſum detorſit, ut dicat virũ à muliere deglubi. Et Apuleiana Fotis ait, ſe vivos homines ſolere deglubere. Tondent igitur, qui ita ſpoliant, ut ſortem relinquant, unde res poſſit creſcere: deglubunt, qui nihil reliqui faciunt. Nam lana detonſa renaſcitur. Cute detracta nihil eſt quod deinde poſſis auferre. Alexander Macedonum Rex, cognomento Magnus, ſententiam eandem diverſa extulit metaphora. Cum enim quidam admoneret, longe plus vectigalium a civitatibus auferri poſſe, reſpondit ad hunc modum: καὶ κηπουρὸν μισῶ, τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα id eſt: Et olitorem odi, qui radicitus herbas excidat. Deniq; hoc ipſum, ἀπὸ ῥιζῶν καὶ ἀπόῤῥιζον, & item apud Latinos, Radicitus, ſtirpitum renus, à ſtirpe, ab ima ſtirpe, atque id genus aliæ metaphoræ, proverbii naturam reſipiunt.

Canis circum inteſtina.

κύων παρ᾽ ἐντέροις, id eſt, Canis juxta inteſtina. Dicebatur, ubi qui res eas quarum eſſe cupientiſſimus, propoſitas conſpiceret, quibus frui tamen non liceret. Canes enim oberrant circum inteſtina, devoraturi niſi fuſtem timerent. Suidas arbitratur accommodari poſſe in res inutiles & inſuaves: inteſtina enim non facile deglutiri a canibus, ac devorata removi plerunque.

Rapina Corytiis.

Ἁρπαγὰ Κορυττίοις, id eſt, Rapina Corytiis: Corytia feſtum quoddam erat apud Siculos, in quibus ex more placentulæ quæpiam & arborum fœtus ramis alligabantur, eaque diripienda proponebantur. Refertur in Plutarchi Collectaneis, nec exponitur. Quanquam facile liquet, dici ſolitum de bonis temere profuſis direptiſque.

Ne à Chytropode cibum nondum ſacrificatum rapias.

Ænigmaticum eſt & illud, quod eo loco continenter ſequitur:

Μηδ᾽ ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιῤῥέκτων ἀνελόντα
Ἔσθειν, μηδὲ λόεσθαι——

Id eſt:

Neve à chytropode ſublatam protinus eſcam
Ante ſacrum, neque lotus edas. ——

Indicat & M. Tullius, irreligioſum fuiſſe, cibum è patella edere. Scribit enim ad hunc modum, lib. De finib. 2. Atqui reperiemur aſotos primum ita non religioſos, ut edant de patella: deinde ita mortem non timentes, ut illud in ore habeant ex Hymnide:

Mihi ſex menſes ſatis ſunt vitæ, ſeptimum orco ſpondeo:

Eſt autem verſus trochaicus. Suetonius in Vetellio prodit, eum illum adeo non profundæ modo, verum etiam intempeſtivæ fuiſſe gulæ, ut ne in ſacrificio quidem unquam, aut ullo itinere temperarit, quin inter altaria ibidẽ ſtatim viſcus & farra è foco pene rapta manderet, circaque viarum popinas fumantia obſonia, vel pridiana, atque ſemeſa. Quantum ad ſimplicem attinet ſenſum, docet, ne ritu pecudum ad cibum capiendum irruamus, ſed ita demum edamus, ſi prius inde primitias diis immolaverimus. Antiquitus enim, ut autor eſt in Sympoſiacis Plutarchus, inter res ſacras habebatur & menſa quotidiana, proinde cibum ſumpturi, diis conſecrabant τὰς ἀπαρχάς, hoc eſt, primitias, ac deinde non indecore neq; tumultuantes, ſed religione quadam ad convivium accedebant lotis manibus, non aliter quam ad ſacrum epulum. Qui mos & hodie durat apud bene moratos Chriſtianos Sed proverbialius fiet, ſi intelligamus, non eſſe ſpoliandos, nec inhumanius expilandos miniſtros aut ſervos noſtros, verum & illis aliquam pecuniæ portionem relinquendam quo vivant. Fortaſſis quadraverit & in hos, qui præpropera aviditate commodum auferre ſtudent, prius quam oporteat: & quodammodo meſſem facere, prius quam maturuit ſeges: veluti ſi quis legatũ aut promiſſum ſtatum eveſtigio flagitet, cum civilius ſit in dies aliquot ſilere: aut ſi quis modo nactus imperium, protinus incipiat populũ exactionib. ſpoliare: aut ſi quis ſponſam puellã non expectata ætate, nec expectatis nuptiarum ceremoniis properet amplecti. Sumptum eſt a ritu ſacrorum, in quibus olim epulabantur. Huc pertinet & illud, quod alibi retulimus ex Athenæo, lib. 9. ἀπὸ τηγάνου id eſt, a patella frixoria. Lib. 6. refert hunc ſenarium ex Pherecrate:

Ἀπὸ τηγάνου τ᾽ ἔφασκεν ἀφύας φαγεῖν.

Id eſt:

Se veſci Aphias dixit è ſartagine.

Quidam pro lopade τήγανον dixere, quod Iones ἤγανον. Hinc vox compoſita ἀποτηγανίζειν. Ita Phrynichus apud Athenæum lib. 6. ἡδὺ δ᾽ ἀποτηγανίζειν ἄνευ συμβόλων. id eſt: Iucundum eſt à ſartagine tollere ſine ſymbolis. id eſt ſi nihil ſit ſolvendum, & ſi liceat immuni. Rurſus alias apud hunc ipſum ex Archeſtrato, φαγησίξενον ὀβελίσκιον, id eſt, Rapiens à veru. De muliere, quæ ſacra nondum immolata devorare dicta ſit. Apud eundem lib. 6. Anaxandrides,

Τῶν ζωγράφων μὲν ἡ καλὴ χειρουργία,
Ἐν τοῖς πίναξι κρεμαμένη θαυμάζεται.
Αὕτη δ᾽ ἁρπάζεται ταχέως ἀπὸ λοπαδίου.
Ἀπὸ τοῦ ταγήνου τ᾽ αὖθις εὐθὺς ἀφανίζεται.

Id eſt:

Pictoris opera pulchra, tabula penſili,
Spectantur, ac ſpectata ſunt miraculo: at
Rapiuntur hæc è lopade pulchre, ac protinus
Redduntur ipſa evanida è ſartagine.

In genere poterit accommodari ad quemvis, qui negocium irreverenter, & illotis, ut ajunt, pedibus aggreditur.

Bona Porſenæ.

Bona Porſenæ dicebantur, quæ velut ab hoſtibus erepta parvo veneunt. Eam appellationem Livius ab urbe condita 2. ſcribit ad ſuam uſque ætatem duraſſe, putatque inde natam, quod in bello ſolent bona Porſenæ venire Romę, eaque conſuetudo una cum titulo perſeverarit & in pace: quod alioqui [illegible] hoſtiliter bona vendendi non congruat tam pacatæ regis profectioni, quod ſi minus probatur, exiſtimat eam conſuetudinem à mitiori principio fuiſſe natã. Illud arbitratur vero proximum, quod Porſena diſcedens ab Ianiculo ex fœderis lege, caſtra opulẽta, convecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ arvis commeatu, Romanis dono dedit, inopi tum urbe ab longinqua obſidione. Ea deinde ne populo immiſſo diriperentur, hoſtiliter veniſſe, bonaque Porſenæ appellata: gratiam muneris magis ſignificante titulo, quam auctionem fortunæ regiæ. Fortaſſe non inepte dicetur in res quæ dono cujuſpiam, aut fortunæ commoditate, citra noſtram operam contingunt. Nam Livius non indicat uſum adagii.

Partitio, non præfocatio.

Μερὶς, οὐ πνὶξ: id eſt, Sortitio non præfocatio. Olim cum ii qui viribus præpollerent, cibum eriperent imbecillioribus, manus interim in illos injicientes, excogitatum eſt, ut ſortibus ex æquo divideretur epulum. jamque ab omnibus acclamari cœptum: μερὶς, οὐ πνὶξ, id eſt, Partitio, non ſtrangulatio. Eaque vox in proverbium abiit. Quo licebit uti, ſi quando ſignificabimus, non eſſe locum violentiæ, ſed ex æquitate juris oportere tractari negocium. Plutarchus in Collectaneis, ſi modo illius ſunt, citat his verbis: μερὶς, οὐ μὴ πνίξ, id eſt: Partitio eſt, non ſtrangulat. Admonet & Suidas hac forma proverbium efferri:

Perſæpe ſacra haud ſacrificata devorat.

Ἄθυτα δ᾽ ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει.

Id eſt:

Perſæpe ſacra haud immolata devorat.

Senarius eſt apud Athenæum lib. 4. Simonidis in mulierem quandam male moratam, & avidam in conviviis. Concinne diceretur in eos, qui ventris impulſu ſtatim ad devorandas epulas irrumpunt, non expectatis ceremoniis & elegantiolis illis, quibus civiles utuntur initurі convivium: puta, ut imprecationibus quibuſdã piis conſecretur cibus: deinde, de accubitus ordine urbana quædam adhibeatur cunctatio: Præterea, ne ſtatim appoſitis eſcis ungues injiciamus. Neq; intempeſtiviter dicetur in eos, qui non expectata juris ratione hæreditatem invadunt, & aliena per vim occupant. Ductum a victimis quas fas non erat contingere, niſi miſteriis peractis. Et Plato vult etiam in conviviis prælibari diis: & menſam rem ſacram exiſtimavit antiquitas teſte Plutarcho. unde fit: ut his etiam temporib. nefas putent, ἀνίπτοις χερσὶν, id eſt, Illotis manibus accedere. Licet hujuſmodi ceremonias neglexerit Chriſtus præ iis quæ unice ad rem noſtram pertinent.

Vulturis umbra.

Γυπὸς σκιά, id eſt: Vulturis umbra. De nullius precii homine dicebatur. Refertur à Diogeniano. Mihi magis quadrare videtur in hæredipetas, aut alioqui rapaces inhiantes prædæ. Reſpondet illi: Si vultur es, cadaver expecta.

Edax currus.

Ἀδηφάγον ἅρμα, id eſt, Edax currus, in glutones & voraces dicebatur, propterea quod currus multũ abſumit unguinis ſive ceromatis: ſive quod ſumptuoſa re ſit equos & currus alere. Unde & comicus Ariſtophanes in Nebulis jocatur in Strepſiadem, quẽ filius ἱπποτροφῶν, ad inopiam redegerat multo ære alieno contracto. Flavius Vopiſcus indicat, Aureliano in deliciis fuiſſe Phagonẽ quendam, qui uno die ad menſam Imperatoris ederit aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellũ: biberit autem infundibulo appoſito plus orca. Sed de hoc hominũ genere plura Athenæus in Dipnoſophiſtis, apud quem lib. v. Socrates quum quendam vidiſſet in convivio ſeſe intemperantius ingurgitantẽ obſonio: O vos qui adeſtis, inquit, quidam ex vobis pane utitur ut opſonio, opſonio ut pane. Venuſtius reddetur, ſi deflexeris ad animi vitium: veluti ſi dicas, hujus aut illius principis amicitiam immodica pecunia parari ac retineri, alique: aut cupiditates inexplebiles eſſe, cum naturæ uſus per pauca poſtulet.

Voracior purpura.

Athenæus lib. 3. Dipnoſophiſt. ex Apollodoro hujuſmodi quoddam refert proverbium, λιχνότεραι τῶν πορφυρῶν: id eſt, Edaciores purpuris, idq; ductum exiſtimat, vel a tincta purpura, quæ omnia quibus admota fuerit, velut ad ſeſe rapit, ſuoque colore res vicinas inficit, additque lucem: vel ab animante ipſo, quod quicquid nactum fuerit, retinet ac devorat. Utrunque propemodum licet à Plinii verbis colligere: Siquidem lib. ix. cap. xxxvi. De colore ſcribit in hunc modum: Sed purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus, in mediis habent faucibus; liquoris hic eſt minimi in cãdida vena. Unde precioſus bibitor, nigrantis roſæ colore ſublucens: reliquum corpus ſterile. Ac paulò poſt: Hinc (aut, ut alii legunt, Huic) faſces ſecureſque Romanæ viam faciunt, idemq; pro maje-

majeſtate in pueritia eſt: diſtinguit ab equite curiam: Diis advocatur placandis omnemque veſtem illuminat, in triumphali miſcetur auro. Quapropter excuſata & purpuræ ſit inſania. De voracitate mox hæc ſubjicit: Lingua purpuræ longitudine digitali, qua paſcitur devorando reliqua concilia, tanta duritia aculeo eſt. Conveniet in edaces, aut in eos qui omnia in ſuum compendium vertunt. Fortaſſe durius, ſed non ineleganter accommodabitur ad reges δημοβόρους, aut advocatus, qui purpurati omnia convertunt in fiſcum ſuum, & quocunque ſe conferunt, abradunt aliquid. Tale quiddam cogitaſſe videntur poetæ, qui Midam finxerunt contactu corporis omnia vertentem in aurum.

Laudant ut pueri pavonem.

Proverbii faciem habet, quod ſcripſit Juvenalis in avaros, qui carmina laudant duntaxat, nihil autem largiuntur poetæ:

——Didicit laudator avarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos,
Ut pueri Junonis avem.

Idem alibi:

——Probitas laudatur, & alget.

Notior eſt metaphora, quam ut oporteat explicare. Ovidius alicubi de pavo:

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas,
Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.

Atticus moriens porrigat manum.

Ἀττικὸς ὀρέγει τὴν χεῖρα καὶ ἀποθνήσκων: id eſt, Atticus porrigit manum, etiam cum moritur. Huic adagio locum fecit Athenienſium in munerib. captandis, & aucupandis lucris inſatiata cupiditas. Unde & apud Ariſtoph. frequens jocus in τοὺς δωροδοκουμένους. Autor Diogenianus.

Pamphyli furtum.

Παμφίλου ὑφαιρεσμός: id eſt, Pamphili ſublatio. Pamphilus hic veteris comœdiæ conviciis notatus eſt, quod ærarium expilaſſet. Convenit in peculatores, qui è publico ſuffurantur.

Non curat numerum lupus.

Proverbium ſapit Virgilianum illud in Bucolicis:

Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Rectè dicetur in hominem impudenter furacem. Extat hodieque vulgo jactatum adagium: Lupus non veretur etiam numeratas oves devorare. Porro fures paulo timidiores conſueverunt à rebus numeratis abſtinere manum, metu videlicet, ne hoc indicio deprehendantur. Huic affinis jocus ille facetus in ſervum furacem, cui nihil erat domi neque clauſum, neque obſignatum.

Argivi fures.

Ἀργεῖοι φῶρες: id eſt Argivi fures. De palàm improbis: Nam Argivi furacitatis infamia laborabant antiquitus. Extat & hoc apud Suidam. Videtur autem alluſum ad vocem ipſam. Argos enim Græcis ſignificabat ignavum & otioſum. Tales vero ſolent alli furtis. Latini vulgò ficto (ſicuti videtur) per jocum vocabulo Laverniones appellant homines furaces: quod fures ſub tutela Lavernæ deæ eſſent: in cujus luco obſcuro atque abdito, ſoliti ſunt furto ſublata prædamque defodere, Autor Feſtus.

Vorare hamum.

Neque minus elegans illud in Curculione: Meus eſt, hamum vorat. De lenone, cui fraus intendebatur, epiſtolam qua decipiendus erat lectoriente. Lucianus: καταπίνει τὸ ἄγκιστρον. Item apud Horatium in Epiſtolis:

Occultum viſus decurrere piſcis ad hamum.

Idem Plautus in Bacchidibus eandem ſententiam ſimili extulit metaphora: Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit. Alterum a piſcantibus, alterum ab aucupio ductum eſt. Nos item id epigrammate quodam ad hanc parœmiam ſic alluſimus:

Non ſtulti uſque adeo ſumus futuri, ut
Guſtatum toties voremus hamum,
Unco plus ſemel ære fauciati
Vel ſero ſapiemus, & nocentem
Tandem carpere deſinemus eſcam.

Polypi.

Polypi proverbio dicebantur olim vel ſtupidi ſtolidique, vel rapaces & uncis unguibus homines. Siquidem ob eam cauſam polypo ſtultitiam tribuunt, quòd ad manum captantis ultro moveatur: nec aliter capitur, niſi quod non cedat, authore Athenæo. Adſcribitur autem rapacitas tenacitaſque, quod quicquid brachiorum flagellis nactus fuerit, ſuctu trahat ac retineat. Plaut. in Aulularia: Ego iſtos novi polypos, qui ubi quicquid tetigerint, tenent. Nihil autem vetabit quo minus polypos appellemus eos, qui ſemet in omnem habitum vertunt, omnib⁹ aſſentantes. Quos eleganter notat Phocylides:

Μηδ' ἕτερον κεύθῃς κραδίῃ νόον, ἄλλ' ἀγορεύων·
Μηδ' ὡς πετροφυὴς πολύπους κατὰ χῶρον ἀμείβου.

Id eſt:

Pectore neve aliud celes, aliudque loquare:
Proque loco variere, petris uti polypus hærens.

Ion apud Athenæum lib. 7.

Στυγῶ μεταλλακτῆρα πουλύπου χρόα.

Id eſt:

Odi colore ſubinde vario polypum.

Huc pertinet quod admonet Plautus, ut qui ſapit, bonis ſit bonis, malus malis. Hoc nomine laudat Pindarus in Nemeis hymno 4. quendam: μαλθακὰ μὲν φρονέων ἐσλοῖς, τραχὺς δὲ παλιγκότοις ἔφεδρος. id eſt: Mollis erga bonos, aſper verò inſidiator erga moleſtos adverſarios. Non abludit hinc quod ibidem habetur hymno 3. ἐν παισὶ νέοισι παῖς, ἐν δ' ἀνδράσιν ἀνήρ, τρίτον ἐν παλαιτέροισι μέρος, ἕκαστον οἷον ἔχομεν βρότεον ἔθνος. id eſt: inter pueros teneros puer, inter viros autem vir: tertia inter ſeniores pars, quodque ut habemus mortale genus. Laudat Pindarus hominem omnium moribus & ætatibus ſeſe attemperantem. Eodem titulo laudat quempiam in Pythiis hymno 8. τὺ γὰρ τὸ μαλθακὸν ἔρξαι τε καὶ παθεῖν ὁμῶς ἐπίστασαι, καιρῷ σὺν ἀτρεκεῖ, id eſt: Tu enim & humaniter agere noſti, & affectum ſumere tempori congruentem. Rurſum ejuſdem operis hymno 4. κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς. id eſt: Nam ille inter pueros juvenis, in cõſiliis vero ſenex. Idem operis hymno 2. φίλον εἴη φιλεῖν· ποτὶ δ' ἐχθρὸν ἅτ' ἐχθρὸς ἐὼν λύκοιο δίκαν ὑποθεύσομαι. id eſt: Amicum contingat amare: cæterum adverſus inimicum tanquam inimicus, lupi more incurram, ſive inſidiabor.

Candidum linum lucri cauſa ducis.

Λευκόλινον λίνον κερδοσκοπεῖς. id eſt, Candidulum linum ob lucrum ducis uxorem. In eum quadrat, qui dotis cauſa ducit vel deformem, vel anum. Porrò linum vocat uxorem: vel quod apud veteres ſolæ mulieres lineis uterentur: vel quod viro alligetur matrimonio, & libera eſſe deſinat. Nam linon Græci nonnunquam uſurpant pro vinculo, λευκώλενος autem Junonis epithethum apud Homerum, ab albis ulnis. Refertur a Diogeniano.

Ἡμερόκοιτος.

Vulgari joco fures dicti videntur ἡμερόκοιτοι, quod interdiu dormiant, noctu vigilent. Sic enim Heſiodus in operibus ac diebus.

Μή ποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.

Id eſt:

Ne ſolitus dormire die tua tollere poſſit.

Apte torquebitur in tollonem & furacem. Eſt & piſcis ejuſdem nominis, ut indicat Suidas. Phoca opinor.

Nutricum more male paſcis.

Κᾆθ' ὥσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.

Id eſt:

Paſcis profecto more nutricum male.

In vetuſtiſſimis quibuſdam proverbiorum collectaneis reperi, quæ quidam Plutarcho tribuunt. Extat autem apud Ariſtophanem in Equitibus, qui quidem & metaphoræ rationem explicat his verſibus:

Κᾆθ' ὥσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς·
μασώμενος γὰρ τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεῖς,
Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.

Id eſt:

Paſcis profecto more nutricum male:
Nam ubi manderis, paulum huic in os dein inſeris,
Ipſe aſt præ illo vel triplum glutis cibi.

Conveniet igitur in eos, qui de lucro paululum aliquid impertiunt ſociis: aut qui ſic facultates alienas adminiſtrant, ut maximam partem in ſuos convertant uſus, id quod hodieque tutorum vulgus factitat.

Pecuniarum cupiditas Spartam capiet, præterea nihil.

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Id eſt:

Una fames auri Spartam capiet, ſubigetque,
Præterea nihil——

De iis qui ſola pecunia poſſunt expugnari, alioquin invicti. Natum adagium ab oraculo, quo reſponſum eſt Alcameni & Theopompo Spartæ regibus: tum demum vincendos eſſe Lacedæmonios, cum aurum & argentum in precio cœperint habere. Reſpondet apophthegmati Philippi Macedonum regis, qui putavit nullam arcem tam munitam eſſe, quin capi poſſet, modo aſino pateret acceſſus onuſto auro. Reſpondet & Danaes fabulæ, à qua nulla cuſtodia, auri inſultum arcere potuit. Meminit M. Tullius in ſecundo libro Officiorum & Plutarchus in Laconicis.

Inexplebile dolium.

Ἄπληστος πίθος. id eſt, Inexplebile dolium. Varius eſt hujus adagionis uſus. Quadrat enim primum εἰς τοὺς ἀδηφάγους: id eſt, in glutones, edaceſque: congruentius autem in iſtos bibacitate inexplebili, qui quo plus biberint, hoc plus ſitiunt, quemadmodum olim dictum eſt de Parthis. Sic enim Feſtus ſentiſſe videtur, qui citat neſcio quem (nam locus mutilus eſt) qui dolium pertuſum dixerit, cum ventrem ſignificaret. quanquam natura quoque venter inexplebilis eſt, quod quicquid per os infuderis, id aliis viis excernitur. Quadrabit & in obliviosum, cui ſi quid eruditionis infundas, protinus effluit, quique prius obliviſcatur, quam perdidicerit: cujuſmodi Strepſiadem facit Ariſtophanes in Nebulis:

Ὅστις σκαλάθυρμ' ἄττα μικρὰ μανθάνων,
Ταῦτ' ἐπιλέλησται πρὶν μαθεῖν. Id eſt:

Hujuſmodi minutulas qui argutias
Prius atque didicit, dedicerit immemor.

Sic

Sic propemodum uſus eſt Plaut. in Pſeudolo: In pertuſum ingerimus dolium, operam ludimus. Competet etiam in homines præter modum profuſos, quemadmodum judicavit Ariſtot. lib. Oeconomicorum 1. ἔ τε γὰρ τὸ κτήσασθαι δυνατὸν χρὴ εἶναι καὶ φυλάττειν. οὐδὲ μὲν, οὐδὲν ὄφελος τοῦ κτήσασθαι. τῷ γὰρ ἠθμῷ ἀντλεῖν τοῦτ' ἐστιν, ὁ λεγόμενος πίθος τετρημένος. id eſt: Siquidem oportet cujuſmodi eſſe, qui norit & parare & parata tueri, alioqui nihil profuerit paraſſe: propterea quod hoc ſit cribro haurire, quodque proverbio dicunt, pertuſū dolium. Congruit item in avaros, quorum cupiditatibus nihil eſt ſatis: verum quo magis impleantur opibus, hoc magis inanes eſſe videntur: Quod eleganter illo Solonis carmine teſtatum eſt apud Plutarchum in libello περὶ φιλοπλουτίας:

Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνθρώποισι.

Id eſt:

Non eſt fixus opum finis mortalibus ullus.

Zenodotus & tartarum ipſum recte accipi inexplebile dolium putat, quod tot millibus defunctorum nunquam expleatur. Et ſapiens ille Hebræus hunc inter inſatiabilia nominat. Quadrabit & in eos, qui male ab aliis rapiunt, quæ male item profundant in alios. Vſurpatur & de fruſtra laborantibus quemadmodum alio demonſtratum eſt loco: velut apud Catullum:

Dolia virgineis idem ille repleverit urnis.

Adagium natum à notiſſima fabula puellarum Danaidum: quæ ob ſponſos necatos has pœnas apud inferos dare dicuntur, ut ſitulis perſtillantibus aquam hauriant, atque in dolium item pertuſum infundant gravi nimirum, ſed inutili labore. Cujus fabulæ mentionem facit Horatius in Odis:

—Et inane lymphæ.
Dolium fundo pereuntis imo.

Item Tibullus:

Et Danai proles Veneris quæ numina læſit.
In cava lethæas dolia portat aquas.

Meminit hujus Lucianus in Timone. At Ariſtot. lib. Politicorū 6. Rurſus Lucianus in Hermotimo: ἡ περὶ γὰρ ἀρχὴ πλὴν παροιμίας τὸ τετρημένον πίθον ἀντλεῖν, ἐς τὸ ἄμετρον, ... id eſt: Affluit enim dum exhauritur negocium laborque, & contra fit, atque in Danaidum dolio. Vſurpavit & Plato cum aliis aliquot locis, tum in Gorgia.

Larus hians.

Λάρος κεχηνὼς id eſt Larus hians. Dicebatur, ubi quis avidius inhiaret prædæ. Eſt enim Larus avis avida, voraxque: quam candem Græci κέπφον appellant. Ariſtophanes in Equitibus.

Λάρος κεχηνὼς ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν.

Quæ Latine quidem commode reddi non poſſunt. Cleonem n. ob rapacitatem Larum vocat, quod quemadmodum avis in ſcopulis obverſatur, ſi quid piſcium poſſit venari, ita ille verſaretur in Reipublicæ negociis adminiſtrandis, ſuum interim agens negocium. Plutarchus apud Athenæum libro convivialium tertio.

Στὰς δ' αὖ ἐπ' οὐδοῦ, ...
Χαιρεφῶν, ...

Id eſt:

—At vero adveniens in limine ſtabat
Chærephoon paraſitus ei vicinus, aut non
Diſſimilis, vulgò dicta eſt Larus: eſurienti.

Apud eundem lib. 8. refertur hic trimeter.

Ὀψοφάγους ὥσπερ τοὺς λάρους οἶμαι Σύρους.

Id eſt:

Eſſe uti laros obſoniorum avidos Syros.

Larum Theodorus Gaza vertit Gaviam, cujus mentionem facit Plinius inter maritimas Halcyonem & Mergum lib. 10. c. 32.

Labrax Mileſius.

Λάβραξ Μιλήσιος. i. Labrax Mileſius. In ſtolidum & avidum dicebatur. Labrax enim piſcis genus lato oris rictu, unde eſcam totam una cum ære faucib. corripit, atque ob id facile capitur. Vnde apud Plautum lenoni Labracis nomen. Ariſtoteles hunc annumerat inter eos, qui præda laniatuque vivunt. Lingua eſt oſſea, & affixa, cor triangulum. Ariſtophanes apud Athenæum lib. 7. labracem piſcium ſapientiſſimum appellat.

Λάβραξ ὁ πάντων ἰχθύων σοφώτατος.

Apud Miletum autem Aſiæ civitatem prægrandes, & item plurimi labraces eſſe dicuntur, propter ſtagnum influens in mare. Gaudet enim hic piſcis in aqua dulci. Ariſtophanes in Equitibus:

Ἀλλ' οὐ λάβρακας καταφαγὼν Μιλησίους,
Κολοκύμας.—

Id eſt:

Haud eum lupos voraveris Mileſios,
Facies tumultum.—

Nam quidam hunc piſcem eſſe putant, qui Latinè Lupus dicitur.

Buthus obambulat.

Βοῦθος περιφοιτᾷ: id eſt, Buthus oberrat. De levibus ac ſtolidis dicebatur. A moribus Bothi cujuſdam athletæ, qui vicerat in Pythiis ludis. Hujus meminit Cratinus ἐν χείρωσι teſte Zenodoto. Meminit & Heſychius, indicans & Ariſtotelem alicubi de hujus victoria meminiſſe. Fieri poteſt, ut huic id nominis inditum fuerit ab edacitate, quod ſolidos boves vorare ſoleat. Nam cognominatus eſt & Hercules βουθοίνας: quod aliquando eſuriens quendam è bubus Theodomantis, quibus ille terram proſcindebat abductum occidit, ac voravit. Vnde videtur dici poſſe in edaces, hoc eſt, βουφάγους.

Serpens ni edat ſerpentem, draco non fiet.

Ὄφις ἂν μὴ φάγῃ ὄφιν, δράκων οὐ γενήσεται: id eſt, Serpens niſi ſerpentem edat, non futurus eſt draco. Potentes aliorum damnis creſcunt, & optimatum fortunæ non in tantum augerentur, niſi eſſent quos exugerent. Quemadmodum inter piſces & beluas, majores vivunt laniatu minorum. Quanquam mihi quidem & hoc dictum fæcem vulgi videtur olere.

Priuſquam ſortiaris, communia devoras.

Πρὶν λαχεῖν, τὰ κοινὰ κατεσθίεις: id eſt, Priuſquam ſortitio facta ſit, communia devoras. In eum competit, qui non expectata partitione rem invadit. Ductam metaphoram indicat Suidas a conviviis, in quibus antiquitus mos erat, è cibis ſuam cuique portionem diſtribuere: quemadmodum ex compluribus Homeri locis licet conjicere, apud quem illud oppido quam frequens.

—Καὶ ὅτε δὴ μοῖραν ἔνειμεν ...

Deinde receptum apud nonnullos, ut citra diſtributionem propoſitis in commune cibis, quiſque quantum vellet ſumeret. Id quod indicat Plautus: Patinarias ſtruit ſtruices. Hujus rei mentionem facit & Plutarchus in Sympoſiacis, excutiens, utra conſuetudo magis probanda videatur. Porro proverbium ſumptum eſt ex Equitibus Ariſtophanis.

Ἔστι τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν κατεσθίεις.

Id eſt:

Quando publica, antequam illa ſortiaris, devoras.

Novit hæc Pylea & Tyttygias.

Οἶδε τι Πυλαία ταῦτα καὶ Τιττυγίας.

Id eſt:

Hæc & Pylæa novit Tyttygias.

Hoc velut ænigmate veteres innuebant, opes malis artibus quæſitas. Tyttygias plagiarius quiſpiam fuit qui ſervos & res alienas, quas furto ſuſtulerat, in Pylæa (is eſt Arcadiæ locus) venditare conſuevit, atque hoc quæſtu dives evaſit. Autor Zenodotus.

SORDES ET PARSIMONIA.

Hunc locum præcedenti conjunximus, quod valdè inter ſe avaritia & Sordes conveniant, & pleraque proverbia tàm de his quàm de illa dicantur.

Tribus minis inſumptis, duodecim imputat.

Ironia proverbialis apud Ariſtophanem in Pluto:

Καὶ μὴν φίλος γ' ὤν μοι δοκεῖς νὴ τοὺς θεούς,
Τρεῖς μνᾶς ἀναλώσας λογίσασθαι δώδεκα.

Id eſt:

At certè amicus ut videtur per deos,
Uti pro minis tribus imputes duodecim.

Quadrabit in eos, qui non niſi compendii ſui gratia colunt amicos, & pro quamvis exiguo officio, multum beneficiorum expectant. Vulgo item nunc. Pileum donat, ut pallium recipiat.

Cumini ſector.

Impendio parcus ac ſordidus, olim proverbio κυμινοπρίστης, id eſt, Cumini ſeminiſector dicebatur. Teſtis eſt Ariſtoteles libro Moralium. 4. πάντες δ' οἱ ... κυμινοπρίσται, καὶ πᾶς ὁ τοιοῦτος. id eſt. Ex hoc genere cuminiſectior, & quiſquis ejuſmodi. Meminit & Theocritus Idyllio x.

Κἠμὲς οἱ πολλαὶ ... φιλάργυρε τὰς φακὰς ἕψων.
Μὴ 'πιτάμῃς τὰν χεῖρα καταπρίων τὸ κύμινον.

Id eſt:

Lenticulam coqueres, paſtor tibi præſtat avare,
Ne fodias digitos, cupiens ſecuiſſe cuminum.

Scholiaſtes non diſſimulat vulgo ſic dici ſolitos homines præter modum frugales ac parcos. Item Alexis in Philocalo apud Athenæum libro octavo:

—Ἀλλ' ᾔδειν ὅτι
Κυμινοπρίστης ὁ τρόπος ἦν σου πάλαι.

Id eſt:

—Cæterùm novi probè.
Cymino priſtæ olim eſſe jam mores tibi.

Eſt autem cuminum per ſe quidem exilis herba, tum præcipuè genus Æthiopicum, quod Hippocrates (autore Plinio) regium appellat, quod olim ferebatur a male precantibus autore Plutarcho: atque ita felicius provenire creditum eſt. Quo magis quadrat in hos hujuſmodi convicium, qui ob parſimoniam male audiunt. Idem Plutarchus Convivalium quæſtionum decade ſecunda, ſignificat hominem vehementer parcum, cuminum appellari ſolere. Siquidem loquens de iis dicteriis, quæ citra dolorem dici poſſunt: Velut, inquit, ſi quis hominem ſplendidum ac benignum, cimbicon appellet, aut cuminum. Eſt autem κίμβιξ Græcis apicula, ſeu parſimonia, Suida interprete Heſychius legit cymbion, addens dici ſolitum in parcos: κύμινον autem dici fundum ollę fictilis. Ariſtoteles libro quem modo citavi, ait, homines perparcos κιμβίκας vulgo dici ſolitos. Julius Pollux, κιμβίκας: opinor quod per domum obambu-

ambulent ſemper murmurantes. Nam βέμβιξ trochus eſt, quo ludunt pueri. Apud eundem mulier impendio ſordida ὀβολοστάτις, vir ὀβολοστάτης dicitur, quaſi minutiſſima quæque ad ſtateram expendens: unde & ὀβολοστατεῖν. Euſtathius autem indicat, eoſdem & λιμοκίμβικας & κυμινοκίμβικας dici: putatque vocem dictam ab auro adulterino. Heſychius addit eoſdem vocari καρδαμογλύφους, quod aliquid deſculpant è naſturtio ob parſimoniam. Nec deſunt qui eoſdem κνίφας & κνῖπας ſive κνίφας (nam utrumque ſcriptum reperio) vocant, eſt autem cnips, animalculum culici non diſſimile.

Ficos dividere.

Huic affine eſt quod refert Martialis lib. Epigram. 5 σῦκα μερίζειν: id eſt, Ficos dividere, unde licebit & cognomen fingere συκοπρίστην. Martialis carmen eſt hujuſmodi:

Quadringenta ſecat, qui dicit σῦκα μερίζει.

ſordidum ac parcum ſignificans, etiamſi ditiſſimum. Captatus autem eſt jocus ex vocis amphibologia ſectoris.

Nullus emptor difficilis bonum emit obſonium.

Οὐδεὶς ὀψώνης χαλεπὸς ὀψωνεῖ καλῶς.

Id eſt:

Difficilis emptor haud bona emit obſonia.

Qui nimium vili ſtudet emere, ſemper merces vitioſas emit. Nam haud conveniens, parvo emere, & rem egregie bonā emere. Cōvenient in hos, qui paululo labore conantur egregias aſſequi literas: quæ non contingunt, niſi maximis ac diuturnis vigiliis. Ni fallor, ſubnotavit hoc proverbium Iulius Pollux lib. De rerum vocabulis a. quum negat vocem δυσώνης uſurpatam ab autoribus: ſed tantum reperiri in proverbio.

E Patroclis domo venit.

Ἐκ Πατροκλέους: id eſt, E Patroclis domo. In ſordidos, ſumptum à moribus Patroclis cujuſdam Athenienſis, prædivitis quidem, verum impendio parci, ſordidique: quem vetus comœdia talem ferme depingit, qualem Plautus Euclionem; teſte Ariſtophanis interprete, cujus verba Suidas quoque refert, qui & proverbium eſſe vult. Eſt autem in Ariſtophanis Pluto. Is quum eſſet ſqualidus, incultus, & ſordibus obſitus, rogatus unde veniſſet:

Πόθεν οὖν, φράσον, αὐχμῶν βαδίζεις;

Id eſt:

Unde igitur adeò ſordidus ſqualeoſque venias dicito:

Atque ille reſpondet:

—Ἐκ Πατροκλέους ἔρχομαι,
Ὃς οὐκ ἐλούσατ' ἐξ ὅτουπερ ἐγένετο.

Id eſt:

—E Patroclis domo,
Qui haud lavit unquam poſteaquam natus eſt.

Cochleæ vita.

Κοχλίου βίος: id eſt, Cochleæ vita. De iis, qui parce parvoque vivunt, aut contracti à negociis, luceq; forenſi ſemoti. Notum eſt animal, unde ſumpta eſt metaph. Plutarch. in libello, περὶ τ φιλοπλουτίας: σὺ γοῦν τὰ πράγματα, συνέχεις, ὁ μεγίστας ἐ φροντίδας παντων, κοχλίου ζῶν δίᾳ τὴν μικρολογίαν. id eſt: Tu vero tantum moleſtiarum ſuſtinens turbas ac tot quens teipſum, cum ob parſimoniam cochleæ vitam vivas. De cochleis quæ, cum ...letur, ſucco victitant ſuo, alias retulimus ex Plautina Captivi duo.

Ex Phelleo.

Ἐκ φελλέως ἐλθεῖν, id eſt, Ex Phelleo venire dicebant, qui ex humil. fortunæ aſperaque vita ad dignitatem emerſiſſent. Nam Græcis φελλεὺς dicitur locus aptus paſcendis capris, aſper, pumicoſus, ac ſterilis. Nam hujuſmodi paſcuis capræ delectantur. Ariſtophanes in Nebulis:

Ὅταν δὲ τὰς αἶγας ἐκ τοῦ φελλέως,
Ὥσπερ ὁ πατήρ σου, διφθέραν ἐνημμένος.

Eſt hujus nominis locus Atticę montanus ac petricoſus, cujus meminit & Stephanus, niſi quod montem φελλὸν vocat, fortaſſis ſcriptura mendoſa. De his nonnihil attigimus in proverbiis, Subere levior: &, Phellinas.

In ventrem inſilire.

Εἰς τὴν γαστέρα ἐνάλλεσθαι, id eſt, In ventrem irrumpere dicitur, qui curam omnem ad cibum ac potum confert. Ita Plutarchus de Lucullo in ipſius vita: ἀπέστη μὲν τοῦ φανερῶς μάχεσθαι καὶ παραταττόμενος, ἀλλὰ δὲ τοῦτο τὸ λεγόμενον εἰς τὴν γαστέρα ἐνάλλεσθαι, τὸν τρόπον ἀφαιρεῖν τὴν τροφὴν ἐπραγματεύετο. id eſt, Ut pote quum Lucullus jam non palam, neque ad oſtentationem bellaret, ſed quemadmodum dici ſolet, in ventrem impetum faceret, nihil non moliens, ut hoſti commeatum ſubtraheret. Non hic reperam, quomodo locum hunc vertit Leonardus Juſtinianus: Sunt quos non alia ratione melius vincas, quam ſi ventrem impetas. Hujus ſtratagematis exemplum edidit nobis ille, non minus eruditione quam ſtemmatis clarus, Hermannus à Nova Aquila Comes. A Dominicano quodam profeſſus erat præfattuncula, quaſi ſtaret à Capnione, degenerans à majo.um ſuorum moribus ac Pietate. Expoſtulavit cum maledico, minitans omnia, tāto magis ille ferociebat. Tandem amici Comitis hoc inierę conſilium: Denuntiarunt collegio, ſi maledicum abjecerent, ſe cæteros ſodales pro innoxiis habituros: ſin minus, in omnes velle retorquere, quod omnium conſenſu maledicus ille fuiſſet auſus. Quum negligeretur denunciatio, miſſus eſt qui interdiceret, ne quiſquam ex eo ſodalitio colligeret ova caſeoſve in ditione Comitis aut cognatorum illius. Neglectum eſt interdictum, tum eſt ad opprochiam ac tyrologiam: ſed poſteaquam irrumpentib. Comitis famulis ægre evaſerunt, orta inter ſodales ſeditione, maledicus ad conditiones pacis coactus, chirographo teſtatus eſt, ſe Comitem ſemper habuiſſe, & habere, & habiturum eſſe pro docto, generoſo & pro viro. Faſſus eſt ſe illa ſcripſiſſe quæ objiciebantur: neque enim licebat inficiari, quod per typographos erat evulgatum. At quæ ſcripſerat in comitem, non competebant niſi in hominem degenerem, ac impietatis fautorem. Itaque ſuo chirographo nihil aliud effecit, niſi ut maledicentiæ adjungeret ſcurrilem impudentiam. Hac tamen ſatisfactione vir animi generoſiſſimi, vereque Chriſtiani, fuit contentus, me vehementer approbante. Puto huc reſpexiſſe Terentium, quum ait: Pugnos in ventrem ingere. Nam paraſiti nulla parte magis lædi poſſunt, quam ventre.

Cradophagus.

Ruſticum & ſordidum veteres κραδοφάγον per jocum appellabant quaſi κραδαινοφάγον, nam κράδας vocant arboris fici folia. Iidem dicebantur, βαλανοφάγοι, quaſi priſco more glandib. viventes.

Τρυγόβιοι.

Homines ſordidos ac parcos olim popularis jocus τρυγοβίους appellabat quaſi fæce victitantes. Qui ſplendidiores ſunt, ubi ventum eſt ad fæcem, aperiunt aliud vas: At ego novi divites, qui fæcem novem annorum apponerent in menſa, liberis & amicis non vulgaribus. Quidam adeo natura mi eri ſunt, ut non patiantur bibi vinum, niſi poſteaquam vel acuit, vel evapuit. Adagium indicavit Pollux lib. 6. c. 4. Euſtathius oſtendit, per parcos τρυγοβίους dici, quod anxii, cumque gemitu vivant. Ridetur apud Aulum Gellium lib. 11. c. 7. qui de nimium frugali quodam dixerit: Hic eques Romanus apludam edit & flocces bibit. Priſci ruſtici frumenti furfurem appellabant apludam: floccem, vini fæcem è vinaceis expreſſam, quemadmodum fraces ex oleis.

Luto lutulentior.

Avaros, quæſtuſque ſupra modum avidos, impures ac ſordidos dicimus. Id Plautus ὑπερβολικῶς exaggerat in Pœnulo: Sed lenone iſthoc Lyco illius domi non lutum eſt lutulentius. Nonnunquam declarat hominem ſceleroſum & contaminatum potius quā ſordidum. Ut Cicero in oratione pro domo ſua ad Pontifices: O cœnum, ô portentum, ô ſcelus. Et Piſonem, ni fallor, alicubi lutum appellat. Sic enim appellat lutum, quemadmodum ſubinde vocat ſceleroſum, labem ac maculam. Itidem ſubinde facem, procellam ac tempeſtatem appellat tumultus autorem.

Pediculi Platonis.

Οἱ Πλάτωνος φθεῖρες, id eſt, Platonis pediculi, in proverbium abierunt: ut (referente Laertio in vita hujus Philoſophi) teſtatur Myronianus in opere, cui titulum fecit, De ſimilibus: hinc conjectans hoc morbo periiſſe Platonem, quod vulgo pediculi Platonis appellarentur. Græci φθειρίασιν appellant. Morbus eſt fœdus & eructabilis, quo periit & L. Sylla: tametſi de genere mortis variæ ſunt ſcriptorum opiniones. Myronianus nullum indicat uſum proverbii. Suſpicari tamen licet, dictum in ſordidos; quod philoſophi minimum indulgeant ultoribus externis, dum circa mentis cultum toti ſunt occupati.

Macilentior Leotrephide.

Ἰσχνότερος Λεωτρεφίδου καὶ Θαυμαντίδου; id eſt, Gracilius Leotrephide ac Thaumantide. Leotrephides inſigni macilentia corporis, comicorum ſalibus locum dedit: in quem Hermippi verſus referuntur apud Athenæum lib. 12.

Θύουσι δὲ βοίδια
Λεωτρεφίδου λεπτότερα καὶ Θουμαντίδου.

Id eſt:

—Immolant tum buculas
Exiliores Leotrephide ac Thaumantide.

Notatus eſt à multis & Cineſias poeta, procero, ſed tam gracili corpore, ut corticibus arborum circumcinxerit, ne inflecteretur: ob id ab Ariſtophane dictus φιλύρινος. Nobilitatus eſt & Phileta poeta, qui globos plumbeos pedibus addebat, ne ventis abriperetur, tanta erat corpuſculi tenuitas. Congruet in homines exiles ac prætenues. Jucundius erit, ſi transferatur ad inopiam ingenii, aut dictionem aridam, jejunam & exanguem.

Lapſana vivere.

Lapſana vivere, lepide dixeris eos, qui perparce, nimiumque tenuiter vivunt. Conſentaneum eſt enim, jocum illum militarem in popularem fabulam abiiſſe, quo Cæſariani milites alternis verſib. exprobrabant, quod apud Dirrachium lapſana vixiſſent. Eſt autem lapſana, olus ſylveſtre ac vulgare, paſſimque proveniens, trium foliorum, ex braſſicarum, ni fallor, genere. Verum ſi quis forte requiret, Plinii verba ſunt hæc lib. 19. c. 8. Nec non olus quoque ſylveſtre eſt trium foliorum, divi Julii carminibus, præcipue jocis militarib. celebratum. Alternis quippe verſib. exprobravere lapſana ſe vixiſſe apud Dirrachium, præmiorum parſimoniam cavillantes. Eſt autem id cyma ſubveſtris. Hactenus Plinius. Idem lib. 20. Cymam inutilem eſſe dicit, & concocto difficilem. Cymam autem interpretatur in caulibus dici delicatiorem, teneriorem que

cau-

cauliculum, qui & in lappis & aſparagis gratiam habet. Dioſcorides ait, Lapſanam Romanis & napium dici, cujus folia ſimul & caules elixi comeduntur: putat, hanc ſtomacho magis amicam quam lapathum, cujus meminit Horatius, de cœna frugali loquens:

Aut herba lapathi, prata amantis, & gravi
Malvæ ſalubres corpori —

Nihil de vitello.

Νεοττοῦ δ' οὐ μοι δέδωκας: id eſt, Nihil mihi de te vitello dediſti. Quadrat in eos, qui impartiunt deteriora, meliora ſibi ſervantes. M. Tul. in lib. De divinatione 2. narrat hujuſmodi fabulam, unde conſentaneum eſt hoc mutuatum eſſe proverbium. Quidam ſomniarat ſe videre ovum ex lecti cubicularis faſcia pendens illigatum. Id ſomnium cum ad conjectorem retuliſſet, reſponſum eſt: theſaurum indicari. proinde foderet eo loco quo ſe ſomniarat ovum videre: ubi fodiſſet reperit aurum argento circumtectum. Miſitque paululum ex argento conjectori, diſſimulans inventum aurum. Conjector accipiens: Nihil ne, inquit, de vitello?

Rore paſcitur.

In hominem prætenui corpore, quadrabit illud ex eodem Idyllio, quod dictum eſt in vitulam macram:

— Μὴ πρώκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ:

Id eſt:

— Roré ne vivit more cicadæ?

Dores enim rorem appellant πρῶκα quod πρωΐ id eſt, mane cadat. Porrò cicadas rore ali, teſtis eſt Plin. lib. 11. c. 26. Ore carent, ſed habent in pectore fiſtuloſo quiddam aculeatum, linguis ſimile. Eo rorem lambunt. Quum excitatæ ſubvolant, reddunt humorem: quod ſolum argumentum eſt illas rore naſci. Neque enim ad excrementa corporis ullum foramen eſt. Unde Maro:

Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Venuſtius erit, ſi transferatur ad ingenium, ſive ſtylum jejunum & aridum. Aut per ironiam, in hominem vehementer obeſo corpore.

Victitant ſucco ſuo.

Proverbiali figura dictum eſt in paraſitos, Victitant ſucco ſuo: qui, ſi quando cœna contigit lautior, ingurgitant ſeſe: rurſus ubi nulla arridet ſpes cœnatica, coguntur αὐτάρκεις vivere, fortiter ferunt inediam, & in convivii ſpem durant. Sumpta metaphora à cochleis, quæ per æſtum intra teſtem contractæ, utcunque ſucco ſuo aluntur, donec acciderit pluvia. Plautus in Captivi duo:

Cum res, inquit, prolatæ ſunt, cum rus homines eunt.

Philippide tenuior.

Athenæus lib. Dipnoſophiſt. 12. oſtendit Philippidem comœdiarum ſcriptorem ſic tenui fuiſſe corpore, ut etiam πεφιλιππιδῶσθαι dixerint, pro macruiſſe. Refert autem proverbium ex Ariſtophonte: ἐν ἡμέραις αὐτὸν τρισὶν ἰσχνότερον ἀποφανῶ Φιλιππίδου. id eſt: Intra triduum graciliorem illum reddam Philippide. Rurſus ex Menandro:

Ὁ λιμὸς ὑμῶν τὸν καλὸν τοῦτον δακών
Φιλιππίδου λεπτότερον ἀποδείξει νεκρόν.

Id eſt:

Veſtrum ubi fames formoſulum hunc momorderit,
Reddet cadaver macrius Philippide.

Rurſus ex Alexide citat hoc dictum, ψυκτηρίδιον Φιλιππίδου λεπτότερον: id eſt, Poculum Philippide gracilius. Accommodabitur non inepte ad orationem jejunam, aut diſputationem ocioſæ ſubtilitatis.

Monophagi.

Μονοφάγοι dici poterunt ſordidi & inhoſpitales, qui neminem invitant ad convivium. Æginenſium qui ad bellum Trojanum profecti fuerant, multi perierant in pugna, plures tempeſtas abſorpſerat. Paucos igitur, qui domum incolumes redierunt, quum recepiſſent cognati, videntes reliquos cives ob deſiderium ſuorū in luctu ac mœrore verſari, non arbitrati ſunt convenire, ut vel palam lætitiam ſuam declararent, vel diis ob illorum ſalutem rem divinam facerent: ſed ſuos quiſque quos incolumes receperant, domi clam, convivtis & gratulationibus excipiebant, ipſi miniſtrantes patribus, cognatis, fratribus, ac neceſſariis, neminem alienum admittentes. Hoc imitantes Æginetæ, quum Neptuno ſacrificant, dies ſedecim geſtantes Thiaſos, quos vocant, clam apud ſeſe convivia celebrant, neque ſervorum quiſquam adeſſe ſinitur. Mox Veneri ſacrificantes feſtum ſolvunt. Itaque qui ſic ſacrificabant, μονοφάγοι dicebantur.

Patroclo ſordidior.

Πατρόκλου φειδωλότερος. id eſt, Patroclo parcior. In divitem quidem, ſed oppido quam ſordidum ac parcum. Hic enim Patroclus poſteaquam ad ſummas opes evectus eſt, aut (ut alii dicunt) ex quo natus eſt, nunquam eſt uſus balneo, parſimoniæ cauſa. Taxatur ab Ariſtophane in Pluto:

Ἐκ τοῦ Πατροκλέους ἔρχομαι.

Id eſt:

Ex Patrocli venio domo.

Plutum enim ſqualidum dixerat, & ſitus plenum. Proverbii meminit etiam Eudemus.

Nephalium ſacrum.

Νηφάλιον θυσία. id eſt, Nephaliū ſacrificium, De convivio abſtemio non ineptè dicetur: aut de convivio vehementer frugali, ſobrioq;. Apud Athenienſes hoc genus ſacrificii exhibebatur Mnemoſynæ Auroræ, Soli, Lunæ, Nymphis, Veneri, & Uraniæ. Nam in eo non libabatur vinum, ſed aqua melle diluta. Hæc fermè Suidas. Meminit & Julius Pollux lib. 6. cap. 3. addens νηφάλια idem eſſe quod νηφάλια θύειν. Hoc ſacrificii genus ἄοινα dicebant: quemadmodum cætera in quibus vinum adhibebatur, ἐπίοινα, dn vocabant. Seleucus apud Athenæum libro 2. negat, apud veteres fuiſſe morem, ut vini copia, aut aliud quidlibet deliciarum inferretur in ſacrificia. Quum enim ſacrificia deorum gratia peragerentur (unde & θοίνας & θαλίας, ac μέθας appellabant: οἴνους, quod deorum gratia vino uterentur. θαλίας, quod deorum gratia veſcerentur, convenirentque: μέθας vero, quod, ut indicavit Ariſtoteles, μετὰ τὸ θύειν, id eſt, poſt ſacrificium vino uterentur) non conveniebat illic ventris negocium agere. Ibidem Epicharmus his verbis notat mores collapſos: ἐκ μὲν θυσίας θοίνα, ἐκ δὲ θοίνας πόσις ἐγένετο, ἐκ δὲ πόσιος κῶμος, ἐκ κώμου δ' ἐγένετο θυανία, ἐκ θυανίας δίκη, ἐκ δὲ καταδίκας πέδαι, καὶ σφάκελος, καὶ ζαμία. id eſt: Ex ſacrificio epulum, ex epulis facta eſt potatio, ex potatione comeſſatio, ex comeſſatione facta eſt ſubatio ſeu ludus, ex ſubatione ſive ludo lis, ex condemnatione compedes, ſphacelus & mulcta. Quanquam hic locus mihi non caret ſuſpicione mendæ. Videtur enim deeſſe particula, ἐκ δίκας καταδίκα. Non diſſidet ab illo quod alio poſuimus loco, Caninum prandium.

Sacrum ſine fumo.

Ἄκαπνος θυσία, id eſt, Sacrificium abſque fumo: de nimium tenui convivio, & in quibus nihil cocti obſonii apponitur. Translatum è pauperculorum ſacris, molas, thuſculum, lac, aut corollas offerentium: cum dii nidorem illum expectent, unà cum fumo ſubvolantem, juxta homerum, Lucianus in Amoribus: εὐφραίνεται μὲν ὁ δαίμων οὐ λύχνοις, καὶ ταῖς ἀκάπνοις, ὥς φασι, τῶν θυσιῶν ὕλαις περιεργίας. id eſt: Sane per quam edax deus eſt Luciane, quique fumi ex partibus ſacris haudquaquam gaudeat. In eum ſenſum uſus eſt & Athenæus, ἄκαπνα γὰρ αἰεὶ θύομεν οἱ ποιηταί, id eſt, Nam poetæ ſemper ſacra ſine fumo ſacrificamus.

Nephalia ligna.

Νηφάλια ξύλα: id eſt, Nephalia ligna. Dici poſſe videtur in abſtemios, & ab omni voluptate procul alienos. Apud Athenienſes, nephalia ligna vocabantur, quæ neque vitea eſſent, neque ficulna, neque myrtea. Nephalia ſonat, quaſi dicas ſobria.

Caninum prandium.

Caninum prandium proverbio dicebatur abſtemium, & in quo nullum vinum biberetur: propterea quod peculiari naturæ proprietate, canes à vino abhorrent. Id adagii refertur ab A. Gellio lib. Noctium Atticarum 13. c. ult. his quidem verbis: Ejus autem loci in quo id proverbium eſt, verba hæc ſunt nimirum ex M. Varronis Satyrarum libro, qui ὕδωρ πιών, id eſt, Aqua tigens inſcribitur: Non vides apud Mneſtheum ſcribi tria genera eſſe vini, nigrum, album, medium, quod vocant κιῤῥόν id eſt, gilvum: novum, vetus, medium. Et efficere nigrum, vires: album urinam: medium, πέψιν, id eſt, concoctionem. Novum refrigerare, vetus calfacere, medium verò eſſe prandium caninum. Quid ſignificet, inquit Gellius, prandium caninum rem leviculam diu & anxiè quæſivimus. Prandium aut abſtemium, in quo nihil vini potatur, caninum dicitur. quoniam canis vino caret. Cum igitur medium vinum appellaſſet quod neq; novum, neq; vetus eſſet; & plerumque homines ita loquantur, ut omne vinum aut novum eſſe dicant, aut vetus, nullam vim habere ſignificavit, neque novi, neq; veteris, quod medium eſſet. Idcirco pro vino non habendum, quia neque refrigeraret, neque calefaceret. Hactenus Gellius. Plutarchus in Sympoſiacis ſcribit, Theophraſtum joco vocare ſolitum, ἄοινα συμπόσια τὰ κουρεῖα, quemadmodum alias admonuimus.

Cereri ſacrificant.

Item quemadmodum Græci dicunt, ἱερὰ θύουσι, id eſt, Lari ſacrificant; ita Plautus propemodum indicat apud Latinos dici ſolere, Cereri ſacrificant, ſi quando in convivio vinum deeſſet; propterea quod in hujus ſacris nefas eſſet inferre vinum, ſicut apud Græcos in quarundam dearum ſacrificiis, ut oſtendimus in proverbio νηφάλια ξύλα. Locus eſt in Aulularia his fermè verbis;

Cererin mi Strobile hi ſunt facturi nuptias?
Qui? Quia temeti nihil allatum intelligo.

Bos Cyprius.

Κύπριος βοῦς, id eſt, Cyprius bos. In brutum ac ſtolidum jaci ſolitum; propterea quod Cyprii boves magis bruti ferantur, quippe qui ſtercore humano paſcantur. Refertur à Suida ac Diogeniano. Interpres Ariſtophanis in Plutum, ſcribit Bœotio boves σκατοφάγους fuiſſe; id eſt, oletum edentes. Hoc autem nomine Ariſtophanes medicos appellat, quod in curandis ægrotis ſordida quædam tractent. lotium aut ventris excrementa contemplantes. Sed de Cypriis bubus conſentit Plinius lib. 28. c. ultimo, narrans, Cyprios boves hominum excrementa appetere, non paſtus cauſa, ſed ut hoc remedio torminibus medeantur.

Cyprio bovi merendam.

Feſtus Pompeius verſum hunc Sotadicum citat ex Ennio;

— Cyprio bovi merendam.

Oſten-

Oſtenditq; convenire, quoties convivæ ſordidus & inſipidus ſordido atque inſipido accipitur convivio, Originem adagii refert tandem, quam nos modo commemoravimus. Feſtivius erit, ſi ad res animi deflectatur: ut ſi quis apud ſuperos ſputce loquatur, apud indoctos indocte.

Tolle tolle mazam quam ociſſime ſcarabeo.

Αἶρ᾽ αἶρε μᾶζαν ὡς τάχιστα κανθάρῳ.

Id eſt:

Mazam ſine mora pone pone canthato.

Hoc verſiculo Ariſtophanes exorditur εἰρήνην, quem eruditi proverbii loco referunt. Id uſurpare licebit quoties ſordidus cibus immundo convivæ apponitur. Quidam miniſtris panes furfuraceos adponunt: furfur autem tritici purgamentum eſt. Unde per furfuraceam mazam cibum alvo redditum innuit. Hic enim ut naſcuntur, ita & aluntur canthari: quos Latini ſcarabeos vocant. Aperit id cum addit, δὸς μᾶζαν ἑτέραν ἐξ ὄνου πεποιημένην. id eſt: Mazam alteram da, è ſtercore aſini conditam. Porro maza confectio quædam erat ex farina & lacte, panem imitans. Simillimum eſt illi, quod alio poſuimus loco, Cyprio bovi merendam.

Pſyrice facta.

Pſyria, inſula quæpiam eſt, haud procul à Chio: cujus meminit & Homerus lib. Odyſſeæ tertio, Pſyriam appellans:

Ὑψόθεν νήσοιο Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης
Νήσου ἔπι Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ᾽ ἀριστερ᾽ ἔχοντες.

Id eſt:

Certe ſupra Chium redibamus aſperam, juxta inſulam Pſyram, Ipſum Chium a ſiniſtris habentes. Strabo Pſyra pronunciat pluraliter, & neutrali genere. Meminit hujus & Plin. lib. mundanæ hiſtor. 5. Ea inſula quoniam eſſet & perpuſilla & ignobilis, in contemptus ac vilitatis proverbium abiit: ut quæ ſordide, parumque magnifice fierent, Pſyrice facta dicerentur. Hæc ferme Stephanus. Idem citat Cratinum:

Ψύρα τὸν Διόνυσον ἄγοντες. Id eſt:

In Pſyra Bacchum ducentes.

Eundem rurſus in Nemeſa:

Ψύρα τὴν Σπάρτην ἄγεις.

Id eſt:

In Pſyra Spartam ducis.

Parvo emptas carnes.

Τὰ ὠνητὰ κρέα οἱ κύνες ἐσθίουσι: id eſt. Parvo emptas carnes, canes edunt. Quidam putria emunt obſonia, ne pluſculum inſumant nummorum. Ea cum nullus attingit, canibus aliquoties edenda ſervantur. Sapit & hoc vulgus horum temporum.

Pſyra Bacchum.

Ψύρα τὸν Διόνυσον: id eſt, Pſyra Bacchum. Stephanus & Suidas citant e Cratino; Ψύρα τὸν Διόνυσον ἄγοντες. i. In Pſyra Bacchum ducentes. Rurſum e Nemeſi: Ψύρα τὴν Σπάρτην ἄγεις, id eſt; Et in Pſyra Spartam ducis. Annotatum eſt & ab Hermolao Barbaro. Dictitatum adagium, ubi vinum appoſitum in Convivio nemo guſtat; aut de ſordido apparatu. Pſyra puſilla quæpiam inſula eſt, haud procul à Chio, in qua vinum non provenit. Meminit & Strabo lib. 14. Hanc Homerus Odyſſeæ. γ. Ψυρίην appellat. in Græcorum commentariis reperi ſcriptum aliquoties Ψυρᾶ, finali circumflexo; ſed mendoſe, ni fallor.

Tenuiter diducis.

Λεπτῶς ξαίνεις id eſt Tenuiter diducis. Suidas ſcripſit dici ſolitum de iis, qui pauperum more tenuiter victitant. Tranſlatum apparet à mulieribus lanam carminantibus. Niſi malumus legere ξαίνεις. Nam in vulgaris codicibus ξαίνεις habetur. Quæ vox quid ſibi velit, mihi ſane non liquet. Porro ſive ξαίνεις legas, ſive ξέεις, utroque modo ſignificabitur illa tenuium hominum in minutulis rebus diligentia, quam Græci vocant μικρολογίαν, adeo ut etiam cuminum ſecare proverbio dicantur. Quin & apud Latinos, pauperes tenues appellant; & Terentius, ſic tenuiter, dixit de juvene amante citra pecuniarum adminicula. Interdum ad exactam curam refertur, ac ſubtilitatem. Ut Horatius in Sermonibus;

Utpote res tenues tenui ſermone peractas.

Ariſtophanes item in Nebulis. λεπτὰς φροντίδας dixit. & λεπτοτάτους λήρους, & λεπτολογεῖν, id eſt, Tenuem curam, & tenuiſſimas rationes, & tenuia loqui; neminem anxias, ac nimium ſubtiles philoſophorum ridens argutias; cujuſmodi acumen Seneca prodidit fuiſſe Chryſippo, quod pungeret modo, non penetraret. Porro quemadmodum commoda rectaque diviſio plurimum lucis adfert ſermoni; ita curioſa illa & in fruſtra verius quam in membra ſectio facit interdum, ut valde intelligẽdo nihil intelligamus. Unde qui vitant hanc immodicam ſubtilitatem, παχυμερῶς καὶ παχυμερέστερον loqui dicuntur. Ulpianus lib. Pandectarum 15. titulo De peculio, cap. Quam Tuberonis; Scire autem non utique ſingulas res debet ex neceſſitate, ſed παχυμερέστερον. & in hanc ſententiam inclinat Pomponius. Vox enim compoſita videtur à παχὺ quod eſt pingue, & μερὶς partitio. Contra qui excutiunt ſingula quæque, licet minuta, λεπτομερῶς λέγειν dicuntur. Pro παχυμερῶς Ariſtoteles lib. Ethicorum Nicomach. 1. dixit παχυλῶς καὶ τύπῳ; ἀγαπητὸν οὖν περὶ τοιούτων καὶ ἐκ τοιούτων λέγοντας, παχυλῶς καὶ τύπῳ τἀληθὲς ἐνδείκνυσθαι. id eſt; Gratum igitur fuerit de talib. & è talibus differentes craſſe ac formula breviterq; verum oſtendere. Sentit exceptionum ſcrupulos omittendos apud inexercitatum auditorem, ſed ita de rebus loquendum, ut plerunque ſunt aut vulgo habentur. Rurſus ejuſdem operis lib. 2. πᾶς ὁ περὶ τῶν πρακτῶν λόγος τύπῳ καὶ οὐκ ἀκριβῶς ὀφείλει λέγεσθαι. id eſt: Omnis ſermo de rebus agilibus, craſſius non exacte fieri debet. Frequens & illud in Græcis autoribus, ὡς τύπῳ εἰπεῖν; id eſt, ut ita loquar: quum ſentiunt ſe rem non ut eſt, exacte proloqui, ſed qualibuſcunque verbis ſignificare, ac notare verius quam eloqui.

JUNII. *Gutta fortunæ præ dolio ſapientiæ.*

In divitum inexplebilem auri cupiditatem convenientiſſime quadrat Græcus ſenarius Gregor. Nazianzeni;

Θέλω τύχης σταλαγμὸν ἢ φρενῶν πίθον.

Id eſt:

Præ dolio doctrinæ malo guttam opum.

Id mali adfert pecuniæ ſtudium, eoque ceu veneno animum imbuit, ac veluti Circeo poculo immutat, ut præ auro nihil admitterent homines, nihil nocturna diurnaque cura in mente ſæpius volvant, quam qua ratione diteſcant, non ſapientiæ adjiciant, pecuniæ mancipia, Aloidis perſimiles, qui Marti quem captivum in vinculis habebant, nihilominus ſacra offerebant; uſque adeo infinita illa & inſatiabilis habendi cupiditas cultores ſuos & admiratores dementat, & (ut loquitur Ennius) ſapientiam omnem expectorat. à quibus diverſiſſima, & ex diametro pugnans eſt ſtudioſorum voluntas, qui ſapientiæ & eruditionis germanæ guttulam maximis, etiam Crœſorum divitiis anteponunt, ut rurſus ejuſdem authoris jambicum ſibi ſumere atq; arrogare poſſint.

Ῥανὶς φρενῶν μοι κρεῖσσον ἢ βυθὸς τύχης;

Id eſt:

Eſt gutta doctrinæ potior, quam magnæ opes.

Cæterum libet hic adjicere illud, tametſi ab adagio diverſum, quod Euſtathius obſervavit σταλαγμὸν quaſi guttam, convicio vocari homuncionem puſillæ ſtaturæ.

Ficivorus.

Συκοτραγίδης, quaſi ficivorus aut ficuum gurges, amarulenti morſus vocabulo, ſed tamen proverbiali, dicitur homo ſordidus, & extreme avarus, ob utilitatem hujus fructus, præſertim in Attica ſcommatum parente: qualis & κερδυφάγος velut caricivorus dicitur. Uſi ſunt illo Hipponax & Archilochus, uterque dentatis virulentiſque verſibus nobilis. Refertur apud Euſtathium Odyſſ. 17. Cujuſmodi hominem & θυμβροτρώκτην, id eſt thymbrivorum vocant.

Obolum ſuper deos evehunt.

Gregorius Nazianzenus in priore Invectiva in Julianum: καὶ τὸ ὀβολοστάτην τοὺς θεοὺς ἄγειν ὑπὲρ τὴν ὀφρύν. id eſt; Et obolum cum ſupercilio ſupra deorum conditionem extollunt. Loquitur de philoſophis, qui magno faſtu & adducto ſupercilio laudant vilia & vix obolo digna, eaq; ad cœlum uſq; laudibus vehunt. Convenit in eos, qui indigno gloriam immeritam attribuunt, ambroſiaque alendum prædicant, vix mediocrem eruditionis laudem prometitum: aut qui rem contemptam & vix aſſe dignam, velut inæſtimabilem maxumi faciunt: tales enim obolum prædiis extollunt. Poterit non invenuſte & ad idololatras transferri, hoc eſt avaros iſtos Euchiones, qui aurum religioſe habent, & divinos tantum non honores illi deferunt in arcis cuſtodito.

Muli vitam agere.

Ἡμιόνων βίον ζῆν; id eſt; Mulorum vitam agere dicuntur ſpecie proverbii, avari, qui opibus innumeris abundantes, genio depareunt, earum uſum ignorantes. Extat inter Epigram. incerti autoris lib. 2. titulo de præparcis, in Artemidorum quendam epigramma tale:

Πολλὰς μυριάδας ψηφίζεις δακτύλοις σύ,
Καὶ μηδὲν δαπανῶν, ζῇς βίον ἡμιόνων,
Πολλάκις ἣ χρυσοῦ πολλὴν φορὰν φέρτερ᾽ ἄγουσα
Ποιμαίνεις χόρτον, χρῆται ἴδιον μόνον. Id eſt,

Quum multa in digitos ſubducas millia, vivis
Mulæ inſtar, prodigens Artemidore nihil.
Quæ tergo fulvi geſtans non parca metalli
Pondera, nil præter gramen edit ſterile.

Quadrabit ergo in divitem, ſed ſuarum opum parcum, qui de ſuis ſudoribus ne tantillum quidem fructus capiat. Simile eſt illi, Balneatoris aſinus.

Quem Cos non nutrit, illum nec Ægyptus.

Proverbium eſſe non admodum vetuſtum oſtendit Iliad. 14. Euſtathius tale: ὃν οὐ τρέφει Κῶς, οὐδ᾽ ἂν οὐδ᾽ Αἴγυπτος; Quem Cos nutrire non queat, eundem neque Ægyptus. Conveniet in eos quibus plus quam mediocres fortunæ faſtidio ſunt. invenias nonnullos, qui in rebus etiam lautis atque peramplis ſtomacho ſunt nauſeabundo, quos vix mare bonorum ſaturet. Eſt autem Cos inſula valde ferax, pecoris abundans. unde illi & nomen eſt, Thracibus Coo nominantibus ovem ſeu pecus.

Plutus mortuus.

Quemadmodum τυφλὸν πλοῦτον, Plutum cæcum appellant abſtruſas

cruſas divitias proverbiali figura: Ita & Herodes Atticus πεπεδημένον πλοῦτον, Plutum mortuum ſimili tropo dixit pecunias inutiles, & ſordide parceque retentas: hoc eſt, ἀσύμβολον πλοῦτον, ut exponit Flavius Philoſtratus, voce nonnihil mendoſa in vulgatis exẽplaribus, ἀσύμβουλον pro ἀσύμβολον, legentibus, qua ratione, & δεσμωτήριον πλούτου, Pluti carcerem vocavit arcas, aliaque id genus repoſitoria pecuniarum, quibus captivæ veluti detinentur ab avaris, ne in uſum veniant.

Aloadæ.

Ἀλωάδας aut ἀλοάδας, utrumque enim legitur, partemiace vocavit idem Herodes apud Philoſtratum avaros, ſordideque pecunioſos homines, qui diligenti cura atque improbo ſtudio opes conſervant, pecuniiſque reconditis ac repoſitis veluti immolant, more Aloei filiorum, qui Martem vinctum carceri manciparunt, eidem tamen ſacra facientes. Fuere autem hi, Otus & Ephialtes, genitura Neptuni, agnomine Aloei filii, qui eos ut ſuos educavit, ut Heſiodus ſcripſit: quanquam Eratoſthenes è Tellure genitos fabulerur, de quibus Homerus Iliados ε.

Τλῆ μὲν Ἄρης ὅτε μιν Ὦτος κρατερός τ' Ἐφιάλτης
Παῖδες Ἀλωῆος δῆσαν κρατερῷ ἐνὶ δεσμῷ. Id eſt:
—— Quid non
Mars paſſus quando hunc Ephialtes acer & Otus
Filii Aloei clauſerunt compede ſæva.

Avaros igitur venuſte Aloadas dicemus, theſauris ſuis, quibus uti frui ipſi non audent, anxie addictos, & quaſi famulantes. Nõ diſſimili tropo D. Paulus idololatras appellat avaros iſtos Euclliones, qui pari cura venerantur, cuſtodiunt pecunias, iiſque mancipati ſerviunt, fiduciamque in iis collocant, quemadmodum idololatræ ſimulachris ſuis, quæ omni cultus genere proſequuntur. Quorſum enim divitiæ, ſi abſit uſus? hic enim eas illuſtrat. unde Ptolemæo Philadelpho laudi attribuit Theocritus poeta, quod domi ſuæ non abſconderet inutiles opes, formicarum inſtar, quæ aurum penitus egeſtum in antris cuſtodire, memorantur, Pomponio Mela & Solino teſtibus, ſic enim ait,

Οὐ μὰν ἀχρεῖος γε δόμῳ ἐνὶ πίονι χρυσὸς
Μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ κέχυται μογεόντων.
Id eſt:
Haud enim iners aurum tecto ſub divite ſuſum
Congeritur, qualis formica reponit acervos.

Carica victima.

Καρικὸν θῦμα: id eſt, Caricum ſacrum. De macilenta hoſtia, minimeque eſculenta dicebatur. Hinc ductum, quod Caribus populis mos fuerit canem immolare. Non inconcinne torquebitur ad cibum appoſitum, inſipidum, & quem nemo velit attingere. Solent ſordidi quidam data opera, cibos putres, & ingratos palato, ſuis apponere: partim quod minoris emantur, partim quo minus abſumatur epulatum in convivio. Hos eleganter quis dixerit, τὸ καρικὸν θῦμα παρατιθέναι: id eſt, Caricum ſacrum apponere.

Phaſelitarum ſacrificium.

Φασηλιτῶν θῦμα: id eſt, Phaſelitarum ſacrificium: tanquam vile citraque ſanguinem. Sordidum ac tenuem ſumptum hoc adagio ſignificabant. Tradunt enim apud Phaſelitas Pamphyliæ gentem moris eſſe, ut piſciculi ſalſi diis ſacrificentur. Autor Zenodotus. Eudemus item ſcribit, eos Capro Deo ſalſamentis rem divinam facere: ejuſque rei teſtem citat Callimachum. Finitimum eſt illi, Sine fumo ſacrum:

In ſinu manum habere.

In ſinu manum habere, dixit Theocritus, tenaces & ad largiendum pigros Sic enim ait in Charitibus:

---- Νεικείων τις δ' ὑπὸ εἵματα χεῖρας,
Πᾶς δ' ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχει, τόθεν ἄξεται αὐτῷ
Ἄργυρος. ----
Id eſt:
---- Lucrique cupidine victus
Inque ſinu unuſquiſque manus habet, illud & unum
Spectat qua ratione ſibi aucta pecunia creſcat.

Porro quod ait Scævola lib. Pand. 22 tit. De probationibus, In ſinu meo habui: pro eo quod eſt, In poteſtate mea clam habui: magis pertinet ad illud quod alibi nobis dictum eſt, In ſinu gaudere. Verba Caii ſunt hæc: Titio centum do, lego, quæ mihi pertulit, quæ ideo ei non cavi, quod omnem fortunam & ſubſtantiam, ſi quam à matre ſuſceperat, in ſinu meo habui ſine ulla cautione.

Lari ſacrificant.

Λαρίῳ θύουσι: id eſt, Lari ſacrificant. In tenaces dicetur, qui de ſuis nemini quicquam impartiunt: aut in convivas edaces, qui nihil de appoſitis epulis mittunt amicis, neque quicquam faciunt reliquum. Nam ante quis religioſum erat, ex iis quæ Laribus immolabantur, aliquid foras efferre. Huc allusit Ariſtophanes in Pluto: apud quem Carion Mercurio obſecranti, ut aliquid ſibi de ſacrificio quod intus agebatur, impertiat: ἀλλ' inquit, οὐκ ἐκφέρεται. id eſt: Efferre nequaquam licet. Item in eadem fabula mulier volenti pro foribus ſpargere bellaria:

Εὖ γε, inquit, παρὰ τοῦ ... ἀνθρώπου,
Οὐ ... ἀλλὰ ...

Id eſt:

Intus profecto, ut moris eſt apud Larem,
Nam nefas efferre quicquam, inferre decet magis.

Apud Romanos, autore Plutarcho, nefas erat menſam protſus inanem tolli: vel quod innuerent, ſemper aliquid reſervandum in tempus poſterum: vel ut aſſueſcerẽt temperare cupiditati a præſentibus abſtinentes: vel ut hoc pacto ſervorum animos ſibi conciliarent, cum quibus menſam aliquo pacto communem habere viderentur: vel quod religioſum haberetur, in ſacris quicquam vacuum conſpici. Porro menſa ſacra quædam res eſt. Cato lib. De re ruſtica monet, ut villica certis diebus, Lari ſacrificet pro copia, addita foco corona. Huic diverſum adagium fingi poterit, τῇ Ἑκάτῃ θύειν id eſt, Hecatæ ſacrum facere. Siquidem in hujus deæ ſacris, ii qui cœnam inferebant, ipſi nihil inde guſtabant, neq; quicquam auferebant præter tumultum & fumum, ut inquit in Sympoſiacis Plutarchus. Idem fieri conſuevit, ſi quid inferebatur reliquis dijs, quos ἀποτροπαίους appellant. Torquebitur in eos, qui aliis conſulunt, non ſibi: aliis parant opes, ipſi non fruuntur.

ῥυποκόνδυλος.

Græci proverbiali convicio ſordidos & impendio parcos ῥυποκονδύλους appellant: ducto cognomine ab ijs, quibus ſordes in unguibus inſident, nec tantillum ſumptus facere volunt, ut tonſori dent numulum, qui repurget ungues. Nam ῥύπος proprie ſordes eas ſignificat, quæ in ſummis unguibus manuum ac digitorum colliguntur. & κόνδυλος articulum digitorum. Julius Pollux lib. 6. c. 4 eoſdem vocat τρυγοβίους, quaſi fæce viventis. Quidam adagium ſic efferunt ἄχθομαι αὐτοῦ τῷ ῥύπῳ id eſt: Moleſtæ ſunt mihi illius ſordes. Latini item immoderatam parſimoniam, hoc eſt, vitium luxui contrarium, ſordes appellant: hominem ei vitio obnoxium, ſordidum.

Canens vita palmum.

Ἀδων τὴν σπιθαμὴν τοῦ βίου πρὸς ἄνηθον: id eſt, Canens vitæ palmum ad anethum. De parco dictum, qui re tenui leviculaque tranſigit vitam, atque interim exiſtimat ſe laute vivere. Morem hunc quibuſdam eſſe videmus, ut quum nihil apponant in menſa quod edi poſſit, ne jejunum omnino convivium appareat, varias narrent fabulas, aut cantillent, ut his modis ciborum oblivionem inducant convivis.

Tantali pœna.

Ταντάλειοι τιμωρίαι: id eſt, Tantali ſupplicia, de ijs dicendum, quibus adſunt quidem bona, verum his frui negatum eſt. A fabula Tantali ſumptum, quem poetæ fingunt, apud inferos aſſiſtere flumini ſitientem: quod ſi quando admoverit ſe potaturus, repente aquam labris contactam refugere. Tum capiti imminere arborem pomis onuſtam, ſed eam ſubito porrigenti manum, alio ſubducere ſeſe: atque ita miſerum præſente copia, inopia diſcruciari. Id olim in divites parcos & ſordidos dici vulgo ſolere, teſtis eſt Horatius in Sermonibus:

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Pocula. quid rides? mutato nomine de te?
Fabula narratur: congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tanquam gaudere tabellis.

Idem in Odis:

Magna inter opes inops.

Gregorius Nazianzenus in epiſtola ad Baſilium eleganter detorquet ad hujus mundi delitias, quæ nunquam explent animum: ταντάλειον, inquit, τιμωρίας ἄξιοι, ... ἐν ὕδασι, τὴν ἐλεεινὴν ἐκείνην ... πανδαισίαν, id eſt: Tantali & execrabiles ſitientes in aquis miſerandam illam & nihil alimoniæ conferentem pandæſiam. πανδαισίαν autem Græci vocant convivium, ex omni genere deliciarum apparatum.

Conviva non conviva.

In eum, qui accumbit quidem in convivio, verum ſpectator duntaxat eorum quæ apponuntur (nam hoc pacto quidam ſordide magnifici convivas ſuos tractant) quadrabit quod in eodem dictum eſt de Penelope:

Κεῖτ' ἄρ' ἄσιτος, ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος,
Id eſt:
In cœnatus & impaſtus potuque ciboque
Accubuit. ----

Sacra nihil ſunt.

Τὰ θύματα οὐδὲν ἐστι, πλὴν ... καὶ κέρατα: id eſt, Sacra nihil ſunt, præter malas & cornua, de victimis macilentis. Trahetur non inconcinniter ad cibum minime eſculentum. Refertur à Suida.

Simone rapacior.

Σιμωνος ἁρπακτικώτερος, id eſt, Simone furacior Parœmia citatur in Suidæ collectaneis in rapacem & aduncis unguibus hominem, aut ærarij expilatorem, Ariſtophanes;

Ὅταν ἴδωσι Σίμωνα, λύκοι ἐξαίφνης ἰσθάσιν.
Id eſt:
Ubi Simonem viderint, lupi confeſtim evadunt.

Innuit tam dextrum fuiſſe furem Simonem, ut mali contagiſi vel in ſpectatores illius ſolos, nedum illos qui cum ipſo commerciũ habe-

habeten, tranſiret.ut mox nova quadam metamorphoſi lupinã rapacitatem in mores reciperent. Fuit iſte Simon ſophiſta, publicæ pecuniæ depeculator, homo periurus. Vnde alibi Comicus miratur,cur ſi fulmen perjuros iciat, non etiam Simonem iſtum percutiat, his verbis: εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, ἐπειδὴ οὐχὶ Σίμων᾽ ἐνέπρησεν.

Ne corticem quidem dederit.

Verſiculus eſt proverbialis Partheniȷ,ab Etymologici authorē citatus.

Οὐδὲ πόαι ἐξ ἅλος δρύφαλα ποντιάδος. id eſt:
Herbæ littoreæ fragmina non dederit. vel ita:
Radicis nulli dederit fragmenta marinæ.

Quo licebit uti in hominem ſordidum & avarū,qui nulli aliquid largiatur, ut è pumice aquam citius elicias quam a tali numulum. eſt autem δρύφαλον, cortex arboris delibratus, ſeu ab arbore revulſus:aut etiam quisquiliæ quælibet & fragmēta. ἀπὸ τοῦ δρύπτειν, quod lancinare ſonat. Convenit cum eo quod alibi citavimus. Ne ſalem quidem dederit.

Cappari victitas,qui potes Anthia.

Πρὸς τὴν κάππαριν ζῇς,δυνάμενος πρὸς ἀνθίαν.
Poteras vel Anthia,qui vivis Cappari.

Senarius proverbialis in parcos. qui vilibus contenti frugaliter vivunt,quum poſſint ſplendidius. Quadrabit & in eos,qui trivialibus negociis immiſcent ſe,quum arduis ſufficiant: aut qui literarum ocium ſectantes, tenui conditione malunt contenti vivere,quam in aulis principum opima ſpe divites.Plutarchus. Sympoſiacon.4.c.4. ὁ δὲ τὸ παλαιὸν τοῦτο ποιήσας πρὸς τὴν κάππαριν ζῇς, δυνάμενος πρὸς ἀνθίαν, τί βούλεται; id eſt: Verſiculi illius vulgati author, Poteras vel Anthia, qui vivis Cappari, quitandem ſibi vult? in libris excuſis κάππαριν diminutivi forma legitur:ego ut ſenarius conſtaret κάππαριν reſtituo:niſi κάππαριν per unicum π mavis.Eſt autem Anthias non ignobilis piſcis,quem & ſacrum & à felici nominis augurio Callionymum vocant. Affine huic eſt illud Ariſtidis: σκόροδα ὄζει μύρων ἐξόν,i. Gorium redolet,qui poſſit unguenta.

Καπνοσφραντής.

Καπνοσφραντής,hoc eſt, fumum olfacere,parœmiace dicitur ſordidus homo,& impenſe parcus, ut annotat Euſtathius Iliados 9.aut etiam paraſitus,qui nidore alienæ culinæ menſæve ducitur. qualem noſtra ætas Tamiſium Romanum inter gulæ proceres merito adnumerandum tulit: qui ſubodoratus ingentis Vmbræ (qui piſcis maximis in delicijs habetur) caput ad Triumviros in Capitolium eſſe perlatum,eo convolat, ſimulato clitellæ officio prandium capturus:quod à Triumviris dono miſſum Cardinali Riерio,ſagace nare perſecutus,illuc commeat: hinc ad Sanſeverinum Card. mox ad Chiſium pecunioſiſſimum publicanum: ab hoc ad amicam delatum honorarium munus, indefeſſis pedibus, anhelo tametſi corpore propter obeſitatem, ſuperante moleſtias omnes gulæ ardore,usque eo avide conſectatus fuit, ut detерſo pudore omni, menſæ ſcorti ignoti ignotus ipſe adjunxerit ſe,eſcæ tantis ſudoribus ſectatæ nidore pertractus. quam hiſtoriam libuit hoc loco appoſite recenſere, ut & fumi culinarij vim oſtenderem,& adagionis uſum exemplo non illepido commonſtrarem.

Aquam plorat, quum lavat,fundere.

Plautinum illud ex commœdia Aulularia, Aquam hercle plorat, quum lavat, profundere: conveniet in hominem præparcum & illiberalem nimis atque ſordidum, qui usque adeo ut non attentus ad rem modo,ſed miſer,ut illuviem & ſordes aquæ, qua fuerit ablutus, vereatur effundere, velut uſui aliquando futuras.

Ne ſalem quidem dederit.

Οὐδ᾽ ἅλα δοίη,id eſt,Nec vel ſalem dederit. Adagium eſt in hominem præparcum & ſordidum,qui neque minimum quid, ac ne ſalis quidem micā largiri ſuſtineat, qui hoſpitibus dabatur omnibus. Extat apud Homerum Odyſſeæ 17. ubi Vlyſſes Antinoum convicio lacerat,velut ſordidum ſupra modum,& illiberalem:

Οὐ σύ γ᾽ ἂν ἐξ οἴκου σῷ ἐπιστάτῃ οὐδ᾽ ἅλα δοίης. id eſt:
De penore haud dederis micam ſalis Vpilioni.

Vbi notandum quod Ariſtarchus ita legit, quemadmodum citavimus:at Calliſtratus οὐδ᾽ ἄλα dictione proparoxytona ſcribit, & exponit κόπρια καὶ λύματα,id eſt, ſterquilinia & ædium purgamenta,quæ ſcopis à pavimento everruntur, ab οὖδας, quod ſonat ſolum ſive pavimentum:quod ab Euſtathio in illum locum annotatum eſt. Vſurpatur & à Dione Chryſoſtomo,in oratione quam inſcripſit Euboicum:quamquam in Græco codice vitioſe legitur οὐδ᾽ ἄλα δοίη.

Icci cœna.

De præparca & frugali cœna dicitur parœmiace, Ἴκκου δεῖπνον, id eſt,Icci cœna, ut commemorat Euſtathius. Iccus Tarentinus fuit medicus, ὃς ἐπὶ βίου σωφροσύνῃ εἰς παροιμίαν ἦλθεν; hoc eſt, cujus vitæ parſimoniam parœmia notat: diciturque, inquit, ἐπὶ τῶν ὀλίγα ἐσθιόντων. Meminit Ælianus omnigenæ hiſtoriæ undecimo lib. Icci Tarentini non medici,ſed luctatoris, quem toto certationis tempore, temperantiſſimo & correcto victus genere uſum fuiſſe, venerisque omnis expertem ſcribit. Græce eſt, ἀκολάστῳ μὴ τροφῇ χρησάμενος. Simile eſt illi, quod ſupra adſcripſimus, Hecates cœna.

Μυσίλαμος.

Μυσίλαμος, ſeu μυσίλαμος Comico ſcommate dicitur de ſordido,parciſſimeque victante. Annotat Euſtathius vocis originem natam ἐκ τοῦ μυστιλᾶσθαι ἅλμην, ut ſignificet ſalſuginis muriæve ſorptorem,qui ut impendiis parcat,etiam nauſeam biberit, ſolebant alioqui ſordidi homines apparare è marina ſalſugine viliſſimum embamma,loco gari,alteriusve carioris. Poteſt voce parœmiaca ſignificari etiam homo tenuis, & laborioſæ omnino vitæ:ut ſit ferme idem μυσίλαμος, quod μῦς ἐν πίσσῃ, id eſt, Mus in pice:quod Eraſmus vertit,Mus in Piſa quod tamen tranſcribunt alii, μῦς ἐν ἅλμῃ.id eſt,Mus in muria, ſicut hinc deduci poſſe videatur etiam μυσίλαμος:quod Euſtathius Ody.17.annotat. Quid? quod & ἁλμυρὸς,id eſt,ſalſuginoſus dicitur homo bilioſus, & iræ præcipitis.

Inteſtina adolens ipſi carnes devorat.

Plutarchus in Problemate, ubi de umbris in convivia adducendis ſententiam exquirit,ſenarium, ut apparet,tritum adducit:

Ἄλλως γὰρ ἡμῖν ἐπιτωθάζουσιν οἱ λέγοντες,
Δέλφακα θύσας αὐτὸς ὀψωνεῖ κρέας.

Id eſt:

Alioqui ioculare illud in nos contorquent,
Omenta ponens ipſe carnes devorat.

Quadrabit in eum, qui deteriora aliis ponit,potiora ſibi reſervat exemplo Promethei, qui ſola oſſa adipe contecta Ioui apponebat,ſibi totius hoſtiæ carnes ſeruabat: aut qui facit quidem quod decet, ſed non ſine commodi ſui reſpectu. Eſt autem δέλφαξ ſeu δελφὺς, quod in porcino genere vulua Latinis dicitur.

BRASSICANI. *Manus in Ætolis,mens autem in Clopidis.*

Ariſtophanes in Comœdia cui tit. ἱππεῖς: τὴν χεῖρ᾽ ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ νοῦς δ᾽ ἐν Κλωπιδῶν; quod de Cleone dicitur. in omnes illos torqueri poteſt, qui nunquam ceſſant vel a petendo, vel ſi hoc parū ſucceſſerit, ab alienis rebus ſublegendis. Poeta germana ſua feſtivitate Ætolos ab αἰτεῖν ab aſſidue & importune petendo deriuauit quanquam etiam Athenæus πλανητικοὺς καὶ ληστρικούς. lib. 6. Dipnoſoph. dicat eſſe Ætolicum. Cæterum cum Cropidæ populus ſit in Leontide tribu, Poeta valde quam eleganter ρ in λ commutavit, ut κλέπτειν. i. furtum exprimeret, cuius perpetuo reum agit Cleonem. Meminit adagii & Plutarchus in libello de Curioſitate.

Clauſis theſauris incubare.

Clauſis theſauris incubare dicuntur,qui rem quidem poſſident, cæterum nec uti norunt,neque frui poſſunt. Quintil.in 12. Qui autem ſcierit. quo ſint quæq; modo dicenda,n li tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes caſus habuerit eloquentiam, velut clauſis theſauris incubabit. Eſt autem ſapientis verbum Theſauri abſtruſi & abſconditæ ſapientiæ nullam eſſe utilitatem.

IOANNIS VLPII *Plus verrere quam ſerere.*

In avaros dicitur,qui nulla re ex ſatiari poſſunt. Plinius.

Vicinum ſemper invenies.

Vtcunque exturbet quis poſſeſſionibus ſuis vicinos & proximos,nunquam tamen ſolus ſupra terram habitare poterit: quamlibet enim cuncta pervadat, vicinum tamen ſemper invenies. Dici poteſt in avaros,qui omnia ſibi ſubjicere conantur, vicinorum domos & agros. Salvianus.

Spicilegium relinquere.

In varias trahi poteſt ſententias. Qui opus aliquod inſigne edidere,tale tamen,cui aliquid adjici poſſit,ſpicilegium reliquerunt: ut Eraſmus meſſuit adagiorum meſſem, Vlpio & poſteris ſpicilegium tantum reliquit. Dicitur etiam alicubi ab Eraſmo in avaros Eccleſiarum paſtores, qui vices quidem ſuas aliis delegant, ſed ipſi percipiunt fructus, vicariis nihil aliud relinquentes quam ſpicilegium, demeſſa omni ſegete. Huc facit Antigoni apophthegma: qui cum ſuis pecuniam imperaſſet. & quidam diceret non talis erat Alexander: ἐκεῖνος (inquit) ἐθέριζε τὴν Ἀσίαν, ἐγὼ δὲ καλαμῶμαι.hoc eſt, Ille demeſſuit Aſiam, ego ſpicas lego.

Sparſis redemerunt crimina nummis.

Multos pecuniæ perdiderunt, anſamque ad omne ſcelerum genus dederunt:deinde omnium malorum ſeminarium & radix, auri eſt & argenti fames, quod qui ſagaciori animo perpendunt, reiectis & contemptis pecuniis in hujusmodi vitia non incidunt, & ſparſis nummis crimina redemiſſe dicuntur Salvianus. Simile quiddam apud Plutarchum de vitanda uſura de Philoxeno legitur: qui cum opulentiſſimam domum hæreditate nactus eſſet, & delicias ac voluptates indigenarum conſideraſſet: μὰ τοὺς θεοὺς, εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ᾽ ἐγὼ ταῦτα. hoc eſt: Per deos, inquit, bona hæc me non perdent, ſed ego illa.

COGNATI. *Tonderi pecus, non radi debet : ad vivum radi.*

In principes graviora conſuetis vectigalia exigentes, hæc merito laudata ſententia, & in omnium ore verſari ſolita, dicitur. Tiberius Æmilio Recto Ægypti prætori reſcripſit: Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere, quam ſententiam paulo aliter extulit Dion: κείρεσθαι μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. quod eſt. Tonderi pecus meum volo, non radi: nimirum humaniter, haud mancipiorum modo tractandos provinciales innuens. Sunt enim qui rem exactius, quam ſat eſt, ac moroſius excutiunt, & ad vivam cutem reſecant. quod alio proverbio ad vivum usque radere dicitur. Gregor. Theologus lib. 2. Sentent.

Ποιμὴν ἀμέλγει καὶ τράγους, εἰ βούλεται.
Ἀντὶ γάλακτος δ' αἱμάτων πηγὰς ὕει.
Mulget vel hircos, ſi velit, paſtor malus.
Sed elicit pro lacte ſanguinem merum.

Dicto Tiberii convenit illud Plauti: Sed utrum ſtrictim ne attonſurum dicam, an per pectinem. Nam ſtrictim tondere, eſt ad cutem tondere, quod ἐν χρῷ κείρειν Græci dicunt: per pectinem, eſt paulo longius à cute interpoſito pectine tondere. Sic Græcis duo tondendi genera ſunt, σκάφιον & κῆπος. illud ſtrictim, hoc ſecus. [Lege Chil. prov. Boni paſtoris eſt, tondere pecus, non deglubere.]

Qui luxurioſus eſt, neceſſe eſt ut & avarus ſit.

Sermo hic etiam tota Gallia diſſipatus ac diſperſus eſt. Duo enim vitia hæc, quamvis inter ſe contraria eſſe videantur, tamen cōjuncta ſunt: nam luxurioſi multas ſolent profundere pecunias, & ideo, ut pecunia ſuis voluptatibus ſatis ſit, avari efficiuntur. Cicero pro Roſcio: In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt, ex avaritia erumpat audacia: inde omnia ſcelera ac maleficia gignuntur, ut ex Catonis verbis inquit Gell. lib. 11. cap. 2. Luxuria enim & luxus profuſam impenſam ſignificant hinc luxurioſus, in re familiari ſolutus. Avaritia autem eſt vehemens cupiditas in pecunia: quam Plato in Gorgia deſcribit.

Piſcari in aqua turbida.

Piſcari in aqua turbida dicuntur vulgari proverbio. qui ex publicis calamitatibus privatæ ſoliti ſunt utilitati ſtudere, tempus nō amplius rapinæ accommodatum habētes, præter illud, quo omnia ad miſerabilem quandam confuſionem nutant, Quemadmodum autem è publicis incommodis illorū proſpera dependet fortuna, ita viciſſim ipſorum infortunium è bono publico. Galli ſic exprimunt: Il y a peſche qu' en eau trouble.

Cupiditati nihil ſatis.

Seneca ad Helbiam matrem, Cupiditati nihil eſt ſatis, naturæ etiam ſatis eſt parum, Hac ſententia nihil celebratius. Cupiditas enim immodica eſt, & prædæ ſemper intēta. de qua vide plura infra in adag. Cupiditas inhians. Demoſthenes contra Ariſtog. Nullus eorum qui beati ſunt & felices, terminum aut finem habet cupiditatis habendi.

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Extat apud multos Græcos ſcriptores Apollinis Pythii oraculum in hanc ſententiam verſu hexametro pronunciatum:

Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.

Hujus oraculi mentio fit apud plutarchum in Agide: ubi dum Lyſander, Mandroclydes, & Ageſilaus, bonorum æquationem & legem agrariam ſuadent, in argumentum tum hoc oraculum, tū alia vatum reſponſa trahunt. Atque inibi pulchra gradatione, multa populariter contra Lacedæmoniorum avaritiam dicuntur, quæ eos maxime illaudatos factos eſſe teſtatur Iſocrates in Philip. Oracula autem illa, vitari pecuniæ ſtudium, ut Spartæ peſtiferum, jubent. Hinc Cic. lib. 2. Officiorum: Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit: Spartam nulla re alia, niſi avaritia eſſe perituram: id videtur non ſolum Lacedemoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe.

Cupiditas inhians.

Solenne & uſitatum eſt Gallis noſtris, avaritiam ſive cupiditatem hiantem dicere, hoc eſt immodicam, & prædæ ſemper intentam. Translatio eſt ſumpta ab aviculis nidulariis. Cic. in Ver. Nam Verrem ſemper avaritia hianti atque imminenti fuiſſe. Tacitus in Gal. Hiantes amicorum cupiditates ipſa Galbæ facilitas intendebat. Hinc eſt, ut avari dicantur devorare lucrum: ſumpta metaphora a canibus voracibus qui oſtēſo illis carnis fruſto, malis increpant, & mandentium ſpeciem præbent, geſtientes aviditate, & gannientes. Cicer. pro Flacco: At moleſte fert civitas. credo: amiſſum eſt enim præter ſpem, quod erat ſpe devoratum lucrum. Quæ loquendi ratio eſt alia, quam cum dicimus, Devorare tædium vel moleſtiam: &, Devorare verbum imprudens: de quibus & aliis, ſatis multa nobis dicta ſunt ſupra. De cupiditate etiam diximus ante in adagio, Cupiditati nihil ſatis: & poſt, Avidius. Experientia etiam oſtendit, cupiditatem illam avaræ mentis, infinitam eſſe. Ideo multæ graves ſententiæ ea de re extant. qualis eſt:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.
Item:
Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

Majorumque fames —

Nunquam ſecum benigne

Vulgo dicunt de avaris & tenacibus: Hic nunquam ſecum benigne & liberaliter egit: [illegible] Budæus Brixio eo reſpexiſſe videtur quum ſcribit: Non intelligunt quid ſit, hominem optime de ſe mereri.

Nomadicam vitam agere.

Nomadicam agere vitam proverbialiter dicuntur vagabundi, quique ſedem ſtabilem & certam nullam habent, ſed modo huc modo illuc oberrant & divagantur, tempus inutiliter abſumentes, incerti, inſtabiles, & inconſtantes. ἀλῆται. Eſt & alia metaphorica ſignificatio, quum Plinius lib. 27. cap. 4. vagum habere nomen dixit. qui inconſtantes, & multis opinionibus obnoxii ſunt, putantes & approbantes verum eſſe quod falſum eſt, vel falſum eſſe quod verum eſt, vel certum pro incerto. Tales autem etiam Nomadicam vitam agere dicuntur: quoniam illorum animus vagatur, hoc eſt, inconſtans & inſtabilis eſt. Budæus Longolio: Tranſit ad vitam ingloriam & Nomadicam. Nomades Africæ populi, inter Zeugitanam & Mauritaniam ſiti, ſtationem certam non habent, nec domicilium fixum, ut paſtoritiam vitam agentes: qui poſtea, verſa o in u, Numidæ appellati ſunt. Plin. lib. 5. cap. 3. 6. 5. 4. ſcribit, Numidas Nomades dici, à permutandis pabulis mapalia ſua, hoc eſt domos plauſtris circumferentes. unde Vagi dicuntur. Vagabundis enim populationibus ut in Sarmatia Hamaxobitæ, errantes, & rei pecuariæ dediti, nomen hoc adepti ſunt à Græcis, quibus νέμειν paſco ſignificat. Erat enim ea gens rei pecuariæ in primis ſtudioſa: & ob id ad lætiora pabula, herbis uno in loco depaſtis, magalia & papiliones ſuos curribus alio transferebant.

Cynice vivere.

Cynice vivere proverbialiter dicuntur, qui miſere vivunt, ut ſiliquis, & leguminibus, quique viliſſimis cibariis ſe tolerant, atq; ſuſtentant, nam talis erat Cynicorum philoſophorū victus, quod è Luciani Cynico intelligi poteſt, & ex verſibus imprimis elegātibus Petronii Arbitri:

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat?
Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna;
Nonnunquam nummis verba ſolent emere.
Ergo judicium nil eſt niſi publica merces,
Atque eques in cauſa qui ſedet, empta probat.

Cœna quoque Hecates & ovis luſtrationum, ut mendici, & ſepiis crudis vivebant: inde & digna ſacris Hecates apud eundem Lucianum dicitur Hecale mulier pauperrima, quod Cœna Hecatæ ſacra à pauperib. raperetur: de qua Ariſtophanes in Pluto, Lucianus in dialogo Diogenis & Pollucis, item Charontis ac Menippi. De Hecale, Plautus in Ciſtellaria: Siquidem eris ut volo, nūquam Hecale fies. Ovidius:

Cur nemo eſt Hecalen, nulla eſt quæ cœperit Irum?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

Habet quod deeſt.

Brevitate orationis è populari ſermone uſurpatur, diciturque is habere quod deſit, qui ſuis bonis ita abſtinet ac parcit, uti ei deeſſe videantur &, qui non explet cupiditates naturaleis, ac neceſſarias: contra, habere quod non deſit, is qui non invitus, quique liberaliter & jucunde utitur iis quæ habeat, cum opus ſit, & cum res poſtulet: qui non defodit ea quæ quæſierit, Horatius epiſt. 2. lib. 2.

Sed quod non deſit habentem.

Is enim habet quod non deſit, qui ſumptus facit moderatos, & fructibus, aut vectigalibus ſuis æquales. Quod ſi dives ſumptus faciat ſuis fructibus majores, huic etiam res ſuæ deerunt. Luxurioſo enim, & profuſo homini, quantumvis locupleti, deſunt omnia. Sumptus igitur cenſum ne ſuperet, ut alibi ſcripſimus. Vulgo etiam dici ſolet, Avaris tam id quod habent, deeſſe, quam quod non habent: propterea ſcilicet, quod iis quæ habent, non audens uti. His ſimilia ſunt. Horatius Od, 16. lib. 3.

Magnas inter opes inops.

Sic Plautus in Aulularia: Tenaces nimium dominos noſtra ætas tulit: quos Harpagonas, Harpyias, & Tantalos vocare ſoleo, in opibus magnis pauperes, & ſitibundos in medio Oceani gurgite. Nullæ illis ſatis divitiæ ſunt, non Midæ, non Crœſi, non omnis Perſarum copia explere illorum Tartaream ingluviem poteſt. Significat autem Horatius, vel opulentiſſimos homines inopes eſſe, atque egentes, ſi augendi cupiditate inflammati, ſumptum facere non audeant. Idem od. 17. Epodi:

Egens benignæ Tantalus ſemper dapis.

Videntur quidem hæc pugnare, copioſum eſſe & egere: ſed ea eſt Tantali, & Tantali ſimilium pœna, ut in media rerum copia egeant. Idem epiſt. 2. lib. 1.

Semper avarus eget. —

Illi enim ſemper aliquid deeſt. Nunquam enim expletur divitiarum ſitis. quin etiam iis quæ habet, eget Nihil refert, utrum avarus habeat, an non habeat, cum ei deſint ea quæ habet. id eſt, cum iis rebus, quas vel ſuo labore peperit, vel beneficio fortunæ

nactus

nactus eſt, uti frui non audeat, idem ſaty. 3. lib. 2. hominis avari ingenium ſub Opimii cuiuſdam perſona pulchre deſcribit. Pauperem autem argenti dicit, quia eo uti vel nequibat, vel non audebat, ne quid de acervo detraheret, neve delibaret. Inquit autē:

Pauper Opimius argenti poſiti intus, & auri.

Salomon proverb. 13. Sunt, qui in penuria rerum omnium divites eſſe ſciant: ſunt, qui cum immenſis opibus egeant.

Avidus.

Avidos vulgo homines avaros, pluſque ſemper appetentes inſatiabili quadam cupiditate vocamus; à qua notione non deflexit Lucretianum illud:

Principio quantum cœli tegit impetus ingens,
Inde avidam partem montes ſylvæque ferarum
Poſſedere. ——

Hic avidam partem, appellat magnam: quod avidi ſit, plus appetere, nec parvo contentum eſſe. Sed avidos nimia felicitas facit, ut ſcribit Seneca. lib. 1. cap. 1. De clementia. Hanc autem ſententiam eleganter exprimit Livius in præfatione: Adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium pereundi, perdendiq; omnia invexere. Et Curtius lib. 7. in oratione Scytharum ad Alexandrum: Quid tibi divitiis opus eſt, quæ te eſurire cogunt. Primus omniū ſatietati paraſti famem, ut quo plura haberes, amplius quæ non haberes, cuperes. notum eſt illud Ovidii in 1. Faſt.

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et cum poſſideant plurima, plura petunt.
Sic, quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Iuvenalis ſaty. 14.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Vide ante, Cupiditati nihil ſatis: &, Cupiditas inhians.

In diem vivere.

Nunquam fruimur bonis præſentibus, ſed futuris ſemper inhiamus: quæ ubi adepti ſumus, alia itē quæ abſunt, deſideramus. Recte igitur præcipiunt, qui ſuadēt, ut in diem vivamus: id eſt, ut bonis præſentibus, & paratis, atque in noſtra poteſtate ſitis fruamur, ut Horatius crebro od. 29. lib. 3.

——Ille potens ſui,
Lætus deget: cui licet, In diem,
Dixiſſe, vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato.

Idem ode 8. lib. eod. & ode 16. lib. 2. Athenæus lib. 8. verſus neſciō cujus poetæ producit: quorum hæc ſententia eſt: Suadere omnibus mortalibus, ut in diem vivant, volo. Nam hominem mortuū, eſſe nihil, & umbram ſub terra. Huc accedunt, quæ dicere ſolent homines in poculis apud Lucr. lib. 3.

Hoc etiam faciunt, ubi diſcubuere, tenentque
Pocula ſæpe homines, & inumbrant ora coronis,
Ex animo ut dicant: Brevis hic eſt fructus homullis.

Sic Apollonides lib. 2. epigram. Græcorum:

Tempus erit longum, quo non potabimus: eia
Corripit en nobis tempora canicies.

Plautus in Bacchid. Non tibi venit in mentem, amabo, ſi dum vivas, tibi benefacias jam pol id quidem eſſe haud prolonginquom neque ſi hoc hodie amiſeris, poſt in morte id eventurum unquamē

Barathro.

Homo inſatiabiliſſimus atque avidiſſimus, proverbialiter Barathro dicitur. Lucret. lib. 3.

Auffer ab hinc lachrymas barathro, & compeſce querelas.

Horatius lib. 1. Satyr. 2. ſatyra:

Mendici, mimæ, barathrones, hoc genus omne.

Barathro, id eſt, homo barathro dignus. Varro de re ruſtica: Videbo vos jam Balathrones, & huc afferam meum corium flagella. Balathrones autem vel à barathro nomen habent (nam r illud vitile & ſtrepetum, in lambda balbum ſæpe mutatur & emolleſcit:) vel a blatheis, ut Verrio videtur. Nam ſunt balathrones & blatheę, bullæ luti ex itineribus, aut quod de calciamentorum ſoleis detraditur. Galli integrum prope hoc vocabulum ſua retinent vernacula lingua. Belithrones enim appellant homines non bonę frugi, & nihili, nequamque. Idem valebit Bardus, & Bliteus.

Defraudare genium.

Defraudat genium ſuum homo, & ſe, qui ſibi non indulget, & miſere vivit, & tanquam demenſo ſuo detrahit: intertumpit voluptatem, & naturæ quod appetit negat. Terent in Phormione: Quod ille unciatim vix de demēſo ſuo, defraudans genium, comparſit miſer. Quod idem facit, qui ſegeti & agro culturam & opera juſta non tribuit, ſed vel de aratione, vel lætamina, vel ſemēte deducit. Hinc Cato: Segetem ne defrudet, Defrudare veteres pro defraudāre dixerunt. Contra, indulgere genio eſt voluptati operam dare, & quocunque nos naturæ appetitus trahat, ſubſequi. Quæ loquendi formulæ inde tractæ ſunt, quod antiqui Genium vocabant naturæ Deum, hoſpitalitatis præſidem. Vnde etiam homo genialis dicitur, liberalis & hoſpitalis, & ſplendido apparatui aſſuetus. Has proverbiales figuras colligit quoque Eraſmus noſter. Vnde alibi, indulgere genio.

Καπηλεύειν πόλεμον.

Dicuntur καπηλεύειν πόλεμον. ſeu cauponari bellum ij, qui more cauponum omnia pecuniæ cauſa faciunt, ac donis vel ipſi hoſtes corrumpunt, vel ab iiſdem ſe patiuntur corrumpi, & auro deniq; magis quam ferro vel viribus, bellum gerunt. Sic Philippus Alexandri pater Græcos fere omnes partim pecunia ac dolis, partim vi ſubegit. Æſchylus in ſeptem ad Thebas.

Ἐλθὼν δ' ἐκεῖνος οὐ καπηλεύει μάχην,
Μακρᾶς κελεύθου δ' οὐ καταισχυνεῖ πόρον.

Cicero ex Ennio, ſub Pyrrhi perſona:

Nec mihi aurum poſcos, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes.

Myrmidones.

Homines avari & divitiarum cupidi, proverbio dicuntur Myrmidones, ἀπὸ τῶν μυρμήκων: quibus Ovidius libro. 7. Metamorph. formicarum adjuncta tribuit his verſibus:

Vota Iovi ſolvo, populiſque recentibus urbem
Patior, & vacuos priſcis cultoribus agros,
Myrmidonaſque voco, nec origine nomina fraudo,
Corpora vidiſti, mores quos ante gerebant.
Nunc quoque habent, parcum genus eſt, patienſq; laborū,
Quæſitiq; tenax, & quod quæſita reſervet.

Lucianus in Icaromenippo, formicis comparat homines, è quib. natos Myrmidonas ait. Strabo vero lib. 8 Æginetas non a formicis natos, ſed quod formicarum in morem in ſpecubus, effoſſiſque cavernis habitarent, hoc nomen accepiſſe ſcribit. Plutarchus de divitiarum cupiditate, avarorum, & divitiarum cupiditatem formicarum vitæ ſimillimam eſſe ſcribit. Idem formicarum admirandum ingenium depingit in libr. de animalium induſtria. Sunt qui apud Catullum Myrmice legunt: pro gradu formicæ, & tarde.

Amicitia avarorum, complexus ſpherarum.

Et hoc è Mathematis petitum, Sphæra una ut impoſitam alteram ſibi inſidere non patitur, ſed ſtatim devolvit: ita avarus avarum amicum non fert, dum ſibi uterque ſoli ſtudet: alteri ſi poſſit cum ſuo commodo, obeſſe optat.

AUDACIA.

ERASMI. *Fortes fortuna adjuvat.*

Cicero Tuſcul. quæſt lib 2. Fortes enim non modo fortuna adjuvat, ut eſt in veteri proverbio, ſed multo magis ratio. Citatur alibi ex Ennio. Uſurpatur in Æneide Maronis, atque adeo paſſim ab omnibus.

Ovidius Faſt. lib. 2.

—— Audentes forſque deuſque juvat.

Idem alluſit

—— Audates adjuvat ipſa Venus.

Rurſum T. Livius belli Macedonici lib 4. Fortes fortunam adjuvare aiebant. Admonet adagium, fortiter periclitandam eſſe fortunam, nam his plerunque res proſpere cedere: propterea quod id genus hominibus fortuna quaſi faveat, infenſa iis qui nihil audēt experiri, ſed veluti cochleæ perpetuo latent intra teſtas.

Animus præſens.

Animi præſentia utilis ubique, propterea quod timiditas, vel à conſcientia, vel ab animi parvitate videatur proficiſci. Huic ſententiæ ſuffragatur Homericum illud ex eodem libro.

Θαρσαλέος γὰρ ἀνὴρ ἐν πᾶσιν ἀμείνων,
Ἔργοισι τελέθει, εἰ καὶ ποθὲν ἄλλοθεν ἔλθοι.

Id eſt:

Omnibus in rebus potior vir fortis & audax
Sit licet hoſpes, & elonginquis venerit oris.

Ad hunc modum Pallas hortatur Ulyſſem, ne quid trepidet ingreſſurus Alcinoi domum. Huic congruit illud quod alibi dictum eſt, Fortes fortuna adjuvat. T. Livius libro ab urbe condita 8. ſed eventus docuit fortes fortunam adjuvare.

Animus heptaboeus.

Θυμὸς ἑπταβόειος: id eſt, Animus heptaboeus, ſive ira heptaboea, de forti magnoque & in victo dictum. Epithetum ſumptum à clypeo Aiacis, quem Homerus ἑπταβόειον appellat, quod ſeptem boum tergoribus eſſet ob ductus, atque ob id impenetrabilis. Et Ovidius.

—— Dominus clypei ſeptemplicis Aiax.

Sumptum eſt adagium ex Ranis Ariſtophanis:

Ἀλλὰ πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας καὶ λευκολόφους τρυφαλείας,
Καὶ πήληκας καὶ κνημῖδας, καὶ θυμοὺς ἑπταβοείους.

Id eſt:

Sed ſpirantes ſpicula & haſtas, albaſque in vertice criſtas,
Adde his galeas, adde his ocreas, animos quoque ſeptibovinos.

Alter Hercules.

Proverbialis hyperbole, ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: id eſt, Hic alter Hercules. De viro præſtrenuo, ac laborum toleratiſſimo. Extat

hoc titulo fabula quæpiam ex Menippeis Terentii Varronis. miſtum ne proverbiali Ariſtoteles libro Moralium Eudemiorum 7. ὁ γὰρ φίλος βούλεται εἶναι, ὥσπερ ἡ παροιμία φησὶν, ἄλλος Ἡρακλῆς, ἄλλος αὐτός, id eſt: Nam amicus cupit eſſe, ſicuti proverbio dicitur, alter Hercules, alter hic. Plutarchus ſcribit id cognominis vulgo Theſeo attributum, quod multa fortiter patraret exemplo Herculis. Laertius in vitis philoſophorum oſtendit & Cleantem philoſophum, alterum Herculem vulgo dictum fuiſſe: quod eſſet omnium laborum patientiſſimus, adeo ut noctu hauriendo è puteo aquam, victum diurnum pararet, unde & φρεαντλῆς dictus pro Cleanthe: & nihilo tamen ſegnius egregiam operam interdiu navaret philoſophiæ. Clearchus apud Zenodotum aliam fabulam adfert, unde hoc ſit natum adagium: Ait enim Briareū, qui & ipſe Hercules dictus eſt, profectum Delphos, ſublatis inde theſauris aliquot ac monumentis, ex iis quæ illo in loco ſervabantur, juxta veterem quandam conſuetudinem, ad columnas, quas Herculis cognominant, ſeſe contuliſſe, atque itidem illis, quæ illic erant, fuiſſe potitum. Deinde Tyrium Herculem veniſſe Delphos, ut oraculum conſuleret: deumq; reſpondiſſe, οὗτος ἄλλος Ἡρακλῆς, id eſt, Hic alter Hercules, atque oraculum in adagionem abiiſſe. Nec deſunt qui hujus dicti originem referant ad Titormum quendam bulſequam, qui multis exemplis Milonem ſuperarit. Is ſe profitens ſuperatum, ſublatis in cœlum manibus dixit: Ζεῦ, μὴ τοῦτον Ἡρακλῆν ἄλλον ἡμῖν ἐπέμψας. O Iupiter, num hunc nobis Herculem alterum genuiſti: Huc pertinet illud Theocriti in Paſtoribus:

Φαντί νιν Ἡρακλῆα βίῃ κάρτει ἐρίσδειν.

Id eſt:

Viribus Alcide hunc certare & robore dicunt.

Subjicitque paſtor:

Κἠμὲ φάτ' ἡ μάτηρ Πολυδεύκεος ἦμεν ἀμείνω.

Id eſt:

Me quoque Pollucem mater præcellere dixit.

Erat enim hic excellens in pugilum certamine. Et Græculus adulator apud Iuvenalem, divitem imbecillum Herculi æquat Antæum procul à tellure tenenti. Macrobius libr. Saturnalium 3. ſcribit in hunc modum: Salios autem Herculi propter ubertatem doctrinæ altioris aſſignat, quia is Deus; & apud Pontifices idem qui & Mars habetur. Et ſane ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur, Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς: quia cum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe cum Marte probavit. Apud Latinos quoque Ruticello cuidam prodigioſis viribus, Herculis nomen attributum. Is mulum ſuum tollebat, ut ſcribit M. Varro, citante Plinio lib. 7. At Hippocrati medico, quod peſtilentiam ab Illyriis venientem prædixiſſet, dimiſſis ad auxiliandum circa urbes diſcipulis, Græcia ob meritum eoſdem decrevit honores quos Herculi: nam & is ἀλεξίκακος habitus eſt. Autor idem Plinius eodem lib. Quin nomen hoc Herculis videtur vulgari ſermone ad omnes viros egregie fortes transferri ſolere, non aliter quam Catonis ad graves & ſapientes. Nam Varro quadraginta tres Hercules enumerat: additque, hoc nomine honoratos fuiſſe omnes, qui fortiter quippiam egiſſent. Teſtatur & Macrobius in Saturnalibus, hoc nominis compluribus fuiſſe commune, & ante Amphitryonis privignum. Sic & Achilles appellabantur inſigni fortitudine duces: quorum de numero fuit Lucius Siccius Dentatus, ob ingentem fortitudinem Romanus Achilles appellatus, quod centum & viginti prœliis cum hoſte pugnaſſet, nec ullam haberet cicatricem averſam. Autor A. Gellius libro, 2. cap. 11. Denique rationem aut argumentum Achilleum vocant, quod ſit inſuperabile & inſolubile.

Aqua præterfluit.

Ὕδωρ παραρρεῖ. id eſt, Perfluit aqua, ſive præterfluit. Zenodotus & Suidas admonent dici ſolitum de eo qui nihil negocii recuſaret, & quidlibet quod mandatum eſſet effecturum ſeſe pollicere tur: quippe usque adeo promptus ad quidvis ſuſcipiendum, ut nec navim perfluentem ingredi gravaretur, contempto aquæ influxu, cujus eſt affluere ac defluere.

Martis pullus.

Ἄρεως νεοττὸς. id eſt, Martis pullum, vocant ad bella magnopere propenſum. Ariſtophanes in Avibus:

Ἄρεως νεοττὸς, ὦ δέσποτα.

Id eſt:

Pullus Gradivi, ò pulle rector atque here.

Sentit autem de gallo: qui quod omnium avium ſit pugnaciſſimus bellaciſſimusque (unde & criſta & calcaribus armatus eſt) Marti ſacer eſt. Vel quod is olim fuerit adoleſcens Marti in deliciis habitus, qui conſueverit obſervare, Marte cum Venere cubante, ne quis deorum interveniret. Deinde cum illo dormiente ſol adveniſſet Marsque turpiter eſſet deprehenſus, iratum Gallū adoleſcentem in avem commutavit, manentibus etiamnum priſtinæ naturæ veſtigiis. Narrat hanc fabulam Lucianus in Gallo. Proverbii meminit & Laertius in vita Diogenis Cynici.

Non abjicit animum.

De eo, qui ne afflictiſſimis quidem in rebus ſpem, aut conſilium abjicit (quemadmodum apud Maronem,

——Launus rerumque reliquit habenas)

ſed de recipiendo ſe utrunque cogitat, apposite dicetur, quod in ibi dictum eſt de Vlyſſe:

Ἀλλ' οὐδ' ὣς σχεδίης ἐπελήθετο τειρόμενός περ.

Id eſt:

Ac neque ſic licet afflictos oblivia cepit Navigii.

Ne quid moveare verborum ſtrepitu.

Qui monebit aliquem, ne ſævis verbis, ac minis deterreatur, quo minus experiatur, accommodabit illud ex eodem libro, ab Apolline dictum Æneæ:

Ἀλλ' ἰθὺς φέρε χαλκὸν ἀτειρέα, μηδέ σε πάμπαν
Λευγαλέοις ἐπέεσσιν ἀποτρεπέτω καὶ ἀρειῇ.

Id eſt:

Quin rigido ferro magis obvius ito, nec unquam
Te ſævis dictis deterreat ille minisque.

In diſcrimine apparet qui vir.

De re periculoſa difficilique, & ejusmodi quæ virum cordatum ac ſtrenuum requirat, conveniet illud quod eodem libro dicitur ab Idomeneo Cretenſium duce:

Ἔνθ' ὅ τε δειλὸς ἀνὴρ ὅς τ' ἄλκιμος ἐξεφαάνθη.

Id eſt:

Illic qui vir iners, qui ſtrenuus ipſa docet res.

Ad idem facit quod proximo carmine conſequitur:

Τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ.

Cujus alias mihi facta mentio.

Non cedendum malis.

Si quando admonebis non oportere cedere vel adverſariis, vel inſultibus adverſæ fortunæ, aut non eſſe certandum cum fugitivis, non inſcite de torſeris illud ex eodem libro:

Οὐκ ἂν ἐν αὐχέν' ὄπισθε πέσοι βέλος οὐδ' ἐνὶ νώτῳ,
Ἀλλά κεν ἢ στέρνων ἢ νηδύος ἀντιάσειε.

Id eſt:

Ne feriat jaculum cervicem aut terga, ſed ipſum
Aut ventrem, aut pectus feriat adverſa ſagitta.

Qui cum contemptu vitæ invadunt

In eos qui gladiatorio, ſicut ait Terentius, animo quempiam impetunt, ut aut perdant, aut pereant, conveniet illud ex Iliados μ.

Ἀγροτέροισι σύεσσιν ἐοικότες.

Id eſt:

——Similes agreſtibus apris.

Tradunt enim venatores, hos provocatos recta impetere provocantem, nec lancea vitata.

Neque terræ motus timet, neque fluctus.

Ariſtoteles libro Moralium Nicomachiorum 3. docens eos, qui non habitu virtutis, ſed immanitate quadam naturæ nihil omnino formidant, nequaquam appellandos eſſe fortes, ſed μαινομένους ἢ ἀναλγήτους, hoc eſt, inſanos & ſtupidos, ſenſusq; expertes; εἴη δ' inquit, ἄν τις μαινόμενος ἢ ἀνάλγητος, εἰ μηδὲν φοβοῖτο, μήτε σεισμὸν μήτε κύματα, καθάπερ φασὶ τοὺς Κελτούς. id eſt: Fuerit autem quiſpiam inſanus ac doloris ſenſu vacans, ſi nihil metuat, neque terræ concuſſiones, neq; fluctus, quemadmodum de Celtis prædicant. Nihil enim horribilius mari commoto, terræ vero concuſſio videtur inferorum ad ſuperorum ſedem eruptionem minitari. Tanta autem erat quarundam Galliæ Germaniæq; gentium immanitas, ut nec his terrerentur, quæ maxime ſunt natura horrenda. Quod autem Ariſtoteles μαινόμενον & ἀνάλγητον pro eodem uſurpat, arbitror huc reſpexiſſe Diogenem: qui rogatus quis ipſi videretur Socrates, μαινόμενος, inquit: videlicet eo quod adverſus omnem corporis moleſtiam obduruerat, quum alioqui eſſet omnium injuriarum tolerantiſſimus: niſi forte Diogenes hoc quoque ſtupori tribuebat, non virtuti, quod ne colaphis quidem provocari poſſet, ut vel tantillum excandeſceret.

Improbitas muſcæ.

In improbum, & ſubinde redeuntem, etiamſi turpiter repellatur, quadrabit illud ex eodem:

Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥ τε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν.—— Id eſt:

Atque illi muſcæ vim intra præcordia miſit,
Quæ quamvis de pelle viri ſit ſæpe repulſa,
Aſſultat morſura tamen.——

EX APPEND. ERAS.

More galli domi pugnatu.

Ἐνδομάχας ἀλέκτωρ. Cum aliquis domi ſuæ & in ſuo regno (ut Cic. ait) audaciam præ ſe fert: extra illud timidus futurus. Simile eſt ei quod eſt alibi. Gallus in ſuo ſterquilinio multum poteſt.

IVNII.

Canis novem animas habens.

Ἐννεάψυχος κύων, id eſt, Canis novenas animas habens, Proverbium citatur & ab Etymologici authore & ab Heſychio: ſed neq; ulus explicatur, neque origo detegitur: Crediderim efferri poſſe de milite projectæ audaciæ, & vitæ curam poſt habente, qualem vulgari joco dicimus, decem habere corpora in ſola ſemina velut

inſtar

inſtar veſtium multiplicis ſyntheſis repoſita : Canis quidem ob la-latrandi ſtudium. qui alium adagii uſum norit, candide ut admoneat, ultro deprecor : certe fateor ingenue, mihi non liquere: libuit tamen authores, qui nominatim illud parœmię nomine citant, indicare;

Gyaro dignum.

Facinus audax cum periculo conjunctum, quale ῥιψοκίνδυνον Græci vocant, velut projectæ audaciæ plenum, verſu a multis uſitato, Juvenalis dixit, Gyaro dignum : ita autem habet.

Aude aliquid brevibus, Gyaris, & carcere dignum.

in quo præter aliorum grammaticorum expoſitionem, brevibus, epitheton eſſe nolo, ut exſitas inſulæ includi eo verbo videatur; ſed commate diſtermino: ut tria loca periculo vitæ conjuncta illi adeunda eſſe ſignificet, qui facinus aliquod memorabile ſuſcipere velit. Sunt enim brevia, loca maris vadoſa, naufragiis infamia, quorum etiam apud Vergilium mentio eſt in primo Æneid. ibi :

In brevia & Syrtes.———

Polybius ſimiliter ut Latini βραχέα nominat. us lib. j. de parva Sirti loquens : ἐν ᾗ συμπεσόντες εἰς τὰ βραχέα ita locum corrige pro ἀβραχέα) διὰ τὴν ἀπειρίαν, εἰς πᾶσαν ἦλθον ἀπορίαν. id eſt : Ad quam in brevia incurrentes, propter locorum imperitiam, in ſummum adducti fuerunt diſcrimen. Gyaros vero inſula eſt inter Cycladas: quam immitem & ſine cultu hominum cauſatur Tiberius apud Cornelium Tacitum.

VLPII. *Ad ſcamma producere.*

Hoc eſt, In certamen provocare. Ab athletis ſumptum eſt, cujeſmodi multa in libro ad martyres apud Tertullianum ſunt. σκάμμα quid ſit, vide in adagio, De ſcammate egredi.

COGNATI. *Inops audacia tuta.*

Petronius Arbiter in quadam ſatyra.

Arma placent miſeris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. Inops audacia tuta eſt.

Idem alio loco :

Quiſquis inops peccat, minor eſt reus.——

Παράβολος.

Homo audaciæ projectæ, & ad pericula adeunda præceps & temerarius, παράβολος Græcis dicitur, Latinis vero parabolanus. Caſſiodorus hiſtoriæ tripartitæ lib. xj. Dum aliquo tempore in amphytheatro Conſtantinopoleos ſpectaret, cœpit clamare populus: Crudeli beſtiæ artifex parabolus pugnet, quod Græcè ſcribitur à Socrate : κυνήγια δέ ποτε ἐν τῷ ἀμφιθεάτρῳ τῶν κυνηγετικῶν ἀγώνων ἐπιτελοῦντος αὐτοῦ ὁ δῆμος ἐπεβόα, ὅπως τῷ θηρίῳ παράβολος μάχοιτο. Poſſunt ergo etiam dici Parabolani homines, qui ſe in periculum maximum conjiciunt: ut qui ægrotos publice in noſocomiis curant, graſſante peſte, & ipſi rapiuntur, & id muneris contempta vita ſuſcipiunt.

AVXILIVM ET CITRA AVXILIVM.

ERASMI. *Frater viro adſit.*

Ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη: id eſt, Frater viro adſit, De fido auxilio dici ſolitũ, propterea quod in rebus periculoſis vix unquam frater ſolet fratri deeſſe. Apud Platonem ij. De republica lib. Adimantus Glauconis adverſus Socratem diſputantis partes accipiens : nondum, inquit, Socrates ſatis hac de re diſſertum. Cur ita? Neque quia id nondum eſt dictum, quod maxime dictum oportuit. Tum Socrates τοῦτο τὸ λεγόμενον, ἀδελφὸς ἀνδρὶ παρείη, id eſt: Igitur frater adeſto viro, ut habet proverbium : quare tu, ſi quid his prætermiſit, adjuva. Idem ex Homero ſumptum adagium teſtatur in Protagora, ubi Socrates Prodicum advocans, ut Simonidem ejuſdem civitatis hominem à Protagoræ calumnia tueatur : Videor equidem, inquit, advocare te, quemadmodum ait Homerus, Scamandrum ab Achille obſeſſum Simoentem advocaſſe.

Φίλε κασίγνητε, σθένος ἀνέρος ἀμφότεροί περ
Σχῶμεν. Id eſt :
Frater amice, hominis pariter compeſcere vires
Ambo hujus ſtudeamus.———

Eſt autem is locus in Iliados φ. Rurſum Iliados χ ſimiliter Hector jam impar Achilli Deiphobum fratrem invocat, uti ferat ſuppetias. Pallas enim illi apparuerat Deiphobi ſpecie, ac deceptus Hector fruſtra inclamat.

Δηΐφοβον δὲ κάλει λευκάσπιδα μακρὸν ἀΰσας.

Id eſt :

Deiphobum fratrem intento clamore vocabat.

A quo cum deſtitueretur, diem fatalem adeſſe intellexit. Plutarchus in vita Cæſaris refert, Caſcam Cæſare retinente gladium, fratris auxilium ad hunc modum imploraſſe, idque verbis Græcis : ἀδελφὲ βοήθει.

Sine ope divina nihil valemus.

Manca eſt omnis mortalium induſtria omniſque conatus, niſi favor aſpiret divinus. Ad id accommodare licebit Homericum illud ex eodem libro :

——— Πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι.

Id eſt :

Mortalis divum auxilium deſiderat omnis.

Ne gladium tollas mulier.

Μὴ μάχαιραν αἴρε θῆλυ.

Id eſt :

Ne machæram tolle mulier.

Hemiſtichium eſt carminis trochaici. Ne ſuſcipias negocii molem, cum nequeas auxiliari. Vitioſum enim eſt.

Ἀμήχανα ἀεὶ πάντη :

ut inquit Homerus, Poteſt & in hunc trahi ſenſum : Ne ſpem oſtendas, quam præſtare non poſſis. Ne mineris, aut ne laceſſas inimicum, cum laceſſitum non queas profligare. Brutus notat Ciceronem, quod Antonium concionibus ſuis irritaret, quem iratum non potuerit comprimere : hoc eſt, gladium tolleret mulier.

Non abſque Theſeo.

Οὐκ ἄνευ Θησέως : id eſt, Haud abſque Theſeo, cum ſignificamus, rem alieno auxilio confici, aut cum ſignificamus rerum omnium communionem ac ferocitatem. Nam Zenodotus ſcribit Theſeum permultis viris fortiſſimis in certaminibus auxilio fuiſſe, quippe qui & Meleagro adfuit in conficiendo apro Calydonio: auxiliatus & Pirithoo pugnanti cum Centauris, item Herculi cum Amazonibus belligeranti. Fabula de apro ſic habet. Oeneus Meleagri pater, cum de primitiis anni proventus diis libans, Artemidem præteriſſet, illa irata aprum immanem in agros Calidonios immiſit, omnia populantem : ad quem conficiendũ Oeneus præſtantiſſimum quemque excivit, præmiis ad id propoſitis. Inter multos certavit & Meleager, qui & beluam confecit, ſed accerſito ad auxilium Theſeo. Reliquum fabulæ nihil ad proverbii ſenſum attinet. De Pirithoo ſic ferunt. Pirithous Hippodamiæ procus, Centauros, quod eſſent ſponſę cognati, vim adferre cœperunt, coorta pugna : Theſeus Pirithoo auxilium ferens complureis cẽtauros trucidavit. De Hercule ſic narrant. Cum Euryſtheus Herculi injunxiſſet, ut Hippolytæ Amazonum reginæ baltheum adimeret : atque ille pacta facturus, eſſet profectus, Juno ſemper illi infeſta, induta formam Amazonis, famam paſſim diſſipavit, adventare hoſpitem, vel verſus hoſtem, qui violata regina baltheum quem geſtabat inſigne regni, per vim eriperet. Quod ubi auditum eſſet, Amazones in Herculem parant arma. Hercules ratus hæc non errore ſed dolo geri, Hippolyta occiſa baltheum abſtulit. Deinde quo magis ulciſceretur Amazonas, bello eas adortus eſt, & oppreſſit : ſed Theſei adjutus opera. Refertur hoc adagium & à Plutarcho in ejus vita : ſignificatque Theſeum, ſicuti dictum eſt, multis auxilio fuiſſe, tamen ex pleriſq; certaminibus, nullum retuliſſe præmium : atque hujus rei citat autorem Herodotum. Alluſit ad proverbium Ariſtides in oratione ad Thebanos de auxiliis. καὶ ὅτε τοίνυν Ἡρακλεῖ φίλου ἔδει τινὸς, αὐτὸς ἀγαγὼν ἀνεκτήσατο id eſt : Cumque ſane & ipſi Herculi opus eſſet amico, Theſeus illum Athenas deductum refovet refocillatque. Proinde quoties facinus aliquod alieno nomine celebratur, alterius tamen opera potiſſimum peractum, veluti ſi quis librum ſuo nomine publicet, in quo ſit doctioris alicujus adjutus opera, concinne notabitur hoc adagio : οὐκ ἄνευ Θησέως id eſt. Non abſque Theſeo. aut ſi quis dicat, nullam fortunam ſibi jucundam eſſe poſſe ἄνευ Θησέως.

Duobus pariter euntibus.

M. Tullius epiſtolarum ad Atticum libro ix. Una fuiſſemus, conſilium certe non defuiſſet, σύν τε δύ' ἐρχομένω. Idem Epiſtolarum familiarium libr. ix. ad M. Varronem : Volebam prope alicubi eſſes. Si quid bonę ſalutis, σύν τε δύ' ἐρχομένω. Appoſite citatur apud Platonem, in Protagora, docens opinionem reddi firmiorem, ſi fuerit ab altero comprobata. Locus eſt apud Homerum Iliad. κ. ubi Diomedes iturus exploratum, quid agant Trojani, comitem poſtulat. Id enim fore tum jucundius, tum tutius. Carmen ſic habet,

Ἀλλ' εἴ τις μοι ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ ἄλλος,
Μᾶλλον θαλπωρὴ καὶ θαρσαλεώτερον ἔσται.
Σύν τε δύ' ἐρχομένω, καί τε πρὸ ὃ τοῦ ἐνόησεν,
Ὅππως κέρδος ἔῃ. μοῦνος δ' εἴ πέρ τε νοήσῃ,
Ἀλλά τέ οἱ βράσσων τε νόος, λεπτὴ δέ τε μῆτις.

Id eſt :

At mihi ſi quis alius veniat comes, ille futurus
Solamen, fueritque ſimul fiducia major,
Si duo conjuncti veniant : dein hic prior illo,
Si quid opus facto videt. Atqui ſolus & unus,
Quamvis perſpiciat, tamen eſt mens ſegnior illi, &
Conſilium tenue.——

Apulejus in libello De dæmonio Socratis, autumat allegoriam non infrugiferam huic Homerico ſubeſſe figmento, videlicet periculoſis in rebus adhibenda duo, conſiliũ & opem. Ulyſſes quoniam prudentiſſimus fingitur, conſilii ſymbolum habet. Diomedes utpote juvenis viribus antecellens, auxilii ſuſtinet imaginem. Apuleji ex eo loco verba ſunt hæc : Iidem cum rebus creperis & afflictis ſpeculatores deligendi ſunt, qui nocte intempeſta, caſtra hoſtium penetrent, nonne Ulyſſes cum Diomede deliguntur: veluti conſilium & auxilium, mens & manus, animus & gladius?

Nihil profuerit bulbus.

Athenæus Dipnoſophiſtarum lib. ij. ſenarium hunc proverbii nomine refert :

Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς.

Id eſt:

Nervis carentem juverit bulbus nihil.

Martialis item:

Nihil aliud bulbis, quam ſatur eſſe potes.

Bulbus autem ad irritandam Venerem valet. Licebit ad verecundiorum uſum trahere, Nil prodeſſe ſtudium, ni vis adſit ingenii.

Tradunt operas mutuas.

Huic confine eſt Terentianum illud ex Phormione: Tradunt operas mutuas. De adoleſcentibus, qui ſe viciſſim in peccatis defenderent. Tranſlatum videtur ab agricolis vicinis, qui mutuam inter ſeſe operam accommodare ſolent. Aut ab artificibus, qui mutua nonnunquam utuntur opera: maxime fabri ærarii.

Alieno auxilio potentes.

Qui alienis præſidiis freti facinus aliquod egregium, aut qui alieni prætextu nominis aliquid faciunt, in eos appoſite torquebitur ex eodem libro, quod ibi dictum eſt de Teucro fratre Ajacis Telamonii. Nam is ſub fraterno latitans clypeo, ſagittas aliquot mittit in Trojanos:

Στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο.

Id eſt:

Conſtitit Ajacis clypeo ſeptemplice tectus.

Titanas imploras.

Τιτᾶνας καλεῖς: id eſt, Titanas invocas. Ubi quis ſuis diffiſus viribus, alienum implorat auxilium. Sumptum a Gigantum fabula, in qua Jupiter ſuo timens Olympo, Titanas in auxilium acceſſivit. Id quod proverbiali quoque metaphora Latini veteres quiritari dicebant, autore Nonio Marcello. Tractum à more Romanorum, qui vi oppreſſi Quirites invocabant. Sic enim appellant cives Romanos. Refertur adagium à Diogeniano. Lepidior fiet allegoria, ſi longius à ſimplici figura recedat. Veluti ſi quis theologus non potens ſe divinis tueri literis, ad philoſophorum rationes ſeſe transferat, Τιτᾶνας καλεῖ.

Ancora domus.

Simili figura apud eundem Eurip. Hecuba Polydorum familiæ gentiſque ancoram nominat:

Ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρ' ἔτ' ἐμῶν.

Id eſt:

Qui jam ſolus generis ſupereſt ancora noſtri.

Porro ancoram Græcis pro refugio proverbialiter uſurpari ſolere, alibi notavimus, cum ſacram ancoram exponeremus. Denique quicquid illud eſt cui innitimur, cujuſque fulcimur fiducia, ancoram vocant, ſumpta à navibus metaphora: quæ cum ancoris fultæ ſunt, veluti defenſæ à fluctibus quieſcunt. Unde & illud apud Ariſtidem in Oratione Panathenaica prima: πάντες ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν ἔδοξαν οἱ Ἕλληνες. id eſt: Omnes Græci ſibi videbantur in portu quodam eſſe, duabus nixi ancoris: quaſi gemino fulti præſidio. Quem locum & paulo ſuperius adduximus.

Columen familiæ.

Columen familiæ dixit Terent. in Phorm. non dubium quin proverbialiter, Getam ſervum natu grandem, cui peregre profecturus, tanquam pædagogo & curatori juvenum mores, & rem domeſticam ſenex commendarat. Donatus columen dici putat, perinde quaſi columnam dicas, cui reliqua domus innitatur: unde antiquitus ſervos majores, columellas dictos. Huic adſtipulatur illud Vergilianum:

—In te omnis domus inclinata recumbit,

Idem illud Euripidis in Iphigenia in Tauris:

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.

Id eſt:

Domus columnæ liberi ſunt maſculi.

Pindarus in Olympiis Hectorem appellat columnam Trojæ: ὃς Ἕκτορα σφᾶλε, Τροίας ἄμαχον, ἀστραβῆ κίονα. id eſt, Qui Hectorem ſubvertit, Trojæ inexpugnabilem, immobilem columnam. De Achille loquitur. His affine quod dixit Juvenalis.

—Miſerum eſt alienæ incumbere famæ.

Nec collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Noſtro Marte.

Quoties nullis auxiliis adjuti, noſtropte ingenio, propriiſq; viribus rem peragimus, noſtro Marte peragere dicimur. Aut etiam cum noſtro periculo res geritur. M. Tullius libro Officiorum iij. Hanc igitur partem relictam explebimus: nullis adminiculis, ſed, ut dicitur, Marte noſtro. Hactenus ille. Idem Philippica ij. de Dejotaro loquens: Rex enim ipſe, ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimulatque audivit ejus interitum, ſuo Marte res ſuas recuperavit. Cod. lib. ij. titu. ne liceat potentioribus, capite j. Divine admodum conſtituit divus Claudius conſultiſſimus princeps, parens noſter, ut jactura cauſæ afficerentur hi, qui ſibi potentiorum patrocinium advocaſſent: ut hoc propoſito metu, judiciariæ lites potius ſuo Marte decurrerent, quam potentiorum domorum opibus niterentur. Rurſus lib. iij. titu. de judiciis, cap. xi. Illo procul dubio obſervando, ut ſi neque per alterutram litigantium partem, nec per judices ſteterit, quo minus lis ſuo Marte decurrat, ſed per patronos cauſarum licentia detur judici. Tranſlatum videtur ab Imperatoribus, qui ſuis ipſorum auſpiciis & copiis bellum ſuſtinent: ſiquidem Plautus etiam. Meis copiis, dixit: pro: meo Marte. Sapiunt proverbium etiam illa, Vario Marte, dubio Marte, iniquo Marte. Huic adagio pene diverſum eſt illud quod alibi retulimus, οὐκ ἄνευ Θησέως: id eſt, Non abſque Theſeo:

Sine cortice nabis.

Sine cortice nare dicuntur, qui jam per ætatem non egent cuſtode morum: aut qui eo doctrinæ proceſſerunt, ut jam præceptorum opera non habeant opus. Horatius:

—Simulac duraverit ætas.

Membra animumque tuum, nabis ſine cortice.

Id eſt:

Citra cuſtodem ac pædagogum ipſe te reges ac moderaberis. Acron proverbii admonet: putatq; metaphoram mutuo ſumptam à juvenibus: qui cum primitus natare diſcunt, corticibus aut ſuperib. ventri ſubligatis natant: deinde exercitatiores, citra hujuſmodi adminicula natare incipiunt. Plautus in Aulularia: Quaſi pueris qui nare diſcunt, ſcirpea inditur ratis, qui laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus. Eſt autem Græcis φελλὸς ſive φελλός (nam varie ſcribunt,) quod Latini vertunt ſuber (ſic enim vertit Theodorus) cortex arboris ſemper fluitans, & ob id aptus navibus præſertim ancoralibus (indicat enim ancoræ locum, ut à nautis caveatur) & piſcantium tragulis: ſuſtinet enim ſummos retium funes, utilis & cadorum obturamentis, poſtremo & fœminarum calceatui, menſibus hybernis. unde joco proverbiali apud Græcos, cortices arborum dicuntur. nunc non pudet viros æſtivis menſibus tali uti calceatu. Meminit Plinius lib. xvj. capit. viij. Lucianus in veris narrationibus narrat Φελλόποδας, unde Græci φελλίζειν dicunt ſupernatare. Et φελλεῖς, loca quæ paululo terræ tegunt ſaxa.

Ἀνερίνεος εἶ.

Ἀνερίνεος εἶ: id eſt, Incaprificatus es. Suidas putat in mollem & infrugiferum convenire. Sunt qui referant ad eos, qui tueri non queant id, quod nacti ſunt boni. Adagium uſurpavit Hermippus in Militibus. Ejus rationem hujuſmodi reddunt Suidas & Zenodotus. Ajunt mariſcis qui caprifici fœtus eſt, innaſci vermiculum, quem Græci ψῆνα vocant: horum vim colligunt ruſtici, deque fici ramis ſuſpendunt, ne videlicet fœtus ante tempus, & immaturi defluant. Nam vermes protinus per rimas irrepunt atq; hoc modo matureſcunt fici. Theophraſtus lib. de plantis ii. culices hos ficarios naſci putat è granis mariſtarum, quod ſimul atque evolarint illi, nulli grana inſint. Evolare penna fere, aut pede in pomo relicto. Sed complura de caprificandi ratione inibi, ſi cui libeat cognoſcere. Idem ſimilia ferme lib. De cauſis plantarum ij. cap. xij. Plinius etiam lib. xv. cap. xix. Et Ariſtoteles libro De natura animalium v. Unde arborem cui hoc maturitatis remedium, adhibitum non fuerat, ἀνερίνεον appellabant: atq; hinc deinde transferebant in hominem inutilem, a quo nihil bonæ frugis eſſet expectandum. Vox compoſita eſt, ἀπὸ τοῦ ἀ ſτερητικοῦ μορίου, & ἐρινεοῦ quaſi dicas, incaprificatus.

Multæ manus onus levius reddunt.

Vulgo circumfertur adagium, multis manibus onus reddi levius. Quo ſignificant etiam difficilia facile confici, ſi quis non ipſe ſolus negocium aggrediatur, ſed in plures adjutores & auxiliares partiatur. Sumptum eſt à tollendis oneribus. Videtur autem ea ſententia ab ipſa uſque antiquitate in noſtram ætatem demanaſſe. Legimus enim apud Heſiodum in opere cui titulus, ἔργα καὶ ἡμέραι:

Πλεόνων καὶ πλείων μελέτη—

Id eſt:

Plus poteſt & plurium induſtria.

Item Homerus Iliados μ.

Ἀλλ' ἐφομαρτεῖτον· πλεόνων δέ τοι ἔργον ἄμεινον.

Id eſt:

Adſitis comites: multorum induſtria namq;

Plus pollet quam paucorum.—

Ad hoc reſpexit Euripides in Phœniſſis:

Εἷς δ' οὐκ ἂν ἀνὴρ πάνθ' ὁρᾷ.

Id eſt:

Vir unus autem nemo cuncta diſpicit.

Rurſus in Heraclidis.

Μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη.

Id eſt:

Invalida pugna eſt unicæ tantum manus.

Eodem pertinet quod alibi retulimus: εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ. id eſt: Unus vir, nullus vir.

Re opitulandum, non verbis.

Cum re opus eſt, nihil proſunt verba: veluti ſi quis egeat pecuniariis ſuppetiis, quorſum attineat huic aures explere dictis? Rurſum in conſultationibus, in judiciis, rationibus agendum eſt, non vi. Ad id faciet Homericum illud ex Iliad π.

Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου, ἐπέων δ' ἐνὶ βουλῇ.

Id eſt:

Verba in conſilio, valet in certamine robur.

Chordæ vice.

Ὡς ἀντὶ χορδῆς: id eſt, Tanquam chordæ loco. Conveniet, ubi quod alicubi diminutum videbatur, ſuppletum aliunde ſignificabimus.

ſtimus. Plutarchus in Sympoſiacis proverbii vice videtur uſurpaſſe: καὶ ταῦτα μὲν, inquiens, ἀντὶ χορδῆς κεῖσθω, τῆς ἐκ τῶν ἐπιθέτων φιλοσοφίας, id eſt: Atque hæc quidem chordæ vice addita ſint iis, quæ abs te ſunt erudite diſſerta. Sumptum eſt a Locrenſi fabula, quam expoſuimus in proverbio, ἀχάνθιος τέττιξ: id eſt, Achanthia cicada.

Vivus fueris, vel cepe ſolum accipiens.

Ζωὸς γένοιο, κρόμμυον μόνον λαβών.

Id eſt:

Si cepe tantum ſumpſeris, jam vixeris.

Zenodotus & Suidas oſtendit in eos dici ſolitum, qui è re quapiam puſilla, magnam opinionem conſequuntur. Natum apparet ab ægroto, qui medico porrigente cepe, revaluerit herbam alioqui plebejam, nec eam admodum ſalubrem corpori.

Papyri fructus non poſtulat magnam ſpicam.

Βύβλου δὲ καρπὸς οὐκ αἰτεῖ μέγαν στάχυν.

Id eſt:

Byblus virens haud poſtulat ſpicam gravem.

Etiamſi Græcus ſenarius vitiatus eſt in αἰτεῖ. apud Æſchylum in Supplicibus ita legitur:

βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν μέγαν.

Id eſt:

Fructus papyri haud ſuſtinet ſpicam gravem.

Dici ſolitum de iis, qui ſuis ipſorum bonis frui non poſſent: propterea quod byblus ob culmos invalidos, ſpicam granis onuſtam ferre non poteſt. Proinde prodit quidem ſpicas, ſed inanes. Byblus autem junci ſpecies, quam Latini papyrum appellant. Apparet in Græco carmine αἰτεῖ, depravatum pro κρατεῖ: quod indicat vel ipſa metri ratio.

Si Deus voluerit.

De re futura, cujus exitus pendeat à Dei favore: nam etiam vulgo dicunt, omnis cauſa, Si Deus voluerit: atque ita nos loqui Jacobus Apoſtolus docet. id Homerico verſu licebit explicare, ſi quando jocabimur apud eruditos:

Αἴκε θεοί γ' ἐθέλωσι τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι.

Id eſt:

Diis ita ſi viſum fuerit, quos geſtat olympus.

Meis auſpiciis.

Meis auſpiciis, pro meo arbitrio, meiſque præſidiis dixit Maro Æneidos IV.

Quod ſi fata meis paterentur ducere vitam
Auſpiciis, & ſponte mea componere curas.

Translatum ab imperatoribus Romanis, quibus mos erat, non committere prælium niſi conſultis auſpiciis. Ejus autem auſpiciis res geri dicebatur, penes quem ſumma rei gerendæ poteſtas erat. Huic ſimillimum eſt quod alibi retulimus, Meo Marte. Tullius in Verrem lib. V. Præſertim quum vos veſtro Marte his rebus omnib. abundetis Noſtro marte fit, quod fit nullius auxiliis aliunde aſcitis.

Porrigere manus.

Porrigere manus, pro auxilio eſſe, vulgatiſſimum eſt, ſed elegans. Ulpianus Pandectarum lib. xlij. tit. de re judicata: Sed ſi emptor cui pignora ſunt addicta exequente judice pretium non ſolvit, utrum adverſus emptorem porrigere manus debent, iidem judices, qui ſententiam exequuntur, videndum eſt. M. Tullius in oratione poſt reditum: Qui mihi primus afflicto & jacenti, conſularem fidem, dextramque porrexit. Feſtivius erit de rebus animi: veluti ſi dicas, Animo dejecto manum porrigit philoſophia: aut, In Theologiæ difficultatibus æſtuanti ſæpe manum porrigit Dialectica, aut linguarum peritia.

Sine canibus & retibus.

Ἄνευ κυνῶν τε καὶ λίνων: id eſt, Abſque canibus & retibus. Hoc quidem ſchemate Pindarus Nemeorum Oda iij. ſignificavit ſummam celeritatem. Quis enim pedibus aſſequatur cervos, niſi aut à canibus remorentur, aut implicentur retibus? Conveniet tamē in eos, qui clancularíis artibus capiunt prędam. Pindari verba ſic habent: κτείνοντ' ἐλάφους ἄνευ κυνῶν δολίων θ' ἑρκέων. id eſt: Cervos occidentem ſine canibus ac doloſis retibus. Dicetur & in eos, qui non alienis præſidiis, ſed proprio Marte rem gerunt.

Pecunia abſque peculio.

Apparet olim fuiſſe proverbium inter agricolas jactatum, Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe. Refertur Pandect. lib. xxxij. titu. de legat. & fideicommiſſ. capite, ſi chorus, his verbis: Quæ mobilia mea erunt, do, lego, nummos ibi repoſitos ut mutui darentur, non eſſe legatos Proculus ait. At eos quos præſidii cauſa repoſitos habet, ut quibuſdam bellis civilibus factitaſſent, eos legato contineri, & ſæpe audiſſe ruſticos ſenes ita dicentes: Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe. pecuniam appellantes, quod præſidii cauſa reponerent. Retulimus alibi proverbium, quo admonet ne totam ſubſtantiam uni credamus navi, ne nihil ſuperſit unde damnum ſarciatur, ſi navis interit. Ita ſolent ſeges ſummam aliquam reponere, ne nihil ſupereſſet, ſi res incendio, bello aut furto periret. Si libebit adagium alio deflectere, poterit accommodari ad eum, qui non omnia conſilia ſua communicet amicis. Aut qui felicitatis ſummam non ponit in rebus externis, ſed in animi bonis: ut illis caſu perditis habeat quo confugiat, nec deſpondeat animum. quod enim proprie noſtrum eſt, peculium dicitur. Ea vero demum proprie noſtra ſunt, quæ fortuna non poteſt eripere.

Summa vi defendere.

Rurſum ſi quis alterum ſumma vi tuebitur, quadrabit quod proxime eo conſequitur loco:

Πρόσθε δέ οἱ δόρυ τ' ἔσχε καὶ ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην.

Id eſt:

Undique texit eum lancea, clypeoque rotundo.

Tanquam heros in clypeo excipere.

Ἀλλ' ὥσπερ ἥρως ἐν ἀσπίδι ξενίσαι σε βούλομαι: id eſt, Imo tanquam heros in clypeo te volo hoſpitio accipere Dici ſolitum, ubi quis ſuis ipſius artibus aut benefactis fretus, de amicis bene mereri conaretur. Inde ductum, quod antiquitus heroes aſſidue in armis agentes, veluti in clypeo verſabantur: & ſi quid opus fuiſſet amicis, quod armis præſtari poterat, id prompte præſtabant, utpote ſola virtute divites. Et apud Homerum, heroes tergoribus bubulis accipiuntur: Et apud Maronem, Evander

Æneam villoſi pelle leonis
Accipit.——

Ex tergoribus autem integebantur clypei.

IVNII: Iolaum implorat.

Qui ſibi diffiſus, alienam implorat opem, ἰόλεων ἐπάγει, id eſt, Jolao opus habere dicitur, aut ἰόλεων παρακαλεῖν, Jolai opem advocare. Syneſius ad Pylemenem: τίνεσθαι δ᾽ ἐπὶ πονηρούς ...ς, τοὺς ὑφ᾽ ἃ λλους τρόπον ἀναμαξάμενος αὐτῶν τὴν πατρίδα, θεῷ ... καὶ ἡρακλεῖ, ὁ μὲν ... ἰόλεων συμμάχου καὶ παραστάτου. id eſt: Ablegatur ... malicioſos homines, Herculis more patriam ab illis expurgaturus, quam ad rem Deo nimirum & Hercule, imo & Jolao opitulatore ac ſubſidiario opus habet. Idem in Calvitii encomio: πρὸς δύο δέ, φησὶν ὁ λόγος, οὐδ' ἡρακλῆς, οἱ τοὺς μολιονίδας ἐκ λόχου ἐπαναστάντας οὐκ ἤνεγκεν, ... τὴν ὕδραν ... ὁ καρκίνος αὐτῷ ... οὐ μὴν τὴν ἰόλεω συμμαχίαν ... ἰόλεω ... id eſt: Adverſum duos, juxta proverbium, ne Hercules quidem, qui Molionidas ex inſidiis ipſum adortos haud ſuſtinuit. & cum hydra pugnam ingreſſus, quamdiu unus uni adverſus ſtetit, æquo Marte decertavit: ſed poſtquam hydræ cancer acceſſit, ſuccubuiſſet ille, ni Jolai opem contra imploraſſet. Similiter cum Dionete s mihi ſuccedit, patruele Jolao deſtituto. Apud Platonem in Phædone, quum urgenti Socrati, ut convelleret argumentis adverſarios Phædon, deprecatus iſte tenuitatem ſuam, reſpondiſſet duobus ne Herculem quidem ſufficere, ſubjecit Socrates, ἀλλὰ ἐμὲ τὸν ἰόλεων παρακάλει. id eſt: Quin tu me Jolaum tibi adſciſcito. Rurſus in Euthydemo: ὁ δ᾽ ἐμὸς ἰόλεως παραγένοιτο ... id eſt: Atqui ſi meus Jolaus patrocles acceſſerit, alterutram certaminis partem integer ſuſtinuerit. Quibus ex locis, Jolaum pro auxiliatio, & qui operam alteri accommodat, quemadmodum & Theſei nomen, accipi clarum eſt Euripid. in Jone: ἀσπιστὰς ἰόλαος ὃς κοινοὺς ... πόνους, ... id eſt: Armiger Jolaus, qui communes ſubiens labores Jovis filio opitulatur. Nota eſt fabula vel ex ſuperioribus Syneſii verbis. nam collato pede cum Hydra depugnanti Herculi, quum Cancer mordicus calcem prehendiſſet, ut in Heraclea refert Panyaſis, Jolaus laboranti opem tulit. Quod in fabuloſis Palæphatus exponit ita: Hidram oppidum copiis oppugnante Hercule, Lernus regulus imperata facere volens, auxiliatorem militū manum, duce Carcino impigro & ſtrenuo homine ſtipendio conduxit, quo bellum propulſaret: itaque viribus inferior Hercules, Jolaum Iphicli fratris filium, cum delecta Thebanorum manu, in auxilium vocat, eoque ſubſidio adjutus, hoſtile oppidum ſolo æquavit, copiaſque omnes delevit.

Priuſquam in medulla obriguerit.

Initio mali occurrendum eſſe tempeſtive ſignificare volentes, antequam inveteraſcat malum, uti licebit proverbiali Sophronis mimographi dicto, ex libello quem Muliebria trophæa inſcripſit:

Πρὶν αὐτὼ τὼς ῥίνας μυελῷ ἐμπαγῆμεν.

Id eſt:

Priuſquam morbus in medullam obriguerit.

Juventutis vitiis, tenella etiamnum ætate & cerea, medendum eſt: irarum ſemina obruenda ſunt mature, priuſquam ſimultas animis alte inſederit. Medulla metaphorice quod intimum eſt dicitur: unde Medullitus fieri dicitur, quod ex animo intimo fit. Plautus in Truculento.

Oſtendiſſe ſciam mihi medullitus infidelem nunquā dum
vivam, fore.

Ennius Satyr. iiij. apud Nonium.

Enni poeta ſalve, qui mortalibus
Verſus propinas flammeos medullitus.

Varro: Medullitus aquiloniam intus ſervat frigedinem. Medullę metaphora aliter uſus eſt Marcellinus lib. xvj. Sed eos medullis provinciarum ſagina vit Conſtantius. Porro σκιρρῶσαι duo ſignificat, & indureſcere ſcirri inſtar, & mucere ſive in mucorem abire, nam, ut annotat Etymologici author, σκῖρος ſitum & ſqualorem difficulter eluibilem ſignat: & Eupolis pro mucore caſei mucidi vocem hanc extulit.

Ab alno ſpectat.

Ἀπ' αἰγείρου θέα, id eſt, Ab alno ſpectaculum: dicitur de eo, qui quum non poſſit è propinquo ſpectare, extrema adjumenta quærit. Erat Athenis extra theatrum in foro alnus arbor, ita tamen ut inde in theatrum pateret proſpectus eminus, quo fiebat ut cui in theatro conceſſus locus non erat, in alnum aſcenderet. Uti licebit quando innuere volumus, quempiam in peregrina arte, & à ſtudiis ſuis aliena, ejus artis myſteria procul & quaſi per transennam inſpicere: veluti Jureconſultus extra Medicæ artis theatrum poſitus, velut ab alno, juxta proverbium, artis ſecreta deſpectat.

Arma Achillea.

Ὅπλα Ἀχίλλεια, id eſt, Arma Achillea, proverbialiter pro certiſſimo præſidio, & haud dubia ope, ſeu potius pro invicto eloquentiæ robore accipit Philoſtratus in ſophiſta Polemone: χειροτονηθεὶς δὲ πρεσβεύειν ὑπὲρ τῆς Σμυρναίων, ὡς ὅπλα ᾐτήσατο τὴν Σκοπελιανοῦ πειθὼ αἰτήσας. id eſt: Delectus ut pro Smyrnæis legationem ſuſciperet vim perſuadendi quæ in Scopeliano erat, quaſi armaturam quandam Achillis poſtulavit. Ejus uſus eſt, quum alienam viri docti eloquentiam optamus aut patrocinium principis, quod ab injuria malevolorum nos tueatur: quemadmodum Patroclus Achillis armaturam flagitat apud Homerum Iliados π. ut Trojanos falſa armorum imagine deceptos bello abſterreret. Porro ſententiam ſuperiorem aliquantulum obſcuram idem Philoſtratus dilucidiorem reddit in Scopeliano, his verbis: χειροτονηθέντι γὰρ πρεσβεύειν, ὑπὲρ τῆς πόλεως δεῖν ἔφη τῆς Σκοπελιανοῦ πειθοῦς, καὶ προσελθὼν αὐτῷ ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας,

δός μοι, ἔφη, τὰ σὰ τεύχεα ὤμοιιν ἐρύσσαι,

Αἴ κέν με τῷ εἴσκοντες. —— id eſt:

Habito delectu decreta fuit Polemoni legatio, ejus muneris tyroni: itaq; ille quod bene verteret precatus, popoſcit ſibi adeſſe Scopeliani perſuadendi vim, illumque in corona circumſtantium hominum amplexus hoc verſu compellavit.

Indulgeto meis numeris aptaſſet arma

Nunc tua, ſi mereor.

his enim verbis deprecatur Achillem Patroclus, ut armaturam ipſius impetraret. Euſtathius eo in loco annotat, iſtum verſum uſurpari poſſe, quum quis conſenſum alicunde & adminiculum quærit, tum verbis tum factis.

BRASSICANI. *Lorica gladius.*

Cornelius Tacitus in dialogo de Oratoribus, Loricæ gladius, in acie non firmius munimentum. Adagii uſus eſt, quoties ſummum præſidium indicamus. Neque multum ab hoc diſcrepat quod ajunt, Millus cani. Loricæ nulla eſt utilitas, niſi gladii etiam uſus acceſſerit: veluti ſi quis dicat, Loricæ gladium non eſſe firmius munimentum, quam Græcę literæ Latinos adjuveat & promoveant.

Ara.

Latini ſcriptores paſſim aram vocant proverbio ſummum & incomparabile præſidium, & locum qui vice cujuſdam inviolati ſit aſyli. Terent. in Heautont. Nec aram nec precatorem. Cicero pro Roſcio Comœdo: Aſſi domum ejus tanquam ad aram confugit. Idem in iiij. Verrina, Aram legum: & in xiiij. Philippica, Aram virtutis appellat. Idem lib. iij De natura deorum. quod vos cum facere nō poteſtis tanquā in aram confugitis ad deum. Plaut. in Moſtellaria: Ad aram confugiſti. Ovid. lib. iiij. Triſt.

Unica fortunis ara reperta meis:

De ara miſericordiæ, apud Athenienſes inſtituta, diximus abunde in Scholiis Demonactis Lucianici.

COGNATI. *Manum porrigere.*

Fernandus Pincianus in epiſt. Senecæ cix. Vetus lectio, inquit, manum nonnihil emendaturo porrigit, id eſt, Auxilio eſt. Cicer. in Oratore, de Demoſthene loquens. Huc atque illuc manum porrexerit: παρέχειν, τὴν χεῖρα. Submittere manum, eſt ſublevantis languentem: plus eſt quam porrigere ultro ſurgenti. Cic. Tuſc. quæſt. lib citat hoc carmen cujuſdam antiquiſſimi poetæ.

O Patrocles (inquit) ad vos adveniens auxilium & veſtras manus peto.

Manus enim inſtrumentum auxilii eſt. Impii ſibi mutuo manum præbent, & auxilium jungunt: ſed fruſtra, non evadent malum. Manus manui juncta mali non erit exors, inquit Salomon cap. xj. Hier. xvij. Seneca lib. ij. cap. vj. De clementia: Dabit manum naufrago, id eſt, manum porriget, ut illi auxilietur. Quod frequentius dicitur porrigere. Quintil in ægro redempto: Si duos pariter naufragia raperent, tibi porrigerent manum, quem jam membrorum contentione laſſatum fluctus hauriret. Virg. Æn. vj.

Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas.

Quanquam & hoc reperitur Quintil. libr. ij. Ut velociſſimus quiſque ſi forte iter cum parvulo faciat, det manum, & gradum ſuum minuat nec procedat ultra quam comes poſſit. Alioqui dare manum, eſt cedere.

Contraria contrariis pelluntur.

Gregorius Theologus lib. ij. Sententiarum:

Τἀναντία γὰρ τοῖς ἐναντίοις μάχη.

Id eſt:

Contrariis nam pellitur contrarium.

Hominum deinde ſermone vulgatum. Blaſius Hollerius in Hippocratis librum de natura hominis, in fine: Sic enim curationem optime præſcribet & adhibebit, iis videlicet auxiliorum generibus, quæ per contrariam morbis (id enim axioma eſt medicorum univerſale) facultatem vincant. Hieremias Thriverus in primum Hippocratis aphoriſmum: Nam quod contrarium curetur contrario, antiquum eſt, & apud omnes in confeſſo. Hinc Gallis eſt in proverbiis.

Contre peché eſt vertu medicine.

Id enim prius traditum eſt ab Hippocrate de flatibus: Contraria contrariis remedio eſſe. Therapeuticæ autem medicinæ communiſſimus ſcopus eſt, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα: Contraria contrariorum medicamenta.

Cornua inibi aduri.

Non quivis gravis ac teter odor homini noxius: ſunt enim inter hos qui contagia diſcutiant, morbiſq; putridis obſiſtant. Hinc plebei: corni cornuque præſegmina atque oſſa ſubnuda in ignem conjiciunt, eoque nidore ſuas caſas ac tuguria ſuffumigant: quo morborum contagia diſpellant, ac ſe ſuaſque ædiculas a peſtilentia aura tutas præſtent. Atq; hinc manavit obiter proverbium: Cornua inibi aduri. Quo deſignant, loca peſte morbiſque contagioſis infecta, evitanda. Germani inferiores ſua lingua dicunt: Men brantet hoornen.

Pæonia manus.

Vox medicis uſitata, pro certa, & auxilii præſentarii: à Pæone deorum medico dicta. Præſentaneum porro fomentum eſt, quod licet ſtatim dolorem non tollit, tamen mitigat, ut officium ſeduli amici imminuit calamitatis acerbitatem. Erophilus: φάρμακα, inquit, ἐαν τὸν χειρίζοντα ἰσθμῶς ἀπαντήσῃ, εἶναι θεῶν χεῖρας εἶναι. id eſt, Pharmaca, ſi quis illis vtens recte prudens contigerit, auxiliatrices ſunt deorum manus. Gal. vj. De comp. pharm. κατὰ τόπους.

Ius in præteritum dare.

Id dicitur, quoties ita in integrum fit reſtitutio, ut quod factum eſt infectum ſit. Plin. in ij. Nullumq; habere in præterita jus, præterquam oblivionis: de Deo loquens. Contra. Jus in præteritum adimere, & conſilium, eſt immutabile & irrevocabile facere, quod factum eſt. Utroq; uſus eſt Budæus.

Hippocratis laniena.

Dicitur Hippocratis laniena proverbialiter, de ea medicæ artis parte, quæ ſtringendo, urendo, ſecandoque, inſtrumentis, ignibus & ferro exercetur. Prudent. Steph.

Num miniores ſunt manus medentium,

Laniena quando ſævit Hippocratica?

Si Deus pro nobis, quis contra nos.

Paulus ad Romanos cap. viij. cujus tempore, nec opibus, nec viris: nec ullis mundi præſidiis erat munita Eccleſia, magna tamē fiducia dixit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Unde tanta fiducia Pauli inter tot mortes, inter tot pericula, & foris, & intus urgentia: Ex nobis, inquit, nihil poſſumus, ſed Dominus noſter, Dominus eſt virtutum: ut intelligamus Eccleſiam, licet juxta mundum contemptam & inermem, tamen protectore Deo exercituum invictam eſſe, atque etiam ipſis inferorum portis inexpugnabilem. Quid enim non de ſeipſo promittat, qui pro ſe Deum habuerit? Quo protegente nos, non valebit hominum malitia: & à nobis ſtante, quid poterit ullus adverſarius? Ubique victores diſcedimus, haud quidem noſtris ipſorum præſidiis, ſed ipſius protectu, cui debemus omnia. Et hujus Paulinæ ſententiæ talis eſt uſus proverbialiter, cui non diſſimile eſt hoc Ennij:

Non ſemper veſtra evertit, non Juppiter hac ſtat.

Umbone propellere.

Id de his dici ſolet, qui velut umbone clypei obſtantes rejiciunt niſu corporis, aut laterum firmitate. Martialis:

In turbam incideris, cunctos umbone repellet.

Fabio ſententia vitioſa videtur, quæ nimia eſt, ut de viro forti:

——— Bella umbone propellit.

Parum tamen abeſt, quin eodem genere ſit uſus Curtius: ſed hoc intereſt, quod nec de uno dicit nec bella propelli ſcribit, ſed aciem. Bellum enim propelli umbone, affectate dictum eſt, & hiperbolice, hoc eſt, ſuperlate, præſertim ab uno Proinde quod in Fabiano exemplo vituperationem meretur, laudem meretur in Curtio, ita ſcribente: Totam aciem ſuo pavore fluctuantem umbonib. poſſe propelli. Et in Valerio, de quodam Cæſaris milite quod ſcribitur: Ad ultimum diſtricto gladio audaciſſimum quemque modo umbonis impulſu, modo mucronis ictu depellens.

Et in Martiale,

Cunctos umbone repellet: merito laudi dicendum eſt.

Suetonius de Acilio Cæſaris milite, Tranſilivit in navem, umbone obvios agens. quo ſane in loco de clypei orbe ſimpliciter accipiendum eſt. Atque hoc genus dicendi noſtris familiare eſt. qui dicunt. Il nous eſt pour bouclier.

Dii noſtri.

Genus loquendi eſt & elegans, & priſcum, & poeticum, adhuc hodie in uſu. Dicuntur autem dii noſtri eſſe, qui nobis favent, ut apud Virgilium ecloga prima.

O Me

O Melibœe. Deus nobis hæc ocia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus, &c.

Auguſtum intelligit Melibœus:

Sed tamen, iſte Deus qui ſit, da Tityre nobis.

Idem Æneid. xij.

Sin noſtrum annuerit nobis victoria Martem.

Ibidem:

—Nec Dii texere Cupentum
Ænea veniente ſui. —

Qui ſcilicet ei propitii erant, favebantque. Hebræi quoque Dei nomine vocant quicquid excellit, protegit contra adverſarios, &, ſi in diſcrimine ſit, eripit: deinde curat, ut habeat quã optime: nec permittit, David dicente Pſalm. cv. ut quiſquam hominum calumniam inferat. Deus in ſumma dicitur, protector & ſalvator, quiq; ſuos ubiq; tuetur, ubi videlicet deſperata videntur omnia: Pſal. xxij: Ita vindicem & liberatorem eſſe. Geneſ. xiij. Princeps Dei es in medio noſtri: id eſt, Te habemus pro præſtanti & excellenti principe, protectore & ſalvatore. Sic rex etiam dicitur à Latinis, qui quo ſuſtalit: Hinc eſt proverbium Græcum ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει. Horat. Epiſt. lib. j. ad Scævam.

Equus ut me portet, alat rex.

Terent. in Phormione: Imo enim nemo ſatis pro merito gratiam regi refert. Tene aſymbolum venire unctum, atque lautum è balneis, ocioſum ab animo: cum ille & cura & ſumptu abſumitur, dũ tibi fit, quod placeat? Sic paraſitus apud Plautum in Aſinaria, regem eum appellat, à quo alitur. Idem Horat. ad Scævam:

Coram rege ſuo. —

& ad Mæcenatem ij:

— Rexque paterque.

Idem valet potens amicus, Epiſt. ad Lollium lib.

— Tu cede potentis amici
Lenibus imperiis. Od. xviij.
Nec potentem amicum largiora flagito.

Δᾳδουχεῖν.

Per translationem apud Græcos non rarũ nec infrequens eſt, id autem valet, præferre faces, præferendo faces lumen aperire. Lucretius lib. j. Prǽpandere lumina. dixit. Dionyſius Lambinus in ſua ad P. Ronſardum dedicatoria in Lucretii ij. librum. Tibi etiam in ſcriptoribus Græcis & Latinis verſanti, quaſi lumen ſæpe prætuli.

Quaſi Deos habere aliquos.

Ficinus in Tim. An non enim in maximis periculis, quoties id caſtris, aut morbis aut mari fluctuant, quaſi Deos habent eos, qui ſingulis in rebus præſtant, ſervatoreſque ſuos putant? In Sophiſta: Dum virum hoſpitem tecum ducere credis, Deum quendam duces. Inquit enim Homer. Ὀδυσ. j. cũ Deos alios, tum maxime hoſpitalem Deum inter homines, qui juſti pudoris participes ſunt, verſari, & hominum contumelias injuriaſque inſpicere. Te forſitan & hic è ſuperis unus huc ſecutus eſt, ut nos animadvertat ac propitii. Profecto vos perinde ac Deos ſaluto, obſecrans ut quæ ante dixi, ignoſcatis. Vide apud Eraſm Deum eſſe & facere.

GODOFREDI. *Dioſcuri ſalvatores & advocati ſalutiferi.*

Scribit Ælianus Var. hiſt. j. vulgatum hoc fuiſſe de Caſtore & Polluce Iovis filiis: qui quidem crediti ſunt periclitantibus in mari, tanquam Dii, quibus inſunt commiſerationes ærumnoſorum, advenire auxiliaturi, & ſervaturi eoſdem non ſceleſtos, ſed ſanctæ vitæ homines. Quadrabit in principes, potentes, & divites, liberalitate ſua benignitatem divinam imitantes, præſertim qui toto orbe diſiectas hac tempeſtate Camœnas recipiunt, amãt & fovent: item qui ob Chriſti amorem patria ſe abdicãtes, auxiliatrice manu tuentur & ſuſtentant.

BOVILLI. *Præſtat vineæ ulmum eſſe quam hederæ.*

Laudabilius eſt à potente & copioſo homine ali, & promoveri bonos & multis utiles futuros, ſive eruditione ſive alio vitæ genere: quam improbos, aut ſaltẽ nihili homines, meros numeros: ſæpe natos in perniciem ejus à quo aliti ſunt: Sic ſatius, operam dare honeſtis & laudabilibus rebus, caſtigare bonos & Latinos authores; quam ſecus. Ulmus arbor ampla, ſpacioſa, ſolida fulcire ſolet vineas, nobilem & humano generi utiliſſi. arborem: & hederas, ſterilem & neglectam, quæ ulmum ipſam nihil aliud quam atrodit, & tandem enecat.

GENTII. *Pauperi vitulus eſt caſtrum.*

Utitur Oldendor proverbii ſpecie, pro eo quod quiſque ſuis, quantumvis exundantibus fortunis, gravetur, hiſce difficilibus temporibus. Suus enim morbus cuique difficilimus eſt, inquit alicubi Plinius. Nec hoc hac tempeſtate uſurpandum apud afflictos, quod dici ſolet: De minimis non curat prætor.

AUXILIUM INFIRMUM.

ERASMI. *Lunæ radiis non maureſcit botrus.*

Plutarchus hunc Iambicum ſenarium ceu proverbialem adfert, diſſerens quod luna quoniam radios habet imbecilliores quam ſol excitare poſſit humores, concoquere non poſſit.

Μέλας γὰρ αὐταῖς οὐ πεπαίνεται βότρυς.

Id eſt:

Neque enim his niger maturus efficitur botrus.

Convenit in eos, qui conantur quod ob defectum virium non queunt perficere. Refert idem in commentario De facie apparente in orbe lunæ. Accedet plus veneris, ſi volentes ſignificare diſciplinas humanas non præſtare felicitatem, dicamus: μέλας γὰρ αὐταῖς οὐ πεπαίνεται βότρυς. In αὐταῖς, ſubaudiendum eſt ἀκτῖσι, id eſt radiis.

Per fluvium traducere.

Διαβιβάζειν τὸν ποταμόν: id eſt, Tranſmittere per flumen dicebantur, qui difficultatem explicabant rei, quam inerudıtiores aut invalidiores explicare non poterant. Translatum a torrentibus aut fluviis profundioribus, quam ut cuivis tutum ſit traiicere. Itaque qui ſunt robuſtiores atque exercitatiores, pueros, mulieres, aut alioqui imbecilles ſuſceptos in humeros tranſmittunt. Plato lib. De leg x. ἐγὼ σφῶ ὥσπερ καὶ νῦν δὴ διαβιβάσω τὸν ποταμόν, id eſt: Ego vos quemadmodum modo feci, ſuſceptos, ultra fluvium transferam. Verba ſunt hoſpitis Athenienſis, qui diſputationem tradit, Cliniæ & Megillo, pollicens ſe adfuturum, ſi quid hæſerint.

Sacer manipulus

Ἱερὸς λόχος: id eſt, Sacer manipulus olim dicebatur, quemadmodum dicimus ſacram ancoram jaciendam, aut rem ad triarios rediiſſe. Athenæus l. xiij. declarat, apud Thebanos exercitus partem fuiſſe, quam illi ἱερὸν λόχον nominabant, eam conſtituiſſe ex amantibus & amatis: & ob id præcipuum belli robur in his fuiſſe ſitum, quod amor, reddat fortiſſimos, ad mortis etiam contemptum animans. Uſus erit, ſi quis dicat rem Chriſtianam hodie a monachis velut à ſacro manipulo pendere.

Ficulnus.

Lignum ficulnum ut fragile, atque ad omnia ferme inutile, proverbiis aliquot locum fecit. Nam ἄνδρα σύκινον id eſt, virum ficulnum appellant mollem atque inutilem, ut Theocritus in Ergatinis:

—Μή φθεῖσαι τις
Εἴπῃ σύκινοι ἄνδρες ἀπώλετο χ' οὗτος ὁ μισθός.

Id eſt:

Ne quis prætereens dicat: Ficulni homines ſunt,
Atque hæc deperiit merces.—

Scholiaſtes admonet proverbium dictum à ligno ficus, inutili, fragili & invalido: unde dictum & ficulnum præſidium, pro inutili. Apud Ariſtophanem in Fucis quidam interrogat, τίνος ξύλου σύ; id eſt: Cujus ligni tu? Reſpondetur. συκίνου: id eſt, ficulni. Quo loco monet interpres, ex ficulno ligno fumũ exiſtere acerrimum ac moleſtiſſimum. Apud eundem in Pluto ſycophanta minatur, ſi quem nactus eſſet ſuæ ſortis virum ficulnum, ulturum injuriam:

Ἐὰν δὲ σύζυγον λάβω τινά, καὶ σύκινον.

Id eſt:

Si quempiam nanciſcar ejuſdem jugi
Virum atque ficulnum.

Rurſus ad eundem in eadem fabula:

Καὶ σύκινον τὸν ἰσχυρὸν τοῦτον θεόν,
Ἐγὼ ποιήσω τήμερον δοῦναι δίκην.

Id eſt:

Ficulnum ego hercle, ac præpotentem iſtum deum
Compulero pœnas hoc die dependere.

Ficulnum deum appellans imbecillum ac nullarum virium. Huc alluſit Horatius, cum Priapum ita loquentem facit:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Ac paulo poſt:

— Pepedi Diffiſa nata ficus. —

Ficulnam mentem dixit Lucianus ἐν τῷ πρὸς τὸν ἀπαίδευτον:

Χωλὴν μὲν ἔχει καὶ συκίνην γνώμην.

Id eſt:

Claudam habens ac ficulnam mentem.

Eodem reſpexit Alexander Pſeudomantis, libros Epicuri ligni ſ exurens ficulnis, nullius precii philoſophum ſignificans. Et συκίνη ἐπικουρία, id eſt, ficulnum auxilium, pro invalido atque inutili. Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

Οἱ δ' αὖ ὑμῖν συκίν' ἐπικουρία.

Id eſt:

Ficulna nobis qui erat opitulatio.

Et συκίνη μάχαιρα, id eſt, Ficulna machæra pro calumnia: Et συκίνη ναῦς, id eſt, Ficulna navis: pro vili, minimique precii navicula. Quin apud Naxios Bacchũ, quem Βακχεῖα dicunt, viteum effingũt: alterũ quem μειλίχιον appellant ficulnum. Nam ficus illi μείλιχα vocant. Exiſtimant autem Bacchum non vini tantum, ſed ficuum authorem. Sic ferme Athenæus libro tertio. Diverſa figura dixit Theocritus in Aita: χρύσειοι πάλαι ἄνδρες: id eſt, aurei quondam viri. Item, Præſidium lacrum: &, Anchora ſacra: & Robur adamantinum.

Coriaceum auxilium:

Σκυτίνη ἐπικουρία: id eſt, Coriaceum ſive Pelliceum auxilium, apud

apud Atticos infirmũ & imbecille dicebatur. Refertur apud Heſychium. Athenæus lib. xij indicat dictum in quendam Sannyrionem macilentum, quod præter pellem nihil haberet. Apud eundem lib. xiij. Antiphanes philoſophos macilentos notans, μετὰ σοφιστῶν νὴ Δία λεπτῶν, ἀσίτων, σκυτίνων: id eſt, Cum ſophiſtis per Jovem macilentis, impaſtis, pelliceis. Tales erant olim philoſophi, & hodie ſunt, qui vultu triſtes vendunt ſanctimonias.

IVNII. *Vulgari piſci non inſunt ſpinæ.*

Ἐν ξυνῷ ἰχθύϊ ἄκανθαι οὐκ ἔνεισιν: id eſt: Vulgari piſci non inſunt ſpinæ. Democriti adagium eſt. Vulgus hominum non ita lædere poteſt, aut fortunas aliorum evertere, uti magnates: neque argumentis obviam ire poteſt: idem etiam diſſolvendis ſyllogiſmis ineptum eſt: Plutarchus Sympoſ. lib. 2. ἐν γὰρ ξυνῷ ἰχθύϊ ἄκανθαι οὐκ ἔνεισιν ὥς φησιν ὁ Δημόκριτος. id eſt: Etenim quod dixit Democritus, vulgaris piſcis ſpinas non habet. Refert Ælianus omnigenæ hiſtoriæ lib. 2. Archytæ Terentini apophthegma tale: Ut difficulter invenias piſcem ſpina carentem, ita & virum qui nihil habeat doloſi aut ſpinoſi. Græce illud ſonat:

ἔργον ἐστὶ εὑρεῖν ἰχθὺν ἄκανθαν μὴ ἔχοντα.

Nec ſine te, nec tecum vivere poſſum.

Idem Cato apud Gell. de conjugii moleſtiis: Cum uxoribus incommode vivitur: ſed ſine illis omnino non vivitur, ut merito dici poſſit uxor neceſſarium malum. Sed, ut idem ait, ſi ſine uxoribus mundus eſſe poſſit, vita noſtra non eſſet abſq; Diis. Senſit, feliciſſimam hominum vitam fore, ſi datum eſſe à conjugio liberos eſſe.

BENEFICIVM CORRVPTVM.

ERASMI. *Perdidiſti vinum infuſa aqua.*

Ἀπώλεσας τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ.

Id eſt:

Vini liquorem perdidiſti infuſa aqua.

Verba ſunt Polyphemi ex tragœdia Ariſtii, cui titulus Cyclops, teſte Chamæleonte in Satyris. Sic enim increpat Ulyſſem, vinum aqua temperantem. Antiquitus merum bibebant, non ſine noxa: donec Staphilius Sitheni filius, oſtendiſſet vinum aqua diluere. Nam hujus hoc inventum, teſte Plinio libro vij. Dicetur in eos, qui in initio quædam recte faciunt: deinde quamvis levi de cauſa, benefacta malefactis, ſubvertunt. Ulpianus apud Athenæum, in eũ qui βαμβαλίζειν dixerat, pro κοκκύζειν, idque barbare. σὺ δ' ἡμῖν ἐκ γῆς συβώτιδος ὄνομα πριάμενος ἀπώλεσας τὸν οἶνον, ἐπιχέας ὕδωρ: id eſt: Tu vero nobis ex terra ſubulca vocabulum mercatus, perdidiſti vinum infuſa aqua. Cyclops enim, ut barbarus ac temulentus (talem inducit etiam Homerus) ſic exiſtimat, vinum aqua corrumpi: cum è diverſo ſapientum judicio reddatur melius ac ſalubrius. Unde & Plato admonet, ut Bacchum temulentum deum Nymphis ſobriis deabus temperemus. Idem docet epigramma Græcum Meleagri: id eſt hujuſmodi:

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος
Νίψαν, ὑπὲρ τεφρῆς ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος. ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μισγέσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Id eſt:

Bacchus ut è flammis puer exiliiſſet, in undis
Tinxerunt Nymphæ ſordidum adhuc cinere.
Hinc junctus Nimphis eſt Bacchus gratus. at ignem
Ardentem capies, hunc niſi miſcueris.

Quanquam vinum largius dilutum illud habet noxæ, quod in poſterum diem gravius dolet caput qui biberit, quam ſi merum bibiſſet. Ariſtoteles id eſſe putat in cauſa, quod vinum per ſe craſſius, acceſſione aquæ factum ſubtilius, citius penetrat auguſta capitis foramina, meri noxam, cujus adhuc multam vim continet, eodem tranſmittens: præterea concoctu difficilius eſt.

Capra Scyria.

Αἲξ Σκυρία. Capra Scyria. Zenodotus hujus proverbii Chryſippum citat tum autorem, tum interpretem. Convenit in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adjunctis vitiis contaminant atque obſcurant, quive recte inſtituta non recte finiunt. Veluti capra Scyria, quod feta ſit, mulctrum quod lacte impleverat, ipſa rurſus evertit, atque hoc modo beneficium quod dederat, eadem perdidit. Alii putant dici in eos, unde plurimum emolumenti capitur: propterea quod ejus regionis capræ maximam lactis vim reddere dicantur. Id quod aſſirmat & Athenæus Dipnoſophiſtarum lib. j. citans hoc Pindari carmen:

Σκυρίας δ' ἐς ἀμελγειν γάλακτος αἶγας ἐξοχωτάτας.

Id eſt:

Scyriæ vero ad emulgendum lac capræ præſtantiſſimæ.

Panis lapidoſus.

Illud ſi quis proverbium eſſe negabit, cum hoc equidem non admodum digladiabor: certe dignũ eſt, ut aſſidua uſurpatione in adagiorum contubernium coaptetur, quod refertur à Seneca libr. de beneficiis ij. Panis lapidoſus (ſic enim Fabius Verrucoſus appellabat beneficium, ab homine duro aſpere datum) quem eſurienti neceſſarium ſit accipere, durum & acerbum eſſe. Ita quidam cunctatione, torvitate vultus, aſperitate orationis, oſtentatione moleſta, corrumpunt beneficium, aut nemo ſit accepturus, qui poſſit eo carere.

BIBACITAS.

ERASMI *Vinaria angina.*

De ἀργυράγχῃ, id eſt, angina argentaria, quæ multis præter Demoſthenem vocem intercipit, alibi diximus. At feſtus Pompeius indicat joco jactatum in eos qui vino præfocantur, laborare vinaria Angina, quam οἰνάγχην poſſis dicere. Ipſe novi Romæ quẽdam haud vulgariter eruditũ, qui hac angina ſerio periit: Hermicus apellabatur, natione Luſitanus. Correptus erat febricula vir corpore ſupra modum obeſo, & ob id ſpirituoſus. Decumbentem inviſit Chriſtophorus Fiſcherus patria Anglus: Vin tu, inquit, Hermice auſcultare medicis meras nugas præſcribentibus? Bono vino rectius proluetur hoc malum ſimulque juſſit adferri vinum Corſicum quadrimum. Propinavit ægroto, jubens bono eſſe animo. Ille perſuaſus hauſit affatim, ac mox intercluſo ſpiritu cœpit animam agere. Quoſdam ebrietas è taciturnis reddit loquaciſſimos, quoſdam contra tam mutos quam ullus eſt piſcis, citra valetudinis periculum. Utinam hæc οἰνάγχη minus frequens eſſet apud Germanos.

Maduſa.

In Pſeudolo Plautina ſervus ebrius, ita loquitur:

Ego nunc probe habeo maduſam.

Feſtus, Pompeius indicat, apud priſcos maduſam dici ſolere temulentũ: dubitatque utrum à Græcis deductum ſit, quibus ebrius eſt μέθυσος, an à Latino verbo madere, quod probe poti vino madidi dicantur. Quod ſi maduſa ſonat ebrium, non ebrietatẽ, abſurdus ſermo eſt. Habeo maduſam, unde ſic arbitror legendum.

Ego nunc probe habeo maduſa, ita victu ecurato.

Servus in ebrietate videtur ſibi felix, ut ſolutus omni metu curaque, & omnium triſtium oblitus. Dixerit aliquis, quid hæc ad proverbia? Imo quemadmodum peregrina vocabula novitatis commendatione in proverbium abierunt. & ita obſoleta quædam.

Parthi quo plus biberint.

De Parthis vetere proverbio dictum eſt, quo plus biberint, eo plus ſitire. Habet hoc temulentia, ut poſteaquam obſurduit palatum, magis ac magis cupiant haurire. Apte dicetur in avaros, aut ſtudioſos: creſcit enim diſcendi cupido cum eruditione.

Βατιακάρας.

Βατιακάρας, de pinguibus dictum & impotentibus. Eudemus meminit, addens eſſe legendum κατὰ συστολήν. Quibus verbis quid ſibi velit, nondum ſatis liquet: niſi ſenſit exprobatam ingenii tarditatem. Etenim quæ vivido ſunt ingenio, caput erigunt. Capite eſſe dejecto, hebetioris ac ſegnioris animi ſignum eſſe ſolet. Nam Græca vox hinc dicta eſt. βατὶς enim, ut indicat Heſychius apud Tarentinos pronum ſignificat, & κάρα caput. Unde βασσάραι Thracibus dicuntur Bacchæ, Bacchi numine afflatæ: quæ & Baſſarides dicuntur, ut indicat Etymologicus. Hinc vox deducta ad meretricem, quæ ſe proſterneit quibuſlibet apud Athæneum lib. iiij. καρηβαροῦντες dicuntur, qui crapula gravatum habent caput. Convenit in temulentum ac ſomnolentum. Quemadmodum uſurpavit divus Baſilius in Epiſtola quadam.

Nec elephantus ebiberet.

Οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι: id eſt, Nec elephantus quidem ebiberet. De poculo prægrandi, quum elephantus proboſcide immenſam aquarũ vim quum libet, hauriat. Athenæus li. xj. citat ex Epinico.

Ἐλέφας ἐλέφαντα ῥυτὸν ἐγχέας
Χωροῦντα δύο χοᾶς, ὃν οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι.

Id eſt:

Duas choas capientem, ut hunc ne elephas quidem
Ebibere poſſit.

Rhytus autem poculi genus eſt, ſpecie cornu: quod videtur ematneum fuiſſe, impoſitum imagini elephanti. Subjicit autem: οὐδὲ σὺ ἐλέφαντος γὰρ διαφέρεις οὐδὲ ἕν. Id eſt: Nam ne tu quidem quicquam differs ab elephanto. ut eſſet quadruplex elephanti mentio. Proverbium hoc poſterius ante retulimus. hoc loco non citato. Potrochoa, menſuræ genus eſt. Dicetur in librum inſulſum ac loquacem quem ne patientiſſimus quidem perlegere ſuſtineat.

Cothoniſare.

Κωθωνίζειν, ſive κωθωνίζεσθαι dicebantur, qui largius biberent: & potationem largiorem κωθωνισμὸν appellabant. Eam Mnæſitheus medicus apud Athenæum lib. xj. putat conducere valetudini corporum: Plato corrigendis moribus, Seneca ingenio: excludunt tamen ebrietatem, nec id niſi raro fieri ſinunt ἀκροκωθωνιζόντες, ſive (ut ſcripſit quiſquis collegit Etymologicon) ἀκρατοκωθωνιζόντες, dicti qui meracius biberent: quos Heſychius putat dictos ἀκροθώρακας. Aſcribit enim μέθυσοι. Verum ex Plutarcho in Sympoſiacis, & Ariſtotele in Problematibus apparet ἀκροθώρακας dici, qui nondum proſus ebrii ſunt, toto corpore rigato, ſed pectore ſummo duntaxat. Indicat & Julius Pollux lib. vj. ex autore Hyperide: & Athenæus citans eundẽ in oratione contra Demoſthenem, ἐκκωθωνίζειν pro intemperantius bibere, refert Pollux ex authore Critia. Cothon autem poculi genus eſt, de quo nonnihil alias attigimus.

Cyli-

Cylicum remiges.

Κυλίκων ἐρέται· id eſt, Cylicum remiges dicti ſunt, qui aſſidue perpotarent, vinum pro remo ducentes. Ita Dionyſius, cognomento Æreus, apud Athenæum lib. X. in Elegiis.

Καὶ τινὲς οἶνον ἄγοντες ἐν εἰρεσίᾳ Διονύσου,
Συμπόσιοι ναῦται καὶ κυλίκων ἐρέται.

Id eſt:

Si qui vina trahunt in remigio tibi Bacche
Potandi nautæ, remigium Cylicum.

Ingens poculum quaſi ſinus eſt. In hoc trahunt, non remis, ſed lingua: neque raro faciunt naufragium, jactura cum pecuniæ, tũ mentis.

Κυαθίζειν.

Qui poculis indulgebant, κυαθίζειν dicebantur: quaſi dicas cyathiſſare: quemadmodum cothonizin, de quo nobis prius dictum eſt. Indicavit & hoc Athenæus. Mihi videtur potius in eos convenire, qui parce bibunt, nec ſextarios hauriunt, ſed cyathis ſubinde repetitis, tamen inebriantur. Solent enim quidam ita proponere Quiſque bibet heminam, non amplius: & ſæpenumero fit, ut paulatim incaleſcente libidine, plus bibant.

Rana aquam.

Βατράχῳ ὕδωρ, id eſt Ranæ aquam, ſubaudiendum, miniſtras: ubi quid exhibetur, quo vel præcipue gaudeat is qui accipit. Veluti ſi quem natura bibacem ad bibendi certamen provoces, aut homini loquaculo narrandi materiam aut occaſionem ſubminiſtres. Diverſum ab illo, βατράχῳ οἰνοχοεῖς. Recte accommodabitur, ubi quid datur abundanti. Nam ranis affatim eſt aquæ. Apud Athenæum refertur hoc carmen in Syracuſanos:

Οἱ πίνοντες μόνον βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες.

Id eſt:

Qui abſque cibo vivunt, ranarum more bibentes.
Theocritus in Ergatinis:
Εὐκτὸς ὁ τῶν βατράχων, παῖδες, βίος· οὐ μελεδαίνει,
Τὸν τὸ πιεῖν ἐγχεῦντα, πάρεστι γὰρ ἄφθονον αὐτοῖς.
id eſt:
O pueri ranæ vita eſt optabilis. ut quæ
Non metuat potans effundere: copia namque
Larga ſubeſt illi. ---

Paſtor taxat parſimoniam Ergodotæ, quod ſudantibus maligne præberet potum, quum ranis in ocio viventibus liceat bibere quantumlibet. Sunt & hodie bibones quidam, qui ſibi videntur perire ſiti, quod non in ipſis doliis habitent. Huic non diſſimile eſt illud. Equum in planiciem: illud autem diverſum, ἀσπάλακα εἰς Κορώνειαν: id eſt, Talpam Coroneam. Eſt autem Coronea, Bœotiæ civitas, quæ talpam non gignit: & ſi aliunde inferatur, emoritur. Ita Stephanus: quemadmodum ſcarabeus in loco Thraciæ juxta Olynthum, authore Plinio.

Argenteus puteus.

Φρέαρ ἀργυροῦν: id eſt, Argenteus puteus Athenæus l. xj. indicat, olim ingens poculum dici ſolitum puteum argenteum: nam cyathi puſilli erant. Sunt & hodie qui delectantur è profundis poculis haurire, atque (ut inquit ille) proluere labra, habentes in ore proverbium, Multa aqua oſt admota probe macerari barbam. locus eſt a tonſoribus, qui raſuri prius calida macerant barbam.

Reliqua quæ ad hunc locum pertinent quære in locis
Intemperantia, & Luxus.

BONÆ FORTUNÆ, COPIÆ, FELICITATIS AVT OMINIS.

Aſinus in paleas.

Ὄνος εἰς ἄχυρα: id eſt, Aſinus in paleas, ſubaudiendum, incidit: Dici ſolitum, ubi cuipiam fortuna lautior præter ſpem obtigerit, aut nactus forte fuerit aliquis, quo vel præcipue gaudeat veluti ſi quem oſtreorum avidum videas affatim veſcentem illis, non importunæ dixeris, ὄνος εἰς ἄχυρα: id eſt, Aſinus in paleas. In fragmẽtis ſecundi libri Dipnoſophiſtarum citatur hic ſenarius ex Philemonis Comœdiis:

Ὄνος βαδίζεις εἰς ἄχυρα τραγημάτων.

Id eſt:

Iam vadis aſinus in paleas tragematum.

Iucundius erit ſi longius transferas: puta, ſi quis cupienter legat poetam quo peculiariter delectetur. Conveniet & in hunc uſum, ubi quis inſcitia rem contaminat: veluti ſi barbatus & illiteratus bonum authorem malis commentariis inquinet. Quemadmodum Thomas ac Nicolaus ſuis gloſſematis, & Paſſanantius æque inſulſis additionibus eximium opus De civitate Dei conſpurcarunt. Gaudet enim aſinus volutatione, & omnia confundit hac laſcivia. Quod indicat Apuleius quoq; cum horti areolas omnes volutationibus corporis a ſe turbatas ſcribit. Adagium ab eventu natum eſſe nemo non videt.

In voti compotem.

Vbi quis aſſecutus eſt quod affectabat, captabatque, veluti ſi quis ſacerdotii ſpe munus principi mitteret, eoque ſacerdotio favore principis potiretur, quadrabit illud ex eodem libro.

Καὶ βάλλει γε, ἄγαν μὲν ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός.

Id eſt:

Attigit, è que manu non irrita miſſa ſagitta eſt.

Nunc illa advenit Datidis cantilena.

Νῦν τοῦτ' ἐκεῖνο ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος.

Id eſt:

Nunc id quod aiunt, Datidis adeſt cantio.

Dicebatur ubi quid lætum ac feſtivum accidiſſet. Datis quiſpiam erat Perſarum ſatrapes, excellens in rei bellicæ gloria. Is Græce loqui conatus, conſuevit dicere, ἥδομαι καὶ εὐφραίνομαι καὶ χαίρομαι. id eſt: Delector, gaudeo, lætor, Ea cum ſæpius ac male Græce pronunciaret, res in vulgi iocum abiit. Author Suidas. Extat autem apud Ariſtophanem in pace:

Νῦν γὰρ ἐκεῖν' ἥκει τὸ Δάτιδος μέλος,
Ὃ δεφόμενός ποτ' ᾖδε τῆς μεσημβρίας,
Ὡς ἥδομαι καὶ τέρπομαι καὶ χαίρομαι.

Id eſt:

Adeſt, ut aiunt, cantilena Datidis,
Quod maſtuprans is cecinit in meridie,
Ut lætor, delector, utque gaudeo.

Interpres addit, Datiſmum uſurpari pro barbariſmo: eo quod χαίρομαι dixerit pro χαίρω, ſecutus vocum conſonantiam: quemadmodum apud nos ridetur, qui dixerit Corpus meus, & Domus tuus. Nam χαίρομαι Græcis non dicitur. Miror autem cur interpres huic velut affine ſubjunxerit:

Ἅμας ἀπάντων εἶδ' ὁ κηρύξας σκάφας.

Ex quo conjectura ſumi poteſt, hoc proverbium natum ex inſcitia linguæ: quæ non raro præbet huiuſmodi riſus materiam, dum Germani geſtiunt loqui Gallice. Galli Germanice. Idem accidit in ſui daſtris.

Procridis telum.

Προκρίδος ἀκόντια, id eſt, Procridis jacula. De iis, qui veluti certis telis, quicquid animo deſtinant, aſſequuntur. Sumptum à notiſſima fabula, vel Ovidio narratore, lib. Transformationũ ſeptimo, de Cephalo, qui certo jaculo emiſſo, Procridem uxorem interemit, ratus feram eſſe Huic diverſum eſt illud Horatianum.

Non ſemper feriet, quodcunque minabitur arcus,
id eſt, non ſemper aſſequeris quod cupis.

Albæ gallinæ filius.

Feliciter natum, albæ gallinæ filium dicimus, Iuvenalis:

—— Quia tu gallinæ filius albæ:

Vel quod læta atque auſpicata Latini alba vocant, vel quod proverbium alludit ad fatalem illam gallinam, de qua meminit Suet. Tranquill. in Galba, his quidem verbis: Liviæ olim ſtatim poſt Auguſti nuptias Veientanum ſuum reviſenti, præter volans aquila, gallinam albam, ramulum lauri roſtro tenentem demiſit in gremium. Cumque nutriri alitem, ac pangi ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa. Ad gallinas vocetur, Tale vero lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent. Fuitque mos triumphantibus alias confeſtim eodem loco pangere. Et obſervatum eſt ſub cuiuſque obitum, arborem ab ipſo inſtitutam elanguiſſe. Ergo noviſſimo Neronis anno, & ſylva omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interiit. Conveniet igitur adagium in eos, qui rara & fatali quadam felicitate ſucceſſuque rerum utuntur. Huic diverſum eſt illud apud eundem Iuvenal.

Nati infelicibus ovis.

Non abhorret hinc quod ſcribit M. Tullius lib. Epiſtol. famil. vij. ad Curionem: Cum enim ſalutationi nos dedimus amicorum, quæ fit ex hoc etiam frequentius quam ſolebat, quod quaſi avem albam videntur bene ſentientem civem videre, abdo me in bibliothecam, Veteres enim quod inauſpicatum haberi volebant, atrum aut nigrum vocabant: quod felix, album. Vnde apud Senecam Aſinius Pollio Albutii ſententias, quod inaffectatæ eſſent & apertæ, ſolitus eſt albas appellare. Quin & Græcis λευκότερον εἰπεῖν dicitur, qui clarius rem explicat.

Aut piſcem olet, aut florem.

Aut piſcem olet, aut timallum Ambroſius Hexaemeron lib. v. cap. ij. teſtatur dictum in eum qui bene oleret: quod timallus piſcis ſit odore gratiſſimus & æque fragrans eiuſdem nominis flos. Sed præſtiterit Ambroſii verba ſubſcribere: Neque te inhonoratum noſtra proſecutione timalle dimittam, cui a flore nomen inolevit, ſeu Ticini unda te fluminis, ſeu amœnæ Ateſis unda nutrierit, flos es. Denique ſermo teſtatior, quod de eo qui gratam redolet ſuavitatem, dictum facete ſit, Aut piſcem olet, aut florẽ. ita idem pronunciatus eſt piſcis odor eſſe, qui floris. Quid ſpecie tua gratius; quid ſuavitate jucundius? quid odore fragrantius? Quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo ſpiras. Verum haud ſcio an pro timallo, apud Ambroſium legi debeat tithymallus: cuius varia genera recenſet Plinius lib. xxvj cap. viij cuiuſque ſubinde meminit Dioſcorides locis diverſis.

Virgula divina.

Ab hoc non admodum diſſidet Virgula divina, quoties, quicquid optamus, id citra humanam operam quaſi divinitus nobis ſignificamus contingere: propterea quod antiquitas, quemadmodum in annulis, ita & in virgis ferendis exiſtimavit aliquam fatalem

lem, ac ceu magicam ineſſe virtutem. M. Cicer. lib. De officiis j. Quod ſi nobis omnia, quæ ad victum cultumque pertinent virgula, ut aiunt, divina ſuppeditarentur. Citatur aliquoties & apud Nonium Marcellum, Varro in virgula divina: ut appareat hunc fuiſſe titulum alicuius ex Menippeis, qui nimirum & ipſi pleriqué feruntur proverbiales. Adagium natum videri poteſt potiſſimum ab illa virga Homerica, quam ille Palladi tribuit, adeo celebri, ut de ea Antiſthenes Cynicæ ſectæ conditor, librum conſcripſerit, eam cum ſuo, ut coniicio, baculo conferens. Huius locis compluribus meminit Homerus, cum Vlyſſem è ſene ſqualido repente in juvenem vertit, nitidumque facit ac formoſulum: Odyſſeæ ν.

Ὣς ἄρα μιν φαμένη ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη.

Id eſt:

Sic effata, virum virga demulſit Athena.

Eundem rurſus ex juvene vertens in ſenem: Odyſſeæ π

Ἀγχι παρισταμένη Λαερτιάδην Ὀδυσῆα
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα πάλιν ποίησε γέροντα.

Id eſt:

Cominus aſſiſtens Ithacenſem Pallas Vlyſſem
Reſtituit ſenio divinæ verbere virgæ.

Rurſum in eodem libro, cum eum iuventuti reddit, ac robur adauget.

Ἦ καὶ χρυσείῃ ῥάβδῳ ἐπεμάσσατ' Ἀθήνη.

Id eſt:

Dixit & aureola virga demulſit Athene.

Eundem ad modum Mercurio quoque, ac incantatori virgam monſtrificam tribuit, quam caduceum vocant. Odyſſeæ ω.

—Ἔχε δ' ῥάβδον μετὰ χερσὶν
Καλὴν, χρυσείην, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id eſt:

Tum manibus virgam capit aureolam, atque decoram
Hac quibus eſt viſum, demulcet lumina ſomno,
Atque alias rurſum diſſoluit lumina ſomno.

Eadem ferme repetit Odyſſeæ ε. & Iliados ω.

Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα
Ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν
Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id eſt:

Mox ubi iam pedibus talaria ſubdidit aurea
Pulchraque & Ambroſiam ſpirantia, quæ ſimul illum
Aera per liquidum, ſimul ampla per æquora vaſtæ
Telluris, venti flatu comitante ferebant:
Tum virgam capit, hac demulcet lumina ſomno
Quorumcunque velit, ſomnum quoque pellit eadem.

Hunc imitatus Maro, ſic ejuſdem caduceum deſcribit Æneidos quarto;

Tum virgam capit, hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit,
Dat ſomnos, adimitque & lumina morte reſignat.
Illa fretus, agit ventos, & turbida tranat, Nubila.

Neque Circæ ad ſua monſtra peragenda virga defuit in transformandis ſociis Vlyſſis Odyſſ κ.

Ῥάβδῳ πεπληγυῖα κατὰ συφεοῖσιν ἐέργνυ
Οἱ δὲ συῶν μὲν ἔχον κεφαλάς.—

Id eſt:

Compulit in numerum porcorum verbere virgæ
Percuſſos, & erant illis capita ecce ſuilla.

Rurſum paulo inferius.

Ὁππότε κεν Κίρκη σ' ἐλάσῃ περιμήκεϊ ῥάβδῳ.

Id eſt:

Circe ubi feriet, prælongæ verbere virgæ.

Aliquanto poſt, Vlyſſes ſolus epoto Circes poculo, non transformatus in pecudem:

Αὐτὰρ ἐπεὶ δῶκέν τε καὶ ἔκπιον, οὐδέ μ' ἔθελξε
Ῥάβδῳ πεπληγυῖα.

Id eſt:

Verum ubi porrectum poclum ebiberam, neq; virga
Ictum me demulſit

Denique cum ad gratiam Vlyſſis ſocios priſtinæ reſtituit figuræ, virgæ miniſterium adhibuit. Quin etiam in literis Hebræorum, Moyſes in edendis prodigiis virga utitur: Hanc in anguem vertit, hanc in priſtinam formam reſtituit: hac flumínis aqua vertit in ſanguinem, extinctis piſcibus: hac exivit cynifes: hac diduxit undas rubri maris: hac e ſilice percuſſa fontem elicuit. Fortaſſis huc pertinet, quod regibus etiam virga tribuebatur, quam ſceptrum vocant. Vnde apud Homerum aliquoties, Σκηπτοῦχοι βασιλῆες: id eſt, Sceptrigeri reges. Eodem reſpicit, quod alibi retulimus, Laureum porro baculum

Bonis avibus, Malis avibus.

Ad hoc genus pertinet & illud. Bonis, aut malis avibus: cum rem feliciter, aut ſecus cedere ſignificamus, ab augurum obſervatione ſumptum. Horatius in Odis:

Mala ſoluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.
Et rurſum:
Mala ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite.

Atque iterum alibi:

Scriberis Vario fortis, & hoſtium
Victor Mæonii carminis alite.

Homerus Iliados ω.

—Μηδέ μοι αὐτὴ
Ὄρνις ἐνὶ μεγάροισι κακὸς πέλε. Id eſt:
Neve avis hic infauſta mihi perrexeris eſſe.

Verba ſunt Priami ad uxorem dehortantem, ne ſolus in caſtra Achillis proficiſceretur, Hectoris cadaver auro redempturus, ac multa triſtia, ita ut aſſolent mulieres ominantem. Averſa avi, dixit Latinus quiſpiam tragœdiarum ſcriptor, qui de Agamemnone, contra auſpicia ſolvĕte ita loquitur: Solvere imperat, ſecundo rumore, averſaque avi. Refertur a M. Tullio lib. de Divinat. j. Ad hanc formam referenda ſunt & illa: Fauſte ominae, bene ominata, bonis auſpiciis, in auſpicato, felicibus auguriis atq; id genus alia quæ ab augurum arte ſumpta, in communem ſermonem abierunt.

Gygis anulus.

Γύγου δακτύλιος: id eſt: Gygis anulus. Quadrat vel in homines inconſtantibus moribus, vel in fortunatos, qui veluti virgula divina, quicquid optant, id ſuo arbitrio conſequuntur. Huius adagii mentionem facit Lucian. in Votis: ubi quis p'am optat ſibi complures anulos eiuſmodi, quales habebat Giges, alium quo diteſceret, alium quo gratus & amabilis redderetur, alium per quem liceret volare, quocunque lubitum eſſet. Nam priſcorum ſuperſtitio plurimum tribuit anulorum efficaciæ, ita ut venditarentur incantamentis varie efficaces: alii contra morſus ferarum, alii adverſus calumniã, alii ad alia, vel depellenda incommoda, vel commoda conciliãda iis qui geſtarent. Vnde apud Ariſtophanem in Pluto, Dicæus Sycophantæ minanti judicium:

Οὐδὲν προτιμῶ σου, φορῶ γὰρ πριάμενος
Τὸν δακτύλιον τονδὶ παρ' Εὐδάμου δραχμῆς. Id eſt:
Non facio te huius, quando geſto hunc anulum,
Precio drachmæ, mercatus ipſum ab Eudama.

Et rurſum in eadem fabula:

Ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος. Id eſt:
Attamen ad ictum ſycophantæ non ineſt,
Subauditur, remedium.

De anulo loquitur, alludens ad ferarum morſus. Natum eſt autem proverbium ex huiuſmodi quadam fabula, quam non gravatus eſt referre Plato lib. De rep. ij. neque nos item pigebit hoc loco recenſere. Giges quidam Lydi pater, paſtor quiſpiam erat mercenarius, eius regis, qui per id temporis imperabat Lydorum populo. Cum autem eſſet aliquando ſævißima tempeſtas coorta, imbrium maxima vis accidit, fulgura denique, terræ etiã quaſſatio: ita ut in ea regione, in qua tum Gyges forte paſcebat armenta terra ingenti hiatu ſeſe diduceret. Quod cum ille animadvertiſſet, ſolus (nam cæteri paſtores territi diffugerant) in hiatum deſcendit: atque ibi cum alia quædam dictu mira conſpexit, tum equum quendam æneum ingentem ac cavum. Inerat feneſtra in equi latere, per eam vidit in eius alvo cadaver hominis, maius humana ſpecie. Huic nihil aderat veſtium, aut geſtaminum præter aureum anulum digito impoſitum. Eum ubi ſuſtuliſſet, egreſſus è ſpecu, paucis poſt diebus ad paſtorum cœtum redit in quo legatus de peculiorum rationibus, ad regem in mẽſes ſingulos referendis, creandus erat. Hic cum apud alios aſſediſſet, animadvertit, ut ſi quando forte gemmam anuli incluſam introrſum verteret, repente fieret ut à nemine conſpiceretur, ac perinde quaſi non adeſſet, ita de eo reliqui fabularentur. Quod quidem factum admiratus, rurſum anuli palam extrorſum convertit, moxq; paſtoribus conſpicuus eſſe cœpit. Eius rei cum ille diligentius & ſæpius feciſſet periculum, jamque ſat exploratum haberet, hãc ineſſe vim anulo, ut verſa ad ſe gemma, inconſpicuus eſſet, verſa ad alios, conſpicuus. effecit ut paſtorum nomine legatus ad regem mitteretur, Profectus & uxorem regiam ſtupravit, & de rege trucidando, cum ea conſilium iniit. Denique confecto illo, ipſe, regina in matrimonium ducta, è paſtore repente factus eſt rex, idque anuli fatalis beneficio. Meminit eiuſdem lib. de repub. x, Refert & M. Tullius lib. De officiis iij. Porro Herodotus lib. j. rem multo aliter narrat, nec ullam anuli facit mentionem. Huic ſimillimum illud, Ἄϊδος κυνῆ: id eſt Orci galerus, quod alio reddemus loco.

Orci galea.

Ἄϊδος κυνῆ: id eſt orci galea. Dictitari ſolitum in eos, qui ſeſe arte quapiam occultarent. Parœmiam ad huiuſmodi fabulam referunt. Acriſio de maſculis liberis tollendis oraculum conſulenti reſponſum eſt, è Danae filia ipſius naſciturum filium, à quo occidendus eſſet: itaque tertius æreum thalamum ſubterraneum paravit, in quo filiam incluſam adſervabat, ne cum viro quopiam rem habere poſſet. Iupiter autem amore virginis correptus in aurum transformavit ſeſe: atque ita per impluvium in Danaes gremium illapſus, eam gravida fecit, Natus eſt Perſeus. Quod ſimul atq; reſciſſet pater, ipſam matrem una cum infante, ſcrinio incluſam, in mare præcipitem dedit. Porro ſcrinio forte fortuna ad Seriphum inſulam delato, Dictys ſublatum ad ſe Perſeum aluit. Polydectes autem, Dictys frater, qui Seriphiis imperitabat, Danaen amare cœpit. Verum Perſeo jam adulto, non potuit ea potiri. Proinde

inde convocatis amicis, & inter hos Perſeo, ait ſe velle certamen edicere ſuper Hippodamiæ Oenomali filiæ nuptiis. Perſeus autē exiſtimans ſi cum Gorgonis capite pugnaret, neminem poſſe obſiſtere, præter alia poſtulavit equos: ductuque Mercurii ac Palladis, pervenit ad Phorci filias, Memphedem, Ennyo & Dino. Has ajunt ſtatim natas anus fuiſſe, cum unicum duntaxat oculum fuiſſe tribus, unicum item dentem: his viciſſim inter ſe treis utebantur. Hæc cum Perſeus abſtuliſſet, repoſcentibus illis, ait redditurum ſeſe, ſi viam commonſtraſſent, quæ ad nymphas duceret. Erant his nymphis alata talaria, & cibiſis quæpiam, quam arculam ſeu peram putant fuiſſe. Habebant & Plutonis galeam: quam qui geſtaret, is quoſcunque voluiſſet, videbat, ipſe nemini conſpicuus. His igitur inſtructus Perſeus volucer jam ob talaria, ſicuti diximus, ad Gorgonas devolavit. Erant autem Gorgones tres ſorores; Euryale, Stheno, Meduſa. Erant his capita, draconū ſquamis obſita, præterea dentes maximi, ſuum inſtar. ad hęc manus & alæ, quibus per aera ferebantur. Aderat inſuper ea vis, ut obtuentes ſeſe in ſaxa verterent. Porro ſola Meduſa è tribus mortalis erat. Hanc igitur impetit Perſeus. Et oculis defixis in clypeū æreum, per quem tamen ipſam Gorgonis imaginem aſpiciebat, manum porrigens, quam Pallas in Meduſam dirigebat, caput Meduſæ deſecuit. Advolantes reliquæ duæ ſorores, Perſeum quidem inſequebantur, verum cum illum ob galeam Plutonis videre non quirent, retro abiere. Itaque Perſeus reverſus in Seriphum, Polydecten aggreſſus eſt amicorum auxilium implorantem. Quibus in regiam concurrentibus, Perſeus Gorgonis oſtenſo capite, quotquot obtuerentur, in ſaxa vertit. Sublato igitur Polydecta, & Dicty in fratris locum inſtituto, Gorgonis caput Palladi dedit, galeam Mercurio, cumque hac peram ac talaria: ille rurſum nymphis reſtituit. Reliquum fabulæ, quam longius proſequitur Zenodotus, quandoquidem ad enarrationem adagii nihil attinet; omitto. Utitur hoc Plato l. de Republ. x dicens: Semper honeſta propter ſe ſequi oportere, etiam ſi quis Gygis annulum, vel Plutonis habeat galeam. Quibus ex verbis colligitur, eandem eſſe hujus proverbii ſententiam, & illius γύγου δακτύλιος: id eſt, Gygis annulus. Utrunque enim à ſimili fabula natum eſt. Proinde recte accommodabitur & ad eos, qui fata quadam felicitate quidquid volunt efficiunt. Cujus generis eſt etiam illud, Virgula divina. Uſus eſt & Origenes lib. j. adverſus Celſum hæreticum, declarans magis conveniſſe ut Chriſtus in Ægyptum fugiens ſubduceret ſeſe Herodis inſaniæ, quam ſi ſub Plutonis caſſide latitans eundē fefelliſſet. Adagium manaſſe videtur ex Homero, apud quem Iliados v. Pallas ſeſe Orci galea tegit, ne videretur a Marte.

Τὸν μὲν Ἄρης ἐνάριζε μιαιφόνος, αὐτὰρ Ἀθήνη
δῦν' Ἄϊδος κυνέην, μή μιν ἴδοι ὄβριμος Ἄρης.

Id eſt:

Ille quidem cecidit jugulatus Marte cruento:
At ſe Orci texit galea Tritonia Pallas,
Ne Mars hanc virtute inſignem cernere poſſet.

Admonet interpres, proverbio dici, *εἰς Ἄϊδος κυνέην*: id eſt, Induere Orci galeam, de homine qui occultus inſidiis nocere molitur. Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσι:

Λαβὲ δ' ἐμοῦ γ' ἕνεκα παρ' Ἱερωνύμου,
Σκοτοδασυπυκνότριχά τιν' Ἄϊδος κυνῆν,
Εἶτ' ἐξάνοιγε μηχανὰς τὰς Σισύφου. id eſt.
Meaque cauſa ſumito ab Hieronymo,
Orci galeam hiſpidam nigrantibus pilis,
Dein explicato dolos artes Siſyphi.

Iecit Achilles duas teſſeras & quatuor.

Βέβληκ' Ἀχιλλεὺς δύο κύβω καὶ τέσσαρα.

Id eſt:

Duas Achilles, quatuorque teſſeras
Jecit——

Hunc verſum Suidas ex Euripide citat. Quid autem ſibi velit adagium, nullus explicat: niſi quod conjectare licet, dictum fuiſſe de iis, qui omnia re vincerent, propterea quod is teſſerarum jactus felix eſſet. Interpres Ariſtophanis in Ranis, Ariſtarchum citat, qui ſcripſerit hunc ſenarium Euripidis nomine circumferri ſolitum: ſed falſo, quum ſit ἀδέσποτος. Apud Ariſtophanem uſurpat Bacchus in Æſchylum, victorem Euripidis: unde apparet, in fauſtis acclamationibus hujus eſſe uſum proverbii.

Secundo æſtu.

Κατὰ ῥοῦν προχωρεῖν: id eſt, Secundo æſtu procedere. Proverbialis & frequens apud authores metaphora. Sumpta à nautis, quibus facilior curſus, cum flumen, aut etiam maris æſtus ſecundus eſt. Lucianus in Jove tragœdo: *ταῦτα μὲν ἤδη κατὰ ῥοῦν προχωρεῖ τῷ Δάμιδι*. id eſt: Hæc jam Damidi ſecundo æſtu ſuccedunt. Item alibi: *τὰ δ' ἄλλα κατὰ ῥοῦν φέρεται* id eſt: Reliqua ſecundo feruntur æſtu. Quanquam hic paulo diverſus eſt uſus. Momus enim deos incuſat, quod negligant res mortalium, ſinentes eas veluti prono flumine, quolibet ferri. Proinde *κατὰ ῥοῦν φέρεσθαι* dixit, temere ferri, nullo moderante. Æſchylus in Perſis:

Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὐροῇ, πεποιθέναι
Τὸν αὐτὸν αἰεὶ δαίμον' οὐριεῖν τύχην.

Id eſt:

Fortuna ubi fuerit ſecunda, credere
Fore item ſecundam ſemper atque eodem modo.

Secundis ventis.

Ἐξ οὐρίας φέρεσθαι: id eſt, Secundo ferri vento. Refertur à Suida, Secundis ventis navigare dicitur, cui res ex ſententia ſuccedunt. Græci venuſtius, *ἐξ οὐρίας*, tanquam à puppi. Libanius ſophiſta in declamatione quadam: *οὐ πεπονθότες ἐξ οὐρίας φιλεῖ τὰ πράγματα φέρεσθαι*. id eſt: Qui ſic animo ſunt affecti, iis ſolent res ex ſententia ſuccedere. M. Tullius Epiſtolarum ad Atticum libro 2. Quid ſi etiam Cæſarem, cujus nunc venti valde ſecundi ſunt, reddo meliorem; Plautus in Bacchidibus: Pulchre hæc confertur ratis ſentiens rem commode procedere. Apud eundem Tranio, qui hero triennium abſente, geniabiter interim, ac ſane muſice vixerat una cum filio: tandem hero reverſo, cum præter crucem nihil ſperaret: Nunc, inquit, ventus navim deſerit. Horatius in Sermonibus:

Non agimur tumidis velis aquilone ſecundo,
Non tamen adverſis ætatem ducimus auſtris.

Quin hoc ipſum Naufragium pro infortunio, proverbii vim habet, ſicut & Incendium. Quandoquidem autem pleraque Homeri proverbiorum vice ſunt uſurpata, quid vetat & illud inter adagia referri, quod eſt apud eum poetam perquam frequens.

——Φέρον ἄνεμός τε καὶ ὕδωρ

Id eſt:

Ferens & ventus & æſtus.

Quoties res ex omni parte feliciter procedit. Item illud crebrum apud eundem:

Τὴν δ' ἄνεμός τε κυβερνήτης τ' ἴθυνεν.

Id eſt:

Aſt illam ventuſque gubernatorque regebat.

cum ad fortunæ favorem accedit etiam induſtria. Pindarus in Pythiis hymno primo:

——Ναυσιφορήτοις,
Ες πλόον ἀρχομένοις
Πομπαῖον ἐλθεῖν οὖρον.

Id eſt:

Nauticis viris navigationem apparantibus prima gratia eſt, ſi veniat ventus proſper ac ſecundus.

Omnia ex ſententia cedunt.

In magnopere fortunatos, quibus & recte, & ſecus inſtituta feliciter cedunt, congruet illud ex Iliad. ρ.

Τῶν μὲν γὰρ πάντων βέλε' ἅπτεται, ὅστις ἀφείη,
Ἢ κακὸς, ἢ ἀγαθὸς, Ζεὺς δ' ἔμπης πάντ' ἰθύνει.

Id eſt:

Spicula cuncta horum feriunt, ſeu torſerit illa
Ignavus, ſeu vir fortis, quia Jupiter ipſe.
Dirigit.——

Datyli dies.

Δατύλου ἡμέρα, id eſt, Datyli dies, Ubi res feliciter ſucceſſerunt, Sumptum à Datylo quodam, qui apud Athenienſes ſummos eſt honores conſecutus.

Diis hominibuſque plaudentibus.

Proverbialis eſt & illa hyperbole, Diis hominibuſque plaudentibus: pro eo quod eſt, feliciter atque auſpicato. Cicer. ad Q. fratrem; Vatinium à quo palam oppugnabatur, arbitratu noſtro concidimus, diis hominibuſque plaudentibus. Idem libr. Epiſtol. famil. j. Neque ſolum dixi, ſed etiam ſic facio, diis hominibuſque approbantibus. Rurſum ad Q. fratrem lib. iij. in diverſam ſententiam vertit proverbium; Niſi noſter, inquit, Pompejus diis hominibuſque invitis negotium invertetit. Quanquam hoc ipſum per ſe, deos homineſque, proverbiale nimirum eſt ob figuram. atque apud poetas pene ſolemne: Deum atque hominum fidem: Diis atque hominibus inviſus: Neque deos neque homines metuit. Homerus.

-----Ἀθάνατοί τε θεοὶ, θνητοί τ' ἄνθρωποι.

Id eſt:

--Numina neſcia mortis,
Mortaleſque homines.---- Rurſum.
--Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Id eſt:

--Parens hominumque deumque.

Semper feliciter cadunt Iovis taxilli.

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.

Id eſt:

Semper cadunt feliciter tali Jovis.

Senarius eſt proverbio celebratus, dicique ſolitus in eos, quibus res omnes perpetuo quodam fortunæ favore, ex animi ſententia cederent. Apparet tranſlatum a talorum jactu: ubi fortaſſis antiquitus obſervatum eſt Jovis talos feliciores eſſe. Nam mos erat jactibus alearum, ominis cauſa, deorum aut hominum nomina, præfari. Unde & Veneris jactus inter felices numeratur, vel proverbio teſte: Si ſæpe jacies aliquando Venerem jacies. Niſi malumus ad Jovis victoriam, Junoniſque victæ fabulam referre. Sunt qui putent quadrare in eos, qui factis ſuis dignas pœnas dependerint, quaſi Jove non ſinente culpam inultam. Mihi videtur non abſurde dici poſſe & in viros fortunatos ac præpotentes, quorum etiam parum recte factis applauditur, atteſtante, verſu proverbiali:

Ὡς εὐτυχοῦσι καὶ πταίουσιν εὐδοκιμοῦσι πάντα.

Id eſt:

Quàm facile ſemper res cadunt potentium.

Ab hac ſententia non abhorret illud Euripidis in tragœdia, cui titulus Phœniſſæ.

Πάντα δ' ἐστὶ ... θεοῖς.

Id eſt:

Sunt cuncta diis proclivia.

cum illud Homero frequens:

Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Id eſt:

Cœleſtes omnia poſſunt.

Sapiens ſua bona ſecum fert.

Ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν: id eſt, Sapiens opes ſibi ſecum habet ſemper ſuas. A Biantis, ni fallor, apophthegmate natum: qui rogatus, cur nihil exportaret rerum ſuarum ex incendio patriæ: Ego vero, inquit, omnia mea bona mecum porto. ſignificans, ea quæ vere noſtra ſunt, intra nos eſſe, velut eruditionem, ac virtutem. Vt rurſum quæ vere mala ſunt noſtra, non licet effugere, quantumlibet commutetur locus.

Contigit & malis venatio.

Αἰδὼς τοῖς κακοῖσιν ἄγρα: id eſt, Contigit & ignavis è venatu præda, ubi quid feliciter obtigit immerenti, quodque fortunæ magis, quam illius induſtriæ ſit acceptum ferendum. Allegoria ſumpta a venatu, in quo vel præcipue dominatur fortuna. Virtus minimũ adfert momenti. At eruditio nemini contingit, niſi labore parta. Regnum obvenit dormientibus, opes affluunt ceſſantibus nonnunquam: honores accidunt etiam fugitantibus: cæterum quæ vere bona ſunt, noſtra induſtria parentur oportet. Suſpicor, inde natum, quod olim mos fuerit, quod venatu captum eſſet, omnibus impartiri, etiam immerentibus. Ita Theocritus in Piſcatoribus:

Ὡς καὶ τὰν ἄγραν τὰν ὀνείρατα πάντα μερίζευ.

Id eſt:

Sicuti venatum partiri inſomnia cuncta.

Quemadmodum arcana nõ committimus niſi ſelectis amicis, ità omnia nati ao us quibus libet. Proverbium refertur à Suida è Zenodoto. Si pro ἀίδεσι, legas ἀίδοιν, ſive ἀίδοις, erit initium carminis trochaici. Nam probabile eſt, e poeta quopiam decerptum.

Tranquillo quilibet gubernator eſt.

Seneca in epiſtola quadam ad Lucilium. Alioqui gubernatoris artem adeo non impedit tempeſtas, ut oſtendat. Tranquillo enim, ut ajunt, quilibet gubernator eſt. Ait autem illic, fortunam adverſam, ac rerum difficultatem, non ſolum non obeſſe ſapienti, verum etiam virtutem in his maxime proferre ſeſe, quæ rebus ſecundis, ac pacatis latebat. Non magnum eſt adminiſtrare rempublicam, cum omnia pace conſtat.

Effugi malum inveni bonum.

——Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Id eſt:

——Evaſi mala, ſum nactus meliora.

Hemiſtichium proverbiale, dici ſolitum, ſi quãdo fortuna lautior cuipiam contigiſſet. Natum ajunt à ceremoniis nuptialibus. Nam Athenis mos erat, ut in nuptiis puer quiſpiam induceretur undiq; ſpineis frondibus, & quernis glandibus opertus coronatuſque, cunas geſtans panibus impletas. Dicebant autem hæc:

——Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Ea vox bene ominabatur, ſponſo ſponſæque, tanquam ad meliorem uſque fortunam profectutis. Malum enim vocabat ſpinas & glandes, panes bonum: propterea quod ſteriles ſpinæ, juxta proverbium, quod alio poſuimus loco. ... Et glandibus victitabãt agreſtes illi priſci, juxta illud: ἅλις δρυός. Repertto frumentorũ uſu, glandium eſus faſtidiri cœptus. Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte, ſignificat id dici ſolere ab iis qui initiabantur, cum peractis injuriis, quibus agitabantur ante myſteria, jam ad honorem initiationis admitteretur. Nam Æſchini objicit, quod noctu miniſtrans initiandis, abſterſo luto juſſit eos dicere.

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Ariſtophanes in Pluto:

Ἐπειδὴ πλουτῶν ἐστιν, οὐδ' ὄξει φακῆς.

Id eſt:

Vbi dives eſt, haud lente gaudet amplius.

De juvene, qui nactus Plutum faſtidiit anum, cui pauper morem geſſerat. Diverſum eſt huic quod Iulius Pollux lib. vj. refert ex Eupolide:

Ὄνου παρόντος, ὄξος ᾑρεῖτο πιεῖν.

Id eſt.

Præſente vino bibere acetum maluit.

Adagium è Zenodoto refertur.

Inveni, non quod pueri in faba.

Strophylus ſervus in Aulularia Plautina, aulam auri plenam à ſene defoſſam, furto ſuſtulerat, eamq; rem geſtiens indicare hero: Reperi, inquit. Et rogatus quid repeiiſſet: Non quod pueri clamitant, inquit, in faba ſe reperiſſe. proverbiali nimirum figura magnum quiddã reperiſſe ſe ſignificans. Eſt enim Midas vermiculus quidam, qui fabis innaſcitur: hunc ſi quando nacti ſint pueri, geſtiunt atq; exclamant perinde quaſi magnum quiddam invenerint.

Sardi venales.

Σαρδιανοὶ ὤνιοι: id eſt, Sardi venales. In eo libello, cui titulus eſt, De viris illuſtribus, quem alii Plinio, nonnulli Suetonio tribuunt, utriuſque reclamante ſtylo, hujuſmodi quoddam adagium refertur. Sardi venales, de negocio infinitæ prolixitatis atq; inexplicabili. Idque hinc eſſe ortum tradunt, quod Tyberius Sempronius Gracchus, cum altero conſulatu Sardiniam domuiſſet, tantum ex ea captivorum adduxit, ut longa venditione res in proverbium abierit. Plutarchus in Problematis Romanorum, aliam refert cauſam: nimirum olim inoleviſſe morem apud Romanos ſolennem, ut qui ludos ædèrent in Capitolio, Sardos venales pronunciarent, prodiretque puer quiſpiam, per ludibrium monialii cinctus, quã bullam vocant. Eum morem hinc ortum putat, quod Vejentes Hetruſcorum populi, multum temporis cum Romulo bellum geſſiſſent, quodq; horum urbem poſtremam Romulus expugnaſſet. Etiamſi T. Livius libro j. narrat, victos quidem à Romulo Vejentes, ſed tamen victorem ab urbe munita abſtinuiſſe. Vnde & regem ipſum, & cum hoc captivos quam plurimos Romam deductos, venales pronunciavit. Porro cum Lydi ab initio fuerint Hetruſci, quemadmodum teſtatur & Herodotus lib. j. Lydorum autem caput erat Sardis: inde factum, ut Hetruſcos Sardorum nomine pronunciarit venales. Refert eadem Plutarchus in vita Romuli, licet aliquando diverſius. Debellatis Veiis captus eſt illorum dux: qui cum eſſet provectæ ætatis, viſus eſt rem imprudentius geſſiſſe quam pro ætate. Vnde mos inolevit, ut quoties Romani ob partam victoriam immolarent victimam ſenem purpura indutum per forum in Capitolium inducerent, bullaque ad collum appenſa, quod tum erat puerorum inſigne, præco Sardianos venales pronunciaret. Hetruriæ caput Veii ſunt, & Hetruſci Sardianorum coloni putantur. Vſus eſt hoc adagio M. Tullius libro Epiſtolarum familiarium ſeptimo, ad Gallum: Habes, inquit, Sardos venales, aliũ alio nequiorem. Sentit Cicero de contemptis & improbis, & (ni fallor) patria quoque Sardis. Nam ita ſcribit paulò ante hunc locum: Id ego in lucris pono, non ferre hominem peſtilentiorem patria ſua.

Mare bonorum.

Dicitur diverſim in partem, ἀγαθῶν θάλασσα: id eſt, Bonorum mare, de magnis & vehementer cumulatis commoditatibus. Vel quod ipſum mare miniſtret innumerabiles opes rerum, puta piſcium, gemmarumque: vel quod ampliſſimum profundiſſimumque ſit, adeo ut nec exhauriri poſſit, nec redundet unquam, cum tanta fluminum vis in ipſum influat.

Acervus bonorum.

Ἀγαθῶν σωρός: id eſt, Bonorum acervus. De opibus ingentibus. Vnde & frequenter extructas dapes, extructas opes, & cumulatas opes, pro copioſis legimus, tanquam acervatim congeſtas, neque pondere, neque numero, ſed ipſo cumulo infuſas. Ariſtophanes in Pluto:

Ἡμῖν γὰρ ἀγαθῶν σωρὸς εἰς τὴν οἰκίαν

Ἐπεισπέπαικεν, οὐδὲν ἀδικήσασι.

Id eſt:

Nobis bonorum acervus influit in domum

Sine fraude nemini patrata injuriã.

Idem in eadem fabula:

Ὡς ἀγαθῶν συλλήβδην ἅπαντα σοι φέρω.

Id eſt:

Vtagminatim cuncta tibi fero bona.

Ruſus in eadem fabula per jocum in malam partem flexit:

Ἀθλιοῖς γὰρ αὐτοῖς σωρὸν ἥκειν χρημάτων ἔχοντα.

Id eſt:

Veniſſe nartas, qui ferat pecuniarum acervum.

Verba chori ſenilis, cui Carion ſervus jocans ita reſpondet:

Πρεσβυτικῶν μὲν οὖν κακῶν ἔγωγ' ἔχοντα σωρόν.

Id eſt:

Imo ſenilium ferat qui ad vos malorum acervum.

Alluſit autem ad ſenectutem illorum, jam capulo vicinam. Nam σορὸς per ο micron, tumulum ſignificat ſepulchralem: σωρὸς vero μέγα, cumulum atque acervum. Proinde conſentaneum eſt, ſervum ejus vocis ſyllabam data opera perperam pronunciaſſe. Hæc atque id genus alia tum fiunt venuſtiora, quemadmodum jam ſæpius admonuimus, ſi paulo longius à ſimplici ſenſu detorqueantur. Veluti ſi quis dicat, in aliis oratoribus alias atque alias eminere dicendi virtutes, in M. Tullio uno τῶν πάντων ἀγαθῶν σωρὸν εἶναι, id eſt. Omnium bonorum acervum eſſe. Reſipiunt hujus adagii naturam illa Ciceroni familiaria, cumulare officiis, cumulatiſſime ſatis facere, cumulus meritorum.

Bonorum myrmecia.

Ἀγαθῶν μυρμηκιά: id eſt, Bonorum myrmecia, de immenſis opibus. Nam myrmecia Græce ſignificat cavernam, aut agmen formicarum. Quanquam ab illis formicis ſumptum videri poteſt, de quibus meminit Plin lib. xj. c. xxxj. quas ait eſſe colore felium, magnitudine luporum Ægypti. Eas in Septentrionali Indorum, qui Dardæ vocentur, regione aurũ è cavernis egerere. Erutũ hyberno tempore, Indi furantur æſtivo fervore, cõditis propter vaporẽ intra cuniculos formicis: quæ tamen odore ſollicitatæ provolant, neque raro lacerant, quamvis prævolocibus camelis fugientes. Atque huc videtur reſpexiſſe divus Baſilius, cum ſcribit ad nepotes, quicquid ultra neceſſitatẽ uſus ſupereſſet, ſive id eſſet Lydia gleba- ſive

ſive formicarum auriferarum opus, hoc magis eſſe contemnendum, quo minus eſſet eo opus. Quanquā nihil prohibet, quo minus ad noſtras formicas referatur, nō ſolum propter innumerabilem agminum multitudinem, verumetiam propter genuinam quandam animantis in accumulando penore induſtriam, ore trahentis quodcunque poteſt, atque addentis acervo, quemadmodum ſcripſit Flaccus. Qua quidem ex re factum opinor, ut antiquitus formicarum cœtus opulentiam portenderit: Quemadmodum teſtatur Cicer lib. de Divinat. j. Midæ, inquiēs, illi Phrygio cum puer eſſet, dormienti formicæ in os tritici grana congeſſerunt. Ditiſſimum fore prædictum eſt. Quod evenit. Huc alluſit Theocritus in encomio Ptolemæi:

> Μυρμάκων ἅτε πλοῦτος ἀεὶ αἰὲν ἔρχεται ἀγειρόμενος.
>
> Id eſt:
>
> Nec ſecus, ac formicarum ſemper properantum
> Divitiæ ſunt extructæ.—

Idem in Syracuſanis:

> —Μύρμακες ἀνάριθμοι καὶ ἄμετροι
>
> Id eſt:
>
> —Formicæ numeroque modoque carentes.

turbam hominum frequentem ſignificans. Huic affine generi eſt quod Plato lib. de Republica 9. τὸ τῶν ἡδονῶν σμῆνος dixit, id eſt, voluptatum examen: & Socrates apud Plutarchum Cheronenſem, ἀρετῶν σμῆνος, id eſt, virtutum examen, pro turba numeroq; immenſo. Porro locus quem adducit Plutarchus, eſt in Menone Platonis. Confine eſt his quod idem adducit in Cratylo, σμῆνος σοφίας, id eſt, examen eruditionis. Idem quod apud Athenæum lib. viij. Alexis ſcripſit in Pamphyla,

> Παρέθηκε τὴν τράπεζαν, εἶτ' ἐπεισφέρων
> Ἀγαθῶν ἁμάξας.
>
> Id eſt:
>
> Appoſita menſa eſt, plauſtra deinceps intulit
> Bonorum.

Dathus bonorum.

Δάτος ἀγαθῶν: id eſt, Dathus Bonorum: in eandem ſententiam dici conſuevit. Eſt autem Dathus Thaſſiorum colonia juxta Strymonem, cum alioqui opulenta ac florēs, tum quod habet etiam auri venas, ut hinc proverbium abierit, δάτος ἀγαθῶν: id eſt, Dathus bonorum; de conferta rerum opulentia. Proverbii præter alios meminit Suidas, apud quem legimus, δατὸς: non δάτος.

Thaſſus bonorum.

Θάσος ἀγαθῶν: id eſt, Thaſſus bonorum. Similiter natum adagium, nempe a loci fertilitate. Nam Thaſſus, inſula eſt juxta Thraciam. Zenodotus hujuſmodi quandam fabulam refert. Caliſtratus orator demigrans Athenis, perſuadere conatus eſt Athenienſibus, ut regionē quæ ad adverſo erat, incolerent, multa ſplendida de ejus feracitate jactitans, & quod auri venas haberet, & quod glebam optimam. Denique in ſumma, inquit, Thaſſus bonorum eſt. Hinc in vulgi ſermonem abiiſſe, Θάσος ἀγαθῶν: id eſt, Thaſſus bonorum: de iis qui ſplendida pollicentur.

Horna meſſis.

Plautus in Muſtellaria, hornam meſſem proverbiali figura dixit, pro maximo emolumento: quaſi dicas, tantum lucri, quantum eo anno ſit proventurum in agris. Comici verba ſunt hæc.

> Iam pridem me Caſtor frigida non lavi magis lubenter,
> Nec unde me melius Scapha rerer ædificatum.

Hæc dicuntur a perſona puellæ. Tum lena, optans ut ex ejus forma quam plurimum commodi capiatur:

> Eventus, inquit, omnibus velut horna meſſis fuat.

Id puella, quippe ſimplex, quid ſibi vellet, non ſatis intelligens:

> Quid, inquit, ea meſſis attinet ad meam lavationem?

Huic figuræ confine eſt illud ejuſdem in Curculione:

> Vindemia hæc huic anni non ſatis eſt ſoli.

Significat adeo bibacem, ut univerſum vinum, quod eo ſit proventurum anno, parum ſit illius ſiti.

Gargara bonorum.

Innumerabilem hominum rerumve vim priſci gargara dicebant: ficta, ni fallor, voce, à ſtrepitu quem facit hominum congregatorum multitudo, aut rerum effuſarum copia. Ariſtomanes cō φοινίς apud Suidam & Ariſtophanis interpretem:

> Ἔνδον γὰρ ἡμῖν γάργαρα.
>
> Id eſt:
>
> Nobis enim intus gargara.

Citatur & Tragicus quiſpiam, Sophron opinor, qui ſcripſerit, χρημάτων τὰ γάργαρα: id eſt, Pecuniarum gargara. Vnde & γαργαίρω verbum, quod ſignificat perſtrepo præ multitudine. Vt Cratinus:

> Ἀνδρῶν ἀρίστων πᾶσα γαργαίρει πόλις.
>
> Id eſt:
>
> Vrbs univerſa hæc optimis ſtrepit viris.

Rurſus ex fabula cui titulus λῆμναι, citatur hic verſiculus:

> Ἀνδρῶν ἀκμαστῶν πάντα γαργαίρει δόμος.
>
> Id eſt:
>
> Viris adactis tota perſtrepit domus.

Cæterum quod eſt apud Homerum,

> —Κάρκαιρε δὲ γαῖα πόδεσσι. Id eſt:
> —Pedibus quoque terra ſtrepebat,

mutata literula κάρκαιρε dictum pro γάργαιρε. Denique cancros exiſtimant dictos καρκίνους, ob pedum multitudinem. Macrobius lib. Saturnalium v. docet, Gargara montem eſſe, & ejuſdem nominis oppidum monti ſubjectum in Myſia, ut apparet, quæ frugum eſt feraciſſima, ut hinc factum ſit, ut qui immenſam rerum copiam ſignificare vellet, gargara nominaret. Exempla citat ex Alcæo, Ariſtomene, quæ ſcribarum inſcitia deſiderantur. Ariſtophanes cō ἀχαρνεῦσι, riſus cauſa duas voces coniunxit, immenſam multitudinem ſignificantes, ψαμμακοσιογάργαρα. Siquidem ψαμμακόσια dicunt Græci, quæ vel æquant harenarum numerum, ad eam formam qua dicunt τετρακόσια & ἑξακόσια. Alexis apud Athenæum libro vj.

> Ἐβόα καλῶν τὸν οἰκέτην
> Ἕν' ὄντα καὶ μόνον ὀνόμασι δὲ χρώμενος
> Ψαμμακοσίοις.
>
> Id eſt,
>
> Famulum intonabat evocans
> Vnum atque ſolum, cæterum vocabulis
> Vtens ad id innumeris.—

Loquitur de paupere oſtentatore divitiarum; qui quum non haberet niſi unum famulum, tamen pro foribus evocabat eundem variis nominibus, ut hoſpites crederent plurimos eſſe domi. Et hujus compoſitæ vocis meminit Macrobius, loco quem modo citavimus.

Bona terræ.

Τὰ τῆς γῆς ἀγαθά: id eſt, Terræ bona. De bonis & immenſis & omnigenis: quaſi dicas, quicquid terra progignit, omnium rerum patens. Menander in epiſtola ad Glyceram, Βασιλικῶς ἐπαγγελλόμενος τὰ δὴ λεγόμενα τοῦτο, τὰ τῆς γῆς ἀγαθά, id eſt: Regulariter pollucens juxta illud quod vulgo dicitur, terræ bona. Finitimum illi, Montes auri pollicens.

Ingens rerum multitudo.

Cum admirandam hominum, aut rerum ſeu malorum multitudinem indicare volemus, congruet illud ex eodem libro, crebroque alias:

> —Ὅσσα τε φύλλα καὶ ἄνθεα γίγνεται ὥρῃ,
> Ἠΰτε μυιάων ἁδινάων ἔθνεα πολλά.
>
> Id eſt:
>
> Quot frondes, & quot ſunt verno tempore flores,
> Vtque globatarum muſcarum examina multa.

Bonorum glomi.

Ἀγαθῶν ἀγαθίδες: id eſt, Bonorum glomi: de opibus extructis, & affatim accumulatis. Sumpta metaphora à glomere textorio, cui fila ſunt obvoluta, aut certe ligno illo textorio, cui filorū maxima vis eſt obvoluta: Quod idem πῆνον vocant. Proverbii meminit Iulius Pollux lib. vi. cap. x. indicans apud comicos eſſe frequentiſſimū. Videtur autem alluſum ad vocem in Agathide & Agathis: perinde ut Thucidides in Euripidis Epigrammate Athenas τῆς Ἑλλάδος Ἑλλάδα vocat: id eſt, Græciæ Græciam. Etiam lib. V. tribuit hanc ſententiam Pindaro. Et quemadmodū ἔσχατα ἐσχάτων, id eſt, poſtrema poſtremorum: item κακὰ κακῶν, id eſt, mala malorum, dicunt Græci. quam quidem figuram Latini non agnoſcunt.

Copia cornu.

Ἀμαλθείας κέρας: id eſt, Copiæ cornu. Cum affatim omnia ſupereſſe ſignificamus, copiæ cornu dicimus. Translatum à pervetuſta fabula, quæ varie narratur apud autores. Quidam ad hunc modum narrāt: Rhea Iovem enixa, metu patris infantem in Creta occuluit, nutriendum à duabus nymphis, Adraſtea & Ida, Meliſſei filiabus. Hæ nutriebant illum capræ cujuſdam lacte, cujus nomen fuerit Amalthea: eam capram Iupiter jam adultus in ſidera retulit, vocaturque à Græcis αἲξ οὐρανία: id eſt, capra cæleſtis. Hujus alterum cornu nymphis nutricibus dedit, videlicet officii præmium: hanc adjiciens facultatem, ut quicquid optaſſent, id illis ex eo cornu largiter ſuppullaret. Ovidius Faſtorum lib. v. paulo diverſius fabulam narrat hoc pacto:

> Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida,
> Dicitur in ſylvis occuluiſſe Iovem:
> Hic fuit Hœdorum mater formoſa duorum,
> Inter Dictæos conſpicienda greges,
> Cornibus aëriis, atque in ſua terga recurvis,
> Vbere quod nutrix poſſet habere Iovis.
> Lac dabat illa deo, ſed fregit in arbore cornu,
> Truncaque dimidia parte decoris erat.
> Suſtulit hoc nymphe, cinxitque decentibus herbis,
> Et plenum pomis, ad Iovis ora tulit.
> Ille ubi res cœli tenuit, ſolioque paterno
> Sedit, & invicto nil Iove majus erat:
> Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
> Fecit, quod dominæ nunc quoque nomen habet.

Legimus & Herculē Aetolis donaſſe copiæ cornu, propter coërcitum cornu fluminis Acheloi: quare regionem illam antea ſterilem, fertiliſſimam reddidit: cornu nimirum laborum daciem ſignificante, frugibus feracitatem. Huncigitur titulum Phocion quidam Peripateticus libro ſuo indidit, ut teſtatur Aulus Gellius. Plinius item oſtendit, Græcos aliquot hanc inſcriptionem nimis arrogantem ſuis cōmentariis impoſuiſſe, tanquam nihil in eis non contineretur, & quid vis inde peti, atque accipi poſſit. Lucian. de mer-

mercede ſervientibus: καὶ ἕξεις τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, καὶ ἀμέλξεις ὀρνίθων γάλα. id eſt: Et habebis copiæ cornu, & lac gallinaceũ emulgebis. Philoſtratus Dionem ſophiſtam appellat Ἀμαλθείας κέρας, velut omni genere virtutum expolitum. Plautinus quidam ſervus epiſtolam quandam copiæ cornu vocat, quod plurimũ ex ea commodorum capi poſſet. Aulus Gellius libr. xiiij. cap. vj. Et ſimul dat mihi librum grandi volumine, doctrinis omnigenis, ut ipſe dicebat, præſcatentem. Accipio cupidus & lubens, tanquam ſi copiæ cornu nactus eſſem. Apud Athenæum Philoxenus ſecundam menſam variis cupediis inſtructam, copiæ cornu vocat. Citatur à Suida carmen hujuſmodi:

> Ἔνθ' ἐπιμηλίδιος πρὸ Ἀμαλθείας κέρας αἰγός, id eſt:
>
> Capræ ubi Amaltheæ præbet mihi pabula cornu.

Carmen eſt heroicum. Effertur adagium hoc quoque pacto, αἲξ οὐρανία: id eſt, capra cœleſtis. Comœdia vetus notat Polyagrum quendam, uxorem ad quæſtum proſtituentem: quam cœleſtẽ capram vocat, ob immenſum quæſtum, ut teſtatur Plutarchus in commentario, De audiendis poetis: εὐδαίμων πολύαγρος οὐρανίαν αἶγα παντοφόρον τρέφων. id eſt: Fortunatus Polyager (id eſt multorum agrorum poſſeſſor) cœleſtem capram opes adferentem alens. Idem alibi adverſus Stoicos ὁ δὲ τὴν στωικὴν λαβὼν Ἀμάλθειαν. id eſt: At qui Stoicam acceperit Amaltheam, irridens paradoxa Stoicorum, qui ſuo ſapienti tribuunt univerſa, divitias, libertatem regnum. Horatius in Odis:

> Beata pleno
>
> Copia cornu.

Lac gallinaceum.

Ὀρνίθων γάλα: id eſt. Gallinarum lac, eundem habet ſenſum. Dicitur enim in opulentos & quibus quidvis rerum ſuppeditat. Aut de raris inventu, atque ob id precioſis: ut ſit hyperbole, ſignificans nihil omnino deeſſe. Plin. in præfatione hiſtoriæ mundi, irridens Græcorum delicioſas quaſdam & magnificas inſcriptiones: Cerion, inquit, inſcripſere, quod volebant intelligi favum: alii κέρας Ἀμαλθείας, quod copiæ cornu, velut lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtum. Ariſtophanes in Veſpis:

> Ἐγὼ γὰρ οὐδ' ἂν ὀρνίθων γάλα
>
> Ἀντὶ τοῦ βίου λάβοιμ' ἂν οὗ με νῦν ἀποστερεῖς.
>
> Id eſt:
>
> Non lac hercle gallinaceum
>
> Hacce pro vita capiam, quam mi adimis in præſentia.

Euſtathius in quartum Odyſſeæ, citat hoc adagium ex Anaxagoræ fabula cui titulus ὠά. Ruſum Ariſtophanes comicus in fabula, cui titulus, ὄρνιθες.

> —— Δώσομεν ὑμῖν
>
> Αὐτοῖς, παισί, παίδων παισίν
>
> Πλουθυγίειαν, εὐδαιμονίαν,
>
> Βίον, εἰρήνην, νεότητα, γέλωτα,
>
> Χορούς, θαλίας, γάλα τ' ὀρνίθων.
>
> Ὥστε παρέσται ὑμῖν κοπιᾶν
>
> Ὑπὸ τῶν ἀγαθῶν.
>
> Id eſt:

Dabimus vobis ipſis, filiis, filiorum filiis, opulentiam bonæ valetudinis, felicitatem, facultates, pacem, inventam, riſũ, choros, feſta, lac gallinarum, ut ſitis præ bonorum copia laboraturi. Strabo Geographiæ lib. xiiij. narrat de Samiorum agris. quod eſſent omnium rerum ampliter feraces. illud vulgo jactatum eſſe, quod lac etiam ferrent gallinaceum. Idem teſtatur hoc adagium apud Menandrum comicum inveniri. Athenæus libro Dipnoſophiſtarum ix. ex mediæ comœdiæ ſcriptore quopiam Mneſimacho, ſenarios hos adducit:

> Καὶ τὸ λεγόμενον,
>
> Σπάνιον ὀρνίθων γάλα,
>
> Καὶ φασιανὸς ἀποτετιλμένος καλῶς.
>
> Id eſt:
>
> —— Et quod, dicitur proverbio,
>
> Lac ſuppetit, res rara, gallinaceum, ac
>
> Plumis revulſis phaſianus adprobe.

Rurſum lib. ix. adducit ex Numenio:

> Ἠδ' ὅπερ ὄρνιθος καλέεται γάλα.
>
> Id eſt:
>
> Atque quod gallinæ dicitur lac.

Idem libro tertio indicat, quibuſdam lac gallinaceum eſſe, album ovi.

Extis pluit.

Ἀλλᾶσιν ὕει: id eſt, Lucanicis pluit. Sermo proverbialis de prodigiosa rerum copia: qui jocus etiam hac tempeſtate durãt apud idiotas. Siquidem ἀλλᾶς Græcis extigenus eſt, ex quo fiuſtulatim conciſo farta conficiuntur: quod cibi genus in comicum jocum abiiſſe videtur. Vnde viles & contempti ἀλλαντοπῶλαι vocantur adagio. Conſimis illi, δραχμὴ χαλαζῶσα. id eſt, Drachma grandinans.

Capram cœleſtem orientem conſpexerunt.

Αἶγα τὴν οὐρανίαν ἐπιτέλλουσαν ἐθεάσαντο: id eſt, Capram cœleſtem exorientem aſpexerunt. Hoc dici ſolitum in eos, quibus omnia feliciter, eque animi ſententia ſuccederent: propterea quod antiquitus opinio ſic vulgi comprobatum eſt, qui capram illam Jovis altricem, & ob id in ſiderum relatam numerum conſpexiſſent, quicquid votis conciperent, ejus compotes futuros. Qua de re latius dictum eſt in adagio Ἀμαλθείας κέρας. Hoc autem extat in Plutarchi Collectaneis. Idem in libello De poetis audiendis: εὐδαίμων πολύαγρος οὐρανίαν αἶγα παντοφόρον τρέφων. id eſt: Felix multorum agrorum poſſeſſor, cœleſtem capram opum largitricem alens. Quanquam apud Athenæum lib. ix. Antiphanes opinor, commemorat capram cœleſtem inter animantia apta menſis, τράγος ὑλοβάτης, αἲξ οὐρανία, κριὸς τομίας id eſt, Hircus ſylveſter, capra cœleſtis, aries caſtratus.

Bonæ fortunæ: ſive Boni genii.

Ἀγαθοῦ δαίμονος. id eſt, Boni genii, vel bonæ fortunæ. ſubaudi, nomine. Sermo eſt bene ominantis in re quapiam aggredienda, quemadmodum & illud Perſianum: Hoc bene ſit. Itaque feſtivius erit, cum ad jocum trahetur de eo, qui rem inceptat, levem quidem illam, ſed perinde laborans quaſi eſſet maxima. Veluti ſi ſordidus quiſpiam tandem vini cadũ relineret, aut caſeum diu ſervatum aliquando proponeret ἀγαθοῦ δαίμονος. Zenodotus & item Ariſtophanis interpres oſtendit proverbium hinc eſſe natũ, quod olim peracto convivio, ſublataque menſa, meracum inferri conſuevit. Iſque calix ἀγαθοῦ δαίμονος, id eſt, boni genii appellatur. Hujus commenti autorem citat Theopompum interpres Ariſtophanis in Veſpis. Nec diverſum eſt quod adfert ex Apollodoro: cui ſententiæ ſuffragari videtur Ariſtophanes in Equitibus:

> Μὰ Δί', ἀλλ' ἄκρατον οἶνον ἀγαθοῦ δαίμονος.
>
> Id eſt:
>
> Non per Jovem boni genii merum.
>
> Item in Veſpis:
>
> Μηδέ ποτε πίοιμ' ἄκρατον μετρίως ἀγαθοῦ δαίμονος.
>
> Id eſt:
>
> Ne merum unquam bibere detur præmium genii boni.

Item in eodem:

> Καὶ σπείσας ἀγαθοῦ δαίμονος.
>
> Id eſt:
>
> Ac boni libato genii nomine.

Paulo diverſius in Pace:

> Νῦν γὰρ ἡμῖν ἁρπάσαι πάρεστιν ἀγαθοῦ δαίμονος.
>
> Id eſt:
>
> Nam boni genii licet nunc rapere nobis nomine.

Quanquam Athenæus libro Dipnoſophiſtarum xi. palam demonſtrat, a lotione qua cœnati utebantur, calicem inferri ſolere, qui dicebatur ἀγαθοῦ δαίμονος. Qui ſane mos hodieque durat Germanis. Id poculum oſtendit dictum μετανιπτρίς, quod a lotis manibus adferretur: qui mos & hodie religioſe ſervatur apud Britannos, Antiphanes in Lampade:

> Δαίμονος ἀγαθοῦ μετανιπτρίδ' ἐντραγεῖν:
>
> Boni Dei metaniptrion devorare:

Rurſum idem:

> Ἀλλὰ μὴν δαίμονός γ' ἀγαθοῦ μετανιπτρίδα.

Hunc calicem quiſquis accepiſſet, præbibebat alteri cuipiam, ut idem author indicat. Erat autem mos apud veteres, ut propinantes, aut bibituri, deum quempiam, aut hominem ominis cauſa præfarentur, eumque gignendi caſu proferebant. Quemadmodũ apud Lucianum in Lapithis Alcidamus Cynicus, ſponſæ Herculis nomine propinat. Idem Horatius:

> Da lunæ propere novæ,
>
> Da noctis mediæ, da puer auguris.

Aliis magis placet hinc ductum adagiũ, quod antiquitus primus calix ἀγαθοῦ δαίμονος ſit appellatus: eaque voce bene ominari ſoleant, ob Bacchum, ceu vernaculum ac domeſticum deum. Quin etiam menſis cujuſque diem à primo proximum, ἀγαθοῦ δαίμονος appellitabant antiquitus. Fertur & apud Thebanos ſacellum fuiſſe ἀγαθοῦ δαίμονος. Denique eſt & inſula quædam hujus nominis in mari Indico, quemadmodum oſtendit Stephanus. Plutarchus Convivalium quæſtiuncularum decade tertia, demonſtrat antiquitus fuiſſe morem, ut non guſtarent vinum, niſi prius libaſſent alicui deo, quo potus illius ceu pharmaci, ſibi innoxius eſſet & ſalutaris. Atque Athenis quidem undecimo menſis die immolabant vini primitias, eumque diem Pithœniam appellabant. Aſt apud Bœotos ſeptimo menſis ineuntis die, ſacris peractis bono dæmoni, guſtabant ab exorto Zephyro: quod is ventus præcipue ſuſcitet moveatq; vinum, adeo, ut quod illum effugerit, videatur jam duraturum. Menſis autem vocabatur προστατήριος. Ariſtides in Themiſtocle videtur ad hoc alluſiſſe proverbiũ, cum ait: Ἀλλὰ μὴν ἔστη τοῖς Ἕλλησιν ἀντ' ἀγαθοῦ δαίμονος. id eſt: Verum conſtitit Græcis boni genii vice. Quanquam hoc magis referendum ad id, quod alibi diximus: Bonus genius, & malus genius.

Oculus dexter mihi ſalit.

> Ἅλλεται ὀφθαλμός μου ὁ δεξιός.
>
> Id eſt:
>
> Salit mihi oculus dexter.

Vbi ſpes eſt viſuros nos lætum quippiam, & vehementer exoptãdum. Ductum à mulierecularum ſuperſtitione, quæ ex membri pruritu divinare ſolent, quid ſit venturum. Vnde illa apud Plautum non ſemel obvia: Prurit mihi tergum, pruriunt dentes, pruriunt pugni: &, Verum dentes tibi pruriunt, an malæ? Theocritus in Amaryllide:

> Ἅλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός, ἆρά γ' ἰδησῶ
>
> Αὐτάν;

Id eſt,

Id eſt:

En oculus dexter ſalit mi: illamne videbo?

Eſt etiam apud Plautum, Supercilium ſalit. Hodieque per jocum ajunt, ſibi dexteram tinniſſe aurem, ſignificantes alicubi ſermonẽ de ſe abſentibus factum cum laude. Idque Plinius teſtatur vulgo quandoque creditum fuiſſe, ut qui laudaretur abſens, ei dextra tinniret auris: qui vituperaretur, ſiniſtra. Lucian. in Dialogis meretriciis: ἦ που ὑμῖν περιεβόμβει τὰ ὦτα; ἀεὶ γὰρ ἡ κυρία ἐμέμνητο κατα-ᾄδουσα μετὰ δακρύων, id eſt: Num vobis tinniebant aures Parmeno? Nam hera aſſidue cum lacrymis veſtri meminerat.

Bona ſpes oſtenſa.

Cum bona quæpiam ſpes affulget alicunde, perficiendi quod propoſuimus, conveniet illud ex eodem libro:

Ὡς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις.

Id eſt:

Sic fato ſel, x a dextris advolat ales.

Deus undecunque juvat, ſi modo propitius.

Deus ubique præſens adeſt, ſi faveat: neque refert, ubi gentium agas, illo propitio. Ad hanc ſententiam accommodes licebit ex eodem libro:

Ῥεῖα θεός γ' ἐθέλων καὶ τηλόθεν ἄνδρα σαώσαι.

Id eſt.

Si libeat ſei vate procul quoque numina poſſint.

Lux affulſit.

Vbi melior rerum ſpes oſtendi cœperit, lucem affulſiſſe dicunt Euripides in Oreſte:

Ἥκει φάος ἐμοί τε καὶ τοῖς σοῖς κακοῖς.

Id eſt:

Meiſque venit lumen ac tuis malis.

De Menelao dictum, è cujus adventu remedium aliquod malorum ſuorum ſperabant. M. Tullius in Antonianarum prima: Lux quædam videbatur oblata, non modo regno quod pertuleramus, ſed etiam regni timore ſublato. Porro lumen fauſti ominis apud veteres fuiſſe, teſtis & M. Varro libro De lingua Latina 2. Putat enim mane diei inde dictum, quod antiquitus manum bonum vocabant. Ad cujuſmodi religionem Græci quoque cum lumen infertur, ſolent dicere: φῶς ἀγαθόν. Noſtrem illata lucerna fauſtâ invicem precamur. Lumen enim vitam interpretantur. Vnde:

Inviſam abrumpere lucem: &:

—Tædet cœli convexa tueri.

Euripides in Iphigenia in Aulide.

Τὸ φῶς τόδ' ἀνθρώποισιν ἥδιστον βλέπειν.

Id eſt:

Lucem tueri eſt hominibus dulciſſimum.

Noctua volat.

Ex eadem ſuperſtitione manavit & illud Græcanicum γλαῦξ ἵπταται, ſive ἔπτατο: id eſt Noctua volat, ſive volavit. Nam priſcis Athenienſibus noctuæ volatus, victoriæ ſymbolum exiſtimabatur: propterea quòd avis hæc Minervæ ſacra crederetur: quæ quidem dicta eſt etiam male conſulta Athenienſium bene fortunare. Qua de re copioſius aliquanto dicemus in proverbio, Athenienſium inconſulta temeritas. Inde rebus feliciter, atque ex animi ſententia ſuccedentibus, dici conſuevit: Noctua volat. Autores Zenodotus & Suidas. Non illepide dicetur volaſſe noctua, quoties res non viribus, ſed pecuniarum interventu confecta creditur, quod Athenienſium numiſma noctuam haberet inſculptam. Vnde & illud, Laurioticæ noctuæ, quod alibi recenſetur. Plutarchus in vita Periclis tradit, illi è ſuperiore navis tabulato concionanti, noctuam ad dextram advolaſſe, ac malo inſediſſe: quod omen effecit, ut omnes irent in illius ſententiam.

Laureum baculum geſto.

Δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν: id eſt, Laureum porto baculum. Suidas tradit ita ſolere loqui eos, qui eſſent ab aliquibus inſidiis appetiti, feliciterque periculum effugiſſent: propterea quod laurus credita eſt adverſus venena remediũ habere. Plin. lib. 15. demonſtrat laurum luſtrationibus adhiberi ſolitam. Videtur & adverſus fulmen hujus virtuem, quandoquidem arborum una non icitur fulmine. Idadeo verum credidit Cæſar Tiberius, ut nunquam non geſtaret capite coronam lauream: ut in ipſius vita prodidit Suetonius.

Midas in teſſeris conſultor optimus.

Μίδας ὁ ἐν κύβοισιν εὐβουλώτατος.

Id eſt:

Midas qui in teſſeris, conſultor optimus.

Proverbium à teſſerarum ludo natum. Eſt enim Midas, jactus vocabulum. Refertur a Suida proverbii nomine. Perpendat deligens & eruditus lector, num εὐβολώτατος legi oporteat, ut verſus ſit jambicus trimeter:

Μίδας γε ἐν κύβοισιν, εὐβολώτατος.

Id eſt:

In teſſeris jactus midas proſperrimus.

Accommodari poterit adagium ad rem, quæ forte fortuna bene cadit.

Boves meſſis tempus expectantes.

Βόες ἄμητον ἐπιτηροῦντες. id eſt, Boves meſſem obſervantes. Dici ſolitum, ubi quis ingentium emolumentorum ſpe laborem ſumeret. Quidam ſic efferunt. Βοῦς εἰς ἄμητον: id eſt, Bos in meſſem, ſubaudiendum, reſpicit, aut ejuſmodi quippiam. Inde ductum; quod boves meſſis tempore, majore laborant fructu: propterea quod inter trituram paſcuntur interim, & pabulum largius apponitur. Contra cum vere aut hyeme proſcindunt arvum, hoc moleſtior eſt arandi labor, quod nullo præſente fructu levatur:

Bos apud acervum.

Βοῦς ἐπὶ σωρῷ: id eſt, Bos in acervo. De ſplendide ampliterque viventibus, quique in ubere rerum affluentia, prolixius faciunt ſemptum. Aut, quemadmodum ait Suidas, de iis qui in media rerum copia conſtituti, non ſinuntur præſentibus bonis frui. Tranſlatum arbitratur à bubus trituram exercentibus, quibus quod os obligatum habeant (nam id faciunt quidam) non licet veſci tritico, quod excutiunt, ut ſimile ſit illi: Tantalus inter undas ſitiens. Simile quiddam refert Julius Pollux lib. 7. de ſervis in piſtrino laborantibus: quibus machina rotunda circa cervicem addebatur, ne manum ori liceret admovere. Id factum ne devorarent farinam. Machinam appellabant παυσικάπην, ſive [illegible], quod arcere à devorando. Quod bubus non faciebant Judæi, hoc illi faciebant hominibus:

Bos ad præſepe.

Βοῦς ἐπὶ φάτνῃ id eſt, Bos ad præſepe. In emeritos dici conſuevit, quique jam ob ætatem ocio, vitæque molliori indulgent. Effertur & ad hunc modum Βοῦς ἐν αὐλίῳ, id eſt, Bos in ſtabulo: Congruit & in eos, qui nullis honeſtis negociis exercentur, ſed turpi ocio atque abdomini ſerviunt. Philoſtratus in Caſſandra: ἀλλ' ἐν μειρακίοις καὶ γυναιξὶν βοῦς ἐπὶ φάτνῃ, id eſt, Verum inter adoleſcentulos, ac mulieres, bos ad præſepe. De Agamemnone loquitur, voluptariam agente vitam. Effertur item ad hunc modum: βοῦς ἐπὶ αὐλίῳ γέρων, id eſt: Bos in ſtabulo ſenex. Rurſum hoc modo: βοῦς ἐν αὐλίῳ ἀργός, id eſt Bos in ſtabulo deſides. De iis qui molliter & in ocio vivunt. Athenæus lib. 8. refert quiddam non illepidum, nec alienum ab hoc proverbio. Cantor quidam imperitus, quum Stratonicum excepiſſet convivio, inter pocula oſtentabat illi artem. Quum autem eſſet ſplendidum ac magnificum convivium, ac Stratonicus eo fruſtraretur, non habens alterum quicum ſermocinaretur, confregit poculum, ac popoſcit majus: multoſque cyathos quum accepiſſet, ſolique calicem oſtendiſſet, affatim bibens obdormiit, cætera fortunæ committens. quum autem forte comeſſabundi quidam ſupervenifſent cantori, ex notis. Stratonicus illico factus eſt ſobrius. Ii quum audiſſent, quod ſemper multum vini bibens fuiſſet inebriatus, compendio reſpondit: Inſidiator enim & ſceleratus ille cantor, tanquam bovem ad præſepe, data cœna, occidit. Quod in Athenæi verbis legimus ψαλμῳδὸς, opinor legendum σφαλμῳδός. Congruet & in illos, qui in ſuum aluntur exitium: quemadmodum ii qui ſe voluptatibus mundi explent, orco quid aliud quam victimæ nutriuntur, veluti bos ad præſepe.

Quæ divinitus contingunt.

Qui dicet quippiam non cuivis contingere, quiſquis optat, ſed divinitus dari, velut ingenium, formam, vires: uſurpare poterit Homericum illud Iliad. lib. 3.

—Ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο. Id eſt:

Non quiſquis velet, illa ferat.—

Dicuntur ab Alexandri perſona ad Hectorem, qui illi comam, formam & imbellem citharam opprobrarat:

Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης,
Ἥ τε κόμη, τό τε εἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.

Id eſt:

Nil tibi profuerint, cantuſque & dona Diones,
Vel coma, vel ſpecies, in pulvere cogredienti:

Ad id ita reſpondet Paris:

Μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσῆς Ἀφροδίτης.
Οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα,
Ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.

Id eſt:

Nemi opprobraris Citheræ optabile donum:
Haud quaquam aſpernanda deum pulcherrima dona,
Quæ ultro dant: neque mox ſi quis velit, auferet illa.

Refert Laertius Cynicum Diogenem reprehenſum, quod accepiſſet munera ab Antipatro, reſpondiſſe verſu Homerico quem modo retuli, οὔτοι ἀπόβλητ', &c.

Autoritas divinitus.

Divinitus contingit, ut idem homo nunc magni fiat, nunc deſpiciatur. Ad id facit illud ex eodem libro:

Ῥηΐδιον δὲ θεοῖσι τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν,
Ἠμὲν κυδῆναι θνητὸν βροτὸν, ἠδὲ κακῶσαι.

Id eſt:

Eſt proclive deis amplus quos claudit Olympus,
Reddere vel deſpectum hominem, aut adjungere honorẽ.

Felicitas à Deo.

Θεῶν δὲ δῶρόν ἐστι τὸ εὐτυχεῖν βροτοῖς.

Id eſt:

Felicitas datur deum homini munere.

Ut res noſtræ bene cedant, id in nobis ſitum non eſt, ſed à ſuperum arbitrio pendet. Hominum eſt conatus, Dei eſt eventus.

Primum, recte valere, proximum formoſum, tertio loco divitia.

Plato libro de legibus 2. λέγεται γὰρ δὴ ὡς ἄριστον μὲν ὑγιαίνειν, δεύτερον δὲ κάλλος, τρίτον δὲ πλοῦτος. id eſt: Ajunt enim optimum ac potiſſimum eſſe bonam valetudinem, proximum formam, tertium divitias. Meminit hujus adagii aliis quoq; locis. Stobæus citat hæc ex Scolio quodam: ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ θνατῷ, δεύτερον δὲ φυὰν καλὸν γενέσθαι, τὸ τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως, καὶ τὸ τέταρτον ἡβᾶν μετὰ τῶν φίλων. id eſt: Bona valetudine eſſe optimum eſt homini mortali, proximum, ſpecie honeſta præditum eſſe: tertium, opes habere citra fraudem: quartum, ætatem vigere cum amicis. Plato autem lib. De legib. 1 effert ad hunc modum: ὑγίεια μὲν ἡγεῖται, κάλλος δὲ δεύτερον, τὸ δὲ τρίτον ἰσχύς. τέταρτον δὲ πλοῦτος, οὐ τυφλὸς, ἀλλ᾽ ὀξὺ βλέπων. id eſt, Primum locum obtinet bona valetudo, ſecundum forma, tertium robur, quartum opes, haud cæcæ, ſed acutum cernentes. Hic ordo votorum olim popularibus etiam cantilenis celebrabatur, teſte Platone in Gorgia. Fertur inter Græcas ſententias hujuſmodi ſenarius:

Οὐκ ἔστ᾽ ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Id eſt:

Quam bene valere, melius in vita nihil.

Item alter huic ſimilis:

Ὑγίεια καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Id eſt:

Recte valere & ſapere, duo vitæ bona.

Quo ſpectat etiam illud Juvenalis:

— Ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Et Horatius:

— Valeat poſſeſſor oportet.

Ariſto Sicyonius pæana ſcripſit in laudem ſanitatis, ut refert Athenæus lib. 15.

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων
Μετὰ σεῦ ναίοιμι τὸ λειπόμενον βιοτᾶς,
Σὺ δέ μοι πρόφρων σύνοικος εἴης.

Id eſt:

Sanitas antiquiſſima dearum,
Tecum vivam quod reliquum eſt vitæ,
Tu vero mihi propitia convictrix eſto.

Ac mox: μετὰ σεῖο μάκαιρα ὑγίεια, τέθαλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ· σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων. id eſt: Tecum diva ſanitas florent omnia, ac renitet gratiarum ver. Abſq; te vero nemo felix. Ariſtoteles lib. Rhetoricorum 2. exemplum ſententiæ quæ non egeat epilogo, hoc eſt addita ratione, quod ſic omnibus perſuaſum ſit, refert: ἀνδρὶ δ᾽ ὑγιαίνειν ἄριστόν ἐστιν, ὥς γ᾽ ἐμοὶ δοκεῖ. id eſt: Homini bene valere optimum eſt, ut mihi quidem videtur. Videtur eſſe ſenarius [illegible] corruptus. Ariſtoteles Moralium ad Eudemium lib. 1. narrat [illegible] quem in veſtibulo templi, quod eſt in Delo Apollinis, hanc ſcripſiſſe ſententiam. Eidem non adeſſe omnia, bonitatem, honeſtatem ac jucunditatem: at quod juſtiſſimum eſſet, feciſſe honeſtiſſimum: optimum autem, bene valere, omnium vero jucundiſſimum, potiri quod quis amat. Philoſophus vero felicitatem, quum ſit optima & pulcherrima, tamen eandem judicat eſſe jucundiſſimam. Hæc enim divisit vulgus, quum re ſera ſint conjunctiſſima. Locus erit proverbio, quoties ſignificabimus, aliud alio prius eſſe, & iis quæ potiora ſunt, majorem curam deberi.

In cœlo eſſe.

Cui confine eſt. In cœlo eſſe: pro eo quod eſt, ſupra modum fortunatum eſſe ac glorioſum. M. Tullius ad Atticum lib. 2. Bibulus in cœlo eſt, nec quare, ſcio; ſed ita laudatur, quaſi unus homo nobis cunctando reſtituat rem. Idem alibi ad eundem, Si vero quæ de me pacta ſunt, ea non ſervantur in cœlo ſum. Rurſum alibi: Nihil enim [illegible] in cœlo eſſe. Huc alluſit Horatius, cum ait:

Dis miſcent ſuperis —

Id eſt:

beatum me & celebrem reddunt.

Et Theocritus in Hodæporis:

— ἐς οὐρανὸν ὔμμιν ἀλεῦμαι.

id eſt:

— In cœlum vobis ſaliam.

Ex adverſo qui repente decidunt a ſumma felicitate, dicuntur Ex aſtris decidiſſe. M. Tullius ad Atticum libro 2. de Pompeio loquens: O ſpectaculum uni Craſſo jucundum, cæteris non item. Nam quia deciderat ex aſtris, lapſus potius quam progreſſus videbatur. Sed expende lector, an hoc dictum magis pertineat ad illud quod alibi retulimus: Tertius e cœlo cecidit Cato. Huic formæ cognatum eſt, In cœlum laudib. ferre: pro eo quod eſt, ſummopere laudare. T. Livius Decadis primæ lib. 2. Manat tota urbe rumor: Fabios ad cœlum laudibus ferunt.

Quævis terra patria.

— πᾶσα γῆ πατρίς.

Id eſt:

— Quævis terra, patria

Hemiſtichium eſt oraculi, quondam redditi Meleo Pelaſgo, de victoria conſulenti: cujus meminit & Mnaſeas, teſte Zenodoto, & Dionyſius Chalcidenſis. Admonet adagium, virum ſapientem ac bonum, ubicunque gentium vixerit, ſe ibidem eſſe. Unde & Socrates interrogatus, cujatis eſſet: κόσμιος, id eſt, mundanum ſe eſſe reſpondit. Idem innuit Ariſtophanes in Pluto, cum ait:

Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ᾽ ἵν᾽ ἂν πράττῃ τις εὖ.

Id eſt:

Illic enim patria eſt, ubi tibi ſit bene.

Dicuntur hæc à Mercurio cupiente vel cœlo relicto, in Chremyli jam divitis aſciſci familiam: uſque adeo credebat ibi demum eſſe patriam homini, ubicunque felicites ageret: illic exilium, ubi parum commode viveret. Fertur hic quoque verſiculus proverbialis;

Τοῖς γὰρ καλῶς πράσσουσι πᾶσα γῆ πατρίς.

Id eſt:

Solum omne patria proſpere quicunque agit.

Cicero Tuſculanarum quæſtionum libr. 5. ſignificat eſſe dictum Teucri ex Tragœdia quapiam: itaq; ad omnem rationem Teucri vox accommodari poteſt: patria eſt, ubicunque eſt bene.

Virtute duce, comite fortuna.

M. Tullius Epiſt. fam. lib. 10. ad Plancum: Omnia ſumma conſequutus es, virtute duce, comite fortuna. Hoc adeo graviter commodeq; dictum eſt, ut à quibuſdam publicitus ſymboli vice ſit uſurpatum. Virtus eligit quod eſt optimum. Quod ſi non ſuccedit, tamen in rebus præclaris, ut in magnis, etiam voluiſſe pulchrum eſt. Sin ſuccedit; prima laus debetur virtuti, tanquam egregii facinoris duci: proxima fortunæ, quæ virtuti ſubſervierit.

Sale nihil utilius.

Comperio & hoc à doctis proverbii titulo commemoratum; Humano corpori nihil eſſe utilius ſale. Salem etiam hodie omnibus cibis admiſcemus: olim apricatio vehementer laudabatur à medicis. Apud Hebræos nefas erat, ullam immolare victimam abſque ſale.

Supercilium ſalit.

Quoties bona quædam ſpes titillat animum noſtrum, dicere licebit, nobis ſalire ſupercilium. Ita Pſeudolus apud Plautum in ſui nominis fabula amanti de argento quærenti: Ad id futurum unde? reſpondet: Unde dicam, neſcio: niſi quia futurum eſt, ita ſupercilium ſalit. Sumptum à vulgi ſuperſtitione, qui futurorum auguria captat ex corporis affectibus: ut ſi quod membrum pruriat, præter evidentem cauſam, ſi dexter oculus ſaliat, ſi auris dextra tinniat. Non me fallit, aliter legi apud Plautum: verum & ipſa ſententia, & metri ratio docet eſſe legendum, ut à me poſitum eſt. Sic enim legendi ſunt ſenarii Iambici:

Verum ego te amantem, ne pave, non deſeram.
Spero alicunde hodie me bona opera, aut hac mea
Tibi inventurum eſſe auxilium argentarium,
Adfuturum unde? unde dicam, neſcio:
Niſi quia futurum eſt, ita ſupercilium ſalit.

EX APPEND. ERASMI.

Unione ſignare.

Pro, inter felicia & proſpera numerare. Perſ. Olim Scythæ unumquemque anni diem, miſſis totidem in pharetram calculis, ſignabant, quem arbitrabantur proſperum abiiſſe, candido calculo: quem egregie felicem, unione: contra, quem inauſpicatum, nigro lapillo notabant. Hinc etiam quæ præcipua ſunt, ea melioris notæ, ſeu de meliore nota eſſe dicimus. Cic. Horat. Neq; illud prætereundum, quod ſupra Chiliad. 1. Cent. 1. Proverb. 5. explicatur, calculum addere, ab Ariſtide dici, ἐπιψηφίζειν.

Rex ſum.

Inſignem felicitatem ominabatur ſibi Leno apud Plaut. de homine bene nummato: Rex ſum, ſi illum hodie ad me illexero. Eodem ſpectant illa; αὕτη ἡ τῶν ἀγαθῶν [illegible] ἰλιάς. Bonorum Ilias, Euſtath. ἀγαθῶν ἅμαξαι. Plauſtra bonorum, Athen. τὸ τῶν ἡδονῶν σμῆνος, Voluptatum examen. Plutarch. Cumulus meritorum, Cic. pro turba, numeroque immenſo.

Non ſine Diis.

Οὐ θεῶν ἄτερ, Divinitus. Cum Deo fieri dicuntur, quæ feliciter ſuccedunt; aut quæ præter ſpem ultro obtingunt. Pind. Ver. Cic. Horat. Sic, οὐ τῶν Μουσῶν ἄτερ; de carmine elegante. contra, quod fit Muſis & Apolline nullo.

IUNII *Tanquam torrens.*

Ὥσπερ χειμάρρους, torrentis in morem fieri dicitur, quod confertim & affluenter fit. Demoſthenes oratione de Corona; εἰ μὴ γὰρ μετέγνωσαν ἐξαίφνης Θηβαῖοι καὶ μεθ᾽ ἡμῶν ἐγένοντο, ὥσπερ χειμάρρους ἂν ἅπαν τοῦτο τὸ πρᾶγμα εἰς τὴν πόλιν εἰσέπεσεν. id eſt; Ni repente mutato conſilio nobis ſe conjunxiſſent Thebani, cuncta belli moles in hanc urbem velut torrens quiſpiam inundaſſet. Homerus Iliad. 5. comparat impetum Diomedis, nunc hos nunc illos aſſultantis, torrenti hybernis aucto aquis, & obvia quæque diſſipanti. Ita enim inquit;

Θῦνε

—Ποταμῷ πλήθοντι ἐοικὼς
Χειμάῤῥῳ.—

Torrenti ſimilis tumido profluit alveo.

Herodotus: χειμάῤῥῳ ποταμῷ εἴκελος, id eſt, Torrentis fluvii perſimilis. Philon Iudæus de ſeceſſu à vulgo loquens: ὡς μὴ τῇ ῥύμῃ τῆς φορᾶς, καθάπερ ὑπὸ χειμάῤῥου βίας κατασυρῶμεν. id eſt, Ne curſus vi tanquam torrentis impetu evertatur. Alio ſenſu dictum eſt illud à Gregorio Nazianz. in Athanaſium; συλλαμβάνων ὥσπερ οἱ χείμαῤῥοι τὰ παρόντα. id eſt, Aſſumens quemadmodum torrens quicquid affluit quod dici poterit de eo, qui quicquid forte occurrit, ad ſui defenſionem trahit. Suidas de Demophilo Conſtantinopolitano ſtulte, οἷος ἅμα πάντα ὁμοῦ συμμῖξαι φύρειν ἀκόσμῳ φορᾷ, καθάπερ ἄτακτος χειμάῤῥους, πολλὴν ἐν τοῖς λόγοις τὴν ἰλὺν ἐφελκόμενος. id eſt, Potens ſimul omnia commiſcere cõfuſo orationis impetu, in modum vagi torrentis, multum limi in dicendo ſecum trahens.

Manſum male rejicias.

Citat Suidas ex Ariſtophanis Equitib. trochaicum hunc acatalecticum ut proverbialem:

Εἶθ' φαύλως ὥσπερ εὗρες, ἀποβάλοις τὴν ἔνθεσιν.

Id eſt:

Manſum rejicias male, quod repperiſti non bene.

Oſtendit idem quadrare in eos, quibus præter expectationem feliciter & ex animi ſententia aliquid ſuccedit. ejus enim hæc ſunt verba, ἐπὶ τῶν παρὰ προσδοκίαν εὐδαιμονησάντων. nam laboribus aliquid acquirere, ſtudium & propenſam hominis voluntatem atque induſtriam teſtatur; at temere invenire, fortuitum eſt, nec induſtriæ laudem meretur. Quod loco Suidæ codex mendoſus eſt, atque ita emaculandus. ἐν τῇ αὐτῇ, τὸ οὐ φύσεως γνώμης ἔχον, pro, καὶ τῆς ǂ. dictum eſt autem ab equitum cœtu in Cleonem, qui rerum ad Pylum feliciter geſtarum gloriam ad ſe trahens, in Prytaneo reipubl. impendiis ut aleretur, obtinuerat. Competit ergo in eum, qui facinus aliquod nulla ingenii ſagacitate aut prudentia peregit, ſed temere, magnamque laudis partem inde velut ſingularis induſtriæ teſtimonium quærit. Convenit etiam, meo judicio, non male in indignos ſplendida quapiam conditione, aut opimo ſacerdotio, aut honoribus quos malis artibus involarint, vel cæcæ deæ beneficio nacti ſint: in quos convenientiſſime iſta precatio detorquebitur:

Εἶτ' φαύλως ὥσπερ εὗρες, ἀποβάλοις τὴν ἔνθεσιν.

Id eſt:

Rejicere ut manſum ſic poſſis, ut es adeptus improbe.

Cyclopica vita.

Κυκλώπειος βίος, Cyclopica vita, pro beata & nullius rei indiga uſurpatur apud authores omnes. ſic enim exponit Euſtathius in commentariis in Dionyſium τὸν εὐδαίμονα καὶ ἄπονον, felicem & bonis omnibus citra laborem affluentem. Talem enim Cyclopum terram fabulatur Homerus, quæ ſine cultura hominum cuncta producat. De diis ſic loquitur Vlyſſes Odyſſeæ 9.

Οὔτε φυτεύουσιν χερσὶ φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν.
Ἀλλὰ τά γ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.

Hoc eſt:

Non pangunt plantas, non frangunt vomere terram,
Omnia fert tellus non conſita, ſciſſave aratro.

Quod repetit & Philoſtratus Iconum lib. 2. Strabo Geographiæ 11. Albanorum, qui Iberis proximi ſunt terram adeo uberem & fœcundam ſcribit, ut ne minima quidem cultura opus habeat, ſed cuncta citra ſementem & inarata producat, quemadmodum ibi peregrinati milites narrant, eos Cyclopicam vitam vivere dictitantes. Græce ſonant ita: τυγχάνει δ' ἐπιμελείας ἐπὶ μικρὸν, ἀλλὰ πάντα φύει ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα ... Κυκλώπειον διηγούμενοι βίον. Meminit & Dion Chryſoſtomus, oratione De fortuna ſecunda, ubi ait: Fortunam in læva manu tenere congeriem fructuum omnis generis coacervatorum, unde manarunt fabulæ de aureo genere, de inſulis beatis, & Herculis cornu, καὶ κυκλώπων βίος, id eſt, Cyclopum vita. Non inficior, poſſe etiam ad incultam & efferam vivendi rationem trahi adagium, quod fecit Eraſmus: attamen in coſenſu non eſſe uſitatum authoribus video.

Albus dies.

Λευκὴ ἡμέρα. Albus dies pro felici & læto, fauſtoque ac hilari accipitur. docente iſtud Plutarcho in Pericle, & originem ejus indicante: τοὺς ἐν εὐπαθείαις ποιουμένους, λευκὴν ἡμέραν ἐκείνην ἀπὸ τοῦ λευκοῦ κυάμου προσαγορεύειν. Ajunt eos qui in deliciis jucunde degunt, album eum diem nominare à faba alba. Eſus occaſio talis eſt. Quum Athenienſes arctiſſime Samios obſediſſent, daretque operam Pericles ut longa potius mora eos frangeret, quam civium ſanguine victoriam cruentam pararet, ægre tamen prælium flagitantes in officio continere poſſet, in octo partes omnem multitudinem partitus eſt, & ſorte ducta ita ſtatuit, ut quæ pars candidam fabam duxiſſet ſortito, cæteris pugnantibus, ocio conviviiſq; operam impenderet: hinc natum, ut λευκὴν ἡμέραν διάγειν, Album diem agere dicantur, qui in tranquillo ocio & deliciis vitam degunt. Ita uſus eſt & Silius Italicus de voluptatis promiſſis ad Scipionem loquens:

Sic current albique dies horæque ſerenæ:

Saturnia vita.

Κρόνιος βίος, id eſt, Vita Saturnia, proverbiali tropo effertur pro beata, & luxus exotici dolique ignara, qualis aureo ſeculo tribuitur à poetis. Damaſcius Syrus in philoſophica hiſtoria de Serapione Alexandrino loquens: καὶ δὴ ἐν αὐτῷ ἐδόκει τὸν μυθολογούμενον κρόνιον βίον. id eſt, in illo videri ſibi videtur Saturniam vitam fabulis decantatam: & iterum: εἰ μὴ θεῶν τις ἐβουλήθη παράδειγμα τοῖς ἀνθρώποις χαρίσασθαι ἐν ... ἵνα μὴ δοκῇ μῦθος εἶναι ὁ λόγος, μὴ ἔχων ἱστορικὴν μαρτυρίαν. id eſt: Niſi Deus quiſpiam voluerit gratificari hominibus, exemplar vitæ Saturniç proponendo, ne in fabulæ ludibrium res abiret, hiſtoriæ teſtimonio carens. & rurſus, ubi comparat duos inter ſe ſophiſtas moribus diſſimiles, Serapionem videlicet & Pampcepium Ægyptium, ὁ μὲν γὰρ ἦν, inquit, τὴν ζωὴν κρόνιος τις ἢ δῖος, ὁ δὲ τυφώνιος καὶ τυφῶνος ἔτι πολυπλοκώτερος θηρίον καὶ μᾶλλον ἐπιτεθυμμένον. hoc eſt: Alter vitæ inſtituto Saturnius quiſpiam erat aut Iovius, alter Typhonius, imo Typhone ipſo verſipellius monſtrum atque elatius, magiſq; inſolens. Saturno regnante auream ætatem extitiſſe fabulantur poetæ, qua

—Vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem rectumque colebat,
Contentique cibi nullo cogente creatis
Vivebant;—

ut canit Ovidius. Ælianus ſophiſta, σὺ γὰρ ἀποδείξεις τῶν ᾀδομένων ἐκείνων εἷς, οὓς ἐπὶ Κρόνου φασὶν ἐκ τῆς γῆς αὐτόματα ἔχειν πάντα, καὶ ἀφελεῖς τρόπους. id eſt: E beatis illis unus eſſe videris, quos Saturni ætate ferunt cuncta ſua ſponte è terra enata habuiſſe morumque ſimplicitate præditos.

Deo praeunte, nullius officit obex.

Frequens eſt, & parœmiæ vice uſurpatum ab Ariſtide, θεοῦ δείξαντος ἀρχήν: id eſt, Deo præeunte, aut initium faciente, ut in Panegyrica oratione: ἀλλ' ὥσπερ ἔφη Πίνδαρος θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν, οὐδὲν δὴ τὸ κώλυον. id eſt: At ubi Deus initium oſtenderit, quod ait Pindarus, nullius officit obex. Idem adverſus ocii ſui obtrectatores: θεοῦ δ' φησὶ Πίνδαρος δείξαντος ἀρχὴν, εὐθεῖα δὴ κέλευθος ... τὸ προκείμενον. hoc eſt: Monſtrante initium Deo, ut Pindarus inquit, prona eſt ſemita ad inveniendum quod propoſitum eſt. Huc pertinet ſentẽtia proverbialis, quam citat Suidas: θεοῦ παρόντος ἅπαν ἄπορον πόριμον. id eſt: Deo præſente fit expeditum quicquid fuerat implicitum. & illud Ariſtidæ: εὔλυτα παρέχοντος θεοῦ τὰ ἄπορα, id eſt: Fit pervium authore Deo quod impervium erat antea. Hinc Philon Iudæus lib. Quod omnis vir bonus idem ſit & liber: ἀναφθέγξεται γὰρ ἐκεῖνο τὸ σοφόκλειον, οὐδὲν τῶν πυθοχρήστων διαφέρον, θεὸς ἐμοὶ ἄρχων, θνητῶν δ' οὐδὲ εἷς. id eſt: Exclamabit enim Sophocleum illud, oracularibus reſponſis nihilo inferius; Mortalium nemo, ſed Deus dux eſt mihi. Ad hanc claſſem ſpectat & Syneſii illud in epiſtolis: θεὸς ἡγείσθω παντὸς ἔργου καὶ λόγου. id eſt: Deus cujuſvis & dicti & facti auſpex eſto. Certe religio omnis Deum opificem omnium agnovit ſemper, & ab illo captandum auſpicium unanimi conſpiratione conſenſit, unde Pauſaniæ authoritate annotat Euſtathius, in cujuſlibet rei auſpicatu dici ſolere, celeuſmatis inſtar, θεὸς θεὸς, id eſt, Deus Deus, quod obſervaſſe non temere videtur Plato in principio librorum de Legibus: ubi quum Athenienſis hoſpes dubie dixiſſet, videri à Deo aut ab homine quopiam invectas eſſe leges, reſpondet Clinias: θεὸς ὦ ξένε θεὸς, hoc eſt: Deus ô hoſpes Deus, ejuſce rei author eſt. Quod Platonis dictum repetit Theon Alexandrinus in Aratæis commentariis, cauſam reddens, cur ab Jove exordium operis ſumpſerit Aratus, ita canens:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.—

quod Maro ad ſe recepit, ibi:

Ab Jove principium.—

Nimirum & Pindarus alicubi dixit breviter: Διὸς ἐκ προοιμίου hoc eſt: Ab Jovis proœmio: innuens ab Iove, hoc eſt, Deo rerum principio, conatus noſtri auſpicium eſſe ſumendum.

Cujus nunc calent aræ.

Ὧν νῦν θερμοὶ βωμοί. i. Cui nunc calent aræ. Adagium illi finitimum: Nunc tuum ferrum in igni eſt. De iis qui per occaſionem in precio ſunt, pro re nata magni fiunt. Ariſtophanes in Lemniis citatur:

Τὴν κρατίστην δαίμονα, ἧς νῦν θερμὸς ἔσθ' ὁ βωμός.

Id eſt:

Præ cæteris deam potentem, cujus ara nunc calet.

Natum è vulgi ſuperſtitione quod mobili ingenii æſtu nunc huic, nunc illius Divi numini æquius eſſe ſolet atque addictius ut pro varia occaſione religio huc vel illuc animum inflexerit. Sic fere Janum alloquitur Septimius Afer in Georgicis apud Terentianũ Maurum:

Tibi vetus ara caluit Aborigineo ſacello:

Pergama non triſtia incolit.

In eos qui læta ſibi omnia augurantur, & ex animi ſententia cuncta feliciter cedere putant, & qui tantum non ſibi videntur dii eſſe, quadrabit proverbiale illud dicterium, quo apud Æſchylum tragicum poetam Prometheus rupi Caucaſeç affixus, Mercurium cum reliquo deorum vulgo, qui tũc rerum cœleſtium potiri tranquille ſibi videbantur, exagitat:

Καὶ

Καὶ δαίειν δὴ
Ναίειν ἀπηλεῦ πτόλιεθρον. Id eſt:
Habitare non triſte
Hunc vos memini.

Sumpta origo a temporibus Trojæ jam tum fortunatæ, quum totius Aſiæ imperio potita, firmiſſimum & domeſticis opibus & externis viribus regnum conſtabiliſſet, nondum πανώλεθρος vocari merita, nondum luctuoſam ſortem, in quam poſtea incidit, experta. Torqueri poteſt in principem virum, aut rempublicam aliquã, cui opibus florenti, & ſocietatibus confirmatæ, videndum ſit, tantiſper dum ſecundo æſtu omnia feruntur, dum res videntur validiſſimæ, hoc eſt, ἐναιόμενον ἀπηλεῦ πτόλιεθρον, ne præcipitet in ruinam, nimis protervè ſuis conſiliis uſa, & viribus freta.

Ter ſex jacit.

Τρὶς ἓξ βάλλειν, hoc eſt, Ter ſex jacere, proverbio dicitur cui ex animi ſententia ac pro votis omnia ſuccedunt proſperrime: inde nata proverbii origine, quod antiquitus in tritum cuborum jactu, ſeniones jeciſſe, fortunatiſſimum erat, & primæ palmæ victoriam apportabat, aliter quam putavit Eraſmus, ter trium jactum feliciſſimum fuiſſe. diſerte namque teſtatur Suidas quod dixi, ita annotans: τρὶς ἓξ, νικητήριος βόλος. id eſt: Ter ſex, victor jactus eſt. & atteſtatur proverbium, quod ancipiti voto vel ſupremam vel infimam ſortem depoſcit: τρὶς ἓξ, ἢ τρεῖς κύβοι. id eſt: Ter ſex, aut tres uniones. Clariſſime vero extra controverſiam hoc ponit apud Æſchylum in Agamemnone nuncius in ſpecula relictus, qui conſpicatus in tenebris facem capti Ilii indicem, ut convenerat, ait ignem illum ter ſex jeciſſe, nimirum fauſta ac læta omnia portendere deſignans, verſus hi ſunt.

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
Τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.
Id eſt:
Feliciter cecidiſſe heriles res dabo,
Fax iſta quando jecerit ter ſex mihi.

Qui verſus quoniam depravati leguntur apud Suidam, admonendus eſt lector. æquivocum duplicis. nam & male ... in priore ſcribitur: & in ſecundo, βαλλούσης τῆσδέ μοι. Neque vacuus error eſt codex Euſtathii Romæ excuſus, apud quem in Odyſſeæ primo pro τῆσδέ μοι, legitur τῆς δὲ δός.

Mare omnium non indiget.

Nazianzenus in Monodia in Baſilium: οὔτε γὰρ θάλαττα δεῖται τῶν εἰσρεόντων ποταμῶν. id eſt: Non indiget mare influentibus amnibus. Utemur eo, quum oſtendere volemus, quempiam ita ſuis animi dotibus inſtructum & exornatum, ut per ſe abunde ſit laudatus, nec acceſſione alieni præconii aut externo adjumento opus habeat. Philoſophiæ doctrina imbutus, non indiget uno aut altero Iſocratis aut Agapeti præcepto ad mores faciente: vir cordatus alienis non uſus habet conſiliis, ſuis abundans. Eo modo ut tur idem in epiſtola quadam ad Baſilium: εἴπερ ὕδατος ἡ θάλαττα δεῖται, καὶ σὺ τῶν συμβουλευόντων. i. Si aqua indiget mare, & tu conſultore opus habebis.

Præſente arbore, ligna omnes colligunt.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
Id eſt:
Præſente quercu ligna quivis colligit.

Parœmia citatur a Scholiaſte Theocriti. Facile cuivis eſt ſcribere, parata dicendi ſcribendive materia, quum res ſe ubertim ſuggerunt, recte namque dictum eſt ab Horatio:

Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.

Eraſmus pro, πεσούσης id eſt, ad manum, præſente & parata, legendum cenſuit, πεσούσης, hoc eſt, ruente vel lapſa.

BRASSICANI. *Terram video.*

Proverbium eſt comprimis elegans, quoties ſignificamus nos habere certiſſima præſidia, ad hanc portum quendam tranquillitat is nactos eſſe. Cicero libro 2. epiſtol. ad Atticum: Cupio iſtorum naufragia ex terra intueri. Plautus in Menæchmis: Ex alto terram aſpicere voluptas eſt nautarum. Homerus Odyſſeæ ο.

Ὥς τε γῆν δέ τε γαῖαν ἰδὼν ἐφ' ἡδὺ θάλασσ' ...

Rurſus Odyſſ. ψ. natantes terram cum ſumma lætitia aſpicere, ut ex Plauto jam oſtendi:

Ὡς δ' ὅτ' ἂν ἀσπάσιος γῆ νηχομένοισι φανήῃ. &c.

Quod Statius lib. ſeptimo Thebaid. ita reddidit.

——Dulcis medii de gurgite ponti
Reſpicitur tellus——

Et libro ſecundo Thebaidum:

Nec minus læti trahimus ſolatia, quam ſi
Præcipiti convulſa noto proſpectet amicam
Puppis humum, &c.

Cicero d. Senectute: Quæ mihi quidem tam jucunda eſt, ut quo propius ad mortem accedam, quaſi terram videar videre, aliquandoque in portum ex longa navigatione eſſe venturus. Plautus in Mercatore: Atque equidem jam me cenſebam eſſe in terra. id eſt, in loco tuto & tranquillo. Qu. Curtius in 4. Haud ſecus quam profundum æquor ingreſſi, terram oculis requirunt. Diogenes, authore Laertio, cum in prolixiorem librum incidiſſet, ac legendo tandem ad finem perveniſſet: Bono, inquit, eſtote animi viri, nam terram aſpicio. Proverbio uſus eſt & Cicer. pro Murena, & Plutarchus in Antonio.

Hac nos Deus ipſe ducit.

Hemiſtichium hoc apud Homerum, non uno loco poſitum;

——Καί τις θεὸς ἡγεμόνευε:

præcipuum uſum habet, quando ſignificamus, nos honorifico inſtituto quippiam aggredi, & rationibus neutiquam vulgaribus permoveri. Sic enim & Plato uſus eſt in fine dialogi, qui inſcribitur Crito: ἐπειδὴ ταύτῃ ὁ θεὸς ὑφηγεῖται. id eſt, Quoniam hac nos Deus ipſe ducit.

IOANNIS VLPII. *Hortus altera ſuccidia.*

Succidium dicitur lardum ſuillum, ponitur hic pro carnario; cujus vicem hortus implet. nam, ut Plinius inquit, expedita res & parata ſemper, neque egent igni qui hortos habent. Crudis enim cibis facile veſcuntur & coctu facilibus. Seneca.

Quorſum opus amicis, ſi modo faveat Deus?

Ὅταν δ' ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί δεῖ φίλων, Hunc ſenarium, tanquam vulgo celebrem citat Ariſtoteles, ubi agit de homine beato, anne ille etiam egeat amicis. Qui putant eum omnia in ſe ſufficienter habere, nec ideo ullis opus habere amicis, hunc ſenarium adferunt. Contrarium tamen Ariſtoteles concludit. Veri enim amici eſt, dare potius beneficium quam accipere; virtutiſque proprium eſt, benefacere, & pulchrius amicis benefacere quam alienis, opus ergo amicis.

COGNATI. *A te ſudor abeſt ſaliva mucuſque.*

Catullus in Furium dixit, quem aſtuta quadam fallacique ratione probare voluit beatum eſſe, cum egeret, atque aſperum victum, amplecteretur; A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva mucuſque, & mala pituita naſi. Vita enim inops, in ſe habet boni, quod morbis expoſita non ſit, carens pituita & excrementis quæ gignit epularum humorumque copia ac redundantia, ut medici teſtantur.

Thaſus bonorum.

Thaſus inſula Ægæi maris auritudinis quondam celebrata, & Cereris granarium propter fertilitatem dicta fuit; unde in proverbium abiit, perinde ac ſi quis diceret, θάσος, id eſt, Multitudo, ſive denſitas bonorum. Alii ita efferunt, Datus bonorum; veluti & hoc, ἀγαθῶν ἀγαθίδες. (Vide Chiliad. proverb. Thaſſus bonorum; & Bonorum glomi.

Diis ſecundis.

Diis ſecundis, & ventis ſecundis, proverbialem figuram ſapiunt; pro feliciſſime, & proſpero ſucceſſu. Virgil. 2. Georg.

Non ego te menſis & diis accepta ſecundis.

Et 7. Æneid.

——Dii noſtra incœpta ſecundent.

Et 8. Æneid.

Parte alia ventis & diis Agrippa ſecundis, &c.

Plaud. in Rud. Aliter dii me homineſq; reſpiciunt. Huic contrarium, Diis iratis. Plaut. in Pœn. Nam ego hodie infelix dis meis iratiſſimis ſex agnos immolavi, &c. Diis autem iratis proverbialiter quoque fieri dicitur id, quod infeliciter geritur. Hæc enim opinio ſemper fuit hominum animis inſita. Diis iratis aut invitis nihil proſpere evenire, nihil feliciter geri, nihil denique bene procedere; Quod Virg. Æneid. 11. confirmat:

Heu nihil invitis fas quenquam fidere Divis.

Et Catullus ad Manlium:

Nil mihi tam valde placeat Rhamnuſia virgo,
Quod temere invitis ſuſcipiatur heris.

id eſt, Diis Horatius lib. 1. Sermon. ſat. 5.

——Deinde Gnatia Lymphis
Iratis extructa.

Ex quo nata ſunt hoc loquendi genera. Terent. in Phorm. Mihi uſu venit hoc, ſcio, Memini relinqui me Deo irato meo. Livius li. 3. & 9. Cic. in orat. pro Cœlio, & epiſt. ad Atticum lib. 4. dixerunt, Iratis Diis. Theocritus in Char. dixit difficiles eſſe Muſarum vias abſque Jove, & innuens, quod niſi Deus aſpiret juvetque, infelices ſunt Muſæ & ſucceſſus deeſt ſtudiis doctrinæ. Juſtinianus in proœmio Inſtitutionem juris, Theophilo anteceſſore Græco interprete: θεῷ ἀρωγῷ ... id eſt: Deo favente abſolvit. Euripides in Rheſo: θεῶν διδόντων. id eſt: Diis bene juvantibus. Ibidem: ξὺν θεῷ, id eſt: Deo bene volente. Syneſius: σὺν θεῷ ... Plato: σὺν θεῷ εἰπεῖν ῥᾴδιον ἐστι. Demoſthenes: ... Nihil enim invito & adverſante Deo ac fortuna conandum: ut Ulyſſes apud Euripidem in Rheſo admonet. Vide interius adag. 390. Volente Deo: &, Deus ita volvit.

Ante obitum nemo beatus.

Multis in ore eſt, ante obitum neminem eſſe beatum: ſuntque hac ſententia ſcriptorum libri conſperſi. Sententia eſt Solonis philoſophi, qua Crœſi Lydorum regis divitias ſuggillavit. A Crœſo enim interrogatus, an quem vidiſſet ipſo beatiorem? aliquot nominavit, qui cum ſumma pietatis laude obiiſſent diem. Indignatus rex: Nullo igitur loco me ponis? Ego, inquit Solon, facile confiteor te regem opibus & imperio florentem: beatum nõ appellarim prius, quam feliciter hanc vitam abſolveris. Crœſus memor

memor hujus reſponſi, cum à Cyro Perſarum rege foret captus, Solonem appellavit, dicens: O Solon, Solon. ac ſi diceret, Quam vera mihi dixiſti. Refert Herodotus in primo. Ovidius libro tertio metamorph. de Actæone:

——Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus
Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Hanc ſententiam Auſonius ſic carmine trochaico expreſſit:

Dico tunc vitam beatam, fata cum peracta ſunt,

Nemo igitur beatus, niſi qui feliciter obierit diem.

Homini nihil utilius ſanitate.

Sanitate nihil homini utilius aut jucundius eſſe poteſt, ſine qua nulla eſt cæterarum rerum voluptas: ac, ut in ſuo hymno Orpheus cecinit, cuncta ſunt hominibus inutilia. Qui olim Epigramma in Apollinis Delphici propyleo inſcripſit, illud, autore Ariſtotele, inſeruit: λῷστον τὸ ὑγιαίνειν. Quin etiam Plato libr. Rhetor. 2. inter bona humana primum locum tribuit ſanitati: & ex antiquo poeta convivalem hanc cantilenam diſcumbentibus celebrari ſolitam citat lib. De rep. 6. & 1. & 2. De legibus in Gorgia:

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἀνδρὶ,
Τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν φυὴν γενέσθαι,
Τὸ τρίτον δὲ πλουτεῖν ἀδόλως.

Inter Menandri ſententias refertur & ille ſenarius:

Οὐκ ἔστιν ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. & aliter
Ὑγεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Sanitatis pæana & laudem Amphion Sicyonius poeta his verſibus ſic decantavit apud Athenæum libro ultimo Dipnoſoph.

Μετὰ σοῦ μάκαιρα Ὑγίεια τέθαλε πάντα
Καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ, σέθεν δὲ χωρὶς
Οὐ φάνης εὐδαίμων.

Id eſt:

O beata ſanitas, te præſente amœnum
Gratiis ver floret, abſque te nemo beatus.

Panætius quoque ac Poſſidonius philoſophi a Cicerone adeo celebrati, in ea fuere ſententia, virtutem minime ſufficere ad bene beateque vivendum, ſed bona etiam valetudine opus eſſe. Sapienter etiam Juvenal. ſaty. 10.

Orandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano.

Plutarchus in libr. De valetudine tuenda, ſane bonam valetudinem maxime divinum bonum, longeque blandiſſimum eſſe totius vitæ condimentum, dixit. Et Martialis inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, ſalubre corpus reponit. Sed Pythagoras quoque cum per literas amicos ſalutaret, non alia uſus eſt voce, quam ut juberet eos ὑγιαίνειν. Lucian. in ſerm. de lapſu in ſalutatione. Salus à Romanis Dea, ut Græcis hygeia, una cum ſorore Panacea ac patre Æſculapio culta olim fuit, cujus etiam ut Deæ meminit Hippocrates in jurejurando: In Sicyonia Hygeiæ ſimulachrum ſumma veneratione olim cultum Pauſanias ſcribit. Maximus etiam Tyrius, nobiliſſimus inter Platonicos philoſophus, vetuſtum carmen citat, orat. 41. quod in ſupplicationibus olim canebatur:

Ὑγίεια πρεσβίστα μακάρων,
Μετὰ σοῦ ναίοιμι,
Τὸ λειπόμενον τοῦ βιοτᾶς.

Id eſt:

Beatorum antiquiſſima ſanitas,
In reliquam vitam tecum ſim.

Hoc proverbium eſt Gallicum, apud quos effertur in hunc modum: Il n'ya que ſanté. & : Il n'y a ſi cher que ſanté. Non enim regibus regna ſuavia, non ducibus fortitudo glorioſa eſſe poteſt, non erudito jucunda ſapientia, ſi corpore non recte valeat.

Felices ter.

Color eſt proverbialis. Homerus ὀδυσσ. ε.

Τρὶς μάκαρες.—— id eſt:
Ter beati.

Horat. Carminum lib. 1. ode 13.

Felices ter, & amplius, &c.

Contra Leonhardus Jachinus in libellum Galeni de præcognitione: Præcognitionis vocem ter miſeri è medio tollere tentabant. Virgil. lib. 1. Æneid.

O terque quaterque beati.

Galli hujus numeri additione rem amplificant, ſed inverſis literis: nam pro ter, ſonant tre. Vide apud Eraſmum noſtrum, Ter.

Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

Quadrabit in hominem iis inſtructum artibus, qui juvare poſſit, ſi velit, vel lædere. Id olim proverbio jactatum fuiſſe, teſtatur Thucydides libr. 6. in oratione Alcibiadis: Dictum videlicet illud vetus, quod ab omnibus uſurpatur: Si quis, dum hoſtis eſſet, vehementer nocuit, eundem ſi amicus ſit, ſatis profuturum. Vide alibi, Ex his ægrotamus, quibus vivimus: & ibi Ovidianum illud libr. Triſt. 2.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Bene habet, bene ſit.

Eſt & hoc genus loquendi Gallis uſitatum, & pro proverbio. bene enim illis haberi dicitur, quod diligenter ſeduloque curatur & colitur, neque negligitur: quomodo rationem cenſet eſſe excolendam Cicero 4. Tuſculan. diſputat: Itaque bene habita ratio cernit, quid optimum ſit: neglecta multis implicatur erroribus. Profertur varie, ut exemplis patebit. Sic Livius libr. 8. Bene habet vicit diſciplina militaris, vicit imperii majeſtas, &c. Plautus in Menæchmis; Si ſapiam: hinc intro abeam, ubi mihi bene ſit. Terent. Adelphis. Et tibi bene eſſe ſoli, cum ſibi ſit male. Catul. ad Furium;

Quare non tibi ſit bene ac beate?

Ibidem;

Eſt pulchre tibi cum tuo parente.

Horat. epiſtol. 1.

—— Juvat bene ſolis eſſe maritis.

Satyra 2 lib. 2.

Bene erat.

Saty. 8. ejuſdem libr.

——Ut mihi nunquam
In vita fuerit melius. ----

Ibidem;

Pulchre fuerit tibi.

Sic loqui ſolebant veteres, cum bonum optabant eventum: quod & Pharmaceutria Virgiliana precatur. hoc eſt ecloga 8.

Aſpice, corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror cinis ipſe: bonum ſit.

Sic & Perſius ſatyra 4.

Ingemit, hoc bene ſit: tunicatum cum ſale mandens
Cæpe & ferratam pueris plaudentibus offam.

Igitur Bonum ſit, & Bene ſit, dicere ſolebant, ſecundum aliquid & proſperum optantes & ominantes, & ſic in magnis rebus auſpicandis præfari: ut Cicero in principiis defenſionum Murenæ, Rabirii & aliorum. Simile eſt illud, Quod Deus bene vertat: & Deus avertat.

Ad ſatietatem.

Longo hominum ævo hoc genus loquendi probatum & uſitatum eſt. Lucret. lib. 5. in principio:

——Ita ad ſatietatem terra ferarum
Nunc etiam ſcatit. &c.

Deus omnia dirigit.

Plato in Timæo: Τὸ γὰρ δὴ πᾶν τόδε τοτὲ μὲν αὐτὸς ὁ θεὸς συμποδηγεῖ πορευόμενον καὶ συγκυκλεῖ. Hoc igitur omne Deus ipſe dirigit & verſat. Iſtud hodie vulgo dici ſolet, & in ore eſt omni populo Chriſtiano: nec rarum nec infrequens apud veteres. Quum autem oſtendimus aliquem evaſiſſe periculum, non humana opera, ſed Dei beneficio, ductore Deo factum dicimus. Virg. Æneid. 2.

Deſcendo, ac ducente Deo flammam inter & hoſtes
Expedior. ---

Huc facit illud Demoſthenis: ἐὰν θεὸς θέλῃ. Si volet Deus, quam clauſulam Chriſtiani pie prudenterque uſurpant. Vide poſt, Divitius.

Οὐκ ἄνευ θεοῦ, Volente Deo, Nihil ſine Deo.

Σὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ καὶ ὀδύρεται.
Cum Deo quiſque flet & ridet.

ab illo enim omnia proficiſcuntur. Illo annuente, citra humanam operam optata eveniunt: negante vero, omnia conſilia, conatus & induſtria jacet. Atque hæc illa prædeſtinatio eſt ad vitam, de qua in ſacris apertum extat teſtimonium Pauli. Quid conſilium humanum, quid vires adverſus divinam providentiam poſſunt. Quis auſit θεομαχεῖν, & quidem gigantum exemplo? Pindarus in Pythiis hymno 5. οὐ θεῶν ἄτερ. id eſt: Non ſine diis. Horatius lib. 3. Oda. 4.

Non ſine diis animoſus infans.

Recte ſenſit, abſque providentia Dei nihil geri in rebus mortalium, magiſque fidendum divino favori, quam humanis conſiliis aut viribus. Virg. 1 Æneid.

Et jam juſſa facit; ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo: ----

Θεῶν ἄλλως ἔδοξε. Rerum humanarum ſubita eſt mutatio. Neque in nobis ſitum eſt, ut res ſint vel ſecundæ, vel adverſæ; ſed ut Deo viſum eſt, ita proſperis attollimur, vel adverſis dejicimur. Virg. Æneid.

Diis aliter viſum eſt. ----

Item tertio:

Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis. -----

Europa apud Theocritum Eidyllio 20.

Οὐκ ἀθεεὶ τοῦτον διαπλώομεν ὑγρὰ κέλευθα.

Id eſt:

Non ſine Deo per humidas tranſeo vias.

Imperator Juſtinianus in conſtitutione, qua Juris civilis Inſtitutiones confirmantur, approbanturque: Et opus deſperatum, quaſi per medium profundum euntes, cœleſti favore jam adimplevimus, Cumque hoc Deo propitio peractum eſt, &c. Lucanus Pharſaliæ lib. 9.

Hæremus cuncti ſuperis, temploque tacente
Nil facimus niſi ſponte Dei. ----

Vide alibi adag. Diis ſecundis: & inferius, Deus ita voluit.

Sic viſum ſuperis.

Cum ſuos caſus non ſibi adſcribebant, ſed diis, dicere ſolebant. Sic viſum ſuperis, ut Virgilius lib. 2. Æneid.

Diis

Diis aliter viſum. —— & tertio :
Poſtquam res Aſiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam viſum ſuperis.——

Horatius od. 33. lib. 1.
Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco——

Vide ante, Deus ita voluit. Viderit Deus, Volente Deo, Diis ſecundis, Sic reges faciunt. Clariſſimus vir Nicolaus Perrenotus Burgundus, pro ſymbolo habuit : Sic viſum ſuperis.

Ἐξ οὐρίας πλεῖν.

Phraſis eſt admodum frequens, pro navigare vento ad puppim flante. οὖρος enim ventus eſt ſecundus, & aura proſpera, ut quidam tradidere : ſic dicta ἀπὸ τῆς οὐρᾶς, id eſt, puppi quam impellit : puppis etenim οὐρὰ interdum, ab animalium cauda vocatur, Moſcopulo teſte Poetis οὖρος eſt, ut apud Homer. Iliad. α.

Ἰκμενον οὖρον ἵει ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Euripides in Troade οὖρον dixit, ventum ſecundum, à puppi recta in velum flantem.

Vivunt dum virent.

Seneca epiſt. 130. Quicquid te delectat, æque viret ; vivunt, dum virent. Sentit enim nobis virere, quicquid delectat ; & delectat etiam memoriam rerum bonarum. Idem epiſt. 94. Et vixit, & viguit. M. Varro in Manio, citante Nonio ; Nec natus eſt, nec morietur ; viget veget utpote plurimum. Veget, pro vegetat, vel erigit, vel vegetum eſt.

Deus ita voluit.

Quicquid homini acciderit aut commode aut ſecus, vulgo dicitur, Deum ita conſtituiſſe. Pro quo clariſſ. vir Nicolaus Perrenotus dixit : Sic viſum ſuperis. Virgil. 2. Æneid.
——Diis aliter viſum eſt,

Ut Deo enim viſum eſt, ita proſperis attollimur, vel adverſis dejicimur. Plautus in Amphitr. ubi Alcumenam ita loquentem facit.

Satin parva res eſt voluptatum in vita,
Præ quam quod moleſtu'ſt ita quoque comparatum
Ita diis placitum: voluptati ut mœror comes conſequatur.
Atque in ætate agunda,
Eſt in ætate hominum.

Vide adagia, Diis ſecundis, Volente Deo ; &, Nihil ſine Deo, & Deus viderit.

Sylva.

Latinis admodum obſoletum & uſu tritum, pro congerie incondita. Quintilianus lib. 10. Diverſum eſt huic eorum vitium, qui primo quaſi decurrere per materiam ſtylo quam velociſſimo volunt, & ſequentes calorem atque impetum ex tempore ſcribunt (hanc ſylvam vocant) repetunt deinde & componunt, quæ effuderant. Hinc & Statius ſylvas inſcripſit, quæ impetu quodam atque ex tempore effudit. & illud Cornelii : Probus reliquit non mediocrem obſervationum ſermonis antiqui ſylvam. Budæus in fine libri 3. De contemptu rerum fortuitarum : Neceſſitudini vero noſtræ, inquit, tribues, quod tibi quaſi ſylvam meditationum mearum cogitationumq; congeſſi, tribus libris diſtinctam. Nos quoque noſtros narrationum libros, Sylva, inſcripſimus. Sylva alioqui pro copia ponitur. Cicer. De oratore lib. 3. Verborum eligendorum facilis eſt ratio, vel ſine ratione ipſa exercitatio: Rerum eſt ſylva magna. Alibi : Omnis (inquit) ubertas & ſylvá dicendi. Item : Primum ſylva rerum ac ſententiarum comparanda eſt, qua de parte dixit Antonius. hoc eſt, maxima congeries & ubertas. Sic Eſaias 9 per ſylvam, totum populum intelligit, ac impiam morum perverſitatem ſic accenſam eſſe, atque exardeſcere dicit, ut non modo ſtipulum, fœnum atque arida quæque conſumat, ſed & vepres atque ſentes corripiat : viros nimirum graviores, ac in eminentia conſtitutos : quorum pravo exemplo malum proſerpit, atque incendit denſam, omnigeniſque arboribus refertam ſylvam, totum nimirum populum.

Sinu luculento.

Sinus in hoc proverbio pro copia & abundantia accipitur : quo modo & à Seneca : Non recipit ſordidum virtus amatorem : ſoluto ad eam ſinu veniendum eſt, aperta penu, & arca recluſa, plena liberalitate, & copia effuſa. Livius : Tum ſinu ex toga facto. Hic, inquit, bellum vobis & pacem portamus. Et paulo poſt : Cum ſinu, inquit, effuſo bellum ſe dare dixiſſet. hoc eſt, excuſſa toga, quam in ſinum collegerat. Contra, contracto ſinu dicitur tranſlatione ab homine liberali, qui munificentiam ſuam quam primũ vult excipi promptitudine accipientis. Budæus Lud. Vivi ; Atqui ingenium habeo ut liberale, ſic moroſum, ut niſi ſtylus ex tempore excipiat quæ ab eo funduntur, contrahat mox ſinum, alioque ſe convertat.

Occupanti fiunt derelicta.

Occupare is dicitur, qui primus arripit. Et res pro derelicto habitæ, occupanti conceduntur, ut dicunt juris interpretes. De nique occupantis melior eſt & potior cauſa & conditio: quod vulgo etiam dici ſolet : & explicatur D. de re judic. l. inter eos & de procurator. l. pluribus, & de noxalibus act. l. ſi quis à multis. Et verius eſt, inquit Vlpianus, occupantis meliorem eſſe conditionem. Budæus Alciato : Porro autem opus derelictum, quod jam occupanti poſſidere per me licuit, ut reſumam ab integro, in animum inducere nequeo Juſtin. libr. 2. Inſtit. juris. de rerum diviſ. Quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur. Et : Quum vero tuam evaſerit cuſtodiam, & in libertatem naturalem ſeſe receperit, tuum eſſe deſinit & rurſus ocupantis fit. Item : Nam ſi revertendi animum habere deſierint, etiam tua eſſe deſinunt, & fiunt occupantium.

Ex uſu: &, E re eſſe.

Ex uſu, & E re eſſe : item, In rem eſſe in rem ſuam vertere : & Rem facere: ſunt locutiones proverbiales. E x uſu eſſe, eſt Græcis χρήσιμον εἶναι. Nam χρεία uſus eſt : Plin. libr. 2. rerum in his deos curam rerum humanarum agere credi, ex uſu vitæ, id eſt, utile eſt. E re eſſe alicujus, & in rem fore : hoc eſt, ex ejus commodo. Hoc enim res ſignificat. Rem facere, dixit Terent. Nunquam rem facies, abi, neſcis ineſcare homines. Cic. ad Sulpitium : Etſi eramus in magna ſpe, facturum id quod feciſti, ut ejus rem & fortunas abſentis tuerere. In rem ſuam vertere, eſt in cenſum, in fortunas, & in patrimonii augmentum vertere Inde tractatus, De in rem verſo, libr. 15. Pandect. Bud. Picardo : Ut ne ſucciſivas quidem horas vertere in rem ſuam, atque in bonam aliquam frugem animus potuerit. Idem Paceo : Si animum & oculum ad rem factitandam adjeciſſem, id eſt, ad patrimonium augendum. Sic Ciceronius ſolet. Quod autem Latinis rem facere eſt, Geneſ. 30. dicitur facere domum : hoc eſt, locupletare, rem domeſticam curare, & ampliorem reddere. Iidem Galli.

Iovis omnia plena.

Virgilius in Palæmone & tertia ecloga :
A Jove principium Muſæ, Jovis omnia plena.

L. Aurelius Avianius Symmachus in relatione ad Auguſtos, colludens : Omnia quidem Deo plena ſunt, nec ullus perfidis tutus eſt locus.

Seculum aureum.

Quod illo ſeculo aureo, ſuopte ingenio adeo probe viverent homines, ut nihil legibus opus haberent : ut poſt Heſiodum omnes fere poetæ canunt, qui pro moribus principum aurea vocant ſecula, nunc ferrea. Virg. in Pollione, eclog. 4.
——Redeunt Saturnia regna.
Item :
——Et toto ſurget gens aurea mundo.

Et lib. 6. Æneid.
Auguſtus Cæſar divum genus aurea condet
Secula.----

Carmen refertur à Suetonio, in Tiberium jactatum :
Aurea mutaſti Saturni ſecula Cæſar :
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Seneca lib. 2. cap. 1. De clementia : O vocem dignam, cui redderetur antiquum illud ſeculum.

Luce diſſolvuntur tenebræ.

Tam tritum eſt apud antiquos ſcriptores, ut exempla ſuperflua futura ſint. Habetur apud M. T. Varronem lib. 5. De lingua Latina. Lucretius :
—— Nigraſque ſibi abluit umbras.

id eſt, diſcutit & diſturbat tenebras, Caligo, tenebræ, umbræ, metaphorice, pro cujuſcunque rei obſcuritate ponuntur. Cicer. poſt reditum in ſenatum: Ex ſuperioris anni caligine & tenebras lucem in republic. cal. Januarii deſpicere cœpiſtis. Idem pro Archia poeta : Quæ jacerent in tenebris omnia, niſi literarum lux accederet. Virg. 2. Æneid.
Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam.

Idem Æneid. 8. de Lucifero, ſtella Veneris.
Extulit os ſacrum cœlo, tenebraſque reſolvit.

id eſt, deſtruxit & amovit. Idem lib. 1. Georg.
Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit.

Cicero 3. Tuſcul. Quæ cogitatio una maxime omnes moleſtias extenuat & diluit, id eſt, ſolvit & enervat. Ita etiam diluere crimina dicimus, pro purgare, & refellere, ut oratores quando refellunt adverſarii objectiones. Cicero 7. Verr. Quo, facilius crimen inimicorum diluere poſſim. Idem 2. De nat. deorum : Nam ut profluens amnis aut vix, aut nullo modo, concluſa autem aqua facile corrumpitur : ſic orationis flumine reprehenſoris vitia diluuntur. Sic maculam, labem, crimen, ſordes abluere, diluere, tranſlate frequens eſt apud ſcriptores præcipue apud M. Tullium. Oritur etiam in tenebris lumen rectis, Pſalm. 112, id eſt, Deus ſolet eripere rectos, dum maxime affliguntur. Item Pſalm. 18. Tu illuminas tenebras meas. id eſt, tribulationes vertis in Proſperitatem 2. Sam. 22. per ſolem, lumen, per lucem proſperitas, per tenebras & caliginem afflictiones exprimuntur. Huic proverbiali ſententiæ contraria eſt illa, Rebus ſerenis tenebras obducere : quæ refertur à Plutarcho in commentario De dignoſcendo adulatore ab amico : & à Gunthero lib. 1. Ligurini :

— Et metus eſt, ne dum prodeſſe laboro,
Arguat inſanus tenebras obducere vates.
Inveniar nocuiſſe magis, rebuſque ſerenis.

Iupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo diligit.

In delitiis eſſe.

Plato in Axiocho: De Amphiarao quid dicit?
Iupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo
Diligit. —

Huic non diſſimile eſt: In delitiis eſſe. Idem in Parmenide: Dicebatur autem in deliciis Parmenidi eſſe. In Protagora. Mirum videri non debet, ſi Agathon Pauſaniæ ſit ab amoribus. Antinous elegantiſſima forma, ex Bithynia Claudiopoli, adamatus ad inſaniam ab Adriano fertur. Hinc Ælius Spartianus in Adriano, Antonium ſuum dixit.

Firma valetudine nihil melius: Sani agris ditiores.

Sani ægris ſunt ditiores: ſiquidem ſanitas pluris eſt, quam ſint ægri pecuniæ. Nullus eſt enim, qui non malit parum quid argenti poſſidens, recte valere, quam regis magni pecunias habens ægrotare: manifeſto videlicet indicans, ſanitatem ſibi pluris æſtimari. Neque enim præponeret, niſi maioris eſſe illam pretii, quam pecunias, exiſtimaret. Plato in Gorgia, vel, de Rhetorica: Arbitror, inquit Socrates, cantilenam illam quæ circum in cõvivijs canitur, audiviſſe, in qua cantores ita connumerant: Optimam rem omnium proſperam eſſe valetudinem: ſecundo, egregiam formã: tertio, divitias, ut ipſius poetæ verbis utar, nulla fraude quæſita. In ſumma, valetudo proſpera omnium rerum optima eſt: & omnium tanto nequiſſimus videtur eſſe, quanto eſt & ditiſſimus: Saluti igitur ratio in primis habenda eſt: in Philebo. In Hippia autem majore: Ato equidem ſemper, apud quemlibet, & ubicunque, pulcherrimum eſſe ut ſanus aliquis ſit, &c. Græco ſenario dicitur:

Nil ſanitate vita habet præſtantius.

Si Deus voluerit: Deus non permiſit.

Plato in Alcib. ij. Reſpondit propheta: Deum enim nõ permittere. In Alcib. j. Deus tecum diſputare prohibuit: Quicquid enim agimus, Deo acceptum referre debemus. Hinc Plato in Alcib. j. Si Deus voluerit, tu ſimul & ego melius habebimus. Hinc aliæ Platonicæ locutiones: Si Deus conceſſerit: Deo fauente, Deo volente: Deum ipſum cenſeo non permiſiſſe olim me tecum diſſerere, atque ego expectavi donec ille permitteret. In Theagete, vel, de ſapientia: Si enim Deo gratum eſt, permultum quidem & brevi proficies: ſi contra, minime. In Hippia majore: Ita fiet, ſi Deus voluerit. Plato in Theæteto dicit, De juſſu obſtetricio munere fungi. Ibidem: Eſt ſcientia divinorum certa rationẽ comprehenſio, in mente reſidens, in rationem profluens, à Deo menti inſerta a dialectico præceptore in rationem Deo aſpirante reducta, rationem in mentem dirigens, mentem cum divinitate conjungens.

Sat es beatus.

Catullus ad Furium:
Ceſſeſtertia, quæ ſoles precari,
Centum, deſine, nam ſat es beatus.
Idem ad Varrum:
AEquè eſt beatus, ac poema cum ſcribit.

Dii meminerunt.

Catullus ad Alphenum:
Alphene immemor, atque unanimis falſe ſodalibus.
Iam te nil miſeret dure tui dulcis amiculi,
Iam me prodere, jam non dubitas fallere perfide.
Nec facta impia fallacum hominum cœlicolis placent.
Quæ tu negligis, ac me miſerum deſeris in malis.
Heu quid faciant dehinc homines, cuive habeant fidem?
Certe tu te jurabas animam tradere inique me
Inducens in amorem, quaſi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua promiſſa omnia factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aerias ſinis.
Si tu oblitus es: at dii meminerunt, meminit fides,
Quæ, te ut pœniteat poſtmodo facti, faciet, tui.

Blandos offert vultus.

Tibullus: Semper ut inducat, blandos offert
mihi vultus.
Poſt, Vultu ſereno.

Divinitus.

Verbum hoc Latinis eſt uſitatum, præſertim poetis. Sic etiam loquuntur interdum Galli, quando divina voluntate fieri aliquid dicunt. Lucret. lib.
Nullam rem e nihilo gigni divinitus unquam.
Id eſt:
Divino numine, ut idem ſtatim loquitur:
— Ac fieri divino numine rentur.
Id eſt:
divinitus. Significaturi autem aliquid numinis ope fieri, cum Deo fieri id dicimus. Græcis quoque paroemia eſt, σὺν θεῷ. Ariſtophanes ξὺν θεῷ εἰρήσεται. Efferunt etiam ad hunc modum: σὺν τῷ θεῷ. Et Pindarus Pythiorum hymno v. ὁ θεοῦ ... De Archiao, qui genus ſuum ab Heraclidis duxerit. Contra, Sine Deo, dicimus, cum citra Dei favorem quid eveniat. Vide alibi, Deus omnia dirigit.

Felix hora nihil optatius.

Catull. in nuptiali carmine:
Quid datur a divis felici optatius hora?
Sic hora fortunari dicitur ab Horatio:
Qualemcunque Deus tibi fortunaverit horam.
Idem alibi:
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur, hora.

POLYDORI VIRGILII.

Fici cadunt in os comedentis.

Deeo cui res relicta, non parta labore eſt, cuique magnæ in dies hæreditates obveniant. Ille enim hiatu oris cadentes concuſſu alterius ficus excipit, neque eſt quod laboret è terra aut arbore colligere. Nah. iij.

BREVILOQUENTIA.

ERASMI. *Grata brevitas.*

——— Χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ.
Id eſt:
- - Adjuncta eſt parvis gratia rebus.

Hemiſtichium eſt carminis heroici, ſpecie nimirum proverbiali. Nam idem hodieque ſic vulgatum eſt, ut nihil tritius. Quædam mole placent ac magnitudine. Sunt quæ ob id ipſum grata ſunt, quod minuta: veluti gemmæ quædam, ac ſculpturæ. Idem uſu venit in epiſtolis ac libris qui non raro ipſa brevitate redduntur cõmendatiores præſertim apud faſtidioſos & occupatos. Sunt in deliciis & pumiliones, non ob aliud quam inſignem corporis parvitatem.

Ἐπιτομή.

M. Tullius Epiſtolarum ad Atticum lib. v. epiſtola cujus initium, Saturnalibus mane. Hoc jã ſic habeto, nec hoc exercitu, hic tanta negotia geri potuiſſe; Quæ cognoſces ἐν ἐπιτομῇ. Sic enim conceſſis mihi proximis literis ἐν ἐπιτομῇ dixit, pro eo quod erat, ἐν βραχεῖ, ſummatim & compendio, reciſis iis, quæ minus ad rem pertinent. Hinc enim Græca vox dicitur ἐπιτέμνειν, id eſt, accidere. Cui contrarium videtur, quod alibi dictum eſt, ἐν πλάτει.

Laconiſmus.

Λακωνισμὸς, veluti proverbio breviloquentiam vocant: ſive quod Lacedæmonii factis magis quam eloquentia præcelluerunt, ſive quod in Apophthegmatis præcipue valuerunt. Horum autem præcipua gratia vt pauciſſimis verbis plurimum ſententiæ complectantur. Cujuſmodi ſunt illa αἴκα, id eſt, Si: reſponſum prolixæ orationi legati. & τὰν ſolum totam occupans epiſtolam, & ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τᾶς, id eſt, aut hunc, aut ſuper hunc. M. Tullius aliquando jocatur in Laconiſmum Bruti, & λακωνικῶς λέγειν, apud Græcos, pro eo quod eſt, paucis, & compendio dicere. Et λακωνίζειν, affectare breviloquentiam Gregorius Theologus in Epiſtola: τὸ λακωνίζειν, οὐ τοῦτό ἐστιν ὅπερ οἴει, ὀλίγας συλλαβὰς γράφειν, ἀλλὰ περὶ πλείστων ὀλίγας, id eſt Laconiſſare non eſt hoc quod arbitraris, paucas ſyllabas ſcribere ſed de reb. plurimis paucas. Proinde Homerus quoque Menelao ſeu Lacedæmonio argutam breviloquentiam affingit.

Tribus bolis.

Plautus in Curculione: Si vis tribus bolis, velim chlamydem. Tribus bolis, dixit pro compendio, quaſi tribus verbis. Nam bolum Terentius accipere videtur pro eo, quod Græci vocant βλῆμα. Quod autem continuò devoratur, tribus bolis edi dicitur:

Pauciloquus, ſed eruditus.

In eum qui pauca quidem, ſed tamen auditu digna loquitur, conveniet illud ex eodem libro, quod illic dicitur de Menelao, breviloquo Laconum more, verum ſuaviloquo & arguto:
Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.
Id eſt:
Non is multa quidem, verum argutiſſima, quippe
Pauciloquus. —

Minore finire pomærio, & his ſimilia.

Proverbii rationem ſapiunt hujuſmodi fermè metaphoræ. Finire pomœrio: Præſtituere metam: Circumſcribere cancellis: & ſi quæ ſunt conſimiles. Varro in libris de re ruſtica: Eo melius feciſſe quoſdam, qui minore pomœrio finierunt, excluſis partibus, quæ non pertinent ad hanc rem. Idem ejuſdem operis libro j. Ars ſit an quid aliud, & à quibus carceribus decurrat ad metas. Cicero libro De oratore j. Exiguis quibuſdam finibus totum oratoris munus circumdediſti.

Numero dicit.

Plautus in Caſina Numero dicis, dixit pro eo quod eſt, facilè & compendio. Feſtus exponit pro cito ac celeriter, citans cum alios multos autores, tum hunc Plauti locum. Sed apud Feſtum adeo depravata eſt ſcriptura, vt referre pigeat, niſi quod illinc colligitur veteres non ſolũ dixiſſe, Numero dicis: ſed. Numero ſeis, numero facis, numero expungere, numero credere, numero venire: pro facilè ac cito venire. Nonius Marcellus putat numero dici pro mul-

multum: ſed exempla quæ adducit, magis indicant accipi pro citò ac facile, ſive ſtatim: Quod ipſum ille fatetur in fine. Idem in Amphitryone: Numero mihi in mentem fuit. Uſurpatur apud eundem & aliis aliquot locis.

Vno faſce complecti.

Uno faſce complecti, legitur apud eundem Plinium: pro eo quod eſt, eadem opera & conjunctim agere, nō ſeparatim. Verebamur, inquit, ne nos dies, ne nox, ne latera deficerent, ſi tot crimina, tot reos vno velut faſce complecteremur. Tranſlatū eſt ab iis, qui res multas ſibi colligant, quo commodius geſtari queant. id Græci dicunt συλλαβὼν, id eſt, comprehenſum.

Tribus verbis.

Tribus verbis, pro pauciſſimis dicere proverbiale eſt. Divus Hieronymus in Dialogo Luciferiani & Orthodoxi: Tribus, vt ajunt verbis rem iſtam grandem diſſoluiſti. Idem Geta Terentianus in Phormione negat quoſdam tria inter ſe cōmodaturos verba. Pindarus in Nemeis hymno xij τρία ἔπεα διαρκέσει. id eſt: Tria verba ſufficient. Tametſi me non fugit, hic interpretes ſuperſtitioſius philoſophari de tribus verbis. M. Tullius pro Cluentio: Accuſabat autem Scamandrum verbis tribus: venenum eſſe deprehenſum, &c. Conſimili figura, Sexcenta dicimus pro multis: Proinde ſexcentas mihi dicas ſcribito: Cōtra, Verbo rem expedire dicitur, qui paucis explicat: &, Ne ſyllaba quidem attingere, qui nihil omnino meminit, Ita Galenus, in Eraſiſtratum opinor: πῶς δὲ οὐκ αἰδοῦνται, τὰς μὲν τῆς πέψεως δυνάμεις διακρίναντες, ὡς πολλαί τε εἰσὶ καὶ ποικίλαις χρῶνται αἰτίαις, περὶ δὲ τῶν αἱματώσεως σφαλμάτων, οὐδ᾽ ἄχρι συλλαβῆς μιᾶς φθεγξάμενος, id eſt: Qui fit vt non pudeat, quod quum de concoctionis viribus diſtinxerit, & quod multa ſint, & variis ex cauſis accidant, de generandi ſanguinis defectibus, ne vno quidem verbo, ne vna quidem ſyllaba loquutus ſit.

IVNII. *Chilonius modus.*

Χιλώνειος τρόπος. id eſt, Chiloniū modum, vel Chiloniā loquendi rationem, pro Laconiſmo & breviloquio, quo paucis verbis ſententiæ multum complectimur: dixit Ariſtagoras Mileſius: vt in Chilone ſcribit Laertius, & tranſcripſit iſtius verbis Suidas. Fuit autem Chilon Demageti filius, Lacon genere, cui genti ſumma in loquendo brevitas tribuitur: docent autem hoc & Chilonis breves ſententiæ, quas Laertius enumerat.

COGNATI. Ἐν κεφαλαίῳ. *Summatim, Summa facere.*

Metaphora eſt à ratiocinatoribus & calculatoribus ducta, qui propriè addendo deducendoque æra redigunt in ſummam, ſummamque ex iis dicuntur facere. hinc pro argumento, & præcipuo quod vocant puncto. Perſius ſatyra iiij.

Quæ tibi ſumma boni eſt? —

Hinc ſumma libri, ſumma orationis. Cicero in quadam epiſtola, ad Lentulum arbitror: Subductis rationibus ſummam feci cogitationum. Plautus ſic varie expreſſit in Mercatore:

Quicquid eſt, ad capita rerum perveni.

In Pœnulo:

Rem in pauca confer. —

In Pſeudolo:

Atque in pauca, vt occupatus nunc ſum, confer quid velis.

Poſtea in Milite glorioſo:

Verba confer maxime ad compendium.

Summa eſt, quæ è multis ſingulis colligitur: κεφάλαιον à Græcis dicitur, vt Iſocrates: κεφάλαιον δὲ τῶν εἰρημένων: Summa autem eorum quæ dicta ſunt. Summa ergo eſt τὸ σύμπαν, quo ſingula referuntur. Quintilia. lib. 1. Majora tamen aliqua diſcet puer eo ipſo anno quo minora didiciſſet. Hoc per ſingulos annos prorogatū, in ſummā proficit: id eſt, eam dicendi facultatem, quam adoleſcenti comparare volumus. Sic paulo inferius de Philippo Macedonum rege, Decembris lib. De politia literaria vij Quamobrem cognoſcatis nunc vobis dari ſummarium, vt ajunt, brevemque de ypſillo præceptionem. Dionyſius Areopagita libro de Eccleſiaſtica hierarchia, capite primo vocat ſummam συγκεφαλαίωσιν: quemadmodum etiam, ἀνακεφαλαίωσιν dicimus, repetere paucis ea quæ ante dicta ſunt. Idem διεξοδικώτερον dicit pro fuſius, latius & pluribus. Idem ibidē in cōtemplatione, vſus eſt ἐν κεφαλαίῳ: pro quo Quintilianus frequenter vti ſolet, In vnum: Plura de officiis docentium loquutus, diſcipulos interim in vnū moneo, &c. Idē ſemel, & aliquando breviter. Vide alibi. Digito attingere. Item per indicem. (Similia ſunt Chiliad. adagia, ἐν ἐπιτομῇ: & tribus verbis.)

Cætera doctus.

Figurata locutio à Græcis derivata, qui κατὰ præpoſitionem frequenter ſubaudiunt. Ea frequenter & proverbialiter vtuntur Galli. Cic. iij De natura Deorum de Simonide loquens: Non ſolum enim poeta ſuavis, verum etiam cætera doctus, ſapiensque traditur. Martialis:

Viſceribus bonus eſt, cætera vile ſapit.

Id eſt:

quantum ad cætera. Sic abſolutè, ff de minorib. l. Intra. Cætera cognitionis differre, apud Scævolam. Budæus Ruzæo: Ut longe meliorem ingenio, ſic cætera non facilè ſuperiorem. Clemens Marotus poeta.

I'auois vn valet de Gaſcogne,
Gourmant, yurogne, & aſſeuré menteur,
Pipeur, larron, iureur, blaſphemateur,
Sentant la hart de cent pas a la ronde,
Au demeurant, le meilleur fils du monde.

Nihil opus verbis.

Uſitatum genus Lucretio, qui lib. v. ſic inquit:

Quod ſupereſt, humore novo mare, flumina, fontes
Semper abundare, & latices manare perennes,
Nil opus eſt verbis, magna decurſus aquarum
Undique declarat, &c.

Summatim.

Plato in Sophiſta. Summatim itaque illam effectricem facultatē denominemus. Diſciplinæ verò & cognitionis ſpecies vniverſa & quæſtus certaminiſq; ac venandi peritia, ars acquirendi ſummatim vocanda videtur. Aquatilium ferè ſummatim piſcatio nominatur. Quæ judicando fit, vel concionando, vel conciliando ſummatim perſuaſionis artificium nuncupamus. In Civili: Quia etiam artificium omne quod lino & chordis virgultiſque vtitur, ac ſummatim his quæ terra naſcūtur, quæ paulo ante nervea vocavimus. In Protagora: Summatim poetæ hujus formam conſiliumque exponunt. Ibidem: Eadem potes & ſummatim perſtringere, & ampliſſime diſſerere. Ibidem, Et, vt paucis comprehendam. Ibidem, Summatim ac breviter reſpondere. Item, Quæ ſummatim vnum eſt. In Euthydemo, Convenimus tandem neſcio quo modo, vt in ſumma diceremus, ſapientia præſente, felicitate nihil eſſe opus Proco Cicero apud Auguſtinum de vita beata, dicit, Ut breviter totum explicem,

Vt ſummatim dicam: ἐν κεφαλαίῳ.

In Theagete verò, pro eo dixit, Ut breviſſime loquar, me ſimul ac mea omnia vel chariſſima, quocunque indigeas, tibi libentiſſime trado, ſi hunc Theagetem ſuſcepens, eique pro virili tua benefeceris. In Hipparcho vel, de ſtudio lucrandi, Et vt brevi complectar. Eodem modo ſi tibicē tibiam, citharœdus citharam, ſagittarius arcum, & (vt brevi complectar) artifex, & rei cujuſvis peritus quiſque organa, ac reliquum apparatum nullius precii habeat; poteſtne ex his ſe aliquando lucraturum? in Philebo, Ac ſummatim conſidera. In Parmenide. Ut vno verbo complectar. Ibidē, Compendio dicamus. Ibidem. Ut ſummatim loquar, in Philebo, Viſne vtranque ſententiam in ſummam redigamus? In Hippia majore, Hæc eſt ſumma. Ibid. Ac ſummatim omnem antiquitatis hiſtoriā attentè audiunt. In Lyſide, Hæc breviter intuli. Nos in noſtra Sylloge adagiorum, ἐν κεφαλαίῳ. Verum ars ipſa contradicendi, nonne ſummatim facultas eſt, quæ omnia in controverſiam deducere poteſt?

Sermonis prolixitas faſtidioſa.

Ficin. Si forte ſermonis prolixitas tibi faſtidioſa continget & labore gravaberis, non me, ſed hos qui in cauſa ſunt accuſato. Nihil tamen moleſtum fore arbitror, quare non gravate audies. Verborū prolixitas à jure reſpuitur, vt l. ampliorem §. in refutatoriis, C. de appellat.

CÆCVTIENTIA.

ERASMI. *Lolio victitant.*

Ænigmate proverbiali lolio victitare dicūtur luſcioſi & cæcutientes, quos Græci, teſte Nonio, Myopes vocant. Plaut in milite, *Mirū eſt lolio victitare te tam vili tritico. Quid jam? Quia luſcioſus Verbero*, ædepol tu quidem cæcus, haud luſcioſus. Lolium autem Plinius inter frugum peſtes commemorat, vnà cum carduis ac tribulis. Virgil. in Bucolicis.

Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Item Georgicon lib. j.

Mox & frumentis labor additus, vt mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus, intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylva,
Lappaque, tribuliq;, interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Ineſt autem lolio peculiare quoddam malum, vt oculis caliginem inducat, id quod indicat Ovidius lib. Faſtor j. cum ait:

Et careant loliis oculos vitiantibus agri.

Hinc nimirum jocus proverbialis.

Saturnia lema.

Κρονικαὶ λῆμαι: id eſt, Saturniæ lemæ. In cæcutiētes ac ſtupidos dicitur: præſertim in eos, qui ætatis vitio deſipiſcunt. Eſt enim lema humor in oculis concretus vnde lippitudo naſcitur. Derivatur enim ἀπὸ τοῦ λάω, id eſt, video, & μὴ negativa particula: quod ejuſmodi lachrymæ craſſæ oculos occupantes viſui officiant. Ariſtophanes in Pluto:

Ἀλλ᾽ ὦ Κρονικαῖς λήμαις ὄντως λημῶντες τὰς φρένας ἄμφω.

Id eſt:

Saturninis animis verè lippitis ſenſibus ambo.

Gnomis dixit, pro lemis: vnde λημᾶν Græcis lippio, cæcutieque ſignificat. porrò Saturniæ dicuntur quaſi ſeniles ac veteres. propterea

pterea quod κρόνος, id eſt, Saturnus podagroſus ac ſenex à poetis fingitur, & temporum deus: quaſi χρόνος. ἀρχαῖα verò, i. e. priſca & antiqua, Græci nonnunquam ſtulta vocant. Plato in Euthydemo: ἀρχαιότερα λέγεις, ἢ ἀρχαιότερος εἶ τοῦ δέοντος, id eſt, Nugans ac ſtultiores quam decet. Et κρονικώτερος, μωρότερος: & κρόνους, nugas ac deliramenta. Timotheus apud Athenæum lib. iij. νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει, τὸ παλαιὸν δ' ἦν κρόνος ἄρχων. id eſt, Iuvenis regnat Iupiter, olim autem principatum tenebat Saturnus. Ariſtophanes in Veſpis:

> Καὶ τοὺς τραγῳδοὺς φησὶν ἀποδείξειν κρόνους
> Τὸν νῦν. —
>
> Id eſt:
>
> Seſe tragœdos mente Saturnos ait
> Mox redditurum. —
>
> Idem in Nebulis:
>
> Καὶ πῶς ὦ μωρὲ σὺ καὶ κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε;
>
> Id eſt:
>
> Et quomodo ò ſtulte & naturalia olens, & lunatis?

Dionyſodorus in Euthydemo Platonis, Socratem Saturnum vocat, tardum ac ſtupidum ſenticos ... inquit, εἶ κρόνος, id eſt, Adeo es Saturnus. Alluſit huc Lucian. in Timone: λημᾷς καὶ ἀμβλυώττεις πρὸς τὰ πραττόμενα, id eſt, Cæcutis ac lippis ad ea quæ patrantur. Atqui ibi paulo inferius: καὶ κατ' ὀλίγον ὥσπερ σὲ τὸν Κρόνον ἀποφαίνουσι παραλυθέντα τῆς τιμῆς. Id eſt, Et paulatim Saturnum te ò deorum præclariſſime reddunt, depellentes ab honore. Plutarchus ætate decipiéntes oſtendit vulgo κρονολήρους appellatos fuiſſe, id eſt, Saturni more delirantes: videlicet propter aniles fabulas, quæ de hoc deo feruntur. Eas refert idem Plutarchus in commentario De facie apparenti in orbe lunæ: Saturnum in inſula quapiam fortunata, profundo in antro dormire, ſaxa complexum aurea. Cæterum hunc ſomnũ illi accidere ex vinculis in eum vſum arte confectis à Ioue. Aues autẽ quæ in ſcopuli cacumine verſantur, adferre illi ambroſiam, vniuerſamque inſulam mira fragrantia compleri, è rupe, velut è fonte ſcatente, adeiſſe dæmones, qui Saturnum obſeruent eiq. inſeruiant. Hos olim cum illo amicitia cõiunctos fuiſſe, cum diis atque hominibus imperaret, multaque de futuris rerum euentibus ex ſe prædicere. Sed maxima, maximiſque de rebus ſic efferunt, vt Saturni ſomnia videatur. Nam quicquid cogitarit Iupiter in animo, id ſomniare Saturnum. Huiuſmodi quædam nugamenta de Saturno commemorantur in hoc, quo dixi libello. Iam illud eruditi lectoris iudicio relinquo, nunquid ad hoc adagium pertineat, quod Pythagorici κρόνου δάκρυον mare, Saturni lachrymam appellant: vt teſtatur idem autor, commentario de Iſide & Oſiride. Siquidem eſt aqua marina non ſalſa ſolùm & amara, ſed craſſior & impurior reliquis.

Cucurbitas lippis.

Κολοκύντας λημᾶν, id eſt, Lippire cucurbitas. Ad ſuperiorẽ adagii formam pertinet. Ariſtophanes in Nubib.

> Νῦν γοῦν ἤδη καθορᾷς αὐτάς, εἰ μὴ λημᾷς κολοκύνταις.
>
> Id eſt:
>
> Ac nunc ipſas plane cernis, niſi fors lippis colocyntis.

Κολοκύντας Græci vocant, quas nos cucurbitas. Verba ſunt Socratis, oſtendentis nubes, hoc eſt, Niſi plane nihil vides, & tantas habes in oculis lemas, quantæ ſunt cucurbitæ.

Ollas lippire.

Χύτρας λημᾶν, Ollas lippire. Prouerbialis hyperbole, proximæ ſimillima. Lucianus aduerſus ineruditum, & multos coementem libros: χύτρας ..., inquit, λημῶντες, id eſt: Ollas lippientes, lachrymas iudicans ollis æquales. Hoc adagium vtrunque quoties ad animum refertur, fit elegantius & iucundius, veluti ſi quis hominem craſſi iudicii, ac vehementer cæcutientis, & turpiter errantis dicat lippire non lemis, ſed ollis.

Talpa cæcior.

Refertur à Suida ac Diogeniano, τυφλότερος ἀσπάλακος, id eſt, Cæcior talpa: de iis qui ſupra modum cæcutiunt, aut qui minime iudicant. Nam iucundior fiet metaphora, ſiquidẽ ad animũ transferatur. Plinius vndecimo libro ſcribit, ex quadrupedum genere, talpæ viſum deeſſe, oculorum tamen ineſſe effigiem, ſi quis prætentam detrahat membranam. Atque hinc ortum adagium.

Cæcior leberide.

Ad candẽ ſententiam pertinet illud, τυφλότερος λεβηρίδος, id eſt, Cæcior leberide. Citatur ex Ariſtophane. Eſt autem leberis, quẽadmodum oſtendimus & alibi, pellis illa ſicca, quam ſerpentes, cicadæ, & ſi quod aliud animantis genus, exuunt, quoties ſibi iuuentam renouant. In hac enim apparet effigies duntaxat oculorum, ac membranula quædam tenuiſſima, qua ſerpentum oculi præteguntur. Sunt qui tradunt hoc, quod notiſſimum eſt de ſerpentibus ac cicadis, etiam piſcibus quibuſdam accidere. Eam vero pellem Licophron in iambico carmine ſyphar appellat:

> Σύφαρ ζώσοντα καινὸν φορῶν ...
>
> Id eſt:
>
> Siphar interibit, tectum vt effugit maris.

Siphar autem ..., idque ſuo more ſenem appellat, vel quod ætate rex ..., vel quod iam effœta atque arida, ſucco, viribusque deſtituta ſit. Sophron in Mimis.

> ... ;
>
> Id eſt:
>
> Quid enim Xyſilus, quid Syphar pro viro?

Xyſilum appellans aridũ & pruriginoſum ſenem, παρὰ τὸ ξύειν, aut Syphar, quaſi iam non hominẽ ipſum, ſed pellem duntaxat exucam atque inanem. Quod quidem & ipſum prouerbium reſipit: Aiunt autẽ leberidem propriè ſignificare membranam extremã, qua fœtus vaccarum obtegitur, in qua & ipſa veſtigia duntaxat oculorum apparent. Adagium trifariam effertur, τυφλότερος λεβηρίδος, id eſt, Cæcior leberide, γυμνότερος λεβηρίδος, id eſt, Nudior leberide, & κενώτερος λεβηρίδος, id eſt, Inanior leberide.

Tireſia cæcior.

A notiſſima fabula ſumptum, τυφλότερος Τειρεσίου, id eſt, Cæcior Tireſia. Iuvenalis.

> Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe deorum.

Tireſiam prouerbiali figura pro cæco dixit, quemadmodum Horatius pro paupere Irum,

> Intererit multum diuesne loquatur, an Irus.

Hypſea cæcior.

Non diſſimili figura dixit Horatius in Sermonibus.

> ... Ne corporis optima Lyncei
> Contemplans oculis, Hypſea cæcior, illa,
> Quæ mala ſunt ſpectes ...

Satis apparet parœmiam ab Hypſea muliere quapiam infami, notæque cæcitatis eſſe profectam.

In Canis podicem inſpicere.

Ariſtophanes ἐν Σκηνὰς καταλαμβανούσαις.

> Τοῦτον μὲν εἶπον κυνὸς ὁρᾶν. id eſt,
> Canis quidem hunc inſpicere iuſſi podicem.

Interpres admonet vulgo dici ſolere in cæcutientes, adſcribens & hunc trochaicum.

> Ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρῶσα, καὶ τρεῖς ἀλώπεκας. id eſt,
> In canis deſpicere podicem, triumque vulpium.

Alluſit eodem & in Acharnenſibus.

> Τοῖς ὄμμασιν ... τις ...

Obſcœnius eſt, quam vt vertere libeat. Has profecto nugas pigeret adſcribere, ni propoſitum eſſet operi ſuſcepto per omnia ſatisfacere, καὶ ἓν ... .

Cimmeriæ tenebræ.

Multam obſcuritatem, aut animi caliginem, Cimmerias tenebras appellant. Lactantius Inſtitutionum diuinarum lib. iiij. O cæcum pectus, ô mentem Cimmeriis, vt aiunt, tenebris atriorem. Et hunc velut æmulatus diuus Hieron. vt Lactantianæ admirator eloquentiæ: rogo, inquit: quæ tanta eſt cæcitas, & Cimmeriis, ſicut aiunt, tenebris inuoluta? Natum adagium à Cimmeriæ regionis prodigioſa obſcuritate. De qua Strabo lib. Geographiæ primo ſcribit in hunc modum: καὶ μὴν καὶ τὸν Κιμμερικὸν Βόσπορον οἶδε, τοὺς Κιμμερίους εἰδώς, ... αὐτοὺς δὲ ἀγνοεῖν ... φησί.

> Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
> Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται. —
> Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται. —
>
> Id eſt:

Quin Boſphorum quoque Cimmerium cognouit, ut qui Cimmerios nõ ignoraret. Neque enim videlicet cum Cimmeriorum nomẽ cognitum habuerit, ipſos ignorauit, qui temporibus illius, vel paulo ante illius ætatem à Boſphoro ad Ioniam vſque terram omnem percurſarint. Itaque quonam in climate ſita ſit illorum regio, velut innuit, cum eam caliginoſam facit: & vt ipſius vtar verbis,

> Vmbris ac nebulis tectam ſiquidem igneus illos
> Haud vnquam irradiat Phœbus: nox atra ſed illis
> Ingruit aſſiduè. —

Porro locus, quem Strabo citauit, quanquam verbis aliquot diuariansà poeta, eſt apud Homerum Odyſſeæ. xj.

> Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου Ὠκεανοῖο.
> Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
> Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι, οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
> Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν,
> Οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα,
> Οὔθ' ὅτ' ἂν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται,
> Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι,
>
> Id eſt:
>
> Aſt ille Oceani peruenit ſumma profundi,
> Illic ſunt populique & mœnia Cimmeriorum,
> Nubibus & cæca aſſiduè caligine tecta.
> Illos haud vnquam radiis ſol aſpicit ardens,
> Nec quando aſtriferum curru petit arduus axem,
> Nec rurſum ad terras magno deuectus olympo,
> Sed nox incumbit miſeris mortalibus atra.

Cimmeriorum mentionem facit etiam M. Tullius libro Academicarum quæſtionum iiij. Et Cimmeriis quidem, quibus aſpectũ ſolis, ſiue deus aliquis, ſiue natura ademerat, ſiue eius loci quẽ incolebant ſitu, ignes tamen aderant, quorum illis vti lumine licebat. Iſti autẽ, quos tu probas, &c. Et in hac regione Naſo poeta Somno deo regiam ædificauit, libro transformationum xj.

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cavus, ignavi domus & penetralia Somni,
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve,
Phœbus adire poteſt: nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis.

Apud Græcos conſtāter per duplex m, ſcriptum invenio: tametſi refragatur etymologia, quam adfert Euſtathius, autumans κιμμερίους dictos, quaſi ἐν τῷ ἀέρι κεκρυμμένους. Sed vero propius eſt. χειμερίους vocatos, quaſi χειμερίους: quanquam hic quoque m ſimplex.

Cæca ſpeculatio.

Ἀλαοσκοπιή, id eſt, Cæca ſpeculatio: compoſita Græcis eſt dictio, ἀπὸ τοῦ λάειν, quod eſt videre (inde ἀλαοί) & σκοπεῖν, id eſt, inſpicere. Ita Suidas ex Homero citans. Etymologus addit alias coniecturas, ex Methodio citans idem dictum. Suidas proverbialem dictionem admonet quoties aut conniuent, quibus datū eſt negotium: aut ipſi nihil vident, quibus obſeruandi partes ſunt delegatæ. Tranſlatum ab iis, qui è ſpeculis ſublimibus diligenter circūſpectant vndequaq;, & quod viderint aliis renunciāt. Homerus aliquoties hoc habet, οὐδ᾽ ἀλαοσκοπιὴν εἶχε. quod Etymologus citat ex Methodio, pro eo quod eſt, haudquaquam cæcutienter ſpeculatus eſt. Vti conveniet quoties ſignificabimus aliquem rem ſagaciter odoratum, ac deprehendiſſe. Tanquam ſi dicas, epiſcopos ad cætera ſupinos ac cæcutientes, ſi quid extiterit vnde ſperetur quæſtus nonnihil, ibi, οὐκ ἀλαοσκοπιὴν ἔχειν. Aut contra, ſi quis erat falſus, aut hallucinatus, ταύτῃ μὲν ἀλαοσκοπιὴν εἶχες.

Cæcus cæco dux.

Τυφλὸς τυφλῷ ὁδηγός, id eſt, Cæcus cæco dux. Adagium Evangelicis quoque literis celebratum, quo lubentius etiam refero. Vti licebit, quoties indoctus indoctum docere, incōſultus imprudenti conſilium dare conabitur. Alluſit ad proverbiū M. Tullius lib. De finibus vltimo: C. autem Druſi domum compleri conſultoribus ſolitam accepimus quum quorum res eſſet ipſi non videbant, cæcum adhibebant ducem. Hæc Cicero. Druſus enim iureconſultiſſimus, aliis proſpiciebat animo, quum corporis oculis nihil cerneret. Cui confine eſt Horatianum illud:

Cæcus iter oſtendit. --

Horatius ad Scævam.

Cæcus vti ſi monſtret iter, tamen aſpice. ---

Quod quidem Porphyrion perinde dictum autumat, quaſi dicas: Sus Minervam. Præpoſterè enim res geritur, cum cæcus videntibus iter commonſtrare conatur. Apud Ariſtophanem in Pluto, Carion ſervus ſtomachatur in herum, quod ipſe videns, Plutum oculis captum ſequeretur:

Ὅς τις ἀκολουθεῖ κατόπιν ἀνθρώπου τυφλοῦ,
Τοὐναντίον δρῶν, ἢ προσῆκ᾽ αὐτῷ ποιεῖν.
Οἱ γὰρ βλέποντες τοῖς τυφλοῖς ἡγούμεθα,
Οὗτος δ᾽ ἀκολουθεῖ, κἀμὲ προσαναγκάζεται.

Id eſt:

Luminibus ut qui captum & orbum homunculum
Sequatur à tergo, hoc agens præpoſterè.
Nam qui videmus ducimus cæcos: at hic
Sequitur, ſimulque cogit eadem facere me.

E duobus tria vides.

Ἐκ δυοῖν τρία βλέπεις, id eſt, E duobus tria vides. Iocus proverbialis in eos, qui vel ætate, vel ebrietate, vel alio quopiam oculorum vitio cæcutiunt. Huc pertinet illud Maronis:

Et ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas.

Item illud Iuvenalis:

-- Et geminis conſurgere menſa lucernis.

In ātiquis quibusdam exemplaribus invenio ſcriptum hoc pacto, ἐν δυοῖν τρία βλέπεις, id eſt, In duobus tria vides, idque dici ſolitum, vbi quis aliud pro alio videt, fallentibus oculis. Venuſtius fiet, ſi ad animi iudicium deflectatur.

Neque cæcum ducem, neque amentem conſultorem.

Μήτε τυφλὸν ὁδηγόν, μήτε ἀνόητον σύμβουλον, id eſt, Neque cæcum ducem, neque amentem conſultorem, ſubaudiendum, adhibeas. Diſce, ſed à doctis: conſilium pete, ſed à conſultis. Contra Horatius:

Cæcus vti ſi monſtret iter, tamen aſpice. ---

Palpari in tenebris.

Ψηλαφᾶν ἐν τῷ σκότῳ, id eſt: Manu tentare in tenebris. Dicuntur, qui rem obſcuris veſtigant coniecturis. Ariſtophanes in pace.

Πρὸ τοῦ μὲν οὖν,
Ἐψηλαφῶμεν ἐν σκότῳ τὰ πράγματα,
Νυνὶ δ᾽ ἅπαντα πρὸς λύχνον βουλεύσομεν.

Id eſt:

... Antehac negotia,
Velut in tenebris manibus attentauimus,
Nunc ad lucernam cuncta penſitabimus.

Alluſit poeta ad Hyperboli artificium, qui ex lychnopola, id eſt, lucernario, factus fuit imperator. Vſurpat item proverbium Plato in Phædrone. Quod quidem & hodie dicitur de coniecturis incertis.

Puluerem oculis offundere.

Puluerem ob oculos effundere dicitur, qui de induſtria rem obſcurat, & aduerſario iudicium eripit. Traductū videtur a militia. Sæpe fit enim, vt hoſtis data opera puluerem excitans hoſtem illudat. Hac arte Sertorius Romanus Caricanos (vt Græcus habet, Characitanos) quos iam vicit, autore Plutarcho: cuius rei mentionem fecimus in adagio de Cæcia nubes attrahente. Vtitur hoc proverbio præter alios diuus Hieronymus in Epiſtolis. M. Tullius gloriatur ſe in actione quadam iudicibus tenebras offudiſſe. Et apud Plautum in Milite, ſimile quiddam de glaucomate oculis oborto.

Nox humida.

Νὺξ ὑγρά: Nox humida. De malis ingruentibus dici ſolitum, autor eſt Diogenianus. Quemadmodum de lætiore fortuna dicimus, Exoriri lucem. Apud eundē eſt, νὺξ ἄσελος: id eſt, Nox ſpiſſa, de nocte hyberna. Quæ ſi cui non videbuntur in adagiorum numerum referenda, is ea reſcribat Diogeniano, ſi libet.

Cæci præſcriptio.

Τυφλοῦ παραγγελίαν: id eſt, Cæci iuſſio ſiue exhortatio, dicitur abſurda: quoties ipſe qui præſcribit, non intelligit quid dicat. Socrates apud Platonem in Theæteto, redarguens abſurdam Theæteti præceptionem, iubentis, vt qui rectam haberent opinionem, rectæ opinioni aſſciſcerentur, confert illius orationem loro aut peſtillo circumuolubili, ſed rectius putat dicendum, Cæci iuſſionem: τυφλοῦ δὲ παρακέλευσις ἂν καλοῖτο δικαιότερον. τὸ γὰρ ἃ ἔχομεν, ταῦτα προσλαβεῖν κελεύειν, ἵνα μάθωμεν ἃ δοξάζομεν, πάνυ γενναίως ἔοικεν ἐσκοτωμένῳ. id eſt. Sed rectius cæci præceptio dicatur: ſiquidem iubere, vt ea quæ habemus accipiamus, vt diſcamus ea quæ opinamur, plane conuenit homini inſigniter caliganti. Alias relatū eſt nobis illud Horatii:

Cæcus vti ſi monſtret iter. ---

Item, Cæca ſpeculatio.

COGNATI. *Cæco nihil coloratum.*

Cæco nihil eſſe coloratum, vulgo dici ſolet, cum ei ſemper ſint tenebræ: color autē non niſi luce cerni queat: vt pote qui ita definiatur ab Ariſtotele libro περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν τὸ τοῦ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας. Cognoſci a cæcis ſolo tactu quidē poteſt, non oculorum ſenſu, cui ſubiicitur color. Proximum illis, quid cæco cum ſpeculo & Cæcus de coloribus.

CALVMNIA.

ERASMI. *Sycophanta.*

Συκοφάντου, id eſt, Sycophantæ cognomen, vulgò probri loco tribuebatur. Ariſtophanes in Pluto:

Ὡς σοβαρὸς ὦ δαίμονες εἰσελήλυθεν, ὁ συκοφάντης.

Id eſt:

Vultu vt ſeuero ingreſſus eſt ô dii boni
Hic ſycophanta. ---

Conuicium prouerbiale in calumniatores, & quamuis puſilla de cauſa litem moventes. Inde natum arbitrantur, quod olim apud Atticos fici eſſent in precio, mulctarenturque ij qui eas furto colligerent. Hos qui obſeruabant, aut deferebant, Sycophantæ vocari cœpti, ludibrii cauſa. Quos eoſdem φιλοσυκοφάντας, συκάζοντας, συκολόγους, φιλοσύκους, συκίνους, καὶ συκοφαγίδας vocabant, id eſt, vt ſententiam magis quam verba reddam: De ficis calumniantes, ficus vincentes, ficorum cuſtodes, ficos numerantes, ficorum ſtudioſos, ficoſos, ficis puerorum inſtar gaudentes. Plutarchus in commentario De curioſitate oſtendit, hoc cognominis hinc natum, quod cum lege cautum eſſet, ne quis Athenis ficos efferret, quidam obſeruatos nonnullos, qui furtim exportabant detulerunt. Huius rei meminit & in vita Solonis. Feſtus Pompeius oſtendit, apud Athenienſes pœnam capitis conſtitutam iis, qui ficos furto tollerent. Idem affirmat Athenæus lib. Dipnoſoph ſtarum iij. addens eum locum vbi primum ficus reperta fuit, ἱερὰν συκῆν, id eſt, ſacram ficū vocatam ab Atticis. Eſt autem ſycophantarum genus, quod non ſolum defert dicta factaque hominum, verum etiam hominum ſomnia, cuiusmodi delatoribus aurem patulam præbuit Conſtantius, vt prodit Ammianus lib. xiiij. Præcipuè verò indulſit Mercurio cuidam, qui vulgò ob id Mercurius ſomniorum eſt dictus, quod ſe ſpecie familiaritatis conuiuiis admiſceret & ſi quis nocturnum viſum effutiſſet, deprauata narratione ad principem deferebat: adeo vt vix quiſquam apud ignotos auderet fateri ſe dormiſſe, ac docti nonnulli ſortem ſuam deplorarent, quod apud Atlanteos nati non eſſent, vbi negant videri ſomnia: quod fatetur & Stephanus in dictione Athlantes. Obſeruatores ſomniorum Græci vocant ὀνειροπόλους interpretes ὀνειροκρίτας, ſive ὀνειροσκόπους: qui terrentur, ὀνειρώττοντας.

Tragicus Theocrines.

Τραγικὸς Θεοκρίνης, id eſt, Tragicus Theocrines. Vſurpauit hoc adagium Demoſthenes adverſus Æſchinē. Theocrines primum tragœdiarum actor fuit, deinde calumniator & ſycophanta. Vnde Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte Æſchinem Tragicum Theocrinem vocat. Extat eiuſdem adverſus hunc Theocrinem oratio, quanquam nonnulli Dinarcho tribuunt. Vſus eſt hoc proverbio Divus Hieronym. ni fallor, in epiſtolis ad Furiā, De viduitate

ere: Ubicunq; viderent Chriſtianum, ſtatim illud de trivio γεραιὸς ἐπιτηδεύει. Hoc convicii jaciebant in Chriſtianum, quaſi ſanctimoniæ ſimulator magnificis verbis aliorum vitam criminaretur.

Falſum probrum.

Sententia proverbialis eſt apud Æſchinem in oratione, περὶ παραπρεσβείας: τὸ δὲ ψευδὲς ὄνειδος οὐ περαιτέρω τῆς ἀκοῆς ἀφικνεῖται, id eſt: Falſum probrum non pervenit vltra aures. Qui audit convicium cujus ſibi conſcius eſt, graviter animo vulneratur: at qui falſo probro aſpergitur, non perinde commovetur, non enim deſcendit altius in animum hominis rectæ conſcientiæ.

Hoc municeps aut vicinus nunciavit.

M. Tullius in eadem oratione: Soletis quum aliquid hujuſcemodi auditis, Judices, continuo dicere, Neceſſe eſt aliquẽ municipẽ aut vicinũ dixiſſe. Solent enim à vicinis ac municipibus vicinorum ac municipum ſcelera potiſſimum prodi. Quod & hodie vulgo dicunt, dedecus homini a conterraneis aut civibus oriri. Nam ſi quod fortunæ incommodum, ſi qua vitæ labes, ab illis, quoniam ſciunt, proditur.

Albo reti aliena captant bona.

Proverbii ſpeciem habet, quod ait Plautus in Perſa: Neiſti faxim vſquam appareant, qui hic albo reti aliena oppugnant bona. Rete vocat calumnias quadruplatorum & paraſitatum. Album dixit, alludens ad codicillos, & dicas, ſyngraphaſque quibus lis intenditur peragiturque. Nec omnino diſplicet, vt ad album prætoris, quo leges & litium formulæ proponebantur, reſpexerit. Nam leges etiam Solon aranearum textis ſimiles eſſe dixit.

Non ineſt remedium adverſus ſycophantæ morſum.

Ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.

Id eſt:

Adverſus ictum ſycophantæ non ineſt.

ſubaudiendũ φάρμακον: id eſt, remedium. Dictũ eſt in calumniam, cujus morſus non ſolum perniicioſiſſimus eſt, verũ etiam inevitabilis, quod clancularius plerunque. Olim remedia quædam anulis ineſſe creditum eſt: veluti adverſus ſerpentium morſus, ut morbum aliquem, aut faſcinationem. Eſt apud Ariſtophanẽ in Pluto, apud quem jactanti annulum magicum, in quo remedium eſſet adverſus omne malorum genus, reſpondetur:

Ἀλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος.

Quod imitatus videtur apud Athenæum lib. iij. Ariſtophanes:

——Ἐὰν δ' ἄρα
Στρέφῃ με τὴν γαστέρ', ἢ τὸν ὀμφαλόν,
Παρὰ Φερτάτου δακτύλιος ἔστι μοι δραχμῆς.

Id eſt:

Quod ſi mihi alvum torſerit,
Aut vmbilicum, eſt anulus drachma mihi
A Phertato emptus.

Argiva calumnia.

Ἀργεία φώρα: id eſt, Argiva inſectatio: de calumnioſis & delatoribus dici ſolitum. Nam Argivos olim notavit antiquitas tanquã ſycophantas, & litium avidos. Teſtis Euſtathius in Catalogum navium, adagium ex Pauſania citans. Teſtis & Diogenianus in Collectaneis.

Boliti pœnam.

Βολίτου δίκην: id. Boliti pœnam, dicunt, vbi quis de re frivola nihilique plectitur. Bolitus autem Græcis ſignificat ſtercus quodvis, ſed propriè bubulum. Porro Solon legem tulit, quæ pœnam minatur etiam iis, qui bubulum ſtercus furto ſuſtuliſſent. Huc alluſit Ariſtophanes in Equitibus:

Τοῖς βολίτοις ἡττώμενος. id eſt:

Bubulis ſtercoribus victus.

Heſychius putat Græcis idem βόλιτον & βόλβιτον, niſi quod prius illud Jonum ſit peculiare. Idem indicat Etymologus. Sic autẽ appellari bovis excrementa, quod liquidiora ſint quam cæterorum animantium. Citat autem & Hipponactẽ, qui βολίτου χαμεύνην, dixerit, fœminam opinor, extreme contemptã. & βολίτινον, velut è bubulo ſtercore conflatũ. Cynulcus apud Athenæum libro 13. ἀλλὰ βολίτινον ἔχων θάτερον σκέλος: id eſt: Sed è bubulo ſtercore conflatum habens alterum crus. In Phryſiorum agris videre eſt domos bolitinis parietibus, in aliis bubulum ſtercus ad ignis materiam ſiccari. Quin & hodie noſtrates, quem inſigniter contemnunt, βόλιτον appellant.

Cydi pœnam debet.

Κύδου δίκην ὀφείλει: id eſt, Cydi pœnam debet. κῦδος prima producta gloriam ſignificat: eadem correpta, τὴν λοιδορίαν καὶ προπηλακίαν, id eſt, maledictum & convicium. Unde & verbum deduxere κυδάζειν, pro eo quod eſt conviciari. Proinde cum quis ob rem frivolam, veluti verbũ aliquod temere dictũ, deferretur, vt xaretur que, cum proverbio dicebant, κύδου δίκην ἀπέτισεν, καὶ κύδου δίκην ὀφείλει, hoc eſt, convicii pœnam dependiſſe, & maledicti pœnam debere. Nam antiquitus mulcta dicebatur iis, qui petulantius in quempiam aliquid dixiſſent.

Chius.

Χῖος ἀποπατῶν: id eſt, Chius cacans, Ariſtophanis interpres in Pacem, indicat proverbio jactatũ in eos qui contaminarent, conſpurcarentq; civitatẽ, nam hac occaſione conſueverunt calumniã ſtruere Chiis. Unde nõ perperam accommodabitur & in illos, qui captata occaſione calumniantur aliquem: quemadmodum lupus Æſopicus agnum accuſat, quod ſibi bibenti turbarit aquam. Ariſtophanes in ea quam modo citavi fabula:

Ἡ νῆσος ἡ Χίων διὰ τί σοι ἀποπατεῖ ἐφ' ἅλα.

Probabile eſt, adagium ab evento natum, quem refert Plutarchus in apophthegmatis Laconicis. Chii quum apud Lacedæmonios peregrinarentur, poſt cœnam vomuerunt in curia Ephororum, quorum apud eam gentem erat ſumma autoritas: quin & in horum cathedras, in quibus ſedere conſueverunt, incacarunt. Ac primum quidem diligenter inquiſitio facta eſt, quinã hoc deſignaſſet ſcelus, ſeveriter animadverſuris, ſi quis civiũ hoc perpetraſſet. Ubi ſenſerunt id a Chiis factum, per præconem edixerunt, Chiis permiſſum eſſe intemperanter agere.

Pattacione calumnioſior.

Παττακίωνος συκοφαντικώτερος: id eſt, Pattacione calumnioſior. Ab eventu natum. Nam Pattacion quiſpiam infamis calumniator, cui cum mos eſſet bonis viris calumnias ſtruere, atq; hoc tam fœdo quæſtu parare rem, tandem deprehenſus convictusque pœnas dedit capite. Huic præcipuum ſtudium fuit, probati nominis juvenibus negotium faceſſere. Ideo popularibus conviciis lapidatus eſt, quod fur eſſet, & ædium perfoſſor. Talis fuit apud Athenienſes Hyperbolus: Refert Suidas.

Crater litium.

Κρατὴρ κακῶν: id eſt, Cratera malorum. De re permoleſta, ſive de homine litium autore Ariſtophanes in Acharnenſibus:

Κρατὴρ κακῶν τέκτων δικῶν.

Id eſt:

Crater malorum, ſector litium.

calumniatorem ſignificans & quadruplatorem.

Fruſtra Herculi.

Εἰκῇ τῷ Ἡρακλεῖ: Fruſtra Herculi, ſubaudi, calumniam ſtruxeris. De his dici conſuevit, qui ſic omnia ſua negocia gerunt, vt nemo queat, aut audeat calumniari. Nam Herculi mos erat res alienas vi abducere, nõ dolo. Conveniat aut in vehemẽter laudatum, probatumque; aut præpotentem, quem inſimulare tutum non ſit. M. Cato cenſorius plus quadragies in jus vocatus fuiſſe memoratur, ſemper judicium abſolutus ſententiis. Hunc Cæſar in Anticatonibus inſimulavit avaritiæ. Id Plutarchus perinde ſcribit eſſe, quaſi ſi quis Herculem inſimulet ignaviæ. Nihil enim minus in Herculem quadrat, quam hoc criminis. Sunt qui putent congruere, cum aliquis omnia facit impune, nec a quoquam accuſatur: Quemadmodũ Hercules impune res alienas conſuevit abigere.

Samii mores.

Σαμιακὸς τρόπος, id eſt, Samii mores. Quidam referunt ad calumniandi vitium, quod (vt dictum eſt) Samii notas & inurerent aliis, & paterentur ab aliis. Alii malunt referre ad novam navigii ſpeciem, quam apud eos reperit Polycrates tyrannus. Itaque quadrabit in eos, qui ſuos quoſdam habent mores, à cæterorum moribus diſſidentes.

Abydus, abidenus.

Abydenorum mores in proverbium abierunt. Nam Abydeni dicti ſunt ſycophantæ, ſeu molles & effœminati. Meminit adagii Pauſanias & Suidas: quorũ hic oſtendit, etiam res nihili, nugasq; meras Abydum dici, quemadmodum de Tricis & Apinis alibi retulimus: opinor quod id temporis frigeret abydus ob vetuſtatem. Unde Sinopen meretricem Abydum vulgo dictam indicat Athenæus lib. xiij quod jam anus à nemine adiretur. Heſychius indicat quempiam apud poetam quendam ἀβυδοκόμην dictum, quod de ſycophantia ſeſe venditabat. Suidas, ni fallor, alicubi citat ex Ariſtophane, Zenodotus ſic effert proverbiũ, ἄβυδος πόλις: id eſt, Abydus civitas. Stephanus indicat, proverbiũ dictum ab Abydenis Mileſiis. Nam hinc profecta eſt Abydus Helleſpontica. Verum hæc propius attinent ad proverbium quod alibi retulimus, Ne temere Abydum.

Ex Appendice Erasmi.

Halopanta vel Halophanta.

Halophantes appellatos fuiſſe hominum genus nequam, quod ad ſuenda mendacia miſerrima mercede cõducitur, teſtis eſt Nonius, ex Plaut. Fortaſſe, quemadmodum ſycophantæ dicti ſunt, qui deferebant exportantes ficus Athenis, ita & ἁλοφάντας qui deferret eos.

IVNII. *Cum Protogene mortuo bellum gerit.*

Bellũ cum Protogene mortuo gerere, proverbiali figura dicitur, qui in mortuorum ſcripta invehitur, mortuorum manes conviciis impetit, aut quomodocunque illis injurius eſt. Extat apud Aulum Gellium libro xv. cap. vltimo. Demetrius Poliocretes cogno-

gnomento dictus à ſolertia machinatũ oppugnandis vrbibus repertarum, Rhodum obſidens, incendio ſtatuerat abolere ædes extra vrbẽ, in quibus aſſervabatur pulcherrimi operis imago, à Protogene illuſtri pictore facta, quod eã hoſtili vrbi invideret, reintellecta Rhodii legatos ad eum mittunt cum his verbis: Petimus, conſideres, ne turpè tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe. Huc ſpectat Philoſtrati Lemnii dictum, quo Ælianum repercuſſit, qui accuſationem cujuſdam certò tyranni ſcripſerat: Laudarẽ, inquit, inſtitutũ tuũ ſi vivum accuſaſſes: viventem namq; tyrannum inceſſere, viri eſſe duco: at mortuo inſultare, cujusvis. Græcè ita ſonat: ἐπῄνουν ἄν σε, εἰ ζῶντα τὸν τύραννον ἐπεχείρησας, ἀνδρὸς γὰρ τὸ ἐπιτίθεσθαι ζῶντι, τεθνεῶτι δὲ ἐπεμβαίνειν, παντός. Eodem ſenſu Plancus fregit calumnias Aſinii Pollionis, qui orationes meditabatur a morte Planci edendas, ne reſpõdere poſſet, dictitans: cum mortuis non niſi larvas luctari, quod à Plinio in præfatione Naturalis Hiſtoriæ inſcripta relatum eſt. In hanc ſententiam trahi poteſt illud Epigramma Græcum:

> Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὦ λαγωοί τε
> Νεκροῦ σώματος λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Id eſt:

> Nunc poſt fata meum telis configite corpus,
> Audet & exanimum lepus infeſtare leonem.

IVNII. *Fumus è ficubus.*

Καπνὸς ἀπὸ συκῶν, id eſt, Fumus de ficubus, Comico luſu vocatur calumnia aut criminatio ſycophantica. Quis neſcit Sycophantas (quo vocabulo delatores cenſentur) nomen habere ab eſu ficuum quaſi dicas, ficuum edones? Refertur ab Euſtathio Odyſſeæ xij.

COGNATI. *Genuinum dentem infigere.*

Genuinum dentem infigere dicuntur calumniatores clàm obtrectantes. Hieronymus in Euſebii Chronicon: Nec ignoro multos fore, qui ſolita libidine detrahendi omnibus, quod vitari non poteſt, niſi qui omnino nil ſcribit, huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur enim tempora, convertent ordinem, res arguent, ſyllabas ventilabunt, &c. Vide Eraſmum noſtrum, Genuino mordere.

CARPENTIS SEIPSVM.

ERASMI. *Domeſticum theſaurum calumniari.*

Τὸν οἴκοι θησαυρὸν διαβάλλεις, id eſt, Domeſticum theſaurum calumniaris, ſive traducis: hoc eſt, tua ipſius carpis laceraſq;. Simillimũ illi, quod alibi retulimus, Horatiano: Vineta propria cædere. Ariſtides rhetor in Pericle: τὸν οἴκοι θησαυρὸν διαβαλοῦμεν, εἰ ταῦτα διασυροῦμεν, id eſt, Domeſticum theſaurum inſimulabimus, ſiquidem iſtis obtrectabimus. Nullus autẽ ſanæ mentis, quæ domi recondita habet, traducit ac reprehẽdit: ſed ſuis quiſq; favet, alienis invidet. Conveniet & in illos, qui ſua ipſorũ arcana nõ celant.

Propria vineta cædere.

Huic affine eſt illud Horatianum:

> Ut vineta egomet cædam mea.——

Id eſt:

Ut à meipſo incipiam, & poetas ipſe poeta carpam ac lacerem. Translatum videri poteſt vel ab amputantibus vineam, vel ab iis, qui per injuriam novellas vites lædunt. Horatius in Epiſtolis,

> Multa quidem nobis facimus mala ſæpe poetæ,
> Ut vineta egomet cædam mea.——

Ædibus in noſtris quæ prava, aut recta geruntur.

Aulus Gellius ſcribit hunc Homericum verſiculum, qui eſt Odyſſeæ δ proverbii vice Diogeni ſemper in ore fuiſſe:

> Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Id eſt:

> Ædibus in noſtris quæ prava, aut recta gerantur.

Quod alii tribuunt Socrati: Diocles adſcribit Diogeni, vt refert Laertius. Socrates autem hoc dicto dehortatus à ſtudio rerum naturalium ac ſupernaturalium, item à diſciplinis mathematicis, revocabat ad curam moralis philoſophiæ, quod hæc tractat ea quæ propriè ad nos pertinent. Plutarchus in commentario De ſervãda bona valetudine proverbii vice vſurpavit, εἰ μᾶλλον αὐτὸν οἴεται προσήκειν γεωμετρίας ἢ διαλεκτικῆς ἢ μουσικῆς ἔργον ἔχειν μανθάνοντα, ἢ ζητεῖν καὶ μανθάνειν

> Ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

Id eſt:

Si magis officii ſui putat eſſe, vt in geometriæ, dialecticæ, muſicęque ſtudio verſari videatur, quam vt inquirat, cupiatque cognoſcere,

> Ædibus in propriis, quæ prava aut recta gerantur.

Quo verſu monemur, vt ea potiſſimũ, quæ ad noſipſos pertinent, curemus, externa atq; aliena ne inquiramus. Quo vitio feſtiviter Martialis Ollum quendam notat, qui malorum alienorum erat obſervator curioſiſſimus, & taxator acerrimus: cum ipſe vxorem haberet adulteram, filiam viro maturam, deberetque etiamnum protogula. Diogenes Cynicus, cui carmen hoc, vt modò dixi, ſemper in ore conſuevit eſſe, grammaticos nimis ridiculè facere ajebat, qui tanto ſtudio Ulyſſis mala inquirerent, ſua ignorarent. Huc referri poteſt & illud apud Homerum penè ſolenne: habetur enim ζ Iliad. Odyſſ. α. & φ.

> Ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε.

Id eſt:

> Quin in tecta abiens, tua propria munia cura.

Plutarchus πολυπραγμοσύνην definit φιλομάθειαν ἀλλοτρίων κακῶν, id eſt, Curioſitatem, ſtudium aliena mala cognoſcendi. Atque id hominum genus lamiis ſimiles ait, quæ domi oculos reconditos habent, foras egreſſuræ reponunt: atque ita fit, vt domi cæcutiãt, foris ſint oculatiſſimæ. In hujuſmodi præpoſterè oculatos eleganter torſeris illud Sophoclis de ſenibus dictum:

> Πόῤῥωθεν λεύσσων, ἐγγύθεν δὲ πᾶς τυφλός.

Id eſt:

> procul videns, ſed cominus videns nihil.

Nam id ſenibus accidit, vt propius admota non cernant, longius ſemota videant, atque hujus rei cauſam reddit Plutarchus Convivialium quæſtionum prima decade.

Quo tranſgreſſus &c.

Inter philoſophos vix alium reperias, qui religioſius inſtituerit adoleſcentiam quam Pythagoras: vnde & ſuperſtitionis nonnihil admiſcuit, quod rudis ætas, quemadmodum & indocta multitudo nudis & apertis philoſophiæ præceptis regi non queat. Huc nimirum pertinebat carnium interdictus eſus, holerum cõmendatio, & quinquennis ἐχεμυθία, poſtremo ſymbolorũ velut oracula quędam, prius ediſcenda quam intelligerentur. Ab hujus inſtituto quadã æmulari videntur, qui nunc ſolo titulo ferè monachi ſunt. Ac minimum quidem peccant qui ventrem ac linguam habent caſtigatam: tamen quoniam vix hominis eſt cavere, necubi labatur, proximum eſt, vt à ſe quiſque ſubinde geſtorum rationẽ exigat: & ſi quid erratum eſt, corrigat: ſi quid cum officio factum, in eo perſeveret, atque in melius proficiat. Hujus ſalutiferi præcepti ceu ſymbolum quoddam tradidit carmen, cujus autoris incertum (nam apud Homerum non reperio) quo delectatus videtur & Plutarchus (nam ne hoc quidem viro quicquam ſanctius inter philoſophos ethnicos) Carmen autem ſic habet.

> Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Id eſt:

> Lapſum ubi, quid feci, aut officii quid omiſſum eſt?

Omnis autem humanæ vitæ lapſus conſiſtit in tribus: aut cum ſecus facimus quam oportet, hoc eſt, plus minusque quã decet: huic errori reſpondet illud, πῇ παρέβην: aut facimus quod omiſſum oportuit: cui reſpõdet illa particula, τί δ' ἔρεξα: aut omittimus quod factum oportuit: ad hoc pertinet extrema particula, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Qui filium aut vxorẽ peccantem lenius admonet quã ſat eſt, aut aſperius objurgat, reſipiſcens meritò dicet: πῇ παρέβην; Qui filio præcipit parũ honeſta, dicet: τί δ' ἔρεξα; Qui peccantem diſſimulat, quũ expediret admonere, dicet illud: τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Pythagoras igitur ſolitus eſt admonere adoleſcentes, vt quoties domum ingrederentur, hunc verſiculum ſuo cum animo verſarent. Ea cogitatio ſolicitos reddebat adoleſcentes, vt ſi quid fortè deliquiſſent, aut ſi quid vitii contraxiſſent ex hominũ convictu, id in poſterum corrigerent, caverentque. Eam ſententiam latius ac fuſius explicuit, quiſquis ſcripſit carmen De viro bono, quod fertur inter appendices operum Virgilianorum:

> Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum,
> Omnia quam longi reputaverit acta diei.
> Quo prætergreſſus? quid geſtum in tempore, quid non?
> Cur iſti facto decus abfuit? aut ratio illi?

Hæc docuerũt à Chriſto alieni, quid oportet facere Chriſtianos? Utinam ſaltẽ ſacerdotes ac monachi, cum à prolixis ſplendidisq; conviviis ingrediuntur cubiculum, dicant apud ſeſe:

> Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Deum immortalem quàm multa nobis ſuccurrerent, & pudenda, & pœnitenda?

COGNATI. *Caput ſerpentis conterere.*

Theologis frequens eſt, pro Malas cogitationes in initio vincere. Palladius in Lauſiaca hiſtoria, vt ejus verba habent latine reddita: Contrito, inquit in vita Apollo, ſerpentis capite, totum corpus eſt mortuum. Jubet enim Deus vt obſervemus caput ſerpentis. Id autem eſt, ne in principio admittamus malas & turpes cogitationes, non ſolúm vt obſcœnas animi noſtri phantaſias deleamus, &c.

Nollem factum.

Vox proverbialis eſt, ſeſe reprehendentis cum quadam exclamatione. Nollem factum: id eſt, optarem non eſſe factum. Budæus Eliſco: Id quod equidem nollem ab eo omnino factum, cui homini merito ingenii atque eruditionis faveo. Henricus Stephan in lib. j. Tuſcul. Cic iij Quod certè nollem factum, non quidem quin ea quæ à me repoſita eſt lectio, ſit optima. Iterum paulo pòſt. Sed ego etſi factum hoc nollem, vti dixi, jure tamen factum contendo, &c.

CAUSA INDEFENSA.

ERASMI. *Heteromolia cauſa.*

Ἑτερομόλιος δίκη: id eſt, cauſa Heteromolia, dicitur apud Græcos.

eos, quæ ab altera duntaxat parte nullo præſente qui contradicat. [illegible] id eſt, quod alter duntaxat accedat. Simillimum illi, ἐρήμη δίκη id eſt, Deſerta cauſa. Vſurpabitur non inelegantèr, vbi quis damnat abſentem: veluti cum defunctorum libros carpimus, rectè ἐρήμους λέγει δίκην quis dixerit. Apud Heſychium ſic effertur, ἐρημαῖος δίκη, an integra ſcriptura, neſcio.

Deſerta cauſa.

Ἐρήμη δίκη, id eſt, Deſerta cauſa, cum nemo repugnat. Tranſlatum à iudiciis, vbi nonnunquam altera pars cedens tradit cauſam adverſario. Itaque deſerta cauſa vincere eſt vincere nullo contra pugnante. Lucianus in Ioue tragœdo: [illegible] : id eſt: Itaque quid aliud videbimus feciſſe, quam deſerta cauſa viciſſe? Idem in Toxaride: [illegible]. Totque civitates, nullo defendente, abs te capi. Vſurpat & Socrates in apologia apud Platonē: ἐρήμην κατηγοροῦντες ἀπολογουμένου οὐδενός. id eſt. Deſerta cauſa, nullo defendente accuſantes. Iureconſulti compoſita voce ἐρημοδίκιον vocant. Ita Paulus Pandect. lib. 4. tit. de minorib. c. & ſi ſine dolo. Item & in eremodiciis ei ſubvenitur. Conſtat autem omnis ætatis hominibus reſtitutionem eremodicii præſtari debere, ſi doceant ſe ex iuſta cauſa abfuiſſe. Rurſum lib. 46. tit. iudicatum ſolui, cap. cū quærebatur: Si interpoſita iudicatum ſolui ſtipulatione, quis reum non defenderet, poſtea ex eremodicio ſententiam eſſet paſſus, an ob rem iudicatam clauſula committatur, &c. Rurſum in Codice, lib. 3. tit. de iudiciis, cap. properandum: Sin autem reus abfuerit, & ſimilis eius proceſſerit requiſitio, quemadmodum pro perſona actoris ediximus, etiam abſente reo eremodicium contrahatur. Hæc Iuſtinianus. Eſt igitur ἐρημοδίκιον, quum altera parte abſente fertur ſententia.

Ne de lite pronuncies.

M. Tullius lib. Epiſtolarum ad Atticum 7. Obſecro μήτε δίκην, præſertim in te, à quo nihil vnquam vidi temere fieri. Notavit Cicero carmen proverbiale, quod citatur cum ab aliis multis, tum à Luciano libello De calumnia:

Μήτε δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Id eſt:

Ne iudex fueris, partes ni audiveris ambas.

Nonnulli tribuūt Heſiodo, ſed falſo. Vnde Tullius ψευδησίοδον appellat, cum ſit Phocylidis. Admonet autem non temere pronunciandum de quopiam, niſi re vltro citroque cognita. Citatur & apud Ariſtophanem in Veſpis?

Ἦ που σοφὸς ἦν ὅστις ἔφασκε, πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς
Οὐκ ἂν δικάσαις. ——
Sapiens fuit is, quiſquis dixit,
Prius ac partem audieris vtramque
Ne iudicem agas. ——

Eandem ſententiam ſic extulit Euripides in Heraclidis:

Τίς ἂν δίκην κρίνειεν, ἢ γνοίη λόγον,
Πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς.

Id eſt:

De lite quinam iudices, aut qui queas
Pernoſſe rem, prius atque partem audiveris
Vtramque? ——

Alluſit huc Seneca in Medea;

Qui ſtatuit aliquid parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Fertur inter Græcanicas ſententias & hic ſenarius:

Ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα.

Id eſt:

Ne quempiam punito, rem ni expenderis.

Haud impune vindemiam facies.

Οὐκ ἐρήμας τρυγήσεις: id eſt, Haud impunè vindemiam facies. In eos competet, qui nullo ſervante, impunè decerpunt vuas. Ariſtophanes in Veſpis:

Ἀλλ' οὐκ ἐρήμας ὤεσθ' οὕτω ῥᾳδίως τρυγήσειν.

Id eſt:

Ac ne exiſtimetis vos adeò facile atque impunè vindemiam facturos.

Nam ἐρήμας Græci fieri dicunt, quod fit nullo prohibente nulloque obſiſtente. Confine eſt illi, quod alio referemus loco:

Γλυκὺ, ἐπείγει φύλακος ὀπωρα ἀπειλητός,

Id eſt:

Eſt dulce pomum, verum vbi cuſtos abeſt.

Solent enim vitibus & pomarijs adhiberi cuſtodes præſertim autumno, cum iam maturi fœtus furem invitant. Itidem dicunt ἐρήμην κατηγορεῖν, καὶ ἐρήμην δίκην γράφειν & ἐρήμην νικᾶν, & ἐρήμην [illegible] quemadmodum indicavimus alibi.

CEDENDVM MVLTITVDINI.

ERASMI. *Ne Hercules quidem adverſus duos.*

Μηδ' Ἡρακλῆς πρὸς δύο: id eſt. Ne Hercules quidem adverſus duos, hoc eſt: Nemo vſque adeò viribus excellit, vt unus pluribus par eſſe poſſit. Neque indecorum eſt cedere multitudini. Erit autem ſuavior metaphora, ſi ſignificabimus, neminem, quantumvis eruditum adverſus duos in diſputando ſufficere, aut eundem hominem pluribus negociis ſuſtinendis non eſſe ſimul parem: aut non poſſe reſiſti precibus duorum, rem eandem petentium. Poterit & aliam in formam verti proverbium, ad hunc modum: Si negant vel Herculem adverſus duos eſſe parem, quinam ego tā imbecillis adverſus duos Hercules ſtabo? Quanquam obiter huius uſum proverbii, in operis huius veſtibulo paucis oſtendimus. Plato libro De legib. 11. [illegible] id eſt: Verum eſt illud etiam olim proverbio celebratum, arduum eſſe adverſum duo, eaque contraria pugnare, quemadmodum in morbis aliiſque compluribus. Significat nobis eſſe geminam pugnam, tum adverſus divitias, tum adverſus egeſtatem. Idem in Phædone uſurpavit, vbi Socrati per iocum hortanti, ut Cebetem ac Simmiam confutet argumentatione, reſpondet Phædon: ἀλλὰ πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς λέγεται οἷός τε εἶναι. id eſt: At verò contra duos ne Hercules quidem dicitur ſuffeciſſe. Eodem alluſit Catullus in carmine nuptiali cum ait:

—— Noli pugnare duobus.

Hæc ſententia tametſi non iiſdem verbis, aliquoties legitur apud Homerum, ut in Odyſſ.

Χαλεπὸν δὲ καὶ ἐσθλὸν ἐόντα μάχεσθαι
Id eſt:

Difficile ac durum eſt, unum compeſcere multos.

Telemachus ita loquitur de ſe, ac procis.

Item Iliados:

Αἰνείας δ' οὐ μεῖνε θοός περ ἐὼν πολεμιστής,
Ὡς εἶδεν δύο φῶτε παρ' ἀλλήλοισι μένοντε.

Id eſt:

Haud ſtetit Æneas, alioqui ſtrenuus armis,
Conſpexit ſimulatque duos conſiſtere iunctos.

Occaſionem adagij varie narrant. Quidam aiunt Molionidas adortos aliquando Herculem ex inſidiis: atq; illum hominum multitudine territum, non auſum contra reſiſtere, ſed fuga ſaluti cōſuluiſſe: idq; in vulgi ſermonem abijſſe. Verò propius eſt, quod refert Suidas. Herculē conſtituto certamine Olympiaco fretum viribus ſuis, primum auſum certare cum duobus, & utroſq; confeciſſe. Hos aiunt fuiſſe Creaton & Eurytum, Neptuno patre & Moliona matre prognatos. Deinde proxima Olympiade conſimili modo congreſſum fuiſſe cum duobus quibuſdam: atq; ab his fuiſſe ſuperatum. Quanquam ſunt, qui hos exiſtiment fuiſſe Lærum & Pherandrum: ſed qui vicerint Herculem, non qui victi diſceſſerint. At Plato in Euthydemo longe diverſam ab his hiſtoriam adducit: puta Herculem cum hydra pariter & cancro quodā immani, qui è mari emerſerat, congreſſum, inferiorē diſceſſiſſe, atque ob id Iolai nepotis auxilium imploraſſe. Sed non gravabor ipſius verba ſubſcribere. In eo igitur, quem dixi dialogo, Socrates cum duobus fratribus ſophiſtis, & ut ſunt illi, cōtumelioſis diſputans, quaſi cum duobus monſtris unus cōgreſſus, cum illi probro objiceret Dionyſidorus quod fugeret, neque ad interrogata reſponderet, ad hunc modum reſpondit: [illegible] id eſt: Non iniuria inquam fugio. Nam cum alterutri ſim impar, cur non fugiam ambos? Equidem Hercule multo ſum imbecillior, qui tamen pugnare pariter non valuit, & adverſum hydram ſophiſticam, (cui propter ſapientiam pro uno ſermonis capite amputato multa repullulabant) & adverſum cancrum ſophiſtam quendā è mari profectum, & nuper, ut arbitror, advectum. A quo cum Hercules ad ſiniſtram urgeretur verbiſque acriter morderetur, nepotis ſui Iolai auxilium imploravit: qui abunde illi ſuccurrit. Meus autem Iolaus Patroclus ſi veneris: magis alteram certaminis partem ſuſtineret. Mordaci videlicet allegoria Socrates è fratribus ſophiſtis alterum hydram, alterum cancrum nominat: ſe, Herculem: Cteſippum, Iolaum.

Vnus vir nullus vir.

Εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ: id eſt. Vnus quidem vir, nullus eſt. Senſus eſt, nihil egregium præſtari poſſe ab uno homine, omni auxilio deſtituto. Huc pertinet quod ait Euripides in Heraclidis, μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη: id eſt. Nam ſolitariæ manus invalida pugna eſt. Item illud eiuſdem: εἷς ἀνὴρ οὐ πάντ' ὁρᾷ. id eſt. Vir vnus haud videt omnia. Poterit ad varios vſus deflecti proverbium, vel ad inſuavem vitam, ſi non adſit convictor amicus: vel ad iudicium haudquaquam vni committendum: vel ad ſtudium literarum, quod citra ſocium, & eiuſdem, vt aiunt, æmulum Muſæ, planè friget: vel ad quodvis denique peragendum negocium, quod citra alterius adminiculum commode confici non queat. Adagii mentionem facit Zenodotus.

Vni cum duobus non [illegible] pugnandum.

In eadem Chryſothemis, Electræ ſorori, & Choro concorditer hortantibus, ita reſpondet:

Δράσω· τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον
Δυοῖν ἐρίζειν.

Id eſt:

Factura ſum: non æquum enim eſt reſiſtere
Vnam duobus.

affine eſt illi, Ne Hercules quidem adverſus duos. Huc alluſit & Catullus in Epithalamio. Noli pugnare duobus.

Cedendum multitudini.

Qui ſuadebit non eſſe pugnandum uni cum multis, & ubique multitudini morigerandum, adducet illud ex eodem libro:

Αἶψά κεν αὐτῷ ἀεικέα πότμον ἐπίσποι,
Εἰ πλεόνεσσι μάχοιτο. ——

Id eſt:

Accerſet mox ipſe ſibi crudelia fata,
Si multis pugnare velit. ——

Iidem proci paulò ſuperiùs.

—— *Ἀργαλέον δὲ*
Ἀνδράσι καὶ πλεόνεσσι μαχήσασθαι περὶ δαιτί.

Id eſt:

—— Cum pluribus ardua res eſt
Depugnare viris inter convivia ſolos.

Extra publicam viam ne deflectas.

Ἐκτὸς λεωφόρου μὴ βαδίζειν, id eſt, Extra viam publicam ne ingrediaris. Hoc quoque refertur inter Pythagorica ſymbola a Diog. Laertio tametſi ſuperiori diverſum. Neque eſt quod hanc miremur pugnantiam: quandoquidem ut rectè præceptum eſt, loquendum ut plures, ſapiendum ut pauci: ita ſub quædam, in quib. cum vulgò convenire dexteritatis eſt: ſunt rurſum, in quibus a vulgo quam maxime diſſidere virum bonum oportet. Rectè Flaccus:

Interdum & vulgus rectum videt, eſt ubi peccet.

Plurimum calculus vincit.

Τῶν πλειόνων ψῆφος νικᾷ, id eſt, Plurium calculus vincit. Quoties in concilio ceditur multitudini Plinius in Epiſtolis queritur, numerari ſententias, non expendi. Et Livius: Pars, inquit, major meliorem vicit.

COGNATI. *Facile fertur quod omnibus commune eſt.*

Proverbialiter hodie dicitur, quum ſignificamus et difficilia facile confici, ſi adfuerint plures adjutores. Eodem pertinēt, quæ Eraſmus collegit, Unus vir, nullus vir: &, Multæ manus onus levius reddunt. item: Conſolatio miſerorū eſt, habere ſocios. Lucianus in Amoribus dicit, adverſa quæ mutuo amici ferunt, leviora eſſe, Thucydides lib. 7. *ἰσομοιρία τῶν κακῶν, ξὺν πολλοῖς, κούφισιν ἔχει μετρίαν.* Ærumna quæ multis communis eſt, habet aliquid levamēti. Convenit cum illo Salomonis cap. Proverb. 27. Ferrum ferro acuitur, & vir acuitur amici congreſſu.

Multorum peccatum inultum.

Quicquid à multis peccatur, inultum eſt, inquit Lucanus libr. 5. cui Latonia apud Iuven ſatyr. 2. ſubſcribit, dicens:

--- Faciunt hi plura, ſed illos
Defendit numerus, junctæque umbone Phalanges.

Etſi Hieronym. dixerit: Peccantium multitudo non parit errori patrocinium. Contra hos tales, qui peccatis alienis exemptū purgatumque volunt, Demoſthenis verbà recitat Aul. Gel. *οὐδ᾽ ἐλλείγι γέγονεν οὕτω πάλαι, ἀλλ᾽ ὡς σὺ νῦν γίνεται*, &c. Verum ne dicas ſic eſſe actum ſæpe numero, ſed hoc fieri decere. Non abſimile eſt hoc Cic. ex 3. De legib. Invidia quidem ſummus ordo caret. hoc eſt, ſenatorius. Cyprianus in epiſtol. ad Donatum: Conſenſere intra peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt, Cicer. epiſt. 4. Quod exemplo fit, id etiam fieri iure putant.

Cave multos, ſi ſingulos non times.

Extat carmen lepidum, è Græco converſum contra Maximinum imperatorem pronunciatum, qui ſe ob vaſtitatem & robur corporis immortalem credebat:

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas quidem grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt & tamen occiditur.
Tigris accrrimus eſt, & occiditur.
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Hanc repetitionem Rhetores converſionem appellant, cum ad primum repetimus verbum, aut ad poſtremum continēter revertimur. Huic non diſſimilia ſunt, Plurium calculus vincit: & Multis ictibus deiicitur quercus, quæ extant in Eraſmi noſtri adagiorum chiliadibus.

Veſparum examen metuit Phrynicus, velut gallus gallinaceus.

Et ſi gallinaceus pugnax ſit, & longe animoſus, adeoque leonē cantu terreat: tamē vel multitudini apū cedit. etiā licet Phrynicus tragicus Mileti captivitatē fortiter ageret, Atheniēſes tamē commoti & collachrymantes eum metuentem & perhorreſcētem effecerunt. Convenit in eos, qui damnum patiuntur, ita ſcilicet ut ſubito & præter ſpem à multis quatiantur. Ælian. 13.

CITRA LABOREM.

ERASMI *Citra pulverem.*

Ἀκονιτί, id eſt, citra pulverē, Græci dicunt contingere, quo quis facile, citraque negocium potitur. Tranſlatū vel ab Aphe, id eſt, à pulveris contactu, quo ſe ſpargebat, in paleſtrico certamine congreſſurus: vel certe a pulvere, quo non indecore ſordidati ſcripſit Horatius eos, qui certant Olympia, quive bellum gerunt. Plinius lib. 35. Alcimachus Dioxippum qui pancratio Olympiæ citra pulveris tactū, quod vocant ἀκονιτί, vicit: Aulus Gellius lib. 5. O vandi, inquit, cauſa eſt, cum deditione repente facta ſine pulvere, ut dici ſolet, incruentaque victoria obvenit. Horatius in Epiſtolis.

Quis circum pagos & circum compita, pugnax
Magna coronari contemnat olympia, cui ſpes,
Cui ſit conditio dulcis, ſine pulvere, palmæ?

Invenitur & ἀνιδρωτί, id eſt, citra ſudorem: & ἀναιμωτί, id eſt, citra ſanguinem.

Citra arationem, citraque ſementem.

Quæ citra noſtram operam caſu nobis eveniunt, ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα, contingere dicunt Græci. Lucianus in Paraſito: *ὅτι δὴ μόνος τις κατὰ ὅμηρον οὔτε φυτεύει χερσὶ φυτόν, οὔτε ἀροῖ, ἀλλὰ τὰ ἄσπαρτα, καὶ ἀνήροτα πάντα νέμεται.* id eſt: Quod videlicet unus iuxta egregium illum Homerum, nec manibus plātat, nec arat, verum, citra ſementem, citra arandi laborem fruitur omnibus. Idem in Rhetorum didaſcalo: *σοὶ δὲ ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα φυέσθω πάντα.* id eſt: Tibi porro citra ſeminandi arandique laborem proveniant omnia. id eſt, citra ſtudium. Natum apparet adagium a fabula inſularum fortunatarum, de quibus Horatius in Odis:

Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis.
Et imputata floret uſque vinea.

Sumptum eſt autem, opinor ex Homero, qui Odyſſeæ lib. 9. Cyclopum terram deſcribit ad hunc modum:

Κυκλώπων δ᾽ ἐς γαῖαν ὑπερφιάλων ἀθεμίστων,
Ἱκόμεθ᾽, οἵ ῥα θεοῖσι πεποιθότες ἀθανάτοισιν,
Οὔτε φυτεύουσιν χερσὶ φυτόν, οὔτ᾽ ἀρόωσιν,
Ἀλλὰ τάγ᾽ ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται,
Πυροὶ καὶ κριθαὶ ἠδ᾽ ἄμπελοι, αἵτε φέρουσιν,
Οἶνον ἐριστάφυλον, καί σφιν Διὸς ὄμβρος ἀέξει.

Id eſt:

Venimus in terram quam magnanimi Cyclopes
Et legum expertes habitant, hi numina freti
Divum, hæc manibus terræ plantaria figunt,
Vomere nec ſegetem proſcindunt, quin ea cuncta,
Nulla ſemente, & nullo naſcuntur aratu
Ordea, frumentum plenisque onerata racemis
Vinea, & largis hæc Iuppiter imbribus auget.

Ultro Deus ſubiicit bona.

Αὐτομάτως ὁ Θεὸς φέρει τὰ ἀγαθά: id eſt: Ultro Deus ſubiicit bona. Quoties res citra noſtram operam feliciter cadunt, quaſi Deo quopiam accuráte. Stobæus ſenarium hunc adducit ex Plutis Cratini:

Αὐτόματα τούτῳ θεὸς φέρει τὰ ἀγαθά.

Id eſt:

Ultro dona iſtis ipſe ſuppeditat Deus.

De Dormientis reti dictum eſt alias.

Sub aliena arbore fructum.

Ex aliena arbore fructum legere dicūtur, qui fruuntur aliorum laboribus. Ita Fabius apud Livium lib. ab Urbe cond. 10. Fabius, inquit, quam arborem conſeruiſſet, ſub ea legere alium fructum, indignum ducere. Finitimum eſt illi, Alienam meſſem metit.

Dormienti rete trahit.

Εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ: id eſt, Dormienti rete capit. In eos, quibus citra conatum obtingunt ea quæ cupiunt. Natum ex evētu, quod aliquādo acciderit, ut dormientibus piſcatoribus piſces forte retibus involuti caperentur. Quidam ad Timotheum Imperatorem Athenienſium referunt, cui quod multa feliciter obtingeret, magis commoditate fortunæ, quam ipſius opera, εὐτυχὴς, id eſt, felicis cognomen inditum. In huius invidiam pingebāt nonnulli fortunam ad rete cogentem urbes, illo iuxta dormiēte. Quos ille eluſit, authore Plutarcho, videlicet: Si huiusmodi urbes capio dormiens, quid me facturum arbitramini ſi vigilaro? Huc alluſit Terentius cum ait in Adelphis: quid credebas dormienti hæc tibi confecturos deos? Et illā ſine tua opera in cubiculum iri deductū domum? Non diſſimili forma dictum eſt apud T. Livium libro ab urbe cōdita. 7. Unicum belli ducem, qui nihil agenti ſibi de cœlo devolaturam in ſinum victoriam cenſet. M. Tullius in Verrem actione ultima: Sed non idem mihi licet quod iis, qui nobili genere nati ſunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur. Quin & hodie vulgo dicitur in id genus homines: Fortunatior eſt, quam ſapientior. Et Eupolis comicus apud Athenæum.

—— *Ὦ πόλις, πόλις,*
Ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Id eſt:

O civitas ó civitas,
Ut tu quidem es felix magis quam provida.

Congruunt quæ dicentur in proverbio: Athenienſium inconſulta temeritas.

COGNATI *Gemmas ex alieno littore petit.*

Seneca Declamationum libr 2. declam 5. Nunquid gemmas, &c.

ex alieno littore petit lapillos? Finitimum eſt illis: Alienam meſſem metere. &, Sub aliena arbore fructum legere. Proverbialiter uſurpatur, ut qui umbilicos & calculos in litore ludentes colligūt, ocium ſuum fallunt: ego quoque velut ludens & aberrans à ſeriis rebus & ſtudiis hæc colligebam calculis & umbilicis ſimilia.

Ἀκονιτί.

Ἀκονιτὶ ſive ἀκονιτεὶ proverbio Græco dicitur quoties quis ſine labore ſine ſudore, pugna vel pulvere vicit. Ab athletis ſumptum, qui pulverem inſpergebant corporibus. Pauſan. Ἠλιακ. β. ... Lucian. in dialogo quodam: ἀκονιτὶ ... Etymol. ponit ἀκονιτὶ Ionice, quaſi ἄσκονιτί. Id Plin. libr. 35. cap. 11 Horat. lib. 1. epiſt. 1. Gel. lib. 5. ca. 6. Hermol. in Plin. & Eraſm in ſuis Chil. cæteriq; Latini, citra pulverem interpretati ſūt. Contra κονιτὶ vicit, dicitur, quoties cum labore & ſudore victoria paratur.

Laborum curarumque neſcii vivunt.

Plato in Civili.

CLAMOSVS.

ERASMI. *Septem convivium, novem convicium.*

Septem convivium novem convicium. Elegans vel ob ipſam παρονομασίαν ſententia: qua ſignificatum eſt in convivium paucos adhibendos eſſe, alioqui fore tumultuoſum, atque inſuave. Quod ſignificans Horatius:

— Locus eſt, inquit, & pluribus umbris,
Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Extabant antiquitus leges quæ præſcriberent, ſimul & moderatū convivarum numerum, & ſumptus modicos. M. Terentius Varro apud Celſum cēſet convivas intra gratiarum & Muſarum numerum oportere conſiſtere, ne aut plures ſint ſeptē aut pauciores tribus. Sed hoc adagium vetat ad Muſarum uſque numerum pervenire Photus libro 28. cap. 2. ſcribit Servium Sulpitium commentum fuiſſe cauſam cur ominoſum eſſet menſam relinquere, quod illis temporibus nondū numerabantur convivæ plures quinque. Chærephon apud Athenæum libr. 6. videtur admittere convivas uſque ad triginta, duntaxat in nuptiis. Cæterum quibus datum erat negocium numerandi convivas, γυναικονόμους appellant. Refert ibidi fabulam nō illepidam: Paraſitus quum invocatus veniſſet ad nuptias, & poſtremus accūberet, gynæconomi numeratis convivis iuſſerunt illum abire, quod contra legem, ſuper numerū 30. ſecutus eſſet, at ille: numerate, inquit, denuo à me ſumētes initium. Hoc pacto non erat futurus ſuper numerarius. Refertur apud Iulium Capitolinum in vita L. Veri imperatoris: Et notiſſimum quidem, inquit, eius fertur tale convivium, in quo primum duodecimus accubuiſſe dicitur, cum ſit notiſſimū dictum de numero convivarum: Septem convivium, novem vero convicium. Convicium autem dixit pro clamore quaſi convocium. Torqueri poteſt ap polyphiliam, aut ad turbam rauonum in argumentando, aut exemplorum in ſuadendo: aut etiam ad polytechniam. Quævis in re turba confuſionem parit ac moleſtiam.

Clamoſior lauro ardente.

Μᾶλλον δὲ ... δάφνης χλωρᾶς κατακαιομένης, id eſt, Magis vociferatur quam laurus viridis incenſa: propterea quod laurus adhuc virens in ignē coniecta, maximos crepitus ædit. Vnde & in maleficiis amatoriis incendi conſuevit tanquam amentium querimonias repræſentans.

Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum. Refertur à Diogeniano.

Claudiana tonitrua.

Feſtus Pompeius innuere videtur, Claudiana tonitrua in vulgi ſermonem abiiſſe: ſcribens, ideo vocata Claudiana tonitrua, quod Claudius Pulcher inſtituerit, vt ludis poſt ſcenam factis, lapidum coniectus ita fieret, vt veri tonitrus ſimilitudinem imitaretur. Nā antea leves admodum & parvos ſonitus fieri ſolitos, cum clavi & lapides in labrum æneum conicerētur. Quadrabit adagiū (ſi modò videbitur in adagiorum gregem recipiēdum) in homines immodicè clamoſos, & odioſè obſtreperos. Simillimum illi, quod alibi retulimus, Δωδωναῖον χαλκεῖον, id eſt, Dodonæum æs.

Vſque ad ravim.

Quemadmodum Græci dicunt, ἄχρι βράγχου, id eſt, Vſque ad ſacietatem ita Plautus. & quidem lepidius dixit, uſque ad ravim, pro eo quod eſt, improbē ſæpius, clamoſē adeò vt vox etiam toties vociferanti rauceſcat. Eſt in Aulularia ad hunc modum:

Huccine detruſiſti me ad ſenem parciſſimum,
Vbi ſi quid poſcamus ad ravim poſcamus prius,
Quam quicquam detur?

Apertis tibiis.

Apertis tibiis: id eſt, clariore voce. Tranſlatū à tibicinibus, qui quædam obturatis tibiarum foraminibus, quaſiq; preſſiore ſono canunt, quædam apertis tibiis, acriore ſonitu. Quintilianus Inſtit. lib. 11. Illa vetuſtiam penè apertis, vt aiunt, tibiis: qui quocunq; inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinū morē iudicio-rū requirunt. Venuſtior erit metaphora, ſi quis dicatur apertis tibiis invehi in quempiam: id eſt, non clanculum obtrectare, ſed palā inſectari, lacerareque conviciis, aut, apertis tibiis laudes cuiuspiam celebrare, id eſt, palam & magnificē. Fortaſſis in hanc ſententiam pertinet ſenarius ille Græcus quem citat Tullius in Epiſtolarum ad Atticum libr. 2. ex poeta neſcio quo: Cn. quidem, inquiens noſter, planè iam quid cogitet neſcio:

Φυσᾷ γὰρ οὐ σμικροῖσιν αὐλίσκοις ἔτι.

Id eſt:

Neque enim minutis iam ille ſpirat tibiis.

Videtur innuere, Pompeium ingētia promittere per legem agrariam, & rem maximam moliri. Athenæus libr 4. refert tibiarum genus, quas Anacreon ἡμίοπος appellat, cæteris minores, ſonoque minus claro: quod ipſum indicat cognomen.

Cyclobori vox.

Κυκλοβόρου φωνή, id eſt, Cyclobori vox, de clamoſis, & vehemēter obſtreperis dicebatur, aut quib⁹ vox eſſet vitioſa raucaq;. Cyclobotus fluvius quidam Atticæ, nō perpetuus, ſed torrens ingenti ſtrepitu defluens: vnde ductum proverbium, Ariſtophanes in Equitibus:

Ἅρπαξ, κεκράκτης, Κυκλοβόρου φωνὴν ἔχων.

Id eſt:

Clamoſus, avidus, voce Cyclobori obſtrepens.

Sarpedonium litus.

Σαρπηδονία ἀκτή, id eſt, Sarpedonium litus. De re turbulenta rectè dixeris, ſive de vehementer clamoſis & obſtreperis. Eſt enim huius modi litus quoddam Thraciæ, Neptuno ſacrum, quod aſſiduis fluctibus tunditur. Eſt & aliud eiuſdēm nominis in Cilicia. Rurſum aliud iuxta Oceanum, vbi Gorgonibus ſedes eſſe ferunt.

Stentore clamoſior.

Proverbialis hyperbole. Stentore clamoſior. Iuvenalis:

--- Vt ſtentora vincere poſſit.

Sumptum à fabula Stentoris: cuius meminit Homerus Iliad 5. cique ferream, hoc eſt, invictam attribuit vocem:

Στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ,
Ὃς τόσον αὐδήσασχ' ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

Id eſt:

Stentoris in ſpecie validi, cui ferrea vox, qui
Quinquaginta alios æquans clamore ſonoque.

Græci μεγαλοφώνους appellant.

In clamoſos.

Ingentem inter litigandum aut diſputandum vociferationem, indicabimus eo verſiculo, quem ibidem de Neptuno ſcribit Homerus:

Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι
Ἀνέρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες ἄρηος.

Id eſt:

Tantum vociferans, quantum novies, deciesve
Mille viri clamore ſolent qui prælia miſcent.

Idem carmen habetur Iliad. 5 de Marte.

Abſit clamor in colloquio, aut luſu.

Qui iubebit in convivio, colloquiove temperari à vociferatione, accommodabit illud ex eodem libro:

Νῦν μὲν δαινύμενοι τερπώμεθα μηδ' ἐνὶ βοητὺς
Ἔστω. Id eſt:

Nunc hilares cœnemus, & omnis clamor abeſto.

Abydena illatio.

Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα, id eſt, Abydena illatio, ſive irruptio. Dici ſolitum, ubi quis obſtrepit aut convivantibus, aut aliud quippiam agentibus, & tumultu moleſtiam adfert. Zenodotus ait extare proverbium apud Eudoxum in fabula, cui titulus Suppoſititius. Atque hinc eſſe natum, quod olim Abydenis mos fuerit, ſi quem civem aut hoſpitem reciperent convivio, præterea in ſacris ac ſolennibus epulis, vt poſt unguentum & coronas, infantes a nutricibus inducerentur, circumferenturque ſuaviandi. Vagientibus autem & clamantibus pueris, garrientibus item & obſtrepentibus nutriculis, convivium tumultuoſum & iniucundum reddebatur. Ergo cum, amicis aliquot ſuaviter colloquentibus, intervenier fabula quiſpiam & immodice loquax, qui confabulationem ſua loquacitate ſit inamœnā redditurus, rectè dicemus, Ἀβυδηνὸν ἐπιφόρημα. Tametſi in quibuſdā codicibus ἐπιφώνημα legi, id eſt, acclamatio: verum ut opinor, mendoſē: quandoquidem Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 14. mentionem facit huius adagii, demonſtrās complurium autorum teſtimoniis, ἐπιφορήματα dici bellaria, ſive ſecundas menſas: ab inferendo, non ab acclamando. Quin & Stephanus ἐπιφόρημα legit, non ἐπιφώνημα. Itidem Zenodotus & Suidas. Solus Heſychius legit ἐπιφώνημα, indicans & hoc dici in eos qui hoſpites calumniabantur. Cæterum quod in nonnullis codicibus ſcriptum viſitur Ἀβυδινόν, pro Ἀβυδηνόν, minimum intereſt ad ſenſum.

Calamoboas.

Antipater quum nec vellet, nec poſſet congredi cōminus cum Carneade, qui magna vehementia invehebatur in Stoicos, ſemel ad ſcribendum vertit: multoſque libros ædidit maledicos & in-

& ineptos, in quibus paſſim contra dicebat Carneadi. Hinc vulgo cognomen adeptus eſt καλαμοβόας, quod non lingua, ſed calamo vociferaretur. Meminit Plutarchus in libello περὶ τῆς ἀδολεσχίας.

Ἀπαυγχίζειν.

Ἀπαυγχίζειν Græcis dicuntur, qui non loquuntur naturali modo, ſed dilatato gutture effundunt immanem vocem. Quemadmodum & canunt nonnulli. Hoc vitium Demoſthenes obiecit Æſchini, quod non ex animo loquens vocem præter naturam intenderet. Neque enim oratoris eſt, affectus clamore mouere, ſed argumentis, & rem velut oculis ſubijciendo.

Columnas rumpere.

Ælianus prodidit, in Samo quondam fuiſſe animalia vaſta magnitudine (Neades vocantur) quorum voce terra rumperetur. Vnde prouerbium natum in clamoſos & improbe loquaces, vt poſtes & columnas dicantur rumpere. Vſus eſt eo Vergilius in Philiſtum rabulam, & obtrectatorem. Item Iuuenalis:

Frontonis platani conuulſaque marmora clamant.

COGNATI. *Tollitur in cœlum Clamor.*

Hyperbole prouerbialis eſt, & habetur Æneid. 11. & 12. quod alibi aliter extulit Virgilius:

It clamor cœlo ——

Sed hoc hemiſtichium Virgilius ex Ennio deſcripſit lib. 17.

Tollitur in cœlum, clamórque exortus vtriſque.

Homerus Iliad. 15.

—— Φωνὴ δ' οὐρανὸν ἵκεν.

Id eſt:

—— Ferit autem ſidera clamor.

Hoc hemiſtichio denuo 12. Æneid. vſus eſt:

—— Ingentem gemitum ad ſidera tollunt.

Et 10. dixit:

—— Clamorem ad ſidera tollunt. & 1.

Clamores ſimul horrendos ad ſidera tollit.

Tibiis apertis.

Apertas porro tibias, vt & hoc repetam, quod Eraſmus noſter colligit, idem Fabius ibidem vocat, quæ apertis omnibus foraminibus ſonant clarius. Nam clauſis ſonus redditur fuſcior & obſcurior, vt apertis candidior & clarior. Illa vero, inquit, iam pene apertis, vt aiunt, tibiis, id eſt, clariſſima voce. Rurſus Nam tibiæ eodem ſpiritu accepto alium clauſis, alium apertis foraminibus, alium ſatis purgatæ, alium quaſſæ ſonum reddunt.

COMMODVM MAGNO EMPTVM ET COMMODVM INTERVERSVM.

Vale charum lumen.

Χαῖρε φίλον φῶς, id eſt, Vale gratum lumen. Hoc apparet vulgo dici ſolitum, quoties extingueretur lucerna. Referunt autem ad fabulam, non admodum caſtam, ſed docendi cauſa referendam tamen. Narrant enim anum quampiam, cum nuda libidinari pararet, extinxiſſe lucernam, ne rugæ ſituſque corporis offenderet: & extinguentem dixiſſe: Χαῖρε φίλον φῶς: id eſt, Vale amicum lumen. Quæ quidem verba ſuſpicor hoc magis in vulgi iocum abiiſſe, quod iiſdē vtantur in tragœdiis, exituri è vita: velut Polyxena in Hecuba Euripidis, Iphigenia in ſui nominis fabula, Alceſtis & Electra, aliæque complures. Tametſi Plutarch. Conuiuialium quæſtiuncularum decade 7. problemate 5. indicat dictum a quodam, qui amicæ prodeunti in conſpectum, quum ipſe vino opinor excuteret. Χαῖρε, inquit, φίλον φῶς. Poterit ad varios vſus accōmodari parœmia. Siue cum nos ſignificamus licentius agere velle. (Nox autem tegit omne dedecus, & quoniam iuxta Naſonem, pudore vacat, accommoda videtur inhoneſtis ac flagitioſis actionibus, quas eo Lucianus νυκτερινὰς appellat. Huc alluſit Ariſtophanes in Concionatricibus, cum mulierem volentem deijcere aluum, ita loquentem facit:

Ἦ πανταχοῦ τοι νυκτὸς ἐστὶ τὸ καλὸν;

Id eſt:

An vere vbique eſt hoc honeſtum noctibus?)

Siue cum relinquimus amicum, aut rem interius adamatam.

Siue cum innuimus mulierem iam marcida forma, quæque non poſſit niſi per tenebras adamari: χαῖρε φίλον φῶς. Aut cum ſignificabimus nobis perijſſe rem longe chariſſimam. Siquidem diuus Ambroſius in homilijs quas conſcripſit in Euangelium Lucæ, refert ad huiuſmodi fabulam. Theotimo cuipiam, cum graui morbo oculorum laboraret, medici interminati fuerant, ne cum vxore rem haberet, ſi faceret, prorſus cæcitatem imminere. Verum is libidinis impatiens, non potuit ſibi temperare, quin vxorem amplecteretur. Itaque cum iam medio Veneris calore ferueret, & in mētem veniſſet medicorum interdictum, χαῖρε, inquit, φίλον φῶς, id eſt, Vale amicum lumen, nimirum intelligens ſe voluptatem tam perbreuem oculorum diſpendio emiſſe. Similis eſt apud Martialem fabula de Phryge quodam luſco bibone: cui cum interdictum eſſet a medicis, ne biberet vinum, alioqui nihil viſurum, protinus admotis poculis,

Vale, bis: oculo inquit exitum requiris?

Vinum Phryx, oculus bibit venenum.

Alii ſementem faciunt, alii metunt.

Ἄλλοι μὲν σπείρουσιν ἄλλοι δ' ἀμήσονται, id eſt, Alii quidem ſementem faciunt, alii vero metunt. Quod citra metaphoram etiam ad hunc modum efferunt, ἄλλοι κάμον, ἄλλοι ὤναντο. id eſt, alii laborarunt, alii perceperunt emolumentum. His ſimillimum eſt illud Fabii dictum apud Liuium libro ab vrbe condita decimo: Quam arborem conſeruiſſet, ſub ea legere alium fructum, id indignum eſſe dicere: Huc alludit Heſiodus, cum ſcribit in Theogonia de Fucis;

Ἀλλότριον κάματον σφετέρην ἐς γαστέρ' ἀμῶνται.

Id eſt:

Atque metunt ventrem in proprium ſudorem alienum.

Theognis item:

Οὕτω γὰρ δὴ σὸν χρῆμα, ἄλλοι κτήσονται ἀμέριστοι.

Id eſt:

Ante tibi exhauſtos alii ne trade labores.

Conſimili figura dictum eſt a Diocletiano nondum Cæſare: Ego apros occido, ſed alter fruitur pulpamento. Refertur aūt in illius vita ad hanc ferme ſententiam: Cum Diocletianus apud Tungros in Gallia, in minoribus adhuc locis militans, in caupona quadam moraretur, & cum Dryade quadam muliere familiarem conſuetudinem haberet, illaque parſimoniam hominis incuſaret, ioco, non ſerio reſpondiſſe fertur, tum ſe fore liberalem, cum imperator fuerit. Ad hoc illa: Noli, inquit, iocari Diocletiane, plane imperator eris, ſimul ac aprum occideris. Quam quidem mulieris vocem ominis arripiens vice, ſtudioſe ſectari cœpit apros in venatu: haud intelligens videlicet ominis ænigma, quod euentus poſtea explicauit. Nam Numerianus imperator, factione Arrij Apri ſoceri ſui interemptus fuerat. Qua re prodita, milites Diocletianum vindicem creant, & Auguſtum conſalutant. Ille itaque pro concione, quod Dryadis dictum expleret, Aprum manu ſua confodit, addens Maronianum illud:

Æneæ magni dextra cadis. ——

Cæterum interea dum adhuc priuatus ille multos apros confeciſſet, nec affulgeret vſquam imperii ſpes, dicere ſolitum ferunt: Ego quidem apros occido, verum alter fruitur palpamento.

Mazam pinſuit à me piſtam.

Μᾶζαν γε μεμαχὼς τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην.

Id eſt:

A me ante piſtam mazam iſte pinſuit.

De his dici ſolitum, qui ſibi alienæ induſtriæ laudem vindicant, & magnam gloriam alieno labore partam, verbis in ſe transmouēt, vt Terentianus ait Gnatho. Maza cibi genus ex lacte & farina, ferme panis inſtar confectum. Parœmia refertur & ad hunc modum, μᾶζαν ὑφαρπάσας τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην id eſt, Subrepta maza pinſueram, vbi quis alienis fruitur laboribus. Sumptum eſt autem ex Equitibus Ariſtophanis, quo loco carmen huiuſmodi eſt:

—— Καὶ πρώην γ' ἐμοῦ

Μᾶζαν μεμαχότος ἐν Πύλῳ Λακωνικήν,

Πανουργότατά πως περιδραμὼν, ὑφαρπάσας

Αὐτὸς παρέθηκε τὴν ὑπ' ἐμοῦ μεμαγμένην.

Ἡμᾶς δ' ἀπελαύνει.

Id eſt:

Cumque ipſe pridem pinſuerim mazam in Pylo

Laconicam, iſte accurrit aſtutiſſime.

Raptamque mox appoſuit, quam ego pinſui:

At ſubmouet nos. ——

Demoſthenes qui bello Peloponneſiaco dux fuit Athenienſium, is, collega Nicia, Pylum vrbem diuturna obſidione in rerum omnium deſperationem adduxit. Cui ſucceſſit Cleon, è contrario imperator, qui alieno labore paratam gloriam in ſe tranſtulit, paucis poſt diebus Pylo capta. Queritur igitur in hac fabula Nicias ac Demoſthenes, de laude ſibi prærepta per Cleonem. Ariſtophanis hiſtoria narratur adeo non modo varie, verum etiam prolixe, vt non libeat referre. Indicatum eſt vnde peti poſſit.

IVNII *Vt egeni, eruum.*

Ὥσπερ τοῖς σίτου λειπομένοις οἱ ὄροβοι, id eſt: Id quod in frumēti inopia, eruum. Adagij vſus erit, quum ſignificare volumus, boni conſulenda eſſe qualiacunque ſint deteriora, vbi non adſit meliorum copia. Glandium eſus mortalibus fuit gratiſſimus ante repertas & à Triptolemo commonſtratas Cereales fruges. Solet autem vſuuenire famis tempore aut ubi frumentū deeſt, vt legumina quæuis, viciam, lentem, eruum, aliaque χέδροπα in victum commutet vulgus ad placandam eſuriei iniuriam, & ſuſtinendam vitam, ubi cætera deficiunt neceſſaria. Philoſtratus in Nicete, ἀλλ' ἐν σπάνει σοφιστῶν, ὥσπερ τοῖς σίτου λειπομένοις οἱ ὄροβοι. id eſt: Inopia præcellentium doctorum, in precio fuerunt habiti à Græcis ea tempeſtate, quemadmodum eruum magni ſit apud illos qui frumento carent.

E ſpinis vuas colligere.

Ἐξ ἀκανθῶν τρυγᾶν σταφυλὴν καὶ σῦκα ἀπὸ βάτων. E ſpinis vindemiam facere, & è rubis ficus colligere, dicetur prouerbialiter, qui ex moleſto periculoſoque negocio compendium facit, aut quem dura prouincia diuitem reddit. D. Clemens lib. 1. Pædagogi: ἡμεῖς μὲν ἐξ ἀκανθῶν τρυγῶμεν σταφυλὴν καὶ σῦκα ἀπὸ βάτων. id eſt: Ac nos quidem è ſpinis vuas, è ſentibus ficus colligimus. Loquitur de nobis Chriſtianis, per ſalutiferam Chriſti necē à terra hoſtis humani ty-

ni tyrannide vindicatis,& ad æternæ gloriæ hæreditatem aſcitis.

COGNATI. *Lac avium fert Samus Ionica.*

Samus Ionica valde olim fortunata fuit: unde in proverbium abiit, Lac avium ferre illam. In ea vero cum tyrannis exercerentur, infortunatiſſima fuit, viris deſtituta, a Syloſonte tyranno, qui durius imperabat: unde aliud proverbium natum eſt Syloſontis cauſa locus patens. Hæc referuntur ab Euſtathio Theſſalonicenſi archiepiſcopo, in ſuis commentariis in Dionyſii Alexandrini de ſitu orbis librum. (Eraſm. ſup. Opera Syloſontis ampla regio.)

Summovere vicinos.

Id à Græcis dicitur ἀθωτίστες πωλοῦντι τοὺς ἐγείτονας τὰ χωρία ὑπερτιμώμενοι. Summovere autem hoc modo vicinos, eſt eorum prædia immenſis preciis emere, ita ut ab illa vicinia habeat. Quidam autem agros vicinorum partim precio partim pollicitationibus comparant. Promittunt enim ſuo ſuffragio venditores adjuturos & ornaturos. Bud. Picardo: Vicinos longe quoquo verſum licitando ſummovere, & pollicitando.

CONATVS.

ERASMI. *Manibus pedibusque.*

Extremum conatum ſignificantes dicimus: Manibus pedibusque. Nam per manus, declaratur induſtria conficiendi negotii: per pedes maturandi celeritas. Davus in Andria Terentiana: Ego hoc Pamphile tibi pro ſervitio debeo conari manibus pedibusq;. Utitur hoc adagio ſemel atque iterum Æſchines in oratione contra Demoſthenem. Homer. Iliad. γ.

Ἀλλ' ὅσσον μὲν ἐγὼ δυνάμαι χερσίν τε ποσίν τε.

Id eſt:

Imo quicquid ego poſſum manibus pedibusque.

Omnibus nervis.

Eundem habet ſenſum, Omnibus nervis: id eſt, ſumma vi ſummoque ſtudio. Nam robur juxta philoſophos in nervis ſitū Unde & Nervos intendere, expedire nervos & nervoſa dicimus, quæ vegeta, validaque minimeque languida. Cicero ad Q. fratrem, Sic contende omnibus nervis & facultatibus. Idem lib. 15. Epiſt. famil. Omnes nervos in eo contendas. Item Verrinarum actione ſecunda: In quo omnes nervos ætatis, induſtriæque meæ contenderem.

Velis equiſque.

Similem conatum ſignificat, Velis equiſque, ad fugiendum aut aſſequendum magis, quam ad efficiendum. M. Tullius ad Q. fratrem lib. 2. Sic ego, qui in iſto homine colendo tam indormivi diu, te me hercle ſæpe excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum velis. Quo quidem loco, in vulgatis exemplaribus pro Velis, viris ſcriptum habetur. Item officiorum libr. 3. Quibus obſoletis floret Epicurus ejuſdem fere autor adjutorque ſententiæ. Cum his equis veliſque, ut dicitur ſi honeſtum tueri ac retinere ſententia eſt, decertandum eſt. In quibus exemplis uſus eſt eadem metaphora paulo diverſius, ut quiſſic reſpexerit ad celeritatem, hic ad utrumque pugnæ genus equeſtre ac navale.

Remis veliſque.

Huic ſimillimum eſt, Remis veliſque. Inde tranſlatum, quod cum navis ſimul & remigio & velo impellitur, ſummus eſt nautarum conatus. Cic. lib. Tuſc. quæſt. 3. Terra res eſt, miſera, deteſtabilis, omni contentione, velis, ut ita dicam, remiſque fugienda. Idem in 1. Philippica: Tum vero tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi neque venti ſatisfacerent. Plautus in Aſinaria: Remigio veloque quantumcunq; poteris, feſtina & fuge. Quum remigio navis impellitur, Græci εὐθύπλοιαν i. ſecundarium curſum appellant: quum velis fertur, dicitur ἀνεμοδρομεῖν, quum ſecundis ventis, οὐριοδρομεῖν. Vertit in diverſum, hoc eſt, in ſignificationem tarditatis, metaphoram Ariſtophan. ἐν Θεσμοφοριαζούσαις,

Νῦν μὲν οὐδ' ὑπηρεσίῳ οὔτ' ἱστίοις ἐλαυνόμεθα.

Id eſt:

Neque currimus nunc, nec alias impellimur.

Interpres exponit, Neque ventis, neque remis navigamus. Quanquam nihil prohibet ad equeſtrem curſum referri. Virgilius ſimpliciter extulit in Æneid. 3.,

Lævam cuncta cohors remis ventiſque petivit.

Ad hanc formam pertinet, quod ait Plato libro De legibus. 9. τὰς δὲ τῶν κακῶν ξυνουσίας φεῦγε ἀμεταστρεπτί i. Malorum autem conſuetudines fugito irreverſim. hoc eſt, ne reſpiciens quidem à tergo. Alluſit autem ad Eurydices fabulam, cui lex erat dicta ne reſpiceret. Item in Geneſi, Lot jubetur è Sodomis fugere ἀμεταστρεπτί. Et Virgil.

Tranſque caput jace, ne reſpexeris.——

Omnibus nervis.

Cum innuemus in negotio quopiam omneis expromendas vires, omnes nervos intendendos, conveniet illud ex eodē loco:

Καὶ τὸ ξ' ἱκανὸς ὑμῖν μέλειν ἀνάγκη τι ἐστὶν.

Id eſt:

Dein vobis curæ ſunto, vireſque vigorque.

Adſimili ſpecie Pindarus dixit Olymp. 1.

Τίς δὴ ποτανὸν ἔλαχε στέφανον.

Χείρεσσι ποσί τε καὶ ἅρματι ἀγῶνας;

Id eſt:

Quis tandem aſſecutus deſiderabilem coronam manibus pedibusque & curribus? Hic locus addendus erat proverbio, Manibus pedibuſque: ſed illæ paginæ jam exierant manus meas. Marcus Tull. lib. in Verr. 5. Attendite judices: omnibus enim nervis mihi contendendum eſt.

Omnem vocem mittere.

Πᾶσαν φωνὴν ἱέναι, id eſt, Omnem vocem mittere dicebantur, qui nihil omittebant, quo perſuaderent. Etenim qui totus eſt in hoc ut perſuadeat, nunc argumentatur, nunc objurgat, nunc blanditur, nunc pollicetur, nunc imitatur, καὶ πᾶν ποιεῖ χρῆμα, ut flectat audientem. Plato De legib. 10. μηδαμῶς ἄξιον, ἀλλ' εἴπερ τυγχάνει γε ὂν καὶ σμικρὰ πειθὼ τις περὶ τὰ τοιαῦτα, δεῖ μηδαμῶς κάμνειν, τὸν γε ἄξιον καὶ μικρὸν νομοθέτην, ἀλλὰ πᾶσαν τὸ λεγόμενον, φωνὴν ἱέντα τῷ παλαιῷ ἐπίκουρον γίγνεσθαι λόγῳ, ὡς εἰσὶ θεοί: id eſt: Nequaquam & hoſpes ſed ſi forte fuerit vel exigua perſuadendi ratio, circa hujuſmodi, haudquaquam oportet defatigari, præſertim legum autorem, ſi modo ullius ſit precii: quin potius emiſſa (quod dici ſolet) omni voce, veteri legi ſuppetias ferre debet docens rationibus eſſe deos. Idem in Phædro: τούτου τοίνυν χάριν πάντως ἐκ λόγου ἄνω καὶ κάτω μεταστρεφόμενα ἐπισκεπτέον, id eſt: Hujus itaque gratia oportet, omnibus rationibus ſurſum deorſum verſatis, deſpicere, &c. Sumptum videtur ab incantamentis, in quibus ſi parum movent preces, adhibent efficaciores. Id alicubi indicat Plato, tametſi locus in præſentia non ſuccurrit. Indicabitur, cum occurrerit. Vide, num omnem vocem dicat omnem contentionem. Solent enim patroni cauſarū, quum magno ſtudio cauſam agunt, vocem intendere. Paulus Apoſtolus ad Galatas cap. 4. quum ait, ἤθελον δὲ παρεῖναι πρὸς ὑμᾶς ἄρτι, καὶ ἀλλάξαι τὴν φωνήν μου, tale quiddam ſenſiſſe videtur. Nam qui nunc objurgat, nunc blanditur, nunc ſe prædicat, nunc ſemet demittit, nunc territat, nunc conſolatur, utcunque poſtulat eorum utilitas quos perire non vult, veluti doctus incantator mutat vocem ſuam, ut aliquo pacto perſuadeat.

Omni telorum genere oppugnare.

Repetitur apud idoneos ſcriptores, Omni telorum genere oppugnare: pro eo quod eſt, modis omnibus inſectari. Metaphora ſumpta videri poteſt ex illo verſiculo Homerico:

Ἔγχεΐ τ' ἄορί τε μεγάλοισί τε χερμαδίοισι.

Id eſt

Haſtiſque gladiiſque, & ſaxis grandibus urgens,

Cui finitum eſt, Cæſim ac punctim. Nam his duobus modis hoſtem impetimus.

Ancoras tollere.

Nonnullam proverbii faciem habet, quod eſt apud Marcum Varronem in opere De re ruſtica capite extremo: Ancoras tollere pro eo quod eſt, moliri diſceſſum: quod genus & illud: Talaria nectere. Hæc ſunt hujus verba: Interea redit ad nos Pavo. Et ſi vultis, inquit, ancoras tollere, latis tabulis ſortitio fit tribuum. hoc eſt, ſi vultis omiſſa diſputatione hinc abire. Quanquam hic alluditur ad ambiguam tabularum ſignificationem, quæ tum nauticæ ſunt, tum forenſes, quibus ſuffragia ferebantur. Huic ſimile Quintilianicum illud, Oram ſolvere, Nam ita plerique legunt.

Pro mea virili.

Cum pollicebimur nos operam noſtram præſtituros pro noſtra virili, conveniet illud ex eodem libro, Veneris ad Junonem:

Εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί.

Id eſt:

Si præſtare queam, & fieri res ipſa poteſſit.

Idem verſus habetur Odyſſ. 5. & Iliad. 6.

Uſurpat veluti proverbii vice Plutarchus, in libello De dignoſcendo adulatore ab amico: οὐ γὰρ οὖν εἰρηται τοῖς πρὸ ἡμῶν, φίλον μὲν ὑπουργεῖν εἶναι τὸ δὲ ἐπαγγέλλειν.

Εἰ δύναμαι τελέσαι γε καὶ εἰ τετελεσμένον ἐστί.

Κόλακος δὲ τούτου,

——Αὔδα ὅ τι φρονέεις.——

Id eſt:

Nam recte dictum eſt illud à majoribus noſtris, amicum ſic promittere.

Si præſtare queam, & fieri res ipſa poteſſit.

adulatorem vero ad hunc modum:

Dicito quicquid habes pectore.——

Omni pede ſtandum.

Ὅλῳ ποδὶ, id eſt, Omni ſive toto pede: pro eo quod eſt ſumma vi, ſummoque niſu. Refertur a Suida. Quintilianus Inſt. oratoriarum libr. 12. Itaque in his actionibus, omni, ut agricolæ dicunt, pede ſtandum eſt. Videri poterat traductum ab iis, qui in acie conſtanter parteis ſuas tuentur, neque locum deſerunt, aut à palæſtritis, quorum artis eſt, ſcite pedem figere: niſi Quintilianus ab agricolis profectum eſſe teſtaretur.

Tum

Toto pectore.

Cum ſincerum & abſolutum amorem ſignificamus toto pectore dicimus. & toto animo: παντὶ σθένει καὶ παντὶ θυμῷ. Cic. De legib. lib. I. Ubi illa ſancta amicitia, ſi non ipſe amicus per ſeamatur toto pectore, vt dicitur. Citatur & apud Ariſtotelem in Ethicis, idque proverbii loco: Toto animo, παντὶ θυμῷ. Quanquam illud, Toto pectore, etiam ad ſtudium diligentiamq; referri poteſt. Ut facit M. Tullius lib. Epiſt. familiarium xiij. Epiſtola I. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. Idem lib xij hanc cogitationem toto pectore amplectare Seneca Epiſt. iij. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Cornelius Tacitus in Dialogo De oratorib. Quæ ſinceritas ac diſciplina eo pertinebat, vt ſincera & integra, & nullis pravitatibus detorta vniuſcujuſque natura toto ſtatim pectore arriperet, artes honeſtas. Divus Auguſtinus. Totis, vt ajunt, viſceribus, alicubi dixit, veluti tropum vulgi conſuetudine molliens. Hebræi dicunt, Toto corde.

Cum haſta, cum ſcuto.

Σὺν δορὶ, σὺν ἀσπίδι: id eſt, Cum haſta, cum ſcuto. Ubi quis omni conatu rem aggreditur. Ariſtophanes ἐν ὄρνισι.

Σὺν δορὶ, σὺν ἀσπίδι.

Id eſt:

Cum haſta, cumque ſcuto.

Item in veſpis:

Ἐνδρομίς τις δορὶ ξὺν καὶ ἀσπίδι.

Id eſt:

Expedita excurſione, cumque ſcuto & lancea.

Sumpta metaphora à milite, armis omnibus inſtructo. Ad ſimilem vſum recte torquebitur Homericum illud.

Ἔγχεσί τ' ἄορί τε, μεγάλοισί τε χερμαδίοισι.

Id eſt:

Haſtaque & gladio, ſaxisque ingentibus inſtant.

Quoties res omni vi geritur.

Omnem movere lapidem.

Πάντα λίθον κίνει, id eſt, Unumquemq; move lapidem, hoc eſt: Omnia experire, nihilque intentatum relinque. Quod adagium hoc pacto natum eſſe, plerique ferunt. Xerxes Græcis bello adortus, cum eſſet apud Salaminem ſuperatus ipſe quidem inde ſe movit, verum Mardonium reliquit, qui ſuo nomine bellum proſequeretur. At cum hic quoque in Platæis parum proſpere pugnaſſet, fugatusque eſſet, fama vulgo invaluit, Mardonium intra ambitum tentorii ſui theſaurum ingentem humo defoſſum reliquiſſe. Hac ſpe pellectus Polycrates Thebanus, cum agrum commercatus eſt. Verùm vbi jam multum diuque theſaurum quæſiſſet, nec quicquam proficeret, Delphicum oraculum cōſuluit, qua ratione poſſet eas pecunias invenire. Apollo reſpondit his verbis, πάντα λίθον κίνει, id eſt. Unumquemque move lapidem. Id ſimulatque feciſſet, multam auri vim reperiſſe ferunt. Sunt qui metaphoram ſumptam exiſtiment ab his, qui cancros venantur in littore. Nam hi plerunque ſub ſaxis latitant, quæ movent qui cancros quærunt. Effertur adagium etiam ad hunc modū, πάντα κινήσω πέτρον, id eſt, Omnem movebo petram: hoc eſt, omnia periclitabor. Euripides in Heraclidis: πάντα κινοῦσιν πέτρον, ſentiens nihil non fieri. Plinius Junior in quadam Epiſtola: Ego jugulum ſtatim video, hunc premo. Premit certè quod elegit, ſed in eligendo frequenter errat. Reſpondi poſſe fieri, vt genu eſſet, aut tibia, aut talus, vbi jugulum putaret. At ego inquam, qui jugulum perſpicere non poſſum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ. i. omnem lapidem moveo. Divus Baſilius ad nepotes: Ad quod vt viaticum paremus, omnis lapis, vt dici ſolet, movendus eſt. Fortaſſis huc alluſit, & Theocritum illud in Bucoliaſtis:

Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον. ———

De Galathea laſciviente, atque omnia tentante, quo Polyphemū in ſe provocaret, id quod alibi retulimus. Scholiaſtes admonet, proverbio dici ſignificans idem valere quod πάντα κάλων σείειν, id eſt, omnem movere funem. Addit metaphoram ſumptam à ludo quopiam: in quo qui poteſt alia ratione vincere concertatorem, movet a linea lapidem, qui dicitur Rex. Nam quod adfert de ſtatua ſaxea, quam ſua forma movere poſſit Galathea, coactius eſt, mea quidem ſententia.

Omnem rudentem movere.

Πάντα κάλων σείειν, id eſt, omnem funem movere. Aliunde ducta metaphora, ſenſum eundem efficit. Ariſtophanes in Equitibus.

Νῦν δή σε πάντα δεῖ κάλων ἐξιέναι,

Καὶ λῆμμα θυμῶδες φορεῖν, καὶ λόγους ἀφύκτους.

Quorum verſuum hic eſt ſenſus:

Nunc te neceſſe eſt omnem rudentem expedire,

Et lemma ferre vehemens, ac rationes inevitabiles.

Lucianus in Pſeudomante, καὶ πάντα κάλων κινῶν ἀμύνασθαι βουλόμενος, id eſt, Atque omnem movebam funem, hominem vlciſci cupiens. Apollonius in Epiſtola ad Euphratem: πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων κινεῖν. id eſt: Negociatorem ajunt omnem funem movere oportere. Uſurpavit & Plato in dialogo cui titulus Siſyphus, συσκοπῶμεν τι ἀκριβῶς τοῦτο ὃ λεγόμενόν γε πάντα κάλων ἐφιέντες, καὶ πᾶσαν φωνὴν ἱέντες. id eſt: Conſideremus itaque per Jovem, exacte omnem quod ajunt rudentem laxantes, & omnem vocem emittentes. Julius Pollux lib. de vocabulis rerum primo, ἐναυτιλλόμεθα πάντα κάλων ἀνασείοντες, καὶ πάντας κάλως. id eſt: Navigabamus omni moto rudente, & omnibus rudentibus. Ad eum modum ſignificat difficilem navigationem, in qua ſint omnia tentanda.

Omni certaminis genere.

Cum innuemus omni certaminis genere congreſſum eſſe (veluti ſi quis dicat, in omni diſciplina diſputatum acriter) conveniet illud ex eodem libro:

Πύξ τε παλαιμοσύνῃ τε καὶ ἅλματι ἠδὲ πόδεσσιν.

Id eſt:

Et pugnis, pedibusque & ſaltibus, atque palæſtra.

Item vbi quis oſtendit ſe nullum detrectare certamen, ſed ad quodvis ingenii experimentum paratum eſſe, conveniet illud ex eodem libro:

Δεῦρ' ἄγε πειρηθήτω, ἐπεί μ' ἐχολώσατε λίην,

Πὺξ ἠὲ πάλῃ, ἢ καὶ ποσὶν, οὔτι μεγαίρω.

Id eſt:

Huc age, quandoquidem graviter mihi concita mens eſt,

Qui volet, experiatur, pugnis ſive palæſtra.

Sive pedum curſu malit, nihil ipſe recuſo.

Surſum ac deorſum.

Huic ſimillimum eſt illud ex Eunucho Terentiano: Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam, ne ſurſum deorſum curſites: id eſt, huc atq; illuc, aut certe ſubinde ad Thaidē ab hero, rurſum ab hero ad Thaidem intercurſites, ita vt ſolent amantium miniſtri. Quod quidem pluſculum habebit decoris, ſi longius transferatur: vt ſi quis dicat, jureconſultos, à volumine ad volumen, à lege ad legem, ab interprete ad interpretem, ſubinde transferentes ſeſe, rurſum ac deorſum vagari. Ea metaphora mutuo ſumpta videtur a Siſyphi fabula, ſaxum volventis apud inferos. Cui Græcum illud ἄνω καὶ κάτω, de quo modo meminimus, ita finitimum eſt, vt idem eſſe videatur. Demoſthenes in prima contra Philippum oratione, ἐὰν δ' ἐκεῖ που, συμπαρέσεσθε ἄνω καὶ κάτω. id eſt: Quod ſi alio quopiam in loco Philippum adeſſe nuncietur, pariter accurritis ſurſum ac deorſum. Ariſtophanes ἐν ἀχαρνεῦσι.

Οἱ δ' ἐν ἀγορᾷ λαλοῦσι, κἄνω καὶ κάτω.

Τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον.

Id eſt:

At hi in foro loquuntur, & reſticulam

Surſum ac deorſum minio vitant litam.

Euripides in Bacchis:

Ἄνω κάτω τε πάντα συγχέας ὁμοῦ.

Id eſt:

Surſum deorſum cuncta confundens ſimul.

Plato in Phœdro: χρὴ πάντας τοὺς λόγους ἄνω καὶ κάτω μεταστρέφοντας ἐπισκοπεῖν. id eſt: Oportet rationes omnes ſurſum ac deorſum verſemus, atque ita conſideremus. Idem in Theæteto, καὶ γίνεται ἂν τὸ λεγόμενον, ἄνω κάτω πάντα. id eſt: Fiatque quod dicitur, ſurſum deorſum omnia. Uſus eſt & in Parmenide. Utitur eodem Ariſtides rhetor, cum aliis aliquot locis, tum in Cimone, ἐγὼ μὲν οὐχ ὁρῶ πῶς ἂν μᾶλλον πάντα ἄνω καὶ κάτω γένοιτο. id eſt: Ego ſane non video, quo pacto poſſint univerſa magis rurſum ac deorſum miſceri. Menander apud Plut.

Οὐ γὰρ στρέφονται ἄνω κάτω,

Οἴμοι, λέγων.

Id eſt:

Neque dum ſe agunt ſurſum deorſum, dicere,

Hei mihi.

Pro ἄνω καὶ κάτω, dixit Euripides πάλιν τε καὶ πρόσω, quaſi dicas, antrorſum ac retrorſum.

Φύρουσι ταῦθ' οἱ θεοὶ πάλιν τε καὶ πρόσω.

Id eſt:

Miſcent enim hæc ſurſum ac deorſum numina.

Verſus à ſcribis corruptus conſtabit, ſi legas:

Φύρουσι ταῦτα θεοὶ πάλιν τε καὶ πρόσω.

Apud Athenæum lib. 6.

——— ἄλλ' ἄττα μεταφέρει

Ἕκαστος αὐτὰ ταῦτ' ἄνω τε καὶ κάτω.

Id eſt:

——— Sed iſta ſinguli

Surſum deorſum transferunt.

De poetis loquitur, qui nihil ipſi reperiunt novi, ſed ab aliis inſerta miſcent, & aliter tractando faciunt ſua. Proinde proverbiū accommodabitur, vel ad omnia tentantem, vel ad omnia confundentem, vel ad intelligentiam omni ex parte negocium circumſpicientis. Huic plane ſimillimum eſt quod extat apud Terētium in Hecyra: Curſari ſurſum proſum, pro eo quod eſt, huc illuc. Nam ſurſum propriè ſonat: retro: & Proſum ante. Proverbiale ſchema annotavit & Donatus. Cujuſmodi ſunt & illa: ſurſū deorſum, intrò foras, hac illac, & Græcis: ἄνω καὶ κάτω, πρόσω καὶ ὀπίσω. Quo longius receſſerit à rebus corporeis, hoc plus venuſtatis habebit adagium. Quod genus eſt illud Juliani ad Galenū libr quo hanc

boni refellit: οὐδ' ἂν πείσειεν ἡμᾶς τι ὁ αὐτοὺς ἐπ' ἀληθείας, ὅτι ἴσασι τί φύσις ἐστὶν, ἣν ἄνω τε καὶ κάτω θρυλοῦσι παμβόητες πανταχοῦ. id eſt: Nequaquam perſuaſuri ſunt vel nobis, vel ſibiipſis verè, ipſos ſcire quid ſit natura, quam ſurſum ac deorſum celebrant, vbique magnificè prædicantes. Ita qui variis modis rem apud ſeſe expendit, ἄνω καὶ κάτω ἀλλοχνεύειν dici poterit.

Rem novam aggredior.

Si quando ſignificabis te rem arduam ac novam moliturum, & aliis adhuc intentatum, accommodabis illud ex Odyſſeæ χ.

Νῦν αὖτε σκοπὸν ἄλλον, ὃν οὔ πώ τις βάλεν ἀνήρ,
Εἴσομαι αἴ κε τύχωμι.———

Id eſt:

Nunc alium tentabo ſcopum, ſi attingere poſſim,
Quem nondum quiſquam tetigit.——

Verba ſunt Ulyſſis, jam parantis occidere porcos.

Summis uti velis.

Ἄκροις χρῆσθαι τοῖς ἱστίοις: id eſt, Summis vti velis. Proverbiali metaphora dicuntur, qui maximo conatu adnituntur, atque incumbunt: aut qui omnem captant occaſionem. Mutuò ſumptum à nautis, quibus non eſt velum altum ſtollere, quo currant celerius. Ariſtophanes in Ranis:

Ἄκροισι χρώμενος τοῖς ἱστίοις.

Id eſt:

Utens ſupremis carbaſis.

Pindarus in Nemeis hymno quinto, δίδοι φωνάν, ἀνὰ δ' ἱστία τεῖνον πρὸς ζυγὸν καρχασίου. id eſt: Da vocem ſurſum autem tende vel ad ſummum antennæ jugum. Ut cuique res ſunt ſecundæ aut adverſæ, ita velum in altum tollitur.

In magnis & voluiſſe ſat eſt.

——In magnis & voluiſſe ſat eſt.

Tibulliana hac ſententia nihil celebratius. Eam Angelus Politianus non inſcitè vertit Græcè:

Ἀρκεῖ δ' ἐν μεγάλοις καὶ τὸ θελῆσαι μόνον.

Apuleius Floridorum lib iiij. Majore ſcilicet voluntate, quam facultate. Eoque propenſius fortaſſe laudandus eſt, quod omnibus bonis in rebus, conatus in laude, effectus in caſu eſt. Item M. Varro apud Gellium lib. j. cap. xviij. In quo non modò Lælij ingeniũ non reprehendo, ſed induſtriam laudo. Succeſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur. Convenit, vbi quis majora viribus conatus, tametſi rei ſuſceptæ magnitudini non facit ſatis, tamen hoc ipſo nomine laudem promeretur, quod rem pulcherrimam tentaverit.

Miſcebis ſacra prophanis.

Conſimili figura dixit Horatius:

——Miſcebis ſacra prophanis.

Id eſt, Nihil non facies. Item confundens faſque nefaſque. Apud veteres multum erat diſcriminis inter res hominum ac res deorum, adeò vt Homerus etiam vocabula diſcernat, quibus dii conſueverunt vti, a vocibus humanis. Et Pythagoras à quibuſdam juſſerit abſtineri, quod numinibus eſſent conſecrata. Unde qui nihil habent penſi, quique nihil non audent, miſcent ſacra prophanis.

Aut terra aut mari.

Plautus in Pſeudolo, Aut terra aut mari, dixit pro quacunque ratione. Sumptum eſt ab hiſtoricis, qui referunt res terra marique geſtas, & gentes terra marique expugnatas. Cicero pro Cluentio: Cujus tantæ res geſtæ terra marique extiterunt. Item pro lege Manilia: Quantas ille res domi militiæque, terra mariq; quanta feliciter geſſerit. Rurſus in eadem: Ut aliquando verè videremur omnibus gentibus ac nationibus terra marique imperare. Item in Verrem lib. ij. Quam multæ mihi à Verre inſidiæ, terra mariq; factæ ſint. Ad Atticum libr. vij. Quis aut terra aut mari perſequar eum, qui vbi ſit neſcio. Demoſthenes in clauſula orationis pro Cteſiphonte: οἱ δ' ἄρ' ἔχουσιν οὕτως ἀνιάτως, τούτους μὲν αὐτοὺς καθ' ἑαυτοὺς ἐξώλεις καὶ προώλεις ἐν γῇ καὶ θαλάττῃ ποιήσατε. id eſt: Quod ſi vſque adeo ſunt inſanabiles, iſtos quidem per ſe ſolos exitio pernitieque dignos terra marique reddite. Plauti verba ſunt hæc: Ego in hoc triduo aut terra aut mari alicunde evolvam id argentum tibi. M. Tullius libro de finib. v. addit tertium: Una pars eſt diſſerendi, altera vivendi, tertia natura ſic ab his inveſtigata eſt, vt nulla pars cœlo, mari, terra (vt poetice loquar) prætermiſſa ſit. Addit Poetice, quod poetæ tria tantum elementa referant, vt Ovidius:

Ante mare & terras, & quod tegit omnia, cœlum.

Terentius: O cœlum, ô terra, ô maria Neptuni. Plautus in Amphitryone: Ita mihi videntur omnia, mare, terra, cœlum conſequi.

Commovere ſacra.

Plautus in Pſeudolo, Commovere ſacra dixit, pro eo quod erat, extrema experiri præſidia. Hinc dictũ apparet, quod rebus deſperatis, ſoleant homines ad deorum præſidia confugere. Velut hodie Lutetiæ, quum ſupra modum inundat Sequana, corpus divæ Genovefæ à montis acuti templo defertur, ad ædem Virgini matri ſacram. Sed vide num pro ſacra, legendum ſit ſaga: vt intelligas arma, de quo jam diximus. Sequitur enim protinus, quo pacto & quantas ſolent turbellas dare. Deinde verba ſunt quaſi bellum denunciantis: Nunc ne quis dictum ſibi neget, dico omni pube præſente, in concione omni populo, omnibus amicis notiſque edico meis: In hunc diem à me vt caveant, ne credant mihi. Idem ſervus & deinceps bellica loquitur.

Mare cœlo miſcere.

Mare cœlo miſcere, proverbialis hyperbole eſt; pro eo quod eſt, omnia perturbare, nihilque non facere. T. Livius: Quid eſt, quod cœlo terram, terræ cœlum miſceant? Idem alibi: Quid tandem eſt, cur cœlum ac terras miſceant?

Juvenalis:

——Clames licet, & mare cœlo
Confundas: homo ſum.———

Lucianus in dialogo Promethei & Mercurii: τί οὖν ἔδει, τοῦτο ἴσως τὸ τοῦ λόγου, τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀναμεμῖχθαι, id eſt, Quid igitur oportebat ea gratia, terræ, quod dici ſolet, miſcere cœlum? Vergilius in quinto, de Junone omnia tentante:

——Maria omnia cœlo Miſcuit——

Idem paulo diverſius in duodecimo:

——Non ſi tellurem effundat in vndas,
Diluvio miſcens, cœlumve in tartara ſolvat.

Ariſtophanes in Lyſiſtrata non diſſimili figura dixit:

Τὰ δ' ὑπέρτερα νέρτερα θήσει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.

Id eſt:

Quin & ſupera infera reddet
Juppiter altiſremus.

Plutarchus in vita Romuli ſic vſurpat, vt cœlum terræ miſceant, qui ex hominibus deos, ex diis homines faciunt, & quæ ſunt hominũ, fabulantur de diis: τὸ μὲν οὖν ὅλως ἀπογιγνώσκειν τὴν θειότητα τῆς ἀρετῆς ἀνόσιον καὶ ἀγεννὲς, οὐρανῷ δὲ μιγνύναι γῆν ἀβέλτερον. id eſt: In totum abnegare divinitatem virtutis, impium eſt & ingenerosum: cæterum cœlo miſcere terram, ſtuporis eſt.

Terra marique.

Faciem proverbialem habet & illud: Terra marique: quoties extremum conatum ſtudiumque ſignificamus. Theognis:

Χρὴ γὰρ ὁμῶς ἐπὶ γῆν τε, καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης
Δίζησθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν πενίης.

Id eſt:

Paupertatis enim duræ terraque marique
Quærere Cyrne aliquod convenit effugium.

Et Horatius:

Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

Fruſtratur conatus.

Quiſpe fruſtratus ſua, non aſſequitur id quod ambiebat, in hunc non incongruè torquebitur illud ex Iliados θ.

——βαλέειν δέ ἑ ἵετο θυμός,
Καὶ τοῦ μὲν ῥ' ἀφάμαρθ'.

Id eſt

———Animus cupiit configere telo,
Verum illum, fallente manu non attigit.———

Rurſum aliàs.

———Ἀλλ' ὅγε καὶ τόθ' ἅμαρτε.

Id eſt:

———Verum & tunc ille fefellit.

EX APPEND. ERASMI.

Rurſum prorſum.

Illi, quod eſt ſup. in proverbio, Surſum ac deorſum, ſimile eſt hoc Terent. Rurſum prorſum curſari: id eſt, retrò antè: pro, Tentare omnia, omnia commiſcere, & perſcrutari. Annotavit Donat. & addidit illa, Intrò foras, hac illac. ἄνω καὶ κάτω, ſurſum deorſum, πρόσω καὶ ὀπίσω, πάλιν τε καὶ πρόσω, antrorſum ac retrorſum. Quo longius receſſerint à rebus corporeis, hoc plus habebitur venuſtatis. Sic dixit Julian. τὴν φύσιν ἄνω τε καὶ κάτω θρυλεῖν, naturã ſurſum ac deorſum celebrare. Et nos dicere eleganter poſſimus eum, qui variis modis rem apud ſe expendit, ἄνω καὶ κάτω ἀλλοχνεύειν.

IVNII. *Æqua & iniqua.*

Καὶ δίκαια καὶ ἄδικα, id eſt, Et æqua & iniqua, Parœmiæ nomine citatur in Æſchili χοηφόροις, hoc eſt, Parentantibus, à ſcholiaſte Græco iſtud: δεῖ ἀκούειν τοῦ ἄρχοντος καὶ δίκαια καὶ ἄδικα, id eſt, Servus hero auſculta æqua iniqua imperanti. Qui alteri devinctus eſt beneficiorum multitudine, in multis connivere cogitur, & juſſa exequi, quo jure quave injuria imperata. Eo alluſit ibi Æſchylus: ἐκ γὰρ οἴκων πατρῴων δούλιον ἐσᾶγον αἶσαν δίκαια καὶ μὴ δίκαια id eſt, Paternis extortem laribus ſervili me ſorte preſſerunt cœleſtes, æqua iniqua imponentes. Ariſtophanes in Pluto, δικαίως κἀδίκως, id eſt,

juſtè injuſtèque dixit, pro quavis ratione, omnique ſtudio & arte: Suidas exponit, πάσῃ τέχνῃ.

COGNATI. Ἀπογυμνάζεσθαι.

Pro, accingi ad certamen, vide Nazian. in Encomio Cypriani. Accinctus enim eſt, qui ad pugnam ſe comparat, & adhuc incertus eſt eventus: diſcinctus, qui ex pugna jam rediit, & gloriari poteſt. Verba ſunt iij. Regum. cap. xx. Succinctus, inſtructus & munitus Plinius in Paneg. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit. Exerti quoque accincti & promptiſſimi dicuntur: quia qui exerto ſunt brachio, expeditiores ſunt, & ad agendum promptiores.

Firmo & maximo progreſſu.

Μακροδρομεῖς apud Ciceronem & Cajum Cæſarem dicitur, & eſt loquẽdi modus planè militaris, valetq; magnis itineribus. Cn. Pompejus in epiſtola quadam ad L. Domitium: Quod audieris Cæſarem firmo progreſſu in caſtrum Trutinum veniſſe. Cajus Cæſar lib. j. bellorum civilium: Maximo Cæſar progreſſu omnem agrum Picenum percurrit. Cum idem ſignificare volunt Itali, à gagliarde giornate, dicunt Galli, à grandes iournees.

Χερσὶ καὶ ποσὶ καὶ πάσῃ δυνάμει.

Græci enim quempiam omnibus ingenii corporiſque viribus aliquid aggredi ſignificārē volebant, ita loquebantur, cujus rei teſtis eſt Æſchines contra Cteſiph. [illegible] ... καὶ χερσὶ καὶ ποσὶ καὶ πάσῃ δυνάμει. Quo vnitatis numero Æſchines vſus eſt, cum Terentius in Andria multitudinis vſus ſit: Quem ego credo manibus, pedibuſque obnixe omnia facturum. Quod vero Æſchines addidit, καὶ πάσῃ δυνάμει: duobus his verbis explanare voluit, quid pervulgata illa voce, & quæ proverbii vim haberet, Amphyctiones intellexerint. Eſt enim hoc tanquam declaratio illius, quod dixerant, ſe omnem vim ſuam ac poteſtatem in ea re conſumpturos (Similia ſunt, Manibus pedibusque: & Omnibus nervis, Omni pede, Toto pectore, Omni certaminis genere, Terra marique, &c.)

Inferos cœlo miſcere. & terram mari.

Parœmiam bifariam extulit Virgilius xij. Æneidos, ab impoſſibili, pro omnia perturbare ac confundere, nihilque non facere: frequens omnibus ſcriptoribus.

——Non ſi tellurem effundat in vndas
Diluvio miſcens, cœlumvè in tartara ſolvat.

Ipſum etiam verbum Miſcere citra adjunctum ſchema, proverbiale eſt apud bonos authores. Idem pollent, Sacra profanis permiſcere, Cœlum ac terras miſcere, Mare cœlo confundere, apud Titum Livium, Virgil. v. Æneid.

———Mare omnia cœlo
Miſcuit.———
Dextera nec tua te graviter fortiſſime Creteu.

Calculum à linea movere.

Idem in Cantoribus hoc vtitur proverbio, ſumpto à ludo calculorum, in quo vnus certus calculus, quem regiũ vocant, in ſua linea immotus adſervatur, neque indè movetur, niſi in extremo diſcrimine. Cum ergo ſignificatur quiſpiam omnia expertus, neque quicquam intentatum relinquere, tunc is proverbiali figura, calculum à linea movere dicitur: quaſi dicas, extrema ipſum conari. Iſidorus lib. xviii. Calculi, inquit, partim ordine moventur, partim vagi: qui verò moveri omnino non poſſunt, inciti dicuntur: vnde & egentes homines inciti vocantur, quibus ſpes vltra procedendi non eſt. Incitæ autem lineæ dictæ ſunt, vnde cieri calculi non poterant. Calculos enim ducimus in ratione incunda: & ſubducimus, cum ſummam colligimus. Inciti immobiles manent.

Conando Græci Troia potiti ſunt.

In Syracuſiis anus dixit: Conando Græcos Trojanis potitos fuiſſe, & omnia perfici conando, qua proverbiali figura ſignificatur, conando & experiendo, quantumvis etiam ardua, perfici poſſe.

Nervos addere.

Addere nervos rei alicui, eſt totis viribus conari, & omnem ſolicitudinem adhibere, & operam, ad rem aliquam peragendam. Res enim ſine nervis, etiam debilis dicitur. Horat. Serm. ij. ſat. 1.

———Sine nervis altera quicquid
Compoſui, pars eſſe putat.———

In nervis autem robur & vis peculiariter exiſtit. Gellius lib. ij. cap. iij. In his enim verbis omnibus literæ, ſeu ſpiritus iſtius h. nulla ratio viſa eſt, niſi vt firmitas, & vocis vigor, quaſi quibusdã nervis additis intenderetur. Fernandus Pincianus in Senecæ Epiſt. vij. Multum enim addit nervorum orationi verbum ſubſtantivũ in fine locatum, iteratumque. Hæc ſimilitudo ſumpta eſt a muſicis, quorum ſonus vehementior fit, appoſitis fidibus pluribus.

Velis, quod poſſis.

Fuit hæc ſententia Ariſtotelis ſummi Philoſophi, de quo apud Stobæum hæc leguntur, [illegible] βούλεσθαι, ὡς δύνασαι, Eadem extat apud Terentiũ in Andr. act. ij. ſcena j. Quæſo ædepol Charine, quoniam id fieri quod vis non poteſt, velis id quod poſſis. Huc pertinet & illud proverbium Terentianum ejuſdem Andriæ act. iiij ſcen. v. Ut quimus, ajunt, quando vt volumus non licet. Quod explicuit Eraſmus noſter cent. viij. Chil. j. Hoc quoque illi finitimum eſt, quod habetur apud Paulum Manutium in quadam epiſt. ad Vitum Fabrum. Sed ſcis velle & perficere non idem eſſe: alterum contingit multis, alterum duntaxat iis, quos dii diligere putantur.

Auſſi, Dieu ne veult pas plus qu'on ne peut,

vt à Gallis dicitur.

Intendere in ſcopum.

Uſitatum & pervulgatum eſt in Gallis, pro eo album figere, & tirer au blanc: quod Græci dicũt, στοχάζεσθαι, id eſt, collineare, collimare, τὰς ὄψεις [illegible], hoc eſt, linearum viſualium contentionem ita regere, vt a ſcopulo propoſito non aberremus, cùm ſagittam arcu vel ſcorpione mittimus. Per translationem στοχάζεσθαι, eſt animi intentionem ad propoſitum ſuum dirigere & conferre. Ariſtot. [illegible]. Cicero lib. iij De finibus, dixit collineare. Ut ſi cui, inquit, propoſitum ſit collineare ſagitta aliquo, aut haſtam, ſicut nos vltimum in bonis ducimus, &c. Idem collimare, quod à limis oculis derivatum eſt. Solent enim οἱ στοχαζόμενοι, id eſt, intendentes in ſcopum figendum, limis aſpicere, altero que oculo nictare. Budæus lib. iij. De contemptu rerum fort. Ad quem veluti ſcopum omnia referuntur, etiam ſi rari ſunt qui collineent. Socrates Mopſeates apud Lucianum in Solœciſta, ad eum qui dixerat στοχάζομαι αὐτοῦ, pro φείδομαι αὐτοῦ, hoc eſt, parco ipſi. Nunquid, inquit, aberraſti jaculando? Vide infra, Sine ſcopo jaculari.

Excutere præcordia.

Idem Vivi: Excutere ima, pluteumque genu tundere, quo magis eliciam, quod vberius fluat, conturbavero fortaſſe conceptacula rerum, & de fæce hauſero, hoc eſt, Ita me comparare debeo, ſi ſponte naturæ & ingenii ſtylus non fluat copia rerum vberi, vt ingenti ſcribendi contentione excutiam ima præcordiorum? Alludit enim ad illud Perſii ſatyr. 1.

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngues.

Eſt autem metaphora a vaſe vini, cum enim non ſponte fluit per epiſtomium, ſolent qui hauriunt, genu pulſare vel commovere; ex quo fit interdum, vt fæculentum exeat. Sic qui moram ſtylo, judiciumque adhibent, in ipſo limæ labore interdum irati, vel ſollicitè cogitabundi pluteum cædunt, vel vngues arrodunt, vel caput ſcalpunt: quod vani poetæ non faciunt, verſus temere fundentes. Secus de Lucilio, primo Satyræ ſcriptore, Horat. ij. Serm. ſatyr. vltima:

——Et in verſu faciendo,
Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet vngues,
Sæpe ſtylum vertens, iterum quæ digna ſcripturus.

Qui autem literis dant operam, vt ſcribunt, pluteo & tabulæ aſſident, in qua libros ſuos diſponunt. Juvenal. ſatyra 2.

Et jubet archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Eadem opera.

Sermo priſcis vſitatus, quo vſus eſt Auſonius: Ego te vegetum atque alacrem commonebo, eadem opera & muſas hortabor vt canant. Plautus Captiv.

Sequere me, viaticum vt dem à trapezita tibi,
Eadem opera a Prætore ſumas ſyngraphum.

Idem ibidem non diſſimiliter.

At te etiam ſuum ſodalem eſſe ajebat.
T. Audivi: di magni,
Equidem Alcmæon atque Oreſtes Lycurgus poſtea vna

opera mihi ſunt ſodales, qua iſte.

id eſt, tam mihi ſunt ſodales, quam iſte. Budæus Ruzeo: Amicitiæ qui monita reſpuit, male ille eadem opera, de te, deque amicitia ipſa meretur. Idem Tonſtallo: Eadem opera Eraſmi fidem liberaſti & ita me obſtrinxiſti, vt, &c.

Velitari.

Unico verbo dicitur, pro primas jactare haſtas. Cujuſmodi autem fuerit olim hæc velitatio, Cicero lib. 2. de Oratore deſcribit, Atqui ejuſmodi proluſio illa debet eſſe, non vt Samnitum qui vibrant haſtas ante pugnam, quibus in pugnando nihil vtuntur, ſed vt ipſis ſententiis, quibus proluſerunt, vel pugnare poſſit.

Contrahe tu teipſum.

Sic dicimus, quando monemus, vt quis diſſipatas animi intentiones in vnum cogat, diſtractamque in diverſa mentem apud ſe revocet. Budæus Petro amico: Tamen contrahas tu teipſum, difficultatique obluctteris.

Stans pede in uno.

Horatii eſt hemiſtichium ſat. 4. lib. 1. quod in proverbiis numeratur, & hodie Galli tenent. Valet, facili conatu & opera, ſine contentione & nixu. Nam vno pede qui ſtat, adverſariũ ſe nullum vel non fortem habere credit. Cum enim vno pede nos ſuſtinẽtes pendeamus & vacillemus, ſecurus eſſe videtur, adverſariiq; vires contemnere, qui ſeſe non vtroque pede firmat ſtabiliter. Vnde & omni

omni pede ſtandum Quintilianus vſurpat: pro, omni contentione, totiſque viribus. Ergo illud,

—In hora ſæpe ducentos,
Ut magnum verſus dictabat ſtans pede in vno:

ſignificat, Lucilium temporis momento ſolitum vena facili pluſimos effundere verſus.

Machinatur.

Machinari, translate dicunt Latini & Galli, pro eo quod Græci μηχανᾶσθαι dicunt. Plato in Gorgia: ἐὰν δὲ ἔλθῃ, μηχανητέον ὅπως ἂν διαφύγῃ καὶ μὴ δῷ δίκην ὁ ἐχθρός. id eſt: Si autem venerit in judiciũ, omnis ineunda ratio, omniſque machina adhibenda eſt, vt effugiat, & vt ne det pœnas. Xenophon Κύρου παιδ. i. ἀλλ' ἱκανὸς ἀρχιτέκτων τοῦ τε μηχανᾶσθαι: Omnem ad hanc rem machinam adhibens. Sic Plaut. Captivis: Neque jam ſeruare ſalus, ſi vult, me poteſt, nec copia eſt, niſi aliquam corde machinor aſtutiam, quam malum? quid machiner? qui comminiſcar miſer? Lucr lib. iij.

Nam tibi præter ea quod machiner, inveniamque
Quod placeat, nihil eſt: eadem ſunt omnia ſemper.

Polyb. lib. 1. οὐκ ἄλλην ἂν εὕρισκον εὑρέσθαι πρὸς τοῦτο μηχανὴν δυνατόν: id eſt: Neque vllam aliam ad hoc machinam reperire pote. Sic Lucret. lib. 4.

Nec repetire malum id poſſunt, quæ machina vincat.

Id eſt: quæ ratio, quod inventum, quæ ars, τίς μηχανή.

Vltima experiri.

Hæc proverbialis locutio propriè in deſperatione vſurpatur. Saluſtius in Catilinario: Poſtquam dies comitiorum venit & Catilinæ neque petitio, neque inſidiæ quas conſuli feecrat, proſpere ceſſerunt, conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri. Curtius lib. v. Madathes erat hujus regionis præfectus, non ſane multorum temporum homo: quippe vltima pro fide experiri decreverat. Seneca lib. de clementia 1. cap. 14. Simul deplorata eſt, vltima expertus.

Ἐκ χειρός.

Græcis ἐκ χειρὸς idem ſonat, quod latine Cominus. Cum autem Xerxes maximis copiis in Græciam ingreſſus, coram ea peteret, quæ legatis ante negata fuerant: Cyrſillus ſorte quidã: minis regiis territus, obtemperandum petitioni, Xerxemque recipiendum Athenas auſus eſt ſuadere. At mox reliqui indignati, ἐκ χειρὸς ipſum, & vxorem ejus mulieres, interemere, id eſt, ſtatim, ſine intermiſſione, & cominus: id eſt, à prope, & propinquo loco. Xenophon initio παιδείας ἐκ χειρὸς χρῆσθαι. Et in Hellenicis: ἐκ χειρὸς ἐμάχοντο. Lycidas quidam ſimiliter vt Cyrſillus, conditionẽ accipiendam à Xerxe putavit: At hunc quoque illi lapidibus, & vxorem ejus pariter mulieres, obruerunt. Cic. pro Cælio: Neque conflictu corporum, neque ictu cominus, neque conjectione telorum. i. eminus, & à longe. Eraſmus inter ſua recenſuit, Cominus atque eminus.

Omni rudente explicato.

Author dialogi de deliberando: qui inter Platonicos Siſyphus inſcribitur: Summo itaque ſtudio nos omni rudente. hoc eſt, fune explicato, & omni voce (quod dicitur) miſſa, conſideremus. His omnib. ſumma diligentia ſignificatur, extremuſque conatus. His ſimilia ſunt Cominus eminuſque niti: de quo poſt: Vires vigorq; Manib. pedibusq; & curribus, ποσὶ καὶ χερσὶν καὶ ἵπποις, hoc eſt, Omnem movere rudentem, Græcis, πάσῃ φωνῇ ἰέναι: quod Latinis, Omni ſeu tota voce prædicari: de quo Eraſmus noſter. Contrarium eſt eorum, Omni fune remiſſo: Græcis πάντα κάλων ἀνιείς: quo ſumma, omniſque negligentia & ignavia ſignificatur. Plato in Philebo: Omni ſtudio definire: Eminus & cominus, pluries. In Theæteto: Annitere omni ſtudio.

Pro mea virili.

Ibidem: Si hunc Theagem ſuſceperis, eique pro virili tua benefeceris. Eraſm. quoque hujus meminit. Poſt, Pro mentis virib. In Philebo: Omni ſtudio definire. Ibidem: Pro virib. agendum. Ibidem: Pro mente ipſa adverſus voluptatem de ſecunda ſorte pugnarem, voluptaſque ſecundis etiam honorib. ſpoliaretur. In Lyſide: Omnes pro viribus repugnabunt. In Theæteto: Cum ſapiente rationem inire, & eam pro virili percipere. In Protagora: Ad hoc omni cura ſtudioque contendunt. Ibidem, Omnes pro virib. virtutis præceptores ſunt. In Sophiſta: Age, conare benè & generoſe, & omni mentis conatu rectum aliquid proferre. Hinc non procul: Hac ergo de cauſa forti animo ad pugnam accingere. Item: Quærendum pro viribus, quid eos ipſum dicant.

Pro mentis viribus.

Plato in Theæteto, Nihil negotii erit, quin tu pro mentis viribus in cauſa tua certabis. Arcte: Pro mea virili. In Phile. Omni ſtudio definire. Ibidem: Pro viribus agendum. In Theæte. Et eam pro virili percipere. Poſt, Vires tua excita.

Vires tuas excita.

In Parmenide: At ô beate, vires tuas excita, enitere. Nihil enim arduum eſt, quod dicebam comprehendere. Labor enim improbus omnia vincit, inquit poeta. Ut virum fortem decet age. Age igitur, ſed age, vt lubet. Ante, Pro mentis viribus: &, Pro mea virili.

Collige teipſum.

Ibidem: Cæterum collige teipſum, diligentiusque te in ea facultate exerce, quæ inutilis eſſe videtur multis, & quædam garrulitas nuncupatur, dum juvenis es, alioquin te veritas fugiet.

Eminus & cominus.

Ibidem ſub finem, Nonne hoc tale eminus & obtuſe proſpicienti vnum apparet? Cominus autem & acute intelligenti vnumquodque multitudine infinitum. Author dialogi de deliberando, qui inter Platonicos Siſyphus inſcribitur: Cominus eminusque niti. Plato in Philebo, Eminus & cominus ſæpe vſus eſt & omni ſtudio definire. Vide ante, Omni rudente explicato. In Sophiſt. Illa eminus, hæc cominus à nobis conſpiciuntur. In Protag. Apparent oculis veſtris eædem moles: cominus majores, minores eminus.

Vltro citroque.

Ficinus in Philebum. Cum multa de ſummo bono vltro citroque Socrates Philebuſque contuliſſent, atque eſſet Philebus jam diſputando defeſſus, &c. Vide Syllogen noſtram.

Non in magnis arduiſque, ſed in minimis & facilibus inchoandum.

Plato in Civili: Nempe in magnis arduiſque incepimus, quod in minimis & facilibus erat per ordinem inchoandum. Juſtinianus lib. 1 ſuarum inſtitutionum, tit. 1. de juſt. & jure, primùm leviora, deinde altiora tradenda eſſe docet: ne tyrones rei perplexitate & varietate perterriti, aut ſtudia deſerant, aut majori cum ſudore tardius juriſprudentiæ notitiam aſſequantur: His, inquit, generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere jura populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſime, ſi primùm levi ac ſimplici via, poſt deinde diligentiſſima atque exactiſſima interpretatione ſingula tradantur: alioquin ſi ſtatim ab initio rudem adhuc, & infirmum animum ſtudioſi, multitudine ac varietate rerum oneraverimus duorum alterum, aut deſertorem ſtudiorum efficiemus, aut eum magno labore, ſæpe etiam cum diffidentia (quæ plerunque juvenes avertit) ſerius ad id perducemus, ad quod leviore via ductus, ſine magno labore, & ſine vlla diffidentia maturius perduci potuiſſet.

Nimium properans, ſerius abſolvit.

Plato in Civili: Et nunc mihi quidem rex nondum perfectam videtur habere formam, ſed quemadmodum ſtatuarii interdũ non ſatis tempeſtive feſtinantes, quum plura & majora quam oporteat emblemata adhibent, ſerius perficiunt opus: ſic & nos, &c. Huic non diſſimilia, quæ poſtea habentur:

Nos alio mentes, alio diviſimus aures.

&, Aliud agendo, male interdum agitur.

Omnia experiri.

Omnia experiri, dicebant in rebus iis, ad quas efficiendas omnem operam contuliſſent. Cæſar in 7. de bello Gal. Omnia experti Galli, quod res nulla ſucceſſerat, poſtero die conſilium cœperunt oppido fugere. Et Cic. in 1. ad Atticum: Quod ad me ſæpe ſcripſiſti de noſtro amico placando, feci, & expertus ſum omnia. Sed admirandum in modum eſt animo abalienato. Catul. ad Aurelium,

——Hærens ad latus omnia experiris
Fruſtra.——

Nervos intendere.

Plato Epiſtol. 1. Nervos omnes intendi, ne ſupplicio afficerentur. Ante Omni, rudente explicato: Cominus, eminus: Vires, vigorque: Manibus pedibusque & curribus, &c.

Vtramque inflare tibiam.

Εἰς ἀμφοτέρους αὐλεῖν αὐλούς. In eos qui omnem movent lapidem. Ariſtid. de paraph. Simile, ὀρχεῖσθαι διπλῆν, Saltare bifariam. Ibid. Et διπλῆν κρούειν. Bifariam pulſare. Vide alibi, Idem, μέσον δυοῖν καθίζεσθαι: inter duas ſedere. Idem Sicula 2. Aggeram plura etiam diverſiſſima, ſed modo quo ante. μόνος οὐκ ἄπειρος τοῦ πολέμου, pro, Ejus negocii non ſum plane rudis. Idem Capreatum rupes. Claudian. extulit de regia crudelis & libidinoſi principis. Vide Suet. in Tiberio. Satyrion bibiſſe: pro, ad libidinem incitatum eſſe. Nota vis ſatyrii herbæ, & etymon. Petron. Hyeme Gallica frigidior. Intelligit eam, quæ ad Septentriones vergit. Idem, In aquam hiante ore deſilire: pro appetentem eſſe mortis. Senec. in Natu. quæſt. ἀμόβρωτον καὶ ἀσύνδειπνον, prandium ferarum, cujus nemo ſit particeps. Scaliger in Varr. ex Plut.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Juno apud Virg. Æneid. 7. mirabili vſa αὐξήσει παροιμιακῇ, hujuſmodi carmen proponit minando:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Quo etiã vti aptiſſime poterit is, qui ita obſtinate enititur animi ſui propoſitũ exequi, vel obſequi affectibus, vt nihil penſi habeat, dum id efficiat, piè ne an impie: immaniter, an humaniter: divina ope, an diabolica id conetur, ſic vt nihil ſibi ad laborem faciat reliqui. Hoc carmine vti poterat Suenckfeldius, cum divinis Scriptis Chriſtianos excludit, eorũ vſu & lectione antiquata & abrogata: cum docet voces cœleſtes, viſa, ſomniaq; literis ſacris (vt ille inſanit)

ſanit) vividiora, vivacioraque, magiſque Chriſtianæ ſimplicitati congruentia: indigniſſimè interea & crudeliſſime multis ſacræ Scripturæ locis contaminatis. Poſſunt etiam vti alia hæreticorum monſtra in vltimas terras deportanda, quæ huc extremas vires conferunt, ſeque in omnes formas vertunt, vt ſacrarum literarum teſtimoniis, exemplis, & ſententiis perperam detortis veterem catholicæ eccleſiæ doctrinam, inſtituta, legeſque convellant, diſſipent, extinguant. Sed quod Herodotus ait, Non ſtatim cum principio etiam finis apparet,

Nec ſemper feriet, quæcunque minabitur arcus.

Verba Virgilii paulò altius repetita, quia etiam ſenſum & vſum adagii ſatis indicant, ſubjicio;

Aſt ego magna Jovis conjux, nil linquere [illegible]auſum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea. Quod ſi mea numina non ſunt
Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod vſquam eſt?
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

CONCORDIA.

ERASMI. *Concordia.*

In abſolutam concordiam, omniumque rerum conſenſum, convenit illud ex eodem libro:

Οὐδέ ποτ' εἰν ἀγορῇ δίχ' ἐβάζομεν, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ,
Ἀλλ' ἕνα θυμὸν ἔχοντε νόῳ καὶ ἐπίφρονι βουλῇ.

Id eſt:

Haud vnquam neque concio nos, neque curia dictis
Audivit pugnare, animo ſed ſemper eodem,
Et ſentire eadem atque eadem decernere vidit.

Verba ſunt Neſtoris de ſe, deque Ulyſſe.

Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ.

Sententia proverbialis eſt ibidem, hujuſmodi:

Συμφερτὴ δ' ἀρετὴ πέλει ἀνδρῶν καὶ μάλα λυγρῶν.

Id eſt:

Conjuncti pollent etiam vehementer inertes.

Hac conveniet vti, ſi quando ſignificabimus non eſſe contemnendam amicitiam, aut ſimultatem multorum, etiamſi fuerint alioquin imbecilles, & quorum ſingulos quivis facilè contemnat. Nam quemadmodum, vt ait Ovidius,

Et quæ non proſunt ſingula, multa juvant:

ita quæ non lædunt ſingula, multa nocent.

Concinere.

Τὴν ξυναυλίαν κλαίειν, eſt iiſdem de rebus ſimiliter queri. Ariſtophanes in Equitibus:

——*Ἵνα ξυναυλίαν κλαύσωμεν, Οὐλύμπου νόμον.*

Id eſt

Modos vti concinamus tibiis Olympicos.

Ξυναυλίαν appellant, ſive cum plures tibiis eandem canunt cantionem, ſive cum citharæ tibi accinitur. Olympus autem fuit Marſiæ diſcipulus, qui ſcripſit De modis lugubribus. Quin & hoc ipſum, Olymp. modos, de querulis, habet proverbii ſpeciem: quemadmodum *ἐλελίζειν*, & Carica muſa.

Doricè concinere.

Qui diſſentiunt, dicuntur non concinere harmonia Dorica. Id proverbio jactatū videtur in eos, quorum oratio diſſentiret à factis. Plato in Lachete: *οὐκ ἄρα ἡμεῖς κατὰ τὸν σὸν λόγον δωριστὶ ἡρμόσμεθα ἐγώ τε καὶ σύ, ὦ Λάχης· τὰ γὰρ ἔργα οὐ συμφωνεῖ ἡμῖν τοῖς λόγοις.* id eſt: Nequicquam igitur juxta ſermonem tuum Dorica concinimus harmonia ego ac tu Laches. Nam facta nobis haud cōſonant verbis. Inter muſices genera Doricum maximè probatum eſt, vt medie temperatum inter Lydium & Phrygium.

Pariter remum ducere.

Qui ſimul remigant certis numeris impellunt remos vt inter ſe conſentiant, alioqui nihil acturi. Hinc Ariſtophanes in Avibus dixit, *ὁμορροθῶ*, pro aſſentior & eodem enitor quo tu. Vox compoſita eſt ab *ὁμοῦ* ſimul & *ῥοθέω* impetu feror, *ὁμορροθῶ*, *συνθέλω*, *συμπαραινέσας ἔχω*. id eſt, Eodem nitor, conſentio, collaudo. Interpres admonet hoc verbum eſſe ſumptum è fabula Sophoclis, cui titulus *Πηλεύς*.

Velut in cratere.

Ὥσπερ ἐν κρατῆρι φιλοτησίῳ, id eſt, Velut in cratere philoteſio. Proverbialis & hæc collatio, qua ſignificabimus, res antea turbulentas componi ſedarique, & prius inter ſeſe inimicos in gratiam redigi. Dicitur autem crater philoteſius, quem in conviviis porrigunt aliis alii, ceu amicitiæ ſymbolum ac pignus. Veluti qui filiam alicui deſponderet, futuro genero prælibans, *φιλοτησίαν κρατῆρα* porrigebat. Scythæ quoque amicitias, quarum ſunt pertinaciſſimi, cratere conciliabant: vt teſtatur in Toxaride Lucianus. Quin & Chriſtus ipſe noſtræ religionis princeps, arcanam illam cum ſuis amicitiam poculo conſecravit.

Mutata defenſatio.

Mutuam complurium inter ipſos concordiam, mutuamq; defenſationem notabimus non infacete verſibus his ex eodem libro:

Φράξαντες δόρυ δουρί, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ,
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Id eſt:

Haſtas denſabant haſtis, vmbone frequenti
Vmbonem, clypeum clypeus fulcibat inhærens,
Inque vicem galeæ galeas texēre, virum vir.

Juvenalis item de mollibus;

——Sed illos
Defendit numerus junctæque vmbone phalanges.

Tradunt operas mutuas.

Huic confine eſt Terentianum illud ex Phormione: Tradunt operas mutuas. De adoleſcentibus, qui ſe viciſſim in peccatis defenderent. Tranſlatum videtur ab agricolis vicinis, qui mutuam inter ſeſe operam commodare ſolent: Aut ab artificibus, qui mutua nonnunquam vtuntur opera: maxime fabri ærarii.

Vt in Velabro olearii.

Ut in Velabro olearii. Proverbialis ſimilitudo de iis qui conſpirarunt, remque gerunt ex compoſito. Plautus in Captivi duo:

Una res,
Omnes compacto rem agunt, quaſi in Velabro olearii.

Velabrum autem, autore Varrone, locus erat Romæ, quo olearii diſtrahebant oleum. Mos eſt autem huic hominum generi, vt inter ſe de precio conſpirent, quo pluris vendant.

VLPII. *Acum & filum ſumens, rupturam conſue.*

Ῥαφίδα καὶ λίνον λαβών, τὸ δὲ ῥῆγμα σύρραψον: Acum & filum ſumens, rupturam conſue. Dici poterit, vbi quem volumus adhortari, vt ſtudeat paci, & argumenta colligat modoſque excogitet, quibus inter offenſos animos concordiam reſarciat.

COGNATI. *Vno ſpiritu & pari voce.*

Summi conſenſus proverbium. Lactantius Firmianus lib. [illegible] ix. Taceam de prophetis, qui opus mundi ac opificium Dei vno ſpiritu ac pari voce teſtantur, etiam inter philoſophos pene vniverſos convenit. Sicut, Uno ore omnes bona dicere, apud Terentium: *μιᾷ φωνῇ* apud Platonem. Simili figura Nonnus c. 8. *ἰαχὴν δ' ἰάχησαν ὁμογλώσσῳ τινὶ μύθῳ*. Lucilius libr. ij. Epigram. *εἰς ἀστρολόγους: πάντες [illegible] σημεῖον*. i. Hoc velut vno omnes aſtrologi ore canunt. Quidam;

Uno ore plurimæ conſentiunt gentes,
Populi primarium virum fuiſſe.

Convenit ut veſpis.

Apud Probum eſt proverbiale, convenire vt veſpis. Carmen ſubſcribam.

Convenit vt veſpis, quarum domus arce monetæ
Turba tagens ſtrictis per lutea corpora telis.

Veſpæ enim pro ſuis latibulis velut conjuratæ, magno conſenſu dimicant, petunt propè accedentes, & aculeis fodiunt. Ut in templo concordiæ fuit nidus ciconiarum, ſic in Monetæ fano veſparum examen. Ubi autem nummi feriebantur, monetæ dicebantur: qui nummos percutiebant, monetarii dicti ſunt. Auſonius de Mediolano:

Templa palatinæque arces, opulenſque moneta.

Et Sidonius de Narbone: Delubris, capitoliis, monetis.

Iugo paria jumenta.

Cum ad aratrum jungi parium virium, pariſque magnitudinis jumenta armentaque debeant ſolum vertenti, evenit vt cum ſub jugum imparia mittuntur animalia, ſulcus rectus non ducatur, & ab altero jumento alterum opprimatur, aratioque inæqualis fit. Sunt aliæ plures huic finitimæ metaphoræ, tranſlatæ à bubus, idem plauſtrum ſeu aratrum æquali jugo trahentibus: vt, Jugum ex æquo ducere. Pari jugo, Pares cum paribus, Diſparem vites: quo Horatius Carminum lib. iiij. Ode. ij. Phillidi ſuadet, vt amicum ſibi parem deligat, ab amore Telephi animum avertat. [illegible] aliud proverbium vulgatum apud Græcos, quod monet, vt ſibi quiſque æqualem vxorem ducat: *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα*: natum à luſu puerorum, trochos & turbines flagellis circumagentium & verſantium. Lege in libris epigram. Græcorum pulcherrimum Callimachi epigramma ad Dionem.

Omne colligatum ſolvi poteſt.

In particula Timæi Platonis, à M. Tullio Cicerone converſa.

Funiculus triplex indiſſolubilis.

Ficinus in Platonis Euryphronem: Meritò ſapiens ille dixit: Funiculum triplicem difficile ſolvi: funiculum inquam ex pietate, ſanctitate, religioneque connexum, &c.

Fraternum dulce ſodalitium.

Catullus de Cœlio & Quinctio:

——Hoc eſt, quod dicitur illud
Fraternum verè dulce ſodalitium.

Hoc Catullino jure concordiam laudibus efferre poterimus, vel ex ipſo Davide: Ecce quam bonum & quam jucundum, habitare fratres in vnum.

O quam

O quam beatum eſt pacis inſolubili
Fratres ligari vinculo!——

Hedera tenax.

Poetæ per hederam tenacem, arctiſſimum complexum ſignificant. Catullus in nupt. Manlij:

Ut tenax hedera.——

Ξυνηρετμεῖν.

Una remum ducere. Metaphora eleganti vſus eſt Ulyſſes apud Sophoclem in Ajace, cum vellet ſignificare, vti amicitia, auxilio, ſtudio, & benevolentia mutua. Ea ſi ad res animi transferatur, in proverbium trahetur ſumma feſtivitate: vt ſi amico dicamus: In literis provehendis oportet nos ξυνηρετμεῖν. Adverſus hæreſes vndequaque graſſantes oportet catholicos homines vna remum impellere. Hæreticorum phalanges ad labefactandũ Eccleſiæ ſtatum (vt Sophoclis vocabulo vtar) ξυνηρετμοῦσι. Is ſic habet.

Ἔξεστιν οὖν εἰπόντι τἀληθῆ φίλῳ,
Σοὶ μηδὲν ἧσσον ἢ πάρος ξυνηρετμεῖν;
Licet igitur mihi vera vetus ſi loquar,
Tibi, vt ante, amicus eſſe remigii comes?
Αὐ ἔφηλας τ' ἄριστ' ... τ' ἀπολέσθαι.

In eadem arbore eſſe.

Idem de vita ſua lib. xj. Oportet igitur in eadem arbore eſſe, etſi non idem cum omnibus ſentias. Hæc ſententia certè eſt aurea, iis in rebus adhibita, in quibus pietas ſinit.

Anima una.

Μία ψυχή. De concordibus animis dicetur, quorũ ſi tanta non modo rerum fortunarumque omnium communio, ſed adeò ſolida, trabaliq; (quod ajunt) clavo voluntatum commiſſio, vt eadẽ pene ſubſtantia, eadem natura plurium: non diverſæ, nec pluriũ ſingulæ animæ, ſed vna eademque plurium eſſe videatur. Uſus eſt hac δεινώσει Ovid. Metamorph 3. vbi Narciſſum de vmbra ſua in limpidiſſimis aquis egregiam adoleſcentis formam exprimente, quam amatorem putabat, inducit loquentem:

Nunc duo concordes anima moriemur in vna.

Lucas item Evangeliſtes Actor. 4. de primitiva Eccleſia mox ab aſcenſu Chriſti in cœlum, ſancita rerum omnium communicatione & concordia mentium ac voluntatum vſa, ſic narrat: τοῦ δὲ πλήθους τῶν πιστευσάντων ἦν ἡ καρδία, καὶ ἡ ψυχὴ μία.

POLYDOR. *Funiculus triplex non facilè rumpitur.*

Allegoria innuens concordia hominum res augeri, auctas diſcordia labefactari. vnde non abludit ſcitum commentum illud Cunguiſtæ Tartari, qui moriens, & xij. ſuos filios ad animorum conſenſum cohortans, juſſit in vnum faſcem compingi xij. tela: quem faſcem ſingulos in orbem juſſit experiri, num poſſent frangere: cum nequirent à ſingulis ſingula tela rumpi juſſit: eoſque id exemplum imitari. Simile de Scyluro in veterum monimentis.

CONIECTVRÆ.

ERASMI. *Leonem ex unguibus æſtimare.*

Ἐκ τοῦ ὄνυχος λέοντα γινώσκειν, id eſt, Ex vnguibus æſtimare leonem: eſt ex vna quapiam conjectura negocium vniverſum perpendere, ex paucis multa, ex minimis maxima conjicere. Natum videtur adagium à Phidia ſtatuario, qui (ſicut narrat Lucianus in Hæreſibus) inſpecto leonis duntaxat vngui, quantus eſſet totus leo perpendit, totumque ex indicio vnguis effinxit. Plutarchus in commentario De defectis oraculis, videtur ad Alcæum referre. Sic enim ſcribit: οὐ κατ' Ἀλκαῖον ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα γράφοντες, id eſt, Non Alcæi more leonem ex vnguibus depingentes, hoc eſt, ex re minima maxima colligentes. Philoſtratus in vita Apollonii, οἷον ἐξ ὄνυχος ἤδη ὁρῶ. id eſt, Qualem ex vngui jam eſſe video. Baſilius magnus ad Maximum philoſophum, ἐπειδὴ ὄντως τῆς ψυχῆς εἰκόνας εἶναι λέγουσι τοὺς λόγους, ἐγνώκαμέν σε διὰ τῶν γραμμάτων, ὅσον, φασὶν, ἐξ ὄνυχος τὸν λέοντα. id eſt, Animi imago revera eſt oratio. Proinde cognovimus te ex literis, non aliter quam leonem, vt ajunt, ex vnguibus. Fit autem hoc mathematica ratione (ſicuti docet Victruvius lib. 3.) Ut ex membro vel minimo, totius corporis modus colligatur. Quemadmodum Pythagoras Herculani corporis menſuram ex Piſano ſtadio, quod Hercules ſuis pedib. fuerat metatus, ratiocinatus eſt. Sic ex vnius arteriæ pulſu, medici de tota hominis valetudine judicant: ſic ex coma, aut cingulo, aut oculorum nutu, totam hominis vitam licet conjicere: ſic ex vnica epiſtola doctrinam omnem æſtimamus: ex vnico reſponſo, totam hominis ſapientiam perpendimus.

Cauda de vulpe teſtatur.

Ἡ κέρκος τῇ ἀλώπεκι μαρτυρεῖ, id eſt, Cauda de vulpe teſtificatur. In eos dici ſolitum, qui puſilla in re, cujuſmodi ſint, declarant. Eſt autem vulpi cauda pro corpore major ac piloſior, vt non ſit facilè celare. Alioqui canis videri poſſit. Unde quadrabit de exitu, declarante cujuſmodi fuerint reliqua. Quidam primo aggreſſu agni, in eventu vulpes comperiuntur.

E fimbria de texto judico.

Ἐκ τοῦ κρασπέδου τὸ ὕφασμα γινώσκω, id eſt, E fimbria textum omne cognoſco, hoc eſt, ex vno aliquo puſillo, reliquorum facio conjecturam. Translatum à negociatoribus, qui inſpecta texti margine, facilè de vniverſo cujuſmodi ſit judicant.

De guſtu cognoſco.

Ἐκ γεύματος γινώσκω, id eſt, Ex deguſtatione judico, hoc eſt, ex minima experientia. Ductum item à negociatoribus, qui guſtato duntaxat vino aut oleo, de reliquo mox pronunciant. Eſt enim cujuſq; arboris fœtui ſuus quidam ſapor & indoles, & forma quoque peculiaris: quæ quoties mutarentur in diverſum, pro oſtento habitum fuit, vt eleganter Theophraſtus in hiſtoria plantarum lib. 2. cap. 4. Unde Plinius: Ad eum, inquit, guſtum tibi reliqua promitto. Seneca: Et guſtum tibi dare volui. Et deguſtationem hujuſmodi experientiam vocamus. Haud alienum fuerit huc aſcribere quod Irenæus refert proverbii nomine: Ut diſcas mare ſalſum eſſe, nihil opus totum ebibere. Siquidem è paucis guttis deprehendere licet, quale ſit vniverſum mare.

Æthiopem ex vultu judico.

Τὸν Αἰθίοπα ἐκ τῆς ὄψεως γινώσκω, id eſt, Æthiopem ex ipſo vultu cognoſco. Præfert quiſque aliquo ſigno, cujuſmodi ſit moribus. Præ ſe fert enim Æthiops, nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentium candore, patriam ſuam. Nam veſtem mutare poteſt Æthiops, faciem non poteſt.

De fructu arborem cognoſco.

Ἐκ τοῦ καρποῦ τὸ δένδρον γινώσκω, id eſt, E fœtu cognoſco arborem: è factis hominem judico. Quæ parœmia etiam in Evangelicis literis extat, quemadmodum oſtendimus in operis initio. Veſtis ſordida, raſus vertex, jejunium, oratio, frons tetrica, folia ſunt quæ ſæpenumero mentiuntur, quemadmodum illa ficus mentita eſt Chriſto: ſed pro Chriſti gloria patienter tolerare infamiam, bene velle malevolis nec rependere injuriam, fructus eſt arboris bonæ: Hæc ſi quis conſtanter & alacriter præſtant, arguunt animum ſincerum. Nam ſimulatio nec diuturna poteſt eſſe, nec fieri poteſt, quin alicunde cedens naturæ, prodat animi morbum.

E nævo cognoſcere.

E nævo cognoſcere, eſt ex re quapiam minima totum hominis ingenium æſtimare: quemadmodum dicimus leonem ex vnguib. agnoſcere, & Protogenes ex linea agnovit Apellem. M. Tull. in lib. De claris oratoribus: Nunc quoniam totum me non è nævo aliquo aut crepundiis, ſed corpore omni videris velle cognoſcere, complectar nonnulla etiam, quæ fortaſſe videantur minus neceſſaria. Metaphora ſumpta eſt ab iis, qui infantib. quos ablegant exponuntve, addunt crepundia, per quæ agnoſcantur ſi forte inciderit occaſio: aut nævum aliquem in corpore notant parentes. Tale ſignum interdum ſyngraphis ſuis addunt trapezitæ.

De facie noſſe.

De facie noſſe, eſt leviter cognitum habere, quaſi quem ſemel atque iterum videris duntaxat: non quicum ſis familiariter verſatus. Id ſi transferatur ad res animi, fiet venuſtus. M. Tullius in Piſonem: Habet hoc ipſa virtus, quam tu ne de facie quidem noſti, id eſt, ne tenuiter quidem.

Ex fronte perſpicere.

Ex fronte perſpicere dicimus, quod ſtatim & velut ipſo protinus occurſu percipimus. Sumptũ ab Phyſiognomicis, qui ſe profitentur ex oris lineamentis, reliquaque corporis ſpecie ingenium hominis poſſe deprehendere. M. Tullius ad Antonium: Nõ enim ſolum ex oratione, ſed etiam ex vultu, & oculis, & fronte, vt ajũt, meum erga te amorem perſpicere potuiſſes. Id adagium etiam hodie vulgò tritiſſimum eſt. Cicero ad Q. fratrem de petitione conſulatus, frontem appellat animi januam: Cura, inquit, vt aditus ad te diurni atque nocturni pateant, neque foribus ſolum ædium tuarum, ſed etiam vultu & fronte, quæ eſt animi janua. Quæ ſi ſignificat voluntatem abditam eſſe ac retruſam, parvi refert patêre oſtium. Hæc Cicero. Unde & vera fronte fieri dicuntur, quæ fiunt ex animo. Interdum enim aliud frons loquitur, aliud celat animus. Alluſit huc Ariſtophanes in Equitibus:

Ἐπιδείξομεν ὑμῖν τοῖς θεαταῖσι τουτονί,
Ἢν τοῖς μετώποις χαίρωσι καὶ τοῖς πράγμασιν.
Id eſt:
Nobis vt ipſis frontibus faciam palam,
An noſtra dicta ac facta læti comprobent.

Ex ſtipula cognoſcere.

Ἐκ τῆς καλάμης γινώσκειν, id eſt, Ex ſtipula judicare dicitur, quoties è veſtigiis quibuſdam in ſenecta reliquis, conjecturam facimus, cujuſmodi quis fuerit in adoleſcentia: translata metaphora à ſegetibus. Homerus in ξ. Odyſſeæ:

Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γέ σ' ὀΐομαι εἰσορόωντα
Γιγνώσκειν.——
Id eſt:
Attamen inſpecta ſtipula te ſuſpicor illud
——Conjicere.

Utitur hoc adagio Lucianus in Pſeudomante, quem nos olim Latinum fecimus. Ariſtoteles in Rhetoricis καλάμην, ſenectam interpretatur: ὅταν γὰρ, inquit, τὸ γῆρας εἶναι καλάμην ἐποίησε, μάθησιν καὶ γνῶσιν διὰ τοῦ γένους, ἄμφω γὰρ ἀπηνθηκότα. id eſt, Etenim cum

ſenectam dixit culmum, ſemen oſtendit, ac repræſentavit. Nam vetique deflorucrunt. Ariſtophanes in Veſpis non diſſimili figura vſus eſt;

Ἀλλ' ὅμως ἐκ τῶν λοιπῶν
Δεῖ τὴν ῥώμην νεανικὴν ἔχειν.

Id eſt:

Verum è reliquiis robur horum colligi
Juvenile oportet.

Dicimus item, Ex fragmentis, ex ruina rem cujuſmodi fuerit, conjectare.

Ex habitu bonum virum præ ſe fert.

Qui dicet ex ipſa oris figura videri probum hominem, citabit illud ex Odyſſeæ primo:

——Οὐ μὲν γάρ τι κακῷ ἐΐκτο ὡς ...

Id eſt:

——Ex ſpecie minimè improbus ipſa
Eſſe videbatur.———

M. Tullius in Verrem lib. viij

Is erat Apronius, qui vt ipſe non ſolum vita, ſed etiam corpore atque ore ſignificat, immenſa aliqua vorago eſt, aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium.

E culmo ſpicam conjicere.

Euſtathius Odyſſeæ ξ enarrans hunc verſum, quem nos alio citavimus loco,

Ἀλλ' ἔμπης καλάμην γέ σ' ὀΐομαι εἰσορόωντα
Γιγνώσκειν.

oſtendit Ulyſſem ad proverbium alluſiſſe: quod plenè ſic efferatur: ἐκ καλάμης δῆλος ... id eſt: Ex culmo perſpicitur ſpica demeſſa. Etiam in ſene apparet, cujuſmodi fuerit juvenis. Meminit hujus loci Ariſtoteles libro Rhetoricorum, indicans per metaphoram ſenectutem dictam culmum.

E cantu dignoſcitur avis.

Refertur & hoc à quibuſdam, etiam ſi mihi nondum apud idoneos autores repertum, E cantu dignoſcitur avis: alioqui non indignum quod in proverbiorum ordinem allegatur. Senſus congruit cum illo: Qualis vir, talis oratio. Jactatur vulgò ſimillimum huic: E plumis avem dignoſci, è cultu ſpectari vitam & ingenium hominis.

Effœminatorum etiam oratio effœminata.

Ἔνεστιν ἐν ἀνάλκισιν ἀνάλκεις λόγοι.

Id eſt:

Inertibus viris iners oratio.

Ut quiſque eſt ita & loquitur. Refertur à Zenodoto. Confine illi, quod alibi retulimus, Fatuus ſtulta loquitur, item illi: Qualis vir, talis oratio. Tametſi longè alium Drancem fecit Vergilius, linguâ fortem bellatorem, re imbellem.

Ex uno omnia ſpecta.

Ἐξ ἑνὸς τὰ πάνθ' ὅρα.

Id eſt:

Ex vno omnia ſpecta.

Vergilius item:

——Et crimine ab vno Diſce omneis.———

Admonet adagium, ex vnius eventus experimento, reliquorum ſimilium conjecturam oportere facere: Refertur a Suida. Tametſi is oſtendit in eos dictum, qui perperam ex vno quopiam exiſtimant omnia. Legitenim non ὅρα, ſed ὁρῶ. Veluti ſi quis vnum Gallum expertus perfidum, judicaret omnes eſſe tales.

Domi conjecturam facere.

Οἴκοθεν εἰκάζειν Domi conjectare. Quod non aliunde petitur, id domi fieri proverbio dicitur. Plautus in Ciſtellaria: Hanc ego de me conjecturam domi facio, hoc eſt meopte experimento comperio. Seneca de Beneficiis lib. v. Domi, quod ajunt, verſura fit, & velut luſorium nomen ſtatim tranſit.

Prima facie prima fronte.

Sapiunt hæc quoque proverbium, maximè cum ad res incorporeas referuntur: Prima facie, prima fronte: pro eo quod eſt, primo obtutu, & priuſquam preſſius ac diligentius conſideres. Fallit enim plerumque primus ille aſpectus, neque raro caligant oculi pudore quodam. Deinde iterum atque iterum contemplati perſpicimus quædam, quæ nos antea fefellerant, & primum illud oculorum judicium quaſi recantamus. Hujus adagii frequens eſt vſus apud ſcriptores Latinos, nominatim apud Quintilianum libro duodecimo. Papinianus libro duodecimo, titulo de conditione ſine cauſa. Ceſſare condictio prima facie videtur. Item libro decimo ſexto, titulo ad ſenatuſconſ. Vellejanum: Cum prima facie quidem alienam, revera autem ſuam obligationem ſuſcipiat, & aliis item aliquot locis. Celſus lib. xxij. tit. de probationibus, c. quingenta: Prima fronte æquius videtur, vt petitor probet quod intendit, &c.

Cribro divinare.

Κοσκίνῳ μαντεύεσθαι, id eſt, Cribro divinare, eſt conjectura ſagaci rem deprehendere: aut ſtultè de reb. occultis divinare. Lucianus in Pſeudomante, κοσκίνῳ ... μαντευόμενος, id eſt, Cribro: quod ajunt, vaticinans. Meminit & Theocritus in Idyllio tertio:

Εἶπε καὶ Ἀγροιὼ τἀλαθέα κοσκινόμαντις.

Id eſt:

Cribro vaticinans, verum mihi dixit Agrœo.

Porrò genus hoc divinandi ſuſpenſo cribro, in hodiernum vſque tempus durat apud quoſdam ſuperſtitioſos. Apud veteres vaticinia peragebantur cribro, lauro, & tripode.

Stellis ſignare: Obelo notare.

Ἀστερίσκοις σημειοῦσθαι, ἢ ἀστέρας τεκμαίρεσθαι, id eſt, Stellis notare. Euſtathius in quintum Odyſſeæ librum, admonet dictum de his, qui longam ac deſertam viam peragunt, adeo vt neceſſum ſit, ab horum regionum ſitum, ſtellarum obſervatione ſignare. Ductam autem eſſe metaphoram à navigantibus, qui quum conſquere provecti ſunt à terra, vt jam cœlum vndique, & vndique pontus, ſtellarum indicio curſum moderari ſoleant, maximè Cynoſuræ & Helices, teſte Arato ἐν φαινομένοις.

Οἱ τὴν μὲν κυάνεαι ... ἑλίκην ...
Τὴν δ' ἑτέρην ...
Εἶν ἁλὶ τεκμαίρονται ...
Τῇ δ' ἄρα Φοίνικες πίσυνοι περόωσι θάλασσαν.
Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ ...
Πολλὴ φαινομένη ...
Ἡ δ' ἑτέρη ὀλίγη μέν ...
Μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι.
Τῇ καὶ Σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.

Id eſt:

Quorum carminum interpretationem adſcribam ex Germanici Cæſaris interpretatione.

Hic Jovis altrices Helice, Cynoſuraque fulgent.
Dat Grajis Helice curſus majoribus aſtris,
Phœnicas Cynoſura regit: ſed candida tota,
Et liquido ſplendore Helice, nitet haud prius vlla,
Cum ſol Oceano fulgentia condidit ora,
Stella micat cœlo ſeptem quæ Creſia flammis.
Certior eſt Cynoſura tamen ſulcantibus æquor,
Quippe brevis totam fido ſe cardine vertit,
Sidoniamque ratem nunquam ſpectata fefellit:

Et Aratum imitatus Ovidius, libro de Triſtibus, quarto;

Magna, minorque feræ: quarum regit altera Grajas,
Altera Sidonias, vtraque ſicca, rateis.

Idem indicat Vergilius in quinto, de Palinuro loquens;

Talia dicta dabat, clavumque affixus, & hærens,
Nunquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

Idem alibi;

Cuncta notat tacito labentia ſidera cœlo.

Conſimiliter Homerus cum alias, tum Odyſſeæ lib. ε.

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως
Ἥμενος, οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε,
Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι, καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην
Ἄρκτον θ', ἣν καὶ ἅμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσιν,
Ἥ τ' αὐτοῦ στρέφεται καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει,
Οἴη δ' ἄμμορός ἐστι λοετρῶν Ὠκεανοῖο.

Id eſt:

Ille quidem navim arte regens, clavo aſſidet hærens;
Nec ſinit illapſo torpeſcere lumina ſomno,
Plejadas, ſeroque recondentem ora Booten
Suſpectans, viſamque alio cognomine plauſtrum,
Quæ fixa vſque loco ſe circumflectit eodem,
Et nunquam Oceani liquidis aſpergitur vndis.

Unde ἀστέρας σημειοῦσθαι τὴν ὁδόν, videntur ii, qui notulis quibuſdam & conjecturis arte deprehenſis, rem alioqui perveſtigatu difficilem inquirunt, aut aſſequuntur: aut qui ſignis quibuſdam multo ante colligunt quid ſit eventurum. Poſtea deflexum eſt, vt ſtellas prænotare dicantur, qui quippiam velut animadvertendum inſigniunt. Cui diverſum ὀβελίζειν, id eſt, veru prænotato quaſi jugulare ac damnare. Translatum Ab Ariſtarcho, qui Homeri carmina in corpus redegit, atque in libros digeſſit: verſus nothos, hoc eſt adulterinos & ſubdititios, qui non viderentur ſapere veram illam Homericam, ὀβελίζων, id eſt, minutis verubus prænotatis damnans: contra qui viderentur inſignes ac genuini, ἀστερίζων, id eſt, ſtellulis illuſtrans. Quem morem ſequutus eſt & Origenes, & divus Hieronymus in literis divinis. Quin hoc ipſum Ariſtarchi cognomen in proverbium abiit; quod is eum damnandi notulis probandiq; morem excogitarit. M. Tullius Attico: Totum hunc locum, quem in ariſtocratia ego variè meis orationibus, quarum tu Ariſtarchus es, ſoleo pingere, de flamma, de ferro (noſti illas ληκύθους) valdè graviter pertexuit. Atticum vocat ſuarum orationum Ariſtarchum, id eſt, cenſorem & emendatorem, quod illi mos fuerit, ſi quæ parum probaſſet in ſcriptis Ciceronis, cæteris rubris notare. Quod quidem alibi declarat idem M. Tullius, libro ad Atticum 16. Quæ mihi florentia viſa ſunt tuo judicio. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam. Idem ad Dolabellam: Profert alter, opinor, duobus verſiculis expenſum ... Ariſtarchus hos ὀβελίζει. Ego tanquam criticus antiquus judicaturus ſum. Item M. Varro de lingua Latina Ariſtarchos appellat criticos grammaticos, qui de libris judicant. Et Horatius: Fiet Ariſtarchus, id eſt, caſtigator & expenſor alieni ſcripti. Et divus Hieronymus ſubinde quempiam ſui temporis Ariſtarchum vocat, quod arbitrio ſuo alia damnaret, alia probaret.

Signum

Signum bonum, aut malum.

Σύμβολον ἀγαθὸν ἢ καὶ φαῦλον: id eſt, Signum bonum aut certè malum. Vbi quis de re incognita divinat incertus. Symbolum aiunt augurium appellari, quod ſumitur è ſternutamentis: id autem ad Cererem pertinebat. Et hominis primum occurſum, ex quo ſignum aliquod eventus captabant, ſymbolum appellabant. Cæterum hic loquẽdi color diviniis olim familiaris erat, teſtib. Homero & Platone, Item apud Horatium Tireſia.

Vna hirundo non facit ver.

Μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, id eſt, Vnica hirundo non efficit ver, hoc eſt, unus dies non ſat eſt ad parandam virtutem aut eruditionem, aut nõ unum aliquod benefactum, benedictum ve, ſufficit ad hoc, ut viri boni, aut boni oratores cognomẽ promerearis: plurimis enim virtutibus ea res conſtat, aut ut certum aliquid cognoſcas, nõ ſatis eſt unica conjectura. Quod ſi permultæ conveniant, tum demique probabilis fuerit coniectura. Siquidem fieri poteſt, ut una quæpiam hirundo caſu maturius appareat. Sumptum ab hirundinis natura, quæ veris eſt nuncia: nam hyeme devolat. Unde Horatius:

— Zephyris & hirundine prima.

De primo verè ſentiens. Ariſtoteles lib. Moralium 1. μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα id eſt: Ver enim nec una hirundo facit, nec unus dies. Et beatum eodem modo felicem ve nec unus dies, nec breve efficit tempus. Ariſtophanes in Avibus.

Δεῖσθαι δ᾽ ἔοικεν οὐκ ὀλίγων χελιδόνων,

Id eſt:

Multa videtur opus habere hirundine.

Interpres indicat alluſum ad proverbium quod modo retulimus, μία χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ. Huic affine videtur illud Sophocleum in Antigona:

Πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ᾽ ἥτις ἀνδρός ἐσθ᾽ ἑνός.

Id eſt:

Namque unius quæ ſit viri, haud eſt civitas.

Etenim quemadmodum una hirundo non facit ver, ita nec unus homo facit civitatem, nec unus nummus divitem.

Omnibus veſtigiis inquirere.

Πᾶσιν ἴχνεσι ζητεῖν, id eſt, Omnibus inquirere veſtigiis dicitur, qui ſumma cura, ſummaque diligẽtia rem pervestigat. Metaphora ſumpta eſt à venatoribus. M. Tullius actione in Verrem quarta: Ex iſtis etiam tu rebus effugere te poſſe confidis? quum te nos non opinione dubia, ſed tuis veſtigiis perſequamur, quæ tu in tabulis publicis ac recentia reliquiſti. Rurſus in eadem, Vt omnes mortales iſtius avaritiæ non iam veſtigia, ſed ipſa cubilia videre poſſint. Item actione ſexta: Illos ego accuſatores puto fuiſſe, qui huiuſmodi hominũ furta odore, aut alicubi leviter preſſo veſtigio perſequebantur. Nam nos quidem, quod facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis veſtigiis invenimus? In oratione pro Cluentio: Quid? Albiana pecunia veſtigiis ne nobis odoranda eſt an ad ipſum cubile vobis ducibus venire poſſumus? Ut paulo poſt: Cluentii nummus nullus iudici datus ullo veſtigio reperitur. In Piſonem: An verò tu parum putas inveſtigatas eſſe à nobis labes imperii tui, ſtragesque provinciæ? quas quidem nos non veſtigiis odorantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis, & cubilibus perſecuti ſumus.

Qui bene coniiciet, hunc vatem.

M. Tullius in opere De divinatione lib. 2. ſcribit, Græcum verſiculum vulgò iactatum extare in hanc ſententiam: Qui benè cõiiciet, vatem hunc perhibeto optimum. Citat autem eum verſiculum Plutarchus in libello De reſponſis Pythiæ: ὁ δ᾽ εὖ εἰκάζων, ὃν ἄριστον μάντιν ἀνηγόρευσεν ἡ παροιμία, id eſt: Benè coniectans, quem optimum vatem appellavit proverbium, quanquam hic in Plutarcho locus mutilus erat & lacer: attamen colligi poteſt carmen huiuſmodi fuiſſe:

Μάντις γ᾽ ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Atque ita citat ex Euripide in libro De defectis oraculis. Citat & M. Tullius lib. ad Atticum 7. A te, inquit, expecto futura, μάντις γ᾽ ἄριστος. Huc alluſit Theocritus in Piſcatoribus, ſi modo Theocriti ſunt illa:

— Οὔτις ἄριστος
Ἐστὶν ὀνειροκρίτης, ᾧ ὁ νοῦς διδάσκαλός ἐστι παρ᾽ αὐτῷ.

Id eſt:

— Nemo
Somnia coniectat melius, quam mente magiſtra
Qui regitur. —

Admonet adagium, futurorum præſcientiam non è ſortibus aut auguriis petẽdam eſſe, ſed à prudentia. Siquidem qui prudentia ſit præditus, is ex præteritorum, præſentiumque coniecturis facilè proſpiciet quid ſit eventurum. Proinde non iniuria ſcripſit Ariſtoteles libro Moral. Eudemiorum. φρονίμων καὶ σοφῶν ταχεῖαν εἶναι τὴν μαντικὴν καὶ μόνων: i. Prudentium atque ſapientium hominum celerem eſſe divinationem, & horum tantum. Vtinam hanc divinandi rationem amplecterentur principes, quorum hodie bona pars à prognoſtis & aſtrologis pendet, hominum genere, ut nunc ſunt pleraque, vano pariter ac ſeditioſo & Reipubl. peſtilente.

Certum proſpicio.

Qui ſe negabit temere, male ſecuſve de exitu rei cuiuſpiã ſentire, ſed certis adductum argumentis, & pluribus experimẽtis obſervaſſe, accommodabit illud ex eodem libro:

Οὐ γὰρ ἄπειρος μαντεύσομαι, ἀλλ᾽ εὖ εἰδώς.

Id eſt:

Nam neq; inexpertus iam divinavero, verum
Egregiè callens.

Rem acu tetigiſti.

Eſt apud Plautum in Rudente, Rem acu tetigiſti: pro eo quod eſt, rem ipſam divinaſti, nihil aberrans. Metaphora ſumpta videri poteſt à luſu quopiam, in quo divinator, id quod alius notaſſet, ſumma acu tangebat: aut lineam, aut calculum, aut alius quiddam ſimile, legitur acu tangere perinde eſt quaſi dicas, ipſiſſimum punctum attingere. Nam minutiſſima puncta denotantur acu.

Scopum attingere.

Τυγχάνειν τοῦ σκοποῦ, id eſt, Scopum attingere. Eſt voti compotem fieri, aut coniectura rem ipſam aſſequi. Lucianus in Icaromenippo, καὶ οὐκ ἀπὸ σκοποῦ ἐτόξευσας, id eſt: Tuaque coniectura haud procul abeſt à ſcopo. &, ἀποτυγχάνειν τοῦ σκοποῦ: id eſt, Non attingere ſcopum: &, διαμαρτάνειν τοῦ σκοποῦ: id eſt, Aberrare à ſcopo: atq; id genus aliæ figuræ omnes proverbium ſapiunt. Hoc adagio feſtiviter uſus eſt Diogenes in puerum ſaxa in crucem iaculantẽ: Euge, inquit, continges tandem aliquando ſcopum. Pindarus in Nemeis hymno nono: ἀκοντίζων σκοποῦ ἄγχιστα μουσᾶν. id eſt: Proxime iaculans ad ſcopum muſarum. Idem hymno ſexto: ἔλπομαι μέγα εἰπὼν σκοποῦ ἄντα τυχεῖν. id eſt: Spero quod magna pollicitus ſcopum attingam. Dicitur & ἔξω σκοποῦ βάλλειν: hoc eſt, extra ſcopum iaculari: ubi quis loquitur aliena ab eo quod agitur. Vſus eſt Gregorius Nazianzenus in Monodiis.

Mortuus per ſomnum, vacabis curis.

Θανὼν καθ᾽ ὕπνους φροντίδων ἔσῃ δίχα.

Id eſt:

Curis vacabis mortuus per ſomnium.

Verſiculus vulgò iactatus apud Græcos, ex ſuperſtitioſa inſomniorum obſervatione. Exiſtimabant enim eum qui ſe mori ſomniaſſet, à curis moleſtiisque liberatum iri: quod mors finem doloribus imponere videatur: planeque imponit his, qui hinc in meliorem demigrant vitam. Fortaſſis ad eandem pertinet ſententiam, quod alibi retulimus:

Νεκροὺς ὁρῶν, κέρδη σοι ἕξεις πεπραγμένα.

Mortuos videns.

Νεκροὺς ὁρῶν τέξεται σοι πεπραγμένα.

Id eſt:

Tibi accident res, mortuos ſi ſomnies.

Refertur à Suida, tanquam vulgò iactatum de divinatione, quæ ſumitur ab inſomniis, ſuperſtitione multo omnium vaniſſima, tamen ita dictum eſt, quod mors finis ſit omnium huius vitæ malorum.

Leonem videre, hoſtium prælia portendit.

Λέοντας ἰδεῖν, δυσμενῶν δηλοῖ μάχας.

Id eſt:

Cernere leones, hoſtium pugnam indicat.

Tranſlatum vel à ſomniorum coniecturis, vel ab obſervantibus auguria. Meminit Suidas. Huiuſmodi verſiculos, indicantes quid quoque portendat ſomnium, video diligenter commemoratos à Suida & Heſychio, quum nihil tamus. Et tamen probabile eſt, utrumque fuiſſe Monachum.

Protinus apparet, quæ planta frugifera futura.

Αὐτίκα φυτὸν δῆλον ὃ μέλλει καρπὸν οἴσειν.

Id eſt:

Protinus apparet, quæ fructum planta datura eſt.

Vel pueris elucet indoles futuræ probitatis. Protinus in diſcipulo præſentire licet profectum futurum.

Quanquam non dixeris, tamen apparet è pelle.

Εἰ μὴ λέγεις, ἀπὸ δέρματος φαίνῃ, id eſt, Etiam ſi non dicas, pelle præ te fers. Res ipſa redarguit mendacem, & oris habitus. Vnde illud Ciceronis: Niſi fingeres, non ſic diceres. Videtur ex apologo natum.

Qualis vir, talis oratio.

Annæus Seneca in epiſtolis, quas ſcripſit ad Lucilium lib. 19. Apud Græcos, inquit, in proverbium ceſſit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Græcum id proverbium extat apud Ariſtidem, in ſecũda Rhetorices adverſus Platonem defenſione: τὸν δὲ λόγον ἡ παροιμία τοῦ τρόπου, ἃ λέγουσιν, οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος ὁ λόγος, καὶ πάλιν οἷος ὁ λόγος, τοιοῦτος ὁ τρόπος. id eſt, Non diſonat autem ab iis adagium, quod dicunt. Cuiuſmodi ſunt mores, eiuſmodi & orationem eſſe ac rurſum. Qualis ſit oratio, tales item eſſe mores. Ad eandem facit ſententiam, quod inter Solonis apophthegmata commemorat Diogenes Laertius: τὸν λόγον εἴδωλον εἶναι τῶν ἔργων. i. orationem factorum eſſe ſimulachrum. Perſius 5. Satyra, ſententiam hanc allegoria texit, cum ait:

—Pulſu dignoſcere cautus.
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.

Nimirum innuens, haud aliter animum hominis ex oratione ſpectari, quam vaſa dignoſcuntur crepitu, quem reddunt digito pulſata. Idem in Satyra 3.

—Sonat vitium percuſſa, maligne
Reſpondet, viridi non cocta fidelia limo.

Idq; proverbii non ſolum locum habet, cum improbum aut probum virum arguit oratio, verum etiam cum ex ſtylo perpendimus ingenium cuiusque, omnemq; mentis habitum ex ipſa dictionis ratione conjectamus. Etenim tumidi, ſtylus turgidus: abjecti humilis, exanguis: aſperi, ſcaber: amarulenti triſtis ac maledicus: deliciis affluentis, pictoratus ac diſſolutus. Breviter omne vitæ ſimulachrum; omnis animi vis, in oratione perinde ut in ſpeculo repræſentatur, ac vel intima pectoris, arcanis quibusdam veſtigiis deprehenduntur. Itaque Seneca Mecœnatis delicias ac molliciem ex ipſa hominis dictione colligi ſcribit. Huc pertinet, quod Socrates apud Platonem jubet loqui Charmidem, vt eum videat: nimirum hominem ex oratione æſtimaturus. Idem in Gorgia negat ſe noſſe Archileum Perdicæ filium, quod nunquam cum eo venerit in colloquium. At vulgò prædicant ſe noſſe hominem quē viderint tantum: quum animus hominis non perſpiciatur, niſi ex oratione.

Crepitu probabis.

Πλαταγῶν δοκιμάσεις: id eſt, Plataga probabis. De iis qui ridicule explorant alterius in ſeſe animum. Sumptum à vulgari joco puellarum, quæ impoſito pollici, medioque digito papaveris folio palmam illidunt: quod ſi crepuerit, amoris argumentū eſt: ſin minus, non amantis indicium. Id Suidas indicat fieri ſolere folio papaveris aut anemonæ, quod πλαταγώνιον dicitur: à πλαταγεῖν, id eſt, à ſtrependo. Alluſit ad proverbium Ammianus libr. 14. Quod quum verè & ex animo dicitur, ſolet amor ex levi crepitu mōſtrari. Unde locus erit proverbio, ubi ex dicto ſimplici deprehenditur animus hominis. Apud alios πλαταγὴν reperio pro inſtrumento quo movemus ſtrepitum: & πλαταγεῖν, pro crepitum movere.

COGNATI. *Et crimine ab uno Diſce omnes.*

Poetarum eminentiſſimus Maro 2. Æneid. ex Sinonis dolo Danaum inſidias, atque ex unius crimine aliorum omnium fraudes docet eſſe perdiſcendas. Sunt enim Græci ferè omnes, ut habitu corporis, ita & animo ac voluntate inter ſe perſimiles. Et quemadmodum cæteræ nationes peculiare quiddam habent, ſic Græci mendacia & dolos fingere adeò ſunt eruditi, ut eos natura ad fallendos cæteros mortales finxiſſe videatur. Refertur hic verſus inter ſchemata proverbialia, citaturque ab Eraſmo noſtro & Suida hunc in modum; ἐξ ἑνὸς πάντ' ὅρα. Sed Suidas diverſum ejus uſum indicat, dicitq; iniei... eſſe unius perfidia toti genti perfidiæ & impietatis notam inurere.

Vt mea fert opinio.

Idem in Lyſide: Ut mea fert opinio: In Sophiſta: Ita mihi videtur, prout meæ hujus ætatis judicium eſt. Item, ut mea fert opinio.

CONSILIVM.

ERASMI. *Res ſacra conſultor.*

Σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα: id eſt, Conſultor res ſacra. Zenodotus ex Epicharmo refert. Senſus eſt adagionis, plurimū utilitatis adferre benè conſulentem: aut religioſe pureque dandum conſilium iis, quib⁹ eſt opus. Plato in Theagete: καὶ μὴν δὴ καὶ λέγεταί γε συμβουλὴ ἱερὸν χρῆμα εἶναι. id eſt: Quin illud etiam dicitur Demodoce, cōſultorem rem eſſe ſacram. Idem in epiſt. ad Perdiccam: δίκαιος ... εἰμὶ καὶ ξενικὴν καὶ ἱερὰν ξυμβουλὴν λεγομένην ξυμβουλεύειν. id eſt: Æquum eſt autē, ut & hoſpitale & ſacrum, ut dicitur, conſilium impertiam. Suidas indicat dictum, ubi deliberatur de rebus periculoſis: ut ſimile videatur illi, Sacram ancoram jacere. Effertur & ad hunc modum: ἱερὸν συμβουλή. id eſt: Res ſacra conſilium. Extat inter Græcas ſententias hic ſenarius:

Ἱερὸν ἀληθῶς ἐστὶν ἡ συμβουλία.
Id eſt:
Res eſt profectò ſacra conſultatio.

Suadeo, quod ipſe facturum eſſem.

Cum alteri damus conſilium, quo non gravemur ipſi uti in ſimili cauſa, conveniet illud Calypſus ex eod. lib.

Ἀλλὰ τὰ μὲν νοέω καὶ φράσσομαι, ὅσσ' ἂν ἐμοί περ
Αὐτῇ μηδοίμην, ὅτε με χρειὼ τόσον ἵκοι.
Id eſt:
Sentio ſuadeboque tibi, quibus haud graver uti
Ipſa, mihi ſimilis ſi quando occurreret vſus.

Ex Append. Erasmi.

In orbem circumiens.

Ἀνιστὰς ἐν κύκλῳ περιελθών, pro, neminem prætereuns, In conſultando πάντα ἐν κύκλῳ commoda atque incommoda circumſpicienda, id eſt, nullum omnino omittendum. Lucian. Sic ambibāt, qui ſingulos prenſabant, & obeunt provinciam, qui in adminiſtrando nuſquam non adſunt.

Conferre capita.

Pro, deliberare, ſeu conſultare de re aliqua. Livius.

IVNII. *Extra mala poſitus, admones.*

Herculis furentis ad Theſeum verba ſunt apud Euripidem.

Σὺ δ' ἐκτὸς ὢν γε συμφορῶν με νουθετεῖς.
Id eſt:
Tu liber ærumnis, male affectum mones.

Id vitii habemus omnes, quod in admonendis aliis ſapiamus pluſculum, ærumnarum vacui: at malis impliciti, talpis cæciores ſimus. iuxta illud Euripidis, quod in collectaneis Stobæi legitur:

Ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί,
Αὐτοὶ δ' ὅταν σφαλῶμεν, οὐ γινώσκομεν.
Id eſt:
Valemus admonendo cuncti: at quoties
Errare nos evenit, nil cernimus.

Prometheus apud Æſchylum in cognomine fabula, ad Chorum:

Ἐλαφρὸν ὅστις πημάτων ἔξω πόδα
Ἔχει παραινεῖν νουθετεῖν τε τὸν κακῶς
Πράσσοντα.—
Id eſt:
Eſt facile cuivis, cui pes eſt extra malum;
Docere ac admonere eum, qui habet male.

Fertur & Moſchionis huic affinis proverbialis ſententia:

Ἦν ἀρα ῥητὸς μῦθος ἀνθρώπων ὅδε,
Ὡς τὸν πέλας μὲν νουθετεῖν βραχὺς πόνος.
Id eſt:
Fertur hominum veriſſimum diverbium,
Alium admonere quod nihil facile eſt magis.

Concordant iſta cum Terentiano dicto: Facilè quum valemus, recta conſilia ægrotis damus.

Iuſtitiane murum, an fraudis.

Qui ancipiti & ſuſpēſo animo fluctuat, ſecumq; deliberat, quæ ſit inſiſtēdum via, aggrediendumne ſit negocium, an ſuperſedendum: experiendum litigio, an cedendum cauſa: conſervanda alicuius amicitia, an reſcindenda: is appoſite vtetur illo Pindari: πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις ἀναβῶ: id eſt, Arduumne iuſtitiæ murum conſcendam, an obliquæ fraudis? Scite admodum vſus eſt M. Cicero libro epiſtolarum ad Atticum 13. his verbis: Nunc me iuva mi Attice conſilio, πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον: id eſt: vtrum aperte hominē aſperner ac reſpuam: ἢ σκολιαῖς ἀπάταις. vt enim Pindaro, ſic δίχα μοι νόος ἀτρέκειαν εἰπεῖν: omnino moribus meis illud aptius, hoc fortaſſe temporibus. Quibus verbis ſeipſe exponit, nimirum animi incertum pendere, num contemnēda ſibi ſit contumelia à ſororis Attici filio illata & diſſimulanter concoquenda, an verò emovēda ſit ſemel & aperte omnis in illum bilis vomica. Planius antea vſus fuerat verbis iiſdem Plato libro De repub. loquens de induſtriis iuvenibus, qui rectè iudicare poſſint, quod vitæ genus ſit amplectendum, ſic inquit, λέγοι γὰρ ἂν ... πρὸς αὑτὸν κατὰ Πίνδαρον, ἐκεῖνο, τὸ, πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιαῖς ἀπάταις ἀναβὰς, καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας, διαβιῶ. id eſt: Dixerit namq; ſuo iudicio commotus illud ad ſe Pindaricum, Iuſtitiamne arduum murum, an tortuoſæ fraudis, conſcendam, ſicq; velut maceria quadam circumſeptus, vitam tranſigam. Finitimum eſt illi Homerico verſiculo Iliados 16.

Διχθὰ δέ μοι κραδίη μέμονε φρεσὶν ὁρμαίνοντι.
Id eſt:
Curarum ambigua huc mihi mens inclinat & illuc.

Poterat Pindaricum illud vſurpaſſe Themiſtocles, deliberans an Græcorum claſſis incendio eſſet corrumpenda, & Scipio apud Silium Italicum, exemplo Hercu'is Prodici ambiguus, veri ſe applicaret, Virtuti an Voluptati, hinc & inde vrgentibus.

Quo curris potius quam ad Ephebum?

Ποῖ τρέχεις, ἢ ἐπὶ τὸν Ἔφηβον: id eſt, quo curris potius, quam ad Ephebum? De Apollonio Tyaneo dictum fuiſſe, proverbiique honorem ſortitum teſtatur Philoſtratus libro 1. commentar. de eius philoſophi vita: idque ex oraculari reſponſo, quo Æſculapius per flaminem ſuum profeſſus fuerat, ſe gaudere ſub Apollonii ephebi teſtimonio, valetudinem priſtinam hominibus reſtituere, quæ fama illico ita paſſim apud Cilices finitimosque populos invaluit, vt eos qui ad Æſculapiū voti cauſa, aut valetudinis ergo proficiſcerēntur, percontari ſoliti fuerint: ποῖ τρέχεις, ἢ ἐπὶ τὸν ἔφηβον: id eſt: Quo abis potius quam ad ephebum? volētes innuere: nil opus eſſe peregrinationem ſuſcipere, quum vorus abunde ſufficere poſſet præſens Apollonius, tum pubertatis annos ingreſſus. Trahi poterit ad vſum, quādo ſignificare volumus non opus eſſe, vt quis hunc aut illum ſenem conſulat, velut oraculum quoddā ſufficere poſſe iuvenem quempiam raræ eruditionis, multi jugisq; lectionis. Libuit iſtud docere, quoniam Eraſmus noſter dicat parum liquere, quid ſibi velit Cilicium iſtud adagium: eoque magis, quod exiſtimet ab oraculo Apollinis, quo feſtinabatur vndique, ſumptum eſſe. Cur autem nō ſimiliter vertiſſe verear, Quo properas, num ad Ephebum? ne quis temeritatis me inſimulet, ratio reddēda eſt: quod apud Græcos eam vim habeat coniunctio ἢ vt vel

comparati vi virtutem includat, vel ſubaudiri dictionẽ μᾶλλον poſtulet, quo modo & poſitivo gradui idem apud illos familiare eſſe ſolet, id quod exemplo uno atq; altero convinci poſſit. Homerus Iliad. 1.

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

Id eſt:

Populum eſſe ſoſpitem volo potius quam extingui.

Lucæ 18. *Κατέβη οὗτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἢ ἐκεῖνος.* Id eſt: Abiit ille in ſuas ædes juſtificatus magis quam alter, ſive præ altero illo.

Coſæ conſilium.

Τὰς Κόσω λόγους. Coſæ dicta dici invenio, pro ſano & ſalubri conſilio Fuit Coſas vir conſultus & juſtus, genere Pellenæus. Eſt autem Atticæ oppidum Pellene: cuius oppidani bellum cum Salaminis gerentes, quum vicinas gentes in belli ſocietatem advocaſſent, inito cum illis pacto de partitione agrorum, profligatis hoſtibus victores, vicinos ſuos eluſerunt, neque conventis ſteterunt, illo initante cum ipſis pacta minime violanda, imò mordicus ſervanda urgente. Quæ ex re orta paulò poſt peſte, criminis eos pœnitere cœpit, Coſæque conſilium magnifice laudarunt. Dici convenit in fœdifragos aut alioqui impudentes, qui ſanis conſiliis non obtemperant. Tales namq; *τὰς Κόσω λόγους βδελύττεσθαι καὶ διαπτύειν.* Coſæ dicta nihil penſi facere, aut deſpuere dicemus. Refertur apud Suidam.

In Piſa animum confirma.

Quoties animum alicui addere volumus ad diſceptationẽ, aut cum in contentionis ſtudio, quod *ἀγῶνα* Græci dicunt, confirmare ne labaſcat, aut animo concidat, proverbii huius uſus erit. quod apud Syneſium in Calvitii encomio extat: *τίθεσο ἐν Πίσῃ, φασὶ, τὴν καρδίαν.* id eſt: in Piſa animum (quod aiunt) confirma. Vbi autor ille ob calvitii deformitatem offenſus, ſeipſum durat animatq;, ne tare commoveatur. Solebant apud Piſam Elidos urbem quolibet luſtro certamina, Olympia dicta, maximo Græciæ conventu celebrari. in quibus decertaturus ad gloriæ immortalitatem parandam, præſentem animum ac fortem ſumere debeat.

BRASSICANI. *Archilochi vulpes.*

Baſilius Magnus in commentariolo ad Nepotes: *καὶ τῆς Ἀρχιλόχου ἀλώπεκος τὸ κερδαλέον τε καὶ ποικίλον ζηλωτέον:* Archilocheæ vulpis verſutam atque variam calliditatem imitemur. Adagiũ in eos dicitur, qui ꝓ re nata conſiliũ expeditiſſime capiunt, quemadmodum Archilochus in Apologis a ſe ſcriptis, vulpem vbique calidiſſimam introduxit autore Philaſtrato in Iconib. cap. de fabulis. meminit eius rei & Ammonius in libello De differentiis vocum dictione *κερδώ*.

VLPII *Elige vitam optimam.*

Ἕλου βίον τὸν ἄριστον. ἡδὺν γὰρ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει. id eſt: Elige vitam optimam: hanc enim iucundam reddet conſuetudo. Pythagoræ ſententia ad virtutem commoventis. Plutarchus.

Cum aquila eſſe queas inter graculos primas ne opta.

Convenit cum ſuperiori Pythagoræ dicto. Optima autẽ ſemper ſectanda ſunt, circa quæ deficere laudabilius eſt, quam inviliotibus ſuperare. Nazian.

Ratio ſapienti pro neceſſitate.

Proverbialis ſententia, qua docetur, ſapientem nihil metu adactum aut neceſſitate, ſed conſilio omnia facere. Plin. Iun.

Panis prior prora.

Πρότερον ἡ ναῦς ἄρτου τὸ φορτίον: id eſt. Confectio panis prior eſt ipſa prora. Vti licebit tum, quum perſuadere volumus, vt id quod maximè neceſſariũ eſt, anteponatur ei quod minus: tum vt ordine res quæpiam agatur. In hunc ſenſum tanquam adagio uſus eſt eo Demades rhetor, quum Athenienſes iuberent triremes è navalibus producere, eaſque milite complere, deficientibus interim pecuniis, bellorũ nervis. Lepos dicti in hoc ſitus eſt, quod licet prora anterior & prior pars navis ſit, tamen aliud prius eſt expediendum in bello navali, vt ſcilicet de victu & commeatu proſpiciatur. Plutarch.

COGNATI. *Ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς.*

Tranſlato ab ædificandarum domorũ artificum nomine, quique primum locum in ipſis tenent, ac fabris præcipiunt, quid facto opus ſit, *ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς* id eſt, conſultationis architectũ. Demoſthenes in oratione quam contra Dionyſiodorũ vocavit, *καὶ ἡμῶν, ἐπειδὴ πάρεστιν ἐνθυμηθῆναι τὸ χωρίον, ἀπὸ τῶν πεπραγμένων τῷ πράγματι, τὸν ἀρχιτέκτονα τῆς ὅλης ἐπιβουλῆς,* Cicero pro Cluentio architectum ſceleris dixit, etiam *μεταφορικῶς*, qui ad facinus cæteros impulerat, & omne negociũ animo cogitarat: Et illi qui Fabrici libertum, quia miniſter in maleficio fuerat, patronum, quia conſcius, condemnaſſent, ipſum principem atque architectũ ſceleris abſolverent. Idem pro Sex. Roſcio: Ex iis, inquit, quæ nunc maximè fiunt, nonne quivis poteſt intelligere omnium architectum & machinatorem unum eſſe Chryſogonum?

Εἰσῆλθέ μοι θεός.

Ulyſſes Euripidem in Cyclope, *ὁ θεὸς ἦλθε μύθοις.* Divinum conſilium illud, quo necatos ſocios a Polyphemo, vltus eſt, quaſi a Deo immiſſum appellavit. Homerus x. Iliados, facit Dolonem ita cum Hectore loquentem:

Ἕκτορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγήνωρ
Νηῶν ὠκυπόρων σχεδὸν ἐλθέμεν, ἔκ τε πυθέσθαι.

Quibus verbis innuit, huiuſmodi omnes cogitationes excitari ab animo cupiditateq; aliqua. Euripides autem cœlitus dimitti. Virgilius 10. Æneidos, utramq; Græcorum poetarum ſententiam ita complexus eſt:

— Dii ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale an ſua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete eſt.

Idem omnino ſignificare voluit tertio *γεωργικῶν*, de furore equorum agens:

Et mentem ipſa Venus dedit. —

Mentem dare vel injicere, ſignificat, excitare deſideriũ in pectore alicujus, ſubitoque ad aliquid gerendum impellere. Cicero in Catilinam præſentem. Utinam tibi iſtam mentem Dii immortales darent. Pro Milone: Hic Dii immortales mentem dederunt illi perdito ac furioſo, ut huic faceret inſidias. Supra dixerat, Mentem injecit & amentiã: pro quo Græci *ἐμβαλεῖν* ſive *ἐμπνεῖν νοῦν* dicunt. Demoſt. prima Philippica: *δοκεῖ δέ μοι θεῶν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς γιγνομένοις ὑπὲρ τῆς πόλεως αἰσχυνόμενος, τὴν φιλοπραγμοσύνην ταύτην ἐμβαλεῖν Φιλίππῳ.* Iſocrates ſcribens Philippo Macedoni: *ἀλλ' ἐκεῖνός τις αὐτὴν ἐννοίαν ἐμπνεύσας, ὅν τι δὲ ἄλλον ὑμῖν ἐπέτρεψε παραγενέσθαι τούτων.*

Noctu urgenda conſilia.

Theon in Progymnaſmatis, in exemplo quodam: *ἀλλὰ τὶς ἀπαιδευτέρως ἀποφαίνεται, ὡς οὐκ οἶδε λόγον, ὅς φησιν ὅτι ἐν νυκτὶ βουλὰς ἐγχεῖσθαι, ὁ δὲ σοφὸς σοφοκλῆς τί μηδὲν εὐφρόνην ἀποκαλεῖ τὴν νύκτα; οὐχ ὅτι τὸ φρονεῖν, ὡς μάλιστα τότε τοῖς ἀνθρώποις παραγίνεται* id eſt: Aut cui ignotum volgi ſermone tritum proverbium. Noctu urgenda conſilia. Quo autem ſenſu ſapiens Sophocles, noctem dixit vocabulo de mente dicto: Nunquid ne ideo, quod tum mẽtis vis in hominibus maxime exercetur. Idem aliter tractans eandem ſententiam: *ἐν τοῖσδε εὐφρόνη καλεῖται παρὰ τοῖς ποιηταῖς ἡ νύξ, καὶ τὴν παροιμίαν ἐποίησε, τὰς βουλὰς ὡς δεῖ τὰς νύκτας ἄγειν καιρόν.* id eſt: Ex eo Græcum apud poetas nomen habet Nox, quod ab intelligentia derivatur. Natumq; proverbium eſt, in noctem conſilii tempus conferendum eſſe: Nam nox propter ſilentium & ſolitudinem maxime ad conſiderandum & conſultandum de rebus gravibus idonea eſt: unde & apud Plutarchum in Sympoſiacis, Lacedæmoniis olim *νυκτερινὸς σύλλογος*, id eſt, nocturnus conventus graviſſimorum virorum, ſolennis fuiſſe dicitur. In ſumma, nihil ſubito ſtatuendum, ſed conſulto potius quam cito loquendum. Nam juxta Gallicũ proverbium: La nuict à conſeil. Conſtat enim à poetis Græcis noctem *εὐφρόνην* non infrequenter vocari: quod eo tempore, nullo avocamẽto à conſilio quæreendo impedimur, nullaq; interpellatione à cogitando prohibemur: & noctem conſilium daturã, ſæpe dicere ſolemus: ſoliq; tum cum ſumus, omnem ingenii aciem intendimus ad bene conſulendum.

Διεξελθεῖν.

Græcis per tranſlationem eſt etiam in cõmunibus proverbiis, pro eo quod eſt apud Latinos, Mente peragrare: & noſtrates dicunt, diſcourir. Certè *διεξελθεῖν* illi Gallico diſcourir plane reſpondet. Cic. 2. de Finibus, Mente regiones peragrare. Lucretius li. 1. Mente animoque peragravit omne immenſum. Virgilius 6. Æneidos.

Omnia percepi atque animo mecum ante peregi.

Quod Virgilii carmen Plinius epiſt. 190. proverbialiter uſurpavit.

Humana conſilia divinitus gubernantur.

Iſtud ſacris oraculis proditum eſt, Humana conſilia divinitus gubernari: ut ipſi quidem multa cõſtituamus, ſed ea tum demum ſi Deo viſum fuerit exitu comprobentur: Huc pertinet Celticum proverbium.

L'homme propoſe, mais Dieu diſpoſe.

Accius in Amorum judicio, referente Nonio:

Non facilè ſine Deum opera, propria humana ſunt bona.

Propria, id eſt, perpetua, qua dictione idem Accius utitur in Medea.

Fors dominatur, inquit, neque vita ulli propria in vita.

E duobus malis minimum eligendum.

Et cum è duobus malis alterum eligere cogitur, nemo ꝙ pejus eligit, dum licet quod eſt minus malum eligere. Cicero lib. 3. Officiorum: Sed quia ſic ab hominibus doctis accepimus, non ſolum ex malis eligere minima oportere, ſed etiã excerpere ex his ipſis ſi quid ineſſet boni. Minus enim malum, ſi majori comparetur, Ariſtotele authore, fit aliquo modo bonum. E duobus autem malis propoſitis minus eligendum, & ex eo, ſi quid boni habet, excerpendum.

Conſilium, res ſacra.

In Theagete, vel de ſapientia: vulgò dicitur, Conſilium res ſacra

ſacra eſt apud Eraſmum noſtrum σύμβουλος ἱερὸν χρῆμα. Res ſacra conſultor. Epiſt. 5. Dion Perdicæ. Decet enim me hoſpitale & ſacrum (quod dicitur) conſilium tibi præſtare.

Primo crede mulieris conſilio, ſecundo noli.

Cur felicia & proſpera vulgò ferātur mulierum conſilia, ſubito & repente data: infelicia, ubi cogitatio multa, vel aliud præceſſit, multi quæſierunt. Mihi ita videtur, quod animi earum affectibus fere præpediantur, eorum aſſultum ubi mens in commune conſulens prævenit, ingenioſi aliquid profert, valent enim fœminæ ingenio ut plurimum præ viris: obnoxiæ tamen affectibus, eo in malam rem non raro utuntur.

Pulvillum conſulere.

Pro, negotium in alterum diem differre, ut maturo conſilio, quod ſecuriſſime noctu capitur, eodem poſtea redeatur. Simile, Nox dabit conſilium.

CONTEMPTVS ET VILITATIS.

ERASMI *Tineas paſcere.*

Tineas paſcere dicuntur, quæ neglecta ſitu pereunt. Ductum à veſtibus, aut libris diu reconditis & intactis. Horatius in Epiſtolis:

Contrectatus vbi manibus ſordeſcere vulgi
Cœperis aut tineas paſces taciturnus inertes.
Aut fugies Vticam, aut unctus mitteris Ilerdam.

Pili non facio.

Eſt Latinis hæc familiaris hyperbole: Non facio pili: Ne pilo quidem melior: cum minimum quiddam momenti ſignificant. Catullus:

Non faciunt pili cohortem.

Cicero ad fratrem: Ego enim ne pilo quidem minus te ambabo. Idem: Interea Cappadocia, ne pilum quidem. Tametſi in vulgatis exemplaribus pileum hoc loco ſcriptum eſt. Quod quidē adagium etiam his temporibus nulli non eſt in ore. Pili vilitas etiam Græcis in proverbio fuit. Vnde ἄξιος τριχός. id eſt dignus pilo: in hominem nihili. Quo durior erit tranſlatio, hoc venuſtior. nā Pili non facio, præter hyperbolem nihil pene habet figuræ. At, Ne pilo quidem doctior. Ne pilo quidem iniucundior, Ne pilo quidem honoratior, atque id genus orationes, quoniam paulo longius recedunt à ſimplici ſermone, pluſculum accipiunt gratiæ.

Nauci non facio.

Nauci eſſe, & facere, pro eo quod eſt, nihil eſſe, & nihili facere, ſæpiculæ apud Plautum reperietur. Quid autem nauci ſignificet, ſervus quidam Plautinus, cum ea voce eſſet uſus, tamen ſcire ſe negat. Plautus: Qui homo timidus erit in reb⁹ dubiis, nauci non erit. Grammatici quidam, inter quos Pompeius Feſtus, aiunt nauci ſignificare nucis putamen, aut oleæ nucleum, aut eam membranulam, quæ viſitur in medio nucis iuglandis interſita, denique rei cuiusvis putamen, quod Græci ἀκρόφυσιν, nauci vocatū exiſtimant. Quidam a voce Græca educunt νάκη, quod declarat pellem caprinam: Sunt & aliæ de nauci ſententiæ: quas qui volet cognoſcere, legat Feſtum in dictione Naccæ. Nauci non habeo dixit Ennius apud M. Tullium lib. De divinatione 1. Non habeo denique nauci Marſum augurem.

Flocci non facio: aut Flocci facio.

Eadem ratione dictum eſt, Flocci facere: &, Ne Flocci quidem facere: pro eo quod eſt, ne tantuli quidem facere. Eſt autem floccus particula lanæ, quæ inutilis a vellere divellitur atque evolat, aut certè ſimile quidam nullius momenti. Exempla paſſim apud autores obvia ſunt, ut non videatur operæ precium hoc inculcare loco.

Huius non facio.

Ad hanc formam pertinet illud Terētianum ex Adelphis: Huius quicquam non faciam. Donatus admonet eſſe δεικτικῶς demonſtrantis aut floccum, aut ſtipulam aut ſummum digitum, aut huiusmodi quippiam. Athenæus libro duodecimo prodidit, Sardanapali ſtatuam ipſius monumento impoſitam, hoc geſtu digitorum, ut ſignificaret res humanas omnes prorſus eſſe contemnendas, ac ne digituli quidem crepitu dignas.

Vitioſa nuce non emam.

Apud Plautum eſt in Milite: Vitam tuam vitioſa nuce non emam, pro eo quod eſt, ne minimo quidem. Et vulgò dicimus, Caſſa nuce non emerim: &, putamine nucis non emerim. Ariſtophanes in Pace.

Οὐκ ἂν πριαίμην οὐδ᾽ ἂν ἰσχάδος μιᾶς.

Id eſt:

Non emerim nec unica quidem nuce.

Conſimile his, quod legitur apud eundem Plautum, citāte Feſto: Non ego iſtud verbum empſitem titivillitio Nam hoc verbo Latinos nihili rem ſignificare ſolitos, quemadmodū & Græci dicunt [illegible]. rurſum Butubata, qua voce uſus eſt Nœvius, pro nugatoriis, autore Feſto.

Ne teruncium quidem inſumpſit.

Eſt aliquoties apud Ciceronem hyperbole teruncii, quod apparet eſſe genus minutiſſimi numiſmatis, ad Atticū: atq; ēt ſpero, toto animo imperii noſtri, teruncium ſumptus in provincia nullum fore. Plautus in Captivis: duo Neque ridiculos iam terunci faciunt: quemadmodum Græci dicunt [illegible], pro re viliſſima. Varro teruncium à tribus unciis dictum putat.

Homo trioboli.

Itidem Plautus in Pœnulo hominem trioboli dixit, pro nequiſſimo planeque nullius precii: à nummo minutiſſimo. Cōſimili figura dixit Ariſtophanes in Veſpis, pro vilibus verſibus τριωβολιμαῖα. Gregorius in epiſtola de vili contemptoque dixit, μᾶλλον ἀνδράποδον ὀλίγων ὀβολῶν ἄξιον. id eſt: Imò potius mancipium paucis obolis dignum. Dicuntur & triobolares.

Nec uno dignus.

Ἄξιος οὐδὲ μιᾶς, καὶ ἄξιος ἑνός. id eſt: Ne uno quidem dignus: & Vno dignus: de viliſſimo. Tranſlata metaphora a iactu talorum in quo μονὰς, id eſt, unionis numerus, infimus erat. Denium ubique in rationibus numerorum minimum quiddam eſt unio, ac ne numerus quidem, ut autumant philoſophi. Ex adverſo, quem multi precii ſignificant, hunc πολλοῦ τινος ἄξιον, id eſt, multa re dignum, trita figura. Græci dicunt: τοῦ παντὸς ἄξιον, i. quavis re dignum: & è diverſo ὀλίγου ἄξιον, i. paulo dignum quem contemnunt. Gregarium autem eſt, ac plebeium, unus dūtaxat hominis vice ſupputari. Proinde Hom. Iliad. λ. cum medici dignitatē explicare vult ait.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Id eſt:

Vnus homo medicus multis æquandus honore eſt.

Ad quod reſpexit Plato lib. De legibus 5. Ὁ μὲν γὰρ ἑνὸς, ὁ δὲ πολλῶν ἀντάξιός ἐστιν. id eſt: Nam hic quidem pro uno, ille pro pluribus ſolis æſtimandus eſt. Ad hanc formam pertinent & illæ rhetorum figuræ, cū aiunt. Vnum aliquem ſibi pro theatro eſſe: &, Vnius cuiuſpiam iudicium, pluris ſe facere, quam infinitæ multitudinis.

Homo treſſis.

Conſimili modo Perſius treſſem agaſonem appellat, contemptiſſimum homuncionem. Idem:

Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

id eſt, minimo. Treſſem autem dixit nove, quaſi tribus aſſibus æſtimandum. Aſſis autem erat ærei nummuli genus. Perſianum carmen ſic habet in quinta ſatyra.

--- Heu ſteriles veri, quibus una quiritem
Vertigo facit: hic Dama eſt non treſſis agaſo,

confine Hieronymianum illud: Quis te dupondio ſupputabat: Iuſtinianus in præfatione Pandectarum, noluit adoleſcentes legum ſtudioſos, veteri non minus ridiculo quam frivolo cognomine, nuncupari dupondios, ſed Iuſtinianeos novos.

Nummus plumbeus.

Quemadmodum aſſis, obulus ac teruncius, ita & nummus plumbeus abiit olim in vilitatis proverbium. Plautus in Trinummo: cui ſi capitis res ſiet, nummum nūquam credam plumbeum. Idem in Caſſina: cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus. Æreos nummos & hodie novit Flandria plumbeos Anglia. At M. Tullius lib. ad Attic. 5. Varinium ſemiſſem hominem vocat viliſſimum & contemptiſſimum: Simul verò ſemiſſis homo contra me arma tulit. Et treſſis agaſo pro contemptiſſimo dictus eſt alibi. Plautus in Muſtellaria: Tace ſis faber, qui cudore ſoles plumbeos nummos.

Ne crepitu quidem digiti dignum.

Athenæus libro 12. de Sardanapali epitaphio loquens: καὶ τελευτήσας δείκνυσιν ἐν τῷ μνήματι τῷ τύπῳ τοῖς δακτύλοις, ὡς συμπεριλαλῶν ἐστὶν ἄξια τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, οὐκ ἄξια ὄντα ψόφου δακτύλων. id eſt: Et mortuus declarat in monumenti ſtatua digitis, quam deridiculæ ſint res hominum, ne digitorum quidem crepitu dignæ. Mox Ariſtobolus apud eundem indicat, Sardanapali ſepulchro impoſitam fuiſſe ſtatuam, dexteræ manus digitis ea ſpecie compoſitis qua ſolemus edere crepitum. Et geſtus is, & proverbium, in hodiernum uſque diem manet apud noſtrates, quum aiunt: Ne huius quidem facio.

Concha dignus.

Κόγχης ἄξιος, id eſt, Concha dignus. Rem nullius precii concham dicunt Græci, quemadmodum Latini nauci aut floccum. Vnde quod contemptiſſimum, nulliusq; rei ſignificabant, id κόγχης ἄξιον dicebant.

Ne ligula quidem dignus.

Κορδύλης οὐκ ἄξιος: id eſt, Ne ligula quidem dignus dicebatur homo nequam & nullus precii, quod proverbii durat etiam hodiernis diebus apud Latinos vulgò iactatum. Tametſi magis arbitror, piſcis cordulæ vilitatem proverbio feciſſe locum. Is eſt Pelamis, niſi quod minor: ut teſtis eſt Plinius libro trigeſimo ſecundo, capite undecimo. Cordylarum vilitatem oſtendit & Martialis libro 11.

Prima

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
 Vtilis, & porris fila reſecta ſuis,
Mox vetus & tenui maior cordyla lacerto.
 Sed quæ cum rutæ frondibus ova tegat.
Mox porta precioſa memorat, ut fallat ſodalem:
 Mentiar, ut venias, piſces, conchylia, ſumen,
 Et cortis ſaturas atque paludis aves.

Tithymallus Laconicus.

Τιθύμαλλος λακωνικός: id eſt, Tithymallus Laconicus. In lippientes, oculiſque cæcutientibus homines dicebatur. Tithymallus herbæ genus, apud Lacones repertum lacteo ſucco manans deceptum. unde quidam dixêre lactariam: ſingularis acrimoniæ, quo ſub noctem oculos illinebant ad viſum acuendum. Huius Dioſcorides in quarto plureis ſpecies facit, deque oculorum remedio diligenter meminit. Adagium refertur apud Suidam, qui citat ex Ariſtophane de Neoclide lippo: σκόροδ' ὁμοῦ τρίψαντα τιθυμάλλῳ. id eſt, Qui allium trivit ſimul cum tithymallo. Carmen autem extat in Concionatricibus:

Τί δαί μ' ἐρυθρὸν δέομαι;
Σκόροδ' ὁμοῦ τρίψαντ' ὀπῷ
Τιθυμάλλου ἐμβαλόντα τοῦ λακωνικοῦ,
Σαυτοῦ παραλείφειν τὰ βλέφαρα τῆς ἑσπέρας.

Id eſt:

Simul cum opi liquore teretes allia,
Tithymallon inſuper adderes Laconicum,
Et obungeres tibi palpebras ſub veſperam.

Vox dicta videtur a mamma nutricis, ſed apud alios per ſimplex λ ſcriptam comperio: licet Suidas ſcribit per geminum, nec indicat interim uſum proverbii. Si competit in lippos, dicendum eſt, Tithymallo opus habet: aut Tithymallum terit. Nam tradunt huic efficacem eſſe acrimoniam, ut quum ſuccus eius colligitur, cavendum ſit ne contingat oculos: & quoties ſumitur in ſtomachũ, devorare neceſſe eſt obvolutum, ne fauces radat. Huius ſucco medentur oculorum pituitæ. Multa de his Plinius libro xxvj. cap. viij. Cornelius Celſus in quinto, indicans eam herbam Latinis dici Lactucam marinam, vim ait habere exedendi.

Semper me tales hoſtes inſequantur.

Ἀεὶ τοιοῦτοί μοι πόλεμοι διώκοιεν.

Id eſt:

Me bella ſemper inſequantur talia.

Vbi quoſpiam libenter odimus, ac ſimultatem illorum contemnimus. Eſt enim hominũ genus quos periculoſius ſit demeruiſſe, ut ait Seneca quam offendiſſe: & quos magis expediat inimicos habere, quam amicos. Et quibusdam diſplicuiſſe, laudabile eſt. Et ſũt cum quibus amicitia copulatum eſſe dedecori ſit: ſimultate diſſidêre pulchrum. Poteſt accommodari & in eos, qui deſciſcunt ab amicitia ſed ut inimici nihil queant nocere. Legitur & ad hunc modum:

Ἀεὶ τοιοῦτοί με πολέμιοι διώκοιεν

Id eſt:

Me ſemper hoſtes inſequantur hoc genus.

Incus maxima non metuit ſtrepitus.

Ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους.

Id eſt:

Nihil tumultus metuit incus maxima.

Excelſus animus non commovetur minis, aut fortunæ ſævientis procellis. Translatum ab incudibus fabrorum ærariorum: quæ tametſi hinc atque inde tundantur crebris malleorum ictibus, tamẽ haudquaquam loco cõmoventur. Vergilius huiuſmodi conſtantem animum querno robori ſimilem facit. Idem de animo inexorabili:

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

Extat apud Græcos diſtichon integrum huiuſmodi:

Ἄκμων μέγιστος οὐ φοβεῖται τοὺς ψόφους,
Καὶ νοῦς ἐχέφρων πάντα ἐλέγχεται βίαν.

Id eſt:

Strepitum ac tumultum incus haud timet,
Conſtans nec animus quamlibet violentiam.

Aquila non captat muſcas.

Ἀετὸς οὐ θηρεύει τὰς μυίας: id eſt, Aquila non aucupatur muſcas. Summi viri negligunt minutula quæpiam. Animus excelſus, res humiles deſpicit: aut, egregiè docti nonnunquam in minimis quibusdam labuntur: & maximis occupati negociis ad puſilla quædam connivent. Effertur & citra negationem adagium, ἀετὸς μυίας θηρεύει: id eſt, Aquila venatur muſcas: quoties magnis minima ſunt curæ. Huic non abſimile eſt, quod habet Gregorius Theologus in Epiſtola ad Eudoxium rhetorem: μὴ ἀνάσχῃ ἀετὸς εἶναι ἐν τοῖς κολοιοῖς: id eſt: Non ſuſtineres tenere primas, inter graculos aquila.

Elephantus non capit murem.

Ἐλέφας μῦν οὐχ ἁλίσκει: id eſt, Elephantus non capit murem. Generoſus & excelſus animus negligit prædas viles, ac lucella minuta. Vir egregiè doctus non inſectatur mourulos iſtos literatorum ſimios. Homo præpotens non offẽditur iniuriolis tenuium. Id adagionis hac tempeſtate nimis ridicule vſurpatur à philoſophaſtris iſtis ac theologaſtris, ſi quando Latinæ Græcæque linguæ inſcitia fœdiſſime labuntur, quod fere nuſquam non faciunt: Aquila, inquiunt, non capit muſcas, quaſi vero iſti ſint aquilæ, cum ſophiſticas illas nænias deblaterant: aut quaſi linguarum cognitio non vel maxima pars ſit eruditionis.

Aquila thripas aſpiciens.

Ἀετὸς θρῖπας ὁρῶν: id eſt, Aquila thripas aſpiciens. De magnis, qui puſilla negligunt. Eſt θρίψ avicula quæpiam minutiſſima: quã aquila cum videat ut eſt oculatiſſima, haud tamen dignatur perſequi, utpote prædam unguibus ſuis parum dignam. Ad hunc quidem modum invenio in commentariis Græcorum: verùm haud ſcio an mendoſè. Nam thripas reperio vermiculi genus eſſe.

Aquilam cornix provocat.

Ἀετὸν κορώνη ἐρεθίζει: id eſt, Aquilam cornix provocat. Tradunt peculiare cornicibus eſſe, irritare aquilam. Verum illa negligit provocantem, intelligens nimirum ſibi ab illa noceri non poſſe. Locus igitur fuerit adagio, ſiquando leviuſculus quiſpiam homuncio, qui neque prodeſſe queat, neq; lædere, maximis viris oblatrat. Quemadmodum Menelaus apud Euripidem in Iphigenia Aulidenſi de vatibus:

Κοὐδέν γ' ἄχρηστον οὐδὲ χρήσιμον φέρων.

Id eſt:

At nihil habet nec utile, nec inutile.

Aſinus compluitur.

Ὄνος ὕεται. Aſinus compluitur. Cephiſodorus apud Suidam in Amazonibus:

Σκώπτεις μ', ἐγὼ δὲ τοῖς λόγοις ὄνος ὕομαι.

Id eſt:

Rides, at aſini more ego verbis compluor.

Vnde dictum apparet in eos, qui maledictis nihil omnino commoverentur. Quemadmodum aſinus ob cutis duritiem adeò pluvia nihil offenditur, ut vix etiam fuſtem ſentiat.

Suſque deque.

Apud Plautum atque alios autores proverbialiter poſitum invenitur, Suſque deque fero: &, Suſque deque habeo, pro eo quod eſt, nihil mea refert, nil laboro. Plautus in Amphitryone: Quæ neque ſunt facta, neque ego in me admiſi arguit, atque in me ſuſque deque eſſe habituram putat. A. Gellius libro Noctium xvj. ſcribit. Suſque deque ferre, idem valere quod æquo animo eſſe, & quod accidit non magni pendere atque interdum negligere & contemnere: ſimilimumque eſſe illi quo Græci dicunt, ἀδιαφορεῖν. Citat autem Laberium in Compitalibus:

Nunc tu lentus es nunc tu ſuſque deque fers.

Item M. Varronem in Siſenna: Quod ſi non horum omnium ſimilia eſſent principia, ſuſque deque eſſet. Denique verſus hoc ex Lucilio refert:

Verum hic ludus ubi ſuſque omnia deque fuere:
Suſque & deque fuêre, inquam omnia ludu iocuſque.

Imitatum ex illo Græco ſchemate, ἄνω καὶ κάτω: id eſt, Surſum ac deorſum, quo nullum ordinem, nullumque rerum diſcrimen ſignificamus.

Manum non verterim, Digitum non porrexerim.

Proverbialis hyperbole, Manum non verterim: pro eo quod eſt, nihil omnino laboro: aut, mea nihil refert. Nihil enim facilius quam manũ vertere: Extat præter alios apud Apuleium in Apologia magiæ: Quid de me, inquit, Mezentius ſentiat, manum non verterem. Item Cicero libro 5. De finib. Ne manum quidem verſuros fuiſſe. Idem eius operis libro 3. Chryſippus quidem & Diogenes detracta utilitate, ne digitum quidem eius cauſa porrigendum eſſe dicebant, quibus ego vehemẽter aſſentior. Agit illic de gloria ſive bona, quæ ſit omnino contemnenda, ſi nihil adferat utilitatis, iuxta illud è Satyra:

Gloria quantalibet, quid erit ſi gloria tantum eſt?

De pollice verſo diximus alibi. Quintilianus libro xj ſcribit, manuum geſtus tantum habere momenti in pronunciatione, ut propemodum velut altera lingua pro omnibus verbis loquetur. Sed admirationi propriè convenit ille geſtus, quo manus modicè ſupinata, ne per ſingulos à minimo collecta digito, redeunte flexu ſimul explicatur atq; convertitur. Interrogationi cõgruit ille, cum vertimus manum, utcunq; compoſita eſt. Quin & hodie manum erectam invertimus, quoties diſcrimen minimum ſignificamus. In ſermone quem modo citavimus ex Quintiliano, quod eſt Pro omnibus verbis: puto rectius legi, pro omnibus membris: ut intelligas, quicquid cæterarum corporis partium geſtu ſignificari poteſt, id ſolam præſtare manum. Apud Plutarchum in vita Timoleontis quidam miſſus ad Andromachum, poſt multa inhumaniter ac barbarice dicta, manum deniq; porrexit, ac modo ſupinam, mox pronam oſtendit: minitans hoc geſtu ſe ſubverſurum illorum civitatem. At Andromachus ridens, niſi quod manu ſimiliter ſupinata, ac mox verſa, iuſſit illum quam primùm abire, niſi vellet talem reddi navem ipſius.

Quod non opus eſt, aſſe charum eſt.

Catoniana velut oracula videntur apud veteres in proverbium abiiſſe, non ſecus atq; illa Apollinis, Noſce teipſum: &, Ne quid nimis. Quorum de numero commodiſſime dictum eſt, quod in epi-

epiſtola quadam ad Lucilium refert Seneca: Quod non opus eſt, aſſe charũ eſt. Vult autem Cato, diligentem patrem familias vendacem eſſe, non emacem: & emere non quod opus eſt, ſed quod neceſſe eſt. Nam quod non opus eſt, inquit, aſſe charum eſt: hoc eſt, quantumvis parvo emptum, tamen charum eſt, ſi nec opus eſt eo. Vocat neceſſe, quo carere non poſſis, velut arator aratro: opus, ꝙ vſu futurum ſit, ſi quis habeat, ſed eiuſmodi tamen, ut carere poſſis. Porrò quod opus non eſt, id eſt, prorſus ſupervacaneum & inutile. Poteſt ad complures accommodari ſententias. vt ſi quis dicat, artem quampiam minimo negocio poſſe diſci, quæ tamen nihil ſit frugis allatura, reſponderi poſſe: Quod opus non eſt, aſſe charum eſt.

Vapula papyria.

Vapula papyria, Siſinius Capito ſcribit proverbio dici ſolitum, ſi quando volebãt ſignificare ſe negligere minas aliquorum. Hoc tantum reperimus in fragmentis Feſti Pompeii. Suſpicor eſſe natum à Papyrio prætextato, à quo mater comminando plagas, fruſtra conata eſt exſcalpere, quid actum eſſet in ſenatu. Proinde Papyri legendum, nõ Papyria: niſi mavis ſubaudire, lege. vt ſis comminãtis pœnam legis Papyriæ. Aut ſi magis placeat, vt intelligas de Papyria, uxore Pauli Æmilii, quæ repudiata eſt à marito, cum repudii cauſam nemo ſcire poterit. quid enim facias? divinandum eſt, ubi non ſuccurrunt autores.

Aſinus eſuriens fuſtem negligit.

Ὄνος πεινῶν ῥοπάλου ἀμελεῖ: id eſt, Aſinus eſuriens fuſtem negligit. In eos congruit, qui ventris compendiive gratia quamvis cõtumeliam perferunt. Refert Ariſtoteles in libro Moralium 3. ἐπεὶ οὕτω γε καὶ οἱ ὄνοι ἀνδρεῖοι ἂν εἶεν πεινῶντες· τυπτόμενοι γὰρ οὐκ ἀφίστανται τῆς νομῆς. Id eſt: Nam iſto pacto & aſini, quum eſuriunt, eſſent fortes: quod licet verberentur, non diſcedunt tamen à pabulo. Negans fortem eſſe cenſendum, qui quovis pacto toleret incommoda. Alioquin aſinos longè fortiſſimos futuros, qui dum eſuriunt, nullis verberibus à pabulo dimoveri queunt. Apparet ex Homero ſumptum, qui ſane quam eleganter deſcribit aſininam patientiam Iliados λ.

Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθής, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγῃ,
Κείρει τ' εἰσελθὼν βαθὺ λήϊον· οἱ δέ τε παῖδες
Τύπτουσιν ῥοπάλοισι· βίη δέ τε νηπίη αὐτῶν,
Σπουδῇ τ' ἐξήλασσαν, ἐπεί τ' ἐκορέσσατο φορβῆς.

Id eſt:

Vt cum per ſegetes ignavus tranſit aſellus
Invitus pueris, cui multus tergora circum
Iam crepuit fuſtis, neque ſegnius ille profundam
Ingreditur ſegetem, pueri ſed fuſtibus illum
Cædentes ſtudio, tandem ac puerilibus arvo
Viribus eiiciunt, ubi paſtu expleverit alvum.

Fruſto panis.

Fruſto panis pro re quantumlibet puſilla ac vili, noſtris quoque temporibus vulgò dictitant. M. Cato in oratione quadã, M. Cœlio vilitatem opprobrans, non loquendi tantum, verum etiam tacendi, Fruſto, inquit, panis conduci poteſt, vel uti taceat, vel uti loquatur. Citatur locus ab A. Gellio in Noctibus Atticis. Videtur hyperbole ſumpta, vel à canibus quos fruſto panis invitare ſolemus vel à mendicis.

Quatuor obulis non æſtimo.

Τεττάρων ὀβολῶν εἶναι οἴει, Id eſt, Quatuor obulorum eſſe putat. Simile illis quæ alibi retulimus, Aſſis te non facio, & Teruncii nõ facio. Suidas hæc quoque refert, ſed tacito (qui frequens illi mos) autoris nomine, τὴν κακηγορίαν τὴν σὴν οἴει τεττάρων εἶναι ὀβολῶν τὸ λεγόμενον, id eſt, Tuam maledicentiam exiſtimato quatuor eſſe obolorum, quemadmodum dicitur. Et Diabolare vocant Latini, quod viliſſimum videri volunt.

Quam curat teſtudo muſcam.

Ὅσον μέλει τῇ χελώνῃ μυιῶν, id eſt, Quam curat teſtudo muſcas. Suid. ex autore neſcio quo, refert hæc verba, τῷ δὲ Ἀγαμέμνονι τῆς Θερσίτου κακηγορίας ἔλαττον ἔμελεν, ἢ χελώνῃ μυιῶν, τὸ τῆς παροιμίας. id eſt, Agememnon autem minoris faciebat Therſitæ maledicentiam, quam teſtudo muſcas, quemadmodum proverbio dicitur. Teſtudini nihil nocere poſſunt muſcæ, propter teſtam qua munita eſt, confine illi quod alibi memoravimus, Non curat culicem elephãtus. Lepidius erit ad res animi detortum, Animus virtute ac philoſophia munitus, nihil plus timet fortunæ incurſum, quam teſtudo muſcas.

Cœnum barbaricum.

Βόρβορος βαρβαρικός, id eſt, Cœnum barbaricum, pro vehemẽti ſtupore mentis, apud Platonẽ lib. De republica 2 ponitur. Laudat enim illic Dialecticam, quæ ſola mentem ignorantiæ immerſam erigit, attollitque à vulgaribus opinionibus, ad ſolidam veri cognitionem, ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγμένον ἠρέμα ἕλκει καὶ ἀνάγει ἄνω. id eſt, Ac revera barbarico quodam cœno demerſum animi oculum, paulatim trahit ſubvehitque ſurſum. Barbarus à borboro per contemptum dictum videtur.

Diobolares.

Quem minimi precii volumus intelligi, diobolarem olim vocabant. Obolus enim nummus erat æreus. Id primum dictum eſt in meretrices plebeias, minimoque venales. poſt deflexum eſt ad quemvis hominem, aut rem egregie vilem & contemnendã. Meminit Feſtus Pompeius. Plautus vile ſcortum diobolarium appellat.

Mithragyrtes, non daduchus.

Is qui in functione quapiam ſordidas contemtasque partes agit, Mithragyrtes dicetur, daduchus eſſe negabitur. Eoq; Iphicrates Calliam μητραγύρτην, οὐ δᾳδοῦχον appellabat, ſignificans illum non fuiſſe initiatum ſacris, ſed tamen velle videri. Mithras apud Perſas ſol dicitur, quem illi Deorum ſummum iudicant. Vnde Mythragyrtæ dici videntur, qui obambulant cũ ſimulatis myſteriis, ac rudibus imponunt. Nam hoc genus hominum & olim fuiſſe declarat Apuleius aſinus? non diſſimiles iis qui hodie divi Anthonii, Cornelii aut Ioannis Baptiſtæ reliquias ad quæſtum circumferunt potius quam ad pietatem.

Nummo addicere.

Apud Iuriſconſultos proverbiale eſt, Nummo addicere, pro eo quod eſt, minimo vendere. Eſt autem fucus, quo legibus imponitur prohibentibus donationes. Vlpian. lib. Pãdect. 19. tit. locati: Si quis conduxerit nummo uno, conductio nulla eſt: quia & hoc donationis inſtar inducit. Idem lib. 1. tit. de re iudicata. Si quis & conduxit & rogavit precario vti poſſideret, ſi quidem nũmo vno conduxit, nulla dubitatio eſt, quin & precarium ſolum teneat. Verum addubito, num in his exemplis pro conduxit & conductio, legendum ſit condixit & condictio. Suetonius in Iulio Cæſare: Bello civili ſupra alias donationes ampliſſima prædia nummo addixit. Valerius Max. lib. 2. cap. De gratitudine: Pollinctoribus exequiarum apparatus ſeſtertio nummo ipſis præbentibus eſt addictus. Itidem Plautus in Pſeudolo? Nunquam hoc eris nummo divitior. Nummum dixit, pro viliſſimo precio.

Non magis quam canem.

Odium & contemptum vulgò declarant canis vocabulo. Horatius:

--- Odit cane peius.

Et Plautus in Amphitryone: Valuiſtin uſq;? Expectatus advenio: Soſ. Haud vidi magis. Expectatum cum ſalutat haud quiſquam magis quam canem. Sic enim legendum opinor, vt conſtet ratio carminis trochaici, tetrametri, catalectici.

Obolo dignus.

Ἄξιος ὀβολοῦ: id eſt, Dignus obolo, per iocum dicebatur, qui in aliquo numero vellet haberi. Tranſlatum à conſuetudine reip. Athenienſium: qua qui per ſenatum aſcribebantur in numerum virorum, & ob id δόκιμοι vocabantur, iis in ſingulos dies dabatur obolus ex ærario publico: quemadmodum tradit Ariſtoteles in Politicis. Alii malũt duos dari ſolidos. Et fieri poteſt, vt poſt duplicata ſit mercedula. Huius rei meminit Lyſias in oratione περὶ τοῦ ἀδυνάτου. Et haud ſcio an huc alluſerit Ariſtophanes in Equitibus:

ἀεὶ γεγένηται νῦν τε κἀμοὶ τοῦ ὀβολοῦ.

Ἀδύνατοι dicebantur, qui trium menſium ſpacio corpore clauditarent: quemadmodum ἀδόκιμοι dicebantur, qui nondum erant in virorum numerum aſcripti, necdum obolo digni iudicati.

Vt luti baiuli.

Ὥσπερ πηλοφοροῦντες: id eſt, Vt lutum baiulantes. Apud Ariſtophanem in Concionatricibus queruntur fœminæ, populum Athenienſem non convenire ad concionem, niſi dato ſingulis obolo, quum ante ſuo victu conſulerent de repub. πηλοφορίαν autẽ poſuit pro omnium quæſtuariarum artium ſordidiſſima. Aptè torquebitur in eos qui functionibus honeſtis ad abiectum quæſtum abutuntur: veluti qui concionantur, ſacrificant, ſepeliunt, miniſtrant ſacramenta, nõ facturi, niſi detur aliquid in manum, ὥσπερ οἱ πηλοφοροῦντες. Nota eſt ſacra hiſtoria de Hebræis, apud Ægyptios ἐν πηλῷ καὶ πλινθείᾳ ſervientibus.

Titivillitium.

Titivillitium, vox erat olim nullam quidem rem certam declarans, ſed velut interiectio contemptũ extremum indicabat: qualis eſt apud Græcos παπαὶ, Plautus citante Feſto Pompeio. Non ego iſthuc verbum empſitem titivillitio. Locus autem eſt in Caſſina. Similis vox eſt apud eundem Feſtum Buttubata, qua tamen vſus ſit Nevius, pro nugatoriis nihilique rebus. Nonius autẽ putat pipolo, convicii fuiſſe vocem. Plautus in Aulularia: Ita me bene amet Laverna, iam niſi vaſa reddi iubes, pipolo hic differam ante ædes.

Ne nummus quidem plumbeus.

Nummum plumbeum hyperbola proverbiali, pro minimo pecuniæ ponunt. Plautus in Caſina: cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus. Idẽ in Trinummo: Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum. Confine illi, quod eſt apud eundem in Captivi duo.

Neque ridiculos iam terunci faciunt.

Quanquam hoc alio dictum eſt loco.

Ne umbram quidem ejus novit.

Similimum eſt huic illud, quod vſurpat M. Tullius in epiſtola ad Atticum libro 8. O hominem amantem & miſerum, qui ne vmbram quidem τῆς καλοῦ viderit. Plutarchus περὶ πολυφιλίας, Menandrum citat, qui beatum dixerit eum, qui vel σκιὰν φίλου, id eſt, amici vmbram habeat. Et apud Athenæum, paraſitus quiſpiam; panes rancidos & atros in convivium illatos, ἄρτων σκιὰς appellavit: quaſi manes panum, non panes. Quanquam adagium magis videtur ductum ab antiqua pictura, quæ rem duntaxat vmbris rudiler repræſentabat. Et nota eſt ſpecus Platonica: in qua qui deſideat, rerum vmbris oblectantur.

Ne allii quidem caput.

Proverbialis hyperbole. Οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν δίδωσι: id eſt, Ne allii quidem caput dedit. Ariſtophanes in Veſpis:

Οὐδεὶς οὐδὲ σκορόδου κεφαλὴν τοῖς ἑψητοῖς δίδωσι.

Id eſt:

Nemo vel allii caput addit coctis.

Conveniet in ſordidum, & impendio parcum.

Ne terra quidem iuuit.

Οὐδὲ γῆς ὤνησε: id eſt, Ne terra quidem profuit, id eſt, ne minimo quidem, perinde quaſi dicat, glebam quidem impertivit: aut ne terræ quidem hoſpitio dignatus eſt, vt apud Maronem:

—Hoſpitio prohibemur arenæ?
Bella cient, primaque vetant conſiſtere terra.

Ne guttam quidem.

Manet etiam hodie vulgò tritiſſimum, Ne gutta quidem: σταγόνα, pro minimo. Ariſtophanes ἐν ἀχαρνεῦσιν.

Σὺ δ' οὖν μοι σπονδῶν σταγόνα εἰρήνης μίαν.

Id eſt:

At tu mihi da pacis vnam guttulam.

Idem in Veſpis adſimili forma dixit:

Ὕπνου δ' οὐδὲ παιπάλην.

Id eſt:

Ne paſpalam quidem ſomni.

Pro eo quod erat, ne minimum quidem ſomni. Nam paſpalam Græci vocant minutiſſimam micam æris, aut farinæ, quemadmodum & ante diximus. Plautus in Pſeudolo: cui neque parata gutta conſilii, neque adeo argenti. Nam hæc plus habent veneris ad animi res tranſlata: vt, guttam, aut micam, aut pilum bonæ mentis non habet.

Ne ramenta quidem. Ne feſtuca quidem.

Ne ramenta quidem ditior, hyperbole proverbialis; cum aliàs aliquoties apud Plautum, tum in Rudentibus: Nunquam hercle hinc hodie, ramenta fies fortunatior: perinde quaſi dicas, ſtupa ditior, ita vt vulgò loquuntur. Simili figura dixit Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

Ἀνελοῦσα μηδὲ κάρφος, ἀλλὰ μηδὲ ...

Id eſt:

Nihil hic cum reliquerit, moverit ne feſtucam quidem.

Idem in Veſpis:

Ὕπνου δ' ὁρῶ τῆς νυκτὸς οὐδὲ παιπάλην.

Id eſt:

Noctu haud videt ſomni ne paſpalam quidem.

Interpretatur, παιπάλην ſignificare minutiſſimũ quippiam. Quibuſdam ea vox magnetem lapidem declarat. Subnectit eodem in loco conſimilem figuram:

Ἢν δ' οὖν καταμύσῃ κἂν ἄχνην.

Id eſt:

Quod ſi vel achnen flexerit ſomno caput.

Ἄχνη verò ſignificat minutiſſimum ac leviſſimum illud, quod è ſpicis excuſſis evolat. Qua voce vſus ἄχνη eſt & Homerus Iliados.

Ὡς δ' ἄνεμος ἄχνας φορέει ἱερὰς κατ' ἀλωάς:

Id eſt:

Ut vento tenues ſacra area jactitat achnas.

Hebraicarum periti literarum affirmant עפר, quam vocem Hieronymus vertit pulverem, ſecutus Septuaginta, qui tranſtulerunt χνοῦν, idem Hebræis ſonare quod Græcis ἄχνη.

Nihil ſacri es.

Οὐδὲν ἱερὸν ὑπάρχεις: id eſt, Nihil es ſacri. Sermo contemnentis, proverbialiter. Siquidem Græci quicquid præclarum ac vehementer conducibile videri vellent, id ſacrum appellabant: vt ἱερὰ βουλή, Sacra res conſilium: & ἱερὰ πόλις, id eſt: Sacram civitatem dixit Ariſtides, tanquam omnium tutatricem: & quod alio citavimus loco, ἱερὰ ἄγκυρα, id eſt, Sacram ancoram. Plutarchus in vita Pelopidæ, Sacri præſidii mentionem facit. Theocritus in Hodœporis:

Ἀλλὰ σὺ μὲν ... κατάθου ... οὐδὲν
ἱερόν.———

Id eſt:

Hœdum igitur, ſi vis, age jam depoſito, quanquam
Nil ſacri eſt.———

Verba ſunt contemnentis pignus. Qui proverbii tradunt originem, ajunt Herculem conſpecta Adonidis imagine contempſiſſe his verbis: οὐδὲν ἱερὸν, id eſt: Nil es ſacri, ſeu quod exiſtimaret, iis duntaxat habendum divinitatis honorem, qui de genere mortalium eſſent benemeriti: ſive quod fures, qui in ejus templum aufugiſſent, non eſſent in tuto propter loci religionem, quemadmodum in aliorum deorum ſacellis. Nunc accommodatur ad quamvis rem deſpicatui habitam. Ab hac interpretatione non diſcrepant quæ refert Theocriti ſcholiaſtes, hujus commenti autorem citans Cleandrum.

Nihil ſanum.

Summam morum corruptionem, & nullum honeſti reſpectum his verbis Græci ſignificant, οὐδὲν ὑγιές: id eſt, Nihil ſanum. Exempla paſſim in comœdiis tragœdiiſque Græcorum ſunt obvia. Ariſtophanes in Pluto:

Πεύσόμενος εἰ χρὴ μεταβαλόντα τοὺς τρόπους
Εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν,
Ὡς τῷ βίῳ τοῦτ' αὐτὸ νομίσας ξυμφέρειν.

Id eſt:

Scitatum an expediret, vt in contrarium
Verſo inſtituto priſtiniſque moribus,
Iniquus eſſet, ſubdolus, ſani nihil,
Ratus iſta vitæ commodis conducere.

Andromache in ſui nominis tragœdia apud Euripidem ita deſcribit Spartanorum mores:

Ὦ πᾶσιν ἀνθρώποισιν ἔχθιστοι βροτῶν,
Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
Ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν,
Ἑλικτὰ, κοὐδὲν ὑγιές.

Id eſt:

Heus omnium mortalium inviſiſſimi,
Spartam incolentes, fraudulenti conſilii,
Mendaciorum principes, & opifices
Tecti malorum tortiles, ſani nihil.

Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις (ſi modo non fallit titulus) de fœminis:

Τὰς οἰνοπότιδας, τὰς μοιχευτρίας, τὰς λάλους,
Τὰς οὐδὲν ὑγιές, τὰς μέγ' ἀνδράσιν κακόν.

Id eſt:

Vini bibaces, proditrices, garrulas,
Nihilque ſanum, maximum viris malum,

Ubi planè proverbialiter dixit οὐδὲν ὑγιές, pro perditiſſimis. M. Tullius ad Atticum libro 15. Quid quæris? οὐδὲν ὑγιές. Id velut interpretans in epiſtola quæ præceſſit ab hac tertia: Quid quæris? nihil ſinceri.

E circulo.

Hominem è trivio, plebeium & contemptum appellamus. M. Tullius pro eo dixit, è circulo. Circulum autem vocat conventiculum hominum, in foro aut in plateis confabulantium. Ita Craſſus eodem quem modo citavi libro: Effudi vobis omnia quæ ſentiebam: quæ fortaſſe, ſi quemcunque patremfamilias arripuiſſetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus reſpondiſſet.

Exiguum oboli precium.

Μικρὸν τοῦ ὀβολοῦ τίμιον: id eſt, Exiguum oboli precium. Suidas citat ex Marica Eupolidis, convenire in homines nequam, nihilique. Quanquam nihil obſtat, quo minus ad rem contemptam transferatur. Meminit & Eudemus. De ſimilib. multa retulimus antea: Obolaris homo, Homo treſſis, Homo trioboli, Homo vix dupondio æſtimãdus. Juſtinianus juvenes primũ ad juris ſtudium ingreſſos, dupondios appellari voluit, velut extremæ claſſis: nam qui jam profeciſſent, prolytas ac lytas appellavit, quaſi dimiſſos.

Ἀθερίζειν.

Græcis ἀθερίζεται, quod rejicitur ac nihil fit. Tranſlatum à ſummis hordei ſpicis, quæ ceu cuſpides habẽt, quæ nulli ſunt vſui, ſed inter metendum pereunt. Eas Græci vocant Atheras. Sic ex Galeno annotavit vir ille divinus, Hermolaus Barbarus. Sunt qui putent ſpicas inutiles ac rejiculas dici Athericas, quod à meſſoribus ac triturantibus negligantur.

Holerum appoſitiones.

Αἱ τῶν λαχάνων ἀποθέσεις: id eſt, Holerum additamenta. De re nullius momenti. Sumptum videtur vel ab holeribus appoſitis in menſa, vili nimirum cibo: vel auctariis holerum, quæ nonnunquã emptores ſordidi ac tenues requirunt. Autor Diogenianus.

Multa Syrorum olera.

Πολλὰ Σύρων λάχανα: id eſt, Multa Syrorum olera. Dicitur aut in magicæ artis peritos, & herbis maleficii eam exercentes: aut in eos, qui rebus vilibus abundant. Fortaſſis rectè dicetur & in eos, qui in reb. non multæ frugis, nimium inſumunt operæ: quippe non in agris exercendis, ſed in hortis colendis occupati, quæ plus adferant voluptatis quam emolumenti. Proverbium refertur à Plinio libro 20. capite 5. vbi commemoratis variis remediis herbæ ſtaphylini, quam eandem & paſtinatam erraticam vocant, hæc ſubnectit: Syria in hortis operoſiſſima, inde quoque proverbium eſt Græcis: Multa Syrorum olera. Similimam ſtaphylino herbã ferunt, quam alii gigidion vocant. Hactenus Plinius

Ut autem exiſtimem parœmiam in maleficos quadrare poſſe, illa me conjectura commovet, quod paulò ante Orpheum citaverat autorem, ſtaphylinæ amatorium ieciſſe. Neque Syrorum mores vulgò nota caruiſſe, vel adagium illud teſtatur: σύροι πρὸς τοὺς φοίνικας, id eſt: Syri contra Phœnices. Atque in hoc proverbio miſeretur noſtri Cælius Rhodiginus, qui tam inſigniter torquemur: neque quicquam tamen ipſe ſublevat.

Tricæ Apinæ.

Tricas & apinas vulgò res futiles ac nugatorias dicebant, Martialis:

Quæcunque luſi juvenis, & puer quondam,
Apinaſque noſtras. ———

Idem alibi:

Sunt apinæ tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Unde & Tricari, ſimili figura dicebant nugas agere. Cicero cum aliàs: tum ad Atticum lib. 15. Tricatur ſcilicet, vt homo talis. Et rurſum: Balbus, inquit, tricatur. Adagium ab eventu natum. Nam Tricam & Apinam oppida fuiſſe quondam Apuliæ, demonſtrat Plin. lib. Naturalis hiſt. 3. capit. 11. referens Europæ ſinus. Diomedes, inquit, ibi delevit gentes Monadorum Dardorumq; & vrbes duas, quæ in proverbii ludicrum vertere, Apinam & Tricam. Stephanus oſtendit Tricam vrbem fuiſſe Theſſaliæ, ſortitā id nominis à Trica Penei filia. Nonius Marcellus Tricas impedimenta & implicationes interpretatur: ἀπὸ τῶν τριχῶν, i. à pilis, quibus involvuntur pulli gallinacei, vnde dictum ſit extricare & intricare. Lucilius apud eundem Tricones appellat, qui nugis homines remorentur. Et tricinus quæſtus, pro tardo ſeu ſicco. Et Varro tricas Attellanas, nugis impeditiſſimas. Equidem non negaverim in voce alluſum ad pilos. Cæterum ab oppido dictum proverbium, verò propius eſt. Plin. lib. 7. cap. 48. oſtendit oves laudari ſolitas brevitate crurum & ventris veſtitu: quibus is nudus eſſet, eas apicas appellavit, ſeu rejiculas damnataſque.

Nebula in pariete.

Auſonius in epiſtola quadam ad Gregorium filium, nebulas in pariete dixit, pro re nihili, ſomniiſque ſimillima: An nunquam, inquit, vidiſti nebulam pictam in pariete? carminis quod ei ſubſcribitur epiſtolæ, lemma ſignificat frivolum ac vanum. Nam nebula res eſt inanior, quam vt coloribus exprimi queat.

Trium literarum homo.

Trium literarum homo, per ironiam dici poteſt in eum qui generoſus & ingenuus videri cupiat. Inde natū, quod olim ingenui, prænomen, nomen & adnomen, in literis aut inſignibus ſuis, tribus literis notare ſolerent. Ut pro Quinto Valerio Maximo. Q. V. M. Hinc vulgi jocus, de trium literarum homine Plautus in Aulularia jocum alio detorſit, nempe in ſervum furacem: ſubjicit enim: Etiam fur triſurcifer.

Caſſa glande.

Inter vilitatis adagia retulimus & illud, Caſſa nuce non emam. Simili mo tropo Plautus in Rudentibus: dixit Caſſam glandem. Promittens indicium, quærit precium: alter licitatur, nummos trecentos. Grippus reſpondet, tricas Lab. Quadringentos. Gr. Tramas putidas. Lab. Quingentos. Gr Caſſam glandem. Lab. Sexcentos. Gr. Curculiunculos minutos fabulare. Caſſam glandem dixit, pro vitioſa glande, & inani putamine.

Etiam corchorus inter olera.

Καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις, id eſt, Etiam corchorus inter olera. Dici ſolitum in homines nullius precii, qui tamen in numero aliquo ſtudeāt haberi. Nam κόρχορος, oleris genus eſt viliſſimi, quod Plinius lib. 21. in catalogo olerum recenſet. Idem alibi commemorat inter herbas ſponte naſcentes. Scribit autem, corchorum, Alexandrini cibi herbam eſſe convolutis foliis, ad ſimilitudinem mori, multis remediis vtilem. Meminit proverbii Theophraſtus, libro De plantis cap. 7. corchorum referens inter olera, quæ vel cruda vel cocta poſſint edi, verum ob amaritudine proverbio eſſe infamem. Suidas & Heſychius autores ſunt, nonnullis piſcem exiſtimari corchorum contemtiſſimum, nulliuſque precii: qualis ſit hippurus. Ariſtophanes in Veſpis: καὶ τὸν κόρχορον. id eſt: Deinde corchorum attigimus. Nec hic tacuit interpres de proverbio.

Inter indoctos etiam corydus ſonat.

Ἐν ἀμούσοις καὶ κόρυδος φθέγγεται: id eſt, Inter amuſos etiam corydus ſonat. Quadrabit in quoſdam, qui apud idiotas audent ſeſe velut eruditos venditare, inter doctos alioqui prorſus elingues, id quod citra metaphoram eleganter extulit Euripides in Hippolyto coronato:

—Οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς
Φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.
Id eſt:
Apud eruditos qui nihil valent, apud
Plebem imperitam præminent facundia:

Corydus viliſſimum aviculæ genus, minimeque canorum, ſtrepit tamen vtcunque inter aves mutas, apud luſciniam canens ferri nequaquam poſſet. Huc adſcribendum arbitror, quod (vt refert Athenæus lib. 6) non illepide dixit Philoxenus paraſitus, cognomento Pternocopis, in alterum paraſitum nomine Corydum, quum enim incidiſſet ſermo, quod turdi magno emerentur, præſente Corydo, de quo rumor erat obſcœni obſequii: At ego, inquit, memini Corydum obolo fuiſſe æſtimatum, paraſitis autem ſolent indi nomina contemptus. Quanquam hic Corydus narratur in dictis fuiſſe lepidus. Corydum autem minime canorum eſſe teſtatur & Græcum epigramma, licet ἄδηλον.

Εἰ κύκνῳ δυνατὸν κόρυδον ... ἀείδειν,
Τολμῷεν δ' ἐρίειν ... ἀηδόσιν,
Εἰ κόκκυξ τέττιγος ... κρέσσονά φησιν,
Ἰσομαχεῖν ... δυνάμεως.
Id eſt:
Si corydus cygnum queat æquiparare canendo,
Noctua concertet ſi Philomela tibi,
Coccyx ſi jactet ſe voce anteire cicadam:
Tunc ego Palladio par potero eſſe meo.

Mandare laqueum.

Mandare laqueum dicimus iis, quos vſque adeo negligi à nobis ſignificamus, vt ſi vel ſuſpendant ſe, nihil ad nos attineat. Juvenalis de Democrito:

—Cum fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet vnguem.

Confine illi cum jubemus, οἰμώζειν id eſt, plorare quempiam, & μακρὰ οἰμώζειν: id eſt, clare plorare: καὶ κλαίειν, καὶ μακρὰ χαίρειν: id eſt, flere & longum valere.

Medium oſtendere digitum.

Medio item digito porrecto, ſupremum contemptum ſignificabant. Martialis lib. 2.

—Et digitum porrigito medium.

Nam hunc digitum Martialis impudicum vocat:
Oſtendit digitum, ſed impudicum.

Perſius infamem:

Infami digito & luſtralibus ante ſalivis.

Huc arbitror pertinere, quod apud Laertium Diogenes (vt alibi diximus) hoſpitibus quibuſdam Demoſthenem videre cupientibus, non indice digito, ſed medio porrecto demonſtravit, parum virum innuens & effœminatum. Ac paulò poſt eodem in loco, ſatis indicat porrectione digiti medii quippiam obſcœnum ſignificari, cum ait: inſanos haberi, qui medium porrigant digitum, qui indicem, non item. Itaque eodem in carmine duobus adagiis extremum contemptum indicavit Satyricus:

Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet vnguem.

Elegantius fiet vtrunque, ſi longius detorqueatur: Ut philoſophicis præceptis laqueum mandes, tu tuo vivito more. Et Theologorum decretis negociatores medium vnguem oſtendunt, id eſt, planè contemnunt, rident que.

Minimo provocare.

Minimo provocare, eſt contemptim ad certamen provocare. Sumptum à geſtu provocantium ad pugnam, minimo digito porrecto. Horatius in Sermonibus:

——Ecce
Criſpinus minimo me provocat, accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas, detur nobis locus, hora,
Cuſtodes, videamus vter plus ſcribere poſſit.

Elegantius ad res animi torquebitur, vt: Unus hic grammatiſta theologos omnes minimo provocat.

Ante hæc putabam te habere cornua.

Πρὸ τοῦ σε ᾤμην κέρατα ἔχειν: id eſt, Ante hac credebam tibi eſſe cornua. De his qui prius habiti fortes ac ſtrenui, poſtea quum res virum poſtulat, apparent ignavi: vnde & comicus Cornutam beſtiam vocat hominem paratum ſe defendere: Cornutam beſtiam petis. Et Horatius:

Parata tollo cornua.

Apud eundem ſcurra jocatur in ſcurram, accepto convicio minitantem capite moto, quum in fronte fœdam haberet cicatricem: Quid faceres, inquit, ſi cornu tibi non eſſet exſectum, quum ſic mutilus miniteris: Deinde Dialectici Cornutum appellant ſyllogiſmum, dilemma velut inexpugnabile.

Plumbeo jugulare gladio.

Plumbeo jugulare gladio, eſt futili levique argumento convincere quempiam. M Tullius ad Atticum: Cum illum plumbeo gladio jugulatum iri diceret. Idem in libris De finibus bonorum, frigidum argumentum plumbeum appellat pugionem. Quemadmodum Aurelius Auguſtinus libro adverſus Julianum 3. Et tamen, inquit, dialecticorum quaſi jaculis oneratus acutis in certamen procedis, & jactas plumbeos pugiones. Demoſthenes

in

in oratione contra Ariſtogitonem prima. οὐ γὰρ μαγείρου μαχαίρας οὐδείς ἐστ' ὄφελος ὅτις οὐ τέμνει. id eſt: Neque enim coquo machæræ vllus eſt vſus, quæ non ſecat.

Hoc noveram prius quam, &c.

Plutarchus in libello, cui titulus, Philoſophum maximè debere diſputare cum principibus, irridens eos qui duplicem facerēt philoſophiæ rationem: alteram in affectibus ſitam, quæ à Mercurio Hegemone, id eſt, ductore proficiſceretur: alteram in efferendo poſitam, quam Diactorus Mercurius, id eſt, nuncius largiretur: ἕωλα ταῦτα, inquit, καὶ συναπτέον τῷ, τοῦτ' ἐγὼ ᾔδειν πρὶν Θέογνιν γεγονέναι. id eſt: Frivolum & obſoletum eſt, conjungatutq; cum illo, Hoc noveram antequam Theognis natus eſt. Uſurpat idem in candē ſententiam, in libello cui titulus, [illegible], citans è comico quopiam. A. Gel. lib. 1. Noctium Atticarum; capite tertio, citat ex Lucilio. Contra patriam, inquit Cicero, arma pro amico ſumenda non ſunt. Hoc profectò nemo ignoravit. & prius quam Theognis, vt Lucilius ait, naſceretur. Non eſt dubitandum, quin hic ſenarius ſit proverbialis, quo rem frigidam & ineptam ſignificabant. Apparet ſumptum à Theognide tragœdiarum ſcriptore, quem frigidiſſimum fuiſſe teſtatur Suidas, &, ni fallor memoria, Plato. Nam fuit hujus nominis alter quoque cujus extant ſententiæ.

Locrenſis bos.

Λοκρικὸς βοῦς: id eſt. Locrenſis bos. De re vili, aut de munere leviculo dici poteſt. Quum aliquando Locrenſes publicum ſacrum facturi bovem deſiderarent: compoſito ex minūtis lignis bovis ſimulacro, diis rem divinam fecerunt. Atque hinc vulgus adagionem arripuit.

Scarabei umbræ.

Κανθάρου σκιαί: id eſt, Scarabei vmbræ. Dictum eſt de inani metu, quod hoc inſectum ſub noctē repente advolans horribili bombo, nonnunquam terrere ſoleat parum attentum. Recenſetur è Diogeniano.

Scrapta.

Scraptæ populari convicio dicebantur mulieres nugaces, nulliuſque rei: à ſcreo, quod eſt, oris purulentiam ejiēto cum ſonitu. Unde Screa pro rebus viliſſimis accipiebānt. Fortaſſe quadrabit in anus, ſubinde ſcreantes ac tuſſientes. Ita Feſtus. Nonius autem putat eſſe convicium in deformes meretrices; citans hunc Plauti verſum ex Vidularia.

Scraptæ, ſcrupetæ, ſtrictivelæ, ſordidæ.

Bos Homolottorum.

Βοῦς Ὁμολωτῶν: id eſt, Bos Homolottorum, dicebatur in plurima diſtractus ac veluti diſſectus negocia. Poterit & ad rem referri: vt ſi quis argumentum nimis minutatim dividat, ita vt conſcindere & concerpere magis, quam dividere videatur. Zenodotus prodidit Homolottos populos, diſſecto in minimas partes bove, fœdus jungere. Morem hunc Scythis fuiſſe teſtatur Lucianus in Toxaride.

Septimus bos.

Ἕβδομος βοῦς: id eſt, Septimus bos. Olim in ſtupidos brutoſque dicebantur, vnde celebratus ſenarius:

Τὸν ἕβδομον βοῦν ἡ σοφὴ παροιμία.

Id eſt:

Venuſtum adagium ſeptimum narrat bovem.

Id hinc ortum eſſe tradunt, quod antiquitus poſt ſextam lunam bovis imaginem è farina pinſere conſueverint, qui ſeptimam lunam cornibus referret. Sunt qui malint hinc natum, quod, cum apud veteres ſex animantiū genera mactari diis ſoleant, ovis, ſus, capra, bos, gallina, anſer: pauperes non habentes vnum animal quod immolarent, bovis ſimulacrum è farina fingere conſueverunt, is quoniam ſenſu vitaque careret, in ſtoliditatis abiit proverbium. Citatur apud Suidam Euripides in Erecbtheo, & Achæus in Iride, qui proverbium hoc vſurpaverint, tametſi verſus illorum non refert.

Generoſus es ex crumena.

Γενναῖος εἶ ἐκ βαλαντίου: id eſt, Generoſus es ex crumena. In eum jaciebatur, qui propter opulentiam generoſus haberi voluiſſet, alioquin obſcurus & humilis. Pariunt enim nobilitatem & opes, non antiquæ ſolum, juxta Ariſtotelem, verumetiam vndecunque & quandocunque partæ. Solet autem hoc genus ferocius inſoleſcere, quam qui majorum imaginibus clari ſunt.

Attagen.

Ἀτταγᾶς. Suidas indicat hoc cognominis proverbiali joco dici ſolere in ſervos ſtigmaticos: quod hæc avis plumas habeat, variis colorum notis diſtinctas. Ariſtophanes in Avibus:

Εἰ δέ τις δραπέτης ὑμῶν ἐστιγμένος ἐστίν,
Ἀτταγᾶς οὗτος παρ' ἡμῖν ποικίλος κεκλήσεται.

Id eſt:

Si quis è vobis erit fugitivus atque vſtus notis,
Attagen is ſanè apud nos varius appellabitur.

Quamobrem eam autem ibidem appellat πτεροποίκιλον. Ad eundem modum ταὼς, id eſt, pavones, appellant Græci nitidius cultos, & verſicoloribus amictos. Cæterum de Attagena plura dicemus in proverbio, Attagenis novilunium.

Aſinos non curo.

Τῶν δ' ὄνων οὐ μοι μέλει: id eſt, Cæterum aſinos nil moror. Congruit in eum, qui domeſticis contētus opibus, non quærit aliena. Nam cui plauſtrum eſt domi, huic non eſt opus aſinis conductitiis. Carmen integrum alibi citavimus.

Sale emptum mancipium.

Ἁλώνητον ἀνδράποδον: id eſt, Sale emptum mancipium. In barbarum quempiam ac vilem homuncionem olim dicebatur. Nam negociatores olim in mediterranea ſalem importantes, mancipia reportabant à barbaris. Et Thraciæ genti peculiaris erat mos, mancipia ſale commutare. Unde Comicus quidam:

Θρᾷξ δ' εὐγενὴς εἶ ἀντὶ ἁλὸς ἠγορασμένος.

Id eſt:

Generoſus ex Thrax, ſale redemptus ſcilicet.

Hujuſmodi ferme referuntur a Zenodoto.

De lapide emptus.

De lapide emptus. In viliſſimum & vehementer obſcurum hominem dicebatur. Nam inter ſervorum genera, ſiquidem juxta proverbium, ὁ δοῦλος ἀπὸ λίθου extremæ notæ habebantur emptitii, potiſſimum qui palam in foro divenditi fuiſſent. M. Tullius adverſus Piſonem: De me cum omnes magiſtratus promulgaſſent, præter vnum prætorem, a quo non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos. Simillimum eſt illi Græco quod alio reddidimus loco, ἁλώνητον ἀνδράποδον, Sale emptum mancipium. Conſimilem admodum Columella, vilem minimique precii ſervum ſignificās: Quem vulgus quidem, inquit, parvi æris, vel de lapide noxium, comparari poſſe putat: Sed ego plurimorum opinioni diſſentiens, precioſum vinitorem inprimis eſſe cenſeo. Quo quidem loco; aut noxium, noxæ deditum, & ob id vænire juſſum: aut nexum, legendum arbitror. Nam nexi dicebantur, qui quod ſolvendo nō eſſent, addicebantur creditoribus. Tametſi nexi non continētur appellatione ſervorum propriè, nec væneunt. Julius Pollux libro De rerum vocabulis; lapidem vnde quondam vendebantur mancipia, τὸν πρατῆρα λίθον, καὶ πωλητήριον appellat.

Siculus miles.

Σικελὸς στρατιώτης, i. Siculus miles. In peregrinum ac mercenarium militem proverbiali joco dicebantur: propterea quod Siculi temporibus Hieronis exotico milite plerunque vterentur, autore Zenodoto. Conveniet in hominem lucri gratia, nullum miniſterii genus recuſantem. Affine eſt illi, quod de Care dictum eſt alibi.

Servorum civitas.

Δούλων πόλις: id eſt, Servorum civitas. De cœtu convictuque hominum improborum, furacium, aut ignobilium dici poteſt. Eſt hoc nomine civitas quæpiam in Lybia, vt autor eſt apud Suidam Ephorus in 6 apud Stephanum Hecatæus. In hunc ſi quis ſervus lapidem importaſſet, continuo liber fiebat, etiamſi peregrinus fuiſſet. Eſt & altera, cui nomen ἱεροδούλων, quod ſervis dicata ſit: in qua vnum duntaxat ingenuum vivere tradunt. Et rurſum in Creta: δουλόπολις χιλίανδρος: id eſt, Mille viris habitata: vt autor eſt Soſicrates in prima narratione rerum Creticarum. Eſt item alia juxta Thraciam, πονηρόπολις: id eſt, improborum civitas. In hanc Philippus collegiſſe dicitur, velut in ſentinam, infames ac moribus improbatis, vt ſycophantas, falſos teſtes, prævaricatores. & id genus alios ad numerum duum millium: vt autor eſt Theopompus, in rerum Philippicarum lib. 13. Teſtatur & Plutarchus in commentario De curioſitate. Eſt & in Ægypto regio quædam δουλόπολις appellata, teſte Olympianico. Plutarch. in Collectaneis proverbiorum oſtendit, dici ſolitum de raris inventu, efferrique ad hunc modum: οὐκ ἔστι δούλων πόλις. id eſt: Non eſt ſervorum civitas. Non diſſimile quod Plinius narrat de gente Heſſenorum in Syria, ad quos fugitant uſquequaq; nocentes. Quæ ſolo toto in orbe, ſine vlla fœmina vivit, omni Venere abdicata ſocia palmarum: in diem ex æquo convenarum turba renaſcitur, longè frequentantibus quos vita feſſos ad mores eorum, fortunæ fluctus agitat.

Imi ſubſellii.

Idem in eadem fabula, Imi ſubſellii viros appellat paraſitos, qui ita in convivium admittuntur, vt imo ſedeant loco:

Nihil, inquit, morantur jam Lacones, imi ſubſellii viros,

Apud eundem in Sticho, paraſitus inducitur ita loquens:

Haud poſtulo quidem in ſummo lecto accumbere.
Scis me dudum eſſe imi ſubſellii virum.

Item Horatius:

—Et imi Deriſor lecti.———

ſcurram ſignificans. Quadrabit etiam in tenues convivas, quos divites iſti nonnunquam recipiūt, ſed infimo loco. Lepidius erit, ſi transferatur longius: hoc eſt, ad eos qui inter aulicos proceres, extremo ſunt loco, aut inter eruditos poſtremi ſunt: quos & infra claſſem, & extremæ claſſis, & infimæ notæ licebit appellare. Quorum poſterius hoc à mercibus ſumptum videtur, quibus addita nota teſtatur precii modum; prius illud à cenſu veterum.

Nam qui primæ claſſis erant, centum & viginti millia æris poſſidebant, atque hi ſoli claſſici vocabantur: reliqui omnes (nam claſſes erant complures) infra claſſem dicebantur. Autor Gellius lib. 7. c. 13. Tametſi nonnulli codices pro 20. habent 25. Et Titus Livius ait: Æris centum millia.

De fæce haurire.

M. Tullius in Catalogo illuſtrium oratorum, figura mirum ni proverbiali dixit, De fæce haurire; pro eo quod eſt, ſordida quæpiam ac plebeia, nimiſque humilia perſequi. Uſurpat hoc proverbium Atticus eo quo dixi libro in Ciceronem, qui tempus tereret in commemorandis oratorib. quibuſdam obſcuris ac nullius penè nominis. Mutuo ſumptum à ſordidis iſtis, qui vinum unà cum ipſa fæce hauriunt, ne quid omnino reliquum faciant in dolio: unde & plebis infimam fæcem dicimus.

Carica Muſa.

Καρικὴ μοῦσα: id eſt, Carica muſa, καρικὰ αὐλήματα: id eſt, Caricæ cantiones. De lugubri aut ruſtica, atque indocta, ſeu moleſta cantione dici ſolitum. Quadrabit in poetam aut oratorem indoctum. Antiquitus de triſti ſtridulaque & inamœna cantione dicebatur: propterea quod, ut tradit Athenæus libro Dipnoſophiſtōn 4. Cares itidem ut Phœnices in luctibus uti ſolent, magnitudine palmi, lugubre quiddam & ſtridulum ſonantibus. Eas autem tibias Phœnicum lingua, gringos vocari: quod iis in Adonidis luctu ſoleant uti. Porrò Adonidem γίγγραν, id eſt, Gringen appellant. Hinc iiſdem verbum γιγγραίνω. His confinia tradit Julius Pollux lib. 4. niſi quod ibi γίγγρας invenio ſcriptum. Caricam muſicam notat Ariſtophanes in Ranis:

Σκολιῶν μελίτου καὶ καρικῶν αὐλημάτων.

Id eſt:

Obliqua Meliti, & Caricorum carmina.
Modoſque tibiarum. ———

Eadem καρικὰ αὐλήματα veteres σκολιά, id eſt, obliqua vocabant: vel à tibiarum ſpecie, vel ab obliquo in conviviis canēdi ordine, de quo meminerimus in proverbio, Ad myrthum canere, meminit & Plato apud Athenæum in Laconibus:

Αὐλοὺς δ᾽ ἔχουσά τις κόρη καρικὸν μέλος
Μελίζεται, ———

Id eſt:

Calamos habens puella, Caricum melos
Modulabitur. ———

Plato quoque philoſophus libro de legibus 7. mentionem facit Caricæ muſæ, quam interpretatur ἐπικήδειον ᾠδὴν, id eſt, Lugubrem cantionem. Heſychius indicat inde ductum, quod ad pompas funebres conduci ſoleant è Caria fœminæ, quæ lamentantiū perſonam agerent. Itaque orationem indoctam & inamœnam rectè dixeris καρικὴν μοῦσαν. In quam convenit illud Sopatri apud Athenæum libro 4.

Πηκτὶς δὲ μοῦσα γαυριῶσα βαρβαρίζει.

Id eſt:

Pectis camœna jactitans ſe barbara.

Pectis autem organi genus eſt, duabus chordis inſtructum. Idem Athenæus dubitat, an Caria ſit eadem dicta Phœnice. Nam Phœnices fiſtulas ſive calamos γίγγρας appellant, vocabulo (ut videtur) à ſtridore ſoni efficto. cum his conſentiunt, quæ Plato ſcribit lib. De legibus quem modo citabam 7. καὶ εἴπερ ἄρα δεῖ τοιούτων οἰκτῶν γίγνεσθαι τοὺς πολίτας ἀκροατὰς, ὁπόταν ἡμέραι μή τινες καθαραὶ, ἀλλ᾽ ἀποφράδες ὦσι, τότ᾽ ἂν δέον εἴη μᾶλλον χοροὺς τινὰς ἔξωθεν μεμισθωμένους ᾠδοὺς ἥκειν, οἷον οἱ περὶ τοὺς τελευτήσαντας μισθούμενοι καρικῇ τινι μούσῃ προπέμπουσι τοὺς τελευτήσαντας, &c. id eſt: Et ſi quando oportet cives iſtiuſmodi lugubrium auditores fieri, quum dies fuerint non puri, ſed nefaſti, tum magis conveniet venire choros aliquos muſicos aliunde conductos, quemadmodum hi qui ad funera conduci ſolent, Carica quadam muſa, deducunt vita defunctos. Carum barbariem in dicendo taxat Homerus ſecundo Iliados libro:

Νάστης αὖ καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων.

Id eſt:

Naſtes ducebat Cares, queis barbara vox eſt.

Unde & populari dicto Græcis καρβανίζειν, ſive καρβαΐζειν aut καρικίζειν, dicuntur, quibus barbarus eſt & agreſtis ſermo. Et M. Tullius apud Quintilianum in capite de pronūciatione dicit, illos ex Lycia & Caria oratores in epilogis bene canere: nimirum reprehendens illorum pronunciationem. Strabo libro Geographiæ 14. oſtendit Cares occaſione frequenter fuiſſe mixtos Græcis, & tamen barbare craſſeque ſonuiſſe linguam Græcorum, quod idem evenit Græcis in lingua Romana, & nobis in lingua Britannica. Hoc vitium Strabo παχυστομίαν, καρικοστομίαν, & βαρβαροστομίαν vocat. De cantionibus Carum & Phrygum meminit & M. Tullius in Bruto. Erat & ſaltationis genus tumultuoſum ac militare, unde nonnunquam ſaucii diſcedebant (nam ab armatis peragebatur:) quod Julius Pollux libro 4. καρικὸν appellat.

Pomarius Hercules.

Μήλιος Ἡρακλῆς: id eſt, Pomarius Hercules. Per contemptum dicebatur in eum, qui nomen quidem magnificum gereret, cæterum opibus nullis, nullaque potentia pollens. Ab eventu natum. Narrat Suidas, cum ruſtici quidam Herculi bovem eſſent immolaturi, iſque rupto fune profugiſſet, nec eſſet quod ſacrificaretur, malum arreptum ſuppoſitis quatuor ramis crurum vice, deinde additis alteris duobus eciā cornuum loco, bovem utcunque ſunt imitati: idque ridiculum ſimulachrum pro victima ſacrificaverunt Herculi. Julius Pollux libro De vocabulis rerum primo, fabulam aliquando ſecus narrat, nempe ad hunc modum: Solenne eſt, inquit, apud Bœotos, Herculi ovibus rem divinā facere. Cumque jam adeſſet dei feſtum, & immolandæ victimæ tempus urgeret (porrò hoſtia erat aries) quum ea ſerius adduceretur, propterea quod Aſopus fluvius ita ſubitò creviſſet, ut tranſiri non poſſet, pueri qui juxta aram ludebant, ſacrificii ritum nihilominus peregerunt. Pulchro cuipiam malo quatuor ſtipulas vice pedum addiderunt, rurſum alias duas cornuum loco, imaginantes ſeſe ad eum modum arietem immolare: Creditum eſt Herculem hac victima magnopere delectatum: proinde manſiſſe apud Thebanos hunc morem, ut malis ſacrificaretur Herculi. Cognomen hinc additum deo, ut ἡρακλῆς μήλων, id eſt, Hercules malorum vocaretur.

Malum Hercules.

Μῆλον ἡρακλῆς: id eſt, Malum Hercules. Dici conveniet; ubi quis munuſcula quantumvis puſilla, boni conſulit. Apollodorus apud Zenodotū in libris de Diis prodidit, apud Athenienſes Herculi Alexicaco, hoc eſt, depulſori malorum, peculiare quoddam victimæ genus immolari ſolere. Cū n eveniſſet aliquādo, ut bos, quem erant mactaturi, profugiſſet, malo arrepto, ſubditiſque eciā crurum vice quatuor ramis, additis item cornuum loco duobus, bovis imaginem quandam repræſentarunt: atque id ridiculum ſimulachrum vice bovis immolarunt Herculi, quæ quidem res in vulgi fabulam abiit. Idem eſt cum eo, quod ante retulimus, μήλιος ἡρακλῆς: id eſt, Pomaceus Hercules, niſi quod unius vocula commutatione nonnihil immutatus eſt & uſus proverbii, nam illud de contempto dicitur, hoc de boni conſulente.

Munus levidenſe.

Munus levidenſe. Cicero proverbiali nimirum figura vocat munus vile, minimique precii: cujuſmodi vulgaribus amicis mittere divites conſueverunt. Sic enim ſcribit ad Dolabellam, lib. Famil. epiſt. 9. Oratiunculam pro Deiotaro quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi. Quam velim ſic legas, ut cauſam tenuem & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. Sed ego hoſpiti veteri & amico, munuſculum mittere volui levidenſe craſſo filo, cujuſmodi ipſius ſolēt eſſe munera. Servius oſtendit Levidenſum veſtis genus eſſe vile, raro, tenuique textu. Quondam inter hoſpitium xenia, veſtes imprimis erant. Unde & apud Juvenalem queritur quiſpiam veſtes donari, villo craſſo, coloreque malo:

Et male percuſſus textoris pectine Galli.

Proinde M. Tullius orationem ſuam parum elaboratam atque expolitam, Levidenſe munus appellat. Eleganter accommodabitur ad munus leviculum, aut officium vulgare, non admodum ex animo, neque diligenter præſtitum amico cuipiam vulgari. Huic diverſum eſt illud, πελληνικὴ χλαῖνα: id eſt, Pellenæa tunica: & Συλοσῶντος χλαμύς: id eſt, Siloſontis chlamys.

Cicernus Bacchus.

Ἐρεβίνθιος Διόνυσος: id eſt, Cicernus Bacchus. *De re vehementer contempta.* Sumptum adagium à potu ex leguminibus confecto, qui vinum imitatur. Veteres autem diverſis rationibus vinum effingebant: quarum nonnullas commemorat Plinius lib. 14. cap. 16. Idem 22. cap. 25. meminit de Zytho Ægyptiorum, Celia Hiſpanorum, Cervifia Gallorum. Erat id potus genus ex leguminibus coctum; quod inopia vini repertum eſt in his regionibus quæ vitem non ferunt. Hinc natum videri poteſt & illud quod alibi retulimus, adagium, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον: id eſt, Nihil ad Bacchum: ut id dixerit quiſpiam, guſtata cervifia. Porrò contemptam faſtiditamque fuiſſe cerviſiam iis, qui eatenus aſſueverant vino, vel Epigramma teſtatur, quod Juliano Imperatori tribuunt, id eſt hujuſmodi:

Τίς πόθεν εἶς Διόνυσε; μὰ γὰρ τὸν ἀληθέα Βάκχον,
Οὔ σ᾽ ἐπιγιγνώσκω. τὸν Διὸς οἶδα μόνον.
Κεῖνος νέκταρ ὄδωδε, σὺ δὲ τράγου· ἦ ῥά σε Κελτοὶ
Τῇ πενίῃ βοτρύων τεῦξαν ἀπ᾽ ἀσταχύων.
Τῷ σε χρὴ καλέειν, Δημήτριον, οὐ Διόνυσον,
Πυρογενῆ μᾶλλον, καὶ Βρόμον, οὐ Βρόμιον.

Id eſt:

Bacche quis? unde venis? verum tibi deiero Bacchum,
Te haud novi, tantum eſt cognitus ille Jovis.
Is nectar redolet, hircum tu, dic age num te
Ex ſpicis finxit Gallia vitis inops?
Non igitur Bacchum te dixero, ſed Cerealem,
Et frumentigenam, nec Bromium, imo Brumum.

Eſt autem bromos hordei genus quoddam: ſed à Theophraſto libro De Plantis 8. inter ea ponitur, quæ pene ſylveſtria ſunt, & immitia. Plinius potiſſimum uſum ejus generis putat, quod illius ſpuma cutem fœminarum in facie nutrit. Nam quod ad potum ipſum attinet, inquit, præſtat ad vini tranſire mentionem. Neque verò repugnarim, ſi cui magis liceat ad ritum ſacrorum Bacchi referre proverbium, in quibus imitamina membri obſcœni virilis capitibus ac fœminibus obligabant, atque ita ſaltabant in honorem dei. Eas figuras Græci Phallos vocant: unde & apud

apud Terentianum Grammaticum cognomen Phallaci carminis. Qui ferebant φαλλοφόροι & ἰθύφαλλοι dicebantur. Etiamſi Athenæus lib. 14. indicat alios fuiſſe Ithyphallos, alios Phallophoros: illos geſſiſſe perſonam hominis temulenti, hos ſine perſona fuiſſe: quanquam & aliis rebus differebant. Verùm hæc nihil ad proverbium. Alludit huc Ariſtophanes in Acharnenſibus:

Σφῷν δ' ἐστὶν ὀρθὸς ἑκτέος
Ὁ φαλλὸς ἐξόπισθε τῆς κανηφόρου,
Ἐγὼ δ' ἀκολουθῶν, ᾄσομαι τὸ φαλλικόν.

Id eſt:

Vobis quidem rectus tenendus phallus eſt,
Eum ſequendo qui caniſtrum bajulat:
Poſt vos ego canam cantionem phallicam.

Effingebatur autem olim hoc membrum è ligno ficulno, quod molliciei dedicavit antiquitas: unde & Horatius eodem è ligno ſuum Priapum exſcalpſit. Servius exiſtimat Maronem item Georgicorum libro ſecundo de illis phallis ſenſiſſe, quum ſacra Bacchi deſcribens de penſilibus oſcillis facit mentionem:

Oſcilla ex alta ſuſpendit mollia pinu.

Ea ſcribit è floribus concinnari ſolere, ad imaginem obſcœni virorum membri, ac per inter columnia ſuſpendi, quo qui in ea incidiſſent, riſum moverent. Hinc igitur Baccho cognomen Erebinthi: quem eundem ſimili de cauſa Morychum appellarunt, videlicet facilitate numinis contemptum invitante.

Ollaris Deus.

Χυτρεοῦς θεός: id eſt, Ollaris Deus. Dicebatur in hominem humilem & contemptæ ſortis. Ariſtophanes in Nubibus:

Ὅτε καὶ σε χυτρεοῦν ὄντα θεὸν ἡγησάμην.

Id eſt:

Quando arbitrabar te quoque Ollarem Deum.

Magni dii ebore, auro & argento ſculpebantur. At plebeii illi & minutuli (quod genus ſunt Silenus & Priapus) qualibet materia fingebantur, ligno nonnunquam & luto, quo videlicet argento finguntur & ollæ. Unde non ineptè quadrabit in eum, qui ſtudeat haberi inter aulicos optimates, ſed nec opibus pollens, nec autoritate valēs apud principem. Cognatum eſt illi, καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις: id eſt, Corcorus inter olera: aut illi, οὐδὲν ἱερόν: id eſt, Nihil ſacri. Refertur in Zenodoti collectaneis.

Soterichi lecti.

Apparet Soterichi lectos in vulgatem jocum abiiſſe, de re vili priſcaque, & minima ambitioſa, & rudis artificii. Sic enim Seneca Ennianos de Cethego verſus irridens: Qui hujuſmodi verſus amant, inquit, liceat ſibi & eoſdem admirari, & Soterichi lectos. Aulus Gellius (nam ab hoc iſta referuntur lib. 12. c. 2.) Dignus ſane Seneca videatur lectione ac ſtudio adoleſcentiū, qui honorem & colorem veteris orationis Soterichi lectis compararit, quaſi minimæ ſcilicet gratiæ, & relictis jam contemptiſque. Conjicere licet Soterichum fabrum fuiſſe quempiam, cujus opera priſcam illam & rudem ſimplicitatem præſe tulerint. Nam Romæ poſtea argentea triclinia divitibus in uſu fuiſſe, teſtatur Plinius libro triceſimo tertio, capite 11. Hujuſmodi inter pictores fuiſſe Fulvium, Rutubam, & Placidianum, in Sermonibus indicat Horatius:

Vel cum Pauſiaca torpes inſane tabella,
Qui peccas minus atque ego, cum Fulvi Rutubæque
Aut Placideiani contento poplite, miror
Prælia rubrica picta aut carbone.———

Cecidis & Buphoniorum.

Τὰ κηκείδου καὶ βουφονίων, id eſt, Cecidis & Buphoniorum, de re magnopere priſca, & ob vetuſtatem jam pridem obſoleta, deſuetaque. Ariſtophanes in Nebulis:

Ἀρχαῖα γε καὶ Διπολιώδη, καὶ τεττίγων ἀνάμεστα,
Καὶ Κηκείδου καὶ Βουφονίων.

Id eſt:

Priſca hæc ſane atq; obſita canis, nec non oppleta cicadis,
Ac Cecide cum Buphoniis.———

Siquidem Cecides pervetuſtus quiſpiam Dithyramborum poeta fuit, cujus ſcripta jam ſitum olebant, unde in jocum vulgarem abierunt. Quemadmodum jure ridentur hodie, qui immodica & intempeſtiva affectatione vetuſtatis, è duodecim tabulis, ex Ennio, Lucilioque petunt ſermonem, perinde quaſi cum Evandri matre loquantur: nec ullum verbum elegans eſſe putant, niſi quod ſit ab uſu vulgi, & noſtro ſeculo procul remotum. Item Buphonia feſtum quoddam erat apud Athenienſes, ob vetuſtatem neglectum jam ac deſitum: ſic appellatum à cæde boum. Hujuſmodi ludos adhuc durare videmus apud Italos, præcipue Romanos, priſcæ videlicet etiamnum inſaniæ veſtigia, quos illi Tauros vocant. Adagio licebit per jocum uti, cum ſignificabimus aliquid ceu nimis priſcum negligi, veluti ſi notare velis pontifices, epiſcopos, & ſacerdotes, quod Evangelica præcepta, de paupertate, de tolerandis injuriis, de contemptu vitæ: aut priſcorum pontificum decreta, de ſimoniacis, de deligendis abſque corruptela epiſcopis, de ſubmovendis ſceleroſis, jam pro antiquatis habeant: dicas licebit, ταῦτα κηκείδου καὶ βουφονίων, id eſt, Hæc Cecidis ſunt & Buphoniorum.

Ficulnus.

Lignum ficulnum ut fragile atque ad omnia ferme inutile, proverbiis aliquot locum fecit. Nam ἄνδρες σύκινοι. i. virum ficulnum appellant mollem atq; inutilem, ut Theocritus in Ergativis;

——Μὴ παριών τις
Εἴπῃ, σύκινοι ἄνδρες, ἀπώλετο χ' οὗτος ὁ μισθός.

Id eſt:

Ne quis præteriens dicat: Ficulni homines ſunt,
Atq; hæc deperiit merces.———

Scholiaſtes admonet proverbium ductum à ligno ficus, inutili, fragili & invalido: unde dictum & ficulnum præſidium, pro inutili. Apud Ariſtophanem in Fucis quidam interrogat, τίνος ξύλου σύ, id eſt, Cujus ligni tu? Reſpondetur, συκίνου, id eſt, ficulni. Quo loco monet interpres, ex ficulno ligno fumum exiſtere acerrimum ac moleſtiſſimum. Apud eundem in Pluto ſycophanta minatur, ſi quem nactus eſſet ſuæ ſortis virum ficulnum, ulturum injuriam.

Ἐὰν δὲ σύζυγον λάβω ποθὲν καὶ σύκινον.

Id eſt:

Si quempiam nanciſcar ejuſdem jugi
Virum atque ficulnum.

Rurſus ad eundem in eadem fabula.

Καὶ σύκινον τὸν ἰσχυρὸν τοῦτον θεὸν,
Ἐγὼ ποιήσω τήμερον δοῦναι δίκην.

Id eſt:

Ficulnum ego hercle, ac præpotentem iſtum deum
Compulero pœnas hoc die dependere.

Ficulnum deum appellans imbecillum ac nullarum virium. Huc alluſit Horatius, cum Priapum ita loquentem facit;

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

Ac paulò poſt.

——Pepedi
Diffiſſa nate ficus.———

Ficulnam mentem dixit Lucianus ἐν τῷ περὶ τῶν ἀπιστούντων:
χωλὴν μὲν ἔχων καὶ συκίνην γνώμην.

Id eſt:

Claudam habens ac ficulnam mentem.

Eodem reſpexit Alexander Pſeudomantis, libros Epicuri ligniis exurens ficulnis, nullius precii philoſophum ſignificans. Et συκίνη ἐπικουρία, id eſt, ficulnum auxilium, pro invalido atque inutili: Ariſtophanes in Lyſiſtrata.

Ὃς ἦν ἂν ἡμῖν συκίνη ἐπικουρία.

Id eſt:

Ficulna nobis qui erat opitulatio.

Συκίνη μάχαιρα, id eſt, Ficulna machæra: pro calumnia. Et συκίνη ναῦς, id eſt, ficulna navis pro vili, minimique precii navicula. Quin apud Naxios Bacchum, quem βακχέα dicunt viteum effingunt: alterum quem μειλίχιον appellant, ficulnum. Nam ficus illi μείλιχα vocarit. Exiſtimant autem Bacchum non vini tantum, ſed ficuum autorem. Sic ferme Athenæus lib. 3. Diverſa figura dixit Theocritus in Aita, χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, id eſt, aurei quondam viri. Item, Præſidium ſacrum: &, Anchora ſacra: &, Robur adamantium.

Ficulnus gladius.

Συκίνη μάχαιρα, i. ficulnus gladius. De frivola cauſa dici poteſt, quæq; minimo negocio queat refelli. Dictus eſt autem ficulnus gladius ſycophanta: quod item & mollis ſit, & calumniator. Meminit & Heſychius.

In foribus urceum.

Ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν. i. In foribus aqualem. Nam hoc verbo uſus eſt Plautus. Ariſtoteles lib. Rhetoricorum 1. τὸ δὲ τέλος ἀγαθὸν ὅθεν ταῦτα εἴρηται,

Καδδέ κεν εὐχωλὴν Πριάμῳ.——— καὶ
Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν.

καὶ ἡ παροιμία δὲ τὸ, ἐπὶ θύραις τὴν ὑδρίαν. Finis autem bonus, unde illa dicta ſunt;

Et laudem Priamo.———

Præterea;

Turpe diu manſiſſe.———

Jam verò proverbium etiam illud: Urceum juxta fores. Interpres quiſpiam (nam librum ἀνώνυμος ſuppeditarat eruditiſſimus amicus noſter Baptiſta Egnatius) ait ſignificari rem contemptam ac vilem. Negliguntur enim quæ paſſim ſunt obvia, quæque facile quibuslibet contingunt. Itaque urceum in foribus poſitum nemo ſtudet tollere: proclive enim. Verum uniones in ſcriniis reconditos magis expetunt, Plutarchus περὶ πολυπραγμοσύνης ait, tubum ultro hærentem negligi: ac præteriri, vineam, oleaſque experi: recenſens hanc ſententiam: οὐ γὰρ αἱρετέον ταῦτα τὸ ῥᾳδίως λαμβάνεσθαι, id eſt, Non eſt tollendum quod admodum facilè conſequi licet. Item in Epiſtolis Seneca: Multi aperta tranſeunt, condita & abſtruſa rimantur. Furem ſignata ſollicitant, vile videtur, quicquid patet, aperta effractarius præterit. Hos mores habet populus, hoc imperitiſſimus quiſque, in ſecreta irrumpere cupit. Porrò proverbium imperfectum ac mutilum videtur. Quandoquidem Ariſtoteles ad eum modum pleraque refert, tanquam alioqui per ſe ſatis nota. Apparet eſſe hemiſtichium jambici trimetri, à Comico quopiam mutuo ſumptum.

Ficum Mercurio.

Σῦκον ἐφ' Ἑρμῇ, id eſt, Ficum Mercurio. De prompto, & quibuslibet expoſito beneficio dicebatur. Nam antiquitus mos erat, ſic ubi ficus repertus fuiſſet, cum veluti Mercurio ſacrũ ſuſpendere. Liberum autem erat tollere ficum Mercurialem, cuicunque libitum fuiſſet: vel quod is Deus furibus favere creditus eſt, vel juxta parœmiam illam, κοινὸς Ἑρμῆς, Communis Mercurius. Huc opinor alluſiſſe Perſium, cum ait:

Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum,
Nec gluto ſorbere ſalivam Mercurialem.

vbi indicatum eſt alibi.

Merx ultronea putet.

Merces vltroneæ putent: id eſt, ingratæ ſunt, quæ vltro non petentibus offerrentur. Translatum videtur à negociatoribus, qui merces à venditore vltro oblatas, ſuſpectas habere ſolent, quaſi ſtudeant eas extrudere. Adagium refertur à divo Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis: Tritum, inquit, proverbium eſt, vltroneas putere merces. Unde & nos de induſtria dicenda reticemus, vt avidius velis audire quæ tacita ſunt. Uſurpat idem in epiſtola ad Demetriadem virginem. Ab hac ſententia non abludit illud Ovidianum:

Quod venit ex facili, faciles ſegneſque tenemus.
Quod ſpe, quodque metu torſit, habere juvat.

Quin vulgo etiamnum in ore eſt, Ultro delatum obſequium plerunque ingratum eſſe. Cui tamen refragatur Mimus ille non inſulſus:

Bis eſt gratum, quod opus eſt, vltro ſi offeras.

Numerus.

Homines nullius bonæ rei, numerus proverbio dicuntur, etiam Idiotis horum temporum. Ariſtophanes in Nebulis:

—Ὄντες λίθοι,
Ἀριθμός, πρόβατ' ἄλλως, ἀμφορῆς νενησμένοι.

Horatius:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.

Translatum videri poteſt à calculis, ad nihil aliud vtilibus, niſi ad numerum. Anacharſis, Plutarcho teſte, taxavit Athenienſes, qui nummis ad rationem duntaxat vterentur. Quanquam mihi magis arridet, vt ita numerus dicatur. Quemadmodum dicunt ἕνα τῶν ἀγελαίων & ὡς τῶν πολλῶν: id eſt, Unus à plebe. Ita Flaccus 2. Serm.

—Sum paulo infirmior, vnus
Multorum.

etiam Græcam exprimens figuram. Et Seneca lib. 1. epiſt. 10. Iſte homo non eſt vnus è populo. Inſignes nominantur Qui nihil habent inſigne, turba ſunt, & numerantur tantum, Unde Flaccus:

Nos numerus ſumus.———

Et Vergilius:

—Cadit & ſine nomine vulgus.

Telluris onus.

Γῆς ἄχθος, id eſt, Terræ onus. De homine vehementer inutili, qui nihil aliud quam terram ſuo pondere gravet. Refertur inter adagia Græcanica, natum ex Homero: apud quem Achilles Iliados σ. hoc pacto loquitur, indigne ferens ocium, & quod non iniret prælium cum reliquis copiis:

Ἀλλ' ἧμαι παρὰ νηυσὶν ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.

Id eſt:

Navibus aſſiduo telluris inutile pondus.

Rurſum in Odyſſeæ υ.

Οἷον δή τινα τοῦτον ἔχεις ἐπίμαστον ἀλήτην,
Σίτου καὶ οἴνου κεχρημένον, οὐδέ τι ἔργων
Ἔμπαιον, οὐδὲ βίης, ἀλλ' αὔτως ἄχθος ἀρούρης;

Id eſt:

Quem tandem nobis erronem adducis edacem,
Enectumque fame, vinique & panis egenum,
Artibus edoctum nullis, neque viribus vllis
Pollentem, ac tantum telluris inutile pondus:

Utitur eo Plato in Theæteto: οἴονται γὰρ ἀκούειν, ὅτι οὐ λῆροί εἰσι, γῆς ἄλλως ἄχθη, id eſt: Exiſtimant enim ſe non haberi pro nugis & inutilibus terræ oneribus. Nec illepidum, nec prorſus, ni fallor, ἀπροσδιόνυσον eſt, quod memorat Athenæus lib. 8. Stratonicus quidam citharœdus Corinthi peregrinabatur. Hunc cum anicula quædam fixis oculis intueretur, idque diu, tandem: Quid, inquit, tibi per deos vis mater, aut quid me ſic continenter intueris? Demiror, inquit illa, ſi matris vterus te decem menſes ferre potuit, cum civitas angatur, vnum duntaxat diem te portans. In tales quadraret epitaphium, quod Timocreontis Rhodii poetæ, cæterum voracis ac bibacis ſepulchro inſcriptum indicat Athenæus lib. 10.

Πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ φαγὼν, καὶ πολλὰ κάκ' εἰπὼν
Ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος.

Id eſt:

Multum edi, multumque bibi, mala plurima dixi in
Mortales, jaceo hic Timocreon Rhodius.

Abominandus ſcarabeus.

Μύσων κάνθαρος, id eſt, Abominanda cantharis. De contemptiſſimo viliſſimoque homunculo dicebatur. Cantharides vermiculi diminutivum à cantharo ſcarabeo: quaſi dicas ſcarabeolus. In ſacris quoque literis vermis abiit in proverbium contemptus, quod genus eſt illud in Pſalmis myſticis: Ego autem ſum vermis, & non homo. Pro quo nonnulli vertunt ſcarabeum. Item illud Eſaiæ: Noli timere vermis Jacob: interprete Hieronymo. Apud Suidam legitur μυσὶ κάνθαρος, id eſt, Muribus cantharis, quod quid ſibi velit, neſcio, ſuſpicor mendum in ſcripto eſſe. Si legamus μύσων, ſonat abominanda: ſi μυσῶν ſonat Myſiam cantharidem. Myſos autem olim fuiſſe contemptui, docuimus alias, hoc commentum mihi maxime probatur.

Ætnæus cantharus.

Αἰτναῖος κάνθαρος, id eſt, Ætnæus ſcarabeus. De magnis & fœdis. Ariſtoph. in Pace:

Οἴκαδ' εἰσαγαγὼν Αἰτναῖον μέγιστον κάνθαρον.

Ætnæum autem dixit, quaſi prægrandem: vel quod in Ætna vaſti maximiq; ſcarabei ſint: vel Ætnæus dixit, tanquã inſtar Ætnæ montis maximus. Porrò ſcarabeus inſecti genus, quod è ſtercore vt naſcitur, ita paſcitur. Fabulis quoque ante proditum eſt, Ætnæum vnum è Gigantibus præcipuum complexum fuiſſe, ac ſervaſſe ne cum reliquis periret fulmine, vnde & illud: οὔτε πῦρ οὐράνιον ἐπ' αὐτῷ ἐλθεῖν, οὔτε Αἴτνη πιέζει αὐτόν. i. Nec ignis cœleſtis illum attigit, nec Ætna illum premit. Autor Diogenianus.

Minus de iſtis laboro quam de ranis paluſtribus.

Μέλει μοι τούτων οὐδὲν, ὅσον τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων, id eſt, Nihilo major mihi rerum iſtarum cura, quam ranarum limo verſantium. Proverbialis hyperbole, qua ſignificamus nihil omnino ad nos pertinere negociũ. Rectè dicetur & in obtrectatores, quorum oblocutiones dicemus nos fortiter contemnere. Siquidem ranæ tametſi aſſidue obganniant, oblatrentq; prætereuntibus, & odioſam illam cantionem iterent ſine fine, βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοάξ: tamen nemo commovetur. Ad hoc facit quod Origenes Ægyptias ranas, Dialecticorum & ſophiſtarum garrulitatem interpretatur in decretis Pontificiis.

Indus Elephantus haud curat culicem.

In epiſtolis quæ Phalaridis nomine feruntur, extat hujuſmodi quoddam adagium: κώνωπος ἐλέφας Ἰνδὸς οὐκ ἀλεγίζει, id eſt, Culicem haud curat elephantus indicus. Dictum eſt autem ob ſingularem duritiem cutis elephantinæ, qua fertur etiam jacula excutere, tantum abeſt vt culicis morſu poſſit offendi. Adhiberi poterit, quoties ſignificabimus, excelſis animis leves & vulgares injurias eſſe negligendas.

Cochleare creſcet.

Δοῖδυξ αὔξει, id eſt, Cochleare creſcet. Chryſippus apud Zenodotum & Ariſtophanis interpretem ait, hanc parœmiam dici ſolere in puſillos humunciones, per ironiam. Tam cochleare & puſillum eſt, & contortum. Ariſtophanes in Equitibus,

Σκεύη δύο κεκτημένη, δοίδυκα καὶ τορύνην.

Id eſt:

Duo vtilia vaſa, cochleare & torynam.

Eſt autem Toryna, qua movetur olla.

Inertium chorus.

Ἀργούντων χορός, i. Feriatorum chorus. De cætu laſcivientium dicebatur. Ocium enim ad omnem nequitiam impellit, præcipuè juventam. Confine eſt illi quod alias dictum eſt: Inertibus ſemper feriæ.

Megarenſes neque tertii, neque quarti.

Μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι, id eſt, Megarenſes neque tertii, neque quarti. Dicebatur olim in homines ſupra modum ignavos & contemptos, nulloque honore dignos. Natum adagium ex oraculo quodam. Id quidam, inter quos Stephanus, Mneas & Jon Æginenſibus, alii Megarenſibus redditum exiſtimant. Narrat itaque Mneas, cum Æginenſes in Achaia debellaſſent Ætolos ac decimam pentecontorũ cepiſſent (ea eſt navis remigũ quinquaginta) hanc Apollini Pythio victoriæ monimentum dedicarunt, Rogabantque deum, quinam eſſent Græcorum præſtantiſſimi, arbitrantes futurum, vt ob eam victoriam ipſis prima laus ab Apolline tribueretur. Oraculum hunc admodum reſpondit:

Ἵπποι Θεσσαλικαί, Λακεδαιμονίη δὲ γυναῖκες,
Ἄνδρες δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν εἰσὶν ἀμείνονες, οἳ τὸ μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου,
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες, κέντρα πτολέμοιο.
Ὑμεῖς δ' Αἰγιέες, οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Id eſt:

Theſſala equa præſtat reliquis, mulierque Lacæna.
Porrò viri potant qui pulchra fluenta Arethuſæ.
Hos quoque præterea, mediæ genus incola vincit
Tirynthi, Arcadiæq; bibentibus inclytæ albis.
Argivi ſtimuli bellorum, armiſque potentes.
At vos Ægini, neque tertius accipit ordo.
Nec quartus, neque biſſenus, neque denique veſtri.

Ulla

Ulla uſquam ratio eſt, uſquam numerusve, locusve.
Qui ſcripſit commẽtariolos in Theocritum, refert hoc epigramma paulò diverſius, nimirum ad hunc modum:

Γαίης μὲν πάσης τὸ πελασγικὸν Ἄργος ἄμεινον,
Ἵπποι Θρῄκιαι, λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες,
Ἄνδρες δ' οἳ πίνουσιν ὕδωρ καλῆς Ἀρεθούσης.
Ἀλλ' ἔτι καὶ τῶν δ' εἰσὶν ἀμείνονες, οἳ τὸ μεσηγὺ
Τίρυνθος ναίουσι, καὶ Ἀρκαδίης πολυμήλου,
Ἀργεῖοι λινοθώρηκες κέντρα πτολέμοιο.
Ὑμεῖς δ' ὦ μεγαρεῖς οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ' ἐν λόγῳ, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Callimachus item in epigrammatis ad Megarenſes retulit proverbium:

—— Τοὶ δ' ἅλιοι
Νύμφιοι, ὡς μεγαρέων, οὐ λόγος, οὐδ' ἀριθμός.

Id eſt:

—— Sed veluti Megarenſibus accidit olim,
Nymphæ infelicis, non locus, aut ratio.

Item Theocritus in Cataliæ amore:

Ἄμμες δ' οὔτε λόγῳ τινὸς ἄξιοι οὐδ' ἀριθμητοί,
Δύστανοι μεγαρῆες, ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρᾳ.

Id eſt:

Noſtri nec ratio eſt, numero neque ponimur ullo,
Extremæ ſortis veluti quondam Megarenſes.

Eſt & inter amantes ordo. quum hic primus eſt apud amicam, ille ſecundus, alius tertius aut quartus. Quemadmodum & in teſtamentis eſt primus, ſecundus & tertius hæres. Effertur etiam hac forma proverbium: *τῶν μεγαρέων ἄξιοι μοίρας*. id eſt: Megarenſium parte, ſeu loco digni. Huc ſpectat & Homericum illud Illiados β.

Οὔτε ποτ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ' ἐνὶ βουλῇ.

Id eſt:

Nuſquam in conſiliis, nuſquam numeratur in armis,

Refertur ex Euripide:

Δειλοὶ γὰρ ἄνδρες οὐκ ἔχουσιν ἐν μάχῃ
Ἀριθμὸν, ἀλλ' ἄπεισι κἂν παρῶσ' ὅμως

Id eſt:

Formidoloſi nullum habent in prælio
Numerum, ſed abſunt, licet ibi adſint maxime.

Hanc figuram & Latini videntur exprimere. M. Tullius: Neminem eſſe puto, qui modo in aliquo numero ſit. hoc eſt, qui ſit alicuius momenti, alicujus precii. Idem Philip. 3. Bombalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius. Plutarchus in Sympoſiacis: *τῶν δ' ἐμῶν πολιτῶν ὥσπερ μεγαρέων οὐδεὶς λόγος*. id eſt, Atqui meorum civiũ, veluti Megarenſium, nulla ratio. Idem alias in eodem opere: *τῶν δὲ δημοκριτείων, ἔφη, εἰδώλων, ὥσπερ αἰγιέων ἢ μεγαρέων, ἀριθμὸς οὐδεὶς, οὐδὲ λόγος*. id eſt, Atqui Democriticarum, inquit, imaginum, perinde ut Megarenſium aut Æginenſiũ, nullus numerus, neque reſpectus. Equidem arbitror & Ariſtophanem huc leviter alluſiſſe, cum ſcribit in Acharnenſibus:

Ὡς χρὴ μεγαρέας μήτ' ἐν γῇ μήτ' ἐν ἀγορᾷ,
Μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.

Hoc eſt:

Megarenſibus nefas manere eſſet neque
In terra alicubi, nec in mari,
Neque continente.--

Siquidem excludens Megarenſes quatuor locis, nimirum ad illud reſpexit, *οὔτε τέταρτοι*. Quanquam in verſibus opinor non abeſſe mendum, videlicet in *μήτ' ἐν γῇ*, niſi forte quarto loco ſibi permittit ſpondæum, quemadmodum permittit anapæſtum. Mihi ſubolet huc & M. Tullium alluſiſſe, cum in Bruto ſic loquitur: Duobus igitur ſummis Craſſo & Antonio, L. Philippus proxime accedebat, ſed longo intervallo, tamen proximus. Itaque eũ, etſi nemo intercedebat qui ſe illi anteferret, neque ſecundum tamen, neque tertium dixerim. Nec enim in quadrigis cum ſecundum numeraverim, aut tertium, qui vix è carceribus exierit, cum palmam iam primus acceperit: nec in oratoribus, qui tantum abſit à primo, vix ut eodem curriculo eſſe videatur. Simili forma M. Tullius in Academicis lib. ij. dixit quintæ claſſis Democritum: Quis, inquit, hunc philoſophum non anteponat Cleanti, Chryſippo, reliquisque inferioris ætatis, qui mihi cum illo comparati, quintæ claſſis videntur? id eſt, poſtremi ordinis. E diverſo primæ claſſis dicuntur, qui cæteris præferuntur: & nulla claſſe, qui prorſus contempti. Translatum à claſſibus, in quas Servius Tullius rex diviſit populum Romanum pro cenſus modo. Florus epitome 49. dixit Vltimæ ſortis hominem, vehementer obſcurum. Andriſcus, inquit, ultimæ ſortis homo, Perſei regis ſe filium ferẽs, &c. Item epitome xix. C. Clauciam dixit ultimæ ſortis hominẽ. Hoc fiet lepidius, ſi transferatur ad animi res veluti ſi dicas, ultimæ ſortis ingenium: aut orationem cum aliorum ſcriptis vix conferendam, extremæ claſſis orationem. Ad hanc pertinet formam, quum dicunt hominem primæ notæ, poſtremæ notæ & M. Tullius, ſalutem appellat de meliore nota, ſalutationem accuratam. Ad perſonam accommodavit Catullus:

—— Et quisquis de meliore nota.

Id translatum videtur à negotiatoribus, qui vino aut panno notam aſſignant, indicantem mercis precium.

E flamma cibum petere.

Terentius in Eunucho dixit in paraſitum, eiusmodi eſſe, ut vel è flamma cibum peteret: hoc eſt, quidvis cibi cauſa paſſurum, facturumque. Explicat proverbium Catullus in Epigrammatis:

Bononienſis Rufa Rufulum fallit
Vxor Meneni, ſæpe, quam in ſepulchretis
Vidiſtis ipſo carpere è rogo cœnam,
Cum devolutum ex igne proſequens panem,
A ſemiraſo tunderetur uſtore.

Ruſticanum oratorem ne contempſeris.

Ἀγροῖκον μὴ καταφρονήσῃς ῥήτορα, id eſt, Ruſticanum ne contempſeris rhetorem. Admonet adagium, ne quem ob imperitiam, infantiam ve faſtidiamus: neq; ſpectemus à quo, quove pacto dicatur, ſed quid. Qui valent eloquentia, non perinde curandum eſt, quid minentur, aut polliceantur. At penes quos ruſticana veritas eſt, ſi quid vel inculte dixerint, haud quaquam oportebit negligere. Siquidem huiusmodi plus ſolent efficere quam loqui. Author Diogenianus.

Myſorum poſtremus.

Μυσῶν ἔσχατος, id eſt, Myſorum extremus. Strabo Geographiæ libro xij. refert Myſorum populum uſq; adeò contemptum fuiſſe, ut proverbio locum fecerit. Id uſurpat M. Tullius in oratione pro Lucio Flacco: Quid, inquit, porrò in Græco ſermone tam tritum atq; celebratum eſt, quam ſi quis deſpicatui ducitur, ut Myſorum ultimus eſſe dicatur. Idem ad Quintum fratrem: Niſi me fortè Paconii neſcio cujus hominis, ne Græci quidem, at Myſi aut Phrygis potius querelis moveri putas. nimirum generis ejus contemptum declarans. Summum itaq; deſpectum & infimam humilitatem hoc adagio ſignificabimus.

Caricus hircus.

Καρικὸς τράγος: id eſt, Caricus hircus. Diogenianus indicat dictitatum de vilibus & contemptis. Heſychius indicat uſurpatum à Sophocle. Carum populus, quod paſſim in bellis mercenarium locarent operam, ceu vili vita, in contemptus proverbium abiit. Unde & Plato *καρικὸν ἀνθρώπιον*, id eſt, Caricum homuncionem dixit, pro vili nihiliq; quemadmodum alio dictum eſt loco. Fieri poteſt, ut proverbium eo reſpiciat, quod Cares pro hirco ſolent immolare canem: ut indicatum eſt in proverbio, Caricum ſacrificium.

Indoctior Philonide.

Ἀμαθέστερος Φιλωνίδου: id eſt, indoctior Philonide. Hic Melitenſis erat prægrandi corpore, cæterum inſulſus & indoctus. Notatur aliquoties apud Ariſtophanem, ut mulieroſus, & in paraſitos profuſus.

Calabri hoſpitis xenia.

Proverbium ſubeſſe videtur in his Horatii verſibus, quos ſcripſit in Epiſtolis:

Non quo more piris vesci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem, veſcere ſodes.
Iam ſatis eſt. Et tu quantumvis tolle, benigne,
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis.
Tam teneo dono, quam ſi dimittar onuſtus.
Vt lubet, hæc hodie porcis comedenda relinques.

Ita que Calabri hoſpitis munera rectè dixeris, ruſticana leviaque, quæque magis onerent accipientem, quá iuvent aut quæ donantur contempta. Siquidem Calabri, quod pyris abundent, conſueverunt ea hoſpitibus affatim apponere: deinde ſaturos, bellariorum vice domum auferre iubent. Quod ſi recuſes, eadem porcis objiciuntur. Atqui iſtud haud eſt dare munus, ſed abjicere. Is demum dat, qui ſimul & precium muneris expẽdit, quod largitur, & eius meritum quem eo donat. Notatus eſt apud Athenæum Antiochus, cognomẽto illuſtris, qui quod erat reliquum pecuniæ, ſolet effundere verius quam largiri, interdum in viis publicis ſtans dicere conſuevit: *ᾧ ἡ τύχη δίδωσι λαβέτω*. id eſt: cui fortuna dat, capiat, & abiecta pecunia diſcedebat.

Principatus Scyrius.

Ἀρχὴ σκυρία: id eſt, Imperium Scyrium. De frigido tenuique regno, Scyrus inſula, quã olim incoluere Pelaſgi & Cares, & petrinoſa & infrugifera, nec ullius bonæ rei ferax. Suidas addit, quosdam referre proverbium ad Theſeum: qui cum invaſiſſet ditionem Lycomedis atq; huius uxorem ſollicitaſſet ad ſtuprum, præcipitatus ſit: unde videtur ſævum imperium dictum principatus Scyrius. Legimus & de ſaxis Scyroniis, quod an ad hoc proverbium pertineat, neſcio. Iuxta priorem interpretationem adagium eleganter accommodabitur ad munus aliquod, unde præter inanem titulum, & moleſtam adminiſtrandi curam nihil emolumenti capitur. author Zenodotus.

Ciceris emptor.

Equidem arbitror & illud inter proverbia referendum, quod ait Horatius in Arte poetica.

—— Ciceris & nucis emptor:

infimæ ſortis hominem, deque ima plebe quempiam ſignificans

Offenduntur enim, quibus eſt equus & pater, & res,
Nec ſi quid fricti ciceris probat & nucis emptor,
Æquis accipiunt animis, donat ve corona.

Cubito emungere.

Ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος: i. e. Cubito emungens. Proverbialis ironia:

nia in hominem ſordidi quæſtus, & conditionis abiectæ. A ſalſamentariis ducta, quibus mos eſt narium mucum cubito abſtergere, nimirum manibus muria & ſalſugine oppletis. Bion philoſophus apud Suidam ex Laertio: ἐμοῦ ὁ πατὴρ μὲν ἦν ἀπελεύθερος, τῷ ἀγκῶνι ἀπομυσσόμενος: id eſt. Meus pater erat libertinus, cubito emungens. Celebratur ſcomma M. Tullii, tortum in quendam ſalſamentarii filium: cuius tacito authoris nomine meminit qui ſcripſit rhetoricem ad Herenniū, in ſchematis ſpecie, quæ dicitur ſignificatio per conſequentiam. Vt, inquit, ſi ſalſamētarii filio dicas: Quieſce tu, cuius pater ſe cubito emungere ſolebat.

Non eſt curæ Hippoclidi.

Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ: id eſt, Non eſt Hippoclidi curæ. ſive, ut carmen reddam, Non curat Hippoclides. Eſt enim verſus iambicus dimeter catalecticus. Hoc adagio ſignificabant ſe quippiam negligere, neque magnopere laborare. Natum autē eſt ex hiſtoria, quam pluribus verbis narrat Herodotus in Eratone. Vt autem in pauca conferam, hic Hippoclides erat Tiſandri filius, qui cum multis aliis iuvenibus Cliſthenis Sicyonii filiam ambiebat. Verùm cum Cliſthenes procos toto anno probaret, & Hippoclides in convivio indecoram quandam ſaltationem edidiſſet, ſublatis in altum pedibus, pater offenſus in honeſto iuvenis luſu, ait: ὦ παῖ Τισάνδρου, ἀπωρχήσαό γε μὲν τὸν γάμον, id eſt, Fili Tiſandri, à nuptiis tua ſaltatione excidiſti. At ille protinus reſpondit, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, id eſt, Haud curat Hippoclides. Ea vox, ut teſtatur Herodotus, in proverbium abiit. Id dictum in ipſum retorquet Herodotum Plutarch. in libello quem adverſus eum ſcripſit: δοκεῖ μοι τῷ σχήματι Ἱπποκλείδης, ὁ τοῖς σκέλεσι χειρονομῶν ἐπὶ τῆς τραπέζης, εἰπεῖν ἂν ἐξορχησάμενος τὴν ἀλήθειαν, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. id eſt: Videtur mihi velut Hippoclides cruribus manuum vice in menſa geſticulans, poſtquam à veritate deſultavit, dicere, Non eſt curæ Hippoclidi. Lucian. in apologia, ἱκανὸν γὰρ ἂν εἴη μοι τὸ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ, id eſt, Mihi ſuffecerit illud quod dicitur, Haud curat Hippoclides. Idem in Hercule, ὡς Ἱπποκλείδῃ οὐ φροντίς. id eſt, Neque laborabit Hippoclides. Mentionem huius adagii facit & Euſtathius in Iliados Homericæ primum librum ſcribens. Alludit huc Ariſtophanes in Veſpis, ſæpius repetens illud ὀλίγον μοι μέλει, id eſt, Leviter mihi curæ eſt.

Contemnentis inimicum.

Qui negabit ſe commoveri conviciis alicujus hominis contempti, non inſcite deflexerit id quod eodem libro dicit Diomedes:

> Οὐκ ἀλέγω, ὡς εἴ με γυνὴ βάλοι, ἢ πάϊς ἄφρων.
> Κωφὸν γὰρ βέλος ἀνδρὸς ἀνάλκιδος οὐτιδανοῖο.

Id eſt:

> Haud curo magis, ac ſi fœmina ſive quis infans
> Me iaculo peteret, ſiquidem viri inertis & ipſa
> Irrita tela volant. —

Non admodum miſces.

Οὐ μάλα κυκᾷς, id eſt: Non admodum miſces, id eſt, non multum potes neque prodeſſe, neq; nocere. Pericles dictus eſt totam miſcuiſſe Græciam eloquentia ſua, quod arbitratu ſuo verſaret omnia. Et apud M. Tullium omnia miſcere dicuntur, qui immodica potentia perturbant rem publicam.

Canis vivens è magdalia.

Κύων ζῶν ἀπὸ μαγδαλιᾶς, id eſt. Canis vivens è magdalia. Euſtathius in Iliados librum quartum oſtendit dici ſolitum in paraſitos, & alieno victitantes cibo. Magdaliam dicit, quaſi dicas furfurem, & manuum purgamētum. Cæterum apud alios authores comperio ſcriptam unicam dictionem, velut apud Heſychium. ἀπομαγδαλιά, inquit, [illegible] ἐν τοῖς δείπνοις. [illegible] id eſt, Apomagdalia adeps, in quo abſtergebant manus in conviviis, id proiiciebant canibus quum a cœna diſcederent. Iulius idem Pollux libro De rerum vocabulis vi. c. xiiij. [illegible] ἀπομαγδαλίαν [illegible] id eſt. Veteres autem utebantur apomagdaliis (ſic enim vocabant id quod eſt in pane molle ac pingue) in quod abſterſo obſonio ipſum canib. abiiciebant: unde & Lacedæmonii apomagdaliam appellant κυνάδα. Ariſtophanes in Equitibus?

> Υπερβαλεῖσθαί σ' οἴομαι [illegible]
> ἀπομαγδαλιὰς σιτούμενος τοσοῦτος ἐκτραφείην.

Iactat Halantopola, ſuperaturum ſe Cleonem impudentia & malis artibus, aut alioqui fruſtra paſtum apomagdaliis evaſiſſe tantum. Cui reſpondet Cleon.

> Ἀπομαγδαλιὰς, ὥσπερ κύων, ὦ παμπόνηρε, πῶς οὖν
> Κύων βορὰν σιτούμενος μαχεῖ σὺ κυνοκεφάλῳ;

Id eſt:

Apomagdalias ritu canis, ſceleſte? quo ergo pacto tu victitans canis cibo, cynocephalo repugnas? Apomagdaliarum mentio fit & apud Plutarchum in Lycurgo: quo quidem loco an interpres aſſequutus ſit ſenſum ſermonis, neſcio: mihi non ſatis liquet. Græca ſic habent. [illegible] τὴν ἀπομαγδαλιὰν εἰς τὴν χεῖρα [illegible] ἐπὶ τῆς κεφαλῆς [illegible] ψῆφον [illegible] τῇ χειρὶ [illegible]

[illegible] Reddam utcunque Græca. Eum verò qui vellet eſſe convivii particeps, aiunt hunc in modum probare ſolitos: Vnuſquiſque convivarum apomagdaliam in manum ſumptam veluti calculum tacite conjiciebat in vas, quod miniſter geſtabat in capite, alius quidem ſimpliciter probans, alius verò indicans, vehementer manu premendo. Nam preſſa tantundem valet, quantum calculus perforatus, quod ſi vel unam talem comperierint, non admittunt ingreſſum, volentes ut omnes lubentes inter ſeſe convivant. Porro qui hoc modo probatus erat, caddiſſatum appellabant, nam caddus dicitur vas, in quod conjiciunt apomagdalias. Lapus autē vertit hūc in modum: Qui autem ſe convivii participem fieri velit, ſic probari. Deinde ſinguli apomagdaliam ſumentes in manum, miniſtro vas ſuper capite ferente, ſilentio quaſi calculum immittebāt. qui reprobaret ſimpliciter: qui verò approbaret, manu vehementer imprimēs Nam quæ apomagdalia preſſa fuerit, perforati calculi vim habet. quod ſi quam ex iis minus preſſam oſtenderint, non admittunt ingredientem: quippe qui velint omnes invicem iucūde congredi. Qui verò ſic reprobatus fuerit, caddiſcatum dicunt. Caddiſcus namque vas vocatur in quod apomagdalias immittunt Hæc ſi quis conferat cum his quæ ſcribit Plutarchus, intelliget Græcum exemplar quod ſequutus eſt Lapus, fuiſſe diverſum ab eo, quod nobis dedit nuper officina Aldi. Cæterū de apomagdaliis, quæ ante convivium dabantur abſtergendis manibus, meminit nonnihil & Athenæus lib. ix. Item lib. 4. tradit, apud Arcadas, ni fallor, fuiſſe moris, ut à cœna ſacrificarent, non quidem lotis manib⁹, ſed iure ſeu offa abſterſis: & quo ſe abſterſerat quiſque, id ſecum auferebat: id faciebant ob terrores nocturnos, quū in compitis ſolēt accidere. Sic ille. Et arbitror ſane non inutile remedium adverſus canes in compitis adorientes viatorem. Arbitror huc reſpexiſſe Ariſtophanem in Equitibus, quum Cleoni objicit quod aliis egregiis viris in exilium actis ipſe delicatiſſimo hordeo abſtergeret manus.

> Κἀκεῖνος μὲν [illegible] τὴν γῆν, σὺ δ' ἀχιλλείοις ἀπομάττῃ [illegible]

Id eſt:

> Atque ille quidem patriam liquit, dum tu abſtergeris
> Achilleis.

Interpres addit, ordei genus Achilleū dici, veluti generoſius. quo minus mirum eſt Theologis Achilleum argumentum vocari, quod efficax ſit ac refutatu difficilē.

Indignus qui illi matellam porrigat.

Hyperbolē proverbialis eſt, de vehemēter inæqualibus, ac ne ulla quidem ex parte conferendis. Martialis:

> Diſpeream ſi tu Pyladi præſtare matellam
> Dignus es, aut porcos paſcere Pirithoi.

Nam ſordidiſſimum obſequium eſt, micturiendi matulam exhibere: quo qui ſit indignus, is videlicet nimio inferior videtur. Vnde divus Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum, inter ſordida captatorum miniſteria hoc quoq; commemorat: ipſi, inquit, apponūt matulam, obſident lectum Plutarch. in apophthegmatis Laconicis refert, puerum quēdam Spartanum ab Antigono captum ac venditum paruiſſe quidem emptori in omnibus quæ non eſſent indecora ingenuis Cæterum iuſſus adferre matulam, deteſtavit obſequium: addens: Non ſerviam. Surgente domino, puer: Senties, inquit, quem emeris, ſimulque conſcenſo tecto ſeſe præcipitem dedit. Extat & hodie vulgò tritiſſimus ſermo: Indignus eſt, qui illi calceos detrahat. Quod adagium uſurpatum eſt in literis Evangelicis à Joanne Baptiſta. Quin etiam negant eodem die nominandos, quos admodum inæquales volunt videri.

Contemnentis dicterium.

Si quandò ſignificabimus nos ſcommate, ſeu contumelia leviter commoveri, nec altius in animum demittere, congruet illud ex Iliados eodem lib. 4.

> Οὐκ ἐν καιρίῳ ὀξὺ πάγη βέλος, ἀλλὰ πάροιθεν
> Εἰρύσατο ζωστήρ τε παναίολος, ἠδ' ὑπένερθε,
> Ζῶμά τε καὶ μίτρη, τὴν χαλκῆες κάμον ἄνδρες.

Id eſt:

> At miſſum non tranſiit ad vitalia telum,
> Sed ſumma in cute baltheus arcuit, impoſitoque
> Laminea ſquamæ, quas huic faber addidit ære.

Tanquam conchylium diſcerpere.

Ὥσπερ κογχύλιον διελεῖν. Tanquam concham dilacerare. De imbecillis & viribus longe inferioribus dicebatur. Nam illiſæ ſolo rumpuntur conchæ, quo cibus eximatur, aut inciſo nervo quo ſe contrahunt ac diducunt, aperiuntur. Refertur apud Suidam.

Tragicus rex.

Τραγικὸς βασιλεύς, id eſt. Tragicus rex, dici poteſt vel faſtuoſus ac turgidus, vel qui nomine duntaxat rex ſit, cæterum viribus parum polleat: quemadmodum Gallico proverbio chartaceum regem appellant τοὺς αὐτοκράτορας, ceu titulo regem verius, quam opibus aut ditione. Dionyſius Pheræum, quod decem menſes potius imperio mox vita deceſſerit, τραγικὴν βασιλείαν dixit. Nā in tragœdiis tāiſper durat imperium, dum fabula peragatur. tum depoſita per-

ta perſona, qui paulò ante fuerat Agamemnon, aut etiam Iupiter meſſis homuncio diſcedit domum.

Vterque ambo.

Ὁ μήτ᾽ ἑκάτερος ἀμφότερος, ἢ ἀμφότερος οὐδέτερος, id eſt, Vterque ambo, ambo neuter. Inſtar ænigmatis eſt, cuius meminit Plutarchus in Moralibus, & extat in Græcis Epigrammatis. E duobus fratribus, quorũ alteri nomen erat ἑκάτερος, alteri ἀμφότερος, ille bonæ frugis erat, hic nequam. Hos quum Philippus vidiſſet, hoc in eos iocatus eſſe fertur. Quadrabit in duos aliquos, quorum alterius nequitiam, alterius probitas compenſat.

Βαταλίζειν.

Βαταλίζειν, de pinguibus dictum & impotentibus. Eudemus meminit, addens eſſe legendum ἐξ ἐνυγείων. Quibus verbis quid ſibi velit, nondum ſatis liquet: niſi ſenſit exprobratam ingenii tarditatem. Etenim quæ vivido ſunt ingenio, caput erigunt. Capite eſſe deiecto, hebetioris ac ſegnioris animi ſignum eſſe ſolet: Nam Græca vox hinc dicta eſt βατὴς enim, ut indicat Heſychius, apud Tarentinos pronum ſignificat, & κάρα caput. Vnde βασσαρίδες Thracibus dicuntur Bacchæ, Bacchi numine afflatæ: quæ & Baſſarides dicuntur, ut indicat Etymologicus. Hinc vox deducta ad meretricem, quæ ſe proſternit quibuslibet. Apud Athenæum lib. iiij. βατταλοι dicuntur, qui crapula gravatum habent caput. Conveniet in temulentum ac ſomnolentum. Quemadmodum uſurpavit divus Baſilius in Epiſtola quadam.

Pannus lacer.

Hominum iam faſtiditum & reiectum, ῥάκος πολυσχιδὲς appellant Græci, id eſt, pannum undique lacerum. Sumpta metaphora à veſte longo uſu detrita, atque ubi id rejecta, cum nova fuerit in precio. Sic autem quidam amicis utuntur, uti veſtibus: dum uſui ſunt ac vigent, amplectuntur, curant, oſtentant: ſimulatque vel ætate defecti ſunt, vel alioqui inutiles eſſe deſierunt, negligunt ac reiiciunt. Lucianus: ἄχρις ἂν τί σε λοιπὸν ἐργάσῃ πολυσχιδὲς ῥάκος ἐξωθῇ. Id eſt: Donec, ubi te iam juxta id quod dici ſolet, pannum undique lacerum reddiderit, expulerit. Idem in eodem dialogo, nempe de mercede ſervientibus, ſimilitudinem adfert de novis calceis, qui tantiſper in pretio ſunt, dum novi nitent: idem ubi ſitu ſorduerunt, in angulum abiiciuntur aliquo, atque ibi nullo curante, ſitu tinibuſque opplentur. Solon eos qui exercerentur ad Olympiaca certamina, primum dicebat eſſe ſumptuoſos, & ob id Reip. graves: ubi viciſſent, ob faſtum eſſe detrimento civitati: poſtremo quum ſenuiſſent, iam prorſus eſſe inutiles. Ad id exprimendum Laertius citat verſiculum Euripidis.

Τρίβωνες ἐκλιπόντες οἴχονται κρόκας.

Id eſt:

Filis ſolutis lacera pereunt pallia.

Quis uſus cepis putridi.

Τίς χρεία πρασίων σεσηπότων. id eſt: Quis uſus putrefacti cepis? De rebus aut etiam hominibus circulis & quorum nullus uſquam eſt uſus. Etenim cum cepe ſit herba, per ſe viliſſima, ſimulatque computruit, nihil eſſe poteſt abjectius. Cognatum illi Plautino, Vitioſa non emam.

Inutilior blace.

Βλακὸς ἀχρειότερος: id eſt, Blace inutilior, aut nequior. In hominem nihili nulliuſq; bonæ frugis dicebatur. Sumptum à piſce uſque adeò vili, inſipido ac male olenti, ut à canibus quoq; faſtidiatur. Eſt autẽ piſcis non diſſimilis ſiluro: ſi quid credimus Etymologiarum farragini. Nunquam enim audivi canes eſſe piſcium avidos. Et ſi ſilurus is eſt, quẽ vulgus appellat ſturionem, hic inter piſces vel primas tenet. Addit locum eſſe juxta Cumas, paluſtrem opinor ac ſterilem, cui nomen Blacia: unde ſuſpicatur ortum proverbium. Heſychius & piſcem pro blace blaciam vocat. Adiicit, in Alexandria tributum eſſe dictum βλακεννόμιον, quod illic pendunt aſtrologi: eo quod blaces, hoc eſt fatui ad illos commeent, petentes ex aſtris oracula. Illud conſtat, etiam homines ſtupidos, ignavos, molles & inſipidos dici βλάκας: unde βλακεύειν, molliter & ignaviter agere: & βλακικῶς, proſtulte & inſulſe. Apparet ab hac voce Latinos dixiſſe Flaccos, & flaccidos, & flaccеſcere. ὁ δ᾽ αὖ ἐστι βλακὸς ἄλλος.

Exeritum ingenium.

Ἐξεστηκὼς γλωσσίδας νοῦν ἔχων: id eſt, Mentem habens evanidam. ἐξεγλωττισμένον periode ſonat quaſi dicas extibiatam. Ducta ſiquidẽ eſt metaphora à tibiarum linguis, quæ poſteaquam exciderint, inutilis eſt tibia.

Barbam vellere.

Τὸ πώγωνα τίλλειν: id eſt, Barbam vellere. Eſt illud quoq; ſumptum à geſtu, barbam vellere: quo ſummum contemptum ac ludibrium ſignificamus. Horatius Sermonum lib. j.

—Barbam tibi vellunt
Laſcivi pueri.—

Perſius:

Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Iupiter.

Idem alias:

Si Cynico barbam petulans Nonaria vellit.

Et Dionyſius Siculus non dubitavit Æſculapio barbam auream detrahere: Lucianus in Timone de Iove Olympio: ἐκάθευδες ἀποκειρόμενος τοὺς πλοκάμους, id eſt, Deſidebas dum tibi circum tonderetur cæſaries. Et barbam vellit mortuo leoni, qui ferox eſt in proſtratum: quod alias attigimus.

Nihili cocio eſt.

Plautus in Aſinaria: Vetus eſt, nihili cocio eſt. Dictum videtur in eos, qui pollicentur in futurum, nec exhibent rem præſentem. Laberius apud Gellium concionem pervulgato verbo dixit, quem veteres ariolatorem dixerunt. Dicuntur autẽ hæc apud Comicum à lena, quæ prædicabat ſibi oculatas eſſe manus, atque id demum credere quod videret. Quod autem alii legunt coactionẽ, id neq; carminis ratio patitur, niſi vocalẽ elidas. Ex Feſto Pompeio propemodũ licet conjicere, coctionem eſſe legendum. Ait enim coctiones appellatos à cunctatione, quod in emendis vendendiſq; mercibus, tarde perveniant ad juſti precii finem. Proinde apud antiquos primam ſyllabam, per v literam, non per o ſcribi ſolitã. Arbitror huic adſtipulari, quod ſcribit Annæus Seneca libro Epiſtolarum xj. diſſerens non eſſe ceſſandum a bene merendo, quod aliquando inciderimus in hominem ingratum: Et poſt malam, inquit, ſegetem ſerendum eſt. Sæpe quicquid perierat aſſidua infelicis ſoli ſterilitate, unius anni reſtituit ubertas. Eſt tanti, ut gratum invenias, experiri & ingratos. Nemo tã certam habet manũ, ut nõ ſæpe fallatur. Aberrent, ut aliquando hæreant. Poſt naufragia, maria tentantur. Fœneratorem non fugat a foro coactor. Cito inerti ocio vita torpebit, relinquẽdum eſt, quicquid offendit. Hactenus Seneca. Quo loco num coactor legendum ſit, necne, ſtudioſis expendendum relinquo. Juxta etymologiam cunctio, ſive cuntio, aut mutata litera contio dicendum eſſet: ni quod Feſtus Pompeius oſtendit eundem eſſe coctionem & cocionem. Is in dictione Arulator, conſentit cum Gellio, confirmans eundem eſſe cotionem cum arulatore, Arulatorem autem dici a voce Græca αἴρω, id eſt, tollo: quod merces eas ſequatur, ex quibus ſi quid ceciderit lucri, poſſit tollere.

Non pluris quam ſimias.

Simia ridiculum animal, & vulgo contemptum, non uni proverbio locum fecit. Dion Pruſeus in lib. De Troia non capta: Quos ego, inquit, non pluris facio quam, ut dici ſolet, ſimias.

Fumi umbra.

Καπνοῦ σκιά, id eſt, Fumi umbra. Proverbiali hyperbole id dixit antiquitas, pro re quam libet vili. Sophocles in Antigone:

Τἆλλ᾽ ἐγὼ καπνοῦ σκιᾶς οὐκ ἂν πριαίμην.

Id eſt:

Reliqua fumi umbra non emerim.

Cum omnis umbra res quædam eſt inanis, tum verò fumi umbram, pene dixeris umbram umbræ. Extat & hoc apud Ariſtophanem. De hoc alias non nihil attigimus.

Fulgur ex pelui.

Ἀστραπὴ ἐκ πυέλου. id eſt, Fulgur ex pelui. De minis inanibus eorum, qui lædere nõ queunt. Fulgor enim qui fulguris imitatione quadam è vaſculorum nitentium vibratione, aut ex aquis redditur, nocendi vim nullam habet, pueros modo territat. Habetur & hodie ſpecula quædam, quæ vibrata ad ſolẽ fulgur imitantur: verum id fulmen non eſt, quod montes ac maria percutiat, ut inquid Plinius. Parœmiam recenſet Diogenianus. Ad quam alluſit Auguſtinus, aut ſi quis eſt alius author, in lib. de quinque hæreſibus: Non nos hoſtium turba, non bellantium revocet forma, non quaſi vitrea fulgentia terreant arma: quanquam legendum opinor, Vitta.

Dionis gry.

Τὸ Δίωνος γρῦ, id eſt, Dionis gry. Rectè dicetur, aut ubi quempiam magno animo contemnimus, ac ne reſponſo quidem dignũ habemus: aut cum rem nihili ſignificamus. Nam de gry, alio diximus loco. Adagium ortum ex eventu, Dion Alexandrinus natione, præcipuã in philoſophia laudem eſt cõſecutus. Huic erat frater luctator, nomine Topſius. Itaque cum quidã ex eius concertatoribus Dionem probris inceſſeret, fanda atque infanda in eum evomens, multa interim turba ad convicium affluente, ipſe ne verbo quidem reſpondit maledictis, videlicet philoſophiæ dogmatum memor. Cæterum ubi iam intra ædium ſuarum veſtibulũ eſſet (nam conviciator euſque fuerat proſecutus) nihil iracundiæ præ ſe ferens, hoc tãtum reſpondit, οὐδὲ γρῦ, id eſt, Ne gry quidem. Iuvenis autem animi impotens, laqueo ſe præfocavit. Ea res in vulgi fabulam abiit.

Oppedere: & Oppedere contra tonitrua.

Oppedere proverbialiter, pro reclamare & cõtemnere reperimus uſurpatum. Horatius in Sermonibus: Vin' tu curtis Judæis oppedere? Ariſtophanes in Pluto:

Καὶ τῇ πενίᾳ καὶ καταπαρδεῖν.

Rurſum in eadem alibi:

Καὶ τῆς πενίας καταπαρδεῖν. Id eſt:

At paupertati oppedere triſti,
Quod iam divites facti paupertatem negligere poſſent.

Idem in Nubibus:

Καὶ βούλομαί γ᾽ αὐτὸς ἀντιπαρδεῖν ταῖς βρονταῖς. Id eſt:

Voloque ipſum oppedere contra cœli tonitru.

Verba ſunt Strepſiadis adorantis nubes, & contemnentis tonitrua Iovis

Iovis. Interpres addit natum ex artificio quodam in ſcena repræſentari ſolito, lapillis ex amphora in vas quoddam æneum præcipitatis, atque ita tonitrui ſtrepitum imitantibus: ut hoc ſit velut obſtrepere tonitruis. Equidem opinor alluſum ad veterum poppyſſandi conſuetudinem. Antiquitus enim cum fulguraret, poppyſmatibus obſtrepebant: id remedio fore rati, ne quid læderet fulgur. Ariſtophanes in Veſpis: καὶ ἀστράψῃ, ποππύζουσιν. id eſt, Quod ſi fulguraro, poppyſſant. Vnde quidam per iocum veluti perperam imitantes aliorum poppyſmata, crepitum ventris ædebant. Cyclops apud Euripidem in eiusdem nominis tragœdia, Iovis tonitruum contemnens, loquitur hoc pacto:

[illegible]

[illegible]

Ideſt:

Vbi lactis epotavero amphoram, peplum quatio,
Iovis ex pari tonitribus obſtrepens.

EX APPENDICE ERASMI.

Bona mala.

De rebus vilibus & abiectis, multum tamen utilibus ac propè neceſſariis. Plin. Quonam modo utiliſſime coluntur agri? ex oraculo ſcilicet, malis bonis. Hoc velut ænigmate ſignificatum eſt, agros quàm minimis impendiis, & quam maximo labore colendos eſſe.

Tenuiter.

De rebus nihili, minutiſque anxiè nimis diſputantes, dicemus [illegible], tenuiter dicere & loqui, [illegible], de meris nugis anxios torqueri: ipſam actionem appellabimus [illegible], & [illegible] Ariſtophanes, Ariſtoteles. Contrariū eſt, [illegible], differere craſſe, &, ut ita dicam, exemplariter: pro, non accuratè & exactè, ſed quali ratione, modò ea facilis ſit & commoda.

Fungus putidus.

De inutili & deliro. Plautus: Terræ odium ambulat. Iam nihil ſapit, nihil ſentit, tanti eſt, quanti fungus putidus. Vbi terræ odium dixit, ut Horat.

—— Telluris inutile pondus.

Nihil eſt, aut nihil cura eſt

Οἱ [illegible]: Alii quidem propè nihil ſunt aliis autem nihil curæ eſt. Cicero è comico Rhintone: Qui me, inquit, recta ſentientem adjuvare, & in optimatum via pergentem, forſitan ſequi vellent, infirmi ab authoritate nō poſſunt, qui poſſent, negligunt. Idem conveniet hodie multis, ſtudia aut religionem promovere conantibus: inter quos permulti quidem poſſunt aliquid præſtare, nolunt tamen: alii volunt, ſed non poſſunt. ijs quidem voluntas, illis facultas deeſt: & validiſſimum rerum gerendarum telum, authoritas.

Alabaſtrus unguenti putet illi.

In inſulſos, quibus optima pro peſſimis diſplicent. Cicer. Plut. Tractum à ſcarabeis, qui dicuntur unguentum fugere, graveolentia ſectari.

IVNII.

Quadrante dignum.

Quadrante dignum, pro exiguo & vili, non abſque proverbij ſpecie dictum invenio apud D. Hieronymum: Rideo advocatum qui patrono egeat, quadrante dignam eloquentiam nare ſubſanno, ubi dignam quadrante eloquentiam vocat, quæ nullius pendi ſit, & vix unius æſtimandam aſſis, quod Catullus dixit. Vnde quidam exponunt illud Iuvenalis, quadrante lavari pro exigua mercede: alioqui Quadrantariam fuiſſe dictam meretriculam quandam vilitatis indicio, annotat in Cicerone Plutarchus, quod in æreis nummis minimum Quadrans vocaretur. Huic confine eſſe annotat Eraſmus. Quatuor obolis æſtimas, quod diverſo ab Eraſmi opinione ſenſu exponit Suidas, [illegible]: Quatuor obolis dignum, de rebus quantivis precij, quomodo accepiſſe videtur incertus author cuius verba citat: [illegible] id eſt. Libertatem linguæ tuam quatuor obolis dignam putas, iuxta proverbiū: at ignoras etiam Therſiten inter Græcos libertate dicendi uſum fuiſſe, cuius deblateramenta nihilo pluris fecit, quam muſcas teſtudo, id quod dici ſolet, Agamemnon.

Cubitale.

Πηχυαῖον dicunt Græci proverbialiter quod humile eſt, aut exiguum quaſi cubitale dicas. Mimnermus Colophonius poeta apud Stobæum.

[illegible]
[illegible] ——

Id eſt:

Tempore perfruimur cubitali, flore iuventæ
Frontibus aſſimiles.

Breve namque eſt cubiti ſpacium, quod πῆχυν & πυγμὴν dicunt illi: unde & Pygmæorum pumilæ genti agnomen eſt. Eiuſmodi eſt Pſalmiſtæ dictum, Pſal. 39. Poſuiſti ut palmos dies meos, ſive palmares dediſti, nimirum breves, ad modum palmi, quatuor digitos ſpacio complectentis. Contra [illegible] procerū & magnum vocavit Callixenus apud Athenæum: [illegible]: Medius horum incedebat arduus homo quadricubitus. Vſurpavit & Ariſtophanes hanc vocem pro magno, ibi: [illegible], id eſt, quadricubitos & generoſos.

Fimo abiectior.

Κοπρίων ἐκβλητότερος, id eſt, Sterquilinio abiectior. Proverbialis hyperbole de contemptiſſimo homine, & quam caſſa nuce viliore. Citat Euſtath. Iliad. iij. Eſt autem Heracliti dictum: [illegible], id eſt: Mortui ſterquilinio abiectiores. Strabo lib. xvij. de Nabathæis loquens: [illegible] Ἡράκλειτός φησι, [illegible] id eſt: Cadavera eodem loco habent quo fimum, quemadmodum Heraclitus ait, mortui ſtercore abiectiores. Citatur & à Plutarcho Sympoſiacorum quarto cap. iiij. Cognatum illi eſt illud Teleclidis apud Athenæum ex Amphictyonibus:

[illegible]

Id eſt:

[illegible] vos partim ſplendidi, partim marcidis pomis viliores.

Puerorum crepundia.

Τὰ παίδων ἀθύρματα, id eſt, Puerorum ſcruta, aut ludicra, proverbiali ſchemate dicuntur res viles, nulliusque momenti: [illegible] (inquit Chryſoſtomus in lib. De ſacerdotali dignitate) [illegible]: id eſt, Belli deſcriptionem exiſtimare non aliud eſſe quam puerorum crepundia. Eunapius ut puto, de Theodoſio Imperat. ab eunuchis circūducto, & oſtentui habito. [illegible] Id eſt, Lactantes Theodoſium, quemadmodum pueros ſolemus, crepundiis. ἀθύρματα dicuntur puerilia munuſcula, Latinis crepundia dicta, nam [illegible] interpretatur. Euſtath. Odyſſ. xv. ubi.

[illegible]

ſunt & ludicra puerilia, ut Iliad. xv.

—— [illegible]

de pueris arenæ acervum in littore aggerentibus, mox alluvione maris delendum. & apud Ioſephum, Οὐκ [illegible]. Viros non decet puerorum ludicris ſe immiſcere.

Ne cicadam quidem inumbret.

Οὐδ' ἂν τέττιγι σκιὰν παράσχοι: id eſt, Ne cicadæ quidem umbram porrigat. Proverbiali dicterio uti licebit, quoties alicuius opes elevamus, fama quidem magnas, ſed re ipſa exiguas. commemoratur à Xenophonte, de rebus Græcorum libro vij. Antiochi Arcadis pancratiaſtæ res Perſicas elevantis dictum, [illegible]: id eſt, Auream regis Perſarum Platanum tantopere decantatam, ne cicadæ quidem umbram porrigere poſſe. Innuere voluit, platanum auream (monumentum Xerxis, qui platanum ex auro, veræ & abſque adamate æmulam, fundi iuſſerat, patulis ramis diffuſam, ad divitiarum oſtentationem) quam tantopere fama celebrem & ſcripta reddiderunt, præter nudum nomen vix quidquam habere.

Præ formicis exilis.

Τρὶς [illegible] μύρμηκος ἰσχνότερος: id eſt, Præ formicis exilis. Proverbialis figura dicitur de gracili & ſupra modum tenui, ſive ad laudem, ſive ad vituperium trahere. Syneſius in epiſtolis. [illegible] id eſt: Erat nobis ancillula Pontica, quam cura & natura in unum coniunctæ, formicis exiliorem reddiderant. Sic Terentianus Chærea, curatura iunceas fieri virgines dixit, & vincto pectore iuberi eſſe, ut graciles fiant. Huc ſpectat formicinus gradus apud Plautum in Menæchmis, & apud Martialem epigram. iij.

Pectus cicadæ, cruſculumque formicæ.

Græci quoque à veſparum exilitate σφηκώδεις, quaſi veſpeos ſeu veſpiformes graciles nominant, & λαγαρούς à macie & exilitate quæ in lumbis ſpectatur, hoc quidem ἀπὸ τῶν λαγόνων, à lumbis: illud ἀπὸ τῶν σφηκῶν, id eſt, à veſpis: à quarum exilitate σφήκωμα Medicis linamentum dicitur, & apud Arithmeticos σφηνίσκος figura ſolida, diſparibus ſpaciis conſtans à veſparum nimirum ſimilitudine, quarum corpuſculo circa medium conſtricto compreſſoque hanc molis figuram aſſimilant: ut libro ſecundo docet Nicomachus Geraſinus.

Caprarum nomina.

Αἰγῶν ὀνόματα, id eſt, Caprarum nomina: proverbium effertur de re frivola & inutili. Nam quum ſimiles inter ſe capræ ſint, ſtulte operam collocat, qui illis nomina quibus dignoſcantur imponit, quippe quum iſta creari ſoleant in differentibus ſpecie, diſcriminis gratia, quod in caprarum genere nullum eſt, aut exiguū admodum. Qui ergò conſimilium rerum colluviem congerit, Caprarum nomina recenſere illum dicturi erimus. Refertur in Suidæ collectaneis.

Ne ſtilla quidem.

Μηδὲ ψακάς [illegible] Ne minutula quidem pluviæ ſtilla. Proverbialis hyperbole: pro, Ne tantillum quidem. Ariſtophanes volens ſignificare ne teruncium quidem in ærario eſſe ad alendos bellicos ſumptus, inquit

Μηδὲ

Μηδὲ ψακὰς ἦν πάνυ μικρά.

Omnino ne minutulæ quidem pluviæ guttula erat.

Eſt autem ψακὰς, guttula, cuiuſmodi eſt nivis aut pluviæ minutæ, quam & ψακάδα vocant.

Ne in viginti quidem eſſe poteſt.

De abiecto viro, qui in contemptum venit, proverbiali figura dixit Cicero lib. 2. epiſtol. ad Atticum: Sub contumelioſe tractatur noſter Publius, qui cum in domo Cæſaris quondam unus vir fuerit, nunc ne in viginti quidem eſſe potuerit. Indicat Publium, qui quidvis antea potuerit apud Cæſarem, nunc de gradu deiectum in viluiſſe: & penes quem ſolum ſumma rei ſteterat, nunc ne inter viginti quidem primos locum habere poſſe.

Ἀποθυννίζεσθαι.

Ἀποθυννίζεσθαι, quaſi dicas Thunnifari, aut Thynni inſtar vilipendi parœmiace extulit Lucianus, pro contemni & deſpectui haberi. Euſtathius in Odyſſeæ xij. ἀπὸ θύννου exponit, hoc eſt, in contemptum abire, à thynni piſcis parum probati edulio. Verba Luciani ex Ioue tragœdo ſunt: εἰ περὶ αὐτοῖς ἡμῖν ἀποθυννίσεσθαι. id eſt: Si mea uſque adeo vobis ſordent & reiicula habentur. minime omnium placet quod Stimulator noſter exponit: quum Suidas illud interpretetur ἀποστρέφεσθαι, abhorrere & averſari. Quid quod Θυννώδης, quaſi Thynnicum dixeris, Lucianus pro craſſo & inſulſo protulit, θυννώδη, καὶ παχὺν: id eſt, Thynnarium, & oppido craſſum.

Scrutarius & ῥωποπώλης.

Poſtremæ ſortis hominem, aut vilium mercium ſordidũ emptorem. Luciliano vocabulo Scrutarium nominabimus, qualem fracti ciceris & nucis emptorem appellat Flaccus: Græci (ut equidem arbitror) γελγοπώλην, & ῥωποπώλην. eſt enim ῥῶπος, Ælio Dionyſio teſte, rerum vilium minutarum variarumque acervus, λεπτὰ ἀναμὶξ φόρτος (nam male in Heſychio legitur χόρτος) καὶ ποικίλος. item confuſanea colorum congeries, quæ pictoribus, unguentariis tinctoribusque uſui eſſe ſolet. De tali mercium inſtitore ſenſit Horatius ibi:

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Ad quem verſum alluſit Hieronymus alicubi, quum inquit: Ab Iudæo audivit vilia populis ſcruta vendente. Porro Heſychius etiam exponit ῥωπικὸν ἄξιον, vile ac nullius frugis. unde deductum verbum ῥωπίζειν, quod ſignificat varia confundere, & in unũ commiſcere, τὸ ποικίλλειν καὶ συμπεφυρμένα ποιεῖν. qua voce ita uſus eſt in Omphale Ion comicus, cõtra eos qui interpretantur illud perperam ἀπειροκαλεῖσθαι, pro imperite agere, ut annotat Euſtathius Iliad. 13 & Demoſthenem velut ſut lem & nugivendum tabulam ῥωποπωλικήν falſo cavillo dixit Comicus quiſpiam: Meminit & Galenus ῥωποπωλῶν lib 6. De ſimplicium facultate, ubi de abrotono loquitur καὶ πάντες ἴσασι τυγχάνοντες ἰατροὶ καὶ ῥωποπῶλαι. id eſt: Idque norunt omnes tum medici tum minutarum rerum inſtitores & ſeplaſiarii, & iterum lib 1. Therapeutices οἱ γὰρ τοὺς ῥῶπας διατιθέμενοι καὶ περὶ πρωτείων ἐρίζουσι, id eſt: Nam qui pictoribus & myrepſis mixturas ſuas concinnant, etiam de primatu certant. Plutarchus in Lycurgo ῥῶπον etiam pro ſcrutis accipit, ubi de Lacedæmonijs inſtitutis loquens, ferrum in reliqua Græcia (cuius ſolus uſus apud illos receptus erat) propter vilitatem uſque adeo in contemptum abiiſſe ait, ut in commutatione mercium nullius habitum fuerit precii: τὸ σιδήρεον, inquit, οὐκ εἶχε λόγον καὶ τὸ χρῆμα ἦν ἄτιμον, ὥστε οὐδὲ ἐξαγώγιμον τοῖς ξένοις ῥῶπον ἢ ἀγαθὸν ἐπεισάγειν. id eſt: Ferrum deſpectum in uſum precii non veniebat, ita ut exoticarũ viliumque rerum nihil in commerciis eo redimi poterit. quæ verba referuntur & a Porphyrio lib. 3. de prohibito animatorum eſu. Operæ precium autem fecerit lector ſtudioſus, ſi locum ad paginam integram prolixum cum Plutarchi verbis conferat: pluribus enim locis male affectis utrinque remedium adfert, quem laboris non piguerit. Eraſiſtratus medicus de natura loquens nuſquã manca aut defectuoſa. ἡ φύσις, inquit, ἔχουσα ῥωπικόν: ita namque legendum eſt, non ῥωπικόν, apud Plutarchum in libello De liberorũ amore. πάνταχου γὰρ ἡ φύσις ἀκριβὴς καὶ φιλότεκνος καὶ ἀτελὴς καὶ ἀπερίεργος οὐδὲν (ὡς Ἐρασίστρατος ἔλεγε) ἔχουσα ῥωπικόν: id eſt. Natura etenim ubique exacta, ſobolis amans, integra, nuſquam conciſa, nihil (quod Eraſiſtratus ait) minutum aut virgultum præferens.

Lateritius.

Πλίνθινον. id eſt: lateritium. proverbiali figura dixit Ælianus ſophiſta, pro vili, & qui nullius frugis aut penſi habeatur. Ita enim in epiſtolis loquitur: οὐ μὴν ὡς τὸ πάνυ πάλιν μου καταφρονήσεις ὥσπερ πλινθίνου. id eſt: Non omnino deſpicient me tanquam lateritium. Non alienum hinc eſt Auguſti Cæſaris dictum apud Tranquillum, Marmoream ſe urbem relinquere, quam lateritiam accepiſſet. Cui dicto affine eſt quod temerarii homines loquuntur apud Eſaiam cap. 9. πλίνθοι πεπτώκασιν, ἀλλὰ λίθους λαξεύσωμεν. hoc eſt: Pro lateribus qui corruerũt, quadrata excuſlpemus ſaxa. Eſt autem propriè πλίνθος, quem Latini laterem nominamus, quadratura glebæ argillaceæ luteæve, quam ſolis ardor duraverit, & quæ facile luteſcit imbribus aut aquæ alluvione reſoluta, quo ſpectant verba Saluſtij, hiſtoriarum lib 3. Pat in oppido feſtinatio & ingens terror erat, & ne latere nova munimenta madore infirmarentur: nam omnia oppidi ſtagnabant redundantibus cloacis adverſo æſtu maris. Quod ſi acceſſerit ignis coctura, iam nõ ſimpliciter later, ſed πλίνθος ὀπτή, id eſt, coctilis later, ad diſcrimen dicitur. Cuiuſmodi ſortes dolo Temeni fabricatæ leguntur apud Pauſaniam in Meſſeniacis: quarum alteræ lateritiæ fuerunt è gleba ſole areſacta, quæ in aqua in hydria contenta diſtabuerunt, una Creſiphonti deputata è gleba igne excocta, ſuperſtite manente: illas ξηρὰς ὑφ' ἡλίου, hanc ὀπτὴν πυρὶ vocat. Hinc eſt quod Sophocles κλῆρον δραπέτην, quaſi fugitivam ſortem nominarit, lateritiam quæ in ſortiendo deliquit. Simili phraſi apud Ciceronem in ſexta Verrinarum legitur, Luteum negotium, pro re nullius precij, aut momenti. nam cum ibi Pamphilus quidam Cibyratis quadruplatoribus pollicitus fuiſſet certam pecuniam pro ſcyphis ſigillatis, quos Verri iuſſus fuerat adferre, perſuaſerunt illi prætori ſuo non eſſe alicujus precij ſcyphos, & indignos qui inter illius κειμήλια haberentur, dictitantes Luteum eſſe negocium. Proverbiali ſchemate dixit Martialis lib. 9. illud:

Tu magnus luteum Gaure giganta facis.

Quod dici poterit de eo, qui materiam arduam inepte & humiliter tractat.

Caris loco habere.

Τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ: id eſt, Mihi Caris vice habetur. Achillis ſunt verba ſtomachabundi, quibus ſuum erga Agamemnonem ſtomachum detegit, nihil illum ſe facere, ac viliſſimi mancipiĩ loco habere, diſerte profeſſus. Amerias & Neoptolemus gloſſematarij ea verba exponunt: pro, ἐν μισθοφόρου μοίρᾳ ἄγομαι: hoc eſt, Mercenarij militis illum loco habeo. male ſiquidem audiebant, vilitatiſque nomine traducebantur, Cares Bœoniæ populi, quod primi ſtipem militiæ fecerint, veluti venalem auro vitam proſtituentes, peculioque ſeſe mancipantes, vel ante bellum: quomodo exponit Suidas illud, ἐν καρὸς αἴσῃ τίθεσθαι id eſt, Caris vicem obtinebat: hoc eſt, æra merebat. Appion grammaticus ſcribit, parũ recte Cari Agamemnonem æquari, quum id potius in Achillem ad prælia pugnantem competere poſſet: deinde tametſi Cares æra facerent, attamen Troiani belli temporibus, vel etiam ante Homeri ætatem id non accidiſſe, ac proinde Caras pro ſtipendiarijs ab Achille agnoſci non potuiſſe. Quid, quod non Cares: ſed Arcades vetus ea nota injuſti leguntur. ut apud Philoſtratũ, quod mercenariam in bellis locarent vitam: unde Pauſanias in Meſſeniacis ſcribit, Lacedæmonios Græcorum primos pecunia corrupiſſe Arcadum regem, & ſtipendiarium ſibi feciſſe. Dionyſius quoque Mileſius in Nænia de Chæronenſi clade: ὦ τῶν Ἑλλήνων, inquit, κακῶν τὴν Ἀρκαδίαν τρίβων. id eſt, Græcorum calamitates Arcadiam aluit. & iterum: τοὺς ἀγοραζομένους ἐπὶ τῷ μισθοφορικῷ δρόμον ἀγορὰν πολέμου ποιοῦντας. id eſt. Qui judicant propoſitam eſſe Arcadibus belli nundinationem ad merendum ſtipendium. Appion, cuius antea meminit, adducit ſcripturam nonnullorum virorum, ut ipſe putat, qui unica dictione ἐγκαρὸς ſcribunt, qua voce ſignificatur, quaſi Agamemnonem pluris nihilo fecerit, quam vile iſtud reptile. Quam ſententiam ſervari etiam autumant alii, ſi vel diviſis vocibus ἐν κηρὸς legas. hoc eſt, Φθειρὸς. Rurſus ſunt qui priorem illã compoſitionem ἔγκαρος retinent, & exponunt ἔγκαρ cerebrum, cuius eſus apud Athenienſes abominandus habebatur, ac propterea vetitus fuit, ut dicat Achilles, ſed haud aliter deteſtari regem, quam nonnulli cerebrum. Cui ſententiæ ſuffragari videtur & Plutarchus ſympoſiacis, dum ait, Quia priſci cerebrum intactum relinquebant, ea de cauſa putatur Homerus illud extuliſſe,

—Τίω δέ μιν ἐγκαρός αἴσῃ.

cerebrum ea voce denotans. ſolebant namque cum deteſtatione potricere atque abominati cerebrum, præſertim porcinum: quod etiam guſtaſſe piaculum erat, ex opinione philoſophorum: qui perinde cenſebant eſſe cerebrum & fabas arrodere, & capita non parentum modo ſed & aliarum ſpurcarum ac profanarum rerum. Apollodorus Athenienſis, ut cerebri deteſtationem exaggeret gravius, Athenæ teſtimonio addit ne nomine quidem tenus appellare cerebrum voluiſſe, ac propterea Sophocles in Thrachinijs, ubi Licham puerum Hercules in mare potricit, non cerebrum nominatum, ſed λευκὸν μυελὸν, id eſt, candidam medullam illud dixiſſe, ad evitandum infauſtæ vocis omen. verſus eius hic eſt:

—Κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσου.

Euripides idem de Aſtyanacte alibi inquit:

Ἔνθ' ἐκγελᾷ

Ὀστέων ῥαγέντων φόνος, ἵν' αἰσχρὰ μὴ λέγω.

Id eſt:

Illinc renidet oſſibus fractis cruor,

Ne infanda dicam.—

Cæterum diligentiſſimi quique ſcriptorum illud ἐν καρὸς αἴσῃ, & legunt & interpretantur ἐν κηρὸς μοίρᾳ (qui locus depravatus eſt in Heſychianis codicibus) hoc eſt, non ſecus quam mortem: ut idem plane ſit:

—Τίω δέ μιν ἐν καρὸς αἴσῃ:

& quod ab eodem poeta alibi dictum:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν.

Id eſt:

Non ſecus ille mihi exoſus, quam limina ditis.

Vtitur proverbio Syneſius ad Anaſtaſium: ἐφ' οὗ πᾶς ὁ μέτριος καὶ πρᾶος τὸν τρόπον, ἐν καρὸς μοίρᾳ καὶ ἄτιμος. id eſt: Apud quem ut quiſque eſt modeſtiſſimus, & placidis moribus præditus, ita Caris loco habetur, & deſpectus. Annotatum eſt ab Heſychio, καρομοίρους cõpoſita dictione vocari contemptos vileſque homines, aut etiam qui

qui aliis mercenariam operam præſtant: quod à Carib. iſtud primum in mores dimanarit.

Circa montis radices verſari.

Περὶ δ' ὄρους κρηπῖδας στρέφεσθαι, id eſt, Circa montis radices hærere dicitur proverbiali figura, qui ad præcipua artis alicuius capita & myſteria non aſpirat, ſed & trivialibus, & vulgaribus inhæret. Nazianzenus in Monodia Baſilii: ἔτι περὶ τὰς τοῦ ὄρους κρηπῖδας στρεφόμεθα τῶν ἀκρωρειῶν ἀπολειπόμενοι, ἔτι πορθμὸν διαπερῶμεν, ἀφέντες τὸ μέγα καὶ βαθὺ πέλαγος. id eſt: Adhuc verſamur ad montis radices, à cacumine abſtinentes, adhuc fretum tranſmittimus, relicto profundo & ingenti pelago. Concionator qui lacte & quodam iucundioris diſciplinæ pulmento tenellas mentes & rudem populum nutrit, nondum altioribus imbutum, aptè dicetur, περὶ τὰς κρηπῖδας μένειν. Sub connubii radicibus pro initijs. Dicuntur autem κρηπῖδες montis imæ radices, unde in acclive inſurgere incipit.

Ne ad Adonia quidem.

Quum doctrinam alicujus ita elevamus, ut ne in trivialibus quidem & rebus communibus, talem doctorem depoſcere nobis dignaturi ſimus, uti licebit Cratini lepidiſſimi poetæ verſu, è comœdia quæ inſcribitur Bubulci:

Ὃς οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
Ἐμοὶ διδάσκειν, οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια.

Id eſt:

Quem ne dignerquidem
Doctorem habere vel ſacris Adoniis.

Adonis autem ſacris, quorum meminit Macrobius & Lucianus, nihil ſtultius excogitari poteſt, quæ præter fœmineos planctus vix aliud religionis cultusve divini veſtigium habuerunt: & lachrymæ, & lamenta, quibus omnia ſtulte permiſceant, fœmineo generi paratiſſimæ ſunt opes. Extat apud Athenæum. De Adonidis horto dictum eſt abunde ab Eraſmo: cuius meminit eleganter Nazianzenus formam muliebrem illi comparans.

Κῆπος Ἀδώνιδος ἐστὶ γυναικείη χαρίεσσα.

Id eſt:

Gratia fœminea eſt effœtus Adonidis hortus.

Iis quæ ex trivio ſimile.

Ariſtides in oratione περὶ τῆς παραφθέγματος: ταῦτα σοι τῶν τριόδων παραπλησίαν ἔχειν δοκεῖ σοι ταῦτα. id eſt: An tibi iſta videntur ſimilia eſſe ijs quæ in trivijs fiunt. De rebus obſoletis & vulgaribus. Latini etiam triviale ita uſurpant, pro plebeio & vili, ſic trivialia verba dicuntur nihil elegantiæ habentia, & protrita. Apuleius li. viij. De aſino aureo, Unum de triviali popularium fæce, hoc eſt, de promiſcua plebe hominem. Nazianzenus in Steliteutica priore, οὓς ἐκ τῶν τριόδων καὶ βαράθρων ἑαυτῷ συνελέξατο, id eſt, Quos è trivìis & barathris ſibi aſcivit.

Inter Soſias & Tybios referre.

Εἰς Σωσίας καὶ Τυβίους ἀποδιδόναι, id eſt, In Soſiarum & Tybiorum numerum referre, proverbiali ſpecie dicemus, quoties meritos proſtituimus, & in inferiorem quam merentur claſſem atque ordinem redigimus. Syneſius ad Euoptium. Ἐντεῦθεν τὸν κλήρον τὸν ἡγεμόνα ... ὁ Ἡρώδης ... εἰς Σωσίας καὶ Τυβίους ἀπέδωκε. id eſt, Huius vel Cecrope longe generoſioris conſobrinam avunculus Herodes ab oſtiis, in Soſias & Tybios elocavit, hoc eſt, in ignobiles & plebeios terræ filios. Galenus Therapeuticés li. 1. indicat Tibios emptitios fuiſſe ſervos: quanquam ibi male pene ſcribantur, eius verba ſunt: καθάπερ Γέται καὶ Τίβιοι καὶ Θρᾷκες ἀργυρώνητοι. id eſt, Getarum more & Tibiorum, Thracumque venalitiorum hominum. Tibij a Phylarcho in Ponto ponuntur, ita quoque in Plinianis libris eſt: ut naturalis hiſtoriæ ca. 2. libri ſeptimi. Plutarchus Sympoſiacωn quinto, cap. 7. καὶ τοὺς Τιβίους περὶ τὸν Πόντον οἰκοῦντας ... Φύλαρχος, οὐ παιδίοις μόνον ἀλλὰ καὶ τελείοις ὀλεθρίους εἶναι. id eſt, quanquam Tybios dictos Ponti accolas, refert Phylarchus non pueris modo, ſed & adultæ ætati faſcino officere. Soſias verò in comœdiis ſerviles eſſe perſonas, nemo eſt qui ignorat.

Lutea progenies.

Πηλογόνοι vocabulo Callimachi dicuntur vaſti homines & ignobiles, quaſi è luto prognati, παρὰ τὸ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι: quales terræ filij habebantur, unde Minutius Felix in Octavio, qui libr. falſo octavus Arnobio adſcribitur, de Saturno loquens: Terræ enim, inquit, & Cœli filius, quod apud Italos eſſet ignotis parentibus proditus, ut in hodiernum inopinato viſos, Cœlos miſſos, ignobiles & ignotos terræ filios nominamus, & Tertullianus in Apologetico, Terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertũ eſt. Eodem ſenſu γηγενεῖς, hoc eſt, terrigenæ dicuntur, apud Alexin comicum:

Ὁ δ' ἕτερος τί ἂν τύχοιμι ὀνομάσας;
Βῶλος, ἀρότρου γηγενὴς ἄνθρωπος.

Id eſt:

Ac alterum quo nomine obſecro feram?
Is ipſe gleba eſt, ſtiva, terræ & filius.

Quibus verbis ſtupidum, inſulſum, & ignobilẽ proſcindit. Quid, quod γίγαντες, hoc eſt, gigantes, non alij quam ἐκ γῆς γεγενημένοι, id eſt, humo enati, ſonant Græca voce? Haud diſſimili ſchemate χαλάζιον veteres dixerunt, craſſum, indocilẽ, telluris inutile pondus,

teſte Ælio Dionyſio: qualis ille fuit, qui è ſomno evigilare non potuit, niſi compunctis impreſſis altius aciculis, ut Euſtathius inſimulat. Tranſlatio à terrei collis mole. Theodoritus lib. De providentia v. ὡς γηλόφους ἄλλους τῷ μεγέθει μιμούμενοι, id eſt, Immani corporis mole colles repræſentat.

Virtutem infortunatam deſpicere miſerum.

Αἰσχρὸν καὶ χεῖρον ἀρετὴν ἀτυχοῦσαν περιορᾶν: id eſt. Turpe eſt ac miſerum, calamitoſam virtutem deſpicari. Proverbialis ſententia. Ariſtoteles ad Philippum Macedonem ſcribens, nihil humanius eſſe oſtendit, quam afflictorum miſereri: immitis ac duri ingenij eſſe, pietate non tangi: & ceu proverbiale iſtud ſubijcit, non ſolum modo eſſe, ſed execrandum inſuper, ut quis hominem virtute præditum, ſed fortunæ procellis deiectum, non erigat atque confirmet. Eadem ſententia parœmiaca uſus eſt Mithridates Ponti rex, qui (ut refert Appianus Alexandrinus) quum Pomponium Luculli equitum magiſtrum, confidentius quam pro captivi ſorte locutum barbari interficiendum cenſuiſſent, reſpondit: Δεινὸν εἶναι ἀρετὴν ἀτυχοῦσαν μὴ ἐλεεῖν. id eſt. Par eſt & æquum iacentem virtutem non deſpicere. Syneſius lib. De regno, breviſſimis verbis hanc ſententiam incluſit, hoc modo: τύχη δ' ἀρετῆς οὐκ ἔλεγχος. id eſt: Virtuti fortuna exprobranda non eſt: ὥσπερ αἰσχυνομένης τῆς τύχης ἀρετῆς ἐπιδεῖξεις μὴ μαρτυρούσης. id eſt; Quaſi erubeſcat fortuna non atteſtari præclaris facinoribus.

In ſolum.

Proverbij iſtius meminit non ſemel Cicero, ut in Epiſtolarum familiar. 9. epiſtol. ultima. Convivio delector. ibi loquor aliquid, quod in ſolum (ut dicitur) & gemitum in riſus maximos transfero & rurſus in primo, De natura deorum: Abuteris ad omnia atomorum regno & licentia, hinc quodcunque in ſolum venit (ut dicitur) effingis atque efficis. Proverbium eſſe clare convincit additis utrobique parentheſis, ut dicitur: neque inficiatur Petrus Victorius, quem honoris cauſa nomino, & propter ſingularem eruditionem teſtimonij vice advoco, qui ratum eſſe, ac propterea parum proſpici unde dictum ſit, annotat. Apparet autem efferri vulgari & trivialibus rebus aut dictis, atque elliptice dici, quod in ſolum, ſcilicet impingi illidive dignum ſit, debeatque: videtur enim innuere Cicero priore in loco, ſe in convivio, cui Cytheris ſcortum interfuit, procacioris aliquanto linguæ fuiſſe, & nonnulla ridicula atque oblivione obruenda liberius effutiviſſe, beni indulgentem. Simili modo vulgaris lingua monet dicterium aut inhoneſtius verbum deſpuere ſoloq; allidere. Græci etiam ἔδαφος vocant, quod humile eſt & abiectum ab ἔδει, quod ſolum pavimentumque ſignificat. Forte autem à recepto more potantium, qui quod reliquum in fundo calicis poculive ſubſidet, in ſolum ejiciunt atque effundunt.

BRASSICANI. *Vilior vitioſis pomis.*

Athenæus libro γ ex Teleclide citat, φαυλότεροι φαυλίων μήλων Abiectiores vilibus pomis: de contemptiſſimis hominibus, quos Plautus dixit, Caſſa nuce non emendos.

Bambalio.

Cicero in 3. Antoniana: Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius, qui præter hæſitantiam linguæ ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. Bambalionem abiectiſſ. hominem appellat, quem non minus turpe corporis filum, quam impura oratio deformet. βαμβαλίζειν apud Heſychium eſt τοῖς χείλεσι τρέμειν, labiis tremere. βάμβαλον Phryges pudendam corporis partem appellant, à qua & Bambalio dictus videri poſſit. Franciſcus Philelph. in Saty. Pogium Bambalionis cognomento notavit.

Literatus.

Plautus in Caſina: Si hic literatus me ſinat. Literatum vocat hominem abiectiſſ. ſtigmatis inuſtum, & ut Cicero atque Valerius dixerunt, notis Threicijs compunctum, ſed & cicatricibus deformatum, ut Iureconſulti ſcribunt. Ita Plinius lib. 18. c. 3. vocat inſcriptos vultus. Philippus Macedo, Alexandri magni pater, militis ingrati frontem literis inſigniri iuſſit, ut ex his tanquam ingratitudinis indiciis ab omnibus contemptibilis haberetur.

IOANNIS VLPII. *Proletarius ſcriptor.*

Qui in plebe Romana tenuiſſimi pauperrimique erant, neque amplius quam M. D. æris in cenſum deferebant, proletarii cives appellabantur. Trahitur & hoc vocabulum latius, ut dicatur proletarius homo, pro homine infimi ſubſellii, & authore parvæ eruditionis, & infimæ claſſis. A. Gellius.

Minuunt præſentia famam.

Quod abſens terrori eſt, præſens ſæpe contemnitur. Claudianus:

—— Plus nominis horror,
Quam tuus enſis aget, minuunt præſentia famam.

Quod præſens eſt, ferè contemnimus: abſentia verò & peregrina admiramur, & magno ſtudio æmulamur.

Familiaris dominus fatuum nutrit ſervum.

Qui timeri, obſervari, coli vult a ſervis ſuis, rarius cũ iis loquatur, rarius congrediatur, nulla ludicra cum iis exerceat. nimia etenim

enim familiaritas contemptum parit: &, vt Plinius ſecundus inquit, Mitium dominorum apud ſervos ipſa conſuetudine, metus exoleſcit. Bernardus.

COGNATI. *Senex, Vetulus.*

Multis in locis apud Terentium eſt frequens, & Gallis ſolennis hæc vox, Senex, negligentis, averſantis, & deteſtantis: cum virum appellare dedignantur, ſed ætatem imbecillem, & annis confectum & de quo facilè victoria reportari poſſit. Hinc Comici ſenes creduli & oblivioſi dicuntur, quales in comœdia inducuntur. Cicero in Catone majore: Nam quos ait Cæcilius, Comicos ſtultos ſenes, Stultos verò ideò vocat, quia fingi etiam poſſunt ſapiétes In comœdiis autem ſæpe ita ſtolidi finguntur, vt exemplum ſtultitiæ ſint: qualis eſt Nicobulus ille Plautinus in Bacchidibus: Idem Cicero in Lælio: Quid autem turpius, quam illud? quod vt accidat, magis cavendum eſt, vt in Epicureo: Hodie me ante omnes comicos ſtultos ſenes verſaris, atq; luſeris lautiſſime. Nonius: Senium eſt tædium & odium: dictum à ſenectute, quod ſenes omnibus odioſi ſint & tædio. Cicero in Catone Majore, cum alium Cæcilii locum protuliſſet, cujus initium eſt,

> Ædepol ſenectus ſi nihil quicquam aliud vitii apportet, &c.

Subjungit illud verò idem Cæcilius vitioſius:

> Tum etiam in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
> Sentire ea ætate eſſe odioſum ſe alteri.

Injucundum potius quam odioſum. Ut enim adoleſcentibus, &c. Idem Nonius addit hunc Lucilii locum ex Satyrarum lib. xv.

> In numero quorum nunc primus Trebellius multos
> Titos Lucios marceſcebat, febris, ſenium, vomitus, pus.

Feſtus: Senium à ſenili acerbitate vitæ dictum ex Cæcilii [illegible] citans hunc verſum:

> Sine ſuam ſenectutem ducat vtique ad ſenium ſorbitio:

Sic vetulus apud Perſium Satyra j. nomen eſt convicii:

> Tun vetule auriculis alienis colligis eſcas?

Nam plerunque vetus infertur ad laudem, interdum ad vituperationem, vt apud Perſium: Quaſi carioſe, rancide: Sic Terentius. Sed qui malevoli veteris poetæ maledictis reſpondeat. Lucilius:

> Rugoſi paſſique ſenes eadem omnia quærunt.

M. Ant. Muretus variarum lectionum lib. vj. c. x. Quod & memoria vacillate, γεροντικόν ἐστι, id eſt, ſenile eſt: aut hoc quoque inter [illegible] Ciceronis ἁμαρτήματα numerandum eſt, id eſt, memoriæ peccata.

Nequam, Iocus.

Sunt vitia, propter quæ homines ſolent in contemptũ venire, & pro nihilo haberi: quod genus ſunt, perpotationes, alea, perditi amores, prodigæ obſonationes: hujuſmodi vitiis perditos, nequã homines dicimus, tanquam nihili, nulliuſque frugis. Quomodo & Dominus in Evangelio ſervum nequam appellat, non ob calliditatem, quæ nulla in eo refertur, ſed quod ignavus, & nulli bonæ rei eſſet vtilis. Nequam etiam veteres vſurpabant pro nequitia & malo, cum etiam in homine malo & improbo poneretur, vnde jocus Plautinus: Vin, tu illi dare nequam nunc? Ag. Cupio. Mi. En me dato. Ludit enim ex ambiguo, cum dixiſſet, Vin illi dare malum, & incommodare? vt qui reſpondet, intellexit. Quaſi tamen de ſe improbo ſervo locutus, præter expectationem ſubjecit: En me dato, qui nequam ſum. Pro ea ſignificatione & re abjecta ac parvi precii, quæ merito contemni ac ludibrio haberi poſſit, Catullus, Jocus, verbo vſus eſt in Hendecaſyllabo:

> Jocum me putat eſſe mœcha turpis:

Terentius: Ludum jocumque dices fuiſſe, Cicer. pro L. Flacco: Græcis juſjurandum jocus eſt, teſtimonium, ludus, exiſtimatio veſtra, tenebræ. T. Livius in oratione adverſus P. Scipionem, Fab. Max. hoc modo dicendi facit vtentẽ, cum res ipſius geſtas in Hiſpania contereret atque elevaret: Ne tibi P. Corneli, cum ex alto Africam conſpexeris, ludus & jocus fuiſſet, Hiſpaniæ tuæ videbũtur. Demoſthenes videtur idem velle in oratione, [illegible], cum inquit: ὕθλοι καὶ φλυαρίαι: quod [illegible] Æſchines. Vide alibi, Nepos: &, Aſotiitem, Poſtremi.

Iuvenis.

Nonnunquam junior contemptum ſignificat, & non ætatem, vt enim honoris cauſa presbyteros vocamus, hoc eſt, ſeniores: ita & contemptos, juniores Quod genus eſt illud in Pſalmis: Adoleſcentulus ſum ego, & contemptus.

Ictidis pellis.

Proverbium apud Germanos in viliſſimum quodque & maximè fœtidum ſcortum. Nam ictis, id eſt, ſylveſtris muſtela cum graviter exarſerit, malè olet.

Σχῆμα καὶ τριώβολον.

Proverbium eſt apud Euſtathium in Iliados xiij. cujus vſus erit in ingenioſos quidem, ſed niſi inſtiteris, remiſſos, & non niſi præmiolis expugnabiles: cui vitio deterrimos quiſq; obnoxius ferme eſſe deprehenditur. Nata parœmia à tragico Phrynico, qui ſtudii multum atq; operæ collocaſſe in ſaltationes tragicas perhibetur, vt novum genus modumve ſaltandi excogitantibus, triobolum præmii vice numeraret. Refertur ab aliis ad Pythagoram proverbii origo, quem Jamblichus philoſophus ſcribit ingenioſo, de proq; diſcipulo, ſed ad capeſſendas diſciplinas mediocri, pro quolibet mathematico ſchemate triobolum pependiſſe: vt præmii invitamento ſupinitatem diſcipuli caſtigaret, ſtudioque diſcendi (quod libera & incoercita voluntate conſtat) faces quaſdam ſubderet. De hoc numiſmate Athenienſi teſtatur Plutarchus in vita Lyſandri: Quod ex vna parte Jovis effigiem habeat, à quo dicuntur triobolares, homines planè nullius precii. (Idem eſt prorſus ſup. adag. Junii. Figura & triobolus. Vide & Eraſm. ſupra, Homo trioboli.)

Verpus.

Hæc vox hodie vulgò à nobis vſurpatur, cum Maranum & Judæum denotamus. Verpa enim pro membro virili dicebant: hinc & verpus illis dicebatur, cui mentula erat præputio nudata, quæ quidem vox & apud Juvenalem reperitur.

Charognia.

Galli hominem nihili, nebulonem & indigniſſimum, quique nullo in numero eſt, vulgò carognia dicere conſueverunt, tanquã cadaver beluæ alicujus ejectum à viciorum fœtore. Græci autem χαρώνια loca quædam terrarum appellant, quæ exhalant fœdos odores, vnde igitur vocabulum vulgare noſtrum (charogne) conformatum puto, quod moleſtus odor mortuarum proſectarumq; beluarum, idem quod loca illa præſtet, faciatque, ne illac tranſiri ſine moleſtia poſſit.

Digni pilo.

Ἄξιοι τριχὸς [illegible] ἄξιον [illegible] ἄξια, digni pilo. In viles & nihili dignos. Sumptum, quod pilus nihili dignus. Sic etiam Titivillitium pro re nihili ac vili dicitur, Gallis idem:

> C'eſt vn homme de rien, vn homme leger.

Ὑδαρής.

Propriè valet aquoſum, ſed tranſlatum ad alia, res, eſt tenue atque infirmum, vt Ariſtot. in ij. πολιτικῶν cepit contra Platonis communionem: οἴεται γὰρ ἐν τῇ πόλει τὴν φιλίαν [illegible] ὑδαρῆ γίνεσθαι διὰ τὴν κοινωνίαν τὴν τοιαύτην. Intellexit igitur amicitiam, ὑδαρῆ vocans, levem atque imbecillam: vt nos quoque vulgò verbum, quod huic reſpondet, ſæpe vſurpamus. Dicimus enim aliquas res quæ multum ſuarũ virium amiſerunt, ac valde tenues ſunt, annaquatæ. Ut ſolem etiam obſcuriorem, nec vt ſolet, fulgentem.

Ἐλινύειν [illegible]

Μεταφορικῶς à Platone prolatum eſt in Phædro cum contemptu quodam: [illegible]: quaſi quieſcere ſinemus. Xenophon. j. [illegible], in poſteriore Clearchi oratione ad milites, inquit, [illegible], cum ceſſandũ non eſſe ſignificare vellet, vt ipſemet ſtatim teſtatur, quomodo etiam nos patrio ſermone ſæpe loquimur.

Χέρσος.

Inculta atque ignava terra χέρσος propriè dicitur. Metaphorica autem virgines, quæ nuptui non traduntur, perpetuamque virginitatem ſervant, ob ſimilitudinem χέρσοι & ipſæ vocatæ ſunt. Nos quoq; ſteriles, & quæ non concipiunt, eodem vocabulo appellamus, quo agrum non exaratum incultumq; vocamus. Sophocles in Oedipode tyranno, [illegible].

Palea.

Compertum eſt, veteres vulgari joco paleam appellaſſe res tenues, & modicæ vtilitatis, vel nullius momenti. Unde in chronicis relatum extat, Alexandriam ad Tanaĩm in Scythis vrbem, cum condita fuit, paleæ cognomen in contemptũ à vicinis accepiſſe. Sic cum Conradus imperator coronam regni Italici non Mediolani, ſecundum veterum morem ſuſcepiſſet, ſed alibi, vulgò tum ferebatur, corona paleæ fuiſſe redimitum: Quæ loquendi conſuetudo etiam Græcis fuit. Ariſtophanes:

> Τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.

Id eſt:

> Paleam inquilinos eſſe dico civium.

Sarmentarii.

Ethnici conviciis, etiam maledictis, paſſim Chriſtianos exagitabant, Semiſſios & Sarmentarios, ridiculo nomine appellantes, vt à Septimio Tertulliano memoriæ proditum eſt. Nec alia ratione ſic eos vocarunt, quam quod ad ſtipitem dimidii aſſis rejuncti ſarmentis additis concremarentur. De quo ſupplicii genere Pamphilus quoque Euſebius & D. Auguſtinus meminere. Paſſim etiam Aſinarii dicebantur: Nec hac ignominia contenti, figuris & picturis illudebant Chriſtianis, quando infando picturæ genere Chriſtum Dei filium deformare, ac velut in pergula prætereuntibus auſi ſunt aſinis auribus oſtentare, pede altero ungulatum, ac togata ſpecie, cum libro in manibus, hoc adjecto titulo, quaſi is Chriſtianorum foret Deus ὀνοκοίτης. [Hac de re Crinitus lib. j. cap. ix. & iiij].

Alex.

Alex ſignat indignum, qui vix cenſeatur, eſtque virifex quidam potius, quam plane vir. Plautus in Pœnulo: Tunc amator etiam audet eſſe alex vir? aut contrectare, quod mares homines amant.

Αὐτοκαύδαλοι, αὐτολήκυθοι.

Αὐτοκαύδαλοι viles prorſus & nihili homines dicuntur. Lycophron, αὐτοκαύδαλος σκάφος: vide ejus interpretem, & Athenæum libro xviij. αὐτολήκυθοι verò inopes ſcurras, medicoſque nebulones ac paraſitos ſignificant, quiq; ſe ad omnia obeunda onera paratos vltro offerunt. Demoſthenes adverſus Cononem: καὶ καλοῦσι τοὺς μὲν ἰθυφάλλους, τοὺς δ' αὐτοληκύθους. Lucian. in Lexiphane has duas dictiones vſurpavit.

Fabula nunc ille eſt.

In omnium ore ac ſermonibus verſatur. Horatius:

Heu me per vrbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui———

Tibullus elegia tertia, libro ij.

Fabula nunc ille eſt, &c.———

Olim non homines modo, ſed ipſi quoque dii aperte Veneri ſerviebant, neq; cuiquam amare pudor erat: nunc qui amorem colit, vulgi fabula eſt. At quem puellæ ſuæ amor ad oſſa tetigit, mavult amare, & à vulgò contemni, quam ſine amore Deus eſſe. Hoc proverbium exercitatum ac tritum eſt, & à Simone in Plauti Pſeudolo ſimpliciter profertur: Ita nunc per vrbem, ſolus ſermo eſt omnibus. Theocritus eidyllio xij.

Νῦν δὲ τὸ σὸν πάντεσσιν ἐπ' ἀνθρώποισι μελήσει.

Id eſt:

Nunc omnibus in ore, &c.

Aranearum plenus, ſive Araneus.

Hoc adagio locum inanem, ſive rem nullius precii aut momenti denotamus. Catullus feſtive & venuſte ad Fabulum de ſe ipſe jocatur:

——Nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.

Sacculus crumena eſt. Martialis:

——Neſcit ſacculus iſta meus.

Catullus Homerum imitatus eſt, qui Odyſſ. π.

——Ὀδυσσῆος δ' ἔτι που εὐνὴ
Χήτει ἐνευναίων κάκ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.

Nam araneis obſidentur & opplentur, quæ inania ſolaque ſunt: vt loculi jocoſe dicuntur araneoſi. & cubilia Homerus dixit vidua & deſerta. Ita Afranius, quem imitatus Catullus videtur, ſcripſit apud Feſtum: Tamne arcula tua plena eſt araneorum? Tamne, id eſt, eouſque: vt Ælius Stylo & Opilius Aurelius interpretantur. Plautus in Aulularia: Anne quis ædes auferat? Nam hic apud nos nihil eſt aliud quæſti furibus, Ita inaniis ſunt oppletæ atq; araneis. Iſtud deſumpſit Lucianus in Pſeudologiſta: εὐρῶτος καὶ ἀραχνίων μεστή: Carie & araneis oppleta. Verum & ex hiſtoriæ ſacræ ſcriptoribus, ſignificatum idem præſulibus noſtris, non improbatum accipimus. Eo ſiquidem tempore quo Gregorius Patriarcha Cõſtantinopolitanus, & Macarius & ſocii, qui vnam in Domino noſtro Jeſu Chriſto naturam & voluntatem aſſerebant, centum & quinquaginta præſulum ſententia damnati ſunt plurimæ aranearum telæ, maxima omnium admiratione, in medium populum cecidere: ex quo ſignificatum eſt eas hæreticorum ſortes aranearum inſtar inanes fuiſſe: eodem cõventu ſolenni judicio diſiectas eſſe. Pſal. xxxviij. & lxxxix. vita noſtra quaſi aranea reputatur, cujus contextura ob tenuitatem minimo quolibet occurſu diſſipatur. Per araneas Ariſton Chius dialecticorum ſermones intelligebat, quæ quidem admodum artificioſe elaboratæ eſſent, nulli verò ſervirent vſui.

Villani.

Gallicæ nobilitatis vulgus villanos, viles dicunt, ignominioſo vocabulo, cujus tamen verbi etymologiam aut notionem ipſi ignorant. Villani enim ſunt omnes, qui gentiles homines, id eſt, ingenui, ab ipſa gentis origine non ſunt: aſcriptitii tamen à villa dicti, quod villæ ac colonariæ conditioni addicti aut ipſi ſint, aut eorum majores fuerint. Talia multa ſunt verba gentilium, veræque ampullæ, etiam in colonos ac proximos, quos ſuos & amicos ac fratres ac vicinos juſtius ſalutarent. Sed id vitium eſt ſuperbiæ.

Συρφετός.

Συρφετός. Hæc vox Græcis vſurpatur in tanta ſignificationis varietate, vt non ſolum paleas & ſtipulas, ſed & folia & virgulta vitium, ficuum, & id genus alia ſignificet. Itidem φρύγανα: & inde metaphoricè ſunt in crebro vſu pro vili plebe, ſive plebis fæce, multitudine promiſcua plebis vulgi, & omnis generis hominum, quam συρφετώδη ὄχλον dicimus, vilis ſermo, ex vento ſordes collectæ. Et συρφετώδεις vocantur populares & plebeii, δημαγωγικοὶ καὶ ὀχλαγωγικοί, qui ſapiunt plebem, qui ejus curam captant, & ſe ad ejus opinionis intelligentiam & approbationem accommodant.

Vulgus eſſe.

De vilibus & contemptis, hodie Gallia in proverbio vſurpatur. Catilina apud Saluſtium in oratione quam ad ſui conſilii conſcios habuit: Cæteri omnes ſtrenui, inquit, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, ſine gratia, ſine authoritate. Hinc Gellius libro ſecundo, capite vigeſimo primo. Vulgus, inquit, grammaticorum Septentriones à ſolo numero ſtellarum dictos putat. Virgil. Æneid. j.

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus.

Item Æneid. ij

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Ibidem, vulgus miſerabile, collectam exilio plebem dicit. Alibi.

——— Cadit, & ſine nomine vulgus.

Quidam de Carolo Quinto Imperatore, Lutetiam ingrediente:

Aliituum vt princeps aquila eſt, ſic altera Gallo
Gloria: vos aliæ nil niſi vulgus aves.

Qui autem nihil habent inſigne, turba ſunt & numerus. Contra, Inſignes nominantur. Vide proverbiũ. Numerus, apud Eraſm. & Budæus autem lib. j. De contemptu rerum fortuitarum, dixit nullo loco eſſe eſt, nulla exiſtimatione & honore.

Somnium hominis.

Fertur vulgo: Non eſt homo, ſed ſomnium hominis: de eo qui viſus eſt quaſi homo, ſed ingenii tam ſterilis, quam puſillanimi.

Ἀκέφαλος.

Apud Græcos obſcœnus ſermo ἀκέφαλος dicitur: apud Gallos verò, homo ſtultus & amens, nihilque ingenii ſive prudentiæ & mentis habens. Idem Seneca ibidem: Jam video, nec cor, nec caput habet. Cordatos enim vocamus prudentes.

Hybrida.

A Latinis Hybrida dicitur ignobiliter natus. Plinius lib. viij. cap. liij. In nullo genere æque facilis miſtura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant: ceu ſemiferos: ad homines quoque, vt in C. Antonium, Ciceronis in conſulatu collegam, appellatione translata. Appellatio videtur tracta à Græco nomine ὕβρις quod inter cætera ſignificat adulterium: Videtur enim quædam quaſi adulterii ſpecies quum Papiſta cum Chriſtiana habet conſuetudinem. Sueton. in Auguſt. Themaſium quendam Epicardum vocat hybridam, quod natus eſſet ex patre Parthico, & matre Romana. Antiſthenes cuidã opprobranti, quod eſſet hybrida, hoc eſt, non è duobus ingenuis natus, ſed ex patre Athenienſi, matre Phrygia: Neque è duobus, inquit, luctatoribus natus, & tamen luctator ſum, ſentiens non tam referre, vnde natus ſis, ſed qui ſis. Is verè liber eſt, quem philoſophia liberum facit, & is verè Græcus eſt qui Græcorum diſciplinis inſtitutus eſt. Adrianus Turnebus adverſariorum lib. iiij. cap. xiij. annotans in Plauti Aſinariam de dictione Caſteria: Verbum hoc Caſteria, inquit, pro Latino in cenſum deferri non poteſt, niſi in aſcriptitiis civibus numeretur. Originem certè fatetur Græcam, non tamen ingenuam, ſed adulterinam, vt hybrida haberi poſſit, &c.

Cordi.

Apud Italos vulgari convicio Cordi dicuntur homines ferotini, & vltra tempus legitimum in vtero geſtati: à Cordo, autumnali fœno: de quo Colum lib.... Aluntur autumnali fœno, quod cordum vocatur. Sic agni cordi, ferotini: & corda ſunt, quæ ſero maturescunt, vt frumenta, &c. Vide ſupra, Autumnales arbores.

Nihil niſi vmbra.

Vulgo jactatum eſt. Ita Cato Major apud Plutarchum: Reliquos nihil eſſe niſi vmbras ducum exiſtimabat, ſi cum Scipione Æmiliano conferrentur. Olympia Fulvia Morata lib. j. epiſtol. Chiliano Sinapio: Tu enim mihi primus occurriſti tali munere dignus qui eruditione pleroſque noſtri temporis homines conſpicuè antecellis, vt ſolus is ſis de quo Homericum illud ex lib. x. Ulyſſeæ merito dici queat:

Ille ſapit ſolus, reliqui moranto vt vmbræ.

Quod paſſim de Chryſippo jactatum eſt. Inde adumbrata dicuntur non ſolida. Cic. Tuſcul. lib. 3. Eſt enim gloria, ſolida quædam res & expreſſa, non adumbrata. Translatio eſt ab vmbris picturæ quæ res planas eminere faciunt, vt idem in Academicis: Quam multa vident pictores in vmbris & in eminentia, quæ nos non videmus? Umbrarum & luminum picturæ meminit Plinius lib. xxxv. Hinc fit, vt adumbratũ, pro ſimilitudinem veritatis referente ponatur: quod & imaginariũ dicitur, ac σκιαγραφούμενον. Et adumbrare dicitur vmbratili pictura aliquid deſcribere: quod ſignificat eſſe inchoatum, nõ perfectum. Cic. pro Feſto: Nulla eſt enim vllo in genere laus oratoris, cujus in noſtris orationibus non ſit aliqua ſi non perfectio, at conatus tamen atq; adumbratio: quod ὑπογραφή dicitur, hoc eſt, σκιαγραφία. Juvenalis.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis & vmbra,
Cum ſit triſte habitu, vultuq. & veſte ſeverum.

Ejus regulæ non ſunt prætorum edicta.

Notum eſt proverbium, & ab optimis paſſim ſcriptoribus ſumptum. Guilhelmus Xylander Auguſtanus in ſuis annotationibus in Plutarchi Syllam: Exiſtimo, inquit, Chalcide Syriæ hunc oriundum fuiſſe, tametſi Stephanus χαλκιδέα inde derivet. Sed ejus regulæ, non ſunt edicta prætorum. Huic ſimile eſt illud Adriani Turnebi lib. adverſariorum xvj. cap. xvj. Hæc tamen mea, inquit, quod jam ſæpe teſtatus ſum, & nunc repeto, pro ſenatuſconſulti authoritate haberi minimè velim.

Ἐχλαινοῦ.

Ἐχλαινοῦ, ſive χλαινοῦ vocabulum hodie pro Latino vſurpatum,

cum, & apud authores & apud nos ſolet ignominiæ loco eruditis & ſimplicibus hominibus, à thraſonibus, ac ſuperbis bellorum cauponibus, objici. Plutarchus in Cicero. Xylandro interprete: Cicero negligebatur, ac Græcus, literarioque otio deditus, quæ nomina imperitis ſordidiſque hominibus, in vſu ferè ſunt, vulgò appellabatur. Galli autem, eſcholier vel clergeau dicunt. Itali ſcholiaſter vel pedante.

Nec minus ſpreti & contemptibiles ſunt pædagogi & præceptores, qui docent ac informant juventutem, ignominioſo enim nomine, Calmeuſeros, hoc eſt, calamitoſos & miſeros nominant. Joan. Calvinus in lib. primo Senecæ De clementia c. xvj. Non enim audeo pædagogos appellare, cum id nomen probro vertant.

Nimia familiaritas contemptum parit.

Sententia eſt ſatis vulgaris: oſtendit autem, quotidiano convictu, aſſiduaque converſatione authoritatem amitti. Plutarchus in Pericle: Etenim ea vis eſt conſuetudinis cum amicis atque convictus, vti omnem majeſtatem deprimere valeat, & in familiaritatibus retineri gravitas, quæ ad gloriam requiritur, vix poteſt. Similis locus eſt etiam in vita Pomponii apud eundẽ Plutarch. Ex tribus autem optimis rebus tres peſſimæ oriuntur, ex veritate odiũ, è familiaritate contemptus, è felicitate invidia, ἀρχὴ γὰρ φιλίας μὲν ἔπαινος, ψόγος ἔχθρας, id eſt, Principium enim amicitiæ eſt laus, ſicut odii vituperatio, vt tradit Iſocrat.

Quinta claſſis.

Quintæ claſſis, & capite cenſi, pro tenuibus, & minimæ authoritatis, qui in vltima æſtimatione ſunt atque etiam exiſtimatione, apud bonos & æquos ſapientia præditos. Cic. in Acad. Quis Democritum non anteponit Cleanthi, Chryſippo, reliquiſque inferioris ætatis, qui mihi cum illo collati, quintæ claſſis videntur, id eſt, τῶν πέμπτων πλούτων εἶναι δοκοῦσι. Tranſlatio eſt à quinque claſſibus Romanis, quarum quinta erat infima, à Servio Tullio inſtitutis, vt meminit Livius in primo ab vrb. cond. In eas cives Romani pro cenſus modo erãt diſtributi: id eſt, κατὰ τὰ τιμήματα τεταγμένοι, indeque Claſſes ſcholaſticorum apud Quintil. dictæ lib. j. c. ij. Non inutilem ſcio ſervatum eſſe à præceptoribus meis morem qui, quum pueros in claſſes diſtribuerant, ordinem dicẽdi ſecundum vires ingenii dabant Solon Athenienſes in quatuor τιμήματα diſtribuiſſe dicitur, vt author eſt Ariſt. Aratorum claſſes λόχοι Columellæ dicuntur. Claſſici dicebantur non omnes qui in claſſibus erant, ſed primæ tantum claſſis homines, qui centum & viginti quinque millibus æris, ampliuſve cenſi erant. Græci πρῶτον τίμημα vocat. Gell. lib. vij. c. xiij. οἱ ὑπὸ τιμήματι, οἱ πλούσιοι. Et inde locupletes atque idonei, authoritateque præditi Claſſici dicuntur. Infra claſſem autem appellatos inquit idem Gell. ibidem. qui in ſecunda & ſequentibus claſſibus erant: id eſt, qui minore ſumma cẽſi erant, quique infimi & pauperiores, homines nullius authoritatis. Idem lib. 19. c. 8. Claſſicus aſſiduuſque aliquis ſcriptor, non proletarius De cohorte illa antiquorum loquitur, Latinæ puritatis, & primæ notæ authoribus: quales ſunt Cicero, Livius, Cæſar, Saluſtius, Plinius, Quintilianus, Virgilius, Horatius, Catullus: idque metaphoricῶς. Vide infra, Proletarii.

In cuneis ſedere.

Inter cuneos ſedere proverbialiter dicitur, qui inter privatos eſt, & honoribus non fungitur. Cunei enim loca erant, in quibus plebeii promiſcuè & nullo ordine ſedebant, & ſpectabant. Hinc, In cuneos ſe ſtipare, dicit Budæus in lib. De aſſe, privatæ vitæ ſe dedere.

Iacent.

Hoc verbo proverbialiter non ſolum deſignantur ignobiles, & qui nõ ſunt alicujus nominis & famæ, tum ſordidi, ſegnes, mœſti, afflicti, ægroti & mortui, ſed etiam virtutes, orationes languẽtes, & quaſi exanimes, emortuæ, item ſtudia frigida, non vigẽtia, languida, ſopita & emortua, vel ſine vigore. Plautus in Trinummo: In occulto jacebis quum te clarum maximè voles. Quint. lib. j. c. 3. Probus autem ab illo ſegni & jacente plurimum aberit. Cic. ad Papir. lib. 9. Sed cura vt valeas ne ego te jacente, bona tua comedam. Lucanus.

Ille jacet lætæ paci quem prætulit orbis.

Cicer. 2. De finibus: Maximas vero virtutes jacere neceſſe eſt, voluptate dominante, id eſt frigere. Idem lib. j. Tuſcul. Honos alit artes, omneſque incenduntur ad ſtudia gloria, jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur, ἀτιμάζεται, πιεζόμενα. Quintil. lib. 9. de figuris ſententiarum loquens: Motus eſt in his orationis atque actus, quibus detractis jacet, & velut agitante corpus ſpiritu caret, ἀθυμίαν ἔχει. Budæus Longoſio: Sic jacet ſcriptorum opinio, id eſt, friget, plauſu nõ excipitur, & dejecta eſſe videtur. Contra: Stat fabula (vt inquit Donatus) dum placet populo: & exigitur, cum diſplicet. Terent. in Hecyra: In iis quas primum Cæcilii didici novas, partim ſum earum exactus, partim vix ſteti, ἐπεσον ἢ ἐξεπεσον, Græci dicunt.

Scombris tunica.

Ex inutilibus atque ineptis, nulliuſque omnino momenti nec valoris chartis fiunt ſcombrorum piſcium, thuris, piperis, & ſimilium rerum à cetariis, ſalſamentariis, aromatariis ſive ſpeciariis & pharmacopœis tunicæ, involucra ſive cuculli. Ad quos vſus dãnatur chartæ & libri inutiles. Hinc cum inutiles alicujus libros ſignificare volumus, daturos eſſe eos dicimus Scombris tunicas. Tale eſt illud Catulli.

Et laxas ſcombris ſæpe dabit tunicas.

Martial ad librum ſuum.

Nec ronchos metues malignorum,
Nec ſcombris tunicas dabis moleſtas.

Perſius ſaty. j.

——Nec ſcombros metuentia carmina, nec thus.

Solitos autem eſſe etiam Græcos, mala carmina thuri deſtinare, ex Athenæo perſpicuum eſſe poteſt: qui narrat lib. 9. δειπνοσ. Anaxandridem comicũ ita moroſum & amarũ in ſenectute fuiſſe, vt comœdias omnes ſuas, quæ populo non placuiſſent, quamvis alioqui eſſent elegantes & politæ thuri mãdarit. Horatius epiſt. j. lib. ij.

Deferar in vicum vendentem thus, & odores,
Et piper & quicquid chartis amicitur ineptis.

Imperitorum enim libri, vt ait Martialis,

Nigram cito rapti in culinam,
Cordyllas madida tegent papyro.
Vel thuris piperiſq; erunt cucullus.

In vilium ſcriptorum & inutilibus chartis, ſcombri piſcis congios cetarii involvebant, vt hoc tempore aromata pharmacopolæ vendere ſolent.

Τριταγωνιστής.

In hominem vilem dicitur, quod probroſe Demoſthenes quoque in oratione περὶ παραπρεσβ. Æſchini objecit. Vocat hiſtrionẽ tertiarum partium, quaſi vilem ob hiſtrionicam artem, & infimũ in ea ordinem, ὡς δεύτερος ἢ τρίτος τῶν ὑποκριτῶν ἐν τῇ τέχνῃ κατατεταγμένος, ἐξέπεσε, inquit, ὥσπερ ἐξέπεσεν ἐκ τῶν θεάτρων, καὶ τὰς τριταγωνιστοῦ ἀσπαγγελίας. Vulgi quoque mos, vt quum quis cui conviciatur, eum ſaltatorem appellet. Dejorato ſeni, quod ſaltaverit objectum quoque eſt L. Murenæ Servius Sulpitius in accuſatione maledicti loco objecit, quod eſſet ſaltator. Cicer in oratione poſt reditum in ſenatu, A. Gabinium ſaltatorem calamiſtratum vocat. Adeo ſaltare turpe habitum Romæ fuit. Legitur Samuelis lib. ij. c. vj. & Paralipom. libro primo, capite decimo tertio & decimo quinto, quod Michol Saulis filia Davidem graviter ſaltantem & ludentem proſpiciens, deſpexerit.

Aſinus Ægyptius.

Ægyptii adeò Aſinum oderunt, vt apud eos mos ſit, cum ludicris omnibus inceſſere, luto ceſpitibuſq; paſſim imperitum, comitis etiam ſtimulare, quaque ſe locus offert opportunus, præcipitẽ agere. Unde proverbium in contemptibiles deſpicatiſſimoſque homines emanavit, Aſinus Ægyptius.

Υ, Fy.

Nomen ὗ, opprobrii cujuſdam apud Gallos eſt. Nam vocalem ipſam υ. Cajus Julius Romanus vbi de præpoſitionibus diſſerit, ad vituperationis pathos exprimendum idoneam eſſe dicit, ex Hermetis ἐν τῷ χρυσῷ λόγῳ, teſtimonio: additam fuiſſe poſtea literam F. noſtroſq; hodie paſſim Fy, cum putoris aliquid perhorreſcimus, dixiſſe. Quæ enim maximè abhorremus, quæque opprobrio habemus, ea ignominioſa dictione hac deſignamus. Quin & veteribus Chriſtianis mos fuit, eſtque adhuc, ad immunda verba expuere, quodam veluti e[illegible]tionis modo. Ita illud apud Tertul. lib. ad vxorem altero accipiendum: Cum aliquid immundum flatu expuis. Lucianus in Philopatride: Critias: φῦ φῦ φῦ φῦ τοὺς ὕθλους τούτους, id eſt: Phy, phy, phy, phy, nugas illas, &c. Nec verò Fy inuſitatum eſt in imperandi modo, eoq; comicus Plautus vtitur. Horat. Serm. 2. ſaty. 5.

——— Fy cognitor ipſe.

Philoſtratus Arcadas rudes, & ſuibus ſimiles appellat. Quin & Hippocratis Coi, medici illius clariſſimi filii, ob indocilitatem & incomptos mores à Comicis proſciſſi ſuem ſæpe ferebantur: non ſecus ac Varronem ipſum, tantæ virum eruditionis, Palæmon Vicentinus grammaticorum dicaciſſimus, literarum porcum vocitabat. Apud Pindarum & Cratinum conſtat, Bœotios ſues nuncupatos.

Truo.

Cæcilius, referente Feſto, naſi cujuſdam magnitudinem irridens: Prohibit immortales, vnde hic prorepſit truo? Truo, inquit Feſtus, avis Onocrotalus, cygno non diſſimilis, in faucibus ipſis capaciſſimum ventriculum habens, quo omnia congerit: ſupra roſtrum verò nares habet valde prominentes.

Ciſtigeri.

Ciſtigeros appellat eos homines Martialis, qui & pro contemptiſſimis & deſpicatiſſimis habebantur.

——Dum non vis niſi lato Gellia clavo
Nubere, nupſiſti Gellia ciſtigero.

Nullo numero eſſe.

Numerus turba eſt ſine nomine, ſine virtute ac dignitate. Nam apud ſcriptores multitudo numero, non pondere aut dignitate æſtimatur. Horat. Epiſtol. De arte poetica:

——Numero plures, virtute & honore minores.

Idem lib j. epiſt. ad Lollium j.

Nos numerus ſumus. ———

Homerus vocat ἀριθμόν, vt Ιλ. α.

Οἱ φαῦλοι ἀριθμός. ———

Carent igitur illi quidem omni dignitate atque authoritate, qui numerum explent dumtaxat: ſed longè ſunt deterrimi ij ac poſtremi homines, qui nullo numero ſunt, ſeu qui ne numeri quidem locum obtinent, quod de Megarenſibus olim ab Apolline reſponſum eſt. Sic Æſchines ille apud Theocritum εἰδ. ιδ. queritur, ſe apud Cyniſcam puellam nullo numero eſſe:

Ἄμμες δ᾽ οὔτε λόγω τινὸς ἄξιοι, οὔτ᾽ ἀριθμητοί,
Δύστανοι Μεγαρῆες, ἀτιμοτάτῃ ἐνὶ μοίρᾳ.

Id eſt:

Noſtri nec ratio eſt, numero neque ponimur vllo,
Extremæ ſortis, veluti quondam Megarenſes.

Clemens in στρώμασι hos verſus attribuit Theognidi: qui proverbiales ſunt, cum ſignificamus nos vbique contemni nec vllo honore dignos haberi. Theocriti ſcholiaſtes, pro explicatione horũ verſuum, adducit oraculum Apollinis in Ægienſes, vt aliqui volunt: alii verò in Megarenſes, ſciſcitantes quinam eſſent Græcorum præſtantiſſimi. In eo oraculo poſtremi duo verſus hi ſunt:

Ὑμεῖς δ᾽, ὦ Μεγαρεῖς, οὔτε τρίτοι, οὔτε τέταρτοι,
Οὔτε δυωδέκατοι, οὔτ᾽ ἐν λόγῳ, οὔτ᾽ ἐν ἀριθμῷ.

Id eſt:

Vos verò, ô Megarenſes, neque tertii, neque quarti,
Neque duodecimi: veſtri nulla eſt ratio, nec vllo numero ponimini.

Qui verſus etiam dicuntur de prorſus contemptis, nullius pretii, nec nominis. Huc ſpectat & Homericum illud:

Οὔτε ποτ᾽ ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὔτ᾽ ἐνὶ βουλῇ.

Id eſt:

Nuſquam in conſiliis, nuſquam numeratur in armis.
Iliad. 5.

Opicus.

Dicit apud Plinium Cato: Nos quoque dictitant barbaros & ſpurcius nos, quam alios Opicos appellatione fœdant, quæ tandem in Opici verbo ſpurcities latet, quod dedignatur Cato? Fuere populi Opici Italiæ, à linguæ colluvione ſic nominati: ita in honeſti & obſcœni, vt in vitium nomen abierit. Itaque Eunum liguritorem Auſonius Opicum magiſtrum vocat.

Ἄωρος.

Græci ἄωρον & ἀναφρόδιτον translatè appellant, quod Latini invenuſtum, id eſt, illepidum atque inornatum, injucundum. M. Tullius epiſtol. lib. vij. ad Volumn. Sed quoniam tanta fæx eſt in vrbe, vt nihil ſit tam ἄωρον, quod non alicui venuſtum videatur, id eſt lepidum & jucundum.

Corchoros inter olera.

Κόρχορος ἐν λαχάνοις. Adagium hoc transfertur ad frugales quoſdam, & indignos qui ſua fortuna majores ſibi quærant honores, & gloriam quam ſe deceat, clariorem aucupentur: cum humilis nec palmum excedens herbula, inter grandiſſima quæq; olera ſibi locum deſtinet, & internaſci lætetur. Quamvis in alium ſenſum detorſerit Theophraſtus lib. vij. hiſtor. volens corchorum ob amaritudinem proverbio nomen dediſſe, taxariq; eos potius, qui gratam voluptatem, & ſuaviorem nonnullorum conſuetudinem qua frui poſſent, triſti, vel amarulento convictu turbant. Id quod etiam Eraſmus annotavit.

Eſſe in numero.

Quaſi proverbiale dicendi genus, pro, & eſſe in rerum natura, poſuit Lucr. lib. 5.

Qui nunquam verè vitæ guſtavit amorem,
Nec fuit in numero: quid obeſt non eſſe creatum?

Alluſum fortaſſe ad proverbium, Numerus, &c.

Manducus.

Fuerunt nomina quædam propria ſordidarum perſonarũ Poetis, vt Comicis, Mæſon, de quo Feſtus & Athenæus: Satyricis Autolycus, Buttia teſte Diomede. Attelanis Sagaris, Bucco, Macus, Pappus Dæſius, id eſt, ſenex, major. Papum dicunt Latini canentẽ carduorũ lanuginem. Manducus, de quo in Attellana Pomponii.

Magnus manducus camelus cantherius.

Apud Plautum Manducus eſt μορμολυκεῖον, quod in ludis circumferebatur inter cæteras ridicularias & formidoloſas perſonas, magnis malis, lateque dehiſcens, & clarè crepitans dentibus, in Attelanis præſertim. Juvenalis ſatyr. vj.

——Tandemque redit ad pulpita notum
In gremio matris formidat ruſticus infans.
Exodium cum perſonæ pallentis hiatum.

Intelligit manducum, quem magnis dentibus effingebant, vt dictum eſt. Dentes enim magnos, & voracitatem attribuebant nocturnis illis terriculamentis. Quo nomine factum, vt Lamiam puerorum infantium deglutricem fingerent. Inde Pomponius Attellanarius poeta, inſcripſit Exodium quoddam Pythonem Gorgonium, qui nihil aliud erat, quam ille Manducus, de quo diximus. Gorgones etiam cum magnis dentibus pingebãtur. Ergo Manducus perſona Attellana, & Lamia, & Pythones ὀξυόδοντες pingebantur, & Manducos quoque vocabant gulones: quos & Gumias vocatos eſſe oſtendemus, hi Mattici etiam dicebantur, à magnis malis non quaſi malatici, vt vult Feſtus: ſed quia ματτύας veteres Græci τὰς ὀψοφαγίας vocabant. Unde etiam γνάθωνες, in comœdia guloſi. Lucilius lib. xxx.

Illo quid fiat Lamia & Pytho oxyodontes,
Quo veniunt illæ gumæ, vetulæ, improbæ, ineptæ.

Oxyodontes vocavit, propter eas cauſas, quas ſuperius aſſignavimus. Gumias verò ita vocabantur antiquitus guloſi. Idem:

——Compellans Gumias ex ordine noſtros.

Hinc Degumiare, id eſt, devorare, deguſtare. Feſtus: Ingluvies, inquit, a gula dicta. Hinc & ingluvioſus, & gluto, gulo, gumia, gutturi, &c. Id manifeſto eſt a Græco γάστρις quod ſignificat γαστρίμαργος, Saburram Latini vocant. Itaque qui nimis ſe ingurgitarent cibo, ita dicti ab eo: vt apud Plautum tamen muliercs dicuntur Saburratæ. Hæc enim omnia ferè idem denotant, αἱ τεγοῦ, Latine Rapones. Varro: Cum hic Rapo vmbram quoque ſpei devoraſſet. Apud Ulpianum Trebatius ait, non eſſe morboſum, aſſidui olere: vt lucroſum raponem. Hoc enim ex ingluvie oris accidere. Ingluviem vocat τὴν ἀδηφαγίαν, ex qua oris grave olentia conſtatur: vt in leone notat Ariſtoteles. Catillones, Comedones, Comedi, Curguliones, Edaces, Edones, Epulones, Bulones, Garbones, Helluones, Liguritores, Lurcones, Lurcoſi, Mandones, Manducones, Manduci, Manloni, Nepotes, Paraſiti, Phagones. Sed modus eſto. Quare ad proverbialem Manducum, de quo Plautus in Rudente:

Quid ſi aliquo ad ludos me pro manduco locem.

Hodie noſtri ſua terriculamenta & Manducos habent, quibus pueros terrent pavidos & timorem incutiunt: nempe, monachos, cordigeros, & lupos. Le moyne, le Cordelier, le loup vous prendra & mangera.

Ne cicum quidem dederim.

Cici vilitas etiam in proverbio fuit. In Varrone lib. vj. Quod volet denſum cicum non interduim. Locus eſt ſimilis, & propè idem apud Plautum in Rudente:

Eluas tu, an exungare, cicum non interduim.

Cicum autem non interduim, dixerunt, pro, non floccum, non cicum dedero, ne curo quod velit. Cicum dicebant antiqui membranam tenuem, quæ eſt in malo punico, velut cellularum diſcrimen. Vid. tur autem hanc ſententiam facere Varro: Quærat quod volet denſum, cicum non interduim, id eſt, denſum veſtimentum ſibi nudo & horrenti quod volet, quærat. Ego ei non modo non veſtimentum, ſed ne cicum quidem dederim. Denſum autem, genus veſtimenti eſt à dentibus pectinis quibus feritur, quod denſitate frigus arcet, vt Trama tramittit, vnde apud Ciceronem munus levidenſe, à leviter denſo panno translatione ducta. Simile illi eſt Theocriti: θρὶξ ἀνὰ μέσσον. Idem alibi dixit Varro: Pluma non intereſt. Similes hyperbolæ ſunt apud Eraſ. noſtrum: Pili non facio, Nauci non facio, Flocci non facio, Hujus non facio, &c.

Quotidiano convictu authoritas minuitur.

Sententia proverbialis eſt, quæ oſtendit, aſſidua converſatione authoritatem amitti. Nimia etenim familiaritas contemptum parit: inquit Plinius Secundus. Et vt aliter dicitur: Mitis, & nimiùs familiaris dominus, inobedientem facit ſervum. Bernhardus.

Nullius pretii eſt.

Plato, & in Hipparcho, vel, de ſtudio lucrandi: Et reliquum apparatum nullius pretii habeat. In Philebo: Nullus vnquam noſtrum vllius erit ad aliquid pretii. In Hippia majore: Exiguum, & nullius, vt ita dicam, pretii. In Theæteto: Mens hæc omnia parvi, imò nullius æſtimans, paſſim volat. Vide poſt. Non admodum curæ eſt. In Civili: Ejuſdem pretii vtrunq; eſſe diximus, qui tamen honore longius inter ſe diſtant. In Euthydemo: Nugantur de rebus momenti nullius, indigno quodam ſtudio invicem altercantur. Ibidem: Quam gratioſum, quod nullius eſt pretii. Ibidem: An ignoras, in quovis ſtudio viles & nullius pretii homines permultos eſſe, probos verò paucos, eoſq; maximo in pretio habendos eſſe? Catullus ad Furium:

Hæc tu commoda tam beata Furi.
Noli ſpernere, nec putare parvi.

Vide poſt, Æſtimare vnius aſſis.

Mechanici.

Mechanici rectè appellantur, qui artibus incumbunt.

Non admodum curæ eſt.

Plato: Athenienſibus non admodum curæ eſt. Idem in Theæteto: Mens autem hæc omnia parvi, imò nullius æſtimans, paſſim volat. Vide ante, Nullius pretii eſt.

Βλιτάδες.

Meretrices & βλιτάδες in contemptum dicebãtur. βλιτάδες, inquiunt Grammatici, αἱ εὐτελεῖς γυναῖκες, id eſt, nugatoriæ mulieres, vt vocat Feſtus, καὶ ἀνωφελεῖς. Plinius. Blitum iners videtur, ac ſine ſapore, aut acrimonia vlla: vnde convicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Plautus: Lutea, blitea meretrix. Apud Catul.

Non aſſis facis, ô blitum, lupanar.

Id eſt:

O blitum, ô lupanar, non curas. Sunt autem deſpiciendæ hæ mulieres etiam Seratiæ dictæ apud Varronem, Pompejum & Nonium, ab iis quæ ſcrea appellantur: id eſt, quæ quis ſcreare ſolet. Seratiæ igitur a ſcreando, quaſi ſcreatiæ dicuntur, non minus quam ſcrea & ſputa, contemnendæ. Screare videtur olim dictum

dictum ἐχέλωπαξ. Quod verbum & hodie quoque vulgò apud nos vſurpatur. In Nonio & Feſto legitur Scraptæ. Titinius Prillas:

Rectius mecaſtor Piculetæ poſtumæ,
Lectum hodie ſtratum vidi, ſcraptæ mulieris.

Similia convicia in meretrices habentur in Plauti Clitellaria.

Nam quaſi vt hæc ſunt tuis limaces lividæ,
Diobolares, ſchœnicolæ, miraculæ
Cum extrictis talis, cum crotiliis cruſculis,
Capillo ſciſſo, atque exciſſatis auribus.

Limaces, à limace, vt apparet quæ folia plantarum, & olera corrodit. Ejuſmodi ſunt meretrices, quæ miſeros amantes κατεσθίουσι: A quo illa apud Menandrum meretrix dicitur αἴξ.

—— Εκπεφλὼ τὸ δὲ
Αἴξ, ὃν μέγαν κατέφαγε τὸν ἰσχὺν ποτὲ
Θαλλόν. ——

Vel potius à limando limaces meretrices dictæ ſunt. Nam Græci quoque τὸ λεπτοῦν in eadem ſignificatione vſurpant. Diobolares in Græco eſſe puto:

Διωβολιαίως πορνίδιος χαμαιτύπος.

Plautus Pœnulo:

Servolorum ſordidulorum ſcorta diobolaria.

Græce: δουλαρίων αὐχμηρῶν καταπύγωνα δίω ὀβόλοι: Pacuvius apud Placiadem:

Non ego ita fui,
Uti nunc ſunt meretrices diobolares, ſuam
Quæ nummi cauſa par vipenduntgratiam
Schœnicolæ, de quibus Plautus quoque in Pœnulo:
Miſeras ſchœna delibutas ſervilicolas ſordidas.

Schœnicolæ, id eſt, Schœnum colentes. Schœnū autem Pomponius interpretatur, vnguentum peſſimi generis. Fiebat autem ex σχοίνῳ, id eſt, junco odorato, vt Turnebus arbitratur. Per Miraculas φοβερὰς τὰς μορφὰς Joſephus Scaliger exprimi putat, & dictas eſſe à miraculis. Miracula enim, quæ nunc digna admiratione dicimus, antiqui in rebus turpibus vtebantur. Autor Feſtus. Inde Catullus monſtra pro eodem dixit:

Sed tu cum copone omnia monſtra facis.

Sunt qui muricolas ſive myricolas intelligunt, & μυρεψικάς.

Aſinus.

Quiſquis aberraverit, ſemperque hallucinetur, aſinus, quemadmodum pila ludentes pueri dicunt, ſedeat. Hodie iis qui in diſputationibus vincuntur, aſini auriculæ appendi dicuntur. Vide Eraſmum: Rex, aut aſinus.

Ruſticum.

Plato. Omnino fatuum eſt: &c. Abſurdum & præter rationem. In Euthydemo: Non per Jovem, nam te diligo, imò amice moneo, & perſuadere contendo, ne vnquam coram me ita ruſtice loquaris.

Minus quam nihil.

Idem. Plane enim ſcripta illorum impetu feruntur. Mora autem expectatioque in ſermone & quæſtionibus & quies inter reſpondendum interrogandumque, minus illis adeſt, quam quod nihil: imò etiam minus, quam nihil: adeò parum viris illis requietis in animo eſt. Huic ſimilia: Parvi, imò nullius æſtimat.

Terra pondus iners.

Idem. Exultant opprobrio hujus generis homines, ſeque minime abjectos & inanes homunculos videri, nec terræ (vt dicitur) pondus iners, ſed viros tales, qui tuto in rep. verſari valeant. Ideoque veritas exprimenda eſt, quod eo magis tales ſunt, quales non putant, quo minus putant: injuſtitiæ quippe mulctam ignorant, quam ignorare minimè decet. Et hæc quoque in noſtros monachos. Vide Eraſ. Telluris onus.

Vappa.

Pro ſordido & viliſſimo homine. Plinius in xiiij. Vitiumque muſto quibusdam in locis iterum fervere: qua calamitate deperit ſapor, vappæque accipit nomen probroſum etiam hominum, cum degeneraverit animus. Catullus ad Veranium & Fabullum:

Quid rerum geritis? ſatis ne cum iſto
Vappa frigoraque & famem tuliſtis?

Vulcano tradenda.

Quæ perire volumus, hoc ferè modo perdenda dicimus. Catullus in Voluſii annales:

Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus vſtulanda lignis.

Id eſt, Vulcano. Tibullus in j.

Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat. —— Et Propert. iiij.
Et quoſcunque meo feciſti nomine verſus,
Ure. ——

Auguſtus de Virgilii ſcriptis:

——— Ergo ibit in igneſ?
Magnaque doctiloqui morietur Muſa Maronis?

Sulpitius Carthaginenſ. de Virgilio:

Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, &c.

Idem Catul. ibidem:

At vos interea venite in ignem.

Propert. in ij.

Inque tuos ignes, dure poeta veni.

Inficeto inficetior rure.

Catul. ad Varum, de Suffeno:

Idem inficeto eſt inficetior rure.

Inficetum veteres pro infaceto dixerunt. Idem in Voluſii annales:

Pleni ruris & inficetiarum ——
Ante, ruſticum fatuum & abſurdum.

Vltimis ceris.

Idem lib. iiij. epigrām. xxvj.

Nihil Amiano præter aridam veſtem
Moriens reliquit vltimis pater ceris.
Id eſt:

teſtamēto, vel vltima voluntate. Juteconſulti dixiſſent codicillis.

Ciſtigeri.

Pro contemptiſſimis & deſpicatiſſimis habebantur: & erant, qui ſacra arcana in ciſta gerebant. Idem lib. v. c. xvj.

——— Nupſiſti, Gellia, ciſtigero.

Hinc etiam deductum Ciſtophorinum: quod in eo celata erat eorum ſpecies & forma, qui ſacra in ciſta ferebant.

Dama.

Martialis lib. xij. epigr. xxij. Is pauper fuit, vt & Irus, & Codrus.

Excutere pulverem.

Et hoc quidem icon non ſolum apud prophetas, & in literis ſacris vulgatiſſimum eſt, ſed etiam Græcis loco proverbii eſt, Praxinoa apud Theocritum in ἀδωνιαζούσαις.

——— Οὐκ ἀλέγω, μὴ μοι κονίαν ἀπομόρξῃς.

Quaſi dicat:

Non vereor, ne in me pulverem abſtergeas.

id eſt, ne me impune contemptam ac deſpicatā habeas. Eſt enim extremi contemptus ſignum, ſi quis pulverem è calceis, aut è veſte ſua, ludibrii cauſa, abſtergere in alios velit. Chriſt. Matth. x. Quicunque non exceperit vos, neq; audierit ſermones veſtros, excuntes ex ædibus aut ci vitate illa, excutite pulverē pedum veſtrorum. A Marco & Luca additur, In teſtimonium adverſum illos. Symbolum autem eſt excommunicationis & rejectionis eorum, qui contemnunt Dei verbum. Sunt qui apud Theocritum pro κονίαν legunt, κόνιν: & ſubaudiendum cenſent, πάγχυ.

Æſtimare vnius aſſis.

Idem ad Lesbiam:

Rumores ſenum ſeveriorum
Omnes vnius æſtimemus aſſis.

id eſt, nihil curemus, flocci faciamus. Mimnermus eodem propè modo:

Τῶν ἀστῶν δ' ἀδεὴς φήμας ἀναπεπτάμενος δὲ πολιτῶν
Ἄλλος τις σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Simillimis verbis & ſententia Cato apud Feſtum Pomp. in verbo, Obſtinato: Rumorem famemq; flocci fecit, captus ſtupris, obſtinatus inſignibus flagitiis. Sic obſcœni author carminis:

Matronæ procul hinc abite caſtæ,
Turpe vos legere impudica verba:
Non aſſis faciunt, euntque recta.

& Plautus in Captivis:

Neque ridiculos jam teruncii faciunt.

Catul. de Varri ſcorto:

——— Nec faceret pili cohortem.

Sic poſt:

Nec pili facit vni.

Idem ad Furium;

Nec tu commoda tam beata Furi
Noli ſpernere, nec putare parvi.

Idem Catullus in quendam;

Non aſſis facis ò Ludum lupanar.

Petrus Corbelius in ſuis adagiorum floſculis, Non pappi facio. De his vide Eraſmum noſtrum in loco contemptus & vilitatis. vide item ante, Nullius pretii eſt.

Hircoſus.

Seneca vnguentatis hircoſos opponit, cujus apud Gell. in xij. c. ij. verba ſunt: Quidam ſunt, inquit, tam magni ſenſus, Q. Ennii, vt licet ſcripti ſint inter hircoſos, poſſint tamen, inter vnguentatos placere. Veteres Romanos hircoſos vocat, id eſt, agreſtes qui hircorum & caprarum, & agriculturæ ſtudioſiſſimi erant: propterea vnguenta, vt inquit Plautus. exotica olere non potuerunt. Ergo hircoſos tanquam male olentes vocat. Hircus enim cum alias, tum verò maximè ſudans graviſſime olet. Catullus in quodam epigr. ſine principio:

—— Si cui jure bono alarum obſtitit hircus,
Aut ſi quem meritò tarda podagra ſecat.
Ibidem;
Illam affligit odore, ipſe perit podagra.

M. Antonius philoſophus & imperator lib. de vita ſua xi. Omnino vir bonus & ſimplex hircoſi debet aliquid ſimile habere: vt eſt qui adeſt, velit nolit, tamē ejus ſimplicitatē deprehendat. Idem lib. v. Ne iraſcatis ei qui hircum olet, aut cui anima fœtet: nihil enim

in te inde mali redibit. Alæ ipſius & os ita ſunt affecta, vt neceſſe ſit hunc odorẽ inde proficiſci, γράσος enim Græcis eſt fœtor ille, qui hirſutis (vt eſt apud Horatium) cubat gravis hircus in alis, αὐτὸς ἡμῶν ὁ χὰ τράχ' νομίζων. Milites Alexandri de Perſis, pugnam inituri. Plutarch. apophthegm.

Villica.

Catullus in eaſdem Manlii nuptias;

Sordebant tibi villicæ. ———

Faſtidioſe formoſas ipſas villicas appellabat: adeò ab omnium amore erat averſus. Vide in Sylloge noſtra Villani.

Suppurati.

Suppurati etiam hodie dicuntur animo ſanioſi & viceroſi, à purè, quod Græce πύος. Lampridius in Commodo. Idem in Alexandro Severo;

Tantum tu comedas velim lepuſculos,
Ut fias animi malis repulſis,
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Varius.

Idem; Antoninus Heliogabalus, Varius etiam dictus eſt. Baſſianus quidem prius dictus eſt Varius. Heliogabalus autem Varius dictus eſt, quod vulgò conceptus putaretur. Et ajunt quidã. (Varii etiam nomen idcirco eidem inditum à condiſcipulis, quod Vario ſemine de meretrice conceptus videretur. Paulò poſt: Nam varia vna his avia: vnde Heliogabalus Varius dicebatur. Hactenus Lampridius in Antonino Heliogabalo Vario.

Nullus.

Catullus Lesbiæ maritum, Nullum appellat, ſtupidum, nihil audientem, nihil ſentientem;

Lesbia mi præſente viro, mala plurima dicit:
Hoc illi fatuo maxima lætitia eſt.
Nulle nihil ſentis. ———

Nulla in eo mica ſalis.

Catullus in Quinctiam & Lesbiam.

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

id eſt, nihil in corpore ejus non ridiculum. Salſum erit igitur, quod non erit inſulſum. Hoc cujuſmodi ſit, è Plutarchi verbis in 5. Sympoſ. intelligitur. Vide Quint. 9. Lucretius iiij.

——— Charitonia tota merum ſal.

Ruſtici.

Rus ſive ruſtici, dicuntur homines inculti, nullius florentes virtutibus, ſaxis ac ſcopulis ſimiliores quam hominibus: & quoniam rerum multarum ſcientia careant, rudes, agreſtes, inculti, atque brutis ſimiles, Ante, Ruſticum & Inficeto inficetior rure.

Terræ filius: Terrei.

Terræ & Cœli filius dictus eſt Saturnus, quod apud Italos eſſet ignotis parentibus: vt in hodiernum inopinato viſos, ignobiles & ignotos, terræ filios nominamus. Terreos etiam ſtupidos, craſſos, obturatos, ex mole terrea, quæ propriè bruta dicitur, compactos, eoq; ad cœleſtia percipienda minimè accommodatos, dicimus.

COELII RHODIGINI. *Atqui ſuilla caro eſt.*

De iis quæ reipſa parva ſunt, apparatu tamen & fuco videntur præcellere plurimum. Natum ex eo. Cum T. Quintius apud hoſpitem quendam ſuum ſolſtitiali tempore acceptus, miraretur, vnde illi eo tempore tam varia & multa venatio: Cõdimentis, inquit ille renidẽs, varietas illa & ſpecies ferinæ carnis, ex manſueto ſuo parata eſt. Idem, Quintus torſit in copias Antiochi, & armorũ & gentium inauditarum generibus ſuperbam: eſſe ſcilicet ſuillam carnem, id eſt, homines tantum, & quidem mancipia.

Littera muta.

De iis qui parum literis compti, ex ſe quidem perficere vocem nequeunt: id eſt, graves, doctas & viro dignas confabulationes: at cum eruditioribus quaſi coeuntes conſpiratu conſono, ſunt planè veluti adjunctæ vocalibus mutæ.

Aſinus Ægyptius.

Pro eo qui deriſui eſt omnibus, quemque omnes inſectantur, convellunt, lacerant. Apud Ægyptios aſini aliquando in præceps dabantur, quod rufus foret Typhon hoſtis Oſiridis, & aſini colorem præ ſe ferret. Unde & Ochum Perſarum regem ipſis infeſtum aſinum vocabant.

POL. VIRGILII. *Canem mortuum vel pulicem vnum perſequi.*

David lib. j. Regum, his verbis Saulem de ſævitia reprehendit, qui cum ſit vir princeps humilem hominem oppugnet: & canem mortuum, quem ne canes quidem attingunt, pulicemque, quos pedibus ſæpe terimus, (ita modeſtè vir ſanctus ſe extenuat) velit perſequi. Conveniet in potentes & validos, qui infirmos & pauperes divexant.

Onager.

De ſordido, ruſtico, & hominũ ſocietatis fugiente. Hier. j. Onager ferus aſinus locis ſylveſtribus gaudet, animal ab homine alieniſſimum.

EX APPEND. IVNII, *Trahere caudam.*

Uſurpatur pro, in numero ſtultorum hominum eſſe, ſibilis & riſu excipi: Nihilo, inquit, vt ſapientior ille. Qui te derider, caudã trahat. De origine proverbii ſumma contentio. Pleriq; eam repetunt à puerorum more, quo eorum, quos irrideri & ignominioſo vulgi clamore ſubſannari volunt, tergo animantium caudas alligant. Adpingerem commentum meum huic nõ diſſimile: ni vererer, ne me alii hoc meo adagio ornẽt, & reapſe caudam trahere judicent. Turnebus accipiendum putat pro, ſibi placere, & ſe ſapientem ſeu ſaperdam putare: idq; ex eo quod eorum qui talari toga pallave ornati longo ſyrmate terrã verrũt, ingreſſus ſoleat magnificus eſſe & ſuperbus, adducit idem alterum Horatii exemplũ.

——— Traxitq; vagus per compita veſtem.

Id eſt, magnificè inceſſit ſaltans.

De plebe.

Non lubens facio, vt vnam tantum dictionem, quocunque ea migraverit, in adagiorum numerum recipiam: ſed cum optimi quiq; eam ſibi legem non præfinierint, licentius etiam nos his pagellis illudemus. De plebe igitur aliquorum eſſe, valet, infimum locum tenere, numerum eſſe: vt apud Romanos plebecula, quæ ſolo numero ſuffragia augebat, erat viliſſima populi pars, ære & fœnoribus gravata. Ovid. Metamorph. j. agens de Deorum gradibus;

Plebs (intellige, deorum) habitat diverſa locis. ———

& infra Jupiter apud Inachida ſe venditans.

Præſidet tuta Deo, &c. ———
Nec de plebe deo: ſed qui cœleſtia, &c. ———

Similiter Horatius;

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Eſt animus tibi, ſunt mores, & lingua, fideſque:
Plebs eris, at pueri ludentes: Rex eris, ajunt,
Si rectè facies. ———

Ubi, plebs eris, valere quis non ineptè dicat, nullo eris numero, nulla authoritate & exiſtimatione. Vide ſupra quæ collegimus ex Turn. adverſariis. Hinc plebeiam veſtem vocant Cic. Lucretius, & alii, eam quæ vilis eſt & famularis. Huc refer, quod eodem modo dicat Terent. And. 3. actu. ii. ſcena Vulgum ſervorum deludere heros. Hæc nos eodem ſenſu conformabimus, Vulgus eruditorum, medicorum, &c.

Cinerem quærere.

Ibidem vſurpatur pro eſſe abjectum, vile & ſordidum, ab actione, vt opinor quæ vna eſt inter cæteras abjectiſſimas mediaſtini functiones. Pyrgopol laqueo Milphidippæ & Palæſtrionis jam propè adſtrictus: Sat in hæc quoq; me deperit? Meam laudat ſpeciem: ædepol hujus ſermones haudquaquam cinerem quæritant. PA. Quo argumento? PY Quia enim loquitur lautè, & minimè ſordide. Tum ipſa nimium lepida, nimiſq; nitida femina. Alii putant militem iis verbis dicere, debere eorum ſermonum perpetuam eſſe memoriam, ſed ſequentia non videntur ſatis hanc interpretationem admittere. Aliorum judicium facio.

COGNATI. *Paganus.*

Apud Romanos, gentem illam Martiam, quicunq; ſacramento militiæ ſoluti eſſent, Pagani, in eorum odium, quaſi ruſticè appellabantur. Reliqui verò ſtipendia facientes, Milites honeſto nomine cenſebantur. Hinc apud Juriſconſultos, Teſtamentum paganum, quod à paganis ſecundum obſervationem juris communis fit: & militare, quod jure & beneficio militari conditur: vt Inſtitutionibus de militari teſtamento traditur: & ſimpliciter in Pandectis eodem titulo. Pari ratione majores noſtri rectè Paganos dixerunt, quicunq; militiæ Chriſtianæ addicti non eſſent: exceptis Judæis, qui ſuo nomine ſatis premuntur. Perſius in Epigrammate, quod proœmii loco ſuis ſatyris præpoſuit:

——— Ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

id eſt, nondum omninò Muſarum ſacris initiatus.

COGNATI. *Pro Cottabo haberi.*

Qui pro ludo habetur, pro Cottabo haberi dicitur, fuit enim Cottabus, ludi genus apud Græcos, de quo apud Athenæum lib x. xj. & xv. Pollucem lib. vj. c. xix. & Suidam. Vel accipitur pro inani ſtrepitu, qualis in hoc ludo fiebat: quo pacto & apud Plautũ ponitur: Ne crebri in te Cottabi ſonent, &c. Lucianus in Philopatre: Nam tui dii pro Cottabis, ab iis qui rectè ſapiunt habentur, id eſt, pro ludo. Idem in Lexiphane: Vos autem fortaſſe putabatis Cottaborum ſtrepitus exercuiſſe me.

CONTRA.

ERASMI. *Cantherium infoſſa.*

Cantherium infoſſa: ruſticum proverbium, ſed tamen è re militari natum. Hoc licebit vti, quoties quis ad id negocii trahitur, in quo nequaquam valeat: aut vbi res vehementer erit impedita, periculoſa ve. Refertur à T. Livio, decadis 3. lib. 3. Narrat autem, cum Fabius Capuam obſideret ſecundo bello Punico. Jubellium

Tau-

Tauream inter equites Campanos nobiliſſimum, è Romanorum exercitu quemvis ad ſingulare certamẽ evocaſſe, auſumque prodire Claudium Aſellium. Deinde ubi diutius uterque alterum libero campo eluſiſſet, Campanus in cavam viam deſcẽdere iuſſit: alioqui equorum, non equitum fore certamen. Eo cum Romanus, re quam verbis ferocior, exemplo deſcendiſſet, rurſum eluſit Taurea ſermone, qui poſtea in ruſticum verſus eſt proverbiũ: Minimè ſcis, inquiens, cantherium in foſſa? Quanquam ex Livianis verbis parum liquet adagii ſenſus, tamen conjecturis facilè deprehenditur. Pugnat autem cum illo, quod alibi dicemus, τὸν ἵππον εἰς πεδίον, i. Equum in planiciem. Etenim quemadmodum plurimum valet equus in planicie, ita minime valet in foſſa.

In puteo conſtrictus.

Plato in Theæteto. τί γὰρ χρήσει ἀφύκτῳ ἐρωτήματι, τὸ λεγόμενον, ἐν φρέατι συσχεθείς, id eſt: Cur enim utaris inexplicabili quæſtione, in puteo, quemadmodũ aiunt, conſtrictus: Quadrabit in eos, qui in anguſtias eas redacti ſunt, ut extricare ſeſe nullo modo poſſint. Non admodum abludit ab illo, ἐν φρέατι κυνομαχεῖν, i. In puteo cum cane pugnare. Item illo: Cantherium in foſſa.

Nunc mea in arctum coguntur copia.

Rem candem diverſa ſignificat allegoria Terent. in Heauton. cum ait:

In anguſtum oppido nunc meæ coguntur copiæ.

Metaphora ſupra ab exercitu qui laborat, iniquo concluſus loco, & undique obſidetur ab hoſtibus, ut difficile ſit effugere.

Invita Minerva.

Latinis & illud eſt celebratiſſimum, Invita Minerva: pro eo quod eſt, refragante ingenio, repugnante natura, non favente cœlo. Cicer. in officiis: Invita, ut aiunt, Minerva. Idem libro Epiſtolarum familiarium 12. Quinquatribus frequenti ſenatu, cauſam tuam egi, non invita Minerva. Rurſum eiuſdem operis libro 3. Idque quoniam tu ita vis, puto me non invita Minerva facturum. Horatius:

Tu nihil invita dices, facieſve Minerva.

Huc alluſit Seneca, cum dixit: Male reſpondere coacta ingenia.

COGNATI. *Delphinis in tellure vis.*

Guilelmus Xylander in Plutarchi Demoſthenem annotat, poſteriorem eſſe partem ſenarii verſus, & proverbium continere. Nam Delphinus piſcis eſt prævalidus, agilis, & qui in mari plurimum poſſit: idem autem ſimulatque terram attigerit, vix in arenam exceptus, confeſtim emoritur. Ita impatiens eſt hoc animal terreni ſoli. Ita inquit Plutarchus: Orationes autem Demoſthenis & Cicèronis conferre, ſuperſedebimus. Nam hoc plane ſit futurum id quod Ion dixit:

—Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία.

Id eſt:

Delphinis in tellure vis.

Poſſumus uti hoc verſiculo, quoties rem nobis inauditam ea ratione recuſamus, quod ad eam peragendam vires nobis aut peritia deſit, aut ea à natura noſtra, vel inſtituto ſit aliena. Non abludit ab adagione apud Livium relato, Cantherium in foſſa: de quo Eraſmus noſter. Sunt qui in eos referunt, qui magnum aliquid, polliciti, minimum præſtiterint. Horatius in arte poetica, de re maximè abſurda, contraria, a natura abhorrente, & ſibi valde repugnanti:

Delphinum ſylvis appingit, fluctibus aprum.

Nam Delphini in undis, apri in ſylvis vivunt. De hoc quoque vide Eraſmum.

Delphinis in tellure vis.

Poſterior eſt pars ſenarii verſus. Continet autem proverbium. Nam delphinus piſcis eſt prævalidus, & qui in mari plurimum poſſit, in terra nihil valet. Ita, inquit Plutarchus in Demoſthenis geſtis poſſe iudicandis: de facundia autem minime valere iudicio, cuius rei cauſas attulit. Poſſumus uti hoc verſiculo, quoties rem nobis inauditam ea ratione recuſamus, quod ad eam peragendam vires nobis aut peritia deſit: aut ea a natura noſtra vel inſtituto ſit aliena. Non abludit ab adagione apud Livium relato, Cantherium in foſſa.

Eodem pertinet, quod Martialis inter felicitatis calculos hunc quoque commemorat:

Quod ſis, eſſe velis.—

Quid enim felicius libertate? Atqui videas non paucos, qui ſortem deplorent ſuam, quod in principum aulis locum non inveniant: miſeros ſe putant, quod ſervire non liceat. Verum ut beatus non eſt, qui ſe non putat beatum: ita bis miſer eſt, qui cum animi malis ſit infelix, tamen ſibi videtur felix. Etenim ut qui ſanus eſt, & ſibi videtur ægrotus, non fruitur ſuo bono: ita qui morbo tenetur, non intelligens ſuum malum, longiſſime abeſt a ſanitate: quippe qui uſque adeò ſanus non ſit, ut ſit etiam inſanabilis.

Ἄζηλος πλοῦτος.

Ἄζηλος πλοῦτος vocabatur, cũ quis ſuas dotes ignoraret. Veluti ſi qua formoſa cum ſit, putida eſſet tamen, ſibique diſpliceret: aut ſi quis facundus, infacundus ſibi videretur. Porrò felicitatis non minima pars eſt, ut quisque ſua norit bona. Proinde Maro:

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint.

Agricolas.—

Opinor eſſe finitimum illi, ὁ τυφλὸς πλοῦτος: id eſt, Cæcæ divitiæ. Nam ζηλοῦν aliquoties idem eſt quod admirari, ac felicem ducere. Vnde περίζηλον vocant conſpicuum & illuſtre: cui diverſum eſt ἄζηλον, quod nemo miratur. Quis autem miratur quod eſt abditum ac retruſum? Plutarchus in vita Lycurgi, facit Theophraſtum huius dicti autorem laudat enim Lycurgum, qui ſuis inſtitutis effeciſſet, ut apud Spartanos divitiæ nec eſſent obnoxiæ furibus ac prædonibus, quod ille vocat ἄσυλον: nec admirabiles, quod appellat ἄζηλον: nec omnino pro divitiis haberentur, quod ille vocat ἄπλουτον πλοῦτον, quaſi dicas inopes opes. Verum ipſa Plutarchi verba ſubſcribam, vel in hoc quo perſpicuum fiat, quanta gratiæ parte fraudentur, qui mahit autores in aliã linguam verſos legere, quam ſua lingua loquentes audire: μέγα μὲν οὖν καὶ τοῦτο ἦν, μεῖζον δὲ τὸ τὸν πλοῦτον ἄσυλον μᾶλλον δὲ ἄζηλον ὡς φησι Θεόφραστος, καὶ ἄπλουτον ἀπεργάσασθαι, τῇ κοινότητι τῶν δείπνων. Addit inibi Plutarchus, his ex rebus extitiſſe dictum illud celebre. Plutũ ex omnibus civitatibus quæ ſub ſole ſunt, in una Sparta ſervari τυφλὸν, id eſt, cæcum ac repoſitum, non aliter quam tabulam anima carentem & immobilem. Ex hiſce verbis ſimul & illud colligitur, idem pollere τυφλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ ἄζηλος ὁ πλοῦτος. Cæcũ enim dicitur, non ſolum quod videt, verum etiam quicquid luce caret. Quanquam autem feſtiviter proverbium detortum eſt ad Spartanorum frugalitatem, tamen quadrat potius in eos, qui ſuas opes ſibi poſſident, eaſque recondunt, aut defodiunt etiam. Ariſtophanes in Concionatricibus ἀφανῆ πλοῦτον appellat nummos in arca reconditos. Nam domus & agri, celari non poſſunt. Nullus uſus eſt picturæ repoſitæ, nihilo maior divitiarum abſtruſarum. Nam in uſum paratæ ſunt opes. Sic Flaccus in Odis:

Nullus argento color eſt, avaris

Abdito terris.

Et Pindarus in Nemeis hymno 1 οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν, ἀλλ' ἐόντων εὖ τε παθεῖν, καὶ ἀκοῦσαι φίλοις ἐξαρκέων. id eſt, Non deſidero multas in ædibus opes habere abſtruſas, ſed his quæ adſunt bene frui, audire, amicis ſuppeditans.

IVNII. *Vbi nec Pelopidarum facta.*

Qui honorum civilium, publicorum negociorum, aut faſtus aulici fugitantes, ignobilem obſcuro in tuſculo vitam carpunt: vel qui vitandorum periculorum gratia, ne capite pariter & fortunis oppugnentur, aut ingentis æris alieni nomine gravati, in peregrinas regiones ſe abdunt, ubi ignorentur: de his proverbialis verſus dicetur, quo ſemel atque iterum utitur Cicero, ut lib. ad Atticum 15. Evolare hinc, idque quamprimum, ubi nec Pelopidarum facta, neque famam audiam. & lib. 14. Itaque exire aveo, ubi nec Pelopidarum, inquit, quo in loco verſus finem truncavit. Videtur autem ex tragœdia quapiam ſenarius eſſe cum cauda præcedentis, vel pars tetrametri, hoc modo:

—Vbi Nec Pelopidarum facta neque famam audiam.

Pelopis Tantali filii, eiusque poſterorum latiſſimum olim fuit imperium, de quo ita Tyrtæus:

Οὐδ' εἰ Τανταλίδεω Πέλοπος βασιλεύτερος εἴη.

Id eſt:

Non ſi Tantalidæ Pelopis poſſedero regna.

CONTRARIVM PHILAVTIÆ.

ERASMI. *Non eſt beatus, eſſe qui ſe neſciat.*

Idem in eodem opere verſiculum hunc è poeta quopiam allegat Comico: Non eſt beatus eſſe, qui ſe neſciat, haud dubium quin populari ſermone jactatum, cum authoris nomen non adſcripſerit. Senſus eſt, haud eſſe ſatis, ut adſit felicitas, ni felicitatem tuam intellexeris. Huc alludens Vergilius:

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint

Agricolas.—

CORRECTIO DICTI AVT FACTI.

ERASMI. *Corrigentis quod dictum eſt ab alio.*

Vbi civiliter notavimus aliquem tanquam haud ex animi ſententia locutum, aut ubi quid dictum erit parum honeſtum, intorquebimus verſiculum hunc ex Iliados μ. quem Plutarchus ad eum uſum adduxit alicubi:

Οἶσθα καὶ ἄλλον μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.

Id eſt:

Sermonem hoc alium potiorem adducere noſti.

Correctio dicti.

Dictum obſcœnius,& bonis viris reticendum, aut abſurdum dictu,notabimus hoc verſiculo ex Iliados ξ.

Μῦθον, ὃν οὔ κεν ἀνήρ γε διὰ στόμα πάμπαν ἄγοιτο,
Ὅς τις ἐπίσταιτο ᾗσι φρεσὶν ἄρτια βάζειν.

Id eſt:

Sermonem,quem nemo vir unquam promat ab ore,
Qui modo cognorit cordata & ſana profari.

Ex Append. Erasmi.

In abſurde locutum.

Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων.

Id eſt:

Dentis clauſtra tui quæ vox elapſa reliquit,

In eum, cui aliquid imprudenter aut abſurde excidit. Homer. Cellius.

Ὀβελίζειν.

Ariſtarchus Homeri opus in libros digerens,ſubdititios verſus ὀβελίσκοις,minutis verubus prænotatis damnabat: inſignes & genuinos ἀστερίσκοις illuſtrabat. Hinc Ariſtarchus, pro cenſore & emendatore etiam uſurpatur. Cicer. ad Attic. cuius cerulas miniatulas (ita ille notabat, quæ in ſcriptis Tullii approbabat minus)ait ibidem ſe extimeſcere: id eſt, cenſuram,& iudicium, hinc etiam ὀβελίζειν,damnare eſt.De ſpongia dicemus infra. Lima addebatur, cum detrahebantur & expoliebantur inculta: unde elimare. Cœlo etiam deformabatur ac fingebatur quod rudius erat.

BRASSICANI. Πλύνειν.

Artemidorus libro Onirocriticῶν β. capite ď. πλύνειν δὲ καὶ τὸ ἐλέγχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί. id eſt: Lavare veteres coarguere dixerunt,& ibidem eius rei teſtem Menandrum comicum citat: τὸν πατέρα, καὶ σε, τούς τε τὰς ἐγὼ πλυνῶ, αὐτὴ δ' ἐλέγξω. meminit & Iulius Pollux lib.7.cap.11. καὶ τὸ λοιδορεῖν πλύνειν καὶ πλυνεῖν με ποιεῖς, ὁ κωμῳδὸς φησι. Is loquendi mos & hodie germaniſmo quodam elegantiſſ. uſurpatur. Siquidem lavare dicunt,dum quod in aliquo reprehendendum ſit,aperte commonſtrant.

Proba materia, probo artifici.

Solitum eſt apud Græcos ac Latinos proverbii loco, hominibus parum ſcite in re præclara verſantibus obiici: Proba quidem materia,ſi probum nactum fueris artificem. Sic Plautus in Penulo uſus eſt.

IOANNIS VLPII. *Expumicare.*

Pro expurgare & expolire,in uſu fuit. Vſus enim pumicis eſt in chartis lævigandis,& ſordibus detrahendis Tertul.Similia fere ſunt:Exaſciare, edolare, interpolare, colophonem imponere, ad umbilicum ducere.

COGNATI. *Ex teipſo hæc audis.*

Vrbano & eleganti artificio uſus eſt Socrates ad reprimendum Alcibiadis faſtum, in eo Platonis dialogo, qui inſcribitur, Alcibiades primus. Nam cum ſibi perſuaderet adoleſcens ille (quod eius ætatis eſſe ingenium ſolet) abunde iam inſtructum eſſe ſe iis omnibus rebus, quæ ad rempubl. adminiſtrandam pertinerent, blande aggreſſus hominem Socrates paulatim interrogando,eo perduxit,ut ex ipſius reſponſionibus aperte efficeretur, cum nullam eſſe adhuc iuſti & iniuſti ſcientiam conſecutum. Cumque ægre ferret quodammodo Alcibiades,& indignaretur,quod inſcientiam ſibi exprobrari putaret,purgat ſe Socrates, affirmatque, ſe nihil prorſus tale in eum dicere, ipſum eſſe Alcibiadē qui de ſe fateretur. Vſu venit,inquit,nobis ô Alcibiade, id quod ait Euripides:Periculum eſt,ne tu ex teipſo hæc,non ex me,audias. Neque ego ſum huius ſermonis author,ſed tu. Me autem fruſtra incuſas. Euripidis locus eſt in Hippolyto coronato, actu ii. Non diſſimili modo Chriſtus noſter Pilato dicenti: Tu es rex Iudæorum? reſpondit: Tu dicis. Idem Principibus ſacerdotum & ſcribis dicentibus: Tu ergo filius es Dei? ait: Vos dicitis me eſſe. Lucæ 19. De ore tuo,inquit Dominus,te iudico,ſerve male.

Περιτρέπεται ὁ λόγος.

Hoc loquendi genus frequentiſſimum eſt,dici ſolitum, quando adverſarii dictum in ipſum retorquemus, & ſuo veluti gladio eum iugulamus. Sextus in Pyrrhoniis lib. 2. cap. 6. καὶ περιτρέπεται ὁ λόγος.id eſt:Vtrinque retorquetur oratio. Dicitur etiam τὸ περιτροπὴν τὸν λόγον:idem ἐκ περιτροπῆς.

Decretorius ſtilus.

Per decretorium ſtylum metaphorice aſperam cenſuram & graviſſimam ſignificamus.Decretum enim Latinis dicitur, quod Græcis δόγμα:hoc eſt,ſtata,conſtitutaque ſententia. Vnde decretorium,quodillis κρίσιμον, qua ratione canicula ſidus, uvis decretorium Plinio: & dies florentibus oleis decretorius, quo aliquid oritur.Seneca De clementia lib.1.cap.14. Niſi magnæ & multæ iniuriæ patientiam evicerint, non accedit ad decretorium ſtylum. De ſtylo. Cicero in oratione pro Cluentio: Ne cenſorium ſtylum cuius mucronem multis remediis maiores noſtri retuſerunt, æque poſthac,atque dictatorium gladium pertimeſcamus. Latinus Pacatus in panegyr. Theodoſii: Sic cum immitis tyranni ſtylus timeretur,& gladius, transferat in vota paupertas. Et in l. ſi quis. C. de bonis proſcriptorum,ſeu damnatorum: Si quis intra provinciā pro qualitate delicti ſtylum proſcriptionis incurrerit, &c. Deducta hinc metaphora,quod ſententiæ antiquitus ſtylo ſcriberentur in ceratis tabulis.

Bona verba quæſo.

Bona verba quæſo,&c.& in Hipparcho, vel,de lucri cupiditate,vel, ſtudio lucrandi. Item in Protagora: Interrogationem hanc ægre ferrem, ad eumque converſus dicerem: Bona verba quæſo. In Euthydemo: Bona,inquam,verba quæſo.

Strigilis.

Strigilis nomen ad vehementes obiurgationes& caſtigationes Syracides tranſtulit in libro Sententiarum.cap. 30. quod ſtringendi ſignificationem habet & de equis dicitur.

Virga moderari.

Claudianus de Mauris:

Hi virga moderantur equos, his ſalva leones.
Velamenta dabant.——

Aurelius in venatione,eiuſmodi equos his verſibus commendat.

Nam flecti faciles, laſcivaque colla ſecutus.
Paret in obſequium lentæ moderamine virgæ,
Verbera ſunt,præcepta fugæ,ſunt verbera fræni.

Metaphorice. Proverb.13. Qui parcit virgæ, odit filium. 22. Virga diſciplinæ.29. Virga atque correctio tribuit ſapientiam. Puer autem quid dimittitur voluntati ſuæ,confundit matrem ſuam.

CRVDELITAS.

ERASMI. *Manliana imperia.*

Vt hoc proximum recte congruit in hos,qui ſæviunt in eos,in quos ius nacti ſunt: ita Manliana imperia confine illi proverbium,probe torquebitur in eos,qui nimis rigida iuris obſervatione humanitatis & æquitatis obliviſcuntur. Hiſtoria quæ proverbio cauſam dedit,narratur a Tito Livio primæ decadis 8 lib. Extat & apud Valerium Maximum,aliosque complures ſcriptores. Et ad hunc ferme habet modum. T. Manlius cum conſul bellum cum Latinis gereret,edictumque eſſet,ne quis extra ordinem pugnaret. T. Manlius conſulis filius turmæ præfectus, provocatus a Geminio,ſive (ut Valerius) à Geminio Metio Tuſculanorum equitum præfecto, oblitus edicti conſularis conflixit, & provocatorem haſta confodit. Deinde ubi comitante turma,ac veluti ovante ſpoliis ornatus ad patrem tenderet, ille mox in conſpectu omnium, filium quod extra ordinē pugnaſſet,ad palum deligari, deinde virgis ex more cædi, poſtremo ſecuri ferrri iuſſit. Salubri quidem in poſterum exemplo, quemadmodum ait Livius, ſed in præſentia nimium invidioſo conſuli. Siquidem, ut autor eſt Valerius libro Memorabilium nono, capite, De ira, cum Victor Romam reverteretur, nemo iuvenum obviam iit. in tantum totius iuventutis odium venerat. Hinc & cognomē additum vulgo Imperioſo. Refert ſimile ſeveritatis exemplum Valerius Maximus, libro ſecundo, capite de diſciplina militari, de Poſthumio, Tiburto, cuius filius fortiſſimus adoleſcens, quod feliciter quidem, ſed iniuſſu patris, cum hoſte commiſiſſet, a patre ſecuri percuſſus eſt. Quanquam Titus Livius primæ decadis libro quarto, mavult hoc de Manlio Torquato, quam de Poſthumio credere: atque in variis ſcriptorum opinionibus hoc potiſſimum argumento ſeſe uti teſtatur, quod vulgato proverbio Manliana imperia dicta ſint, non Poſthumiana,cum tamē Poſthumius ætate præceſſerit Manlium. Quod ſi prior tam ſævi exempli fuiſſet autor, occupaſſet nimirum inſignem titulum crudelitatis: præterea quod Manlio cognomen inditum eſſet Imperioſo, non Poſthumio. Meminit & Seneca De beneficiis libro 3. de Manlio ſive Manilio quodam, qui relegatus à patre, reverſus eum à moleſtia litis intentatæ liberavit. Tecte ad proverbium alluſit M. Tullius, libro De finibus 2. Vide ne iſta ſint Manliana noſtra aut maiora etiam, ſi imperes quod facere non poſſim. Fortaſſe pro noſtra, ſcriptum erat, iuſſa.

Opera Syloſontis ampla regio

Ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη.

Id eſt:

Per Syloſontem regio facta eſt amplior.

Senarius in proverbiū verſus, quem refert Strabo libr. Geographiæ 14. Nam Syloſon munificentia Darii, mortuo Polycrate, Samiorum adeptus tyrannidem, cū acerbius exerceret imperium, ita ut fere ſolent ii, qui ab humili fortuna repente ad res amplas provehuntur, & ob hanc cauſam inſula deſereretur ab incolis, proverbio dici cœptum:

Ἕκητι Συλοσῶντος εὐρυχωρίη.

Id eſt:

Specioſa regio eſt Syloſontis gratia.

Convenit in acerbe gerentem magiſtratum, aut in principem malum

malum, cuius vitio deſeratur ab incolis regio. Venuſtius reddetur longiore deflexu: veluti ſi in hominem πανοικίαν, qui domum aliquam compilarit, dicatur: aut in profuſum ac prodigum, cuius luxu loculi facti ſunt inanes.

Phalaridis imperium.

Φαλάριδος ἀρχή: id eſt, Phalaridis principatus. Refertur inter Græcas parœmias. Rectè dicetur in eos, qui crudelius exercent imperium, aut poteſtatem ſibi delegatam. Ortum adagium à Phalaride Agrigentinorum tyranno, quem ſua crudelitas nobilitavit. Inter multa autem crudelitatis exempla celebratur in primis æneus ille taurus, Perilli, ſive Perilai (nam ſic appellat Lucianus) inventum, quo ſubiecto igni mortales vivi ſic exurebantur, ut pro eiulatu humano mugitum æderent morientes. Eum taurum exuſto primum in eodem artifice, Delphos miſiſſe legitur, ut Phœbo dicatus, in eius templo reponeretur, monimentum ſuorum, ſimul & artis exquiſitiſſimæ, & inventi crudeliſſimi, & pœnæ merito in autorem retortæ. Verum Delphi munus, ut à tyranno miſſum, repudiarunt. Hæc fermè leguntur apud Lucianũ. Simili figura dictum legimus φαλαρισμὸς, pro immani crudelitate. Cic. ad Attic. lib. 2. Nam iſtum quidem, cuius φαλαρισμὸν times, omnia teterrime facturum puto. Idem in actione contra Piſonem: Quoniam, inquit, Phalarim grammaticum habemus, id eſt, qui perperam ſcripta etiam capite punit.

Omnium quos videt.

Sunt & illæ figuræ proverbiales, Omnium quos terra ſuſtinet: aut. Quos ſol vidit peſſimus optimusve. Plaut. in Sticho: Facile invenies & peiorem & peius moratam pater quam illa fuit: meliorem neque tu reperies, neque vidit ſol. Idem in Bacchidibus.

Quia ædepol certo ſcio
Vulcanus, luna, ſol, dii quatuor
Sceleſtiorem nullum illuxere alterum.

Vergilius:

Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras.

Vnde & oculus mundi dictus eſt. Simile eſt illud, Quodcunque in ſolum venit. M. Tullius Epiſt. fam. lib. 9. epiſt. ultima: Convivio delector, ibi loquor, quicquid in ſolum, ut dicitur, & gemitum & riſus. Sentit ſe in convivio de quibuslibet rebus loqui, ſeu lætis ſeu triſtib. Citatum eſt nobis hoc adagiũ in ſuperioribus ex primo libro De natura deorum: ſed hic locus tum non occurrebat: qui tamen ad proverbii fidem pertinere viſus eſt. Plautus in Pœnulo: Quantum hominum terra ſuſtinet ſacerrimo.

Omnis herus ſeruo monoſyllabus.

Πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος: id eſt, Omnis herus ſeruo monoſyllabum. Heris & potentibus breviſſimo tantum verbulo eſt opus, ut vel annuant, vel renuant, ναὶ, οὔ.

Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Servis autem & impotentioribus multis opus eſt verbis, ut exorent, aut perſuadeant. Effertur integre ad hunc modum: πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος. τὸ δ' ἱκετεύειν, μακρόν. id eſt: Omnis dominus ſeruo monoſyllabum: at ſupplicare, longum. Annotatum eſt à doctis, monoſyllaba & diſſyllaba nomina convenire ſeruis: cuiusmodi ſunt μῦς, quo nomine fuit Servus Epicuri. Cæterùm Athenæus lib. 5. citat Herodicum, qui contemptus gratia grammaticos appellat γωνιοβόμβυκας, μονοσύλλαβοι: quod in angulis lateant bombycum more, quodque de minutiis vocularum tractent. De Lyſimacho dixit Demoſthenes, ni fallor, regnum ipſius nihil differre à ſcena comica: quod impendio delectaretur ridicule dictis: eoque ab hoc omnes diſcedere diſſyllabos, hoc eſt, hiſtriones. Notavit enim Bithen & Parin, qui nihil apud illum non poterant. Athenæus lib. 14. Rurſus nomina magnatum faciunt polyſyllaba: qualia ſunt, Ariobarzanes, & Nabuchodonoſor: & apud Plautum, Polypyrgopolinices, & Megalodorus.

Budoro more.

Βουδόρῳ νόμῳ aut, ut alibi reperio, βουδόρων νόμῳ: id eſt, Budororum more ſeu lege. Suidas ac Zenodotus interpretantur de iis, qui diriſſint, ut bovis ritu excorientur. Diogenianus exponit de admirandis. Βούδορον, authore Stephano, promontorium eſt oppoſitũ Salamini. Βούδεια, Magneſiæ civitas, quam Homerus Βούδειον appellavit. Βουδινοὶ populi ſunt Scythiæ, ſic appellati, quod à bubus vehantur, utpote ἁμαξόβιοι, id eſt, plauſtris ædium vice utentes. Vnde videtur bifariam alluſum ad etymologiam, παρὰ τὸ βοῦς δέρειν ἢ τὸ βοῦς δοῦναι: id eſt, A boum excoriatione, & boum donatione. Strabo lib. 10. commonſtrat. Eubœæ flumen Budorum. Idem indicat mõtem Salaminis proſpectantem in Atticam. Rurſum Plinius libro 4. cap. 12. inter Gelonos & Agathyrſos refert Budinos. Cæterum quid hæc ad proverbium faciant, non video. Heſychius indicat βουδόρον eſſe μοχλὸν, quo boves excoriantur. Locus erit proverbio, ſi quis dicat cum improbo non argumentis aut legibus, ſed βουδόρῳ νόμῳ agendum, quemadmodum apud Terentium audit Samnio: Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intro arripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris.

Lemnia manu.

Λημνίᾳ χειρί: id eſt, Lemnia manu, dictum eſt pro eo quod eſt, nefaria, impia, crudeli. Natum ab hiſtoria proverbium, quam alias retulimus in Lemnio malo.

Crudelis Bacchus.

Ὠμηστὴς Διόνυσος: id eſt, Crudelis Bacchus. Baccho quondam vivos homines ſacrificari mos erat: unde in crudeles convenit. Sive quod temulentia reddat feroces & immites.

Non magis parcemus quam lupis.

Οὐ φεισόμεσθα μᾶλλον ἢ λύκων: id eſt, Haud magis parcemus quam lupis. Ariſtophanis interpres proverbialem figuram eſſe admonet, inde natam, quod antiquitus lex ad interficiendos lupos etiam præmio invitabat apud Atticos. Etenim qui lupi catulum interemiſſet, huic talentum: qui adultum occidiſſet, duo talenta dabantur.

Vnde & Apollinem, λύκειον & λυκοκτόνον cognominarunt. Ariſtophanes in Avibus:

Φεισόμεσθα γάρ τι τῶνδε μᾶλλον ἢ λύκων;

Id eſt:

Quid enim his magis parcemus, atque ipſis lupis?

Lutum ſanguine maceratum.

Theodorus Gadareus Tiberii Cæſaris in arte rhetorica præceptor, perſpiciens in eo adhuc adoleſcente ſævitiam quandam cũ ingenii ſtupore coniunctam, inter obiurgandum illum ſubinde vocare ſolet, πηλὸν αἵματι πεφυραμένον: id eſt, Lutum ſanguine maceratum: luto tarditatem innuens, ſanguine crudelitatem. Autor Suetonius. Non omnino diſſimile, quod ſcurra quiſpiam Athenis iecit in Syllam: συκάμινον ἐσθ' ὁ Σύλλας, ἀλφίτῳ πεπασμένον. id eſt: Morum eſt Sylla, farina variegatum. Quod enim Plutarchus dixit συκάμινον, interpres vertit morum. Notavit autem formam Syllæ, in cuius facie alioqui candida, ſublucebat rubor non perpetuus, ſed veluti maculis inſperſis.

Non eſt oleum in lecytho.

Ἔλαιον οὐκ ἔνεστιν ἐν τῇ ληκύθῳ.

Id eſt:

Olei liquor nequaquam ineſt in lecytho.

Scilicet cum ſignificamus, non eſſe precibus locum apud inexorabilem. Refertur apud Ariſtophanem in Avibus. Eſt autem alluſio ad vocem. Nam ἔλαιον, oleum ſignificat, & ἔλεος miſericordiam, & haud ſcio an altera ab altera ſit derivata.

Boni viri lachrymabiles.

Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες.

Id eſt.

At quisquis probus, is multum lachrymabilis eſt vir.

De iis dicebatur, qui facile commoverentur ad miſericordiam & ac precibus flecterentur. Nam illachrymare dicuntur, qui miſereſcunt. Ovidius.

—— Quibus poſſint illachrymabilem feræ.

Proinde Horatius Plutonem, quod nullis flectatur precibus, illachrymabilem appellat.

Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris.

Et Dido Vergiliana Æneæ duritiem incuſans:

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lachrymas victus dedit aut miſeratus amantem eſt?

Poteſt & ad Heraclytum referri, res humanas perpetuo fletu proſequi ſolitum. Contra duros & inexorabiles, adamantinos, ferreos, & corneis fibris dicimus. Licebit & detorquere, quod boni fere cum paupertate rem habent, multaque coguntur perpeti. Adagium recenſetur à Zenodoto.

IVNII. *Draconis leges.*

Δρακοντείους νόμους, Draconianas leges dici invenio à Xenarcho apud Athenæum, nimia ſeveritate ſancitas, & quæ rigiditate immoderata, humanitatis iura æquitatisque diſſolvunt. Sic enim inquit:

Πῶς πότ' ἂν δύναιντο ταῦτα πάντα ποιοῦντες
Βινεῖν ἀναγκαῖον τοὺς Δρακοντείους νόμους
Οἷς καὶ ἀναμιμνῃσκόμενοι;

Id eſt:

Qui cæteula ô Venus queant
Dare liberis operam creandis, quoties
Legum Draconis ſint memores?

Draco Athenienſis, vir bonus magnæque prudentiæ, tetricas leges ſanxit, ſupplicio fermè capitis ſancitas, ut Aul. Gellius refert, qua de cauſa non atramẽto, ſed ſanguine ſcriptas eius leges (quas propriè θεσμοὺς dictas ſcribit Ælianus) quidam dixiſſe memoratur. Severam igitur alicuius diſciplinam & inſtituta acerbiora, Draconis leges nominabimus. Huc ſpectat illud Ariſtotelis in Rhetoricis: οὐκ ἀνθρώπου οἱ νόμοι, ἀλλὰ δράκοντος, id eſt: Haud hominis, ſed Draconis ſunt leges.

Flamma perſequeris quem genueras.

In eum qui damno afficit quem paulò ante & opera & re adiuverat, quadrabit appoſite ſenarius proverbialis Æſchyli:

Σύ τοί μ' ἔφυσας, σύ με πυρπολεῖς μοι δοκεῖς.

Id eſt:

Videris urere igne me quem genueras.

Verba videntur eſſe Meleagri, quem Althæa mater, impoſito igni fatali titione, flammis conſumpſit: vel potius Penthei: Nam hoc nomine fabulam docuit Æſchylus, in quem furiata Agave mater deſævit, incenſis ædibus, ut refert Oppianus & Euripides: apud quem in Bacchis conſimilia loquitur Pentheus. Demetrius, à victoria Poliorcetes vocitatus, variis caſib. ultro citroque iactatus ad fortunam exclamaſſe hoc Æſchyli carmen legitur:

Σύ τοί μ' ἔφυσας, σύ με καὶ νῦν ἀπολλύεις.

Tu me extuliſti in lucem, at eadem nunc parens
Abolere flammis me nefariis paras.

Quaſi Nauplius Caphareo rediens.

Ὥσπερ Ναύπλιος ἀπὸ τοῦ Καφηρέως ἰών.

Id eſt:

Quaſi Nauplius Caphareo rediens.

De homine immani, & horrificam ſpeciem præferente, ita uſurpavit Dion. Chryſoſt. in Euboico: *μικροῦ δέδοικα, ὥσπερ οἶμαί τις τὸν Ναύπλιον ὁρῶν ἀπὸ τοῦ Καφηρέως ἥκοντα.* id eſt: Metu propemodum corripior, quaſi, ut arbitror, Nauplium ſuſpectans Caphareo redeuntem. Loquitur de ruſtico, vili penula & ovino vellere amicto, qui extra urbis commercia ruri additus in ſeceſſu delituerat. Nauplius Palemedis pater indignam filii necem graviſſime ferens, quum ultionis repulſam in caſtris ad Troiam tuliſſet, mala varia excogitavit adverſum Græcos, ſtupris excidijſq; regnorum filii mortem ultus, claſſem Troia capta reducem in Caphareo aſperrimo Euboiæ monte excitata pyra, in littus ſcopuloſum & naufragum pellexit. Ex quo facto diritas hominis facile elucet, qui tot hominum millibus innoxijs author mortis extitit. Ammianus lib. 22. Caphareus Euboicus ſcopulus, ubi Nauplius Palamedis claſſem concidit Argivam. Citat Sophoclis verſiculum Ariſtides:

Ποίας Ναυπλίου πεύκης νῦν πυρός.

Id eſt:

Quot Nauplii ignitas tendiculas.

Cyclopicum monſtrum.

Κυκλώπειον τέρας, id eſt, Portentum Cyclopicum, de immani & humanitatis omnis experte homine dicitur. Citatur à Suida inter convicia Bacchanalibus iactari conſueta. Conſimili modo Aeticum hæreſiarcham impoſtorem ſceleratum, *τέρας τι Καππαδόκιον*, id eſt, Portentum Cappadocium nominat Gregorius Nazianzenus in oratione Athanaſio dicta, quod Cappadocum gens improba & flagitioſa vel adagio illo, quo inter tria cappa gẽs illa cenſetur, innotuerit. Cicero in oratione poſt reditum in Senatum: Cum hoc homine, aut cum ſtipite Æthiope nihil crederis intereſſe, ſine ſenſu, ſine ſapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum, Cappadocem, modo abreptum de grege venalium diceres.

Echeti imperium.

Ἐχέτου ἀρχή, id eſt, Echeti imperium, rectè effertur in eum, qui acerbe & inhumaniter imperium adminiſtrat, duriſque legibus ſubditos exercet, æquitatis & clementiæ præparcus. Nazianzenus in priore Invectiva Iuliani apoſtatæ, crudelitatem Echeti & Phalaridis immanitati Arethuſiorum poſtponit his verbis: *ὡς μικρὰν εἶναι τὴν Ἐχέτου καὶ Φαλάριδος ἀπανθρωπίαν πρὸς τὴν ἐκείνων ὠμότητα.* id eſt: Adeò ut Echeti & Phalaridis inclemẽtia exigua ſit præ iſtorum immanitate. Eunapius in Chronographia, de Feſto proconſule (qui Valentis imperato. temporib. incredibilẽ in ſupplicijs crudelitatem exercuit, & tyrannidem in Aſia) loquens, Homerico illum Echeto comparat: *ἐξεπέμπετο δὲ εἰς τὴν Ἀσίαν κατὰ τὸ ἀπηνὲς καὶ μυθῶδες ἔχων, τὸν Ὁμηρικὸν Ἔχετον ἢ εἴ τις ἄλλος ἐκ Θετταλίας ἢ Σικελίας τύραννος.* id eſt: Ablegatur in Aſiam crudelitate, Homerico & fabuloſo Echeto perſimilis, & ſi quis extitit alius tyrannus è Theſſalia aut Sicilia oriundus. Fuit autem Echetus Auchenoris & Phlogeæ filius, Epiri rex, immanis ſupra modum & crudelis, qui filiam Metopen (alii Amphiſſan nominant) ab Æchmodico quopiam vitiatam oculis orbavit, eamque compulit cribro incernere hordei grana è ferro fabricata, dictitans ludibrio, eam tum demum viſum recepturam, quum illa in pollinem redacta pinſuiſſet. Æchmodico autem ad cœnam accito extremos artus, & cum ijs pariter virilia detruncavit, denique furibundus, ſuiſque ipſius expletus carnibus, vitam finiit. Quomodo Lyſander poſtea immani exemplo in minuta ſegmenta te ipſe conſecuit. Huius crudelitatem inſignem detexit Homerus Odyſſ. 18. in illis verſibus, ubi Antinous Iro mendico minatur miſſionem ad Echetum, ſi Vlyſſi ſuccumbat:

Πέμψω σ' ἤπειρόνδε βαλὼν ἐν νηῒ μελαίνῃ
Εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
Ὅς κ' ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέϊ χαλκῷ,
Μήδεά τ' ἐξερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Id eſt:

Aſpetam in Epirum te pervehet uncta carina
Regi Echeto, infeſto cunctis mortalibus uni,
Qui tibi detruncet ferro, cum naribus aures,
Raptaque porrigeat canibus genitalia cruda.

Heſychius memorat illum & auribus, naribus, & pudendis orbare conſueviſſe viatores prætereuntes: eiuſque hiſtoriæ meminit & Rhodius Apollonius.

Marſiæ mors.

De immani & ſupra modum crudeli necis genere, *Μαρσύου θάνατος*, hoc eſt, Marſiæ mors effertur. Eunapius de Hormiſda Saporis Perſarum regis filio natu majore, qui ex venatu ad regiam regreſſus, quum convivarum accumbentium nullus forte, uti decuerat, ad venientem aſſurrexiſſet, *ἠπείλησεν τὸν Μαρσύου θάνατον αὐτοῖς ἐπιθήσειν*. i. interminatus illis fuit Marſyæ necem, qua re intellecta ſatrapæ communi conſilio, poſt obitum patris, natu minorẽ fratrem regno præfecerunt, illo in caveam incluſo, ferreiſque compedibus obvincto: qui poſtea opeuxoris, lima præfectis vinculis, ad Conſtantinum Magnum profugus, evaſit. Marſyas Hyagnidis filius, genere Phryx, tibicen cum Apolline de artis præſtantia contendiſſe dicitur, victusque protervíæ pœnas victori dediſſe, detracto membratim corio, & arbori appenſo. Vnde Nonnus Panopolites in Dionyſiacis de tibicine hoc loquens, ſic canit:

Cleonæ ex quo pœnas das impiè victus,
Ludibrium ventis pellis direpta movetur.

Hoc cruciatus inhumani genere obijſſe Valerianum Romanorum Imperatorem a Perſis captum, memorat Agathius hiſtoricus lib. 4. Addit idem, Saporem necis id genus viſu miſerabile primum excogitaſſe, ex Orphei de Marſyæ ſupplicio hiſtoria adductum. Refert & Choſroen regem Nachoracheo profugum ita excruciaſſe, ut à cervice ad ſummos uſque pedes cutis detraheretur inverſa, cum ipſis quoque genitalibus, & in utris ſpeciem vento inſpirato diſtenta, ſcopulo affigeretur. Commemorat & Procopius rhetor belli Perſici libro 1. Baſſicij corium deductum inſtar utris, palea oppletum ex altiſſima arbore fuiſſe ſuſpenſum. Et Ammianus Marcellinus lib. 23. ſcribit eos cutes vivis hominibus detrahere particulatim vel ſolidis.

Licinii, & Licynium fulmen.

Λικύμνιοι, Licynios proverbiali ſpecie dici annotat Euſtathius Odyſſeæ 18. eos, qui duris modis deſæviunt, aſperiuſq; animadvertunt in quempiam, *οἱ ἀγρίως καὶ χαλεπῶς*: eo modo quo Iri mendici, helluones Sardanapali, Crœſi divites dicuntur à Licinio quopiam. Suſpicor autem *Λικυμνίους* legendum, vel certè *Λικυμνίους*, quam lectionem etiam Callimachus olim approbavit, a Lycimnio incendiario, qui multorum domos igne crudeliter corrupiſſe legitur. Quo ſpectat illud Ariſtophanis in Avibus:

Καταιθαλώσῃ σου Λικυμνίαις βολαῖς:

Id eſt:

Telo Lycimnio ille te corruperit.

Docuit Euripides Lycimnium fabulam, ubi fulmine conflagravit.

Cyclopicus obtutus.

Κυκλώπειον βλέμμα. Cyclopicus aſpectus, pro torvo & immani accipitur. Citatur a Suida. Conſtat autem Cyclopas efferos & pietatis omnis expertes fuiſſe, ex Homero, *καὶ ἀθέους* hominum commercia non agnoviſſe, Strabone teſte. Convenit cum altero, Titanicus aſpectus: & illo Nicandri in Alexipharmacis:

Λοξὸν ὑποδρὰ ταυρηδὸν δοκεύων. id eſt:

Tauriniumque tuens obliquo lumine.

Thyeſtea cœna.

Θυέστεια τράπεζα ἢ δεῖπνα, id eſt, Thyeſtea menſa aut cœna, pro immiti & cruento epulo ponitur. Athenagoras libro De mortuorum reſurrectione: *καὶ τὰ τραγικὰ δεῖπνα Θυέστεια*. id eſt: Et Tragicas Thyeſtæ epulas. Euſeb. lib. 5 Eccl. in epiſt. Gallicanorũ Chriſtianorũ, quæ eſt dẽ martyribus in Gallia necatis: *καὶ ἐψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα καὶ Οἰδιποδείους μίξεις.* id eſt, Mentiti ſunt de nobis Thyeſtæas cœnas & Oedipodios inceſtus nobis obijcientes. Oppianus Cilix in Cynegeticon 3. de onagro loquens, teſtes ſui catuli abſumente, conqueritur de natura quæ non homines tantum in pignora ſua diro exemplo armaverit, verum etiam beſtias eadem immanitate imbuerit, ſic inquiens:

Θῆκε Θυεστείην δαῖτα παρέθηκε τράπεζαν.

Id eſt:

Appoſuitque feris epulum ferale Thyeſtæ.

Philon in oratione de Diratum imprecationibus: *ἐπαγγελθέντα Θυέστου δεῖπνα καὶ συγκαταλεγόμενα ταῖς ὑπερβολαῖς τῶν συμφορῶν.* id eſt, Execrandæ dapes Thyeſtæi libri inter graviſſimas calamitates adnumeratæ. Martialis lib. 1.

— Qui ſcribit prandia ſævi
Tereos, aut cœnam crude Thyeſta tuam. & lib. 5.
Fugerit an Phœbus menſas cœnamque Thyeſtæ,
Ignoro, fugimus nos Ligurine tuam.

Nota eſt fabula de Thyeſte Pelopis filio, cui Atreus frater epulandos ſuos ipſius liberos appoſuit: quorum nomina prodit Euripidis ſcholiaſtes eſſe, Aglaum, Orchomenum, & Coleum. Poterit, meo quidem iudicio, non malè transferri ad crudele ſpectaculum, quod oculi abhorreant (quemadmodum in illo parricidio Sol vultum texiſſe dicitur:) cuiuſmodi ſuperiore triennio Aſia vidit, quum ſuperbiſſimus Turcarum rex, fracta filiorum natu maximo gula, minimum omnium, ſed ingenii dotibus longe maximum evocavit, ut fratri e Perſide reduci gratularetur: nimirum quid aliud iſte, quam ad Thyeſtæam cœnam invitatus, immaniſſimam fratris germani necẽ ab impio & ſcelerato genitore perpetratam ſpectavit, vindice Nemeſi haud inultus, quippe cum pa-

trem eodem fere temporis momento duobus filiis orbatum, altero necari iuſſo, alterum ferrum ultro in vitalia diſtringente, diræ ultrices mente emotum reddiderint, ac pro Thyeſtæo ſpectaculo meritas ab eo pœnas exegerint, ut perpetuo Heautontimorumenon ſecum circumferat.

Medea immanior.

Μηδείας ἀπηνέστερος, id eſt, Medea crudelior: proverbialis hyperbole in execrandam immanitatem contorquenda. Simocatus in epiſtolis, de matre quæ abortivi veneni poculo fœtum abolevetat: τῆς φονικῆς Μηδείας [illegible] τὰς φόνους. id eſt: Cædes immaniores perpetras, quam cruenta illa Medea: & iterũ alibi: [illegible] Μηδείας [illegible]. id eſt: Ita formidanda magis ero quam fuerit aut Medea, aut Phædra. Medeæ Æetæ Colchorũ regis filiæ crudelitas notiſſima eſt, occiſo Abſyrto fratre, cuius membra diſſipavit, ut eorum collectio diſperſa, mœrorque patrius, celeritatem perſequendi retardaret, ut Cicero loquit pro lege Manilia: ſed notior poſtea facta eſt iugulatis propriis liberis quos ex Iaſone ſuſtulerat: de quo vide Diodorum Siculum. Similẽ hyperbole dixit Tertullianus lib. adverſus Marcionem, Scythis tetrior.

Taurica ara crudelior.

Superiori affinis eſt hyperbole, qua utitur Iuvenalis ſatyra 15.

> Mæotide ſævior ara Ægyptus.

Vbi Mæotidem aram vocat Tauricæ Dianæ delubrum ad oſtium Mæotidis, ad cuius aram vivi homines advenæ immolabantur. unde addit poeta poſt ſuperiora verba.

> Quippe illa nefandi Taurica ſacri
> Inventrix homines tantum immolat.

Tauri, natio Scythica, inquit Strabo lib. 7. latrociniis nobilis, imperum facere ſolebant in advenarum naves in portum appulſas, de ea ita Valerius Flaccus Argonauticon 2.

> Taurorumque locos, delubraque ſæva Dianæ
> Advenit, hic illum triſti dea præficit aræ.
> Euſędato. ———

& Ovidius in tertio De Ponto, de barbara loquens:

> Sacrifici genus eſt, ſic inſtituere priores,
> Advena virgineo cæſus ut enſe cadat.

Pomponius Mela lib. 2. cap. 1. Tauri Iphigeniæ & Oreſtis adventu maximè memorati, immanes ſunt moribus, immanemque famam habent, ſolere pro victimis advenas cædere.

Veſpa acerbior.

Σφηκὸς δριμύτερος, id eſt, Veſpa acerbior, de præferoce & crudeli dicitur. Veſpę namque inſecti exigui ictus acerbi ſunt, & haud temere ſine febri ſunt, teſtante Plinio: quippe cuius ter novenis punctis interire hominem, prodidere nonnulli. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 2. [illegible]. id eſt: Iſti enim obeſi adverſarii & Olympici (ut ita dicam) acerbiores ſunt, ac præcipue voluptas. Hunc non admodum diverſum eſt illud Themiſtii in oratione, [illegible] hoc eſt: Irritavi & concitavi in me veluti alvearium quodpiam veſparum aculeatarum, quo in loco abuſus eſt voce ἀφῆκας: quæ fucum propriè notat, e veſparum quidem genere, ſed aculeo carentem, Ariſtotelis teſtimonio.

Neptuni, ſive Maris filii.

Scribit Gellius in 15. cap. 21. ferociſſimos & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam in mari genitos, Neptuni filios dicere poetas conſuevisſe. Apud Plutarchum autem in Dialogo, Sitne rationis vis in beſtiis. In marinis (inquit Ariſtotimus) nullum eſſe gratiæ ſenſum, amorem nullum, nec ingenii ſuavitatem: rectèque Homerus ait.

> Glaucum te genuit mare.

de immanſueto & omnis ſocietatis experte dixit, quod benevolum mitemque nil mare gignat. Patroclus Iliad. π. ait, patrẽ Achilli non eſſe Pelea, neque matrem Thetidem, ſed eum è mari, ſaxisque præruptis, eſſe natum:

> Νηλεὲς, οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεύς,
> Οὐδὲ Θέτις μήτηρ, γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
> Πέτραι τ' ἠλίβατοι.

Vide, poſt, E mari natus: Centuria 11.

Regie & crudeliter.

Regum crudelitas & ſuperbia apud Romanos propè in proverbium abierat. Cicero pro Rabirio Poſth. Regum autem ſunt hæc imperia, Animadverte, & dicto pare, & præter rogitatum ſi querare: & illæ minæ, ſi te ſecundo lumine hic offendero, moriere. Ex Euripidis Medea converſum eſt. Idem Cicero in 2. in Rullum: Non privatorum inſaniam, ſed intolerantiam regum eſſe dicetis. Et in eadem: Hoc quantum iudicium, quam intolerandum, quam regium ſit, quem præterit? Plochirus Michael in Dramate:

> [illegible]
> Pompatice & regali ſuperbia elatus.

Saturni hoſtia.

Quoniam Saturno humanis hoſtiis ſacrificari mos aliquandò irrepſit per Pelaſgos, qui ſedibus ſuis pulſi, in Latium appuliſſent, Saturni hoſtia in proverbium immanis crudelitatis ceſſit.

Catilinæ, Syllæ.

Idem eodem libro, cap. 20. Latrocinia, bella, rapinas trium Catilinarum: Auguſtum, Antonium, & Lepidum, tres Catilinas vocat, ut Iuvenalis tres Syllas:

> In tabulam Syllæ ſi dicant diſcipuli tres.

Sylla autem ſeptem millia civium occidi iuſſit, & illi occidendi finem fecit hoſtium inopia: cuius proſcriptionem crudelitatemque Lucanus lib. 2. deſcripſit. à cuius crudelitate Syllaturio verbum factum eſt a Romanis, ut Phalarizo apud Græcos, à Phalaride. Inde illud Cicer. ad Atticum lib. 9. Syllaturit eius animus iamdiu, & proſcripturit.

Scytharum more.

Scytharum vel Indorum more quotidiana conſuetudine fieri dicuntur, quæ crudeliter & immaniter fiunt, præſertim in bello: quod ad alia transferri poteſt. Tanta enim erat barbaries immanitasque Scythicæ gentis, ut ipſa etiam appellatio ceſſerit in proverbium. Quemadmodum hodie crudelem hominem appellamus Turcam: & immane facinus, Turcicum. Æſchines in oratione [illegible] id eſt, Obſecro ut ſervetis me, neve logographo maloque Scythæ me tradatis. Hoſpitalius in Theavillæ expugnatione.

> Indorum vel more Scytharum bella geramus:
> Qui neque dicuntur pueris, ſenibusve caducis
> Parcere, nec tenera quamvis ætate puellis.
> Ipſa (nephas dictu) captorum viſcera torrent
> Ignibus & dītis epulanda apponere menſis
> Haud dubitant. Quin hæc potius crudelia, fratres,
> Bella relinquamus, noſtris contraria votis,
> Bella adverſo Deo: quæ ſi quandoque coacti
> Suſcipimus, bellum nobis cum fratribus eſſe
> In mentem veniat, quibus æquum, lege, pateτque
> Ac nobis, ipſi præſtare iubemur amorem.

Thyeſtea epula.

Athenagoras in eadem oratione pro Chriſtianis, vocat Thyeſteas epulas, quibus caro humana devoratur, [illegible]. Trium igitur flagitiorum infamia rumor de nobis ſpargitur: impietas quæ deos tollat, epulæ Thyeſteæ, & Oedipodij coitus, id eſt, inceſti concubitus, quæ crimina Chriſtianis obiecta, in poſtrema eiuſdem orationis parte refellit Athenagoras. Ovidius 15. Metamorph.

> Neve Thyeſteis cumulemus viſcera menſis,

Martialis:

> Diri prandia nec refert Thyeſtæ.

Quintianus:

> Afferat huc ſævi quem laudat cœna Thyeſtæ.

Thyeſtes Atrei fratris uxorem per adulterium polluit: Atreus verò ei filium epulandum appoſuit. Oedipus Laio patre ſuo mortuo, Iocaſtam matrem duxit uxorem.

Timonea cœna.

Vſitatiſſimum & protritum adagium à Timone Echecratis filio Colyttenſi μισανθρώπῳ, qui humanum genus exoſus erat, vitamque quandam inhumanam & feram ſequebatur, in cibisque non modo vulgaribus, ſed etiam viliſſimis, & ab reliquis hominibus prope damnatis acquieſcebat. Seneca: Non eſt quod nunc exiſtimes, me dicere Timoneas cœnas & pauperum cellas. De Timone vide Lucianum, & noſtras in eum enucleationes.

Exuto homine, in feram tranſit.

Hac locutione ſolemus uti, cum volumus deſignare facinus homine indignum, & in quo hominem ſe non geſſerit qui perpetravit. Quid enim intereſt, inquit Cicero, utrum ex homine convertat ſe quis in beluam, an in figura hominis immanitatem gerat belluę? Quint. in paſto cadavere: Si quis adeò hominem exuit, ut ibi pœnam quærat, ubi ſenſus doloris non eſt, nempe cadavera feris obijciet. Seneca lib. De clementia 1. cap. 24. Ferina iſta rabies eſt, ſanguine gaudere ac vulneribus, & abiecto homine, in ſylveſtre animal tranſire. Sunt autem, qui ex quo primum cucullam mendicantium monachorum, præcipue Franciſcanorum ſumpſerunt, in lupos rapaces abire perhibentur, quibus oves committere periculoſum eſt.

Canis caninam non eſt.

Vt Terent. Varro lib. de ling. Lat. 6. Apud Valerium Soranum vetus adagio eſt. O. P. Scipio, quod verbum uſque eo evanuit, ut Græcum pro eo poſitum magis ſit apertum: nam idem quod vocant Græci παροιμίαν: ut, Auribus lupum teneo, Canis caninam non eſt. Adagio eſt, litera commutata Abagio dicta, ab eo quod ambit orationem, neque in aliqua una re conſiſtit ſola &c. Refertur a Varrone tantum pro exemplo adagionis: Ioſephus Scaliger ſupplet, pellem. Nam ita κύων Græci. Alluſit eo Martialis:

> Pellem rodere qui velit caninam.

& Iuvenalis:

[illegible] Parcit

—Pacit Cognatis maculis ſimilis feta —

Æſchylus Supplicibus: ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών, Proverbium quoque.

Homine non ſatus.

Crudelem cum ſignificare volumus, non homine ſatum dicimus. Sic Euripides in Bacchidibus:

Τὶς ἄγριον ἔτικτεν;
Οὐ γὰρ ἐξ αἵματος
Γυναικῶν ἔφυ.
Λεαίνας δέ γένος.
Ἢ Γοργόνων Λιβυστιᾶν γένος.

Plinius, Ab Erythro mare orti. Vide alibi, Sævus & indomitus: &, Retrogradus: &, Bellua, Beſtia.

Ha, nimis fero corde.

Ἀπηλεγὴς ἦτορ, dicit Callimachus in hymno in Delon ἦτορ σοὶ δ' ἐν γυίοισιν ἀπηλεγὲς ἦτορ ἔκειτο. Catul de Rufa & Rufulo
Ha nimis fero corde.

Poſt in ſævo & indomito: Animo efferato.

Leæna procreatus, vel genitus.

Idem Catul. ibidem:

> Nunc te leæna montibus Libyſſinis,
> Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
> Tam mente dura procreavit, ac tetra.

Leænæ autem inſigni ſunt feritate. Veteris poetæ ſenarius eſt: ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης.

Idem Catull. in nuptijs Pelei & Thetidis:

> Quænam te genuit ſola ſub rupe leæna.
> Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vaſta Charybdis;
> Quod mare conceptum ſpumantibus expuit undis,
> Talia qui reddis pro dulci præmia vita.

Lupi rapaces.

Olim monachi dicti ſunt oves, nunc dicuntur lupi rapaces: ut habetur in gloſſ. in epiſtol. inter claras, & illa parte reddentes, verſu, Omnes verò ſacerdotes. ſuper verbo. Archimandritæ. C. de ſumma trinit. & fid. cath. Chriſtus apud Matthæum c. 7. Attendite ab ijs qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. A fructib. eorum cognoſcetis eos. Gen. 49. Iacob Beniamin lupum rapacem vocavit, mane prædam comedentem, & veſpere dividentem ſpolia. Paulus Actor. 20. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit in ſanguine ſuo. Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſum meum lupi graves & rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant pios poſt ſe. Paulus. 2. Corinth. c. 11. Sunt operarii ſubdoli, quorum finis erit ſecundum opera eorum. In falſis fratribus periculum.

Sævus & indomitus.

Catullus ad Silonem. Vide alibi, Retrogradi. Cic. apud Lactantium lib. 5. cap. 11. Miſerrimum eſt, in hominis figura animo eſſe efferato. Vide ante, Homine non ſatus: & Ha nimis fero corde. poſt, Bellua, beſtia.

Bellua, Beſtia, Homo.

Cicero in L. Piſonem, apud Servium: Quæ de bellua ex utero non hominem fudit. Idem in libro incerto Academicorum ad Varronem apud Auguſtinum lib. 3. contra Academicos: Roga nunc Stoicum, qui ſit melior, Epicurusne, qui delirare illum clamat: an Academicus. qui ſibi adhuc de ea tanta deliberandum eſſe pronunciat? Nemo dubitat, Academicum prælatum iri. Rurſus te ad illum converte. & quære, quem magis amet: Zenonē, a quo beſtia nominatur: an Arceſilaum, à quo audit: tu fortaſſe verum dicis, &c. Machabæorum 2. c. 4. circa medium: Nihil quidem habens dignum ſacerdotio. animum verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens. Paulus ad Titum 1. cap. Dixit quidam ex iſtis proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri David. Pſal. 49. Homo non intelligens, cōparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Paulus 1. Corinth. 2. Animalis homo non percipit quæ Dei ſunt. David Pſal. 32. Nolite fieri ſicut equus & mulus, rationis expertes. Dicitur vulgariter: Beſtia factus homo. Cicero apud Lactantium lib. 5. cap. 11. Etenim ſi nemo eſt qui non mori malit, quam converti in aliquam figuram beſtiæ, quamvis hominis mentem habiturus: quanto eſt miſerius, in hominis figura animo eſſe efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto eſt præſtabilior animus corpore. Vide ante, Homine non ſatus: &, Ha, nimis fero corde: &, Sævus & indomitus: & Retrogradus. Horum contrarium eſt illud Ciceronis Oeconomicorum ex Xenophonte lib. 1. apud Priſcianum lib. 8. Homo ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur.

CŒLII RHODIGINI *Cyclops excæcatus.*

Deportemus magna, quæ ducis prudentia (animæ oculo) ercta ſit, & veluti exoculata. Fabula de Polyphemo, ſtaturoſitque prævalidique corporis, ſed ab Vlyſſe aſtutiſſime occæcati, nota eſt.

Iniice.

In eos qui moribus truculentis cruorem ſitientes, cædem imperant quam primum. Origo huius ſanguinariæ vocis refertur ad primum bellum Punicum: ubi in tumultuario exercitu, Matho quidam & Spendius ſervi ambo, Carthaginenſibus, dominis ſuis detrahentes, ſociosque in illos concitantes, tam attentos habuere auditores, ut ſi quis præter eos conſilium ſuum afferret, non audito conſilio, audiret ab omnibus: Iniice, iniice: ſtatimque coniectis lapidibus interficeretur.

POLID. VIRGILII. *Pater flagellis, ego ſcorpionibus vos cædam.*

Verba ſunt 3. Reg. 12. Roboæ reſpondentis populo, qui multis incommodis vectigalium, &c. à patre eius Salomone affectus, cupiebat levari. Conveniet, ubi publicæ res principis cuiuſdam ſævitia miſerrimum in ſtatum perductæ, in multo miſeriorem, tyrannide ſucceſſoris, pervenient. Torqueri poterit ad minora, ubi ſævitatem excipit ſævitia maior. Scorpio genus ſruticæ, ut ſunt rubi aculeati, habentes in ſummitate glandeas plumbeas, quo carnem lædant.

PETRI GODOFREDI. *Phocenſium deſperatio.*

Vide prov. Eraſmi, Phocenſium amolitio: ubi tamen unde, nobis amolitio prodierit, contra vocis Græcæ notionem, ſane neſcio. Origo talis. Phocenſes primores aliquot Theſſalorum in ſuis urbibus ad unum omnes necarant. Hi contra illorum obſides 250. in crucem ſuſtulerant. inde odium utrinque immane, & bellum immanius. Phocenſes prius ſuos fines invadentibus, nullique ætati parcentibus obviam ituri, de ſuaſu Diophanti, & conſenſu communi ſtatuunt, ex univerſa Phocide omnem muliebrem ſexum & imbellem ætatem una cum precioſiſſimis quibusque rebus collectam certo loco cum cuſtodibus relinquere: qui cuſtodes, ligni ingenti materia ad hoc parata, ſi viri in prælio inferiores eſſent, omnes communi incendio delerent: Conſentiunt ipſæ mulieres, ipſi pueri, pugnatur, ſed meliore eventu. Nam Phocenſes vicere. Hæc ἀπόνοια Φωκέων. Plutarch. Pauſan.

Timonea cœna.

Seneca: Non eſt, quod nunc exiſtimes me dicere Timoneas cœnas, & pauperum cellas. Ita enim Turn. Adver. c. 24. capite 33. elegantiſſime hoc partim è libro vet. partim ex ingenio reſtituit. Timon humanum genus exoſus erat, vitamque quandam inhumanam ſequebatur: in cibiſque non modo vulgaribus, ſed etiam viliſſimis, & ab reliquis hominibus propè damnatis acquieſcebat.

GENTII *Dardanarii.*

Ἀπὸ τῶν λιμῶν ... De iis qui annonam vexant, onerantque: eam hominum ſupprimentes, quo per ingraveſcentiam ſperatam cariùs poſtea pro ſua libidine vendant. Horum fit mentio, & ſimiliter eos pœna conſtituitur in c. annonam. de extraord. crimi & in ca. Dardanarios De Pœn. Dicti videntur à quodam Dardano, flagitioſiſſimo auctore, magica arte nobili. Vnde & Dardaniæ artes apud Poetam. Ariſt. lib. Polit. 1. c. 7. refert, Thaletem Mileſium prævidiſſe per cognitionem Aſtrologiæ, olearum inopiam, & proinde omnes coemiſſe: ſed in ſequenti anno pluris vendidiſſe, facto ingenti quæſtu. Qui iure Dardanarius appellatus fuiſſet, modo animum abieciſſet quæſtui, tum turpi, tum maxime noxio multitudini.

Timoniano more.

De homine querulo, tetrico, & ab omni gratia & humanitate alieno. Vide alibi Timonia vita: in Centu. Iunij. & alibi. Budæus, eos qui ſordibus ſermonis oblectantur, & pure loquentibus obtrectant, cenſet deportandos eſſe in Timonion quoddam: hoc eſt, in aviam ſolitudinem. Idem uſurpat & hanc figuram proverbij, Floralis agentem ſpectari a Catone.

Sicula aula.

Iuvenalis traducens ſævitiam matronarum Romæ, in ſervos ancillasque mira libidine animi ad quamvis occaſionem inique & crudeliter verbis & verberibus debacchantium, earum domum tranſlatione proverbiali Siculam aulam vocat. Aluit enim Sicilia priſcis ſæculis plurimos tyrannos, miſerabiliter in humana corpora pro libidine graſſantes: ut Phalaridem, Dionyſium: & id genus monſtra exitialia. Carmen Iuvenalis ſatyr. 6 hoc eſt:

> Et cædit, donec laſſis cædentibus: Exi.
> Intonat horrendum, iam cognitione peracta,
> Profectura domo Sicula non mitior aula.

Aptiſſime utemur de civitate, vel domo iniqui crudeliſque principis, ſatis ſuperbe & inſolenter omnia pro imperio gerentis, bonosque capite & fortunis oppugnantis: ubi, ut canit Ovidius.

> Victa pugnaci iura ſub enſe iacent.

Com-

Commodè etiam dicetur de ſchola plagioſi alicujus magiſtelli, ſævitia & inſcitia furentis: qualem puer ego cognovi cujuſdam re & nomine [illegible], planeque Scythæ: cujus ſchola non levius perſonabat verberum ſtridore Sicula aula Phalaridis, aut Dionyſiorum. Uſque adeò ſuave erat homini, ejulantium puerorũ voces audire, & longiſſimo temporis ſpacio cæſorum lachrymis in gemitu miſerabili paſci. Nomen tacebitur, terra ſquiſque obruendum, Vulcanoq; ſaccandum. Facetæ eſt Diogenis χολὴ, & proxima proverbio, de gymnaſio Euclidis, ἡ σχολὴ ἀλλὰ χολή: & Platonis ludum, non διατριβὴν, ἀλλὰ κατατριβὴν appellantis, Quibus verbis miro cum lepore, hæreticorum ſophiſtarumque certamina inſectabimur.

Orba Tigride pejor.

Uſus eſt idem Juvenalis, ſatyr. 6. de ſupra modum ſæva & impotenti matrona, zelotypia laborante:

> Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.

Metaphorica hyperbole eſt, à natura & ingenio tigridis, quæ raptis catulis pernicitate incredibili raptorem perſequitur, donec vel prædam eripiat, vel in navem fugere compellat: ne ſic tamen ceſſante ejus feritate, etſi irrita. Plinius 8. c. 18. Tigridis feritatem notat & Virgilius Æneid. 4.

> —Hircanæq; admorunt vbera tigres.

Antiphates trepidi laris, & Polyphemus.

Patremfamilias in ſervos ancillaſque verberibus & cæde ſævientem, vxori filiiſque ſuis vehementer infeſtum ac terribilem, omnibuſque tam domeſticis quàm alienis ob morum impotentiam, animique atrocitatem intolerabilem & exitialem, eleganter hoc verſu truncato Juvenalis appellare licebit, quod extat ſatyr. 14.

> An ſævire docet Rutilus, qui gaudet acerbo
> Plagarum ſtrepitu, & nullam Sirena flagellis
> Comparat, Antiphates trepidi laris, ac Polyphemus?

Extat Odyſſ. κ. mentio Antiphatis Læſtrygonum regis: incoluiſſe autem Leontinam regionem in Sicilia Læſtrygones referuntur. Fuerunt immanes barbarique homines, eodem Homero authore, qui hoſpitum carnibus veſcebantur. Quod etiam Ulyſſis ſocii, eodem Antiphate jubente mactati, experiebantur, ne Ulyſſi quidem parſuri, ſi non velocitate remorum periculum vitaſſet: & tamen non niſi multis navibus & ſociis amiſſis evaſit. Cæterum de Polyphemo extat fabula apud Homerum & Virgilium, nemini non aperta eorum qui Muſarum ſacris vel leviter imbuti ſunt.

CURIOSITAS.

ERASMI. *Scit quomodo Iupiter duxerit Iunonem.*

In curioſos, & quid quiſque domi faciat perveſtigantes, conveniet illud ex Syracuſanis:

> Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, χ' ὡς Ζεὺς ἀγάγεθ' Ἥραν.

Id eſt:

> Novit fœmineum genus omnia, novit & illud
> Junonem quo pacto duxit Juppiter olim.

Scholiaſtes Theocriti putat ſignificari furtivas Jovis & Junonis nuptias, quales deſcribit Homerus:

> Εἰς εὐνὴν φοιτῶντε φίλους λήθοντε τοκῆας.

Id eſt:

> Conjugii ſubiere thorum clam vtroq; parente.

Adjungit fabulam, quam retulerit Ariſtoteles neſcio quis in libro quem ſcripſit De templo Hermiones. Jupiter inſidiàs ſororis pudicitiæ, quum forte vidiſſet illam ſemotam ab reliquis diis (nam ne diis quidem virginibus tutum eſt, obambulare ſolas) ſeipſum vertit in cuculũ, conſeditq; in monte, qui prius dictus erat Thronax, nunc Coccyx dicitur. Eo verò die Jupiter excitavit ingentem tempeſtatem. Juno itaq; ſola pervenit in montem, conſeditque eo loci, vbi nunc eſt Junonis Teliæ, hoc eſt, perfectæ templũ, conſeditq; in Junonis genibus. Eum Juno miſerta texit veſte ſua. Hic rex deorũ repente è cuculo factus Jupiter, Junonem complexus eſt. Quumq; illa metu matris recuſaret coitum, Jupiter promiſit ſe ducturum illam in vxorem. Hinc natum exiſtimant proverbium. Addit, hujus Junonis ſimulachrum in templo fuiſſe collocatum hac imagine, vt in throno ſedens ſceptrum dextera teneret, in cujus faſtigio ſederet cuculus. Equidem vix credo hanc fabulam apud veteres inveniri, ſed ſuſpicor ab otioſo quopiam grammatico fuiſſe confictam, adeò ſapit anile quiddam. Huic ſimillimum eſt quod ſcribit Plautus in Trinummo: Sciunt quid in aurem rex reginæ dixerit, ſciunt quid Juno fabulata cum Jove: quæ neq; futura neq; facta, tamen illi ſciunt.

Canes venatici.

Qui venandi ſtudio tenentur, habent canes emiſſarios, qui veſtigiorum odore feras exploratas & repertas latratu produnt. De Corycæis alibi diximus. M. Tul. actione in Verrem. Apponit de ſuis canib. quendam, qui dicat ſe Diodorum Melitenſem rei capitalis reum velle facere. Ibidem aliquanto poſt. Qui ſimulatque oppidum quodpiam venerat, immittebãtur illi continuo Cybiratici canes, qui inveſtigabant ac perſcrutabantur omnia. Duos fratres Cybiratas appellat canes, quod ad furandum Verres illorum oculis, ſed ſuis manibus vteretur. Solet autem canibus à regione cognomen indi, vt Melitæis. Ac ſuperius in eadem: Qui poſteaquam venerunt, mirandum in modum canes venaticos diceres, ita adorabantur omnia, & veſtigabant, &c.

Nil dulcius quam omnia ſcire.

M. Tul. ad Att. lib. 4. epiſt. Delectarunt me, refert hunc ſenarium ceu vulgo celebrem:

> Οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ' εἰδέναι.

Id eſt:

> Nil dulcius quam ſcire prorſus omnia.

Verſus corruptus conſtabit, ſi addas ἐστὶν, ſic:

> Οὐδὲν γλυκύτερόν ἐστιν ἢ πάντ' εἰδέναι.

aut, ἢ πᾶν εἰδέναι. Ac mox ſubjicit. Quare vt homini curioſo, ita perſcribas ad me, quid primus dies, quid ſecundus, quid cenſores, quid Appius, quid illa populi Apuleja. Eſt & illud aliquoties obvium in Epiſtolis M. Tullii, τὸ περὶ πάντων.

Mylus omnia audiens.

Μύλος πάντ' ἀκούων: id eſt, Mylus omnia auſcultans. Dici ſolitum, vbi quis ſe diſſimularet audire, fingeretque ſurditatẽ, cum omnia tamen auribus curioſis captaret auſcultaretq;. Tractum videtur à mola, vnde exploratores obſervare ſoleant quæ fierent (nam μύλος molam ſonat Græcis) aut Myli curioſi cujuſpiam moribus. Zenodotus teſtis eſt Cratinum hoc vſum adagio in Cleobulinis. Heſychius indicat, Mylon fuiſſe poetam quempiam Comicum; præterea piſcis eſſe nomen, mullum opinor ſentiens. Ad hæc μύλλος Græcis ſignificare curvum, obliquum ac diſtortum. Scribit enim duplici λ. De Carcini ſtrobilis dictum eſt alias. Habent autem principes quidam & hoc ſycophantarum genus, qui ſe fingunt ſurdos ac mutos quo magis audita referant.

Nihil inanius quam multa ſcire.

Apud Athenæum lib. 13. Hippon. qui dictus eſt ἄθεος, citatur autor hujus verſiculi:

> Πολυμαθημοσύνης τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

Id eſt:

> Non aliud mage inane puta quam plurima ſcire.

Citatur idem ex Timone:

> Πολυμαθημοσύνης τῆς οὐ κενεώτερον ἄλλο.

Conveniet in eos, qui malunt multa diſcere quam vtilia. Hebræus Eccleſiaſtes non abhorret ab hac ſententia: Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem, & in multa ſcientia, multa indignatio. Contra laudata eſt Hippiæ πολυμαθία.

Zenonium eſt & lentem coquere.

Timon Phliaſius apud Athenæum lib. 4. ἢ Ζηνώνειον γὰρ φακῆν ἕψειν, id eſt, Zenonis eſt & lentem coquere. Zenon Stoicorum princeps fuit, qui docet ſapientem omnia rectè facere, nec referre quid agat, ſed in minimis pariter ac maximis ſapientem eſſe ſui ſimilem. Ex quo conſequitur, ad lenticulam rectè coquendam opus eſſe ſapientia Zenonis. Natum ex apophthegmate, quod refert Diogenes Laertius. Quum enim Zenon diſſereret ſapientem omnia rectè facere, quidam irridens objecit: Igitur & lenticulam rectè coquet. Zenon annuit, & collectionem approbavit. Seriò licebit vti, quum dicemus, eſſe viri boni etiam in rebus minutiſſimis ſui ſimilem eſſe: aut egregium artificem, in quacunq; materia declarare qualis ſit artifex.

Corycæus auſcultavit.

Κωρυκαῖος ἠκροάζετο. i. Corycæus auſcultavit. Ubi quis id quod agit, conatus diſſimulare, tamen à curioſis deprehenditur. Unde natum ſit adagium, ex autoribus aſcribam. Corycus mons eſt Pamphyliæ præcelſus ac portuoſus, atq; ob id piratarum inſidiis opportunus, quos ab eo monte Corycæos vocabant. Hi novam inſidiandi rationem excogitarant. Siquidem diſperſi per portus Coryci montis, miſcebant ſeſe negotiatorib. vt quiſq; fortè appulerat, ſubauſcultantes, & quid rerum portarent, & quo navigare deſtinaſſent, deniq; quo tempore decreviſſent ſolvere. Quæ ſimul atq; cognoverant, renunciabant piratis, cum quibus ſocietatem maritimorum latrociniorum exercebant. Atq; ita per occaſionem ſimul adorti, navigantes ſpoliabant. Quæ res vbi mercatoribus eſſet comperta, pleraq; occultabant, ac diſſimulabant, inſidiarũ metu. Sed cum ne ſic quidem laterent, ſubodorãtib. omnia Corycæis, res in proverbium abiit, τοῦτο Κωρυκαῖος ἠκροάζετο, i. Hunc Corycæus auſcultavit, de re vehementer diſſimulata, deprehenſa tamen. Suidas ait, Corycon Pamphyliæ promontorium eſſe, cui ſubjecta ſit vrbs Attalea. Ejus vrbis cives, ne vexarentur ipſi à prædonibus, qui ſeſe in promontorii arcem receptabant, per alios portus diſſipati ſubauſcultabant, quinam appuliſſent, & quo tenderent, eaq; prædonib. renunciabant. Idem ex Ephoro refert, Corycæos convenas quoſpiam fuiſſe, qui condiderint oppidulum in Lydia ſub cacumine Coryci in mare proſpectantis, finitimos Myoneſſo. Hos ſolitos ſeſe negociatorib. in portum appellentib. admiſcere, quaſi negociatores eſſent & ipſi mercium aliquid empturi: deinde quæ cognoviſſent, Myoneſſiis renunciabant. Myoneſſii navigantes adoriebantur, prædam ablatam, aut precia quib.

ſeſe negociatores redimebant, quæ Græci λύτρα vocant, cum Corycæis partientes. At Stephanus tradit, Corycum montem eſſe altiſſimum finitimum Teoloniæ oppido, cui ſubjectus ſit ejuſdem nominis portus. Quo loco meminit & de piratarum inſidiis & proverbio. De Lydiæ Coryco ſentit & Strabo, cujus verba ſubſcribam ex lib. 14. πρὶν δ' ἐλθεῖν εἰς Ἐρυθράς, πρῶτον μέν ἐστιν Ἔραι πολίχνιον Τηΐων, εἶτα Κώρυκος ὄρος ὑψηλόν, καὶ λιμὴν ὑπ' αὐτῷ Κασύστης, καὶ ἄλλος Ἐρυθρᾶς λιμὴν καλούμενος, καὶ ἐφεξῆς πλείους ἕτεροι. φασὶ δὲ τὸν παράπλουν τοῦ Κωρύκου πάντα λῃστήριον ὑπάρξαι τῶν Κωρυκαίων καλουμένων, εὑρομένων τρόπον ἐπιβουλῆς τῶν πλοϊζομένων, κατεσπαρμένους γὰρ ἐν τοῖς λιμέσι τοῖς καθορμιζομένοις ἐμπόροις προσφοιτᾶν, καὶ ὠτακουστεῖν τί φέροιεν καὶ ποῦ πλέοιεν, εἶτα συνελθόντας ἀναχθεῖσι τοῖς ἀνθρώποις ἐπιτίθεσθαι καὶ καθαρπάζειν· ἀφ' οὗ δὴ πάντα τὸν πολυπράγμονα καὶ κατακούειν ἐπιχειροῦντα τῶν λάθρα καὶ ἐν ἀπορρήτῳ διαλεγομένων, Κωρυκαῖον καλοῦμεν, καὶ ἐν παροιμίᾳ φαμέν, τοῦ δ' ἆρ' ὁ Κωρυκαῖος ἠκροάζετο, ὅταν δοκῇ τις πράττειν δι' ἀπορρήτων, μὴ λανθάνῃ δὲ διὰ τοὺς κατασκοποῦντας καὶ φιλοπευστοῦντας τὰ μὴ προσήκοντα. id eſt: Priuſquam perveniatur Erythras, primum occurrit oppidulum Eræ Teium, deinde Corycus mons excelſus, atque huic ſubjectus portus Caſiſtas, mox alius portus dictus Erythræ, deinde alii complures. Narrant autem Corycum præter navigantibus omnia plena latrociniis eſſe quorundam, quos Corycæos appellant. Hi novum inſidiarum genus commenti fuerant in navigantes. Siquidem diſperſi per portus, negociatores qui forte appulerant, adibant, ſubauſcultabantq; quid rerum ferrent, quo navigarent: deinde illos in altũ reverſos collecti adoriebantur ac ſpoliabant, vnde factum eſt vt quemvis curioſum, avidum auſcultandi quæ clanculum & in occulto dicuntur, Corycæum vocemus, proverbioque dicamus, Hunc Corycæus auſcultavit, quoties aliquis ſibi viſus eſt egiſſe dixiſſeve clam, cum tamẽ non latuerit, propter eos qui ſubauſcultant & ſciſcitari ſtudẽt, quæ non oportet. Hactenus Strabo. In cujus verbis non videtur abeſſe depravatio: vna tolletur, ſi pro λύτρα legas λῃστῶν, altera, ſi legas, τῶν λάθρα καὶ ἐν ἀπορρήτῳ στασιαζόντων ἢ διαλεγομένων: ſic enim legiſſe videtur interpres. Itaq; cum duæ ſint civitates ejuſdem nominis, ad vtranque referunt proverbium autores. Stephanus oſtendit & in Cilicia civitatem Corycum eſſe, quæ portu ſalóque cingitur, vt ait Pomponius Mela, anguſto tergore continenti adnexa: cui vicina ſpecus illa multorum literis nobilitata. Jam Cilices piratas fuiſſe accepimus. Hanc eandem arbitror eſſe cum ea quam in Pamphylia ponunt Zenodotus & Suidas, quod Pamphylia Ciliciæ ſit contigua, atque olim bona Ciliciæ pars imputabatur in Pamphiliam. Idem Stephanus indicat & inſulam fuiſſe ejus nominis. Rurſus Cretæ promontoriũ eſſe Coryciam, & ejuſdem nominis portum Æthiopiæ. Inducunt & comici deum quempiam Corycæum exaudientem atque auſcultantem quæ geruntur: ſicuti Menander in Enchiridio, Dexippus in theſauro apud Suidam, quod tribus verbis attigit & Heſychius, indicans Corycum Græcis ſonare vas coriaceum, aut navim, aut lanceam. Uſurpat hoc adagiũ M. Tullius lib. ad Attic. x. epiſt. vltima: Itaq; poſthac non ſcribam ad te quid facturus ſim, ſed quid fecerim, Omnes κωρυκαῖοι videntur ſubauſcultare quæ loquor.

Multæ regum aures atque oculi.

Ὦτα καὶ ὀφθαλμοὶ βασιλέων πολλοί, i. Aures atq; oculi regum multi: quod per exploratores obſervent, quod quiſque dicat faciatve. Idem refertur à Luciano in libello, cui titulus, De mercede ſervientibus: ac rurſus, Adverſus ineruditum. Ejuſdem meminit & Ariſtoteles in 3. Politic. Hoc genus homines Græci vocant ὠτακουστάς: quos primus Darius minor adhibuit ſibi diffiſus. Dionyſius Syracuſanus addidit ποταγωγίδας, ſ. exploratores: autore Plutarcho. Allegoria inde ducta eſt, quod regib. quamplures vbiq; ſunt exploratores, atque ob id oculi regum dicuntur: complures auſcultatores, quib. velut auribus vtuntur. Neque deſunt manus & pedes quam plurimi, fortaſſis ne ventres quidem. Vide cujuſmodi portentum ſit tyrannus, & quam formidandum, tot oculis, iiſq; emiſſitiis, tot auribus, iiſque tam aſininis ac longis, tot manibus, tot pedibus, tot ventribus, ne reliqua parum honeſta commemorem, inſtructum. Ariſtophanes in Acharnenſib. Pſeudartabam regis oculum appellat, quod per eum cognoſceret quid ageretur. Aliter autem Andromache apud Euripidem, filium vitæ oculum vocat:

Εἷς παῖς ὅδ' ἦν μοι λοιπὸς ὀφθαλμὸς βίου.

Id eſt:

Erat relictus gnatus hic mihi vnicus
Vitæ oculus:

Propterea quod vnicum eſſet in vita oblectamentum. Nam oculo nihil charius. Unde, quos adamamus, oculos vocamus.

Nodum in ſcyrpo quæris.

Nodum in ſcyrpo quæris, in anxium dicebatur, nimiſque diligentem, aut meticuloſum, qui illic ſcrupulum moveret, vbi nihil eſſet addubitandum. Hoc adagium refertur apud Plautum in Menæchmis, & verbis totidem apud Terentium in Andria. Feſtus ex Ennio citat:

Quæris & in ſcyrpo, ſoliti quod dicere, nodum:

nominatim proverbii titulo referens. Donato junci ſpecies eſt ſcyrpus, levis atque enodis. Quanquam apud Gellium ſcyrpi dicuntur captiunculæ argutiæque. Niſi forte quis malit legere, in ſcrupo: quod hi lapilli leves ſint, ac rotundi.

Tudiculam expolivit.

Τορύνην ἔξεσεν, id eſt, Tudiculam dedolavit. Citatur à Demetrio Phalereo ex Sophrone mimographo, quem totidem fermè adagiis abundare, quot verſibus, ait. Videtur quadrare in hominem plus juſto curioſum: vel qui operam minimè neceſſariam & inutilem verborum fuco commendat: aut qui hominem agreſtibus moribus & ruſticano ingenio ac Demeam prorſus, ad elegantiores mores cultumque civiliorem traducere conetur. Talis enim τορύνην ξέειν appoſite dicetur. Quidam malè legerunt ἔζεσεν, quod eſt, ebullit. Eſt autem τορύνη coquinarium inſtrumentum, commovendis pulmentariis ollæque vertendæ idoneum: Tudiculam Latini vocant. quam qui velit expolire elegantius, næ ille inutiliſſimam operam conſumit.

Acclamant inſtar Ciconum.

Καλοῦσιν ἀλλήλους ὥσπερ οἱ Κίκονες: id eſt, Inclamant ſe invicem more Ciconum. Proverbiali ſchemate dictum eſt à Syneſio de iis, qui admiratione alicujus rei ducti vicinos, velut teſtes miraculi advocant, quaſi non ſatis ſit ſolos vidiſſe, niſi oculata aliorum accedat loco teſtimonii fides. Id vitii peculiare eſt maximè fœminis, vt ſi quid novi videant, aut inauditum audiant, illico viciniam totam concitant, ſtupendæ rei teſtem futuram. Lepidam narrat fabulam Syneſius de inſulæ cujuſdam, ad quam in tempeſtate ſoſpites appulerant, muliereulis, inſtar Lamiarum inſigniter mammoſis, vt in humeros etiam laxos vberum ſinus rejiciant, quæ tamen fatali quadam perſuaſione cũctas in genere fœminas ſui ſimiles arbitrentur, neque credant viris commercii gratia peregrinantibus, non omne fœmineum genus tale eſſe: quamobrem ſi qua extera mulier eo appellit, nihil prius habent quam vt blanda comitate ſinus pectoris explorent, & accita vicinia incredulitati ſuæ medeantur, novæ rei ſpectaculo ſatiatis oculis. Ita, inquit, ἡ δὲ ἰδοῦσα λέγει πρὸς ἄλλην, καὶ καλοῦσιν ἀλλήλας ὥσπερ οἱ Κίκονες, αἱ δὲ συμφοιτῶσιν ἐπὶ τὴν θέαν, id eſt: At illa quæ rem novam intuita eſt, alteri indicium facit, mox aliæ alias acceſſunt, veluti Cicones ſolent, illæ verò ad ſpectaculum frequentes conveniunt. Locus autem deſumptus eſt ex Homero Odyſſeæ ix.

Τόφρα δ' ἄρ' οἰχόμενοι Κίκονες Κικόνεσσι γεγώνευν.

Id eſt:

Tum verò coeunt Cicones, ciconaſque viritim
Inclamant.———

Sunt autem Cicones, Thraciæ populus ad Iſmarum vrbem, qui Ulyſſem poſt dirutam Trojam ab acta præda in littore cum ſociis comeſſantem adorti, malè multarunt multis interfectis: ne dicti à Cicone, Apollinis & Rhodopes filio: niſi etiam à Cicone, Amythaonis filio, vate parum dextro. Quadrabit ergo in novarum rerum avidos, qui inſatiabiliter eo ſtudio affecti, velut tinnientibus auribus cœtus hominum faciunt, vt & accipiant & communicent nova.

Inferorum triacadas.

In hominem plus æquo curioſum, & recondita perveſtigantem, atque à communi hominum notitia abſtruſa cognoſcere ſibi arrogantem, illud competit: τὰς ἐν ᾅδου τριακάδας ἐξετάζει. Inferorum triacadas inquirit aut ſcrutatur, τριακάδα vocant triceſimum cujuſque menſis diem, vocabulo à Thalete Mileſio primum excogitato, ſi Laertio credimus: aliis ἕνην καὶ νέαν vocitantibus, quam pridianam Calendarum facimus. Stultiſſimæ autem operæ atque extremæ curioſitatis eſt, quas Calendas, quaſve triacadas habeant inferi, vano labore indagare. Commemoratur à Suida.

Spinas colligens.

Τὰς ἀκάνθας συνάγων, id eſt, Spinas attrahens: frequens eſt apud Athenæũ de moroſo homine & importunè curioſo, qui in diſputationibus nunc hoc nunc illud inceſſit, & in controverſiã trahit: talem autem vbique perſtringit Ulpianum Tyrium altercando moleſtum, vt libr. 3. Dipnoſoph. ἐξετάζεις πάντα τὰ προσπίπτοντα τοῖς διαλεγομένοις, τὰς ἀκάνθας συνάγων, ὡς ἐν ἐχίνοις καὶ τραχείαις ὀνωνίσιν ἀεὶ διατρίβων, ἀνθέων μηδὲν συναθροίζων, id eſt: Ad vnguem expendis quicquid diſceptantibus occurrit, ſpinas attrahens, quippe inter tribulos ſemper, ſpinoſam & Ononin cõverſans, nihil omnino amœnorum florum colligens: quem locũ reſpiciens Euſtathius ita legit lib. 2. Iliad. ἐξ οὗ παροιμία τὸ τὰς ἀκάνθας συνάγειν ὥσπερ ἐχίνους, id eſt: Unde proverbium illud, Spinas adducens velut tribulos aculeatos: quum alluſum ibi ſit ad diſtichon quod apud Plutarchum extat Sympoſ. lib. 1. c. 4.

Ὡς δ' ἐχινάποδας καὶ διὰ τρηχεῖαν ὄνωνιν
Φύονται μαλακαὶ αὐτόματοι λευκόϊα.

Id eſt:

Ceu ſcabros inter tribulos, & Ononin acutam
Tellure erumpunt mollia Leucoia.

Idem Athenæus lib. 6. ἐν τούτοις πάλιν τῶν λεχθέντων τὰς ἀκάνθας ἀναλεξάμενος ὁ Οὐλπιανός, id eſt: Hic iterum è prædictis ſpinas colligens Ulpianus. Rurſus lib. vij. ὁ τὰς ἀκάνθας ἀγείρων Οὐλπιανός, id eſt, Ulpianus ſpinas congregans. Quadrabit ergò appoſitè in captioſum ſophiſtam, & importunis quæſtionibus moleſtũ. Porrò ſuperiori diſticho concinnè vtemur, quum à ſevero homine & auſtero lepide dictum aliquod prodierit, & jocoſus lepos: aut vbi ſcriptorum

tetricum, quaſique aculeatum vnis atq; alteris facetiis conditum temperetur.

Κατοφθαλμίζειν.

Syneſius libro de Providentia 2. εἰ δέ τις τὴν σκηνὴν εἰσβιάζοιτο καὶ τὸ λεγόμενον εἰς τοῦτο κοιλοφθαλμίζοιτο, id eſt, Si quis in ſcenâ introrumpat, & huc (quod dici ſolet) emiſſitiis oculis introſpiciat. Vox illa τὸ λεγόμενον, indicat vulgi ſermone extritum fuiſſe verbum & proverbiale. Dicetur de curioſis hominibus, & alienarum rerum plus nimio ſatagentibus. Crediderim ego veriorem eſſe lectionem κοιλοφθαλμίζοιτο, mutatione vnius literæ ο in λ, quod curioſi homines reductis & quaſi concavis oculorum finibus ſuis in introſpiciendo contentius, vti videantur.

JOANNIS ULPII.

Aliud homini, aliud humanitati ſatis.

Digna hæc ſententia Varronis eſt, quæ proverbiis annumeretur, qua pulſat eos qui conſuetudinem potius ſequuntur in loquendo quam certas rationes. Humanitatem autem hic ponit pro curioſitate, ac ſi diceret: Natura quidem paucis contenta, ſed quod huic ſufficit, non ſatis eſt curioſitati.

COGNATI.

Dulcedo cuncta intelligendi, ſuperat cæteras omnes ſuavitates.

Themiſtius pervulgatæ hujus ſententiæ mentionem facit in oratione, quam vocavit βασανιστὴν, cum oſtenderet ſe mirifico more rerum ſuarum cognoſcendarum teneri, diſſentireq; in hoc ab ingenio plurimorum, qui alienas res curioſe inveſtigant, ſuas propriasq; negligunt. Ita autem locutus eſt elegans, eruditusque ſcriptor: ἐγὼ δ᾽ ἐσπούδακα μὲν περὶ ἐπιστήμης ἀφθόνως, ἵνα τὰ ἐμαυτοῦ μόνον ἐπισκοπῶ, τὰ τῶν ἄλλων δὲ, μηδὲ ποιῶμαι, καὶ ἔστι γὰρ (φασὶ) γλυκύτερον ἢ πάντ᾽ εἰδέναι, καὶ ἐγώ φημι τ᾽ ἀγαθά. Cujus præclari deſiderii ſui, ac gravi proboq; viro digni, rationem reddit communi hac ſententia: Nihil dulcius quam cuncta prorſus ſcire, quam tamen aliquatenus emendat, vt qui putet, non omnia ſcire jucundiſſimũ eſſe, ſed res tantum bonas. Lucretius lib. 4. dicit homines eſſe immodicè cupidos auditorum, idcircò res admirabiles & portenti ſimiles confingunt, quib. alliciant & retineant auditores: & inquit,

—Ideò jactant miracula dictis,
Aut aliqua ratione alia ducuntur, vt omne
Humanum genus eſt avidum nimis auricularum.

(Huc refer. Nil dulcius quam omnia ſcire: in Chiliad.)

Corycæus audit.

De his dicitur qui ſecreta explorant: natum ab inſula quadam, & portu, qui eſt propè Teum inſulam & Erythras, vbi pyraticam exercebant: inde dicti Corycii, ſpeculantes mercatores. (Eraſm. proverb. Corycæus auſcultavit.)

Κοιλοφθαλμίζειν.

Κοιλοφθαλμίζειν proverbiale eſt, de curioſitate luſtrandi, quæ intra ſcenam fiunt. Syneſius Cyrenæus in Ægyptio, ſeu de providentia, diſputat. lib. 2. ſub finem: τὸ λεγόμενον εἰς τοῦτο κοιλοφθαλμίζοιτο, per proſcœnium omnia i. curioſe oculis luſtret. Proverbii nota eſt τὸ λεγόμενον quod verbum hac de re vſurpatur.

Novit, quid toto fiat in orbe.

Hoc adagio curioſitatis vitium nimis vulgare notatur, quod vitii genus cum in omni hominum genere, tum in fœminis præcipuè vigere ſolet, eæ enim tanto tenentur cognoſcendarum rerum alienarum deſiderio, vt omnia etiam arcana inveſtigent. Juvenalis graphice admodum mulieris omniſciæ mores exprimit, ſatyra ſexta:

Hæc eadem novit, quid toto fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant, ſecreta novercæ.

Statim poſt:

Inſtantem regi Armenio Parthoque cometam
Prima videt: famam, rumoresque illa recentes
Excipit ad portas: quoſdam facit iſſe Niphatem
In populos, magnoq; illic cuncta arva teneri
Diluvio, nutare vrbes, ſubſidere terras.

Quod autem in aliis poetæ reprehendunt, ab eo nec ipſi ſunt omninò liberi, ſi Virgilio credimus, cum ait:

Norunt bella deûm, norunt abſcondita nobis
Conjugia, & falſa quoties ſub imagine peccent.

nam de poetis hic loquitur. Vide apud Eraſmum noſtrum: Scit, quomodo Jupiter duxerit Junonem.

Muſcarum in morem.

Lucianus de ſacrificiis: Quod ſi quis forte ſacrũ faciat, epulantur omnes fumo inhiantes, ac muſcarum in morem ſanguinem exugentes, circum aras effuſum. Nota eſt muſcarum natura, alienum edentium, & alienarum menſarum delectantium. Hinc Paraſiti muſcis ſæpe conferuntur. Illis quoq; vnum ſtudium eſt, omnia inquirere. Hinc homines mirificè curioſi, muſcæ dicti ſunt: quod ante ex Plauto jam docuimus. Ægyptii autem impudentiã ſignificantes, muſcam pinxiſſe, tradit Orus. Illa enim intrepide & alacriter homines & cibum alienum aggreditur, & ægrè poteſt abigi. Vide Homer. Iliad ρ. Infra, inſtar veſparum.

G. GENTII. *Delatoria curioſitas.*

Dicitur à Juriſcon. in cap 6. de jur. & fac. igno. proverbiali figura, teſte Budæo, cum inquit. Scientia hoc modo æſtimanda eſt, vt neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neque delatoria curioſitas exigatur. Tractum a ſycophantis criminatoribus, vel quadruplatorum improbitate, de quibus illud Plautinum in Trinummo (vbi de famigeratorib. agitur) dici poteſt: Quod quiſq; in animo habet aut habiturus eſt, ſciunt: id quod in aurem rex reginæ dixit, ſciunt: quod Juno fabulata ſit cum Jove: quæ neque futura, neque facta ſunt, tamen illi ſciunt. Iidem pro delationis præmio quartam partem in bonis delatorum conſequebantur.

DAMNANDI.

ERASMI. *Notare vngui: & ſimilia.*

Ad eandem formam pertinent hæc quoq;: Notare vngui, quod ſoleat vngui ſignum apponi, vbi quid parum placet. Horatius dixit, Transverſo calamo ſignum apponere: pro eo quod eſt, damnare. In eundem ſenſum, Cenſoria virgula legitur identidẽ apud divum Hieronymum, pro caſtigandi notandiq; autoritate. Item apud Quintilianum libro inſtitutionum 1. Qua quidem ita ſunt ſeverè vſi veteres grammatici, vt non verſus modo cenſoria quadam virgula notare. &c. A cenſoribus Romanis traductum: quorum partes erant notare, ſi quid in moribus civitatis dignũ emendatione judicaſſent, ac mulctam dicere. Eodem pertinent, Spongia, lima, cœlum: quæ in emendationis proverbium abierunt. Spongia deletur, quod non placet: lima detrahitur atque expolitur, quod redundat, quodque incultum eſt: cœlo deformatur item, ac fingitur id, quod eſt rudius. Proinde in ſpongiam incubuiſſe dixit Auguſtus Ajacem ſuum, quem deleverat. Et Elimata, dicuntur expolita. Et Sculpturam orationis, cultum dicunt.

Triſtis litera.

M. Tullius pro Milone: Quod niſi vidiſſet poſſe abſolvi eum qui fateretur, quum videret nos fateri, neque quæri vnquam juſſiſſet, nec vos hanc tam ſalutarem in judicando literam, quam illam triſtem dediſſetis. Triſtem literam appellat θ. ſalutarẽ τ. quod hac abſolveretur reus, illa damnaretur, de quo non nihil attigimus in proverbio, Theta præfigere. Aſconius Pedianus (ſi modo codices mendo vacant) indicat θ. fuiſſe notam damnationis, τ. abſolutionis, N. L. ampliationis, hoc eſt, non liquere. T. Livius dixit triſtiorem notam.

Contra retiarium ferula.

Martialis in epiſtolari quadam præfatione: Denique videas, an te delectet contra retiarium ferula: id eſt: An id faciendum tibi putes, quod nemo non damnet atque exibilet. Domitius Calderinus interpres admonet ſubeſſe proverbium, dici ſolitum in eos, qui infirmo præſidio contra maxime inſtructũ pugnarent. Quanquam idem paulò poſt alio dilabitur, nempe huc, gladiatores olim ſi minus placuiſſent, ferula cæſos ejici ſolere. Huic finitimum eſt illud Gellianum libr. Noctium 1. c. 2. Annon contra iſtum baculum moveas? heus homo, quid mecum tibi? Itaque ferulam aut baculum movere contra quempiam, eſt refragari, & inſolentius repellere ſententiam. Eſt autem ferula ligni genus, quo quondam pueri cædebantur, atque item milites, ſi quid contra diſciplinam facere viderentur. Opinor idem factitare ſolere in ludis gladiatoriis hujuſmodi certaminibus præfectos.

Ni pater eſſes.

Εἰ μὴ πατὴρ ἦσθα, Ni pater eſſes. Hoc vulgò dici conſuevit, quoties honoris aut metus cauſa convicium reticebant, & conjiciendum relinquebant. Plene ſic effertur:

Εἰ μὴ πατὴρ ἦσθ᾽, εἶπον ἄν σ᾽ οὐκ εὖ φρονεῖν.

Id eſt:

Ni eſſes pater, te ſapere dicerem haud bene.

Eſt autem verſus hic in Antigone Sophoclis. Sunt enim Hæmonis verba, Creontem patrem objurgantis, quod ſponſam filii pararet occidere. Itaque quoties ſenis, aut potentis, aut alioqui venerandi ſententiam nobis haudquaquam probari ſignificabimus, cui tamen honoris cauſa nolimus refragari, veluti ſi quis opinionem Ariſtotelicam apud Peripateticos rectè damnare vellet, loquetur ad hunc modum: Hæc habet ſententia graviſſimũ autorem. Fortaſſis enim phas non eſt ab Ariſtotele diſſentire. Alioqui, εἰ μὴ πατὴρ ἦν, hoc eſt, niſi autoritati deferrem, habeo quo refellam. Quod ſi mutilum efferas, pluſculum etiam habebit gratiæ. Refertur à Diogeniano.

Calculo mordere.

Ψήφῳ δάκνειν, id eſt, Calculo mordere: dicuntur qui ſuffragio lædunt, aut vlciſcuntur hominem. Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσι.

Βλέπουσιν ἄλλο οὐδὲν ἢ ψήφῳ δάκνειν.

Id eſt:

Spectant id vnum, vt mordeant ſuffragio.

Siquidem hac via potiſſimum plebeii vendicabant, ſi quid eſſent offenſi: refragabantur in concione, cum calculis ferrentur ſuffragiis. Proinde mordebant non dente, quod tutum non erat, ſed calculo.

Æquales calculi.

Ἴσαι ψῆφοι, id eſt, Æquales calculi: ſi quando parum abeſt, vt condemnetur aliquis, & tamen abſolvitur: aut cum nutat animus, ambigitque, vtram in partem ſe deflectat, rationibus hinc velut ex æquo adhortantibus, ac deterrentibus. Quemadmodum eſt apud Terentium: Cum in dubio eſt animus, paulò momento huc vel illuc impellitur. Suidas oſtendit metaphoram ſumptã à priſca conſuetudine judiciorum, qua reus æqualibus judicum ſententiis abſolvebatur, at non citra periculum. Cur autem potius abſolvendum, quam damnandum reum veteres exiſtimarint, cum pares eſſent ſententiæ, multas cauſas reddit Ariſtoteles in Problemate quodam. Multis enim nominibus viſum eſt convenire, vt reliquis paribus, reo magis quam actori faveatur: vel quod accuſator accedit paratus, ac præmediatus: reus ad multa non præviſa compellitur, reſpondere. Vel quod conſentaneum ſit reum, vt qui majore periculo dicat, ob metum quædam prætermiſiſſe potius, quam actorem: vel quod in ancipiti negocio potius ad eam partẽ oporteat vergere, vbi ſi forte erratum, peccetur levius. At minus eſt malum abſolvere nocentem, quam innocentem damnare, præſertim in capitalibus cauſis: vbi ſi contingat errare judicem, non eſt quo ſartiat in poſterum erratum ſuum extincto jam homine. Contra, ſi elabatur nocens, poterit alio judicio pœnas dare. Vel quod accuſatio propior eſt ſuſpicioni malevolentiæ, quam defenſio: quare cum in cæteris nihil appareat diſcriminis, de actore potius malè judicamus, quam de reo. Hæc & alia quædam hujuſmodi tradit Ariſtoteles. Igitur vt tutiſſimè liberatur à cauſa, qui calculis omnibus abſolvitur: ita periculo proximus fuiſſe videtur, qui paribus calculis, jam quaſi favore quodam elabitur.

Homerici verſus aliquot proverbiales.

Tantum honoris antiquitas habebat Homero, quemadmodum teſtatur Macrobius, vt ſinguli penè verſus illius proverbii vice celebrarentur. Quorum nos nonnullos ſparſim in hoc opere recenſuimus, præſertim quos in autorum literis, vſurpatos deprehendiſſemus. Nunc itaque mihi videor facturus operæ precium, ſi ex omni Homericæ poeſis corpore, quoſdam ſeligam verſiculos, qui proverbii ſpeciem ita præ ſe ferant, vt dubitandum non ſit, quin hi certè ex illorum numero fuerint, quos antiquitas adagiorum inſtar vſurpaverit. Quanquam autem nullum ferè carmẽ eſt hujus poetæ, quod non poſſit ad aliquam proverbii rationem detorqueri: tamen nos è plurimis pauca quædam decerpere maluimus: partim ne quis nos in re tanquam aſcita, nimirum diligentes dicere poſſet: partim quod neſcio quomodo magis arrident in hoc genere, quæ ſibi quiſque velut adoptârit. Itaq; ſat habuimus in paucis aliquot quemadmodum accommodari debeant, viam oſtendiſſe. Atque in his ipſis, quanquam eum carminis vſum indicavimus, qui cum nobis ſcribentibus veniſſet in mentem: tamen nihil vetuerit, quo minus idem carmen ad varios vſus adſciſcatur. Neque verò idem permiſerim in reliquis poetis, niſi quis in Marone licere putet, quem Latinum Homerum optimo jure dixeris: ſed facit hóc Homeri divinitas quædam, vt deceat, quicquid ex illo quocunque pacto mutuum ſumpſeris: etiamſi, quod in Centonibus fieri ſolet, ad longe diverſam ſententiam verba detorſeris. Quanquam autem ſciremus his non adfuturam gratiam, niſi quis vſurparet Græcè: tamen ne non intelligerentur à nonnullis, vertimus hæc quoque. Atque hæc paucis dicta ſunto in ea quæ ex Homero proverbia ſuis locis diſuncta vel ante protulimus, vel deinceps producemus.

Non probantis.

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ.

Id eſt:

At non Atridæ ſic eſt Agamemnoni viſum.

Uſurpatur à Luciano ceu proverbialiter in Lapithis. Rectè vtemur, vbi rem quidem fatebimur honeſtam factu, verum diverſa placere iis, quorum libido plus valet quam æquitatis ratio. Sive cum quis tyrannico more ſequitur, non quod dictet æquitas, ſed quod animo collubitum ſit. Sive cum vnus aliquis à cæteris omnibus diſſentit. Sumptum eſt autem ex Iliados Homerica libro primo, vbi & iteratur hic verſiculus:

Ἔνθ' ἄλλοι μὲν πάντες ἐπευφήμησαν Ἀχαιοὶ
Αἰδεῖσθαί θ' ἱερῆα, καὶ ἀγλαὰ δέχθαι ἄποινα.
Ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ,
Ἀλλὰ κακῶς ἀφίει, κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε.

Id eſt:

At reliquæ Danaum placet hæc ſententia turbæ,
Sacrifico vt habeatur honos, ac ſplendida dona
Accipiant, at idem hoc Agamemnoni non ita viſum eſt,
Quin male dimittit, ac dicta fera inſuper addit.

Ne nomen quidem.

Proverbiali figura dictum eſt & illud in eadem Ecloga.

——— Βοῆς δ' ἐπὶ μηδ' ὄνομ' ἔστω.

Id eſt:

Ulterius nec nomen erit belli atque tumultus.

Itidem Paulus ad Epheſios: Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis. Quid enim? Itáne ſceluſ eſt nominare avaritiam, aut libidinem? Non opinor: ſed Apoſtolus vt graviter vitia deteſtaretur, vſus eſt hyperbole proverbiali. Nam inter pios nominatur & Judas & Pilatus.

Θ præfigere.

Theta præfigere, pro damnare.

Perſius:

Et potis es vitio nigrum præfigere theta.

Auſonius in pædagogum liguritorem, carmine Choriambico:

Miſelle doctor, a tibi ſit obſcœno,
Tuumque nomen theta ſectilis ſignet.

Sunt qui hoc ad figuram Græcanicæ literæ referant, quod ea cordis humani transfixi ſpeciem quodammodo repræſentet. Nam neſcio an debeamus Iſidoro credere, qui primo Etymologiarum libro ſcribit ita militari more ſoleré fieri vt cæſi Θ, ſalvi T ſignarentur. Certè de hoc ſigno T, fit mentio etiam in Apocalypſi, quæ beati Joannis Evangeliſtæ nomine legitur. Sed veroſimilius, quod ſcribit Aſconius Pedianus, olim in judiciis ſortes, quæ mittebantur in vrnam, triplicem notam habere ſolere: ac Θ quidem, damnationis fuiſſe ſymbolum: T abſolutionis, A ampliationis, à quoties ſignificabant ſibi parum adhuc liquere, ac denuò cauſam agi oportere.

In abſurde locutum.

Ubi quis videtur abſurdum quippiam dixiſſe, ſive cum verbum aliquod videbitur per imprudentiam elapſum, quod ſatius erat reticuiſſe, locus erit illi, quod pluribus locis apud Homerum repetitur, & nominatim Odyſſeæ libro 1.

——— ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Id eſt:

Dentis clauſtra tui quæ vox elapſa reliquit?

Laudatur hic verſus ab A. Gellio, Noctium Attic. lib. 1. cap. 15. qui pulchre admoneat parce loquendum eſſe, quod natura linguam vallo dentium cinxerit, & ſepto labiorum, cum aures patulas dederit.

Abjiciendum procul.

Cum vitium aliquod, aut rem alioqui noxiam admonebimus procul abjiciendam eſſe, conveniet verſus ille, ni fallor Homericus;

Εἰς ὄρος, ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης.

Id eſt:

In montem tumidaſve frementis in æquoris vndas.

Sic & Horatius in Odis lib. 3. Oda 14.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat, & turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali
Mittamus, ſcelerum ſi bene pœnitet,

Contra Theognis non opes, ſed ipſam paupertatem jubet εἰς μεγακήτεα πόντον ῥίπτειν, i. in immenſum mare projicere. Item hominem vehementer peſtilentem in extremas inſulas deportandum dicimus.

Tabellis obſignatis agere. IUNII.

Tabellis obſignatis agere, tropicè dixit Cicero, pro convincere aliquem ſcriptorum ſuorum teſtimonio, ſi diverſum dicat ab iis quæ antea ſcripto evulgavit, aut ſenſit. Ductum ab iis, qui quod ſyngrapha teſtati ſunt, dictum factumve negant. Cic. l. 5. Tuſculanarum: Tu quidem tabellis obſignatis agis mecum, & teſtificaris quid dixerim aliquando, aut ſcripſerim: cum aliis iſto modo, qui legibus impoſitis diſputant: nos in diem vivimus, quodcunq; animos noſtros nobilitate percuſſit, id dicimus. M. Antonius dicere ſolebat, ideò nullam ſe orationem ſcripſiſſe vnquam, vt ſi quid ſibi excidiſſet aliquando quod non oportuerat, poſſe inficiari dictum: propterea ſcite reſpondit M. Bruto (qui vt invidiam Craſſo pareret, binos recitatores evocarat, pugnantia è Craſſi orationibus hinc inde deſumpta alternis recitaturos) orationes cauſarum eſſe & temporum, non autem hominum ipſorum ac patronorum. Ita Cicero in v. Antoniana: Sicut apud eos qui in diem vivunt, nihil eſt conſtituti, nihil certi: ſic mihi nulla eſt firma pertinaxque ſententia, ſequenti id quod probabilitate animum commovit.

Ex faſtis evellendi. BRASSICANI.

Cicero pro Publio Seſtio proverbio vtitur, nimirum improbos & contaminatæ vitæ homines, quos monſtra verius & pecudes dixeris, ex faſtis eſſe evellendos: hoc eſt memoriam eorum eſſe penitus abolendam, & nullo vnquam tempore mentionem eorum eſſe faciendam. Quemadmodum Athenienſes publico decreto ſanxerunt, ne vnquam nomina fortiſſimorum juvenum Harmodii & Ariſtogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorſi erant, indere liceret, authore Gellio lib. 9. cap. 2.

Pennas incidere.

Pennas incidere proverbio dicimus, imminuere poteſtatem, aut arrogantiam reprimere. Ita Cicero libr. 4. epiſt. ad Attic. Qui mihi pennas inciderant, nolunt eaſdem renaſci: metaphora ab avibus deſumpta, quæ pennis inciſis nequeunt ſe altius tollere.

Lolium

Lolium à tritico repurgandum.

Plinius libro 14. cap 17. inter frugum peſtes lolium commemorat, vna cum carduis & tribulis. Hinc Virgil. in Bucolic. & Georgic. 1.

—Interque nitentia culta
Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.

Græci vocant ζιζάνιον ſive αἶραι. Hoc adagio vtimur, cum inutiles cives ab vtilibus, milites ignavos à ſtrenuis ſecernendos dicimus. Huc nonnulli Antiſthenis dicterium trahunt, Abſurdum eſſe triticum à lolio non repurgare: qui ſentiret ex hoc invidos a republica ſummovendos, vt Plutarchus interpretatur. Tam enim inutiles invidi ſunt civitati quam lolium eſt tritico, & ignavus bello. Sic paterfamilias ſervis ſuis: Colligite, inquit, primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum ea, triticum verò congregate in horreum meum. Matth. 4. Triticum boni ſunt, zizania verò mali, qui bonis ſemper ſunt mixti. Zizania quoque apud eundem Matthæum cap. 15. vocantur humanæ traditiones, humana ſapientia & doctrina, impia & pernicioſa hæreticaque ſcientia. Talis corrupta doctrina, zizania meritò vocari debet, quod inimicus ea, dormientibus Epiſcopis, imò authoribus in ſementem Dei injiciat.

Gehennæ mancipium.

Proverbium theologicum, dicitur de homine, adhuc in vivis, damnato. Prudent. Ham.

Gehennæ—Mancipium, Stygio qui ſit damnandus Averno.

Matth 23 cap. Facitis eum filium gehennæ, hoc eſt, hominem damnationi deſtinatum, aut ſubjectum.

GODOFREDI. *A calvo ad calvum.*

Verbum fuit Caligulæ, cum omnes reos poſtulatos in cuſtodia, cum forte duobus calvis extremis exiſtentes, ita & duci ad ſupplicium citra vllum diſcrimen, juberet: quo inde notatum eſt indiſcriminatum quodq; judicium: vt cauſa quorundam medicorum, arte quam nihil minusquam noverunt, peſſimè vtentium, omnium odium. Bud. Tranſitu ad Helleniſ. Equidem vt à calvo ad calvum iniqui eſt judicis & præcipitis eodem jure cenſere: ita à raſo ad raſum damnare, vel nota mulctare ignominiæ tum atratos, tum albatos, præcipitis vtique famæ præjudicium ſequentes, non ſatis æquorum eſſe arbitror hominum, &c. Vide ſupra apud Junium. Idem adagium Polydori eſt, additque ex Dionyſio, Caligulam ipſas cuſtodias recognoviſſe, ac tum reperiſſe duos calvos, alterum in ſummo carcere, alterum in imo.

EX APPEND. JUNII.

Albo eradere & adſcribere.

Quamvis Eraſmus proverbium, Non eras in hoc albo, ſatis diligenter explicuerit: non tamen ex eo protinus conſtabit, quid eradere & adſcribere albo ſit: duæ adagia haud dubiè adverſaria non minus elegantia & lepida ſunt, quam illud Plinianum. Quin ſeriò auſim, vtroque vultu contendere, pluſculum hæc, quam illud præ ſe ferre gratiæ & feſtivitatis. Utroque vſus eſt caſtigatiſſimus dicendi & ſentiendi magiſter Suetonius in Claudio: Splendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum Latini ſermonis ignarum, non modo albo judicum eraſit, verum etiam in peregrinitatem redegit. In Domitiano item: Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimiſſæ adulterii crimen intenderat, eraſit judicum albo. Eſt ergo albo eradere, ignominioſè & cum ſuggillatione nominis ab honeſto aliquo vel publico munere depellere: & adſcribere albo, honeſto cum ſuffragio ad publicum aliquod munus, vel honeſtum officium allegare & admittere.

Spongia.

Romani percelebri loco, Veſpaſiani procuratores & magiſtratus ex tenuire ad ampla evectos, & magnis officiis & honoribus avaritia principis nobilitatos, vt repetundarum poſtea rei condemnati largè & prolixè fiſcum locupletarent, Spongias appellabant μεσοφορακῶν, à ſpongiarum vſu, quæ ſiccæ humectantur, & uvidæ exprimuntur Author eſt Suetonius in Veſpaſiano, his verbis Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemq; ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret, quibus quidem vulgò pro ſpongiis vtebatur, quod quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.

Apollo Tortor.

Auguſtus Cæſar cœnam ſumptuoſam inſtruxerat, in qua deorum dearumque habitu diſcubuiſſe convivas, ipſumq; Apollinis ſcenico ornatu transfiguratum, fabulas Romanorum ſpargebatur. Et cœna δωδεκάθεος (ſic enim lego) appellabatur: quo tempore ingens Romæ inopia frumēti, & annonæ caritas fuit. Hoc rumore divulgato, imperatorem alieniſſimo tempore, nempe in ſumma vrbis fame, lautis epulis indulgere, quaſi publicæ calamitati inſultando. Romani Apollinem Tortorem eſſe acclamarunt: Apollinem quidem, ob ementitum Apollinis habitum, quo in cœna illa myſtica deformatus laſciviebat: Tortorem verò, quod eo nomine idem Apollo quadam in vrbis parte coleretur. Quod illi epitheton attributum ſuſpicor, quod Marſyam citharœdum pſallendo victum, inaudito antea ſupplicii genere excruciaſſet, cui vivo pellē detraxerat. Pari ratione Octavium Auguſtum, quaſi qui vivos excoriaſſet homines, frumento per luxum & ſumptuoſam cœnam abſumpto, Apollinem Tortorem per convicium vocabant. Non peſſimè quadrabit in principes & magiſtratus, in Reip. calamitate feſtis gaudiis exultantes, & intempeſtivis deliciis & voluptatibus ſolventes animum, nihil publica miſeria commotos, & tum maximè negligentes officium, quando conveniebat maximè præſtari.

EX APPEND. ERASMI.

Ἐκφυλλοφορῆσαι.

Quibus jus ferendi ſuffragia adimebatur, & ex albo judicum ſubmovebantur, ἐκφυλλοφορηθῆναι dicebantur: vt milites exauctorati, quibus jus pugnandi adimebatur. Olim non calculis, ſed foliis ferebantur ſuffragia de exauctoratione: quaſi dicas à foliis ferendis excludi. Suidas.

DECRETVM.

ERASMI. *Murus aheneus.*

Murus aheneus apud Horatium in Epiſtolis vſurpatur pro certo & immutabili animi decreto, ſchemate nimirum proverbiali:

—Hic murus aheneus eſto.
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Vegetius gravem armaturam murum ferreum exercitus appellat, veluti ſolidum & inexpugnabile munimentum. Adſimili figura Pindarus Olympiacon 2. Hectorem appellat ἄμαχον, ἀστραβῆ κίονα: id eſt, inexpugnabilem, immobilem columnam.

Nullus dies omnino malus.

Aſtrologi deſignant quoſdam dies fortunatos aut infelices, ſed his aut his rebus: nullo tamen die indulgendum eſt ocio, quod nullus ſit adeo inauſpicatus, quin alicui negocio ſit felix, ſi quis rectè vtatur conceſſo tempore. Dies infauſtus gerendo bello, aut navigationi, felix eſt adminiſtrandæ rei familiari. Nullus autem dies non proſper parandæ bonæ menti. Fatetur hoc Heſiodus περὶ ἔργων καὶ ἡμερῶν.

Καὶ οὔποτε πάγκακος ἡμέρα.
Id eſt:
Omni ex parte dies malus haud obvenerit vnquam.

DEGENERANTIVM IN PEIVS.

ERASMI. *Ab equis ad aſinos.*

Ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους: id eſt, Ab equis ad aſinos. Ubi quis à ſtudiis honeſtioribus ad parum honeſta deflectit: veluti ſi quis è philoſopho cantor, è theologo grammaticus, è mercatore caupo, ex œconomo coquus, è fabro fieret hiſtrio. Quadrabit item, vbi quis è conditione lautiore ad abjectiora devenerit. Procopius ſophiſta in epiſt. quapiam: τὸ δὴ λεγόμενον, ἀφ' ἵππων ἐπ' ὄνους μεταβεβήκαμεν, id eſt: Juxta proverbium, ab equis ad aſinos tranſivimus.

Mandrabuli mores res ſuccedit.

Ἐπὶ μανδραβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα: id eſt, Res Mandrabuli ordine ſuccedit: hoc eſt, in dies in pejus labitur. Inde natū, quod Mandrabulus quidam cum theſaurum reperiſſet, primum auream ovem poſuit Junoni Samiæ, proximo anno argenteam, tertio æreā. Lucianus. De mercede ſervientibus: ἀλλὰ χαίρεις γε, καὶ σεαυτὸν ἐξαπατᾷς, καὶ ἀεὶ τὰ μέλλοντα βελτίω γενήσεσθαι νομίζεις· τὸ δὲ ἐναντίον ἢ σὺ ἤλπισας γίγνεται, καὶ ὡς ἡ παροιμία φησὶν ἐπὶ μανδραβούλου χωρεῖ τὸ πρᾶγμα, καθ' ἡμέραν, ὡς εἰπεῖν, ὑπολήγοντος καὶ μειουμένου, καὶ ὡς τὸ ὀπίσω ἀναποδίζοντος, id eſt, Tu tamen vtcunque gaudes, tibique ipſi imponis, ſemperque credis meliora futura, quæ ſequentur: atqui id contra quam ſperaras evenit, planeq; juxta proverbium, ad morem Mandrabuli tibi negocium procedit, dum in ſingulos, vt ita dixerim, dies fit minus ac deterius, atque in tergum retrocedit. Alciphron in epiſt. quadam: καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν ἐπὶ τὰ μανδραβούλου χωρεῖ τὰ πράγματα, id eſt: Juxtaque proverbium, ad exemplum Mandrabuli res ſuccedunt. Non intempeſtiviter itaque dicitur in eos, qui in deterius abeunt. Quemadmodum Menedemus apud Plutarchum, permultos Athenas venire ſtudii cauſa: principio ſapientes, deinde philoſophos, poſtea rhetoras, poſtremo idiotas evadere. Nec alienum fuerit hic nobilem illam Platonis ſententiam adſcribere, ex lib. De legib. 1. τὸ νικᾶν αὐτὸν, αὑτὸν πασῶν νικῶν πρώτη τε καὶ ἀρίστη, τὸ δὲ ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ, πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον: id eſt: Si quis ipſe ſeipſum vincat, omnium victoriarum tum prima, tum optima eſt. Ruſum ipſum ſeipſo inferiorem eſſe, omnium & turpiſſimum eſt & graviſſimum. Vincit enim ſe ipſum, qui proficit in melius: at ſeipſo inferiorem evadere, eſt deteriorem reddi.

O domus antiqua quam diſpari domino dominaris.

Videtur & illud Ennii carmen proverbiis aſſcribendum, quod refert M. Tullius Officiorum lib. 1.

O domus antiqua quam diſpari domino dominatis.

Id conveniet in diſciplinam, commutatam in pejus eorum vitio qui ſucceſſerunt: velut in domum, in vrbem, in Academiam, in monaſterium aut collegium ad pejora degenerans. Quanquam ſuſpicor carmen Ennianum in codicibus eſſe vitiatum: legendum autem:

O domus Antiquam diſpari domino dominatis.

vt notarit Antii ſucceſſorem. Jam quoniam in diſpari, prima ſyllaba natura longa eſt, ſublato, s, quod Ennius ſubinde facit (niſi fortè pro Anti, mavis Anci, aut Anni, quem Lucilius taxat alias) fit breviſſitaque conſtat metrum. Scriba parum eruditus, putans antiquam, vnicam eſſe dictionem, mutavit, antiqua. Alius nolens omittere quod erat in pleriſque codicibus, adjecit, quam. Reſpexit huc M. Tullius Philippica 2. O tecta ipſa miſera quam diſpari domino: quamquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quam à diſpari tenebantur.

Heroum filii noxæ.

Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα: id eſt, Virorum heroum filii noxæ. Veteribus illud obſervatum fuit, præſtantium virorũ filios multum à progenitorum moribus abfuiſſe. Unde & Demoſthenes dixit: τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένον ἦν, φαῦλοι ἀποβαίνουσιν υἱοὶ, id eſt, A viris egregiis, perinde quaſi fato quodam id accidat, improbos proficiſci filios. Quæ quidem Demoſthenis ſententia refertur ab Ariſtide in Cimone. Interpres, quiſquis is fuit, homo nec indiligens, nec indoctus, hoc loco proverbium citat, quod modo retulimus. Manet & hodie vulgatus jocus, Ex ſapientiſſimis patribus ſtultiſſimos propagari liberos. Euripides in Heraclidis, generaliter hanc ſententiam ad omnes mortales retulit:

Ἕνα γὰρ ἐν πολλοῖς ἴσως
Εὕροις ἂν ὅστις ἐστὶ μὴ χείρων πατρός.

Id eſt:

Unum forſan inter plurimos
Inveneris, qui patre non ſit nequior.

Aſtipulatur huic ſententiæ locis aliquot Homerus, nominatim Odyſſ. β.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλείονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Id eſt:

Æquat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illis
Degenerant, pauci ſuperant probitate parentem.

Declamat hoc argumentum Ælius Spartianus in Severo Cæſare, multis exemplis declarans ita ferè vſu veniſſe, vt viri, ſeu virtute, ſeu literis, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, vt magis ex vſu rerum humanarum fuerit, illos abſque liberis decedere.

Haut canis paternas cantiones.

Οὐ πατρῷα τῷ αὐλεῖ μέλη: id eſt, Haud paternas canit cantilenas, De eo jactatum, quia paternis moribus degeneraret. Solent liberi majorum ſuorum cantiunculis, quas admodum pueri didicerunt, delectari. Terentius in Adelphis: Pol Æſchine, haud paternum iſtuc dediſti.

Filius degenerans.

In filium, qui paterno degenerat inſtituto ſive qui non diu fruitur à patre relictis, ſed excutitur a majorum facultatibus, appoſitè torquebitur illud ex eodem libro:

Ἀλλ' οὐχ υἱὸς ἐν ἔντεσι πατρὸς ἐγήρα.

Id eſt:

At non conſenuit patriis in filius armis.

Benè natis turpe eſt malè vivere.

Quidam arbitrantur ob hoc ipſum ſibi licere turpiter vivere, quod honeſtis majoribus orti ſunt: quum contra, generis claritas, quaſi fax addita faciat, vt nobilium errata plus habeant dedecoris, quam obſcuro genere natorum. Hoc in eadem fabula ſic expreſſit Electra.

Ζῆν αἰσχρὸν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσι.

Id eſt:

Natis honeſtè, turpè vivere turpiter.

Quanquam Electra putat eos turpiter vivere, non qui ſunt improbis moribus, ſed qui vivunt in ſervitute: quum ſint ingenui nati: vt cum illo conveniat, Ubi non ſis qui fueris, non eſt cur velis vivere.

Quis parentem laudabit, niſi infelices filii?

Τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα?

Id eſt:

Quis patrem laudet, niſi proles laudis inanis?

Carmen vulgò jactatum de his qui majorum ſuorum facinora jactitant, nimirum nihil habentes, quod de ſe ipſis verè prædicent: cujuſmodi Ponticum quempiam ridet Juvenalis Sat. 8.

—Sed te cenſeri laude tuorum
Pontice noluerim, ſic vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas. Miſerum eſt alienæ incumbere famæ.

Poterit in hanc quoque detorqueri ſententiam: Improbi filii ſic laudant parẽtes, dum illos ceu bonos deſiderat populus, quod hos longe deteriores ferre non poſſit. Id quod nonnunquam ſolet in principibus vſu venire: videlicet, vt quem vivũ oderunt, mortuũ probent ac requirant, filii comparatione bonum. Refert & explicat hoc adagium Plutarchus in vita Arati: παροιμίαν τινὰ παλαιὰν ὁ Πολυκράτης ἀξιοῖ, μεγάλως τὸ δύσφημον αὐτῆς ὁ φιλόσοφος Χρύσιππος, οὐχ ὡς ἔχει τρόπον ἀλλ' ὡς αὐτῷ ἐδόκει βέλτιον εἶναι διαθέσθαι,

Τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί;

Διονυσόδωρος δὲ ὁ Τροιζήνιος ἐξελέγχων αὐτὸν, ἀποκαθίστησι τὴν ἀληθινὴν οὕτως ἔχουσαν.

Τίς πατέρ' αἰνήσει εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί;

Καὶ φησι τοὺς ἀφ' αὑτῶν οὐδενὸς ἀξίους ὄντας ὑποδυομένους δὲ προγόνων τινῶν ἀρετὰς καὶ πλεονάζοντας ἐν τοῖς ἐκείνων ἐπαίνοις ὑπὸ τῆς παροιμίας ἐπιστομίζεσθαι, id eſt: Adagium quoddam vetus, ô Polycrates, Chryſippus philoſophus (infamiam illius, vt mihi videtur, veritus) non vt habet, ſed vt ipſi viſum eſt melius, propoſuit:

Quis patrem laudarit niſi felices filii?

Cæterum Dionyſodorus Trœzenius redarguens illum, verum proverbium denuo exponit. Id habet ad hunc modum:

Quis patrem laudet, niſi proles indiga laudis?

Aitque eos qui ſi ſuis ipſorum meritis æſtimentur, nullius ſint precii, cæterum inſinuantes ſeſe majorum ſuorum quibuſdam virtutibus, atque illorum laudibus ſeſe immodicè venditantes, hoc proverbio ad ſilentium adigi. Hactenus Plutarchus. Uſurpavit in eundem ſenſum M. Tullius in epiſtolis ad Atticum.

Aceſias medicatus eſt.

Ἀκεσίας ἰάσατο, id eſt, Aceſias medicatus eſt. Dici ſolitum de re quæ ſemper vergeret in deterius, quoque magis accuraretur, hoc pejus haberet. Occaſionem adagio dedit Aceſias quidam medicus imperitus & ſtupidus: qui dum cuidam pedum dolore laboranti mederi ſtudet, auxit dolorem. Unde Ariſtoph.

Ἀκεσίας, inquit, τὸν πρωκτὸν ἰάσατο.

Quod ea pars, quantumvis cures, tamen per ſe ſemper inquinetur. Autor Diogenianus.

Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulerit.

Adagium in fornice natum, vti videtur, ſed quod ad vſum verecundiorem commode torqueri poſſit, ſi quando ſignificabimus majora peccaturum adultum, qui puer vitiis minoribus aſſueverit. Extat in fragmentis Arbitri Petronii his quidem verbis: Obſtupui ego, & nec Gitonem verecundiſſimum puerum ſufficere huic petulantiæ affirmavi, nec puellam ejus ætatis eſſe, vt muliebris patientiæ legem poſſit accipere. Itaque, inquit Quartilla, minor eſt quam ego fui, cum virum paſſa ſum? Junonem meam iratam habeam, ſi me vnquam meminerim virginem fuiſſe. Nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Hinc etiam puto natum proverbium illud, vt poſſe dicatur taurum tollere, qui vitulum ſuſtulerit. Non abſurdum videtur, adagium ad Milonis Crotoniatæ factum referri: qui quotidie vitulum aliquot ſtadiis geſtare ſolitus, eundem taurum factum, citra negocium geſtaſſe legitur. Atque ita quadrabit in eos, qui paulatim rebus etiam maximis aſſueſcunt.

Vt nunc ſunt homines.

Si notabis temporum tuorum mores, vt ſemper in pejus degenerantes à virtute majorum: veluti ſi dicas, hunc aut illum principem laudandum, vt hac tempeſtate ſunt principes: applicabis illud eo eodem libro:

—Οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν.

Quod quidem hemiſtichium aliquot eſt locis apud Homerum: hic de Ajace, & Hectore, ſaxum ingens humo facile tollentibus: Iliados ε. de Tydeo ſaxum item tollente.

Diſcum quam philoſophum audire malunt.

Vulgus hominum propenſius eſt ad quasvis ineptas voluptates, quam ad frugifera. Quod eleganter expreſſit M. Tullius libro de oratore 2. Diſcum, inquit, audire malunt quam philoſophum. Erat autem publici exercitamenti genus, quo diſcus æneus arte ſimul & viribus ita ab humo torquebatur in altum, vt intra certum ſpacium decideret. In iiſdem autem locis, in quibus hujus luſus peragebantur (gymnaſia vocant) diſſerebant & philoſophi: ſed crepitu ad diſcum vocante, philoſophum ſubitò deſerebant omnes. Verba Craſſi apud Ciceronem ſunt hæc: Nam & ſeculis multis ante gymnaſia inventa ſunt, quam in his philoſophi garrire cœperunt: & hoc ipſo tempore quum omnia gymnaſia philoſophi teneant, tamen eorum auditores diſcum audire quam philoſophum malunt: qui ſimul vt increpuit, in media oratione de maximis rebus & graviſſimis diſputantem philoſophum omnes vnctionis cauſa relinquunt: ita leviſſimam delectationem graviſſimæ, vt ipſi ferunt, vtilitati anteponunt. Per jocum transferri poteſt ad diſcum eſcarium, cujus crepitum multi libentius audiunt, quam vocem philoſophi.

Eamus Athenas,

Ἴωμεν εἰς Ἀθήνας, id eſt, Eamus Athenas. Plutarchus in vita Theſei refert, Athenienſes Minois violentia, ſimulque rerum inopia afflictos, iniſſe fœdus cum illo, his quidem conditionibus, vt quotannis in Cretam mitterent ſeptem pueros, ac totidem puellas (quos quidam exiſtimant a Minotauro ſolitos interimi: Ariſtoteles diſſentit.) Sed cum vetuſti cujuſdam voti religione tenerẽtur

Cretam

Cretenſes. Illas hominum primitias mittebant in Delphos. quibus eo proficiſcentibus, adjunxerunt ſeſe multi Cretenſium filii. Cæterum quum illic ob terræ ſterilitatem ægre ſibi pararent victum, venerunt in eam Italiæ partem, quæ quondam Iapygia dicta eſt. Hinc in Thraciam profecti, Bottiæi dicti ſunt. Unde virgines Bottiæorum ſacrificio quodam abſoluto, canere ſolent, Eamus Athenas; his verbis teſtificantes deſiderium patriæ quondam relictæ. Huius ſententiæ citat autorem Ariſtotelem in Republica Bottiæorum. Licebit uti, ſi quando nos melioris fortunæ relictæ pœnitebit.

Τανταλωθῆναι.

Τανταλωθῆναι, quaſi Tantaliſari dicas, effertur non ſine proverbii ſpecie a Sopatro Parodro, pro exturbari, magniſque opibus exui, & quod dicitur. De gradibus dejici.

Οἵαν περ ἔχει καὶ Θίβρων, ὁ Ταντάλου
Μαλακῶς ταλάντοις ἐκτανταλωθεὶς αἰεί.

Ideſt:

Qualem Lagenam habet Thibron, qui Tantali
Fuit talentis deturbatus molliter.

Hanc enim lectionẽ amplectitur Euſtathius in Odyſſ. undecimũ, & exponit ita: ταλάντοις ἐκτανταλωθεὶς παρὰ Σωπάτρῳ ...

Talentis in modum Tantali exturbatus apud Sopatrum; convivium vult facere cuidam è magnis opibus excuſſo, & ad ſaniorem mentem redire coacto propter luxum, quanquam ſenarii verſus lex aliam lectionem poſtulat, ut legatur ἐκταλαντωθείς, velut extalentiſatus Tantali talentis. Reperitur tamen τανταλωθῆναι, in priore quodammodo ſignificatione apud Sophoclem Antigone, pro, ex alto. Tantali inſtar, præcipitari, ubi de Capaneo loquitur, qui invito Iove per vaſurum ſe in Thebanam urbem admotis ſcalis gloriatus, de pinnis mœnium deturbatus concidit, vel ſecundum alios fulmine ictus ſic autem inquit:

Ἀντιτύπᾳ δ' ἐπὶ γᾷ πέσε τανταλωθείς.

Ideſt:

Lapſu arduo dejectus, in ſolum ruit
Altrinſecus ſeu Tantalus.

τανταλωθῆναι ergo dicemus eum, qui per lites aut immoderatum luxum magnis fortunis excidit. Notiſſima eſt poetarum fabulis Tantali hiſtoria, quam paucis perſtringit Petronius Arbiter:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus, infelix quam ſua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia late
Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.

O domus antiqua.

Proverbiale eſt, quando non minus exitialem quam ingentem rei immutationẽ ſignificamus: veluti ſi optimo principi peſſimus ſuccederet: commode diceres: O domus antiqua, heu quam diſpari dominaris domino. Cicer. libro primo de Officiis: Odioſum eſt enim, quãdo a prætereuntibus dicitur, O domus antiqua, &c. Huc alluſit idem in ſecũda Philippica: O tecta ipſa miſera, quam diſpari domino: quanquam quomodo iſte dominus? ſed tamen quam à diſpari tenebantur? Lege proverb. Chiliad. O domus, &c.

Ratio apparet, argentum οἴχεται.

Proverbii uſus eſt, quoties ſignificamus, nos optimè quidem rationes confeciſſe, ſed reliqua conſumpſiſſe, ita quod cum rationibus paria facere nequeamus. Plautus in Trinummo: Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται: id eſt, abiit, exceſſit non extat. Terentius in Phormione: Non ratio, verum argentum deerat. Cicero in Piſonem: Perſcriptis rationibus ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans commurmuratus ſic: Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται. Huic adagio nõ diſſimile eſt, cuius meminit Ariſtophanes in Nebulis. ὥσπερ Περικλέης εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα. Siquidem Pericles quum Aſtyanacti Lacedæmoniorum duci pecuniam daret, ut ex Attica, quam bello infeſtabat, diſcederet, reddens impendiorum rationem, nec apertè volens magiſtratib. rem oſtendere, ita reſpondit, εἰς τὸ δέον: hoc eſt, in rem opportunam & neceſſariam. quãquam interpres Ariſtophanis huius reſponſionis diverſas cauſas afferat.

Detonſi.

Et hoc in proverbiis numeratur, Detonſi ſive crinibus nudati: de iis, qui nihil amplius roboris habent, & impotes ſive impotẽtes ſunt. Per crines enim antiqui vires cuiusq; ac robur conſtare crediderunt, ita ut iis ablatis, in alterius iam poteſtatẽ facile quis veniret: quemadmodum de Simſone narrant ſacræ literæ, Iudic. 15. & 14. de Niſo Pterelao ac poetæ. Ne abhorrent hinc quotidiana veneficarum exempla; quas nullis aiunt tormẽtis, donec defectus fuerit capillus, domari. Victimarum quoq; ſetæ capitis, in ſacrificiis olim ferro ſolebant abſcindi. Dicuntur etiam detonſi, & crinibus nudati ſive depiles, morientes, & Orco iam initiati. Exiſtimabant enim antiqui, eos qui morti eſſent proximi, a Proſerpina primum tonderi, & his quaſi primitiis Orco initiari, nec aliter diẽ ſuum obire poſſe. Id autem ex Euripide licet, & Virgilio aperte cognoſcere. Virgilius quidem ſub finem 4. libri Æneid. Didonis difficulter morientis cauſam hanc adfert.

Nondum illi flavum Proſerpina vertice crinem
Abſtulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.

Apud Euripidem mors introducitur Alceſtidis comam ſecãs Horat. oda. 28. dixit, Proſerpinam nullius unquam caput fugiſſe, quo minus illud more ſuo tonderet, aut ſaltem tondendum curaret.

Miſta ſenum ac iuvenum denſentur funera: nullum
Sæva caput Proſerpina fugit.

DEPRECANTIS ET ABOMINANTIS.

ERASMI. *Deſpuere malum.*

Manet & hodie in vulgi moribus, ut ſi quid audiant execrandũ quod ſibi nolint evenire, deſpuant velut abominantes. Id autem hæſit ex veterũ ſuperſtitione, qui ſibi perſuaſerant, deſputationẽ eſſe remedium adverſus iminentia mala, præcipue adverſus morbum comitialem: cui non hinc tantum eſt nomen inditum, quod in hominum frequẽtia ſæpius aboriatur, verum etiam quod prohibeat comitia fieri: & in admovẽdis remediis ter expuere, habebatur ſalutare. Velut etiam adverſus incantationes, ut refert Plin. Simili ſuperſtitione contra improbæ ſpei faſcinum, ter in ſinũ expuebant. Plautus: Et illic iſti qui ſputatur morbus venit. cui reſpondetur. Ain, verbero mihi eum morbum eſſe, qui me opus ſit inſputarier? Hic rurſus alter: Ne verere, multos multos illic morbus homines macerat, quibus inſputari ſaluti fuit, atque illis profuit. Idem in Amphitryone. Teque obſecro hercle, ut quæ locutus deſpuas.

Vates ſecum auferat omen.

In eos qui nobis dira minitantur, aut acerba prænunciant, conveniet illud Theocriticum in Bucoliaſtis:

Αὐτὰρ ὁ μάντις ὁ Τήλεμος ἐχθρ' ἀγορεύων
Ἐχθρὰ φέροι ποτὶ οἶκον, ὅπως παίδεσσι φυλάσσῃ.

Ideſt:

Telemus ac vates, mihi qui canit omnia dira,
Dira domum referat, quo natis illa reſervet.

Iurarat Cyclops per unicum oculum ſuum, qui videret omnia, ſemperque viſurus eſſet. At Telemus vates illi prædixerat fore, ut ab Vlyſſe excoularetur. Hoc omen Cyclops reiicit in vatem, & illius liberos. Ita Vergilius:

-- Quod dii prius omen in ipſum
Convertant.

Et rurſus:

-- Dii capiti ipſius generique reſervent.

Itidem Homerus Iliad. Δ.

Σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσι.

Simile illi Platonico, In tuum ipſius caput.

In capras ſylveſtres.

Κατ' αἶγας ἀγρίας. id eſt, in capras feras. Abominãtis eſt ſermo; & malum deprecantis, inque ſylveſtres capras avertẽtis. Confine illi, quod alibi dictum, εἰς Πύρραν: id eſt. In Pyrrham. Idem illi:

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

Vſus eſt adagione Athenæus libro Dipnoſophiſtarũ 2. Μυρτίλος δ' ἔφασκεν, ὥσπερ εἰς αἶγας ἡμᾶς ἀγρίας ἀποπέμπων τοὺς ζητοῦντας, Ἡγήσανδρον τὸν Δελφὸν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν αὐτῆς μνημονεύειν τῆς λέξεως. Id eſt: Nam Myrtilius aſſeverabat velut ad capras ſylveſtres nos relegans quærentes, Hegeſandrum Delphum in cõmentariis ſui, eius dictionis meminiſſe. Ad capras ſylveſtres, poſuit pro eo, quod difficilimum eſſet inventu, aut quod nuſquam eſt, Citaverat enim ex autore teſtimonium, quod mox Plutarchus negat apud illum extare. Ad hoc proverbium, opinor, alluſit Apuleius in Aſino, fingens Pſychen à Venere mitti ad arietes agreſtes.

Bæon malus piſcis.

Athenæus lib. 6. teſtatur apud Atticos fuiſſe proverbium: μή μοι βαιών, πονηρὸς ἰχθῦς. id eſt: Ne mihi Bæon piſcis nequam. Nec indicat uſum proverbii: tantum oſtendit apud Epicharmum βαίωνα dictum piſcem quendam: nomen inditum videtur a brevitate. Laudantur enim magni piſces. Dicetur in hoſpitem ingratum ac moleſtum.

Si quid mali in Pyrrham.

Εἴ τι πονηρόν, εἰς Πύρραν: id eſt, Si quid mali, in Pyrrham, ſubaudiendum, recidat, aut abeat, aut eiusmodi quidpiam. Ad hunc modum malum, ſi quod timeretur, deprecabantur abominantes, & in hoſtium caput imprecantes. Vnde & illa figura Græcis pariter ac Latinis ſcriptoribus familiaris, hoſtib. noſtris hoc eveniat. Ovidius

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

Idem in tertio de arte amandi:

Hoſtibus eveniat tam fœdi cauſa pudoris.

Idem lib 3. Faſtorum:

Eveniat noſtris hoſtibus ille color.

Idem lib. 2. Elegiarum:

Hoſtibus eveniat vacuo dormire cubili;
Hoſtibus eveniat vita ſevera meis.

Idem lib. 3. Elegiarum:

Eveniat noſtris hoſtibus ille pudor.

Rurſum Virgilius lib. 3. Georgic.

Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum:

Idem in 8. Æneid. de Mezentio:

--- Dii capiti illius generique reſervent.

Propertius:

Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Et Horatius in Odis:

Hoſtium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis auſtri.

Et Terentius in Heautontimorumeno, in Sene ſeipſum excruciante: An obſecro te, iſtuc inimicis ſiet. Idem in Eunucho: Vtinam ſic ſint qui mihi male volunt. Originem proverbii tradunt huiuſmodi. Quondam Pyrrhæos, quotquot erant finitimi, gravi odio perſequebantur: unde ſi quod malum aliquando videretur impēdere, id abominantes precabātur ut in Pyrrhæos averteretur, dicentes, εἰς τὴν Πυῤῥαίων: id eſt, In Pyrrhæorum regionem. Eſt autem Pyrrha, Lesbi inſulæ civitas, authore Stephano. Eſt & altera inter Prienem & Miletum. Neſcio an librariis ſit imputandum, quod Plutarchus in Convivio ſapientum pro Pyrrham refert Prienen. Verba Plutarchi ſic habent: καὶ ὁ Θαλῆς γελάσας εἴ τι κακὸν εἶπεν αὐθις εἰς πριήνην. διαλύσει γὰρ ὁ Βίας, ὡς διέλυσεν αὐτὸς τὰ πρῶτα. i. Ac Thales ridens: Si quid, inquit, mali, rurſus in Prienen. Solvet enim Bias, quemadmodum ſolvit prius. Mihi videtur loci nomen data opera mutatum, quod Bias eſſet Prienæus, ita loco Pyrrha mutata eſt in Prienen.

Procul auribus nuncius veniat.

—Ἀπ' οὔατος ἄγγελος ἔλθοι.

Id eſt:

Procul abſit nuncius aure.

Sermo deprecātis nuncium male auſpicatum. Suidas ex Callimacho citat. Homerus item Iliad. σ.

Αἲ γὰρ δή μοι ἀπ' οὔατος ὧδε γένοιτο.

Id eſt:

Iſta velim mihi ſint procul auribus. --

Abhorrentis ac deteſtantis.

Cum dicimus nos vehementer à vitio quopiam abhorrere, illud ex libro eodem uſurpare licebit:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν.

Id eſt:

Is mihi iuxta inviſus, ut atri limina Ditis.

Idem carmen extat in Iliados ι. ſub perſona Achillis, hic ab Vlyſſe dicitur.

Dulcis cubitus.

Γλυκὺς ἀγκών: id eſt, Dulcis cubitus. Abominantis eſt ſermo: aut cum aliud dicimus, aliud ſentientes. Plato in Phædro: γλυκὺς ἀγκὼν ὦ Φαῖδρε λέληθέ σε, ὅτι ἀπὸ τοῦ μακροῦ ἀγκῶνος τοῦ κατὰ τὸν Νεῖλον ἐκλήθη, καὶ πρὸς τῷ ἀγκῶνι λανθάνει σε ὅτι οἱ μέγιστοι φρονοῦντες τῶν πολιτικῶν, μάλιστα ἐρῶσι λογογραφίας καὶ καταλείψεως συγγραμμάτων: id eſt, Num Phædre fugerat te quod dulcis cubitus à longo illo, qui in Nilo eſt, cubito dictus eſſet? Quin etiam præter cubitum illud fugit te, quod qui rerum civilium ſunt peritiſſimi, conſcribendarum orationum, ac poſteris relinquendarum ſunt cupientiſſimi. Hactenus Plato. Ancon autem Nili pars eſt, in qua navigantes plurimum & ſudant & periclitantur. Vnde proverbio dicebatur κατ' ἀντίφρασιν, γλυκὺς ἀγκών: id eſt, Dulcis cubitus: quaſi deprecantes eius loci diſcrimina. Id autem perinde valet, quaſi dicas: εὐφήμει, id eſt: Bona verba, aut bene ominata loquere. Sunt qui à Comico Platone natum exiſtiment, is in fabula, cui titulus, Phaon, ſcenam facit amantem tibicinam, atque hæc loquentem: ὦ χρυσοῦν σὺ ἀλήθειον ὦ πᾶσιν ἡμῖν τρυφεροῖς τρόποις ὦ γλυκὺς ἀγκών. id eſt: O aureum amiculum: ò meis delicioſis morib. gratus cubitus. Suidas ſcribit Anconem Carthaginenſibus vocari domicilium obſcurum ac profundum, in quod contici ſolerent, ſi quibus indignaretur tyrannus. Præterea ſumma montium iuga, Ancones vocari. Denique præter alia gurgitem ac tumorem fluminis circa ripas propter anfractam & amnis repercuſſum. Anconem dici, à cubiti figura, ni fallor, ducta ſimilitudine: quod quibuſdā locis ripa excurrat, promineatq; ſpecie cubitali. Vnde & oppidis ac locis aliquot Anconis inditum eſt vocabulum, ut Anconi Picētinorum civitati, teſte Stephano. Item Ovid. lib. transform. ultimo:

--- Et ſpiſſi litoris Ancon. ut quidam legunt.

Valerius Argonauticōn lib. 4.

Quid memorem quas Iris aquas, quas torqueat Ancon?

Vnde non abſurde κατ' ἀντίφρασιν quis acceperit, ſicut placet Zenodoto. Nam alii putant per exclamationem dictum. Athenæus libro Dipnoſophiſtarum 12. oſtendit Anconem locum quempiam fuiſſe Sardis, voluptatum miniſteriis paratū: in quo popinæ, ſcorta, atque aliæ id genus deliciæ. Dulcis igitur Ancon. ob blandimēta voluptatum: ſed in eo complures naufragium faciebant, Idem indicat Polycratem apud Samios mulieres aliquot voluptatum architectrices inſtituiſſe, ad exemplum Anconis dulcis Sardorum: eumque locum Laura dictum fuiſſe, ſive Samiorum flores. Idem addit, Omphalem eius gentis reginam, per vim virgines dominorum cum eoru ſervis incluſiſſe ad ſtuprum, ne ſola haberetur impudica. Lydos autem cum locum in quo fœminæ conſtuprabantur, γλυκὺν ἀγκῶνα dixiſſe ſceleris atrocitatem verbo mitigantes. Vocem autem dictam putat ab eo quod illic gerebatur. Etymologus indicat ἀγκῶνα dici locum oſſibus durum, παρὰ τὸ ἐπάγχειν τὴν χεῖρα, id eſt, ab adducenda manu, velut ἄγχω, id eſt, frangendo: ſive ab ἄγχειν, id eſt, à præfocando. Heſychius adiicit, & murorum flexus ἀγκῶνας vocari. Breviter, quicquid in cubiti ſpeciem inflectitur, ἀγκὼν dicitur, quemadmodum ſunt & citharæ ancones.

Terra mihi prius dehiſcat.

M. Tullius Epiſt. ad Attic. 9. Aberit non longe, quin hoc à me decerni velit neq; ſit contentus Galba, Scævola, Caſſio, Antonio.

— Τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών.

Id eſt:

— Tellus ipſa mihi tunc ampla dehiſcat.

Eſt autem hemiſtichium Homericum ex Iliad. δ. Lucianus in Lapithis: καὶ τότε δὴ τὸ λεγόμενον, χανεῖν μοι τὴν γῆν ηὐχόμην. id eſt: Iamque iuxta id quod vulgo dici ſolet, optabā ut mihi terra dehiſceret. Ariſtides in Themiſtocle: οὐδ' ἠπόρει, οὐδ' ἐξεπλήττετο, οὐδ' εὔχετο αὐτῷ χανεῖν τὴν γῆν, οὐδ' εὐδαιμονίζει τοὺς πάλαι τεθνεῶτας. i. e. Neque perplexus erat, neque conſternabatur animo, neque optabat, ut ſibi terra dehiſceret, neque beatos dicebat illos qui iam olim fuiſſent defuncti. Et Vergil. in 4.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallenteis umbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor quam te violem, aut tua iura reſolvam.

Reiicientis culpam.

Adverſus eum qui mali ſui caſum alio reiicit, ita ut vulgo factitant, appoſite torquebitur illud ex Odyſſ. λ. dictum ab Elpenoris umbra qui temulentus perierat apud Circen.

Ἄσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος.

Id eſt:

Mi mala fata deum nocuerunt, viſque Lyæi.

Sic alibi Agamemnon diſſidii cauſam in Aten retorquet.

IVNII. *Velatis manibus orare.*

Pro ſuppliciter orare. Plautus. Sumptum ab antiquo more Oratorum, quo, qui pacem petituri venirent, ramum olivæ prætendebant. Velatas autem dictum pro vittatis.

BRASSICANI. *Laciniam obtinere.*

Cicero in 3. de Orat. Nam illud alterum genus, quod eſt temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atq; id ipſum Lacinia. Lacinia tantum obtinere dicuntur, qui rem non integrā intelligunt aut aſſequuntur. Plautus in Aſinaria, de amica amantem ægre dimittente: Lachrymantem Lacinia tenet. Politianus in epiſtola ad Donatum, proverbiali ironia dixit de hoſpite, quem videamur nolentes & inviti dimittere: Væ hominis togæ, væ laciniis.

IOAN. VLPII. *Ἔξω κακόν.*

Id eſt: Malum foras. eadem forma dicitur, qua ἔξω βούλιμον: id eſt, Foras famem. Tertul. uti licebit, quoties deprecari malum aliquod aut infortunium volumus, ut etiam exclamare ſolemus: Dii meliora. Sic enim Græcorum εὐφήμει circumloqui Cicero ſolet.

Ne dii ſiverint.

Fuit proverbialis deprecatio hæc veteribus: Ne dii ſiverint, vel ut Plautus ſæpe, ſirint, à ſino verbo ſubiunctivo. Eurychus in Mercatore: Ne di ſirint. Hoc Græci dixere, μὴ γένοιτο: id eſt, Abſit, Deus avortat.

Stomachus non fert.

Verſatur in ore omnium & hoc: Stomachus ſive animus, non fert. Nam ſtomachus inter alia multa, animum ſignificat: qui quemmodum facile eo cibo movetur a quo natura abhorret, ſic animus eas res maxime averſatur & abhorret, quas ſuæ naturæ contrarias eſſe ſentit. Stomachus moroſus facile faſtidio afficitur, & ciborum delectu eget: Sic animus ægre ferens quod ſecus accidit, ſi etiam conſolationem non admittit facile, moroſus eſſe dicitur, id eſt, δύσκολος. Cic. Epiſt. famil. lib. 2. ad Cælium ſcribens: Noſti enim non modo ſtomachi mei, cuius tu ſimilem quondam habebas, ſed etiam oculorum in hominum inſolentium indignitate faſtidium, id eſt, noſti animum meum præ faſtidio id ferre non poſſe. Plinius in epiſt. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium, aut ad ſuum facere: mei certe ſtomachi hæc natura eſt, ut nihil niſi totum & merum velit, id eſt, animi mei. Idem; Stomacho ſuo vivere, dixit: pro, ex animi ſententia. Cicero etiam ad Marium lib. 7. Non tui ſtomachi, dixit: pro eo quod dicimus, tibi minime placent. Contra Martialis dixit, Facere ad ſtomachum. Et Budæus libr. 3. De contempt. rer. fort. Ad ſtomachum autem facient, id eſt, ad animi æquitatem. Hoc enim aliquando ſignificat. Huic cognatum eſt, Cordi eſſe, id eſt, gratum & placitum.

DERISIO.

ERASMI. *Omnia præclara dicis.*

Socrates apud Platonem in Euthydemo, εἰρωνευόμενος ſuo more, quod adverſarius abſurda quædam collegiſſet, videlicet Socratem ſcire quod neſciebat, & rurſum neſcire quod ſciebat: ἔστω, inquit, ὦ Εὐθύδημε, τὸ γὰρ λεγόμενον, καλὰ δὴ πάντα λέγεις. i. Eſto ô Euthydeme, nam ut dici ſolet, omnia ſane præclara dicis. Marſilius pro Eſto

vertit En: eoque legiſſe videtur, non εἶεν ſed εἶν aut ἠνὶ, quod Græcis ſonat En, ut admirantis [illegible]. Putoque hanc fuiſſe germanam Platonis ſcripturam. Nam, Eſto, nihil facit ad præſentem ſententiam. Nihil enim concedit, ſed ut rem inauditam admiratur per irriſionem. ut omittam interim quod εἶεν magis eſt optantis quam concedentis. Plato aliis aliquod locis adagii titulo citat, Pulchre dicis: quod arbitror è poeta quopiam deſumptum. Nam apud Theocritum Praxinoe loquitur: ναὶ, καλῶς εἶπας. id eſt: Sic eſt, dixiſti pulchre.

E ſublimi me derides.

Ἀφ᾽ ὑψηλοῦ μου καταγελᾷς: id eſt, E ſublimi me derides. De eo qui cum faſtu ridet quempiam, ac deſpectim. Translatum ab iis, qui ex ædito verba faciunt. Vnde & deſpicere dictum à Latinis pro contemnere, quod quiſquis in eminenti loco eſt, is veluti tutior negligit eum, qui ſtat humiliore loco.

Ἐσκιμαλίχθαι.

Ἐσκιμαλίχθαι [illegible]. Hoc geſtu contumeliam, deſpectumque ſupremum ſignificabāt. Eſt enim Græcis ἐσκιμαλίζειν, medium digitum oſtendere, contractis cæteris, ignominiæ cauſa: aut ſtrepitu digitorum ſignificare contemptum. Vnde & apud Iuvenalem, quod alibi retulimus:

Mandaret laqueum, mediumque oſtenderet unguem.

Suidas citat ex Ariſtophane ſenarium hunc, extat autem [illegible]:

[illegible],
Καὶ τὸν [illegible].

Id eſt:

Annon vides, ut geſtiat falcis faber,
Mendioque monſtret ungue lancearium?

Quid autē proprie ſignificet ἐσκιμαλίζειν, qui ſcire cupiet, malo è Suida diſcat, quam ex me. Elegantius magiſque proverbialiter, ad fortunam, ad eruditionem, aut aliud quippiam, quod plane contemnitur, detorquebitur.

Naſo ſuſpendere.

Naſo ſuſpendere, eſt vafre ac ſubdole irridere. Plinius lib. 11. cap. 37. docet à ſuæ ætatis hominibus naſū ſubdolæ irriſioni fuiſſe dicatum. Nam apud veteres autores nihil huiuſmodi legitur. Verba Plinii ſubſcribam: & altior homini tantum (quem novi mores ſubdoli irriſioni dicavere) naſus. Horatius in Sermonibus:

-- Naſo ſuſpendis adunco.

Idem alibi:

-- Balatro ſuſpendens omnia naſo.

Perſius de Horatio, qui vafre recteque rideat:

Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Idem alibi:

Diſce, ſed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna.

Vnde naſuti vocantur, qui docte norint alios irridere.

Martialis.

Non cuicunque datum eſt habere naſum.

Idem:

Et pueri naſum rhinocerotis habent.

Idem rurſum:

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus.

Perſius:

-- Rides, ait, & nimis uncis
Naribus indulges. --

Græci ſimplici efferunt verbo, μυκτηρίζειν, ἀντιμυκτηρίζειν: id eſt, irridere; viciſſim irridere: ἀπὸ τοῦ μυκτῆρος, id eſt, naſo. Caſſius ad Ciceronem, libro epiſtolarum familiarium 15. Quoſque ubi ridiculo aut ſcommatico dicterio læſeris, velint ruſtice gladio ἀντιμυκτηρίσαι, id eſt, viciſſim naſo ſuſpendere.

Poſtica ſanna.

Perſius poſticam ſannam proverbialiter appellat clancularium irriſionem, à geſtu ridentium aliquem a tergo:

- Poſticæ occurrite ſannæ.

Idem:

O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec linguæ tantum, ſitiat canis Apula quantum.

Nam huiuſmodi geſtibus ab occipitio derident quidam.

In eo ipſo ſtas lapide, in quo præco prædicat.

Chryſalus ſervus in Bacchidibus Plauti, ſenem irridens, quem argēto defraudabat: O ſtulte, inquit, neſcis nunc vænire te. Atqui in eo adſtas lapide, ubi præco prædicat. Quadrabit ubi quis præſens, videns, audienſque, tamen deluditur. Nam vendi etiam hodie vulgo dicuntur, quibus fit impoſtura. Quod autem meminit lapidis, id traductum eſt à lapide quodam editiore, quem Romæ fuiſſe complurimum autorum teſtimonio conſtat, unde præcones in auctionib. res venales nunciabant. Vnde M. Tullius viliſſimos homunculos de lapide emptos appellat. De colono dictum eſt alibi.

Loripedem rectus derideat.

Et ſane quam elegans eſt, & plurimum habet figuræ proverbialis illud apud Iuvenalem:

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Quo conveniet uti, quoties aliquis id alii opprobat mali; cui ſit ipſe obnoxius, aut aliena caſtigat vitia, à quibus ipſe nō ſit immunis: perinde quaſi claudus claudo claudicationis vitium per contumeliam obiiciat. Oportet eum quam maxime vacare culpa, qui in alium paratus eſt dicere: & ſtultiſſimum eſt, in alium iacere, quod in ipſum poſſit retorqueri.

Quis enim tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Si fur diſpliceat Verri, ſi homicida Miloni?

Celebratur illud Leonis Bizantii; cui cum maledicus quiſpiam opprobraſſet vitium oculorum, ipſe gibbo deformatus: Humanum, inquit, convicium in me ieciſti, cum ipſe Nemeſim in dorſo portes.

EX APPENDICE ERASMI.

Μυκτηρίζειν.

Plinius docet à ſuæ ætatis hominibus naſum ſubdolæ irriſioni fuiſſe dicatum. Vnde dicti irriſores, naſuti: ipſa ars, naſus, & naſus Rhinocerotis vocabatur; & irridere, naribus uncis indulgere, μυκτηρίζειν, & ἀντιμυκτηρίζειν. Perſ. Marc. Cic. Habes proverb. ſup. Naſo ſuſpendere.

IVNII. *Cadaveris inſtar venuſtus.*

Χαρίεις ὥσπερ νεκρός. id eſt. Cadaveris modo venuſtus. Convenit in macilentum hominem, aut præ morbo luridum. Citant Ariſtophanis commentaria ex Theopompi popinonibus;

Λεωτροφίδης ὁ τρίμετρος,
Εὔχρως τε φαίνεται καὶ χαρίεις ὥσπερ νεκρός.

Id eſt:

Leotrophides ille trimeter
Colore vivido, & venuſtus ſcilicet
Inſtar cadaveris.

Fuit autem Leotrophides poeta dithyrambographus, genere Athenienſis, macilentus admodum & levis, de quo iocatus in Cercopibus fabula Hermippus. Apud Athenæum,

[illegible]
Λεωτροφίδου λεπτοτέρας καὶ Θουμαντίδου.

Id eſt:

At immolant tibi mutilas nunc bucculas,
Exiliores Leotrophide & Thumantide.

Conſimili dicterio Phrynichus comicus Lamprum quendē σκελετὸν Μουσῶν i. Sceleton ſive exarefactum Muſarum cadaver nuncupavit hoc verſu;

Μουσῶν σκελετός, ἀηδόνων ἠπίαλος, ᾅδου ὕμνος.

Id eſt:

Muſarum ſceletos, luſciniarum febris, inferorum hymnus.

Quæ etiam in illiteratum & invenuſtum poetaſtrum quadrabunt.

COGNATI *Perfuſus aceto.*

Speciem proverbii habet, Perfuſus aceto. i. ſalibus aculeatis, & mordacibus. Thomas Morus lib. 1. Vtopiæ, in dialogo fratris & morionis, alludens ad illud Horatianum ſat. 7. lib. 1. Sermonum;

At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,
Perſius exclamat.

Nam, is inquit (neque equidem miror) tali perfuſus aceto, ſic indignatus eſt, atque incanduit, ut nec a conviciis quidem potuerit temperare.

DESPERATIO.

ERASMI. *Actum eſt.*

Proverbialiter his verbis etiam hodie deſperationem ſignificamus, Actum eſt, Græci πέπρακται, Euripides in Hippolyto coronato;

Φεῦ φεῦ, πέπρακται, βασιλὶς οἴχεται [illegible].

Id eſt:

Eheu, peracta res, hera occidit palam.

Terent. in Eunucho: Actum eſt, ilicet, periſti. Donatus exiſtimat; Actū eſt, ſumptum a iure ilicet à iudicio, periſti, à ſupplicio. Nam hæc tria pariter verba incremento quodam indicant deſperationē. Quoniam autem fas nō erat reſcindere iudicum ſententiam, & eadem de re bis iudicium adipiſci, ut ait Terēt. vulgo receptū eſt, ut de negociis deſperatis actum eſſe diceretur; etiamſi poſtea repertum eſt, ut quidam per iudicem in integrum reſtituerentur. Aut certe ideo dictum eſt, Actum eſt, quod quicquid peractū eſt, [illegible] infectum eſſe non poteſt; iuxta proverbiales ſententias, quæ teſtantur ne Deo quidem permiſſum eſſe, ut quod factum ſit, efficiat infectum. Plautus: niſi quid rei præſidiū apparas, acta hæc res eſt: Certum eſt mori. Dicimus autem vel abſolute; Actū eſt; vel cum adiectione quapiam huiuſmodi; Actum eſt de republica, Actum eſt de tuis omnibus, Actum eſt de rebus humanis, Actum eſt de tua ſalute, ni vigilas.

Nullus ſum.

Proverbiales ſunt & illæ apud Comicos hyperbolæ, Nullus ſum; & Occidi, perii: quibus deſperationem & ingens malum ſignificamus. Euripides ex Iphigenia in Tauris;

Ἀπωλόμεσθ᾽, οὐκ ἔτ᾽ ἐσμὲν [illegible].

Id eſt:

Timidi, atque inertes ſunt nihil videlicet.

Rurſus in Iphigenia Aulidenſi:

Οὐδὲν ἦσθ', ἀλλ' ἐξεπλήσσου τῇ τύχῃ.

Id eſt:

Nihil eras, ſed perditum fortuna conſternaverat.

Opinor hoc ipſum eſſe, quod ex Platone citat Athenæus l. 10 *ὑμεῖς γὰρ οὐδὲν, κατὰ τὴν παροιμίαν*, id eſt: Vos quippe nihil, ut dicitur proverbio. quanquam hoc non ad exitum, ſed contemptum pertinet. Sumptum videri poteſt ab Homero, apud quem Odyſſeæ libr. 9. Ulyſſes fingit ſibi nomen *οὔτις*. i. nullus: innuens ſe propemodum periiſſe. Atq; hujus nominis commento deceptus eſt Cyclops.

Nullus ſum.

Sophocles in Antigona.

Ἄγοιτ' ἂν μ' ἐκποδὼν
Τὸν οὐκ ὄντα μᾶλλον ἢ μηδένα.

Id eſt.

E medio me abducite,
Qui non magis ſum quam ille qui jam nullus eſt.

Hac figura ſignificabāt exitium ſine ſpe recuperandæ ſalutis. Scio me alibi commemoraſſe, Fuimus Troes: &, Nullus ſum: ſed ob novatam ſermonis formam hoc adjicere libuit.

Pinus in morem.

Πίτυος τρόπον, id eſt, Piceæ ritu: Ubi quis funditus radicituſq; perit, ita ut nullo pacto reſtitui poſſit, piceæ ritu perditus dicitur. Nam piceam ſucciſam negant ſuppullulaſcere. Meminit hujus proverbii Stapnylus, citante Diogeniano, meminit & Suidas.

Perierunt bona.

Ἔῤῥει τὰ καλά, id eſt, Perierunt honeſta. Hippocrates Mindaro Lacedæmoniorum duci fuit ab epiſtolis: eo interfecto ab Athenienſibus. Hippocrates in Lacedæmonem hujuſmodi ſcripſit epiſtolam: *ἔῤῥει τὰ καλὰ, Μίνδαρος δ' ἀπέσσυται*, ſignificans interfectō ducerem eſſe deploratam. Adagium recenſet Diogenianus: hiſtoriam recenſet Xenophon in *παραλειπομένοις* libro 1. Græca ſenario conſtant:

Periere honeſta, Mindarus ſublatus eſt.

Ad reſtem res rediit.

Terentius in Phormione: Opera tua ad reſtim mihi quidem res rediit planiſſime. Hoc adagio ſumma rerum deſperatio ſignificatur. Nam in hac ſolent quidam amentes ad laqueum confugere. Iuvenalis:

Ferre potes dominam ſalvis tot reſtibus ullam?

Eodem pertinet etiam illud: Suſpendio deligenda arbor.

Suſpendio deligenda arbor.

In re vehementer indigna, neque ullo pacto toleranda, veteres arborem ſuſpendio diligendam eſſe dicebant. Inde natum quod olim in Theophraſtum philoſophum præcipuum, meretricula quædam, nomine Leontium, auſa ſit ſcribere. Plinius Secundus in præfatione Hiſtoriarum naturæ: Ceu verò neſciam adverſus Theophraſtum, hominem in eloquentia tantum, ut nomen divinum inde invenerit, ſcripſiſſe etiam fœminam, & proverbium inde natum, ſuſpendio arborem eligendam. Hactenus Plinius. Finitimum huic eſt illud apud Euripidem in Alceſtide:

Ἄξια καὶ σφαγᾶς τάδε,
Καὶ πλέον ἢ βρόχῳ δέρην
Οὐρανίῳ πελάσσαι.

Id eſt:

Heus iſta cæde digna ſunt,
Vel potius, ut laqueo gulam
Præfocet aliquis pendulo.

Plautus in Curculione: Mea præda illa eſt, Proin tu te in laqueum duas. Iuvenalis:

Ferre potes dominam ſalvis tot reſtibus ullam?

Et apud Plautum, qui vitæ tædio tenebatur, optat nummum quo reſtim emat. Quum hæc ederem anno 1525. fortè incidi in commētarios Cælii Rhodigini. Is dicit in hujuſmodi explicatione cæcutire multos, ac ſe iactat omnem difficultatem explicuiſſe: cum nec ulla ſit difficultas, & ſi qua eſſet, nihil explicent ea quæ commemorat de ſuſpendio crucis. Nec enim ſontes ſibi deligunt arborem, ſed aguntur in crucem. Cæterum qui cogitant de conſciſcenda nece, ſolent alii aliud ſuſpendii genus eligere: ut appareat illos hoc agere non impotentia mentis, ſed certo deſtinatoque conſilio.

Ad porcellum da mihi mutuo tres drachmas.

Εἰς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.

Id eſt:

Ad porcellum da mihi mutuo tres drachmas.

Dicebatur ab eo, qui mori decreviſſet, aut qui vellet initiari. Nam initiandi conſueverunt immolare porcum. Suidas ex Ariſtophane citat. Eſt autem in Pace:

Εἰς χοιρίδιόν μοι νῦν δάνεισον τρεῖς δραχμάς.
Δεῖ γὰρ μυηθῆναί με πρὶν τεθνηκέναι.

Id eſt:

Qui porcum emam mihi mutua nunc tres drachmas:
Initiandus ſum prius ac mortem oppetam.

A quinque ſcopulis deſilire in fluctus.

Ἀπὸ πέντε ἁλέσθαι πετρῶν εἰς κῦμα, id eſt, A quinque deſilire rupibus in undam. Hoc uſurpari ſolet ab iis, qui jam impatientes præſentium malorum, minantur ſeſe in quodvis potius malum præcipitaturos, quam ut perpetiantur. Confine nimirum illi, quod alias retulimus, Suſpendio deligendam arborem. Ad hoc alludit paſtor ille Vergilianus:

Præceps aerii ſpecula de montis in undas
Deferar, extremum hoc munus morientis habeto.

Omnibus armis præſidiiſque deſtitutus.

Hominem inermem, & omnibus deſtitutum præſidiis, indicabimus hoc verſu qui eſt Iliad. Φ.

Γυμνὸν ἄτερ κόρυθός τε καὶ ἀσπίδος, οὐδ' ἔχεν ἔγχος.

Id eſt:

Et clypeo ſimul & galea nudatus, & haſta.

IUNII. *Κυθνώδης.*

Κυθνώδης proverbiali ſpecie dicitur conclamatæ ſpei homo, qui funditus periit: quaſi dicas, Cythni inſtar perditus: a Cythni inſula, unius ex Cycladib. exitio, cujus incolas ferro flammaque hoſtiliter devaſtaſſe Amphitryō Thebanorum princeps perhibetur, teſte Heſychio. Habet autem aliquāto plus vehementiæ & energiæ ſingularis iſta vox quam apud Zenobium *Κυθνώδεις συμφοραί*.

COGNATI. *Femur ferire.*

Geſtus graviter indolentium & indignantium, ferire femur eſt: ut apud Homerum *ὀδυσ.* ν. de Matre (ſi rectè memini) filii necem comperiente:

Καί ῥ' ὤ πεπλήγετο μηρώ.

Idem *ἰλιάδ.* μ. & π. Sic Plutarchus in vita Fabii: Percuſſoq; femore. & in vita Pompeij, de piratis, qui metuere ſe ob captum Romanum ſibi ſimulatent: *τόν τε μηρὸν ἐπαίοντο*. & de Pompeio legis Maniliæ nuncium accipiente: *ὀφρῦς λέγεται συναγαγεῖν, καὶ τὸν μηρὸν πατάξαι* Plautus in Milit.

Ecce autem avortit, nixus læva, in femore habet manum.
Dextera digitis rationem computat, feriens femur.

Quintilian. libr. 2. cap. 12. Femur, pectus, frontem cædere, mire ad pullatum circulum facit. Ovid 11. Metamor.

Et conata femur mœrenti plangere dextra.

Pro eo Cicero ad Attic. libro 1. frontem ferire, videtur dixiſſe. Et notus eſt locus Ciceronis pro Quint. Gellio, ubi M. Calidium et atrocia crimina obiiciētem, ita redarguit: Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percuſſa, non femur, pedis, quod minimum eſt nulla ſupploſio: ex Ciceronis Bruto, & Quintilian. lib. 11. ca. de pronūciatione Proverbia a geſtu corporum ducta: quorum alterum nempe Ferire frontem, inter ſua collocavit Eraſmus noſter. Licet etiam huc aſcribere illud Cicer. Tuſculan. 3 Muliebres lacerationes genarum, pectoris, feminum, capitis percuſſio. Plautus in Mil. glor. Digitis rationem computat, feriens femur dextrum. Idem in Trucul. Dentibus frendit, icit femur. Vide infra, Capiti capillos evellere.

Non ſum apud me.

Proverbiales hyperbolæ ſunt & illæ: Non ſum apud me, Mihi non conſto, Nunc animus ardet. Lætitia emorior, Dolore diffluo: & hujuſcemodi plures aliæ. Accius in Conſobrinis, referente Soſipatre:

Non ſum apud me: en lentus, lenteque te rogabo.

Cic. De fin. bon. & mal. lib. 2. Nam & ille apud Trabeam voluptatem animi nimiam, lætitiam dicit, eandem quam ille Cæcilianus, qui omnib. lætitiis lætum eſſe ſe narrat. Et paucis interjectis: Modo intelligas inter illum qui dicat (C. Ticidam intelligit)

Tanta lætitia auctus ſum, ut mihi non conſtem:

& eum qui,

Nunc demum mihi animus ardet:

(quorum alter lætitia geſtiat, alter dolore crucietur) eſſe illum medium;

Quanquam hæc inter nos nuper noticia admodum eſt.

Qui poſtremus verſus eſt Terentii in Heautontim. Non diſſimilis eſt hæc Enniani, quam Cicer. libro De orat. 3. citat:

Tum pavor ſapientiam mihi omnem ex animo expectorat.

Capiti capillos evellere.

Sunt proverbia affectuum animi indicia, quæ ducuntur ex corporis partibus, ſive illæ ſua ſponte, & nobis invitis moveantur, atque immutentur, ut cū metu palleſcimus, horremus, obmuteſcimus, ſive noſtra voluntate, ut cum in dolore & mœrore caput percutimus, frontem aut femur ferimus: de quibus ſuperius ne bis dictum eſt. Geſtus quoque graviter indolentium & indignantium eſt, capillos vellere. Homer. *ἰλ.* κ.

Ἐξέρυσεν δ' ἐκ κεφαλῆς προθελύμνους ἕλκετο χαίτας.

Sic Attius de Agam. Scindens dolore identidem intonſam comā. Lucianus in vocalium judicio: *τοῦ θῆτα κεκραγότος, καὶ τῆς κεφαλῆς τὰς τρίχας τίλλοντος, ἐπὶ τῷ τῆς κολοκύνθης ἐστερῆσθαι*. id eſt, Audiris vociferati θῆτα, & capiti capillos evellere, eo quod *τῆς κολοκύνθης* eſt, cucurbita privatum eſt. Evellere ſibi capillum præ luctu, Cicer. 3. Tuſcul. dixit. Ob eandem cauſam, caput pulvere conſpergimus, *ὀδυσ.* ω. de Laerte. *ἰλ.* σ. De Achille.

Quod

Quod periit, periit.

Plautus in Ciſtellaria: Quod periit, periit. Idem alibi: ego illum periiſſe duco, cui periit pudor. id eſt, pro perdito habeo. Catullus ad ſeipſum:

> Et, quod vides periiſſe, perditum ducas,

Aute. Quod præteriit, levius eſt: &, Factum infectum fieri non poteſt. Non diſſimile:

> Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Quid moraris emori?

Suſpendio eligenda arbor. Catull. ad ſeipſum, de Struma & Vatinio,

> Quid eſt Catulle, quod moraris emori.

Vale atque ſalve.

Salutandi ſuo etiam Græcis mos erat. Theocritus in epigrammatis:

> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]

Avere autem, & valere eos ferè jubebant, quos amplius viſuri non erant. Hoc opinor, & Plautus ſignificans in Curcull. Ego, inquit, abeo, vale, atque ſalve. Et virg.

> ——Salve æternum mihi maxime Palla,
> Æternumque vale.——

Sic in veteribus quoq; monumentis: Dulcis ave & vale Domina. Catullus in inferiis ad fratris tumulum:

> ——Frater ave atque vale;
> Heu miſer indigne frater adempte mihi.

Ademptum verò, vita defunctum intelligunt poetæ. Ovid. in 4. Faſtorum, in eandem ſententiam.

> Oſculaque adplicuit poſito ſuprema feretro,
> Atque ait, invito frater adempte mihi.

Idem:

> Jure igitur lacrymas Celſo libamus adempto.

Eraſmus noſter annotavit, χαῖρε φίλον φῶς. i. Vale charum lumen: ex Ambroſio.

Nulla ſpes.

Idem ibidem:

> Nulla fugæ ratio, nulla ſpes, omnia muta,
> Omnia ſunt deſerta, oſtentant omnia lethum.

Corn. Gallus in antepenultima elegia,

> His egomet ſtimulis augebar ſemper, & ardens
> Languebam, nec ſpes ulla ſalutis erat.
> Non eſſes utinam natus, celebſve periſſes.

Hector accuſans & acerrime traducens fratris ſui Paridis degenerem imbellemque animum, adeo ut ne vultum quidem aut congreſſum hoſtis ſui ſuſtineret adſpicere, cui tamé ante hoſpitali jure violato uxorem eripuerat: hoc illum verſu deteſtatur. Optaret ergò potius non naſci eum, vel abſque nuptiarum fœdere aut jure ullo periſſe, quam eo prorupiſſe temeritatis & flagitii, ut alienum thorum invadendo ſibi dedecus & exitium, hoſtibus gaudium, patriæ devaſtationem & excidium parétibus luctum & indigna ſuorum funera peperiſſet. Atq; hanc ſententiam ſæpiſſime exclamavit Cæſar Auguſtus fortuna deſtitutus [illegible], videns domum ſuam liberorum nepotumq; ac neptium probris & flagitiis fœde dehoneſtari. Nam, referente Suetonio, ad omnem Agrippæ & Juliarum métionem hoc verſu infelicitatem ſuam teſtatus eſt. etſi mutata perſona apud eundem, ὄφελον legatur. Retulit enim ad perſonam ſuam: eoque forte non male accentu mutato ſic legi poſſet.

> Αἴθ' ὄφελον ἄγονός τ' ἔμμεν' ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι.

Quanquam priorem lectionem, ut aptam nolim contemnere: In uſum trahemus, cum pertæſi liberorum ignaviam, aut noſtram in ſobole educanda atque inſtituenda infelicitatem ſtomachádo deplorabimus. ſicq; poterit Auguſti mutatio ὄφελον competere, præſertim ubi ſeorſum id facimus & ſine arbitris. Alias cum aperte liberos deteſtamur, ſocordia & flagitiis eorum offenſi, timentes famæ, bonis, & vitæ: non erit perſona mutanda. Poterit etiam ab aliena, vel matrefamilias, dici in hominé peſtifera & flagitioſa ſobole dehoneſtatum.

> [illegible]

Heroicus verſus ex oraculo quodam Apollinis, quo poſt ſacroſanctum Evangelium Chriſti per Apoſtolos promulgatum interitum ſuum deplorat, & oracula abolitum iri. Extat auté apud Euſeb. lib. de Perenni philoſophia 3. Nos ſic reddimus:

> Heu tripodes lugete, periit præſagus Apollo.

Quo tempeſtive utemur hac noſtra ætate, ſignificaturi, exploſum iri omnem barbariem, ſophiſtarumque garrulitati tandem ſilentium imponendum invecta politiorum literarum luce, & liberalium honeſtarumque artium & diſciplinarum admiſſis paſſim & in precio habitis profeſſoribus. Ut enim Apollo ſe conſulétes ambiguis & perplexis reſponſis illuſit, incertioresque domum remiſit quam adeuntes acceperat: ita barbari ſuos alúmnos inanibus Ixionis umbris & figmétis Archigene indigentibus miſere torſerunt. Horum tripodes cum ſuis authoribus omnibus ex ſcholis tandem aliquando profligatum iri, Dei benignitate inductis honeſtarum artium ornamentis, certiſſima ſpes eſt. Licebit etiá in hæretico vibrare, ſic loquendo: Hæreticorum & impoſtorum tripodes tandé conticeſcent, ut illi Delphici. Plangent ſuos tripodes Anabaptiſtæ ab Eccleſia exturbati, non ſecus ac Apollo Delphicus. Huic non diſſimile eſt, ſed eiuſdem plane ſenſus, aliud eiuſdem, quod etiam volui proponere:

> Οἴμοι χρησμῶν ὑπολείπεται ἀγλαὸν φέγγος:

Id eſt:

> Heu reſponſorum nobis lux deficit alma:

Quod ipſum quoq; iocoſe iacietur in Dialecticos barbaros, & omnes cuiuſcunque ordinis veteris inſcitiæ releras: quib. eo magis omnia placent, quo ſunt magis ſordida, impura, diſſoluta, & ab omni elegantiæ cultu magis aliena. Eorum ſcriptis & nugis, quibus nobiliſſima ingenia olim excruciabant, & plane deterrebant, cum indicabimus ſubſannando nihil hodie eſſe contemptius, & vilius: dicemus, χρησμῶν ὑπολείπεται ἀγλαὸν φέγγος.

DIFFICVLTATIS.

ERASMI. *Non eſt cuiuslibet Corinthum appellere.*

> Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

Id eſt:

> Non eſt datum cuivis Corinthum appellere.

Vetuſtum iuxta, ac venuſtú adagium de rebus arduis, & aditu periculoſis, quaſq; non ſit cuiuslibet hominis affectare: Inde natum q; (ut refertur apud Suidam) nec facilis, nec ſatis tutus ſit nautis in Corinthiacum portum appulſus. Nam Strabo libro Geographiæ octavo, alio refert originé proverbij, nempe ad luxum & meretrices Corinthiorum. Oſtendit enim Corinthum, quod Iſthmo eſſet, duosq; haberet portus, alterum adverſus Aſiam, alterum Italiæ oppoſitum, negociatorum frequétia locupletiſſimum fuiſſe. In eadem templum fuiſſe Veneri ſacrum, adeoque locupletatum, ut plus mille puellas haberet, quas Corinthij Veneri conſecrarant, ut in eius honorem proſtárent. Itaque harum gratia frequés in urbem multitudo undique confluebat, unde civitas maiorem in modum ditabatur: quin etiam negociatores hoſpites ac nautæ, propter urbis luxum deliciasque immoderatos ſumptus facientes exhauriebantur. Atque hinc manaſſe vulgo proverbium: Cuiuslibet non eſt Corinthum appellere. Horatius, & A. Gellius in Laidem, nobile ſcortum, referunt adagium. Nam ille in Epiſtolis ad hunc modum ſcribit:

> Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt.
> Non cuivis homini contingit adire Corinthum.
> Sedit, qui timuit, ne non ſuccederet.---

Ad Ariſtippum videlicet alludens, quem Laidi conſueviſſe notum eſt, & ita conſueviſſe, ut gloriaretur ſe unum habere Laidem, reliquos haberi a Laide. Hic, nempe Gell li.1. c.8. ex Phocione Peripatetico huiuſmodi refert hiſtoriam: Lais, inquit, Corinthia, ob elegantiam venuſtatemque formæ grandem pecuniam demerebat. Conventusque ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant, neque admittebatur, niſi qui dabat quod popoſcerat. Poſcebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc aiunt natum eſſe illud frequens apud Græcos adagium:

> Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

Quod fruſtra iret Corinthum ad Laidé, qui non quiret dare quod poſceretur. At hanc ille Demoſth. clanculum adit, & ut ſui copiam faceret, petit. At Lais μυρίας δραχμάς, i. 10 drachmarum millia popoſcit. Tali petulantia mulieris, atq; pecuniæ magnitudine ictus, expavidusq; Demoſth. avertitur, & diſcedés. Ego, inquit, pœnitere tanti non emo: οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν. id eſt. Non emo decem drachmarum millib. pœnitudinem. Alii malút in genere ad omnes Corinthior. meretrices referre, quarum rapacitatem etiam vetus comœdia taxavit. Ariſtophanes in Pluto:

> Καὶ τάς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς Κορινθίας,
> Ὅταν μὲν αὐτάς τις πένης πειρῶν τύχῃ,
> Οὐδὲ προσέχειν τὸν νοῦν, ἐὰν δὲ πλούσιος,
> Τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τοῦτον τρέπειν.

Quos equidem verſiculos haud gravater Latinos facere, ſi quam ſunt elegantes, tam eſſent etiá verecundi. Strabo meminit apophthegmatis cuiuſdam meretricis, ex quo licebit earum avaritiam conijcere. Nam cum matrona quædá cuipiam huius ordinis probro obiiceret inertiá, quod nihil ageret operis nulloque lanificio exerceretur: Imo, inquit, ego illa qualiſcunq; ſum iam ternas telas exiguo temporis ſpatio pertexui. Mihi tamé nó videtur abſurdú, ſi parœmia referatur ad periculoſam in Corinthum navigationem de qua meminit eodem in lib. Strabo. ut hinc poſtea derivata ſit ad alios uſus. Paraſitus ille Comicus eleganter detorſit proverbium,

> Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐπὶ δεῖπνόν ἐσθ' ὁ πλοῦς.
> Adire menſam, haud hominis cuiuslibet.

Citatur autem à Stobæo, ex Nicolao quodam poeta comico. Meminit & exponit hanc parœmiam & Euſtathius, enarrans navium catalogum, additque eam imitatam ex illo verſu Sophocleo.

> [illegible]. id eſt:
> Non à modeſtis navigatur huc viris.

Extat hic verſus, cuius meminit Euſtathius apud Sophoclem in Philoctera. Proinde duplex erit uſus adagii: vel cum ſignificamus rem eſſe maiorem, quam pro viribus eius qui conatur aggredi: veluti ſi quis parú felici natus ingenio, parumq; viatico inſtructus, deſtinet ſequi literas: aut qui ſit imbecilli corpuſculo, Paulos & Antonios ſtudeat æmulari, vel quoties aliquis negocium pa-

rum

& obſcurum, ſcribit Plautus earum literas. Illud in eum quadrare, Has præter Sibyllam leget nemo. Eſt autem hic locus in Pſeudolo Plautina: vbi quidam literas ab amica ſcriptas irridens, notulis malè concinnatis, cujuſmodi ſunt ſcripturæ muliebres: Quæſo, inquit, hæ literæ ſibi liberos habent. [illegible] Has quidem pol credo nemo niſi Sibylla legerit, interpretari alium poſſe neminem. An obſecro hercle, habent quoque gallinæ manus? Nam has quidem gallina ſcripſit.

Azaniæ mala.

Ἀζανία κακά, i. Azaniæ mala Dici ſolitum, vbi quis in re perdifficili & infrugifera plurimum ſumeret laboris. Aut vbi res eſſet cuipiam cum homine difficili, moroſo, intractabili, tenaci. Tradunt Azaniam regionem quampiam eſſe Arcadiæ, ſterilem & culturæ inhabilem, in qua coloni multo ſudore parum fructus referunt. Hic fermè tradunt a Græcarum parœmiarum collectoribus. Cæterum Stephanus de nominibus vrbium, veluti fontem aperit nobis hujus adagii. Siquidem is complures refert Azanias. Vnam quæ ſit Arcadiæ pars: in hac fontem quempiam eſſe, cujus aquam, qui guſtarit, huc vſq. adeò à vino abhorrere, vt nec odorem ferat. Alteram Maſſiliæ, tertiam Phrygiæ: cujus mentionem fecerit etiam Strabo lib. Geographiæ 12. De hac Hermogenes, citante Stephano, hujuſmodi quandam narrat fabulam. Cum illic frequentes eſſent vlulatus ruſticorum, orta ob ſterilitatem agrorū fame, collecti paſtores rem divinam fecerunt, fertilitatem a diis petentes. Cæterum cum dii non audirent illorum vota, perduraretq; agrorum ſterilitas, Euphorbus è paſtoribus quidam novum [illegible] genus excogitavit. Immolavit enim [illegible], quod Phrygum lingua ſonat, vulpem & echinum. Hac hoſtia placatis diis, agros feraces eſſe cœpiſſe: quod vbi finitimis paſtoribus eſſet cognitum, Euph[illegible] ſacerdotium & imperium detulerunt. Poſt hoc nomen com[illegible]tum eſt, proque Azania, [illegible] vocatum, quod perinde ſonat Phrygio ſermone, quaſi Græce dicas, [illegible]. Hactenus hujuſmodi fermè Stephanus, ex quibus conjectari licet, ex ea fabula natam parœmiam.

Capere provinciam. Tradere provinciam.

Tradere provinciam figura proverbiali dicuntur, qui negotii aliquod curandum committunt. Capiunt ſuſcipiuntve provinciam, qui rei curandæ onus in ſe recipiunt. Metaphora ſumpta eſt à conſuetudine Romanorum, apud quos qui magiſtratum gerebant, provincias alias alii ſortiebantur. Exempla paſſim apud autores obvia ſunt. Terentius in Seipſum excrucianti: Videlicet ille Cliniæ ſervus, tardiuſculus eſt: idcircò huic noſtro tradita eſt provincia. Idem in Phormione: O Geta provinciam cepiſti duram. Plautus in Ciſtellaria: Abi tu, abi directus in tuam provinciam. Officium illi delegatum, provinciam vocat.

Capere civitatem.

Plato in eodem dialogo ſignificat proverbio dici ſolere, Capere ſive expugnare civitatem, qui rem difficilem eſſet aſſecutus. Neque enim civitas primo ſtatim impetu capitur. Illic hoſpes animat Theætetum, vt quod inſtituit, perſequatur: eo quòd qui ad leviores difficultates aut hæret, aut ceſſit, nunquam aliquid perficiet in eo quod eſt diſputationis caput. Verba Platonis ſic habent: [illegible] id eſt. Conſiderare oportet Theætete, fore vt qui vel pauxillum aliquid potuerit, ſemper vltra progrediatur. Quid enim factu ut ſit in aliis, qui in [illegible] animum deſponderit: aut nihil in illis efficiens, aut retrocedere compulſus: haud vnquam ille talis, vt aiunt, quod dicitur, ſceperit. In bello facile eſt in excurſionibus, aut pagorum incendiis aliquid deſignare, at munitas vrbes expugnare, perdifficile eſt. Simile eſt illud: Timidi nunquam ſtatuerunt tropheum.

Omnes laqueos effugere.

In eodem dialogo non diſſimilem huic allegoriam adducit, vetuſto proverbio jactatam: Difficile, omnes laqueos effugere. Quod ipſum a venatu tranſlatum eſt, in quo ſic vndiq; ſepiuntur exitus, vt neceſſe ſit feram in aliquas inſidias incidere: [illegible] id eſt: Siquidem rectè habet proverbium, quod dicitur, haud facilè eſſe omnes laqueos effugere.

Trabs in omnibus.

Δοκὸς ἐν πᾶσι πεποίηται, i. Trabes in omnibus facta eſt. Videtur hemiſtichium ex poeta quopiam: quo ſignificatum eſt, nihil eſſe tam certum, quin obſtet ſcrupulus, cogens nos ad exactiorē rei conſiderationem. De trabe in oculis [illegible] Evangelium. Porrò Græca vox δοκὸς, anceps eſt ad trabem, quam δοκὸς malunt ſonare, & ad conſiderationem, quam δόκος. Notum eſt illud Socratis, φρόντιζε, id eſt: Sollicite conſidera. Proverbium refert Galenus de differentiis pulſuum lib. 3. Translatum apparet ab aratione, quam difficilem reddit trabs ſubinde occurrens in arvo proſcindendo.

IVNII. *Gravius quam ſit Troiam capere.*

De re factu minime proclivi, ſed imprimis difficili & ardua vſus eſt proverbialis ſenarii ex Eubuli comici Amalthea:

Τοῦτ' ἔστ' ἐκείνῳ μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν.

Id eſt:

Id cuiq; gravius, Ilion quam vincere.

Troja opulentiſſima copioſiſſimaq; Aſiæ vrbe, & multarum gentiū viribus ſubnixa, ægrè, nec niſi aſtu poſt decennalem obſidionem Græci potiri potuerunt: vnde jocus Fimbriæ Romani (qui reædificatam Trojam, ſed priori impotem, intra vndecimum diem cepérat poſteà) gloriantis, totidem dieb. à ſe captam Trojam, quot annis à tota Græcia domari olim nequiverit. Eleganter ad animum transferetur, ſi dicamus: Animum vitiis addictum ſenare operoſius, quam Trojam capere, μεῖζον ἢ Τροίαν ἑλεῖν, vel ita: Trojam citius expugnes, quam avaritia obſeſſum animum.

Amnis curſum cogere.

Βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ, id eſt, Amnis curſum inhibere. Proverbium dicitur de eo qui duram & difficilem rem aggreditur, & quaſi impoſſibilem: aut qui vitiis innutritum, ad viam virtutis revocare conatur: aut qui naturam invitam atque repugnantem alio compellit. Nazianzen. ad Eudoxium rhetorem: [illegible] id eſt: Proverbium docet, amnis alveum non eſſe ſiſtendum: & poeta vult, equitandi peritum non canere. Quo cujuſque ducit ingenium, eo applicare ſe debet: malè namque coactum ingenium reſpondet. Pulchre ſe habuit olim Athenienſium lex, quæ juvenes prius quam pubertatis annos attingerent, ad opificii delectum ducebant, propoſitis publicè artium omnium inſtrumentis. In eam namque artem erudiendi tradebantur, ad quam natura impulſu ferebantur propenſius. Laudat & Fabius certum ſtudiorum delectum facere, quod eo quo natura vocat, duci ingenia conſultum ſit: neque enim feliciter ſuccedit, quicquid extortum & invita Minerva tentatur.

Scaperdam trahere.

Σκαπέρδαν ἕλκειν proverbialiter dici annotat Euſtathius Iliad. γ. quicquid durum ſit & difficile, Ita enim ſonant ejus verba: [illegible]. Natum à ludicro contentionis genere, quod ita deſcribit idem author & Heſychius, nec non & Pollux Onomaſtici lib. 9. Collocatur in circo trabs, humanam ſtaturā altitudine exæquans, perforata, per foramen trajecto fune, è cujus extremitate religantur vtrinq; adoleſcentes duo averſi, qui valido niſu adurgentes alter alterum in ſublime attrahere ſatagunt: quo certaminis genere victoriam reportat, qui ſupremo ſtipiti alterum admoverit. Itaq; à laborioſo molimine attractionis & adverſarii retractionis, σκαπέρδα de difficili & moleſtiæ pleno labore effertur: vt σκαπέρδαν ἕλκειν, id eſt, Scaperdam trahere dicatur, qui duram ſuſceperit provinciam.

Vmbræ me prohibent,

Τῆλέ με εἴργουσι ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων.

Id eſt:

Meque abigunt vmbræ, larvalia ſpectra virorum.

Verba ſunt Patrocli, in ſomnis Achilli conquerentis ſe excludi ab inferis propter denegatum ſibi humationis officium, apud Homerū Iliad. penultimo. Euſtathius annotat quadrare, vbi quis impedimentum accipit in negocio quopiam in vilibus & nullius penſi hominibus: potiſſimeque ſi macilenti fuerint illi ipſi, & ſqualore obſiti: veluti quū docto homini negotium faceſſunt artiſtæ & inepti magiſterculi, ne extra ſe Ariſtotelis alteriuſve rari in Philoſophia authoris librum publicè legat. Torquebitur & in ſtrigoſos & exangues, vmbris pallore ſimiles: cujuſmodi apud Ariſtophanem Samytion tragœdus, Melitus, & Cineſias traducuntur, quos à poetis ad cœtum poetarum apud inferos degentium legatos fuiſſe fingit, ἀιδοφοῖτας eos nominans.

Habenas ignarus non tractet.

Μὴ θιγῇς ἡνιῶν παιδίον νήπιος ὤν.

Id eſt:

Ne frena tractes inſcius quum ſis puer.

Quadrabit, quum à negocio quopiā arduo deterrebimus ei provinciæ imparem. Extat apud Clementem Pædagogi tertio: μὴ θιγῇς ἡνιῶν παιδίον νήπιος ὤν, μηδ' ἀναβῇς τὸν δίφρον ἐλαύνειν μὴ μαθών, id eſt, Ne tractes habenas fili regendi imperitus, nec currum conſcendas aurigandi neſcius. Apparet alicunde ſūmptū è tragœdia quapiam, vbi Phaetontem filium deprecatur pater, ne exitiale votum vrgeat, ſibiq; perniciem acceſſat, regendo ſolis equos. Vnde apud Ovidium Metamorph. 2. Sol filium alloquitur, paternos currus depoſcentem:

Magna petis Phaeton, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Plus etiam quam quod ſuperis contingere fas eſt,
Neſcius affectas, ———

Senex ſatiſciens.

Homericos verſus, qui Iliados θ. leguntur, quibus Neſtorem admonet Diomedes vt prælio excedat, ſuumque vehiculum conſcendat, proverbiales eſſe annotat ibi Euſtathius:

Ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί·
Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει.
Ἠπεδανὸς δέ νύ τοι θεράπων, βραδέες δέ τοι ἵπποι.

Id eſt:

Caſſe ſenex, juvenum te bellica dextra laceſſit.
Fractus es (& vires conſumptæ abiere) ſenecta:
Cornipedes curſu tardi, væcorſq; miniſter.

Torqueri poterunt in hominem juventæ flore præclarum artificem, qui ſenectutis vitio defectus paria cũ junioribus facere poſthac nequeat. Quadrabit in præceptorem ætate confectũ atq; fatiſcentẽ, qui diſcipulo victus ſuccumbat in literario ſtadio: ſi ſubſtituas pro voce μαχηταί, quæ bellatores ſonat, dictionem μαθηταί, id eſt, diſcipuli, hoc modo:

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαθηταί.

Id eſt:

Caſſe ſenex, ſuperat te dextera diſcipulorum.

Præterea in rhetorem ſenio gravem, cui non perinde, vt olim juveni, fluat lacteum & vber eloquentiæ flumen, huic enim occinere illud licebit:

Ἠπεδανὸς δέ νύ τοι θεράπων, βραδέες δέ τοι ἵπποι.

Id eſt:

Cornipedes tibi ſunt tardi, ſegniſq; magiſter.

Ut per equos tardigrados, verborũ ſegne pondus innuamus, quæ nõ amplius alata, juxta Homericum epitheton, ferantur, ſed torpide ac ſubiulcim quodamodo promanent: at miniſter allegoricè denotet mentẽ ipſam, cui non amplius acumen & vigor ille igneus conſtat, neq; ſublimia appetit, ſed humi propemodum repit.

Camelus pyrrhicham didicerit.

Ἡ κάμηλος πυῤῥίχην ἔμαθε Κινησίου.

Id eſt:

Pyrrhicham Cineſiæ camelus didicerit.

Locus erit adagio, vbi quis repugnante natura & genio aggreditur quippiam: veluti ſi ſtipes quiſpiam literis operam dare velit, aptior tractandæ ſtivæ, huic enim dicetur:

Diſcit camelus pyrrhicham Cineſiæ.

Fuit Cineſias poeta prælongus, tardo immobiliq; corpore, quippe tiliæ arboris aſſerculis circummunitio adgreſſus firmitatem, ac proinde ad ſaltandũ pyrrhicham, tripudii genus velocis, inepto. Pyrrhicha namque Laconum inventum ab armatis adoleſcentibus obiri ſolebat, ad comparandum velocitatis habitum: quippe qua in bellis maximè opus ſit, cum ad perſequendum hoſtem, tum ad fugã evadendum, ſi cõtingat inferiores obtinere. Ariſtophanis interpretes ſcribunt, Cineſiam poetam pyrrhicham compoſuiſſe, ad quã decurſus modulatus fieret, lege carminis conflata ẽ brevib. fermè pedibus, qui vel inde, vel ab ignea mobilitate pyrrhichii dicuntur: iidem & κινησίαι, vel ab authore, vel à mobilitate, vt à Diomede grammatico ſcriptum eſt. Alluſum videtur adverſum Ariſtophanis in Nebulis:

Ἢν πυῤῥίχην τίς ἔμαθε τὴν Κινησίου;

Id eſt:

An Pyrrhicham Cineſiæ quis edidicit?

Gratiæ multum accedet adagio, ſi paululum deflectatur, hoc modo: Camelus citius pyrrhicham Cineſiæ didicerit, quam talis caudex literas. Eſt enim Camelus, animal ſaltationi ineptum: tametſi nomen illi quaſi κάμμηρος à femorum incurvatione eſſe velit Evanus apud Artemidorum. Neque abſurdus ejus vſus erit, quando ſignificabimus ſub inſtitutione viri literati, ſtupidum diſcipulum plurimum profeciſſe: ſub tali enim præceptore Camelus Pyrrhicham Cineſiæ didicit.

BRASSICANI. *Nodus Gordius.*

Proverbium de re prorſus inexplicabili dicitur. Auſonius ad Paulum:

Ocyus illa jugi fatalis ſolvere lora
Pellæum potuiſſe ducem reor, abdita opertis
Principiis, & vtroq; caput cælantia nodo.

Idem in præfatione Biſſulæ: Nec tu Alexandri Macedonis pervicaciam ſupergreſſus, qui fatalis jugi lora cum ſolvere non poſſet, abſcidit. Qu. Curtius in exordio libri tertii: Alexander vrbe in ſuam ditionem redacta, Jovis templum intrat, vehiculũque quo Gordium Midæ patrem vectum eſſe conſtabat, aſpexit, cultu haud ſanè à vilioribus vulgariſque curribus abhorrens. Narrabile erat jugum, aſtrictum pluribus nodis, in ſemetipſos implicatis & celantibus nexus, Incolis deinde affirmantibus, editam eſſe oraculo ſortem, Aſiæ potiturum qui inexplicabile vinculum ſolviſſet, cupido inceſſit animo ejus ſortis implendæ. Nequaquam igitur luctatus cum latentibus nodis: Nihil, inquit, intereſt quomodo ſolvantur: gladioq; ruptis omnibus loris, oraculi ſortem vel eluſit, vel implevit.

Teucrum Pacuvii ediſcere.

Cicero in primo de Oratore: Mallem ediſcere Teucrum Pacuvii: de re magni negocii, & in qua conficienda oporteat ingentem laborem inſumere. Pacuvii Teucrum ſæpe citat Nonius Marcellus. Eſt autem veriſimile, poema hoc fuiſſe arduum, & ex pari difficile, quod memoriæ non facilè mandari potuerit.

COGNATI. *Plura ſunt negocia, quam vocabula.*

Ulpianus lib. Pandect. 19. tit 5. de præſcript verb. cap. 4. Natura, inquit, rerum inductum eſt, vt plura ſint negocia, quam vocabula. Huc pertinent, quæ de fingẽdis novis vocabulis præclarè explicat Cicero libr. 3. De finibus bonorum & malorum, circa principium. Seneca quoque libro ſecundo De beneficiis, dicit, plures eſſe res quam verba.

Nodus ineſt.

Hoc eſt, robur & firmamentum. Elegans metaphora ab arboribus ducta, quæ qua ex parte ſunt nodoſæ, difficulter cuneis perrumpi poſſunt. 10. Æneid.

—Primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnæ nodumq; moramque.

Supra, nodum ſolvere pro eo quod eſt, negocium impeditum conficere.

Sphingas negocia faceſſit.

Σφιγγὶ πράγματα παρέχειν πολλά: hoc eſt, Multa Sphingas negocia faceſſere. Tritum ſermone proverbiũ apud Græcos de iis, qui multas quæſtiones habent abſurdorum ænigmatum. Dictam verò Sphinga grammatici putant, παρὰ τὸ σφίγγειν, quod mentes hominum ſuis ambagibus conſtringat.

Scrupoſa.

Quia difficilia ſunt & aſpera, translatè ac vulgò dicuntur ſcrupoſa. Tranſlatio à viis. Scrupi autem dicuntur ſaxa aſpera: ex quo ſcrupoſam rem dicimus quæ aliquid habet in ſe aſperitatis. Solent enim ſcrupulus eſſe moleſtis ambulantibus Lucret. lib. 4.

Nunc alii ſenſus quo pacto quiſque ſuam rem
Sentiat, haud quaquam ratio ſcrupoſa relicta 'ſt.

Hoc non diſſimile eſt illi quod Eraſmus noſter retulit: Scrupulum injicere.

Eſt operæ non mediocris.

Ibidem: Nobis autem orantibus vt diſputationem illam referret, primo quidem recuſabat: eſſet enim operæ non mediocris.

Quæ pulchra, difficilia.

Plato in Hippia majore: Proverbium dicit, quod pulchra difficilia ſunt.

Puteo incluſus.

Plato in Theæteto: Puteo quod dicitur incluſus.

Varium animal, non altera manu duntaxat apprehendendum.

Ibidem: Cernis verum eſſe quod dicitur, varium hoc animal eſſe (vtiq; proverbio fertur) non altera manu duntaxat apprehendendum. Utraq; igitur vti oportet, & pro viribus ſic agendum, vt ejus veſtigium percurramus.

Omnes effugere difficile.

Ficinus in Sophiſta: Scite namque proverbio dicitur, omnes effugere difficile eſſe. Eraſmus noſter inter difficultatis, item elabendi adagia recenſet, omnes laqueos effugere. Hieronymus in procemio in Euſebii Chronicõn: Nec ignoro, inquit, multos fore qui ſolita libidine detrahẽdi omnibus, quod vitare non poteſt, niſi qui omninò nihil ſcribit, huic volumini genuinum dentem infigant. Calumniabuntur enim tempora, convertent ordinem, res arguent, ſyllabas ventilabunt.

Bonum manere, difficile eſſe.

Plato in Protagora: Pittaci proprium hoc dictum circumferebatur à ſapientibus celebratum: bonum manere, difficile eſſe. Simonides hoc proverbium refellere voluit.

COELII RHODIGINI. *Non ſi te ruperis.*

Εἰ διαῤῥαγείης. Ad tumorem & levitatem reprimendam. Deſumptũ ẽ fabulis. Taurus, bibens, ranunculos aliquod obtriverat. Unus trepidans ad matrem fugit: narrat fratrum exitium, à neſcio quo immani exculcatos eſſe. Illa volens videri aliqua filio, tumeſcere cœpit: Ecquid, inquiens, tanta fuit perniciialis bellua? at ille: Multo, inquit, te major. Illa magis inflari ac magis, donec ille rurſum filius, Non, ſi ruperis, par vnquam futura es.

DIFFERENTIÆ ET DISSIMILITVDINIS.

ERASMI. *Longe lateque.*

Cum ingens diſcrimen ſignificant, longè lateq; diſtare dicunt. Aulus Gellius: Sic exiſtimo, niſi me ſcriptoris iſtius, omniſque antiquæ orationis amor atque veneratio, cæco eſſe judicio facit, longè lateque eſſe amplius, prolixius, fuſius in ſignificanda totius civitatis multitudine mortales, quam homines dixiſſe. Citantur in Pandectis hæc ex Ulpiano: Si vſus fundi ſit relictus, minus vtique eſſe quam vſum fructum, longè lateque diſtare nemo dubitat. Translatum videtur ab agrorum menſoribus.

Quiſquis fuerit.

Quemvis citra ullam exceptionem hominem indicabimus hoc verſiculo, qui eſt in eodem libro:

Ὃς θνητός τ' εἴη, καὶ ἔδοι Δημήτερος ἀκτήν.

Id eſt:

Qui modo mortalis ſit edens cerealia dona.

Veluti ſi quis dicat humanas leges alibi alias eſſe, cæterum legem naturæ omnium eſſe communem: εἰς θνητὸς ὢν.

Pilus in medio.

Minimum diſcriminis ſignificantes dicimus pilum intereſſe: id vehementius eſt, quam ſi dicas culmum latum. Theocritus in Thyonicho:

Ἀμῶν δ' ἁμὲς τῶν θρὶξ ἀνὰ μέσσον.

Id eſt:

At me imprudentem capiet veſania tandem
Vix pilus in medio eſt.——

Verba ſunt amantis, ac metuentis ne tandem amor exeat in inſaniam: à qua tam parum abſit, ut vix pilus ſit in medio. Conſimili tropo Plaut. dixit in Muſtel. Pluma haud intereſt, patronus an cliens probior ſiet. Homini cui nulla in pectore eſt audacia. Non intereſt plumæ, dixit pro, nihil omninò refert. Aſinius Pollio, M. Ciceroni. Nullum enim veſtigium, abs te, diſceſſurus ſum.

Myſorum ac Phrygum termini diſcreti ſunt.

Strabo lib. Geographiæ 12. regiones quaſdam commemorat interſe finitimas: puta Phrygum, Bithynorum, Myſorum, Dolonum. Item qui juxta Cyzicum accolunt, Mygdonum ac Trojanorum. Neminem autem inficias ire, quin una quæq; ſuis finibus ſit circumſcripta. Verum eos fines ad amuſſim dijudicare, id neutiquam facile. Porrò de Phrygus ac Myſis proverbium quoq; vulgo jactatum fuiſſe verſibus trimetris.

Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα·
Τὸ δὴ διορίζειν χαλεπόν.

Id eſt:

Sunt ſeparati Myſorum termini,
Phrygumq; ſed finire, perquam eſt arduum.

Hujus rei cauſam adducit, quod hi populi non ſatis ſtabiliter tutati ſint ſuas ſedes, ſed ſubinde aliunde alio depulſi, terminos incertos reddiderint. Plin. lib. 5. Myſiam in Phrygia collocat. Plutarchus in Ὑγιεινοῖς παραγγέλμασι: χωρὶς γὰρ ἔφη τὸ Φιλοσόφων καὶ ἰατρῶν ὥσπερ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα, id eſt: Separatam enim ajebat eſſe philoſophorum ac medicorum profeſſionem, non aliter ac Myſorum ac Phrygum fines. Manent in hodiernum diem paſſim id genus de finibus gentium rixæ, longa ſerie temporum omnia confundente. Adagio licebit uti, de rebus toto genere inter ſeſe diſſidentibus: veluti ſi quis ſentiens longè aliud ſpectare philoſophū, aliud oratorem, dicat: χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν. Aut de hominibus inter quos nihil conveniat, nihilque commune intercedit, ut apud Euripidem Achilles:

Χωρὶς τ' ἐμὰ καὶ Ἀγαμέμνονος.

Id eſt:

Separatæ ſunt res meæ à bonis Agamemnonis.

Sejuncta ſunt Merrhæ ac Siloam fluenta.

Χωρὶς τὰ Μερρᾶ καὶ Σιλωὰμ ῥεύματα.

Id eſt:

Sejuncta ſunt Merrhæ ac Siloam flumina.

De lōgo intervallo diſſitis inter ſeſe: veluti ſi quis dicat, inter amicum & adulatorem plurimum intereſſe. Finitimum illi, χωρὶς τὰ τῶν Μυσῶν καὶ Φρυγῶν, id eſt, Separatæ ſunt poſſeſſiones Myſorum & Phrygum. Apparet neotericum eſſe proverbium: & haud ſcio an ab Apoſtolo additum ex literis Eccleſiaſticis. Siquidem Merrha vocatur locus, in quo Moſes aquas peſtilētes & amaras, injecto ligno, dulces reddidit ac ſalubres. Cæterum ad aquas Siloam miſſus à Jeſu cæcus Evangelicus, quo viſum reciperet. Unde apparet ſalutares fuiſſe, diſſimillimas aquis Merrhæ.

Δὶς διὰ πασῶν.

Δὶς διὰ πασῶν, id eſt: Bis per omnia. Hoc proverbio diſcrimen ingens ac longiſſimum intervallum ſignificabant. Unde quæ pugnantiſſima inter ſeſe viderētur, totoq; diſſidere genere, ea δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſcrepare dicebant. Lucianus in lib. De conſcribenda hiſtoria: καὶ τὰ τῶν μουσικῶν δὴ τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν ἐστὶ πρὸς ἄλληλα: hoc eſt. Denique juxta muſicorum proverbium, δὶς διὰ πασῶν intervallo ſeſe mutuo reſpiciunt. Idem in Apologia: ἀλλά μοι ἐκεῖνο σκόπει ἤδη, ὡς πάμπολυ τὸ μέσον ἀμφοῖν, εἰ ἐς οἰκίαν πλουσίου τινὸς ἀπογραψάμενον δουλεύειν, καὶ πάντα ὑπομένειν ἅπερ φησὶ τὸ βιβλίον, ἢ δημοσίᾳ πράττοντα τὰ κοινὰ καὶ ἐς δύναμιν πολιτευόμενον, ἐπὶ τούτῳ παρὰ βασιλέως μισθοφορεῖν. διελθὼν οὖν καὶ ἰδίᾳ ἑκάτερον ἐξέτασον· εὑρήσεις γὰρ τὰ τῶν μουσικῶν δὴ τοῦτο, δὶς διὰ πασῶν τὸ πρᾶγμα, καὶ τοσοῦτον ἐοικότας ἀλλήλοις τοὺς βίους, ὅσον μόλυβδος ἀργύρῳ καὶ χαλκὸς χρυσῷ, καὶ ἀνεμώνη ῥόδῳ, καὶ πιθήκῳ ἄνθρωπος. μισθοφορεῖ γὰρ δὴ κἀκεῖ καὶ κἀνταῦθα, τὸ δὲ πρᾶγμα παμπόλλην ἔχει τὴν διαφωνίαν, id eſt: Quin illud mihi jam conſidera, quam maximo hæc inter ſeſe diſcrimine diſtare, videlicet in opulēti cuiſpiam ædes adſcriptum, ſervire ſervitutem, & ea omnia perferre, quæ libellus ille meus cōmemorat, & publicè populi negociū gerentem, ac pro virili rempub. adminiſtrantem, hoc nomine ab Imperatore ſalarium accipere. Age perpende hæc, & utrunq; per ſe privatimq; contemplare. Reperies nimirum juxta illud muſicorum proverbium, δὶς διὰ πασῶν negocio diſcrimen ineſſe: & has duas vitæ rationes tantū inter ſe convenire, quantum affinitatis eſt plumbo cum argento, æri cum auro, anemonæ cum roſa, homini cum ſimia. Nam merces quidem accipitur, & illic, quemadmodum hic quoq; & utrobiq; cōtingit, ut alii ſubjectus pareas: cæterum ipſius negocii nō mediocris eſt diſſonātia. Hactenus Lucian. Adagium, ut is etiam indicavit, ex arte muſica mutuo ſumptū eſt. Nam Macrobius commentario in Somniū Scipionis 2. quinq; ſpecies harmoniarum commemorat: διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, & δὶς διὰ πασῶν. Ex compoſitis harmoniis διὰ τεσσάρων & διὰ πέντε, conſtituitur, διὰ πασῶν: cui nominis hoc inditum eſt, quod abſolutam reddat ſymphoniam, ut mihi videatur huc etiam illud reſpicere proverbium, quod alio loco commemorabimus, ἅπαξ εἶπεν. Similiter Plutar. & quicunq; veterum, vel apud Græcos, vel apud Latinos de muſicæ diſciplina cōſcripſerunt, harmoniarū metam figunt in ea, quæ vocatur δὶς διὰ πασῶν. Boetius item libr. De muſica primo, tradit, antiquitus harmonicam rationē heptachordo duntaxat cōſtitiſſe, hoc eſt fidibr. 7. quarum ima ὑπάτη, dicebatur, ſumma νήτη. Deinde alias chordas adjicientibus aliis, ita crevit vocū numerus, ut ad duplicatū heptachordū perveniretur. Atq; hic progrediendi finis futurus videbatur, niſi quod ipſa ſymphoniarū ratio μέσην illam, quæ in heptachordo locū nomini congruētem obtinuerat, & utroq; ad extremam relata chordam, harmoniam διὰ τεσσάρων, edebat, deſiderare videretur. Hac igitur adjecta, & in ſuū immiſſa locum, ad quindecim chordas perventum eſt: quarum extremam alteram, προσλαμβανόμενον dixere, alteram νήτην ὑπερβολαίων. Ita fit, ut μέση utroq; relata, reddat harmoniam διὰ πασῶν: rurſum extremarum utralibet ad μέσην relata, eandem conſtituat harmoniā. Porrò ſumma relata ad imam, ſymphoniam reddat, quam vocant δὶς διὰ πασῶν: propterea quòd hæc, qua dixi ratione, bis cōplectatur eam harmoniam, cui nomen διὰ πασῶν. Quoniam autem, hac ſinē conſtitit harmonica ratio, nec ulterius procedere licuit, tractū eſt in popularem ſermonē, ut quæ longiſſimo diſcrimine, inter ſe diſſita eſſent, ea, δὶς διὰ πασῶν diſtare dicerēt: perinde quaſi dicas adeò ſejuncta, ut magis ſejungi non queant. Cui ſimillimum illud, ἐκ διαμέτρου, id eſt, ex diametro. Verum quoniam velut imprudentes noſtriq; pene dixerim obliti, paulò altius muſicam ingreſſi ſumus, quā operis inſtituti ratio poſtulabat: libet obiter & illud ſubnectere, quod equidem arbitror nec admodum vulgò cognitum, nec injucundum ſcitu fore. Etenim cum hæc meis illinirem commentariis, forte fortuna ſupervenit Ambroſ. Leo Nolanus, philoſophus hujus tempeſtatis eximius, & in perveſtigandis diſciplinarum myſteriis, incredibili quadam diligentia ſolertiaq; præditus: neq; verò mediocriter exercitatus evolvēdis & excutiēdis utriuſque linguæ ſcriptoribus. Is igitur poſteaquam ſcribēti ſub, nobis interveniſſet, recitatis iis, quæ jam ſcripſeram: Vereor, inquam, Ambroſi, ne vulgus hoc muſicorum huic adagio noſtro, δὶς διὰ πασῶν, negocium faceſſat, obſtrepatq; ac protinū δὶς διὰ πασῶν à mea diſcrepet ſententia, quippe qui non dubitarint harmoniarum limitē vel ad vigeſimum vocis gradum proferre. Quare tu problematum autor, & muſices non modo ſcientiſſimus, verum etiam peritiſſimus, hoc mihi paucis, niſi moleſtum eſt, expedias velim, quam ob cauſam antiquitas tantopere metuerit ultra decimā quintam chordam vel tantillum progredi, ut etiam proverbio res ea jactata fuerit: aut qui factum ſit, ut hi neoterici non vereantur tanto ſpacio ſymphoniarum proferre pomœria, prætentiſq; veterum metis, & quemadmodum dici conſuevit, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδῶντες, non vereantur etiam ad vigeſimam chordam procedere. Ad quæ ille familiariter arridēs: Næ tu, inquit, homo es plus ſatis diligēs, ut quē hoc quoq; ſolicitum habeat, quid cantorū συμποσία de tuis ſentiant Adagiis. Quanquam ad propellendas muſicorum calumnias unus ille ſat erat clypeus, te vetus adagium referre. Id utiq; conveniebat cum veterum muſicorū, à quibus dictum eſt, ratione quadrare. Verum tamen ut tibi magis quam illis faciam ſatis, quid ego ſuper hac re vel obſervarim, vel ſentiam, paucis accipe. Principio quæ res commoverit recentiores muſicos, ut antiquitatis limites præterierint, ipſe ſanè viderint. At equidem duplicē video cauſam, quamobrem antiquitas in δὶς διὰ πασῶν conſiſtendū duxerit. Primum, quod ipſa natura videatur hanc ſymphoniarum veluti metam præſtituiſſe: quippe quæ modū hunc humanæ tribuerit voci, ut ad decimum quintum modo gradum intendatur: ultra quem ſi quis conetur progredi, non jam illa vox genuina, ſed coacta, facticiaque, & gannitus magis, quam vox videatur. Rurſus, ſi altius nitaris eam deprimere, protinus à ratione vocis in ſcreatum quempiam degeneret. Proinde cum ubique conveniat, artem quoad licet naturæ reſpōdere, non abs re mihi videntur veteres iiſdē cancellis circumſcripſiſſe rationem artis, quibus natura vocem humanam circumſcripſerat. Satis erat ad perſuadendū hæc, opinor, cauſa, quanquam altera magis urget. Ea eſt hujuſmodi: Scis eſſe apud Boetium lib. De muſica 4 harmoniam muſices, non ratione tantum, verum & ſenſu perpendi oportere. Quapropter Ptolemæus apud hunc, quo dixi libro, Pythagoricorum quorundam ſententiā rejicit, qui in dijudicandis harmoniis plurimum tribuerint rationi, minimum ſenſui: cum dicerent ſenſum ſemina modo quædam cognitionis miniſtrare, at ratione perfectā conſtare ſcientiam. Rurſum Ariſtoxeni refellit opinionem, qui plus ſatis tribuerit ſenſibus, perpuſillum autem rationi: cum muſicam harmoniam ita temperatam eſſe oporteat, ut neque ſenſui ratio refragetur, neque ſenſus

ales rem aliquam ſanè quam indiligenter curare ſolent, nondum in lucem emerſerunt. Quanquam hæc ipſa quæ extant, tametſi ne edita quidem ab ipſo, planè divinitatem quandam hominis præ ſe ferunt. Verum ne videar homo Germanus immodico patriæ ſtudio cæcutire, Hermolai Barbari Veneti, de eo epitaphiũ ſubſcribam, elegantiſſimum profectò, & de quo dubites, utro ſit dignius, ipſone qui ſcripſit, an hoc quem eo exornavit. Eſt autem hujuſmodi:

Invida clauſerunt hoc marmore fata Rodolphum
  Agricolam, Friſii ſpemque decuſque ſoli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
  Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Quæſo qđ noſtro Rodolpho potuit amplius, aut omnino magnificentius contingere, quam teſtimoniũ tam ſplendidum, tam plenum: idq; redditum non vivo, ſed jam vita defuncto? ne quis ab amore magis quam à judicio profectum cauſari poſſit. Deinde non à germano, ne quid patriæ communis ſtudium elevet teſtimonii pondus. Denique ab eo viro, qui non ſolum Italiam ſuam, verum etiam omne ſeculum hoc noſtrum illuſtravit: cujus tanta eſt apud omneis eruditos autoritas, vt impudentiſſimũ ſit ab eo diſſentire: tam inſignis in reſtituendis literis vtilitas, vt aut à literis omnibus alieniſſimus, aut certè ingratiſſimus habeatur, apud quem Hermolai memoria nõ ſit ſacroſancta. His itaque tam plenis, tamque abſolutis viri laudibus, equidem fateor me peculiarius etiam atque impenſius favere, quod mihi admodum adhuc puero contigit, vti præceptore, hujus diſcipulo Alexandro Hegio Vueſphalo, qui ludum aliquando celebrem oppidi Daventrienſis moderabatur, in quo nos olim admodum pueri vtriuſque linguæ prima didicimus elementa: vir, vt paucis dicam, præceptoris ſui ſimillimus: tam inculpatæ vitæ, quam doctrinæ non trivialis: in quo vnum illud vel Momus ipſe calumniari fortaſſe potuiſſet, quod famæ plus æquo negligens, nullam poſteritatis haberet rationem. Proinde ſi qua ſcripſit, ita ſcripſit, vt rem ludicram, haud ſeriam egiſſe videatur. Quanquam vel ſic ſcripta, ſunt ejuſmodi, vt eruditorum calculis immortalitatem promereantur. Itaq; in hanc digreſſionem non temere ſum exſpatiatus: non quo glorioſè Germaniæ laudes jactarem, ſed vt grati diſcipuli vicibus fungerer, & vtriuſque memoriæ debitum officium vtcunque perſolverem: propterea quod alteri, velut filii debeam pietatem; alteri, tanquam nepotis charitatem. Nunc ad adagium, quod me quondam puellum Græcanicæ linguæ rudem adhuc didiciſſe memini ex epiſtola quadam longè doctiſſima Rodolphi mei, qua, quidem ille ſenatui Antverpienſi, ſumma cum fide, tum facundia ſuadere conatur, vt ludo literario præficiant aliquẽ, qui bonas literas didicerit, nec vti ſolent, infanti theologo, aut phyſico id muneris committant: qui cũ ſe quacunq; de re dicere poſſe confidat, ipſũ dicere quid ſit, ignoret. Quid enim is faciet in ludo literario? Profectò, vt Græco diverbio vtar, id ipſum quod canis in balneo. Lucianus adverſum ineruditum: καὶ τῶν ὁρώντων ἕκαστος εὐθὺς τὸ πρόχειρον τοῦτο ἐπιφθέγξεται, τί κύων καὶ βαλανείῳ; id eſt, Atque vnuſquiſque conſpicientium protinus illud vulgò tritiſſimũ in te jaciet: Quid cani cum balneo; Item in Paraſito: καὶ ἐμοὶ γε δοκεῖ ἐν συμποσίῳ φιλόσοφος τοιοῦτος εἶναι οἷον ἐν βαλανείῳ κύων, id eſt: Ac mihi mea quidem ſententia tale quiddam videtur philoſophus in convivio, quale canis in balneo. Quadrabit in eos, qui ad rem quampiam prorſus ſunt inutiles, ita vt in balneo nullus eſt omnino canum vſus.

Nihil cum amaracino ſui.

Atq; ei continenter ſimile quoddam ſubnectit: Nihil cum amaracino ſui, hoc eſt: ſtolidis vel optima putent, diſplicentq;. Amaracus herbæ genus, Siculorum lingua à Cynaræ Cyprii regis ejuſdem nominis filio dictum: quem in hanc herbam converſum fuiſſe, fabulis proditum eſt. Cæterum Servius in primum Æneidos, ſcribit Amaracum puerum fuiſſe regis vnguentarium: qui caſu lapſus dum ferret vnguenta, majorem confuſione odorem creàvit: vnde & optima vnguenta amaracina dici cœperint, hunc poſtea in herbam amaracum fuiſſe converſum. Eadem dicitur & ſanſucum, & aliis atq; aliis nominibus: vt autor eſt Dioſcorides in 3. libro, aitque gratiſſimi eſſe odoris, atque totam odoratam. Plinius lib. 13. cap. 1. inter vnguenta nobilia & amaracini facit mẽtionem, refertque quondam in Coo fuiſſe laudatiſſimum: poſtea eodem in loco prælatum Melinũ: deinde docet variis vnguentis admiſceri ſanſucum, quemadmodum & Telino: quin etiam ex ſimplicis amaraci ſucco nobiliſſimum vnguentum confici. Idem l. 21. cap. 22. ſcribit in Cypro ſanſucum laudatiſſimum & odoratiſſimum naſci, ejuſq; varia oſtendit remedia: atq; ex eo oleum quoque fieri quod amaracinum ſeu ſanſucinum vocetur. Cum igitur hujuſmodi ſit amaracinum, contra ſue nihil immundius, nihil fœdium amantius (quamobrem dixit Vergilius:

Immundi meminere ſues. —

Præterea Flaccus:

— Vel amica luto ſus. Et: — Lutulenta ruit ſus:) nihil profectò minus convenit roſtro ſuillo, quam deliciæ vnguentariæ: quippe cui id demum dulce olet, quod cœnũ olet. Maximè quod inter vnguenta peculiari quadam naturæ proprietate amaracinum inimicum eſt ſuillo generi, ita vt illis veneni inſtar ſit: ſi quidem credimus Lucretio, cujus in ſexto libro hi ſunt verſus.

Deniq; amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Unguentum: nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt.

Suem olim Ægyptii vſque adeò ſpurcam ducebant, vt ſi quis vel tranſiens contigiſſet, continuò properaret ad flumen, ſe pariter ac veſtem ablturus. Subulcos etiam indigenas adeo inviſos haberi, vt nec in templa recipiantur, nec ad matrimonium aut affinitates admittantur. Autor Herodotus lib. 2. Ad hoc adagium alluſiſſe videtur M. Tullius, cum ait, Illi alabaſtrus vnguenti plena putet: id eſt, optima pro peſſimis diſplicent. Simile quiddam dici poſſet de ſcarabeo, cui vnguentum pro ſtercore eſt, oletum pro vnguento: id quod vulgo quoque dici ſolet, propemodum innuit Plutarchus in commentario, in quo Stoicorum dogmata cum poetarum dictis componit: λέγεται τοὺς κανθάρους τὸ μύρον ἀποδιδράσκειν, τὰ δὲ δυσώδη διώκειν, id eſt: Ajunt ſcarabeos vnguentum fugere, graveolentia ſectari.

Nihil ad verſum.

Οὐδὲν πρὸς ἔπος, id eſt, Nihil ad carmen. De iis qui longè diſcrepant ab iis, quæ propoſita ſunt. Translatũ videtur à ſcena, vbi hiſtrio ſaltatu geſtuque, carminis genus repræſentat. Et haud ſcio an alius fuerit qui recitaret verſus, alius qui geſticularetur. Apparet enim vnum aliquem fuiſſe recitatorem, cujus eſt illa vox in calce Comœdiarum: Calliopius recenſui. Nec alioqui video quorſum pertineat, quod admonet Cicero, ab hiſtrione deligi fabulam, ad quam natura ſit appoſitus, quod in prologo Comœdiæ Terentianæ, qui prologum dicit, queritur clamoſas fabulas ad ſe deferri, minus laborioſas ad alios. Quod ſi ſaltatio parum reſpondiſſet ad numeros carminis, ajebant: οὐδὲν πρὸς ἔπος. Lucianus in Philopſeude: οὐδὲν πρὸς ἔπος ταῦτά φησι, οὐδὲ περὶ τούτων ἠρόμην, id eſt, Iſta nihil ad carmen, vt dici ſolet, neq; enim de iis interrogabam. Qui in choreis nõ reſponderet ad numerum ſaltationis cum ἀῤῥύθμως appellabant: isq; ἄρρυθμος dicebatur. Andreas Alciat. hoc ſeculo nõ modo juris Cæſarei, verumetiam omniũ ſtudiorũ decus, nec minus ſuſpiciendus ob rarum quendam ingenii candorem, quam ob exactam omnium liberaliũ diſciplinarum peritiam, libro Diſpunctionum ſuarum 2. conſentit quidem mihi in ſenſu vſuq; proverbii, cæterum de origine nonnihil diſſentit: mavultque ab oraculis eſſe natũ, quæ quondam carmine reddebantur, præſertim heroico, cujus inventor fuerit Pythius Apollo. Græcis autem ἔπος dicitur, quod ἕπεται τὰ πράγματα τοῖς χρησμοῖς: i. quod res oraculis reſpondeant. Hanc enim etymologiam adfert Euſtathius in princ. Iliad. Homericę: vnde probabilius eſſe judicat Alciatus noſter, quoties evenirent quæ promiſſis aut propoſito non quadrarent, dici ſolitum: οὐδὲν πρὸς ἔπος. Vſus eſt eo Ulpianus in Pandectis lib. 11. tit. de interrogatoriis actionibus, cap. 11. Quod autem ait prætor, omnino non reſpondiſſe, poſteriores ſic acceperunt, vt omnino non reſpondiſſe videatur quid ad interrogata non reſpondit, id eſt, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Suidas indicat nonnunquam vſurpari, οὐδὲν πρὸς ἔπος, pro temere, ac de nihilo, ſive abs re. Adducit hos verſus ex poeta, neſcio quo:

Οὐδὲν πρὸς ἔπος οὕτως ἂν εἰκῆ τοῦτ᾽ ἐκβαλῶ,
Πρὶν ἐκπύθωμαι πᾶν τὸ πρᾶγμ᾽ ὅπως ἔχει.
Id eſt:
Adeone temerè & inſcienter efferam,
Prius atq; rem omnem vt ſeſe habet cognovero?

Prior verſus Græcus conſtabit, ſi legas pro οὕτως, χ᾽ οὕτως. Uſurpavit idem Ariſtophanes in Concionatricibus: quem locum retulimus proverbio, Extra cantionem.

Nihil ad fides.

Οὐδὲν πρὸς τὴν χορδήν, id eſt, Nihil ad chordam. In eos quorum vita vehementer eſt inæqualis, quorumve mores ab oratione diſſident. Lucianus De ſaltatione: καὶ μηδέν, ὥς φασι, πρὸς τὴν χορδήν· ἕτερον γὰρ ὁ πούς, ἕτερον δ᾽ ὁ ῥυθμὸς λέγει, id eſt. Nihil ad chordã, vt dici ſolet: nam alia pes, alia loquitur rhythmus. Idem in meretriciis: [illegible], id eſt, Et quod pes probè reſponderet ad citharam. Plutarchus in commentario De verecundia: καὶ τοι οὐ διὰ τὴν τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀσυμφωνίαν, ὡς Πλάτων ἔλεγε, καὶ πόλεις πόλεσι καὶ φίλοι φίλοις διαφερόμενοι, ἔσχατα δρῶσί τε καὶ πάσχουσιν, ἀλλὰ διὰ τὴν περὶ τὰ νόμιμα καὶ δίκαια πλημμέλειαν, id eſt: Haudquaquam ob id quod pes à lyra diſſentiat, ſicut ait Plato, civitates, cum civitatibus, amici cum amicis confligentes, extrema tum faciunt, tum patiuntur: ſed quod circa leges atque æquitatem peccetur. Locus autem, quem citat Plutarchus, eſt in li. De legib. 7. ἀποδιδόντας πρόσχορδα τὰ φθέγματα τοῖς φθέγμασι, τὴν δ᾽ ἑτεροφωνίαν καὶ ποικιλίαν τῆς λύρας, ἄλλα μὲν μέλη τῶν χορδῶν ἱεισῶν, ἄλλα δὲ τὴν μελῳδίαν συνθέντος τοῦ ποιητοῦ, καὶ τὰ λοιπά, id eſt, Reddentes voces cum lyræ ſono concordes. Porrò vocis dicrepantiam diverſitatemque quoties alios modos ædunt chordæ, alios is qui cantilenam compoſuit, & cætera. Videtur ad hoc proverbium alluſiſſe divus Auguſtinus in epiſtola quadam ad Licentium: Aut ſi ego canto, inquit, tu autem ad aliam vocem ſaltas, nec ſic quidem me pœnitet. Habet enim ſuam hilaritatem ipſa cantatio, etiam cum ad eam membra non movet, cui plena charitatis modulatione cantatur.

Nihil ad Bacchum.

Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, id eſt. Nihil ad Bacchum. Ubi quis ea nugatur, quæ ad rem præſentem nihil attinent. Adagionis origo varia traditur. Zenodotus ait, antiquitus in choris Dityrambos in Bacchum cani ſolitos. Deinde poetas mutata conſuetudine, Ajaces, Centauros, atque id genus fabulas cœpiſſe deſcribere. Proinde ſpectatores per riſum acclamaſſe: Nihil ad Bacchum. Quo convicio moniti, deinceps ſatyros inducere cœperunt, ne Dei prorſus obli-

Nunquid & Saul inter Prophetas?

Libro Regum 1. capite 10. refertur huiuſmodi proverbium הגם שאול בנביאים id eſt: Nunquid & Saul inter Prophetas? Natum à Saule, qui cum in Prophetarum cœtum incidiſſet, ſubito & ipſe divino furore correptus, vaticinari cœpit. Id admirantes qui Saulem antea cognoverant, inter ſe dictitabant: Quid accidit Sauli, num & Saul inter Prophetas? Ea vox deinde verſa eſt Hebræis in proverbium de re nova & inopinata, ſubitaque. Eſt autem apud illos iambicus dimeter. Gregorius Nazianzenus in Apologia De fuga ſua in Pontum, ſic uſurpat, ut quadrare videatur, ubi promiſcue quilibet ſibi magnificam aliquam functionem uſurpant, velut hiſce temporibus nemo non tractat ſacras literas: ἀντὶ τοῦ inquit εἶναι διδακτοὺς θεοῦ, καὶ πάντας προφητεύειν, ὥστε εἶναι καὶ Σαοὺλ ἐν προφήταις, κατὰ τὴν παλαιὰν ἱστορίαν καὶ παροιμίαν. id eſt, Dum pro eo quod deberent eſſe dociles Dei, prophetant omnes, adeo ut & Saul ſit inter Prophetas, iuxta priſcam hiſtoriã ac proverbium. Finitimum illi: καὶ κόρχορος ἐν λαχάνοις, καὶ τὸ ἐν φακῇ μύρον. id eſt: Corchorus inter olera: &, In lente unguentum; ſive, Lenti admixtum unguentum.

Syrus cum non ſis, ne ſyriſſa.

Μὴ ὢν σύρος μὴ σύριζε, id eſt, Cum non ſis Syrus, ne ſyriſſa. Ne ſumas perſonas parum decoram, ne velis alius videri quam ſis. Aut cum ſis natus ingenuus, ne moribus agas ſervum & barbarum. Nam Syri male audiebant ob morum molliciem. Eſt autem facetus iocus, ex amphibologia huius verbi συρίζω, quod ſignificat & ſyriſſare, & fiſtula canere.

Aſinus in unguento.

Ὄνος ἐν μύροις, id eſt, Aſinus in unguento. Cum deliciæ adhibentur iis, quos haudquaquam decent, neque qui vel uti norunt illis, vel delectantur. Nam aſinus culmos ac fœnum mavult quam aurum, vel unguentum, quo etiam offenditur. Locus fuerit huic adagio, ſi quando indoctus aliquis in optimos incidat autores, quos ob inſcitiam aut negligat, aut etiam depravet. Sive cum amuſo cuipiam cum eruditiſſimis viris vivere contigerit, quorum tamen conſuetudine neque frui noverit, neque omnino gaudeat. Refertur à Diogeniano proverbium.

Aſinus portans myſteria.

Ὄνος ἄγων μυστήρια. i. Aſinus portans myſteria. In eum dicebatur, qui præter dignitatem in munere quopiam verſabatur. Veluti, ſi quis ignarus literarum, bibliothecæ præfectus eſſet. Ariſtophanes in Ranis:

Νὴ τὸν Δί', ἐγὼ γοῦν ὄνος ἄγω μυστήρια.
Ἀτὰρ οὐ καθέξω τοῦτον τὸν πλείω χρόνον.

Id eſt:

Ita per Iovem ſuum aſinus vehens myſteria:
Verum iſta non iam ſuſtinebo diutius.

Interpres affirmat inde natum adagium, quod olim quibus ad peragenda ſacra Eleuſina opus erat, aſino impoſita deportabantur. Quadrabit & in eos, quorum opera aliis duntaxat eſt uſui, cũ ad ipſos præter moleſtiam nihil interim redeat. Veluti ſi quis cibos aliis geſtet, quibus ipſi non liceat veſci. Huc alluſiſſe videtur Apuleius, cum ſe fingit aſinum, Cererem deam circumferentem. Suidas adſcribit Dæmonem ad lapidem molarem referre, quem Græci ὄνον appellant: propterea quod in ſacris, molis frumentariis coronas imponere conſueverint. Itaque torquebitur eleganter in eos, quibus immerentibus honos habetur. Veluti cum indoctis doctoris titulus, pileum & anulus, aliaque id genus inſignia tribuuntur.

Feli crocoton.

Γαλῇ κροκωτόν, id eſt, Feli crocoton: ſubaudiendum, das aut addis. Dici ſolitum, quoties honos additur indignis, & quos haudquaquam decet. Aut cum datur quippiam iis, qui munere nõ norunt uti: veluti ſi quis à muſis alieniſſimo, belliſſimum donaret librum. Crocoton veſtis genus eſt rotundæ ac fimbriatæ, qua divites utebantur matronæ. Apud Nonium in dictione Richa, refertur inter veſtes delicatas & crocoton. Sic enim arbitror legendũ, mollicinam crocatam, chirodatam richam. Ac teſte Plutarcho, quidam Herculem pingebant κροκωτοφόρον, Omphalæ ſervientem. Sumptum adagium ab apologo Stratidis: quem alio loco narravimus. Porrò vox hæc γαλῆ, felémne ſignificet, an muſtelam, ad quem vulgo catum appellant, quoniam inter eruditos controverſum eſſe video, relinquo aliis iudicandum.

Cibum in matellam ne immittas.

Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν. id eſt, Cibum in matellam ne immittas. Interpretatur Plutarchus, ne ſermonem urbanum immittas in animum hominis improbi. Nam oratio cibus eſt animi: is corrumpitur & putreſcit, ſi in animum inſincerum inciderit. Hoc eſt quod apud Gellium admonet Epictetus, etiam atque etiam videndum, in cuiuſmodi animum mittamus ſermonem. Etenim ſi in vas inſincerũ immiſerimus; in acetum aut lotium vetti. Huc alluſit Horat.

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit.

Ex diametro oppoſita. Diametro diſtant.

Ἐκ διαμέτρου, id eſt, Ex diametro. De vehemẽter inter ſe pugnãtibus olim dicebatur: ſumpta metaphora à Geometris, apud quos perfectiſſima oppoſitio ex diametro eſt. Lucianus in Tyranno. ἐκ διαμέτρου γὰρ οἱ βίοι φασίν. id eſt. Noſtra enim & illorum, & vita ex diametro, quemadmodũ aiũt, inter ſe diſtant. Athanaſius in libro quodam de ſynodo Nicæna: οἱ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντικείμενοι τῇ Σαβελλίου γνώμῃ. id eſt: Qui iuxta diametrũ, ut ita loquamur, adverſantur Sabelli ſententiæ. Baſilius in epiſtola quadã ad Athanaſiũ, κατὰ διάμετρον dixit. Diametrus enim eſt recta linea, figuram, qua longiſſime patet, ex æquo ſecans: velut diametrus orbis eſt, quæ ſic à ſummo ad ſummum tenditur circulum, ut per centrum eat, definitore Macrobio in ſomnium Scipionis lib. 2. Nec ab hoc diſſentit Euclidis diffinitio. Latini lineam hanc, dimetientem vocant. Nam Græcis διάμετρος παρὰ τὸ διαμετρεῖν, i. à dimetiendo Nominis cauſam reddit Ariſtoteles in problematis, ſectione 15. problem. 2. Cognatum eſt illi, quod alio recenſuimus loco, δὶς διὰ πασῶν.

Alia res ſceptrum, alia plectrum.

Equidem haud omnino contenderim eſſe proverbium, ſed tamen ipſe ſermonis habitus colorque adeò ſimilis eſt proverbio, ut vix ſimilior ſit ficus ficui, quod Stratonicus citharœdus regi Ptolemæo reſpondit, pertinacius ſecum de arte canendi diſputãti: ἕτερον ἐστιν, ὦ βασιλεῦ, σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον. id eſt. Alias res eſt ô rex, ſceptrum, alia vero plectrum. Locus erit utendi, quoties dives ac potens, fortuna ſua fretus, velut ex æquo diſputat cum erudito: cum multo aliud ſit divitem aut fortunatum eſſe, aliud literatum.

Caluus comatus.

Caluus comatus apud eundem Martialem, haud dubia figura proverbiali:

Calvo turpius eſt nihil comato.

Rurſus idem:

Caluus cum fueris eris comatus.

Apte dicetur in eum, qui veris bonis nudus, aſcititiis, ſe venditat. Veluti ſi quis indoctus aliena pro ſuis ederet: aut ſi quis diſſimulet eſſe ſe quod eſt: veluti ſi ſenex aſſuto galericulo, aut tinctis capillis affectet videri iuvenis: ſi deformis, adhibito fuco velit haberi formoſa.

Simia in purpura.

Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ id eſt, Simia purpurata. In varios uſus poteſt adhiberi parœmia: nempe vel in hos, qui tametſi magnifico cultu ſint ornati, tamen huiuſmodi ſint, ex ipſo vultu moribusq; cognoſcitur: vel in hos, quib. dignitas indecora additur. vel quoties rei per ſe fœdæ, aſcititia peregrinaque ornamenta indecenter admoventur. Quid enim tam ridiculum, quam ſimia veſtita purpurea veſte? Atque id tamen non raro fieri videmus apud iſtos qui ſimias habent in deliciis, ut quam maxime poſſunt, ad humanum morem ornent ac veſtiant, aliquoties & purpura, quo parũ attentos, aut imperitos fallant, proque homine ſalutetur ſimia, aut ſi deprehenſus fuerit fucus, res magis ſit ridicula. Quam multos id genus ſimios videre eſt in Principum aulis: quibus ſit purpuram, ſi torquem, ſi gemmas detrahas, meros cerdones deprehendes. Lepidius erit ſi longius transferatur: velut in eos qui barba pallioque ſimulent ſanctimoniam. Tales Auguſtinus alicubi non ineleganter amiculo philoſophos appellat. Et Ammianus lib. 14. Antigonum quendam amictu tenus philoſophum appellat. De barbæ tenus ſapientibus, antea nobis dictum eſt.

Induitis me leonis exuvium.

Ἐνδύετέ μοι τὴν λεοντῆν. id eſt, Induitis me leonis exuvium. In eos dici ſolitum, qui ſuſcipiunt negocium maius facultate, quiq; ſe magnificentius gerunt quam pro ſua conditione. Quidam ab Hercule ſumptum putant, cuius hic ornatus erat, ut leonis exuvio tegeretur, deinde altera manu clavam, altera geſtaret arcum: atque hoc ornatu deſcendit ad inferos, Cerberum extracturus. Huc alludens Ariſtophanes in Ranis, Bacchum fingit, Herculis inſtar, leonis exuvio clavaque inſtructum, ad inferos deſcendere parantem, ut Euripidem cum Æſchylo certantem audiret. Ridetur autem ab Hercule, quod id geſtaminis neutiquam illum deceret, utpote mollẽ & effœminatum. Eodẽ pertinet quod Menippus ille Lucianicus eodem ornatu ſe ab inferis rediſſe adſimulat. Nihil autẽ prohibet, quo minus proverbium ad apologum illum referatur, cuius meminit Lucianus in Piſcatore: Apud Cumanos aſinus quiſpiam pertæſus ſervitutem, abrupto loro in ſylvam aufugerat. Illic forte repertum leonis exuvium corpori applicabat ſuo. Atq; ita pro leone ſe gerebat, homines pariter ac feras voce caudaque territans. Nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquamdiu perſonatus hic aſinus, pro leone immani habitus ac formidatus. Donec hoſpes quiſpiã Cumas profectus (qui ſæpe numero viderat & leonem & aſinum: atq; ob id non erat difficile dignoſcere) aurium prominentiũ indicio, neq; non aliis quibuſdam coniecturis aſinum eſſe deprehendit, ac probe fuſtigatum reduxit, dominoque agnoſcenti reddidit. Interim autem riſum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis aſinus iam agnitus, quod dudum creditus leo, metu propemodum exanimaverat. Cumanos autem hic appellat, non qui ſunt in Italia, ſed qui ſunt in Æolide ſupra Leſbum. Nam & Leſbii & Cumani notati ſunt ſtoliditatis, ut indicat Stephanus. Vſurpat hoc adagium Socrates Platonicus in Cratylo, negans opor-

oportere deterreri ſeſe magnitudine diſputationis inſtitutæ, poſteaquam ſemel leonis pellem eſſet indutus. Lucianus in Pſeudologiſta: οὐδὲ δεῖ τινος τοῦ ἀποδύσοντός σε τὴν λεοντῆν, ὡς φανερὸς γένοιο κάνθηλιος ὤν, εἰ μή τις ἄρα ἐξ Ὑπερβορέων ἀρτίως ἡμῖν ἥκει, ἢ ἐς τοσοῦτον Κυμαῖός ἐστιν, ὡς μὴ ἰδὼν εὐθὺς εἰδέναι ὄνων ἁπάντων ὑβριστότατόν σε ὄντα, μὴ περιμείνας ὀγκωμένου ἀκοῦσαι. i. Nec opus eſt quopiam, qui tibi leonis exuvium detrahat, quo palam fiat te Canthelium eſſe: niſi quis ſane ab ipſis Hyperboreis hoſpes modo ad nos advenerit, aut usque adeo Cumanus ſit, ut qui viderit, non protinus intelligat te aſinorum omnium aſinum ferociſſimum eſſe, aut exſpectet, ut te præterea rudentem audiat. Euſebius Cæſarienſis adverſus Heroclem: οἰχήσεται μὲν ἡμῖν ὁ φιλόσοφος, ὄνος δὲ τῇ τοῦ λέοντος ἐπικεκαλυμμένος δορᾷ. id eſt: Abibit nobis quidem philoſophus, cæterum aſinus leonis intectus pelle. Demutavit nonnihil de proverbio Lucianus in Philopſeude, cum ait: τοσοῦτον χρόνον ἐλελήθεις με, ἀντὶ τῆς λεοντῆς γελοῖόν τινα πίθηκον περιστέλλων. id eſt: Tantum temporis non animadverti cum ſub leonis exuvio ridiculam quandam ſimiam tectam habere.

In eburnea vagina plumbeus gladius.

Huic confine eſt illud, ἐν ἐλεφαντίνῳ κολεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος. id eſt, In eburnea vagina plumbeus gladius. natum ex Diogenis Cynici apophthegmate. Nam cum adoleſcens quiſpiam, inſigni forma fœdum quiddam atque obſcœnum dixiſſet, Ex eburnea, inquit, vagina plumbeum gladium educis.

Extra organum.

Quintilianus lib. 11. Ex his diverſa vox, & pene extra organum, cui Græci nomen amaritudinis dederunt, ſupra modum ac pene naturam vocis humanæ acerba. Extra organum dicetur, quod immodicum eſt, & extra vulgarem menſuram. Veluti ſi quis leges Platonis huius ætatis civibus proponeret. Ductum eſt ab organo muſico, quod intra viceſimam vocem conſiſtit. Conveniet item in vehementer clamoſum.

Ne puero gladium.

Μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν, id eſt, Ne puero gladium: ſubaudiendū, commiſeris. Allegoria proverbialis, admonens non eſſe mandandam poteſtatem, vel adoleſcentibus, vel imperitis ac ſtultis: qua tum in ſuam, tum aliorum perniciem ſint abuſuri. Ne juveni cōmiſeris adminiſtrationem pecuniæ: ne puero gladium. Ne regnū impuberi: ne puero gladium. Ne ſtulto concionandi apud populum partes delegaris: ne puero gladium. Ne magiſtratum mandaris ſtultis: ne puero gladium. Ne inerudito, parumque cordato commiſeris epiſcopi munus, μὴ παιδὶ τὴν μάχαιραν. Plutarchus in libello cui titulus, ὅτι καὶ γυναῖκας χρὴ παιδεύεσθαι, citante Stobæo (nam is liber nondum emerſit in lucem:) μὴ παιδὶ μάχαιραν ἡ παροιμία φησίν. ἐγὼ δὲ φαίην ἂν μὴ παιδὶ πλοῦτον, μὴ δ' ἀνδρὶ ἀπαιδευσίαν. id eſt: Ne puero gladium ait proverbium. Ego vero dixerim: Ne puero divitias, neve viro imperitiam. Significat pecuniam peſtiferam adoleſcentibus, viro inſcitiam. Idem in Problematis Sympoſiacis: εἰ δὲ μή, δοτέον ὥσπερ παισὶ ἀτονοῦσι μὴ ἀφαιρουμένοις, οὐ δόρυ καὶ ξίφος, ἀλλὰ πλαταγὴν καὶ σφαῖραν. id eſt: Sin minus dare oportet, veluti pueris non valentibus conquieſcere: non haſtam aut enſem, ſed crepitaculum aut ſphæram. Vſurpavit & Athenæus libr. Dipnoſophiſtarum v. in philoſophum, cui commiſſum eſſet imperium. Non usque quaque diverſum eſt ab hac forma, quod eleganter ſimul & graviter dictum eſt ab Henrico Britanniæ rege, eius nominis ſeptimo, viro cum acri judicio, tum Laconicis dictis mire valenti, cum theologum quempiam ex horum genere, quos Mendicantes vocant, concionantem audiſſet: isque effreni lingua in principum vitam magna non libertate, ſed inſania debacchatus fuiſſet (nam ſunt qui hac quoque via famam affectent:) Videbatur, inquit, furioſi manibus commiſſus gladius.

In lente unguentum.

Τὸ ἐπὶ φακῇ μῦθον, id eſt, In lenticula fabulam: ſubaudi, narras: Vbi quis mentionem inducit vilis cuiuspiā & nihili hominis, aliis de viris egregiis verba facientibus. Ad hunc quidem modū legitur in omnibus vulgatis exemplaribus, apud A. Gellium lib 12. c. 27. Verum placet Hermolai caſtigationi ſubſcribere, qui locum hunc ita reſtituit, vel legat, τὸ ἐν φακῇ μύρον, id eſt, In lente unguētum. Quadrat autem in hominem aut in rem quampiam, quæ neutiquam in tempore adhibeatur iis, quibus minime congruit. Veluti ſi philoſophū juvenum laſcivientiū convivio miſceas: aut inter pocula de rebus gravibus ac theologicis incipias diſputare. Quemadmodum videlicet lēticulæ vili leguminiinepte quis admiſcuerit unguentum. Siquidem, autore Dioſcoride, & oculorū aciem hebetat, ſtomacho gravis, inteſtinis noxia, nervis, pulmoni, & capiti inimica, gignit turbulenta inſomnia. Dicetur etiā ubi plura inter ſe diſſimilia confundentur. Verba Frontonis apud Gellium ſunt hæc: Videre tamen ne exiſtimentis ſemper, atque in omni loco mortales multos, pro multis hominibus eſſe dicendū: ne plane fiat Græcum illud de Varronis ſatyra proverbium, τὸ ἐν φακῇ μύρον. id eſt, In lēte unguentum. Idem uſurpavit M. Tullius libro ad Atticum: Legati, inquit, cū autoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentque operam ne ex cum Helvetiis ſe iungerent. Legati ſunt, Q. Metellus Creticus, & L. Flaccus, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiæ filius. Tametſi hic quoque locus eodem mendo laborat, quo Gellianus ille. Citatur autem adagium ab Ariſtotele, in lib. De ſenſu & ſenſili: ἀληθὲς γὰρ ὅπερ Στράττις ἐπέσκωπτεν Εὐριπίδην, ὅταν φακῆν ἕψητε, μὴ ἐπιχεῖν μύρον. id eſt: Nam verum eſt, quod ait Stratis Euripidem taxans, ubi lenticula coquitur, non oportere unguentum infundere: quo ſane loco, quæ portenta habeant noſtri vulgati codices, nihil attinet hic commemorare. Citat & Athenæus lib. Dipnoſoph. 4.

Παραινέσαι σφῷν τι βούλομαι σοφόν.
Ὅταν φακῆν ἕψητε, μὴ 'πιχεῖν μύρον.

Id eſt:

Vos admonere callidum quiddam volo:
Vbi lens coquitur, unguenta ne qua infundite.

Ex Phœniſſis Stratidis Comici poetæ. Citat & ex Sopatri Necya: Ἰθακήσιος Ὀδυσσεὺς τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον πάρεστι, θάρσει θυμέ. id eſt: Ithacenſis Vlyſſes in lente unguentum adeſt, aude anime. Adducit & Clearchum proverbiorum collectorem, qui hoc quoque recenſuerit proverbii titulo, τὸ ἐν φακῇ μύρον. addens extare apud Varronem complureisque Latinorum uſos eo proverbio, quibus incognitum tamen ſit, unde Varro deſumpſerit cum iambicum. Huc mihi videtur Ariſtophanes alluſiſſe, cum ait ἐν ἥρωσι:

Καὶ προσέτι ἕρπυλλον ἄνω
Καὶ μύρον ἐπιχεῖς.

Id eſt.

Præterea feres ſerpyllum ſurſum.
Et unguentum infundes.

Porrò unguentum intelligo oleum odoratum, ac velut unguentarium. Alioqui plebeum oleum admiſcere lenti, nihil prodigioſum. Athenæus lib. 2. citat hunc trimetrum ex Eupolide:

Ὄψον πονηρὸν καὶ ὑπερδεῖς ἠρτυμένον.

Id eſt:

Conditum opipare vile malumque opſonium.

Eſt autem apud ſcriptores hoc legumen cum primis celebre, quemadmodum bulbus, cepe, & allium: nonnulli etiam encomium lentis ſcripſere: Quædam per ſe pulchra ſunt, quæ tamen ſibi non congruunt. Elegantis igitur eſt, ſcire quid cui conveniet. Diocles philoſophus habitus eſt ὀψοφάγος. Huic cuidam interroganti, Vter piſcis eſſet melior, congrus an labrax, nobis dictus lupus: Alter, inquit, elixus, alter aſſus. Sic Flaccus de Poeta, Bello malus, utilis urbi. Quoties munus delegatur minus accommodo, apte dixeris, ἐν φακῇ μύρον. Adjicietur & hoc. Apud autores dictionem hanc comperio varie ſcriptam, nunc acute, φακὸν: nunc circumflexe, φακῆν. quod cum tam crebro occurrat, vix inſcitia caſuve factum videri poteſt. Vnde conjicio, φακῆν dictam ex cōtractione pro φακέαν. Nam φακέαν legimus apud Athenæum. Idē λεοντῆν dictam admonet, pro λεοντέαν. Hæc igitur quibus placet origo, malunt dicere φακῆν, quibus magis placet forma communis, origine neglecta ſcripſerunt, φακὸν & φακήν.

Congregare cum leonibus vulpes.

Congregare cum leonibus vulpes, eſt res impares diſſimilesq; permiſcere. Martialis:

Quid congregare cum leonibus vulpes?

Vulpes dolis nititur, leo viribus fidit. Quanquam utrunque conjunxit Pindarus, indicans virum fortem leonem oportere præſtare in exhauriendis certaminum laboribus, vulpem in conſiliis. Sic enim in Iſthmijs ſcribit: τόλμᾳ γὰρ εἰκὼς θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρῶν λεόντων ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλώπηξ. id eſt: Animo ſimilis frementibus, leonibus in ferendis laboribus, conſilio vero vulpes.

Aufer mothonem à remo.

Ἄπαγε τὸν μόθωνα ἀπὸ κώπης, id eſt, Aufer mothonem à remo. Admonet adagium, non obſtrependum, nec obturbandum importunius iis, qui rebus alioqui ſeriis ſunt occupati: veluti, ſi quis Reip. curis ſollicito muſicam adferat: aut de capite periclitanti, verſus amatorios recitet. Mothon enim ſaltationis genus fœdæ, ſervilis ac tumultuoſæ. Lacedæmonii vernas, hoc eſt, ſervos dominatos, μόθωνας appellant: aut eos qui ingenuorū filios inſtituant, quos Athenienſes vocant οἰκογενεῖς. Vnde & in viles ac ſordidos homines convicium eſſe cœpit. Alii putant Mothonem hominem fuiſſe quempiam ſaltatorem & ebrioſum. Sunt qui credant, Atticos Mothones vocatos, quod hos domitos ad ſervilia miniſteria compuliſſent. Ad hunc modum Græci grammatici de Mothone nugantur. Iulius Pollux lib. 4. tradit Mothonem genus eſſe ſaltationis moleſtum ac nauticum. Atque hinc ſane crediderim ortum proverbium, ut accipiamus ἀπὸ κώπης, pro eo quod eſt, à remo profectum.

Canis in præſepi.

Ἡ κύων ἐν τῇ φάτνῃ: id eſt, Canis in præſepi. In eos dicitur, qui nec ipſi fruuntur re quapiam, neque reliquos item ſinunt uti: veluti ſi quis egregios codices incluſos diligenter adſervet, quos nec ipſe unquam evolvat, nec aliis evolvendi faciat copiam. Quemadmodū canis in præſepi nec ipſe veſcitur hordeo, & equum vetat veſci. Lucianus adverſus indoctum: ἀλλὰ τὸ τῆς κυνὸς ποιεῖς, τῆς ἐν τῇ φάτνῃ κατακειμένης, ἣ οὔτε αὐτὴ τῶν κριθῶν ἐσθίει, οὔτε τῷ ἵππῳ δυναμένῳ φαγεῖν ἐπιτρέπει. id eſt: Verum haud aliter facis, quam canis ille in ſtabulo cubans, qui cum ipſe non edat hordeum, tamen haud ſinit equum qui poſſet edere, id facere. Vtitur eodē in Timone. Citatur apud Suidam in proverbio, οὐδ' αὐτὸς τὸν ἄρτον: ſed tacito autoris nomine: τῇ φάτνῃ προσπλάσας τὴν κύνα, καὶ αὐτὸς τὸν ἄρτον οὐκ ἔσθι-

[illegible]. id eſt: Ad præſepe ducis canem, nihil autem adducis ad Bacchum. hoc eſt: Adfers quæ ad rem nihil attinent, ex his vero quæ pertinebant ad cauſam propoſitam, nihil adfers. Simile quiddam refert Athenæus lib. vj. de gente quadam Galatarum, qui dicuntur Cordiſtæ: abominantur aurum, nec important in ſuam regionem. nihiloſecius tamen alios non deſinunt eo ſpoliare. Aiunt eam gentem eſſe reliquias Galatarum qui ſub duce Brenno ſpoliarunt oraculum Delphicum, quos inſecutus Bathanatus dux, inclementer tractavit. Hinc auri odium, cuius gratia tantum paſſi ſint malorum, quod tamen aliis invident.

Servus cum ſis, comam geris.

[illegible], id eſt. Servus cum ſis, comam habes. De eo quæ præter decorum quippiam faceret. Veluti ſi quis humili conditione patriciorum cultum imitaretur. Apud Lacedæmonios enim ingenui comam alebant. Adagium refertur quidem a Suida cæterum extat apud Ariſtophanem in Avibus:

[illegible]

Id eſt:

Ac deinde ſervus cum ſies, portas comam:

Quæ ſemel ancilla, nunquam hera.

Vt vulgo iactatum refertur in Græcis epigrammatis, lib. i. titulo Palladæ:

[illegible],

[illegible].—

Id eſt:

Si qua ancilla ſemel fuit, haud unquam dominetur,

Vt proverbium habet.—

Videtur ideò dictum, quod qui ex humili fortuna ſubvehuntur ad res amplas, ſoleant eſſe cæteris inſolentiores, minusque tolerabiles, quam qui felices naſcuntur.

In agro ſurculario capras.

Varro De re ruſt. lib. j. cap. ij. dictum hoc veluti legem agricolarum adfert: Colonus in agro ſurculario ne capras cõpaſcat. Deflecti poteſt ad eos, qui noxiarum rerum aut hominum admixtu, corrumpunt teneram ætatem. veluti ſi quis ſacris virginibus adiungat iuvenes laſcivos, aut adoleſcentibus addat laſcivas puellas. Aut ſi quis ſtudiis admiſceat voluptates ſtudiis inimicas. Nam capra plantis omnibus non vaſtare tantum, ſed & veneno dentium perit fera eſt. præſertim oleæ & viti: unde & Baccho immolatur, vindictæ gratia: Minervæ nihil caprini generis, quod ille vitis repertor dicitur, huic ſacra eſt olea.

Tu in legione, ego in culina.

In Truculento Plautino militi atrociter minitanti coquus reſpondet: Sis tu in legione bellator ſi vis, et ego in culina Ares. Auxit coquus bellatoris verbum, Mars enim deus belli eſt. Quod autem dixit Ares pro Mavors, non eſt Plauto novum, Græcas voces admiſcere Latinis. Quanquam in nonnullis exemplaribus habebatur Ares, in nonnullis Aries: ſed mendoſe.

Multa ſunt in duobus his Differentiæ & Diſsimilitudinis locis proverbia cum iis, quæ ad locum Aliena à re, retulimus communia, quare ex eodem loco potes eadem repetere.

EX APPEND. ERASMI.

Chorus illius major, meus concinentior.

[illegible]. Ita Zenon præferens auditorium ſuum, auditorio Theophraſti. Vtemur, cum dicemus nos malle exiſtimationem parare apud doctos bonos, quam apud multos. Vt Cicero ij. Tuſcu. dixit Philoſophiam paucis iudicibus eſſe contentam.

IVNIL. *Quis Eteobutades, quisve ſervus.*

Syneſius in libello De inſomniis: [illegible]. id eſt: Non curat Deus, quis Eteobutades ſit, quisve venalitius ſervus. Vſus erit adagii, quum ſignificabim⁹, noſtra nihil referre, quid cui obtigerit. Novit & ſcriptura, Deum perſonarum delectorẽ non eſſe. [illegible], apud Athenienſes familiæ illuſtris nomen fuit, & perãti que, ad Butem Pandionis vetuſtiſſimi Athenarum regis filium, originem ſuam referentis, ex qua ſacerdos Minervæ arci tutelaris ([illegible] vocant) deligi ſolebat: nominis etymo genuinam veramq; gentis profapiam indicante. quomodo & [illegible] apud Diodorum Siculum primi Cecr... [illegible] dicti fuerunt. Sunt qui Butem Neptuni filium ſcripſerant, ut Heliodus, rectius Stephanus Pandionis: nam falſus eſt turpiter Gregorius Nicephorus, qui gentem deducit ab Argo, quem [illegible] à bubulci munere, quo lo obſervavit, Æſchylus nuncupet. Meminit Eteobutadarum Suidas, Heſychius, Etymologici autor Euſtathius in primo Iliad. & Odyſſ. x. & Stephanus in voce [illegible].

Non quacunque manu.

Non quacunque manu victima cæſa litat,
Exuta tunicam Doricè ingreditur.

Chorus apud Euripidem in Hecuba.

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Dulcis linquo thoros ego ſimplicem
Induta pallam, Dorides
Qualem ſolent virgunculæ.

Sic & Spartanæ puellæ incedebant olim incinctæ [illegible], ſupparum habentes utroque in humero quinis fibulis adſtrictum, quod inferius laxũ in inceſſu femora undabat. unde Callimachus: [illegible]. i. Erat quandoq. incinctus, & alterutro ex latere fibulis amictus. Eodem ſpectat, quod Lacænas [illegible] dixit Ibicius poeta, quod in inceſſu femora retecta oſtẽderẽt: & Euripides ait, incedere illas [illegible]: id eſt, nudis fœminibus & retracta palla. quin & Sophocles [illegible], quaſi ciathratum aut feneſtratum femur ipſis dat. D. Clemens pædagogi lib. iij. Lacænæ virginis more [illegible]: id eſt, reductis ſupra genu veſtibus incedere, indecorum eſſe ait. Quadrabit hodie in leves, parumque caſtas.

Quid delphino & bovi commune.

De diſſimilibus, minimeq; inter ſe conſonis effertur: ut ſi quis imperitos & doctos conſociet, [illegible]; Quid enim commune habent bos & delphinus? Apparet contortum fuiſſe in Syllam Romanorum imperatorem, quum occupatis Athenis, philoſophos audiret homo à philoſophia prorſus alienus. Refertur a Suida. Concordat cum illo: Quid graculo cum fidibus.

Pica Sirenem imitans.

De inepto imitatore dictum eſt illud à Galeno libr. ii. De pulſuum differentiis, [illegible], Pica Sirenis æmula. Doricum videtur eſſe proverbium: quid enim conſoni habet obſtrepera pica, cum argutâ Sirenum fabuloſarum voce?

Quid Lecytho cum Strophio?

[illegible], Quid Lecytho cum ſtrophio? De rebus diſſimilibus & abſonis dicitur. Citatur a Suida. Cui affinis & illa parœmia: [illegible]: Quid ſpeculo commercii cum gladio. Eſt autem Lecythus vas olearium, quod Capſacem vocat. D. Cyprianus.

Quantum aquila culicem.

Quando ingens diſcrimen ſignificare volumus, locus erit adagio. [illegible]. i. Quantum ſuperat vultur culicem. Extat apud Phileten qui de animantibus Græce ſcripſit verſibus:

[illegible].

Id eſt:

Quantum aquila culicem vincit ala præpete.

Eleganter ad ingeniorum inæqualitatem transferri poteſt, ſi quando contentio incidat & iniqua comparatio diſſimilium aut inæqualium. [illegible] vultur eſt ex aquilarum genere: Heſiodi ſcholiaſtes aquilam exponit.

Fulicam cygno comparas.

De rebus aut perſonis maxime inter ſe diſſimilibus conveniet dici hos Paulini Nolani ad Auſonium verſus:

Si confers fulicas cygnis, & aedona parræ,
Caſtaneis corylos æques, viburna cupreſſis:

Diſſimillimæ ſunt inter ſe fulicæ colore fuſco, & cygni niveo: rurſus aedon ſeu luſcinia, vocis amœnitate avium regina, & parra avicula inter oſcines à Feſto habita, ſed ſtridulo & ingrato ſono. Eadem imparitas ſpectatur in caſtaneis arboribus proceris, & humilibus corylis, quæ ab avella Campaniæ oppidulo Avellanæ fuerunt dictæ: itidem inter cupreſſos, editas ac proceras admodũ arbores, & brevia depreſſaque viburna; qua comparatione etiam Virgilius Romam urbem reliquis Italiæ oppidis confert, ut eam tantum dicat caput præ cæteris efferre.

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Impuro purum nefas contingere.

Proverbium è Platonis ludo profectum, apud authores frequens, extat autem in Phædone: [illegible]. Non puro purum nefas ſit contingere. Sineſius in Dione: [illegible]. In Platoni acquieſcimus in eo, quod neget fas eſſe impuro purum attingere. Idem in epiſtolis: [illegible]. i. Animam Dei conceptaculum futuram, vacuam oportet eſſe ab affectibus: impuro namque purũ contrectare fas non eſt. Nazianzenus adverſus Eunomianos: [illegible]. i. impuro namque purum attingere, forte parum tutum fuerit, quemadmodum oculus debilis ſolares radios ægre ſuſtinet. Clemens Alexandrinus lib. ij. Pædagogi: [illegible]. hoc eſt, Quod ſanctum eſt conſpurcari abhorret, ut par eſt: at caſto caſtum ſemper fas fuerit attrectare. Nazianzenus in carminum opere ad Nemeſium.

Καθα-

—Καθαρὸν γὰρ ἀλιτηρὸν ἔχει μάλιστα.

Ideſt:

—Quod caſtum eſt, inceſti dexteram abhorret.

& mox:

Ἀκτὶς ἐς λίμνας φίλη φάος, εἰς ἀμιχθῆ,
Εὐώδεα μύροιο χέει πνοιῇσι μυχοῖσι,
Ἀλλ' οὐδ' ἠέλιον μολύνει κακὰ, οὐδὲ μιαροῖο
Ἀελίου—

Ideſt:

Phœbeius radius, quæ attingit, lumine ſpargit:
Spirantum nares fragrans replet ocyus unguem:
Nec tamen illuvies aut ſolem aut inficit unguem.

Sol namque tametſi in cœnum radiis incumbat, purus ſemper & impollutus permanet.

COGNATI. *A Dorio ad Phrygium.*

De hoc aliquando contuli cum quodam, qui totus ab Henrici Glareani, viri in diſciplinis mathematicis, ut in cæteris omnibus, præclare doctiatq; etiam exercitati dictatis pendens, omnia fideliſſime excepit. Dixit enim, inter nullos modos minus convenire, quam inter Dorium & Phrygium: ut ſi ab illo tranſeas in hunc, protinus offendantur aures, præſertim in genere diatonico. Totum autem inter modos diſcrimen naſcitur ex harmoniarum variatione, diateſſaron diapente in diapaſon. Caput autem huius variationis eſt, quod referat, quib⁹ locis ſint hemitonia. Lydii igitur & hypolydii communis eſt diapẽte. Tertia eſt ſpecies, phrygii autem & hypolydii ſecunda. Secunda harum utraque tritonum habet durum inter vallum, ac à diatonico genere propemodum abhorrens. Unde factum eſt, ut lydii ac hypolydii aſperitatem in diapẽte noſtra ætas pene aboleverit, ac unius hemitonii immutatione eas ex tetrachordo conſtituerit.

Orimalides cum Acylis ne contuleris.

Eſt hoc proverbiale apud eundem in Viatoribus, quod magnã diſſimilitudinem, & iniquam comparationem ſignificat. Lacon.

Οὐ γὰρ οὐδ' ἀκύλοις ὀριμαλίδες.

Id eſt:

Neque agreſtia poma cum Acylis.

ſcilicet æquaveris. Acyla autem fructus, ſive nux κερατωνία, ſimilis nuci fagi. Dioſcorid. lib. 1. c. 16. Orimalides poma montana, ab ὄρος mons, & μᾶλον pomum. Eraſmus hunc maxime diſſimile annotavit in Chiliad. ſuis, Nihil ſimile.

Bovem aſino non junges.

Moſes ait Deut. 22. Non junges bovem & aſinum, quaſi diceret. Imperitos peritis, fatuos ſapientib. ne ſocies. Hoc in proverbium Gallis ceſſit, qui etiam Aſellicipitem, hominem ignarum vocant: & quandoq; Aſinum, tantum dicunt. Cicero in Piſonem: Quid nunc te aſine literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Mentis autem tarditatem Scipio apud Numantiam ita C. Metello exprobravit, ut diceret, ſi quintũ pareret mater ejus, aſinum fuiſſe parituram. Quin & Iunius Baſſus, vulgo aſinus appellatus eſt, ob ſtuporem, ridiculoſq; mores. Aſini autem ignavia cum ſit omnib. nota, ſuperfluum eſt eam latius explicare. Divinæ vero literæ per bovem modo ſapientes & juris peritos, juſtitiæ jugum trahentes, boniſq; ac frugalibus & ſcientiis & laboribus intentos intelligunt: modo ipſos Apoſtolos, qui ſuſcepto Chriſti jugo univerſum terrarum orbem Evangelico vomere coluerunt. de quib. Paulus citat illud ex Moſe: Non alligabis os bovi trituranti, quod mox ipſe declarat. Vide ſuperius, Onocephali.

Rana cum Grillo.

De maxime diſſimilibus dicitur, Rana cum Grillo, id enim locuſtarum genus valde muſicum, & ob acutum molliter ſtridorẽ, conciliando ſomno a delicatis hominibus expetitur. A vocis autem aſperitate, Ranæ nomen, apud Græcos βάτραχος, quaſi βοήτραχος, id eſt, aſperſonum: quod reperitur apud interpretes Theocriti in Thaliſiis.

Cygni cantus melior quam gruum.

Cygnos canoros eſſe, omnium poetarum ſcriptis delebratum eſt. Grues autem, anſeres, hirundines, graculi, moleſto quodam ſtridore & ſtrepitu obgannlunt. Proinde cum indocti cum erudito fit comparatio, in tempore hæc uſurpabuntur: Cygni cantus melior quam gruum. & Non eſt quod hirundo cum cygnis contendat. quæ proverbia habentur apud Lucretium: hoc lib. 3. in initio: Illud lib. 4. duobus in locis. Eſt enim hirundo minime canora, ſed moleſto quodam ſtridore, quo plus tædii adfert, quam voluptatis. Lucr. lib. 4.

Parvus ut eſt cygni melior canor ille gruum quam
Clamor in ætheriis diſperſus nubibus auſtri.

Sed cum Lucretii loco maxime congruit illud Antipatri in Erinnam, lib. 3. epigr. Græcorum:

Αὐτὰρ ὁ κύκνου μικρὸς ἀμείνων θρόος ἠὲ κολοιῶν
Κρωγμὸς ἐν εἰαρινοῖς κιδνάμενος νεφέλαις.

Id eſt:

Parvus cygnorum melior cantus, ſtrepitus quam
Graccorum nebulis ſparſus in ætheriis.

Amphion & Zethe.

Fertur hoc adagium de fratribus, moribus in diſſimilibus, ut fere ſemper diſſideat. Fuerunt autem hi fratres duo natura, verum moribus ita diſſimiles, ut nihil minus quam fratres viderentur. & Ovidii ſententiam, lib. 1. Metamorph. in tertia ætate.

—Fratrum quoque gratia rara eſt.

optime confirmarent. Itaq; cum Amphion muſicam coleret, Zethus paſtorem agebat, & muſas aſpernabatur, ac philoſophiæ prope bellum indixerat, ut eſt apud Pacuvium. ſic ut nõ raro inter eos interceſſiſſe jurgia ſit veriſimile. Hoc autem argumentum tractavit in tragœdia quadam, quæ non extat. Euripides, & fratres hos inter ſed diſputãtes introduxit. Ac Zethus quidem fratrem increpabat, quod ea quæ curãda eſſent maxime, negligeret, quæ minime, curaret: ac dum ſoli muſicæ daret operam, nec in curia, nec in bello poſſet inclareſcere, neq; familiæ curam gerere. Verba quidem ipſa ſunt in Platonis Gorgia: ad quæ videtur Amphion ſic reſpondiſſe, ut fratrem prorſus errare oſtenderet, & contrarium eius quod urgeret ille, verum eſſe declararet. Apud Platonem Callicles eodem modo cum Socrate, quo Zethus cum fratre agit, eumque inutile ætati ſuæ philoſophiæ ſtudiũ ſectari dicit. quod nec rem familiarem augere, nec ſeipſum in periculo defendere, nec alios juvare poſſit: ac denique ipſa Euripidis verba, contra eum profert. Quibus auditis Socrates incipit eum ſuo more refutare, ſuamque vitæ rationem magis eſſe, quam alteram, probandam docere: nec tam alicui, ne quid injuſte patiatur, quam ne quid agat, cavendum eſſe. Quæ cum ex parte perfeciſſet, & ad reliqua pergeret, ait interim ſe Amphionis dictum Callicli reddere cupere pro Zethi dicto: atq; ut Amphion fratrem, ita ſe Calliclem errare, velle oſtendere. Itaque poſt etiam audet dicere, ſe cum paucis civibus artem civilem tractare, ac remp. vere gerere. Suppetunt abunde multa hujuſmodi ex hiſtoricis exempla: Cain & Abel, Romuli & Remi, Jacob & Eſau, Antonini Severi imperatoris filii in Getam odii, litis inter Heſiodum & Perſam fratres, quem Heſiodus pravæ contentioni indulgentem, & eius vitæ inſtitutem per ocium & injuſtitiam dehortatur ab ea, ad alteram contentionem meliorem, in labore & juſtitia ſitam, hoc eſt, ad laborandum, & agriculturæ doctrinam. Cum enim paternam ſortem dividerent, Perſa præter ſuam partem, multa alia per vim injuſte abſtulit, & ſolicite muneribus ſtudebat ſibi conciliare & demereri judices, δωροφάγους, avaros, [illegible], & iniquos, qui in ſe recipiebant horum litis diremptionem. De ſimultate inter fratres, Euripides in Iphigenia Aulidenſi:

Res dira, verbis invicem altercarier,
Dictiſque fratres dimicare mutuis,
Si quando his inciderit, aut contentio.

Sunt etiam apud Lucam ex ſorores duæ, Martha videlicet & Maria, quib. diſſimile ingenium, atq; diverſa vitæ ratio fuit. Martha autem quæ Chriſtum hoſpitio exceperat, cum ægre ſufficeret omnib. obeundis, quæ pertinebant ad apparatum, & videret ſororem feriatam, obmurmurat, & ita conqueritur: Domine, inquit, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea patitur me ſolam miniſtrare? Iube ut me adjuvet. Vide apud Eraſmum noſtrum, Fratrum iræ acerbæ.

Qui ſecum diſſentit, nullo modo cum alio conſentiet.

Ficinus in Lyſide: qui vero ſecum ipſe diſſentit, nullo modo cum alio conſentiet, nec ulli amicus eſſe poterit. Diſtichon cujuſdam Catonis in hanc ſententiam:

Sperne repugnando tibi tu contrarius eſſe:
Conveniet nulli, qui ſecum diſſidet ipſe.

Vide alibi, Similitudo mater benevolentiæ: &, Contrarium contrario amiciſſimum.

Alterius alter eſt ſenſus.

Ficinus in Theæteto. Alterius enim alter eſt ſenſus, & alienum, aliudque ſentientem efficit. In Protagora: Si duo ſimul cœant, alter alteto magis intellexerit. Solus autem, ſi quis quippiã cogitet, mox paſſim circumiens quærit qui cum communicet, & a quo confirmetur, tantiſper dum inveniat.

Cum leonibus vulpes congregare: Aquilis ſimiles facere noctuas.

Eraſmus noſter Chiliad. 3. cent. 9. ad xviij. citat utrumque ex Mart. 2. epigrã. quæ conveniunt, quum res impares diſſimiles vẽ permiſcentur. Aquila viſus acerrimi eſt, ut ἀτενὲς ἀκαμμύσσουσα, id eſt, non connivẽs, adverſus ſolem intueatur. Et ſunt qui tradant, hanc avem hoc experimẽto probare, degeneresne ſint pulli, an genuini. Contra noctua ſolis lumen modis omnibus refugit. Pindarus graculos cum aquila confert.

COELII RHODIGINI.

Quod cani cum balneo commercium?

In eruditum, multos emptitantem libros. Balnea ſi non ad delicias, certe ad infirmitatem humanæ naturæ levendam inventa ſunt. Bruta iſtis nihil egent. Deinde τὰ θερμὰ λουτρὰ ὕδατα, teſte Ariſtot. balnea calida ſacra: quia occultum naturæ opus, & latente ratione mirificum præſtant uſum ac fructum: ſulfurã inquam, & bituminoſa. Confer cum hoc quæ habet Eraſm. in adag. Quid cani & balneo?

DIS-

DIFFIDENTIA.

ERASMI. *Simul & da & accipe.*

Ἅμα δίδου καὶ λάμβανε: id eſt, Simul da & accipe. Vbi res eſt cum homine parum certa fide, cui non tutum quicquam credere, niſi ſtatim receperis quod fueris ſtipulatus. Torquebitur ad eum qui non collocat officium aut munus ſuum, niſi iam certus de mutuo: nec ſpem emit pretio, quemadmodum ait leno Terentianus. Ariſtoteles hanc paræmiam venuſtius extulit lib. Moraliũ Nicomachiorum 8 traxans amicos, quos mutua conciliat utilitas: & perinde, ut in forenſibus commerciis non dant beneficium, ſed vendunt. ἡ μὲν πάνυ ἀγοραία ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, ἡ δὲ ἐλευθεριωτέρα εἰς χρόνον. id eſt: Altera quidem omnino ſordida & cauponaria cõpenſatio de manu in manum: altera magis ingenua ad tempus. Alluſit philoſophus ad Comicum illud, quod citatur ab interprete Pindari:

Φοίνικες οἱ Σιδόνιοι γεγόναμεν,
Τῇ μὲν διδόντες, τῇ δὲ λαμβάνειν.

Id eſt:

Phœnix enim ho illico:
Quippe altera manu do, & accipio altera.

Phœnices notantur nimio cauponandi ſtudio. Vnde & Pindaro dictum in Pythiis, hym. 2.

Τὸ μὲν Φοίνισσαν ἐμπολὰν μέλος.

Phœnicum commutationem appellat, cum datur aliquid, & viciſſim accipitur. Porrò negociatorum genus nihil habet ſacrum, præterquam pecuniæ lucrum, cui ſe totos ceu deo conſecrarunt. Hoc pietatem, hoc amicitiam, hoc honeſtum, hoc famam, hoc divina pariter & humana omnia metiuntur. Reliqua nugæ.

Fiducia pecuniis amiſi.

Iactatur & hodie, vereque dicitur fiducia pleroſque mortalium falli. Videtur autem ex antiquorum relictum proverbiis: quandoquidem apud Theognidem legitur hic verſiculus:

Πίστει χρήματ' ὄλεσσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα.

Id eſt:

Piſo res perit, diffiſo ſalus remanſit.

Proinde non peſſime monet Epicharmus νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, id eſt: Sobrius eſto, & memineris diffidere. Quanquam nulli fidere, inhumanum eſt, omnibus fidere, ſtultum. Hoc honeſtius, illud tutius. Propterea quod, ut idem ait Theognis:

Παύροις τοι πιστοὺς ἀνδράσιν ἐστὶ νόος.

Id eſt:

Paucis è multis fidus adeſt animus.

Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris.

Vulgo apud noſtrates circumfertur adagium, haud fidendum eſſe cuiquam, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris. Significant autem hominis ingenium non poſſe perſpici, niſi diuturno cõvictu longoque commercio. Apparet proverbium hoc ab antiquitate profectum eſſe. Quandoquidem Ariſtoteles libr. Moralium 8 ſimile quiddam refert his quidem verbis: ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας. κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ, οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους, πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι. id eſt: Præterea autem ſpacio temporis & cõſuetudine opus eſt. Siquidem iuxta proverbiũ, fieri non poteſt ut nos mutuo pernoſcamus, antequam ſalis, quem dicunt, modium pariter abſumpſerimus. Idem Moralium Eudemiorum lib. 7. οὐ γὰρ ἔστι πεῖραν λαβεῖν, ὡς φησὶν ἡ παροιμία, ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν. id eſt: Quapropter in proverbium abiit ſalis modius. Eodem in libro refert illud quodque ex poeta quopiam hemiſtichium, ni fallor:

Οὐ φίλος ἄνευ χρόνου φίλος.

Id eſt:

Non eſt amicus abſque temporis mora.

Addit ex Theognide:

Οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὔτε γυναικὸς,
Πρὶν πειρηθείης ὥσπερ ὑποζυγίου.

Id eſt:

Haud noſſe ingenium ve viri licet aut muliebre,
Vt ne iumenti, ni experiare prius.

Notat hanc parœmiam & Plutarchus in commentario περὶ φιλαδελφίας, his quidem verbis: τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν, ὅπου δὲ ἡ φύσις ἡγεμόνα τὴν εὔνοιαν ἐπὶ κρίσει δίδωσιν, οὐδὲ ἀπαιτεῖ τὸν θρυλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον, ἀλλὰ συγγεγόναμεν τὴν ἀρχὴν τῆς φιλίας, οὐ τοῦτο δὲ μὴ πικροὺς εἶναι μηδὲ ἀκριβεῖς τῶν ἁμαρτημάτων ἐξεταστὰς. i. e. Alienos enim, quemadmodum ait Theophraſtus, non oportet amantem iudicare, ſed amare poſteaquam iudicaris. Siquidem ubi natura ipſa dux eſt ad benevolentiam præcedens iudicium, neque expectans illum vulgo celebratum ſalis modium, quippe quæ amicitiæ ſeminarium iaſecerit, ibi non oportet acerbos & exquiſitos eſſe delictorum expenſores. Meminit huius paræmiæ, & M. Tullius in ſermone De amicitia: Verum illud eſt quod vulgo dicitur: Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit. Huc pertinet illud quoque Sophoclis in Oedipo:

Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος,
Κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ.

Id eſt:

Mora temporis probum arguit tantum virum.
At improbum vel unico agnoſcas die.

Huc pertinet etiam ille ſenarius proverbialis:

Ἠθῶν δὲ βάσανός ἐστιν ὁ μακρὸς χρόνος.

Id eſt:

Nota morum & index tempus eſt mortalibus.

Idem admonet illud Epicharmi:

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.

Id eſt:

Sobrius ſis, ac memineris nemini confidere.

Verſus integer refertur apud Cic. lib. Epiſt. ad Atticum 1. Atque ita tamen novis amicitiis implicati ſumus, ut crebro mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmi cantilenam illam ſuam,

Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν.

Sic enim carmen Trochaicum è veſtigiis codicum reſtituimus, ne quis temere depravet. Nam quod νᾶφε dixit pro νῆφε, & μέμνασο pro μέμνησο Dorica est proprietas eſt. Cicero in libello De petitione conſulatus: Quamobrem Epicharmion illud teneto, nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere. Item illud Euripidis in Helena:

Σώφρονος δ' ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.

Id eſt:

Prudente diffidentia
Haud alia res utilior eſt mortalibus.

Invenio citatum mutilatim ad hunc modum:

Ἁλῶν μέδιμνον ἐκφαγών.

Id eſt:

Modium ſalis poſtquam ederis.

Quo quidem licebit uti, ſi dicas: Vide quid agas qui tua arcana credas iſti nondum ἁλῶν μέδιμνον ἐκφαγών. Aut ſic: Tum demum iſti fidas, ἁλῶν μέδιμνον ἐκφαγών. Eſt autem iambicus dimeter, ex poeta quopiam, ſicuti conijcio, ſumptus.

Ne Mercurio quidem credere.

Strabo lib. 2. De narratione parum probabili, οὐδ' ἂν τῷ Ἑρμῇ πιστεύσαι τις λέγοντι: id eſt, Quam ne Mercurio quidem credat aliquis narranti. Tametſi locus mendoſus eſt, ut ſunt pleriquè in hac editione: ἂν ſine controverſia legendum eſt. Proprie convenict in eos, qui longinquis peregrinationibus circumacti, narrare ſolent prodigiola. At viatorum deus habebatur Mercurius.

Confringere teſſeram.

Apud Plautum in Ciſtellaria confregiſſe teſſeram dicitur, qui ſibi reditum in domum aliquam præcluſit. Siquidem cum amans dixiſſet ſe iureiurando aſtrictum, ut lenæ filiam duceret, orans ne ſe periurum fieri pateretur: illa reſpondens, Abi, inquit, quærere, tuo iurando ſatis ſit ſubſidij. Hic apud nos iam Alceſimarche, cõfregiſti teſſeram. Eſt autem teſſera, ſymbolum hoſpitale, quo prolato cognoſcebantur hoſpites, ſi quando rediſſent.

Cæca dies: & Oculata dies.

Plautus item cæcam diem & oculatam, pro die qua nõ numeratur præſens pecunia, & qua numeratur. Sic enim leno quidam loquitur in Pſeudolo: Eme die cæca hercle oleum, si vendito oculata die: iam hercule vel ducentæ fieri poſſunt præſentes minæ, hoc eſt: Eme non præſente pecunia, ſed in diem pacta, rẽvẽde pecunia præſente. Vocant & iuriſconſulti cæcam diem, & cæca teſtimonia, quæ ſcripto perhibentur abſentibus. Nam cæca ſunt non tantum quæ non vident, ſed quæ non videntur & abſunt.

Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem.

Plautus in Truculento: Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem. hoc eſt: Longe maior eſt habenda fides referentibus ea quæ viderint oculis quam iis qui narrant ab aliis audita. Idem innuunt poetæ, duas apud inferos inſomniorum fingentes portas, alteram eburnam, per quam falſa inſomnia veniant ad ſuperos: alteram corneam, per quam vera. Vergilius Æneidos ſexto Homerum imitatus ex Odyſſeæ τ.

Sunt geminæ ſomni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto.
Sed falſa ad cœlum hac mittunt inſomnia manes.
His ubi tum natum Anchiſes, unaque Sibyllam
Proſequitur dictis, portaque emittit eburna.

Servius interpretatur per corneam portam oculos intelligendos, quod colore ſint corneo & per eburneam, dentes, nimirũ oſſeos & candidos. Per corneam egredi veras umbras, quod ea demũ certa ſint quæ conſpicimus oculis: per eburneam falſas, quod vana plerunque ſoleant eſſe quæ fama percipiuntur. Itaque Æneas per eburnam portam dimiſſus, ſignificat pro falſis habenda, quæcunque de inferis narrarit poeta. Adagij meminit & Apuleius libr. 1 Floridorum, narrans quemadmodum Socrates proverbium invertent: Pluris eſt auritus teſtis, quam oculati decem. Nam cum conſpexiſſet adoleſcentem decorum, ſed diutile tacentem: Vt te videam, inquit, aliquid eloquere. Senſit itaque Socrates aurium iudicium certius eſſe quam oculorum: quod oculis non niſi corporis formam contueamur, ex oratione mentis habitum deprehendamus. Iuſtinianus Inſtitutionum lib. 3. de gradibus cognationum, Oculatam fidem appellat, quum res ſubijcitur oculis. Vnde Cæcam diem appellant, cum non protinus exhibetur pecunia: oculatam, cum præſente pecunia res agitur.

Oru-

Oculatæ manus.

Oculatas manus dixit Plautus, quæ promiſſa velint exhiberi, ſecus quam oratione promitti. Nam oculos habere, quibus videant exhibita: aures non habere, quibus audiant pollicitationes. Ita lena quædam in Aſinaria, adoleſcenti montes aureos pollicenti, cum illa nihil commoveretur promiſſis: Semper, inquit, oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident. In eadem erat ſententia ſeno ille Terentianus Sannio: Nunquam, inquit, ego adeo aſtutus fui, quin quicquid poſſem, mallem auferre in præſentia potius. Huc alluſit Chærea in Eunucho: Fac nunc promiſſa ut appareant.

Quot ſervos habemus, totidem habemus hoſtes.

Macrobius in cœnis Saturnalibus: Vnde putas arrogantiſſimum illud manaſſe proverbium, quod iactatur, Totidem nobis hoſtes eſſe quot ſervos? Non habemus illos hoſtes, ſed facimus. Meminit & Seneca epiſtola [illegible] cuius verba ſublegiſſe videtur Macrobius, ut eſt omnium autorum vere fucus. Admonet adagium, ne quid fidamus illis, neve ex animo nobis amicos arbitremur, qui nos metu colunt. Admonet illum Plato libro de legibus 6. propterea quod ſervorum animus nequaquam integer ſit, ſed mentis dimidium iis ademerit Iupiter, Homero teſte, quos ſervituti fecit obnoxios. Verus autem amor, libertatis eſt alumnus. Odit vero quisquis metuit. Vnde genuinum quoddam odium inſitum videtur ſervis in dominos. Quadrabit & in principes tyrannidem in ſuos exercentes. Verba Platonis ſunt hæc: [illegible]

[illegible]

[illegible] Id eſt:

Nihil enim integrum neque ſanum habet animus ſervitis. Nam nihil omnino credere iis debes, hominem qui ſapiat. Siquidem poeta doctiſſimus ait:

Dimidio mentis deprivat Iuppiter illos
Serviliſ quoscunque viros ſors ceperit inquam:

Ad hunc modum refertur a Platone. Cæterum aliter habetur apud Homerum Odyſſeæ ρ. nimirum hunc in modum.—

[illegible]
[illegible]

Aſinius Capito apud Feſtum in Pompeium (nam is quoque proverbii facit mentionem) ... hominum errore perperam fuiſſe pronunciatum: propterea quod veriſimilius ſit, ſic eſſe dictum initio, Quot hoſtes, tot ſervi: quod capti victique ad ſervitutem adducebantur, unde etiam dicta mancipia.

Hoſtium munera non munera.

Priſcorum ſuperſtitio credidit, obſervanda vel maxime munera, a quibus, quo animo mitterentur: propterea quod quæ darentur ab iis qui nobis male cuperent, exitio plerunque fuiſſe conſtaret: ita ut fuit pyxis illa fallax, per Pandoram a Iove Prometheo miſſa: quemadmodum fuit & veſtis, qua Medea novam nuptam Iaſonis donavit: rurſum veſtis illa, quam Deianira miſit Herculi. Proverbiorum interpretes exiſtimant hanc paræmiam ex hiſtoria natam, quæ refertur apud Homerum Iliados lib. [illegible] Narrat autem Hectorem & Aiacem in ſignum amicitiæ, dona inter ſeſe permutaſſe, atque Hectorem Aiaci donaſſe gladium, Aiacem Hectori dediſſe balthe um, deinde paruiſſe utrique ſuum munus exitio fuiſſe. Siquidem Aiax victus ab [illegible] cognitis quæ is quæ per inſaniam tum dixerat, tum fecerat, [illegible] gladio ſibi necem conſcivit. Item Hector per occaſionem [illegible] raptatus eſt ab Achille intra muros Troianos. Adagium refertur apud Sophoclem in Aiace [illegible] ut non ab Aiace natum, ſed tanquam vetus iam tum [illegible] videatur uſurpari. Siquidem is poſteaquam mori decreviſſet, execratur eum gladium, quem quondam ab inimiciſſimo, dono acceperat, eumque ſibi fuiſſe inauſpicatiſſimum ait, neque [illegible] domino poſtea ſcilicet apud Argivos ſucceſſiſſe. Deinde ſuſpicionem hanc vulgato dicto confirmans, ait:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Quia verum id eſt mortalium proverbium,
Non eſſe dona, dona quæ veniant tibi
Ab hoſte, verum inauſpicata ac noxia.

Hac de re fertur epigramma Græcum huiusmodi:

[illegible]
[illegible]

Aiace datus enſis ab Hectore, baltheus Aiace
Hectori: utrique ſuum donum erat exitio.

Rurſum ex alio quodam epigrammate:

[illegible]
[illegible]

Atque ita ab hoſte hoſti veniunt lethalia dona,
Quæ ſtudii ſpecie fata necemque ferunt.

Huc ſpectat & illud, quod apud Euripidem Medea recuſans Iaſonis xenia tanquam perniciem allatura:

[illegible]

Id eſt,

Lædit, iuvat nil improbi munus viri.

Servius oſtendit & Vergilium hoc alluſiſſe, cum ait in Æneid. lib. 4.

—Enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.

De gladio loquitur, ab Ænea relicto, quo Dido ſeſe confodit: quem Æneam hoſtem & impium eadem vocat. Huc aſcribendus locus, quod arcanæ ſcripturæ proverbiis admonent, ne de inimico reconciliato ſimus ſecuri. Item proverbialis ille ſenarius,

[illegible]

Id eſt:

Ab hoſte dicta ne unquam amica duxeris.

Et alter huic ſimilis:

[illegible]

Id eſt:

Diſſiſus hoſtis, nil tenet unquam mali.

Proverbium accommodari poterit etiam ad illos, qui pauperes munuſculis quibusdam captant divites, ad eum modum liberalitatem illorum velut elicientes. Neque enim hoc eſt dare munus, ſed flagitare. Vnde Plutarchus in commentario [illegible], probat quod Dicæarchus Archelao dictum ab Euripide putat:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Donare pauper diviti velim nihil,
Ne ſtultus habear ſcilicet, ſi muneris
Titulo atque ſpecie dona videar poſcere.

Quadrabit & in eos, qui per artes magicas dæmonum utuntur obſequiis. Nam eadem tum exeunt in perniciem utentium, & tamen hæc deperes poſtremo qui quovis officio captant, non ex animo, ſed aliud ſpectantes. Ita per mutationem vocula [illegible] paræmiam hoc pacto [illegible] denique, [illegible] quemadmodum admonuimus ſub operis initio.

Homo homini lupus.

[illegible], id eſt, Homo homini lupus. Superiori quaſi diverſum eſt, ac velut huic effictum videtur, quod uſurpavit Plautus in Aſinaria, Homo homini lupus. Quo monemur ne quid fidamus homini ignoto, ſed perinde atque a lupo caveamus. Lupus eſt, inquit, homo homini, non homo, qui qualis ſit non novit.

Etiam ſi Cato dicat.

Plutarchus in vita Catonis Vticenſis narrat tantum Catonis apud populum fuiſſe fidem & autoritatem, ut de rebus incredibilibus proverbio diceretur: [illegible] id eſt, Illud incredibile eſt, etiam ſi dicat Cato. Et Orator quidam cum hyperbole dixerit, uni teſtimonii eſſe credendum, ſubiecit ne Catoni quidem. M. Tullius Epiſt. ad Attic. lib. 2. Quid Cato ille noſter, qui mihi unus eſt pro centum millibus? Summa erat autoritas Ariſtidis apud Athenienſes, ac Xenocratis, cui uni populus remiſit iusiurandum: quum alioqui nullus ibi teſtis admitteretur abſque iureiurando. Huic affine eſt, Nec iurato illum crediturus ſim.

Lydus oſtium clauſit.

[illegible], id eſt, Lydus oſtium clauſit. De furacibus dicebatur, quod Lydi non diſcederent, niſi re quapiam ſublata. Quod ſi permittitur nobis divinare (cur autem non permittatur in re tam vetuſta, cum nec autor extet, nec interpres?) malim accipere de iis, qui rem quampiam obſcœnam aggreſſuri, ſuſpectos arbitros abducunt ſeſe, propter Lydos molliciei notatos. Vnde & Plautus Lydum Volſam appellat. Alluſit ad proverbium, atque utinam aperuiſſet etiam, Plutarchus in commentario quem ſcripſit adverſus Colotam: [illegible] id eſt: At mihi videtur quemadmodum Lydus adverſus ſeipſum, non unam aperire ianuam, ſed plurimis ac maximis difficultatibus Epicurum involvere. Niſi ſi cui magis placet, ut hic Plutarchi locus referatur ad illud, quod alias dicetur, Viro Lydo negocium non erat. Heſychius meminit proverbii, ſed nihil addens præter hæc verba. [illegible] de ſtulte furacibus. Verum hic prodidit nobis depravatam in aliis libris ſcripturam, legendumque non [illegible] ſed [illegible] id eſt, movit, ſive tentavit. Fures enim impetu dum ne ſint ſtrepitum uti oſtium, ſeſe produnt ſæpius. [illegible] enim Græci, autore Suida, polyſemon eſt. Sonat enim, [illegible] id eſt, movere, obdere peſſulum, ſtrepitum facere, attingere. Hæc eſt autem præcipua furum ars, ut ſive ingrediantur, ſive egrediantur, abſque ſonitu moveant oſtium. Ex his iam arbitror eſſe perſpicuum, quid ſentiat Plutarchus.

Tuam ipſius terram calca.

Cum iubebimus quempiam, in ſuo loco ſe contineat, neque ſe recipiat in noſtra, quadrabit illud ex eiuſdem Hodœporis.

[illegible]

Id eſt:

Quin propriam calcans terram, quæ cetera tracto.

Conveniet, ubi patum ſidemus alicui, nec volemus in domeſticam recipere conſuetudinem.

Coch-

Cochleis diffidentior.

Ἀπιστότερος τῶν κοχλιῶν, id eſt, Cochleis diffidentior, de homine ſuſpicaci, incredulo, & diffidente, proverbialis hyperbole effertur. Anaxilaus comicus apud Athenæum libro ſecundo:

Ἀπιστότερος εἶ τῶν κοχλιῶν πολλῷ πάνυ,
Οἳ περιφέρουσ' ὑπ' ἀπιστίας τὰς οἰκίας.

Id eſt:

Es diffidentior multo quam cochlea,
Domum quæ circumfert, alieni incredula.

Heſiodus cochleam φερέοικον epitheto dixit, quomodo teſtudinem domi portam Pacuvius. Latitat enim intra teſtam cochlea, velut ſui diffidens, ſuoque ſucco, ſi cœlum neget, paſcitur. Unde Symmachus in epiſtolis: Ajunt cochleas dum litiunt, atque illis de cœlo nihil illiquitur, ſucco proprio victitare.

Graculo imperſuaſibilior.

De homine diffidente, cui difficulter perſuaderi aliquid poſſit, dici poterit illud Plutarchi ex libro De non fœnerando, ἀπιθανώτερος κολοιοῦ: Graculo ad perſuadendum ineptior. Natum fortaſſis inde, quod Graculi pertinaciſſime ſuum genus colunt, mutuoque ſe diligunt, aliis avibus raro ſe aſſociantes: quanquam is ſui generis amor ipſis cum primis ſit exitialis.

BRASSICANI.

Nervi & artus ſapientiæ ſunt, non temerè credere.

In oratione Q. Cicer. De petitione conſulatus, & j. epiſt. ad Atticum, citatur ſentẽtia Epicharmi, mirum niſi proverbialis: Nervi & artus ſapientiæ ſunt, non temerè credere. Nemo citius fallitur, quam qui temerè credit: nemo verò rectius judicat, quam qui re prius ex omni parte comperta atque explorata judicat. Qui celerius credunt, quam rem inveſtigaverint, non ſemel & ſe & alios in maximum diſcrimen adduxerunt. Verbum hoc cumprimis nobile, quum ad omnes pertineat, præcipuè principes officii ſui commonefacit: qui ſi temerè crediderint, & ſe atque ſuos in æſtimandis malis involvent. Conſule proverb. Eraſm. Nemini fidas niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris.

COGNATI. *Viſus fidelior auditu.*

Quoniam fortius feriunt ſenſus, quæ in oculos incurrũt, quam quæ auribus ſolum percipiuntur: ideò multo plus intelligitur, ut inquit Hieronymus, quod oculis videtur, quam quod aure percipitur. Theodoretus in religioſa hiſtoria, ſtatim in principio, ut ſũt verba Latine reddita. Viſum (inquit) eſſe fideliorem auditu dicunt: auditui tamen ſit quoque fides, dum ex eorum qui dicunt, veritate, ea quæ dicuntur judicat. Hoc ſimile eſt Plauti in Truculento: Pluris eſt oculatus teſtis unus, quam auriti decem. Ad quod Juſtinianus Inſtit. lib. iij. de gradibus cognationum alludit, cum oculatam fidem appellat, rem oculis ſubjectam. Quidam apud Lucianum in libello, cui πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν nomen dedit: μέμνημαι γὰρ, ὦτα ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα, id eſt: Memini enim aures quam oculi minus fidei digni ſunt. Idem de ſaltatione: Herodoto, inquit, authori graviſſimo, ea quæ oculis apparent, certiora videntur: quam quæ percipiuntur auribus. Cicero pro Archia poeta: Adeſt vir ſumma authoritate, & religione, & fide. M. Lucullus, qui ſe nõ opinari, ſed ſcire: nõ audiviſſe, ſed vidiſſe: nõ interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Hinc oculis arbitrari, eſt præſentem eſſe, & videre, atque obſervare. Plautus: Hinc ego Huc atque illuc poterò quid agant arbitrarier. Idem in Captiv. Ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant. Bud. Robertero: Cum ille rationem occupationum mearum norit aliquantulum, oculiſque interdum arbitretur. Arbitrari autem eſt obſervare, & diligenter intueri. Inde illud Livianum: Per deos fœderum arbitros & teſtes. Vide alibi. Sine arbitris.

Credimus, quæ coram intuemur.

Vulgato ſermone in Gallia, Jam credere dicimur, quæ coram intuemur, nihil etiam de eventu ſoliciti. Ita læna quædam in Plauti Aſinaria, adoleſcenti montes aureos pollicenti, cum illa nihil commoveretur pollicitis: Semper, inquit, oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt quod vident.

Nous croyons ce que nous voyons.

(Huic affine videtur Eraſmic. Oculatæ manus.)

DIGNITAS, ET EXCELLENTIA, ET INÆQVALITAS.

ERASMI. *Digna canis pabulo.*

Ἀξία κυνὸς τοῦ βρώματος: id eſt, Digna canis pabulo. Fermè perinde valet ac ſi dicas: Dignus operarius mercede ſua. Et: Vix quiſquam eſt tam inutilis miniſter, quin ſi nõ amplo ſalario, certè victu dignus eſſe videatur. Refertur à Suida. Quadrabit in hominem non uſquequaque rejiciendum atque inutilem: aut in hominem aſſentatorem, & ob id idoneum qui verſetur in principum aulis: ubi nullo in precio ſunt, qui neſciant adulari.

Canis digna ſede.

Ἀξία κυνὸς ἕδρα: id eſt, Canis digna ſede. Cum novus honos obtigit cuipiam immerẽti. Sumptum videtur à Militæis canibus, quibus nonnullæ muliercul æ majorem habent honorem quam ipſis maritis. Niſi mavis referre ad Anubim Ægyptiorum deum. Porrò conſtat, canibus à dominis tantum honoris habitum, ut defunctis etiam monumenta ſtatuerint. Refertur à Diogeniano.

Dignus obeliſco.

Ἄξιος ὀβελίσκου: id eſt, Dignus obeliſco, dignus quovis honore. Summis enim viris ejuſmodi columnæ ac pyramides erigebãtur, magnificis inſcriptæ titulis, aut ingentes coloſſi: ſic enim ſtupidi principes olim fingi gaudebant. Tametſi proverbium ancipitem habet ſententiam: propterea quod Ariſtarchus obeliſcis jugulare ſit ſolitus, quæ parum probaret. Meminit hujus præter alios Suidas.

Quavis re dignus.

Ἄξιος τοῦ παντός: id eſt, Quavis re dignus. Refertur ab omnibus Græcorum adagiorum collectoribus. Utitur Plato in Sophiſta: καὶ τοῖς μὲν δοκοῦσιν εἶναι τοῦ μηδενὸς τίμιοι, τοῖς δ' ἄξιοι τοῦ παντός, id eſt. Aliis videntur nulla re digni, aliis rurſus quantavis. Similiter dixit Terentius, Hominem quantivis precii. Quanquam hujus adagionis modo eſt facta mentio.

Dignus argivo clypeo.

Ἄξιος εἶ τῆς ἐν Ἄργει ἀσπίδος: id eſt, Dignus es Argivo clypeo. De generoſo, ac majorem in modum venerando: inde ſumptum, quod apud Argivos ex more pueri incorrupti purique, clypeos quoſdam geſtantes, pompas agebant. Iſque honos erat illi ætati, priſco quodam inſtituto decretus.

Dignum propter quod vadimonium deſeratur.

Ubi rem maximi momenti volemus ſignificare, quæque vel quantovis diſpendio debeat experi, dignã eſſe dicemus, cujus gratia vadimonium deſeratur. Nam qui vadati ſunt, non niſi ſummo ſuo periculo abeſſe poſſunt. Plinius ſecundus præfatione Naturalis hiſtoriæ: Inſcriptiones, inquit, propter quas vadimonium deſeri poſſit, hoc eſt, quarum gratia omnia ſint poſthabenda, vel maxime ſeria. Seneca de Beneficiis libro iiij. Vadimonium promittimus, tamen deſeritur. Non in omnes datur actio. Deſerentem vis major excuſat. Hæc Senecæ verba declarant, vehementer urgens eſſe oportere, quod excuſet vadimonii promiſſi deſertorem, Horatius:

—Et caſu jam reſpondere vadato
Debeat. ———

Ridet improbum garrulum, qui maluerit periclitari de cauſa, quam à nugis diſcedere. Conſimilis eſt forma. Quaſi pro aris focisque dimicare: quum de re chara ſeriaque certamen eſt. Nec diſſimili ſchemate dixit Celſus, libro Pand. vj. tit. de rei vindicatione: Laribus ſepulchriſq; avitis carere. Finge, inquit, pauperem, qui ſi reddere id cogatur, laribus ſepulchriſq; avitis carendum habeat: ſufficit tibi permitti tollere ex his rebus quæ poſſis, dum ita ne deterior ſit fundus, quam ſi initio non foret ædificatum.

Digna cedro.

Digna cedro dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, & ejuſmodi judicantur, ut poſteritati conſecrari debeant. Horatius in Arte poetica:

———Speramus carmina fingi
Poſſe linenda cedro.

Perſius item:

———Et cedro digna locutus.

Sumptum ab arboris natura, cujus ſucco quæ ſunt illita, non ſentiunt cariem. Nam hac arte Numæ libros cum eſſent chartacei, duraſſe ad annos quingentos triginta quinq;, terræ infoſſos, narrat Plinius lib. 13. cap. 13. Idem lib. 16. cedrum inter æternas materias commemorat. Dioſcorides ait maximè probari ſuccum hujus arboris, craſſum, pellucidum, & odore vehementiore, quiq; non defluit, ſed guttis concreſcit manetq;. Vim habet diverſam: viva corpora corrumpit, mortua ſervat incorrupta. Unde à nonnullis dictum eſſe tradunt, νεκρῶν ζωήν, i. Cadaveris vitam. Eodem pertinet illud:

—Nec ſcombros metuentia carmina, nec thus.

Item Martialis:

Ne nigram citò raptus in culinam,
Cordylas madida tegas Papyro.

Et Horatius:

Aut fugies Uticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Dignus qui cum in tenebris mices.

Qui certiſſima eſſet fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris micaretur. Cicero libro Officiorum iij. Hoc nonne eſt turpe, dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitant, a quib. natum eſt id quod tritum eſt vetuſtate proverbium. Cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum eſſe dicunt, qui cum in tenebris mices. Idem de finibus libro 2. Cur juſtitia laudatur, an verum eſt tritum vetuſtate proverbium, qui cum in tenebris mices? Eſt autem micare, luſus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat, ut repente porrectis digitis, certantium uterque numerum divinet. Hujus Cicero mentionem facit, lib.

De divinatione ij. Quid eſt enim ſors? Idem propemodum quod micare, quod talos jacere, quod teſſeras. N. Varro: Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. Nemeſianus in carmine Bucolico:

——Digitos jactare micantes.

Meminit divus Auguſtinus lib. de Trinitate xiij cap. v. Nã id, inquit, vbi volumus, facilè habemus, vt alia omittã, vel micando digitis tribus. Porrò qui cum micas in tenebris, ei liberũ eſt, ſi velit fallere. Proinde. Dignus qui cum in tenebris mices, dicitur, qui ſit vſq; adeò certa fide, vt nec ſi tuto poſſit, velit quempiam mendacio fallere. Habent Græci ſimile quiddam, Dignus hic eſt, cui vel injurato fidem habeas: ὁ δ᾽ ἀνὴρ ἀνώμοτος πιστεύειν ἄξιος, id eſt. Hic vir dignus, cui credas etiam injurato, Cui diverſum, Ne jurato quidem illi crediderim.

Regina vaccula.

Βασιλικὴ βοίδιον, id eſt, Regia bucula. De prodigioſa fœcunditate ferebatur, natum è miraculo rei geſtæ. Ætate Ptolemæi junioris, vacca quædam eodem partu ſex ædidit vitulos. Autor Diogenianus. Simile illud Juvenalis:

——Scropha fœcundior alba.

Batti ſilphium.

Βάττου σίλφιον, id eſt, Batti ſilphium, Græci novum & rarum quempiam honorem proverbio vocant. Ariſtophanes in Pluto:

——Οὐδ᾽ ἂν εἰ δοίης γέ μοι
Τὸν πλοῦτον αὐτὸν, καὶ τὸ Βάττου σίλφιον.
Id eſt:
——Nec ſi mihi donaveris
Ipſumq; Plutum, ipſumq; Batti ſilphium.

Negat ſe ſycophanta quieturum, etiamſi præmium quantumvis magnum detur, Idem in Equitibus:

——Τὸν κραναῦλον οἶσθ᾽ ἐκεῖνον
Τῦ σιλφίυ τὶ ἄξιον γενόμενον; οἶδα μέντοι.
Id eſt:
——Noſtine ſtipitem illum
Qui dignus habitus ſilphio eſt? notus quidem eſt mihi ille.

Interpres diverſam originem adagionis adſcribit. Battus à Thera juxta Cretam inſula, profectus, oraculo monitus Apollinis vel (vt alii tradunt) domeſtica pulſus ſeditione, Cyrenen cõdidit. Cui cum Afri beneficii memores ſummum honorem habere ſtuderent, donarunt illi ſilphium herbam apud illos omnium pulcherrimam: ſimulque nomiſma ferientes, in cujus altera parte regia facies erat inſculpta, altera ſilphium, quo fuerat civitate donatus. Cujus rei meminit & Ariſtoteles in Republica Cyreneorum. Sed fuſius narrat Herodotus in Melpomene, addens, apud Libyas regem Battum appellari: & hoc nomine compellatum ab oraculo, ſignificante fore regem. Sunt qui dicunt imaginem fuiſſe datam: ſunt rurſum, qui anulum, in quo civitas erat expreſſa, regi ſilphiũ deferens. Porrò Silphium inter herbas primam gloriam obtinet, cujus & folia, & fructus, & caulis, & ſuccus precioſiſſimus fit. Unde Ampeliotæ (ea gens quædam eſt Africæ) Delphis ſilphii caulem conſecratum ſuſpenderunt, vt autor eſt Alexandrides. Hæc ferme adfert in Plutum. nec diſſident quæ Suidas memorat. At idem in Equites ſcribit, ſilphium fruticem eſſe inamœni odoris, rurſus juxta alios amœni, & ad medicamenta vtilem: cujus vſum primus inveniſſe creditur Ariſtæus Apollinis & Cyrenæ filius, qui & mellis inveniſſe traditur. Illud quid ſibi velit, neſcio, Ariſtophanes interpretatur, in altera nomiſmatis parte inſculptam βασίλειον, id eſt, regnum ſeu regiam, ſi transferas tonum: pro eo Zenodotus legit Ammonem. Sic enim habet: καὶ τὸ νόμισμα τοῦτο, ἐπὶ μὲν θατέρου ἄμμωνα, ἐπὶ δὲ θατέρου σίλφιον ἐντετυπωμένον, id eſt: Nomiſmatis altera parte Ammonem, in altera ſilphium expreſſerant Ammonem, vt arbitror, ſentiens Jovem regnorum largitorem, ſi quidem Homero credimus. Hujus Batti meminit & Pindarus in Pythiis: χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον καρποφόρου Λιβύας, id eſt. Reſpondit habitatori Batto frugiferæ Africæ. Eruditi quidam putant ſilphium laſerpitii genus eſſe.

Decernetur equa Theſſalica.

Ἐπιψηφισθήσεται ἵππος Θεσσαλική: id eſt, Decernetur equa Theſſalica. De ſummo præmio dicebatur, propterea quod antiquitus prima laus fuerit equarum Theſſaliæ, id quod ſatis indicat oraculum Æginenſibus redditum. Citat Euſtathius in ſecundum Iliados librum. Suidas refert, haud dum ſcio ex quonam autore: ἱππεῖς μὲν ἐν Θετταλίᾳ καὶ Θρᾴκῃ· τοξόται δὲ καὶ τὰ κοῦφα τῶν ὅπλων ἐν Ἰνδίᾳ καὶ Κρήτῃ καὶ Καρίᾳ, id eſt: Equites in Theſſalia Thraciaque, ſagittarii atque armatura levior in India, Creta & Caria. Finitimum eſt illi quod alio dictum eſt loco: Pellenæa tunica. Lepidus erit per ironiam.

Bos in civitate.

Βοῦς ἐν πόλει, id eſt, Bos in civitate. Dicitur, vbi quis ad novos honores evehitur. Lyſias bovis imaginem æream in arce collocavit Athenis. Ea res in vulgi jocum ceſſit: nam in agris boum vſus eſt, non in vrbibus. Quadrabit & in eos qui præter meritum eveheuntur ad ſummos honores: veluti quum ſcortator indoctus fit epiſcopus aut abbas.

Sapientum octavus.

Huic per omnia ſimilimum eſt illud Horatianum in Sermonibus: Sapientum octavus, in eum, qui ſibi multum tribuat in ſapientia. Numerantur enim apud Græcos ſeptem ſapientes, eorumque apophthegmata oraculorum vice celebrantur, etiamſi de nominibus magna inter ſcriptores varietas eſt. De numero certè conſtat inter omnes. Unde per ironiam ſapientum octavum dicebant, dignum qui ſeptem illis adderetur. Horatius:

Hæc mihi Stertinius ſapientum octavus.——

Item Auſonius:

Sapienſq; ſupra Græciæ ſeptem viros
Octavus acceſſit ſophos.

Columen familiæ.

Columen familiæ dixit Teren. in Phorm. non dubium quin proverbialiter, Getam ſervum natu grandem, cui peregrè profecturus, tanquam pædagogo & curatori juvenum mores, & rem domeſticam ſenex commendarat. Donatus columen dici putat, perinde quaſi columnam dicas, cui reliqua domus innitatur: vnde antiquitus ſervos majores, columellas dictos. Huic adſtipulatur illud Vergilianum:

——In te omnis domus inclinata recumbit.

Item illud Euripidis in Iphigenia in Tauris:

Στῦλοι γὰρ οἴκων εἰσὶ παῖδες ἄρσενες.
Id eſt:
Domus columnæ liberi ſunt maſculi.

Pindarus in Olympiis Hectorem appellat columnam Trojæ: ὃς Ἕκτορ᾽ ἔσφαλε Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα, id eſt: Qui Hectorem ſubvertit, Trojæ inexpugnabilem, immobilem, columnam. De Achille loquitur. His affine quod dixit Juvenalis:

——Miſerum eſt alienæ incumbere famæ,
Ne collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

Vtramque paginam facit.

Plinius Hiſtoriæ mundi libro ij. cap. vij. de fortuna loquens: Huic inquit, omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola vtranque paginam facit. Proverbii faciem habet illud, Utranque paginam facit: ſumpta metaphora à codicillis rationalibus, duas habentibus paginas: alteram quæ indicat quid ſit datum, alteram quæ quid acceptum ſit oſtendit. Itaque in rebus humanis fortuna vtranque facit paginam: id eſt, ſive quid obtigit boni, ea laudatur, quaſi dederit: ſive mali quid accidit, eadem inceſſitur, ceu malorum autor.

Eſto promus.

Ἔσο ταμίας, τἄλλα δ᾽ εἰ βούλει κύων.
Id eſt:
Sis condus, in reliquis canis eſto ſi libet.

Ajunt dictum in eum, cui felicitas immerenti obtigiſſet, peculiariter in eunuchos. Suidas indicat, Athenis fuiſſe magiſtratum decemviris commiſſum, qui pecunias in arce Palladis poſitas ſervarent quas ſacras & publicas appellabant, vna cum ipſo Palladis ſimulacro, ac reliquis templi ornamentis. Erant & tamiæ triremium, qui præfectos triremibus ſolẽt comitari, veluti cuſtodes. Is magiſtratus interdum furacibus committebatur, cum oportuerit incorruptos atq; integræ fidei viros ad id aſciſcere: quaſi nihil referret qualis ſuſcipias provinciam, modo commiſſa ſit. Per ironiam dici poteſt ei qui dignitatem invadit, nihil laborans quam eruditionem, quoſve mores poſtulet ea dignitas, quaſi dicas: Eſto dignitate epiſcopus, moribus vel canis, ſi libet. Solent autem reges gazas ſuas & vxores eunuchis committere.

Iupiter aquilam delegit.

Ζεὺς αἰετὸν εἵλετο: id eſt, Jupiter aquilam delegit. Ubi quis aſciſcit ſibi præclaros, ſuisque rebus accommodos. Poetæ fingunt aquilam Jovi fulmen porrigere: quod hæc avis omnium altiſſimè ſubvolet, nec ictu fulminis lædatur. Ejusdem vſus eſt opera in rapiendo catamyto puero.

Glaucus comeſa herba habitat in mari.

Γλαῦκος φαγὼν πόαν οἰκεῖ ἐν θαλάσσῃ: id eſt, Glaucus comeſa herba habitat in mari. Dictum apparet per jocum de iis, qui cum perierint, tamen vulgò creduntur vivere, qualis opinio complureis annos noſtratium animos occuparat ad inſaniam vſque de principe Carolo Burgundionum duce: qui cum interiiſſet in bello, tamen haud deerant, qui non dubitarent magno periculo rerum ſuarum aſſeverare, illum adhuc in vivis eſſe. De Glauco Græci fabulã adferunt hujusmodi. Glaucus quiſpiã fuit Anthedonius piſcator, natandi peritia longè omnium primus. Is quo magis eſſet miraculo, commentus eſt impoſturam hujusmodi. Enatabat è portu ſpectantibus Anthedoniis, donec jam extra proſpectum eſſet. Ibi reverſus in terram, ſeceſſit in locum aliquem ſemotum, atque in eo dies complureis commorabatur. Deinde cum videretur, redibat nans in portum, ſpectantibus iis qui ſtabant in litore. Mirantibus autem amicis, ac ſciſcitantibus, vbinam gentium tam diu cõmoratus eſſet, adſimulabat, in marinis fluctibus iterum verſatum eſſe ſeſe. Auxit miraculum altero commento. Hybernis menſibus, cum cæteri piſcatores nihil piſcium capere poſſent, ille cives rogabat, quosnam piſces adduci vellent: Quosq; juſſiſſent, advehebat: videlicet jam ante paratos in hunc vſum, atq; alibi concluſos. Evo-

nit tandem, vt hic impoſtor à bellua quadam marina devoraretur. Isque fuit ejus comœdiæ finis. Porrò cum non rediret ex more, populari fama jactatum eſt, Glaucum guſtata herba factum immortalem, & in mari vitam agere. Interpres Apollonii poetæ cōſimilia tradit de Glauco, piſcatorem fuiſſe: qui cum aliquando multitudine piſcium quos ceperat, defatigatus eſſet, onus in media abjecit via. Ibi verò res accidit mira dictu, vnus è piſcibus jam moriens guſtata herba revixit. Id Glaucus obſervans, eadem herba comeſa, immortalis eſt redditus. Tandem tædio vitæ ſemet abjecit in mare. Sunt qui prodant eum verſum in deum marinum, ſunt qui in piſcem: de quo complura tradidit Athenæus l. 7. apud quem citatur alicubi Alexis ἐν ἀπεγλαυκωμένῳ. Quod ſi reliquas fabulas Græculorum de Glauco cupis cognoſcere, lege ſeptimum Athenæi librum, qui vſque ad nauſeam vomitumque garrit de Glauco piſce, de Glauco dæmone: mihi non licet tantum nugarū hic repetere. Hoc commentum animo penè reclamante adſcripſi. Nam vt ſimpliciter, quod ſentio, dicam, mihi ſubolet Græcum ſcriptorem, quisquis is fuit, in hoc finxiſſe proverbium, quo fabulam hanc liceret commemorare. Malui tamen hoc operæ ludere, quam quibusdam parum eruditis anſam calumniandi præbere, quod inſciens præterierim id quod in cacuſis etiam Græcorum commentariis habeatur.

Antiquior Codro.

Πρεσβύτερος κόδρου. De priſcis, & ob antiquitatem admirandis. Codrus antiquiſſimus Atticæ rex, cujus alibi nobis facta mentio, ad hunc genus ſuum referebant, qui generoſi videri volebant.

Pro dignitate cujusque.

Cum vnicuique partes tribuuntur pro decoro perſonæ, proq; dignitate: veluti ſi negocium arduum committatur prudenti & exercitato, leviuſculum juveni cuipiam & imperito: quadrabit illud ex eodem Iliados ξ.

Ἐσθλὰ μὲν ἐσθλὸς ἔδυνε, χέρεια δὲ χείρονι δόσκεν.

Id eſt:

Egregia egregius ſubit arma, ac deteriori
Deteriora dedit.———

Myrteam coronam ambis.

Μυρρινοῦν: id eſt, Myrteam cupere dicebatur, qui tyrannidem aut magiſtratum ambiret. Nam olim principes myrteis corollis coronabantur, ſi quidem Suidæ credimus.

Omnibus antevertenda vitæ cura.

Qui dicet omnia poſthabenda quo vitæ conſulamus, accommodabit illud ex eodem libro:

Οὐ γὰρ ἐμοὶ ψυχῆς ἀντάξιον, οὐδ᾽ ὅσα φασὶν
Ἴλιον ἐκτῆσθαι εὖ ναιόμενον πτολίεθρον,
Τὸ πρὶν ἐπ᾽ εἰρήνης.———

Id eſt:

Nullum equidem precium cum vita confero, nec cum
Iliacis opibus, pridem quas tempore pacis
Urbs opulenta tenebat, vti fama eſt.

Moxque cauſa redditur, quod vna vita neque revocari, neque ſarciri poſſit, ſimulatque ſemel dentes reliquerit.

Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ
Οὔθ᾽ ἑλετή.

Cæcus & claudus non intrabunt templum.

Recenſetur lib. Reg. 2. cap. 5. Quum David omnium tribuum conſenſu ſuſcepiſſet regnum totius gentis Iſraeliticæ, jamq; conſtituiſſet regiam ſuam ſtatuere in monte Sion, quæ tum erat arx Hieroſolymæ, quam id temporis obtinebant Jebuſæi, denunciatum eſt illi à Jebuſæis, non futurum vt ingrederetur vrbē, ni prius amoviſſet cæcos & claudos. Id vbi factum eſſet, abiit in proverbium: Cæcus & claudus non intrabunt in templum. Nec ſatis cōvenit inter interpretes, quid hoc loco ſibi velit cæcus & claudus. Quidam exiſtimant per contemptum dictum, Huc non ingredieris, niſi ſuſtuleris propugnatores mœnium, quibus tuendis ſufficiunt cæci claudique noſtri. Hebræi ſolent affingere fabulas, per quas explicent nodum quæſtionis. Ajunt in mœnibus vrbis poſitas fuiſſe duas imagines, Iſaac & Jacob: quorum ille legitur cæcutiſſe ſenio, hic claudicaſſe ex lucta cum Angelo. Has ideò collocatas, vt eſſent monumentum fœderis, quod olim pepigerant cum Abraham: qua de re meminit libri Geneſeos cap. 21. His igitur ſublatis capta eſt arx & natum proverbium, cujus ſenſum non ſatis perſpicio. Nam quod in Levitico cæcus & claudus arcentur à ſacris miniſteriis templi, non video quid faciat ad hanc hiſtoriam. Si divinare licet: fortaſſis in ſummis tectis ædium erant imagunculæ, quales ſolent imponi faſtigiis ædificiorum. Eas vulgò cæcos & claudos appellabant, quod nec ambularent affixæ, nec cernerent. Non patebat igitur ingreſſus in arcam, niſi tranſcenſis ædiū faſtigiis. Proinde David præmii loco promiſit militiæ principem futurum, quiſquis primus contigiſſet domatum fiſtulas. Fortaſſis adagio locus erit, quoties excluditur aliquis ab honore, velut indignus. Meritò enim excluduntur qui videbantur excludere. Et hujuſmodi imagines in templorum tectis affiguntur foris, quum ipſum templum nunquam ingrediantur.

Roſcius.

Roſcius hiſtrio tam erat felix in agendis fabulis, vt quisquis in arte quapiam inſignis eſſet, Roſcius vocaretur. Id indicat M. Tullius libro De oratore 1. Itaque hoc eſt jam diu conſequutus, vt in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Idem in 2. De oratore: Soleo ſæpe mirari eorum impudentiā, qui agunt in ſcena, geſtum ſpectante Roſcio. Quis enim ſe commovere poteſt, cujus ille vitia non videat? Rurſus in Bruto, Et in ſcena Roſcium eſſe intelligat. Hic eſt ille Roſcius Ciceronis concertator, quem ornavit hoc elogio, vt diceret virum fuiſſe tam bonum, vt vnus indignus eſſet qui in ſcenam prodiret, & eundem tam præclarum artificem, vt ſolus dignus eſſet qui in ſcena verſaretur. Eodem igitur tropo, quo vehementer in conſiliis callidum, Dædalum vocamus: in laboribus patientem, Herculem: in diſputando invictum, Achillem: in judicando; Ariſtarchum: patronum in cauſis agendis egregiè dextrum, Roſcium licebit appellare.

Primas tenere.

M. T. ad Qu. frat. Epiſt. lib. 3. carmen adfert veluti παροιμιῶδες: Illud verò, inquit, quod à puero ad adamarem,

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων,

totum occidiſſe. Quæritur enim illic, oppreſſa repub. nullum eſſe locum vel exercendæ virtuti, vel tuendæ dignitati. Carmen ſuſpicor eſſe Homeri, quod ita verti poteſt:

Primas vſque tenere, alioſq; excellere laude.

Idem vſurpat lib. 13. ad Cæſarem.

EXCELLENTIA ET INÆQVALITAS.

Hos etiam locos Excellentiæ & Inæqualitatis quod maximam inter ſe habeant affinitatem, cum ſuperiore conjunximus.

ERASMI. *Aquilam noctuæ comparas.*

Ἀετὸν γλαυκὶ συγκρίνεις, id eſt, Aquilam noctuæ comparas, Martialis in Scazonte:

Aquilaſque ſimiles facere noctuis quæris.

Aquila viſus acerrimi, adeò vt ἀσκαρδαμυκτεῖ, id eſt, non connivens adverſus ſolem intueatur. Et ſunt qui tradant hanc avem hoc experimento probare, degenereſne ſint pulli, an genuini. Contra noctua, ſolis lumen modis omnibus refugit. Pindarus quodam loco graculos cum aquila confert.

Cicada apem comparas.

Τέττιγα τὴν μέλιτταν συγκρίνεις, id eſt, Cicadæ comparas apem. Nam cicada cum major, tum canora: cum apis ſit non modo minuto corpuſculo, verum etiam penè muta. Lucianus in Rhetorū doctore, proverbium vtrunque attingit: τοσοῦτον ὑπερφωνοῦντα διέρρεις, ὁπόσον ἡ σάλπιγξ τοὺς αὐλοὺς, καὶ οἱ τέττιγες τὰς μελίττας, id eſt: Invenies tanto voce ſuperiorem, quanto tuba ſuperat tibias, apes cicadæ.

Teſtudinem pegaſo comparas.

Χελώνην πηγάσῳ συγκρίνεις, id eſt, Teſtudinem Pegaſo comparas. De rebus nequaquam inter ſeſe conferendis. Pegaſus equus erat volucer, ſi fabulis credimus: teſtudine nihil tardius. Vergilius in Tityro aliquot diſſimilitudinis formulas congeſſit:

Sic canibus catulos, ſimiles ſic matribus hœdos
Noram, ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Tibiam tubæ comparas.

Αὐλὸν σάλπιγγι συγκρίνεις, id eſt, Tibiam tubæ comparas. Refertur à Diogeniano. Convenit in res ſupra modum impares: propterea quod exilem vocem ædat fiſtula, tuba prægrandem.

Rana cum locuſta.

Impar certamen expreſſit hac figura Theocritus in Thalyſiis:

——Βάτραχος δὲ ποτ᾽ ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω.

Id eſt:

Sic certo veluti ſi certet rana locuſtis.

Addit Scholiaſtes, Græcis ranam dici βάτραχον, quaſi βοάτραχον, vocis aſperitatem.

Officere luminibus.

Officere luminibus dicitur, qui gloriā alterius obſcurat. Hic ſermonis color ſumptus eſt ex literis Jureconſultorum, in quibus cavetur ex ſervitutibus prædiorū, ne vicinus altius ſublato ædificio officiat luminibus vicini. Ita Paulus Pandect. lib. 8. tit. de ſervitutibus vrbanorum prædiorum, cap. 3. Luminum, inquit, ſervitute conſtituta id acquiſitū videtur, vt vicinus lumina noſtra excipiat. Quum autem ſervitus imponitur, ne luminibus officiatur, hoc maximè adepti videmur, ne jus ſit vicino invitis nobis altius ædificare, atque ita minuere lumina noſtrorum ædificiorum. Id eleganter alio detorſit M. Tullius in Bruto: Nam vt Philiſci & Thucydidis conciſis ſentētiis interdum etiam non ſatis apertis officit Theopompus elatione atq; altitudine orationis ſuæ, quod idem Lyſiæ Demoſthenes: ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altius oratio. Idem pro C. Rabirio Poſthumo, de C. Cæſare loquens: Nec amicum prudentem cor-

tuere patitur, nec illius animi aciem perſtringit ſplendore ſui nominis, nec mentis quaſi luminibus officit altitudo fortunæ & gloria.

Roſam cum anemona confers.

Ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις: id eſt, Roſam cum anemona confers: vbi quis vehementer impares inter ſe componit. Roſa priſcis in pretio fuit. Anemona papaveris genus, cujus flos ſpecie quidem roſam imitatur, cæterum nulla odoris gratia. Paſſim naſcitur in agris, cum olim roſæ ſummus ſit habitus honos.

Acanthida vincit cornix.

Acanthidem ſuperat cornix. Calphurnius Bucolicus poeta, ecloga 6.

Aſtyle credibile eſt, ſi vincat acanthida cornix,
Vocalem ſuperet ſi turpis aedona bubo.

Acanthis enim vocalis eſt avis, & in primis canora. Cornix obſtrepera quidem, ſed minimè canora. Acanthidem Theodorus nunc ſpinum vertit, nunc ligurinum: quin & aedona Græcè dixit. Sic autem pronunciandum, vt ae faciant duas ſyllabas. Nam Græcis ἀηδὼν luſciniam ſignificat. Plinius Græca voce dicit acanthidem, quaſi dicas ſpinulam, eo quod in ſpinis vivat: eoque aſinos habent inviſos, quod hoc animal ſpinæ florem devoret. Eſt autem avium minima, tantæ fæcunditatis, vt pariat duodena. Autor Plin. lib. 10 capitibus 62. & 74.

Cancros lepori comparas.

Καρκίνους ὁμοίως δὴ συγκρίνεις, id eſt, Cancros lepori comparas: de ſupra modum diſſimilibus. Etenim vt leporum celeritas, ita & cancrorum tarditas nota eſt. Simillimum eſt illi, quod proximè retulimus. Refertur & hoc apud eundem. Suidas addit, καρκίνος λαγὼν αἱρεῖ: id eſt, Cancer leporem capiet: de abſurdis, quæq; fieri nullo modo poſſunt.

Optima quidem aqua.

Ἄριστον μὲν ὕδωρ: id eſt, Optima quidem aqua: videtur in proverbium abiiſſe, quoties rei vehementer laudatæ præfertur aliquid melius: quemadmodum Pindarus auſpicans hymnos Olympiacos, aquam quidem fatetur eſſe optimam, ſed aurum præfert: quod ignis in morem noctu luceat. Sunt enim hæc duo præcipua elementa, aqua & ignis: vnde Aquæ & igni interdicitur, quos vita indignos judicamus. Ariſtoteles lib. Rhet. 3. vt vulgò jactatum citat: οἷον, inquit, λέγεται ἄριστον μὲν ὕδωρ. Quædam enim ob id præferuntur, quod ſint rariora. Alioqui aqua eſt magis neceſſaria, quam aurum. Meminit adagii Plutarchus in Commentario, in quo quærit vtrum aqua an ignis ſit vtilior. Supra modum efferenti philoſophiam, is qui fateatur quidem philoſophiam eſſe rem præclaram, ſed qua potior ſit Theologia, facete ſuccinet illud Pindarici carminis fragmentum ἄριστον μὲν ὕδωρ.

Crœſi pecuniæ teruncium addere.

M. Tullius lib. de finib. 4. Itaque in quibus propter earum exiguitatem obſervatio conſequitur, ſæpe accidit, vt nihil intereſſe noſtra fateamur, ſint illa nec ne ſint: vt in ſole, quod à te dicebatur, lucernam adhibere, nihil intereſt, aut teruncium addere Crœſi pecuniæ. Teruncii nummi, à trib. vnciis dicti, vilitas proverbio locum fecit. Crœſus Lydorum rex inter prodigioſe divites celebratur.

Senecta leonis præſtantior hinnulorum juventa.

Γῆρας λέοντος κρεῖσσον ἀκμαίων νεβρῶν, id eſt, Leo ſenex vigente potior hinnulo. Citatur apud Stobæum ex Hippothoonte poeta. Senectus viri fortis ac ſtrenui, præſtantior eſt juventa quorundam ignavorum & imbecillium juvenũ. Venuſtius fiet ſi longiuſcule transferatur. Veluti ſi quis ingenium docti ſeni & exercitati, præferat ingenio parum eruditi juvenis. Dicetur non ineptè & in ſenectutem crudam, viridemque, animique viribus adhuc pollentem, in quam competet illud Euripidis ex Jone:

Τὸ τοῦ ποδὸς μὲν βραδύ, τὸ δὲ τοῦ νοῦ ταχύ.

Id eſt:

Tardus quidem pes, animus eſt velox tamen.

Eodem pertinet illud ejuſdem in Andromacha:

Πολλῶν νέων γὰρ, κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ
Κρείσσων.——

Id eſt:

Gnavus ſenex & juvenibus compluribus
Præſtat.——

Ariſtophanes alicubi:

Ἐγὼ τοίνυν μὲν νομίζω γῆρας οὐμὸν κρεῖττον ἢ πολλῶν κικίννους νεανιῶν.

Id eſt:

Meam ſenectam præferendam exiſtimo
Complurium comis adoleſcentium.

Camelus vel ſcabioſa complurium aſinorum geſtat onera.

Κάμηλος καὶ ψωριῶσα, πολλῶν ὄνων ἀνατίθεται φορτία, id eſt, Camelus etiam ſcabioſa, complurium aſinorum tollit onera. De iis, qui vſque adeò præcellunt quosdam, vt etiam ſenes, aut alioquin ægroti, præſtantiores tamen ſint illis integris: aut de his, qui rebus parum proſperis, tamen plus valent ob priſtinæ fortunæ reliquias, quam alii rebus integris. Uſus eſt Syneſius,

Crotoniatarum poſtremus, reliquorum primus eſt.

Κροτωνιατῶν ὁ ἔσχατος, πρῶτος τῶν ἄλλων Ἑλλήνων, id eſt, Crotoniatarum poſtremus, primus reliquorum Græcorum. Strabo libro Geographiæ ſuæ ſexto, proverbium hoc ait ob inſignem Crotoniatarum præſtantiam in certaminibus Græcanicis. Plurimos enim egregios athletas protulit ea civitas, adeò vt in vno certamine Olympico, ſeptem viri, qui reliquos virtute præceſſerant, omnes pariter fuerint Crotoniatæ. Hujus gentis præcipuum decus Milo, literis omnium celebratus qui ſepties continenter vicit Olympia. Hunc ſi conſtitiſſet, nullus è veſtigio poterat educere. Malum tenenti nemo digitum corrigebat. De admirando, nec indigno vitæ interitu meminit Gellius. Adagioni locus erit, vbi genus aliquod tanto intervallo præcedere dicemus, vt qui in hoc ſit vel infimus, in illo poſſit primus videri: velut ſi quis dicat, in re militari vel ignaviſſimum Græcorum præſtantiorem eſſe fortiſſimo Trojanorum. Aut qui ſit apud Italos infantiſſimus, apud Gallos eloquentiſſimum videri poſſe. Aut qui citharœdus ſit deterrimus, eum aulœdorum principem haberi poſſe.

Plus apud Campanos vnguenti, quam apud cæteros olei fit.

Plinius Naturalis hiſtoriæ lib. 18. cap. 11. In Campania tamen, inquit, laudatiſſimus campus eſt. Montibus ſubjacet nimboſis, totis quidem 40. mil. paſſ. planicie. Gratia terræ ejus, vt protinus ſoli natura dicatur, pulverea ſumma, inferior bibula, & pumicis fiſtulans vice. Montium quoque culpa in bonum cedit. Crebros enim imbres percolat atque tranſmittit. Nec diluit, aut madere voluit, propter facilitatem culturæ. Eadem acceptum humorem nullis fontibus reddit, ſed temperat, & concoquens, intra ſe vice ſucci continet. Seritur toto anno, panico ſemel, bis farre. Et tamẽ verè ſegetes interquievere, fundunt roſam, odoratiorem ſativa. Adeò terra non ceſſat parere. Unde vulgò dictum, Plus apud Cãpanos vnguenti, quam apud cæteros olei fieri. Quantum autem vniverſas terras campus circumcampanus antecedit, tantum ipſum pars ejus quæ Laboriæ vocatur, quem Phlegræum Græci appellant. Hactenus Plinius. Si cui placebit adagium ad allegoriam trahere, poterit accommodari vel in regionem, vel in hominem adeò cæteris antecellentem, vt apud hunc major ſit exquiſitarum rerum copia, quam apud alios mediocrium, aut vulgarium.

Aquilæ ſenecta, corydi juventa.

Αἰετοῦ γῆρας, κορύδου νεότης, i. Aquilæ ſenecta, corydi juventa. De vivida viridique ſenecta, quæ præſtantior ſit aliquorum juventa. Nam anus aquila præſtat, corydo aviculæ, etiam ætate integra. Citra allegoriam extulit Euripides in Andromache:

Πολλῶν νέων γὰρ κἂν γέρων εὔψυχος ᾖ
Κρείσσων.——

Id eſt:

Multis enim juvenibus anteſtat ſenex,
Cui mens adeſt generoſa.——

Equis albis præcedere.

Ubi quem aliis quapiam in re longè ſuperiorem ſignificabant longoq; anteire intervallo, eum albis equis præcedere dicebant: vel quod antiquitus equi albi meliores haberentur: vel quod victores in triumpho albis equis vectari ſolerent. vel quod albi equi fortunatiores & auſpicatiores eſſe crederentur, vt ad equeſtre certamen referamus metaphoram. Quod quidem indicat Apuleius, cum ait, Poſtquam ardua montium, & roſida ceſpitum, & glebeſa camporum emerſi, me equo indigena peralbo vehens, jam eo quoque admodum feſſo. Neque enim temerè addit, vel indigena: id eſt, Theſſalico, vel albo, nam vtrunque pertinet ad emphaſim pernicitatis. Horatius in Sermonibus de Perſio quodam:

Durus homo, atq; odio qui poſſit vincere regem:
Confidens, tumidusque, adeò ſermonis amari,
Siſennas, Barros vt equis præcurreret albis.

Erant autem Siſenna & Barrus, homines quidam inſigniter maledicentia: etiam ſi Acron Barbaros legit, vt ſit epitheton. Neque diſſimile huic Plautinum illud in Aſinaria: Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit, nunquam ædepol albis quadrigis indipiſcet poſtea. Græci ſimpliciter dicunt παρελαύνειν, pro longè antecellere: quod equeſtris curſus ſit expeditior.

Culicem elephanti conferre.

Κώνωπα ἐλέφαντι παραβάλλεις: id eſt, Culicem elephanti conferre dicuntur, qui minima maximis comparant. Libanius ad Caſiliũ: τὸ δ' ἐμὸν τοιοῦτον, οἷον κώνωψ ἐλέφαντα παραβαλλόμενος, id eſt: Ego verò perinde ſum, quaſi culex cum elephante collatus: Hujus generis eſt & Vergilianum illud:

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram, ſic parvis componere magna ſolebam.
——Si parva licet componere magnis.

Multis paraſangis præcurrere.

Πολλαῖς παρασάγγαις ὑπερβάλλειν, id eſt, Multis paraſangis præcurrere, dicitur, qui longo intervallo præcedit, multiſq; partibus ſuperior eſt. Eſt apud Athenæum libro Dipnoſophiſtarum 3. πολλαῖς παρασάγγαις ὑπερβεβληκότες τὸν Σικελιώτην Διονύσιον, id eſt: Multis paraſangis ſuperantes Siculum illum Dionyſium. Id quo magis

magis ad animi res transferetur, hoc erit venuſtius, Paraſangam autem Perſæ triginta ſtadiorum ſpacium vocant, ut locis aliquot indicat Herodotus, qua voce uſus eſt Lucianus in Icaromenippo: quem dialogum nos olim Latinitate donavimus.

Teſtudinem equus inſequitur.

Plutarchus in libello quem ſcripſit adverſus Stoicos: πολὺ δὲ τοῦτο σχετλιώτερον ἐστὶ καὶ μᾶλλον ἀπήρτηται τῆς ἐννοίας, τὸ μηδὲν ὑπὸ μηδενὸς καταλαμβάνεσθαι, μηδ' εἰ χελώνην, τὸ τοῦ λόγου φασὶ, μετιόντα θᾶττον ἀδράστου ταχὺς ἵππος, id eſt: Multo verò illud indignius, & à cogitationibus ſejunctius, nihil à quoquam comprehendi, nec ſi teſtudinem, id quod proverbio dicitur, à tergo inſequatur Adraſti celer equus. Conveniet uti, cum rem præpoſterè & abſurdè geri ſignificamus. Finitimum eſt illi, quod alias à nobis dictum eſt, Teſtudinem Pegaſo comparas: &, citius teſtudo leporem præverteris.

Pica cum luſcinia certat, Epopa cum cygnis.

Conſimilem habent ſententiam, quæ leguntur apud eundem in eadem Ecloga:

Οὐ θεμιτὸν Λάκων ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδειν,
Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι.

Id eſt:

Haud fas eſt Lacon, philomelam ut provocet unquam
Pica, nec argutis epopa obſtrepat improba cygnis.

Nihil ſimile.

Ad iniquam comparationem ſignificandam valebit illud ex eodem:

Ἀλλ' οὐ συμβλητ' ἐστὶ κυνόσβατος οὐδ' ἀνεμώνα
Πρὸς ῥόδα.———

Id eſt:

Imò res eſt ſtulta, cynosbaton aut anemonam
Compoſuiſſe roſis.

Cynosbatos Græcis ſonat canis rubum, eſt fruticis genus, ſed roſam producit, contemptam, minimeque grati odoris. Anemonam Dioſcorides papaveris ſpeciem facere videtur.

Sedecim pedibus ſuperavit.

Haudquaquam alienum eſt à proverbiali figura, quod in Pericle ſcripſit Ariſtides: nempe Periclem oratorem reliquos in dicendo ſedecim præteriſſe pedibus: λέγων, inquit, ὡς ἑκκαίδεκα μὲν ποδῶν ᾕρει τοὺς ῥήτορας ἐν τοῖς λόγοις, μόνῳ δὲ πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐν τοῖς χείλεσι, πάντα δὲ ἦν ἄρα φλυαρίαν πρὸς ἐκεῖνον, id eſt: Dicens illum ſedecim pedibus viciſſe rhetores dicendo, atque in unius illius labiis inſediſſe ſuadelam quandam: cætera verò omnia nugas præ hoc fuiſſe. Itaque Sedecim pedibus pro maximo intervallo dixit. Sumpta metaphora à ſtadiis curſorum. Locus autem hic de Pericle eſt apud Eupolim comicum, in comœdia cui titulus, Δῆμοι:

Κράτιστος οὗτος ἐγένετ' ἀνθρώπων λέγειν,
Ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομῆς,
Ἐκκαίδεκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας.
Ταχὺς λέγεις μὲν, πρὸς δὲ αὐτοῦ τῷ τάχει,
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐν τοῖς χείλεσιν.

Id eſt:

Hic inter homines plurimum unus polluit
Dicendo, quoties præteribat, uti bonus
Agiliſque curſor, ſedecim ſpacio pedum
Linquebat à ſe cæteros jam rhetores.
Sermone celer erat, celeritati aderat huic
Suadela quædam illius inſidens labris.

Hos verſus & Ariſtophanes adducit in Acharnenſibus ex Demis Eupolis adjunctis his duobus:

Οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων,
Τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Id eſt:

Adeò movebat, atq; ſolus rhetorum
Aculeum in animis liquit audientium.

M. Tullius in Bruto: Quam deam inquit, in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitaviſſe. Hujus immodicam eloquentiam idem taxavit, in eadem comœdia,

Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
Ἤστραπτ' ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Id eſt:

Pericles at indignatus hinc Olympius
Tonat, coruſcat, miſcet omnem Græciam.

Porrò quod ad ſuadelam attinet, id imitatus Ennius apud Ciceronem in Catone Majore, M. Cethegum Suadæ medullam dixit. Ab hujus proverbii forma non diſcrepat illud Ariſtophanis ἐν τῷ Κεφαλῷ:

Τῶν Ἑλλήνων ἄρας λόγων ἐγγὺς σταδίοισιν ἑκατόν,

Id eſt:

Ut Graios, dicat ſtadiis præcedere centum.

Lepidius etiam erit, ſi pro pedibus paraſangas dixeris.

Bubo canit luſciniæ.

Item illud proximè conſequitur:

Κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο. id eſt:

Buboque montanus philomenis occinat ipſis.

Cum infans ſuadere conatur eloquenti, aut ineruditus docere doctiſſimum.

Si tanti vultum, quanti margaritum?

Divus Hieronymus in epiſtola quadam ad Demetriadem virginem: Solent miſeri parentes, & non plenæ fidei Chriſtiani, deformes, & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere: ſi tanti, ut dicitur, vitũ, quanti margaritum? Utitur eodem compluſculis alibi locis: uſurpatur & à Tertulliano in libello ad martyres. Hoc dicto ſumma rerum inæqualitas ſignificabatur. Inter gemmas prima laus olim fuit unionibus, vitrum viliſſimum: & tamen geminas nonnihil imitatur. Si tanto ſtudio curas, ut vivat corpus: quam eſt danda opera, quo vivat animus? Si nihil non facis, quo placeas homini principi: quanto magis enitendum, ut placeas principi deo? Si tantis ſudoribus parantur opes perituræ, vel uſu, vel furto: quur non magis incumbimus, ut cœleſtes opes accumulemus: In his & hujusmodi locus erit proverbio.

Quanto aſinis præſtantiores muli.

Theognidis illud ipſiſſimam proverbii faciem habet:

Γνοίης δ' ὅσσον ὄνων κρείττονες ἡμίονοι.

Id eſt:

Nôris uti quanto muli aſinos ſuperent.

Dicendum ubi quis longo intervallo præcedit. Refertur apud Athenæum lib Dipnoſophiſtarum 7. Sumptum videtur ex Homero cujus hi verſus ſunt Iliad. κ.

Ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἀπέην ὅσσον τ' ἐπὶ οὖρα πέλονται
Ἡμιόνων, αἳ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν,
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον.

Id eſt:

Verum ubi tantum aberat, quantum pars ultima ſulci
Mularum. Siquidem bubus longè potiores,
Ducere per pinguem ſegetem compactile aratrum.

Rurſum Odyſſeæ θ.

Τῶν δὲ θέειν ὄχ' ἄριστος ἔην Κλυτόνηος ἀμύμων.
Ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιόνοιιν,
Τόσσον ὑπεκπροθέων λαοὺς ἵκεθ', οἱ δ' ἐλίποντο.

Id eſt:

Hos curſu anteibat Clytoneus ſplendidus omnes:
Quantum mularum ſulcus præcedit in arvo.

Fluvius cum mari certas.

Ποταμὸς θαλάττῃ ἐρίζεις, id eſt: Fluvius cum mari certas, ubi minimi cum maximis certamen ſuſcipiunt. Eſt autem locus quiſpiam (ut autor Suidas) in Leontide, cui nomen ποταμοί, id eſt, fluvii. Hujus incolæ ποτάμιοι, quaſi fluviales dicuntur. Hi notati ſunt, quod quam plurimos in ſuam civitatem adſcriberent, quos ea non ſatis commode caperet. Atq; hinc proverbii jocus, quod cum fluvius eſſet, i. locus non admodum amplus, mare videretur æmulari, cum omnes undecunq; in ſeſe reciperet.

Hirundo totos ſchœnos anteibit.

Πέλον τις χελιδὼν ὅλους σχοίνους παρελεύσεται, id eſt, Hirundo quæpiam totos ſchœnos prætenbit. Ubi quis immenſo vincit intervallo. Nam σχοῖνος Græcis menſuræ genus, quæ (ſicut exiſtimat Herodotus lib. 2. ſexaginta complectitur ſtadia. Quemadmodum & docet Hermogenes in libello cui titulus περὶ μεθόδου δεινότητος, oſtendens eſſe verbum Ægyptium, quemadmodum paraſanges Perſicum. Etiamſi Plin. lib. 12. cap. 14. quadraginta ſtadia tribuit ſchœno, quæ efficiant paſſuum quinque millia. Rurſus idem lib. 5. c. 10. ſcribit ſchœnum patere ſtadia triginta: unde varietas videtur accidiſſe ſcribarum vitio. Quanquam ſuſpicor hoc loco Chelidonem pro viro accipiendum, cujus alibi facta eſt mentio: qui haud ſcio an curſu celeritateq; præcelluerit.

Hinnulus leonem.

Proverbialis eſt allegoria, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα, i. Hinnulus leonem, ſubaudiendũ, cepit, vicit, aut provocat, aut id genus aliquid pro ratione ſententiæ: quoties præpoſtero rerum ordine, qui viribus multo eſt inferior, ſuperat potentiorem. Lucianus De captatore teſtamenti qui juvenis à ſene, captator à captato captus eſt: τοῦτο ἐκεῖνο τὸ τῆς παροιμίας, ὁ νεβρὸς τὸν λέοντα. i. Hoc eſt illud quod proverbio dicitur, Hinnulus leonem. Huc reſpexit, quiſquis fuit qui ſcripſit Megaram Herculis:

Ἢ ὅτι ἄλγεα πάσχει ἀπείρατα φαίδιμος υἱὸς
Ἀνδρὸς ὑπ' οὐτιδανοῖο, λέων ὡσεὶ ὑπὸ νεβροῦ:

Id eſt:

An quoniam immenſis affligitur inclyta proles
A viro inerte, leonem ut ſi hinnulus urgeat acrem?

Non inconcinne trahetur ad id quoque, quoties fit ut longè inferior laceſſat potentiorem, aut multis partibus indoctior certet cum eruditiſſimo.

Minerva felem.

Ἀθηνᾶ τὴν αἴλουρον, id eſt, Minervæ felem: ſubaudiendum: comparas. Cum multò inferiora cum præſtantioribus comparantur, quod leviuscula quapiam in re cōveniant, Quid enim habet Minerva dea cum fele commune, præter glaucorem oculorum? Nam is oculorum color Minervæ tribuitur, qui & noctuis adeſt & felibus. Unde apud Homerum etiam epitheton, γλαυκῶπις ἀθήνη. Eſt & hoc felibus commune cum noctuis, quod & noctu cernunt, & pariter inſidiantur muribus. Refertur apud Zenodotum & Suidam.

Etymologus indicat diſcrimen orthographiæ, quo ἔλουρος pro gente (eſt enim Scythiæ, à paludibus dicta) ſcribitur per ε pro animante, per diphthongum, αἴλουρος, quaſi dicas Torquicaudam, aut Trahicaudam, quod tamen apud autores video negligi.

Nihil ad Parmenonis ſuem.

Οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν, id eſt, Nihil ad Parmenonis ſuem. De æmulatione dictum, quæ longo intervallo abeſſet ab eo quod imitaretur. Plutarch. in Symp 5. Decad 2. Problem. quo pacto natum ſit adagium, narrat ad hanc fermè ſententiã. Parmeno quiſpiam fuit ex hominum eorum genere, qui noſtris etiam temporibus varias animantium & hominum voces ita ſcite imitantur ac repræſentant, vt audientibus tantum, non etiam videntibus, veræ, non imitatæ voces videantur. Neque deſunt quos hoc artificium majorem in modum delectet. Parmenon igitur hac arte vulgò vt jucundiſſimus, ita etiam celeberrimus fuiſſe perhibetur: quẽ cum reliqui conarentur æmulari, ac protinus ab omnibus diceretur illud: εὖ μὲν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν, hoc eſt, Rectè quidẽ, verum nihil ad Parmenonis ſuem: quidam prodiit, veram ſuculam ſub alis occultatam geſtans: Hujus vocem cum populus imitatitiam eſſe crederet, ſtatimq; ſicut ſolent, reclamarent: τί οὖν αὕτη πρὸς τὴν Παρμένοντος, id eſt, Quid hæc ad Parmenonis ſuem? vera ſue deprompta, ac propalam oſtenſa, refellit illorum judicium: vtpote non ex vero, ſed ex imaginatione profectum. Meminit idẽ Parmenonis ac ſuis adumbratæ, in comment. De audiendis poetis. Nec intempeſtiviter vtemur hoc adagio, quoties aliquis opinione deceptus, de re perperam judicat. Veluti ſi quis epigramma parum eruditum ac neotericum ſupra modum admiraretur, perſuaſus antiquum eſſe. Rurſum, ſi quod antiquum eſſet & eruditum, ceu nuperum damnaret. Tantum enim valet hæc imaginatio, vt eruditiſſimis etiam viris in judicando imponat.

Poſt Lesbium cantorem.

Μετὰ Λέσβιον ᾠδόν, id eſt, Poſt Lesbium cantorem. Hoc adagio ſignificabant aliquem non primas, ſed ſecundas tenere parteis. Finitimum illi: οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν, id eſt: Nihil ad Parmenonis ſuem. Lacedæmonicum proverbium, hac natum occaſione, quemadmodum narrat Suidas. Cum Lacedæmoniorum res ſeditionibus tumultuarentur, conſultum oraculum juſſit, vti Lesbium cantorem accerſerent. Accerſitus itaque Terpander Lesbius, nimirum, Antiſſæus, & ad Lacedæmonios miſſus. Is canendo ſic illorum animos declinuit, vt ſeditionem omnem ſedaret, redactis in concordiam civibus. Qua ex re factum eſt, vt Lacedemonii Lesbiis cantoribus primas in arte muſica partes tribuerent, & ſi quem alium canentem audiſſent, protinus dicerent: μετὰ Λέσβιον ᾠδόν, id eſt: Poſt Lesbium muſicum. Zenodotus proverbium hoc citat ex Cratini fabula, cui titulus Chiron. Meminit hujus adagii Plutarchus in commentario quem inſcripſit περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων, quanquam mihi quidem ſtylus non redolet Plutarchum. Nihil autem vetuerit, quo minus proverbium etiam ad rem deflectatur: veluti, ſi quis affirmans quærendam eruditionem, ſed poſt paratam pecuniam, dicat: μετὰ Λέσβιον ᾠδόν.

Nihil alia civitates ad Crotonem.

Μάταια τἄλλα παρὰ Κρότωνα τἄστεα.

Ideſt:

Sunt reliqua præ Crotone frivola oppida.

Theocriti interpres meminit hujus proverbii. Licebit accommodare ad rem aut hominem vſque adeò præcellentem, vt reliqui cum hoc collati, nihil eſſe videantur. Natum fortaſſis eſt à pugilum Crotoniatarum excellentia, quorum erat Milo: de quo dictum eſt alias, nempe in proverbio. Crotone ſalubrius.

Indignus qui illi matellam porrigat.

Hyperbole proverbialis eſt, de vehementer inæqualibus, ac ne vlla quidem ex parte conferendis. Martialis:

Diſpeream ſi tu Pyladi præſtare matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pirithoi.

Nam ſordidiſſimum obſequium eſt, micturienti matulam exhibere: quo qui ſit indignus, is videlicet nimio inferior videtur. Unde divus Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum, inter ſordida captatorum miniſteria hoc quoque commemorat: Ipſi, inquit, apponunt matulam, obſident lectum. Plutarch. in apophthegmatis Laconicis refert, puerum quendam Spartanum ab Antigono captum ac venditum, paruiſſe quidem emptori in omnibus quæ non eſſent indecora ingenuis. Cæterum juſſus adferre matulam, detrectavit obſequium, addens. Non ſerviam. Surgente domino, puer: Senties, inquit, quem emeris, ſimulque conſcenſo tecto ſeſe præcipitem dedit. Extat & hodie vulgò tritiſſimus ſermo: Indignus eſt, qui illi calceos detrahat. Quod adagium vſurpatum eſt in literis Evangelicis à Joanne Baptiſta. Quin etiam negant eodem die nominandos, quos admodum inæquales volunt videri.

Nec dignus qui me intueatur.

Qui contemnet omninò quempiam, vt ignavum, multoque ſeſe inferiorem, non ineleganter illud ex eodem libro detorſerit, quod in Agamemnonem dixit Achilles:

—Οὐδ' ἂν ἐμοί γε
Τετλαίη κύνεός περ ἐὼν, εἰς ὦπα ἰδέσθαι.

Id eſt:

—Haud quidem iſte auſit,
Quamvis perfricta ſit fronte, mihi ora tueri.

Quod idem etiam hodie vulgò dictitant. Eſt autem indicium animi conſcii, non audere rectà faciem intueri ejus quem læſeris. Hinc eſt quod Menelaus in Iphigenia Aulidenſi jubet inprimis vt Agamemnon obtueatur ſeſe, videlicet inde facti collecturus primum argumentum.

Celmis in ferro.

Κέλμις ἐν σιδήρῳ: id eſt, Celmis in ferro. Dici conſuevit de iis qui præter modum ſuis fiderent viribus, tanquam inexpugnabiles, invictique cæteris. Celmis (vt ſcribit Zenodotus) vnus fuit ex Idæis Dactylis, qui cum matrem deorum Rheam violaſſet ſtupro, deinde à reliquis fratribus rejectus eſt. Ab hoc ferrum ſolidiſſimum cudi ſolebat. Ait hujus hiſtoriæ mentionẽ factam apud Sophoclem in Satyris. Enarrator Apollonii de Dactylis Idæis, inter quos & Celmis, refert hos verſus ex autore Phoronide:

Ἔνθα γόητες
Ἰδαῖοι Φρύγες ἄνδρες ὀρέστεροι, οἰκί' ἔναιον,
Κέλμις, Δαμναμενεύς τε μέγας, καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων,
Εὐπάλαμοι θεράποντες ὀρείης Ἀδρηστείης.
Οἳ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο
Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις ἰόεντα σίδηρον,
Ἐς πῦρ τ' ἤνεγκαν καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.

Id eſt:

—Illic habitabant
Montigenæ Phryges Idæi, gens arte celebris,
Celmis, Damnameneusque ingens, Acmonque ſuperbus,
Montanæ docti cultores Adraſteæ
A quibus ars Vulcania primis eſſe reperta
Dicitur, & nigrum nemoroſo in monte repertum
In varios vſus monſtrarunt cudere ferrum,
Impoſitumque igni miro ſplendeſcere cultu.

Aquila in nubibus.

Αἰετὸς ἐν νεφέλαις, id eſt, Aquila in nubibus: plerique interpretantur de re magna quidem illa, ſed quam non facilè aſſequaris, alii de iis, qui longè reliquis præcellunt. Ariſtophanes in Equitibus:

—Ὦ πάτερ, ἥδομαι
Ὡς ἐν νεφέλαισιν αἰετὸς γενήσομαι.

Id eſt:

—Gaudeo iſthoc nomine,
Quo aquila fiam in nubibus videlicet.

Verba ſunt populi Athenienſis, promittentis ſibi futurum, vt orbi vniverſo imperet. Et paulò inferius in eadem comœdia, tanquam oraculum pronunciatur:

Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι, καὶ πάσης γῆς βασιλεύσεις.

Id eſt:

Quippe aquila es, terræque omnem dominaris in vrbem.

Dicuntur & hæc de populo Athenienſi: niſi forte placet alluſio, ad ſpes hujus principatus inanes. Rurſum in Avibus:

Αἰετὸς ἐν νεφέλῃσι γενήσεαι.

Id eſt:

Aquila in nubibus fies.

Interpres admonet, alludere poetam ad oraculum, quoddam Athenienſibus redditum, quod prædicabatur futurum, vt Athenienſes tanto intervallo reliquas vrbes ſuperarent, quanto aquila in nubibus reliquis avibus eſſet ſublimior. Pindarus item in Nemeis (quem locum modo attigimus) ſe vocat aquilam, Bacchylidem æmulum graculum, videlicet quod illum immenſo vinceret intervallo:

Αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς
Ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
Δαφοινὸν ἄγραν ποσί.
Κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται.

Quorum carminum hæc eſt ſententia: Aquila pernix inter volucres, quæ repente advolans eminus: corripuit cruentam prædam loquaces autem graculi humi paſcuntur.

Manica.

Μανικὰ Phrygio proverbio dicebantur ingentia, egregiaque facta: ducta voce à Mane quodam priſco apud ipſos rege quem ferunt virum fuiſſe præpotentem, & admirabili virtute præditum. Autor Plutarchus in libello de Oſiride: Quin & latini inſanum vocant, quod eſt præter vulgatem modum.

Inſanire libet.— &:
—Inſano juvat indulgere labori.

Multi diſcipuli præſtantiores magiſtris.

M. Tullius lib. Epiſt. famil. 9. ſcribens Varroni ſenarium quendam refert, haud dum ſcio ex quo poeta. Cujus ſententia etiam hodiernis temporibus vulgò celebratiſſima fertur: Advenit, inquit, Dolabella. Eum puto magiſtrum fore.

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων.

Id eſt:

Plerique diſcipuli magiſtros anteeunt.

Ad varios vſus poteſt accommodari, vel ad ſimplicem ſenſum: pota frequenter evenire, vt diſcipulus eruditione ſuperet eum à quo literas,

tectas, aut artem quampiam didicit. Aut per iocum, cum ſignificabimus, improbitate vinci, qui malitiæ doctor fuit: veluti ſi quis deciperetur ab eo, cui viam ac rationem imponendi demonſtraſſet aliquando: ſive eum quis ordine conditioneque inferior, tamen plus valet quam is qui non parere, ſed imperare videtur.

Pedibus trahere.

Pedibus trahere, eſt rē pro ſuo arbitratu verſare. M. Tullius ad Atticū lib. 4. Non recordor unde ceciderim, ſed unde ſurrexerim. Fratrem meum & te ſi habeo, per me pedibus iſta trahuntur. Idē lib. 6. Epiſtolarum familiarium: Nam de iudiciis quod quæreris multo laboro minus, trahuntur per me pedibus omnes rei. Apud T. Liv. tertiæ decad. lib. 4. Andronodorum paratem cedere principatu. Demarata uxor admonuit vocis quam Dionyſius uſurpare ſolebat: Nō equo inſidentem, ſed pedibus tractum debere tyrannidem: quod facili momento eſſet, quo vis vellet die cedere poſſeſſionem magnæ fortunæ: facere & parare eam, difficile atque arduum eſſe. Ex his verbis liquet, eos pedibus trahi, qui plane victi, ſunt in poteſtate victoris. Metaphora ducta videri poteſt, vel à Vulcano illo Homerico, quem Iuppiter ut longe viribus præſtantior, pedibus tractum è cœlo dejecit, quemadmodum teſtatur ille:

Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο.

Id eſt:

Protractum pedibus ſupero deiecit Olympo.

vel ab eiuſdem Hectore cui victor Achilles lib. Iliad. 22.

Ἀμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ἐς σφυρὸν ἐκ πτέρνης, βοέους δ' ἐξῆπτεν ἱμάντας,
Ἐκ δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασεν.

Id eſt:

Qua poſt ambo pedes calcaneus imus adhæret
Talo, transfodit, nervos ac ſubula lora
Inſeruit, corpus de curru deligat alto,
Pendulum at interea trahitur caput.——

Trahitur ad eundem modum & Cacus apud Maronem libr. 8. ab Hercule victore:

—— Pedibusque informe cadaver
Protrahitur.———

Iuvenalis Satyra quinta:

Duceris planta velut ictus ab Hercule Cacus,
Et ponere foras, ſi quid tentaveris unquam
Hiſcere.

Solus ſapit.

Narrat Diogenes Laertius, Chryſippum philoſophum uſque adeo ſibi placuiſſe, ut conſultus à quodam, cui potiſſimum ſuum philoſophiæ præceptis inſtituendum traderet, ſibi cōmittendum reſponderit. Nam ſi quem, inquit, alium me præſtantiorem arbitrater, ipſe apud hunc philoſophiæ darem operam. Unde & illud Homericum de eo vulgo iactatum fuiſſe, quod ſolus ſaperet, reliqui vero umbræ ferentur. Eſt autem apud Homerum Odyſſeæ de vate Tireſia, cui uni Proſerpina dederit, ut etiam vita defunctus ſaperet, reliquas umbras volitare, & eas quidem nihil aliud quam umbras:

Τῷ καὶ τεθνηῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια,
Οἴῳ πεπνῦσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Id eſt:

Huic etiam extincto dederat Proſerpina mentem,
Solus uti ſaperet, reliquis volitantibus umbris.

Uſurpatur & à Platone, tanquam proverbii loco. Unde licet conijcere, carmen hoc Homeri unū fuiſſe ex iis quæ plurima Macrobius ſcribit, adagionum inſtar ſolere celebrari. Sic & Cato ſenior de Scipione iuniore pronunciait, ut narrat Plutarchus in præceptis civilibus ac rurſum Apophthegmatis Romanorum:

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσιν.

Apte dicetur de iis, qui tanto intervallo reliquos omneis poſt ſe relinquunt, ut illi nihil niſi umbræ pro his eſſe videantur, planeque quemadmodum dicunt, λῆρος καὶ φλυαρία, id eſt, Nugæ deliriaque.

Formica camelus.

Μύρμηξ ἢ κάμηλος, id eſt, Formica camelus. De vehementer inæqualibus & modo minimis, modo maximis: quod perinde ſit, quaſi repente camelus in formica vertatur. Lucianus in prima epiſtola Saturnalium: νῦν δὲ τοῦτο ἐκεῖνο, μύρμηξ ἢ κάμηλος, ὡς ὁ παροιμία φησί. id eſt: Nam ut nunc vivitur a nobis, formica camelus, quemadmodū proverbio dicitur. Loquitur de opibus inæqualiter inter mortales diſtributis, ut hunc plurimum ſuperſit, huic multum deſit. Neque intempeſtive dicetur in eos, qui ſibi non conſtant, in utramque partem immodici. Quod genus hominum deſcribit Euripides in Troadibus:

Τί δ' ὧδε ταῦτα ἄλλοτ' εἰς ἄλλους τρόπους;
Μισεῖς δ' ἄγαν καὶ φιλεῖς ἐν ἀν τύχῃ.

Id eſt.

Quid ita modo hos, modo hoſce mores tranſilis?
Odiſti acerbe, amasque nimium quemlibet.

Hercules & ſimia.

Ἡρακλῆς καὶ πίθηκος, id eſt, Hercules & ſimia. De minime cōgruentibus. Simia dolis valet, Hercules viribus antecellit. Affine illi. Formicæ camelus. Nota eſt fabula de fratrib. perperis, quos Hercules comprehenſos à clava ſuſpendit. Eos ferunt verſos in Simio.

Elucet egregia virtus.

Egregia virtus etiā ſi quando diſſimuletur, tamen ſemper eminet inter alios, atque ex ipſo oris habitu perſpicitur, & in ipſa quaſi relucet fronte. Veram item nobilitatem teſtatur facies hominis itidem, ut mores in hanc ſententiam quadrabit Homericum illud ex eodem libro.

——ἀριπρεπέες δὲ θεοῖσιν.

Id eſt:

— Inſignia numina divum.

Quum ſis nanus, cede.

Νᾶνος ὢν εἶκε. id eſt, Nanus cum ſis, cede. De puſillis dictum. Nani enim homunciones appellant infra modum humani corporis, & prodigioſæ brevitatis Iuvenalis:

—— Nanum Atlanta vocamus

νάνος enim Græce dicitur, quaſi μὴ αὔξων, quod non excreſcat in altum. Citatur Theophraſtus, qui ſenſerit nanos dici, quibus pudēdum membrum ſit maius, quod in hoc hominum genere inveniri probabile eſt. Quadrabit in tenues & humiles fortunæ homunculos, (ac quemadmodum ait Horatius) moduli bipedalis, qui potentes ſumptu conantur æquare.

Corvi luſciniis honoratiores.

Κόρακες ἀηδόνων αἰδεσιμώτεροι. id eſt, Corvi luſciniis honoratiores. Cum indocti doctis præferuntur, improbi probis, blaterones eloquentibus, rapaces ac furaces cordatis & integris viris. Aut cum plus tribuitur improbitati & audaciæ, quam eruditioni ac ſapientiæ.

Hæc potior.

Plutarchus in problematibus Græcanicis proverbium quoddam refert ad hunc modum: [Greek text partly illegible] Horum verborum hic ferme ſenſus: Unde fluxit illud, quod proverbii vice dicitur, Hæc victrix? Dinō Tarentinus, ductor exercitus, vir ad prime fortis, reique bellicæ ſane quam peritus, cum in concione dixiſſet ſententiam, eaque civium ſuffragiis eſſet reiecta: deinde præco pronunciaret ſententiā, quæ vinceret, ſublata dextra, Hæc, inquit, potior. Nam hūc ad modum retulit Theophraſtus. Cæterum Apollodorus in Rhitino illud adiunxit, cum præco reſpondiſſet, At hæ ſententiæ numero plures ſunt: Dinonem protinus ſubieciſſe. Sed hæ meliores. Atqui ita paucorum ſententiam fuiſſe promulgatam. Quibus ex verbis conjicere licet, ita vulgo dici ſolere, ſi quando ſignificaretur conſilium aliquod eſſe præſtantius & conducibilius, etiāſi pluribus ſecus videretur: aut ubi qui numero pauciores eſſent, facultate præponderarent. Quod genus fuerit, ut rem exemplis demonſtrē: Maxima pars hominum voluptate lucrisque felicitatem metitur, perpauci virtutem amplectūtur. Cave ne quid te moveat multitudinis exemplum, Item: αὕτη γὰρ κρείσσων. Nemo pene eſt in toto principis famulitio, qui tibi non bene velit: ſed unus tibi refragatur qui tantum ubique valet, ut in ipſum fere principem agat tyrannum. Quare ſi res è ſuffragiis penderet, viceras: ſed αὕτη κυρία. Porphyrion leviter, ceu digito proverbium indicat, exponens eum locum in Horatianis Epodis:

Eamus omnis execrata civitas,
Aut pars indocili melior grege.

Quā quam depravate, ſicut opinor, legitur in multis exemplarib. κρείττων νίκη. Caſtigare legetur, ni fallor, κρειττόνων νίκη, hoc eſt, præſtantiorum victoria. Nam Oda concionalis eſt, ac fugā decerni iubet, cōmunibus omnium ſuffragiis. Quod ſi fieri non queat, ut id quod eſt optimū, multitudini probetur: ſaltem vincat ea ſententia quæ ſit potior, etiamſi paucioribus ſuffulta ſuffragiis. Ad id faciunt quæ Plato ſcripſit lib. De legib. 1. pulcherrimum eſſe victoriæ genus, cum turba cedit potioribus & in decernendo magis ſpectatur pondus ſuffragiorum, quam numerus. Verba Platonis ex eo quem dixi lib. 620. ſunt hæc: [Greek text illegible] i. e. Quibuscunque ſiquidē in civitatibus meliores qui ſunt, ii vincunt multitudinē ac deteriores: ibi reſpublic. ſeipſa ſuperior recte dicetur, & huius victoriæ nomine meritiſſimo laudabitur: ſecus avē, ubi ſecus accidit. Eodem reſpexit Photus, cum queritur in epiſtolis, numerare ſentētias, non expendi. Huc pertinet Livianum etiam illud: major pars vicit meliorem Indicat idem Hom. Iliad. lib. 1.

——ἐπεὶ τὰ χερείονα νικᾷ.

--- Quando ſuperant iam deteriora.

Neque vero prætereundum hoc loco, quod de Zenone philoſopho memorat Diogenes Laertius. Zenon cum videret Theophraſtum magnifieri, laudariq; quod plures haberet auditores, ad hunc reſpondit modum: ὁ ἐκείνου μὲν χορὸς μείζων, ὁ ἐμὸς δὲ συμφωνότερος,

id

id eſt: Maior quidem eſt illius chorus, at meus melius conſonans. Itaque locus fuit adagio, ſive cum negabimus ſpectandum, quam multis placeamus, ſed quam bonis: ſive cum ſuadebimus, id ſequi oportere, non quod plurimis placeat, ſed quod per ſe ſit optimum factu, etiamſi pauciſſimorum calculis approbetur: ſive cum dicemus, unius aut alterius ſtudium pluris æſtimãdum, qui vel opibus vel gratia, vel autoritate præpolleat, quam multitudinis benevolentiam, quæ numero tantum ſuperior ſit, reliquis omnibus inferior. Quemadmodum apud Plautum quiſpiã contemnere ſe dicit minutos illos deos, modo Iovem unum ſibi propitium habeat. Nec abſurde trahetur in uſum, quoties una vis plus poteſt reliquis omnibus, ut ſi quis dicat: Hæc cauſa pluribus probatur, pluribus fulcitur rationibus, nititur æquo, dictatur à legibus, verum altera κυρία. Sic enim volo, ſic iubeo. Nam omnia cedant neceſſe eſt, quoties rex huiuſmodi promit oraculum, quale profert apud Homerum Agamemnon:

Εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι.

Id eſt:

Ipſe equidem eripiam, ſi tradere forte graventur:

De cuiuſmodi Lucian. in Captivo, καὶ τὸ δίκαιον ἐν τῇ χειρὶ τιθέμενοι, id eſt, Qui ius in manu reponunt, quique ius in manu poſuerunt. Pyrrhum è liberis quidam adoleſcens admodum interrogabat cuinam eſſet relicturus regnum. Is reſpondit, ὃς ἄν, inquit, ὑμῶν τὴν μάχαιραν ὀξυτέραν ἔχῃ, id eſt: Quicunq; veſtrum acutiorem habet gladium. Id dictum Plutarchus in ejus vita non arbitratur multum abeſſe ab illa tragica execratione:

Θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τοὺς ἀδελφούς.

Id eſt:

Fratres acuto dividant ferro domus
Vices habendæ.--

In hos igitur qui vi rem gerunt & quibus, ut Ennius ait, ferro geritur res, quibus ius eſt in armis, & quibus leges inter arma ſilẽt, per ironiam recte torquebitur: κύριος αὐτὸ πράκτωρ, καὶ αὐτὸ κυρία. Nam Græcis κύριος non ſolum dominum ſignificat verum etiam eum, qui prævalet autoritate. Et Suidas indicat cõtionem illis κυρίαν dici, in qua ſoliti ſint creari magiſtratus. Ariſtophanes in Acharnenſibus κυρίαν ἐκκλησίαν appellat, in qua ἐνίκων τὰ ψηφίσματα, id eſt, vincebant ſuffragia. Nonnunquam ad rem refertur, ut apud Euripidem in Iphigenia Aulidenſi:

Οὐκοῦν ὁ τοῦδε μῦθος κυριώτερος λόγου.

Id eſt:

Plus valere noſtra debet, quam huius hic oratio.

Significat enim ſervus quanquam eſſet conditione inferior Menelao, tamen hoc ſe potiorem eſſe, quod iuſtiorẽ haberet cauſam. Non abhorret hinc quod M. Tullius dixit in Piſonem. Sed omitto ut ſit factus uterque noſtrum. Sit ſane fors domina campi.

Servus ſervo præſtat, dominus domino.

Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου.

Id eſt:

Servoque ſervus potior eſt, herusque hero.

Senarius eſt proverbialis, admonens in eodem hominum genere non ſtatim omnes æquales eſſe, verum hominum habendam eſſe rationem, nõ tantum cõditionis. Veluti generoſus antecellit ſuopte genere plebeium. Verum eſt nõ mediocre diſcrimen inter generoſum & generoſum, itidem inter plebeium & plebeium, adeò ut quoſdam plebeios nonnullis ingenuis anteponas. Ariſtot. libr. Politic. 1. τὰ μὲν ἐντιμότερα ἔργα, τὰ δὲ ἀναγκαιότερα, καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν.

Δοῦλος πρὸ δούλου, δεσπότης πρὸ δεσπότου.

Id eſt:

Quædam miniſteria honoratiora, quædam autem magis neceſſaria, & iuxta proverbium,

Heroque herus, ſervoque ſervus eſt prior.

Antiquis debetur veneratio.

Cum ſummis & invictis, vel cum antiquis non eſt certandum qui velut extra aliam hominum poſiti videntur, ſed his ultro cedendum (veluti ſi quis neget ſeſe cum M. Tullio de eloquentia velle conflictari, cum mediocribus non recuſare) uſurpabit quod eodẽ in loco dicitur ab Vlyſſe:

Ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω,
Οὔθ' Ἡρακλῆϊ οὔτ' Εὐρύτῳ Οἰχαλιῆϊ.

Id eſt:

Cum maioribus haud ſubeam certamina, vel cum
Herculea virtute, vel Euryto Oechalienſi.

Acarnici equi.

Ἀκαρνικοὶ ἵπποι, id eſt, Acarnici equi, dicebantur equi maximi: Finitimum illi cuius meminit etiam Ariſtoteles, ἵππος Θεσσαλική, id eſt Equa Theſſalica. Vergilius item in Georgicis tribuit primam laudem equis Epiroticis:

· Eliadum palmas Epirus equarum.

Acarnanes enim ſunt iuxta Epirum, quemadmodum Theſſali. Convenit uti de re quapiam eximia, aut inſigni præmio.

Inter cæcos regnat ſtrabus.

Ἐν τοῖς τόποις τῶν τυφλῶν λάμων βασιλεύει. In regione cæcorum rex eſt luſcus. Inter indoctos, qui ſemidoctus eſt, doctiſſimus habetur: inter mendicos, qui paululum habet nummorum, Crœſus eſt. Sapit vulgi fæcem.

Qui probus Athenienſis.

Plato libro De legibus 1. refert proverbium: τόδε τὸ ὑπὸ τῶν πολλῶν λεγόμενον, ὡς ὅσοι Ἀθηναίων εἰσὶν ἀγαθοί, διαφερόντως εἰσὶ τοιοῦτοι, δοκεῖ ἀληθέστατα λέγεσθαι. i. e. & hoc quod vulgo dicitur, ex Athenienſib. qui probi ſunt, eos egregie probos eſſe, veriſſime dictum videtur. Sentit autem Plato in male inſtituta, maleque morata Republica qui boni ſint, eos natura & inſigniter bonos eſſe, quippe qui neque fingere putandi ſunt probitatẽ, nimirum inter improbos quibus morum ſimilitudine poterant etiam commendari: neque corrumpi queant depravatis aliorum moribus, & vitiorum contagio. Idem dici poteſt de civitate Romana, in qua non corrumpi, eximiæ cuiuſdam integritatis argumentum eſt. Simili argumento. Simo Terentianus colligit probitatem filii ſui Deflecti poteſt ad vitam aulicam, aut ſtudii genus ad perniciem invitans.

Vnus multorum inſtar.

Quod eodem in libro dictum eſt in laudem medici, idem torqueri poterit ad quemcumque virtute præſtantem. Carmen eſt huiuſmodi:

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Id eſt:

Vir medicus multis aliis æquandus honore eſt.

Feſtiviter hoc in Eryximachum torquet Alcibiades: cui iubẽti negat ſe poſſe obſiſtere, quod vir medicus multorũ inſtar ſit. Feſtivius erit ſi transferatur ad res animi. Veluti Plato libr. De Republ. 4. ἐὰν τὸ λεγόμενον ἓν μέγα φυλάττωσιν. id eſt, Si illud unum magnum quod dicitur ſervaverint. Indicat illud ἓν μέγα fuiſſe proverbiale. Vide proverbium, Multa novit vulpes, &c. Idem admonet elegantiſſima parabola Evangelica, de precioſo margarito, & de theſauro in agro. Bona mens igitur πάντων ἀντάξιος ἄλλων. & eruditio & bona fama, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Alabanda fortunatiſſima.

Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη: id eſt, Alabanda Carum fortunatiſſima. Stephanus in commentario de urbibus, tradit Alabandam Cariæ civitatẽm eſſe, conditam à Care, à cuius filio nomen ſortita ſit. Siquidem is poſtquã in equeſtri prælio ſtrenue navaſſet operã Alabandus eſt dictus. Cares enim ſua lingua Ala vocant equum. Banda victoriam. Eamq; vocem ait Romanis etiam in uſu fuiſſe, ut bandam victoriam dicerent. Equidem opinor hinc Germanis durare vocem eam, qua præpotentem & antiquæ nobilitatis, Banderum vocant ut qui victor olim hoc honoris virtute bellica ſibi pepererit. Addit ex Philoxeni in Odyſſeam Homeri commentariis, ſolœciſmi genus eſſe, quod Alabandiacum vocetur: veluti ſi quis μὴ pro οὐ ponat, aut apud nos non pro ne, aut quod pro ut. Quandoquidem Homerus quoque Caras βαρβαροφώνους appellat. Iuvenalis in tertia Satyra, Alabandam recenſet inter urbes barbaricis deliciis ac luxu perditas:

Hic alta Sycione, aſt hic Amypone relicta,
Hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis.

Stephanus admonet, olim Alabandam inter Cariæ civitates opulentiſſimam ac florentiſſimam fuiſſe, ut proverbio quoque locum fecerit, quod modo retulimus. Quadrabit igitur, ubi volemus intelligi fortunam amplam, & vitæ genus voluptarium, quãquam à literis & virtutis ſtudio alienũ. Veluti ſi dicat aulicus aut negociator quiſpiam: Alii ſe in literis macerent, alii cum paupertate philoſophentur, Ἀλάβανδα Καρῶν εὐτυχεστάτη. Itaque confine fuerit illi, quod alio dictum eſt loco, εὐδαίμων ὁ Κόρινθος, id eſt: Felix Corinthus. Poterit & per irriſionem uſurpari: veluti ſi ioceris in quempiam parum egregium, qui tamen in gente vehementer barbara craſſaque præcellere videatur, Ἀλάβανδα Καρῶν, &c.

Alpha penulatorum.

Martialis epigrammatum libro 2.

Quem non lacernis Publius meus vincit,
Non ipſe Codrus, Alpha penulatorum.

Alpha vocavit præcipuum, & quaſi primatem, proverbiali nimirum figura. Idem alias iocatur in quendam offenſum, quod eũ dixiſſet Alpha, monetque, ut huius iniuriæ talionem faciat, ſeque viciſſim Beta, ſi velit appellet. Tranſlatum à notulis literarum, quibus Græci numerum indicant. Eoſdem ſigniferos & ante ſignanos appellant, metaphora ſumpta à militia. Quamobrem autem alpha inter literas primum obtineat locũ, Plutarchus non inſcite cauſſas reddit τῶν συμποσιακῶν προβλημάτων. Decade nona. Protogenes grammaticus è ſuo ludo cauſam adducit, primũ vocales iure præferri conſonãtibus, quod citra illarum adminiculum ſonent: deinde vocales ancipites merito præferri longis ac brevibus, quod utriuſque generis vim complectantur. Cæterum inter ancipites recte primum locum alpha tribui, quod in conficiendis ſyllabis, jota & ypſilon ſequatur alpha: velut in αὔριον αἰεί. Alpha nunquam ſequatur illas duas, ut eandem efficiant ſyllabam, ſed reſilit, & proprium tuetur principatum. At Ammonius mox diverſam, allegat cauſam: Cadmum ob id alpha principem inter literas locum tribuiſſe, quod Phœnicum lingua bos alpha

pha vocetur: cui primum locum attribuendum putarit, non ſecundum aut tertium: quemadmodum fecit Heſiodus.

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα:

Id eſt:

Primum ædes, deinde uxorem, inde bovem agricolantem.

Nam his præſidiis putat opus eſſe, ſi quis cupiat famem ac paupertatem effugere. Rurſum Plutarchus addit hanc cauſam ſed à Lampria ſuo didiciſſe avo. Primam vocem naturalem & articulatam reddi per alpha, propterea quod ſpiritus qui eſt in ore, potiſſimum formatur ac fingitur motu labiorum, quibus diductis, primũ hic egreditur ſonus mire ſimplex, & nullius indigens negocii, ut neq; linguæ requirat auxilium, ſed ea ſubiacente per ſpacium efferatur. Vnde & pueri naſcentes, primum hanc edunt vocem. Hæc atque huiuſmodi quædam, eo quem oſtendi loco, referuntur. Diſputatur & apud Platonem de alpha inter literas principatu. Quin & illa proverbium ſapiunt, Primas tenere primas deferre ſive tribuere: &. Non poſteriores feram. quæ metaphoræ ſunt a partibus hiſtrionum in fabula. & apud Græcos πρώτας λέγειν: & τὰ πρῶτα ἔχειν: & τὰ πρῶτα φέρειν. Quod à fabularum actoribus ſumptum apparet: inter quos primas aguot, qui maximam fabulæ partem ſuſtinent: ſecundas ac tertias, qui illis ſunt inferiores. Quanquam & in cauſarum actionibus ſunt πρωτολογίαι, δευτερολογίαι & τριτολογίαι: quemadmodum ſunt πρωταγωνισταί, δευτεραγωνισταί & τριταγωνισταί. quæ ſi commode transferuntur, ſpeciem habent proverbii.

Aceſei & Heliconis opera.

Ἀκεσέως καὶ Ἑλικῶνος ἔργα: id eſt, Aceſei & Heliconis opera. Quæ ſingulari artificio confecta viderentur, ſic antiquitus appellabantur. Locum proverbio fecerunt duo quidam celebratæ artis artifices, Aceſeus natione Patarenſis, & Helicon Cariſtius. Hi primi contexuiſſe dicuntur peplum Palladis Poliadis. Id enim cognomen Minervæ, quæ in arce Athenienſium colebatur.

Fœnum eſſe: Ambroſia alendus.

Fœnum eſſe: & Ambroſia alendus. Vtrumque proverbiali figura dixit M. Tullius: alterum in indoctos ac brutos homines, alterum in egregios: ut intelligas illos pecudibus, hos diis æquandos. nam fœno ſictitant boves. Ambroſia cibus eſt apud Homerum, deorum, αἰὲν ἐόντων. Cicero libro de Oratore 2. Sic ego, Craſſo audiente, primum loquar de facetiis, & docebo ſus, ut aiunt, oratorẽ eum, quem cum Catulus nuper audiſſet, fœnum alios ajebat eſſe oportere. Rurſum idem eodem libro: Iocabatur, inquit, Catulus, præſertim cum ita dicat ipſe, ut ambroſia alendus eſſe videatur. Horatius prælauras opiparasque cœnas, deum cœnas vocat:

O noctes cœnæque deum.——

nectar & ambroſiam indicans. Nam hæc illis tantum à poetis tribuuntur, ſi quando domi cibum capiunt, alioqui ſi contingat aliquo ad opimam victimam invitari, nidore carnium magis delectantur.

Gorgonem Perſeus aggreditur.

Γοργόνα Περσεὺς ἐχειρώσατο: id eſt: Gorgonem Perſeus adortus eſt. Vbi quis egregium facinus incœptat. Notiſſima fabula eſt: Ne hoc quidem proverbium aſcripturus eram, ni mihi repertum eſſet in Græcorum collectaneis.

Lydius currus.

Λύδιον ἅρμα, id eſt, Lydius currus. Hoc ſcommate notabantur, qui in certamine quopiã longe cæteris eſſent inferiores: &, παρὰ Λύδιον ἅρμα θεῖν: id eſt Juxta Lydium currum curris. Plutarchus in libello quẽ inſcripſit, De dignoſcendo aſſentatore ab amico: τὸν δὲ κρείττονα τρέμει καὶ δέδοικεν, οὐ μὰ Δία παρὰ Λύδιον ἅρμα πεζὸς οἰχνεύων, ἀλλὰ παρὰ χρυσὸν ἑφθόν. id eſt: Cæterum ſuperiorem metuit ac veretur, non hercle ad currum Lydium pedes ingrediens, ſed ad aurũ putum. Refertur adagium a Diogeniano. Quidam ad Pelopem Lydum referunt, qui ſuo curru vicerit Oenomaum ſocerum: in quibus eſt Gregorius Nazianzenus, ſic uſurpans, ut dicat ſe tanto eſſe inferiorem eximiis Baſilii virtutibus, quantum pedes abeſt à Lydio curru. Effertur, & ad hunc, ut dixi modum paræmia: παρὰ Λύδιον ἅρμα θεῖν: id eſt: Præter Lydium currum currere, aut juxta Lydium currum. ut pedes intelligatur certare cum Lydio curru velociſſimo: quod quidem certamen nimis inique comparatum videatur. Achilles apud Euripidem in Iphigenia Aulidenſi, pedeſtri curſu certat cum quadriga, & vincit. Plutarchus in vita Niciæ è Pindaro allegat: οὐ γὰρ μὰ Δία, inquit, παρὰ Λύδιον ἅρμα πεζὸς οἰχνεύων, ὥς φησι Πίνδαρος. id eſt: Non enim per Jovem iuxta Lydium currum pedes incedens, ut inquit Pindarus. Herodotus libr. 1 tradit, olim Lydios præ cæteris, equitatu valuiſſe, nec aliter fere niſi ex equis pugnare.

Ne caprea contra leonem.

Μὴ πρὸς λέοντα δορκάς: id eſt, Ne caprea adverſus leonẽ. hoc eſt, ne longè inferior cum potentiore decertes. Dorcas enim ſylveſtris eſt capreolus. Refertur a Diogeniano. Suidas integrum refert ſenarium:

Μὴ πρὸς λέοντα δορκὰς ἅψομαι μάχης.

Id eſt.

Ne cum leone caprea pugnam ſumpſerit.

Homerus Odyſſeæ θ.

Ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω.

Id eſt:

Cum potiore viro nolim certamen inire.

Monſtrari digito.

Δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ: id eſt, Monſtrari digito, pro eo quod eſt inſignem eſſe, hodie quoque proverbio vulgari dictitant. Horatius in Odis:

Quod monſtror digito prætereuntium.

Perſius:

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, Hic eſt.

Lucian. in Harmonide: καὶ τὸ ἐπίσημον εἶναι ἐν πλήθει, καὶ δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ. id eſt: In turba inſignẽ eſſe, digitoque demonſtrari. Clarum videri poteſt ab eo, quod in vita Diogenis narrat Laertius: Cum hoſpites quidam Athenas adveniſſent, ut Demoſthenem, cuius famam acceperant domi, conſpicerent, Diogenes τὸν μέσον δάκτυλον ἐκτείνας, οὗτος ὑμῖν φησὶν ἐστὶν ὁ Ἀθηναίων δημαγωγός. id eſt. Medio porrecto digito, Hic eſt vobis, inquit, ille Athenienſum cõcionator. Simul ſignificans Demoſthenem & gloriæ avidum, & motibus contaminatis.

Prodico doctior.

Προδίκου σοφώτερος: id eſt, Prodico doctior. Aiunt hunc Prodicum in diiudicandis litibus & arbitris inter diſſentientes amicos, acerrimi fuiſſe iudicii. Ariſtophanes in centauro, citante Suida:

Ἐγὼ γὰρ ἄν τις ἀδικῇ, θέλω δίκην
Δοῦναι Πρόδικον.

Id eſt:

Ego namque ſi quis præter æquum fecerit,
Prodicum volo negocium cognoſcere.

Subeſt autem alluſio ad vocabulum nominis. Prodicus enim veluti præjudicatorem ſonat, qui ante de lite pronunciet, quam ad judices delata ſit. Fuit huius nominis & ſophiſta quidam, cuius meminit Plato locis aliquot.

Quo properas, num ad Ephebum?

Philoſtratus in vita Apollonii: ὅτι Κιλίκιος λόγος, ποῖ τρέχεις; ἀλλ' ἐπὶ τὸν ἔφηβον; ἐπ' ἐκείνῳ τε ᾔδετο, καὶ παροιμίας πνεῦμα εἶχεν. id eſt: Ac Cilicibus celebratum dictum, Quo curris? num ad Ephebum? de illo quoque ferebatur, adagiiq; vim obtinebat. Parum liquet, qui ſibi voluerit Cilicum illud adagium: niſi forte ſumptum eſt ab Apollinis oraculo, ad quod undique feſtinabatur: fingebatur autem imberbis Apollo, quemadmodum & Bacchus.

Alius alius in rebus præſtantior.

Qui dicet alium alia dote præcellere, accommodabit quod in eodem libro dictum eſt de Polydamante & Hectore:

Ἀλλ' ὁ μὲν ἂρ μύθοισιν, ὁ δ' ἔγχεϊ πολλὸν ἐνίκα.

Id eſt:

Hic dictis, haſta longe præſtantior ille,

Eandem ſententiam fuſius explicat Iliados ν. Polydamas loquens Hectori.

Ἕκτορ, ἀμήχανός ἐσσι παραρρητοῖσι πιθέσθαι.
Οὕνεκά τοι περὶ δῶκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Τοὔνεκα καὶ βουλῇ ἐθέλεις περιίδμεναι ἄλλων,
Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεύς
Ἐσθλόν.——

Id eſt:

Hector, non potis es deflectere pectora dictis,
An quia dii donant factis præcellere belli,
Vis in concilio reliquos præcedere ſenſu?
At non cuncta potes unus ſimul omnia ferre.
Quippe Deus dedit huic virtute excellere belli,
Hic laudem Choreæ. Citharam illi & carmina blanda:
Rurſum alii mentem præclaram in pectore magnus
Iuppiter inſeruit.

Non omnia poſſumus omnes.

Non omnia poſſumus omnes apud Virgil. in Pharmaceutria. proverbialis ſententia qua vix tritiorem aliam reperies. Sumpta videtur ex Homero, apud quem Iliad. ſ. Polydamas ſic alloquitur Hectorem:

Ἀλλ' οὔπως ἅμα πάντα δυνήσεαι αὐτὸς ἑλέσθαι.
Ἄλλῳ μὲν γὰρ ἔδωκε θεὸς πολεμήϊα ἔργα,
Ἄλλῳ δ' ὀρχηστὺν, ἑτέρῳ κίθαριν καὶ ἀοιδήν.
Ἄλλῳ δ' ἐν στήθεσσι τιθεῖ νόον εὐρύοπα Ζεύς
Ἐσθλὸν, τοῦ δέ τε πολλοὶ ἐπαυρίσκοντ' ἄνθρωποι.

Id eſt:

Haudquaquam poteris ſortirier omnia ſolus.
Neque aliis divi bello pollere dederunt.
Huic ſaltandi artem, voce huic citharaque canendi:
Rurſum alii inſevit ſagax in pectore magnus
Iupiter ingenium: at multis eſt utilis ille.

Item Odyſſ. θ.

Οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν
Ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν:

Ἄλλος

Ἄλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ,
Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι στέφει.

Id eſt:

Non ita cœleſtes tribuunt ſua dona quibusvis
Seu formam, ſive ingenium, viresve loquendi.
Eſt etenim informis ſpecies cui contigit: atqui
Linguæ dote deus penſat diſpendia formæ.

Euripides in Rheſo.

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐτὸς πάντ' ἐπίστασθαι βροτῶν
Πέφυκεν, ἄλλῳ δ' ἄλλο πρόσκειται γέρας.

Id eſt:

Ut cuncta norit, nemini mortalium
Datum eſt, at alia dos adeſt alii viro.

Eodem pertinet quod ſcribit Theognis:

Παύροις ἀνθρώποις ἀρετὴ καὶ κάλλος ὀπηδεῖ.
Ὄλβιος ὃς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν:

Id eſt:

Sunt pauci, quibus iisdem & virtus ſuppetit & ars:
Felix cui ſimul hæc ſunt data ſorte deum.

Titus Livius libro 22. Non omnia eidem dii dederunt. Vincere ſcis Hannibal, victoria uti neſcis. Videtur Livius retuliſſe illud ex Iliados ↓.

—Οὐδ' ἄρα πως ἦεν,
Ἐν πάντεσσ' ἔργοισι δαήμονα φῶτα γενέσθαι.

Id eſt:

— Haud illud contigit unquam, ut
Omnibus in factis callens appareat idem.

Huc pertinet & Pindaricum illud ex Nemeis:

Τέχναι δ' ἑτέρων ἕτεραι.

Id eſt:

Artes aliis aliæ.

Interpres oſtendit, illud Atticis proverbii loco dictum fuiſſe:

Ἄλλοι δ' ἄλλοις ἐπιτηχνάσιες.

Id eſt:

Aliæ aliorum inventiones.

Item alibi:

Φυᾷ δ' ἕκαστος διαφέρομεν βιοτὰν λαχόντες, ὁ μὲν τά, τὰ δ' ἄλλοι.
Τυχεῖν δ' ἐν ἀδύνατον εὐδαιμονίαν ἅπασαν.

Id eſt:

Natura differimus, vitam ſortientes, hic hanc, illam alii:
Porrò fieri non poteſt, ut omnis felicitas uni contingat.

Idem Olympiorum hymno primo:

Ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι.

Id eſt:

In aliis alii magni ſunt.

Idem expreſſius Encomio octavo:

Ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλον ἔβα
Ἀγαθῶν πολλαὶ δ' ὁδοὶ
Σὺν θεοῖς εὐπραγίας.

Id eſt:

Alia ad alium venerunt bona: ſed diis faventibus multæ ſunt viæ felicitatis. Rurſus ejuſdem tituli hymno nono:

Ἐντὶ γὰρ ἄλλαι
Ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι,
Μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει
Μελέτα.—

Id eſt:

Sunt enim aliæ viæ aliis efficaciores, ſed non omnes nos alet unum ſtudium.

Divinum excipio ſermonem.

Plato libr. De repub. 6. demonſtrat proverbii vice in ore fuiſſe vulgo: θεῖον ἐξαίρω λόγον: id eſt: Divinum excipio ſermonem: quoties, opinor, glorioſius aliquid dictū eſſet, ominis gratia deos excipiebant, qui nihil non poſſunt, & quib nemo praſcribit. Platonis verba ſubſcribam: οὔτε γὰρ γίγνεται, οὔτε γέγονεν, οὐδ' οὖν μὴ γένηται ἀλλοῖον ἦθος πρὸς ἀρετὴν παρὰ τὴν τούτων παιδείαν πεπαιδευμένον ἀνθρώπειον, ὦ ἑταῖρε: θεῖον μέντοι κατὰ τὴν παροιμίαν ἐξαίρω λόγον, id eſt: Neq; enim ſunt, neq; fuerunt, neq; futuri ſunt mores aliter ad virtutem inſtituti, quam ad horum inſtitutionem. De humanis loquor amice: at divinum (juxta proverbium) excipio ſermonem. Apparet eſſe fragmentum carminis jambici:

Θεῖον ἐξαίρω λόγον.

fortaſſis ex Homero natum:

Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται,

Id eſt:

Divi tamen omnia poſſunt.

Accommodari poteſt ad ſummos Principes, veluti Pontificem, aut Cardinales, aut Monachos.

Dii omnia poſſunt.

Hemiſtichium Homericum:

—Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Id eſt:

— At cœleſtes omnia poſſunt.

Quadrabit in monarchas, quibus promptum eſt facere quidquid animo collibitum fuerit, ſive jure, ſive injuria. Pindarus in Pythiis hymno 3. θεὸς ἅπαν ἐπὶ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται, id eſt, Deus autem pro ſua libidine omnem exitum perficit.

Aurea barba dignus.

De iis qui magnis præmiis digni ſunt, dixit Perſius:

Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.

Quibusdam enim ſignis aurea barba ſolebat addi. Lege ſuperius proverb. Aureus in Olympia ſtato. Sed hominem certa fide, qui etſi poſſit, nolit fallere, Græci hoc eloquio commendant: ὁ δ' ἀνὴρ κἀν ἀπόμνυσθαι πιστεύειν ἄξιος: Hic vir dignus cui credas etiam injurato.

Omnia bonos viros decent.

Ἅπαντα τοῖς καλοῖσιν εὐπρεπῆ πρέπει. Vel, quicquid vir bonus agit, decorum videtur: vel, Formæ gratia commendat dicentem, caventem, & agentem denique quidvis. vel, Ab homine principe aut nobis charo egregie quicquid proficiſcitur, gratiam promeretur & laudem.

Calceos mutare.

Dicuntur ii qui nullo ſuo merito in ordinem & locum altiorem ſe ingerunt. Cic. Senatoriæ dignitatis inſigne erat, nigro calceo addita lunula circu talum. Vide alibi, Calceos mutare. Chil. 4. Cē. 8. proverb. 13.

Luſcinia muſarum.

Ἀηδὼν μουσῶν, id eſt, Muſarum luſcinia. Convenit in hominem inſigniter eruditum, & præcipue in poetā carmine felicem. Chorus apud Euripidem in Palamede:

Ἐκάνετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον ὦ Δαναοί,
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσῶν.

Id eſt:

Necaſtis necaſtis omniſcium ô Danai,
Muſarum luſciniam cunctis innoxiam.

Sentit de Palamede, Vlyſſis dolo à Græcis ſaxis obruto. Fuit autem vir ille in philoſophia excellens, & ad pangendum carmen factus, quem Iliacum bellum verſibus ceciniſſe perhibent, ſed abolitum inductumq; ipſius poematis nomen ab Homero, invidiæ ſtimulis agitato. Citat carmen prædictum Philoſtratus in Heroicis. Notum eſt, poetas μουσῶν ὄρνιθας, velut Muſarum aves à Theocrito vocari: & Latini cygnos pro poetis accipiunt: ut Virgilius ibi.

Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.

Et Horatius Pindarum appellat Dyrcæum cygnum. Idem non uſitata nec tenui penna ſe ferri per æthera gloriatur, & in album alitem mutari: fictionem ab Anacreonte mutuatus: qui ait: ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις, id eſt: Evolo in cœlum levibus pennis: Et apud Ariſtophanem Cineſias poeta optat fieri luſcinia, ſic inquiens:

Ὄρνις γενέσθαι βούλομαι
Λιγύφθογγος ἀηδών.

Id eſt:

Pennata avis fieri volo
Philomela canora.

Diverſum ab hoc adagio eſt, quod Phrynichus de Lampro quodam muſico aquæ potatore dixit, appellans illum μουσῶν σκελετὸν, velut exareſactum cadaver Muſarum. Callimachus ἀηδόνας uſurpavit pro libris eruditis, toto paſſim orbe loquentibus, in Epigrāmate quodam in Heraclitum ſcriptorem:

Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων
Ἁρπακτὴς Ἀίδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

Id eſt:

Luſcinæ usque tuæ vivent, quibus invida, rerum,
Omne vorans, nunquam Parca manum injiciet.

Coryphæus.

Qui primas ſibi partes aliqua in re vendicat, aut caput, præcipuusve eſt præ cæteris excellens, κορυφαῖος, & voce ſuperlativa κορυφαιότατος proverbialiter dicitur, quaſi verticiſſimū dicas. erat autem proprie inter choreutas primus & veluti auſpex, κορυφαῖος, præſultorem vocare licebit: qui in capite choreæ poſitus præcinebat, quem reliquus cœtus accinendo ſequebatur. Ariſtoteles libro De mundo 2. κατὰ τὸν αὐτὸν οὖν τρόπον ὑπὸ τοῦ θεοῦ φέρων νόμος κορυφαίου φθογγίζεται, hoc eſt, Sydera moventur ea lege, quam altrinſecus Deus congrua ratione Coryphæus, velut mundi caput, dictus, præit. Plato in Theæteto: λέγωμεν δὴ ὡς ἔοικε, περὶ τῶν κορυφαίων, id eſt: Age vero, quoniam ita tibi viſum eſt, de Coryphæis verba faciamus. Dionyſius Areopagita ad Timotheum Epheſi antiſtitem de Petro Apoſtolorum principe loquens, ita ſcribit: καὶ Πέτρος ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, id eſt: Unaque Petrus coryphæum & antiquiſſimum inter theologos faſtigium. Gregorius Palama: ἰσχυρὰ μὲν διὰ τῆς χρονίας συνηθείας πάθη καὶ κορυφαῖα τῶν λοιπῶν, id eſt: Animi paſſiones longo uſu validæ & præ cæteris corypheæ & principatum obtinentes. Philoſtratus in Iconum priore libro. κορυφαῖος δὲ ὁ χορὸς ἡ ἀλώπηξ γέγραπται: χρῆται γὰρ αὐτῇ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ, id eſt: Coryphæa autem totius chori depicta erat vulpes: ea namque utitur Æſopus administra in argumentis plurimis, velut Davo Comœdia. Dion Chryſoſtomus in Euboico: πυνθάνομαι γὰρ οὖν ἔγωγε τοὺς κορυφαίους τῶν τραγῳδῶν ἀπὸ μιᾶς χειρὸς τὴν ἐν τοῖς θεάτροις χώραν. i. e. Audio namque

[illegible] ducem eſſe Coryphæos, qui univerſam prope regionem montanam occupabant. Memnon hiſtoricus: νύμφις δὲ ἦν ὁ ἱστορικὸς ὁ κορυφαῖος τῆς πρεσβείας. id eſt, nymphis hiſtoricus princeps legationis erat.

Mantiſſa obſonia vincit.

Vetus eſt adagium, Plus eſt mantiſſa, quam obſonium: quando ſignificabimus, dictum aliquod obiter aſperſum orationi, pluris nobis eſſe, quam reliquam orationis molem: veluti ſi epiſtolæ bene prolixæ, brevis aliqua paræneſis adiecta ſit, dicere licebit: Pluris nobis eſſe eam mantiſſam, quam obſonium: elegantiſſimè eo uſus eſt Lucilius in Satyris, hoc hemiſtichio:

—Mantiſſa obſonia vincit.

Cælius Calcagninus in quadam epiſtola: Quam mihi ſuperpondii vice nuncupaſti, ut prorſus muneri tuo vetus illud dictum belle conveniat, Plus eſt mantiſſa, quam obſonium. Eſt autem mantiſſa, appendix quædam & additamentum, quod merci appenſæ & adnumeratæ ſuperpondii loco, manu adiici ſolet.

Cælo tenus altum. Οὐρανομήκης.

Οὐρανομήκης, hoc eſt, Cœlo tenus altum, proverbiali voce frequenter ab authoribus uſurpatur, pro ſublimi & incomparabili. Philon. lib. [illegible], aut, ut manuſcriptio præfert, [illegible], ſic de labore virtutum parente loquitur: [illegible]. hoc eſt: At qui ocium noxium eſſe judicant, & labores amant, hi agricolarum in modum qui generoſos ſtolones plantant, cōtinua induſtria quaſdam virtutum vivi radices cœlo tenus altas propagant, perennia atque immortalia germina. Iphicrates Thebanus (ut ex Lyſia commemorat Ariſtides) ita gloriabatur ab Ariſtophonte reus factus: [illegible]. Id eſt: Erecta mihi ſtat in Peloponneſo columna cœlo tenus alta, virtutis meæ teſtimonium, innuens res à ſe fortiter geſtas in Peloponneſo, immortalem ſibi famam peperiſſe. Athenæus commerat lib. 1. Cleonis cuiuſdam Thebani cantoris ſtatuæ inſcriptum epigramma, cuius hemiſtichium eſt:

Καὶ οἱ κλέος οὐρανόμηκες.

Id eſt:

... Cuius cœlum ferit ardua fama.

Quo alluſum videtur ad Homericum illud:

—Ἐπουράνιον κλέος [illegible].

Id eſt:

-- Feriat cœlum ardua fama.

Ariſtophanes in Nubibus:

Οὐρανομήκη ῥήξατε παμμεγέθη φωνήν.

Id eſt:

Cœlo tenus grandem vocem erumpite mihi.

Citat & Suidas ex Ariſtophanis Nebulis,

Κλέος οὐρανόμηκες ἐν βροτοῖσιν ἕξεις.

Id eſt:

Habiturus es inter mortales ad cœlum uſque diffuſam gloriam.

Quod de Eraſmis, Budæis, & id genus heroibus, qui ſcriptis clari ſunt, dici conveniet. Huc ſpectat & illud ex hiſtorico quopiam, [illegible] οὐρανομήκη [illegible]. id eſt, Clamorem ad cœlum uſque extulerunt, quod Virgilius dixit:

It clamor cœlo, --

Imitatus eſt illud Horatius Oda prima.

Sublimi feriam ſydera vertice.

Et alibi,

Attingit ſolium Iovis.

Nec abludit hinc Syneſii illud, [illegible] τῇ κεφαλῇ τὸν οὐρανόν. id eſt, Is cœlum vertice pulſat. Extenditur hæc vox etiam ad omne quod procerum & altum eſt. Sic ἐλάτην οὐρανομήκεα proceram & ingentem abietem dixit in Odyſſea Homerus, ad inſtar Elates ſororis Molionidarum, quibus vaſtam corporis molem fabula tribuit. Eodē pertinet & illa locutio, Ἡρακλῆς ἀέριον [illegible], Hercules aeriam gloriam reliquit, pro magna. Huius generis hyperbolas attingit & πυργῶσαι pro in altum evehere, & quaſi turrificare. Ælianus. [illegible] Ὅμηρος [illegible] κλέος [illegible] πυργῶσαι [illegible] Ἀχιλλέα, [illegible] ὁ ποιητὴς [illegible]. id eſt. Probe intelligebat Meſſapius poeta Ennius, quantum præſtare poſſit Homerus in laudanda & educenda turris in morem gloria hominum atque evehenda, idq; ex Encomio quod Achilli dedit. Damaſcius Syrus in philoſophica hiſtoria ſic loquitur, [illegible] πυργώσασι τὴν φιλοσοφίαν. id eſt: His qui philoſophiam ad altiſſimum rerum faſtigium evexerunt. Antipater, Sidonius de Æſchylo:

Ὃ τραγικὸν φώνημα καὶ ὀφρυόεσσαν ἀοιδήν,
 Πυργώσας στιβαρῇ πρῶτος ἐν εὐεπίῃ.

hoc eſt:

Qui Tragici faſtum primus ſtrepitumque cothurni,
 Ceu turrim elato carmine inædificas.

Quod alludens Ariſtophanes in Ranis, πυργώσαντα ῥήματα illum dixit, quod turgeret vocabulis compoſitis, & turris ritu aggeſtis, quomodo metaphorice Nazianzenus fœminas comæ ſuggeſtum in altum educentes, turrificare crines loquitur, ibi:

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις [illegible] γυναῖκες.

Id eſt.

Ne caput ædifica haud nativo fœmina crine.

Qua de re plura diximus in commentario de coma. Ariſtophanes in Pace, πυργώσας τέχνην, id eſt, Artem turrificare: pro extendere & in amplius faſtigium educere. Mimnermus poeta apud Stobæum de medicis arrogantibus, qui magnos ſibi ſpiritus ſumunt, dixit, πυργοῦντες αὐτούς, velut turrificantes ſuam gloriam.

Nive candidior.

Proverbialis hyperbole Græcis uſitatiſſima eſt, χιόνος λευκότερος, Nive candidius, de re quavis eximii candoris. Archeſtratus in Gaſtronomia, Leſbios panes candidiſſimos volens ſignificare: λευκοτέρους inquit, θερινῆς χιόνος. Æſtiva nive candidiores. Homerus Iliad. 10. de Rheſi equis:

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Præ nive candentes, ſimiles pernicibus auris.

quem verſum Matron Parodos ad panes retorſit, hoc modo:

Λευκοτέρους χιόνος, ἔδμεν δ' ἀμύλοισιν ὁμοίους.

Præ nive candentes, ſimiles dulcedine amylo.

& de bulborum radicibus iterum:

Λευκοτέρους χιόνος, ἰδεῖν ἀμύλοισι δ' ὁμοίους.

Præ nive candentes ſimiles albedine amylo.

Incertus autor apud Suidam: [illegible] Θρηκῶν χιόνα [illegible], id eſt: Neque enim poterat donare tapetas Thraciæ nivi comparandos. Apollinarius Laodicens Davidis illud ὑπὲρ χιόνα λευκανθήσομαι, Præ nive dealbabor, ſic expreſſit heroice:

Καὶ πολὺ λευκότερον χιόνος πλύνοις με λέλουσαι.

Meque lavans multo reddes nive candidiorem.

Philoſtratus de Apollinis bubus, βοῦς ὑπὲρ χιόνα λευκάς. Boves præ nive candidas Sophocles in Antigone: λευκῆς χιόνος πτέρυγι ſτεγανός: Candidæ nivis ala ſtipatus. hoc eſt, candidiſſima ala ſuccinctus. Utitur & Gregorius Palama. Et Eſaiæ cap. 1. legitur: καὶ ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικοῦν, ὡς χιόνα λευκανῶ. Et ſi peccata veſtra purpuræ inſtar rubuerint admodum nivis dealbabo. Hinc aſſimile eſt Theocriti illud, λευκοτέρα πακτᾶς: Coagulo candidior. Eodem pertinent illæ hyperbolæ Martialis:

Toto candidior puella cygno,
 Sed quando volo nocte nigriorem,
 Argento, nive, lilio, liguſtro.
 Formica, pice, graculo, cicada.

eſt hyperbole illa Ovidii:

-- Illyrica pice nigrior eſſem.

Alcinoi horti.

Ἀλκινόου κῆπος, Alcinoi hortus. Parœmiæ ſpecie celebratur & Alcinoi pometum, apud Septimium Tertullianum, libro De pallio: Conſitum & amœnum ſuper Alcinoi pometum & Midæ roſetum, quod alibi in libro De corona militis ſic extulit: Cētenariis quoque roſis ex horto Midæ lectis. Vt autem de loco deliciarum pleno dicitur, ita & tropice transferri poterit ad librum eruditum de variæ lectionis divitiis excultum, ut dicamus non Alcinoi hortos cultiores eſſe, quam ſint huius aut illius commentarii. Notum eſt ex Homero, Alcinoi Phæacum regis affluentiſſimos culturæq; diligentiſſimæ fuiſſe hortos. Iulianus ad Libanium [illegible] Ἀλκινόου καταδεέστερον, [illegible] δὲ τοῦ Λαέρτου. Hortum imparem quidem Alcinoi pomario, ſed tamen Laertæ conſimilem. Conſimili ratione Alcinoi menſam dixit Gregorius Nazianzenus de opipara & omni luxus genere referta:

Καὶ [illegible] ἀγλαΐσαις, καὶ Ἀλκινόου τραπέζαν.

Non ſi marmoreum dederis tectum, Alcinoique
 Menſam.—

Et alibi in epiſtola ad Baſilium: ἀλλ' ὡς Ἀλκινόου τράπεζαν. Sic Ciceronianam menſam dixit Tertullianus lib. De anima, profumptuoſa, magnique precii menſa: quod inquit, menſis Ciceronianis infertur. nam M. Tullius Cicero citream menſam quingentis millibus emit, ut idem ait libro de Pallio: aut, ut Plinius, H—S decem millibus.

Tu ipſe & liberi tui.

Αὐτὸς τε καὶ τὰ παιδία, ipſe pariter cum liberis. Proverbium eſſe vulgò frequens oſtendit in Euthydemo Plato in calce dialogi, ubi Socrates his verbis: [illegible], id eſt, Quod ſi tale tibi eſſe probabitur, quale ego illud iudico, magno ſtudio amplectere, tuque ipſe pariter & liberi (ut in proverbio eſt) in eo operam navate. Quo utiliter, quum quid accurate alicubi amplectendum, & dignum poſteritate denunciabimus.

Moſis tabula.

Πλάκες Μωσέως, id eſt, Moſis tabulas proverbiali figura dixit Gregorius Nazianzenus in funebri oratione Athanaſii, pro re inviolabili, & ſacroſanctæ auguſtæque reverentiæ plena: ubi ait Athanaſii tantam fuiſſe exiſtimationem, ut legis loco haberetur quicquid illi viſum eſſet, rurſus execrabile, quod ille reſpuiſſet, [illegible] πλάκες Μωσέως αὐτοῖς τὰ ἐκείνου δόγματα, quod ipſius decreta populis eſſent abaci Moſis. Quicquid ergo magna religione obſervamus, & velut imbutus tactusque quodam numinis metu animis vene-

veneramur atque ſuſpicimus, Moſis abacos, proverbialiter dicemus.

Molones.

Molon homo dicitur ingenti corpore ſeu prægrandi ſtatura, ut apud Ariſtophan. exponit grammaticus Didymus: Μόλων, inquit, ἀθλητής λέγεται, nec in brevi ſtatura homuncionem competit. Locus eſt apud Ariſtophanem in Ranis, μικρός ὡς Μόλων: Puſillus, quãtus Molon. quod contrario ſenſu prolatum eſt pro ingenti. Nam quum Bacchus vehemẽti amore percuſſum ſe dicere vellet, Hercules interrogat, quantum ſit illius amoris incendium, his verbis: πηλίκος τις: id eſt, quantus eſt amor; reſpondet ille per iocum: μικρός, ἡλίκος Μόλων. hoc eſt: Exiguus quantus fuerit. Molon. Moliones, qui & Molionidæ, filii Actoris, aut ſecundum alios Neptuni & Moliones, Eurytus & Cteatus, vaſta corporis mole fuiſſe perhibentur, quos Augiæ Elidis regi auxiliares, diſpoſitis inſidiis oppreſſit Hercules, atque occidit, Pindaro teſte. Hos fabulæ monſtroſa forma bicorpores fuiſſe fingunt, coſtarum tenus coalitos, ita ut uno cincto præcingerentur. Ibycus Melicus poeta fabulatur eos, ἥλικας, ἰσοκεφάλους, ἑνιγυίους, ἀμφοτέρους γεγαῶτας ἐν ὠέῳ ἀργυρέῳ: id eſt: Æquales, capitib. pares, unimembres ex ovo argenti colore prognatos. Euſtath. Iliad. λ. quaternos oculos totidemq; manus pedesque illis attributos à veteribus annotat: nonnulli etiam prodigioſius utriq; bina corpora aſſignant. Naziãzenus Μολιονίδας Molionidas pro concordi fratrum iugo non ſine proverbii fuco extulit. ibi. οἱ μολιονίδαι τῆς ὁμηρικῆς ... id eſt: Molionidæ ipſi. Homerici poematis miraculum, quos periculorum ſocietas conjunxit. ita ferme & Plutarchus in libello De fraterno amore: θαυμάζουσι οὐδὲν ἧττον ἢ τοὺς μολιονίδας ἐκείνους συμφυεῖς τοῖς σώμασι γεγονέναι δοκοῦντας. id eſt: Mirantur non ſecus quam Molionidas illos, quos coalito corpore concretos fuiſſe exiſtimavit antiquitas.

Bibliotheca animata.

Proverbiali tropo dictum eſt illud ab Eunapio Sardiano, βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον, id eſt, Animata bibliotheca & vivum Muſæũ. Dici conveniet de homine valde erudito, & qui velut ex profeſſo de omnibus reſpondere, & inexplicabiles authorum nodos diſſolvere poſſit, tãquam ex ſecretiore Muſarum adyto cuncta depromens. Loquitur autem de Longino Caſſio, Porphyrii præceptore: Λογγῖνος δὲ βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον. id eſt: Erat Longinus bibliotheca quædam ſpirans & vivum Muſæum, ſic enim malo reddere, quam ut Græce ſonat, obambulans Muſæum. Simili loquendi genere Iſidorum ἔμψυχον κίονα ἀσκήσεως dixit Nicephorus Calliſtus: hoc eſt, inſtituti monaſtici animatam columẽ, & Nazianzenus martyras nominat ἐμψύχους στήλας, quaſi ſpirantes columnas, propter vividæ fidei ſingularem conſtantiam. Porrò Μουσεῖον, id eſt, Muſæum, mẽſa fuit Ægyptia, ad quam cunctis, quos tota paſſim Ægypto celebres eruditio faciebat, aditus patebat. ita enim ſcribit Philoſtratus de Mileſio Dionyſio loquens, quem ab Hadriano Imperat. aſcriptum fuiſſe equitum ordinibus & iis qui in Muſæo alebantur, dicit, ſubiungit: τὸ δὲ Μουσεῖον ἦν τράπεζα Αἰγυπτία ξυγκαλοῦσα τοὺς ἐν πάσῃ τῇ γῇ ἐλλογίμους. Idem de Polemone ſcribit, quod illum Hadrianus κατέλεξε τῷ τοῦ Μουσείου κύκλῳ ἐς τὴν Αἰγυπτίαν σίτησιν: hoc eſt, Allegit circulo Muſæi, ut Ægyptiaco more illic aleretur, ex quo colligo Muſæum apud Ægyptios fuiſſe, quod ferme apud Athenienſes Πρυτανεῖον Prytaneum, in quo viris bonis & de republica præclare meritis, victus quotidianus publico ſumptu præbebatur, ut ex Cicerone diſcas, qui honos erat vel maximus. unde Plutarchus vix alio nomine Luculli magnificentiã laudat magis, quam quod doctis viris ædes ipſius Prytaneum quoddam fuerint, ſic enim inquit: ἦν ἁπλῶς ἑστία καὶ πρυτανεῖον ἑλληνικὸν ὁ οἶκος ἐκεῖνος τοῖς ἀφικνουμένοις. Utitur & Syneſius in epiſtola ad Orum: οἱ καὶ ἀληθῶς ὄντες φιλοσοφοῦντες καὶ ἐν καιρῷ ἐν τιμῇ ὄντες, id eſt: Vere philoſophantibus fides derogatur, Cariſque in loco habentur.

Ver unicum inter anni partes.

De viro ad miraculum uſque docto, literarum coryphæo, ἔαρ ἐν ὥραις, ἥλιος ἐν ἀστέροις: id eſt, Ver inter anni partes unicum, unus inter aſtra ſol. Videntur eſſe Baſilii verba præclare de Nazianzeno exiſtimantis, quæ à Gregorio repetuntur velut hyperbolicώτερα & minus vere de ſe dicta. Ver autem inter quatuor anni partes, quas à diſcrimine temperiei ὥρας appellãt Græci, utamœniſſimum, ita & ſalubritatis temperamentique ratione in æquilibrio quatuor qualitatum excellit. Ita Ciceronẽ in omnibus, quæ ſingula in quolibet oratore laudantur, elegantia, copia, acumine, viribus, dignitate, aliisque oratoriis dotib eminẽtiſſimum, ut Fabius inſinuat, ἔαρ ἐν ὥραις dicere licebit: & Eraſmus in hac literatorum infinitate ἥλιος ἐν ἀστέροις, ſol unicus inter minora ſydera emicuit: huc ſpectat illud Iuliani Ægyptii lib. 3. Epigram.

Φεῦ χαρίτων ἔαρ ὄλωλεν.

Id eſt:

Hei, quo ver Charitum diſperiit miſere.

Nectar ſpirat.

De re impenſe ſuavi, aut quovis honore digna dicitur. Symmachus. Literæ tuæ olentes Platonicum nectar. Eubulus comicus vinum Lesbium vetus, nectar ſtillare eo verſu: ... ἀμβροσίας ἀπορρεῖ quod non incommode transferri poterit ad orationem ſuaviloquam. Theocritus:

——Ἀπὸ νέκταρος ὄζει.

Id eſt:

——Fragrat nectaris inſtar.

Martialis lib. 9.

Nomen nectare dulcius beato.

Suidas ex incerto authore: αὐτοὶ μὲν ὄζουσ' ἀμβροσίας καὶ νέκταρος. id eſt, Redolent ambroſiã & nectar. quod annotat ille competere in eos qui merentur & digni ſunt admitti. Ariſtides: ἐπὶ τούτοις σεμνύνονται ὡς οὐδὲν ἀμβροσίας ἢ νέκταρος. id eſt, His gloriatur atque ſuperbit, tanquam nectare non inferioribus. Hermippus apud Athen.

Ὄζει ἴον, ὄζει δὲ ῥόδον, ὄζει δ' ὑακίνθου,
Ὀσμὴ θεσπεσία, κατὰ πᾶν δ' ἔχει ὑψερεφὲς δῶ
Ἀμβροσίας καὶ νέκταρος.——

Id eſt.

Spirat odor mirus violasque roſasque rubentes,
Ambroſia auguſtas, nectarque impleverat ædeis.

Nõ alienum huic eſt quod Petronius Arbiter dicit, Mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaq; quaſi papavere & ſeſamo ſparſa. Porrò nectar volunt eſſe deorum potum, alii cibum: inter quos Anaxandrides comicus, τὸ νέκταρ ἐσθίω πάνυ μάττων, διαπίνω τ' ἀμβροσίαν. id eſt, Nectar præmanſum edo, ambroſiamque interbibo. & Alcman Lyricus ait deos τὸ νέκταρ ἐδμεναι: id eſt, Nectar eſitare. ita Sappho Lyrica: ἀμβροσίας μὲν κρατὴρ ἐκέκρατο. id eſt: Ambroſiæ poculum infuſum erat. at Homerus nectar deorum poculum agnoſcit. & Ibycus, qui ambroſiam cibum novies dulcedine mel ſuperare ait.

Coloſſi fragmenta.

Κολοσσοῦ ἀποσπάσματα, id eſt, Coloſſi fruſtra, proverbiali ſpecie dici poſſunt commentaria viri docti, ſpecimen magnæ & incredibilis eruditionis præbentia: aut verbis aliquod & ſententiæ ex corpore ſingularis ingenii teſtimonia: aut etiã diſcipuli literati, qui e ſchola inſignis præceptoris velut ex equo Troiano prodeunt, tanquam ceu aſſulæ quæpiam & fruſtulamẽta eximii coloſſi. Herodes Atticus quum audiſſet Hadrianum Tyrium adhuc adoleſcẽtem declamantem honorifico teſtimonio dixit: κολοσσοῦ ταῦτα μεγάλα ἀποσπάσματα. id eſt Ingentia hæc fuerint Coloſſi fruſtra: magnum ſpecimen fore auguratus. quod apud Philoſtratum legitur. Coloſſi moles ſunt ſtatuarum, turribus pares, ut inquit Plinius: ſi dicti vel ab authore, ut Sextus Pompeius vult: vel ἀπὸ τοῦ κολούειν τὰς ὄσσε, quod altitudine nimia officiant inſpectantium luminibus. vel a vaſta inanitate ſpecus cuiuſdam interranei, quaſi κοιλοσσός. hinc Coloſſica dicuntur quæ magnæ molis ſunt onera. Strabo lib. 1. ὥσπερ ἐν τοῖς κολοσσικοῖς ἔργοις οὐ τὸ καθ' ἕκαστον ἀκριβὲς ζητοῦμεν, ἀλλὰ τοῖς καθόλου προσέχομεν μᾶλλον εἰ καλῶς τὸ ὅλον, οὕτω καὶ ἐν τούτοις δεῖ ποιεῖσθαι τὴν κρίσιν. κολοσσουργία γάρ τις καὶ αὕτη, τὰ μεγάλα φράζουσα πῶς ἔχει, id eſt: Quemadmodum in Coloſſicis molibus ſingularum partium exactam ſtructuram non exploramus, ſed univerſo operi an recte fabricatum ſit attẽdimus potius, & idem in iſtis iudicium eſt. ſiquidem & hæc Coloſſæa quædã fabrica eſt, rerum magnitudinem quomodo ſe habeant declarans. Ita Vitruvius libr. 10. Coloſſicotera comparati vi modo dixit quæ immania ſunt: Sin autem, inquit, coloſſicotera amplitudinibus & oneribus onera in operibus fuerint, non erit ſuculæ committendum. Procopius de ſtatua grandi: κολοσσῷ ἐμφερής: id eſt. Coloſſo aſſimilis. Philon Iudæus De mundi fabricatione libro: ὡς γὰρ τοὺς κολοσσιαίους, μεγέθει τινὶ ἐμφαίνει καὶ ἡ βραχυτάτη σφραγὶς τυπωθεῖσα δέχεται. id eſt: Quemadmodum enim per exiguum ſigillum accipere poteſt expreſſam Coloſſicæ molis effigiem. Coloſſæam magnitudinem ad horrorẽ tranſtulit Eunapius: ὥσπερ ὁ Ῥοδίων κολοσσὸς διὰ μέγεθος καταπληκτικὸς ὢν, οὐκ ἦν ἐραστὸς, ... id eſt: Sicut Rhodiorũ Coloſſus propter inuſitatam magnitudinem amabilis non eſt, ſed formidinem potius & horrorem incutit, ita & ille, quamvis contemptus opum admirabilem eum fecerit, gratioſus tamen nõ fuit. Huic adagio affine eſt illud Alexãdri Seleucienſis ſophiſtæ apud Philoſtratum eundem: τεμάχη τοῦ σοῦ ἐσμὲν οἱ σοφισταὶ πάντες. id eſt: Fruſtula aut particulæ tuæ ſumus omnes quotquot ſophiſtæ dicimur, quod ad Herodem Atticum dixiſſe fertur, quum literatorum omnium columen, facileque principem illum vellet innuere. paulo diverſiore ſenſu Æſchylus dictitare ſolebat, ſuas tragœdias eſſe fruſtula de magnis Homeri cœnis. ὃς αὐτοῦ τὰς τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγε τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων. uti refert In Dipnoſophiſtis Athenæus: cum ſignificaret ſe inſtruxiſſe ex ingeniorum affluẽtiſſimo fonte Homero ſuas fabulas. Iſocrates apud Plutarchum in vita ipſius ad Demoſthenem integram pro diſciplina ſtipẽ perſolvere nequeũtem: οὐ κατακερματίζομεν, inquit, τὴν πραγματείαν, id eſt: Artis oratoriæ inſtitutionem in fruſtula non partimur.

Γοργιάζειν.

Γοργιάζειν, id eſt, Gorgianum proverbialiter vocatur, quod in ſpeciem magnificum eſt, & affectatoribus verbis turgidum atque inane videtur. Aſiatica dicẽdi mollitie luxurians Syneſius in epiſtola ad Pylæmenem: Τρύφωνι τῷ ἑταίρῳ δ' ἐγὼ ... Γοργιάζειν, ... i. Delicatulo (licebit frigidum quiddã & Gorgianum loqui) delicioſa muſcula paravimus. Tryphonem Deliciũ nominavi de induſtria,

Vt paronomaſiam aptius exprimerem, in qua Gorgianæ phraſis tum ditas ſita eſt. Dionyſ. Halicarnaſſæus ad Cn. Pompejum de duris & affectatis metaphoris loquens: *μάλιστα τοῖς γοργιείοις ἀκαίρως καὶ μειρακιωδῶς ἐναβρυνόμενος*, id eſt: Intempeſtive maximeque juveniliter Gorgianis verbis delectatur. Ariſtides: *ἢ τούτους πάλιν αὐτοὺς γοργιείους λόγους παραστησαίμεθα μὴ δυσχεραίνειν ἐπὶ διαγραφόμενα*, id eſt, aut haſce Gorgianas voces ſi depingamus, ne ægrè ferant deprecamur. Gorgias Leontinus è Sicilia oriundus, quem ſophiſtices patrem Philoſtratus appellat, primus auſus eſt in conventu quæſtionem poſcere: id eſt, jubere dicere, qua de re quis vellet audire, idem intemperantius vſus fuit numeroſa dictione, vt inſinuat Cicero ad vitium vſque.

In acervum metere.

Πρὸς τὸν σωρὸν ἀμᾶσθαι, id eſt: In acervum metere, proverbium eſſe admonet Suidas in eos, qui ad magna aſpirant, aut res arduas ſuſcipiunt: vel qui edicta edictis, mandata mandatis accumulant. Sumpta à meſſoribus metaphora.

Καρυκεία.

Καρυκεία proverbiali venere de quavis re opipara & palato grata effertur: nã *καρύκην* exponunt eſſe edulium Lydis vſitatũ, exquiſito apparatu & conditaneo jure in deliciis habitu, poteſt transferri ad ingenii fœturam appellando poema aut opus doctũ omnigenæ lectionis opibus fartum, *καρυκείαν*. Gregorius presbyter in vita Nazianzeni in ipſo initio: *συγκαλεῖ μὲν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες, Γρηγόριος ὁ πάνυ ὁ τῆς θεολογίας ἐπώνυμος, εἰς τὴν πνευματικὴν πανδαισίαν τῶν λόγων, παρατίθεται δὲ αὐτοῖς αὐτὸς καρυκεία*, id eſt: Gregorius ille eximius, cui Theologia cognomen dedit, vos pariter vocat, ô cives, ad epulum verborum ſpirituale in quo ipſemet apponitur caryceà non edula. Syneſius in Dione: *πανδαισίαν παρέθηκεν Ἀττικῶν κωτιλμάτων καὶ καρυκείας ποιητικῆς*, id eſt: Epulum appoſuit Atticorum colloquiorum & Caryceæ poeticæ. Caryceam poeticam nominat miſcellam fabularum & narrationum, quibus exornant atque condiunt ſcripta ſua poetæ. Apud Achæum Eretrienſem Satyrus convicio mordet ſacerdotes Delphos, *καρυκοποιοὺς*, id eſt, Caryccopœos nuncupans: eo quod quotidianis epulis ſacrificiiſque victimariis operarentur, atque indulgerent: cujus hunc verſum citat Athenæus in 4.

Καρυκοποιοὺς προσιδὼν βδελύττομαι.

Id eſt:

Caryccopœos intuens abominor.

Currulis.

Ἐπιδίφριος, id eſt. Currulis, pro glorioſo homine, & magnos ſibi ſpiritus ſumente, haud quaquam vulgariter ſe gerentes, accipi videtur à Cyrillo Alexandrino in libris quos adverſus Julianum apoſtatam ſcripſit, nominans quoſdam non ſine morſu *ἐπιδιφρίους ἰατρούς*, id eſt, currules medicos, qui ſupercilio pleni pomposè curru invehuntur, & quaſi obviorum congreſſus aſpernati de curru pharmaca præſcribunt. Horum ſimiles non paucos in aulis principum videre eſt non *ἐπιδιφρίους*, ſed *ἐφιππίους*, qui mulis holoſericatis invecti feruntur.

Daphnis inter paſtores primus.

Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρῶτος ἐγένετο: id eſt, Daphnis inter paſtores primus evaſit. Extat apud Syneſium in epiſtola ad fratrem, proverbiali ſpecie dictum: *κἀκ τούτου Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρῶτος ἐγένετο, τοῦτο τὸν Εὐθάλιον ἐπὶ μέγα τύχης ἐξῆρεν*, id eſt: Ex ea occaſione Daphnis inter paſtores primus extitit, hoc factum Euthalium ad amplas fortunas evexit. Uſum proverbii ipſe author exponit propemodum. Quoties namq; opinionem alicujus augeſcere, ipſumque admirationi eſſe volumus innuere, atque magnæ authoritatis haberi, dicemus: Daphnis inter paſtores principatum obtinet. Proverbii origo ex Theocriti Bucolicis, vbi de victore Daphni ita canit:

Κἠκ τούτω Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρᾶτος ἔγεντο.

Id eſt:

Daphnis ſe ex illo primus paſtoribus infert.

Quo alluſit Virgilius ibi:

——Daphnin ad aſtra feremus.

Hiſtoriam de Daphnide pertexit Diodorus Siculus lib. 5. Is è Mercurio & Nympha Siciliæ indigena prognatus, & ab nymphis enutritus, multa boum armenta poſſedit, à quorum cura *βουκόλος*, id eſt, bubulcus dici cœpit, cumque eſſet ingenio acri, carmen ab authore Bucolicum dictum, primus excogitavit: dicitur autem Syracuſius fuiſſe. De hoc paulò fuſius Ælianus lib 10. omnigenæ hiſtoriæ: Daphnis, inquit, Bucolus amaſius fuit Mercurii, ſecundum alios filius, nomen ab eventu ſortitus; quod à partu expoſitus fuerit in laureto: quem boves in Sicilia paſcentem nympharum vna deperiiſſe dicitur, cumque illo primum juventæ florem delibaſſe, inito pacto, ne cum alia congrederetur, quod ſi falleret interpoſita oculorum orbitatis pœna: ſed quum non multò poſt adamatus à Regia puella, per ebrietatem pactum diſſolviſſet, habita conſuetudine cum Regis filia, captus luminibus, Bucolicum carmen, calamitatis ſolatium, primus cecinit.

Priſca manus.

Ἀρχαίας χειρὸς, id eſt, Priſcæ manus opus eſſe dicemus, quod elegans eſt & artis plenum, quodque vetuſtatem redolet. Syneſius in epiſt. *καὶ παραδεικνύμενοί τι τῆς ἀρχαίας, ὅπερ ἐπὶ τῶν ἀνδριάντων λέγειν εἰώθαμεν*. id eſt, Commonſtrantem quippiam priſcæ manus, id quod de ſtatuis dicere ſolemus. Ubi non indicat vſum modo, ſed & originem adagii. Veterum curioſitas atque peritia in affabre ſculpendis ſtatuis celebratur. Themiſtius in oratione De amicitia: *ἀγάλματα τῆς παλαιᾶς τέχνης χρόνου δεῖται εἰς τὸ θαυμασθῆναι καὶ ὀφθαλμῶν ἀκριβεστέρων*, id eſt: Simulacra priſcæ artis tempore indigent ad ſui admirationem, & exacta oculorum acie.

Clavum tenere.

Οἴακα νωμᾶν, id eſt, clavum gubernare, proverbialiter de quovis imperio effertur. Æſchylus in Septem ad Thebas:

Κάδμου πολῖται, χρὴ λέγειν τὰ καίρια
Ὅστις φυλάσσει πρᾶγος ἐν πρύμνῃ πόλεως
Οἴακα νωμῶν.——

Id eſt:

Cadmæa pubes publicæ ex vſu rei
Quæ ſunt, decet proferre, qui in puppi ſedet.
Clavumque civitatis obſervat manu.

Æſchyli ſententiam expreſſit in Euthydemo Plato, his verbis: *ἐμφανὲς δὲ ἐδόκει ἡμῖν εἶναι αὕτη εἶναι ἣν ζητοῦμεν, καὶ ἡ αἰτία τοῦ ὀρθῶς πράττειν ἐν τῇ πόλει, καὶ ἀτεχνῶς κατὰ τὸ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον, μόνη ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως, πάντα κυβερνῶσα καὶ πάντων ἄρχουσα καὶ πάντα χρήσιμα ποιοῦσα*, id eſt: Clare videbatur nobis eſſe ea quæ petebatur, & cauſa felicis rerum ſucceſſus in civitate, imò revera, juxta Æſchili ſenarium, ſola in puppi ſedere civitatis cuncta gubernans, cuncta moderans, denique omnia ex vſu facere. Pindarus in Pythionicis: *νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν, ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκμονι χάλκευε γλῶσσαν*, hoc eſt: Juſto clavo exercitum moderare, linguamque in incude veraci procudito. Fuit, quum apud Nonium Marcellum, vbi Varronis citatur authoritas *οἴακα*, legendum putavi, *οἴακα νωμῶν*: niſi manuſcriptum exemplar, quod penes me eſt vetuſtiſſimum, legeret, teneo, *νωμῶν*: pro eo quod in excuſis eſt, Teneo. Idem *οἰακίζω*.

BRASSICANI *Contenti ſimus hoc Catone.*

Suetonius Tranquillus in Auguſto: Auguſtus quotidiano ſermone quædam frequentius vſurpabat: vt cum hortaretur, ferenda eſſe præſentia, qualiacunq; eſſent, dicebat. Contenti ſimus hoc Catone: hoc eſt, præſentem rerum conditionem, quoniam aliter fieri non poteſt, æqui bonique conſulamus: Ita Cic. lib. 4. epiſt. ad Attic. Plus vnus Cato poterit quam omnes quidem judices.

Locum in balneis occupare.

Idem libro 5. contra Marcionem: Idcirco quaſi locum in balneis, ita fidem occupavit. Adagium pertinet ad ambitioſulos, qui primi volunt eſſe in omni loco & tempore, qui paſſim in omnibus publicis locis primas ambiunt, ac præ cæteris inſolentiſſ. videri volunt. Nunc divites matronæ conſueverunt primum ſibi locũ in balneis deligere: vtinam pari ſtudio ad hæc cõmendatiore ambitione contenderent, & bonos mores aſſequi, atq; arctam exiſtimationem paulò inculpatius tueri.

IOANNIS VLPII. *Primus, ſecundus, tertius:*

Primus, medius, noviſſimus.

Proverbia Græcorum ſunt in eos, quos laudibus efferunt. Sic Iſocrates laudat Alcibiadem: *τιμῶντα δὲ τὴν ἀρετὴν ὄντα καὶ πρῶτον, καὶ δεύτερον, καὶ τρίτον ἐψηφίσθαι*. Theocritus quoque Idilio 17. Ptolomæum laudans dicit eum virorum primum, medium & noviſſimum, *ἀνδρῶν δ᾽ αὖ Πτολεμαῖος ἐνὶ πρώτοισι λεγέσθω καὶ μέσσος καὶ ὕστατος, ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν*, Virgil.

——Nulli pietate ſecundus.

Id eſt:

primus in pietate.

Beta ſapientum.

Τῶν σοφῶν βῆτα. In eum competit, qui in aliqua re nec infimus eſt. In Eratoſthenem dictum fuiſſe, author eſt Strabo, vt qui non primas, ſed ſecundas inter doctos teneret. Theocrit.

COGNATI. *Digito oſtendere, ſeu monſtrari.*

Proverbiale eſt apud Paulum lib. Pandect. 12. tit. ſi certum petatur, &c. cap. 9. Nam & Pædius libro primo de Stipulationibus, nihil referre ait, proprio nomine res appellentur, an digito oſtendantur, an vocabulis quibusdam demonſtrentur, quatenus mutua vice fungantur quæ tantundem præſtent. Quinimo multas res alienis vocabulis rectius demonſtrari, quam propriis nominibus appellari declarat Cic. lib. 1. Offic. & lib. 9. Epiſt. in quadam epiſt. ad Papyrium Petum: *παρὰ* Luciano: *τοιούτοις σε ἐγὼ ἐπισήμοις καὶ γνωρίμοις, ὥστε τῶν ὁρώντων ἕκαστος τὸν πλησίον κινήσας δείξει σε τῷ δακτύλῳ, οὗτος ἐκεῖνος λέγων* ... *καὶ τοὺς φίλους, ἢ καὶ τὴν πόλιν καταλαμβάνειν εἰς σὲ πάντας ἀποβλέψοντας*, id eſt? Talibus ſcilicet ornamentis ego te inſignem & conſpicuum reddam, vt eorum quoq; qui te aſpicient, quiſq; proxime aſtantem leviter impellens atq; commonens, digito te demonſtret atq; dicat: Hic eſt ille &c. Digito monſtrari, & dici, Hic eſt: aliquando pulchrum eſt. vt illud, Ecce agnus Dei? & *ὁ αὐτὸς ἐστὶ ἐθαυμάσθησαν*, & quod de Telamone memoratur, ob cujus os (ait Cicero,) Graii ora obvertebant ſua. Brevis enim eſt proſopopœia vulgi per vrbẽ incedẽtes digito indi-

indicantis. Hic eſt, quod doctis, illuſtribus & nobilibus viris ſæpe ſolet contingere. Sic Martialis:

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, Hic eſt.

Et idem alibi:

Rumpitur invidia, quod turba ſemper ab omni
Monſtramur digito.——

Sic Horatius:

Quod monſtror digito prætereuntium.

Et Perſius ſatyra 1.

At pulchrum eſt digito monſtrari & dicier, Hic eſt.

Aliquando contumelioſum eſt, vt illud: Ecce ſomniator venit. Confer cum alio Monſtrari digito.

Ducere funem.

Elegantiſſima eſt translatio, ſumpta à choreis & comica ſaltatione, quam Græci κόρδακα appellant. Eo alluſum eſt in Terentii Adelphis: Tu inter eos reſtim ductitans ſaltitabis. Donatus. Sed ego puto manu conſertos choros puellorum puellarumque cantantes reſtim ducere æſtimari. Apud Ariſtophanem in Nebulis, propemodum ejus ſaltationis modus deſcribitur. Sic enim ait: οὐδ' εἵλκυσε κόρδακ'. Rurſus ibidem: τοῦ κορδακισμοῦ. In his choreis qui præſultor eſt & moderator, funem ducit: quem alii eodem fune apprehenſo præeuntem ſequuntur. Virgil. 2 Æneidos:

——Pueri circum innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.

Ex eodem genere eſt illa metaphora apud Ciceronem in epiſt. familiam ducere, pro principem eſſe, & authorem alicujus ſectę. Pecunia igitur debet alterius ductum & imperium ſequi, non ipſa ducere, & hoc eſt quod dicit Horatius Epiſt. 10.

Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique.
Tortum digna ſequi potius, quam ducere funem.

Idem paulò ante:

Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor.

Intelligit pecuniam ſequi alterius imperium debere, non ipſa ducere. Nann. Miſcell. 4. Confer cum aliis Chil. Funem reducere: &, Funem abrumpere.

Primo gradu.

Juriſconſultis eſt tit. de gradibus affinit. & cognationum, in quo Paulus libr. Pandect. 38. cap. 10. Gradus autem dicti ſunt ad ſimilitudinem ſcalarum, locorumq; proclivium, quos ita ingredimur vt à proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur tranſeamus. Tranſeamus nunc. & ſingulos gradus numeremus. Primo gradu cognationis ſunt, &c. Simili metaphora Cicero appellat gradus officiorum, libro 1. de Officiis, circa finem, & gradus rerum, libro 1. de natura Deor. Vide inferius, in gradum reponere: &, De ſtatu mentis deturbare.

Athleta.

Athleta [illegible] & à Græcis & à Latinis ſcriptoribus dicitur, appellaturq; qui eximius præſtansque in aliquo artificio eſt: Timæus apud Athenæum accuſans Philippum: ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἀδικίας καὶ βδελυρίας ἀθλητὰς ἐποίησεν, Sed & aliæ injuſticæ & execrationis primos reddidit. Demoſthenes contra Ariſtogitonem: ἐξ ὧν πάντες ἀθληταὶ τῶν καλῶν ἔργων ἐγένοντο, Unde omnes rerum præclarè geſtarum principes extitere. Dionyſius Halicarnaſſæus de junctura verborum: [illegible] Hujuſmodi videlicet nominum connexionem & elegantem colorum diſpoſitionem ab ejus rei peritis fieri eſt exiſtimandum. Varro lib. 3. Rerum ruſticarum: Cum hæc loqueremur, clamor fit in campo, vos athletæ comitiorum, vna cum id fieri non miraremur propter ſtudia ſuffragatorum. Idem ſecundo eorum librorum: ſed hæc ita à nobis accipietis (inquit) Scrofa, vt vos, qui eſtis Epiroticii, pecuarii athletæ, remuneremini nos, ac quæ ſcitis, proferatis in medium. Nemo enim omnia poteſt ſcire. Lucianus in dialogo Mercurii & Solis: [illegible], id eſt, Sedebuntque expectantes, donec athletam illum quem dicis, abſolverit ſub longis tenebris.

In gradum reponere.

Eſt dejectum reſtituere. Gradum autem pro exiſtimatione & honoris loco vſurpari notum eſt. Reſtituere porrò videtur, vt Ulpianus docet libro Pandect. 43. titul. ne quid in loco publico fiat, capite 2. ſub finem: Qui in priſtinum ſtatum reducit, quod fit ſive quis tollat id quod factum eſt, ſive reponat quod ſublatum eſt. Et id interdum ſuo ſumptu. Nam ſi ipſe quo eum interdixit, fecerit, vel juſſu ejus alius, aut ratum habitum ſit quod fecit, ipſe ſuis ſumptibus debet reſtituere. Si verò nihil horum intervenit, ſed habet factum, tunc dicemus patientiam ſolam eum præſtare debere. Apud Comicum Pamphilus ita Davum orat: Cupio reſtitui in quem me accepiſti locum. Gradum in hac ſignificatione etiam ſumpſit Marcellus lib. Pandect. 23. titul. de ritu nupt. cap. 49. Obſervandum eſt, inquit, quod inferioris gradus homines ducant vxores eas quas ii qui altioris dignitatis ſunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. At contra antecedentis gradus homines non poſſunt eas ducere, quas iis, qui inferioris dignitatis ſunt, ducere non licet. Vide ſuperius, primo gradu: & alibi, De ſtatu mentis deturbare.

Διοπετὴς, delapſus de cœlo.

Epicurei cum plurimum tribuerent Epicuri lib. περὶ κριτηρίου ἢ κανόνος, atque eum inprimis ſuſpicerent, non humano ingenio, ſed divino confectum, atque de cœlo delapſum oſtendere ipſum volentes, διοπετῆ appellabant. Quod verbum manifeſto expreſſit Cicer. lib. 1. De finibus bonorum & malorum, dicens: Delapſum de cœlo: Quibus verbis ſignificavit hunc Epicuri librum. Tunc verò ſi ſtabilem ſcientiam rerũ tenebimus ſervata illa, quæ quaſi delapſa de cœlo eſt ad cognitionem omnium regula, ad quam omnia judicia rerum dirigentur: nunquam vllius ratione victi, ſententia deſiſtemus. Idem libro 1. De natura deorum, cœleſtem dixit, cujus rationis vim atque vtilitatem ex illo cœleſti Epicuri de regula & judicio volumine accepimus. Græco verò hoc verbo Græcos Epicureos vſos indicat, quod ipſorum adverſarii, contemnentes eos, qui tantopere admirarentur id opus, tanquam grandi nomine appellarent, ipſum hoc vſurparent, vt Plutarchus in commentario adverſus Coloten Epicureum: [illegible] Valere autẽ vnum illud junctũ verbum, quod Cicero pluribus expreſſit, apertũ eſt. Euripides quoq; ipſo vſus eſt in gravi carmine, & quod egregiè teſtatur infirmitatem noſtri corporis: quod carmen ab erudito inprimis eodem ſcriptore, vitæque noſtræ conformandæ ſtudioſo, non ſemel citatur. Eſt autem hoc:

Ὁ δ' ἄρτι θάλλων σάρκα, διοπετὴς ὅπως
Ἀστὴρ ἀπέσβη, πνεῦμ' ἀφεὶς εἰς αἰθέρα,
[illegible]

Idem in Rheſo. διόθεν dicit, à Jove ad nos demiſſum. *De cœlo venire* ſeu cadere dicitur, authore Gellio libr. 15. cap. 21. qui virtute, prudentia & moribus ſit præſtantiſſimus. Præſtantiſſimos (inquit) virtute, prudentia, viribus, Jovis filios poetæ appellarunt: vt Æacum, & Minoa, & Sarpedona. Præterea ſcriptum reliquit Minutius Felix in eo lib. qui Octavius inſcribitur: Qui repentino advenerint, & inopinatos, de cœlo cecidiſſe dici. Quod refert etiam Tertullianus in apolog. cap. 10. Qua in ſignificatione accipiendum eſt illud Albii poetæ lib. 1. eleg. 3.

Tunc veniam ſubitò, nec quiſquam nunciet ante,
Sed videat cœlo miſſus adeſſe tibi.

Quaſi dicat inopinatus, nec vnde veniam intelligens. In priori verò ſignificatione illud Juvenalis ex Satyra 11.

——Felicia tempora quæ te
Moribus opponunt, habeat jam Roma pudorem.
Tertius è cœlo cecidit Cato.——

Lucas Actorum 19. Magnam Dianam Epheſiorum appellat διοπετὲς delapſum à Jove ſimulachrum, quia cœlitus demiſſum putabatur. Quod ipſum Numa perſuaſit Romanis in Ancylibus, de quibus Ovid. Faſtorum lib. 3. De Palladio Faſtorum lib. 51. Homerus hoc cognomenti tribuit regibus, velut à Jove profectum. Catones, ſenior Cenſorinus, & minor Uticenſis, propter ſummas virtutes tanquam è cœlo demiſſi judicabantur, juxta proverbium:

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Σοφός.

Romani cum aliquem laudare vellent, quod docte omnia dixiſſet aut prudenter feciſſet, σοφὸν, id eſt, Sapientem, doctum, ſcitum, bonum, vtilem appellabant: vel mox adclamabant σοφῶς, hoc eſt, ſcite, docte, acute, ſapienter. Pomponius de Origine Juris. Fuit poſt eos maximæ ſcientiæ Sempronius, quem P. R. σοφὸν appellavit, nec quiſquam ante hunc hoc nomine eſt nuncupatus. Hic Sempronius Græcum cognomen ſortitus, vocatus eſt nomine proprio P. Atilius: paulò poſt P. Atilius, primus à populo Sapiens appellatus eſt. Cicer. in Lælio: Scimus P. Atilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem: quia prudens eſſe in jure civili putabatur. Illud non ignorandum eſt quod Judæorum olim doctores (teſte Hieronymo) σοφοὶ, hoc eſt, quod ſapientes à plebe dicti ſunt. Qua imitatione apud Græcos ἑπτὰ σοφοὶ, id eſt, Septem Sapientes nuncupantur: Thales Mileſius, Solon, Chilon, Pittacus, Bias, Cleobulus, & Periander. Sed poſtea Pythagoras primus, vel hoc nomine ſapientiſſimus, non ſapientem ſe, ſed philoſophum, hoc eſt, ſapientiæ amatorem appellari voluit, ſapientiam ſoli Deo relinquens. Contra, ambitioſi homines conducunt redimuntque laudatores, qui neque ex animo, neque verum prædicant, Unde σοφολαλεῖς Græce, Laudiceni Latine ſunt, qui cœna pacta laudari ambiunt, apud Theocritum in Thyonichoe idyllio 14. ait quiſpiam ludens: Quam ſapiens, inquit, illa [illegible] Ironicon hoc eſt.

Optimus.

Inter omnes honoris titulos hic reputabatur præcipuus, qui à virtute ipſa ſumptus, non cuivis tribui ſolebat. Itaque Cajus Scipio Naſica, cum ob ſingularem animi probitatem eximium mereretur encomium, Optimus a Senatu appellatus eſt: referentibus Pomponio de juris origine, Livio libro ab vrbe condita, Plin. lib. 7. Naturalis hiſtoriæ.

Flos.

Quod in quacunq; re pulcherrimum puriſſimumque eſt, id floris nomine indicatur, Sic Theocritus Hyla: Argonautas vocavit divi-

divinum heroum florem. Sic ab Ennio Cethegus elegantiſſime dictus eſt:

Flos inlibatus populi, ſuadæque medulla.

Plautus in Caſina: Ea tempeſtate flos poetarum fuit. Simonides in epigrammate, quo Sophoclem laudat:

[illegible] ἀοιδῶν.

Euripides in Troade, ἄνθος πώλων, præſtantiſſimos equos:

Lucianus:

Tunc flos Heſperiæ.——

Catullus:

Ego gymnaſi fui flos, ego eram decus olei.

Idem:

Flos Veronenſium depereunt juvenum.

Sed & apud Ciceronem ſæpiſſime. Plautus in Curculione? Quod etiam flos eſt in herbis, idem in adoleſcente eſt pubertas: unde & pubertatem herbarum, & florem juventutis dicit Virg. Lucret. lib. 1.

——Quibus poſſint ævi contingere florem.

Idem lib. 3.

Confirmata capitum ætatis tangere florem.

Id eſt: ἀκμήν.

Idem lib. 4.

Denique cum membris conlatis flore fruuntur

Ætatis.——

Florem ætatis appellat, quem Græci ἀκμὴν & ὥραν dicunt. Ibidem:

——Quod in ipſis floribus angat.

ἐν τοῖς [illegible], id eſt, tum maxime, cum amor ſuas delicias, ſuamq; ambroſiam amantibus propinat.

Oſce loqui.

Livius autor eſt, primum apud Oſcos fabularum ludos celebratos. Atq; inde a juventute patophorus dicitur. Ignatius item, & c. Cyrillus lib. 11. cap. 27. tradit divinum appellari θεοφόρον, Evangelium in ſe per gratiam habentem.

Cedro dignum.

Cedro dignum dicere ſolemus, quicquid judicare volumus immortalitatem mereri. Hujus arboris ea natura eſt, vt cariem non ſentiat: quare oleum cedrinum authore Vitruvio, libros à tineis conſervat. Illi folia non decidunt hujus oleo peruncta, nec ipſa quidem cariem ſentiunt aut tineam, vt ne clavum etiam fixum teneat. Et quia materia æterna eſt, ex ea ſimulachra factitarunt. Vide Plin. lib. 13. cap. 5. & 13. Dioſc. Theophraſt. lib. 5. Ovid. 1. Triſt. elegia 1.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Martialis:

Quæ cedro decorata purpuraque,
Nigris pagina crevit vmbilicis.

Idem.

Cedro licet ambules perunctus.

[Lege Chil. Digna cedro.]

Ἔνθεος, Divinus, Deum fieri.

Cicero in prima epiſtola ad Q. Fratrem Aſiæ proconſulem de ea provincia rectè & prudenter adminiſtranda, divinum hominem vocat, tanquam ex Deo natum, & ſingularibus donis præditum, quæ in quoslibet non cadunt. Nam quidem (inquit) te ita viventem intuebuntur, vt quendam ex Annalium memoria, aut etiam è cœlo divinum hominem eſſe in provinciam delapſum putent. Plato in Menone ſcribit: Lacones ſi quem laudarent virum bonū, dicere ſolitos eſſe, θεῖος ἀνήρ. Baſilius ad nepotes ſuos, θεὸν γενέσθαι. Deum fieri, dixit ſpecie proverbiali, vt quem hominem vt Deum obſervent & colant: quemadmodum etiam Tityrus Virgilianus dixit,

——Deus nobis hæc ocia fecit:

Octavium Auguſtum ſubindicans. Enthei autem Græcis dicuntur numine divino pleni, ſpiritu Dei inſtincti.

Ad ſidera uſque notus.

Virgil. ——Daphnis vſque ad ſidera notus.
——Daphnumq; tuum tollemus ad aſtra.
——Daphnin ad aſtra feremus.

Vare tuum nomen ſublime ferent ad ſidera. Æneid. 1.

——Sublimemq; feres ad ſidera cœli
Magnanimumque Æneam.——

Et duodecimo:

Ille quidem ad ſuperos.——
Succedet fama, viv usque per ora feretur.

Idem 3. Georgic.

——Victorq; virum volitare per ora.

Auſonius:

Ibis in ora hominum.——

id eſt, fama celebrare.

Hæc omnia per hyperbolen, cujusmodi ſunt & illa:

Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Nam ſidera, aſtra, olympus, pro eodem iſtis in locis accipiuntur. Cicero Philip. 4: Quid expectas M. Antoni judicia graviora. Cæſar fertur in cœlum, id eſt, ſummis laudibus celebratur. Sic in cœlo eſſe dicuntur qui omnium ore celebrantur. Contra, de cœlo detracti dicuntur, qui è magna gloria exciderunt, & de ſummis laudibus deturbati ſunt. Cicero in Philip. 2. Collegam tuum de cœlo detraxiſti. Cæterum vt referre inter deos, τὸ ἀποθεοῦν dicunt: ſic [illegible], pro, in cœlo eſſe, hoc eſt, ad cœlum ferri laudibus, & gloria celebrari. Cic. ad Atticum: Bibulus in cœlo eſt, nec quare, ſcio: ſed ita laudatur, quaſi vnus homo, qui nobis cunctando reſtituit rem.

Non belle quædam faciunt duo.

Martialis lib. 5.

Non belle quædam faciunt duo: ſufficit vnus
Huic operi: ſi vis vt loquar, ipſe tace.

Alluſio ad Homericum illud nobiliſſimum dictum Iliad. 2.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη.——

Id eſt:

Multos dominos non expedit eſſe.

Ad hoc quoque Arius in Plutarchi Antonio alludit:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη.—— Id eſt:

Haud expediet multos Cæſares eſſe.

In apibus princeps vnus eſt, inquit Hieronymus ad Ruſticum: Seneca libro De clementia 1. cap. 19. Nec vnquam plus vno patiuntur. Quod ſi propius contemplemur, hoc animal documento eſt, in vita eſſe regni ſocietatem, nec regnum duos capere. Siquidem duo reges ita factionibus multitudinem diſtrahunt, vt ad totius ſobolis internecionem depugnare paratæ ſint, niſi prælium dirimatur altero ex regibus interempto.

Politus, civilis & vrbanus.

Qui ab hominum celebritate & frequentia ſenſum communē didicerunt, vrbanam prudentiam compararunt, & agendi diſſerendique inter vrbaniores homines vſum tanquam magiſtrum habuerunt, expolitioniſque artificem: in cujus officina qui ſe perpoliendos præberent ſermone antiquo, & ad huc hodie vſitato, præcipuè Gallis, Politi ſive civiles vel vrbani dicuntur. Politio enim & civilitas & vrbanitas, de homine dicitur. Varr. 1. de re ruſt. c. 2. Video huc venire Cn. Tremelium Scrofam, virum omnibus virtutib. politum. Cic. 4. Acad. politiſſ. & acutiſſimus noſtræ memoriæ philoſophus. Ibidem: Nihil acutius, nihil politius Ariſtot. Cic. De orat. Ut videaris, quam ſit illud genus iſtorum qui ſibi eruditi videntur, hebes & in politum. Expolio autem, & Perpolio perfectionem actus denotant: & antiqui omnes perfectiones, Politiones appellabant: hoc eſt, extremam illam manū, quæ jam operi quodam modo perfectò imponitur. Suetonius, in Tiber. Civilem ſe admodum egit. Quint. in proœmio lib. 1. Civilem virum dixit. Ad hæc Civilis & humanus, Clementia & civilitas, conjuncta frequenter reperiuntur. Hinc eſt, quoniam civilitas, comitas, facilitas, civi hominique politico convenit. Urbani quoque dicuntur culti, & qui in verbis & ſono, & vſu propriū quendā præ ſe ferunt vrbis geſtum, & ſumptam cō verſatione doctorum tacitam eruditionem: quib. opponuntur ruſtici. Hinc vrbani mores, & vrbanitas, in qua nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditū, nihil peregrinum, neque ſenſu, neque verbis, neque ore geſtuve poſſit deprehendi. Quint lib. 8. cap. 3 & Demoſthenes.

Cantatiſſima.

Notum & vulgatum, vt famigerata & celebrata à Latinis dicantur cantatiſſima, & à Græcis, ἀοίδιμα. Nam quoniam veteres laudare, & vaticinari verſibus ſolebant, factum eſt, vt cantare ſive canere, pro laudare, celebrare, tollere laudibus, ἐγκωμιάζειν capiatur. Virg. 7. Æneid.

Regemq; canebant.

Cic. ad Atticum: Nam, vt ſcis, jam pridem iſtum canto Cæſarem. Statius 3. Syl.

Aſteris & Battis totam cantata per vrbem.

Accedit his.

Quoties Galli ad cumulum augeri ſignificare volunt, dicunt: Accedit his, quod Græce dicitur, ἐπιγίνεται τούτοις, id autem quod ſenſim accreſcit, [illegible] Græci vocant: nos verò acceſſionem. Hinc Budæus Brixio ſcribens: Huc adde majorum lancium acceſſiones, quaſiq; juſtorum ferculorum aſſeclas i. appendices, incrementa, & additamenta, quæ capiti accedunt, & (vt vulgò loquimur) principali.

Vnus multorum inſtar.

Proverbiale eſt, ex Antimachi Clarii poetæ dicto derivatum. Quum enim convocatis auditoribus ingens recitaret volumen quod conſcripſerat, & ab omnibus eſſet deſtitutus, excepto Platone: Legam, inquit, nihilominus. Plato enim mihi inſtar eſt omnium auditorum. Refert Cicer. libr. De clar. orat. Cui ſubſcribit illud poetæ Epigrammat.

Me ratis juvat auribus placere.

Itidem Cicero dixit, ſibi vnicum Catonem eſſe pro centum millibus. Democrito vnus pro populo, & populus pro vno fuit. Extat epigramma Platonis, lib. 3. epigr. & apud Laertium: in quo, εἷς ἐμοὶ ἀντὶ μυρίων: Hinc D. Hieron. ad Marcellam: Eruditis auribus contenta, non magnopere cures quid imperitorum de ingenio tuo rumuſculi jactitent. Unde illud emergit:

Et verum, inquis, amo: verum mihi dicito, de me
Quis populi ſermo?

Homerus Iliad. λ de medico.

Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Hodie Emmanuelis Philiberti Sabaudiæ ducis argenteum viſitur numiſma cum hoc ſymbolo: Inſtar omnium.

Quibusvis montium collibus altior.

Eſaiæ proverbialis hyperbole, capit. 2. Elevatus ſuper omnes colles, id eſt, ſuper omnem altitudinem. Futurum eſt, inquit, noviſſimis temporibus, vt ipſam Hieruſalem collocatam videatis ſupra cunctos montes, quibusvis collibus altiorem. Sic Virg. Æneid. 2. equum Trojanum quem maximum eſſe ſignificare voluit, inſtar montis eſſe dixit.

Attalica.

Ab Attalo poſtremo Pergami rege ampliſſima & magnifica omnia Attalica ſunt dicta, vt eſt author Plinius lib. 8. cap. 48. Propertius:

Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Horatius quoque lib. 1. Carminum, ode 1. Attalicas conditiones, ampliſſimas vocat. Hic omnes ætatis ſuæ reges precioſarum veſtium, ſplendidæque ſupellectilis luxu ſuperavit; quo factum eſt, vt Joannes Spangenbergius Pſal. 102. dixerit:

Cuncta ſed Attalici tegminis inſtar erunt.

Cum autem Attalus liberis careret, populum Rom. hæredem inſtituit.

Familiam ducere.

Eo Cicero pluribus in locis vſus eſt, cum præcipuum aliquid ſignificat, quodq; principem in re quapiam obtineat locum. Primum in epiſtola, qua C. Trebatium Teſtam commendat Cæſari. Nam cum eum multis laudibus affeciſſet, ad poſtremum addit: Accedit etiam, quod familiam ducit in jure civili ſingularis memoria, ſumma ſcientia. Quibus verbis ſignificavit, hanc primam & præcipuam Trebatii eſſe laudem, cæteras ei fortaſſe communes cum multis: hoc eſſe ipſius pene proprium bonum. Deinde libro quarto De finibus, vbi Catonem alloquens: Sed primum illud, inquit, vide, graviſſimam illam veſtram ſententiam, quæ familiam ducit, honeſtum quod ſit, id eſſe ſolum bonum, honeſteque vivere, bonorum finem, communem fore vobis cum omnibus, qui in vna virtute conſtituunt finem bonorum. Et oratione 5. in Ant. Lucius quidem frater ejus, vtpote qui peregre depugnavit, familiam ducit.

Ἀπὸ Κόδρου.

Adagium eſt quo nobiliſſima ortos proſapia affirmamus, vt tradit Themiſtius. Eædem parœmiæ ſunt, Codro antiquior, Codro generoſior. De quibus Eraſmus noſter. Fuerunt Cecrops & Codrus Athenienſium reges.

Oculus.

Oculus proverbialiter pro lumine & ornamento accipitur. Nonnus cap. 17.

Οὓς δεδώκας μοι

Τὸν σῷ παιδὶ δόμους ἐκ κόσμου, ὄμμα τὸ κόσμου.

Id eſt:

Sed quos dediſti è mundo, filio tuo, qui oculus eſt.

Id eſt, lux caliginoſi mundi. Hoc ipſum annotavit Joannes Hartungus in decuria ſecunda. Solem Orpheus æternum mundi oculum appellavit, quandoquidem ejus lumine omnia luſtrantur atque incaleſcunt. Plato quoque in ſexto De rep. & reliqui veteres Theologi, viſibilem Dei filium appellarunt: quaſi per hunc, tanquam per quandam divinam imaginem, ineffabilem Dei naturam concipere valeamus. Quinimo contendamus, in mundo eſſe, tanquam in ſacratiſſima æde, admirabilem Dei ſtatuam. Quapropter apud Ægyptios aureis notis inſcriptio incras Minervæ templis:

Ego ſum quicquid eſt, quicquid futurum eſt,
Quicquid fuit. Velum meum ſuſtulit nemo. Quem
Fructum protuli, Sol eſt.

Unde liquet, Solem pulcherrimum ſenſilium omnium revera divinam bonitatem referre. Ovid. Metamorph. 4.

Ille ego ſum, dixit, qui longum metior annum,
Omnia qui video, per quem videt omnia tellus,
Mundi oculus.—— Capellat:
Mundanusq; oculus, fulgor ſplendentis olympi.

Julianus Damaſcum vrbem τὸν ἑώας ἁπάσης ὀφθαλμὸν, totius Orientis oculum dixit: vti Cicero in Pompejana, Corinthum totius Græciæ lumen. Nazianzenus Nemeſſu vocat, τὸν ὀφθαλμὸν ... Græciæ & eloquentiæ præcipuum ornamentum. Idem: Hi velut juris & eloquentiæ maritimæ effoderunt. Pindarus Olymp. ode 2. Σικελίας τ' ἔσαν ὀφθαλμός: Agrigentum Siciliæ oculum vocat. Catullus in hanc ſententiam inſularum peninſularumque omnium ocellum dicit. A ſole extant aliquot proverbia: τῷ φῶς ἡλίῳ δανείζεις, id eſt: Lumen ſoli mutuum das. Eſt ſimile quiddam apud Fabium Quintilianum, Inſtitutionum orat. lib. 5. tit. De vſu argumentorum. de iis qui per ſe clara conantur illuſtrare, eos perinde facere quaſi quis ſtudeat clariſſimo ſoli mortale lumen inferre & mutare. His ſimillimum eſt, quod refert Gratianus ex Anacleto Papa, cauſa 9. quæſt. 1. Supervacuis laborat impendiis, qui ſolem certat facibus adjuvare. Verum vt ad oculum redeamus: Hippolytus epiſcopus & martyr, in initio orationis De conſummatione mundi: Quoniam, inquit, beati prophetæ oculi noſtri fuerunt, rerum arcanarum declarationem indicantes, &c. Sunt autem oculi, pars corporis precioſiſſima, veri cordis nuncii. Cic. De natur. deor. Nam & oculi tanquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent, ex quo plurima conſpicientes funguntur ſuo munere. Idem in Lælio per tranſlationem quoque: Nec verò in luce modo, atque in oculis magnus, ſed intus, domique præſtantior. Magnus in oculis & luce, id eſt, coram hominibus. Plin. lib. 34. cap. 6. per tranſlationem, oculatiſſimum locum appellat conſpicuum. Tertul. in Apolog. verbo, Oculo, vſus eſt pro illuſtro, vel illumino, & quaſi ex cæco oculatum facio. Sed quia, inquit, jam expolitos, & ipſa vrbanitate deceptos, in agnitionem veritatis oculaæret. Plautus in Pſeud. oculatam diem vocat, qua numeratur præſens pecunia: cui opponit cæcam, qua nihil numeratur: Eme, inquit, die cæca oleum, id vendito oculata die. Idem oculatas manus dixit, quæ promiſſa velut exhiberi re, non oratione promitti. Cic. pro Cluentio, oculis teneri, dicit: pro, omnibus modis compertum ac deprehenſum. Oculis magis creditur, quam auribus, hinc oculatus teſtis, cui magis habetur fides, quam aurito. vide ea quæ de regum oculis annotavimus in Lucianum de mercede conductis.

Lumen.

Viros omnes inſignes, qui vel rebus præclare geſtis patriam illuſtrarunt, ſive ſublimiori aliqua doctrina mortale genus inſtituerunt, aut vitæ ſanctioris exemplo reliquis fuere documento, quo veram poſſent aſſequi beatitudinem, Lumina nũcupare mos eſt: vt Latinus rex apud Maronem queritur, lumina tot cecidiſſe ducum. Sic Galli noſtri viros qui præclari nominis ſunt, nomine luminis appellant. Et D. Ambroſius, luminaria, ſanctos inquam homines, inter mortales verſatos ait. Illi enim veræ participes lucis, eas animas quas erudiebant ab ignorationis tenebris educentes, luminaria non injuria nuncupati ſunt. Cic. in Pompejana, Corinthum totius Græciæ lumen dixit: hoc eſt, ornamentum. Itidem: Sol, oculus. Per lumen etiam cognitio ſignificatur: vnde, Dare luci, pro, declarare & edocere, ſæpe legimus: contra verò in ſcitiam: tenebras vocamus: & Hallucinari, pro decipi per ignorantiam, accipitur.

Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.

Chriſtus profectus in Galilæam, nempe in Canam, Galilææ oppidum, non autem in Nazareth patriam ſuam (inde enim fuerat ejectus, adeò vt rogatus, quare non ſe conferret ad ſuos, oſtenſurus quantus eſſet) vſurpavit illud vetus & tritum vulgi ſermone proverbium, prophetas a ſuis non agnoſci: hoc eſt, nuſquam eſſe contemptos, niſi in ſua patria, & inter cognatos ſuos. Videtur autem Chriſtus ſignificare, quibus tantum abeſt, vt juſtus honos tribuatur, vt etiam afficiantur contumelia. Nuſquam enim contempti ſunt, inhonorati, honoris expertes, & inglorii, niſi in patria, & inter cognatos & affines ſuos. Hoc refert Marci 9. Luc. 4. Joan. 4. Alludit autem hoc proverbium ad illum locum Ennii in Medea, vel potius ex illo eſt expreſſum:

Multi ſuam rem benè geſſere & publicam,
Patria procul, multi qui domi ætatem agerent,
Propterea ſunt improbati.

Cicero libr. 7. Epiſt. ad famil. in ſexta, quæ ad Trebatium ſcripta eſt: Tu modo ineptias iſtas & deſideria vrbis & vrbanitatis depone: & quo conſilio profectus es, id aſſiduitate & virtute conſequere. Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignoverunt Medeæ, quæ Corinthi arcem altam habebant matronæ opulentæ; optimates, quibus illa manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi illæ vitio verterent, quod abeſſet à patria. Nam multi ſuam rem bene, &c.

Gigantes.

Gigantes celebrati ſunt proverbio, de hominibus magnis & ſplendidis, ac quadam authoritate magnifica præditis, qui omnem corrumpunt diſciplinam, & viribus opprimunt remp. atq; Eccleſiam. Alcimus Avitus 4.

Si ſpeciem quæras, humani corporis illis
Plus vultus quam forma fuit, ſic linea membris
Conveniens, hominem monſtrabat, diſſona molem.

Horum quatuor genera nominibus diſtincta recenſentur: Nephelim, qui inter Hevæos habitarunt, dicti quaſi graſſatores, propter rapinam: Emim, inter Jebuſæos, Moabitas & Ammonitas, quos hi gentili nomine Zamzumim, quaſi formidabiles propter violentiam nominarunt: Enachim, inter Hethæos, quaſi torquati, ab oſtentatione opum: Raphaim, qui ſedes habuerunt inter Amorrhæos & Palæſtinos, nomine ſumpto honeſto, quod ſervatores & curatores eſſent. Tot monſtris antiquitus oppreſſa fuit Dei Eccleſia. Sed fuerunt ſeculis omnibus viri ſuperbi, cum poteſtate & honorib. virtutis & honeſtatis inimici: vnde etiam apud poetas invaluerunt nomina Titanum ſeu Gigantum, Cyclopum, Centaurorum, Tyrannorum: qui cum Hebræorum nominibus & factionibus conferri debent. Celebrata fuit proverbio γιγάντων βίος, de vita ſceleribus & flagitiis obruta, in qua turpe haberetur, non eſſe turpem. Armati incedebant domi foriſque: vnde ὑβρισταὶ ... apud poetam dicuntur. De quib. annotavimus aliquid copioſius alibi. De Titanis autem in adagio, Titani: de Cyclopibus

[illegible] in adag. Cyclopica muſica. & Eraſmus noſter in adag. Cyclopum more: & κυκλώπειος βίος. Centauri, multitudo equeſtris extitit, [illegible], vt ait Sophocles, & alius poëta dixit, [illegible]. His de pravatis eorum moribus inſuper addit Homerus violentiam, Pindarus feritatem, Ovidius libidinem, quæ vitia ferè ſequuntur magnam opulentiam. Hinc Centaurice fieri dicebatur, quod immaniter, ferociter, inciviliterve fieret. Tyranni nomen, vt Hippias Sophiſta ſcribit, poetæ Archilochi temporibus ortum: & exiſtimantur à Tyrrhenis Italiæ populis dicti: vt in Græcorum ſcholiis eſt. Nota autem Mezentii crudelitas, qui mortuorum corpora cum viventib. junxit, & in tali complexu necavit. Nota ejusdem impietas, ita enim ipſe inquit apud Virgilium:

Dextera mihi Deus, & telum. ———

Similiter Capaneus Argivus apud Statium:

——Virtus mihi numen & enſis,
Quem teneo.

Fuerunt tales multi: vt Lycaon Arcas, Salmoneus Elienſis, Clearchus Heracleus, Ereſichthon Theſſalus, Polymneſtor Thrax aperte & in deos contumelioſi, & in ſuos populos violenter injurii. Similes Gigantibus fuerunt Cambyſes, Domitianus, Julianus. A Cyclopibus, helluones iſti, Candaules Lydus, Heliogabalus Romanus, Venceſlaus Boemus. Centauris, multi nobiles, [illegible], & Nabal ille Carmelita, Davidis exulis, ſui tamen tribulis irriſor: Calebi & Othonielis, virorum lectiſſimorum, meritis & progenie tumidus. Tyrannis, Hercules, qui Linum præceptorem, & Joas rex Judæ, qui præceptoris filium interfecit. Tyrannis præterea ſimiles ſunt, qui religionem contemnunt, humanitatem oderunt, Dei præſentiam negant, qui denique cæteris orantib. ridentes in templis, aut garriunt. ita enim de Lycaone Arcade (quem Caium fuiſſe nonnulli augurantur) ſcribit Ovidius,

Vulguſque precari
Cœperat, irridet primo pia vota Lycaon.

Hebræorum & Græcorum exemplis ſi vellemus addere ſuperioris aut noſtræ memoriæ homines impios, & ventri deditos, ac mundi artibus corruptos: intelligeretur, nullis temporib. defuiſſe ejusmodi humani generis peſtes atque portenta.

Ἀδιάνετος.

Ἀδιάνετος ſæpenumero proverbialiter legitur apud Græcos authores, præſertim apud Euſebium, pro clariſſimo & faciliimo. Hinc Græco more factum eſſe ſuſpicor, vt Aſinius Pollio apud Senecam, Albutii ſententias, quæ apertæ erant, faciles, non obſcuræ, non tenebricoſæ, appellet albas: quod quæ alba ſunt, nihil atrum, nihil caliginoſum habeant, ſed clara quadam luce ſuffuſa pelluceant. Ejus verba ſunt, Sententiæ, quas optime Pollio Aſinius albas vocabat.

Candidior nive.

Hyperbole proverbialis, quæ hodie quoque vulgò à nobis effertur, & fidem excedit augendæ rei gratia, Plus blanc que neige. Maro Æneid. 12.

Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

Ad currum autem Jovis, cenſebant equos nivali candore junctos eſſe, & eo per aerem invehi Jovem credebant, cum tonabat, aut fulgebat. Equos etiam candentes, celeriores credebant. Hinc, Nive candidiores equi, Nivei dentes, lacerti: Ebur niveum, Pſal. 50. Lave me, & præ nive dealbabor. Alba facta eſt velut nix in Salmon, Pſal. 68. Lætitiam quæ ſequuta eſt propter reges proſligatos in Jeruſalem, comparat nivis candori, qualis ſpectari ſolet in monte Salmon.

Iunonio inceſſu ambulat.

Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 12. [illegible], i. Junonio inceſſu ambulat: pro gravitate quadam, & magnificentia inceſſus dixit, vt & Propertius:

——Et incedit vel Jove digna ſoror.

Ex eodem Athenæo cognoſcimus, inſigni quadam majeſtate inceſſus, veteres exiſtimaſſe Junonem procedere. Quo reſpexiſſe Virgilius Æneidos 1. videtur, cum dicit:

Aſt ego, quæ Divum incedo regina, Joviſque
Et ſoror & conjunx. ———

Cum fortaſſe inceſſum etiam imitabantur, qui ejus ſacra ferebant. Unde & Horatius ſcripſit Satyr. lib. 1. ſatyr. 3.

Perſæpe velut qui Junonis ſacra ferret.

Qui verſus ad Tigellium, ſuaviſſima vrbanitate & ſimilitudine refertur, qui tam lento paſſu tardoque incedebat interdum, vt Junonis ſacra ferre videretur. Athenis enim virgines ſacra caniſtris in capitib. repoſita ferebant, & à virginibus id fieri in Junonis ſacris, religionis ritus poſtulabat, non à maribus, vel Ovidio teſte. lib. 3. Amorum ita ſcribente,

More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis,
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.

Quanquam & alias ſacra etiam omnia tardo greſſu ferebantur, quod tamen propter dignitatem ſacrorum, & propter pompam potius fiebat. Eos autem, qui Junonis tantæ deæ, aut Cereris ſacra ferebāt, tardiſſime incedere ſolitos eſſe, declarat locus ille M. Tullii Officiorum 1. de inceſſus moderatione. Cavendum eſt, ne aut tarditatibus vtamur in ingreſſu mollioribus, vt ſimiles pomparum ferculis eſſe videamur: aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates.

Vates profecto es.

Ibidem & in Philebo: Nunc propemodum hæſito: teque vt eſſe nobis propheta velis, obſecro, ne quid nos tibi circa certatorem aberrantes, præter melodiam canamus. Cicero de philoſophia, ſive in Hortenſio, apud Auguſt. lib. 4. contra Pelagium, vocat vates in ſacris, initiisq; tradendis, divinæ mentis interpretes.

Virtus eſt, gaudere honeſtis.

Ibidem, Videtur mihi virtus eſſe, vt poeta inquit, gaudere honeſtis, ac poſſe. In Philebo: Boni homines veris aluntur: falſis verò voluptatibus pravi vt plurimum geſtiunt.

Pentathli ſimilis: ὡς πένταθλος ἐστιν.

Ibidem, videris enim mihi talem dicere, quales in certamine ſunt Pentathli, curſoribus, vel jaculatoribus collati. Philoſophum Pentathlo comparaſti, & vt Pentathlum eſſe oportere dicis, & ſecundas tenentem, inutilem eſſe, πένταθλος de viro vndecunque doctiſſimo, & omnifariæ eruditionis opibus inſtructiſſimo. Laertius, Theodoretus, Eumathius, Budæus.

Theſſalici homines.

Plato in *Menone*, vel, de virtute, Theſſalici homines inter Græcos illuſtres, tum equeſtri facultate, tum etiam divitiis habiti ſunt. Alibi, Athenienſes: &, Romani.

Mirifice, mirificus.

Ibidem, quæ enim dicis, menti meæ mirifice conſonant. Præclarè atq; magnificè, in Hippia majore. Ibid. Hui quam mirifice & excellenter, & vere decet, dixiſti? In Sophiſta: quid verò ò mirifice adoleſcens? Item: Revera mirandus vir iſte, cognituque difficilis: quandoquidem & nunc quam ſcite tergiverſatus in obſcuræ ſpeciei latebras ſeceſſit. Catullus in imperfecto carmine quodam:

Mirificè eſt actu nactus vtrunque malum.

hoc eſt, vt dicitur: ipſo facto. Sunt qui pro, actu, à te legunt.

Vnicus.

Unicum olim honoris cauſa dicebant, imperatorem præcipuè. Sueton. in Othone Silvio: Fortiſſimum virum, vnicum imperatorem prædicantes. Catul. in Cæſarem & Mamurram.

Dignus admiratione.

Alibi: Parmenides: O Socrates, quam dignus es admiratione, propter impetum illum diſputandi. Mirandus vir, mirificus, admirabilis, mirabilis, alibi, Mirificus, mirifice.

Nomen.

Catul. in eodem epithalam.

——— Non decet Tam vetus ſine liberis nomen eſſe.

Sic Virg. in 6. & Liv. in 1.

Eone nomine imperator vnice.

Idem in ingratum, vnicum pro ſummo accipit:

Qui me vnum, atque vnicum amicum habuit.

Unice enim diligimus, quos vehementer amamus.

In cœlum ferre.

Catullus ad Flavium:

——— Volo te, ac tuos amores,
Ad cœlum lepido vocare verſu.

Cicer. in 2. De legib. Et illos, quos in cœlum merita vocaverint. Et pro Deiotaro: Rex enim Deiotarus veſtram familiam abjectam & obſcuram è tenebris in lucem vocavit. Vide Syllogen, Ad ſidera notum.

Cato ſui temporis.

Fuerunt olim, & adhuc hodie ſunt viri virtute & eruditione inſignes, qui Catones ſui temporis dicti ſunt, & dicuntur. In his fuerunt Fabius Sabinus: cujus meminit Lampridius in Heliogabalo, & Capitolinus in Maximino patre. Sebaſtianus Foxius Morzillus de hiſtoriæ inſtitutione: Extant Socratis ejus, qui apud Græcos dictus eſt alter Cato, &c.

Dulcius Ambroſia.

Idem Catullus ad Juventium:

Surripui tibi, dum ludis mellite Juventi,
Suaviolum dulci dulcius ambroſia.
Verum id non impune tuli: namque amplius horam
Suffixum in ſumma me memini eſſe cruce.
Præterea infeſto miſerum me tradere amori,
Non ceſſaſti, omnique excruciare modo:
Ut mi ex Ambroſia mutatum, jam foret illud
Suaviolum triſti triſtius helleboro.

Significat inamabile ſuavium. Etiam Virgilio Comæ dicuntur ambroſiæ: & à quodam, ambroſium oſculum. Ambroſia cibus eſt Deorum. Hinc ex Cicer. Eraſmus noſter annotavit, Ambroſia alendus.

Nive candidius.

Catullus ad Gellium:

Quid dicam, Gelli, quare roſea iſta labella
Hyberna fiant candidiora nive.

Martialis:

Toto candidior puella cygno
Argento, nive, lilio, liguſtro, &c.

Catullus in nuptiis Pelei & Thetidis:

Excipiet niveos perculſæ virginis artus.

Floret.

Cicero: Florere potuiſſet. Vide alibi noſtrum adagium Flo.

Toto cantabitur orbe.

Ovid. in 1. eleg.

Battiades toto ſemper cantabitur orbe:
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

Omnia Deo plena.

L. Aurelius Ammianus Symmachus V. C. Omnia quidem Deo plena ſunt, nec ullus perfidibus tutus eſt locus.

Vina theologica.

Scholaſtici Theologi, Sorboniſtæ, Pariſienſes, Bononienſes, Lovanienſes, Colonienſes, Complutenſes, in Sophiſticarum rerum contemplatione, optima cum primis vina deligunt: quæ ob id ipſum jam paſſim etiam Theologica nominantur, etiam authore Arnoldo Villanovano, in ſcholam Salernitanam de conſervanda valetudine, capite 8. de cibis benè nutrientibus & vinis rubentibus.

Vnum quidem, ſed leonem.

Quoties adſtruemus, virtutem ac animi excellentiam ſpectandam eſſe, non vilem numerum. Ortum è fabulis. Objiciebat leænæ vulpes in contentione de generoſitate, quod ſemper tantum unum pareret: ſuus partus eſſet multiplex. Reſpondit leæna, ſe quidem unum parere, ſed λέοντα: quo animali nullum validius, aut ferocius.

Minerva Phydiæ.

De re cultiſſima, & quæ excelſo, conſpicuoque loco oſtendi omnibus debeat. Cic. fuit Athenis ad Acropolim Minervæ ſtatua ex ebore, à Phidia egregiè elaborata. Alibi dixit idem Cic. Phidiæ ſignum, pro re, quæ (ut Eraſmus interpretatur) primo ſtatim aſpectu omnium ſuffragiis approbatur.

Iovis Corinthus.

Ut Philoſtratus Antipatrum, qui Severo Impe. ab epiſtolis erat, commemorat habitum fuiſſe Jovis Corinthum, quod & potens eſſet, & Severo, qui vice numinis colebatur ab omnibus, in primis carus, ita licebit eodem proverbiali elogio quemvis ornare, qui feliciſſimus ſit, ac præpotens, virgula quadam divina oblatus; quique apud principem, aut civitatem aliquam quam maximè authoritate valeat & gratia. Natum inde, quod Aletes Corintho ex Jovis Dodonæi oraculo potius cum videret civitatem nobilem ac prævalidam, ſubjectam ſibi, eam appellarit Διὸς Κόρινθον, Jovis Corinthum.

Exigua aqua majori interdum ſupernatat.

Non quicquid exile & parvum, ſtatim à magnis deſpiciendum. Fluvii enim exigui, qui in mare feruntur, marinæ tamen aquæ ſupernatant. Dictum eſt ejus, qui Diogenem emerat cum hic venditus, & rogatus quid ſciret, reſponderet, dominari ſe didiciſſe.

BOVILLI. *Iulio & Cæſare & Conſulibus.*

Julius teſte Suet. in conſulatu cum collegam haberet M. Bibulum, eum obſiſtentē ſibi vi è Capitolio & foro abegit. Unde cum hic poſtea tanquam privatus domi ſe contineret, ille duorum vicem obiret: quidam conſules ejus anni hoc modo deſignabant: Jul. Cæſ. COSS. unde etiam illud:

Omnia conſulibus ſunt Julo & Cæſare facta:
Nam Bibulo fieri conſule nil memini.

Torqueri poterit vel idem hoc, vel quid ſimile ad hujus exemplum lepide efformatum, in eum, qui arroganter & præter officium ſuum, munii alicujus aut negotii adminiſtrationem ſibi ſumit: ſive id permittat fieri ſocii ignavia, ſive metus.

Ignis cineribus alitur ſuis.

De homine conſtante & æquanimi in adverſis rebus, cui bonorum amiſſio non ſolum non animum dejicit, ſed etiam accendit & inflammat, ad fortius impetui fortunæ reſiſtendum. Cinerum quiſquilias, igni, ubi alimentum deeſt, fovendo & conſervando officium præſtare, quotidie experimur. Quin & carbones juniperi ignitos, ſuis cineribus obtectos ferunt integro ignem inditum alere.

Familiam ducere.

Pro, præcipuum eſſe aliquid, & Principem in re aliqua obtinere locum. Cicero ad C. Trebatium: Accedit etiam quod familiam ducit, in jure civili ſingularis memoria, ſumma ſcientia: quibus ſignificat, hanc primam eſſe Trebatii laudem, & veluti propriam. Alibi, Sententia, quæ familiam ducit, &c. Item: Lucius quidem frater, utpote qui peregre depugnavit, familiam ducit. Muret. Variar. Lect. 4. cap. 17.

Herculis clypeus.

Proverbii loco utitur Juſtinian. in hexaſticho Digeſtis præpoſito:

Οἵαπερ Ἡφαίστοιο ποικίλλων ἀσπίδα τέχναις.

Sumptum apparet ex opere Heſiodi, cui titulus eſt, Ἀσπίς. Dicitur autem de re pulcherrima, & variis ornamentis inſigni.

GVL. GENTII. *Homo omni exceptione major.*

De homine integerrimæ fidei. Sumptum à teſtibus inculpatis & ſinceris, adverſus quos nihil præſcriptionis objici queat.

CAROLI BOVILLI. *Scintilla etiam exigua in tenebris micat.*

Quantulacunq; dignitas, virtute, eruditione, factis, aut ſolo loco acquiſita, ſtatim ſe prodit: & eminet in plebe hominum, præſertim inter eos, qui minoris ſunt ſortis.

Solem manibus geſtare.

Dictum de antesignano alicujus rei vel facultatis, & præcipuo magiſtro, & luce doctrinarum: vel poteſt ironicῶς torqueri in quendam, qui magnificum quid venditat, & præ ſe fert. Utitur Oldendorp.

Facere totum.

Pro, vim, poteſtatemque omnem habere. Juſtin. cap. 35. de heredum inſtit.

Talem oportet ducere, aut non ducere.

Ἢ τοιαύτην χρὴ γαμεῖν, ἢ μὴ γαμεῖν. Ex aliquo poeta ſumptum videtur, eſt enim trochaicus verſus. Dicetur commode de homine, qui in aliqua re excellat, & vel ipſe ſit ſequendus, vel alius nemo. Idem ſermonum ſacrorum 4.

Pentathli ſimilis.

Πένταθλος. De viro undecunq; doctiſſimo, & omnifariam eruditionis opibus inſtructiſſimo: ὡς πένταθλα ἴσασι. Quinque certaminis ſimilis videtur. Laertius, Theodoretus, Eumathius, Budæus.

Peplo dignus.

Ἄξιος πέπλου. Ariſtophanes in Equitibus, de ſtrenuo & quantivis precii homine. Erat peplum Palla Minervæ ſacra, variis operibus intexta: quam operam ſumebant virgines nobiles.

Μοισᾶν καπυρὸν στόμα.

Muſarum os fervens. Theocritus eidul. 7. Utemur in hominem eleganti ingenio, & feſtiva dicendi gratia & ſuavitate inſignem & expolitum, maximè qui animali carmine & dulci aures menteſque hominum demulcet. Veteres quicquid ſuave & eruditum fuit, Muſarum artificio aſſignabant, hinc Attica Muſa dictus Xenophon.

Nomen Muſis celatum opus.

Horatius epiſtola ad Florum uſus eſt hyperbole proverbiali, cum vellet ſignificare opus ſupra modum egregium, ſupraque humani ingenii vires, & quod ne Muſæ quidem artium inventrices æquare poſſent. Vel ſi cælatum, legas opus, ſenſus erit, in quod Muſæ omne artificium ſuum contuliſſe ſimul videri queant. Verba ejus hæc ſunt:

Carmina compono, hic elegos: mirabile viſu,
Celatumque novem Muſis opus.——

Venuſtior uſus erit per ironiam: ut ſi de Scoti ſcriptis quis dicat, Eſſe novem Muſis celatum opus.

Per genium alicujus dejerare.

Per genium alicujus dejerare, eſt omne dictum & factum honeſtatis eulogio notare, nihilque non per aſſentationem gloriæ & laudi ducere, ſed omnia votis honoribusque proſequi, quaſi Deo adhortante & præſide geſta. Quod & ipſum uſurpat Suetonius in Caligula, eleganter prorſus, & facie proverbiali, cum voluiſſet ſignificare, pleroſque à Cajo Caligula ſupplicio affectos, non quod digni eſſent, ſed propterea quod nō omnia ipſius tam dicta quam facta, honeſta duxiſſent, & aſſentando evexiſſent. Ejus hæc ſunt verba in Caligula: Multos honeſti ordinis deformatos prius, ſtigmatum notis, ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnavit, aut beſtiarum more quadrupedes caveа coercuit, aut medios ſerra diſſecuit: nec omnes gravibus ex cauſis, verum malè de munere ſuo opinantes, vel quod nunquam per genium ſuum dejeraſſent. Quæ hoc loco de ſuperſtitione gentibū in placando vel propitiando alicujus genio vel ſuo adferri poſſent, ſcripſi alibi. Nunc brevior eſſe volo, nihilque extra evagari volo.

Genium habere aliquid.

Quod in metallis, idipſum in adagiis uſu venit, ut uſu cultus & ſplen-

& ſplendor accedat: adeo ut nec illud iudicandum ſit inelegans, quod etiam vulgo tritum circumfertur. Tale eſt Martiali, eiuſque ſynchrono uſitatum, Genium habere: quo proverbio utuntur ſignificaturi, aliquid dativa quadam indole: & quadam arcana ratione movere animos hominum, & ad ſui amorem ſponte ſua trahere, vehementerque afficere. Refertur ad rem & ad perſonam. Ad rem apud Martialem lib. 6.

> Ingenioſa tamen Pompilli ſcripta feruntur:
> Sed famæ non eſt hoc, mihi crede, ſatis.
> Quam multi tineas paſcunt blattaſque diſerti,
> Et redimunt ſoli carmina docta coqui
> Neſcio quid plus eſt, quod donat ſecula chartis:
> Victurus genium debet habere liber.

Ad perſonam. Iuvenal. ſatyr. 6.

> Nemo mathematicus genium indemnatus habebit.

Indemnatus dixit, pœnæ immunem. Eiuſdem notæ eſt Caſtum habere, Homero & Martiali, aliiſque uſurpatum.

Mundi oculus.

Sol apud Ovidium Metamorphoſ. 4. ſe mundi oculum lepida tranſlatione vocat, eximium ſui uſum, maximamq; neceſſitatem ſignificans.

> Omnia qui video, per quem videt omnia tellus.
> Mundi oculus. ——

Sic Cicero pro lege Manilia Corinthum totius Græciæ lumen appellat. Et apud Ioannem Evangeliſtam variis in locis Chriſtus ſe vocat τὸ φῶς τοῦ κόσμου. Quadrabit in hominem omnibus ſapientiæ numeris & virtutum inſignibus inſtructum, Reip. ſumme utilem ac neceſſarium.

VLPII. *Quaſi locum in balneis occupare.*

In publicis locis primum occupans, ſolet plus iuris habere. Vnde & Iureconſultus: Qui prior tempore potior iure. Ad hunc morem alluſit Tertullianus, ubi dicit: Sed quia prior eis venit & prior virtutum documenta ſignavit, idcirco quaſi locum in balneis ita fidem occupavit, poſteris quibusque eripuit.

DILIGENTIA.

Hic locus multa cum ASSIDVITATE communia proverbia habet, inde igitur Lector, eadem repeteto.

Ad amuſſim.

Frequens eſt apud authores, Ad amuſſim, examuſſim, examuſſatim, amuſſatim: pro eo quod eſt, exquiſita diligentia, atque exactiſſima cura. Gellius libr. 1. cap. 4. Ad hæc omnia ſcripta antiquiora tam curioſe ſpectabat aut virtutes penſabat, aut vitia rimabatur, ut iudicium factum eſſe ad amuſſim diceres. Et amuſſitata, pro examinatis apud Nonium: Tranſlatum a fabris lapidariis aut lignariis, qui funiculo illo regulari, operis æqualitatem explorant. Quanquam Feſtus in dictione. Examuſſim teſtatur, Amuſſim quibuſdam eſſe non lineam, neque regulam, ſed ferramentum quo fabri in poliendo utantur. Perſius de poeta abſoluta carmina componente, quod modo citavimus:

> —— Scit tendere verſum,
> Non ſecus, inquit, ac ſi oculo rubricam dirigat uno,

Item in carmine de viro bono, quod Vergilio tribuunt:

> Ne quid hiet, ne quid protuberet angulus, æquis
> Partibus ut coeant, ne quid deliret amuſſis.

Vſurpat idem Baſilius ad nepotes, cum iubet unamquamq; diſciplinam ad finem felicitatis referre, perinde quaſi lapides, iuxta Doricum proverbium, ad amuſſim dirigentes. Natum videri poteſt apud Homerum Odyſſeæ 1. cum loquitur de Vlyſſe navem ſibi fabricante:

> Ξέσσε δ᾽ ἐπισταμένως, καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνεν.

Id eſt:

> Expoliit multa arte, ſuperque induxit amuſſim.

Rurſus Iliados 1.

> Ἀλλ᾽ ὥς τε στάθμη δόρυ νήϊον ἐξιθύνει
> Τέκτονος ἐν παλάμῃσι δαήμονος, ὅς ῥά τε πάσης
> Εὖ εἰδῇ σοφίης ὑποθημοσύνῃσιν Ἀθήνης.

Id eſt:

> Materiam veluti navalem exæquat amuſſis,
> Ducta fabri docti digitis, qui calleat artem
> Quæcunque eſt, teneatque probe monitrice Minerva.

Eſt apud eundem & aliis aliquot locis.

Ad unguem.

Ad unguem, eundem habet ſenſum. A marmorariis ſumpta metaphora, qui ſuperinducto ungui, commiſſuras explorant marmorum Horatius:

> —— Fonteius ad unguem
> Factus homo. —— id eſt, abſolutus:

Idem in Arte:

> —— Carmen reprehendite, quod non
> Multa dies, & multa litura coercuit, atque
> Perfectum decies non caſtigavit ad unguem:

Vergilius 2. Georgicôn libro:

> —— Nec ſecius omnis in unguem
> Arboribus poſitis ſecto via limite quadret.

Perſius:

> —— Vt per leve ſeveros
> Effundat iunctura ungues. ——

Macrobius Saturnalium lib. 1. Nec quiſquam alius tam futilis poſſet eſſe iudicii, qui Romani anni ſic ad unguem, ut aiunt, emendatum ordinem non probaret. Ad conſimilem modum Græci quod exactum ſit, & impenſius accuratum, ἀκρόνυχον vocant. Plutarch. de præceptis bonæ valetudinis: ὁ μὲν οὖν ἀκριβὴς σφόδρα καὶ ἀκρόνυχος λεγομένη δίαιτα. id eſt: Itaque vehementer exacta, quæ ad unguem obſervata dicitur victus ratio, & ἐξονυχίζειν, pro exquiſite ἐξετάζειν. Quam vocem uſurpat & Athenæus lib. 3. ἐξονυχίζουσι δὲ ... id eſt. Porro ad unguem explorat omnia, quæ congruunt iis, qui cum ſpinis diſputant.

Vltro citroque.

Vltro citroque, proverbiali figura dicitur: valetque perinde quaſi dicas, hinc atque illinc, ſive utrinque. Fuit autem venuſtior metaphora, quoties ad mutuam alternationem, diſceptationem, confabulationem, rixamve refertur. Quod genus eſt apud Ciceronem De republica: Multiſque verbis ultro citroque habitis, ille nobis conſumptus eſt dies. Idem in libris officiorum: Beneficiis ultro & citro datis acceptiſque, Seneca de beneficiis lib. 5 Beneficium & gratiæ relatio ultro citroque ire debent. Conſimili forma dicimus: Vltro citroque agitata cauſa: &, Vltro citroque datis & acceptis cladibus: ultro citroque certatum conviciis.

Thynni more.

Θυννοῦ δίκην, id eſt, Thynni more videre dicuntur, qui limis aut altero oculo oblique inſpiciunt. Æſchylus apud Athenæum lib. 7.

> Τὸ σκαιὸν ὄμμα παραβαλὼν θύννου δίκην.

Id eſt:

> Oculum ſiniſtrum admoliens Thynni modo.

Siquidem Ariſtoteles indicat, Thynnos non cernere niſi lævo oculo, ut ibidem citat Athenæus: quum paulo ſuperius ex eodem authore dixerit illũ cernere dextro, ſiniſtro cæcutire. Plinius l. 9. c. 15. dicit illos utroque hebetes eſſe, dextro tamen plus cernere. Refertur idem verſus ex eodem authore apud Plutarchum in dialogo, De comparatione terreſtrium ac marinorum, Addit eſſe piſcem altero oculo cæcutire: eoque cum immigrant in mare, adhærent terris ad dextram: cum emigrant, contra. Poteſt & ad eos referri, qui acriter ac diligenter inſpiciunt. Perſius:

> Non ſecus ac ſi oculo rubricam dirigat uno.

Idque Ariſtoteles ſectionis 31. probl. 3. & 4. vere putat evenire, propterea quod oculorum initia ab eodem dependeant. Vnde fit, ut altero occluſo, vis illa, quæ duos movebat, ad unum confertur, hoc acrior quo contractior.

Iuxta melam.

Κατὰ μήλην, id eſt, Iuxta melam. Suidas oſtendit proverbio dici ſolere, ubi quis incertis coniecturis perſequeretur. Sumpta metaphora à medicis, hulcus internum immiſſo per fauces inſtrumento quopiam explorantibus. Id enim inſtrumentum μήλην vocant, & μηλοῦν, ad hunc modum tentare.

In quadrum redigere.

In quadrum redigere dixit M. Tullius in eodem libro, pro eo quod eſt, in ordinem aptamque ſtructuram concinnare. Sumptũ ab iis, qui arbores aut lapides mathematicis gnomonibus exæquant, ut undequaque congruant inter ſeſe: proinde quod convenit, quadrare dicimus. Vergil. Georgicôn lib. 3.

> Indulge ordinibus, nec ſecius omnis in unguem
> Arboribus poſitis, ſecta via limite quadret.

In nocte conſilium.

Ἐν νυκτὶ βουλή, id eſt, In nocte conſilium. Admonet adagium, non eſſe præcipitandum conſilium, neque ſtatim ad primos animi impetus quippiam agendum. Nox autem propter ſolitudinem ac ſilentium, vel maxime ad conſiderandum, conſultandumque de rebus gravibus eſt idonea. Præterea ſæpe numero fit, ut ſomnus ſedata cupiditate priſtinam ſententiam vertat. Vnde etiam vulgo dicitur ab idiotis noſtratibus, Super hac re indormiam: ubi ſignificant ſe per ocium deliberaturos. Porro præceps conſilium in auſpicatum eſſe ſolere, & vulgato ſermone dicitur, & eleganter admonuit Sophocles apud Plutarchum, libello de garrulitate:

> Οὐ γὰρ ἡ βουλῆς ταὐτὸ καὶ δρόμου τέλος.

Id eſt:

> Curſus enim haud eſt finis idem & conſili.

Siquidem in curſu vincit, qui celerrimus ſit: in conſultando contatio tutior eſt, periculoſa celeritas, Plutarchus in Sympoſiacis, decade ſeptima, problemate nono, citat Platonem, qui ſcripſerit, apud Lacedæmonios (ni fallor) fuiſſe νυκτερινὸν σύνεδρον, id eſt, Nocturnum conventum graviſſimorum, ad quem difficillimæ cauſæ reiiciebantur. Addit apud veteres noctem εὐφρόνην fuiſſe vocatam παρὰ τὸ εὖ φρονεῖν, à bene ſapiendo.

Ruminare negocium.

Ἀναμηρυκάζου τὸ πρᾶγμα, id eſt, Ruminare ſeu remandere negocium, dicitur qui ſuo cum animo verſat, etiam atque etiam expendens. Sumpta metaphora ab animantibus, qui cibum in os revocatum

carum denuo mandunt, atque ita demum in alterum ventrem traiiciunt. Nam id non accidit, niſi iis quibus duo ſunt ventres. Ariſtophanes in Veſpis:

> Μόλις τὰ πράγματ' ἔγνωσαν ἀναμαρυκώμενοι.
>
> Id eſt:
>
> Vix cauſa cognita eſt, ubi ruminaverant.

Id etiam appellant ἀναμηρυκάζειν. Vſurpat hoc adagium & Lucianus quodam in loco.

Fixis oculis intueri.

Ἀτενὲς ὁρᾶν: id eſt, Defixis oculis obtueri. Si transferatur, proverbialis erit figura: nempe pro eo quod eſt, attentius accuratiusque conſiderare, fixius intueri, preſſius inſpicere. Sumptum eſt ab amantibus, qui ſtupentibus, nec usquam dimotis oculis inſpiciunt id quod delectantur. Adagium recenſetur a Diogeniano. Plutarchus in commentario De audiendo: βαρὺς μὲν γὰρ ἀκροατὴς καὶ φορτικὸς ὁ πρὸς πᾶν ἀτενίζων, καὶ ἀτενὲς τὸ λεγόμενον, i. e. Gravis enim auditor ac moleſtus, qui ad ſingula ſtupet, & defixis eſt oculis, ut dicitur. M. Tullius pro Lucio Flacco: Vt totam cauſam quam maxime intentis, ut aiunt, oculis acerrime contemplemini.

Γοργὸν βλέπειν.

Γοργὸν βλέπειν, aliquoties, apud Lucianum, pro acrib. oculis obtueri. Sumptum e fabula Perſei & Gorgus, γοργὸν dictum putant παρὰ τὸ ὁρᾶν, quod irati acribus oculis obtueantur. Idem Homerus Iliados θ de Hectore:

> Γοργοῦς ὄμματ' ἔχων ἠδὲ βροτολοιγοῦ Ἄρηος.
>
> Id eſt.
>
> Gorgoneis oculis, quales & Martis atrocis.

Μανικὸν βλέπειν alias commemoravimus.

In occipitio oculos gerit.

Ὄπισθεν κεφαλῆς ὄμματα ἔχει: id eſt. In occipitio oculos habet. De verſutis & circumſpectis: quosque neutiquam proclive ſit fallere. Quod genus hominum Perſius Ianos appellat:

> O Iane a tergo cui nulla ciconia pinſit.

Et Homerus à principe requirit, ut oculatus ſit πρόσσω καὶ ὀπίσσω: id eſt, A fronte & a tergo. Plautus in Aulularia: Quæ in occipitio habet oculos.

Vnum ad unum.

Ἓν πρὸς ἕν φασι, inquit Lucianus: id eſt, Vnum ad unum: nimirum figuram proverbialem eſſe ſignificans, cum exactius ſingula ſingulis componantur. Theocritus in Paſtore:

> Ἐμὶν δὲ τὺ βουκολιασδευ
>
> Ἓν πρὸς ἕν. id eſt, ſi libet ad verbum reddi:
>
> —— Tu vero mihi paſcito boves
>
> Vnum ad unum. ——

Sic enim quidam eruditi legunt. Plato lib. De legib. 5. δεῖ δὲ πάντα ἄνδρα ἓν πρὸς ἓν τοῦτο σπεύδειν. Reddetur & hoc ad verbum: Oportet autem omnem, unum ad unum, ad hoc feſtinare hoc eſt, pro ſe quemque. Idem in libro 6. ἓν ἐφ' ἓν ἐπιχειρῶν. Vtitur in libro primo plane proverbiali figura, ἓν πρὸς ἕν. rurſum libro 4. καθ' ἓν ἕν. Translatum videri poteſt à prælio, quoties acriter res geritur, ſingulis adverſus ſingulos dimicantibus. Niſi maluimus ad Laconicum illud apophthegma referre. Narrat enim Plutarchus in libello De futili loquacitate, Lacedæmonios aliquando unum legatum ad Demetrium regem miſiſſe. Cumque ſtomacharetur tyrannus, vociferareturque. Vnum, inquiens, ad me Lacedæmonii legatum? nihil attonitum reſpondiſſe: Vnum ad unum. Nec abſurde dixeris, à mathematicis mutuo ſumptum, quorum eſt hæc loquendi figura peculiaris, ἓν πρὸς ἕν: id eſt, Vnum ad unum: ſic enim proportionem conſtare dicunt, quam vocant paritatis ſive æqualitatis.

Incudi reddere.

Eleganter Horatius incudi reddere dixit, pro eo quod eſt, refingere ac mutare, corrigereque:

> Et male tornatos incudi reddere verſus.

Conſimili forma dicunt Recoquere. Quintilianus lib. 12. Sed præcipue tamen Apollonio Moloni, quem Romæ quoque audierat, Rhodi rurſus reformandum, ac velut recoquendum dedit. Item Horatius:

> ——Recoctus Scriba ex quinqueviro. ——

Ruris fons.

Ἀγροῦ πηγή: id eſt, Ruris fons. De nimium laborioſis, & perpetuo operi aſſidentibus. Cuiusmodi fingit Menedemum Terentius. Conveniet item & de negocio laborioſo, cuique nunquam exhauſti ſatis eſt. Nam hoc ipſum verbum πηγή, hyperbolen habet copiæ non tantum apud Græcos, verum etiam apud Latinos.

Ithorus.

Ἴθορος Suidas ait vocem proverbialem fuiſſe, in eum qui velut inſtigator hortatorque foret aliis. Translatum opinor à nautis, quos remigantes naucleri vox animat ad gnaviter laborandum: ſive ab equorū curſu. Plutarchus in Sympoſiacis decade ſeptima, problemate quinto ſcribit, ἱππόθορον appellatam cantionem, ad incitandas equas. Conſimilia tradit de præceptis connubialibus. Nam θορεῖν Græcis eſt impetu inſilire. Vnde & Apud Homerum θοῦρος ἄρης appellatur ab aſſultu citato. Apparet Græcam vocem compoſitam ex ἰθὺ & ὀρεῖν incitare.

Caput ſcabere, & conſimilia.

Caput ſcabere, ungues arrodere, geſtus hominis ſunt cogitabundi, & de mutando, cuius pœniteat, ſecum agitantis. Vnde trahuntur in uſum proverbialem. Horatius libro primo Satyra 10.

> —— Sed ille
>
> Si foret hoc noſtrum fato delapſus in ævum,
> Detereret ſibi multa, recideret omne quod ultra
> Perfectum traheretur, & in verſu faciendo
> Sæpe caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.
> Sæpe ſtylum vertas, iterum quæ digna legi ſint
> Scripturus. ——
>
> Id imitatus Perſius:
>
> Nec pluteum, inquit, cædit, nec demorſos ſapit ungues.
>
> Idem alibi:
>
> —— Crudum Chæreſtratus unguem
> Arrodens ait hoc.

In ſuperiore taxat poetarum in ſcribendo negligentiam: in altero deſcribit adoleſcentem, de mutanda anteactæ vitæ ratione cogitantem.

Ariſtophanis & Cleanthis lucerna.

Ariſtophanis & Cleanthis lucerna, propter inſignem ſtudii diligentiam in proverbium abiit: ut is ad Ariſtophanis aut Cleanthis lucernam dicatur lucubrare, qui ſummo ſtudio, exquiſitaque cura, ſingula penſitat. Varro lib. de lingua Latina 1. Quod non ſolum ad Ariſtophanis lucernam, ſed etiam ad Cleanthis lucubrem, nolui prætereire, qui poetarum modo verba, ut ſignificant, expediunt. Opinor autem adagium ſ. ortum de Ariſtophane grammatico. Neque fama caruit etiam Epicteti lucernula, quæ poſt illius mortem magno ære redempta eſt. Cæterum quod ait Iuvenalis,

> Hæc ego non credam Venuſina digna lucerna?

magis pertinet ad inveſtigationem, quam ad lucubrationem.

Olet lucernam.

Τὸν λύχνον ὄζει, id eſt, Lucernam olet. De re meditata, multoque ſtudio elucubrata. Inde ductum, quod ſtudioſi ad lucernam vigilantes ſoleant elaborare, ſi quid accuratius velint excudere. Iactatum olim in Demoſthenem, illius ἐνθυμήματα τὸν λύχνον ὄζειν, id eſt, Enthymemata lucernam olere: quod omnia de ſcripto diceret, ac præmeditatus domi. Vnde & illud de eodem celebratur elogium, quod plus olei quam vini conſumpſerit. Erat enim abſtemius & ὑδροπότης: atque extrema etiam ſenecta ad lucernulam illam ſuam exercebatur.

Homini diligenti.

Homini diligenti ſemper aliquid ſupereſt. Chryſoſtomus homilia in Ioannem 19. refert hoc dictum, ut tritum vulgi ſermone proverbium: Qui vere diligens eſt in negocio, nunquam ſibi ſatisfacit, ſemperque videt aliquid quod operi cœpto adjiciat: cum ignavis, quicquid egerint, nimium videatur.

Non una manu capere.

Οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτέον: id eſt, Non una tantum manu capiendum. De re lubrica variaque, captuque difficili. Nam huiusmodi ſolemus utranque admovere manum. Vſus eſt Plato in ſophiſta: ὁρᾷς οὖν ὡς ἀληθῆ λέγεται τὸ ποικίλον εἶναι τοῦτο τὸ θηρίον, καὶ τὸ λεγόμενον, οὐ τῇ ἑτέρᾳ ληπτόν. id eſt, Vides igitur vere dici beſtiam hanc eſſe variam neque (quod dici ſolet) unica manu capiendam. Sumptum eſt a venatu, in quo feræ quædam miris artibus ex ipſis venantium manibus frequenter elabuntur: quibus adſimilem putat hominem ſophiſtam, ad elabendum omnibus dolis inſtructum. Accommodari poteſt & ad opimum ſacerdotium, quod nemo facile aſſequatur, niſi ſumma vi adnitatur.

Metiri.

Qui rem accuratius expendit quam oportet, digitis metiri dicitur: veluti ſi quis cum amico rationem ineat, uter in alterū plura contuliſſet officiorum. M. Tullius in paradoxo tertio: Poetam non audio in nugis, in vitæ ſocietate audiam civem digitis peccata dimetientem ſua? Si ſunt viſa breviora, leviora qui poſſunt videri? quum quicquid peccetur, perturbatione peccetur rationis atque ordinis. Alluſit huc Cicero, quod poetæ carminis pedes digitis metiri ſoleant. unde & Horatius:

> Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Non optimus autem poeta videtur, qui non ſtatim aurium iudicio deprehendit carminis vitium.

Arator niſi incurvus prævaricatur.

Proverbii ſpeciem habet quod refert Plin. lib. 18. cap. 19. Arator niſi incurvus, prævaricatur. Præcipit ut arator arvum primum rectis ſulcis proſcindat, mox & obliquis ſubigat. Id fieri vix poteſt, niſi toto corpore incumbat labori: unde & Vergilio dictus eſt curvus arator. Cæterum Prævaricari, eſt à recto ſulco divertere. Vnde & in cauſis prævaricari dicuntur, qui cauſam diverſam adjuvant. Videlicet hoc eſt quod ait Plinius. Inde translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque caveatur, ubi inventum eſt. Transferri poteſt ad quemvis; ut, Leno niſi periurus eſt, prævaricatur: Miles

les niſi impius eſt, prævaricatur. Conveniet in negocium, quod abſque magnis ſudoribus peragi non poteſt.

Non navigas noctu.

Οὐ νυκτὸς πλεῖς: id eſt, Non noctu navigas. De eo cui nihil eſt certi quod ſequatur, propterea quod nocturnis temporibus certius navigant nautæ propter ſtellarum notas, de quibus alias dictum eſt Chryſippus, ut citant, negationem detraxit, νυκτὸς πλεῖς manente, ſicut ego quidem arbitror, eadem ſententia. Nam quid alioqui fuerat memorandum, ſi Chryſippus cum negationem extuliſſet: quaſi vero non idem iuris ſit in quavis oratione. Quanquam autem nautæ noctu ſtellarum indicia ſequuntur, longe tamen certior interdiu navigatio.

Somnus abſit ab oculis.

Ὕπνος δ' ἀπέστω γλυκύθυμος ὀμμάτων.

Id eſt:

Oculis abeſt leniens animum ſopor.

Vbi quis rem aggreditur, quæ ſummam diligentiam curamque deſideret. Quod genus ſi quis philoſophiæ capeſſat ſtudiū. Sumptus eſt autem hic ſenarius ex Ariſtophanis Nebulis, apud quem dicitur ſub perſona Socratis, adhortantis Strepſiadem, ut philoſophiæ daturus operam, omnia tum faciat, tum patiatur.

Somnum non vidit.

Quum ſomnus non videatur, ſed ille potius occludat oculos, dubium non eſt quin proverbiali ſchemate dictum ſit: Somnum oculis non vidit. Nam his verbis ſignificant ſummam vigilantiā. M. Tullius Curio lib. 8. Epiſt. Ita Caninio conſule, ſcito neminem prandiſſe. Nihil tamen eo conſule mali factum eſt. Fuit enim mirifica vigilantia, qui toto ſuo conſulatu ſomnum non viderit. Dicti argutia in hoc eſt, quod is unum modo diem conſul fuit. Proverbii ratio eſt in tropo.

Neque quantum luſciniæ dormiunt.

Οὐδ' ὅσον ἀηδόνες ὑπνώουσιν: id eſt, Nec quantum luſciniæ dormiunt. In eos conveniet, qui ſomni parciſſimi ſunt. Luſciniæ minimum dormire feruntur, vel propter Ityn extinctum, vel ob timiditatem. Equidem magis arbitror dictum, quod luſciniæ vernis menſibus, per omnem fere noctem perpetuo cantu garriant.

Succiſiva opera.

Succiſivis operis fieri dicitur, quod horis quibuſdam quaſi furtivis agitur, ubi iam ordinariis ac legitimis officiis perfuncti ſumus. Metaphora traducta à mercenariis aut ſervis, qui præter pactas operas quas debent, extra iuſtas illas horas nonnihil etiam operantur ſibi, quod cedat in peculium. M. Tullius lib. De orat. 2. Quæ ego ſero, quæ curſim arripui, quæ ſucciſivis operis, ut aiunt, iſte a puero ſummo ſtudio, ſummis doctoribus. Idem Philippica 2. Et tamen omni genere monumentorum meorum perfeciſſe operis ſucciſivis, ut meæ vigiliæ meæque literæ, & iuventuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid adferrent. Idem libro De legib. 1. Succiſiva quædam tempora incurrunt, quæ ego perire non patior: ut ſi qui dies ad ruſticandum dati ſint, ad eorum numerum accommodentur quæ ſcribimus. Plinius in præfatione hiſtoriæ mundi: Et occupati officiis, ſucciſivis temporibus iſta curamus: id eſt, nocturnis. Itaque quod obiter atque aliud agentes curamus, id operæ ſucciſivæ tribuitur. Græci ſimili pene figura πάρεργον appellant. Agathon apud Athenæum:

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ' ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.

Quorum carminum, quandoquidem verti commode non poſſunt, hæc eſt ſententia: Quod obiter faciundum erat, ei principalem operam impendimus: quod principalis eſt operæ, id obiter curamus. Legimus etiam τὸ ἐκ παρέργου quod à propoſito ſit paulo alienius: & παρέργως, quod nos fere, obiter aut negligenter vertimus. Divus Hieronymus in epiſtola quadam: Cum hoc furtivis, ut aiunt, operis ad lucernulam velox notarii manus me dictante ſignaret. Furtivas vocat, quod illi ſucciſivas.

Vel acum inveniſſes.

Apud poetam in Menæchmis proverbialis hyperbole, de re diligenter veſtigata: Acum credo inveniſſes, ſi acum quæreres. Nam acus inventu difficillima, quod ob exiguitatem facile fallat oculos quærentis.

Grues lapidem deglutientes.

Αἱ γέρανοι λίθους καταπεπωκυῖαι: id eſt, Grues lapillos deglutientes. Suidas ex Ariſtophane citat, oſtendens dici ſolitum de iis, qui ſumma providentia gerunt negocium: idq; inde in vulgi ſermonem veniſſe, quod gruibus hic mos ſit, ut quoniam admodū ſublimes volant, magnoque ferantur impetu, neque poſſint deorſum aſpicere, lapillos geſtent: quos ſi quando fatigari cœperint, inter volandum, ex alto dejiciant: quo videlicet e cadentium ſtrepitu percipiant, utrum ſupra terram, an ſupra mare volent. Quod ſi lapillus in mare deciderit, pergunt viam: ſin in terram, interquieſcunt. Nec his diſſimilia refert Plinius lib. 10. cap. 23. Quando proficiſcuntur, inquit, conſentiunt: volant ad proſpiciendum alte, ducem quem ſequantur, eligunt: in extremo agmine per vices qui acclament diſpoſitos habent, & qui gregem voce contineant: excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laſſatis ſomno decidens, indiligentiam ſono coarguat. Cæteræ dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes: dux erecto providet collo, ac prædicit. Ac paulo poſt: Certum eſt, inquit, Ponticum tranſituras primum omnium anguſtias petere, inter duo promontoria Criumetopum & Carambin, mox ſaburra ſtabiliri: quum medium tranſierint, abjici lapillos: quum attigerint continentem, & e gutture arenam. Hactenus Plinius. Porro locus quem Suidas citat, eſt in avibus Ariſtophanis:

Ἐκ μὲν γὰρ Λιβύης ἧκον ὡς τρισμύριαι
Γέρανοι, θεμελίους καταπεπωκυῖαι λίθους.

Id eſt:

Venere gruum ter dena ferme millia,
Libycis ab oris, devoratis maximis
Saxis.——

Interpres hoc loco eadem ferme quæ Suidas.

Frons occipitio prior.

Priſcis agricolis celebratum adagium, atque inſtar ænigmatis dictatum: Frons occipitio prior. Quo ſignificavit antiquitas, rectius geri negociū, ubi præſens ac teſtis adeſt is, cuius agitur negocium. Prior dictum eſt, pro potior melior que. Alioqui quis ignorabat frontem priorem eſſe capitis partem, occipitium poſteriorem? Tametſi hæc amphibologia commendat nonnihil dicti gratiam, quod ob antiquitatem oraculi inſtar habebatur. Extat autem apud Catonem lib. De ruſtic. c. 4. Si bene, inquit, ædificaveris, libentius & ſæpius venies fundus melior erit, minusq; peccabitur, fructi plus capies: frons occipitio prior. Plinius item in eandem ferme ſententiam, lib. Hiſtoriæ mundi 18. cap. 5. Eum tamen, inquit, qui bene habitet, ſæpius ventitare in agrum, frontemque domini plus prodeſſe quam occipitium non mentiuntur. Rurſus eiuſdem libri ca. 6. Et ideo maiores fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt. Ariſtot. Oeconomicorum lib. 1. videtur hanc ſententiam ad Perſam quempiam referre, ſubnectens alteram huic ſimilem, quæ à Lybe quodam ſit profecta. Sed ſatius fuerit ipſius aſcribere verba, ſi quis forte deſiderabit: καὶ τὸ τοῦ Πέρσου καὶ τὸ τοῦ Λίβυος ἀπόφθεγμα εὖ ἂν ἔχοι· ὁ μὲν γὰρ ἐρωτηθεὶς τί μάλιστα ἵππον πιαίνει, ὁ τοῦ δεσπότου ὀφθαλμός ἔφη. ὁ δὲ Λίβυς ἐρωτηθεὶς ποία κόπρος ἀρίστη, τὰ τοῦ δεσπότου ἴχνη ἔφη. id eſt: Atque illud Perſæ Libyſque reſponſum, recte ſervabitur. Nam alter interrogatus, quæ res potiſſimum ſaginaret equum? reſpondit, oculus domini. Alter rogatus, quod ſtercus eſſet optimum? domini veſtigia, inquit. Vterque ſignificavit domini præſentiam plurimum habere momenti ad rem bene gerendam. Ita Columella putat rem malam eſſe, frequentem fundi locationem: peiorem tamen urbanum colonum, qui per familiam mavult agrum quam per ſe colere. Huc pertinet illud quod refertur à Gellio: quod cum quidam corpulentus ac nitidus equum haberet macilentum ac ſtrigoſum, rogatus quid eſſet in cauſa? reſpondit, mirum non debere videri, ſi equo ſuo eſſet habitior, quandoquidem ipſe ſe paſceret, equum curaret ſervus. Plutarchus in commentario de liberis educandis: καὶ τοῦτ' ἄρ' ἦν ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ ἱπποκόμου χαριέντως, ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον, ὡς βασιλέως ὀφθαλμός. id eſt: Hinc & illud eleganter dictum ab equiſone, nihil perinde ſaginare equum, ut regis oculum. Huius figuræ eſt quod Æſchylus in tragœdia, cui titulus Perſæ, domini præſentiam oculum domus vocat.

Ὄμμα γὰρ δόμων, νομίζω δεσπότου παρουσίαν.

Id eſt:

Nam domus oculum eſſe domini iudico præſentiam.

Eodem pertinet quod perquam venuſte dixit T. Livius, non ſatis feliciter ſolere procedere, quæ oculis agas alienis. Innuit tale quiddam & Terentius in Eunucho, cum ait: Ita ut ſit, domini ubi abſunt: ſignificans, abſentibus heris, miniſtros omnia facere indiligentius, & peccare licentius: nempe hæc omnia eo tendunt, ut quiſque ſuum negocium præſens curet, neque magnopere fidat alienæ induſtriæ. Id nulli magis obſervandum quam principi, ſi modo principis animum gerat, non prædonis: hoc eſt, ſi publicum commodum cordi habet. At hodie fere epiſcopi & reges omnia alienis manibus, alienis auribus atque oculis agunt, neque quicquam minus ad ſe pertinere putant quam remp. aut privatis ſuiſque diſtenti, aut voluptatibus occupati.

Arripe negocii curam.

Admonentes aliquem, ut diligenter negocium capeſſat, & gnaviter rem aggrediatur, utemur hoc ex eodem loco carmine, quo Æneas hortatur aurigam ſuum:

Ἀλλ' ἄγε νῦν μάστιγα καὶ ἡνία σιγαλόεντα
Δέξαι.—— id eſt:
Quin age nunc ſcuticamque manu, depictaque lora
Corripe.——

Mihi cura erit hoc negocium.

Cum admonebimus quempiam, ut omne negocium in nos rejiciat, ipſe ſecurus, nobis rem curæ futuram, conveniet illud ex Odyſſeæ υ.

Ἀλλ' ἴθι σιγῇ τοῖον, ἐγὼ δ' ὁδὸν ἡγεμονεύσω.

Id eſt:

Quin tacitus procede, viæ huius ego futero dux.

Funiculum ad lapidem.

Τὴν σπαρτίνην πρὸς τὸν λίθον ἄγειν: id eſt, Funiculū lapidi adducto vere.

re dicuntur, qui curam omnem adhibent, ne quid geratur in Republica ſecus quam oportet. Beatus Chryſoſtomus homilia in priorem ad Corinthios epiſtolam XXXV [illegible] id eſt: Conſidera ut hic rurſus funiculum admovet ad lapidē, ubi quærens ædificationem eccleſiæ. Tranſlatum eſt ab architectis, qui non credunt oculis ſuis, ſed ad perpendiculum explorant lapidum æqualitatem. quod eſt exactæ diligentiæ.

Factum tranſactum.

Apud Iuriſprudentes ſolennia ſunt hæc, Factum tranſactum: quoties ſentiunt nihil prætermiſſum, quod ad negocii tractationem pertinet. M. Tullius in Catilinam invectiva tertia. Atque illud quod faciendum primum fuit, factum atque tranſactum eſt. Eſt alicubi & apud *Terentium*, aliosque complures melioris notæ ſcriptores.

Pleno gradu.

Qui leviter rem quampiam attigerunt, ſummo pede dicuntur ingreſſi: contra, qui magno ſtudio inſtituerunt aliquid, pleno gradu dicuntur ingreſſi. Trebonius Ciceroni lib. 12. Nam illum paratum ut video. & ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo indies longius diſcendo exercendoque ſe procedat.

EX APPENDICE. ERASMI.

Nocti æquare diem.

De ſtudii aſſiduitate. Liu. Alii in caſtris, ſive ſtationibus per ſomnum vinumque, diem noctibus æquabant. Huic ſimile illud Noctesque diesque.

Sapit demorſos ungues.

De opere ſumma diligentia elaborato. Perſius de carmine indocto:

Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit ungues.

Ea quæ authorem coegere ſæpius caput ſcabere, & ungues mordere, pluteū cædere, & deterere dum ſæpius volvuntur, & iterato in manus ſumuntur, ſolent. Ita quod accuratum eſt, Græci [illegible] vocant: & ἐξονυχίζειν, ad unguem explorare. Athen. Plut. denique, in memoriam revocare & ſubducere dicunt, [illegible]: ducta metaphora ab iis, qui per quinos digitos aliquid computant. Lege proverb. Ad unguem.

IVNII. *Euclionis gallus gallinaceus.*

Euclionis gallinaceus apud Auſonium quadam proverbii ſpecie dicitur, qui magna ſolicitudine excutit & inquirit quippiam, ita enim ſcribit in epiſtola ad Symmachum urbis præfectum: Latebat inter nugas meas libellus ignobilis utinamque latuiſſet, neque indicio ſuo tanquam ſorex periret, hunc ego quum velut gallinaceus Euclionis, ſitu chartei pulveris eruiſſem, excuſſum relegi. Detortum ex Aulularia Plauti, apud quem Euclio avarus ſenex, qui vermis inſtar (quem [illegible] vocant Græci) humi defoſſam ollam auri plenam habens, quum omnia illi eſſent ſuſpecta, gallum gallinaceum ſcalpurientem ungulis circumcirca, obtruncavit, auri indicium proditum ratus. Euclionis gallinaceum imitatur, qui diligenter evolvit authores omnes, ut literariæ frugis materiam evertat. Alioqui Euclionis ſordes etiam in proverbium vocari queunt, de avaro animo geniumque ſuum defraudante: quod apud Plautum ipſe deplorat, ſubrepſo iam illi auro.

Hoc age.

Attentionem imperantis adagium eſt. Hoc age, quaſi dicas: Tu hoc totus incumbe ſedulo. Tertullianus lib. 4. adverſus Marcionem: Ut dici ſolet, ad quod venimus, hoc age. Natum à ſacrorum voce, quā explicat in Coriolano Plutarchus, à Numa Pompilio inſtituta. ſic enim ſcribit [illegible] id eſt: Quando namque principes aut ſacrifici rei divinæ operantur, præco accedens alta voce exclamat, Hoc age: quod ſonat Latine, Hoc fac: quo dicto iubentur ſacris eſſe intēti, nec interim operis alicuius ſatagere, aut negotio ſerio. Caſſius Cherea, quum coniuratos in necem Caligulæ exhortans, primus eū gladio percuteret, præmiſſa voce, Hoc age. Huc ſpectat illud ex Cratini [illegible] (id fabulæ nomen:) [illegible] id eſt. Hæc age, inquit homo nihil agens, quod dici conveniet in hominem feriatum ſegnique ocio addictum.

Studium generat ſtudium, ignavia ignaviam.

Ubi ſemel bonum opus cœptum eſt, reſumendum eſt, donec habitum conſequamur: quem ubi ſemel conſequuti fuerimus, non erit quod ipſum deſerere poterimus. cuiusque enim rei dulcedo cui aſſueti ſumus trahit. Chryſoſtom.

COGNATI. Ῥαβάττειν.

Græcis idem valet, quod ſurſum deorſumque curſitare: id etiam vulgo dicitur de quopiam, qui nulli labori parcens, rem ſuam procurat anguſtam.

Indeſinenter.

Quod magno ſtudio magnaque fit aſſiduitate, id deſinenter & ſine intermiſſione, continenter noctes & dies uſitata [illegible] fieri dicitur. Græci ἀδιαλείπτως, pro indeſinenter, continuo, iugiter dicunt. Dirivant à [illegible] privativo & [illegible], ſeu [illegible], [illegible] mutato.

Quaſi theſaurum draco.

Eſt etiam hæc vox quaſi proverbialis apud Ciceronem in Philip. 13. Fingunt poetæ dracones theſauris incubare, & eorum cuſtodiæ adhibitos, propterea quod hi & mira oraculorū acie præſtant (nam [illegible], quod eſt videre, aiunt dictos eſſe) & exiſtimantur vigilantiſſimi, ut apud Ovidium in 7. Metamorph.

Pervigilem ſupereſt herbis ſopire draconem.

Nota eſt fabula de malis Heſperidum, & aureo vellere. Dicitur in veteres Euclionas, & Midas, reliquumque avarorum chorum: qui etiam Quintiliano velut clauſis theſauris incubant.

Patiens pulveris atque ſolis.

Idem Od. 8. dixit, Patiens pulveris atque ſolis. Quod in hominem ad labores ferendos habilem quadrabit. Eſt huic ſimile quod à Zenodoto refertur: Neque compluitur, neque ſole aduritur. Nec diſcrepat quod Marius apud Saluſt. dicit, Hyemem & æſtatem juxta pati, humi requieſcere. Militia enim requirit dura corpora, tolerandisque laboribus, atque omnibus iniuriis exercitata. Eſt carmen in volumine Virg. poſt luſus in cuſtodem hortorum, huius ſententiæ:

Immoderata pati nunc frigora nuncque calores,
Sternere vel dura poſſe ſuper ſilice.

Ibidem:

Iacere me, quod alta non poſſum putas
Ut ante vectari freta,
Nec ferre durum frigus, aut æſtum pati,
Nec arma victoris ſequi.

Ad unguem, Ad amuſſim, Ad regulam.

Parœmiacus loquendi modus, quo ut quidque eſt abſolutum maxime, & exquiſitiſſima diligentia curaque ſumma elaboratū, ita ad unguem & ad amuſſim illud eſſe factum dicimus. Græci [illegible], & [illegible]. Theodoricus in Heraclidis dixit, [illegible] proverbialiter, eadem ſignificatione. [illegible]: Et quidem valde facile ad amuſſim perpendiſti Doricum proverbium eſt. Vitruvius lib. 7. Poſtea autem traliſſatione areſcente deformentur directiones arenati, uti longitudines ad regulam & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam reſpondentes exigantur. Plinius lib. 34. Structuram ad normam & libellam fieri, & ad perpendiculum reſpōdere oportet. Omnes iſti loquendi modi quaſi proverbialiter dicuntur ab authoribus, tranſlatione à ſtructuris exacte factis. Budæus lib. 1. De contemptu rerum fortuitarū: Niſi cultus animi acceſſerit, & mores ad amuſſim formati, ad perpendiculum exacti, ad regulam reſpōdentes. Amuſſis autem norma eſt fabrilis: unde ad amuſſim, proverbium compoſitum Varro lib. 2. De re ruſti. Non eſt numerus ad amuſſim, [Duo hæc proverbia diligentiſſime ab Eraſmo ſunt enodata ſub finem Centu 5. Chil. 1.]

Qui inſtat, extundit.

Qui inſtat, inquit Seneca, etiam ex duro & immemori pectore gratiam extundit, id eſt, tandem elicit. Inſtare autem, eſt moleſtius & urgentius, & (quod dicitur) inſtanter aliquem ſollicitare. Cic. pro Quintio: Tibi inſtat Hortenſius, ut eas in conſilium. Idē pro Cæcinna: Noli mihi inſtare ut iudicem. Livius 2. ab urb. cond. Evincuntque inſtando, ut literæ ſibi ad Tarquinium darētur. Extūdere vero, eſt odioſe & cum moleſtia impetrare. Suet. in Veſp. Ea demum extudit magis convicio, quam precibus. Feriendo. n. amice aliquē, tandem impetramus, quod poſtulamus. Hinc Paulus 2. ad Timoth. cap. 4. Inſta tempeſtive, intempeſtive, argue, increpa, exhortare cum omni lenitate & doctrina. Huc ſpectant illa Chriſti, Luc. 11. Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illū media nocte, & dicet illi: Amice, da mihi mutuo tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod apponam illi: & ille intus reſpondens dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iā oſtium clauſum eſt, & pueri mei ſunt in cubili mecum, non poſſum ſurgere, & dare tibi. Dico vobis, etiamſi non daturus ſit ille ſurgens, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen eius ſurget, ac dabit illi quotquot habet opus. Et ego dico vobis, inquit Chriſtus apud eundem Lucam, & Matth. cap. 7. Petite, & dabit vobis: quærite & invenietis: & pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti, aperietur. Apud eundem Luc. cap. 18. eſt parabola de iniquo iudice. Iudex quidam, inquit Chriſtus, nec Deum timebat, nec homines reverebatur, ad quem vidua quædam veniebat, dicens: Vindica me de adverſario meo. Et nolebat aliquandiu. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Quanquam Deum non timeo, nec hominem revereor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne tandem veniens ſuggillet me. Illa etiam hodie proverbialiter ſumuntur. Qui petit accipit: & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.

Leporinus ſomnus.

Xenophon ſcribit, leporem palpebris clauſis vigilare, ad apertis dor-

dormire: ut non temere forſitan nonnulli leporem ἀπὸ τοῦ λάειν, quod aſpicere eſt, dictum exiſtimarint. Vnde etiam in adagium ceſſerit, Leporinus ſomnus, quoties vigilantiam eius qui dormitare videatur, intelligendam proponimus: cum tamen perſpicaciſſimis oculis omnia, quæ uſu veniant, in agendis rebus perluſtrare non ceſſet. Tales homines Græci κορυβαντιῶντας appellant. Vide Plin. lib. 11. cap. 37. Ioan. Langius epiſt. 25. tom. 1. medicinal. epiſt. In ſoporifera cerebri affectione ex pituitabili permixta æger inſtar leporis apertis oculis dormit, nec oculis connivet, ſed ἀσκαρδαμυκτεῖν, id eſt, indefeſſe & torue quemque intueri videtur.

Manu admota Deum invocandum.

Fortunam Lacedæmonii, ut etiam proverbio celebratum, admota manu invocabant: id ſignificantes, ſic quidem deos invocari debere, ut ſimul & nos quoque noſtram addamus operam, alioqui noſtra fruſtra eſſe vota.

Nemo primo quoque die fit doctus.

Hanc autem proverbialem ſententiam ita expreſſit Ioannes Girardus:

Annon & vulgo (quod verum eſt) audio dici?
Primo quoque die nemo magiſter erit.

Eo videtur reſpicere Aloyſius Luſinus lib. 2. De compeſcendis animi affectibus, dicens: Nam quamvis non multo fieri meliores ſtatim queamus, at ſatis fuerit, anno uno in melius ſaltem paululum eſſe provectum, &c. Iuxta enim Gallicum illud,

Du petit vient on grand Et:
Grand bien ne vient pas en peu d'heure. Et:
On ne fait pas tout en vn iour. Et:
On ne fiſt pas Rome tout en vn jour.

Telo non æque, opus facto eſt.

Epidicus Plautinus amplificans utilitatem & neceſſitatem cõſilii, quod coram ſenibus in rem heri ſui proponebat: Opus eſt, inquit, homine, qui illo argentum deferat pro fidicina. Nam telo nõ æque opus facto eſt, quaſi diceret: Tam nobis opus eſt homine ad hanc rem exequẽdam idoneo: quam ad belli prius indicti adornationem & actionem comparatio telorum, reliquique bellici apparatus. Metaphora igitur omnibus nota. Valde dubito, an hoc hemiſtichium ab alio antiquiore poeta, ſumptum & vulgatum eo tempore, uſurpaverit. Commode nos idem noſtrum faciemus, ubi nobis aut aliis re aliqua, aut facto multum uſus erit.

Cum Muſis certare.

Ἀμιλλᾶσθαι ταῖς Μούσαις, id eſt, Cum Muſis certamen inire, dicetur proverbialiter, qui doctrinæ quam callet indubitata certitudine cautæq; bonitate confiſus, cum doctiſſimo quoq; congredi, & in diſputationis palæſtrã deſcendere dubitarit. Galenus in fine lib. 1. Therapeutices methodi: ὥσπερ κατὰ τὴν παλαιὰν παροιμίαν ὁ Ἱέρων, ἀμιλλᾶσθαι αὐτὸς ταῖς Μούσαις, Equidem antiquiſſimi tibicinis exẽplo ô Hieron, etiam cum Muſis concertarim. De Thamya Thrace ſentit, ni fallor: cui tamen peritiæ ſuæ confidentia parum proſpere ceſſit, orbitatis pœna victo inflicta. unde hoc loco recte φιλότιμον eum ut ambitioſum vocat Galenus. Non alieno hinc ſenſu συγχορευτὰς τῶν μουσῶν dixit Philon Iudæus literatos viros, quaſi qui cum Muſis choros ductitarint.

Cum mortuis converſari.

Συγχρωτίζεσθαι τοῖς νεκροῖς, id eſt, Cum mortuis converſari, idem eſt plane, cum illo adagio, Cum mutis magiſtris loqui. Zenoni Citiæo Stoico philoſopho conſulenti oraculum de vitæ ratione, quomodo felix evadere poſſet, reſponſum fuit: εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, id eſt, ſi cum mortuis commercium haberet, quo ſignificabatur veterum aſſidua lectio. Extat apud Diogenem Laertium, ut citatur Suida.

Cyrenæus videris.

De homine quavis ratione inexpleto dicitur Alexidis comici illud è Tyndareo, id fabulæ nomen eſt:

Ἄνθρωπος Κυρηναῖος εἶναί μοι δοκεῖς.
Id eſt:
Videris eſſe vir Cyrenæus mihi.

Proverbii vice uſurpavit Athenæus libri duodecimi initio. ἄνθρωπε Κυρηναῖος εἶναί μοι δοκεῖς κατὰ τὸν Ἀλέξιδος Τυνδάρεων, ἑταῖρε Τιμόκρατες· ἐκεῖ γὰρ ἐάν τις ἐπὶ δεῖπνον ἕνα καλῇ, παρεισιν ὀκτωκαίδεκα ἄλλοι, καὶ δέκα ἅρματα. id eſt, Videris eſſe homo Cyrenæus mihi, iuxta Alexidis Tyndareum, ſodalis Timocratis: illic enim ſi quempiam ad cœnam voces, mox octodecim alii adſunt, & currus decem. Modeſte Timocratis ſtudioſi hominis inexplebilem in legendo & ad editionem depoſcendis libris aviditatem perſtringit, qui perlectis iam undecim Dipnoſophiſtarum commentariis, nondum ſatur, efflagitarat prædictis adiici librum de iis quos luxu diffluentes ac deliciis addictos fuiſſe obſervarat. Apposite igitur quadrabit in hominem exhauſtæ lectionis, aut voluptatibus nunquam ſaturum.

Cerebrum interius inquirere.

Non invenuſte proverbiali ſpecie dictum eſt à Fulgentio mythologo illud: Nunc ergo huius myſticæ fabulæ interius cerebrum inquiramus, pro, occultiorem ſenſum latentque myſterium inveſtigare. Qua ratione & Medullam exquirere dicimus ſublecto cortice: utrunque ad imitationem Græcorum, qui & φοίνικος ἐγκέφαλον, id eſt, palmæ arboris cerebrum vocant, quod interius ſuave eſt: & ἐντεριώνην arboris medullam inteſtinam. Idem libro primo. Quo, repulſo mendacis Græciæ fabuloſo commento, quid myſticum in his ſapere debeat, cerebrum agnoſcamus.

Violento remigio.

Ῥοθίῳ κώπῃ, id eſt, Violento remigio fieri dicitur non ſine proverbiali venere, quicquid per moleſtias & rerũ difficultates quæritur. Ariſtides: ῥοθίῳ κώπῃ παρεσκευασμένοι ἅπαντας ἀπολιπεῖν τοὺς Ἕλληνας ὅσον ἔξεστιν. id eſt. Violento remigio Græcos omnes, quoad eius fieri poteſt à tergo relinquere. Trahi poteſt ad eum, qui nullis amicorum adminiculis, nullo relictarum opum adiumento, nullis fortunæ beneficiis, ſed ſolis ingenii dotibus aut virtutum præſidio eluctatur, & fortunam ſibi fingit. alioqui veriſſime dixit Satyrographus:

Raro adeo emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi —

Idem ferme eſt cum δεύτερος πλοῦς, hoc eſt, altero curſu, vel ſecundo: ita enim vocant Græci, quum remi opera utimur, vento adverſante, aut ſaltem operam non dante, ita namque Menander in Thraſyleonte fabula apud Stobæum id exponit:

Ὁ δεύτερος πλοῦς ἐστι δήπου λεγόμενος,
Ἂν ἀποτύχῃ τις οὐρίου, κώπαις πλεῖν.
Id eſt:
Curſus ſecundus dicitur proverbio,
Si deſtitutus aura, remis naviget.

Antrum Mercurii.

Ἄντρον τὸ Ἑρμοῦ, id eſt, Mercurii antrum ingredi, proverbiali tropo dicuntur, qui libris invigilant, rerumque cognitioni operam navant. Zerxes Mercurii antrum libros vocari annotat. Locus eſt apud Orpheum in Lithiacis, opere de gemmis conſcripto:

Ὃν δέ τις εὔφρονα φῶτα ...
Ἐς πολυήρατον ἄντρον ἑὸν θήϊεν ἱμερόεν,
Ἔνθ' ἄρα παντοίων ἀγαθῶν κατέθηκεν ὅμιλον,
Αἶψα κεν ἀμφοτέρῃσιν ἀνείλετο πολλὰ κομίζων,
Οἴκαδ' ἀποστείχοι προφυγὼν πολυδάκρυον ὀϊζύν.
Id eſt:
Quemcunque ille hominum prudentem mente ſubire
Antrum Maiugenæ facundi ſuaſit amœnum,
Quo cumulum omnigenum incluſit ſervatque bonorum;
Mox illinc utraque manu referat domum opima
Commoda, pauperiem fugiens triſteiſque labores.

BRASSICANI. *Gallinaceus Euclionis.*

Auſonius in præfatione Gryphi, de ternario numero, Gallinaceum Euclionis proverbio dixit, qui ſoleat omnia diligentiſſime perquirere & inveſtigare, ne pulviſculo quidem relicto, donec id invenerit quod exquiſita cura conquiſierat.

Ad arculas ſedere.

Idem Fabius lib. 12. Qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant. Ad arculas ſedere commode dicuntur, qui rerum agentarum aliis tanquam formulam quandam præſcribunt: ſedent etiam ad arculas, qui plane nihil poſſunt niſi perpetuo libris adhæreant à quibus ſi vel tantulum abſtracti fuerint, nihil eſt quod amplius præſtare poſſint. Quemadmodum autem ſcombris in aqua ſulphureus color eſt, extra qui cæteris: ita & hoc hominum genus donec libris ſuis adhæreſcere permittas, egregie doctum exiſtimes, poſtquã ab arcula removeris, hoc eſt, libros ademeris, idem eſſe cum imperitiſſimis quibusque deprehendas. Antiſthenes cum quidam illi familiaris ingenti cum dolore quereretur, quod commentarios ſuos amiſiſſet: ἔδει γὰρ ἐν τῇ ψυχῇ αὐτὰ καὶ μὴ ἐν τοῖς χάρταις καταγράφειν. Decebat, inquit, illa animo potius quam chartis inſcripſiſſe.

Ad perpendiculum.

Ad perpendiculum Cicero dixit, de eo quod amuſſitate & inculpate compoſitum ſit. Gellius lib. 20. cap. 1. dixit in librili perpendere. Varro de re ruſtica lib. 1. cap. 6. Campum ad libellam æquum vocat, qui ſit ex omni parte & prorſus æquabiliter planus. Plinius etiam lib. 36. c. 25 ad libellam exigere dixit. Plinius iunior lib. 8. epiſtolarum ad Colonem dixit, Pari libra: pro eo quod eſt, æquabili iudicio & pari cenſura. Vitruvius libro ſeptimo, dixit ad regulam reſpondere, hoc eſt, exactiſſime competere & quadrare. Metaphora à ſtructuris ſumpta.

IOANNIS VLPII. *Introite, nam & hic dii ſunt.*

Laudabile Heracliti dictum. Introite, nam & hic dii ſunt: admonet, ut libros quam familiariſſimos nobis reddamus, ſtudiaque colamus, ex quibus omnia arcana myſteria licebit haurire, & non deos tantum videre, ſed etiam cum iis familiariſſime colloqui dabitur. Aulus Gellius.

VLPII. *Qua in re clarus quiſque eſt, ad eam properat.*

Ἐν ᾧ βέλτιστος δοκεῖ εἶναι, αὐτὸς αὑτοῦ τούτῳ διατελεῖ. In quo quiſq; ſibi excellentiſſimus videtur, in eo verſatur. Ariſt. Sic Ovid.

Scilicet eſt cupidus ſtudiorum quiſque ſuorum :
Tempus & aſſueta ponere in arte iuvat.

Quære adoleſcens, utere ſenex.

Recte dictum eſt a Portio Latrone, inſigni rhetore : Quære adoleſcens, utere ſenex, & in eandem ſententiam à Seneca : Iuveni parandum, ſeni utendum. Labor iuventæ viribus, dum genua vireant, convenientiſſimus eſt : at ſenectutem decet feriatum à laboribus ocium, rerumque partarum uſus. Quo ſpectat laudatus Ennii poetæ verſus :

Sicut fortis equus, ſpacio qui forte ſupremo
Vicit olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.

Laboribus enim & vitæ ſubſidia quæruntur, & lætæ ſenectutis adiumenta comparantur.

Trutina exquirere.

Plato in Protagora : Sed perinde eſt, ac ſi vir quiſpiam ponderandi gnarus, collectis hinc voluptuariis, iſthinc triſtibus, tā quæ prope, quam quæ procul ſunt, trutina exquirat, dicatq; utra plura ſint. Si enim voluptuaria, cum voluptuariis libres, maiora ſemper, & plura ſunt eligenda : ſin autem triſtibus triſtia compares, pauciora minoraque, &c. Vide Braſſicanum: Ad perpendiculum.

COELII RHODIGINI. *Ludendum domi ſua.*

Sententia hac proverbiali admonemur, abiuncta ab rerum vaniſſimarum cura, mente intima obſervandum eſſe in contemplatione ſapientiæ : è qua, quam è ludo, voluptas percipitur & maior & verior.

Diſcenti aſſidue multa ſenecta venit.

Alibi : Dicebat enim alicubi Solon :
Diſcenti aſſidue multa, ſenecta venit.

Et mihi quidem videtur ſemper ſic oportere diſcere eum hominem, qui philoſophus futurus ſit, ſive iuvenis, ſive ſenex ſit, ut in vita quam plurima diſcat. Solonis autem more tamdiu diſcendum nobis eſſe cenſeamus, quamdiu vivendum.

C. BOVILLI. *Demandere calamum.*

Pro, elaborare aliquid, & accurate, ſenſimq; expolire: vel, ſummo cum labore, & multo tempore aliquid efficere. Solent ij, qui minus prompta ſunt memoria, aut felici ingenio, inter ſcribendum, tantiſper dum cogitant & meditantur, calamum arrodere. Simile, Sapit pulvillos: de re multum diuque præmeditata.

TVRNEBI. *Fugitivum retrahere.*

Varro de ling. Lat. 4. Quæ illa, quæ iam majoribus noſtris ademit oblivio, fugitiva, ſi ſedulitas Marci & Bruti retrahere nequit, non, ſi non potero indagare, eo ero tardior. Terent. Heaut. Retraham hercle opinor ad me illud idem fugitivum.

DISCORDIA.

ERASMI. *Bellum omnium pater.*

Ὁ πόλεμος ὁ πάντων πατήρ, id eſt, Bellum omnium pater. Lucianus veluti proverbio iactatum refert, in commentario De ratione conſcribendæ hiſtoriæ: μᾶλλον δὲ Θουκυδίδαι καὶ Ἡρόδοτοι καὶ Ξενοφῶντες, ἡμῖν ἅπαντες, καὶ ὡς ἔοικεν ἀληθὲς ἄρ' ἦν, ἐκεῖνο τὸ, πόλεμος ἁπάντων πατήρ, εἴ γε καὶ συγγραφέας τοσούτους ἀνέφυσεν ὑπὸ μιᾷ τῇ ὁρμῇ. id eſt: Quin potius Thucydides, Herodoti, Xenophontes, nobis erant omnes : adeo ut verum eſſe videretur illud quod dicitur, Bellum rerum omnium pater, ſiquidem tam multos ſcriptores produxit unico ictu. Proverbio ideo dictum eſt, quod bellum omnium rerum novandarum author eſt, ut ex eo veluti nati videantur univerſa. Niſi quis malit ad philoſophorum quorundam decretum referre, qui dixerunt, rerum ſummam è lite progigni.

Tuas res tibi habeto.

Caius iuriſconſultus Pandect. lib. 44. titu. de divortiis, oſtendit fuiſſe receptum, ut divortiū his verbis perageretur : Tuas res tibi habeto, tuas res tibi agito. Quorum altero reddit dotem, altero abdicat ab ſe tutoris munus, in rebus uxoriis. Hæc autem forma verborum præſcripta eſt, ne vel non ratum eſſet divortium, ſi nullis ſolēnibus verbis perageretur : vel in auſpicatum & odioſū, ſi verbis in civilibus perageretur. Itidem in diſcutiendis ſponſalibus viſum eſt uti his verbis: Conditione tua non utar. Hæc proverbii gratiam habebunt, ſi cui civiliter renunciabimus amicitiam. Sed feſtivius erit, ſi ad res animi transferantur, veluti ſi quis dicat: Monachi vitam profeſſus eſt, mundum juſſit ſua habere, ſuas ſibi res agere. Item ſi quis ambiat conſortium noſtrum, quem iudicamus nobis inutilem, huic apte dicetur: Tua conditione non utar, pro eo quod erat. Non utar tua familiaritate. Eleganter uſus eſt Plautus in Trinum. Vbi Lyſiteles adoleſcens multa queritur de miſeriis amantium, ac meditatur amorem ejicere ex animo : Apage ſis amor, tuas res tibi habe, amor mihi amicus ne fuas unquam. Sine tropo uſus eſt in Amphitryone: Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.

Gamma Betam perſequitur.

Procopius lib. 3. De bello Vandalico refert Carthagine antiquum proverbium à pueris iactari ſolere, Quod Gamma, quandoque Betam, & rurſus Beta Gammam perſequitur. Suſpicor puerorum luſum huc ſpectaſſe, quod inter vicinos frequenter oriatur diſſidium. Verum hic puerile dictum detortum ad rerum eventum, quod Gizericus Bonifacium expuliſſet : poſtea Gilimerem Beliſarius. Proverbium non eſt natum ex eventu, ſed puerorum Carthaginenſium ænigma fuit, velut oraculum eius quod accidit poſtea.

Domeſticum diſſidium.

Ad deteſtandam ſeditionem domeſticam, & mutuam contubernalium inter ipſos diſcordiam, inſidiasque, convenit illud ex eodem libro :

—Οὐχ ὁσίη πρῆξις [illegible] ἀλλήλοισιν.
Id eſt :
Impia res moliri inter ſeſe mala.——

COGNATI. *Vltro citroque.*

Perinde autem valet, ac ſi dicas, hinc atque illinc, ſive utrinq; in factis & in dictis, ultro citroque datis & acceptis cladibus, ultro citroq; certatum conviciis vel agitata cauſa. Vlpian. li. Pandect. 2. titulo, de edendo. Rationem autem eſſe, Labeo ait, ultro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſolvendi ſui cauſa negociationem, &c. Item Vlpian. lib. Pandect. 50. tit. de verborum ſignification. cap. 19 Labeo : Contractum autem ultro citroq; obligationem eſſe quam Græci συνάλλαγμα vocant, &c. Vide ſupra Chiliad. Vltro citroque.

Πολεμεῖν χρόνῳ.

Elegans loquendi modus, qui a Græcis ſcriptoribus ſæpe uſurpatur: valet, veteri opinioni repugnare, & ab eo quod diu creditū eſt, libere diſſentire. Sumptus eſt a Lyrico poeta. Id autem feciſſe Megarenſes ſcriptores, qui de Scirone longe aliter commemorant quam reliqui antiqui authores, ac prætereita denique omnis ætas. Plutarchus in vita Theſei docet, inquit enim: οἱ δὲ Μεγαρόθεν συγγραφεῖς ὁμόσε τῇ φήμῃ βαδίζοντες, καὶ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ Σιμωνίδην πολεμοῦντες, οὔτε λῃστὴν, οὔτε ὑβριστὴν γεγονέναι τὸν Σκίρωνά φασιν, ἀλλὰ λῃστῶν μὲν κολαστὴν, ἀγαθῶν δὲ καὶ δικαίων οἰκεῖον ἀνδρῶν καὶ φίλον. Eundem etiam in libro de Iſide & Oſiride, citato illic quoq. poete eiuſdem nomine, unde fluxiſſet, uſurpavit Plutarchus. Cum enim adverſari vellet receptæ opinioni, ac reconditis literis Ægyptiorum, intelligeretq; id difficile ac periculoſum eſſe, inquit: ὅπου δὲ μὴ ὕδωρ ἢ ἀκίνητα κινεῖν, καὶ πολεμεῖν οὐ τῷ πολλῷ χρόνῳ κατὰ Σιμωνίδην μόνον, πολλοῖς δ' ἀνθρώπων ἔθνεσι καὶ γένεσι, & quæ ſequuntur. Suſpicor autem aliquando etiam dictum eſſe πολεμεῖν φήμῃ, eodem ſenſu, atque id ex contrario. Inveni namque apud eundem βοηθεῖν φήμῃ, quod valet, pervulgatam opinionem adiuvare, auxilioque illi eſſe. In 7. quæſt quinti libri συμποσιακῶν, ubi diſputatur de faſcinatione, ſic locutus eſt: [illegible]. Rem igitur hanc admirabilem rejici, explodique illi non oportere aiebat, quamvis cauſam ipſius afferre non poſſemus, cum ea quæ quotidie fierent, traditum nobis a maioribus ſermonem, famamque confirmarent.

Facilius inter horologia convenit.

Iocus eſt apud Senecam in Ludo de morte Claudii Cæſaris, in horologiorum diſcrepantiam : Horam, inquit, non poſſum tibi certam dicere: facilius inter philoſophos, quam inter horologia conveniet. Quem Senecæ iocum Galli neutiquam abſurde vertunt, quum diſcordiam diſſidiumque perpetuum latenter notant, & quum nihil inter aliquos uſpiam convenire ſignificant, facilius dicunt inter horologia convenire, quam inter hos.

Diametro diſtant.

Græci ἐκ διαμέτρου εἶναι dicunt maxime oppoſitum eſſe. Galenus ἐκ διαμέτρου γὰρ ἀλλήλαις, [illegible] ἐναντιοῦνται, καὶ τῶν βοηθημάτων ἰδίας [illegible] δέονται. Etenim affectiones è diametro mutuo exiſtentes, etiam maxime contraria ſæpe opitulationum egebunt. In diametro autem circuli, duo extrema puncta maxime oppoſita ſunt, atque è regione mutuo objacentia. Ideo per diametrum opponi eſt, maxime eſſe oppoſitum & abhorrens. Eo uſus eſt Lucianus in Tyranno Bud. Phileton : Tam maxime nunc in diverſum ac per diametrum illis (ut aiunt) oppoſitum, inſtitutum degeneravit, &c. Aulica converſatio ex diametro contraria eſt Philoſophiæ.

DISCRIMINIS.

ERASMI. *Apio opus eſt.*

Τοῦ σελίνου δεῖται, id eſt, Apio eſt opus. Ita loquebantur, quoties morbum capitalem innuebant, & vitæ periculū imminere. Nam olim monumenta defunctorum apio coronabantur. Plutarchus in Sympoſiacis : καὶ τοὺς ἐπισφαλῶς νοσοῦντας δεῖσθαί φαμεν τοῦ σελίνου. id eſt: Et qui periculoſe ægrotant, iis dicimus apio opus eſſe. Idem proverbii meminit, & cauſam addit in vita Timoleontis. Subeſt autem adagio iocus, alludens ad coronas victorum, quæ ex apio fiebant, præſertim in ludis Iſthmiis, teſte Diphilo apud Athen. l. 6.

Περὶ τοῦ σελίνου μαχόμενος ὥσπερ Ἰσθμίοις.

Id eſt :

Super apio certamus vt ſolet Iſthmiis.

Sub cultro liquit.

Sub cultro linqui dicitur, qui in præſentaneo periculo deſeritur. Sumpta metaphora à victima, quæ jamjam ferienda ſub cultro eſſe dicitur. Confine illis, Inter ſacrum & ſaxum, Inter malleum & incudem. Horatius in Sermonibus :

—Fugit improbus, ac me
Sub cultro liquit.——

Non admodum abludit hinc Ariſtophanicum illud *ἐν ἀχαρνεῦσιν*
Ὑπὲρ ἐπιξήνου θελήσω τὴν κεφαλὴν ἔχων λέγειν.

Id eſt :

Sum paratus verba facere, caput epixeno admovens.

Eſt autem *ἐπίξηνον*, truncus, quo eo qui ſecant carnes. Eſt in eadem fabula multus deinde jocus in *ἐπιξήνῳ*. Convenit in eos, qui periculo capitis parati ſunt affirmare quippiam.

Sus ſub fuſtem.

Ὗς ὑπὸ ῥόπαλον, id eſt, Sus ſub fuſtem. Ubi quis ſeſe in præſens diſcrimen ac perniciem præcipitat. Nam ſues apud quosdam fuſte mactari mos eſt. Refertur à Suida. Zenodotus indicat extare apud Dinolochum.

In Pythii templo cacare.

Ἐν πυθίου χέσαι, id eſt, in Pythii templo cacare diccbatur, qui rem nefariam & periculoſam faceret : quod Piſiſtratus tyrannus extructo templo inſcripſerat, ne quis inibi ventrem exoneraret : & adveniam quendam deprehenſum è medio ſuſtulit.

Vtinam domi ſim.

Οἴκοι θοοίμην : id eſt, Utinam domi ſim. Dici ſolitum, vbi quis optat è malis, quibus implicitus eſt, emergere. Translatum videtur ab iis, qui in tempeſtate periclitantur. Nam tunc etiam ita vulgò loquuntur qui periculosè navigant, *οἴκοι θοοίμην*. Refertur à Suida.

Fuge procul à viro majore.

Ἀλέου ἀπὸ μείζονος ἀνδρός.

Id eſt :

Qui te fortior eſt, hunc tu vitare memento.

Cave commercio potentium : habe commerciũ cum æqualibus. Etenim optimatum familiaritas, aut ſervum facit & turpẽ, aut ſi neſcias adulari, periculis objicit. Cum paribus vt multò ſuavior, ita tutior etiam vita eſt. Pindarus in Nemeis : *οὐδεὶς ἀνὴρ τῷ χαλεπὸν ἔργον ἀνθρώποις ὁμιλεῖν κρείσσοσι*, id eſt : Cave certamen congredi cum hominibus potentioribus. Congruit cum eo quod alibi dictum eſt, Procul a Jove & fulmine, & illo, Longæ regum manus. Herodotus in Urania : *καὶ γὰρ δύναμις ὑπὲρ ἀνθρώπων ἡ βασιλῆος ἐστὶ καὶ χεὶρ ὑπερμήκης*, id eſt : Etenim potentia regis ſupra hominem eſt, & manus prælonga. Hoc magis conveniebat illi proverbio : ſed quum locus occurreret in Herodoto, typographus priores chartas abſolverat.

Fuga tutior.

Qui dicet tutius eſſe fuga vincere libidinem, quam contra pugnando, poterit accommodare, quod de Charybde dictum eſt Odyſſeæ μ.

Οὐδέ τίς ἐστ' ἀλκή· φυγέειν κάρτιστον ἀπ' αὐτῆς.

Id eſt :

Non vlla medela : procul fugere optimum ab illa.

Poſt folia cadunt arbores.

Poſt folia cadent in te arbores. Quoties admonebimus, leviores injurias ſi quis ferat, ſequi atrociores. Velut arborum decidua folia negliguntur : verum aliquando fit : vt ipſæ arbores putres in caput ſubjecti decidant. Plautus in Menæchmis. Folia autem cadunt: Nunc ſi triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent.

Nunc contingat ſervari.

Νῦν σωθείην, id eſt, Nunc contingat ſervari. Cum ſignificamus nos ſatis cauturos in poſterum, ſi modo liceat præſens periculum effugere. Hoc modo Davus in Andria, Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, nunc ſi devito hoc malum. * Natum ajunt ex apologo quopiam. Aquila teſtudinem unguibus rapuerat: eam parabat è ſublimi dejicere, quo teſta rupta carnibus veſci poſſet. In hoc itaque diſcrimine teſtudo optabat, vt in præſens incolumis eſſe poſſet: de reliquo ſibi curæ futurum, ne quando in ſimile periculum incideret, *νῦν σωθείην σωθῆναι, τοῦ δὲ λοιποῦ αὐτῇ μελήσει*, id eſt : Nunc liceat incolumem eſſe, de reliquo mihi ipſi curæ fuerit. Quidam apologum narrant ad hunc modum. Teſtudini quondam inceſſiſſe volandi deſiderium, aquilam oraſſe vt ſe doceret. Cumque illa negaſſet fieri poſſe, quod natura refragaretur, illa nihilominus inſtabat. Itaque paruit aquila, ac teſtudinem in ſublime vectam demiſit vt volatum experiretur. Ea cum timeret infelicem eventum, optavit vt id temporis contingeret incolumem eſſe, *νῦν σωθείην*. Ita Diogenianus. Suidas hoc modo refert : *νῦν σωθείην ἵν' ἢ μοι διδάγμα τοῦτο τοῦ χρόνου λοιποῦ* : id eſt : Utinam nunc incolumis evadam, vt hoc mihi documentum ſit in reliquum tempus. Plinius facit tertium quoddam aquilæ genus, quam alii morphnon, nonnulli plancum & anatariam, Homerus percnon vocavit: lingua caret, eoque muta, ſed dentibus armata, nigerrima, prominentiore cauda. Huic ingenium eſt, teſtudines raptas fingere è ſublimi jaciendo. Atque hac ſorte ait Æſchylum poetam interiiſſe, cum prædictum eſſet, cum ruina periturum : isque quo caveret, eum diem ſub dio perſeveraſſe. Nam aquila decepta ſplendore capitis, calvitio renidentis ad ſolem, dum ſaxum eſſe putat, teſtudinem illiſit, vt fractæ carnibus veſceretur. Author Valerius Maximus lib. 9. c. 12.

De tuto capite aguntur comitia.

Proverbiali figura dixit Plautus in Aulularia :

Ibo intro, vbi de capite meo ſunt comitia.

Deliberabatur enim, ducturusne eſſet puellam, nec ne, quam amabat. Sumptum eſt à comitiis Romanorum, in quibus populi ſuffragiis novi magiſtratus creabantur. Itaque cum ſtatuitur de re quapiam, à qua pendeat felicitas alicujus, tum de capite illius fieri comitia rectè dicentur.

E canis podice.

Ἐκ κυνὸς πρωκτοῦ : id eſt, E canis culo. Dictũ videtur à Luciano, pro eo quod eſt, rebus anxiis atque anguſtis : quod ea pars arctior ſit huic animanti, quamobrem & excernunt difficilius. Nam aſinum ſuum finit his verbis, *ἐνταῦθα θεοῖς σωτῆρσι ἔθυσα καὶ ἀναθήματα ἔθηκα, μὰ Δία οὐκ ἐκ κυνὸς πρωκτοῦ, τὸ δὴ τοῦ λόγου, ἀλλ' ἐξ ὄνου περιεργίας, διὰ μακροῦ πάνυ, καὶ οὕτω δὴ μόλις οἴκαδε ἀνασωθείς*, id eſt : Hic diis ſervatoribus rem divinam feci, donaque ſuſpendi, nimirum non à canis podice, quemadmodum vulgò dici conſuevit, quin magis ex aſini curioſitate, poſt multum denique temporis, idque etiam vix, domum incolumis reverſus. Vulgò jactatur & in Zenonem, teſte Laertio, quod in canis poſtico de Republ. conſcripſiſſet : vel quod nimis anxiè vel quod ineptè. Verum de hoc proverbio meminimus alibi.

Aſciſce ad extremum ſcientiam.

Πέμπε εἰς ἔσχατον τὴν ἐπιστήμην : id eſt, Acceſſe ad extremum ſcientiam. Non ſtatim vtendum extremis ingenii viribus, verum vbi jam vrget vltimum periculum, tum ad artes confugiendum.

In eadem es navi.

M. Tullius Epiſtolarum familiarium libro ſecundo ad Curionem : Et ſi vbicunque es, vt ſcripſi ad te antea, in eadem es navi: tamen quod abes, gratulor. In eadem es navi dixit, pro eo quod eſt, in communi periculo. Siquidem ad eos qui eodem vehuntur navigio, periculum naufragii communiter pertinet : neque magnopere refert, in prora ſint, an in puppi, an carina, cum nihilo magis abſint à diſcrimine. Idem alibi: Hoc miror enim, querorq; quenquam hominem ita peſſundare alterum velle, vt etiam navim perforet, in qua ipſe naviget: hoc eſt, vt remp. evertat, cum qua ſit etiam ipſi pereundum. Ariſtophanes in Veſpis:

Περὶ τῆς πόλεως γάρ ἐστι σκάφους ὅλου.

Id eſt :

De civitate eſt, nave de tota puta.

Eſt autem familiare poetis, à navibus ad rempublicam ſimilitudinem mutari.

De pilo pendet, de filo pendet.

Ἐκ τριχὸς κρέμαται : id eſt, De pilo pendet. De re vehementer periculoſa, Videtur natum ab hiſtoria illa Dionyſii tyranni, propter gladium de pilo in caput impendentem. Ad quod alluſit Perſius Satyra tertia :

Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter cervices terruit.——

Citatur hic verſiculus apud Macrobium lib. Saturnalium 1. ex Ennianorum annalium lib. 3.

Hac noctu filo pendebit Hetruria tota.

id eſt, verſabitur in ſummo diſcrimine. Hoc dicto nõ eſt aliud hodie vulgò tritius. Syneſius in epiſtola quadam : *ἀπὸ λεπτοῦ φασὶ μίτου τὸ ζῆν ἠρτῆσθαι*, id eſt : Ajunt vitam de tenui pendere filo. Eodem pertinet dictũ illud Laconicum, cujus meminit Plutarchus in apophthegmatis Laconicis. Nam cum quiſpiam Lampen Æginetam efferret, tanquam longè ditiſſimum, propterea quod multa poſſideret navigia, Lacon quidam, *οὐ προσέχω*, ἔφη, *τῇ εὐδαιμονίᾳ ἐκ σχοινίων ἠρτημένῃ*, id eſt, Nihil, inquit, moror felicitatem de funiculis pendentem. Nimirum innuens, nauticas opes incertas eſſe, ac fortunæ ludibriis obnoxias.

Periculum proræ ſelis.

Κίνδυνος ὁ ἐν πρώρᾳ σέλις, id eſt, Periculum ſella proræ. Quoties in re quapiam præcipuum periculum, caputque negocii eſſe ſignificamus. Nam hoſtes expugnaturi navim, in proram primũ aſſultum faciunt. Selis autem ſella eſt, quæ in proris eſſe conſuevit, ſi Zenodoto credimus.

Inter ſacrum & ſacrum.

Tyndarus apud Plautum, alter è captivis, cum jam proditis dolis eſſet deprehenſus, nec haberet quanam arte poſſet elabi. Nunc ego, inquit, omninò occidi. Nunc ego inter ſacrum ſaxumq; ſto, nec quid faciam ſcio. Apuleius Aſini ſui libr. 11. Plurimum ergo duritia paupertatis intercedente, quod ait vetus proverbiũ, inter ſacrum & ſaxum poſitus cruciabar. Explicat autem Apuleius allegoriam adagii, videlicet alludens ad ſacerdotium cui erat initian-

dus, & paupertatem ſaxo duriorem, per quam non ſuppetebant ſumptus. Sumptum apparet ex priſcis fœderis feriendi ceremoniis, in quibus fecialis porcum ſaxo feriebat: hæc interim pronûcians: Qui prior populus fœdus rumpet, Jupiter ita eum feriat, quemadmodum ego porcum hoc lapide ferio. Sed vndecunque fluxit adagium, ſatis liquet dici ſolitum in eos, qui perplexi ad extremum periculum rediguntur.

Inter malleum & incudem.

Μεταξὺ τοῦ ἄκμονος καὶ σφύρας, id eſt: Inter incudem & malleum. Huic non diſſimile, refertur ab Origene theologo, quadam in Hieremiam homilia, his quidem verbis: nam Græca deſideramus: Jam quoddam eſt apud nationes tritum vulgi ſermone proverbium, vt de his qui anxietatibus & ingentibus malis premuntur, dicant: Inter malleum ſunt & incudem.

A fronte præcipitium, à tergo lupi.

Ἔνθεν κρημνὸς, ὄπισθεν λύκοι, id eſt, A fronte præcipitium à tergo lupi. Quum aliquis hinc atque hinc duobus maximis premitur malis, vt in vtrumque inciderit, pereundum ſit.

Flamma fumo eſt proxima.

Apud Plautum extat in Curculione, Flamma fumo eſt proxima. Admonet adagium, periculum mature fugiendum eſſe: quique malum vitare cupiat, ei vitandam prius occaſionem. Ut qui corrumpi nolit, ab improborum abſtineat conſuetudine: ut qui cum puella cubare nolit, ne det oſculum. Nam & illud protinus addit poeta: Fumo comburi nihil poteſt, flamma poteſt. Fumus enim indicium eſt flammæ mox erupturæ.

Tua res agitur, cum proximus ardet paries.

Et hodiernis temporibus indocto vulgò paſſim in ore eſt, tum nobis eſſe cavendum, cum vicini domus ardet. Admonet proverbium, vt ex alterius malo ſumamus exemplum, alienoq; periculo diſcamus noſtris rebus conſulere. Sumptum eſt ex Horatianis Epiſtolis:

—Etquid
Ad te poſt paulò ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Et Vergilius:

—Jam proximus ardet
Ucalegon.—

Per ignem incedis.

Διὰ πυρὸς βέβηκας, id eſt, Per ignem incedis, id eſt, verſaris in periculoſo negocio. Eſt apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata.

Καί μοι χρὴ διὰ τοῦ πυρὸς
Ἐλθεῖν βαδίζειν.

Id eſt:

Velim & per ignem incedere, ſi fuerit opus.

Horatius in Odis:

Periculoſæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppoſitos cineri doloſo.

Tradunt etiam in eum quadrare, cui celeriter abſolvendum eſt negocium. Qui per ignem incedit, minus læditur, ſi ſuſpenſis pedibus properet. Confine quod ille dixit apud Senecam declamator: Per ſpinas ingredior.

In nervum ire.

In nervum ire, Donatus, aut quiſquis is fuit interpres Phormionis Terentianæ, demonſtrat eſſe proverbiū: pro eo quod eſt, decipere. Sumptam à ſagittariis metaphoram, quibus illud evenit interdum, vt dum nimium tendunt arcum, rumpant, aut ſibi nervum aliquem fatigent, vt confine ſit illi, de quo dictum eſt alias, Λίαν γὰρ τεινόμενον τόξον ῥήγνυται. Dictum eſt autem, In nervum ibit: pro eo quod eſt, In vincula ibit. Antiquitus enim qui ſolvendo non eſſent, vincti tradebantur creditoribus, donec opera compenſarent creditam ſummam. Veretur enim adoleſcens amans, vbi eum in locum traheretur Phormio, vt aut puellā domum ducere cogeretur ex pacto, aut certè pecuniam acceptam renumerare: ni faciat, vinciendus, & juxta leges corpore luiturus, quod ære non poſſet, ſibi magis conſultum illum, vt vel prodat omne commentum, vel verè mulierem abducat. Porrò conjicere in nervum, & eximere è nervo: pro eo quod eſt, ob æs alienum vinctos abducere: Sed verba Terentii ſubſcribam: At enim non ducet, novi. Cæterum cum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet in nervum potius ibit.

Nocuit & nocebit.

Siquando demonſtrata præteritorum malorum cauſa, comminabimur, futurum vt accedant majora, niſi quis reſipiſcat, non intempeſtiviter vſurpabimus verſum hunc Homericum ex eodem libro:

Τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ' ἔτι δώσει.

Id eſt:

Phœbus ob hæc mala multa dedit, atque inſuper addet.

Veluti ſi medicus oſtenſo morbi periculo, moneat ægrotum reconvaleſcentem, vt temperet ab immodica Venere, alioqui rediturum cum fœnore malum.

In acie novaculæ.

Nec abhorret à ſuperioribus illud quod ab Homero ſumptum, maximiſq; celebratum authoribus in adagionem abiit, ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, id eſt, In novaculæ cuſpide, ſive acie: pro eo quod eſt, in ſummo diſcrimine: Sic enim in Iliadis decimo loquitur Neſtor,

Νῦν γὰρ δὴ πάντεσσιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμῆς·
Ἢ μάλα λυγρὸς ὄλεθρος Ἀχαιοῖς ἠὲ βιῶναι.

Id eſt:

Nunc etenim cunctis ſita res in cuſpide ferri eſt,
Vivant ne, an triſti exitio abſumantur Achivi.

Sophocles in Antigone:

Φρόνει βεβὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης.

Sunt autem Tireſiæ vatis verba, Creontem admonentis, vt ſapiat in tanto conſtitutus periculo. Ruſum in Epigrammatibus:

Εὐρώπης ἀσίης τε βασιλέες,
Υμῖν ἀμφοτέροισιν ἐπὶ ξυροῦ ἵσταται ἀκμή.

Id eſt:

Europæ atque Aſiæ reges Mavorte potentes,
Nunc vobis vtriſque novaclæ in acumine res eſt.

De Menelao & Paride ſingulari certamine decernentibus, vter Helenam potiretur. Theocritus in Dioſcuris.

Ἀνθρώποις σωτῆρες ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων.

Id eſt:

Certa ſalus hominum jam ferri in cuſpide ſtantum.

Sumptum videtur à circulatoribus, qui in cuſpide gladiorum ingrediuntur, aut ab iis qui ferrum manu contrectant: vt admonent in hunc authorem edita ſcholia.

Res in cardine.

Huic non omninò diverſum eſt illud: Res eſt in cardine, quod Servius proverbium eſſe admonuit, enarrans illud Maronis:

—Haud tantò ceſſabit cardine rerum.

putatq; perinde valere, quaſi dicas, Res eſt in articulo. M. Tullius: In eo cardo rei vertitur, dixit: pro eo quod eſt, Ex hoc tota res pēdet. Quintil. lib. 12. Nam vt taceam de negligentibus, quorum nihil refert vbi litium cardo vertatur. Idem lib. 5. Nam ſi fatetur, multis ex cauſis potuit cruentata eſſe veſtis: ſi negat, hic cauſæ cardinem ponit: in quo ſi victus fuerit, etiam in ſequentibus ruit. Sumptum ab oſtiis, quæ cardinibus ſuſtinentur, volvunturque.

E Naſſa eſcam petere.

Admodum certè proverbiali figura dictum eſt à Plauto, citante Feſto Pompeio.

Nunquam hercle ex iſta naſſa hodie eſcam petam.

Et Cicero ad Atticum lib. 15. epiſtola vltima: Ex hac naſſa exire conſtitui non ad fugam, ſed ſpem mortis meliorem. Eſt autem naſſa, piſcatorii vaſis genus, quo poſteaquam intrarit piſcis, exire non poteſt. Unde proverbialia fuerint & illa, In naſſam incidere: &, E naſſa elapſus.

Undarum in vlnis.

Suidas refert hunc ſenarium ex Ariſtophane:

Καὶ ταῦτ' ἔχοντες κυμάτων ἐν ἀγκάλαις.

Id eſt:

Atque id quidem, quum eſſent in vlnis fluctuum.

In vlnis vndarum eſſe dicebantur, qui in ſummis rerum difficultatibus verſabantur. Neque enim ſuaviter jactant maris vndæ quos amplexæ fuerint. Alluſum eſt ad nutrices, quæ pueros in vlnis circumferunt, & agitatione movent, vt fiant vegetiores: quod ipſum infantibus natura gratum eſt, ſomnoſque conciliat. Verum alia eſt fluctuum jactatio.

Οἰόλυκος.

Herodotus in Melpomene, hoc eſt lib. 4. refert, quum Theres quidam adornaret longinquam navigationem, ac filius ipſius adoleſcens negaret ſe futurum ejus navigationis comitem: ὦ παῖ, ἔφη, αὐτὸν τοιγαρ λείψω οἶν ἐν λύκοισι, id eſt, Itaque relinquam eum, inquit ovem inter lupos. Ex eo dicto nomen inditum eſt adoleſcentulo οἰόλυκος, voce compoſita ex ove & lupo. Dici poterit in hominem deſertum, ac deſtitutum auxilio. Quod ſi quis negabit hoc eſſe proverbium, patiatur appendicem eſſe ejus quod alibi retulimus, Ovem lupo commiſiſti. Nam probabile eſt ab hac hiſtoria natum proverbium.

Calvus quum ſis.

Gregorius Theologus in epiſtola quadam ad Euſtochium ſophiſtam, quem laceſſiverat: εἰ δὲ ἡ ... id eſt, Ac non ſaltem à proverbio plebeio didicerim, quum ſis calvus, non obverſa fronte obnuere arieti, neque veſparum nidum in me provocare, nimirum linguam ad maledicendum quam ad benedicendum promptiorem. De non irritandis crabronibus dictum eſt alias.

Ne uni navi facultates.

Quin illud etiam ad proverbiorum claſſem, ſi longius deflectatur, referendum videtur, quod eſt in eodem opere:

Μηδ' ἐν νηυσὶν ἅπαντα βίον κοίλῃσι τίθεσθαι.

Id eſt:

Ne bona tu pandis ratibus ſemel omnia mandes.

Ne quid aggrediaris, in quo ſint univerſa periclitanda. Non omnis ſtatim alea jacienda eſt. Periculoſa eſt nautica negotiatio. Naufragium enim tollit omnia. Tutius eſt cum terra commercium. Alibi retulimus dictum Laconis, qui negabat ſibi placere divitias quæ penderent à funibus.

Filum contentionis tunc erat.

Μίτος ἔριδος τότ' ἦν, id eſt, Filum contentionis tum erat. Dici ſolitum in pertinaces cum uterque pervicax eſt, neuterque concedit alteri. Eſt aliquoties in epiſtolis Hieronymianis, Funiculum contentioſum ducere: nec apud alium legiſſe memini, præterquam apud Tertullianum in principio libri Adverſus Judæos. Apparet natum à ludo, quo duobus hinc atque hinc funem tenentibus, uterque conatur alterum ad ſe trahere. Hinc & illud ductum arbitror, quod alibi retulimus: Ne rumpamus, dum nimium tendimus funiculum.

Objicere canibus agnos.

Προβάλλειν τοῖς κυσὶ ἄρνας, id eſt, Objicere canibus oves, dicebatur qui imbellem & litium imperitum, calumniatoribus & exercitatis exponeret: quod id animal omnium maximè ſit imbelle. Refertur à Diogeniano. Hemiſtichium eſt Heroicum, ex oraculo quopiam, ut conjicio, decerptum.

Ovem lupo commiſiſti.

Τῷ λύκῳ τὴν ὄιν: id eſt, Lupo ovem. Terentius in Eunucho: Scelesta, ovem lupo cõmiſiſti, de Chærea ephebo, cui velut eunucho virgo ſoli credita eſt. Donatus admonet proverbium eſſe, quod contineat fœmineam reverentiam, meretricium ſenſum. Cæterum hoc utemur, quoties ei ſervandum aliquid committitur, cujus gratia cuſtodem magis oporteat adhiberi. Cicero tertia Philippica: Etenim in concione dixerat ſe cuſtodem futurum urbis, uſque ad calendas Majas, ad urbem exercitum habiturum. O præclarum cuſtodem, ovium, ut ajunt, lupum: cuſtoſne urbis, an direptor & vexator eſſet Antonius? Unde quadrare videtur, quoties inimico negocium committitur, quique nobis peſſimè velit: propterea quod lupus & agnus genuino quodam odio diſſident. Id quod oſtendit etiam Homerus in Iliados χ.

Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά,
Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν,
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.

Id eſt:

Fœdus uti non tutum homini, ſævoque leoni,
Utque ovibus prorſum concordia nulla lupiſque,
Sed ſemper cupiunt male, ſeque odere viciſſim.

Item Horatius in Odis:

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt.

Huc adſcribendum illud, quod refert Suidas: πρὶν καὶ λύκος ὄιν ποιμάνῃ, id eſt: Prius etiam lupus ovem paſcet. De re neutiquam veriſimili. Huic confine Plautinum illud in milite:

Bono cella ſuppromo credita.

Sed propius accedit, quod eſt in Truculento:

Nam oves illius haud longè abſunt à lupis.

Ne in Melampygum incidas.

Μὴ τοῦ μελαμπύγου ἐπιτύχῃς: id eſt, Ne in Melampygum incidas. In laſcivos & injurioſos homines quadrat. Eſt autem comminantis, ne quando incidant in eum, qui malefactorum pœnas de eis ſumat. Utitur hoc adagio Philoſtratus in Apollonii vita, lib. ij. καὶ τοῦτο ἴσως ἦν τοῦ μελαμπύγου τυχεῖν, id eſt: Et hoc fortaſſis erat in Melampygum incidere. Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

Καὶ Μυρωνίδης γὰρ ἦν τραχὺς ἐντεῦθεν,
Μελάμπυγός τε τοῖς ἐχθροῖς ἅπασιν.

Id eſt:

Et Myronides enim erat hirſutus illinc,
Melampyguſque hoſtibus omnibus.

Melampygum dixit, quaſi vindicem ultoremque. Porrò Melampygus Græcis ſignificat eum, qui nigro ſit podice, quo quidẽ cognomento notatus eſt Hercules, quod eam corporis partem, non Lydorum more vulſam, neque candidam, quemadmodum effœminati ſolent, ſed nigris pilis hirſutam ac ſylvoſam haberet. Nam Græci quemadmodum molles & imbelles fractoſque deliciis, πυγάργους καὶ λευκοπύγους appellabant: itidem è diverſo fortes ac ſtrenuos μελαμπύγους vocare conſueverunt, ut author eſt Lycophronis interpres. Idem oſtendit parœmiam ad hunc quoque modum efferri: οὔπω μελαμπύγου τετύχηκας, id eſt: Nondum in Melampygum incidiſti. Proverbium ex hujuſmodi quadam hiſtoria natum exiſtimant, quam partim ex Suida, partim ex Gregorii Nazianzeni enarrationibus adſcribemus. Olim duo quidam fratres erant, omni genere maleficiorum paſſim in omnes debacchantes: unde & ex morum atrocitate nomina repererunt. Nam alter Paſſalus dictus eſt, alter Achemon ſive (ut alibi legitur) Achmon. Hos mater nomine Semnonis, ubi videret atrocia facinora paſſim patrantes, juſſit cavere, ne quando in Melampygum inciderẽt. Evenit deinde, ut Hercules aliquando ſub arbore quadam dormiret, armis in eandem reclinatis. Acceſſerũt Cercopes ſive Perperi fratres (utrunque enim ſcriptum invenitur) & Herculem dormientem ipſius armis aggredi tentarunt. Ille protinus ſenſit inſidias, & correptos ac vinctos de clava à tergo ſuſpendit leporum ritu, atq; ad eum modum geſtabat. Illi pendentes capitibus deorſum demiſſis, cum Herculis poſticum nigris pilis horridum atque hiſpidum viderent, materni moniti memores, ſuper hac re inter ſeſe confabulantur. Quod ſimulac audiſſet Hercules, hoc cognomine delectatus, & in riſum effuſus, eos vinculis ſolutos dimiſit: Notat hanc hiſtoriam Plutarch. in libello De diſcrimine amici & adulatoris, cum ait Herculem Cercopibus fuiſſe delectatum. Meminit & Herodotus in vij. de loco dicto lapide Melampygo, & Cercopum ſede. Quo ſanè loco lapſus eſt inſigniter Laurentius Valla, quod fabulam hanc aut neſciret, aut certè non meminerit. Plutarchus in libello De puerorum educatione refert & hoc inter Pythagorica ænigmata: μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων, id eſt, Non guſtanda quæ nigra ſunt cauda. Atq; hunc in modum interpretatur, abſtinendum à convictu mortalium atrorum & improborum: quanquam hoc à proverbio diverſum.

Ne temerè Abydum.

Μὴ εἰκῇ τὴν Ἄβυδον, id eſt, Ne temerè Abydum, ſubaudiendum naviges. Ne quod grave periculum ſuſcipias ſine cauſa idonea. Veluti ſi quis admoneat, ne ſe conjiciat aliquis facilè in aulam Principis, quod ea res non omnibus feliciter cedat: aut ne compotationibus temulentis admiſceat ſeſe, quod ferè nõ contingat abire ſine malo: aut ne poëtarum attingat literas, quod animos complurimum ſoleant corrumpere. Athenæus lib. xij. narrat Alcibiadem, poſteaquam à tutoribus accepiſſet ſuas facultates, Abydum Helleſponti navigaſſe, atq; illic luxu deliciiſq; fuiſſe corruptum, ut non diſſimile ſit illi: Non cuivis homini contingit adire Corinthum. Male audiebat Abydena gens quod calumniatrix eſſet: ut intelligas ea gratia nõ eſſe tutum illic verſari. Meminit adagii Stephanus & Suidas. Stephanus ſic effert adagium εἰ μὴ δ' εἰκῇ Ἄβυδον πατεῖν, id eſt. Si ne temerè quidem Abydum calcare, id eſt, ne quis confidenter illam ingrediatur, indicat uſurpari de temerariis, addens hoc jaci ſolitum in eos qui Abydum inſulæ Mileti incolebant. Commonſtratum eſt olim mihi quoddam oppidulum in Picardia, quod negant ullum hoſpitem potuiſſe tranſire, non aliquo notatum ſcommate.

Ad Scolon nec proficiſceris ipſe, nec alterum comitaberis.

Strabo lib. Geographiæ ix. ſcribit, Scolon vicũ eſſe quempiam Aſopiæ, ſub monte Cithærone, ſedem inamœnam, incultam, infrugiferam, aſperam. Atq; hinc vulgò proverbium manaſſe:

Εἰς Σκῶλον μήτ' αὐτὸς ἴμεν μήτ' ἄλλῳ ἕπεσθαι.

Id eſt:

Neo per te Scolon ipſe, nec ulli alii comes ito.

Refert eadem totidem verbis Euſthatius in Bœotiam Homericã. Nam Scolon & Stephanus ponit in Bœotia. Nomen ex re videtur inditum, σκῶλος enim Græcis ſpinæ genus eſt. Quo proverbio conveniet ut ſi quando ſignificabimus modis omnibus abſtinendum à convictu cujuſpiam, aut à loco ubi nihil ſit ſperandum, quod vel ad voluptatem faciat, vel ad emolumentum.

Cave Thoracem.

Φύλαττε τὸν Θώρακα, id eſt, Cave Thoracem. Strabo lib. Geographiæ 14. ſcribit, fluvium eſſe nomine Letheum, vicinum Libybus Heſperis. Huic imminere montem, cui nomẽ Thorax in quo fama eſt Daphitam grammaticum cruci affixum fuiſſe: quod maledico carmine reges inceſſiviſſet: unde dictum illud manarit in vulgus, ut dicerent, φύλαττε τὸν Θώρακα; id eſt, cave à Thorace. Hoc velut ænigmate proverbiali feſtiviter admonebimus, frænãdam eſſe linguam, ne voces petulanter emiſſæ, per jugulum aliquando redeant. Stephanus tantum indicat Thoracem eſſe civitatem Ætoliæ, & item Magneſiæ de proverbio ſilet.

Ægæum navigat.

Τὸν Αἰγαῖον πλεῖ, id eſt, Ægæum navigat: ut ſubaudias πέλαγος. Ælianus in epiſtola quapiã, γεωργικὸν καὶ γεωργοῦ διαλλάττων ὁ γείτων Λάχης ἐπέβη νεὼς καὶ πλεῖ τὸν Αἰγαῖον φασὶ καὶ ἄλλα πελάγη μετρεῖ κυματιζόμενος, καὶ Λάρου βίον ζῇ, καὶ ἀνέμοις μάχεται διαφόροις, id eſt: Vicinus Laches relicta agricultura, & agricolationis uſu, navem conſcendit, atque Ægæum, ut ajunt, navigat, reliquaque metitur maria, & in fluctibus agens, Lari vitam vivit, cumque variis ventis dimicat. Perſius item in quinta Satyra:

Ocius ad navem, nihil obſtat quin trabe vaſta
Ægæum rapias.——

Arbitror hoc mare cæteris eſſe periculoſius ob frequentes ſcopulos. Hinc eſt illa M. Tullii metaphora, in Divinatione: Intelligo quam ſcopuloſo difficilique loco verſer. Nec infrequens eſt apud Hieronymum, E ſcopuloſis locis enavigavit oratio: quoties ſentit expeditam quæſtionum difficultatem. Quadrabit igitur in hominem ob lucri ſtudium nihil omnino periculi recuſantem.

Ne in nervum erumpat.

Terentius in Phormione: Verum hoc ſæpe vereor, ne iſta fortitudo in nervum erumpat. Quadrat in temerariam inconſideratamque audaciam quæ plerunque infelix eſſe ſolet, & in maximum malum aliquando adducere. Donatus interpres à ſagittariis ſumptam metaphoram exiſtimat: qui dum nervum arcualem adducunt immodicè, rumpunt nonnunquam: idque non ſine ſuo periculo

A bis ſeptem undis.

Ἀπὸ δὶς ἑπτὰ κυμάτων: id eſt, A bis ſeptem vndis. In eos compe-tit, qui à noxia quapiam purgati ſunt: propterea quod antiquitus mos eſſet, homicidio pollutos veſtes ſuas bis ſeptem inundationibus, immerſionibusque lavare. Teſtis Suidas.

Gladium acutum avertas.

Ὀξεῖαν μάχαιραν ἀποστρέφειν, id eſt, Enſem acutum avertas. Opinor innui, a periculoſis negotiis abſtinendum. Nam fertur & aliud proverbium, μὴ παιδὶ μάχαιραν, Ne puero gladium: ſubaudiendum, committas.

Perque enſes, perque ignem oportet irrumpere.

Διὰ καὶ μαχαιρῶν, καὶ πυρὸς ἰέναι δεῖ.

Id eſt:

Perque ignem eundem eſt, & per enſes impetu.

Cum ſignificamus quidvis periculi ſubeundum. Ariſtoph. in comœdia, cui titulus, Lyſiſtrata:

Κἂν μὲν χρῇ διὰ τοῦ πυρὸς
Ἐλθεῖν βαδίζειν ———

Id eſt:

Et ſi per ignem ſiet opus
Tranſire cupio.

Et Terentius ait, paraſitum non gravaturum, vel è flamma cibum petere. Calliæ adulatores taxavit comœdia: ὅτι οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐδὲ χαλκὸς εἴργει μὴ φοιτᾶν ἐπὶ δεῖπνον, id eſt: Quod non ignis, non ferrum neque æs prohibuerit illos, quo minus ventitarent ad cœnam. Hæc citat Plutarch. ex Eupolide. Refert eadem in libello De diſcrimine adulatoris & amici. Horatius item:

Per mare pauperiem fugiens per ſaxa, per ignes,
Impiger extremos currit mercator ad Indos.

M. Tullius Tuſculanarum quæſt. lib. ij. Quæ flamma eſt, per quã non cucurrerint, qui hæc olim punctis ſingulis colligebant? id eſt, Quid non vel fecerunt, vel perpeſſi ſunt?

Non certatur de oleaſtro.

Οὐ φυλλίνος ὁ ἀγών, id eſt, Hoc certamen non eſt de oleaſtro. Quoties non de nugis, neq; de gloria aut corollis, ſed de ſeria ac pecunia ageretur. Siquidem in plериſque certaminibus, victoriæ præmium erat oleagina, aut querna, aut alioqui frondea corona. Meminit Diogenianus.

Maleam legens, quæ ſunt domi obliviſcere.

Strabo libro Geographiæ octavo, tradit Corinthiorum vrbem in Iſthmo ſitam, duos habuiſſe portus: alterum Aſiam verſus, alterum Italiam. Verum quod freti inſtar non eſſet, non ſine diſcrimine eo navigari, velut olim in mari Siculo maxime præter Maleam, propter reflantes inde ventos. Unde & proverbium celebratum fuiſſe:

Μαλέας δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε.

Id eſt:

Maleam legens, quæ ſunt domi obliviſcere.

Eſt autem Malea, promontorium Laconiæ, à Maleo Argivorum rege dictum: quod per quinque paſſuum millia in mari protenditur, authore Servio in quintum Æneidos: in quo libro Vergilius videtur ad parœmiam alluſiſſe, cum ait:

——Maleæque ſequacibus vndis.

Item Statius ſeptimo Thebaidos libro:

——Et raucæ circumſonat vnda Maleæ.

Item in Tiburno Manlii Vopiſci:

Si Maleæ credenda ratis: ———

Significat & Homerus libro Odyſſeæ ix. periculoſam circa Maleam navigationem fuiſſe, ſic Ulyſſem loquentem inducens:

Καί νύ κεν ἀσκηθὴς ἱκόμην ἐς πατρίδα γαῖαν·
Ἀλλά με κῦμα ῥόος τε περιγνάμπτοντα Μάλειαν
Καὶ βορέης ἀπέωσε, παρέπλαγξεν δὲ Κυθήρων.

Id eſt:

Forſitan & patrias rediiſſem ſoſpes in oras:
Sed me dum Maleam prætervehor, vndaque fluctuſque
Et Boreas illinc pulſum admovere Cytheris.

Alluſit huc Ovidius in Heroinis:

Auſus es ô nimium, nimiumq; oblite tuorum,
Thracia nocturno tangere caſtra dolo.

Nam ſuorum obliti videntur, qui ſeſe temerè periculis objiciunt. Quandoquidem vna hæc præcipua cauſa vulgus a ſubeundis vitæ periculis deterret, quod meminerint eſſe, quibus ſe ſalvo ſit opus, vt ait Flaccus: & quibus incolumes prodeſſe tum debeant tũ poſſint, extincti gravem allaturi luctum. Videbimur non intempeſtiviter vti hac parœmia, ſi quando diſcrimen negocii ſuſcipiendi volemus oſtendere, aut non eſſe ſuſcipiendum, aut negligendam vitam.

Per haſtæ cuſpidem currere.

Δι' ὀξείας δραμεῖν: id eſt, Per acutam currere, dicebantur, qui in re magnopere periculoſa verſarentur, ὀξεῖαν enim haſtam, ſive haſtæ cuſpidem vocant. Tranſlatũ videtur vel a circulatoribus, qui per ſummas haſtarum & gladiorum cuſpides ingrediuntur: vel à militari conſuetudine, qua fieri ſolet, vt qui mortem cõmeritus videretur, is nudus per medias copiarum haſtas, hinc atq; hinc intentatas, ire cogeretur. Nec abſurdum ſi de Thracica ſaltatione intelligatur, de qua nobis alias dictum eſt.

Ex ore lupi.

Ἐκ λύκου στόματος: id eſt, E lupi rictu, vbi res quæpiam præter ſpẽ recipitur, quæ jam planè periiſſe videbatur: veluti cũ pecunia erepta à prædonibus, aut rapaci tyranno, aliquo inopinato caſu recuperatur. Solẽt enim ſic recepta eſſe gratiora. Sic Flaccus in Odis:

Vel hœdus ereptus lupo.

Nota metaphora. Adagium refertur à Diogeniano. Natum videtur ab Æſopica fabella, quæ narrat gruem, cum ſtipulata mercedem, os quod lupi gutturi inhæſerat, immiſſo capite eduxiſſet, præmium exigentem irriſam à lupo fuiſſe: cum is diceret, abunde magnum eſſe præmium perſolutum, quod ex ore lupi caput incolume retuliſſet.

In periculoſo negocio non eſt dormitandum.

Ubi monebimus, in re ardua non eſſe ceſſandum, congruet quod ſubinde repetitur apud Homerum Iliados π.

Ὀλίγη δέ τ' ἀνάπνευσις πολέμοιο.

Id eſt:

——Exigua eſt interſpiratio belli.

Poterit trahi vel ad litem forenſem, vel ad ſimile negocium odioſum, & laboris plenum.

Lepus pro carnibus.

Λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν: id eſt, Lepus de carnibus: ſubaudi, periclitatur. In eos dicitur, qui ob aliquam ſui vtilitatem in diſcrimen vocantur. Nam leporem nõ inſectamur, quod noceat, ſed quod pulpamentũ habeat. Eſt enim animal & eſculentum, & timidum, atque inerme, vt natura hominum eſcis leporem genuiſſe videatur. Rheginenſes autem vulgò lepores dicti ſunt, vtpote pavidi ac formidoloſi. Effertur & ad hunc modum: ὁ λαγὼς περὶ τῶν κρεῶν τρέχει: id eſt: Lepus pro carnibus currit. De iis qui magno ſuo periculo, aut capitis etiam diſcrimine, atque ob id acriter decertant. Tranſlata metaphora à venatu, in quo lepus quoniam intelligit ſeſe ad necem peti, perniciſſimo curſu fugit, adeò, vt non rarò deficiat, medioque in curſu exanimetur. Qua de re Plutarchus in commentario De terreſtrium & marinorum animantium prudentia, narrat quiddam haudquaquã indignum quod hoc inſeratur loco: αἱ δὲ τὰς θηρευτικὰς διώκουσαι, ἐὰν μὲν αὐταὶ κτείνωσιν, ἥδονται διασπῶσαι καὶ τὸ αἷμα καλάπτουσαι προθύμως· ἐὰν δὲ ἀπογνοὺς ἑαυτὸν ὁ λαγώς, ὃ γίνεται πολλάκις, ὅσον ἔχει πνεύματος, εἰς τὸν δρόμον ἀναλώσας ἐκλίπῃ, νεκρὸν καταλαβοῦσαι, οὐχ ἅπτονται τὸ παράπαν, ἀλλ' ἑστᾶσι, τὰς οὐρὰς κινοῦσαι, ὡς οὐ κρεῶν χάριν, ἀλλὰ νίκης καὶ φιλονεικίας ἀγωνιζόμεναι, id eſt: Porrò canes cum leporem inſequuntur, ſiquidem occiderint ipſi, gaudent dilacerare, atque alacres ſanguine ſeſe contaminant obliniuntque. Quod ſi lepus deſperans de ſeſe, quemadmodum accidit ſæpenumero, quicquid habet habitus, id omne quam incitatiſſimo curſu conſumpſerit, atque ita defecerit, canes exanimem repertum omninò non attingunt, verum conſiſtunt moventes caudam, perinde quaſi non carnium gratia decertarint, ſed magis de victoria contenderint. Charon apud Ariſtophanem in Ranis:

Δοῦλον οὐκ ἄγω,
Εἰ μὴ νεναυμάχηκε τὴν περὶ τῶν κρεῶν.

Id eſt:

Servum haud veho, navale ni peregerit
Certamen, ac pro carnibus pugnaverit.

Aſcribit hoc loco Ariſtophanis interpres, apud Arginuſam, ſervos non pro pecunia, aut alio quovis præmio, ſed pro vita dimicare ſolere. Idem in Veſpis:

Ποιήσω δηχθῆναι τὴν καρδίαν
Καὶ τὸν περὶ ψυχῆς δρόμον Δραμεῖν,

Id eſt:

Effecero, vt cor mordeas, curſumque curras pro capite ac vita.

Idem in eadem fabula:

Ἢ λαγὼν ἢ λάμπαδα ἔδραμες:

Id eſt:

Leporem cucurriſti, anne lampadem magis?

Plutarchus in Dialogo, quem ſcripſit adverſus Epicurum, παπαῖ εἶπον ἔγωγε γελάσας εἰς τὴν γαστέρα τοῖς ἀνδράσιν ἔοικας ἐναλεῖσθαι, καὶ τὸν περὶ τῶν κρεῶν ἐπείξειν, id eſt: Papæ, inquam, ridẽs, in ventrẽ ipſum viris inſultum facturus videris, & ad curſum qui pro carnibus dicitur, adacturus. Significat autem eum Epicureos in ſummum diſcrimen adducturum, quod adverſus voluptatis aſſertores propoſuiſſet, nec jucunde vivi poſſe ſecundum Epicurum. Suſpicor alluſum ad priſcas hiſtorias, quæ referunt aliquoties bellum natum inter populos ob direptas è ſacrificiis carnes. Ita Pindarus in Nemeis:

Ἵνα κρεῶν νιν ὑπὲρ μάχᾳ ἔλασεν.

Id eſt:

Ubi pro carnibus pugnas geſſit.

Certamen non accipit excuſationes.

Ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις: id eſt, Certamen non admittit excuſationes. Plato lib. De legibus vj. ἀλλὰ γὰρ ἀγῶνα προφάσεις οὐ πάνυ δέχεσθαί φασιν, id eſt: Verum ajunt certamen nõ admittere cauſationes. Et ἀγὼν οὐ προφάσεις ἀναμένει, id eſt: Certamen non expectat occaſionem.

tionem. Cum igitur periculo, non convenit tergiverſari. Aut ſi mavis, in præſentaneo periculo non oportet occaſionem expectare, quemadmodum aliis in rebus. Veluti ſi quis in morbo capitali medicum operiatur inſignem, aut procul acceſſendum. Quæ res hominem illum verè divinum extinxit Rodolphum Agricolam. Etenim dum conatur medicus, mors ante vertit. Huc pertinet quod legimus apud Quintum Curtium lib. 7. Sed neceſſitas ante rationem eſt, maximè in bello, quod rarò permittit tempora legere.

Corpore effugere.

Corpore effugere, eſt periculum jam imminens, ac penè præſens, arte quadam declinare. Tranſlatum a gladiatoribus, ictum modico corporis flexu fallentibus. M. Tullius in Catilinam invectione prima: Quot ego tuas petitiones ita conjectas, vt vitari poſſe non viderentur, parva quadam declinatione, & (vt ajunt) corpore effugi? Hactenus Cicero. Itaque quoties aliquem diſcrimine quam minimo à periculo abfuiſſe ſignificabimus, corpore declinatum malum dicemus. Minus enim periclitantur, qui mœnibus aut alio quopiam objectu defenduntur: verum qui nudi telis objecti, nihil habent quo ſe tueantur, niſi commodo corporis deflexu, ii demum in extremo periculo verſari videntur. Penè diverſa figura dixit Catullus:

Contra nos tela iſta tua evitamus amictu.

Id eſt, Facilè depellimus, non ſecus quam muſcarum inſultus.

Ingens diſcrimen.

Quoties ingens diſcrimen innuemus inter homines, aut res plurimum inter ſe diverſas, aut immenſum intervallum inter ſejunctos, eleganter accommodabimus illud ex eodem libro:

——[illegible]
[illegible]

Id eſt:

——Sunt in medio ſita plurima, monteſque
Umbroſi, fretaque horriſono clamoſa fragore.

IVNII. *Inter vitam & necem.*

Quintus Calaber, vel (vt nonnulli malunt) Smyrnæus in duodecimo prætermiſſorum ab Homero, loquens de iis qui ligneum Epei equum quem Durateum nominant, Trojanæ Palladi votivum, conſcenderant, incerto jam tum exitu, dicit eos tacitè inſediſſe magno ſilentio, velut medio inter vitam morteinque ſpacio, perplexos, ejus verba hæc ſunt:

——[illegible]
[illegible]

Id eſt:

——Silenter
Inſedere omnes medii vitæque neciſque.

Conveniet dici in eos, qui magno in diſcrimine verſantur, ad extrema redacti pericula, rebus in ancipiti poſitis. Finitimum eſt illi: Inter ſacrum ſaxumque.

Suilla abſumpta bovem non expectes.

Quando cunctationem damnoſam fore, & vitæ periculo permiſtam indicare volumus juxta Lucani illud,

——Semper nocuit differre paratis.

Uſurpare licebit verſiculum hunc proverbialem:

[illegible]

Id eſt:

Expectare bovem expleti nolite ſuilla.

Refertur ab Athenæo ex Anticlidis hiſtoriis, quod quum Erythræi inſidiis adoriri Chios inter cœnandum, eoſque interficere cogitarent, quidam re cognita Chios verſu iſto admonuit, vt paratas ipſis inſidias fuga prævenirent, priuſquam in tragicum choragium exirent epulæ.

Curriculum animæ decurrere.

[illegible], Animæ curriculum obire, dicitur proverbio, quum quis extremo ſe diſcrimini exponit, & capitis periculũ adit, vt aut fortiter cadat, aut lætam victoriam referat. Quadrabit & in eum, qui capite & fortunis omnibus oppugnatur. Syneſius in epiſtola ad Euoptiũ de naufragio ſuo ſcribens: [illegible], id eſt: Quandoquidem res clarè docet nos de animæ curriculum decurrere. Ariſtophanes in Veſpis.

[illegible]

Id eſt:

Efficiam vt de vita certamen currendo obeas.

Originem ſumpſit parœmia ex illo Homeri verſu, qui lib. Iliad. 22. extat de Hectore:

[illegible]

Id eſt:

Currebant de Priamidæ vita Hectoris.

Euſtathius diligentiſſimus Homeri interpres eo loco exponit, proverbium efferri ſolere, vbi quis animi anceps rebus penè deploratis quidvis tentat, etiam vitæ præſenti periculo. Ejuſmodi certamen cum vitæ diſcrimine conjunctum, Euripides in Oreſte, [illegible], velut funeſtum certamen dixit, ſic enim nuncius loquitur.

[illegible]
[illegible] Id eſt:
Oreſtem nonnunc cernis huc prope
Cauſam dicturum, funeſtum certamen ſubire.

Plenius, & quaſi periphraſtice idem expreſſit eodem loco Chorus

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Certamen diturus animæ maximum,
In quo necis vitæque cardo vertitur.

Quos verſus, vt pleraque alia, tranſtulit de verbo, immutatis paucis, in tragœdiam cui titulus eſt Chriſtus patiens, Gregor. Nazianzenus vbi nuncius ita:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Qui ſtadium decurſurus eſt vitæ vltimum,
Oppetere mortem quo lex damnatum jubet.

His affine eſt quod Herodotus habet: [illegible], id eſt: De ſumma rerum curriculum obeuntes. & Thucydidis illud: [illegible], id eſt: Vos de vita certamina ſubitis. Gregor. Nazianzenus ad Cæſarium fratrẽ: [illegible], id eſt: Ubi commune pecuniarum ardet incendiũ, de animæ curriculum decurrunt mortales. Idem in ſteliteut priore, De martyribus: [illegible]: id eſt: Multis ſtadium quo de vita certatur obeuntib. propter perſecutorum crudelitatem. Non alienum hinc eſt illud Heliodori libro 10. [illegible], id eſt: Vos vt arbitri in hoc de vita curriculo ſtatuite. Philoſtratus de Polemone: [illegible], id eſt, Conſpicatus gladiatorem ſudore diffluentem, & de vita certamen formidantem. Huc ſpectat & illud [illegible]: Poſtremum curriculum obire: quum res conclamatæ ſunt, & deploratæ. Incerti authoris verba apud Suidam: [illegible], id eſt: Si vltimum decurrendum ſit curriculum (id quod dici ſolet) confugituros ſe ad Romanorum fidem dictabant.

Inter Orci cancros adhæſit.

Intra orci cancros hærere dicitur proverbio, qui arctè irretiti tenentur, vt nullibi effugium pateat amplius, Apuleius lib. 6. de Aſino aureo de Pſyche loquens: Sed benè quod in meas potiſſimum manus incidiſti, & inter Orci cancros jam ipſos adhæſiſti, datura ſcilicet actutum contumaciæ tantæ pœnas. Pulchre Orpheus in hymnis, [illegible] vocat Cocyti irremeabilem ſemitam: quod ab inferis nulla ſit reditus ſpes:

————facilis deſcenſus averni,
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,

Id demum laborioſiſſimum eſt. Dixit autem cancros pro claſtro, & quos diminutivè cancellos vſitatius dicimus.

Nox gubernatorem prudentem terret.

[illegible]

Id eſt:

Docto gubernatori nox metum parit.

In rebus dubiis, parumque explicitis, vir prudens cautè timideque gerere ſe debet. Periti quantumvis naucleri noctis tenebras ſuſpectas habent, quod illæ proſpectum adimant, propter iniqua litora & latentes ſcopulos, ita & rerumpublicarum adminiſtratores, quantumvis prudentes, oborto tumultu, præpediti metu omnia etiam timent. Exercitus ductores territat ſæpè levis occaſio, quando hoſtium conſilia minus liquida ſunt. Uſus tunc eſt proverbialis ſenarii, quo Danaus apud Æſchylum vtitur in fabula cui nomen Danaides ſive Supplices:

————[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Amat nox atra nauclero ſcio parere metum.

Meminit & Plutarchus in libro adverſus Colotem. Idem etiam author in Agamemnone ſcitè dixit, [illegible], hoc eſt, nocturnum pavorem vanum eſſe. Alluſit ad adagium Gregorius Nazianzenus ad Eudoxium rhetorem ſcribens: [illegible], id eſt: Bona diffluxere, mala nudè ſe oſtendunt, navigatio in nocte, facula nuſquam. Innuit, plena eſſe periculorum omnia.

Appropera, ut letho ſis vicinior.

Diomedis eſt ad Glaucum proverbialis verſus, Iliad. Z.

[illegible]

Id eſt:

Appropera, vt citius lethi confinia tangas.

Quo licebit vti per ironiam apud adoleſcentem, cæca libidine in ſcortorum amorem pronum: aut temulentiæ, præſenti memoriæ & literarum peſti, plus æquo deditum: vel pravorum hominum commercio addictum turpiter, hæc enim vitia, expeditiſſima & compendiaria via adoleſcentes in præcipitium agunt. Luſiſſe hoc verſu olim Stratonicum citharœdum facetiis nobilem prodidit Strabo libr. 13. detorto eo in Aſſon vrbem Aſiaticam, natura & opere munitã, edito in ſaxo ſitam, ad quam aſcenſus ſit difficilis, ſemita præcipiti & longo, quod & Euſtathius Iliados ς repetit, & Stephanus ethnicographus, niſi quod in citharœdi nomine variant. Aſſon ſcribens Lyciæ oppidũ in arduo, ſaleiuoſo, atq; abrupto

pro & impervio loco poſitam, in quod per jocum luſit Nicoſtratus citharœdus, dictitans:

[illegible]

Id eſt:

Aſſon eas, lethi vt citius confinia tangas.

Velut innuens, accelerandæ morti accommodatam eſſe oppidi difficillima in rupe hærentis habitationem. Eſt autem venuſta alluſio in voce ἄσσον, pro oppido Aſſo, & ἆσσον proverbio pro celerius.

Argi tumulus.

Ἄργου λόφος, id eſt, Argi tumulus, proverbialiter dicitur locus periculoſæ aleæ plenus, aut negocium difficile, capitis diſcrimini obnoxium. Origo ſumpta ab acclivi quodam colliculo, apud Argos copioſam olim & nobilem Peloponnenſi civitatem, quem [illegible] nominabant, vbi Danaus delectis judicibus ex Argivorum Ægyptiorumque primoribus, judicio ſtetit, cauſam dixit necis à filiabus perpetratæ in fratris filios. Proditum enim eſt memoriæ Ægyptum necem filiorum vlturum veniſſe Argos cum exercitu, & Danaum ſe cognita expediviſſe arma. Argivoſque in prælium eduxiſſe: ſed Lyncei interventu rem fuiſſe compoſitam, negociumque delectis ex vtraque gente arbitris delegatum, conſtituto ei rei in edito tumulo tribunali. Hecatæus hiſtoricus negat Ægyptum Argos appuliſſe: judicii tamen locum in eo colle extitiſſe non inficiatur. Meminit Euripides in Oreſte.

—— [illegible]
[illegible]
[illegible]

Id eſt:

——Conſpicor collem editum,
Ubi perhibent primum Danaum Ægypto necis
Egiſſe plebem.

Dinias hiſtoricus in rebus Argolicis meminit loci in hanc ſententiam: Confeſtim Melachati loci dominum & Cleometam ſaxis obrutos interemerunt, cujus ſepulchrum etiamnum hodie demonſtrant in ſupremo colliculi vertice, quem [illegible] nominant, vbi Argivi ſolent jus dicere. Videtur meminiſſe ejus loci & Euripides in Bellerophonte fabula, his verbis:

[illegible]

Id eſt:

Circumque ſaxeum, notum ſedilibus Danaidum.

Extra callem.

[illegible], Extra callem. Euſtathius oſtendit eſſe parœmiam Odyſſ. 9. pro [illegible], procul è pedibus: vbi denunciabimus periculi viciniam eſſe cavendam. Translatum à fugitivorum periculo, quos in trita pedibus ſemita errantes facilè herus deprehendere atque aſſequi poſſit, majore opera & difficilius in deviis locis eos ſecuturus.

Ignem ſtipulæ admovere non tutum.

Proverbii faciem habet illud Nazianzeni:

[illegible]

Id eſt:

Ignem ſi admoveas ſtipulæ, res plena pericli.

Juventus male creditur libidinum magiſtris: tenellæ ætati non tutus eſt vini vſus, quòd rudis illa ætas flammis exæſtuet indecentioribus, quam Ætnæi crateres.

Terram ne legas navigando.

Inter Pythagoræ ſymbola, dignitate adagiis ſimillima, huc aſcribendum videtur ab omnibus hactenus præteritum, [illegible]: Navigans terram ne radas. Quo innuere voluit, vectigalia ſimileſque redemptiones incertas, & curarum tumultuumque plenas, cõtemnere & abnuere nos debere. Sic enim exponit D. Clemens Stromatum lib. 5. his verbis: [illegible]. Monet etiam Horatius, vt cauti horreſcamus nimium premere litus iniquum.

Tempeſtas ingruit.

Quando ſignificamus obviam eundum eſſe imminenti periculo, vſus erit proverbialis verſus:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Huc expedite gnari ovem nigram ocyus,
Nam turbidus Typho molitur exitum.

Vſui ſi dicamus, iram alicujus viri principis & potentis placandam eſſe literario quopiam munuſculo, aut ſupplice libello, & decente excuſatione deprecandam. Eſt autem Typhon, nimbus è nubibus erumpens nautis admodum formidoloſus, quem deſignat lib. Argonaut. 3. Valerius Flaccus: ibi:

Quantus vbi immenſo proſpexit ab æthere Typhon
Igne ſimul ventiſque rubens, quem Jupiter alte
Crine tenet, trepidant diro ſub lumine puppes.

Æſchylus in Prometheo Telluris filium Ciliciem & centicipitem Typhona nominat: ex eoque turbines & impetuoſos omnes ventos prognatos, præter Zephyrum & Boream fingunt fabulæ. Heliodorus Triccenſis epiſcopus lib. 2. [illegible], i. At ego attonitus ſteteram, velut Typhone ictus. Huc ſpectat illud Pherecratis comici, quod à Suida citatur,

[illegible]

Id eſt:

Hei miſero mihi, tempeſtas occupat.

Id enim exclamat apud eum quidam, imminentem tempeſtatem prævidens. Neque verò rectè dictum eſt illud [illegible], id eſt, Ægis venit, efferri de iis qui impudenter agerent, & perperam nominatur ejus ſententiæ author Suidas: quum apud eum in dictione [illegible], ante verba illa, [illegible], inſereri debeant hæ voces, [illegible]: vt integer ita conſtet ſenſus. Capra gladium, effertur parœmia de iis qui inconſultè quid ſuo malo faciunt. Porrò cur expediri nigram ovem author verſuum velit, ex ritualium librorum curioſa ſuperſtitione manavit, quæ cenſuit tempeſtates, cœlique injurias, mactata atra bidente procurandas, vnde peritè dictum eſt à Virgilio Æneid. 3.

Nigram hyemi pecudem Zephyris felicibus albam.

Nam (vt Arnobius lib. 7. adverſus gentes ſcripſit) Diis lævis, ſedeſque habitantibus inferas color furvus gratior eſt, & triſtibus ſuffectus è focis. Contra, ſuperis diis atque hominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. Unde Apollo apud Porphyrium in libris de philoſophia ex oraculis capienda, ita ſtatuit:

[illegible]

Id eſt:

Candida cœlitibus, Stygiæ ſed furva catervæ.

Rudens omnis diſruptus eſt.

[illegible] id eſt, Omnis rudens diſruptus eſt. Proverbium effertur de ſummo rerum diſcrimine, quum conclamatam eſſe ſpem ſignificamus. Heliodorus lib. 7. Æthiop. hiſtoriæ: [illegible], id eſt: Omnis quod dici ſolet rudens perfractus eſt, omniſque ſpei ancora prorſus ſublata eſt. Metaphora à navi, quæ amiſſis funibus in mari jactatur vndarum ludibrium.

Tria Theramenis cavenda.

Quum periculum ingens denunciamus, aut cavendum eſſe negocium periculoſæ aleæ plenum admonemus, adagii vſus erit. Polyzelus comicus in Demotyndareo fabula:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]—— id eſt:

Tribus è malis vnum neceſſe legere erat,
Inducre palum, vel cicutam obducere,
Vel nave prodita maliſ citò eximi.
Theramenis tria hæc cavenda cenſeo.

Apparet verſus eſſe trimetros, quorum priores parum ſuis numeris conſtant, corrupti nimirum. Ariſtophanes in Triphalete fabula:

[illegible]

Id eſt:

Ego metuo mihi tria hæc Theramenis.

Theramenes, cujus dubia in reipub. adminiſtratione fides literis conſignata eſt, tria pœnarum genera Athenis inveniſſe videtur: aut ſtipiti alligatum corpus ſectori excarnificandum dare, aut cicutæ poculum ebibere, aut ex illo ſolum vertere. Huc alluſit Menander comicus eo verſu:

[illegible]

Id eſt:

Id namque de tribus malis vnum obtigit.

Theramenes quomodo à triginta tyrannis è medio ſublatus ſit, quidque dixerit, ne Iſocrates ſuſcepto illius patrocinio periculum ſibi ipſe crearet, legas apud Plutarchum in vita Iſocratis. Non diſſimile eſt quod refert Suidas, capitis reis tria apponi ſolere, gladium, reſtim & cicutæ potiunculam, quæ nominabant [illegible], hoc eſt, Tria lethalia; vel, [illegible], hoc eſt, Tria morti addictorum, cui rei meminit in Æpolis fabula Alexis comicus, quanquam etiam aliter illud efferatur, [illegible], id eſt, Tria apud Prætorium ſive judicatarium forum, quod inde natum, quod capitalem ſententiam ſubituris ſic eſſet tria quæ lubitum eſſet, eligere licere, cibo prius vinoque expletis. Zenobius authoritate Ariſtidis commemorat, oraculum Delphicum conſulentibus ſortes exhiberi conſueviſſe annulo obſirmatas, cum admonitione iſta, ne ſtatum ante diem eas reſignarent; prævaricatoribus enim impendere è tribus vnum, aut oculorum orbitatem, aut linguæ jacturam, aut manus truncationem.

Nihil ad Perſium.

Proverbialiter vſurpatum eſt à Cicerone libro De oratore 2. quo vtemur, quum diſcrimen ingens eruditionis inter duos notare volumus, ſic enim ait: Lælium Decimum volo, quem cognovimus virum bonum & non illiteratum, ſed nihil ad Perſium. Deflexum eſt autem è C. Lucilii Satyrographi verbis hiſce: Perſium non curo legere, Lælium decimum volo, quibus ſignificare voluit, ſe optare ſuis ſcriptis lectorem neque indoctiſſimum, neque rurſus doctiſſimum: quod ille nihil intelligat, hic moroſus aliquanto judicet, ac plus intelligat fortaſſis quam ipſe author de ſe. Hunc locum attigit & Plinius in præfatione Naturalis hiſtoriæ, ita

ſcribens,

ſcribens: Præterea eſt quædam publica etiam eruditorum reiectio. Utitur illa & M. Tullius, extra omnem ingenii aleam poſitus, & (quod miremur) per advocatum defenditur: Hæc doctiſſimum Perſium legere nolo, Lælium Decimum volo.

Ad Scirrhonem tendere.

Theætus apud Platonem in cognomine ſibi dialogo, [illegible] id eſt: Videris mihi ad Scirrhonem potius ſpectare. Proverbiali figura dictum deeo, qui certis ſcribus argumentis & ſcientificis demonſtrationibus, cuiuſmodi hu tales neceſſitates appellat Ariſtoteles, compellit quempiam ad aſſenſum. Scirrhon latro fuit inſignis, qui cognominatas a ſe Scirrhonidas cautes inſidens, compellebat viatores ex abrupta cautes præcipites ſe dare, ut in Bibliothecæs quinto ſcribit Diodorus Siculus. Euripidis ſcholiaſtes annotat, ſolitum fuiſſe viatores ad abluendos ipſi pedes cogere, atque ita inter lavandum improvidos de præcipitio impactis calcibus deturbare. Huius meminit & Ovidius Metamorph. 7. & Propertius 3.

Nec tamen eſt quiſquam ſacros qui lædat amantes,
Scirrhonis media ſi licet ire, via.

Vbi Scirrhonis via appellat periculi plenam. Pauſanias in Atticis Scirrhonem memorat Pilæ regis Megaridis filium, qui de huius urbis imperio cum Niſo Pandionis filio contendens, belli ius & imperium omne obtinuit, judicante Æaco arbitro: an autem hic idem ſit cum latrone, ignoro. Cum hoc conſonat & quod mox Plato ſubjicit: [illegible] id eſt: Tu fabulam agere mihi videris potius, qualem Antæus.

Duro flagello mens docetur rectius.

[illegible]
Id eſt.
Durum flagellum eſt pædagogus ingenî.

Sententia monaſtichos proverbialis apud Gregorium Nazianzenum. Solet ita uſu venire in rebus humanis, ut periculorum magnitudine cautiores plerunque reddamur. Eſt & vulgo noſtrati nihil in ore frequentius iſto adagio: Graves caſus docent rectiſſime.

BRASSICANI. *In eodem valetudinario jacere.*

De iis dicitur, qui eodem periculi genere & communi malo implicantur. Proverbio utitur Seneca libro tertio Epiſtol. Non ſum tam improbus, ut curationes æger obeam, ſed tanquam in eodem valetudinario iaceam, de communi malo tecũ colloquor, remedia communico. C. Tacitus in dialogo de Oratoribus: Qui in eodem valetudinario hæc oſſa & hanc maciem probant.

COGNATI. *Tua res agitur paries cum proximus ardet.*

Qui cavere ſibi antea quoſpiam debere admonent, cum malum pares illis ſimileſque invaſit, ſimili plerunque utuntur propinquarum ædium. Cum enim aliqua conflagrare cœpit, ægre incendium a proximis arcetur. Carmen eſt Horatii in poſteriore epiſtola ad Lollium: Tua res agitur, & impericulo verſãtur. Eo videtur alluſiſſe Titus Livius libro 7. ab Vrbe cond. Quanquam pugnavimus verbo pro Sidicinis, re pro nobis, cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitum peti, &, ubi conflagraſſent Sidicini, ad nos traiecturum illud incendium eſſe. Et ex duabus coloniis, quæ velut clauſtra ad cohibendos Gallicos tumultus oppoſitæ fuiſſent, cum una direpta & incenſa eſſet, traiecturumque id incendium velut ex continentibus tectis in alteram tam propinquam coloniam eſſet, quid tandem prætori faciendum fuiſſet? & C. Saluſtius lib. 3. hiſtoriæ, citante Flavio Soſipatre grammatico: Non tu ſcis, ſi quas ædes ignis cœpit acriter, haud faciles ſunt defenſu, quin & comburantur proximæ. Quidam legatus eſt etiam uſus hoc ſimili apud Polybium libro 11. hiſtoriarum. Hæc valent ad excitandum quamlibet tardum etiam hominem, ad ſe muniendum adverſus incommodum impendens. Demonſtrat enim vicinorum periculum, noſtrum eſſe. Cum hoc Horatii verſu congruit illud Gallicum:

Qui la maiſon de ſon voiſin void ardre, il doit avoir peur de la ſienne.

& hoc. Tibi luditur: inferius. Proverb. Hoc Horatian. explicat Eraſm.

In eodem valetudinario eſſe.

Seneca lib. Epiſt. 3. Non ſum tam improbus, ut curationes æger obeam, ſed tanquam in eodem valetudinario jaceam, de communi malo tecum loquor. Appellatur autem valetudinarium Senecæ, locus ubi ægroti curantur, quod Græcis [illegible]. Cor. Tacitus de Orator: Qui in eodem valetudinario hæc oſſa & hanc maciem probant. Lucianus in tragopodagra ſub finem, pro eodẽ dixit In eadem navi eſſe, i. in communi morbo & periculo. Vide Eraſmum noſtrum.

Suſpenſos pedes ponere.

Idem in prologo Declamationum: Neceſſe eſt me per ſpinoſum locum ambulantem, ſuſpenſos pedes habere ſeu ponere: Aiebat latro: Non mehercules tui pedes ſpinas calcant, ſed habent. Vtrumque, Suſpenſos pedes ponere: & tui pedes ſpinas calcant: ex trita loquendi conſuetudine procedit. Lucianus: [illegible] id eſt: [illegible] ſummis pedum digitis inſiſtens ingredior. Terentius Phorm. Hæc ubi ego audivi, ſuſpenſo gradu ire perrexi. id eſt, placido, leni, ſilenti. Recitat Nonius Marcell. Lucr. lib. 3. aura ſuſpenſa.

Res ad Triarios rediit.

Rem autem ad Triarios rediiſſe dicebant Romani, cum ad extremum diſcrimen, ultimamque dimicationem ventum erat. Inde eſt: [illegible] Budæus in eadem epiſtola ad Salmonium Macrinum: Quid cauſæ eſt, quin res literaria ad Triarios rediiſſe dictitetur? At hoc proverbiali ſermone literarum decus atque authoritatẽ in ancipiti eſſe ſignificatur, &c. Eraſmus noſter ex 8. Livii ab urbe condita interpretatur.

Sed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes.

Sententia eſt cuiuſdam Latini poetæ, nobiſq; frequens, quando ſignificamus, non omnium cuſtodum firmam eſſe fidem, egereque ſæpe illos alio cuſtode. Hanc prius expreſſit Plato lib. 3. De rep. ubi docet, cuſtodes reipub. qui præſidio ſunt reliquis civibus, ebrietatem cavere oportere: [illegible]. Eandem etiam reſpexit Cicero in divinatione in Verrem, his verbis. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite, quid? Mihi quam multis cuſtodibus opus erit; ſi te ſemel ad meas capſas admiſero? qui non ſolum ne quid enuncies, ſed etiam ne quid auferas, cuſtodiendus ſis. Nec non in 3. Philippica itidem M. Antonium, qui in concione dixerat, ſe cuſtodem futurum urbis: ait enim: O præclarum cuſtodem ovium (ut aiunt) lupum.

Dimicare pro carnibus.

Plutarchus in libello contra Coloten: [illegible] ſubaudio, [illegible]. Et pro carnibus dimicandi afferes neceſſitatem. Proverbium eſt, quo Ariſtophanes reſpexit in Ranis; [illegible]. Suidas in voce [illegible]: (Huc confer alibi Eraſm. Lepus pro carnibus.)

[illegible]. *Intra telum.*

Celebratur proverbiali figura, intra telorum iactum de iis, qui periculis obnoxii poſſunt videri: quemadmodum contra, extra telorum iactum eſſe dicuntur, qui in tuto conſiſtunt. [illegible], intra telum: [illegible], extra tela, dicunt Græci. Virgil. 5. Æneid.

Iamque intra iactum teli progreſſus uterque
Subſtiterat. ——

Quod autem Latini dicunt, Extra teli iactum: Hebræis eſt, instar arcum. (Vide proverb. Extra telorum iactum.)

Tibi luditur.

Tua res agitur, & de tuo periculo, non de meo agitur. Sumptum eſt ab alea in qua res eius agitur, qui pecuniam depoſuit in medium. Simile eſt illud Plauti in Epidico: Mihi iſthic nec ſeritur, nec metitur. & illud in Milite: Temere hanc dedolas tabulam tuis nunc cruribus. Perſius ſatyra 3.

——Tibi luditur: effluis amens.

Hinc etiam ſimile eſt illud Tibulli:

——Meſſes uris acerba tuas.

Vide ſuperius: Tua res agitur paries cum proximus ardet.

Indagine cinctus.

Indagine cinctus metaphoricôs dicitur, qui exitum non invenit: tractum a venatorum inquiſitione quæ Græce [illegible] dicitur, & indagine cingi, [illegible], hoc eſt, plagarum ſerie circundari. Quoniam autem venatores ſaltus circundant retibus, quæ Græce [illegible] dicuntur, & Latine plagæ variis erectæ, quæ Græce [illegible] appellantur: ideo factum eſt, ut indago pro ſerie plagarum ſaltus cingentium accipiatur, ut in 4. Æneidos:

——Saltuſque indagine cingunt.

Et Lucan. in 6.

——Saltus nemoroſaque teſqua,
Et ſylvas, vaſtaque feras indagine claudit:

Vocavit indaginem, foſſam, & munitionum turritarum ſeriem. Sic Plinius in Panegyr. Pœnarum indagine incluſos dixit, quaſi ambitu. Tacitus lib. 13. Romæ teſtamenta & orbos velut indagine eius capi, id eſt, captatorem eſſe orborum. Ita ut nullus captiones eius evadat: de Seneca dictum. Livius lib. 7. ab urb. cond. Cum præmiſſus eques velut indagine diſſipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit. [illegible] & [illegible] a Græcis ſeries plagarum & ambitus dicitur, quo ſaltus circundantur: unde [illegible] verbum, circundare indagine: hoc eſt, [illegible]. Budæus Longolio: Quo fit, ut veluti quadam pudoris & ignominiæ cinctus indagine, exilium conſciſcere mihi interdum ſuſtinetem a muſarum contubernio. Idem lib. 2. De contempt. rer fort. Quadamque (ut ita dicam) augere indagine obfirmatæ conſcientiæ, &c.

Incidere in laqueos.

Proverbialiter in laqueos, caſſes, retia incidere: de quibus ipſi [illegible]

pa-

perniciem, periculum aut malum aliquod ſe imprudens implicat. Oreſtes apud Euripid. in Elect. actu. 4. [illegible Greek]. Recte ſane ipſos in laqueos incidit. Laqueorum autem, retium, inſidiarum, frequens eſt metaphora in Scripturis: pro quavis nimirum implicatione & perplexitate: præſertim paſſim in Pſalmis fraudulentorum & improborum aſtutias, calumnias, atq; adeo ſpirituum immundorum inſidias, laqueos aut retia appellat. Pſal. 31. & 35. Veniat ille laqueus quem ignorat, & captio quam abſcondit, apprehendat. Apoſt. 1. Corinth. 7. Non ut laqueum vobis injiciam. Ovid. pe arte amandi.

Decidit in caſſes præda petita meos.

Vide inferius, In foveam neceſſario decidit.

Hac urget lupus, hac canis angit.

Α'μηχανίαν quandam & inopiam conſilii ancipitemque cogitationem, utrum potiſſimũ ſequaris, aut fugias, ſignificat hoc proverbium. Nam cui lupus inſtat à tergo, canis latrator, & mordax infeſtus eſt à fronte, is non facile effugiendi conſilium explicare poteſt Horat. Satyr. lib. 2. ſatyr. 2.

——— Et horum

Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis angit.

Huic non abſimile iſtud ab Eraſmo obſervatum: [illegible Greek], id eſt: A fronte præcipitium, a tergo lupi. Sunt qui apud Horatium, pro, Angit: legunt, Ajunt, quæ lectio proverbii figuram propius exprimit.

Gladium acutum averte.

Græce ſic: [illegible Greek]. quod ex re potius, quam ex verbo interpretatus eſt Marſilius: Acutum omne abs te dimove. Reuchlin: Adverſus ſolem, inquit, ne loquaris, ne videlicet incidas in periculum: quod recte monet illud, Acutum gladium declines, Eraſmus noſter, avertas. Sic vero fere ab omnibus exponitur: Ab his qui periculum afferunt, vel afferre poſſunt, abſtineto, cavetoque: & quæ nocitura tibi vides, avertito. velut Divinam ultionem, quæ gladius anceps dicitur, & malam linguam. quomodo & illud Iobi exponunt: De gladio oris liberabit. Non eſt etiam principibus & potentioribus, neq; manifeſtæ veritati contumaciter repugnandum. Poteſt vel ſic interpretari; Ne in gladium incidas, vel te in periculum conjicias.

Ab equinis pedibus procul ſecede.

De effræno & feroci equo vulgatum adagium eſt, Secede equinis à pedibus procul. Ab equo autem illo, qui ſemper Ægyptum, hoc eſt, voluptatum & illecebrarum planiciem appetit inſultato, cavendum, & frænis catenisque compeſcendus eſt, niſi velimus in perniciem rapi, & noſmetipſos una cum fortunis dare præcipites. Nam, ut optime ait Euripides, [illegible Greek], id eſt: Infrænis oris exlegisque dementiæ finis infortunium. Scitu dignum, & huic loco maxime accommodum, quod tradit Origenes, per figuram omnes qui in carne ſunt nati, dici equos, & habere aſceſſores ſuos, &c. Equi præterea nomine lubrica vita, & ſtoliditas & inſipientia, indomita ferocitas, ſuperbia, arrogantia, faſtus juxta animantis naturam exprimitur. Hinc Pſalm. 31. Nolite fieri ſicut equus. & hoc: Ab equi pedibus procul ſecedite.

Miles Romane Ægyptum cave.

Legitur in Sibillynis libris, Miles Romane Ægyptum cave. Quod licet de Pompeio Magno dictum interpretati ſint multi, ſolicitique aliquando Romani fuerint, ne Ptolemæum armis in regnum reſtituerent, hac religione deterriti: alia tamen, eaque longe verior eius oraculi videtur interpretatio: præceptum ſcilicet eſſe illis hoc velamento, ut quibus datum eſſet imperio populos regere, Ægyptum caverent, quippe delitias & molliciem, eaque omnia quæ mox fortiſſimum id genus hominum ut primum laſcivire cœpit, turpiter adeo effœminavit, ut peſſũ penitus ierit, imperio in eos translato, quos ut omnium deſpicatiſſimos expuebant, & omni contumeliarum genere inſectabantur. Sed quanto erat ominoſior Ægyptus pop. Romano, ſucceſſum tanto proſperiorem Ægyptiis ex Romanorum advẽtu in regionem eam oracula pollicebantur. Apud Memphim enim in aurea columna literis Ægyptiis ſcriptum erat, tum demum Ægyptum liberam fore, cum in eam veniſſent Romani faſces, eorum prætexta: quod apud Proclum grammaticum ſe legiſſe teſtatur Pollio. Nimirum qui virtutem & rerum diſciplinam admittit, vitiis liberatur. Sed enim Romani, pace iam terra marique parta, molles Ægyptiorum delicias ſuſcepere: illi, deliciis amotis, priſtinam Romanorum virtutem induſtriamque ſibi mox vendicavere. De faſcibus Romanorum in iiſdem Sibyllinis oraculis lib. 2. & de Chriſto.

Sed poſtquam Roma Ægyptum reget, imperioque
Frænabit, ſummi cum ſumma potentia regni
Regis in extincti mortalibus exorietur.

Quod vero facit ad rem, Ioſeph totius Ægypti principatum obtinet: libidinem quippe calcavit, omnesque corporis voluptates edomuit atque frænavit. Hoc enim eſt, totum Ægypti principatum gerere. In Geneſi. Fugere ex Ægypto, eſt, à vitiis deſciſcere. In exodo: Rurſus Ægyptiis imperavit. id eſt, vitiis. Iacob in Ægyptum iuſſus deſcendere, homo cum vitiis bellum & conſilium ſuſcipere. Exire ab Ægypto, à mundo & vitiis. Ambroſius autẽ ex Apoſtolo, eo tempore ait Paſcha celebrari, quo Iſraëlitici Ægyptum reliquere, ſolennitatemque eam animarum tranſitum interpretari, à vitiis ad virtutem, a corporis affectibus & animi conſtantiam atque ſobrietatem, à malitiæ nequitiæque fermento ad veritatem & ſtabilem ſinceri propoſiti firmitatem. Mollitiem quippe in Ægyptiis, & alia multa carpit Hadrianus: maximeque optare videtur, ut melius eſſet morata civitas: Alexandriam notans. Chryſoſtomus in oratione, quam habuit in vigilia Epiphaniæ, de Ægypto multa ad huius adagii interpretationem diſſerit: quod cuivis genti accommodatur. Dicitur enim Germane Ægyptum cave. Et ſic de aliis. Quod autem libri Sibyllini prohibebant exercitum Romanum Ægyptum petere, Lucanus ad Pompeium, qui non à Ptolemæo (ut quidam aſſerunt) ſed ab huius filii ſervis, juſſu regis, fuit obtruncatus, ut Plutarchus, Cæſar in commentariis, & Appianus indicant, alludens ait:

Noxia civili tellus Ægyptia fato,
Haud equidem immerito Cumanæ carmine vatis
Cautum, ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles, ripasque æſtate tumentes.

In foſſa ruere.

Tertullian. proverbialiter in foſſa ruere dixit, pro in defoſſa, id eſt, in ſcrobibus latentibus perire:

Qui cæco duce præcipites in foſſa ruiſtis.

Alluſit ad aliud proverbium Evangelicis literis celebratum: Matth. 15. Omittite illos: cæci duces ſunt cæcorum, porro ſi cæcus cæco dux fuerit, ambo in foveam cadent. Itidem Luc. 6. Hinc in foveam cadere, quam aliis paraverat, proverbium quoque eſt, in eos qui aliis ſtudent nocere, ſibi ipſis exitio ſunt & incommodant. David Ode 7. Incidet in foveam, quam fecit. Translatũ ab his, qui foveis effoſſis inſidiantur feris. Neq; enim cæcus dux neque amens conſultor adhibendus. Vide ſupra, Incidere in laqueos: &, In foveam neceſſario decidit.

Labyrinthus.

Labyrinthus, ædificium flexuoſum & perplexum, in errorem inducens, proverbialiter pro erroris occaſione ſumitur. Proſp. c. Ing.

——Labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingreſſa viarum.

Prudent. Apoth.

——Anceps labyrinthus, & error
Circumflexus agat.———

Solis medicis licet impune occidere.

Et hoc vulgatum eſt: Solis medicis licet impune occidere. Adeo male audiunt medici, ut etiam proverbialiter dicatur, medicos plures occidere, quam ſanare. Horum enim factum deterius eſt latronum facto. Illi enim notis parcunt, & homines jugulant, ut pecunias accipiant: hi vero jugulant pecuniis acceptis, ſalutis ergo. Diſcunt periculis noſtris (ut Plinius inquit) & per experimenta impune mortes agunt. Ad hæc, morbis relictis ſanitatem inquietant. Ioannes Iovianus Pontanus in quinto dialogo Charontis: Sed dic Mercuri obſecro, quod nunc genus hominum in terris lætius ac liberius vivit: Mercur. Sacerdotes lætius, quos etiam in funeribus cantãteis audias. Liberius medici, ut quibus permiſſum ſit hominem impune occidere, quos lex non modo abſolvit, verum mercedem quoque eis ſtatuit. Siquidem medicus non occidit, ut etiam qui medici utitur conſilio & opera. Quum quidẽ ve magno conducunt precio. P. Pithæus lib. Adverſariorum ſubſicivorum 2. cap. 19. Perurbane, inquit, olim poetarum quidam dixit Medico & judici hominem occidere impune licere. Græcis id modo & ſine præmio fieret, profecto minus grave aliquanto, & fortaſſe tolerabilius videretur. Maior vero eſt in hoc ſcelere & parricidio medicorum, quam iudicum licentia. Quod Plinius lib. 29 nat. hiſt. oſtendere volens, quamque interdum temere medicis nos noſtraque committamus & credamus: Decuriæ, inquit, pro more cenſuris principum examinantur, &c. Confer Plin. medicos cum Quinqueviris judicibus. Iudices enim vix quadrageſimo demum die, medici ſtatim: iudices electi quinqueviri, medici quales? iudices quamvis de exilio tantum ſententiam dicturi, medici judicem etiam ipſum occiſuri.

In iiſdem lineis dimicare.

Tertullianus etiam, in iiſdem lineis dimicare, dicit: pro, in eodem gradu: quia ſic interdum collato pede pugnabatur, ut lineis ductæ pedem ſemper inſiſtere oporteret, nec inde referri: hocque genere exercitationis utebantur.

Cave canem.

Cave canem, proverbii more uſurpatus à veteribus, cum quempiã terrere vel arcere volebant: ac ſatyra quædam Varronis hac inſcriptione eſt Eumenidibus. Turnebus credit eſſe natũ hoc proverbium ex metu rabioſorum canũ, vel acrium & mordaciũ. Verba Varronis ſunt apud Noniũ in Præbitio, Quod ea die mea erat præbitio, in ianuam, Cave canem, inſcribi jubeo. Cum inquit, eo die convivium præbere deberem, ut ab aditu mearum ædium deterrerem, qui ad cõditum venturi erant, inſcribi iuſſi ianuæ, Cave canem: ne quis ingrederetur. Sumptum eſt à Græcis, Nam apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata ſic ſcribitur:

Ἐμοὶ

[illegible]
[illegible]

Non eſt fumus abſque igne.

Cum rumor aliquis in vulgus emanat, dici ſolet, abſque igne fumum nullum oboriri. Et Petrus apud Clementem: Fieri minime poteſt, inquit, ut conſurgat fumus, ubi non ſit ignis. Ortus à terra fumus, & in cœlum ſeſe attollẽs, ignem ſignificare perhibetur, ait Horus. Sic Eccleſiaſtici 22. Vaporem fumumque emanare in altum ante ignem: ita & contumelias & minas ſanguinis eſſe prævias. Porro ignis Ariſtoteli nihil aliud eſt, quam fumus incenſus. Quinetiam ubi Pindarus Nemeis inquit, [illegible] Certe aquam appoſuiſſe fumo: Fumum, ait interpres, pro igne poſuit, ex ſequela ſcilicet ſignum quod præcedit indicans. Nam ut etiam apud Plautum, Flamma fumo eſt proxima: de quo Eraſmus noſter in Chiliad. Fumus enim indicium eſt flammæ mox erupturæ.

Neque inter mortuos, neque inter vivos eſt.

A Biante iſtud proceſſit, de nautis per multa penetrantibus pericula. Plato in Axiocho: Nautam dicamus, per tanta penetrantem pericula: quique, quemadmodum Bias ait, neque inter mortuos, neque inter vivos eſt.

In foveam incidere.

Ibidem: In foveas ambiguitateſque multas propter rerum imperitiam incidit. Vide Eraſm. Incidit in foveam.

Mediis verſatur in undis.

Catullus in Pelei & Thetidis nuptiis:
—prope jam mediis verſatur in undis.
Eodem modo etiam Horatius loquitur:
—Et verſor civilibus undis.

POLID. VIRGILII. *Cervus ad ſagittam properat.*

De omnibus qui imprudentes, ſe eunt perditum, aut dolo ducuntur in interitum. Sumptum a venatoribus, qui priuſquam damas ac cervos canibus ac clamore agitent, abdunt ſagittarios in ferarum ſaltus, à quibus poſtea acti & in diverſum fugientes, configuntur.

Leo eſt foris: Leæna in itineribus.

Excuſatio eorum, qui metu perſecutionis aut alicuius periculi, muneri & officio ſuo deſunt: vel ignavorum: qui ſuæ deſidiæ ſemper habent quod prætexant.

PETRI GODOFREDI. *Cave tibi à cane muto & aqua ſilente.*

Periculoſiſſima fere ſunt: quæ latent, neque ſe oſtendunt: ideoque ab iis maxime timendum. A ſimulatoribus præſentem eſſe noxam, nemo ignorat. Nobiles canes venaticos in regno Sophitis latratu abſtinere, feram cum viderunt, teſtis eſt B. Hieron. & vulgatum hodie, timidos latrare vehementius quam mordere. Sic altiſſima quæq; flumina minimo ſono labuntur: vadoſa, præſertim in rupibus, maximo. Vide Iunii proverb. Canis clanculum mordens.

Serpens ejiciendus è domo.

Quieſcens malum & latens periculum, ne quando nos incogitantes & incautos opprimat, palam faciendum, & protinus conſcindendum.

Arundo alas verberat.

Abutar hoc titulo, & more viatoris complures ſimul maleolos hac ſcrobe defodiam, dum opportuno tempore erutos, loco & ordine ipſis digno ponam. Piſtoclerus Bacchidum blanditias habens ſuſpectas: Duæ, inquit, unum expetitis palumbem, perii, arundo alas verberat, id eſt, ſentio me irretiri: tacti ſunt pedes viſco, & quo avolaturus diutius alas moveo hoc magis viſcatis arundinibus impediuntur. Chryſalus infra: Nunc ab tranſenna hic turdus lumbricum petit. Pendebit hodie pulchre: ita intendi tenus. Vide Turn. Adverſ. 5. 9. Mercurius ad Amphitruonem in appendice: Novi te hominem moleſtum, qui non emas litigiosum, hinc confirmatur Turnebi emendatio legentis, lites emunt: pro, lites ferunt. adverſ. 15. 8. cap. Soſia in Amphitr. Non ego cum vino ſimitu ebibi imperium tuum, qua forma Cicero in Lælio: Quod ſummi puerorum amores ſæpe una cum prætexta toga deponerentur. Piſtoclerus in Bacchid. Stultiores barbaro Potitio. Vide Camerarii annot. & Feſtum. Chryſalus in Bacchid. de ſene mendaciis ipſius credulo, ille eſt oneratus recte, & plus juſto vehit. Sic & Tranio in Moſtel. Ego homines habeo clitellarios. Magni ſunt oneris, quid quid imperas, vehunt. Idem Tranio: Mali mœroris conſpicatus ſum montem maximum ad portum, mira audacia & audax, uſurpata tamen etiam a Charino in Mercat. Soſicles in Mænech. certe hæc mulier canterino ritu hic adſtans ſomniat. Celtæ: Plus fantaſtique que la mule du pape. Turn. libro decimo octavo, capite decimo quinto. Mænechmus ſurr. Dii illum perdant: ita mihi hodie corrupit diem. id eſt, non ſivit me frui illo ut optabam. Sceledrus in Milite: Habeat me venalem. id eſt conatur fallere. Charinus in Merc. Deos abſentes teſtes memoras. Qui credam tibi? In Amphitruon. Mulier es: audacter juras. Pſeudolus: Occiſa eſt hæc res, hæret hoc negocium. id eſt, res deſperata eſt, & depoſita. Charmides in Trinũ. Res cum animam agebat, tum offuſam oportuit, alibi apud Coguatum. Pſeudolus ad Ballionem: Mortua te verba facis. Sic mortuas facit alibi potationes, & bonos mores morbo invandi, ægrotare, intermori. In Trinummo bis dormitatorem, id eſt, ut Turn. explicat, furem vocat, noctu ad ſuc furta evigilantem, Heſiodus [illegible].

In medio Tybure Sardinia eſt.

Proverbialiter dictum eſt à Martiale lib. epigrammatum 4.
—In medio Tybure Sardinia eſt.

Quo voluit ſignificare, nihil cœli locique ingenium quamvis mite & clemens conferre, non impedire vernantis auræ mollem dulcedinem, nõ grato virore nemora, non ſuave redolentes undique herbas, non venas fontium, ſalubres animo, ſtomachoque laticum latebras profundentium: nihil denique quæcunque ſenſus, animumque demulcent & afficiunt, ullam moram afferre: quo minus cum dies fatalis, & a rerum conditore deſignata cuiq; meta vivendi obrepſit, quiſq; moriatur. Tybur, ſpecies pro genere, accipitur hic pro omni loco ſalubritate commendabili: & Sardinia, pro omni regione, aere, ſoloque peſtilenti. Sardinia enim peſtilentem aerem, ſaluteque hominum officientem, valetudinemque perturbantem, veteribus memoratur habere: Tybur autem undique ſoli aſpectu lætum & ſalubre prædicatur. Verſus Martialis è lib. 4. de Curiatio, qui (ut omnes illius poetæ) feſtivi admodum ſunt, quique prope ipſam ſententiã proverbialem explicant, libenter ſubjeci:

Ardea ſolſtitio, Pæſtanaque rura petantur
Quique Cleonæo ſidere fervet ager:
Cum Tiburtinas damnet Curiatius auras,
Inter laudatas ad Styga miſſus aquas:
Nullo fata loco poſſis excludere: cum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.

Laudatas aquas vocat Albulæ, quæ vulneribus mederi dicuntur, quia ſulphureis fumabat, ut ait Martialis lib. 1. de Regulo. Nec me latet tamen, Tybur gelidum ſæpe à Martiali vocari, quod in regione calida (qualis eſt Latium, ubi Tybur extructum eſt) non tollit loci ſalubritatem. Adde quod Horatius lib. Odarum 1. 7. ad Plancum ſcribens, nulla regione ut Tyburtina perinde ſe capi teſtatur: haud dubie amœnitate, & ſalubritate loci, cœlique clementia & temperie adductus.

DIVITIÆ.

ERASMI. *Crœſo, Craſſo ditior.*

Apud Græcos opulentia Crœſi Lydorum regis in proverbium abiit, preſertim nobilitata dicto Solonis. Apud Romanos item M. Craſſi, cui cognomentum etiam divitiis additum eſt. Hic negabat divitem eſſe, niſi qui reditu annuo legionẽ tueri poſſet. In agris ſuis ſeſtertium vicies mille poſſedit. Commemorantur & alii nonnulli apud Plinium libro 33. cap. 10. & item 3. qui immodicas opes poſſederunt: atque in his eſt Ariſtoteles, tantus ille philoſophus, ac noſtratium Theologorum pene deus, cuius hæredes in auctione ſeptuaginta patinas venum produxiſſe legũtur. Verum non itidem in vulgi ceſſere ſermonem. Proinde nihil attinet hoc loco referre. Feſtivior erit adagii figura, ſi numerum etiam commutemus, ut divus Hieronymus: Crœſos licet ſpires, & Darios, literæ marſupium non ſequuntur. Horatius & Arabum gazas dixit, pro cumulatiſſimis opibus, non ſine ſpecie proverbiali: quemadmodum & Perſicos apparatus, pro nimis exquiſitis ac ſumptuoſis.

Pactoli opes.

[illegible], id eſt, Pactoli divitias, pro ſummis opibus alicubi dixit Philoſtratus. Eſt autem Pactolus Lydiæ fluvius, ex monte Tmolo profluens, aureis ſcatens harenis, unde & [illegible] à poetis cognominatus. Cujuſmodi narratur & Tagus in Hiberia, & Ganges in India, & Hebrus in Thracia. Plinius addit Padum in Italia, negatq; ullum eſſe aurum abſolutius, quam id quod in fluviis reperitur, utpote curſu ipſo trituque perpolitum. Horatius in Epodis:

Sis pecore & multa dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat.

Iuvenalis:
—Tanti tibi non ſit opaci
Omnis harena Tagi quodque in mare volvitur aurum.

Has hyperbolas in varios uſus accommodare licebit. Veluti ſi quis dicat: Hos tantos ſumptus ſuſtinere nemo queat, ne ſi Pactolus quidem illi domi fluat. Huius hominis cupiditatem ne Tagus quidẽ ipſe poſſit explere. Nihil mediocre ſperabat, ſed totos Pactolos ac Tagos animo conceperat: aut, Pactolos pollicebatur, id eſt, divitias effuſiſſimas.

Polo-

Pelopis talenta.

Conſimili figura Theocritus in Idyllio Θ. dixit Pelopis. talenta:

Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι χρύσεια τάλαντα
Εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων.

Id eſt:

Non Pelopis mihi ſint agrique, aurique talenta:
Nec ventos celeres ante volaſſe pede.

Porro talentum apud Atticos, maxima pecuniæ ſumma erat. Talentum minus valebat libras ſexaginta, talentum magnum octoginta. Vnde illud in Phormione:

Si quis daret talentum magnum. Imo malum.

Et Ariſtophanes.

Ἀλλ' ἐγὼ Ὀπούντιος
Οὐκ ἂν γενοίμην ἐπὶ ταλάντῳ χρυσίῳ.

Id eſt:

At ego ſane Opuntius
Nolim eſſe, ſi quis det talentum mi aureum.

Id eſt: Nolim eſſe luſcus vel quantalibet pecunia.

Midæ divitiæ.

Μίδου πλοῦτος, καὶ Μίδου πλουσιώτερος, id eſt, Midæ opes, & Mida locupletior: in proverbium abierunt, propter immenſas eius regis opes, quæ fabulis quoque compluribus fecere locum. Statius in Surrentino Pollii:

Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro.

Fuit hic Midas Phrygiæ tyrannus, cui iuxta poetarum figmenta, conceſſum à diis eſt, ut propter Bacchum hoſpitio acceptū, quod vellet, optaret, accepturus quicquid optaſſet. Optavit, ut quicquid corpore contigiſſet, protinus in aurum verteretur. Hiſtoricorum literis proditum eſt, huic puero dormienti formicas in os grana tritici congeſſiſſe: reſpondiſſe augures, omnium mortalium illum ditiſſimum futurum, atque ita eveniſſe. Huic Plinius primū attribuit locum inter inſigniter divites, lib. 33.

Lyſiſtrati divitias habes.

Λυσιστράτου πλοῦτον πλουτεῖς, id eſt, Lyſiſtrati divitiis dives es, Proverbialis ironia de magnopere tenuibus. A Lyſiſtrato quodam tractum, extremæ paupertatis homine.

Cinyræ opes.

Κινύρου πλοῦτος, id eſt, Cinyræ opes. De immenſis divitiis dicebatur. Simillimum illi, Midæ opes. Nam huius regionem opulentiſſimam fuiſſe, Naſo ſatis indicat Metam. libr. 10.

Gratulor huic terræ, quod abeſt regionibus illis,
Quæ tantum genuere nefas: ſi dives amomo,
Cinnamaque, coſtumque ſuam ſudataque ligno
Thura ferat, floresque alios Panchaica tellus:
Dum ferat & myrrham.——

Pindarus in Nemeis meminit Cinyræ prædivitis: *σὺν θεῷ γάρ τοι φυτευθεὶς ὄλβος ἀνθρώποισι παρμονώτερος, ὅσπερ καὶ Κινύραν ἔβρισε πλούτῳ ποντίᾳ ἔν ποτε Κύπρῳ*. id eſt: Deo favente, felicitas hominibus ſtabilior, quæ ſane & Cinyram opibus cumulavit in marina Cypro. Proverbii meminit & Plato lib. De legib. 2. *ἐὰν δ' ἄρα πλουτῇ μὲν Κινύρου τε καὶ Μίδου μᾶλλον, ᾖ δὲ ἄδικος, ἄθλιός τε ἐστὶ καὶ ἀνιαρῶς ζῇ*. id eſt: Quod ſi ditior quidē fuerit quā Cinyra aut Mida, ſi autē iniuſtus, & miſer eſt, & moleſte vivit. Suidas in dictione *γηρανθείης*, refert hunc admodum: *γηράσαις Τιθωνοῦ βαθύτερον, καὶ τὸ Κινύρου πλουσιώτερον, καὶ Σαρδαναπάλλου τρυφηλότερον, ὅπως τὸ τῆς παροιμίας ἐπὶ σοὶ πληρωθῇ δὶς παῖδες οἱ γέροντες*. id eſt: Conſeneſcas Tithono profundius, Cinyra ditius, Sardanapalo delicioſius, ut in te compleatur proverbium, Bis pueri ſenes.

Ad ambas uſque aures.

Μέχρι τῶν ἀμφωτίδων, id eſt, Vſque ad aures ambas impleri dicuntur, qui ſupra modum ingurgitant ſeſe. Sumpta metaphora à vaſculis, ad anſas uſque impletis. Extat apud Suidam.

Ne decima quidem Syracuſanorum pars.

Οὐδὲ τὴν δεκάτην τῶν Συρακουσίων ἔχει, id eſt, Ne decimam quidem partem opum Syracuſanarum poſſidet. Strabo lib Geographiæ 6 *Συρακούσαις δὲ ἐπὶ τοσοῦτον ἐπέτεινε τὸ πλουτεῖν, ὥστε καὶ αὐτοὺς εἰς παροιμίαν διαδοθῆναι, λεγόντων πρὸς τοὺς ἄγαν πολυτελεῖς, ὡς οὐκ ἂν ἐξικνοῖτο αὐτοῖς ἡ Συρακουσίων δεκάτη*. id eſt, Syracuſas eo divitiarum perveniſſe, ut in proverbium abierint. Siquidem de divitibus, ac ſplendidis ita dicere ſolent: Ne decimam quidem Syracuſanarum opum partem aſſequi poſſent. Significabant autem aliorum opes, quantumvis amplas, nihil eſſe ad Syracuſanas divitias. Nonnihil veneris acceſſerit proverbio, ſi paulo longius detorqueatur: ut ſi quis prælocutus, Ciceronem longo intervallo reliquos omnes poſt ſe relinquere, dicat: Opulentam quidem & uberem eſſe Quintiliani dictionem, verum hanc vix eſſe *τὴν Συρακουσίων δεκάτην*.

Vltra res Callicratis.

Ὑπὲρ τὰ Καλλικράτους, id eſt, Super fortunas Callicratis. De immenſis opibus dicebatur. Aiunt Caryſtium quempiam fuiſſe, nomine Callicratem, qui reliquos cives opibus longe præſtiterit. Vnde ſi quem magnopere locupletem intelligi volebāt, eum vel Caryſtii Callicratis facultates vincere dicebant. Ariſtoteles autem in Athenienſium Repub. citante Suida, tradit Callicratem quendam e judicum ordine fuiſſe, qui judiciarias exactiones ſupra modum auxerit: atque hinc natam parœmiam de immodicis exactionibus.

Zopyri talenta.

Ζωπύρου τάλαντα, id eſt: Zopyri talenta. De præclaris factis, magnoque æſtimandis. Hic Zopyrus Darii regis amicus erat, qui ſibi nares & aures conſcidit, & omne corpus flagris cruentavit: ut his argumentis Babyloniis fidem faceret, ſe Dario male velle, à quo tam inmaniter eſſet acceptus. Itaque Babyloniorum civitatem ingreſſus, eam Dario prodidit. Vnde Darium dixiſſe ferunt, ſe unum Zopyrum integrum malle, quam centum Babylonas capere. Et oblato malogranato, tantum optavit ſibi Zopyrorum quantum ibi granorum ineſſet: ut narrat Herodotus libr. 3. meminit Plutarchus in apophthegmatis. Adagium recenſet Zenodotus.

Dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres.

Divus Hieronymus ad Hedibiam ſcribit in hunc modum: Vnde & illa vulgata ſententia mihi videtur eſſe veriſſima: Dives aut iniquus, aut iniqui hæres. Quod ſi verum eſt illud Heſiodium, Non omnino temere eſſe, quicquid vulgo dicunt mortales: proverbium hoc haud oſcitanter expendendum eſt iis, qui ſui opibus ſtulte ſe jactant. Neque enim fere parantur ingentes opes ſine fraude. Et aut ipſe poſſeſſor eas per fas nefasque congeſſit, aut certe ſucceſſit ei, qui has ea paravit via. Plato libr. De legibus 5. *ὥς τι ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθῶς, ὡς οὐκ εἰσὶν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί*. id eſt, Ita verum eſt quod vulgo dicimus, admodum divites non eſſe bonos. Circumfertur apud Græcos & hic verſiculus ex Menandri comœdiis:

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.

Id eſt:

Nunquam vir æquus, dives evaſit cito.

Huc reſpexit ille, qui Syllæ iactanti ſeſe, dixiſſe legitur: Quomodo vir bonus eſſe potes, qui tantas poſſideas opes, quum a patre nihil tibi ſit relictum? Refert Plutarchus in illius vita.

Octapedes.

Ὀκτάποδες, id eſt, Octapedes Scythico proverbio dicebantur, qui duos poſſiderent boves, & currum unum. Lucianus in Scytha ſive Proxeno, *οἳ παρ' αὐτοῖς ὀκτάποδες καλοῦνται*. id eſt: qui apud illos Octapedes vocantur. Dici poterit per jocum in hominem, qui ſibi locuples videatur: vel in eum cui ruſticanæ ſunt opes. Inter opus enim ruſticanas præcipue recenſet Heſiodus, *τὸν βοῦν ἀροτῆρα*, id eſt, Bovem aratorem. Addit proverbio gratiam alluſio ad ſcorpium, polypum, ſepiam & theutidem, octonis pedibus animantia, & ob id Græcis dicta *ὀκτάποδα*. Scorpius etiam proverbio locum fecit, Octapedem excidas. Siquidem hoc animal ſub omni lapide dormire dicitur. Suidas *ὀκτώπουν* ſcribit per ω, non per α.

Quantum non miluus oberret.

——Quantum non miluus oberret.

Proverbialis eſt hyperbole, de homine ſupra modum locuplete, cui tantum ſit agrorum, quantum nec miluus pervolet. Perſius:

Dives erat curibus, quantum non miluus oberret.

Id imitatus Iuvenalis Satyra nona:

—— Tot miluos, inquit, intra tua paſcua laſſas.

Sic & apud Plutarchum tragicus quiſpiam:

Σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν,
Βερεκύντιον χῶρον. ——

Id eſt:

Arvum colo bis ſex dierum iter, ſolo,
Berecynthio.——

Plin. libro 18. Latifundia vocat, à quibus ait Italiæ perniciem invectam fuiſſe: proinde veteres ita cenſuiſſe, Satius eſſe minus ſerere, & melius arare.

Tantali talenta.

Τάλαντα Ταντάλου, id eſt, Tantali talenta. De immenſis opibus. nam Tantalus Phryx ob luculentas divitias in fabulam hominum venit, ita ut fingatur & apud inferos ſimile quiddam pati, cuiusmodi ſolent inter congeſtas opes tenaces iſti divites. Horatius:

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Pocula. quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur.——

Oſtendit, allegoriam figmenti ad divites ſordidos pertinere. Vſurpatur adagium à Platone in Euthyphrone. Suidas ait eſſe & apud Epicharmum, & apud Anacreontem. Effertur & ad hunc modum, cum venuſta quadam vocum alluſione: *τάλαντα Ταντάλου ταλαντίζεται*. id eſt: Tantali talenta talentizat: hoc eſt, librat & accumulat. Porro Tantalum prædivitem fuiſſe, teſtatur vel illud ex tragœdia carmen apud Plutarchum, libro De exilio:

Σπείρω δ' ἄρουραν δώδεχ' ἡμερῶν ὁδόν.

Id eſt:

Viam dierum duodecim ſero iugera.

Idem alibi, ingentes divitias, *τὰ Ταντάλου τάλαντα* appellat: id eſt, opes Tantalicas. Antiphanes apud Athenæum lib. 6.

Οἷον ποτ᾽ εἶχε καὶ Θρίβων ὁ μαλθακὸς,
Μαλακῶς παλαίσας ἐξεδύθη τἀντάλου τάλαντα.

Id eſt :

Qualem olim habebat & Thribon, qui molliter
Exutus eſt ipſis talentis Tantali.

Herculis quaeſtus.

Herculis quæſtum pro magnis impendiis dixit Plautus in Moſtellaria : Dapſiles ſumptus facit : perdidit patrem, unus iſtic ſervus acerrimus Tranio : is vel Herculis conterere quæſtum potis eſt. Alias dictum eſt, olim plerosque decimam lucri partem Herculi vovere ſolitos. Huius favore perſuaſerant ſibi rem fore auctiorem. Ex tam multis autem decimis oportuit immenſam pecuniarum vim conflari. Quæſtum appellat facere : quaſi Hercules ſuum favorem vendiderit.

Lyſicrates, alter.

Ἄλλος Λυσικράτης ἕτερος : id eſt, Alter Lyſicrates. Lyſicrates quidam in vulgi fabulam abiit, quod capillos iam canos nigro tingeret, quo iuvenis etiam dum videretur. Cuiusmodi ridetur apud Martialem Ollus, comam tingens, cum barbam non poſſet.

Veſtis virum facit.

Εἵματα ἀνήρ : Id eſt, Veſtis vir. Id hodie quoque vulgo tritiſſimum eſt : Aiunt enim ad hunc modum : Veſtitus virum reddit : qui habet, induat : Idem affirmat Quintil. lib. Inſtit. 8. Et cultus, inquiens, conceſſus atq; magnificus, addit hominibus, ut Græco verſu teſtatum eſt, autoritatem. Hunc autem verſum, quem citat Fabius, opinor eſſe illum apud Homerum Odyſſeæ. ζ.

Ἐκ γάρ τοι τούτων φάτις ἀνθρώπους ἀναβαίνει
Ἐσθλή ——— id eſt :

Quippe homini ex iſtis ſurgit bona fama decusque.

Paulo inferius in eodem libro, quantum momenti cultus veſtium adferat, ad conciliandam homini formam dignitatemque, ſatis indicat, cum Nauſicaam puellam ita de Vlyſſe loquentem facit :

Πρόσθεν μὲν γάρ δή μοι ἀεικέλιος δέατ᾽ εἶναι,
Νῦν δὲ θεοῖσιν ἔοικε τοὶ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Id eſt :

Ante videbatur ſpecie fœdiſſimus eſſe,
Nunc divis ſimilis, magnus quos paſcit Olympus.

Nam ante nudus, iam veſtes nitidas induerat Vlyſſes, ac protinus alius eſſe viſus eſt.

Ἕζετ᾽ ἔπειτ᾽ ἀπάνευθε κιὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης,
Κάλλεϊ καὶ χάρισι στίλβων. ———

Id eſt :

Deinde procul veniens ad littora pontica ſedit,
Fulgeſcens forma, atque leporibus.

Divitiæ non ſemper optimis contingunt.

Qui dicet opes non ſemper cordatiſſimis, ſed pro fortunæ arbitrio, nunc huic, nunc illi contingere, citabit illud ex Odyſſeæ ζ.

Ζεὺς δ᾽ αὐτὸς νέμει ὄλβον Ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν,
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Id eſt :

Iupiter emetitur opes mortalibus ipſe,
Sic viſum ut fuerit, cuicunque bonove malove.

Dicuntur à Nauſica, ad Vlyſſem mendicantem : nec illum ob inopiam habet deſpectui, quæ fortunæ ſit imputanda, non homini, ſi is modo fuerit alioqui cordatus.

Noctua Lauriotica.

Γλαῦκες Λαυρεωτικαί : id eſt, Noctuæ Lauriotica. hoc velut ænigmate pecuniarum vim ſignificabant. Laurios enim Atticæ regio eſt, auri venis frequens. Porro nomiſmatis aureis noctuarum figura inſculpebatur, quemadmodum alio diximus loco. Interpres addit & tetradrachmis noctuam ſolere inſculpi. Ariſtophanes in avibus :

Γλαῦκες ὑμᾶς οὔποτ᾽ ἐπιλείψουσι Λαυρεωτικαί,
Ἀλλ᾽ ἐνοικήσουσιν ἔνδον, ἔν τε τοῖς βαλλαντίοις
Ἐννεοττεύσουσι. ———

Id eſt :

Noctuæ vos non relinquent Lauriotica, ſed hæ
Ædibus aderant in ipſis, inquid loculis nidulos.
Sibi parabunt. ———

Dextro Hercule : aut, Amico Hercule.

Eiusdem eſt generis, ſed obſcurius, quod apud Horatium legitur :

Dives amico Hercule. ———

Et item apud Perſium :

——— O ſi
Sub raſtris crepet argenti mihi ſeria, dextro
Hercule.

Quod quidem in eos competit, qui in accumulandis opibus ſunt bene fortunati. Idque inde natum exiſtimant, quod Hercules moriturus dixerit, eos opulentos futuros, qui ſibi decimam bonorum ſuorum partem conſecraſſent. Proinde locupletes plerosque ita facere ſolitos. Tametſi Plutarchus in Probl. huius conſuetudinis aliam adfert cauſam, puta quod ipſe quondam Hercules, boum quos Geryoni abſtulerat, in Platano decimam partem immolarit, vel quod Romanus ab Hetruſcis decimari ſolitos liberarit.

Prædives.

Prædivitem ſignificabimus his verſibus in ζ. κ. & λ. Iliadis :

Πολλὰ δ᾽ ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος.

Id eſt :

Divitis in patris ſunt multa recondita tectis.
Æsque aurumque fabrefacti quoque copia ferri.

Ad idem faciet etiam illud ex Iliados κ.

——— Πολύχρυσος, πολύχαλκος.

Id eſt :

Multi auri, multique æris. ———

Quantum habet.

Quantum habet quisque, tanti ſit. Quod ſcripſit Horatius in ſatyra prima :

——— Nil ſatis, inquit, quia tantum quantum habeas, ſis.

Item Iuvenalis ſatyra tertia :

Quantum quisque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei. ———

Non recenſuiſſem inter proverbia (ne quis clamitaret me ſententias collegiſſe, non adagia) niſi D. Auguſt. in libro De diſciplina Chriſtiana nominatim proverbii titulo citaſſet : Vnde & illud proverbium, inquit, Quantum habebis, tantus eris. Quanquam & Horatius ſatis indicat vulgo iactatam ſententiam, eo quod præceſſit :

At bona pars hominum decepta cupidine falſo.

Vſurpat & Apuleius in Apologia : Tanti revera eſtis, Quantum habetis. Videtur ex Euripide veniſſe in vulgi ſermonem. Cuius & hunc verſum inter cæteros refert Seneca :

Vbique tanti quisque quantum habuit fuit.

Adminicula vitæ.

Omnia quæ ad vitæ pertinent commoditatem, non ineleganter indicare licebit hoc carmine ex Odyſſeæ ρ.

Οἷσί τ᾽ εὖ ζώουσι καὶ ἀφνειοὶ καλέονται.

Id eſt :

E quibus & vivunt recte, ditesque vocantur.

Vnde excoquat ſevum.

Plautus in captivi duo, proverbiali dixit hyperbole, Vnde excoquat ſevum ſenex : opes ſignificans copioſiſſimas. Tametſi locus hic non videtur vacare mendo. Ratio trochaici carminis admonet, opimæ legendum, non optimæ. Plautinus verſus hic eſt, ita ut in vulgatis circumfertur codicibus : Quid divitiæ, ſunt ne optimæ ? Vnde excoquat ſevum ſenex. Sevum autem, vel (ut alii) ſebum, eſt pingue pecudum durius : quod Græci στέαρ appellant.

Pecunia, vir.

Χρήματ᾽ ἀνήρ, id eſt, Pecuniæ, vir, hoc eſt, tanti quisque ſit, quantum poſſidet. Horatius :

——— Nil ſatis eſt, inquit, quia tanti quantum habeas, ſis.

Zenodotus ex Pindaro citat. Extat autem in Iſthmiis hymno ſecundo, his quidem verbis :

Νῦν δ᾽ ἐφίητι τὸ ὡργείου φυλάξαι
Ῥῆμα τᾶς ἀλαθείας ἄγχιστα βαῖνον,
Χρήματα, χρήματ᾽ ἀνήρ,
Ὃς φᾶ κτεάνων θ᾽ ἅμα λειφθεὶς καὶ φίλων.

Id eſt :

Nunc ſubit illud Argivi ſervare dictum, ad veritatem proximæ accedens, pecuniæ, pecuniæ vir. Sic ait, poſſeſſionibus ſimul deſtitutus & amicis. Interpres Pindari teſtatur Chryſippum autorem in proverbiis, qui ſcripſerit eſſe Ariſtodemi Spartani. Idem interpres verſum quem paulo ante recenſuimus ex Alcæo, refert hunc in modum : χρήματ᾽ ἀνήρ, πτωχὸς δ᾽ οὐδεὶς πέλετ᾽ ἐσθλὸς, οὐδὲ τίμιος. Meminit apophthegmatis & Laertius in vita Thaletis, addens apud Lacedæmonios eſſe percelebre. Alcæi idem teſtantis hæc verba citantur apud Suidam : ὡς γὰρ δήποτ᾽ Ἀριστόδαμόν φασιν ἐν Σπάρτᾳ οὐκ ἀπάλαμνον λόγον εἰπεῖν, χρήματ᾽ ἀνήρ, πτωχὸς δ᾽ οὐδεὶς πέλετ᾽ ἐσθλός. id eſt : Sic enim olim aiunt Ariſtodamum apud Spartanos verbum non inſcitum dixiſſe, pecuniæ vir, pauper autem nunquã probus. Quidam ad ſeptem illos ſophos referre malunt. Ad hunc ſententiam pertinent illi verſus è comœdia quapiam :

Τ᾽ ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
Ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο, μὴ δ᾽ ἐκτήσατο,
Οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Id eſt :

Argentum & anima & ſanguis eſt mortalibus :
Hoc qui caret, nec ſibi paravit ſedulo,
Vivos hic inter mortuus circumambulat.

Secundus verſus Græcis conſtabit, ſi tollas δέ : aut ſi legas μὴ ἔχει, pro μὴ ἔχει. Tertius conſtabit, ſi pro τεθνηκὼς, legas τεθνεώς. Celebratur & hic ſenarius, non alienus ab hac ſententia :

Βίος βίον δεόμενος οὐκ ἔστι βίος.

Id eſt.

Vita haud vocanda eſt vita victus indiga.

Proinde quemadmodũ apud Græcos βίος, itidem apud Latinos vita,

vita ſignificat,& vitam morti contrariam,& facultates quibus vitam ſuſtinemus.

Magnum os anni.

Μέγα στόμα τοῦ ἐνιαυτοῦ, id eſt, Magnum os anni. Dicebatur, quoties uberior rerum proventus, aut vilior annona animos & loquendi libertatem adderet, alioqui timidioribus. Solent enim ruſtici magnificentius loqui, largiusq; polliceri, ſpe proventus uberioris. Refertur à Suida. Non admodum diſſidet ab illo, Fœnum habet in cornu, item illo, Argenti fontes loquuntur.

Nullius indigens Deus.

Ἀνενδεὴς θεὸς, id eſt, Nullius egens Deus. Admonet paræmia, nullum eſſe mortalium tam abſolutum, in quo non aliquid deſideretur: unum eſſe Deum, undequaque perfectum. Dici poteſt & in divites, aut plurimis præditos naturæ pariter ac fortunæ commoditatibus, tanquam dei cuiuspiam ſimiles: ut quibus omnia ſuppetant, quæcunque videntur ad perfectam felicitatem pertinere.

Attagena novilunium.

Ἀτταγᾶς νουμηνία, id eſt, Attagenæ novilunium. Refertur à Suida, nec explicatur: niſi quod à diverſis locis haud difficile coniectura colligi poteſt, dictum fuiſſe in turbam abiectorum & ſervilium hominum. Siquidem Attagen avis eſt paluſtris, verſicoloribus plumarum maculis diſtincta, unde ſervum hominē ſtigmaticum, & cui tergum ob plagarum vibices, variis punctis eſſet pictuiatum, Attagenam vocabant. Porro ad novam lunam (ſic enim Græci vocant initium menſis, cum Calendas non habeant) & ſervi diſtrahebantur apud Athenienſes, & militum delectus agebatur.

Eupatryphus ex comœdia.

Admodum proverbiali figura dixit Plutarchus in Sympoſiacis: ὥσπερ ὁ πάρυφος ἐν κωμῳδίαις, hominem ſignificans magnifice veſtitum, ac magnam ſervorum turbam poſt ſe trahentem. Nam huiusmodi finguntur in comœdiis milites glorioſi: quorum inſigne eſt chlamys purpurea, quemadmodum indicat Donatus. Ita Lucianus de milite: τὸν δὲ πάρυφον λέγω τὸν ἐγχλαμύδα, id eſt, Euparyphum illum dico, illum clamydatum. Unde divites omnes ſplendide cultos, οἱ πάρυφοι appellant Græci: quod ipſum proverbiale quiddam habet. Nam Paryphis, veſtimenti genus eſt, cuius meminit Iulius Pollux libro 7. Id utrinque purpuram habebat aſſutam: quod virgæ purpureæ intertextæ veſti, Ionū lingua Paryphi vocantur. Idem admonet, οἱ πάρυφοι novæ comœdiæ verbum eſſe. Contra tenues & humiles nullo cultu inſignes, tunicati dicuntur. Cornelius Tacitus in dialogo De oratoribus: Quos ſæpius vulgus imperitū & tunicatus his populus tranſeuntes nomine vocat, & digito demonſtrat. Similiter Horatius:

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

Nam prætexta nobilium erat, & toga civiū erat inſigne. M. Tullius contra Rullum: Iam vero qui metus erat tunicatorum illorum. Item pro M. Cælio. Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibēdum brachium toga conſtitutus, & ut exercitatione ludoque campeſtri tunicati uteremur.

Ad pedes, ad caput.

Non ſine proverbii ſpecie dictum videtur Theocriti in paſtoribus de rebus copioſis & affluentibus.

Αἵ μοι ποτὶ κεφαλῆς καὶ πὰρ ποσὶ κεῖνα πάρεντι.

Id eſt:

Ad caput, atque pedes, quarum me vellera cingunt.

Sermo eſt paſtoris, iactantis opes ſuas, quibus undique affluebat.

Λακκόπλουτοι.

Calliæ barbarus quiſpiam clam indicavit, magnam auri vim in puteum quendam coniectam. Is & occidit indicem, ne proderet, & aureum ſuſtulit. Ubi res innotuit, in comœdiarum iocum verſa eſt, ut qui malis artibus ſubito diteſcerent, λακκόπλουτοι, dicerentur. Refert Plutarchus in vita Ariſtidis. Attigit & Heſychius.

EX APPENDICE. ERASMI.

Divitiæ non ſemper optimis.

Ζεὺς αὐτὸς τάχα ὄλβον ἐπιπλώει θνητοῖσιν
Ἐσθλοῖς ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Id eſt:

Iupiter emetitur opes mortalibus ipſe
Sic viſum ut fuerit, cuicunque bonove malove.

Quoties dicemus opes non cordatis ſemper, ſed pro fortunæ arbitrio, nunc illi, nunc iſti obtingere. Homerus.

Idem ferme a Theognide dictum eſt:

Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.

Idemque illud:

Πολλοὶ πλοῦτον ἔχουσιν ἀΐδρεες, οἱ δὲ τὰ καλὰ
Ζητοῦσι χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ.

Explicatum eſt hoc proverb. ſupra ſub finem Centu. 10. Chiliad. 3.

Arabum Gaza.

Divitiarum amplificationem habent & illa: Arabum Gazæ. Horat. Tantalicæ opes, πλοῦτος Ταντάλειος. quod Tantalus apud Comicos, fingatur, πλέθρων δ' ἀρότης δώδεκ' ἡμερῶν ὁδοῦ, Iugera dierum duodecim ſerere viam. Athen. Sic Perſici apparatus, pro exquiſitiſſimis.

IUNII. *Fructibus, non ſtadiis certare.*

Καρποῖς οὐ σταδίοις ἐρίζειν, Fructibus, haud ſtadiis contendere, adagio dicitur, de loco exilii quidem, ſed frugifero, exiguis quidem ſpaciis circumſcripto, fructuum tamen proventu longe lætiſſimo. Antiphilus epigrammatarius de Chio inſula loquens:

Καρποῖς οὐ σταδίοις ἐρίζομεν.
Fructibus, haud ſtadiis certamen inimus.

Licebit non male transferre ad librum non magna quidem mole, ſed eruditionis omnifariæ plenum, cuiusmodi iudicium de Perſii ſatyris tribuit Martialis eo diſticho:

Sæpius in libro numeratur Perſius uno,
Quam levis in tota Marſus Amazonide.

Quantum vel Midam ſatiaret.

De immenſa pecuniæ vi dictum eſt proverbialiter ab Eunapio Sardiano: λαβὼν χρυσὸν ἐκ τῶν κοινῶν συμφορῶν ὅσον ἱκανὸν ἦν ἐμπλῆσαι καὶ τὸν ἐκ μύθου Μίδαν. id eſt: E publicis calamitatibus tantum auri depeculatus, quantum vel fabuloſum illum Midam expleret. Midas Phryx homo ocioſus & avarus, Satyrum cœperat infuſo in fontem mero (eſt enim genus illud dæmonum potus appetentiſſimum) unde inebriatus laqueos illi tenſos evadere non potuit, & pro redemtionis præmio, votis Midæ ſatisfacere coactus eſt, poſtulantis ut terra, ſegetes, arbores, floresque in aurum abirent omnia, ut fabulatur Maximus Tyrius ſermone triceſimo. Hinc Nazianzenus: ᾧ πλεῖον ἐφρονοῦμεν ἢ τῷ χρυσῷ ποτὲ Μίδας. id eſt: Qua re plus gloriabamur quam auro olim Midas. Porro ſimile ecphraſi utitur Heliodorus Epiſcopus: τοσαύτη ἦν εἰς καὶ λῃστρικὴν χρημάτων πλεονεξίαν. id eſt: Tanta erat rerum omnium vis, ut vel prædonum inſatiabilitatem exaturare poſſet. Prædonum impotens pecuniæ & inexplebilis eſt animus.

Darii opes.

Δαρείου πλοῦτος, id eſt, Darii opes, de immenſis divitiis proverbialiter effertur. Syneſius libro De regno: πλούτου θημῶνας ὑπὲρ τὸν παλαιὸν Δαρεῖον. id eſt: opum cumuli maiores quam Darius ille vetus poſſederit. Huc ſpectat & illa Crateris hyperbole in epiſtolis: πλουσιώτερος τῶν τὰ Καρχηδονίων φρονούντων, id eſt: Ditior iis qui Carthaginenſium rebus ſtudent.

Gygis opes.

Γύγου πλοῦτος, id eſt, Gygis opes, de maximis & inexhauſtis dicuntur. Anacreon lyricus:

Οὔ μοι μέλει γύγου
Τοῦ Σαρδίων ἄνακτος.

Id eſt:

Haud curo Sardiani
Opes potentes Gygi.

Alphæus Mitylenæus

Οὐ στέργω βαθυλήϊους ἀρούρας,
Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον οἷα Γύγης.

Id eſt:

Non quæro multa agrorum latifundia,
Non quas poſſedit Gyges ingentes opes.

Gregorius Theſſalonicenſis citat ex theologo Iambographo hos verſiculos:

Τίνος θέλεις δοθῆναι; ψυχὴν ἐμὴν ἐρωτῶ,
Θέλεις γύγου, ἢ καὶ τί;

Id eſt:

Fero tibi quod optas? Soleo rogare mentem,
Gygiſne vis theſauros?

Conſtat Gygis (qui interfecto Candaule rege precium adulterum Lydiæ regnum fuit adeptus, teſtibus Herodoto, Iuſtino, Cicerone) proventus immenſos opesque verè infinitas habuiſſe è metallis: quod Strabo lib. 14. commemorat, annotans priſcis regibus, ut Tantalo, Pelopidis, Cadmo, Priamo, Midæ, aliisque è metallorum fodinis memorabiles obveniſſe divitias. Gygen autem primum omnium tyrannum appellatum fuiſſe, refert ex Euphorione Clemens.

Agri pedex.

Πυγὴ ἀγροῦ, id eſt, Agri nates: proverbiale eſt de reſtibili agri feracitate: metaphora à carnulentes natibus ſumpta, ſic & οὖθαρ ἀρούρης accipitur, quod Virgilius vertit, Uber glebæ: τὸ τῆς γῆς πιότατον καὶ τροφῆς ἀναδοτικόν. Homerus etiam γαστέρα ἀγροῦ dixit: Varro, ſumen terræ. Nonnulli efferunt adagium de hominibus immodice ruſticanis. Alii dici volunt de ocioſis delicatisque, qui non agro tantum aſſident magno in ocio, ſed ſimpliciter quavis in re delicatius verſantur: ut Euſtath. annotat. Heſychius etiam locupletes homines & latifundiis opulentos, ἀγροῦ πυγὰς dici annotat, velut agris ſuffarcinatos.

Diitrephes doliares habens alas.

Διιτρέφης πυτιναῖα ἔχων πτερά. Diitrephes doliares habens pennas.

nas. Dici videtur poſſe de locuplete homine, quem tamen non pudeat vilibus mercimoniis aut opificio vulgari quod tractavit olim, inſiſtere. Ariſtophanes in Avibus:

Ὡς διειτρέφης γε πυτιναῖα μόνον ἔχων πτερά.

Id eſt:

Ceu Diitrephes victorias tantum pennas habens.

Fuit autem iſte Diitrephes πυτινοπλόκος, hoc eſt, vietor, qui vitilibus dolia compingebat, qui ex ea re ditatus, tribunus evaſit Athenis. Unde ejus menſam alicubi in Heroibus fabula traducit Ariſtoph novum hominem & neoplutum notans, ἀντὶ τῆς διειτρέφους τράπεζας, Diitrephis menſam nominans è tenui lautiorem, ἦτρα autẽ hic dicuntur vitulũ extremitates. Meminit Suidas ex Euph.

JOANNIS VLPII. *Lydia arena.*

Λύδιον ψῆγμα, id eſt, Lydium pſegma, de re precioſa, & auri plena dicitur. Baſilius in homelia ad nepotes: Eſt ψῆγμα arena, ex qua aurum expurgatur, quæ apud Lydos copioſa eſt. Statius:

Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro.

Pythiæ Miſſi talenta.

De theſauro maximo & divitiis ampliſſimis.

COGNATI. *Narciſſi opes.*

Hoc vtimur, quoties ſummam opulentiam ſignificamus, Juvenalis in 14. ſatyr. pro maximis ſeu infinitis poſuit divitiis:

Sed nondum implevi gremium, ſi panditur vltra,
Nec Crœſi fortuna vnquam, nec Perſica regna
Sufficient animo; nec divitiæ Narciſſi,
Indulſit Cæſar cui Claudius omnia, cujus
Paruit imperiis, vxorem occidere juſſus.

Cujus Plinius lib. 33 eo capite, quo de immodica pecunia, & quorum maximæ opes fuerint, ſcribit, poſtquam de Crœſo Craſſoque non pauca retulit tres Claudii libertos, quorum in numero Narciſſus fuit, Crœſo etiam opulentiores fuiſſe docuerit, his verbis: Nec fuit ſatis, niſi totum Parthorum eſuriſſet aurum. Atq; vt nomen quidem optimi (de Craſſo loquitur) occupaverit (juvat enim inſectari inexplebilẽ iſtam habendi cupidinem) multos poſtea cognovimus ſervitute liberatos opulentiores, pariterque tres Claudio principatu Pallantem, Calliſtum, & Narciſſum.

Lydia harena.

Λύδιον ψῆγμα, ſpeciem habet proverbii, quemadmodum illa: Lydius currus, Lydius lapis. Apparet autem id de re non vili aut contemnenda dici, cum & multum auri in Lydia provenire receptum ſit, vt eſt apud Lucianum in dialogo, qui inſcribitur Contemplantes. Hoc vſus eſt Baſilius ad nepotes: Et ex Lydia harena ſe aurum.

Χρυσόμαλλον δέρος: Vellus aureum.

Vellus aureum proverbialiter dicitur de iis, qui ex rebus admodum parvi precii precioſiſſima quæque eliciunt: vel de his, qui artem parandæ pecuniæ habent, vt Romæ, Genuæ, Venetiis, alibique permulti: ab eo videlicet deductum, quod ex argento vivo, quod Græci ὑδράργυρος, Chemicis Mercurius dicitur, conflari aurum exiſtimatur. Pellis ſcilicet aurea dicitur contractatione Mercurii pellem arietis factam eſſe auream. Aurea autem pellis methodus eſt chemiæ, id eſt, chryſopœiæ: vel chryſopraxiæ, id eſt, auri conficiendi: vel chryſographiæ, id eſt, auri deſcribendi, quæ membranæ continetur, propter quam, vti plurimi faciendam, Argonautas ad Colchos navigaſſe traditum eſt. Suidas: Vellus ipſum liber erat in pellibus deſcriptus, continens artem, quo videlicet pacto per χυμείαν aurum conficiatur, & perinde convenienter aureum dicitur vellus, quod ejus auri cõfectio per ipſum fiat, χυμεία inquit, argenti & auri apparatus eſt: cujus artis libros cum Diocletianus Cæſari inquiſiviſſet, combuſſit: ea ſcilicet ratione, quod ii cauſa eſſent, vt Ægyptii quotidie nova aliqua in ipſum Diocletianum molirentur, qua re immitius & crudelius contra eos vſus eſt. Propter quod omnes chemiæ argenti & auri libros ab antiquis ſcriptos perſcrutatus incendi juſſit, ne ab Ægyptiis deinceps ex hujuſmodi arte opes compararẽtur, neve pecuniarũ copia audaciores facti, in poſterum cõtra Romanos rebellarent. Sanè hæc ars hac ratione nunc vulgò abdita, verum inter paucos propagata per reges quoque ſerpit. Arabes alchimiam vocant, ex Arabo videlicet articulo al, apud eos maſculini & fœminini generis, & chimia Græca dictione. Corrupte archimia, quaſi ars chimia dicta.

Pythiæ Miſſi talenta.

Proverbii ſpeciem habere videtur, & illi confine eſſe, Tantali talenta, Crœſi opes. Dicitur enim vtrunque de immenſis opibus. Divus Baſilius ad nepotes cap. 15. τὰ πεδία ὑμῶν, & cætera. At nobis niſi Pythiæ Miſſi talenta, &c. Porrò meminit Cicero cujuſdam alterius Pythii Syracuſani, libro 3. Officiorum.

Pecunia nervus.

Hoc quoq; deductum eſt in communem ſermonem de re ſupra modum neceſſaria. Cicero Philip 5. infinitam pecuniã nervos belli appellat. Et contra Rullum: in ſenatu, ſubſidia belli & ornamenta pacis. In Verr. 5. ait, vectigalia eſſe nervos reip. Heſiodus & Ariſtoteles, pecuniam velut alteram hominis animam eſſe ſcribũt, Ad hanc ſententiam pertinet hic verſus è comœdia quapiam:

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Id eſt:

Argentum & anima & ſanguis eſt mortalibus.

Olympiodorus, νεῦρα ἀποδείξεως, nervos demonſtrationis metaphorice, pro ſolido robore & viribus dixit: quomodo Demoſthenes νεῦρα πολέμου τὰ χρήματα: in Olynth. 1. Pecuniis, inquit, opus eſt: cum ſine his eorum non licet quicquam fieri; quæ facienda ſunt. Ariſtophanes in Pluto: πάντα δ' ἐστὶ χρήμασιν ὑπήκοα διὰ τὸ πλουτεῖν, id eſt: Omnia fiunt propter pecuniam. Ita Georgius Piſides jambographus: βλέπων μάλιστα καὶ τὰ νεῦρα τῆς μάχης τὰ χρήματα πρὸς τοὺς βαρβάρους. Quum cerneret potiſſime pecunias, belli nervos, ad barbaros dilabier. Dion Nicenus in Veſpaſiano: νεῦρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτε ἀπεφαίνετο, id eſt: Pecunias nervos eſſe imperii ſemper dixerunt. Hinc rem ſine nervis dicimus, quam debilem & imbecillam ſignificare volumus. Horat.

—Sine nervis altera quicquid
—Compoſui pars eſſe putat,———

Hinc apud M. Varronem: Ariſtarchei ſuos contendunt nervos, pro eo quod eſt, vires omnes intendunt. Nervis autem vis roburque corporis continetur. Quo genere elocutionis Cicero & Terentius vſi ſunt.

Arcam habet.

Arcam olim habere, proverbialiter dicebatur, & hodie vulgò dicitur, qui benè nummatus erat: cui verò nihil nummorum eſt, is arcam non habere dicitur. Sed multò ille pecunioſior, cui arcæ plures: vt Cicero Pæto ſcribens, numero multitudinis loquutus eſt: Nos jam, inquit, ex arcis tantum habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua munditia homines? qua elegantia? vocare ſæpius audeamus. Sunt qui pro arcis, areis legendum eſſe putant: pro è frugibus, & meſſibus noſtris, vt apud Varronem: Ruta largitur ad aream. Verum idem Cicero quodam loco: Confido arcæ noſtræ. Catullus de paupere:

Cui neque ſervulus neque arca.

Pulytionis domus.

In dialogo Eryxias inſcripto, vel, de divitiis: Si quis Pulytionis domum poſſideat. Ibidem: Apud Scythas, qui Nomades dicuntur, ſi quis Pulytionis habeat domum, nihilo ditior eſſe videatur, quam ſi apud nos Lycabettum poſſideat.

COELII RHODIGINI. *Sulcus Ægypti Lybiæ arenas non curat.*

De loco non lato quidem, ſed fœcundo inſigniter & fructuoſo. Ægyptus magnitudine multum cedit vtrique Lybiæ, ſed ita, vt hujus vaſtitas inculta ne illius quidem portiunculam aſſequatur. Unde & illa dicta eſt, Publicum orbis horreum.

Tantali divitias aſſequutus.

Plato: Tantali divitias aſſequi.

DIVITUM PRÆROGATIVA.

ERASMI. *Felicibus ſunt & trimeſtres liberi.*

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Id eſt:

Felicibus ſunt & trimeſtres liberi.

Senarius proverbialis in principum ac divitum felicitatem, quibus per adulationem omnia laudi vertuntur, quiq; ſibi nihil non licere putant: adeò vt quod in homine plebeio perinde vt ſummum ſcelus damnatur, in illis virtutis titulo celebretur. Unde nata ſit parœmia, Suetonius Tranquillus declarat, Claudii Cæſaris vitam his verbis exordiens: Patrem Claudii Cæſaris Druſum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Livia cum Auguſto gravida nupſiſſet, intra menſem tertium peperit: fuitque ſuſpicio ex vitrico per adulterii conſuetudinem procreatum. Statim certè vulgatus eſt verſus:

Τοῖς εὐτυχοῦσι καὶ τρίμηνα παιδία.

Id eſt:

Potentibus ſunt menſium & partus trium.

Nam menſe ſeptimo, decimo, & vndecimo, legitimi ſunt partus: quarto & octavo, neque vitales ferè, & perquam rari: menſe tertio, nulli partus editi leguntur. Autor Plinius lib. 7. cap. 5.

Multitudo imperatorum Cariam perdidit,

Πολλοὶ στρατηγοὶ Καρίαν ἀπώλεσαν.

Id eſt:

Multi duces deperdidere Cariam.

Admonet ſenarius, nihil eſſe pernicioſius licentia multitudinis, dum nulli paretur, ſed pro ſua quiſque libidine rem gerit. Hanc Græci vocant ἀναρχίαν, malum penè tyrannide pejus, qua nihil poteſt eſſe pejus. Par autem malum eſt πολυαρχία, cum eo quod dicitur ἀναρχία. Idem docet Homericum illud Iliados lib. 2. quod ipſum in proverbium abiit.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Id eſt:

Multis imperitare malum eſt: rex vnicus eſto.

Nam his verbis Ulyſſes milites tumultuantes cōpeſcit. Eum Homeri verſiculum vſurpat Dion, quum videret Heraclidem moliri factionem. Autor Æmilius Probus. Natum adagium à Caribus quondam florentiſſimis, poſtea per civiles ſeditiones eo redactis, vt etiam in vilitatis proverbium abierint: quemadmodum alio docuimus loco.

Citius Telegoræ donarim.

Telegoras apud Naxios prædives quiſpiam ac præpotens erat, cui quod quotidie multa miſſitarentur, vulgato ſermone receptū eſt, vt venditores patvo licitantibus dicerent [illegible] Τελεγόρᾳ δοῦναι: id eſt, Malim Telegoræ dare. Refertur apud Athenæum lib. Dipnoſophiſtarum 8. ex Ariſtotele. Rem longius proſecuti ſumus in proverbio, Nullus malus magnus piſcis. Nec video, quis vſus adagionis eſſe poſſit: niſi ſi dicamus officium rectius gratuito collocari penes probos ac magnos, quam mercede penes improbos ac viles.

Non benè imperat, niſi qui paruerit imperio.

Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρξαι μὴ ἀρχθέντα, id eſt: Fieri non poteſt, vt bene gerat imperium qui non tulerit imperium. Manet hoc adagium hodieque vulgò celebre, neminem rectè dominum agere, qui nō ante miniſtrum geſſerit. Citat autem Ariſtoteles Polit. lib. 3. [illegible], id eſt: Quapropter illud etiam rectè dicitur. Neminem benè imperium gerere, qui non ipſe prius ſub imperio fuerit. Rurſum eodem libro, [illegible], i. e. Eum enim qui benè ſit adminiſtraturus imperium, ajunt imperium ferre prius oportere. Magis proverbialiter extulit Plato. lib. de legibus 6. [illegible], id eſt: Jam illud oportet vnumquenque de mortalibus vniverſis cogitare, qui nō ſervierit, eum haudquaquam dominū fore laude dignum. Plutarchus in ducem imperitum: [illegible], id eſt: Neq; enim lapſi pares ſunt alios erigere, neq; inſcii docere, neq; incompoſiti componere, neq; ordinare inordinati, neq; imperare qui imperium non ſit paſſus. Idem hoc laudis peculiariter tribuit Ageſilao. [illegible]: id eſt. Veniſſe ad imperium, non indoctum parere imperio. Seneca lib. De ira 2. Nemo regere poteſt, niſi qui & regi. Natum adagium à nobiliſſimo Solonis apophthegmate, quod in ejus vita refert Diogenes Laertius [illegible], id eſt: Imperium gere, ſed vbi prius imperium ferre didiceris. Itaque referri poteſt, vel ad eos, qui prius alieno parendo imperio, diſcunt imperium in alios gerere: vel qui prius cupiditatibus imperant ſuis, quam in alios exerceant imperium. Neque enim idoneus eſt vt aliis dominetur, qui ipſe ſervit affectibus: neque rex aliis eſſe poteſt, niſi quem ratio rexerit.

Bonus dux bonum reddit comitem.

Ὁ [illegible]: id eſt, Qui bonum ducem præſtat, is bonum reddit comitem. In principe ſitum eſt, vt ſit benè morata civitas, ſi modo ipſe bonus ſit imperator. In epiſcopo poſitum, vt piam efficiat plebem, ſi tamen ipſe piam & integram agat vitam. Prudens & incorruptus magiſtratus, & probos & integros reddit cives. Bonus paterfamilias domum efficit benè inſtitutam. Doctus ac diligens præceptor eruditum reddit diſcipulum. Frugi maritus vxorem in ſuos trahit mores. Unde quiſquis præfectus eſt negocio, debet in primis operam dare, vt ipſe ſuo fungatur officio, prius quàm ab aliis officium exigat. At nunc videas nonnullos principes, qui legum obſervationem exigant à populo, cum ipſi vivant prorſus [illegible], velut omnibus ſoluti legibus: à magiſtratibus & officiali integritatem requirant, cum ipſi palam vendant, aut ad gratiam mandent officia. Nonnullos videas epiſcopos, qui à grege ſuo religionem & pietatem exigant, cum ipſi procul abſint ab omni pietate. Sumpta eſt metaphora à militia, in qua ferè qualiſcunque fuerit dux, ejuſmodi ſolet eſſe miles. Refertur in Græcorum collectaneis, ſed [illegible]. Extat autem apud Plutarchum, autorem minimè vulgarem, in vita Lycurgi: [illegible], id eſt: Ut populus dicto ſit audiens, hoc diſcit à principe. Nam qui bonum præbet ducem, is facit vt alii benè ſequantur.

Vmbra.

Σκιαὶ, id eſt vmbræ, proverbiali joco dicebātur olim ii, qui venirent ad convivium, non ipſi quidem vocati, ſed omnes eorum qui vocati fuerant, ſicillos ſequentes, velut vmbra corpus vltro ſequitur. Ad hanc paræmiam alluſit Horatius Epiſt. lib. 1. ſcribens ad Torquatum:

> Brutum tibi Septimiumque,
> Et niſi cœna prior, potiorque puella Sabinum
> Detinet: ad ſummam, locus eſt & pluribus vmbris:
> Sed nimis arcta premunt olidæ convivia capræ.

Hoc loco neque Acron proverbii facit mentionem, opinor quod rem vulgò jactatam, ceu notam prætereat. Chriſtophorus Landinus, vir alioqui doctus, vmbras interpretatur loca in ſtere operta vmbris, in quibus commodè diſcumbant convivæ. Præterea capras interpretatur ſcurras mordaces. Poſtremo, Dic quotus eſſe velis, ad hunc exponit modum: Reſcribe, cujus fortunæ homines tibi convivas adhibeam. Nam ſi cupis digniores te, eris poſtremus: ſi inferiores eris primus. Hæc non fueram adſcripturus, niſi conducere oſtendiſſe, in quæ deliramenta virum eruditum adigat nonnunquam vnius proverbialis ignorantia. Senſus autem Horatiani carminis ſic habet: Admonet Torquatum, vt ad cœnam veniat, paucis comitatus, videlicet Bruto, Septimio & Sabino: non quod ſit defuturus in accubitu locus, ſi velit pluteis vmbras ſecum adducere: verum id futurum incommodi, vt alarum odor offendat convivii ſuavitatem, ſi anguſtius ſedeatur. Deinde ſi velit omnino plureis vmbras, id eſt, comites præmoneat ſe de numero, ne non reſpondeat apparatus. Brutum itaq; Septimium & Sabinum vmbras Torquati vocat, ſi veniant, non ipſi quidem invitati, ſed à Torquato, quem vocarat Horatius, ceu comites adducti. Idem alibi:

> ——Cum Servilio Balatrone
> Vibidius, quos Mecœnas adduxerat vmbras.

id eſt, Ultroneos comites.

Plutarchus συμποσιακῶν libro 7. quid ſint vmbræ, narrat his verbis. [illegible], id eſt: Mos autem adducendi comites, quos nunc vmbras appellant, non ipſos quidem vocatos, ſed ab aliis qui vocati fuerant ad convivium adductos, quæſitum eſt vndenam inoleverit. Exiſtimabant natum à Socrate, qui Ariſtodemo perſuaſerit, vt non vocatus, ſecum ad Agathonis convivium accederet. Acciderat enim Ariſtodemo ridiculum quiddā. Siquidem cum inter eundum non ſentiret Socratem à tergo relictum, prior ingreſſus eſt planè velut vmbra corpus præcedens, id nunc à tergo ſequente. Hactenus Plutarchus. Eſt autem hæc de Socrate & Ariſtodemo fabula apud Platonem in dialogo, cui titulus συμπόσιον.

Arbore dejecta quivis ligna colligit.

> Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
> Id eſt:
> Ruente quivis ligna colligit arbore.

Meminit hujus proverbii Theocriti Scholiaſtes: ſed pro [illegible], ſcriptum eſt [illegible], mendoſe, ni fallor. Si quem fortuna præcipitem dederit, in hunc paſſim omnes incurrunt, & quiſque quod poteſt, diripit. Jam enim ſibi putant impunè fore. Exemplum hujus adagionis eſt apud Juvenalem de Sejano.

Viva vox.

Viva vox olim dicebatur, non ſcripta, ſed ab ipſo pronunciantis ore percepta, quaſi vivida atque efficax. Nam viva nonnunquam dicuntur quæ nativa ſunt, non factitia, vt, Vivo de marmore: &, Vivoque ſedilia ſaxo. Ineſt autem rebus nativis neſcio quid gratiæ genuinæ, quod ars nulla queat imitatione conſequi. Porrò ſcriptura vox quæpiam eſt, ſed quaſi factitia, veræq; vocis vtcunque imitatrix. Deeſt actus motuſque, hoc eſt, vita. Siquidem actio, vt autor Fabius, orationis quaſi vita eſt. Rerum inventio, oſſium inſtar eſt: ordo nervos imitatur: elocutio carnem, cutem, coloremque. Memoria ſpiritus vice fungitur: quibus omnibus accedit pronunciatio, velut motus quidam vitalis. Nullum enim certius argumentum vitæ, quam motus. Unde & flumina viva dicuntur, & argentum vivum. Contra mortua quæ torpent, languentq;. Cicero libro Tuſculanarum quæſtion. ſecundo. Licet enim ſatis exemplorum ad imitandum ex lectione ſuppeditet, tamē viva illa, vt dicitur, vox alit plenius præcipueq; præceptoris. Idem ad Atticum lib. 2. Ubi ſunt nunc qui ajunt ζώσης φωνῆς? Quā to magis vidi ex tuis literis quā ex illius ſermone, quid ageretur. Porrò quod Cicero protulit abruptum ac mutilum, hoc quidam ſupplerunt de ſuo, ad hunc modū: [illegible]. Plinius Junior in epiſtola quadam ad Nepotem: Præterea magis, vt vulgò dicitur, viva vox afficit. Nam licet acriora ſint quæ legas, altius tamen in animo ſedent quæ pronunciatio, vultus, habitus, geſtus etiam dicentis adfigit. Seneca epiſtola quinta: Plus tamen tibi & viva vox & convictus quam oratio proderit. Divus Hieronymus in præfatione generali: Habet neſcio quid latentis energiæ viva vox, & in aures diſcipuli de doctoris ore transfuſa, fortius ſonat. Hactenus ille. Unde celebratum illud Æſchynis de Demoſthene: [illegible], id eſt: Quid autem ſi ipſam audiſſetis belluam? Et illud in ſcriptis Demoſthenis, magnam Demoſthenis partem abeſſe.

Annus producit non ager.

Ἔτος φέρει, οὐχὶ ἄρουρα, id eſt, Annus producit ſegetem, non arvum. Hemiſtichium proverbiale, quod refertur à Theophraſt. lib. De plantis 8. [illegible], id eſt: Ad incrementum alimentumque pluſimum quidem cœli temperies, & in totum

anni

ſoli conditio juvat. Etenim ſi imbres, ſerenitates, & hyemes accidant opportunæ, cuncta felicius atq; vberius proveniunt, etiam in ſalſuginoſis, ac parum pinguibus agris. Unde non ab re eſt, quod proverbio dicunt, Annum producere fructum, non autem arvum. Veruntamen non parvi refert, quæ ſit regionum ratio. Hic illud obiter admonendum duxi, in impreſſis exemplaribus legi, ἀκαλῶς id eſt, non rectè: atque hoc ipſum, vt mea quidem eſt opinio, ἢ καλῶς, partim quod Theodorus Gaza verterit hoc loco non perperam: partim quod non perinde quadret ad Theophraſti ſententiam. Nam is fatetur verum eſſe, plurimum habere momenti, cœli conditionem: id quod etiam proverbio teſtatum ſit, quo non ſine cauſa, tota proventus ratio tribuitur aeri: tamen nonnihil etiam diſcriminis ſitum eſſe in ipſo ſoli ingenio. Proinde legendam ſuſpicor pro οὐκ ἀλῶς, οὐκ ἄλλως, id eſt, nō temere. Quāquam equidem video & illud, ἢ καλῶς vtcunque poſſe defendi. Ni mirum vt Theophraſtus improbet vulgare dictum; quod cœlo momentum omne tribuit: cum & à ſoli ratione magna pars pendeat. Mihi tamen ſuperior lectio magis arridet: atque huic meæ ſententiæ doctos calculum ſuum addituros exiſtimo. Repetit idē adagium libr. De cauſis plantarum 3. rationem reddens, cur in frigidis pariter & calidis regionibus triticum proveniat: haud negans agri naturam nonnihil conferre ad fertilitatem, ſed multo maximum momentum habere aerem circumfuſum, & cujuſmodi cœli ventorumque temperies contingat, tum ad quos flatus oppoſitus ſit ager. Meminit & Plutarchus in Sympoſiacis, decade ſeptima, problemate ſecundo. Porrò ſi libebit vſum proverbii dilatare, non intempeſtiviter accommodabitur in hanc ſententiam, ſi quis dicat, ad virtutem educationem longè plus adferre momenti quam genus, ac planè perparvi referre, quibus majoribus ſis natus, ſed multò maximè, quibus rationibus educatus, quibusq; moribus ſis inſtitutus. Nam cœlum velut educat, quod progignit terra. Ad hoc adagii videtur alluſiſſe Euripides in Hecuba, quam ita loquentem facit:

Οὐκοῦν δεινόν, εἰ γῆ μὲν κακὴ
Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν εὖ στάχυν φέρει.
Χρηστὴ δ' ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν,
Κακὸν δίδωσι καρπόν, ἀνθρώποις δ' ἀεί,
Ὁ μὲν πονηρός, οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός.
Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλός, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
Φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.
Ἆρ' οἱ τεκόντες διαφέρουσιν, ἢ τροφαί;
Ἔχει γέ τοι τι καὶ τὸ τρεφθῆναι καλῶς
Δίδαξιν ἐσθλοῦ.

Id eſt:

Non novum ergo, ſi mala
Favente cœlo, terra fert ſegetem bonam:
Bona deſtituta quibus opus fuerat, malum
Fructum ædit. At mortalium quisquis malus,
Nil poſſit aliud eſſe quam ſemper malus,
Frugi vſque frugi. Sors nec ingenium viri
Adverſa vitiat, ſed probus ſemper manet.
Utrum id parentum, ad educantium magis?
Rectè educari, ſcilicet nonnullam habet
Doctrinam honeſti.

Videtur Hecuba pluſculum tribuere geniture quam Inſtitutioni, miraturque proinde non idem evenire in mortalium moribus, quod in proventu ſegetum accidat. Porrò quanto plus valeat inſtitutio quam genus Lycurgus eleganter oſtendit, prolatis apud multitudinem duobus canibus: quorum alter ingeneroſa matre natus, propter inſtitutionem graviter feram eſt inſecutus: alter generoſis ortus parentibus, quod inſtitutus non eſſet turpiter relicta fera ad odorem panis ac cibi reſtitit.

Aliis lingua, aliis dentes.

Ἄλλοισι γλῶττα, ἄλλοισι γόμφιοι.

Id eſt:

His lingua, at illis ſunt molares invicem.

De loquacibus & edacibus dici conſuevit. Quemadmodum non raro fit in conviviis, vt aliis garrientibus, & fabulis potius quam cibis intentis, alii interim taciti, ſtrenuè quod oppoſitum eſt, devorent. Venuſtius erit ſi longiuſcule detorqueatur: veluti ſi quis minetur ſe facto nociturum ei, qui verbis duntaxat læſerit. Poetis eſt lingua, qua invehantur: at principibus ſunt molares, quibus eos conficiant.

IVNII. *Larus fortuna ſuperior eſt.*

Ὁ λάρος τῆς τύχης ὑπερέχει: id eſt, Fortunis ſuperat Larus. Proverbium eſt de divitibus, qui plura poſſident, quam neceſſitas requirat. Citatur apud Suidam. κέπφος & κέπυξ avis eſt, quam Larum nominant Latini, inſigniter vorax.

Ventis & mare & ignis ſerviunt.

Ἀνέμοις θάλασσα καὶ πῦρ δουλεύει: id eſt, Ventis mare ignisque ſerviunt. E Menecratis Democritique fontibus hauſtum adagiū, quo indicare illi voluerunt, ita comparatum eſſe divinitus naturæ lege, vt mare, quamvis imperium in naves nautaſque obtineat, ignis in ſubjectam materiam, ventis tamen obſecundare cogantur. quam ſententiam pluribus verſib. expreſſit in Alexipharmacis Nicander:

—Θάλασσαν
Ἥν τε καὶ ἀτμεύειν αἰ ἱμείρει πόρεν ἐννοσίγαιος
Σὺν πνοιῇ, καὶ γὰρ τε σὺν τε πνοιαῖς συνολκίμοι, τοῖς ἐχθόδοπο
Πῦρ μὲν ἀείζωον καὶ ἀχμαῖς τε ἴτησι ὕδωρ
Ἀγγέλους, &c.

Id eſt:

Inſervire dedit ventis maris arbiter, æquor
Atque ignem: hic etenim flatu ſtridente domatur.
Nam vivax Euros ignis timet, & mare vaſtum.

Locus erit adagio, vbi ſignificare volumus, magnates aut ſatrapas: tametſi jus & imperium pro ſuo arbitratu in minores exerceant, à potentiorum tamen dynaſtarum nutu pendere, illiſque obtemperare & obſequium debere: aut ſi leges humanas, quarum magna ſit authoritas, divinis cedere.

BRASSICANI. *Quantum vbique poſſunt duo oboli?*

Bacchus apud Ariſtophanem in Ranis, poſtquam accepiſſet ab Hercule duos obolos Charonti pro tranſmiſſione paludis perſolvendos eſſe, ſubjicit. ὡς μέγα δύνασθον πανταχοῦ τὼ δύ' ὀβολώ; Quantum vbique poſſunt duo oboli? proverbiali nimirum dicto ſignificans, pecuniam in omni re plurimum poſſe: quæ niſi eſſet, non committerentur etiam tot diverſi generis flagitia: ita quod rectiſſime dixerit Antiphanes:

Ὁ πλοῦτος ἡμῶν καθάπερ ἰατρὸς κακὸς
Τυφλοὺς βλέποντας παραλαβὼν πάντας ποιεῖ.

id eſt: Divitiæ tanquam malus medicus quos acceperint videntes, excæcare conſueverunt.

COGNATI. *Teipſum continens impera.*

Ad hoc alluſiſſe videtur Cicero ad Qu. fratrem epiſt. 1. Quam, inquit, minimi negocii eſt, continere eos quibus præſis, ſi te ipſe contineas, & Officiorum lib. 2. Nulla autem reconciliare facilius benevolentiam multitudinis poſſunt hi, qui reipublicæ præſunt, quam abſtinentia & continentia. Domini enim, niſi cupiditatibus imperent, ne ſervis quidem ſuis imperare poſſunt, Vide Eraſm. adag. Nemo benè imperat. Nec admodum diſſimile eſt hoc: Vis loqui, diſce tacere prius.

In auro nomina incidere.

Gallis admodum ſolenne & vſitatum, in eos qui è cumulo divitiarum nobilitatem oriri ſperant, & poſteris ſua nomina divitiis cumulandis commendare ſtudent. Quod enim inciſum eſt & ſculptum, id eſt, ἐπικεχαραγμένον, videtur eſſe perpetuum. Tales quoque dicuntur ſuæ gentis imagines cōdere, & poſteris ſuis illuſtratione nominis prælucere. Græcis dicti ἀρχηγοὶ τῶν ἰδίων τιμημάτων. Budæus lib. 3. De contemptu rerum fortuitarum: Ita ſit, vt ii qui imagines ſuæ gentis condere omnibus (vt dicitur) vngulis adnituntur, in auroque & argento nomina ſua incidere, ne opinione quidem tenus felices eſſe queant, ſi rem ad verum exacteque exquirimus.

Iuli inſtar greſſiles.

Dion Chryſoſtomus, celebratiſſimus Græcis philoſophus & orator, in Diogene ſive de famulitio, divites oneroſa famulorum turba ſtipatos, Julis, & piloſis vermibus arcuatim progredientibus aſſimilat: qui etſi pedum agmen infinitum moveant, reptilium tamen ſunt facilè tardiſſimi. Sic enim ait: ἴσα τῷ πράγματι ὅμοιοι τοῖς ἰούλοις, οἳ μυρίους πόδας ἔχοντες βραδύτατοί εἰσι τῶν ἑρπετῶν. Non abſimili ratione Paridis triremes, quibus Helenam petebat, ob remorum ordinem multijugum, ἰουλόπεζος, quaſi Juli inſtar greſſiles appellat.

Ῥεῖα ζώοντες.

In hominum Græcorum ore iſtud loquendi genus eſt frequentiſſimum, de facilè viventibus, præcipuè diis, quibus nihil deeſt. Sic & divites, quibus facilè nulloque negocio omnia ad vitam degendam ſuppeditant, facilè agitare dicuntur ab elegantiſſimo & Latiniſſimo Comico: Quam vos facillimè agitis. Eodem modo & belliſſime eſt dictum, locutione honeſta & antiqua, apud Porciū in vita Terentii: Tres per idem tempus qui agitabant facillimè. Sed & nos ante attigimus, Rectè vivere: pro lautè vivere, & opipare: quod Seneca vſurpavit. Inquit enim: Hanc petunt omnes iſti, qui (vt ita dicam) rectè vivunt. Apud eundem rectus apparatus, eſt lautus: Non, inquit, magnam rem facias, quod vivere ſine recto apparatu potes. Sed & vnctum rectè, Horatius eadem notione, pro apparate condito cibo dixit:

Si verò eſt, inquit, vnctum rectè qui ponere poſſit.

Cœna etiam recta in Latinis authoribus, cœna eſt lauta opiparaq; vnde & rectè convivari. Tranquil. Sed & convivabatur aſſiduè, nec vnquam niſi rectè & dapſile. Nunc hæc repetimus, vt pleraque, & velut pridianos cibos reponimus.

Vitula trima.

Vitula trima proverbialiter apud Eſaiam capit. 15. vocatur, propter pubertatem paſcuorum, & alia accommoda quibus ea terra abundabat: ſicut trima vitula fœcunda eſt, at abundans lactis. Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus vſque ad Segor. Vitulæ triennis ſive trimæ: ſunt qui legunt, conſternantem. Poſſumus,

inquit Hieronymus, vitulam conſternantem pro perfecta ætate accipere. Sicut enim triceſimus annus in hominibus, ita in pecudibus ac jumentis tertius robuſtiſſimus eſt. Alii verò conternantem, legunt: id eſt, trimam. Hinc more Hebræo Moabitæ dicti ſunt vitulæ triennes, magnates, & potentes, fortuna lautiore, & vita laſciviore: quod cum ſecundæ ipſorũ res eſſent, abuſi ſunt iis ad impietatem & arrogantiam. Quemadmodum ii quibus res feliciter ſuccedunt, dicuntur capræ molliter ſtantes, juxta vulgatum dictum: Cum capra molliter ſtat, ſolet pedib. pavimenta verrere, hoc eſt: Qui felicem rerum ſuarum ſucceſſum hic habent ſolent ſua felicitate abuti. Sic in Oſea 4. Ephraim dicitur vitulus laſciviens, ac declinans.

Pecunioſus, etiam nocens non damnatur.

Cicer. in 2. actione in Verrem. dixit, ſermone omnium percrebuiſſe, nõ apud Romanos tantum, ſed etiam apud exteras nationes, pecunioſum, quamvis ſit nocens, neminem damnari poſſe. Plus enim pecunia exorat ab avaro prætore, quam quævis oratio. Idem 1. De invent. In fortuna quæritur, ſervus ſit, an liber, pecunioſus, an tenuis. Anacharſis cum audiviſſet, Solonem legibus ſcribendis apud Athenienſes incumbere, impenſe ejus operã irriſit, aſſerens, leges illas aranearum telis ſimiles eſſe futuras, in quibus minores muſcæ hærerent & comprehenderentur, majores & valentiores perrumperent. Ita leges, humiles ac tenues cõſtringunt, à pecunioſis & potentibus impunè violantur. Meminit Valerius, Max. & Franciſ. Patricius lib. 1. de inſtitutione reipub.

Si quid habes, viges: ſin nihil, jaces.

Alibi: Quum patres hoc primum filiis mandent ſuis, vt, quum primum ad eam ætatem pervenerint, qua ſibi intelligere videantur, jam cum circumſpiciant, vnde divites fieri poſſint: propterea quod ſi quid habes, viges: ſin nihil, jaces.

Deus nullis indiget.

Ariſtoteles magnorum moralium lib. 2. cap. 15. Jactato ſermone Deus omnia bona continens, nullis indiget, eſtque ſibi ſatis.

Manibus habere.

Ἐν ταῖν χεροῖν ἔχειν, De re quæ in noſtram poteſtatem venit. Ariſtid. Iſthm. Reſpondent Latinæ phraſes, Mancipio dare, accipere, mancipare, Plaut. Trinummo: & in manu eſſe, Terent. Hecyra: Uxor quid faciat, in manu non eſt mea.

Flagellare opes.

Flagellare opes & annonam illi dicuntur, qui opes magnas arcis clauſas tenent & horreis fruges, quod invitas velut verberibus & carceribus coercitas erumpere foras non ſinant. Martial. lib. 2. epigr. 30.

Et cujus laxas arca flagellat opes.

Quod autem flagellare opes dixit, Papinianus, ſtrangulare dixit. Tales Dardanarii vocantur, quaſi veneficio in horrea ſua fruges contrudant, quo carius poſtea pro ſua libidine vendant: dicti à Dardano, inſigni mago: à quo Dardaniæ artes, pro magicis apud poetam: & Columell. lib. 10. Plin. lib. 30. cap. 1. Euſeb. Δαγγελ. ... 5. Horum fit mentio, & ſimul pœna in eos conſtituitur in c. Dardanios, de pœnis, & in c. annonam, de extraordin. crim. Vide ante, Dardaniæ artes.

COELII RHODIGINI. *Solis menſa.*

De divitiis cujuſdam liberalis domo, omnibus expoſita. In Æthiopia pratum quoddam omnium quadrupedum carne refertum erat. Quod etſi dolo magiſtratus accidebat, indigenæ tamen exiſtimantes eam divinitus copiam ſuppeditari, Solis menſam appellarunt.

DIVTVRNVM.

ERASMI. *Et nati natorum.*

Παῖδες παίδων, id eſt, Nati natorum. Proverbialis figura, qua longam rei cujuſpiam propagationem ſignificamus. Eam adagii vice fuiſſe vſurpatam, ſatis indicat Plato cum aliis aliquot locis. tũ libro de legibus 3. καὶ παίδων παῖδας, ὃ λέγομεν, id eſt: Filios filiorum, vt dicimus. Sumptum è carmine illo Homerico, quod eſt Illiados υ. ſub perſona Neptuni de Ænea ad Junonem:

Καὶ παίδων παῖδες, καί τοι μετόπισθε γένωνται.

Quod Vergilius ita reddidit:

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Alluſit ad Homericam figuram Ariſtophanes in Avibus:

Δώσομεν αὐτοῖς, παισί, παίδων παισίν.

Id eſt:

Dabimus nobis ipſis, natis, ac natorum natis.

In Nebulis eandem figuram per jocum torſit ad vſuras, alias ab aliis naſcentes:

Αὐτοῖσι καὶ τἀρχαῖα καὶ τόκοισι τόκων.

Id eſt:

Ipſi atque ſortes, fœnorumque fœnora,

Nimirum alludens ad illud quod alibi retulimus:

Ἐπὶ τόκῳ τόκος, τόκος δ' ἐπὶ ἄλλῳ.

Vltra Hyperboreos.

Quod longiſſimè exigendum, & vlterius quam hominibus conceſſerit natura, procurandum oſtendere volumus, id Græci ἄχρις ὑπερβορέων ἀποπέμπειν, id eſt, ad Hyperboreos vſque ablegare dicunt. Extat in Epigr.

Νοῦσον τὴν στυγερὴν αὐθημερὸν ἐκ βασιλῆος
Ἐξελάσαι πέμψαι ἄχρις ὑπερβορέων.

Id eſt:

Pellere luce vna regali ab corpore morbum
Luctificum, vt ſupra cedat Hyperboreos.

Conſimile eſt huic quod Nazianzenus ad Nemeſium dixit, ἐκ ... ἔρριψα Γαδείρων: id eſt, Ultra Gades ea abjeci, hoc eſt, quam longiſſime. De Hyperboreis populis, qui ſint, & vbi terrarum poſiti, varia apud authores contentio eſt. Nove dixit Æſchylus τύχην ὑπερβόρεον fortunam ingentem, aut ſecundam, in Agamemnone:

Μεγάλως δὲ τύχην καὶ ὑπερβόρεον μείζονα φωνεῖς.

Id eſt:

Inſigni fortuna & Hyperborea majora loqueris.

Commentaria exponunt τὴν ἄγαν πνέουσαν, velut inſigniter & magis quam Boreas afflantem.

COGNATI. *Priuſquam ignitus lapis enataret.*

Πρὶν ἢ τὸν μύδρον ἀναφλῦναι, Priuſquam globus ignitus exiſtat. Quando aliquid nunquam futurum ſignificabimus, adagium conveniet: veluti ſi ſempiternam accepti beneficii memoriam pollicentes, nunquam illius oblivionem nobis obrepturam dicamus, πρὶν ἢ τὸν μύδρον ἀναφλῦναι: aut juxta Callimachum, μέχρις Φωκαίων ἐν ἁλὶ μένῃ μύδρος, Donec Phocenſium ignitus lapis in mari manſerit, beneficii perpetuò memores fore. Natum à Phocenſibus diris execrationibus deſertores ſuæ claſſis proſecuti, lapidem ignitum in altum mare projecerunt, adhibitoque juramento voverunt, nunquam in Phocida reverti, antequam è mari exiſteret ille lapis. Refertur his verbis ab Herodoto in Clio: καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν, καὶ ὤμοσαν μὴ πρὶν ἐς Φώκαιαν ἥξειν πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφανῆναι.

Φωκαίων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.

Id eſt:

In pelago dum ſaxum ingens Phoceaſe manebit.

Uſus eſt apposite Ariſtides in oratione in Romam panegyrica, vbi in fine ita precatur deos: διδόντων τὴν ἀρχὴν τήνδε καὶ τὴν πόλιν τήνδε θάλλειν δι' αἰῶνος, καὶ μὴ παύσασθαι πρὶν ἂν μύδροι ὑπὲρ θαλάσσης φανῶσι: Dent imperium hoc & hanc vrbem florere ſempiternum in ævum, neque prius deſinere, quam igniti lapides in maris æquore ſupernatent. Sophoclis interpres annotat morem fuiſſe, vt juraturi ignitos lapides (quos μύδρους vocant) tollerent, & fœdera tantiſper durare votis expoſcerent, dum illi rurſus apparerent: ſimulque cum dictis ſolere eos in altum pelagus proiicere, innuentes perpetuitatem pactorum. Huc ſpectavit Sophocles in Antigone:

Ἦμεν δ' ἑτοῖμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν
Καὶ πῦρ διέρπειν καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν.

Id eſt:

Globos parati tollere igneos manu,
Reptare per pyram, ejurare cœlites.

Hunc ritum attigit & Plutarchus in Ariſtide: ὁ δ' Ἀριστείδης ὥρκισε μὲν τοὺς Ἕλληνας καὶ ὤμοσεν ὑπὲρ τῶν Ἀθηναίων μύδρους ἐμβαλὼν ἐπὶ ταῖς ἀραῖς εἰς τὴν θάλατταν, id eſt: Sacramento adegit Græcos in Athenienſium verba jurare, votiſque nuncupatis ignitos lapides in mare porrexit. Alluſiſſe videtur huc Macedonius in Epigrammate:

Ὤμοσα τὴν δυσέρωτα κόρην, τρισὶν ὅμοσα πέτραις
Μήποτε μειλιχίοις ὄμμασιν εἰσιδέειν.

Id eſt:

Virginis ora feræ juravi triplice ſaxo
Me placidis nunquam velle tueri oculis.

Suidas in dictione λίθος, ritum jurandi ad lapidẽ apud Athenienſes receptum, authoritate Philochori & Ariſtotelis, comprobat, citatque locum Demoſthenis ex oratione adverſus Cononem: πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκοῦντες, qui aliter legitur in vulgatis libris: qui habent βωμόν, id eſt, aram; non λίθον, i. lapidem.

Cumæi anni.

Cumæi anni pro infinitis, vt Neſtoris ætas in proverbii locum abiit. Ovidius enim Cumæos annos pro infinitis fœminæ, Pylios viro eodem animo optavit. Ovid lib. 2. de Ponto:

Sic pater in Pyleos, Cumæos mater in annos
Vivant, & poſſis filius eſſe diu.

Propertius Tithonum vt Neſtorem poſuit:

At me ab amore tuo deducet nulla ſenectus,
Sive ego Thitonus, ſeu tibi Neſtor ero.

Quæ conſecravit ſapientia, perire non poſſunt.

Idem de brevitate vitæ capite 15. Quæ conſecravit ſapientia perire non poſſunt, nulla abolebit ætas, nulla diminuet. Vulgò celebre. Euric. Cordus lib. 1. Epigram.

Omnia rodit edax, vel ſint adamantina, tempus;
Sola vetat dignum laude Thalia mori.

Bene

Benè fert ætatem.

Inter Ciceronis jocos Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 3. hunc refert: Convivator appoſuerat novum vinum, quod pervetus & quadraginta annorum eſſe mentiebatur: Cicero cum guſtaſſet, ac durum & immite ſenſiſſet, benè ferre ætatẽ dixit: quod nondũ maturuiſſet, neque vetuſtatem ſentiret, quæ lenitatem vino adfert. Homines autem, quos longa non lædit frangitque ætas, quique quam videntur ſeniores ſunt, benè dicũtur ætatem ferre: unde metaphora ducta. Similiter dicitur ferre annos & vetuſtatem, ſive perferre, & valet, vetuſtate non exoleſcere. Quintil. lib. 2. cap. 4. Quare mihi ne maturitas quidem feſtinet, nec muſta in lacu ſtatim auſtera ſint: ſic & annos ferent, & vetuſtate proficient, id eſt, meliora fient. Idem libro decimo capite primo, Paucos enim, vel potius vix ullum ex iis qui vetuſtatem pertulerunt, exiſtimo poſſe reperiri, qui judicium adhibentibus non allaturus ſit utilitatis aliquid. Sumpta à vinis metaphora, quæ non fugiunt. Vina enim propriè ferre annos & vetuſtatem dicuntur, tamen ad alia transferuntur.

Clavo trabali figere.

Sunt autem clavi trabales, quibus trabes configuntur, quos neceſſe eſt magnitudine præſtare. Unde proverbium, Clavo trabali figere. Cicero Verrina de ſuppliciis: Ut hoc beneficium (quemadmodum dicitur) clavo trabali figeret, id eſt, confirmaret, & conſtabiliret. Neceſſitate autem nihil eſſe potentius, cum alii multi, tum Euripides ait in Helena, his verbis:

Ἀνάγκη γάρ ἐστι τἀμά, σοφῶν δ' ἔχω,
Δεινῆς δ' ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύει πλέον.

Horatius libro 1. carminum, ode 35. clavos quoque trabales perelegantia fictione & conceptione tribuit neceſſitati, quibus omnia figat firmetque & retineat, dicitque quod ipſa fortuna antecedit: fortunæ dominatum & potentiam conſtituens. quod quicquid ei collibuerit, nulla vis tanta ſit, ut impedire poſſit:

Te ſemper anteit ſæva neceſſitas,
Clavus trabaleis, & cuneos manu
Geſtans ahena: nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumque plumbum.

DOCILITAS.

ERASMI. *Aperta muſarum janua.*

Ἀνεῳγμέναι Μουσῶν θύραι: id eſt, Apertæ muſarum januæ. Hoc adagio conveniet uti, quoties aliquem facili, promptoque ingenio ſignificamus, & in percipiendis optimis diſciplinis celerem, quaſi Muſis faventibus, & haud gravatim ſuppeditantibus. E diverſo, qui tardiores ſunt, Clauſis muſarum januis diſcere dici poterunt. Aut ſi quando dicemus, non oportere celare doctrinam muſarum munus, ſed candide, citraque invidiam impertire, tanquam lumen de lumine ſuppeditantes. Refertur à Zenodoto.

Bos alienus ſubinde foras proſpectat.

Βοῦς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἔξω βλέπει: id eſt, Bos alienus ſubinde foras proſpectat. De iis, qui apud alienos non ſatis ex animi ſententia tractantur, eoque ſæpius ſuos deſiderant. Unicuique domi, ac velut in ſuis præſepibus jucundiſſima vita: peregre permulta ſunt quæ lædant, plurima deſunt. Alluſiſſe videtur ad hoc proverbium Plutarchus in Sympoſiacis decade octava, problemate ſecundo: *ὅπως δ' ἑαυτῶν μὴ καταφρονῆτε, μηδ' ἔξω βλέπητε πανταχόθεν*. id eſt: Verum ne ipſos contemnatis, neve foras proſpiciatis, id eſt: Ne aliunde petatis, quod ab ipſis Platonis interpretib. ſumi poteſt. Proinde rectè dicetur: *ἔξω βλέπειν*, qui non contentus ſuis, aliunde pendet. Uſurpat & in libello, *περὶ τῆς ἀρετῆς καὶ κακίας*.

COGNATI. *Muſarum fores candida.*

Verbum eſt admodum tritum: quo admonemur, libentiſſime impertiendos eſſe amicis, literarum ſtudiorumque labores. Refertur à Zenodoto, Eraſmo noſtro: Muſarum apertæ januæ, & à Barthol. Maranta Lucul. quæſt. lib. 5.

Dictis, non armis.

Hoc genus loquendi quoque agnoſcunt Latine docti, & ſæpe frequentant, quum admonent, verbis & rationibus, non ferro, neq; corporis viribus rem geri debere. Lucretius lib. 5.

Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animoque
Expulerit dictis, non armis: nonne decebit
Hunc hominem numero divum dignarier eſſe?
Idem ibidem:
Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis:
Idem libro ſecundo.
Et quam difficile id mihi ſit pervincere verbis.

Lutum, niſi tundatur, non fiet teſta.

Vulgari proverbio dicitur: *ὁ πηλὸς ἐὰν μὴ δαρῇ, κέραμος οὐ γίνεται*; id eſt: Lutum niſi tundatur, non fit teſta. Sic homo niſi emolliatur & excolatur honeſtis diſciplinis & bonis moribus, parum differt à cadavere. Quemadmodum idem oſtendere voluerunt poetæ, fabula de Orpheo & Amphione, feras, ſaxa, & ſtipites cithara moventibus, Tum de formatis à Prometheo è luto hominibus: hoc eſt, ex agreſtibus & rudibus, pia & honeſta inſtitutione politos, moribus atque literis, & diſciplina excultos effeciſſe.

Nefas eſt rectè loquenti non aſſentiri.

Alibi: In Theæteto: Neque enim fas eſt, ut hujuſmodi in rebus ſapienti viro juvenis minus pareat. Ante, Non eſſet rectum, minori parere majorem: &, Credendum veteribus. In Sophiſta: Durum eſt, adverſus tam inclytos antiquoſque viros me, vera ſive falſa dixerint, ferre ſententiam.

DOMI VIVERE.

ERASMI. *Domus amica, domus optima.*

Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.
Id eſt:
Eſt grata domus, domus optima ſemper.

Nuſquam commodius, nuſquam liberius, nuſquam lautius homini vivere contingit, quam domi. Quidam per jocum detorquent ad teſtudinem, de qua fertur apologus hujuſmodi. Jupiter cum animantium omne genus ad nuptias rogaſſet, veniſſentque reliqua, præter unam teſtudinem (nam hæc peracto convivio, tum demum advenit) Jupiter admirans percontatus eſt, quid nam illi fuiſſet in mora. Atq; illa reſpondit: *οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος*. Iratus ille, juſſit ut quocunq; iret, domum ſuam ſecum circunferret. Unde per jocum affectata obſcuritate ſic deſcribitur apud Ciceronem, lib. De divinatione 2.

Terræ tardigradam, domi portam, ſanguine caſſam.

Nam terræ, pro terrigenam, legendum opinor. Quin & jura publica favent privato domus. Sic enim Cajus Pandect. lib. 4. tit. de in jus vocando: Plerique putaverunt nullum de domo ſua in jus vocari licere, quia domus tutiſſimum cuique refugium ac receptaculum ſit: eumque qui inde in jus vocaret, vim inferre videre. Similis Paulus lib. 1. tit. de regulis juris. Ad apologum alluſit M. Tullius in epiſt. quadam ad Dolabellam: Hæc loca venuſta ſunt, abdita certe, & ſi quid ſcribere velis, ab arbitris libera: ſed neſcio quomodo *οἶκος φίλος*. Itaque me referunt pedes in Tuſculanum. Cui reſpondet illud, alibi à nobis poſitum:

Οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
Id eſt:
Domi manendum eſt, fata cui ſunt proſpera
Nam huic demum,
Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.

Alioqui cui ſit uxor rixoſa domi, & nihil quod edatur, huic domus carcer eſt. Cæterum Plutarchus hoc genus hominum ignavum, quod tecto gaudet, & umbra, quodque ſemper amat deſidere domi, *οἰκουροὺς* appellat: quaſi dicas, cuſtodes domus. Et in libello *περὶ τῆς εὐθυμίας* non probat hanc *οἰκουρίαν καὶ ἀπραξίαν*. Idem in præceptis conjugalibus refert, Phidiam Heleorum Venerem ita finxiſſe, ut teſtudinem calcaret: tacite ſignificans, uxoribus domi manendum eſſe, ſilendumque. Idem narrat, Ægyptiis hunc fuiſſe morem, ut nuptæ ſandalis non uterentur: ne videlicet domo unquam prodirent. Atqui hæc imago haudquaquam placitura ſit noſtratibus fœminis, per omnia emporia, per omnia cœnopolia, denique nuſquam non terrarum terra marique volitantibus. Huc adſcribendum quod refert Plutarchus in vita T. Flamini. Is dehortans Achaicos, ne ſibi vindicarent inſulam Zacynthiorum, dicebat: *κινδυνεύσειν αὐτοὺς ὥσπερ αἱ χελῶναι προβάλλοντες τὴν κεφαλὴν τῆς Πελοποννήσου ἐκτείνοντες*: id eſt: Periculum ipſis fore quemadmodum teſtudinibus, ſi longius à Peloponneſo proferrent caput. His non diſſimilia T. Livius de bello Macedonico libr. 6. ubi ſic loquitur Quintius: Si utilem poſſeſſionem ejus inſulæ cenſerem Achæis eſſe, autor eſſem S.P.Q.R. ut eam vos habere ſineret: cæterum ſicut teſtudinem, ubi collecta in ſuum tegumen eſt, tutam ad omneis ictus video eſſe, ubi exerit partes aliquas, quocunque nudavit, obnoxium atq; infirmum habere: haud diſſimiliter vobis Achæi clauſis undique maris quod intra Peloponneſum eſt, terminos, ea & jungere vobis, & juncta tueri facile: ſi ſemel aviditate plura amplectandi hinc excedatis, nuda vobis omnia quæ extra ſint, & expoſita ad omnes ictus eſſe.

Domi manere oportet belle fortunatum.

Οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
Id eſt:
Domi manendum eſt, cuncta cui ſint proſpera.

Cui ſuppetit copia facultatum, is ſi velit felicem agere vitam, domi vivat. Nuſquam enim vivitur commodius, nuſquam liberius, Qui eget, peregrinando rem quærat, ac fortunæ experiatur aleam. Ita Menander:

Οἴκοι μένειν χρὴ καὶ μένειν ἐλεύθερον,
Ἢ μηκέτ' εἶναι τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
Id eſt:
Domi manere oportet, ut liber ſiet.
Aut liber eſſe deſinat qui dives eſt,

Poteſt in hunc quoque detorqueri ſenſum: Qui ſibi benè conſcius eſt, ne captet ex alienis laudibus gloriam, ſed ſit ſuarum virtutum conſcientia contentus.

Domum optima.

Infeliciſſimum, incertis vagari ſedibus: quemadmodum faciunt ſemper ἀοίκοι, peregreq; viventes. Huic aſtipulatur eodem in libro:

Πλαγκτοσύνης δ' οὐκ ἔστι κακώτερον ἄλλο βροτοῖσιν.

Id eſt:

Nil miſerabilius quam incerta ſede vagari.

Transferri poterit ad eos, qui circumaguntur quibuslibet opinionibus, aut qui ſubinde mutant amicos, aut inſtitutum vitæ.

Domi manendum.

Inutile diutius abeſſe domo, relictis poſſeſſionibus. In eam ſententiam quadrabit illud ex Odyſſeæ γ.

Καὶ σὺ φίλος, μὴ δηθὰ δόμων ἄπο τῆλ' ἀλάλησο,
Κτήματά τε προλιπὼν, ἄνδρας τ' ἐν σοῖσι δόμοισι.

Id eſt:

Tu quoque amice domo diuturnus abeſſe caveto.

Idem Heſiodus.

Rebus itemque viris intra tua tecta relictis.
Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν.

Id eſt:

Eſſe domi præſtat, quia damnoſum foris eſſe.

Refertur ex Euripide carmen hoc:

Μακάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴκοι μένει,
Ἐν γῇ δ' ὁ φόρτος καὶ πάλιν ναυτίλλεται.

Id eſt:

Beatus is qui in proſperis manet domi,
Nam ſarcina ſolo quæ tenetur, denuo
Poteſt ſalo committi.

BOVILLI. *Parietes amicitiæ cuſtodes.*

Nihil verius experimur, quam nimiam frequentiam parere contemptum, inde odium: eoq; nihil melius parvo aliquo interſtitio, quod privatos litium fomites extinguat.

ELABENDI.

ERASMI. *Ἐκπερδικίσαι*

Ἐκπερδικίσαι, Græci proverbiali metaphora vocant elabi ac ſuffugere. Ariſtophanes in Avibus:

Ὡς οὐ παρ' ἡμῖν αἰσχρόν ἐστιν ἐκπερδικίσαι.

Id eſt:

Quippe apud nos turpe non eſt, ſuffugere de caſſibus.

Ductum eſt ab avibus, quæ nonnunquam elabuntur è retibus ſeu laqueis. Ajunt autem perdicem præcipuæ calliditatis ad id, vt aucupum manus effugiat. Qua quidem de re libet ipſius Ariſtotelis verba ſubſcribere, quæ ſcripta ſunt libro De natura animantium 9. καὶ ἐν τῷ αὐτῷ τίκτουσι καὶ ἐπῳάζουσιν, ὅπως μή τις κατανοήσῃ τὸν τόπον πολὺν χρόνον ἐπικαθημένων· ὅταν δέ τις θηρεύων ἐπιπέσῃ τῇ νεοττιᾷ, προκυλινδεῖται ἡ πέρδιξ πρὸ τῶν ποδῶν τοῦ θηρεύοντος, ὡς ἐπίληπτος οὖσα, καὶ ἐπισπᾶται ὡς ληψόμενον ἕκαστον, ἕως ἂν διαδράσῃ τῶν νεοττῶν ἕκαστος· μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπτᾶσα αὐτὴ ἀνακαλεῖ πάλιν, id eſt: Nec eodem in loco pariunt, & incubant ova, ne quis animadvertat, ſi diutius in eodem aſſideant loco. Porrò cum inter venandum inciderit quiſpiam in nidum, provolvitur perdix ad pedes venantis, perinde quaſi capienda ſit: ad eumque modum illum allicit ad ſeſe quaſi capturum, donec interim pulli ſingillatim effugerint. Quod vbi factum eſt, & ipſa ſubvolans pullos revocat. Hactenus Ariſtoteles. Neque verò gravabor huic adſcribere loco, quod in eandem fermè ſententiam ſcribit Plutarchus, libro, cui titulum fecit, πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἐνύδρα, id eſt, Utra animalia ſint prudentiora, terreſtria an marina: ἄλλην δὲ πανουργίαν ὁμοῦ τῇ φιλοστοργίᾳ πέρδικες ἐπιδείκνυνται, τοὺς μὲν νεοττοὺς ἐθίζοντες μηδέπω φεύγειν δυναμένους, ὅταν διώκωνται, καταβάλλειν ὑπτίους ἑαυτοὺς, καὶ βῶλόν τινα ἢ συρφετὸν ἄνω τῶν σωμάτων προΐσχεσθαι κρυπτομένους, αὐταὶ δὲ τοὺς διώκοντας ὑπάγουσιν ἄλλῃ, καὶ περισπῶσιν εἰς ἑαυτὰς ἐμποδὼν διαπετόμεναι, καὶ πρὸ ποδῶν ἐξανιστάμεναι μικρὸν, ἄχρις ἂν δόξαν ἐνδιδοῦσαι ἁλωσομένων, μακρὰν ἀποσπάσωσι τῶν νεοττῶν, id eſt, Aliam verò calliditatem vna cum prolis amore conjunctam perdices exhibent, nam pullos adhuc involucres conſuefaciunt, vt ſupinos proſternant ſeſe, glebam aut palearum tegumentum aliquod impoſitum corpori ſuſtinentes, atque ita veluti obtecti deliteant, ipſæ interim venantem alio abducunt hac arte. Alliciunt illum ad ſeſe, provolantes ad pedes, ac paulatim prodeuntes, ac tamdiu ſpem oſtendunt capiendi ſui, donec eum procul à pullis abſtraxerint. Ex his verbis arbitror ſatis liquere, quid ſibi velit ἐκπερδικίσαι, nimirum elabi, perdicum arte ingenioq;. Interim alluſum eſt ad cauponem quendam inſigniter improbum, cui nomen inditum Perdix, quod claudicaret. Ejus meminit Ariſtophanes in Avibus.

Ἐκλινίσαι.

Ἐκλινίσαι proverbiali figura dictum oſtendit Euſtathius in tertium Iliados. Sumpta metaphora à piſcibus, qui ſuffugiunt à retibus, quive ab hamo elabuntur. Nam lina retia dicuntur etiam Latinis, vt Maroni:

Humida lina trahens——

Ineſt autem piſcibus quibuſdam genuina quædam calliditas è retium textis elabendi, quemadmodum eleganter de Ceſtreo narrat Oppianus lib. 3. Sed carmen ipſum, quandoquidem autor non admodum adhuc vulgatus eſt, adſcribere præſtat;

Κεστρεὺς μὲν πλεκτῇσιν ἐν ἀγκοίνῃσιν ἁλοὺς
Ἐλκόμενος, δόλον οὐκ ἀδάηκεν ἐρχθείς,
Ὕψι δ' ἀναθρώσκει λελημμένος ὕδατος ἄκρου,
Ὀρθὸς ὅσον κραδίῃ σθένος ἐστὶν ἐλαφρόν·
Ὁρμηθεὶς πηδητὴς πλεκτῶν ἐκ ἄλμαν ἀφῆκε
Πολλάκι γὰρ ῥιπῇσιν καὶ ὑψηλοῖς περ ἐπ' ἀφροῖς
Πρήδων ὑπερήλατο, καὶ ἐξήλατο μοίρης.
Εἰ δ' οὐ ἰφθιμέσιν πνεῦσιν αὐτῷ ἀλεύσατο
Εἰς βρόχον ἂψ ἐπιπίπτει, διαζυγέντος
Ἀχνύμενος πάρα δὲ μηδὲν ὑποπτώσσων ὁρμήν.

Id eſt:

Ceſtreus dum trahitur ſinuoſis æquore textis,
Haud illum qua ſuffugiat, latet arsque doluſque:
Subſilit in ſublime alacer, ſaltuque citato
Viribus eniti quantum valet omnibus, vndas
Emicat in ſummas ſublato corpore toto.
Ingenio fortuna favet, nam ſubera ſæpe
Quæ ſummos tollunt funes, retinacula caſſis
Tranſilit, & fatum elabens fugit improbus atrum,
Sin primum expertus ſubſultum, in retia ruſum
Delapſus recidat, jam nec pugnare laborat
Anxius, aut fruſtra nititur doctus que periclo,
Nec jactat ſeſe, neque ſurſum promicat vnquam.

De permultis item aliis piſcibus ad eundem commemorat modum, quibus artibus elabātur capti. Sed reliqua perſequi, prælongum. Illud non injucundum ſcitu, quod de piſce torpedine narrat poeta Claudianus, quemadmodum illigatus hamo, ſubducat ſeſe, vi veneni per linum atq; harundinem ad piſcatoris vſque manum immiſſa. Carmen ſic habet, quod enim graver adſcribere, tam elegans, tamq; feſtivum?

Si quando veſtita cibis incautior æra
Hauſerit, & curvis frenari ſenſerit hamis,
Non fugit, aut vano conatur vellere morſu,
Sed propius nigræ jungit ſe callida ſetæ,
Et meminit captiva ſui, longeque per vndas
Pigra venenatis effundit flamina venis.
Per ſetam vis alta meat, fluctusque relinquit
Abſentem vinctura virum metuendus ab imis
Emicat horror aquis, & pendula fila ſequutus
Tranſit harundineos arcano frigore nodos.
Victricemque ligat concreto ſanguine dextram.
Damnoſum piſcator onus, prædamque rebellem
Jactat, & amiſſa redit exarmatus habena.

Ariſtophanis interpres putat ab avibus traductum. Conſimili figura Perſius Satyr. 5.

Ne trepidare velis, atque arctos rodere caſſes.

Omnes laqueos effugere.

In eodem dialogo non diſſimilem huic allegoriam adducit velut proverbio jactatam: Difficile, omnes laqueos effugere. Quod ipſum à venatu translatum eſt, in quo ſic vndiq; ſepiuntur exitus, vt neceſſe ſit feram in aliquas inſidias incidere: εἰ γὰρ ἡ παροιμία τὸ πάσας τὰς παγίδας μὴ ῥᾴδιον εἶναι διαφυγεῖν. Id eſt, Siquidem rectè habet proverbium, quo dicitur, haud facilè eſſe omnes laqueos effugere.

Reperire rimam.

Proverbiali figura dixit Plautus in curculione: Aliquam reperietis rimam. In cauſſatores ac tergiverſatores, qui nulla in cauſa tot fidei vinculis aſtringi poſſunt, quin aliquid inveniant quo elabantur. Similiter Horatius:

——Centum adde catenas,
Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.

Ductum ab avibus aut muribus captis.

IVNII. *Formica ſemitam canit.*

De eo qui ſubtilitates omnes perſequitur, & minutiſſima quæque dictionis immiſcet vt elabatur: aut qui vltro citroque narrationem rei implicat, prima mediis, vltima primis involvens temere: proverbio dicitur, μύρμηκος ἀτραπούς ᾄδει: hoc eſt, Formica ſemitas canit. Extat apud Ariſtophanem in Theſmophoriaz. de Agath. comico dictum, quem ſuggillat vt ſubtilis ac flexiloquæ carmina ſcribentem. Formicæ viam ſuam obliquant diſcurſu implicito.

VLPII. *De ſcammate egredi.*

De ſcammate egredi, apud D. Hieronymum legitur, pro eo quod eſt, de propoſito digredi, σκάμμα locus certaminis eſt, in quo congrediuntur athletæ, foſſa plerumque aut ſaltem lineis cinctus.

COGNATI. *Thynnus elapſus.*

Lucianus in Timone proverbialiter vſurpat: ὥσπερ ὁ θύννος ἐκ μέσης τῆς σαγήνης διαφυγὼν οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών, id eſt: Quod ejusmodi thynnus ex intimo ſagenæ ſinu ſit elapſus, qui non parum magnam eſcam devorarit. De Thynno piſce Athenæus lib.

lib. vij. Euſtathius Iliad. ξ. & Odyſſ. μ. & χ. dictus eſt: παρὰ τὸ θύνειν, τὸ θύνω, ὅ ἐστιν ὁρμῶ, a dando impetu, & motus vehementia. Nam ſub ortum canis œſtro agitatur. Hinc Plutarchus in Lucullo: θύννος [illegible] χίλαρχος ὡς διεγέλων, &c. Quemadmodum (intelligit) thynnus œſtro ſuo incitatus per mare ſe cum impetu fert, idque conturbat: ita conſueviſſe ſuis orationibus forum Romanum oratores cæteros concitare. Vide ea quæ in Lucianum annotavimus.

EXECRANDI.

ERASMI. *Devotionis templum.*

Ἀρᾶς ἱερόν, id eſt Execrationis templum. In eos dicebatur, qui crebris execrationibus uti conſueverunt. Qui mos nunc vulgo pleriſq; eſt plurimum improbandus, ut nihil dicant, niſi diras admiſceant devotiones & imprecamina, vel ipſo horrenda auditu. Erant autem antiquitus etiam publicæ quædam deteſtationes: velut apud Athenienſes, in eum, qui viam non monſtraſſet erranti. In quarũ locum Chriſtianis ſucceſſit ea, quam vocant excommunicationem. Item devotiones hoſtium, quarum meminit Macrobius, & Horat. in Odis:

Diris agam vos: dira deprecatio
Nulla expiatur victima.

Heſychius indicat, templum execrationis fuiſſe Athenis, cujus meminerit Ariſtoph. in Horis. Dici porro de gravi calamitate. Alibi, ni fallor, nobis dictum eſt de execrationibus tragicis, quas Diogenes philoſophus jocabatur ſibi occurriſſe, quod viveret ἄοικος ἄπολις, ἄπατρις, ἀχρήματος, ἄστατος, καὶ ἐφημερόβιος, id eſt, Carens domo, civitate, patria, pecunia, nullam habẽs certam ſedem, & in diem vivens, Proverbium refertur à Diogeniano.

Oedipi imprecatio.

Οἰδίποδος ἀραί, id eſt, Oedipi imprecatio De tragicis & ingentib. malis. Qui Græca colligũt adagia, citant ex Æſchylo hujuſmodi fabulam. Eteocles & Polynices, de more patri ex unoquoque ſacro partem anteriorem mittebant. Cum autem aliquando per imprudentiam atque incogitãtiam, coxam, hoc eſt, poſteriorem partem miſiſſent, ille exiſtimans id non oblivione, neque imprudentia, ſed contumeliæ cauſa factũ, imprecationibus diris eos eſt execratus. Alii narrant Oedipum, ſimulatq; cognoviſſet ſe parricidam eſſe, tum autem cum matre conſuetudinem habuiſſe, ſuis ipſius manibus oculos ſibi eruiſſe. Quæ res ubi ejus loci incolis cognita eſt, Oedipum expulerunt urbe. Ille in exilium abiens filios, quod patrem in calamitate non defenderent, execrationibus devovit. Quæ quidem neutiquam irritæ fuerunt: nam juvenes mutua cæde extincti ſunt: mater ſibi mortem conſcivit: Oedipus ipſe fulmine ictus interiit. Cujuſmodi autem fuerint hujuſmodi imprecationes, Diogenes Cynicus apud Laertium propemodum indicat, qui per jocum dicere ſolitus erat, ſibi τὰς τραγικὰς ἀράς, id eſt, Tragicas execrationes occurriſſe. Eſſe enim ſine domo, ſine civitate, privatum patria, pauperem, palantem, vitã in diem agentem. Sophocles in Tyranno, fingit Oedipum (ignarũ etiã eum de quo Phœbus dixiſſet exigendo, tanquam qui civitatem ſuis ſceleribus pollueret) multa dira in eum, hoc eſt, in ſe precantem. Euripides in Phœniſſis:

Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας.

Id eſt:

Diriſſimas preces precatur liberis.

verba Jocaſtæ de Oedipo. Idem in Oedipo Coloneo, ſic Oedipum imprecantem facit Polynici, ut fraterna manu occideretur, viciſſimque occideret:

—Τὰς δ' [illegible] ἀράς,
Ἃς σοι καλοῦμαι, μήτε γῆς ἐμφυλίου
Δορὶ κρατῆσαι, μήτε νοστῆσαί ποτε
Τὸ κοῖλον Ἄργος, ἀλλὰ συγγενεῖ χερὶ
Θανεῖν, κτανεῖν θ' ὑφ' οὗ περ ἐξελήλασαι.
Τοιαῦτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τὸ Ταρτάρου
Στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος.

& reliqua quæ ſequuntur.

Id eſt:

Hæc te ſequantur agmine imprecamina,
Tibi quæ imprecor, uti neve vitali ſolo
Potiare bello, neve ad Argos poſtea
Redire liceat: imo fraterna manu
Perimaris, ac viciſſim eum dedas neci
Qui te expulit, fratrem. Iſta vobis imprecor;
Teſtorque patrii triſte numen tartari.

Horatius hoc genus imprecationis diras vocat in Odis:

Diris agam vos: dira deprecatio
Nulli expiatur victima.

Hujuſmodi autem parentum in liberos devotiones eſſe formidandas, Homerus quoque teſtatur Iliados ι cum Phœnix narrat ſe paternis execrationibus obnoxiũ fuiſſe, idque contigiſſe, quod illi fuerant imprecatæ. Carmen Homeri ſic habet:

Μή ποτε γούνασιν οἷσιν ἐφέσσεσθαι φίλον υἱὸν
Ἐξ ἐμέθεν γεγαῶτα. θεοὶ δ' ἐτέλειον ἐπαράς.

Id eſt.

Orat ne in genibus proles aliquando ſederet
Ex me nata ſuis: diique audivere precantem.

Phocenſium execratio.

Φωκαέων ἀρά, id eſt, Phocenſium execratio De jurejurando multis vinculis aſtricto. Nam olim in fœderibus quo minus violarentur, adhibebant non ſolum promiſſa, dextras & ſacrificium, verum execrationes in caput ejus, quicunq; non ſtaret pactis: id quod ex Euripide licuit colligere, cujus hi verſus in Iphigenia Aulidenſi:

Ὅρκους συνάψαι, δεξιάς τε συμβαλεῖν
Μνηστῆρας ἀλλήλοισι, καὶ δι' ἐμπύρων
Σπονδὰς καθεῖναι, κἀπαράσασθαι τάδε.

Eorum verſuum ſententiam nos olim ſic vertimus:

Ut coirent jurejurãdo proci,
Atque inter ipſos jungerent dextras, adhæc
Adolenda divum ponerent aris ſacra:
Ac ſemetipſi aſtringerent, diris ad id
Caput obligantes execrationibus.

Proverbium autem, ut ad id redeam, ab hujuſmodi profectum eſt caſu. Phocenſes Ioniæ populus, olim communi populi conſilio patrium ſolum reliquerunt, adacti devotionibus, atque execrationibus quibuſdam, ne quiſquam unquam de repetẽda patria cogitaret. Itaque juxta Dianæ oraculum, Ariſtarcha duce, Galliã Narbonenſem adierunt, ibique civitatem florentiſſimam Maſſiliam condiderunt. Cujus hiſtoriæ mentionem faciunt, Herodotus lib. 1. Strabo 4. Meminit & Horatius libro Epodon:

Forte quid expediat communiter, aut melior pars
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla ſit hac potior ſententia. Phocæorum
Velut profugit execrata civitas,
Agros atque lares patrios, habitandaque phana,
Apris reliquit & rapacibus lupis:

Deinde qui fuerit ejuſmodi ritus execrationis aperit:

Sed juremus in hæc, ſimul imis ſaxa renarint
Vadis levata, ne redire ſit nephas.
Nec converſa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina?
In mare ſeu celſus procurrerit Apenninus,
Novaque monſtra junxerit libidine
Mirus amor, juvet ut tigres ſubſidere cervis,
Adulteretur & columba milvio:
Credula nec flavos timeant armenta leones,
Ametque ſalſa levis hircus æquora.
Hæc & quæ poterunt reditus abſcindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas.

Stephanus *Φώκαιαν* urbem Ioniæ facit, cujus denominativum *Φωκαιεύς*, juxta Herodotum, καὶ *Φωκαΐς*: & alteram ejuſdem nominis in Mycala Cariæ. Eſt autem & *Φωκὶς* Bœotiæ regio, juxta Parnaſſum: a quo denominativum *Φωκεὺς καὶ Φωκικός*. Hoc idcirco viſum eſt mihi admonere, quod quidam affinitate nominum labere videntur. Siquidem à Phocæis ſive Phocæenſibus Ioniæ ductum eſt hoc proverbium: a Phocicis Bœotiæ natum eſt, quod alibi referemus, Phocenſium, ſeu Phocidenſium deſperatio. Proverbium refertur à Zenodoto.

Phocenſium deſperatio.

Φωκέων ἀπόνοια, ſive *Φωκικὴ ἀπόνοια*: id eſt, Phocenſium ſive Phocica deſperatio, de ſtultis & inſanis conſiliis dici ſolitum admonet Stephanus. Verum ex Plutarcho Cheronenſi conjicere licet dici ſolitum, ubi deſperatis rebus ad extrema conſilia veniretur. Natum eſt autem ex eventu hujuſmodi. Atrox odium & irreconciliabilis ſimultas, atque (ut Plutarchi dicam verbis) *ἄσπονδος πόλεμος* erat inter Theſſalos & Phocenſes: quod hi primores illorum in ſuis urbibus ad unum omnes eodem die trucidaſſent, illi viciſſim illorum obſides ducentos quinquaginta in crucẽ ſuſtuliſſent. Deinde Theſſali contractis omnibus copiis, per Locrenſes irruperũt, edicto promulgato, ne cuiquã pro vectioris ætatis parceretur: pueri cum mulieribus in ſervitutem abducerentur. Daiphantus itaque qui fuit unus è tribus, quibus Phocenſium res erat commiſſa, ſuaſit uti viri quidem Theſſalis obviam irent, cum illis cõflicturi, cæterum mulieres una cum liberis, ex univerſa Phocide congregatas, in uno quopiam loco ſeponerent, congeſta ingẽti lignorum materia: & adhibitis cuſtodibus mandarent, ut ſimul ac intellexiſſent, ſeſe victos in prælio, continuo pueros & uxores injecto igni exurerent. Id reliquis comprobantibus, exurgens quidam negavit æquum fieri, ni conſilium hoc uxorem quoque ſuffragiis comprobatum fuiſſet. Quod ſi non placeret, non eſſe cogendas. Itaque mulieres, ubi rem cognoviſſent, ipſæ inter ſe habito conſilio, Daiphantum collaudarunt, qui rectiſſime conſuluiſſet Phocenſium rebus. Eadem autem videri & uxoribus & liberis eorum. His ita peractis, congreſſi cum Theſſalis Phocenſes, ſuperiores extiterunt. Ac decretum quidem illud Græci Phocenſium deſperationem appellarunt: quod etiam ſi feliciter ceſſiſſet, tamen temerarium parumque cordatum videretur. Hujuſmodi ferme Plutarchus. Similia fere narrat Pauſanias in Phocicis, meminit & proverbii, quod ait ex hoc eventu dici ſolitum, ἐπὶ πάντων βουλευμάτων ἀναλγήτων: hoc eſt, de omnibus conſiliis quæ carent dolore. Meminit & Stephanus, indicans dici ſolitum ἐπὶ τῶν [illegible].

Adjurantis ſe facturum aliquid.

Cum adjurabimus nos facturos quippiam, ſi modo vita non deſtituat, licet accommodare verſiculum ex eodem libro:

Μὴ δ' ἔτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆϊ κάρη ὤμοισιν ἐπείη.

Id eſt:

Poſthac ne caput hoc humeris inſiſtat Vlyſſis.

Item Iliados 5.

Αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς.

Id eſt:

Mox caput hocce aliquis mihi barbarus enſe recidat.

Nam hoc modo vulgus, noſtris etiam temporibus deierat. Et nota ſunt illa apud Latinos: Emoriar, diſpeream.

In omni fabula & Dædali execratio.

Ἐν παντὶ μύθῳ καὶ Δαιδάλου μέμψις, id eſt, In omni fabula & Dædali execratio. Quadrat in authores atrocium facinorum, aut ingentium calamitatum, ut frequentes illorum incidat mentio: ſed non ſine deteſtatione. Tradunt ab hac ortum fabula. Paſiphaë regina Cretæ, tauri amore capta, Dædalum exoravit, ut ſibi vaccam ligneam ad proximam veræ vaccæ ſimulationem effingeret. In hac incluſa mulier, è tauro concepit, ac Minotaurum monſtrum abominandum peperit. Minos autem certis de cauſis iratus, Atheni-enſibus indixit, ut quotannis ſeptem virgines, & totidem adoleſcentulos mitterent Minotauro obiiciendos. Horum omnium quoniam Dædalus cauſam dediſſe videretur, in eum vulgo diras imprecabantur: unde res in proverbium abiit.

In ultimas terras.

Ἐπ' ἔσχατα γῆς id eſt, Ad extrema terræ: quem locum vehementer ſemotum intelligi volumus. Theocritus in Syracuſiis:

Ταῦτ' ὁ πάραρος τῆνος ἐπ' ἔσχατα γᾶς ἔλαβ' ἐνθὼν
Ἰλεόν, οὐκ οἴκησιν.——

Id eſt:

Huc veniens meus ille inſulſus ad ultima terræ
Antrum, non ædes poſuit.——

Vxor inculat maritum, quod in loco nimium ſemoto domicilium ſibi pararit, & cavum verius quam domicilium. Eſt frequens apud Ciceronem, In ultimas terras: velut actione in Verrem 6. Quem admodum accepturas hoc nationes cæteras, quemadmodum hujus tui facti famam in regna aliorum atque in ultimas terras perventuram putaſti? Idem pro P. Sylla: Iam vero illud quam incredibile, quam abſurdum, qui Romæ cædem facere, qui hanc urbem inflammare velles, eum familiariſſimum ſuum dimittere ab ſe, emandare in ultimas terras? Item Philippica 13. Saxam vero Decidium præterire qui poſſum, hominem deductum ex ultimis gentibus. Rurſus ad P. Lentulum Epiſt. fam. lib. j. Recordare enim quibus ex ultimis terris miſeris, nec hoc pertimueris. Idem l. xv. ad M. Marcellum: Nos quidē longinqui, & a teipſo miſſi in ultimas gentes. Apud divum Hieronymum frequens eſt, Monſtrum in ultimas terras deportandum. Plautus in Muſtellaria. Sed etiam terras ſolas, oraſque ultimas ſum circumvectus.

EX APPENDICE. ERASMI.

Abiiciendum procul.

Ἐς μεγακήτεα πόντον, in immenſum mare proiicere. Theog. De re noxia, quam fugere oportet, & procul rejicere. Sic Homerus:

Εἰς ὄρος ἢ εἰς κῦμα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης:

In montes, tum idaſque frementis in æquoris undas.

Diris agere.

Pro, triſtia omnia imprecari. Horat. Idem τραγικαὶ ἀραί, ut ſup. Oedipi imprecatio, eas ſibi Diogenes dicebat occurriſſe quod eſſet ſine domo, ſine civitate patria, pauper, palans, vitam in diem agens, Laertius. Lege etiam ſub Devotionis templum.

IVNII *Hoſtibus eveniat.*

A primis ortus noſtri incunabulis medullitus hauſimus illud mali, quod libenter hoſtibus noſtris, ſi quid adverſi, quantumvis dirum & exitioſum, imprecemur, id quod teſtimonia authorum abunde docent, nondum edito verbi divini oraculo, quod inimicos amantes habendos præcepit. Æſchylus in Prometheo:

Τοιαῦτ' ἐπ' ἐχθροὺς τοὺς ἐμοὺς ἔλθοι Κύπρις.

Id eſt:

Talis venus contingat hoſtibus meis.

Loquitur de Danai filiabus, quæ maritos ſuos prima conjugalis congreſſus nocte interfecturæ eſſent. Ibidem paulo poſt Prometheus ad Mercurium, gaudii cuiuſdam cauſam quærentem:

Χλιδῶντας ὧδε τοὺς ἐμοὺς ἐγὼ
Ἐχθροὺς ἴδοιμι.——

Id eſt:

Voluptuantes ſic hoſtes videam meos.

Cui conſonat quod Demænetus ſenex apud Plautum in Aſinaria loquitur: Vtinam male qui mihi volunt ſic rideant. Ita apud Terentium in Eunucho: Vtinam ſic ſint qui mihi volunt male. Nicander in Theriacis:

Ἐχθρῶν που κεφαλῇσι τὰ γ' ἐμπελάσειε.

Id eſt.

Hæc portenta hoſteis feriant adigantque ſub umbras.

Talis eſt Ariſtotelis illa imprecatio apud Io. Stobæum ad faſtuoſiorem adoleſcentem: Qualem te eſſe exiſtimas, talem ego me optarim: cuiuſmodi revera es, τοιοῦτοί μοι οἱ ἐχθροὶ γένοιντο, id eſt, tales mihi obtingant hoſtes. Apud neminem vero frequentius loquēdi modus iſte occurrit quam apud Ovidium:

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

& iterum:

Hoſtibus eveniat tam fœdi cauſa pudoris.

tertius:

Hoſtibus eveniat vita ſevera meis.

& quarto:

Eveniat noſtris hoſtibus ille color.

Vltra Herculis columnas.

Heraclides Ponticus in Allegoriis Homeri, improbos Homerici poematis interpretes exigendos putat ἐπέκεινα Ἡρακλείων στηλῶν καὶ τῆς ἀβάτου θαλάσσης, id eſt, ultra extremas Herculis columnas & impervium Oceanum. quo proverbio Pindarus etiam utitur Iſthmiorum Oda δ. in Meliſſum. Hoc noſtra ætate commode detorſeris in ſophiſtas, qui cum ipſi ſint omnium ineptiſſimi, & præ ſuis ſenticetis plane nihil ſentiant, renaſcentes tamen utcunque literas opprimere nituntur: ad hæc, recte de bonis literis ſentientes, nuſquam non virulentiſſime proſcindunt. Quis igitur hos Antronios aſinos non ablegandos exiſtimet ultra columnas Herculis, ut ne quid aliud ipſorum imprudentiſſima imperitia dignius hoc loco dicam?

BRASSICANI. *Hoſtibus eveniat.*

Vetus eſt verbum, ea quæ ſint extrema & omnium pernicioſiſſima, hoſtibus imprecari. Id quod ex optimorum authorum teſtimonio iam planum faciam, Terentius in Heauton. Iſthuc noſtris inimicis ſiet. Idem in Eunuch. Vtinam ſic ſint qui mihi male volunt. Vergil. lib. iij. Georg.

Dii meliora piis erroremque hoſtibus illum

Horatius lib. iij. Carminum Oda xxvij.

Hoſtium uxores pueriq; cæcos
Sentiant motus orientis auſtri.

Ovidius:

Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris.

Idem in iij. De arte:

Hoſtibus eveniat tam fœdi cauſa pudoris.

Idem lib. iij. Faſtorum.

Eveniat noſtris hoſtibus ille color.

Idem lib. iij. Elegiarum:

Eveniat noſtris hoſtibus ille pudor.

Idem lib. ij. Elegiarum.

Hoſtibus eveniat vacuo dormire cubili.
Hoſtibus eveniat vita ſevera meis.

Propertius:

Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Serenus Sammonicus:

Sed fortuna potens omen convertat in hoſtes.

Homerus Odyſſeæ ς. de hoſtibus.

Τοὺς ζωοὺς ἐξελθέμεν ἀπὸ ὑμῶν χεῖρας ὀλέσθαι.

Nicander in Theriacis:

Ἐχθρῶν που κεφαλῇσι τὰ γ' ἐμπελάσειε.

Id eſt.

Inimicorum equidem illa capitibus accidant.

Max. Tyrius, Sermon. xxx. aurum hoſtium cervicibus imprecatur. Demoſthenes in Epiſtola de blaſphemiis Theramenis: εἰς τὴν ἐκείνου βλασφημίαν εἰς κεφαλὴν τῷ λέγοντι τρέψεται. Virg. in viij. de Mezentio:

——Dii capiti illius generiſque reſervent.

Agamemnon de Trojanis, Illiad. lib. α.

Σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Antiſthenes cuidam delitias laudanti: ἐχθρῶν παῖδες, inquit, delicate vivant, authore Laertio. Marius, ut Plutarchus in eius vita narrat, Byorigi Cymbrorum regi ſe in dimicationē provocanti: Nunquam, inquit, Romanorum mos fuit, ut pro prælio adeundo conſiliariis hoſtibus utantur. Huc pertinet quod Stobæus ſcribit de Ariſtotele: ἐς τὸ τέλος θεασάμενος νεανίσκον ὑπερηφανοῦντα, μηδὲν δὲ ἐπιστάμενον, νεανίσκε ἔφη οἷον σὺ δοκεῖς αὐτὸς εἶναι ἐγὼ γενοίμην, οἷος δὲ τῷ ἀληθείᾳ ὑπάρχεις, τοιοῦτοί μοι οἱ ἐχθροὶ γένοιντο. Ariſtoteles cum adoleſcentem elatiore ſupercilio ſuperbientem, at prorſus in nulla re doctum eſſe cerneret: Adoleſcens, inquit, qualem equidem tu temetipſum eſſe credis, talem ego me optarim eſſe: at qualis es teipſa, tales mihi hoſtes eveniant. Memorabile verbum eſt, quo extat apud Plutarchum in Pyrrho, Ciceronem de Senectute, & Valerium Maximum lib. iiij. c. iij. in hunc modum: C. Fabritius cum apud regem Pyrrhum legatus eſſet, ac à Theſſalo Cynea audiret, Athenis quendam eſſe, qui ſe ſapientem profiteretur atque diceret omnia quæ faceremus ad voluptatem eſſe referenda, id ex eo audientes Manius Curius & T. Coruncanus optare ſolebant, ut id Samnitibus ipſique Pyrrho perſuaderetur, quo facilius vinci poſſent, cum ſe voluptatibus dediſſent. Vnde & Iuvenalis Satyra xv. dixit.

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæſis, atque mero titubantibus.——

Certe Valerius Max. l. ix. c. j. dubitat, an pernitioſius ſit à voluptatibus an ab hoſtibus capi. Addam unum hoc Plutarchi ex Commentario, Quomodo audiendi ſint adoleſcentibus poetæ. πρὸς θεῶν μὴ τὸ ἀδίκημα τὴν ἀρετὴν μὲν ἐν τῷ βίῳ ... Cretenſes etiam, ut indicat Valerius Max. lib. 7. c. 2. cum acerbiſſima execratione adverſus eos quos vehementer oderunt, uti volunt, ut mala conſuetudine delectentur, optant.

COGNATI. *Thyeſtea execratio.*

Thyeſteæ diræ, ſive precationes, & execrationes, veluti in proverbium abiiſſe videntur, pro diris. Vnde & apud Horatium in Epodo. Ode v. in Canidiam veneficam:

Myſit Thyeſteas preces.
Diris agam vos, dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.

Preces Thyeſtæ fuerunt in fratrem Atreum, quia illi Atreus filios eius trucidatos, & in fruſta ſectos & coctos appoſuerat. Idem Horat. epiſt. De arte poetica:

Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus.

Qui de re ſic Cicer. lib. 1. Tuſc. quæſt. Execratur luculentis ſane verſibus apud Ennium Thyeſtes primum, ut naufragio pereat Atreus. Durum hoc ſane. Talis enim interitus non eſt ſine gravi ſenſu. Illa inania:

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis,
Evisceratus, latere pendeteres, (ut ait ille) ſaxa ſpargens
tabo,
Sanie, & ſanguine atro.

Neque ſepulchrum, quo recipiatur, habeat, portum corporis ubi remiſſa humana vita corpus requieſcat à malis. Idem in L. Piſonem: Neque vero ego ſi unquam vobis mala precarer (quod ſæpe feci) in quo dii immortales meas preces audierunt. Thyeſtea iſta execratio eſt poetæ, vulgi animos, non ſapientum moventis ut:

Tu naufragio expulſus uſpiam, ſaxis fixus aſperis.

Græci tales preces vocant ἀρὰς. Eurip. Phœniſſ.

Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας. Horatius:
—Improbus urget
Iratus precibus.——

& Od. xxviij. lib. j.

——Precibus non linquar inultis.

Talis fuit Oedipi imprecatio. Huiusmodi autem parentum in liberos devotiones eſſe formidandas, Homerus quoque teſtatur Iliad. j. cum Phœnix narrat ſe paternis execrationibus obnoxium fuiſſe. idq; contigiſſe quod illi fuerant imprecatæ, ἀρὰς ἐπικαλούμενοι dicebantur, qui diris devoverent aliquem. Vnde autem natum ſit, vide apud Eraſmum noſtrum, in adag. Execrationes ſerere: & infra, In morbo conſumat: &, Capiti eveniat.

In morbo conſumat.

Seneca lib. 4. De beneficiis: Quingenti inquit, denarii ſunt: Illud, quod dici ſolet, in morbo conſumat. Verba ſunt hominum male precantium illis, quibus de ſuo aliquid erogavere ingratis, aut improbis ſoluere coacti ſunt: hac inquiūt pecunia non ſanus & valens fruatur, ſed valetudinarius in morbo utatur. unde ante, Thyeſtea execratio: & poſt, Capiti eveniat. Simile eſt apud Lucianum in dialogo cui titulus, τὰ πρὸς Κρόνον. Imo, inquit Sacerdos, cui iſta quæ dicis, non probantur, Saturne, precor ut ei nec tum bibere liceat, cum ſitit.

Capiti eveniat.

Eſt iſtud è communi ſermone ſumptum, Capiti eveniat: quod male precantis arbitror, & diras malasque preces interponentis, ut apud Plautum:

Aliquid tuliſſe comminiſcentur mali,
Capiti atque ætati illorum, morbus qui auctus ſiet.

Et apud Maronem Æneid. 8.

—Dii capiti illorum generique reſervent.
& rurſus:
—Quod dii prius omen in ipſum Convertant.---

Telemus prædixerat Cyclopi, fore ut ab Vlyſſe exocularetur. Hoc omen Cyclops reiicit in vatem, ac ipſius liberos. Theocritus in Bucoliaſtis:

Αὔταις ὁ μάντις, ὁ Τήλεμος, ἔχθρ' ἀγορεύων,
Ἐχθρὰ φέροι ποτὶ οἶκον, ὅπως τεκέεσσι φυλάσσοι.
Id eſt:
Telemus at vates, mihi qui canit omnia dira,
Dira domum referat, quo natis illa reſervet.
Sic Homerus:
Σοὶ γὰρ ἐφ' ἡμῖν φθείσει γυναικάζει ἐκ πολέμου.

Ariſtoph. εἰς κεφαλὴν σοι. Vide ante, Thyeſtea execratio: &, In morbo conſumat: Procul à nobis Deus avertat.

Pro dii immortales.

Hac exclamatione uti ſolemus in indignationibus, quaſi hominibus diffiſi ad deos confugientes. Et varie profertur: Pro divum atque hominum fidem. Cicero in Lælio: Nam quis eſt, pro Deum fidem atque hominum, qui velit, ut neque diliget quenquam, neque ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, &c. Lucret. lib. ij.

—Pro divum numina ſancta.

Idem infra eodem libro:

Nam (pro ſancta Deum tranquilla pectora pace,
Quæ placidum degunt ævum, vitamque ſerenam:)

exclamat nō ſine ſtomacho iterum Lucretius. Innumera ſunt alia apud Plautum & Terentium exempla.

Abi Marboniam.

Adeo populi ore frequentabatur, ceu oppidi nomen, ſub ſenſu morbi & exitii. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis aliquem in malam crucem amandet, aut ad corvos abire iubeat. Certe Compendium Dionis pro Morbonia, ἐς κόρακας, habet. Tranquillus: Quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens abire Morboniam juſſerat.

Vertatur in cineres.

Dirum & imprecatorium proverbium, quo adhuc hodie Galli ſua lingua utuntur: Fuſt il converti & redigè en cendres. Homerus.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
quod eſt
Vos omnes aqua & terra efficiamini.

Tibullus lib. j. huc alluſit, eius verba ſunt:

In cinerem, & rapidas munera vertat aquas.

Anathema eſt.

Græca vox ἀνάθεμα, Chriſtianis execrandum quid & infeſtis devotum, proverbialiter etiam ſignificat: ut cum Deus Hierichontem cum omnibus quæ in ea eſſent, præter aurum & argentum, quæ ſibi ſacra eſſe volebat, juberet eſſe ἀνάθεμα, volebat eam deleri protſus, ac deſtrui. Vide hiſtoriam de Acham, apud Ioſuam c. 6. & 7. Deuter. 7. Quia anathema eſt. Paul. Galat j. Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati?

Catuli carmen in Cæſarem & Mamurram.

Hæc videbis, & feres?

Idem ibidem.

Dii magni.

Admirantis eſt. Ibidem Catul. Plautus in Capt. Audivi, Di magni. Ovid. in 2. eleg. & in 6. Faſtorum. Lycophronis interpres, Σαμόθρακες, apud Homerum idem valere ſignificat, idque de auctorum ſententia, Poſtea Dii magni facite: &, ô Dii. Macrobius in 3. Saturnal. de ſententia Caſſi Heminæ, Penates μεγάλους θεοὺς vocari ſcribit, in quibus eſſe Iunonem Virg. ſignificans, dixit:

Iunonis magnæ primum prece numen adora.

& Antimachus Nemeſim magnam deam dixit: ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεός. Cybelem magnam propie vocabant poetæ.

Deum immortalem velim benefacere, ut ego pro certo habeo.

Apud Catiſum in 2. ita fere Caluus in Fuſcinium ambitus. Non diſſimile illud Catul in Æmilium:

Non ita me di ament, quicquam referre putavi.

Plautus in Pœnulo:

Patrue mi ita me
Di amabunt, ut ego, ſi ſim Iupiter.

Rumpantur illi ilia.

Sic veteres dicebant de his, quos agi rabie & furore ſignificabant. Sic Virg.

—Rumpantur ut ilia Codro.
Martialis:
Rumpitur invidia.—
Catullus:
Sed identidem omnium ilia rumpens.

ad Furium & Aurelium.

Corvus oculos voret, canes inteſtina, cætera membra lupi.

Catullus in Cominium. Loci ſimiles ſunt apud Horat. in v. Carm. ode v.

In ſepulta membra different lupi,
Et eſquilinæ alites.

Ovid. in Ibin:

--- Viſcera piſcis edet,
--- membra volucres, &c.

Marboniam mittere.

Tranquillus: Quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens abire Morboniam iuſſerat. ubi Marbonia, vel, ut in quibusdam libris ſcribitur, Morbonia, ut nomē oppidi, quod nuſquam eſt, ſingi videtur: aut adeo populi ore frequentabatur, ceu oppidi nomē ſub ſenſu morbi & exitii. Hoc enim perinde eſt, ac ſi quis aliquem in malam crucem amandet, aut ad corvos abire iubeat, Certe cōpendium Dionis pro Morbonia ἐς κόρακας habet, Idem 1. 4. c. 36.

EX EVENTV IVDICIVM.

ERASMI. *Mali principii malus finis.*

Ἀρχῆς κακῆς τέλος κακόν.
Id eſt:
Orſus mali finis malus.

Iambicus dimeter ex Æolo poeta refertur. Quæ rectis cōſiliis inſtituuntur, etiam ſi qua incidat difficultas, tamen ſortiuntur aliquando lætum exitum: contra quæ pravis rationibus incipiūtur, quamvis initio ſuccedant, tamen habent infelicem exitum.

Mox

Mox ſciemus melius vate.

Τάχ' ἂν σάφιον μάντεων ἐκμάθοιμεν.

Id eſt:

Mox melius ipſo vate rem cognorimus.

Ad eum modum dicebant, qui rem non conjecturis divinabant, ſed experimento deprehendere tentarent. Nihil enim experimento certius. In iiſdem extat Plutarchi Collectaneis. Sumptum autem ex Sophoclis Antigona. At Titus Livius belli Punici ſecundi libro 2. eventum appellat ſtultorum magiſtrum.

Cocta numerabimus exta.

Cocta numerabimus exta. Diomedes grammaticus, ubi proverbium definit, hoc exempli vice ſubjecit. Cujus hunc adſcribit eſſe ſenſum: Ex eventu ſciemus. Huic confinis color ille comicus: Res indicabit. Nam, ut ait Ovidius,

Exitus acta probat.———

Et apud Græcos, αὐτὸ δείξει: id eſt, ipſa res indicabit.

Res indicabit.

Αὐτὸ δείξει, ſubaudi, ἔργον. id eſt, Res ipſa indicabit. Cùm ſignificamus experimento exituq; perſpici ſermonis veritatem. Vtitur Plato in Theæteto. Nam illic Socrates exhortans ad inquiſitionem rei: ὁ τὸν ποταμὸν καθηγούμενος, ὦ Θεαίτητε, ἔφη ἄρα δείξειν αὐτό, καὶ τοῦτο ἐὰν ἰόντες ἐρευνῶμεν, τάχ' ἂν ἐμπόδιον γενόμενον αὐτὸ φήνειε τὸ ζητούμενον, μένουσι δὲ δῆλον οὐδέν. id eſt: Qui aliis per flumen iturus dux erat, ô Theætete, dicebat, Ipſa indicavit. Et hoc ſi pergamus inquirere, fortaſſis apparebit quid nobis obſtet. At ſi maneamus, nihil erit perſpicuũ. Natũ videtur a cauſa. Quidã ingreſſurus fluvium, ut aliis ſequuturis dux eſſet percontantibus illis nũ eſſet aqua profunda: reſpondit, αὐτὸ δείξει id eſt, Ipſa indicabit. Marſilius enim ſic vertit, quaſi ſubaudiendum eſſet, ὕδωρ, in Platone: quum illic præcedat ποταμός. Suidas putat ſubaudiendum ἔργον, id eſt, ipſa res. Vſus eſt Ariſtophanes in Lyſiſtrata.

Τὸ γὰρ πρᾶγμ' αὐτὸ δείξει.

Id eſt:

Res ipſa mox probabit.

Pindarus in Nemeis: ἐν δὲ πείρᾳ τέλος διαφαίνεται ὧν τις ἐξοχώτερος γένηται. id eſt, In experimento vero tandem apparet, quibus ſit aliquis præſtantior. Huic finitimum, τὸ πρᾶγμα λέγει, id eſt, Res ipſa loquitur apud Lucianum in Toxaride. item illud Ariſtophanicum in Veſpis:

Τὸ πρᾶγμα φανερόν ἐστιν, αὐτὸ γὰρ βοᾷ.

Id eſt:

Res eſt palam, quando ipſa per ſe clamitat.

Id imitatus M. Tullius in oratione quadam dixit, totam hominis effigiem, malitiam quandam clamitare.

Magiſtratus virum indicat.

Ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν: id eſt, Imperia demonſtrant virum. Dimeter jambicus proverbio celebratus. Quidam Pittaci Mitylenæi putant apophthegma. Sunt qui Soloni tribuant: quorum de numero Sophocles eſt, ut ferunt. Ariſtoteles quinto Moraliũ libro, Biantis nomine citavit. Item Theophraſtus in proverbiis (quanquam ea nõ extant) Bianti adſcribit. Hoc adiiciendum putavi, ne quis cavilletur, ſententiam eſſe, non proverbium. Quanquam Plutarchus in vita Ciceronis oſtendit, fuiſſe proverbio celebratũ dictum, loquens hunc in modum: ὃ δὲ δοκεῖ μάλιστα καὶ λέγεται τρόπον ἀνδρὸς ἐπιδεικνύναι καὶ βασανίζειν, ἐξουσία καὶ ἀρχὴ πᾶν πάθος κινοῦσα, καὶ πᾶσαν ἀποκαλύπτουσα κακίαν, ἡμφιέσθαι μὲν οὐχ ὑπῆρχε. id eſt: Quod autem videtur ac dicitur, maxime mores hominis oſtendere, atq; explorare, nimirum poteſtas ac magiſtratus, omnem movens affectum, & omnem aperiens malitiam, id Demoſthenei quidem nõ adfuit. Sophocles in Antigone:

Ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
ψυχήν τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἂν
ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ.

Id eſt:

Fieri haud poteſt, cuiuſpiam ut permoveris
Animum atque mentem, ſive ſenſum, ni prius
Imperia nactus geſſerit civilia.

Senſus eſt, in vita privata vix ſatis perſpici poſſe mores & ingeniũ hominis. Verum ſi committas imperium, ut quod libeat idem liceat, tum demum apparere quo ſit animo. Eleganter invertit Epaminondas: cui cum Thebani per contumeliam magiſtratum quempiam ſordidum & contemptum mandaſſent, non contempſit, ſed ea cura geſſit, ut muneri prius contemptiſſimo dignitas & authoritas accederet, dicens: οὐ μόνον ἡ ἀρχὴ τὸν ἄνδρα δείκνυσιν, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἀνήρ: id eſt: Non ſolum magiſtratus virum oſtendit, ſed magiſtratum vir. Meminit Plutarchus in præceptis civilibus.

Piſcator ictus ſapiet.

Eandem habet ſententiam illud apud Græcos celebratiſſimum, ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν φύσει. id eſt: Piſcator percuſſus ſapiet. Idq; ferunt ab huiuſmodi quodam eventu natum. Cum piſcator quiſpiam piſcibus, quos intra rete tenebat, manum admoviſſet, atq; à ſcorpio piſce feriretur: Ictus, inquit, ſapiam. Itaque ſuo malo doctus, cavit in poſterum. Plinius lib. 32. demonſtrat id eſſe peculiare draconi & ſcorpio piſci, ut lædant aculeis, ſi manu tollantur. Zenodotus ait paroemiam extare apud Sophoclem.

Factum ſtultus cognoſcit.

Idem aliter effertur ab aliis. ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. id eſt, Rem peractam ſtultus intellexit. Sumptum eſt autem ex Homero, qui pluribus locis hanc uſurpavit ſententiã. Vt in Iliados Π & Υ.

——μηδ' ἀντίος ἵστασ' ἐμεῖο,
πρίν τι κακὸν παθέειν· ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Id eſt:

——mihi obvius ire caveto, prius quam
Noxæ aliquid capias: nam factum nocit & excors

Huc alluſit Euripides in Bacchis:

Κακοῖ ſι ἐγγνώση ἐμὴ ...

Id eſt:

Nam didicit affinis malo.

De Pentheo, qui ſero, nec niſi ſua pernicie doctus, cœpit revereri Bacchum. Neque huic diverſum eſt, quod admonet ſenarius ille, inter Græcanicas ſententias celebris.

Ἠδὴ μετάνοια γίγνετ' ἀνθρώποις κρίσις.

Id eſt:

Tum judicant homines, ubi jam pœnitet.

Eodem pertinet Vergilianum illud:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere divos.

Item illud Demoſthenicum: Non emo tanti pœnitere. Vnde perquam eleganter Fabius apud T. Livium, eventum, ſtultorum magiſtrum appellat: Nec eventus docet hoc, inquiens, qui ſtultorũ magiſter eſt, ſed ratio. Plinius in Panegyrico, quẽ Traiano dixit, huiuſmodi ſeram & infrugiferam prudentiam, miſeram vocat: Terror, inquit, & metus, & miſera illa ex periculis facta prudentia, monebat ut a Rep. (erat autem omnino nulla Reſpub.) oculos, aures, animos averteremus.

COGNATI. *Res authorem, qualis ſit, coarguit.*

Iidem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptores ibidem, Res inquiunt, ipſæ authorem, qualis ſit, coarguunt, etiam ſi pellem ovillam ſubinde oſtentent, hoc eſt, ore impudenti vociferentur, ſeſe eſſe conſtantiſſimos Chriſtianos, cum quidem juxta regulam juris, verba contraria factis nihil probent, imo ſcelus ipſum potius detegant atque arguant.

Dictis dabit ipſa fidem res.

Valet, fidem conciliabit meis verbis & tum mihi credes, cum cernes. Lucretianum eſt hemiſtichium, quo utitur aliquot in locis.

Ipſa res hoc oſtendent.

Ibidem: Quam putidus eſt, & falſus ille, qui dicit: Statui ſimpliciter tecum agere: Quid agis? Non erat hoc præfari opus: ipſa res hoc oſtendet.

EXITIVM HONESTVM.

ERASMI. De pulchro ligno vel ſtrangulare.

Ἀπὸ καλοῦ ξύλου κἂν ἀπάγξασθαι, id eſt, De pulchro ligno etiam ſtrangulari convenit. Admonet paroemia, calamitatem tolerabiliorem eſſe, ſi cum honeſtate fuerit conjuncta: & dedecore cavetur. Veluti, ſi virgo vitietur à generoſo ac prædivite amante. Ariſtophanes in Ranis ad proverbium alludens:

——ἐξ ἀξίου γοῦν τοῦ ξύλου.
Ἤν τι καὶ πάσχητε, πάσχειν τοῖς σοφοῖς δοκήσετε.

Id eſt:

——Digno ſi quid è ligno rei
Perferetis, ferre cordatis videbimini viris.

Quaſi minus miſerum ſit ſuſpendium ſi ex arbore pendeat inſigni. Circumfertur huic ſimillimum proverbium, etiam hodie apud noſtrates: Si demergendus ſim, in aqua pura me demergam, hoc eſt, ſi pereundum eſt, honeſta morte perire ſatius: aut ſi peccandum, honeſtiore peccandum titulo. Poteſt referri & ad eos, qui vincuntur quidem, ſed à victore tam inſigni: ut honeſtius & optabilius videatur ſic vinci, quam alios quoſdam viciſſe. Vnde eſt Vergilianum illud.

Æneæ magni dextra cadis.——

Et apud Ovidium, Ajax pudendum ſibi putat cum Vlyſſe vel certaſſe, etiamſi victor diſceſſerit.

——Mecum, inquit, certaſſe feretur.

Item apud Homerum Iliados φ. ad hunc modum loquitur Achilles.

Ὥς μ' ὄφελ' Ἕκτωρ κτεῖναι ὃς ἐνθάδε γ' ἔτραφ' ἄριστος·
τῷ κ' ἀγαθὸς μὲν ἔπεφν', ἀγαθὸν δέ κεν ἐξενάριξε.
Νῦν δέ με λευγαλέῳ θανάτῳ εἵμαρτο ἁλῶναι.

Id eſt:

O ſi me necet, huc qui egit fortiſſimus Hector,
Tum gnavus gnavi victus virtute periſſem.
Nunc me fata volunt obſcura morte perire.

Pindarus in Pythiis hymno tertio, non diſſimili ſenſu dixit, καλὸν πῆμα: id eſt, pulchra noxa. de Ixione loquitur, qui deceptus imagine Iunonis, ſibi paravit exitium.

Ne veſtigium quidem.

Quoties hominem aut rem penitus abolitam ſignificamus, ne veſti-

veſtigium quidem ſupereſſe dicimus. M. Tullius actione in Verrem iij. Nam ſi aliquam vicem pro noſtra injuria doleremus, veſtigium iſtius in foro non eſſet relictum. Rurſus quinta: Providendum diligenter, ne quod in vita veſtigium libidinis appareat: Item in oratione contra Rullum: Corinthi veſtigium vix relictum erat. In eadem: Ut ipſe locus eorum qui cum hac urbe de imperio certarunt, veſtigia calamitatis oſtenderet. Item pro Cluentio: Quum interea Cluentianæ pecuniæ veſtigium nullum invenitis. Idem pro lege Manilia: Cujus legiones ſic in Aſiam venerunt, ut non modo manus tanti exercitus, ſed ne veſtigium quidē cuiquam pacato nocuiſſe videatur. Item pro Lucio Flacco: Legatos in vincula conjectos, nominis prope Romani memoriam, cum veſtigio imperii, nō modo ex ædibus Græcorum verumetiā ex literis eſſe deletam. Idem pro Sylla. Ut qui paulo ante cōſul deſignatus fuiſſet, repente nullum priſtinæ dignitatis veſtigium retineret. Idem ad Cn. Plancum lib. v. Ne veſtigium quidem ullum eſt reliquum nobis dignitatis. Rurſus ad Papyrium Pætum lib. ix. Ego autem exiſtimes licet quod lubet, mirifice capior facetiis, maxime noſtratibus, præſertim quum eas videam primum oblitas Latio, tum quum in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas, nunc etiam braccatis & tranſalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis veſtigium appareat. Pro veſtigio dixit Imaginem Philippica v. Quæ niſi autoritate ſenatus reſcindantur, quoniam ingreſſi in ſpem Reipub. recuperandæ ſumus, imago nulla liberæ civitatis relinquetur. Idem in epiſtola ad Q. fratrem: Nō enim vidiſſes fratrem tuum, non eum quem noras, non eum quem flens flentem, proſequentem proficiſcens dimiſeras, ne veſtigium quidem eius, nec ſimulachrum, ſed quandam effigiem ſpirantis mortui. Idem aliis verbis expreſſit, ad Atticum lib. iiij. epiſt. Occupationum mearum: Amiſimus mi Pomponi omnem non modo ſuccum ac ſanguinem, ſed etiam colorem & ſpeciem priſtinæ civitatis. Rurſus epiſtola j. libri decimi familiarium. Nec omnino ſimulachrum aliquod aut veſtigium civitatis.

EXILIVM.

ERASMI. *Servabis bovem.*

Βοηλάτης ἔσῃ id eſt, Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium. Siquidem qui per oſtraciſmum ejiciebantur, in Argivam exulatum ibant. Ac illic bos erat Æneus, inſigni magnitudine. Refertur in Plutarchi collectaneis: Heſychius teſtatur extiſſe in Phaſmate Menandri.

Teſtaceum flagellum.

Κεραμικὴ μάστιξ: id eſt, Teſtaceum flagellum, dicebatur oſtraciſmus: de quo nobis abunde dictum eſt in proverbio, Oſtraci converſio. Flagella autem vocabāt, quod hoc exigerentur in exilium: teſtaceum, quod teſtulis ſolerent ea ferri ſuffragia.

Terram pro terra.

Γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνειν. Proverbialis eſt figura in hominem exulem, errorem, & incertis vagantem ſedibus. Ariſtophanes in Acharnenſibus:

> Καὶ διώκειν γῆν πρὸ γῆς.
> Id eſt:
> Terram ante terram perſequi.
> Item alibi:
> Ἐγὼ δὲ φεύγων γῆν πρὸ γῆς φοβούμενος.
> Id eſt:
> Solum at ego fugiens præ ſolo trepidus metu.

Lucianus in Pſeudomante: ἀλλ' ἔδει γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνεσθαι, id eſt: Sed oportebat ad terram pro terra vehi. Apud Latinos Solum vertere dicuntur, qui exilii cauſa migrant alio. Alciphron in epiſtola: μετανάστης ἐκεῖθεν γῆν πρὸ γῆς φεύξομαι μᾶλλον. id eſt: Demigrans quolibet fugiam potius, terram terra commutans. M. Tullius in epiſtolis ad Atticum, lib. xiiij. Hæc & alia ferre non poſſum itaq; γῆν πρὸ γῆς cogito, ſignificat ſe de fugiendo cogitare.

EXPERIENTIÆ, SEU PERICLITATIONIS.

ERASMI. *In Care periculum.*

Ἐν Καρὶ τὸν κίνδυνον: id eſt. In Care periculum: ſubaudi, facio. hoc eſt, in homine, aut re viliore, fac periculoſam experiētiam, in qua ſi parum feliciter ceſſerit, non multum ſit diſpendii capiendum. Huic adagio Carum mores fecere locum. Hic populus eſt, ut author eſt Mela Pomponius, incertæ originis: ut quos alii αὐτόχθονας, id eſt, indigenas, nonnulli Pelaſgos, alii Curetes exiſtiment, gens uſque adeo armorū ſtudio pugnæq; amans, ut aliena etiam bella mercede conducti ſoliti ſint agere. Unde Theocritus in Encomio Ptolemæi:

> Φιλοπτολέμοισί τε Καρσί, dixit.
> Id eſt:
> Bellandique avidis Caribus.

Item Herodotus in Euterpe, oſtendit Cares barbaro ſervilique fuiſſe ingenio, &, ad quidvis malorum ferēdum paratos, mercede propoſita. Id quod indicat & Ariſtophanes in Avibus: οἱ δ' οὖν Κᾶρες, id eſt: Quod ſi ſervus eſt & Car. Strabo lib. Geographiæ xiiij. narrat Cares tota quondam erraſſe Græcia, paſſimq; ſtipendiis meruiſſe. Cæterum in rebus bellicis uſque adeo præcelluiſſe ut paſſim apud poetas arma bellica Carica nominentur: quemadmodum Anacreō Caricam loricam, Alcæus Caricam criſtam dixit, ad quam alludit Ariſtophanes in Avibus. Suidas ſcribit, Cares primos mortalium mercede militaſſe, ut qui vitā ſuam vilem haberent. Hos igitur qui conduxerant, primos in acie collocare cōſueverant, ut primos hoſtium impetus ſuo exciperēt periculo: aut ubi fortuna belli difficillima videretur, illic objiciebantur. Perſæ ſua lingua κάρδακας appellabant, qui rapto vivebant. Carum tandem his temporibus æmulari videntur Helvetii, gens bello nata, ſimplex alioqui, ac minime malum hominum genus: planeq; dignum, ut equidem ſentio, quod hac quoq; nota vacaret, & in literis, & in cæteris honeſtis ſtudiis egregie valiturū, ſi relictis bellis huc animum appellerent. Uſurpat hoc adagium Socrates apud Platonem in Euthydemo, jubens in ſe potius fieri periculum trāsformationis, velut in homuncione Care: quem ſi perdas, non admodum gravis ſit jactura: εἰ δ' ὑμεῖς οἱ νέοι φοβεῖσθε, ὥσπερ ἐν Καρὶ ἐν ἐμοὶ ἔστω ὁ κίνδυνος. ὡς ἐγώ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμί, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος, καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ, ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ. ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω. εἰ δ' ὅτι βούλεται, τοῦτο ποιείτω, μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω. id eſt: Quod ſi timetis vos juvenes, in me tanquam in Care fiat periculum. Nam & ipſe quandoquidem ſenex ſum, paratus ſum ſubire periculum, meque ipſum trado huic Dionyſodoro, quaſi Medeæ Colchitæ. Perdat me: Si velit. Sin minus, quicquid voluerit, id faciat: tantum ut me reddat probum. Idē in Lachete huc reſpexit, cum ait: Cogitandū eſſe iis, qui primū docere incipiunt, & artis ſuæ periculum cum magno juvenum periculo faciunt, non Carem quempiam mercenarium, ſed civium liberos in diſcrimen adduci. Et hunc imitatus Ariſtides in oratione Panathenaica: ἐν δὲ τῷ Καρὶ καὶ οὐκ ἐν τοῖς ἑαυτῶν σώμασι τοὺς κινδύνους ποιούμενοι. id eſt: In Care vero, non in ſuis ipſorum corporibus facientes periculum. Uſus eſt eodem M. Tullius in actione pro L. Flacco: Quid inquit, de tota Caria? nonne hoc veſtra voce vulgatum eſt: Si quid cum periculo experiri velis, in Caria potiſſimum eſſe faciendum? Quem quidē locum apparet eſſe vitiatum: neque verear dejerare, in Care legendum eſſe, non in Caria. Huic diverſum eſt illud: Aureo piſcari hamo. quod alibi reddemus.

In dolio figularem artem diſcere.

Item illud, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνειν: id eſt, In dolio figulariam artem diſcere. De iis, qui protinus maximis in rebus artificii ſui capiunt experimentum, cum paulatim à minutis ad ſumma proficiſci conveniat. Neq; enim figulus ſtatim à dolio, id eſt vaſe maximo artem auſpicatur, ſed à puſillis quibuſdam vaſculis, in quib9 non ſit grave diſpendium, ſi quid ſecus accidat. In hanc ferme ſententiam uſurpat Plato in Lachete: σκοπεῖν οὖν χρὴ μὴ οὐκ ἐν τῷ Καρὶ ὑμῖν ὁ κίνδυνος κινδυνεύηται, ἀλλ' ἐν τοῖς υἱέσι τε καὶ ἐν τοῖς τῶν φίλων παισί, καὶ ἀτεχνῶς τὸ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν ὑμῖν συμβαίνῃ ἐν πίθῳ ἡ κεραμεία γιγνομένη. id eſt, Conſiderare oportet, ne hoc periculum nobis fiat, non in Care, ſed in filiis ſimul atque amicorum liberis: ac plane contingat, quod proverbio dicitur, in dolio figulina. Dicæarchus ad aliam ſententiam torquet proverbium, ut admoneat unumquemque artificem in ſuis negociis exerceri oportere, velut aurigam in ducendis curribus, nauclerum in gubernanda navi, medicum in curandis morbis. Tanquam abſurdum ſit figulum in aurigatione verſari, re videlicet aliena, ac non magis in dolio. Atq; ita huc pertinebit illa ſententia:

> Quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat.

Et Horatianum illud in Epiſtolis:

> Navim agere ignarus navis timet, abrotonum ægro
> Non audet niſi quid didicit dare: quod medicorum eſt,
> Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.
> Scribimus indocti, doctique poemata paſſim.

Sic propemodum uſurpat Gregorius theologus in Apologia De fuga: ὅτι δοκεῖ πάντων ἄτοπον εἶναι, πρὶν αὐτοὺς ἱκανῶς παιδευθῆναι, καὶ ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν τὸ δὴ λεγόμενον, ἐν ταῖς τῶν ἄλλων ψυχαῖς εὐσέβειαν μελετᾶν, λίαν ἐμοί φαίνεται ἀνοήτων. id eſt, Itaq; alios velle docere, prius quam ipſi ſatis edocti ſint, & in dolio, quod ajunt, figulinam, in aliorum animis meditari pietatem, mihi quidem videtur hominum inſigniter deſipientium.

In harenam deſcendere.

In harenam deſcendere, pro eo quod eſt, certamen inire. A gladiatoria item harena tranſlatum, de qua Flaccus:

> Ne populum extrema toties exoret harena.

Quæ ſi ad rem animi transferantur, metaphoram habebunt proverbialem. In exemplis referendis, quoniam paſſim obvia ſunt, non arbitratus ſum vel immorandum mihi, vel remorandum lectorem. Meam harenam, dixit Plinius in epiſtolis, pro mea functione. Ita enim ſcribit Fabato: Itaq; Beticio Priſco quantum plurimum potuero, præſtabo, præſertim in harena mea, hoc eſt, apud centum viros.

Quanta mus apud Piſcam.

Ὅσα μῦς ἐν Πίσῃ, id eſt, Quanta mus apud Piſcam: ſubaudi, tulit, aut ſimile quippiam. De iis qui vincunt, & optatis potiuntur, ſed non ſine ſummo negocio, neque citra magnum incommodum ſuum. Suidas natum ait ab athleta quodam, ſeu pugile Tarentino, qui in Olympiacis certaminib. apud Piſam ſemel duntaxat victor

diſceſſit, idque plurimis acceptis plagis. Plutarch. Sympoſiacôn commentario quinto, docet apud Piſam μονομαχίας, id eſt, ſingularia certamina celebrari ſolere, in quibus etiam ad cædem uſque affligebantur ij, qui ſuccubuiſſent.

Omnem movere lapidem.

Πάντα λίθον κίνει: id eſt, Unumquemque move lapidem, hoc eſt: Omnia experire, nihilque intentatum relinque. Quod adagium hoc pacto natum eſſe pleriq; ferunt. Xerxes Græcos bello adortus, cum eſſet apud Salaminem ſuperatus, ipſe quidẽ inde ſe movit verum Mardonium reliquit, qui ſuo nomine bellũ proſequeretur. At cum hic quoq; in Platæis parum proſpere pugnaſſet, fugatusque eſſet, fama vulgo invaluit, Mardonium intra ambitum tentorii ſui theſaurum ingentem humo defoſſum reliquiſſe. Hac ſpe pellectus Polycrates Thebanus, cum agrum cõmercatus eſt. Verum ubi jam multum diuq; theſaurum quæſiſſet, nec quicquam proficeret, Delphicum oraculum conſuluit, qua ratione poſſet eas pecunias invenire. Apollo reſpondit verbis, πάντα λίθον κίνει: id eſt, Unumquemque move lapidem. Id ſimulatq; feciſſet, multam auri vim repeciſſe ferunt. Sunt qui metaphoram ſumptam exiſtiment ab his, qui cancros venantur in littore. Nam hi plerunq; ſub ſaxis latitant, quæ movent qui cancros quærunt. Effertur adagiũ etiam ad hunc modum, πάντα κινήσω πέτρον, id eſt: Omnem movebo petram: hoc eſt, omnia periclitabor. Euripides in Heraclidis: πάντα κινοῦσα πέτρον: ſentiens nihil non fieri. Plinius Junior in quadam epiſtola: Ego jugulum ſtatim video, hũc premo. Premit certe quod elegit, ſed in eligendo frequenter errat. Reſpondi poſſe fieri, ut genu eſſet, aut tibia, aut talus, ubi jugulum putaret. At ego, inquam, qui jugulum perſpicere non poſſum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λιθάζω: id eſt, omnem lapidem moveo. Divus Baſilius ad nepotes: Ad quod ut viaticum paremus omnis lapis, ut dici ſolet, movendus eſt. Fortaſſis huc alluſit & Theocriticum illud in Bucoliaſtis:

Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον.——

De Galatea laſciviente, atque omnia tentante, quo Polyphemum in ſe provocaret: id quod alibi retulimus. Scholiaſtes admonet, proverbio dici, ſignificans idem valere quod πάντα κάλων σείειν, id eſt, omnem movere funem. Addit, metaphoram ſumptam à ludo quopiam: in quo qui poteſt alia ratione vincere concertatorem, movet à linea lapidem, qui dicitur Rex. Nam quod adfert de ſtatua ſaxea, quam ſua forma movere poſſit Galatea, coactius eſt, mea quidem ſententia.

Omnem rudentem movere.

Πάντα κάλων σείειν, id eſt, omnem funem movere. Aliunde ducta metaphora, ſenſum eundem efficit. Ariſtophanes in Equitibus:

Νῦν δεῖ σε πάντα δὴ κάλων ἐξιέναι,
Καὶ λῆμα θούριον φορεῖν, καὶ λόγους ἀφύκτους.

Quorum verſuum hic eſt ſenſus:

Nunc te neceſſe eſt omnem rudentem expedire.
Et lemma ferre vehemens, ac rationes inevitabiles.

Lucianus in Pſeudomante: καὶ πάντα κάλων σείων ἀμύνασθαι βουλόμενος. id eſt: Atque omnem movebam funem, hominem ulciſci cupiens. Apollonius in epiſtola ad Euphratem: πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν: id eſt, Negotiatorem ajunt omnem funem movere oportere. Uſurpavit & Plato in Dialogo cui titulus Siſyphus: σκοπῶμεν τί ἐστι, ὑπεραφυῶς πρὸς Διὸς τὸ λεγόμενον δὴ πάντα κάλων ἐφιέντες, καὶ πᾶσαν φωνὴν ἱέντες, id eſt, Conſideremus itaque per Jovem exacte omnem, quod ajunt, rudentem laxantes, & omnem vocẽ emittẽtes. Julius Pollux libro de vocabulis rerum j. ἐπλέομεν πάντα ἀνασείοντες κάλων, καὶ ἅπαντι κάλῳ. id eſt, Navigabamus omni modo rudente, & omnibus rudentibus. Ad eum modũ ſignificat difficilem navigationem, in qua ſunt omnia tentanda.

Reſpublica virum docet.

Πόλις ἄνδρα διδάσκει, id eſt, Reſpublica virum docet. Significat, neminem ad rem gerẽdam idoneum eſſe poſſe, niſi qui ſit uſu exercitatus. Plutarchus citat ex Simonide, tametſi hemiſtichium carminis heroici: Quantumlibet diu verſatus in agro, nõ fies idoneus adminiſtrãdæ reipublicæ, niſi vixeris in foro, in curia, in frequẽti populo. Alluſit huc Socrates Platonicus, quum invitatus ad loca amœna in agris, reſpondit ſe cupidum eſſe diſcendi, arbores autem nihil docere.

Omnem jacere aleam.

Omnem jacere aleam, eſt rem univerſam periclitari, fortunæque arbitrio committere. Siquidem alea, fortunæ ludus eſt magis quam artis. Unde proverbiali figura ſi quando ancipitem rei eventum ſignificamus, quaſi non arbitrio jacientis, ſed à fortuna pendentis, aleam jaci dicimus. Ita Terentius in Adelphis, vitam hominum perinde dixit eſſe, quaſi cum ludas teſſeris, ut quod jactu non cecidit, id arte ut corrigas. Lucianus in dialogo, cui titulus, ὑπὲρ τῶν εἰκόνων: τολμήσω ἀναρρῖψαι τὸν κύβον. id eſt: Audebo teſſeram jacere. Euripides in Rheſo:

Χρὴ δ' ἐπ' ἀξίοις πονεῖν,
τύχην προβάλλοντ' ἐν κύβοισι δαίμονος.

Id eſt:

Par eſt labore digna ferre præmia,
Quicunque vitam ſortis objicit aleæ.

Ariſtides in Pericle: καὶ εἷς ὑπὲρ πάντων κύβος ἀνερρίπτετο, σωμάτων, χρημάτων, δόξης, ἡγεμονίας, id eſt: Una ſuper omnibus alea jaciebatur, vita, pecuniis, fama principatu. C. Cæſar ad Rubiconem, qui fluvius Italiam à Gallia diſterminat, pauliſper ſecum hæſitãs, animoque reputans, quam arduam rem moliretur, poſteaquam oſtento eſt animus additus: Eamus, inquit, quo deorum oſtenta, quo inimicorum iniquitas vocat: jacta eſto alea. Plutarchus in Apophthegmatis ad hunc modum dixiſſe refert: πᾶς ἀνερρίφθω κύβος. id eſt: Omnis jacta ſit alea. Ad quod alludens Lucanus:

——Cadat alea fati,
Alterutrum merſura caput,——

Plutarchus in vita Corioliani, extremam aleam in eundẽ ſenſum uſurpaſſe videtur, ὥσπερ ἐξ ἄκρων κύβον ἀφιείς. id eſt: Velut ex extrema jacta alea.

Item Petronius Arbiter:

Judice fortuna cadat alea.——

M. Tullius lib. De divinat. ij. Non perſpicitis aleam quandam ineſſe hoſtiis diligendis, præſertim quum res ipſa doceat. Quum enim triſtiſſima exta ſine capite fuerint, quibus nihil videtur eſſe dirius, proxima hoſtia litatur ſæpe pulcherrime. Hic Tullius aleã dixit, caſum. Proverbium deſumptũ videtur ex Menandro. Nam Athenæus lib. xiij. hæc citat illius carmina è comœdia quæ inſcribitur Arrephorus, ſive Tibicina:

Οὐ γαμεῖς ἂν νοῦν ἔχῃς, τοῦτον καταλιπὼν τὸν βίον.
Γεγάμηκα γὰρ αὐτὸς διὸ σοι παραινῶ μὴ γαμεῖν.

Id eſt:

Siquidem ſapis, ne conjugem unquam duxeris.
Duxi ipſe, proinde ſuadeo, ne conjugem uſquam duxeris.

Huic alter reſpondet.

Δεδογμένον τὸ πρᾶγμα, ἀνερρίφθω κύβος.

Id eſt:

Decreta res eſt, eſto jacta hæc alea.

Græci verſus apud Athenæum nonnihil corrupti ſunt ſcribarum inſcitia. Sed nullo negocio poſſunt reſtitui. Sic enim ſcriptos primum arbitror:

Οὐ γαμεῖς ἂν νοῦν ἔχῃς γε καταλιπὼν τὸν βίον,
Γεγάμηκα γὰρ αὐτὸς διὸ σοι μὴ γαμεῖν σοι παραινῶ.

Plato humanam vitam, teſte Plutarcho, ſimilem eſſe dixit alearũ ludo, in quo & jacere oporteat accommoda, & iis quæ ceciderunt recte uti. Qui cadat, id fortunæ in manu eſt, diſtribuere vero recte quæ forte ceciderũt, id non nobis ſitum eſt. Quam collationẽ imitatus videtur fuiſſe Terentius in Adelphis.

Aut ter ſex, aut tres teſſeræ.

Ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, id eſt, Aut ter ſex, aut tres teſſeræ. Si quando ſignificabim⁹ nos extrema periclitari velle, & per plane vincere, aut prorſum vinci, hoc adagio tempeſtiviter utemur. Sumptum eſt à vetuſto teſſerarum luſu: in quo qui novem jeciſſet, is modis omnibus ſuperabat: qui tres, is longiſſime aberat à victoria. Nam antiquiores tribus teſſeris uti conſueverant, non quemadmodum nunc duabus. Teſſeram autem etiam jactum ipſum appellant: qui nonnunquam plenus eſt, interdum inanis. Itaque jactus ter trium feliciſſimus erat, trium inanis. Meminit hujus adagionis Julius Pollux, lib. de rerum vocabulis ix. Porro teſſeras eaſdem eſſe cum iis quos Græci κύβους appellant, teſtis eſt A. Gellius lib j. c. xx. κύβος enim, inquiẽs eſt figura ex omni latere quadrata. Quadrantales ſunt, inquit M. Varro, teſſeræ, quibus in alveolo luditur, ex quo ipſæ appellatę κύβοι. Zenodotus parœmiam hanc citat ex Pherecratis fabula, cui titulus Myrmecanthropi: eſt enim clauſula carminis trochaici. Suidas & Æſchylum adducit ex Agamemnone:

Τὰ δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
Τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Id eſt:

Nam res herorum faxo ut optime cadant,
Ter ſex ubi Phryctoriæ jaciam meæ.

Uſurpatum eſt à Platone libro De legibus ultimo: [illegible] ἐχόντων τούτων οὕτως ἡμῖν, τί λεγόμενον ὦ φίλοι ἐν κοινῷ καὶ μέσῳ ἔοικεν ἡμῖν κεῖσθαι, καὶ κινδυνευτέον περὶ τῆς πολιτείας ἐθέλοντας ξυμπάσης, ἢ τρὶς ἕξ, φασίν, ἢ τρεῖς κύβους βάλλοντας, πάντα ποιητέον. id eſt: Itaq; cum hoc in loco res fuerint, quid faciendum cenſes hoſpes? Juxta id quod vulgo dicitur, amici, viſum eſt nobis par eſſe, uti rem in publicum & in commune conferamus, velimusque de univerſa rep. ſupremum ſubire diſcrimen, nihilq; non facere, ita ut vel ter ſex, vel tres talos jaciamus.

Rex aut aſinus.

Βασιλεὺς ἢ ὄνος: id eſt, Rex aut aſinus, hoc eſt, aut victor, aut victus. Simile illi, ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι, Aut ter ſex, aut tres tali. Euſtathius in Odyſſeæ ſextum enarrans librum, oſtendit metaphoram ductam ab his qui ludunt ſphæra; quibus qui viciſſet, rex appellabatur; qui victus fuiſſet, huic aſino nomẽ erat. Plato in Theæteto, ὃς δ' ἂν ἁμάρτῃ, καθεδεῖται, ὥσπερ φασὶν οἱ παῖδες οἱ σφαιρίζοντες, ὄνος· ὃς δ' ἂν περιγένηται ἀναμάρτητος, βασιλεύσει ἡμῶν. id eſt, Qui aberrarit, is deſidebit, quemadmodum dicunt ij, qui ſphæra ludunt, aſinus; qui vero nihil aberrans vicerit, rex noſter eſto. Julius Pollux lib. De rerum vocabulis ix. ſphæra ludendi quatuor modus commemorat, quorum primus appellatur ἐπίσκυρος, alter φαινίνδα, ſeu [illegible], tertius ἀπόρραξις, quartus οὐρανία. Quorum poſtremum [illegible] is [illegible] proverbium

bium propriè facit) deſcribit his verbis: ἡ δ' οὐρανία ὁ μὲν ἀνακλινόμενος ὀπίσω, ἀπορρίπτει τὴν σφαῖραν εἰς τὸν οὐρανόν, τοῖς δ' ἦν ἀμφισβήτησις φιλοτιμία πρὶν εἰς γῆν αὐτὴν πεσεῖν, ἁρπάσαι· ὅπερ, οἶμαι, καὶ Ὅμηρος ἐν Φαίαξι ποιεῖ. ὁπότε μέν τοι πρὸς τὸν τοῖχον τὴν σφαῖραν ἀντιρρίψειαν, τὸ πλῆθος τῶν πληγῶν ἠριθμεῖτο, καὶ ὁ μὲν ἡττηθεὶς, ὄνος ἐκαλεῖτο, καὶ πᾶν ἐποίει τὸ προσταττόμενον, ὁ δὲ νικῶν βασιλεύς τε ἦν καὶ ἐπέταττεν, id eſt: Urania verò luſus ſic habet: Aliquis reſupinans ſeſe, ſphæram in cœlum mittit, reliquis autem certamẽ erat, vt eam prius quam in terram recideret, caperent, id quod in Phæacibus ſignificare videtur Homerus. Sane verò cum adverſus parietem ſphærã miſiſſent, numerus ſubſultuum cẽſebatur: & qui victus fuiſſet, is aſinus appellabatur: & quicquid imperatum eſſet faciebat: rurſum qui viciſſet, is & rex erat, & imperabat. Hactenus Julius. Porrò locus quem ex Homero citat, eſt, Odyſſ. θ ad hunc modum:

> Τόν ῥα περιστρέψας ἧκε στιβαρῆς ἀπὸ χειρός.
> Βόμβησεν δὲ λίθος, κατὰ δ' ἔπτηξαν ποτὶ γαίῃ.
> Φαίηκες δολιχήρετμοι ναυσικλυτοὶ ἄνδρες,
> Λᾶος ὑπὸ ῥιπῆς, ὁ δ' ὑπέρπτατο σήματα πάντων.
>
> Id eſt:
>
> Verſatum hunc valida ſubmiſit in aera dextra,
> Intonuit lapis: aſt in imum formidine ſidunt
> Phæaces gens gnara maris, ratibuſque ſuperba,
> Ob ſaxi jactum: verum id procul omnia ſigna
> Tranſvolat.

Ab hac forma non videtur alienum, quod eſt apud Plautum in Pœnulo. Rex ſum, ſi ego illum hodie hominem ad me illexero. Licebit vti, cum ſignificabimus jaciendam aleam, quæ vel ſummos reddat, vel infimos.

Vela ventis permittere.

Neq; diſſimili figura dixit Quintilianus in præfatione Inſtitutionum oratoriarum: Permittamus vela ventis, & oram ſolventibus bene precemur, hoc eſt: Æditionis ancipitem eventum, vtcunque cadet, experiamur. Simillimum eſt illud apud Senecam in Agamemnone: Fluctibus dedi ratem, hoc eſt: Rem fortunę arbitrio commiſi. Theognis:

> Οὕνεκα νῦν φερόμεσθα καθ' ἱστία λευκὰ βαλόντες.
>
> Id eſt:
>
> Quare nunc ferimur tendentes carbaſa ventis.

Venuſtè Græcis πλησίστιος φέρεσθαι, dicitur qui toto pectore ſummoq; conatu rapitur ad aliquid. Ita Plutarchus in Catone ſeniore de Scipione: Hunc Cato reprehendebat, quod largitione corrumperet. Scipio reſpondit, ſibi non opus eſſe quæſtore nimium diligenti, quum ipſe πλησίστιος, id eſt, plenis velis ad bellum raperetur. Ovidius.

> Et quoniam magno feror æquore, plenaque ventis
> Vela dedi.——

Deo fortunaque committo.

Qui fortunam experiri ſtatuerit, eventum negocii fortunæ committens, in hunc convenerit illud ex eodem libro.

> Ἥσω γὰρ καὶ ἐγὼ, Διὶ δ' ἐν πάντα μελήσει.
>
> Id eſt:
>
> Torſero & ipſe, Jovi fuerint hæc omnia curæ.

Ad aſylum confugere.

Huic cognatum eſt, ad aſylum confugere, M. Tull. actione in Verrem 3. Se quæſtorem prohibitum eſſe dicebat, quo minus è phano Dianæ ſervum ſuum, quia in illud aſylum confugiſſet, abduceret. Hæc fient venuſtiora & παροιμιωδέστερα, ſi ad animi res transferantur.

Quo properas, num ad ephebum?

Philoſtratus in vita Apollonii, ὅτι πολλοῦ λόγου, ποῖ τρέχεις; ἦ ἐπὶ τὸν ἔφηβον; ἐπ' ἐκείνῳ τε ἐλέγετο, καὶ παροιμίας τιμὴν ἔχειν, id eſt: Ac Cilicibus celebratum dictum, Quo curris? num ad ephebum? de illo quoque ferebatur, adagiiq; vim obtinebat. Parum liquet, quid ſibi voluerit Cilicum illud adagium: niſi fortè ſumptum eſt ab Apollinis oraculo, ad quod vndiq; feſtinabatur: fingebatur autem imberbis Apollo, quemadmodum & Bacchus.

Tanquam ad aram.

De ſacra ancora dictum eſt alias. Illi ſimillimum eſt: Ad aram, quum extremum refugium intelligi volumus. Inde ſumptum, quod olim qui extrema neceſſitate vrgebantur, ad aras deorum ſoleant confugere, vnde nefas erat quenquam detrahere. Marcus Tullius in oratione pro Roſcio Comœdo: Quod item nuper in Erote Comœdo vſuvenit, qui poſteaquam è ſcena non modo ſibilis, ſed etiam convicio explodebatur; ſicut ad aram confugit in hujus domum, diſciplinam, patrocinium, nomen. Idem libr. 3. De natura deorum: Quod vos, inquit, quum facere non poteſtis, tanquam ad aram confugitis ad deum. Idem actione in Verrem 4. Magiſtratuum autem noſtrorum injurias ita multorum tulerunt, vt nunquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum publico conſilio confugerent. Ovidius Epiſtolarum libr. 4.

> Unica fortunis ara reperta meis.

Plautus in Moſtellaria: Ad aram confugiſti.

Res ad triarios rediit.

Romanum extat adagium, elegans cum primis & annotandũ, Res ad triarios rediit. Eo licebit vti, cum ſignificabimus rẽ eo periculi redactam eſſe, vt extremo conatu, ſummiſque viribus ſit enitendum, & ad ſuprema confugiendum conſilia, quibus ſi nihil proficiatur, jam nihil reliquum eſſe videatur, vnde ſubſidium ſperare poſſis. Veluti ſi in diſceptatione quapiam literaria, mediocribus ambigentibus, ad vnum aliquem ſummæ doctrinæ virũ rem deferre cogeremur: aut in ancipiti negocio potentiſſimorũ amicorum opem implorare compelleremur, quos non niſi maxima quadam adacti neceſſitate ſoleamus interpellare. Denique ſi cum vulgaribus illis conſiliis res implicati nequit, ad novum aliquod & egregie callidum confugitur. Quemadmodum Terent. ille Phormio in ſui nominis fabula, cum ſignificaret, neque in Antiphone neq; in Phædria, neq; in Geta ſatis eſſe præſidii ad retundendam ſenis ſævitiam. Ad te, inquit, Phormio ſumma redit. Natum eſt adagium à ratione modoq; cõponendi Romani exercitus. Refertur autem pariter, & explicatur à T. Livio, primæ Dec. libro 8. cujus verba libuit ſubſcribere. Poſtremo in plures ordines acies diſtribuebatur. Ordo enim ſexagenos, ſive (vt alii legunt) ſexcenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat. Prima acies haſtati erant, manipuli 15 diſtãtes inter ſe modicum ſpacium. Manipulus leves vicenos milites, aliam turbam ſcutatorum habebat. Leves autem, qui haſtam tantum geſſaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubeſcentium ad militiam habebat. Robuſtior inde ætas totidem manipulorum quibus Principibus eſt nomen. Hos ſequebãtur ſcutati omnes, inſignibus maximè armis. Hoc triginta manipulorum agmen antepilanos appellabant, quia ſub ſignis jam alii quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo vnuſquiſq; tres partes habebat. Earum vnamquanque Primumpilum vocabant. Tribus ex vexillis conſtabat. Vexillum 183. vt alii, ſed homines erant. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem ſpectatæ virtutis. Secundum rorarios minoris roboris ætate factiſq;. Tertium accenſos, minimæ fiduciæ manum. Eo & in poſtremam aciem rejiciebantur. Ubi his ordinibus exercitus inſtructus eſſet, haſtati omnium primi pugnã inibant. Si haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes, in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tum principum pugna erat, haſtati ſequebantur. Triarii ſub vexillis conſidebant, ſiniſtro crure porrecto, ſcuta innixa humeris, haſtas ſubrecta cuſpide, in terram fixas, vt haud ſecus quam vallo ſepta inhorreret acies, tenentes. Si apud principes quoq; haud ſatis proſpere eſſet pugnatum, à prima acie ad triarios ſenſim referebantur: inde rem ad triarios rediſſe, cum laboratur, proverbio increbuit. Triarii cõſurgentes, vbi in intervalla ordinum ſuorum principes & haſtatos recepiſſent, ex templo compreſſis ordinibus veluti claudebant vias, vnoq; continente agmine, jam nulla ſpe poſt relicta, in hoſtem incidebant. Id erat formidoloſiſſimum hoſti, cum velut victos inſecuti novam repente aciem exurgentem auctam numero cernebant. Hactenus T. Livius: cujus ex verbis ſatis arbitror liquere proverbium: vt noſtra interpretatione jam nõ ſit opus. Item Veget. De re milit. libro ſecundo declarat, poſt omnes acies ſolere collocari triarios, omni armorũ genere inſtructos, qui genu poſito ſubſidebant: vt ſi primam aciem vinci contigiſſet, ab iis integrato prælio victoria repararetur. Modeſtus in libello De vocabulis rei militaris: Sextus, inquit, ordo poſt omnes à firmiſſimis & ſcutatis, & omni genere armorum munitus, bellatores tenebat, quos antiqui triarios appellabant. Hi vt requieti & integri acrius invaderent hoſtes, poſt vltimas acies ſedere conſueverunt, & ſi quid in primis ordinibus accidiſſet, de eorum viribus reparaturis ſpes tota pendebat. Flavius Vopiſcus in vita Firmi Imperatoris, indicat robuſtiſſimum quemq; militem in triarios allegi ſolitum, docens cum nervis robuſtiſſimis fuiſſe, hoc argumento, quod triarium quoque vinceret.

Sacram ancoram ſolvere.

Huic finitimum eſt illud, quod apud Græcos celebratur: ἱερὰν ἄγκυραν χαλάσαι, id eſt, Sacram ſolvere ancorã: quoties ad extrema præſidia cõfugitur. Tranſlatum à nautis, qui maximam ac validiſſimam ancoram ſacram vocant, eamq; tum demum mittunt, cum extremo laborant diſcrimine. Lucianus in Jove tragœdo: ἄκουε δὴ ἱεράν, φασίν, ἄγκυραν, ἣν οὐδεμιᾷ μηχανῇ ἀπορρήξεις, i. Audi jam ſacram, vt ajunt, ancoram, quamq; nulla vi queas abrumpere. Sic enim appellat argumentum inſolubile. Rurſum Drapetis: ἔδοξεν οὖν σκεψαμένῃ τὴν ὑστάτην ἄγκυραν ἣν ἱεράν οἱ ναυτιλλόμενοι φασί, καθεῖναι, id eſt: Viſum eſt igitur re perpenſa, extremam ancoram, quam nautæ ſacram nominant, demittere. Rurſum in Apologia: Μία μοι ἴσως ἐκείνη ἄγκυρα ἔτι ἄρρηκτος, id eſt: Mihi fortaſſis vna illa ancora adhuc ſupereſt integra, id eſt: Illud mihi adhuc ſupereſt, quo poſſim confugere. Euripides in Helena:

> Ἄγκυρα δ' ἥ μου τὰς τύχας ὤχει μόνη.
>
> Id eſt:
>
> Mihi ab vnica fortuna pendet ancora.
>
> hoc eſt:
>
> Una duntaxat ſpes mihi ſupereſt.

Ariſtides in Themiſtocle: καὶ ὥσπερ ἐκ τῆς ἱερᾶς ἀγκύρας τῆς ἐκείνου φωνῆς ἐχόμενοι, id eſt: Ac velut à ſacra ancora de illius voce pendentes. Divus Chryſoſtomus de Lazaro concione 4. conſcientiam appel-

las ἱερὸν ἄγκυραν: quod illa nunquam patiatur hominem abripi vi cupiditatum, veluti ventorum procella, quin obſiſtat.

Movebo talum à ſacra linea.

Idem pollere putat Diogenianus, κινῶ τὸν ἀφ' ἱερᾶς, id eſt: Sacræ lineæ talum moveo. De iis qui extrema parant experiri. Id Julius Pollux lib. ix. exponens, ait à ludo quopiam teſſerarum natum eſſe adagium. Luſum autem fuiſſe hujuſmodi, vt vtriq; ludentium eſſent calculi quinque, totidem impoſiti lineis: vnde & Sophocles dixerit, πεντέγραμμα, id eſt, Teſſeræ quinque linearum. Inter eas lineas, vtrinq; quinas, vnam fuiſſe mediam, quam ſacram vocabant: vnde qui talum moviſſet, is ſacræ lineæ calculum movere dicebatur. Id verò non fiebat, niſi cum res poſceret, vt ludens ad extrema confugeret auxilia. Uſurpat hoc adagium Plato lib. De legibus v. κινήσομεν τὸν ἀφ' ἱερᾶς, id eſt, Tanquam à ſacra teſſera. Plutarchus in libro qui inſcribitur, An ſeni ſit gerenda reſpub. τελευταῖον ὥσπερ τὸν ἀφ' ἱερᾶς ἐπικινοῦσιν ἡμῖν τὸ γῆρας, id eſt: Poſtremam nobis, tanquam a ſacra linea ſenectam allegant: hoc eſt, velluti cauſam graviſſimam. Idem commentario De comparatione terreſtrium ac marinorum: Φέρε κινήσαντες τὸν ἀφ' ἱερᾶς, βραχέα περὶ θειότητος αὐτῶν καὶ μαντικῆς εἴπωμεν, id eſt: Age moto talo a ſacra linea, paucis de divinitate eorum & divinatione dicamus. Rurſum idem adverſus Colotam Epicureum: Οὐκοῦν τὸν ἀφ' ἱερᾶς κεκίνηκεν ὁ Κωλώτης, id eſt: Protinus igitur talum à ſacra movit Colotes, hoc eſt: ſtatim id quod eſt graviſſimum, aggreſſus eſt, vt impugnaret Apollinis de Socrate judicium. Idem in vita Martii Coriolani, de civitate Romana ob Coriolani minas perturbata: ἦρε τὸν ἀφ' ἱερᾶς ἀφῆκεν, id eſt: Sublatam a ſacra linea teſſeram miſit. Deſperatis enim rebus ad deorum religionem confugiebat, ſupplicatum miſſis ſacrificiis, æditnis, initiatoribus, auguribus, &c. Huc alluſit & Theocritus in Bucoliaſtis:

Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμᾶς κινεῖ λίθον.

Atque à lincola lapidem movet.—de quo nobis & alias facta mentio.

Semper tibi pendeat hamus.

Adſimili metaphora dixit Ovidius in Amoribus:

Caſus vbique valet, ſemper tibi pendeat hamus:
Quo minimè credis gurgite, piſcis erit.

Id eſt:

Semper experienda fortuna, & omnis tentanda occaſio.
Simile illi, Omnem movere lapidem.

Tentantes ad Trojam pervenerunt Græci.

Theocritus in Siracuſiis, tentando atq; experiendo quantumlibet etiam ardua perfici, figura proverbiali ſignificans:

—Ἐς Τροίαν, inquit, πειρώμενοι ἦνθον Ἀχαιοί.
Καλλίστα παίδων πείρᾳ πάντα τελεῖται.

Id eſt:

—Tentando ad Trojam venere Pelasgi.
Cuncta, puellarum pulcherrima, perficit vſus.

Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt.

Equidem non pugno eſſe proverbium, etiamſi proverbii ſimillimum eſt, illud epiphonema Senecæ, libr. Epiſtolarum 11. Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt. Quo licebit vti, quoties res parum ex animi ſententia cecidit, & ſignificabimus non eſſe deſiſtendū à conatu. Quanquam Seneca loquitur de iis, qui refugiunt in vllum hominem beneficium collocare, quod ſemel inciderint in ingratum. Ejuſdem generis eſt, quod eodem ſubnectitur loco: Poſt naufragium maria tentantur.

EX APPENDICE ERASMI.

Tractant fabrilia fabri.

Natura monemur, vt ea, quorum gnari ſumus, quibusq; aſſuevimus, ea faciamus. Horatus epiſt. 1.

—Quod medicorum eſt
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.

Idem alibi:

Quam ſcit quiſque lubens cenſebo exerceat artem.

Lege alibi proverb. In dolio figularem artem diſcere.

Vnedo.

De re, quæ initio quidem novitate arridet, verum repetita ſordeſcit: cum contra κόρος οὐδεὶς τῶν καλῶν, nulla ſit ſatietas rerum honeſtarum: Tradit Plinius vnedonem pomum eſſe.

IVNII. Ἀνακυβεύειν.

Ἀνακυβεύειν, quaſi dicas aleam jacere, proverbialiter vſurpatum, pro periculum facere, & experiri ancipiti quodam marte, eleganrius quidem, quam cæteri, qui κινδυνεύειν duobus verbis efferunt. Polybius libr. 1. ὡς ἂν μέλλοντες ἀνακυβεύειν ὑπὲρ τῶν ὅλων, id eſt: Velut aleam periclitaturi de ſumma rerum, & lib. 2. ..... ἀκούσαντα φασὶ ..... ἀνακυβεύειν ὑπὲρ τῶν ὅλων, ... δυνάμεσι, id eſt: Quo audito Cleomenem ajunt decreviſſe, e veſtigio totis viribus belli aleam eſſe tentandam, prius quam miles, quid accidiſſet, cognoſceret. Apud Suidem: ..... ἀνακυβεύειν ..... id eſt: Ratus, juxta poetam, dolum ſubeſſe, judicavit, haudquaquam jaciendam eſſe aleam, aut periclitandum omnibus commiſſis copiis, & iterum Polybius: ..... ἀνακυβεύειν καὶ παραβάλλεσθαι, id eſt: Decreverunt Carthaginenſes aleam jacere, & prælio congredi, ita Ammianus lib. ..... Imperator omnes aleæ caſus inter mutuas clades experiri feſtinans. Huc ſpectat illud Æſchyli in ſeptem ad Thebas:

Ἔργον δ' ἐν κύβοισιν Ἄρης κρινεῖ.

Id eſt:

Mars belli incertus negocium finiet alea.

BRASSIC. *Mittere lineam.*

Plautus in Moſtellaria: Non ego ita exemplo meum oſtendam ſenſum, mittam lineam. Metaphora à pictoribus ſumpta. Lineam mittere dicuntur, qui rem tantum adumbrant, & conjecturis quibusdam inquirendam proponunt. Siquidem ex lineatum ductu, juſtum etiam picturæ artificium diſcimus. Unde verſiculus ille paſſim celebratur:

Linea, quæ veterem longè fateatur Apellem.

COGNATI. *Iactata eſt alea.*

In proverbio eſt, Jacta eſt alea cum ſic incœpta res eſt, vt deſiſtere integrum non ſit, quod verbum Cæſar trajecturus Rubiconem vſurpavit, vt inquit Plutar. ἐρρίφθω κύβος: & pro eventu re dubio ponitur. Lucianus in Hermotimo: Itaq; juxta proverbium, in vno viro jecimus aleam. Idem pro imaginibus, ... τὸν κύβον, id eſt: Audebo jactare aleam. In Saturnalibus ..... vocat naufragium. Aleam ab inventore dictam, quidam tradunt: eſt autem tabula luſoria, quæ & latrunculatia, & pyrgus, & alveus, & alveolus vocatur, rotunda illa tabella rotulæ inſtar, quæ movetur. Ad hæc pertinent elegantes verſiculi Alexidis, quos citat author Græcus, ſed innominatus, in eclogis rei ruſticæ:

Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστιν ὥσπερ οἱ κύβοι,
Οὐ ταὔτ' ἀεὶ πίπτουσιν οὐδ' ἐν τῷ βίῳ
Ταὐτὸν διαμένει σχῆμα, μεταβολὰς δ' ἔχει.

Sic in Antiphonte ..... : ..... τὸν βίον ..... (Supra Junii proverb. ἀνακυβεύειν, aleam jacere.)

Experientia rerum magiſtra.

Et hoc hodie vſitatum eſt, atq; in proverbiis numeratur: quod ſic expreſſit Lucretius in extremo libro 5.

Uſus & impigræ ſimul experientia mentis
Paulatim docuit pedetentim progredientis.
Namque aliud ex alio clareſcere corde videbant
Artibus, ad ſummum donec venere cacumen.

Igne probatus.

Aurum igne optime probari, ecquis eſt omnium qui ignoret? Ita enim maximè probum improbumque explorari, in ore eſt omni populo: Nec coticulæ tanta in hac re fides eſt, quanta ignis, etſi ejus ope tradunt ſcrupulari differentia & diſcrimine, aurum omnis generis ſpectari. Hinc illa præclara & elegans manavit elocutio, quæ frequenter occurrit libros eruditorum virorum legentibus: Igne probatus. Cicero ſecundo Officiorum: Quod in quo viro perſpectum ſit, hunc igni ſpectatum arbitrentur, hoc eſt, ejus fides rebus adverſis explorata ſpectataq; eſt. Eadem ſimilitudine vtitur in epiſtolis familiaribus libro nono. Divus Petrus epiſtola priore: Multo precioſius auro, quod tamen per ignem probatur. Frequens eſt hæc collatio in ſacris literis.

Fecimus periculum.

Plato in Axiocho: Tu namq; dicis hæc qui de ſublimi ſpectaveris: nos verò, qui periculum fecimus, quanto exactius ſcimus? In Menone, vel, de virtute. Quanam ratione dignoſces, bonum ne an malum ſit, cujus nullum feciſti periculum?

Quam alta ſit aqua, ipſa oſtendet.

Alibi: Qui in tranſeundo flumine præit, ſequentibus, cum interrogant quam alta ſit aqua; Ipſa oſtendet, inquit.

Multa ſunt in hoc Experientiæ loco communia cum diſcriminis ſuperiore, quare, lector, ea inter ſe conferre poteris.

EX SESE.

ERASMI. *Domi habet, domi naſcitur.*

Ad eandem pertinet metaphoram: Domi habere. Nam id domi dicimur habere, quod in nobis ſitum eſt, nec neceſſe eſt ab aliis mutuo ſumere. Tranſlatum apparet ab ea conſuetudine foris rogandæ ſupellectilis, quam domi deſideres. Terent. in Adelphis: Phy. domi habet, vnde diſcat. Tullius ad Varronem: Sed quid ego nunc hæc ad te, cui domi talia naſcuntur? Idem Academicarum quæſtionum lib. ij. Deſine quæſo communibus locis, domi nobis iſta naſcuntur: id eſt, hæc oratorum ſunt propria. Proinde dixeris eleganter: Quid in rebus iſtis felicitatem venaris? domi habes, vnde beatus eſſe queas. Regum eſt, domi conſilium habere, non ab aliena pendere ſententia.

Domeſticum malum.

Ad ſignificandum privatum ac domeſticum malum, quod ad alios nihil attinet, conveniet illud ex eodem libro:

Ἀλλ' ἐμὸν αὐτοῦ κακὸν, ὅ μοι κακὸν ἔμπεσεν οἴκῳ.

Id eſt:

Porrò malum noſtras quod in ædes incidit, vnum
Ad me pertinet. ———

M. Tullius in actione in Verrem v. domeſticum ac vernaculum crimen appellat, quod intra parietes admiſſum nondum pervenit in publicum rumorem.

Nihil grave paſſus es, niſi &c.

Οὐδὲν πέπονθας δεινὸν, εἰ μὴ σαυτὸν ἀμύνῃς.

Id eſt:

Nihil grave accidit, niſi tibi vindices,

Meminit Diogenianus. Nemo læditur, niſi à ſeipſo. Nemini fit injuria, ſi eam exiſtimet ad ſe non pertinere.

Emere malo quam rogare.

M. Tullius in Verrinis actionibus adagii vice citat: Emere malo quam rogare. Quo ſignificatum eſt, haudquaquam gratis accipi quod precibus emitur: imò nihil emi charius quam quod rogati datur. Durum enim illud verbum ingenuis animis, Rogo, nec inter amicos vnquam expectandum: autore Seneca. Tranſlatum à veterum conſuetudine, qua vicinus vicino ſupellectilem cómodato rogabat, quam ipſe forte domi non habebat. Hunc autem morem antiquitus fuiſſe, ex Plauti tum Aulularia, tum Rudentibus licet cognoſcere. L. Apuleius in Floridis: Neque enim levi mercede emit qui precatur: aut parvum preciū accipit qui rogatur, adeò vt omnia vtenſilia emere potius velis quā rogare. Idem innuit, obſcurius quidem, ſed eleganter, Græcis celebratum proverbium, quod alio reddemus loco: Εὔχεσθαι τὸν πλησίον ἔχειν, ἐκεῖ καὶ αὐτὸς ἔχειν, id eſt: Precare vicinū vt habeat, magis autem ollæ. Significat autem, optandum quidem, vt vicinum habeas locupletem, à quo queas vtendum ſumere, quod ipſe domi non habes, verum multò ſatius eſſe, teipſum domi poſſidere, quicquid poſtulat vitæ vſus.

EXERCITATIO.

COGNATI. *Exerce juventam.*

Catull. in nuptias Juliæ & Mallii.
——Munere aſſiduo valentem
Exerce juventam.——

Stat. in 1. Sylvarum, in epithalamio Stellæ & Violantillæ, in eandem ſententiam.

Exerce formam, & fugientibus vtere donis.

Cotem eſſe.

Τὴν ἀκόνην εἶναι. De eo quod diſciplinam continet, nec in ſegnitiem prolabi ſinit: vt Carthaginem Naſica appellabat cotem juventutis Romanæ.

FACVNDIA.

ERASMI. *Attica muſa.*

Cui diverſum, ἀττικὴ μοῦσα: id eſt, Attica muſa: pro venuſta lepidaq; oratione. Nam inter dicendi genera laudatur in primis Atticum. Diogenes Laertius & Plutarchus in vita Platonis, ſcribit id cognominis vulgò tributum fuiſſe Xenophonti, vt Attica muſa vocaretur: propter admirabilem quandam hominis in dicendo venuſtatem. Unde & Atticam eloquentiam, & Atticum leporem appellant: quemadmodum indicavimus alibi. Sed ad hominem accommodatum, erit venuſtius, præſertim ſi accedat ironia: veluti ſi inelegantem aliquem, & ab omnibus literis & gratiis alieniſſimum, Atticam muſam voces. Nam amuſi vocantur omnes hujuſmodi.

Lepos Atticus, Eloquentia Attica.

Inter reliquos Græciæ populos, lepos quidam, & feſtivitas quaſi vernacula ac peculiaris adeſt Atticis, adeò vt in proverbium abierit, Atticus lepos, Attica eloquentia: pro ſumma. Terent. in Eunucho: Dixin' in hoc Atticam eſſe eloquentiam? cum inſulſum atq; invenuſtū militem rideret. Divus Hieron. ad Pammachium Jovianum, vt opinor, irridens: Hæc inquit, Plautina eloquentia, hic lepos Atticus, & muſarum, vt dicitur, eloquio comparandus. Quanquam illud de muſarum eloquio, ad M. Varronis eloquium de Plauto celebratum reſpicit, qui dixit, Muſas ipſas, ſi Latine loqui voluiſſent, Plautino ore fuiſſe locuturas. Huc alluſit & Lucianus in libello De mercede ſervientibus, κἂν ἐν σολοικισμοῖς τύχωσιν, αὐτὸ τοῦτο τῆς Ἀττικῆς καὶ ὑμηττίου: id eſt, Quod ſi quādo quin etiam ruſtice dixerint, hoc ipſum merè Atticum, atq; ab Hymetto profectum videri volunt. Eſt autem Hymettus mons Atticæ, mellificio nobilis: vnde & mel Atticum, & Hymettia mella, quæ præcipua fuiſſe teſtatur & Martia. in Xeniis:

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti
Palladis à ſylvis nobile nectar, apis.

Cygnea cantio.

Κύκνειον ᾆσμα, id eſt, Cygnea cantilena. Refertur inter Græcanica proverbia. Notatur & ab Æliano in opere De natura animalium, proverbii vice. Convenit in eos, qui ſupremo vitæ tempore facunda diſſerunt, aut extrema ſenecta ſua viloquentius ſcribunt: id quod ferè ſolet accidere ſcriptoribus, vt poſtrema quæq; minime ſint acerba, maximeque mellita, videlicet per ætatem matureſcente eloquentia. Porrò cygnos inſtante morte mirandos quoſdam cantus edere, tam omnium literis eſt celebratum, quam nulli vel compertum, vel creditum. Nam Lucianus negat, ſe vel vidiſſe cygnos, cum in Pado flumine navigaret. Ælianus addit cygnos non canere, niſi flante Zephyro vento, quem Latini Favonium dicunt. Martial.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Neque deſunt Philoſophi, qui hujus rei cauſam etiam addere conantur, affirmantque id accidere propter ſpiritus, per collum procerum & anguſtum erumpere laborantes. Divus Hieronymus in quodam laudans ſenilem eloquentiam, commemoratis aliquot ſcriptoribus: Hi omnes, inquit, neſcio quid cygneum vicina morte cecinerūt. Idem in epitaphio Nepotiani: Ubi eſt ille ἐργοδιώκτης noſter, & cygneo canore vox dulcior. Nos item in Epigrammate quodam, quod olim ex tempore luſimus, ad nunquam ſatis laudatum ſtudiorum omnium Mecœnatum, Gulielmum archiepiſcopum Cantuarienſem:

Vates videbis exoriri candidos,
Adeò canoros atque vocaleis, vti
In alto fundant aſtra cygneum melos
Quod ipſa & ætas poſterorum exaudiat.

Meminit adagii & Athenæus libr. Dipnoſophiſtarum 14. ex autore Chryſippo: referens quendam adeò impenſe delectatum fuiſſe dicteriis, vt cum eſſet à carnifice trucidandus, dixerit ſe velle mori, decantata cygnea cantione: ſentiens, opinor dictum aliquod falſum, quod ſimulatq; proloquutus eſſet, non contaretur emori. M Tullius præfans in librum de oratore tertium, de L. Craſſo, ita loquitur, Illa tanquam cygnea fuit divina hominis vox & oratio, quam quaſi expectantes poſt ejus interitum veniebamus in curiam, vt veſtigium illud ipſum, in quo ille poſtremum inſtitiſſet, contueremur.

Tunc canent cygni, cum tacebunt graculi.

Τοῦ ἄσονται κύκνοι ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσι, id eſt, Tum canent cygni, cum tacuerint graculi, hoc eſt, tum loquētur eruditi, cum garrulis non erit loquendi locus, aut, inter garrulos & obſtreperos nō eſt eruditis dicendi locus. Uſurpavit adagium Gregorius Theologus, opinor in epiſtolis παῦσαι καταφλυαρῶν ἡμῶν τῆς σιωπῆς, ἢ σοι παροιμίαν ἐρῶ μὲν λιτοτάτην ἀληθῆ μάλιστα δὲ σοι πρέπον, ὅτι τότε ἄσονται κύκνοι, ὅταν κολοιοὶ σιωπήσωσιν, id eſt, Aut deſine tuis nugis obſtrepere noſtro ſilentio, aut tibi referam proverbium, vt veriſſimum, ita breviſſimum: tunc canent cygni, cum tacebunt graculi. Ita nunc loquuntur Cic. Vergilius, Horatius: & tacent Pero, Philiſcus, Mevius, qui vivis illis obſtrepebant, tanto loquaciores, quanto indoctiores.

Neſtorea eloquentia.

Neſtoris Pyliorum ducis facundia in proverbium abiit, ſi quando ſenilem ſuaviloquentiam ſignificamus. Nam huic Homerus, vt tria ſecula, ita plus quam mellitam quandam facundiam affingit. Sic enim ait in Iliad. α.

——Τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε λιγὺς Πυλίων ἀγορητής.
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Id eſt:

Poſt hos aſſurgit Pylius dux ille diſertus
Neſtor, cujus ab ore fluit vox melle liquenti
Dulcior.——

Quem locum imitans Theocritus, autore Plutarcho, ſcripſit in Bucolicis.

Οὕνεκά οἱ γλυκὺ Μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ.

Id eſt:

Propterea quod in os illi prædulce Camœna Infudit nectar.

Huc ſpectat & Horatianum illud:

—Fidis enim manare poetica mella
Te ſolum.—

Nihil ex agro dicis.

Οὐδὲν ἐξ ἀγροῦ λέγεις, id eſt, nihil è rure loqueris, id eſt, nihil humile, neq; triviale. Quod enim parum elegans, parum expolitum, id ex agro profectum dicitur: contra quod feſtivum, quod lepidum, id urbanum ac civile vocant. Meminit Suidas.

Nunc ipſa vivit ſapientia.

Αὐτὴ νῦν σοφία ζῇ, id eſt, Nunc ipſa vivit ſapientia. Applaudentis & adgratulantis eſt ſermo, ſi quid aliquando videtur ſcite & arte dictum factumve. Feſtivius erit, ſi per ironiam efferatur in eos, qui res egregias ſtultiſſime tractant.

Nunc ipſa floret Muſa.

Αὐτὴ νῦν ἀνθεῖ ἡ μοῦσα, id eſt, Nunc ipſa floret Muſa. Superiori ſimillimum: ubi quid erudite, facunde, venuſte dictum aut ſcriptum videbitur, quaſi Muſis bene fortunantibus. Et hoc venuſtius fiet per ironiam, ubi quis ſibi videtur mirifice dicere, quum dicat inſulſiſſime.

Muſarum aves.

Μουσᾶν ὄρνιθες, in eadem Ecloga dicti ſunt poetæ, quod aſſidue modulentur ſua carmina:

Καὶ μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν,
Ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Id eſt:

Quotquot aves Muſarum, audent certare poetæ
Chio, coccyſando, opera conantur inani.

Muſarum aves.

Μουσᾶν ὄρνιθες, id eſt, Muſarum aves, non abſq; proverbii ſpecie Theocritus in Thaliſia appellat poetas, quod luſciniarum in morem aſſidue canit ſua poemata. Scholiaſtes admonet, omnes aves canoras Muſarum aves appellari. Sentit autem ſibi diſplicere poetas, qui cuculorum more audent Homero occinere.

IVNII. *Corinthia verba & Ionica.*

Corinthia verba pro exquiſitis & magnopere elaboratis & ad oſtentationem nitidis, vel etiam pro delicato & molli dicendi genere, poni video. Quintilianus lib. 8. cap. 3. Sed ita demum, ſi non appareat affectatio, in qua mirifice Virginius, Corinthiorum amator iſte verborum. Corinthia opera olim laudatiſſima fuerũt, & primæ nobilitatis, de quibus ita Plinius libr. 34. capite ſecundo. Sunt ergo vaſa Corinthia, quę iſti elegantiores modo in eſculenta transferunt, modo in lucernas, modo in trullas, nulla munditiarum reſpectu Cicero in oratione pro Sext. Roſcio: Domus referta vaſis Corinthiis & Deliacis. Strabo libr. 8. ἐτιμήθη ὁμοίως τοῖς χαλκώμασι τοῖς κορινθιουργέσι, id eſt: Æquali in precio æſtimata fuerũt cum vaſis Corinthiis. Addit Luc. Florus: Æris notam precioſiorem fecit opulentiſſimæ urbis Corinthi injuria, quia incẽdio perustis plurimis ſtatuis atq; ſimulachris, æris, auri, argentiq; venæ in commune fluxerunt. Quod ſi ad mollitiem mavis referri, ſuccurrit verbum κορινθιάζειν pro ſcortari. quodq; Corinthia ſcorta toties apud veteres ſcriptis nobilitata ſint, ut apud Ariſtophanem eſt videre. Simili modo ἰωνικὴν ῥῆσιν, id eſt, Jonicum verbum pro diſſoluto & molli extulit Æſchylus. Unde Athenæus libr. 13 Dipnoſoph. [illegible] ἰωνικὴν [illegible] τὴν Αἰσχύλου, id eſt, Commemorabo tibi Cynulce & proferam Jonicum dictum, ut Æſchyli more loquar. Heſychius ἰωνικὸν exponit τρυφερὸν Jonicum, delicatum, aut effœminatum fractumque. quo nomine traducebantur Jones: ita enim emandandus eſt Græcus codex, ἐπὶ τούτῳ [illegible] οἱ ἴωνες. Unde & Horatius illud, Motus doceri gaudet Jonicos, ex Ariſtophanis Concionatricibus mutuatus eſt, ubi anus ita loquitur:

Ἤδη τὸ δεῖνα ἰωνικὸν [illegible].

Id eſt:

Miſella pruris nunc Jonico modo.

Utitur ita Philoſtratus in Iconibus:

Ἁβρὸν μὲν αὐτῇ τὸ εἶδος καὶ μάλα ἰωνικόν.

Id eſt:

Forma illi delicata valdeque Jonica.

Dion Chryſoſtomus, καλὸς καὶ μέγας, πολὺ ἔχων ἰωνικὸν [illegible], id eſt, Formoſus & procerus, multum Jonicæ venuſtatis ore præferens. Varro apud Nonium: ἀχιλλεύς, [illegible], ἰωνικός, κίναιδος, id eſt, Achilleus, hoc eſt, venuſtus, laſcivus, Jonicus, Cinædus, ſic enim interpolanda ſunt ex manuſcripto Nonio verba quæ portentoſe hoc modo leguntur, [illegible] ἰωνικός, in dictione Cinædi.

Gratias Muſis commiſcere.

Extat apud Agathium hiſtoricum libr. 3. ταῖς μούσαις φασὶ, [illegible] συγκαταμιγνύειν, id eſt, Muſis gratias, quod ajunt commiſcere, hoc eſt, operi hiſtorico & erudito, gratiæ & ingenii lenocinium aſpergere. Euripides in Hercule furente: οὐ παύσομαι τὰς χάριτας ταῖς μούσαις συγκαταμιγνὺς, ἡδίσταν συζυγίαν. id eſt Non deſinam Charitas Muſis conjungere, copulam ſuaviſſimam. Utitur & Dion Chryſoſtomus in oratione ad Alexandrinos. Non abſimile huic eſt quod apud Heliodorum libro quinto Æthiopicæ hiſtoriæ Cnemon dicit ad Nauſiclem: [illegible] τὸν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθιδρύων καὶ λόγων [illegible] ποτῷ [illegible] id eſt: Videris mihi rei ſacræ rationem optimè callere, qui Baccho Mercurium aſſocias, & orationis condimentum poculis permiſces, ita Plutarchus lib... Sympoſiac. de philoſophis qui non minus ſatagunt literatis ſermonibus condere ſympoſii apparatum, quam vinum effuſa aqua diluere, dixit, [illegible] τὸν Διόνυσον ἢ ταῖς νύμφαις κεραννύντες: id eſt, non ſegnius Bacchum Muſis quam Nymphis permiſcentes. Nam ut vino affuſa lympha diluto temperies roburq; corporis cõſervatur: ita colloquiis eruditionis ſale conditis animus paſcitur. Propterea addit ibi Plutarchus, ſeq; ipſe exponit: Nymphæ namq; placidum mitemq; cum corpori conciliant, at Muſæ melleum revera & benignum animis præſtant: utrumq; aſſequuntur docti & philoſophi, qui pocula diluere, pariq; ſtudio doctis fabulis coronare laborant. Plato etiam admonet alicubi, ut temulentum Bacchum ſobriis dealbus nymphis contemperemus. Huc ſpectat quod incertum Nympharum numerum Baccho attribuerit antiquitas: quod pluſculis aliquando lymphæ menſuris cicuranda ſit vini protervia. Attingit adagii hujus gratiam Martialis lib. 12. de Philoſtrato quodam loquens, qui potus per gradus præceps corruit, periclitatus cervicem frangere, non paſſurus idem, ſi nympharum aquis proluere ſe maluiſſet. Sic enim inquit:

Non eſſet, Nymphæ, tam magna pericula paſſus,
Si potius veſtras ille bibiſſet aquas.

Mercurii typus.

In virum inſigniter eloquentem, & omnibus doctrinæ numeris abſolutum, quadrabit illud Syneſii Cyrenæi ex epiſtola ad Pylæmenem ἑρμοῦ λογίου τύπος. i. Mercurii eloquentiæ præſidis typus ſive exemplar. Sic autem ſonant ejus verba: [illegible] ἑρμοῦ τύπον εἰς ἀνθρώπους ἰδεῖν ἐληλυθέναι, μόλις ἂν ἔτυχον τῆς ἀξίας, [illegible] ἐστὶν ἢ τύπος, id eſt: Salutabis ea me pluribus verbis eximium Martianum, quem ſi ego prior Ariſtide, Mercurii eloquentis typum inter mortales veniſſe dicerem, non ſatis pro merito illum deſcripſiſſem, quoniam plus aliquanto eſt quam typus. Quin & ἑρμῆς λόγιος abſq; adjuncto proverbialiter de magnæ eruditionis homine dicetur. Julian Parabates ad Maximum philoſophum: ἡμεῖς δέ σοι καθάπερ ἑρμῇ λογίῳ τοὺς ἡμετέρους λόγους ἐγχειρίζομεν, id eſt: Nos tibi tanquam eloquentiæ præſidi Mercurio noſtra ſcripta in manus tradimus. Idem ad Jamblichum ſcribens illum nominat ἑρμοῦ λογίου μαθητὴν, εἰ δὲ βούλει τρόφιμον: hoc eſt Mercurii eloquentiæ præſidis diſcipulum, aut ſi mavis, alumnum. Huc reſpexit Nazianzenus in Steliteutice priore in Julianum dicta: τίς ἑρμῆς σοι λόγιος, ὡς ἂν αὐτὸς εἴποις, τοῦτ' ἐπέπνευσεν [illegible] id eſt: Quis Mercurius eloquentiæ antiſtes quemadmodum tu dicturus eſſes, iſtud tibi in mentem redegit? Quod propterea dicit, quod Mercurium λόγιον frequenter in ſcriptis ſuis inculcaret. Eſt autem ita legendum in Nazianzeni codice, pro λόγος. Non abludit a typi metaphora, quod Syneſius τῆς κακίας χαρακτῆρας nefarios homines appellat, velut improbitatis & ſcelerum typos & characteres: & Nazianzenus epiſcopum ſanctæ vitæ exemplar, χαρακτῆρα τῆς ἐκκλησίας, id eſt, Eccleſiæ typum nominat.

Os duodecim ſalientum.

Δωδεκάκρουνον στόμα, quaſi duodecim ſalientium os, proverbiali figura extulit Joannes Zetzes de homine lacteo eloquentiæ fonte manante, quod de Tito Livio dixit Hieronymus, ſic enim ait:

Οὐδὲ δωδεκάκρουνον ἔχομεν στόμα, καθώς φησιν ὁ κρατῖνος.

Id eſt:

Neque verò nobis eſt duodecim ſalientum os, ut Cratinus inquit.

Uſus ita eſt & Philoſtratus de Dionyſio Mileſio loquens, quem nonnulli laudantes, δωδεκάκρουνον στόμα, duodecim ſcatebrarum os nominabant. Verſus Cratini comici hi ſunt:

Ἄναξ ἄπολλον τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων,
Καὶ χῶσι πηγαὶ δωδεκάκρουνον στόμα,
Ἰλισσὸς ἐν φάρυγι, τί ἄν σοι εἴποιμι;

Id eſt:

Apollo, fontes verborum puri licet
Salientibus bis ſex os occupent
Iliſſus impleat fauces, quid eloquar?

Metaphora ſumpta à fonte Callirhoe Athenienſi, quem à duodecim ſalientum ſcatebris δωδεκάκρουνον indito nomine vocarunt Triginta tyranni, antea a novena ſcaturigine per novem tubulos manante, ἐννεάκρουνος etiam dictus. Unde novis nuptis lavandis aqua petebatur, puero gentili lavacrum gerente, quem ab officio λουτροφόρον vocabant: quemadmodum ſcribunt Julius Pollux l. 3 & authoritate Philoſtephani Harpocration. de quo fonte loqui etiam Vitruvium lib. viij. cap. iv. puto, ubi ſic ait: Ibi (de Athenis ſermo

ſermo eſt) enim ex ejuſmodi locis & fontibus ... & ad portum Piræum ducti ſunt ſalictes, è quibus bibit nemo, ſed lavationibus & reliquis rebus vtuntur. Porrò illud ipſum etiam quod ſequitur, Ἰλισσὸς ἐν φάρυγγι, id eſt, Iliſſus in faucibus, proverbii vicem obtinet. de eo qui locuplete rerum ac verborum ſcatebra affluit: quandoquidem Ἰλισσὸς (ſic enim potior lectio habet) id eſt Iliſſus, Athenarum fluvius limpidus admodū celebratur. in cujus ripis Orithyiam à Borea raptam fabulantur, & quem Muſis, quas ob amnis nomine Ἰλισσιάδας nominant, ſacrum eſſe ſcribunt Pauſanias & Stephanus.

Byſſina verba.

Βύσσινα ῥήματα, id eſt, Byſſina verba, ſpecie proverbiali dicuntur verba ſplēdida, & cum authoritate ac majeſtate quadam prolata. Plutarchus in Apophthegma, ... id eſt, Paryſatis Cyri & Artaxerxæ mater juſſit eum qui libere cum rege verba facturus eſſet, byſſinis vti ſermonibus: nam Chriſtophorus Longolius, homo doctiſſimus, ex collatione veterum codicum in ſuo Plutarcho hanc lectionem manu ſua annotaverat: alioqui ſermo eſt de rege cum popularibus libere tranſacturo, ſi βασιλεῖ legas. Extat idem apud Herodotum. Byſſina veſtis principatus authoritatiſque primariæ ſymbolum erat. Sophocles in Laocoonte fabula, loquens de Ænea patrem Anchiſen ſuccollante:

Ὤμοις ἐπ' ... πατέρ' ἔχων κεραυνίου
Νῶτον καταστάζοντα βυσσίνου φάρος.
Id eſt:
Ad eſt, in humeris efferens dorſo patrem
Sublimem, pallium trahentem byſſinum.

Et apud Æſchylum Antigone fratri pulverem mortuo inſpergit, quem byſſinæ veſtis ſinu exceperat: Græce eſt, ... Apud Joſeph. lib. vj. belli Judaici, Sacerdotes quorum magna erat authoritas, byſſinis veſtibus amicti fuiſſe leguntur. Apulejus libr. xj. Byſſina quidē, ſed floride depicta veſte conſpicuus. Aretas Cæſarienſis in Apocalypſin ait, Byſſum eſſe corticem Indicæ plantæ, ad linum redactum. Plinius lino byſſino ſecundam bonitatis palmam dat, mulierum maximè deliciis. Pollux byſſum lini ſpeciem Indici exponit: quod è ligni fructu, Ponticæ nucis aſſimili, in modum lanæ, carpitur.

Mercurii catena.

Ἑρμαϊκὴ σειρὰ, id eſt, Mercurii catena, adagiali ſpecie vſurpatur ab Eunapio Sardiano, de invictæ eloquentiæ homine, qui quo velit, linguæ lenocinio auditores rapere & tranſducere poſſit. Sic enim ait, ὁ δὲ Πορφύριος ὥσπερ Ἑρμαϊκή τις σειρὰ ... id eſt: At Porphyrius velut Mercurialis quædam catena ad mortales devergens cuncta, clarè pureq; in lucem protulit, variæ doctrinæ beneficio. Natum eſt de Herculis Ogmii catena auribus hominum inſerta, qua eos circumducebat, ex Luciani opuſculo: Herculem verò eundem cum Mercurio exiſtimavit religio Druidarum, & Ægyptiorum ſchola.

Quanto verborum ſtillat auro.

Eloquentiæ ſummæ, & felicis verborum copiæ præconium habet illud Symmachi in epiſtolis: Ipſa verò pars materiæ digna laudari quanto verborum ſtillat auro. Videtur reſpexiſſe ad illud Ariſtophanis in Pluto fabula, ... , Macte, qui verborum aurum ouncias. Niſi potius ad fabulam, qua Jupiter Rhodon aureo imbri perfudiſſe ab Homero, Pindaro, aliiſque dicitur.

Prætextata narratio.

Εὐπάρυφος διήγησις. Euparipha ſive prætextata narratio ſcite, nec ſine proverbii ſpecie dicitur ſermo ſpecioſus, & faſtu quodam verborum turgidus, aut certè ſplendida ac glorioſa narratio. Plutarchus libro Quomodo citra invidiam laudare ſeipſe quis poſſit: ... id eſt, Hæc dicta ſunt, non ad milites ſolum aut novos homines nuper locupletatos, qui prætextatas & magnificas de ſe narrationes contexunt. Veſtium apud Græcos virilium duo ſunt prima genera, veſtis ſeu Toga pura, quam Plutarchus λευκὴν candidam, ἀπόρφυρον purpuræ omnis expertem, ... juſtam, & καθαρὰν puram vocat, Pollux etiam ὁλόλευκον, ceu penitus candidam: & prætexta, quæ Plutarcho περιπόρφυρος à purpureæ oræ ambitu: παρυφὴ ... ab attextu purpuræ Polluci, eademq; de cauſa παρυφὴ eidem & παρυφὶς, atque inſuper etiam ... novæ Comœdiæ vocabulo appellata eſt: quod à nemine annotatum eſt hactenus, quanquam παρυφὴν non eſſe oram ſeu limbum veſti additum, putat Euſtathius in Odyſſ. ſecūdo commentario, ſed ornamentū quodpiam & inſigne certis veſtimenti locis intextum. Hinc εὐπάρυφος apud Plutarchum in Sympoſiacōn 1. de ſplendidè veſtito dicitur. Conſtat autem ex eodem & aliis, honoris digni tatiſq; inſigne fuiſſe Prætextam, vnde Prætextatum ſermonem maximè pudicum, nihilq; obſcœni aut ſpurci habentem, dici annotat Sex. Pompejus, quod prætextatos nefas eſſet turpibus iti verbis, quanquā diverſo ſenſu Prætextata verba pro impuris Suetonius in Veſpaſiano vſurpat. Author incertus apud Suidam: ... hoc eſt: In veſtitu omnes prætextati volebant videri, ſumptuoſioribus quam pro ſuo loco & dignitate indumentis amicti.

Flumina in terram commutat.

Χέρσον δὲ ῥεῖθρα, τοῖς λιμνασι δ' ... λίθους.
Id eſt:
Amnes humum facit, murat ſaxa in lacus.

Citatur ex Piſide. Quadrabit in præpoſtere omnia facientes: aut in magnificos, qui ex cloaca arcem faciunt. Poteſt & in oratorē aut inſignem concionatorem competere, qui ſaxea corda ad pœnitentiam commutet, rurſus fluxos & quovis vento mobiles animos confirmet. Alluſum puto ad hiſtoriam de Xerxe, qui rerum naturæ frenum quoddam injicere tentavit. Athon montem navigabilem faciens, & fluvios ſiccis pedibus permeabiles reddens, quanquam & ad magicæ vires referri poſſe origo videri queat, quomodo apud Petronium Arbitrum Genotta inquit de ſe gloriabunda:

—His ego callens
Artibus Idæos frutices in gurgite ſiſtam,
Et rurſus fluvios in ſummo vertice ponam.

Sirenibus ad perſuadendum aptior.

Σειρήνων ἐπαγωγότερος, i. ad perſuadendum quam Sirenes magis appoſitus: hyperbole parœmiaca de efficaci eloquentia. Achilles Alexandrinus in libr. 6. De amoribus Clitophontis & Leucippes, de calumnia loquens. ἡ διαβολὴ ξίφος, inquit, ... id eſt, Calumnia enſe acutior, igne ardentior, & Sirenibus eſt ad ſuadelam potētior. Quin & σειρὴν id eſt Siren, pro illecebra & dicendi vi ponitur, non abſq; proverbii ſpecie. Heliodorus lib. 1. ... id eſt: Verbis tanquam à Sirene quapiam delinitus. Damaſcius Syrus: ... id eſt: Inſtillans illorum animis inſuperabilēm verborum vim & pellaciſſimam eloquentiæ Sirenem. Philoſtratus in Iſocrate: ... id eſt, Siren Iſocratis linguæ inſidens. Syneſius: ... id eſt, Præſens me traxeras dulci verborum Sirene. Pauſanias in Atticis, Sophoclem tragicum, νέαν σειρῆνα, hoc eſt, novam Sirenem nominat: cauſamque adſcribens, addit, ... id eſt, Conſueverunt etiamnum hodie illecebras poematum ac verborū pellacias, ſirenib. aſſimilare. Tale eſt illud Heliodori lib. 5. ... id eſt: Uſq; adeò illecebroſa erat, & faſtidii omnis expers. Sirenas Acheloi & Steropes Amythaonis filias, aut Terpſichores Muſæ filias fabulantur fuiſſe: alii prognatas è ſanguine manante à cornu Acheloi, quod Hercules in lucta confregerat, volunt: earum nomina Aglaophene & Thelxiepia. Lycophron tres ponit, Parthenopen, Ligean, & Leucoſian. Verior hiſtoria eſt, Sirenas pſaltrias fuiſſe & meretriculas, hoſpitum illices, propter cantus ſua vitatem: quo nomine etiam captos alienabant à reditus memoria, oblivionem quandam patriæ rerumq; ſuarum illis conciliantes: vnde κηληδόνας eas nominat Pindarus, quod illecebris quibuſdam mulcerent advenas, & ineſcarent, præ voluptate reddentes eos immemores ſibi, eaq; ratione ad marcorem illos deducentes. Hinc Martialis lib. 3.

Sirenas hilarem navigantium pœnam,
Blandaſque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deſerebat auditas.

Sunt qui non ſcorta eas, ſed perpetuæ virginitatis cultrices fuiſſe dicant: qua de cauſa inviſæ fuerint Veneri, & hujus opera in aves mutatæ. Plura de Sirenibus legas apud Euſtathium Iliados 12. Syneſius in epiſtola ad Herculianum, Sirenas allegoricè voluptates exponit, ... id eſt, Audivi doctum virum qui fabulam allegorice exponeret. Sirenas enim denotare voluptates, quæ delinitos & ſuavitate ea captos, paulò poſt interimunt. Ælianus Sophiſta: ... id eſt: Poeſis namq; Sirenas (vt equidem exiſtimo) commiſcetur eſſe fœdas voluptates.

Inſtar Olympicæ tubæ.

Philoſtratus in Polemone ſophiſta, ... hoc eſt, Dictio pugnax, & aures acri tinnitu vibrans, in modum Olympicæ buccinæ. Dicetur de acri & vehementi concionatore, cujus dicta nō aures modo radunt, ſed intima quoque animi penetralia altius commovent, cujuſmodi perhibetur fuiſſe Periclis Athenienſis oratio, qui ceu tonitru quodam Græciam colliſiſſe dictus eſt ab Ariſtophane. Conſimili ratione Ulyſſes apud Sophoclem in Ajace flagelligero dicit, Minervæ conſilia animum ſibi concutere, & penetrare in morem æneæ tubæ, ſic enim ait:

Φώνημ' ἀκούω, καὶ ξυναρπάζω φρενί,
Χαλκοστόμου κώδωνος ὡς Τυρσηνικῆς.
Id eſt:
Aures ferit tua vox & animum percutit.
Tyrrhenicæ in morem æneæque buccinæ.

Huc pertinet illud Syneſii ex libro De providentia: [illegible], id eſt: Quorũ aures fabula tubali crepitu impleverit. Athanaſius Alexandrinus à Greg. Nazianz. [illegible] τῆς ἀληθείας vocatur, hoc eſt, veritatis ingens buccina: quod confeſſionem veræ ac ſyncerae doctrinæ late diſſeminaret, & quadam veluti buccina mentes impleret.

Præ Nili catarractis.

[illegible], id eſt, Præ Niliacis catarractis: de vehemente eloquentia. Suidas de Chryſoſtomo: [illegible], id eſt: Dum lingua ejus vehementius præcipitat quam Niliaci catarractæ. Ita Zetzes [illegible], id eſt, Nilos fluenta, vocat orationem fluidam & uberem, à natura amnis Nili, agros omnes fœcundos reddentis paſſimque. Ariſtides in Rhodiaco refert ad ingentem & inauditum fragorem ac ſtrepitum: [illegible], id eſt: Arbitror neque catarractas ſupra Ægyptum, neque Oceani ſalebroſum littus, neque ignita quæ nubibus erumpunt fulmina, neque etiam quicquid maximè inter homines inſtrepit, huic malo & fragori, comparari poſſe. Catarractes locus dicitur in Nilo, vbi per arduas & excisas pluribus locis rupes Nilus inſurgit, & vires ſuas concitat, ac concurrentibus ſaxis fractus perque anguſtias eluctatus cadit cum ingenti circumjacentium regionum ſtrepitu, vt libr. 4. Natural. quæſt. ſcribit Seneca, ejuſq; loci accolæ gentes propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi carēt, vt inquit Cicero in Somnio Scipionis. De eo ita Plinius libr. 5. Noviſſimo catarractæ inter occurſantes ſcopulos nō fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere. Eſt autem catarractes, limitaneus terminus Ægyptum ab Æthiopia ſeparans: vt apud Heliodorum Emeſenum declarat Hydaſpes rex.

BRASSIC. *Byſſina verba.*

Plutarchus in Apophthegm. [illegible], hoc eſt: Paryſatis Cyri & Artaxerxis mater, jubebat eum qui regem liberius eſſet allocuturus, byſſinis vti verbis. Byſſina verba vocat, quæ nitorem habeant cum gravitate mixtum, imo quę commonendi aſperitatem, jucundo quodam candore, atque adeò nivea quadam facilitate condiant. Ariſtoteles etiam præcipit, cum principibus aut rariſſime aut jucundiſſime colloquendum eſſe.

JOANNIS ULPIL.

Eloquentia male ſine moribus diſcitur.

Antiqui morum probitatem ſemper antepoſuerunt facundiæ. Orator, inquit Cato, vir bonus dicendi peritus: Lege Ciceronis præfationem lib. de Inventione primi.

COGNATI. [illegible].

Plato lib. 4. De rep. [illegible] vſurpavit, [illegible]. Cui reſpondet illud influere. Cic. in 2. lib. De legibus, nō de aquis tantum, humoreq; aliquo, verum etiam de rebus ſolidis loquens, ſenſuſque participibus, vt de rebus quoq; quæ ſenſu aurium percipiuntur, nec tamen manu tanguntur: Aſſentior (inquit) Platoni, nihil tam facilè in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi ſonos.

Attice dicere.

Plinius Junior libro quarto epiſtolarum, ſummis laudibus evehens Adriani epiſtolam, dicit ipſas Athenas non tam Atticas eſſe: nempe eas ſupra modum elegātes: ſiquidem Attici limati, preſſi & emuncti, nihil inane ac redundans ferebant. Cicero in Oratore ad Brutum, & in libro de Claris oratoribus dicit. Attice dicere, eſſe ornate, appoſite, eleganter, & vnoquoq; dicendi genere probato diſſerere. Tum qui Demoſthenem imitetur, eum & Attice dicturum, & optime, &c. Lucianus in Demonactis vita: Cæterum lepore Attico congreſſus refertos reddebat, &c. (Sup. Chilia. Attica Muſa: &, Lepos Atticus, eloquentia Attica.

In toga.

Id eſt, rebus pacatis. Cic. lib. 2. Officiorum: In toga, dignitatis principatus eſt datus. Idem in oratione in Lucium Piſonem.

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

hoc eſt: Bellum ac tumultus paci ocioq; concedat: Ars imperatoria eloquentiæ facultatiq; dicendi. Idem ſecunda oratione adverſus Catilinam: Atque hæc omnia ſic agentur, Quirites, vt res maximæ minimo motu, me vno togato duce ſedentur.

Ab aure revinctos ducit.

Proverbialis ſpecies invictæ eloquentiæ hominem, qui quo velit linguæ lenocinio auditores rapere & traducere poſſit. Uſus eſt Lucianus in Jove tragœdo, alludens ad Herculis Ogmii catenam hominum auribus inſertam, qua eos circūducebat, quæ ſatis nota eſt ex ejuſdem Luciani opuſculo. Hinc Athenienſes, oratores ſuos δημαγωγὺς, & populi ductores appellant: Gellio lib. 13. c. 15. referente. In quo vocabulo mire includitur oratoris laus, qui vulgi animos quo vult impellit, vnde & illud [illegible] dicendi perito:

Ille regit dictis animos, & temperat iras.

Angli dicunt demagog. Eſt enim δημαγωγεῖν, ſi verbum de verbo reddas, populum trahere. Id nulla re alia quam dicendo, hoc eſt oratione, magis fieri notum eſt. Latini a præcipuo inſtrumento Oratores vocant. Quintilianus lib. x. de Cic. qui optimè omnium oratorum perſuadebat: Quare non immeritò ab hominibus ætatis ſuæ regnare in judiciis dictus eſt: apud poſteros verò primum conſecutus Cicero, vt jam non hominis nomen, ſed eloquentiæ habeatur. Verinus de eloquentia.

Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta ſenis.
Ancipiti eloquium longè penetrantius enſe:
Hoc rabiem motam ſedat, & arma movet.

Non incedit, ſed fertur.

Eraſmus noſter in nuncupatoria epiſtola, quam Senecæ præpoſuit: Non enim incedit Senecæ oratio, ſed fertur magis, ſalitq; potius quam ingreditur, id quidem quod ad ſententias attinet. In authoribus talis loquendi modus frequenter eſt obvius.

Summi artificis, artem diſſimulare.

Diſputandi ratio acuta dicitur, quæ artificio recto ſcite lectorem fallit. Hinc illud vulgò jactatū, ſæpe apud Fabium iteratur. Summi artificis eſſe, artem poſſe diſſimulare. Hoc & in arte rhetorica præcipitur: ne oratio videatur elaborata, ſed ſi quid tale ſit, lateat artificium. Summum itaq; ſtudium adhibere debent, quicunq; aliquid dicendo perſuadere meditantur, in ipſo dicēdi artificio occultando & obtegendo. Natura enim comparatum eſt, vt facilius aſſentiamur iis, qui ita vti naturæ impetus fert, loqui videtur, quā illis, à quibus naturalem illum curſum arte quadam inflecti opinamur. Etenim veritatis, vt ait Euripides, ſimplex eſt oratio. Quo fit, vt quicunq; ab illa naturali ſimplicitate diſcedunt, veniant nobis in ſuſpicionem, quaſi decipere nos, ac circumſcribere moliantur. Sapienter igitur a dicendi magiſtris præcipitur, ſummam artem in arte diſſimulanda ſitam eſſe: quod Ariſtot. 3. De arte dicendi docuit. Galli: Ouurier gaillard, cele ſon art. Barthol. Maranta Venuſ. Lucullianarum qq. lib. 3. Maximè enim animadvertendum eſt in oratione ſoluta, ne ficte, & ex arte dicere videamur: ſed latere oportet artificium, vt innata appareat elocūtio, &c. Eraſmus noſter in Lingua: Qui docent eſſe caput artis, artem diſſimulare, ſimulant cunctationem, quo magis attentos, magiſque credulos habeant auditores.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Defendunt ſeſe literarum minus periti, ſi in elegantia peccant, hoc Manilii verſu:

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Alii citāt illud Gregorii, præcipue indocti ſacerdotes & monachi: Rem divinā non ſubjacere grammaticis legibus. Quod quam feliciter faciant, ipſi viderint. Certū eſt, cum ea quæ pueri didicerint, tam anxie ſervent, etiam reliqua obſervaturos, ſi norint. Ulpianus de adimendis legatis, vel fideicom. l ſi quis ita ſub finem: Melius eſt, ſenſum magis quam verba amplecti. Epicurus à Gell. l. 2. c. 9. defenditur, quod leviculas vocularum differentias non curaverit, exiſtimans eas ad rem parum facere. Sic Galenus de alimentorum facultatibus: Non nimis anxie verbis inhærendum cenſuit, improbavitque inanem verborum congeriem, cui nulla ſit ſubjecta vis, nulla ſententia. Gregor. Theol lib. 2. Sent.

[illegible],
Ὁ [illegible].

Id eſt:

Accerſit ingens legibus malum ſibi,
Qui rite ſenſum legis obſervat minus.

Cambius in lib. 1. Lucullianarum qq. Maranthæ. De nominibus, inquit, non oportebit nos multum eſſe ſollicitos, dummodo res de quibus agimus, rectè intelligantur. Quin tu potius exemplis expone, & paulò ante: Si verbis iiſdem non poteris, ſufficiet ſenſum oſtendere. Senec. lib. De clementia 2. c. 7. De verbo (vt mea fert opinio) controverſia eſt, de re quidem convenit.

Vivam vocem audire.

Ibidem de Cicerone loquens: Potui & illud ingenium quod ſolum P. R. par imperio ſuo habuit, cognoſcere, & quod vulgò dici ſolet, ſed de illo proprie debet, potui vivam vocem audire. Quid ſi ipſam audiviſſetis, inquit Æſchynes de Demoſthene. Unde id, Viva vox magis afficit.

Iconice & Ethice.

Iconice & Ethice elaborata dicuntur proverbialiter, perfecta. Hinc Iconicæ imagines dicūtur, quæ ad vivos vultus ſunt expreſſæ. Plinius lib. 35. Adeò autem jam colorū vſus increbuerat, adeò ars perfecta erat, vt in eo prælio iconicos duces pinxiſſe tradatur Athenienſium Miltiadem, Callimachum: Barbarorum Tiſſaphernem. Ethicæ autem imagines ſunt, quæ non modo vultuum ſimilitudinem, ſed etiam ſenſuum & effectuum referunt. Cicero in Oratore perfecto: Duo ſunt, inquit, quæ ab oratore bene tractata, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum eſt, quod Græci Ethicon vocant, ad naturam & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum. Ariſtoteles lib. 8. Politicōn, Polygnoton & alios quoſdam fuiſſe ſcribit pictores, & ſtatuarios ethi-

erbſeos. Et hic ſimilis quidam eſſe dicit Ethicam. Idem de Ariſtide: Is omnium primus animum pinxit, & ſenſus omnes expreſſit, quos vocant Græci Ethe. Idem pinxit & currentes quadrigas, & ſupplicantem pene cum voce, & venatores cum captura.

Urbanus ſermo.

Oratio ſalibus condita, elegans & nitida, ſermonis lepor, urbanus ſermo per tranſlationem dicitur. Cicer. pro domo ſua: Et homo facetus inducit etiam ſermonem urbanum ac venuſtũ, id eſt, facetum, comem & lepidum: quem Græci ἀστεῖον λόγον vocant, ſive ἀστεϊσμόν, & ſumptam ex converſatione doctorum tacitam eruditionem. Horatius j. Serm. ſatyr. x.

—Fuerit Lucilius, inquam,
Comis & urbanus, fuerit limatior idem.

Hæc urbanitas, metaphorica ſignificatione, tracta à moribus eorum, qui in urbibus agũt: quorum oratio, vitaque omnis lepore, ſalibus & venuſtate amœnius condita eſt, quam eorum qui in agris agũt. Sermoni autem urbano opponitur oppidanus, vicanus, municipalis, caſtellanus, & ruſticus. In oppidis enim, vicis, caſtellis, municipiis, & ruri, non tam integre incorrupteq; quam in urbe loqui ſolet. Cicer. in Bruto: Ignoti homines & repentini quæſtores celeriter facti ſunt, oppidano quodam & incondito genere dicendi.

FAMES.

ERASMI.

Fames & mora bilem in naſum conciunt.

Soſia Plautinus in Amphitruone: Vetus adagium eſt, inquit, Fames & mora bilem in naſum conciunt. id eſt, Latrante ſtomacho omnis mora bilem movet. Quod autem dixit, bilem in naſum conciunt, convenit cum illo quod ait Theocritus in Thyrſide:

—Ἔστι δὲ πικρός,
Καί οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται.

Id eſt:

— Eſt enim acerbus,
Atque illi ſemper ſedet in nare aſpera bilis.

Ducta eſt metaphora ab animantibus, iram narium flatu ſignificantibus. Unde fabula de tauris ignem ſpirãtibus. Quin hominibus etiam nonnullis ex naribus indicium iracundiæ. Unde & Corrugare nares dicuntur, quæ offendunt. Horatius:

—Ne ſordida Mappa
Corruget Nares ———

Item Perſius in quinta ſatyra:

—Sed ira cadat naſo, rugoſaque ſanna.

Poteſt id trahi latius: nempe ad quemlibet vehementius aliquid cupientem, cui omnis mora quantumvis puſilla, longiſſima videtur, atteſtante Mimo:

Etiam celeritas in deſiderio mora eſt.

Huc reſpicit & Horatianum illud:

Ut nox longa quibus mentitur amica, dieſque
Longa videtur opus debentibus, ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum.

Miſerrimum, fame mori.

Sententia etiam cantionibus apud veteres celebrata, reſte Platone, Miſerrimum mortis genus, fame mori. Sumpta eſt autem ex Homericæ Odyſſeæ μ.

Πάντες μὲν στυγεροὶ θάνατοι δειλοῖσι βροτοῖσι,
Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

Id eſt:

Dura quidem miſeris mors eſt mortalis omnis:
At periiſſe fame, res una miſerrima longe eſt.

Plato libro De republica iij. refert hoc carmen, veluti peſtilens moribus adoleſcentum: quum nulla mors ſit miſera, quæ honeſtatis gratia oppetitur. Accommodari poterit in ſordidos quoſdam, qui quo parcant nummis, defraudãt genium ſuum: aut in eos, qui pereunt inſcitia veri: cum animus hominis nõ aliter paſcatur verbo Dei, quam corpus cibo. Vere miſerrimum eſt hac fame mori.

Moleſtus interpellator venter.

Venter improbus interpellator, non ſinit unquam quempiam obliviſci ſui. Id ad egeſtatem torqueri poterit, quæ mortales ad omnia tum facienda, tum ferenda ſolet compellere. Sic autem Ulyſſes in eodem libro:

Οὐ γάρ τι στυγερῇ ἐπὶ γαστέρι κύντερον ἄλλο,
Ἔπλετο, ἥ τ' ἐκέλευσεν ἕο μνήσασθαι ἀνάγκῃ,
Καὶ μάλα τειρόμενον καὶ ἐνὶ φρεσὶ πένθος ἔχοντα.

Id eſt:

Non eſt improbior res altera ventre moleſto:
Quippe vel invitum meminiſſe ſui jubet, etſi
Valde animo crucieris, & angat pectora mœror.

Ceſtreus jejunat.

Κεστρεὺς νηστεύει, id eſt, Ceſtreus jejunat. De famelicis & voracibus dici cõvenit. Unde & qui fame oſcitant, κεστρεῖς dicũtur. & κεστρῖνοι, quod convicium ſolitum in Athenienſes jactum, tradit Heſychius. Alii malunt referre ad eos qui vitam innocuam agunt, & ab aliorum injuriis abſtinens, nec ullum emolumẽtum ex ſua innocentia ferunt. Eſt enim ceſtreus, piſcis genus quoddam, quod reliquis mutua devoratione victitantibus unum ab aliorum carnibus abſtinet: ideoque non capitur eſca, ſed in limum abdit ſeſe, atque ibi perdurat: &, ut arbitrantur nonnulli, limo paſcitur. Quin captus etiam non alitur eſcis, aut ullo animante, cum ſit acutis dentibus. Quin ipſe impune devoratur à lupo, atq; ob id quia non ſit edax, parum eſt eſculentus. In metu vero caput occultat, arbitrans totum corpus jam eſſe tutum. Unde & Ariſtophanes apud Athenæum:

Ἆρ' ἔνδον ἀνδρῶν κεστρέων ἀποικία;

Id eſt:

Num intus virorum Ceſtreum colonia?

Alludit ad Ceſtrinam Chaoniæ partem. Et apud eundem Diphilus:

[illegible]

Id eſt:

Ceſtreus futurus ob inediam graviſſimam.

Rurſum libro ſeptimo refert ex Anaxandride:

[illegible]

Id eſt:

Incœnis obambulat fere, jejunus ille mugil.

Refertur adagium a Zenodoto, Diogeniano, Suida, Athenæo libro Dipnoſophiſt. vij. qui quidem præter alia complura & illud aſſcribit, piſcem à nonnullis appellari ploten, & a congro devorari, ut congrum ipſum a murena. Theodorus Gaza mugilem vertit.

Non interpellandus famelicus.

Quoties innuemus, nõ eſſe confabulandi ocium, niſi prius placaverimus latrantem & iratum, ut ait Horatius, ventrem: aut ubi ſignificabimus aliquem ſimulatque ſit aſſecutus quod expedebat, jam ad alia converti: non inepte proferemus verſiculum hunc, & eodem libro, & alias apud Homerum ſolennem:

Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.

Id eſt:

At poſtquam his potus exempta cupido, cibique.

Id Virgilius ita reddit:

Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi.

Ventre pleno melior conſultatio.

Plutarchus Sympoſiacon lib vij. citat hoc carmen:

Γαστρὸς ἀποπλησθείσης βουλὴ καὶ μῆτις ἀμείνων.

Id eſt:

Conſultatio tum melior, cum expleveris alvum.

Cum fames interpellat, non vacat deliberare: propterea quod cõſultatio moram deſiderat, & animi trãquillitatem, at fames bilem acuit. Poteſt & huc torqueri, prius agendum quod inſtat & urget, deinde de futuro deliberandũ. Congruet & in illos, qui bene poti conſultant de rebus graviſſimis: quem morem Herodotus libr. j. tradit fuiſſe Perſis. Item Perſius:

—Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poemata narrent.

Etiam Bætylum devorares.

Καὶ βαίτυλον ἂν καταπίνοις, id eſt, Etiam Bætylum deglutires. In voracem, & omnia concoquentem. Nam Bætylus dicitur ſaxum illud faſciis objunctum, quod pro Jove devoravit Saturnus: ut teſtatur & Heſychius.

Manduces.

Manduces dicebantur vehementer famelici, aut qui minis inanibus terrorem incuterẽnt. Feſtus Pompejus tradit, in pompis olim inter cæteras ridiculas ac formidoloſas imagines ire ſolere effigiem, magnis malis, late dehiſcente rictu, & ingentem dentibus ſonitum facientem. Eam manducem appellabant. Apud Plautum in Rudentibus, ita loquitur Charmides paraſitus: Quid ſi aliquo ad ludos pro manduce me locem? quapropter? quia pol clare crepito dentibus. Enararat paraſitus è naufragio, totuſque horrebat præ frigore. Unde paulo poſt dicit ſe omnia coruſca loqui. Aut de hac aut de ſimili effigie ſentire videtur Martialis, quum ait:

Sum figuli luſus, rufi perſona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Hoc genus imaginum Græci vocãt μορμολύκεια, quod lupina ſpecie terrerent pueros, ut à plorando deſiſterent.

EX APPENDICE ERASMI.

Maza eſurienti auro charior.

Πεινῶντι τἀνδρὶ μάζα τιμιωτέρα χρυσοῦ τε καὶ ἐλέφαντος: Offa eſurienti homini charior & auro, & ebore. Quoties rem uſu, non opinione æſtimabimus. Athenæus.

IUNII. *Argentea fame convivari.*

Ἀργυρῷ λιμῷ ἑστιᾶν, [illegible]. i. e. Argentea fame cõvivari epulative dicitur proverbialiter, qui vere ſplendidã, hoc eſt, argenteis lancibus onuſtam, ſed obſoniorum inanem menſam apponit, ut eſt apud Epigrammatarium lib. 2. titulo in Parcos.

[illegible]
[illegible]

Ideſt :

Ad cœnam accitum eſuries argentea nuper
Me necuit, vacuis lancibus aſſiduum.

Ubi ludit eleganter in voce πινάκων, i. lancium ; quarum ſcrutatus etymon quum ſperaret eas fore ſibi πάντ' ἄκος, hoc eſt, famis medelam, prorſus πεινάλεους, i. famelicas & inanes reipſa fuit expertus. Huc ſpectat epigramma Martialis, cujus ego mentionem alio loco feci :

Auro, non dapibus oneratur menſa, miniſtri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.

Cum argentea fame eandem eſſe putant, quam idem Epigrammatarius precioſam vocat lib. x.

Hic precioſa fames, conturbatrixque macelli.

Sic enim in duobus vetuſtiſſimis exemplaribus lego, reponendumque cenſeo: pro quo vulgati libri habent, conturbatorq; macellus. Precioſam autem famem illic & conturbatricem macelli intelligo, qua exoticæ deliciæ & ganeata obſonia, inexhauſtis preciis alio ex orbe petebantur, quod Satyrice carpit Petronius Arbiter. ibi :

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia,
Tuo palato clauſus pavo naſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico,
Gallina tibi Numidica, tibi gallus ſpado, &c.

Diverſa ab hac eſt, ἀργυρία λιμὸς. i. Argentea fames : pro argenti pecuniæve inopia, apud Heſychium.

Choros tragicos moleſte fert.

Χοροὺς τῶν τραγῳδῶν ἄχθεται, id eſt, Tragicos choros ægre fert. Suidas annotat dici de famelicis, quod moræ ſit impatiẽs venter : qui vero eſuriunt, hi choros, qui ferme prolixi ſunt, in longum extrahi moleſte ferant, Ariſtophanes :

Εἶτα πεινῶν τοῖς χοροῖς τῶν τραγῳδῶν ἄχθεται.

Id eſt :

Deinceps eſuriens tragicos choros indigne ferat.

Fames implacabile malum eſt, moræque diuturnitate invaleſcit magis ejus impatientia. Pulchre Socrates illud proverbiale extulit in Phædone, οὐδὲν ὄρνεον ᾄδει ὅταν πεινῇ. id eſt, Nulla cantillat avis, quando eſurit. Jacet voluptas omnis & animi gaudium, ubi eſuritur.

COGNATI.

Inflatum ſaliunt oves ad utrem.

O quam belle hoc etiam mercenariis & ventrioſis (ut Plautino verbo utar) Tityris convenit, qui ad verbi Dei famem ſuas oves adigunt illisque ſubducunt ſpiritualem alimoniam: cujus loco neſcio quas ſimiliter cadentes ac deſinentes cantilenas, quas noſtrum vulgus rhythmos appellat, & ludicra quædam auribus inſtillant. Vulgo jactatum proverbium Virgil. 2. Georgic.

——Atque inter pocula læti,
Mollibus in pratis unctos ſaliẽre per utres.
Necnon Auſonii Troja gens miſſa coloni.
Verſibus incomptis ludunt, riſuque ſoluto, &c.

Græci ἀσκωλιάζειν dicunt. Varro : Etiam pelles bubulas oleo perfuſas percurrebant, ibiq; cernuabant, à quo vetus eſt ille verſus in carminibus :

Ibi paſtores ludos faciunt coriis conſualia.

Cernuare, erat labante veſtigio in pronum ire, & ſæpe etiam labi, quo genere luſus cõſualibus uti ſolebant per pelles unctas currẽtes. De ἀσκωλιασμῷ, quo in Ἀσκωλίοις, ſeu Bacchi feſto, unctos in utres, & inflatos in medio theatri poſitos uno pede inſiliebant, ut delabentes riſum excitarent, multa ex Athenæo notat Cælius lib. 5. cap. 4.

Maleſuada fames.

Famam diſerte maleſuadam vocat Virgilius Æneid. 6. quæ per egeſtatem miſeros mortales ad furta, cædes, rapinas, & injurias alias impellit. Quare ſignantes per expoſitionem addit :

——Et turpis egeſtas.

Non enim ſuapte natura turpis eſt, ſed efficit ut homines ſe turpiter ſæpe dent, cum malis artibus victum quærunt. Contra, juxta illud proverbium : In optimis ingeniis multa docet fames.

Ingenium mala ſæpe movent, ———
inquit Ovid. & Perſius :
——Ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Declarat id ſenarius Græcus :

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

Vide ante, calamitas virtutis occaſio: &, Egeſtas artes docet. Ulyſſes Odyſſ. ξ. ait ſe æque atq; orci portas eum odiſſe, qui paupertate coactus homines inſidioſa oratione inducat ac fallat. Sic enim loquitur :

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι
Γίγνεται, ὃς πενίῃ εἴκων ἀπατήλια βάζει.

Dentes dentire.

In Comœdia Plautini Militis Dentes dentire dicuntur eſurientium. Ut enim pueri dicuntur dentire, cum eis primũ oriuntur : ſic quibus ceſſant à terendo cibo, quia non deteruntur, grandeſcere videntur, atque dentire populari joco dicuntur. Venter creas omnes has ærumnas : auribus perhaurienda ſunt, ne dentes dentiant, ideſt: ne invicem arrecantur, & concutiantur fame.

Ejus dentes vel ſilicem comedere poſſunt.

Hyperbole ad mirificam famem oſtendendam. Idem ibidem :

Verum eſt & pater, & noverca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt.

COELII RHODIGINI. *Animalis appetentia.*

De ea quæ apta eſt voracitati. Sub autumnum oporæ, id eſt, fructus magna copia ſumpti ſtomachum vitiant illiq; mordacem quendam appetitum accerſunt : frigus etiam circunſtans majus cogit intro calorem, ut hyeme ſolet: unde fames naturalis major, licet illa ſit præter naturam.

POL. VIRGILII. *Animæ eſurienti etiam amara dulcia videntur.*

De hominibus bonæ frugis, & ſobriis, quibus ſitis & fames condimenti loco ſunt: vel, de iis qui malis aſſueti minora incommoda pro commodis ferunt. Vulgus è diverſo refert ad luxurioſos & voraces, qui famem antevertentes omnia faſtidiunt præter delicatiora. Job. 6.

Famem peſtilentia ſequitur.

Quoties à malo malum oritur. Natum ab eo quod frequenter evenit. Nam in annonæ caritate, inſalubres cibi in uſum neceſſario recepti, & peſſimum ſuccum generantes, peſſimorum morborum origo ſunt. Curtius 9. Galen. de cibis euchymis.

Fames præter ſeipſam edulcat omnia.

Hoc dici ſolet, & refert enarrator Heſiodi, ubi is vocat epitheto proprio λιμὸν ἀτερπῆ, ſeu ἀτερπέα, hoc eſt, ipſam famem injucundam & moleſtam : quæ tamen jucundum reddit cibum, alioquin maxime aſperum & inviſum. Huc refert illud Eraſm. Optimum condimentum fames.

FESTINATIONIS.

ERASMI. *Navibus atque quadrigis.*

Pro ſummo ſtudio, ſummaq; feſtinatione, Flaccus dixit, Navibus atque quadrigis : in Epiſt.

Strenua nos exercet inertia : navibus atque
Quadrigis pedibus bene vivere, quod petis, hic eſt,

Plutarchus adverſus uſuram: μὴ δὴ σύ γε ἵππον τρέφων, μηδὲ ὄχημα ζευκτόν, κεροφόρον καὶ κατάργυρον, ἃ ταχεῖς καταλαμβάνουσι καὶ παρατρέχουσιν οἱ τόκοι, ἀλλ' ὄνῳ τινὶ τῷ τυχόντι, καὶ καβάλλῃ χρώμενος φεῦγε πολέμιον καὶ τύραννον δανειστήν. id eſt, Ne vero tu aut equitatum oppertus fueris aut vehicula jugalia, cornigera, & argento picta, quæ celeres uſuræ aſſequuntur, & prætercurrunt : verum aſino quopiam, quemcunq; forte nactus fueris, aut caballo fuge hoſtem ac tyrannum fœneratorem.

Citis quadrigis : Jovis quadrigis.

Citis quadrigis fugere, & Jovis quadrigis fugere : pro eo quod eſt, quam ocyſſime fugere : legitur apud Plautum, ab Homero tranſlatum, qui diis quadrigas affingit, quibus quo lubitum ſit, repente rapiantur, ex olympo in terras, rurſus è terris in cœlum. Ad quas alluſit Cicero, ſcribens Q. fratri : Quoniam ſcribis poëma noſtrum ab eo probari quadrigis poeticis, modo mihi date Britanniam, quam pingam colorib. tuis, meo penicillo. Plaut. in Aulularia : Quod jubebat, citis quadrigis pperet perſequi. Liv. 1. decadis lib. v. narrat Camillum captis Veiis, ita triumphantem ingreſſum urbem, ut curru equis albis juncto veheretur : & ob id cum triumphum clariorem fuiſſe quam gratiorem, quo Solis ac Jovis currum æquiparaſſe moliretur.

Dædaleum remigium.

Ad celeritatem ſignificandam Plautus in Amphitryone dixit, Remigiis Dædaleis, pro volatu: Non ocyus quivi, ſi Dædaleis me tuliſſem remigiis.

Equis albis præcedere.

Ubi quem aliis quapiam in re longe ſuperiorem ſignificabant, longoq; anteire intervallo, eum albis equis præcedere dicebant : vel quod antiquitus equi albi meliores haberẽtur: vel quod victores in triumpho albis equis vectari ſolerent : vel quod albi equi fortunatiores & auſpicatiores eſſe crederentur, ut ad equeſtre certamen referamus metaphoram. Quod quidem indicat Apuleius, cum ait: Poſtquam ardua montium, & roſida ceſpitum, & gleboſa camporũ emenſi, me equo indigena peralbo vehens, jam eo quoque admodũ feſſo. Neq; enim temere addit, vel indigena : id eſt, Theſſalico, vel albo, tam utrunque pertinet ad emphaſin pernicitatis. Horatius in Sermonibus de Perſio quodam :

Durus homo, atque odio qui poſſit vincere regem :
Confidens, tumidusque, adeo ſermonis amari,
Siſennas, Barros ut equis præcurreret albis.

Erant autem Siſenna & Barrus, homines quidam inſigniter maledicentia: etiam ſi Acron Barbaros legit, ut ſit epitheton. Neq; diſſimile huic Plautinum illud in Aſinaria : Nam ſi huic occaſioni tempus ſeſe ſubterduxerit, nunquam ædepol albis quadrigis indipiſcet poſtea. Græci ſimpliciter παριππεύειν, pro longe antecellere: quod equeſtris curſus ſit expeditior.

Tala-

Talaria induere.

Extat apud M. Tullium proverbialis allegoria, Talaria induere: pro eo quod eſt, fugam adornare, quaſique velle quopiam avolare. Sic enim ſcribit ad Atticum lib. 14. Nemo eſt iſtorum qui otium non timeat, quare talaria induamus. Sumptum ab Homero, qui Mercurium avolaturum aliquo, frequenter adornat talaribus.

> Αὐτίκ' ἔπειθ' ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα
> Ἀμβρόσια, χρύσεια, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν,
> Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.
>
> Id eſt.
>
> Mox ubi jam pedibus talaria ſubdidit aurea,
> Pulchraque, & ambroſiam ſpirantia: quæ ſimul illum
> Aëra per liquidum, ſimul ampla per æquora vaſtæ
> Telluris, venti flatu dominante ferebant.

Quem Homeri locum Vergilius veluti interpretans, in quarto Æneidos:

> —Et primum, inquit, pedibus talaria nectit
> Aurea, quæ ſublimem alis, ſive æquora ſupra,
> Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

Itaq; talaria induere dicemus eos, qui parant aufugere. Nam hoc ipſum Avolare & Revolare, apud M. Tullium pro fugere & redire frequens eſt.

Citius quam aſparagi coquuntur.

Velocius quam aſparagi coquuntur. De re vehementer properata. Sunt quædam figuræ proverbiales, quæ Octavio Auguſto peculiariter arriſerunt: inter quas hæc quoq; refertur a Tranquillo, cum ſcribit eum ad exprimendum feſtinatæ rei velocitatem ſolere dicere, Velocius quam aſparagi coquantur. Idq; identidem in literis uſurpat. Eſt autem aſparagus, herbæ gen⁹ ſpinoſum, & in medicinam utile, & in cibos gratum, cujus ſumma pars quam dureſcāt, leviter coquūtur tantum ut cruditas abſit. Dicitur autem aſparagus, quod qui ſunt in his præcipui, nō ſeruntur, ut Athenæus dixit. Docti quidam admonent, ſimile quiddā dici de ſalſamentis, Citius quam ſalſamenta coquantur: eo quod quidam piſces ſale conditi, aut fumo ventove durati, crudi quoque comedantur, aut leviſſime cocti. Quanquam hoc proverbium apud Athenæum unde citant, nondum reperi. Confine illi, quod alibi dicetur, ἀφύη εἰς πῦρ Aphya ad ignem.

E veſtigio.

Non ignotum eſt Latinis, è veſtigio fieri, quod citra moram ac protinus fit: quod priſci dicebant Extemplo. Eadem figura reperitur & apud Græcos ἐκ ποδὸς, pro ilico, velut in Theocriti verſu ſunere:

> Οἱ ἐκ ποδὸς ἄνυε κράναν.
>
> Id eſt:
>
> Qui tum protinus extruxit fontem.

De ἐκ ποδὸς, quod ſignificat ab imis, velut à pedibus uſque ad caput, dictum eſt alibi.

Celerius quam Butes.

Θᾶττον ἢ Βούτης, id eſt, Celerius quam Butes. Hoc adagio ſignificabant aliquid quam primum abſolvi, compendioque explicari. Quemadmodum ſolent ii qui paucis verbis, & iis truncè pronunciatis, longam ſententiam ſignificant. Ajunt hinc fuiſſe natum. Athenis inter picturas Stoæ porticus, depictus erat Butes quidam, atq; ita pictus, ut ſumma capitis pars cum oculis duntaxat videretur: videlicet ut ſpectator imaginaretur reliquum corpus tegi montis objectu, in quo ingrediebatur. In ejus igitur pictura quoniam non multum operæ ſumpſerat pictor, proverbio jactari conſuevit de his quæ facile perficiuntur. Autor Zenodotus.

Simul & dictum & factum.

Ἅμ' ἔπος ἅμ' ἔργον, id eſt, Simul dictum, ſimul & factum. Ubi qui citra moram id re præſtat, quod verbis pollicetur. Latini, Cū dicto, dicunt pro eo quod eſt, ſtatim poſteaquam dixeris. Et Vergilius:

> —Et dicto citius tumida æquora placat.

Sumptum apparet ex Homero, apud quem eſt hoc carmen:

> Αὐτίκα γὰρ ἅμα μῦθος ἔην τετέλεστο δ' ἔργον.
>
> Id eſt.
>
> Mox ſimul ac dictum eſt verbum, res ipſa peracta eſt.

Idem Græcis dicitur unica voce αὐτοβοεὶ, quod à militari clamore tranſlatum videtur, quo nonnunquam funditur hoſtis, priuſquā ad manus fuerit ventum. Sic uſus Thucydides. Theopompus uſus eſt, pro κατὰ κράτος, i. vi ac virtute, non ex inſidiis. Quiſquis enim inſidias molitur hoſti, ſilet: Qui fidit viribus ſuis, cum clamore irruit in hoſtem. Quidam putat dictum à bub⁹, ut deductum videatur ab arātibus qui quum pollicentur ſe eodem die, id eſt, αὐθημερὸν aliquid operis abſoluturos, dicere ſolent αὐτοβοεὶ, hoc eſt, Priuſquam disjungam boves. Transfertur ad cujuslibet actionis celeritatem, ut perinde valeat atq; παραχρῆμα, αὐτόθεν.

Duobus pedibus fugere.

Ἐκ δυοῖν ποδοῖν καταφεύγειν, i. Duobus pedib confugere. Ariſtides in oratione [illegible]: καὶ μὴν αὐτὸ τοῦτο ἀγαθὸν, τὸ πάντας τοὺς ἐν χρείᾳ βοηθείας [illegible] ἐπὶ τὴν πόλιν, ὥσπερ ἐκ δυοῖν ποδοῖν ὡς ἀληθῶς, καὶ μηδὲ [illegible] ἄλλην πόλιν ὁρᾶν, μέγα καὶ φανερὸν σύμβολον ἦν, καὶ στήλης ἄμεινον, [illegible] προὔχειν αὐτὴν ἐξ ἀρχῆς. i. Atqui primum illud ipſum, quod quibuscunq; opus eſſet auxilio, ad hanc confugerent civitatem, plane tanquam duobus pedibus neq; ullam aliam reliquarum civitatum reſpicerent, magnum & evidens argumentum eſt, ac monimentum columna præſtantius, eam protinus ab initio præcelluiſſe. Is qui ſcholiis quibuſdam haudquaquam cōtemnendis hunc autorem illuſtravit, admonet proverbium ductum ab iis, qui feſtinant curſu, ut non diſſimile videatur illi, ἀμφοτέραις χερσὶν, id eſt, Ambabus manibus, quo proverbio ſedulitatem celeritatemq; peragendi negocii ſignificamus. Vel a navigantibus: perinde quaſi dicas, duobus clavis. Nam gubernaculum navis pedem appellant, quod eo navis, cum huc atq; illuc vertitur, velut ingredi videatur. Itaq; confine fuerit illi, quod alibi diximus, ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν, ut alterutrum ſenſum accipiamus, aut ſummo ſtudio ſummaq; celeritate illos ad urbem confugere ſolitos, aut tutiſſimum illic omnium receptaculum fuiſſe. Quanquam Ariſtophanes ἐν Ὥραις, ad celeritatis ſignificationem retulit, cum ait:

> Ἀπεπλεύσαμεν ἐκ τῆς πατρίδος ἀμφοῖν ποδοῖν.
>
> Id eſt:
>
> E patria utroque devolavimus pede.

Interpres admonet a navibus ſumptum, ſecundo vento currentibus: ſenſum autem eſſe hunc, ſumma vi, ſummoq; conatu.

In foribus adeſſe.

Περὶ θύρας, id eſt, In foribus adeſſe: dicitur allegoria proverbiali, quod inſtat, jamq; in proximo eſt. Plutarchus: πυρετὸς περὶ θύρας ὄντος, id eſt: Cum febris in foribus adeſt. Sic & orbis opifex in arcanis literis ad Cain fratricidam: Sin male egeris, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.

Velis equiſque.

Similem conatum ſignificat, Velis equiſq; ad fugiendum aut aſſequendum magis, quam ad efficiendum. M. Tullius ad Q. fratrem lib. 11. Sic ego, qui in iſto homine colendo tam indormivi diu, te mehercle ſæpe excitante, curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum velis. Quo quidē loco, in vulgaris exemplarib. pro velis viris ſcriptum habetur. Idem Officiorum lib 3. Quibus obſoletis floret Epicurus, ejuſdem fere autor adjutorq; ſententiæ. Cum his equis veliſq;, ut dicitur, ſi honeſtum tueri ac retinere ſententia eſt, decertandū eſt. In quibus exemplis uſus eſt eādem metaphora paulo diverſius, ut qui illic reſpexerit ad celeritatem, hic ad utrumque pugnæ genus, equeſtre ac navale.

Vir fugiens haud moratur lyræ ſtrepitum.

> Ἀνὴρ δὲ φεύγων οὐ μένει λύρας κτύπον.
>
> Id eſt:
>
> Hunc qui fugit ſtrepitus lyræ haud morabitur.

Senarius proverbialis in eos, qui in reb⁹ periculoſis ac ſeriis, properandi ſtudio negligunt leviora. Nam qui fugit in bello, non putat ſibi liberum ac vacuum, ut cantorem aliquem auſcultet. Idque ad complures res accommodari poteſt. Veluti ſi dicas, non eſſe rebus frivolis ac voluptariis nugandum, cum hæc vita tot periculis ſit obnoxia. In hanc ſententiam eleganter Seneca in epiſtola quadam ad Luciliū: Tranſcurramus, inquit, ſolertiſſimas nugas, & ad illa, quæ nobis aliquam opem ſunt latura, properemus. Nemo qui obſtetricem parturienti filiæ ſollicitus acceſſit, edictum, & ludorum ordinem perlegit. Nemo qui ad incendium domus ſuæ currit, tabulam latrunculariam perſpicit, ut ſciat quomodo alligatus exeat calculus. At mehercule undiq; tibi omnia nunciantur, & incendium domus, & periculum liberorum, & obſidium patriæ, & bonorum direptio. Adjice his naufragium, motusq; terrarum, & quicquid aliud timeri poteſt. Inter iſta diſtrictus, rebus nihil aliud quam animum oblectantibus vacas. Plutarchus in libello quem ſcripſit de ει Delphico.

> Οὐ ναῦλα κωκυτοῖσιν, οὐ λύρα φίλα.
>
> Id eſt:
>
> Ingrata naubla, ingrata lugenti lyra.

Concinit huic dictum Eccleſiaſtici: Muſica in luctu, importuna narratio.

Ocyor accipitre.

Admirandam celeritatem hyperbola proverbiali licebit indicare, quæ eſt in eodem libro:

> Θάσσονες ἱρήκων.———
>
> Id eſt:
>
> Pernices magis accipitre.———

Parit puella etiam ſi malè adſit viro.

Τίκτει κόρη, κἂν κακῶς ἀνδρὶ κοιμηθῇ, id eſt, Parit puella, cum malè etiam adfuerit viro. Dici conveniet, quoties res facile conficitur ex ſententia, etiamſi negligenter & ignaviter geſta fuerit. Veluti puella propter ætatis felicitatem facile gerit uterum, etiamſi cum viro nō admodum viro rem habuerit. Non item anus: imo bis virum requirit ætas affecta mulieris. Ea res nec Auguſtinum fugit theologum. Nam quæſtionem, quod Abraham, autore Paulo, Saræ effœtus, tamen ex Cethura ſuſtuliſſe prolem legitur, ſic explicat, ut dicat, illum Saræ anui effœtum fuiſſe, Cethuræ puellæ fuiſſe virum. Egregium ingenium etiam ſub malo & indiligente præceptore bonas literas aſſequitur. Contra, ſi diſcipulus ſit ὄνος λύρας, Præceptor etiam optimus oleum perdit & operam.

Pegaſo velocior.

Πηγάσου ταχύτερος, id eſt, Pegaſo velocior. Hyperbole proverbialis de prævelocibus. Nota fabula de equo alato. Ita Pindarus Olymp hymno 9. καὶ ἀγάνορος ἵππου θᾶσσον καὶ ναὸς ὑποπτέρου. id eſt: Velocius & generoſo equo, & alata nave.

Salaminia navis.

Σαλαμινία ναῦς, Salaminia navis: de prævelocibus dictitatũ eſt. Celebratur enim vel in primis navale bellum adverſus Xerxem geſtum apud Salaminem: ſive quod ex triremibus altera Salaminia vocari conſuevit, altera πάραλος. Ariſtophanes in Avibus: ἔστι τριήρης, πάραλος ἢ σαλαμινία. Unde & Bacchus eo quem modo citavimus loco, ἀσαλαμίνιος appellat ſeſe, quod bellicarum rerum ac remi ducendi eſſet ignar⁹. Alluſit autem poeta ſicut opinor, ad proverbium quod alibi retulimus, δεῖ τὸν κώπην ἐλαύνειν τὸν εἰδότα, id eſt, Oportet ducere remum eum qui nôrit. Plutarchus in vita Periclis, navim robuſtam, & in qua velut in triariis ultimum ſit præſidium, Salaminiam appellat: οὐδ' ἀεὶ παριὼν εἰς τὸ πλῆθος, ἀλλ' ἑαυτὸν ὥσπερ τὴν σαλαμινίαν τριήρη, φησὶ Κριτόλαος, πρὸς τὰς μεγάλας χρείας ἐπιδιδούς. id eſt: Nec ſemper obambulans in turba, ſed veluti Salaminiam triremem, ut inquit Critolaus, ſeſe ad majorem rerum uſum præbens. Scholia quæ feruntur in Ariſtophanem, tradunt Athenis duas fuiſſe naves uſui publico deſtinatas, è quibus Salaminia ſubveheret ad judicium evocans. Paralus veheret. Nam Theoris eos vehebat, qui voti aut religionis ergo Delphos aut alio quopiam proficiſcerentur.

Ignem palma.

Πῦρ παλάμῃ, id eſt, Ignem palma. Dici ſolitum, ſi quando protinus aliquid intellectum eſſet a quopiam, ut ſi ſcommate dicto, ſtatim ſentiat aliquis in ſe dictum. Sumptum videtur ab iis, qui per luſum ignem admovent manibus alienis, qui ſubito ſenſu excitati reſilire ſolent, riſumq; movere ſpectantibus.

Aphya in ignem.

Ἀφύη ἐς πῦρ, id eſt. Aphya ad ignem. Proverbium in ea quæ celeriter intereunt, aut abſumuntur, ſive quæ facile ac ſtatim conficiuntur Nam Aphya piſcis genus candidum, molle & tenerum, quod admotum igni protinus decoquitur. Unde meretrices aliquot aphyas dictas, indicat Athenæus lib. 13. quod eſſent candidæ, graciles, & oculis prægrandibus, Talis enim apua. Frigitur autem in oleo fervent: unde fertur & illud apud Græcos, ἀφύαισι τιμὴ ἔλαιον, id eſt, Aphyarum honor oleum: ac protinus ut contigerunt oleum fervens jam decoctæ ſunt, adeo ut ilico cum oleo ſtridant, ſtatimq; percoctæ tollantur è patella. Hunc piſcem Suidas ſcribit etiam ἀφρὸν, id eſt, ſpumam appellari, propter candorem, & ἐγγραύλεις, complura commemorans ejus genera. Athenæus libro ſeptimo, quibuſdam & ἀφρίτιν dici nimirum à ſpuma, & ob id Veneri ſacrum, quod eam poetarum fabulæ gignante ſpuma maris. Idem eorum quæ ſupra diximus Clearchum adducit autorem, addens & ad hunc modum efferri parœmiam, εἶδε πῦρ ἀφύα. id eſt, Aphya vidit ignem. Quaſi vidiſſe modo ſufficiat ad decoctionem. Itaq; ſi puella jam nubilis ſtatim ſponſo viſo incaleſcat, cõveniet, εἶδε πῦρ ἀφύα. Non diſſimile ei quod alibi recenſuimus, τὸν ἵππον εἰς πεδίον, id eſt, Equum in planiciem.

Ne nimium callidum hoc ſit modo.

Terentius in Eunucho: Vide ne nimium callidum hoc ſit modo Donatus proverbium eſſe demonſtrat: quanquam anceps eſt lectio, poteſt enim utrunq; legi, & calidum & callidum ut prius illud ad feſtinatum conſilium, alterum ad nimis aſtutum referatur. Siquidem utraq; parum feliciter evenire ſolent, vel quæ nimium calent, id eſt, quæ præcipitãtius inſtituuntur, vel quæ nimium audacibus agũtur dolis. Et ſicut autore, apud Titum Livium, Fabio Maximo, temeritas nõ ſolum ſtulta, verum etiam infelix plerunque eſt: ita verſutia nonnunquam ad ſummum diſcrimen adduicit. Qui callidum legũt, reſpicere videntur ad id quod paulo ſuperius dixerat Chærea: Nunquam vidi melius conſilium dari. Qui calidum legunt per unicum l (& mea quidem ſententia rectius) Græcam figuram agnoſcunt. Quoniam θερμὸν, illi tum ſceleſtum, tum præceps & audax facinus vocant. Sic enim Penia in Pluto Ariſtophanica de ſenibus, qui rem novam moliuntur, ut Pluto cæco reſtituant oculos:

θερμὸν ἔργον, κἀνόσιον, καὶ παράνομον.

Id eſt:

Calidum ô facinus, & impium, & nefarium.

Interpres exponit θερμὸν, παράβολον, τολμηρὸν, ἀλόγιστον, id eſt, inauditum, audax & præceps, ac temerarium. Item Sophocles in Antigone:

Θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις.

Id eſt.

In frigidis tibi mens calet negociis.

Objurgatur Antigone, quod nimium avide cuperet ſepellire fratrem. Et Plutarchus Sympoſiacôn Decade quinta, ſignificat ζωρότερον quibuſdam ſignificare τὸ θερμὸν, ut Achilles apud Homerum jubens Patroclum miſcere ζωρότερον, exegerit celeritatem miniſterii. Quemadmodum nos quoque, inquit, ſæpenumero jubemus miniſtris θερμότερον ἅπτεσθαι τῆς διακονίας, id eſt, calidius ac celerius adire miniſterium.

Prius quam gallus iterum cecinerit.

Πρὶν ἢ δεύτερον ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο.

Id eſt:

Prius atque gallus cantet iterum criſtiger.

Græcus verſiculus conſtabit, ſi pro ἀλεκτρυὼν, legas ἀλέκτωρ, id eſt, Admodum mane, & antelucano. A priſca cõſuetudine ſumptum, qua noctis deliquium & acceſſum diei, galli cantu metiebantur, gnomonibus horariis nondum repertis. Gallus autem tribus intervallis canit, prænunciãs diem. Qua de re Plinius lib. x. cap. xxj. Et hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus rumpendoq; ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum ſole eunt cubitum. Quartaque caſtrenſi vigilia ad curas laboremque revocant Nec ſolis ortum incautis patiuntur obrepere. Diemq; venientem nunciant cantu, ipſum vero cantum plauſu laterum. Hactenus Plinius. Cur autem id accidat gallis, Democritus apud M Tullium concoctionem in cauſa eſſe putat, quod id temporis cib⁹ à pectore depulſus in omne corpus digeritur. Poetæ ad fabulam referunt, cuius meminit Lucianus in Gallo. Mihi magis arridet Ambroſii Leonis Nolani ratio: quem virum equidem nõ dubitem in pervestigandis naturæ myſteriis; vel cum quovis veterum philoſophorum conferre Hic in quæſtionibus ſuis gallorum cantum a peculiari quadam ſalacitate proficiſci putat. Eſſe enim hoc animal præ cæteris gallinis deditum, ac velut uxorium, mireq; ſollicitum de ſobole quam maxime propaganda: adeo ut unus gallus compluribus gallinis præficiatur, tantamq; turbam unicus marit⁹ impleat, tum pro fœminis ac pullis acerrime depugnet. Porro cantum gallorũ ab imaginatione Veneris proficiſci, vel illud ſatis arguit, quod prius quam ineundis gallinis maturi ſint, ſileant. Ex reliquis item avibus pleræq; in coitu, coitusve deſiderio vocem ædunt, ut anates, paſſeres, hirundines, perdices. Vox autem maris, in avium genere, tantam vim habet ad incitandam Venerem, ut quædam hac audita tantum, cõcipiant ova. Quo in numero ſunt perdices. Gallus itaq; dilabente jam per viſcera cibo, ſomnoq; diſcedente, quo tempore corpora ſua ſponte concitantur ad Venerem, ſtatim gallinarum meminit: quoq; copioſior ſit fœtura, cantus illecebra provocat. Quod autem ſubinde canit, in cauſa eſt, quia galli ſomnus eſt interſectus, minimeq; perpetuus, maxime cum vigens ætate: ut intelligas & hoc à ſalacitate proficiſci. Sed ut ad interpretationem adagii recurramus, veteres initium diei à prima mediæ noctis inclinatione ordiebantur: proximum tempus gallicinium vocabant, quod id temporis lucem multo ante præſentientes incipiunt canere. Tertium conticinium, cum & galli conticeſcunt, & homines etiam tum quieſcunt. Quartum diluculum, cum incipit dignoſci dies. Quintum mane, cum clarus jam dies exorto ſole. Itaq; ſecundus gallorum cantus, multo ſolis exortum ante venit. Hinc Juvenalis:

Quod tamen ad galli cantum facit ille ſecundi
Proximus ante diem caupo ſciet ———

Conſimiliter Ariſtophanes in Concionatricibus:

—Πόθεν;
Οὐδ' εἰ μὰ Δία τότ' ἦλθες, ὅτε τὸ δεύτερον
Ἀλεκτρυὼν ἐφθέγγετο.

Id eſt:

—Minime gentium.
Ne ſi quidem iſ illo appuliſſes tempore,
Cum gallus iterum caneret.

Hujus rei mentio fit & in Evangelicis literis.

Inter ſeptimam.

Ἐντὸς ἑβδόμης, id eſt, Intra ſeptimam, ſubaudi lunam. Edictum erat Athenis, ne ante ſeptimum diem menſis, exercitum educerent. Recte fortaſſis utemur hoc adagio, quoties admonebimus, mature, ſuoq; tempore negocium aggrediendum. Meminit Zenodotus, Suidas & Heſychius: nec præterea quicquam adſcribũt. Vide num alluſum ſit ad id, quod alio retulimus loco, ἕβδομος βοῦς, id eſt, ſeptimus bos: &,

Τὸν ἕβδομον βοῦν ἡ σοφὴ παροιμία.

Id eſt:

Et ſeptimum venuſtus adagio bovem.

quod pueris ſextum menſem egreſſis farinaceus bos fingi conſuevit: qui lunæ primum apparentis cornua repræſentaret.

Vivit, incende ignem.

Ζῇ, καῦσε πῦρ, id eſt, Vivit incende ignem. Ubi in negocii periculoſi puncto feſtinandum admonemus, & occaſionem arripiẽdam: ut cum reperta ſcintillula properatur, ne pereat & illa. Simile illi, Nunc tuum ferrum in igni eſt. Refertur apud Suidam.

A ſubeunte portum navi.

Ἀπὸ κατάγοντος φόρτου, id eſt, A ſubeunte, ſubaudi, nave lucrum capias. Admonet adagium, celeritatem ad quæſtum plurimum valere: & in negotiatorem illud in primis competere, ὕπνος ἀπέστω, id eſt, Somnus abeſto. Sumptum a mercatorum diligentia, qui merces ſtatim emunt ab ipſis nautis in portum appellentibus. Tum enim & minoris emuntur, & majori diſtrahuntur lucro. Trahi poterit ad eam ſententiam, ut ſi quis dicat ſtatim arripiendam oblatam occaſionem lucri: aut cum rogãdum quempiam, ubi fortuna recentem aliquam commoditatem objecerit. Nam ſumus plerique

tum

tum ad gratificandum benigniores. Perſius in quinta Satyra metaphoram variavit, cum ait:

Tolle recens primus piper è ſitiente camelo.

id eſt, ilico cum adhuc de via ſitit camelus, qui merces attulit. Proverbii meminit Suidas.

Matura ſatio ſæpe decipit, ſera ſemper mala eſt.

Columella de re ruſtica ſcribit hunc in modum: Sed quum omnia in agricultura ſtrenue facienda ſunt, tum maxime ſementis. Vetus eſt agricolarum proverbium: Maturam ſationem ſæpe decipere ſolere, ſeram nunquam, quin mala ſit. Hactenus Columella. Admonet adagium, in omni negocio maturandum eſſe: neq; paulò ſatius eſſe, occupare tempus legitimum, quã ſerius aggredi. Veluti ſi quis admoneat, ut puer tenera adhuc ætate præceptoribus committatur erudiendus. Conſultius enim ante vertere, quam provectioribus annis tum demum incipere.

Sacra celerius abſolvenda.

In rebus divinis attentum eſſe convenit magis, quam diuturnum, ne viloſcant aſſiduitate, cõtra quorundam morem ſacerdotum, qui nimium immorantur ſacro, precibusq;, quas vocant horarias. Ad id torqueri poterit illud ex Odyſſeæ γ.

—Οὐδ᾽ ἔοικε
Δηθὰ θεῶν ἐν δαιτὶ θαασσέμεν, ἀλλὰ νέεσθαι.
Id eſt:
—Neque par eſt
In divorum epulo ſediſſe diutius, imo
Surgere maturè decet.—

Lupinum potum.

Λύκιον ποτὸν, id eſt, Lupinum potum dicebant, ubi quis voluptatem ſuo periculo capitis emeret. Narrant duos erupiſſe fontes ſacros Apollini, quorum alter vino ſcateret, alter melle: ad quos cum aves advolarent, arcu feriebantur. Porro Apollo ſuper cætera cognomina dictus eſt & Lucius: ſive à luce quam aperit, ſive à lupis interfectis. Autores Zenodotus & Suidas, admoventes penultimam eſſe circumflectendam. Nam λύκειον prima acuta, gymnaſium eſt Athenis: quod quidam a Piſiſtrato, quidam a Pericle conſtructum putant. Atque hinc ortum proverbium, confine illi, Ut canis è Nilo.

Ut canis è Nilo.

Qui leviter ac velut obiter artem quampiam, aut autorem deguſtant, hi ceu canis è Nilo deguſtaro dicẽtur. Id adagii natum eſt ex apophthegmate quodam, cujus meminit Macrobius Saturnalium lib. 2. id eſt hujuſmodi. Poſt fugam Mutinenſem, quærentibus quid ageret Antonius, quidam familiaris ejus reſpõdit: Quod canis in Ægypto, bibit & fugit. Nam in illis regionibus cõſtat canes raptu crocodilorum exterritos, bibere, & fugere. Solinus ait, eos non niſi currentes lambitare, ne deprehendantur.

Alienis ſoleis uti.

Ἀλλοτρίαις βλαύταις χρῆσθαι, id eſt, Alienis ſoleis uti dicuntur, qui moribus aliorum ad ſuum abutuntur emolumentum. Ariſtophanes in Equitibus:

Οὐκ ἀλλ᾽ ἐκεῖ τοῖον ἀνὴρ ποιεῖ ὅταν χέζῃ,
Τοῖσι κρείττοσι τοῖς σοῖσιν ὥσπερ βλαυτίοισι χρῶμαι.

Quibus verbis negat ſe circumvenire populum Athenienſem, ſed facere quod ſolent qui deſident in compotationibus, & urgente alvo ſurgunt, arreptis alienis ſoleis, ſive quod feſtinant, ſive quod ebrii ſunt. Ita ille abutebatur moribus populi Athenienſis, qui cibo corrumpi volebat, & blanda libẽtius audiebat quam ſalutaria. Apparet olim Græcos abſq; ſoleis ſolere accumbere. Exituri domum poſcebant ſoleas. Hinc quæſtus Lopodytis. Quidam etiam nudi accumbebant.

Quantum pedibus potes.

Socrates in Gorgia Platonis ita loquitur: σωφροσύνην μὲν διωκτέον καὶ ἀσκητέον, ἀκολασίαν δὲ φευκτέον, ὡς ἔχει ποδῶν ἕκαστος ἡμῶν. id eſt, Temperantiam quidem ſectari atq; exercere oportet: contra intemperantiam fugere, quantum quiſque noſtrum pedibus valet. Id quo longius transfertur a reb. corporeis, hoc magis accedit ad proverbium celeritatis. Quod in corpore ſunt pedes, hoc in animo affectus, quibus expedimus aliquid, aut refugimus.

Criſonem Himeræum præcurrere.

Prodigioſa celeritas, Criſonis videtur locum dediſſe proverbio. Sic enim Socrates apud Platonem in Protagora, rogatus ut inſtitutam cum Protagora diſputationẽ perageret: βουλοίμην ἄν σοι χαρίζεσθαι, εἰ οἷός τ᾽ ἦν δυνατὰ δέῃ· νῦν δ᾽ ἐστὶν ὥσπερ ἂν εἰ δέοιό μου Κρίσωνι τῷ Ἱμεραίῳ δρομεῖ ἀκμάζοντι ἕπεσθαι, ἢ τῶν δολιχοδρόμων τῳ ἢ τῶν ἡμεροδρόμων διαθεῖν τε καὶ ἕπεσθαι. i. Optârim quidem tibi morem gerere, ſi quod petis, meæ facultatis eſſet: nunc perinde eſt, ac ſi me roges ut Criſonem Himeræum inſignem curſorem ſequar, aut dolichodromon quempiam, aut hemerodromon perpetuo æquem curſu ſequarque. Himera Siciliæ civitas eſt, quanquam ejuſdem nominis eſt altera in Africa. Illud Criſon dictus eſt Himeræus, celeritate currendi celebris, qualem refert lib. 7. Plinius fuiſſe Philippidem & Caniſtium Lacedæmonium, cumq; his Philonidem Alexandri magni curſorem. Dolichodromi dicebantur, qui perpetuo impetu duodecim ſtadia decurrebant: Hemerodromi, qui totum diem à mane uſq; ad veſperam citra reſpirationem currebant. Plinius ſcribit, puerum novem natum annos à meridie uſq; ad veſperam continuaſſe curſum. Unde Græci poetæ ſolem appellant ἡμεροδρόμον, quod ſingulis diebus curſum ſuum peragat: quaſi vero noctu requieſcat in diverſorio Thetidis.

FESTINATIO PRÆPROPERA.

ERASMI. *Qui nimium properat, ſerius abſolvit.*

Plato in dialogo, cui titulus De regno: πεποίηκε γὰρ ἡμῖν, ὃ καὶ νῦν κατὰ τὴν παροιμίαν πάθος, ποῖον δή; οὐχ ἥκιστα εὖ διαιρούμενοι, βραδύτερον. id eſt, Fecit enim ut nunc quoq; nobis acciderit, quod proverbio dicitur, quodnam? ut dum parum recte per ociũ dividimus, ſerius perfecerimus. Idem in 7. De repub. lib. alluſit ad proverbiũ: ἐπειδὴ γὰρ ἔσπευδον, ταχὺ πάντα διελθεῖν, μᾶλλον βραδύνω. Id eſt, Dum feſtino, inquit, omnia celeriter percurrere, tardior ſum. Idem in Cratylo ſimile quiddam habet: ἵνα μὴ ἀφ᾽ ... ὥσπερ οἱ ἐν Αἰγίνῃ νύκτωρ περιιόντες ὀψὲ ὁδοῦ, καὶ ἡμεῖς ἐπὶ τὰ πράγματα δόξωμεν αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ οὕτω τοῖς ἐληλυθέναι ὀψιαίτεροι τοῦ δέοντος. id eſt, Ne nobis uſu veniat, ut quemadmodum qui apud Æginetas noctu obambulant, ſerius perficiunt iter, itidem nos ad rem ipſa veritate ſerius quam oportet, perveniſſe videamur. Scitum eſt & illud divi Auguſtini adverſus Petilianũ, iis qui perturbatione aliqua feſtinant, uſu venire nonnunquam ut veſtem aut calceos perverſe induant, quæ res poſtea moram adferat. Idem uſu venit his qui multa ſimul agere conantur, neq; quicquam aſſequuntur. Plato lib. De rep. 3. ὅτι εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύοι, πολλὰ δ᾽ οὔ, ἀλλ᾽ εἰ τοῦτο ἐπιχειροῖ, πολλῶν ἐφαπτόμενος, πάντων ἀποτυγχάνοι ἄν. id eſt, Unusquiſque recte unum ſtudium exerceat, multa nequaquam. Imo ſi id tentarit, multa aggreſſus, omnibus fruſtrabitur. Idem ejuſdem operis lib. 10. docet idem accidere iis qui non veritate, ſed fucis ac malis artibus properant ad honorem: ἆρ᾽ οὐχ οἱ μὲν δεινοί τε καὶ ἄδικοι δρῶσιν ὅπερ οἱ δρομεῖς, ὅσοι ἂν θέωσιν εὖ ἀπὸ τῶν κάτω, ἀπὸ δὲ τῶν ἄνω μή; τὸ μὲν πρῶτον ὀξέως ἀποπηδῶσιν, τελευτῶντες δὲ καταγέλαστοι γίγνονται, τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες, καὶ ἀστεφάνωτοι ἀποτρέχοντες. id eſt, An non iſti artifices & injuſti idem faciunt, quod ſolent curſores quidam, qui bene quidem currunt ab inferiore loco, à ſuperiore vero nequaquam? Primum quidem celeriter proſiliunt, cæterum in fine curſus ridiculi ſunt, atq; auriculas in humeris habentes incoronati ſemet abripiunt. Monet adagium, inſtituendæ rei non tam celeritatem quam curam adhibendam eſſe, ne poſtea ſit mora, quod in operis ingreſſu fuerit erratum. Obnoxii ſunt huic proverbio quidam, qui compendii cauſa, Græcanica literatura prætérita, protinus ad philoſophiæ ſtudium inſiliunt: ac dum ſtulte captant compendium, in maximum incidunt diſpendium. Fit enim, ut hi dum repente Philoſophi ſtudent evadere, nunquam philoſophiæ ſcientiam aſſequantur, cumq; ſe jam ad metam perveniſſe credunt, denuo ad carceres ſit redeundum, denuoque a linea, quemadmodum Græci dicunt exordiendum. Item in re bellica plus efficit Fabii cunctatio, quam M. Minutii præceps temeritas. Siquidem is unus Hannibalem multis jam præliis invictum non viribus, ſed lentitudine ſuperavit. De quo præclare Ennius apud M. Tullium in Catone majore:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.

Canis feſtinans cæcos parit catulos.

Ἡ κύων σπεύδουσα τυφλὰ τίκτει, id eſt, Canis feſtinans cæcos parit catulos. In eos jaciebatur, qui nimio feſtinandi ſtudio rem parum abſolutam ædunt, ut ſi quis operis parum elimati præcipiter æditionem. Hinc natum, quod canis quia celerius pariat, catulos cæcos velut adhuc immaturos ædit. Ariſtot. lib. De generatione animalium 4. demonſtrat, id potiſſimum evenire in animantibus, quæ multifidis ſunt pedibus, & numeroſum alunt fœtum, ut vulpes, urſa, leæna, canis, lupa. Nã hæc omnia cæcos pariunt catulos: quædam etiam informes adhuc ædunt. In cauſa putat, quod cum corporis humor non ſufficiat alendo tam numeroſo fœtui, natura partum imperfectum potius educit. Galenus item libro quem conſcripſit De ſemine: αἱ δὲ κύνες ἤδη καὶ ἡ παροιμία φησὶ τυφλὰ τίκτειν διὰ σπουδήν. id eſt, Canes vero etiam proverbio jactatum eſt, ob feſtinationem cæca parere: quanquam canum catulos Galenus mavult imperfectos dici quam cæcos, quum talpæ propriè cæcæ dicantur. Animantia quæ fœtus ædunt cæcos, ἀλαιότοκα vocantur Græcis, quaſi Latine dicas cæcipara. Alludit ad parœmiam Ariſtophanes in Pace:

Ἡ κώδων ἀκαλανθὶς ἐπειγομένη τυφλὰ τίκτει.
Id eſt:
Cæca parit properato acalanthis tinnula nixu.

Et interim Græci grammatici dubitant, quid ſit Acalanthis: alii putant nomen inſignis canis, deductum παρὰ τὸ ἀκαλὸν θεῖν, id eſt, quod placide currat. Sunt rurſus qui ſuſpicentur avem eſſe. κώδων autem tintinnabulum eſt, quo in ædibus magnatum, & hodie in collegiis, convocantur familiares ad officium. Alii ſuſpicantur dictum παρὰ τὸ ἀγάλλειν, id eſt, a blandiendo: quod notis adblandiens canis, allatrat hoſpites. Sic divinant Ariſtophanis interpres, Etymologus, & Suidas.

Ante victoriam encomium canis.

Πρὸ τῆς νίκης τὸ ἐγκώμιον ᾄδεις, id eſt, Ante victoriam encomium canis

canis. In eum, qui præpropere gloriatur, re nondum confecta. Nam apud Græcos, qui rem ſtrenue geſſiſſent in bello, oratione quapiam aut carmine laudabatur: quæ laudatio proprie encomiũ dicitur. Extat enim Theocriti carmen in laudem Ptolemæi, cui titulus, Encomium: & Luciani, Demoſthenis encomium. Apud Romanos ovationes, ſupplicationes, triumphi, præmia virtutis erant: unde liceat dicere, Antequã viceris, triumphum paras. Plato in Lyſide: πρὶν νενικηκέναι, ποιεῖς τε καὶ ᾄδεις εἰς σαυτὸν ἐγκώμιον. id eſt, Priuſquam viceris, & facis & canis de teipſo encomium. Non abludit hinc, quod ait Plato in Theæteto. φαινόμεθά μοι ἀλεκτρυόνος ἀγεννοῦς δίκην πρὶν νενικηκέναι, ἀποπηδήσαντες ἀπὸ τοῦ λόγου ᾄδειν. id eſt: Videbimur galli ignavi more priuſquã vicerimus, a ſermone deſilientes canere. Siquidem hic mos animanti cantu victorem ſe teſtari. Huc pertinet illud quod alibi retulimus ex Solonis autoritate: ὅρα τέλος μακροῦ βίου. Tum illud Pindari in Iſthmiis: ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων, πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι. id eſt: Eſt autem incerta fortuna etiam pugnantium, priuſquam ad ſummum finem perveniatur.

Ante lentem augere ollam.

Πρὸ τῆς φακῆς αὐξάνειν τὴν λοπάδα i. Ante lentem augere ollam Proverbiali figura dictum, pro eo quod eſt, ſpes ingentes in animo cõcipere, priuſquam res ipſa teneatur: aut polliceri quod ipſe nondum habeat: aut præpropere ſibi placere, quaſi jam poſſideat ea quæ procul etiam dum abſunt ut teneantur. Velut ſi quis ſpe ſacerdotii ſumptus jam incipiat facere, quod nondum acceperit. Aut ſi quis vitæ ſtrepitum augeat ſpe magiſtratus, quem incertũ eſt an ſit impetraturus. Citatur adagium ex Cratete apud Athenæum: μὴ πρὸ φακῆς λοπάδ' αὔξων εἰς στάσιν ἄμμιν βάλῃς. id eſt, Ne ante lenticulam augens ollam, aut patinam, in ſeditionẽ nos mittas. Citatur & à Plutarcho, cõmentario De præceptis bonæ valetudinis, ejuſdẽ Cratetis nomine, his quidem verbis: ὁ μὲν οὖν Κράτης, ὑπὸ τρυφῆς καὶ πολυτελείας οὐχ ἥκιστα τὰς στάσεις καὶ τὰς τυραννίδας ἐμφύεσθαι ταῖς πόλεσι νομίζων, μετὰ παιδιᾶς παρῄνει. μὴ πρὸ φακῆς λοπάδ' αὔξων εἰς στάσιν ἄμμιν βάλῃς. αὐτὸς δέ τις αὑτῷ παρακελευέσθω μὴ πρὸ φακῆς λοπάδα αὔξειν ἀεὶ μηδὲ πάντως ὑπερβαίνειν τὴν καρδαμίδα καὶ τὴν ἐλαίαν. ἐπὶ τὸ θρῖον καὶ τὸν ἰχθὺν εἰς στάσιν ἐν πλησμοναῖς τὸ σῶμα καὶ ταραχὰς ἐμβάλλειν καὶ διαρροίας. id eſt, Crates igitur cum exiſtimaret in civitatibus ſeditiones ac tyrannides potiſſimum è deliciis ac luxu naſci, per jocum admonuit, ne præ lenticula ſemper augens patinam, in ſeditionem nos conjicias. Sed ſeipſum adhortetur quiſq;, ne ſemper præ lente augens patinam, ve re modis omnibus, præterito naſturtio & olea, ad farcimen & piſcem deſciſcens, ex repletione corpori ſeditionem concitet, ac tumultum & diarrhœas. Crates eo detorſit dictum, ut apparet, poetæ cujuſpiam, ut pertineat ad homines impendio ſumptuoſos. Alluſit autem ad mores plebis quæ ſolita ſit excitare ſeditiones, ſi conſpiciat optimates ſibi præponi. Nam lopade apponebantur cibi lautiores: id quod licet colligere ex Luciani Saturnalibus. Lens legumen eſt viliſſimum ac plebeium.

Æſtate penulam deteris.

Ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις, id eſt, Æſtate penulam deteris. Refertur à Zenodoto, Diogeniano, Suida. Recte dicetur in eum qui res neceſſarias temere, nec in tempore profundit, aliquando futuras uſui, ſi ſerventur. Id ꝙ vulgo factitant adoleſcentes, qui facultates patrias ſtulte prodigunt in juventa, quibus ſuſtinẽda fuerat imbecillitas ſenectæ. Neq; male quadrabit in eos, qui corporis vires in voluptatibus fruſtra conſumunt, quas in obeundis negociis feriis poſtea ſunt deſideraturi. Nam χλαῖνα, ſumma veſtis eſt: quæ pro tempore ſumitur ad ventos, pluviam, friguſve depellendum, quaſi Latine dicas penulam. Juvenalis:

— Et multo ſtillaret penula nimbo.

Quanquam & Latini lænæ vocabulo utuntur, pro eo quod Græci χλαῖναν appellant Nonius indicat genus veſtis militaris, quæ ſit omnium extima, veluti chlamys, pallium, & penula. Apud Diogenem Laertium tale quiddam objicit Philemon comicus in Cratetem, quod æſtate gereret pallium craſſum, hyeme laceram tunicam: videlicet quo diſceret temperantiam ac tolerantiam.

Muſcum demetere.

Ἄμνια θερίζειν, id eſt, Muſcum demetere: dici ſolitum, ubi quis tener adhuc & intempeſtivus durius tractaretur, aut colleretur emolumentum prius quam opportunum eſſet. Tranſlatum ab iis, qui ſtatim ut ager obduci cœperit herba, demetunt, nec ſinunt adoleſcere gramen. μνίον enim muſcus, & additione literæ ἄμνιον: ſicut ἄσταχυς, pro στάχυς.

Siculus omphaciſſat.

Σικελὸς ὀμφακίζει, id eſt, Siculus omphaciſſat. Omphaca Græci dicunt uvam acerbam & immaturam, ἀπὸ τοῦ ὠμοὺς φαγεῖν, id eſt, quod crudi comedantur. Unde dicebatur in eos, qui libidine furandi quantumlibet vilia tollerent furto. Dictum a furacitate Siculorum. Non perperam dicetur & in illos, qui ob immodicam & præproperam aviditatẽ, quo puſillum lucelli faciant ſibi, damnum ingens aliis inferunt. Sunt qui credant quadrare poſſe in eos, qui belliſſima quæq; ſibi decerpunt, ut Syrus ille Terentianus. Zenodotus ait ex Epicharmo ſumptum. Refertur à Suida.

Præmovere venatum.

Προανασοβεῖν τὴν θήραν, id eſt, Præturbare feram. Ariſtides in Pericle citat ex Platone, ὥστε οὕτω γ' ἂν ἀφ' ὧν αὐτὸς λέγει, προανεσόβησε τὴν θήραν. id eſt, Igitur ad eum modum quod ipſe ait, turbavit venationem. Cæterum verba Platonis in Lyſide ſic habent, ποῖός τίς σοι δοκεῖ ἂν εἶναι θηρευτής, εἰ ἀνασοβοῖ θηρεύων καὶ δυσαλωτοτέραν τὴν ἄγραν ποιοῖ; id eſt: Qualis igitur tibi videatur eſſe venator, ſi inter venandum excitet feram, & captum reddat difficiliorem? Dici ſolitum apparet, ubi quis non ſatis diſſimulat quod molitur, quemadmodum uſu venit, ut fera tumultu excitata intellectis inſidiis, ſubducat ſeſe.

Odi puerulos præcoci ſapientia.

Apuleius in apologia ſecunda, verſiculum hunc neſcio ex quo poeta citat, ceu vulgo celebrem:

Odi puerulos præcoci ſapientia.

Vulgo invaluit opinio, ut credant puerulos maturius ſapientes, aut non fore vitales, aut dementes futuros, ſimulatq; ad ætatem maturam pervenerint. Plinius libr. 7. refert Catonem Cenſorium velut in oraculo prodidiſſe, ſenilem juventam prœmaturæ mortis eſſe ſignum. Et apud Senecam libro Controverſiarum 2. controverſia 3. Ceſtius de ingenio Alfii Flavii prædicare conſuevit, tam mature magnum ingenium non eſſe vitale. Talem puerum Sophocles ἀνδρόπαιδα vocat. Citatur autem hic verſiculus ab interprete Pindari in Pythiis hymno 2. τὸν ἀνδρόπαιδα δεσπότης ἀπώλεσε. i. e. Puerum virilem dominus ipſe perdidit. ἀνδρόπαιδα vocat, quod ætate puer, viri ſapientia præditus eſſet. Adaptare licebit ad diſcipulum, qui in ipſis ſtatim rudimentis ſibi placeat. Ariſtoteles lib. Rhet. ij. refert hanc ſententiam ex poeta neſcio quo:

Οὐ χρὴ δ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνήρ,
Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Id eſt:

Quiſque ſapit, non unquam oportet, plus ſatis
Docendo pueros, mos philoſophos reddere.

Non ſtatim finis apparet.

Herodotus in Polymnia, ſignificat hoc olim proverbio dici ſolitum. Non ſtatim cum principio apparere rei exitum: καὶ τὸ παλαιόν, inquit, ἔπος εὖ εἴρηται, τὸ μὴ ἅμα ἀρχῇ πᾶν τέλος καταφαίνεσθαι id eſt, Et vetus adagium, quo recte dictum eſt, non ſtatim cum initio apparere finẽ. Conveniet in quorundam præproperas ſpes, qui negocio vix cœpto, ſtatim arbitrantur ſe rem factam habere, quum ſæpe exitus non reſpondeat initiis. Vulgi jocus eſt is Batavum quendam, qui juſſus ſumere catapotia, rogavit medicũ quid eſſent effectura. Cum medicus reſpondiſſet, fore ut moveretur alvus, devoravit: moxq; nondum egreſſo medico, clamavit ſe cacaturire: nimirum ſuſpicans ſtatim apparere finem una cum principio. Alter quidam ejuſdem ſapientiæ, quum à parentibus miſſus eſſet in Galliam, ut Gallice diſceret, quum illic egiſſet triduum, querebatur apud ſuos, quod nõdum loqueretur Gallice: putans hanc vim habere ſolum ipſum, ut quiſquis adiſſet Galliam, ilico Gallice loqueretur. Sunt & hujuſmodi quidã, qui ſimulatque filius triduo verſatus eſt in ludo literario, mirentur eum nondum ſcire literas, queranturq; operam ſimul & impenſam periiſſe. Poterit ad ſeria torqueri. Rebus honeſtis ſtrenue vacandum, ut olim liceat egregiorum laborum opimam meſſem metere. Semper in hac vita recte faciendum, olim non defutura præmia, etiamſi non contingant in hoc mundo.

Feſtina lente.

Σπεῦδε βραδέως, id eſt, Feſtina lente. Proverbium hoc non invenuſtam ænigmatis ſpeciem præ ſe fert, propterea quod conſtat ex verbis inter ſeſe pugnantibus, Ideoq; referendum eſt ad eam formam, quam in operis hujus initio demonſtravimus: nimirum eorum, quæ per ἐναντίωσιν, id eſt, contrarietatem efferuntur. Quod genus eſt illud, δυσδαίμων εὐδαιμονία, id eſt, infelix felicitas. Nec abſurde mihi conjectaſſe videatur, ſi quis effictum exiſtimet ex eo, quod eſt apud Ariſtophanem in Equitib. σπεῦδε ταχέως, id eſt, Propera propere. ut alluſor, quiſquis is fuit, τὴν ταχεῖαν σπουδὴν in ἐναντίωσιν commutarit. Ad hunc autem figuræ colorem atque ad hanc alluſionis facetiam, non mediocrem gratiam adjungit tam commoda, tamq; abſoluta brevitas, quæ & ipſa velut in gemmis, itidem & in adagiis neſcio quo modo peculiariter decere mihi videtur, & ad precii miraculum facere. Etenim ſi vim ac ſententiam æſtimes, quam hæc tam circumciſa vocum brevitas in ſe complectitur, quam ſit fœcunda, quam gravis, quam ſalutaris, quam ad omnem vitæ rationem late patens, profecto facile diſceſſeris in hanc ſententiam, ut in tanto proverbiorum numero nõ arbitreris ullum aliud eſſe perinde dignum, quod omnibus incidatur columnis: quod pro templorum omnium foribus deſcribatur, & quidem aureis notis: quod in principalium aularum valvis depingatur: quod primatium inſculpatur anulis: quod regiis in ſceptris exprimatur, denique quo omnib. ubique monumentis repræſentetur, propagetur, celebretur: ut quod tantopere expediat ſemper cujuſque obſervari animo, quo nuſquam non occurrat oculis, nulli quidem mortalium, non ſine magno futurum uſui, præcipue tamen principibus, & iis, quibus ut verbis dicam Homericis,

Ameis

Λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε

Id eſt:

Commiſſi populi, ac tam multa negocia curæ.

Quandoquidem a plebejæ ſortis hominibus, ſi quid forte ſit vel prætermiſſum ſocordia, vel admiſſum temeritate, quemadmodum jactura levior, ita & incommodum quod acceptum eſt, faciliore remedio ſarcitur. At verò principis vel vnica ceſſatio, ſemelve præcipitatũ conſilium, Deum immortalẽ, quas tẽpeſtates nonnunquam excitat, quantas rerum humanarũ ruinas ſecũ trahit? Rurſum ſi adſit *τὸ σπεύδειν βραδέως*, hoc eſt, maturitas quædam ac moderatio, ſimul ex vigilantia lentitudineq; temperata, vt neque per temeritatem quicquam faciat pœnitendum, neque per ſocordiam quicquam prætereat, quod ad Reipub. commodum pertinere videatur: quæſo te quid eſſe poſſit hoc imperio felicius, firmius, ſtabiliuſque? quanquam hæc felicitas haudquaquam ipſis imperii terminis circumſcribitur: quin vndique longè lateque ad finitimos populos dimanat, nec vſquam æque locum habet Heſiodium illud:

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

Proinde ſic equidem exiſtimo, proverbium hoc, ſi quod aliud, optimo jure *βασιλικὸν*, id eſt, regium appellari debere: non tantum ob eam quam modo diximus cauſam, verum etiam quod duobus his vitiis ingenia principum ferè peculiariter videantur eſſe obnoxia. Nam fortunæ favor, rerum affluentia, tam paratæ voluptatum illecebræ: præterea protinus licere quicquid collubitũ fuerit: denique peſtilentiſſimum illud aſſentatorum *εὖγε*, ſemperq; parati, quicquid quocunque modo dictum factumve fuerit arriſus, applauſus, adgratulatio: hæc inquam, atque id genus alia, non mirum ſi quibusdam ſocordiam concilient. Maximè ſi his omnibus fomentis ætas juventa contigerit, & hujus comes rerum imperitia. At è diverſo fit nonnunquã, vt inſitus ille principũ ingeniis vigor, & impetus quidam, (vt ita dixerim) leoninus, adauctus amplitudine fortunæ, excitatus rerum maximarum ſucceſſibus, inflammatus vel iracundia, vel ambitione, vel aliis hujuſmodi cupiditatibus, extimulatus conſiliis præferocibus, tranſverſos rapiat aliquoties, ac tum ipſos, tum omnem imperii molem in præcipitium auferat. Quanquam ſiquidem in alterutram partem peccandum ſit, non paulò præſtiterit, regem impendio lentum eſſe, quã plus æquo præcipitem. Homerus Agamemnoni vitioſam quandam animi mollitiem, hoc eſt, *τὸ βραδὺ* affinxiſſe videtur: vt ejus nullum egregium facinus adferatur, aut animoſum, niſi cum ob ereptam Chryſeidem ſtomachatur & Achillem ſua ſpoliat Bryſeide. Rurſum Achilli parum moderatos impetus hoc eſt, *τὸ σπεύδον*, attribuit: niſi ſi cui tum *σπεύδειν βραδέως* videtur, cum in concilio diſtricto gladio regem impetiturus, a Pallade coercetur, admonitus vt intra convicia duntaxat indignetur. Atqui hoc ipſum erat impotentis animi, in frequenti principum conſeſſu, tot probris, tam manifeſtis conviciis in eum debacchari, penes quem rerum erat ſumma. Achillem imitatus videtur Alexander ille Magnus, ac plane vicit: quippe quem euſque præcipitem egerit impetus animi, vt in amiciſſimos etiam ferrum diſtrinxerit. Agamemnonem Sardanapalus eſt æmulatus, ſed ita æmulatus, vt longo præceſſerit intervallo. Quin vtriuſque generis innumerabiles, invenire liceat, qui vel hujus inertiam, vel illius ferociam referant perpaucos autem reperias, qui proverbium hoc ſecuti, tempeſtivam celeritatem cum prudenti tarditate rectè miſcuerint: niſi quod pro multis vnus ſufficit, Fabius ille Maximus, cui cognomẽ etiam additum Cunctatori, qui cum ſibi laudem peperit immortalem, tum Romano imperio cunctando reſtituit rem, aliorum ducum inauſpicata celeritate jam ad extrema redactam. Itaque non ſine cauſa video factum, vt hoc *σπεῦδε βραδέως* in tantum arriſerit duobus imperatoribus Romanis, omnium facilè laudatiſſimis, Octavio Auguſto, & Tito Veſpaſiano, quorum vtrique ſingularis quædam aderat animi magnitudo cum incredibili quadam lenitate, facilitateq; conjuncta: vt cum amabili morum popularitate, omnium animos ſibi devinxiſſent, nihilo ſecius tamen pari diligentia, ſi quando res virum poſtularet, celeriter res maximas confecerint. Octavius igitur hoc dicto tam impenſe delectatus eſt, quemadmodum in Noctibus Atticis libro x cap. xj. narrat Aulus Gellius, & hunc ſecutus Macrobius Saturnal. lib vj. vt non in ſermonibus modo quotidianis crebrius vſurparet, verum etiam epiſtolis ſuis frequenter inſereret: admonens his duabus vocibus, vt ad rem agendam adhiberetur ſimul & induſtriæ celeritas, & diligentiæ tarditas. Quod quidem Gellius Latinis exiſtimat vnico verbo dici Matura. Nam maturari, quod neque præpropere fiat, neque ſerius quam oporteat, ſed ipſo in tempore. In hunc ſenſum vſurpaſſe Maronẽ, cum ait Æneidos libro primo:

Maturate fugam.—

Quanquam omninò vox hæc apud autores ſignificat idem quod feſtinare: ſed ita feſtinare, ne tempus legitimum antevertas. Siquidem feſtinata rectè dixeris etiam præpropera, maturata non dixeris. Neque diſſident ab his quæ Suetonius tradit in hujus vita Nihil, inquiens, minus in duce perfecto, quam feſtinationem, temeritatemque convenire arbitrabatur. Crebro itaque illa jactabat:

Σπεῦδε βραδέως, [illegible] ἀσφαλὴς γάρ ἐσθ' ἀμείνων ἢ θρασὺς

Στρατηγός.

Hæc fermè Suetonius. [illegible] autem verſus trochaicus tetrameter catalecticus ex poeta quo[illegible], vt conjicio, decerptus: cui Cæſar de ſuo ſubjecit, *στρατηγός*. Cujus hæc eſt ſententia: Feſtina lente. Nam qui tuto citraque lapſum rem gerit, melior eſt, quam audax & confidens. Tutiora ſunt enim, quæ lentis conſiliis providentur, quam quæ calidis conſiliis properantur. Jam verò dictum idem Tito Veſpaſiano placuiſſe, ex antiquiſſimis illius nomiſmatis facilè colligitur: quorum vnum Aldus Manutius mihi ſpectandum exhibuit argenteum, veteris planeque Romanæ ſcalpturæ, quod ſibi dono miſſum ajebat à Petro Bembo, patritio Veneto, juvene cum inter primos erudito, tum omnis literariæ antiquitatis diligentiſſimo pervestigatore. Nomiſmatis character erat hujuſmodi, altera ex parte faciẽ Titi Veſpaſiani cum inſcriptione præfert, ex altera ancoram, cujus medium ceu remonem, delphin obvolutus complectitur. Id autem ſymboli nihil aliud ſibi velle, quam illud Auguſti Cæſaris dictum, *σπεῦδε βραδέως*, indicio ſunt monimenta literarum hieroglyphicarum. Sic enim vocantur ænigmaticæ ſcalpturæ, quarum priſcis ſeculis multus fuit vſus, potiſſimum apud Ægyptios vates, ac theologos: qui nefas eſſe ducebant, ſapientiæ myſteria literis communibus vulgò prophano prodere, quemadmodum nos facimus: ſed ſi quid cognitu dignum judicaſſent, id animantium rerumque variarum expreſſis figuris ita repræſentabat, vt non cuivis ſtatim promptum eſſet conjicere: verum ſi cui ſingularum rerum proprietates, ſi peculiaris cujusq; animantis vis ac natura cognita, penituſque perſpecta fuiſſet, is demum collatis eorum ſymbolorum conjecturis, ænigma ſententiæ deprehendebat. Veluti cum Ægyptiis Oſirim ſuum, quem eundem ſolem eſſe putant, ſignificare volunt, inſcalpunt ſceptrũ, inque eo ſpeciem exprimunt oculi: nimirum innuentes hunc deum eſſe, regalique poteſtate ſublimem, cuncta deſpicere: quia ſolem Jovis oculum appellat antiquitas. Hujuſmodi fermè refert Macrobius libro Saturnalium primo. Item annum hoc modo demonſtrabant: Effingebant ſerpentem ita circumvolutum, vt caudam ore teneret inſertam: innuentes, annum ſemper iiſdem vicibus temporum reciprocantibus in ſeſe recurrere. Unde Servius autumat apud Græcos *ἐνιαυτοῦ* vocabulum attributum anno, atq; huc reſpexiſſe Maronem, cum ait:

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Etiamſi Horus Ægyptius, cujus extant duo ſuper hujuſmodi ſymbolis libri, ſerpentis ſcalptura nõ annum, ſed ævum, repræſentari tradit: annum autem tum Iſidis, tum Phœnicis imagine. Scripſit iis de rebus Plutarchus in commentario de Oſiride, & Cheremõ apud Græcos, teſtimonio Suidæ: cujus ex libris excerpta ſuſpicor ea, quæ nos nuper cõſpeximus hujus generis monimenta, in quibus etiam hæc inerat pictura: Primo loco circulus, deinde ancora, quam mediam (vt dixi) delphinus obtorto corpore circumplectitur. Circulus vt indicabat interpretamentum adſcriptum, quoniam nullo finitur termino, ſempiternum innuit tempus: Ancora quoniam navim remoratur & alligat, ſiſtitque, tarditatem indicat. Delphinus, quod hoc nullum aliud animal celerius, aut impetu perniciore, velocitatem exprimit: quæ ſi ſcite connectas, efficient hujuſmodi ſententiam, *ἀεὶ σπεῦδε βραδέως*: id eſt, Semper feſtina lente. Porrò hoc ſcripturæ genus non ſolum dignitatis plurimum habet, verum etiam voluptatis non parum, ſi quis modo rerum, vt dixi, proprietates penitus perſpectas habuerit, id quod partim cõtingit ſolerti contemplatione rerum, cauſarumque naturalium, partim liberalium cognitione diſciplinarum. Veluti ſi quis ex Ariſtotelicis libris, quos de naturali auditu inſcripſit, probe teneret Analogiam quandam eſſe & ſimilitudinem inter magnitudinem, motum, ac tempus: nam horum trium vnumquodq; pariter in eodem exiſtunt. Siquidem vt tempus adhæret motui, ita motus adhæret magnitudini. Quod in magnitudine punctum, hoc momentũ in tẽpore, impetus in motu (liceat enim interim ſic appellare, quod in motu minimum eſt atq; indiviſibile, neque enim de vocibus laborandum, ſi de re cõveniat) Jam igitur ſi in recta linea magnitudinem conſideres, duo puncta reperies, quorum alterum ſit initium duntaxat, alterum finis tantum: hoc eſt, vnde quaſi fluit longitudo, & in quod deſinit. In eadem ſi motum conſtituas, duos item reperies impetus: alterum vnde motus oritur: alterum in quem deſinit. Horum ea ratio eſt, vt qui initium eſt, tantum ejus motus initium ſit: qui finis, tantummodo finis. Motum tempus neceſſariò comitatur. Eſt enim hujus veluti regula: cujus naturã ſi ſeparatim contemplere, duo vides momenta (liceat enim ita loqui) alterum temporis illius initium, alterum finem. Rurſum autem, ſi in eadem linea conſideratis puncta magnitudinis, impetus motus, momenta temporis, quæ media intercedunt inter initium & finem: vides horum vniuſcujusq; velut ancipitem eſſe naturam Etenim ad initium relata, fines ſunt: ad finem, initia. Proinde vbi finita erit magnitudo, ibi ſimul & finitus motus, & tempus finitum ſit oportet. Finita eſt autem ea magnitudo, in quam tale competit initium, vt idem finis eſſe non poſſit: talis in quam finis, vt in eundem non cadat ratio principii: id quod evenit in omnibus figuris, excepta circulari, ſeu ſphærica. Nam vt in hac nullum certum eſt punctum, quod proprie dici queat initium, nullum item quod ita ſit finis, vt tantum eam recipiat appellationem: ita nec momentum hujuſmodi vllum eſt, nec impetus. Unde conſequitur, vt ibi neque finita ſit magnitudo, neque motus finitus, neque finitum tempus. Rurſum vbi quodlibet magnitudinis punctum, ſimul & initium & finis eſſe poteſt, ibi magnitudinem infinitam eſſe neceſſe eſt. Ad eandem rationem, vbi quilibet impetus vel principiũ motus eſſe poteſt, vel finis, illic motus videtur infinitus. Demum vbi quodvis

X

momen-

quod illos fugerit. Exiſtere poteſt, verbi cauſa, qui doceat aliquid, quod latuerit Ariſtotelem: nullum tamen arbitror exoriturum qui philoſophiæ corpus tradat abſolutius, quam ille tradidit. Sic erit fortaſſis, qui in literis ſacris videat quædam, quæ fefellerint Chryſoſtomum aut Hieronymum: at non arbitror fore, qui in ſumma præſtet, quod illi præſtiterunt. Nunc illis propemodum antiquatis omnibus omnium næniis terimus horas: negliguntur interim honeſtæ diſciplinæ cum ſuis autoribus: collabitur autoritas Senatuum, Conciliorum, Scholarum, Jureconſultorum ac Theologorum. Quod ſi res pergat qua cœpit, futurum eſt vt ſumma rerum ad paucos redacta, barbarica quædam tyrannis ſit apud nos, qualis eſt apud Turcas. Unius aut paucorum libidini patebunt omnia, nec erunt politiæ civilis vlla veſtigia, ſed militari violentia gubernabuntur vniverſa. Jacebunt omnes honeſtę diſciplinæ, lex vna vigebit: Sic vult [illegible]. Religionis antiſtites aut nullo erunt in precio: aut ſi quid habebunt opum dignitatiſve, id totum ſervient iis, quorum non judicio, ſed nutu ac renutu temperabuntur omnia. Quanto melius conſuleretur rebus humanis, ſi quemadmodum in elementis mundi alia ab aliis ſic temperantur, vt æterno fœdere conſiſtant omnia ſic in republica ſua cuiq; legitima maneret autoritas, populo tribueretur quod æquũ eſt, ſenatui ac magiſtratui tantum concederetur, quantum eruditio, leges & æquitas paterentur, epiſcopis ac ſacerdotibus ſuis maneret honos: nec monachis negaretur quod debetur. Horum omnium concors diſcordia & eodem tendens varietas, longè fidelius ſervaret Reipublicæ ſtatum, quam nunc, dum quiſque ad ſe rapere conatur omnia. Ne familia quidem poteſt conſiſtere, niſi maritus functionis partem cedat vxori, ni diſcrimen ſit inter liberos & ſervos, & niſi ſervi quoque non pro jumentis habeantur, ſed pro hominibus: poſtremo niſi diſcrimen ſit inter ſervum & ſervum: vt qui liberaliter ſerviunt, habeantur indulgentius ac præmium officiorum expectent libertatem. Dicet hic aliquis: Heus divinator, quid hæc ad typographos? Quia nonnullam mali partem invehit horum impunita licentia. Implent mundum libellis, non jam dicã nugalibus, quales ego forſitan ſcribo: ſed ineptis, indoctis, maledicis, famoſis, rabioſis, impiis ac ſeditioſis: & horum turba facit, vt frugiferis etiam libellis ſuus pereat fructus. Provolãt quidã abſq; titulis, aut titulis (quod eſt ſceleratius) fictis. Deprehẽſi reſpõdent: Detur vnde alam familiam, deſinam tales libellos excudere. Aliquanto meliore fronte reſpondeat fur, impoſtor aut leno: Da qui vivam & deſinam his artibus vti, niſi forte levius crimen eſt, clam minuere rem alienam, quam palam eripere famam alienam: aut ſine vi ad quæſtum abuti tuo alienove corpore, quam vitam alterius ac famam vita quoque chariorem impetere. Sed querelæ jam dudum ſatis. Indicandum [illegible] remedium. Mitigabitur hoc malum, ſi principibus ac magiſtratibus curæ fuerit, vt quantum fieri poteſt, excludantur otioſi, quos potiſſimum bella mercenaria nobis propinãt: deinde ſi improbis, quos nec ratio nec pudor cohibet, leges oſtendant fuſtem paratũ, niſi ſe verterint ad meliora: deinde conantibus ea quæ faciunt ad publicam vtilitatem, ſi viribus deſtituantur, ſuccurrãt præmia, vel a principibus vel ab epiſcopis & abbatibus, vel ex ærario publico. Nam à negociatoribus, qui ſe pleriq; Mammonæ dedicarunt, fortaſſis improbum ſit tale officium exigere. Qui extructo altari ſepulchrove, qui ſuſpenſa tabula aut ſtatua poſita, ſibi promittunt nomen apud poſteros, quanto vivaciorem famam hac via ſibi pararent? Ex multis vnum exemplum proferam. Vix alius in enarrandis ſacris voluminibus, dexterius verſatus eſt, quam divus Joannes Chryſoſtomus: nec alius ſcriptor magis accommodus his, qui ſe parant ad munus concionandi. Et ſcripſit plurima, quorum bonam partem habemus, vtcunque verſam: ſed pleriſque depravatis, nonnullis etiam admixtis, quæ nihil habent Chryſoſtomi. Quanta verò lux accederet ſacris ſtudiis, ſi tantus doctor totus haberetur Græcus & emendatus: aut certè ſic haberemus eum loquentem Latinè, quemadmodum loquitur Græce. Nõ hic commemorabo, quibus modis pereant magnatibus pecuniæ, quantum abſumant alea, ſcorta, compotationes, profectiones non neceſſariæ, pompæ, bella quæſita, ambitio, colax, morio, ludio: ſaltem ex his quæ turpiter pereunt, aliquam portionem decidant vel vtilitati publicæ, vel ſuæ gloriæ, vel vtriq;. Aldo hæc molienti quis non favit eruditorum? Quis non ſuggeſſit aliquid, quod illum laboribus tantis imparem ſublevaret? Quoties ad illum ab Hungaris ac Polonis miſſa ſunt vltro vetuſta exemplaria, nõ ſine honorario munere, vt ea juſta cura publicaret orbi? Quod Aldus moliebatur apud Italos (nam ipſe conceſſit in fata, quanquam gratioſi nominis titulo adhuc commendatur officina) hoc Joannes Frobenius molitur apud Ciſalpinos, non minore ſtudio quam Aldus, nec prorſus infeliciter, ſed & (quod negari nõ poteſt) impari lucro. Si cauſam requiras, ex multis hanc vnam eſſe puto, quod non eſt idem ingeniorum candor apud nos, qui eſt apud Italos, ſane quod ad rem attinet literariam. Nec enim vereor prædicare, quod ſum expertus, cum apud Italos æderem Proverbiorum opus, homo Batavus, quotquot illic aderant eruditi, vltro ſuppeditabant autores nondum per typographos evulgatos, quos mihi ſuſpicabantur vſui futuros: Aldus nihil habebat in theſauro ſuo, quod non cõmunicarit. Idẽ fecit Joannes Laſcaris, Baptiſta Egnatius, Marcus Muſurus, Frater Urbanus. Quorundã officium ſenſi, quos nec de facie nec de nomine noveram. Venetiã nihil mecum adportabam, præter confuſam & indigeſtam operis futuri materiam: idque ex evulgatis duntaxat autoribus. Magna mea temeritate ſimul vterque ſumus aggreſſi: ego ſcribere, Aldus excudere. Summa negocii intra menſes plus minus novem confecta eſt, & interim mihi cum calculo malo nondum noto res erat. Hic mihi cogitate, quanta pars vtilitatis abfutura fuerit, niſi docti libros manu deſcriptos ſuppeditaſſent. In his erant opera Platonis Græca, Plutarchi vitæ, ejuſdem moralia, quæ ſub finẽ operis mei cœpta ſunt excudi, Athenæi Dipnoſophiſtæ, Aphthonius, Hermogenes cum commentariis, Ariſtotelis rhetorica cum ſcholiis Gregorii Nazianzeni, Ariſtides totus cum ſcholiis, commentarioli in Heſiodum ac Theocritum, Euſtathius in totum Homerum: Pauſanias, Pindarus cum accuratis commentariis, Proverbiorum collectio titulo Plutarchi, rurſus alia titulo Apoſtolii, cujus libri nobis copiam fecit Hieronymus Alexander. Erant & alia minuta, quæ vel non ſuccurrunt, vel non attinet referre. Horum nihil adhuc fuerat typis evulgatum. Nunc viciſſim accipe candorem amici cujuſdam Ciſalpini, quem in præcipuis habebam, nec habere deſii: quandoquidem amici mores noſſe oportet, non odiſſe. Cum adornarem editionem Venetam, forte videram apud illum Suidam, cujus margines habebant parœmias annotatas. Opus erat ingens, & erant evolvenda plurima. Cupiens igitur hoc laboris lucrifacere, rogavi faceret ejus voluminis copiam vel ad horas paucas, dum puer notulas in meum codicem tranſcriberet. Iterum atque iterum roganti pernegavit: Cum nullum obteſtationis genus non admovissem, nec exorarem, rogabam num ipſe haberet in animo ædere proverbia, me ceſſurum perlubenter hoc opus felicius tractaturo. Dejerabat nihil eſſe tale. Quid igitur, inquam, te movet? Tandem veluti tormentis adactus faſſus eſt, hæc jam evulgari, per quæ docti hactenus fuiſſent vulgo mirandi. Hinc illæ lacrymæ. Latitant in collegiis ac monaſteriis Germanorum, Gallorum & Anglorum pervetuſti codices, quos, exceptis paucis adeò non communicant vltro, vt rogati vel celent, vel pernegent, vel iniquo precio vendant vſum decuplo æſtimatorum codicum. Tandem pulchrè ſervatos vel caries tineæque corrumpunt, vel fures auferunt. Magnates autem adeò non adjuvant ſua benignitate rem literariam, vt exiſtiment nullam pecuniam perire perditius, quam quæ in tales vſus conſumitur: neque quicquam omnino placet illis, vnde non vectigal aliquod tollitur. Quod ſi pari candore principes Ciſalpini proſequerentur honeſta ſtudia cum Italis, Frobeniani ſerpentes non tantum abeſſent ab opibus delphinis Aldini. Ille lente feſtinans non minus auri ſibi peperit, quam nominis, vtroque dignus: Frobenius dum baculum ſemper erectum gerit, non alio ſpectans quam ad publicam vtilitatem, dum a columbina ſimplicitate non recedit, dum ſerpentum prudentiam magis exprimit in inſigniis ſuis quam factis, fama potius dives eſt quam re. Sed digreſſionum jam modus eſto: nunc ad adagionis enarrationem noſtra ſeſe referat oratio. Trifariam vti licebit proverbio: primum ſi quando admonebimus, diutius deliberandum, prius quam aggrediare negocium: poſteaquam ſtatueris, tum velociter peragendum: vt ad conſultandi moram pertineat ancora, ad conficiendi celeritatem delphinus. Huc pertinet Salluſtianum iſtud: Antequam incipias, conſulto: vbi conſulueris, mature facto opus eſt. Quam ſententiam Ariſtoteles recenſet vj. Moralium libro, tanquam vulgo jactatum: Ajunt, inquiens, de quibus jam deliberaris, ea celeriter eſſe peragenda, cunctãter autem conſultandum. Cujus autorem Biantem fuiſſe teſtatur Laertius qui ſolitus ſit admonere: *βραδέως ἐγχείρει τοῖς πραττομένοις, ὃ δ' ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηρῶν διάμενε*, id eſt: Cunctanter aggrediendum negocium, verum in ſuſcepto conſtanter perſeverandum. Nec admodum abludit hinc Mimus ille, Publianus opinor:

Diu apparandum eſt bellum, vt vincas celerius.

Item ille:

Deliberare vtilia, mora tutiſſima eſt.

Adde iis proverbium illud: *ἐν νυκτὶ βουλή*, i. In nocte conſilium. Præterea Sophocleum illud in Oedipo tyranno:

Φρονεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς.

Id eſt:

Periculoſa eſt præpropera prudentia.

Addendum his illud Platonis, quod alibi citavimus: Qui plus ſatis feſtinat initio, ſerius ad finem pervenit. Paulò diverſius eſt, ſed tamen ad hanc referendum formam, quod ait Quintilianus: Præcox illud ingeniorum genus non temere pervenire ad frugem. Et quod vulgo dicunt: Qui pueri adhuc, & velut ante tempus ſapiũt, eos in ſenectute ſtultos evadere. Quod Actius approbare videtur, qui apud Gellium ait, ſibi in juvenilibus ingeniis itidem vt in pomis immaturis placere acerbitatem: nam hæc demum mateſcere (porrò maturitas tempeſtivam adfert ſuavitatem) reliqua ante tempus putreſcere. Alter vſurpandi modus fuerit cum admonebimus adfectus animi, rationis velut habenis reprimendos eſſe. Siquidẽ Plato animũ hominis in treis partitus parteis, rationem, iracundiã, concupiſcentiã, in hoc philoſophiæ ſummã ſitã eſſe putat, ſi affectus pareant rationi non aliter quã regi: cui quidẽ ob id ipſũ ſedem in cerebro, velut in arce datam exiſtimat. Peripatetici, quorum ſignifer Ariſtoteles, affectus qui ſunt animorum impetus quidam, ceu ſtimulos quoſdam natura datos exiſtimant, quibus ad virtutis vſum excitemur: quanquam reclamantibus Stoicis, & nominatim Seneca, in libris quos ad Neronem ſcripſit De ira. Putant enim affectus hujuſmodi non modo nihil conducere ad virtutem, verum etiam officere: quanquam ne iſti quidem inficias eunt, in animo ſapientis illius quem imaginantur, relinqui primos impetus, antevertere ſolitos rationi, quos funditus extirpare non

queas: verum ii, ne conſequatur aſſenſio, protinus à ratione rejiciuntur. Hoc innuit Homerus, cum Iliados I. Pallas à tergo adſtat Achilli, jamque manum admoventem gladio, coercet. Igitur violentos illos animi motus, delphinum rectè dixeris: ancoram, moderatricem ſapientiam. Seneca ſcripſit, nulli rei prodeſſe moram, niſi iracundiæ. Imò quicquid impenſe cupimus, aut odimus, ibi ſalutaris eſt mora. Plutarchus in Apophthegmatis Romanorum narrat, Athenodorum philoſophum, cum ob ſenium impetraſſet ab Octavio Auguſto veniam redeundi domum, admonuiſſe illum, vt ne quid iratus diceret, faceretve, priusquam viginti quatuor Græcorum literas apud ſe nominatim recenſuiſſet, quo audito reſpondit, ſibi illo adhuc opus eſſe, quo diſceret & tacendi artem: atq; hoc prætextu totum annum hominem apud ſe detinuit. Huc ſpectat etiam Terentianum illud:

Vide ne nimium calidum hoc ſit modo.

Sunt autem quædã ingenia, quibus calcaribus eſt opus: ſunt, quibus freno. Proinde rectè veteres illi à delphino ancoram complecti voluerunt: quod oporteat alterum altero temperari, & vtrunque cum altero conjungi: quo videlicet ejuſmodi quidam animi habitus exiſtat, qualem Plato conflari putat ex muſica, gymnaſticaque, ſi pariter exerceantur. Tertia vtendi ratio fuerit, cum admonebimus, in omni negocio vitandam præcipitem celeritatem: quod vitii quibusdam ingeniis peculiariter inſitum eſt, vt illis in omni re quantulacunque mora longa videatur. Hujusmodi feſtinationis comites eſſe ſolent error & pœnitentia, juxta verſiculum illum apud Græcos celebrem:

Προπέτεια πολλῶν ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Id eſt:

Multis malorum eſt cauſa præcipitantia.

His occinendum nobile illud Catonis dictum: Sat cito, ſi ſat benè, cujus mentionem fecit divus Hieron. ſcribens ad Pammachium in hæc verba. Scitum eſt illud quoque Catonis. Sat citò, ſi ſat benè, quod nos quondam adoleſcentuli, cum à perfecto oratore in præfatiuncula diceretur, riſimus. Meminiſſe te puto erroris mutui, cum omne Athenæum ſcholaſticorum vocibus conſonabat: Sat citò, ſat benè. Hactenus Hieronymus. Quadrabit & in illos, qui præpropere famam affectant, maluntque paratam ac magnam, quam ſolidam & perpetuam. Solent enim præcocia ſubitò flaceſcere. Quod autem paulatim accreſcit, durabile eſt. Horatius:

Creſcit occulto velut arbor ævo.
Fama Marcelli.

Et Pindarus in Nemeis hymno viij. [illegible], id eſt: Augeſcit autem virtus, veluti cum arbor virenti rore ſurgit, ſapientes inter viros ſublata juſtosque, ad liquidum æthera. In ſumma, quicunque vel ſocordiã peccant, vel immoderato impetu, iis illud Octavii Cæſaris, σπεῦδε βραδέως, ſimul Symbolum illud olim Titi Veſpaſiani, nunc Aldinum, oportebit in memoriam revocare, vt delphini atque ancoræ meminerint.

EX APPENDICE ERASMI.

Opus eſt Zephyris, & hirundine multa.

[illegible] χελιδόνων: Multã videtur opus habere hirundine. Quoties dehortabimur aliquem a præpropera feſtinatione, aut negabimus vnico die eruditionem, artem, virtutem & gloriam comparari poſſe. Horat. Ariſt. Sumptum ab hirundinis natura, quæ veris nuncia eſt, hyeme avolat. Simile illud Sophoclis:

Πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ᾽ ἥτις ἀνδρός ἐσθ᾽ ἑνός.
Namque vnius quæ ſit viri, haud eſt civitas,

IVNII. *Nihil cunctandum.*

Quoties detrimentoſam eſſe cunctationem ſignificabimus, & præcidendam omnem moram, eleganter vſurpare licebit illud Bacchilidæ Lyrici poetæ, quod apud Athenæum legitur libr. xiiij.

Οὐχ ἕδρας ἔργον οὐδ᾽ ἀμβολᾶς.

Id eſt:

Haud ſeſſione aut comperendinatione opus eſt.

Citius quam gradatim.

Θᾶττον ἢ βάδην. Citius quam gradatim, proverbio dicunt Græci, quum inſignem celeritatem & properandi ſtudium ſignificare volunt. Menander:

Τὸ δὴ λεγόμενον τοῦτο θᾶττον ἢ βάδην.
Ocyſſime id curabo, quod dici ſolet.

Porrò quod addit, τὸ δὴ λεγόμενον, clariſſime oſtendit proverbium fuiſſe, ne quis hunc temere irrepſiſſe exiſtimet. Uſus eo eſt & Plutarchus in Fabio Maximo: [illegible] id eſt: Pater ipſe ocyus deſcendens ab equo, concitato quam potuit maxime greſſu ad filium approperans: ſive ad verbum ſi mavis, citius quam greſſim. Suidas ex incerto authore: [illegible] ἐν τῷ [illegible], id eſt: Ocyſſime ille caput quaſſans, & barbara voce nonnulla locutus: quantum licuit conjectare tum ex [illegible]is contentione, tum ex inceſſus inſolentia, gravia minitabatur.

Ne propera, nondum ignem calcas.

Theocritus Syracuſanus in Viatoribus:

Μὴ σπεῦδ᾽, οὐ γάρ τοι πυρὶ θάλπεαι.—

Id eſt:

Ne propera, nondum premis ignem calce.—

Scholiaſtes admonet proverbium eſſe in temere atque inconſideratius fervido quodam æſtu aliquid perficere deproperantes. quos hoc dicto admonebimus, non tantopere feſtinandum: neq; enim per ignem ipſos incedere debere, vt periculum ſit ne plantæ exurantur. Eſt & noſtrati vulgò tritiſſimum illud adagium, vt quando nimium feſtinandi ſtudium caſtigari volunt, dicant: Quid ap-properas, neque enim vivo carboni inſidet.

Boreadibus pernicior.

Hyperbole proverbialis ſummam velocitatem indicans, eſt illa apud Theognidem Megatenſem, in iis quæ hypothecæ inſcribuntur:

Ὠκύτερος δ᾽ εἴης Ἁρπυιῶν [illegible],
Καὶ παίδων Βορέω, τῶν ἄφαρ [illegible].

Harpyias quanquam volucres ſuperare volatu,
Et Boreæ natos fata tibi dederint.

Et altera Tyrtæi Lacedæmonii poetæ:

Νικῴη δὲ θέων Θρηΐκιον Βορέην.
Prævertat curſu Threicium Boream.

Fabula memorat Zetem & Calain è Borea & Orythyia Erechthei filia prognatos, capitibus pedibusque pennatos fuiſſe, crinitumque repando remigio vſos volaſſe: & Harpyias Thaumantis filias ſimiliter pennatas pepuliſſe: quod refertur ab Apollonio Argonauticõn ij. Virgilio Æneidos iij & Hygino in fabulis. Unde Themiſtius in iij. de animo: [illegible], id eſt: Pennatos, vt Boreadas. Hujus claſſis eſt & Menandri comici illud:

Θᾶττον [illegible].
Velocius penna alite, & ſagitta abit.

& Thryphiodori illud: [illegible], id eſt. Accurrit citius quam lata ſagitta: & illud Callimachi de canum celeritate: [illegible], id eſt. Perniciores ventis catulos: & Virgilianum illud:

—Et ventis & fulminis ocyor alis.

Theodoretus. [illegible], id eſt: Alitibus omnibus, imò verò etiam ventis ipſis pernicius. Apollonius Rhodius:

—Ζεφύρου [illegible].

Id eſt:

—Zephyri poterant prævertere nimbos.

Vtroque velo fugere.

[illegible], id eſt, Utrumque velum expandere, proverbiali figura dixit in Sympoſiacis Plutarchus quum contentionis ſummæ ſtudium vellet ſignificare, ita enim habet: [illegible], id eſt: Ni ſublato vtroque velo voluptatem fugiamus. Olim binis fermè velis in navi vtebatur, artemone & dolone. Simili loquendi modo vſus eſt ferè Syneſius in Dione: [illegible], id eſt: Non pedetentim, ſed velis omnibus ferebatur.

Abaridis ſagitta.

Ἀβάριδος ὀϊστός, id eſt, Abaridis ſagitta, de velocibus dicitur, vt & Pegaſus. Nazianzenus in funebri oratione Baſilii, [illegible], id eſt: Quid Abarides Hyperborei jaculum recenſeam, aut Argivum Pegaſum, quibus non tam ſtudio fuit per aerem volare, quam nobis ad eum mentes attollere. Abaris Scytha fuit Seuthæ filius, qui oracula Scythiea compoſuit, & è Scythia in Græciam Athenas legatus venit: memoraturque, inquit Suidas, ejus fabuloſum jaculum è Græcia ad Hyperboreos vſque Scythas advolantis. Licebit in vſum hoc modo vocari, ſi dicamus non Abaridis ſagittam celerius devolaſſe, quam alicujus literæ ad nos cõmearint. Elegantiſſime Nazianzen. in epiſtola ad Baſilium: [illegible], & τῷ Ἀβάριδος ὀϊστῷ ſυμφερόμενος, id eſt: Alate tu & ſublimipeta, & qui vna cum Abaridis jaculo per ardua raptaris. Iſtud dici conveniet feſtiviter in aſtrologum, aut in peregrinantem, maximè ſi perniobus veredis celeriter avectus fuerit.

Lada pernicior.

Proverbialis hyperbole ſummæ velocitatis ſignificationem habens: ſiquidem, Solino teſte, primam palmam velocitatis Ladas adeptus eſt, ita ſupra cavum pulverem curſitans, vt arenis pendentibus nulla veſtigiorum indicia relinqueret. Atteſtatur & Pauſanias in Laconicis: [illegible], id eſt: Ladas qui cunctos ſui temporis mortales pedum pernicitate ſuperavit. Meminit & in Corinthiacis idem, de quo Epigrammatarius.

Λάδας τὸ ſτάδιον [illegible]
Δαιμόνιον τὸ τάχος, οὐδὲ φράσαι [illegible]

Quo

Quo incredibilem viri celeritatem innuit, qui tanta agilitate curriculum abſolvit, vt videri potuerit ſaltu illud aut volatu tranſmiſiſſe. Catullus:

> Non ſi Pegaſio ferar volatu,
> Non Ladas ego, pennipeſve Perſeus.

Meminit & Juvenalis ſatyra xiij.

> ——Pauper locupletem optare podagram
> Ne dubites Ladas: quid enim velocis gloria plantæ
> Præſtat?

Eleganter in contrarium ſenſum detorquebitur, vt ſi tardigradum quempiam Ladam nominemus. Martialis lib. x. ineptum quendam poetam, proprios verſus interſerentem Martialicis, comparat homini qui alterum pedem Ladæ habeat, alterum ligneum, ibi:

> Habeas licebit alterum pedem Ladæ,
> Ineptè fruſtra crure ligneo curres.

COGNATI. *Dædaleis ferri remigiis.*

μεταφορικῶς vſus eſt Plautus in Amphitrione, cum Soſiam hero ſe purgantem inducit, qui putabat ſe cædi, quod lente iter feciſſet. Non ocyus qui vi, ſi me Dædaleis tuliſſem remigiis. Virgilius quoque motum alarum in navibus remigium dixit, vj. Æneid. quam metaphoram videtur etiam vſurpaſſe Lucret. in vj. cum de volucribus ait:

> Remigio oblatæ, pennarum vela remittunt.

Id tractum videtur à navibus ad aves, ac quicquid denique ocyus fertur. Hæc translatio tam poetica eſt, vt Quintilian. in agendo hac ſe non vſurum fateatur, ſicut nec paſtorem populorum, quod Homerus dixit, ποιμένα λαῶν. Idem Virgil. j. Æneid.

> ——Volat ille per aera magnum
> Remigio alarum, &c.

Æſchylus etiam in Agamemnone aptiſſime vſus eſt hac translatione, declarans profectionem Atridarum cum exercitu è Græcia ad Helenam recuperandum: τρόπον αἰγυπιῶν οἵτ' ἐκπατίοις ἄλγεσι παίδων ὕπατοι λεχέων. στροφοδινοῦνται πτερύγων ἐρετμοῖσιν ἐρεσσόμενοι δεμνιοτήρη πόνον ὀρταλίχων ὀλέσαντες. Illos enim, inquit, cum claſſe Trojam euntes, ſimiliter feciſſe atq; accipitres, qui amiſſis pullis longè à nidis illis ſublime volantes, ac remis alarum remigantes gyrum conficiant, atque aerem queſtu impleant. A Dædalo, præſtantiſſimo fabro, quoque omnia luculenta & magnifica opera παροιμιακῶς δαίδαλα ἔργα, Dædala opera vocantur. Et Dædala tecta apud poetam, lib. iiij. Georg. Feſtus: Dædalam à varietate rerum artificiorumque dictam eſſe apud Lucretium terram: apud Ennium Minervam, apud Virgilium Circen: facilè eſt intelligere cum Græce δαιδάλλειν ſignificet variare. Hactenus Feſtus. Lucretius libr. j.

> ——Tibi ſuaves Dædala tellus
> Summittit flores———

Idem eodem libro:

> ——Aut reductum Dædala tellus
> Unde alit?——   Idem lib. iiij.
> Mobilis articulat verborum Dædala lingua.

Idem libro quinto:

> ——Naturaque Dædala rerum.   Ibidem:
> Carmina, picturas, & Dædala ſigna polire.

Homerus Iliad. vj. duobus in verſibus. Huc refero prov. è Chil. Dædalium remigium.

Ἐν ἀτόμῳ.

Græcis ἐν ἀτόμῳ valet momento temporis, & vt ratio ejus ſermonis declarat, in ſpacio temporis, quod dividi ſecarique non poteſt. Atomus enim eſt indiviſus, individuus, ideoque incorporeus, ab α. id eſt, ſine, & τέμνω inciſio. Hodie etiam vulgò vtimur, cum ſignificare volumus aliquid celeriter ſumoq; feſtinatione factum eſſe. Simile huic, Simul vt dictum, ac factum. Vide alibi, ὡς ἐν ὥρᾳ.

Demiſſis manibus fugere.

Quid ſit fugere demiſſis manibus, ex licet Plauto intelligere. Sic ille in Epid.

> Imò ſi audias meas pugnas, fugiaſ dimiſſis manibus domum.

Docet Ariſtoteles libro de Ingreſſu animalium, celeritius currere, qui demiſſis manibus currant. Verba Ariſtotelis ſunt hæc: οἱ θέοντες, θᾶττον θέουσι παρασείοντες τὰς χεῖρας. Plautinus cocus in Pſeudolo:

> Ubi omnes patinæ fervent, omnes aperio.
> Is odos dimiſſis pedibus in cœlum volat.
> Eum odorem cœnat Juppiter quotidie.
> Ba. Odor dimiſſis pedibus? Coc. Peccavi inſciens.
> Ba. Quid eſt? Coc. Quia enim dimiſſis manibus volui dicere.

Alieno more, nutu, vel arbitratu vivere.

Ariſtoteles lib. Rhetor. i. ἐλευθέρου γὰρ τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν, id eſt, Liberalis enim ingenii eſt, alterius arbitratu non vivere. Idem libro iiij. Ethicorum: καὶ πρὸς ἄλλον μὴ δύνασθαι ζῆν, id eſt: Neq; verò alterius nutu atque arbitratu vivere poteſt, niſi amici. Eſt enim hoc ſervile. Demoſth. περὶ παραπρεσβείας: ζῆν πρὸς τινας, καὶ τῆς τῶν αὐτῶν πρὸς ἡμᾶς γνώμης, id eſt: Vivere ad nutum & voluntatem ſervorum, &c.

Fulminis in morem.

Alibi eſt hæc hyperbolica & proverbialis collatio, qua atrocitatem rei alicujus hodie Galli amplificant: Comme la foudre. Virgil.

> ———Excuſſus Aconteus
> Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti.

Curſu prævertere ventos.

Virgil. vij. Æneid. ſub finem. & duodecimo, hyperbolice per comparationem, ventos equo ſive curſu prævertere dicit,

> ———Illi (inquit) æquore aperto:

Et paulò poſt:

> ———Vel equo prævertere ventos.

Decimo:

> ———Fugit illa per vndam,
> Ocyor & jaculo, & ventos æquante ſagitta.
> Æneid. xij.
> Qui candore nives anteirent, curſibus auras.

Æneid. v. gemina hyperbole, Niſi curſus velocitatem admirabilem amplificat à natura ventorum & fulminis, quorum celeritas excedit omnem admirationem: Niſus inquit,

> Emicat & ventis & fulminis ocyor alis.

Vide apud Homer. equorum Rheſi deſcriptionem: quos volucribus Euris aſſimiles curſu dixit. Theoc. Eidyl. viij.

> Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι χρύσεια τάλαντα
> Εἴη ἔχειν, μηδὲ πρόσθε θέειν ἀνέμων.
> Id eſt:
> Non regnum Pelopis, non auri talenta
> Opto habere, & curſu ſuperare ventos.

Daphnidis ſunt gnomica: Quiſque ſit contentus ſua ſorte:

> Sis aſinus quemcunque aſinum ſors aſpera fecit:
> Qui ſortem placide ferre ſcit, ille ſapit.

Plautus: Vinceretis cervum curſu, vel grallatorem gradu.

Volat.

Omnia quæ magno impetu feruntur, aut immittuntur, volare dicimus metaphorice. Qui ſermo tam in ſoluta, quam metrica oratione conſpicuus eſt. Virgil. iij. Æneid.

> Fama volat.———   Et viij.

Fama volat, parvam ſubito vulgata per vrbem.

> Ibidem de Pallante:
> ———Raptoque volat telo obvius ipſe.
> Idem lib. xij.
> Et jam fama volans tanti prænuncia luctus.

Unde volatile ferrũ Æneid. iiij. & viij. appellavit decenter ſagittam, quæ arcu impulſa celeriter fugiat. celeritatem adaugentibus quibuſdam quaſi alis additis, vt volare videatur. Decimo:

> ———Dixit, telumque intorſit in hoſtem.
> Inde aliud ſuper atque aliud figitq; volatque.
> Ibidem:
> ———Veſano talia late
> Dicta volant Ligeri.———
> Undecimo:
> ———Sed non replenda eſt curia verbis:
> Quæ tuto tibi magna volant, &c.———
> id eſt, verba. Lucr. 1.
> ———Jaciantque volatile telum.
> Idem quarto:
> Ante fuit multò, quam lucida tela volarent.
> Virgil. 4. Georg.
> ———Sed viva volare
> Syderis in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.

Livius de Regulo Vejentinorum: Quem cum volitantem vidiſſet Corn. Romanus eques, (hoc eſt, ſtrenue diſcurrentem) intercmit. Cicer. Tu autem fac vt mihi literæ tuæ volent obviæ. Ita Hebræi cum celeritatem quandam mittendi ſignificare cupiunt, volare dicunt, vt Eſaiæ 6. Et volavit ad me vnus ex Seraphim.

In idem flumen bis non deſcendimus.

Sententia Ariſtoteli & aliis memorata, in primis Senecæ lib. Epiſt. 8. epiſt. 59. Hoc eſt quod ait Heraclitus: In idem flumen bis non deſcendimus. Manet enim idem fluminis nomen, aqua tranſmiſſa eſt.

Ictu oculi.

Apoſtolus 1. Corinth. 15. πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα ἐν ἀτόμῳ, id eſt, in momento ſive puncto temporis indiviſibili: ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, id eſt, in ictu oculi. Quod translatum eſt ab ictu teli, ſeu fulminis dictum verò à ῥίπτω. Dicitur & ῥοπὴ à ῥέπω, id eſt, motus ſive nictus oculi: translatum à motu lancis ſeu libræ. Vide Hieronymum ad Minerium, & Laurentium Vall. in ſuis annot. Aloyſius Luiſinus lib. 3. De compeſcendis animi affectibus, cap. 8. Ne ictu oculi (vt ajunt) abſumant, quæ ſibi adpoſita fuerunt. Et paulò poſt: Ictu oculi rem iſtam peragi. Græci autem, ἐν τῷ δὲ τῷ καιρῷ: id eſt, in hoc articulo & temporis momento. Terentius: In articulo oppreſſit. Plaut. in Menech. Nõ potuiſti magis per tempus advenire quam advenis. Pe. Sic ſoleo, commoditatis omnes articulos teneo, ἀκμὴ Græce dicitur.

Vaſis non conclamatis abire.

De iis dicitur hoc qui hoſpite, vt ajunt, inſalutato abeunt. Exercitu enim caſtra moturo conclamari ſolet, vt vaſa colligant. Cæſar lib 3. De bello civili: Scipio noſtrorum ſtudium alacritatemque pugnandi cum cognoviſſet, ſuſpicatus fore, vt poſtero die aut invitus dimicare cogeretur, aut magna cum infamia in caſtris ſe continere, noctu neq; conclamatis quidem vaſis flumen tranſiit. Alibi: Vaſis militari more conclamatis, progreſſus milia, &c. Hoc Græci ἄσκευον, ἀσυσκευάστως dicunt, & τὸ ἀσυσκευάστως ἀπελθεῖν. Budæus Ludovico Ruzæo: Repente ſe proripuit, ita vt ſalvere ſimul valereq; nos juſſerit. Num etiam vaſis non conclamatis?

Pegaſus nuncius.

Certè ὑπερβολικῶς hodie pegaſos nuncios ſive tabellarios velociſſimos, & curſores, quos poſtas noſtri homines vocant, nominamus: quomodo Cicero pro Publ. Quintio nominavit: O hominem fortunatum, qui ejuſmodi nuncios, ſeu pegaſos habeat. Plin. libr. 8. Nat. hiſt. cap. 21. ſcribit, Æthiopiam generare pennatos equos & cornibus armatos, quos Pegaſos vocant. Cælius Secundus exiſtimat equos perniciſſimos a veteribus Pegaſos appellatos: & hinc natam eſſe fabulam de volucribus equis: à quibus nuncios volucres Pegaſarios etiam vocari ſcribit Cælius Rhodiginus.

Equus Probi.

Cælius lib. 21. Lectionum antiquarum, cap. 10. ſcribit, equum imperatoris Probi in parœmiæ formam deduci item poſſe. Is erat nec decorus quidem nec ſtaturoſus: verum mira ac tanta celeritate, vt diutinis ſpaciis centum obiter miliaria, vel in decimũ diem, labore haud interpellato. Eum tamen fugaci magis quam fortiac ſtrenuo congruere militi, pronunciavit Probus idem. Equus porrò interdum in Scripturis propter curſus velocitatem, pro tempore plerumq; accipi ſolet: quemadmodum apud Zachariam, præcipuè cap. 3. videre licet.

Pegaſeo ferri volatu.

Idem ibidem.

—Non ſi Ladas, pennipeſve Perſeus,
Non ſi Pegaſeo ferar volatu,
Non Rheſis niveis, citiſque bigis:
Adde huc plumipedas, volatileſque,
Ventorumque ſimul require curſum.

Ejuſmodi multa ſimul poſuit etiam Alexis Comicus apud Athenæum in 6.

POLYDORI VIRGILII *Sub manu.*

Senec. ſub manu conſilium naſcatur, Sueton. Et quo celerius ac ſub manu enunciari, atque cognoſci poſſet. De ſumma temporis celeritate.

Noli reſpicere poſt tergum.

Non tanto ſtudio inquirendum, quid ſit futurum cras, totum enim hoc dubium eſt, & incertum. Dictum fuit Gen. 19. ab angelis ad Lot, evitandi periculi cauſa. Sumptum videtur à fugientibus, qui, dum ſæpe reſpiciunt, & moram ſibi & periculum creant.

TVRNEBI. *Salaminia navis.*

De iis quæ vilia non ſunt, nec omni tempore exponſa, quæque difficillimis temporibus neceſſaria reſervãtur: qualem ſe Pericles præſtabat, οὐδ᾽ ἐπὶ παντὶ πρὸς τὸ πλῆθος, ἀλλ᾽ ὥσπερ τὴν Σαλαμινίαν τριήρη Φησὶ Κριτόλαος, πρὸς τὰς μεγάλας χρείας ἑαυτὸν ἐπιδιδούς. Plutarch. in Pericle. Eodem ſenſu vſus eſt Cal. Calcagninus. Ita turſus Luiſin. explicat, quod etiam habet Eraſm. in Chilia. Salaminia navis.

Celer vt mens, vel ala.

Τῶν νέες ὠκεῖαι ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα.

His naves celeres, vt mens, vtque ala feruntur.

Verſus eſt Hom. Odyſſ. η. de navibus Alcinoi Phæacum regis, quem, vt hyperbolicum & vulgato ſermone vſurpatum, non ineptè trahemus ad omnia quæ pernicitate inſigni celeritateque valent πτερὸν ala, vel alata ſagitta.

FIDES ET GRAVITAS.

ERASMI. *Folium Sibyllæ.*

Folium Sibyllæ apud Latinos eandem vim obtinet. Juvenalis:

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ.

id eſt, rem indubitatam.

Ariſtophanes in Pace:

Οὐ μετέχω τούτου ὁ γὰρ ἔειπ᾽ αὐτὰ Σίβυλλα.

Id eſt:

Haud equidem agnoſco, neque enim canit iſta Sibylla.

Ductum adagium a Cumana Sibylla, cujus oracula cum primis celebrantur. Huic autem mos erat, vt teſtatur M. Varro, in palmarum foliis oracula ſcribere. Quod ſecutus Vergil. in iij. Æneid.

Inſanam vatem aſpicies, quæ rupe ſub ima
Fata canit, foliiſque notas & nomina mandat.
Quæcunque in foliis deſcripſit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro ſecluſa relinquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.

Item in ſexto:

Foliis ne tantum carmina manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Dives promiſſis.

Ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, id eſt, Magnifica quidem oratio, cæterum non habetur fides loquenti. Quoties aliquis ingentia pollicetur, quæ non videatur præſtiturus. Plutarchus in Apophthegmatis regum & imperatorum, tribuit Eudæmonidæ: qui quum audiſſet, Stoicum opinor quempiam dixiſſe, quod ſolus ſapiens eſſet bonus imperator: ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων οὐ περισεσάλπιγκται, id eſt: Admiranda quidem oratio, cæterum qui dicit, nunquam cinctus fuit tubarum ſtrepitu. Refert idem in Laconicis integre: ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, οὐ γὰρ περισεσάλπιγκται. Idem conveniet in Theologos, cœleſtia quædam docentes, quum orationi vita non reſpondeat.

Priſcis credendum.

M. Tullius in libello De vniverſitate: Credendum, inquit, nimirum eſt veteribus, & priſcis (vt ajunt) viris, qui ſe progeniem deorum eſſe dicebant. Incertum, vtrum Cicero ſentiat eam ſententiam fuiſſe vulgò decantatam: an notet vocem priſci, quã declaramus homines extremæ antiquitatis: quorum origo quoniam poſteris erat incognita, ferè referebatur ad deos.

Recto pectore.

Ammianus Marcellinus lib. xvij. His literis diu libraris, recto pectore, quod dicitur, conſiderateq; reſponſum eſt. Recto pectore, dictum eſt pro eo, quod erat, ingenue, citraque diſſimulationem, vt veritatis ſimplex eſt oratio. Qui probant quod probandum eſt, damnant quod damnandum eſt recto pectore loquuntur. Qui nihil non probant, aut nihil non damnant, non agunt recto pectore.

Ex tripode.

Τὰ ἐκ τοῦ τρίποδος, id eſt. Ex tripode dicta. Dici ſolitum de iis quæ vehementer vera atque indubitata videri volumus. Effertur varie adagium, ὡς ἐκ τρίποδος, id eſt, Tanquã ex tripode dicta, ταῦτα ἐκ τρίποδος, id eſt, Hæc ex tripode dicta, id eſt, certiſſima, perinde quaſi ex Apollinis oraculo profecta, M. Tullius in epiſtola quadam ad Brutum: Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. Tranſlatum à tripode, vel Delphica, vel Pythia. Nam hæc duo oracula quondam ſummam fidem apud mortales obtinuerunt. De Pythio teſtatur Strabo libro Geographiæ 9 fuiſſe quondam celebratiſſimum, idque liquere theſauris ingentibus inibi conſtructis, in quos ſacræ conferrentur pecuniæ, tum operibus præſtantiſſimorum artificum: deinde ludis Pythiis illic celebratis, denique innumerabilibus oraculis, quæ mandata literis extarent. Tripodem ita deſcribit: Autores, inquit, cetti memorant, divinum ipſum domicilium, profundam & cavam eſſe ſpeluncam, non admodum latopatentem ore. Atq; hinc auram reddi, ſacro efflantem numine. Excelſum autem oſtio imminere tripodem: quem ſimul atque Pythia vates inſcenderit, hauſto divinationis ſpiritu, reſponſa edere, partim metro, partim oratione libera. Comicus: Non Apollinis magis verum atque hoc reſponſum eſt. Plato l. De legib. xij. Ne ſi Pythius quidem affirmaverit. Quin illæ quoque figuræ proverbium reſipiunt: Quicquid dixerit, oraculum videri vult: Quicquid dixerit, legem eſſe vult. Stoicorum δόγματα, id eſt, decreta. Et quod apud Plinium de medicis ait Cato: Ex hoc puta vatem dixiſſe, id eſt: Exiſtima verum fore quod dixi. Ipſe Plinius alibi: vtinamque falſum hoc, & non à vate dictum, quam plurimi judicent. Et Plutarchus in commentario De dignoſcendo adulatore ab amico: ὥστ᾽ ἀκούσας ὅτι ἂν εἴπῃς χρησμὸν οὐ λόγον οἴεσθαι, ἀπιέναι, id eſt, Cum is audito quicquid dictum fuerit, ita diſcedit, vt exiſtimet ſe oraculum accepiſſe, non ſententiam. Cæterum ab his nonnihil diverſa ſunt, quæ Athenæus ſecundo Dipnoſophiſtarum libro commemorat: nempe in Bacchi certaminibus præmium fuiſſe tripodem, atque ob id qui vera dicerent, vulgò è tripode loqui dictos. Tripodem autem fuiſſe lebetem tribus fultum pedibus. Hujus duo erant genera, alterum Apollinis, ob varitatem oraculorum: Alterum Bacchi, in quo vinum miſcebatur, quod ebrii vera loquantur, quemadmodum dictum eſt in proverbio. In vino veritas. Simili figura dixit Galenus lib. περὶ φυσικῶν δυνάμεων primo, velut ex adyto: ἀπεφαίνετο γὰρ ὁ λύκος οὗτος, ὥσπερ ἐξ ἀδύτου τινὸς χρησμὸν ἀποφθεγγόμενος, ὡς εἴη περιττὸν τῆς τῶν νεφρῶν θρέψεως εἶναι τὸ οὖρον, id eſt: Pronunciabat enim lupus iſte, perinde quaſi ex adyto quopiam redderet oraculum, quod ſuperfluum eſt nutrimento renum, id eſſe vrinam.

Multi bonique.

Πολλοὶ κἀγαθοί, Multi bonique. Proverbiali figura dicebatur olim. Tranſlatum à ritu ſacrorum, in quibus ſacrificus rem divinam facturus dicebat, τίς τῇδε; id eſt, Quis hic? Dein qui aderant reſpondebant πολλοὶ κἀγαθοί, id eſt, Multi & boni. Atque hæc pariter omnis cauſa dicebantur (oportebat enim in ſacris εὐφημεῖν, hoc

hoc eſt, bene ominata dicere) partim vt ſi quis eſſet ſibi conſcius admiſſi piaculi, diſcederet à myſteriis. Plutar. in Sympoſ. ἐπεὶ μάρτυρες δὲ πάρεισι Πλάτωνι πολλοὶ καὶ ἀγαθοί, id eſt, Quando quidē Platoni teſtes adſunt multique bonique. Sed de hoc ante meminimus. Quo quidem alluſit & Ariſtides in Pericle, ἀλλ' ὥς γ' ἀφ' εἷς τῶν ἀγαθῶν τε καὶ καλῶν, καὶ τὸν φθόνον αὐτοῖς ἀπηλλαγμένον τὴν μαρτυρίαν ἀποδέδωκεν: id eſt, Verum, velut vnus è numero honeſtorū ac bonorum, citra invidiam ac purum illi reddidit teſtimonium. Quin etiam Homericum illud jam proverbii vice receptum eſt, ἠΰς τε μέγας τε, magnuſque bonuſq;. Eſt ſubinde & apud Ariſtophanem. Proverbium igitur locum habuerit, quoties aut teſtes aut judices, aut convictores ſignificamus idoneos ac neutiquam rejiciendos.

Legatus non ceditur, neque violatur.

Scholiaſtes in Iliados quartum refert hoc proverbium, πρέσβυς οὔτε παίεται, οὔτε ὑβρίζεται, id eſt, Orator nec percutitur, nec violatur: quod à præ omnium genus olim habitum fuerit factum. Id jure gentium receptum eſt, vt legati publica fide veniant & redeant inviolati, etiamſi perferant atrocia: quales erant olim feciales ac patres patrati. Nunc in mediis etiam bellis caduceatoribus parcitur. De flecti poterit ad bene monentem, ſive recta conſulentem, ſive concionantem libere: Legatus eſt, refert mandata ſui principis, aut: Agit negotium publicum, non eſt fas illi vim admovere.

Ex Iovis tabulis teſtis.

Ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς, id eſt, Ex Jovis tabulis teſtis. Apud Græcos dicebatur, pro certo & indubitabili teſte. Lucianus in libello De mercede ſervientibus: εἰ τις σε μοιχὸν ἢ παιδεραστὴν εἴποι, οὗτος ἐκ τῶν Διὸς δέλτων ὁ μάρτυς, id eſt: Si quis te adulterum, aut pæderaſten dixerit, is protinus, juxta id quod dici ſolet, ex Jovis tabulis teſtis. Alluſum eſt, ni fallor, ad diphtheram, in qua Jupiter omnia mortalium acta deſcribere fingitur à poetis.

Rhadamantheum judicium.

Ῥαδαμάνθυος κρίσις, id eſt, Rhadamanthi judicium. De incorrupte judicantibus. Rhadamanthus enim manium judex, neque muneribus, neque gratia deflectitur, quo minus ſeverè judicet. Accommodari poterit ad mortis neceſſitatem, maximis par ter ac minimis ex æquo communem. Juxta illud Æſchyli apud Ariſtophanem in Ranis.

> Μόνος θεῶν γὰρ θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ.
>
> Id eſt:
>
> Una è deis Mors nulla captat munera.

Item Horatius:

> Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
> Regumque turreis.

Item alibi:

> Non ſi trecentis, quotquot eunt dies,
> Amice places illachrymabilem
> Plutona tauris

Item Pindarus in Nemeis:

> Ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται
> Κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον
> Καὶ δοκέοντα.
>
> Id eſt:

Fluctus enim Orci communiter accidit: obruitque tum opinantem, tum inopinum, hoc eſt, & juvenem & ſenem: aut, pariter & ſtabilem & obſcurum. Bifariam enim interpretantur ἀδόκητον καὶ δοκέοντα. Item in Olympiacis:

> Βουλαῖς ἐν ὀρθαῖσι Ῥαδαμάνθυος.
>
> Id eſt:
>
> Rectis Rhadamanthi decretis.

Item alibi demonſtrans vnum Rhadamanthum nec aſſentiri cuipiam, nec quicquam ad gratiam facere: ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς εὖ πέπραγεν, ὅτι φρενῶν ἔλαχε καρπὸν ἀμώμητον, οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται ἔνδοθεν, id eſt: Fortunatus Rhadamanthus, qui fructum judicii ſortitus inculpatum, neque impoſturis intus in animo delectatur. Uſurpat & Plato lib. De legibus [illegible]

Rhadamanthi juſiurandum.

Ῥαδαμάνθυος ὅρκος, id eſt, Rhadamanthi juſiurandum: dicebatur quod veriſſimum quidem eſſet, cæterum nullum deum adſciſceret: Socrates per canem & anſerem jurare conſuevit, ne quē deorum citaret: ſive quod non crederet vllos eſſe deos, ſive quod non arbitraretur eſſe boni viri, deos ſuorum negociorum teſtes accerſere. Hoc autem jurisjurandi genus ad Rhadamanthum referebant. Notavit adagium Ariſtides rhetor in Pericle, cum ait, ὥσπερ ἂν εἰ λέγοις τὸν Ῥαδάμανθυν εἰς ἔθος ἀγαγεῖν τοὺς ἀνθρώπους ἐπιορκεῖν, ὃς τοσοῦτον ἀρετῇ τε καὶ δικαιοσύνῃ, ὥστε καὶ τελευτήσας τῆς ἐκεῖ ἀξιωθῆναι δικαστήριον, id eſt: Perinde quaſi dicas Rhadamanthum mortales in conſuetudinem adduxiſſe pejerandi, qui vſque adeò pietate juſtitiaque præcelluerit, vt etiam vita defunctus, ibi qui illuc appellunt, judex eſſe credatur. Pythagorici per quaternionem jurare ſolent, quem τετρακτὺν appellant:

> Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.
>
> Id eſt:
>
> Non per eum à quo animæ eſt datus ille quaternio noſtræ.

Exiſtimant enim hunc numerum vſq; adeò ad animæ perfectionem pertinere, vt eum in arcanis venerentur. Autor Macrobius primo commentario in Somnium Scipionis. Pythagoras in Carminibus aureis quaternionem factum animæ fontem vocat Græci per caput alterius jurare conſuevetunt. Juvenalis:

> ——Græcis nondum jurare paratis
> Per caput alterius.
>
> Virgilius:
>
> Per caput hoc juro.——

Viri jurejurando, pueri talis fallendi.

Ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον: id eſt, Jurejurando viros, talis pueros oportet fallere. Docet viris nulla re citius imponi poſſe quam jurejurando, quod nemo tam improbus eſſe credatur, qui id velit violare. Lyſandri Lacedæmoniorum ducis apophthegma autore Plutarcho.

Atticus teſtis.

Ἀττικὸς μάρτυς, id eſt, Atticus teſtis, legitur in collectaneis Diogeniani, pro probatiſſimo atque incorruptiſſimo teſte. Quod ſi quis per ironiam torqueat in teſtem vanum, non inconcinne dixerit.

Attica fides.

Ἀττικὴ πίστις, id eſt, Attica fides, legitur apud eundem, de minime vanis, minimeque perjuris, inde natum, quod apud Atticos templum eſſet fidei deæ conſtructū. Cujus meminit etiam Plautus in Aulularia. Vellejus Paterculus meminit his quidem verbis: Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ à Sylla captæ ſunt, imputat Athenienſibus, nimirum veri vetuſtatiſq; ignarus eſt. Adeò enim certa Athenienſium in Romanos fides fuit, vt ſemper, & in omni re, quicquid ſincera fide gereretur, id Romani Attica fide fieri prædicarēt. Quintilianus lib. 12. c. De genere dicendi ſcribit hunc in modū. Quos ego exiſtimo, ſi quod in his finibus vberius invenerint ſolum, fertilioremve ſegetem, negaturos Atticā eſſe, quod plusquam acceperit ſeminis reddat, quia hanc ejus terræ fidem Menander eludit. Ex his colligimus, Atticam fidem dictam, quod nec detraherent pactis, nec adderent. Talis erat & ſoli fides non admodum feracis, quum agrorum fides laudetur, ſi cum fœnore reddant quod creditum eſt.

Iovem lapidem jurare.

Jovem lapidem jurare, dicuntur qui ſancte & religioſe dejurāt. M. Tullius Epiſtolarum familiarium 7. ad Trebatium, Quomodo autem tibi placebit, Jovem lapidem jurare, cum ſcias iratum eſſe Jovem nemini poſſe? Sumptum a priſco feriendi fœderis ritu quod à patre patrato manu tenente lapidem conceptis verbis peragebatur, quemadmodum deſcribit T. Livius & Macrobius. Utebantur & Arabes lapide in feriēdis fœderibus, quemadmodū refert Herodotus in tertio. Adagiū varie poterit vſurpari: Ego tibi ſuper hac re non dubitē vel Jovem lapidē jurare, id eſt, quantūvis ſancte. Huic injurato fidem habere malim, quam tibi Jovē lapidem, vt ajunt, juranti. Jovem lapidē jurabat, nihil iſtiusmodi cogitatum fuiſſe, id eſt, magnopere aſſeverabat. A. Gell. in noctibus vſurpavit ad hunc modū: Jovem lapidem, inquit, quod ſanctiſſimum juſiurandum eſt habitum, paratus ſum ego jurare, Vergiliū hoc nunquam ſcripſiſſe. Apulejus in ſermone De deo Socratis: Quod igitur jurabo per Jovem lapidem, Romano vetuſtiſſimo ritu? Equidem arbitror, huc pertinet, quod ex Auguſtino citatur in Decretis, eos teneri Perjurio, qui jurarint per lapidem, nec præſtiterint quod jurarunt, etiam ſi illic ſcriptum eſt, Super lapidē: ex librariis, ni fallor, depravatione. Indicat autem illic hoc jusjurandū eſſe ſanctum ei cui juraturhoc eſt, ſi Chriſtianus juret pagano, cui hoc juſiurandum erat ſanctiſſimum. Quid hic attinet referre, quæ gloſſographi, & hos ſecuti theologi, commenti ſunt de hoc lapide, tā abſurda, vt vix lapides talia dicturi ſunt? Mihi ſatis eſt indicaſſe, legat, qui velit. Veteres per caput illius, quam clariſſimum habebat, jurabant Romani per genium principis: Socrates per canem & anſerem Zeno Citienſis per Capparim; plerique per braſſicam, νὴ μὰ τὴν κράμβην (quod multis exemplis è veterum poematibus repetitis docet Athen. lib. 9) eo quod huic divinatoria quædam vis ineſſet, eoque & ſacram habitam tradit.

Iovis ſuffragium.

Διὸς ψῆφος, id eſt, Jovis ſuffragium dicebatur Sacrum & inviolatum. Unde ſententiam ejus cujus ſit velut irrefragabilis autoritas, Jovis ſuffragium rectè dixeris. Aut per ironiam, vbi quis arrogantius de re quapiam pronunciat, ſuamque opinionem pro lege atque oraculo poſtulat accipi, ſubjicietur, Διὸς ψῆφος. Ajunt enim locum in quo Neptunus & Minerva judicium peregerunt, vtrius nomine auſpiciiſque civitas Athenienſium inſtitueretur, Jovis ſuffragium appellatum fuiſſe. Suidas Cratinum citat ex Archilochus:

> Ἔνθα Διὸς μεγάλου θᾶκοι πεσσοί τε καλοῦνται.
>
> Id eſt:
>
> Magni vbi dicuntur tali, ſedeſque tonantis.

Nam & talis olim ferebantur ſuffragia, nimirum à ſortientibus.

Amphyctyonum conſeſſus.

Ἀμφικτυονικὸν συνέδριον, id eſt, Amphictyonicus conſeſſus. De frequenti gravium virorum conventu. Ductum à conventu illo Græcorum olim celebratiſſimo, qui Amphictyonum dicitur: vel ab

ab Amphyctione Deucalionis filio, qui cum rerum potiretur, gentes Græcanicas dicitur convocaſſe, vt citatur autor Theopompus in octavo hiſtoriarum libro, ac teſtatur Pauſanias in Phocaicis. Porrò populi qui in id conſilii convenire ſoleant, numerantur duodecim: Jones, Dores, Perrhæbi, Bœoti, Magnetes, Achæ, Phthii, Molieuſes, Dolopes, Æneanes, Delphi, Phocenſes. Vel inde nomen inditum Amphyctionum, quod vndecunq; ad id conſilium ex omni Græcia conveniretur, vt placet Anaximeni & Androtioni in Atticarum deſcriptione rerum, apud Pauſaniam, in eo quem modo oſtendi loco. Quo quidem & alia complura ſuper hac re non indigna lectu referuntur, ſi quis forte requirer. Nos ad enarrationem proverbii putamus hæc eſſe ſatis. Venuſtius fuerit adagium, ſi per ironiam torqueatur ad indoctorum conventum, qui ſibi tamen Solones eſſe videantur.

Pollicentis ſe promiſſa re præſtiturum.

Significantes promiſſorum fidem non irritam futuram, ſed re præſtituros nos, quod verbis ſimus polliciti, vſurpare poterimus verſus hos ex eodem libro:

Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητον γ' ὅ, τι κεν κεφαλῇ κατανεύσω.

Id eſt:

Nec revocanda, nec irrita, vanave dico futura
Quæcunque annuero & promiſero vertice moto.

Dicuntur autem à perſona Jovis ad Thetidem.

Dictum ac factum.

Ῥηθὲν καὶ πραχθὲν, id eſt, Dictum ac factum. Proverbialis figura, qua nihil in negocio procurando prætermiſſum ſignificamus. Terentius: Dictum ac factum reddidi. Donatus in Andria indicat eſſe proverbium celeritatis: Dictum ac factum, invenerit aliquam cauſam. Rurſum in ſeipſum excruciante: Dictum ac factum huc abiit Clitipho. Sanè quam familiaris eſt ſermonis color Græcis poetis, οὔτ' ἔπος, οὔτ' ἔργον: id eſt, Neque dictum neque factum: pro eo quod eſt, nulla ratione. Homerus Iliad. l. 1.

Ἐσθλὸν δ' οὐδέ τί πω εἶπας ἔπος, οὐδ' ἐτέλεσσας.

Id eſt:

Nec dictum factumque probum ex te prodiit vnquam.

Euripides in Hecuba:

Οὐ δ' ὑμῖν μηδὲν ἐμποδὼν γένῃ,
Λόγοισι μηδ' ἔργοισι.

Id eſt:

Tu verò ne quid obſiſtas mihi
Verbove factove.

Diverſum in ſenſum qui modis omnibus dexteri ſtrenuique ſunt, dictis ac factis valere dicuntur. Ita Phœnix docuerat Achillem, juxta Homerum.

Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Itidem Pindarus in Nemeis hymno 1. ἐν δ' ἀμφὶ τρόποις, τῶν τε καὶ τῶν χρέος, id eſt: Tui verò mores & in his & illis vſui ſunt: præceſſit enim, πράσσει γὰρ ἔργῳ μὲν σθένος, βουλαῖσι δὲ φρήν: id eſt, Agit enim facto quidem robur, conſiliis autem mens.

Simul & dictum & factum.

Ἅμ' ἔπος, ἅμ' ἔργον: id eſt, Simul dictum, ſimul & factum. Ubi quis citra moram id re præſtat, quod verbis pollicetur. Latini, Cum dicto, dicunt pro eo quod eſt, ſtatim poſteaquam dixeris. Et Vergilius 1.

—Et dicto citius tumida æquora placat.

Sumptum apparet ex Homero, apud quem hoc eſt carmen:

Αὐτίκ' ἐπεὶ ἄρα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.

Id eſt:

Mox ſimul ac dictum eſt verbum, res ipſa peracta eſt.

Idem Græcis dicitur vnica voce αὐτοβοεὶ, quod à militari clamore tranſlatum videtur, quo nonnunquam funditur hoſtis, priuſquam ad manus fuerit ventum. Sic vſus Thucidides. Theopompus vſus eſt pro κατὰ κράτος, id eſt, vi ac virtute, non ex inſidiis. Quiſquis enim inſidias molitur hoſti, ſilet: qui fidit viribus ſuis, cum clamore irruit in hoſtem. Quidam putat dictum à bubus, vt deductum videatur ab arantibus; qui quum pollicentur ſe eodem die, id eſt, αὐθημερὸν aliquid operis abſoluturos, dicere ſolent αὐτοβοεὶ, hoc eſt, Priuſquam diſiungam boves. Transfertur ad cujuslibet actionis celeritatem, vt perinde valeat atque πρὶν χεῖρας ἀπονίψω.

Suffragium optimum.

Ariſtoteles Rhetoricorum lib. 1. videtur hoc attingere tanquã in foro jactatum γνώμῃ ἀρίστῃ: id eſt, Suffragio optimo. Quum enim multa ſint probationum genera quæ extra cauſam petuntur, ac Græcis dicuntur ἄτεχνοι, velut leges, teſtes, pacta, tormenta, juſjurandum: optima probatio eſt ex conjectoris, quæ illi, εἰκότα vocant. μάρτυρας μὲν μὴ ἔχοντι, ὅτι ἐκ τῶν εἰκότων δεῖ κρίνειν, καὶ τοῦτ' ἐστὶ, τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ, id eſt. Ei verò qui teſtes non habet, hic erat locus, ex probabilibus ſignis eſſe judicandum: & hoc eſt quod dicitur. Suffragio optimo.

Minervæ ſuffragium.

Ἡ Ἀθηνᾶς ψῆφος: id eſt, Minervæ ſuffragium. De exacto judicio, contrarium illi, ὗς ἔκρινεν: id eſt, Sus judicavit. Sed lepidius fiet, ſi per ironiam efferatur in ſtupidum, & nullius judicii hominem.

Veriora iis, quæ apud Sagram acciderunt.

Ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ: id eſt, Veriora iis, quæ apud Sagram acciderunt. Dictum olim in incredulos, quique nonniſi magno malo docti credunt. Refertur à Strabone lib. Geographiæ 6. Poſt Locros, inquit, Sagra fluvius labitur, in cujus ripa Caſtoris & Pollucis aræ ſitæ ſunt, ad quas decem Locrorum millia, vna cum Rheginis, adverſus Crotoniatas numero centies ac tricies mille, Marte collato, victoriam reportarunt. Ex quo eventu natum eſt in incredulos adagium, ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ: id eſt, Veriora iis, quæ apud Sagram acciderunt. Addidere plerique, quo die certamen initum eſt, iis qui in Olympiis erant, eum belli eventum nunciatum fuiſſe: tanta celeritate nunciatæ pugnæ veritas comperta eſt. Meminit hujus pugnæ Juſtinus lib. 20. tametſi de numero occiſorum à Strabone diſſentit. Meminit & Euſtathius in Bœotiam Homeri: additq; dici ſolitum de rebus, veriſſimis quidem illis, at non creditis. Poſtremo meminit & M. Tullius De natura deorum 2. Nam de Sagra, inquit, Græcorum etiam eſt vulgare proverbium, qui quæ affirmant, certiora eſſe dicunt, quam illa quæ apud Sagram.

Oculis magis habenda fides, quam auribus.

Ὠτίων πιστότεροι ὀφθαλμοί: id eſt, Oculis credendum potius quam auribus. Quæ cernuntur, certiora ſunt quam quæ audiuntur. Item Horatius:

Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.

Idem in Arte poetica:

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.——

Quanquam id quidem paulò alienius. Propius huc pertinet quod Plautus manus lenæ vocat oculatas, non auritas, vt quæ id demum crederent, quod viderent. Rurſum quod hiſtoria quam geſtarum rerũ eſſe volunt, dicta ſit παρὰ τὸ ἱστορεῖν, quod eſt videre. Poſtremo figmentum illud Vergilianum de duabus apud inferos portis: Eburnea, qua ſignificant ea quæ per os exeunt, ob dentium eburnum candorẽ: & cornea, qua quæ conſpiciuntur oculis, volunt intelligi, ob papularum nigrorem. In ſumma ad cognitionem magis faciunt aures, ad fidem faciendam certiores ſunt oculi. Unde & vulgò, ſi quis fabulam narret, parum veriſimilem, rogare conſuevimus, num ea conſpexerit. Quod ſi neget, verum audiſſe modo, ridetur: Proverbium refertur in epiſtol. Juliani ad Leontiũ: ὁ λόγος ποιὸς ὁ Θούριος ὦτα εἶναί φησιν ἀνθρώποισιν ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα, id eſt: Sermo quidam Thurius dixit, aures hominibus minus eſſe fideles, quam oculos. Thurium appellavit, indicans Herodotum, dicti autorem, vel ob impetum divinum, vel quod is ſcriptor apud Thurios vixit & mortuus eſt. Sumptus eſt autem ex Clione ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν: id eſt: Nam aures hominibus minus fideles ſunt quam oculi.

Domeſticus teſtis.

Οἴκοθεν ὁ μάρτυς, id eſt, Domeſticus teſtis. Ubi quis ipſe ſeſe laudat, quaſi domi teſtem habeat, non aliunde adductum. Huic autẽ teſtium generi quam minima fides haberi ſolet, ac legibus ceu ſuſpecti rejiciuntur. Paulus Pandectarũ lib. 2. tit. de teſtibus, capite penult. Teſtes quos accuſator de domo produxerit interrogari nõ placuit. Rurſum Cod. lib. 4. eodem titulo: Etiam jure civili domeſtici teſtimonii fides improbatur, Lucianus in Jove tragœdo: εὖγε, οἴκοθεν ὁ μάρτυς φασίν, id eſt Euge, domo adductus teſtis, vt dici ſolet. Huc alluſiſſe videtur Seneca ad Luciliũ, cum ſcribit in hunc modum: Expecta me puſillum, & de domo fiet remuneratio, niſi quis mallit illic dono legere. Sunt Græci ſcriptores, qui dicant hoc adagium convenire in eos, qui prius mentiri, poſtea verum confitentur: veluti adacti cõſcientia, quæ pectoris teſtis eſt. Sic Plutarchus τὸν οἴκοθεν κριτὴν, vocat animi judicium, quod non corrumpitur. Nec hic multum abhorret quod eſt apud M. Tullium De oratore lib. 3. Tertium verò illud, clamare contra quam deceat & quam poſſit, hominis eſt: vt tu Catule de quodam clamatore dixiſti, ſtultitiæ ſuæ quam plurimos teſtes domeſtico præconio colligentis. Domeſticum præconium appellavit, quod ipſe ſuam ſtultitiã traduceret. Idem in ejus libri principio: Quos tum vt pueri refutare domeſticis teſtibus: patre & C. Aculeone propinquo noſtro & L. Cicerone patruo ſolebamus. Hic ſimpliciter domeſticos teſtes appellat, propinqua cognatione junctos. Nihil autẽ magis domeſticum eſſe poteſt, quam ſua cuique conſcientia. Idem M. Tullius Cic. lib. Epiſt. famil. 2. ad Cælium, epiſt. cujus initium, Raras tuas Mea verò officia ei non defuiſſe, tu es teſtis: quoniam οἴκοθεν ὁ μάρτυς, vt opinor accidit Phania. Nam ita legendum ſuſpicor; tametſi nonnulli lacunã expleverant his vocibus, κωμικὸς μάρτυς, niſi forte pro κωμικὸς magis placet, εἰρωνικός. Idem in oratione pro L. Flacco: Neque id toto Æmocenſium teſtimonio, ſive hic confictum eſt (vt apparet) ſive miſſum domo eſt (vt dicitur) commovebor. Terentius: Ego hanc domi conjecturam facio.

Venereum juſjurandum.

Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποίνιμος, id eſt, Venereum juſiurandum non punitur. Senſus eſt, amantium juſiurandum irritum eſſe: neque ad deos quicquam pertinere, tanquam jocoſum. Et autore Naſone,

Juppiter

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet Æolios in freta ferre notos.

Et Horatius:

Ridet hoc inquam Venus ipſa, rident
Simplices nymphæ. Tibull.
——Perjuria ridet amantum
Juppiter & ventos irrita ferre jubet.

Citatur hoc adagium a Platone in Convivio: ὃ δὲ δεινότατον, ὥς γε λέγουσιν οἱ πολλοί, ὅτι καὶ ὀμνύντι μόνῳ συγγνώμη παρὰ θεῶν, ἐκβάντι τῶν ὅρκων. ἀφροδίσιον γὰρ ὅρκον οὔ φασιν εἶναι. οὕτω καὶ οἱ θεοὶ καὶ οἱ ἄνθρωποι πᾶσαν ἐξουσίαν πεποιήκασι τῷ ἐρῶντι, id eſt, Quodque omnium maximum eſt, vt ſane dicitur vulgò, vni etiam juranti è diis parata eſt venia, ſi quæ juravit non præſtiterit. Venereum enim juſjurandum negant eſſe, adeò tum dii tū homines nihil nō permittunt amanti. In verbis Platonis videtur deeſſe vocula, ἐπιορκίαν, οὔ φασιν εἶναι ἐπίορκον. Meminit & Procopius in epiſtola ad Epiphanium vltima, καλῶς ἄρα ᾔδει τὸ τῶν ἐρώντων πάθος ἡ παροιμία, κἂν ἐπιορκεῖν ἐθέλωσι συγγνώμην αὐτοῖς ἐκ θεῶν ἐπαγγέλλεται, id eſt, Pulchrè novit amantium affectum proverbium, etiam ſi pejerare voluerint, veniam illis a diis pollicetur. Plato in Philebo apud Athenæum lib. 12. ὡς ὁ λόγος, καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ ἀφροδίσια, αἳ δὴ μέγισται δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν, ὥσπερ καθάπερ παίδων τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων, id eſt, Cæterum quemadmodum dicitur etiam in voluptatibus circa res venereas, quæ ſanè videntur eſſe præcipuæ, perjurium quoque venia donatur à diis, perinde quaſi voluptates puerorum inſtar ſint, qui nondum rationis ſunt compotes. Refertur & illud ex Callimacho,

Ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ᾽ ἐς ἀθανάτων.

Id eſt:

Juravit, verum vulgò dicunt, in amore
Quod juras, aures non penetrare deum.

Prior verſus non caret mendo. Deflecti poteſt ad quodvis promiſſum, cujus fides præſtanda non videatur.

Dignus qui cum in tenebris mices.

Qui certiſſima eſſet fide, eum dignum dicebant, qui cum in tenebris micaretur. Cic. lib. Officior. 3. Hoc nonne eſt turpe, dubitare philoſophos, quæ ne ruſtici quidem dubitant, à quibus natum eſt id quod tritum eſt vetuſtate proverbium. Cum enim fidem alicujus, bonitatemque laudant, dignum eſſe dicunt, quicum in tenebris mices. Idem de finibus lib. 2. Cui juſtitia laudatur, an verum eſt tritum vetuſtate proverbium, qui cum in tenebris mices? Eſt autem micare, luſus genus quoddam, quod adhuc apud Italos durat: vt repente porrectis digitis, certantium vterque numerum divinet. Hujus Cicero mentionem facit lib. De divinatione 2: Quid eſt enim ſors? Idem propemodum quod micare, quod tales jacere, quod teſſeras. M. Varro: Micandum erit cum Græco, vtrum ego illius numerum, an ille meum ſequatur. Nemeſianus in carmine Bucolico,

——Digitos jactare micantes.

Meminit divus Auguſt. libr. De Trinitate 8. cap. 5. Nam id, inquit, vbi volumus, facile habemus, vt alia omittam, vel micando digitis tribus. Porrò quicum micas in tenebris, ei liberum eſt, ſi velit fallere. Proinde, Dignus qui cum in tenebris mices, dicitur qui ſi vſque adeò certa fide, vt nec ſi tuto poſſit, velit quempiam mendacio fallere. Habent Græci ſimile quiddam: Dignus hic eſt, cui vel injurato fidem habeas: ὁ δ᾽ ἀνὴρ κἂν ἀνώμοτος πιστεύειν ἄξιος, id eſt. Hic vir dignus, cui credas etiam injurato. Cui diverſum, Ne jurato quidem illi crediderim.

De manu in manum.

Ut non arbitror idem eſſe cum ſuperiori, ita non vſquequaque diſſimile eſt, quod ſcribit Cic. lib. Epiſt. famil. 7. Totum denique hominem tibi trado de manu, vt ajunt, in manum tuam iſtam, & victoria & fide præſtantem. Traduntur enim & qui commendantur. Terentius: Hanc in manum dat. Item Horat.

——Ubi tibi ſe laudare ac tradere coner.

Item:

Hunc hominem velles ſi tradere, ——

Manu longa, & manu brevi tradere.

Libro Pandectar. 46. tit. de ſolutionibus ſcribitur hunc in modum: Pecuniam mihi debes, aut aliam rem, ſi in conſpectu meo ponere te jubeam, efficitur, vt & tu ſtatim libereris, & mea eſſe incipiat. Nam tunc quod a nullo corporaliter ejus rei poſſeſſio detinetur, acquiſita mihi & quodammodo manu longa tradita exiſtimanda eſt. Simili figura dictum eſt, Brevi manu dare, lib. Pandect. 23. tit. de jure dot. cap. licet ſoleat: Quoties autem extraneus acceptum fert debitori dotis conſtituendæ causa, ſi quidem nuptiæ inſecutæ non fuerint, liberatio non ſequetur: niſi forte ſi accepto tulit, vt velit mulieri in totum donatum. Tunc enim credendum eſt brevi manu acceptum a muliere, & marito datum. Quæ ſi deflectas, plus habebunt veneris: veluti qui promiſſis agit, ac ſpem tantum oſtendit, longa manu dat, quod animo contueri poſſis, non ſtatim etiam tollere. Contra, qui præſens ac ſtatim exhibet quod promittit, brevi manu dat. Pueri aſſem oſtendunt elephanto, nec audent porrigere. De longis regum manibus, alibi dictum eſt.

IVNII. *Juſjurandum, emplaſtrum debiti.*

Venuſte dictum eſt à mimographo Laberio, in mimo quem inſcripſit Alexandriam, & dignum quod in proverbiorum claſſem referatur, eoque magis, quod mimi parœmiis affines ſint: ejus verba vt ab Aul. Gellio adducta ſunt lib. 16. aſcribam.

Quid eſt juſjurandum? emplaſtrum æris alieni.

Tametſi majores noſtri nullum arctius ad aſtringendam fidem in re jurando vinculum eſſe voluerint: haud ſcio tamen quo malo genio in offuſias & tendiculas converſum illud ſit, ſpecioſum fallendæ fidei velamentū, & πρόσχημα. Nam vt æris alieni, quod creditori debetur, nexum fugiamus & creditorem ſatisdari ſibi inſtantem placemus, nullum aptius eſt remedium, quam ſi religioſa juriſjurandi affirmatione polliceamur, nos illi propediem perſoluturos: vbi ſtatus advenerit dies, juratiſſimos rationum impliciarum libellos proferamus, qui aliena debita loquantur, quib. vbi primum fuerit ſatisfactum, è veſtigio cum pecunia adfuturos: ni id fiat, tellus nobis vt ima dehiſcat. Sic creditorem ludificamus, ſic juriſjurandi ſacramento tanquam emplaſtro quopiam æſtuantem irati creditoris ſtomachum comprimimus. Cognata huic eſt ſententia Smocatti in epiſtolis:

Πρὸς δὲ πάντων ὅρκος σοφιστής ἐστι δεξιόχειρ.

Id eſt:

Juſjurandum eſt egregius artifex doli.

Navem rectam ſemper.

Extat, ni fallor, apud Ariſtidem, proverbialis conteſtatio ex tragœdia alicunde deſumpta:

Ἴσθι, Πόσειδον, ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν κατέδυσα.

Id eſt:

Neptune non te latet rectam me ſemper rexiſſe navem.

quam ita à poeta quopiam converſam & vulgatam citat lib. Epiſtolar. 12. Seneca:

Neptune Nunquam hanc navem, niſi rectam.

Apparet dici poſſe, quoties teſtatam & ſpectatam noſtram fidem atque integritatem volumus ſignificare, nihil malitioſe aut prave a nobis actum eſſe, exempli gratia: ſi Eccleſiaſtes probatæ vitæ, integerrime rexiſſe ſe eccleſiam ſuam quantum in ſe fuerit, deos hominesque teſtetur. Alluſiſſe huc videtur Cicero in epiſtola ad fratrem: Cætera fuerunt in eadem epiſtola graviora quam vellem, ὀρθὰν τὰν ναῦν.

COGNATI. *Azimus.*

Azymus μὴ πεφυσιωμένος dicitur ſincerus, verus, non elatus, ſine iniquitate. Hinc Paulus 1. Cor. 15. Epulemur itaque in azymis ſinceritatis, id eſt, in ſimplici doctrina. Infermentata enim cōſperſio non attollitur. Contra fermentum impiam & mendacem doctrinam deſignat. Hoſe. Quievit paululum civitas a commixtione fermenti. Matth. 16. Luc. 12. & 13. Paul. 1. Cor. 5. Feſtum celebremus in panibus fermento carentibus: hoc eſt, ſinceritate & veritate, non in fermento malitiæ & verſutiæ. Sic Galat. 5. Plautus in Mercatore per translationem dixit quoque: Nam nec vxor propter illum tota in fermento jacet, id eſt, inflata eſt & irata. Idem in Caſſ. Nunc in fermento tota eſt, ita turget mihi.

Manus porrigendæ non confuſis digitis.

Hujus ſenſus eſt. Omnia eſſe aperto animo & ſimplici faciēda, non autem fucato & ſimulato: vel nō oportere eſſe rapacem. Nam qui aliquid in vola abdunt, manum non extendunt. Poteſt & ad orationem referri, ſicut olim Zeno, orationem oportere eſſe planam & apertam, non conciſam, confuſam atque obſcuram. Apud Laertium Diogeni tribuitur hoc adagium.

Aphrodiſeum juſjurandum.

Venereum juſjurandum, pro vano & momenti nullius, ex adagio vſurpatur, quoniam ejuſmodi ſit amantium adjuratio, quibus pejerare frequentiſſimi moris eſt, vel impune. Catul. in nupt. Pelei & Thetid.

Nil metuunt jurare, nil promittere parcunt,
Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Tibullus ex collaudatione Pauſaniæ apud Platonem in Sympoſio, Eleg. 5. lib. 3.

Nec jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

Ovidii præceptum tale eſt in 1. de Arte amandi:

Promittas facito: quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.
Nuſquam tuta fides:—— dixit Dido Virgiliana.

Et Catullus in iiſdem nuptiis:

Nunc jam nulla viro juranti fœmina credat.

Huc reſpiciens Ovidius ſub perſona Ariadnes querentis ſe à Baccho relictam fuiſſe, ſic ait in 3 Faſtorum:

Nunc quoque nulla viro, clamabo: fœmina credat.

(Lege alibi: Chiliad. Venereum juſjurandum.)

Totus teres atque rotundus.

Galli vulgò rotundos homines vocant ſinceræ fidei, ſui ſimiles, nihil habentes aſperum. Ductum à forma conglobata, & vndique polita. Figura enim orbicularis, quam cœlum poſſidet, perfectiſſima eſt. Horat. l. Sermon 2. ſat. 7.

Et

—Et in ſeipſo totus teres atque rotundus.
Idem de arte poetica:
—Graiis dedit ore rotundo
Muſa loqui.
id eſt, non hiulce, non aſpere.

Hinc Cicero in Oratore perfecto: Thucydides præfractior, nec ſatis, ut ita dicam, rotundus. Idem in Bruto: Et quaſi rotunda conſtructio. In Oratore perfecto, aures Atticorum teretes nominat: propterea quod nihil ferre poſſunt inſolens, putidum & invenuſtum. In lib. De optimo genere oratorum: Qui teretes aures habent, intelligensque judicium. Apellus in Iſagogico: Libellus Inſtitutionum Juſtiniani Cæſaris continet artis prima principia, & ſummam: & eſt talis, ut omnes ſuos numeros contineat totus teres ac rotundus. Stiblinus in Iphigeniam in Aulide: Ea, inquit, in ſapiente locum non habet, ut qui totus ſit teres atque rotundus. Seneca in eodem Ludo de morte Cæſaris Claud. Quomodo poteſt rotundus eſſe, (ut ait Varro) ſine capite, ſine præputio? id eſt, perfectus.

Ἀνὴρ ῥωμαῖος.

Romanus proverbialiter intelligitur vir gravis ſeveruſque, & propoſiti tenax, atque ἀπαραίτητος: quales priſci illi viri fuere Romani, rigidi homines, etiam in plectendis capitali ſupplicio liberis. Guilhelmus Xylander Auguſtanus in P. Æmilium Plutarchi ſcribit ad hæc verba, Romanum virum uxori ſuæ nuncium remiſiſſe: Videtur, inquit, mihi Plutarchus hoc velle, quia ejus divortii cauſam nemo comperiſſet, & certum tamen eſſe, haud ab re Paulum tale aliquid facturum fuiſſe, vulgi ſermonem, extitiſſe, dimiſſam à Romano viro conjugem, atque hoc quaſi proverbium fuiſſe: nam λόγος ſæpe etiam proverbiũ ſignificat. Hinc Romano more in epiſtolis Cicero dixit, pro vere & ex animo: Ego, te, inquit, Balbo, cum ad vos proficiſceretur, more Romano commendabo. Iterum: Sed more Romano, quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum prudentioremque eſſe neminem.

Juratiſſimus.

Quoniam homini quantumvis gravi non creditur niſi jurato, ideò factum, ut Latinis juratiſſimus pro fide digniſſimo, cuique credendum maxime, omniaque & commendanda, accipiatur. Sic Plinius in præfatione: Scito enim conferentem me authores deprehendiſſe à juratiſſimis & proximis veteres eſſe tranſcriptos ad verbum neque nominatos. Juratiſſimos amicos vocat, quos Græci μάλιστα πιστευθέντας παρέ τινι appellant. Illis autem fidimus maxime. Translatio eſt à teſtibus, quibus non creditur niſi juratis. Hinc apud Budæum libro ſecundo, De contempt. rer. fort. Apoſtoli & martyres juratiſſimi teſtes veritatis vocantur. Juratiſſimi quoque dicuntur, qui in alicujus principis verba juramentum fecerunt & conſentiunt, ac quaſi jurejurando cõſpirant: principe ſcilicet verba præeunte, ipſis autem in verba concepta jurantibus. Sic Acron & Porphyrio accipiunt illud Horatii in Epod.

Cum tu magnorum numen læſura deorum,
In verba jurabas mea.

Vide poſt; Conceptis verbis jurare.

Omni exceptione major.

Teſtis exceptione major eſt, qui refutari non poteſt: ſermo Juriſperitis uſitatus Juſtinianus A. Joanni PP. C. de contrahend. & commit. ſtipul. l. optimam ſub finem: Liquidis ac manifeſtiſſimis probationibus, & melius quidem ſi per ſcripturam, vel ſaltem per teſtes undique idoneos, & omni exceptione majores, oſtenderit ſeſe vel adverſariũ ſuum eo die civitate abfuiſſe. Idem in Inſtitut. juris lib. 3. de inutilib. ſtipul. §. item verborum. Budæus Roberteto. Conſcientia mihi inſtar eſt teſtium multorum locupletum, omniq; exceptione majorum, id eſt, quorum fides nulla ex cauſa legitima poteſt elevari, & qui communi hominum opinione reputantur boni viri. Et ut egeſtas multos fieri falſos teſtes coegit, ita fideles teſtes à Budæo & à Cicerone ſæpe appellantur locupletes. Quæ autem in teſtibus conſideranda ſint, hoc eleganti diſticho Joan. Tiſſinus complexus eſt:

Conditio, fortuna, fides, diſcretio, ſexus.
Fama, ætaſque bonis teſtibus eſſe volunt.

Quibus verò ſuſpicionis exceptio rectè opponatur, tradunt Juriſconſulti l. 2. & 3. de teſtam. Vide infra, Omnibus numeris.

Omnibus numeris.

Omnibus numeris perfectum dicitur, cui nihil addi poteſt, aut in quo nihil deſideratur. Juvenalis ſat. 6.

Atque omnes implet numeros.—

Plin. in Paneg. Omnes comitatis numeros obibat. Sic, per omnes numeros cognoſcere. Quint. in præfat. octavi: illud autem officiũ, quod rectum appellant, perfectum atq; abſolutum eſt, & (ut iidem dicunt) omnes numeros habet. Seneca De benef. Magnus luctator, non qui omnes numeros, nexuſque perdidicit. Hinc, Exemptus numero eſt eximius, egregiuſq; ἐξαίρετος ἐκλεκτός. Eximii enim ſunt, qui ſupra numerum evaſerunt. Contra, numerus pro turba quorumlibet. id eſt, τῶν τυχόντων ponitur, ut apud Horat.

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopes.—

hoc eſt, non eximii, ſed in ordinem coacti. Sic augere numerum, dicitur à Livio de Hercule: Mater mihi veridica interpres Deum auctarum te numerum cœleſtium cecinit. Inde, Loco nullo numerare. Cic. De finibus: Idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem, id eſt, inter bona non ducit habendam, ἐν μηδενὶ εἶναι λόγῳ τίθεσθαι, ἐν οὐδενὶ λόγῳ τίθεσθαι. Idem l. 1. ad Q. frat. Acceſſus ſit et eo in numero, quo eum majores noſtri eſſe voluerunt, id eſt ea exiſtimatione, & eo honore vel gradu potentiæ, & ea authoritate. In Ver. Exponam quid hominis ſit, ut iſtius nequitiam, qui eum ſecum habuit, eo præſertim numero, & loco cognoſcatis. Vide ſupra, Omni exceptione major.

In ſummo labro juſjurandum.

In ſummo labro juſjurandum habere dicuntur, qui conſuetudine & facilè pejerant. Lucianus de amatoribus, in dialogis amatoriis: ἐπ' ἄκρου τοῦ χείλους τοὺς ὅρκους ἔχουσι, id eſt, In ſũmo labro juſjurandum habent. Sic in Apologia mercenaria: ἀπ' ἄκρου τοῦ χείλους φιλοσοφεῖν. Extremis labris philoſophari, id eſt, nõ verè. In Rhetorum præceptore, καὶ ὅρκος ἐπ' ἄκροις ἀεὶ τοῖς χείλεσιν, id eſt, Et ſemper in labiis ſummis perjurium. In amore fugitivo: ἄχρι τοῦ φιλοσοφεῖν, τοῖς χείλεσι φάρμακον εἶναι. Nam labris certum eſt habitare venenum. Contrarium eſt huic: ex animo polliceri, ex corde dicere, proferre, & illud Plautinum in Capt. Corde amare.

Promiſſis morari.

Hoc genus loquendi ſæpe frequentat Lucretius, & Galli retinent. Lucr. libr 5.

Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur.

Quidam legunt, Ne te promiſſis plura morabor.

Plura: id eſt, amplius.

Ne tibi ſit fraudi.

Hoc genus loquendi eſt, & elegans, & proverbiale, & Lucretio frequens: pro, Ne te decipiat: vel, Et non te inducat, lib. 6.

Ne tibi ſit fraudi, quod nos inferne videmus, &c.

Virg. 11. Æneid.

Jam noſces ventoſa ferat cui gloria fraudem.

Noxæ eſſe, etiam dicebant veteres: ut ex Livio obſervavimus.

Conceptis verbis jurare.

Conceptis verbis juraſſe dicuntur, qui in alicujus verba conſentiunt, & jurejurando conſpirarunt, eo verba præeunte, ipſis autem in verba concepta jurantibus, Plautus in Ciſtellaria:

At ille conceptis juravit verbis apud matrem meam,
Me uxorem ducturum eſſe.

Itidem in Bacchidibus. Sic Acron & Porphyrio accipiunt illud Horatii in Epod ad Neæram od. 15.

Cum tu magnorum numen læſura deorum,
In verba jurabas mea.

Seneca lib. 1. c. 1. De clementia: O vocem in concionem mortalium mittendam, in cujus verba principes regeſque juramentum faciant, id eſt, in cujus verba conſentiant, &, conſpirent. Sermo militaris eſt. Cæſar. l. 1. De bello civili: Princeps Petrejus in hæc verba jurat ipſe, ad idem juſjurandum adigit Afranium, ſubſequuntur tribuni militum. Livius lib. 3. Nobis verò (inquit Quinctius) nihil delectu opus eſt: cum, quo tempore P. Valerius ad recipiendum Capitolium arma plebi dedit, omnes in verba juraverint conventuros ſe juſſu conſulis: Idem libr. 7. huius etiam locutionis ſignificationem evidenter oſtendit: Et ſuper lectum ſtans, ferro intento niſi in quæ ipſe concepiſſet verba juraret, ſe patris ejus accuſandi cauſa concilium plebis nunquam habiturum, ſe cum extemplo transfixurum minatur. Idem lib. 45. Omnes, qui in conſulis verba juraverint. Horat. epiſt. 1. lib. 1.

Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Eſt autem in verba jurare, verbis ab altero conceptis jurare ſe ita feciſſe, vel facturum, vel non. Is autem qui alteri verba concipit, dicitur in verba adigere. Liv. l. 7. Pavidus, inquit, tribunus adjurat in quæ adactus eſt verba. Gell. 16. c. 4. Cum delectus antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in juſjurandum eos tribunus militaris adigebat in hæc verba. Tacitus; Imminere Narbonenſi provinciæ verba Vitelli adactæ. Sic adigere jurejurando, ſive ad juſjurandum, ὅρκῳ καταλαμβάνειν dicitur, qui conceptis verbis, hoc eſt, arbitrio ſuo dictatis, alium jurejurando obſtringit. Eadem ratione dicitur jurare in nomen principis, & jurare in leges: id eſt, jurare ſe ſervaturum leges. Plin. de viris illuſt. Aqua & igni interdixit ei, qui in leges ſuas non juraſſet. Pejerare verbis conceptis, ab Eraſmo noſtro refertur inter parœmias: quod proverbiale fuiſſe ſignificat. Vide ante Juratiſſimus.

Certiora iis, quæ apud Sagram acciderunt.

Cicero libr. 2. & 3. De natura deorum: De Sagra Græcorum eſt vulgare proverbium, qui quæ affirmant, certiora eſſe dicunt, quam illa quæ apud Sagram. Hæc vim & uſum proverbii ſatis indicant. Sagram autem fluvium Italiæ ejus, quæ magna Græcia dicitur, inter Locros & Caulonẽ fuiſſe, Plin. lib. 3. cap. x. aſſerit, ubi pugnatum fuit à Locris adverſus Crotoniatas: hi cxxx. millia, illi x. millia in aciem eduxerunt, vicerunt tamen Locrenſes. Nuncius victoriæ eadem die Olympiam, Spartam, Corinthum, & Athenas perlatus

perlatus eſt. Hæc vere Strabo.l.6 in deſcriptione Calabriæ, Cic. ibidem. Suidas. Juſtinus l.20. qui tamen locũ non nominat, hiſtoriam perſpicue deſcribit. Atque inde ortum proverbium, Strabo & Cicero, & Euſtathius in ſecundum Iliados, & Suidas oſtendunt, vt de re certa incredulis diceremus: Certiorem eſſe rem iis quæ apud Sagram geſta ſint: ἀληθέστερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ. Sed quo tempore pugnatum ſit, non facilè cognoſcitur: tametſi id maxime in hiſtoria deſideratur. Gulielmus Xylander Auguſtanus in vitam P. Æmilii apud Plutar. ex Pauſaniæ Laconicis, quo loco is Crotoniatarum de Achille & Helena ſermonem commemorat, deprehẽdit, Steſichori jam tum excæcati tempeſtate rem eam geſtam fuiſſe: quem natum Olymp. 37. mortuum 56 Suidas adſtipulatore Euſebio, tradit: vt haud longe ante aut poſt quinquageſimam Olymp. & Tarquinii forte Priſci temporibus, prælium id pugnatum fuiſſe, conjectura eſſe videatur. Vide apud Eraſmum noſtrum, Fides & gravitas.

Capaneus.

Capaneus pro fideli & certo amico proverbialiter vſurpatur apud Plutar. in Pelop. Exemplo, inquit, Euripidæi Capanæi. De eo Euripides in Supplicib. aureis verſibi, quos hic Latine adſcribam, quoniam exemplum continent hoc ſeculo rarum, & officium certi & potentis amici, verba ſunt Adraſti:

> Tenetum videsne hunc, qui trajectus fulmine eſt?
> Capaneus is erat, opes habuit ampliſſimas,
> Minime ſuperbiebat his, neque ſpiritus
> Trahebat tamen vnquam altiores paupere:
> Vitare luxum ſuetus, & vulgaris
> Faſtidientes: non ratus in gula ſitam
> Virtutem, & eſſe modica naturæ ſatis,
> Præſentibus fidelis atque abſentibus.
> Amicus (hoc perpauci præſtant nunc) fuit.

Non quibuslibet temere credendum.

In dialogo, qui inſcribitur Demodocus, vel, de cõſultando, inter Platonicos. Verum ego non quibuslibet reor eſſe credendum: & arguenda eſt hominis inſcitia, quod citò, & quibusvis hominib. aliquid dicentibus credat. Vide in ſequentibus, Mulieri non temere credendum eſt: & Veteribus credendum eſt.

Credendum eſt veteribus.

Ibidem. Credendum nimirũ eſt veterib. & priſcis, vt ajunt, viris. Etenim priſci nobis præſtantiores, diisque propinquiores. In Philebo. Idem in Hippia majore: Priſcos homines præferre ſemper recentioribus conſuevi, vt & viventium invidiam, & defunctorum indignationem vitarem. Supra, Non quibuslibet temere credendum: &, Mulieri non temere credendum.

Venereum juſjurandum.

Plato in convivio, vel, de amore, in Pauſaniæ collaudatione: Et quod permaximum eſt, vulgò fertur, quod ſolis amatoris perjuriis dii dant veniam: Venereum quippe juſjurandum nihil valere ajunt. Itaque tam dii quam homines, omnem amanti licentiam præſtiterunt, vt lex noſtra teſtatur. Idem in Philebo ſub finem: Fertur enim de Venereis voluptatibus, quæ ingentiſſimæ omnium æſtimantur, quod pejerantibus illis, dii prorſus ignoſcant. Catul. ad Alphenum:

> Idem nunc retrahis te.———

Idem in nuptiis Pelei:

> Qui dum aliquid cupiens animus prægeſtit apiſci,
> Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt:
> Sed ſimul ac cupidæ mentis ſatiata libido eſt,
> Dicta nihil metuere, nihil perjuria curant.

Toto pectore, Toto animo.

Idem ibidem:

> Toto pectore.———
> Toto animo.———

Et hoc quoque in vſu quotidiani ſermonis eſt. Virgil. 7. Æneid.

> —Toto percepit pectore flammam.

Idem Catullus ibidem:

> — Quam toto concepit pectore flammam.

Vide ante, Sincere & ex animo.

Sincere & ex animo.

Idem ad Lesbiam:

> Dii magni, facite vt vere promittere poſſit,
> Atque id ſincere dicat & ex animo.

Sic Terentius in Eunucho loquitur:

> Sic iſtuc crederem ſincere dici.

Ex animo autem dicere id Græce eſt, ἀπὸ καρδίας. Sic vetus poeta ἐκ κείνου τ' ἀπὸ καρδίας φιλῶ, ... Vide poſt, Toto pectore, toto animo.

Totus teres atque rotundus.

Idem libr. 12. Efficies ex te ipſo globum, qualis ille Empedocleus:

> Se ſolo exultans, totus teres atque rotundus.

Animus, globo ſimilis eſt, figuræ æquabilis, quando neque effert ſe neq; contrahit, ſed lumine fulget, quo in omnibus rebus veritatem cernit, & in ſe quoque ipſo.

TVRNEBI. *Arietinum oraculum.*

Id eſt, oraculum Jovis Ammonis, quod exploratæ indubitatæque fidei habebatur, colebatur autem ille ſpecie arietis, vt norunt omnes. Tale oraculum ejuſdem refert Gell. lib. 3. c. 3 ad quendam ita nempe anceps, vt vtrumcunque faceret, malum haberet. Peribis, inquit, ſi non feceris: ſi feceris, vapulabis. Turn. Adverſ. 14 cap. 18. Trahi poterit ad ſimilia, ipſa veritate veriora, vt promiſſa, minas, dictaque alia ejuſmodi.

Latinè loqui.

Cic. in Verrem: Non enim verbi, neque criminis cauſa augẽdi complector omnia, cum dico nihil iſtum ejuſmodi rerum in provincia reliquiſſe. Latine me ſcitote, nõ accuſatorie loqui: id eſt, vere & ſimpliciter loqui, nihilq; mentiri, nec ſupra verum rẽ efferre. Natum inde, quod Latini de Latinis bene exiſtimarent, eos ſimplices & ingenuos, minimeq; ſimulatos & fallaces mendacesque exiſtimarent. Unde Martialis idem vſurpavit, pro, aperte, & ſine diſſimulatione, verborumque integumento loqui, dicens ſe rum loqui Latine, cum obſcœna & lacivia obſcœnis & laſcivis verbis aperte proloqueretur, epigrammata enim ſine circuitu vllo laſciviunt aperte & petulanter, id eſt, vt alibi loquitur Romana ſimplicitate, laſciviam & flagitia enunciant. Turn. Adverſ. libro vigeſimo quarto cap. 5.

GENTII. *Προπετῶς μὴ ὀμνύειν.*

Hoc eſt, Petulanter ne jurato. De crimine famoſo publicitus animadvertendo. Uſus eſt Ulpianus in cap 13. de jurejur. Qui inquiens, juravit in re pecuniaria per genium Principis dare ſe non oportere, & pejeraverit: Imperator noſter reſcripſit, fuſtibus eum caſtigatum dimitti, & ita ei ſuperdici, προπετῶς μὴ ὄμνυε. Veteres cum ſupplicium ſumerent de damnato homine, in loco ſupplicii conſpicuo ἐπιγραφὴν ſeu titulum affigebant: quo breviter admonitus populus pœnæ à reo expetitæ cauſam intelligeret, eoque exemplo à ſimili facinore perpetrando cæteri avocarẽtur. Et hoc more impoſitam fuiſſe inſcriptionẽ cruci Chriſti Servatoris noſtri, ait Duaren. Alciat. & Oldendorp. contendunt eſſe ſpeciem proverbii de facinore memorabili ſed non ſunt interpretati. Non diſſimile eſt quod alicubi animadvertit Hotomann. ex Nonio & Plauto, de directis, crucifixis, quaſi ad diem erectis, de hominibus perditis & facinoroſis, quos ſic appellabant, vt Galli Pendars, ſuſpendioſos.

FOEMINÆ.

Fœmina nihil peſtilentius.

Nibil fœmina peſtilentius, hanc ſententiam eodem in libro ſic effert Homerus:

> Ὡς οὐκ αἰνότερον καὶ κύντερον ἄλλο γυναικός.
> Id eſt:
> Uſque adeò nihil improbius, muliereque pejus.

Frequenter apud antiquos poetas malè audit mulierum genus. Quæ quidem & hodiernis temporibus ſtrenuè dant operam, ne poetæ plane vaniloqui fuiſſe videantur.

Ignis, mare, mulier, tria mala.

Circumfertur apud Græcos & hic trimeter proverbialis:

> Πῦρ καὶ θάλασσα καὶ γυνὴ, κακὰ τρία.
> Id eſt:
> Ignis fretumque & mulier, hæc mala tria.

Nam incendio nihil formidabilius, mare item periculoſiſſimum eſt. Unde & Æſchylus in Perſis:

> Ἀμήχανον κῦμα θαλάσσης.
> Id eſt:
> Maris haud vincitur vnda.

His autem ſimilimum quiddam eſſe mulierem, ſenſit parœmia. Porrò mulierem omnem eſſe malam, per quam venuſte ſignificavit Lacon quidam, qui cum vxorem duxiſſet perpuſillam, dicebat: E malis, quod minimum eſſet, eligendum. Fatetur & apud Euripidem Medea, fœminarum genus eſſe malum:

> Ἀλλ' ἐσμὲν οἷον ἐσμὲν, οὐκ ἐρῶ κακὸν
> Γυναῖκες.———
> Id eſt:
> Sumus quidem quales ſumus nos fœminæ,
> Neque enim malæ auſim dicere.

Euripides apud Planudem in vita Æſopi, inter omnia mala principatum tribuit mulieri:

> Πολλαὶ μὲν ὀργαὶ αἱ μέγισται θαλασσίων,
> Πολλαὶ δὲ ποταμῶν, καὶ πυρὸς θερμοῦ πνοαί,
> Δεινὴ δὲ πενία, δεινὰ δ' ἄλλα μυρία,
> Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω δεινὸν, ὡς γυνὴ κακόν.
> Id eſt:
> Furore multo ſævit iratum mare,
> Pronique fluvii, & ignis acris impetus,
> Inopia acerba, acerba alia quam plurima!
> Sed nil ita acerbum & noxium, vt mulier mala.

Sublata lucerna nihil intereſt inter mulieres.

Λύχνου ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή, id eſt, Lucerna ſublata nihil diſcriminis inter mulieres. Sentit adagium nullam mulierem non eſſe impudicam, ſi detur facultas ſine teſte peccandi. Recenſet Apoſtolius, & vſurpatur à Plutarcho in Præceptis connubialibus.

Male coniugati.

In eum qui conjugio vinctus eſt cum ea, quam non amet viciſſim ex animo, quamvis ob voluptatem vxoriam ametur, non inſcite torquebitur illud ex eodem libro:

Ἀλλ' ἤτοι νύκτας μὲν ἰαύεσκεν καὶ ἀνάγκῃ,
Ἐν σπέεσι γλαφυροῖσι παρ' οὐκ ἐθέλων ἐθελούσῃ.
Ἤματα δ' ἐν πέτρῃσι καὶ ἠϊόνεσσι καθίζων,
Δάκρυσι καὶ στοναχῇσι καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἐρέχθων.

Id eſt:

Sed nolens licet ac vi, cum illa nocte cubabat
Nolens cum cupiente ſub antris conditus atris:
Verum perdius in ſcopulis ac littore ſedit,
Excrucians animum lachrymis, curis gemituque.

Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.

Γυναικὶ μὴ πίστευε μηδ' ἂν ἀποθάνῃ.

Id eſt:

Ne fidem habeas, nec emorienti fœminæ.

Hyperbole proverbialis. Uſque adeò non eſt fidendum mulieri, vt etiam ſi morientem videas, putes fingere. De noverca, quæ ſepulta quoq; privignum interemit: illapſa in pueri caput pyramide, meminimus alias. Repertur à Diogeniano.

Nec mulieri, nec gremio credendum.

Idem Feſtus indicat hujusmodi proverbium vulgò dictitatum fuiſſe. Nec mulieri, nec gremio credi oportere: quod illa incerti ac levis ſit animi, & plerumque fit, vt in gremio poſita cum in oblivionem venerint: exurgentibus procidant. Itidem ſinui commiſſa decidunt, niſi cingaris. Itaq; M. Tullius ſilentium promittens, ait: In ſinu eſt, nec diſcingor.

Mulierum exitia

Γυναικῶν ὄλεθροι, id eſt, Mulierum exitia. De his qui funditus ac miſerabiliter pereunt. Mulieres enim omnium ferè calamitatum autores fuiſſe viris, dicuntur. Teſtis Pandora Heſiodia, teſtis bellum Trojanum, teſtis Hercules à Deianira extinctus, teſtis Danaidum fabula, teſtis Lemniarum mulierum hiſtoria, teſtis Cleopatra, teſtis Eva, prorſus infamis apud omneis Chriſtianos. Quanquam hæc magis conveniebat ſtultitiæ virorum adſcribere, qui tantum indulgeant mulierculis, vt velut amentes amore, in quodvis malum ſequantur: cum par fuerit, vt illis moderantibus mulier natura ſtultior ſimul & imbecillior, minus deſiperet. Quod enim animus eſt corpori, id virum oportebat eſſe mulieri. Verum quemadmodum vulgus ſua vitia corpori imputat, cum ab animo proficiſcantur, & ſtulti principes inſaniſſimos bellorum tumultus imputant populo, quorum ipſi ſunt autores: ita viri rejiciunt in fœminas, ſi quid ipſi deliraverint.

Mulieris oculus.

Γυναικὸς ὀφθαλμὸς τοῖς ἀκμάζουσι βέλος.

Id eſt:

Mulieris oculus ſpiculum juvenibus eſt.

Et Virgilius:

—Uritque videndo
Fœmina.——

Idem.

Ut vidi, vt perii: vt me malus abſtulit error.

Illud alias recenſuimus, ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν, id eſt: Ex aſpectu naſcitur amor.

Mulier pudica ne ſola ſit uſquam.

Cum admonebimus non convenire, vt pudica mulier ſola, citraq; teſtes cum viris colloquatur, vſui fuerit illud Homericum frequens de Penelope:

Οὐκ οἴη ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολοι δύ' ἕποντο.

Id eſt:

Haud ſola, aſt illam famulæ binæ comitatæ.

Qui non litigat, cœlebs eſt.

Divus Hieronymus tanquam proverbio jactatum citat: Qui non litigat, cœlebs eſt. Indicat adagium, rixoſum eſſe omne conjugium, nec eſſe tranquillam vitam, niſi in cœlibatu. Juvenalis:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo,

Aſtipulantur huic ſententiæ verſus aliquot proverbiales.

Χειμὼν κατ' οἶκόν ἐστιν ἀνδράσιν γυνή.

Id eſt:

Mulier in ædibus atra tempeſtas viro. Item

Ζῆλος γυναικὸς πάντα πυρπολεῖ δόμον.

Id eſt:

Incendit omnem fœminæ zelus domum.

Item:

Οὐδὲν γυναικὸς χεῖρον οὐδὲ τῆς καλῆς.

Id eſt:

Muliere nil eſt pejus, atque etiam bona.

Sed Heſiodus, vt modeſtius, ita verius opinor,

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον,
Τῆς ἀγαθῆς, τῆς δ' αὖτε κακῆς οὐ ῥίγιον ἄλλο.

Id eſt:

Sors potior muliere proba, non obtigit vnquam
Ulla viro: contraque mala nil tetrius vſquam eſt.

Tanquam Chalcidica nobis peperit uxor.

Ὥσπερ χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνή, id eſt, Tanquam Chalcidice peperit nobis vxor. De ea dicebatur, quæ liberos quam plurimos peperiſſet. Tradunt heroinam quampiam fuiſſe, nomine Combeo, cui cognomen fuerit Chalcidi, quod prima arma ærea conſecerit. Ea viro cõjuncta centum liberos enixa dicitur: ſicuti proditum eſt in Euboicis annalibus, & atteſtatur Ariſtus Salaminius. Quidam ad Chalcidem Eubœæ civitatem referunt, quod è Chalcidenſium officinis ingens armorum æreorum & quadrigarũ vis proditet. Stephanus enim ab officinis ærariis vrbi nomen additum putat. Uſurpare licebit, vbi ſignificabimus, multum litium, bellorum, aut culatum alicunde natum.

Theſſala mulier.

Θετταλικὴ γυνή, id eſt, Theſſalica mulier. In veneficas, malarũq; peritas artium dici ſolitum, propterea quod ea gens præter cæteras hoc nomine notata eſt, id quod ex Apulejano aſino, pluribusq; ſcriptoribus aliis ſatis liquet. Unde Horatius in Odis:

Quæ ſaga, quis te ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit deus.

Plautus in Amphit. veneficum appellat Theſſalum. Et Strepſiades apud Ariſtoph. in Nub. conſulit Socratem, an adhibenda ſit Theſſala incantatrix, quę lunam cœlo detrahat, quod minus in Neomenia cogatur æs alienum reddere. Eam ſuperſtitionẽ in Theſſalos à Medea profectam exiſtimant: quæ cum illac fugeret, per aerem vecta ſcriniolum veneficiis ac magicis herbis plenũ dejecerit, eaque ſparſa ſuppululaſſe. Quin & Plin. lib. 30. cap. 1. docet, magiam ad Theſſalos vſque propagatam, diu ab ea gente cognomen obtinuiſſe: adeo vt Menander quoq; literarum ſubtilitatibus peritus, Theſſalam cognominarit fabulam, complexam ambages fœminarum detrahentium lunam.

Ὑποψωλιῶσα μῆν.

Ὑποψωλιῶσα μῆν, dicitur jam propinqua partui. Sumpta metaphora à ficis, poſt immiſſos pſenas matureſcentibus. Hoc quid ſit explicuimus in proverbio αἰγίλιπος. Deflecti poteſt ad ingenium, ad hoc aut illud vehementer propenſum.

COGNATI. *Sublata lucerna, nihil diſcriminis eſt inter mulieres.*

Λύχνου ἀρθέντος γυνὴ πᾶσα ἡ αὐτή. Omnes in tenebris æque formoſas eſſe, ſentire videtur adagium. Idem ſupr. retulit Eraſm. Chiliad 3. Cent. prov. 77. ſed aliò torquet.

Nec mulieri, nec gremio credendum.

Nec mulieri, nec gremio credi oportere, proverbium eſt: quod & illa incerti & levis animi eſt, & plerumq; in gremio poſita, cum in oblivionem venerint exurgentium, decidunt. Feſtus. Eraſmus noſter in Lingua ſua: Graves, inquit, pœnas dedit Fulvius neglecti proverbii, quod monet nec ſinui, nec mulieri credendum eſſe, celebriſq; ſententiæ, Quod tacitum velis, nemini dixeris. Atq; adeo ſi proverbiis credimus, mulieri ne mortuæ quidem fidendum eſt. Utinam autem à mulieribus tantum eſſet periculum. Nuſquã non eſt tempeſtivum illud Epicharmi: νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, tametſi fœmininum genus magis laborat hujus mali infamia. (Vide num huc referas illud è Chiliad. Mulieri ne credas, ne mortuæ quidem.)

Femina aut minus quam canem, aut plus quam ſenionem iacit.

Proverbium eſt apud Italos admodum frequens, Julius Cæſar Scaliger in Idea ſua, capite 14. Omninò autem nihil mediocrè in hoc ſexu. Semper enim, vt eſt in noſtro proverbio, aut minus quam canem aut plus quam ſenionem jacit. Alludunt autem Itali ad aſtragalorum ludum, qui vt facilius intelligatur quid de eo exploratum habeam, hic lubet aſcribere. Aſtragali ſeu cubi, dicũtur τὰ ἐστιγμένα ὀστᾶ, id eſt, punctis diſtincta oſſa, quibus vtũtur οἱ ταβλίζοντες, id eſt, tabliſſantes (vt eſt apud Diomedem duobus locis) qualia ſunt quæ teſſeræ & tali appellantur: inter quæ hoc apud veteres fuit diſcriminis, quod teſſera lateribus conſtabat ſex, talus autem quatuor: quodque teſſeris inter ludendum vtebantur tribus, talis verò quatuor. Quod videtur animadvertiſſe in Divinatione Cicero, & in Senectute, cum ſic Catonem loquentem facit: Nobis ſenibus ex multis luſionibus talos relinquant & teſſeras. Et Martial lib. 14.

Non mea magnanimo depugnat teſſera talo:
Senio nec noſtrum cum cane caſſat ebur.

Item:

Non ſum talorum numero par teſſera: cum ſit
Major quam talis alea ſæpe mihi.

In teſ-

In teſſeris numeri certi deſcripti erant, ut 1.2.3.4.5.6. In talis autem figuræ numeri vicem habebant, unitatem enim canis (quam caniculam vocat Perſius) ſignificabat: quod ſignum infelix erat & damnoſum, quia damnum afferebat Propertius:

Semper damnoſi ſubſiluere canes.

Et Ovidius ſecundo de Arte amandi:

Seu jacies talos victum ne pœna ſequatur,
Damnoſi facito ſtent tibi ſæpe canes.

Steſichori vero ſignũ, quia (ut ait Pollux) illius poetæ ſepulchrum, quod erat in Hymera urbe Siciliæ, 8. angulorum fuit, 8. repræſentabat. Euripidis poetæ ſpecies, quia poſt ejectos Athenis 30. tyrãnos, unus ex 40. præfectis fuiſſe putaretur, 40. Fuit & Midæ ſignũ fortunatiſſimum. Ex quatuor autem talis, diverſas ſpecies referentibus, Venus exurgebat. Sic Suetonius in Auguſto: Talis jactatis ut quiſq; canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos, ſingulos denarios conferebat in medium, quos tollebat univerſos, qui Venerem jecerat. Fuit autem Senio, punctus in talis, qui à Græcis ἑξίτης dicitur, ab Ariſtotele κῷος li. 2 De cœlo: qui dexter appellabitur, quia lucrum afferebat. Latus tali eſt ſex puncta continens, & à ſenario numero dici videtur Perſ. ſat. 1.

Iure etenim id ſummum quid dexter ſenio ferret,
Scire erat in voto. ———

Canis unum duntaxat punctum continebat. Lucianus in Saturnalibus: Niſi forte tibi parum eſſe videtur, ut in teſſerarũ ludo vincas, cum quæ cæteris alea in unionem voluatur, tibi ſenionẽ ſemper in ſummo latere oſtendat. Nam hic ſibi plerique victum parant vel ad ſaturitatem uſque, quibus propitia ac ſecunda aſpirarit teſſera. Rurſum alii nudi enatarunt, nave eliſa, fracta ad tam minutum ſcopulum, puta aleam. Vide Cælium Rhodig. libro viceſimo capite 27. & Gellium lib. 1. cap. 20.

Mulier Satanæ opus.

Ex Severianorum & Archonticorum hæreſi iſtud fluxit adagium in varias nationes. Docebant autem iſti, mulierem eſſe opus ſatanæ: & matrimonium contrahentes, ſatanæ opus explere dicebant. Velut etiam hoc ubique fere dicitur. Galli autem mulieris corpus, Dei formationem eſſe dicunt: caput vero malæ poteſtatis & diaboli. Hinc quidam definiunt mulierem, ac dicunt inverſum eſſe Michaelem, cujus ſimulachrum pedibus diabolum calcat. Hinc Afranius in auctione, referente Nonio:

Haud facul (ut ait Pacuvius) fœmina invenietur bona.

Muliebre eſt furere.

Nihil fœminæ iracundia efferatius. Ait enim Iuvenalis:
——Sic collige quod vindicta.
Nemo magis gaudet quam fœmina.———

Vbi vires ad nocendum deficiunt, tunc cæca rabies, & ſui impotens, furit ac fremit. Nam ſi ſecundum Horatium,

Ira furor brevis eſt ---

quid [illegible] aliud ira obſtinata, quam plane furor? Ideo dicit Seneca lib. 1. De clementia, cap 5. [illegible]uliebre eſt, furere in ira.

Mulieres.

Hoc convicio irati dimittebant à ſe mulieres, ſicut & hodie quoque ſolent facere in communi ſermone. Plautus Caſina: Inſipiens ſemper tu huic verbo vitato abs tuo viro? Cl. Cui verbo? Mu. I, foras, mulier es. In Pœnulo: Tacitus tibi reſiſtã, quam quod dictum eſt malæ mulieri. Terent. O pergin' mulier eſſe? Rixanti enim & garrienti dicunt: Mulier es. Itaque garrientem mulierem malam vocat Plautus, quia videtur fuiſſe quoque proverbium: Mulier, cum tacet bona eſt, Idem in Rudente: Eo taceant, quia tacita bona eſt mulier ſemper, quam loquens. ex illo:

Γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.

Mulieri non temere credendum.

Idem. Monet Agamemnon Vlyſſem, ne mulieri fidem habeat, neve omnem animi ſui ſententiam eloquatur:

-- Notumque, furens quid fœmina poſſit,

Deiphobus ab uxore proditum ſe fuiſſe dixit? Quis igitur non videat ante omnia, cui proclivius faciliusque credatur Vnde alibi. Non quibuslibet temere credendum: & poſt, Credendum eſt veteribus. vide item in Sylloge. Nec mulieri.

Siccius cornu.

Author luſus in Priapum, comparat tenuiſſimam puellam cornu: quod quia totum hujus eſt poema ſententiæ, ponam:

[illegible] vis aridior puella paſſis.
Buxo pallidior, novaque cera,
Collatas ſibi quæ ſuisque membris,
Formicas facit altiles videri:
Cujus viſcera non aperta Thuſcus
Per pellem poterit videre haruſpex:
Quæ ſucco caret, ut putriſque pumex,
Nemo viderit hanc, ut expuentem.
Quam pro ſanguine pulverem, ſcobemque
In venis medici putant habere:
Ad me nocte ſolet venire, & adfert
Pallorem maciemque larvalem:
Ductor ferreus inſularis, æque
Laternæ videor fricare cornu.

Catullus ad Furium:

Aut qui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis,
Sole & frigore, & eſuritione.

Bonæ ſemper laudantur.

Catullus ad Aufilenam:

——Bonæ ſemper
Laudantur, fœminarum laus Bonæ.———

Pudica & proba, Pudica & formoſa: poſt.

Pudica & formoſa.

Fœminarum laus vel maxima, Catul. in quandam: Pudica & proba. Afran. epiſtola commiſſa:

Nam proba & pudica quod ſum, conſulo, & parco mihi,
Quoniam comparatum eſt, uno ut ſimus contentæ viro.

Et Horatius in 5. Carminum.

--- Tu pudica tu proba,

& Pompon. Mela in 2. Probat. Formoſæque in precio ſunt. Catul. ad Aufilenam:

--- Bonæ ſemper laudantur.
Ad eandem:
-- Viro contentam vivere ſolo,
Nuptarum laus eſt laudibus eximiis.

FOCVS.

ERASMI. *Focus luculentus in ædibus.*

Primum domus ornamentum eſt, ut luceat focus: proinde qui in ædes immigrant novas, aut in diverſorium ingrediuntur, ante omnia jubent ignem incendi. Quod ex Homero ſumptum videtur, apud quem Vlyſſes:

Πῦρ νῦν μοι πρώτιστον ἐνὶ μεγάροισι γενέσθω.

Id eſt:

[illegible]unc ante omnia mi luceſcat in ædibus ignis.

Item illud celebratum.

Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

Id eſt:

Scilicet accenſo domus eſt ornatior igni.

Quo quidem verſiculo videtur impendio delectatus Plutarchus: adeo ſubinde uſurpat, & in varios detorquet uſus in commẽtario De virtute & vitio, refert ad opes, potentiam, quæ tum fiunt jucundiora, ſi adſit animus a moleſtia. Rurſum in libello quem Amatorium inſcripſit, detorquet ad amantis animum longe ſplendidiorem, ſi calor amoris eum inflammarit.

FORMA ET DEFORMITAS.

ERASMI. *Ominabitur aliquis te conſpecto.*

Σὲ δ' οἰωνίσαιτ' ἄν τις ἰδών, id eſt, Qui te conſpexerit, auguriũ poterit capere. Dici conſuevit in deformes, fœdoque aſpectu. Veteres ex primo hominis occurſu ſumebãt omen. Occurrere formoſo, felix omen habebatur: occurrere deformi nigroq; contra. Romanus quidam imperator, Hadrianus opinor, ut erat omnium ſuperſtitionum obſervantiſſimus, ex Mauri cujusdam ſcurræ occurſu, mortem ominatus eſt. Ille juſſus abire, dictum addidit ominoſius, Totũ viciſti, totum feciſti, nunc deus eſto. Nam imperatores defuncti, ſolennibus quibusdam ceremoniis referebantur in numerum deorum.

Iuvenalis:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

A furiis ortundus.

Ἐριννύων ἐκ ῥίζ. id eſt, à furiis profectus Olim dicebatur terra fœdaque ſpecie, quiq; κακοὺς ἀλίτην, quemadmodum ait Ariſtophanes. Item quod noxium & exitiale ſit, id à furiis ortum aiunt, quemadmodum Ajax in tragœdia:

Ἆρ' οὐκ Ἐριννὺς τοῦτ' ἐχάλκευσε ξίφος.

Id eſt:

Annon mucronem hunc furia cudit tartari?

Leporem non edit.

Antiquitus ſuperſtitioſe creditum eſt, eſu leporinæ pulpæ conciliari formam. Vnde extat jocus Martialis in Gelliam lib. 5. quæ miſſo lepore addebat ex vulgata opinione ad muneris commendationem:

Formoſus ſeptem Marce diebus eris.

Id poeta in ipſam torquens, quæ deformis eſſet:

Si me non fallis, inquit, ſi verum lux mea dicis.
Ediſti nunquam Gellia tu leporem.

Plinius libro 28. cap. 9. ſcribit leporem in cibis ſumptum gratiam corporis in ſeptem dies conſervare Lampridius ſcribit poetam quendam in Alexandrum Severum, quod quotidie veſceretur leporina, ita luſiſſe.

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum regem:
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit & lepus comeſus,

Ex quo continuum capit leporem.

Primum carmen vitiatum eſt. Hos verſus quum quidam ex amicis ad Alexandrum detuliſſet, reſpondiſſe fertur in hanc ſententiã ſatis Chriſtiane (nam hoc illi ab inimicis objectũ eſt, quod Moiſen & Chriſtum quendam haberet in larario:)

Pulchrum quod putas eſſe veſtrum regem.
Vulgari miſerande de fabella.
Si verum putas eſſe, non iraſcor.
Tantum tu comedas velim lepuſclos:
Vt fias animi malis repulſis
Pulcher, ne invideas livore mentis.

Si vides lector parum obſervatas metri leges, memineris Imperatorem ſcripſiſſe: cujus eſt præſcribere leges, nõ parere. Eſt autẽ & piſcis lepus appellatus, qui venenũ habet immedicabile, ſi quis imprudens ederit. In Indico mari etiam contactu necat hominem, autore Plinio: lenta tabe conſumit. Malum hac deprehenditur nota, quod piſcem olent, qui ederint. Huic homo viciſſim peſtilens eſt, cujus contactu protinus emoritur. Hoc cibis admixto, multos ſuſtulit Domitianus: eodem Titum fratrem ſuſtuliſſe creditur, ut autor eſt Philoſtratus in Apollonii vita. Proinde in hos qui contabeſcunt, nec ulla medicorum ope poſſunt reſtitui, dici poterit: Edit leporem marinum.

Myconius calvus.

Μυκώνιος φαλακρὸς, id eſt, Myconius calvus. Strabo libr. Geographiæ x. refert vulgo Myconios calvos dici ſolitos, quod in ea inſula vitium hoc quaſi gentilitium ſit, atq; omnibus ferme commune. Idem affirmat Plinius lib. 11. 37. Meminit & Stephanus. Eſt autem Myconius, una Cycladum inſularum. Quanquam Herodotus in quarto ſcribit, in Scythia quoque gentem eſſe ab ipſo natali calvam. Admonet & Donatus grammaticus, Hecyram interpretans Terentianam, proverbio dictum, Calvus Myconius, citatque Lucilii teſtimonium: Myconi omnis calva juventus. Tuetur autem Terentium, qui nonnullis hoc loco imperitiæ nomine reprehenderetur, quod cum Apollodorus calvum dixerit, ipſe criſpum mutaverit: putatque poetam non inſcitia, ſed facetius etiam per ironiã dixiſſe criſpum, quam ſi calvum dixiſſet. Quod quidem etiam ipſum proverbium recipit de raris inventu: veluti ſi quis Scytham dicat eruditum, Italum bellacem, negotiatorem integrum, militem pium, aut Pœnum fidum. Erit autem elegantius adagium, ſi calvos homines, raroque capillitio, ſimpliciter Myconios appellemus: perinde ut ſi quis faſtuoſum Sybaritam nominet, aut gerrulatorem Phœnicem. Notati ſunt olim & alio nomine Myconii, quod ob tenuitatem alienas cœnas captarint: proinde qui invocati ad convivium venirent, Myconii more venire dicebantur. Invehitur enim in Periclem Archilochus apud Athenæum in primi libri fragmentis, ὡς ἄκλητος ἐπεισπαίσας εἰς τὰ συμπόσια Μυκονίων δίκην. velut qui invocatus ingereret ſe ad convivia Myconiorum more.

Piſtillo calvior.

Ὑπέρου φαλακρότερος, id eſt, Piſtillo calvior. Proverbialis item hyperbole, de magnopere glabris. Nã ima piſtilli pars, calvi cranium referre videtur. Transferri poteſt ad inſigniter egenos, aut ſimplices, ac diſſimulandi ignaros.

Multam ſylvam geſtas.

Λόχμην πολλὴν φορεῖς, id eſt, Sylvam multam portas. Dictum in Phormionem militem quẽdam hirſutum, denſaque pilorum obſitum ſylva, cujus & alibi facta mentio. Quadrabit in agreſtem & ſtupidum, cujusmodi fermè ſunt milites. Refertur à Suida.

Pronomi barba.

Προνόμου πώγων, id eſt, Pronomi barba: de prælonga dicebatur. Ariſtophanes in Concionatricibus:

Ἀργύρριος γοῦν τὸν Προνόμου πώγων' ἔχων
Λέληθε.

Id eſt:

Hucuſque latuit ergo Pronomi Argyrrhium
Geſtare barbam.--

Pronomus tibicen quiſpiam fuit prolixa barba, geſtamine nõ admodum apposito profeſſioni, quandoquidem tibicinum mollitiẽ etiam proverbia notant. Argyrrhius exercitus dux quiſpiam fuit effœminatus & cinædus, nihil habens viri præter barbam. Taxatur eodem in loco Epicratis oratoris cujusdam barba, cui ob id ipſum vulgari joco cognomen inditum σακεσφόρος, teſte ſenario, quem Ariſtophanis interpres citat ex Platone comico:

Ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε.

Id eſt:

Rex barbæ Epicrates ſcutifer.

Barbam ob ſimilitudinem ſcutum vocat, ut & alibi: ἄπαντας ὑμᾶς ... τοὺς πώγωνας ἔχοντας. Ariſtophan: in eundem:

Καί μοι γ' ὑπήνη ἐστὶ τῆς Ἐπικράτους καλλίων.

Id eſt:

Mihi barba multo pulchrior atque Epicratis.

Conveniet igitur in quosdam, qui alioquin molliſſimi, vultus veſtiumque ſeveritate, vitæ continentiam præferunt. Eſt frequens locus apud Lucianum in barbam philoſophorum. itidem apud Horatium:

——Iuſſit ſapientem paſcere barbam.

Martialis item in hujusmodi quendam jocatur.

Naviges Trœzenem.

Πλεύσειας Τροιζῆνα, id eſt, Naviges Trœzenem. Euſtathius enarrans ſecundum Homericæ Iliados librum, ait dici ſolitum in eos, qui cum mento imberbi eſſent, tamen appoſititiis pilis barbam virilem mentirentur. Addit inde natum, quod Trœzenis portus quiſpiam vulgo celebratus ſit, nomine Barba. Eſt autem alter Trœzen in Maſſilia.

Perdicis crura.

Πέρδικος σκέλος, id eſt, Perdicis tibia. Perdix caupo quiſpiam erat claudus, ab Ariſtophane locis aliquot notatus: unde & in proverbium abiit. Cujus mentionem fecit Ariſtophanes grammaticus in proverbiis orationis ſolutæ. Dicebatur in crura gracilia diſtortaque. Refertur à Suida, Περδικόπους, id eſt, Perdicipes. In loripedes quadrat. Citatur hoc carmen apud Athenæum in primi libri fragmentis:

Ἔγχει πιεῖν μοι καὶ τὸ πέρδικος σκέλος.
Ἀμίδα δότω τις, ἢ πλακοῦντά τις δότω.

Id eſt:

Infunde bibere & crura Perdicis mihi.
Matulam det aliquis, aut placentam porrigat.

Verum haud videtur hoc ad proverbium admodum facere.

Callipygos.

Καλλίπυγοι dicebantur eleganti forma præditæ. Athenæus libr. 12. ad hujusmodi fabulam refert originẽ proverbii. Duæ ſorores ruſtici cujusdã filiæ, de formæ præſtantia inter ſe decertabant in via publica. Acceſſit adoleſcens, qui formas admiratus, patri ſeni oſtendit. Is majorem præferens, ejus amore captus eſt. Profectus in urbem, lecto cœpit decumbere. Morbi cauſam expoſuit fratri, natu minori. Is rus profectus, conſpectis puellis, minoris amore correptus eſt. Pater virginum collocat eas hujus filiis, quas cives ob inſignem formam appellarunt καλλιπύγους. Harum opib. extructum eſt Veneri templum, quam & ipſam a puellis dixere καλλίπυγον. De quibus Cercidas Scazontem citat:

Ἦν καλλιπύγων ζεῦγος ἐν Συρακούσαις.

Id eſt:

Par callipygon quondam erat Syracuſis.

Eosdem appellant πυγάργους, alibi diximus, in proverbio λευκόπυγοι.

Quod pulchrum, idem amicum.

Τὸ καλὸν φίλον, id eſt, Quod pulchrum, amicum. Inter proverbia conciliantium amicitiam, refertur & hoc apud Platonem in Lyſide: κινδυνεύει κατὰ τὴν ἀρχαίαν παροιμίαν, τὸ καλὸν φίλον εἶναι, i. e. Ac propemodum apparet juxta vetus proverbium, quod pulchrũ eſt amicum eſſe. Qui commodi gratia amat, non amat vere: ſed quod pulchrum eſt, per ſe amatur. Unde Ariſtoteles, percontanti qui fieret ut libẽtius colloqueremur cum formoſis quam cum deformibus, reſpondit, eam percontatione eſſe cæcorum. Nihil autem virtute pulchrius: eoque nec amabilius quicquam.

Ex ovo prodiit.

Ἐξ ὠοῦ ἐξελήλυθε, id eſt: Ex ovo emerſit. Ajunt dici ſolitum de magnopere formoſis ac nitidis, quaſi neges communi hominum more natos, ſed ex ovo more Caſtoris & Pollucis. Siquidem eſt in poetarum fabulis, Ledam Tyndari filiam, ex Iovis concubitu duo peperiſſe ova: è quorũ altero prodiere gemini, Caſtor & Pollux, inſigni forma juvenes, ex altero nata eſt Helena, cujus forma literis omnium eſt nobilitata.

Pulchrorum etiam autumnus pulcher eſt.

Τῶν καλῶν καὶ τὸ μετόπωρον καλόν, id eſt, Pulchrorũ etiam autumnus pulcher. Metaphora proverbialis, nata ex Archelai apophthegmate, quod ab eo dictum Plutarchus refert in Euripidem, qui jam pubeſcentem atque exoletum Agathonem in convivio ſuaviabatur. Non abludit ab illo Homerico, quod alio reddemus loco, ἐκ τῆς καλάμης γινώσκειν, id eſt, è culmo cognoſcere. Vernis enim menſibus nihil non tenerum ac nitidum, cum omnia adhuc in flore aut in herba ſunt. Cæterum autumni tempore, poſteaquam jam in culmos aut caulem excreverunt, horridiora videntur. Quadrat igitur in ea, quæ cũ natura ſint egregia, ne tum quidem faſtidienda videntur, cum maturuerunt. Alioqui nihil ferè tam fœdum, quod non aliquando niteat ætate. Dicetur non ineleganter & in hos qui belle portant ætatem.

Simia in purpura.

Πίθηκος ἐν πορφύρᾳ, id eſt, Simia purpurata. In varios uſus poteſt adhiberi parœmia: nempe vel in hos, qui tametſi magnifico cultu ſint ornati, tamen cujusmodi ſint, ex ipſo vultu moribusque cognoſcitur: vel in hos, quibus dignitas indecora additur, vel quoties rei per ſe fœdæ, aſcititia peregrinaq; ornamenta indecenter admoventur. Quid enim tam ridiculum, quam ſimia veſtita purpurea veſte? Atque id tamen non raro fieri videmus apud iſtos, qui ſimias habent in deliciis, ut quam maxime poſſunt, ad humanum morem ornent ac veſtiant, aliquoties & purpura, quo parum attentos, aut imperitos, fallant, proque homine ſalutetur ſimia,

ſimia, aut ſi deprehenſus fuerit fucus, res magis ſit ridicula. Quam multos id genus ſimios videre eſt in Principũ aulis: quibus ſi purpuram, ſi torquem, ſi gemmas detrahas, meros cerdones deprehendes. Lepidius erit ſi longius traſferatur: velut in eos qui barba pallioque ſimulant ſanctimoniam. Tales Auguſtinus alibi non ineleganter amiculo philoſophos appellat. Et Ammianus libr. 14. Antigonum quendam amictu tenus philoſophum appellat. De Barbæ tenus ſapientibus, antea nobis dictum eſt.

Simia ſimia eſt, etiamſi aurea geſtet inſignia.

Πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεια ἔχῃ σύμβολα, id eſt, Simia ſimia fuerit etiam ſi aurea geſtet inſignia. Superiori reſpondet admonens fortunæ ornamenta nõ mutare hominis ingenium. Citatur adagium à Luciano in oratione contra ineruditum. Natum videtur à ſimiis illis Ægyptiis, ſaltationem humanam imitantibus. Lucianus refert apologum in hunc modum. Rex quidam Ægyptius ſimias aliquot inſtituit, ut ſaltandi rationem perdiſcerent. Vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit, ita nec aliud actus humanos aut melius aut libentius imitatur. Artem itaque ſaltãdi protinus edoctæ ſaltare cœperunt, inſignibus indutæ purpureis, ac perſonatæ. Multoq; iam tempore majorem in modum placebat ſpectaculum, donec è ſpectatoribus facetus quiſpiã, nuces, quas clanculum in ſinu geſtabat, in medium abjecit. Ibi ſimiæ ſimulatque nuces vidiſſent, oblitæ choreæ, id eſſe cœperunt, quod ante fuerant, ac repente è ſaltatricibus in ſimias redierunt. Contritiſque perſonis, dilaceratis veſtibus, pro nucibus inter ſe depugnabant, non ſine maximo ſpectatorum riſu. Narratur apologus nõ abſimilis de fele, quam Venus belle adornatam in pediſſe quarum ordinem aſciverat, ac ſatis apte ὑμεναιοῖς, donec mure è cavo quopiam in medium procurrente, declaravit ſeſe nihil aliud eſſe quam felem.

Therſitæ facies.

Θερσίτειον βλέμμα, id eſt, Therſitica facies. De prodigioſe deformi dici ſolitum, quod Homerus ſcripſerit hunc omnium qui ad Trojam veniſſent, fœdiſſimum fuiſſe. Ac totum hominem à capite, quod ajunt, uſque ad pedes ita graphice depingit, & corporis vitia & animi morbos, ut dicas peſſimum ingenium in domicilio ſe digno habitaſſe. Locus apud Homer. eſt Iliad. lib. 2. notior quã ut hic referat adducere. Venuſtius erit ſi ad animum transferatur: velut ſi de formoſo, ſed moribus improbo dicas: Si corpus aſpicias Niveus eſt: ſi animum, plusquam Θερσίτειον βλέμμα reperies. Adagii mentionem fecit Suidas.

Corytheo deformior.

Κορυθέου αἰσχίων, id eſt, Corytheo deformior. Ajunt Corytheum quempiam fuiſſe hominem inſigniter ſtultum ac vecordem, ad hoc forma infeliciſſima fœdiſſimaq;, cui liberi item fuerint omnes patrem referẽtes: unde vulgaris dictus eſt jocus, in hominem bardum, ac perinde deformem. Refertur adagium à Zenodoto.

Simiarum pulcherrima deformis eſt.

Τῶν πιθήκων ὁ καλλιστὸς αἰσχρός, id eſt, Simiarum pulcherrima deformis. Recte dicetur de his, quæ ipſo genere ſunt vitioſa, neq; protſus conferenda cum vel extremis eorum quæ ſunt in honeſtiorum ordine: veluti ſi quis dicat lenonẽ integerrimum eſſe perjurum, aut honeſtiſſimum hiſtrionem infamem, aut optimum Mævii carmen malum eſſe. Citatur à Platone, & ad Heraclitum autorem refertur.

Μονόγραμμοι.

Olim homines macie prætenues, veſculi, ac decolores, proverbiali joco μονογράμμους vocabantur. Lucilius: Vix vivo homini ac monogrammo. Rurſum idem alibi: Quæ pictas monogrammi: Nonius Marcellus ductum autumat à pictura, quæ prius quã coloribus corporatur, vmbra fingitur. Non perperam quidem Marcellus: venuſtius tamen erit adagium, ſi ad veterũ picturam reſpiciamus: quę primitus omnium conſenſu, ab umbra hominis, lineis circum ducta cepit initium, quod vocãt Delineare. Deinde ſingulis coloribus pingi cœptum eſt, eaſq; picturas μονοχρώματα appellabant. Mox ars diſtinxit ſeſe, & invenit lumen atque umbras, ut quædã eminere, quædam abdi premique viderentur, differentia colorum. Deinde adjectus eſt ſplendor, quem alium in lumine voluere eſſe, medium tamen inter lumen & umbram: proinde eundẽ Tonon vocant: Nam commiſſuram ac tranſitum colorum, ἁρμογὴν appellant. Hujuſmodi ferme Plinius libro 35. cap. 5. Cõvenier igitur in hominem deformem, nullo aut eodem vultus colore, cujuſmodi priſcorum erant imagines. M. Tullius libro De natura deorum 2. Non enim venis & nervis & oſſibus continentur: nec eſcis, nec potionibus veſcuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant. Nec his corporibus ſunt ut aut caſus, aut ictus extimeſcant, aut morbos metuent, ex defatigatione membrorum. Quę verens Epicurus, monogrammos deos, & nihil agentes commẽtus eſt. Illi autem pulcherrima forma præditi, pariſſimaque in regione cœli collocati, ita feruntur, moderanturq; ſurſus, vt ad omnia conſervanda & tuenda conſenſiſſe videantur. Monogrammos appellat Cicero informes, nullaque ſpecie.

IVNII. *Scapha lignea.*

Σκαφοξύλη, quaſi ligneam ſcapham dicas, proverbiali ſcommate dicitur fœmina, in qua nec renidet forma, nec corporis menſuratum filum aut proportio reſpondet, ſtupida vt lignum, inconcinna vt cymba. Annotatum à me fuit de hac voce etiam olim in Lexico, per me multis dictionum chiliadibus locupletato, ex Euſtathio.

COGNATI. *Coma venuſtate vel ipſum Abſolona vincentes.*

Abſolon Davidis illius beati filius, mortales omnes comæ decore ſuperaſſe creditus eſt: vnde proverbiale illud in Zezi Iſacei ominigena hiſtoria, καὶ τοὺς Ἀβεσσαλὼμ αὐτὸν ταῖς τρίχωσι νικῶντας. id eſt, Comæ venuſtate vel ipſum Abſalona vincentes. Achilleas etiam comas vt prolixas deoſaſq; celebrat Martialis, de Menogene paraſito loquens, qui dum palpatur, pro exigui incrementi & raris capillis ajebat ſe Achilleas diſpoſuiſſe comas: quod minime ambigue extat apud Philoſtratum Heroicis, de Achille ſic ſcribentẽ, τὴν μὲν ἐς κόμην ἀμφιλαφῆ αὐτῷ φησὶν εἶναι, καὶ χρυσῷ ἡδίω, καὶ εὐσχήμονα, ὅπῃ καὶ ὅπως αὐτὴν κινοίη ὁ ἄνεμος, ἢ αὐτός. hoc eſt: Comam illi attribuit ſpiſſam & utraque manu prehenſibilem, auro venuſtiorẽ gratioremque, quocunque aut utcunque agitaretur vel à vento vel ab ipſo. Idem rurſus alio loco, ſparſam & prolixam cæſariem illi jam dum juveni addit: ἐπισκιάζουσαν τι καὶ ὄν μεγαλοῦ φρόνημα, velut umbraculum quoddam frontis, & magni animi, quo ferocia magis, incitamentum.

Ἀλφεσίβοιαι.

Ita vocabant omnes elegantioris formæ puellas, quæ propter pulchritudinem reperirent procos, qui ipſis magnam dotem & boves dotis nomine darent. Eo enim pecore ſolitos vti antiquiſſimos in æſtimandis rebus, nondum introducto nummorum vſu, indicant authores. V xores enim, à viris no(vt nunc) viros ab uxoribus dotem accipere moris erat. Fuit autem Ἀλφεσίβοια Phlegei fluminis, quam Alcmæon donato illo monili, quod Eriphylæ matri detraxerat, in uxorem duxit. Hinc illud epitheton elegantioris formæ puellis.

Forma regia.

In eadem comœdia, formã regia corporis, eſt dignitas egregia & ſuperans atque auguſta, qualis regem decet. Nam verſus ille notiſſimus eſt:

Πρώτω μὲν εἶδος ἄξιος τυραννίδος.

Sic Priamus Agamemnonem miratus, ejuſque corporis majeſtatem & dignitatem, & ſi quis eſſet mortalis neſciebat, tamen regi ſimilem dixit, ſcribit enim Homerus:

——Βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν.

Καλλίσφυρος.

Inter laudes mulierum καλλίσφυρος, & καλλίσφυρος, ſicut contra inter vitia Compernis, & Valga, & Varia, extritis talis. Lucilius lib. 17.

Num cenſes καλλιπλόκαμος, καλλίσφυρον illam,
Non licitum eſſe uterum, æque etiam inguina tangere mammis.
Compernem, aut varam fuiſſe Amphitruonis ἄκοιτιν,
Alcmenam, atque alias, Helenam ipſe denique nolo
Dicere. Tute vide, atque diſſyllabon elige quodvis.
Τὴν εὐπατέρειαν aliquam rem inſignem habuiſſe,
Verrucam, nævum pictum, dentem eminulum unum.

Quæ erant extritis talis: λακκοπόδας ab Athenienſibus dicebantur. Quanquam nonnulli dicunt, λακκοπρώκτους eos eſſe, qui διεστηκότας habebant πόδας, vt ii ſint, quos Falcones à veteribus vocatos eſſe teſtatur Feſtus. Scauripedæ eædem crura, quæ extritis talis, id eſt, non καλλίσφυροι, neque ὀρθοί. Scauri quoque erant homines pravis fulti male talis, ut verbis Horat. vtar, Ariditatem in corporibus mulierum notat etiam Plautus in Curculione:

Tibi qui ſcreanti, ſiccæ, ſemiſomnæ adſert potionem.

Erit Priapeiis:

Quæ ſucco caret, vt putriſque pumex,
Nemo viderit hanc vt excreantem:
Quam pro ſanguine pulverem, ſcobemque
In venis medici putant habere.

Apud Varronem lib. 6. De ling. Lat. Ab exereando ſcreantia ſiccam ſignificat, quæ tuſſiendo & excreando exhauſta ſit. Vnde ille in Milite Plauti, vult ſcortum ſiccum, ſuccidũ: ſiccum, non tamen ſucco carens, exhauſtum, ideo ſuccidum, ut Terentius ſucciplenum. Itaque ſiccam, minime ſputatricem. Vnde apud Iuvenalem repudiatæ mulieri inter alias cauſas repudii hæc præcipua velut fontica aſſignatur, quod nimium emungeretur:

Iam gravis es nobis, nimiumque emungeris.———

Quas cauſas repudiata quædam apud Afranium à ſe rejicit, cum ait:

Vigilans, ac ſolers, ſicca, ſana, ſobria,
Virosa non ſum: & ſi ſum, non deſunt mihi
Qui vltro dent: ætas integra eſt, formæ ſatis.

Sunt enim ex Repudiata Afranii.

Incoctæ mulieres.

Incoctæ dicebantur mulieres, quæ ſtringebant cutem & ru-

gas in facie extendebant. Itaque ad id fiebat τὸ πιλόθριον, ut vocat Dioſcorides, quod Latine Tentipellium Titinnius:

— Tentipellium
Inducis: rugæ in ore extenduntur tuæ.

Et pſilothro, pumice & volſellis crebro utebãtur ad cilia caſtiganda, & cæteros pilos evellendos, calamiſtrorumque nimio uſu pellem adurebant. Propterea incoctæ dicebantur.

Speciosiſsima ſimiarum deformis eſt.

Simiarum ſpecioſiſſima deformis eſt, cum alio genere animalium comparata, etiamſi aurea geſtet inſignia. Eraſmus noſter utrumque refert adagium, in forma & deformitate. Pulchrum enim ornatum turpes mores pejus cœno collinunt: ut Plautus inquit in Pſeudolo.

Splendophori.

Splendophori apud Martialem pro formoſis ſumuntur, & Teleſphori. Halmyotes verò pro deformi.

Bellus.

Bellum hominem dicebant elegantem, venuſtum, dicacem atque urbanum. Catullus ad Iuventium puerum:

Homo bellus, inquies, eſt.

Sic Cic. in 7. epiſt. ad Trebatium: Homo bellus eſt, & in 1 ad Attic. Durius accipere hoc mihi viſus eſt quam vellem, & quam homines belli ſolent. Catul. ad Varrum:

Hæc cum legit, tum bellus ille, & urbanus.

Idem de Gallo:

Gallus homo eſt bellus.

Id eſt, lepidus.

Ligneus, Iunceus.

Catullus ad Furium:

Et cum conjuge lignea parentis.

Lucret. in 4.

- Nervoſa & lignea Dorcas.

Terent. puella curatura junceas reddi, dixit, id eſt, tenues. Latini ſic & Græci. Apud Athenæum Alexis: ἀκροξύλινοί, τὰ δ᾽ ἄλλα σύμπαντ᾽ ἀνδριάντες. Græci eodem modo graciles & macilentos καταξύλους vocant: à ligno ſcilicet, ad quod certæ imagines finguntur.

Roſea.

Idem ibidem:

Quid dicam Gelli, quare roſea iſta labella
Hyberna fiant candidiora nive?

Vultu pulchro magis quam venuſto.

Suetonius in Nerone Claudio, pulchrum à venuſto ſecernens: Vultu, inquit, pulchro magis quam venuſto. Catull ad Quinctiam & Lesbiam.

Totum illud, formoſa, nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis.

TVRNEBI. *Quod pulchrum eſt, placet.*

Ὅ, τι καλὸν φίλον ἀεί. Quæ pulchra ſunt, eam vim habent, ut ſtatim conſpecta, omnium ſibi voluntatem concilient, amoremque adjungant. Ariſtot. Plat. in Lyſide. Origo iſta. Muſæ & Gratiæ convenientes ad nuptias Cadmi & Harmoniæ, pulchrum carmen, quo ea ſententia continebatur, canebant, novæ nuptæ pulchritudinem commendantes. Hoc elegantiſſimis verſibus ſcriptum reliquit Theognis: quos ob ſuavitatem cogor præter meum morem ſubjicere.

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου
Εἰς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ᾽ ἔπος.
Ὅττι καλὸν φίλον ἐστί, τὸ δ᾽ οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί.
Τοῦτ᾽ ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.

Muret. Var. ſect. 44. Vide etiam in Chiliad. Quod pulchrum, idē amicum eos ita vertit Schegkius.

Vos Charites, Muſæ, proles Iovis inclyta, Cadmo,
Quales erat quondam quem cecinistis, Hymen.
Quod decet, optandum: quæ turpia ſunt, fugienda.
Hæc ſunt à vobis tum celebrata Deæ.

FORTITVDINIS.

ERASMI. *Maſculum.*

Maſculus apud veteres non ſemper ſignificat ſexum, ſed interdum quicquid vegetũ, ſolidum ac robuſtum eſt, maſculum dicitur. Exemplum Nonius Marcellus citat ex Varronis fabula, cui titulus ὄνος λύρας. Vincor non eſſe maſculum ad rem. Grammatici putant ab Horatio marem vitellum dictum, ſolidum ac firmum. De ovis oblongis ita loquitur in Sermonibus:

--Namque marem cohibent calloſa vitellum.

Vergil. quoq; maſcula thura dicit alba & meliora. Lepidius erit, ſi ad inco᾽ porea transferatur. veluti quum excelſum fortemque animum maſculum appellamus.

Adamantinus.

Ἀδαμάντινος, id eſt, Adamantinus: pro eo quod eſt, inexorabilis, aut infatigabilis. Huic proverbio incredibilis hujus lapidis duritiei locum fecit: de qua Plinius. lib. 37. ſcribit ad hunc modum: Incudibus adamantes deprehenduntur, ita reſpuentes ictum, ut ferrum utrinque deſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant. Quippe duritia inenarrabilis eſt, ſimulque ignium victrix natura, & nunquã incaleſcens. Vnde & nomen indomita vis, Græca interpretatione accepit. Hactenus Plinius. Vnde quidquid invictum atque inexpugnabile, id adamantium vocamus.

Heſiodus:

Ἀλλ᾽ ἀδάμαντος ἔχει κρατερόφρονα θυμόν.

Id eſt:

Durus at his animus ſolido ex adamante creatus.

Theocritus in Amaryllide:

Καί μ᾽ ἐσίδοις ποκά, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμάντινος ἐστί.

Id eſt:

Me quoque reſpiciet, neque enim eſt adamantina forſan.

Eodem pertinet quod Homerus, Vulcanum fingit, adamantinis vinculis irretientem Venerem & Martem: quod Maro portas & columnas inferorum ex adamãte fabricatus eſt. Socrates in Gorgia Platonis, rationes adamantinas vocat: id eſt, inexpugnabiles. Rurſus lib. de Rep. 10. ἀδαμαντίνως ἔχειν, dixit, profirmiter tenere, ἀδαμαντίνως δεῖ ταύτην τὴν δόξαν ἔχοντα εἰς ᾅδου ἰέναι. id eſt. Oportet nimirum adamantine ſententiam hanc obtinentem ad inferos proficiſci: Plutarchus in vita Dionis: ἐκ δὲ τούτου προϊὼν καὶ ὑπορρέων κατὰ μικρὸν ἡ περὶ τὸ μειράκιον αὐτοῖς, τοὺς ἀδαμαντίνους δεσμούς, οἷς ὁ πρεσβύτερος Διονύσιος ᾤετο δεδεμένην ἀπολείπειν τὴν μοναρχίαν, ἐξέλυσε καὶ διέφθειρεν. id eſt, ex hoc autem progreſſa ac paulatim ſerpens circa adoleſcentem remiſſio, adamantina illa vincula, quibus ſenior Dionyſius dixerat ſe relicturum aſtrictam monarchiam, ſoluit ac perdidit. Horatius in Odis:

Quis Martem tunica tectum adamantina.

Item alibi:

-- Si figit adamantinos
Summis verticibus dura neceſſitas
Clavos.

Itidē Auguſtinus adverſus Manichæum: Sed cum oſtendere cœpero certas neceſſariaſque rationes, quæ illas propoſitiones adamantinis, ut dicitur, catenis innexæ conſequuntur. Denique ſcriptoribus aliquot propter infatigatam ſtudii tolerantiam, adamantini cognomē inditum, ut Didymo grammatico, & Origeni theologo. In conſimilem ſenſum uſurpat Pindarus in Iſthmiis encomio quinto, laudans Lamponem quendam inter fortes fortiſſimum, qualis eſt Naxiacos inter reliquas:

Φαίης κέ νιν ἀνδρ᾽ ἐν ἀεθληταῖσιν ἔμμεν
Ναξίαν πέτραις ἐν ἄλλαις
Χαλκοδάμαντ᾽ ἀκόναν.

Id eſt:

Diceres ſane eum virum inter athletas eſſe Naxiam, in cæteris ſaxi ferrique domitricem cotem. Plinius lib. 36 c. 7 meminit Naxii marmoris, quod diu fuit in precio; & hinc cotes dictas Naxias, quæ in inſula Cypro naſcerentur. Eſt autem Naxus, una Cycladum, haud procul à Paro, cujus marmora celebrantur ob candorem. Pindari interpres ponit Naxum hanc in Creta: quid ſequutus, incertum. Plinius ponit Naxum oppidum in Sicilia. Stephanus indicat, hoc nomen (ut pleraque ſunt) compluribus locis eſſe commune. Addit, Creticam cotem appellatam Naxiam, quæ eadem dicta ſit ναξίας. Subindicat autem hoc proverbium magis pertinere ad dijudicandum & prodendum quod fallebat, quam ad robur; quemadmodum ante de Lydio lapide diximus. Vnde conſiderandum, an in Plinio pro Cypro, legendum ſit Creta aut Naxo.

Aut manentis vincendum, aut moriendum.

Ἢ μένοντα νικᾶν, ἢ ἀποθνήσκειν, id eſt, oportet aut manentem vincere, aut interire. Dici ſolitum, ubi certa ſtat ſententia aut negocium aliquod abſolvere, aut immori. Tranſlatum ab inſtituto Lacedæmoniorum, qui hoc animo prælium inibant, ut aut victores redirent domum, aut victi occumberent. Celebratum ἢ ταν, ἢ ἐπὶ τᾶς eſt Lacænæ cujuſdam apophthegma, quæ filio tradens clypeum dixit: ἢ τάν, ἢ ἐπὶ τᾶς. Aut hunc, aut ſuper hunc. Laconice ſignificans, aut referendum clypeum, aut in eo moriendum.

Thurium lema.

Θούριον λῆμα dicebant animum intrepidum, & ad bellum paratum. Nam λῆμα genere neutro Græcis ſonat voluntatem, animũ ſive propoſitum, aut dignitatem & autoritatem; vox dicta à λῶ quod eſt volo. Nam λῆμμα, quod ſcribitur per geminum μμ, venit à λάβω ſive λαμβάνω. eſt argumentum quod aſſumitur ad probationem Thurion autem dicitur, quicquid eſt vehemens ac bellicum. Vnde Homerus θοῦριν ἀλκήν, id eſt, Thurium robur appellat. Quin & ipſe Mars dictus eſt θοῦρος, a θόρω, quod eſt inſilire. Suidas citat ex Ariſtophane. Invenitur & θούριος λόγος, pro ſermone divinitus afflato ac vehementi, quum quis intrepide cum autoritate loquitur.

Inflige plagam ab aratro.

Παῖε τὴν ἀπ᾽ ἀρότρου, id eſt, inflige plagam aratri, ſive, impinge vomerem. Cum jubebimus ſtrenue pugnare, licet ſine arte. Natũ ajunt ab hujuſmodi fabula, quam narrat Pauſanias libr. Eliac. ſecundo. Glaucus quidam Caryſtius cum terram aratro proſcindēti, forte fortuna vomis excidiſſet ab aratro ſublatũ aptavit miro

vico

vice mallet. Quod ubi conſpexiſſet pater Demylus, juvenem prodexit in Olympia, ad pugilum certamen: verum ubi jam artis imperitus, plagis afflictus pene deficeret, pater acclamavit: [illegible] admonens ut ſic peteret hoſtem, quemadmodum vomere ſolet vulnerare terram. Hac voce rediit animus juveni vicitque. Idem poſtea bis vicit Pythia, octies Nemea, item octies Iſthmia, autor Pauſanias.

Mœnia ferrea, non terrea.

Plato li. De leg. 6. [illegible] id eſt, De mœnibus autem Megille equidem cum Sparta conſenſerim, ut mœnia videlicet humi depoſita, domite ſinamus, neq; hujus rei gratia rurſum velimus excitare. Rectè quidem & poeticum dictum ſuper his canitur, Mœnia ærea magis ac ferrea eſſe oportere, quam terrea. Proverbio jactatū fuiſſe videtur, & habet veluti ænigmatis figuram. Innuit autem, non oportere tutamentum civitatis in mœnibus collocare, ſed in viris armatis: quorum conſenſus murorum inexpugnabilium vice, civitatem optime tuetur. Alludit autem Plato ad apophthegma Laconicum, cujus meminit Plutar. Equidem arbitror & Horatium huc leviter alluſiſſe, quum ait:

——Hic murus aheneus eſto.

Prebere viros.

Ad fortiter agendum, ferendumve, adhortabimur hoc carmine ex eodem Iliad. ε. quanquam idem alias ſubinde repetitur:

Ἀνέρες ἐστε φίλοι, [illegible]

Id eſt:

Eia eſtote viri, validaſque expromite vires.

Reiicientis autorem formidinis.

Territanti metumq; inanem injicienti, verſum hunc occinere licebit, quo Sthenelum ibidem alloquitur Diomedes:

——Μή τι φόβον δ' ἀγόρευε.

Id eſt:

Ne trepidandi autor mihi ſis.———

Vnum augurium optimum, tueri patriam.

Abiit in proverbium etiam hic verſus Homericus:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος, ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Id eſt:

Vna avis optima pro patriâ pugnare tuenda.

Vſurpatur à M. Tullio in Epiſtolis ad Atticum: item à Plinio minore in Epiſtolis familiaribus. Citatur ab Ariſtotele in Rhetoricis lib. 2. inter ſententias. Sumptus eſt autem ex Iliad. ubi Hector augutia reliqua negligens loquitur ad hunc modum:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Id eſt:

Aligeris avibus tu me parere jubes nunc,
Quarum nulla mihi cura aut reſpectus, utrumne
Ad dextram Eoi veniant mihi ſolis ad ortum,
An lævam, ad ſolem occiduum, noctiſque tenebras.
Verum nos Iovis arbitrio parere neceſſum eſt
Altitonantis: hic imperium tenet unus in omneis,
Quotquot mortales, quotquot ſunt morte carentes.
Vna avis optima, pro patria pugnare tuenda.

Hanc Homeri ſententiam expreſſiſſe videtur Qu. Fabius Maximus apud M. Tull. li. De ſenectute. Is enim cum eſſet augur, dicere auſus eſt: Optimis auſpiciis ea geri, quæ pro Reip. ſalute fierent: quæ contra Rempub. ferrentur, contra auſpicia ferri. Apud Athenæum Heniochus detorquet ad paraſitum, ex Metagene comico verſiculum hunc citans:

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ δείπνου.

Id eſt:

Vna avis optima pro cœna pugnare tuenda.

In Lipſydrio pugnas.

Ἐπὶ Λειψυδρίῳ μάχη, id eſt, In Lipſydrio pugnas. Lipſydrium locus erat, haud procul à Parnethe, quem mœnibus cinxerant tyranni, quo profugerant ex urbe, prius condiderant Alcmæonidæ, ſed in hos obſeſſos, victoſque à Piſiſtrati copiis, obliqua cantio cani cœpta eſt hujuſmodi: [illegible] id eſt: Heu heu Lipſydrion, ſociorum proditor, quales viros perdidiſti, ad pugnandum idoneos & claros, cum oſtenderent è qualibus eſſent orti majoribus. Proverbium dictum in ſtrenuos & bellicoſos viros. Locus nomen habet ab aquarum inopia.

Solæ Lacænæ viros pariunt.

Μόναι Λάκαιναι ἄνδρας τίκτουσι, id eſt, Solæ Lacænæ viros pariunt. Apud Lacedæmones fortiſſimi viri naſcebantur, & apud eoſdem matres ſevere natos educabāt. Natum eſt proverbium ex apophthegmate Gorgus Lacænæ Leonidæ uxoris: cui cum peregrina quæpiam dixiſſet, μόναι ὑμεῖς ἄρχετε τῶν ἀνδρῶν αἱ Λάκαιναι, id eſt, Solæ viris imperatis Lacedæmoniæ: reſpondit, μόναι γὰρ τίκτομεν ἄνδρας, id eſt, Solæ enim parimus viros. Refert Plutarch. in vita Lycurgi.

EX APPENDICE ERASMI.

Pedem nunquam.

Cicer. A Chryſippo pedem nunquam. Alibi: Mihi certiſſimum eſt, ab honeſtiſſimo digitum nunquam, ſubaudi, diſcedere. Plaut. Si tu ex hoc loco digitum trāſverſum, aut latum unguem exceſſeris. Hieron. Ne puncto quidem ab illius ſententiis recedamus. Cicer. Quibus conceſſis, digitum progredi non poſſunt.

Ἢ τάν, ἢ ἐπὶ τάς.

Ita Lacæna filiū armans clypeo, eundem cohortabatur: aut referendum clypeum, aut in eo moriendum. Vtemur & nos, cum aliquem ad honeſtum, arduum tamen negotium inſtigabimus & veluti jaciendam alcam eſſe, oſtendemus.

Naxiacos.

Ναξίαν πέτραν ἐν ἄλλοις χαλκοδάμαντα λίθον, Naxiacos, maxime, inter ſaxa omnia, ferri domitrix. De viro egregie forti: aut indefatigato in perferiendis ſtudiorum laborib. aut denique de eo quod ſincerū eſt, inter alia adultera & fucata facile ſe prodit. Pind. Marmor è Naxo inſula olim ſummo erat in precio.

IVNII. *Trabali clavo figere.*

Trabali clavo figere proverbialiter dixit Cicerō pro valide munire & nexu indiſſolubili atque adamantino, quum ait in actione in Verrem ſeptima: Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret. Arnobius Lactantii Firmiani præceptor, lib. adverſus gentes: Metus ille vos habet, ne veluti trabalibus clavis affixi, corporibus hæreatis. Deniq; quicquid ingens & validū eſt, Trabale veteres vocāt. Statius Papinius Thebaidos 4.

——Dextraque trabalem
Haſtam intorſit agens.

Claudianus de raptu Proſerpinæ:

——Indigna tuſque trabali
Saxa ferit ſceptro.—

Virgilius quoque trabale telum: dixit Æneid. 2. quod Tiberius Donatus exponit, forte ut ſunt trabes. Nazarius Panegyriſtes: Quos cum trabalis haſta dejecit, inſultans ferus proterit. Ammianus lib. 16. Quorundam capita diſciſſa trabalibus telis. Apud Horat. Odarum lib. 1. Neceſſitas geſtat clavos trabaleis & cuneos manu ahenâ: nimirum ferreos clavos ſuffigendis in crucem noxiis paratos, magnæ quidem molis illos, & trabium inſtar grandes, ut & cuneos: quos Æſchylus in Prometheo ſimiliter σφῆνας nominat: Suetonius fidiculas. Congenere metaphora dixit Ioan. Chryſoſtomus, τὰς τῇ μέθῃ [illegible], hoc eſt, ebrietati tanquam trabali clavo affixos: & iterum: [illegible], id eſt, Curis quotidiani victus tanquam clavo affibulati.

Murus Semiramidis.

Σεμιράμιδος τεῖχος, id eſt, Semiramidis murus, proverbiali figura effertur à Syneſio in epiſtolis, pro re invicta & inexpugnabili, [illegible] τὸ τεῖχος τὸ Σεμιράμιδος. id eſt: Cortinæ intergerinæ, qua viri à fœminis ſecluſi eramus, vicem obtinebat, veli paulo ante diſciſſi validum ſegmentum, temperantibus murus hominibus plane Semeramidis. Semiramis vernæ regii pellex fuerat; poſtea Nino potentiſſimo Aſſyriorum regi amoribus illius illaqueato innupſit, tantumque potuit apud maritum illex fœminæ philtrum, ut poſtulanti concederet unius diei imperium, id namque popoſcerat, ut liceret ſibi diem unum regali in ſolio præſidere, diadema capite præferre, juraque dare, annuente rege, jubenteque cunctos illi eſſe obſequentes, primis imperiis modeſte uſa, ſatellitum periculum fecit, quos dictis morigeros experta nihilque tergiverſantes, Ninum maritum comprehendi primo mandat, mox vinculis aſtringi, tandem etiam obtruncari: quo peracto facinore. Aliæ rerum potita fuit, & Babylonem decantatiſſimam urbem à Nino conditam, vel (ut Ioſephus tult) inſtauratam, muris validiſſimis cinxit, quorum altitudo pedes ducenos, latitudo quinquagenos æquaret, in ſingulos pedes ternis digitis menſura ampliore, quam noſtra, ut authores ſunt Plinius & Strabo. Murus ergo Samiramidis, pro validiſſimo præſidio, & indubitato munimento, parœmiace accipietur hoc modo, ſi dicamus: Pio homini ſacratum literarum lectionem eſſe murum Semiramidis, adverſus mundi faſtum & diaboli inſidias. Iuriſconſulto æquitas murus Semiramidis in cauſis controverſis. Nullius mali ſibi eſſe conſcium, muro Semiramidis tutius præſidium, integræ vitæ homini. Hoc ſcio an ad illud adagium alluſerit Horatius, ubi ait:

..Hic murus aheneus eſto:

eo quod fabricati à Semiramide muri, portas habuerint ahenas: certe utriuſq; idem ſenſus eſt. Convenit cum hoc illud Nazyanzeni de Baſilio dictum, [illegible] τεῖχος ὀχυρὸν καὶ χαράκωμα. id eſt, Fit iſtis murus validus & vallum quoddam. Poteſt huc referri & ἀδαμάντινος κίων, quaſi adamante revinctam columnā dicas, pro firmiſſimo munimine, quo Pindarus uſus eſt.

Seruus non eſt qui mortem negligit.

Senarius proverbialis eſt Euripidis, diverſis authoribus uſitatus.

Τίς ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν;

Id eſt:

Haud ſeruus eſt, quicunque mortem deſpuit.

Viri propria maxime virtus eſt fortitudo: cujus duo imprimis ſunt munera, mortis & doloris contemptus, ut inquit Cicero. Elegantiſſime Nazianzenus conſtantē animum, incudi malleorum ictus deſpuenti comparat. Vtitur Cicero in nono ad Atticum: Quod ego eo non vereor, quod mihi noceat, quid enim faciet? τίς δ᾽ ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν. Vſus & D. Clemens Stromatum lib. 4. & Plutarchus libro De prælegendis juventuti poematibus: πάλιν δ᾽ εἰρημένου λέγοντος, τίς δ᾽ ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν, ὑπακουστέον ὅτι καὶ περὶ πόνου καὶ νόσου ταῦτ᾽ εἴρηται. i. Rurſū ubi dicit Eurip. Haud ſeruus eſt, quicunque mortem, diſpuit, intelligendus eſt idem dixiſſe & de labore & morbo. Philō Iudæus in l quod vir bonus liber ſit, i ... τίς ἐστι δοῦλος, τοῦ θανεῖν ἄφροντις ὤν ... ὅτι οὐδεὶς ὑπὸ δουλείαν πέφυκε ... i. Laudatur a nonnullis author illius ſenarii, Haud ſeruus eſt quicunq; deſpuit necem: tanquam qui prudenter perſpexerit quid conſequi ſoleat, exiſtimavit enim nihil adeo ſerviliter animi impetum ſubigere, atq; interitus metum, propter innatum vitæ deſiderium. Cogitandum verò nobis eſt, non ſolum illum qui mortem contemnat, liberum eſſe, ſed & eum qui egeſtatem, infamiam, dolorem, & id genus alia, quæ vulgus hominum in malis ducit, forti animo deſpiciat. Fortitudinis munus eſſe definit Ariſtoteles, intrepidum & inconcuſſum adverſum mortis terroris animi ſtatum, & incontemnendis periculis conſtantiam. Hujus præclara documenta ediderunt inter ethnicos, Zenon Eleates & Anaxarchus philoſophi: quorum ille quæſtioni adhibitus, ut conjuratorū nomina proderet, linguam præmorſam in tyranni (quem Nearchum, alii Demylum vocant) os expuit: hic in pilam ferream cōjectus, quum piſtillis ferreis tōderetur, dicterio etiam tyranni iræ inſultavit, monens ut Anaxarchi utrem ſubigeret in pollinem. Refert Philon, puerum Spartanum ab Antigoni militum quopiam captum liberalia omnia miniſteria juſſum obiviſſe, ſervilia renuiſſe, cum hoc dicto, Non ſerviam, quo factum ſit, ut deſperata redemptionis ſpe, ſibi ipſe necem conſciverit. Narrat idem Dardanidarum fœminas, quum nihil ſervitute fœdius eſſe ducerent, liberos ſuos in amnem profundiſſimum demerſiſſe, addito hoc elogio: Atqui vos non ſervietis. Calanus Indus Alexandro Macedoni minitanti illum abducere, tale dedit reſponſum (ut Alexandrinus Clemens & Philon commemorant:) Non compelles invitum facere, quod nolim, diriſſimum mortalibus tormentum ignis eſt, at eo ſuperiores nos ſumus. Illi exemplis dictiſque abunde docuerunt, ſeruum nō eſſe qui mortem nihili faciat, recteque ſe habere Euripideam ſententiam, qua utetur, qui ad indigniora ſervitia adigitur a potentiore: aut qui in viro genio dictorum palinodiam canere minis aut tormentis cogitur. Quemadmodum Philoxenus, Dionyſio tyranno adulari nolens, quum juſſus eſſet ipſius tragœdiā ad limam revocare, converſus ad tyranni miniſtros, ἀπάγετέ με, inquit, εἰς λατομίας, id eſt, Abducite me in Latomiam, eo nomine carcer erat horrendus. Syracuſis Maluit poeta in teterrimum carcerem includi, quam ſervitio indigna pati.

Achilleum ſpirat.

Ἀχίλλειον πνεῖν, id eſt, Achilleum ſpirare dicitur, qui excelſo eſt animo, & qui ingenuam nobilitatem toto corporis filo moribusque præ ſe fert. Heliodorus Emeſenus hiſtoriæ Æthiopicæ lib. 2. εἰσῆλθεν νεανίσκος ἀχίλλειόν τι τῷ ὄντι πνέων, id eſt: Ingreſſus eſt adoleſcens, Achilleum quid revera ſpirans. Idem lib. 4. εἰ δεῖ τῷ μεγέθει καὶ τῷ κάλλει ... hoc eſt, Si licet conjecturam facere ex heroica ſtatura præſigni forma adoleſcentis, Achilleæ nobilitatis fidem facientibus. Verſo in ... λόγος, Probādus ἀχίλλειος, ... ubi Achilleum & venuſtū, laſcivum, delicatum, laudat cinædum. qui locus in Nonio corruptus eſt, ſed ex manuſcripti exemplaris fide reſtituendus in dictione Cinædi. Huc pertinet Achillea coma, pro cæſarie egregia & ſpiſſa, cum quadam nobilitatis opinione, aut faſtus potius. Philoſtratus enim ſcribit, Achillem habuiſſe cæſariem ἀμφιλαφῆ καὶ χρυσοῦ ἡδίω καὶ εὐσχήμονα, hoc eſt, denſam, auro micantiorem, apteque compoſitam. Idem alio loco Achilli comā tribuit θυμοειδῆ φρύγμα. qua ferox & animi magnitudine inſolens efferebatur. Menogenes paraſitus apud Martialem, dicit ſe Achilleas diſpoſuiſſe comas. Achilleos pedes pro velocitate præſtantes dixit idem Martialis lib. 2.

Laudat Achilleos, ſed ſine fine, pedes.

Celebrantur & ἀχίλλειαι κριθαί. Achilleum hordeum, ut purgatius longeque præſtantius. Porrò generoſitas animique magnitudo Achillis, nota eſt iis qui Homerum triverunt.

Amentata ſententia.

Amentatam ſententiam, dixit D. Ambroſius epiſtolar. l. 7. pro valida & haud vulgari, firmiſque argumentis roborata, ſic enim ait. Rem expoſui, cauſam probavi: intorquenda eſt amentata non manipularis ſententia. Eſt autem amentum lori genus, quo illa haſta præligata validius certiuſque libratur evibraturque, unde amentata ſententia ea eſt, quæ neutiquam trivialis eſt & pedanea, cujuſmodi manipularis vocatur, veluti a gregario milite profecta, ſed eximia, & artificio vallata. Sic uſurpavit illud Cicero lib. De oratore 1. A quo cum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis viribuſque torquebit, hoc eſt argumenta dictaque vehementia & fortia. Tertul. lib. 4. adverſus Marcionem, de nummi cupiditate loquens ſic, ait: Qui famulatam videns Phariſæorum cupiditatem amentavit hanc ſententiam: Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.

Inconcuſſa columna.

Ἀσεμβὴς κίων, id eſt, Inconcuſſa columna, prove rbialiter dicitur de re pariter & perſona ſingularis conſtantiæ, quem neque præmiorum ſpe neq; metu periculorum poſſis unquam de integritatis incorruptæ ſtatu dejicere. Eunapius, aut alius quiſpiam Chronologiæ ſcriptor, citante Suida, καὶ τὸ πᾶν ἑαυτοῦ ... ὥσπερ κίονα ... Qui innatam gravitatem adduceret, velut rectam atque infractam quandam columnam palatii, ne quid in aula corrumperetur, aut pravi committeretur. Pindarus de Achille loquens in Olympiorum Oda ſecunda:

Ὃς Ἕκτορα σφᾶλε, Τροίας

ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα.

Id eſt:

Qui profligavit Hectorem Troiæ

Invictum & inconcuſſum columen.

Æſchylus de Atlante:

Ἕστηκε κίον᾽ οὐρανοῦ τε καὶ χθονὸς

Ὤμοις ἐρείδων, ἄχθος οὐκ εὐάγκαλον.

Id eſt:

Columna ſtat telluris & cœli ardua.

Suffulciens humeris onus intractabile.

Conſine illi eſt quod de Athanaſio dixit Gregorius Nazianzenus, ἕως παρῆν ὁ στύλος τῆς ἐκκλησίας. id eſt, tantiſper dum præſens erat Eccleſiæ columna. Nicephorus Callyſtus lib. 4. cap. 17. de Gallicis martyribus loquens: ἀντιπαρέταξε ... στύλους ἑδραίους. i. e. Oppoſuit ſtabiles & firmas columnas. Ibidem Attalum Pergamenum martyrem appellat στῦλον καὶ ἑδραίωμα, hoc eſt, cippum ſeu columen & ſtabilimentum reliquorum. Syneſius in epiſtola ad Orum de aſtronomia loquens, ... γεωμετρίᾳ καὶ ἀριθμητικῇ ... ἀληθείας κίονα ... id eſt, Adminiſtris utitur geometria & arithmetica, quas qui inconcuſſam veritatis normam appellarit, à decoro non aberraverit, quanquam hoc in loco κανόνα malim legere pro κίονα. Huc refer quod de Socrate Phavorinus dixit, ... id eſt, Steterat magis immotus atque inconcuſſus, quam truncus arboris.

Lingua quidem ſegnis, ſed dextra viget.

Γλῶσσα μὲν ἀργή, χεὶρ δ᾽ ἔχει ἰσχύν τινα.

Id eſt:

Ignava lingua, fortis at manus viget.

Senarius eſt proverbialis, ſi quæras apud Euſtathium, ex Philoctete Sophoclis deſumptus, de iis qui dicendo parum valent, verbis inferiores, ſed fortitudine aut robore præſtant. Sic Ajax Telamonius apud Homerum brevi oratione plerumque utitur, dextra tamen gloria nulli ceſſurus. Non abſurde quis id auferat ad hominem doctum paucorum verborum, ſed calamo promptiorem. Tales nō paucos invenias, qui ſi verbis agēdum ſit, pene elingues videantur, ſi ad ſtylum res pervenerit, parum muti ſint.

Tydeus corpore, animo Hercules.

De ſtaturæ quidem puſillæ homine, ſed animo infracto dicitur. Menander hiſtoricus de Sapiro milite plus quàm Herculeo animi robore, τὸ μὲν σῶμα ... τὴν δὲ ψυχὴν ... id eſt, Corpore exiguo Tydeus, tantopere ab Homero celebratus, animi vero conſtantia Tydeo ſuperior: quippe qui Hercules animo fuerit, & ſi quis illo unquam extitit fortior, neque enim vereor Herculem ſecundo loco ponere quod ad magnitudinem conſtantiæ attinet Homerus Iliad v.

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Id eſt:

Tydeus paruus erat, at bellator ſtrenuus armis.

Hinc Fabius Quint. li. 3. Interim confert admirationi multum jam infirmitas, ut cum idem Tydea paruum, ſed bellatorem dicit fuiſſe & Grammatici nominis etymon deducunt a τυτθόν, quod puſillum ſignificat, ob corporis brevitatem. Statius Papinius de Tydeo:

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Fuit autē Tydeus Oenei Ætolorum regis ex Periboea filius, qui Alcathoum & Lycopea patrueles patri ſuo inſidiantes in agro occidit, cum patruo Melane, quem imprudenter vulneraverat.

In repagulis ſtare.

Ἐφ᾽ ὕσπληγγος, id eſt, In carceribus ſeu repagulis ſtare proverbio dicitur, qui in procinctu ſtat paratus, Ioſephus: ...

[illegible] id eſt, Illi conſiſtunt velut in repagulis, eruptionem facere parati. Suidas ex incerto authore, [illegible] id eſt, At ille expectat quaſi de carceribus confeſtim accurrit. In ſtadio locus unde curſum auſpicabantur, tráſverſario fune (ut in Eliacis ſcribit Pauſanias) qua curſores & quadrigæ coercebantur, excluſus Græcis [illegible] vocatur: nobis plurali voce Carceres & repagula. Ibi qui ſtabant ad præmium curſuri, non oſcitabundi aut quaſi aliud agentes, ſed expediti ac attenti primum tubæ ſignum expectabant, quo accepto agilitatis ſpecimen oſtenderent.

Atticus miles.

Ἀττικὸς πρόμαχος, id eſt, Atticus miles, proverbio dicitur in fortem ac ſtrenuum virum. Heliodorus lib. 2. Æthiop hiſtoriæ: [illegible] Ἀττικὸς πρόμαχος. hoc eſt: Terga dediſti mortuam fœminam fugiens, tam ſtrenuus & Atticus miles. Poteſt ironice torqueri in meticuloſum, & quovis lepore timidiorem, talem hominem nominando militem Atticum. Porro in pedeſtri & ſtatario prælio laudati olim fuerunt milites, quos Attica mittebat.

Acernus.

Σφενδάμνινος, id eſt, Acernus, proverbiali metaphora dicitur homo robuſtus & ſolidarum virium. Ariſtophanes Acharnenſibus: ἀτεράμονες, Μαραθωνομάχαι, σφενδάμνινοι, hoc eſt: Infracti, Marathone victores, acerni, nempe: validi ac ſtrenui ad modum aceris arboris: cujus lignum ob ſoliditatem & duritiem invictam commendatur ab artificibus ad opera elegantia & ſubtilia: quippe quum ſculptura fragile lignum reſpuat. Refertur ab Euſtathio Odyſſ. primo.

Tyrtæo bellicoſior.

De pugnace & ſtrenuo homine, militiæ aſſueto, proverbiali facie dixit Plato lib. De legibus 2. [illegible] id eſt: Quem periniſſa ſermonis diximus bellicoſiorem fore, quam ſunt ipſa Tyrtæi bellica præcepta. Tyrtæus poeta genere Athenienſis, Lacedæmoniis aſcriptus civis, librū elegiaco carmine ſcripſit adhortatorium ad bellicam virtutem, & ad capeſſenda militiæ munia: quem Spartana juventus memoriæ mandare, & in procinctu ſtans recitare ſolebat, ad excitandos mutuo animos: cujus verſus aliquot ad verbum pene redditos hic adſcribere non gravabor: quos qui Græce mavult legere, apud Stobæum petat ſermone 49.

Nullus ego memorem, nec magni fecero, ſeu quis
Polleat aut lucta aut præpetibus pedibus,
Non ſi vel mole aut cyclopas viribus æquet,
Aut curſu ſuperet Threicium boream.
Nec ſi Tithono forma præſtantior eſſet,
Aut Cinaræ teneat divitiaſque Midæ:
Non ſi nectaream Adraſti facundiam, & amplum
Imperium obtineat Tantalidæ Pelopis.
Vilent cuncta mihi, Mavortia gloria nite
Commendet: bello nemo quis emineat,
Ni cædes ferat illi oculis ſpectare cruentas,
Collatoque hoſtis ora ferire pede.

Hos verſus innuit Plato lib. 1. legum, de Tyrtæo loquens, ubi ſic ait: [illegible]
Οὔτ' ἂν μνησαίμην, οὔτ' ἐν λόγῳ ἄνδρα τιθείμην.
[illegible] i. Qui præ cæteris in bellica adhortatione plurimum operæ poſuit, ita canens:
Nullus ego memorem, nec magni fecero, non ſi
vel mortalium ditiſſimus fuerit, inquit, neque ſi multis quæ inter bona habentur, abundet (quæ ſingula fere enumerat) niſi idem quoque bellica gloria præſtet.

BRASSICANI. *Non verbis, at factis ſpectari vult Græcia.*

Suidas citat proverbium adverſus inſolentiores ardeliones, qui verbis etiam cœlum territant, cæterum ubi ſit ad rem ipſam accedendum, imbelles & ignavi reperiuntur: [illegible] quanquam Livius Decad. j. lib. 8. Græcos magis lingua, quam factis ſtrenuos eſſe ſcribat.

IOANNIS VLPII. *Pro aris & focis.*

Crebro apud Romanos ſcriptores reperitur, Pro aris & focis: quod idem ac ſacra & prophana defendere. Originem habent ex ſacramento militari: inter cætera enim milites etiam jurabant, ſe pro aris focis pugnaturos. Agellius.

Gradum figere.

Sumuntur ab athletis crebræ metaphoræ: vt, Gradum figere: cōferre gradum: de gradu cedere: in gradum redire: de gradu pellere: de gradu primo præludere: eodem gradu occurrere. Gradum figere, eſt conceptam ſemel ſententiam acriter defendere, & in ea perſiſtere: vel, ut Cic. ait, argumentum ſuum premere, quater eo ita Tertul. vſus eſt, ut notavit Iunius: quem vide prov. 36. Centu. 3. Gradum conferre, quod Cicero & Quintilianus dicunt pedem conferre, eſt initium diſputationis facere & comminus aggredi. De gradu recedere, à ſententia recedere. In gradum redire, ad ſententiam & propoſitum reverti. Eodem gradu occurrere, pro eodem telo & argumento obviam ire.

COGNATI. *Sanguis integer.*

Integer ſanguis à Plauto Vergilioque dictus iis eſſe, quos validos florenteſque viribus oſtendere voluerunt, inquit Demiphon apud Plautum: Nam hanc ſe bene habere ætatē nimio eſt æquus. Adoleſcens cum ſis, tum quum eſt ſanguis integer, rei quærendæ tunc convenit operam dare. Virg. Anchiſen filio ſic loquentem introducit:

--- Vos ô quibus integer ævi
Sanguis ait, ſolidæque ſuo ſtant robore vires,
Vos agitate fugam. --

In ſanguine vitalis calor, vigor, & corporis robur eſt: tū integer purusq; ſanguis vires adjuvat. Hoc etiam à nobis vulgo fertur, in oreque eſt omnis multitudinis, cum idem ſignificare volumus: Il eſt en ſon ſang chault. hoc eſt: Firma validaque ætate eſt, in flore ætatis eſt, ac firmum corpus habet. Empedoclis autem ſententia eſt, vim animi eſſe ſanguinem circa præcordia. Ille autem cui ſanguinis frigidus eſt, natura eſt tardi ingenii & hebetis: & ille cui ſanguis eſt integer, hoc eſt calidus, eſt prompti & celeris ingenii. De his plura nos alibi & exactius dicturi ſumus, inferius in adagiis, Sanguinis plenus: &, Sanguine caret.

Pygmæi vel Thiodamas cum Hercule.

Ammianus libr. 22. ubi Iuliani imperatoris animi invictam conſtantiam & ſuſurronum contemptricem laudat, proverbiali ſchemate illud extulit: Fruſtra virum circumlatrabant ignobilem occultis injuriis, ut Pygmæi vel Thiodamas agreſtis homo Lindius cum Hercule. Innuit enim, Iulianum nihilo magis commotum fuiſſe blateronū injuriis dicteriisq;, quā Hercules Pygmæorum aſſultibus exterritus fuerit: imo ea ipſa contempliſſe riſiſſeque, velut Thiodamantis Lindii probra conviciaque inultus neglexit Hercules. Ad illud de Pygmæis alluſit Alciatus juris conſultus in Emblemate quodam, in eos qui majora virib. aggrediuntur, ſuæ imbecillitatis non conſcii, quod hunc in modum habet:

Dum dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub picea, & clavam cæteraque arma tenet.
Alcidem Pygmæa manus proſternere letho
Poſſe putat, vireis non bene docta ſuas:
Excitus ipſe, velut pulices ſic proterit hoſtem,
Et ſævi implicitum pelle leonis agit.

De Thiodamante hæc eſt fabula. Quum in Thiodamantem Lindium terram aratro proſcindentem ex improviſo incidiſſet famelicus Hercules, alterum ex jugo boum jugulat illo præſente, & devorat: quam ille injuriam maledictis ulciſci fuit aggreſſus. At iſte illum ſibi amariſſime convicantem cum riſu & cachinnis audiit. Vnde in proverbium uſque res fuit deducta. Sunt qui Herculem bis integrum devoraſſe bovem ſcribunt, ſemel apud Lindum Rhodi urbem, & iterum apud Dryopas Thiodamantis bovem.

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Macrobius Saturnal. lib. 6 cap. 3. hoc Virgilii verſu veluti proverbiali utitur. Habetur Æneid. lib. 7. & hac comparatione conſtantiam Latini amplificant.

Hercules, Achilles.

M. Varro, poſt enumeratos quadraginta tres Hercules, addit, omnes Hercules dici poſſe, qui res magnas geſſerint. Quæ appellatio durat adhuc apud Gallos, quoties viros fortes denotāt. Macrob. lib. 1. Saturn. docet, Herculis nomē pluribus fuiſſe commune. Plutarch. ſcribit Theſeo attributum fuiſſe, quod eſſet laborū toleratiſſimus. Lucian. in Demonacte dicit, Græcos vocare ſolitos Bœotium Soſaſtrum, Herculem. Cleanthes philoſophus, authore Laertio, Hercules dict' eſt, quod nocturnis laboribus diurnum victum pararet. Plinius lib. 7. cap. 20. ex Varronis authoritate ruſticum quēdam, qui mulum ſuum tollebat, Herculem appellatum fuiſſe ſcribit. Aul. Gel. lib. 2. cap. 11. innuit, etiā Achillis nomen iis eſſe factum, qui ingentis eſſent fortitudinis. Herculis autem nomē commune quoddam epitheton fortium virorum fuit, & eſt adhuc hodie: poetæque ex multis fortitudine præſtantibus, unum quoddam exemplum confinxerunt.

Gallica furia.

Proverbium eſt de Gallis, quod omnibus, frequens in ore eſt, præcipue Italis, furia Franceſe. Natum puto ab eo, quod in Gallis Livius & Iulius Cæſar obſervarunt: quorum ille, prima illorum prælia pluſquam virorum, poſtrema minus quam fœminarum eſſe dixit: hic ut ad bella ſuſcipienda Gallorum alacer ac promptus eſt animus, ſic mollis ac minime reſiſtens ad calamitates perferendas. Qui bile tantum copioſa concitantur, magno illi quidem animi impetu moventur, ſed fere repentino, ac quaſi vento ſive fumo mox deficiente. Illud enim fere hujuſmodi homines habent, quod apud Homerum in Agamemnone Achilles vituperat: canibus ſimiles ſunt, in laceſſendo quidem procaces ac petulantes, verum icti mox fugiunt. [illegible] enim vocat,

hoc eſt, audacem & temerarium in provocandis aliis, at parum in dimicando conſtantem. (Gallorum audaciæ meminit præter alios Ariſtot. iij. Ethic. ad Nicomach. cap. vij. & Eraſm. in prov. Gladia torto animo, Ælian. de varia hiſtor. li. 12.)

Elata manu.

Vulgatiſſimus Hebraiſmus, quo indicatur aliquid vi, & invito aliquo fieri: ut cum exercitus per alienos fines invito domino tranſit. Itaque tum milites manum extollunt. hoc eſt, elato ſigno incedũt. Sic Iſraelitæ ex Ægypto migraſſe dicuntur in manu excelſa, Exodi 14. hoc eſt elata manu, audacter, & invitis Ægyptiis. Eodẽ modo Deus eos eduxiſſe dicitur elata manu. Atque hunc Hebraiſmum Galli quoque ad verbum ſic exprimũt, à main fortes & Germani ſic, mutchwilliglich ſündigen. Caſtellio Numer. 15. pro data opera, accipit: Qui verò data opera fecerit (videlicet cõtra legem) Iovam deſpicatus eſt, de ſuorum numero excinditor, quoniam Iovæ dictum contempſit, ejusque præceptum violavit. Manus extollit adverſus Deum, & eo vetante tamen perrumpit.

Vbi mures ferrum rodunt.

Hoc dicitur, quum ſignificamus, illic oportere eſſe homines præſtantiores, ubi mures ferrum rodunt. Idem ibidem: Veniſti huc, ubi mures ferrum rodunt, quaſi diceret: Si mures hic ferrum, rodunt, quales nos eſſe putas? Theophraſtus author eſt Syaro lib. 9. De hiſt. plant. cap. 18 (ut refert Plin. lib. 8. cap. 57. Mures in Gyaro inſula, cum incolas fugaſſent, ferrum quoque roſiſſe. Non diſſimile illud ejusdem Senecæ, De beneficiis lib. 5. cap. 16. Armatus ſit oportet, quem oderim.

Decianum ſacrificium.

Decianum ſacrificium proverbialiter dicitur, quum dux pro ſervando exercitu mortem nõ invitus obit, Deciorum exemplo, Romanorum fortiſſimorum: qui tanta patriam charitate complexi, ut pro ejus ſalute ſe diis manibus etiam ultro devovere non dubitarint: pater quidem bello Latino, filius bello Hetruſco; nepos verò eo bello, quod Pyrrhus pro Tarentinis geſſit. Cic. j. Tuſcul. 5: mors timeretur, non cum Latinis decertans pater Decius, cum Hetruſcis etiam filius, cum Pyrrho nepos, ſe hoſtium telis objeciſſent. Claud. in Panegyr. Honorii & Arcadii:

His ego non pulchros Decios, forteſque Metellos
Prætulerim, &c.--

Hoc proverbio utitur Budæus.

Leones.

Galli ſtrenuos, fortes, audaces, & egregie pugnantes, Leones proverbii vice appellare conſueverũt: ſiquidem, ut Plinius docet lib. 8 cap. 16. cum pro catulis fœta dimicat, oculorum aciem traditur in terram defigere, ne venabula expaveſcat. Quod & Homerus ſignificat Iliad. lib. ρ. quando de Leone dicit:

--Ο'σσε καλύπτων.

Contra Demonax Cynicus apud Lucianum, athletas ſui temporis leones dici teſtatur, cũ non viriliter, ſed male & ignaviter pugnarent, præterque legem eisdem cõſtitutam ſe mutuis morſibus peterent & configerent: Non injuria, inquit, ſi qui ſpectant noſtra tempeſtate athletas, Leones vocant. Simile quiddam refert Plutarchus de Alcibiade: qui cum puer adhuc eſſet in lucta quadam preſſus, ne caderet, prementis manus ad os attraxit, mordicusque impetit: ſicque dimiſſus ab eo dicente, Mordes ô Alcibiade tanquam mulieres? Nequaquam, inquit, ſed ut leones. Mulierum enim & puerorum eſt, mordicus certare. Vide alibi, Mulierum ritu altercari.

Vtroque cornu bovem continere.

Et hoc quidem proverbii loco uti poſſumus, cũ in alicujus poteſtatem rem quampiam facilè trahi poſſe, innuere voluerimus. Sumptum ex Demetrii Phalerei dicto, quod habetur apud Strabonem lib. 8. Geograph. Nam cum Philippo Demetrius perſuadere conaretur, ut arces duas occuparet, Acrocorinthũ videlicet, & Ithonem (fieri enim ut his captis, facillimè tota Peloponneſo potiretur) his verbis uſum fuiſſe ait: Vtroque cornu bovem continebis. Ithonem quidem & Acrocorinthum, cornua: Peloponneſum verò bovem nuncupans. Sic Daniel. cap. 7. Cornua potentiſſima regna demonſtrant. Habet enim cornu dictio, metaphoram potentiæ ac roboris, ſumptam à quadrupedum animalium potentia, quorum robur cornua ſunt.

Tortus tortore fortior.

Tortus tortore fortior, proverbiali ſchemate de maximo animi robore, cum victori victus inſultat. Prudent. Steph.

Gaudet, renidet, provocat
Tortore tortus acrior.

Quaſi lupus in armis.

Fuit opinio olim, lupum armis validum, tergo infirmum eſſe, Plautus apud Nonium: Quaſi lupus in armis valeo, clunes infractos gero. Ita in proverbialem prope ſententiam, ut ex hoc Plauti loco apparet, abuſſe videtur.

Ὀρθὰν τὰν ναῦν.

Proverbium Græcum, ortum habens ex apophthegmate nautæ cujusdam Rhodii (ut teſtatur Ariſtides in oratione Rhodiaca) qui cum in alto tempeſtate premeretur, & naufragium jamjam facturus videretur, in hæc tandem verba prærupit: ἀλλ' ὦ Πόσειδον, ἴσθι ὅτι ὀρθὰν τὰν ναῦν καταδύσω. Quorum verborum ſenſus hic eſt: At Neptune, rectam, ut ſcias, navem demergam. Indicabat autem his verbis nauta, nihil ſe præter decorum, & quam res poſtularet, facturum, verum omni ſuo prius ſatis facturum officio, quã navis periret. Atque hinc ad alios poteſt hoc dictum referri, qui dũ periculoſis funguntur muneribus, nec omnem poſſunt eventũ præſtare, officium tamen ſuum à nemine patiuntur requiri: quodque ſolum poſſunt efficere, id nunquam, donec vivant, omittunt. Cicero in altera ad fratrem. Quintum epiſtola: Cætera fuerunt in eadem epiſtola graviora: quam vellem. ὀρθὴν τὴν ναῦν, & τὰ περὶ ſ... Nec aliter videtur hoc uſurpaſſe dictum Quintus, quam ut oſtenderet quãvis in provinciis non rectè ſuccederent omnia, ſibi tamen id imputari non debere, qui nullum ad rempub. [illegible] gerendam moveret lapidem, vitamque mallet profundere quam ab officio latum unguem, quod ajunt, diſcedere. Quapropter, inquiebat, quemadmodum ſi gubernator navim non niſi rectam patiatur demergi, id ejus fidem & induſtriam comprobaturum; quod accipiet meo tempore detrimentum reſpubl. nihilominus hoc illi, dum conſiliis meis recta ſtabit, & a nemine labefactata, continget: ſiquidem omnem fortunæ præſtare eventum, meum non eſt. Ac ſimiliter intelligenda ſunt hæc Senecæ verba: Qui potuit dicere, Neptune, nunquam hanc navem niſi rectam: arti ſatis fecit. tempeſtas non opus gubernatoris impedit, ſed ſucceſſum. Hæc quidem in hunc ſenſum interpretatus eſt doctiſſimus ac diligentiſſimus vir Guilhelmus Canterus Vltrajectinus noſter.

Athenienſis.

Græcis eſt peculiare, & ab omnibus jactatum, pro eo quod Latini dicunt, Romanus vir. Plato in Axiocho, de contemnenda morte. Annon circumſpectè conſiderabis naturam, vir tanta ætate, & rationi obſequens, utque nihil aliud, Athenienſis?

Romanus vir.

Romanus vir, proverbialiter intelligitur gravis, ſeveruſque & propoſiti tenax, atq; ἀπαραίτητος; quales priſci illi fuere Romani, rigidi homines, etiam in plectendis capitali ſupplicio liberis. Plutarchus in Paulo Æmilio hoc uſus eſt, Romanum virum uxori ſuæ nuncium remiſiſſe. Græcis itidem dicitur, Athenienſis, de quo ante.

Contraria fortitudo timiditati.

Plato in Protagora item: Fortitudo à natura, debitaque educatione.

Verendus & acer.

Ficinus in Timæum: Parmenides autem, ut Homericis verbis utar, verendus mihi acerque videtur.

Cunctos umbone repellet.

Id de iis dici ſolitum, qui velut umbone clypei obſtantes rejiciunt niſi corporis, aut laterum firmitate. Martial. lib. v. epigr. xcij.

-- Cunctos umbone repellet.

Suetonius de Acilio Cæſaris milite: Tranſivit in navem, umbone obvios agens, id eſt, orbe clypei.

Achilles.

Strenui bellatores, & inſigni fortitudine homines, Achilles dicuntur: quod Eraſmus noſter ex Gell. lib. ii. cap. xi. etiam animadverterit. Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos:

Naſcetur vobis expers terroris Achilles.

id eſt, μεγαλόθυμος. Idem prope Thetidi Proteum dixiſſe, narrat Ovid. in xj. Metamorph.

Namque ſenex Thetidi Proteus prædixerat undæ:
Concipe, mater eris juvenis, qui fortibus auſis
Acta patris vincet, majorque vocabitur illo.

Vide ante, Non es tu Achillis filius.

Hoſtibus pectore notus.

Idem Catullus ibidem:

Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus.

POLYDORI VERGILII.

Stylo ferreo ſcribit.

De eo qui quod ait mutare non vult: quod literæ ſcalpello ferreo inciſæ non facile deleantur. Hier. xvij.

PETRI GODOFREDI.

Vnus lanius non timet multas oves.

Verbum eſt Alexandri, cum minimo inſtructus exercitu pugnaturus eſſet adverſus Darium, multis myriadibus militum ſtipatũ. Vtemur in conſimili quoque, ut literaria in ſcribendo vel dicendo in multos victoria fortiter ſperata.

BOVILLI, *Pons à tergo abruptus eſt.*

Quoties monebimus, in ſola virtute, & animi robore ſpẽ eſſe, neque

neque ſubſidium aliunde amplius expectari, imò ne effugia reſtare, ac proinde aut rem cum laude conficiendam eſſe, aut alioqui turpiter pereundum ſolent pugnaturi in ſumma deſperatione militi equos adimere, pontes aliaque effugia eripere quo, niſi turpiter cædi malint, animoſius in hoſtem procurrant. Tale fuit ſtratagema Helvetiorum: tale item Caroli Martelli, cum ſecundam cum Agarenis pugnam depugnaturus eſſet.

G. G[illegible]TII. *Μονομερής.*

Quaſi dicas, unimembris Dictum de argumento Achilleo, vel actione validiſſima & perpetua, quæ repellat facile adverſarium. Vtitur Vlpian. in cap. 13. de jurejur. Et quaſi, inquiens, μονομερὴς condictio dari debet adverſus furis hæredem, puta quæ nullo adminiculo præſcriptionis objecto repelli poteſt. Sumptum à rhetoribus Græcis, qui ſolebant μονομερῆ, διμερῆ, τριμερῆ, ἀγωγὴν vocare: quarum prima ſemel intentata, exceptione nō poteſt eludi: ſecunda bimembri, hoc eſt, exceptione reus partibus actoris fungebatur: tertia juvabat viciſſim intentionem actoris ad oppugnandam exceptionem adverſarii: vulgo Replicatio. Inde (etſi alio fere ſignificatu) μονομερῶς agere dicitur is, cujus adverſarius in judicio non adſuit: ex quo Eremodicium contingit. Vtitur Paulus in cap. ult. ad Trebell.

FORTVNÆ COMMVTATIO.

ERASMI. *Teſtulæ transmutatio.*

Ὀστράκου περιστροφή, id eſt, Teſtulæ converſio. De rebus repente in diverſum commutatis. Lucianus in Apologia περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων: τέλος πάντων ἐκλαθόμενος, ὀστράκου φασὶ μεταπεσόντος, ἑκὼν σεαυτὸν φέρων ἐς δουλείαν ἅπτῃ, περιφανῆ καὶ ἐπιδοξόν τινα, id eſt, Deludē obitus omnium, teſtula, ut ajunt, trāſmutata, volens ipſe ſemet in ſervitutem uſque adeo manifeſtariam & inſignem conjecit. Incertum, utrum ſumpta ſit metaphora à ludi genere quodam, quem oſtracinda Græci vocant (hunc innuit Plato in amatoriis, nempe in Phædro: Φυγὰς, inquit, γίγνεται ἐκ τούτων, καὶ ἀπεστερηκὼς ὑπ' ἀνάγκης, ὁ πρὶν ἐραστής, ὀστράκου μεταπεσόντος, ἵεται φυγῇ μεταβαλών. ὁ δὲ ἀναγκάζεται διώκειν ἀγανακτῶν καὶ ἐπιθεάζων. id eſt: Tandem profugus fit ab his, & dum neceſſario privatus eſt is, qui prius erat amator, teſtula in diverſum verſa, fuga ſe proripit immutatus. At ille cogitur inſequi, indignans, deosq; obteſtans:) an ab Oſtraciſmo, ſuffragiorum genere quodam, quod per calculos ac fabas ferebatur: in hoc repertum, ut per id cives, qui vel opibus immodicis, vel nobilitate, vel gloria, vel alia quavis inſigni virtute multitudinis invidiā in ſe provocaſſent, in exilium decēnē relegarentur. Hoc pacto fuit ejectus & Ariſtides: nō aliam ob cauſam, niſi quod moleſtum eſſet populo Iuſti cognomen illi vulgo tributum. Ferebatur autem oſtraciſmus ad hunc modum. Oſtraci, id eſt, teſtulæ viritim in comitiis dabantur. In eis, quem quisq; vellet urbe cedere, literis inſcriptis indicabat: hos deinde omnes in fori locum quendam cancellis circumſeptum, deportabāt. Porrò magiſtratus, quibus hoc datum erat negotii, primum adverſos recēſebant: qui niſi plures ſex milibus fuiſſent, nihil cōficiebatur. Deinde ſemotis uniuscuiusque calculis, is qui pluribus calculis damnatus erat, ad decennium in exilium ire jubebatur: ita tamen, ut illi liberum interim eſſet, fructus ſuos accipere. Erat itaque oſtraciſmus non improbitatis caſtigatio, ſed vulgaribus animis inſitæ invidiæ placatio. Antiquatus eſt autem hic oſtraciſmus, ejecto per hunc Hyperbolo quopiam, homine contempto atque humili. Hujuſmodi ferme referuntur a Plutarcho in vita Ariſtidis. Ab hoc igitur oſtraciſmo, quoniam magna vulgi licentia ac temeritate peragebatur, ac repente præſtantiſſimi cujusque civis fortunam commutabat, non abſurde videri poteſt ductum adagium. De luſo oſtracorum, Iulius Pollux, in hunc fere modum tradit. Pueri ducta in medio linea, duas in partes ſeſe diſtribuebant: quarum altera intra oſtracum, altera extra dicebatur. Deinde mittente quopiam ad lineam teſtam, utrius partis ſuperior extitiſſet aliquis, hunc inſequebantur, qui illi adhærebant, reliquis in fugam converſis. Cæterum è fugientibus qui comprehenſus eſſet, is conſidebat, aſinus dictus: teſtaque projecta dicebat, Nox dies. Nam interior teſtæ pars pice ſublita erat, quæ nocti reſpondebat. Hoc antē luſus genus appellabatur ὀστράκου περιστροφή id eſt, Teſtæ converſio. Plato lib. de repub. 6 videtur ad luſus genus referre, quum ita loquitur: τοῦτο δὴ ὡς ἔοικεν οὐκ ὀστράκου ἂν εἴη περιστροφή, ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος οὖσαν ἐπάνοδον. id eſt: Iſtuc tamē ut videtur non fuerit teſtæ converſio, ſed mentis circunductio, ex nocturno quodā die ad ejus quod vere eſt aſcenſum euntis. Agit de philoſophia, quæ a falſis bonorū ſimulacris educit animum ad verorum bonorum cognitionem.

Alia vita, alia dieta.

Ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα: id eſt, Alia vita, alia vivendi ratio. In eos quadrabit, qui commutata in melius fortuna pariter & vitæ rationem moresque commutant. Tranſlatum ab iis, qui lautius incipiunt vivere, ubi res lautior obtigit. Huc alluſit Ariſtophanes in Pluto, cum ait:

> Ἐπειδὴ πλουτεῖ, οὐκέθ' ἥδεται φακῇ.
> Πρὸ τοῦ δ' ὑπὸ τῆς πενίας ἅπαντ' ἐπήσθιεν.

Id eſt:

> Dein divitem factum, nihil jam lens juvat,
> At pauper antehac devorabat quælibet.

De juvene, jam anum amicam faſtidiente, poſteaquam deſiiſſet egere. Alluſit huc Horatius:

> Non eadem eſt ætas, non mens. ———

Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.

Diverſa metaphora rem eandem explicuit Theocritus in Batto:

> Χὡ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Id eſt:

> Nunc pluit. & claro nunc Iuppiter æthere lucet.

id eſt: Aliquando res adverſæ ſunt, aliquando ſecundæ: quemadmodum cœlum nunc ſerenum eſt & placidum, nunc turbidum ac tempeſtuoſum. Huic affinis eſt allegoria Pindarica, è Pythiis hymnis: non ſemper eosdem flare ventos, ſed nunc hos, nunc alios:

> Ἄλλοτ' ἀλλοῖαι πνοαὶ ὑψιπετᾶν ἀνέμων.

Id eſt:

> Alias alii flatus, ſublimiter volantium ventorum.

Idem in Iſthmiis, hymno iiij. ἄλλοτε δ' ἀλλοῖος οὖρος πάντας ἀνθρώπους ἐπαΐσσων ἐλαύνει. id eſt: Sed alias alius ventus omnes adflans agit.

Cum Deo quisque gaudet & flet.

> Ξὺν τῷ θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κ' ὀδύρεται.

Id eſt:

> Deo volente, quisque ridet atque flet.

Admonet adagium, rerum humanarum celerem eſſe commutationem: neque in nobis ſitum, ut res perpetuo ſecundæ ſint, verum utcunque fortunæ lubitum fuerit, ita vel ſecundis rebus attollimur, vel adverſis affligimur. Extat hic verſiculus apud Sophoclem in Ajace flagellifero. Idem ſibi vult illud Euripideum ex Iphigenia Aulidenſi:

> Οὐκ ἐπὶ πᾶσίν σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς,
> Ἀγάμεμνον Ἀτρεύς.
> Δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι.
> Θνητὸς γὰρ ἔφυς, κἂν μὴ σὺ θέλῃς,
> Τὰ θεῶν οὕτω βουλόμεν' ἔσται.

Id eſt:

> Non te ſevit ad omnia læta
> Agamemnon Atreus.
> Gaudere atque dolore neceſſe eſt:
> Mortalis enim es: Sin tu nolis.
> Tamen eveniet: ſic diis placitum.

Cum Deo fit Græcis, quod fit favente numine: contra, Sine deo, quod abſque deorum favore. Pindarus in Pythiis. hymno v. ἀθεεὶ ἄτερ, id eſt: Non ſine diis Idem ejusdem operis hymno 9.

> Ὠκεῖα δ' ἐπειγομένων ἤδη θεῶν πρᾶξις, ὁδοί τε βραχεῖαι.

Id eſt:

> Velox actio jam diis accelerantibus, brevisque viæ,

Rurſum hymno decimo.

> θεῶν τελεσάντων,
> Οὐδέν ποτε φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον.

Id eſt:

> Quum dii peregerint, nihil videtur eſſe incredibile.

Et Vergilius:

> Haud equidem ſine mente reor, ſine numine divum.

Ita quod præter ſpem ultro obtingit, Divinitus fieri dicitur. Ariſtoph. in Equitibus:

> Ἀλλ' ὁδὶ προσέρχεται.
> Ὥσπερ κατὰ θεὸν εἰς ἀγοράν.

Id eſt:

> Sed ipſe in concionem prodit huc,
> Tanquam Deo volente.

M. Tullius in Verrem actione v. Qui Metello divinitus hoc venit in mentem? Et Horat. lib 3. Ode. 4.

> Non ſine diis animoſus infans.

Et, σὺν ταῖς Μούσαις, id eſt, Muſis faventibus. σὺν τοῖς θεοῖς: id eſt, Diis bene juvantibus. Feſtivum eſt, quod de Stratonico refert Athenæus lib. 8. Is quum eſſet parum inſignis citharœdus, haberetque in ludo ſuo novem Muſarum imagines, & Apollinis unam, diſcipulos duos, rogatus a quopiam quot haberet diſcipulos, σὺν θεοῖς, inquit δώδεκα: ludens amphibologia. σὺν θεοῖς, accipi poteſt, annumeratis diis, aut diis faventibus. Porro veteres præcipuum numen tribuebant fortunæ cui tribuitur quicquid feliciter aut ſecus evenit: de qua Demoſthenes in oratione ad Philippi epiſtolā: μέγα γὰρ ῥοπή, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον ἡ τύχη ἐστὶ πρὸς ἅπαντα τῶν ἀνθρώπων πράγματα, id eſt: Magnum enim momentum, imo verius totum eſt ipſa fortuna ad omnes hominum actiones, Item Æſchines in Apologia, [illegible] ἡ τύχη πάντων ἐστὶ κυρία, id eſt: In fortunæ manu ſunt omnia.

Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca.

Verſus eſt Heſiodi in lib. De obſervatione dierum auſpicatorum atque inauſpicatorum, qui deinde in proverbium abiit, longo hominum ævo probatus, ut apud Gellium refert Phavorinus philoſophus, is eſt hujuſmodi:

> Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτηρ.

Id eſt:

> Ipſa dies quandoque parens, quandoque noverca eſt.

Eo

Eo verſu ſignificatum eſt, non omni die bene eſſe poſſe, ſed iſte bene atque alio male. Inde tranſlatum, quod matres bene volunt liberis, novercæ oderunt privignos. Proinde Plinius dubitare ſe dicit, utrum natura ſæpius noverca ſit, an mater, ut quæ tot venena, tot item remedia progignat.

Omnium rerum viciſſitudo eſt.

Terentius in Eunucho: Omnium rerum viciſſitudo eſt. Quæ ſententia ſignificat, in rebus mortalium nihil eſſe perpetuum, nihil ſtabile ſed omnia velut æſtuario quodam fluxuque decedere atque accedere. Atque his vicibus fortunæ, ab aliis ad alios transferuntur imperia, opes, gloria, voluptas, eruditio: denique quicquid eſt aut accommodorum aut incommodorum. Sophocles in Oedipo Coloneo has rerum humanarum vices eleganter deſcribit:

-- Μόνοις οὐ γίγνεται
Θεοῖσι γῆρας, οὐδὲ κατθανεῖν ποτε
Τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος,
Φθίνει μὲν ἰσχὺς γῆς, φθίνει δὲ σώματος.
Θνήσκει δὲ πίστις, βλαστάνει δ' ἀπιστία.
Καὶ πνεῦμα ταὐτὸν, οὔποτ' οὔτ' ἐν ἀνδράσιν
Φίλοις βέβηκεν, οὔτε πρὸς πόλιν πόλει.
Τοῖς μὲν γὰρ ἤδη, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ
Τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται, καὖθις φίλα.

Id eſt:

Quorum carminum ſententiam utcunque reddemus:

-- Solis deis
Nunquam ſenecta moleſta, nec mors accidit.
At reliqua miſcet cuncta tempus impotens,
Terræ per hoc vis atque robur interit,
Simulque noſtri corporis perit vigor.
Moritur fides, perfidia pullulat invicem.
Nec animus idem, nec eadem fragrantia
Haud unquam amico durat erga amiculum,
Nec civitati in civitatem permanet.
Siquidem his ſtatim, illis poſt puſillum temporis,
Iucunda quæ fuerant, amata ac triſtia, &
Ingrata dudum grata fiunt invicem.

Homerus idem Iliados ζ.

-- Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Id eſt:

Nunc his nunc illis contingit vincere.--

Item Iliados σ.

Ξυνὸς ἐνυάλιος, καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Id eſt:

Communis Mars inque vicem perimit perimentem.

Neque verò prætereundum hoc loco belliſſimum ejuſdem poetæ figmentum de duobus doliis, ex quibus Iupiter varie miſcet res mortalium. Carmen extat in Iliados ultimo libro, quod non ab re fuerit adſcribere:

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
Δώρων οἷα δίδωσι, κακῶν, ἕτερος δὲ ἑάων.
Ὧ μέν κ' ἀμμίξας δώῃ Ζεὺς τερπικέραυνος.
Ἄλλοτε μέν τε κακῷ ὅγε κύρεται ἄλλοτε δ' ἐσθλῷ,

Id eſt:

Dolia namque Iovis duo ſtant in limine, plena
Muneribus quæ is donat: in hoc mala ſunt, bona in illo.
Hinc miſcens diſpenſat acuto fulmine gaudens,
Nunc mala diſtribuens ac triſtia, nunc bona rurſum.

Tractum videtur adagium ab Æſopi reſponſo. Is enim rogatus, autore Laertio, quid ageret Iupiter? reſpondit, τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψοῖ. id eſt: Deprimit excelſa, & tollit humilia.

Euripides in Ione:

Τὰ θνητὰ τοιαῦτα, οὐδὲν ἐν ταὐτῷ μένει.

Id eſt:

--- Ejuſmodi mortalium
Sunt res, ut in eodem nihil duret ſtatu.

Euripides in Iceridibus:

Ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν.

Id eſt:

Fortuna cuncta verſat in contrarium:

Theognis in ſententiis:

Ζεὺς γάρ τοι τὸ τάλαντον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν ἄλλοτε δ' οὐδὲν ἔχειν.

Id eſt:

Nunc etenim huic libram inclinat, nunc Iupiter illi,
Ut modo ſis dives, nil modo poſſideas.

In quibus verſibus Theognis, ut illud obiter indicem, alluſit ad ad locum Homericum in Iliados θ. ubi Iupiter aureis lancibus expendit Trajanorum ac Græcorum fata. Fertur in eandem ſententiam hujuſmodi verſiculus:

Τὰ θνητὰ πάντα μεταβολὰς πολλὰς ἔχει.

Id eſt:

Varias vices res obtinent mortalium.

Celebratur & hoc dictum, κύκλος τὰ ἀνθρώπινα: id eſt, Circulus res mortalium: ut ſubaudias, ſunt: quod circumagantur, & velut in orbem recurrant, fortuna verſante rotam. Item Pindarus in Therone:

Ῥοαὶ δ' ἄλλοτ' ἄλλαι
Εὐθυμιᾶν τε μετὰ
Πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν.

Quorum carminum ſenſus eſt: Iucunda ac triſtia, æſtus in morem, viciſſim accidere mortalibus. Homerus locis aliquot appellat ἑτεραλκέα νίκην: id eſt, victoriam alternatim nunc his nunc illis obtingentem.

Multa rota volventur.

Proverbialiter extulit, & ad eandem pertinet ſententiam, quod proxime conſequitur.

Πολλοὶ ἀνκέτυνοι ἔτι τροχὸν ἅρματος ἵπποι.

Id eſt:

Permultis volvetur adhuc rota mota caballis.

Id eſt: Multum adhuc temporis reſtat, multæque rerum incidere mutationes. Quod quidem adagium & hodie noſtrati vulgo in ore eſt. Frigidius enim eſt, quod quidam interpretantur de curminibus Olympiacis, de quibus illic non agit poeta in carmine Bucolico.

Fortuna æſtuaria.

Τύχη εὔριπος, id eſt, Fortuna Euripus ſive volubilis: quod viciſſim nunc huic favere ſoleat, nunc illi De qua Bœotius:

Exæſtuantis more fertur Euripi.

De mari Euripo, alio diximus loco. Quemadmodum autem mare habet acceſſus ac receſſus æſtuarios, ita nihil eſt in rebus humanis perpetuum. Nullum autem mare crebrius aut celerius recurrit quam Euripus: Pindarus in Pythiis hymno iij. metaphoram ſumpſit a ventis: χρὴ πρὸς μακάρων τυγχάνοντ' εὖ πασχέμεν. ἄλλοτε δ' ἀλλοῖαι πνοαὶ ὑψιπετᾶν ἀνέμων. ὄλβος δ' οὐκ ἐς μακρὸν ἀνδρῶν ἔρχεται. id eſt: Oportet ubi contigerit à diis, frui: Cæterum alias alius eſt ventorum flatus. Felicitas autem mortalium, non venit diu manſura. Interpres citat verſus Euripidis:

Κάμνουσι γάρ τοι καὶ βροτοῖς αἱ συμφοραὶ,
Καὶ πνεύματ' ἀνέμων οὐκ ἀεὶ ῥώμην ἔχει.

Id eſt:

Quin & laborant calamitates hominibus,
Nec habent vigorem ſemper auræ flamina.

Fors domina campi.

In creandis magiſtratibus nō ſemper vincebat, qui potior eſſet, ſed cui fortuna favebat. Nam a populi ſuffragiis res omnis pendebat. M. Tullius in Piſonem: Sed omitto ut ſit factis uterque noſtrum, ſit ſane Fors domina campi: magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum.

Multa in medio.

Antea commemoravimus.

Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.

Idem alia metaphora extulit M. Tul. ad Attic. lib. vj. epiſt. ſibi nil ſani: Non quo me aliquid juvare poſſes, quippe res in manibus, tu autem habes longe gentium.

-- Πολλὰ δ' ἐν μεταιχμίῳ.
Νότος κυλίνδει κύματ' εὐρείας ἁλός.

Ita Cicero ſentit multas rerum novationes exorituras, antequam Atticus, qui procul aberat, poſſit opitulari. Senarii ſunt, quos ita vertas licet:

Sed interim in medio Notus
Multas parentis volvit undas æquoris.

Inter manum & mentum.

Feſtus Pompeius indicat eſſe proverbium apud Latinos, ſed ex illo Græco ductum:

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Cujus originem ita refert. Quum Chalcas vitem ſereret, quidam augur vicinus præteriens, dixit illum errare. Nō enim ei fas eſſe, novum vinum deguſtare. Tantum colligere licuit è fragmentis, quæ nobis quorundam ſtoliditas ſupereſſe voluit ex autore undequaque doctiſſimo. Proverbium admonet, in hominum vita nihil eſſe certi. Nam ſæpenumero fit, ut quod nos maxime tenere credimus, caſus aliquis inopinatus intervertat. Veluti cum quis manu tenet poculum, minimumque ſpacii ſit inter manum & mentum, tamen interdum fit, ut is moriatur antequam bibat. Hoc proverbium variis modis effertur, ejuſque originem alii aliter prodiderunt: de quibus ſatis, opinor, dictum eſt in proverbio,

Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.

Hic ideo retulimus, quod aliis verbis commemoratur à Feſto in quibus nonnihil eſt gratiæ ex proſonomoſia, Manum & mentum.

Res in foro noſtro vertitur.

Plautinus Tranio in Muſtellaria: Ubi egomet video rem verti in meo foro: proverbialiter dictum, pro eo quod eſt, poſteaquam intelligo fortunas noſtras commutari in diverſum. Traductum à mercatibus, in quibus rerum precium, pro tempore ſæpenumero commutatur. Aut certe à judiciorum formulis, & explicandarum litium, cui diverſum eſt illud: In alieno foro litigare. Cognatum illi, Uti foro, quod alibi dictum.

Floccinis.

D. Auguſtinus lib. Adverſus Petiliani literas ij. cap. lxvj. irridens quod Adverſarius jactaret, quod ſuorum animabus impletum eſſet

eſſet cœlum, corporum memoria terræ floruiſſet, reſpondit: Sane de corporibus eorum multorum terrarum flores videmus. ſed, ſicut ſolet dici, flos cinis. Donatiſtæ ſuos qui ſibi manus attuliſſent, quive provocaſſent alios ut ab eis occiderentur, ni mallent occidi, in numerum martyrum referebant, eorum monumenta frequentantes: unde flores illos cinerem vocat. Dici ſolitum videtur in fugacitatem humanæ vitæ. Hodie floret juventus, cras erit in ſepulchro. Et juxta prophetam, Omnis caro fœnum.

Cataſtrophe fabulæ.

Cujuslibet exitum rei, proverbiali figura, cataſtrophen vocamus. Porro inter figuras proverbiales illud admonuimus, unicuique diſciplinæ atq; artificio ſua quædam eſſe peculiaria vocabula, quæ quemadmodũ in ſacrorum ceremoniis ac magicis precamentibus fieri conſuevit, pene ſuperſtitione quadam uſurpantur. Ea quoties in aliud quippiam trahuntur, fere proverbii ſpeciem obtinẽt: velut ex militari diſciplina, receptui canere, & locum deſerere, & prima acies, &, res ad triarios rediit. Ex muſica, præludium pro præfatione, aut ingreſſu negocii: ſumma & ima chorda, pro clamoſa & gravi voce: &, eadẽ oberrare chorda, pro eo quod eſt, in eadem re peccare ſæpius. Porro fabula omnis, ut oſtendit Donatus, in treis partes diſtribuitur, in πρότασιν, ἐπίτασιν, καταστροφήν. Protaſis eſt primus ille tumultus jam quaſi gliſcens. Epitaſis, turba fervidiſſima. Cataſtrophe, ſubita rerum commutatio. Unde Lucianus eleganter exitum eventumq; negocii cataſtrophen appellat, cum alias tum in commentario De mercede ſervientibus: ἐπὶ πᾶσι δὲ ἤδη αὕτη ἡ καταστροφὴ τοῦ δράματος γίνεται, id eſt. Poſt omnia denique quæ illis cataſtrophe fabulæ contigit, hoc eſt, quis exitus ſervitii. Et in Alexandro Pſeudomante: τοιαύτη τέλος τῆς Ἀλεξάνδρου τραγῳδίας. id eſt: Ejusmodi finis tragœdiæ Alexandri. Idem in vita Peregrini: αὖθις ὁρῶ γελῶντά σε ὦ καλὲ Κρόνιε τὴν καταστροφὴν τοῦ δράματος. id eſt: Rurſus video te ô bone Cronie ridentem fabulæ cataſtrophen.

Ubi non ſis qui fueris, non eſt cur velis vivere.

Cicero in epiſtola quadam lib. vij Familiarium, ſententiam hujusmodi veteris proverbii citat: Vetus eſt, inquiens, Ubi non ſis qui fueris, nõ eſſe cur velis vivere. Sumptum eſt à communi mortalium affectu, qui nihil minus tolerandum putant, quam ut inter eos neglecti, aut etiam notati vivant, apud quos aliquando cum ſplendore atq; autoritate ſint verſati: adeò ut exilium ubivis præoptent potius, aut etiam è vita decedere, quam mutatæ fortunæ pudorem perpeti. Id quod notavit Euripides in Hecuba, quam ita facit loquentem, ut dicat, ſibi pudorem in cauſa eſſe, quo minus obtueatur Polymneſtorem. Pudere enim in tam calamitoſo rerum ſtatu conſpici ab eo, cui aliquando viſa ſit florens. Idem in Alceſtide:

> Τί μοι ζῆν δῆτα κύδιον, φίλοι,
> Κακῶς κλύοντι, καὶ κακῶς πεπραγότι;
>
> Id eſt:
>
> Poſthac amici, cur mihi ſit vivere
> Cordi male audienti, & affecto male?

Ad eandem facit ſententiam, quod apud Sophoclem ait Aiax:

> Αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
> Κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.
>
> Id eſt:
>
> Eſt turpe, vitam prorogare longius,
> Quisquis malis nil explicat ſeſe ſuis.

Item paulò poſt in eadem tragœdia:

> Ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι,
> Τὸν εὐγενῆ χρή. --
>
> Id eſt:
>
> Verum aut decore vivere ingenuum virum
> Decet, aut decore oportere mortem.

Fertur hic quoque ſenarius:

> Ζῆν αἰσχρὸν οἷς ζῆν ἐφθόνησεν ἡ τύχη.
>
> Id eſt:
>
> Fortuna quibus invidit aſpera vivere,
> Hos indecorum ac turpe velle vivere.

Sed propius ad Ciceronis ſententiam accedit locus ille apud Euripidem in Hecuba, ubi Polyxena ratiocinatur, ſibi non eſſe cauſam cur optaret vivere, quod omnibus ornamentis priſtinæ fortunæ jam eſſet ſpoliata:

> Τί γάρ με δεῖ ζῆν, ᾗ πατὴρ μὲν ἦν ἄναξ
> Φρυγῶν ἁπάντων. τοῦτό μοι πρῶτον βίου.
> Ἔπειτ' ἐθρέφθην ἐλπίδων καλῶν ὕπο
> Βασιλεῦσι νύμφη. ---
>
> Id eſt:
>
> Quæ namque vitæ cauſa jam ſupereſt mihi?
> Ut cui pater rex omnium fuerit Phrygum:
> Etenim rudis mi lucis hoc initium.
> Dein ſpes in amplas educabar, regibus,
> Deſponſa. ———

Et reliqua quæ ſequuntur. Sunt enim longiora quam ut hic putem eſſe percenſenda.

Ad priſtina præſepia.

Εἰς ἀρχαίας φάτνας, id eſt, Ad priſtina præſepia. In eos dicebatur, qui vita quapiam lautiore excuſſi, ad priſtinam tenuitatem rediguntur. Aut contra de iis, qui reſtituuntur in priſtinam fortunam unde, exciderant: aut qui ad ſolitum contubernium ſeſe recipiunt. Translatum ab animantibus, quibus nota familiariaque præſepia gratiſſima eſſe ſolent. Uſurpavit & Plautus in Curculione: Tormento non retineri ferreo, quin reciperet ſe huc eſum ad præſepim ſuam.

A remo ad tribunal.

Ἀπὸ κώπης εἰς τὸ βῆμα id eſt, A remo ad tribunal. Dici ſolitum, ubi quis repente ab infima conditione provehitur ad honeſti muneris adminiſtrationem. Id quod haud ſcio an ulli contigerit felicius quam Iulio ſecundo Nam fama eſt, hunc juvenem ad ſtipem ſcalum remo ſubigere ſolitum & tamen à remulco non ſolum ad tribunal, verùm etiam ad ſummum illud rerum humanarum culmen evectus eſt. Nec contentus hoc faſtigio, Pontificiæ ditionis pomeria multum protulit: longius etiam producturus, ſi per mortis inclementiam vitam illi producere licuiſſet. Taxat Demadem oratorem Syrianus Hermogenis interpres, qui citra cognitionem artis, ſtatim ad agendas cauſas irruperit, ἀπὸ τῆς κώπης ἀνίπτοις τὸ τοῦ λόγου χερσὶν ἐπὶ τὸ βῆμα πηδήσας. id eſt, Qui illotis, ut ajunt, manibus à remo ad tribunal irruit.

Dionyſius Corinthi.

Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ, id eſt, Dionyſius Corinthi. Proverbialis allegoria, qua ſignificamus aliquem è ſumma dignitate atque imperio ad privatam humilemque redactum fortunam: quemadmodum Dionyſius Syracuſarum tyrannus expulſus imperio, Corinthi pueros literas ac muſicam mercede docuit. Cic. epiſt. ad Attic. lib. ix. De optimatibus: ſit ſane ita ut vis. Sed noſti illud: Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Quint. Inſtit. orat. lib. viij. Eſt in exemplis allegoria, ſi non prædicta ratione ponantur. Nam ut Dionyſium Corinthi eſſe, quo Græci omnes utũtur, ita plura ſimilia dici poſſunt. Hic Cic. cum ait, Noſti illud. & Quintil. Quo Græci omnes utuntur: nimirum uterque vulgo jactatum fuiſſe ſignificat. Cæterum unde natũ ſit adagium, Plutarchus aperuit in libello cui titulum, περὶ τῆς ἀδολεσχίας: id eſt, de futili loquacitate. Laudans enim breviter & graviter dicta, commemorat & illud à Lacedæmoniis reſponſum regi Philippo, bellum minanti ferocientique Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ. Quibus ubi rex reſcripſiſſet, ſi quando in Laconicam duxiſſet exercitum, everſurum ſe Lacedæmonios: verbo duntaxat reſpõderunt, αἴκα, id eſt, ſi. Plato ter navigavit in Siciliam, nõ ſine ſiniſtri rumoris aſpergine. Unde Molon, qui inimicum in Platonem gerebat animum, dicebat non eſſe mirum, ſi Dionyſius eſſet Corinthi, ſed ſi Plato in Sicilia. Regem enim urgebat neceſſitas. Platonem ſolicitabat ambitio.

Citius quam formica papaver.

Non caret adagii ſpecie, quod eſt apud Plautum in Trinummo: Conſit citius, quam ſi tu objicias formicis papaverem. Verba ſunt Staſimi ſervi, narrantis quadraginta minas intra quindecim dies fuiſſe conſumptas: utpote in comeſſationes, compotationes, balnea, in piſcatores, piſtores, lanios, coquos, olitores, myropolas, & aucupes diſſipatas, non aliter quam ſi papaver objicias agmini formicarum. Mox enim diſtrahitur acervus, dum unaquæque ſuum arripit granulum.

Nemo mortalium omnibus horis ſapit.

Plinius lib. vij. cap De præſtantia gentium: Si verum facere judicium volumus, ac repudiata omni fortunæ ambitione decernere, mortalium nemo eſt felix. Abunde igitur atque indulgenter fortuna decidit cum eo, qui jure dici non infelix poteſt. Quippe ut alia non ſint, certe ne laceſſat fortuna metus eſt. Quo ſemel recepto, ſolida felicitas nõ eſt. Quid, quod nemo mortaliũ omnibus horis ſapit? Utinamque falſum hoc, & non à vate dictum quã plurimi judicent. Ex quibus Plinii verbis conjicere licet, eam vocem, Neminem omnibus horis ſapere, velut oraculo proditam, in vulgi ſermonem abiiſſe. Senſus vel citra interpretem liquet: nẽpe neminem eſſe, qui nõ aliqua parte vitæ deſipiat ac peccet. Porro ſtulticiæ comes eſt infelicitas. Aut certe ſi quod incidit infortunium, id ſtulticiæ ſolet imputari. Eodem pertinet, quod paulò poſt eodem in loco ſubnectit: Aliis de alio judicat dies, ſupremus de omnibus. Extat apud Ariſtophanem in Ranis & hujusmodi ſenarius, quem illic indicat Euripidis eſſe:

> Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.
>
> Id eſt:
>
> Haud vivit ullus omnibus felix modis.

Item Euripides in Supplicibus:

> --- Τῶν γὰρ ἐν βροτοῖς
> Οὐκ ἔστιν οὐδὲν διὰ τέλους εὐδαιμονοῦν.
>
> Id eſt:
>
> Siquidem univerſis rebus in mortalium
> Nil continenter & undecunque proſperum eſt.

Ad eundem modum Horatius:

> -- Nil eſt ab omni
> Parte beatum.

Simonides apud Stobæum.

> Πάμπαν δ' ἄμωμος οὐδεὶς οὐδ' ἀκήριος.
>
> Id eſt:
>
> Nemo vacat prorſum malo, neque diſcriminis.

Pi-

Pitana ſum.

Πιτάνη εἰμὶ, id eſt, Pitana ſum. Zenodotus indicat, dici ſolitum de iis, qui in extremas redacti calamitates, ab iiſdem denuo in priſtinam felicitatem reſtituuntur. Sic enim eveniſſe quondam Pitanæ Æoliæ civitati. Nam hanc à Pelaſgis in ſervitutem redactam, Erythræi in libertatem priſtinam vindicarunt.

Quid alius condivit coquus, aliter condiam.

Vbi quis rem omnem novat ac perturbat, conveniet Plautinum illud ex eadem fabula, non dubium quin proverbiali dictum forma:

> Ibo intro ut id quod alius condivit coquus, ego nunc viciſſim
> Vt alio pacto condiam, quicquid prandii eſt, ut paratum ne ſiet,
> Sicque ei paratum, quod paratum non erat:

Bona nemini hora eſt.

> Bona nemini hora eſt, quin alicui ſit mala.

Ita fortuna temperavit res mortalium, ut quod huic lætũ eſt, alii pariat dolorem: quod alii lucro eſt, alii damnum adferat. Nemo diteſcit, niſi malo alterius. Nemo vincit in bello, niſi exitio alterius. Niſi mavis pro alicui, legere alicubi.

Oſculana pugna.

Feſtus Pompeius indicat, Oſculanam pugnam proverbio dici ſolitam, quoties victi vincerent. Idque inde natum, quod Valerius Levinus imperator, prius a Pyrrho victus, paulo poſt eundem regem devicerit. Citat Ticinium, qui hujus adagii fecerit mentionem. Quanquam hic quoque locus mutilus ac truncus eſt apud Feſtum.

Per manus tradere.

Quod ſucceſſione quadam ab aliis ad alios devenit, per manus tradi dicitur: Quod translatum videtur ab his, qui navim aut plauſtrum exonerant. Idem frequenter fit in militia. veluti in Commentario belli Civilis, Saxa, inquit, prærupta multis locis iter impediebant, ut arma per manus neceſſario traherentur, militeſque inermes ſublevati alii ab aliis magnam partem itineris conficerent. Rurſus belli Gallici libro ſeptimo. Quidam ante portam oppidi Gallus per manus ſebi ac picis traditas glebas in ignẽ è regione turris projiciebat. In eodem: Nonnullæ de muris per manus demiſſæ. Item libro viii. Tale conſilium ſui recipiendi inierunt: faſces ubi conſederant, per manus, ſtramentorum ac virgultorum, quorum ſumma erat in caſtris copia, inter ſe traditos, ante aciem collocaverunt. Verum hic nullus eſt tropus. Qui quoties accedit tranſit in ſpeciem proverbialem, quomodo frequenter obvium eſt apud autores velut apud Fabium lib xij. Non ea modo quæ conſcripta ſunt hiſtoriis, aut ſermonibus velut per manus tradita, quæque quotidie aguntur noſſe, verum ne ea quidem quæ à poetis ficta ſunt, negligere. Item Livius l. ab urbe condita v. Etiamſi nobiſcum urbe ſimul poſitæ, traditæq; per manus religiones nullæ eſſent. Idem lib. 9. *Tum diſciplina militaris jam inde ab initiis urbis tradita per manus, in artis perpetuis præceptis ordinatæ modũ venerat.* M. Tullius in oratione De provinciis cõſularibus: Nã ut C. Iulius omnibus à ſenatu eximiis ac novis rebus ornatus, per manus hanc provinciam, tradat ei cui minime vos velitis, Quin & Iure cõſultis Per manus tradi dicitur, quod de manu in manum datur. Veluti Papinianus libro Pandectarum xxix tit. de jure codicillorum: Quod per manus traditum eſt codicillis hæreditatem dari non poſſe, rationẽ illam habet, &c. Plautus in Trinummo: E manibus dedit ipſe mihi in manus. de Epiſtola loquitur. Fit autem jucundius, quoties ad res animi proverbium accommodatur: quemadmodum quum dicimus inſtitutum, aut opinionem, aut conſuetudinem, aut diſciplinam aliquam, per manus traditam ad nos veniſſe.

Rerum omnium viciſſitudo.

Variæ fortunæ vices, & nunc læta contingunt unicuique, nunc triſtia. Ad eam ſententiam applicabitur illud ex eodem libro:

> -- Ἀτὰρ θεὸς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλῳ,
> Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ.

Id eſt:

> -- Nunc huic, nunc Iuppiter illi
> Nunc læta immittit, nunc triſtia. --

IVNII. *Herculis cornu.*

Ἡρακλέους κέρας, id eſt, Herculis cornu, de affluentia bonorum omnium proverbialiter dicitur apud Dionem Chryſoſtomum. oratione ij. de Fortuna. ibi: τοῦτο ἦν ἄρα καὶ χρυσοῦς βίος, καὶ νῆσοι μακάρων πάντα αὐτόματα ἔχουσαι τροφὰς, Ἡρακλέους κέρας καὶ Κυκλώπων βίος. id eſt: Iſtud ipſum fuit & aureum ſeculum, & fortunatæ dictæ inſulæ, ſponte ſua proferentes alimentorum genus omne, & Herculis cornu, & Cyclopum victus. Adagium mere idem cum Amaltheæ cornu. de cujus origine, quia ab authoribus & prorſus diverſa prodi video, ab Eraſmo noſtro præterita, non luſurum me operam putavi, ſi in ſtudioſorum gratiam philologia hac acceſſione per me adjuvaretur: unde eluceſcet ratio cur Herculis cornu dicatur. Helenius, Acron & Porphyrion grammatici, in illud Horatii Odarum lib. j.

> ——Hinc tibi copia
> Manabit, ad plenum benigno
> Ruris bonorum opulenta cornu:

referunt adagii natalem ad cornu Fortunæ, quod Acheloo detractum victor Hercules Fortunæ donaſſe perhibetur. de quo ita Dion Pruſiæus: οἱ δὲ τἀληθέστερα γράφοντες τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας αὐτῇ διδόασι πλῆρες καὶ βρύον πάσης ὥρας, ὃ ἐν μάχῃ Ἡρακλῆς Ἀχελῷον ἀφήρπασε. id eſt: Qui veritati magis cõſona pingunt, dant Fortunæ cornu Amaltheæ, refertum omnigenis fructibus, quod in conflictu Acheloo defregit Hercules: ſubjicit paulò poſt: τὸ δὲ τῆς Ἀμαλθείας, (ita enim legi debet loco ἀπειλείας, quæ vox incuriã denotat) κέρας μηνύει τὴν τῶν ἀγαθῶν δόσιν τε καὶ εὐδαιμονίαν. hoc eſt: Amaltheæ cornu indicat bonorum largitionem & felicitatem. Euſtathius in commentariis Dionyſii Afri paulò aliter fabulatur, Acheloum videlicet pro lævo cornu per Herculem comminuto, Amaltheæ cornu muneris loco illi rependiſſe, cujus beneficio bonorum omnium affluentia utenti ſuppetebat. Quam fabulam ita ſanant quidam, dictitantes, Herculem cunctos ubivis gentium mortales ſibi beneficio devincire volentem, quum intellexiſſet Acheloum fluvium errabundis flexibus magnam Ætoliæ partem lancinare, atque ita variis foſſis, aggeribus, alveorumque alicibus regioni injurium, vim quodammodò adhibuiſſe, & ad moderationem revocaſſe ſuper vacuos amnis curſus, eaque cultura feraciorem agrũ reddidiſſe: qua ratione ſiniſtrum fluminis cornu incompoſitis ſinuoſiſque anfractibus inutile atque incolis infructuoſum, tractabile ac commodum præſtiterit: atque iſta eſſe Acheloi cornua exponunt, ſuperatam & compreſſam amnis injuriam, & repoſitam fœcunditatem. Palephatus narrat, Herculem aliquando Theſpiis Bœotiæ oppido commoratum fuiſſe, apud fœminam liberalis formæ, cui Amaltheæ nomẽ fuerit, poſtpoſito Iolai nepotis hoſpitio. quod quum iſte iniquius ferret, cogitaretq; peculium omne, quod in cornu bubulo illa aſſervabat in uſum Herculis, ſi quid emptitaret, furto auferre, factum eſt ut ſocii peregrinationis dicerent, Herculem habere cornu Amaltheæ, unde promeret affluenter ea omnia quæ ipſi forent uſui. Alii hanc ipſam Amaltheã anum faciunt ex mercimoniis opulentam, & quæ pleramque peculii ſortem è divenditis mercibus contractã, includere in cornu ab ejus nomine nuncupatum conſueverit: quod quia pecuniis refertum Hercules abſtulerit, ſplẽdide inde victitans, proverbialis ſermo increbuit, ex Amaltheæ cornu cuncta bona Herculi ſuppetere. Fuerunt & qui aliam commenti ſunt fabulam, fuiſſe in Lybia ditiunculam ſupra modum feracem, forma loci bubulo cornu nõ abſimili, a fœmina nomine Amalthea poſſeſſam, à cujus ſingulari fœcunditate fructuum genus omne copioſiſſimo proventu affundentis, natam parœmiæ originem autumant. Callimachi ſcholiaſtes Græcus Amaltheam capram, quæ Jovi lac præbuerit, ſcribit ex altero cornu ambroſiã fundere, ex altero nectar, creditam fuiſſe. Theon Alexandrinus in Arateis commentariis annotat, Capram iſtam mulierem fuiſſe Arcadicam, Iovis nutricem: Iovemque alumnum beneficii memorem, nutricis mortuæ pellem complicatam ſibi circumpoſuiſſe, ac inter aſtra retuliſſe, eamque eſſe Amaltheam. Parmeniſcus ait, Meliſſeo Cretæ regi alumnum fuiſſe datum Iovem infantem: cuius filiæ Dodonides quum lacte carerent, illum capram geminos hœdos enixam puero adhibuiſſe, nomine Amaltheam, quæ eum educarit, ejuſq; fœcunditatem proverbio locum dediſſe. Muſæus (hunc enim fabulæ authorem citant Hyginus & Baſſus, Aratæi commentarii author creditus) tradit Iovis nutrices Themidem & Amaltheam nymphas ab Ope matre delectas fuiſſe, ac poſtremam Amaltheam in deliciis habuiſſe capram incredibili lactis copia ſcatentem, cujus ille ubera ſuxerit. Diodorus Siculus Bibliothecæ libro quarto refert, Hammonem Libyæ patris regem virgini præſtanti forma Amaltheæ dictæ ſtuprũ obtuliſſe, procreata ex ea ſobole, ipſamque propinquæ oræ præfeciſſe, quæ quod bovis cornu ſpeciem imitaretur, occiduum cornu nuncupata ſit & Amaltheæ cornu, quod vineis & fructiferis omnis generis arboribus abundaret, poſteris eam appellationem transferentibus ad optimam & primæ feracitatis terram. Hactenus de origine. Socrates (ut Ioannes Stobæus commemorat) Amaltheæ cornu dicebat eſſe ſymbolum induſtriæ & ſedulitatis: illinc enim omnia manare bona illi, qui μέλλων, hoc eſt, ignavus & ſocors non pergat eſſe. Cornu namq; bovis animalis laborioſiſſimi, operarium ſignificare: uvas & alios fructus quibus cornu ſcateat, indicare affluentiam bonorum ex agricultura provenientium: cornu autem illud a bono Genio & Fortuna bonorum largitrice, utrinque ſuſtineri volunt. Philemo comicus per jocum Amaltheæ cornu pecuniam eſſe ait: cujus hi leguntur ſenarii:

> Τὸ τῆς Ἀμαλθείας δοκεῖς εἶναι κέρας,
> Οἷον γράφουσιν οἱ γραφεῖς, κέρας βοός;
> Ἀργύριόν ἐστι, τοῦτ' ἐὰν ἔχῃς, λέγε
> Πρὸς ὅ τι ἂν βούλῃ, πάντα σοι γενήσεται.

Id eſt:

> Tùne illud eſſe cornu Amaltheæ putas,
> Cujuſmodi pingit pictor cornu bovis?
> Argentea eſt moneta: quam qui poſſidet,
> Huic copioſe pro votis cuncta affluunt.

Phocylides agrum cornu Amaltheæ accipit, quod ad victum neceſſaria, & ſuſtinendæ vitæ alimoniam ſuppeditet, eo verſu:

Ἀγρὸν γὰρ τι λέγουσιν ἀμαλθείας κέρας εἶναι.

Phocion Peripateticus librum ſcripſit, multa variaq; hiſtoria refertum: inſcripſitq; κέρας ἀμαλθείας, teſte Gellio. Philoſtratus de Dione: Δίωνα τὸν προυσαέα, οὐκ οἶδ᾽ ὅτι χρὴ προσειπεῖν, διὰ τὴν ἐς πάντα ἀρετὴν. ἀμαλθείας γὰρ κέρας ἦν τὸ τοῦ λόγου. id eſt: Dionem Pruſæum haud ſcio quo nomine compellabo, propter mirificam in omni genere præſtantiam: erat enim juxta proverbium, Amaltheæ cornu.

Iſtud proverbium etiam commode ad locum Bona fortuna retuleris.

Homo Dei ludibrium.

Θεοῦ παίγνιον ἄνθρωπος, id eſt, Dei luſus homo, veteribus uſitatum proverbium: quo fortunæ jactatio ſignificatur, quæ pilæ in modum nunc evehit in altum, nunc ſolo allidit mortales: ſors enim pro Deo habetur, qua Deus probatur incertus, ut inquit Plinius. Syneſius lib. De providentia: καί μοι δοκεῖ παγκάλως εἰρῆσθαι, θεοῦ παίγνιον ἄνθρωπον εἶναι, παίζοντος ἀεί τινι παίγνια. id eſt: Recteq; dictum mihi videtur, quod homo ludibrium ſit Dei, ludentis ſemper in rebus mortalium, & quaſi aleam jacientis. Philoſtratus in Scopeliano ſophiſta, loquens de ejus parte, qui exhæredato filio coquum hæredem ſcripſerat, ſubjicit: συνίησιν δ᾽ ἡμᾶς τούτων, ὅτι οἱ ἄνθρωποι μὴ τοῦ θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀλλήλων παίγνια. id eſt: Ut vel ex hoc facto intelligere poſſimus, homines non Dei ſolum, ſed alterum quoque alterius eſſe ludibria. Zenon Imperator audita ſuorum ſtrage, in caſtellum, quod Conſtantinopoli cognomine erat, in edito tumulo ſitum, aufugerat, ingemiſcenſq; ob præſentium rerum calamitoſum ſtatum: Φεῦ, inquit, παίγνιον ὁ ἄνθρωπος, εἴγε καὶ ἐμὲ οὕτω παίζειν φιλεῖ τὸ δαιμόνιον. id eſt: Nimirum Dei ludibrium eſt homo, quandoquidem & mihi ita illudere amat fortuna. Huc ſpectat Plautina ſententia ex Captivis; Enim verò dii nos quaſi pilas homines habent.

BRASS. *Computatorum digiti.*

Computatorum digitos eleganti proverbio dicimus, qui variis & incertis fortunæ caſibus obnoxii ſunt. Plutarch. in Apophtheg. ὁ μέντοι βασιλέως ἀρταξέρξου γαμβρὸς ὀρόντης ἀτιμίᾳ περιπεσὼν δι᾽ ὀργὴν καὶ καταγνωσθεὶς ἔφη, καθάπερ οἱ τῶν ἀριθμητικῶν δάκτυλοι νῦν μὲν μυριάδας, νῦν δὲ μονάδα τιθέναι δύνανται, τὸ αὐτὸ καὶ τοὺς τῶν βασιλέων φίλους νῦν μὲν τὸ πᾶν δύνασθαι νῦν δὲ τὸ ἐλάχιστον, hoc eſt: Orontes Artaxerxis Regis gener, cum ob iracundiā, honorato loco excidiſſet: Quemadmodum, inquit, Arithmeticorum digiti nunc myriades, nunc autem unum tantum ſignificant: ita Regum quoq; amici ſive purpurati, nunc omnia, nunc autem nihil omnino poſſunt. Laertius hoc Soloni tribuit.

COGNATI. *Zonam deponere, vel amittere.*

Dicitur, qui vel adminiſtratione ſua functus eſt, aut cui ob delictum adempta. Juſtinianus in novellis conſtitutionibus, περὶ δευτερογαμιῶν: de pœna damnatas nuptias contrahenti infligēda, loquens: καὶ ἔστω αὐτῷ ἡ ποινὴ μὴ δημοσίας μόνον ἀλλὰ καὶ ζώνης ἀφαίρεσις καὶ ἐξορία. &c. Impp Honor. & Theodoſ. lib. Codicis 3. tit. ubi de ratiociniis tam publicis quam privatis agi oportet: Nemo poſt depoſitum cingulum ſuæ privatæ vitæ redditus ob negocium, quod militiæ cauſa eſt ei exortum præſtādi ratiocinii gratia ejus numeri, in quo militavit, vel quem ipſe geſſit à quocunq; pulſatus, fori præſcriptionibus utatur. Vide prov. Chiliad. Zonam perdidit.

Cataſtrophe vitæ.

Quinq; ſunt actus comœdiarum, non plures, ut inquit Horatius. In quarto autem actu fabula jam vergere ad exitum incipit, & inclinare ad cataſtrophen, quæ eſt clauſula omnium actuum: ſicut quintus actus ætatis humanæ, clauſula eſt actionū omnium. Sic autem multi hoc verbo metaphorice uſi ſunt, ac pro ipſa morte poſuerunt, quæ eſt extremus vitæ noſtræ actus. In Comœdiis res turbulentæ in lætum convertuntur exitum, In tragœdiis verò & in vita res lætæ triſtem ſortiuntur exitum. Unaquæque enim ætas tria habet momenta: principium quaſi florem: medium id eſt, vigorem: & præcipitium, id eſt, deſinentiam. Prima pars viridis, id eſt, immatura: ſecunda, adulta, tertia, præceps. Meminit Servius in lib. 5. Æneid. enarrans illum verſum:

Euryalus forma inſignis, viridique inventa.

Simile eſt de Charone in 6.

—Sed cruda Deo viridiſque ſenectus.

A Græcis tractum, qui ὠμογέροντας vocant, in prima jam ſenectute exiſtentes hoc eſt, ἄνδρας ἤδη καταβαίνοντας τῇ ἡλικίᾳ. Præceps verò ſenectus dicitur ætas jam decrepita. Curtius lib. 5. Ego cæteris lætus hoc uno torqueor, quod præcipiti ſenectute diu frui tua bonitate non poſſum, nonageſſimum & quintum annum agebat. Græcis καταστρέφειν τὸν βίον finio vitam. Vide in Chiliad. Eraſmi.

FORTVNATA STVLTITIA.

ERASMI. *Athenienſium inconſulta temeritas.*

Ἡ τῶν ἀθηναίων δυσβουλία: id eſt, Athenienſium inconſulta temeritas. Quadrat in eos, quibus male conſulta vertunt bene. Nam id olim vulgo tributum eſt Athenienſibus, quod ipſi quidem ſocorditer conſulerent, parumq; proſpicerent, verum Minerva civitatis præſes, illorum male inſtituta, bene vertere conſuevit. Simile eſt huic, quod hodieque vulgo dicunt: Eſt fortunatior quam prudentior. de quopiam non ſuapte induſtria, ſed fortunæ commoditate, ſucceſſu rerum utente. Eupolis apud Suidam & Athenæum libro 10 in Athenienſium mores:

Οὓς δ᾽ οὐκ ἂν εἵλεσθ᾽ οὐδ᾽ ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
Νυνὶ στρατηγοὺς ἔχομεν. ὦ πόλις πόλις,
Ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον, ἢ καλῶς φρονεῖς.

Id eſt:

Quos antehac nec præfici convivio
Quiſquam tuliſſet, nunc videmus ſcilicet
Belli duces. ô civitas, ô civitas
Fortunata ut es feliciore, quam ſapis:

Porrò Athenienſium incogitantiam notat & Ariſtophanes hoc verſu in Nubibus:

Φασὶ γὰρ δυσβουλίαν τῇδε τῇ πόλει προσεῖναι.

Id eſt:

Læva conſilia ferunt huic adeſſe civitati.

Quo loco interpres adſcribit fabulam hujuſmodi. Cum Neptunus à Minerva victus, non poſſet Attica regione potiri, iratus immiſit illis δυσβουλίαν, id eſt, læva ſtultaq; conſilia: hoc deinde vitium Athenienſibus ἐπιχώριον, hoc eſt, vernaculum fuiſſe. Idque Minervam non mutaſſe: cæterum quod illi male ſtatuiſſent, illa in bonos exitus vertebat. Alluſit huc idem Ariſtophanes in Veſpis.

Γλαὺξ γὰρ ἡμῶν πρὶν μάχεσθαι τὸν στρατὸν διέπτατο.

Id eſt:

Ulula noſtras ante pugnam pervolarat copias.

Eodem mihi leviter alluſiſſe videtur Demoſthenes, cum ait in Olynthiaca prima, in ipſa ſtatim fronte: ἀλλὰ καὶ τῆς ὑμετέρας τύχης ὑπολαμβάνω, πολλὰ τῶν δεόντων ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἐνίοις ἂν ἐπελθεῖν εἰπεῖν. id eſt: Sed & veſtræ fortunæ arbitror, nonnullis ex tempore venire in mentem, ut dicant ea quæ ad rem pertinent. Verum hoc vitii manifeſtius exprobrat illis in alia quadam oratione, dicens, alios homines ſolere conſultare prius, ac deinde rem aggredi: contra Athenienſes poſt rem factam tum conſultare. Theognis:

Πολλοί τοι χρῶνται δειλαῖς φρεσί, δαίμονι δ᾽ ἐσθλῷ,
Οἷς τὸ κακὸν δοκέον γίγνεται εἰς ἀγαθόν.

Id eſt:

Multis læva quidem mens eſt, ſed numina dextra,
Queis bene vertit & id quod temere inſtituunt.

Ariſtophanes in Concionatricibus:

Λόγος γέ τοι τίς ἐστι τῶν γεραιτέρων,
Ὅσ᾽ ἂν ἀνόητ᾽ ἢ μωρὰ βουλευσώμεθα,
Ἅπαντ᾽ ἐπὶ τὸ βέλτιον ἡμῖν ξυμφέρειν.

Id eſt:

Eſt ſermo quidam ductus à majoribus,
Fatua licet ſtatuamus ac væcordia,
In melius attamen omnia nobis cedere.

Medium carmen Græcum carebit vitio, ſi tollatur cōjunctio καὶ, quanquam editio Aldina habebat. Et apud Livium ſubinde nominatur fortuna Romana. Nec abhorret hinc quod alibi retulimus: εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ. id eſt: Dormienti rete tollit.

Dormienti rete trahit.

Εὕδοντι κύρτος αἱρεῖ. id eſt, Dormienti rete capit. In eos quibus citra conatum obtingūt ea quæ capiunt. Natum ex eventu, quod aliquando acciderit ut dormientibus piſcatoribus piſces forte retibus in voluti caperentur. Quidam ad Timotheum Imperatorē Athenienſium referūt, cui quod multa fœliciter obtingerent, magis commoditate fortunæ quam ipſius opera, εὐτυχοῦς (id eſt fœlicis) cognomen inditum. In hujus invidiam pingebant nonnulli fortunam ad rete cogentem urbes, illo juxta dormiente. Quos ille ſic eluſit (authore Plutarcho) ut diceret, Si hujuſmodi urbes capio dormiens, qui me facturum arbitramini ſi vigilaro? Huc alluſit Terentius, quum ait in Adelphis, Quid? credebas dormienti hæc tibi confecturos deos? Et illam ſine tua opera in cubiculum ſibi deductum domum? Non diſſimili forma dictum eſt apud T. Livium libr. ab urbe condita 6. Unicum belli ducem, qui nihil agēti ſibi de cœlo devolaturam in ſinum victoriam cenſet. M. Tullius in Verrem actione ultima. Sed non idem mihi licet quod iis qui nobili genere nati ſunt, quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferuntur. Quin & hodie vulgo dicitur in id genus homines: Fortunatior eſt quam ſapientior. Et Eupolis comicus apud Athenæum,

—Ὦ πόλις πόλις
Ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς.

Id eſt:

—O civitas, ô civitas
Ut tu quidem es fœlix magis quam provida.

Congruunt quæ dicentur in proverbio, Athenienſium inconſulta temeritas.

In nihil ſapiendo jucundiſſima vita.

Sophocles in Ajace maſtigophoro, ſub perſona Ajacis, qui jam ab inſania reſipuerat:

> Ἐν τῷ φρονεῖν γὰρ μηδὲν, ἥδιστος βίος,
> Τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ, κάρτ' ἀνώδυνον κακόν.
>
> Id eſt:
>
> Suaviſſima hic eſt vita, ſi ſapias nihil.
> Nam ſapere nil, doloris expers eſt malum.

Hanc ſententiam docti citant proverbii loco. Conſentaneum eſt autem, vulgo jactatum fuiſſe vel ejus argumento fabulæ, quam Horatius narrat de quodam Argivo, qui felicius exiſtimaret inſanire quam ſapere & ſingi:

> —Pol me occidiſtis amici,
> Non ſervaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
> Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Huic concinit illud Eccleſiaſtæ dictum: In multa ſapientia, multa indignatio, &: Qui addit ſciētiam, adjiciet & laborem. Heraclides Ponticus apud Athenæum author eſt, Thraſylaum Axonenſem Pythodori filium, hoc inſaniæ genere correptum fuiſſe, ut exiſtimaret naves omneis quæ in Piræum appellerent, ſuas eſſe. Eas appellentes ſumma cum voluptate recipiebat, ſolventes dimittebat, ac proſequebatur. in ſumma felix erat, perinde quaſi tantarum rerum dominus. Si quid periiſſet, nō requirebat: ſi quid eſſet incolume, vehementer gaudebat, aliis jactitans ſuam fortunam: donec Crito frater è Sicilia reverſus, correptum hominem traderet medico. Cæterum is ad ſe reverſus, negavit unquam ſuavius vixiſſe ſeſe, quam cum eo mentis errore teneretur. Siquidem cum tantum adeſſet voluptatum, nihil unquam ſenſiſſe moleſtiæ.

Malum vas non frangitur.

Κακὸν ἄγγος οὐ κλᾶται, id eſt, Malum vas non frangitur. Qui deterior, is nonnunquam vivacior, & in periculis tutior. Simili metaphora dicunt & hodie vulgo, malam herbam non perire.

FRAVS AB AMICO.

ERASMI. Κύκλῳ περιέλκειν.

Qui arte circumagit quempiam, ut quum ſe putet aliquid egiſſe, nihil egerit, aut in idem recidat unde volebat extricari, κύκλῳ περιέλκεσθαι dicitur. Ita Plato in Charmide: ὦ μιαρὲ, ἔφην ἐγὼ, πάλαι με περιέλκεις κύκλῳ ἀποκρυπτόμενος: O ſcelerate, inquam, jam dudum me in orbem circumagis non ſentientem. Fit enim hoc arte ſophiſtica, ut qui contra diſputat, poſt aſſeveret, ambagibus circumactus, quod prius negabat: aut contra. Metaphora ducta ab equis, qui circumacti, eo reducuntur, unde prius reſiliebant pavidi. Similis ludus exercetur in Labyrinthis. Confine illi, in eaſdem anſas incidiſti.

Palus vitem decepit.

Ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον ἐξηπάτησεν, id eſt: Palus vitem decepit. Ubi quiſpiam ab eo fallitur aut læditur, à quo pendebat cujusque fidei nitebatur. Traductum à palis, quibus alligatæ fulciuntur vites. Fit autem interdum, ut illi radicibus actis, ramis ac frondibus ſuis vitem ſtrangulent, aut proſtrati palmitem ſecum trahant. Ariſtophanes in Veſpis:

> Εἶτ' οὐ τοῦτ' ἐξηπάτηκεν ἡ χάραξ τὴν ἄμπελον?
>
> Id eſt:
>
> Itane circumvenit ipſe vineam palus ſuam?

Canis mendico auxilians.

Κύων τῷ πτωχῷ βοηθῶν, id eſt, Canis mendico auxilians. Ubi quis nobis adverſatur, & diverſis ſtudet partibus, is cujus auxilio nitebamur. Nam canes infeſti ſunt mendicis, velut ὁμοτέχνοις, niſi ſi quando fruſto panis corrumpuntur.

FRVGALITAS.

ERASMI. *Acolo, non fici.*

Ἀκόλῳ τὰ χείλη, οὐ σύκῳ βάπτειν: id eſt, Acolo, non fici immergere labra. Suidas indicat dictum, ubi promitteretur proſpera valetudo, aut ſignificaretur rebus fortiter utendum. Nam ἀκόλους Græci vocant, minutas offulas Interdum & fragmenta panis, παρὰ τὸ μὴ κολλᾶν: id eſt, quod non cohæreant. Heſychius indicat ἀκόλους veſcentes reddere bilis expertes ac placidos, cum ficus incendat ſanguinem. Vidimus Italos, ſi quando bilem vellent eximere, dies aliquot nihil ſumere præter offulas pauculas, ex aqua cum paululo butyri recentis decocta. Quidam addunt herbarum ac radicum pauxillum. Proverbium hortatur ad victum tenuem.

Μυσκαρφοί.

Μυσκαρφοὶ dicebantur agere, qui dure ac ſicce viverent. Vox ficta videtur à mure & palea, quod mus in re puſilla vehementer laboret: niſi malumus dictum a κάρφω, quod eſt ſicco, & πνὶξ præfocatio: quaſi ſi quis feſtuca præfocetur. Nam Heſychius indicat ſic hanc vocem pronunciandam, ut dicitur, μυσκαρφοί: uſurpatam autem à Cratino in fabula cui titulus, Horæ. Alii virum quempiam μυσκαρφὸν dictum exiſtimant, qui ex ſe quidem nihil venuſtiorum dicteriorum adferre poterat, ſed tamen libenter aliorum dictis arridebat. Et hujus hominis mentionem factam, apud Ariſtophanem comicum. Torquebitur igitur in hominem parcum ac ſordidum, aut in frigide jocoſum.

Allium in retibus.

Σκόροδα ἐν δικτύοις: id eſt, Allium in retibus de ſordido commeatu dicebatur: hinc natum, quod Attici, quoties navigationē, aut expeditionem adornabant, commercabantur allia, eaq; retibus impoſita ſecum ferebant. Item in obſidionibus urbium in precio erat allium. unde illud citra nomēclaturam apud Suidam: ἀπόλλυμαι τὰ σκόροδα πολιορκούμενος. id eſt, Perdo allia in obſidione. Thraces præcipue delectantur alliis, utpote calidis, quum regionem inhabitent frigidam. Quin & hodie nautarum deliciæ ſunt allium, non ingratus & ruſticorum cibus, utcunq; execratus Horatio. Locus erit adagio, ſi quem admoneas, ut Philoſophiæ ſtudium aggreſſurus, paret ſeſe ad frugalem victum, ad vigilias ac labores, ſine quibus non paratur eruditio, σκόροδα ἐν δικτύοις.

Phormionis thori.

Στιβάδες Φορμίωνος, id eſt, Thori Phormionis. De ſtratis ſordidis ac frugalibus, minimeque delicatis: qualia ſunt cubilia militaria, & quale ſibi apud Homerum parat Ulyſſes, ex arborum congeſtis frondibus, ac ramis humi ſubſtratis. Refertur à Suida, Phormio dux quiſpiam militum fuit, in perferendis militiæ incommodis natæ, ſicut conjicio, patientiæ. Poterit & longius deflecti ad quamvis tractationem duriuſculam. Extat in Pace Ariſtophanis.

> Εἰ γάρ ποτ' ἐξέσται ἰδεῖν ταύτην με τὴν ἡμέραν.
> Πολλὰ γὰρ ἀνεσχόμην
> Πράγματά τε καὶ στιβάδας, ἃς ἔλαχε Φορμίων.

id eſt: Utinam mihi contingat videre hunc diem. Multas enim ſuſtinui tum moleſtias, tum culcitras quas ſortitus eſt Phormio. Verſus ſunt chorici: eoque proſa vertimus.

Cilicii Imperatores.

Κιλίκιοι στρατηγοί: id eſt, Cilicii duces, Dicebantur homines hirſuti, & pilis obſiti. Unde & ſaga pilis contexta, Cilicia vocantur. Author Diogenianus. Simpliciter autem κιλίκιοι dicebantur robuſti, ſordidi & magni: unde & κιλικίζεσθαι dicuntur, qui pravis ſunt moribus: & κιλίκιοι λόγοι, barbarica ſuffragia: quod illi ſortibus in galeam miſſis ſoleant decernere. Memorantur κιλλικύριοι, qui cum eſſent ſervi, heris ejectis occuparunt regionem. κιλλικυρίων ἀγέλη alias recenſuimus.

Vita doliaris.

Ζωὴ πίθου: id eſt, Vita dolii, proverbio dicitur vita frugalis, parca, & ab omni ſtrepitu atque ambitione ſemota. Breviter talis, qualem Diogenes nobilis ille Cynicus Athenis egiſſe legitur, unico contentus pallio, baculo, quo canes abigeret, dolio de palo ſuſpenſo pro domicilio libenter utens, crudis herbis & aqua ſimplici victitans, pane excavato pro catino, manu cava poculi vice ſolitus uti: idque à puero quodam didiciſſe ſe prædicabat, quem forte ad eum modum aquam haurientem viderat. Porrò ut in dolio habitaret, inde ſibi dicebat in mentem veniſſe, quod cochleas cōtemplatus, nullum aliud æq; commodum domicilium judicaſſet, unde prorepere ad ſolem, & ubi ſe conderet à ventis atq; æſtu. Poterit torqueri & in eos, qui nimium ſordide nimiſq; dure atq; immunde vivunt. Hos ita depingit Eubulus comicus apud Athenæū lib. 2. ἀνιπτόποδες χαμαιευνάδες, ἀερίοικοι: id eſt, Illotis pedibus humi cubantes, in aere domicilium habentes. Idem lib. 4. de Pythagoricis, ex Antiphane:

> Ἔδει γὰρ ὑπομεῖναι μικρὸν, ἀσιτίαν, ῥύπον,
> Ῥῖγος, σιωπὴν, στυγνότητ', ἀλουσίαν.
>
> Id eſt:
>
> Inedia, ſordes ſunt ferendæ paululum,
> Silentium, triſtitia, frigoris rigor,
> Simul ferendum corpus expers balnei.

Ad hanc formam torqueri poterit Hamaxobiorum (ea gens eſt Sarmatiæ) appellatio: ut Hamaxobii dicantur, qui dure ſordideq; vivant. Nomen hinc inditum genti, quod iis plauſtra ædium vice ſint.

Tanquam in phiditiis.

Ὥσπερ ἐν φειδιτίοις: id eſt, Velut in phiditiis. ubi quid parcius, nimiumq; frugaliter actum ſignificabimus. Lacedæmonii publica loca habebant, in quibus cibum caperent. In his accipiebant hoſpites ac legatos ſuos, ſed apparatu perparco. Unde & Græca vox ducta videtur, à φείδεσθαι, id eſt, parcendo. Quanquam ſunt qui malunt φιλίτια dicta quaſi φιλίτια, quod ejuſmodi conviviis coiretur ſodalitas. Utranque vocis etymologiam recenſet Plutarchus in vita Lycurgi. In priore abjicitur ι diphthongo, in poſteriore λ, vertitur in δ. Addit autem tertiam etymologiam, phiditia dicta quaſi ἐδίτια, à ſumendo cibo: quæ Græci, præſertim Athenienſes, vocant συσσίτια, Cretenſes ἄνδρεια: quemadmodum ibidem indicat Plutarchus. Hoc genus conviviorū Lycurgus inſtituit, ad excludendum luxum ac temulentiam. M. Tullius meminit Phiditiorum lib. Tuſculanarum quæſtionum 5. Quid, inquit, victum Lacedæmoniorum in phiditiis, nonne videmus? Ubi quum tyrannus cœnaviſſet Dionyſius, negavit ſe jure illo nigro, quod cœnæ

capur

caput erat, delectatum: tum is qui illa coxerat, Minime mirũ, inquit: condiméta enim defuerunt. Quæ tandem? inquit ille. Labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis. His enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. Quanquam hæc fabula ſecus narratur apud Plutarchum in Coronide, quam adjectã videmus apophthegmatis Laconicis, de Lycurgi inſtitutis. Erant apud Lacedæmonios & aliæ conviviorum ſpecies: quorum unum erat κοπὶς, quod certis ciborum generib⁹ inſtruebatur: alterum αἶκλον, aliquanto ſplendidius. Omnium frugaliſſimum erat, quod agebatur in phiditiis. Multa ſuper his Athenæus lib. 4. ſi cui libebit cognoſcere. Accommodari poterit & ad orationem: ut ſi quis neget ſe contentum ſimplici ſermone, velut in Laconicis phiditiis accipiatur, ſed deſiderare ſplendoris aliquid, & quod appetentiam irritet illecebra.

Hecatæ cœna.

Veteres cœnam perparcam & impendio frugalem, Hecatæ cœnam appellabãt: quod apud inferos tenuiſſimo victu, minimoque cibo, eoq; viliſſimo vivitur, juxta poetarum Theologiam. Siquidem umbræ plebejæ malua porroq; victitant: Hecate mænides ac triglidas piſces, apud nos cõtemptiſſimos, habet in deliciis, ut ſibi ſacros. Unde & Athenis locum eſſe dictum Triglam, atq; inibi ſimulachrum Hecates Triglantinæ. Alii Triglam illi ſacram putant ob nominis rationem a ternione dicti, cum triformis ſit & Hecate. Extat apud Athenæum libro ſeptimo, meminit & octavo. Meminit & Lucianus alicubi. Verum illud expendeat eruditus lector, an proverbium accipi poſſit de cœna illa, quam ſingulis menſibus in triviis Hecatæ collocabant divites, diripiebant pauperes. Cujus rei meminit etiam Ariſtophanes in Pluto:

> Παρὰ τῆς Ἑκάτης ἔξεστιν τοῦτο πυθέσθαι,
> Εἴτε τὸ πλουτεῖν, εἴτε τὸ πεινῆν βέλτιον. φησὶ γὰρ αὕτη
> Τοὺς μὲν ἔχοντας καὶ πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆν' ἀποπέμπειν,
> Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν, πρὶν καταθεῖναι.

Id eſt:

> Hoc ex Hecata, ſi vis, didiciſſe licebit,
> Utrum potius, ditem eſſe, an egenum, quandoquidem jubet illa
> Hos quibus eſt res, quoque benignam menſe uno ponere cœnam,
> Cæterum egenos hanc prædari prius ac deponere poſſunt.

Quo quidem loco in hanc ſententiam ſcribit interpres: Olim in triviis venerabantur Hecaten, quod eadem tribus nominibus appelletur, Luna, Artemis & Hecate. Cæterum ſub novilunium divites mittebant cœnam veſpere, veluti cœnam Hecatæ in triviis. Pauperes autem eſurientes diripiebant ac devorabant, quæ erant appoſita, dicentes quod Hecate comediſſet. Itaque congruet, ubi res per tumultum diripitur.

Olivam ne comedas.

Chryſip apud Athenæum lib. 10 in opere περὶ τοῦ καλοῦ, tradit hujusmodi ſententiã: μή ποτ' ἐλαίαν ἐσθίειν ἀκαλήφην ἔχων χειμῶνος ὥρᾳ; id eſt, Nequando comederis oleam, quum habeas urticam hyberno tempore. Opinor illum ſentire de herba, non de piſce. Uſum adagii video, niſi ſi quando ſignificabimus extremam victus parſimoniam, ut nec urticæ quicquã adhibeatur cõdimenti. Mox ſubjicit, βολβοφακῆν velut delicias, cibi genus (ut Græca vox indicat) ex bulbis & lenticula confectum; βολβοφακῆν, βολβοὶ, φακοί. Urtica calida eſt, ſed minoris conſtat quam oleum. Subindicat autem, æſtivis menſibus nec oleo nec urtica opus eſſe. Talis victus decebat iſtos, qui ſibi videntur Pauli & Antonii, luxu propiores Sardanapalo.

Sicyon arrodens uxor lacernam texe.

Athenæus libro Dipnoſophiſt. 3. heroicum hunc ut proverbialem adducit:

> Τὸν σικυὸν τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

Id eſt:

> Arrodens Sicyon uxor, ſubtexe lacernam.

Apparet eſſe, verba mariti jubentis ut uxor tenui contenta victu, perageret opus ſuum. Nam Sicyon ſeu Sicyos, bulbi genus eſt, aut certe peponis; nonnulli putant cucumeris. Vox ea propemodum quadrat in hujus temporis principes, qui ſtrenue profundũt, quod populus eſuriens ſummis laboribus paraverit. Idq; ſuum jus eſſe putant, ut ceu fuci quidam alienis fruantur ſudoribus. Hermolaus Barbarus Corollariis in Dioſcoridem, cap. CCCLXVJ. videtur aliud divinare, ſcribens ex Ariſtotelis ſententia, pleraſq. textrices eſſe impudicas: An Sicyos Venerem tempere neſcio.

Thymbra victitans.

Θυμβροφάγοι, id eſt, Thymbra victitantes adagio dicebantur, vel qui tutius ac liberius vitam agerẽt, vel qui moribus eſſent parum blandis, vel qui hilariter citraque ſollicitudinem parvo contenti viverent, quod Thymbra, quam eandem cunilam dicunt, herbæ genus ſit, quam Plinius non diſtinguit à Satureia, Columella diſtinguere videtur:

> Et Satureia, inquiens, Thymi referens, Thymbræque ſaporem.

Eſt autem ſaporis ſubamari, in agris paſſim provenit, & pratenſis ad remedia præſtantior eſt hortenſi (ut author eſt Dioſcorides) locis gaudens petricoſis. Hortenſis cibis aptior. Proverbium recenſuit Suidas & Heſychius. Fertur Epaminondas mire frugalem vitam egiſſe: itaq; de prandio parco tenuiq; dixiſſe, τὸ τοιοῦτον ἄριστον οὐ χωρεῖ προδοσίαν: id eſt, Tale prandium non recipit proditionem. Senſus autem dicti geminus eſt: vel quia nemo molitur inſidias rebus modicis, vel quia qui modicis contenti ſunt, non facile corrumpuntur, ut prodant Rempublicam. Amplius apud Athenæum lib. 10.

> Εὐτελὲς γὰρ δεῖπνον οὐ ποιεῖ παροινίαν.

Id eſt:

> Ubi cœna frugi eſt, nulla de bacchario.

Græcus trimeter videtur corruptus in verſione duarum dictionũ: reſtituetur ſi legas, δεῖπνον γὰρ εὐτελές. & ſubdit ex Alexide. Ex prolixis conviviis primum naſci ſcommata, è quibus fere plus eſt doloris quam voluptatis. Hinc maledictum: id regeritur ac reciprocatur in dicentem: mox à verbis ad verbera. Non ita qui Thymbra victitant.

Salem lingere.

Ἅλα λείχειν: id eſt: Salem lingere, dicuntur qui perquam tenuiter victitant. Sic enim Perſius:

> Vare regustatum digito terebrare ſalinum
> Contentus perages, ſi cum Jove vivere pergis.

Diogenes cum à Cratero prædivite quodam invitaretur, ut ad ſe veniret, uſurus hoſpitio ſuo, ſuaq; liberalitate: reſpondit ſe malle ſalem Athenis lingere, quam apud illum opiparis menſis frui. Itidem Plautus in Curculione: Hodie apud me nunquam delinges ſalem.

Si caſeum haberem, non deſiderarem obſonium.

Εἰ τυρὸν εἶχον, οὐκ ἂν ἐδεόμην ὄψου: id eſt, Si caſeum haberem, non egerem obſonio. Dicendum, ubi quis minimis viliſſimisque contentus eſt. Refertur apud Plutarch. in Laconicis, quum Lacon quiſpiam cauponi dediſſet parandum obſonium, atque is peteret caſeum & oleum, quibus illud cõdiret: Non opus, inquit Lacon, fuiſſet mihi obſonio, ſi caſeum habuiſſem. Si quis pro caſeo malit hoc loco butyrum, cum eo non pugnabo: videtur enim butyrum magis congruere oleo, etiamſi apud Italos etiam ſicciſſimus caſeus condimentum eſt.

Xenocratis caſeolus.

Ξενοκράτους τυρίον, id eſt, Xenocratis caſeolus. De cibo qui perquam diu durat, prius quam abſumatur. Quanquã nihil vetat, quo minus ad alia quoq; trãsferatur: puta ad veſtem ad librum, ad peculiolam, aut ſimile quippiã, quod ſic parce circumſpecteq; quiſpiam utitur, ut quam diutiſſime duret. Sumptum adagium ab admirabili Xenocratis Philoſophi frugalitate: quem tradunt ſæpenumero obſonia jam rancida facta abjeciſſe, neque rarenter eveniſſe, ut cum cadum aliquem relinire vellet, jam vinum reperiret in acorem verſum. Proinde proverbium appoſite dicetur in ſordidos quosdam, quibus hic mos omnem penum eo usq; ſervare, quoad fuerit corruptus: perinde quaſi nefas ſit, rebus ſinceris & integris frui. Adagium refertur in Stobæi Collectaneis.

Aſpera vita, ſed ſalubris.

In vitæ rationem, duriuſculam quidem, ſed tamen ad rectam morum inſtitutionem idoneam, conveniet illud ex Odyſſeæ 1. dictum de Ithaca:

> —Τρηχεῖ' ἀλλ' ἀγαθὴ κουροτρόφος.

Id eſt:

> Aſpera, ſed juvenum nutrix bona.———

Salem & caſeum edere.

Plinius lib. 31. cap. 7. indicat proverbium, quod tamen non refert. Si quidem inter laudes ſalis & hoc refert. Varro etiam pulmentarii vice uſos veteres author eſt: eſitaſſe enim ſalem cũ pane & caſeo, ut proverbio apparet. Conjicere licet tale fuiſſe dictum: Nihil convivio deerat: habuimus ſalem, panem & caſeum. Aut: Ne ſis ſolicitus quo me apparatu accipias: præter ſalem, panem & caſeum nihil requiram. De Xenocratis caſeo dictum alibi.

IUNII. *Aere & rore paſtus.*

Ἐξ ἀέρος καὶ δρόσου τεθραμμένος: id eſt, Aere & rore ſaginatus. Proverbii ſpecie dicetur de eo, qui frugali admodũ & tenui victu utitur. Plutarchus Sympoſiacõn quarta decade: ἐξ ἀέρος καὶ δρόσου λέγουσι τρέφεσθαι τοὺς τέττιγας, hoc eſt: Aere ac rore cicadæ in morem enutritum ajunt. Cicadas rore vivere, author eſt Plinius, & Virgilius eo verſu.

> —Et paſtæ rore cicadæ. & eo:
> Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Cujus rei argumentum eſt humor quem reddunt, dum excitatæ ſubvolant. Cui conſonat Theocriti illud in Ecloga cui titulus νομεῖς, id eſt, opiliones:

> —Μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ:

Id eſt:

> Aerione fovet vitam ceu rore cicada?

Philo Judæus de Judæis Philoſophis, vitam famelicam ducentibus: ἐνεθισθέντες ὥσπερ φασὶ τοὺς τέττιγας ἀέρα σιτεῖσθαι, τῆς ᾠδῆς ὡς γε οἶμαι τὴν ἔνδειαν ἐξευμαριζούσης. id eſt: Aſſueti aere veſci quemadmodum cicadæ ſolent, cantu (ut equidem exiſtimo) eſuriem mitigan-

tigante. Huc reſpexit Nazianzenus ad Amphilochium: καὶ εἰ ὄντως δρόσῳ μόνῃ τρέφονται οἱ τέττιγες, id eſt: Sciemus an revera ſolo rore paſcantur cicadæ.

Laconice cœnat.

Λακωνικῶς δειπνεῖν, id eſt, Laconice epulari: pro frugaliter, & cibis parum exquiſitis uti, proverbio dicunt Græci. Diphilus apud Athenæum lib. 2.

> Δειπνεῖ δ' ἔσω τίν', οἴει, τρόπον; Λακωνικῶς,
> Ὄξους δὲ κοτύλην. ———
>
> Id eſt:
>
> Cœnat latem intra, quid putas, Laconice,
> Heminam aceti.

Laconum in victu frugalitas à Plutarcho in vita Lycurgi celebratur, quippe apud quos exoticis mercimoniis locus non erat. Laudatur & a Critia κώθων Λακωνικὸς, fictile poculum Laconicum, quo utebantur.

Anima ſicca ſapientiſſima.

ψυχὴ ξηρὴ σοφωτάτη, id eſt, Anima ſicca ſapientiſſima. Adagium eſt elegans ex obſcuris Heracliti fontibus hauſtum, quo ſobrietatis virtus commendatur, velut ingeniorum & induſtriæ parentis. Verba ejus recitat Galenus in libello, Quod corporis temperiei reſpondeant animi mores: atq; exponit obiter, αὐγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη, id eſt: Aridus fulgor, mens ſapientiſſima: vel aliter, Anima ſicca jubar eſt ſapientiſſimum: Dictum eſt, inquit, Heracliti, quo innuere voluit, ſiccitatem prudentiæ authorem eſſe, ſiquidē aſtra quum fulgido jubare micēt, pariterq; ſint & arida, eximia prædita eſſe ſapientia veriſimile eſt. Hæc ille. Clemens Alexandrinus Pædagogi libro ſecundo loquēs, qua ratione evitando temulentiam animus reddatur purus ab omni labe, atque adeò luminis capax & perſpicax etiam, ſubjungit: αὐγὴ δὲ ψυχὴ ξηρὰ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη, [illegible] id eſt: jubar verò eſt anima ſicca ſapientiſſimum & præſtantiſſimum, idemq; & perſpicax, neque madeſcit vini halitu, in modum nebulæ craſſeſcens. Syneſius libro De inſomniis, ubi dicit calorē & ſiccitatem eſſe quædā animæ vehicula, addit, [illegible]. Id eſt: Illud verò, anima ſicca ſapiens, quod Heracliti dictum eſt, non alio tendere invenio, quam quod anima opima & uvida ſi fiat, naturali pondere in terræ cavernas demergatur, in ſubterranea loca detruſa. Quo in loco (ut in tranſcurſu id admoneam) pro αὔε legendum cenſeo αὐγὴ, ſuperiorum authorum teſtimonio. Heracliti verba ar notat Stobæus capite de Temperantia: ἀνὴρ ὁκόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὅκη βαίνει, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων. αὐγὴ ψυχὴ σοφωτάτη καὶ ἀρίστη. hoc eſt: Temulentus maleſirmo greſſu nutās ab impubere puero dicitur, ignarus quorſum eat, uvidam habens animam. Eſt verò ſicca anima ſapientiſſima & præſtantiſſima. Unde aſſeri poteſt duplex lectio, αὔη ψυχὴ σοφωτάτη, id eſt, Anima ſicca ſapientiſſima: & αὐγὴ ξηρὴ ψυχὴ σοφωτάτη, id eſt, Anima ſicca jubar ſapientiſſimum: eundem utraq; ſenſum obtinens. Mens, cujus cœleſtis eſt origo, & quam non male divinæ auræ particulam Flaccus nominat, multo cibo potioneq; madida, altum ſapere non poteſt, neque ad cœleſtium rerum contemplationem aſſurgere valet. Antrocydis oratoris dictum memorabile refertur apud Clementem Alexan. Strom. lib. ſeptimo. Vinum & carnium ſagina, robur quidem adjiciunt corpori, at animum reddunt languidum. Tribuit Joannes Philoponus Plotino divinam, ut ipſe ait, ſententiam, qua dicit, eos omnes qui ſaginando corpori indulgent, parum abeſſe quin arboreſcāt, hoc eſt, in plantarum naturam degenerent: cujus hæc ſunt verba: [illegible] In eandem ſententiam Euſebius apud Stobæum: Crapula corpus quidem optimum reddit, at vecordiam & ſtuporē conciliat, & rationem, quæ princeps animi pars eſt, obliterat. Nemo eſt adeò à ſenſu communi alienus, qui nō libenter aſſentiatur illi diverbio vulgato, Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem: aut illi ſenario Nazianzeni,

> Νοῦς λεπτὸς ὄγκον ἐκδιώκει γαστέρος.
>
> Id eſt:
>
> Subtilis animus, molem ventris defugit.

Hinc eſt, quod Plato in epiſtola ad Dionis familiares deteſtatus in Sicilia vitam degere, nullo modo placere ſibi poſſe ſcribens menſas Italicis Syracuſaniſque ferculis onuſtas, & receptam in mores conſuetudinem ſaburrandi bis in die corporis: unde apud Ælianum, Non, inquit, huc veni, ut in menſam pron⁹ incumbam, brutæq; pecudis in modum ſaginer. Diverſa ſunt nutrimēti capiendi genera: aliud enim eſt corp⁹ paſcere, aliud pinguefacere, aliud neceſſaria præbere, aliud helluonari. indubitatū autem eſt, nutrimēto omnino opus eſſe: ſed tamē nihilæq; ſatagendū nobis eſt, quā qua ratione præſtantiſſimā & divinissimam noſtri partem ſaginemus, mentem animum, non caducum iſtud corpus, tenebroſum velamen, & circumgeſtabile ſepulchrum, uti Triſmegiſtus illud vocat. Corpus namq; uvidum, & opime paſtum, eſurire animam facit è beata vita, mortalitatem adauget, ſublata atq; obſtructa ad immortalem vitam ſemita, animæq; ſpurcas ſordes affricat contagio quodam: ut in quarto de abſtinēdo à carnibus diſſerit Porphyrius. Hinc Ægyptii in expiatoriis ſacris nō indulgebant ſacerdotibus ſuis carnium eſum aut piſcium, ſed exiles quaſdam volucres, quo ſymbolo innuere voluerunt, parco & levi victu cōtentos eſſe debere, qui res divinas attrectant, aut ad Deum animum egerunt, abhorrentes à craſſa & opima ſagina, quæ & corpus uliginoſum reddat, & mentem obnubilet, nec in altum tendere patiatur. Iidem Ægyptii quantopere propter ventris ſaginam inquinetur anima, myſtico quodam ſymbolo ſignificare voluerunt quoties, namq; medicatum aliquod funus apparabant, è prima nobilitate mortuum cōdientes, ſeorſum eximebant ventriculum, eumq; in arculam ſeponebant: deinde quum pollinctor elato funere, cadaver ad ſolem obvertiſſet, defuncti nomine, ſolē cœliteſq; omnes inſigni elogio conteſtabatur, quod quia rarum eſt, non gravabor huc è Græcis fontibus derivatum adſcribere. id in hanc ſententiā conceptum erat. Sol rerum domine, voſq; cœlites, qui mortalib⁹ lucis uſuram largimini, me accipite: & cœleſtibus contubernalem addite. Equidem pie ac religioſe numina a majoribus mihi commōſtrata ſemper, dum vixi, excolui, genituræ meæ authores ſemper honoravi: hominem occidi neminem, aut depoſito fraudavi, nec aliud quicquam infandū patravi: quod ſi quidā me peccatum eſt edendo bibendove, quod non oportuerit, id omne non mea, ſed hujus cauſa commiſſum eſt, ſimulque cum dicto arcam, in qua ventriculus jacebat conditus, digito commōſtrabat, mox in profluentem ſublatam porriciebat, corpuſq; reliquum, ut purum, labiſque immune, condebat. Tanta cum religione excuſandam eſſe apud Deum putarunt illi contractam è cibo potuque maculam animæ. Neque ſine cauſa eſt quod Athenienſes, teſte Polemone, ſobria ſive abſtemia potius ſacra (νηφάλιας θυσίας vocabant) Memoriæ, Muſis, Nymphiſq;, quæ ſacroſancta illis erant numina offerenda eſſe putarunt: nullo vini uſu, quod ejus meraciore potu Memoriam obnubilari, ingenii aciem obtundi, virginitatis ſecreta tentari, demonſtratione ſymbolica oſtenderint. Hinc Philon Judæus in lib. De contemplativa vita: νηφάλια ὡς τὰ ἱερὰ θύειν, [illegible] id eſt: abſtemia ſacra ſacerdotes offerre præcipit recta ratio, & in vitæ uſu obſervare: quandoquidem amentiæ pharmacum vinum eſt, & opipara fercula hominem omni pecorum genere animal maxime inſatiabile, ad libidinem irritant. Recte proinde exclamat Mercurius ille Triſmegiſtus, Quo ruitis mortales, epoto ignorationis meroſſate ſobrii, reſupinatis in ſublime cordis oculis, ſiquidem ignoratio Dei omnem inundavit terram, animamq; corpori incluſam contagione corrupit, neque patitur eam in tranquillo ſalutis portu ſtare. Quemadmodum autem navigium juſto gravius ſaburræ pondus accipiens, cedit vecturæ, ac depreſſum ſubſidit: ita & vino majore quam naturę neceſſitas poſtulet, ſaginæ cibi potuiq; onere gravata, ὑπέραντλος γινομένη (ut inquit Chryſoſtomus) & exhauriendæ ſentinæ impar, obruitur demergiturque. Nec aliud ſibi voluit Epimenidis Cretenſis commentum, quod de altiſſimo ſuo ſomno in plures annos extracto finxit, quā crapulam & corporis ſaginæ ſtudium (cui annis ipſe aliquot addictus, atque adeò immerſus, vivum quodammodo ſepulchrum circumtulerat) animæ Lethæam quandam cœleſtium rerum oblivionem, & altiſſimum ab altioribus cogitationibus ſoporem propinare. Propterea ſapienter Pythagoras decantatam illam Metempſychoſin, hoc eſt, animæ de corpore in aliud immigrationē, invexit, qua ſignificaretur, animum prudentis viri, à voluptatum & corporearum affectionum commercio, ſanæ menti reſtitutum, ubi perturbationum chaos evaſerit, relictis rerum ſimulachris, veritatem attingere debere, uti Maximus Tyrius voluit. Syneſius lib. De providentia proponit bina contrariarum vitarum exempla duos fratres, in quibus ceu in ſpeculo temperantiæ luxuriæq; pugna cernatur. Olyridem enim optimæ conditionis adoleſcentem & temperātiſſimum agilem deſcribit, [illegible]: hoc eſt, excuſſum & animo expeditum, licet corpore ſeu pondere iniquo amictum, intuens quo ſit ſaginatius corpus, hoc graviore mole prægravari animum. E diverſo Typhon illius frater ſegnis, ventricoſus, telluris inutile pondus, deſcribitur deditos ſolummodo farcire corpus, & ciborum ſaburram accumulare ſoporis commeatum, ubi lepide ferculorum apparatum [illegible], id eſt, ſomni commeatum ſive viaticum nominat, quod gula, copioſique cibi ingeſtio, profundiorem ſoporem accerſat. Convicium eſt ingens audire, quo apud Plutarchum Diphilus craſſum quempiam flagellat, [illegible] hoc eſt, Obeſus, adipe fartus, atq; adeò ſtercoratus ſeculo: ſed longe magis pudendum, quod à morte Bonoſus Imperator audivit, Amphoram pendere, non hominem: aut quod Bœotii, apud Athenæum, Idem locuturas eſſe ſerias vinarias, ſi vocem haberent, quod Bœotii, quantum videlicet quiſque vini capiat. Sit ergo divine dictum ab Heraclito, Animam ſiccam eſſe ſapientiſſimam: quod ſobrietas expeditiores reddat ad recipiendum numinis inſpiratum, & aptiores ad intelligenda meditandaque omnia, quodque inventiones felicius ſubminiſtret, ingeniiq; aciem intendat. Pulchre igitur Prudentius.

Parcis

Parcis victibus expedita corda
Infuſum melius Deum receptant.

Quo ſpectat Chaldæi Zoroaſt. oraculũ, jubentis nos igneum animum cœlo appellere: cujus hi ſunt verſus:

Πρὸς τὸ φάος χρὴ σε σπεύδειν καὶ πατρὸς αὐγάς,
Ἔνθεν ἐπέμφθη σοι ψυχὴ πολλὴν ἐσσαμένη νοῦν.

Id eſt:

Ad lumen patriſque jubar properare juberis,
Unde animum multa veſtitum mente es adeptus.

Hecales cœna.

De frugali admodum, tenuique apparatu effertur Hecales cœna: ab Hecale paupercula, cujus apud Ovidium fit mentio, & cujus egenam cœnam non aſpernatus fuiſſe Theſeus legitur. Julian. Cæſar ad Jamblichum Philoſophum: πάντως οὐδὲ τῆς Ἑκάλης ὁ Θησεὺς τὸ δεῖπνον τὸ λιτὸν ἀπηξίωσεν, ἀλλ' ἤδει καὶ μικροῖς εἰς τὸ ἀναγκαῖον χρήσασθαι. id eſt: Nimirum Theſeus non detrectavit tenuem Hecales cœnulam, ſed norat etiam parvis eſſe contentus, quum ita ferret neceſſitas. Dicitur autem Hecale anus Theſeum jam tum juvenili in ætate hoſpitio ſolere excipere, proque illius in pugnam profecturi ſoſpite reditu, vota diis nuncupaſſe: in cujus beneficii memoriam Theſeus inſtituit poſtea Hecaleſion feſtum, quo Jovi ab illius nomine Hecalo dicto ſacrificabatur. Callimachus ſcribit in opere quod ab anu inſcripſit Hecalem, habuiſſe illam φιλοξείνοιο τέγος ἀκλήϊστον. id eſt: Hoſpitii lares cunctis patentes.

BRASSICANI. *Cogitato quam longa ſit hyems.*

Cato De re ruſtica: Cogitato quam longa ſit hyems. Vetus hoc ruſticum verbum merito debet allegi in claſſem adagiorum: ſignificat autem, & frugaliter & parce vivendum eſſe, ne nobis id contingat quod à formicis audiunt cicadæ apud Æſopum: Æſtate ceciniſtis, hyeme igitur ſaltate. De ſumptibus moderandis extat apud Græcos elegans epigramma, titulo Luciani:

Ὡς τεθνηξόμενος τῶν σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυε,
Ὡς δὲ βιωσόμενος φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἔστι δ' ἀνὴρ σοφὸς οὗτος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας
Φειδοῖ καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφηρμόσατο.

Quos verſus non ineleganter vertit Thomas Morus:

Tanquam jam moriturus partis utere rebus,
Tanquam victurus denuo parce tuis.
Ille ſapit qui perpenſis his rite duobus,
Parcus erit certo munificuſque modo.

Huc pertinet hoc Lucretii libro quinto:

Divitiæ grandes homini ſunt, vivere parce
Æquo animo: neq; enim eſt unquam penuria parvi.

Et Claudianus:

Vivitur exiguo melius: natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.

IOANNIS VLPII. *Indigentia mater ſanitatis.*

A medicis ſumptum, qui parſimoniam & ciborum parcitatem commendant. Chryſoſtom. ad animam trahit, qui non corpora jejunio ſolum roborari, ſed & animam à vitiis expurgari docet.

COGNATI. *Parſimonia ſummum vectigal.*

Hocquoq; adeo in Galliis frequens eſt, ut etiam muliercularum in ore ſemper ſit, cum ſumptus ne cenſum ſuperet, admonet. Vectigal autem reditum privatum, & πρόσοδον etiam ſignificare docet Porphyrion, enarrans illud Horatianum:

—— Ego vectigalia magna,
Divitiaſque habeo tribus amplas regibus.——

Et Cicero in Paradoxis ait, Non intelligunt homines, quam magnum vectigal ſit parſimonia: ὅσος πόρος ἡ φειδώ. Et paulo poſt: Tenui vectigali detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Idem in ultimo paradoxo: Non eſſe cupidum, pecunia eſt: non eſſe emacem, vectigal. Idem pro Quintio: Amicos obſervantia, rem parſimonia retinere. Idem 2. Offic. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſervari autem diligentia & parſimonia: iiſdem etiam rebus augeri. Budæus ad Ruzæum: Neſciunt: qui in forenſe aſcribi præclarum eſſe ducunt, quantum vectigal lucrati vi temporis atq; æquanimitatis, hac ex officina liberalis ocii ſecuritatiſq; percipiã, hoc eſt, in hac officina ocii literarii atque ſecuræ mentis magnum proventum reditumq; habeo. In lucro enim pono temporis parſimoniam, & ægritudinem vacuitatem. i. æquanimitatem. Animus enim æquus. id eſt, ἀοργησία ægro animo oppoſitus eſt. [Vide Chiliad. Sera in fundo parſimonia.

Civiliter cœnare.

Civiles epulas vel domeſticas proverbialiter dicimus, non luxurioſas, non lautiores majoreſq; civili faſtigio. Hinc Juvenalis ſatyr. 5.

——Solum
Poſcimus, ut cœnes civiliter.——

Id eſt:

Ut tibi ſit panis idem qui aliis, iiſdemq; ferculis utaris: non tibi ſit panis lautus, & cæteris vulgaris: nec ſit delectus ferculorum, ne tyrannico aut regio more cœnes, ſed ex civilitatis præſcripto. Budæus Ruzæo: Et civilibus (ut ita dicam) epulis, ad ferinam & cupedias me traduceres:

Orphica vita.

Orphicam vitam agere hodie dicuntur, ſtatis quibuſdam diebus Papiſtæ à carnibus abſtinentes: quibus diverſa ſunt hominum ſtudia, partim cum ordine, partim etiam ſine ordine. Cibi item potuſq; & veſcendi condiendiq; uſus quam plurimi, & mutationes temporum variæ, in quibus cibi diverſis modis transmutati ſunt. Hæc Plato dialog. 6. De legib', vel legum latione, ſub finem. Eraſmus noſter, Orphicam vitam, à luxu ſanguino lentiſq. dapibus puram dixit & interpretatur.

Frugi homo.

Ælius Spartianus in Adriano: Et frugi Craſſus. Cognomentum hoc Piſonium vel peculiare fuit. Qui verò frugi dicantur homines, ex Cicerone pete.

RHODIGIN. *Lucerna qui indigent, oleum affundunt.*

Οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσι. Anaxagoræ eſt, deſtinantis mori, ad Periclem ab inſtituto revocantem. Conveniet, quoties recuſabimus immoderatos ſumptus & minime neceſſarios.

BOVILLI. *Frigidior ſalamandra.*

De iis, qui vel parciſſime ſumptus faciunt: vel in deliberando, aut negocio ſuſcipiendo tardiſſimi ſunt. Salamandra animal lacerti magnitudine, nunquam niſi magnis imbribus proveniens, & æſtate deficiens tanti algoris eſt, ut tactum ignem haud ſecus quã glacies extinguat. Plinius.

Oleo fraudare lucernas.

Dictum eſt ab Horat. ſat. 5. in Nattam, hominem etſi nobili & honeſta familia natum, valde tamen ſordidum: qui ſe inungebat vili, rancido, & ad lumina relegato olei genere, (Aëtius λυχνιαῖον, lucernarium appellat) atq; ita lucernas ſuo alimento & fomento defraudabat. Turn. Adverſ. 4. cap. 9. Simili migratione & facere dicemus ſordide & cibis ſine ſanguine victitantem, fraudare jumenta ſuo alimento, &c.

FRVSTRATA SPES.

ERASMI. *Corvum deluſit hiantem.*

Haud diſſimili figura dictum eſt ab Horatio, in eum qui captatorem ſuum arte fruſtratus fuerat:

——Corvum deluſit hiantem.
(Nam hæc quoque avis cadaveribus imminet)
——Plerunque, inquit, recoctus
Scribo ex quinque viro, corvum deluſit hiantem.

Loquitur de Corano, qui Naſicæ ſocero, ſpe teſtamenti per dolum oſtentati, moriens, nihil præter plorare reliquit. Videtur autem hoc adagium affictum & imitatum ad illud Græcorum, λύκος ἔχανεν, id eſt, Lupus hiat. Ut itidem dicere liceat, Lupum deluſit hiantem: & κόραξ ἔχανεν, id eſt, Corvus inhiabat.

Theſaurus carbones erant.

Ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκεν, id eſt, Carbones theſaurus erant. In eos competit, qui ſpe ſua fruſtrantur: quiq; magnificis rebus expectatis, meras nugas reperiunt. Ex eventu quopiam natum videtur, quo quiſpiam theſauri ſpe fodiens, carbones defoſſos invenit. Eaque res in riſum, vulgiq; ſermonem abiit. Nam antiquitus carbones in terra defodi ſolent, ad indicandos agrorum terminos: propterea quod (ut teſtatur in opere De civitate Dei divus Auguſtinus) nulla res magis durabilis, magiſq; perpetua, quam carbones ſub terra defoſſi. Lucianus in Zeuxide, τὸ δὲ τῆς παροιμίας ἄνθρακες ἡμῖν ὁ θησαυρὸς ἦσαν. Id eſt, Verum, juxta proverbium, theſaurus noſter carbones erant. Rurſum in Philopſeude, τὸ τοῦ λόγου ἐκεῖνο, ἄνθρακες ἡμῖν ὁ θησαυρὸς πεφήνασι. i. Proinde juxta id quod dici ſolet, tu nobis qui theſaurus credebaris, carbones extitiſti. Idem in Timone de auro invento, δέδια γοῦν, μὴ ἄνθρακας εὕρω ἀνεγρόμενος. id eſt, Vereor itaq; ne expergefactus carbones reperiam. Rurſum in Votis, καὶ ἄνθρακές σοι ὁ θησαυρὸς ἔσται. id eſt, Ac theſaurus tibi carbones fuerint. Alciphron in epiſtola quadam: οὐ πάντως μοι πάντες οἱ θησαυροὶ ἄνθρακες φανοῦνται: id eſt, Non omnes theſauri mihi cineres erunt.

Bolus ereptus è faucibus.

Bolus è faucibus eripi dicitur, quoties commoditas aliqua, quæ jam propemodum tenebatur, præter expectationem ſubito præripitur. Terentius in ſeipſum excruciante: Crucior bolum tantum mihi eſſe ereptum ſubito è faucib. Bolum autem dixit, quod Græci vocant βλωμόν. Metaphora per ſe liquet.

Murem oſtendit pro leone.

Μῦν ἀντὶ λέοντος ἀπέδειξε, id eſt, murem pro leone oſtendit. Proverbiali ſchemate dictum, pro eo quod eſt, ingentia pollicitus & fortia, longe diverſa exhibuit. Syneſius in epiſtola quadam ad Anaſtaſium: ἐν γὰρ ὧν ἐς αὐτὸν δὶς καὶ τρὶς καὶ τὰ ἐξ ἁμάξης λοιδορησάμενος, καὶ πάντα ἐπανατεινάμενος ἃ παρ' ἄν τις ἐμὲ ἤκουσεν καὶ παρ' ἐμοῦ ἂν πάντως ἐπηρεασθείη, ἀπέδειξε τὸ τραγῳδούμενον μῦν ἀντὶ λέοντος. i. Cum inclamaſſet in illum bis aut ter, ac de plauſtro, quod ajunt, conviciis inſectatus nihilq; nõ in eum eſſet vociferatus, cum ejuſmodi vel à me ipſo dicta fuiſſe maximi fecerim, deinde murem pro leone exhibuit ſcelus. Sumptum apparet à beſtiariis, qui ridiculi gratia multa polliciti, quaſi leonem immanem, & inſolitæ magnitudinis emiſſuri, mox murem emittunt in caveam.

Concupivit aſſam farinam.

Ἤρατο ὀπτῶ ἀλεύρω, id eſt, Concupivit aſſam farinam. In eum dicebatur, qui domeſticam tenuitatem pertæſus, apud alios lautiorem vitam quæſiſſet. Dictum eſt autem in Platonem qui relictis Athenis, ter in Siciliam ad Dionyſium navigavit, quo fortunam ſuam redderet lautiorem, quemadmodum interpretantur æmuli. Nam hanc profectionem probro illi datam fuiſſe, teſtatur etiam Ariſtides in oratione, qua tuetur oratores quatuor, adverſus Platonis calumniam. Et Diogenes authore Laertio, cum animadvertiſſet Platonem in opiparo quodam convivio, à reliquis temperantem cibis, & oleis duntaxat utentem, taxavit hominis ambitioſam abſtinentiam: τί ὁ σοφὸς εἰς Σικελίαν ἔπλευσας τῶν τραπεζῶν τούτων χάριν, νῦν παρακειμένων οὐκ ἀπολαύεις; id eſt: Quid homo ſapiens, cum ob hujuſmodi menſas in Siciliam navigaris, nunc appoſitis non frueris? Ad quod ita Platonem reſpondiſſe narrat: νὴ τοὺς θεοὺς Διόγενες κἀκεῖ τὰ πολλὰ περὶ ἐλαίας καὶ τὰ τοιαῦτα ἠσχολούμην. id eſt, Per deos Diogenes, & illic plerumq; oleis, atq; id genus cibis utebar. Ad quod rurſum Diogenes: τί οὖν ἔδει πλεῖν εἰς Συρακούσας; ἢ τότε ἡ Ἀττικὴ οὐκ ἔφερεν ἐλαίας; id eſt: Quorſum igitur attinebat Syracuſas navigare? Num id temporis Attica non ferebat oleas? Theocritus in Cyniſcis:

> Ἤρατο κᾆ τῆνος ἐμὶν δοκεῖ, ὀπτῶ ἀλεύρω.
>
> Id eſt:
>
> Nam puto & hic aſſæ correptus amore farinæ.

Porro farinam aſſam, novam & lautiorem victus rationem vocat: propterea quod priſcos illos pulte duntaxat victitaſſe legimus, videlicet clibano coquendi panis uſu nondum reperto. Unde & Annus ille Ægyptius, qui primus panarium clibanum excogitavit, in proverbii jocum abiit, tanquam qui rem novam eſſet commentus, quemadmodum alibi retulimus. De deliciis coquendi panis, multa recenſet Plin. lib. 18. c. 11.

Ne per ſomnium quidem.

Οὐδ' ὄναρ, id eſt, Ne in ſomnio quidem. Græcis proverbialiter dictum eſt, pro eo quod eſt, nulla ratione, nullo tempore. Alioqui nemo fere tam omni felicitate deſtitutus, quin aliquãdo per quietem vel ſomniet lætiora quæpiam. Lucian. ἐν τῷ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, οὐδ' ὄναρ ἄρτου καθαροῦ τότε ἐμφορηθείς. id eſt, Ne per ſomnium quidem unquam albo pane ſatiatus. Idem uſurpavit in Gallo, quum ait, regibus ne per ſomnium quidem aliqua re jucunda frui licere: ἐφ' ὧν οὐδ' ὄναρ ἀπολαῦσαί τινος ἡδέος ἐξέσται. Rurſus περὶ τοῦ ἀλεκτρυόνος ᾄδοντος δὲ ἡδὺ καὶ οἷον σὺ φῄς, ὄναρ ἀκηκόαμεν. i. Porro ſuaviter canentes, & eo modo quo tu prædicas, ne per ſomnium quidem audivimus. Huc eleganter alluſit Theocritus ἐν Βουκολίσκῳ, apud quem Eunica puella civilis, ruſticum, baſium dare conantem, à ſe repellit, dicens tantum abeſſe ut illi datura ſit baſium, ut hoc ne per ſomnium quidem oporteat ſperare. Carmen ſic habet.

> ——Ἔῤῥ' ἀπ' ἐμεῖο.
> Βουκόλος ὢν μ' ἐθέλεις κύσαι τάλαν; οὐ μεμάθηκα
> Ἀγροίκως φιλέειν, ἀλλ' ἀστικὰ χείλεα θλίβειν.
> Μή τύγε μευ κύσσῃς τὸ καλὸν στόμα, μηδ' ἐν ὀνείροις.
>
> Id eſt:
>
> ——Aufer te hinc procul, inque malam rem
> Tu mihi ſuaviolum dare vis homo ruſticus? atqui
> O miſer haud didici dare baſia agreſtibus unquam.
> Sed magis urbanis ſoleo oſcula figere labris.
> Non mihi tu nitidum os labris ſordentibus unquam,
> Contigeris, nec per ſomnum.———

Utitur eodem & M. Tullius in Epiſt. ad Attic. πολιτικὸς ἀνὴρ, οὐδ' ὄναρ, quiſquam inveniri poteſt. Theocritus in Megara Herculis uxore: τὸ δ' οὐδ' ὄναρ ἤλυθεν ἄλλῃ. id eſt, Quod alibi ne per ſomnum quidem accidit. Galenus περὶ φυσικῶν δυνάμεων lib. 2. καίτοι ταῦτα οὐκ ἐχρῆν ἀγνοεῖν τὸν Ἐρασίστρατον, εἴπερ καὶ κατ' ὄναρ ποτὲ τοῖς ἐκ τοῦ περιπάτου συνετύγχανε. id eſt: Atq; hæc oportebat, non eſſe ignota Eraſiſtrato, ſi modo vel in ſomnis unquam illi cum Peripateticis incidiſſet conſuetudo. Solent autem vel extremæ ſortis homines aliquando magnifica quædam ſomniare: quemadmodum apud Lucianum Micyllus, qui per ſomnium opulentiſſimus, expergectus, cerdo quiſpiam erat Iro pene pauperior. Nam ſomniare, ſperandi genus eſt. Unde & Vergil. in Bucolicis, ſpes inanes amantum ſomnia vocat:

> ——An qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Huc reſpexit & Flaccus in Satyris, cum ait:

> Cum te ſervitio longo curaque levarit,
> Et certum vigilans, quartæ ſit partis Ulyſſes
> Audieris hæres.———

Itaque, Ne per ſomnium quidem, perinde valet, quaſi dicas: Quod ne ſperare quidem audeas. Plutarch. in libello quem ſcripſit adverſus Stoicos, adagium extulit paulo diverſius: ὧν οὐδ' ὄναρ ἔστι λαβεῖν μᾶλλον ἔξω τῶν κοινῶν ἐννοιῶν. id eſt, Quorum ne ſomnia quidem magis capere licet extra communes cogitationes. Divus Chryſoſtomus adverſus Judæos concione tertia ſic extulit: οὐδ' ἂν ὄναρ.

Aliena jacis.

Ἀλλότρια βάλλεις, id eſt, Aliena jacis. Quoties res parum ex animi ſententia cadit. Translatum ab iis qui ludunt alea, quib. jacientibus interdum ea cadunt, quæ minime ſunt ad victoriam accommodata. Proinde ſi quãdo fruſtratur nos ſpes, recte dicemus ἀλλότρια βάλλεις. Adagium refertur à Diogeniano.

Larus parturit.

Κέπφος ὠδίνει, id eſt, Cepphus parturit. Antiquitus dicebatur in eos, qui pollicerentur ingentia, nihil dignum promiſſis exhiberent. Ajunt cepphum, ſive cemphum, aviculam eſſe ſtupido ingenio, unde & in proverbium ſtoliditatis abiit: quam nõnulli larum appellant: alii (quorum eſt Theodorus Gaza) fulicam vertunt: eam vivere ſpuma marina, plumis ac pennis eſſe copioſis, corpore puſillo: cum parturit, vociferari. Hinc natum proverbium. Larus parturit: ubi quis magna præ ſe fert, puſilla præſtiturus. Hæc ferme ſcribit interpres Ariſtophanis, in comœdia, Pacem. Heſychius tradit, eſſe avem leviſſimam circa mare verſantem, quæ facile vento moveatur: eoque hominem inconſtantem ac levem, cepphon dici. Plin. libr. 8. c. 19. meminit cephi quadrupedis, quod Pompeius ex Ægypto deportatum Romanis oſtenderit: cujus pedes poſteriores humanis pedibus, priores manibus erant ſimiles. Id negat poſtea Romæ viſum. Verum id quidem nihil ad proverbium.

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

> Ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτεκεν.
>
> Id eſt:
>
> Mons parturibat, deinde murem prodidit.

Senarius proverbialis, dici ſolitus in homines glorioſos & oſtentatores, qui magnificis promiſſis, tũ vultus veſtituſq; authoritate miram de ſe moveant expectationem: verum ubi ad rem ventum eſt meras nugas adferunt. Utitur hoc adagio Lucianus in libello, cui titulus, Quemadmodum oporteat hiſtorias conſcribere: dicit enim ſic reclamari a vulgo in Cupidinem, Herculis, aut Titanis perſonam aſſumentem: ὤδινεν ὄρος. Athenæus in Dipnoſophiſtis, lib. 14. refert quod Tachas Rex Ægyptiorũ hujuſmodi ſcommate tetigerit Ageſilaum Lacedæmoniorum Regem, cum ad eum veniſſet, ſuppetias illi laturus in bello, ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν, id eſt, Parturiit mons, Jupiter autem metuit, at ille peperit murem. Erat autem Ageſilaus puſillo corpore. Porro dicto offenſus, reſpondit: φανήσομαί σοί ποτε καὶ λέων. id eſt, Atqui aliquando tibi videbor leo. Poſt eventu, ut exorta ſeditione apud Ægyptios, cum Ageſilaus non adeſſet Regi, coactus ſit ad Perſas fugere. Porro Græcis videtur eſſe carmen anapæſticum.

Lupus circum puteum chorum agit.

Λύκος περὶ τὸ φρέαρ χορεύει, id eſt, Lupus circum puteum chorum agit. In eos dicetur, qui ſumpta inaniter opera, ſpe ſua fruſtrantur. Ajunt enim lupo morem eſſe, ut ſi quando ſitiat, nec tuto ſe poſſit demittere, circum puteum oberret, fruſtra inhians aquæ, quam non poſſit contingere. Sunt qui parœmiam inde ductam exiſtiment, quod aliquando veniat uſu, ut lupus pecudem aliquã, aut hominem inſectetur: qui poſtea quam ſe in puteum quempiam altiorem metu demiſerit, obambulat ille, velutique ſaltantium in modum, in orbem circumagitur, prædæ cupiditate, qua tamen potiri non queat. Plutarchus in commentario, cui titulus, Quomodo poſſit adulator ab amico dignoſci, οἱ χρώμενοι συναπολλύουσιν αὐτοὺς, τὴν περὶ τὸ φρέαρ ὄρχησιν ἀτεχνῶς ὀρχούμενοι. id eſt, Qua qui utuntur, ſeipſos quoque in perniciem adducunt, revera ſaltationem illam circum puteum ſaltantes. Loquitur autem de dicacitate intemperanti & virulenta, qua fit, ut illis quicquam utilitatis adferamus, in quos dicimus, & nobis ipſis maximum malum conciliemus. Refertur adagium à Zenodoto, Suida, Diogeniano.

Lupus hiat.

Λύκος ἔχανεν, id eſt, Lupus hiat. dicebatur, ſi quis re multum ſperata, multumq; appetita fruſtratus diſcederet. Ajunt enim lupum prædæ inhiantem rictu late diducto accurrere: qua ſi fruſtratur, obambulare hiantem. Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

> Οἷς πιστὸν οὐδὲν, εἰ μὴ λύκῳ κεχηνότι.
>
> Id eſt:
>
> Queis nihil fidum ac tutum eſt, inhianti niſi lupo.

Item Lucianus in Gallo: εἰσῄειν οὖν, μικροῦ δεῖν λύκος χανὼν παραγενόμενος. id eſt: Ingrediebar itaque, cum parum abfuiſſet ut lupus hians diſcederem. Dionyſius ſophiſta in epiſtola quapiam: ἄρτι μὲ

Μὴ ἆρα ἐμαυτὸν εἰς παροιμίαν ἐμβαλὼν, ἢ χήνῃ λύκος χανὼν ἀπῆλθε κενός; id eſt, Num inſciens in proverbium incidi factuſq; ſum lupus fruſtra hians? Apud Athenæum lib. 14 citantur hæc ex Eubulo:

Σπεῦδ' ἐπείγε, μὴ καθ' ὡς λύκος χανών,
Καὶ τοῖς δ' ἀπελθὼν, ὕστερον δραμεῖν ἔσῃ.

Id eſt:

Properato propera, more ne lupino hians
Fruſtratus his, in poſterum curras diu.

Quærens obſonium, veſtem perdidi.

Ζητῶν ὄψον θοἰμάτιον ἀπώλεσα. id eſt, Obſonium dum quæro, veſtem perdidi. Ubi res perperàme cadit: aut cum puſilla quædam captantes, majora perdimus. Refertur à Suida, & ab aliis: nec indicant unde ſit natum. Quanquam obſcurum non eſt, ab eventu profectum eſſe, quo fur quiſpiam, dum ſtudet cibum tollere, comprehenſus vix pallio quoque rejecto, effugit. Alluſit ad hoc proverbium Ariſtophanes:

Διὰ ταῦτα δὴ καὶ θοἰμάτιον ἀπώλεσας.

Id eſt:

Ob hæc tibi veſtis quoque periit inſuper.

Aurificem te futurum credebas.

Χρυσοχόος ἔσεσθαι ᾤου, id eſt, Aurificem te futurum arbitrabare. Natum ajunt ab hujuſmodi quodam eventu. In valuerat aliquando fama apud vulgus Athenienſium, in Hymetto monte magna auri fragmenta videri, quæ a formicis illis pugnacibus ſervarentur. Itaque quidam creduli ſumptis armis exierunt illas expugnaturi: qui quum re infecta, fruſtraque ſumpto labore redirent in urbem, irriſi ſunt à cæteris civibus, illud objectantibus, σὺ δ' ᾤου χρυσοχοήσειν. i. Tu credebas te fuſurum aurum. Meminit hujus, ei Eubulus in fabula, cui titulus Glaucus:

Ἡμεῖς ποτ' ἀνέχεσχηκότες ἰσχύομεν,
Λαβόντες εἰς ὑμηττὸν ἐξελθεῖν ὅπλα,
Καὶ σιτί' ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν
Ὡς χρυσοχοήσοντες ψῆγμα τ' ἐκφανεῖ.

Id eſt:

Quondam viris nos Cecropidis perſuaſimus,
Sumptis ut armis montem Hymettum incurrerent:
Contraque formicas cibaria tridui
Ferrent, velut fragmentula auri fuſilis
Apparuiſſent. ———

In penultimo verſu aut mendum eſt, aut defectus, fortaſſe pro σὺ, legendum σῖτα. Ita certe conſtabit verſus.

Καὶ σῖτ' ἐπὶ μύρμηκας ἡμερῶν τριῶν.

Extat & apud Platonem libro de republica v. τί δ' ἄλλο οἴει θρασύμαχε, χρυσοχοήσοντας τούσδε νῦν ἐνθάδε ἀφῖχθαι, ἀλλ' οὐ λόγων ἀκουσομένους. id eſt: Quid autem erat tuus Thraſymachus, ſi auri fuſor, ad eos qui nunc hic ſunt, adveniſſet, ac non potius rationes auditurus Æſchines: ἀμφοτέρας δὲ ταύτας ἐλπίδας χρυσοχοήσειν, ᾤετο, ἀλλ' οὐδ' ἀποκεῖσθαι αὐτῷ κρατήσειν ὁ πάππος. i. Quum hinc ſe ſubduxerit, perſpicuum eſt quod aurū fundere dicit, potius quam id facere pati ve, quod ipſi propoſitum erat. Parœmia conveniet, ubi quis ingentes ſpes animo concepit, ſed diſcedit fruſtratus. Quod fere ſolet accidere iis, qui ſuo ſumptu mittunt, qui terras per veſtigent incognitas, aut qui in fornaces alchimiſticas omnia ſua profundunt.

Cadere in curſu.

Cadere in curſu, M. Tullius dixit, pro eo quod eſt, expetita laude fruſtrari: quemadmodum ſi quis ad lauream theologicam cōtendens, emoriatur priuſquam ad ſummum ejus nominis faſtigiū pervenerit. M. Tullius lib. De claris oratoribus, de Galba loquēs Laudabant hunc patres noſtri, favebant etiam propter patris memoriam, ſed cecidit in curſu. Nam rogatione Manilia Jugurthinæ conjurationis invidia, quum pro ſeipſe dixiſſet, oppreſſus eſt. Simili tropo dicimur eos è curſu revocare, quos ab inſtituto ad aliud quippiam retrahimus. Et in curſu eſſe dicuntur, qui magno ſtudio contendunt aliquo. Metaphora ſumpta eſt à publicis certaminibus, pedibus aut equis currentium.

Ne quære mollia, ne tibi contingant dura.

Μὴ τὰ μαλακὰ μαίου, μὴ τὰ σκληρὰ ἔχῃς. id eſt, Ne quære mollis, ne dura feras. Refertur a Phurnuto in opere De natura deorum, capite de Muſis, & ita refertur tanquam vulgo jactatum. Cōgruit in eos, qui dum nimis improbe ac moroſe petunt quæ volunt, offenſis iis a quibus petunt, accipiunt ea quæ nolunt: in eos qui dum præter modum captant voluptatem, incidunt in moleſtiam.

Duos inſequens lepores, neutrum capit.

Ὁ δύο πτῶκας διώκων οὐδέτερον καταλαμβάνει. i. Qui duos inſectatur lepores, neutrum capit. Hujus proverbii ſenſus eſt: Qui ſimul duplex captat commodum, utroque fruſtratur. Effertur in Græcorū collectaneis, & citra figuram: δυοῖν ἐπιθυμήσας οὐδετέρου ἔτυχες. id eſt: Ambo concupiſcens, neutrum aſſecutus es.

Hic funis nihil attraxit.

Αὕτη μὲν μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν, id eſt, Funis quidē iſte piſcium attraxit nihil. Senarius proverbialis quo ſignificabant operam fruſtra ſumptam, neq; ex ſententia eveniſſe, quod quis conabatur, Translatum ab hamato funiculo piſcantibus, qui ſæpe hamum retrahunt inanem. Natum videtur ex fabula Ariſtophanis, cui titulus Θεσμοφοριάζουσαι, ubi legitur hic ſenarius. Ad adagium alluſit idem in Veſpis: κοὐκ ἔσπασεν. i. Atqui non attraxit. De eo qui tenderat patri laqueum, neque exiit.

Inani ſpe flagrat.

Κεναῖσιν ἐλπίσι θερμαίνεται. i. Inanibus ſpebus incenditur. In eum, qui fruſtra ſibi magna pollicetur. Spes enim ſtultis addit animos, etiamſi procul abſint. Sapiens etiamſi ſperat, diſſimulat. Decerptū apparet ex Sophocle, apud quem Ajax ita loquitur:

Οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτὸν,
Ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται.

Id eſt:

Haud emero virum mente nulla præditum,
Quemcunque inanes ſpes movent & incitant.

Æſchines contra Timarchum: ἐλπίδων κενῶν ἐμπλήσας. id eſt: Poſteaquam illum impleſſet inanibus ſpebus.

Fluvius non ſemper fert ſecures.

Οὐκ ἀεὶ ποταμὸς ἀξίνας φέρει. id eſt, Non ſemper ſecures fert fluvius, id eſt, non protinus tibi ſperes idem quod aliis feliciter ceſſit: Natum ab apologo Æſopico. Cuidam cædenti ſylvam, ſecuris è manib⁹ excidit, Mercurius invocatus reddidit argenteā. Negantiſuam eſſe, reddidit auream. Hanc quoq; ſuam eſſe neganti, ferream tandem reſtituit, & illas inſuper donavit. Alius quidam eundem eventum ſpirans, data opera, paſſus eſt elabi ſecurim. Ea cum periiſſet, nec Mercurius imploratus fuiſſet, expoſtulanti prior ille reſpondit ad hunc modum: οὐκ ἀεὶ ποταμὸς ἀξίνας φέρει. Quanquam hic apologus varie narratur in aliis comentariis, nempe adfuiſſe Mercurium, & prolata aurea ſecuri rogaſſe, num ea eſſet quæ periiſſet: atque eo protinus affirmante ſuam eſſe, Mercurium offenſum hominis impudentia, nec ferream reſtituiſſe.

Spem pretio emere.

Eſt lucrum incertum, & in eventu ſitum, certo affectare damno. Terentius in Adelphis: Ego ſpem pretio non emo. Hanc ſententiam leno refert illi: Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum. Quadrabit potiſſimum in eos, qui ſpe rerum adducti maximarum, principum favorē muneribus obſequiisq; captant, certè ætatis ac temporis impendio, quo non alius ſumptus charior. Nam ii quid aliud quam ſpem pretio emunt? Figura mutuo ſumpta videtur à quodam emptionis genere, in quo conſuevit alea rei, non res emi. Veluti ſi quis retium jactum emat in piſcando, aut miſſilium prædam in venatu, aut ſi quid aliud ejuſmodi. Qua de re multa ſit mentio in Pandectis lib. xviii. titulo de contrahenda emptione: veluti cum quis emit proventum agrū in annum proximum, aut partum animantis: ſive cum emitur captus piſcium aut avium, aut etiam miſſilium, quam illi vocant aleam: in partu tamen nō tenetur emptor, ſi nihil natum fuerit: niſi forte hoc per ipſum actum eſt, ne quid naſceretur: in alea tenetur, quoniam ſpes empta eſt: tantum in miſſilibus evictio rei captæ permitit ex empto actionem.

Semper agricola in novum annum.

Ἀεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.

Id eſt:

Agricola ſemper dives annum in proximum.

De iis dictitatum, qui ſpe futuri compendii divites ſunt, ac ſibimet expectatione rerum amplarum blandiuntur. Ductum à colonis, qui ſemper proximæ æſtatis uberiorem proventum ſibi pollicentur, eaque ſpe jam ſumptus nonnullos audent facere.

Cretenſes ſacrum.

Οἱ Κρῆτες τὴν θυσίαν, i. Cretenſes ſacrum, ſubaudi, faciunt, aut ſimile quippiam. Adagium Zenodotus ad hujuſmodi refert fabulam. Tempeſtate jactatus Agamemnon delatus eſt in Cretam, ingreſſuſq; Polythenen (nam id eſt Cretæ inſulæ oppidum, ab ovium copia ſic appellatum, authore Stephano) rem divinam fecit. Interea verò captivi cōſcenſis navib. aufugerunt. Quæ res cum illi renūciaretur, fertur dimidiatum & imperfectum ſacrificium, & jam incēſam victimam reliquiſſe, curriculoq; ad maris littus properaſſe, perturbatum majorem in modum, animoque conſternatum. Ibi vix unam repperiſſe navem reliquam qua devectus eſt, multum imprecatus malorum ejus inſulæ cultoribus. Unde ſi qua res per tumultum, ac turbulente fieret, κρητικὴν θυσίαν, i. e. Cretenſe ſacrum vocabant. Mihi videtur quadraturum, ubi quis nō fruitur his quæ paravit, quemadmodum uſu venit Agamemnoni, cujus victimas devoravêre Cretenſes.

Nucleum amiſi, reliquit pignori putamina.

Plautus in Captivi duo: Nucleum amiſi, reliquit pignori putamina. Verba ſunt Hegionis, ubi reſciviſſet ſibi impoſitum eſſe, & herum amiſſum pro ſervo, ſervum pro domino retentum. Is enim ex quo fructus expectabatur, aufugerat, eo relicto ex quo nihil emolumenti poterat capi. Allegoria per ſe liquet.

Prævertit ancora jactum Deus.

Ἀλλ' ἄγκυραν ἔμπροσθεν τὴν ἄγκυραν θεός.

Id eſt:

Sed ante vertit ancoræ jactum Deus.

Cū res præter ſpē evenit. Traductū à nautis, quib. accidit ſæpenumero

mero, ut cum parant ſeſe ut ancoram jaciant, in portũ appulſuri, repellantur a ventis, & in mediam tempeſtatem revocentur.

In caducum parietem inclinare.

Proverbiali figura, In caducum parietem inclinare dicimur, cum nitimur, confidimusque rei parum firmæ: ducta metaphora ab ædificiis. Hadrianus imperator de Commodo adoptato, & imperii ſucceſſioni deſtinato, dictitare conſuevit: In caducũ parietem inclinamus, & perdidimus quater millies ſeſtertiũm, quod populo & militibus pro adoptione Commodi dedimus. Caducum autem parietem vocabat, quod eſſet valetudinarius, & rebus gerendis inhabilis eſſe videretur. Item qui ſenis præſidio nititur, qui forma ſuperbit, qui in caducis fortunæ bonis vitæ præſidia collocat, recte dicetur, in caducum inclinare parietem. Huic proximũ eſt illud Maronis:

——In te omnis domus inclinata recumbit.

Fœdum & manſiſſe diu, vacuumque rediſſe.

Verſus hic Homericus ex ſecundo Iliados libro, non dubium quin annumerandus ſit inter eos, quos Macrobius ſcripſit in proverbium abiiſſe:

Αἰσχρὸν τοι δηρόν τε μένειν, κενεόν τε νέεσθαι.

Id eſt:

Turpe eſt & manſiſſe diu, vacuumq; rediſſe.

Conveniet ubi quis longam de ſe concitavit expectationem, cui poſtea nõ reſpondeat. Veluti ſi quis ſtudii cauſa diu peregrinatus, domum redeat nihilo doctior: aut ſi negociator poſt diutinam abſentiam revertatur, nihilo ditior: aut ſi quis admodum longævus nihil præclari geſſerit in vita, quo ſe vixiſſe teſtaretur. M. Tullius proverbii vice uſurpavit Epiſt. ad Atticum lib. 6. epiſt. cui initium, Nunc quidem profecto.

Non omnia eveniunt quæ in animo ſtatueris.

Homerus Iliados σ.

Ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

Id eſt:

Juppiter haud quicquid animo conceperis, illud
Perficit exemplo. ———

Hoc equidem carmen inter adagia adſcribẽdum exiſtimavi, propterea quod eadem ſententia etiam hodie vulgo dicitur. Et Pindarus in Olympiis:

Πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν.

Id eſt:

Multa mortalibus præter animi ſententiam eveniunt.

quod ipſum citavimus & alibi. Recte utemur, quoties ſignificabimus, non evenire protinus quicquid ſpe votiſque conceperimus.

Scipioni arundineo inniti.

Ad eandem formam pertinet, quod apud Hebræos in proverbio fuiſſe videtur. Arũdineo inniti baculo: de eo qui ſpes ſuas figit in his, qui non ſolum nõ poſſunt eſſe præſidio, verumetiam nocent deſtituto. Siquidem arundineus ſcipio non modo nõ ſuſtinet innitentem, verumetiam manũ penetrat, ac vulnerat. In libri Regum quarti, c. XVIII. & item apud prophetã Eſaiam, cap. XXXVI. ac rurſum apud Ezechielem, c. XXIX. Ægyptus & Ægypti rex baculus arundine⁹ dicitur, cujus fiducia bellum ſuſcipiebatur: & futurum prædicitur, ut is confractus non ſolum non fulciat innitentem, verumetiam manum illius perterebret. Non admodum abludit ab illo quod alibi retulimus, Ficulnum auxilium.

EX APPENDICE ERASMI.

In ſpem fruſtratam.

Νήπιος, οὐδὲ τὰ ᾔδη ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα.

Id eſt:

Inſipiens, nam Jupiter his diverſa parabat
Ignaro ———

Hom. de re cuiquam ſecus evenienti, atq; expectat. Huc refer.

Multa cadunt inter calicem, &c.

Eſurienti leoni prædam exſculpere.

Simili illi ſuperiori, Bolus ereptus è faucibus: item illi, Agnam lupo eripere. Lucilius.

IUNII. *In debiles debilis incidit.*

Εἰς ἀσθενοῦντας ἀσθενὴς ἐλήλυθα.

Id eſt:

Incurri in imbecillos ipſe debilis.

Verſus ſenarius proverbialis citatur a Suida, de iis qui paria cum aliis & ſimilia patiuntur: vel qui liberali patrocinio aut opibus alterius magnis fieri, præter opinionem caduco parieti connixos ſe fuiſſe experiuntur re ipſa, talesque nihilo plus poſſe quam ipſi valeant. Videtur hauſtum è vulgo.

COGNATI. *Canitiemque ſibi & longos promiſerat annos.*

Refertur hic verſus inter præcipue Virgilii proverbialiter celebratos. Stultorum enim eſt, ea ſibi promittere, quæ in nullius hominis manu ſunt, ſed à Deo pendent. Nemo fatum ſuum, aut fatalem diem novit, ita ut præſens hora certam non habeat fidem.

Alterum contingit, alterum negatur.

Æneid. II.

——Voti Phœbus ſuccedere partem
Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras.

Hic verſus Virgilianus inter proverbiales ſententias celebratur, Homeriq; exemplo conceſſerit, quidq; non annuerit Apollo, interpretatur poeta: Volucres diſperſit in auras: hoc eſt, negavit, in ventum abire juſſit, fruſtra oravit. Eo uſui, quoties duobus naturæ beneficiis alterum contingit, alterum negatur. Ut ſi cui formæ decus, aut generis imagines aut opes negentur, adſit ingenii laus, aut retro. Delineatus hic locus eſt ſcitiſſime ad archetypum Homericum, apud quem Iliad. XVI. ubi Achilles multis pro incolumitate ac ſalute precatus fuiſſet Patrocli, prælium inituri: ſubjicit ſtatim, quid annuerit, quidq; non dederit, ut hic noſter vates. Annuit enim Jupiter alterum, nempe ut ſtrenue pugnaret: alterum non dedit, ut ſalvus reverſus arma reſtitueret. Nam & ipſe occiſus fuit, & arma ab Hectore detracta perierunt.

Salve æternum, æternumque vale.

Verbum hoc manſit etiam in vulgi uſu, ſumptum à vetuſtate, quæ mortuos ita ſuo more ſalutabat: Salve & vale, non quod ii valere, aut ſalvi eſſe jam poſſent: ſed quod ab eis ſemel recedebant, quos amplius viſuri non erant. Virg. XI. Æneid.

——Salve æternum mihi maxime Palla,
Æternumque vale. ———

Anchiſes lib. II. Æneid. de ſe deſperatum eſſe volens ſignificare, alludensque ad hunc morem:

Sic, ô ſic (inquit) poſitum, affati diſcedite corpus.

hoc eſt: Iterum atq; iterum conclamate, Vale extremum. Etiam qui ab aliquo diſcedunt, & qui ab alienari alicujus ſocietate & amicitia ſignificare ſe volunt, II. vulgo hæc verba uſurpant: Salutem tibi dico. &c, Valere te jubeo. quod etiam verbum in ea re antiqui uſurpabant. ut Cic. ad Atticum: Subturpicula mihi videtur eſſe palinodia: ſed valeant recta & honeſta conſilia, id eſt, ſed jam abjecimus honeſta conſilia, ſed jam nihil nobis & honeſtati. Sic Herodotus: *ἱρὰ μὲν σφάγια ἐῶ χαίρειν, συμβάλλειν δὲ πειρῶ*. id eſt. Sed jam valere ſinamus victimas & ſacrificia, & conſilia agitemus. Verba ſunt ejus qui litare non poterat. Sic *χαιρέτω φιλία*, & apud Platonem, *χαιρέτω λόγος*: & illud Epicureum apud Athen. *τὸ δὲ καλὸν μὴ ὠφελοῦν χαίρειν ἐατέον*. Sic apud Ciceronem, ſalutem dicere, accipitur pro abire, diſcedere, & quaſi nuncium remittere & migrare. Ad Atticum, de fuga Pompeii loquens: Atque *πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ* dicens, pergit Brunduſium, & fugam arripit. Quæ verba ex Demoſthenis oratione ſumpſit, quæ de legatione perperam obita inſcribitur. Salvere enim tam abeuntis eſt, quam adeuntis, ut docuit L. Valla in VI. Elegant. & tam in malam quam in bonam partem accipitur, & ut Demoſthenis interpres docet, *ἀντὶ τοῦ οἰμώζειν*. Quod etiam ipſum figurate accipitur, in eamque formam, qualis eſt illa Terentii: Valeant, qui inter nos diſſidium volunt. Vide ſupra, Nuncium remittere, ubi ex Plauti Amphitr. verba uxoris iratæ, & alludentis ad morem antiquum, & verba ſolennia nuncium remittentium uxori, refero: Valeas, tibi habeas res tuas, &c. Salve, etiam dicimus in ſalutatione matutinã, & cum aliquem adimus: Vale, cum diſcedimus. Utrunq; Virgilius poſuit. Suetonius in Galba: Ut liberti ſervig; bis die frequentes adeſſent, ac mane ſalvere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent.

Conclamatum eſt.

Solebant corpora aqua frigida ablui primum, quod vitalis ſpiritus incluſus non raro fallere ſoleat, deinde per intervalla ter cõclamare. Quod ſi ne tum quidem ſpiritus ſe proderet, quaſi rebus deſperatis, rogo imponebantur. Hinc in parœmiam abiit, Conclamatum eſt; quum ſignificamus, nihil ſupereſſe ſpei. Itaq; jubet Anchiſes apud Virgilium ter ſe affatos, è Troja faceſſere. Hoc ſermone Terentius in Eunucho, actu II. ſcena 3. proverbii loco utitur de virgine Chæreæ, in perſona Parmenonis. Vide infra, Deploratum eſt.

Fruſtra eſſe.

Fruſtra eſſe, communi proverbio dicimus eum, quem expectatio fefellit, quique exitum ſperatum non habet, nec ei ex ſententia evenit. Saluſtius: Cujus neque conſilium ullum, neque inceptum fruſtra erat. Idem: Ea res fruſtra fuit. id eſt, expectationem fruſtrata eſt, *οὐκ ἀπέβη*; *οὐκ ἐπιτυγχάνουσι*, Falluntur enim, quibus res ſperatæ non eveniunt. Idem: Quo mihi magis adnitendum eſt, uti neq; vos decipiamini, & illi fruſtra ſint, id eſt, ut quod ſperaverunt, non aſſequantur. Plautus: Stulti haud ſcimus, fruſtra ut ſimus, cum quid cupientes dari petimus nobis. id eſt, quid in rem ſit, poſſimus noſcere. Budæus Draconi filio: Non fruſtra fuiſſe hortamenta mea video apud te. Plaut. in Pen. Nunquam hercle prius hic edes, ne fruſtra ſis. id eſt, ne falſus ſis, ſperando te apud nos cœnaturum. Bud. Delorno: Quæ ſpes ſi me non fruſtra habitura eſt. id eſt, fruſtretur.

FVCVS.

ERASMI. *Lecythum habet in malis.*

Ἔχειν λήκυθον ἐπὶ ταῖς γνάθοις. i. Lecythum habere ad malas, tectum & ænigmaticum convicium eſt in anus, quæ rugas illitis pigmẽtis diſſimulant. Qualis erat Phryne meretrix, jam vetula, nec tamen à quæſtu recedens. Ariſtophanes in Concionatricibus:

Φρύνην ἔχουσαν λήκυθον πρὸς ταῖς γνάθοις.

Id eſt:

Phrynen gerentem lecythum juxta genas.

Lecythum appellat vaſculum unguentarium, unde fucatur facies. Eadem ſolita eſt dicere, multos bibere fæcem ob vini nobilitatẽ: quod ad illam ἑταίραν, propter ſcorti celebre nomen commearent amantes, quo gloriari poſſent ſibi cum Phryne fuiſſe rem.

Schœnicolæ.

Feſtus Pompeius indicat olim ſchœnicolas appellata ſcorta plebeia ac vilia, ab unguento viliſſimo, quo oblinuntur. Plautus in Pœnulo: Miſeras, ſchœno delibutas, ſchœnicolas ſordidas.

Oleo nitidius.

Olei nitor adeò venerat in proverbium, ut myſticæ quoque literæ jubeant facie oleo uncta diſſimulare triſtitiam jejunii. Plautus in Truculento, de amica pulchre compta: Fervide ut tota floret, ut oleum nitide nitet. Oleum nitorem ac lucem addit rebus omnibus.

EX APPENDICE ERASMI.

Manticulari.

Pro, fucum facere, & ſubdole agere. tractum à manticulis, quas fures contrectare ſolent, quo manu ſiniſtra, ut ait Catul. tollãt lintea negligẽtiorum, qui vel oculos alio deflectunt, vel animum ad ea quæ dicuntur, non ad ea quæ fiunt, advertunt.

IVNII. *Fucus.*

Fuci apud Latinas aures, ut κηφῆνες apud Græcos, proverbialiter dicuntur quicunq; alienis inſidiantur laboribus. Menander Byzantius hiſtoricus, qui poſt Agathum ſcripſit: τὸν κηφῆνα τῆς ἑαυτοῦ ἀρετῆς τὸν Πέρσην ἀπέκτεινε. id eſt, Perſam virtutis ſuæ fucum interemit. Procopius lib. ij. De bello Gothorum, Beliſarii dictum referens: οὐ ζέλατε (inquit) εἶπεν, οὐ δίκαιον τοὺς κηφῆνας μὴ ὑφ᾽ ἑτέρων πόνῳ μεγάλῳ ἀπολαύειν, ἀλλὰ καὶ τὸ μέλι τὸ ὑπ᾽ ἄλλων παρεσκευασμένον ἐσθίειν. hoc eſt: Subridẽs dixit, iniquum eſſe, quod fuci alienis apum magnis laboribus fruantur, & mella depaſcant, ab aliis elaborata. Simocatus in Epiſtol. οὐδὲν κηφήνων διενήνοχας ὑμῖν: hoc eſt, Nihil à fucis diſcrepas: de eo qui alterius apibus ingentem noxam attulerat, agris cicuta conſitis. Hippocrates in præceptis medicis de ambitioſo: ἐπιτηδεύειν γὰρ κηφῆνος μετὰ περιεργασίης ἐπιμοχθηρίην. id eſt, Affectare namque videberis voluntariam fuci ſedulitatem cum ambitione conjunctam. Heſiodus in opere cui titulus, Opera & dies:

——Κηφήνεσσι κοθούροις ἴκελος ὀργήν.

Id eſt:

Ignavis fucis non diſpar deſide vita.

Quo loco κόθουρος epitheton elegans reſidem notat, qui tempus obſervet, quo egreſſis apib. clam ſubeat alvearia, mel depaſturus. Virgilius de apibus:

——Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

Geometriam exercere in cilio.

Γεωμετρεῖν περὶ τὸ ἐπισκύνιον, Geometriam exercere in cilio. Julius Pollux libro v. cap. xv. de mulieribus dixit, quæ formam aſcititiis lenociniis commendant: quod tandem ad omnes illos pertinet, qui fucis quibusdam adulterinis, & quod Plautus ait, Exoticis condimentis ſeſe ſuaque venditant. Proverbii meminit & Hermolaus Barbarus lib. v. Corollarii in Dioſcoridem. Dictione γεωμετρεῖν antiqui, ut ex Platone atque Plutarcho colligimus, non tantum in dimetienda terra uſi ſunt, ſed in omni negocio, quod exactius & diligentius tractamus. Ἐπισκύνιον autem extraneus ambitus eſt genæ ſuperioris, quem antiqui cilium appellarunt: & ex eo etiam ſupercilia, in quibus ſuperbia ſedem habet, authore Plin. lib. xj. c. 37. Demetrius Phalereus χαριτοβλέφαρος, à venuſtate ſuperciliorum dictus fuit: Athenæo teſte lib. 17. Dipnoſoph.

IOANNIS VLPII. *Totam ſpirare Arabiam.*

Τὴν ὅλην Ἀραβίαν ἀποπνεῖσθαι i. Totam Arabiam ſpirare, eſt, unguenta precioſa, ut olim in uſu veterum fuit, aut ut nunc, moſcum olere. Arabia ponitur pro odoribus & unguentis, continens pro contento. Lucretius.

Calathum Sycaminorum in malis habere.

Ariſtoteles. δόξεις αὐτὸν εἶναι συκαμίνων τὸν κάλαθον. i. Videris eſſe ipſum Sycaminorum calathum. in eum dicitur qui faciem & mala hypopio aut ceruſſa fucarit, quem ὑποπεφυκωμένον Græci vocant.

Formoſus ſine pulchritudine.

Ὡραῖος ἄνευ κάλλους. Non diſſimile ſuperioribus: in eos dicitur, qui pigmentis exoticam formam aſciverunt. Ariſtoteles.

COGNATI. *Fucum facere.*

Qui doloſa ſpecie fallunt, fucum facere dicũtur, quod obvium eſt apud omnes authores, & ab Eraſmo non neglectum. Seneca lib. De conſolatione ad Martiam cap. 1. Nec fucum facere affectibus cogitem. hoc eſt, fraudem facere, ut illud, Fucum factum mulieri: apud Comicum. Budæus Deloino: Ut qui aliquantum imbutus eſſem rudimentis philoſophiæ & ingenuo colore tinctus; qui fucum non admittit, hoc eſt, fallaces vultus, & ſimulandi diſſimulandique peritos.

Velut vinum aqua miſtum.

Eodem capite: Vinum tuum miſtum eſt aqua. Eloquia Domini, eloquia caſta, & argentum igne examinatum. At nũa traditiones humanæ atque Phariſaicæ, tum Papiſticæ, in horum irrepſerunt locum: ex quibus vel ſolis olim Phariſæi vixerunt, & hodie Papiſtæ vivunt atq; pendent. Ut maxime autem divina præcepta locum apud eos inveniant, ea immiſſo fermento Phariſaico & Papiſtico vitiata, ſe habẽt velut vinum multa aqua dilutum. Hieronymus: Omnis dolor qui auſteritatem Scripturarum, per quam poteſt audientes corripere, vertit in gratiam, & ita loquitur ut non corrigat, ſed delectet audientes, vinum ſanctarum Scripturarum violat atq; corrumpit ſenſu ſuo. Phariſæi, Papiſtæ, cæterique hæretici, Evangelicam veritatem corrumpunt prava intelligentia, & ſunt caupones peſſimi, facientes de vino aquam: cum e contrario Dominus aquam in vinum verterit. Sic enim apud authores aliquot Græcos reperitur illud Polyphemi, Ulyſſem increpantis, quod vinum aqua temperaſſet: Vinum perdidiſti infuſa aqua, quod in eos torquetur, qui benefacta malefactis ſubvertunt. De eo vide Eraſm. noſtrum. Columna apud Marantam lib. 5. Lucullianarum quæſt. Nam veriſimilem oportet orationem efficere, qui perſuadere velit. Fictam enim tanquam inſidiantem reſpuunt & quemadmodum vina miſta, ut Ariſtotelis verbis utar, vituperant. Huic non abſimile eſt: Corvus omnia corrumpit. quod dicitur in eos, qui tantummodo ſua quærunt, & non quæ Dei ſunt, nec ſincere verbum ejus proferunt.

Phaleratus.

Phaleratum communi proverbio dicimus eum, qui (ut eſt apud Horatium)

Introrſum turpis, ſpecioſus pelle decora eſt.

hoc eſt, fucatus, & ad ſpeciem ornatus: metaphora ab equis ducta. Sunt enim Phaleræ, equorum ornamenta. ἀπὸ τοῦ φάλεν adjectivo, id eſt, illuſtri. Unde Suidas: φάλαρα ἐστὶ περιμετωπίδια καὶ τὴν κόσμον περικεῖται μέτωπον τῶν ἵππων, &c. Hinc quia mangones ſæpe mercatorum oculôs phalerarum ornamentis perſtringunt, & pro valentibus & generoſis, ignavos & infirmos equos vendunt, phaleras pro ſimulatione & exteriore veſtitu, boni ſpeciem aliquam referente, uſurpamus. Hieronym. Noli reſpicere phaleras. Hinc verba phalerata apud Terentium in Phormione, pro ornatis, comptis & fucatis. Perſ. ſat. 3.

Ad populum phaleras.——

Eludit adoleſcentem monitor libidini ſuæ velificantem, animiq; ſordes & maculas, ſplendidiore corporis cultu tegẽtem: quod externis illis corporis ornamentis, populo & multitudini imperitæ imponi poſſit, quæ animi virtutem, corporis ſplendore metiatur, ſibi verò non poſſit.

Ad populũ phaleras, qui (ait Horatius) famæ ſervit ineptus.
Qui ſtupet in titulis & imaginibus.

Phaleratus.

Translate phaleratum Latini appellant, quod fucatum eſt, & ad ſpeciem ornatum: metaphora ducta ab equis venalib⁹, qui ut carius vendantur, Phaleris ſolẽt exornari. Sic Terentius in Phormione, Phalerata dicta poſuit, pro ornatis, comptis & fucatis:

Ut phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratiis.

Jam ante haberi, nunc recordor. Non enim fieri poteſt, quin cum hanc varietatem ſectemur, & per authores erremus, pleraque ſæpius vel de induſtria, vel inviti, vel obliti repetamus.

Perſonatus.

Perſonatum hominem dicimus fucatum & hypocritam: ſumpta à comœdiis & tragœdiis metaphora, qui perſonati ſolebant agere in theatra. Unde ferre perſonam, quaſi à nativa forma deſciſcere. Seneca lib. j. cap. ij. De clementia: Nemo enim poteſt perſonam diu ferre: ficta citò in naturam ſuam recidunt. Ciceronis eſt imitatio ex ij. Officiorum. Socrates hanc viam proximam, & quaſi compendiariam ad gloriam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam cõſequi poſſe rentur, valde decipiuntur. Vera enim gloria radicem agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi decidunt: nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. Quid? nonne & noſtra ætate videre eſt monſtra hominum, intercutibus vitiis madentium, præferentium tamen externam ſpeciem & larvam probitatis? Qui tamen inſtar ceræ, nunc emergente veritate, quæ eſt filia temporis, colliqueſcunt. Vendant, ut volent, populo triſtes ſanctimonias, erit aliquando ut fumo pereat, qui fumum vendiderit. Cic. ad Attic. lib. vij. Quam non eſt facilis virtus, quam verò difficilis ejus diu-

tutoa ſimulatio. Vide ante non diſſimilia huic: Aliud in pixide. Rhetorici colores: Phaleratus: Albati ſcurræ: Alia dicunt, alia faciunt: Paries dealbatus: Hiantia & dealbata ſepulchra: Fronte politus. Quod ſi verum aliquando fuit: vitia virtutes mentiri: magno noſtro malo hodie in cucullatis perſonis veriſſimum experimur, qui paupertatem ſimulantes, fere omnia poſſident. Juvenal. ſat. xiv.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbra,
Quum ſit triſte habitu, vultuq; & veſte ſeverum.

Cavendum eſt igitur diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Gregorius inquit: Sæpe ſe vitia ingerunt, & ſe virtutes eſſe mentiuntur. Vitia nobis ſub religionis nomine obrepunt: hypocritis & fraus ſub titulo & cucullo pietatis latent.

Speciosum nomen.

Specioſum nomen etiam in ſermone communi eſt, & eleganter pro colorato & fallaci prætextu dicitur: & quum quid prætenditur in vitiis, virtutes imitantibus. Ovid. Metam. 7.

—Specioſaque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ: quin aſpice quantum
Aggrediare nefas ———

Cornel. Tacitus lib. xx Cæterũ libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem cõcupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Curtius lib. 7. Tacitus facinoris ſpecioſus præferebatur, vindicta Darii. Quintilianus: Et dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſum clementiæ nomen aliquando, & in cõtrarium aliquando abducat. &c. quod ſcilicet prætẽditur in vitiis, virtutes imitantibus: ut in miſericordia. Inde in ſpeciem, pro ſimulate. Livius lib. 4 ab urbe condita, de Sẽpronio reo: Ægre Hortenſius pati, tentationem eam credere eſſe perſeverantiæ ſuæ, nec precibus tribunorum, quæ in ſpeciem modo jactentur, ſe auxilio confidere reum.

RHODIGINI. *Proſopion habet, non proſopon.*

In mulierem, obvelantem fucis deformitatem inſitam & ſenectutem, & veluti larvatam. Lucilius:

Μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλάττε,
Ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.

Id eſt:

Faciem totam pſimytho ne colline,
Ne perſonam videatis habere non faciem.

Linire parietem luto.

Quomodo cibus ſine ſale dicitur, quod gratia, utilitateq; caret. Ezec. xiii. ita ibidem, Linire parietem luto abſque paleis, eſt unica virtute niti: aut externa tantum probitatis indicia conſectari: aut deniq; dogmata ſua falſis comprobare. Ratio hæc, quod lutæus paries nihil habeat roboris, niſi paleis obfirmetur, quæ luto admiſtæ tenacius ſtringunt.

FVERVNT NON SVNT.

ERASMI.

Sæpe etiam eſt holitor valde opportuna locutus.

Aulus Gellius in Noctibus ſuis li. 2. c. 6. teſtatur hunc verſiculum olim proverbio fuiſſe celebratum:

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

Id eſt:

Sæpe etiam eſt holitor valde opportuna locutus.

Quo quidem admonemur, non eſſe faſtidiendam ſalutarem ſententiam, propter autoris humilitatem: nam fieri nonnunquam, ut aliquis infimæ ſortis ac notæ vir, aut minime doctus, dicat quiddam haudquaquam aſpernandum etiam ſummis viris. Huic reſpondet illud Cæcilianum apud Ciceronem in Tuſculanis quæſtionibus: Sæpe eſt etiam ſub pallio ſordido ſapientia. Neq; diſſonat Plautinum illud in Captivi duo: Ut ſumma ſæpe ingenia in occulto latent. Porro quod ad Græcum attinet adagium, lectorem admonendum putavi, hunc quidem ad modum in omnibus, quos adhuc viderim, Gellianis codicibus inveniri ſcriptum. Verum ſicuti recordor, aliquando ſcrupulum injecit mihi, ac mendum ſubeſſe monuit Paulus Bombaſius Bononienſis, inter bonarum literarum profeſſores ejus civitatis ut multo doctiſſimus, ita longe primi nominis: idq; jure optimo, quippe qui primus ibi Græcas pariter ac Latinas literas pari facultate publice privatimq; docere cœperit: vir alioqui naris emunctiſſimæ, acerrimiq; judicii. Mihi verò tum propter egregiam ac multijugam eruditionem, tum ob incredibilem quandam morum ſuavitatem ita conjunctus, ut haud ſciam, an cum ullo mortalium unquam mihi fuerit vel arctior neceſſitudo, vel conſuetudo jucundior. Hunc igitur in literariis illis noſtris confabulationibus aliquando dixiſſe memini, nequaquam placere ſibi dictionem illam κηπωρὸς, in Gelliano proverbio, planeq; ſuppoſititiam & adulterinam videri: ſuſpicari verò ſeſe, ut pleraq; ſunt apud eum autorem depravata, pro μωρὸς, neſcio quem holitorem, illud κηπωρὸς ſubmiſiſſe. At tum quidem, quanquam & admodum veriſimile videretur, & plurimum apud me valeret hominis tam eruditi judicium, tamen haud etiam ſum auſus, in tanto exemplariũ conſenſu ſolus diſſentire. Verum dum ſurſum ac deorſum in Græcis autoribus oberro, forte fortuna in collectaneis quibuſdam, nullam quidem autoris titulum præferentibus, ſed ejuſmodi tamen, ut aut Stobæi, aut certe ex hoc decerpta viderentur, hujuſmodi carmen invenio citatum ex Æſchyli tragœdia, cui titulus, Phryges:

Πολλάκι τοι καὶ μωρὸς ἀνὴρ κατὰ καίριον εἶπε.

Id eſt:

Sæpe etiam ſtultus fuit oportuna locutus.

Proinde prorſum in Bombaſii mei pedibus eo ſententiam, atque omnibus eruditis eundum cenſeo, ut μωρὸς legatur pro κηπωρὸς: maxime, quod eadem ſententia totidem verbis etiam vulgo nunc dicitur, A viro ſtulto nonnunquam ſapiens dictum proficiſci. Reſpondeat autem ad illam, quam ſuperius ex Euripide citavimus:

—*Μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει.*

Id eſt:

—Nam ſtulta ſtultus loquitur.

Etenim hoc tametſi vere dictum eſt, tamen fit nonnunquam, ut fatuus vel caſu, vel imprudens aliquid egregie dicat, & ad rem vehementer accommodatum. Id quod accidere ſæpenumero videmus. Quid enim potuit vel ab homine ſalſiſſimo dici accommodatius, quam quod narrat Suetonius dictum à quodam qui mente parum cõſtabat, in Pompeium & Julium Cæſarem: Salve rex, ſalve regina: cum Pompeius regni affectati laboraret invidia, Cæſarem rumor eſſet Nicomedi regi uxoris vice fuiſſe.

Summaria indicatura.

Ῥωπικὴ ὠνή. i. Summaria indicatura. De rebus vilibus, magno tamen emptis. Quemadmodum fit nonnunquam in actionibus, cum non expenditur ſingillatim uniuſcujuſque rei precium, ſed multa ſimul congeſta pariter æſtimantur. Græcis enim ῥῶπες virgulta dicuntur, & ῥῶπον appellant faſciculum, ſeu ſarcinam e diverſis rebus colligatam, aut varios colores ſimul confuſos. Fit autem ſæpenumero, ut emptor parum attentus in hoc emptionis genere circumveniatur. Adagium refertur a Diogeniano. Meminit & Suidas.

Οἱ μὲν γὰρ οὐκ εἴσ᾽ ἔτι, οἱ δ᾽ ὄντες κακοί.

Id eſt:

Partim haud quidem jam ſunt: at ſi qui ſunt, mali.

Nam jam illi non ſunt: at qui ſunt, mali.

Dici ſolitum, ubi quis requirit ea, quæ quondam quidem extiterunt, verum temporum culpa perierunt. Veluti ſi quis inter principes Codros, Camillos, Fabricios, Epaminondas, hac tẽpeſtate requirat, aut inter monachos, Paulum, Antonium, Hieronymum non intempeſtiviter hoc carmen occinas: Eſt autem Ariſtophanis in Ranis: in qua fabula Bacchus inducitur deſcendens ad inferos, ut Euripidem, aut bonum aliquem poetam inveniret. Apud ſuperos enim neminem reperiri niſi malum.

Πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Id eſt:

Fuére quondam ſtrenui Mileſii.

Fuere quondam ſtrenui Mileſii.

Hoc ſenario notabant eos, qui a priſtina fortuna defluxiſſent, aut a majorum moribus degeneraſſent. Breviter in omnes quadrabit, qui deſierunt eſſe quod erant, facti deteriores, in ſenem e juvene: in pauperem factum è divite: in privatum, qui quandoq; regnavit: in obſcurum, qui aliquando floruerit. Origo proverbii varie narratur in Græcis. Quidam ajunt, Mileſios olim belli gloria præter cæteros floruiſſe: adeò ut quoſcunq; bello laceſſerent, eos ſuperarent. Proinde Polycrates Samiorum tyrannus, bellum quoddam geſturus, cum in animo haberet Mileſios ſocios ad eam rem acceriere, oraculum ſuper eo negocio conſuluit. Deus reſpondit: Quondam fuére ſtrenui Mileſii. Alii diverſam adferunt fabulam. Cum Cares bellum adverſus quoſdam molirentur, ſtatuiſſentq; ejus gentis auxiliis uti, quæ tum eſſet inter finitimos pollentiſſima, quidam Mileſios accerſendos cenſuerunt, alii cum Perſis res componendas. Itaq; conſultus hac de re Apollo, reſpondit modo dictum ſenarium. Diſſipato per omnem Aſiam oraculo, Mileſii propemodum omnes in prælio cum Perſis collato, cæſi ſunt. Itaque oraculum cum riſu in proverbium abiit. Rurſum alii ſcribũt: Cares cum Dario belligerantes, juxta vetus quoddam oraculum, quo monebãtur, ut fortiſſimos auxilio advocarent, in Branchidas fuiſſe profectos: atque ejus loci Deum conſuluiſſe, cum Mileſiorum auxiliis oporteret uti, atq; eum reſpondiſſe: Quondam fortes fuiſſe Mileſios, ſignificantem videlicet, eos jam imbelles eſſe, & deliciis effœminatos. Verum hoc commentum ex ipſa temporis ratione coarguit Zenodotus. Siquidem hunc ſenarium legi apud Anacreontem, qui floruit ætate Cyri Perſarum regis, a quo Darius fuerit tertius. Angelus itaq; Politianus maluit ad Mileſiorum mores in mollitiem verſos referre: quemadmodum facit & Athenæus lib. Dipnoſ. 12 Uſurpat hoc adagium ſemel atq; iterum Ariſtophanes in Pluto:

Καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοισιν ἀνεῖπε τουτογί,
Πάλαι ποτ᾽ ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.

Id eſt:

Ac præter hæc renunciavit hoc quoque,
Fuiſſe quondam ſtrenuos Mileſios.

Dicitur autem ſub perſona adoleſcentis, qui revocatus ab anu quam pauper aliquando divitem emolumenti gratia coluerat, tũc

dives

divès effectus, eandem exhauſtam faſtidit. Alluſit eôdem in Veſpis, jocans in ſenes:

> Ὦ πάλαι ποτ' ὄντες ὑμεῖς ἄλκιμοι μὲν ἐν χοροῖς,
> Ἄλκιμοι δ' ἐν μάχαις,
> Καὶ κατ' αὐτὸ δὴ τοῦτο μόνον, ἄνδρες μαχιμώτατοι,
> Πρὶν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα, νῦν
> Δ' οἴχεται γε, κύκνου πολιώτεραι δὴ
> Αἱ δ' ἐπανθοῦσι τρίχες.

Id eſt:

O qui quondam fortes fuiſtis in choreis, fortes in pugnis: & ſecundum hoc deniq; tantum viri pugnaciſſimi, prius olim fuerunt, prius iſta. nunc verò perierunt, cygno magis cani jam. Ariſtophanes in Ranis notat μιλήσια στρώματα, id eſt, ſtragulas Mileſias, ut delicias effœminatorum. Uſurpatur & à Syneſio in epiſtola quadam ad Philoſophon mulierem, ſignificans ſeſe à priſtina felicitate redactum ad calamitatem.

Fuimus Troes.

Ἦμεν Τρῶες, id eſt, Fuimus Troes. Hic loquendi color in Græcanicis tragœdiis adeò paſſim obvius eſt, ut tanquam in adagiũ abierit. ubi periſſe quempiam ſignificant. Euripides in Hecuba: Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτε. i. Et quondam ego fui. Sophocles in Electra:

> Ἀπωλόμην δύστηνος, οὐδέν εἰμ' ἔτι.

Id eſt:

> Miſeranda perii, nulla ſum poſthac ego.

Id imitatus Virg. 2. Æneid. lib.

> —Fuimus Troes, fuit Ilium & ingens
> Gloria Teucrorum.——

Rurſum alibi:

> Et campos ubi Troja fuit.——

extinctam ſignificans

Eandem ſententiam diverſa metaphora extulit Ovid. libr. De triſtibus:

> Nos quoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus:
> Flammaq; de ſtipula noſtra, brevisq; fuit.

Ad eandem figuram pertinet & illud ex Terentiana fabula, cui titulus, ἑαυτὸν τιμωρούμενος: Imò habui Chreme. tanquam periiſſe ſignificans. Item illud ex Rudentibus Plauti: Miſerum iſthuc verbum, & peſſimum eſt. habuiſſe. Præterea nobilis illa vox M. Tullii de conjuratis ſupplicio affectis: Vixerunt, cum occiſos ſignificaret. Hanc ſermonis figuram ex antiquiſſima illa Lacedæmonii chori cantilena putant increbuiſſe. Ejus chori mentionem facit Plutarchus in libello, cui titulus: Quo pacto laudare ſe quiſpiam citra invidiam poſſit. Meminit & Diogenianus in Græcorum adagiorum collectaneis. Conſtabat autem is chorus triplici ſerie atq. orbe, ſenum, puerorum, juvenum. Senum hæc erat cantio:

> Ἄμμες πόκ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι.

Id eſt:

> Nos fuimus olim ſtrenui juvenculi.

Deinde puerorum hæc erat:

> Ἄμμες δέ γ' ἐσσόμεσθα πολλῷ κάρρονες.

Id eſt:

> Præſtantiores nos futuri olim ſumus.

Poſtremo juvenum hæc erat:

> Ἄμμες δέ γ' εἰμέν, αἰ δὲ λῇς, αὐγάσδεο.

Id eſt:

> Et nos ſumus: vel experire, ſi velis.

Hunc chorum, quem τριχορίαν vocant, inſtituit apud Lacedæmonios Tyrtæus, juxta triplex ætatum diſcrimen. Nam pueritia ingreſſus eſt vitæ, virilis ætas progreſſus, ſenecta exitus.

COGNATI. *Hactenus potui, habui, fui.*

Hujuſmodi loquendi colores deſperantis formulæ apud utriuſque linguæ authores paſſim obvii ſunt, quibus ſignificamus id jam non eſſe, quod fuit. Menedemus Terentianus in Heautontimorumenon: Imò habui Chreme, Fuimus quondam fortes. Fuimus Troes, Fuit Ilion & ingens gloria Teucrorum, Vixerunt: Virg. 11. Æneid.

> —Purpureus quondam color ora reliquit.

Hactenus Acca ſoror potui. Indicat Camilla, ſe jam non poſſe quicquam. Plautus in Rudente: Pæpæ divitias tu quidem habuiſti luculentas Labrax: Miſerum iſtuc verbum & peſſimum eſt, habuiſſe, & nihil habere. Apud eundem in Perſa virgo: Omne pro nihilo eſſe ducto. quod fuit, quando fuit. Tanquam hominem, quãdo animam efflavit. quid cum quæras, qui fuit? Quid illum miſerum memorem, qui fuit? Euripides in Hecuba: κἀγὼ γὰρ ἦν ποτε. Cicero ſignificans conjuratos extremo ſupplicio affectos: Vixerunt, inquit. Iſta & id genus multa erudite annotavit D. Eraſmus præceptor noſter. Dido in 4. Æneidos, ſignificans ſe, reſq; ſuas in magna fuiſſe gloria. jamq; de vita ſua deſperatum eſſe:

> Vixi (inquit) & quem dederat curſum fortuna peregi:

præſens reliquiæ vitæ momentum perinde ducens, ac ſi non eſſet. Ovid. in quadam epiſt. Triſtium:

> Nos quoq; floruimus, ſed flos fuit ille caducus:
> Flammaq; de ſtipula noſtra breviſq; fuit.

Seneca lib. 7. de Benefic. c. xix. Scimus nos quales fuimus.

Scimus nos quales fuimus.

Idem ibidem: Scimus nos quales fuimus. Specie proverbii à Gallis vulgo etiam hodie dicitur. Vide ſupra: Hactenus potui, habui, fui. Dido mox moritura apud Virgil.

> Vixi, & quem dederat curſum fortuna peregi;
> Et nunc magna mei ſub terras ibit imago:
> Urbem præclaram ſtatui, mea mœnia vidi:
> Ultra virum, pœnas inimico à fratre recepi.

Vixit.

Veteres cum aliquem vita ceſſiſſe indicarent, non id proprio nomine dicebant, ſed tantum hoc: Vixit. Abſtinebant enim mortis mentione, ne cogerentur δυσφημεῖν. Itaq; abitionem pro morte dicebant, ut Græci οἴχεσθαι, & ἀποίχεται. mortuus eſt, periit. οἴχεται, pro evaneſcit, uſurpavit Cicero. Attico ſcribens. Plutarchus Cicerone: Φθεγξάμενος δὲ μέγα ἔζησαν, εἶπεν. οὕτω δ' οἱ Ῥωμαῖοι οἱ δυσφημεῖν βουλόμενοι τὸ τεθνάναι λέγουσιν. hic loquendi color in adagium abiit. Eadem figura dicitur, Fuit: de qua Eraſmus noſter in adagio, Fuimus Troes.

GARRVLITAS.

ERASMI. *Archytæ crepitaculum.*

Ἀρχύτου πλαταγή, id eſt, Archytæ crepitaculum. In hominem vehementer garrulum & obſtreperum jaciebatur. Archytas, crepitaculi genus æreum excogitavit, quod pueris luſitantibus daretur, ne quid interim ex vaſis domeſticis contingerent: quemadmodum docet Ariſtoteles 8. lib. Politicorum. Suidas indicat, Archytam fuiſſe Pythagoricum, Empedoclis præceptorẽ. Quanquam hujus nominis referuntur aliquot, tamen conſentaneum eſt hunc Tarentinum philoſophum ejus organi fuiſſe opificem, utpote qui fertur in mechanicis mire præcelluiſſe. Cujus & columba lignea celebratur, ita ratione mathematica librata, uti volaret. Quanquam Diogenes Laërtius in hujus vita teſtatur, hujus nominis & architectum fuiſſe quendam, qui librum quoq; conſcripſerit de machina. Columbæ meminit & A. Gellius lib. x. cap. xii. ex autoritate Phavorini tribuens inventum hoc Archytæ philoſopho. Sed utriuſcunq; fuit inventum, conſentaneum eſt hujuſmodi quoddam organum fuiſſe, quod ſuapte ſponte ſonaret. Unde non abſurde torquebitur in eos, qui naturæ vitio, quovis loco, quavis de re, & apud quoſvis, quidvis garriunt: quos Græci λάλους, ἀμετροεπεῖς, ἀπεραντομύθους, & πολυμύθους appellant: Latini garrulos, locululeios, rabulas, blaterones & linguaces. In quos Eupolis ſcite:

> Λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.

Id eſt:

> Ad garriendum præcipuus & optimus,
> Verum ad loquendum nemo minus idoneus.

Ne inſcite Epicharmus:

> Οὐ λέγειν δεινός, ἀλλὰ σιγᾶν ἀδύνατος.

Id eſt:

> Nil valebat eloquendi viribus,
> Verum ſilendi habebat impotentiam.

Habebatur ſimile quiddam & apud Romanos, Citeriam appellabant. Erat ea effigies quædam arguta & loquax, quæ ridiculi gratia in pompa vehi ſolita ſit. Unde M. Cato in M. Cecilium: Quid ergo dicerem amplius, quem ego deniq; credo in pompa vectitatum iri, ludis pro Citeria, ac ſpectatoribus ſermocinaturum? Ergò proverbiali ſpeciem habebunt orationes hujuſmodi. Citeria loquatior: &, Præ hoc mutam dicas Citeriam: &, Unus cum multis Citeriis certare poſſit.

Arabius tibicen.

Ἀράβιος αὐλητής, id eſt, Arabius tibicen, aut, ἀράβιος ἄγγελος, id eſt, Arabius nuncius. In eos dici ſolitum, qui à ſemel cœptis nũqua deſiſtunt. Quod vitii Flaccus cantoribus peculiare eſſe ſcripſit, ut juſſi cantare, nunquam adducantur ut incipiant: ſi injuſſi cœperint, nunquam deſinant. Citatur ex Menandro: ἀράβιον ἄρ' ἐγὼ κεκίνηκα αὐλόν: Arabiam ego hercle tibiam excitavi. Meminit adagii Jul. Pollux, c. De loquacibus, ad hunc modum: ἀράβιος αὐλός. id eſt: Arabia tibia. Citatur & Cantharus in Medea: κιθαρῳδὸν ἐξεγήγερται ἀράβιον. i. e. Citharœdum excitavit Arabium. Celebratur Græcis & hic verſiculus de tibicine Arabio:

> Δραχμῆς μὲν αὐλεῖ, τεττάρων δὲ παύεται.

Id eſt:

> Drachma canit, ſed quatuor compeſcitur.

quod paululo precio provocaretur ad canendum, non niſi magna mercede deſiſteret. Adagium hinc natum exiſtimant, quod olim tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquam ſordidam, ſed hanc ſola mancipia exercebant, quæ plerunq; ex Arabia producebantur. Deinde ingenuis usque adeò placere cœpit, ut indoctus haberetur, quiſquis hujus eſſet rudis: donec Alcibiades tibias abjiceret, oris deformitate conſpecta ad ſpeculum. Conveniet & in eos, qui laborant morbo, quem Græci vocant ἀπεραντολογίαν, id eſt, qui dicendi finem facere neſciunt. In quos extat illud Sophoclis:

> Ἀνὴρ γὰρ ὅστις ἥδεται λέγων ἀεί,
> Λέληθεν αὐτὸν τοῖς ξυνοῦσιν ὢν βαρύς.

Id eſt:

> Quicunque gaudet continenter proloqui,
> Is ſe gravem eſſe, quotquot adſunt, non videt.

Tur-

Turture loquacior.

Τρυγόνος λαλίστερος, id eſt, Turture loquacior. In garrulos & impendio loquaculos homines dici ſolitum. Sumpta metaphora ab avis natura, quæ non ore tantum, ſed etiam poſtica corporis parte clamare fertur: ob id opinor, quod vocem edens, etiam illam movere videatur. Citatur apud Zenodotum ex Plotio Menandri. Ælianus lib. xii. c. x. meminit hujus proverbii, deq; ave utraq; corporis parte loquaci. Theocritus in Syracuſanis, mulieres quaſdam loquaculas, turtures appellat:

Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατειάσδοισαι ἅπαντα.

Prolixius Iliade.

Μακρότερον τῆς Ἰλιάδος λαλεῖ, id eſt, Prolixiora Iliade loquens. Refert Julius Pollux libro De rerum vocabulis 6. c. 26. adjungēs ei quod alibi docuimus, competere in homines vehementer garrulos, τὸ ἐκ Δωδώνης χαλκεῖον, & ἀεὶ λαλοῦσα αὐλός, ſic enim ibi refertur. Huc in ſenſum uſus eſt & Æſchines in Demoſthenem: qui locus nobis alibi citatus eſt. Non diſſimile eſt huic, Ilias malorum. Sed quoniam hoc congruit immenſis malis, quod nūc referimus immodicæ loquacitati, ſeparare viſum eſt ob uſum diverſum. Eſt autem Ilias, nobile opus Homeri, quo Trojæ captæ hiſtoriam libris viginti quatuor explicat: quum Vergilius duodecim libris complexus ſit, quod ex utroque opere viſum eſt decerpere.

Cornicari.

Quin & Græci proverbio κρώζειν, dicunt, pro eo quod eſt, inhiare prædæ, aut inepte garrire. Ariſtophanes in Pluto:

Σὺ μὲν οἶδ᾽ ὃ κρώζεις, ὡς ἐμοῦ τι καὶ λαβεῖν
Ζητεῖς μετὰ λαθεῖν.

Id eſt:

Quid crocites ſcio, nempe ſi quicquam rei
Furto involatim, ut hinc tibi partem feras.

Interpres admonet eſſe proverbium in eos, qui cornicum more fruſtra cornicantur. Sunt autem verba Chremyli ſenis: qui ait ſe ignorare, quid ſibi vellet Bleplidemus ſurſum ac deorſum vertens orationem, dum ſtudet furti confeſſionem elicere, nimirum ut conſcius in prædæ partem veniret. Perſius ſatyr. v.

Neſcio quid tecum grave cornicaris inepte.

Uſus eſt & divus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachum.

Muſarum aves.

Μουσῶν ὄρνιθες, in eadem Ecloga dicti ſunt poëtæ, quod aſſidue modulentur ſua carmina:

Καὶ Μοισᾶν ὄρνιχες ὅσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν
Ἀντία κοκκύζοντες ἐτώσια μοχθίζοντι.

Id eſt:

Quotquot aves Muſarum, audent certare poetæ
Chio, coccyſando, opera conantur inani.

Muſarum aves.

Μουσῶν ὄρνιθες, id eſt, Muſarum aves, non abſq; proverbii ſpecie Theocritus in Thalyſia appellat poetas, quod luſciniarum in morem aſſidue canāt ſua poemata. Scholiaſtes admonet omnes aves canoras Muſarum aves appellari. Sentit autem ſibi diſplicere poetas, qui cuculorum more audent Homero occinere.

Tam multa quam ſapiens.

Ariſtoteles libr. Rhet. 3. admonens ne orator nimium crebris enthymematibus utatur, ſed tantum intermiſceat, ſubjicit hoc carmen, Homeri, ni fallor, ceu vulgo jactatum:

Ὦ φίλ᾽ ἐπεὶ τόσα εἶπες, ὅσ᾽ ἂν πεπνυμένος ἀνήρ.

Id eſt:

Quandoquidem nobis tam multa locutus amice es,
Quam multa prudens vir diceret atque peritus.

Conveniet in hominem multa loquētem potius quam opportuna. τόσα, inquit Ariſtoteles, ἀλλ᾽ οὐ τοιαῦτα. i. Tam multa, at non talia. Neq; enim perinde refert quam multa loquamur, ſed quam ad rem facientia. Quemadmodum philoſophus quidam dixit, non eos pro doctis habendos, qui multa didiciſſent, ſed qui utilia.

Daulia cornix.

Δαυλίαν κορώνην, id eſt, Dauliam cornicem, luſciniam vocant poetæ: ſive quod Tereus in Daulide Pho. idis cum ea vixerit: ſive quod illic Philomela mutata ſit in avem. Non video quid ſibi velit adagium niſi forte dictum eſt in garrulos aut canoros. Magis autem ſuſpicor Zenodotum (ſive Zenobius, ſive quiſquis alius fuit) hoc proverbium fuiſſe commentum, quo locum faceret narrandæ fabulæ: quod idem in nonnullis aliis ab eo factum cōjicio.

Hirundinum muſea.

Χελιδόνων μουσεῖα, id eſt, Hirundinum muſea. Ariſtophanes in Ranis:

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα,
Χελιδόνων μουσεῖα, λωβηταὶ τέχνης.

Id eſt:

Sunt iſta folia, & ſtulta blateramina,
Muſea hirundinum, artis ac ſubverſio.

Interpres admonet, proverbium eſſe in impendio loquaces, & obſtreperos. Hirundines enim inepto garritu plus tædii auditorib⁹ adferre, quam voluptatis. Eſt enim hæc avis minime canora, ſed moleſto quodam ſtridore. Unde apud Pythagoricos loquacitatis ſymbolum eſſe meruit, cum vetant ne quis hirundinem ſub eodem habeat tecto. Apte dicetur in poetas inductos, oratores loquaces magis quam eloquentes, aut in cœtum hominum ineptè loquacium.

Luſciniæ nugis inſidentes.

Ἀηδόνες λέσχαις ἐγκαθήμεναι, id eſt, Luſciniæ nugis inſidentes. Proximum illud ad imperitos, & tamen garrulos convenit: hoc ad eruditos, qui tamen immodice ſuo ſtudio delectentur. Quod genus ſunt poetæ potiſſimum. Plaut. in Bacchid. ad puellam inantulit: Metuo, inquit, ne luſcinioIæ defuerit cantio. Quanquam in Græco proverbio jocoſa depravatio videtur inēſſe, ut pro λεσχαις, dictum ſit λέσχαις. Sumptum eſt autem ab incredibili canendi tum ſtudio, tum arte, quæ huic aviculæ tribuitur. Siquidem, ut narrat Plin. lib. x. c. 29. diebus ac noctib. quindecim continuis citra intermiſſionem canit, denſante ſe frondium germine. Multis nominibus admiratione digna avis. Primum tanta vox in tam parvo corpuſculo, tam pertinax ſpiritus: deinde in una perfecta muſicæ ſcientia. Modulatus æditur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nūc variatur inflexo, nunc diſtinguitur cōciſo copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuſcatur ex inopinato (interdum & ſecum ipſa murmurat) plenus gravis, acutus, creber, extentus, ubi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus. Breviter, omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. Ac ne quis dubitet artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus, & non idem omnibus, ſed ſuus cuique. Certant inter ſe, palamq; animoſa contentio eſt. Victa, morte finit ſæpe vitam, ſpiritu prius deficiente quam cantu. Meditantur aliæ juniores, verſuſq; quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magna, & reddit, vicibuſq; reticent. Intelligitur emendatæ correctio & in docente quædam reprehenſio. Hæc & alia nonnulla de luſciniarum cantu refert Plinius, quo diximus loco.

Dodonæum æs.

Δωδωναῖον χαλκεῖον, id eſt, Dodonæum cymbalum, aut tintinnabulum. In hominem dici conſuevit improbæ atq; importunæ loquacitatis. Zenodotus citat ex Ariphoro Menandri. Tradit autem in Dodona duas fuiſſe ſublimes columnas in altera poſitam pelvim æream, in altera penſile pueri ſimulachrum, flagellum æreū manu tollentis: quoties autem ventus vehementius flaverit, fieri ut ſcutica impulſa crebrius lebetem feriat, iſq; percuſſus tinnitum reddat ad multum etiam temporis reſonantem. Alii referunt ad æra Corinthia, quæ præ cæteris clarius tinniant. Meminit hujus adagii Stephanus in dictione Dodone. Juvenalis ad adagium alluſiſſe videtur, cum ait:

Tot pariter pelves, tot tintinnabula credas
Pulſari. ———

muliebrem garrulitatem taxans. Suidas diverſam adagii adfert interpretationem ex Dæmone. Ait enim oraculum Jovis, quod olim erat in Dodona, lebetibus æreis undiq; cinctum fuiſſe, ita ut invicem ſeſe contingerent. Itaq; neceſſum erat fieri, ut uno quopiam pulſato, viciſſim & omnes reſonarent, ſonitu per contactum ab aliis ad alios ſuccedente. Durabatq; in longum tempus tinnitus ille, videlicet in orbem redeunte ſono. Putatq; parœmiam dictam in ſordidos, & quantumvis puſilla de re querulos. Verum Ariſtoteles hoc commentum ut fictitium refellit, adferens aliud interpretamentum, quod modo retulimus, de columnis duabus, & ſimulachro pueri. Plutarch. in commentario περὶ τῆς ἀδολεσχίας indicat, in Olympia porticum quandam fuiſſe, ratione mathematica ita compoſitam, ut pro una voce multas redderet, atq; ob id ἑπτάφωνον appellatam. Cumq; hac confert homines impendio loquaces, quos ſi verbulo tangas, continuo referunt tantum verborum, ut nullus omnino ſit garriendi finis. Meminit hujus adagionis & Julius Pollux lib. 6. c. de loquacibus his verbis: τὸ ἐκ Δωδώνης χαλκεῖον.

Caute loquacior.

Ῥαχίας λαλίστερος. i. Caute loquacior. Proverbialis hyperbole in hominem immodice ac permoleſte garrulum. Sumpta metaphora à cautibus: quæ quoniam aſſiduis fluctibus tunduntur, multo reſonant fragore.

Cicada vocalior.

Τέττιγος ἀφωνότερος. i. Cicada vocalior. Dicebatur in hominem impendio garrulum, aut admodum muſicum: propterea quod hoc inſectum rore duntaxat vivens, cantu potiſſimum delectetur. Et quoſdam ita Muſicæ deditos, ut neglecto cibo perituri fuerint inedia, in cicadas a diis mutatos, narrat apud Platonem Socrates in Phædro. Et Theocritus in Daphnide:

—Τέττιγος ἐπεὶ τύγα φέρτερον ᾄδεις.

Id eſt:

—Quippe canis melius quacunq; cicada.

Apud Diogenem Laertium refertur Timones carmen in Platonis eloquentiam:

Τῶν πάντων δ᾽ ἡγεῖτο πλατίστακος, ἀλλ᾽ ἀγορητὴς
Ἡδυεπὴς τέττιξιν ἰσογράφος, οἵθ᾽ Ἑκαδήμου
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

Id eſt:

Cunctos anteibat latiſſimus ille, ſuavis

Ora-

Orator, cujus non cedunt ſcripta cicadis,
Quæ ſuper arboribus reſident lucis in opacis,
Ac mittunt vocem modulato gutture amœnam.

Eſt autem alluſio: quam Latinus interpres non poteſt reddere, in πλάτανος, ad Platonem: & in ἑκαδήμῳ, ad illius Academiam. Alluſum item ad carmen Homeri Iliados γ. de ſenibus, qui ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι, id eſt, Vocem floridam emittunt. Apud Athenæum lib. 6. paraſitus quiſpiam ſeipſum depingens, λάλος, inquit, τέττιξ, id eſt, garrulitate cicada ſum. Et apud eundem libr. 11. Theopompus τέττιξ κελαδεῖ, id eſt, Cicada ſtridet, quod tamen illic videtur boni ominis cauſa dici.

Littore loquacior.

Ῥαχίας λαλίστερος, id eſt, Littore loquacior. In rabulam & obſtreperum dicebatur. Nam rhachia Græcis littus appellatur, præſertim ſcopulis ac rupibus aſperum, quod aſſiduis tunditur fluctibus, non ſine fragore: unde & Græca vox ducta videtur, ῥαχία quaſi τραχία. Nam ea vox ad omne quod aſperum ac ſpinoſum eſt, deflectitur.

Non eſt ejuſdem, & multa & opportuna dicere.

Χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ καὶ τὰ καίρια.
Id eſt:
Sejuncta ſunt hæc, multa & apta dicere.

Senarius proverbii vice celebratus, admonet vitandam multiloquentiam, quod fere labi neceſſe ſit, quiſquis multum loqui conetur. Extat & in Hebræorum proverbiis: In multiloquio non abeſſe peccatum.

Homo ſemper contradicens.

Galenus libro quo refellit Julianum neſcio quem, calumniantem Aphoriſmos Hippocratis, refert hanc ſententiam, ut vulgo celebratam: οὐδὲν ἐστιν ἀπεραντολογώτερον ἀνθρώπου, id eſt. Nihil eſt pertinacius ad cõtradicendum quam homo. ἀπεραντολογία eſt vitium, quo quis garriendi finem neſcit facere. Convenit in eos, qui nunquam fatentur ſe victos. Hoc vitio maxime laborant ſtupidi & imperiti.

Os infrene.

Ἀχάλινον στόμα, id eſt, Os infrene, vocant os petulans, & maledicum. Sumpta metaphora ab equis, nullo freno coercitis. Ita Plato lib. De legib. 3. ἀχάλινα στόματα vocat: Euripidem opinor imitatus, qui in Bacchis,

Τῶν ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχίαν

eſſe ſcripſit: quemadmodum alibi meminimus: Plutarch. De liberis educandis, ἄθυρον στόμα dixit, quaſi ianitoris egens. Ariſtophanes in Ranis:

—αὐθαδόστομον
Ἔχοντ' ἀχάλινον, ἀκρατὲς, ἀπύλωτον στόμα.
Id eſt:
—Oris improbi,
Infrene habentem, intemperans, & oſtii
Os indignum.—

Julius Pollux docet id genus homines dici ἀθυρογλώττους, quam vocem uſurpat Euripides in Oreſte:

Κἀπὶ τῷδ' ἀνίσταται
Ἀνήρ τις ἀθυρόγλωσσος, ἰσχύων θράσει,
Ἀργεῖος οὐκ Ἀργεῖος, ἠναγκασμένος,
Θορύβῳ τε πίσυνος, κἀμαθεῖ παρρησίᾳ,
Πιθανὸς ἔτ' αὐτοὺς περιβαλεῖν κακῷ τινι.
Id eſt:
Sub iſta ſurgit quiſpiam vir, cujus os
Carebat oſtio, valens audacia,
Argivus haud Argivus: huc adactus eſt
Turbæ obſequens, & imperita audacia:
Qui orationis poſſet eloquentia
Malo vel ipſos principes involvere.
Sic Euripides depingit.

Sed utinam hæc forma non competeret in tam multos concionatores, non Evangelicos, ſed ſycophanticos ac meros adulatores.

Tanquam ſuber.

Ὡς φελλὸς, id eſt, Tanquam ſuber, de iis, qui non norunt diſſimulare, aut qui neſciunt mergi adverſis fortunæ procellis. Extat apud Pindarum. Tractum à natura ligni, quod non ſolum ipſum nõ mergitur, verum etiam alligatum aliis ne ſidant, ſuſtinet. Unde retibus aſſuitur, & natantibus ſubditur.

Telenicia echo.

Τελενίκειος ἠχὼ, id eſt, Telenicia echo, recte dicetur oratio fatui. Sic enim vocant crepitum vaſculorum inanium, ſumpto epitheto ab eodem, de quo alibi diximus Telenico. Quanquam Plutarchus inter argute dicta Epaminondæ, meminit Tellenis cujuſdam peſſimi tibicinis, cui diſſimillimus fuerit Antigenidas. Expendat igitur lector, an ab hoc malit deductum proverbium. Etenim de Tellenis cantilenis alias nobis dictum eſt.

Balneator.

Βαλανεὺς, id eſt, Balneator, ſive balnei campo. Id nominis vulgato convicio dicebatur in hominem alienarum rerum plus ſatis curioſum: propterea quod hujuſmodi genus hominum, quoniam in ocio vivit, neque ſuis negociis diſtinetur, aliena curare conſuevit. Quemadmodum ille Damaſippus Horatianus.

Aliena negocia curans,
Excuſſus propriis.

Cujuſmodi ſunt & Tonſores.
Unde idem Horatius:
—Opinor
Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.

Plato lib. De Repub. 1. videtur uſurpare in verboſos. Quanquam germana inter ſe vitia ſunt, curioſitas & garrulitas, teſte vel Horatio:

Percunctatorem fugito, quia garrulus idem eſt.

Meminit adagii Diogenianus.

Battologia, Laconiſmus.

Βαττολογία, Græcis multiloquium vocatur: à Batto quopiam inepto poeta, qui hymnos quoſdam conſcripſit prolixos, in quibus eadem crebrius iterabantur. Hinc vox etiam conficta, Βαττολογεῖν, quæ quidem adeò vulgò fuit uſurpata, ut ea Matthæus Apoſtol. ſit uſus. Sic enim apud hunc loquitur Chriſtus: προσευχόμενοι δὲ μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί i. Orantes autem, ne battologiſſetis, more gentilium. E diverſo λακωνισμὸς, id eſt, Laconiſmus, in breviloquentiæ ſignificationem abiit: quo modo uſurpatur aliquoties apud M. Tullium in Epiſtolis.

Moſchus canens Bœoticum.

Μόσχος ᾄδων Βοιώτιον, id eſt, Moſchus canens Bœoticum. Moſchus hic citharœdus fuit imperitus, qui citra reſpirationem vocem in longum producebat. Bœoticum autem vocat cantionis genus, veluti Phrygium aut Dorium. Quadrabit in multiloquos, ſed tamen inepte loquaces.

Si corvus poſſit tacitus paſci.

Si brevis apologus, authore Fabio, parœmiæ genus eſt: Cur non illud etiam proverbiis annumeremus, quod ſcripſit Horatius:

Sed tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus invidiæque.

Quidam exiſtimant mutuo ſumptum ex apologo, quem in libro De Deo Socratis refert Apuleius, de corvo prædam nacto: quam vulpes ita intercepit, dum arte perſuadet illi, ut canere incipiat. Quadrat in eos, qui ſi quid bonæ rei nacti ſunt, continuo jactant oſtentantq;: atq; ad eum modum efficiunt, ut alii tum obſiſtant, quo minus ejuſmodi plura commoda nanciſcantur, tum quæ nacti ſint, intervertant.

Quicquid in buccam venerit.

Quicquid in buccam venerit. Quoties libere quoſpiam ac tuto loqui ſignificamus, in circumſpecte, & quicquid forte fortuna in animum inciderit. Quemadmodum apud fidos amiculos facere ſolemus, apud quos impune quidvis nugamur atq; effutimus. M. Tullius ad Atticum, lib. 14. Aut ſi nihil erit, quod in buccam venerit, ſcribes. Idem libro 12. Quid cum coram ſumus, & garrimus quicquid in buccam venit? Recte torquebitur & in eos, qui temere atque inconſiderate loquuntur, perinde quaſi ſermo illis non in pectore naſcatur, ſed in faucibus.

Quicquid in linguam venerit.

Huic plane germanum eſt illud, quod uſurpat Lucianus in libello De ratione conſcribendi hiſtoriam: ἐπινοοῦντες δὲ καὶ ἀναπλάττοντες ὅ τι ἂν ἐπ' ἀκαιρίαν γλῶττάν φασιν ἔλθῃ. id eſt: Comminiſcentes affingenteſq; quicquid verbi temere in linguam, ut ajunt, venerit. Plato dictum hoc libro De Repub. 8. citat ex Æſchylo Tragico poeta. Uſurpavit & Athenæus lib. Dipnoſophiſt. 5. κατὰ τὸν αὐτὸν ποιητήν· ὅ τι κεν ἐπ' ἀκαιρίαν γλῶτταν ἔλθῃ. id eſt: Juxta poetam qui dixit, Quicquid temere in linguam venerit. Hoc velut interpretans Iſocrates in oratione Panathenaica: ὅμοιος ἂν εἶναι δόξαιμι τοῖς εἰκῆ καὶ φορτικῶς καὶ χύδην ὅ τι ἂν ἐπέλθῃ, λέγουσι. id eſt. Similis videbor iis qui temere & arroganter ac futiliter quicquid in mentem venerit, loquuntur.

Citra vinum temulentia.

Ἄοινος μέθη. i. Ebrietas abſq; vino. Theophraſtus, ut teſtatur in Sympoſ. Plut. τὰ κουρεῖα ἀοίνου μέθην ἐκάλει. i. Tonſtrinas ebrietatem abſq; vino vocabat: propterea quod illic deſidentes ſermonib. ita temulenti redderentur, ut non aliter effutirent quicquid eſſet in animo, quam inter pocula ſolent ebrii, voces interdum temulentiam effutientes, per jugulum, ut ait Plin.redituras. Horatius inſolentiam ebrietatem appellant: Fortunaque dulci ebria. Vulgo panariam ebrietatem appellant arrogantiam, licentiamque morum, quæ ſecundis reb. comes eſſe conſuevit. Eſt & hæc quidem non paulo periculoſior illa, quam vinum adducit. Siquidem vini æſtus pauculis horis, aut etiam ſomno deferveſcit: hæc multis in omnem uſque vitam durare conſuevit.

Meliacum navigium.

Τὸ Μηλιακὸν πλοῖον, id eſt, Meliacum navigium. In futilem & rimarum, ut ait Terentius, plenum, hac atq; illac perfluentem, dictitatum videtur. Parœmiam ad hiſtoriam quampiam referunt.

Ea ſic habet. Ariſtoteles quidam Meliacus deducendæ coloniæ præfectus, cum multi detrectantes navigationem, varias cauſarentur, & alii dicerent uxores ſuas adverſa valetudine teneri, alii naves ſuas perſtillare, atq; his prætextibus domi manerent: ille indignatus, imprecatus eſt illis, ut nunquam haberent naves integras, & ſemper ſub uxorum imperio viverent. Unde quadraturum videtur, ubi quis cauſas fingit, quo ſuffugiat officium. Eſt autem Melia Cariæ civitas authore Stephano. Suidas indicat, & arboris genus eſſe Meliam, proferens exemplum ex Avibus Ariſtophanis:

Ἑζόμενος μελίας ἐπὶ φυλλοφόρου.

Id eſt:

In Melia reſidens frondoſa.

Et fortaſſis hujus arboris materia inutilis eſt ad fabricam navigiorum. Verum ut vera ſit fabula de populo Meliaco, certe alluſum eſt ad arborem.

Interſecta muſica.

Κατέκοψε ἡ μουσική: id eſt, Interrupta eſt muſica. Veteres in conviviis eruditis confabulationibus uti cōſueverunt. Poſt cantores, hiſtriones, ſaltationes induci cœptę. Unde quidam moleſte ferentes interrumpi ſermones ſuos dicebant: κατέκοψαν τὴν μουσικήν. Quæ vox in proverbium traducta eſt, quoties aliquis interveniens ſermonem inſtitutum interpellaret. Simile quiddam memini legere apud Platonem, licet in præſentia locus non occurrat.

Lingua quo vadis?

Γλῶσσα ποῖ πορεύῃ; πόλιν ἀνορθώσουσα καὶ πάλιν ἀνατρέψουσα, id eſt, Lingua quo vadis: Erectum civitatem, eandem denuo ſubverſura. Refertur a Suida, Zenodoto, Diogeniano. Docet linguam plurimum utilitatis adferre mortalibus, eandem rurſum plurimam adferre perniciem, tametſi membrum corporis ſit perquam exiguum. Proinde divus Jacobus Apoſtolus eam clavo navis adſimilem facit: quæ cum pars ſit minima, tamen totam navem aut ſervat, aut evertit. Bias, referente Plutarcho in libello de audiendo, rurſum in alio De loquacitate, Amaſidi Ægyptiorum tyranno jubenti, ut ſibi quod eſſet in victimæ, quam ad illum miſerat, carnibus & optimum & peſſimum mitteret, linguam reſectam miſit: innuens hujus uſum eſſe precipuum, ſive prodeſſe cupias, ſive nocere. Nec inſcite dictum eſt a Solomone capite 18. Mors & vita in manibus linguæ.

Cane Tellenis cantilenas.

Ἄειδε τὰ Τελλῆνος. i. Cane cantiones Tellenis. Quidam dici putant de dicacibus, mordacibusque: quidam de inepte loquaculis. Nam Tellenem hunc, tibicinem quendam fuiſſe, poetam item carminum ineptiſſimorum. Alii tradūt, hunc jocos quoſdam verſibus lepidiſſimis deſcripſiſſe, non ſine multo ſale ſcommatum. Meminit hujus Tellenis Diarchus Meſſenius apud Zenodotum. Item Plutarchus in Apophthegmatis.

Ad vinum diſerti.

Cicero in oratione pro M. Cælio, ad vinum diſertos appellat, qui ad ſerias cauſas agendas inepti, inter pocula multa garriunt, ubi nihil opus: Qui ſe nunquam profecto, ſi iſtum in locum proceſſerint, explicabunt, quam volent in conviviis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint. Alia fori vis eſt, alia triclinii. Notum eſt illud Flacci:

Fœcundi calices quem non fecēre diſertum?

M. Tullius alluſit ad morem priſcum, quo cauſæ ad aquæ modum agebātur. Ea dividebatur in tres partes: una infundebatur actori, altera reo, tertia judici. At qui ad vinum diſerti ſunt, ad aquam ferè muti ſunt.

Leviſſima res oratio.

Κουφότατον πάντων λόγος, id eſt, Leviſſima res oratio. Syneſius in epiſtola quadam ad Theophilum: προπετὴς ἄνθρωπος τὴν γλῶτταν, ἐντυχὼν ἀνδρὶ προπετεστέρῳ τὴν χεῖρα, καὶ τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, κουφοτάτου πράγματος βαρυτάτην ζημίαν ἐξέτισεν. id eſt, Homo præcipiti lingua cum incidiſſet in virum manu magis præcipiti, juxta id quod dici ſolet, rei leviſſimę nempe ſermonis, graviſſimas pœnas dedit. Porrò quod Syneſius adducit, propemodū videtur eſſe apud Platonem lib. De legib. 4. διότι κούφων καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία. i. Propterea quod levium ac volatilium verborum graviſſima ſit pœna. Refertur & apud Plutarchum in libello περὶ ἀδολεσχίας, ex authore Platone. Apud Homerum paſſim obvium eſt illud:

—Ἔπεα πτερόεντα προσηύδα.

Id eſt:

—Verba volucria dixit.

Verba alata cognominat, quod facile evolent, ac revolare neſciāt. Proinde Horatius:

Et ſemel emiſſum volat irrevocabile verbum.

Eam ſententiam citat ex Menandro:

Οὔτ' ἐκ χερὸς μεθέντα καρτερὸν λίθον
Ῥᾷον κατασχεῖν, οὔτ' ἀπὸ γλώττης λόγον.

Id eſt:

Nec durus ulli emiſſus è manu lapis,
Neque ſermo lingua, facile compeſci valet.

Alibi indicavimus, ἀπτέρους λόγους dici Græce, id eſt, verba ſine pennis, quæ premit apud ſe qui audivit, nec ſinit ad alios evolare.

Farcire centones.

Periphanes in Epidico Plautina, militi jam pugnas ſuas militari more paranti narrare: Quin tu, inquit, alium quæras, cui centones farcias. id eſt, quem tu glorioſis mendaciis & conſarcinatis fabulamentis expleas. Solent enim homines glorioſi mendacium aliud ex alio connectere, nullum facientes neq; finem neque modum. Centones autem dicuntur veſtes è variis panniculis, ac diverſis etiam interdum coloribus conſarcinatæ.

Juvenalis:

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Ad harum ſimilitudinem centonem vocant carminis genus, ex diverſis carminibus & carminum fragmentis, hinc atque illinc acceſſitis, contextum, quaſiq; conſutum: Græci κέντρωνα appellant, addita litera, quam abjiciunt Latini. Extant adhuc Ὁμηροκέντρωνες, quorum meminit & divus Hieronymus: & Virgilio centones Probæ mulieris: & Centon nuptialis Auſonii, qui legem etiam carminis tradit.

Sine capite fabula.

Ἀκέφαλος μῦθος id eſt, Sine capite ſermo, dicitur imperfectus ac mutilus, Plato lib. De legib. 6. Οὐ μὴν ἑκών γε λόγον γε οὐδένα ἀκέφαλον ἐάσαιμι μεθεὶς· πανταχῇ γὰρ ἂν ἀπαντῶν τοιοῦτος ὤν, ἄμορφος φαίνοιτο. id eſt, Nequaquam profecto, poſteaquam dicendi parteis ſuſcepi, ſermonem abſq; capite libens reliquerim. Etenim ſi oberrans talis occurrat alicubi, fœdus videretur. Rurſus in Gorgia: ἀλλ' οὐδὲ τοὺς μύθους φασὶ μεταξὺ θέμις εἶναι καταλείπειν, ἀλλ' ἐπιθέντας κεφαλὴν, ἵνα μὴ ἄνευ κεφαλῆς περιίῃ. id eſt, At ne ſermones quidem interim ajunt fas eſſe deſerere, quin potius imponendum illis caput, ne ſine capite obambulent. Fortaſſis alluſit ad id, quod refert Plutarchus in Dialogo De defectis oraculis. Apud Cretenſes feſtum quoddam novis & abſurdis ceremoniis agebatur, oſtēſo hominis ſimulachro ſine capite. Hunc ajebant Merionis patrem fuiſſe, qui conſtuprata per vim Nympha, ſine capite fuerit repertus. Proverbium refertur à Zenodoto.

EX APPENDICE ERASMI.

Ἄοινα συμπόσια.

Sine vino compotationes. De locis ubi ocioſi deſident garrientes quidvis, atque ubi loquacitate temulenti pene redduntur ut tonſtrinæ ſunt, balnea, & hodie in ædibus magnatum p[illegible] ræ veſtibulorum. Plut. eadem loca λέσχας ab aliis appellabantur, Heſiod.

Lingua præconi.

Sup. Lingua ſeorſum inciditur, quod alluſum eſt ad proverbia-le dictum, ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι. Olim in ſacrificiis lingua exſecta præconibus dari ſolebat, tanquam membrum profanum, & indignum, quod ſacrificii pars eſſet præconib⁹, inquam, qui linguam habent vanalem, Ariſtoph. Hom. Hinc Antipater, injecta mentione de ſene imbecillo, dixit ex immolata victima tantum linguā & ventrem ſupereſſe. Plutarch.

Citeria. Citeria loquacior.

De homine impendio loquace, ὃ λέγειν δεινὸς ἢ τὰ σιγᾶν ἀδύνατος. M. Cato. Citeria apud Romanos erat effigies quædam arguta & crepera, quæ ridiculi cauſſa in pompa vehi ſolita eſt. Feſtus.

IVNII. *Frenum non habet lingua.*

Χαλινὸς οὐκ ἔνεστιν ἐπὶ τῆς γλώττης. Freno caret lingua. De garrulo & ſilentii modum ignorante. Philoſtratus libro iiij. de vita Apollonii, loquens de Baſſo quodam Corinthio patricida, qui philoſophi nomine ſeſe venditabat, ſic inquit: σοφίαν δὲ ἐπεποίητο ψευδῆ, καὶ χαλινὸς οὐκ ἦν ἐπὶ τῇ γλώττῃ. id eſt: Sapientiam falſo affectabat, nec inerat ejus linguæ habena. Talem ἀπέραντον λόγον ſine fine loquacē appellat Galenus libro adverſus Julianum: Euripides ἀθυρόγλωσσον, quod nullis obicibus interſeptam habeat linguam: & eadem metaphora, ἀπύλωτον. Idem & Ariſtophanes ἀχάλινον στόμα, os tacere impotens vocat. D. Clemens ἄθυρον γλῶτταν, linguam futilem, nulliſq; obicibus ſeptam, libereq; evagantem. Nazianzenus ad Eudoxum, ἀχαλίνωτον εὐημερίαν felicitatem effrenem & inſolentem dixit.

Chius Coum loqui non ſinit.

Χῖος παρεστὼς Κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν.

Id eſt:

Hic Chius aſtans, non ſinit Coum loqui.

Senarius proverbialis è Strattidis comici fabulis. Competet in fabulam verboſum, qui multiloquio os prudentioris doctiorisque obſtruit, nec patitur verba pro ſe facere. Chiorum ſcurrilitas & illaudata levitas ex authoribus notiſſima eſt: At Coos inſula magni nominis, & decantatiſſimos viros permultos protulit. Niſi mavis referre ad jactuum teſſeratiorum vilitatem dignitatemq;, in quibus χῖος unionem caniculamve deſignabat, infelix jactus: at κῷος ſenionem, feliciſſimus omnium jactus.

Στρεψίμυθος.

Blateronem, qui male feriato ocio inepte tempus deterat, στρεψίμυθον veteres dixerunt, quaſi lanitorquem, velut de lana caprina inutiliter garrientem: ſumpta occaſione ſcommatis à lana

con-

contortôs villos habente ac proinde intricata. Refertur ab Euſtachio Odyſſeæ 9. meminit & Heſychius.

Magis mutus quam perdix.

Meminit Plutarchus in libello De non fœnerando, ἀφωνότερος πέρδικος, Perdice magis mutus, in hominem impẽdio loquacem, ut per antiphraſin proferatur: quippe quum loquacitatem avis nõ diſſimulanter in Sympoſiacis perſtringat Plutarchus: vel ſaltem in indoctum hominem & hæſitabundum, qui lapſante lingua, aut odioſa verborum ingeminatione aures obtundit. Nativus enim avis ſonus eſt, κακκαβίζειν. ut autem perdix iterato vocabulo, caca, faſtidium auribus creatrix & ineptus poetaſter, verborum & rerũ optimarum parcus, perdice magis mutus.

Λογοδιάῤῥοια.

Futilem loquacitatem, meriſq; nugis diffluens multiloquium, λογοδιάῤῥοιαν cum Athenæo dicemus, velut quandam verborum proluviem, eſt autem apud Medicos διάῤῥοια, copioſum alvi profluvium, quale in Harpyiis deſcribit Maro, ex concoctionis impotentia ſolitum naſci vitium, quomodo garruli verba nõ concocta temere effutiunt. Athenæus libro quarto, ὑπὸ λογοδιαῤῥοίας ἐνεχόμενοι: Quos agitat verborum proluvies.

Anui aſsimilis.

Γρηῒ καμινοῖ ἶσος, Anui exoletæ aut foco aſſidenti ſimilis: proverbiale dicterium in blateronem garrulitate anili in famem, vel in rugis defotmẽ vetulum. Hoc ſcommate Ulyſſem excipit Irus mendicus, Odyſſ. 18. ubi Euſtathius ex Rhetorici lexici interpretatione multiloquum notari adſcribit: ſecũdum alios verò, rugoſam faciem perſtringit. Ariſtarchus & Herodianus Grammatici καμινοῖ ſut nariam exponunt vetulam, fornaci aſſidentem, & hordeum frigentem, quo facilius pinſatur, & in pollinem pila comminutum redigatur: alii ad nigroris fuſcedinisq; ſignificationem dictum trahunt, quaſi fuligine oppletum inceſſat. Comanus grammaticus epitheton vult eſſe exoletæ viribuſq; defectæ anus: παρὰ τὸ κεκμηκέναι ὑπὸ γήρως, quod ſenii vitio debilitati ſint nervi.

Cornice loquacior.

Λαλίστερος κορώνης. id eſt, Cornice magis garrulus. Columbam inducit Anacreon lyricus ita loquentem:

> Λαλιστέραν μ᾽ ἔθηκας
> Ἀνθρωπε κ᾽ κορώνης.
> Id eſt:
> Tu me loquaciorem
> Cornice reddidiſti.

Proverbialis hyperbole in garrulos & impenſius verboſos, ut & κρώζειν, id eſt, Cornicari: qui fictitius eſt cornicum ſonus. Simile eſt illi, Turture loquacior.

Ἐξορχεῖσθαι.

Ἐξορχεῖσθαι & ἐξορχήσασθαι, quod fere ſonat extra templi veſtibula choreas educere, proverbiali tropo uſurpatur pro, arcana & reticenda in vulgus edere, publicique ea juris facere. Dionyſius Areopagita initio operis de Hierarchia Eccleſiaſtica: ἀλλ᾽ ὅρα ὅπως οὐκ ἐξορχήσῃ τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. id eſt: Cave ne ſancta ſanctorum eliminẽs: hoc eſt, prophanis qui myſtica rident, parum tempeſtive communices. ἀμίγητα μὲν αὐτὰ καὶ ἄχραντα τοῖς ἀτελέσι διατηρῶν: id eſt, Conſervando ea intacta & impolluta plebeis. Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1. ἐν μεγάλῳ ὁ κίνδυνος τὸν ἀπόῤῥητον ὡς ἀληθῶς τῆς ὄντως φιλοσοφίας λόγον ἐξορχήσασθαι τοῖς ἀφειδῶς πάντα μὲν ἀντιλέγειν ἐθέλουσιν οὐκ ἐν δίκῃ id eſt: Magnum namque periculum incumbit iis, qui mera illa germanæ philoſophiæ arcana effutiunt apud eos, qui citra delectum temere quidvis contradicere parati ſunt. Idem in Protreptico: τί δή σοι καταλέγοιμι τὰ μυστήρια. οὐκ ἐξορχήσομαι μὲν ὥσπερ Ἀλκιβιάδην λέγουσιν, ἀπογυμνώσω δ᾽ εὖ μάλα τὴν γοητείαν τὴν ἐγκεκρυμμένην αὐτοῖς. i. Quid ſi pandam tibi myſteria, non veluti ſaltatione ludicra ea eliminabo, quod Alcibiadem feciſſe perhibẽt, ſed rite denudabo præſtigias omnes in illis abſtruſas. Syneſius lib. De providentia: ἀλλ᾽ εὐλαβητέον γὰρ ἤδη μή τι καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἐξορχησώμεθα. id eſt: Cavendum enim nunc eſt, ne quid arcani eliminemus. Idem alibi in epiſtolis ſcribit ſe ἐξορχήσασθαι τὰ ἀνήκουστα: hoc eſt, antehac inaudita prodidiſſe. Rurſus in Dione: οὐ μέν τοι τοσοῦτον ὁ Δίων ἐξωρχήσατο τὴν ἀρχαίαν ῥητορικήν. id eſt. Nec enim tantopere Dion antiquorum rhetoricam publicam fecit. Tatianus Aſſyrius martyr: τοῦτον ἐξορχησάμενον τὰ παρ᾽ Ἀθηναίοις μυστήρια τιμωρήσεσθαι, loquitur de Diagora Melio, quẽ ad prodiṫã in vulgus myſteriorũ fidem Athenienſes quovis ſupplicio dignũ cenſuerãt, propoſitis occiſori magnis præmiis, ut indicat Ariſtophanes. Ariſtides in Eleuſinio: ὦ κακῶς ἐξορχησάμενοι τὰ μυστήρια, ὦ τὰ ἄφατα φωράσαντες. id eſt. O vos qui indigne myſteria evulgatis, ô qui infanda retegitis. Idem alibi, καί τινα τρόπον ἐξορχοῦμαι δεικνὺς ἀμυήτῳ τὰ ἱερὰ id eſt: Et quodammodo extra limen choreas produco, qui haud initiato ſacra revelo. Lucianus libro De ſaltatione. τοὺς ἐξαγορεύοντας τὰ μυστήρια, ἐξορχεῖσθαι λέγουσιν οἱ πολλοί. id eſt: Myſteriorum eliminatores, vulgo ἐξορχεῖσθαι dicimus. Parrheſiades apud eundem in piſcatore, ἤν τινα τῶν μεμυημένων ἴδω ἐξαγορεύοντα τοῖν θεοῖν τὰ ἀπόῤῥητα καὶ ἐξορχούμενον. id eſt: Si quem initiatorum conſpicatus deorum arcana publicantem enunciatemq;. Demoſthenes adverſus Androtionem, ἐξορχεῖσθαι extulit de facinoroſo, qui ſolenni in pompa ſaltans in fugam ſe conjecit, id enim illi objicit de ipſius patre, ὥσθ᾽ ὁ πατὴρ ὁ σὸς ὤχετ᾽ ἐνθένδε ἀποδρὰς αὐταῖς πέδαις ἐξορχησάμενος Διονυσίων τῇ πομπῇ. id eſt: Siquidem tuus pater hinc fuga elaptus eſt, in Bacchanalium pompa cum ipſis compedibus deſultans. Moris enim erat, ſolennib᷑ in feriis captivos ſolvi, peractis illis iterum in carcerem contrudi, ut Ulpianus interpres annotat: Androtionis autem pater, peculat᷑ reus, vinctus licet, effugerat. Diverſum hinc eſt, ἀπορχήσασθαι: quomodo Herodotus, & ex eo Athenæus, referunt Hippoclidem Athenienſ᷑ m ambientem Cliſthenis Sicyoniorum tyranni filiam ἀπορχήσασθαι τὸν γάμον. id eſt, à nuptiis excidiſſe indecoro tripudio, quod factum recenſens Plutarchus libro De Herodoti malevolentia, ſic ſcribit: δοκεῖ μοι καθάπερ ὁ Ἱπποκλείδης ὁ τοῖς σκέλεσι χειρονομῶν ἐπὶ τῆς τραπέζης εἰπεῖν ἂν ἐξορχησάμενος τὴν ἀλήθειαν, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. id eſt: Videtur mihi ſicut Hippoclides ille qui immenſa cruribus manuum vice micabat, ſive geſticulabatur, dicere potuiſſe veritatem in propatulum efferendo: Non eſt curæ Hippoclidi. id. n. hoc loco ſignificat ἐξορχεῖσθαι. Eraſmus vertit ita: Poſtquam à veritate deſultavit.

Abderologus.

Ἀβδηρολόγος, Abderologus proverbialiter dicitur ſtultiloquus, qui nænias meraſq; nugas effutit, ſtultitiamq; & ingenii inopiam verbis prodit. Tatianus Aſſyrius in oratione adverſus gentes, loquens de Democrito Abderitano, τί καὶ λέγειν ἔχομεν; ἢ τοῦτ᾽ ὅτι κατὰ τὸν κοινὸν λόγον Ἀβδηρολόγος ἐστὶν ὁ ἀπὸ τῶν Ἀβδήρων ἄνθρωπος. id eſt, De ſympathia & antipathia Democriti quid dicemus? niſi hoc ipſum quod juxta vulgi dictum, Abderologus eſt homo iſte Abderis natus. Arnobius lib. adverſus gentes quinto, proverbii ſpecie dixit: O Abdera Abdera, quam ſias mortalibus irridenda, talis ſi apud te eſſet fabula ita conflata? Abderitani namque fatui habebantur, & frigidæ ſtoliditatis pleni. unde Martialis Epigrammatarii illud libro decimo:

> Abderitanæ pectora plebis habes.

Quin & ἀβδηριτικὸν id eſt, Abderiticum, proverbiali ſenſu protulit Cicero in ſeptimo ad Atticum, pro frivolo & ſtolido, ubi ait, Id eſt, ἀβδηριτικόν. Martianus Mineus Felix lib. 2. Philologiæ Abderitam ſenem Democritum appellat, ubi perperam ſcriptum vulgo legitur. Sed adverſum illam quoddam Abderitatæ ſenis alyma præparavit, ego lectionem ita reponendam cenſeo, Abderitæ ſenis ἄλειμμα, hoc eſt, pigmentum, ſeu unguen. Eſt autem Abdera, Thraciæ civitas, nomen ſortita à conditore Abderito Erimi filio, Herculis (ut fabulantur) amico, quem Diomedis equi dilaniatum comederunt: ut adagii author Tatianus refert.

Dicelites.

Δεικηλίκται ſive δεικηλισταὶ vocant Græci cavillatores, & dicacitatis affectatores, qui alium quempiam in ſcommatibus imitantur, ut Apollonii Rhodii interpretes annotant: à δείκηλον, quod proprie ſit Jovi aſſimilis effigies, & abuſive quævis ſimilitudo. Euſtathius Odyſſeæ ρ. δεικηλιστὰς vocari dicit frigidos quoſdam vocabulorum mimos & affictores, qui non contenti uſitatis vocibus, novas fingunt exempli gratia, medicos σίκτας quaſi laginatores nominant: ſepiam ὀπισθοτίλαν velut retro ſtercorantem, quod atramentum in cauda latens excernat in metu: gallum ὀρθροβόαν velut pipionem auroræ indicem: hirundinem κωτίλον quaſi garritricem, quæ omnia etiam apud Athenæum legas in decimo quarto. Quinet & Lacones Diceliſtas Comicos & Mimos vocabant, velut imitatores perſonarum & effictores, quos φαλλοφόρους Sicyonii, Thebani ἐθελοντάς, alii αὐτοκαβδάλους & ἰάμβους, Itali φλύακας vocabant: ut Iliad. λ ſcribit Euſtath. ex Athenæo. Ex quo conjicio lapſum fuiſſe Lilium Gyraldum, virum certe doctum, in hiſtoria poetarum. φλυακογράφος exponens eum qui cortice ſcribit: maleus interim immutata genuinæ lectionis fide, loco illius ſubſtituere φλυαρογράφος, quod nugarum ſcriptorẽ ſignificat, proinde φλυακογράφον puto eſſe, quem etiam Mimographum dicimus.

Supra clepſydram ducere.

Ὑπὲρ τὸ ὕδωρ ἐγκεχυμένον εἰπεῖν, id eſt, Supra aquam infuſam dicere. Proverbium annotatur à Budæo, non explicatur tamen: ſonat autem idem quod, ſupra clepſydram loqui: & quod Quintilianus dixit, Aquam perdere: videtur dictum de garrulis, qui loquẽtiæ multum habent, ſapientiæ parum, quique verboſitate nimia tempus extrabunt. Syneſius in Dione: ὕδωρ δὲ ταχέως διαῤῥεῖ ἄμετρον ὃ μὴ πρὸς κλεψύδραν ταμιευόμενον, ἀλλ᾽ ἐγὼ εἰ μὲν οὐ μήπω παύομαι, ἀλλ᾽ αὐτίκα πεπαύσομαι. i. e. Aqua celeriter diffluit, non dimenſa aut ad clepſydram expenſa: attamen ego ſi nondum finem facio, mox ſaltem deſiſtam. Philoſtratus in Pauſania ſophiſta. τοὺς ἐκ κλεψύδρας μετέχοντας: id eſt, clepſydræ participes nominat, qui ad clepſydram declamabant aquæ certa menſura replenatam: κλεψύδραν ξυμμεμετρημένην vocat, taleſq; vulgari dicterio, διψῶντας, quaſi ſiticuloſos appellatos fuiſſe ſcribit. Solebant veteres ad aquæ ſtillicidium orandi modum metiri, productiore brevioreve tempore circumſcriptum.

Qualia caniciem loquitur.

Πολιᾶς ὅμοια μυθολογεῖν, id eſt, Caniciei congrua effutire, proverbialiter dixit Nazianzenus: pro, aniles fabulas & deliramenta proferre. Sic enim ait ad Nemeſium: ἀζόμενος πολιῇσιν ὁμοῖα μυθολογεῦσιν. id eſt: Reveritus blaterare ſenilia fabulamenta, caniciei aſſimilia. Olympiadorus in Platonis Gorgiam, cauſam reddens cur comœdiam exploſerit è ſua Repub. Plato, ἐπειδή, inquit,

γραώδη τινὰ φλυαρίαν [illegible] hoc eſt: Quia fabulas aniles inducit. Plato in Gorgia: [illegible] id eſt: Forte iſta tibi ab anilibus fabulis haud aliena dici videntur. Pelemon Laodiceus cuidam in Phavorino Philoſopho loquacitatem notanti, urbane dixit, [illegible]: Etiam anus omnis garrula eſt: ut apud Philoſtratum legas Abiit & in vulgare dicterium noſtrate lingua, quod nugas vocitamus, anilis colus Evangelia: eo quod vetulæ dum colum tractant, vanis fabulis plerumque tempus terant.

Novus iſte Palæphatus.

Καινὸς οὗτος παλαίφατος: id eſt, Novus iſte Palæphatus. Venuſte quadrabit in eos, qui fabuloſa, & qualia fidem non inveniant, ſeria oratione veriſimilia facere, aliisque approbare ſatagunt. Extat apud Athenæum de coquo, artem ſuam oſtentante glorioſius: ἰδοὺ καινὸς οὗτος παλαίφατος. id eſt: En novus iſte Palæphatus, de quo ita Euſtathius in Odyſſ. 19. ſentit: [illegible] id eſt, Proverbialiter torquetur in aſſertores rerum, quæ fidem non merentur. Phalæphatus ſcriptor fuit fabuloſarum narrationum, quas ad hiſtorias träſfert, ejusque hodie extat περὶ ἀπίστων, liber de rebus incredibilibus, in quod opuſculum multa commentati fuiſſe dicuntur Heraclitus & Charax. Meminit ejus & Virgilius in Ciri, eo verſu:

Docta Palæphatia teſtatur voce papyrus.

Paphlagon.

Euſtathius Iliad. 13. indicat proverbialem Homeri eſſe verſum hunc:

Τὸν μὲν παφλάζοντες μεγαλήτορες ἀμφεπένοντο.

Id eſt:

Magnicrepi propter hunc Paphlagones ſatagebant.

Innuit autem urbane dici illum poſſe, quoties à garrulis & futilibus hominibus loquentiæ multum habentibus, turba excitatur: taleſque, locutulei, λάλοι παφλάζειν dicuntur. Sic Cleonem Athenienſem clamoſum & loquacem homuncionem falsè παφλαγόνα nominat Ariſtophanes, eſt autem παφλάζειν, verbum fictitium, marinarum undarum ſtrepitum mentiens, quando undam unda ſupervenit, aut in littus illiditur. Ejus uſus eſt apud Cratinum in Seriphis: [illegible] παφλάζει. id eſt: Adeò ſtata merces famelicis iſtis balneorum furibus. Hippocrates quoque παφλάζειν uſurpavit, pro inter dicendum labi & verba reſumere, ut interpretatur Galenus. Quin & olla παφλάζειν dicitur, quando ebullit: quod & καχλάζειν dicitur. Sapit proverbium & Pherecratis comici ſenarius:

λοπὰς παφλάζει βαρβάροις λαλήμασι.

Id eſt:

Sartago barbaris ſcatet vocabulis.

Quem uſurpat & Eubulus in fabula, cui nomen Titanes.

—Προσγελῶσά τι

λοπὰς παφλάζει βαρβάρῳ λαλήματι.

Id eſt:

Bullit renidens olla lingua barbara.

Dici enim poterit in indoctum & inepte barbarum. Ariſtophan. in Avib. παφλάσματα vocat ſciſcitationes curioſas & loquaces. ibi, παῦσαι τῶν παφλασμάτων. id eſt: Superſedeas iſtis ebullitionibus.

Una clamore Neadas ſuperat.

Μείζον μία τῶν νηάδων, id eſt, Una clamore vincit Neadas. Ælianus lib. 17. De animalibus, indicat adagium fuiſſe in clamoſas mulieres: eſſe autem νηάδας, id eſt, Neadas, animantium genus, quorum clamore terra in hiatum diſcedat, authoritate Aphorionis, qui etiam Samum deſertam ab incolis, propter hanum Neadum multitudinem, ſcripto prodiderit. Neida in avem mutatam, ex Pherecyde fabulatur Didymus, Ædonis & Zethi filiam. Perſtringit ſimili ratione fœminarum verboſitatem Juvenalis ſatyra ſexta ibi:

Una laboranti poterit ſuccurrere lunæ,
Tot pariter pelues & tintinnabula dicas
Pulſari.———

Tanquam pelues comploſa.

Ibidem ſubjicit proverbiale illud, [illegible] id eſt: Sin quis paululum ex dictis exceptum percontetur, tanquam nola comploſa, longum reſonat, & pertendit, niſi quis inter pellet ac ſermonem extorqueat. De garrulo & verborum nimio dicetur, qui loquendi modum neſciat. Origo à Dodonæo oraculo, quod contiguis æreis pelvibus circumſeptum, percuſſo uno, longum ſonitus tractum edebat.

Gloſſaſpides.

Γλωσσάσπιδες apud Heſychium proverbio dicunt homines effreniores, & qui lingua vice ſcuti utuntur: quo nomine male audit grex mulierum, Heraclitus in epiſtola ad Hermodorum ſcribit. Epheſios [illegible] hoc eſt, univerſam armaturam ſuam in lingua habere. Ego certe linguam tum primum optimam armaturam eſſe crediderim, quando vinculis quibusdam in imo pectore gubernabitur, ut Gellius admonet libr. . cap. 15.

Aſinus de Æſopi puteo.

Aſinus de Æſopi puteo modo venis, & jam exclamas. In eum uſurpari poteſt, qui recens in aliquem locum venit, & ibi mira inter ignotos jactat. Tertullianus.

Voces jactat inertes, Dat ſine mente ſonum.

Hæc hemiſtichia Virgilii habentur libr. 10. Æneidos, quorum primo notatur Pharonis ignavia, lingua magis quam viribus pollentis. In bello etiam ignaviſſimo cuique, lingua bellare & vincere licet: reipſa verò, tantum fortibus & cordatis viris à Deo conceſſum eſt ſuperare. Vera enim fortitudo neque maledica eſt, neque minax. Temperandum à magniloquentia & jactantia, qua nihil omni vita eſt neque moleſtius, neque intolerabilius. Quare Nemeſis tales nunquam ſinit impunitos. Unde hoc proverbio moneri ſolemus, ne grandia ſperemus, μὴ μεγάλα λέγε: cum modeſtia nihil ſit amabilius in ſocietate humana, & procacitas linguæ non poteſt non optimi cujuslibet animum exacerbare. In prælio nil valent arma majorum, ſed in eo præcipuum momentum habet virtus præſens. Contra, ſtultorum eſt & ignavorum, majorum ſuorum imaginibus, telis armiſque ſe venditare. Dici etiam poſſunt de interpretibus qui verba reddunt, cum ſententiam non apprehendant, atque (ut Terent. ait) ex Græcis bonis, Latinas faciunt non bonas. Verbum verbo dum reddere curant, non penſant pondera. Tria enim in tranſlatione ſunt ſervanda: ut verbum verò exprimatur, ut ſententia ubique incolumis maneat, ut indoles incorrupte ſervetur, quæ conſiſtit in ipſis figuris dictionis, & moratam actuoſamque ſententiam reddit. Qui verò in reddendis verbis ſententiam corrumpunt, dant ſine mente ſonum. Omne autem punctum tulit, qui tria iſta officia abſolvit. Petrus Nannius συμμίκτων libro primo de recta vertendi ratione: jam ſuperiori, inquit, ſeculo quidam verba verbis ita admenſi ſunt ut ſententiam depravarint, non aliter quam indocti pictores, qui operoſi in cultu effingendo, membra ſecundum veſtem diſtorquent: quum Apelles Parrhaſiique prius nudum corpus afformate, quam amictum ſuperinducere ſoleant. In quorum numero Argyropilum reponas, & Ruffinum: alterum Ariſtotelis interpretem, alterum Gregorii Nazianzeni, de quibus vere id hemiſtichiu dici poteſt:

—Dant ſine mente ſonum.———

Hactenus Nannius. Eraſmus noſter in lingua: Etenim, inquit, qui ſic loquuntur, neſcire videntur ſe loqui, ſed quemadmodum de furentibus vatibus dictum eſt:

Dant ſine mente ſonum.———

Bambalio, Batalus, Bacellus, & Babalus.

Hæ voces in ore omnium ſunt de loquaculo, & blaterone, qui multa, & ea quidem inania, quique confuſe nec ſatis diſtincte loquitur. Hinc voces Gallicæ bavard, babillard, & beveur. Primum nomen primo impoſitum fuit M. Antonio. Cic. 3. Philippica. Tuæ conjuges, bonæ fœminæ, locupletis quidem certe. Bambalio quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius, qui propter hæſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit: Adamantius vetus Grammaticus: Atque bambalo, ψελλίζεις. A Græcis autem ψελλοὺς vocatos balbos, & qui lingua hæſitarent, notum eſt. Addit ille: Bambalo vero nominatus eſt ἀπὸ τοῦ βαμβαλίζειν. Fulvius Peregrinus Moratus Olympiæ filiæ ſuæ: Ne ſupplantet verba ſeſquipedalia & ampulloſa nimis tenero palato, ita ut pulmo animæ graviter anhelet, ut multi cucullati Bombalibombaces (ut interim ſic illudamus) ſtentores, trachali, lati, thraſones magniloqui, inclamare ſolent. Græci Batalum mollem appellant, Bacelum ſtultum, Babalum loquacem. Plautus in Pſeudolo, Bombax dixit.

Alcinoi apologus.

Ariſtoteles libro quarto Rhetoricorum ita ait: [illegible] &c. id eſt, Adhæc quæ geſta non ſunt, ſi commiſerationem aut indignationem faciunt, perinde ut geſta narranda. Hujus exemplum Alcinoi apologus, quod ad Penelopem in ſexaginta annis eſſet factus, & Phaylli circulus & in Æneam præfatio. Cæterum proverbium puto eſſe, cum narramus quædam quæ poſſunt in immenſum extolli figmentis additis. Ita de Penelope finxerunt quidam, quod per viginti (ita enim malo legere εἴκοσι, pro ἑξήκοντα) illos annos dum in excidio Trojano, & erroribus fuit Ulyſſes fecerit. Ita & apud nos quidam deſcripſit CHRISTI vitam, quomodo in Ægypto luſerit cum pueris, qui liber ipſis Bibliis major eſt, unde merito appellabitur Alcinoi apologus. Sic & Phayllus circulus, &c.

Arabicus tubicen.

Ab Arabum gente, quæ delectari ſolet muſica, proverbium manavit: quod garrulis hominibus & loquacibus aptari poteſt, vel tuba etiam canendi imperitis. Arabicus enim tubicen ſertur pro drachma tubam pulſaſſe, pro quatuor verò tacuiſſe. [Vide Eraſm. in proverb. Arabius tubicen. Chil. 1. Cen. 7. adag. 32.]

Pro-

Ῥωποπερπερήθρα.

Dictio hæc componitur ἐκ τοῦ ῥώπου καὶ περπέρου, eleganti tranſlatione inanem ac temerariam loquacitatem & futiles nugas explicans (quo in genere comici ſolebant ludere, & quale notum illud γλωττοχαριτοβρέμων) atq; ab eo ῥωποπερπερήθρα fit: apud Plutarchum in Demoſthene. Quando & Euſtath. in 1. Iliad: hoc ipſo vocabulo notari futiles & garrulos teſtatur inquiens: ἐκ τούτου δὲ ῥωποπερπερήθραν ἐκάλουν (nimirū Demoſth.) ἐπὶ χυδαιότητι καὶ φλυαρίᾳ σκωπτόμενον. Simile hujus eſt illud ψευδαλαζών, objectum Eubulidæ Mileſio, Euclidis ſectatori, à quodam comico, apud Diogenem Laertium lib. 2. Apud Suidam eſt ῥωποπερπερολέκυθος. Nota ſunt ῥῶπος & ῥωπικὰ & ῥωποπώλης. ῥῶπος: inutiles & viles res, ſeu merces ſignificātur, quales vulgo multæ circumferuntur, non ad inſtruendos aliqua utilitate, ſed emungendos pecunia homines, leves præſertim, & curioſos, paratæ. Et ῥωπικὴν etiam in Lycurgo Plutarchus eodem modo dixit. Eſtque venuſtū Eraſiſtrati dictum: τὴν φωνὴν δὲ ἔχειν ῥωπικήν.

Muliere loquacior.

Solent mulieres proverbio loquacitatis taxari. Hinc viri loquaces & garruli à Gallis muliere dicuntur loquaciores. Eſt etiam proverbialis allegoria: Mulieri deſunt verba. Mulier enim animal eſt natura loquax: quam ideò Paulus non vult in Eccleſia loqui. Lucianus in Rhetorum præceptore: Cernis etenim ut loquaciores ſunt fœminæ, &c. Plautus in Aulularia:

Nam multum loquaces merito omnes habemur.

Idem in Ciſtel.

Largiloquæ exemplo ſumus, plus loquimur quam fas eſt.

Verba in conſilio, valet in certamine robur.

Verſus eſt Homericus, quo curiam & caſtra inter ſe componit. Virg. lib. 11.

——Sed non replenda eſt curia verbis.

Turnus Tranci inquit. In conſilio pollens lingua, re ipſa imbellis es. Vide ante. Voces jactat inertes, &c. Dat ſine mente ſonū. Turpellius in Lindia: Comperce verbis velitare, ad rem redi velitare, inquit Nonius: pro, leviter contendere, dictum à militum congreſſione.

Sine vivus abeam.

Non incommode proverbii loco ſermo iſte inter verboſos homines uſurpatur, ut jubeamus eos ζῶντας ἡμᾶς ἀφεῖναι, vivos nos ac ſalvos dimittere. Eleganter autem apud Theocritum εἰδυλλίῳ ε. Lacon paſtorem alterum, nimis garrulum, increpat his verbis:

Εἰπ' ἄγ' ὅτι λέγεις, καὶ τὸν ξένον ἐς πόλιν αὖθις
Ζῶντ' ἄφες, ὤπολλον ὡς στωμύλος ἔπλεο Κομάτα.

Quaſi dicat: Non eſſe quod gregis utriuſq; dominos, aut ſuos mores pluribus prædicet: atq; ita Morſonem, arbitrum vocatum, garrulitate ſua propemodum enecet: quin potius ad rem ipſam, omiſſis ambagibus, veniat, cantumq; incipiat, & hoſpitem ſalvum remittat. Verba ſunt Laconis ad Comatem. Quod autem dixit, ζῶντ' ἄφες: id pari fere venuſtate Plautus expreſſit in Milite glorioſo: ubi cum itidem ſe Pyrgopolinices magnificentius de ſeſe, ſuiſq; liberis apud Milphidippam jactaret, pulchre interim ſubſerviente ipſi Palæſtrione, Gnathone altero, illa tandem loquacitatis tautæ tædio affecta, dimitti ſe poſtulat, & ait:

Jam jam ſat amabo eſt: ſinite abeam, ſi poſſum viva à vobis.

Dicimus hodie iis, qui verbis minacibus & conviciis ferociunt: Eja, ſine hominem vivere.

Mortuaria gloſſaria.

Domitius quidam Grammaticus apud Gellium lib. 18. cap. 7. Ego, inquit, vitæ jam atq; morum diſciplinas quæro, vos Philoſophi mera eſtis (ut M. Cato ait) mortuaria gloſſaria, &c. Philoſophos his verbis acriter pungit, ut loquaces, & inanium verborum fundi(ta)tores, præficiſq. ſimiles, quæ in mortuos næniam argutam & nugacem canebant. Simile eſt illud Plauti in Aſinaria:

Hæ non ſunt nugæ, non enim mortualia.

Nam mortualia, nænias illas in mortuos ineptas appellat, Gloſſaria mortuaria in Gellio per diminutionem linguas audio ad contemptum (ut ita dicam) præficales.

Λογοποιός.

Julianus apoſtata in epiſtola ad Leontium, quam Suidas citat. Herodotum per ignominiam θρύλων λογοποιὸν vocat nugacem, & fabulatum, non hiſtoriæ, parentem ac ſcriptorem. Plutarchus in Solone, & Lucianus in Icaromenip. ὁ λογοποιὸς citatur κωμικός. Idem Plutarch. in Paulo Æmilio, λογοποιεῖν poſuit, pro fabulas & falſos rumores ſpargere, nugari, vanos ſermones comminiſci. In Phocione λόγος pro fabula ſeu apologo ponitur: & in extremo Nicia, is qui de clade Siciliensi incerto authore nuncium retulerat tonſor, ἔδοξε λογοποιὸς εἶναι, infortunium habuit. Livius ita habet. Rumores veſtra crudelitate ne alatis, quorum nemo author extabit. Alius admonet, rumores in vulgus non eſſe ſpargendos, hoc diſticho:

Rumores fuge, ne incipias novus author haberi.

Nam nulli tacuiſſe nocet: nocet eſſe locutum.

Adde illud quoq; poetæ:

Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Lingua multorum eſt cauſa malorum.

Plato in Sophiſta, vel, de ente: Quicunque, inquit, contentionis ſtudio delectatur, res ſua negligit, verba autem audientibus jucunda componit, & quæſtiunculas ſemper aucupatur, non aliter, ut mea fert opinio, quam nugator & garrulus vocandus eſt.

Bis eadem recenſere, ridiculum.

Plato in Euthydemo: Ridiculum porrò, quod ante poſitum eſt, ponere rurſus, biſque eadem recenſere.

Nihil penſi eſt illis.

In Euthydemo: ut ſeipſum hominibus tradere cuperet, quibus nihil penſi eſt quid loquantur.

GRATITVDO.

ERASMI.

Qui lucerna egent, infundunt oleum.

Plutarchus in vita Periclis refert. Anaxagoram Pericli in adminiſtranda Repub. magno adjumento fuiſſe: verum ubi jam gravaret ſenectus, & a Pericle publicis intēto negociis negligeretur, decreverat inedia finire vitam. Id ubi reſcivit Pericles, accurrit ad ædes philoſophi, precibuſq; & lachrymis conatus eſt illum ab inſtituto revocare: idq; ſua ipſius cauſa magis, quam Anaxagoræ. At ille jam agens animam dixit: ὦ Περίκλεις, καὶ οἱ τοῦ λύχνου χρείαν ἔχοντες, ἔλαιον ἐπιχέουσιν, id eſt, O Pericles, & quibus lucerna eſt opus infundunt oleum: exprobrans illi neglectum amici, unde non vulgarem capiebat utilitatem, quum qui egent lucerna, ob uſum qualemcunque curent illam, abſtergentes atque infundentes oleum. Et quibus opus eſt fructu, ſtercorant agrum.

Lingua ſeorſum inciditur.

Ariſtophanes in Pace:

Ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται,

Id eſt:

Lingua ipſa ſeorſum inciditur.

Interpres admonet proverbialiter dictum. Sumptum autem ex Homero Odyſſeæ γ.

Ἀλλ' ἄγε τέμνετε μὲν γλώσσας.

Id eſt:

Eja age jam linguas incidite.

Ejuſq; ſententiæ Calliſtratum citat authorem. Rurſum in Pluto:

Ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτου τέμνεται.

Id eſt:

Præconibus horum lingua præcidi ſolet.

Calliſtratus, ut citat interpres, tradit olim in ſacrificiis linguam exectam præconibus dari ſolitam. Nam alioqui ſunt qui dicant ex victimis Mercurio deberi linguam, eſt autē in Ariſtophanis verbis ἀμφιβολία non infaceta. quod lingua utrolibet referri poteſt, vel ad boves, vel præcones. Interpres admonet, alluſum eſſe ad proverbiale dictū, γλῶττα τῷ κήρυκι: id eſt, Lingua præconi. Quo recte videbimur uſuri, quum præmii nonnihil deberi ſignificabimus ei, qui in conficiendo negocio pro ſua virili in partem adjumento fuit: aut εὐαγγέλια dandum læta nuncianti. Sic enim vocat Homerus mercedulam, quæ dari conſuevit, lætum adferentibus nuncium. Apud Plutarchum Antipater cum incidiſſet mentio de Demade jam ſenio imbecilli fractoq;: Velut, inquit, ex immolata victima, ſolus venter & lingua ſupereſt. Apparet linguam ceu prophanum membrum ſacris adhiberi non ſolere. Et Pittacus Amaſidi Regi mittit è victima linguam, ut membrum peſſimum, & idem optimum. Præcones autē habent linguam venalem: & in ſacrificiis admonebant populum, ut linguis faveret. Plautus in prologo Pœnuli: Exerce vocem, quam per vivis & colis: nam niſi clamabis, ſtatim te obſtrepet fames.

Pro bonis glomi.

Ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες: id eſt, Pro bonis glomi. Dici conſuevit, ubi quis beneficium, quod in alium contuliſſet, cumulate, eumq; fœnore reciperet. Agathides enim Græcis glomi dicuntur: verum alluſionis decus in voce Græca eſt, quod in ſermone Latino reddi non poteſt. Meminit Suidas.

Syloſontis chlamys.

Ἡ Συλοσῶντος χλαμύς, id eſt, Syloſontis chlamys. Refertur à Diogeniano, dici ſolitum in hos, qui ſe cultu veſtituque jactitant ac venditant. Videtur haud abſurde dici poſſe & in eos, quibus munus exiguum in tempore, magno cum fœnore rediit. Hiſtoriæ quæ proverbii dederit occaſionem, meminit Herodotus in Thalia: quanquam apud hunc χλανὶς legitur, non χλαμύς. χλαμὺς autem, veſtis militaris. Meminit & Strabo Geographiæ lib. 14. Hiſtoria ſic habet. Syloſon quidam cum ſenſiſſet Darium Hyſtaſpis filium, cum adhuc privatus ageret, chlamyde quadam ſua admodum bella impenſius fuiſſe delectatum, eam ultro dono miſit. Cuius tam tempeſtivæ liberalitatis memor Darius: cum jam rebus eſſet præfectus, totam & urbem & inſulam Samiorum Sy-

ſonti in manus tradidit, unius veſtis munus tam opulento regno compenſans. Mentionem facit hujus rei Valerius quoque Maximus, lib. Memorabilium quinto, titulo de gratitudine. Porro quod alii chlamydem vocant, hic amiculum appellat. id eſt pallii genus.

Ἀντιπελαργεῖν.

Ἀντιπελαργεῖν, apud Græcos eſt mutuam officii vicem rependere, maxime nutricandi, fovendiq; eos, à quibus aliquãdo fueris enutritus aut inſtitutus: ut ſi liberi parentes ætate feſſos viciſſim alant, foveantq; : aut ſi diſcipulus præceptorem invicem erudiat. A ciconiæ natura ſumptum, quæ Græce pelargus dicitur. Ea inter aves una pietatis ſymbolum obtinet. Extat autem lex pietatis magiſtra, quæ edicit, ut liberi parentes alant, aut vinciantur. Ad id reſpexiſſe videtur Homerus Iliados δ. cum ait:

—Οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰών.

Id eſt:

Nec nutricandi officium genitoribus unquam
Perſolvit charis, breve at illi contigit ævum.

Eodem alluſit Euripides in Oreſte:

Καὶ μὴν τίνοι γ' ἂν τῇ τεθνηκυίᾳ τροφάς.

Id eſt:

Atqui rependet mortuæ alturæ vicem.

Hanc itaq; legem, quam plerique etiam mortales negligunt, ſola ciconia inter omnia animantium genera exprimit. Siquidem reliqua tantiſper amant, agnoſcuntq; parentes, dum egent illorum ad nutricationem opera: una ciconia parẽtes ſenecta defectos, viciſſim alit, & volandi impotentes humeris geſtat. Quorum poſterius laudatur in Ænea, cui inde Pii cognomen: alterum miris laudibus fertur in puella, quæ matrẽ captivam compluteis dies ſuis uberibus aluit. Hanc ob cauſam (ut author eſt Suidas) antiquitus in regum ſummo ſceptro ciconiæ figura ponebatur, in imo hippotamus: ut ipſo geſtamine admonerentur, pietatem plurimi facere oportere, violentiam cohibere. Nam hippotamus animal efferum eſt ac violentum, atq; adeò impium: quippe quod interfecto patre, matrem init: teſte Plutarcho in commentario, cui titulus, Utra animantia ſint prudentiora, terreſtria, an aquatilia. Laborant infamia impietatis & viperæ, quod perfracta matris alvo naſcantur. Item ſcorpiones & aranei, qui poſt incubatus officium à ſuis fœtibus interimuntur. Teſtis Ariſtot. lib. De natura animal. 5. De ciconiarum pietate Plin. in 10. cap. 23. teſtatur his verbis: Ciconiæ nidos eoſdem repetunt. Genitricum ſenectam invicem educant. Quin & D. Baſilius ciconiarum nobis pietatis erga parentes exemplum proponit. Eodem alluſit Crates Cynicus, ſcribens Hipparchiæ uxori de filio nato, cum pollicetur ſibi curæ futurum, ut illum matri ciconiam pro cane remittat in ſenecta. Canes enim vocãtur Cynicæ ſectæ philoſophi. Significat igitur puerum fore pium, qui parentem jam decrepitam mutuo foveat. De ciconiarum pietate meminit & Ariſtophanes in Avibus:

Ἀλλ' ἔστιν ἡμῖν τοῖσιν ὄρνισιν νόμος
Παλαιὸς ἐν ταῖς τῶν πελαργῶν κύρβεσιν,
Ἐπὴν ὁ πατὴρ ὁ πελαργὸς ἐκπετησίμους
Πάντας ποιήσῃ τοὺς πελαργιδεῖς τρέφων,
Δεῖ τοὺς νεοττοὺς τὸν πατέρα πάλιν τρέφειν.

Id eſt:

Nobis quidem avibus pervetuſta lex viget,
Ciconiarum inſcripta tabulis, ut ſimul
Ciconia parens educaverit ſuos
Ciconiadas, & jam volucres evaſerint,
Pulli viciſſim nutriant patrem ſuum.

Utitur eodem Plato in Alcibiade 1. Sed nemo profecto venuſtius, nemo felicius, quam Angelus Politianus in quodam epigrammate.

—Κἄτι γηθοῦμεν
Εἴ γε νέοι τὴν γραῖαν ἀντιπελαργήσομεν,

Id eſt:

Si nos Latini olim Græcorum literis educati, nunc Græciam velut anum atque effœtam viciſſim ſuas doceamus literas. Porro hujuſmodi officium, quod liberi viciſſim in parentes collocãt, Græci unico verbo dicunt, γηροβοσκεῖν, ſeu γηροτροφεῖν & γηροκομεῖν. Extat in hanc ſententiam hujuſmodi ſenarius:

Ἰσχυρῶς βιώσεις γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Id eſt:

Vivax eris, ſenes parentes confovens.

EX APPENDICE ERASMI.

Obteſtatio veterum meritorum.

Quomodo Penelope deos ſacrificiorum & nidoris admonet, ita etiam amicum nos, utentes illo Homeri:

Ἢ βοὸς, ἠὲ ὄϊος κατὰ πίονα μηρί' ἔκηε,
Νῦν μοι μνῆσαι.———
Si aut bovis aut ovis incendit tibi pinguia membra,
Horum nunc memor eſto.———

Benefactorum memoria.

Ubi quid boni contingit, propter veterum benefactorum memoriam, locus erit illi Homerico:

Ὡς ἀγαθοεργίης ὀλιγηπελίη μέγ' ἀμείνων.

Benigne facere, & in officio eſſe, multo præſtat magisque lucro eſt, atq; ſecus.

IUNII. *Immortales Gratiarum horti.*

Ἀγήρατοι χαρίτων κῆποι, id eſt, Interitum neſciunt Gratiarum horti. Ariſtides: καὶ μάλ' ἐν ἀγηράτοις χαρίτων κήποις, id eſt: In immortalibus Gratiarum hortis natum. Proverbii facies ad gratitudinis ſignificationem trahi poteſt. Nam beneficii collati memoria immortalis eſſe debet, ſemperq; in animo grato vivere: unde & Gratiarum uni, a virore perpetuo Thaliæ nomẽ fuit. Poteſt & ad perſonam transferri, ſi dicamus virum ſempiterna memoria digniſſimum, in Charitum hortis immortalibus vivere. A quo non abludit Sapphus poetriæ invectiva in indoctam, & à Muſis Gratiiſque alienam fœminam: κατθανοῖσα δὲ κείσεαι, οὐδέ ποτε μναμοσύνα σέθεν ἔσσετ' οὐδέποτ' ὕστερον. οὐ γὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας, ἀλλ' ἀφανὴς κἀν ἀΐδου δόμοις φοιτάσεις. hoc eſt: Mortua jacebis, nec tui unquam à morte extabit memoria: quippe expers roſarum in Pieria naſcentium, ſed obſcura umbra apud inferos maneis oberrabis. Quæ verba corrupte leguntur apud Plutarchum in tertio Sympoſiacon in codice Aldino, parumq; integre.

Gratia non ducitur pœnitentia.

Brevius concinniusq; Græcis dicitur, χάρις ἀμεταμέλητος. id eſt, Gratia pœnitentię expers. Elogium breve, & Theophraſto authore dignum, & cujus gloriam diſcipulo non invidit Ariſtoteles: quo ſignificatur, gratiam pœnitentia non duci, neque revocare collatum beneficium. Ita Terentianus Simo ad Soſiam libertum beneficii memorem, dicit ſe haud mutare factum. Conveniet eo uti neq; ſine venere, quando volumus ſignificare, non pœnitere nos beneficii in hominem non male merentem collocati. Antiph. comicus apud Athenæum lib. 1. eleganter:

Τοῦ γάρ τις ἄλλου τοὺς θεοὺς αἰτοῖτ' ἂν
Εὔξαιτο πλουτεῖν ἢ σφόδρ' ἐπιθυμοῖ τι χρημάτων,
Ἢ τ' ὠφελεῖν δύνασθαι τοὺς φίλους
Σπείρειν τε καρπὸν χάριτος ἡδίστης θεᾶς,

Id eſt:

Qua gratia, teſtor deos, diteſcere
Quis optet, atq; affluere gaza divite?
Niſi ut ſuo ferat opem amico & gratiæ
Inter deas primatiæ fructum ferat.

COGNATI. Ἀντιπελαργεῖν.

Proverbialis figura, pro, merentibus gratiam in tempore referre. Idem ſtatutum eſt jure Romanorum, ut ex Ulpian. reſponſo edocemur lib. Pandect. 25. tit. de agnoſcendis vel alendis liberis, vel parentibus. Idem docet Ariſt. lib. Oeconomicon 1 cap. 3. à ciconiæ natura ſumptum, quæ eundem nidum repetit, genitricis ſenectam ut educet. Valerius Maximus lib. 5. cap. 4. Nullo enim vocis miniſterio, nullo uſu literarum indigens rerum natura, propriis ac tacitis viribus charitatem parentum liberorum pectoribus infudit, alibi Chiliad. proverbio ἀντιπελαργεῖν.

Ἡ χάρις, μοῖτον ἀντίμοιτον.

Heſychius hoc Siculorum proverbium annotat, quod mutuum in gratia vult eſſe. Quaſi dicas: ἡ χάρις αὐτὴ λύτρον: quod gratus animus ſufficit ad repetendum beneficium. Heſychius ſic explicat: μοῖτον ἀντίμοιτον παροιμία Σικελοῖς. ἡ γὰρ χάρις μοῖτος. μοῖτον χάριν. Ego μοῖτον ἀντίμοιτον, mutuas viciſſitudines, hoc eſt, par pari. Nam ἀντίμοιτον, τὸ ἀντίον.

Cordi eſſe.

Cordi eſt: honeſte dicitur, pro, animo ſedet Non. Mar. Catullus in Fundum:

——— Quibus non eſt,
Cordi Catullum lædere: at quibus cordi eſt.

Idem ad Juventium:

Qui tibi nunc cordi eſt.———

In nuptiis Pelei & Thetidis:

Sibi non cordi fuerant connubia noſtra.

De Smyrna Cinnæ poetæ.

Parva mei mihi ſunt cordi monimenta ſodalis.

Cornelius Gallus:

Carmina pulſa procul nimium dilecta jacebant:
Solus amor cordi, curaque ſemper erat.

Nemo unquam benefactori bovem immolavit, præter Patriam.

In eum qui de ſe bene meritum inuſitato & immodico honore afficit, quomodo multi aliis devincti, etiam malam in rem iiſdem obſequi parati. Ortum à Patia, qui cum ſenem quẽdam captivum à latronibus redemiſſet, & ab eodem repente ditatus eſſet, eidem bovem immolavit. Heraclides in Politiis.

Κριὸς τροφεῖα ἀποτίνει.

Vide Eraſm. proverb. Aries nutricationis mercedem perſolvit. Dictum à Menandro eſt in gratos homines: quia Athenienſes in Connidam grati quod ille Theſeum ſancte inſtituiſſet, & præclare educaſſet, arietem illi, tanquam præmium, & grati animi indicium, immolabant. Plutarch. in Theſeo: Lurin. ibid.

HÆREDIPETÆ.

ERASMI. *Si vultur es, cadaver expecta.*

Captatores teſtamentorum & hæredipetæ, vulgata metaphora vultures appellantur, quod ſenibus orbis, ceu cadaveribus, inhiant.

bicat. Nam huic avi proprium, cadaveribus tantum vivere. Unde & natura tantum illi ſagacitatis addidit, autore Plinio, ut biduo aut triduo prævolet illuc, ubi cadavera ſint futura: eoque ut refert vere Magnus ille Baſilius, ingenti agmine ſolet comitari caſtra militum. Hoc minus nocens, quam ſint homines iſti divitum funeribus imminentes, quod neq; fruges attingit, neque illum animal, quantumvis imbelle, occidit, aut inſectatur: tantum cadavera, vel eorum quæ ſponte interierunt, vel ab aliis relicta ſunt, depaſcitur. In quibus tamen abſtinet à ſui generis, id eſt, avium cadaveribus Quemadmodum & Plutarchus docet in problematis rerum antiquarum: ne quid interim adferam ex Ægyptiorum opinione, qui dicunt vultures omnes eſſe fœminas, nec aliter ex euro cōcipere, quam è zephyro gravidæ fiunt arbores. Unde nimirum eſt, hanc avem innocentiſſimam apud homines tam male audire. Proinde qui divites audent aut accuſare aut veneno tollere è medio, milvii vocantur: qui verò duntaxat obſequiis & adulationi b⁹ aucupantur, ut miſceantur teſtamento, vultures proverbio dicuntur. Seneca lib. Epiſtolarum quindecimo, epiſt. xcvj. Si vultur es, cadaver expecta. Martial. lib. vj.

> Amiſit pater unicum Silanus,
> Ceſſas mittere munera Oppiane?
> Heu crudele nefas, malæq; Parcæ,
> Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Diogenianus in collectaneis meminit huj⁹ adagii, ſed alia figura: γυπικῶς, id eſt, vulturum ritu. Admonet autem dictum de iis, qui vel ob hæreditatis, vel alterius alicujus emolumenti ſpem inſidiantur cuipiam.

Eidem inhiantes teſtamento.

Duriuſculum quidem, ſed tamen non inſcitum, ſi, quod eſt in eodem libro dictum de Græcis ac Trojanis, pro Patrocli cadavere dimicantibus, torqueatur ad hæredipetas, eundem ſenem, velut idem cadaver certatim captantes:

> Ὣς οἵ γ' ἔνθα καὶ ἔνθα νέκυν ὀλίγῃ ἐνὶ χώρῃ
> Εἵλκεον ἀμφότεροι. ———
> Id eſt:
> Sic illi exiguo diſcrimine utrique cadaver
> Hinc atque inde trahunt ———

COGNATI. *Vulturius aut corvus.*

Vulturios aut corvos per jocum, hæreditatum captatores vocabant. Nos hodie ſubdolos atq; rapaces dicere ſolemus, prædæ furtoq; inſtar vulturum aſſuetos. De quarum avium natura Plinius lib. 10. cap. 6. Catullus:

> Suſcitat à cano vulturium capite.

Dinarchus in Truculento Plauti:

> Vide ut jam quaſi vulturii triduo,
> Prius prædivinant, quo die eſurituri ſient.
> Illum inhiant omnes.

Callicles in Trinummo Megaronidi:

> Tu: pilucri turpidum te vocant cives tui:
> Tum autem ſunt alii, qui te vulturium vocant.

Seneca epiſt. xcvj. Amico ægro aliquis aſſidet, probamus. At hoc ſi hæreditatis cauſa facit, vultur eſt, cadaver expectat. [Id commodiſſime Chiliad. j. Cent. vj. proverb. xiv. explicuit Eraſmus, ut præter duos Plauti locos nihil novi afferat Gilbertus.]

Abſens hæres non erit.

De iis qui ob abſentiam ſuam quapiam utilitate fruſtrantur. Tractum ab illis, qui cum propinquitate quadam legitimam alterius ſucceſſionem ſperare poſſint, eadem, dum abſunt, opportunis obſequiis & delinimentis aliorum privantur. Demoſt. Xenophon.

HONOS INDIGNO HABITVS.

ERASMI. *Bos in quadra argentea.*

Βοῦς ἐπὶ πίνακος ἀργυροῦ: id eſt, Bos in quadra argentea. In eos qui perſonam ſuſtinent, officium aliquod egregium pollicentem nec ulli tamen ſunt uſui, niſi ad voluptatem aut faſtum. Simillimum eſt illi quod alibi retulimus, Bos ſeptimus. Olim apponebantur bellaria, ſic efficta, ut novæ lunæ cornua præ ſe ferrent, quod luna naſcens ac deſinens cornuta videatur. Quin & lunæ dicebantur hujuſmodi bellaria. Qua de re Suidas citat epigramma non inelegans.

> Πῶς βοῦς ὢν στάχυας οὐκ ἀροῖς γῆς ἐν πεδίοις,
> Ἀλλ' ὡς πάρεδρος ἀγρότης ἀνακλίνῃ;
> Πῶς αἶγ' ἔχεις σὺ πρὸς νομὰς ἀποστείχεις,
> Ἀλλ' ἀργυροῦν εἴδωλον ἑστηκώς τρέχεις;
> Ἑστηκα τὴν σὴν ἐξελέγχων ἀργίαν.
> Id eſt:
> Quinam ſit, ut bos quum ſies, arvum haud ares,
> Sed ebrii in morem recumbis ruſtici?
> Quin hirce tu quoque curris hinc in paſcua,
> Sed potius hic imago ſtas argentea?
> Hic ſto, tuam redarguens inertiam.

Meminit hujus bovis Julius Pollux libro vj. cap. xj. demonſtrans hoc cibi genus inferri ſolere Apollini, Dianæ, Hecatæ, & Lunæ. Finguntur & hodie variæ animantium ſpecies in bellariis. Huic non diſſimile eſt, quod Galli vocant regem chartarum, qui titulo verius quam opibus rex eſt.

Fato Metelli.

Aſconius Pedianus in oratione pro Milone refert Nævii poetæ ſenarium jactatum in familiam Metellorum, quod Conſules deſignarentur, arbitrio fortunæ (quæ campi domina dicitur) verius quam ſuis meritis:

> Fato Metelli Romæ fiunt Conſules.

Ad id tum Metellus Conſul iratus reſpondit ſenario hypercatalectio quem ait & Saturnium appellari:

> Dabunt malum Metelli Nævio poetæ.

Ad id recte alluſit M. Tullius, quum ait: Te non fato, ut cæteros ex noſtra familia. Dictum facete & contumelioſe in Metellos, torqueri poterit in eos, qui præter meritum ſuum ad opes ac dignitates provehuntur.

Malus choraules, bonus ſymphoniacus.

Divus Auguſtinus in epiſtola ad Aurelianum. & refertur in Decretis, cauſa xix. quæſt. prima, cap. legi epiſtolam: commemorat vulgo illud jactatum, Malus choraules, bonus ſymphoniacus: ubi quis in ſuo genere cōtemptus, in præſtantiore, habetur in pretio: veluti ſi quis poeta ineptus profiteatur medicinam; & inter præclaros medicos habeatur. Auguſtini verba ſunt hæc: Ordini clericorum fit indigniſſime injuria, ſi deſertores monaſteriorum ad militiam clericorum eligantur, quum ex his qui in monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores ac meliores in clerum aſſumere ſoleamus: niſi forte ſicut vulgares dicunt, Malus choraules, bonus ſymphoniacus eſt, ita ipſi vulgares de nobis jocabuntur dicentes, Malus monachus, bonus clericus eſt. Sumptum apparet ex M. Tullio, qui in oratione pro Murena ita loquitur: Itaq; mihi videntur initio multi hoc maluiſſe: poſtquam id aſſequi non potuiſſent, illuc potiſſimum ſunt delapſi. Ut autem in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint: ſic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerint, eos ad juris ſtudium devenire.

Strumam dibapho tegere.

Strumam dibapho tegere dixit M. Tullius ad Atticum: pro eo quod eſt, infamiam aliqua dignitate obliterare: Vatinii, inquit, ſtrumam ſacerdotii dibapho tegere. Dibaphon appellat purpurā bis tinctā. Struma eſt tumor corporis, veluti gibbus. Ea deformitas interdum purpura diſſimulatur. Idem ad M. Cælium libro ſecundo: Nam Curtius noſter Dibaphum cogitat, ſed eum infector moratur. Dibaphi nomine deſignat magiſtratum, cui fas erat dibapho uti. Sed jocatur illi rem parum ex ſententia cedere, quod tinctor eſſet in mora. Eſt autem hæc una ratio obliterandæ infamiæ, ſplendore dignitatis hominum calumnias deterrere, mediocris enim fortuna patet invidiæ. Nec deſunt fortaſſe, qui hoc conſilio enituntur ad mitras & ad galeros Cardinalitios.

Induitis me leonis exuvium.

Ἐνδύει τί με τὴν λεοντῆν, id eſt, Induitis me leonis exuvium. In eos dici ſolitum qui ſuſcipiunt negotium majus facultate, quique ſe magnificentius gerunt quam pro ſua conditione. Quidam ab Hercule ſumptum putant, cujus hic ornatus erat, ut leonis exuvio tegeretur, deinde altera manu clavam, altera geſtaret arcum: atque hoc ornatu deſcendit ad inferos, Cerberum extracturus. Huc alludens Ariſtophanes in Ranis, Bacchum fingit, Herculis inſtar, leonis exuvio clavaque inſtructum, ad inferos deſcendere parantem, ut Euripidem cum Æſchylo certantem adiret. Ridetur autem ab Hercule, quod id geſtaminis neutiquam illum deceret, utpote mollem & effœminatum. Eodem pertinet quod Menippus ille Lucianicus eodem ornatu ſe ab inferis rediſſe adſimulat. Nihil autem prohibet quominus proverbium ad apologū illum referatur cujus meminit Lucianus in Piſcatore: Apud Cumanos aſinus quiſpiam pertæſus ſervitutem, abrupto loro in ſylvam aufugerat, illic forte repertum leonis exuviū corpori applicabat ſuo, atque ita pro leone ſe gerebat, homines pariter ac feras voce caudaque territans, nam Cumani leonem ignorant. Ad hunc igitur modum regnabat aliquādiu perſonatus hic aſinus, pro leone immani habitus ac formidatus. Donec hoſpes quiſpiam Cumas profectus (qui ſæpenumero viderat & leonem & aſinum, atq; ob id non erat difficile dignoſcere) aurium prominentium indicio, neq; non aliis quibuſdam conjecturis aſinum eſſe deprehendit, ac probe fuſtigatum reduxit, dominoque agnoſcenti reddidit. Interim autem riſum non mediocrem concitabat omnibus Cumanis aſinus jam agnitus, quos dudum creditus leo, metu propemodum exanimaverat. Cumanos autem hic appellat, nō qui ſunt in Italia, ſed qui ſunt in Æolide ſupra Lesbum. Nam & Lesbii & Cumani notati ſunt ſtoliditatis, ut indicat Stephanus. Uſurpat hoc adagium Socrates Platonicus in Cratylo, negans oportere deterreri ſeſe magnitudine diſputationis inſtitutæ, poſteaquam ſemel leonis pellem eſſet indutus. Lucianus in Pſeudologiſta: οὐδὲ δεῖ τινός σε ἀποδύσοντος τὴν λεοντῆν, ὡς φανερὸς γένοιο κανθήλιος ὤν, εἰ μή τις ἄρα ἐξ Ὑπερβορέων ἄρτι ἐς ἡμᾶς ἥκει, ἢ κατὰ τοὺς Κυμαίους οὕτως ἀμαθής ἐστιν, ὡς μὴ ἰδὼν εὐθὺς εἰδέναι ὅτι ὄνων ἁπάντων ὑβριστότατος εἶ, μὴ περιμείνας ὀγκωμένου ἀκοῦσαι, id eſt, Nec opus eſt quopiam qui tibi leonis exuvium detrahat, quo palam fiat te cantherium eſſe: niſi ſi quis ſane ab ipſis Hyperboreis hoſpes modo ad nos advenerit, aut uſq; adeò Cumanus ſit, ut qui viderit, non protinus intelligat te aſinorum omnium aſinum ferociſſimum eſſe, aut expectet ut te præ-

cetera rudentem audiat. Euſebius Cæſarienſis adverſus Hieroclē, οἰχήσεται μὲν ἡμῖν φιλόσοφος, ὄνος δ' ἔτι ὁ λέοντος ἐπιμεμορφωμένος δέρρει. i. e. Abibit nobis quidem philoſophus, cæterū aſinus leonis inſectus pelle. Demutavit nonnihil de proverbio Lucianus in Philopſeude, cum ait, τοσοῦτον χρόνον ἐλελήθει ὑπὸ τῇ λεοντῇ γελοῖόν τινα πίθηκον σκέπων. i. e. Tantum temporis non animadverti, cum ſub leonis exuvio ridiculam quandam ſimiam tectam habere.

IVNII. *Omnem lapidem nitidum adorantes.*

De iis qui temere & ſine judicio erga quoſvis afficiuntur, elegans extat adagium apud D. Clement. lib. vij. Stromatum: οἱ αὐτοὶ δ' οὗτοι πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες. i. e. Illi ipſi quodvis lignum & quemlibet lapidem (quemadmodum dici ſolet) politum adorantes. Loquitur de ſuperſtitioſis hominibus, quorum mentes pravitatis erroribus imbutas, numinis metus ita penitus perculit, ut ad quemvis vel facis vel ſulphuris aſpectum illico inhorreſcant. Transfertur venuſte ad judiciorum moroſitatem. Invenies enim quoſdam ita ſiniſtros eruditioni judices, ut verboſum & volubili lingua verborum aliquantum hinc inde è colloquiis Eraſmi conſarcinantem, nō minore admiratione quam virum ad miraculum usq; doctum ſuſpiciant, & tantum non adorent, πάντα λίθον λιπαρὸν προσκυνοῦντες.

HOSPITALITATIS, ET CONTRA.

ERASMI. *Haudquaquam arcet oſtium.*

Οὐδέ ποτ' ἴσχει θύρα, Haud unquam arcet oſtium. Interpres Ariſtophanis parœmiam admonet eſſe de iis, qui impendio ſunt hoſpitales, quorum fores ſemper patentes neminem excludūt. Sumptum ait ex Eupolidis comœdia, cui titulus φίλοι. Eleganter accommodabitur vel ad credulum qui quodvis mendacium admittat auribus: vel in mulierem nulli negantem.

Semper aliquis in Cydonis domo.

Ἀεί τις ἐν Κύδωνος, id eſt: Semper aliquis in Cydonis domo. Cydon Corinthius quiſpiam erat, adeò inſignis hoſpitalitate, ut etiā proverbio locum fecerit. Refertur à Suida pariter & à Zenodoro neq; non ab Ariſtophanis interprete. Hæc cum non careant gratia, quoties ſimpliciter accommodantur ad homines φιλοξένους, tamē pluſculū habebunt veneris, ſi ad animum deflectantur: veluti ſi quis admoneat pium hominem, ne ſinat animum ſuum quibuslibet cogitationibus patere.

Scindere penulam.

Hodieq; vulgo tritiſſimum eſt, ſcindere penulam: pro eo quod eſt, impenſius retinere hoſpitē, atq; invitare prolixius: quod qui faciunt, manu in penulam injecta, quaſi vi conantur remorari. Id adagium ex antiquitate fluxit, ut alia complura. Cicero ad Atticum lib. xiij. de Varrone loquens: Venit, inquit, ad me, & quidem id temporis, ut retinendus eſſet. At ego ita egi, ut non ſcinderem penulam. Memini enim tui, & multa erant, noſq; imparati. Quid refert? paulo poſt C. Capito cum T. Carinate. Horum ego vix attigi penulam, tamen remanſerunt.

Fores habet tritas, ut paſtorum caſæ.

Τὴν θύραν ἔχει τετριμμένην ὥσπερ αἱ ποίμναι. i. Oſtium habet tritum, ut ſunt caſæ paſtorum. Ironia proverbialis in homines inhoſpitales, aditu difficiles, ſibi viventes, ſemper occluſis foribus: quod paſtores procul ab hominum commercio ſemotos vix unquā quiſquam interviſat. Meminit Diogenianus.

EX APPENDICE ERASMI.

Cura hoſpitum habenda.

Αἰδοῖος μέν τ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν
Ἀνδρῶν ὅστις ἵκηται ἀλώμενος. ——
Nam divis referendus & immortalibus ille eſt,
Quicunque appulerit multis erroribus actus.
Homerus.

IVNII. *Apertis januis.*

Ἀνεῳγμέναι θύραι, apertæ januæ in proverbii honorem ceſſere de obvia & ultronea humanitate. Veſpianus apud Philoſtratum, ἀνεῳγμένας θύρας παρέχειν σοφοῖς ἀνδράσι, patulas fores doctis præbere profitetur. Quod dictum utinam magnates principesque viri cordi ducerent, aliquanto certe melius cū literis ageretur. Cicero valde decorum ait eſſe, patere domos illuſtriū hominum. Hoſpitalitatem commendat, imò requirit in epiſcopo D. Paulus, ut ejus domus juxta Pindarum πεπταμέναι ξείνοισιν ἐνὶ θύραι, reſeratis oſtiis ad excipiendos hoſpites pateat. Laudatur illud hoſpitalitatis munus in Cimone Athenienſi, in Cydone Corinthio, cujus domus omnibus expoſita proverbio locum dedit: & prædicat in Hecale, quamvis paupercula & tenuis fortunæ, Callimachus his verbis:

——Τίον δέ ἑ πάντες ὁδῖται,
Ἧς φιλοξενίης· ἔχε γὰρ τέγος ἀκλήιστον.
Cuncta viatorum gens hanc venerata colebat,
Namq; larem hoſpitii nulli præcluſerat unquam.

Huc ſpectat illud Eupolidis in Amicis, fabulæ id nomen eſt:

Ἡ τοῦ κορινθοῦ οὐδέ ποτ' ἴσχει θύρα.
Eraſtor hæc nullos abarcet janua.

Quo alluſit in Acharnenſ. Ariſtoph. ibi:

Τοὺς δ' ἐξελάσει οὐδέ ποτ' ἴσχ' ἡ θύρα.
Nullum hoſpitem ſecluſit iſthæc janua.

Dion Nicæus Veſpaſiani laudibus adſcribit, quod regiæ fores ſemper paterent, αἵ τε θύραι τῶν βασιλείων ἀνεῳγμέναι, quod tamen ad ſecuritatis argumentum factum puto, absque munificentiæ conſcientia.

COGNATI. *Igne eodem & aqua uti.*

Budæus Brixio: Quum igne eodem aquaq; (ut dicitur) eadem uteret, id eſt, eodem contubernio. Sic qui in cœnobio vivunt, & eādem in menſa epulantur.

IGNAVIA ET INSCITIA.

ERASMI. *Neque compluitur, neque ſole aduritur.*

Οὔθ' ὕεται, οὔθ' ἡλιοῦται: id eſt, Neq; compluitur, neque ſole aduritur. De eo dici ſolitum, qui procul ab omni incommoditate ſemotus, vitam ageret. Cui contrarium illud Horatianum:

——Sudavit & alſit.

Et pulveris, & ſolis, & cœleſtis aquæ patiens latus. Negotiatores, milites, athletæ, nautæ, atq; id genus homines, ſoli ferendo, & imbribus tolerandis aſſueſcant oportet. Qui domi molliter vivit, ab his malis abeſt. Quamobrem in hominem delicatum, & ad labores ferendos inhabilem quadrabit. Ariſtophanes in Ranis, Bacchi molliciem notans.

Καὶ μήτε θερμὴν, μήτ' ἄγαν ψυχρὰν σφόδρα.
Id eſt:
Nec æſtuoſam, nec nimis tædo frigidam,

Refertur à Zenodoto proverbium.

Neque natare, neque literas.

Μήτε νεῖν, μήτε γράμματα, id eſt, Neq; natare, neque literas, ſubaudiendum, novit. In eos dicitur, qui ſupra modum indocti ſunt, nihilq; prorſus bonarum artium in pueritia didicerunt. Nam hæc duo ſtatim diſcebant pueri Athenis. Atq; adeò Romæ quoque: id quod ſatis declarat Suetonius in Auguſto: Nepotes, inquiens, & literas & natare, aliaque rudimenta per ſe plerunque docuit. Idem de Caligula prodidit, quod ad cætera magnopere docilis, natare tamen neſcierit: velut poſtremum hoc nemo neſciret. Plato lib. De legibus iij. τοὺς δ' ἐναντίους ἔχοντας τούτοις, ὡς σοφούς τε προσαγορευτέον, κἂν τὸ λεγόμενον, μήτε γράμματα μήτε νεῖν ἐπίστωνται. Qui verò contra affecti, ſapientes appellandi, etiam ſi neque literas ut dicitur, neq; natare ſciant. Item Ariſtides in Apologia communi quatuor oratorum: ἀλλ' ὡς τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, οὔτε γράμματα, οὔτε νεῖν εἰδότας ἐλέγχειν ἀξιοῦν. id eſt: Sed, quemadmodum dici conſuevit, perinde coarguendum exiſtimans, quaſi qui neq; literas, neq; natare norit.

Ne tria quidem Steſichori noſti.

Οὐδὲ τὰ τρία Στησιχόρου γινώσκεις, id eſt, Ne tria quidem Steſichori noſti. De vehementer indocto & imperito dici ſolitum. Adagium ſumptum hinc exiſtimant, quod pleraq; Steſichori poemata Epodica ſunt, quæ tribus conſtant, στροφῇ, ἀντιστρόφῳ, καὶ ἐπῳδῷ. Strophe, eſt primo ſeries variis metrorum generibus incedens. Antiſtrophus eſt iteratus per eadem ferme genera recurſus. Epodus, eſt diverſi carminis accentio. His & alii tragici poetæ nonnunquam utuntur potiſſimum in choris.

Inelegantior Libethriis.

Ἀμουσότερος Λειβηθρίων, id eſt, Indoctior Libethriis. Proverbialis hyperbole, quadrans in hominem admodum idiotam, & ab omni Muſarum commercio prorſus alienum. Agentis hujus agreſti imperitia ſumptum eſt proverbium. Tradunt enim Libethrios, muſices ac poetices, breviter omnium elegantiorum diſciplinarum ſtolidiſſimos contemptores fuiſſe, adeò, ut apud hos quidam occiſum Orpheum exiſtiment: quorum de numero Zenodotus eſt, qui Libethrios gentem Perſicæ ſcribit fuiſſe. Servius Libethrum fontem quempiam eſſe credidit, unde Vergil in Melibœo Muſas Libethridas cognominarit. Plinius libro quarto, mentionem facit Libethræ fontis: quem conſtituit in Magneſia, quæ Theſſaliæ regioni adjungitur. Solinus Libethrum vocat, genere maſculino. Strabo item libro Geographiæ nono, Libethri meminit: Hoc in loco, inquit, conſecrāta eſt Muſis ædes, fonſq; caballinus, & Libethridum ſpelunca nympharum. Qua ex re ſuſpicari licet, eos qui & Helicona & Pieriam & Libethrum & Pimpliam eiſdem Muſis conſecrarunt, Thraces extitiſſe. Pieres autem vocabantur, quibus extinctis loca hæc Macedones nunc poſſident.

Barbarus ex trivio.

Βάρβαρος ἐκ τριόδου id eſt, Barbarus ex trivio. In hominem dicebatur extremæ humilitatis, ac prorſum nulli* pretii: perinde quaſi dicas, extremum ac vilem ſervulum aliunde è triviis emptum, non dono datum, aut domi natum. Lucianus in eum, a quo fuerat Promotheus appellatus: οἷος ἐκ τριόδου βάρβαρός τις ἀγοραῖος, id eſt: Qualis pene barbarus quiſpiam è trivio. Quanquam quidam hoc loco legunt non barbarus, ſed βόρβορος ἐκ τριόδου, id eſt, Cœnum è trivio: quæ lectio ſola probanda eſt, mea quidem ſententia:

ſentiæ: propterea quod eo loco de luto fiat mentio, nō de barbaro quopiam. Item Plato lib. de Rep. vij. καὶ τῷ ὄντι ἐν βορβόρῳ βαρβαρικῷ τινι. id eſt: Ac revera in cœno quopiam barbarico. Loquitur de anima demerſa tenebris ignorantiæ.

Nec ſibi nec aliis utilis.

Qui prorſus inutiles ſunt, & fruges conſumere nati, ſchemate proverbiali, nec ſibi nec aliis utiles dicuntur. M. Tullius in libris Officiorum: Quamobrem, ut ante dixi, contemnuntur ii, qui nec ſibi, nec aliis proſunt, ut dicitur: in quibus nullus labor, nulla cura, nulla induſtria eſt. Sumptum eſt ex nobili illo carmine Heſiodi, ex opere quod inſcribitur ἔργα καὶ ἡμέραι, quod ſubinde citat Ariſtoteles:

Οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ
Φρασσάμενος, τά κ᾽ ἔπειτα καὶ ἐς τέλος ᾖσιν ἀμείνω.
Ἐσθλὸς δ᾽ αὖ κἀκεῖνος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ὃς δέ κε μήτ᾽ αὐτῷ νοέῃ, μήτ᾽ ἄλλου ἀκούων
Ἐν θυμῷ βάλληται, ὁ δ᾽ αὖτ᾽ ἀχρήϊος ἀνήρ.

Id eſt:

Omnia qui per ſe ſapiat, longè optimus ille eſt,
Multo ante expendens quænam ſint optima factu:
Is tamen & frugi eſt, qui paret recta monenti,
At qui nec per ſe ſapiat, neq; mente reponat
Ex aliis audita, vir undiq; inutilis hic eſt.

Horum carminum ſententiam T. Livius ſane quam eleganter & commode reddidit: Sæpe ego, inquit, audivi milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit. Secundum, eum qui bene monenti obediat. Qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenii eſſe. Hujus generis haud paucos videas mortales, qui cum ipſi ob mentis inopiam nequeant diſpicere, quid facto ſit opus, dictu tamē mirum, quam ſint præfracti, quamque non admittant alienum conſilium: videlicet aſinum illum Horatianum referentes, qui cum nec viam noſſet, nec duci pareret, in rupem præceps datus eſt. Heſiodi carmē Zenon teſte Diogene, ſic invertit:

Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται.
Ἐσθλὸς δ᾽ αὖ κἀκεῖνος ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ.

Id eſt:

Optimus ille quidem, qui paret recta monenti.
Rurſus at ille bonus, qui per ſeſe omnia novit.

Videlicet anteponens eum qui bene pareret, ei qui bene ſaperet. Huic enim intelligentiam duntaxat adeſſe, illi verò etiam uſum & exercitationem.

Ἀμυστὶ πίνειν.

Ἀμυστὶ πίνειν, dicuntur qui hauſtim avideq; bibunt, nec inter bibendum ſpiritum reciprocant, ſed potum in alvum non ſecus atque in dolium infundunt. Sonat autem ἀμυστὶ, quaſi dicas, citra ſuſpirium. Traduci poterit ad eos, qui ſermonem nullo delectu, nimis avide accipiunt. Aut qui immodica lectione obruunt ingenium: quum magis expediat, ſubinde cogitationem admiſcere lectioni. Similis potatio Græcis dicitur ἄμυστις, quod inter bibendū labia non claudantur.

Claudi more tenere pilam.

M. Tullius adverſus Piſonem ſcribit in hunc modum. Græcus primum diſtinguere illa atq; dividere, quemadmodum dicerentur: iſte claudus (quomodo ajunt) pilam retinere, quod acceperat teſtificari. Hactenus Cicero. Proverbium congruit in eos, qui quicquid à præceptoribus acceperint, ſive id doctum ſit, ſive indoctum, nullo delectu, nulloque judicio tenere ſolent, ac ſequi. Sumpta metaphora à claudo diffidente ſuis pedibus, & ob id pertinaciter columnis innitente. Niſi ſi cui magis referendum videtur ad luſum pilæ, quam claudus ita demum accipit ſi commode illi mittas. Alioqui pedibus tardus non poteſt utcunque miſſam accipere. Seneca libro De beneficiis vij. Quid ſi me remittere pilam manco jubeas? hoc eſt, dare beneficium illi, qui non ſit idoneus ad accipiendum. Plautus in Aulularia: Tum autem interdiu, quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies. Generatim conveniet in omne is, qui de alieno pendent judicio, alienæque innituntur autoritati: quemadmodum iſti, quibus ſatis eſt dixiſſe, αὐτὸς ἔφα.

Equi ſenecta.

Ἵππου γῆρας, id eſt. Equi ſenecta. Proverbium in eos dici ſolitum, qui præclaris rebus geſtis in juventa, poſtea quam conſenuerint, ad ſordidas curas ſemet abjiciunt. Allegoria ſumpta à generoſis equis, qui ſenio facti ſegnes, in piſtrinum, aut carrum, aut aliud id genus opus detruduntur: olim in precio habiti, dum viribus integris eſſent. Plutarch. in libello, cui titulus, An ſeni ſit adminiſtranda Reſpub. ἢ παντάπασι δόξει τοῦτο δὴ τὸ καλούμενον, ἵππου γῆρας ἐπισπᾶσθαι μηδενὸς ἀναγκάζοντος. id eſt: An non plane videbitur equi ſenectam, quemadmodum vulgo vocant, acceſſere, nemine compellente? Cum hoc convenit Ennianum illud, quod refertur à Cicerone in Catone Majore:

Sicut fortis equus ſpacio qui forte ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.

Anus velut equus profundam habebis foſſam.

Γραῦς ὥσπερ ἵππος τὴν χαραδραίαν ὕψος ἕξεις, i. Anus velut equus, alte hiantem habebis ac nigrum ſpecum ſepulta. De iis, qui penitus abjiciuntur, tanquam prorſus inutiles. Equi poſteaquam conſenuerint, in altos terrarum ſpecus aliquo præcipitantur. Ita mulier olim amata, ſimulatq; defloruit forma, faſtiditur ab omnibus. Qualis eſt apud Horatius Lyce ſimile illi: Equi ſenectus.

Ab aſino delapſus.

Ἀπ᾽ ὄνου καταπεσών, i. e. Ab aſino delapſus. In eos dicitur, qui inconſulte quippiam agunt, & imperite: aut in eos, qui à præſentibus commodis, quibus ob inſcitiam uti neſciunt, excidunt. Eſt autem in Græcis verbis faceta alluſio ad finitimam orationem, mutato accentu, ἀπὸ νοῦ, id eſt, à mente delapſus, tanquam vecors & mentis impotens. Utitur hoc adagio Plato lib. De legibus iij. δεῖν φαίνεται ἔμοιγε οἷον ἵππον τὸν λόγον ἑκάστοτε ἀναλαμβάνειν καὶ μὴ καθάπερ ἀχάλινον κεκτημένον τὸ στόμα, βίᾳ ὑπὸ τοῦ λόγου φερόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν, ἀπό τινος ὄνου πεσεῖν. id eſt, Mihi ſane videtur ſermo velut equus undiquaq; reſtringendus, ne tanquam os habens effrene impetu abreptus, juxta proverbium, ab aſino tanquam à mente excidat. Utitur item Plutarchus in Gryllo. Rurſum Ariſtophanes in Nubibus:

Κακὸν γὰρ ὄντως ἔχεις ὥς γέ μοι δοκεῖς.
Ἵππους γ᾽ ἐλαύνων ἐξέπεσον νὴ τοὺς θεούς.
Τί δῆτα ληρεῖς, ὥσπερ ἀπ᾽ ὄνου καταπεσών,

Id eſt:

Mali, ut videtur, accidit tibi quippiam.
Ita per deos, equos agens, miſer excidi.
Quid hæc ita, ut delapſus aſino blatteras?

Primus verſus dicitur à Strepſiade Daniſtam irridente, quod pecuniam filio ſuo mutuo datam repetat. Alter eſt Daniſtæ, juvenem tacita illuſione notantis, qui ſtudio alendorum equorum pecuniā eam abſumpſerat. Tertius rurſum Strepſiadis, dicentis illum delirare, perinde quaſi non ab equis, ſed ab aſino decidiſſet: hoc eſt ἀπὸ νοῦ, id eſt, à mente. Quandoquidem & Latinis Mente delapſi dicuntur, qui mente exciderunt. Suetonius in Auguſto: Rectorem quoque ſolitus apponere ætate parvis, aut mente lapſis. Quidam huic quoq; proverbio hujuſmodi affingunt fabulam. Duo quidā, cum in deſertis locis aſinum quempiam forte fortuna nacti eſſent, contendere inter ſeſe cœperunt, uter eum, uti ſuum, domū abduceret: nam utriq; pariter à fortuna videbatur objectus. Hac interim de re illis invicem altercantibus aſinus ſeſe ſubduxit, ac neuter eo potitus eſt. Atq; hinc proverbium natum autumant. Mihi magis placet, in adagio captatam fuiſſe alluſionem, de qua diximus, maxime quod animadvertam, grammaticis id ſtudio fuiſſe, ut omnibus adagiis fabulam aliquam, aut hiſtoriam, vel commentitiam adjungerent. Ut autem Suetonius dixit mente lapſos, ita Ulpianus titulo, De magiſtratibus conveniendis, facultatibus lapſos dixit, qui redacti eſſent ad inopiam.

Ἄμουσοι.

In elegantes & indoctos Græci vocant ἀμούσους: hoc eſt, à Muſis alienos. Antiquitus enim nihil eruditum habebatur ſine muſica: Unde apud Comicos, qui literas ſe didiciſſe negent, ajunt ſe non didiciſſe muſicam. Quintilianus lib. 1. c. De muſicæ laudibus: Denique, inquit, in proverbium uſq; Græcorum celebratum eſt, indoctos à Muſis atq; à Gratiis abeſſe. Plato lib. De repub. viij. ὑπαμουσότερον dixit improbiorem, & ruſticius inverecundum. Et Ariſtoteles lib. Rhetoricorum ij. ὥσπερ οἱ ποιηταί φασι τοὺς ἀπαιδεύτους παρ᾽ ὄχλῳ μουσικωτέρους λέγειν, id eſt, Quemadmodum ajunt poetæ, indoctos apud multitudinē elegantius dicere. Hominem inſigniter elegantem μουσικώτατον dicimus: denique quicquid eſt moderatū compoſitumq; ἐμμελὲς dicunt Græci. Et Athenæus ἀμουσολογίαν appellat ineruditas parumq; tempeſtivas fabulas. Æſchines adverſus Timarchum: καὶ γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς ἄμουσός τις ἐστὶ καὶ ἀπαίδευτος ἄνθρωπος. i. Nam & præter alia mala, alienus à muſis, & ineruditus eſt homo. Ariſtophanes in Equitibus:

Ἀλλ᾽ ὦγαθ᾽ οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι.

Id eſt:

Imò nec ipſam muſicam novi ô bone.

Homines ab humanitate politioribusq; literis alienos jubebant Gratiis & muſis ſacrificare: quemadmodum Plato Xenocratem ſubinde monere ſolitus eſt, ut Gratiis litaret. Apud Athenæum lib. iiij. quidam Cynico inhumanitatem exprobrans ait: οὐχ ὥσπερ σὺ κυνικέ, ὃς μηδέποτε ταῖς Χάρισιν, ἀλλ᾽ οὐδὲ ταῖς Μούσαις θύεις. id eſt: Non quemadmodum tu Cynice, qui nunquam Gratiis ac ne Muſis quidem ſacrificaris. Apud eundem libro xiij. citatur ex parodo quapiam:

——Οὓς ἐδίδαξαν ἀριστερὰ γράμματα Μοῦσαι.

Id eſt:

Literulas Muſæ quos edocuere ſiniſtras.

Videtur in perverſe doctum aut maledicum congruere. Siquidem ibidem Ephippus in quendam dixit: ἐπαρίστερος ἐπὶ τὸ στόμα τὴν γλῶτταν φορεῖς. id eſt: Similiter linguam in ore geſtas, niſi forte legendum cenſes ἐπ᾽ ἀριστερά. id eſt, in lævam partem. Qui cuncta interpretatur in lævam partem, omiſſis bonis, in læva parte geſtat linguam. Unde & Siniſtras ſuſpiciones, & Siniſtras interpretationes dicimus. Celebratur & Philoſophi cujuſdam dictum, ipſum philoſophiæ præcepta tradere dextra, auditores autem accipere ſiniſtra. Plutarchus in vita Romuli, quem vult intelligi nec indoctum, nec inhumanum, dicit nec Muſis carere, nec Gratiis Σέξτιος δὲ Σύλλας ὁ Καρχηδόνιος, ἀνὴρ οὔτε μουσῶν οὔτε χαρίτων ἀπόξενος. id eſt: Sextius Sylla Carthaginenſ. neq; Muſarum neq; Gratiarum expers.

Libe-

Liberæ capræ ab aratro.

—Ἐλεύθεραι αἶγες ἀρότρου.

Id eſt:

Immunes capræ ab aratris.

Hemiſtichium heroici carminis proverbiale: dictum olim ab iis, qui ſe ab onere quopiam, aut moleſtia liberatos glorientur. Veluti ſi quis paraſitus jactet felicitatem ſuam, quod ad reipublicę munia non vocetur, cum ad nullam honeſtam functionem ſit appoſitus, Zenodotus autor.

Ne Æſopum quidem trivisti.

Οὐδὲ τὸν Αἴσωπον πεπάτηκας, id eſt, Ne Æſopum quidem triviſti: de vehementer ſtupidis & imperitis. Refertur à Suida. Extat autem apud Ariſtophanem in Avibus:

Ἀμαθὴς γὰρ ἔφυς, κοὐ πολυπράγμων,
Οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας.

Id eſt:

Indoctus enim es, neque ſat ſolers,
Neque triviſti ſaltem Æſopum.

Nam antiquitus Æſopi fabellas etiam vulgus idiotarum tenebat. Has igitur qui nõ legiſſet, nihil ſcire videbatur. Erat autem natione Phryx, ſervus Xanti, liber factus eſt ab Idmone cæco, Plato comœdiarum ſcriptor, fingit illum revixiſſe. Ab hoc omnes fabellæ in quibus inducuntur animalia bruta, Αἰσώπειοι dicuntur: quemadmodum in quibus homines, Sybariticæ, ſive Sybaritides diminutive.

Nullam hodie lineam duxi.

Τήμερον οὐδεμίαν γραμμὴν ἤγαγον. id eſt, Hodie nullam lineam duxi. Ab Apelle pictore natum adagium in eos quadrat, quibus ceſſatum ab exercitio ſtudii, artisq; ſuæ. Id refertur à Plinio libr. xxxv. c. x. cujus verba nõ gravabor in hoc commentarium tranſcribere: Scitũ eſt, inquit, inter Protogenem & eum quod accidit. Ille Rhodi vivebat, quo cum Apelles adnavigaſſet, avidus cognoſcendi opera ejus, fama tantum ſibi cogniti, continuo officinam petit. Aberat ipſe, ſed tabulam magnæ amplitudinis in machinam aptatam picturæ, anus una cuſtodiebat. Hæc Protogenem foris eſſe reſpondit, interrogavitque à quo quæſitum diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptoq; penicillo, lineam ex colore duxit ſummæ tenuitatis per tabulam. Reverſo Protogene, quæ geſta erant, anus indicavit. Ferunt artificem protinus contemplatum ſubtilitatem, dixiſſe: Apellem veniſſe. Non enim cadere in alium tam abſolutum opus: ipſum tunc alio colore tenuiorem lineam in ipſa illa duxiſſe, præcepiſſeq; abeuntem, ſi rediſſet ille, oſtenderet, adjiceretque hunc eſſe quem quæreret. Atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, ſed vinci erubeſcens, tertio colore lineas ſecuit, nullum relinquens amplius ſubtilitati locum. At Protogenes victum ſe confeſſus, in portum devolavit, hoſpitem quærens. Placuit ſic eam tabulam poſteris tradi, omnium quidem, ſed artificum præcipue, miraculo. Conſumptam eam conſtat priore incendio domus Cæſaris in palatio, avide ante à nobis ſpectatam, ſpacioſiore amplitudine nihil aliud continentem, quam lineas viſum effugientes, inter egregia multorum opera inani ſimilem, & eo ipſo allicientem, omniq; opere nobiliorem. Apelli fuit alioqui perpetua conſuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: quod ab eo in proverbium venit. Hactenus Plinius. Cæterum ad hanc lineam, qua protinus agnitus eſt à Protogene, reſpexit Statius in Hercule Vindice Epitrapezio cum ait:

Linea quæ veterem longe fateatur Apellem.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Horatius Satyra tertia:

Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

Mira admonuit allegoria, animum honeſtis excolendum diſciplinis: alioqui futurum, ut inutili ſylva vitiorum occupetur. Filix enim herba inviſa agricolis, quæ totos agros occupare ſolet: nec facile repurgatur, ubi ſemel occupaverit.

Ameles angulus.

Ἀμελὴς γωνία, id eſt, Ameles angulus: id eſt, neglectus angulus, dicebatur, qui ſupinus & oſcitabundus deſideret, nihil bonarum rerum tentans. Ajunt in Libya locum eſſe, qui ἀμελὴς γωνία, hoc eſt, ſecurus angulus vulgo dictus ſit: ob id fortaſſe, quod neglectus & incultus jaceret. Comperio ſcriptum & ἀμελοῦς γωνία, id eſt, negligentis angulus. Recenſent Zenodotus & Heſychius.

Ignavis ſemper feriæ ſunt.

Qui vacant ocio, feriati dicuntur: & ocioſi, feriati: & ocium, feriæ, quæ metaphoræ tãquam in proverbium receptæ ſunt. Theocritus in Bucolicis:

—Ἀεργοῖς αἰὲν ἑορτά.

Id eſt:

Semper feriæ inertibus.

Nam feriis etiam ethnici à prophanis negociis abſtinebant. Qui fugitant laborem, optant dies feſtos, quo liceat ociari, ventrique & voluptatibus indulgere. Siquidem antiquitus in hoc dabantur agricolis feriati dies aliquot, ut luſu reficerent laſſitudinem. Admiſcuerunt autem religionem, quo moderatiores eſſent luſus. At hodie Chriſtianorum vulgus feriis olim ad pietatis uſum inſtitutis, in compotationes, in ſcorta, in aleas, in rixas, in pugnas abutitur: nec ullo tempore plus committitur flagitiorum quam quo maxime conveniebat à flagitiis abeſſe. Nec unquam magis imitamur Ethnicos, quam quum præcipue Chriſtianos oportebat. Quumq; palam ſit, rem juvandæ religioni repertam in religionis perniciem vergere, tamen haud ſcio quo conſilio Pontifices quotidie ferias addunt feriis, quum potius conveniat prudentes imitari medicos, qui pro ratione morborum mutãt remedia, tantum illud ceu ſcopum ſpectantes, ut bonæ valetudini conferant. Proinde cum videant rem olim pro temporum illorum ratione ſalubriter inſtitutam, nunc mutatis Chriſtianorum moribus, peſtem eſſe pietatis: quæ tandem religio eſt, cõſtitutionem eodem mutare conſilio, quo veteres illi conſtituerunt? Quod de feſtis diebus dico, de multis aliis ſentiendum eſt: nõ quod damnandas exiſtimẽ Chriſtianorum ferias, ſed quod in immenſum nolim creſcere: & paucas eas quas inſtituit priſcorum autoritas, ad id converti cupiam, ad quod repertæ ſunt. Nam vere Chriſtianis omnis dies feſtus eſt: malis vero, quæ maxima turba eſt, feſti dies minus feſti ſunt quam prophani. Sed ut ad proverbium revertamur, apte accommodabitur in eos, qui nunquam non cauſantur aliquid, quo ſint in ocio: veluti quibus inſuaves ſunt literæ, nunc excuſant valetudinem, nunc occupationes rei domeſticæ: nonnunquam obſtat rigor hyemis, alias æſtatis fervor, interdum autumni periculoſum cœlum: demũ avocat à libris veris amœnitas mox fugitura. Prãſi negant eſſe rem habendam cum libris, antequam concoxerit ſtomachus. Impranſis obſtrepit fames, quo minus libeat. Luci dicunt ignavum eſſe domi deſidere: cæterum ad lucernam vigilare oculis inimicum. Si ſuppetit res domeſtica, quorſum opus, inquiunt, literis? Si deeſt, negant pauperem poſſe philoſophari. Juvenis negat, ævi florem curis ſenilibus abſumendum. Provectior ait, valetudini parcendum.

Mulieris podex.

Γυναικὸς πυγή, id eſt, Mulieris podex. In ignavum ac deſidioſum dicebatur. Ignavum animal mulier, & quo minus habet mentis, hoc inhoneſtis voluptatibus eſt addictius. Amat ocium, & fucorum in morem, quemadmodum ait Heſiodus, virorum laboribus quæſita ſibi inſumit. id quod indicat etiam illud proverbium [illegible]. Et omninò tales permultas habet Gallia. Atqui Hollandia innumeras habet, quæ ſua induſtria viros ocioſos & voluptarios alunt.

Qui domi compluitur.

Τὸν οἴκοθεν βεβρεγμένον οὐδὲ θεὸς οἰκτείρει, id eſt, Qui domi compluitur, hujus ne Deum quidem miſeret: vulgo Græcis jactatum. Senſus eſt, eum modis omnibus ſuo malo videri dignum, qui ſituſque adeò ignavus, ut nec domi ſuæ poſſit à pluvia tutus eſſe. Ejuſdem farinæ cum ſuperiore proverbium, ni me prorſus fallit naſus.

Ne vidit quidem oleum.

Ecloga, cui titulus νομεῖς, ſcatet proverbialibus ſententiis ac figuris quarum de numero primum eſt illud:

Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε;

Id eſt:

Et quando ille oculis, oleum conſpexerat unquam?

Conveniet in eos, qui ſunt artis alicujus prorſus rudes & imperiti, veluti ſi quis profiteatur rem medicam, qui nunquam didicerit quicquam illius artis, venuſte notabitur hoc verſu.

Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε.

Ungebantur enim athletæ, quo membris evaderent durioribus: unde per oleum ſignificant certamen. Quanquam ſcholia declarant, quoſdam hoc ad arborem referre: quod in Olympiacis oleaſtro ſive olea coronari ſolebant.

IUNII. *Ignavi quidvis tentant.*

Πάντα ἀργοὶ τολμῶσι, i. e. Cuncta ignavi audent. Citatur parœmia ab Euſtathio, Odyſſeæ iiij. nam tales nihil non audent, præproperæ atque inconſultæ audaciæ æſtu concitati: qui mox ubi deferbuerit primus ardor, cæteris timidiores evadunt. Eandem ſententiam exprimit ſenarius ille:

Θρασεῖς πρὸς ἔργα εἰσὶν οἱ πολλοὶ κακοί.

Id eſt:

Audax ad opus eſt plerunque ignaviſſimus.

Conſimile illi eſt iſtud comici Epicharmi:

Κακὸς θρασὺς μὲν ἄντα, ἐκεῖ δὲ φεύγει.

Id eſt:

Ignavus initio ferocit, mox fugit.

Poteſt intelligi & de improbis & ſceleratis hominibus, qui flagitiis manifeſtis ſubſidium ab audacia petere ſoleant, ut inquit Corn. Tacitus.

Niobes Archetypum.

Νιόβης ἀρχέτυπον, id eſt, Niobes archetypum: de homine ſtupido & immobili, quem Saxeum etiam dicimus. Lucilius de ſaltatore nihil agilitatis habente:

Ὀρχηστὴς ζῶν Νιόβης ἀρχέτυπον.

Id eſt:

Orcheſtes vivens archetypum Niobes.

Poteſt & dici de taciturno homine & attonito, unde verbum exculpere

ſculpere nequeas: quomodo apud Antiphanem comicum loqui-tur quiſpiam, ſaxeum evadere ſe dictitans, quum audito immani piſcium venalium precio, velut attonitus hiſcere nequiret. Sic e-nim ait: ἰχθύας ἰδὼν αὐτοὺς ἰχθυοπώλας, λίθινος ἐγὼ γίνομαι, id eſt: Quando intueor cetarios, confeſtim evado ſaxeus. Quod alludit ad fabulam de Gorgoneo capite, cujus aſpectus homines in ſaxa convertebat, unde illud Philoſtrati de Perſeo: καὶ τὸ δεῖμα τῆς γοργοῦς, ἔχει λίθοι δὲ τῶν μὴ ἐντυχόντες αὐτοῖς λαοί, λίθοι γίνονται. id eſt: Scpo-ſito Gorgonis terriculamento, ac lapideſcerent hominem, quem expugnare nequeas, & ab opinione concepta depellere, unum Niobes exemplar ſeu archetypum dixeris. De Niobe inſcopulum verſa, multa apud poetas mentio.

Θαλλοφόρος.

Θαλλοφόρος, quaſi ramigerum dicas, proverbialiter dicebatur, teſte Euſtathio in Odyſſ. xvij. homo ad omnia inutilis, niſi qui for-te paſcendo pecori in ſuggerendis ſurculis operam præſtare foret idoneus. Natum à pompa Athenienſium, quam Panathenæa vo-cabant, in qua ſenes emeriti oleaginos termites geſtabant, teſtib' Philochoro & Xenophonte. Meminit & Junius in lib. de ſenectu-te: ἐν τῇ πομπῇ αὐτοὺς ὄντας γέροντας ... ὥς φησι Ξενοφῶν ὁ Φιλό-χορος, θαλλοφόρους. i. e. Lex illos ipſos decernit Minervæ oleaginas virgulas deferre, uti teſtatur Xenophon. hinc eſt quod θαλλοφόρους ipſos ſenes nominat Ariſtophanes, ceu ad obeunda alia munera ineptos. Licebit itaq; civilibus negociis parum idoneum aut aliis quibuscunq; θαλλοφόρον appellare Comico ſale.

In Ialemos adſcribendus.

Εἰς τοὺς ἰαλέμους ἐγγραπτέος, inter Jalemos adſcribendum dici-mus, qui inepte inſulſeq; ſe gerit. Menander comicus.

Ὅτῳ δ' ἐστὶν ... πλέκων ἀφίλει, οἴχεται,
Εἰς τοὺς ἰαλέμους τοῦτον ἐγγράφει.
Audaciam, cui demſeris amans, perit,
Poteſtque is inter Jalemos adſcribier.

Jalemus homo inamœnus, matriq; Calliopæ diſſimillimus fuiſſe perhibetur: nomen fortaſſis adeptus παρὰ τὸ τῷ λόγῳ ἀλᾶσθαι, quod inſulſus in loquendo eſſet, & in loquela aberraret, quaſi ὁ ἐν τῷ ἰα ἀλώμενος. quomodo & κόδαλος, ὡς ὁ ἐν τῷ ... ἀλώμενος ſtolidus fatuusq; homo dicitur. Galenus lib. De prænotione, ἰαλέμους, in-ſulſos medicos vocat. Hermog. rhetor: ... ζητεῖν ... τινὰ ἰάλεμον τινάς. Mirum quantum negocii exhibeat Jalemis iſtis hæc dere ſciſcitantibus. Sunt qui Jalemum eundem eſſe cum Lino putant.

Βλιτομάμμας.

Βλιτομάμμαν fatuum hominem appellat Ariſtophanes in Ne-bulis, à blito inſipido olere: unde & βλίτωνας quaſi bliteos, ſtolidos dici annotat Heſychius. verba Comici ſunt: καὶ σὲ καλοῦσι βλιτο-μάμμαν id eſt: Teq; Blitomammam nominant. Non diſſimiliter Bambalionem cum Cicerone inſulſum hominem & contem-ptum dixeris: de quo ita ille in tertia Philipp. Bambalio quidam pater homo nullo numero, nihil illo contemptius, qui præter hæ-ſitantiam linguæ, ſtuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit.

Extibiatus ſenex.

Παρεξηυλημένος, quaſi extibiatum dicas, vocatur ſenex inutilis rerum adminiſtrationi, teſte Euſtathio Iliados penultimo: nam in codice Romæ excuſo perperā ſcribitur παρεξηυλημένος, metapho-ra ſumpta à linguis tibiarum, longo uſu detritis, ac propterea ine-ptis ad uſum. Euphronius παρεξηυλημένον exponit ingenium ſegne & hebes, cujus vigor præ ſenio retuſus ſit & debilitatus: nam tibiarum lingulas attritas, ἐξηυλῆσθαι dicunt Græci, quum jam e-dendo ſono ineptiores redditæ fuerint. Ariſtophanes:

Οὐδὲν ὄντας, ἀλλὰ κωφοὺς καὶ παρεξηυλημένους.

Id eſt:

Nihili homines, ſed mutos & extibiatos.

Syneſius in Dione: τοῖς ἐξηυλημένοις τὰ ὦτα, παρεμπίπτει ὥς ἠχώ τις πα-ρὰ ... μέλους. id eſt: Quibus extibiatæ ſunt aures, bis obverſa-tur echo quædam, finito etiamnum cantu. Ubi extibiatas autē vocat multa aſſuetudine extritas. Heſychius ἐξηυλημένον interpre-tatur inutile & ineptum, à tibiis quæ diu multumq; per tritæ ἐξηυ-λῆσθαι vocantur, quod edendo concentui aptæ minime ſint. Idem fere annotat Etymol. author.

Bucula.

Βοΐδιον, quaſi bucula, proverbiali ſcommate dicitur à Menandro comico homo fatuus & ignavus, qualem ab ingenii ſimplicitate εὐήθη nominant Græci: cujuſmodi & πρόβατον ab Ariſtophane vo-catur, quaſi οἷον ὡς ἄφρονα, hoc eſt, agnina ſapientia præditus: alioqui ... pecudem ſeu ovem à Caribus vocari, ex Cratere annotat Ety-mologici author.

BRASS. *Ἀπάλαιστροι.*

Apalæſtri proverbio dicuntur incompoſiti, & in aliqua arte pa-rum exercitati homines. Cicero in Oratore perfecto: Itaq; qualis eorum motus quos ἀπαλαίστρους Græci vocant, talis eorum mihi videtur oratio, qui nō claudunt numeris ſententias Id quod Quin-tilian. in ix. attigit. Ruſus Cicero lib. i. De legib. ubi de Antipa-tro loquitur. Habuitque vires agreſtes ille quidem atq; horridas, ſine nitore ac palæſtra. Significat autem Palæſtra, ut Budæus ad-monet, decentiam illam qua ſtatus, motus flexusq; corpor, ac o-mnes omninò habitus venuſtatem quandam leporemque præ ſe ferunt: quam qui non didicerunt, vere dicuntur ἀπάλαιστροι. Ejuſ-dem rei Cicero meminit li. i de Oratore & in Bruto de Demetrio Phalereo, aliter dixit Pindarus in Nemeis, ἀπάλαιστρος ἐν λόγῳ, de eo qui ſit invictæ eloquentiæ.

Fortes in tabula.

Plutarchus in Apophthegm. Laconicis: ἐπεὶ δὲ ἰδὼν τις ἐν γραφῇ ... Quidam cum in tabula pictaLa-cones videret ab Athenienſibus interfici, atq; ob id diceret, fortes equidem Athenienſes ſunt. Lacon forte fortuna incidens ſubje-cit. Et in tabula quidem. fortes autem in tabula ſunt, qui fictitia fortitudine paſſim ſeſe venditant, cæterum cum ad ſerium certa-men perventum eſt, tum non milites, ſed plane mulieres eſſe vi-deas. Docti quidem in tabula ſophiſtæ ſunt, verum ubi eos excuſ-ſeris, quam nihil niſi Antronios aſinos, aut ſi quid iis rudius aut impolitius dici poſſit, invenias.

COGN. Ἀργοῖς ἀεὶ ἑορτή. *Pigris ſemper eſſe. feſtum.*

Olim valde potentes fuere Tarentini. ſed deliciæ eos perdide-runt: quia plures apud eos faſti dies in annum, quam alii celebra-bantur, inſtitutis propter ocium ac delicias continuis feriis: unde & vulgari proverbio fertur: Pigris ſemper eſſe feſtum. Hoc uſus eſt Theocritus in Bucolicis. [alibi apud Eraſm. Chiliad. Ignavis ſemper feriæ]

Terra odium.

Hoc proverbii figuram habet, velut illud: Telluris inutile pon-dus, ſive onus. Plautus in Bacchidibus: Terræ odium ambulat.

Corbita tardiores.

Plautus in Pœnulo proverbiali figura dixit, Tardiores quam corbitæ ſunt, etiam in tranquillo mari. de tardis, pigriſque, & quibus

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

ut Perſ. ſaty i. inquit. Corbita autem genus eſt navigii tardum & grande: dicta à corbe corbita, quod videlicet in ſummo ejus malo veluti corbis pro ſigno ſuſpendatur: ut ſcribit Feſtus. Corbitam ab Hippio Tyrio inventam tradunt, & eandem cum oneraria faciūt. Nam onerarias & Nonius ex oneribus tardas ſcribit, atque ab iis appellatas. Hinc Corbitare Plautus in Caſina per tranſlationem etiam dixit, pro eo quod eſt, ventrem complere, quaſi navigium onerare: Novi, inquit, ego illas ambas eſtrices, corbitant ubi comeſſe poſſunt.

Glire ſomnolentior.

Glires bonam anni partem ſomno cōſumere dicuntur: de quo-rum profundo ſomno, diuturnaque veternoſitate, multa paſſim à Græcis Latiniſq; authoribus memoriæ prodita reperiuntur. Vide Plinium lib. viij. c. lvij Martialis lib. v.

Somniculoſos ille porrigit glires.
Idem lib. xiij.
Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.
Idem:
Dormitis nimium glires, vitulique marini:
Nil mirum, ſi vos craſſa Minerva premit.

Hinc qui oſcitantes agunt, ſtupidi & imperiti, quiq; nihil cum Mi-nerva commune aut ſociale habuerunt, proverbialiter dormire, & glire ſomnolentiores dicuntur. Plato vij. De legibus libr. κα-θεύδων γὰρ οὐδείς, οὐδενὸς ἄξιος. id eſt: Nullus enim dormiens, alicujus eſt rei.

Futilis.

Lactantius lib viij. Thebaid. Futile, inquit, vas eſt quoddam la-to ore, fundo anguſto: quo utebātur in ſacris deæ Veſtæ, quia aqua ad ſacra in terra non ponebatur: quod ſi factum eſſet, piaculum no triſte omen erat. Unde excogitatum eſt vas, quod ſtare nō poſſet; ſed ſi poſitum eſſet, ſtatim fūderetur Unde & homo, commiſſa & tacenda non ſatis fideliter retinens, futilis dicitur: & contra non futilis, bonus conſilii. De hoc vaſe Donatus & Servius: Græcis χυδαῖος, φλύαρος futilis dicitur. Terent. in And. Tam iners, tam nulli conſilii ſum: Ser von' fortunas meas commiſiſſe futili! Idem in Adelphis: Tu quantus quantus es, nil niſi ſapientia es: Ille futi-lis, ſomnium. Apuleius: Levis homo & futilis, ac rumarum plenus. Plinius lib. xxxiij. cap. ij. cauſam futilem vocat, quæ levis eſt, vana, nullius momenti, & inutilis Sic, Cicer. de natura deorum. Futiles commentitiæq; ſententiæ. Idem lib. ij. De nat. deorum: Hæc & dicuntur & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſum-mæque levitatis.

Cedere caſui.

Idem Thucydides lib. vj. uſus eſt proverbialiter, Cedere ca-ſui, vel, ei quod accidiſſet: pro, deſpondere animum propter id q accidiſſet. Hermocrates, inquit, cùm in cæteris rebus pruden-ter agendis nulli ſecundus, tum in bellicis expertus ſtrenuitatis, con-

conſpicuæque fortitudinis, exhortabatur eos, nec ſinebat caſui cedere, & (ut Laurentius Valla vertit) fortunæ ſuccumbere. Congruit huic illud Catoni adſcriptum:

> Cede locum læſus fortunæ, cede potenti.
> Cedere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.

Potentum injuriæ ſunt tacite ferendæ.

Ἀμφίβιοι.

Proverbiali figura dicuntur hodie ἀμφίβιοι, qui ſibi vivunt, nec ullarum ſunt partium, quiq; aliis proverbiis neq; caro ſunt, neque piſcis, neq; intus, neque foris, neque domi, nec militiæ. A Luciano Tireſias etiam ἀμφίβιος dicitur, in Aſtrologia. id eſt, ancipitis ſexus. Ciceroni 2. De natura Deorum ἀμφίβιος dicitur anceps, & in utraq; ſede vivens. Columella lib. viij. cap. xiij. Venio nunc ad eas aves, quas Græci ἀμφίβια vocant: quia non tantum terreſtria, ſed aquatilia deſiderant pabula: nec magis humo, quam ſtagno conſueverunt. Ennius in Iphigenia, Aulo Gellio referente lib. xix. c. x.

> Ocioſo initio animus neſcit quid velit.
> Hoc idem eſt, neq; domi nunc nos, nec militiæ ſumus.
> Imus huc, hinc illuc: quum illuc ventum eſt, ire illinc lubet.
> Incerto errat animus, præterpropter vitam vivitur.

Oſcitat.

Oſcitatio hominis eſt aliud agentis, & præſentibus non contenti, & quæ adſunt faſtidientis, & quæ abſunt deſiderantis. Lucret. lib. iij.

> Oſcitat, extemplo tetigit cum limina villæ.

Ab ore ciendo, id eſt, commovendo dicta, ut docet Donatus in Andriam. Interdum tamẽ naturæ vitium magis quam hominis, unde oſcedo appellatur: ut meminit Gellius lib. iv. cap ult. Et hoc naturale eſſe putat Alexander, ut qui oſcitantem videãt, & ipſi oſcitent: quia natura animantium maximeq; ratione carentium, ſimilitudinum quendam conſenſum, itemq; affectuum habet.

Tempore hybernali, quando exoſſis ſuum pedem rodit.

Verſus ille Heſiodi in lib. ἔργα καὶ ἡμέρ. lib. ij.

> Ἤματι χειμερίῳ, ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει.

Id eſt:

> Tempore hybernali, quando exoſſis ſuum pedem rodit.

qui vulgo de polypo pedem ſuum rodente intelligitur. Proverbialiter dicitur de homine ignavo, & inerti: qui nullo in hyemem æſtate præterita præſidio parato, nullaq; re ad vitam tolerandam proviſa, corpore contracto domi reſidet, frigore rigens, fameque tabeſcens.

Fucus.

Fucus genus inſecti, apis ſimilitudine, ſed majori corpore, quod non mellificat, neque operam aliquam præbet in faciendo opere, & conſumit alimenta, quæ apes congeſſerunt. Unde etiam non invenuſte transfertur ad ignaviſſimos aliquot homines, qui quum nihil egregium per ſe præſtare poſſint, alienis tamen laboribus inſidiantur, falcemq; in meſſem injiciunt, cujus ipſi ſementem non fecerint. Sunt igitur, qui a verbo Græco φαγεῖν deduci putent, quod apum mellificia abſumat. Tales ſunt Paraſiti, & monachi Papiſtæ. Priſcianus citat ex Plauti Lipargo, hoc eſt, paraſito pigro hæc:

> Nil moror mihi fucum, in alveo apibus qui peredit cibum.

Quæ manifeſto dicta ſunt in paraſitum pigrum. Heſiodus:

> Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι, καὶ ἀνέρες, ὅς κεν ἀεργὸς
> Ζώῃ, κηφήνεσσι κοθούροις εἴκελος ὀργήν.
> Οἵ τε μελισσάων κάματον τρύχουσιν ἀεργοὶ
> Ἔσθοντες, &c. ———

Pueri more.

Plato: Tam molliter verò habere ſe, tamque ægre, pueri more divelli, nequaquam prudentiæ præ ſe fert alioris ætatem. Et: Priora illa puerilia videntur, & infantium revera territamenta. Ficinus: Cito triſtis ſenectus ſuperveniens efficit, ne quis optet rurſus in vitam redire, cum præteritas moleſtias cogitet, niſi puerili opinione feratur. Plato in Alcibiade 1. Puerum te iis omnibus in rebus judicabis. In Philebo: Cum puerilia ſint quædam, & facilia cognitu. In Theæteto: Eorum rhetorica penitus evaneſcit, ut nihilo differre a pueris videantur. Ibidem: Metu puerili &: Ne in puerilem loquendi ritum labamur. In Sophiſta: Fabulam nobis tanquam pueris unuſquiſq; narraſſe videtur. In Protagora: Qui cum eo loquitur, nihil a puero differre exiſtimatur. Catullus ad Coloniam:

> Inſulſiſſimus eſt homo, nec ſapit pueri inſtar
> Bimuli, tremula patris dormientis in ulna:
> Talis iſte meus ſtupor, nil videt, nihil audit.
> Ipſe quis ſit, utrum ſit, an non ſit, id quoque neſcit.

Proverbium in ignavos & ſomnolentos. Sacerdos quidam Ægyptius apud Platonem in Timæo, pueros vocat Solonem Græcoſq; quod nullam antiquitatis memoriam, nulla certa & vetuſta monumenta haberent. Atque ipſum non Græcis modo recte congruere poteſt, ſed omnibus etiam viris præclaris: quod quamdiu memoriam ſui contemnant, pueri ſemper, & iidem ſtolidiſſimi, jure optimo judicabuntur. Memoria enim & notitia rerum carentes, rudes, agreſtes, inculti, cæci, muti, infantes deniq;, ac brutis per ſimiles ſunt. Cicero in Oratore ad Brutum, de hiſtoria: Neſcire quid antequam natus ſit, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerũ. Quid enim eſt ætas hominis, niſi cum memoria rerum veterum, cum ſuperiorum ætate contexitur?

Par impar ludunt.

In eodem dialogo de deliberando, quæ inter Platonicos Siſyphus inſcribitur: Mihi quidem, Siſyphe, ſi quid aliud eſt, quam qui is, qui neſciat ea, quorum aliquid facere oporteat, proponit, quaſi vaticinans, & improviſo, temereq; pronuncians, atq; adeò, quicquid ad dicendum occurrit, ad ipſum non aliter accommodans, quam qui par impar ludunt: qui, quum neſciant, parianè ſint, an imparia, quæ manibus comprimuntur, fortuito tamen enunciãt, atque de his vera dicunt. Sic igitur Deliberare, ſæpe id eſſe videtur, quod ii, qui nihil eorum ſciat, de quibus aliquis deliberet, caſu dicit, ſed aſſequitur tamen, ut vera proferat. Plato in Lyſide, vel, de amicitia, de ludis juvenum poſt ſacra: ingreſſi juvenes ſacrificantes invenimus, & ſacra ferme peracta, illos autem comptos, calculis taliſq; ludentes, partim in ipſo veſtibulo foris, partim in gymnaſii angulo, par pari ludebant, calculos è calathis quibuſdã deligentes. In Protagora: Quid porro? ſi in ipſa paris imparisve electione ſalus vitæ conſiſteret, quando quod plus eſt, recte eligi oporteret, &c. Horat. ſat. li. 2. ſatyr. 2.

> Quorſum abeant ſani creta an carbone notandi?
> Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures,
> Ludere par impar, equitare in arundine longa,
> Si quem delectet barbatum: amentia verſet.

Viro forti, fœminæ nocere, indecorum.

Idem: Fœminæ nocere, viro forti indecorum ac turpe eſt: vim ac necem inferri ab illis autem, quibus non ſuccurrere turpiſſimum, parente, filio ac uxore, &c.

Vejentone aſinaque pigriores.

Idem eodem lib. Epigram. xxv.

> Ceſſatis pueri, nihilque noſtis.
> Vejentone aſinaque pigriores.

Vejentonis meminit Juvenalis: ex cujus verbis colligere licet, hunc fuiſſe obeſiorem & pigriorem, & deformiorem.

Veternoſus.

Veternus, morbus eſt ſenib. familiaris, ſomnolentia. Unde Terentius veternoſum dixit, ſenilem eunuchum, ac flaccidum, ſordidum, ſqualentem & torpentem. Habet annus ſervum ſuum. Extremus autumnus reſpondet ſenectæ decrepitæ, ſiccus ac frigidus. Bruma velut fovet in utero fœtum humidum & calidum. Eum ver velut edit, donec adoleſcat. Æſtas virilis eſt ætas anni. In hyeme ſqualent ac torpent omnia: unde & ignava dicitur a poetis, quod tum ceſſent agricolæ.

RHODIGINI. *Lepores mœnibus indormire.*

Conveniet ad coarguendum torporem & deſidiem. Natum à Lyſandro, Corinthios obſidente. videns enim leporem tranſilire foſſam: Non erubeſcitis, inquit, Spartæ eos hoſtes formidare, ad quorum mœnia lepores, formidoloſa animalia, & frequẽtatum locum fugientia, ocioſe dormiunt?

VIRGILII. *Cæcus parietem palpat.*

In negligentes, & qui, quod legunt, non attendunt, ritu cæcorum, qui parietes quidem attingunt, cæterum quales ſint, videre nequeunt. Eſa. 59.

Corvus, ab aquila relictis cadaveribus, veſcitur.

In eos qui ignavi & deſides ex aliorum laborib. famam ſibi aucupantur. De aquila avi rapaciſſima, quæ ad populandum magno tractu ut ſatietur, indiget. Plin. x iii. Ei ergò quod ex raptu in vorandis cadaveribus ſupereſt, imbelles aves, veluti corvus, edunt.

BOVILLI. *Surgentem auſcultare avenam.*

Ruſticum proverbium in deſides & ignavos, qui ſomnolenti, & in herbeſcente agro proſtrati diem deperdunt. Natum ex reſponſione cujuſdam, quo rogatus de ſocio, quid egiſſet: Avenæ, inquit è terra naſcentis motum arrectis auribus captavit, ridicule, cum ſenſim emergant herbæ, & omnem humanum ſenſum fugiant. Quadrabit in eos etiam, qui ad omnem auram, & ſpem, ſæpe ridiculam, aures & animum arrigunt.

GVLIELMI GENTIL

Ἀφωνότερον χάριν.

Hoc eſt, Dicis cauſſa, adagii loco uſurpat Modeſt. in c. 13. de excuſat. tutor. Ac quamvis alii eam Græcam vocem interpretentur eſſe, perfunctorie: attamen Hotomanni rectiori judicio, Dicis gratia, vertendum eſt: idq; ex vi vocis χάριν. Ut ſuſcipiamus interpretationem ſatis præpeditam Latini vocabuli, admonet hic locus, etſi alibi in præcedaneis proverbiis fuſius enarrati, non minus tamen hic commode quam vere. Hotomannus, vir politiſſimus, arbitratur, Dicis, patrium eſſe caſum, à recto dex. ut ſit, dex dicis à dico, item ut judex judicis à judico, & index ab indico, lex à lego.

à lego. Nam ſi juncto verbo judex, authore Varrone, dicitur qui jus dicit: veriſimile eſt, voce ſimplici ſimiliter eum qui dicit, dicem appellatum. Quin cum Varroni manipuli Caſtrenſes dicerentur dices, perſpicuum eſt, dex, fuiſſe ſingularis numeri, ut judex & index. Nunc de locutionis Latinæ ſententia Ioannes Coraſius ait, dicis, cauſſa aliquid fieri, quod neglecte, remiſſe, & eo tantum animo, ut officio functi videamur, non accurate, ſed perfunctorie, quatenus ſatis ſit ad vitandam reprehenſionem. Sic in cap. 1. ad Sylla. Vlpian. ait, non prodeſſe ſeruo, ſi finxit ſe ferre auxilium, aut dicis gratia, hoc eſt, non ex animo, ſed ne officio diceretur defuiſſe, propter dicem, hoc eſt, eum qui aderat ac dicere poterat, ſeruum conatum eſſe ſuum Dominum defendere: hæc ſimulatio ei nihil proderit. Sic & in Caii reſponſo, in cap. 5. commoda. Commodabatur pecunia non animo contrahendi mutuum, licet numerationem factam ſimulaverit qui tradebat, nec eo conſilio, ut qui accipit, uteretur, niſi ad pompam vel oſtentationem, ſed tradidit tantum nummum, ut ſuo munere defunctus videretur; accipientis precibus pervictus, cum alibi tamen numeraretur pecunia, ut fit in noxis & mancipiis, itemque in omnibus adumbratis, ſive imaginariis contractibus, quibus uno nummo emptio perficiebatur, ut in ſuperiori adagio, Nummo addicere. Nummus enim aliam nullam ob cauſam tradebatur, niſi ut qui ei contractui quaſi teſtis ac ſpectator intereſſet, dicere ac teſtari poſſet, pecuniam ſaltē traditam, ut teſtatur Hotoman. Vtitur & Cicero in Verr. 6. At tamen, inquit, ut poſſit ſe dicere emiſſe. Archagato imperat, ut aliquid illis quorum argentum fuerat, nummorum dicis cauſſa daret. Invenit Archagatus paucos qui vellent accipere, his dedit, &c. hoc eſt remiſſe, neglectim, nō ſerio, etſi Forcatulus magno ſtudio conetur legere ſuperioribus locis, Ditis: nō diſſimili à prædictis, interpretatione & ſenſu. Dicis quoque cauſſa ex ſententia fieri quid, teſtatur Plin. lib. 28. c. 2. hoc eſt, non bona fide, nec vere, ſed per ſimulationem quandam: ut & Duarē. Interpretatur hoc alibi Iuriſc. in c. 2. qui per. tut. [illegible]. Hoc eſt, dicis cauſſa: veluti & Gell. lib. 15. cap. 26. Huc confer quod eſt in collectanea ex Turnebo, &c. proverb. dicis cauſſa.

Subroſtrani.

Sic dicebantur olim homines inertes in ocio degētes, qui totos dies ſub roſtris deſidentes, rumores vanos aut venabantur, aut ipſi confingebant. Transferri poteſt ad omnes rerum novarum immodice avidos: quo nomine quidam egregie celebris Lovanii meo tempore, ob penum ſemper æque inſtructam, Calepini nomen promeruit, quod etiam agnomen ſi aliis illi ſimilibus (nuſquam deſunt) hodie tribuerimus, ille quidem hac gloria, nos autem adagione non in eleganti ditabimur. Cælius epiſtola ad Cic. Eodem pertinet, quod ocioſos & à Reip. munerib. vacuos vocarint ἀγάλματα τῆς ἀγορᾶς, ſtatuas fori, tanquam nihilo plus illis in commune conferentes, quam quod ſe publice oſtendant.

Ὀπιπεύειν πολέμοιο γεφύρας;

Arguta, feſtivitate, alluſione & tranſlatione ſcatet illud Hom. Iliad. δ. Agamemnonis ad Diomedem:

Τί πτώσσεις, τί δ' ὀπιπεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Agamemnon ergo inſtruens aciem Argivorum adverſus Trojanos, violati fœderis reos, ſauciato per inſidias Menelao, cum phalanges pleraſque ſuorum luſtraſſet, alios exhortando, alios increpando, quoſdam etiam laudando, utpote paratos, circumiens agmina, cum ad Diomedem veniſſet, his verbis illum objurgavit:

Ὤ μοι, Τυδέος υἱὲ δαΐφρονος ἱπποδάμοιο,
Τί πτώσσεις; τί δ' ὀπιπεύεις πολέμοιο γεφύρας;

Ea quanquam difficilius reddi queant Latine, verti tamen:

Progenies, quam fortis equis, quam fortis in armis,
Produxit Tydeus: nam quis metus urget inertem,
Et belli pontem circumſpectare coegit?

Vſus erit in ignavum, ſibique, ut Terentius ait, poſt principia caventem, qualem hoc loco Diomedem ſuggillat Agamemnō. Nec incommode jicietur in ſophiſtam, veris rationib. impeditum, & concluſum, utque ſeſe extricet & explicet, ad ridiculas elenchorum captiunculas confugientem. Par judicium de hæreticis ſophiſtarū primipilis, vel ſubſidiariis, qui argumentis ſolidis deſtituti, fictis criminibus adverſarios ſuos impetunt: modo dicant, quid dicant, non curantes.

IGNORATIO.

ERASMI. *Nullius coloris.*

Alibi commemoravimus, de modis omnibus ignoto ſolere dici, Albus an ater ſit, neſcio. Huic ſimillimum eſt, quod ait Harpax apud Plautum. Quem Pſeudolum quas tu prædicas fallacias mihi? Quem ego hominem nullius coloris novi. Vehementius eſt, quam ſi dixiſſet, Albus an ater. Et paulo poſt, pro eo quod dici ſolet, Non novi hominem: Neque iſtum inquit, Pſeudolum mortalis qui ſiet, novi neque ſcio. Rurſum in eadem: Qui ſuum repetūt, alienum reddunt nato nemini. Idem in Rudentibus: Dominus huic ne fruſtra ſit niſi ego nemo natus eſt. Rurſus in Muſtellaria: Curabitur, tanquam ſi intus nemo in ædibus habitet: Iterum in eadem: Natus nemo in ædibus fuit.

Iuxta cum ignariſſimis.

Non ſine proverbii ſpecie Simo ſenex apud Plautum in Pſeudolo rogatus à Ballione: Iamne ſcis quæ ſit hæc res? reſpondet: Iuxta cum ignariſſimis, ſentiens ſe nihil omnino ſcire, nihiloque pluſquam hi qui maxime ſunt ignari. Conſimilis forma ſermonis frequens eſt apud veteres, ad perſonam, ut, Tam mihi charus es, quam qui chariſſimus, ad tempus, ut, Pamphilus amabat, ut quum maxime, ad rem: Iſtud officiū tam mihi fuit gratum, quam quod eſt gratiſſimum. Tam odi temulentiam, quam quæ maxime.

In alio mundo.

Ὡς ἐν ἄλλῳ κόσμῳ. id eſt, Tanquam in alio mundo. Schema proverbiale eſt, quo nunc etiam vulgus utitur: de iis qui longe lateque diſſident à moribus aliorum, aut quibus omnia nova videntur, aut qui longe diſſiti ſunt à patria. Plutarch. in Sympoſiacis, τὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων γένος ἔκφυλον ὅλως καὶ ἀλλόκοτον ἡμῖν, ὥσπερ ἐν ἄλλῳ τινὶ κόσμῳ γεγονότων ζώντων. id eſt, At Græcorum genus prorſus alienum ac peregrinum à nobis, velut in alio quopiam mundo natorum ac viventium. Non diſſimili figura dixit Horatius in Odis:

Quid terras alio calentes
Sole mutamus?

Et Macrobius in præfatione Saturnalium: Niſi ſicubi nos ſub alio ortos cœlo, Latinæ linguæ vena non adjuvet. Cum enim ſolum ſit omnibus commune, figuratum ſit neceſſe eſt, ſub alio cœlo naſci. Et te campis Elyſiis apud Virg.

—Solemque ſuum, ſua ſidera norunt.

Suum dixit, tanquam à noſtro diverſum.

Idem Claudianus:

—Sunt altera nobis
Sidera, ſunt orbes alii, lumenque videbis
Purius.———

Rurſum Vergilius in Bucolicis:

Et penitus toto diviſos orbe Britannos.

Solet autem hoc uſuvenire pleriſque mortalibus, ut ſi quando novi hoſpites in regionem longule à ſuo nido diſſitam pervenerint, nihil non horreant, non ſtupeant, non admirentur, perinde quaſi in alium delati orbem.

In alieno foro litigare.

Proverbium reſipit hæc quoque figura, in alieno foro litigare: pro eo quod eſt, in re nova, cuique nondum aſſueveris, verſari. Habent enim diverſa fora diverſas litium formulas, variasq; tractandarum cauſarum rationes: quarum qui rudis ſit, is tanquam hoſpes in peregrina regione multa deſideret neceſſe eſt. Martialis in præfatione libri 12. Accipe ergo rationem, in qua hoc maximū & primum eſt, quod civitatis aures quibus aſſueveram, quæro, & videor mihi in alieno foro litigare.

In tua ipſius harena.

In tua ipſius harena, id eſt, In tua ipſius arte. Sumptum à gladiatoribus, ſolitis in harena digladiari. Neque verò parui referebat horum, nota an ignota dimicarent harena.

Albus an ater ſis, neſcio.

Albus an ater ſis, neſcio. Solet dici de homine vehementer ignoto. Cic. Philippica ſecunda: Me nemo niſi amicus fecit hæredem, ut cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam dolor jungeretur. Te is, quem nunquam vidiſti, L. Rubrius Caſſinas fecit hæredem. Et quidem vide quam te amarit is, qui albus, aterve fueris ignorans, fratris filium præterit. Quintilianus in 11. Oratoriarum inſtitutionum lib. Negat, inquit, ſe magnifacere aliquis poetarum, utrum Cæſar ſit albus, an ater homo. Catullum, opinor, digito indicans, cujus in Cæſarem hoc extat carmen:

Nil nimium ſtudeo Cæſar tibi velle placere,
Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo.

Apuleius in Apologiæ Magiæ: Etiam libenter nuper usque, albus an ater eſſes, ignorabam: adhuc hercle non ſatis novi. Divus Hieronymus adverſus Helvidium: Quis te, oro, ante hanc blaſphemiam noverat? Quis dupondio ſupputabat? Conſecutus es, quod volebas. Nobilis es factus in ſcelere. Ego ipſe, qui contra te ſcribo, cum in eadem urbe tecum conſiſtam, qua balbutis & erubeſcis, albus, ut ajunt, an ater ſis, neſcio. Horatius in extrema epiſtola:

—Vultu mutabilis, albus & ater.

Quo loco Porphyrion admonet proverbiali figura dictum, albus & ater: pro eo quod eſt, bonus & malus: & Horatium album, aut ad liberalem, aut lætum reddidiſſe: atrum, ad ſordidum & ærumnoſum. Huc feſtiviter alluſit Matron apud Athenæum lib. 4. de ſepia loquens.

Ἡ μόνη ἰχθὺς ἐοῦσα, τὸ λευκὸν καὶ μέλαν οἶδε.

Id eſt:

Quæ quum ſit piſcis, ſola album novit & atrum.

Eſt enim ſepia colore albo, ſed ſuccum habet atrum, quem ſpargit in metu ne prehendatur.

Non novit natos.

Similima huic figura eſt, Natum non novi: pro eo quod eſt, prorſus ac modis omnibus ignoro. M. Tullius libro familiarium epiſtolarum 9 ad Papyrium, Nam mihi ſcio jam à regibus ultimis allatas eſſe literas, quibus mihi gratias agunt, quod ſe mea ſententia Reges appellaverim: quos ego non modo Reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. Similimum eſt illi, quod

eſt apud Ariſtophanem in Veſpis, ὃς ἐμ' οὐδ' ἀλλᾶντ' ᾔδει. i. Qui me ne ulyum quidem noviſſet. i. nullam omninò mei rationem habuiſſet.

Item Theocritus in Pharmaceutria:

Οὐδ' ἔγνω πότερον τεθνάκαμες ἢ ζοοὶ εἰμές.

Id eſt:

Non etenim illud utrum ſim viva, an mortua novit.

In eandem ſententiam uſurpavit Plautus in Euclione: Non magis reſpicias quam ſi natus nunquam ſiem.

Ne pictum quidem vidit.

Quemadmodum de vehementer ignoto dicimus, Ne natum quidem novi: ſic dicimus. Ne pictum quidem vidit. Multas enim urbes & res, atque etiam homines, nunquã nobis conſpectas, ex pictura utcunque novimus. M. Tull. libro de finibus bonorum ultimo: Dicis eadem omnia & bona mala, quæ quidem dicunt, qui nunquam Philoſophum pictum, ut dicitur, viderunt. Plautus in Aſinaria: Nam neque unquam fictum, aut pictum, neque ſcriptum in poematis, ubi lena bene agat. Venuſtius etiam fiet, ſi longius transferatur: Rhetoricam ne pictam quidem vidit, Virtutem ne pictam quidem. Nam pinguntur hæc quoque.

Nomine tantum notus.

Huic ſimilimum eſt illud Horatianum in Sermonibus:

Accurrit quidam notus mihi nomine tantum.

Nam hoc quoque proverbio vulgus tenuem quandam ac vulgarem noticiam ſignificat. Atque id etiam plus habebit veneris, ſi ad res animi traducatur: ut ſi quis dicat, philoſophiam alicui vix etiam nomine cognitam.

Late vivens.

Λάθε βιώσας, id eſt, Late vivens. Admonet adagium, in humili fortuna vitam eſſe feliciorem iis qui obſcure vivunt, & à publicis negociis ita remoti, ut cũ vita deceſſiſſent, nemo illo vixiſſe ſenſerit. Nam λάθε βιώσας, ad verbum commode non poteſt reddi, verum hanc habet ſententiam, quaſi dicas: Nemo te ſentiat in vita fuiſſe. De hoc adagio rectè dictum ſit, necne, Plutarchus commentarium conſcripſit, ſi modo non fallit inſcriptio. Nam cum verteremus, phraſis ipſa nonnihil reclamare titulo videbatur. Alluſit ad id Horatius.

Nec vixit male, qui natus morienſque fefellit.

id eſt, quem nemo ſenſit, nec prodeuntem in hanc vitam, nec excedentem è vita. Alluſit huc, ni fallor, Ovidius in libris *Triſtium*:

Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra

Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Recenſetur apud Suidam proverbii nomine.

Accepta candela.

Diphilus apud Athenæum lib. 15. in fabula cui titulus *ἄπληστος*, ἅψας ... λύχνον λυχνοῦχον ἐζητοῦμεν. i. Arrepta candela, candelabrum quærebamus, quum res improvide geritur: oportuit enim candelabrum eſſe paratum, antequam candelam attingeres.

COGNATI. *Nemo natum novit.*

Hoc utimur, obſcuritatem alicujus indicantes, Seneca in Ludo de morte Cl. Cæſaris, Horam ejus nemo novit: nemo enim illum unquam natum putavit. Cicero ſe quoſdam Reges natos neſciiſſe dixit; pro eo quod eſt, prorſus ignorare. Hybrida dicitur ignobiliter natus à Latinis. Vide apud Eraſmum: Non novit natos.

Neſcio.

Hoc verbo Neſcio, proverbialiter ab indoctis ſolvitur omnis quæſtio. Cic. 1. De Orat. Nemo in eo quod neſciat, diſertus eſſe poteſt. Vſu tamẽ aliquantum diverſo Socrates ſe nihil ſcire profitebatur, de omnibus rebus dubitabat, & nullam iis de quibus diſſerendo affirmationem adhibebat, dicit habere ſe ſolitum ἐλεγκτικὸν λόγον, tanquam καθαρτικὸν φάρμακον. Vnde vulgatũ eſt argumentum in eos, qui ſe & alios nihil ſcire dicunt, aut enim id ſciunt, aut neſciũt, ſi ſciunt, ergo aliquid ſciũt; ſi neſciũt, audiẽdi nõ ſunt. Ad quam cavillationem excludendam dixit Socrates; Hoc tantũ ſcio, quod nihil ſcio. Lucianus ἐν βίων πράσει introducit, & quidem facetiſſime, ſuo more, Scepticum philoſophum, ſe nihil noſſe, & μηδὲν ἀκριβὲς μετ' ἐμοῦ profitentem. Nulli enim rei incertæ & controverſæ aſſentitur Pyrrhonijus. Imò vero tum quidem dogmata ſtatuit, cum voces ſcepticæ inſtitutionis pronunciat: nimirum vel hanc, οὐδὲν ὁρίζω. i. Nihil definio; aut illam, οὐδὲν μᾶλλον, id eſt, Nihilo magis.

Sic illum fata trahebant.

Quando cauſam rei aſſignare neſcimus, hoc Ovidii hemiſtichium ex Metamorph. 1. lib. 3. de Actæone referre ſolemus:

——Sic illum fata trahebant, &c.

Sic viſum ſuperis.———

Ioannes Secundus in dialogo Neptuni & Polyphemi, ex Homero & Luciano, Polyphemus;

Ipſe ego, ſeu demens, ſeu ſic mea fata volebant.

Neſcire præſtat.

Etiam neſcire quædam, inter virtutes reponi ſolet, ut vulgo dicitur. Adde, quod neſcire facienda (ut ait Vegetius) tutiſſimum in expeditionibus creditur. Horat. lib. 4. Carmin. Od. 4.

---Quærere diſtuli:

Nec ſcire fas eſt omnia.

Id eſt:

Nec ſcire licet omnia. Idem Horat. Ode 11. lib. 1. fas pro eo quod ὅσιον dicunt Græci, uſurpavit:

Tune quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi

Finem Dii dederint.--

Iisdem Tibullus Eleg. 9. lib. 1. Seneca lib. De clementia 2. cap. 1. Neroni ſcribens: Animadverſurus, inquit, in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius, & tibi principi notus, exigebat à te ſcriberes in quos, & ex qua cauſſa animadverti velles. Hoc ſæpe dilatum, ut aliquando fieret, inſtabat. Invitus invito cum chartam protuliſſet, traderetque, exclamaſti. Vellem neſcirem literas. O dignam vocem, &c.

Multa novit, ſed male novit omnia.

Homerus de eodem Margite, Platone in Alcibiade 2. vel de voto referente:

Multa quidem noverat, ſed male noverat omnia.

Illi certe, inquit Socrates, convenire ac penitus quadrare videtur hoc Homeri carmen, qui multis ac variis artibus & ſcientiis ornatus eſt, ſit autem expers iſtius ſcientiæ, ductus à ſingulis aliis, nonne meritò multa tempeſtate jactabitur? quippe cum abſque gubernatore oberret in pelago, brevi tempore periturus? Sic per ænigmata, & hic & cæteri ferme omnes poetæ loquuntur. Eſt enim ipſa natura univerſa poeſis ænigmatum plena, nec quivis eam dignoſcit. Ad hanc illius naturam accedit, quod quando inſit in homine invido, nolente ſua ſenſa cæteris hominibus revelare, mirũ eſt quam difficile cognitu ſit: quod poeta ſenſerit. Neque enim Homerum diviniſſimum ſapientiſſimumque poetam ignoraſſe putes, quod ſcire male impoſſibile ſit. Ipſe enim eſt qui inquit, Margitem multa quidem ſcire, male autem ſcire omnia. Sed ænigmate ſenſum occultat, ut arbitror, male pro *malum* ponens; ſcit autem, pro ſcire, unde compoſitio quædam extra carminis menſuram conficitur. Quod verò ſentit, hoc eſt, Multa quidem ſcivit, ſed malum ſibi fuit hæc omnia ſcire. Patet igitur, quod ſi erat illi malum multa ſcire, ipſe quoque malus erat, ſi qua fides ſupradictis ſermonibus adhibenda eſt. Hactenus Socrates. Huic Homerico verſui non diſſimile eſt illud quod vulgò hodie jactatur: De omnibus aliquid, & de omnibus nihil illud quoque: Bene conſulit, ſed male facit.

Albus an ater.

Author dialogi de divitiis, qui Eryxias inſcriptus eſt, & inter Platonicos habetur; Verum acquirere divitias nigrum ſit an album, leve an grave, malum an bonum. Honeſtis quidem viris & bonis, hiſque qui ubi nummis uti oporteat, ſciunt, bonum: improbis verò, & his qui neſciunt uti, malum. Sic res aliæ etiam ſe habent. Quales enim ſunt qui utuntur, tales etiam res ipſis ſint neceſſe eſt: Vide Syllogen noſtram, & hæc adde. Horatius in extrema epiſtola:

Vultu mutabilis albus & ater.

Pro eo quod eſt, bonus & malus. Plautus in Pſeudolo: Quem ego hominem nulli coloris novi. Ejuſdemque ſententiæ eſt Ciceronis Ironia in 13. Philipp. Magnum crimen ſenatus de Theopompo ſummo homine, neglecimus, qui ubi terrarum ſit, quid agat, vivat, denique an mortuus ſit, quis aut ſit, aut curet. Quintil. X. diſſimulato Catulli nomine: Negat, inquit, aliquis poetarum, utrum Cæſar ater, an albus homo ſit: inſania. Verte, ut de illo dixerit, Arrogantia eſt.

In turpiſſima inſcitia verſaris.

Ibidem: In turpiſſima namque inſcitia, optime vir, verſaris: id quod ipſe oratione tua ſatis declaras, qui prius te ad civilia confers, quam ſis gubernandi peritus. Neque te ſolum morbus hic tenuit, verumetiam omnes, qui hanc Rempub. adminiſtraturi. In Philebo: Sic tandem ſermo noſter tanquam fabula evaneſceret, nos autem ruditate quadam deſſueremur.

Indocto nihil iniquius.

Ignorantia potẽtum robuſtorumque hominum hoſtilis atque teterrima res eſt, inquit Soc. apud Plat. in Philebo, hæc enim proximis omnibus noxia. Malum quidem ignorantia eſt, & (ut nunc loquimur) ſtoliditas quædam. Plato in Philebo. Vide in noſtra Sylloge: Quæ ignoramus, aſpernuntur. Nunc tantus eſt literarum doctorumque contemptus, ut quoſdam audierim aliquando aſſerentes, nunquam ſe liberos ſuos ad ſtudia miſſuros, quod iis eſſet nihil ſcire utilius. His nihil gravius imprecor, quam ut una cum opibus ſuis ſepeliantur, obliti, neglecti, contempti, ejuſdem conditionis denique cum infimis & obſcuris hominibus.

Cæcutio.

Alioqui (quod dici ſolet) cæcutio, Et: Lyncei etiam cæcutiunt, ut quidam inquit.

IMPOSSIBILIA.

ERASMI. *Prius lupus ovem ducat uxorem.*

Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ,

Πρὶν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ;

Id eſt:

Ante lupus ſibi junget ovem.

De his inter quos inſanabile diſſidium. Conſimili figura dixit Horatius:

--- Sed prius Apulis:
Iungentur capreæ lupis.

Plautus in Pſeudolo: Vt mavelis lupus apud oves linquere, quam hos domi cuſtodes. Ad rem relatum erit lepidius: quod genus ſi dicas, non cohærere pecuniæ ſtudium, cum ſtudio literario: adque eam ſententiam accommodes proverbium.

Prius duo echini amicitiam ineant.

Πρὶν δ' ἂν δύο ἐχῖνοι εἰς φιλίαν ἔλθοιεν, ὁ μὲν ἐκ πελάγους, ὁ δ' ἐκ χέρσου: id eſt, Prius echini duo inierint amicitiam, alter è mari, alter è terra. De iis qui moribus ac ſtudiis ſunt inter ſe diſcrepantiores, quam ut ſpes ſit aliquando inter eos neceſſitudinem coituram. Venuſtius erit ad rem deflexum. Male conveniet Theologorum ſpinis cum bonis literis citius echino marino cum terreſtri conveniret. Nam eſt echinus marinus, de quo multa Plinius & Ariſtoteles. Eſt & terreſtris, quem alio nomine vocant erinaceum: illud commune, quod uterque ſpinoſus eſt, unde & vocabulum inditum. Refertur à Suida.

Prius locuſta bovem pariet.

Prius locuſta bovem pariet, περὶ τοῦ ἀδυνάτου. M. Varro De lingua Latina libro tertio, refert ex Ennio verſum hunc.

Atque prius pariet locuſta lucam bovem.--

Nam lucas antiqui boves appellabant elephantos; quod in Lucania primum à Rom. viſi ſint:

Mare prius vitem tulerit.

Τὸ πέλαγος πρότερον οἴσει ἄμπελον, id eſt, Mare prius vitem feret. De iis quæ nullo pacto fieri poſſint, nam ſalſitudo vitibus inimiciſſima. Hinc opinor Homerus & Heſiodus itidem pontum vocant ἀτρύγετον, quod illic nulla colligatur vindemia. Salſa terra ferre ſterilis eſt frugibus, ſed vitibus inimiciſſima. Refertur apud Diogenianum.

Prius teſtudo leporem præverterit.

Πρότερον χελώνη παραδραμεῖται δασύποδα, id eſt, prius teſtudo leporem curſu prævenerit. De re neutiquam veriſimili. Teſtudine nihil tardius. Vnde & teſtudineum inceſſum dicimus: & apud Ciceronem in libris De divinatione quiſpiam teſtudinem, tardigradum, & domiportam vocat. Lepus autem celeritate præcellit. Meminit hujus adagii Diogenianus. Hujus generis ſunt illa apud Theocritum in Thyrſide:

Νῦν ἴα μὲν φορέοιτε βάτοι, φορέοιτε δ' ἄκανθαι;
Ἁ δὲ καλὰ νάρκισσος ἐπ' ἀρκεύθοισι κομάσαι.
Πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι;
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει. Καὶ τὼς κύνας ὥλαφος ἕλκοι
Κἠξ ὀρέων τοὶ σκῶπες ἀηδόσι γαρύσαιντο.

Id eſt:

Nunc violas proferre rubi, producite ſpinæ,
Iuniperuſque comet narciſſi flore decenti:
Omnia vertantur: portet pyra mitia pinus;
Poſtquam obiit Daphnis trahat & jam cerva moloſſos;
Montibus in ſummis philomenæ noctua canret.

Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes.

Proverbialis allegoria, qua quippiam præpoſtere fieri ſignificamus, legitimasq; rerum vices inverti: quod genus ſit, ſi puer ſenem admoneat, diſcipulus præceptorem docere conetur, ſervus imperare domino. Sumptum eſt adagium ex Euripidis Medea:

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί,
Καὶ δίκα, καὶ πάντα πάλιν στρέφεται.
Ἀνδράσι μὲν δόλιαι βουλαί, θεῶν δ'
Οὐκέτι πίστις ἄραρε.

Quibus verbis chorus indicat, priſtinum rerum ordinem inverti; viros jam dolis muliebribus uti, neque manere promiſſis: contra mulieres audere virilia. Vſurpat hanc parœmiam Lucianus in Terpſione, ubi hæredipeta deluſus Plutonem incuſat, quod ipſe juvenis adhuc morte præreptus eſſet, ſuperſtite ſene quem captarat: idque contra naturalem ordinem: ἄνω γὰρ ποταμῶν τὸ πρᾶγμα, inquit. Rurſus idem in Apologia libelli, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων: πολλὴ γοῦν ἡ διαφωνία τοῦ νῦν βίου πρὸς τὸ σύγγραμμα, καὶ τὸ ἄνω τοῦ ποταμοῦ χωρεῖν, καὶ ἀναστρέφεσθαι τὰ πάντα, καὶ παλινῳδεῖν πρὸς τὸ χεῖρον τοῦ ἀρέσκοντος, id eſt, Longe, inquit, lateque à ſcriptis tua nunc diſſidet vita! Iamque illud quod ajunt, accideret, ut ſurſum verſus incedant numina, cunctaque pariter inverterentur, ac in deterius recantarentur. Vſurpat & Diogenes Laertius in vita Diogenis Cynici, narrans quemadmodum Diogenes, ubi perinde quaſi dominus eſſet, non ſervus, hero ſuo mandaret, ut quod erat juſſus, faceret: atque ille proverbio reſpondiſſet, ἄνω ποταμῶν ἱερῶν: Atqui ſi medicum, inquit ægrotus, eſſes ære tuo mercatus, utrum illi monenti pareres, an iſtum ad modum reſponderes, ἄνω ποταμῶν, Vſurpat & Ariſtot. in Meteorologicis. Eodem alluſit Verg. in Æneid. cum ait:

Amnis & Adriacas retro fugit Aufidus undas.

Vbi Servius admonet, ſubeſſe proverbium de re neque veriſimili, neque conſiſtente. Flaccus in Odis ſic extulit.

--- Quis neget arduis
Pronos relabi poſſe rivos
Montibus & Tyberim reverti:
Cum tu coemptos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum.
Mutare loricis Iberis
Pollicitus meliora, tendis?

Vbi proverbium annotavit Porphyrion.

Item Ovidius in Heroidum epiſtolis:

Cum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Xanthe retro propera, verſæque recurrite lymphæ:
Suſtinet Oenonem deſeruiſſe Paris.

Item Propertius:

Fluminaque ad caput incipiant revocare liquores.

Citius in navi cadens à ligno excideret.

Θᾶττον ἄν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου, id eſt, citius alicui in navigio cadenti lignum defuerit. Hyperbole proverbialis, qua tantam ubique copiam ſignificamus, ut quocunque te vertas, occurrat quod quæris. Etenim cum navis ipſa undique ſit lignea, nō poteſt nō in lignū incidere, quiſquis in ea cadit. Lucianus in bis accuſato: ὡς τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν θᾶττον ἄν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου, ἢ ἔνθ' ἂν ἀπίδῃ ὁ ὀφθαλμὸς ἀπορήσει φιλοσόφου. id eſt. Itaque juxta proverbium citius fiet, ut in navi lapſus, non incidat in lignum, quam ut quocunque aſpexerit oculus, Philoſophum deſideret. Taxat Lucianus Philoſophorum turbam tantam, ut omnia ubique plena videantur, nec liceat effugere.

Fontes ipſi ſitiunt.

Fontes ipſi ſitiunt: Ironia proverbialis in eos qui petunt ab aliis quod ipſis affatim abundet domi. Cicero ad Q. fratrem: Tibi quod rogas, quoniam ipſi fontes jam ſitiunt, ſi quid habeo ſpacii, ſcribam. Significat fratrem magis abundare verſibus, quos tamen à ſe petat, perinde quaſi carminum indigens. Item ad Atticum lib. 12. Non ad δι' ἀπορίαν χρημάτων, ſed ad πορίαν cum veniſſe, ut ſcribis, in tantis præſertim anguſtiis

Aquilam teſtudo vincit.

Ab hoc non diſcrepat illud quod refert Diogenes Laertius in vita Menedemi Philoſophi, ex Achæi poetæ ſatyra, cui titulus Omphale:

Ἡλίσκετ' ἆρα καὶ πρὸς ἀσθενῶν ταχύς,
Καὶ πρὸς χελώνης αἰετὸς ἐν βραχεῖ χρόνῳ.

Id eſt:

Capta eſt profecto celer ab imbecillibus,
Et aquila tempore in brevi à teſtudine.

Hos ſenarios ait uſurpare ſolitum Menedemum in eos qui ſecum in civilibus honoribus contenderent. Accipi poteſt per ironiam, aut ſimpliciter, ubi quis potentiorem arte vincit, & quod viribus non poteſt, aſſiduitate conficit.

Terra volat.

Ἡ γῆ πέταται, id eſt, Terra volat. De re vehementer abſona; quæque nullo pacto fieri queat. Suidas hoc adfert exemplum, τοῦ ἀδυνάτου. Iulianus in epiſtola quadam proverbii nomine refert, mutato verbo, κούφη ἡ γῆ καθάπερ ὁ λόγος, i. levis terra, quemadmodum dicitur. Adagium hoc ad illorum affinitatem pertinet quæ retulimus alibi: Ζεὺς ἄπαις, id eſt, Iupiter orbus: Et:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri.

Citius elephantum ſub ala celes.

Lucianus in indoctum: θᾶττον ἂν πέντε ἐλέφαντας ὑπὸ μάλης κρύψειας ἢ ἕνα κίναιδον. i. Citius quinque elephantos ſub ala tegas, quam unum cinædum. De iis qui diſſimulari nullo pacto poſſunt, quin notis aliquib. prodāt animi morbum. Eſt autem figura proverbialis in hyperbole: cui cognatum illud apud M. Tullium ex Ennio, lib. De Oratore 2. Flammam à ſapiente facilius in ore ardente opprimi, quam ut bona dicta teneat.

Capram portare non poſſum, & imponitis bovem.

Plutar. in commentario, cui titulus, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, καὶ τὸ τῆς παροιμίας ἐπιγελοῖν.

Οὐ δύναμαι τὴν αἶγα φέρειν, ἐπιτίθετέ μοι βοῦν.

Id eſt:

Tauro oneratis, cum nequeam portare capellam.

Vbi quis quod levius eſt, recuſat: & quod multo ſit intolerabilius, imponi ſibi poſtulat. Veluti ſi quis impatientia paupertatis (nam ad id accommodat Plutarchus) uſuris involuat ſeſe, quod onus vix diutius ſit tolerabile.

Ab Aſino lanam.

Cui finitimum eſt & illud, ὄνου πόκας ζητεῖς; id eſt, Aſini lanā quæris. De iis qui ſtulte quærunt ea quæ nuſquam ſunt. Effertur adagium etiam ad hunc modum: ὄνου πόκαι. i. Aſini lanæ. Ariſtophanes:

Τὸ εἰς τὸ Λήθης πεδίον ἢ εἰς ὄνου πόκας.

Id eſt:

Ideſt:

Aſini quis ad lanas? quis in Lethes ſolum?

Per aſini lanam, res vanas ſignificans, & quæ nuſquam ſunt. Trimeter Græcis conſtat, ſi tollas alterum τῆς.

Simul ſorbere & flare, difficile.

Tranio ſervus apud Plautum in Moſtellaria, objurgatus eſt ab hero, quod non maturius rediſſet: cum ille ſe alibi forte diceret, nec ſimul apud herũ ſuũ eſſe potuiſſe, & illud quod juſſus fuerat, peragere: Si voles, inquit, verbum hoc cogitare, ſimul flare ſorbereque, haud factu facile eſt. Commode utemur hoc adagio, ſi quando ſignificabimus, negocia quæpiam id genus eſſe, ut pariter ab iiſdem tractari non queant. Veluti ſi quis conetur ſimul & literis & voluptatibus vacare: ſimul amicis & parſimoniæ indulgere: ſimul uxori ſtudiiſque ſatisfacere: ſimul & poeticis & theologicis ſtudiis operam dare: ſimul & mundo ſervire & Chriſto. Quemadmodum fieri non poteſt, ut quis eodem in tempore, ſorbeat, hauſto ſpiritu, & flet emiſſo halitu. Affine videtur huic adagio dictum illud Evangelicum: Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: nemo poteſt Deo ſervire & Mammonæ. Item illud Phocionis ad Antipatrum: [illegible], id eſt, Non potes me ſimul & adulatore uti, & amico. Ad hæc ſenarius ille, qui falſo Senecæ inſcribitur:

Amare & ſapere, vix Deo conceditur:

Quodque ait Terentium imitatus:

---Nihilo plus explicet, ac ſi

Inſanire paret certa ratione, modoque.

M. Tullius Philippica 11. Duas tamen res magnas præſertim, non modo agere uno tempore, ſed ne cogitando quidem explicare quiſquam poteſt.

Sine pennis volare, haud facile eſt.

Manet etiam hodiernis temporibus vulgo celebre, quod eſt in Pœnulo Plautina: Sine pennis volare haud facile eſt. Idem in Aſinaria: De Faudem te ego? Age ſis, ſine pennis vola. Locum habet, cum deeſſe ſignificamus adminicula, ſine quibus negotium peragi non poſſit. Repetitur apud idoneos authores, Accidere alas pro eo quod eſt, adimere materiam, facultatemque conandi quippiam. Et: Addere alas. Horatius ſimili forma dixit, Decidere pennas.

Unde ſimul primum me dimiſere Philippi,

Deciſis humilem pennis.

Et Cic. ad Attic. lib. 4 Qui mihi pennas inciderant, nolunt eaſdẽ renaſci. Idem in Academicis dixit, Incidere nervos: pro, adimere vires. Cognatum eſt illi quod alibi retulimus, εἰς πῦρ ξαίνειν, id eſt, Ignem dividere. Quod pro impoſſibili retulit Plato lib. De legib. [illegible] id eſt, Ve propemodum legum conditor faciat, quod ſolent qui ludunt, in ignẽ impingentes ictum: hoc eſt, inaniter laboret: quod ignis mox in ſe coeat. Ejus generis eſt illud apud Platonem in Eryxia, [illegible], id eſt, Ubi cognoviſſem tale eſſe hominis ingenium, ut illi ſuadere nihil aliud fuerit quam lapidem decoquere. Hæc fateor aliis locis tempeſtivius potuiſſe dici: ſed non omnia locis omnibus occurrunt.

Impoſſibilia captas.

[illegible], id eſt, Quæ fieri non poſſunt, venaris. In eum, qui molitur, quod efficere non queat. Sumptum ab aucupio ſeu venatu prædarum, quas conſequendi non ſit facultas. Quod quidem inter adagiones non recenſuiſſem in collectaneis Græcorum. Nam præter Metaphoram [illegible], nihil ſapit proverbii, Cæterum præceptum eſt haud inutile. Siquidem ſi recte præcipiunt Græci non eſſe tentandum de quo dubites: multo minus quod certum ſit, te non aſſecuturum. Veluti ſi quis animi tranquillitatem opibus, aut voluptatibus iſtis vulgaribus ſibi comparare conetur, aut veram eruditionem citra linguarum cognitionem, hic [illegible] Pindarus in Nemeis: [illegible], id eſt, Inanis ſpei ſterilis exitus. Idem in Pythiis hymno tertio:

[illegible]

Id eſt:

Oportet autem apud ſeſe ſemper cujuſque rei

Videre modum, --

Interpres indicat hunc eſſe ſenſum, ne quis tentet majora ſuis viribus. Commemoratur inter Chilonis apophthegmata, non eſſe tentandum quod efficere non poſſis. Quædam enim conſilia magnifica ſunt, ſed ob hoc ipſum inutilia, quod [illegible].

Scarabeus citius faciet mel.

Ad τῶν ἀδυνάτων claſſem pertinent, quæ referuntur in Epigramate Palladæ: Citius mel faciet ſcarabeus, aut lac culex:

[illegible]

Id eſt:

Mel citius faciet ſcarabeus, & ante culex lac.

Statuam faucibus colas.

[illegible], id eſt, Statuam colas gutture. De re majorem in modum abſurda, quæque fieri nullo pacto poſſit: vel uti ſi quis hominem præpotentem & invictum fruſtra conetur opprimere: nec enim liqueſcit ſtatua.

Nunquam efficies ut recte ingrediantur cancri.

Ariſtophanes in Pace:

[illegible]

[illegible]

Id eſt:

Ambulet ut cancer recta, haud effeceris unquam,

Nec quicquam efficies, ubi res erit ante peracta.

Hoc velut oraculum poeta facetus pronunciat, quod a natura inſitum, nullo corriges negocio. Nam cancris peculiare, oblique ingredi. In quorum altero carmine tangit adagium, quod ſuperius dictum eſt: Actum ne agas.

Sambucam citius.

Adagii ſpeciem præ ſe gerit Perſianum illud carmen:

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

Cujus uſus incidet, ſi quando ſignificabimus aliquem à diſciplina percipienda, ſive munere gerendo omnis alienum eſſe. Siquidem ſambuca organum eſt muſicorum, quod haudquaquam congruat caloni. Quanquam Athenæus lib. 14. indicat & bellicum inſtrumentum dici ſambucam, quod machinæ in morem admovebatur hoſtium mœnibus. Calones autem vocantur militum miniſtri qui vallos ac ligna geſtitant. Unde & nomen inditum autumant Grammatici. Porro cum milites ſint imperiti muſices, multo magis calones. Quanquam poteſt non abſurde accipi de ſambuca militari machina, quæ inſtar organi muſici, chordis quibuſdam intenditur. Ad hanc intendendam haudquaquam idonei ſunt calones, utpote ſtolidi, & ob id ipſum ad infima miniſteria recepti, quod diſciplinæ militaris proſſus rudes ſint. Et addo altum. Unde Perſius, & cuſtodiam addit alto: propterea quod homines prælongi etiam proverbio vecordiæ notantur, [illegible].

Lenticulam angulo tenes.

[illegible], id eſt, Lentem angulo tenes. De negotio quod fieri nullo pacto queat, propterea quod hoc leguminis genus angulis careat. Refertur a Suida ne quis, [illegible].

Ex harena funiculum nectis.

[illegible], id eſt, Ex harena funiculum nectere. Eſt fruſtra conari, quod nulla ratione poteſt effici. Quid enim ſtultius, quam ex harena, quæ nullo ingenio cohæreſcit, funem velle nectere? Proverbium utrumque nempe tum hoc, tum quod proxime retulimus, uſurpat Ariſtides in communi defenſione quatuor Oratorum: [illegible] id eſt: Verum abdentes ſeſe in receſſus quoſdam, illic admirandam illam comminiſcuntur ſapientiam, umbra quadam attrahentes verba, quemadmodum abs te dictum eſt Sophocles, anthericum metentes, ex harena nectentes funiculum, & haud ſcio quam retexentes telam. Significat his adagiis, umbratilum illud Philoſophorum ſtudium nihil omnino frugis adferre. Columel. in Præfatione carminis De cultura hortorum: Nam etſi multa ſunt ejus quaſi membra, de quibus aliquid dicturus eſſem: tamen eadem tam exigua ſunt, ut, quod ajunt Græci, ex incomprehenſibili parvitate harenæ funis effici non poſſit. Proverbium peculiariter accommodabitur ad uſus hujuſmodi, ſi quis conetur in concordiam redigere, moribus longe diſſimillimos, & inter quos nihil omnino convenit: aut ſi quis orationem ex argumentis diſſonis contexat, quaſi Chimæram quandam fingens, & hujuſmodi monſtrum, cujuſmodi deſcribit Horatius: Humano capite, equina cervice, reliquis item membris ex variis animantium generibus ita collocatis,

-- Ut turpiter atrum

Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſuperne.

Aſini cauda.

[illegible], id eſt, Aſini cauda non facit cribrum: ubi quis ad hoc aut illud dicitur inutilis. Cribrum è pilis equinis fieri conſuevit, non è villis aſininæ caudæ. Suſpicor hoc ex hujus ætatis fæce ſumptum ab Apoſtolio.

Veſte circumfers ignem.

[illegible], id eſt, Veſte circumfers ignem: ubi quid ridicule fit. Aut ubi quis ſuum ipſius malum fovet, veluti ſcortum, aut adulterum, aut fictum amicum.

Augiæ ſtabulum repurgare.

[illegible] id eſt, Augiæ bubile. Allegoria proverbialis in hominem, aut in rem majorẽ in modum inquinatam. Lucianus in Pſeudomante: [illegible] id eſt, Et Augiæ bubile, ſi non omne, at certe pro mea virili conabor ſubmovere. Oſtendit autem hujus ſtabula tantum habuiſſe congeſti fimi, quantum ter mille boves pluribus annis reddere potuerint. Hujus mentionem facit & Pauſanias in Eliacis, deque bubus & fimo nonnihil meminit. In Græcis Epigrammatis recenſetur inter Herculis labores Augiæ ſtabulum repurgatum. Quin & Seneca ludicro libello de morte Claudii Cæſaris uſurpat hoc pro-

proverbium : In quos, inquit, ſi incidiſſes, valde fortis licet tibi videaris, maluiſſes cloacas Augiæ purgare, multo plus ego ſtercoris exhauſi. Etiamſi proverbium omiſſum erat in exemplari, quod primum ſecutus eſt Frobenius : id nos reſtituimus ex exemplari, cujus nobis copiam fecit ex ſua bibliotheca Collegium liberales artes profitentium, in florentiſſima Lovanienſium Academia. Neque enim æquum arbitror imputari Univerſitati, quod paucorum ſeniculorum conſpiratione, tam odioſe repugnatum ſit hic bonis literis ac linguis. Gregorius Theologus ad Baſilium Magnum : πῶς, inquit, παρέλθω τοὺς ἀκάρπους κήπους ἐκείνους καὶ ἀλαχάνους, καὶ τὴν Αὐγείου κόπρον ἐν τοῖς οἴκοις ἐκκαθαιρομένην; id eſt, Quomodo prætereo hortos illos incultos & holeribus vacuos, atque Augiæ ſtercus ex ædibus repurgatum ? Sentit vitam luxu perditam in melius correctam.

Lupo agnum eripere poſtulant.

Leno quiſpiam in Pœnulo Plautina : Lupo agnum eripere poſtulant, nugas agunt. Ubi quis fruſtra conatur prædam recipere, cui ſemel manus injecit rapax aliquis. Improbum enim videtur, ſperare futurum, ut lupus agnum ſemel arreptum amittat. Confine quod alibi diximus, ἐκ λύκου στόματος, id eſt, Elupi ore.

Luſciniæ deeſt cantio.

Luſciniæ deeſt cantio. Proverbialis allegoria, perinde quaſi dicas. Mulieri deſunt verba, poetæ verſus, oratori color, ſophiſtæ cavillum. Nulla enim avium æque canora atque luſcinia, etiam fœmina, ſicuti teſtatur Plin. lib. 10. cap. 29. Sed haud fuerit alienum ipſius verba ſubſcribere. Luſciniis, inquit, diebus ac noctibus continuis quindecim garrulus ſine intermiſſu cantus, denſante ſe frondium germine nō in noviſſimum digna miratu ave. Primum tanta vox, tam parvo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus : deinde in una perfecta muſicæ ſcientia modulatus æditur ſonus, Et nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuſcatur ex inopinato : interdum & ſecum ipſa murmurat : plenus, gravis, acutus, creber, extentus : ubi viſum eſt, vibrans, ſummus, medius, imus. Breviterque, omnia tam parvulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. Plautus in Bacchidibus :

Ego quoque pol metuo, ne, luſciniolæ defuerit cantio.

Quid ſi cœlum ruat ?

Τί εἰ οὐρανὸς ἐμπέσοι, id eſt, Quid ſi cœlum ruat ? Ironia proverbialis in eos, qui tutiſſimis etiam in rebus ridicule timent. Hoc unde manārit, Ariſtoteles indicat libr τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ v. ſcribens priſcis illis & rudib. mortalib. perſuaſum fuiſſe, cœlum hoc, quod videbant imminere, Atlanticis humeris ſuſtineri. Quod ſi ille ſe ſubduxiſſet, fore ut è ſublimi in terram decideret. Idque non ſolum poetarum figmentis fuiſſe proditum, verumetiam a phyſicis nōnullis adfirmatum. Plutarchus in libello De facie quæ apparet in orbe Lunæ, citat Phenacem quēdam, qui metuerit ne luna decideret in terram : quique commiſeratus ſit vicem eorum qui Lunæ forent ſubjecti, cujuſmodi ſunt Æthiopes ac Taprobani, ſi tantum pondus in eos rueret : idem veritus de terra cœloque, niſi columnis Atlanticis fulcirentur, Theognis :

> Ἐν μοι ἔπειτα πέσοι μέγας οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν
> Χάλκεος, ἀνθρώπων δεῖμα παλαιγενέων.

Id eſt,

> Deinde meo vaſtus capiti illabatur Olympus
> Ferreus, antiqui quod metuēre viri.

Terentius ἐν Ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ. Quid ſi redeo ad illos, qui ajunt. Quid ſi nunc cœlum ruat ? Alluſit huc Horatius in Odis :

> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinæ.

Bos porrecto ultra Taygeton capite.

Ταῦρος ὑπερκύψας τὸ Ταΰγετον ἀπὸ τοῦ Εὐρώτα πίνων, id eſt. Taurus porrecto ultra Taygetum capite bibit ex Eurota. de re vehementer abſurda, Simillimum illi, Quid ſi cœlum ruat ! Natum ex apophthegmate Geradæ Lacedæmonii. Is ab hoſpite quopiam interrogatus, quæ pœna foret adulteris apud Lacedæmonios, negavit ullos eſſe adulteros apud Lacedæmonios. At inſtans ille : Quid ſi quis exſtiterit, inquit, quam pœnam daret ? Is, inquit, taurum maximum dependeret, qui producto ultra Taygetum montem capite, biberet ex Eurota : cumque hoſpes arridens, Et unde taurus tam ingens ? Lacedæmonius viciſſim, At unde apud Lacedæmonios adulter ? Refertur à Plutarcho in vita Lycurgi.

IVNII. *Atlanticum mare cotyla exorbere.*

De re impoſſibili, aut etiam ſupra modum difficili, hyperbolice dictum eſt à Simocato in epiſtolis : λίαν ἐργῶδες καὶ τὸ καθαίρειν τὴν Αὐγείου κόπρον ἐστὶ δυσχερέστερον, ἢ κοτύλῃ τὸ Ἀτλαντικὸν ἅπαν ἐκροφῆσαι πέλαγος. id eſt, Valde operoſum & difficilius quam ſit repurgare Augiæ ſterquilinium, aut quam ſit Atlanticum mare totum cotyla exorbere. Eſt autem cotyla, menſuræ genus ſex cyathos capiens, de qua Rhemnius Fannius ita :

> At Cotylas (quas, ſi placeat, dixiſſe licebit
> Heminas) recipit geminas ſextarius unus.

Mulgens hircos, ſanguinem ducit.

> Ποιμὴν ἀμέλγειν, εἰ θέλοι, καὶ τοὺς τράγους,
> Ἀλλ' ἀντὶ γάλακτος, αἱμάτων πίεται ῥοάς.

Id eſt,

> Mulgere & hircos, ſi velit, paſtor poteſt,
> Sed ſanguinis pro lacte ſalientes fluent.

Leguntur apud Nazianzenum hi ſenarii proverbiales, qui ſalubriter monent, non eſſe exugendos ſubditos, ut ad vitalis uſque ſanguinis fontes deſcendatur. Convenit cum Tiberii dicto, Tondendum eſſe pecus, non deglubendum : quod Æmylio Recto Ægypti Prætori, graviora conſuetis vectigalia Imperanti reſcripſit, quod his verbis expreſſit Dion libro quinquageſimo ſeptimo. κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. id eſt, Tonderi meas oves, non rodi volo.

Citius terra ætherem conſcendet.

Impoſſibilis conatus ſignificationem habet illud, quod apud Euripidem Hercules loquitur :

> --- Πρόσθε γὰρ κάτω
> Τὰς οὐρανοῦ ἄστρα, γῆ τ' ἀνεῖσ' εἰς αἰθέρα.
> Πρὶν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαντῆσαι λόγον.

Id eſt,

> Citius humo infigentur aſtra, & ætherem
> Terra occupabit, quam verbis palper tibi.

Refertur à Philone ſemel atque iterum. Cui affine eſt Zenonis dictum : ὅτι θᾶττον ἀσκὸν βαπτίσαι πνεύματος πλήρη. hoc eſt, Proclivius mergi poſſe utrem vento diſtentum : cujus idem ſcriptor meminit.

IOANNIS VLPII.

Ne Mercurius ipſe quidem cum Muſis ſanarit.

Et hoc à Galeno in ſtupidos dictum legitur, & omnium rerum ignaros.

COGNA I. *Cribro vaticinans.*

Id eſt, ſtultè de rebus occultis divinans. Parœmia ſumpta eſt à divinationis genere, quod ſuſpenſo circumactoque cribro peragebatur. Vide infra. Stulti ad cribrum.

Aufidus Hadriam retro fugit.

Virgil. 11. Æneid.

> Amnis & Hedriacas retrofugit Aufidus undas.

Ubi Servius admonet ſubeſſe proverbium, de re neq; veriſimili, neque conſiſtente. Alluſum eſt ad parœmiam : Surſus verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes, cum præpoſtere hoc fieri velit ſignificare. Aufidus amnis oritur ex montibus Hirpinis, & Canuſium præterfluit.

Stulti ad cribrum.

Apud Galenum proverbium eſt, Stulti ad cribrum : cum illi notantur, qui rem aut negocium, quod vires exuperat, aggrediuntur. Non enim ſtultorum eſt, naturæ ſecreta inveſtigare. Quamvis alii putant id ideo dictum, quia ſi Theſſali velit errores omnes corrigere, vel dictione proſequi, numero ſuperatus, in ſcomma proverbii decidat, quod eſt, Stulti ad cribrum : hoc eſt, Stultorum conatum eſſe, velle ſingula totius cribri foramina obturare. Vide, Cribro vaticinans.

Nunquam expugnabis urbem.

Plato in Sophiſta : Qui illis aut nihil efficit, aut retro repellitur, nunquam, ut proverbio fertur, expugnabit urbem.

Quicquid eſt factum, ſemper factum eſt totum.

Factum infectum fieri non poteſt. Plato in Protagora : Poteſt enim bonus aliquis malus fieri : quod alius quoque Poeta teſtatur, dicens : Vir bonus nunc pravus, nunc bonus eſt. Ut autem malus efficiatur malus, fieri non poteſt. Eſſe enim ſemper, neceſſe eſt. Ibidem : Neque enim aſſequi poteſt, ut quod eſt factum, ſit infectum. Semel quod eſt, ſemper erit. l. & ſi ſin. §. ſed quod Papinian. ff. de minorib. & ff. de hæred. inſtit. Inſt. de fideicom. hæred §. reſtituta. Contra in §. ut authen. in Authent. de non alien. Eraſm. noſter, Quod factum eſt, &c.

Factum infectum fieri non poteſt.

Plato in Sophiſta, vel, de ente : Quicquid factum eſt, ſemper factum eſt totum. Ariſtot. 6. Ethic. c. 2. Recte Agatho dixit :

> Hoc etiam ipſe Deus, ſoloque carere videtur,
> Infectum ut faciat quod factum eſt, atque peractum.

Facta pro infectis haberi nequeunt. l. in bello. §. facti. 1. ff. de capt. & poſtlim. reverſ. Vide ante, Quicquid eſt factum, &c. & poſt, Quod periit, periit : &, Quod præteriit, levius eſt.

Montes transferre.

Utriuſque hyperboles uſus eſt in ſacris literis : unius quidem de fide incredibiliter efficaci, 1. Cor. 13. alterius ad innuendum, ſuperbos, qui pictus habent inſtar montis tumidum, poſſe conteri & deprimi. Eſa. 41.

VIRGILII. *Si laveris te nitro, maculata es.*

Proverbialis metaphora in hominem infamiæ nota inuſtum, qui ſe purgare nequeat. Similis, Aqua Tiberis aut Nili non id eluerit. Deductum a fullonibus, qui veſtimenta poliunt, eorumque ſordes nitro etiam lavant. Hierem. 2.

Prius cavum à connexo diſiunxeris.

Hoc proverbiali ſchemate utitur idem Bud. ex Ariſtot. qui dicit, facilius eſſe cavum à connexo, quam hircoſam inſcitiam ab improbitate diſiungere: quod nimirum imperiti indoctive laudem alienam impudenter quodam naturali vitio carpant, quod æmulari non queant. Ejusdem monetæ eſt & hoc: Flammam citius ore inardenti opprimes, quam ſordidæ Minervæ hominem ad candorem traducas.

ILLECEBER MALI.

ERASMI *Lotum guſtavit.*

Λωτοῦ ἔφαγες, id eſt, Lotum guſtaſti, de iis dicebatur, qui diutius in peregrinis regionibus hærerent, veluti obliti reditus. Neque inconcinne dixeris in eos, qui ſimulatque ſemel voluptatem inhoneſtam deguſtarint, ad priſtina ſtudia revocari non queunt. Sumptum à fabula Lotophagorum: de quibus meminit Homerus Odyſſ. lib. 9. narrans quemadmodum Ulyſſis ſocii, guſtata apud Lotophagos populos herba loto, redire ad navim noluerint, niſi verberibus adacti:

--- Ἀλλ' ἄρα σφι δόσαν λωτοῖο πάσασθαι.
Τῶν δ' ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι.

Id eſt,

Verum illis lotum deguſtandam exhibuere.
Aſt horum quiſquis loti guſtarat amicum
Et ſuavem fructum, neque nuncia protinus illi
Ulla remittere cura, nec ipſe redire ſtudebat.
Verum inibi cum Lotophagis remanere volebant
Obliti reditus, capturi germina loti.

Eſt autem lotus (quam eandem celtim dici docet Dioſcorides lib. 1.) arbor, de qua Plinius lib 13. Tam dulcis ibi cibus, ut nomen etiam genti terræque dederit, nimis hoſpitali, advenarum oblivione patriæ. Eſt & herba ejusdem nominis gratiſſima & ipſa palato, de qua per multa Theophraſtus lib. De plantis 4 c. 9. Reperimus & hoc proverbium in collectaneis cujuſdam recentioris; quod quoniam videbatur haud illepidum, non gravatus ſum adſcribere.

Periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe.

——Χαλεπὸν χορίου κύνα γεύσαι.

Id eſt,

Inteſtina canem ſemel adguſtaſſe periculum eſt.

Proverbiali allegoria dictum eſt à Theocrito In Idyllio decimo. Admonet adagium, haud facile temperare à peccando, qui ſemel illecebram illam, velut autoramẽtum vitiorum deguſtarit. Quẽadmodum qui ſemel ſcortum attigerit, qui ſemel perjurio, ſive furto, rem auxerit, qui ſemel aulicam vitam ſit expertus. Effertur & ad hunc modum apud Lucianum: οὐδὲ κύων παύσεται ἅπαξ σκυτοτραγεῖν μαθών. id eſt, Neque canis deſiturus eſt, qui ſemel corium edere didicerit. Theocriti Scholiaſtes indicat, hoc proverbium & hunc in modum efferri. χαλεπὸν μαθοῦσα κύων σκυτοτραγεῖν. id eſt, Periculoſa res eſt, canis qui didicit arrodere coria. Horatius in Sermonibus ſimili figura dixit:

—— Quæ ſi ſemel uno
De ſene guſtaris, tecum partita lucellum,
Ut canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.

EX APPEND. ERASM.

Obolum reperit Parnœtes.

Ὀβολὸν εὗρε Παρνόπης. De iis, qui novum aliquod excogitant præmium, quo illectent. Natum à Caliſtrato Athenienſium Principe, cui cognomento Parnœte: qui inſtituit meis judiciis & concionibus nummuli quidam diſtribuerentur. Comici id ſtatim in proverbium traxerunt.

Παλεύτρια.

De illecebris, aut re alioqui ad fallendum comparata. Proprie columba exoculata, quam aucupes in reti ponunt, quo ſubſultans cæteras alliciat columbas. à παλεύειν quod ſeducere eſt, ſeu in laqueum illicere, Ariſtoph. Eodem non male referas illud ſup. Columba ſedens.

Πιθηκίζειν

Pro, fucis & blanditiis fallere: unde & πιθηκισμός. Ariſtoph. Vide ſup. adag. Simia fucata.

IUNII. *Ceſto pellacius.*

Κεστοῦ μαγικώτερος, id eſt, Ceſto pellacius, dicitur quicquid magnopere vel animum delinire poteſt, aut etiam, amorem alicujus rei conciliare. Philodemus Epigramatarius:

Καὶ κεστοῦ Παφίης μαγικώτερος.

Id eſt:

Verba edens ceſto magis illecebroſa.

Extat & Epigrammatum lib. 1. tale carmen:

Χείλεα μὲν δροσόεντα καὶ ἡ μελίφθογγος αὐτή
Ἐστὶ μὲν ἁρμονίη κεστὸς ἐμοὶ Παφίης.

Id eſt,

Roſcida labra quidem divina & mellea linguæ
Harmoniæ, ceſtus ſunt mihi Cyprigenæ

Ceſtus Veneris baltheus fuiſſe fingitur, conciliandæ gratiæ efficaciſſimus, quem plurib. deſcribit Homerus Iliad. 15. ibi:

—— Ἀπὸ στήθεσφιν ἐλύσατο κεστὸν ἱμάντα
Ποικίλον, ἔνθα δέ οἱ θελκτήρια πάντα τέτυκτο,

Id eſt,

--- Acu pictum de pectore ſolvit
Baltheolum, illecebris cunctis & amore refertum
Omnino. --

Theophylactus ſcholaſticus in epiſtolis: ποικίλοις γὰρ πάθεσιν ὁ τῆς Ἀφροδίτης κεστὸς ἐγκεχάρακται, id eſt. Veneris ceſtus variis animi paſſionibus inſculptis interpunctus eſt. Sextus Africanus Philoſophus libros viginti quatuor omnigena materia plenos κεστοὺς inſcripſit, velut picturatos, ceſti venerei inſtar. Sunt & qui literarum monumentis conſignarunt, Ceſtum illum fabuloſum, fuiſſe hymnum ab Alexandro Paride Priami filio conſcriptum in honorem Veneris.

Iynges.

Iyngis voce pro illecebris & blandimento lenocinio ve quodam proverbialiter utuntur paſſim authores. Sophocles in Hippodamia, loquens de præſtantia formæ Pelopis:

Τοιάνδ' ἐν ὄμμασιν ἴυγγα θηρατηρίαν,
Ἐρωτὸς ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει.

Id eſt,

Iynga talem lumina efflant illicem,
Amoris igneum jubar in oculis cubans.

Quanquam apud Athenæum in 13. λύγγα legitur. Æſchylus in Perſis:

Ἴυγγα μὲν δή τ' ἀγαθῶν ἑτέρων ὑπεμίμνησκες.

Id eſt.

Regeris mihi aliorum bonorum lenocinantium memoriam, Heliodorus Emeſenus lib. 4. Æthiopicæ hiſtoriæ: ἀκαταμάχητόν τινα ἴυγγα κατὰ γυναικῶν ὁ χρυσὸς καὶ λίθος. id eſt, Aurum & gemmæ vim pellaciæ haud dubiam obtinent apud fœmineum genus. Syneſius ad Herculianum: πάλαι γὰρ ὑπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ τῶν ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς ἰύγγων αὐτὸς ἐθηλύνθην. id eſt, Multo ante ipſe quodam tuarum in epiſtolis iyngum & deliciarum diluvio effœminatus ſum. Idem ad Athanaſium: αὐτὴν ἐκείνην τὴν Γαλάτειαν δεῦρο ποικίλαις ἴυγξι χειρωθεῖσαν ἀγαγεῖν. Id eſt, ipſam illam Galatheam dici hic ſiſtam illecebris variis conciliatam. Suidas ex incerto authore: ἡ δὲ Κλεοπάτρα ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἴυγγος καὶ τὸν Σεβαστὸν χειρώσεσθαι ἐπίστευεν, id eſt, Cleopatra rebatur ſe iiſdem illecebris, quibus Cæſ. & Antonium, tertium quoque Auguſtum expugnaturam. idem: τοσαύτη τις προσῆν ἴυγξ τοῖς Διογένους λόγοις τοῦ κυνός. id eſt, Tantum inerat illicium Diogenis Cynici verbis. Sic de Helena dictum eſt illud: οὕτω ἰσχυρὰς εἶχεν ἴυγγας. hoc eſt: Tam validas & illices amoris iyngas habuit, ut quum Priamus illam agnoſceret eſſe belli cauſam, iraſci tamen illi nequiverit, imo filiæ nomine eam compellarit amanter. Philoſtratus junior: ὑπὸ τῇ τοῦ κεστοῦ ἴυγγι, id eſt: Sub ceſti pellacia. Lycophron etiam πυρφόρον ἴυγγα ignivomam iyngem vocat amoris illicias: & Zetzes λογικὰς ἴυγγας, verborum iyngas appellat, quod animos verba attrahant, quantumvis duros & inflexibiles, quodam lenocinio. Utitur etiam Pindarus ea voce pro cupidine & deſiderio, in Nemeis: ἴυγγι τήκομαι ἦτορ. id eſt, Liqueſcit iynge ſeu amore pectus. Eſt autem Iynx avicula plumis diſcoloribus, collo prælongo, lingua exerta, crebro motu ſe circumagens, & cervicem in orbem flectens, uropigiumque ſuccuſſans: unde σεισοπυγὶς à nõnullis vocatur, ab aliis κιναιδίον, ex eadem cauſa. Zetzi etiam κιλλὶς, Latinis motacilla: cujus uſus ad veneficia infamis fuit atque ad incantamenta: nam de trocho eam religabant veneficæ, & carmina quædam admurmurantes circumgyrabant, aut exenteratam trocho adnectebant. Hanc fingit Pindarus in Pithiis à Venere primum è cœlo ad homines deportata, & Iaſoni traditam, additis veneficii documentis, quibus Medeam irretiret. Fabulæ narrant, Iyngem mulierculã fuiſſe Junonis juſſu in avem commutatam, quod pharmacis quibuſdam Iovem in Ius amorem concitaſſet, ut Nicephorus pariter & Pindari Scholiaſtes cum Zetze annotant: nam apud Suidam pro ἀπελιθώθη legendum eſt ἀπωρνιθώθη. Theocriti interpres ſcribit eam id veneficii molitam fuiſſe, ut in ſui amorem Jovem pertraheret. Callimachus Iyngem Echûs filiam facit, alii Pithûs ſive Suadelæ. Nicephorus Gregoras ex aliorum authoritate ſcribit, ἴυγγα fuiſſe citharam mire concinnam, κιθάραν ἐμμελεστάτην, atque inde proverbiali figura ἴυγγα dici quidvis ſuave & deſiderabile, πᾶν γλυκὺ καὶ ποθεινόν. ut Theocriti gloſſematarius annotat, iyngi aviculæ vim ineſſe nativã amatorii philtri, ac propterea omnia ad amorẽ impellẽtia, gratioſa, pellacia, & ad perſuadendũ apposita, ἴυγγας metaphorice dici, τὰ ἐπαγωγὰ καὶ χαρίεντα. Quid, quod invocationes & arcanæ precũ vites, quas mutare nefas erat certis verborũ legib. conceptas, ἴυγγες dicebantur? quo ſpectat illud Syneſii libro De inſomniis: καὶ μήτοι

τοῖς μὲ μάγοις ἴυγξιν αὐτοῖς, quod Marſilius Ficinus neſcio quam recte vertit. Conſideratione vero dignum eſt. Verum hue tendant illices vel moracillæ magnorum. Illo diximus modo accipitur in Hecates oraculo apud Porphyrium:

> Τοὺς μὲ ἀπείρονας ἰυγμοῖς ἴυγξιν ἀπ' αἰθέρος
> Ῥηϊδίως ἀέκοντας ἐπὶ χθόνα τήνδε κατήγαγες.
> Id eſt:
> Dæmonas innumeris in terram ex æthere votis
> Traxiſti diva invitos magno abſque labore.

Xenophon etiam pro beneficio iynga dixit. ibi: ... Quod iſta non citra philtra, incantamenta, & iyngas accidant.

COGNATI. *Sirenas prænavigare.*

Σειρῆνας παραπλεῖν, id eſt, Sirenas præternavigare, proverbiali tropo dicitur, qui philoſophiæ præceptis communitus voluptatum illecebras deſpuit, aut quomodocunque vitiorum occaſionem declinat. Socrates apud Platonem in Phœdro: ... Id eſt, Sin videant nos ſermones conſerentes & illecebris immobiles prætęrnavigare ipſos, tanquam Sirenas quaſpiam. Similiter dixit in Sympoſio: ... id eſt, Fuga abeo, vim mihi adhibens, & tanquam a Sirenibus aures obſtruens. Notiſſima eſt ex Homeri Odyſſea fabula de Vlyſſe, ſociorum aures cera claudente, ut periculum ſibi ſuiſque imminens effugeret.

Ferrum virum attrahit.

Ἐλκύει τὸν ἄνδρα σίδηρος. In omni re & ad omnem rem multum valent oculi. Sic viſa ſolum fœmina ad amorem accendit; viſi inimici movent dolorem: ferrum viſum trahit ad bellum. Tertullianus Græco dixit hemiſtichio, quod alicubi apud Homerum legitur:

> Id eſt:
> Ferrum vero virum trahit.

Aliquando qui luſit, iterum ludet.

Crebris ſermonibus à Græcis uſurpatur, ὁ μὲν ποτε παίξας, παίξει πάλιν, hoc eſt, Aliquando qui luſit, iterum ludet. Nunc etiam proverbiali ſermone ab Hiſpanis dicitur: Quien jugo, jugar à. Huic non diſſimile, Semel malus, ſemper malus. Aleatores autem multi quaſi vi coacti, ita ne cupientes quidem abſtinere poſſunt: tanta illorum ad ludendum eſt proclivitas.

Trahit ſua quemque voluptas.

Seneca lib. Epiſt. 13. epiſt. 89. His imperitorum feruntur oculi, hoc eſt, ducuntur, trahuntur. ut illud ſummi poetæ, eclog. 2.

> --- Trahit ſua quemque voluptas.

Hæc Pincianus ibidem. Mortales autem ad varia ſtudia trahuntur. Hinc alius mercatura, alius agricultura, alius ludo, alius Muſis & otio, alius negocio delectatur: & ut ille ait, multos caſtra juvant: & lituo tubæ permiſtus ſonitus.

Pulchra placent.

Quæ pulchra ſunt, habere eam vim, ut ſtatim conſpecta omnium ſibi voluntatem concilient, amoremque adjungant, nemini ignotum eſſe, niſi communis ſenſus experti poteſt. Itaque Ariſtoteles pulchritudinem dicebat quavis epiſtola efficaciorem: & Theophraſtus ſilentem fraudem, quod abſq; verbis perſuadeat: Carneades ἀδορυφόρητον βασιλείαν, id eſt, regnum abſq; ſatellitio: quod formoſi impetrent quicquid volunt, nulla adhibita vi. Et Græci ſapientes ſua lingua pulchro ex eo indidêre nomen, quod omnes ad ſe alliciat: dixerût enim καλὸν, παρὰ τὸ καλεῖν, ὅτι πάντας ἐφ' ἑαυτὸ καλεῖ. Pulchrum à calando, id eſt: vocando, quoniam omnes ad ſe vocat. Teſtati ſunt idem vulgato olim proverbio, quo dicebant, Quod pulchrum eſſet, id demum amicum eſſe: Galli vero ſimplicius proferunt, cum dicunt: Pulchra placent. Eo uſus eſt Euripides in Bacchis, ubi hic verſiculus legitur, in actu 3. ὅ, τι καλὸν, φίλον ἀεί. Quod pulchrum eſt, ſemper amicum eſt. Et Plato in Lyſide. Ejus autem originem ad Muſas & ad Gratias referunt: quæ cum convenîſſent ad Cadmi & Harmoniæ nuptias pulchrum carmen, quo ea ſententia contineretur, immortali ore cecinerint, novæ nuptæ pulchritudinem, ut veriſimile eſt, commendantes. Hoc de ſapientiſſimo poeta Theognide in principio gnomarum cognovimus, cujus hæc ſunt:

> Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διὸς, αἵ ποτε Κάδμου
> Ἐς γάμον ἐλθοῦσαι, καλὸν ἀείσατ' ἔπος.
> Ὅ, τι καλὸν φίλον ἐστὶ, τὸ δ' οὐ καλὸν, οὐ φίλον ἐστί,
> Τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων.
> Id eſt:
> Muſæ & Gratiæ, filiæ Iovis, quæ olim Cadmi
> Ad nuptias veniſſetis, pulchrum cecinîſtis carmen.
> Quicquid pulchrum, amicum eſt: non pulchrum autem, non eſt amicum.
> Hoc carmen immortalia iit per ora.

Lege in eum locum Camerarii Græcam interpretationem. Nam ad illas nuptias veniſſe divos, teſtatur etiam Euripides in Phœniſſis, actu 3. ἁρμονίας δ' ἐς ποτε γάμους ἦλθον οὐρανίδαι. id eſt, Harmoniæ vero ad nuptias venerunt cœlites. &c. Huic ſimile eſt, quo ſignificamus, humanû animû novitatis ſtudioſum. Nova placent.

Gaudent enim res varietate: & ſicut oculi diverſarum aſpectu rerum magis detinentur, ita ſemper animus perſtat, in quod ſe velut novum intendat, ut ait Quintil. 9.

Stipula flammæ proxima ignem concipit.

Noſtrates non minus vere quam facete dicunt: Stipulam flammæ proximam ſubito concipere ignem. Parit etiam puellarum & muliercularum familiaritas τὸν ἱμερόεντα πλίγμα τῆς ἀφροδίτης ἀδαμαστόν. Nimia enim familiaritas cum mulierculis haud unquam fere periculi expers eſt: à quarum conſpectu ad riſum & colloquia venitur, inde ad familiaritatem & contrectationem, denique ad oſcula & complexum, cujus eſt comes pœnitentia. Non abs re à Græcis dicitur: ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται ἀνθρώποις τὸ ἐρᾶν. id eſt, Amor ex aſpectu naſcitur mortalibus. Vrit enim videndo fœmina. Quâto magis confabulando, & contrectando? Vitanda quoque eſt hominum mollium, obſcœnorum, libidinoſorum conſuetudo, tanquam peſtis certiſſima. Multi enim caſte vixiſſent, omniq; & probro caruiſſent, & officio functi eſſent, niſi in perditorum hominû gregem, malo quopiam fato, iratoque Deo incidiſſent. Præclarè Menander cujus teſtimonio & D. Paulum uti non puduit: φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Oſcitat.

Oſcitatio hominis eſt aliud agentis, præſentibus non contenti, & quæ adſunt faſtidientis, & quæ abſunt deſiderantis. Lucret. lib. 13.

> Oſcitat extemplo tetigit cum limina villæ.

Ab ore ciendo, id eſt, commovendo dicta: ut docet Donatus in Andriam. Interdum tamen naturæ vitium magis quam hominis, unde oſcedo appellatur, ut meminit Gellius libr. 4. cap. ultimo. Et hoc naturale eſſe putat Alexander, ut qui oſcitantem videant, & ipſi oſcitent: quia natura animantium, maximeque natura carentium, ſimilitudinum quædam conſenſum, itemque affectuum habet.

VIRGILII. *Conſuere pulvillos ſub cubito.*

Pro alteri otio vacanti delicias facere, inſtrumenta libidinis afferre, male agenti opitulari & blandiri. Capiti ut cervical, ita pulvillos cubito ſubjicimus, quo mollius quieſcamus. Ezech. Hieronym. Gregor.

Pomum Atalantæ ſequi.

Vtitur eo proverbialiter Zaſius lib. 1. Reſponſio c. 3 pro, à propoſito & inſtituto digredi, & aliena conſectari. Natum ab Atalanta, Cenei filia: quæ cum Hippomene pedum celeritate decertans, eo ipſo victa eſt, quod inter currendum objecta ab Hippomenê aurea mala colligeret, itaque curſum ſuum retardaret.

IMPERITIA.

ERASMI. *Dulce bellum inexpertis.*

Et elegans cum primis, & multorum literis celebratum adagium eſt, γλυκὺς ἀπείρῳ πόλεμος, id eſt, Dulce bellum inexperto. Id ita reddit Vegetius lib. De re militari 3 cap. 14. Nec confidas ſatis, ſi tyro prælĩu cupit: inexpertis enim dulcis eſt pugna. Citatur ex Pindaro: γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισιν, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. id eſt: Dulce bellû in expertis: aſt expertus quiſpiâ horret, ſi acceſſerit cordi ſupra modum: Sunt quædam in rebus mortalium, quæ quantam habeant diſcriminis ac malorum, non intelligas, niſi facto periculo:

> Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
> Expertus metuit....

Bella res & ſplendida videtur, inter aulicos obambulare proceres, in regiis verſari negotiis: at ſenes quibus uſu penitus cognita res eſt, ab ea felicitate libenter abſtinent. Suave videtur, amare puellas: ſed iis qui nondum ſenſerunt, quantum amori in ſit amari. Ad eundem item modum accommodari poterit ad quodvis negocium multo periculo, multiſque conjunctum malis, quod nemo velit capeſſere, niſi juvenis, & rerum imperitus. Siquidem Ariſtoteles in Rhetoricis hanc adfert cauſam cur juventa ſit audacior, contra ſenecta timidior: quod illis imperitia rerum confidentiam pariat, his multorum experientia malorum, timiditatem & cunctationem. Quod ſi quicquam eſt in rebus mortalium, quod cunctanter aggredi conveniat, imo quod oporteat modis omnibus fugere, deprecari, propellere: certe bellum eſt, quo non alia res vel magis impia, vel calamitoſior, vel latius perniciosa, vel hærens tenacius, vel tetrior, & in totum homine indignior, ut ne dicam Chriſtiano. At dictu mirum, quam hodie paſſim, quam temere, quam quavis de cauſſa ſuſcipitur, quam immaniter ac barbarice geritur, non tantum ab ethnicis, verumetiam à Chriſtianis: nec prophanis modo, verumetiam à ſacerdotibus & epiſcopis: nec ſolum à juvenibus & imperitis, verumetiam à ſenibus, & à toties expertis: nec à plebeis tantum, & vulgo natura mobili, ſed potiſſimum à principibus quorum officium erat, temerarios ſtultæ multitudinis motus, ſapientia, rationeque componere. Neque deſunt Iureconſulti ac Theologi, qui ad iſta tam nefaria, faces admoveant, & frigidam, quod ajunt, ſuffundunt. Quibus rebus fit, ut nunc bellum adeo recepta res ſit, ut demirentur homines, eſſe cui non placeat: adeo probata, ut impium, ac pene dixerim, hæreticum ſit, improbaſſe

rem unam omnium ut ſceleratiſſimam, ita miſerrimam quoque. At quanto juſtius erat illud demirari, quis malus genius, quæ peſtis, quæ intemperia, quæ furia primum in hominis mentem immiſerit rem uſque adeo beluinam, ut placidum illud animal, quod natura paci benevolentiæque genuit, quod unum omnium ſaluti prodidit, tam ferina veſania, tam inſanis tumultibus in mutuam rueret perniciem. Id quod magis etiam admirabitur, quiſquis animum à vulgo receptis opinionibus, ad ipſam rerum vim ac naturam perſpiciendam converterit, ac ſeorſum hinc hominis imaginem, hinc belli ſimulachrum vere philoſophicis oculis aliquantiſper contempletur. Primum igitur, ſi quis habitum modo, figuramque corporis humani conſideret, annon protinus intellecturus eſt, naturam, vel potius Deum, animal hoc non bello, ſed amicitiæ: non exitio, ſed ſaluti: non injuriæ, ſed beneficentiæ genuiſſe? Nam cæterorum animantium unum quodque ſuis inſtruxit armis. Taurorum impetus armavit cornibus, Leonum rabiem unguibus. Apris fulmineos affixit dentes. Elephantos cutem & molem, proboſcide quoque tutatus eſt. Crocodilum cruſtis velut laminis communivit. Delphinis teli vice pinnas addidit. Hiſtricem ſpinis, Raiam aculeis defendit. Gallis calcar affixit. Alia teſtis, alia corio, alia cortice communivit. Sunt quorum incolumitati pernicitate proſpexit, veluti columbis. Sunt rurſum, quibus venenum teli vice tribuit. Addidit his ſpeciem tetram ac beluinam, addidit oculos truces, vocis ſtridorem. Inſevit natura quædam diſſidia. Solum hominem nudum produxit, imbecillem, tenerum, inermem, molliſſima carne, cute levi. Nihil uſquam in membris, quod ad pugnam aut violentiam datum, videri poſſit, ut ne dicam interim, quod cætera fere ſtatim ut nata ſunt, ſibi ſufficiunt ad vitam tuendam: ſolus homo ſic prodit, ut multo tempore totus à ſubſidio pendeat alieno. Nec fari novit, nec ingredi, nec cibum capere, vagitu tantum implorat opem: ut vel hinc conjici poſſit, ſolum hoc animal totum amicitiæ naſci, quæ mutuis officiis & coit, & cohæret potiſſimum. Proinde natura voluit hominem vitæ munus non tam ſibi, quam benevolentiæ acceptum ferre: quo videlicet intelligeret, ſeſe gratiis eſſe dicatum, ac neceſſitudini. Tum ſpeciem dedit non tetram & horridam, uti cæteris, ſed mitem ac placidam, amoris ac benevolentiæ notas præ ſe ferentem. Tribuit oculos amicos, & in his animi ſigna. Dedit brachiorum ſinus ad complexum. Dedit oſculi ſenſum, quo ceu copularentur, & ſeſe contingerent animi. Uni riſum attribuit, alacritatis indicium: uni lachrymas, clementiæ & miſericordiæ ſymbolum. Quin & vocem dedit, non minacem & horrendam, ſicuti beluis, ſed amicam & blandam. Nec his contenta natura, ſermonis & rationis uſum uni tribuit: quæ quidem res ad parandam & alendam benevolentiam inprimis valet, ne quid omnino per vim inter homines gereretur. Inſevit odium ſolitudinis, amorem ſodalitatis. Indidit penitus benevolentiæ ſemina. Fecit ut quod eſt ſaluberrimum, idem ſit & ſuaviſſimum. Quid enim amico jucundius? At rurſum quid æque neceſſarium? Proinde ſi maxime liceret abſque mutuo commercio commode vitam agere, nihil tamen jucundum videri poſſit abſq; ſocio: niſi ſi quis prorſus hominem exuerit, & in feram degenerarit. Addidit inſuper liberalium diſciplinarum ſtudium, & cognitionis ardorem: quæ res ut potiſſimum abducit hominis ingenium ab omni feritate, ita ad conciliandas neceſſitudines præcipuam vim habet. Siquidem nec affinitas, nec ſanguinis propinquitas arctioribus aut firmioribus amicitiæ vinculis aſtringit animos, quam ſocietas honeſtorum ſtudiorum. Super hæc admirabili quadam varietate, dotes tum animorum tum corporum inter mortales partita eſt: omnium ut ſinguli in ſingulis invenirent, quod vel amarent ac ſuſpicerent ob excellentiam, vel ob uſum & neceſſitatem ambirent & amplecterentur. Denique indidit divinæ mentis ſcintillulam, ut nullo etiam oſtenſo præmio, tamen per ſe juvet benemereri de omnibus. Id enim Deo maxime proprium ac naturale, ſuo beneficio conſulere univerſis. Alioqui quid illud eſt, quod haud vulgarem animo ſentimus voluptatem, ubi quempiam per nos ſervatum intelligimus? & ob hoc ipſum homo charus eſt homini, quod inſigni quopiam beneficio obſtrictus eſt? Proinde Deus in hoc mundo velut ſimulacrum quoddam ſui conſtituit hominem, ut ceu terrenum quoddam numen ſaluti proſpiceret omnium. Sentiūt hoc ipſa etiam bruta: cum videamus non mitia ſolum, verumetiam pardos & leones, & his immitiores beſtias, in magnis periculis ad hominis opem confugere. Hoc extremum omnibus aſylum, hæc ara eſt ſanctiſſima univerſis, hæc nobis non ſacra eſt ancora. Hominis effigiem utcunque depinximus. Nunc belli ſimulachrum ex adverſo, cum hac, ſi videtur, componamus. Iam igitur videre te puta barbaras cohortes, ipſo vultu ſonoque vocis horrendas, hinc atq; hinc inſtructas ferratas acies, formidabilem armorum crepitum ſimul & fulgorem, inamabilem tantæ multitudinis fremitum, oculos minaces, rauca cornua, terrificum taratantaræ cantum, bombardarum tonitrua non minus formidoloſa feris, ſed magis noxia: clamorem inſanum, concurſum furioſum, immanem laniationem, cadentium & occidentium crudeles vices, congeſtas ſtrages, undantes cruore campos, fluvios humano tinctos ſanguine. Fit interea nonnunquam, ut frater incidat in fratrem, affinis in affinem, amicus in amicum, & communi furore jam debacchante, in ejus viſcera ſtringat ferrum, à quo ne verbo quidem unquam fuerat læſus. Denique tantum malorum habet illa tragœdia, ut a commemoratione quoque pectus humanum abhorreat. Ut interim non referam, illa vulgaria præ his leviaque, protritas paſſim ſegetes, exuſtas villas, incenſos pagos, abacta pecora, conſtupratas virgines, tractos in captivitatem ſenes, direpta phana, latrociniis, prædationibus, violentia plena confuſaque omnia. Utque taceam illa, quæ feliciſſimum etiam ac juſtiſſimum bellum conſequi ſolent, expilatam plebem, oneratos proceres, tot ſenes orbos, & ſimul in cæde liberorum infelicius occiſos, quam ſi hoſtis mali ſenſum una cum vita ſuſtuliſſet: tot anus deſtitutas, & crudelius quam ferro peremptas, tot matronas viduas, tot liberos orphanos, tot domus funeſtas, tot opulentos ad inopiam redactos. Nam de morum pernicie quid attinet loqui, cum nemo neſciat univerſam vitæ peſtem, ſemel è bello proficiſci: Hinc pietatis contemptus, hinc legum neglectus, hinc ad quidvis audendum ſceleris prompti ſumus. Hoc fonte nobis tam ingens latronum, raptorum, ſacrilegorum, percuſſorum turba ſcatet. Et, quod eſt omnium peſſimum, hæc tam exitialis peſtilentia neſcit ſe ſuis continere finibus: ſed in unoquopiam angulo nata, non ſolum finitimas regiones veluti contagio pervadit, verum etiam procul ſemotas, vel ob commoditatem, vel per affinitatis aut fœderis occaſionem, in communem tumultum, ac rerum tempeſtatem pertrahit. Quinetiam bellum è bello ſeritur, è ſimulato verum, è puſillo maximum exoritur: neque raro ſolet in his accidere, quod de Lernæo monſtro fabulis proditum eſt. Hiſce de cauſis, opinor, veteres illi poetæ, qui rerum vim ac naturam & ſagaciſſime perſpexerunt, & aptiſſimis figmentis adumbrarunt, tradidêre bellum ab inferis immitti, atque Furiarum miniſterio: neque quamlibet furiam ad hoc negocii conficiendum eſſe idoneam. Deligitur omnium peſtilentiſſima.

—Cui nomina mille,
Mille nocendi artes.——

Hæc innumeris armata colubris, tartarea buccina præcinit. Pan inſano tumultu complet univerſa. Bellona furioſum *quatit flagellum*. Furor impius, ruptis omnibus vinculorum nodis, evolat horridus ore cruento. Neque non videntur hæc grammatici: quorum alii bellum κατ' ἀντίφρασιν dictum volunt, quod nihil habeat neque bonum, neque bellum: nec alia ratione bellum eſſe bellum, quam Furiæ ſunt Eumenides. Alii malunt à belua deductum, quod beluarum ſit, non hominum, in mutuum exitium congredi. At mihi ſane plusquam ferinum, plusquam beluinum eſſe videtur, armis confligere. Primum enim pleraque brutorum animantium in ſuo quodque genere concorditer & civiliter degunt, gregatim incedunt, ope mutua ſeſe tuentur. Nec feræ quidem omnes dimicant (ſunt enim & innoxiæ, ſicut damæ & lepores) ſed omnium efferatiſſimæ, veluti leones, lupi, tigrides. Quanquam nec hæ belligerantur inter ſeſe, quemadmodum nos. Canis caninam non eſt: leonum inter ſe feritas non dimicat: draconi cum dracone pax eſt: inter venena convenit. At homini nulla fera pernicioſior, quam homo. Rurſum illæ cum pugnant, ſuis pugnant armis: nos præter naturam arte cacodæmonum excogitatis inſtruimur homines in hominum perniciem. Nec illæ quibuslibet de cauſis ſæviunt, verum ubi vel fames ſtimulat in rabiem, vel ſe peti ſentiunt, vel fœtui ſuo timēt: nos, Deum *immortalem*, quam frivolis de cauſis, quas bellorum tragœdias excitamus? ob inaniſſimos ditionum titulos, ob puerilem iram, ob interceptam mulierculam, ob cauſas his quoque multo magis ridiculas. Ad hæc inter feras, uni cum una bellum eſt, idque perbreve, & ut cruentiſſima pugna ſit, una aut altera vulnerata diſcedit. Quando auditum eſt id quod paſſim faciunt homines, centū millia beluarum mutuo laniatu concidiſſe? Adde, quod ut feris quibuſdā naturale diſſidium eſt cum aliis diverſi generis, ita rurſum habent, cum quibus genuina firmaque cohæreat amicitiā. At homini cum homine, & cuilibet cum quolibet, jugis pugna eſt, nec ullum ſatis firmū fœdus inter ullos mortalium. Adeo quicquid à ſua receſſit natura, in peiorem degenerat ſpeciem, quam ſi natura militiam ingenuiſſet. Vis ſcire quam ferina, quam fœda, quam non digna homine res ſit bellum? Spectaſtine aliquando leonem cum urſo commiſſum? Qui rictus, qui rugitus, qui fremitus, quæ immanitas, quæ laniatio? Inhorreſcit qui ſpectat etiam in tuto. At quanto fœdius ſpectaculum, quanto immanius, videre hominem cum homine tot armis, tot telis inſtructum cōfligere? Quæ, ſote, quis homines crederet, niſi conſuetudo mali ſuſtuliſſet admirationem? Ardent oculi, pallent ora, furorem præfert inceſſus, Frendet vox, clamor inſanus, totus homo ferreus eſt, crepant arma, fulminant bombardæ. Minus erat, ſi cibi cauſa homo hominē devoraret, ſi ſanguinem hauriret: quanquam huc quoque ventum eſt à quibuſdam, ut id odii gratia faciāt, quod excuſatius faceret uſus aut neceſſitas. At nunc idem fit crudelius, telis veneno tinctis, tartareis machinis. Nullum uſquam hominis veſtigium. An credas hic ipſam naturam agnituram quod condidit? Et ſi quis admoneat, annō merito hujuſmodi verbi ſit execratura facinus impium? Quod novum ſpectaculum ego video? Quis tartarus hoc nobis portentum ædidit? Sunt qui me novercam appellent, quod in tam immenſa rerum ſumma, venena quædam genuerim, quanquam & hæc in hominis commodum ceſſura: quod aliquot animantia parum mitia finxerim etiamſi nulla fera tam immitis eſt quin arte & officiis poſſit cicurari. Hominis cura manſueſcunt leones, miteſcunt dracones, ſerviunt urſi. Quæ tandem eſt iſta plus quam noverca, quæ novam hanc beluam, totius mundi peſtem

nobis

nobis dedit? Unum animal totum genui benevolentiæ, placidum, amicum, ſalutare. Quid accidit, ut in hujusmodi ferã degeneràrit? Nihil agnoſco hominis illius, quem finxi. Quis malus genius vitiavit opus meum? Quæ ſaga mentem humanam excantavit, & incantavit beluinam? Quæ Circe nativam vertit formam? Juberem ut ad ſpeculum ſeſe contemplaretur infelix: ſed quid cernant oculi, cum mens abſit? Tamē aſpice teipſum, ſi potes, furioſe bellator, ſi quo pacto conniugat recipiſcere. Unde tibi minax criſta verticis? unde fulgens galea? unde ferrea cornua? unde pinnati cubiti? unde ſquamæ? unde dētes ærei? unde lamſſæ? unde tela lætifera? unde vox plus quam ferina? unde vult' iſte plus quam beluinus? unde tonitru & fulmen, ipſo Jovis fulmine tum formidabilius, tum nocentius? Ego te divinum quoddam animal finxi: quid venit in mentem, ut teipſum in tam immanem beluam transformares, ut nulla jam belua futura ſit belua, ſi cum homine componatur? Hæc atque id genus alia permulta diceret, opinor, architectrix illa rerum Natura. Proinde cū ſic conditus ſit homo, quemadmodum oſtenſum eſt: cū hujuſmodi res ſit, bellum quēadmodum nimium crebro ſentimus, haud mediocriter admirandum videtur, quis deus, quis morbus, aut qui caſus primum in humanum pectus immiſerit, ut lethale ferrum in hominis ſtringeret viſcera. Multis gradibus ad tam inſignem veſaniam ventum ſit oportet. Nemo ſiquidem repente fuit turpiſſimus, ut inquit poeta Satyricus. Semperque malorum maxima, ſub umbra ac ſpecie boni ſubrepſerunt in vitam hominum. Olim igitur cum rudes illi priſcique mortales, nudi, ſine mœnibus, abſq; tecto, vitã in ſylvis agerent, evenit aliquoties, ut à feris ac beluis offenderētur. Cum primum homini bellum ſuſceptum eſt: & vir fortis habebatur ac dux, qui ferarum vim ab hominum genere depuliſſet. Quin & æquiſſimum videbatur, jugulare jugulantes, trucidare trucidãtes: præſertim cum nulla laceſſitæ injuria, ultro nos impeterent. Ea res cum ſummæ laudi duceretur (hinc enim Deus factus eſt Hercules) cœpit animoſa juventus paſſim venari beſtias, exuviū ceu trophæum oſtentare. Deinde nō contenti jugulaſſe, pellibus illarum ſeſe muniērunt adverſus rigorem hyemis. Hæc erant prima homicidia, hæc ſpolia. Poſt hæc longius progreſſi rem auſi ſunt, quam Pythagoras vehementer impiam arbitratus eſt: & nobis poterat prodigioſa videri, niſi vetaret conſuetudo: quæ tantã ubiq; vim habet, ut apud nationes quaſdam pium fuerit habitum, parentem grandævum, plagis obtuſum in foſſam depellere & eripere vitã illi, per quem vitæ munus contigerat: ſanctū haberetur, carnibus affinium amicorum veſci: pulchrum exiſtimaretur, virginem in Veneris phano proſtare populo: multaq; his abſurdiora, quæ ſi quis nunc referat tantum, nemo non ſit abominaturus. Adeo nihil eſt tam ſceleroſum, nihil tam atrox, quod & non probetur, ſi id commendet aſſuetudo. Ergo quod auſi ſunt facinus? Non veriti ſunt veſci ferarum extinctarum cadaveribus, dentibus laniare carnem exanimem, haurire ſanguinem, exugere ſaniem, & viſcera (ut ait Ovidius) in viſcera condere. Id facinus tametſi mitioribus ingeniis tam immane videretur, tamen commendavit uſus & commoditas. Placuit & in deliciis, cadaveris ſpecies. Carnes inſepeliuntur cruſtis, condiuntur aromatibus, inſcribitur titulus: Hic ſitus eſt āper, hic ſepūltus eſt urſus. O cadaveroſas voluptates. Proceſſum eſt longius. A noxiis feris itum eſt ad pecudes innoxias. Sævitum eſt paſſim in oves,

—Animal ſine fraude doloque,

ſævitum in leporem, non ob aliud crimen, niſi quód eſculentus eſſet. Nec temperatum à bove domeſtico, qui ſuo ſudore diu familiam aluerat ingratam: nulli volucrum, nulli piſcium generi parcitum eſt, & eo proceſſit gulæ tyrannis, ut nullum animal uſquam tutum eſſet ab hominis crudelitate. Verum hoc quoque perſuaſit conſuetudo, ut ſævitia non videretur in ullum animantis genus, modo ab hominis cæde temperaretur. Sed in nobis fortaſſe ſitum eſt, vitia, quemadmodum mare, non admittere: verum ut admiſſo limitem præſcribamus, id non eſt, cuiquam in manu. Semel receptum utrumvis, haud noſtro ducitur arbitrio, ſed ſuo fertur impetu. Poſteaquam his rudimentis eſſent ad cædem exercitati, perſuaſit ira, ut homo hominem fuſte, ſaxove, aut pugno peteret. Siquidem iis adhuc armis tum pugnabatur, opinor, & jam occidentis pecudibus didicerant, hominem quoque minimo negocio poſſe perimi. Verum iſta crudelitas diu conſtitit intra monomachias. Unius jactura bellum dirimebatur: nonnunquam uterque cadebat, ſed uterque vita indignus. Ad hæc nōnullam etiam æqui ſpeciem habebat, ſuſtuliſſe inimicum: laudi quoque cœptum eſt dari, ſi quis violentum & peſtilentem hominem, ejuſmodi ferunt fuiſſe Cacum & Buſiridem, confeciſſet, orbemque monſtris iſtiuſmodi liberaſſet. Siquidem videmus hos etiam titulos, in Herculis extare laudibus. Deinde concurſum eſt à pluribus, ut quoſque vel affinitas, vel vicinia, vel neceſſitudo conjunxerat. Et quod nunc latrocinium eſt, tum bellum erat: Saxis & ſudibus præuſtis etiamnum res gerebatur: Rivulus occurrens, aut rupes, aut ſimile quippiam obvium, prælia dirimebat. Interea dum creſcit uſu feritas, dum gliſcunt iræ, dum magis ardeſcit ambitio, furorem ſuum armant ingenio. Excogitantur arma qualiacunque, quibus ſe communirent: & cogitantur tela, quibus hoſtem perderent. Jam paſſim, jam frequentiore manu, jam armati conflictari cœperunt. Nec huic manifeſto furori, ſuus defuit honos. Bellum appellarunt, & virtutem eſſe voluerunt, ſi quis ſui capitis periculo vim hoſtium à liberis, ab uxore, a pecore, à domeſticis latebris propelleret. Atque ita paulatim una cū rerum cultu creſcente militia, bellum indicere cœpit civitas civitati, regio regioni, regnum regno. Quanquam in re per ſe crudeliſſima, tamen remanebãt adhuc humanitatis priſtinæ veſtigia. Repetebantur res per fecialem, citabantur teſtes ſuperi, velitatione præludebatur ad pugnam. Telis vulgaribus, & virtute, non dolo, res agebatur. Nefas erat ferire hoſtem, niſi ſigno dato: non licebat pugnare, ubi receptui ceciniſſet Imperator. Denique virtutis & gloriæ certamen erat, magis quam occidendi cupiditas. Nec dum arma movebantur, niſi in exteros: quos ob id hoſtes, velut hoſpites appellabant. Hinc nata ſunt imperia: quorum nullum unquam fuit in ulla natione, quod non fuerit multo generis humani ſanguine paratum. Deinceps aſſiduæ bellorum vices, dū viciſſim alius alium ab imperio depellit, & ſibi vindicat. Poſt hæc cum imperia quoque ad ſceleratiſſimos mortales deveniſſent, jam in quoslibet pro libidine mota ſunt arma: neque male meriti, ſed pene fortunati, cœperūt maxime belli periculis eſſe obnoxii: & jam prælii ſcopus, non laus eſſe, ſed ſordidum lucrum, aut hoc etiam ſceleratius aliquid. Non dubito quin hæc proſpexerit ſapientiſſimus ille Pythagoras, cū philoſophico commento multitudinem hominum imperitam a laniandis pecudibus deterreret. Videbat futurum, ut qui nulla laceſſitus injuria, pecudis innoxiæ ſanguinem fundere conſueviſſet, item commotus ira & injuria provocatus, non metueret hominem interimere. Porro bellū quid aliud eſt, quam multorum commune homicidium, & latrocinium, hoc ſceleratius, quo latius patens? Sed rident hæc ceu deliramenta ſcholaſticorum à craſſis proceribus noſtri temporis: qui cum præter figuram nihil habeant hominis, tamen ipſi ſibi plane dii videntur. Et tamen ab iis initiis, huc videmus eſſe perventum inſaniæ, ut tota vita nihil aliud agatur. Belligeramur aſſidue, gens cum gente colliditur, regnum cum regno, civitas cum civitate, princeps cū principe, populus cum populo, & (quod Ethnici quoque fatentur impium) affinis cum affini, cognatus cum cognato, frater cum fratre, filius cum patre. Denique (quod ego ſane puto his omnibus atrocius) Chriſtianus cum homine: addam invitus, quod eſt atrociſſimum, Chriſtianus cum Chriſtiano. Et ô cæcitatem mentis humanæ! hæc nemo miratur, nemo deteſtatur. Sunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem plus quam tartaream, ſanctam appellent, ac principes ultro furentes inſtigant, oleum (quod ajunt) addentes camino. Alius è ſacro ſuggeſto promittit omnium admiſſorum condonationem, qui ſub ejus principis ſignis pugnarint. Alius clamat: Invictiſſime Princeps, tu modo ſerva mentem iſtam religioni faventem, Deus pugnabit pro te. Alius promittit certam victoriam, prophetarum voces ad rem impiam detorquens, interpretans illa, Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à dæmonio meridiano: &, Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis: &, Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Denique totus hic myſticus Pſalmus ad res prophanas, ad hos & illos principes detorquebatur. Nec deerant utrique parti tales prophetæ, nec deerant talibus prophetis applauſores. Tam bellaces audivimus conciones Monachorum, Theologorum, Epiſcoporum. Itaque bellatur à decrepitis, bellatur a ſacerdotibus, bellatur a monachis: & cum re tam diabolica Chriſtum miſcemus. Concurrunt acies utrinque crucis inſigne præferentes: quæ vel ipſa poterat admonere, quo pacto conveniat vincere Chriſtianos. A ſacro illo cœleſti, quo perfecta illa & ineffabilis Chriſtianorum conjunctio repræſentatur, curritur ad mutuam cædem: & rei tam impiæ Chriſtum facimus & ſpectatorem & autorem: Ubi nam diaboli regnum eſt, ſi in bello non eſt? Cur huc pertrahimus Chriſtum, cui citius cum quovis lupanari conveniat, quam cum bello? Indignatur Paulus Apoſtolus, ullam eſſe controverſiam inter Chriſtianos, ut judex ſit adeundus, qui litem dirimat. Quid ſi conſpiceret nos toto orbe belligerantes, & quamlibet levi de cauſſa, immanius quam olli bellarint Ethnici, crudelius quam olli barbari? idque fieri autoribus, hortatoribus, adjutoribus his, qui pacificum illum & omnia conglutinantē pontificem repræſentant, quique pacis omine ſalutant populum? Neque me clam eſt, quid jamdudum mihi reclament Cares iſti, quorum meſſis eſt è malis publicis: Bellum ſuſcipimus inviti, aliorum coacti malefactis. Jus noſtrum perſequimur. Quicquid malorum habet bellum, illis feratur acceptū, qui belli dedere cauſas. Sed quieſcant interim paulisper, & horum cauſationes ſuo loco refellemus, ac fucum hunc, quo morbum noſtrum præteximus, detrahemus. Jam ſicut hominem cum bello, hoc eſt, animal placidiſſimum cum re longe immaniſſima compoſuimus, quo magis perſpicua fieret atrocitas: ſic bellum cum pace, rem miſerrimam pariter & ſceleratiſſimam, cum re feliciſſima ſimul & optima comparemus, atque ita demum apparebit, quantæ dementiæ ſit tanto tumultu, tantis laboribus, tanto ſumptu, tanto diſcrimine, tot calamitatibus affectare bellum, cum multo minoris emi poſſit concordia. Principio quid in rerum natura dulcius aut melius amicitia? Nihil profecto. Atqui quid aliquid eſt pax quam multorum inter ipſos amicitia? Sicuti contra bellum nihil aliud eſt, quam plurium ſimultas. Bonorum autem ea ratio eſt, ut quo latius pateant, hoc plus adferant commoditatis. Proinde cum unius cum uno neceſſitudo, res ſit adeo ſuavis & ſalutaris: quam ingēs erit felicitas, ſi regnum cum regno, ſi natio cum natione, neceſſitudinis vinculo copuletur? E diverſo malarum rerum ea [illegible] natura, ut quo latius manarint, hoc magis ſint ſuo dignæ vocabulo. Itaque ſi miſerum, ſi ſceleratū eſt,

Hominem cum homine ferro congredi: quando calamitoſius, quantoque ſceleratius eſt, idem à tot hominum millibus fieri: Cõcordia res parvæ creſcunt, diſcordia dilabuntur & magnæ, pax omnium bonarum rerum & parens eſt, & nutrix. Bellum repente ſemelque quicquid eſt lætum, quicquid eſt pulchrum, obruit, extinguit, abolet, omniumque malorum Lernam quandam in vitã mortalium effundit. Pacis tempore, non ſecus ac ſi novum quoddam ver rebus humanis adfulſerit, coluntur agri, vernãt horti, paſcuntur lætæ pecudes, ædificantur villæ, extruuntur oppida, inſtaurantur collapſa, ornantur & augentur extructa, creſcunt opes, aluntur voluptates, vigent leges, floret reipublicæ diſciplina, fervet religio, valet æquitas, pollet humanitas, calẽt artes opificum, uberior eſt quæſtus pauperum, ſplendidior opulentia divitum: efflореſcunt honeſtiſſimarum diſciplinarum ſtudia, eruditur juventus, tranquillo fruuntur ocio ſenes, bonis auſpiciis nubunt virgines.

Laudantur ſimili prole puerperæ:

florent boni, minus peccant mali. At ſimulatque belli ſæva tempeſtas ingruerit, Deum immortalem, quam ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit univerſa. Abiguntur armenta, proterũtur ſegetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, tot ſeculis extructæ florentiſſimę civitates, una procella ſubvertuntur. Adeo proclivius eſt lædere, quam bene facere. Civium opes ad execrandos latrones ac ſicarios transferuntur. Mœrent domus: metu, luctu, & querimoniis, lamentis complentur omnia. Frigent artes opificum: pauperibus aut jejunandum, aut ad impias confugiendum artes. Divites aut ereptas deplorant facultates, aut timent relictis, utroque modo miſerrimi. Virginum aut nullæ, aut triſtes & funeſtæ nuptię. Deſolatæ matronæ domi ſterileſcunt: ſilent leges, ridetur humanitas, nullum habet locum æquitas: religio ludibrio eſt, ſacri & prophani nullum omnino diſcrimen. Corrumpitur omni vitiorum genere juventus; damnant longævitatem ſuam luctuoſi ſenes. Nullꝰ honos honeſtis literarum ſtudiis. In ſumma plus malorum ſentimus in bello, quam ullius ſermo poſſit aſſequi, nedũ mens. Forte tolerari poterat, ſi bella calamitoſos modo nos facerent, non etiam nocentes & impios: ſi pax feliciores tantum redderet, non meliores quoque. Impius autem eſt, quiſquis bellum accerſit, nimium heu nimium malorum erat, quibus aſſidue velit nolit, vexatur, atteritur, abſorbetur ærumnoſa mortalitas. Ante bis mille ferme annos trecenta morborum nomina medicis ſunt animadverſa, præter ſpecies jam & quotidie ſubnaſcentes novos, ſenectutem ipſam, morbum immedicabilem. Legimus alibi totas urbes terræ quaſſatione ſubrutas, alibi conflagraſſe fulmine, alibi ſolidas etiam hiatu terrarum abſorptas regiones, oppida ſuffoſſione cuniculorum corruiſſe: ut ne commemorem quantam hominum multitudinem jam ob aſſuetudinem contempti caſus abſumant, exundatio maris & fluminũ, ruinæ montium & ædificiorum, venena, lapſus, feræ, cibus, potus, ſomnus. Alium hauſtus in potu lactis pilus, alium acinum uvæ, alium os piſcis inhærens gutturi præfocavit. Sunt quos ſubitum exanimarit gaudium: nam de vehementi dolore minus eſt mirum. Adde nunc fatales peſtilentias, non raro paſſim ſævientes. Nulla pars orbis eſt, unde non immineat periculum humanæ vitæ, alioqui per ſe quoque fugaciſſimæ. Tantum undique malorum obturbat, ut non ſine cauſa Homerus hominem animantiũ miſerrimum pronunciaverit. Verum hæc mala, quoniam nec vitari facile poſſunt, nec noſtro accidunt vitio, calamitoſos tãtum faciunt, non item facinoroſos. Quid juvat tam innumeris obnoxios calamitatibus, ultro ſibi malum, perinde quaſi deſit, accerſere? Et accerſere non quodvis malum, ſed malum omnium multo teterrimum: tam periculoſum ut unum vincat omnia, tam fœcundum, ut unum in ſe complectatur univerſa, tã peſtilens, ut non minus impios efficiat, quam ærumnoſos: ut miſerrimos reddat, nec tamen miſerandos, niſi hos qui minime volunt, & maxime ſentiunt? Adjice jam his omnibus, quod pacis commoda latiſſime ſeſe diffundunt, & ad plurimos pertinent. In bello ſi quid feliciter cecidit (quanquam, ὦ ſuperi, quid hic poteſt dici felix?) id ad paucos pertinet, & eos indignos. Alterius ſalus, alterius eſt exitium: alterius opes, alterius ſunt ſpolia: hujus triumphus, illius eſt luctus: ut acerba ſit infelicitas, immanis & cruenta felicitas. Quanquam plerunque fit, ut juxta Cadmeam, quam vocant, victoriam utraque pars ploret. Et haud ſcio an unquam bellum adeo ceſſerit feliciter, ut cui ſatum victorem ſuſcepti non pœnituerit. Ergo cum pax res ſit omnium tum optima, tum jucundiſſima: bellum cõtra res omnium miſerrima, ſimul & ſceleratiſſima: num hos ſanæ mentis arbitrabimur, qui cum illam mediocri negocio parare queant, hoc malint ſummis etiã difficultatibus accerſere? Primum quam inſuavis res, primus ille belli rumor: deinde quantum invidiæ ſubeundum principi, dum crebris decimationibus expilat ſuos. Quantum negocii in adjungendis aut retinendis auxiliis, quantum in accerſendis barbaricis cohortibus & mercenario milite. Quantum impendii ſimul & curarum in apparandis claſſibus, in extruendis aut ſarciendis arcibus aut præſidiis, in adornandis tentoriis, in fabricandis & comportandis machinis, armis, telis, ſarcinis, vehiculis, commeatu. Quantum laboris exhauriendum in compingẽdis vallis: in evacuandis foſſis, in ſuffodiendis cuniculis, in excubiis, in ſtationibus, in exercitamentis. Omitto jam metus, omitto pericula. Quid enim non metuendum in bello? Quis enumerare valeat incommoda vitæ, quæ ſtultiſſimi milites in caſtris perferunt, & ob id majoribus digni, quod ſponte perferant? Victum quem bos quoque faſtidiat Cyprius: cubile, quod aſpernetur ſcarabeus: ſomnos raros, nec hos tuo datos arbitrio. Tentorium undique ventis pervium, ac ne tentorium quidem. Durãdum ſub dio, cubitandum humi, ſtãdum in armis, ferenda inedia, frigus, æſtus, pulvis, imber: ſerviendum ducibus, vapulandum ferulis: quandoquidem nulla eſt ullius mancipii ſervitus indignior, quam militum. Ad hæc ad triſte ſignũ currendum in mortem, ut aut occidas immaniter, aut cadas infeliciter. Tãtum malorum ſuſcipitur, ut ad rem omnium miſerrimam liceat pervenire. Tam immenſis malis noſipſos prius affligimus, ut alios poſſimus affligere. Quod ſi velimus rem ad calculum vocare, & veris rationibus expendere, quanti bellum conſtet, quanti pax: profecto comperiemus, hanc vel decima parte curarum, laborum, moleſtarum, periculorum, ſumptuum, denique ſanguinis poſſe comparari, quibus bellum accerſitur. Tantam hominum turbam educis in periculum, ut oppidum aliquod evertas, at horum opera, vel citra periculum, aliud extrui poterat multo præclarius oppidum. Sed nocere vis hoſti. Jam hoc ipſum inhumanum. Attamen illud expende, num illi nocere non poſſis, niſi prius noceas tuis. Et furioſi videtur hominis, tantum certi mali ſumere: cum incertum ſit, quo ſit alea belli caſura. Verum eſto, rapuerit ad hanc veſaniam ethnicos vel ſtulticia, vel ira, vel ambitio, vel avaritia, vel immanitas, ſive (quod magis arbitror) ab inferis immiſſæ Furiæ: unde hoc nobis in mentem venit, ut Chriſtianus in Chriſtianũ cruentum ſtringat ferrum? Parricidiũ vocatur ſi frater occidat fratrẽ. At Chriſtianus conjunctior Chriſtiano, quam ullus germanus germano, niſi firmiora ſunt naturæ vincula, quam Chriſti. Quam abſurdum eſt, eos pene continenter inter ſe belligerari, quos una domus habet Eccleſia, qui ejuſdem corporis membra communi capite gloriantur, nempe Chriſto: communem habent patrem in cœlis, cõmuni vegetãtur ſpiritu, iiſdem initiati ſunt myſteriis, eodem redemti ſanguine, eodem renati fõte, iiſdem aluntur ſacramentis, eidem militant imperatori, eodem veſcuntur pane, ejuſdem participes ſunt calicis, communem habent hoſtem diabolũ, poſtremo ad eandem omnes vocati ſunt hæreditatem. Ubi ſunt tam multa perfectæ concordiæ ſacramenta, ubi tam innumera pacis documenta? Unum præceptum Chriſtus appellavit ſuum, nempe charitatis. Cum hac quid æque pugnat atque bellum? Felici pacis omine ſalutat ſuos. Diſcipulis præter pacem nihil donat, præter pacem nihil relinquit. In ſacris illis precibus illud præcipue patrem orat, ut quemadmodum ipſe idem erat cum eo, ita & ſui, hoc eſt, Chriſtiani, idem eſſent ſecum. Jam plus audis, quam pacem, plus quam amicitiam, plus quam concordiam. Chriſti typum habebat Solomon, quod Hebræis pacificum ſonat, ab hoc ſibi templum extrui voluit. David alioqui diverſis virtutibus egregie clarum, tamẽ hoc elogio ſubmovit ab extructione templi, quod ſanguinarius eſſet. Et tamen is autore Deo bella fere geſſit adverſus impios: atque id ſane eo ſeculo, quo nondũ docuerat ille Moſaicæ legis abſolutor, etiã inimicos eſſe diligendos. Nato Chriſto non bellum neque triumphos, ſed pacem canunt angeli. De nondum nato præcinuit vates ille myſticus: Et factus eſt in pace locus ejus. Univerſam illius doctrinam excute, nihil uſquam reperies, quod non ſpiret pacem, quod non ſonat amicitiam, quod non ſpirat charitatem. Et quoniam intelligebat pacem aliter non poſſe conſtare niſi penitus contemptis his, pro quibus mundus hic digladiatur, juſſit ut ab ipſo diſceremus eſſe mites. Beatos vocavit, qui divitias, & harum filiam ſuperbiam pro nihilo ducerent (nam hos vocat pauperes ſpiritu) beatos, qui voluptates hujus mundi ſpernerent, quos lugentes appellat, qui ſe paterentur ſuis exturbari poſſeſſionibus, ſcientes hic nihil aliud eſſe, quam exilium, veram patriam, veram poſſeſſionem in cœlo ſitam eſſe piis: beatos, qui benemerentes de omnibus impune & male audirent, & malis afficerentur. Vetuit, ne quis malo reſiſteret. Breviter, ut omnis illius doctrina tolerantiam & amorem præcipit, ita tota vita nihil aliud docet, quam manſuetudinẽ. Sic ille regnavit, ſic bellavit, ſic vicit, ſic triumphavit. Nec aliud inculcant Apoſtoli, qui purum adhuc Chriſti ſpiritum imbiberant, & muſto illo feliciter erant temulenti. Quid undique ſonant omnes Pauli literæ, niſi pacem, niſi lenitatem, niſi charitatem? Quid Johannes loquitur, quid iterat, niſi dilectionem? Quid aliud Petrus? quid aliud omnes vere Chriſtiani ſcriptores? Unde tantus bellorum tumultus inter filios pacis? An fabula eſt, quod Chriſtus ſe vitem appellat, ſuos, palmites? Quis unquam vidit palmitem pugnare cum palmite? An vanum eſt, quod non ſemel ſcripſit Paulus, Eccleſiam nihil aliud eſſe, quam unũ corpus è diverſis membris cõnexum, adhærens uni capiti Chriſto? Quis vidit oculum pugnare cum manu, aut ventrem cum pede? In hoc univerſo, rerum omnium tam diſſimiliũ, harmonia eſt. In animalis corpore, pax eſt membro: quod quæq; pars dotis habet, non uni ſibi habet, ſed in commune omnibus. Si quid accidit unicuilibet, opitulatur univerſum corpus. An plus poteſt in perituro corpore, naturæ connexio quam in myſtico & immortali, copula ſpiritus? An fruſtra precamur illud ex præſcripto Chriſti: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic & in terra? In illa civitate, ſumma cõcordia eſt. At Chriſtus nihil aliud eſſe voluit ſuam Eccleſiam, quam cœleſtem quendam populum, in terris ad illius imaginem, quoad fieri poteſt, viventem illo properantem, ab illo pendentem. Age, finge jam mihi nunc novum aliquem hoſpitẽ, vel è lunaribꝰ illis à civitatibus, quas inhabitat Empedocles, vel ex

uno quopiam mundo eorum, quos innumerabiles fabricatus eſt Democritus in hunc noſtrum veniſſe, quid rerum agatur cupientem cognoſcere. Cumque de ſingulis edoctus, audierit eſſe unum quoddam animal, mire commixtum ex corpore, quod cum brutis habeat commune, ex animo, quo divinæ mẽtis referat imaginem: id adeo eſſe generoſum, ut quanquam hic exulet, tamen cæteris omnibus imperet animantibus; quod ob cœleſtem originem, ſemper ad cœleſtia nitatur & immortalia: quod in tantum curæ fuerit æterno numini, ut quoniam neq; naturæ viribus, neque philoſophiæ rationibus aſſequi poterat quod affectabat, unicum filium ſuum huc delegarit, qui novum doctrinæ genus inveheret. Deinde ſimulatque totam Chriſti vitam ac decreta perdidicerit, cupiat ex edita quapiã ſpecula, videre quod audiiſſet. Ubi cõſpexerit cætera animantia probe in ſuo genere degere ac naturæ legibus duci, nihil appetere, niſi quod dictet natura, unum animal inter ſe cauponari, negociari, rixari, belligerari: nonne quodvis animal potius ſuſpicabitur hominem eſſe de quo audierat, quam ipſum hominem? Deinde admonitus ab indice, quis ſit homo, jam diſpiciat, ubi ſit grex ille Chriſtianorum, qui cœleſtis illius doctoris inſtitutum ſequentes, angelicæ civitatis ſimulacrum exhibeant: annon ubivis potius judicabit habitare Chriſtianos, quam in hiſce regionibus, in quibus tantam videret opulẽtiam, luxum, libidinem, faſtum, tyrannidem, ambitionem, fraudem, invidiam, iracundiam, diſcordiam, rixas, pugnas, bella, tumultus, breviter omnium rerum, quas Chriſtus damnat, majorem pene Lernam quam apud ullos Turcas aut Saracenos? Unde igitur peſtis hæc irrepſit in populum Chriſtianũ? Nimirum paulatim hoc quoque malum, ſicuti cætera pleraque, receptum eſt ab incautis. Siquidem omne malum aut ſenſim obrepit in hominum vitam, aut ſub prætextu boni ſeſe inſinuat. Primum igitur irrepſit eruditio, velut idonea res ad confutandos hæreticos philoſophorum, poetarum, & oratorum literis armatos. Et initio quidem non iſta diſcebantur a Chriſtianis, ſed quibus forte contigerant ante Chriſtum cognitum, hi quod jam partum erat, in pios conferebant uſus. Eloquentia quoque diſſimulata magis quam ſpreta primum, deinde palam etiam. Proinde ſub prætextu profligandi hæreticos, ſubrepſit ambitioſa rixandi libido, quæ non mediocrem Eccleſiæ peſtem invexit. Tandem huc proceſſum eſt, ut in mediam Theologiam totus ſit receptus Ariſtoteles: & ita receptus, ut hujus autoritas pene ſanctior ſit, quam Chriſti. Nam ſi quid ille dixit, parum accommodum ad vitã noſtram, licet interpretamento detorquere: cæterum exploditur illico, qui vel leviter auſit Ariſtotelicis oraculis refragari. Ab hoc didicimus, non eſſe perfectam hominis felicitatem, niſi corporis & fortunæ bona acceſſerint. Ab hoc didicimus, non poſſe florere Remp. in qua ſint omnia communia. Hujus omnia decreta, cum Chriſti doctrina conamur adglutinare: hoc eſt aquam flammis miſcere. Recepimus nonnihil & à Cæſareis legibus propter æquitatem quam præ ſe ferunt: & quo magis convenirent, Evangelicam doctrinam ad eas, quoad licuit, detorſimus. At hæ permittunt vim vi repellere, ſuum quemque jus perſequi, probant negociationem, recipiunt uſuram, modo moderatam: bellum ceu rem præclaram efferunt, modo juſtum. Iuſtum autem eſſe definiunt, quod indictum ſit a principe, quamlibet puero aut ſtulto. Deniq; tota jam Chriſti doctrina, dialecticorum, ſophiſtarum, mathematicorum, oratorum, poetarum, philoſophorum, & jureconſultorum ethnicorum literis ita contaminata eſt, ut maxima pars ævi conſumenda ſit, priusquam vacet arcanas ſcrutari literas: ad quas ut aliquando venias, tot tamen opinionibus mundanis infectus accedas oportet, ut Chriſti jam decreta aut prorſus offendant, aut ad illorum dogmata torqueantur. Atque hæc res adeò non improbatur, ut nefas ſit cum de Chriſtianis loqui literis, qui ſeſe magis Ariſtotelicis, vel potius ſophiſticis, totum ad ambas usque, quod ajunt, aures non expleverit. Quaſi verò Chriſti doctrina ſit ejusmodi, ut non vel maxime poſſit eſſe communis omnium, vel ullo pacto cum philoſophorum ſapientia conſentiat. Poſt hæc recepimus honoris nõnihil, ſed ultro delatum: quem deinde, veluti debitum cœpimus exigere. Id viſum eſt non iniquum. Deinde recepimus opes, ſed in pauperum ſubſidium diſtribuendas, poſt etiã in uſus noſtros. Quid ni, poſteaquam didicimus hũc eſſe charitatis ordinem, ut ſibi quisque proximus? Neque deerant prætextus huic malo. Pium, conſulere liberis: æquum, proſpicere venturæ ſenectuti. Poſtremo: Cur rejiciam opes, inquiunt, ſi citra fraudem contingant? His gradibus paulatim eo ventum eſt, ut is primus habeatur, qui ſit locupletiſſimus: nec unquam major fuerit honos divitiis apud ethnicos, quam hodie ſit apud Chriſtianos. Quid eſt enim omnino vel ſacrum, vel prophanum, quod non harum geratur arbitrio? Videbatur his ornamentis convenire nonnihil imperii. Neque defuit, qui voluerit cedere. Receptum eſt hoc quoque, ſed gravatim & parce. Demum ita, ut ſolo titulo contenti, rem libenter in alios rejicerent. Poſtremo paulatim huc itum eſt, ut epiſcopus ſibi non videatur epiſcopus, niſi mundanæ aliquid ditionis acceſſerit. Parum honeſtus abbas, ſi nuſquam poſſit quod poſſunt tyranni. Tandem perfricta facie pudorem omnem abſterſimus, omnia verecundiæ repagula diſcuſſimus. Quicquid unquam apud Ethnicos fuit avaritiæ, quicquid ambitionis, quicquid luxus, quicquid faſtus, quicquid tyrannidis, id imitamur, æquamus, vincimus. Et ut de levioribus interim ſileã, an unquam apud ethnicos bellatũ eſt, aut æquè perpetuo, aut crudelius, quã inter Chriſtianos? Quas tẽpeſtates, quos bellorũ æſtus, quoties diſciſſa fœdera, quas ſtrages his paucis annis cõſpeximus? Quæ natio cum qua non conflictata eſt ferro? Et poſtea Turcam execramur: quaſi poſſit ullum ſpectaculum eſſe Turcis jucundius, qui quod illis quotidie mutuis cladib. exhibemus ipſi. Inſaniebat Xerxes, cum ingentem illam multitudinem, Græciam invaſurus educeret. An tibi conſtitiſſe animo videtur, qui Athomonti minaces ſcripſerit epiſtolas, ni cederet: qui mari Helleſponto, quod parum commodum fuiſſe navigare volenti, plagas juſſerit infligi? Furebat Alexãder ille magnus. Quis negat? Optabat ſemideus ille plureis mundos, quos devinceret: tanta gloriæ febris juvenilem obſederat animum. Et tamen iſti, quos Seneca non dubitat furioſos appellare latrones, bellabant humanius nobis, bellabant majore fide, nec ſimilibus machinis, nec ſimilibus artibus, nec tã frivolis titulis, quam bellamus Chriſtiani. Si revolves ethnicorũ hiſtorias, quam multos reperies duces, qui miris artibus bellum declinarint: qui hoſtem officiis devincere quam armis devincere maluerint? Quidam etiam cedere principatum prius habuerunt, quam experiri Martem. Nos pſeudochriſtiani nihil non rapimus ad occaſionem belli: Ethnici bellatores priusquam venirent ad arma, veniebant in colloquium. Apud Romanos omnibus tentatis mittebatur Fecialis cum Patre Patrato, peragebantur ceremoniæ: nimirum moræ quærebantur, quæ bellandi furorem temperarẽt. Atque iis quoq; peractis non licebat manũ conſerere cum hoſte, niſi ſigno dato: quod ita dabatur, ut miles neſciret, quando dandũ eſſet: Ac ne hoc quidem dato, licebat cuiquam hoſtem vel laceſſere, vel ferire, qui quanquam in caſtris verſaretur, tamen ſacramento militari non eſſet obſtrictus: adeò ut Cato ſenior filium in caſtris ceſſantem per literas admonuerit, ut Romam redeat, aut ſi mallet in exercitu manere, veniam petat a duce, ut ſibi cum hoſte congredi liceat. Iam ut belli ſignum non faciebat poteſtatem pugnandi niſi ſacramento aſtrictis: ita ſignum quo canebatur receptui, omnibus adimebat occidendi facultatem: adeò ut à Cyro laudatus ſit miles quidam, qui quùm ſublato gladio fuerat hoſtem interfecturus, mox ut ſenſit cani receptui, dimiſerit hoſtem. Hæc eo pertinebant, ne quis crederet ſibi licere occidere hominem, niſi neceſſitas eo compelleret. Nunc inter Chriſtianos vir fortis habetur, ſi quis ejus gentis quicum bellum eſt, hominem, forte obvium in nemore, non armatum, ſed pecuniis onuſtum, nec bellum molientem, ſed aliquo fugientem ne bellet, occiderit, occiſum ſpoliaverit, ſpoliatum defoderit. Et milites vocantur, quiſpe lucelli ultro provolant ad pugnam, & in utraque acie ceu gladiatores pugnant, germani adverſus germanos, ad ejusdem principis ditionem pertinentes. Et hi cum à talibus præliis redeunt domum, veluti milites narrant ſua facinora: nec interim ut prædones ac patriæ perduelles, ac principis ſui deſertores puniuntur. Carnificem abominamur, quod conductus, ex legum autoritate nocentes damnatoſque jugulat: & qui relictis parentibus, uxoribus ac liberis, ultro procurrunt in bellum, non conducti, ſed ambientes ut ad impiam lanienam conducantur, ubi domum redierint, gratioſiores pene ſunt, quam ſi nuſquam abfuiſſent. Ex facinoribus aliquid nobilitatis putant accedere. Infamis eſt, qui veſtem furto ſuſtulit: qui & prodiens in militiam, & militans, & rediens à militia, tot immeritos ſpoliavit, inter probos cives habetur. Ex militibus autem qui ſeſe geſſit immaniſſime, dignus habetur, proximo bello ducem agat. Itaque ſi veteris militiæ diſciplinam contempleris, Chriſtianorum militia latrocinium fere eſt, non militia. Quod ſi monarchas Chriſtianos cum Ethnicis conferas, quanto noſtra cauſa deterior? Illi præter gloriam nihil ambiebãt. Gaudebant florentiores reddere provincias, quas bello ſubegiſſent: populos agreſtes, ſine literis, ſine legibus ritu ferarum viventes, civilibus artibus expoliebant. Regiones incultas extructis oppidis reddebant celebres. Parum tuta communiebant, pontibus, litoribus, aggeribus, milleque id genus commoditatibus, vitam hominum adjuvabant, ut tum expedierit divinci. Quam in mediis etiam bellis, quam multa feruntur ab his vel dicta ſapienter, vel geſta temperate? Cæterum quæ gerũtur in bellis Chriſtianorum, & obſcœniora ſunt, & atrociora, quam ut ſint hic commemoranda. Proinde quod in illis erat peſſimũ, id ſolum exprimimus, imò ſuperamus. Sed jam operæ preciũ fuerit audire, quibus modis hanc tantam inſaniam noſtram tueamur. Si nullo, inquiunt, pacto fas eſſet bellare, Deus non fuiſſet Iudæis autor bellãdi adverſus hoſtes. Audio: ſed illud addas oportet, Iudæos vix unquam bellaſſe inter ſe, verum adverſus alienigenas & impios: nos Chriſtiani pugnamus cum Chriſtianis. Illis diverſa religio, & non eadem numina, diſſidii cauſa fuit: nos aut puerilis ira, aut pecuniæ fames, aut gloriolæ ſitis, ſæpenumero fœda merces huc adducit. Illi juſſu divino pugnabant: nobis animi perturbatio ferrum dat in manum. Quanquam ſi uſque adeò placet exemplum Iudæorum, quin eadem opera præputium recidimus? Quin immolamus pecudes? Quin abſtinemus a carne ſuilla? Cur non ducimus ſinguli plures uxores? Cum hæc execremur, cur ſolum bellandi placet exemplum? Cur hic denique literam ſequimur occidentem? Iudæis permiſſum eſt bellum: ſed ita quemadmodum & repudium, nimirum ob duritiam ingenii. At poſteaquam Chriſtus juſſit recondi gladium, non decet pugnare Chriſtianos: niſi pulcherrimum illud prælium, cum teterrimis hoſtibus Eccleſiæ, cum ſtudio pecuniæ, cum iracundia, cum ambitione, cum metu mortis. Hi ſunt Philiſtæi noſtri, hi Nabuchodonoſores, hi Moabitæ & Ammonitæ, cum quibus nullas nobis inducias eſſe oportet, aſſidue conflictandum me-

paululum commodi tam innumeris mercari malis? Malo penes quemcunque ſit titulus, ſi mihi tanta Chriſtiani ſanguinis jactura vindicandus eſt. Ille quiſquis eſt, multis jam annis poſſedit, aſſuevit habenis, agnoſcitur à ſuis, fungitur munere principis, & exorietur aliquis qui veteri quopiã titulo ex annalibus, aut obliteratis monumẽtis reperto, bene compoſitum rerum ſtatum, ſurſum ac deorſum miſceat. Præſertim cum videamus, in rebus mortalium nihil diu ſuo loco conſiſtere, ſed ludibrio fortunæ, velut æſtu quodam affluere ac defluere. Quorſum attinet tãto tumultu vindicare, quod mox quolibet caſu ſit alio demigraturum? Poſtremo ſi iſta tam levicula non poſſunt contemnere Chriſtiani, quorſum opus eſt, protinus ad arma rapi? Tot habet mũdus epiſcopos graves & eruditos, tot habet venerabiles abbates, tot optimates grãdævos, & longo rerum uſu ſapientes, tot concilia, tot ſenatus non fruſtra à majoribus inſtitutos. Cur non potius horum arbitrio, puerilis iſtiuſmodi principum querimoniæ componũtur? Sed honeſtior eſt illorum oratio, qui prætexuerũt Eccleſiæ defẽſionem: quaſi vero populus non ſit Eccleſia, aut quaſi tota Eccleſiæ dignitas in ſacerdotum opibus ſita ſit, aut quaſi bellis ac ſtragibus orta, provecta, conſtabilita ſit, Eccleſia, ac non potius ſanguine, tolerantia, vitæque contemptu. Mihi ſane ne hoc quidem adeo probandum videtur, quod ſubinde bellum molimur in Turcas. Male profecto agitur cum religione Chriſtiana, ſi illius incolumitas à talibus pendet præſidiis. Neque conſentaneum eſt, his initiis bonos gigni Chriſtianos. Quod ferro paratum eſt, ferro viciſſim amittitur. Vis Turcas ad Chriſtum adducere? Ne oſtẽtemus opes, ne militum manum, ne vires. Videant in nobis non titulum tantum, ſed certas illas hominis Chriſtiani notas, vitam innoxiam, ſtudium benemerendi etiam de hoſtibus, invictam omnium injuriarum tolerantiam, pecuniæ contemptum, gloriæ neglectum, vitam vilem: audiant cœleſtem illam doctrinam, cum hujuſmodi vita congruentem. His armis optime ſubiguntur Turcæ, nunc ſæpenumero mali pugnamus cum malis. Dicam aliud, & utinam audacius quam verius, ſi titulum crucisque tollas inſigne, Turcæ cum Turcis digladiamur. Si militum manu conſtituta eſt religio, ſi ferro confirmata, ſi bellis aucta, tueamur eam iiſdem præſidiis. Quod ſi diverſis rationibus peracta ſunt omnia, cur veluti Chriſti præſidio diffiſi, ad ethnicas confugimus ſuppetias? At cur non jugulem, inquiunt, eos qui nos jugulant? Itane putas indignum, ſi quis ſit te ſceleratior? Cur non ſpolias ſpoliantem? Cur non cõvicia ris convicianti? Cur non odiſti odio habentem? An Chriſtianum facinus eſſe putas, ſi trucidatis impiis quidẽ, ut nos arbitramur ſed tamen hominibus, pro quibus ſervandis mortuus eſt Chriſtus, gratiſſimam diabolo victimam mactes: biſq; delectes hoſtem, & quod occiditur homo, & quod occidit Chriſtianus? Plerique dum volunt videri valde Chriſtiani, ſtudent Turcis quam plurimum facere mali: & quod facere non poſſunt, execrantes imprecantur, cum hoc ipſo argumento, parum Chriſtianum liceat deprehendere. Ita nonnulli dum videri volunt vehementer orthodoxi, diris execrationibus devovent, quos vocant hæreticos, ipſi fortaſſis digniores hoc vocabulo. Qui vult orthodoxus videri, manſuetis rationibus adnitatur, ut qui errat, reſipiſcat. In Turcas exſpuimus, ita nobis videmur pulchre Chriſtiani, fortaſſis abominabiliores apud Deum, quam ipſi Turcæ. Quod ſi veteres Evangelii præcones hoc animo fuiſſent in nos, quo nos ſumus in Turcas, ubi nos nunc eſſemus, qui illorum tolerantia ſumus Chriſtiani? Succurre Turcis: ex impiis, ſi poteſt, reddito pios: ſi non potes, opta: & agnoſcam mentem Chriſtianam. Tam multi ſunt in orbe, monachorum mendicato viventium ordines, qui ſe columnas Eccleſiæ videri volunt: ex tot millibus quotuſquiſq; eſt, qui pro religione Chriſti propaganda vitam ſuam vilem habeat? Sed ſpes non eſt, inquiunt. Imo ſumma ſpes eſſet, ſi mores adferrent majorum ſuorum Dominici & Franciſci, in quibus viris ſummum mundi hujus contemptum fuiſſe arbitror: ne quid interim commemorem de moribus Apoſtolicis. Ne miracula quidẽ nos deſtitutura ſint, ſi quidem id poſtularet Chriſti gloria. Nunc qui ſe Petri principis Eccleſiæ, qui cæterorum Apoſtolorũ vicarios ac ſucceſſores gloriantur, plerunque totam fiduciam in humanis præſidiis conſtituũt. Illi vero rigidi veræ religionis profeſſores, verſantur in urbibus opulentis, ac luxu perditis: ubi citius corrumpantur ipſi, quam alios reddant emẽdatiores, & ubi eſt affatim paſtorum, qui populum doceant, ac ſacerdotum, qui laudes Deo canant. Verſantur in aulis principum, ubi quid agant, in præſentia non referam. Utinam ne quid pejus quam canis in balneo. Inhiant teſtamentis, venantur lucrum, ſubſerviunt principum tyrannidi: & ne nihil agere videantur, notant articulos erroneos, ſuſpectos, ſcandaloſos, irreverentiales, hæreticos, ſchiſmaticos. Malunt enim ipſi regnare malo populi Chriſtiani, quam ſuo periculo Chriſti regnũ propagare. Atqui quos vocamus Turcas, magna ex parte ſemichriſtiani ſunt, fortaſſis propiores vero Chriſtianiſmo, quàm plerique noſtrum ſunt. Quot enim ſunt apud nos, qui nec reſurrectionem corporum credunt, nec animam credunt corpori ſuperſtitem? Et interim per iſtos ſævitur in hæreticulos, qui dubitant, an Romanus pontifex habeat jus in animas igne purgatorio cruciatas. Ejiciãmus primum trabem ex oculo noſtro, mox ejecturi feſtucã ex oculo fratris. Evangelicę fidei finis, ſunt mores Chriſto digni. Cur urgemus ea, quæ nihil ad mores faciunt, his neglectis, quibus ceu columnis ſubductis, tota fides ſemel collabitur? Poſtremo quis credet nobis prætexentibus crucẽ, Evangelii titulum, ſi tota, vita nihil aliud undique præ ſe fert quam mundum? Ad hæc Chriſtus, in quo nihil erat imperfectum tamen linum fumigans non extinguit, & baculum confractum nõ comminuit, juxta prophetiam, ſed quod imperfectum eſt, fovet ac tolerat, donec proficiat in melius. Nos totam Aſiã & Africam ferro paramus extinguere, quum plurimi ſint illic vel Chriſtiani, vel ſemichriſtiani? Quur non illos agnoſcimus potius, hos fovemus, & clementer emendamus. Quod ſi ſtudemus imperio propagando, ſi inhiamus illorum opibus, quur rei tam prophanæ Chriſti titulum prætexímus? Quid quod interim dum humanis opibus tantum odorimur illos, hoc ipſum quod ſupereſt nobis ex orbe totum in manifeſtum diſcrimen adducimus? Quantulus orbis angulus nobis reliquus eſt? Quãtam barbarorum multitudinẽ quam pauci provocamus? At dicet quiſpiam: Si Deus pro nobis, quis cõtra nos? Iſthuc merito dicet, qui ſolius Dei præſidiis fretus eſt. Cæterum his, qui diverſis nituntur præſidiis, quid dicit imperator noſter Chriſtus Jeſus? Qui gladio percutit, gladio peribit. Si volumus Chriſto vincere, accingamur gladio ſermonis Evangelici, aſſumamus galeam ſalutis, & ſcutum fidei, reliquamq; vere Apoſtolicam panopliam. Ita fiet, ut tum maxime vincamus, quũ vincemur. Sed finge nobis feliciter cadere Martis aleam: quis unquam vidit, ferro, cæde, incendiis, prædationibus reddi vere Chriſtianos? Minus mali eſſe palam eſſe Turcam aut Judæum, quam hypocritam Chriſtianum. Sed depellenda eſt illorum vis à capitibus noſtris. Quur igitur illorum vim, mutuis diſſidiis in noſtra capita provocamus? Certe concordes nos non facile impetent: & noſtris officiis citius ad fidem convertentur, ſi ſerventur, quam ſi perimantur. Malò Turcam ingenuum, quam fucatum Chriſtianum. Noſtrum eſt ſeminare ſemen Evangelicum, Chriſtus dabit proventum. Meſſis eſt copioſa ſi non deſint operarii. Et tamen ut ex Turcis reddamus aliquot male ficteque Chriſtianos, quot ex bonis Chriſtianis reddemus malos, ex malis, pejores? Quid enim aliud gignet tantus belli tumultus? Nolim enim hic ſuſpicari: quod tamẽ heu nimium ſæpe compertum eſt, prætexi belli Turcici rumorem, ut hoc titulo ſpolietur populus Chriſtianus, ut omnibus modis preſſus fractuſque, ſervilius ferat principũ utriuſque generis tyrannidem. Non hæc dixerim, quod in totum damnem expeditionem in Turcas, ſi nos ultro impetant: ſed ut bellum, cui Chriſtum authorem prætexímus, animis Chriſtianis, Chriſtique præſidiis geramus. Sentiant ſeſe ad ſalutem invitari, non peti ad prædã. Adferamus ad illos mores Evangelio dignos, ſi lingua deerit, quibus cum illis congrediamur. Magnam habebit eloquentiam & ipſa vita. Adferamus fidei profeſſionem ſimplicem, vereque Apoſtolicam: non tam articulis humanitus additis oneratam. Ea potiſſimum exigamus ab illis, quæ nobis aperte ſacris voluminibus & Apoſtolorum literis tradita ſunt. In paucis facilior erit conſenſus, & facilius conſtabit concordia, ſi in plerisque liberum erit in ſuo cuique ſenſu abundare, tantum ut abſit contentio. Verum hiſce de rebus omnibus aliquanto copioſius audietur, cum ædemus librum, cui titulum fecimus Antipolemo: quem olim Romæ vitam agentes ad Julium ij. Romanum pontificem. cõſcripſimus, eo tempore, quo de bello in Venetos ſuſcipiendo cõſultabatur. Illud deplorandum potius, quam refellẽdum: ſi quis exactius rem excutiat reperiet omnia fere Chriſtianorum bella, vel è ſtultitia, vel è malitia naſci. Nonnulli juvenes, & rerum imperiti majorum malis exemplis, hiſtoriarum, quas de ſtultis prodidere ſtulti monumentis, ad hoc inflammati: de hinc inſtigãtibus adulatorum hortatibus, extimulantibus juriſconſultis ac theologis, aſſentantibus aut conniventibus epiſcopis, fortaſſis & exigentibus: temere magis quam malitioſe bellum ſuſcipiunt: & tanto totius orbis malo diſcunt, bellum rem eſſe modis omnibus fugiendam. Alios occultum odium, alios ambitio, alios animi feritas, in bellum impellit. Quandoquidem ne noſtra quidem Ilias quicquam, præterquam ſtultorum regnum & populorum cõtinet æſtus. Sunt qui non aliam ob cauſam bellum movent, niſi ut hac via facilius in ſuos tyrannidem exerceant. Nam pacis temporibus, ſenatus authoritas, magiſtratuum dignitas, legum vigor non nihil obſtant, quo minus liceat principi, quicquid libet. At bello ſuſcepto, jam omnis rerum ſumma ad paucorum libidinem devoluta eſt: Evehuntur, quibus bene vult princeps: dejiciuntur, quibus infenſus eſt. Exigitur pecuniæ quantum libet. Quid multis? Tum demum ſentiunt ſe vere monarchas eſſe. Colludunt interim duces, donec infelicem populum uſque ad radicem arroſerint. Hoc animo qui ſint, jam eos putas gravatim arrepturos oblatam quamcunque belli occaſionem? Deinde morbum noſtrum honeſtis titulis prætexímus. Inhio Turcarum opibus, & obtendo religionis defenſionem: obſequor odio meo & prætexo jus Eccleſiæ. Servio ambitioni, ſequor iram, rapit animus ferox & impotens; & ruptum fœdus, violatam amicitiam, omiſſum neſcio quid de ſponſalium legibus, aut ſimile quippiam cauſor. Jam dictu mirum eſt, quam non aſſequantur hoc ipſum quod affectant: & dum ſtulte vitant hoc aut illud malum, in aliud, aut etiam in idem multo gravius incidunt. Etenim ſi gloria ducuntur, non paulo magnificentius eſt ſervare, quam perdere: multo pulchrius extruere civitatem, quam demoliri. Deinde ut proſperrimo Marte res geratur, quantula gloriæ portio redibit ad principem: unde magnam partem ſibi vindicat populus, cujus pecunia res confecta eſt: majorem miles exterus (ut plerumque fit) & conductitius: nonnullam duces: maximam fortuna, quæ cum in

omni negocio, tum in bello valet plurimum. Si ſublimitas animi ſtimulat in bellum, vide quæſo quam non recte tibi conſulis iſta ratione. Dum uni non vis cedere, puta vicino principi, fortaſſis affini, forſitan olim bene merito: quanto abjectius te ſupplicem facis, dum ſuppetias imploras barbarorum: & quod eſt indignius, omnium facinorũ genere contaminatorum hominũ, ſi modo homines oportet vocare hujuſmodi beluas? Dum inceſtis, homicidis, prædonibus (per hos enim potiſſimum bellum geritur:) polliceris, adularis, palparis. Et dũ in æqualem feroculus eſſe ſtudes, infimæ mortalium fæci teipſum cogeris ſubmittere. Dumq; paras qualemcunque finitimum ſuis ſedibus dejicere, peſtilentiſſimam nebulonum colluviem in tuas ſedes admittas oportet. Non fidis affini, & armatæ multitudini credis teipſum? Quanto tutiorem poterat reddere cõcordia? Si lucro traheris, calculos adhibe. Placeat bellum, niſi videris non æſtimandis diſpendiis compendium peti, non ſolum longe minus, ſed etiam incertum. At conſulis reip. imo nõ alia via citius ac perditius pereunt reſp. quam bello. Prius quam incipias, jam plus nocuiſti patriæ, quam ſis profuturus victor. Exhauris civium opes, luctu funeſtas domos, omnia latronibus, furibus, ſtupratoribus imples. Has enim reliquas parit bellum. Et cum ante licuiſſet univerſa frui Gallia, à multis regionibus teipſum excludis. Si vere tuos amas, quin tibi illa veniunt in mentem? Cur ego hanc tam floridam juventutem omnibus malis objiciã? Cur tot matronas ſuis maritis, tot liberos ſuis orbabo parentibus? Cur titulum, neſcio quem, & anceps jus, meorum aſſeram ſanguine? Vidimus, cum prætextu defendendæ Eccleſiæ, bellum eſſet ſuſceptum, crebris decimationibus ſic expilati ſacerdotes, ut nullus hoſtis potuerit hoſtilius. Itaque dum ſtulte vitamus foveam, ultro nos ipſos in foveam præcipitamus. Dum levem injuriã pati non poſſumus, ipſi nos ſummis afficimus contumeliis. Dum pudet morigerum videri principi, ſupplices reddimur infimis. Dum libertatẽ impudenter affectamus, graviſſimæ ſervituti noſmet irretimus. Dum paululum venamur lucri, damnis immenſis nos ac noſtros afficimus. Prudentia erat, hæc ſecum expendere: Chriſtiani (ſi modo vere Chriſtianus ſit) rem tam tartaream, tam alienam à vita ſimul & doctrina Chriſti, modis omnibus fugere, deprecari, propellere. Quod ſi vitari nullo pacto poteſt ob multorum improbitatem, ubi nihil intentatum reliqueris, poſteaquam pacis ſtudio omnem moveris lapidem: tum proximum erit dare operam, ut mala res per malos geratur, & quam minimo diſpendio humani ſanguinis cõficiatur. Nam ſi damus operã, ut re ſimus id quod audimus, hoc eſt, nihil admiremur, nihil ambiamus, quod eſt hujus mundi: ſi tantum hoc agimus, ut hinc quam maxime expediti evolemus: ſi toto niſu rapimur ad cœleſtia: ſi felicitatis noſtræ ſummam in uno Chriſto collocamus: ſi quicquid eſt vere bonum, vere ſplendidum, vere jucundum, in hoc uno ſitum eſſe credimus: ſi perſuaſum habemus, hominem pium à nemine lædi poſſe; ſi perpendimus, quam inania ſint, quam fugacia rerum humanarum ludibria: ſi penitus intuemur, quam ardua res ſit hominẽ quodammodo transformari in Deum: & hic ita meditatione quadam infatigabili repurgari ab hujuſmodi contagiis, ut mox objecto corporis exuvio, in angelorum demigret conſortium: in ſumma, ſi præſtamus hæc tria, ſine quibus nemo Chriſtiani cognomen promeretur: innocentiam, ut puri ſimus à vitiis: charitatem, ut bene mereamur quantum fieri poteſt de omnibus: patientiam, ut male facientes toleremus, & ſi licet, injuriam beneficiis obruamus: quæſo quod bellũ poſſit inter nos de nugis exiſtere? Si fabula eſt Chriſtus: cur non explodimus ingenue? Cur illius titulo gloriamur? Sin is vere eſt & via, & veritas, & vita, cur omnes noſtræ rationes ab hoc exemplari tantopere diſſident? Si Chriſtum authorem agnoſcimus, qui charitas eſt: nihil docuit, nihil tradidit, niſi charitatem & pacem: agedum non titulis & inſignibus, ſed factis hunc exprimamus & vita. Amplectamur pacis ſtudium, ut Chriſtus viciſſim agnoſcat ſuos. In hoc pontifices, in hoc principes, in hoc civitates, conſilia ſua conferant. Satis hactenus fuſum Chriſtiani ſanguinis. Satis voluptatum exhibuimus Chriſtiani nominis hoſtibus. Quod ſi quid ſuo more tumultuatur populus, à principibus cohibeatur: quos hoc oportet eſſe in republica, quod oculus eſt in corpore, quod in anima ratio. Rurſum ſi quid turbant principes, certe pontificum eſt, ſua prudentia, ſuaque authoritate, rerum motus componere. Vel tandem ſatiati bellis tam diutinis, pacis tangamur deſiderio. Trahit huc ipſa calamitas, efflagitat orbis defeſſus malis, invitat Chriſtus, adhortatur Pontifex Maximus Leo nominis hujus decimus, qui vere pacifici Solomonis Jeſu Chriſti vices gerit in terris, agnus ad nocendũ, leo rugiens adverſus ea quæ ſunt adverſa pietati: cujus omnia vota, omnia conſilia, omnes conatus huc tendunt, ut quos communis copulat, eos & cõmunis jungat concordia. Hoc molitur, ut Eccleſia non opibus aut imperio, ſed ſuis ac propriis dotibus efflorеſcat. Pulcherrimum profecto munus, ac prorſum tali dignum heroe, clariſſimis illis Medicibus prognato: quorum civili prudẽtia factum eſt, ut inclyta Florentinorum civitas, diutina pace fuerit florentiſſima: quorum domus omniũ bonarum diſciplinarum fuit præſidium. Ipſe placidum ac mite ſortitus ingenium, à teneris (ut ajunt) unguiculis, humanis literis, ac manſuetioribus muſis eſt initiatus: inter eruditiſſimos viros, ac velut in muſarũ gremio educatus, vitam ac famam inculpatam, & ne in liberrima quidem civitate Roma, ulla unquam ſiniſtri rumoris aſperſam macula, ad ſummum Pontificiũ attulit. Ad quod hic non ingeſſit ſeſe, ſed nihil minus quam hoc expectans, veluti divina voce nominatim aſcitus eſt, quo rebus humanis longa bellorum tempeſtate feſſus ſuccurreret. Sit penes Julium belli gloria: habeat ille ſibi ſuas victorias: habeat ſibi magnificos triumphos. Quæ quam deceant Chriſtianum pontificem, haud eſt mei ſimilium pronunciare. Dicam hoc modo. Gloriam illius, qualiſcunq; fuit, cum plurimorũ exitio doloreq; conjunctam fuiſſe. Lõge plus veræ gloriæ pariet Leoni noſtro pax orbi reddita, quam Julio pepererunt bella per univerſum orbẽ vel excitata fortiter, vel geſta feliciter. Sed longius quam par eſt huic digreſſioni videbimur immorati, his qui de proverbiis, quam de pace belloque malunt audire.

Pedum viſa eſt via.

Τῶν ποδῶν ἑώραται ὁδός, id eſt, Pedum viſa eſt via. De negocio cujus aliquando periculum feceris. Sumptum a viatoribus. Terentius a Phormione: Ah non ita: Factum eſt periculum, jam pedum viſa eſt via.

Operarii.

Cicero non abſque proverbii ſpecie operarios appellat, qui citra philoſophiæ cognitionem cauſas agũt. Architectus ex arte rationem operis præſcribit, operarii vero non judicium ſuum, ſed tantum operam adhibent juxta præſcriptum. At qui philoſophiã callet, ex ſe paratus eſt de quavis re recta dicere. M. Tull. de Mneſarcho loquens: Hos quos nos oratores vocamus, nihil eſſe dicebat niſi quoſdam operarios lingua celeri & exercitata: oratorem autem niſi qui ſapiẽs eſſet, eſſe neminem. Rurſum in Bruto: Nam aliud minus curo, quod cõgeſſiſti operarios omnes, ut mihi videantur mori voluiſſe nõnulli, ut à te in oratorum numerum referrentur. Hujus generis oratores lib. De claris oratoribus appellat vocales: Addamus, inquit, huc etiam ne quem vocalem præteriſſe videamur, C. Coſconium Calidianum. Transferri poterit ad concionatores, qui quod parum exercitati ſunt in ſacris literis, è Collectaneis ediſcunt quod apud populum multo clamore, multaq; corporis jactatione detonent. Aut qui in templis ingenti boatu canunt non intellecta, non concionatores, ſed operarii: non cantores, ſed operarii.

IUNII. *Cuculus.*

Κόκκυξ, id eſt, Cuculus, proverbiali ſale dicitur homo rerum imperitus, rebuſque tum domi, tum foris gerẽdis ineptus ὁ ἄπρακτος καὶ ἀπαίδευτος, ut Ariſtophanis interpres in Acharn. annotat, à Cuculo ave obſtrepera, maleque garrula. Plato comicus in Laio fabula: ὁ δ᾽ ὁ Μελέαγρος Γλαύκωνος ὢν μεγάλου γένους κόκκυξ ἠλίθιος περιέρχεται, id eſt: Meleager Glauconis filius magno genere ortus, cuculus inſulſus circumit. Lycophron Chalcidenſis in Alexãdra nominat Ajacem κόκκυγα, id eſt, cuculum, in illo verſu:

Κόκκυγα κομπάζοντα μαψαύραις βοαῖς.

Id eſt,

Futila jactantem cuculum convicia.

Cuculum quidem cum vocat, tum propter futilitatem & temerariam hominis deblaterationẽ, quo nomine à Sophocle & ab Homero notatur non ſemel: tum διὰ τὸ μονήρες, id eſt, propter ſolitarium, minimeque ſociale ingenium. Id namque cuculo tribuitur, quod propter innatum pavorem cum reliquis avibus commercium non habeat. Pindari ſcholiaſtes annotat in Pythiis, Battum Cyrenæum regem, propterea quod blæſa lingua parum articulate ſonaret, κόκκυγα, id eſt, cuculum cognomento nuncupatum fuiſſe. Heſychius Cuculos dici ſcribit, ſi qui numero plures crederentur eſſe, qui reipſa pauculi forent: ita ut ſummo jure Cuculi vocari debeant, qui inconditis clamoribus ſurſum deorſum omnia miſcent ſoli, ne muſca quidem præſente. Secus Eraſmus in proverbio Cuculi.

Threicia hirundo labiis inſtrepit.

Χείλεσιν ἐπιβρέμεται θρῃκία χελιδών.

Id eſt,

Labris immurmurat hirundo Thracia.

De indocto & barbaro dicitur. Hirundo obſtrepera avis eſt, inepto garritu auribus moleſta. Extat apud Ariſtophanem dicterium de Cleophonte:

Ἐφ᾽ οὗ δὴ χείλεσιν ἐπιβρέμεται θρῃκία χελιδών.

Id eſt,

Cujus labris hirundo Thracia inſtrepit.

Aliter de Pericle dictum eſt, ejus labris inſidere Suadam deam.

Ferreus.

Ferreum pro duro & imperito, atq; item pro ſolido accipi, doctiſſime ut cætera omnia annotavit Eraſmus noſter: ſed etiã aliã ſignificationem hic attexendam duxi, non minus proverbialem, quam priorem illam. Ferreus ergo pro impudente & frontis vacuo ponitur, ut apud illos ἀναιδεῖς. Catullus in quandam:

Quod ſi non aliud poteſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Quo loco ferreũ os appellat effrontem, & detorſo pudore caſſam adulteram, id quod & addita vox, Canis, abunde declarat, ut alibi annotavimus in adagio, Cane impudentior. Alioqui Terentio & Ciceroni durum os, ſimiliter impudentiam denotat. Euſtathius Odyſſ. ψ. ἡ παροιμία βαρύτερον μεταλαβοῦσα ἴσως τό, ἀναίσχυντος καὶ ἀδιάντρεπτος [illegible] σίδηρος, [illegible] φέρων ὄνομα, id eſt, Parœmia durius trãſſumentus illud extulit, Impudens homo atq; ferreus, quod autem ferrũ etiam de Impudentia

dentia proferatur, manifeſtum facit Ariſtoteles in ſua Rhetorica. ſcribens Sideron quaſi Ferream fœminam effrontem, proprium circumferre nomen. Porro quod proverbii nomine citat hic Euſtath. extat apud Ariſtophanem in Acharnenſib. in hæc verba:

Ἴσθι νυνὶ σὺ χαλκοῦς ὢν σιδηροῦς τ' ἀνήρ.

Id eſt:

Scis nunc impudentem te eſſe & ferreum virum.

At quod ex Ariſtotele adducit, legitur in Rhetorices ij. c. xxiij. authoritate Sophoclis, cujus hic ſenarius eſt integer:

Σαφῶς σιδηρῷ καὶ φοροῦντι τοὔνομα.

Id eſt:

Clare Sidero, ferrum nomine exprimens.

Quanquam in Baſilienſi exemplari male σιδηρῷ in dandi caſu ſcriptum legitur. Hoc ipſo ſenſu accipi poteſt Ciceronis iſtud in epiſtola ad Trebatium, Ferreus eſſem, ſi te non amarem. quum vellet innuere, impudentiæ extremæ inſimulari merito debere ſe ſi tam amabilem, tam benevolum virum non redamaret. Ferreus alioqui pro inexorabili interdum accipitur. ut apud Ciceronem in xiij. ad Atticum. O te ferreum, qui illius periculis non moveris. qua ratione σιδηρόφρων apud Æſchylum Prometheus audit, ut inflexibilis, & in ferri duritiem rigidus: interdum pro valido firmoque, ut Plutarchus in Panteleı cujusdam verſibus:

Δένδρον δ' ὣς ἕστηκε σιδηρείαις ὑπὸ ῥίζαις.

Id eſt:

Conſtitit ut ſolidis ferro radicibus arbor.

Lippus oculus ſolis radios non fert.

Proclus Conſtantinopolit. epiſcopus: λημῶν ὀφθαλμὸς ἡλίου ἀκτῖνας καθαρὰς οὐ δέχεται, καὶ ἀσθενοῦσα διάνοια πίστεως οὐ χωρεῖ ὕψος. id eſt: Lippus oculus ſolare jubar inoffenſe non admittit: nec imbecilla mens fidei faſtigium capit. Non illico perſpicua ſunt lectori medicos libros evolventi, ejus artis myſteria, niſi ea doctrina imbuto. Divinarum literarum arcana non obvia ſunt prophano vulgo ad ea rite intelligenda opus eſt prius in veterum theologorum adyta penetraſſe. Porro in Græco exemplari perperam ſcriptum eſt, λημαίν, pro λημῶν.

BRASSICANI. *Indoctior quam in tragœdia comici.*

Plautus in Pœnulo: Quin ædepol ſum indoctior quam in tragœdia comici. Proverbium indicat ſummam in aliqua re agenda imperitiam. quemadmodum enim in tragœdia comici, ita & in comœdia tragici minus præſtare poſſunt. Laertius in Xenocrate, & Valerius Maximus libro quarto capite tertio, rationē reddunt, quamobrem poetæ præſtent, etiam in pedeſtri oratione ſcribenda. Cæterum qui pedeſtri oratione ſcribunt, ſi quando poeticæ partes ſibi vendicare velint, nihil plane poſſe conſequi. Confer Eraſm. Quam tragœdia comici.

In navibus nutritus.

Plato in Phædro, In navibus nutritos. proverbialiter appellat homines ſubruſticos, incompoſitos, & ingenio minime liberali, qui nuſquam inter homines inculpata vita, ſincenſque moribus ornatos vixerint. Imo qui neque mores mutare ſuos, neq; ferre poſſit alienos, ut Cor. Tacitus inquit.

IOANNIS VLPII. *Πτωχόμουσος.*

Significat Grammaticulum, vel Rhetorculum, vel potius rabulam forenſem, qui literas ob nihil aliud quam ventris cauſa & ad quæſtum ſcire videtur.

COGNATI. *Per nebulam ſive caliginem videre ſive audire.*

Quę per nebulam videmus, incerta ſunt, nec plane ipſa perſpicere poſſumus Nam nebula ſenſum oculorū impedit. Cicer. xii. Philippica: Quod videbam equidem per caliginem, hoc eſt, non acute ſubtiliterque, ſed obſcure. ut viſuntur res, quæ per caligině aſpiciūtur. Idem valet per nebulam ſive in ſtrepitu audire. Cic. in epiſt. ad Atticum: In ſtrepitu videor exaudiſſe hoc eſt nō firmiter. Quæ enim dicūtur ubi multi ſtrepunt ac clamitant, certo intelligi nequeunt, ſemperque dubii aliquid in animis noſtris reſtat, an dicta ſint: itaque omnino non aliſe vetamus id probatum eſſe, excuſantes ſtrepitum aut nebulam. Sic etiam cōſuetudo obtinuit, ut per nebulam audire dicamur, cum id non plane auribus accepiſſe videmur. Plautus in Captivis: Nunc ædepol demum in memoriā regredior audiſſe me quaſi per nebulam, Ægionem meum patrē vocarier. In Pſeudolo. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi per nebulam noſmet ſcimus, atque audivimus.

Ne eruditum quidem pulverem attigit.

De valde humilibus, ſtupidis & imperitis. Cicero de Natura deorum ij. Sed hoc non videris, quia illum nunquam eruditum pulverem attigiſtis. Tuſculan. v. Ex eadem urbe humilem homunculū à pulvere & radio excitabo. Huc referendum eſt quod Ariſtipp⁹ facto naufragio, geometrica ſchemata in littore deſcripta animadvertens hominū veſtigia ſe videre exclamavit Et illæ quoque Ariſtoph. in Nebulis facetiæ: καὶ τῇ τραπέζῃ κατὰ πάσης λεπτὴν τέφραν, κάμψας ὀβελίσκον, εἶτα διαβήτην λαβὼν, ἐκ τῆς παλαίστρας θοἰμάτιον ὑφείλετο. Cicero pulverem eruditum pro mathematicis diſciplinis uſurpavit. Nam adoleſcentes olim ut ad certas artes perdiſcendas, libero quidem homine dignas animum appellabāt ita Geometriæ plurimum operæ impēdebant. Quare in gymnaſiis præſto ſemper erat abacus pulvere conſperſus, in quo lineas virgula deſcriberent, ac figuras ducerent: quas commode ſi quid diſpliceret, aut immutarent, aut delerent, aliaq; ratione deformarent (Totum hoc, ad verbum ferme ſumptum apparet ex j. cap. lib. j. Miſcellan. Brodæi. Ita facilimum ex aliorum laborib. multa ſublegere, & adagiorum ſyllogas contexere. Deberent tamen qui id habent conſilii, ne furtum tam facile deprehēderetur, anſas ingenioſe commutare, ut fures in vaſis quę nolūt a quopiā agnoſci.

Loqui neſcit, at tacere non poteſt.

Hieronymus adverſus Vigilantium: Quanquam ſtulte faciam, magiſtro cunctorum magiſtros quærere. & ei modum imponere: qui loqui neſcit, & tacere non poteſt. Auguſtinus Petiliano objecit, eum nec loqui, nec tacere potuiſſe. Hoc in uſu eſt, & utitur Fulvius Peregrinus, Olympiæ Moratæ filiæ ſcribens. Addit, Non injuria, inquit ille, ſi legis, cantas: ſi cantas, male cantas. Non diſſimile eſt illud eorum, qui aſinos ad ſacros ordines promovent: Nec legit, nec cantat, amore Dei tranſeat.

Crudus.

Crudos communi proverbio nos vocamus, nulla inſtitutionē, nulliſque philoſophiæ præceptis reformatos, imperfectos, quibus ingenium impolitum eſt, nulla in re exercitatos, immaturos, inſipidos. & (ut Servius in xij: Æneid. interpretatur) duros. Metaphora ab incoctis & immaturis fructibus ducta: Sic res temere, nec ſatis matura meditatione factæ, crudæ dicuntur. Perſius ſatyr. i. crudos numeros vocat ex tempore profuſos verſus, nec matura meditatione decoctos:

Sed numeris decor eſt, & junctura abdita crudis.

Crudo contrarium eſt coctus: qui ponitur quandoque pro perfecto, ut ſupra, Decoctus. Idem Perſ. ibid.

—Si forte aliquid decoctius audis.

Id eſt, perfectius.

Neſcio.

Hoc verbo neſcio, proverbialiter ab indoctis ſolvitur omnis quæſtio. Cicer. i. de orat. Nemo in eo quod neſciat, diſertus eſſe poteſt. Uſu tamen aliquantum diverſo Socrates ſe nihil ſcire profitebatur, de omnibus rebus dubitabat, & nullam iis de quibus diſſerendo affirmationem adhibebat, dicit habere ſe ſolitū ἐλεγκτικὸν λόγον, tanquam καθαρτικὸν φάρμακον. Unde vulgatum eſt argumentum in eos, qui ſe & alios nihil ſcire dicunt. aut enim id ſciunt; aut neſciunt, ergo aliquid ſciunt: ſi neſciunt, audiendi non ſunt. Ad quam cavillationem excludendam dixit Socrates: Hoc tantū ſcio, quod nihil ſcio. Lucianus ἐν βίων πράσει introducit. & quidē facetiſſime, ſuo more, Scepticum philoſophum, ſe nihil noſſe, & μήτε ἀκούειν μήτε ὁρᾶν profitentem. Nulli enim rei incertæ & controverſæ aſſentitur Pyrrhonius. Imo vero tum quidem dogmata ſtatuit quum voces ſcepticæ inſtitutionis pronunciat: nimirum vel hanc, οὐδὲν ὁρίζω, id eſt, Nihil definio: aut illam, οὐδὲν μᾶλλον, id eſt, Nihilo magis.

Monacho indoctior.

Non diffiteor, quin in primæva Eccleſia, & major pietas fuerit in Monachis, & ſanctior vitæ diſciplina, & diſcendi ſtudium ardentius. Nec illud negaverim, quin ſubſequuta ſecula multos ignavos fucos pro ſedulis monachis nobis pepererint. Monachi enim noſtri omnes tam ſunt barbari, ut non ſolum non intelligant miſſam, quam miſſant, ſed ut in proverbium abierint: quum enim inſignem alicujus inſcitiam exprimere volumus, dicimus eum monacho indoctiorem ſeu imperitiorem: hoc eſt, ab imis unguibus ad verticem ſummum, totum ignorantia concretum. Quid quæſo, Lector, putas homines cordatos cogitare, cum videant in aulis Epiſcoporum, in Canonicorum collegiis, in Abbatum monaſteriis verſari aſinos, & pro apibus fucos, pro fucis crabrones, & pro utriſque ſerpentes. Patres ab omni literarum ſtudio alieniſſimi, turpiter Eccleſiæ bonis abutuntur ad luxum, ad faſtum, ad libidines: & pro aratore bove, pigrum aſinum ſubſtituunt, pro fœcunda aſina, mulam ſterilem & denique malunt nugatoribus lenonibus & paraſitis, item coquis ſtipendia conferre, & pabulum cōcedere, quam literatis & doctis viris. Quivis enim horum præfertur, ac majori in honore, eſt, quam literatiſſimus quiſq;. Quo fit, ut vir doctus in prælatorum domibus albo corvo ſit rarior. Interea conqueruntur ſe doctis hominibus deſtitui. Deum immortalem! quanta impudentia iſthæc eſt? Præſentes faſtidiunt, abſentes ajunt ſe deſiderare: in quos ne teruntium quidem volunt impendere: quum Prælatos deceat, literarios ludos aperire, ſumptus conferre, & hoc conari unice, ut clerici & monachi eruditi ſint & habeantur. Legi enim de utriſque monachis non ita pridem hoc non infacetum carmen:

Gratum murmur apes, his quondam vivere cellis
Novimus, unde piis copia mellis erat.
Ignavum pecus hinc aliena ad pabula fuci,
Venerunt monachi, beſtia pigra, vorax.
Denique crabrones his ſucceſſere maligni,
Qui fucorum & apum diſſolvere domos.

Ita enim monachi fere omnes inſigniter degenerarunt à majorū ſuorū inſtituto, cum fuerint literarum ac pietatis amantes & ſtu-

dioſi, nũc vero turba ſceleſtorum nebulonum: ut recte alio communi proverbio dicatur, Monachum peſtem & exitium totius orbis: quum quotidie nihil aliud agant, quam potent, ſcortentur, invicem invideant, mordeant, detrahant, ſcurrilia loquantur, ultro citroque nefanda patiantur & agant. Magni aſotici belluones præ ebrietate nunquam ſolem orientem (ut dicitur) vel occidentem vident. Tales Stoicæ ſimiæ, diſcolores, & cucullata monſtra dicũtur vulgo inſcitiæ & cacologiæ doctores. Argento inhiant, & ſunt iracundiores canibus, timidiores leporibus, blãdiores ſimiis, petulantiores aſinis, rapaciores felibus, pugnaciores gallis gallinaceis. Continenter ventri inſerviunt, conviviis tabeſcunt, varia ciborum genera cogitant, in merum ſe ingurgitant, præter modum cibo ventrem onerant.

Ἀνάπηρος.

Diogenes elegantiſſima alluſione dicebat ἀναπήρους eſſe non ſolum eos, qui cæci, ſurdi, claudi, muti, oblæſi, mutilati, manci, & prorſus debiles eſſent, ſed illos qui præcipua ſupellectile philoſophiæ, hoc eſt, pera, aut mantica carerent. In ore atq; in communibus proverbiis verſatur cum ſignificamus inexercitatum, atque rudem, & nullis bonis diſciplinis inſtructum ad aliquod munus accedere, ſive rhetoricum, ſive theologicum, aut aliud quodvis.

Aglaus alter.

Dicitur in hominem locorum, rerumque omnium ignarum in quo ea imperitia præcipue notatur, quæ plurimũ ex ſolitaria accidit educatione: quippe, cum quis tanquam Aglaus alter, intra privatos parietes ſemper altus & educatus, pedem è domo, vel è patria nunquam tuliſſet foras: oportere ſcilicet hunc parum experientem eſſe, & officiorum hoſpitalium inſcium. Aglaus autem ſenex fuit Pſophidius: qui ab Apolline Gyge felicior eſt judicatus, quod agelli ſui limites nunquam fuiſſet egreſſus. Plin. lib. vij. cap. xlvj. Valerius lib. vij. c. j.

Ignorantia ſcientiæ inimica.

Ignorantia enim potentum hominum, ut Plato inquit, hoſtilis atque deterrima res eſt. Sed pernicioſior eſt, cum rationi adverſatur, cum optimam rationem quidem audit, ſed contra omnia peragit. Galli proverbialiter dicunt: Scientiam habere inimicum ignorantem. Ignorãtia enim ſuperbiam ſibi adjungere ſemper ſolet omnes ſane alienas vires ſuis metientes ignari, hac ſolum excuſatione ſe tegunt, quod per inſcientiam peccant.

Imperito nihil iniquius.

Vulgaris & conſueta eſt hæc Terentii ſententia: Homine imperito nihil quicquam injuſtius, qui niſi quod ipſe fecerit, nihil rectum eſſe putat. Similiter Oppianus poeta Cilix lib. j. de Piſcatione:

——Αἰεὶ γὰρ ἀπειρήτων νόος ἀνδρῶν
Δύσμαχος, οὐδὲ θέλουσι καὶ ἀτρεκέεσσι πιθέσθαι
Ἀλλ' αἰεί τι νέον καὶ ἀθέσφατον ...
Τελέθει ἐγγὺς ἰόντες. --

Id eſt:

Semper enim imperitorum mens hominum
Intractabilis eſt, neque volunt imperiti veris etiam
Obtemperare dictis.——

Hoc fere ſonat cum illo Claudiani:

Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum:

de quo alibi. Contra, Eruditio & ſapientia mores emollit: juxta illud Cointi Smyrnæi ἡμέρα ... libro tertio, παραλειπομένων:

Ἀνδράσι γὰρ πινυτοῖσι πέλει νόος ἤπιος αἰεί.

Id eſt:

Viris ſapientibus ſemper mens blanda eſt.

Contra, in ſecundis rebus, ferociores & inſolentiores fiunt imperiti. Sunt moroſi, intractabiles, nulli cedunt, nulla conſilia intelligunt.

Non eſt filius piſcatoris qui ignorat quid ſit menuiſe.

Habent Galli proverbium. Non eſt piſcatoris filius, qui ignorat quid ſit menuiſe. Terentius in Andria, act. 1. ſcen. 1. per piſciculos minutos, plane expreſſit noſtratem vocem menuiſe, quæ ad verbum ſonat minutias:

Etiam puerum inde abiens conveni Chremis,
Olera & piſciculos minutos ferre obolo in cœnam ſeni.

Quæ Terentii verba faciunt ut ſuſpicer, ἰψύας aliquando generaliter de omnibus minutis piſcibus dici, non de certa quadam ſpecie Menander in Perinthia: τὸ παιδίον δ' εἰσῆλθεν ἰψύας φέρον. Quem locum expreſſit Terentius, verbumque Græcum duobus Latinis reddidit, dicens piſciculos minutos. Quinetiam ἰψύας (ut ex antiquis authoribus docet Euſtathius) vocatur edulium quoddam ex minutis piſcibus.

Medici ex commentario.

Joannes Manardus epiſtolarum medicinalium lib. vij. epiſtola ij Ex commentario medicos, communi proverbio dici ſcribit, communes, & qui totam ſuam medicinam non in pectore & mente, ſed in chartis habent & membranis repoſitam: nec manum adhibere curationi alicujus morbi ſciunt, niſi nomine prius habito, remedia proprio ejus capite à libris requirant: quum veri medici, ut qui methodo artem proſequuntur, exiguam nominum curam habentes, morborum ſubſtantias atque cauſas, per diviſionem & reſolutionem inquirant, è quibus curativas indicationes eliciant & intentiones acquirant, quibus inſtrumenta inveniant, morbos ab humanis corporibus propulſantes, & ſi quandoque ad libros recurrunt, non tanquam cæci ut illi, a nominibus ſecrati, ad eos veluti ad judices permittunt, ſed ad limam rationis, quæ legunt applicantes, ſcriptis non tanquam dominis parent, ſed ipſa potius tanquam mancipia ad ſuas proſequendas intentiones trahunt. Hactenus Manardus. Apud Eraſm. huic ſimile habetur Galenum iſtud, ἐκ βιβλίου κυβερνήτης: id eſt, Ex libro naturæ: in ſola lectione citra experientiam doctos.

Qui multos ignorat, ignorabit & unum.

Plato In Alcibiade j. Prudentia ſumma eſt, ſeipſum noſſe. Nam qui ſua ignorat ignorat itidem & aliena. In Civili: Videtur enim unuſquiſque noſtrum tanquam per ſomnium noſſe omnia, revera autem rurſus omnia ignorare. Plinius Secundus in Panegyrico: Didicimus quidem cui virtus aliqua cõtingat, omnes ineſſe. Stoicorum autem hæc eſt ſententia, virtutes ita eſſe inter ſe cõnexas, ut qui unam habeat, omnes habeat. Sic qui unam plane ſcientiam callet, omnes fere tenere videtur. Omnes enim ſcientiæ cõmuni continentur vinculo. Quam Plat. ſententiam Cic. pro Archia poeta tractat. Vide poſt. ſcientias qui primas habet, &c.

Ne numerare ſcit.

Plato in Hippia majore. Nam multi admodum ex illis, ut ita dicam, ne numerare quidem ſciunt. Poſt. Viam in forum ignorant.

Ne prophanus audiat.

Plato in Theæteto Cave ne quis prophanus hæc audiat. Prophani vero ſunt, qui nihil aliud eſſe putant, quam quod pugno tenere poſſunt. Duri nimium, & protervi homines ac a Muſis admodum alieni. Vide poſt, Res divinæ vulgus latent.

Viam in forum ignorat.

Ficinus in Timæum. Qui philoſophiæ ſtudio abutuntur ab ineunte ætate, primum quidem viam in forũ ignorant, neque judicium, aut concilium, aut conſilium civitatis aliud ubi ſit, norunt: leges autem decretaque vel promulgata, vel ſcripta, nec vident, nec audiunt. Huic haud abſimile ante, Ne numerare ſcit.

Magis latet eos, quam maris arenæ.

Ibidem: Magis eos latet, quam maris, ut dicitur arenæ. Vide poſt, Arenæ maris numerum ſuperare.

Res divinæ vulgus latent.

Ficinius in Sophiſta: In rebus divinis quæcunq; vulgus latent, contradicendi facultatẽ præſtant. The. Certe, hoc de illis dicitur. De his autem quæ oculis conſpiciuntur, cœlo ac terra, & hiſce rebus quæ his cõtinentur, contra. Cicero De natura deorum lib. iij. apud Lactan. lib. 2. c. 3. Non ſunt iſta vulgo diſputanda, ne ſuſceptas publice religiones diſputatio talis extinguat. Idem Academicorum lib. ad Varronẽ apud Marcianum l. b. 5. & Fortun. lib. 5. Latent iſta omnia Varro, magnis obſcurata & circumfuſa tenebris. Vide alibi, Ne prophanus audiat.

COELII RHODIG. *Lapis ſuper lapidem.*

In imperitos. Rogatus Ariſtippus qui melior evaſurus eſſet filius, ſi erudiretur: Ut nihil aliud, certe, inquit, in theatro non ſedebit lapis ſupra lapidem.

GUL. GENTII. *Dupondii juvenes.*

De iis qui ſtudiis tantum initiati, & vix dum à limine ea ſalutarunt: Pupilli, dicti ab Alciat. A dupõdio nummo, quaſi duobus aſſibus æſtimarentur: ſeu a pondere dupondio quod & ſtater dicitur, & παχυλόγχιμος. modici valoris. Conſule Rhodig. lib. 4. cap. 7. Contra λύται & προλύται, dicuntur abſoluti & conſummati in aliqua diſciplina. De iis agit Juſtian. in epiſtola, Antece ſſoribus quibuſdam miſſa. Dicti Lytæ quaſi λύται. hoc eſt, ſolubiles: quaſi jam à præſcripta ſtudiorum ratione ſolvendi, & legendi libertate donandi.

IMPOSTURÆ.

ERASMI. *Dare verba.*

Dare verba, paſſim obvium eſt apud omnes authores, pro eo quod eſt fallere. Perſius quarta Satyra,

——Ut mavis, da verba, & decipe nervos.

Terentius,

Cui verba dare difficile eſt.

Ovidius,

Verba dat omnis amans.

Idem eleganter tranſtulit ad fallendas animi curas:

Detineo ſtudiis animum, falloque labores:
Experior curis & dare verba meis.

Sed tum frequentiora tum expoſitiora ſunt exẽpla, quã ut operæ precium ſit ea perſequi. Tãtum illud admonuerim, nõnihil ven-

tis a o[illegible]

ris acceſſurum proverbio, ſi longius à ſimplici detorqueatur oratione, videlicet ad fraudem impoſturamve, quæ vel citra verborũ fucos peragitur. Quod genus fuerit, ſi quis dicat mundum hunc dare verba ſui ſtudioſis &, Eum ſibiipſi dare verba, qui ſibi pollicetur haudquaquam ſperanda.

Addere manum.

Illud inuſitatius quod eſt apud Plautum in Perſa. Addere manum, pro eo quod eſt ludibrio habere. Tranſlatum opinor ab iis qui manu ad aurem porrecta, motaq; quempiam irrident, Plautina verba ſunt hæc. Quid ais, crux, ſtimulorum tritor? quomodo me hodie verſaſti? ut me in tricas conjeciſti? quomodo de Perſa manus mihi addita eſt? Item in Pœnulo. Quo pacto avaræ Veneri pulchre addidi manũ. Rurſum in eadem ſcena, Ego faxo poſthac dii deæque cæteri contentiores magis erunt atque avidi minus, quum ſcribunt Veneri ut addiderit leno manum. Idem in Aulularia. Ita illis impuris omnibus adii manum. Iterum in Caſina, Satin' lepide addita nobis manus merito? Quanquam varie ſcriptũ invenio, nunc adii, nunc addita. Mihi videtur rectius legi addidi, ut accipiamus ſumptam metaphoram ab irridentium (ut dixi) geſtu, cujus meminit Perſius,

Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Os ſublinere.

Os ſublinere, pro eo quod eſt, dare verba: & arte quadam illudere, reperitur aliquoties apud authores. Nonius Marcellus tractum putat à ridiculo quodam luſus genere, quo dormientibus ora pinguntur. Plautus in Aulularia: Fidei cenſebam maximam fidem eſſe. Ea ſublevitos mihi peſſime Idem alibi: Os mihi probe ſublitum eſt, idem in Epidico: Ego ſi allegaſſem aliquem, ad hoc negocium minus hominem quam doctum, minuſque ad rem callidum, os ſublitum eſſet M. Varro in myſteriis apud Nonium Æs defraudaſſe cauponem, bonam luto obliviſſe, cum portitores æra induxere. Sophocles in Antigone:

Ὁρῶσι χ' οὗτοι σοὶ δ' ὑπίλλουσι στόμα.

Id eſt,

——Vident & hi, ſed os tibi ſublinunt:

Vergil. item in carmine Bucolico, pueros inducit per luſum, Sileni faciem mori ſucco oblinentes:

——Jamque videnti
Sanguineis frontem moris & tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit,

Fucum facere.

Fucum facere, pro eo quod eſt impoſturam facere, & artificioſa diſſimulatione deludere, frequens eſt apud bonos authores. Terentius Eunucho, Fucum factum mulieri. Quo loco, factum, ſupinum eſt, non participium. Quintus frater ad Ciceronem, Si eum, qui tibi promiſerit, fucum (ut dicitur) facere velle ſenſeris: ut te id audiſſe & ſcire diſſimules. Nam fucus herbæ genus, quam Græci φῦκος vocant, tingendis lanis utile. Unde ſimpliciter fucum pro colore reperire licet, & fucare pro colorare. Horatius in Od.

——Stercore fucatus crocodili.

Maxime ſi colorem non nativum aut genuinum, ſed artificioſum ac velut adulterinum ſignificemus. ut idem Horatius,

——Nec amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.

Proinde medicamentum illud, quod cuti ſuperinducto mulierculæ vitia formæ diſſimulant, quaſique perſonam aſſumunt, fucum vocant. Plautus, Vitia corporis fuco occulunt. Ut autem fucus eſt color arte additus, ita perſona facies eſt non vera, ſed appoſita. Unde eleganter dictum à Seneca, ut perſonam malit quam faciem: id eſt, videri malit quam eſſe. Lucretius item lib. iij.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur & eripitur perſona, manet res.

Corn. Tacitus in dialogo De orator. Ita nec præceptor deerat optimus quidem & electiſſimus, qui faciem eloquentiæ, non imaginem præſtaret. Itaque perſonatos dicimus, qui aliud præ ſe ferunt quam ſint. Quin & officias vocant, inania quædam rerũ ſimulachra, quæ veluti præſtigiis quibuſdam, oculis intuentiũ imponunt. Græci ſimplici verbo φενακίζειν vocant, & φενακισμὸν, hujuſmodi impoſturam φένακα, fuci artificem. Qui ſcripſit etymologicum Græcum, author inſincerus & impurus vocem deductam exiſtimat παρὰ τοῦ πηνίκης, quæ Græcis coma dicitur appoſititia, Latini galericulum appellant. Quin & colorẽ pro fuco uſurpavit Julianus, citante Ulpiano libro Pand. xiii. Tit. Ad ſenat. conſul, Maced, cap. ix Sed Julianus (inquit) adjicit, ſi color quæſitus ſit, ut filiusfamilias qui mutuam pecuniam recepturus erat, fidejuberet. Quin & rhetores, probabilem rationem quam ad defenſionem commenti ſunt, colorem appellant. Juvenalis.

Dic aliquem nobis, dic Quintiliane colorem.

Et hærente ſummo rhetore, uxor deprehenſa impudentiſſimo colore ſe tuetur.

——Convenerat olim
Ut faceres tu quod velles, nec non ego poſſem
Indulgere mihi.

Obtrudere palpum.

Obtrudere palpum, apud Plautum, eſt arte, fucoque decipere: Ego, inquit, iſtuc aliis dare condidici, mihi obtrudere non potes palpum. Unde & palpari, pro adulari & palpones, adulatores vocamus, à ſimili metaphora. Metaphora tracta eſt ab equiſoni bus, qui ferocientibus equis, plauſu manus adblandiuntur, ut oſtendimus alibi.

Reliqua ſimilia iſtiuſmodi require in ſuperiore loco. Fucus.

Nova hirundo.

Νέα χελιδών, id eſt, Nova hirundo. Suidas hoc adagium citat ex Avibus Ariſtophanis, fallente, ſicut opinor, memoria. Nam extat apud hunc poetam in Equitibus, his verſibus:

Ἐξηπάτησα γὰρ τοὺς μαγείρους, ἐπιλέγων τοιαυτί.
Σκέψασθε παῖδες οὐχ ὁρᾶθ', ὥρα νέα χελιδών.
Οἱ δ' ἔβλεπον, κἀγὼ 'ν τοσούτῳ τῶν κρεῶν ἔκλεπτον.

Id eſt,

Etenim coquos ego fefelli, fatus hæc ad illos:
Spectate pueri, non videtis ver, nova ecce hirundo?
Illi tuentur: interim autem ſuſtuli ipſe carnes.

Interpres admonet proverbiali figura dictum, ac perinde valere, quaſi dicas initium veris: propterea quod id temporis appareat hæc avis. Quemadmodum & Horatius:

——Zephyris & hirundine prima.

Suidas ait dici ſolere, quoties verba darentur alicui, Sumptum à joco puerili. Nam hi data opera, novam hirundinem adſimulantes videre ſeſe, oſtendunt aliis: deinde contemplantibus illis & intentis, interim quod volunt ſurripiunt. Theognis apud Athenæum lib. viij, declarat Rhodiis ſolenne fuiſſe, quotannis publicis votis invitare hirundinem ſub tempus vernum, quod illi χελιδονίζειν appellabant, acclamantes in hunc modum: ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν καλὰς ὥρας ἄγουσα, καὶ καλοὺς ἐνιαυτούς. id eſt: Veni veni hirundo, pulchra tempora adducens, ac pulchros annos. Proinde quadrabit in eos, qui falſa ſpe quapiam injecta fallunt ac nocent.

In laqueum inducere.

In laqueum inducere: & In caſſes inducere: eſt arte ſic concludere quempiam, ut jam nullum ſit effugium. Qui mos fuit Socrati Platonico, ſuis illis rogatiunculis eo depellere ſophiſtas, ut negarent quę prius affirmaverant: quæ negaverant, affirmarent: denique nihil non dicerent. Quintilianus libro Inſtitutionum v. Turbantur enim, & à patronis diverſæ partis in laqueum inducuntur. Græci qui jam capti teneantur, ἐμβρόχους vocant. Ovidius,

Decidit in caſſes præda petita meos.

Euripides in Hippolyto coronato:

Κρεμαστοῖς ἐν βρόχοις ἠρτημένη.

Id eſt,

Penſilibus irretita caſſibus.

Ibidem paulo poſt:

Λύσω τ' ἄνασσαν ἐκ' ἰσχνωτῶν βρόχων.

Id eſt:

Heram è tenacibus expedire caſſibus.

Epheſia litera.

Ἐφέσια γράμματα: id eſt, Epheſiæ literæ. Dictum videtur de iis, qui mira felicitate, tanquam divina virgula, quicquid optarent, aſſequerentur. Ajunt enim Epheſiis notulas quaſdam, & voces magicas fuiſſe, quibus utentes in omni negocio victores evaderent. Author Diogenianus. Euſtathius in Odyſſeæ φ. tradit his literis uſum Crœſum in rogo. Fuiſſe autem verba quædam obſcura, ænigmatibus ſimillima, neutiquam cohærentia, deſcripta in pedibus, Zona, & corona Dianę. Suidas addit hujuſmodi fabulam, In Olympiis Mileſium quempiam cum Epheſio palæſtra commiſſum, nihil potuiſſe in conflictu, quod is Epheſius in talo Epheſias haberet literas. Quod ſimul ac animadverſum eſſet, ademptis literis, Epheſium qui jam triginta defatigarat, ſuccubuiſſe. Heſychius indicat fuiſſe priſcas quaſdam voces oto ſacris habitas, quibus impoſtores deinde multas addiderint. Priſcas putat has fuiſſe ἄσκι, quod interpretatur tenebras: κατάσκιον, lumen: λίξ, ipſe: τετράς, Damnameneus ſol: αἴσιον, verum. Meminit harum & Anaxilas apud Athenæum lib. xij. Cõmemoratis enim philoſophi cujuſdam deliciis, ait: καὶ σκυτίοις ἐν ῥαπτοῖσι φορῶν Ἐφέσια γράμματα καλά. id eſt: Ad hæc, in conſutilibus pelliculis geſtãs Epheſias literas pulchras. Nec deſunt hodie, qui hujuſmodi confictis vocibus imponant ſtultis. Illud ſatis apparet, librariorum incuria commiſſum, quod quum Heſychius inter magicas voces recenſeat τετράς, non meminit tamen, interpretans ſingulas.

IVNII. *Phœnicium mendacium.*

Proverbii ſpecie dicit Plato in iij. De repub. ſub finem: μηδὲν καινόν, ἦν δ' ἐγώ, ἀλλὰ Φοινικικόν τι. hoc eſt: Nihil inauditum, inquam ego, ſed Phœnicium quippiam. Nota eſt fabula de Draconis dentibus, à Cadmo Phœnice ſatis, unde armata virorũ ſeges extiterit, enato inde illis nomine à ſatione: σπαρτοὺς enim dictos cõſtat. quamquam Steſichorus eos dentes a Minerva humo mandatos voluit. Androtiõ vero vocatos ait inde, quod ſecuti è Phœnicia Cadmum, ſparſim habitare defixis ſedibus cœperint: Amphilochus, quod initione quadam Thebanis civibus adjuncti fue-

rint: alii aliter, ut quiſque in re fabuloſa novi quippiam comminiſci inſtitit. Dicetur igitur de fabuloſo commento, inſignique mẽdacio & fidei portentoſæ narratione, illa ſpirare Φοινικικόν τι, id eſt, Phœnicium quiddam. aut Φοινικικὰ ψεύδη, hoc eſt, mẽdacia Phœnicia veriora eſſe, quam ſint iſtorum dicta. Uſus adagio & Strabo lib. iij. [illegible] Φοινικικόν id eſt: Oraculum & frequentes eo miſſas legationes, exiſtimat eſſe Phœnicium commentum. Olympiodorus in commentario in Gorgiam Platonis a Cadmi fabula ductum proverbium ait. Poteſt etiam videri profectum adagium a Phœnicum negociatorum conſuetudine. quod genus hominũ mendaciis ferme tranſigit mercaturas, evanidas atque obſoletas merces interpoſito etiam juramento, pro frugi & probis venundantes. Phœnices vero primi mercatus gratia alienas terras exoticaſque regiones adiiſſe leguntur, & peregrinas merces exportaſſe; unde & literarum inventio illis tribuitur. per quas inter ſe mutuo ſenſa conſiliaque communicarent. hinc illud Critiæ apud Athenæum: Φοίνικες δ' εὗρον γράμματα ἀλεξίλογα. aut (ut Euſtathius citat) λογοδαίδαλα. quod ſolutio quædam ſint animorum. Porro quod mercaturam exercuerint, fidem facit & illud Pindari, Φοίνισσα ἐμπολά id eſt, Phœnicia mercimonia. & Sophoclis illud:

[illegible]

Id eſt,

Aſſueſce mercari & venundare, ut Phœnix negociator.

Mandacones.

Τρώκτην quaſi manduconem dicas, vocari annotant veteres impoſtorem, & dolos conſuere doctum, [illegible] apud Homerum Odyſſeæ ξ.

—Δὴ τότε Φοῖνιξ
Ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδὼς τρώκτης.

Id eſt,

Texendiſque dolis natus manduco recepit.
Me Phœnix. ———

Alii edonem exponunt, avarum & lucri avidum, qui undecunque ſpes nummi arriſerit. velit τρώγειν hoc eſt, rodere atque lucrari. Latini lucripetam vocant. Eſt & τρώκτης piſcis nomen, voracis admodum, apud Ælianum.

Lamiæ turres. [illegible]

Lamiæ turres, pro anilibus fabulis proverbialiter extulit Qu. Septimus Tertullianus & pro narratione portentoſa, nihilque veri habente. Sic enim inquit, libro adverſus Valentinianos: Jam ſi & in totam fabulam initietur, nonne tale aliquid dabitur, te in infantia inter ſomni difficultates a nutricula audiſſe Lamiæ turres & pectines Solis? De Lamiis hiſtoriam urpertexamus, locus poſtulat. quod ab aliis parum indiligenter dicta ſit. Lamia Beli & Libyes filia, in Libyæ locis regina fuit, quæ ob liberorum ſuorum interitum, aliis matribus invidens eam dulcedinem, percuſſores immiſit, qui crudeli exemplo raptos è parentum ſinu liberos trucidarent. De qua ſic ſcribit Diodorus Siculus, hiſtoricorum veraciſſimus libro vigeſimo. Ad rupis, inquit, radices ſpecus erat ingens, hedera & ſimilace obtectus, quem inſediſſe fabulantur Lamiam reginam, præſtanti forma inſignem, quam poſteritas beluinam finxit. propter illius ingenii feritatem. Nam cum proles cujus omnes quas partu extulerat, diem obirent, caſum hunc illa iniquiſſimo animo ferens, invidenſque aliarum fœminarum in educandis liberis felicitati, rapi ad ea ſem è matrum ulnis, proles, & e veſtigio interfici juſſit. Unde in hanc uſque ætatem apud infantes manſit iſtius fœminæ fama, & formidoloſa ipſis, nominis memoria. Eadem inebriata cunctis quidvis ſine diſcrimine patrandi licentiam permittebat: ac proinde quoniam rerum ſui regni non ſatagebat, credita fuit oculis carere. Quidam etiam fabuloſe commenti ſunt, quod in vimineum ophinum oculos exemptiles injiceret: innuere volentes rerum incuriam temulentiæ vitio natam. Obiter enim admonendus eſt error Græci codicis, qui legit, [illegible]: ubi reponendum eſt, [illegible], Quod autem Libyca fuerit, indicat & Euripides

Τίς τοὔνομα τὸ ἐπονείδιστον βροτοῖς
Οὐκ οἶδε Λαμίας τῆς Λιβυστικῆς γένος:

Id eſt,

Infame nomen atque inviſum gentibus
Lamiæ quis ignorat, genere Libyſticæ?

Aſtipulatur huic hiſtoriæ & Duris in Libycarum rerum ſecundo, ſcribens Lamia formoſam fuiſſe fœminam: cum qua ſtupri commercium quum haberet Jupiter, Junonem zelotypam proles ejus omnes ſtatim a partu vita orbaſſe: qua ex re cõcepto mœrore formæ illius gratiam diſperiiſſe. aliarum que infãtes raptos jugulaſſe. Cui conſentit Ariſtophanis ſcholiaſtes in Pace. Philoſtratus lib. iiij. de vita Apollonii refert, fœminas quaſdam eſſe. Empuſas, quas Lamias & μορμολυκίας hoc eſt, Larvarum lemurum ve ſpectra, vulgus hominum exiſtimet, venereæ rei avidiſſimas, & carnium, præſertim humanarum appetentiſſimas, quæ veneris appetitum immittere ſoleant iis quos velint deglubere. Strabo fabulã eſſe meram putat his verbis l. [illegible] id eſt, Nam Lamia fabulamentum eſt, ut & Gorgo, & Incubus, & Larva. Steſichorus Lamiam Scyllæ matrem fuiſſe dicit. Lamias nonnulli cum Strigibus confundunt, & infantium voratrices ſcribunt, in quorum ſententiam deſcendiſſe videtur & Horatius in arte Poetica, ubi ſic ait:

Neu pranſæ Lamiæ vivum puerum extrahat alvo.

Apuleius puerorum terriculamenta Lamias eſſe oſtendit. quomodo & Lucilius in Satyris ſcripſit illud:

Terriculas Lamias Fauni quas Pompiliique
Inſtituere Numæ: tremit has. his omnia ponit.

Lamias arbitrantur eſſe, quas ut Libycas feras deſcribit in oratione quinta Dion Chryſoſtomus, tali ſpecie: [illegible] & c. id eſt: Vultus muliebris eſt, & quidem eleganti forma præditæ fœminæ: pectus & ubera longe pulcherrima: cervix, qualis neque mortalis virginis fuerit, neque adultæ nymphæ: color nitidiſſimus qualem nullus vel plaſtes vel pictor imitari queat: corpus reliquum ſcabrum & ſquamoſum: pars infima in anguem deſinit. Fuit & Lamia altera, Trachiniorum regina. ut annotatum eſt ab Etymologici authore, & Demetrii Poliorcetæ amaſia. & apud Plutarchum etiam Neptuni filia quædam. Hactenus de Lamiis: nunc ad adagium redeamus. Lamias itaque fortaſſis non male vocabimus res in ſpeciem formidabiles, quibus tamen periculi nihil inſit: eo quod Lamiæ, ut diximus, ad terrendos pueros inſtituta nomina fuerint, ut ex Ariſtophanis interprete colligere licet: quomodo apud Romanos inter ridiculas res objicere olim moris fuit Manducem, monſtrificam effigiem, pando ore dehiſcentem, ac dentibus infrendentem, ut ejulantes pueros eo ſpectro cohiberent: quemadmodum apud Turcas Joannis Huniadæ, ſtrenuiſſimi ducis nomen, Lamiæ cujuſdam inſtar, ad terrorem comparatum fuiſſe author eſt Æneas Sylvius, uſq; adeo ut infantium ploratus ſiſterent nutrices, illius viri adventum pueris minitantes.

Siſyphus.

Siſyphus proverbialiter accipitur apud Syneſium, pro impoſtore, in epiſtola ad fratrem, [illegible] id eſt, Quid ad hæc Siſyphus ille patem elegans? Idem alibi: [illegible] id eſt, Enimvero meritas das pœnas, qui te audacia Cyclopem, doloſis conatib. Siſyphum præſtitiſti. Siſyphum Æoli filium. Corinthi regem primum omnium dolis fallaciiſque uſum fuiſſe, Polyænus ſtratagematum author ſcriptum prodidit. Sophoclæus interpres ſcribit, Siſyphum vaferrimum fuiſſe furem, qui beſtiarum ab ſe furto abactarum pedibus ſoleret characteris loco imprimere nomen ſuum [illegible], unius literæ ductu exaratum. Ariſtophanes in Acharnenſibus:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Quin Siſyphi expedi ocyus molimina,
Etenim moram non poſtulat negocium.

Xenophon rerum Græcarum lib. 3. refert Dercyllidam induſtrii extrinſique ingenii virum [illegible] hoc eſt in excogitãdo mirevafrum. cognominatum fuiſſe Siſyphum. Apulejus lib. de Magia: Quis Palamedes, quis Siſyphus, quis demq; Eurybates aut Phrynondas talem excogitaſſet? Quo loco enumerantur quatuor memorabili vafritia clari. Theognis poeta:

Πλείονα δ' εἰδείης καὶ Σισύφου Αἰολίδεω.

Id eſt,

—Non ſi
Plura ſcias, quam vel Siſyphus Æolides.

Ariſtides [illegible] id eſt. Quid opus eſt meminiſſ. Siſyphi prudentiæ? De Siſypho ita ferme Euſtathius Iliad 6. Virum fuiſſ. ſapientem, nominis ratio loquitur: idem enim ſonat quod θεόσοφος, divinarum rerum gnarus, nam enim Deum nominant Peloponneſii & [illegible] Æolico idiomate vocari conſtat. Videtur autem ille pacificum tenuiſſe imperium, ſuiſque ſubditis ſecurum: unde & mortẽ vinculis coercuiſſe legitur. niſi forte eo ſpectat commentum, quod amuleta quædam & morborum remedia invenerit. Lycophron Mopſum vatem [illegible], velut Siſyphũ appellat, quod in arte numerãdi inſignis eſſet. Memoratur a Zeze & Siſyphus Cous Teucri fuiſſe ſcriba, vir doctus qui ante Homerum Iliad. a ſcripſerit, æra merens in expeditione Troiana, cujus poſtea metaphraſtes fuerit Homerus.

COGNATI. *Frondes fructuum expertes.*

Iſtud theologicum eſt proverbium in eos, qui ore Deum ſcire profitentur, & eundem factis negant, lucernas habent, ſed extinctas, nefarii, cõtumaces, & ad omnem rem bonam inepti; Domine domine ingeminant, ſed ſupremi voluntatem non obeunt. Nihil aliud quam fidem, idque ad ravim uſque, crepant: tamen ſi penitius ipſorum conſiderentur opera, mores, vita, converſatio, comperiemus ne ſcintillam quidem vividæ & Chriſtianæ fidei illorum pectoribus eſſe relictam. Igitur ex fructibus ipſorum cognoſcetis eos: inquit Chriſtus Matth 7.

Dardaniæ artes.

Dardaniæ artes, pro magicis uſurpavit Colum. lib x. Veniant (inquit) Dardaniæ artes. Dictæ autem ſunt à Dardano inſigni (ut tradunt) mago, cujus commentariis diligenter perlectis, longe doctiſſimus evaſiſſe Democritus memoratur. Conſul. Plin. lib. 30. c. 1. Apuleius. vel ipſe Dardanus, vel quicunque alius poſt Zoroaſtrem. Euſeb. lib. [illegible]

IMPROBI.

ERASMI. Lydi mali, poſt hos Ægyptii &c.

Λυδοὶ πονηροὶ, δεύτεροι δ' Αἰγύπτιοι,
Τρίτοι δὲ πάντων Κᾶρες ἐξωλέστατοι.

Id eſt:

Lydi improbi, poſt hos ſecundi Ægyptii,
Tertiique Cares perditiſſimi omnium.

Tempeſtiviter utemur, quando mali cum malis conferentur, & collatus cum ſceleratioribus, ita demum minus illaudatus aliquis videtur. Velut apud Athenæum Antiphanes, cum ἰχθυοπώλας feciſſet omnium ſceleratiſſimos, tamen excepit menſarios, his quoque nocentiores. Diogenianus.

Lerii mali.

Λέριοι κακοί, id eſt, Lerii mali. In eos recte dicetur, qui pariter omnes gentis vitio ſunt improbi. Leriorum enim populus ob inſignem morum improbitatem in proverbium abiit, autore Strabone lib. Geographiæ 9. Citatque Phocylidis neſcio cujus verba hæc: Λέριοι κακοί, οὐχ ὁ μὲν ὃς δ' οὔ, πάντες, πλὴν Προκλέους, καὶ Προκλέης Λέριος. i. Lerii mali, non ut hic malus ſit, ille nequaquam: verum omnes, excepto Procleo. & Procleus eſt Lerius. Leria inſula eſt una ex Sporadib. contra littora Cariæ: quã Plinius Leron appellat, quum aliis aliquod locis, tũ lib. 5. cap. 31. Quod hic dictum eſt in Lerios, Græca epigrammata detorquent in Chios. Epigramma ſic habet:

Καὶ τόδε Δημοδόκου· Χῖοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν ὃς δ' οὔ.
Πάντες, πλὴν Προκλέους, καὶ Προκλέης δὲ Χῖος.

Id eſt:

Hoc quoque Demodoci, Chios malos, haud quidem hic, hic non:
Omnes abſque Procle: Chius at ipſe Procles.

Apud Strabonem Græcum ſcriptura mendoſa eſt, quum Προκλέους legendum ſit, non Πατροκλέους. interpres uſus eſt codice caſtigatiore: quanquam ipſa carminis ratio rejicit, Πατροκλέους. Si addas καὶ τόδε Δημοδόκου, plenum erit diſtichon. Id reddetur venuſtius, ſi ab homine ad rem deflexeris, ut ſi dicas, Omnes prognoſtæ vani, uno excepto Venantio, & tamen prognoſtes eſt Venantius. Impii ſunt milites omnes, uno excepto Langio, & tamen miles eſt Langius. Græcorum proverbium imitatus eſt Auſonius in Silvium quendam cognomento bonum, natione Brittonem: quæ natio & hodie apud Gallos vulgo male audit.

Mali commatis.

Πονηροῦ κόμματος, id eſt, Mali commatis, dicebatur improbus, contemptus, & rejiculus quiſpiam. Sumpta metaphora à reprobatis nomiſmatis. Ariſtophanes in Pluto:

Βοᾷ δ' εἶναι τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Id eſt:

Videtur eſſe non probati commatis.

In ſycophantam dictum, jam ad paupertatem famemque redactũ, poſteaquam Plutus oculos receperat. Interpres oſtendit, comma genus eſſe viliſſimi nomiſmatis. Sonat autem perinde quaſi dicas, malæ monetæ. Rurſum in eadem fabula:

... Γνώσεται
Ὅτ' ἐστ' ἐκεῖνος τοῦ πονηροῦ κόμματος.

Id eſt:

... Noverit.
Illius eſſe hunc improbati commatis.

Apud eundem in Ranis: τῷ κακίστῳ κόμματι. Idem in Concionatricibus:

Καὶ μὴν ἐμοί γε τοῦτο τὸ κόμμ' ἔβλαψεν,

Id eſt:

At iſtud hercule comma mihi fuit malum.

Reddit cauſam, quod quum abiiſſet in forum empturus farinas, jamque peram ſuppoſuiſſet, præco clamavit, ne quis reciperet æreos nummos, ſed argento venderentur omnia. Ad hanc formam pertinent etiam illæ, ceu proverbiales metaphoræ, κίβδηλος ἄνθρωπος, & κιβδηλεύειν: pro eo quod eſt, impoſturam facere: & κιβδηλία, pro impoſtura: quæ voces reperiuntur cum alias frequentius, tum Platonis libro De legibus 11. ſi quis forte certius deſiderabit teſtimonium. Proinde qui moribus ſunt improbatis, eos κιβδήλους vocant: quaſi dicas adulterinæ monetæ. Appoſitius autem ad oris figuram, motum & indolis indicem refertur. Siquidem quemadmodum nummus inſpecta imagine dignoſcitur illico probatuſne ſit an adulterinus: itidem ex ipſa ſtatim hominis forma deprehenditur ingenium: vel Euripide teſte, cujus hæc ſunt in Ione:

Γενναῖόν τι σοῦ καὶ γ' ἀνθρώπου ἀεί,
Τὸ σχῆμ' ἰδόντι τοῖσι πιστεύοιν' ἀρξόμεθα.

Id eſt:

Plerunque ſpecies ipſa, ſimul aſpexeris,
Hominem arguit, generoſus is ſit, an ſecus.

Κίβδηλος, id eſt, adulterinus.

Quod ſimplex non eſt neque ſincerum, id vulgato verbo Græco κίβδηλον vocant. Hinc ducto vocabulo, quod aliud præ ſe ferunt, aliud tegant: παρὰ τὸ κεύθειν τὸ δόλον, vel quod Athenienſes ob ſummum in Chios odium, ſi cui male vellent, hujus nomen nomiſmati ſolent inſculpere, addita litera, iisque in terram abjectis dira imprecari, παρὰ τὸ τοῖς Χίοις βδελύττεσθαι, ſed proprie nummum ſubæratum, κίβδηλον appellant: & κιβδηλίαν, inſinceritatem, ſeu corruptelam, velut Ariſtophanes:

Πολλὴν ἀφεῖλε τοῦ βίου κιβδηλίαν.

Id eſt:

Corruptionem vitæ ademit plurimam:

Et κιβδηλεύειν, corrumpere fuco: & qui pallent, κιβδηλιῶντας appellant: quod aliquid morbi vitiive ſubeſſe videatur. Quemadmodum in nummis quoque color nonnunquam arguit fucum. Conveniet igitur in amicitiam inſinceram & fictam: aut in hominem blando vultu, ſed animo virulento: aut in eum qui ſanctimoniam habitu præ ſe ferat, quum vita ſit impia: veluti Piſides, citante Suida.

Πραγμάτων πάντων δύο
Κίβδηλός ἐστι ἐργάτης οἷος, ὡς λόγος.

Id eſt:

Rerum duarum prorſus unus autor eſt,
Vulgo ut loquuntur, quiſquis inſincerus eſt.

Aut in orationem inſinceram, ut Plato libro De legib. 5. Τὰς δὲ τιμὰς διαγνωστέον, ὅσαι τούτων εἰσὶν ἀληθεῖς, καὶ ὅσαι κίβδηλοι. id eſt: Rurſum honores oportet conſiderare quinã ex his veri ſint, qui adulterini. Rurſum eodem in libro, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλος μηδενὶ φανεῖται ἐν ποιῶν, ἁπλοῦς δὲ καὶ ἀληθὴς ἀεί. id eſt, ut neque ipſe adulterinus aliquando cuiquam appareat, ſed ſimplex & verax ſemper. Hoc igitur a nummis traductũ, ſi ad diverſas res traducatur, proverbiale fiet. Sed hujus rei mentionem fecimus in proverbio, πονηροῦ κόμματος.

Bipedum nequiſſimus.

Bipedum nequiſſimus, de homine vehementer improbato, quique vel pecudes nequitia ſuperet. Dictum eſt in Regulum quendam oratorem, quem Plinius in epiſtolis ſubinde ſuis pingit coloribus, ubi & adagium hoc refertur: ſed ante hunc Cicero torſerat in Clodium, in oratione pro domo ſua: Hoc tu proſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro, omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum impuriſſimo, Remp. perdidiſti. Conſimili figura Alexander imperator apud Ælium Lampridium: Nuper certe patres meminiſtis, cum ille omnium non ſolum bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus. Antonini nomen præferret: Heliogabalum ſignificans, imperatorum unum omnium effeminatiſſimum, & quem optimo jure Romanum Sardanapalum poſſis dicere. Addit autem in hoc ſermone, nominis generalitas gratam quandam & novam ἔμφασιν: quemadmodum & Nullum animal, pro nullo homine vulgo dicimus.

Βωμολόχοι, βωμολοχεύεσθαι.

Βωμολόχοι, proverbiali convicio dicebantur ſceleſti & improbi. Quod nominis olim inditum videtur iis, qui obſervantes circum aras, victimis tendere conſueverunt inſidias: aut qui ob id rem divinam facerent, quod ex aliorum accuſatione compendii nonnihil auferrent. Nam hujuſmodi mortalium vota Jupiter audit apud Lucianum in Icaromenippo. Dicuntur item βωμολόχοι, qui cum res divina peragitur, non faciunt vota diis, ſed nugas inanes deblaterant. Qui mos hodie magnatibus præcipue placet, & illud admodum civile putant, ſi inter ſacrificandum aſſidue cuipiam ad aurem obganniant. Ariſtophanes in Nebulis, ὦ βωμολόχε. Idem in eadem fabula:

Εἰ δέ τις αὐτῶν βωμολοχεύσαιτ', ἢ κάμψειέ τινα καμπήν.

Id eſt:

Si quis eorum bomolochum egerit, & flexum aliquem flexerit.

Quanquam in hoc ipſo φορτικῶς τι ἐκκάμπτειν, ſubeſt proverbii color. Idem in Equitibus, ἀνθυπεβούλευσε βωμολόχον ἐξεύρημα, ſentiens adverſarium excogitaſſe quiddam egregie ſceleſtum, quod βωμολόχον appellat, quaſi inſigniter adulatorium. Vox deducta videtur à βωμὸς altari, & λόχος inſidiis: quod nec illic deſinat, qui cibos ſuffurentur, aut mendicando petant. Hinc tranſlatum eſt ad abjecte adulantes, ventris gratia. Unde dicta ſunt, βωμολοχεύματα καὶ βωμολοχεύματα, pro ſordidis adulationibus. Interdum βωμολόχοι vox tribuitur aruſpicibus, divinis, tibicinibus, & huic hominum generi quod nidorem altaris ſequitur. Denique vocis uſus tranſiit ad omnes, qui improbis artibus venantur quæſtum.

Diagoras melius.

Διαγόρας ὁ μήλιος. id eſt, Diagoras Melius. In ſceleratum ac fœdifragum & impium. Hic capta Melo vixit Athenis, & Athenienſium ſacrorum Myſteria uſqueadeo contemſit, ut complureis averterit a religione, deterrueritque ne jam vellent initiari. Præterea arcana illa myſteria, quæ nefas eſt prophanis edere, ille impius in vulgus extulit, modis omnibus irridens. Quas ob res ab Athenienſibus proſcriptus eſt: eamque proſcriptionem palam in ære columna poſuerunt, addito præmii loco, talento, ſi quis hominem occidiſſet: ſi quis vivum adduxiſſet, duobus. Meminit hujus Ariſtophanes in Avibus:

Ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον,
Λαμβάνειν τάλαντον, ἤν τε τῶν τυράννων τινὰ
Τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ.

Id eſt:

Si quis è vobis Diagoram Melium interfecerit,

Præmium feret talentum, ſique quis quem è mortuis
Interemerit, tyrannis.

Lupi decas.

Λύκου δεκάς, id eſt, Lupi decas. Dictum apparet in eos, ad quos inhoneſti lucri pars aliqua, tametſi puſilla rediret: aut in eos qui largitionibus eſſent corrupti, alioſve corrumperent. Nam Athenis in foro ubi cauſæ agebãtur, Lycus quidam genius ſcalptus ſtabat, lupina ſpecie. Apud hanc ſtatuam ſycophantæ pecunia corrupti verſari conſueverunt, velut apud deum quempiam ſui quæſtus præſidem, eique in dies ſingulos triobolus ſecabatur: autore Zenodoto, quanquam attigit & Heſychius. Suidas addit, Sycophantas fuiſſe decem numero, veluti decem viros referentes. Meminit huius Ariſtophanes in Veſpis:

Θ' ἡρῴον ὥσπερ ὀκκαρμένη τὸ τοῦ Λύκου.

Id eſt:

Si qua ſimulachrum efferre poſſies Lyci.

Erat hoc quæſtus genus apud veteres inviſiſſimum, eorum qui in jus vocabant, ut ex damnato dicta mulcta portionem aliquã præmii loco ferrent. Unde & ſectores dicti ſunt, & quadruplatores.

Cum ſacco adire.

Proverbiali ſchemate dictum eſt, quod adfertur ex Paulo libr. Pandect. 46. tit. de ſolu. & liber. cap. quod dicimus: Quod dicimus, inquit, in eo hærede, qui fidejuſſori teſtatoris id quod ante aditam hæreditatem ab eo ſolutum eſt, debere ſtatim ſolvere, cũ aliquo ſcilicet temperamento temporis intelligendum eſt: nec enim cum ſacco adire debet. Hæc ibi. Non dubium eſt, quin hic ſermo fuerit vulgo jactatus de quovis qui poſtulat, ut ſtatim exhibeatur quod petit. Alioqui non ad omnia recipienda ſacco eſt opus, velut ad oleum aut vinum. Græcis θυλακίζειν dicitur, qui cum pera ſequens poſtulat aliquid, qui mos eſt mendicorum: unde proverbium, mendicorum peras ſemper eſſe inanes, θύλακος autem vas eſt farinarium. Heſychius indicat, eam vocem fuiſſe peculiarem Tarentinis.

Onobatis.

Apud Cumanos mulier in adulterio deprehenſa ducebatur in forum, ut illic lapidi inſiſtens omnibus eſſet conſpicua. Deinde impoſitam aſino, atque ita per totam civitatem circũductam, reducebant ad lapidem, ut ibi rurſus eſſet omnibus ſpectaculo. His actis debebatur infamis per omnem vitam, & ignominiæ gratia ὀνοβάτις dicebatur, quod aſinum equitaſſet. Lapis autem nefaſtus ac deteſtabilis habebatur, in quo ſteterat mulier. Quadrabit in quamvis proſtitutæ famæ. Aſinus apud Cumanos erat jocus proverbialis, qua de re nobis dictum eſt alias. Illud hic annotandum, quomodo decreverit legum ſeveritas. Apud Hebræos adultera lapidabatur. Apud Romanos aliquando minitabatur lex Iulia. Apud Cumanos ſumma ignominia ſupplicii loco erat. Nũc apud Chriſtianos ludus eſt adulterium: apud quos tamen matrimonium eſt ſacramentum. Quid supereſt, niſi ut præmia decernantur his qui multorum uxores conſtupratrunt? Olim inceſtæ prophanæ vivæ defodiebantur. Nunc violare virginem Chriſto dicatam pietas eſt. Verum quod ad proverbium attinet refertur à Plutarcho in Problematis.

Cercopum cœtus.

Ἀγορὰ κερκώπων, id eſt, Cœtus Cercopum, de conciliabulo, conventuque verſutorum & improborum hominum dicebatur. Narrant enim, Cercopes quoſdam in Epheſo fuiſſe notæ fraudulentiæ viros, qui ſuis dolis conati ſint ipſi Iovi imponere. Hos admoverat mater, ne in Melampygum inciderent: id quod evenit. Nam poſt ab Hercule vincti ſunt, juſſu Omphales. Quidam ajunt, quoſdam ob impoſturas & malas artes, κέρκωπας, quaſi caudatos, appellatos fuiſſe apud Epheſios atque Athenienſes: ut idem ſit ſenſus hujus adagionis, & illius cujus alibi meminimus, λύκου δεκάς. Torquet hoc convicium Æſchines in Demoſthenem: ἐγὼ μὲν οὐδὲ πώποτ' ἐκείνου, ψ' ἐν τὸ παιπάλημα τουπιπάλημα, ἢ τὸ παλίμβολον, ἢ καὶ τοιαῦτα ῥήματα, οὐδ' ἐνὶ κέχρηται, νῦν δ' ἐξεμὴ πλουτοῦντος λαβὼν, τῆς ἀγορᾶς κερκώπων μεμάθηκα. i. Aliquando fuiſſe cercopem, aut quod dicitur pæpalema, aut palimbolum, antehac neſciebam. Nunc vero nactus hunc omnis maliciæ expoſitorem, didici. Videntur & illa duo verba, præpalema & palimbolum, fuiſſe jactata vulgo Heſychius indicat παιπάλημα dictum hominem ποικίλον ἐν πονηρίᾳ. i. varium in malicia, dictum apparet à πάλλω, quod eſt moveo: & παι ſyllaba per conduplicationem adiecta eſt: cujus futurum παλῶ & παιπαλᾶν eſt circumſpicere ac ſcrutari, ubiique non tentare. Rurſus παιπάλη, ſubtiliſſima pars frumenti cribro excuſſi. Concuſſione ſit utrumque, ſortitio & frumenti purgatio. Unde πάλοs ſors, & πάλη farina. Proinde qui ſe vertunt in omnia, pæpalematis ſcommate notari videntur. Simul alluſum ſuſpicor ad vocem. Nam παῖς puerum ſonat, & παλάω venor, ſive in retia duco. Idẽ exponit multis verbis quid ſit παλίμβολον: nimirũ hominem qui ſibi minime conſtat, ſed facile in diverſum revolvitur. Suſpicor convicium ſumptum ab inſtrumentis ſic arte confectis, ut facile recurrant in diverſum: atque hinc detortum in hominem lubricæ fidei.

Cercopiſſare.

Κερκωπίζειν, id eſt, Cercopiſſare dicuntur, vel qui laſciviunt, aut qui adulantur. Metaphora ducta ab animantibus quæ motu cauda adblandiuntur, ut Chryſippo placet, Suida teſte, vel qui moleſti ſunt, obturbantque & obſtrepunt, ut vox deflexa ſit a Cercopibus illis Lydiis, quos Hercules, quod ſibi cum Omphale cubanti petulantius obturbarent, amicæ juſſu vinctos de clava ſuſpendit: quemadmodum retulimus in adagio, Ne in Melampygum incidas.

Ἀλιτήριοι.

Ἀλιτήριος vulgo dicebatur, qui per vim raperet aliena. Natum ex eventu ejuſmodi. Temporibus Ætolici belli tanta frumentariæ rei penuria incidit Athenienſib. ut pauperes coacti fame captivorum farinam diriperent: inde vox traduci cœpit ad hominem quocunque modo ſceleratum. Plutarchus in commentario De curioſitate, diverſam hujus nominis originem reddit: nempe cum Athenis fame vehemẽter laboraretur, & hi qui juſſi fuerant, frumentum non efferrent in publicum, ſed domi clanculum molerent ac noctu, curioſi quidam obambulantes obſervato molarum ſtrepitu, eos prodiderunt: atque hi quidem Aliterii dicti ſunt, quemadmodum & ſycophantæ. Verum ab hoc commento diverſa memorat in Problematibus, volens aliterium à fugiendo dictum. Nam Græcis ἀλεῖν utrunque ſignificat, molo & fugio: eoque vocabulo ſcribit notatum eum, qui tantæ fuiſſet improbitatis, ut quiſquis eum effugere valuiſſet, is felix haberetur. Ariſtophanes in equitibus. Aliterios appellat eos, qui violarunt templum Palladis: ἐκ τῶν ἀλιτηρίων σε φημὶ γεγονέναι τῶν τῆς θεοῦ. i. Ajo te eſſe de numero Aliteriorum, qui deæ arcem invaſerunt. Interpres multa recenſens hoc quoque commemorat. Cylon quidam per tyrannidem occupavit arcem, ac deprehenſus eſt ſpoliare templum Minervæ. At ipſe quidem effugit nactus opportunitatem: cæterum illius amicos, qui ad aram deæ confugerant, inde retractos occiderunt Athenienſes. Unde qui violaſſent ſupplices, ἀλιτήριοι, dicebantur. Etenim qui violato deæ templo ſupplices interfecerant, poſt ſupplicio capitis affecti ſunt. Denique & Ceres dicta eſt ἀλιτηρία & Iupiter ἀλιτήριος: quod in publica fame ſervaſſent molitores, ne farina diriperetur. Quin & illud admonent ἀλιτηρίους dici, qui fruſtrantur ſpe ſua, nec perficiunt quod tentarunt. Ambiguitas hinc eſt, quod ἀλεῖν duo ſignificat, molo & aberro. unde & ἀλάομαι erro. Porro ut ἀλιτήριος uſurpatur pro ſacrilego & impio, ita ἀλιτηριώδεις dicuntur, qui ſacrilegium committunt.

Tenedius tibicen.

Τενέδιος αὐλητής. i. Tenedius tibicen, dicebatur teſtis falſus & calumniator, hinc natum, quod Philonome tibicinem ſuum ſubornavit, qui teſtaretur apud Cygnum, ipſam a Tenne de ſtupro fuiſſe interpellatam, ac vi etiam tentatam. Hæc fermè Stephanus in catalogo urbium, De Tenedo ſæpe jam dictum eſt alibi.

Eurybatizare.

Εὐρυβατίζειν, id eſt, Eurybatizare, eſt improbis uti moribus. Eurybatus ex Cercopibus unus fuit inſignitæ improbitatis homo. Hujus meminit Lucianus in Pſeudomante. ὑπὲρ τοὺς κέρκωπας, ὑπὲρ τὸν Εὐρύβατον ἢ Φρυνώνδαν ἢ Ἀριστόδημον, ἢ Σώστρατον, id eſt, Ultra Cercopas, ultra Eurybatum, aut Phrynondã, aut Ariſtodemũ, aut Soſtratum. Neq; vero unus duntaxat hujus nominis fuit, infamis verſutia, moru mque improbitate. Nam & Epheſius quidam Eurybatus fuit, qui cum à Crœſo cum multa pecuniarũ vi miſſus eſſet, ut exercitum contraheret, ad Cyrum defecit, ut autor eſt Ephorus. Alii malunt ad Eurybatum referre, qui fuiſſe perhibetur alter è Cercopibus, ut dixi. Duris ad Eurybatum refert Ulyſſis ſocium. Nicander prodidit Eurybatum quendam Æginenſem fuiſſe longe verſutiſſimumque ſceleſtiſſimumque. Neque vero deſunt, qui dicant hoc nomine furem fuiſſe quempiam aſtutia ſingularis, cum deprehenſus, captuſque ſervaretur, cuſtodes in convivio animi cauſſa juſſerunt ut oſtenderet, quibusnam modis conſueverit domos conſcendere. Cumque illum initio renuentem, ſcilicet tanquam invitus facturus eſſet, rogarent inſtantius, ac vix tandem perſuaſiſſent: ille aptatis ſpongiis ac ſtimulis, ferreiſque retinaculis, quas ἐγκεντρίδας Græci vocant, parietem cœpit conſcendere. Porro ſuſpectantibus illis, & artificii novitatem admirantibus Eurybatus prehẽſo laqueari, per tegulas aufugit, priusquam illi domum circumire potuerint. Atque hunc ad modum deluſis cuſtodibus periculum evaſit. Meminit hujus & Euſtathius in primum Iliados, admonens eam vocem ambigue pronunciari ἐρυβατεῖν, & εὐρυβατεῖν: dictum autem παρὰ τὸ εὐρυβάζειν, quod late graſſaretur. Itaque peculiariter conveniet in eum, qui deprehenſus, arte quapiam relabitur.

Phrynondas alter.

Φρυνώνδας ἄλλος, id eſt, Phrynondas alter. De improbo. Hujus meminit Lucianus in Pſeudomante, inter nobiles facinoroſos. Phrynondas, cum eſſet hoſpes Athenis, in negociis Peloponneſiacis verſabatur, homo verſutus, maleficus, impoſtor, ſummus malarum rerum artifex, ut hominis vocabulum in rei tranſierit appellationem. Etenim quoties inſigniter malum & ſceleratum accipi volebant, Phrynondam appellabant. Sic Ariſtophanes in Amphiareo, citante Suida:

Ω μιαρὲ

Ὦ μιαρὲ καὶ Φρυνώνδα καὶ πονηρὲ σύ.

Id eſt :

Scelerate tu ac Phrynonda, & impuriſſime.

Vſus eſt & Plato in Protagora. Meminit horum & Æſchines adverſus Cteſiphontem: οὐ Φρυνώνδας, οὐδ' Εὐρύβατος, οὐδ' ἄλλος οὐδεὶς πώποτε τῶν πάλαι πονηρῶν τοιοῦτος μάγος καὶ γόης ἐγένετο, id eſt. Nec Phrynondas, nec Eurybatus, nec alius quiſquam veterum improborum unquam talis magus & impoſtor fuit.

Novi Simonem & Simon me.

Οἶδα σίμωνα καὶ σίμων ἐμέ. id eſt, Novi Simonem, & me Simon. De iis dicebatur qui pares eſſent. Zenodotus & Suidas ſcribit duos fuiſſe doctores, notæ utrunque improbitatis, Simonem & Niconem. Simonem autem, quod vitiis antecelleret, alterius famam obſcuraſſe. Vide proverbio, Simonem unum nominant. Tradunt hos duos Telchines fuiſſe, qui inducta interram aqua Stygia, Arnon ædificarint. Vocantur autem apud Græcos Telchines, maligenii, ſive homines faſcinatores & malefici. Strab. libr. 10. meminit Telchinum, aitque novem fuiſſe, qui è Rhodo Rheam ſint comitati in Cretam. τελχῖνας autem dictos volunt παρὰ τὸ θέλγειν, quod eſt obſcurare ſive demulcere: quod homines illectos circumveniant. Hinc & τελχίνιον ſive τελχινῶδες dicunt, quicquid inſigniter eſt improbum : & τελχινιᾶν, pro contentioſe ac pervicaciter agere. Addit Etymologus, omnes Cretenſes τελχῖνας dici : & ipſam Cretam dictam τελχινίαν. Adagium uſurpat Chryſoſtomus in Babyla: ὦ δεξιὰ τελχῖνος. id eſt, O dextram Telchinis. Sic enim appellat nocentem dextram.

Ballio.

Nomina quædam ob inſignem improbitatem abierunt in proverbium, quod interdum a veris, interdū à fictis in comœdia perſonis ſumitur. Nam Marcus Tullius in actionibus ſuis ſubinde C. Fannianum Chæream quendam Ballionem appellat, veluti pro Roſcio Comœdo: Qui idcirco capite & ſuperciliis, inquit, ſemper eſt raſis ne ullum pilū boni viri habere dicatur. Cujus perſonam præclare Roſcius in ſcena tractare conſuevit : neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbiſſimum & perjuriſſimum lenonem quum agit, agit Chæream, perſona illa lutulenta, impura, inviſa, in hujus moribus natura vitaque eſt expreſſa. Rurſus in eadem: Vix medius fidius tu Fanni à Ballione aut aliquo ejus ſimili poſtulare auderes, & impetrare poſſes. Ballionem inducit Plautus in Pſeudolo, lenonem impuriſſimum, rapaciſſimum, improbiſſimum. Nomen confictum eſt à βάλλειν, quod ſemper aliquid prædæ venetur leno: vel à βαλλίζω, quod laſciviarum ac ſaltationum ſit architectus.

Ambrones.

Ambrones olim vulgo dicebantur, qui rapto maliſque artibus viverent. Originem indicat Feſtus Pompeius, admonens eam fuiſſe Galliarum gentem : quam quum mare inundans finibus ſuis depuliſſet, per aliena oberrantes, rapinis ac prædationibus ſe ſuoſque alere cœperunt. Manus erat formidabilis non numero tantum (dicuntur enim fuiſſe triginta millia) verumetiam cum animorum ferocia, tum ratione pugnandi. Siquidem conferti, rhythmis & concentu quodam in hoſtem ferebantur, ſubinde intonantes, Ambrones Ambrones: ſive ut hac voce ſuos in unum convocarent, ſive ut hoſtibus terrorem incuterent. Ab his victi fuerant Romani duces Manlius & Cepio : ſed primum à Liguribus fracti ſunt, mox a C. Mario proſtrati, tandem ad aquas Sextias unà cum Cimbris ac Teutonibus deleti ſunt. Ita ferme Iul. Florus in Epitoma lib. 68 & Plutarch. in vita C. Marii. Simili modo Cilicis vocabulum abiit in convicium rapacitatis ac prædationis.

Βεργαΐζειν.

Stephanus ſcribit βέργην eſſe civitatem Thraciæ, ſive (ut Strabo refert) vicum. Ejus gentis improbi mores in Proverbium abierunt, ut dicerentur βεργαΐζειν, qui nihil ſani loquerentur. Tota enim natio Thracum multis nominibus male audiebat, ſed præcipue ob morum truculentiam ac perfidiam. Thrax erat Polymneſtor, qui victrica arma ſequutus, Polydorum obtruncavit, & auro vi potitus eſt.

Tria cappa peſſima.

--- Τρία κάππα κάκιστα.

Id eſt :

--- Tria peſſima cappa.

Iactatum & hoc olim ænigmatis vice, quo trium gentium mores notati ſunt, Cappadocum, Cretenſium & Cilicum. Auguſtinus in grammaticis indicat fuiſſe tortum in Cornelium Syllam, Cornelium Cinnam, & Cornelium Lentulum. Creditumque eſt, in libris Sibyllinis horum nomina trib. hiſce literis fuiſſe deſignata Eſt item clauſula carminis heroici.

Duplex cappa.

Διπλοῦν κάππα. id eſt, Duplex cappa, velut ænigma, quo malum aliquod ſignificabant. Siquidem gemino cappa, ſcribuntur κακά. Simili figura Plautus furem, trium literarum hominem appellavit.

In exploratus homo.

Ἀβασάνιστος ἄνθρωπος, id eſt, Inexploratus homo id eſt, ἀνεξέταστος, ἀπείρατος, ἀδοκίμαστος, id eſt, inexpenſus, inexpertus, non probatus. Suidas Ælianum citat autorem, in libro De providentia, qui ἀβασάνιστον dixerit, dolore vacuum: eo quod Græcis βασανίζειν ſic etiam, torquere. Subeſt autem metaphora in ἀβασανίστῳ. Βάσανος enim coticula eſt, qua ſolet aurum explorari. Latini vocant indicem. Extat Chilonis dictum : Id aurum eſſe homini, quod index lapis eſt auro, hoc eſt, non aliter ingenium hominis auro ſpectari, quam indice ſpectatur aurum.

Ferre jugum.

Plautus in Curculione : Iamne fert jugum? De puella percunctatur quiſpiam, num jam per ætatem virum reciperet. Id enim ſignificari, ſatis arguunt ea quæ ſequuntur : Tam à me pudica eſt, quaſi ſoror mea ſit. Horatius in Odis, de puella nondum viro matura :

Nondum ſubacta ferre jugum valet
Cervice.---

Videlicet indicans, unde ducta ſit translatio: nimirum à iuvenco, cui nondum ſuppetunt vires ut ducendo aratro pares operis vices ſuſtineat. Nam & coitus duorum ex æquo negocium eſt, itidem ut in jugo, Unde dictum etiam conjugium.

Magis impius Hippomene.

Ἀσεβέστερος Ἱππομένους, id eſt, Magis impius quam Hippomenes. Hic Athenienſium princeps filiam à cive quopiam vitiatam, una cum equo feroci concluſit in domicilio: nec huic nec illi cibum præbens. Equus igitur fame in rabiem actus, puellam adortus confecit: deinde periit ipſe quoque, pabuli videlicet inopia: poſt hæc pater domum eſt demolitus, loco nomen inditum, Equi & puellæ. Recenſet adagium Diogenianus.

Mare proluit omnia mortalium mala.

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

Id eſt :

Hominum univerſa proluit pelagus mala.

Refertur ab Euſtathio in primum Iliadis Homericæ. Extat autem apud Euripidem in Iphigenia Taurica. Natum eſt ab eventu ejuſmodi. Refert Diogenes Laertius : Euripidem Platoni comitem fuiſſe peregrinationis, quum Ægyptii merſione marina ſanarunt hominem. Hinc poſtea verſiculum hunc compoſuiſſe.

Κλύζει θάλασσα πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

tanquam aqua marina morbis omnibus mederetur. Quin hodie morſos à cane rabido, ſi novies mergantur in mare, putant a rabie liberari.

Qui omni in re, & omni tempore.

Aulus Gellius explicans vim [illegible], ait hunc ſenarium antiquiſſimum proverbii vice celebratum fuiſſe :

Sed enim qui in omni re, atque in omni tempore
Omni laude vacat, is illaudatus eſt.
Iſque omnium peſſimus deterrimuſque eſt.

Admonet parœmia fere neminem eſſe tam deplorati ingenii, qui non aliquando dicat faciatve quod laudem promereatur. Refertur iiſdem ferme verbis a Macrobio Saturnalium 6. ex quo mihi viſus ſum deprehendiſſe manifeſtum errorem ſcripturæ in Gelliano libro, per eruditum quempiam admiſſum. Is enim non intelligens hos eſſe verſus : ſed enim qui in omni re atque in omni tempore, &c. ſuſpicatus eſt Græcum verſiculum omiſſum à librariis, in ejus locum ſuppoſuit hoc carmen :

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν.

quum verſus de quo ſentit Gellius, ſit Latinus quem mox ſubjicit : Sed enim qui in omni, &c. Id liquet ex Macrobio, qui locum hunc ad verbum pene ſuffuratus eſt in ſuos commentarios. Porro Græcus verſiculus nihil facit ad explicandam vim hujus vocis illaudatus, ſed obiter admixtus eſt : quaſi probandum eſſet quod dixerat, neminem eſſe tam afflictis moribus quin faciat dicatve nonnunquam aliquid, quod laudari queat. Quo quidem

loco

loco rurſus. Efflictis depravatum eſt in Efferis: poteſt enim illaudatus eſſe, qui non ſit efferis moribus: ſed efflictos mores dixit perditos & corruptos. Sunt autem tres ſenarii ſententiam abſolventes, niſi quod alicubi videntur vitiati à ſcribis:

Sed enim qui in omni re atque in omni tempore.

Hic primus pulchre conſtat. Conſtabit & alter, ſi legatur:

Qui omni vacat laude, is vir illaudatus eſt.

Nam dictiunculam Vir, etiam aurium ſenſus in hoc verſu videtur requirere, Conſtabit & tertius, ſi legas.

Iſque omnium eſt deterrimus ac peſſimus.

Locus eſt apud Gellium libro 2. cap. 6. ſi quis volet conferre.

Servilis capillus.

Ἀνδραποδώδη τρίχα ἐπιδείκνυσθαι, id eſt, Servilem capillum præ ſe ferre dicuntur, qui agreſtib. & elegantibus ſunt moribus. Inde ductum, quod Athenis ſervi manumittendi capitis pilos deradebant. Plato ſcribit in Alcibiade, quosdam ſerviles pilos in animo geſtare: indoctos & ſtupidos ſignificans. Citantur apud Suidam hæc ex autore neſcio quo: πολλοῖς ὢν συμπεπλεγμένον ἁμαρτήμασι, οὐδὲ τοῖς πάθεσι κατεσταλμένον, ἀλλ' ἔτι τὴν ἀνδραποδώδη τρίχα φασὶν ἐπιδεικνύμενον, id eſt, Multis collectis vitiis, neque compoſitus affectibus, ſed qui ſervilem, ut ajunt, capillum adhuc præ ſe ferrent. Plin. lib. 11. cap. 37. rem prodigioſam tradit, homines quosdam hirſuto corde naſci. Pliniana verba ſunt hæc: Hirto corde gigni quosdam homines produnt, nec alios fortiores eſſe induſtria: ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios, ipſe convulneratus & captus, ſemel per cavernam lapidiciarum evaſit, anguſtos vulpium aditus ſecutus: iterum captus ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem advolutus lora cum corpore exuſſit, tertio capto, Lacedæmonii corpus diſſecuere cauſa videndi, hirſutumque cor repertum eſt.

Vlyſſis remigium.

Homines nequam & voluptatibus addictos Horatius in Epiſtolis Vlyſſis remigium appellavit, proverbiali nimirum figura:

---Remigium vitioſum Ithacenſis Vlyſſi.

Vt qui nec à Circes poculis temperarint, nec a Lothophagis avelli potuerint, nec à Solis bubus abſtinuerint. Vnde Homer. Odyſſ. 1.

Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο
Νήπιοι. --

Id eſt:

Ipſorum ſiquidem vecordia perdidit illos.
Amentes. —

Non diſſimili figura dixit, ſponſos Penelopes, & Alcinoos, voluptarios & virtutis negligentes. Item alio loco Phæacem appellat nitidum, & bene curata cute.

—Vt poſſim pinguis Phæaxque reverti.

De Phæacib. Homer. Odyſſ. lib. 8.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε,
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.

Id eſt:

Nos vero ſemper capiunt citharæque chorique,
Et variæ veſtes, & balnea calda, thorique.

Idem de procis Penelopes Odyſſ. lib. 1.

Τούτοισιν μὲν ταῦτα μέλει, κίθαρις καὶ ἀοιδὴ,
Ῥεῖ', ἐπεὶ ἀλλότριον βίοτον νήποινον ἔδουσιν.

Id eſt:

Iſtos ſolicitant hæc, concentus, citharæque:
Et facile, ut qui aliena ſiunt impune voraces.

Dii tibi dent tuam mentem.

Dii tibi dent tuam mentem, in inſanum congruit, & ſua dignum mente. Quid enim precemur infelicius ſceleſtis hominibus? Martialis:

Dii mentem tibi dent tuam Philæni.

Horatius:

Quid facias illi? jubeas miſerum eſſe libenter,
Quatenus id facit.—

Contra Demea Terentianus: Mentem meliorem vobis dari.

Non eſt laudandus, ne in cœna quidem.

Οὐκ ἐπαινεθείη οὐδ' ἐν τῷ περιδείπνῳ, id eſt, Non queas laudari, ne in parentalib. quidem. In hominem dicebatur vehementer illaudatum. Antiquis mos erat, præſertim Atticis in cœnis funeralib. quas Græci περίδειπνα vocant, encomiis, epicediis, & epitaphiis laudare vita defunctum, etiam ſi parum meruiſſet in vita. Siquidē, ut inquit Ovidius:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Vnde fit, ut vivos nonnunquam merita laude fraudemus, mortuis etiam immeritam tribuamus. Feſtus Pompeius docet, antiquitus ſolere conduci mulieres, quæ in funere non ſine laudibus lamentarentur vita defunctum, aliisque lamentandi modum præirent, unde & præficæ dictæ ſunt, quaſi præfectæ: citatque Nevii teſtimonium. Hæc quidem mehercle opinor præfica eſt, quæ ſic mortuum collaudat. Fortaſſis hinc ductum eſt, quod antiquitus mos fuiſſe videtur, in compotationibus aliquorum, etiam viventium laudes dicerentur. Quemadmodum apud Platonem Alcibiades Socratis encomium refert, & apud Plutarch. Alexandrum Magnum laudat Calliſthenes. Ejusmodi vero laudes non admodum ſpecioſæ videbantur, ut inter pocula decantatæ. Nec abſurdum arbitror, ſi quis ad priſcorum conſuetudinem referat parœmiam qua fieri ſolet, ut in conviviis citharœdus, aut, deorum aut inſignium virorum facta cantaret. Velut apud Homerum in omnibus ferme conviviis. Apud Virgilium item:

—Cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata.—

Tametſi hæ quoque laudes plerumq; ad auditorum gratiam fingebantur. Adagium refertur à Diogeniano.

Compendiaria res improbitas.

Σύντομος ἡ πονηρία, βραδεῖα ἡ ἀρετή. id eſt, Compendiaria res Improbitas, virtus lōga, qui ſemel addixit animum vitiis, is quidvis flagitii facile patrabit. At ſingulæ virtutes magno ſudore parandæ. Fitque neſcio qua naturæ corruptione, ut quæ turpia ſunt, vel αὐτοδίδακτοι protinus arripiamus: quæ honeſta, vix longis diutinis inculcentur. Plutarch. in Apophthegmatis tribuit hoc dictum Cleomeni. Quum prædo quiſpiam in agrum Lacedæmoniorū feciſſet incurſionem, atque ubi captus eſſet, dixiſſet, ſeſe hæc ſe feciſſe quod non eſſet quo aleret militem, proinde ad eos vertiſſe ſeſe, quibus ſupereſſet, nec impartirentur: Cleomenes, σύντομος, ἔφη ἡ πονηρία.

Inſania non omnibus eadem.

--*Μανίαι δ' οὐ πᾶσιν ὁμοῖαι.*

Id eſt:

--Haud eſt eadem veſania cunctis.

Hemiſtichium heroicum, ſicut & illud ſuperius, extat in eiſdem Collectaneis. Senſus eſt, nullum eſſe mortalem, qui non in aliqua re deſipiat. Quanquam alius alio morbo laboret, hic avaritiæ, ille libidinis: hic ambitionis, ille invidiæ. Quod copioſe demonſtrat Stoicus Damaſippus apud Horatium in Sermonibus. Et in hac hominis calamitate, mira ludit varietate natura. Inter hos qui mente lapſi ſunt, alii ſibi videntur cornibus taurinis, alii naſo prælōgo, alii vaſa fictilia: nonnulli ſe credunt eſſe mortuos: alii ſibi videntur eſſe principes, alii doctiſſimi philoſophi. Novi qui ſe crediderit omniū qui ſunt aut fuerunt eſſe multo ſceleratiſſimum: novi qui neminem crederet ipſo ulla in re præſtantiorem: novi qui ſe crederet eſſe Chriſtum, & alterum, qui ſe putaret Deum. Argivus ille ſolus plaudebat in theatro, credens ſe miros audire tragœdos. Athenæus libro 12. refert de quodam Athenienſi, qui perſuaſum habebat, omnes naves quæ appellerent in Piræum, eſſe ſuas, easque recenſebat dimittebat, ac deducebat & appellentes tanto gaudio excipiebat, ac ſi omnium rerum quas vehebant, eſſet dominus: at ſi quid periiſſet, non amplius quærebat: ſi incolumes perveniſſent, augebat, multa interim cum voluptate vitam agens: donec frater ejus Crito è Sicilia advectus, tradidit illum medico, cujus opera liberatus eſt inſania. Cæterum ad ſe reverſus dicere ſolebat, ſe nunquam vixiſſe jucundius.

EX APPENDICE ERASMI.

Ætoli.

Αἰτωλοί, rapaces & improbi.

Omnibus modis nocens.

Hominem fucis, vi, factis, verbisque pernicioſum, dicemus nobis moleſtum eſſe καὶ χερσὶ, καὶ λύγοισι, καὶ πᾶσι κακοῖς, manu, & venenis, & malis demum omnibus. Sophocles.

Ἀλιτήριος.

De homine quocunque modo ſcelerato, præcipue qui per vim rapit aliena, impiusque eſt ſacrilegus: unde & ἀλιτηριάζειν, ſacrilegium committere. Inter varias adagii origines eſt & hæc. Temporibus Ætolici belli tanta frumentariæ rei penuria incidit Athenienſibus, ut pauperes fame coacti captivorum farinam diriperent: inde vox & alia traduci cæpit, Plutarchus. Ariſtoph. interp.

IVNII. *Salmoneus alter.*

Salmoneus alter, parœmiæ ſpecie uſurpatur à Symmacho, de ſupra modum ſuperbo & elato. Verba ejus ſunt ad Theodoſium Imperatorem, ubi deprecatur honorarii vehiculi uſum, iſta: Abſit ut moderator urbis liberæ, atque ideo devotæ, tanquam Salmoneus alius invehatur. Eunapius Sardianus in Chronographia de Eutropio eunucho, adverſus quem invectivæ extant Claudiani poetæ, τὸ ἐκείνου κράτος ἐς τόσον ἐκύκησε πάντα καὶ κατεβρόντησεν, ὥστε οὐ μόνον Ῥουφῖνος ἦν αὐτός, ἀλλ' ὁ τοῦ μύθου Σαλμωνεὺς μηδὲν πρὸς αὐτὸν ἦν. id eſt illius potentia adeo concuſſit, omnia, & tonitru quodam perculit: ut non modo Ruffinus eſſe reipſa deprehenſus fuerit, ſed fabuloſus ille Salmoneus nihil fuerit præ iſto. Galenus Therapeutices primo, in Theſſalum invehens, dicit eum ſimilem tari Zoilum, qui Homeri ſimulachrum flagellare ſolebat, & Salmoneum Iovis æmulum. Sic enim inquit. καὶ ὁ τραγικὸς καὶ Ζωίλος ἐκεῖνος τὴν Ὁμήρου μαστίζων εἰκόνα, ὁ Σαλμωνεὺς τὸν Δία μιμούμενος. id eſt. Hac ratione nobilitatus eſt Zoilus Homeri effigiem verberando

beriando, & Salmonem Iovem imitando. & rurſus οὐδ' ζηλοῖεν ἂν ἔχων σῶας τὰς φρένας οὔτε τὸν Ὁμήρου μάστιγα Ζωΐλον, οὔτε τὸν παραπλῆγα Σαλμωνέα καίτοι τοῖς μὲν φιλολοιδόροις ζηλωτὸς ὁ Ζωΐλος, τοῖς δ' ἱεροσύλοις ὁ Σαλμωνεύς. hoceſt, Nemo quiſquam ſanæ mentis æmulatur Homeri flagellatorem Zoilum, neque vecordem Salmonea, tametſi maledicis ſcurris in exemplo ſit Zoilus, & ſacrilegis Salmoneus. Heſiodus:

Σαλμωνεὺς ἄδικος καὶ ὑπέρθυμος ἀεὶ ἄγων.

Id eſt:

Salmoneus plenus faſtus ac neſcius æqui.

Qui & ipſe proverbialis verſus in principem ſubditis gravem, & ſuperbiæ immodicum, aut prætorem inſolentem & iniquum apte torqueri poterit. Salmoneus filius fuit Æoli Elidis reguli ex Laodice Aloei, qui curruũ rotas æreis canthis obmunitas, ſuper pontem æneum quem conſtruxerat, agitaſſe, ad imitanda vera tonitrua, & immiſſis in homines facibus, neci eos dediſſe legitur, unde Virgil. li. Æneid. 6.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis & ſonitus imitatur Olympi.

Et Valerius Flaccus Argonauticorum 1.

Salmoneus nondum ille furens, quum fingeret alti,
Quadrifica trabe tela Iovis, …

Salmoneum fuiſſe induſtrium mechanicarum operarum artificẽ putat Euſtathius Odyſſeæ λ. quando & alii quidã βροντεῖον ad imitanda cœli tonitrua leguntur excogitaſſe, vas ingens mugitum illum tonitrui per calculos immiſſos exprimens. Produnt & hiſtoriæ Archimedem Syracuſanum fulgurationes quasdam ignivomas, per ſpecula edidiſſe. Idem commemorat peritum quendam mathematicum adjumento machinæ, inimici ſui ædes non aliter quam terræ motu vibratas concuſſiſſe, fulguritoſque quosdam radios in illum diſtinxiſſe, ut confeſſione inimici & ἐννοσίχθων & περικέραυνος dictus fuerit, Neptuni Ioviſque, illius terræ quaſſoris, hujus fulguratoris, epithetis. quod dictum de Anthemeſio intelligendum eſt, quem ſcribit Agathius hiſtoriæ libr. 5. domum Zenonis vicini ſui æmula terræ motu concuſſione per diſpoſitos certis locis tubulos perculiſſe.

Muræna.

Apud eundem proverbiali ſpecie μύραινα id eſt, Muræna dicitur homo pernicioſus & exitialis calamitatis author. ita namque de Ægyſtho adultero loquitur ibi Oreſtes, paternæ necis vindex:

Μύραινά γ' ἢ ἔχιδν' ἔφυ.

Id eſt:

Muræna viperave extitit.

Habent enim murænæ dentes longiores, acicularum modo acutos & uncinatos, quibus infeſtant piſcatores: quo fit, cur hi noxiã illarum impreſſionem formidantes, forcipibus prehenſas capita bacillis dedolant & delumbant inſuper, ne diſſiliant, morſuſque venenatos infligant. Apud Euripidem Oreſtes matricida δράκων vocatur, ſynecdochice ut vult ſcholiaſtes, ſpeciem pro ſpecie accipiendo, ut viperam innuat, quæ maternum uterum in partu ſolet erodere. Murænam autem de improbo & ſcelerato efferri annotatum eſt ab Heſychio, ut & ἔχιδναν, id eſt, viperam, unde & in meretricem Comico ſale effertur a Comico. ὦ προδότι, καὶ προαγωγὲ, καὶ μύραινα σύ. id eſt proditrix, productrix, muræna effera.

Cybiratici canes.

Ardeliones, genus hominum, inquietum & omnis inveſtigans, Cybiratici canes non invenuſte, neque citra proverbii ſpeciem vocari poſſunt, ex Cicerone: item quadruplatores, qui canum inſtar cuncta odorantur, intercipiunt, deferunt, unde lucrum faciant: in qua claſſe ſunt, imo primatum obtinent, qui adaugendo principis fiſco, & emungendis provinciis novas ſemper machinas excogitant. Ita ferme utitur Ammianus Marcellinus libro decimoquinto, unde rumorum aucupes ſubito exterrere complures bonorum, vertices ipſos ferinis morſibus appetentes, poſteaque pauperes & divites indiſcrete, non ut Cybiratæ illi Verrini tribunalium jus legati lambentes, ſed reipub. membra totius per incidentia vexantes. De Cybiratis locus eſt apud Ciceronem Verrinarum ſexta: Cybiratæ ſunt fratres quidam Tlepolemus & Hiero, quorum alterum fingere opinor è cera ſolitum eſſe, alterum eſſe pictorem, &c. Eos jam bene cognitos & reprobatos ſecum in Siciliam duxit. Verres: quo poſteaquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos diceres) ita odorabantur omnia, & perveſtigabant, ut ubi quicquid eſſet, aliqua ratione invenirent, aliud minitando, aliud pollicendo, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicum inveniebant. Rurſum aliquanto poſt: Qui ſimulatque in oppidum quodpiam venerat, immittebantur illi continuo Cybiraci canes, qui inveſtigabant & perſcrutabantur omnia, ſi quod erat grande vas, & majus opus inventum, læti auferebant: ſi minus ejusmodi quippiam venari potuerant, illa quidem certe pro lepuſculis capiebantur, patellæ, pateræ, thuribula. Idem libro quinto, epiſtolarum ad Atticum: Vnum hoc novum de Cybiratis Pantheris: ubi feſtive id genus homines ſagace nare omnia perveſtigantes pantheras appellat, διὰ τὸ πάντα θηρᾶν, quod cuncta venentur & captent, alludens ad nomen Pantherarum animalum. Porro Cybira, aut, ut aliis magis places, Cibyra (ſic enim Strabo & Stephanus ſcribunt) Lycaoniæ urbs ingens populoſa fuit, Lydorum colonia eorum qui Cabalida tenuerunt, emendandus enim Stephani codex hoc modo: λέγεται δὲ Λυδῶν οἱ κιβυράται τῶν κατασχόντων τὴν (non autem ἐπὶ) καβαλίδα, quæ ambitu ſtadia circiter centum occupavit, in immenſum aucta vicis & propagatis urbis pomœriis, affluentibus eo undecunque vicinis gentibus propter bene conſtitutam legibus rempublicam: videtur eadem habuiſſe etiam ferri fodinas, ſculptili tornatilique operi expetiti.

Cilicica inſolentia.

Χαυνότης κιλίκιος, id eſt, Cilicica inſolentia, proverbiali ſchemate dicitur inſignis nequitia, & ſingulare flagitium. Plutarchus in Erotico: καὶ τὰς περὶ τὰ χρήματα τρυφὰς ἐμποιοῦντα καὶ χαυνότητας ἀμαθεῖς καὶ κιλικίους. id eſt, Divitiæ deliciarum authores ſunt, & protervias inſignes planeque Cilicicas invehunt, natum à gentis improbitate peculiari: unde & κιλικίζειν & ἐγκιλικίζειν à Cilicum ingenio accipi annotant, pro nequiter atq; impure ſe gerere, maliſque artibus circumvenire. Pherecrates comicus: ἀεὶ ποθ' ἡμῖν ἐγκιλικίζουσ' οἱ θεοί. id eſt: Dii nobis ſemper imponunt more Cilicum. Quod ipſum & ἐγκιλικισθῆναι dicitur: quomodo κιλίκιοι λόγοι apud Heſychium pro fraudulentis fallacibusque dictis, ut equidẽ exiſtimo, ſumuntur: & Theopompus κιλικισμὸν, id eſt, Ciliciſmum dixiſſe annotatur à Suida, pro cæde per temulentiam aut protervіam commiſſa, à gentis nimirum immani feritate: & κιλίκιοι τράγοι hirci hiſpidi ac feri vocantur ab eadem cauſa, quod hirſuties feritatis fere comes eſt: unde operimenta hircorum villoſis pilis hirſuta κιλίκια, id eſt, Cilicia vocantur, vel Procopio atteſtante: quo nomine mirari ſatis nequeo, cur Eraſmus præter conſenſum authorum adagii vice uſurpatum legat, κιλίκιοι τράγιοι, pro τράγοι, ita enim & Suidas & Heſychius legerunt, niſi quod Diogeniani codex corruptus illi impoſuit. Accedant huc & κιλίκιοι ἄρτοι, id eſt, panes Cilici, pro atris, aut his deterioribus: quales φαγὺς dixit Alexis. Plato comicus: κᾆτ' ἀγοράσας ἧκε πετόμενος μὴ τῶν καθαρῶν, ἀλλὰ μεγάλους κιλικίους. id eſt, Mox advolavit coemptis panibus, non puris illis & nitidis, ſed gravibus Ciliciis: hoceſt nigris & ſqualidis: quorum meminit Athenæus & Euſtathius in Odyſ.

Scæva.

Scævam proverbialiter dixit Symmachus orator improbum & ſiniſtræ famæ hominem, vel ſtolidum atque rerum imperitũ: cujusmodi Græci σκαιοὺς nuncupant, tardo ingenio, δυσπαρακολούθητος καὶ μωρὸς, ejus hæc ſunt verba: Quæ ſub obtentu tuo à quibusdam ſcævis deſignata dicuntur. Demoſthenes ſimiliter in oratione adverſus Androtionem: οὕτω δ' οὐ μόνον εἰς χρήματα ἀναιδὴς, ἀλλὰ καὶ σκαιός ἐστιν. id eſt, Vsque adeo non modo pecuniæ impudenter avidus, ſed & ſcæva & ſiniſtre improbus eſt. Ariſtoph. in Nebulis:

Οὐκ εἶδον οὕτως ἄνδρ' ἄγροικον οὐδαμοῦ,
Οὐδ' ἄπορον, οὐδὲ σκαιὸν, οὐδ' ἐπιλήσμονα.

Id eſt:

Vidiſſe nunquam memini ruſticum magis,
Oblivioſum, ſcævam, inopemque conſili.

Idem alibi σκαιότατε γερόντιον, vetulum flagitioſum appellat. Æſchylus:

Ἢ σκαιός ἐστιν ἢ τῶν καλῶν ἄπειρος ὤν.

Id eſt:

Aut lævus eſt, aut rerum honeſtarum rudis.

Galenus lib. 1. Therap. οὐκ εἰθισμένος ἐξελέγχειν πικρῶς τοὺς σκαιούς. id eſt, Parum aſſuetus ſcævas indoctosque acerbius traducere, Philoſtratus ὡς ἂν μὴ σκαιὸς μὴ ἡγοῖτο. id eſt, Ne me ſcævam ſuſpicetur. Athenæus lib 13 σκαιός τ' εἶ καὶ ἄγροικος αἰσχρολογούντων ἐμπειρότατος, hoceſt, Es ſcæva, & ruſticanus, atque inter turpiloquos prorſus ſævus. Vnde & σκαιοβατεῖν, quaſi ſiniſtre ingredi dicas, Græcis uſurpatum, transferri poteſt ad flagitioſos homines, qui malis artibus & via haud vulgata inſiſtunt.

Cœni agitator.

Βορβοροτάραξιν, quaſi cœni agitatorem, proverbiali voce turbulentum & ſeditioſum hominem, quique turbis rempubl. commiſcet, & factionum diſſidia excitat, appellat in Equitibus Ariſtophanes: metaphora ſumpta ab iis, qui lutum & ſterquilinium commovent. Sic enim loquitur de Cleone:

Ὦ βορβοροτάραξι, καὶ τὴν πόλιν ἅπασαν ἡμῶν ἀνατετυρβακώς.

Id eſt:

O cœni agitator, qui rempub. noſtram ſurſum ac deorſum commoviſti.

Quin & omne quod ſordidum eſt impurum, βορβορώδη. id eſt, lutulentum proverbialiter vocant. Proclus Conſtantinopol. epiſcopus: φεύγωμεν τὰς θολερὰς βορβορώδεις (ita enim reponendum eſt pro βορβανώδεις) τῆς ἀπάτης ῥύακας, τὰς θεομάχους λέγω αἱρέσεις. id eſt, Fugiamus turbidos & cœnoſos impoſturæ alveos, hæreſes inquam Deo adverſantes. A cœno etiam illa parœmia fluxit: βαθεῖ βορβόρῳ συγκαλύφθαι, id eſt, Alto cœno operiri: qua uſus eſt Gregorius Nazianzenus in Invectiva priore, nominatim proverbii nomine, quum ait: ἀλλὰ βαθεῖ βορβόρῳ τὸ δὴ λεγόμενον καὶ ἀφεγγεῖ ζόφῳ πλάνης καὶ ἀγνοίας συνεκαλύφθη. id eſt, Sed alto cœno (quod dici ſolet) & tenebroſa erroris imperitiæque caligine opertus fuit. Gregorius Palama Theſſalonicenſis, εἰ μὴ τὸ μὲν ἐρώμενον κάλλος ἐν ἰλυώδει βορβόρῳ. id eſt, Niſi amabilem meam pulchri-

recta autem facere nolunt. Non abſimile huic quod habet Cicer. in Catone: Athenienſes ſciunt quæ recta ſunt, ſed facere nolunt.

COGNATI. *Hiantia ſepulchra.*

In eos dicitur, qui peſtilente ſunt lingua, atque orationē fœtida ſpurcaque, qua inficiuntur animi auditorum, & moriuntur plerunque contagio peſtiferi odoris. Sepulchrum enim omne cadaver intus celat. Quod ſi clauſum eſt, & picturis & monumentis ornatum, religioſe colitur: ſin apertum, fugiunt omnes qui ſapiunt, ne peſtem hauriant. unde Dominus Jeſus in Evangelio Phariſæos, ſanctimoniæ ſimulatores, ſepulchra nominat, nō hiantia, ſed dealbata, quæ cum foris niteant, intus ſunt cadaverum oſſibus polluta: quod introrſum turpes haberentur, ſpecioſi pelle decora, ut ait Flaccus. Verum qui jam poſito omni pudore, ne diſſimulant quidem internam animi labem, ſepulchra ſunt hiantia vel patentia, de cadavere animæ fœtorem tetrum exhalantes: quæ ſi viveret, verba Dei viva ab ea manarent in os, nunc mortua diaboli verba ejectat. Quare ſi quem conſpexeris, obſcœna, tumida, crudelia, maledica, impia verba promētem, ne dubita quin in ejus pectore jaceat putre cadaver. Ex abundantia enim cordis os loquitur, ſed protinus quam potes longiſſimi profugies, ne inficiaris & tu vicinæ peſtis contagio. De his Pſalm. Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Sic Paulus apoſtolus Ananiam ſacerdotem & fictum & fucatum, parietem dealbatum apppellat in Actis Apoſt.

Sarabaitæ.

Videntur pro his ab Auguſtino & Hieronymo accepti, qui cum vultum ſeveritatis vendicent, atq; ſeveritatem egregiam præ ſe ferant, in receſſu ſcelera omnia & flagitia retinent. Cujuſmodi homines & a Paulo, & à cæteris, magnopere exagitātur: ſiquidem Catones & Curios ſimulant (ut inquit ille) vivunt autem bacchanalia. Sunt enim eo nomine in Ægypto ſacerdotes, in ſaxorum cavitatibus fere habitantes, ſuillis ac pabulis circumamicti exuviis, funibus zonarum præcincti loco, pedibus nudis, cruore conſperſi: ubi Scenopegiorum ingruit celebritas, è cavernis ſe promentes, Hieroſolymam petunt, ac templum adeuntes inopiam & abſtinentiam oſtentui habent, ingerunt omnibus, barbam ſibi etiamnum acriter vellentes, ut ſpectent iſta univerſi, & velut cœlitus demiſſos homines opinentur, ſuſpiciantq;, etiamſi intercutibus nunquam non vitiis madent. Nummis enim tali aſtu & commento adeptis, in ſuam regionem remeant, & in lætitia & dapibus epulantur. Propterea non eſſe imitandos præcipit Auguſtinus, & commeminit facundus ſcriptor Hieronymus.

Κακὸν θηρίον. Mala beſtia.

Vox eſt admodum frequens apud Græcos, Latinos, Italos, & apud Gallos: Mala beſtia eſt. Plautus quoq; ita loquutus eſt in Bacchidibus & in Penulo: Mala illa beſtia eſt. Item Catullus in epigrammate, quod fecit in Rufum: Mala valde eſt beſtia. Paulus ad Titum 1. Dixit quidam ex iſtis, proprius ipſorum propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri. Teſtimonium hoc eſt verum. Eſa. 11. Gentes beſtiæ & feræ dicuntur, quia ſemper meditantur bella, & ſanguinem effundunt. Item vigeſimo quinto, malam beſtiam appellat diabolum: Mala, inquit, beſtia non tranſibit per eam. Hiob. 5. Beſtias terræ non formidabis. Itē pro incredulo & impuro, & peccatore uſurpatur. Demoſt. contra Ariſtogit. 1. οὕτω πάντες τὸ θηρίον ὑμεῖς ἐξελάσαι, εἶναι τῆς πόλεως. id eſt, Ita vos omnes oportet beluam hanc exterminare, & ex urbe ejicere. Idem, quod annotatu & ſcitu dignum eſt, extorris & in exilium pergens, cum ſuſpirio dixit: O Pallas, quæ tribus infeſtiſſimis beluis delectaris, noctua, dracone & populo: tanquam populus inter κακὰ θηρία, id eſt, malas beſtias ſit numerādus. Mantuaſe beſte. Lucianus in rhetorum præceptore Belucum pro beſtiæ ſimile m, dixit. [Illud etiam a Græcis jactatum memini: Quam peſſima beſtia venter. id eſt, ὡς κάκιστον θηρίον ἐστὶ γαστήρ.

Scelera non habent conſilium.

Quintilianus lib. 7. de conjectura loquens: Præterea cur potiſſimum illo loco, illo tempore, illo modo ſit adgreſſus, qui & ipſe diligentiſſime tractatur pro eodem locus: an etiam ſi nulla ratione ductus ſit, impetu raptus ſit, & abſq; ſententia. Nam vulgo dicitur, ſcelera non habere conſilium. Idem dicit, ſceleri nunquam defuiſſe rationem: inferius adag. 506.

Gergeſeni.

Gergeſeni Theologis dicuntur, qui (ut inquit Paulus 2. Timoth. 4.) ſanam doctrinam non ferunt, ſed ad ſuas libidines ſibi magiſtros cumulant, auribuſq; prurientibus, & à vero averſis, ad fabulas ſe cōvertunt. Sui amantes, ut præcedenti ejuſdem epiſtolæ capite dixit, avari, arrogantes, ſuperbi, maledici, in parētes cōtumaces, ingrati, irreligioſi, inhumani, fœdifragi, calumniatores, intemperantes, immites, virtutis inimici, proditores, temerarii, inflati, voluptatis magis quam Dei amantes, pietatis ſpeciem habentes, ſed qui ejus vim abnegaverint. Gergeſeni autē nullo ferūt modo (apud Matthæum 8.) ut Chriſtus eorum fines inviſat. Imo noſtri hodie Gergeſeni pleriqne omnes non votis ſed minis, non ſuaſionib. ſed carceribus, non hortatu ſed reſti, non verbo ſed gladio, non rogatu ſed igni, non argumentis ſed laqueis, non ratione ſed tyrannide, nō ſcripturis ſed catenis, Chriſtum, & ejus verbum à ſuis finibus arcent atq; propellunt. Equorum quidem albo ſunt, quos in Evangelica hiſtoria Chriſtus compellat: Væ vobis Scribæ & Phariſæi ſimulatores, qui cœleſte regnum aliis præcluditis: utpote qui nec intratis ipſi, nec intrare conantes, ſinitis intrare. O mores, ô tempora; eo improbitatis devenere res humanæ, ut Chriſto, & ejus verbo ſpreto, contempto, omnes ſuæ rei ſtudeant, omnes terreſtria curent, omnes gloriam in ſua turpitudine collocent. Hic Pluto inhiat, hic Baccho indulget, hic Venere impalleſcit, alter aleæ, venationi, aucupib. choreis, ſaltationib. invigilat. Omnes deniq; (ut idem Paulus Apoſtolus Philippenſ. 2. inquit) ſuæ rei ſtudent, non Jeſu Chriſti, adeo ut quidvis hodie noſtri Gergeſeni potius ferant, quam ſincerum Dei verbum. Iis haud diſſimiles, qui apud Jobum dicunt Deo: Abi hinc, vias quidem noſſe vias nobis non libet, &c.

Lydi mali, ſecundi Ægyptii, tertii Cares.

Lydi propter improbitatem male audiunt: unde & hoc proverbium manavit.

Striges.

Hoc nomen olim maleficis mulieribus inditum fuit. Striges autem, Sexto Pompeio authore, ſunt inauſpicatæ aves: unde natum proverbium. De his Plin. lib. 11. cap. 39. ſub finem. Cocus Plautinus in Pſeudulo: Et homines cœnas ſibi coquunt: cum condiunt: Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus.

Albus vel ater.

Hominem probis moribus album dicimus: ſicut contra, improbis, nigrum. Unde eſt illud Catulli in Cæſarem:

Nec ſcire utrum ſis albus, an ater homo.

Proverbium eſt ad contemptum indicādum, Ciceroni & aliis uſitatum. Veteres enim ex Pythagoræ ſententia, alba omnia bona, honeſta, feliciaq; eſſe judicabant. Unde Perſ. ſatyr. 1.

Per me equidem ſint omnia protinus alba.

id eſt, bona & honeſta. Sic paulo poſt, dies candidus appellatur, i. felix & fortunatus. Idem ſat. 2. per meliorem lapillum album, i. felicem auſpicatum intelligit. Allegoria ab antiquo Thraciæ gentis inſtituto, quæ (ut ait Plin. lib. 7. c. 40.) calculos colore diſtinctos pro experimento cujuſq; diei in urnam condit. & primo die ſeparatos dinumerat, atq; ita de quoq; pronunciat. Ex contrario per nigrum, malum, infelicem & infauſtum ſæpe intelligimus. Horat. in Epiſt.

——Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

id eſt, malus & improbus Cic. pro Cecinna de Clodio Phormione: Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam Terentianus ille Phormio. Quod inde deductum puto, quia veteres, ut ait Perſ. ſat. 5.

Quæq; ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notarent.

Hinc albo calculo, abſolutio: nigro vero, damnatio ſignificatur. Ovid. 15. Metamorph.

Mos erat antiquis, niveis atriſque lapillis,
His damnare reos, illis abſolvere culpa:
Tunc quoq; ſic lata eſt ſententia triſtis, & omnis
Calculus immitem dimittitur ater in urnam. &c.

Albus color ſolus, (authore Plutarcho. Problem. 15) eſt ſincerus, purus, ac minime inquinatus. Plato etiam docens in Phædro qualis eſſe debeat bonus vir, ipſi dat rectam ſpeciem, nitidum colorem, arduam cervicem. Socrates, ut eſt apud Xenoph. in 3. de ejus factis & dictis, Parrhaſium docuit animi effigiem pingere, ita ut qui formoſi ſunt, ii nequaquam fallaces jure credi debeant: Ex quo Ovid. Medea in 7. Metamorph.

——Sed non is vultus in illo,
Non ea nobilitas animo eſt, ea gratia formæ,
Ut timeam fraudem, meritiq; oblivia noſtri.

Vide inferius adag. Chuſſus.

[Huic ſimile prov. Chiliad. Albus, an ater ſis, neſcio. & poſtea proverb. Niger eſt: quod eodem faſce complecti par erat.]

Nepos.

Nepotes vocabant nequam & diſſolutos homines, ideò quod qui pueri, patre mortuo, in avi tutelam veniunt, tales evadere cōſueverint. Nam & indulgentiores patribus fere ſunt avi, & ſi ſeveri eſſe velint, facile propter ætatis imbecillitatem à pueris patrio metu ſolutis contemnuntur. Ab his nepotari dicitur. Seneca lib. De benefic. 1. Vero liberalitatem nepotari. Senſit autem beneficium non eſſe dandum, ei qui nequiter profuſurus ſit quod dederis. Vide infra, Aſoti, & ſupra, Nequam.

Poſtremi.

Homines diſſolutos, abjectos, nequitiæ ac libidini deditos, nō abſq; elegantia, vulgo poſtremos homines nuncupamus. Cicero, Ut poſtremi homines alienis pecuniis locupletarentur. Idem: Nihil ſcitote eſſe poſterius, nihil nequius. In 2 Catil. Poſtremum genus eſt, non ſolum numero, verumetiam genere ipſo atque vita. Vide Nequam, Nepos, Aſoti.

Vir ſacer.

Lege Tribunicia prima cavetur, ſi quis eum qui plebiſcito ſacer ſit, occiderit, parricida ne ſit. Feſtus: Homo ſacer is eſt, quem populus judicavit ad maleficium, neq; fas eſt eum immolari: ſed qui occidit, parricidii non damnatur. Ex quo quis homo malus atque improbus, ſacer appellari ſolet. Afranius fratribus. O ſacrum ſcurram & malum. Turpilius Demetrio: Etiam me irrides peſſume & ſacerrume? Et Plautus in Pœnulo:

Vendidit has omnes præſenti argento, homini
Quantum hominum terra ſuſtinet, ſacerrumo.

Sic igitur dixit Virg. Sacram auri famem.

In Rudente:

Utinam ſit is, quem ego quæro, vir ſacerrumus.

In Pœnuli prologo:

Vendit præſenti argento homini, ſi leno eſt homo,
Quantum hominum terra ſuſtinet ſacerrumo.

Mala mens.

Apparet proverbiali figura ab eodem Theocrito in Tyonico dictum fuiſſe, de malicia quæ diſſimulari atque celari non poteſt, ſed ultro erumpit, ac ſe oſtendit & prodit. Sic & apud Terentium eſt in And. act. 1. Mala mens, malus animus, voluntas. Moſchus de amore fugitivo:

—Κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα.
Οὐ γὰρ ἴσον νοέει καὶ φθέγγεται, ὡς μέλι φωνά.

Id eſt:

Mala mens, dulcia verba.
Non enim idem ſentit, quod ſonat: vox illi dulcis ut mel.

Item paulo poſt:

Γυμνὸς μὲν τό γε σῶμα, νόος δέ οἱ ἐμπεπύκασται.

Id eſt:

Corpore quidem nudus, at mens illi tecta eſt.

hoc eſt, multis dolis involuta ac velut cataphracta.

Tityo ſimilis.

Tityus terræ filius, ea mole corporis fuiſſe perhibetur ut ſtratus ab Apolline, apud inferos religatus, novem jugera occuparet. Ovid. 4. Metamorph.

Viſcera præbebat Tityus lanianda, novemq;
Jugeribus diſtrictus erat.—

Theocritus in Dioſcuribus de Amyco immani:

Χώρῳ ἐν οἰοπόλῳ Τιτυῷ ἐναλίγκιος ἀνήρ.

Id eſt:

In loco anguſto vir Tytio ſimilis.

Sceleri nunquam defuit ratio.

Ita nunquam deſunt rationes ſpecioſæ & probabiles in quamlibet injuſtis & nephariis conatibus & ut Quintilianus dicit: Sceleri nunquam defuit ratio. Hæc eſt illa miſerrima via, cuiq; in ſuis oculis ſpecioſa, de qua Salomon Proverbiorum cap. 16. Eſt via quæ videtur homini recta & noviſſima ejus ducunt ad interitum. Sapienter hoc quoq; à quodam dictum eſt: Malum videri interdum bonum illi eſſe, cujus animum Deus impellat ad exitium, qui proinde brevi tempore extra exitium degat. unde eſt illud Horatii:

Decipimur ſpecie recti.—

& hoc uſitatum: Suum cuiq; pulchrum. Seneca lib. 4. Controverſiarum, controv. 16. Vitia ſua excuſare malunt, quam effugere. Idem epiſt. 117. Nullum eſt vitium ſine patrocinio. Vide ſupra, Scelera non habent conſilium. Demoſth. De falſa legatione: Nemo unquam, qui peccaſſe ſe fateretur, deprehenſus eſt, ſed inficiantur, mentiuntur, & excuſationes fingunt. Sumus enim ferè eo nati ingenio, ut ægre noſtra, libenter aliena carpi vitia & corrigi errores audiamus. Se tamen judice, ut dicit Juvenalis, nemo nocens abſolvitur.

Niger eſt Chuſſius.

Latini improbos & impios, nigros dicebant, ut in Horatii verſu eſt:

—Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Item,

Albus, an ater homo.—

Superſtitioſa ſiquidem antiquitas nigri ſeu deformis occurſum, infelicis ominis loco ponebat. Et tempus nocturnum, alioqui per ſe ſubinfauſtum habetur. Hinc illud apud Satyrographum:

Et cui per mediam nolis occurrere noctem,

Cerberum nigrum canem intelligit, de quo Seneca in libello de morte Claudii Cæſaris: Ut illum vidit canem nigrum, quem non velis tibi in tenebris occurrere. Ab hiſtoricis memoriæ proditum eſt, quo pacto quidam Imperator, quod in via Maurum hiſtrionem habuiſſet obvium, mortem ſibi ſit ominatus. Hinc clariſſime de Saulis filii Beniamin perfidia David cantans Pſalm. 7. illum Chus filium Jemini vocat, more Latinorum. Quum autem vox iſta Chus nigrum ſignificet, Chuſſi nigredo nunquam niſi pro malignis hominibus ponitur. Chuſſia autem provincia, Græce Æthiopia dicitur, à qua Æthiopes, qui ſibi de ſua placent nigredine, qui q; in Chameſia tantum reperiuntur. In aliis provinciis nulli plane Æthiopes nigrive, ſed oleaſtrino, Indove, aut ut plurimum cinericio colore ſunt hactenus inventi. Deus autem ad inobedientiæ & contemptus divini indicium, Chuſſum filium atro colore voluit naſci, unde ſtirpe & ſanguine, non à regione (ut hactenus putatum eſt) cæteri deſcendunt Æthiopes. Nigri itaq; quotquot ſunt in orbe, ſunt traducti ex Chameſia, uti gens ſola vafricie & dolis pollens, & nihil animi habens, ſed plane ad ſeculum nata, præter illos qui nomen Chriſto dedere. Nam uniſi plane cæteri fide ſunt. Hinc Punicæ fidei traductio, in proverbium infamiæ. Ex hujus itaque Chuſſi jure Græci nomina Æthiopum & Mauriſiorum Maurorumve traxere. Supra, Albus, an ater ſis, neſcio.

Sentina reipublicæ.

Cicero metaphoricôs hominem improbitate inſignem dixit reipub. ſentinam. Quemadmodum enim uſuvenire ſolet, ut quicquid humoris corrupti in corpore ſit, id totum ulcus ad ſe contrahat: quicquid aquæ in navi eſt, id ad ſentinam confluat: ita in civitate quotquot improbi ſunt, ad aliquem unum improbitate inſignem concurrunt. Quint. lib. 8. Non enim, inquit, ſi Cicero recte ſentinam reipublicæ dixit, fœditatem hominum ſignificans, nidem metaphorice dicitur reipublicæ calamitas. Unde Terentius Eunucho, de meretrice Parmeno dixit: Sed ipſa egreditur noſtri fundi calamitas. Proprie calamitas à ruſticis grando vocatur, quod comminuat calamum, hoc eſt, culmum & ſegetem.

Ἀλάστωρ, ἀλιτήριος.

Ἀλάστωρ, inquit Plutarchus in Helenicis, κέκληται ὁ ἄλαστα δράσας καὶ πολλῷ χρόνῳ μνημονευθησόμενα. ἀλιτήριος δὲ, ὃν ἀλεύασθαι καὶ φυλάξασθαι διὰ μοχθηρίαν προσήκει. id eſt, Qui non obliviſcenda, ſed diu memoriæ hæſura patravit, Alaſtor appellatus eſt: Aliterius autem, quem vitare & cavere ob improbitatem & ſcelus convenit. Apud Euripidem in Troade, ἀλάστωρ pro malo genio, atque infeliciſſimo filio accipitur.

Injuria à conſilio.

Idem lib. 2. De ira, cap. 26. Non eſt injuria, niſi à conſilio profecta. Quod igitur incaute factum eſt, pro non facto habetur: inquit Ulpianus, de iis quæ in teſtamento delentur & inducuntur in Pandectis. Adhæc Voluntas & propoſitum facientis diſtinguunt maleficia l. qui injuriæ ff. de furtis & l. divus de ſicariis. Solam autem peccandi voluntatem haberi pro facti crimine, Juvenalis ſat. 13. etiam docet:

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat, ullum
Facti crimen habet.—

Virgil. 6. Æneid.

Auſi omnes immane nefas, auſoque potiti.
Eoſdem docet eſſe in tartaro.

Utriq; fures, & qui recipit, & qui furatur.

Frequenter & notabiliter uſurpatur Phocylidis ſententia hæc:

Ἀμφότεροι κλῶπες, καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας.

id eſt,

Utriq; enim fures ſunt, & qui recipit, & qui furatur.

Hinc apud Juriſconſultos, Agens & conſentiens pari pœna adficiuntur: Pandect. lib. 47. tit. 16. l. 1. Hoſpitalius in Franciſci 1. Gallarum regis initiatione, Phocylidis ſententiam ſic expreſſit.

—Nec minus eſt fur. Qui prædæ partem capit, ac qui
Surripit ipſe.

Demoſth. in oratione De falſ. legat. οὐδὲν ἧττον ἠσεβήκασιν οἱ βουλεύσαντες τῶν ταῖς χερσὶν ἐξεργασαμένων, id eſt, Non minus impie fecerunt, qui conſilium dederunt, quam qui manibus ſuis facinus admiſerunt. Idem in orat. De Coron. ὁ γὰρ σπέρμα παρασχὼν, οὗτος τῶν φύντων κακῶν αἴτιος, id eſt, Qui ſemen præbuit, is eſt, natorum malorum autor. In Gallicis proverbiis eſt & hoc, Aſſi z eſcorche, qui le pied tiend. Germani vero dicunt: Der Heler iſt wie der Steler.

Peſtis Italica.

Plutarch. in vita Antonii Ἰταλικὰς κῆρας vocat mimos, tibicines, præſtigiatores, & alios ejus farinæ homines: quibus impenſe delectatum, deditumque fuiſſe Antonium, nemo neſcit. κῆρας autem, ſicut & ὄλεθρον, & ſimilia, Græci dicunt, ut Latini peſtem, ſcelus, pro peſtilentibus & ſceleroſis hominibus. Eſtq; peruſitatum proverbium, Peſtis Italica: pro quavis luxuria, & procaci ſcurrilitate.

A ſignatis caveto.

Ex his quoq; qui nota aliqua inſigniti ſunt, manavit hoc proverbium: Caveto à ſignatis. Quo deſignant humanarum rerum periti, declinandam conſuetudinem, commerciumque improborum: quod quotidiano uſu atq; experientia compertum habeant, fallaces eſſe hujuſmodi homines, ac technis doliſque eſſe imbutos. Omnes enim propemodum gibboſi, luſci, claudi, ficoſi, mutili, diſtorti, varis repandiſq; cruribus homines, ſunt impoſtores, verſipelles, ſubdoli, doloſi, ac non ſolum obſcœnis facetiis, ſed etiam dicteriis ſalibuſque dentatis abunde inſtructi. Ajunt quoque, gibberoſos omnes aſtutos eſſe, multaq; pollere ſagacitate.

Quod

Quod etiam claudi impenſe ſalaces ſint, proverbium inde natum indicat: Claudius optime virum agit. de quo Eraſmus noſter. Species enim, externusq; corporis habitus, improbos illos eſſe arguitac ſceleratos, nec niſi fraudes, impoſturas, inſidias, ſeditiones, omniaque hoſtilia meditari. Regulus autem διεστραμμένος, id eſt ſtrabo, & aliter quam decet cernens, non ſolum oculorum acie perverſa, ſed linguæ veneno hominem perimit. ab eo igitur cavendum. Ut enim faſcinantes, ſic invidi oculis homines enecant. Sed difficile eſt, noſſe mores hominum verſipellium. Martialis in Zoilum:

> Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus,
> Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Alia dicunt, alia faciunt.

Dicitur in quoſdam peſſimos, qui dant operam quibuſdam cavillationibus ut ſancti appareant. quod hac tempeſtate fieri perſæpe videas à compluſculis concionatoribus Eccleſiaſticis & monachis, qui (ut eſt in Æſopi fabula) ἄλλα μὲν λέγουσι, ἄλλα δὲ ποιοῦσι. id eſt, alia quidem dicunt, alia vero faciunt: & in templis clauſtriſque ſuis, pro ſuggeſtu in maxima populi corona virtutem prædicant, virtutum præcones ſunt, virtutes ſonoro boatu inſonant, adeo ut in ore eorum & labris nihil aliud quam virtus audiatur: quos ſi intrinſecus introſpicere liceret, haud dubie videres vitiis enormibus referti ſſimos. Ita fit, ut homo iracundiſſimus præcipiat nō eſſe iraſcendum, ut vitioſiſſimus prædicet virtutes eſſe ſuſcipiendas, quas ipſe ore exornat, & mente deculcat, lingua oſtentat & animo inceſtat, foris triſtis, intus diſſolutus. Joannes Chryſoſtomus tales accuſans: Bene, inquit, docēdo, & male vivendo, Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare. Seneca judicat nullos pejus mereri de omnibus mortalibus, quam qui aliter vivunt, quam vivendum eſſe præcipiunt. Macedo philoſophus apud Gell. lib. 13. cap. 8. dicit, verſiculum illum Pacuvianum pro foribus omnium templorum ſcribi debere: videlicet,

> Odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia.

nihil enim fieri poſſe indignius, neq; intolerabilius dicebat, quam quod homines ignavi ac deſides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philoſophiæ in linguæ verborumque artes converterent, & vitia facundiſſime accuſarent, intercutibus ipſi vitiis madentes. Accius in Agamemnonidibus, citante Nonio in Componere:

> Sic multi animus quorum atroci junctus malitia eſt,
> Compoſita dicta ex pectore evolvunt ſuo,
> Quæ quum componas, dicta factis diſcrepant.

Scordalus.

Fuit olim, & adhuc hodie frequentatum eſt hoc verbum, pro ſcorodalo & homine alliato, illuvie ſqualoreq; fœdo & ſordido atq; impuro. Seneca in epiſt. 57. Adjice nunc ſcordalum & furem deprehenſam. In alia epiſtola: Tullius, inquit, Cimber & minius erat in vino & ſcordalus. Plautus de quodam ſervo:

> Germana illuvies obolu ſti allium.

Talis cum balneas iniret hypocauſta & ſudationes, & in elegantes lautoſq; inciderat, magno clamore & vociferatione excipiebatur. Hoc verbum etiam extat in V. C. Memmii Petronio: Ego autem nactus occaſionem vindictæ, Eumolpum excludo: redditaq; ſcordalo vice, ſine æmulo ſcilicet & cella utor & nocte. Sunt qui ſcordalum ab immunditia & fœtore excrementorum alvi nomen habere exiſtimant.

Belial.

Belial, Solomonico proverbio dicitur cap. 6. homo qui omni ratione, humanitate, religione, pietate, & omni probitate deſtitutus eſt: Homo, inquit, Belial eſt vir vanus, ore perverſo incedens. Annuit oculis ſuis, indecore pedes ſuos ſuccutit, ſignificat digitis ſuis. Perverſitates habet in corde ſuo, concinnat malum omni tempore, immittit contentionum occaſiones. Proinde ſubito veniet interitus ejus, ſubitoq; ſic conteretur, ut mederi nemo queat. Pſalm. 41. Verbum Belial effuſum eſt in ipſum, id eſt. Ultio grandis cujuſpiam ſceleris penitus occupavit & penetravit iſtum, ut liberari ab illa nequeat. Hinc filii Belial, malitiæ, nihili & perditi homines, qui q; ex adverſo ſemper nituntur. Quicquid omnibus placet, hoc diſplicet illis. Homines pervicaces, illegitimi, temerarii, abſq; jugo legis divinæ, perfricta fronte, & abſq; utilitate. Apoſtatæ, qui ad alios nocendum tantum vivunt. Deut. 13. & 15. Judic. 14. & pluribus aliis in locis.

Peſtis eſt.

Eorum quippe conſuetudo certe, illorum qui ſectantur, peſtis eſt. Catullus ad ſe ipſum:

> ———O Di
> Me miſerum aſpicite: &. ſi vitam puriter egi.
> Eripite hanc peſtem, perniciemq; mihi.

Idem ad Rufum:

> Eripuiſti heu heu noſtræ crudele venenum
> Vitæ, heu heu noſtræ peſtis amicitiæ.

Idem ad eundem:

> Quare aut crudelem naſorum interfice peſtem:
> Aut admirari deſine, cur fugiunt.

Sic peſtes Virg. in 1. Georg. dixit:

> Tum variæ illudunt peſtes. ſæpe exiguus mus, &c.

Atque alibi de colubro:

> Peſtis acerba boum.——

Itaq; ut ille frumenti peſtes, illa boum, ita hæc naſorum.

Retrogradi.

Dicuntur duri & pervicaces. Lampridius in Alexandro Mammææ Severo: Verum Gallicanæ mentes ut ſeſe habent duræ ac retrogradæ, & ſæpe imperatoribus graves. Dicuntur quoq; retrogradi equi, muli, &c. Poſt, Sævus & indomitus.

VIRGILII. *Spinæ ſe invicem complectuntur.*

Scomma in malos, ut hæreticos, & improbitatis ſuæ ſibi conſcios, qui veluti ſpinæ ſemper pungunt: ii alius ad alium, More ſpinarum adhæreſcunt, ſeq; inter ſe defenſitant. Nahum. 1.

GODOFREDI. *Cercopum forum.*

Ἀγορὰ κερκώπων. vide Chiliad. prov. Cercopum cœtus. & Junii, Cercops. Ex latronibus, qui Cercopes dicti ſunt, profluxit adagium in ſceleſtos & improbos, fraudulentos conſultores, inſidiatores, peremptores hominum. Thomæus Var. hiſtor. libro tertio, capite octavo. Annotat & Junius adagio ſuo 638. Athenis apud Heliam porticum celebre fuiſſe Cercopum forum, ubi res furto ſublatæ vendebantur.

TURNEBI. *Subjicere pedibus Acherontem.*

Uſurpavit Virg. Georg. 2. pro, Philoſophiæ cognitone tollere inferos, in illo agens de Epicuro:

> ——Inexorabile fatum
> Subjecit pedibus, ſtrepitumq; Acherontis avari.

quod ita Lucret. 2.

> Et metus ille foras præceps Acherontis agendus.

Idem ad v. 21. cap. 10. Trahi poterit ad homines improbos, pertinaciter in omne flagitiorum genus ſe ingurgitantes, & deorum vindictam ſtrenue contemnentes: item ad omnes impie de immortalitate ſentientes: & contra etiam ad pios bene ſibi conſcios, &c. Simili locutionis forma, ſed diverſo ſenſu, dixit Hor. Carm. 3. od. 20. Nearchum adoleſcentem arbitrum pugnæ inter duos rivales, poſuiſſe palmam ſub nudo pede: pro, victoriam habere in ſua poteſtate, & arbitratu, utri eam adducat, quod proſtrata, & pedibus noſtris ſubjecta, noſtri ſint juris & arbitrii: Ita etiam Lipſius lib. 2. cap. 26. licet alii diſſentiant.

Σπιλάδες.

Peſtiferos homines cæteris oratione & fœdo morum exemplo pernicioſos, Judas apoſtolus σπιλάδας vocat per enallagen metaphoricam, quæ probe adſcribitur παροιμίας: maxime cum ea uſus ſit Paulus. & quod ſane mirandum puto. Juvenal ſatyr. cujuſdam initio, qui poſteriores tropum duplicāt, maculæ vocabulo etiam, ruga, addentes. Judas: οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες, συνευωχούμενοι ἀφόβως ἑαυτοὺς ποιμαίνοντες. Paulus ad Epheſios 5. de Eccleſia: ἵνα παραστήσῃ αὐτὴν ἑαυτῷ ἔνδοξον τὴν ἐκκλησίαν, μὴ ἔχουσαν σπῖλον, ἢ ῥυτίδα, ἤ τι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἵνα ᾖ ἁγία, καὶ ἄμωμος: Ut exhiberet eam ſibi ipſi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & inculpata. B. Auguſtinus alicubi tractans exponenſq; hæc Paulina, maculā ad mores vitioſos refert, rugam ad vanam corruptamq; in oratione doctrinam. Non male exponendo Juvenalis principio accommodandus, qui ſatyr. 14. inceſſens parentum in diſciplinæ liberorum pravitatem, eos ait maculam & rugam nitidis rebus figere: id eſt, teneram illam indolem nullis adhuc vitiorum ſordibus imbutam, probeq; ſi formaretur, virtuti natam, peſtiferis perſuaſionibus, & fœdis morum exemplis contaminare.

IMPUDENTIA.

ERASMI. *Lingua non redarguta.*

Plato in Theæteto: ἀτὰρ, ὡς ἔοικεν, ἐὰν ἀποκρίνῃ ὅτι ἔστιν, Εὐριπίδειόν τι ξυμβήσεται· ἡ μὲν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἡμῖν ἔσται, ἡ δὲ φρὴν οὐκ ἀνέλεγκτος. id eſt, At, ut videtur, ſi poſſe reſponderis, Euripideum quiddam nobis accidet, lingua quidem nobis erit irredarguta, mens autem non erit irredarguta. In eos quadrat, qui rationibus convicti, non cedunt tamen, ſed tergiverſantur, reclamantes adverſus ſuam ipſorum conſcientiam.

Faciem perfricare, Frons perfricta.

Frons habita eſt antiquitus pudori ſacra: & facies item. id quod & proverbio teſtatum eſt, quo dicunt, Pudorem eſſe in oculis. Inde Frontem aut faciem proverbio perfricuiſſe dicuntur, qui pudorem omnem dedicerunt, velut abſterſo manu à vultu pudore. Translatum apparet à geſtu quorundam, qui dicturi facturive quippiam apud ignotos, manu faciem perfricant: id quod ruſtici cujuſdam pudoris indicium eſt, quem conentur pervincere. Hunc geſtum Quintilianus notat inter vitia pronunciationis, libro undecimo. Plutarchus ſcribit, hunc geſtum peculiarem fuiſſe M. Tullio, ut dicturus, læva faciem demulceret. Alioqui non inficias it ipſe Cicero, initio dicendi trepidatiorem fuiſſe ſeſe. Fabius libr. nono citat hoc ex Calvo: Perfrica frontem, & dicito dignioren qui prætor fieres, quam Catonem. Significat id eſſe dictu vehementer improbum. Plinius in præfatione naturæ hiſtoriarum: Perfricui faciem, nec tamen profeci, quando alia via ingens occurris. M. Tullius Tuſcul. quæſt. libr. 3. in eundem ſenſum dixit, Perfricare os: Quid tergiverſantur Epicurei? nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, quum os perfricuiſti, ſoles dicere? Seneca libr. epiſt. 40. Perfrices frontem oportet, & ipſe te non audias. Huc pertinent etiam illa, quod Effrontes appellamus inverecundos. Et: Qua fronte audebis hæc facere? Quod enim Horatius dixit,

——— Clament periiſſe pudorem
Cuncti pene patres. ———

Id Perſius imitatus,

——— Exclamet, inquit, Melicerta periſſe
Frontem de rebus. ———

Item illa: Quo ore objurgabis filium? Et, Os impudens, os durum, os ferreum: cum impudentiam indicamus. Ovidius:

Non tibi plus cordis, ſed minus oris adeſt.

Non plus audes aut ſapis, ſed minus pudet. Tullius in Verrem: Os hominis, inſignemq; impudentiam cognoſcite. Idem in Philippica 5. Sed illud os, illam impuritatem. Idem pro C. Rabirio Poſthumo: Quod habent os, quam audaciam. Rurſus in Oratore: Quod tamen os eſt illius patroni, qui ad eas cauſas ſine ulla ſcientia juris audet accedere. In Philippica 11. Audiſſet furentis introitum Dolabellæ, vocem impuram, atq; os illud infame. Martialis lib. 9.

Santonica medicata dedit mihi pocula virga.
Os hominis: mulſum me rogat Hippocrates.

Homericus Achilles Agamemnonem κυνώπην appellat: id eſt, canino aſpectu. & apud eundem:

——— κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.
Id eſt,
Canis habens oculos, cor cervi. ———

Impudentiam ſignificans cum timiditate conjunctam. Denique haud ſcio an huc pertineat, quod apud Athenæum in Dipnoſophiſtis adducitur à Cyrenæo poeta:

Τρὶς δ' ἀποψησάμενοι τὸ πρόσωπον ... [illegible]
Id eſt,
Porro ter abſterſis divi donant meliora.

Subindicat, ni fallor, impudentius id poſtulare, ut quæ ſint acta in convivio, narret.

Dea impudentia.

Θεὸς ἡ ἀναίδεια id eſt, Dea impudentia. Dici ſolitum, ubi quis ex audacia inverecundiaq; ſua lucrum atq; emolumentum ferret. Nam inutilis, ut ait Homerus, verecundia viro egenti: compluresq; mortales videas, quibus magno bono fuerit, nihil omnino puduiſſe. Siquidem nullus unquam rem auſus eſt adeo ſtultam, aut abſurdam, quæ non invenerit & fautorem & admiratorem: multoq; maxima pars mortalium, quæ ſtultiſſima ſunt, ea miratur maxime. Refertur à Zenodo & Diogeniano. Theophraſtus in libro De legibus prodidit, apud Athenienſes aras fuiſſe Contumeliæ & Impudentiæ dicatas. Idem atteſtatur Iſtrus libro decimoquarto. Item M. Tullius libro De legibus ſecundo. Nam illud vitioſum Athenis, quod Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Cretenſi ſuadente fecerunt Contumeliæ fanum & Impudentiæ: virtutes enim, non vitia conſecrare decet. Menander in Gnomologiis appellat illam omnium dearum maximam:

——— Ὦ μεγίστη τῶν θεῶν
Νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ ... [illegible]
Δεῖ τι κρατεῖ γὰρ νῦν νομίζεσθαι θεός.
Id eſt,
——— O dearum maxima,
Hoc ſeculo, ſi te vocare fas Deam.
Fas: quando nunc viciſſe habetur pro Deo.

Nudo capite.

Γυμνῇ τῇ κεφαλῇ id eſt, Nudo capite facere quæpiam dicuntur, qui palam ac citra pudorem omnem faciunt. Qui rem pudendam faciebant, iis mos erat centonibus caput operire. Plautus in Captivi duo: Ipſi de foro tam aperto capite ad lenones eunt, quam in tribu aperto capite ſontes condemnant reos. Neq; refert utrum hic aperto, an operto legas per ironiam: nam ſenſus idem utriuſque lectionis. Uſus eſt hoc proverbii titulo & Cyrillus, interpretans Joannis Evangelium, & D. Chryſoſtomus in Encomio Babyle martyris. Tegit & Socrates faciem apud Platonem in Phædro, dicturus vituperationem amoris.

Atticus aſpectus.

Ἀττικὸν βλέπος, id eſt, Atticus aſpectus: perinde eſt quaſi dicas, os impudens. In eos dicebatur, qui vultu ipſo præ ſe ferebant impudentiam, dicendique confidentiam. Nam hoc vitio notati ſunt Atticorum mores. Ariſtophanes in Nubibus:

Ἐπὶ τοῦ προσώπου τ' ἐστὶν Ἀττικὸν βλέπος.
Id eſt:
Ac vultu in ipſo aſpectus Atticus eminet.

Sic enim loquitur Strepſiades de filio, Socratica è ſchola recedente, quem ex ipſa fronte conjicit, malam cauſam agere poſſe, quod neſcio quid Atticæ aſtutiæ ſimul atq; impudentiæ præ ſe ferret. Quin & Achilles apud Homerum Agamemnonem appellat κυνώπην, ob impudentiam, tales & κυνοθαλεῖς dici admonet Heſychius.

EX APPEND. ERASMI.

Κυναλώπηξ.

Qui caninam impudentiam cum vulpina aſtutia conjungunt, cujus in animo canis habitat & vulpes: quomodo de Sulla dixit Carbo. Ariſtoph. Plutarch.

Χηναλώπηξ.

Sic dictus eſt Theagenes, quod garrulus eſſet, ſtupidus more anſerū, & verſipellis more luporum: vel quod vulpiū [illegible] anſeribus aliiſq; avibus admodum delectaretur. Ariſtoph. Didymus.

IVNII. *In triclinio choa.*

Proverbiale ænigma extat apud Fabium Inſtit. orat. lib. 8. cap. ult. ex Cæcilio comico: Et in triclinio Choa, & in cubiculo nola. quod detorſit ille in mulibibam fœminam, quæ citra pudorem in convivio calices detergeret, eandemque importune garrulam ubi minime oporteat: ſiquidem ubique, juxta Sophoclem, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει: hoc eſt, Silentium addit fœminis decus: tum potiſſimum cubiculo ſilentium debetur. Quadrabit igitur in bibosam anum, & odioſe loquacem. Choa vocant Græci congium, ſextariorum ſex capacem, ut ex Rhemnio Fannio conſtat. Epinicus apud Athenæum: ῥυτὸν χωροῦντα δύο χοᾶς, ὃν οὐδ' ἂν ἐλέφας ἐκπίοι. id eſt, Rhytum duorum congiorum capax, quod ne elephas quidem ebibat.

Cane impudentior.

Κυνὸς ἀναιδέστερος. Venuſtius apud Græcos effertur, quam Latine, Canibus impudentior: vel, ſi fas eſt ita loqui, Caninior: de homine perfrictæ frontis, qui nihil penſi faciat. Suidas citat [illegible] de homine deplorato. ὁ κυνῶν κυνικώτερος ... [illegible] id eſt: canibus impudentior, & dæmonibus infectior, moleſtiorque. Plutarchus libro De non fœnerando: κυνὸς ἀναιδέστερος, id eſt, cane ignobilior. Objicit Achilles Homericus Agamemnoni indelebilem probri notam:

Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

ubi temulentum regem proſcindit, ore canino, animo vero cervino, deſignans impudentem illum & cervo timidiorem. Helena quoque in Odyſſea alicubi κυνώπιδα ſe non ſine infamiæ [illegible] nominat, ſtupri ſibi conſcia, quam pudor non potuerit retrahere ab alieni thori commercio. Hinc etiam ferox & impudens mulier κυνάμυια, ac ſi caninam muſcam dicas, vocatur à duobus animantibus notæ impudentiæ. Sic Caſſandra θρασεῖαν κυνάμυιαν à Tryphiodoro dicitur in poemate, cui nomen eſt Trojæ excidium, velut proterva Cynomya. Æſchylus in Danaidibus nominat Ægyptios κυνοθρασεῖς, hoc eſt, Canum inſtar feroces & audaculos. Heſychius κυνοθαλεῖς dici annotat impudentes, quaſi ſi dicas, canum intuentes: eoſdemq; & κυνῶπας & κυνώπιδας. Cleon apud Ariſtophanem in Equitibus ſeipſe appellat κυνοκέφαλον, quaſi caniceps, impudentiæ perfrictæq; frontis ſibi conſcius. Hinc etiam κυνικὸς τρόπος, Canini mores in proverbium abiere. & Juno alicubi Dianam appellat κύον ἀδεές, id eſt, intrepidam canem.

IOANNIS VLPII. *Perſonam, non faciem gerit.*

Οὐ πρόσωπον, ἀλλὰ προσωπεῖον φέρει. Dici poteſt in homines perfrictæ frontis, quod nihil pudet: & maxime in mulieres meretrices, quæ faciem ſtibio & ceruſſa fucant. Jul. Pollux. Vide alibi Cælii Rhodig. adag. Proſopion habet, non proſopon.

Tabernariam exercet fronte.

Καπηλικὸν ... [illegible] πρόσωπον. Superiori ſimile eſt, & in eoſdem dicitur. Pollux.

Κριόμυξοι.

Vide alibi Junii proverb. Vervecei. Licebit & in impudentes interpretari, quod ſcilicet more arietis tanquam cornibus quemlibet impetant: qui mos fere indoctorum eſt. κριὸς enim idem quod aries Galenus.

COGNATI. Τρίψαι μέτωπον.

Græcis in ore eſt, quum abjicere verecundiam & omnem pu-

tem pudoris contere, ſignificare volunt. Latini itidem pro imprudenter ſe gerere in aliquo negocio, dicunt fricare frontem ſive os. Athenæus lib.5 [Greek], de impuro & conſcelerato viro Athenione loquens, qui è philoſopho tyrannus evaſit, ac plebis favore regnum Athenis occupavit: [Greek], & quæ ſequuntur. Quamvis enim antea quoque falſo nonnulla dixiſſet, nondum tamen omnem impudentiam effuderat: & Strabo in 13. libro [Greek], cum licentiam quorundam accuſaret in Homeri loco immutando audacterque interpretando. Inquit enim: [Greek].

Σκληρὸς ἀνήρ.

Durum etiam hominem appellari certum eſt, qui pudore non movetur, nec flectitur precibus ullis: translato à corpore ad animum nomine: quod Græci quoq; fecerunt, qui σκληρὸν ἄνδρα dixerunt. [Simile, Durus & implacabilis, ferreus, & [Greek], apud Eraſm.]

Flos.

Quod in quacunque re pulcherrimum purtiſſimumque eſt, id floris nomine indicatur. Sic Theocritus Hyla: Argonautas vocavit divinum heroum florem. Sic ab Ennio Cethegus elegantiſſime dictus eſt:

Flos inlibatus populi, ſuadæque medulla:

Plautus in Caſina: Ea tempeſtate flos poetarum fuit. Simonides in epigrammate, quo Sophoclem laudat:

[Greek]

Euripides in Troade, ἄνθος πώλων, præſtantiſſimos equos:

Lucanus:

Tunc flos Heſperiæ. —

Obducta frons.

Quintil. lib. 10. cap. 3. Interrogavit quæ cauſa frontis tam obductæ, id eſt, contractæ & corrugatæ. Senec. epiſt. 1. Quum aliquid a ſe petit, frontem obduxit. Horatius epod 13.

—Obducta ſolvatur fronte ſenectus.

Id eſt, triſti. Juvenalis ſatyr. 9.

—Obducta fronte triſtis:

Frontem autem obducere ſive contrahere dicimur, quum tingimur, hoc eſt, ubi quid moleſtum eſt: Explicare vel exporrigere, quum hilareſcimus. Frons enim, inquit Plinius lib. 11. cap. 37. homini tantum triſtitiæ, hilaritatis clementiæ, ſeveritatis index. Cic. in Lælio: Ut & bonis amici quaſi diffundatur, & incommodis contrahatur, id eſt, [Greek]. Diffundere vero & lætitia perfundere [Greek].

Ὕφαιμος ὀφθαλμός.

Signare admodum inverecundi, & maxime petulantis hominis hieroglyphicum fieri ex oculo ſubſanguineo, obſervatum ab iis, qui Phyſiognomiæ ſcientiam tradidere. Quare apud Lucianum de laſcivo & admodum improbo adoleſcente dictum, habuiſſe eum ὀφθαλμοὺς ὑφαίμους. Heſiodus in Theogonia, ἑλικοβλέφαρον Venereum appellat, quaſi laſciviæ amoriſque plenum, & mobilitate lubrica quoquo ſe facile vertentem, hominiſque mentem in quem inſpexerit, tenaciſſime complicantem: ſumpta Heſiodi à vitium claviculis metaphora, quaſi aſpicientes laqueis & vinculis devinciant atque conſtringant.

Cynice vivere.

Cynice vivere, proverbialiter dicuntur, qui miſere vivunt, ut ſiliquis, & leguminibus, quiq; viliſſimis cibariis ſe tolerant, atque ſuſtentant, nam talis erat Cynicorum philoſophorum victus. quod ſ Luciani Cynico intelligi poteſt, & ex verſibus imprimis elegantibus Petronii Arbitri:

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat?
Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam nummis verba ſolent emere.
Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces,
Atq; eques in cauſa qui ſedet, empta probat.

Cœna quoq; Hecates & ovis luſtrationum, ut mendici, & ſepiis crudis vivebant. inde & digna ſactis Hecates, apud eundem Lucianum dicitur Hecale mulier paupercima, quod cœna Hecatæ ſacta a pauperibus rapeterur. de qua Ariſtophanes in Pluto, Lucianus in Dialogo Diogenis & Pollucis. item Charontis ac Menippi. De Hecale, Plautus in Ciſtellaria: Siquidem eris ut volo, nunquam Hecaleſies. Ovidius:

Cui nemo eſt Hecalem, nulla eſt quæ cœperit Irum.

Renidet canum more.

Et hoc admodum vulgare, etiam ipſis Gallis. Catullus in Egnatium:

—Renidet uſque quaque.
Renidet ille quicquid vit, ubicunq; eſt,
Quodcunq; agit, renidet: hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neq; urbanum.

Vide poſt, Os canis.

Os canis.

Pro impudente aut mordaci Catullus poſuit. Eodem carmine pro inſigni impudentia, dixit, ferreum & caninum os. Licinius Craſſus orator apud Suetonium in Nerone Claudio: Non eſt, inquid, mirandum, quod æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum. Artemidorus in primo de inſomniis impudentiam quoque ejuſmodi ore ſignificari ſcribit, capite [Greek]. Os canis etiam ſignificavit Homerus, his verbis: κυνὸς ὄμματ' ἔχων. Vide ante Renidet canum more. Adde hæc Syllogæ noſtræ.

IMPUDICITIA.

ERASMI. *Oſce loqui.*

Oſce loqui vetuſto proverbio dicebantur, qui turpiter parumque pudice loquerentur. Ab Oſcorum moribus alluſione ſumpta, quod apud eos ſpurcarum libidinum impunitus uſus fuerit: unde & obſcœna dicta quidam putant, quæcunq; factu dictuve turpia ſint: etiamſi refragatur Feſtus Pompeius. Citat autem Titinium quendam, qui ſcripſerit ad hunc modum: Oſce & Volſce fabulantur, quia Latine neſciunt.

Ægis venit.

Αἰγὶς ἔρχεται, id eſt, Ægis venit. Suidas indicat proverbio dici ſolitum, de iis qui petulanter & impudenter agerent. Refertq; ex Pherecrate: [Greek] αἰγὶς ἔρχεται. Ægis autem Græcis varia ſignificat: pelliceum tegmen quod geſtant Aſii, præterea maris intumeſcentis undas ac procellas ventorum. idq; lingua Dorica: unde ἐπαιγίζειν reperitur, pro vehementer flare. Alii malunt eſſe quid e coronis contextum, aut rete ex coronamentis contextum. Sic ait uſurpatum apud Herodotum lib. 4. & apud Lycurgum. Nec deſunt, qui putent ſignificare ſacerdotem, quæ Athenis ſolita ſit ferre ſacram Ægidem, itaq; ingredi ad eos qui nuper duxiſſent uxores. Apparet in hujuſmodi ſacris multum fuiſſe licentiæ, quemadmodum & apud Chriſtianos multis ineptiis celebrantur nuptiæ: ſimulq; alluſum eſt ad procellam.

IVNII. *Æditimus Coniſſalus.*

Τοῖς Ἀττικοῖς κονισάλοις νεωκόρος, id eſt, Atticis Coniſſalus æditus eſt. Dicitur de profligatæ vitæ & impuro flagitiiſq; adoperto homine. Syneſius in epiſtola ad fratrem: [Greek] id eſt: Nam cum Mercurio & Hercule palæſtræ præſidibus ne tantillum quidem commune habet, quinimo Cotytto cæteriſque Atticis Coniſſalis æditus eſt, & ſi qui ſunt ejuſce commatis alii dæmones. Commemorat Plato comicus in Phaone adminiſtros Priapi deos, Coniſſalum, Orthanæn, Dordonem, Cybdaſon, Pyrgen. Strabo addit & Tychonem, præclara numina, & tantæ poteſtatis deo digna opercula. quibus ſingulis quæ libamenta apponenda ſint, Phaon edocet apud Athenæum lib. 13. de Priapo loquens, priſcis ignoto deo, ſed à recentiore ætate in deorum numerum cooptato: Quippe, inquit, quem Heſiodus ignoravit, ἀλλ' οὐκ ἐν τοῖς Ἀττικοῖς [Greek]: Verum Atticis Orthanæ, Conyſſalo, Tychoni, ejuſq; farinæ diis perſimilis videtur. Suidas Conyſſalum facit deum Priapejum, nomen habentem inde, quod impiger ſit in venerem vel in pulvere exercendam, [Greek]: ut etymon ejus ſit [Greek]. De Cotitto dea dicemus proximo adagio. Porro cur dixerit Syneſius, nihil illi convenire cum Mercurio & Hercule, repetendum eſt ex antiquitatis cognitione, quæ in gymnaſiis ſolebat una dedicatos collocare Amorem cum Mercurio & Hercule, quorum ille orationis, hic roboris præſes deus habebatur, quibus conjunctis amicitia concordiaq; naſci ſolet: ut in Athenæi collectaneis libro decimotertio, præſcriptum eſt. Orthannæ meminit & Heſychius: quanquam male apud eum ſcribatur ἐρθάννης, pro ὀρθάννης, dicitq; unum eſſe ex numinibus Priapi adminiſtris, erecto ut illum faſcino.

Cotyos contubernalis.

Κότυος θιασώτης, id eſt, Cotyos collega, aut ſodalis: proverbio dicitur effœminatus, & infami mollitie ſceleſtus, parum vir. Syneſius epiſtola ad Joannem: [Greek] id eſt, At tu hominem, tametſi integerrimus videatur, audacter prædica eſſe ſemivirum, & reipſa Cotyos collegam. Idem in Calvitiiencomio: [Greek] hoc eſt: Nullo opus eſt alio documento, ut quis Cotyos collega habeatur, quam ſi ma-

ſi maximo ſtudio comam excolat, adhibendo unguenta, & in cincinnos eam frangendo: confeſtim enim cuivis in promptu eſt dicere, ejuſmodi hominem operatum eſſe & initiatum Cotyos deæ Chiorum Priapi ſacris. Suidæ teſtimonio conſtat, Corinthú urbem Veneri operatam, Cotyn deam turpitudinis & præpoſteræ libidinis præſidem, coluiſſe, quæ eadem & Cotytto dicebatur; in cujus tutela obſcœni infamium amorum ſectatores erant. Suidas enim ἱερέας τῆς αἰσχρᾶς nominat: Eupolis comicus odio Corinthiorum (adverſus quos Baptas fabulam docuit) σεμνὴν πως δαίμονα Κοτυττώ, gravem & ſceleroſam deam inducit Cotytto. Illud vero obſervandum, quod quam Suidas Corinthiacam, Synesius Chiorum divam facit. Meminit hujus & Æſchylus in Edonis fabula, his verbis: σεμνὰ Κότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς, Sancta dea Cotys inter Edonos Thraces.

In Cybeles ſacrario fractus.

Ad ſuperiorem claſſem pertinet, quod idem Synesius libello de Calvitio extulit, his verbis: πολλὴν οἶμαι τοὺς ἐν τοῖς Κυβήβης ... τῶν κατεαγότων ... χάριν εἰδέναι, id eſt: Multum Dioni debent (ut equidem exiſtimo) pro oratione quam de Coma ſcripſit iſtis qui in Cybeles ſacrariis fracti ſunt. quibus verbis nõ ſine proverbiali figura prolatis, molles & effœminatos deſignat, Cybeles furiatis ſacris qui nomina dederant, exectis ſeminalis viæ fontibus, virilitatem amittebant. Itaq; parum virum & nimis mollem ἐν τοῖς Κυβήβης κατεαγότα, id eſt, in Cybeles ſacrario eviratumq; fractum re dicemus.

Dorice incedere.

Dorice incedere. hoc eſt, δωριάζειν dicuntur quæ nudant bonam corporis partem depoſitis veſtibus, ut Ælius Dionyſius exponit. Nam in Peloponneſo puellæ diſcinctæ & ſine tunica interdiu incedebant, quod & Pauſanias confirmat, interpretans τὸ δωριάζειν, lis exhibere, nullo cinctus uſu. Anacreon Lyricus:

> Ἐκδῦσα χιτῶνα δωριάζειν.
>
> Id eſt,
>
> Exuta tunicam Dorice ingreditur.

Chorus apud Euripidem in Hecuba:

> Λέχη δὲ φίλα μονόπεπλος
> Λιποῦσα, Δωρὶς ὡς κόρα.
>
> Id eſt,
>
> Dulceis linquo thoros ego ſimplicem
> Induta pallam, Dorides
> Qualem ſolent virgunculæ.

Sic & Spartanæ puellæ incedebant olim incinctæ καὶ ἀχίτωνες, ſupparum habentes utroq; in humero quinis fibulis adſtrictú, quod inferius laxum in inceſſu femora nudabat. unde Callimachus: ... ἄζωστος, ... περόναισιν, id eſt, Erat quando incinctus, & alterutro: ex latere fibulis aſtrictus. Eodem ſpectat, quod Lacænas φαινομηρίδας dixit Ibicius poeta, quod in inceſſu femora retecta oſtenderent: & Euripides ait, incedere illas γυμνοῖσι μηροῖς καὶ πέπλοις ἀνειμένοις, id eſt, nudis fœminibus & retracta palla. quin & Sophocles θυραῖον μηρόν, quaſi clathratum aut feneſtratum femur ipſis dat. D. Clemens pædagogi lib. 2. Lacænæ virginis more ὑπὲρ γονάτων ... , id eſt, reductis ſupra genu veſtibus incedere, indecorum eſſe ait. Quadrabit hodie in leves parumq; caſtas.

Quadrantaria Clytæmneſtra.

Quadrantariam Clytæmneſtram, proverbialiter quidem, ſed obſcure, &, ut voluit Quintilianus, ænigmatice dixit orator Cælius, fœminam matronali habitu pudicitiam mẽtientem, impudicam tamen, & proſtitutæ libidinis. Natum dicterium a quadrantibus meretricum vili precio. Non abſonum hinc eſt, quod de Clodia Metelli uxore dixit Cicero in oratione pro M. Cælio: Niſi forte mulier potens, quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori. ubi tacite meretriciam turpitudinẽ perſtringit in potente fœmina, quæ pro quadrante balneatori in ingreſſu balnei numerari ſolito, quadrantem a balneatore ſtupri gratia accepiſſet, facit & ad turpis precii ſignificationem nonnihil vocis Clytæmneſtræ etymon, quaſi quæ κλυτὴν μνῆστιν, id eſt, egregium congreſſus venerei arrabonem, quadrantem ſcilicet, acceperit. Clytemneſtræ Agamemnonis uxoris meretricia levitate, qua corpus Ægyſtho adultero vulgavit, plena eſt omnis hiſtoria. Quadrabit itaq; in matronas religionis prætextu aut nobilitatis velamento honeſtas, occulte proſtituti corporis notas.

Philænidis commentarii.

Φιλαινίδος ὑπομνήματα, id eſt, Philænidis commentarii, non abſque proverbiali ſale dicuntur impudica ſcripta & ſpurca. Timæus de Demochare conſobrino Demoſthenis loquens, ... ὑπομνήματα καὶ Φιλαινίδος καὶ τῶν ἄλλων ἀναισχυντογράφων ... γεγράφθαι, quibus verbis indicat illum adeo flagitioſum, turpiq; libidine contam natum fuiſſe, ut in vitæ ſtudiis, Botryos & Philænidis commentarios, aliorumq; pudenda ſcriptitantium, longe ſuperarit. Philænidis ſchemata venerea notat D. Clemens in protreptico, his verbis: ... ὥσπερ ... τὰ Φιλαινί-δος σχήματα ὡς τοὺς Ἡρακλέους ἄθλους, id eſt: Eadem in ratione habitis Philænidis ſchematibus, qua Herculis certamina depicta viſantur. Philænidem Leucadiam inter proſtitutiſſimas enumerat Athenæus, talemq; agnoſcit & Lucianus: tametſi Æſchrion Samius Scazonte, qui lib. 3 Epigrammaton extat, illius famam aſſerat. Chryſippus tamen in libris De honeſto & voluptate, eodem loco haberi vult Archeſtrati opus (quod a ſtudio abdominis γαστρονομίαν inſcripſit) quo ſcripta Philænidis, utrunq; opus bonis moribus ineptum judicans. Idem audiunt apud Appianum in Parthico, ἀσελγῆ βιβλία τῶν Ἀριστείδου Μιλησιακῶν, id eſt, Mileſiaci Ariſtidis libri. & cui ſus μιλησιακῶν ἀσελγημάτων, Mileſiacæ protervia: & apud Martialem lib 12.

> Muſæi pathiciſſimi libelli,
> Qui certant Sybariticis libellis.

Laxare fibulam.

Laxare fibulam dixit proverbialiter Septimius Tertullianus pro anſam miniſtrare, aut feneſtram aperire. Sic enim inquit lib. de Corona militis: Ut etiam voluntariis delictis fibulam laxet. Cui oppoſitum extulit in libro De Monogamia, Fibulam imponere, pro coercere & reprimere, Natum a fibula cinguli, qua veſtis aſtringitur, ſi fluxior ſit: aut remittitur, ſi fuerit aſtrictior. Niſi etiam ad fibulæ aſtrigmentum referre mavis, qua adoleſcentulorum prurientium genitalia trajiciebant tum valetudinis, tum conſervandæ vocis gratia: quod infibulare vocabant. cujus rationem deſcribit Corn. Celſus libr. 7 de qua Martialis libro ſeptimo.

> Menophili penem tam grandis fibula veſtit.

& libro decimoquarto.

> Dic mihi ſimpliciter Comœdis & Citarœdis
> Fibula quid præſtas?

Et Juvenalis:

> Solvitur his magno Comœdi fibula.——

Laxare itaq; fibulam dicetur, quiſquis perrupta pudoris lege, nullum libidini indomitæ modum ponit: & e diverſo, Fibulam imponere, qui continenter vivit.

Qualis hera, talis & canis.

Refertur à Clemente Alexandrino lib. Pædagogi 3. οἵα γὰρ δέσποινα (φασὶν αἱ παροιμιαζόμεναι) τοία δὲ χ' ἁ κύων, id eſt, Qualis namq; hera juxta proverbium, talis eſt & canis. Quadrabit in impudicæ aut ebrioſæ matris, libidinoſam aut temulentam filiam. Uſus eo eſt Gregorius Palama, in declamatione, qua corpus adverſus animum ſe deſendit, teſtaturq; ſe mereri veniam, raptum illius affectionibus: οἵα γὰρ, φησὶν, ἡ δέσποινα, τοία χ' ἡ κύων.

Feſcennina licentia.

Feſcennina licentia, pro immoderata verborum licentia laſciviaque capitur. Martianus Felix Capella lib. 9. philologiæ: His hymenæo diutius velut Feſcennina quadam licentia perſonantis. Feſcennium oppidum Campaniæ traditur à Servio, ubi nuptiale carmen primum inventum fuiſſe putatur, multa verborum procacitate reſperſum. T. Livius lib. 7. Feſcennino ſimilem verſum compoſitum temere ac rudem alternis jaciebant. Catullus in epithalamio:

> Nec diu taceat procax
> Feſcennina locutio

Meminit & Plinius libr. 15. cap. 10. Feſcenninor nuptialiũ, comites nuces. Teſtatur Macrobius, Auguſtum induſiſſe ſe Feſcenninis verſibus. & T. Annianum Feſcenninos ſcripſiſſe indicat Auſonius. Licebit & ſpurcum impudicumq; ſermonem vocare Feſcenninum: & mores Feſcenninos, contaminatos & turpes.

COGNATI. *Hirci, Cuculus.*

Vulgus Italorum, id hominum genus, quibus uxores ſunt impudicæ, hircos appellare ſolet, quod hirci zelotypia non afficiantur, vel quod eos uxores tanquam hircoſos averſentur. Unde & Catullus: Solis licere quicquid eſt puellarum, contingere, & putare cæteros hircos. Lyſimachus apud Plautum in Mercatore:

> Jam plenus ætatis animaque fœtida,
> Senex hircoſus, tu oſculere mulierem,
> Ut ine adveniens vomitum excutias mulieri.

Qui matrimonii ſui incurioſus eſt, quique uxorem ſuam mœchis permittit, à vulgari noſtra lingua etiam cuculus dicitur: a natura avis, quæ in alienum nidum, maxime hypolaidis, quæ quibuſdam curruca dicitur, ova ſua transfert. Sed hac ratione non cuculi, ſed curucæ dici debuiſſent: cum non ipſi in alienum, ſed alii in ſuum nidum congerant. Unde & adulterium dictum, quaſi ad alterius thorum. Plautus in Trinummo:

> Ibi ille cuculus, ocelle mi, fiat & iſthuc.
>
> In Perſa:
>
> Tua quidem cucule cauſa.

Apud Horatium Rupilius vindemiatoriis probris & dictis petulanter, reſpondit:

> ——Cui (inquit) ſæpe viator
> Ceſſiſſet, magna compellans voce cucullum.

Viatores ſolebant cultores & vinitores ſero colentes, appellare

cucullus, in deſulici probrum. Plinius lib. xviij. Dum ſciat inde naſtam exprobrationem fœdam putantium vites, per imitationem cantus alitis temporariæ, quam cucullum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi: ut ob id petulantiæ ſales, etiam cum primo vere laudantur, auſpicio tamen deteſtabiles videantur. [Sup. Chiliad. proverb. Cuculus.]

Eruca.

Erucæ nomen turpi & ſalaci marito convenit. Nam herba etiam ſalax eſt, Virgilio in juvenilibus & Æmilio Macro:

Excitat in venerem tardos eruca maritos.

Ovid. de arte ij.

——Et ex horto quæ venit herba ſalax.

Idem alibi:

Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces.

Cauponariæ mulieres.

Solent Hebræi una eademq; voce meretricem & cauponariam mulierem nominare, quaſi ejusdem generis ſint. Vulgatæ enim (ut Conſtantinus ait) ſunt pudicitiæ, quæ in cauponis ſerviunt: lege, quæ adulterium, Codi. e ad legem Juliam de adulteriis.

Ἔλυσε τὴν μίτρην.

Frequens locutio apud poetas, *ἔλυσε τὴν μίτρην*, id eſt, Solvit zonam: hoc eſt, virginitatem amiſit. Unde *ἄμιτροι* dicuntur puellæ innuptæ, & conjugii expertes. Rationem vero ſolvendæ zonæ eſt legere in ſcholiis Apoll. *λύουσι γὰρ ζώνας αἱ πρῶτον τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασι τῇ Ἀρτέμιδι. ὅθεν καὶ λυσιζώνου Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις.* Aliquando *λῦσαι μίτρην*, eſt eripere virginitatem, & ad homines refertur. Muſæus: *καὶ παρθενικῆς ... αὐτίκα λύσατε μίτρην*, id eſt: Virginitatem eripuit. Apud Apoll. eſt parere: *ὅν ποτε μούνη, μίτρην πρώτην λύσασα ... τέκεν*, id eſt, Quem unicum peperit. Callimachus in hymno Jovis hac locutione uſus eſt.

Τραγίζειν.

Τραγίζειν, id eſt, hircquitallire, five hircum olere dicitur, qui malo odore teſtatur. Nam alarum fœtor, caper & capra à Latinis appellatur, *τράγος* à Græcis, unde *τραγίζειν*, virus illud olere. Hippocrates. *ἐκ ... ἀφροδισιάζειν ἄρχονται ὅτε τραγίζειν.* Sed quia malus odor ille raro quem invadit, niſi qui rem cum mulieribus habere per ætatem queat, aut quia tum maxime fœtent hirci, cum coitum appetunt, Theophraſtus: *... διὸ καὶ εἰ τράγοι, καὶ οἱ ἔλαφοι, καὶ ἄλλα, ... ἔχειν*, eo factum eſt, ut *τράγος* aliquando pro re venerea uſurpetur, *τραγίζειν* quoq; & *τραγᾶν* pro eo quod eſt, hircinam vocem æmulari, offendes. Horatius in libidinantem:

——Namque ſagacius unus odoror
Polypus, an gravis hirſutus cubet hircus in alis,
Quam canis acer, ubi lateat ſus.

Quadrantaria.

Proſtituta, ab ea ſtipe, quæ parabilis habetur, proverbialiter Quadrantaria dicitur, & apud Plutarchum in M. Tullii vita, & apud Cicer. in oratione pro M. Cælio. Sed enim Siculi ad hæc uſq; tempora meretrices vulgo quadratas dicunt: eaſdem Itali reliqui, vel ab obſequio, vel ironice, bonas fœminas appellitare conſueverunt. Galli proſtitutis civiliore aſſis quadrantem, vel groſſi veteris offerunt. Aſſis autem quadrans, Quart, ſive Quattin, illis dicitur: groſſi vero, Blanc. Terentiam, inquit Plutarchus, Quadrantariam appellabant, quod amator quidam ipſi quadrantes (æreum nomiſma eſt, omnium minimum) in loculis pro argento miſerat. Cicero pro Cælio: Niſi fortaſſe mulier potens quadrantaria illa, permutatione facta, familiaris erat balneatori. Huc etiam reſpexiſſe videtur Cæcil. apud Quintil. lib. viij. c. vj. quum Clytæmneſtram quadrantariam vocat: impudicitiam ninirum illius notans. Solet enim proſtibulis quadrantum aliquot merces eſſe conſtituta. Unde Quadrantaria meretrix dicitur viliſſimum & contemnendum ſcortum, quod vix paucis quadrantibus noctes ſuas poſſit locare. Quadrantarii item balneatores, quibus talis numerabatur nummus aſſis pars quarta, non magni precii. Inter quadrantarias meretrices & viliſſimas, præter Terentiam & Clytæmneſtram, fuit & Clodia. Vide alibi, Ad quadrantem & denarium ſolvere. Quartarios etiã appellabant antiqui mulіones mercenarios, quod quartam quæſtus partem capiebat, inquit Feſtus, citans iſtud Lucilii in Serano. Porro homines nequam malus, ut quartarius cippos colligere omnes.

Cluſinum pecus.

Cluſinum pecus Plautus dicit joco & proverbialiter, ex ambiguitate à cludendo: clauduntur enim meretriculæ, quæ clam habentur, & pecora moroida.

Lupæ.

Lupæ meretrices dicuntur, & Lupariæ in Suburra Reg. ij. Lactantius lib. j. cap. xx. Divinarum inſtitutionum, ubi de falſa religione: Romuli nutrix lupa honoribus eſt affecta divinis. Et ferrem, ſi id animal ipſum fuiſſet, cujus figuram gerit. Author eſt Livius Larentiæ eſſe ſimulachrum, & quidem nõ corporis, ſed mentis ac morum. Fuit enim Fauſtuli uxor, & propter vulgati corporis vilitatem lupa inter paſtores, id eſt, meretrix nuncupata eſt: unde etiam Lupanar dicitur. Exemplum ſcilicet Athenienſium in ea figuranda ſecuti ſunt Romani: apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum tyrannum occidiſſet, quia nefas erat ſimulachrum conſtitui meretricis in templo, animalis effigiem poſuerunt, cujus nomen gerebat, &c. Hactenus Lactantius. Idem Catul. ad Juventium, lupam quoque meretricem intelligit:

Tanquam commixtæ ſpurca ſaliva lupæ.

Commixtæ, id eſt, fœdæ & ſpurcæ. Cicer. pro Milone: illo qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat. Sic Martialis in ij.

Abſcondunt ſpurcas hæc monumenta lupas.

Auſonius Euno cuidam:

Irritant volſas levia membra lupas.

Mileſius ſermo.

Sermo laſcivus, ſive fabellæ dicuntur. Julius Capitolinus in Clodio Albino: Mileſias nonnulli ejusdem eſſe dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter ſcriptæ ſint. Per Mileſias Joan. Baptiſta Egnatius fabellas laſcivas intelligit, quales Ariſtides olim libros Mileſiacos conſcripſiſſe dicitur. Sed jam cantatiſſima omnia inter Mileſias punicas Apuleii: apud quem Mileſius ſermo.

Linge culos & crepidas.

Idem Catullus in Victium:

In te, ſi in quenquam, dici pote, putide Victi,
Id quod verboſis dicitur, & fatuis,
Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis
Culos & crepidas lingere Carbatinas.

Obſcœnitatem ejuſmodi Enno cuidam objicit Auſonius. Cicero oratione pro domo: Sextus Clodius dicitur cunnilegus. Gellius apud eundem Catullum irrumator.

Datatim dare ſe.

De muliere quæ ſui copiam facit: etſi alioqui mulieres impudicæ dare dicantur, ut ex Martiale notum eſt. Ennius:

——Quaſi in choro pila
Ludens dat ſeſe, & communem facit:
Alium tenet, alii nutat, alibi manus
Eſt occupata.——

Sic Afranius, & Pomponius apud Nonium, in datatim. metaphora nota, nempe à luſu pilæ, in quo datur. Turn. Adverſ. vij. cap. iiij.

Τεγεάτης.

Cum Diogene Cynico impudicum impudicamve, *τεγεάτην* poſſumus appellare, non ſecus ac Galli libidinoſam puellam vel matronam de Bordeaux dicunt, voce ambigua, & oppidum & proſtibulum indicante. Sic Tegeates, & Lupanari & Tegea Arcadiæ oppido ortus, proverbiali convicio appellabitur.

INANIS METVS.

ERASMI. *Panicus caſus.*

Πανικὸν, veteres vocabant ſubitum animorum tumultum, ſed inanem. Veteres enim exiſtimabant, Panem Deum repentinos terrores, & animi conſternationes immittere, lymphaticis ſimillimas, usque adeo impotentes, ut nõ ratione modo, verum & mente careant. Sicuti non raro uſu venit, cum in exercitu, nulla comparente idonea cauſa, viri pariter atque equi perturbantur. Cujus rei meminit & Euripides in Rheſo:

Ἀλλ᾽ ἦ Κρονίου Πανὸς τρομερᾷ μάστιγι φοβῇ.

Verba ſunt Hectoris ad cuſtodes nunciantes, novum tumultum in caſtris ortis atq; is motum Panicum eſſe reſpondet. Pindarus in Nemeis ſcribit, non oportere fortibus viris vitio vertere, ſi fugiant in hujuſmodi tumultu:

Ἐν γὰρ δαιμονίοισι φόβοις φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν.

Id eſt:

In divinis terroribus fugiunt & filii deorum,

δαιμονίους φόβους appellans *τοὺς πανικούς*. Narratur idem Deus concham illam tortilem ac turbinatam, quæ Græce *κόχλος*, id eſt, teſtudo dicitur, primus reperiſſe: eaq; perſonans olim Titanas contra quos bellabat, in fugam egiſſe. Pauſanias in Phocaicis: *ἐν δὲ τῇ νυκτὶ φόβος σφίσιν ἐμπίπτει πανικός· τὰ γὰρ δὴ ἀπ᾽ αἰτίας οὐδεμιᾶς δείματα ἐκ τούτου φασὶ γίνεσθαι*, id eſt, Cæterum noctu irruit in eos pavor Panicus: ſiquidem terrores nulla de cauſa exortos, ajunt ab hoc immitti. Hac de re copioſius diſſerit, citatis aliorum etiam Græcorum teſtimoniis, Angelus Politianus in Miſcellaneorum annotatione vigeſima octava. Hoc adagii ſubinde refertur à Cicerone in epiſtolis ad Atticum: Ego, inquit, bellum fœdiſſimum futurum puto, niſi qui (ut tu ſcis) Panicus caſus extiterit. Rurſum alibi: De Ventidio, Panicon puto. Item alibi: Rumorem adferunt magnũ, Romæ dum ad Antonium frumentum omne portari, *πανικὸν* certe. Item alibi: Interim (ſcis enim quædam *πανικὰ* dici, item *τὰ κενὰ τοῦ πολέμου*) rumore adventus noſtri, & Caſſio qui Antiochiæ tenebatur, animus acceſſit, & Parthis timor injectus eſt. Idem ad Tyronem: Etſi Atticus noſter, qui me quondam moveri *πανικοῖς* intellexit, idem ſemper putat: nec videt, quibus præſidiis philoſophiæ ſeptus ſim. Et hercle quod timidus eſt ipſe, *θορυβοποιεῖ*, id eſt, tumultum ciet, & Panicis movetur. Huc alluſiſſe puto & Apuleiũ in Aſi-

no ſuo, cum Pſychæ ad mortem ſpontaneam properanti, Panem obvium facit.

Da lapidi volam.

Interpres Ariſtophanis indicat pueros, ſi quando viderint aves, dicere ſolere: Da lapidi volam, & cadēt omnes. Convenit, ubi quis ſectatur quæ non poſſit aſſequi, aut minatur iis quibus non poteſt nocere. In comœdia quiſpiam ait ſe velle ſtrepitu excitare aves: alter jocans reſpondet: [illegible], i.e. Tibia lapidem feri. Atq; interim aves nihil habent incommodi, ſed manus aut pes percutiens ſaxum: eoq; jubet alter, ut ipſe capite percutiat lapidem, quo ſtrepitus fiat duplex.

Metum inanem metuiſti.

Ἀδεᾶ δέδοικας δέος, id eſt, Inanem metuis metum. Ubi quis formidat in re tuta. Vergilius:

Omnia tuta timens ———

Ineſt autem in ipſa Græcanici dicta figura proverbiale quiddam, propter [illegible]. Veluti in his quoq; [illegible], atq; id genus aliis: de quibus jam non ſemel admonuimus. Græci dicunt μορμολύττεσθαι, nam μορμολύκειον Græcis perſona eſt, larvæ aut malo genio ſimilis, qua pueros territant quidam. Baſilius Athanaſio: ἦ σφόδρα γὰρ παῖς εἴην, εἰ τοιούτοις μορμολυκείοις ἐδεδίειν, id eſt: Sane vehemēter eſſem puer, ſi talibus terriculamentis expaveſcerem. Refertur adagium in collectaneis Plutarchi, ſi modo titulo eſt habenda fides.

Multa in bellis inania.

Πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου, id eſt, Multa belli inania. De inani ſuſpicione, aut pavore ſine cauſa oborto, quem Græci πανικὸν vocant. Parœmiam hinc manaſſe putant, quod hujuſmodi panici terrores plerunq; ſolent in bellis accidere. Vel quod Lacedæmonii fundis quibuſdam & nervis crepitantibus uti conſueverint, ad terrorem incutiendum hoſti. Polybius apud Suidam: Cum luna defectum paſſa eſſet temporibus Perſei Macedonum regis, vulgo rumor increbuit, regis interitum ſignificari. Itaq; res pariter & Romanis addit animos, & Macedones conſternavit. Deinde ſubnectens adagium [illegible] inquit, [illegible], id eſt: Itaq; verum eſt, quod vulgo circumfertur, Multa eſſe inania belli. M. Tullius Epiſtolarum ad Atticum libro quinto: Interim ſcis eſſe quædam πανικὰ dici item, [illegible], rumore adventus noſtri. Plutarchus in commentario [illegible], id eſt: Ut enim belli ſic & auditionis multa inania ſunt. Reſpexit huc Q. Curtius lib. 3. Fama bella ſtare, & eum qui recedat, fugere credi. Ac rurſum lib. 5. Ac fama maximum utiq; in bello momentum. Item lib. 8. Fama enim bella conſtant: & ſæpe etiam quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit. Sed apertius lib. 7. Ea res, ſicuti pleraq; belli vana & inania, Barbaros ad deditionem traxit.

Theagenis hecateum.

Θεαγένους ἑκάτειον, id eſt, Theagenis hecateum. In ſuperſtitioſos ac ridicule meticuloſos dictum eſt. Hic Theagenes legitur uſque adeo fuiſſe ſuperſtitioſus, ut domi haberet Hecates ſimulachrum: nec uſquam pedem moveret, niſi illo conſulto. Unde & καπνός, id eſt, fumus, eſt cognominatus: quod magnifice polliceretur, cum eſſet pauper. Qua de re meminimus alibi.

Canes timidi vehementius latrant.

Qu. Curtius lib. 7. demonſtrat hujuſmodi proverbium apud Bactrianos vulgo jactatum fuiſſe, Canis timidus vehementius latrat quam mordet. Thraſonum eſt, magis minis dira mollīri: at Chremes ad rem gerendam promptior. Sic & Athenienſes ad benedicendum, quam ad graviter agendum accommodatiores fuiſſe leguntur. Nec Ajaci promptum fuit dicere, nec Ulyſſi bellare. Et Lacedæmonii verbis parciſſimi, virtute longe præcelluerūt. Et apud Homerum Græci taciti pugnam ineunt, ſed vim ſpirantes, cum barbari immani clamore accurrerent. Denique mulieres lingua melius quam viri belligerantur. Qu. Curtius eodem in loco ſubjicit allegoriam huic ſimilem, altiſſima quæq; flumina minimo ſono labi.

Aſperſiſti aquam.

Aſperſiſſe aquam dicitur, qui dicto quopiam reddiderit animū, ac metum ademerit. Mutuo ſumptum ab iis, qui in deliquio, quam Græci λειποθυμίαν appellant, aſperſa in faciem aqua ad ſui ſenſum revocantur. Plautus in Bacchidibus: Evax, aſperſiſti aquam. Idem in Truculento: Aſperſiſti aquam, jam redit animus. Quod Terentius ſimpliciter: Reddidiſti animum.

Utre territas.

Ἀσκῷ δεδίττεσθαι [illegible], id eſt, Utre terrere, ſive terreri. Dici ſolitum, quoties inanem formidinem aut concipit aliquis, aut incutit. Sumptum ab iis, qui vaſorum inanium ſtrepitu paveſaciunt pueros, aut alioqui formidoloſos, vel potius qui vaſorum hujuſmodi ſonitu propellunt aves: ut indicat in Avibus Ariſtophanes. Extat apud Diogenianum: atq; huic finitimum putat, ἀσκῷ φλαυλίζειν. Heſychius unica dictione pronunciat, ἀσκοφλαυλίζειν, pro inani metu. Putat idem valere, τὰ σκιᾶς μορμολύκεια, id eſt, Umbra territas.

Leonem larva terres.

Μορμολύττεσθαι [illegible] τὸν λέοντα, id eſt, Larvis terres leonem. Apud eundem refertur. Convenict de minis inanibus, ac terriculis deridendis. Quanquam, ut inquit Plinius, hoc tale tamque ſævum animal, rotarum orbes, et currus inanes, & gallinaceorum criſtæ cantusq; etiam magis terrēt, ſed maxime ignes. Quod, ni fallor memoria, reperiri apud authorem quempiam, leonem etiam larvis & appoſititiis vultib. oſtendi. Adagium uſurpat Seneca lib. 2.

COGNATI. *Obſipat aquam.*

Plautus in Ciſtellaria, Obſipat aquulam, aſpergit: id eſt, recreat me, quī autem exanimantur, ii aqua frigida recreari ſolent. Quod & in Curculione innuitur, ubi adoleſcens poſtulat aquulam cum aqua, cum ſimularet paraſitus, ſe in laſſitudine animum relinquere, & interrogat, Vin aquam? In Trinummo Charmides: Adimit animam mihi ægritudo Staſime, tene me. Staſ. Viſne aquam tibi petam? Ch. Res. quum animam agebam, tum eſſe offenſam oportuit. Aſperſiſti aquam, obſervatum eſt ab Eraſmo præceptore noſtro, cui multum hæ noſtræ debent annotationes. [Vide Camerar. in Plautum: & proverb. Aſperſiſti aquam, in Chiliad.]

Canis etiam Hecate terretur.

Hoc quoq; paſſim utimur, & uſu compertum eſt, canes etiam ferociſſimos & audaciſſimos, luna atq; nocturnis ſpectris admodum terreri, tremere, atque ad homines ſe fuga recipere & intra crura hominum ſeſe abdere. Hinc Theoc. in Pharmaceutria dicit, & ad Hecaten ſubterraneam catulos tremere. [Id commodius, quantum conjicio, de inani impetu intelligeretur, qui ſolet excitari plerunq; ab importunis & odioſis quibuſdam ſciolis, in viros doctos: quos cum imitari nequeant, iis obloqui non verentur, quo ſenſu accipio illud Alciati:

Allatrant, ſed fruſtra agitur vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.]

INANIS OPERA.

ERASMI. *Aſinum tondes.*

Τὸν ὄνον κείρεις, id eſt, Aſinum tondes. De his, qui rem abſurdam atq; inutilem aggrediuntur: propterea quod aſinum neq; pectere poſſis propter villos, neq; tondere, quum lanam non habeat. Hujus meminit Ariſtophanes in Ranis.

Ab aſino lanam.

Huic finitimum eſt & illud, ὄνου πόκας ζητεῖς, id eſt: Aſini lanas quæris. De iis qui ſtulte quærunt ea, quæ nuſquam ſunt. Effertur etiam adagium ad hunc modum, ὄνου πόκαι, id eſt, Aſini lanæ. Ariſtophanes [illegible] ὄνου πόκας, id eſt, Aſini quis ad lanas? quis in ſeſſes ſolum? Per aſini lanam, res vanas ſignificans, & quæ nuſquam ſunt.

Utrem vellis.

Huic ſimillimum, ἀσκὸν τίλλεις, id eſt, Utrem vellis, vel quod non ſentiat, vel quod pilis careat.

Calvum vellis.

Φαλακρὸν τίλλεις, id eſt, Calvum vellis. Ubi inanem operam ſumit aut ubi quis auferre conatur, quo vacat is, à quo petitur. Veluti ſi quis a paupere conetur extundere pecuniam, ab indocto literaturam. Simillimum eſt illi Plautino: Aquam a pumice poſtulas. Rurſum illi, Nudo veſtimenta detrahere. Quin hodie quoq; vulgus ubi ſignificat nihil eſſe quod adimatur, volam manus oſtendens: jubet inde velli quippiam: quod ea corporis pars nemini non ſit calva.

Laterem lavas.

Feruntur huic confines aliquot apud Græcos parœmiæ, quibus operam inanem ſignificamus: veluti πλίνθον πλύνεις, id eſt, Laterem lavas: id quod uſurpat Terentius in Phormione: Loquar? incendam. Taceam? inſtigem. Purgem me? Laterem lavem. Theocritus in Charitibus:

Καὶ ὕδατι ξαίνειν θολερῷ διαειδέα πλίνθον.

Id eſt:

Et nigram ſilicem laviſſe liquentibus undis.

Lapidem elixas.

Cui ſimillimum eſt, quod refertur apud Ariſtophanem in comœdia cui titulus [illegible]: λίθον ἕψεις, id eſt, Lapidem decoquis: pro eo quod eſt, inaniter laboras, [illegible], id eſt: Quin ubi quis obſecraverit, demiſſo ſic capite: Lapidem decoquis, inquit. Neq; enim unquam molleſcit lapis, quantumvis diutina coctione. Generaliter conveniet in quamvis inanem operam: ſpeciatim in hominem durum, nulliuſque precibus molleſcentem.

Æthiopem lavas: Æthiopem dealbas.

Eandem vim habent, Αἰθίοπα σμήχεις, id eſt, Æthiopem lavas, & Αἰθίοπα λευκαίνεις, id eſt, Æthiopem dealbas. Lucianus in libro contra indoctum: κατὰ τὴν παροιμίαν, Αἰθίοπα σμήχειν ἐπιχειρῶ. id eſt: Ac juxta proverbium, Æthiopem lavare conor. Nam nativus ille Æthiopum nigror, quem Plinius ex vicini ſyderis vapore putat accidere, nulla abluitur aqua, neq; ulla ratione candeſcit. Hoc

item

item peculiariter quadrabit, cùm res parum honeſta verborum fucis adornatur, aut cum laudatur illaudatus, aut docetur indocilis. Adagium ortum videri poteſt ab Æſopica fabula. Nam quidam mercatus Æthiopem, & exiſtimans eum colorem non natura, ſed ſuperioris domini negligentia accidiſſe, nihil nõ adhibuit eorum, quibus veſtes cande fieri ſolent: adeoque perpetuis lotionibus miſerum divexavit, ut illum in morbũ impulerit, colore, qui fuerat, manente.

Arare littus.

Αἰγιαλὸν ἀροῦν, id eſt, Arare littus. Eſt ſterilem operam ſumere. Auſonius ad Theonem:

> Quid geris extremis poſitus telluris in oris,
> Cultor harenarum vates, cui littus arandum?

Significans eum inaniter laborare. Hujus peculiaris uſus erit, cum officium impenditur in eum, a quo nihil ſis fructus aliquãdo percepturus: veluti ſi quis doceat [illegible], aut beneficiũ collocet in ingratum. Salſities enim facit, ut littorales oræ ferme ſint ſteriles: quod etiã proverbio teſtatum eſt, ἁλμυρὸν γειτόνημα. id eſt, Salſuginoſa vicinia, pro ſterili. Eſt autem adeo ſterilis humor marinus, ut nec arbores ferat. Atque hujuſce rei varias adfert cauſas Plutarchus in commentario De cauſis naturalibus, primo ſtatim problemate.

Harenæ mandas ſemina.

Εἰς ψάμμον σπείρεις, id eſt, Harenæ mandas ſemina: propterea quod ſteriles harenæ, maxime littorales, nec idoneæ ad ſementem. Oenone Paridi apud Ovidium:

> Quid facis Oenone? quid harenæ ſemina mandas?
> Non profecturis littora bubus aras.

Atqui in noſtra Brabantia ſunt agricolæ tam induſtrii, qui ſitientiſſimas harenas cogant & triticum ferre.

In aqua ſementem facis.

Εἰς ὕδωρ σπείρεις, id eſt, In aqua ſementem facis. Theognis:

> Ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.
> Id eſt:
> Par ut qui æquoreis ſemina mandet aquis.

Loquitur de his, qui beneficium conferunt in ingratos atque improbos homines: idq; perinde perire dicit, quaſi ſementem facias in undis marinis. Ariſtophanis interpres & hoc pacto effert proverbium, κατὰ θαλάττης σπείρεις, id eſt, In mari ſementem facis.

In ſaxis ſeminas.

Κατὰ πετρῶν σπείρεις, id eſt, In ſaxis ſementem facis. Quo quidem alluſiſſe credi poteſt allegoria Evangelica de ſemine, quod in petras inciderit. Nam hoc terræ genus fere ſterile eſt: vel quia nõ poteſt aratro proſcindi, vel quia quod ſatum eſt, non habet quo radices agat.

Ignem diſſecare.

Εἰς τὸ πῦρ ξαίνειν, id eſt, Ignem diverberare. Ad hanc formam pertinet, quanquam hoc inter Pythagorica retulimus ſymbola. Ariſtides in communi defenſione quatuor Rhetorum: ἐλελήθεις δ' ἄρα σαυτὸν ἅπασι ταῖς παροιμίαις ἔνοχος ὤν, εἰς πῦρ ξαίνων, καὶ λίθον ἕψων, καὶ σπείρων ἐπὶ πέτραις; id eſt: non intelligebas autem teipſum omnibus illis proverbiis obnoxium eſſe: quod ignem diverberares, quod lapidem elixares, quod in ſaxis ſementem faceres: Taxat Platonem, qui apud Dionyſium tyrannum nullum omnino fecerit operæ precium.

In aqua ſcribis.

Καθ' ὕδατος γράφεις, ἢ εἰς ὕδωρ γράφεις, id eſt, In aqua ſcribis, hoc eſt nihil agis. Lucianus in Tyranno: πότερον παίζεις ὦ Χάρων, ἢ καθ' ὕδατος, φασί, γράφεις, παρ' ἐμοῦ ὀβολόν τινα ἐλπίζων ἀπολήψεσθαι; id eſt: Utrum ludis Charon, an jam in aquas (quod ajunt) ſcribis, qui quidem à Micyllo obolum aliquem expectes? Plato in Phædro: οὐκ ἄρα σπουδῇ αὐτὰ ἐν ὕδατι γράψει μέλανι, σπείρων διὰ καλάμου, id eſt: Num hæc ſtudioſe in aqua ſcribet nigra, ſeminans calamo? Extat hujuſmodi ſenarius inter ſententias Græcas:

> Ἀνδρῶν φαύλων ὅρκους εἰς ὕδωρ γράφε.
> Id eſt:
> Hominum improborum inſcribe jusjurandum aquæ.

Id ita depravat Xenarchos in Pentathlo apud Athenæum libro decimo:

> Ὅρκους δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω.
> Id eſt:
> Inſcribo vino ſi qua jurat fœmina.
> Item Catullus:
> —Mulier cupido quod dicit amanti.
> In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

In harena ædificas.

Εἰς ψάμμον οἰκοδομεῖς, id eſt, In harena ædificas. Ad quod Evangelica parabola videtur alludere: Is non conſiſtit, quod ſuper harenam ſtruxeris. Proinde recte uſurpabitur, ubi quis negocium aggreditur inutile futurum, utpote non recte jactis ante fundamentis.

Ventos colis.

Ἀνέμους γεωργεῖς, id eſt, Ventos colis. Colis autem dico, pro eo quod eſt agricolationem exerces. Refertur a Zenodoto, dicitur in eos, qui è ſuis laboribus nihil fructus reportant.

Ferrum natare doces.

Σίδηρον πλεῖν διδάσκεις. Ferrum fluitare doces. De iis, qui rem conantur, quæ repugnante natura, nequaquam fieri poſſit.

Cribro aquam haurire.

Κοσκίνῳ ὕδωρ ἀντλεῖν, id eſt, Cribro aquam haurit. Quod etiam in oblivioſos non inconcinne dicetur. Plautus in Pſeudolo: Non pluris refert, quam ſi imbrem in cribrum geras. Id autem olim inter ἀδυνάτων habitum, vel illud eſt argumẽto, quod inter prodigia refertur, Tuciam virginem Veſtalem, aquam cribro tuliſſe, anno ab urbe condita ſexcenteſimo nono: teſte Plinio lib. 28. c. 2. Cujus meminit Dionyſius Halicarnaſſæus lib. Romanarum antiquitatum ſecundo. Sumptum à fabula Danaidum puellarum: quas Plato ſcripſit apud inferos hoc pœnæ genus pendere, ut aſſidue aquam in dolium pertuſum, vaſis item pertuſis inferant. Alciphron in epiſtola Galeni ad Cyrtonem: καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, εἰς τὸν τετρημένον τῶν Δαναΐδων πίθον ἀμφορέας ἐγχέομεν, id eſt: Ac juxta proverbiũ, amphoras in Danaidum dolia infundimus. Lucianus in Timone: ὥσπερ ἐς κόφινον τετρημένον. id eſt: Tanquam è cophino pertere-brato. Effertur & hunc ad modum: εἰς πίθον τετρημένον ὕδωρ ἀντλεῖς, id eſt: In dolium pertuſum aquam hauris. Plautus in Pſeudolo. In pertuſum ingerimus dicta dolium: operam ludimus.

Apud fimum odorum vaporem ſpargis.

Εἰς κόπρον θυμιᾷς, id eſt, In fimum aromatum odorem ſpargis. Nam perit omnis fragrantia, fimiq; fœtore vincitur. Eſt apud Suidam. Conveniet autem in hos, qui rem egregiam indignis adhibent, quod genus eſt illud In lente unguentum.

Et operam & retiam perdere.

Plautus in Rudentibus: Jam nunc & operam ludos facit & retiam. Id quidem citra tropum dictum eſt à ſene, qui Gripum ſervum piſcatum miſerat, quum eſſet noctu orta tempeſtas graviſſima. Venuſtius erit, ſi tropo adhibito dicatur in captatorem, cui nõ ſucceſſit aucupium. Porro retiam Plautus antique dixit pro rete. Affine eſt illi quod alibi retulimus, Oleum & operam perdidi: &, Opera & impenſa periit.

Senis mutare linguam.

Cum ad omnem diſciplinam tardior eſt ſenectus, tum potiſſimum ad diſcendam linguam: quæ facultas maxime pueris a natura data eſt. Quapropter etiam vulgo compertiſſimum, pueros facile quamvis exprimere linguam: contra natu grandiores, aut nõ aſſequi, aut parum feliciter imitari. Inde proverbium, Senis mutare linguam, de fruſtra atq; intempeſtive laborantibus. D. Hieronymus præloquens in quatuor Evangelia: Pius, inquit, labor, ſed periculoſa præſumptio, judicare de cæteris, ipſum ab omnibus judicandum, ſenis mutare linguam, & caneſcentem mundum ad initia retrahere parvulorum. Quo ſignificatur, adultam ætatem ad omnia minus eſſe tractabilem, quam rudes illos ac teneros annos, id quod eleganti metaphora dictum eſt à Naſone:

> Quæ præbet lætas arbor ſpatiantibus umbras,
> Quo poſita eſt primum tempore, virga fuit.
> Tunc poterat manibus ſumma tellure revelli,
> Nunc ſtat, in immenſum viribus aucta ſuis.

Quare tunc formandi mores, cum mollis adhuc ætas, tũc optimis aſſueſcẽdum, cum ad quidvis cereum eſt ingenium. Nam poſteaquam annis jam ceu diriguit animus, & vix dedicimus quæ perperam didicimus: & quæ neſcimus, non ſine maximo negocio nobis inculcantur. Neq; hæc dixerim, ut adultiores à diſcendo deterream, cum nulla ſit ætas ad diſcendum ſera: ſed ut pueros ad diſcendi ſtudium acuam: Ne hoc quidem prætermittendum, quanquam vulgo jactatum: Senex pſittacus negligit ferulam. Adagii ſenſus tametſi per ſe non eſt obſcurus, tamen magis liquebit ex Apuleii verbis, quæ ſunt in libro Floridorum ſecundo, de pſittaco: Quæ ruſticum noſtrum ſermonem cogitur æmulari, ferrea clavicula caput tunditur, imperium magiſtri ut perſentiſcat. Hæc ferula diſcenti eſt. Diſcit autem pullus uſq; ad duos ætatis ſuæ annos, dum facile os uti conformetur, dum tenera lingua uti convibretur. Senex autem captus, & indocilis eſt, & oblivioſus. Hactenus Apuleius. Indicat & Plinius libro decimo, capite quadrageſimo ſecundo, miram eſſe docilitatem huic avi, verum non niſi primis duobus vitæ annis. His finitimum eſt, quod vulgo quidem, attamen haudquaquam ineleganter dicitur: Serum eſſe canes vetulos loris aſſueſacere.

Reti ventos venaris.

Δικτύῳ ἄνεμον θηρᾷς, id eſt: Reti ventos captas. De fruſtra laborantibus: aut qui ſtulte ſequũtur ea, quæ nulla ſit aſſequendi ſpes: aut qui rem inanem inaniter captant. Nam utre contineri ventus poteſt, reti nequaquam.

Tranquillum æthera remigas.

Αἰθέρα νήνεμον ἐρέσσεις, id eſt, Aere tranquillo remigas. Apud Zenodotum refertur de incaſſum laborantibus, perinde eſt quaſi dicas: Aerem diverberas, remigantium more.

Mortuum flagellas.

Νεκρὸν μαστίζεις, id eſt, Mortuum flagellas, In eos, qui objurgant illos, qui nihil prorſus objurgatione commoneantur: aut qui vita defunctos inſectantur ac lacerant.

Ollam

Ollam exornas.

Χύτραν ποικίλλεις, id eſt, Ollam exornas, ſive picturas. De iis, qui in re vehementer abſurda fruſtra conantur. Ineptus enim labor, ollæ vaſi contempto, & culinariis uſibus deſtinato, picturæ lenocinium adhibere. Cui ſimillimum quiddam vulgo jactatur, Bracteis aureis inaurare juglandium putamina.

Mortuo verba facit.

Νεκρῷ λέγουσα μῦθον εἰς οὖς, id eſt, Mortuo ad aurem fabulam narrans. Plautus: Mortuo verba nunc facio. *Terentius*: Verba fiunt mortuo. Rurſum Plautus: Nihilo pluris refert, quam ſi ad ſepulchrũ mortuo dicat jocum. Pertinet huc quod eſt apud Æſchylum in Agamemnone:

Κεινὰ θρηνεῖ ζῶσα τοῖς τύμβοις μάτην.

Id eſt:

Fruſtra ad ſepulchrum viva ploro mortui.

Natum adagium a ridicula conſuetudine veterum, vita defunctos ter voce cientium: unde & conclamati dicebantur: præterea in pompis funeralibus multa deplorantium erga mortuum. Quem morem irridet Lucianus in libello De luctu, quem nos Latinum fecimus.

Surdo canis, Surdo fabulam narras.

Eandem vim habet, κωφῷ ᾄδεις, id eſt, Surdo canis. Vergilius in Bucolicis:

Non canimus ſurdis, reſpondent omnia ſylvæ.

Horatius:

—Narrare putaret aſello
Fabellam ſurdo.—

Terentius in Heautontimorumeno:

Næ ille haud ſcit, quam mihi nunc ſurdo narret fabulam.

Item T. Livius de bello Macedonico lib. 10. Quæ vereor ne vanis auribus cecinerint. Æſchylus in τοῖς περὶ ϑεῖον:

Ἤκουσας ἢ οὐκ ἤκουσας, ἢ κωφῷ λέγω;

Id eſt:

An audiſti, an non audiſti? num ſurdo loquor?

Alluſit huc Ovidius Amorum lib. iij.

Quid juvat, ad ſurdas, ſi cantet Phemius aures?
Quid miſerum Thamyram picta tabella juvat?

Ortum videtur a ridiculo caſu: quo ſæpe fit, ut hoſpes incidat in ſurdum, quem percontetur multa, ridentibus iis qui ſurdum noverunt.

Littori loqueris.

Αἰγιαλῷ λαλεῖς, id eſt, Littori loqueris. Refertur à Græcis adagiorum collectoribus. Dictum in eos, qui fruſtra vel ſuadent, vel orant: perinde quaſi ſurdo loquantur. Nam littora propter aſſiduum fluctuum fragorem ſurda dicuntur. Ovidius:

Surdior ille freto clamantem nomen Oreſtis,
Traxit inornatis in ſua tecta comis.

Aquilam volare doces.

Ἀετὸν ἵπτασθαι διδάσκεις, id eſt: Aquilam volare doces. Diverſa metaphora ſententiam eandem declarat. Quod enim Delphini inter piſces, id Aquila inter volucres. Quibus id etiam commune, quod uterq; παιδεραστὴς eſſe narratur. Alluſiſſe videtur huc Gregorius in epiſtola quadam ad Eudoxum rhetorem: ἐῶ τοὺς πολλοὺς ἐν χαίρειν, καὶ οὐκ ἐᾶν κολοιοὺς πέτεσθαι δοκιμάζοντας, Sine valere vulgus, ſine eſſe graculos, qui volatum aquilarum probent.

Delphinum natare doces.

Δελφῖνα νήχεσθαι διδάσκεις, id eſt, Delphinum natare doces. In eos competit, qui monere quempiam conãtur in ea re, in qua cum ſit ipſe exercitatiſſimus, nihil eget doctore. Nam Delphinus in natando perniciſſimi impetus eſt, ita ut non modo ſuperet omne natatilium genus velocitate, verum etiam terreſtrium animantium: ut author Ælianus lib. xij. Quin & navis tranſilit, ſeq; contento ſpiritu, teli in morem ejaculatur.

Delphinum cauda ligas.

Δελφῖνα οὐρᾷ δεσμεύεις: id eſt, Delphinum cauda alligas. In eos qui quippiam incaſſum conantur: propterea quod delphinus cauda ſit lubrica, nec ea parte teneri queat: aut quod cauda ſit valida, cujus agitatione fertur & naves aliquando ſubvertere, ut hac parte ſit invictus. Quadrabit & in eos, qui ea via quempiam aggrediuntur, qua nequaquam poſſit ſuperari.

Nebulas diverberare.

Νεφέλας ξαίνειν, id eſt, Nebulas diverberare dicitur, qui vel in re ſtulta, vel quæ fieri non queat, fruſtra ſumit operam. Meminit Diogenianus. Suidas ſuſpicatur ductum ab eo qui dixit nebulas eſſe lanam expanſam, quaſi ſimiliter debeat carminari.

Aſini caput ne laves nitro.

Ὄνου κεφαλὴν μὴ πλύνειν λίτρῳ, id eſt, Aſini caput ne laves nitro. Ne multum ſumptus operæve inpendas in rem vilem ac ſordidam. Finitimum illi, τὴν χύτραν ποικίλλειν, id eſt, Ollam variegare.

Ad fractam canis.

Πρὸς ἐῤῥωγυῖαν ᾄδεις, id eſt, Ad fractam canis, ſubaudi, vel chordam, vel citharam. Suidas oſtendit dici ſolitum de iis, qui fruſtra laborant. Antiquis mos erat ad citharam canere: in qua ſi qua chorda rupta ſit, ad eam fruſtra vocem accommodes, cum illa non reſpondeat. Fabulam de cicada, fractæ fidis vicem ſupplente, diximus alibi. Quanquam non inſcite accommodabitur, ubi non reſpondetur officiis alicujus, aut ubi quis ſuadet obſtinato, aut orat inexorabilem.

De fumo diſceptare.

Huic confine eſt illud quod apud Ariſtophanem legitur in Nubibus: καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ, καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν. In philoſophos dictum, qui de fumo, hoc eſt, de rebus nihili, nimium anxie diſputant. Ineſt autem non parum comici ſalis in illis ipſis verbis ad jocum confictis, λεπτολογεῖν, στενολεσχεῖν: quarum alterum ſignificat de rebus tenuibus ac frivolis diſceptare, alterum de meris nugamentis ſollicitum & anxium torqueri. Quapropter etiam Socratis ſcholam φροντιστήριον appellat.

Arenam metiris.

Ἄμμον μετρεῖς, id eſt, Harenæ modum quæris, ſive metiris, hoc eſt, rem infiniti laboris atque inexplicabilem inceptas, aut fruſtra conaris, quod nequeas efficere. Athenæus libro ſexto, Alexidem quendam adducit, qui innumera dixerit ψαμμακόσια, velut æquantia numerum harenarum, ὀνόμασι δ᾽ ἐξέβαλε ψαμμακοσιογάργαρα, id eſt, nominibus utens harenaginta, ut Græcæ vocis figmentum imiter. Plato in Theæteto: μᾶλλον αὐτὸν λανθάνει ἢ τὴν θάλατταν οἱ λεγόμενοι χόες. id eſt: Magis illum latet, quam magis, ut dicitur, harenæ.

De lana caprina.

Huic ſimillimum eſt illud Latinorum adagium, De lana caprina: quod a ſimili quopiam eventu natum apparet, contentioſe decertantibus duobus utrum lanas haberet caper an ſetas. Aut alioqui de villis caprinis dimicantibus: re videlicet nulli, minimique momenti, cujuſmodi jocus fertur & de aſini lana. Horat. in epiſtolis ad Lollium:

Alter in obſequium plus æquo pronus, & imi
Deriſor lecti, ſic nutum divitis horret,
Ut puerum ſævo credas dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimum tractare ſecundas,
Alter rixatur de lana ſæpe caprina,
Propugnat nugis armatus.—

Loquitur de moroſis in amicitia, qui quantumlibet frivola de cauſa litem cum amico ſuſcipiunt.

Iſthmum perfodere.

Iſthmum perfodere dicebantur, qui magno quidem conatu, ſed irrito molirentur aliquid. Ductum ab Iſthmo Corinthiaco, qui efficiebat, ut naves longo & ancipiti ambitu juxta peninſulam circum agerentur. Unde complures illum adorti ſunt, qua erat anguſtiſſimus, perfodere: nempe Democritus rex, Dictator Cæſar, C. princeps, Domitius Nero, infauſto (ut omnium patuit exitu) incepto. Author Plinius lib. 4. cap. 4. Tranquillus oſtendit idem tentatum à Caligula. Philoſtratus in vita Apollonii negat Neronem deſtitiſſe, victum operis difficultate: ſed quod timeret, ne admiſſum mare, perituram Æginam portẽderet, aut res novas in imperio Romano coorituras: nam id prædixerant Ægyptii vates. Quin & vetuſtiſſimus ſcriptor Herodotus libro Hiſtoriæ ſuæ primo prodidit, Cnidios Iſthmum, qua anguſtiſſimo ſpacio, nempe quinq; ſtadiorum, ſpectabat continentem, perfodere adortos, quo inſulam facerent, cæterum ictos ſcopulos in fodientium oculos reſiliiſſe, deinde Delphicum Apollinem ab eis conſultum trimetris reſpondiſſe:

Ἰσθμὸν δὲ μὴ πυργοῦτε μηδ᾽ ὀρύσσετε.
Ζεὺς γάρ κ᾽ ἔθηκε νῆσον, εἴ κ᾽ ἐβούλετο.

Id eſt:

Neq; cingite Iſthmum mœnibus, neq; fodite.
Nam ſi Jovi id viſum, locaſſet in ſalo.

Denique Nicanor Seleucus aggreſſus eſt Iſthmum, qui dirimit Euxinum & Caſpium mare, nec perfecit, a Ptolemæo Cerauno interfectus.

Lapidi loqueris.

Λίθῳ διαλέγῃ, Lapidi loqueris. Eundem ſenſum habet. Et apud Terentium in ἑαυτόν. Lapis pro ſtupido brutoq; homine ponitur, aliquoties. Non inſcitum eſt quod refert Laertius. Cuidam interroganti, quanam in re melior eſſet evaſurus filius ſi erudiretur? Si nihil aliud, inquit Ariſtippus, certe in Theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem.

Parieti loqueris.

Πρὸς τὸν τοῖχον λαλεῖς, id eſt, Parieti loqueris. Et hoc quoq; refertur à Græcis collectoribus. Effertur & ad hunc modum, Διὰ τοίχου λαλεῖν: id eſt, Per parietem loqui. Dici conſuevit, ubi quis rei quippiam faceret vehementer abſurdæ. Fortaſſis ab amantibus ſumptum, qui ad fores ac feneſtras, aut etiam parietes amicarum perinde loquuntur nonnunquam, quaſi ſenſus aliquis illis adſit. Plautus in Truculento uſurpat pro eo quod eſt, taciturno loqui: Ego, inquit, ero paries, loquere tu.

Sterilem fundum ne colas.

Στέριφον ἀγρὸν μὴ σπεῖρε, id eſt, Agrum ſterilem ne colas. Referunt

tur inter leges Platonicas. Hoc ænigmate lex apud Platonem verecunde deterret a venere maſcula, ſi ſatis commemini. In octavo De legibus, ait illos facere ſementem in petras. Poteſt tamen ad alios uſus accommodari: Ne doceas in docilem, ne felicitatē quæras in divitiis. Non enim pariunt homini beatitudinem. Plautus in Amphitryone: Nam uxorem uſurariam perinde eſt præbere, ac ſi agrum ſterilem ſatiendum colloces.

Utrem mergis vento plenum.

Ἀσκὸν βαπτίζεις πλήρη πνεύματος, id eſt, Utrem mergis vento plenum. Cōpetit in eum qui fruſtra conatur: ut qui caſtigat inemendabilem: quod inflatus uter quantumvis immergas, ruſum emicet. Natum videtur ex oraculo Sibyllæ, quod illa ædidit de civitate Athenienſi.

Ἀσκὸς βαπτίζῃ δύναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστί.

Id eſt:

Uter tingeris, ſed mergere nemo valebit.

Cavam Arabiam ſerere.

Τὴν κοίλην Ἀραβίαν σπείρειν, id eſt, Cavam Arabiam ſerere. pro fruſtra ſudare, aut in re perdifficili, nec admodum frugifera, operā ſumere. Lucianus in Apologia, ὡς τὴν κοίλην Ἀραβίαν σπείρειν ἐπιχειρεῖν, id eſt: Ut cavam Arabiam ſerere aggrediatur. Significat autem paluſtrem Arabiæ partem neutiquam idoneam ſementi. Plutarchus: φασὶ γὰρ ἀλλὰ χώρας τῆς μὲν γῆς κοίλης τῆς Ἀραβίας σπορέας λέγοντες, τὸν δὲ λόγον ἀπελεῖ καὶ ἄκαρπον εἶναι. id eſt: Ajunt enim ſterilem eſſe ſationem humilium Aſiæ regionem: at loquaculorum ipſa oratio inutilis eſt atq; infrugifera.

Aranearum telas texere.

Τὰ ἀράχνια ὑφαίνειν, id eſt, Aranearum telas texere. Eſt in re frivola, nulliuſq; frugis, infinitum atq; anxium capere laborem. Refertur proverbii vice a D. Baſilio in initio enarrationis Hexameron. Unde & apud Diogenianum Laertium in vita Zenonis, philoſophus quidam rationes dialecticas, aranearum textis ſimiles eſſe dicebat: quæ cum operoſum quiddam atq; exactum præ ſe ferāt, tamē nugatoriæ ſint atq; imbecilles. Et alius quiſpiam leges cum aranearum textis comparabat, quæ cum à magnis avibus facile diſcinderentur, muſcas duntaxat retinerent.

E multis paleis paulum fructus collegi.

Ἐκ πολλῶν ἀχύρων ὀλίγον καρπὸν συνήγαγον, id eſt, Ex multis paleis parum fructus collegi. id eſt, multo labore non multum emolumenti ſum cōſecutus: aut è verboſo ſermone paululum bonæ ſententiæ percepi: ex ingenti volumine minimum doctrinæ retuli. Translatum ab excuſſoribus tritici.

Ovum adglutinas.

Ὠὸν κολλᾷς, id eſt, Ovum glutino compingis. Refertur à Diogeniano. Ridicule laborat, qui fractum ovi putamen glutino ſarcire & coagmentare conetur.

Penelopes telam retexere.

Penelopes telam retexere, eſt inanem operam ſumere, & rurſum deſtruere quod effeceris. Natum ex Homero, qui li. Odyſſeæ ij. fingit Penelopen Ulyſſis uxorem procos jam urgentes, hac cōditione deluſiſſe, utrum ſe promitteret nupturam, ubi telam quā habebat in manibus, abſolviſſet. Quam cōditionem poſtea quam illi accepiſſent, mulier aſtuta, quod interdiu texuiſſet, id noctu retexere cœpit:

Ἔνθα καὶ ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστὸν,
Νύκτας δ᾽ ἀλλύεσκεν, ἐπεὶ δαΐδας παραθεῖτο.

Id eſt:

Illa diuturna quidem ingentem contexere telam,
Verum eadem admotis ſolvebat nocte lucernis.

Uſurpat hoc adagium Plato in Phædone. Idem Cicero Academ. quæſt. lib. ij. Quid quod eadem, inquit, illa ars, quaſi Penelopes telam retexens, tollit ad extremum ſuperiora. Sentit autem de dialectica, quæ iiſdem illis rationibus, quibus cōfirmavit aliquid rurſum ſolvit ac deſtruit, ut nihil jam actū videatur. Seneca de beneficiis v. Quid enim boni eſt nodos operoſe ſolvere, quos ipſe ut ſolveres feceris? Ariſtides in defenſione quatuor oratorum, καὶ ὥσπερ ἱστὸν τιν᾽ ἰσχυρῶς ἀναλύοντες, ὥσπερ γὰρ δὴ συνυφῆναι τὸ σοφίας, ποιεῖν᾽ ἀπραγμοσύνης μεγάλα φρονοῦντες, id eſt, Et telam neſcio quam retexētes. Quantum enim faciunt compendii in ſapientia, tantum rurſum diſpendii, dum arrogantes evadunt. Hoc quoniam alius proverbiis, quæ mox dicemus, ſubnectit, indicat nimirum & hoc eſſe proverbium.

Oleum & operam perdidi.

Eodem pertinet & illud quod eſt apud Plautum in Pœnulo, Tum pol ego & oleum & operam perdidi: id eſt, quicquid inſumpſi, ſeu rei, ſeu laboris, id fruſtra inſumptum eſt. Metaphora ducta eſt a gladiatorum ac palæſtritarum certaminibus: in quib᾽ certaturi, unguentis quibuſdam oleaceis perungebantur. Cicero in Epiſtolis, Nam quid ego te athletas putem deſiderare, qui gladiatores contempſeris? in quibus ipſe Pompeius profitetur ſe & oleum & operam perdidiſſe. Quanquam poteſt & ad lucubrantium lucernas referri: ſicuti Cicero feciſſe videtur, ſcribens ad Atticum lib. xiij. Ante lucem quum ſcriberem contra Epicureos, de eodem oleo & opera exaravi neſcio quid ad te, & ante lucem dedi. Idem ad eundem alibi, Non defleamus, ne & oleum & opera noſtræ philologiæ perierit: ſed conferamus tranquillo animo. Quo quidem in loco plus habet gratiæ: quod ad rem animi translatum ſit. Ergo hic oleum pro ſumptu poſitum eſt: nam & ſic effertur adagium. Plautus in Rudentibus, Et operam & ſumptum perdunt. Eodem pertinet etiam illud quod corvus ille ſalutator ſonare didicerat: Opera & impenſa periit. Cujus fabulæ meminit Macrobius lib. Saturnalium ij. Eam, quoniam haudquāquam indigna memoratu videtur, non gravabor adſcribere: idque ipſius verbis. Sublimis, inquit, Actiaca victoria revertebatur Octavius. Occurrit ei inter gratulantes corvum tenens, quem inſtituerat hoc dicere: Ave Cæſar victor Imperator. Miratus Cæſar officioſam avem, viginti millibus nummum emit. Socius opificis, ad quem nihil ex illa liberalitate pervenerat, affirmaverat Cæſari illum habere & alium corvum: quem ut afferre cogeretur, rogavit. Allatus verba quæ didicerat, expreſſit: Ave victor Imperator Antoni. Nihil exaſperatus, ſatis duxit jubere illum dividere donarium cum contubernali. Salutatus ſimiliter à pſittaco, emi juſſit eum. Idem miratus in pica, hanc quoq; redemit. Exemplum ſutorem pauperem ſolicitavit, ut corvum inſtitueret ad parem ſalutationem: qui impendio exhauſtus, ſæpe ad avem non reſpondentem dicere ſolebat: Opera & impenſa periit. Aliquando tamen corvus cœpit dicere dictatam ſalutationem. Hac audita dum tranſit Auguſtus, reſpondit: Satis domi ſalutatorum talium habeo. Superfuit corvo memoria, ut & illa quibus dominum querētem ſolebat audire, ſubtexeret: Opera & impenſa periit. Ad quod Cæſar riſit, emiq; avem juſſit, quanti nullam adhuc emerat. Hactenus Macrobii verba reddidimus. Divus Hieronymus ad Pammachium, videtur huic adagio velut alterum quoddam adagium ſubtexuiſſe: Oleum perdit & impenſas, qui bovem mittit ad ceroma. Siquidem hoc ipſum, Bovem ad ceroma mittere, proverbium ſapit; pro eo quod eſt, docere indocilem: aut ad id muneris quempiam aſciſcere, ad quod obeundum minime ſit idoneus, videlicet ingenio repugnante. Nam ceroma dicitur unguentum, quo olim ungebantur athletæ. id eſt oleo certiſq; terræ generibus conficiebatur. Porro ad certamina bos inutilis eſt.

Nihil agere.

Suidas hunc verſiculum citat è Cratini fabula, cui titulus, Horæ:

Καὶ ζῶντα ποιεῖν φασίν ἀνήρ οὐδὲν ποιῶν.

Id eſt:

Atque iſta faciens quidam ait, faciens nihil.

Admonetq; ſubeſſe proverbium, quod quadret in eos qui fruſtra laborent. Apud Latinos item nihil agunt, qui ſumūt inanem operam: ut apud Terentium: Cæterum, hoc nihil agit. Celebratur & illud Attili: Satius eſt ocioſum eſſe, quam nihil agere.

Periit ſus.

Ἀπόλωλεν ὗς καὶ τάλαντον καὶ γάμος.

Periit mihi ſus & talentum, & nuptiæ.

Dici ſuetum, ubi quis fruſtratus perdidiſſet operam impenſam; Natum à quodam, qui cum appparaſſet ad nuptias omnia, non eſt eas aſſecutus. Affine illi, Oleum & operam perdidi.

Quid opus erat longis canere tibiis?

Dion. lib. j. hujuſmodi quoddam adagium refert: Τί γάρ μοι ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν; id eſt: Quorſum attinebat me longis tibiis canere? Idq; ajunt convenire in eos, qui ſumpſiſſent inanem operā, aut ſumptum. Ductum ab Othone, qui poſt cæſum Galbam fecerat ſacrum, in quo extra inauſpicatos exitus portendebant. Itaque pœnitens ſumptus & operæ fruſtra inſumptæ, fertur ita dixiſſe: Τί μοι ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν, quæ verba deinde in vulgi fabulam abierunt. Olim in ſacris, longis tibiis cani ſolitum eſt: qui mos poſtea ſublatus, authore Plutarch. Meminit hujus & Suetonius in vita Othonis: Poſtridie quoq; inquit, in augurando tempeſtate orta, graviter prolapſum, identidem obmurmuraſſe: Τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, id eſt: Quid mihi cum longis tibiis? Quo quidem loco demiror quid commoverit quendam, nō obſcuri nominis interpretem, ut rejectis Suetonii verbis velut adulterinis, Dionis ſupponenda putaret: quaſi vero nefas ſit authoribus eandem ſententiam diverſis explicare formis, aut quaſi non elegantius etiam dixerit Suetonius quam Dion.

Ollas oſtentare.

Χύτρας ἐπιδείκνυσθαι, id eſt, Ollas oſtentare, eſt rem per ſe ridiculam ac ſordidam, perinde ut maximam efferre. Plutarch. in libello De auſcultando, taxans ſophiſtas, quibus mos erat ἀδόξους, id eſt, infames materias verborum fucis exornare, cum vomitum, febrim, Buſiridem, atque id genus alia laudant, νὴ τὸν Δία, inquit, χύτρας ἐπιδεικνύοντας, id eſt, Ac per Jovem ollas oſtentantes. Non quod prorſus improbandum ſit, ſi quis vel exercendi vel laxandi ingenii gratia, ludat nōnunquam in hujuſmodi argumentis: modo jocus ſit eruditus, & cum voluptate miſceat nonnihil utilitatis. Quandoquidem ridentem dicere verum, quid vetat? Imo ſit, ut citra offenſam & gratius irrepat in animos mortalium veritas, hujuſmodi lenociniis commendata: adeo, ut Aulus Gellius non dubitet ridiculas Æſopi fabellas tetricis illis & è cœlo delapſis Stoicorum dogmatis anteponere. Luſit & ipſe Plutarchus in Gryllo, feſtiviter ſane, ſed ita tamen, ut philoſophum jocari, non

non ſcurram, poſſis agnoſcere. Luſimus & nos ante complureis annos Μωρίας ἐγκώμιον, cui non plus ſeptem dierum operam impendimus, idque nullis librorum adminiculis adjuti. Nam noſtra ſarcina nondum advecta tum erat. Hoc quidquid eſt libelli, video candidis ingeniis, & iis qui bonis literis ſunt initiati, magnopere probari: qui præter jocandi feſtivitatem affirmāt illic eſſe nō pauca, quæ ad corrigendos hominum mores magis conferant, quam Ariſtot. Ethica aut Politica dogmata, qui paganus plusquam paganice hiſce de rebus præcepit. Et tamen audio nōnullos offendi; ſed paucos: atq; hos ejusmodi ut nihil probent, niſi barbarum, inſulſum, & ab omnibus Muſis alieniſſimum. Ipſi Juvenalem legūt, alioquin acerrimi poetarum hoſtes, quo principum, ſacerdotum, negociatorum, ac præcipue mulierum vitia in concionibus ſuis inſectentur: quæ ſæpius ita depingunt, ut obſcœnitatem doceant. Ego, cum argumentum ſuſceptum ab hoc non abhorrere, & ubique tantus pateret campus, neq; mordeo quempiam nominatim, niſi forte meipſum: & odioſam illam ſcelerum ac vitiorum Camarinam nuſquam movens, ridicula quædam magis quam fœda paucis attingo. Sed taxas, inquiunt, epiſcopus, taxas theologos, taxas principes. Primum non animadvertunt, quam hoc ipſum faciam moderate, minimeque odioſe. Deinde non meminerunt illius regulæ, quam toties inculcat divus Hieronymus, ubi generalis de vitiis diſputatio eſt, ibi nullius perſonæ eſſe injuriam, neque carbone notari quenquam quaſi malus ſit, ſed omnes admoneri; ne ſint mali: niſi forte illud contendant, omneis principes eſſe ſapientes, omnes theologos abſolutos: omnes epiſcopos & pontifices eſſe tales quales fuerunt Paulus & Martinus: univerſos monachos ac ſacerdotes, Antonios eſſe & Hieronymos. Denique non perpendunt id quod dialogis eſt potiſſimum, perſonæ decorum: & Eraſmum imaginantur loqui, non Moriam. Quaſi vero ſi quis Ethnicum cum Chriſtiano loquentem faciat, nefas ſit Ethnicum quicquam dicere, quod abhorreat à doctrina Chriſtiana. Poſtremo cum tyranni quoque cum à morionibus quidvis audiant, rideant, parumq; civile putent, ullis offendi dicteriis, mirum eſt iſtos, neſcio quos, ab ipſa Moria nihil omnino poſſe audire: quaſi quicquid de vitiis utcunq; fuerit dictum, id prorſum ad ipſos pertineat. Sed hac de re jam amplius ſatis. Ad ollas redire præſtat. Ergo proverbium affine fuerit illi, quod alibi dictum eſt χύτραν ποικίλλεις. id eſt, Ollam variegas.

Cum diis pugnare.

Θεομαχεῖν, id eſt, Cum diis pugnare dicuntur, qui vel naturæ repugnant, vel adverſus fatalem neceſſitatem reluctātur. Sumptum à Gigantum fabula. M. Tullius in dialogo De ſenectute: Quid enim aliud, Gigantum more bellare cum diis, niſi naturæ repugnare? Euripides in Bacchis.

Κοὐ θεομαχήσω, σῶν λόγων πεισθεὶς ὕπο.

Id eſt:

Cedam deis, parens tuis ſermonibus.

Fertur & hujusmodi ſenarius inter ſententias proverbiales.

Θεῷ μάχεσθαι δεινόν ἐστι καὶ τύχῃ.

Id eſt:

Pugnare cum diis, cumque fortuna, grave eſt.

Celebratur & illud Homericum:

Οὐκ ἔστι πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι.

Id eſt:

Haud pugnare poteſt hominum cum numine quiſquam.

Id imitatus Pindarus:

Χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν.

Id eſt:

Non convenit cum Deo contendere.

Cum diis non pugnandum.

Qui monebit non eſſe pugnandum cum genio, cum ſuperis, cum magnis principibus, quos Hebræorum etiam literæ vocant deos, uſurpabit illud ex eodem libro:

——Θεοὶ δέ τι φέρτεροι ἀνδρῶν.

Id eſt:

——Verum homines diis inferiores.

De θεομαχεῖν, diximus alibi Pindarus Pythiis hymno ſecundo ſententiam hanc ſic extulit χρὴ δὲ πρὸς θεὸν οὐκ ἐρίζειν: id eſt, Oportet adverſus Deum non contendere.

Aſinum ſub freno currere doces.

Aſinum ſub freno currere doces: hoc eſt, doces indocilem. Nam equus ad curſum idoneus, aſinus ad equeſtrem curſum inutilis. Horatius:

Infelix operam perdas ut ſi quis aſellum
In campum doceat parentem currere freno,

Acron admonet proverbialiter dictum de aſino. Eſt autem diverſum illi, quod alibi retulimus, τὸν ἵππον εἰς πεδίον: id eſt, Equum in campum.

Apud novercam queri.

Qui deplorant infelicitatem ſuam apud eos, qui nihil auxilii ſint laturi, vel gaviſuri magis conquerentium malis, apud novercam queri dicuntur: quod novercæ fere male velint privignis. Ballio leno in Pſeudolo Plauti:

Nam iſthuc quod nunc lamentare, non eſſe argentum tibi,
Apud novercam querere.——

Leno pro ſe ſuppoſuit novercam. Quod dictum Pſeudolus ſimulans ſe non intelligere:

Eho, inquit, an unquam hujus nupſiſti patri?

Cauda tenes anguillam.

Ἀπ' οὐρᾶς τὴν ἔγχελυν ἔχεις, id eſt, Cauda tenes anguillam. In eos apte dicetur, quibus res eſt cum hominibus lubrica fide, perfidisque, aut qui rem fugitivam atq; incertam aliquam habent, quam tueri diu non poſſunt.

Auſtrum perculi.

Auſtrum perculi: id eſt, Operam luſi. eſt apud Plautum in Epidico. Quo quidem adagio non gravatus eſt uti Paulus in epiſtolis ſuis. Aer enim verberantis ictum, cedens eludit. Sumptum videri poteſt vel ab his, qui exercentur ad artem gladiatoriam enſem per aera ventilantes: vel ab hiſtoria, cujus meminit Aulus Gellius de gente quadam, quæ cum hoc vento bellum geſſit.

Σκιαμαχεῖν.

Olim qui inaniter laborabant, σκιαμαχεῖν dicebantur: hoc eſt, cum umbra pugnare. Plato lib. De legibus viij καὶ εἰ ποτε ἀπορίᾳ τῶν ἐμψύχων καὶ τῶν ἀψύχων ἀπορέσαμεν τις ποτε, ἐρημίᾳ συγγυμναστῶν, ἆρ' ἂν ὀκνήσαιμεν αὐτοὶ αὐτοῖς ἐγγυμνάζεσθαι, σκιαμαχοῦντες ὄντως. id eſt: Ad hæc, ſi quando ab omnibus & animatis & inanimis deſtituti, nullū haberemus concertatorem, num ſuſtinebimus ipſi contra nos ipſos, vere umbraticam exercere pugnam? Idem in Apologia Socratis: ἀλλ' ἀνάγκη ἀτεχνῶς ὥσπερ σκιαμαχεῖν ἀπολογούμενόν τε, καὶ ἐλέγχειν μηδενὸς ἀποκρινομένου. id eſt: Sed neceſſe eſt omnino, ut cum umbra pugnem, ſimul & defendens & accuſans, quum nemo reſponderit. Idem de Rep lib. vij. ἀλλ' οὐχ ὥσπερ ὡς νῦν αἱ πολλαί, ὑπὸ σκιαμαχούντων τε πρὸς ἀλλήλους καὶ στασιαζόντων περὶ τοῦ ἄρχειν, οἰκοῦνται. id eſt: Non per ſomnium ut nunc complures civitates ab iis qui cū umbra pugnant, ac de principatu ſeditiones excitant, habitantur. Huc fortaſſe pertinet quod ſcribit Florus Epitome in librum Titi Livii xlix. Quum enim Scipio rem in Africa fortiter ac feliciter gereret, Cato in ſenatu reliquos, qui militarent in Africa, umbras militare dicebat, Scipionem vigere. Julius Pollux lib. vi. indicat, eos qui molliter ac delicioſe viverēt σκιατραφίας appellari ſolitos, velut educatos in umbra, & ob hoc impatientes pulveris atque ſolis, & σκιατροφεῖσθαι, qui voluptatib. effœminantur. Nam luxus & libido luciſugæ ſunt, amant tenebras & ſecretum. Porro ludus umbraticæ pugnæ durat etiam hodie non illepidus. Hunc qui exercet, pro utroq; reſpondet, & pro ſe, & pro umbra. Hoc admonere viſum, quo magis liqueat quod ex apologia citavimus. Meminit & Lucianus in Sectis. Vide proverb. Cum larvis luctari.

Milium terebrare.

Κέγχρον τρυπᾶν, id eſt, Milium perforare dicūtur, qui in re difficili, ſed prorſus inutili laborant. Galenus lib. De præſcientia, taxans ſophiſtas, qui putant philoſophiæ ſtudium vehemēter inutile, ſic loquitur: ἀλλ' ἁπάντων μαθημάτων ἀχρηστότατον τοῦτο νομίζουσιν, ὁμοίως τῷ κέγχρον τρυπᾶν. id eſt, Quin potius omniū diſciplinarum hoc exiſtimant inutiliſſimum perinde ut milium pertetebrare. Sic enim arbitramur legendum, quum in æditis libris habeatur τὸ κέγχρον, id eſt, minutum leguminis genus, quod haud facile pertetebres geminatum more, quum pertetebrari nullus ſit uſus. Simile ſtudium fuit illius, qui grana milii è longinquo mittebat per foramen acus.

Vacuam inhabitare.

Κενὴν ἐγκατοικεῖν δόμον, id eſt, Vacuam habitare domum dicuntur, qui ſpeciem rei magnificam oſtentant, quum ipſo bono vacui ſint. Plato trimetrum citat, haud dubium quin vulgo jactatum, quandoquidem authoris nomen tacet: καὶ ἀσκεῖ ὅποθεν δόξεις φρονεῖν, ἄλλοις τὰ κομψὰ ταῦτα ἀφείς· εἴτε ληρήματα χρὴ φάναι εἶναι, εἴτε φλυαρίας,

Ἐξ ὧν κενοῖσιν ἐγκατοικήσεις δόμοις.

ζηλῶν οὐκ ἐλέγχοντας ἄνδρας τὰ μικρὰ ταῦτα, ἀλλ' οἷς ἐστὶ καὶ βίος, καὶ δόξα καὶ ἄλλα πολλὰ ἀγαθά. id eſt, Eaq; exerce undecunq; videberis ſapere, omiſſis iſtis ad oſtentationem facientibus: ſive deliramenta ea vocari decet, ſive nugas:

Ex quibus inanes incolas tandem domos:

neque magnificias viros qui hæc minuta redarguunt, ſed illos potius, quibus adeſt res familiaris & honeſta fama, aliaq; multa bona. De vacuo gratiarum ſcrinio diximus alias.

In frigidum furnum panes immittere.

Εἰς ψυχρὸν ἰπνὸν τοὺς ἄρτους ἐπιβάλλειν, id eſt In frigidum furnum immittere panes dicūtur & hodie, quo docet indocilem, qui monēt averſum, aut qui alioqui ſumūt inanem operam. Refertur apud Herodotum lib. v. cui titulus Terpſichore: Conſultis manibus Meliſſa apparens, negavit ſe indicaturam, ubi reconditū eſſet depoſitum, quum ipſa algeret nuda. Nihil enim ſibi profuiſſe veſtes, quibuscum fuerat ſepulta, quod non eſſent exuſtæ. Aſtruxit fidem ſuis dictis hoc indicio, ὅτι ἐπὶ ψυχρὸν τὸν ἰπνὸν Περίανδρος τοὺς ἄρτους ἐπέβαλε, id eſt, quod in furnum cum frigeret, Periander ingeſſiſſet panes. Hoc ænigma ſolus Periander renūciatum intellexit, ſibi cōſcius, quod cum exanimi coierat. Hoc ad proverbii ſenſum opinor eſſe ſatis: quo nobis licet caſtius ac verecundius uti.

Linum lino nectis.

Λίνον λίνῳ συνάπτεις, id eſt, Linum lino connectis. Hujus adagii dupli-

duplicem apud Græcos interpretes ſenſum invenio, quorum alter eſt: Infirmis infirma copulas, frivola frivolis. alter: Eadem nō iiſdem rationibus facis aut dicis. Cteſippus in Platonis Euthydemo: Haud tu quidem linum, ut proverbio dicitur, lino cōnectis, ſi pater tuus, pater eſt omniū. Eſt autem ironia in ſophiſtam, qui frivolis argutiis id ſibi collegiſſe videbatur. Ariſtoteles in iij. lib. τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως, diſputans de infinito, ubi Parmenidis ſententiam præfert ſententiæ Meliſſi. Meliſſus enim ipſum infinitum totum dixerat. At Parmenides totum dixit eſſe finitum, à medio æque diſtans. Fieri enim, inquit, non poteſt, ut infinitum cum toto atq; univerſo, perinde atq; cum lino linum nectatur. Ipſa Philoſophi verba ſubſcribam, ſi quis fortè requiret: ὅθεν βέλτιον οἰητέον Παρμενίδην Μελίσσου εἰρηκέναι. ὁ μὲν γὰρ τὸ ἄπειρον ὅλον φησίν, ὁ δὲ τὸ ὅλον πεπεράνθαι μεσσόθεν ἰσοπαλές. οὐ γὰρ λίνον λίνῳ ἐστὶ συνάπτειν, τῷ ἅπαντι καὶ τῷ ὅλῳ τὸ ἄπειρον. Suidas hoc adagium ex Stratidis citat Politia. Proculus item in diſcutiendis quæſtionibus, quæ exoriuntur ex dictis Platonis, quodam in loco ſic utitur, ut videatur convenire in eum, qui copulet inter ſe pugnantia, oſtendens quemadmodum Plato de Homero diverſa pugnantiaq; dixerit: οὐ γὰρ λίνον λίνῳ συνάπτειν ἐστί, τὰ ἄντικρυς ἀλλήλοις ἐναντιούμενα; id eſt: Anon enim linum lino connectere eſt, iſta inter ſe copulare? Huic affine eſt quod apud Athenæū libro ſexto, ex Thebano poeta, Pindaro (ni fallor) citatur: κολλῶν ἅτε ξύλον παρὰ ξύλῳ id eſt, Adglutināſ ceu lignum ligno. Prior enim dixerat de paraſitis: Is qui hoc dicit, ſermonem ſuſcipit de adulatoribus, ſuperiori congruentem.

Surdo oppedere.

Παρὰ κωφῷ ἀποπαρδεῖν, id eſt, Apud ſurdum crepitum ædere. dicitur ubi quid fruſtra fit: aut ubi peccatur apud ſtupidos, qui non queant ſentire: ſive cum convitiis inceſſitur is, qui perinde negligit, quaſi non audiat. Refertur à Diogeniano & à Suida.

De aſini proſpectu.

Περὶ ὄνου παρακύψεως, id eſt, De aſini proſpectu. Vetus adagium dici ſolitum in eos qui ridendo titulo quempiā calumniantur, aut de frivolis rebus aliquem in jus vocant. Eventus qui fabulæ præbuit occaſionem, varie narratur ab authorib⁹. Quidam hujuſmodi quædam memorant. Figulus quiſpiam varias avium formas finxerat, eaſq; in officina collocatas habebat. At aſinus quidam, inobſervantius ſequente agaſone, inſerto per officinę feneſtellam capite, pariter & aves & reliqua vaſa dejecit, comminuitq;. Is cujus erat officina, agaſonem in jus vocat. Cumq; rogaretur ab omnibus, quanam de re litem moveret: De aſini, inquit, proſpectu. Alii aves non fictiles, ſed veras fuiſſe volunt, quæ aſino, ſicuti dictum eſt, per feneſtram immittente caput, diſturbatæ perticam ſuperiorem, reliquaq; vaſa ſubverterunt. Reliqua fabulæ utcunque conveniunt. Lucianus in aſino ſuo parœmiam hanc fingit ex ſe natam, quod dum aſinus conaretur obliquato capite per feneſtrā proſpicere quid ageretur, tum ſeſe, tum dominos ſuos prodidit: Eamq; rem magno omnium riſu exceptam, in adagionem abiiſſe, ἐξ ὄνου παρακύψεως, id eſt, Ex aſini proſpectu. Porro juxta Luciani ſententiā magis quadrabit in eos, qui ſtoliditate ſua, dū inepte ſtudent diſſimulare, ridicule produntur. Hunc Luciani locum æmulans Apuleius in 11. Metamorph. ſuæ lib. ſcribit ad hunc modum: Qua contentione & clamoſo ſtrepitu cognito, curioſus alioqui & inquieta procacitate præditus aſinus, dum obliquata cervice per quandam feneſtrulam, quidnam ſibi vellet tumultus ille, proſpicere geſtio, unus è commilitonibus, caſu fortuito conlimatis oculis ad umbram meam cunctos teſtatur incoram. Magnus denique continuo clamor exortus eſt. Et emerſis protinus ſcalis, injecta manu quidam me veluti captivum detrahunt: jamq; omni ſublata cunctatione, ſcrupuloſius contemplantes ſingula, ciſta etiam illa relevata, repertum productumque, & oblatum magiſtratibus miſerum hortulanum, pœnas ſcilicet penſurum, in publicum deducunt carcerem, ſummoq; riſu de meo proſpectu cavillari non deſinunt. Unde etiam, De proſpectu & umbra aſini, natum eſt frequens proverbium. Hactenus Apuleius.

Anthericum metere.

Τὸν ἀνθέρικον θερίζειν, id eſt, Anthericum metere, dicebantur, qui laborem inanem ac ſterilem caperent. Anthericus, herbæ genus, quod meti nō poſſit, ſed velli manibus neceſſe eſt, velut & linum. Antherices vocantur ſumma ſpicarum faſtigia, ſive atheres. Herodotus aſphodeli caules antherices vocat, teſte Suida: quos & tenaciores ait eſſe, quam ut frangi queant. Atherici meminit & Plin. lib. 21. cap. 17 In Græcorum commentariis reperio promiſcue poſitum Antherices, & atherices.

De aſini umbra.

Ὑπὲρ ὄνου σκιᾶς, id eſt. Super aſini umbra: pro eo quod eſt, de re nihili. Sophocles in Cedalione apud Suidam. τὰ πάντ' ὄνου σκιά: id eſt, Cuncta aſini umbra, hoc eſt, nugæ, nihilq; res. Apud eundem Ariſtoph. in Dædalo: περὶ τοῦ γὰρ ὁ πόλεμος νῦν ὑμῖν ἐστι; περὶ ὄνου σκιᾶς, id eſt. Qua de re nunc inter vos bellum eſt? Nimirum de aſini umbra. Citatur ab eodem & Ariſtoteles, ἐν διδασκαλίαις, qui fabulam quandam extare dixerit hoc titulo, ὄνου σκιά, id eſt, Aſini umbra Archippi comœdiam, opinor ſentiens; de qua meminit Zenodotus. Lucianus in Sectis: πάντες, ὡς ἔχει ὁ αἶνος, περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες, id eſt. Omnes, ut ita dixerim, de aſini umbra depugnant philoſophi. Ariſtophanes in Veſpis: περὶ τοῦ μαχοῦμαι; περὶ ὄνου σκιᾶς, id eſt, De quo pugna eſt nobis? De aſini umbra. Demoſthen. in Philippica quadam: πρὸς ἅπαντας περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς νυνὶ πολεμῆσαι, id eſt, Cum omnibus in præſentia de Delphica umbra digladiari. Proinde ſunt qui credant hoc adagii primum ab authore Demoſthene natum fuiſſe, fabulam hujuſmodi referentes. Cum aliquando Demoſthenes quendam in cauſa capitali defenderet, ac judices haberet parum attentos, ſed dicenti obſtreperent, ille: Pauliſper, inquit, aures mihi præbete, ſiquidem rem narrabo, novam ac lepidam, atque auditu jucundam. Ad quæ verba cum illi jam aures arrexiſſent: Adoleſcens, inquit, quiſpiam aſinum conduxerat, rerum quiddam Athenis Megaram deportaturus. Inter viam autem cum æſtus meridianus ingraveſceret, nec inveniret quonam umbraculo ſolis ardorem defenderet, depoſitis clitellis, ſub aſino ſedens, ejus umbra ſemet obtegebat. Cæterum id agaſo non ſinebat, hominem inde depellens: clamanſque aſinum eſſe locatum, non aſini umbram. Alter item ex adverſo tendebat, aſſeverans etiam umbram aſini ſibi conductam eſſe. Atq; ita inter eos acerrima rixa in longum producta eſt, ita ut etiam ad manus venerint: hoc pertinaciter affirmante, non conductam eſſe aſini umbram: illo pari contentione reſpondente, umbram etiam aſini conductam eſſe. Demum in jus ambulant. Hæc locutus Demoſthenes, ubi ſenſiſſet judices diligenter auſcultantes, repente cœpit à tribunalibus deſcendere. Porro revocatus a judicibus rogatuſque, ut reliquum fabulæ pergeret enarrare: De aſini, inquit, umbra libet audire, viri cauſam de vita periclitantis audire gravamini? Paulo aliter narrat Plutarch. in vita Demoſth. his quidem verbis: λέγεται δέ ποτε κωλυόμενος ὑπὸ Ἀθηναίων ἐν ἐκκλησίᾳ, βραχὺ ἐφ᾽ ὑμῖν φάναι πρὸς αὐτοὺς εἰπεῖν. τῶν δὲ σιωπησάντων, νεανίας εἶπε θέρους ὥρᾳ ἐμισθώσατο ἐξ ἄστεος ὄνον Μέγαράδε. μεσούσης δὲ τῆς ἡμέρας καὶ σφοδρῶς φλέγοντος τοῦ ἡλίου, ἑκάτερος αὐτῶν ἐβούλετο ὑποδύεσθαι ὑπὸ τὴν σκιάν. εἶργον δ᾽ ἀλλήλους, ὁ μὲν μεμισθωκέναι τὸν ὄνον, οὐ τὴν σκιὰν λέγων, ὁ δὲ μεμισθωμένος, τὴν πᾶσαν ἔχειν ἐξουσίαν. καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀπῄει. τῶν δ᾽ Ἀθηναίων ἐπιλαμβανομένων, καὶ δεομένων πέρας ἐπιθεῖναι, εἶθ᾽ ὑπὲρ μὲν ὄνου σκιᾶς βούλεσθε ἀκούειν, λέγοντος δ᾽ ὑπὲρ σπουδαίων πραγμάτων, οὐ βούλεσθε; id eſt. Cum in concione dicenti obſtreperent Athenienſes, ait ſe breviter illis velle narrare quiddam. At ſilentio facto: Adoleſcens, inquit, æſtatis tempore aſinum mercede cōduxerat, ut eo ab urbe Megaram proficiſcens uteretur. Porro meridie cum ſol acriter æſtuaret, uterq; cupiebat ſub umbram aſini ſuccedere. Verum alter alterum arcebat: cum hic diceret aſinum conductum eſſe, non umbram: rurſus alter qui conduxerat, ſe plenū habere jus, reſponderet. Atq; hæc locutus, diſcedere parabat. Retinentibus autem Athenienſibus, utq; reliquam fabulæ partem adderet, orantibus: Itane, inquit, de aſini umbra audire cupitis, de rebus ſeriis loquentem auſcultare non vultis? Quidam ajunt, aſinum Athenis, non Megaram, ſed Delphos fuiſſe conductum. quod idem apparet ex verbis Demoſthenis, qui Delphicam umbram nominat, in calce orationis De pace: Οὐκ οὖν εὔηθες καὶ σχέτλιον, πρὸς ἑκάστους καθ᾽ ἕνα οὑτωσὶ προσενηνεγμένους, περὶ τῶν οἰκείων καὶ τῶν ἀναγκαιοτάτων, πρὸς ἅπαντας περὶ τῆς ἐν Δελφοῖς σκιᾶς νυνὶ πολεμῆσαι; id eſt, An non igitur ſtultum ac vehementer miſerum ſingulos adverſus ſingulos ita commiſſos, de rebus propriis ac maxime neceſſariis, cum univerſis de umbra Delphica nunc depugnare? Apuleius in Aſino, jocatur ex ſeſe natum. Uſurpavit hoc adagium Menander in Enchiridio, & Plato in Phædro, cum ait, Oratores imperitos impudenter ac periculoſe facere, quoties apud plebem imperitam & ipſam, non umbram aſini, rem videlicet levem ac nullius momenti, ſed turpia pro honeſtis laudant: μὴ περὶ ὄνου σκιᾶς, inquit, ὡς ἵππου τὸν ἔπαινον ποιούμενος, ἀλλὰ περὶ κακοῦ ὡς ἀγαθοῦ. Procopius in epiſtola quapiam, καὶ αὐτὸς δὲ οἶμαι περὶ τῆς τέχνης ὦ σοφώτατε, ὡς ἔοικε, τὰ μαχόμενα, ὡς ἔοικε χάριν, ὄνου φασὶ σκιᾶς ἐγκαλεῖς, id eſt, Ipſe etiā opinor, doctiſſime, de arte pugnantia cum ſentias, deridendi ſicut videtur, gratia, de aſini, quod ajunt, umbra litem moves. Uſus eſt eodem Origenes in præfatione lib. 3. quem ſcripſit adverſus Celſum. Sed jam dudum tempus ut ab aſini umbra digrediamur: ne quis jure nos rideat, περὶ ὄνου σκιᾶς plus ſatis curioſos.

Verberare lapidem.

Planeſium meretrix apud Plautum, amatorem admonens, ne ſervum, qui jam ad plagas obduruerat occalueratque, pulſet, manui potius quam illi nociturus: Noli, inquit amabo verberare lapidem, ne lædas manum. Apte dicetur, ubi quis objurgat incaſtigabilem, aut docet indocilem, aut inanem operam ſumit in re quacunque.

Laborem ſerere.

Πόνον σπείρειν, id eſt, Laborem ſerere. vulgo dicebantur, qui fruſtra laborarent, quaſi nihil fructus è labore reportaturi, præter laborem ipſum. Author Diogenianus.

A lupi venatu.

Ἀπὸ λύκου θήρας, id eſt, A lupi venatu. Dici ſolitum, ubi quis protinus re infecta diſcedit. Aut de negotio moleſto, & agreſti. Neq; enim tutum eſt lupum inſequi, neq; is facile capitur, cum reliquarum ferarum venatus non vulgarem adferant voluptatem. Meminit Suidas.

Alienum arare fundum.

Ἀλλοτρίαν ἄρουραν ἀροῦν, id eſt, Alienum arvum arare: Proverbiali metaphora dictum eſt, pro eo quod eſt, alienum ager-

negocium, aut cum alienis uxoribus habere rem. Theognis in ſententiis:

Ἐχθαίρω δὲ γυναῖκα περίδρομον, ἄνδρα δὲ μάργον,
Ος τὴν ἀλλοτρίην βούλετ' ἄρουραν ἀρῶν.

Id eſt,

Eſt inviſa mihi mulier vaga, inerſq; maritus,
Alterius fundum quiſquis arare cupit.

Plautus item de marito adultero: Fundum alienum arat, ſuum incultum deſerit. Huic ſimilis color eſt apud Jureconſultos. Alienos irrigare agros, tuis ſitientibus. C. de ſervit. & aquæ. cap. Præſes. Durum eſt, & crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen ortum, ſitientibus agris tuis, ad aliorum uſum vicinorum injuria propagare.

Hylam inclamas.

Ὕλαν κραυγάζεις, id eſt, Hylam inclamas. De fruſtra vociferantibus, aut in genere, de nihil proficiētibus. Ab hujuſmodi caſu natum adagium. Hylas Theodamantis filius, cum eſſet inter Argonautas formoſus adoleſcens, adamatus eſt ab Hercule. Is cū eſſet in Myſia, forte aquatum egreſſus, in fonte periit: unde & a Nymphis adamatus ac raptus fingitur. Ad hunc veſtigandum miſſus eſt Polyphemus, qui ingenti vociferatione nomen inclamat Hylæ, neq; quicquam tamen profecit. Atque hinc ortum proverbium. Virgil. videtur ad naturam clamorem retuliſſe, cum ait:

His adjungit, Hylam nautæ quo fonte relictum
Clamaſſent, ut littus Hyla, Hyla omne ſonaret.

Meminit hujus & Theocr. in Idyl. N.

Τρὶς μὲν Ὕλαν ἄϋσεν, ὅσον βαθὺς ἤρυγε λαιμός.
Τρὶς δ' ἄρ' ὁ παῖς ὑπάκουσεν, ἀραιὰ δ' ἵκετο φωνά.

Id eſt,

Ter quanto potuiſſet Hylam clamore vocabat.
Mugitum intendens imo de gutture vocis.
Ter puer audiit, ac tenuis vox perculit aures.

Nihil obſtat, quo minus ad ſacrorum cōſuetudinem referatur, quæ in Hylæ rapti memoriam ſunt inſtituta: in quibus Hylæ nomen inclamabatur. Id fuerit venuſtius atq; concinnius, ubi quis rem abſentem fruſtra deſiderat, vel deplorans, vel optans. Ut ſi quis ad inopiam redactus, optaret ſibi centum talenta, quæ quondam habuiſſet. Ad hanc parœmiam reſpexiſſe videtur Ariſtophan. in Pluto:

Ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα, καὶ μάτην καλεῖς.

Id eſt,

Deſideras abſentem, inaniter vocans.

De Mercurio dictum, placentas illas deplorante, quas in ſacris conſueverat aliquando edere.

Hic funis nihil attraxit.

Αὕτη μὲν ἡ μήρινθος οὐδὲν ἔσπασεν, id eſt, funis quidem iſte piſcium attraxit nihil. Senarius proverbialis, quo ſignificabant operā fruſtra ſumptam, neq; ex ſententia eveniſſe, quod quis conabatur. Translatum ab hamato funiculo piſcantium, qui ſæpe hamum retrahunt inanem. Natum videtur ex fabula Ariſtophanis cui titulus *Θεσμοφοριάζουσαι*, ubi legitur hic ſenarius. Ad adagium alluſit idem in Veſpis, *ἀλλ' οὐκ ἔσπασεν*, id eſt, atqui non attraxit. De eo qui tetenderat patri laqueum ne quo exiret.

Hydram ſecas.

Ὕδραν τέμνεις, id eſt, Hydram ſecas. Eſt apud Platonem lib. De repub. 4. *ἀγνοοῦντες*, inquit *ὅτι τῷ ὄντι ὥσπερ ὕδραν τέμνουσι*. id eſt: Ignari ſe revera tanquam hydram ſecare. Eſt autem hydram incidere, ita unum aliquod incommodum tollere, ut in ejus locum alia plura recipias. Adagium natum a fabula hydræ Lernææ, quam alii centum fuiſſe capitum ajūt, alii octo: e quibus unum erat immortale. Cum hoc monſtro multum diuq; conflictatus eſt Hercules, propterea quod uno reciſo capite, plura renaſcerentur. Plutarch. in commentario De fortuna Alexandri: *ὕδραν τέμνων ἀεὶ πολέμους ἀναβλαστάνοντας*, id eſt, Hydram ſecans ſemper aliis quibus bellis repullulantem. De Alexandro loquitur cui uno bello confecto, ſubinde aliud atq; aliud exoriebatur. Cyneas cognita Romanorum multitudine, identidem poſt acceptam cladem copias inſtaurantium, dixit, Pyrrhum ſibi videri adverſus Lernæam hydram pugnare. Hinc Horat. in Odis:

Non hydra ſecto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem.

Accommodari poterit ad eos, qui litibus involvuntur nunquam finiendis. Lis enim litem parit: & ſæpenumero pro una enecta, tres ſubnaſcuntur. Seneca quodam in loco ſcribit, negocia ſordida, quæ nos avocant à ſtudio ſapientiæ, abrumpi poſſe, explicari non poſſe: quod negocium ex negocio ſeratur, & occupationi occupatio, velut unda ſuccedat undæ.

Cotem alis.

Ἀκόνην σιτίζεις, id eſt, Cotem alis. Dicitur in homines edaces, plurimiq; cibi: qui nihilo tamen habitiores inde reddantur. Nam in cotis macilentiam hodieq; vulgo jactatur adagium, cum ajunt: Tam pinguem quam cotem: macilentum quempiam eſſe ſignificantes. Hermolaus Barbarus in epiſtola quadam ad Picum, interpretatur hoc proverbium pro male collocare beneficium, unde non ſit reditura gratia, ut affine ſit illi, quod alibi dicetur: Ale luporum catulos: quum ex beneficio redit mala gratia.

Cum Coryco luctari.

Πρὸς κώρυκον γυμνάζεσθαι, id eſt, Adverſus Corycum luctari dicebatur, qui ſumeret inanem operam. Opinor Corycum palæſtricem fuiſſe quempiam invictum. Niſi malumus Corycum eſſe manticam coriaceam, ut adagium affine ſit illi, Utrem vellis. Verum hoc ſenſu Heſychius ſcribit per ω & υ. Suidas ſcribit per ο & ι. Porro talis pugna pugnata eſt Apuleio in Theſſalia.

Cavam Arabiam ſerere.

Τὴν κοίλην Ἀραβίαν σπείρειν, id eſt, Cavam Arabiam ſerere. pro fruſtra ſudare, aut in re perdifficili, nec admodum frugifera operā ſumere. Lucianus in apologia: *ὡς τὴν κοίλην Ἀραβίαν σπείρειν ἐπιχειρεῖν*. id eſt, Ut cavam Arabiam ſerere aggrediatur. Significat autem paluſtrem Arabiæ partem neutiquam idoneam ſementi. Plutarchus *περὶ τῆς ἀδολεσχίας, τὴν μὲν γὰρ αὐτοῖς ἐπὶ Ἀσίας ὀλιγοπεδίων ἄγονον εἶναι τὸ σπέρμα λέγουσι, τῶν δὲ ἀδολέσχων ὁ λόγος ἀτελὴς καὶ ἄγονός ἐστι*. id eſt. Ajunt enim ſterilem eſſe ſationem humilium regionum: at loquaculorum ipſa oratio inutilis eſt atq; infrugifera.

Cum larvis luctari.

Cum larvis luctari, dicuntur ii, qui vita defunctos inſectantur maledictis: qua re nihil eſſe poteſt indignius ingenuo viro. Suidas Ariſtophanem citat, qui ſcripſerit.

Παῦε παῦ' ὦ Ἑρμῆ,
Νεκρὸς γὰρ ἐστι τὸν Κλέων' ἐλοιδόρει.

Id eſt:

Compeſce compeſce here, Mercuri,
Mortuo enim Cleoni conviciatus eſt.

Lucianus in Sectis: *σκιαμαχοῦσι πρὸς ὑμᾶς ἀπόντας*. id eſt, Umbraticam pugnam adverſus vos abſentes pugnant. Sentit autem de mortuis & abſentibus. Meminit hujus Plinius in præfatione hiſtor. mundi, ad hunc modum: Nec Plancus illepide, cum diceretur Aſinius Pollio orationes in eum parare, quæ ab ipſo, aut liberis poſt mortem Planci ederentur, ne reſpondere poſſet: Cum mortuis non niſi larvas luctari. Quo dicto ſic repercuſſit illos, ut apud eruditos nihil impudentius videretur. Ariſtot. in Rhetor. citat Platonem ex Politia, qui ſcripſerit eos, qui mortuos allatrarent, videri ſimiles catellis, qui lapides jactos morderent, ipſos qui læſiſſent non attingerent.

Undas numeras.

Κύματα μετρεῖς, id eſt, Undas numeras. Eundem cum proximo ſenſum habet. Vergilius utranque parœmiam eleganter attigit lib. Georgicôn. 2.

Quem ſi ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere quam multæ zephyro turbentur arenæ.
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe quot Jonii veniant ad littora fluctus.

Theocritus in Charitibus:

Ἀλλ' ἴσος γὰρ ὁ μόχθος ἐπ' ᾀόνι κύματα μετρεῖν.
Ὅσσ' ἄνεμος χέρσονδε μετὰ γλαυκᾶς ἁλὸς ὠθεῖ.

Id eſt:

Namq; perinde ſiet quaſi ſi numerare labores,
Quot venti è pelago trudant, ad littora fluctus.

Videri poteſt ab Æſopico quodam apologo natum adagium, quem refert Lucianus in Sectis: Olim quendam in maris littore ſediſſe, conantem ſingulas undas pernumerare: cumq; undas undis trudentibus obrueretur, animoq; male angeretur, quod eas conſilio ſic hominem ſublevavit: Quid angeris, inquit, propter undas quæ prætereunt? Hinc numerare incipias oportet, illas miſſas facias.

Inaniter aquam conſumis.

Ἄλλως ἀναλίσκεις ὕδωρ, id eſt, Inaniter conſumis aquam. In eos quadrabit, qui fruſtra ſuadent. A priſco more judiciorum ſumptū, in quibus ad cleſydræ modum dicebatur. Æſchynes contra Demoſth. oſtendit, primam aquam infundi ſolere actoribus, alteram patronis, tertiam judicibus, ad pœnam conſtituendam, niſi primis ſententiis reus fuiſſet abſolut⁹. Et Demoſth. Æſchinem provocat, ut vel in ſua aqua, ſi poſſit, dicat, quod decretum fuiſſet ipſo unquam authore ſcriptum *ἀναστὰς καὶ ἐν τῷ ἐμῷ ὕδατι εἰπάτω*. Huc alludens Lucianus *ἐν τῷ περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων*, in rhetorem quendam jocatur, qui apud barbaros in convivio diceret, non ad aquæ, ſed ad amphoræ vinariæ modum. Idem in Bis accuſato: *ἐκείνου γὰρ ἐπιρρεῖ ῥέον*, id eſt, Nam illius ſane in præſentia fluit aqua. Videtur id ſubindicare Plato in Theæteto, cum ait, quoſdam *πρὸς μικρὸν ὕδωρ*, id eſt, ad puſillum aquæ docere poſſe quæ geſta ſint. Idem in eodem: *κατεπείγει γὰρ ὕδωρ ῥέον*. id eſt, Urget enim aqua fluens, quod oratoris ſit, ad præſcriptas clepſydras dicere. Apuleius in Aſino aureo: Rurſum præconis amplo boatu citatus accuſator quidam ſenior exurgit, & ad dicendi ſpacium, vaſculo quodam in vicem colli graciliter fiſtulato, ac per hoc guttatim defluo, infuſa aqua, populum ſic adorat. Plinius Junior Falconi: Et qui jubere poſſet tacere quemcunq; huic ſilentium clepſydra indici. Idem Arriano: Dixi horis pene quinq; Nam viginti clepſydris, quas ſpecioſiſſimas acceperam, ſunt additæ quatuor. Quintilianus lib. duodecim. Et ſi quid ipſe tibi ſumes, probandum eſt: & laboratam cōgeſtamque dierum ac noctium ſtudio actionem, aqua deficit. Marcus Tullius in calce ſecundi libri Tuſculanarum quæſtionum: Cras ergo ad clepſydram, ſic enim dicimus. Idem de oratore lib. 3. de Pericle loquens. At hunc, inquit, nō clamator aliquis ad clepſydrā latrare

latrare docuerat, ſed (ut accepimus) Clazomenius ille Anaxagoras, vir ſummus in maximarum rerum ſcientia. Philetas apud Athenæum lib. 2. [illegible] id eſt, Tantum, ut ſolent rhetores, ad aquam dixi. fuerat autem de aqua ſermo. Hinc captata eſt alluſionis gratia. Demades jocabatur in Demoſth. ὑδροπότην, quod cæteri quidem ad aquam dicerent, Demoſthenes ad aquam ſcriberet. Philoſtratus in Adriano ſophiſta, τοὺς ἀπὸ κλεψύδρας appellat ſophiſtas, qui ad aquam exercebantur. Porro priſci. Plineis & umbris horas diſtinguebãt. Scipio Naſica primus rẽperit clepſydram, qua nubilo quoq; die & noctibus, horæ diſtinguerentur. Nunc pro clepſydris, clepſammis & αὐτομάτοις utuntur horologiis.

Volvitur dolium.

Κεκύλισται ὁ πίθος, id eſt, Revolutum eſt dolium. In eum qui cõmovetur alieno exemplo, ſive inſtinctu ad ſtulte quid faciẽdum. Nam dolium facili impulſu quo velis volvitur. At ſapiens tetragono ſimilis, ſemper fixus & immotus. Apparet eſſe natum ab hiſtoria de Diogene, in publico civitatis tumultu volvente dolium quam refert Lucianus lib. De conſcribenda hiſtoria.

In cœlum jacularis.

Εἰς οὐρανὸν τοξεύεις, id eſt, In cœlum ſagittam torques. Eſt apud Zenodotum ac Suidam, de iis qui fruſtra laborant: aut qui audent eos laceſſere, quos nõ poſſunt lædere. nihil enim ferire poteſt, qui in cœlũ torquet, niſi quod divos videtur petere, et non raro fit, ut jaculum in ipſum mittentem recidat. Extat hujuſmodi quædam ſententia in proverbiis etiam Hebræorum, nec non apud Eccleſiaſticum c. 27. Qui in altum mittit lapidẽ ſuper caput ejus cadet, & plaga doloſa doloſi dividet vulnera: & qui foveam fodit, incidet in eam: & qui ſtatuit lapidem proximo ſuo, offendetur in eo: & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.

Ulula Athenas.

Γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, id eſt, Ululas Athenas: ſubaudiendum, portas aut mittis. Conveniet in ſtultos negociatores, qui merces eo comportant, ubi per ſe magis abundant, ut ſi quis in Ægyptum frumentum, in Ciliciam crocum invectet. Venuſtius fiet, ſi metaphora ad res animi transferatur, ut ſi quis doceat doctiorem, carmina mittat poetæ, conſilium det homini conſultiſſimo. Cicer. ad Torquatum: Sed rurſus γλαῦκας εἰς Ἀθήνας qui hæc ad te. Idem ad fratrem: Et tibi verſus quos rogas, hoc eſt, Athenas noctuam mittam. Ariſtophanes ἐν ὄρνισι

Τί φής; τίς γλαῦκ' Ἀθήναζ' ἤγαγε;

Id eſt:

Quid ais? quis, oro, vehit Athenas noctuam?

Uſurpat idem atque exponit Lucian. in Epiſt. ad Nigrium: Porro parœmia inde fluxit, quod noctua in Attica plurima eſt ei regioni quaſi peculiaris. Fertur autem verſari in Laureo Atticæ loco, ubi auri metalla ſunt, unde & Laurioticæ noſtræ vocantur. Hæc avis Athenienſium populo quõdam erat gratiſſima, ac Minervæ ſacra habebatur, propter oculos cæſios, quibus etiã in tenebris perſpicit, quæ volgus avium non videt. Unde & auſpicata conſiliis credebatur. id quod indicat proverbiũ, γλαῦξ ἵπταται. id eſt, Noctua volat. Dictum eſt & illud de Minerva, quod Athenienſium male conſulta, in bonum exitum verteret. Dæmon autem apud Ariſtophanis interpretem exiſtimat, non ob id ſolum dici, Noctuas Athenas quod Athenis noctuarum ſit copia: ſed quod in nummis etiam tum aureis, tum argenteis Athenienſium noctua inſcalpi ſoleat, una cum facie Minervæ. Porro nummus is appellabatur τετράδραχμον, id eſt, quatuor drachmarũ: cum antea ſoliti fuiſſent uti numiſmatibus didrachmis, quorum inſigne erat bos: unde etiam natum eſt proverbium illud, Bos in lingua. Sunt qui tradunt, apud eoſdem fuiſſe triobolum, quod & hemidrachmium appellant. Nam drachma ſenos obolos continet. Trioboli numiſma, ex una parte Jovis effigiem habebat, ex altera noctuæ. Proinde abſurdũ videbatur, noctuam Athenas deportare, cum illic paſſim omnia noctuis abundarent. De numiſmate Athenienſi teſtatur & Plutarch. in vita Lyſandri, cum de ſervo meminit, qui domini ſui furtum, αἰνιγματωδῶς indicans, ait, multas ſub tegulis cubare noctuas: oſtendens illic abditas pecunias, noctuis inſignitas.

In eodem hæſitas luto.

Terentius in Phormione: In eodem hæſitas luto. In eos competit, qui ſic implicantur negocio cuiquã, ut ſe nequeant extricare. A viatoribus translatum: qui ſimul atque in lutum inciderint, cum alterum pedem conando educere, altero altius immerguntur. Rurſum, ut hunc extrahunt, alter quem eduxerant, denuo eſt infigendus. Eodem alludens Horat.

—Nequicquam, inquit, cœno cupiens evellere plantam.

Huic ſimile eſt: In eodem hæſitare veſtigio. Quint. Curtius lib. 4. Tertium diem merentes exangues, jam armis ſuis oneratos in eodem veſtigio hærere.

In ſylvam ligna ferre.

In ſylvam ligna ferre, eſt aliquem iis rebus augere velle, quibus ipſe maxime abundet. Horatius in Sermonibus:

Atque ego cum Græcos facerem natus mare citra
Verſiculos, vetuit me tali voce Quirinus
Poſt mediam noctem viſus, cum ſomnia vera:
In ſylvam non ligna feras inſanius, ac ſi
Græcorum malis magnas implere catervas.

Eadem ratione dicimus: In mare deferre aquam: quorum utrunque nos in epigrammate quodam conjunximus:

Largiri numeros tibi Petre, hoc eſt,
Sylvæ ligna, vago mari addere undas.

Utrunque congruit cum eo, quod alio retulimus loco, Ululas Athenas.

Contorquet piger funiculum.

Huic adeo ſimile eſt, ut idẽ videri poſſit quod de ocno ono, id eſt, pigro aſino refert Pauſanias in Phocicis, apud Jonas, ut ait, celebratũ: Στρέφει ὄκνος τὴν θώμιγγα, id eſt, Torquet piger funiculum. Ipſius verba ſuper hac re ſubſcribam: [illegible] id eſt, Poſt hos vir quidam eſt ſedens, (titulus indicat eum Ocnum eſſe) Factus eſt autem ad hunc modum, ut ipſe funiculũ torqueat aſtãte aſella, quæ quod tortum fuerit, aſſidue abrodat. Hũc Ocnum ajunt hominem eſſe induſtrium, operique intentum, ſed uxorem habere ſumptuoſam ac prodigã, ut quicquid is ſuo labore corraſerit, id mox abſumatur ab illa. Cognitum autem eſt mihi, etiam ab Jonibus dici ſolere, ſi quem conſpexiſſent in re quapiam elaborantem, quæ nihil adferret emolumẽti: Hic homo funiculũ Ocni contorquet. Videtur argumentum picturæ ſumptum ab occaſione vocis, ancipitem obtinẽtis ſignificatum. Siquidẽ συνάγειν τὸν βίον, ajunt Græci pro comparare victum. Colligit autem, qui rẽ auget, diſſipat, qui profundit. Atq; hoc quidem argumentum apparet olim multorum artificum operibus fuiſſe celebratũ. Siquidem Plinius in hiſtoria mũdi, inter Socratis egregii pictoris argumenta, commemorat & de aſino ſpartum arrodente: Et piger, inquit, qui appellatur ocnos, ſpartum torquẽs, quod aſellus arrodit. Fertur idem picturæ genus & Delphis fuiſſe, a Polygnoto Thaſio dicatum. Quo quidem negant deſidem & ignavum ſignificatum, quemadmodum exiſtimat Varro, imo laborioſum magis & induſtrium, ſed cui ſit uxor prodiga. Eoque Pauſanias ait, non marem aſellum, ſed fœminam, in pictura fuiſſe. Idem argumentum, marmore cælatum, Romæ duobus viſitari locis, nempe in Capitolio & in hortis Vaticanis, Hermolaus Barbarus teſtis eſt. Uſus eſt hoc adagio & Propertius:

Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,
Æternuſque tuam paſcat aſelle famem.

Verum illud interim admirandum, cur Plinius eum ſcripſerit appellatum ocnum, id eſt pigrum, qui funem torqueret, ac non magis aſellum arrodentem: maxime cum Propertius non eum ocnon appellet qui torqueat, ſed illi torqueri funem: ut aſinum intelligas citius, quam torquẽtem. Meminit hujus adagii Plutarchus in cõmentario περὶ τῆς εὐθυμίας: [illegible] id eſt, Sed quemadmodum apud inferos depictus is qui funem torquet, cui adeſt, qui depaſcens abſumit id, quod tortum fuerit.

Vento loqueris.

Suidas addit & hoc, ἀνέμῳ διαλέγῃ, id eſt, Vento loqueris: pro eo quod eſt, inaniter. Nam ventus omnia diſſipat, cogitq; evaneſcere. Unde & Auris diſcerpta mandata dixit Vergilius, quæ abierant in oblivionem. Plautus in Moſtellaria,

Hic neſcit quidem niſi fœnus fabulari vento.

Conſimili figura apud Athenæum legitur, γῇ καὶ οὐρανῷ λαλεῖν, id eſt, Cœlo ac terræ loqui.

Nugas agere.

Latinis perinde atq; Græcis tritum adagium, Nugas agere: pro eo quod eſt, rem frivolam ac nihili facere, ſeu fruſtra conari. λῆρον ληρεῖς, Atticis familiare, id eſt, Nugas nugaris. Ariſtoph. in Nebulis, Socratem ſubtilium nugarum antiſtitem vocat quaſi frivolarũ argutiarũ authorẽ, [illegible]. λῆρος μακρὸς dixit Galenus libro [illegible] id [illegible], Magnæ igitur nugæ ſunt omnis pororum ſuppoſitio ad vim naturalem. Jucundius fit, quum refertur ad perſonam, velut apud Athenæũ lib. 6. [illegible] λῆρος εἶ, id eſt, Porro poetas nugas eſſe prædicat. dicunt & ὑθλεῖς, id eſt, deliras ac deſipis: quod eſt tranſlatum ab aniculis, quæ poſteaquam ætatis vitio cœperint deſipiſcere, futiles quaſdã nugas blaterare ſolent. Auſonius ad Paulum.

Phœbus jubet verum loqui.
Etſi Pietas patitur lirare ſorores,
Nuſquam ipſe torquet aulaca.

In quibus verſibus obſcurior eſt alluſiõ, ac prope dixerim inepta. Nam homo bilinguis pariter ad utrumq; ſermonem, & duplicem nominis ſignificatum reſpexit. Siquidem λῆροι, Græcis nugas ſignificat, & liræ ſeu poreæ, Latinis vocantur ſulci. Nam agricolæ primũ proſcindunt, deinde comminuunt glebas, poſtremo lirant. Proinde ſubtexuit, nunquam ipſe torquet αὔλακα. Olim enim agricolatores delirare dicebantur, qui a recto ſulcorum ordine deflecterent. Inde transſumptum ad eos qui deſipiſcunt.

Actum agere.

Terentius in Phormione: Ohe actum, ajunt, ne agas. Græc-

Apud Plautum in Sticho Panegyris Patri interminans, ne ſe ſuamque ſororem invitam viris collocet: Stultitia eſt, inquit, pater, venatum ducere invitas canes. Additq; ſententiam, qua metaphoram explicat: Hoſtis eſt uxor, invita quæ ad virum nuptum datur.

Contra torrentem niti.

Contra torrentem niti dicuntur, qui fruſtra certant cum iis, quos vincere non queant. Sumptum à natantibus, qui ſolent ſecundo natare flumine, maximeſi torrens fuerit. Quod ſi côtra nitantur, nihil promoverint. Uſurpat hoc adagium Aurelius Auguſtinus in epiſtola quadam ad divum Hieronymum. Et laudatur à Juvenale Criſpi prudentia, qui Domitiani violentiæ conceſſerit, & ingenio alioqui inſanabili obſecundarit:

Ille igitur nunquam direxit brachia contra
Torrentem.---

Item Ovidius:

Stultus, ab obliquo qui cum diſcedere poſſit,
Pugnat in adverſas ire natator aquas.

Gregorius Theologus ad Eudoxium rhetorem: τὸ δὲ μὴ βιάζεσθαι ῥοῦν ποταμοῦ καὶ ἡ παροιμία παιδεύει. id eſt, Non eſſe cogendum fluminis impetum, docet etiam proverbium.

Contra ſtimulum calces.

Πρὸς κέντρα λακτίζειν, id eſt, Contra ſtimulos jactare calcem: eſt fruſtra repugnare iis quos vincere nequeas, aut eos provocare qui laceſſiti noceant. Aut reluctari fatis, & incommodum quod evitare non queas, impatienter ferendo, non ſolum non effugere, verumetiam conduplicare. Veluti ſi quis uxorem nactus rixoſam, aſſidue cum ea litiget, nihil profecturus, niſi quod illam reddat rixoſiorem. Terentius in Phorm.

Namque inſcitia eſt, adverſum ſtimulum calces.

Donatus παροιμίαν eſſe admonet cum ellipſi: deeſſe enim, jactare: quod unico verbo Græci dicunt, λακτίζειν. Plautus in Trucul.

Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet.

Extat hoc adagium etiam in actis Apoſtolorum: Durum eſt tibi côtra ſtimulos calcitrare: id eſt, durum adverſum Deum pugnare. Euripides in *Bacchis*:

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος
Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ.

Id eſt,

Potius ſacra illi fecerim, quàm calcibus
Stimulos ferire contra iracundia
Citus in Deum, mortalis ipſe cum ſiem.

Pindarus in Pythiis: ποτὶ κέντρον δέ τοι λακτιζέμεν τελέθει ὀλισθηρὸς οἶμος. id eſt, Contra ſtimulum autem calcitrare eſt. Metaphora ducta eſt à bobus, quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt, unde & βουκέντραι dicuntur in proverbio:

Πολλοὶ βουκένται, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες.

Id eſt,

Multi boum ſtimulatores, pauci autem terræ aratores.

Quod ſi quando calcibus repugnent adverſus ſtimulum, gravius etiam læduntur boves, tãtum abeſt ut ſtimulo noceant. Plutarch. in commentario περὶ τῆς ἀοργησίας, cujuſdam meminit Creſiphôtis pancratiaſtæ, qui per iracûndiam mulæ calcitranti recalcitrarit.

Senis doctor.

Γεροντοδιδάσκαλος, id eſt, Senis doctor. Citatur ſæpicule titulus hic à Nonio Marcello, inter titulos fabularum Varronis: quem dubium non eſt proverbialem eſſe, ſicuti ſunt alii plerique. Convenit in eum, qui in ſera re atque intempeſtiva fruſtra ſumit operam. Siquidem ut eſt juventa docilis, atque in quemvis habitum ſequax, ita ſenecta intractabilis, tarda atque obliviosa. Proinde Theognis:

Μή με δίδασκ'· οὔτοι τηλίκος εἰμὶ μαθεῖν.

Id eſt:

Ne doceas me, ætas jam facit indocilem.

Euripides in Bacchis:

Γέρων γέροντα παιδαγωγήσω σ' ἐγώ.

Id eſt,

Senem ſenex & ipſe te erudivero.

Atque hic quidem verſus inventus eſt in Sophoclis Philocteta, quem celebrem ac proverbialem fuiſſe teſtatur Gellius lib. Noctium 13. Varro titulum ſuum ſumpſiſſe videtur ex Euthydemo Platonis. ubi Socrates narrat Connum præceptorem ſuum a quo ſenex fidibus canere didicit, ludibrii cauſa a pueris vocatû fuiſſe γεροντοδιδάσκαλον. Ad hanc ſententiam pertinet, quod dixiſſe ferũt Diogenem νεκρὸν ἰατρεύειν, καὶ γέροντα νουθετεῖν, ταὐτὸν εἶναι. i. Mortuo mederi, & ſenem admonere, idem eſſe. Quanquã inutilis eſt ſentẽtia, quæ ſenes deterret a diſcendis iis, quæ neſcire turpe eſt.

Aſinus balneatoris.

Ὥσπερ ὄνος βαλανέως, id eſt. Ut aſinus balneatoris. Dictum eſt in eos, qui ex ſuis laboribus ipſi nihil fructus caperent. Plutarch. in libello περὶ τῆς φιλοπλουτίας, οὐδὲν ἀπολαύων, ὥσπερ ὄνος βαλανέως, ξύλα καὶ φρύγανα κομίζων, ἀεὶ καπνοῦ καὶ τέφρας ἀναπιμπλάμενος, λουτροῦ δὲ μὴ μετέχων, μηδὲ ἀλέας, μηδὲ καθαριότητος. id eſt, nihil inde capiens commodi, velut aſinus balneatoris, qui ligna & ſarmenta defert, ſemper fumo ac favillis oppletus, nunquam autem particeps balnei, neque temporis, neque mundiciei. Loquitur de divite parco ac ſordido, qui cum ſit onuſtus divitiis, non fruitur tamen.

Exurere mare.

Aſomonnimus ἀδύνατα ferme pertinere ad cognationẽ proverbiorum. Quod genus eſt illud quod refert Vergil. Æneid. lib. 9.

--- Maria ante exurere Turno,
Quam ſacras dabitur pinus.---

Nec diſſimile eſt quod habet Propertius:

Tu prius & fluctus poteris ſiccare marinos;
Altaque mortali detrahere aſtra manu.

Mare exhauris.

Θάλασσαν ἀντλεῖς, id eſt, Mare exhauris. De eo qui conatur, quod effici non poſſit. Nam montes utcumque perfodiuntur, at mare non poteſt exhauriri.

Muſcas depellere.

Muſcas depellere, etiam hodie vulgato joco dicitur, qui otioſo atque inutili fungitur officio. Ariſtophanis in Veſpis:

Ἀλλὰ φυλάττει διὰ χειρὸς ἔχων καὶ τὰς μυίας ἀπαμύνει.

Id eſt:

Imo cavet præ manu habẽs, etiã muſcas depellere curans.

Conchas legere.

Summi otii eſt, & umblicos legere in litoribus qui luſus eſſe ſolet puerorum. Quanquam transferri poteſt ad eos, qui aliud agentes, obiter etiam leviora quædam animi gratia admiſcent. Craſſus orator apud Ciceronem lib. De oratore 2. de Lælio & Scipione loquens: Nõ audeo, inquit, dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Caietam & ad Lucrinum legere conſueviſſe, & ad omnem animi remiſſionẽ ludumque deſcendere. Umbilicos opinor appellabat, vel conchas vel calculos, umbilici formam imitãtes, vel herbam quæ Veneris umbilicus dicitur, authore Dioſcoride. In cõchis enim incredibili varietate luſit natura. quemadmodum refert Plin. lib. 9. cap. 33. Tot, inquit, colorum differentiæ tot figuræ: planis & concavis, longis & lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, levibus, rugatis, dẽticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato. Jã diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquũ, in rectum expanſa, prędenſata, porrecta, ſinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis &c. In ſubterraneo domicilio, quod oſtenditur juxta Cumas Italiæ, quod vulgus fingit fuiſſe antrum Sibyllæ, quum veriſimile ſit fuiſſe ſpeluncam prædonum ac piratarum, viſuntur parietes vario concharum contextu Moſaicum opus imitantes. Valerius Maxim. lib. 8. cap. viij. de Scipione & Lælio refert idem quod narrat Cicero.

Aves quæris.

Ὄρνις ζητεῖς, id eſt, Aves quæris. Rem vagam, & captu difficilem ſequeris. Perſius:

An paſſim ſequeris corvos, teſtaque lutoque?

Item Ariſtotel. τὰ πετόμενα διώκειν, id eſt, Sectari volantia. Et ante hunc Plato in Euthyphrone: τί δὲ πετόμενόν τινα διώκεις, id eſt, Quid autem volantem quempiam inſectaris?

Humi hauris.

Χαμαὶ ἀντλεῖς, id eſt, humi hauris. De inaniter laborante dicebatur. Nihil eſt enim quod è ſolo haurias, hoc eſt, ab imo putei fundo, ſi is ſiccus ſit. Apparet dici poſſe quoties exhauſta copia, nõ multum ſupereſt, quod haurias. Zenodotus meminit.

Influit quod exhauritur.

Ἐπιρρεῖ τὸ ἐξαντλούμενον, id eſt, Affluit quod exhauritur. Ubi quis fruſtra ſumit operam in re quapiam. Lucianus in Sectis: ἐπιρρεῖ κατὰ τὴν παροιμίαν τὸ πρᾶγμα ἐξαντλούμενον, ἐς τὸ ἀμήχανον ἢ τὸ τῶν Δαναΐδων πίθον. id eſt, Influit juxta proverbium, negocium dum exhauritur, ac diverſum quiddam accidit atque in Danaidum dolio. De philoſophiæ ſtudio loquitur, in quo quantumlibet operæ ſumpſeris, nunquam tamen deeſt quod te laboribus exerceat, & labor laborem ferit: & juxta Sophoclem,

Πόνος, πόνῳ πόνον φέρει:

Id eſt,

Labore laborem fert labor.

Zenodotus carmen proverbiale recenſet hujuſmodi:

Ἄλλην μὲν ἐξήντλησα, ἡ δ' ἐπιρρέει.

Id eſt,

Exhauſimus quidem illam, at influit altera.

Sumptum a nautis, navi pertuſa fruſtra ſentinam exhaurientibus, tantum humoris accipientibus fiſſuris, quantum ab illis educitur. Videtur ad hanc parœmiam alluſiſſe Plato lib. De legibus 7. τί οὖν πολὺ ἂν αὔξοιτο, ὃ μὴ ἐπιρρέοι; id eſt. Quid igitur multum augmentum, cum affluat? Quem ſane locũ adducit Athenæus libro Dipnoſophiſthôn v. κατὰ γὰρ αὐτὸν ἤδη τὸν Πλάτωνα ἐπιρρεῖ δὴ ὄχλος μοι τοιούτων Γοργόνων. id eſt, Siquidem juxta ipſum jam Platonem affluit mihi turba talium Gorgonum. Seneca libro De ira 2. Nunquid ille cujus navigium multam undiq; laxatis compagibus aquam trahit, nautis ipſique navigio iraſcitur? Occurrit potius, & aliam excludit vim, deinde aliã egerit, manifeſta foramina præcludit, latentibus & ex occulto ſentinam ducentibus, labore continuo reſiſtit: nec ideo intermittit, quia quantũ exhauſtum eſt, ſubnaſcitur.

Apud Athenæum lib. 4 quum in convivio poſt lentem ruſus aliter coacta lens apponeretur, quidam alludens ad proverbium ait:

Καὶ τὴν μὲν ἐξέπιον φακῆν, ἡ δ' ἐπεισρεῖ.

Id eſt:

Exhauſeramus lentem, at influit altera.

Non diſſidet ab illo: *ὁ ἀτέλεστος ἀρχαιρεσία.*

Herculei labores.

Ἡράκλειοι πόνοι, id eſt, Herculei labores, bifariam accipiuntur: partim plurimi atque ingentes, quique vires deſiderent Herculanas. quemadmodum uſurpavit Catullus:

Sed te, inquit, quærere jam Herculis labos ſit.

Item Propertius:

Deinde ubi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis.

Ac rurſum alibi:

Non labor Alcidæ.——

M. Tullius lib. De finibus 2. At quum de omnibus gentibus optime mereréré, quum opem indigentibus ſalutemque ferres, vel Herculis perpeti ærumnas (ſic enim majores noſtri labores non fugiẽdos triſtiſſimo verbo, ærumnas etiam in deo nominaverũt:) exigerem ex te, &c. Partim Herculei labores dicuntur, qui ſunt ejuſmodi, ut aliis quidem maximas adferant commoditates, cæterum authori ſuo nihil ferme fructus adducant, præter aliquantulũ famæ, plurimum invidiæ. Idque ita fato quodam accidiſſe putant, quod *ἐν τετράδι γεννηθῆναι*, id eſt, quarta natus luna credatur, ſicut alio dictum eſt loco. Homerus poetico more cauſam in Aten deã & Junonem rejicit, quæ infeſta Herculi, tanquam ex pellice nato, periculis omnibus illum objecerit. Celebrantur igitur, atque etiam enumerantur à poetis Herculani labores: quorum omnium longe difficillimus ac maximus hydra Lernæa, malum peſtilens, ac propemodum inexpugnabile illi, qui jam omnia devicerat. Cujus ſymbolo veteres invidiam exprimere voluiſſe, ſatis indicat Horatius in Epiſtolis cum ait:

——Diram qui contudit hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit,
Comperit invidiam ſupremo fine domandam.

Conſuevit enim hæc teterrima peſtis pulcherrimorum facinorũ eſſe comes, eximiamque virtutem non aliter quam umbra corpus aſſequi, ut appoſite dixerit Joſephus in opere De Judæa capta: *πάντως ἐστὶ ταῖς εὐπραγίαις φθόνος ἀκόλουθος*, id eſt, Nulla ratio ne fieri poteſt, ut in recte factis effugias invidiam. Quis enim umbram effugiat invidiæ, niſi pariter & virtutis lucem effugerit? Cohærent invicem hæc duo, ac rem omnium optimam res omnium peſſima comitatur. Proinde Pindarus videtur non ſine cauſa ſcripſiſſe:

Τὰ δ' ἄχρηστα φθονεροὶ ἀμφιβάλλουσι τὰ καλὰ ἔργα.

Graviter & indigne ferens, omnium quod eſt indigniſſimum, præclara facta invidiæ præmio penſari. Neque vero parum concinne veteres illi videntur invidiæ ſymbolum Excetræ tribuiſſe: primum paluſtri malo quod (quemadmodum tradunt etiam naturalium cauſarum veſtigatores) magis huic morbo ſint obnoxii, qui humili abjectoque animo præditi ſunt. ſunt autem quibus ſanguis ineſt frigidior. Eamque ob cauſam & apud Naſonem:

——Invidiæ domus eſt in vallibus imis
Abdita, ſole carens, non ulli pervia vento,
Triſtis, & ignavi pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abundet.

Neque vero cum ſimplici portento res, ſed centum armato capitibus: quorum ſi quis unum aliquod exſecuerit, in ejus locum protinus duo ſuppullulent. Ea vidi licet invidentiæ natura eſt, ut ſi contra lucteris, magis ac magis irritet: ſi quando conetis ſplendore virtutis opprimere, tum inſurgat acrior, & intumeſcat. Hic ſi reſcidas, illic major oboritur. Caput extingui non poteſt, vix tandẽ obruitur. Verum id perpaucis contingit, ac vix etiam ipſi Herculi. Quanquam enim livor veluti ignis, alta petit: eſt tamen omnino aliquid uſque adeo perfectũ & illuſtre, ut eo non poſſit attingere. Quo loci perveniſſe ſeſe gloriatur Horatius, cum ait:

——Invidiaque major.

Ac rurſum alibi:

Et jam dente minus mordeor invido.

Jam vero quid aliud eſt, quod obtrectatores iſti clancularii ſolent in eos evomere, qui pulcherrimis ſudoribus orbi prodeſſe conantes, præclarum aliquid moliuntur, quam merum virus, ac venenũ plus quam lethale? Quandoquidem generoſis & excelſis animis ſua fama quam imperant iſti, non paulo carior antiquiorque ſolet eſſe, quam ipſa vita. Porro quod gentilium fabulæ ſub Herculis ænigmate ſignificarunt, idem Hebræorum hiſtoriæ ſub Joſeph involucro non innuit. Nam quod illi lerna, id huic fuit fratrum invidentia. Sic enim interpretatur Philon in libro cui titulus *πολιτικὸς βίος*. Exiſtimat autem Joſeph eorũ repræſentare perſonam, qui rerum publicarum gubernacula tractant. Hoc videlicet argumento, quod is paſtor adhuc quum eſſet, jam tũ recte factis ſimul & patris favorem emeruit, & germanorum in ſe concitavit æmulationem. Quid autẽ aliud eſt Remp. adminiſtrare, quã paſtorem agere? Quandoquidem & Homerus, quem inibi citat etiã Philõ, regem *ποιμένα λαῶν*, ſubinde vocat. Siquidem nullorũ benefactis malignius reſpondet gratia, quam eorũ qui de vulgo bene merentur. Sed quod Hercules aſſecutus eſt igni Græcanico, id Joſeph magnitudine benefactorũ, ac divini numinis favore cõſecutus eſt, ut invidiam obrueret, & eoſdẽ aliquando ſupplices haberet, quos antea pertulerat æmulos, ſeq; tã illi vitã debere faterentur, cujus vitæ pridẽ tetenderant inſidias. Proinde principes, qui publicũ agunt negociũ, hoc animo præditos eſſe oportet, ut ad hoc exẽplar, nõ communem modo ſpectent utilitatem: nec magiſtratũ, perinde quaſi cauponatio ſit, ſibi gerant, non aliis: nec legũ veluti laqueis, inſidiari velint iis, unde perſpexerint emolumentum aliquod auferri poſſe, ſed gratis de bonis benemereantur: cũ monſtris, hoc eſt, cum vitiis aſſiduum bellum gerant, ſola recti conſcientia, tanquã abunde magno recte factorũ præmio cõtenti. Quod ſi meritis tuis fama maligne reſpõderit, ſi clãculũ obſibilaverit livor, ſi Lernæa bellua, vel trecentis capitibus undiq; venenũ afflaverit: tum illud demũ animi vere ſublimis & invicti fuerit documentũ, nihilo ſegnius ad immortalẽ eniti laudẽ, ac vel maximis incõmoditatib. ſuis aliorũ conſulere cõmodis, & hunc pulcherrimũ maximumq; virtutis fructum ducere, ſi quam plurimis quã maxime prodeſſe liceat, atque hac parte, quoad mortali fas eſt, immortale numen imitari. Ad quod cũ nulla gratia, nullũ officiũ a nobis redire queat, tamẽ nativa genuinaq; bonitate, ſolis in morẽ, omnib. gratis & ingratis, dignis juxta atq; indignis, ſuam impertit munificentiã, hũc unũ ſpectans fructũ, ſi quam plurimos ſui participes efficiat. Verum ut ad Deum nullũ emolumẽtum benefactorum refluere poteſt, ita nec ingratitudinis moleſtia poteſt attingere. Mortalibus illud ſæpenumero evenit, ut pro ſummis meritis ſummã invidiã, ſummũq; reportent incommodum. Quod ſi ullis hominum laboribus hoc cognominis debetur, ut Herculani dicantur: eorum certe vel maxime deberi videtur, qui in reſtituendis ant quæ verxq; literaturæ monumentis elaborant. Quippe qui cum ſudores incomparabiles ſuſcipiant propter incredibilem negocii difficultatem, tamen vulgi ſummã in ſe cõcitant invidiam. Curcũ eis præclare ſemper obnoxiæ fuerunt, tum vero præcipue novitas non ſolũ apud imperitos, verum etiã apud eruditos. Adeo nuſquam magis ingrati ſumus, magis invidi, magis moroſi, nuſquam minus candidi quam in penſitandis eorum laboribus, quibus (meo quidem animo) nulla unquam ſat digna gratia referri queat. Indocti neglĩgunt, ſemidocti rident: docti ſi paucos exceperis, præcipuos quidem illos, ſed tamen paucos, partim invident, partim moroſius carpunt ac diſſimulatis tam multis quæ recte dicta ſint, ſicubi forte ſorte una ſemel aut iterũ lapſus fuerit author (quis autem non labitur aliquando?) id ſolum annotant, id ſolum meminerunt. Tu nunc, & hoc tam magnificum præmium, tot tamque diuturnis vigiliis, tot ſudoribus, tot incommodis redime. Abdica te communibus humanæ vitæ voluptatibus, negligerem familiarẽ, ne parce formæ, ne ſomno, ne valetudini. Boni conſule jacturã oculorũ. accerſe præmaturum ſenium, contemne vitæ detrimentum, ut plurimorum odium in te concites, plurium invidiam, ut pro tot vigiliis rõchos aliquot auferas. Quem quæſo hæc non deterreant a capeſſendis hujuſmodi laboribus, niſi ſi quis ſit animo plane Herculeo, qui poſſit alios juvandi ſtudio, quidvis & facere & pati? Commovit hæc cogitatio nonnihil animum meum, ut verum fatear, atque in mediis hujus operis exantlandis laboribus, laſſitudo quædam oborta eſt: cogitanti nimirum, qualibus viris, quos noſtra vidit ætas, quam maligne fama reſpondeat, etiam aliquanto jam tempore defunctis: quam irreverenter deſpiciantur ab iis, quos vere dixeris indignos, qui illis matellam, ut dicitur, porrigant: quã ingrate carpãtur a ſemidoctis: quam pauci etiam inter eruditos, qui candide, plenoque laudent ore. Alius deſiderat aliquid, alius invenit quod non probet, alius vitam inceſſit, alius faſtidienter laudat ut præſtiterit vituperaſſe. Porro nulli judicant iniquius, quam vel ſemidocti, qui doctrinam alienam ſua metiuntur, & reprehendendum exiſtimant, quicquid ipſi non didicerunt: vel rudiſſimi, qui nõdum hoc laboris genus deguſtarunt. Nam hi plane juxta Græcorum proverbium, *ἀπὸ γῆς κυβερνῶσιν ἀσφαλῶς*, & ipſi ſtantes in littore, navigantis artem ac diſcrimen ſpectant otioſi. Quod ſi feciſſent periculum, ut minore faſtidio, ita majore cum venia legerent aliorum lucubrationes. Hoc itaq; cum videam tantis in re literaria proceribus, vel heroibus magis accidere: quid tãdem augurer futurũ de me, cujus omnia quam ad illos mediocria, vel (ut verius dicã) nulla ſint, ſi quidem nõ ſum neſcius: præſertim in hoc ſcripti genere, in quo multo plus eſt laboris, quã quiſquã facile cõjectet, qui periculũ ipſe nunquam fecerit? Deinde multis de cauſis lapſus facillimus. Poſtremo nuſquam citius invenerit quivis quod deſideret. Quare non arbitror futurum alienum, ſi poſteaquam ipſe locus admonuiſſe videtur, ſuper hiſce rebus pauca diſſeram: non quo meum jactitem ingenium, aut oſtẽtem induſtriam, ſed ut lectorem mihi reddam æquiorem. Erit autem certe multo minus iniquus quiſquis perpẽderit, quã immenſis ſudoribus, quam infinitis difficultatibus, hæc adagiorũ quantumlibet rudis ſylva mihi conſtiterit. Jam hic igitur primus eſto calculus, rerum ipſarum antiquitas, non ab Evandro, aut Aboriginibus, ſed *ἀπὸ Κρόνου*, quemadmodum dicunt Græci, ſed ab ipſo uſque Saturni ſeculo, & ſi quid eſt hoc etiam antiquius, repetita. Unde fit, ut pleraque ſint à noſtrorum temporum conſuetudine *δὶς διὰ πασῶν*, quod ajunt, ſemota. Proinde quid ſibi velit adagiũ, aut divines oportet, & Delium aliquem natatorem requiras, aut ex antiquis authoribus petas enarrationem. Et quibus tandem authoribus? Non ex uno altero ve, aut certis aliquot, quemadmodum uſu venit in aliis argumentis. Velut, ſi quis inſtituat de arte dicendi conſcribere, certos quoſdam habet & idoneos authores, & eos non admodum ſane multos, quos imitari ſufficiat. At hic quicquid eſt ſcriptorũ,

veterum, recentium, bonorum ſimul & malorum, in utraque lingua, in omnijugi diſciplina, breviter in omni ſcripti genere, neceſſum fuit, non dicam evolvere, ſed curioſius ac penitius excutere rimarique. Siquidem adagia, ceu gemmulæ, quod minuta ſint, fallunt nonnunquam venantis oculos, ni acrius intendas. Præterea nec obvia ſunt, ſed pleraque retruſa, ut prius eruenda ubi ſint, quam colligenda. Quis autem ſatis æſtimet, quam infiniti laboris ſit, res tam minutulas, ceu per omnia maria terraſque rimari? Vix ætas humana ſuffecerit, ut tot utriuſque linguæ poëtas, tot grammaticos, tot oratores, tot dialecticos, tot ſophiſtas, tot hiſtoricos, aut mathematicos, tot philoſophos, tot theologos, quorum vel titulis recenſendis defatigetur aliquis, excutias ac revolvas, neque id ſemel, ſed ſurſum ac deorſum in his, utcunque res poſtularit, Siſyphi ſaxum volvere. Iam hoc, opinor, nemo non videt, nemo non fatetur eſſe maximum. At ea quota portio quæſo noſtri ſudoris? En tibi reſtat agmen pene majus interpretum, in quibus aliorum ſupinitas atque indiligentia, nonnullorum etiam imperitia (nam hi quoque ſunt evolvendi, ut nimirum ut aliquando legas aurum è ſtercore) non mediocrem ſarcinam adjunxere noſtris laboribus. Age vero quid ego nunc allegem prodigioſam librorum depravationem: quæ ſic Latinorum pariter & Græcorum codices omneis occupavit, ut quicquid attigeris citaturus, vix unquam contingat, quin aut manifeſtum mendum offendat, aut ſuboleat occultum? Ibi vero ſudor novus, exploranda, corrogandaque exemplaria, nec ea ſane pauca: quo videlicet è multis unum aliquod contingat emendatius, aut multorum collatione, quod verum ac germanum ſit, quaſi divines. Ferendum hoc quoque, niſi pene toties accideret, quoties citaveris aliquid. Citandum autem paſſim. His tam multis appone & illum calculum, haudquaquam opinor aſpernandum, quod opera veterum, ex quibus ceu fontibus, hauſta ſunt proverbia, magna ex parte deſiderantur. Siquidem utraq; Græcorum Comœdia funditus intercidit, uno excepto Ariſtophane. Latinorum item tragœdia, præter unum Senecam. Fortaſſis & hoc tolerari poterat, ſi modo lucubrationes illorum extarẽt, qui proverbia ab illis collecta, cõmentariis ſunt interpretati. Quorum de numero ſunt Ariſtoteles, Chryſippus, Clearchus, Didymus, Tarrhæus, cumque his alii nonnulli quorum ne tantulum quidem fragmẽtum ad nos pervenit. Superſunt igitur nobis recentiores quidam ut indiligentes, nulloque delectu, ita jejuni quoq; mutiliq;: velut Zenobius, Diogenianus, Suidas: quib. haud dum conſtitui, malamne gratiam debeamus, qui ex tã abſolutis, tamque copioſis autorib. tam paucula quædam, tamque nuda nobis tradiderint: an bonam, quod illorum ſtudio qualiacunque fragmenta vetuſtatis ad nos permanarint: niſi ſi quis id etiam horum epitomis acceptum ferat, quod illi neglecti perierint. Quemadmodum Latini quidam Livii interitum, Floro: Trogi Pompeii, Iuſtino: Iuris Cæſarei, Iuſtiniano: Theologiæ, Sententiarum, ut vocãt, autori, ſolent imputare: neque id prorſus ab re, mea quidem ſententia. Quid quod inter hos uſque adeo non convenit, ut ſæpenumero ſecũ pugnantia ſcribant, ut hoc deniq; pondus accedat ſuis laborib. non evolvendi ſolum eadem de re varios interpretes, verum etiam iterum atq; iterum inſpiciendi: conferẽdi, perpendendi, judicandi. Nunc illud etiam mihi cogita, in aliis libris ſæpe locum eſſe ingenio, ut adſit inveniendi, ceu pariẽdi voluptas, poſſiſq; quovis tempore, mentis agitatione portionem aliquam operis abſolvere, quantumq; valueris ingenii celeritate, tantum mutare quod inſtitueris: hic velut alligatus piſtrino, non ſineris vel latum, ut ajunt, pedẽ à codicib. diſcedere. Totum. n. fere negocium pendet à codicum copia, præcipue Græcorum: quorum jam quanta ſit inopia, nemo neſcit. Vnde fit, ut partim oculos cõteras in voluminib. carioſis, ſitu obſitis, laceris, à tineis ac blattis undique deroſis: tum autem non raro lectu etiam difficilimis: breviter ejuſmodi, ut qui in eis diutule verſetur, facile tabem & ſenium quoddam ſibi contrahat: partim etiã alienis. Quod ipſum quanti referat, vel me tacente protinus agnoſcunt ii, qui fecêre periculum. Vt ne dicam interim illud, quid in hujuſmodi cõmentariis voluptatis eſt, id totum eſſe lectoris, ad ſcriptorẽ nihil attinere, præter odioſum illum, ac ſemper eũdẽ colligendi, convertẽdiq; explicandique laborem. Atqui voluptas una res eſt, ut vere dixit Ariſtot. quæ præſtat ut in labore diu perſeverare poſſimus. Alibi licet ingenio ludere, licet eloquentiæ floſculis aliquando laſcivire. Sunt exceſſus amœni, in quib. laſſus deſideas, ingeniiq; vires refocilles. Cum in omni negotio, tum præcipue in literis, varietas ſatietatem arcet, neque patitur oboriri tædium. At hic mihi non δὶς κράμβη, quemadm. eſt in Græcorũ proverbiis, ſed ter millies eadẽ illa repetẽda fuerunt, quid ſibi vellet adagium, unde natum eſſet, & quem in uſum conveniret, ut non alibi magis quam hic locum haberet illud Græcis tritum adagium, [illegible]. Poſtremo nonnulla voluptatis pars eſt, hujuſmodi tractare res, quæ tractatu niteſcant, quæque ſplendorem & orationis copiam autori ſuppeditent. Hic quæ tractantur omnia ſunt ejuſmodi, ut uſu, non tractatione ſplendeſcant: ac tum demum genuinam ſuam oſtendant gratiam, cum gemmarum inſtar commode inſerta orationi viſuntur. Separata friguent, ac minutula leviaque quæpiam eſſe videntur. Adde nunc, quod alibi ſumma rerum opus æſtimatur, & lector non aliter quam ſcriptor laborat: hujuſmodi quoniã carptim leguntur, qui legit, ad unum quodlibet proverbium animum adfert integrum, ocioſum, nonnulli fortaſſis avidum etiam, alius contra faſtidientem. Quam autem iniqua interim mea conditio, à quo illud requiritur, ut in ſingulis adagionibus expleã ocioſum, ſatiem avidum, ſatisfaciam faſtidioſo? Accedit ad hæc omnia, Græca vertendi labor, quem profecto nemo non difficillimum judicabit, niſi qui nunquam annixus ſit, ut ex bene Græcis, bene Latina faceret. Hic mihi rurſum perpende tantam autorum varietatem, quorum unicuiq; ſuus reddendus ſtylus: cogita tot carminum genera, quorum in hoc opere tam ingens incidit turba (nam arbitror eſſe non pauciora decem millibus:) ut ſi quis hoc menſium ſpacio, quibus laborem hunc abſolvimus, tantum carmina tam multa Latine reddidiſſet, idque carmine, non videatur uſquequaq; inſimulandus ignaviæ, porro quid alii ſenſuri ſint neſcio. Equidem etiam illud arbitror eſſe nonnihil, in tam immenſo proverbiorum numero meminiſſe, quid quo loco dixeris, neque rerum turba confundi. Proinde qui in tantis difficultatibus verſetur, quas omneis vel percenſere ſit difficillimum, quid mirum ſi quando labi contingat, maxime feſtinantem? Cur autem mihi feſtinandum fuerit, mox reddetur ratio. Quod ſi Flaccus etiam in aliis argumentis, in quibus hæc abſunt incommoda, dat veniam maculis, quas aut incuria fudit,

Aut humana parum cavit natura:

ſi condendum putat, ut in opere longiuſculo ſomnus obrepat: ſi non indignatur Homero alicubi dormitanti: quid tandem cauſæ eſt, cur mare cœlo miſceamus, ſi pauculi forte errores in hujuſmodi deprehendantur opere, in quo præter communes illas labendi cauſas, nec liberum ſit rem tuis auſpiciis peragere, & ejuſmodi duces habeas, qui ſubinde præbeant anſam errandi? Vt nequid dicam interim de codicum mendis, quæ nonnunquam doctiſſimis viris imponunt, ut ſileam de tædio, quod vel præcipue conſuevit ingenii vigorem hebetare, ut taceam de tam varia rerum omnijugarum quaſi farragine, qua fit ut animus huc atque illuc in tam multa diſtractus, non poſſit ſemper ſibi præſens eſſe. Reliquum eſſe videtur, ut paucis occurramus & iis, quos auguror in hac noſtra ſylva, curæ diligentiæque pluſculum deſideraturos. Nam quoſdam hoc animo eſſe video, ut libros mole, non eruditione metiantur: & id demum abſolutum exiſtiment, ubi nihil adjungi poſſit, ſuperſint pleraque, quibus nihil ſatis niſi quod impendio nimium: atque ibi denique copiam eſſe judicant, cum ad ſatietatem ubique dicuntur omnia. Horum igitur quiſpiam dicet, quædam a me copioſius locupletiuſque tractari potuiſſe. Tum autem in evolvendis autorib. occurret alicui locus aliquis, qui ad proverbium faciat, aut non faciat, ſed illi facere videatur: hunc protinus cavillabitur præteritum a nobis. Principio, quis rogo tam arrogans, qui iſtud auſit profiteri? quis tam iniquus ut exigat, in hujuſmodi ſcripti genere, ne quis omnino prætereatur locus? Vt nihil non legeris, nihil non adnotaris, nihil nõ apparaveris: itane ſtatim in tam immenſa rerum turba ſuccurrit quod oportuit, quoque oportuit loco? Deinde quæ tandem futura fuerat iſta moleſta diligentia, undecunque conquirere, quicquid quocunque modo poterat ad proverbii locupletationem accommodari? Quis tandem futurus voluminum aut modus, aut finis, ſi Sardonium riſum (ut hoc exempli cauſa ponam) explicans, totius hujus inſulæ deſcriptionem è Geographorum omnium libris repetere voluiſſem, loci ſitum, gentis antiquitatẽ: originem a capite, quod ajunt, uſque ad calcem percenſere? Deinde quæ ſit ejus herbæ ſpecies, quæ vis, quicquid apud ullum medicorum ſuper hac literis proditum inveniatur, in unum convertere? Ad hæc qui riſus ille gignatur, quibuſque de cauſis appareat in moriente, ex phyſicorum ſententia commemorare? Deinde quibus hoc riſus genus aliquando fuerit familiare, ex omnibus hiſtoriarum monumentis perquirere? Tum autem, quam hic riſus virum probum dedeceat. In ſumma quicquid de laudato aut illaudato riſu legatur apud morales philoſophos, aut poëtas, id omne in eundem congerere acervum? Poſtremo, ſi quod apophthegma ſi quid urbane dictum, ſi quod memorabile factum, ſi quis apologus, ſi qua fabula, ſi qua ſententia, ſi quid omnino vel affine, vel contrarium, quod ad explicationem adagionis utcunque trahi queat, id univerſum accumulare; Hoc propoſiti ſi mihi fuiſſet, quis non videt ex ſingulis adagiis ſingula volumina reddi potuiſſe? Qui minus abſurdum hoc, quam ſi proverbium, Ἰλιὰς κακῶν enarraturus, univerſum bellum Trojanum, à gemino, ſicut ait Flaccus, ovo pergam ordiri: aut explicaturus Ἀλκίνου ἀπόλογον, univerſum Odyſſeæ retexam argumentum? Deinde quam frequenter hic incidunt loci communes de morte, de vita, de amicitia, de ſimultate, de juſto atque injuſto. Sed inepte facio, qui eos recenſere pergam, cum totidem pene numero ſint, quot ipſa proverbia: quos haud magni negocii fuerat ita declamatoriis locupletare rationibus, ut ſinguli vel in voluminis magnitudinem fuerint exituri. Atiſtam ſane diligentiam, præterquam quod ea ſtultiſſima futura fuerit ne præſtare quidem poſſit qui ſcribit Chiliadas, neque ferre, qui legit. Itaque magis arbitratus ſum, in hoc opere modum eſſe quærendum mihi quam copiam, exitum potius quam progreſſum. Quanquam ſi quid properantibus nobis velut obiter in mentem venit, quod & dignum cognitu videretur, & à proverbio non alienum, id quidem non ſumus gravati, ceu auctarium adjicere. Denique ſunt aliquot loci (cur enim non ingenue fatear?) ſed hi non admodum multi, in quibus & ipſi deſideramus nonnihil: quos tamen non exiſtimavimus omnino ſilentio prætereundos, tametſi nobis non uſquequaque ſatisfacerent ea, quæ ſuper his apud authores adhuc repeperiſſemus: ſed vel in hoc recenſere viſum eſt, ut aliis, quibus ſeu plus eſt ocii, ſeu major librorum copia, ſeu memoria felicior, & uberior eruditio, diligentius veſti-

gaudi miniſtraremus occaſionem: ipſi Comicum interim illud uſurpantes, οὐχ ὡς θελόμεθα, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα. Videbam & ordinem nonnullum induci poſſe, ſi ſimilium, contrariorum, confiniumque rationem ſecutus, titulos quamplurimos propoſuiſſem, & unumquodq; proverbium, velut ad ſuam claſſem retuliſſem. Verum hunc prudens omiſi: partim quod in hujuſmodi miſcellaneis hoc ipſum mihi videretur, neſcio quo pacto debere, ſi nullus adſit ordo: partim quia videbam, ſi omnia ejuſdem ſententiæ, velut in eandem claſſem infulſiſſem, futurum ut ex æqualitate lectori tædium oboriretur, ac ſubinde nauſeans clamaret illud, δὶς κράμβη θάνατος, ἢ ὁ δὶς κραμβοθέσιν ἐν τῷ βιβλίῳ. Partim quod me deterruerit magnitudo laboris. Cur enim mentiar? Perſpiciebam id fieri non poſſe, niſi totum opus denuo, a capite uſque ad calcem retexuiſſem neque cogitandum de editione, niſi jam ſupremum illum Colophonem addidiſſem, ut vere jam opus futurum fuerit Horatiano novennio. At nunc licuit etiam inter edendum adjungere, ſi quid occurreret indignum quod prætermitteretur. Porro autem, vix adducor ut credam ullos tam iniquos futuros (quãquam & hos futuros arbitror) ut eloquentiam etiam exigant, primum ab homine Hollando, hoc eſt plusquam Bœoto, ſed extra jocum, in opere, quod totum ac proprie ſit ad docendum accommodatum, & ad docendum res, non illas quidem indignas cognitu, ſed ita minutas atque humiles, ut non modo non flagitent orationis ornamenta, copiamque, verumetiam repellant ac repudient. In tam varia rerum conſarcinatione, ut tam aſſidua nomenclatura ſcriptorum etiam humilium, quæ mihi docendi cauſſa craſſius etiam & pinguius erat adhibenda, in tam frequenti Græcanici ſermonis interjectione, in tam crebra traductione, quis erat ſplendori locus, qui nitor, quæ æquabilitas, qui fluxus orationis eſſe poterat? M. Tullius non requirit eloquentiam à philoſopho: & quiſquam eam requirat a parœmiographo? Seneca nuſquam deſiderat eam, niſi cum parvo conſtat, cum ultrò adeſt, ut res magnas magnifice proſequatur: at hic affectare rhetorum ſupellectilem, obſecro, quid aliud erat, quam quod ajunt, ἐν τῷ φακῷ μύρον: & τὸν πυγμαῖον ἀνδριάντα κολοσσῷ ἐφαρμόζειν, ut ne dicam, τὴν χύτραν ποικίλλειν. Me quidem, quanquam in aliis non aſpernor, nunquam magnopere cœpit eloquentiæ ſtudium: ſed neſcio quo pacto magis ſemper arriſit cordata, quam picta fucis oratio, dum abſint ſordes, dum mihi ſententiam animi non incom̃ode repræſentet. Quod ſi qua nobis dicendi virtus aliquando comparata fuiſſet, eam neceſſum erat in tam diutina, tam vaſta, tam tumultuaria Græcorum & Latinorum autorum evolutione perire. Quandoquidem ubertas hæc, vel Tullio teſte, brevi etiam intermiſſiuncula ſolet ſterileſcere. Tum ſi res ipſa maxime reciperet ornamenta dicendi, ne vacabat quidem. Quin omne tempus tot evolendis libris, tot annotandis locis, tot rebus memoria complectendis auguſtum etiam erat. Quanquam hæc ipſa verbis non omnino malis efferre, nonnullam, opinor, eloquentiæ partem exiſtimabit is, cui vere cognitũ fuerit, quid ſit eloquentia. Nihil enim moror iſtos quoſdam eloquentiæ pene dixerim ſimios, qui dicendi virtutes inani quodam ac puerili vocum tinnitu metiuntur: atque ubi multorum denique dierum lucubratione unum aut alterum floſculum ſuis intertexuerint ſcriptis, & quatuor è Cicerone, ac totidem è Saluſtio voculas aſperſerint, protinus apicem Romanæ facundiæ aſſecutos ſe credunt Tum diſplicet divi Hieronymi ſtylus, tum putet Prudentius, tum elinguis, mutum, infans eſſe videtur, ubicunque non viderint quatuor illas M. Tullii voculas. His ſi quando factum eſſet periculum, quid ſit hujuſmodi, ſicut videntur, nugas libris proſequi, fortaſſis & ſuam agnoſcerent infantiam, & alienam eloquentiam minus impudenter contemnerent. Sed dixerit mihi quiſpiam monitor haud aſpernandus: Atqui hoc ipſum elegans erat, artificio dicendi rebus minutis nonnihil amplitudinis addere, humilibus adjungere dignitatis aliquid, &, ut inquit Vergilius,

---Exiguis hunc addere rebus honorem.

Neque vero non vacaſſet, ſi modo ſeparaſſes colligendi & expoliendi operam, ac juſtum his rebus temporis ſpacium impertiſſes. Quæ neceſſitas erat, ut juxta Plautinum dictum, ſimul & ſorberes & flares? Quis adegit, ut præcipitares editionem? & opus tam ingens, tam operoſum, ut ita dixerim, ſeſquianno perficeres, perfectum ſtatim evulgares? Quod ſi Flacci præceptum ſecutus vigilias tuas in nonum preſſiſſes annum, fieri poterat, ut non ſolum eloquentiæ gratiam adjungeres, verumetiam ut & copioſius & emendatius opus in lucem exiret, nec eſſet cujus te pœniteret, nec cui quicquam apponi velles. Alioquin aut non oportuit ſuſcipere provinciam, aut erat ſuſceptæ per omnia ſatisfaciẽdum. Hic ego profecto (neque enim mihi moris eſt refragari veris) nonnullam culpæ partem agnoſcam neceſſe eſt. Neque enim me clam erat, opus hoc requirere, non theologum hominem, qui literas antiquas leviter ac veluti prætercurrens deguſtaſſet, ſed qui vitam omnem evolvendis, interpretandis, excutiendis id genus autoribus contriviſſet, cuique non tantum immorari, ſed immori quoque ſtudiis hujuſmodi licuiſſet. Plane perſpiciebam, hunc laborem nec unius eſſe hominis, nec unius bibliothecæ, nec paucorum annorum, quem nos ſoli, noſtroque, ut ajunt, Marte brevius ſeſquianno abſolvimus, una duntaxat adjuti bibliotheca, nimirum Aldina, copioſiſſima quidem illa, quaque non alia bonis libris, præcipue Græcis inſtructior, ut ex qua, ceu fonte omnes bonæ Bibliothecæ per omnem uſq; orbẽ naſcuntur ac propagantur. Itaque locupletiſſima quidem, non diffiteor, ſed tamen una. Verum eſt quo culpam hanc, ſi non purgare, certe minuere poſſim: primum quod olim me ad hoc muneris ſuſcipiẽdum non tam incitavit ratio, quam induxit caſus, & amicorum preces impulerunt, quibus equidem cum nec alias unquam magnopere repugnare poſſim, tum vero Mecœnas ille meus Guilielmus Montioius, inter aulæ Britannicæ proceres eximius, hoc à me conſtendebat, ſic meritus, ſic charus, ut omnia mihi poſthabenda ducam, quoties illius mos gerendus eſt voluntati. Quod ſi philoſophorum etiam dogmata concedunt, ut in gratiam amicorum nonnũquam aliquantulum a recto deflectamus, mihi dandam eſſe veniam arbitror: qui, dum tanto amico gratum facere ſtudeo: provinciam ſuſcepi pulcherrimam quidẽ illam, ſed mihi fortaſſe non perinde aptam, præcipue cum viderem eruditorum neminem hoc negocii capeſſere: non quod impares ſeſe judicarent, ut equidem opinor, ſed quod vigilias illas immenſas viderent atque refugerent, maxime cum intelligerent gloriæ proventum laboribus minorem futurum. Deinde cum videremus hanc eſſe operis ſuſcepti naturam, ut ipſum in ſe nullum haberet modum: videlicet neceſſum habuimus modum illius, non ipſius ratione, ſed noſtris occupationibus metiri, ut tantum impenderemus operæ, non quantum poſtulabat, ſed quãtum à noſtris ſtudiis citra vitium decidere poſſe videbamur. Itaque paulo feſtinantius abſolvimus: partim quod in hoc opere nobis veluti peregrinari videremur: partim quo liceret his abſolutis, toto pectore reverti ad ea, quæ noſtræ ſunt propria profeſſionis, quæque ad menſes aliquot intermiſimus, amici voluntatẽ magis, quam noſtrum judicium ſecuti. Quanquã Horatiano præcepto non ita valde commoveor. Hoc enim ille præcepit iis, qui ad ingenii laudem ſcriberent. Nos præter utilitatem lectoris nihil ſpectavimus Præcepit iis, qui carmen conſcriberent, in quo (teſte Plinio) ſumma deſideratur eloquentia: nos adagiorum commentaria colligimus. Denique novennem iſtam curam, quam tamen nec ipſe præſtitit in carmine, fortaſſis præſtite: it aliquis in centuria. Verum eandem in Chiliadibus, tum perquam arduum eſſe videatur præſtare, tum requirere parum humanum: cum hoc ipſum abũde laborioſum ſit, vel ſcribere Chiliadas: ut ne adjungas toties mutandĩ laborem, qui priore videtur non paulo difficilior. Quanquam equidem arbitror curam, quam requirit Horatius, non temporum ſpaciis, ſed intentione metiendam eſſe. Qua quidem de re, vere poſſum affirmare, me ſummis annixum viribus, ut quod tempori detractum videretur, id vigilantia atque aſſiduitate ſtudii penſarem ut ſperem candidos lectores nec hanc partem omnino deſideraturos Nam ſi ſpacii rationem habeas, præcipitavimus opus: ſi noctis dieque infatigabili ſtudio deſudatum æſtimes, maturavimus. Quod ſi nõ modis omnibus noſtra cura reſpõdet operi, illud certe cõſtabit, me quicunq; unquã de proverbiis conſcripſere, vel apud Græcos, vel apud Latinos (loquor de iis quorum extant commentarii) diligentia, non mediocri ſpacio præceſſiſſe. Poſtremo quoniam & infinitum eſt opus, & ad communem utilitatem paratum, age quid vetat, quo minus operam partiti communi ſtudio perficiamus? Ego meum perſolvi penſum, & feſſus lampada trado, ſuccedat, qui vices operis excipiat. Ego ſylvam miniſtravi, non, omnino, ſicut opinor, malignam: accedant qui dolent, qui perpoliant, qui variegent. Ego partem eam abſolvi, in qua plurimum fuit laboris, gloriæ minimum: non pigeat alios adjungere, quod & facilimum erit, & ſplendidiſſimum. Mea nihil refert, quocunque nomine legetur: non laborabo, penes quemcunque ſumma gloriæ futura eſt: modo nos occaſionem dederimus, ut ad ſtudioſos tanta manarit utilitas. Neque vero vel tantillum offendar, ſi quis noſtra caſtigabit eruditior, locupletabit diligentior, digeret exactior, illuſtrabit eloquentior, expoliet otioſior, vindicabit felicior: dum id, cum publica ſtudiorum commoditate fiat: quam unam uſque adeo ſpectavimus in hoc opere, ut noſtri nullam rationem habuerimus. Alioqui poteram & ipſe, quod plerique faciunt, ejuſmodi laborem deligere, qui longe minoribus ſudoribus mihi conſtitiſſet, idemq; longe majorem gloriæ fructum attuliſſet. Quis enim non judicaſſet egregium ac magnificum facinus, ſi totum Demoſth. aut Platonem, aut alium aliquem hujuſmodi, Latinis auribus tradidiſſem? Atqui dictu difficile ſit, quanto minore temporis, vigiliarum, oleique impendio munus hoc conficere licuiſſet, quam has ſicuti videntur, nugas congerere. Poteram ex tanto numero duas aut treis centurias mihi deligere, atque in his expoliendis, locupletandis, elimandis, omneis ingenii nervos intendere, non paulo minore laborum ſemente, multo tamen uberiorem famæ meſſem mihi paraturus. Verum hoc fuerat meum privatim, nõ publicum ſtudioſorum agere negocium. Atqui, ſicut ego quidem arbitror, oportet in reſtituenda literaria re animum Herculanum præſtare, hoc eſt, nullo tuo incommodo à communi utilitate curanda vel deterreri, vel defatigari. Sed his de rebus plus ſatis: ac jamdudum vereor, ne quibus Herculani laboris inſtar eſſe videatur, hunc tam prolixũ ſermonẽ, in quẽ nos Herculani laboris adagiũ induxit, perlegere. Quare finẽ faciã: ſed ſi illud addidero, cum hæc primum ederentur, me labores omneis Herculeos ſuperaſſe. Siquidem ille ſemper alias invictus, duobus ſimul monſtris par eſſe non potuit. Itaque fugiens, proverbium nobis relinquere maluit, quam Martem experiri: ſatius eſſe ducens, rideri incolumem, quam laudari extinctum. Nobis autem eodem tempore cum duobus monſtris immanibus fuit congrediendum: quorum utrumvis tantum habebat negocii, ut multos Hercules requireret: tantum abeſt, ut unicus homuncio duobus

par eſſe poſſit. Nam Baſileæ ſimul typis excudebantur adagiorum Chiliades, ſic emendatæ, locupletatæque, ut non minoris mihi conſtiterit inſtauratio, quam prior editio, quam Venetæ apud Aldum Manutium peregimus. Et univerſæ divi Hieronymi lucubrationes, è quibus ut maximam, ita difficillimam quoque partem mihi proprie ſumpſi, nempe libros epiſtolares, haud levem per Muſas provinciam, ſi cui tantum voluminum vel evolvendum modo ſit. Nunc deum immortalem, quam gravis cum mendarum portentis, quibus illic ſcatebant omnia, mihi fuit lucta. Quanto ſudore reponenda Græca, quæ vir ille paſſim admiſcet. Nam ea plerumque vel deerant, vel perperam erant addita. Neque vero mediocribus mihi vigiliis conſtiterunt qualiacunque illa ſcholia, quæ cum ſuis argumentis adjecimus: non ſolum ob id, quod in re primum à nobis tentata non eſſet quem ſequerer, cujus inventis adjuvarer: verumetiam quod, ut Romulum narrant, non minus magnificum fuiſſe ſuorum facinorum oſtentatorem, quam rerum egregiarum geſtorem: ita divus Hieronymus, ut divitem quandam ex omni diſciplinarum & autorum genere conſtructam penum habuit in pectore: ita nemo doctrinæ ſuæ opes in ſcriptis ambitioſius, ut ita dicam, oſtentat. Adeo ſancta quadam gloria, quicquid in vetere, quicquid in novo Inſtrumento reconditum, quicquid in fabulis, in hiſtoriis, quicquid in Græcis, quicquid in Hebraicis literis exquiſitum, id objicit, inſulcit, inculcat. Iam in ordine digerendo, qui varie à diverſis erat confuſus, etſi nulla eſt ingenii laus: tamen haud parum fuit moleſtiæ. Tanta rerum moles huic homuncioni ſuſtinenda fuit, & quidem uni. Niſi quod in vocibus aliquot Hebraicis, quod eas literas leviter ac primoribus modo, quod dici ſolet, labris deguſtaſſemus. Brunonis Amerbachii, doctiſſimi pariter ac modeſtiſſimi juvenis opera ſumus nonnihil adjuti. Cui viciſſim reliquã hujus operis portionem exequenti, in Græcis ac Latinis reſtituendis locis aliquot adfuimus, operam opera penſantes. Vt ne commemorem interim nonnihil fuiſſe negocii, ut quæ Hieronymianis lucubrationibus falſo titulo fuerant admixta, partim eruditæ, partim juxta indocta & infantia, nonnulla dementiæ quoque ſpeciem præſeferentia, certis conjecturis ceu veſtigiis quibuſdam deprehenderemus, atque exempta, ſuis redderemus locis. Dein ut hominis ſanctiſſimi vitam, ab aliis non vaniſſime modo, verum etiam inſulſiſſime proditam, ex omnibus ipſius monumẽtis colligeremus. Adde jam, quod hujuſmodi laborem ea ratio eſt, ut fructus & utilitas ad omnes perveniant, moleſtiam nemo ſentiat, niſi unus ille qui ſuſtinet. Neque enim illud animadvertit lector, qui totos libros inoffenſus decurrit, nobis aliquoties ad unam voculam dies aliquot reſiſtendum fuiſſe. Nec intelligit (aut ſi intelligit, curare non meminit,) quantis difficultatibus nobis cõſtiterit illa, qua legens fruitur, facilitas, quantiſque moleſtiis ea moleſtia ſit adempta cæteris: Proinde ſoleo & ipſe mihi quarta luna videri natus, cui neſcio quo fato contingit, in hujuſmodi plus quam Herculaneos labores incidere.

E Tantali horto fructus colligis.

Ταντάλου κήπων τρυγᾷς, id eſt, Ex Tantali horto fructum colligis, i. ea conſectaris, quæ nuſquam ſunt, aut quibus frui non licet. Quod quidem appoſite dicetur in mundanis addictos voluptatibus. Nam iis dum his veluti temulenti fruuntur, egregie felices ſibi videntur. verũ ſimulatque reſipuerunt, jam velut experrecti, intelligunt omnia illa nihil fuiſſe, niſi mentis non admodum ſanæ ſomnium.

Dentem dente rodere.

Dentem dente rodere dicitur, qui carpit eum qui neque lædi queat, neque ſentiat eum qui mordet, pari mordacitate præditum quempiam. Martialis lib. 13. in obtrectatorem quendam:

—— Quid dentem dente juvabit
Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe velis.

Simile illi: Noli verberare lapidem.

Oreſti pallium texere.

Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν.

Id eſt:

——Oreſti texere lænam.

Dicebatur qui munus pararet abuſuro. Nam Oreſtes per inſaniam veſtes dilacerabat. Eſt hemiſtichium heroici carminis, decerptũ ex Ariſtophane in Avibus:

Εἶτα δ' Ὀρέστῃ χλαῖναν ὑφαίνειν, ἵνα μὴ ῥιγῶν λωποδυτῇ.

Id eſt:

Poſtea Oreſti texere lænam, ut ne horridulus ſpoliet quem.

Scholium admonet, Oreſtem λωποδυτεῖν quempiam ſimulando inſaniam, in tenebris aggredi ſolere homines, eoſque veſtitu ſpoliare. Vnde non inepte dicetur, ubi quis admonet dandum aliquid homini furaci ne rapiat: Adagium non eſt natum ex Ariſtophane, ſed ab illo eſt affectatum. Nam hac periphraſi notat hyemem.

Ver ex anno tollere.

Ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ ἐξαιρεῖν, id eſt, Ver ex anno tollere dicebatur, qui id quod in negocio quopiam erat præcipuum, tolleret. Meminit Herodotus in Polyhymnia. Lacedæmonii & Athenienſes, miſſis in Siciliam legatis, petebant à Gelone Syracuſano & ſocietatem & ſuppetias, adverſus Xerxem bellum inferentem Græcis. Nec recuſavit Gelo, modo ſe imperatorem vel maritimarum rerum vel terreſtrium copiarum conſtituerent: quam conditionem quum repudiarent legati, juſſit eos illico diſcedere, ac renunciare Græcis, ὅτι ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ ἔαρ αὐτοῖς ἐξαίρηται id eſt, Ver ipſis ex anno ſublatum eſſe, videlicet illud ſubindicans, ſuum exercitum præcipuum eſſe Græciæ florẽ ac robur: qui ſi deeſſet, defuturum illis quod eſſet præcipuum. Ver enim anni præcipua pars eſt. Meminit Ariſtoteles libro Rhetoricorum 3. inter metaphorarum genera. Rurſus Rhetoricorum libr. 1. oſtendit hoc dictum eſſe Periclis in epitaphio, qui dixerit τὴν νεότητα τὴν ἀπολομένην ἐν τῷ πολέμῳ οὕτως ἠφανίσθαι ἐκ τῆς πόλεως, ὥσπερ εἴ τις τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐξέλοι, id eſt, Iuventutem è Repub. ſublatam eſſe perinde ac ſi ver ex anno tolleretur. Poteſt deflecti longius, ut dicantur ver eximere anno, qui linguarum ac bonarum literarum peritiã ſuſtollant è ſcholis.

Bulbos quærit.

Βολβοὺς ζητεῖ: id eſt, Bulbos quærit, Iocus proverbialis in eos qui juxta Perſium,

Obſtipo capite defigunt lumina terræ.

Plutarchus in Sympoſiacis: καὶ γὰρ ὁ γελοῖος οὗτος, ἔφη, καὶ παροιμιώδης βολβὸς οὐ διὰ μικρότητα διαφεύγει τὸν κεραυνόν, ἀλλ' ἔχων δύναμιν ἀντιπαθῆ καθάπερ ἡ συκῆ καὶ τὸ δέρμα τῆς φώκης. id eſt: Etenim ridiculus iſte, inquit, & proverbio obnoxius bulbus haud ideo fulmen effugit, quod puſillus ſit, ſed quod vim habeat cõtrariam fulmini, quemadmodum & ficus arbor, & vituli marini pellis. Porro riſus proverbialis, de quo meminit Plutarchus, ſumptus eſt (ut opinor ex Ariſtophanis Nebulis) ubi Strepſiades, Socratis ingrediens ſcholam, admiratur diſcipulos Socratis prono capite terram ſpectantes. Reſpondentique cuipiam:

Ζητοῦσιν οὗτοι τὰ κατὰ γῆς.
Στρ. Βολβοὺς ἄρα
Ζητοῦσι, μή νυν τουτογὶ φροντίζετε.
Ἐγὼ γὰρ οἶδ' ἵν' εἰσὶ μεγάλοι καὶ καλοί.

Id eſt:

Quærunt, habet quæ terra.
Strepſiades.
Bulbos ſcilicet
Quærunt, rei ſed cura ne quid iſtius
Vos angat: ego enim novi ubi ſint magni & boni.

Quod ſiquis malis referre ad id, quod eſt apud eũdem poëtam in Pluto, μετ' ἐμοῦ θύμων φαγόντες, id eſt, Qui eaſdem mecum cepas odiſtis: equidem haud magnopere repugnarim. Significat autem tenues amicos, qui que (ut ait Terentius) paupertatem una tolerunt gravem. Perſius item Satyra quarta, de ſordido & impendio tenaci, parcoque.

Hoc bene ſit, tunicatum cum ſale mordens:
Cepe, & farratam pueris plaudentibus ollam.

Extat apud eundem Ariſtophanem in Concionatricibus & alius de bulbo jocus hujuſmodi. καταφαγὼν βολβῶν χύτραν. id eſt, Qui devoraris bulborum ollam Verba ſunt aniculæ ad juvenem detrectantem coitum, quod unus duabus par eſſe nõ poſſet, ἀκλῶς, inquit, ἐπειδὰν καταφάγῃς βολβῶν χύτραν. Nam Bulbos irritare Venerem, teſtatur & Martialis:

Nil aliud bulbis, quam ſatur eſſe poteſt.

Et Columella in carmine:

Iam Megaris veniant genitalia ſemina bulbi.

Sunt autem multæ bulbi ſpecies: ſed omnes, inquit Dioſcorides libro ſecundo, habent acrimoniam & calore Venerem ſtimulant, quemadmodum eruca: de qua Columella:

Excitet ut Veneri tardos eruca maritos.

Suidas duo de cæpis adagia refert: κρόμμυα ἐσθίειν i. Cæpas edere: & κρομμύων ὀσφραίνεσθαι, id eſt, Cæpas odorari, quæ ſuo reddidimus loco.

Nudo veſtimenta detrahere.

Ad hanc ſententiam pertinet hoc quoque quod ab eodem eſt uſurpatum poeta, Nudo veſtimenta detrahere, pro eo quod eſt, ab eo ſperare emolumẽtum, cui ne ſit quidem quod auferri queat. Sic enim idem Libanus in Aſinaria Plautina, admonitus ab hero ut ab ipſo per fallaciam argentum abraderet, quo filio emeretur amica. Maximas, inquit, nugas agis, Nudo detrahere veſtimenta me jubes. Adducit & D. Chryſoſtomus proverbium vulgo jactatum, quo dicebant, nec à centum viris unum nudum ſpoliari poſſe. Apuleius Aſini lib. 1. ſcripſit, nudum nec à decem palæſtritis poſſe ſpoliari.

Vtrem cædis.

Ἀσκὸν δέρεις, id eſt, Vtrem cædis, aut utrem excorias. Extat apud Ariſtophanem in Nubibus. Ad quod alluſiſſe videtur Apuleius in Aſino, cum meminit de tribus utribus a ſe percuſſis ac vulneratis. Sumptum vel à Bacchi ſacris: vel ab iis, qui percuſſis utribus inanem moveant ſtrepitum.

Inter lapides pugnabant nec lapidem tollere poterant.

Plutarch. 4. decadis Sympoſiacæ, primo problemate, ἰδὼν δὲ τὸ παιδίον ἄρτι τοῦ φιλοσοφεῖν ἀρχόμενον, ἄλλου δὲ μαθήσεως δεόμενον, ὦ Ἡράκλεις, ἔφη, πόλεμον ἄγεις ἐν τῷ λογισμῷ.

Ro

Ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο, λίθον δ' οὐκ ἦν ἀνελέσθαι.

id eſt, Vbi vero videret miniſtrum puerum una cum Philone te- tentem pane, neque præterea quicquam requirentem: Papæ, in- quit, hoc nimirum erat illud, quod vulgo dici ſolet:

Pugna erat in ſaxis, neque ſaxum tollere quibant.

Apparet dictum in eos, qui præſenti commodo non fruuntur, vel ob ignaviam, vel ob perverſam de rebus opinionem, ut qui vel ſa- xum graventur ex acervo tollere, quo repellant adverſarium. Refertur idem carmen apud Athenæum lib. 10. & aliud ſubjicit, veluti conſimilis ſententiæ:

Διψῇ δ' ἐξ ἀχεροντ, ὕδωρ δ' ὑπερέχει γενείου.

Id eſt:

Deperiere ſiti, ſuperante ad labra liquore.

Impete peritum artis.

Βάλλ' εἰς ἴχοντα τὴν ἐπιστήμην, id eſt, Iaculare in eum qui novit ar- tem. ubi qui convicium facit homini, qui norit & ipſe retorquere convitium: aut qui carpit velut imperitum, qui non inferior ſit in artis ſcientia. Sumpta metaphora videtur ab iis, qui jaculo aut ſaxo petunt eum, qui calleat ictum vel declinare, vel in jaculantem re- torquere.

Canis.

Αδεις ἔχων, i. Canis. reperio pro eo quod eſt, nugaris, ineptis, fru- ſtra loqueris. Eſt autem Atticæ linguæ figura, ſicuti παίζεις ἔχων, id eſt, Ludis, ſive jocaris. Etenim qui canunt, non agunt rem ſeri- am, ſed tantum ut aures deliniant voluptate mox peritura.

Eundem calceum omni pedi inducere.

Galenus Therapeutices lib. 9 οὗτοι μὲν οὖν ζητοῦσι, οὔτε ἴσασιν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἑνὶ καλαπόδι πάντας ὑποδοῦσι. id eſt, Iſti quidem igitur neque inquirunt, neque ſciunt: quin magis ju- xta proverbium, eodem calceamento calceant omnes. Loquitur de quibusdam medicis imperitis, qui non habita ratione morbo- rum, eadem remedia admovent omnibus: cum diverſa mala, di- verſam curationem deſiderent. Non diſſimile illi, quod alio di- ctum eſt loco. Scis ſimulare cupreſſum. Ad hanc formam perti- net, quod adducit Hieronymus in prima præfatione Commen- tariorum, quos didit in Epiſtolam ad Epheſios: Nec ad inſtar im- periti medici uno collirio omnium oculos velle curare.

Corvus albus.

De raris inventu dixit Iuvenalis:
——Corvo quoque rarior albo.

Ammianus in epigrammate:

Θᾶττον ἐὰν λευκοὺς κόρακας πτηνάς τε χελώνας
Εὑρεῖν.——

Id eſt:

Aut albus corvus prius, aut teſtudo volucris
Invenietur.——

Galenus lib. περὶ φυσικῶν δυνάμεων i. taxans Lycum quendam, qui nec Eraſiſtratum ſequeretur, nec ipſe verum adferret, ait, ὥσθ' ὁ λύ- κος οὔτ' ἀληθεύειν φαίνεται, οὔτ' ἐρασιστράτεια λέγειν ποιοῦν κατὰ τὴν παροιμίαν ἔοικε κόρακι, μήτ' αὐτοῖς τοῖς κόραξι ἀναμιχθῆναι δυναμένῳ διὰ τὴν χρόαν μήτε τοῖς περιστεραῖς διὰ τὸ μέγεθος. id eſt, Itaque Ly- cus, dum palam eum neque vera loqui, neque eadem cum Era- ſiſtrato, ſimilis videtur albo corvo, qui nec ipſis corvis admiſceri poſſit ob colorem, nec columbis ob magnitudinem. Conveniet in hominem ſui ingenii, & alienum à ſenſu communi. Sunt enim quos pudet uſquam cum quoquam conſentire, quaſi ſi nihil verū ſit, niſi diverſum ſit.

Inanis conatus.

Vbi ſentiemus fruſtra ſumi operam, neque quicquam promo- veri diutinis laboribus, non inepte quadraverit illud ex cod. lib.

Ἄπρηκτον πόλεμον πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι.

Id eſt:

Pugnam infrugiferamque & inutile ducere bellum.

Quaſi Sutrium eant.

Sutrium pervetuſtum Hetruriæ oppidum. id olim defecerat à Romanis, cum quibus inierant ſocietatem. Camillus ad id dele- ctus à ſenatu, ut eos cogeret ad fidem. Is ne in apparando com- meatu multum temporis tereretur, utque Sutrini ipſa celeritate opprimerentur, edixit ut ſinguli milites trium dierum commea- tum ſecum exportarent. Id deinde verſum eſt in proverbium, quod uſurpari conſuevit, quoties aliquis ſuo ſumptu navat operā aliis. Sic enim interpretatur. Feſtus Pompeius in fragmentis quibuſdam quæ Romæ inveniuntur. Arbitror eandem eſſe hi- ſtoriam quam aliquanto aliter narrat. Titus Livius libro ab urbe condita ſexto. Plautus in Caſſina. Tum quoque facito, ut veni- ant, quaſi eant Sutrium. Iubet Alceſſimus ut ſuos ad ſeſe mittat, ſed ſuopte cibo inſtructos. Notum eſt carmen Catulli, quo Fa- bulum ad cœnam vocat, ſed ita ut ipſe ſecum adferat quicquid ad lautam cœnam pertinet.

Γύργαθον φυσᾷς.

Γύργαθον φυσᾷς, id eſt, Gyrgathum ſpiras: in inſanum fruſtraq; vociferantem jaciebatur. Gyrgathus lectus eſt, in quo paralytici, menteque capti, quique vocantur dæmoniaci, vincti jactant ſeſe multa minitantes, ſed fruſtra. Conveniet igitur in atroces ſine viribus iras. Heſychius indicat, Gyrgathon dici vas quoque in quod piſtor coctos reponit panes. Græca vox à volvendo dicta videtur.

EX APPENDICE ERASMI.

Dolium Danaidum.

Pro opera fruſtrata, à Danai filiabus, quæ ob necatos maritos finguntur apud inferos ſitulis perſtillantibus aquam haurire, & in dolium pertuſum infundere. Cat. Horat. Tib. Plat. Luc. Arist. Huc alluſit Plautus: In pertuſum dolium infundimus, operam lu- dimus. Convertitur & hoc ad varios uſus ut ad prodigalitatem, li- bidinem, loquacitatem, & alia generis ejuſdem.

Ocni funem torquet.

Σωμάτιον ἔπλεκε τὴν θώμιγγα. Ocnus homo apud inferos indu- ſtrius, operique intentus, uxorem habuit ſumptuoſam & prodi- gam quæ abſumebat quicquid ille corraderet, ſupra: Contortum piger funiculum.

IVNII. *Dormienti loquor.*

Irriti & fruſtranei laboris ſignificationem habet illud Oreſtis apud Æſchylum in Agamemnone:

Κωφοῖς αὐτῶ καὶ καθεύδουσι μάτην.
Ἀκραντα βάζω.

Hoc eſt:

Inclamo ſurdis, irrita
Sopitis loquor.

Quoties igitur incaſſum laboramus vel orando vel ſuadendo, uſus erit adagionis.

Perdix congregat divitias ſine judicio.

Adagium in Avaros homines, quibus tam deeſt quod habent, quam quod non habent: adducit D. Ambroſius epiſtol. lib. 7. in hæc verba: Vnde in proverbio eſt de divite avaro, quia perdix iſte congregat divitias non cū judicio. Cauſam ſive originem ipſe po- ſtea ſubjicit his verbis: Quidam naturæ perdicis etiam illud ap- tandum putarunt, eo quòd aliena diripiat ova, & foveat ſuo cor- pore, atque hac ſua fraude alienos ſtudeat partus accipere. Ex qui- bus verbis meridiana luce clarior exiſtit parœmiæ ſenſus. Quem- admodum enim hæc avis alienis ovis incubat tanquam propriis, ſed mox adulterinam genitricem deſerunt pulli prognati, & ad genuinos parentes revertuntur (quod ab D. Hieronymo & aliis authore inſcripta telarum eſt:) ita & avarus alienas opes al- lis artibus ſibi aggregat, quas mox aut exprimit judiciorum ſpo- lia, & veris dominis refundit: aut uſum earum morte privatus amittit. Locus autem ſumptus eſt ex Propheta Hieremia, cap. 17. ubi ſic ait: Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio, in medio dierum ſuorum derelinquet eas. Senſus prophe- tæ eſt, veluti perdix aliena ova congregat quæ non poſuit, deſti- tuitur que à ſuppoſititia ſobole: ita qui per fas & nefas quæſititiosas pecuniam corradunt, nihilo ditiores exiſtunt, ſed eam velut ava- ridam tandem perdunt.

In aſini aures canere.

Εἰς ὄνου ὦτα ᾄδειν, In aures aſino canere, dicitur proverbialiter, qui indocto recitat poëma omnibus numeris abſolutum, aut ora- tionem in qua nihil reliquum fecerit rhetorica ars: aut ſi quis a- pud craſſas & Muſices ignaras aures artem omnem oſtentet Mu- ſicus. Meminit adagii Dion oratione trigeſima ſecunda, ejuſque occaſionem talem indicat: Ægyptio Muſico inſigni aſtans in ſomnis genius prædixiſſe viſus erat, quod in aſini aures cantatu- rus eſſet, quo neglecto ſomnio, ut vano ac frivolo, accidit ut Syro- rum Rex, Memphin qui venerat, ipſum accerſeret, quod audiſſet cunctis laudari ſummopere, acceſſit itaque & omni induſtria ad- hibita artis ſuæ præſtantiam oſtentare adnixus eſt, qui tacere ig- nominioſe juſſus à Rege Muſices ignaro, recordatus ſomnii: Hoc ipſum, inquit, eſt in aures aſini canere, quibus verbis per interpre- tem intellectis, Rex vinctum hominē affici verberibus juſſit: un- de natum poſtea bellum. Græcè eſt: πῦν παρ' ὄνῳ, τὸ εἰς ὦτα ᾄδειν.

Humeros licet perdas aquam incernendo.

Ἀπολεῖς τοὺς ὤμους ὕδωρ πτίσσων, ὕδωρ μένει. id eſt. Quamvis humeros perdas aquam incernendo, aqua tamen manet. Citat adagium Suidas in Collectaneis ſuis, & annotat quadrare in eos qui vanum ſumunt laborem. Crediderim rectius competere in eum qui ingrato homini diligentem navat operam: aut in præce- ptorem ſtupidi & indocilis diſcipuli, cui quicquid inculcatur, ef- fluit velut in dolium futile congeſta aqua. Quanquam vero vul- gati codices habeāt πίσσων, conſtanter tamen πτίσσων legendum autumo. Eſt enim πτίσσειν, contuſum hordeum pinſere, cribro; incernere: unde & πτισάνης hoc eſt, ptiſſanæ vocabulum.

Inconcuſſa perſequi.

Apud Homerum Iliad. 17. Apollo ad Hectorem converſus de- terret illum ab irrito conatu perſequendi equos Achillis perni- ciſſimos, hoc verſu:

Ἕκτορ νῦν σὺ μὲν ὧδε θέεις ἀκίχητα διώκων.

Id eſt:

Id eſt:

Quo diverſus abis, ſequeris namq; irrita curſu?

Euſtathius admonet proverbiale eſſe in eum, qui temere ſe fatigat, inanemque operam ponit.

Ventos paſcere.

Α'νέμους ποιμαίνειν, id eſt, Ventos paſcere, hoc eſt, inſtar ovium agere dicitur, qui inanem ſumit operam, nihil operæ precii faciēs. D. Clemens lib. 1 Strom. [illegible] id eſt: Qui mendaciis innititur, is ventos paſcit, & volucres aves perſequitur.

Per eandem lineam ſerram reciprocare.

Apud eundem Tertullianum eodem in libro paulo poſt proverbiali figura illud effertur: Et quamdiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus? quo videtur innuere inutilem laborem circa unam eandemque rem. Nos igitur qui in eodem argumento immodici ſunt, & velut expreſſum ſimulant, per eandem lineam ſerram reciprocare non inveuſte dicemus. Convenit cum eo, Eadem oberrare chorda: &, Eandem incudem diu noctuque tundere.

Glomerare inglomerabilia.

Κλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα, id eſt, Conglomerare inglomerabilia: proverbio dicitur, quando paramus conjungere quæ nexum omnem fugiunt, & quæ numeris fere omnibus, a ſe mutuo diſſona ſunt. Syneſius utitur in prolixa epiſtola, declamationis vicem implente, contra Andronicum: [illegible], τὸ κλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα. id eſt: Politicam adminiſtrationem ſacerdotii muneri conjungere, idem eſt, quod conglomerare quæ conglomerari nequeunt. Vult enim diverſiſſimas & ex diametro pugnantes adminiſtrationes, civilem & ſacerdotalem, quamvis prior ætas eoſdem habuerit & ſacerdotes & populi controverſiarū arbitros, quippe quum & Ægyptii & Hebræorum natio diutiſſime ſub ſacerdotum imperio vixerint: ſed poſteaquam divinum munus humanorum affectuum libidini obnoxium eſſe cœpit, cōſulto Deus utrunque vitæ genus diſpeſcuit, ut alterum ſacris operaretur, alterum obtineret principatus: nimirum ſacerdotes ſibi addictos voluit, ac principes mundo mancipavit, ut illi precibus aſſiduis inſiſterent, hi negociis præfecti turbas liteſque componerent, utriq; vero æqui boniq; rationem ob oculos haberent. Sumpta metaphora à textricibus aut filatricibus. Cyrillus Alexandrinus in epiſtola quadam apud Nicephorum Calliſtum ſcribit, quū ſacerdotalis functio à populari adminiſtratione ſeparata ſit, non oportere miſceri ea quæ miſtionem reſpuunt. Græce eſt: μὴ μιγνύειν τὰ ἄμικτα.

Non omnia per bovem obtinebis.

——Μὴ πάντα [illegible] βοὸς [illegible].

Id eſt:

Ne ſperes te opera bovis omnia poſſe tenere.

Hemiſtichium eſt proverbiale, quod admonet non ſacrificiis aut litationibus, votiſq; pro arbitrio omnia ceſſura, ſed laborandum nobis eſſe, quemadmodum apud Saluſtium in Catilin. Cato ait: Non votis neq; ſupplicibus muliebribus auxilia parantur deorū, ſed vigilando, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt: ubi ſocordiæ atque ignaviæ te tradideris, nequicquam deos implores. quo ſpectat illud Æſchyli:

Τῷ [illegible] [illegible] θεὸς [illegible].

Id eſt:

Quiſquis laborat, huic manum præbet Deus.

Et iterum:

Τῷ πονοῦντι [illegible] θεῶν [illegible].

Id eſt:

Laboranti, debetur divinitus gloria laboris proles.

Torqueri ſolitum in reſides exercitus duces, qui mactato bove propitiaſſe ſe Deum abunde putant, non poſſe infeliciter cadere ſua cœpta arbitrantes: quum conſilio & animi præſentia & fortibus factis in bello opus ſit. Crediderim idem eſſe cum eo quod ex Diogeniano citat Eraſmus, μὴ κατὰ βοὸς [illegible], atque exponit, Ne contra bovem opta.

Tricas conduplicare Tellenas.

Adagium eſt, quo uti licet in eos, qui in meris & ineptiſſimis nugis occupantur: quales ſunt artiſtæ, Petri Hiſpani, Tartaretiq; tenebris addicti, nihil enim aliud illi, quam Tellenas tricas verſant noctuq; diuq;. Fuiſſe autem Tellenem verſificatorem nugaciſſimum, & ineptum tibicinem, memorant, qui frigidis dicteriis innotuerit, à quo fluxit proverbium, [illegible]. Cane Tellenis: ſubaudi, παίγνια, id eſt, ludicra. Extat apud Arnobium lib 5. adverſus gentes: Jamdudum, inquit, me fateor hæſitare, circumbiſcere, tergiverſari, tricas (quemadmodum dicitur) conduplicare Telleuas, quod ex Varronis [illegible] mutuatus eſt, ubi ait: Putas eos non citius tricas Tellenas, quam id exercitaturos?

Rete inflas.

Δίκτυον φυσᾷς, id eſt, Rete inflas: proverbium eſt in incaſſum laborantes, qui temere rem impoſſibilem aggrediūtur. Quid enim ſtultius, qui vanior labor, quam rete foraminoſum vento conari diſtendere? Extat & illud in Suidæ dictionario.

In cinere ſcribere.

Εἰς τέφραν γράφειν, id eſt, Inſcribere cineri: Suidas, & ex eo Varinus exponunt de eo qui inanem ſumit operam. Cinis namque impreſſos characteres, quantumvis levis auruiæ flatu facile confundit. Annotant iidem authores, de rebus quoq; impoſſibilibus dici. Citat ex incerto authore, apud quem uſurpari videtur, pro, nihil penſi facere, ἐγὼ δὲ τοὺς ὅρκους αὐτῶν, τὸ τῆς παροιμίας, [illegible] τέφραν γράφειν, id eſt, Equidem illorum jusjurandum cineri, juxta proverbium, inſcribendum eſſe reor.

Fluctibus, obloqui.

Πρὸς κύματα λαλεῖν, id eſt, Fluctibus obloqui, proverbialiter dicitur, cui cum homine refractario ac moroſo res eſt. [Refertur ab Euſtathio Odyſſ. nono. A quo non abludit illud Æſchyli apud Prometheum:

Ὀχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως παρηγορῶν.

Id eſt:

Hortando me obturbas ut unda inaniter.

Nodorum vincula texentes.

Quos non inelegenti voce Vitilitigatores vocavit Cato, teſtante Plinio, eos non minore gratia ἐριδαντέας & ἱμαντελικτέας dixit Democritus Abderita: illud, quod jurgia ſerant contentioſi: hoc vero quod veluti nexus quoſdam vinculorum implicent, quibus alios involvant, irretiantq;. Clemens Stromat. lib. 1. [illegible] φησίν. quæ lectio apud Plutarchum prima Sympoſiac. decade nonnihil corruptā legitur, hoc modo, [illegible] λόγους ἀφετέον, id eſt, Miſſas facere oportet eorum fabulas, qui de lana caprina rixantur, & nodos texunt, ut eſt apud Democritum:

Δοῦναι [illegible] εἰς [illegible], λαβεῖν δὲ μή.

Id eſt:

Conferre retibus nihil capere tamen.

Verſiculus eſt jambic' trimeter. Competere videtur in hominem alienis inſervientem commodis, unde plus jacturæ, quam emolumenti ad ipſum redeat. Adagio huic obnoxii ſunt, qui typographis aſſiduam operam præſtant, nullo, vel exiguo certe cum ſuo lucro.

BRASSICANI. *Barbam ab ulnis puerorum vellere.*

Lucianus in tragœdia cui titulus [illegible]: Barbam velle à puerorum ulnis, hoc eſt, inanem laborem ſuſcipe, & periode nihil profuturum. Nam quod barbæ genus à puerorum ulnis velli poſſit, ego non video. Barbam igitur à puerorum ulnis vellunt, qui ſumunt inutilem operam, rebus egregie commodis paſſim præteritis & neglectis.

IOANNIS VLPII. *Per eandem lineam ſerram. reciprocare.*

In vanum laborare, dicitur authore B. Rhenano. Joanni autem Ulpio competere videtur in eum, qui ſemper idem argumentum tractat, & eandem cantilenam canit. Sumptum à ſectoribus lignorum, qui partes trabium ſecandas prius ſolent lineis diſtinguere: qui ſi ſemper hæreant in eadem linea, raro quicquam abſolvent. Tertull. vide alibi Junii adag. Per lineam eandem ſerram reciprocare.

COGNATI. *Aerem ferire.*

Proverbiali ſchemate dicitur, qui fruſtra & inaniter laborat: veluti pugil nihil agit, niſi corpus attingat. Paul 1. Corinth 9. Ego itaq; ſic curro, ut non in incertum: ſic pugilem ago, non velut aërem feriens. Idem in eadem epiſtola cap. 14. Eritis enim in aëra loquentes.

Ne hilum.

Hyperbole Latina, huic ſimilis, Ne gry. Cic. lib. 1. Tuſc. quæſt. Tum illud quod Siſyphus verſat ſaxum, ſudans nitendo, nec proficit hilum, id eſt, quicquam, tantillum, minimumq;, Lucil. lib. 30, Non Marc. citante.

Quodque tuas laudes culpes, non proficis hilum.

Hunc locum citat Varro de lingua Latina libro quarto. Priſcianus verſum hunc citat ex ejuſdem Lucilii libr. 14.

Et calces, delectes te, hilo non rectius vivas.

Hilum autem parvum illud nigrum quod in ſummitate fabæ adhæret, dicitur. Plochirus Michaël in dramate: ὁ μὴ δὲ τὸ γρῦ [illegible] οὐδαμῶς ἐστι. id eſt. Qui ne gry quidem proloqui ſcierit. Vide alibi, μηδὲ γρύζειν. [Huic affine, Ne gry quidem: apud Eraſm.]

Campas dictis abigi.

Campas dictis abigi. Plautus in Trinummo proverbialiter dixiſſe videtur de iis, qui verba non curarent, ſed rem ipſam. Solent enim Campæ quibuſdam carminibus extingui. M. Catoni ſunt vermiculi, æſtatis tempore olera & arbores infeſtantes: nos erucas appellamus.

Ἐς τὴν τέφραν γράφειν.

Hæc vox apud Græcos homines adeo pervulgata fuit, ut vim etiam proverbii obtinuerit, de rebus quæ ſubito diſſipantur, nec ſtabilitatis aliquid aut conſtantiæ habent. Cinis enim quoq; ipſe levi vento impellitur, nec quod impreſſum in eo fuerit, diu retinet. Catullus in vento & aqua ſcribere dixit, pene idem ſignificans. [Lege ſupra Junii adag. In cinere ſcribere.]

Oleribus verba facere.

Apud Italos hæc proverbii loco feruntur. Cum enim ſignificare volunt, quempiam fruſtra laborare, qui aliquid aliquibus voluntatis obſtinationis perſuadere conetur: imagine utentes, dicũt idem ipſum facere, quod facit ille qui ad certa quædam olera verba facit: illa cum caput multa terra tectum habeant, non vocem exaudiunt. Confine eſt illis quæ in Eraſmi chiliadibus referuntur: Cœlo ac terræ loqui, vento loqui: &, Mortuo herba facere. In Plauti Mercatore Charinus adoleſcens imitari ſe nolle dicit cæteros amatores, qui in comœdiis adverſas ſuas res inducuntur narrare iis, quæ ipſe credit nihil ſua intereſſe putare, quid illis fiat, ſed decreviſſe ſe ſpectatoribus aperire miſerias ſuas. Verba poëtæ hæc ſunt: Non ego idem facio, ut alios in comœdiis amantes vidi facere, qui aut nocti, aut diei, aut Soli, aut Lunæ, miſerias narrant ſuas: quas pôl ego credo humanis querimoniis non tanti facere quid velint, aut quid non velint. Medeæ etiam nutrix apud Euripidem in tragœdia hoc facit, maliſque conſternata cum ipſa ſolitudine loquitur verſiculos ipſos quibus oblectationem hanc ſuam ſignificavit, ita expreſſit M. Cic. in 3. quæſtione Tuſculana: Cupido cœpit miſeram nunc me, proloqui cœlo atque terræ Medeæ miſerias.

Διώκειν δ' ἅμα τὰ πετεινά.

Sequi curſu volucres. De his quæ fruſtra fiunt. Huic ſimile: cribro haurire aquam. Dicitur etiam per ſuperlationem & quandam ſimilitudinem, Auras curſu ſuperat, ut illud apud Demetrium Phalereum de elocutione: *θέον δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖαι* id eſt: Auras curſu æquabant.

Σκιαμαχεῖν.

Cum umbra pugnare, ridiculum, inane & inutile. Hinc *σκιαμαχία*, id eſt, umbratilis armorum pugna. Hunc titulum proverbialem M. Varro ſatyræ ſuæ cuidam indidit, vulgo ſcrinia, & de iis quæ fieri nequeunt, dicitur. Plutarchus eleganter ſcribendi ſtudium, quod garriendi pruritum ſedari poſſe putat, *σκιαμαχίαν* nuncupat.

Arena ſine calce.

Suetonius in Caligula Senecæ tribuere videtur lenè comptumque dicendi genus, ita loquens de Cæſare: Levius comptiusque ſcribendi genus adeo contemnens, ut Senecam tum maxime placentem, commiſſiones meras componere, & arenam ſine calce eſſe diceret. Eraſmus noſter miratur, cur Seneca Suetonio videatur eſſe lenior, cum ſit affectibus tragicis vehemens. Similiter Ezech 13. Dic ad eos, qui liniunt abſque temperatura parietem, quam caſurus ſit, hoc eſt, qui inutili luto & parum ſubacto obliniunt parietem infirmum: inanis plane eſt eorum opera in muro brevi corruituro. Sunt aliæ aliquot parœmiæ, quibus etiam non tantum inanis opera ſignificatur, ſed quæ ſimul cum detrimento aliquo ſit conjuncta. Sive enim in arena ædificas, ſive arenæ mandas ſemina, ſive parietem male ſibi cohærentem ſtruis, aut oblinis infirmum parietem: utrobiq; ſpectatur ſpei vanitas, & inanis opera. Arena deniq; eſt, quæcunq; quibus ſine Deo homines nituntur Matth. 7. & carnales homines ac infideles. Hinc Matth. 16. dicuntur ædificantes ſuper arenam.

Hylam vocare.

Juxta Cium Myſium fluvium, cui civitas adjacet, item Cius dicta, à nymphis raptus fuit Hylas ab Hercule adamatus: quem ingenti vociferatione vocans Hercules nihil profecit. Unde proverbium manavit, de vocantibus non audientes, Hylam vocare. Vide Theocritum Eidyllio 13. quod Hylas inſcribitur. Erudite deſcripſit eandem fabulam Apollonius Rhodius in fine primi libri Argonauticorum, qui ſic ait: Herculem, cum regionem Dryopum accolarum Parnaſſi tranſiret, voluiſſe eripere bovem ad ſacrificiũ Theodamanti Driopi. Quod cum ille prohiberet, ab Hercule interfectum, & regionem direptam. Atq; Hylam infantem adhuc Theodomantis filium è cunis abreptum, in familia Herculis educatum, & ab Hercule adamatum, edoctum, ac tandem cum aquã peteret, raptum a nymphis.

Nihil agere.

Hæc loquendi formula, qua frequenter utuntur Juriſconſulti, habet neſcio quid proverbialis ſchematis, quo inanem & fruſtraneam alicujus operam ſignificamus. Unde illud eſt Attilii, Satius fore otioſum eſſe, quam nihil agere. Refert Plin. Junior ad Minutium Fundanum epiſt. 9. Satius eſt enim (inquit) ut Attilius noſter erudiſſime ſimul & faceſſiſſime dixit, otioſum eſſe, quam nihil agere. Juſtinianus Inſtitutionum juris libro primo. Quibus ex cauſis manumit. non licet: Is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit. Et ſane hic vere nihil agit, fruſtraque laborat debitor, qui conatur ſuos fraudare creditores. Nam ſi fraudati videantur, ipſo jure nihil erit quod agitur. Paulus de tutela & rationibus diſtrahendis, & utili curationis cauſa actione: Si filiusfamil. adhuc impubes tutelæ agat, nihil conſumitur. Martianus de liberis & poſthumis hæredibus inſtituendis vel exhæredandis vel præteritis: Si filio emancipato exhæredato, is qui in poteſtate eſt, præteritus ſit, ipſe quidem emancipatus & ſi contra tabulas petat; nihil agit, ab inteſtato autem & ſuus & emancipatus venient. Cajus de duobus reis conſtituendis: Ex duobus reis ſtipulandi, ſi ſemel unus egerit, alteri promiſſor offerendo pecuniam nihil agit. Lactant. Firmianus de falſa ſapientia libro tertio. Scientiam, inquit, ſibi non adimit, qui aliquid affirmat, ut cæteris adimat: ſed nihil agit. Apparet enim, ac furtum ſuum prodit. Plautus in Mercat. Doriph. Nil agis, Idem in Trinum. Nil agis, aliquot in locis dixit. Nihil igitur agere dicuntur, qui frivolis occupantur, quiq; Sorbonicorum frivolis argutiis conſumunt bonam ætatis partem, & effectus conatum non ſequitur. Aliud porro agere dicuntur qui non ſunt attenti. Quoſdam enim ſic obruunt humana negocia, ut ne cogitent quidem de vera fœlicitate. His nimirum tota perit vita. Cicero de Senectute: Nihil ergo agebat Q. Maximus, nihil L. Paulus cum Remp. conſilio defendebant? nihil agebant.

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis.

In eos, qui victos aut vita functos inſectantur aut lacerant, hic Virgilii verſus celebratur hodie, qui habetur 11. Æneidos:

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis.

hoc eſt, vita ſpoliatis, mortuis. Itidem proverbialis Planci ſententia: Cum mortuis non niſi larvas luctari. Demoſth. ad Leptinem: *ἔστι νόμος τῶν καλῶς δοκούντων ἔχειν Σόλωνος, μὴ λέγειν κακῶς τὸν τεθνεῶτα.* id eſt: Illa eſt ex legibus Solonis, quæ videtur recte habere, nemini defuncto maledicendum. Idem de coro ſcribit: mortuo ne hoſtiũ quidem ullum adverſari. Itidem de falſa legat. Greg. Theol. lib. 3 Sentent.

Ξείνων φείδεο πάντων· ἀτὰρ ἐξόχα τῶνδε,
Οἳ τὰ δὲ πάντα λιπόντες ...

Parce peregrinis: ſed inanibus æthere caſſis,
Hic qui liquerunt omnia, parce magis.

Ludere operam.

Proverbialis locutio in laborantem inaniter. Terentius in Phormione: In illis opera luditur, hoc eſt, perditur & fruſtratur. Uſus eſt quoque Lucianus in Martis & Mercurii dialogô. & Plautus in Pſeudolo:

In pertuſum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.

Idem in Caſſina:

Si nunc me ſuſpendo, meam operam luſerim.

Antiqui enim dicebât, operam ludimus qui Latinitatis authores, cum fruſtra aliquid fieri putabant. [Huic convenit illud ex Chiliad. Fruſtratus conchus.]

Cum diis ne contende.

Hæc admonitio cum aliis poëtis, tum gnomographis frequentiſſima eſt, atq; noſtris hominibus familiariſſima. Quam Theognis ſic expreſſit:

Οὐκ ἔστι θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι
Οὐδὲ δίκην εἰπεῖν οὐδενὶ τοῦτο θέμις.

Jacob vero Schegkius Latino carmine ſic:

Nulli cum ſuperis homini contẽdere fas eſt,
Pro jure hanc litem nemo probare volet.

Eraſmus cum hanc ſententiam explicaret in proverbiis, Cum diis pugnare, &c. Cum diis non pugnandum: miror quomodo ſilentio præterierit hoc Theognidis diſtichon, cujus oracula lubens frequenſq; citare ſolet, ac interpretari in magno illo Adagiorum opere. Eccleſiaſticus dicit cap. 4. Noli reſiſtere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fulminis. Scribit etiam Laertius Xenophanem dixiſſe, cum tyrannis aut minime, aut quam ſuaviſſime congrediendum. Plautus in Caſſina. Stultitia eſt ei te eſſe triſtem, cujus poteſtas plus poteſt.

Si ſolus ſapias, nempe quis uſus erit.

Hæc ſententia eſt frequentiſſima, ſed ab authoribus varie explicatur. Theognis ſic:

Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον, εἴ τι περισσὸν
Εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν,
Ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν·
Τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;

Hos autem quatuor verſus Scip. Carteromachus in Græcarum literarum encomio hoc modo vertit:

Muſarum interpres ſi quid ſapientius unquam
Noverit, invidia ſit procul inde mala;
Nunc q; alia inveſtiget, nunc monſtret, plurima condat:
Si ſolus ſapiat, nempe quis uſus erit?

Horatius 4. Carm. Odyſſ. 9. ita:

Parum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus. ———

Huc videtur alluſiſſe Terentius, cum ait in Phorm. Non ſat eſt tuum te officium feciſſe, id non fama approbatur. Simile eſt illud: Occultæ muſicæ nullus eſt reſpectus. Quod authore Suetonio Nero jactabat: cujus etiam meminit Gellius lib. 12. Egregiæ prorſus ſententiæ, quas vellem edidiſſent a teneris annis, diligenter expendiſſent apud animum ſuum pleriq; que, qui quicquid erudi-

eruditionis unquam comparaverunt, ita domi reconditum aſſervant, ut dicas miſeros homines ſibi tantum natos, imo continuo invideant, ſi quem viderint ad id aſpirare, quo ſe cæteris præcellere perſuaſum habent. Juxta hæc, eſt indignatio cum ironia in eum qui virtutem ſuam nihil quicquam prodeſſe credit, ſi illam ipſam occultet. Perſius ſatyra j.

—Uſque adeone (inquit)
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Regreſſio eſt locutionis figura, quæ fit quandoq; in eodem ſenſu, quandoque etiam in diverſo, cum eadem verba ponuntur.

Aranea telas texere.

Fertur & hoc Eſaiæ cap. 59. Araneæ telas texuerunt. hoc eſt, opera eorum ſplendent, & ſanctitatis magnam ſpeciem habent, quum revera ſint aranearum telæ, artificioſiſſime elaboratæ, ſolis muſcis irretiendis aptæ, ſed quæ ab avibus facile diſcinduntur. Opera itaq; eorum inutilia ſunt nec alicui futura uſui. Latinis quoque locutio hæc eandem vim habet, & operam inanem ſignificat.

Aſino caput ſapone lavare.

Apud vulgares noſtros in frequenti eſt proverbii cõſuetudine: Aſino ſi caput laves, totum id quod impendas, amittis. Finitima ſunt illi [illegible] id eſt: Aſini caput ne laves nitro. [illegible] id eſt: Ollam variegare.

Fruſtra legit, qui non intelligit.

Dicimus in conſuetudine, Fruſtra legit, qui non intelligit. Idq; ex libello incerti authoris, qui inſcribitur Cato, de præceptis vitæ communis: Præcepta mea, inquit, ita legas, ut intelligas. Legere enim, & non intelligere, negligere eſt, hoc eſt, non legere eſt. Ex libris autem cito diſcitur, quod longo vitæ uſu vix aſſequi queas. Sed quod legeris, intellige, & memento. Nam quidam onerant ſe lectione, alia ſuper alia ingerentes, neque quicquam memoriæ ſubſcribunt.

Nihil opus verbis.

Uſitatum genus Lucretio, lib. v. ſic inquit:

Quod ſupereſt, humore novo mare, flumina, fontes
Semper abundare, & latices manare perennes,
Nil opus eſt verbis, magna decurſus aquarum
Undique declarat &c.—

Dolium pertuſum.

Quæ extant apud Feſtum de dolio pertuſo, mutilata ſunt. Hæc tantum ſunt integra: Pertuſum dolium dicitur, cum ventrem ſignificat. Pertuſum eſſe Danai filiarum dolium ferunt, Lucretius lib. 3.

Hoc (ut opinor) id eſt, ævo florente puellas,
Quod memorant, laticem pertuſum congerere in vas,
Quod tamen expleri nulla ratione poteſtur.

Horat. Odyſſ. 11. lib. 3.

Audiat Lyde ſcelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane Lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata.

Idem Lucretius eodem libro tertio.

Et non omnia pertuſum congeſta, quaſi in vas
Commoda perfluxere, &c.—

Idem libro ſexto in principio:

Partim quod fluxum, pertuſumque eſſe videbat,
Et nulla poſſet ratione expleriet unquam.

Memorem monere.

Notum proverbium hoc, Memorem mones, ſeu admones, etiam ex ipſo Eraſmo. Plautus Sticho: Capti conſilii memorem mones. Lucret. lib. 3.

Denique Democritum poſtquam matura vetuſtas
Admonuit memorem, motus langueſcere mentis,
Sponte ſua letho caput obvius obtulit ipſe.

Eo reſpicit Cyrillus catechſi 24. cum dixit: Apud intelligentes enim auditores ſufficit vel admonitio tantum ad doctrinam.

Ventis verba profundere.

Sic loquuntur poetæ, quum ſignificare volunt, verba ad auditorum aures non pervenire, neque in eorum animo penitus inſidere, ſed negligi, aut etiam reſpui. Lucret. libro quarto:

Tu fac ne ventis verba profundam.

Horatius ode xxvj. lib. j.

Muſis amicus, triſtitiam, & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis, &c.—

id eſt, triſtitiam, & metum ex animo ejiciam, ægritudines & curas omnes pellam, deponam, delebo, aut negligam, aut illas obliviſcar. Catul. de Pelei & Thetid. nupt.

Quæ cuncta aerii diſcerpunt irrita venti,

Ibidem:

Irrita ventoſa ventoſæ linquens promiſſa puellæ.

Idem ad [illegible]talum:

Ne tua dicta vagis ne quicquam credita ventis,
Effluxiſſe meo forte putes animo:

Idem ad Alpheum:

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre ad nebulas aerias ſinis

Sic poetæ Græci. Homerus Odyſſ. θ. Anacreon pluribus in locis, & Apollon. libro primo Argonaut. Plura exempla ſi deſideras lege quæ annotavimus ad illud adagium Catulli, ſupra, In vento & rapida ſcribere aqua.

Invita Venere.

Inanem conatum aut fruſtra ſumi operam ſignificantes, his utuntur parœmiis: Invita Venere, Invita Minerva, invita Delia, & invitis canibus. Non enim ſat feliciter ſuccedit, quod illis invitis extorquetur & fit. Plutarchus in Catone Uticenſi: In cœnis cum ſorte partes dividerentur, & ipſi ſors nõ faveret, amicis nihilominus ei optionem deferentibus reſpondit. Non convenire hoc, invita Venere. Et initio quidem ſemel tantum in cœna bibebat, &c. Venereus autem talorum jactus, fortunatiſſimus fuit. Solebant enim in conviviis archipoſiam, id [illegible], magiſterium bibendi talis ſortiri. Cujus rei mentio cum apud alios fit crebra, tum apud Horat. ut ad Seſtium:

Nec regna vini ſortiere talis:

Et ad Pompeium:

—Quem Venus arbitrum,
Dicet bibendi?—

Hoc modo etiam partes ciborum fuiſſe ſorte ductas, hinc apparet. Venerei jactus fit mentio apud Lucianum & de amoribus, item in Saturnalibus.

Sine cera inutilia verba audire.

Lucianus de ſaltatione: Cratonus: Quanquam mihi in præſentia ocium non eſt, in amentem hominem auſcultandi, ſuum ipſius morbum laudibus efferentem: attamen ſi nugis & inanibus fabularum commẽtis me opplere tibi conſultum factu viſum eſt, paratus ſum in hoc tibi officioſe inſervire, & aures præbere, vel ſine cera inutilia verba obaudire valens. Quare compreſſa voce hanc tibi operam dabo. Dic vero quodcunque animo tuo libitum fuerit, quaſi nemine auſcultante. Natum ab Ulyſſis cera, qua ſuas & ſociorum aures obturabat. Vide apud Eraſm. noſtrum: Ceram auribus obdere.

Per rupes projecto ſemine ſteriles.

Idem in Amoribus: Voluptas quæ nihil non audet, naturam ipſam contempta lege violavit. Convenit autem in unum lectum una eademque natura: ac ſeipſos inter ſe mutuo aſpicientes, neque eorum quæ faciunt, neque quæ patiuntur, pudore afficiuntur. Per rupes autem, ut dici ſolet, ſteriles projecto ſemine, permutatione facta pro modica voluptate magnam accipiunt infamiam.

Lapidem elixare.

Verum ego cognoſcens ei perſuadere idem eſſe, ac lapidem, quod dicitur, elixare, &c. Eraſmus noſter interpretatus eſt, λίθον ἕψεις: id eſt, lapidem decoquis: ex Ariſtoph. inter ea quæ inanem ſignificant operam.

De pilis lutove diſceptare.

Plato in Parmenide. Utrum de iis etiam dubitaſti, ô Socrates, quæ ridicula forte quis putet, ſicut de pilis lutove, & macula, & aliis ignobiliſſimis rebus atque viliſſimis? Eraſm. noſter, De lana caprina: &. De fumo: Junius, Lutea progenies.

Per longas ambages fruſtra vagari.

Sed per longas ambages fruſtra vagati ſumus. Non diſſimiliter ibidem dicitur. Atque in his omnibus noſmetipſos deterruimus, metuentes ne forte in ſupervacuis diutius verſaremur.

Diis invitis.

Proverbium fuiſſe videtur quo uſi ſunt poetæ, exprimentes Homericum illud, ἀέκητι θεῶν Catullus.

Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis.

Idem in ſeipſum:

Quin tu animum offirmas, atque iſthinc uſque reducis,
Et Diis invitis deſinis eſſe miſer?

Pindarus οὔτε θεός, οὔτε βροτός, dixit, id eſt, Nec Deus, nec homo. Quod Horatius ſic expreſſit:

Diis hominibuſque invitis,

Vide his diverſa in Sylloge noſtra, Diis ſecundis, &c.

COELII RHODIGINI.

Platano aſſimilis.

De eo quem, quum ipſius opera utamur ſæpe, liberi tamen incommodis, habemus deriſui, convellimus, perditum quandoque volumus: mox nihilominus neceſſitate deprehenſi, eodem recurrentes. Platanus umbræ gratia, tantum ex alieno petita eſt orbe. Item dicebat de ſeipſo Themiſtocles. Teſtis eſt Ælian. lib. 9. de var. hiſtor.

Similis cupreſſo.

Quæ pulchra quidem ſunt, ſed fructu omnino carent. Nam cupreſſis natura moroſa, fructu etiam ſupervacua eſt, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratioſa. Plin. Vide Cælium ipſum lib. 25. cap. 2.

Ætneus venator.

De his qui in vita, ut ajunt, Delia venantur, captant ſemper, capiunt nihil. Cauſa proverbii eſt, quod in Sicilia apud Ætnam canes ſagaces odoratu careant, ob frangrantiam odorum, ſiquidem coronamenta ibi aeris, ferarum deflexũ diluunt ita, ut evaneſcat.

VIRGILII. *Aerem verberare.*

De inani opera. Cum enim aër iſtum non admittat, fruſtra laborat, qui ferit. 1. Corinth. 9.

Ædificant domos, & non habitabunt.

In eos qui tempeſtive ea moliuntur, unde nullum perceptui ſint fructum: ut ſi quis decrepitus Græcis aut Hebræis totum ſeſe det, aut iis artibus, quæ juveni ad altiora viam ſternunt. Sophon. 1. Eodem e fonte metaphoræ duxit: Hic cœpit ædificare, non potuit conſummare: in eos, qui a conſilio prudenter inito, aut recto vitæ inſtituto temere reſiliunt; in omnes denique inconſtantes. Luc. xiiij.

GODOFREDI. *Aſini vellera quæris.*

In inani labore ſeſe conficientes: vel in delicatos, nullum ſuæ curioſitati modum præfinientes: vel denique in dominos avaros & rixoſos, omnem à ſuis extorquendi occaſionem quærentes: Alexander ab Alexand. lib. 5. cap. 15.

BOVILLI. *Fidere unius noctis glaciei.*

Pro, inconſulte & temere ignoto homini & peregrino confidere, ea res enim non multo, ſæpe felicius cedit, quam audacia hominum tenellæ ſe glaciei committentium.

Culex lychno ſe committens aduritur.

Simile priori. Spe inani & futili alicujus boni, multi miſere lu-duntur & in præcipitium ruunt. Culex ſpecie nitentis flammæ illectus, velut colludens aliquamdiu circumvolitare ſolet: poſtea tamen aduſtus, miſerum ludo finem imponit.

Abſque oleo pingere.

Pro, frivolum quid moliri, quod brevi interitu artificis operam & ſpem fallat. Pictores, prius quam ad colores pergant, oleo liniunt tabulas, cujus viſco & tenaci glutino quodammodo vinciuntur colores, & durent.

Dumum cadam, ut tua ſint aves?

Cum ab Anglis obſeſſi Aurelii ſeſe Burgundo, qui Anglorum in caſtris agebat, dedere vellent, non Anglis: indignatus rex Anglorum: Dumum Burgundo, inquit, cædam, ut tu capias aves? Abiit hoc reſponſo offenſus Burgundus, cum Gallis pacem inire ſtatuit: intra tamen ea, crudeliter & perfide ad confluentem Sequanæ, à cognato mactatus eſt. Utemur eodem proverbio, quoties nos alii laboris præmio fraudare conantur. Ortum ab aucupibus, qui ut aves irretiant, iiſque potiantur, noctu ad ignis ſplendorem dumos concutiunt, & turbant.

GENTII. *In foribus urceum.*

Subaudi, fregit. In eos qui voti compotes fieri nõ potuerunt, & cum diu negocio aliquo deſudarint, finem tamen ſuum non conſecuti ſunt, exemplo illius, qui cum aquatum profectus domum reverteretur, in foribus urceum fregit, nec domum aquam pertulit. Luiſin. ibidem. Vide Chiliad. adag. In foribus urceum.

INÆQUALIS PENSATIO.

ERASMI. *Ne verba pro farina.*

Μὴ λόγους ἀντ' ἀλφίτων:

Id eſt.

Ne verba pro farinis.

Adverſus eos jaciebatur, qui beneficium verbis, non re dabant. Qui fere magnatum mos eſt, uti ſuos ſplendidis promiſſis alant. Bene autem admonet in Pandectis Pomponius juriſconſultus peculium re, non verbis augendum eſſe. Quadrabit item in eos, qui beneficium pollicitis rependunt: aut qui conſolantur oratione, cum auxilio ſit opus. Veteres quicquid ad victum pertineret, ἄλφιτα vocabant. Apparet è comœdia quapiam ſumptum: eſt enim hemiſtichium carminis jambici trimetri. De proverbio Ariſtophanico, δὶς ἐκ τοῦ ἀφ τα, dictum eſt alias.

Pro perca ſcorpium.

Ἀντὶ πέρκης σκορπίον, id eſt, Pro perca ſcorpium. Ubi quis optima captans, peſſima capit. Nam perca piſcis eſt vel maxime laudatus, cujus identidem meminit Athenæus, golonum delicias recenſens. Scorpius lethalis: quanquam eſt & piſcis hujus nominis contempti ſaporis, de quo magis ſentire videtur adagium. Simili figura dixit Lycophron:

Ὁ δ' ἀντὶ πιπποῦς σκορπίον λαμῶν πτάμενος.

Id eſt,

Ad ſcorpium ille gluttiens pipus vice.

Eſt enim pipo avis genus.

Umbra pro corpore.

Σκιὰ ἀντὶ τοῦ σώματος, id eſt, Umbra pro corpore. Quoties aliquis magnum quiddam videbitur aſſecutus, cum nihil ſ[...] adem autem ferat præter titulum, aut ſpes meras. Mutuo ſumptum ab Æſopi fabula de cane; qui dum umbram carnium, quod ea major appareret, captat, veras amiſit carnes. Eam quidem jambico carmine Gabrias quidam, utcunque complexus eſt hoc pacto:

Φέρων γε τεμνῶ κλεπίεν κύων κρέας.
Κύψας ἰαυτὸν, ἄλλα τις ὄψιν λέγει.
Χανὼν δὲ λοιπὰς ὧ ναπεῖ σοῖς κρέα.
Ἀπεστάτη κὸ ἃ, ὃ, ἀπ. εἶχεν.

Id eſt:

Juxta fluentem deferens carnes canis,
Dum ponit os in amne, conſpicit alteras:
Et hians dorſum, ut caſce carnes prenderet,
Amiſit has quoque, quas tenebat antea.

Palumbem pro columba.

Φάτταν ἀντὶ περιστερᾶς, id eſt, Palumbem pro columba. Subaudi verbum ad ſententiam accommodatum. In epiſtola Mormiæ neſcio cujus ad Chremetem: [Greek illegible] Φάτταν ἀντὶ περιστερᾶς, id eſt: Redemptam tibicinam quam forte amabat, ſponſæque ſtola amictam mihi induxit columbæ loco palumbem, ut ajunt, meretricem pro ſponſa. Uſus eſt Plato in Theæteto: λαβὼν ἂν φάτταν ἀντὶ περιστερᾶς id eſt: Si velut acciperat palumbem pro columba. Error eſt inte, non ipſa ſcientia. Palumbes autem columbis ſunt aſſimiles. Convenit, ubi quod deterius eſt & adulterinum, pro eo quod eſt præſtantius ac legitimum, ſupponitur.

Pilos pro lana.

Τρίχας ἀντ' ἐρίων: id eſt, Pilos pro lana. Proverbialiter apparet dicta etiam illa apud eundem poetam in Hodœporis, de re vehementer inæquali, aut de negocio ſupra modum abſurdo.

Τίς τρίχας ἀντ' ἐρίων [Greek illegible]
Αἶγας πρωτοτόκου [Greek illegible] ἀμέλγειν;

Id eſt,

Quis vice lanarum ſetos detondeat unquam?
Quis capra pro primipara vilem velit amens
Emulgere canem?—

Capra pilos habet potius quam lanam, ovis lanigera eſt. Hæc dicuntur in paſtorem, qui certaturus hœdum opponebat agno.

Pro malo cane, ſuem repoſcis.

Ἀντὶ κακοῦ κυνὸς σῦν ἀπαιτεῖς, id eſt, Pro malo cane ſuem repoſcis, id eſt, pro re vili precioſam. Sus enim eſculentus, canis haudquaquam veſcus eſt. Refertur a Diogeniano.

In parte vel ignem prædetur aliquis.

Ἐν τῷ μέρει τις καὶ τὸ πῦρ συλλαβέτω.

Id eſt,

Prædetur aliquis per vices ignem quoque.

Suidas admonet dictum de iis, qui parum æqua referunt in commune. Cum enim res communis commiſſa fuerit manibus unius aut paucorum, maxima pars penes eos hæret qui dividunt. Quid enim non prædetur, qui prædatur ignem? qui hic eſt natura communis, ut ipſe nihilomin' poſſideas, poſteaquam & alii fueris impartitus. Amicitia facit omnia communia: verum ubi ventum eſt ad partitionem, quiſque ſtudet quod poteſt rapere. Haud ſcio an ſcribæ vitio συλλαβέτω, depravatum συνδιέτω, et pertineat ad ænigma Pythagoræ.

Diomedis & Glauci permutatio.

Quæ refertur apud Homerum Diomedis & Glauci permutatio, in proverbium abiit, quoties inæqualem commutationem ſignificamus, hoc eſt, deteriora pro melioribus reddita χρύσεα χαλκείων, id eſt, Aurea pro æreis. Nam lib. Iliad. ſexto poeta Glaucum quempiam inducit, Hippolochi filium, Lyciorum ducem jactantiuſculum & oſtentatorem magis quam pugnacem. Contra Diomedem vafrum callidumque. Hi duo congrediuntur μονομαχήσοντες, id eſt, ſingulari certamine inter ſe dimicaturi. At Glaucus rogatus à Diomede, quiſnam hominum aut deorũ eſſet, lõga oratione natalium ſuorum ſeriem expoſuit, patriam Lyciam, civitatem Ephyram indicavit. Mox Diomedes, utpote Græcus, hominis barbari ſtuporem ex orationis arrogantia intelligens, illudendum magis ratus quam occidendum, reſpondit ſuis majoribus cum illis progenitoribus vetus hoſpitium ac neceſſitudinem interceſſiſſe, muneraque hoſpitalia, quæ xenia vocant, inter ipſos ultro citroque data. Jamq; defixa humi lancea, cœpit hortari, ut omiſſa pugna, majorũ ſuorũ amicitiã inter ipſos revocarẽt, alterque alteri in Lycia, alter in Argo hoſpitem præſtaret, ſimulatque incolumes in patriam rediiſſent. Interim ſi quando forte fortuna occurriſſent, armis invicẽ abſtinerent, inter ſe duntaxat religionem hoſpitii cuſtodiẽtes, in reliquos nihilominus jure belli uſuri. Tum: Ne id videamur, inquit, proditione magis, quam hoſpitii obſervantia facere, arma inter nos permutemus, quo reliquis exercitus intelligat, nos majorũ neceſſitudine devinctos eſſe. Quibus dictis uterq; ex equo deſilit, datis dextris, ac fide facta, vel-

uti fœdus quoddam hoſpiti ſanxerunt, permutatis armis, ſed admodum inæqualibus.

Ἔνθ' αὖτε γλαύκῳ,

Inquit Homerus:

Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι'
Ἐννεαβοίων.

Id eſt:

Juppiter hic ſtupidum ſpoliavit pectore Glaucum,
Qui cum Tidide mutarit protinus arma, &
Aurea donarit, ſibi reddenti ærea, centum
Bubus emenda daret demens, pro vilibus, atque
Quæ vix eſſe novem dicas redimenda juvencis.

Uſurpatum eſt adagium paſſim à laudatiſſimis authoribus. Plato in Phædro faciens Socratem Alcibiadi ſuo more reſpondentem, quod lucri cupidus formā corporis, forma mentis meliore cōmutare vellet: καὶ τῷ ὄντι χρύσεα χαλκείων διαμείβεσθαι νοεῖς. id eſt: Et cum his quæ vere aurea ſunt, æreis commutare cogitas. Quanquam interpres pro æreis, vertit aurichalcum. Item Ariſtot. v. Moral. lib. De juſtitia: Qui vero dat ſua, quemadmodum Diomedi arma ſua dedit Glaucus, ut dicit Homerus, χρύσεα χαλκείων. & reliqua. Plutarchus adverſus Stoicos ſcribens, eleganter huc torquet, ut dicat, non admodum iniquam fuiſſe permutationem Glauci, propterea quod arma ferrea non minus uſui ſint pugnaturis, quam aurea: ſed qui corporis valetudinem anteponit honeſto, aut virtutem relinquit ob bonam corporis valetudinem, is vero permutat, χρύσεα χαλκείων. Cicero in Epiſtolis ad Atticum libro ſexto. Habes ad omnia non ut poſtulaſti χρύσεα χαλκείων, ſed paria paribus reſpondimus. Utrunque proverbium eſſe ſignificat Cicero, par pari, de æquali penſatione: χρύσεα χαλκείων, de inæquali commutatione. Plinius junior in epiſtola ad Flaccum: Recipies epiſtolas ſteriles, & ſimpliciter ingratas, ac ne illam quidem ſolertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Martialis in Epigrammatis:

Tum ſtupidus nunquam nec tu puto Glauce fuiſti,
Χρύσεα donanti, χάλκεα qui dederas.

A. Gell. Noct. Attic lib. ij. Cæcilianam tranſlationem, cum ipſo Menandro, quem verterat, componens atque expendens, oſtendenſque quantum à Græcanica venuſtate degeneret: Diomedis, inquit, hercle arma & Glauci, non diſpari magis precio æſtimata ſunt. Fit hujus adagii mentio etiam in prœmio Pandectarum juris Cæſarei, his quidem verbis: Noſtris temporibus talis legum inventa eſt permutatio, qualem apud Homerum, patrem omnis virtutis, Glaucus & Diomedes inter ſe faciunt, diſſimilia permutantes. Hactenus Juſtinianus, homo (ut ingenue dicam) nimium φίλαυτος, ſibique plus æquo placens, qui centones illos ſuos, & inæquales legum rhapſodias, tot eruditiſſimorum virorum integris voluminibus prætulerit. Jam vero nihil quidem admiror, ſed maximopere me pudet, haud ſcio cujus interpretis in eum locum commenti. Quid enim mirum, ſi hoc ignoratum eſt ab iis, qui ſemel univerſam contemnūt antiquitatem: Cæterum pudenda eſt vel ipſi juris profeſſione pluſquam ſcurrilis impudentia, in eo qui juris interpretem profiteatur, non vereri in re prorſus ignota, fabulam inſulſiſſimam, non ex autoribus, ſed è ſomniis adferre. Maxime autem & pudet, & miror inventi doctores, qui nugamentum, non dicam tam indoctum, ſed tam abſurdum, in publicis ſcholis perinde quaſi præclarum inventum ſerio doceant: nec vel illud animadvertant, figmentum minime convenire cum verbis Juſtiniani: Nam ille ſignificat, pro relictis inutilibus ac faſtidiēdis voluminibus, recepta tum meliora, tū breviora: hoc eſt, permutationem factam vehementer inæqualem. Iſte quiſquis fuit, fabulam commentus eſt, æqualia permutantium: nimirum utroque donante quod ſuperaret, recipiente cujus egebat. Eo conveniet uti, quoties officium aut munus longe impari munere penſatur, aut contra. Aut quoties aliquis rem pecuniariam auxit, ſed diſpēdio famæ: magiſtratum aſſecutus eſt, ſed jactura bonæ mentis: ſantam fortunam reperit, ſed amiſit animi tranquillitatem. Admiſſus eſt in amicitiam principis, ſed excidit ab amicitia Chriſti.

Si vinum poſtulet, pugnos illi dato.

Ἂν οἶνον αἰτῇ, κονδύλους αὐτῷ δίδου.

Id eſt.

Si vina poſcat ille, pugnos porrige,

Ubi pro bonis rebus expectatis, diverſa accipiuntur. Sumptus eſt hic ſenarius è tragœdia quapiam, de Cyclope & Ulyſſe. Eſt autem notiſſima fabula, quemadmodum apud Homerum Ulyſſes Polyphemo Cyclopi vinum petenti ſubinde porrigit, quo ſimulatque jam temulentus ſopituſque jaceret, palo præuſto oculū illi perterebravit. Putant metaphoram à pueris ductam, qui petentes non petenda, nonnunquam colaphos recipiunt. Terentius in Phormione: Pugnos in ventrem ingere. Pugnos plagas ipſas vocat, itidem ut Græci κονδύλους. Adagium refertur a Suida.

INCERTUS EVENTUS.

Mars communis.

Incertum ac varium belli eventū notabant hoc dictō, ἄρης κοινὸς, id eſt, Mars communis. Sumptum eſt ex Homerica Iliad. σ.

Ξυνὸς ἐνυάλιος καί τε κτανέοντα κατέκτα.

Id eſt,

Communis Mars, inque vicem perimit perimentem

Quod dictum Ariſtoteles libr. Rhetor. ij. inter proverbiales ſententias commemorat. Rurſus eodem:

Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Id eſt:

Nunc his nunc illis contingit vincere.——

Titus Livius belli Punici lib. x. Cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemque belli communem propone animo: utrinque ferrum: corpora humana erant: nuſquam minus quam in bello eventus reſpondent. Rurſus ab Urbe cond. lib. viij. Quid illum facturum fuiſſe, ſi (quod belli caſus ferunt, Marſque communis) adverſa pugna eveniſſet? Iterum eodem libr. Noſtra certamina Romani, non verba legatorum nec hominum quiſpiam, diſceptator, ſed campus Campanus, in quo cōcurrendum eſt, & arma, & communis Mars belli decernet. Et in eodem alias: Ibi in conciliis Numitius imperator eorum, affirmando communem vere Martem belli, utramque aciē pari cæde proſtraviſſe, &c. Rurſum libro ab Urbe cond. ſeptimo, Samnitium, inquit, bellum ancipiti Marte geſtum. Apud eundem frequens eſt, Æquo Marte diſceſſum eſt: quoties neutri parti ceſſit victoria. M. Tullius Philippica xj. Sed ut concedam incertos exitus eſſe belli, Martem communem, tamen pro libertate, vitæ periculo decernendum. De Marte communi nonnihil attigimus in proverbio, Omnium rerum viciſſitudo Porro ἐνυάλιος Homero Mars dicitur, ab ἐνυῷ quam belli fortunam eſſe putant.

Inter os & offam.

Latinum eſt hujuſmodi: Inter os & offam. Quod à cibis ſumendis ſumptum eſt, quemadmodum Græcanicum illud à potu. Nam olim Romani victitabant offis: ut teſtis eſt Valerius Max. Itaque perinde valet, Inter os & offam: quaſi dicas, inter os & cibum. Porro proverbium refertur apud Gellium ex oratione quadam Catonis, de ædilibus vitio creatis, his quidem verbis: Nunc ita ajunt, in ſegetibus & in herbis bona frumenta eſſe. Nolite ibi nimium ſpem habere. Sæpe audivi, inter os & offam multa intervenire poſſe. Verum inter offam atque herbam, ibi vero longum intervallum eſt. Feſtus ita refert adagium: Inter manum & mentum.

Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.

Sulpitius Apollinaris grammaticus apud Aulum Gellium in Noctibus Atticis lib. xiij. cap. xvij duo quædam Adagia notat, alterum Græcum, alterum Latinum: quorum amborum eadem ſit ſententia: Græcus eſt verſiculus, inquit, hexameter παροιμιώδης Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

Id eſt:

Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.

Quo monemur, nihil tam certum ſperari, neque quicquam tam eſſe vicinum, quod non repentinus aliquis caſus queat intervertere. Adeoque non eſſe tutum venturis fidere, ut vix etiam illa ſint certa, quæ manibus tenemus. Originem adagii quidam ad hujuſmodi fabulam referūt, Ancæus Neptuni & Aſtypaleæ Phœnicis filius cum vitem ſereret, graviterq; miniſtris inſtaret, urgeretque: quidam operis tædio commotus in herum, negavit futurū ut ex ea vite herus unquam vinum guſtaret. Poſt ubi vitis proveniſſet feliciter, atq; uvæ maturuiſſent, herus exultans ac geſtiens, ſervum eundem accerſit, atque ut ſibi vinum infundat jubet. Deinde jam calicem admoturus ori, ſervo quæ dixiſſet, redegit in memoriam, quaſi vanam exprobrans divinationem. At ille ſententiam hanc hero reſpondit: Inter calicem ac ſumma labra, multa poſſe intervenire. Servili ſententiæ favit eventus. Nam inter loquendum priuſquam ille vinum hauriret, alter quidam miniſter ingreſſus, nunciat vinetum ab apro quopiam immani vaſtari, Quibus auditis Ancæus depoſito poculo, protinus in aprum fertur, à quo inter venandum percuſſus interiit. Uſurpavit hoc adagii Lycophron in Iambicis,

Ἐγὼ δὲ τλήμων τοῦ κακοῦ μαθὼν ἴχνος,
Ὡς πολλὰ χείλους καὶ δὲ κυλικείου σκάφους
Μέσον κυλίνδει μοῖρα παμμήτωρ βροτῶν.

Id eſt,

Miſer aſt ego meo dicta cognoſcens malo,
Ut plurima inter poculum ac labrum ſolet
Vertiſſe fatum, res agens mortalium.

Interpres citat Ariſt. autorem, qui & ipſe de Ancæi fabulæ meminerit, in qua illud variat. Ancæo vitem inſtituenti, vatem accerſitum quempiam prædixiſſe, nō futurum unquam, ut ex ea vinum guſtaret: & expreſſo in calice vino, vatem irriſiſſe tanquam ψευδόμαντιν. Reliqua conveniunt cum iis, quæ ex aliorum retulimus commentariis. Feſtus Pompeius ab augure quopiam vicino, qui forte præterierit, prædictum indicat. Lycophron autem aliò detorſit, nempe ad Agapenorem patrem, & Ancæum Actoris & Eurythemiſtidis filium, & ad aprum Calydonium. Dionyſius apud Zenodotum, mavult parœmiam ad Antinoum referre, de quo meminit Homerus in Odyſſ. xxij. Is Antinous erat unus ex procis Penelopes: cui poculum tenenti, jamque bibere paranti, Ulyſſes jugulum telo transfixit. Atque ita manibus elapſo poculo, concidit atque interiit. Sed non abs re fuerit, Homericum carmen adſcribere:

Ἦ, καὶ ἐπ' Ἀντινόῳ ἰθύνετο πικρὸν ὀϊστόν.
Ἤτοι ὁ καλὸν ἄλεισον ἀναιρήσεσθαι ἔμελλε,
Χρύσεον, ἄμφωτον, καὶ δὴ μετὰ χερσὶν ἐνώμα,
Ὄφρα πίοι οἴνοιο, φόνος δέ οἱ οὐκ ἐνὶ θυμῷ
Μέμβλετο· τίς κ' οἴοιτο μετ' ἀνδράσι δαιτυμόνεσσι,
Μοῦνον ἐνὶ πλεόνεσσι, καὶ εἰ μάλα καρτερὸς εἴη,
Οἱ τεύξειν θάνατόν τε κακὸν καὶ κῆρα μέλαιναν;)
Τὸν δ' Ὀδυσεὺς κατὰ λαιμὸν ἐπισχόμενος βάλεν ἰῷ,
Ἀντικρὺ δ' ἁπαλοῖο δι' αὐχένος ἤλυθ' ἀκωκή.
Ἐκλίνθη δ' ἑτέρωσε, δέπας δέ οἱ ἔκπεσε χειρὸς
Βλημένου, αὐτίκα δ' αὐλὸς ἀνὰ ῥῖνας παχὺς ἦλθεν
Αἵματος ἀνδρομέοιο ——

Id eſt,

Telum hæc fatus, in Antinoum contorſit amarum.
At pulchram is pateram jamjam tollebat, utrinque
Auritam, atque auro nitidam, jamjamque manu illam
Admorabat uti biberet: neque pectore cædem
Volvebat pavido (quis enim fore crederet unquam
Unus ut in tanto convivarum agmine, quanquam
Viribus anteeat, mortem ſibi nigraque fata
Molitetur?) at huic jugulum confixit Ulyſſes
Tollenti calicem, jaculum penetravit acutum,
Et contra e cervicibus exiit ærea cuſpis.
Volvitur in latus ille, calix ſimul excidit icto
E manibus: mox inde cruor de naribus ingens
Emicat. ——

Nec alienum arbitror hoc loco meminiſſe, quod Julio Cæſari velut exprobranti vaticinii vanitatem, reſponſum eſt, Veniſſe calendas Martias, non etiam præteriiſſe.

In herba eſſe.

Ubi ſpem immaturam indicamus, ac longius adhuc abeſſe ut cõſequaris, in herba eſſe dicimus. Sumpta metaphora à ſegetibus, teneris adhuc & herbeſcentibus, de quibus nihil adhuc certi ſibi poſſit agricola polliceri: propterea quod plurimi caſus ſolent incidere, qui non ſinant cultorem optato potiri. Verum ubi jam demeſſam ſegetem in horrea convexit, tum demum utcunque tutũ eſt bene ſperare. Ovidius in epiſtola Helenes ad Paridem:

Sed nimium properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt:
Hæc mora ſit voto forſan amica tuo.

Perſius in ſatyra ſexta.

E mole, quid metuis? occa, & ſeges altera in herba eſt,

Cornelius Tacitus in dialogo De oratoribus, in herba, dixit: pro eo quod eſt, momentaneum moxque periturum, quia ante tempus decerptum. Agit illic de plauſu, qui datur poetis recitantibus ſua carmina: Omnis, inquit, illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcerpta, ad nullam certam & ſolidam pervenit frugem: nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut manſurum in animo cujuſquam beneficium, ſed clamorem vagum & voces inanes & gaudium volucre.

Neſcis quid ſerus veſper vehat.

Neſcis quid ſerus veſper vehat.

Ex Menippeis Varronis ſatyris citatur hic titulus, tum ab A. Gellio, tum a Macrobio: neque dubitandum, quin proverbialis, ſicut ſunt & alii plerique. Quo ſalubriter admonemur, ne præſentium ſucceſſuum proſperitate ſublati, futuri curam abjiciamus. Neque ulla de re ſecuri ſimus, prius quam exitum viderimus. Idem hodie quoque vulgo dicunt, Diem nondum ad veſperam decurriſſe: cũ ſignificant, diverſum exitum poſſe accidere. Apparet Maronem ad parœmiam alluſiſſe, cum ait primo Georgicorum libro:

Denique quid ſerus veſper vehat.

agens de prognoſticis occaſus. Poteſt referri & ad illam Solonis ſententiam, ὅρα τέλος μακροῦ βίου id eſt: Specta finem longæ vitæ. Titus Livius decadis v. libr. v. In ſecundis rebus nihil in quenquam ſuperbe ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, quum quid veſper ferat incertum ſit. Huc alluſit Philippus rex apud eundem Decadis 4. lib. 9. quum Theſſalis reſpondens minacem clauſulam adjecit, Nondum omnium dierum ſolem occidiſſe.

Nullo ſcopo jaculari.

Ἄσκοπα τοξεύειν, id eſt, abſque ſcopo jaculari dicuntur, qui nihil certi propoſitum habent quod ſequantur, & ad quod inſtituti conſilii que ſui rationes referant, Lucianus in Toxaride [illegible] i. e. Quoniam in præſentia nullo propoſito ſcopo jaculati ſumus, denuo, alterno arbitrio, alia amicorum paria apud illum referamus. Perſius ſatyra tertia:

Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris corvos, teſtaque lutoque?
Securus: quo pes ferat. ——

Si crebro jacias, aliud alias jeceris.

Ariſtoteles in libello De divinat. quæ fit ex inſomniis, verſum hujuſmodi proverbialem citat: [illegible]

Si crebro jacias, aliud alias jeceris.

Quo ſignificatum eſt, oportere rem ſæpius tentare, neque defatigari protinus, ſi quando parum ex animi ſententia ceciderit. Futurum enim ut iterum atque iterum periclitanti, felicius aliquando cadat. Ariſtot. verba ſunt hæc: ὥσπερ γὰρ καὶ λέγεται ἂν πολλὰ βάλλῃς, ἄλλοτ' ἀλλοῖον βαλεῖς. Agit autem de inſomniis melancholicorum, in quibus non exiſtimat eſſe divinationem ullam: tametſi fit nonnunquam, ut quidam eventus ſomniis illorum reſpondeant: ſed non eſſe mirandum, cum vitio naturæ plurima ac varia ſomnient, aliquando exiſtere συμπτώματα, id eſt, caſus qui forte pariter ſic eveniant, ut eſt ab illis ſomniatum. Themiſtius hunc locum ſic circumloquitur (interprete Barbaro, nam Græcus codex ad manum non erat): Inani qui totum diem jaculantur, aliquando collimant, & præmium capiunt. Vetus adagium eſt: Si ſæpe jactaveris, aliquando Venerem jacies. Sunt qui putent, nec id ea quidem ſententia abſurde, metaphoram à ſagittariis, non ab aleatoribus eſſe ductam. Nam & hoc ſignificat βάλλειν. Subeſſe vero argutiam in eo verbo, quod in priore parte ſignificat mittere ſagittam, in poſteriore ferire. Fit autem ut qui crebrius jaculentur, vel fortuito aliquando ſcopum attingant. Tametſi M. Tullius lib. de Divinat. 2. de ſymptomatis agens, de quibus modo dictum eſt a nobis, ad utrumq; refert metaphoram. Quis eſt enim, inquit, qui totum diem jaculans, non aliquando collineet? Totas noctes ſomniam*, neque ulla fere eſt qua non dormiamus: & miramur aliquando id quod ſomniamus evadere? Quid eſt tam incertũ, quam talorum jactus? Tamen nemo eſt, quin ſæpe jactans, Venerem jaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum ac tertium. Porro Veneris jactum in hoc luſus genere fuiſſe quondam felicisſimum, palam arguit apud Suet. Octavius Auguſtus in epiſtola quadam ad Tiberium: Inter cœnam, inquit, luſimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quiſque canem aut ſenionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat. Hactenus Auguſtus. Quadrabit & in eos qui caſu, non arte quippiam aſſequuntur. Extat & hodie vulgo jocus proverbialis in cæcum qui cornicem jaculo fixerit.

IVNII. *In Ceo quis dies.*

Ἐν Κῷ τίς ἡμέρα, id eſt, In Ceo qui dies. Heſychius annotat eſſerri proverbium de rebus dubiis, haud certo compertis, ἐπὶ τῶν ἀδήλων: quod in Ceo inſula non haberent ſtatas ferias, ſed pro arbitrio quiſque ſuo eas celebrarent, ubi commodum eſſet. Inde etiam proverbiale dictum manavit: Tibi ipſe calendas edicito: de quo alibi egimus.

Nec vola nec veſtigium.

Extat apud Varronem in [illegible]: Hæc Numa Pompilius fieri ſi viderit, ſciet ſuorum inſtitutorum nec volam nec veſtigium apparere. Et iterum in Cynicis [illegible]: Quorum in ſepulchris nec vola nec veſtigium extat. Utrunque citatur à Nonio Marcello. Idem eſt cum illo Plautino: Nec pes nec caput ſermonis apparet. Huc pertinet illud Æſchili in Agamemnone fabula:

Καὶ τοῦ τελευτὴν κἀπὶ τἀρχῆς λόγου.

Id eſt:

Qui finis, aut quod naſcitur verbis caput?

Verba ſunt Electræ ad Agamemnonem. quo uti licebit, quum ita dicamus incertos nos eſſe quo evadat oratio, aut unde orta ſit.

Ignotius quam maris choes.

De re incerta nobis & incognita, aut de immenſa rerum copia vel ſumma, quarum inire numerum nequeas, dicetur Platonis illud in Theæteto, καὶ ἄλλως αὐτῶν οὐδὲν οἶδεν ἢ ὅσοι τῆς θαλάττης λέγονται χόες. id eſt. Horum ille nihilo plus ſcit, quam quot ſint in mari (juxta proverbium) aquæ congii. Simile eſt illud Martialis, Epigram. lib 6.

Oceani fluctus me numerare jubes.

Eſt autem Chus ſive Choa, idem quod Latinis Congius, ſenos capiens ſextarios menſura.

BRASSICANI. *Nondum omnium dierum Sol occidit.*

Elegans adagium eſt, quo Philippus apud Livium utitur decadis quartæ, lib. 9. Nondum omnium dierum ſolem occidiſſe: quando ſignificamus, finem rei nondum apparere, ad quem adhuc multis & incertis periculis perveniendum ſit.

IOANNIS VLPII. *Nihil deſperandum, & nulli rei fidendum.*

Nemo deſperet quod non habet, nemo confidat iis quæ habet. Seneca in Thyeſte:

Nemo confidat nimium ſecundis:
Nemo deſperet meliora lapſis.

COGNATI. Κύβος.

Pro ancipiti eventu κύβος, ut alea Latinis, ponitur. Unde proverbiale illud apud Æſchilum in 7. ad Thebas: [illegible] id eſt: Mars belli incertus: en judicabit. Iidem apud eoſdem Græcos [illegible] accipitur. Gregor. Theologus lib. 3. Sententiarum:

Τὴν

Τροχὸς γὰρ ἅρμα τις ὣς κυλισθεὶς ....
Ὁ μικρὸς τοῦ ... πολὺ ... βίο ...&c.

Id eſt:

Trochus eſt parum certus, parumque ſtabilis
Fallacis hujus curſus, & vitæ brevis, &c.

Eripuit Turno.

Et hic quoq; Virgilii verſus ex eodem duodecimo Æneid. proverbii vice, in multorum ore uſurpatur, quoties denotant etiam fortiſſimos quoſque in bello cadere, quos ſua virtus & armorum fiducia ſæpenumero fallit. Nam dextera etiam in ſacris literis pro potentia accipitur. Pſalm. 43. & 104. Dextera eorum, dextera iniquitatis. Ibidem: Brachium eorum non ſalvavit eos, ſed dextera tua. Hierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus. Deus enim hominum conatus diſſipat, qui eum ignorant: nec in eo, ſed in ſua virtute potius ſalutem & laudem quærunt.

Succeſſum fortuna, experientiam laus ſequitur.

Notum eſt multa conſulto & prudenter incepta, infœlicem ſortiri exitum: propterea quod rebus humanis dominatur fortuna, & maxime in bello, cum exitus bellorum ſint incerti. Verbi gratia, ſignificatum fuerit duci cuipiam, regionem quampiam maritimam facilem expugnatu, ſi mittatur manus, cum præſidio careat. Mittit claſſem bene inſtructam: ſed ſubita tempeſtate, aut igni, ſive cœleſti, ſive fortuito perit, aut in oppidum præſidio carens, ſeſquihora antequã oppugnatores adſint, præſidium mittatur, quod in procinctu ſtans miſſos repulerit. Expeditio utraque prudenter, ſed infeliciter cœpta fuerit. Sic L. Lælius apud Varronem in libro de Ratione vocabulorum, Aulo Gellio referente libro primo capite decimooctavo, cum per experientiam norit lepoſem alio vocabulo tunc à Græcis dici, & poſſe in latinum etymon adduci, laudavit Lælii Varro induſtriam & experientiam, ſed doluit ſucceſſum, quia præter ſpem inter priſca Græcorum vocabula compertum. Varronis autem ſententia apud Gellium hæc eſt: In quo non modo Lælii ingenium non reprehendo, ſed induſtriam laudo. Succeſſum enim fortuna, experientiam laus ſequitur. Sic Ovidiana Phyllis accuſat Thracas, qui Phyllidis conſilia à fine damnabant, ac de ipſa iniquius ante tempus pronunciabant, neque finem expectabant: quem expectari tamen, præter authoritatem Solonis ratio poſtulat. Nam ex eventu, qui ruptam à Demophoonte præſefert fidem, Phyllida contemnant, mutaturi iidem ſua verba, ſi diverſo eventu fides ſervabitur. Certe philoſophi eam probationem quæ eſt ab effectis, magni faciunt: contra, inconſtantem reputant illam, quæ eſt à communiter accidentibus. Quamobrem Phyllis per ironiam, Thracum verba repetit, purgatque ſe à fortuna,

Exitus acta probat: careat ſucceſſibus opto,
Quiſquis ab eventu facta notanda putat.

Succeſſum autem felicitatem & eventuum caſum, non finem intelligit. Seneca lib. De ira 3. cap. 7. nõ diſſimilem ſententiam profert: Itaque fit, ut frequenter irrita ſit ejus voluntas, qui non quæ facilia ſunt, aggreditur ſed vult facilia quæ aggreſſus eſt. Idem lib. 6. De benefic. cap. 2. Ut non debeam, ſatis eſt voluiſſe. Eraſmus noſter in declamatione, qua Lucianicæ reſpondet: Ergone, inquies, non magna facti pars eſt voluiſſe: quod quidem arduis in rebus vel ſolum ſufficere ſolet.

Omne futurum incertum.

Idem ibidem cap. 23. Per hoc etiã quod omne futurum incertum, & ad deteriora certius. Idem epiſt. 102. Nihil ſibi quiſquam de futuro debet promittere: nam craſtino non dominamur. Adhæc Chriſtus apud Lucam in Apoſtolicis actis cap. 1. diſcipulis ſuis dixit: Non eſt veſtrum noſſe tempora & articulos temporum, quos pater in ſua ipſius conſtituit poteſtate. Hoc in omnium ore eſt Demoſthen. ad Leptinem: τὸ μέλλον ἄδηλον πᾶσιν ἀνθρώποις. id eſt: Futurum omnibus hominibus eſt incertum. Idem de Rhod. libert. Oportet eos qui proſpera optataque utuntur fortuna erga afflictos & oppreſſos ſemper optima videri conſultare: quandoquidem univerſis hominibus incertus eſt, ac dubius rerum eventus. Futura autem fortuita & incerta eſſe, etiam Thucydides docet lib. 1. πολλὰ τῶν καλῶς δοκούντων βουλευθῆναι οὐκ ἐπετύχετο, ... Plura quæ bene conſulta videbantur, turpiter in contrarium ceciderunt. Hoc Pauli itidem fere ſonat: Etiam quæ bene cogitata ſunt, ſurripiuntur hominibus ſæpiſſime. Thucydides eodem lib. 1. ἄδηλα ... ἐπὶ πολὺ ἐξάγεται. Petrarc bellum eo, quod evaſurum prædicatur, evadit. Idem lib. 4. dicit ſpem futuri omnium rerum fallaciſſimam eſſe. Huc ſpectat C. Pedonis Albinovani illud, quod habetur apud Senecam Suaſor. lib. 1.

Dii revocant, rerum quæ vetant cognoſcere fineis,
Mortales oculos.——

Multa cadunt inter duo tempora.

Nuſquam non celebratum eſt hoc, quod ita refert Hoſpitalius ad Fran. Guiſianum Lotharingum:

Verum multa cadunt inter duo tempora, multæ hoc
Ne duce pugnentur, poſſunt exiſtere cauſſæ.

Convenit cum duobus aliis adagiis, quæ Sulpitius Apollinaris grammaticus apud Aul. Gellium in Noct. Atticis lib. 13. cap. 17. notat: alterum Græcum.

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος καὶ χείλεος ἄκρου.

alterum Latinum, quod eſt hujuſmodi: Inter os & offam. His movemur, nihil tam certum ſpectari, neq; quicquam eſſe tam vicinum, quod non repentinus aliquis caſus queat invertere. Galli dicunt: Entre bouche & cuillier vient ſouvent grand deſtourbier.

Ἐνδεχόμενα.

Quæ ſunt ancipitis eventus, ac in utramque partem accidere poſſunt, quæque accidere æque ac non accidere natura comparata ſunt, Græcis proprie & proverbialiter ἐνδεχόμενα, nobis vero contingentia dicuntur. Eventus enim rerum quæ contingentes dicuntur, & ancipitis expectationis, non magis in proſperum caſum quam in adverſum vergunt, & neceſſariis opponuntur. Bud. lib. 1. De contempt. rerũ fortuit. Etſi vereor, ne præpropere quipiam pronuntiaſſe videar de rebus futuris, adhucque ancipitibus. Ancipites vocat, quas recentiores, contingentes & Græci ἐνδεχόμενα. Idem Ruzæo: Ut qui obnoxiæ noſtræ conditionis prudens (id eſt, non ignarus ſit) & ad contingentia circumſpectus. Conditio autem humana rebus ancipitibus obnoxia eſt.

Propius nil factum.

In communibus proverbiis verſatur, Propius nil factum: quũ ſignificare volumus, paulum abfuiſſe. Græci ſimiliter dicũt, παρὰ τοσοῦτον ἦλθε ἀποθανεῖν, & παρ' ἐλάχιστον ἦλθε ..., & παρ' οὐδὲν ἦλθε. Cic. ad Qu. fratrem: Propius nihil factum eſt, quam ut ille occideretur. Et idem pro Cluent. Nec quicquam propius eſt factum, quam ut illum obtorto collo ad ſubſellia reduceret. Bud. 2. De contemp. rer. fortuit. Nihil utique fiet propius, quam ut vultuoſe ac ſubacerbe mittere id eſt, parum admodum aberit. Idem Paceo: Adeo nihil propius factum eſt quam ut librum meum exoſcularer. id eſt, paulum abfuit. quod Galli hiſce verbis exprimunt peu s'en faut.

Quæ poſt vitam futura ſunt, incerta.

Lucianus in Diogenis & Pollucis dialogo: Frequenter, inquit Diogenes, objici potuit: Quis enim omnino ſcit, quæ poſt vitam futura ſunt? Quum enim pulvis & umbra ſimus, ut poëta dixit, mors hois ſit omnium hujus vitæ actionum: non eſt quod ſoliciti ſimus de futuris poſt mortem. Nam neque opes, neque potentia, neq; ullæ aliæ fortunæ mortuos ſequuntur aut juvant. Aptũ adagium in eos qui ſupra mortalitatem ſuam efferri cupiũt. Etenim,

Fabula poſt vitam cuncta perire monet.

Si mihi vera nunciantur.

Catullus Cæcilium accerſens:

——Si mihi vera nunciabitur.

Pollio in x. epiſt. apud Cicer. Nam & robur, & ſuboles militum interiit, ſiquidem, quæ nunciantur, ulla ex parte vera ſunt.

Iactus retis

De re dubia, & mera ſpe, qua plerumque fallimur. Sic Celſus in cap. 12. de act. empt. Tractum à jactu retis piſcatorii, qui incertus eſt plerunque piſcium capiendorum, etſi crebro projectus attractuſque.

INCITARE.

ERASMI. *Cithara incitat ad bellum.*

Plutarchus lib. De fortũna Alexandri 2. declarat hunc verſiculum apud Lacedæmonios ſolere decantari:

Ἕρπει γὰρ ἄντα τῶ σιδάρω τὸ καλῶς κιθαρίσδην.

Id eſt:

Vergit ad lethale ferrum, lepide cithara canere.

Quo ſignificabant, certis citharæ modis ſedari motus animorum, aliis addi vigorem ad prælium. Quum Alexander audiſſet Antigenidam tibia modos incinentem, qui vocantur Harmatii, adeo inflammatus eſt, ut ſimul cum armis exurgens manus injecerit in proxime aſſidentes.

Alas addere.

Ἀναπτεροῦν vulgo dicebantur, qui verbis alicui adderent animum, inque bonam ſpem erigerent. Ariſtophanes in Avibus:

... Οὐκ ἀκήκοας
Ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἐν κουρείοις
Τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί,
Δεινῶς γέ μου τὸ μειράκιον Διειτρέφης
Λέγων ἀνεπτέρωκεν ὥσθ' ἱππηλατεῖν.

Id eſt,

Num tibi auditum illud eſt
Quod officinis undique tonſoriis
Cani patres loquuntur adoleſcentibus?
Mire Diotrephes & meo adoleſcentulo
Alas loquendo affixit, ut jam geſtiat Equitare.——

Narrant Diotrephem fuiſſe quempiam prædivitem, qui majorem in modum delectatus eſt alendis equis: unde & poſtea Hipparchus factus eſt. Hujus hortatu exemploque multi juvenes accendebantur ad curas equeſtres: patres autem oderunt hoc ſtudii genus in filiis, quod immodicis conſtet impendiis.

Frigidam aquam ſuffundere.

Frigidam aquam ſuffundere, Plautus in Ciſtellaria videtur uſurpaſſe

Paſſe pro eo quod eſt, inſtigare clanculum. Sic enim in ea fabula meretrix queritur de matronis, maritos ſuos in meretricum odium quoad poſſunt, inflammantibus, ita noſtro ordini palam blandiuntur, clam ſi occaſio uſquam eſt, aquam frigidam ſubdole ſuffundunt: Viris cum ſuis prædicant nos ſolere, ſuas pellices eſſe ajunt. Translatum apparet ab iis, qui certaminibus equeſtribus aquam equis aſpergebant, quo refocillati currerent acrius, atque hoc pacto ad curſum inſtigabant. Cujus miniſterii meminerunt etiam Pandectæ juris Cæſarei libro tertio, tit. de iis qui infamia notántur, ex Ulpiano his quidem verbis: Et generaliter ita omnes opinantur, & utile videtur, ut neq; Thymelici, neque Xyſtici, nec agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteraque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſerviunt, ignominioſi habeantur. Hactenus Ulpianus. Id fiebat, opinor, in Olympicis, aut ſimilibus certaminibus, nonnunquam & ob hanc cauſam, ne rotæ agitatione ferveſcentes, flammam conciperent. Niſi ſi cui magis probatur, ut traductum putetur ab iis, qui joci ludibriive cauſa, clanculum aquam infundunt in convivæ locum, aut ab his qui ludibrii cauſa, aqua conſpergunt aliquem, qui balneatorum jocus eſt. Unde & Julius Pollux lib. 7. docet πλύνειν interdum uſurpari pro conviciari. Sic Ariſtophanes in Pluto: πλυνόν με ποιεῖν ἐν τοῖς ἀνδράσιν. Quæritur quiſpiam quod contumeliæ cauſa conſperſus ſit aqua, multis præſentibus. Sed probabilius eſt translatum ab officinis ærariis, ubi fabri ſubinde frigidam in ignem aſpergunt, quo ignis ſit vehementior.

Modis omnibus incitat.

Ubi quis modis omnibus animum alterius ſollicitat, nunc precibus, nunc blanditiis, nunc jurgiis, nūc minis, uſurpare licebit illud ex eodem libro de Automedonte dictum & equis Achillis.

> Πολλὰ μὲν ἂρ μάστιγι θοῇ ἐπεμαίετο θείνων,
> Πολλὰ δὲ μειλιχίοισι προσηύδα, πολλὰ δ' ἀρειῇ.
> Id eſt,
> Multum ille, ſcuticaque cita celerare jubebat,
> Multum idem blande affatus, multumque minatus.

Feri puer.

Athenæus libr. Diphnoſoph. xv. demonſtrat olim proverbio ſolitum acclamari, ἰὴ παιών quo ſignificabant, quempiam ſuo munere defunctum. Itidem ferme, quemadmodum nos abſolutæ virtuti gratulantes dicere ſolemus: Macte animo, macte virtute. Narrat enim, cum quiſpiam è cōvivio diſceſſiſſet probe potus, ac magnopere ſomnolentus, cæteros in eū acclamaſſe, ἰὴ παιών. Hujus adagii fieri mentionem apud Clearchum in proverbiis, quod ab hujuſmodi natum eventu tradit. Cum Latona Apollinem ac Dianam ex Chalcide Delphos deportaret, jamque ad Pythonis ſpecum veniſſet, & draco cōcitus in eos provolaret, Latona puellam ulnis cajulans, Apollinis præſidium implorans clamabat, ἵε παῖ, cum is forte fortuna arcum teneret: ac perinde valere ἵε παῖ, quaſi dicas, ἄφιε παῖ, id eſt, Mitte ac percute fili. Nonnullos deflexis nonnihil vocibus efferre, ἰὴ παιών, idque proverbio dici ſolere, quoties in rebus afflictis opem imploramus. Rurſum alii putant acclamari hoc pacto feliciter ſuo perfunctis munere, & eo quod expetebant potitis: Cæterum ob aſſuetudinem non videri proverbium, quod his vocibus ſolenniter uterentur in ſacris Apollinis:

> Ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν ἰὴ παιάν,

Unde & ἰαμβεῖον [illegible] ortum exiſtimant, quod & ipſum impetum ac celeritatem habet. Etenim ſi producas priorem in ἰη, carmen erit hexametrum heroicum: ſin corripias, jambicum. Porro quod apud Athenæum in ἰὴ & ἵε nunc aſpiratur, nunc tenuis eſt, neſcio an librariorum incuria factum ſit. Ovidius in Arte amandi videtur uſurpaſſe pro acclamatione, qua gratulantur victori, votique compoti:

> Dicite io Pæan, & io bis dicite Pæan.
> Decidit in caſſes præda petita meos.

Ignarium dare.

Seneca libr. De beneficiis 4. refert ut vulgo jactatum: Ut doleat, inquit, tibi, ut poſtea cōſideratius loquaris, quod dicere ſolemus, ignarium dabo. De lapide pyrite ſentit, ni fallor, quem alii vivum, nonnulli ignarium vocant, quod plurimum habeat ignis, ut attritu digitos adurat, & alioqui ponderoſiſſimus. Itaque dicebatur ignarium dare, qui ſuggereret quod dolore quodam revocaret hominem a peccando: quemadmodum lapis digito additus, vel pondere vel attritu non ſinit hominem obliviſci, cujus gratia ſumpſerat eum. M. Tullius haud abſimili forma dixit in Antonium Philippica 2. Num expectas dum te ſtimulis fodiam? Hæc te, ſi ullam habes partem ſenſus, lacerat, hæc cruentat oratio. Terentius: Noli fodere latus. Perſius.

> ——Atque aliquis cubito ſtantem prope tangens.

His enim geſtibus admonemus, quemadmodum & vellendo aurem: de quo nobis prius dictum eſt.

EX APPENDICE ERASMI.

Cur ceſſatum eſt.

> Τυδείδη, τί παθόντε λελάσμεθα θούριδος ἀλκῆς;
> Dic, quidnam acciderit nobis, ut Martia virtus
> Tyde exciderit animis?——

Homer. Quoties communem culpam apud amicum agnoſcemus, aut in re quapiam ceſſatum eſſe ſignificabimus.

Fodere.

In citationem ſeu admonitionem potius eleganter illa ſignificant fodere & fodere latus: translatione ab animantibus quas ſtimulorum punctionibus ad curſum excitamus. Terent. μάστιγι ἐπεμαίετο, ſcutica cædere. Homer. alibi proverb. Modis omnibus incitat. Cubito ſtantem tangere. Perſ. Ignarium dare: quod Pyrites attritu digitos adurat, & ponderoſiſſimus ſit. Proprie tamen locum habet cum ſuggerimus, quod dolore quodam alium a peccando revocet. Bellicum ſeu claſſicum canere. Cic.

IVNII. *Pennas addere.*

Qui præclaram alicui ſpēm faciunt, atque animando incitant, vel elatiorem etiam reddunt, eos ἀναπτεροῦν, hoc eſt, pennas addere proverbialiter dicūt Græci. Juſtinus Martyr libr. ad Thryphonem: καὶ ἡ θεωρία τῶν ἰδεῶν ἀνεπτέρου μοι τὴν φρόνησιν, id eſt: Animum mihi inflabat ſpeculatio preſſior idearum. Ariſtophanes: τανῦν σε λέγων ἀναπτερῶ, id eſt: Laudando te nunc animabo, & ſpiritus addā. Damaſcius Syrus: ὁ δὲ Νεμεσίων ἀναπτερωθεὶς καὶ μετέωρος ἐπὶ ταῖς ἐλπίσι [illegible], id eſt: At Nemelion aſſumptis alis ſpe magna efferebatur, videbaturque ſibi haud aſpernādum theſaurum reperiſſe, quod ne nactus foret. Syneſius lib. De inſomniis, ratiocinandi vim qua Deo proxime accedimus, τῆς ψυχῆς πτέρωσιν, velut animæ alatum vehiculum nominat. quomodo & Plato eam πτερὸν, id eſt, alam vocat, quod ea animum à mortalibus & terrenis ad cœleſtium contemplationem ſubvehat. Cratinus poëta [illegible] τὴν ψυχὴν dicit, pro animo efferri, & ſpe bona excitari. Tale eſt illud incerti authoris, [illegible], id eſt: Cœleſte fulgur animo alas addebat. Hoc eſt, victoriæ haud dubiæ ſpem faciebat. Proclus Cōſtantinop. epiſcopus: [illegible], id eſt, Virtutem definierunt eam eſſe, quæ excitat & alas addit ad Deum, terrena ordine quodam velut clavo gubernat. Nazianzenus in Diſtichis ſententioſis, [illegible], quo admonet, ne quis ita inani gloria efferatur laudatus, ut conditionis ſuæ ſit immemor. Heliodorus lib. 2. [illegible], id eſt: Equidem ego miro ejus videndi deſiderio teneor, velut additis pennis. Similiter a Sophocle dictum illud eſt: περιχαρὴς δ' ἀνεπτόμην, id eſt, Gaudio perfuſus evolabam.

Nondum incurvam cervicem Jupiter habet.

Extat inter Tyrtei poëmata, quæ admonitoria ad bellicam virtutem Spartanæ juventuti ſcripſit, proverbialis verſus:

> Θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.
> Id eſt,
> ——Animo conſtanter habere.
> Juppiter haud dum etenim colla retorta gerit.

Quo uti licebit apud dejectos animos & facile conſternatos, quos in rebus duris durare ſe & confirmare admonebimus. Metaphora translata a ſupplicibus, & depreſſa mente præditis, quos incurvicervicos Pacuuius vocat, quo ſpectant & verſus de ſerviente apud Philonem:

> Οὔποτε δουλείη κεφαλὴ ἰθεῖα πέφυκεν,
> Ἀλλ' αἰεὶ σκολιὴ καὶ αὐχένα λοξὸν ἔχει.
> Id eſt,
> Haud ſolitum eſt ſervile caput ſe attollere rectum:
> Semper ad obliquum colla retorta gerit.

Mercurii virga excitare.

Ἑρμοῦ ῥάβδῳ κινεῖν, id eſt, Mercurii virgula excitare, proverbialiter extulit Julianus apoſtata in epiſtola ad Jamblichum. pro, vi eloquentiæ eximia animare aliquem, & ſopitum excitare, ubi ait, [illegible] id eſt, Poſteaquam nobis modulari cantus auſpicium præis, & quaſi virgula Mercuriali moves ac ſopitos excitas. Idem ad eundem: [illegible] id eſt: Par eſt & æquum te Mercurii eloquentiæ antiſtitis diſcipulum, aut ſi mavis, alumnum, virgulam non provocandi ſomni gratia tractare, ſed ad movendum excitandumque potius, illum æmulari. De Mercurii virga Homerus Odyſſeæ quinto.

> Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
> Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Quos verſus aliquanto lacinioſius expreſſit Virgilius Æneid. 4.

> Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco
> Pallentes, alias ſub triſtitia Tartara mittit.
> Dat ſomnos adimitque, & lumina morte reſignat.

Sol excerere.

Ἔξεχ' ὦ ἥλιε, id eſt. Exere te Sol. Euſtath. indicat, proverbiale fuiſſe dicterium Iliados λ. authoritate Ælii Dionyſii. Sic enim ait, [illegible], id eſt: Ælius Dionyſius annotat, proverbialis verſus particulam eſſe pueris uſitatam, qua ſignificant ſolem promicare, hoc eſt exortum eſſe. Utitur Ariſtophan.

Ἐρεῖς ὅπερ τὰ παιδία, ἔξεχ᾽ ὦ φίλ᾽ ἥλιε.

Ideſt:

Dices quod pueri ſolent, Exeriro os ò bone ſol.

Videtur quadrare poſſe in tergiverſatores: veluti, ſi caſtigemus ingenuum docti viri pudorem, ſcripta ſua, quibus ceu ſol tenebras diſcutere poſſit, in publicum proferre non ſuſtinentis differentiſque.

COGNATI. *Bonum habe animum.*

Bonum habe animum. Hæc vox abiit in proverbium, cui ſimillimum Eraſmus habet ex Homero: virtutem omnem explica. Nec abſimile, Facere animum: pro incitare, & animum augere. Liv. de bello Punico 5. Miſſum à Metaponto præſidium, Romanis fecit animum, ut nocte ex improviſo opera hoſtium invaderent. Ovid. 5. Triſt.

Quæ ubi res animos iniſſe facit improbe. ———

Perge quæ juſta ſunt curare.

Hipparchi monumentum ac præceptum in templo Delphico ſcriptum: Perge quæ juſta ſunt, curare. Ibidem.

Bono animo eſto.

In Theæteto, vel de ſcientia: & in Euthydemo, vel ligitioſo: Bono animo eſto Clinia.

Accingere.

Ficinus in Timæum. Accingere tu, ut reliquorum Socrati, ſi velit, rationem reddas.

Equites in campum provocare.

Ibidem. Equites in campum provocas, quum Socratem ad diſputandum acceſſis.

INCONSTANTIÆ PERFIDIÆ VERSVTIÆ.

ERASMI. *Chimæra.*

Hominem inconſtantem ac variis moribus, aut opus ſibi non cohærens, M. Tullius deſignat feſtiviter illo verſu Homerico: Quod de Q. inquit, fratris epiſtola ſcribis, ad me quoque fuit.

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα.

Quid dicam, neſcio: nam ita deplorat primis verſibus manſionem ſuam ut quemvis movere poſſit: ita rurſus remittit, ut me roget, ut annales ſuos emendem atque edam. Epiſtolam ſibi inæqualem appellat Chimæram.

De ſtatu demigrare.

Quemadmodum de gradu dejici dicuntur, qui depelluntur à propoſito, quod nobis antea dictum eſt: ita M. Tullius ad Atticum lib. 4. epiſtola, Occupationum mearũ, dixit, De ſtatu demigro: pro eo quod erat, recedo à vitæ inſtituto: Diſrumpantur, inquit ij, qui me poſſe aliquid doluerunt: multa mihi dant ſolatia, nec tamen ego de meo ſtatu demigro: quæque vita maxime eſt ad naturam, ad eam me refero: Tranſlatum videtur vel ab athletis, vel à præliis, ubi laudi erat non ceſſiſſe loco.

Modo palliatus, modo togatus.

In hominem inconſtantem, ac lubricæ fidei, diverſarumq; partium, eleganter torquebitur: veluti ſi quis ſubinde mutato vitæ genere nunc Cidarim geſtet theologicam, nunc cum paludamento militari incedat. M. Tullius Philippica v. Accipiet ne excuſationem is, qui quæſtioni præerit Græci judicis, modo palliati, modo togati? Pallium Græcorum eſt, ut toga Romanorum: utraque tamen veſtis pacis eſt, quemadmodum ſaga ſunt belli.

Trochi in morem.

Βέμβικος δίκην: Id eſt, Trochi in morem, de verſatilibus & inconſtantibus dici ſolitum. Eſt enim bembix, trochus quem pueri flagello circumagunt. Suidas citat ex Ariſtophane: βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ, id eſt, Non oportet quicquam a trocho differre. Locus is eſt in Avibus. Heſychius dictum putat in eum, qui in fuga nõ tenuerit rectam viam, ſed in orbem fuerit circumactus. Quod mihi quondam uſu venit à Sletſtadio petenti Baſileam. Forte incidimus in equitem, quo duce quum in nemore diutius obequitarem, rogabam an certo noſſet viam. Ajebat, quum non eſſet ſatis: Oportet, inquam, nos errare: nam tres jam horas verſamur in nemore, quod intra horam ſolemus emetiri. Quid multis: Compertum eo nimium abfuiſſe, quin eo rediremus unde veneramus. Bembix autem magno impetu movetur, ſed in orbem, ut fugiẽs non effugiat. Simili tropo ſtultorum inconſtantiam notat Sirach ille ſapiens Hebræus, capite xxxiij. Præcordia fatui quaſi rota curris, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius. Apud Plautum interdum dicitur aliquis Trocho aut rota figuli verſatilior.

Veſpertilio.

Veſpertiliones videntur appellari, qui gravati ære alieno luce domi ſe continent ne à creditoribus appellentur, noctu prodeunt. Ulpianus lib. Pandect. xxj. tit. De evictionibus: Si quis ita ſtipulanti ſpondeat, ſanum eſſe, furem non eſſe, veſpertilionem non eſſe, &c. inutilis ſtipulatio quibuſdam videtur: quia ſi quis eſt, in hac cauſa, impoſſibile eſt quod promittitur. Si nõ eſt, fruſtra eſt. Sed ego puto verius hanc ſtipulationem, furem non eſſe, ſanum eſſe, veſpertilionem non eſſe, utilem eſſe: hoc enim continere quod intereſt horum quid eſſe, vel horũ quid nõ eſſe. Hactenus Ulpianus. Quanquam hoc loco quidam pro veſpertilione, legũt veſpillonem aut verſipellem. Alciatus, inter juriſconſultos undequaque doctiſſimus, in commentariis ſuis De rerum ſignificationibus putat veſpertilionem dictum, quemadmodum modo diximus, qui metu creditorum interdiu latitat, noctu prodit. Nam animal hinc dictum, quod veſperi volet, indicat Nonius Marcellus. Adagium eſſe ſumptum videtur ex Apologo quopiã, ſive Æſopi, ſive alterius illũ imitati (nam Æſopo videtur indignus) qui narrat veſpertilionem, mergum & rubum iniſſe ſocietatem, ut cõflatis ſortibus pariter negociarentur. Veſpertilionem contuliſſe pecuniam à fœneratoribus mutuo ſumptam, mergum aliud quidpiam, rubũ veſtem: Quum omnes è naufragio nudi enataſſent, veſpertilionem metu creditorum interdiu latitare, noctu volare tantum: mergum obſidere littora, ac ſubinde collum demittere in fundum, ſicubi reperiat merces ſuas, vel ejectas in littus, vel in fundo hærẽtes: rubum prætereuntium adhærere veſtibus, ſi quã forte ſuam reperiat. Poterat videri parum quadrare, ſervum ære alieno gravatum eſſe: quis enim credat ſervo? niſi legeremus apud Terentium, Davum Getæ quod debebat reddidiſſe. Mihi tamen videtur veſpertilionis nomen & fugitivum ſervum competere, qui noctu ab hero ſolitus ſit ſubducere ſeſe, latitatque ubi periculum eſt ne agnoſcatur. Nam inibi mox proximo capite, verſpertilione ponit erronem ac fugitivum: Quum quis, inquit ſtipulatur furem non eſſe, fugitivum non eſſe, erronẽ non eſſe. Priſci tamen ea voce ſecus uſi ſunt, videlicet pro homine ancipitis fidei, qui nec hujus ordinis ſit, nec illius quum utroque tamen colludat: eo quod veſpertilio ſit eſt utrumque, ut nec inter volucres nec inter mures habeat locum. Alas habet, ſed pennas non habet: volitat, ſed ſub veſperam: dentes habet, quod avium nulla. Varro in Agathone, citante Nonio: Quid multa factus ſum veſpertilio, neque in muribus plane, neq; in volucribus ſum. Veſpertilionis convicium torqueri poterit & in amantes qui noctu volitant, quos Plautus in Trinummo vocat tenebricolas: Elegans, inquit, deſpoliator, latebricolarum hominum corruptor.

Venti campus.

Ἀνέμου πεδίον, id eſt, Venti campus. In hominem inſtabilem, levem, & inconſtantem dicebatur. Refertur à Diogeniano. Nam in planicie venti liberius huc atque illuc divagantur, nullo coërciti obſtaculo. Et Homerus ſubinde vana vocat ἀνεμώλια. Et ὑπηνέμια dicuntur, quæ ſolita non ſunt, ſed ſubventanea. Denique inſtabiles, ventoſos dicimus Horatius:

Romæ Tibur amo ventoſus, Tibure Romam.

Idem:

Non ego ventoſæ venor ſuffragia plebis.

Poſtremo domum undique perſtabilem, non illepide dixeris ἀνέμου πεδίον. Pindarus Olympiorum hymno 2. varias rerum humanarum vices eleganter expreſſit:

Ῥοαὶ δ᾽ ἄλλοτ᾽ ἄλλαι
Εὐθυμιᾶν τε χ᾽ ἢ
Πόνων ἐς ἄνδρας ἔβαν:

Id eſt:

Nunc alii, nunc alii fluxus & cum tranquillitate & cum laboribus in homines venẽre. Hoc tranſlatum videri poteſt & ab æſtuantis maris reciprocationibus. Cæterum in encomio ſeptimo ſententiam eandem extulit, metaphora ſumpta à ventis, qui non ſemper ſpirant iidem.

Ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου
Ἄλλοτ᾽ ἀλλοῖαι διαιθύσσοισιν αὖραι.

Id eſt:

In una parte temporis nunc hæ nunc aliæ diſcurrunt auræ. Rurſus hymno 12. idem effert, metaphora ſumpta à teſſeris:

Πολλὰ δ᾽ ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν,
Ἔμπαλιν μὲν τέρψιος, οἱ δ᾽ ἀνιαραῖς
Ἀντικύρσαντες ζάλαις.
Ἐσλὸν βαθὺ πήματος χρόνῳ.

Panagæa Diana.

Ἡ πανάγαια Ἄρτεμις, id eſt, Panagæa Diana, dicebatur olim, peregrinationem impenſius amans, errabundus, inſtabilis, nulla certa ſede conſiſtens. Siquidem Diana vagari dicitur apud poëtas, & per nemora monteſque oberrare. Quin domicilium etiam ſubinde mutat nunc apud ſuperos agens, nũc apud inferos: ne ſpecie quidem ſemper eadem, ſed nunc pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla.

Lacryma nihil citius areſcit.

M. Tullius libro De inventione priore, præcipiens ne orator poſteaquam judicis animum commovit ad miſericordiã, diutius commoretur in quæſtione, adducit Apollonii dictum, οὐδὲν θᾶττον ξηραίνεσθαι δακρύου. id eſt, Lacryma nihil citius areſcere: quod vehemens affectus vertitur in tædium.

Mutabilior Meſtra Eriſichthonis.

Μεταβλητικώτερος μήστρας τῆς Ἐρυσίχθονος, id eſt; Mutabilior Meſtra Eriſichthonis. In eum congruit, qui ſecum non cōſtat, ſed ſubinde aliam atque aliam perſonam ſumit. Extat in priſcorum fabulis, Meſtram puellam in varias rerum figuras transfigurari ſolere. Res autem ſic habet. Eriſichthon quidam Theſſalus abſumptis facultatibus, ad extremam devenit inopiam. Huic erat filia, puella præſtanti forma, nomine Meſtra. Quam ubi proſtituiſſet, adoleſcentes qui commeabant ad illam, varia munera deferebant, alius equos, alius boves, alius verveces. Nam id temporis nondum auri, argenti, gemmarumve erat uſus. Porro Theſſali per jocum dicebant, Meſtram Eriſichthonis verti in ea omnia, quæ illi ab amatoribus filiæ donabantur. Atque hinc proverbium. Fabulam Eriſichthonis tractat Ovidius lib. Metamorph. 8.

Chamæleonte mutabilior.

Χαμαιλέοντος εὐμεταβολώτερος, id eſt, Chamæleonte mutabilior. Chamæleon commemoratur inter animantia quæ colorem mutant. Hujus figuram diligenter deſcribit Ariſtoteles lib. De naturis animantium ſecundo. Quod ad coloris mutationem attinet, hæc tradit: τῆς δὲ χροιᾶς ἡ μεταβολὴ ἐμφυσωμένου αὐτοῦ γίνεται. ἴσχει δὲ καὶ μέλαιναν ταύτην οὐ πόρρω τῆς τῶν κροκοδείλων, καὶ ὠχρὰν ὥσπερ οἱ σαῦροι, μέλανι ὥσπερ αἱ παρδάλεις, διαπεποικιλμένην. γίνεται δὲ καθ' ἅπαν τὸ σῶμα αὐτοῦ αὕτη ἡ μεταβολή. καὶ γὰρ οἱ ὀφθαλμοὶ συμμεταβάλλουσιν ὁμοίως τῷ λοιπῷ σώματι, καὶ ἡ κέρκος. ἡ δὲ κίνησις αὐτοῦ νωθὴς ἰσχυρῶς ἐστι, καθάπερ ἡ τῶν χελωνῶν. ἀποθνήσκων δὲ ὠχρὸς γίνεται, καὶ τελευτήσαντος αὐτοῦ ἐστί. id eſt. Mutatur autē illi color, cum inflatur. Fitq; is nūc niger, nō abſimilis crocodillorū nūc pallidus, cujuſmodi lacertarū nunc rurſum nigris variegatus maculis, qualis eſt pardorum. Accidit autem hujuſmodi mutatio coloris per omne corpus: ſiquidem & oculi & cauda, in eundem cum reliquo corpore abeunt colorem. Motus hujus animantis admodum ſegnis, qualis eſt ferme teſtudinum. Palleſcit moriens, exanimato color idem durat. Hactenus Ariſtoteles. His ferme conſentanea tradit Plin. lib. 8. cap. 33. illud addēs, hoc animal toto corpore reddere colorem quemcunq; proximum attigerit, præter rubrum & album. Competit igitur adagium in hominem verſipellem, ſive inconſtantem, ac pro tempore ſeſe vertentē in omnem habitum. Plato in Ione: ἀλλ' ἀτεχνῶς ὥσπερ ὁ Πρωτεὺς παντοδαπὸς γίγνῃ, στρεφόμενος ἄνω καὶ κάτω. id eſt, Sed prorſus Protei in morem temet in omnem vertis ſpeciem dum ſurſum ac deorſum volueris. Ariſtoteles Moralium Nicomachiorum 1. Chamæleontis vocem uſurpat, ad exprimendum inconſtantiæ vitium.

Proteo mutabilior.

Πρωτέως ποικιλώτερος, id eſt, Proteo mutabilior: in vafrum & verſipellem competit. Lucianus in ſacrificiis, Iovem ποικιλώτερον αὐτὸν Πρωτέως appellat, quod ſe ſubinde in alias atque alias formas transfiguraret. Plato in Ione: ἀλλ' ἀτεχνῶς ὥσπερ ὁ Πρωτεὺς παντοδαπὸς γίγνῃ, στρεφόμενος ἄνω, καὶ κάτω. id eſt, Sed prorſus Protei in morem, in omnem ſpeciem verteris, ſurſum ac deorſum teipſum diſtorquens. Horat. in eos, qui facile vertunt ſententiam:

Quo teneam vultus mutantem Protea nodo?

Item alibi:

Effugiet tamen hæc ſceleratus vincula Proteus.

Protea vocat tergiverſantem, & quem Græci vocant δυσφώρατον, id eſt, deprehenſu difficilem. Porro fabulam Protei notiorem arbitror, quam ut hic recenſenda. Extat apud Homerum Odyſſeæ 4. & apud Maronem quarto item Georgicōn. Simili figura diceretur & Vertumno inconſtantior. Nam hic deus in omnigenam ſpeciem ſe variat: unde & nomem reperit apud Latinos. Horatius:

—— Vertumnis, quotquot ſunt, natus iniquis.

Hujus meminit Ovidius, deſcribens quemadmodum amans Pomonam deam, alias ſubinde formas aſſumpſerit. Et, εὐμεταβολώτερος ἐμπούσης. id eſt, Empuſa mutabilior. Cujus mentionem fecit Lucianus in commentario. De ſaltationibus, ἴδοις τ' ἂν οὖν αὐτοὺς πρὸς τὸν αὐτὸν καιρὸν ἐν ἀκαρεῖ ἀλλαττομένους, καὶ αὐτὸν μιμουμένους τὸν Πρωτέα. εἰκάζειν δὲ χρὴ καὶ τὴν ἔμπουσαν τὴν ἐς μυρίας μορφὰς μεταβαλλομένην. id eſt. Videbis igitur ipſos eodem in tempore ſubito in aliam transfigurari ſpeciem, atq; ipſum referre Proteum. Quin & Empuſæ exemplum conferre oportet, quæ ſeſe in innumerabiles vertit formas. Meminit hujus Ariſtoph. in Ranis.

Καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τοὺς θεοὺς θηρίον μέγα.
Ποῖόν τι; δεινὸν, παντοδαπὸν γοῦν γίγνεται.
Τοτὲ μὲν βοῦς, νυνὶ δ' ὀρεύς, τοτὲ δ' αὖ γυνὴ
Ὡραιοτάτη τις. ποῦ 'στι; φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴω.
Ἀλλ' οὐκέτ' αὖ γυνή 'στιν, ἀλλ' ἤδη κύων.
Ἔμπουσα τοίνυν ἐστί....

Id eſt:

At maximam profecto video beluam.
Qualem? Novam quæ in cuncta ſubito vertitur,
Modo bos, modo autem mula, rurſum fœmina
Pulcherrima. Age ubi eſt? recta ad illam jam feror.
At rurſus haud eſt mulier, imo jam canis.
Empuſa proinde eſt. ..

Interpres adſcribit, Empuſam ſpectrum quoddam eſſe, quod ab Hecate ſoleat emitti videndum miſeris & calamitoſis. Id ſubinde conſueriſſe aliis formis exhibere ſeſe. Quidam exiſtimāt meridianis horis apparere ſolitum iis, qui parentant mortuis. Quod quidem haud ſcio an recte poſſit, referri ad id quod extat in Pſalmis Hebræorum: ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ, id eſt: Ab occurſu & dæmonio meridiano. Sunt qui hanc ipſam Hecaten eſſe ſi mentiant eſſe. Narrant autem uno videri pede: unde & nomen inditum putant ἐμπουσαι ἐκ τοῦ ἑνὶ ποδί. Demoſt. ait Æſchinis matrem, cui ipſe Leucotheæ nomē mutaſſet, appellatam fuiſſe Empuſam: eo quod quæſtus gratia quidvis & faceret, & pateretur.

Polypi mentem obtine.

Extat apud Græcos adagium in hunc ordinem referendum, πολύποδος νόον ἴσχε, i. Polypi mentem obtine. Quo jubemur, pro tempore alios atque alios mores, alium atq; aliū vultū ſumere. Quod in Vlyſſe videtur Homerus laudare, qui cum πολύτροπον appellat, id eſt, moribus verſatilibus. Adagium natum eſt a piſcis hujus ingenio, de quo meminit Plin. lib. 9. cap. 29. præterea Lucian. in ſermone Menelai ac Protei: ſcribuntque, colorem mutare maxime in metu. Nam perſequentibus piſcatoribus, petris affigitur, & cuicunque petræ adhæſerit, ejus colorem corpore imitatur, ſcilicet ne queat deprehendi. Quin ut refert Baſilius magnus, piſces imagine falſa decepti, nonnunquam adnatant, ultro ſeſe prædam offerentes. Proverbium ſumptum eſt ex Theognide, cujus hoc diſtichon eſt de polypo: citaturque à Plutarcho in libello περὶ πολυφιλίας.

Πουλύποδος νόον ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ
Τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

Id eſt:

Mentem habeas vafri polypi, qui protinus illa
Se quibus ad norit, ſaxa colore refert.

Clearchus in proverbiis, teſte Athenæo, citat hoc diſtichon, tacito autoris nomine:

Πουλύποδός μοι τέκνον ἔχων νόον Ἀμφίλοχ' ἥρως,
Τοῖσιν ἐφαρμόζου ἄν κῳ πρὸς δῆμον ἵκηαι.

Id eſt:

Polypi ingenio mihi ſis mare Amphiloche heros,
Vertemet populo, quemcunque acceſſeris aptes.

Citat idem carmen Plutarch. ex Pindaro. Vnde & verſus ille proverbialis celebratur:

Ἄλλοτε δ' ἀλλοῖον τελέθειν, κῳ χώρῃ ἕπεσθαι.

Id eſt:

Proque loco nunc hunc fieri, nunc expedit illum.

Qui nos admonet, uti nos ad omnem vitæ rationem accommodemus, ac Proteum quendam agentes, prout res poſtulabit, in quamlibet formam trāsfiguremus. Plutarch. item ἀλλοῖος γινόμενος pro eo quod eſt, In diverſam eo ſentētiam. Quod quidem monet Ariſtophanes in Pluto, qui monet vivendum eſſe τρόπῳ ἐπιχωρίῳ. id eſt, moribus regionis ac vernaculis. Eodem pertinet & illud, νόμος καὶ χώρα, id eſt, Lex etiam ipſa regio. Quo ſignificatum eſt unicuique regioni quædam peculiaria eſſe inſtituta: quæ hoſpites non damnare, ſed pro virili noſtra imitari atque exprimere debemus. Neq; quiſquam exiſtimet hoc adagio doceri fœdam adulationem, qua quidā omnibus omnia aſſentantur, aut vitioſam morum inæqualitatē, quam Horatius elegāter taxat in Sermonibus, quamq; hiſtorici notant in Catilina, atq; in Anedio Caſſio imperatore denique literæ divinæ in quovis improbo, cum ajunt ſtultum perinde atq; lunam immutari, cum ſapiens ſolis exemplo ſui ſemper ſit ſimilis. Nā in Alcibiade dubites, vitione, an laudi ſit: certe feliciſſima quædam & admiranda fuit morum & ingenii dexteritas, qui ſic polypum agebat, ut Athenis dicteriis & ſalibus luderet, equos aleret, comiter & eleganter viveret, idem apud Lacedæmonios tradebatur, pallium geſtabat, frigida lavabat. Apud Thraces belligerabatur, ac potabat. Vbi vero perveniſſētad Tiſaphernem, deliciis, mollitiæ, faſtuque juxta gentis morē eſt uſus. Sed eſt quædam difficilis ac præfracta, moroſaque ſimplicitas imperitorum, qua poſtulant, ut omnes ubiq; ipſorum duntaxat moribus vivant, & quicquid aliis placet, id damnant. Rurſum eſt honeſta quædam ratio, qua boni viri nonnunquam alienis moribus obſecundant, ne vel odioſi ſint, vel prodeſſe non poſſint, aut è magnis periculis ſemet, aut ſuos eximant. Quemadmodum fecit Vlyſſes apud Polyphemum multa ſimulans: apud procos mendicum agens. Item Brutus adſimulata ſtoliditate. David etiam ſimulata inſania. Quin & divus Paulus Apoſtolus, ſancta quadam jactantia gloriatur, hac pia vafricie ſeſe uſum eſſe, atque omnia factum omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Quanquam nihil vetat, iis non adſcito vitiis uſum adagii latius trahere: nēpe in homines verſatili quodam ingenio natos qui talem ubiq; perſonam inducunt, quales ſunt ii, cū quibus contigit agere. Quod genus elegāter deſcripſit Plautus in Bacchidibus: Nullus, inquiēs frugi eſſe poteſt homo, niſi qui bene & male facere tenet. Improbus cum improbis ſit, harpaget, furibus furetur quod queat. Verſipellem frugi convenit eſſe hominem, pectus cui ſapit: bonus ſit bonis, malus ſit malis. Vtcunque res ſit, ita animum habeat. Eupolis apud Athenæum:

Ἀνὴρ πολίτης πολύπους ἐς τοὺς τρόπους.

Id eſt:

Vrbanus homo moribus ſit polypus.

Plutarchus in cauſis naturalibus citat ex Pindaro verſus hos:

Πουλύποδος χροιῇ μάλιστα τὸν νόον προσφέρων,
Ταῖς πάσαις πόλεσιν ὁμιλεῖ.

Id eſt:

Marinæ beluæ colori maxime mentem accommodans,
Cum omnibus civitatibus conſuetudinem habet.

Atque eodem in loco cauſam reddit, cur id huic accidat piſci. Similem quandam metaphoram Ariſtoteles à chamæleonte duxit, primo Moralium lib. Ait enim, ſi quis à fortuna pendeat, cum illa ſubinde mutetur, futurum ut veluti chamæleon quiſpiam identidem varietur, nunc felix, nunc miſer, utcunq; fors alio atque alio vultu reſpexerit, ita hunc quoque vultum atque animum mutare. De Chamæleonte meminit Plin. libr. 28 c. 8. ſcribens hoc animal magnitudine ferme par eſſe crocodilo: cæterum ſpinæ acutiore curvatura, & caudæ amplitudine diſtare. Nullum inquit, animal pavidius exiſtimatur: & ideo verſicoloris eſſe demutationis. Plut. in comment. De adulatione ſcribit, chamæleontem quemvis imitari colorem præterquam candidum. Item in Sympoſiacis conatur cauſam reddere de polypo, quamobrem non tantum mutet colorem, quod & hominibus accidit in metu: verum etiam ſeſe ad ſaxi, quodcunque id fuerit, colorem accommodet. Sunt & aves quædam, quæ colorem pariter & vocem mutent pro temporibus anni ut autor eſt idem Plinius libro 10. cap. 29. & Ariſtot. lib. De natura animantium 9 In voce mutanda principatum obtinet luſcinia. Unde & apud Euripidem Hecuba Polyxenam imitari luſciniam jubet, ſeſeque in omnem vocem vertere, ſi quo modo queat Vlyſſi perſuadere, ne perimatur.

Mulieris animus.

Γυναικὸς φρένες, id eſt, Muliebre ingenium. Diogenianus oſtendit dici ſolitum in ſtultos. Videtur autem magis quadrare in imbelles & inconſtantes. Unde eſt illud Ennianum:

Vos etenim juvenes, animos geritis muliebres,
Illaque virgo viri ———

Et Terentius:

Novi ingenium mulierum;
Nolunt, ubi velis; ubi nolis cupiunt ultro.

Euripus homo.

Εὔριπος ἄνθρωπος, id eſt, Euripus homo. In inconſtantes, ac moribus inæqualibus homines dicetur. Quadrabit & in fortunæ vices, quæ res mortalium, velut æſtu quodam ſurſum ac deorſum jactat. ut recte dixerit Plautus in captivis; Dii nos, quaſi pilas homines habent. A maris Euripi prodigioſa quadam reciprocandi celeritate ducta metaphora. Eſt autem Euripus, maris pars inter Aulidem Bœotiæ portum, & Eubœam inſulam: cujus meminit Strabo lib. 9. & Plinius lib. 2. Et quorundam tamen, inquit, privata natura eſt, velut Tauromenitani Euripi ſæpius, & in Eubœo ſepties die ac nocte reciprocandis, tam rapida converſione, ut (quemadmodũ autor eſt Pomponius Mela) ventos ac etiam plena ventis navigia ſecum portet. Neque dum hujus tam ſtupendæ rei cauſa ſatis idoneà pervestigata eſt a ſcriptoribus. Etiamſi T. Livius, ſecundi belli Punici lib. 8. a ventis quibuſdam illic flantibus, ita fieri credit. Seneca in Hercule Oetæo,

Euripus undas flectit inſtabilis vagas,
Septemque rurſus flectit, & totidem refert,
Dum laſſum Titan mergit Oceano jubar.

Bœotius item:

Exæſtuantis more fertur Euripi.

Cicero pro Plancio: Quod fretum, quem Euripum, tot motus, tantas, tam varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Objicit Æſchynes Demoſtheni, quod ſubinde commutat ſe factione Euripum inconſtantia ſua vicisset. Unde Græci Euripiſtin hominem incerta fide vocant. Gregorius Theologus in epiſtola quadam ad Sophronium equitum magiſtrum: [illegible] id eſt, Vides quæ ſit conditio rerum noſtrarum, atq; tota quædam negociorum humanorũ curſu circumagatur, nunc his nunc illis florentibus ac marcentibus, dum neq; proſperitas, neque adverſitas, ut ratione nobis conſtat, ſed quam citiſſime in diverſum mutatur ac tranſit, ut auris, ac literis aquæ inſcriptis fidere liceat citius, quã humanæ felicitati. His verbis pulchre depingit Euripum humanæ conditionis. Invenitur & τύχη εὔριπος id eſt, Fortuna volubilis, nihil enim hac inſtabilius & [illegible]: quod cogitatim nunc huc, nunc iſtuc feratur.

Cnips in loco.

Κνὶψ ἐν χώρᾳ, id eſt, Cnips in regione. Dictum in eos, qui ſubinde ſedem mutarent & abunde alio demigrarent. Cui vitio ſeſe obnoxium fuiſſe confitetur Horatius. Eſt autem κνίψ ſive σκνίψ (nam utrunque reperio) vermiculus innaſcens materiis. In eroſo ligno, ſemper locum mutare nititur. Quidam efferunt proverbium hoc modo, κνὶψ ἐκ χώρας id eſt, Cnips è regione ut ſubaudias, demigrat. Plinius lib. 16. cap. 14. inter peſtes materiarum teredinem commemorat, vermem graviſſimo ad portionem capite: ſic appellatum quod dentibus erodat: ſed proprie vocari teredinem, quæ in mari materiam infeſtet. Addit hujus generis Ceraſten vocari, qui ſimulatque tantum creſcerit, ut circumagat ſeſe, generat alium. Hæc an huic proverbio congruant, dubito: nam Græci tradunt, κνῖπα eſſe animalculum volucre & ξυλοφάγον, non diſſimile culici. Id ſi verum eſt, non video qui conſiſtat, quod ab Ariſtotele proditum eſt. autem ξυλοκόπτην quem Latini ni fallor, picum Martium appellant, ob id roſtro fodere arbores, ut κνῖπας in ligno latentes evocet. Suidas ait à κνιπὸς qui eſt genitivus caſus hujus nominativi κνίψ, fingi nominativum κνιπός, eamque vocem ſignificare parcum, tenuiq; victu viventem: nimirum a κνιπὸς exemplum, qui lignorum aroſu paſcitur, cibo non admodum lauto. Proinde conſentaneum videtur, adagium dici poſſe in ſordidos, duro parcoque victu utentes.

Coturno verſatilior.

Εὐμεταβολώτερος κοθόρνου. id eſt, Verſatilior cothurno, dictum eſt in hominem parum conſtantem lubricaque fide, quive incertæ & ancipitis eſſet factionis: ſimilitudine ducta è calciamento, quod Græci κόθορνος. Latini mutata literula cothurnum vocant: quo mos erat uti tragœdiarum actoribus. Erat autem τετράγωνον καὶ ἀμφοτεροδέξιον, id eſt, quadrangulum, & utrilibet conveniens pedi, quodque vel dextro vel ſiniſtro pedi poterat accommodari. Suidas addit ejuſmodi fuiſſe, ut viris pariter ac mulieribus congrueret. Quod idem teſtatur illud Maronis:

———Alte ſuras vincire cothurno

Proverbium autem duobus effertur modis: per comparationem, εὐμεταβολώτερος κοθόρνου & per denominationem, ut hominem ipſum, qui ſe diverſis applicat partibus, κόθορνον appellemus. Sic enim vocatus eſt Theramenes ſcriba Athenienſis, Prodici Chii diſcipulus: propterea quod quaſi duabus ſederet ſellis, idem & populi, & triginta virorum partibus ſtudens, & nunc hujus, nũc illius factionis eſſe videretur, vel potius utriuſque. Plutarchus in præceptis civilibus: [illegible] ἀμφοτέροις ὁμιλεῖν καὶ μηδετέροις προστίθεσθαι. id eſt, Sed hic oportet maxime Theramenis cothurnum induentem, cum utrisque verſari, & neutris accedere. Lucianus in amoribus, [illegible] id eſt, Itaque optarim ſane, ſi modo fieri poſſit, Theramenes ille fieri, qui cothurnus eſt dictus, ut ambo ex æquo victores diſcederetis. Idem in Pſeudologiſta, [illegible] id eſt, alius ei cothurni nomen impoſuit: nimirum mores hominis inconſtantes & ancipites, iſti generi calciamenti conferens. Plutarchus indicat & Niciæ patrem ob morum vafriciem cothurni cognomen fuiſſe vulgo tributum. Male audiit hoc nomine Marcus etiam Tullius. Homerus Martem, ni fallor, ſubinde mutantem partes, novo verbo ἀλλοπρόσαλλον appellat. Nihil autem vetat, quo minus adagium in bonam trahatur partem, ut ſi quis hominem facilibus moribus, & quadam ingenii dexteritate cum quovis hominum genere congruentem, κόθορνον appellet: quam ob cauſam Homerus Vlyſſem πολύτροπον dixit. quod quamvis perſonam apte gereret, ducis, mendici, patrisfamilias.

Aliud ſtans aliud ſedens.

Nullus inficias iverit proverbiali figura dictum illud Saluſtianum in Ciceronem: Aliud ſtans, aliud ſedens loquitur. Quo licebit uti, cum ſummam inconſtantiam animi ſignificamus, quaſi tantillum momentum atque intervallum commutet hominis ſententiam Homerus Iliados ν. hujuſmodi verſiculo notat hominis inconſtantis ingenium:

Ἀλλά μιν πελάζων καὶ ἐπ' ἀμφοτέροισι [illegible]

Id eſt:

Verum claudicat, inque pedes utroſque vacillat.

Eandem ſententiam ſic effert Pindarus in Nemeis hymno 3. ὃς δὲ διδάκτ' ἔχει, ψεφεννὸς ἀνὴρ ἄλλοτ' ἄλλα πνέων, οὔποτ' ἀτρεκεῖ κατέβα ποδί, μυριᾶν δ' ἀρετᾶν ἀτελεῖ νόῳ γεύεται, i. e. Qui vero tenet ea quæ didicit, obſcurus homo, alias aliter atque aliter affectus, nunquam certo ingreſſus eſt pede, ſed innumerabilium virtutum imperfecto intellectu guſtum capit. Præfert autem Pindarus naturam inſtitutioni, quod qui natura bonus, ſemper ſui ſimilis eſt: qui vero nititur eruditione, quum multa tenet, nec firmus nec abſolutus eſt ulla in re.

Duabus ſedere ſellis.

Duabus ſedere ſellis, eſt incertarum eſſe partium, & ancipiti fide ambabus ſatisfacere velle. Quo verbo nove compoſito, ἀλλοπρόσαλλον Homerus appellat Martem, id eſt, nunc his, nunc illis partibus faventem. Macrobius in Saturnalibus ætenis: Laberius mimus in ſenatum a Cæſare lectus, cum a Cicerone ad conſeſſum non reciperetur, dicente Reciperẽ te niſi anguſte ſederemus: nimis mordaciter reſpondit, Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere: objiciens tanto viro lubricum fidei. Sed id quod Cicero dixit, Niſi anguſte ſederemus, ſcomma erat in Cæſarem, qui in ſenatũ paſſim tam mul-

multos admittebat, ut eos quatuordecim gradus capere non poſſent. Hactenus Macrobius. Eſt autem omnium conſenſu turpiſſimum, cum utraque parte colludere. At Solon legem tulit, qua puniretur, qui in civitatis tumultu, neutri partium adhæſiſſent.

Duos parietes de eadem dealbare fidelia.

Huic finitimum videtur illud: Duos parietes de eadē dealbare fidelia, pro eo quod eſt, eadem reduplicem inire gratiam, eademque opera duos pariter demereri. M. Curius ad Ciceronē: Sed amice magne, noli hanc epiſtolam Attico oſtendere. Sine eum errare, & putare me virum bonū eſſe, nec ſolere duos parietes de eadem fidelia dealbare. Volebat enim Curius pariter & Attico & Ciceroni videri ſuus, ac de ſe uno fructum quidē Ciceronis, mancipium autem Attici facere. Tractum videtur ab his, qui parietibus opus albarium ſuperinducunt. Legitur & hujuſmodi Græcū adagium apud Suidam: δύο τοίχους ἀλείφειν. id eſt, Duos linis parietes. In eos qui in factionibus, utriuſque partibus blandiūtur. Ad hanc claſſem pertinet illud Hebræi vatis, Vtroq; claudicare pede. item illud Evangelicum, Duobus ſervire dominis. Rurſum illud ex Apocalyſi, de iis qui neque calidi ſunt, neque frigidi.

Duplices viros.

Διπλοῦς ἄνδρας, id eſt, Duplices viros proverbiali joco vocabant, qui eſſent lubrica & in ſincera fide, quos nunc vulgo etiam bilingues appellant: & Vergilius Tyrios bilingues appellat. Dictum eſt autem per alluſionem, quod pleraque virorum nomina diſſyllaba ſint, præſertim ſervorum, quorum genus vafrum & fraudulentum habetur. Vnde ſenſus ambiguus eſt, poteſt enim accipi vel de eo, qui duabus ſederit ſellis: vel cui nomen ſit diſſyllabum. Zenodotus hujuſmodi citat epigramma:

> Μισῶ τὸν ἄνδρα τὸν διπλοῦν πεφυκότα,
> Χρηστὸν λόγοισι, πολέμιον δὲ τοῖς τρόποις.
> Id eſt:
> Equidem virum odi duplicem, ſermonibus
> Probis amicum, cæterum hoſtem moribus.

Eſt aliquoties & apud Homer. Odyſſ. ε.

> Οἳ εὖ μὲν βάζουσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέουσι.
> Id eſt:
> Qui bene cum dicant, tetro mala mente volutant.

Rurſum Odyſſeæ ρ.

> Ἐσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον.
> Id eſt:
> Qui bene cum loquerentur, atrocia mente premebant.

Iterum ejuſdem operis σ.

> ——θέλγε δὲ θυμὸν
> Μειλιχίοις ἐπέεσσι, νόος δέ οἱ ἄλλα μενοίνα.
> Id eſt:
> ——Pectora blandis
> Lenibat dictis, at mens diverſa parabat.

Apud Platonem in Hippia minore citat aliquis hos Homeri verſus, qui dicuntur ab Achille ad Vlyſſem:

> Χρὴ μὲν δὴ τὸν μῦθον ἀπηλεγέως ἀποειπεῖν,
> Ὥσπερ δὴ φρονέω τε καὶ ὡς τετελεσμένον ἔσται,
> Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
> Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.
> Id eſt:
> Nam decet ingenue quod ſentis voce profari.
> Haud ſecus atque Orci portas hominem execror illum,
> Quiſquis corde aliud celans, aliud ſonat ore.

De toga ad pallium.

Certe ſpeciem habent proverbii quod refert Tertul. in libello De pallio: Hæc nimirum indignitas erit a toga ad pallium. Cujus duplex erit uſus, vel cum ad diverſum vitæ genus ſeſe contulerit aliquis, vel cum a fortuna honeſtiore ad humiliorē: veluti ſi quis ex aulico fiat monachus, aut a præfecto pædagogus, è conſule rhetor. Toga Romanorum erat, pallium Græcorum. Poſt pallium cœpit eſſe geſtamen philoſophorum. Confine illi. Ab equis ad aſinos.

Duodecim artium.

Δωδεκαμήχανον, id eſt Duodecim artium, appellabant callidum, verſutum, verſipellem, vafrum, ac variis inſtructum dolis. Narrant ſcortum quoddam fuiſſe nomine Cyrenen, cui cognomentum inditum δωδεκαμήχανον propterea quod in peragenda Venere duodecim figuris uſa fuiſſe dicatur. Imitatum eſt autem ex Hypſipyle Euripidis tragœdia, in qua δωδεκαμήχανον ἄστρον ſcripſit, citāte Suida. Refertur & in Ranis Ariſtophan. tametſi interpres pro ἄστρον, legiſſe videtur ἄρθρον, ut intelligamus de membro pudendo muliebri. Ariſtophan ſic habet: τολμᾷς τὰ 'μὰ μέλη ψέγειν, ἀνὰ τὸ δωδεκαμήχανον Κυρήνης μελοποιῶν; i. Audes tu mea vituperare carmina, qui per duodecim artes Cyrenes poëmata fingis?

Theſſalorum commentum.

Θετταλῶν σόφισμα, id eſt, Theſſalorum commentum varias ad res accommodari ſcribit Suidas, tum ad eos, qui in acie locum deſerunt: tum ad eos, qui cultu delicatiore utuntur: tum ad hos, qui dolis quempiam circumveniunt. Natum autem arbitrantur ex hujuſmodi quapiam hiſtoria. Arato Theſſalo cuidam oraculo reſponſum eſt, caveret ne clanculum vinceretur ab iis qui majore ſplendidioreque voto oraculum adverſus ipſum ambirent. Quod ille ſimulatq; audivit, votum nuncupat, ſe centum hominum capita Deo ſacrificaturum. Deinde poſteaquam ea quorum gratia venerat, ex animi ſententia confeciſſet, votum ac ſacrum perſolvere ſine fine cunctabatur, tanquam neque pium ſatis, neque dignum Apolline. Qua quidem ex re natum ajunt, ut poſtea quotannis hecatomben ei Deo polliceri ſint ſoliti, neque reddere tamen quod eſſent polliciti. Theſſalorum fraudulentiam notat & Euripides in Phœniſſis:

> Καὶ πως τοιοῦτος ἐντυχὼν τὸ Θετταλὸν
> Σόφισμα τὸ σόφισμ' ὁμιλίᾳ χθονός.
> Id eſt:
> At ſentiens hoc Eteocles, mox Theſſalam.
> Adhibuit artem gentis ob commercium.
> Idem alibi:
> Πολλοὶ παρῆσαν ἀλλ' ἄπιστοι Θετταλοί.
> Id eſt:
> Multus quidem aderat, lubrica tamen fide,
> Grex Theſſalorum:

Idem declarat Demoſthenes in Olynth. 1. ἄπιστα γὰρ τὰ τῶν Θετταλῶν, καὶ φύσει ἦν δήπου καὶ ἀεὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, id eſt, Accedunt, inquit, ad hæc res Theſſalorum, quæ profecto cunctis quidē mortalibus natura, ſemperque infidæ fuerunt. A quibuſdam ſic refertur hoc adagium, ἀεί γὰρ τὰ Θετταλῶν ἄπιστα id eſt, Semperq; enim res Theſſalorum infidæ. Ariſtophanis enarrator ab Iaſone natum proverbium exiſtimat, quod is Medeæ promiſſam fidem ſolverit: quod quidem illa illi exprobrat apud Ovid in Heroidum epiſtolis. Proverbii meminit & is qui fragmentum nobis Athenæi tradidit.

Phœnicum pacta.

Φοινίκων συνθῆκαι, id eſt, Phœnicum conventa. Phœnices qui Carthaginē potiti ſunt, cum primum adeam appuliſſent regionem, poſtularunt ab iis qui id temporis Libyam incolebāt, ut ſibi liceret diem & noctem hoſpitio terræ uti. Quod cum impetraſſēt, jamq; exacto conceſſi temporis ſpatio, juberentur excedere finibus, recuſarunt, affirmātes ſe pactos ut ſibi fas eſſe ſiccilīc noctesque ac dies commorari: videlicet ambiguitatem vocum ad ſuum cōmodum detorquentes. Vnde proverbium eſſe natum ajunt, de pactis inſidioſis & aſtutis. Autores Suidas ac Diogenianus. Quin in totum omnes Phœnices dicti ſunt, qui quæſtus eſſent avidi. Vnde Pindarus in Pythiis hymno 2. Φοίνισσαν ἐμπολάν, id eſt, Phœniciā negociationem dixit. Et interpres citat ex Comico quopiā, εὐθέως Φοῖνιξ γίνομαι, id eſt, Protinus Phœnix fio. Item ex Sophocle:

> Ὁ δ' εἶπε καὶ σπεῦδε ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ.
> Id eſt:
> Phœnix ut vir, cœpit emere ac vendere.

Poſtremo Plato lib. De rep. 3. de his agens, qui putant magiſtratui convenire mendacium, inquit, μηδὲν καινὸν ἀλλὰ φοινικικόν τι, id eſt, Nihil pulchri eſt, ſed potius Phœnicei nſe quiddam.

Locrenſe pactum.

Λοκρῶν σύνθημα, id eſt, Locrenſium pactum. De fœdifragis dictum, cujuſmodi quondam habiti Locrenſes: quod fœdere prodito quod cum Peloponneſiis inierant, ad Heraclidarum partes defecerint, vel (ut quibuſdam placet) quod Siculos eluſerint, non præſtita fide. Hæc propemodum Zenodotus. Refertur iiſdem verbis ab Euſtathio in Bœotiam Homeri.

Thracium commentum.

Θρᾴκιον παρεύρημα, id eſt, Thracium commentum, ſive inventum. Apud Zenodotum legitur, torquendū in eos, qui pacta eludunt callido vafroq; aliquo commento. Porro unde id proverbiū natum fuerit, indicat Strabo libro Geographiæ 9. ex Ephoro autore. Thraces pactis cum Bœotiis aliquot dierum induciis, nihilo ſegnius incurſiones agebant nocturno tempore. Hoc cum ſtomachati expoſtulaſſent Bœotii atque expoſtularent, quod violaſſent inducias: reſponderent Thraces, ſe nihil præter pacta feciſſe: pactos enim eſſe de diebus, noctibus incurſaſſe. His ferme ſimilia refert Zenodotus, nempe Thraces conſtitutis decem dierum induciis, noctu impreſſionem feciſſe in Bœotos, jam negligentius agentes, induciarum fiducia, atque ex his nonnullos trucidaſſe, aliquot vivos abduxiſſe: deinde expoſtulantibus de violatis pactis Bœotiis, reſpondiſſe, dies, non noctes, pacto contineri. Ea res proverbio locum fecit, Θρᾴκιον παρεύρημα, id eſt, Thracium inventum. Eſt enim proprie παρεύρεσις, excogitata cavillatio, qua pactum eluditur: quas Plaut. ſutelas vocat. Et Terentius: Ne quid ſuo aſſuat capiti. Addunt enim extra pactionem commenti quippiam, quo rem omnem ſubvertunt.

Thraces fœdera neſciunt.

Θρᾷκες ὅρκια οὐκ ἐπίστανται, id eſt, Thraces fœdera non norunt. Apud Thraces evenit, ut natu maximus quidam jaculo per pectus adacto interiret. Vnde Ionii us & Æolibus veluti per ænigma dici cœptum Θρᾷκες ὅρκια οὐκ ἐπίστανται: quod natu grandibus honos magis debeatur apud hos qui legibus vivunt. Porro Thracum barbariem & immanitatem perfidiamque ſatis arguit interemptus a Polymneſtore Polydorus, hoſpitii jure violato. Et Euripides in Hecuba:

> Τάχ' οὖν πυρ' ὑμῖν ῥᾳδίως ξενωτικῶς.

Ἡμῶν

Ἡμῖν δ' ἐγ' ἀσφαγὴς τοῖσιν Ἀχαιοῖς τόδε.

Id eſt:

Iugulare forſitan hoſpitem vobis leve eſt:

Nobis Achivis iſtud oppido eſt grave.

Hoc calceamentum conſuit Hiſtiæus, Ariſtagoras induit.

Τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔῤῥαψε μὲν Ἱστιαῖος, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρας, id eſt, Hoc calceamentum Hiſtiæus quidem cõſuit, cæterum Ariſtagoras induit. Diogenianus admonet dici ſolitum in eos, qui callide ſua malefacta in alios rejiciunt. Adagium natum eſt ex hujuſmodi hiſtoria. Hiſtiæus quiſpiam patria Samius, Dario amicus, ab eodem in Perſidem miſſus eſt. illic diutius commoranti inceſſit patriæ reviſendæ deſiderium, verum quum à rege commeatum impetrare nõ poſſet, ſcribit ad Ariſtagoram ex fratre nepotem, ut Iones ad defectionem ſollicitaret: videlicet ut hac occaſione dimitteretur. Excogitavit autem novum literarum tranſmittendarum genus, cujus meminit & A. Gellius noctiũ Atticarum libr. 17 cap 9 Servo cuidam ſpectatæ fidei, diu oculos ægros habenti, capillũ ex omni capite, tanquam medendi cauſa deraſit, caputq; ejus læve, literarum formis compungit. His literis quæ voluerat, ſcripſit: hominẽ poſtea quoad capillus adoleſceret domi continet: tenatis pilis, ad Ariſtagoram mittit: &. Quum ad eum veneris, inquit, mandaſſe me dicito, ut caput tuum ſicut nuper egomet feci, deradat. Servus ut imperatum erat, ad Ariſtagoram venit, mandatum domini adfert. Is non eſſe fruſtra ratus, capite deraſo literas legit: ac mente [H]iſtiæi cognita totam ferme Ioniam ad defectionem traxit. Darius poſteaquam hæc cognoviſſet, diſcivisſe Iones Hiſtiæum in conſilium adhibet, quem potiſſimum in Aſiam mittere oporteat ad res componendas. Is perſuadet ut ſeſe mittat, utpote idoneum ad ſarciendam defectionem Ionum. Itaque poſteaquam in Aſiam deveniſſet, jamq; in ſuſpicionem veniſſet Sardium præfecto, tanquam autor hujus motus fuiſſet, hoc audivit ab eodem: ὅτε τοι, Ἱστιαῖε, ἔχει κατὰ ταῦτα τὰ πρήγματα, τοῦτο τὸ ὑπόδημα ἔῤῥαψας μὲν σὺ, ὑπεδήσατο δὲ Ἀρισταγόρας. Sic hæ res habent Hiſtiæe: tu quidem calceum hunc conſuiſti, cæterum Ariſtagoras induit. Meminit & Herodotus 5. & 6. libro in hunc modum efferens, quemadmodum retuli ſignificabat autem ejus conſilii primum fontem & autorem fuiſſe Hiſtiæum, adminiſtratorem Ariſtagoram: Ea vox deinde ut fit vulgo cognita commenti novitate, in populi fabulam abiit. Videtur magis convenire, quoties in aſtutis & improbis conſiliis alteri auxilio eſt, mutuaque opera ſeſe juvant. Nam dare conſilium, eſt tanquam calceum conſuere: uti conſilio & exſequi, eſt velut inducere calceamentum.

Repariazare.

Ἀνεπαριάσαντο, id eſt, Repariaſſarunt. De iis dicebatur, quos pœniteret inſtituti, quique à conventis diſcederent: ab hiſtoria natum. Parii cum aliquando à Thebanis bello premerentur, petierunt ut à bello deſiſterent, ſe civitatem in poteſtatem illorum tradituros. Hac lege cum deſtitiſſent, Thebani, & Pariis interea ſpes auxilii fuiſſet alicunde oſtenſa, pactum irritarunt, bellumque cum Thebanis integrarunt. Inde fictum proverbiale verbum ἀναπαριάζειν, pro irritare pacta, Pariorum exemplo. Proverbii meminit & Stephanus in dictione Πάρος, referens ex autore Ephoro: niſi quod in hiſtoria variat. Quum enim Miltiades vehementer urgeret Parios, jamque tractari cœptum eſſet de dedenda urbe, ſylva quædam circa Myconum ultro cœpit ardere, Parii ſuſpicantes quod Datis regiæ claſſis præfectus excitato igni ſignum ipſis dediſſet, reſciſſis conventis noluerunt tradere civitatem. Adſtipulatur Æmilius in vita Miltiadis. Eſt autem Paros una ex Cycladibus, quemadmodum & Myconus.

Quibus nec ara, neque fides.

Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσιν.

Οἶσιν οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει

Id eſt:

Queis nec ara, nec fides, nel ulla durant fœdera.

De vehementer perfidis. Dictum eſt in Spartanos, quorum perfidiam taxavit Euripides:

Σπάρτης ἔνοικοι δόλια βουλευτήρια.

Id eſt:

Spartæ incolæ, doloſa conſultamina.

Nunc in aulicos non omnino peſſime quadrat.

Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

Qui coram blandiuntur, clam obtrectantes, palam amicos agunt, clanculum nocent: aut qui hic proſunt, illic lædunt, falſam beneficiis ſpem oſtentant, ut nacti occaſionem funditus perdant: ii dicuntur altera manu portare lapidem, altera panem oſtentare. Translatum ab iis, qui canes oſtentato pane pelliciunt: deinde ac cedentibus ſaxum illidunt. Euclio Plautinus in Aulul.

Nunc petit cum pollicetur, aurum inhiat, ut devoret.

Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.

D. Hieronymus ad Rufinum: Hæc apud te amice potius expoſtulare volui, quam laceſſitus publice deſævire: ut animadvertas me reconciliatas amicitias pure colere, & non iuxta Plautinam ſententiam, altera manu lapidẽ tenere, panem offerre altera. Eodem eleganter alluſit, ſcribens ad eundem Ruffinum: An tibi ideo panem non damus, quia hæreticorum cerebro lapidem illidimus? Simile quiddam habet Gregor. theologus epiſtola ad Euſebium epiſcop. Cæſarienſem: ὥσπερ εἴ τις ὁ αὐτὸς τῇ μὲν τῶν χειρῶν καταψήχοι τὴν κεφαλὴν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ παίοι. id eſt: Perinde quaſi quis ejuſdem viri altera manu ſcabat caput, altera manu feriat.

Maritimi mores.

Non abeſt à proverbii ſpecie, quod Plautus in Ciſtellaria dixit. Maritimos mores, pro variis & inconſtantibus, quales fere ſunt amantium: qui quum ferantur impotentibus cupiditatibus, tamen ſibi non conſtant. Queritur autem apud Comicum adoleſcens de amore, mentem in varios affectus rapiente. Ita inquit, mihi omnia ingenia ſunt: quod lubet, non lubet jam id continuo. Ita me amor lapſum ludificat: fugat, agit, appetit, raptat, retinet, jactat, largitur quod dat non dat, deludit. Modo quod ſuaſit, diſſuadet: quod diſſuaſit, id oſtentat, Maritimis moribus mecum experitur. Quemadmodum autem mare nunquam conquieſcit, & ſubinde mutat faciem: ita ferunt homines maritimos nonnihil ex maris ingenio referre. De Euripo dictum eſt nobis alias.

Lingua juravit.

Illud è tragœdia ceſſit in proverbium, ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκε, id eſt, lingua juravit. Vbi quis non præſtat fidem promiſſi: aut ubi non ex animo pollicetur. Eſt apud Euripidem in Hippolyto coronato:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.

Id eſt:

Iurata lingua eſt, animus injuratus eſt.

Hunc verſiculum inceſſiverunt Comicorum convicia. Ariſtophanes in Bacchis:

Ἢ φρένα μὲν οὐκ ἐθέλουσαν ὀμόσαι καθ' ἱερῶν,

Γλῶτταν δ' ἐπιορκήσασαν ἰδίᾳ τῆς φρενός.

Id eſt:

Aut mentem quæ nolit per ſacra jurare.

Linguam autem juratam, ſeorſum ab animo.

Item in Ranis taxans Euripidem:

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοκ' Αἰσχύλον δ' αἱρήσομαι.

Id eſt:

Iurata lingua eſt, Æſchylum autem præferam:

Sic & Pindarus in Iſthmiis, encomio quinto, laudans quendam cordatæ veraciſque linguæ dicit:

Γλῶσσα δ' οὐκ ἔξω φρενῶν,

Id eſt:

Lingua vero non extra mentem.

Euripidis dictum citatur à Plat. in Theæt. ἐὰν ἀποκρίνῃ ὅτι ἔστιν, Εὐριπίδειόν τι ξυμβήσεται, ἡ μὲν γλῶττα ἀνέλεγκτος ἡμῖν ἔσται, ἡ δὲ φρὴν οὐκ ἀνέλεγκτος. id eſt, Si reſponderis eſſe, eveniet nobis quiddam Euripideum, lingua nobis erit irredarguta, cæterum mens non erit irredarguta.

Punica fides.

Pœnorum perfidia in proverbium abiit, quod ea gens peculiariter perjurii vanitatiſque notata ſit, quemadmodum abunde teſtatur T. Livius, cujus hæc verba ſunt libro ſecundo de bello Punico: Quæ Punica religione ſervata eſt fides ab Hannibale. Idem belli Punici 2. libr. primo. Has tantas viri virtutes ingẽtia vitia æquabãt, humana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullius Dei metus, nullum jusjurandum, nulla religio. His coloribus depingit Annibalem. Subindicat idem Qu. Curtius, in Tyriis Pœnorum auxilio deſtitutis. Rurſum Maximus apud Iulium Capitolium: Afri, inquiens, fidem Punicam præſtiterunt & quod modo citavimus ex Auſonio, Pœna fide. Saluſtius in Iugurthino: Comperio Bocchum magis Punica fide quam ob ea quæ prædicabat, ſimul Romanos & Numidam ſpe pacis detinuiſſe. Plautus, Nemo me Pœnus Punior, alludens ad morum perfidiam. Pœni fœdifragi ſemper habiti. Idem in Pœnulo: Et is omnes linguas ſcit, ſed diſſimulat ſciens ſe ſcire. Pœnus plane eſt, quid verbis opus eſt:

Non idem ſunt ſcriptura & Leucaus.

Γραφεὺς καὶ Λευκαῖος, οὐ ταὐτόν. id eſt: Scriptura & Leucæus non ſunt idem, aut non conveniunt. Vbi quis aliud ſcribit, aliud facit aut dicit. Recte jacietur in eos, qui ſtare pactis nolunt. Nam hæc plerumque ſyngraphis conſtant. Aut in eos quorum vita nõ cõgruit cum libris editis. verſ. Græcus conſtabit,

ſi addas λέγει. Conjicere licet, Leucærum fuiſſe malæ fidei ſcribam.

Dædali opera.

Δαιδάλεια ποιήματα. Dædalea opera dicuntur, quæ novo artificio fabricata ſunt, & admirando. Hinc natum, quod cum ceteres illi plaſtæ formas animalium cæcas fingerēt & immobiles, Dædalus inſolito artificio primus & oculos induxit, & nervis quibuſdam additis effecit, ut huc atque illuc moverētur, adeo ſcite, ut ſpectātibus vivere atque ingredi viderētur. Vnde ferunt quædā Dædali ſigna vinciri pedib. ne aufugiant. Hujus rei meminit Plato in Menone, his quidem verbis: ὅτι τοῖς Δαιδάλου ἀγάλμασιν οὐ προσέσχηκας τὸν νοῦν· ἴσως δὲ οὐδ' ἔστι παρ' ὑμῖν. πρὸς τί δὲ δὴ τοῦτο λέγεις; ὅτι καὶ ταῦτα ἐὰν μὲν μὴ δεδεμένα ᾖ, ἀποδιδράσκει καὶ δραπετεύει, ἐὰν δὲ δεδεμένα, παραμένει. τί οὖν δή; τῶν ἐκείνου ποιημάτων λελυμένον μὲν ἐκτῆσθαι οὐ πάνυ τινὸς ἄξιόν ἐστι τιμῆς, ὥσπερ δραπέτην ἄνθρωπον (οὐ γὰρ παραμένει) δεδεμένον δὲ πολλοῦ ἄξιον. i. Quoniā non animadvertiſti Dædali ſigna Fortaſſis ne ſunt quidem apud vos. Quorſum iſthuc dicis? Quoniā illa quoque ni revincta fuerint, diſcedunt atque aufugiunt: ſin vincta ſint, conſiſtunt. Quid tum poſtea? Si quod ex illius operibus ſolutum poſſideas, haudquaquam magno æſtimandum, perinde quaſi ſervum poſſides fugitivum (neque enim apud te manet:) ſin autem vinctum, id magno æſtimandum ſit. Idem in Hippia Majore ſic refert, quaſi de priſcis & obſoletis dici ſoleat: εἰ ἀρχαῖος ἐκεῖνος ὁ Βίας ἀναβιοίη, γέλωτ' ἂν ὄφλοι πρὸς ὑμᾶς, ὥσπερ καὶ τὸν Δαίδαλόν φασιν οἱ ἀνδριαντοποιοὶ νῦν, εἰ γενόμενος τοιαῦτ' ἐργάζοιτο, οἷα ἦν ἀφ' ὧν τοὔνομ' ἔσχε, καταγέλαστον ἂν εἶναι. id eſt. Si ſane nunc ô Hippia Bias revivifcat, riſum apud vos tulerit: Quemadmodum & horum temporum ſtatuarii de Dædalo narrant, ſi nunc vivens talia proferat opera, qualia erant illa unde famam ac nomen adeptus eſt, deridiculum fore. Meminit & Ariſtoteles libro Politicorum 1. de ſervis loquens, quos ait nihil aliud eſſe quam inſtrumēta viva, εἰ γὰρ, inquit, ἠδύνατο ἕκαστον τῶν ὀργάνων κελευσθὲν ἢ προαισθανόμενον ἀποτελεῖν τὸ αὑτοῦ ἔργον, ὥσπερ τὰ Δαιδάλου φασὶν, ἢ τοὺς τοῦ Ἡφαίστου τρίποδας (οὕς φησιν ὁ ποιητὴς αὐτομάτους θεῖον δύεσθαι ἀγῶνα) οὕτως αἱ κερκίδες ἐκέρκιζον αὐταὶ, καὶ τὰ πλῆκτρα ἐκιθάριζεν, οὐδὲν ἂν ἔδει οὔτε τοῖς ἀρχιτέκτοσιν ὑπηρετῶν, οὔτε τοῖς δεσπόταις δούλων. i. Etenim ſi fieri poſſet, ut unūquodque inſtrumentū vel juſſum, vel per ſe præſentiens, ſuū opus perageret, quemadmodū ajunt Dædali ſtatuas facere, & Vulcani tripodes (quos poëta ſcribit ultro in divinū certamē prodiiſſe) itidē & pectines per ſe texerent, & plectra cithara canerēt, haudquaquā opus haberēt, neque architecti miniſtris, neque domini ſervis. Locus quem citat Ariſtoteles, eſt apud Homerum Iliados 6. Meminit idem De anima lib. 1. refellens opinionē Democriti, cēſentis animam ita movere corpus, ut ipſa prius mota moveret. Ait enim Democritum tale quiddam adferre, quale ſit apud Philippū comœdiarum ſcriptorem. Is enim ſcripſit à Dædalo ligneam Venerem fabricatam fuiſſe, quæ moveretur argēto vivo infuſo ὅτι, inquit, Δημόκριτος παραπλησίως λέγει Φιλίππῳ τῷ κωμῳδοδιδασκάλῳ. φησὶ γὰρ τὸν Δαίδαλον κινουμένην ποιῆσαι τὴν ξυλίνην Ἀφροδίτην ἐγχέαντα ἄργυρον χυτόν. Proinde proverbiū ad varios uſus poterit accommodari. Vel ubi res inuſitata arte confectas ſignificabimus. Nam Homerus artificioſa Dædala vocat:

> --- Ὃς χερσὶν ἐπίστατο δαίδαλα πάντα,
> Τεύχειν ---

Id eſt:

> Qui manibus norat fabricari Dædala cuncta.

Item Pindarus in Olympiacis:

> Καὶ δεδαιδαλμένοι ψεύδεσι ποικίλοις
> Ἐξαπατῶντι μῦθοι.

Id eſt:

> Et arte confictæ mendaciis variis fallunt fabulæ.

Et Vergilius Dædaleam Circen vocat, quod novis & admirandis artibus homines verteret in feras. Quin & orationis poliendæ artifices λογοδαιδάλους: & opſoniorum peritos; ὀψοδαιδάλους appellant Græci. Vel cum inconſtantiam & inſtabilitatem cujuſpiam ſignificabimus. Sic enim apud Platonē in Euthyphrone, Socrates argumenta non conſiſtentia, Dædaleis operibus ſimilia videri dicit. Eutyphron autem reſpondet, Socratem ſibi pro Dædalo eſſe: quippe qui rationes ſuas non ſinat conſiſtere, ruſus coarguens & evertens quod paulo ante viſus ſit approbare.

Admirabiles in nectendis machinis Ægyptii.

Δεινοὶ πλέκειν τοὶ μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Id eſt:

> Nectunt ſtupendas machinas Ægyptii.

De verſutis, (ut ait Plautus) conſutis dolis dictitatum. Torqueri poteſt & in perplexas ſophiſtarum argutias ac ſyllogiſmorum inexplicabiles labyrinthos: aut in ſycophantas ac delatores, qui vera falſis permiſcendo nectūt calumnias. Ammianus 14. refert, Paulo cuidam qui pluribus admirandis technis deferebat apud Conſtantium, vulgo cognomen inditum cathenæ: quod in complicandis delationib. nodos necteret inſolubiles. Celebrabantur olim Ægyptiorum opera ex variis lignorum fruſtulis miro quodam artificio connexa, quorum eſt & Herculanus nodus. Adagium hoc cognatum eſt illi, quod alibi retulimus, κασσιωτικὸν ἅμμα. id eſt, Caſſioticus nodus. Caſſium enim in Ægypto eſt quemadmodum paulo ſuperius oſtendimus.

Multa novit vulpes, verum echinus unum magnum.

Πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

Id eſt:

> Ars multa vulpi, aſt una echino maxima.

Zenodotus hūc ſenarium ex Archilocho citat. Dicitur in aſtutos, & variis cōſutos dolis. Vel potius ubi ſignificabimus, quoſdam unica aſtutia plus efficere, quam alios adverſis technis. Nam vulpes multijugis dolis ſe tuetur adverſus venatores, & tamen haud raro capitur. Echinus quem opinor herinaceum eſſe (nam hoc loco de terreſtri, nō de piſce fit mentio) unica duntaxat arte tutus eſt adverſus canum morſus. Siquidem ſpinis ſuis ſemet involuit in pilæ ſpeciem, ut nulla ex parte morſu prendi queat. Citantur apud eundem Zenodotum hujuſmodi quidam verſus ex Ione Chio tragico poëta: quos eoſdem ex eodem citat in ſermonibus convivalib. Athenæus à tragœdia, cui titulus Phœnicia:

> Ἀλλ' ἔν τε χέρσῳ τὰς λέοντος ἤνεσα,
> Καὶ τὰς ἐχίνου μᾶλλον οἰζυρὰς τέχνας,
> Ὃς εὖτ' ἂν ἄλλων θηρίων ὀσμὴν λάβῃ.
> Στρόφιλος ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας
> Κεῖται δακεῖν τε καὶ θιγεῖν ἀμήχανος.

Id eſt:

> Leonis artes in ſolo ſane probo,
> At magis echini comprobo miſeros dolos,
> Qui ſimul odorem beluarum ſenſerit,
> Se contrahit ſpinis operto corpore,
> Tutus jacens, morſuque tactuque omnium.

Refertur proverbium, ac ſimul ad carmen alludit Plutarchus in commētario, cui titulus, πότερα τῶν ζῴων φρονιμώτερα, χερσαῖα ἢ ἔνυδρα: id eſt, utra animātia prudētiora, terreſtria an marina. Hujus verba ſubſcribam: τῶν δὲ χερσαίων ἐχίνων τὸ περὶ τὴν αὐτῶν ἄμυναν καὶ φυλακὴν παροιμίαν πεποίηκε.

> Πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.
> Στρόφιλος ἀμφ' ἄκανθαν εἱλίξας δέμας,
> Κεῖται θιγεῖν τε καὶ δακεῖν ἀμήχανος.

Id eſt:

Iam vero terreſtriū echinorum in tuenda ſervandaque incolumitate ſua, ſolertia proverbio locum fecit:

> Ars varia Vulpi, aſt una echino maxima.

Siquidem quum illa aggreditur, quemadmodum ajunt:

> Flexibile ſpinis corpus obvolvens ſuis,
> Tutus jacet, ſicut nec ore tangere
> Vlla queat ratione, nec morderier.

Plutarchus, aut quiſquis eſt ejus operis autor, verſibus intermiſcuit ſua quædā verba: ne quis id errore noſtro factū ſuſpicetur. Sed omnium copioſiſſime hujus animantis ingenium & aſtutiā deſcribit. Plin. lib. 8 cap. 37. Præparant, inquit, & herinacei cibos, ac volutati ſupra jacentia poma affixa ſpinis, unum nō amplius ore tenentes portant in cavas arbores. Iidem mutationem aquilonis in auſtrum, condentes ſe in cubile, præſagiunt. Vbi vero ſenſere venātem contracto ore, pedibus ac omni parte inferiore, quæ raram & innocuam habent lanuginem, convolvuntur in formam pilæ: ne quid comprehendi poſſit præter aculeos. In deſperatione vero urinam ex ſe reddunt tabificā tergori ſuo, ſpiniſque noxiam. Reliqua qui cupiet cognoſcere, à loco quē indicavimus petat. Hæc ad proverbii ſenſum potiſſimum attinebāt. Celebre eſt & piſcis echini ingenium qui ſævitiam maris præſagiēs, correptis lapillis operit ſeſe ut mobilitatem ſtabiliat pondere, ne nimia volutatione atterat ſpinas: quod aſpiciētes nautæ, pluribus mox ancoris navigia infrenant. Autor Plinius lib. 9. cap. 31. Vulpem autem verſipellem eſſe, variis inſtructam artibus, cū alii complures apologi, tum ille peculiariter indicat, qui refertur a Plutarcho in Moralibus. Cū aliquando pardus vulpem præ ſe contemneret, quod ipſe pellem haberet omnigenis colorū maculis variegatam, reſpondit vulpes, ſibi decoris in animo eſſe quod illi eſſet in cute. Neque vero parū lo ſatius eſſe, ingenio præditum eſſe vafro, quam cute verſicolore. Græci ſolertem, ac variis armatum dolis, ποικιλόφρονα vocant, & πολύτροπον, Latini vafrum & verſipellem. Narratur & alius quidam apologus, ab hoc proverbio non multum abludens. Cum aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, jactaret ſibi varias eſſe technas, adeo ut vel peram haberet dolis refertam, felis autem reſponderet, ſibi unicam duntaxat artem eſſe, cui fideret ſi quid exiſteret diſcriminis, inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur, ibi feles in arborem altiſſimam ſubſiliit cum vulpes interim à canum agmine cincta capitur. Docuit fabula, præſtabilius eſſe nonnunquam unicum habere cōſilium, modo id ſit verum & efficax, quam plures dolos, conſiliaque frivola. Veluti ſi quis pauper multijugis artibus ſolicitaret animum puellæ: dives autem unum hoc haberet, quod eſt apud Ovidium, Quantumlibet accipe: recte dixeris:

> Πόλλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

Magnus verſator in re puſilla.

Μέγας κηλητὴς ἐν μικρῷ γε πράγματι.

Id eſt:

> Verſator ingens in negocio levi.

Nam addita conjunctiuncula cōſtabit verſus. Quadrat in eos, qui arte parum honeſta ſibi divitias parant. Natum ab Eudamidæ apophthegmate. Is erat Archidami filius, frater Agidis. Quum muſicus quidam feliciter videretur cecīniſſe, quiſpiam ex iis qui aderant rogabat Eudamidam, quid de eo ſentiret: reſpondit, μέγας κηλητὴς ἐν μικρῷ πράγματι. i. Magnus delinitor in re parva, quod exiſtimaret operoſam eſſe ſcientiam, ſed nihil adferentem uti-

linitis. Recenſetur à parœmiographis. Refertur & à Plutarcho in Laconicis: niſi quod illic legitur, κηλητικῶς, quod oratorum ſit, delinire ac movere affectus. Huic non diſſimile eſt quod Muſonius ait apud A. Gellium, libr. 5. cap. 1. in eos qui modulatu vocum ac lenociniis verborum excitant inanem applauſum auditorum: Scio, inquit, illic non philoſophum loqui, ſed tibicinem canere.

Simia non capitur laqueo.

Οὐ πίθηκος οὐκ ἁλίσκεται βρόχῳ, id eſt, Simia non capitur laqueo. In callidos tergiverſatores dici ſolitum, qui coargui nō queunt. Id olim dictum eſt in Heraclidem, qui per imprudentiam perperam citarat ex Dionyſio, quod erat apud Sophoclem. Miſſum eſt exemplar, ut ibi conſpecto carmine agnoſceret ſuum errorem. Hic quoque tergiverſanti, nec lapſum agnoſcenti, dicentique caſu fieri poſſe, ut in diverſis poëtis verſus conſentiant, ſcripſit quiſpiam, ſimiam haud capi laqueo. Autor Diogenes Laertius. Carmen Græcum ſic habet:

Γέρων πίθηκος οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ,
Ἁλίσκεται μὲν, ἀλλὰ χρόνῳ δ᾽ ἁλίσκεται.

Id eſt,

Laqueo vetuſtus ſimius non prenditur:
Capitur quidem ille, capitur autem ſerius.

Volaticum jusjurandum.

Ταχυβάμονες ὅρκοι. Ad eum modum appellabant jusjurandum irritum, quod evaneſceret avolaretque ſimulatq; pronunciatum eſſet: cujuſmodi ſunt amātium. Hæc ſententia magis arridet Suidæ. Quanquam Ariſtarchus apud Eudemum, κατ᾽ ἀντίφρασιν accipit quaſi tardum oporteat eſſe jusjurandum, neq; temere proferendum: neq; enim ſtatim evaneſcere, ſi quid juraris.

Semper Africa novi aliquid apportat.

Huic ſimillimum eſt illud Plinianum, quod in hiſtoria mundi refert, Libyam ſemper aliquid novi adferre. Quod quidē ideo dicebatur, quod in ſiticuloſa regione ad unum aliquem rivum plurimæ ferarum ſpecies bibendi gratia convenire cogantur: inibiq; varia mixtura violentæ Veneris, varias monſtrorum formas ſubindeq; novas naſci. Porro Plinius ſumpſit ab Ariſtotele, apud quē refertur lib. De generatione animalium 2. capite 5. Anaxilas apud Athenæum lib. 4. feſtiviter ad rem detorſit:

Ἡ μουσικὴ δ᾽ ὥσπερ Λιβύη πρὸς τῶν θεῶν,
Ἀεί τι καινὸν κατ᾽ ἐνιαυτὸν τίκτει θηρίον.

id eſt:

At muſica itidem ut Afra terra, per deos,
Semper quotannis beſtiam aliquam ædit novam.

Scio Græcum verſum poſteriorem non conſtare, ſed ita habet æditio Aldina, nec ſatis divino quomodo reſtitui poſſit: niſi forte pro κατ᾽ ἐνιαυτὸν, legendum eſt ἐν αὐτῇ, tametſi ne ſic quidem conſtat metrum: fortaſſe θηρίον omittendum, & pro κατ᾽ ἐνιαυτὸν, reponendum κατ᾽ ἐνιαυτόν. Quadrabit in homines lubrica fide, ſemperque novandarum rerum avidos.

Semper adfert Lybia mali quidpiam.

Eodem fonte fluxit & illud, ἀεὶ φέρει τι Λιβύη κακόν, id eſt, Semper affert Lybia mali quidpiam: quod inde Romam, ut dixi, monſtra deportarentur. Hinc & in mores ingeniumq; gentis detorqueri poteſt: ſiquidem ut eſt regio venenorum ferax, ita gentis peſtilens ingenium. Peculiariter conveniet in fœdifragos, ac pactorum novatores.

Magis varius quam hydra.

Ποικιλώτερος ὕδρας, id eſt, Magis varius quam hydra. De callidis ac doloſis, quod hydra ſerpens ſit verſicoloribus notulis diſtincta. Apte dicetur in vafros ac verſipelles, aut etiam parum ſibi cōſtantes. Refertur ſenarius hic apud Athenæum lib. Dipnoſophiſton.

Ἐποιήσατ᾽ αὐτὸν ποικιλώτερον ταῶ.

Id eſt,

Feciſtis hunc pavonibus varium magis.

His affine eſt, quod Mnaſeæ Colophonio poëtæ Salpe cognomē populari joco fuit inditum: eo quod in carmine varius eſſet. Nam is piſcis mire picturatus eſt, aureis rubentibuſq; lineis à cervice ad caudam uſq; per argentea latera certis intervallis deductis, quum alioqui ſit illaudati ſaporis.

Siſyphi artes.

Σισύφου μηχαναί: id eſt, Siſyphi artes. Dicebantur vafra verſutaque conſilia. Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσιν:

Εἶτ᾽ ἐξάνεγε μηχανὰς τὰς Σισύφου.

Id eſt,

Dein callidos deprome Siſyphi dolos.

Porro ut Siſyphus in aſtutiæ proverbium abiret, Homericus ille verſus in cauſa fuit:

Σίσυφος ὃς κέρδιστος ἐπιχθονίων γένετ᾽ ἀνδρῶν.

Id eſt:

Siſyphus in terris quo non aſtutior alter.

Rurſus Iliad ζ.

Ἔνθα δὲ Σίσυφος ἔσκεν ὃ κέρδιστος γένετ᾽ ἀνδρῶν.

Id eſt:

Hic autem Siſyphus fuit, aſtutiſſimus hominum.

Ab hoc genus duxit Ulyſſes, quem Homer. ubiq; vafrum & callidum facit.

Pyrrhandri commentum.

Πυῤῥάνδρου μηχάνημα, id eſt, Pyrrhandri commentum. De callido invento. Hic Pyrrhander ſycophanta quiſpiam fuit, inſigniter verſutus, notæq; malitiæ. Ariſtophanes in Equitibus:

Καὶ νὴ Δί᾽ ἦν γε τοῦτο πυῤῥάνδρου τὸ μηχάνημα.

Id eſt:

Ac per Jovem fuit quidem Pyrrhandrica iſta techna.

Megaricum machinamentum.

Μεγαρικὴ μηχανή, id eſt, Ars Megarenſis: dicitur, cum dolo & aſtu res agitur, non ſincera fide. Olim enim Megarenſes vulgo male audiebant, tanquam fraudulenti ac ficti: quod aliud ſentire ſoleant, aliud loqui, ut indicat Ariſtophanis interpres. Citatur apud Suidam hic ſenarius:

Ἀλλ᾽ ἔστι γάρ μοι Μεγαρικὴ τις μηχανή.

Id eſt:

Sed enim ars adeſt mihi quæpiam Megarenſium.

Eſt autem apud Ariſtophanem in fabula, cui titulus, Ἀχαρνεῖς. Celebrantur Megarenſiū vaſcula fictilia. vide num huc ſpectet proverbium. Deinde conſtat, Euclidem Socraticum fuiſſe Megarenſem, qui ſuſcepit ſcholam Megaricam. Hic fuit inſignis machinarum artifex. Fieri poteſt ut hinc natum ſit adagium. Ad hæc eſt civitas ejuſdem nominis in Theſſalia Pontica. & de Theſſalico commento dictum eſt alias. Sphinges Megaricas poſt referemus.

Expedit habere plura cognomina.

Ariſtophanes in Pluto:

Ὡς ἀγαθὸν ἐστ᾽ ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν.

Id eſt:

Ut expedit, ſi plura habeas cognomina.

Convenit in eos, qui multa ſimul profitentur, quo quæſtum faciāt uberiorem. Aut qui diverſarum ſunt partium. Quemadmodum veſpertilio in Apologis aliquando mus eſt, aliquando avis Dictū eſt autem in Mercuriū, cujus varia feruntur cognomina. Vocatur enim στροφαῖος, vel quod bene vertat negocia, vel quod ſubdolus ſit, ac verſipellis: ἐμπολαῖος, quod actionibus, ac mercimoniis præſit: ἡγεμόνιος, quod viæ dux, ut apud Homerum Priamo: δόλιος, quod imposturæ, præſtigiarumq; repertor: κερδῷος, quod lucris augeat negociatores: ἐναγώνιος, quod in certaminibus præconis vice fungatur: διάκτορος quod deorum miniſter. Feruntur item & Bacchi permulta cognomina. Proverbium non inſcite torquebitur & in iſtos, qui nuſquam non habent titulos, ac nominationes (ut vocāt) & ceu laqueos inſtructos ad irretiēda ſacerdotia. Aut qui plurimas artes profitentur, ut aliqua ratione ſibi parent fortunā: velut ii faciunt, qui in principum aulis iidem & ſacrificum agunt, & miniſtrum, & oeconomum, & lenonem, & γελωτοποιόν.

Ulyſſeum commentum.

Ὀδύσσειος μηχανή, id eſt, Ulyſſeum inventum, callidum, aſtutum & vafrum dicebatur. Ulyſſem Homerus ubique verſutum facit, ac diſſimulantem ſimulantemq;. Unde eundem ſtatim initio Odyſſeæ, πολύτροπον appellat: Vergil. item,

—Scelerumque inventor Ulyſſes.

Refertur apud Suidam. Plutarchus in Lyſandri vita declarat quid ſit Ulyſſeum commentum. Lyſandrum Lacedæmonii miſſa ſcytala domum revocarant. Is metuens accuſationes Pharnabazi ſatrapæ, qui gratioſus erat Lacedæmoniis, dedit operam ut cum illo veniret in colloquium. Ab eo multis precibus impetravit, ut ſcriberet magiſtratui, ſe nullis ab ipſo læſum injuriis. Pharnabazus cum Cretenſi quod ajunt Cretiſſans, conſcripſit epiſtolam ex Lyſandri ſententia, quam illi legendam tradidit: ſed clam ſcripſerat aliam ex ſui animi ſententia, ſigillo & inſcriptione tam ſimili, ut dignoſci non quirent altera ab alteris, eamq; tradit Lyſandro. Is nihil ſuſpicans, reddit: quam lectam, cum illi commonſtraſſent Ephori, Lyſander intellexit, non ſolum Ulyſſem verſutum fuiſſe. In hanc ferme ſententiam Plutarch.

Vias novit, quibus effugit Eucrates.

Οἶδε τὰς ὁδοὺς ἅσπερ ἔφυγεν Εὐκράτης, id eſt, Novit vias quibus effugit Eucrates. In eum quadrat, qui ſemper aliquam invenit rimam, ut inquit Plautus, per quam elabatur, ut officium ſubterfugiat. Ariſtophanes in Equitibus:

Εὐλαβοῦ νῦν μή σ᾽ ἐκφύγῃ, καὶ γὰρ οἶδε τὰς ὁδοὺς,
Ἅσπερ Εὐκράτης ἔφευγεν εὐθὺ τῶν κυρηβίων.

Id eſt,

Caveto ne te effugerit. novit vias
Quibus Eucrates effugerat per furfures.

Taxat autem obiter Eucratis mores: qui quum molitor eſſet, tamen Rempublicam adminiſtrarat. Quin & in Avibus taxat Execeſtidem quempiam, peregrinum & erronem, cui viæ omnes notæ fuerint. Congruet in hominem aliquo prætextu ſuffugientem, ſiquando fides ſit præſtanda.

Libyca fera.

Λιβυκὸν θηρίον, id eſt, Libyca beſtia. Refertur à Diogeniano. Dicebatur olim in hominem vafrum, callidum, verſipellem, variis moribus, ancipitiq; ingenio. Quod genus portentum Cicero Catilinam fuiſſe teſtatur. Inde natum, quod in Libya variæ ferarum

ſpecies ſæpenumero miſceantur: atque ita nova quædam hinc monſtra ſpectaculo produci ſoleant, Romam à provinciæ præſidibus deportata.

Αἰγυπτιάζειν.

Αἰγυπτιάζειν dicebantur aſtuti & impoſtores. Sumptum à moribus ejus gentis. Theocritus ἐν Συρακουσίαις:

—Οὐδεὶς κακοεργὸς
Δαλεῖται τὸν ἰόντα παρέρπων αἰγυπτιστί.

Id eſt:

—Lædit ſceleratus
Aſtu Ægyptiaco obrepens jam nemo nocerve.

De moribus Ægyptiorum teſtatur & illud ex Æſchylo, quod alibi retulimus:

Δεινοὶ πλέκειν τοι μηχανὰς Αἰγύπτιοι.

Id eſt:

Ægyptii miri ſtruendis artibus.

Citat hoc proverbium Syneſius in Encomio calvitii. Quanquam nonnunquam αἰγυπτιάζειν accipi ſolet, pro eo quod eſt adurere, ut in hoc carmine.

E poculo perforato bibere.

Ἐκ τετρημένης κύλικος πίνειν, id eſt, E perforato poculo bibere, dicuntur qui futiles ſunt, parumq; feliciter continent arcana ſibi credita. Sapit & hoc vulgus.

Leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda.

Ἂν ἡ λεοντῆ μὴ ἐξίκηται, τὴν ἀλωπεκῆν πρόσαπτε, id eſt, Si leonis exuvium non ſufficit, adde vulpinum. Cum viribus res obtineri nō poteſt, dolus adhibendus. Adagium natum eſt ex apophthegmate Lyſandri. Nam is (quemadmodum in ejus vita memorat Plutarchus) irridere ſolitus eſt, qui velut ab Hercule prognati, bellum apertis viribus, citraq; dolum gerendum eſſe cenſebant: cum ipſe magis exiſtimaret boni ducis officium eſſe, quo leonina pellis non attingeret, eo contendendum aſſuta vulpina. Quod quidem propemodum indicat & Maro, cum ait:

—Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?

Adagium refertur à Zenodoto. Hujus affine eſt quod apud Plutarchum in vita Syllæ Carbo dixiſſe memoratur. Quū enim Sylla non ſolum aperto Marte, ſed dolis bellum gereret, ait: ὡς ἀλώπεκι καὶ λέοντι πολεμῶν ἐν τῇ Σύλλα ψυχῇ κατοικοῦσιν, ὑπὸ τῆς ἀλώπεκος ἀνιῷτο μᾶλλον. id eſt, Quod bellum gerens cum vulpe ac leone, quorum utrumq; habitabat in animo Syllæ, à vulpe vehementius angeretur. Apud Ariſtophanem quidam dicitur κυναλώπηξ, quod caninam impudentiam cum vulpina aſtutia conjunxiſſet.

Non Chius, ſed Cius.

Didymus proverbium ſubeſſe putat in his Ariſtophanis verbis: οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος. i. Non Chius, ſed Cius: propter vulgato ſcommate notatam gentis inconſtantiam ac volubilitatem, pro temporis ratione commutantis inſtitutum, ac idem ad fortunæ commoditatem accommodantis. Ariſtophanis carmina è Rhanis ſunt hæc, in Theramenem:

Πέπτωκας ἔξω τῶν κακῶν, οὐ Χῖος, ἀλλὰ Κεῖος.

Id eſt:

Evolavit è malis, haud Chius, ſed Cius.

Quanquam hoc loco Ariſtarchus, Cous legit non Cius. Theramenes enim Cous fuiſſe dicitur. Fortaſſis alluſum ad id, quod is Theramenes fuerit Prodici Coi diſcipulus. Hujus mentionē facit & Lucianus in Amorib. ἀλλ᾽ εὐξαίμην ἄν, εἰ δυνατόν, ὁ Θηραμένους ἐκεῖνος ὁ κόθορνος. id eſt, Itaq; & ipſe quoq;, ſi fieri poſſit, optarim Theramenes fieri ille cothurnus. Niſi forſan alluſum eſt ad vocum affinitatem, cum res longe diſcrepet. Nam Chii male audiebant ob mores effœminatos, cum Cii nec tibicinas, nec meretrices reciperent in civitatem: ut indicat Athenæus lib. 13 Itaq; qui paulo ante nugator, mox veluti alius ſumat vultū tetricū, in hunc recte dicitur: οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος. Ariſtarchus qui legit Cous, videtur ad taxillorum luſum ſpectaſſe: in quo jactus qui Cous dicitur, habebat ſex, Chius unum duntaxat. Itaq; Chous felicior erat jactus. Quo dicto indicat Theramenem nunquam infeliciter cōſuluiſſe. Eupolis qui legit Cius, putat Theramenem aſcitum in Ciorum civitatem, quum natus eſſet Cous. Didymus tamen effert proverbium, οὐ Χῖος ἀλλὰ Κεῖος, ut mutatio nominis verſatile ingenium ac tempore ferviens, ſemper ad potiorem partem ſeſe accommodantis. Hujuſmodi ferme referuntur in commentariis ejus fabulæ. Porro de cothurno diximus alibi.

Dextrum pedem in calceo, ſiniſtrum in pelvi.

Δεξιὸν εἰς ὑπόδημα, ἀριστερὸν εἰς ποδόνιπτρον, id eſt, Dextrum pedem in calceū, ſiniſtrum in pelvim. Subaudi verbū ad ſententiam accommodum, mittit aut ponit. Suidas ex Ariſtophane citat, atque dici ſolere in eos qui ſe norunt commode ad rei præſentis conditionem applicare, proq; loco, tempore, negociis, aliam atq; aliam ſuſtinere perſonam. Eſt autem carmen hexametrum heroicum:

Dextrum in calceolo, lævum vero in podoniptro.

Podoniptrum, vas in quo pedes lavantur; unde & vocabulum inditum à Græcis.

Multa novis oportet, quibus Deum fallas.

Πολλὰ σε εἰδέναι δεῖ οἷς τὸν θεὸν ἐξαπατήσεις.

Id eſt,

Multa ſcienda, Deo quibus ipſi imponere poſſis.

Ubi quis fucum facere conatur ei, cui difficile ſit dare verba, propter aſtutiam ſingularem. Ab oraculo natum adagium. Sententiam aliter extulit Pindarus in Pythiis, hymno 3. de Apolline loquens: ψευδέων δ᾽ οὐχ ἅπτεται, κλέπτει τέ μιν οὐ θεός, οὐ βροτὸς ἔργοις οὔτε βουλαῖς. id eſt, Mendaciis non utitur, fallit autem illum non Deus, non homo, nec factis neque conſiliis.

Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Ἐκ τοῦ στόματος τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν. id eſt, Eodem ex ore calidum ac frigidū proferre. Bilingues & qui eundem modo laudant, modo vituperāt, ex eodem ore calidum ac frigidum ſpirare dicuntur. Natum ex Apologo quopiam Aviani fabulatoris. Satyrus quidam cum vehementer algeret, hyberno gelu ſupra modū ſæviente, à ruſtico quodam inductus eſt in hoſpitium. Admiratus aūt cur homo inflaret in manus ori admotas, rogavit cur ita faceret: is reſpōdit, ut frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde ubi extructo foco, appoſita menſa in pultem fervidam rurſum inflaret, magis etiam admiratus, ſciſcitat⁹ eſt, quid hoc ſibi vellet? Ut pultem, inquit, nimium fervemem halitu refrigerem. Tum Satyrus ſurgens à menſa: Quid ego audio? inquit. Tun' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis: neq; enim mihi ratio eſt, cum ejuſmodi homine commune habere hoſpitium. At hujuſce rei, quam Satyrus admirabatur, cauſam reddit Ariſtot. in Problematis, ſect. 34. probl. 7. idq; ideo fieri putat, quod qui vehementius efflat, is non moveat univerſum aerem, ſed ore contractiore paulum venti expiret, ut calor ab ore profectus à reliquo aere, quem ob impetum plurimum movet, continuo evaneſcat, atq; in frigus abeat. Id quod ſecus fit in eo qui faucib. apertis univerſum aerem exhalat. Eſt huic confine quiddam in epiſtola Jacobi Apoſtoli, nam hujus nomine legitur, ἐκ τῆς αὐτῆς ὀπῆς βρύει τὸ γλυκὺ καὶ πικρόν. id eſt, Ex eodem ore emanat dulce & amarum. Huc adſcribi poterit, quod refert 2. lib. Plin. plus quam prodigioſum, fontem eſſe quendam in Dodona, qui cum ſit frigidiſſimus, faces ſi quis ardentes immergat, extinguat: ſi extinctæ admoveantur, accendit. Quæ omnia torquere licebit in rhetores, qui eadem norunt laudare & vituperare, elevare atq; attollere. Item in jureconſultos, qui cauſam eandē nunc tuentur, nunc impugnant. Ad eum ſenſum detorſit Plutarch. quod Circe eadem virga mentem adimit, ac reddit, pecudes facit & homines. Extat apud Græcos hic ſenarius proverbialis:

Τὸν αὐτὸν καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.

Id eſt:

Laudare eundem, carpereque viri eſt mali.

Et Hebræus vates nempe Eſaias, male ominatur iis, qui dicunt bonum malum, malum bonum: dulce amarum, & amarū dulce. Athenæus lib. 4. docet eſſe fiſtulæ genus, à Græcis dicitur μάγαδις ſive παλαιομάγαδις, quod idem & gravem & acutam vocem reddit. Unde verſum adducit ex Alexandride:

Μάγαδιν λαλήσω, μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγαν.

Id eſt:

Grande ac puſillum magade proloquar ſimul.

Id Græcis dicitur μαγαδίζειν, ut vocant Muſici. Ariſtot. ſection. 19. problemate juxta Græcos codices decimooctavo, juxta Theod. verſion. 17. utitur eo verbo μαγαδίζειν, quæreus quur hęc ſola harmonia quam dixi, ſonetur magade. Rurſus in problemate XXXIX juxta Græcos codices μαγαδίζουσι γὰρ τῇ διὰ πασῶν συμφωνίᾳ. Id eſt, Magadiſſant in concentu diapaſon.

Ex ſe fingit velut araneus.

Proverbialis videtur & illa collatio, aranei ex ſeſe texentis telas, & hominis ex ſeipſo commiſcentis mendacia. Sic enim Plutarch. in libello, cui titulus, De Oſiride: οἷα ποιηταὶ καὶ λογογράφοι καθάπερ οἱ ἀράχναι γεννῶντες ἀφ᾽ ἑαυτῶν ἀπ᾽ ἀρχῆς ὑποθέσεις ὑφαίνουσι καὶ ἐπιτείνουσι. i. Qualia poetæ & oratores, velut aranei gignentes ex ſeipſis à nullis ſuggeſta, exordia texunt, producuntque. Plinius tradit, majores araneas in terra cavernarū exigua veſtibula præpandere, minimas non texere: tertium genus erudita operatione non conſpicuum: Orditur, inquit, telas, tantiq; operis materiæ uterus ejus ſufficit: ſive ita corrupta alvi natura ſtato tempore, ut Democrito placet, ſive eſt intus quædam lanigera fertilitas: tam moderato ungui, tam tereti filo, & tam æquali, deducit ſtamina, ipſo ſe pondere uſus. Texere a medio incipit, circinato orbe ſubtegmina adnectens: maculaſq; parib. ſemper intervallis, ſed ſubinde creſcentib. ex anguſto dilatas indiſſolubili nodo implicat. Nec abhorrent ab his, quæ Ariſtot. refert lib. de natura animal. 9. addens araneos, mox ut editi ſunt, fila mittere: non ex interioribus, velut excrementa, quemadmodum ſentit Democritus, ſed de ſumma corporis parte, veluti corticem, aut in morem hiſtricis de cute ſpinas jaculantis. Non texunt autem, neq; venantur, niſi fœminæ. Mas fruendi comes eſt, non laborandi.

Obliquus curſus.

Κάμπιμος δρόμος, id eſt, Obliquus curſus. Quoties res arte ac diſſimulanter agitur. Aut quoties aliud præ nobis ferentes alio tendimus, & cuniculis atq; ambagibus quibuſdam pergimus ad id quod aſſequi conamur. Sumptum adagium a genere quodam curſus qui κάμπιμος dictus eſt, propterea quod anfractib⁹ certis ac flexib. peragebatur: ut in alus impetus & celeritas plurimum valoris

erit, in his ars & ratio, plus habuerit momenti. Hujuſmodi curſus genus deſcribit Vergilius libr. 5.

Olli diſcurrere pares, atque agmina terni
Diductis ſolvere choris, turſuſq; vocati
Convertere vias, infeſtaq; tela tulêre:
Inde alios ineunt curſus, aliosq; recurſus.

Ac paulo poſt:

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuiſſe dolum qua ſigna ſequendi
Falleret indeprehenſus & irremeabilis error.

Poteſt à navigantibus traductum videri quum reflantibus ventis, tranſverſum navigant.

Canthare aſtutior.

Κανθάρου σοφώτερος, id eſt, Canthare aſtutior, aut callidior. Zenodotus ait, Athenis cauponem fuiſſe quempiã nomine Cantharum, quem ob maleficia & impoſturas ac proditiones, capitis affecerint ſupplicio. Proinde vulgo receptum, ut in verſutos ac impoſtores diceretur. Mihi vero propius videtur, ſi referatur ad animantis naturam, & ad apologum Æſopicum: quo narratur, quemadmodum ſcarabeus tanto aquila inferior viribus, tamen ingenio ſuperavit avium omnium reginam.

Caſſioticus nodus.

Κασσιωτικὸν ἅμμα, id eſt, Caſſioticus nodus. De moribus vafris & verſutis dici conſuevit. Caſſius mons eſt, & ejuſdem nominis civitas in Ægypto vicina Peluſio. Ei genti quaſi genuinum ac gentilitium eſt, miros quoſdam nodos nectere. Huic affine, quod alio diximus loco, Ἡρακλεωτικὸν ἅμμα, i. Herculeus nodus: quo arctiſſimam atq; indiſſolubilem amicitiam ſignificamus. In caduceo Mercuriali duo ſunt ſerpentes maſculus & fœmina, qui medio corporum complexu nodum efficiunt Herculanum. Ab eo ſupernæ partes ſic ad oſculum coëunt, ut flexu circulum efficiant: infernæ ſimili flexu ad caducei capulum revocantur; qua parte item caudæ coëunt utriuſque. Hanc imaginem caducei adhuc videre eſt in numiſmatibus antiquis. E quibus opinor ſymbolum ſuum mutuatus eſt Joannes Frobenius, typographorum hujus ætatis diligentiſſimus, & cui plurimum debent ſacrarum literarum candidati: niſi quod extra circulum, quem ſerpentes faciunt capitibus inter ſe coëuntes, addita eſt columba ſceptro inſidens. Hunc nodum Mercurio conſecrarunt Ægyptii; innuentes fœdera non oportere unquam diſſolvi, verum plurimum valere debere: unde & Herculano cognomen additum. Quanquam Galli, & haud ſcio an etiam Ægyptii, non alium putant Herculem quam Mercurium. Refertur apud Diogenianum ac Suidam, adagium de Caſſiotico nodo. Stephanus aliter effert, nimirum hoc pacto, Κασσιωτικὰ ἱμάτια, id eſt, Caſſiotica pallia, niſi forte pro ἱμάτια, ſcriptum erat ἱμάντα, id eſt, lora.

Pardi mortem adſimulat.

Θάνατον πάρδαλις ὑποκρίνεται, id eſt, Pardi mortem ſimulat. Dicebatur, ubi quis aſtu perniciem alicui molitetur: veluti cum Brutus ſtupidum ac dementem ageret, ut in poſterum imperio poriretur. Id adagium ad quendam apologum referunt. In Mauruſia ſimiarum ingens copia. Pardalis autem animal eſt natura ſimiis infeſtiſſimum: quas tamen viribus aſſequi non poteſt, nimirum illis in ſummas arbores ſubvolantibus. His itaq; dolis id eas utitur. Sternit ſe ſupinam ſub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit ſeſe. Gaudent eo ſpectaculo ſimiæ conſidentes in arbore. Deinde ubi jam mortuam arbitrantur, unam aliquam emittunt exploraturam, num vere mortuus ſit hoſtis. Illa cautim ac pedetentim accedens, ubi nullum vitæ videt argumentum, pardale nimirum modis omnibus cadaver imitante, demum audet etiam conſcendere. Quod ſimulatq; reliquæ ſimiæ conſpexerint, jam depoſito omni metu deſcendunt, & pardalim omnia ferentem circumſultant: poſtremo conculcant, inſultant ludibrii cauſa; donec pardalis ſentiens illas jam ſaltando defatigatas; de repente reviviſcens, aliam dentibus, aliam unguibus corripit, dilaniatque ac devorat. Hanc equidem fabulam, ne quid fuci faciam lectori; non reperi apud idoneum autorem, ſed in Græcis collectaneis cujuſdam Apoſtolii Bizantii: cujus teſtimonium quodam in loco Politianus etiam adfert, alioqui autoris non admodum gravis.

Sphondyla fugiens peſſime pedit.

Plautus in Pſeudolo.

Ὡς ἡ σφονδύλη φεύγουσα πονηρότατον βδεῖ.

Id eſt:

Ut feles quoties fugitat, male pedere ſueta eſt.

Id cõs quadrabit, qui diſcedunt non citra infamiam. Sphondyla inſecti genus, odoris teterrimi. Plinius lib. xxvij. cap. 13. meminit Sphondylæ ſerpentis, quæ radicib. arborum ſit infeſtiſſima: cæterum genus quodnam ſit, non explicat. Eſt autem ſerpentis hujuſmodi ſpecies, exiguo corpore & ſubnigro, quæ embricos graviſſimum odorem emittit. Heſychius docet, apud Atticos ſpondilen dici felem. Eſt apud Ariſtophanem [illegible], de acido ventris flatu.

EX APPEND. ERASMI.

Cothurnus.

Κόθορνοι citra comparationem, etiam appellarunt inconſtantem Plutarchus Lucian. quod cothurni τετράγωνοι & ἀμφοτεροδέξιοι, quadranguli & utrilibet pedi convenientes ſint. unde & cognomen hinc datum eſt Therameni & Niciæ. Sic Martem, nunc his, nunc illis faventem, ἀλλοπρόσαλλον vocat Homer. & Ulyſſem πολύτροπον, quod quamvis perſonam apte ageret in loco, quanquam hoc in bonam partem: quo etiam non male cothurnum torqueas.

IUNII. *Theſſalicum numiſma.*

Θετταλὸν νόμισμα, id eſt, Theſſalicũ numiſma, proverbiale eſſe annotatur à Suida & Heſychio: niſi quod apud hunc deſideratur vox altera, hoc modo reponenda: [illegible] quæ lectio plena & integra in illo ſervata eſt. Convenit ergo in fraudem & fucum, utroq; authore. Crediderim ego Theſſalicum numiſma adulterinum fuiſſe, parumque ſincerum aut probæ monetæ, atq; inde ortum adagium. Venuſte ad perſonam transferetur, ſi impoſtorem aliis fucum facientem; & improbi commatis hominem Theſſalicum numiſma vocitemus. Suidas neſcio quid de Theſſalonica urbe, à filia Philippi regis cognomine appellata, hoc loco refert.

Themiſtoclea vafrities.

Eunapius Sardian. [illegible] hoc eſt, Ulyſſeam quandam & Themiſtocleam vafritiem tranſcendens. De vafro & ſupra modum aſtuto. De Ulyſſeo commento extat apud Eraſmum: cujus exemplum unum aut alterum adducam, quia nullum ille profert. Idem: [illegible] id eſt. In varias Ulyſſeas artes ac multipliciter conſutas machinas ſeſe ingerens, & velut immerſus. Alciphron in epiſtolis: [illegible] id eſt; Excogitavi igitur Ulyſſeum inventum aut conſilium. Vafrities autem Themiſtoclis in eo primum omnium eluxit; quum ſpuriorum & legitimo connubio natorum diſcrimen ipſe nothus ſuſtulit: perſuaſis adoleſcentibus aliquot ingenuis; ut in gymnaſio, quod Cynoſarges vocabatur, ſpuriis attributum, ſecum jungerentur: ſed maxime patuit, quum Xerxem ſubdolo conſilio in fugam vertit, perſuaſum rupto Helleſponti ponte interclusum ſibi fore receſſum.

Πυριπαλάμοι.

Πυριπαλάμους velut Igni palmeos, aut (ſi mavis) Palmigneos cõpoſita voce, ſed proverbiali dictos invenio, & eos, qui mira celeritate aliquid perficerent, & qui variis eſſent moribus parum cõſtantes, igni, quo nihil in rerum natura eſt mobilius, aſſimiles. Iſtud annotat diſerte, & rectius cæteris, in ſuo lexico Heſych. Poſt hunc Euſtathius Iliad. 5. πυριπάλαμον ſcribit dici impoſtorem & πανοῦργον, atq; inde creatum verbum πυριπαλαμᾶσθαι pro malis artibus uti, & veluti per ignes ſuppoſitos cineri doloſo (quod Flaccus inquit) ingredi, exponit. Licebit ergo opifices incredibili celeritate operi finem imponentes πυριπαλάμους vel πυριπαλάμους vocarẽ aut præſtigiatores ſingulari dexteritate oculis illudentes, aut etiã quomodocunq; verſatiles Proteos. Similiter ab ignea mobilitate Pyrrhichium pedem cito motu recurſantem, ut Terentianus Maurus ait, Græci nominarunt: quem à mobilitate etiam [illegible] dictum prodidit Diomedes.

Syri adverſum Phœnices.

Σύροι πρὸς Φοίνικας, Adverſum Phœnices Syri. Citatur adagium in Suidæ collectaneis. Dici cõvenit in pariter fraudulentos & verſipelles. utraq; enim natio vafritiæ inſignis nomine male audivit olim. Poteſt & ad diffidentiæ ſignificationem trahi, ut inter ſe male cõcordes & alterum alterius fidei diffidentem Σύροι πρὸς Φοίνικας Syrum cum Phœnice commiſſum dicamus: eo quod hæ gentes conterminæ propter mutuam ſimultatem raro amicitiam colant; ut ſibi invicem credant. Alioqui Syros & Judæos, qui Phœniciæ attribuuntur, nationes ſervituti natas, appellat Cicero in oratione De provinciis conſularibus.

Pergæa Diana.

Περγαία Ἄρτεμις, id eſt, Diana Pergæa. Adagium effertur, teſtante Suida de circulatoribus & vagis erronibus, qui nullo in loco firmam ſedem collocare amant, [illegible]. Diana enim, quæ eadem eſt & Luna, inter ſeptem planetas vagatur, tanquam tenatibus indigẽs operam. unde Annivagæ epitheton apud Ciceronem. Quadrabit appoſite in circumforaneos mendicos & paululo meliores illis Romaniſtas quoſdam, qui peregrinãdo regiones obeunt, nunc Compoſtellam, nunc Romam, nunc Lauretum incertis ſemper ſedibus cõmutantes, redeunte ſemper in orbem labore. Pergæa autem Diana è Perga Pamphyliæ oppido nomen habet, Stephano teſte. Huic ſimile legas apud Eraſm. Panagæam Dianam, non ſine temeritatis nota immutata voce; neq; reddita epitheti ratione: ut non immerito mirentur quidam; dictionem ab illo haud fuiſſe explicatam, quum nullibi apud authores eam legas. Pergææ vero Dianæ meminit etiam Cicero in actione in Verrem tertia, ubi inquit. Ita Pergæ fanum antiquiſſimum & ſanctiſſimum Dianæ ſcimus eſſe. Meminit & Philoſtrat. lib.

lib. 1. de vita Apollonii hymnorum qui in Dianæ Pergææ honorem canerentur.

Vulpis reliquiæ.

Ἀποτρώγματα ἀλώπεκος, hoc eſt, Vulpis reliquiæ. Convenit in verſipellem & fraudulentum veteratorem. ita exponit ex Dorotheo Athenæus. extat autem apud Eupolin comicum in fabula cui nomen Aureum genu: quanquam Etymologici author citat ἀποτρώγματα, hunc in modum: τί δ' ἐστ' ἐκεῖνο; ἀποτρώγματα ἀλώπεκος. id eſt: Quid illud eſt, vulpis quiſquiliæ? alluſum interim videtur etiã ad puſillam mulierculæ ſtaturam, mediocri minorem, & veluti dentibus præmorſam. id enim ſonat ἀποτρώγματα, quaſi menſum dicas, aut bucceam demorſam.

Cepphus.

Κέπφος, id eſt, Cepphos dici homines inſtabilis ingenii & mente leves, annotat Ariſtophanis interpres in Pace fabula, qui ad modum cepphi avis impẽdio levis, facile quovis ventulo rumoris in diverſa aguntur: unde & κεπφωθῆναι dicitur, qui elatus & vecordi levitate provectus, deridẽdum ſe propinat, Heſychio teſte. Cicero in 13. Epiſtol. ad Atticum proverbialiter κέπφους dixit pro futilibus & vanis, & iterum κέπφωμα pro ſtultitia & vanitate ludibrioque. Euſtathius in Odyſſ. annotat, λάρους dic. ſtolidos & fatui ingenii homines: eoſdem & κέπφους ſimiliter vocari, à Cepphо levi & expedita avicula, grandi in ſpeciem corpore, utpote plumoſo ſed ſtrigoſo & plane oſſeo. Ex quo manifeſtum fit, parum rite conjungi voces avium diverſarũ in adagio quodam κέπφος λάρος. quod recte a doctiſſimo viro Conrado Geſnero etiam animadverſum fuit. Si quidem Ariſtophanis ſcholiaſtes, & ex eo Suidas, κέπφον nominat bardum, inſulſum, & rationis expertem annotant, ab ave Cеppho, quæ vulgo larus vocetur. unde veriſimile fit vocem λάρος à ſciolo quopiam in contextum inoculatam fuiſſe & contruſam: ſuſpicioq; eſt, diſpeſcendas eſſe eas voces conjunctione copulativa καὶ, vel disjunctiva ἢ, hoc modo: κέπφος καὶ aut ἢ λάρος. Ariſtophanes: ὦ κέπφε, quaſi dicat: O vaniſſime blatero. ſic enim exponunt, ἀνόητε καὶ λάλε. Nos quoq; vernacula lingua linguaces & loquuteios, qui verbis futilibus pondus non adjiciunt, Cepphos vocare ſolemus, manente Græci adagii gratia in noſtratis linguæ dictione. Tale quid innuere voluit Hipponax poëta mordaciſſimus, appellando Ciconem quempiam κέπφον, id eſt, larum (ita enim idiotiſmo Ænianum avis illa vocitatur) hoc verſu:

> Κίκων δ' ὁ Πανδάλητος ἄμμορος κέπφος.
>
> Id eſt,
>
> Cicon Pandaletius infelix larus.

garrulitatem infelicem in homine notans.

Laconiſare.

Λακωνίζειν, id eſt, Laconizare, non tantum ſignificat paucis verbis ſententiam circumſcribere, ſed & pro decipere fraudulenter, mẽdaciiſq; involvere alios accipitur. unde & Λακωνικαὶ κλεῖδες, id eſt, Laconicæ claves, pro fallacibus ponuntur apud Ariſtophanem, ut refert Euſtathius: αἱ γὰρ γυναῖκες νῦν κλειδία φοροῦσι κρυπτὰ κακοηθέστατα, Λακωνικ᾽ ἄττα. id eſt: Viri nunc claves geſtat occultas fallaces, Laconicas denique. Atteſtatur huic Laconum ingenio Andromache Euripidis:

> Σπάρτης ἔνοικοι, δόλια βουλευτήρια,
>
> ψευδῶν ἄνακτες, μηχανορράφοι κακῶν.
>
> Id eſt.
>
> Spartæ incolæ, doloſa conciliabula,
>
> Mendaciorum principes, & machinas
>
> Docti malorum texere.

Quo loco indicandus eſt obiter codicum error, pro βουλευτήρια perperam βδελύγματα legentium, quum alioqui ſenarius ſuis numeris non conſtet. Ariſtophanis interpres in Acharnenſibus annotat, Lacedæmonios perfidiæ notatos fuiſſe. ſic enim inquit: ἐπὶ ἀπιστίᾳ διεβάλλοντο οἱ Λακεδαιμόνιοι. & ibidem Comicus negat illis autaram aut fidem eſſe aut juramenti religionem: οἷς οὔτε βωμὸς, οὔτε πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει. Quin & λακωνίζειν turpitudinis nefariæ ſignificationem habuiſſe, annotat Heſychius, pro παιδικοῖς χρῆσθαι, puerorum amoribus abuti, quomodo Eupolis comicus illud extulit: μισῶ λακωνίζειν, id eſt, Odi Laconiſmum. Unde & Clinias propter fœdos amores κυσολάκων, id eſt, Cyſolacon Ariſtophani vocatur. Laconibus etiam turpis lucri ſtudium objicitur. unde αἰσχροκερδεῖς ab Euripide in Andromache dicuntur, velutiturpilucri: cui rei fidem facere volunt oraculum ipſis datum:

> Ἁ φιλοχρηματία Σπάρταν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν.
>
> Præter avaritiam nihil eſt quo Sparta labeſcet.

Philoſtratus in epiſtolis λακωνίζειν extulit pro hoſpites & exteros rejicere, & civitate excludere: quod illorum decretum ξενηλασία, quaſi peregrinorum depulſio dicebatur, Thucydidis teſtimonio. ſic autem ille ait: μὴ λακωνίζε, ὦ γύναι, μὴ δὲ μιμοῦ τὸν Λυκοῦργον· ξενηλασίαν ἔρως οὐκ ἔχει. id eſt, Ne Laconiſſa uxor, neque Lycurgum imitare peregrinorum depulſionem Amor non quærit.

Veſpertinum amant, matutinum oderunt.

Adducit ex Callimacho Cyrenæo proverbialem verſiculum Tzetzes:

> Ἕσπερον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν ἑῷον.
>
> Id eſt.
>
> Veſpertinum adamant, ſed matutinum odêre.

Quem annotat dici in homines lubricam in amicitia fidem ſervantes, vacillanteſque, & ad quamvis fortunæ auralam ſeſe vertentes. Ego in hæredipetas convenire puto, qui ſenibus & aniculis palpantur, morti, hoc eſt occaſui vicinis, quo ſibi hæreditatis aliquid attrahant. Ab hoc dicto diverſum fuit Cn. Pompeii apophthegma, dicentis, Plures adorare Solem orientem, quam occidentem: quo innuere voluit, plus eſſe ſpei in juvene, quam indefectæ ætatis ſene.

Durei equi ſpeciem præfert.

Δουρείου ἵππου εἰκόνα σώζει, Durei cujuſdam equi imaginem ſervat. Dici poteſt de homine mulufariis & diverſis inter ſe vitiis obnoxio. Clemens lib. 2. Strom de Baſſilide loquens, ſtatuentẽ paſſiones animi ſpiritus quoſdam rationali animæ annexos: μόνον δ', inquit, τούτων μνησθήσομαι ... τὸ σπουδαῖον ... σώζειν ... Δουρείου ἵππου ... id est, hoc eſt, Id ſolum nunc obſervandum, quo Durei equi ſpeciem quandam obtinet, juxta poetarum fabulam, Baſilidæ homo, uno in corpore tot diverſorum ſpirituum exercitum in alvo incluſum habens. Dureo equo ligneo ab Epeo fabricato multos Græcorum proceres fuiſſe incluſos, ex hiſtoria notum eſt.

Æoliſare.

Αἰολίζειν, pro circumſcribere & decipere. inter proverbiales voces à gentium morib. ductas, refertur eo, quod Æolenses impoſtores & fraudulenti traducebãtur, quanquam & a variegatione efficta dictio videri poteſt (id enim αἰόλος ſignificat) & mendacia verborum fuco variari ſolent, quemadmodum veritatis ſimplex eſt gratia. Hierocles Alexandrin. cujus in aurea Pythagoræ carmina ſcriptum extat μηδ' αἰολίζειν, id eſt, Neq; in his rebus imponas aut fraudem facias. Hinc apud Theocritum αἰολικὸν θάημα miraculum Æolicum legunt quidam: pro ἀπατηλὸν, ἐπιτηδευτικὸν καὶ ποικίλον, fraudulentum & varium.

Lunulæ.

Σελήνια, hoc eſt, lunulas, dicterio proverbii faciem referente calvos homines dici ſolere, indicat Syneſius in libello quem de Calvitii laude conſcripſit: origine dicterii inde nata (ut ipſe commonſtrat) quod lævore depili & ſpecie lunæ nomen habitumque exprimant, ... ea ſunt enim authoris verba: nam quum σελήνη id eſt luna, nomen à ſplendore, quod σέλας denotat, habeat: non male calvi lunis cognomines erunt, quippe qui cranio extrinſecus, & jubaris cujuſdam inſtar lucido viſuntur. unde emanavit etiam populi de Iſocrate dicterium, per calvam ejus cerebrum elucere dictitantis, quum eruditionis ſapientiæq; facile elucentis fidem facere vellent. Rurſus quum luna ſpeciem variet, nunc gibberoſa, nunc corniculata, nunc dividua, demũ pleno orbe integra conſpiciatur: jure aſſimilabuntur, illi calvi, qui varie calvitiũ oſtendunt, nunc ſinciput in cornua dividens, mox verticem circumſcribens, tandem omnem in orbem calvariam depaſcens. Syneſii verba ſunt: ἀλλ' ἀκοῦσαί ἐστι ὑποκοριζομένων καὶ ἄντικρυς σελήνια καλούντων τοὺς φαλακρούς. i. e. Audire licet quoſdam diminutiva voce, ſed manifeſto ſenſu, calvos Lunulas nominantes.

Deſultorius.

Inconſtantis inſtabiliſq; ingenii hominem, quiq; vel ad levem opinionis auralam ſententiã mutat, & perſuaſione deſciſcit, Deſultorium proverbiali figura dicemus: & Deſultoriam levitatem multiplicẽ & variam. Cic. pro L. Murena: Reſpõdebo igitur Poſthumio primum, qui neſcio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in Cõſularem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculũ incurrere. Martian. Mineus in li. De nupt. Philologiæ, de fortuna loquens: Levitate pernix deſultoria geſtiebat. Tert. l. adverſ. Valentinian. deſultricem virtutem appellat inſtabilem & maleficiam & motoriam. Tantum quod deſultricem & defectricem illam virtutem non vult. Apuleius Madaurenſis initio libri de Aſino aureo, ubi præfatur veniam exotici ſermonis, Deſultoriæ ſcientiæ ſtylum vocat, linguæ Romanæ uſum, quam ex Græcia advena didicerat a vernacula lingua & patria ad peregrinam deficiẽs. Joan. Picus Mirandulan⁹: Homo inquit, variæ ac multiformis & deſultoriæ naturæ animal. quibus verbis Platonis illud reddidit: ἄνθρωπος ζῷον εἶναι ... Ego precationem non deſultoriã verti, quod apud D. Cyril. eſt, ... Refert Sext. Pompejus priſcos Romanos paribus equis, h. e. duob. in prælio uſos fuiſſe, ut defatigato aut ſudante altero, in integrum tranſcenderẽt: cujuſmodi equis Numidas uſos oſtendit T. Livi⁹ ita ſcribẽs: Quibus deſultorum in modum binos trahentibus equos, in recentem equum ex feſſo tranſſultare mos erat. Tales equos ἀμίππους vocãt Græci: παρατίλτας, equi per niteres combinantur, quorum uno vehitur deſultor (de quo extat illud Homeri:

> —— Θρώσκει ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον)

alterum attrahit, atq; ita ἄμιπποι, velut juncti una equi dicuntur.

Vulpina lingua.

Κερδὼ γλῶσσα, id eſt, Vulpina lingua, pro doloſa & ſimulatoria, à vulpis ingenio, quæ inter alia nomina etiam κερδὼ vocatur, ut annotat Nicandri interpres. Extat apud Callimachum, κερδοῖ δὲ σὺν γλώσσῃ, id eſt, Cũ vulpina lingua: Quin & a Nicandro κερδαλεόφρων, i. e. vaſra & ſubdola vulpes, maliтiolæ fraudis epitheto nominatur.

natur. Æſchynes à Demoſthene in oratione de corona κίναδος. i. vulpes audit. & Solon Athenienſi populo exprobrat, quod vulpes imitentur, & earum veſtigiis inſiſtant:

Ὑμέων δ' εἷς μὲν ἕκαστος ἀλώπεκος ἴχνεσι βαίνει.

Id eſt,

Quilibet è vobis vulpis veſtigia carpit.

Non eſt prætereundum hoc loco illud Pindari in Pythiis: ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἴκελοι. id eſt, Mordicus aſſimiles vulpium morib⁹, & apud eundem Meliſſus quidam μῆτιν ἀλώπηξ, id eſt, aſtuta vulpes dicitur. Quid, quod fraudulentos & doloſos κιδαφὰς vocari annotat Heſychius, à voce κιδάφη, quæ vulpem ſignificat: unde verbum κιδαφεύειν, pro vulpinari effertur. Apuleius quoq; vulpinarium evaſionem nuncupat amatorem ſubdolum & fraudulenter agentem. Idem lib. de Magia vulpionem vocavit veteratorem. Pindarus Pythiorum oda 2. ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἴκελοι. id eſt, Impenſe vulpium moribus aſſimiles.

Pardalis exuvium induere.

Παρδαλῆν ἐνδῦναι. Pardi exuvio amictus dicitur homo verſipellis & ingenio varius, vaferq; ὁ πολύτροπος τὸ ἦθος, teſte Euſtathio Ilia. 3. quod & brevius repetit in decimo: εἰς παροιμίαν ἐπὶ πανούργων ἀνθρώπων τὸ αὐτὸ τῆς παρδαλέως. id eſt, Parœmiace de vafris effertur maculoſa pardi pellis. Eſt enim variis maculis diſtincta pardi pellis, præcipueq; ejus quam Heliodorus Cameropardalin nominat. de qua ſic ſcribit hiſtoriæ Æthiopicæ lib. 10. χροιὰν δὲ καὶ ποικιλίαν παρδάλεως ἐστιλβωμένην. Color pelliſque florentibus macularum punctis variegata unde & epitheto αἰολόνωτος, i. maculoſo tergore dicitur ab Oppiano. Aſtutum ergo & ſubdolum, παρδαλῆν ἐνδεδυμένον eleganter dicemus: quomodo fraudulentum, ἀλωπεκῆν ἐνδεδυμένον, vulpino exuvio conveſtitum: & λυκῆν, lupina pelle indutum hominem rapacem: & νεβρίδα ἐνημμένον, hinnulina pelle tectum timidum hinnuli inſtar, aut etiam verſipellem, quod hujus animalis pellis maculoſa quoq; ſit. Non abludit hinc, quod legimus Antenorem ingenio varium (id quod patriæ ſuæ non dubia proditio, quanquam hoſpitii omine à Livio excuſata, facile oſtendit) non exitium modo effugiſſe capta jam Troja, ſed res etiam ſuas integras ſervaſſe, beneficio pellis pantheræ ſeu pardi, pro ædibus ipſius appenſæ, haud ambiguo argumento varii dubiique ingenii cujus rei fidem facit Sophocles in Ajace Locro, quod videlicet pro foribus ædium ipſius pependerit,

——Κατὰ πύλας κυνὸς
Σπολάς Λιβύσσα παρδαλῆφόρος δέρος.

Id eſt,

——Maculoſæ canis
Pellis Libyſſa, pardalinum ſcilicet tergus.

In quo verſu perperam pro Λιβύσσα, ſcribitur καὶ βύσσα, apud Ariſtophanis ſcholiaſten in avibus.

Archilochia vulpes.

In verſipellem & aſtutiæ plenum dicitur. Dion Chryſoſtomus oratione 55 αὐτὸς γὰρ μονονουχὶ τὴν Ἀρχιλόχου ἀλώπεκα τοῖς λέουσι καὶ ταῖς παρδάλεσι παραβάλλομεν. i. Siquidem Archilochi vulpem leonibus & pantheris comparare inſiſtimus. Ubi emendandus eſt obiter Venetus codex, qui habet λίγυσι, pro λέουσι. Baſilius lib. ad adoleſcentes de capienda utilitate è gentiliū libris: καὶ τῆς Ἀρχιλόχου ἀλώπεκος τὸ κερδαλέον τε καὶ ποικίλον ζηλωτέον. i. Aſtutiam & verſutias Archilochiæ vulpeculæ imitabimur: quo loco perperam ſcriptum legitur Ἀρχελάου, quod olim memini Reſcium, hominem Græce non vulgariter doctum, ſed in corrigendo plus nimio forte anxium, interpretatum fuiſſe, vulpeculæ, de qua vetus eſt fabula. Alluſum eſt autem à Baſilio ad ipſa Archilochi verba, quæ integra hactenus conſervavit ab interitu, has odes reliquias citans Herennius Philon, autor libelli De diverſis dictionum Græcarum ſignificationibus, quem Hammonio cuidam tribuerunt hactenus typographi:

Πίθηκος ᾔει θηρίων ἀποκριθεὶς
Μοῦνος ἀν' ἐσχατιήν.
Τῷ δ' ἄρ' ἀλώπηξ κερδαλέη συνήντετο,
Πυκνὸν ἔχουσα νόον.

Id eſt,

Forte ibit à feris relictus ſimius,
Avia luſtra petens:
Cui verſipellis vulpes obviam ruit
Inſidioſa dolis.

Alioqui plurimus in vulpeculæ fabula fuiſſe videtur Archiloch⁹, in carminibus adverſus Lycambem, velut ubi vulpis cum aquila ſocietatem commiſcetur:

Αἶνός τις ἀνθρώπων ὅδε,
Ὡς ἄρ' ἀλώπηξ καἰετὸς ξυνωνίην
Ἔμιξαν:

aut ut alia lectio habet,

Ἔμιξαν.———

Id eſt:

Inire pactum vulpes atq; aquila ſimul.

Reſpexit huc Plato lib. De rep. 2. τὴν δὲ τοῦ σοφωτάτου Ἀρχιλόχου ἀλώπεκα ἑλκτέον ἐξόπισθεν. id eſt: Attamen ſapientiſſimi Archilochi vulpes pone trahenda eſt. Alluſit eodem Themiſtius oratione 3. quæ eſt de vera amicitia: φύονται δέ τινες ἀλώπεκες καὶ ἐν ἀνθρώποις μᾶλλον δὲ ἀνθρωπίσκοι ἐλευθεροὶ τε ἀνελεύθεροι, οἳ τὰς ἀλώπεκας ὄπισθεν ἐφέλκουσι. id eſt: Naſcuntur inter homines etiam vulpes, ſeu potius homunculi improbi pariter & illiberales, qui à tergo vulpeculas attrahunt.

Βουκεκίχλη. Incurvicervicus.

Hominem inſidioſum fraudulentumq; ſimulatorem βουκεκίχλην illi, nos Incurvicervicum Pacuviano vocabulo ſimiliter dicemus, qui obſtipo capite, & in humeros contracto, vultuoſam quandam triſtitiam præfert. Tradunt Phyſiognomonici, qui ex natura filoque corporum, ingenium moreſq; hominum explorant, id genus hominum maxime fallax eſſe & inſidioſum. Ductum ab animantibus, quæ inſidias aliis molientes, aut iram prementes, obliquant cervices quoties inſultum meditantur, quod in vulpibus & canibus videre eſt. Xenarchus:

Πελοπιδῶν γένος οὐδ' οἰχόμενον, ἀλλ' οὐ βουκεκίχλον.

Id eſt:

Pelopidarum nutabunda gens, nec tamen incurvicervica. quo indicare videtur, Pelopidarum familiam tametſi in occaſum vergeret atq; deficeret, erectum tamen animum gerere, & regia proſapia dignos ſpiritus.

Telchines.

Τελχῖνες proverbiali ſchemate dicuntur fraudulenti homines, & malefici impoſtores apud Syneſium in epiſtola quadam: οὐδὲ τοιοῦτοί τινες οἱ Τελχῖνες ἀπήντησαν. id eſt, Neq; vero à talibus ſibi temperarunt iſti Telchines. Idem in Dione, ἔχουσί γε ἀγαθὸν τι Τελχὶς ὁ βάσκανος. i. Num igitur boni aliquid continet Telchin & invidus exiſtens? Nazianzenus in epiſtola ad Euſtochium ſophiſtam οὐκ ἐπαινῶ σου τοὺς κορυφαίους καὶ τοὺς Τελχῖνας εἰς βάσκανον γνώμην τοῦ ἀντιπάλου, id eſt, Non laudo tuos pupparum artifices & faſcinatores Telchinas, quibus parum recte adverſarium impetis. Idem in priore ſteliteutica: τίνες Τελχῖνες πονηροὶ καὶ βάσκανοι δαίμονες i. e. Quinam ſcelerati Telchines & invidi dæmones iſtud tibi inſpirarunt? Euſtathius Ilia. 9 Τελχῖνας proverbio dici annotat τοὺς φθονεροὺς ἢ ψογερούς, improbos & merita reprehenſione dignos invidoſq; homines. Zezes invidos fuiſſe dæmones annotat, qui arva rigare ſolebant Stygis aquæ aſpergine, ut inducta ſterilitate, alimenta mortalibus deficerent: unde & παλαμναῖοι iidem cognominati fuerunt, à nocivo manuum opere. Perhibentur autem Telchines novem fuiſſe in Rhodo inſula, Rheæ comites in Cretam proficiſcenti, venefici & præſtigiatores inſignes: unde & nomen illis παρὰ τὸ θέλγειν, quod interdum denotat, in aliam naturam mutare, quaſiq; transformare, & quocunq; lubitum ſit traducere. nam ex Actæonis canibus in homines immutatos fabula fingit, & in variis rerū ſpecies ſe convertere ſolitos, nunc dæmonum, nunc piſcium ſerpentiumq; aſſumpta forma: interdum etiam manibus pedibuſq; truncos. Euſtath⁹ in 13. Ilia. ſcribit Telchinas in fabulis fingi δαίμονάς τινας κακοποιούς, καὶ οὐκ ἐπὶ καλῷ θέλγοντας, hoc eſt, maleficos dæmones, non rite aut bona ratione demulcentes. Heſychius faſcinatores invidos hac voce ſignificari ait: ſive à τήκειν, hoc eſt, a liquando & abolendo dici eos velis, ſive à θέλγειν, h. e. à decipiendo. Etymologici author Telchinem exponit facinoroſum & conſceleratum, quique ſe viribus ſupra hominem gerit majoribus. Addit & Cretam Telchinam olim fuiſſe nominatam, quod & à Stephano adſcriptum eſt, ab his & τελχίνειν deducitur, pro, rebellare, & ore duro eſſe ac refractarium. Gregorius Palama τελχινάδα τηκεδόνα appellat malignam tabem, aut illecebroſam: ubi ait, ἐβάσκηνε μέλλον καὶ ἐμοὶ τὸ πρόσωπον τελχινάδι τηκεδόνι συνέτηξεν. id eſt: Rurſum faſcinavit me, vultuſq; inſidioſa tabe concidit. Hoc eſt, dum fraudulenter renidet atq; palpatur.

Hamaxobio inſtabilior.

De homine inſtabili, & incertis ſemper ſedibus novas veterib⁹ commutante: hoc eſt, qui fabulam undecunq; notoriam agit: dici conveniet hyperbolem illam Septimii Tertulliani, qua in Marcionem uſus eſt. Hamaxobio inſtabilior. Hamaxobii, quos Pomponius Mela Hamaxobitas appellat, inter Sarmatas annumerantur, plauſtra pro ſedibus habentes, unde illis nomē Græcis ἅμαξαι currum vocantibus. & βίον victum: hi ſemper vagi ſtatam ſedem non agunt diutius, quam pecori pabula abunde ſufficiant.

Imbrii & Lemnii.

Tergiverſatores, & qui ſibi conſcii judicium declinabant atq; ſubterfugiebant, cauſantes ſe peregre abfuiſſe, proverbialiter Ἴμβριοι, hoc eſt, Imbrios dici ſolere annotat ex Ælio Dionyſio, Hadrianaſſæo Euſtathius, cujus hæc verba citat, Ἴμβριοι, οἱ δίκας ἀποφεύγοντες, ἐπεί τινες εἰς δίκην καλούμενοι, ἐσκήπτοντο ἐν Ἴμβρῳ εἶναι. id eſt, Imbrii dicuntur, qui judicium ſubterfugiunt, eo quod aliqui in jus vocati in Imbro abſentiam prætendebant. Idem repetit & Heſychius: ſed addit eoſdem quoq; Λημνίους dici, velut abſentiam in Lemno prætexentes. Eſt autem Imbrus, Æolica inſula, non procul à Lemno diſſita, è regione Tenedi.

Theramenes.

Theramenes dicitur de verſipelli & in utramq; partem dextro, qui pro re nata nunc harum nunc illarum fit partium. Ariſtophanes in Ranis:

Τὸ δὲ μεταστρέφεσθαι πρὸς τὸ μαλθακώτερον,
Δεξιοῦ πρὸς ἀνδρός ἐστι καὶ φύσει Θηραμένους.

Id eſt,

Ad melliora declinare ſemper, eſt
Dextri viri, qui natura eſt Theramenes.

Theramenes Agnonis filius, Iſocratis præceptor, e tribu Steria fuit, magnæ Athenis in republ. authoritatis & ſpectatæ dexteritatis vir, in qua adminiſtratione quum egregie tempori inſerviret, factionibus ſe adplicando, Cothurnus dici cœpit, διὰ τὸ μὴ μόνιμον, ἀλλὰ καὶ ἐπαμφοτερίζον ἀεὶ τῇ προαιρέσει τῆς πολιτείας, ut in Nicia ſcribit Plutarchus hoc eſt, propter incertum, & nunc in hanc nunc in illam reipub. partem alternans ſtudiū hominis. Eſt enim cothurnus calciamenti genus utriq; pedi congruū. unde ad Arrii dogma id tranſtulit metaphorice Nazianzenus: κοινὸς τῶν ἀμφοτέρων τῶν ποδῶν κόθορνος. id eſt, Utriq; pedi communis cothurnus.

Pyrrhonia haſitatio.

Πυῤῥώνειος ἀπορία, id eſt, Pyrrhonia dubitatio, proverbiali ſchemate uſurpatur de iis qui nihil certi ſtatuunt atq; decernunt, ſemper ambigui: cui vitio affinis fuit paucis retro annis vir maximi nominis, qui in religionis negocio, rebus controverſis, vix uſquā ſtabili loco pedem firmat nutabundus, nunc hujus nunc illius ſententiæ eſſe creditus, ſive potius quandam Theramenis dexteritatem affectans, qua feliciter atq; ingenioſe ſæpenumero eludit, & dum captus teneri putatur, verſo pollice lubricus elabitur. Galen' lib. ij. De temperamentis: οὐκ ἔστι ταῦτ' ἡ Πυῤῥώνειος ἀπορία καὶ λῆρος ἀπέραντος, id eſt: Nonne hæc ſunt Pyrrhonis hæſitatio & infinitæ nugæ. Idem lib. 2. De naturalib. facultatib. ἀλλ' ἀπορητικοί τινες ἐξαίφνης καὶ Πυῤῥώνειοι γεγόνατε, id eſt, Sed hæſitatores quidam ſubito ac Pyrrhonii evaditis. Fuit Pyrrhon Elæus philoſophus, qui deſperata veritatis inquiſitione, temere omnia diu multumq; rimatus, in ſingulis hæſitabat, ut idem Galenus in libello περὶ τοῦ ἀρίστου διδασκάλου ſcribit: nihilq; revera eſſe ajebat, ſed lege quadā & conſuetudine omnia fieri. Laertio teſte Hujus ſectæ aſſeclæ ab autore Pyrrhonii appellati fuerunt: iidem & ἐφεκτικοί, quaſi ſuperſedentes, quod cunctarentur ac ſuperſederent quidpiam aſſerere. De quibus Philoſtratus, πυῤῥωνείους ἐφεκτικοὺς ὄντας &c. hoc eſt, ajebat Phavorinus Pyrrhoniorum de rebus diffinire ſuperſedentiū quæſtiones judicari poſſe. ab his ἐποχὴ nomen habuit: quā aſſenſionis retentionem vocat Cicero in Academicis. Iidem & ἀπορηματικοί ſive ἀπορητικοί, a perpetua hæſitantia, ut σκεπτικοί, quod conſiderationibus ſemper vacent, nunquam inventionem perficiant. Dicti fuerunt & ζητητικοί, quod inquirant ſemper veritatem. In horum familiam adoptarunt ſe Academici, qui nihil affirmabant, & quaſi deſperata certi cognitione, quodcunque veri ſimile videretur, ſequi volebant, ut in libro De Finibus bonor. & malor. inquit Cic. idem lib. De natura deorum primo, prudenter dicit, Academicos in rebus incertis aſſenſionem cohibuiſſe.

Evannat ad omnem auram.

Λικμᾶσθαι κατὰ πάντα ἄνεμον, id eſt, Evannatio ad omnem auram, proverbiali ſchemate vocatur à Nazianz. levitas & mobilis animi inconſtantia, qua ſententiā unam in omnia flectimus, & ad diverſa applicamus: ubi indicat Arrianis verbum illud, τὸ ὅμοιον, id eſt, ſimile, plurifariam obtendi, & in diverſa trahi. Reſpexit ad præceptum Jeſu Siracidę quod c. 5. extat in hæc verba, μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ, καὶ μὴ πορεύου ἐν πάσῃ ἀτραπῷ. id eſt: Ne evannes ad quemvis vētum, nec quamlibet inſinuas ſemitam. quo admonemur, fugiēdam eſſe futilem illam levitatem, qua citra judicium & rationis pondus cuivis rumuſculo accedimus, opinioni omni fidem defe-rimus. Vulgare etiam jactatur proverbium, non multum ab hoc abludens, de levibus, Chlamydem omni vento obvertit.

Statua viatores omnes intuens,

Gregor. Nazianz. eodem in loco in funerali oratione Athanaſii. proverbialiter, ſtatuam viatores omnes intuentem, appellat ſymbolum aut dictū aliquod, diverſimode interpretari: quod poſſis, & quod ſpecioſis argumentis in hanc & in illam ſententiam deflecti, & ad diverſa accommodari queat Verba ejus ſunt, ἡ πρὸς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκών, id eſt: Effigies aut ſimulacrum cunctos viatores ſpectans.

Leo prius, nunc leporem agit.

Λαγὼ βίον ζῇς ὁ πρὶν ἀτρεμὴς λέων.

Id eſt,

Ferox leo olim, leporis ævum nunc agis:

Senarius eſt proverbialis, incerti authoris, in hominem delicatum, qui priſtinā ferociam exuit. Id quod iis fere accidere videmus, qui cum paupertate magnas opes, cum mendicitate opimū ſacerdotium commutarunt. Hi namq; ad ſubeunda arma & pugnas intrepidi prius, nunc mollitie luxuq; enervati, in ocio delitescere, & Bacchica arma tractare malint potius. Huc ſpectat illud Galeni lib. De prænotione: τὸν δ' ὑποστελλόμενον λαγὼ βίον ζῶντα ἀεὶ τρέμοντα καί τι πείσεσθαι προσδοκῶντα, id eſt, Metuentem leporis vitam vivere, ſemper trepidum, ac pati quippiam ſpectantem. Dion in oratione De gloria: καὶ τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, λαγὼ βίον ζῶν, id eſt, Ac juxta proverbium, leporis vitam vivens. Antiqui λέοντας, id eſt, leones, viros ſtrenuos appellarunt. ita Lycophron Herculem τριέσπερον λέοντα, id eſt, triveſperum leonem dixit: Q. Calaber Achillem κρατερὸν λέοντα, id eſt, rigidum leonem: & Euripides Oreſtem ac Pyladem λέοντε διδύμω, id eſt, geminos leones. Eodem referendū eſt Chabriæ dictum, φοβερώτερον εἶναι ἐλάφων στρατόπεδον λέοντος ἡγουμένου, ἢ λεόντων ἐλάφου hoc eſt, Formidabilius eſſe cervorum agmen ductore leone, quam leonum, cervo. quod Ariſtides refert. Euripides a Deo cuilibet animanti unam in genere attributam eſſe naturam.

Τί ποτε Προμηθεὺς, ὃν λέγουσ' ἡμᾶς πλάσαι
Καὶ τἄλλα πάντα ζῷα, τοῖς μὲν θηρίοις
Ἔδωχ' ἑκάστῳ κατὰ γένος μίαν φύσιν.
Ἅπαντες οἱ λέοντές εἰσιν ἄλκιμοι,
Δειλοὶ πάλιν ἑξῆς εἰσὶ πάντες οἱ λαγῷ.

Id eſt:

Quid, quod Prometheus condidiſſe quem ferunt,
Nos atque cuncta animantia, ille beſtiis
In genere ſingulis naturam unam dedit.
Cuncti leones præditi ſunt robore:
Formidinis pleni omnes ſunt lepuſculi,

Cercops.

Cercops, pro veteratore & vaſro impoſtore proverbialiter effertur, à vulpis moribus, quæ κέρκῳ, id eſt, cauda huc illucq; mota canes venaticos eludit. Alii referunt ad Cercopas Lydios duos inſignis nequitiæ fratres, quorum alteri Paſſalo, alteri Acmoni nomen erat inditum, ut puto a mutuis quas tradebant operis, ita autem vocātur paxillus & incus Æſchines Sardianus Candaulum & Atlanta nuncupatos fuiſſe ſcripto prodidit, Memnonidis filios. Diotimus in Herculis certaminibus Olum & Eribaten nominatim recenſet hiſce verſibus:

Κίρκωπές ποτε πλεῖστα κατὰ τριόδους ἀλέοντες
Βοιωτῶν ἐσίνοντο γένος δ' ἔσαν Οἰχαλιῆες,
Ὦλός τ' Εὐρύβατός τε δύω βαρυδαίμονες ἄνδρες.

Id eſt:

Attrivere malis variis Bœotiam adorti
In triviis genus Oechalia Cercopes habentes,
Oluſq; Eurybatuſque viri raræ improbitatis.

Alii ex Thya & Oceano prognatos fabulantur & propter tentatas inſidias, quibus Jovem fraudulenter involverant, in ſaxa converſos. Xenagoras vero ob improbos & verſipelles mores in ſimias transformatos ſcribit. apud Varronum enim legendum eſt, ἐπισείειν: pro, ἐπιτίθεσθαι quam fabulam delibavit & in Transformationum 14. Ovid ibi:

Quippe deum genitor fraudem & perjuria quondam
Cercopum exoſus, gentiſque admiſſa doloſæ.
In deforme viros animal mutavit.

Sunt qui annotāt Cyclopas prius dictos fuiſſe Cercopas, atq; hinc improbos & maleficos homines Cercopum nomine notatos fuiſſe. Chryſippus κερκωπίζειν pro decipere exponit, translatione ſumpta ab animalibus caudæ verbere palpantibus: ſimili enim modo adulatores & impoſtores cauda verborum ſimplices circumveniunt & illaqueant. Utitur voce Cercopis pro fraudulento Ammianus lib. 22. Delator, inquit, ut Cercops, homo breves humeros extentans Syneſius libr. De providentia, anum quandam Scythicam appellat γραῦν τινα κερκώπειον, id eſt, verſutiam Cercopeam Æſchines orator de Demoſthene: ὅτι μὲν οὖν ὁ κέρκωψ ἢ τί τὸ παιπάλημα, id eſt, Quodcunque tandem iſte Cercops, vel ſi potius dicēdus eſt incertaculum. Notat illum ob ingenii pravitatem, qui ſubdolis artibus ſubtiliter imponat. Syneſius ad Pylæmenem, [illegible], id eſt: Alia ratione in foro diteſcere non licet niſi cuncta & divina & humana jura confundas, & pro libero homine Cercops evadas. Philon Judæus ubi enumerat voluptarii hominis epitheta: Inter cætera, inquit, eſt, ἀναιδής, ἀφιλόκαλος, γόης, εἴρων, κέρκωψ, id eſt, immorigerus, inſcenis præſtigiator, mendax, Cercops. Celebratur & ἀγορὰ κερκώπων, id eſt, forum Cercopum Athenis apud Heliæam porticum, ubi res furto ſublatæ vendebantur. Cercopes namque furtis & veteratoriis artibus inſignes traducuntur, ut refert Euſtathius Odyſſ 2. Memoratur & Cercops quidam Pythagoreus ad quem, Suidæ teſtimonio, referantur ſcripta quædam Orpheo attributa. cujus loci occaſione arbitror emaculandum eſſe Ciceronis codicem libro De natu. deorum primo. & loco Cordonis, reponendum eſſe Cercopis, in illis verbis: Orpheum poëtam docet Ariſtoteles nunquam fuiſſe: & hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujuſdam fuiſſe cerdonis. Quin & Cercopem Mileſium ſcriptorem citat alicubi Athenæus. Cercopa etiam lucripetam dici, qui undecunq; lucrari cupiat, annotat Sex. Pompeius.

Eſcam hamo circumponere.

Τὸ δέλεαρ τῷ ἀγκίστρῳ περιτιθέναι. id eſt, Hamo eſcam circumponere eſt inſidiis aliquem circumvenire, & blanditiis verborum in errorem inducere Nazian. in Athanaſii funebri oratione: [illegible]. id eſt: Eſca erat ſimplici, vulgo, hamo impietatis circumvoluta Idem in Stelitcutic. [illegible] id eſt: Aut tyrannidi blanditias velut eſcam hamo adjiciat. Gregor. presbyter: [illegible], id eſt, Alii ſimplicitate morum decepti hæreſis eſcam deglutiunt. Ælianus ſophiſta 19 epiſt. [illegible]. id eſt: Formæ venuſtatem nobis obtrudit amentiæ eſcam. Utitur & Nicephor. alicubi. Author incertus apud Etymologici authorem: [illegible], id eſt: Attractus fuit à voluptatis eſca, ita ut neſciam an ullus piſcis potuerit magis. Philon Judæus, [illegible], id eſt, Quibus ceu hamo trahit adoleſcentium

animos

animos. Ælianus, οὐδέ μοι κάλλος ἀνθρώποις δέλεάρ ἐστιν, id eſt: Non forma mihi eſca eſt. Nazianz. illud affine eſt, χρήμασι δελεασθῆναι, id eſt, Pecuniis ineſcari.

In caſſes inducere.

Εἰς ἄρκυς ἐμβάλλειν, In caſſes injicere: pro, irretire & involvere quempiam. Heliodorus lib. 8. ὥσπερ εἰς ἄρκυς ἐμβεβλημένος, id eſt, Quaſi in retia conjectus. Antiphanes comicus in Citharœdo, εἰς δίκτυον ἐμπεσὼν, ὅθεν ἔξω πάλιν οὐ ῥᾴδιον ἐξελθεῖν τὴν αὐτὴν ὁδόν. id eſt, Involutus caſſibus unde non licuit facile regredi eadem via. Diogenes apud Stobæum.

Gallus bibit, neque meiit: Myxus non bibit, attamen meiit.

Ἀλέκτωρ πίνει καὶ οὐκ οὐρεῖ, Μύξος οὐ πίνει καὶ οὐρεῖ, id eſt, Bibit gallus, neq; meiit: Myxus non bibit, attamen meiit. Citatur in Varini lexico, dictumq; annotatur de arrogantibus hominibus, & magnos ſpiritus gerentibus. Græce eſt, ἐπὶ τῶν κομπαζόντων καὶ μεγαλαυχούντων. Fertur autem Myxus quidam Dianæ fuiſſe ſacerdos, homo elatus & faſtuoſus.

Μάσθλης.

Μάσθλης ἄνθρωπος, vafer ardelio & verſipellis, atque inſignitæ improbitatis dicitur: vel homo ingenio variabili & deſultorio, qui nihil habeat ſtabile aut firmum, ad quamvis aurulam mutabilis. Metaphora à loro macerato, in omnia propter humorem imbibitum flexili. Utitur eo Ariſtophanes in Nebulis: & Ariſtides in orationc adverſus eos qui eliminant myſteria, χαρίεις γ' ἂν εἴης ὦ μάσθλης, id eſt, Lepid⁹ profecto homo fueris ô ardelio. Sappho: ποικίλος μάσθλης Λύδιον καλὸν ἔργον, id eſt, Varium lorum Lydium malum opus, quod forte de Lydio verberone intelligendum eſt. Eſt autem μάσθλης proprie maceratum lorum: ſunt qui flagrionem eo nomine intelligi putant, quem & maſtigiam Plautus dixit. Huc ſpectat illud Eupolidis comici:

> Ἔχων πρόσωπον καρίδος μασθλητίνης.
>
> Id eſt:
>
> Faciem habens ſquillæ lori inſtar tortilis.

Verſatilior cardine.

Γιγγλύμου πολυστροφώτερος, id eſt, Verſatilior ginglymo ſive cardine. Extat adagiū apud Suidam ex innominato authore, γιγγλύμου πολυστροφώτερος ἐν τοῖς πράγμασιν ἀποδεικνύμενος, id eſt, Qui ſe in rebus agendis verſatiliorem cardine declaravit. Ejuſmodi hominem στρόφιν unica voce appellant Græci, quaſi verſatilem, utrūque vero tam probro quam laudi dari poteſt, ut ſignificetur & is, qui dexteritate quadam in rebus agendis explicare ſeſe, & qui volubilitate innata aliis imponere novit. Γιγγλυμὸς eſt commiſſura illa, qua mutuo inſeruntur verſanturque cubitus & lacertus, aut in valvis cardines, & in thoracibus ii qui στρόφιγγες vocantur. Ita ferme exponit Heſychius. Galenus libello de oſſibus inter tria de articulationis genera, tertium enumerat Ginglymon, quo oſſa ſe mutuo introeuntia, ſic combinantur, quemadmodum vertebræ ſpinæ inter ſe, & cum lacerto conjungitur humerus. Idem commentario de fracturis: οἱ γίγγλυμοι τὰ μὲν ἔχουσι κοῖλα, τὰ δὲ ἐξέχοντα κυρτώματα, τοῖς μὲν κοίλοις ὑποδέχονται τὰς ἐξοχὰς τῶν ἀντικειμένων, τὰ δὲ κυρτώματα εἰς τὰς ἐκείνων ἐμβάλλουσι κοιλότητας. Quibus verbis dilucide deſcribit quod proprie ſit ginglymus. Ita verò ſonant Latini: Ginglymi ſive cardines partem habent concavam, & partem extantem: illa protuberantes eminentias excipiunt, hoc concavitates ineunt. Sic Hyppocrates ibi, τοῦ βραχίονος τὸ γιγγλυμοειδές, id eſt, brachii cardinamentum vocat inferiorem ejus partem qua non cubito conſeritur. Galenus anatomicarum inſtitutionum lib. 2. naturæ induſtriam oſtendens, capitis oſſa ſuturis commiſſa, γιγγλυμοειδῶς, hoc eſt, ut Celſus loquitur, ad modum cardinis coagmentari dicit.

BRASSICANI. Βιβλιαίγισθος.

Author magni Etymologici ſcribit. Andream medicum ab Eratoſthene, quod ejus libros furtim exſcripſerat, Βιβλιαίγισθον fuiſſe dictum: alluſione proverbialis cognomenti ſumpta ab Ægiſtho, qui Clytæmneſtram Agamemnonis corruperat. Hoc cognomentum illi præcipue merentur, qui aliorum ſcripta ſibi vendicant, ſuoq; nomine paſſim invulgant. Ridiculum profecto hominum genus, & ingenii plane obnoxii, quod Plinius ait: quod mavult in furto deprehendi, quam mutuum reddere. Demetrius Grammaticus Adramytenus cognomento dictus fuit Ixion, quod Euripidis tragœdiam, quæ inſcribitur Ixion, clam ſublegiſſet, & ſibi adſcripſiſſet. quanquam Laërtius, Suidas, & Athenæus, ita quoque cognominatum fuiſſe ſcribant, quod in Alexandria Junonis ſtatuæ argentea quædam ornamenta detraxiſſet, ſive quod Ixionis exemplo parum gratus fuerit in Ariſtarchum præceptorem.

Turbine verſatilior.

Suidas ex Ariſtophane citat qui dixerit, βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ αὐτὸν τοῦ στρεφομένου, καὶ εὐστρόφως εἶναι δεῖ. id eſt, Oportet nihil a turbine ſive trocho differre, pro eo quod eſt deſultorium, agilem & verſatilem eſſe oportere. βέμβηξ enim turbo dicitur, tāquam πέμπηξ, παρὰ τὸ πέμπεσθαι καὶ ἐλαύνεσθαι, ut interpres Sophoclis, inquit. Ariſtophanis interpres in Veſpis ita ſcribit, βέμβηξ γάρ ἐστιν ὁ ξύλινος στρόμβος ὃν ἐργαλείῳ, ἢ μάστιγι περιστρέφουσιν οἱ παῖδες. unde etiam βεμβικιάζειν τὸ περιστρέφεσθαι. Sic in Græco epigram. Callimachi.

Latrunculis ludere.

Seneca feſtiviſſime dixit latrunculis ludere, de iis qui ſeſe decipiunt mutua verborum captione. Latrunculorum ludus ex Ovidio & Martiali notiſſimus eſt.

Nullus aleator te ſapientior.

Plautus in Rudente dixit, Nullus aleator te ſapientior eſt: de homine verſutiſſimo, & qui pro re nata facile poſſit conſilium capere. Cæterum aleæ ludus tanquam probroſus interdictus erat apud veteres, id quod Cicero in 2. Philippic. & Plutarchus περὶ δυσωπίας indicant. & Horatius inquit:

> Et vetita legibus alea.

Seſquiulyſſes.

Varro ſatyras ſuas Menippeas fere omnes proverbialibus titulis inſcripſit, quarum & una, cujus meminit Nonius Marcellus Seſquiulyſſes inſcripta fuit. Sic autem ab Ulyſſe, qui mores hominum multorum vidit & urbes, hominem ſumme aſtutum & veteratorem plane expolitum appellavit, id quod & Budæo placet libro primo, De aſſe & ejus partibus.

IOANNIS VLPII. *Inſuere in ſaccum vel culeum.*

Inſuere in ſaccum vel culeum, vulgo dicimus, pro circumvenire aliquem, vel ludere.

Vt ſportulam furunculus captare.

Cum quis per fraudem quod ſibi non debetur amplectitur, & alienum ad ſe trahit, ut ſportulam furunculus captare dicitur. Tertull. Natum ab amiculis & clientibus Romanorum potentiorum, à quibus mane ſalutabantur, & per urbem incedebant ſtipati, quibus viciſſim ſub veſperam dabant honorarium aliquod munuſculum, ſportulam videlicet. Inter hos autem clientes & amiculos, cum jam dandum eſſet munus, alii clam ſe immiſcebant, vel ab abſentibus ſeſe ſubmiſſos mentiebantur, quos furunculos vocabant.

COGNATI. *Agitatur vento.*

Huc & illuc, undarum more à vento moventur inſtabiles, leves & inconſtantes. Denique inſtabiles, ventoſos Galli vocant ſua lingua, à tous vents. Chriſtus Matth. 11 Quid exiiſtis in deſertum ut videretis? Num arundinem quæ agitatur à vento. Apoſtolus Eph. 4. Non ſimus parvuli fluctuantes, ut omni vento doctrinæ circumferamur.

Strutio.

Semper hæc vox vulgo habita fuit pro ancipite fide hominibus, ambabus partibus ſatisfacere volentibus. Ductum autem id verbum eſt ab apologo animantis, quæ partim fera, partim avis eſſe perhibetur. Cum enim inter beſtias & volucres pugna excitata eſſet, ipſa opem ſuam atq; ſuppetias utriſq; eo animo offerebat, ut utra partium ſuperior fuiſſet, ipſa in tuto victoriæ particeps eſſet: ſed interim & capta eſt, & calamitate ſua oſtendit ſimulatum eſſe officium, quo quis duos dominos devincire contendit, nec unquā bene cedere. Aut enim alterum odio habet, aut erga neutrum ex animo eſt adfectus. Homerus Martem vocat ideo ἀλλοπρόσαλλον, quod nunc his, nunc illis partibus faveret. Eſt enim turpiſſimum cum utraque parte colludere. (Lege proverb. Eraſm. Veſpertilio.)

Recoctus.

Catullus in quodam Hendecaſyllabo:

> Sed non omnia diſplicere vellem
>
> Tibi, & Suffecio, ſeni recocto.

Per recoctum intelligimus veteratorem inſignem, qui longo rerum & temporis uſu didicerit, quid diſtent æra lupinis: quiq; in re aliqua tyro non eſt, ſed acri judicio præditus, gravis, ſerius & tritus. Quibuſdam videtur translatio eſſe ducta à metallis, quæ recoquendo meliora & puriora fiunt, omniumque ſcoria liberantur, & aliena materia. Sed potius ab his ferramentis ducitur, quæ cum inveteraverunt, recoquuntur ut reficiantur ac reformentur, aut in aliam ſpeciem mutentur. Horatius libro ſecundo, Serm. ſatyra v.

> —Plerunque recoctus
>
> Scriba ex quinque viro corvum deludet hiantem.

Id eſt, qui ſæpe factus & refectus eſt ſcriba. Sic recoxiſſe Peliam dicitur Medea, id eſt, reformaſſe atq; renovaſſe: ut recoctus ſenex ſit hic, annoſus, antiquus, longæ ætatis, plurimi uſus, multis in reſit hic, annoſus, antiquus, longæ ætatis, plurimi uſus, multis in rebus tritus & verſatus, ideoque ſeveri & acris judicii. Galli vocant, vieux routier. Coctum namq; vocabant, quicquid vetus & multi temporis exiſtat: vel Servio teſte, cujuſmodi illud Perſianum eſt, in prima ſatyra:

> Ut ramale vetus prægrandi ſubere coctum.

Quomodo & Virgilii illud Æneidos undecimo accipi poteſt de telo dictum:

> —Solidum nodis & robore cocto.

Quod ad roborationem artis ingenio quæſitam torquet Donatus. Similiter accipi puto & incoctum apud Aul. Perſium, ubi quid potiſſimum in ſacris ſpectet Deus, ille expendens, jubet nos eo

adferre ſanctos mentis receſſus, & incoctum generoſo pectus honeſto, ac incoctum quidem, hoc eſt, duratum, & circa virtutum actiones diu multumq; exercitum. Haud abſimili ferme ſenſu dixit recoquere, Fabius libr. 12. cap 6. de M. Tullio loquens, qui ſe Apollonio Moloni Rhodi rurſus formandum ac velut recoquendum dederit. Acron recoctos dici ait ſcribas, qui ſæpius pro conſulibus ad provincias miſſi, exercitatiores facti eſſent ex ipſa frequentia & uſu: qua ratione veterator Donato exponitur à multarum rerum gerendarum vetuſtate deducto nominis etymo. Budæus De aſſe, recoctos aulicos dicit, in aula veteratores & conſummatos. Huic contrarium eſt, Crudus: de quo alibi.

Syri adverſus Phœnices.

Σύρος πρὸς Φοίνικας, id eſt, Syri adverſus Phœnices Hoc utimur, quoties ſignificare volumus, duos egregie aſtutos hoc agere, ut dolis ſe mutuo circumveniant. Syri enim olim aſtutiæ nomine male audierunt, quemadmodum & Phœnices.

Ἀντιπαριάζειν.

Paros una Cycladum, cujus incolæ olim non ſervato pacis, quod cum Miltiade pepigerant, fœdere, proverbio apud Græcos locum fecerunt, quo in fœdifragos, utuntur, ἀντιπαριάζειν dicentes, pro eo quod eſt μεταμεληθῆναι, facti pœnituit.

Caracalla nummi.

Convenit in eos, qui aliud præ ſe ferunt, aliud tegunt, quique fuco corrupti ſunt, & pallent, in blandos vultu, ſed animo virulento, & eos qui ſanctimoniam habitu præ ſe ferunt, cum vita ſint impia. Dion autem narrat, Antonium Caracallam in uſu habuiſſe nummos adulterinos, plumbumq; argentatum, & æs inauratum, pro argento vel auro ſuis ſenatoribus dediſſe. Hinc natum eſt proverbium.

Κέρκωπες.

Proverbiali ſpecie κέρκωπες, homines callidi & veteratores, quaſique artifices quidam deceptionum & fraudium (qui & plani in Latina lingua) & κέρκωπα ἀπ' ἐλάσσονος χεῖρας in quadā epiſtola Syneſius. Item aſſentatores: nam hoc etiam genus pernicioſiſſime decipit In fames fuere hoc cognomine apud priſcos Paſſalus & Acmo, ſeu Achemo, à quibus eſt appellata (ut videtur) κερκώπων ἀγορὰ, illa apud Herodotum Polymnia, quæ & ipſa proverbii inſtar haberi poſſit. Item Candulus & Atlas, vel (ut alii) Andulus & Atlantus, Eurybates Crœſi proditor, & Olus. Inde verbum factum κερκωπίζειν, fraudes hujuſmodi & aſſentationes uſurpare. Rationem appellationis alii deducunt ab animalibus quæ cauda blandiuntur: alii à vulpina aſtutia, cum inſequentes canes hæc cauda decipiat. Alii Cyclopas tradunt aliquando Cercopes appellatos, cum κέρκωπες etiam neſcio quid κολακευτικὸς ſignificare dicatur: & inde translatum nomen ad malos & improbos. Alii à moribus & ingenio gentis Lydiæ deducunt, quæ Cercopum nomen habuerit, & fuerit natio vafra impoſtorum & mendacium. Id quod mihi ſimpliciſſimum videtur, & maxime conſentaneum: quo fortaſſis accommodare licebit, quæ apud Plautum appellatur Aſtutiarum regio, in Milite. Cum tamen & animantis quid ſignificare κέρκωψ tradatur, ſive ſimiarum generis, & eum fortaſſe, qui κερκοπίθηκος, ſive vitium vaſtatricem beſtiolam, ſive gallum etiam & murem agreſtem. Venit in mentem & à ſpecie atq; ſimilitudine tam oris quam ingenii, ſeu naturæ ejus quod inter hæc malitioſa verſutia præſtat, factam videri poſſe appellationem: & de ſimiis quidem ſuſpicari fortaſſis aptiſſimum fuerit, ut ſit quemadmodum Homericum κυνώπης, & ſimilia. Quod autem Ludovicus Cælius de cerco notat, uſum proverbialem videri vult etiam apud Latinos: de hoc, inquam, ut nihil diſputetur amplius, locus certe, quem de Epiſt. ad Atticum ille adducit, Quovis potius quam ut Cercum videat, &c. is neq; ita legitur in emendatioribus libris. & ut maxime ea lectio non intoleranda videatur, de Cæſare quidem (ut ipſe vult) res non fert, ut accipiatur. Eſt in proverbiis Græcorum & κέρκωπες de loquacibus, ut videtur, & garrulis, non de taciturnis, ut quidam putant, ἀπὸ κέρκωπος, quam cum turture comparant ob ſtrependo Grammatici, & docet diſerte Athenæus, eſſe hoc, πετεινὸν τερετίζον ζῷον, quo & in cibo uſi ſunt. παιπάλημα autem & ipſum quaſi ad minutias quaſdam exquiſitæ fraudis & doli crudeliſſimi tranſtulerunt: quomodo uſurparum videtur in Avibus Ariſtoph. Conjunguntur enim σόφισμα, κύρμα, ῥύμμα, παιπάλημ' ὅλον: quod idem videtur ſignificare apud eundem in Nubibus παιπάλη. Unde apud Homerum πολυπαίπαλοι Phœnices: quod etſi alii aliter interpretantur, videtur tamen maxime conſentaneum, malitioſos ibi & callidos ſignificari, quo nomine hæc gens male audit. De hac vero tranſlatione cum alii alias conjecturas retulerint, mihi quidem vel ab eo eſſe videtur, quod verſutia non facile circumveniatur aut capiatur, ſed diverticula repetiat, per quæ elabatur, cum παιπάλημα proprie eſſe doceant, quod multos exitus habeat, & quaſi oſtia quibus excipiatur: vel quod non craſſa quædam & quaſi rudior calliditas ſignificetur, ſed muniтiſſima & exquiſitiſſima cum παιπάλη etiam farinam tenuiſſime cribratam ſignificet: quomodo multæ non erunt diſſimiles tranſlationes in noſtro vernaculo. Uſurpatur utrunque ab Æſchine in oratione De falſa legatione, contra Demoſthenem: ubi hoc dicere videtur, neſciviſſe ſe antehac qualia eſſent Cercops, & quid παιπάλημα appelletur, & τρῖμμα, atque ſimilia: quæ nunc de Demoſthenis vita & morib. explicari videat, ut diſſerere potuerit, quem locum & Eraſmus Roterodamus adducit in proverbio, κερκώπων ἀγορὰ quo tamen qui ii fuerint, non exponit. cum Grammatici doceant. Athenis ita fuiſſe appellatum locum eum, in quo venderentur quæ furto eſſent ſubtracta, id eſt, forum furtivarum venalium: παλίμβολος autem fuerit, qui verſutior ſit, quam tota figuralis ſecundum Plautum, & ingenio lubrico. Eſt igitur κερκώπειον παιπάλημα, Plautinus Cercopæus, fraus ſeu dolus Cercopæus, aſtutiæ veteratoriæ, & ſubtilis atq; eximiæ, ſeu callidiſſimæ. Hoc uſus eſt Syneſius Cyrenæus in Ægypto, ſeu de providentia libro primo. τὸ παιπάλημα τὸ κερκώπειον, id eſt, Cercopæa fraudulentia Budæus de aſſe, Cercopes vocat Luctiones. Herodot. in 7. Cercopum hedra, impoſtorum & lucripetarum ſedes inde natum apud Græcos proverbium. (Huc refer quæ docte ſup. retulit Junius in proverb. Cercops, & Eraſm. Chiliad. Cercopum cœtus: & quod eſt in collectanea Godofredi, Cercopum forum.)

In vento & rapida ſcribere aqua.

Catullus de inconſtantia fœminei amoris:

> Dicit: ſed mulier cupido quod dicit amanti,
> In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

Lepide duas res elegit, quæ perpetuo fluant, eamque naturam habeant, ut in eis nihil imprimi poſſit. Phyllis Demophoonti apud Ovidium:

> Demophoon ventis & verba & vela dediſti:
> Vela queror reditu, verba carere fide.

Apud eundem, Leander Hero:

> Cumque minus firmum nil ſit, quam ventus & unda,
> In ventis & aqua ſpes mea ſemper erit.

Idem eleg. 4.

> Quæ tibi ſunt facienda tamen, cognoſce, nec Euris
> Da mea, nec tepidis verba ferenda Notis.

Eleg. 7.

> Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?
> Cunctane Lethæis merſa feruntur aquis?

Sic Lucanus in 5.

> —Pereuntia tempora fati
> Conqueror, in ventos impendo vota fretumque.

Budæus De contemptu rerum fortuit. 3. Si in ventos querelas effundis, indignum eſt homine docto. Servius enarrans illum Maronis verſiculum ex 11. Æneid. libro,

> —Nec ferre videt ſua gaudia ventos:

adagium refert, explicatq; his verbis: Venti ferunt gaudia, id eſt, lætatur incaſſum. Sicut ſupra Æneidos 9.

> Sed auræ Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.

Ubi idem Servius: Quæ inutiliter jubentur, dicitur ventus diſcerpere, & nubibus irrita dare. Sæpe hac proverbiali loquendi conſuetudine poëtæ utuntur. Theocritus in Dioſcuribus:

> Γᾶμον παιδὶ πολλὰ, τὰ δ' εἰς ὑγρὸν ᾤχετο κῦμα πνοιὰ ἔχουσ' ἀνέμοιο.———

Id eſt:

Dicebant talia multa, ea vero in humidos fluctus abiit ventus auferens. Idem Æneidos 11.

> —Partem volucres diſperſit in auras.

Id eſt:

negavit. Vide alibi, Ventis verba profundere. (& in Chil. Ventis tradere.)

Sinapi callidior: Sinapi tueri.

Celebre apud Gallos adagium. Etenim inſignem veteratoris aſtutiam indicaturi: Callidior, inquiunt, eſt ſinapi: quod igneum ſemen nares & cerebrum apprehendat, lacrymas excutiendo, nullo aſperrimi ſaporis prævio odore. Hujus enim vis confeſtim in ſublime fertur, nec aliud magis in nares & cerebrum penetrat. Quare ſi modus adfuerit, hujus odor naribus raptus, ſtatim ſternutamentum ciet, evellicans ſenſum lacrymas elidit. quod teſtatur in horculo Columella canens:

> Seque laceſſenti: fletum factura ſinapis.

Quæ noxa cœli ſubito conſpectu ſummovetur, veluti noxio halitu per nares evaneſcente, nec caput vibratim feriente. Fervidum ſinapis ſemen & acerrimum eſſe, aperte Nicander in Georgicis teſtatur:

> Semina tractanti morſum factura ſinapis.

Item coquus in Pſeudolo: Teritur ſinapis ſcelerata cum illis qui terunt, priuſquam triverint, oculi, ut exſtillent facit. Quare feſtive potius, quam jocularıter lepidiſſimus Græcorum comicus Ariſtophanes in Equitibus ſuis cum Cleonem ita percitum, rugoſa caperataque fronte, vultuque rubicundo, truci aſpectu, oculis velut emiſſitiis, lumen ultro citroque jaculantibus, furorem hominis demonſtrans, ſinapi conſpexiſſe dixit, quaſi indignabundum excandeſcentemq; virum innuens. Verſiculum ejus ſubjunximus:

> Κἄβλεψε νᾶπυ, καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασεν.

Quod eſt: Sinapim conſpexit, & frontem contraxit.

Aſtaphium in Truculento Plauti: Si Eccaſtor hic homo ſinapi victitet, non cenſeam tam eſſe triſtem poſſe. Macrobius Saturn. libr. ſexto, citat ex Ennii libro quarto, Sabinarum hunc verſum:

> Neque triſte quæritat ſinapi, neque cæpe mœſtum.

Exponens triſte amarum.

Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

Ancipitem hominis animum & incertum conſilium hoc Virgiliano hemiſtichio licebit indicare :. in quo expreſſit verbum Græcum μερμηρίζω, vel μερμηρίζω, quod in diverſas partes conſulere, ſollicitè cogitare, & animo verſari ſignificat. Non diſſimile huic ſequitur Euripidis in Iphigenia Aul. actu. 2. πλάζεται φρονῶν, &c.

Mutuum ſumpſiſti.

Hic loquendi modus etiamnum hodie de furto manet vulgo frequentiſſimus: Mutuum ſumpſiſti, quod nunquam ſis redditurus, hoc eſt, furatus es. Suetonius in dictatore Cæſare, tit. 51. Aurum in Gallia effutuiſti, hic ſumpſiſti mutuum. Senſus autē eſt. Quod aurum hic ex ærario ſumſiſti mutuum, nempe ut fures ſolent, nunquam redditurus. hoc inquam effutuiſti in Gallia: id eſt turpiter cum magnatum fœminis inſumpſiſti.

Ἀρχιλόχου ἀλώπηξ.

Adagium hoc in eos dici exiſtimo, qui pro re nata conſilium expeditiſſime capiūt, quemadmodum Archilochus in Apologis à ſe ſcriptis, vulpem ubiq; callidiſſimam introduxit. Baſilius ad nepotes ſuos cap. 16. At divitias (inquit) contemnimus, & voluptates deſpiciemus, verum blanditias & adulationes ſectabimur & Archilocheæ vulpis calliditate gaudebimus. (alibi Junii proverbium vide) Archelochia vulpes.

Vlyſſes.

Plautus in Pſeudolo, Ulyſſem Simonis ſervum Pſeudolum totum ex mendaciis atq; dolis compoſitum vocat: Viſo, inquit Simo, quid ſervus meus Ulyſſes egerit, jamne habet ſignum ex arce Ballionia. Idem paulo poſt: Superavit dolum Trojanum atq; Ulyſſem Pſeudolus. Ulyſſem enim Homerus ubique callidum, aſtutum, vafrum, verſutum, ac diſſimulantem ſimulantemque fingit. Unde eundem ſtatim initio Odyſſeæ, πολύτροπον appellat:- & Iliad. penultimo:

——Α᾽ δ᾽ ἀνόρουσε πολύμητις:

Conſilio hinc pollens & fraude Ithacenſis Ulyſſes.

Apud Euripidem in Troadibus actu 2. eſt notatio Ulyſſis inconſtantiæ, verſutiæ, ac doloſæ calliditatis, qua per fas & nefas omnia ad ſuum compendium; etiam cum aliorum innocentum damno vertere, à tragicis plerunq; inſimulatur. Plutarchus in Lyſandro proverbialiter citat Iambicum verſum ex aliqua tragœdia:

Οὐκ ἄρ᾽ ὁ Σισυφίδης, &c.

quaſi diceret: Senſit Lyſander, non ſe ſolum eſſe vafrum, ſed & aliis iſtas artes notas eſſe & uſitatas. Ita Ulyſſis, qui calidiſſimus erat, eoq; nomine ſeipſum prædicare ſolebat, dolus eſt à Palamede deprehenſus, inſaniam ſimulantis, ne iret ad bellum Trojanum. Nota eſt fabula. & ex antiquo poeta verſus ea de re Cicero libro tertio Officii recitat, Ac fieri poteſt, ut hic verſiculus ſit de Palameda Euripidis tranſcriptus. Horatius libro primo Carminum, ode 6. vocat Ulyſſem, duplicem: id eſt, ſubdolum, verſutum, aliud loquētem, aliud ſentientem, & (ut Græci dicunt) διπλοῦν. Sic in Euripid. Rheſo, & in Epigr. Græcis. Sunt alia duo Ulyſſis epitheta apud Homerum, ἰχθυβόλος, ποικιλομήτης, δόλων ἆτ᾽ ἐς δολοφραδίης. Mantuanus, πολύτροπον vates dixit Smyrnæus Ulyſſem. Vide apud Eraſmum noſtrum. Viri duplices.

Arte Pelaſga.

Arte Pelaſga, Virgilius 2. Æneidos, pro fraude plane Græca: duobus in locis uſus eſt:

Ignari ſcelerum tantorum, artiſque Pelagæ.

Et:

——Ille dolis inſtructus, & arte Pelaſga.

Pelaſgi autem populi ſunt Græciæ vetuſtiſſimi, qui ex Arcadia oriundi, indifferenter pro quibuſvis Græcis accipiuntur. Virgil. ibidem:

——Quem falſa ſub proditione Pelaſgi

Demiſere neci. ——

Pelaſgi, a Pelaſgo rege, qui primus in Arcadia imperio præfectus fuit.

Γλωσσώδης.

Duplex lingua à Siracide cap. 28. dicitur, quæ modo hoc, modo illud loquitur: hæc eſt fallax & fraudulenta. Alibi ψίθυρος, per tuſa & levis dicitur. Ea eſt obtrectationum, & ἐχθρωποιός, quæ inter duos tertia ſe admiſcet, & ſerit diſcordiam. Quemadmodum & δίγλωσσοι, Idem cap. 9. tales nugatores & garrulos, qui plerunque & obtrectatores ſunt, & maledici, γλωσσώδεις, & στρεβλοὺς nominat. Pro ignavis, duplicibus & fraudulentis repetitur, καρδίᾳ δισσῇ ἐν δυσκόλῳ. Eccleſiaſtici 2. Vir duplici corde. Jacobi 1. Vir duplex animo inconſtans.

Muli.

Mulus, ex duobus generibus mixtum animal, ut ſi neutrum; ſterilis, ſarcinarum patiens, & calcitroſus. Et hodie nimirum muli dicuntur, qui profeſſione ſunt Chriſtiani, vita & affectibus Ethnici: interim nec prorſus Ethnici, nec Chriſtiani, recalcitrantes Dei gratiæ, divitiis exteriſque cupiditatibus onuſti, nullum pietatis fructum adferentes.

Omnia venalia habet.

Is dicitur omnia venalia habere, qui omnia pecuniæ cauſa agit.

Nam & Thucyd. lib. 2. ſic inquit, χρημάτων δὲ κρείσσων ... ἀπολέσθαι. Saluſtius in Catil. Namq; avaritia fidem, probitatem, cæteraſq; bonas artes ſubvertit. Pro his ſuperbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit, unde in Jugurtha Roma diſcedens: O urbem venalem, & cito perituram, ſi emptorem inveniat. Omnia venalia habent advocati & calumniatores, qui undecunque lucrum captant Ennius?

Unde habeat, curat nemo, ſed oportet habere.

Pecuniæ cauſa omnia conceduntur. Nam ſi quis pecunioſus à ſenatu aliquid optat, pecuniam ſenatorib. exhibendo, ſtatim quod vult conſequitur. Hinc M. Cato apud Saluſtium in Catilin. Pecuniæ ſervitis. ibidem: Quibus omnia honeſta atq; inhoneſta comparare mos erat: id eſt, qui per fas & nefas pecuniam comparare ſtudebant Petronius Arbiter in quadam ſatyra:

Nec minor in campo furor eſt, emptique Quirites

Ad prædam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.

Venalis populus, venalis curia patrum.

Et favor in precio, ſenibus quoque libera virtus

Exciderat, ſparſiſq. opibus converſa poteſtas,

Ipſaque majeſtas auro corrupta jacebat:

Alio loco:

Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat?

Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?

Ipſi qui Cynica traducunt tempora cœna,

Nonnunquam nummis verba ſolent emere.

Ergo judicium nihil eſt niſi publica merces:

Atque eques in cauſa qui ſedet, empta probat.

Vide alibi: Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Πλάζεται φρονῶν.

Obliqua ſentis. Proverbiale eſt in homines inconſtantes animiq; lubricos, quales Vertumni, Protei, Polypi, & Jani ſunt, qui in omnia ſevertunt, ac quocunque trahit ipſos animi levitas, nutant. Euripides actu 2. Iphigeniæ Aulidenſis:

Πλάγια φρονεῖς, τὰ μὲν νῦν, τὰ δὲ πάλαι, τὰ δ᾽ αὐτίκα:

Varia & obliqua ſentis, nunc quidem aliud, mox rurſus aliud.

Huic non diſſimile eſt hoc Virgilianum quod ante:

——Animo nunc huc, nunc fluctuat illuc.

In utrumque paratus.

Ejuſdem Virgilii 2. Æneid. verſus hic, de varietate ingenii Sinonis:

——In utrumque paratus,

Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti:

uſurpatur proverbii loco ab authoribus: quadratq; in hominem ad utranq; fortunam inſtructum, ludicris pariter ac seriis accommodatum, aut qui novit cum bonis pariter ac malis convenire: Hanc parœmiam extulit Homerus alia allegoria:

Οἶδ᾽ ἐπὶ δεξιά, οἶδ᾽ ἐπ᾽ ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν

Ἀζαλέην, τό μοι ἐστὶ ταλαύρινον πολεμίζειν,

Οἶδα δ᾽ ἐπαΐξαι μόθον ἵππων ὠκειάων,

Οἶδα δ᾽ ἐνὶ σταδίῃ δηΐῳ μέλπεσθαι Ἄρηϊ.

Invertit veſtem.

Invertiſſe veſtem proverbialiter Gallis dicuntur, qui ſubdolis ſunt moribus, & verſipelli fide, pravi, ancipites, & verſuti, quaſi ἀμπέχεται πολύτροπον ἐνδύματα. Eſt autem gemina & anceps, ſive ancipitis uſus veſtis, quæ etiam inverſa induitur, & duarum vicem præbet. Ab his ducta metaphora, qui ut ſcenæ ſerviant, invertunt veſtem.

Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem.

Hoc Perſii ex ſatyr 5. carmen in multorum ore verſatur, in callidos, ſubdolos, fraudulentos, inconſtantes, inſtabiles, ſervidi ardentiſq; ac cōcitati animi, induſtrios, ſolertes, qui q. dolo malo omnia agunt Latini quoq; dicunt unico verbo, Vlpinari & Græci ἀλωπεκίζειν, pro, dolo malo agere Amaſio apud Apuleium ſubdolus, impoſtor, fraudulentus, dicitus eſt vulpinari Idem in Magia Vulpionem dixit, pro doloſo palpatore ac veteratore. Vulpes etiam in Scripturis notam ſævitiæ ſimul & fraudulentiæ habet. Hoc itaq; probè pulchre Luc 13 in Herode hæſit: cujus ſævitiam ſimul & fraudulentiam Chriſtus oſtendere volens, illum appellat vulpem. Luc. 9. vulpes Hypocritam denotat. Phariſæi quoque apud ſacræ Scripturæ parœmia vulpes appellantur. Pſal. 62. impios indicare volens ſuis ipſorum telis interire: Tradentur, inquit, in manibus gladii, partes vulpium erunt. Vide Cyrillum: & ſupra, Vulpinari non decet. Sed de vulpe, plura Plinius: cui calliditas & malitia in apologis attribuuntur. Sunt & plures de vulpe parœmiæ apud Eraſmum noſtrum.

Æolidæ.

Æolidæ pro proverbio dici cœperunt, qui ad omnem temporis mutationem vertuntur & mutantur ab Æolo ventorum rege dicti.

Theramenes Cothurnus.

Ad hominem transfertur, qui ſe ancipitem inter duas factiones præbet, & non uni magis quam alteri parti addictus, & utrique tamen amicus demum idoneus eſt: quoniam Cothurnus utrique pedi aptus erat: quo nomine Theramenes rhetor Athenien-

nienſis dictus eſt. Sic etiam, authore Plutarcho, Nicias dux eſt cognominatus, ob morum vafritiem, & quod duabus quaſi ſellis ſedere videretur. Propter eam cauſam aulici à Budæo Theramenes & Cothurni dicuntur in libro De aſſe. Hujus Theramenis & proverbii meminerunt Xenophon libro ſecundo. Lucianus in Amoribus & Pſeudologiſta, Plutarchus in præceptis civilibus, & Eraſmus noſter in adagio, Cothurno verſatilior. Hinc Cothurnatum facinus, regium & principale, aut heroicum: à tragicis perſonis tracta locutio. Grandia autem ſcelera & atrocia à principibus perpetrari ſolent, cum pauperes ſæpius innocentiam colant. Vide alibi, Sic reges faciunt: & alibi, Dum caput dolet:

Aulicaſtri.

Aulicaſtri hodie vulgo vocantur homines curialibus moribus prædīti: Galli vocant, courtiſans. Homines autem in aula educati, ſi ingenio præditi ſunt, acutiores in dies fiũt, ut qui per omnes numeros ſimulationis, diſſimulantiæ, ſolertiæ & vigilantiæ inſtituãtur. Eſt enim aula ut plurimum diverſorium impoſtorum, invicemq; hominum inſidiantium: utpote cum unius everſio ſit alterius votum: alter alterum de loco & gradu dimoveri, atque etiam deturbari, ſemper exoptat, id quod fieri ſine multiplici artificio nequit, & prout alter alteri anſam ſui dejiciendi ſternẽdiq; incautius præbuerit. Cicer. pro Roſcio Amer. Si domus hæc habenda potius eſt, quam officina nequitiæ, & diverſorum flagitiorum omnium. Ars enim aulicæ eſt, ſubinde vultus ad ſimulationem diſſimulantiamq; mutare. Vide alibi, Jura, pudorque, & conjugii ſancta fides, fugiunt aulas.

Imbutus iam & contractus.

Galli vulgo dicunt de homine jam veteratore in quovis artificio, eum maduiſſe & contractum eſſe, qui ſermo a telis & pannis tractus eſt, quæ poſt texturam perluuntur, & poſtea inſolantur. Panni etiam poſt texturam à fullonibus curati tonſorumque forfices experti, prælis ſubjiciuntur: ibiq; ab implicatu formam accipiunt, verſumque in medio contrahunt, qui poſtea eximi nequit. Veſtes quoq; diuturno cinctu ſtriatæ, poſtea in diverſũ ſtrias contrahere vix poſſunt. Unde natum proverbium: Il ne ſera jamais autre, car il a prins ſon pli. Budæus Draconi filio: Idq; ætate (ſi dis placet) duriuſcula, quæ imbuta jam & contracta ſit (ut eſt in proverbio Gallico) & plicatilem ſitum atque habitum contraxerit, & ita retinuerit, ut in diverſam faciem niſi ægre reconcinnari non poſſit.

Magis phantaſticus quam Papa mula.

Hujus adagii frequentiſſimus eſt in Galliis uſus, in eos qui opinatione temerarii ſunt perfracti, inſcientes, & opinioſi, quiq; voluntate, & non ratione ducuntur. Mula autem Papiſtica hic ſilentio prætereunda eſt, ne nobis calces incutiat: Mordax enim eſt, & calcitro, effrenis & indomitæ tarditatis. Nec eſt de genere ſterilium, ſed ſui generis in portentum coit & parit: nimirum Cardinales & variegatos monachos, qui prodigii loco nunc omnibus habentur. De hac nihilominus poſtea dicemus.

Turba turbida.

Quoniam in populo non eſt verum judicium, cum in eo non ſit conſilium, non ratio, non diſcrimen, non diligentia ut ſcribit Cicero pro Plancio: turba turbida ſive turbulenta dicitur vice proverbii. Nam turba pro multitudine a Cicer. 2. Ver. & v. Tuſcul. & ab Ovid. 1. Amor. eleg. 7. accipitur. Hinc illius poetæ Græci ſententia?

> Ὄχλος [illegible]
> Id eſt:
> Turba turbulenta eſt, nec mentem habet.

M. Varro de conviviis Satyra:

> Neſcis quid veſper ſerus ferat.

Multos enim eſſe non convenit, quod turba plerunq; turbulenta eſt. Hæc apud Gell. lib. 13. c. 11. Quod poeta noſter eleganriſſime celebratiſſimo verſu dixit:

> Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus:

Horatius itidem, ſed apertius:

> Judice quo noſti populo, qui ſtultus honorem
> Sæpe dat indignis, & famæ ſervit ineptus.

Idem ſequutus Platonem, populum dixit multorum capitum belluam. Ad hæc, Demoſthenes (quod annotatu & ſcitu dignum eſt) extorris, & in exilium pergens, cum exclamatione dixit: O Pallas, quæ tribus infeſtiſſimis belluis delectaris, noctua, dracone, & populo, tanquam populus inter κακὰ θηρία, id eſt, malas beſtias ſit numerandus: cujus imperitiam (ut dicebat Diogenes) ad res juſtas ſola conſtringit neceſſitas. Perſius ſatyr. 1. ad hoc alludens, Romam vocat turbidam, hoc eſt, ipſos Romanos, confuſi judicii, & ex animi libidine cuncta judicantes. Metaphora eſt ab aëre, qui proprie turbidus, & cõtra ſerenus dicitur. Turba autem ex Græco tractum, ἀπὸ τοῦ τύρβης: unde τυρβάζω, turbo. Labeo ait, turbam multitudinis hominum eſſe perturbationem & cœtum, ſed rixam duorum. De his plura Ulpianus in l. prætor ait. tit: de vi bonorum raptorum. Hoc autem proverbio monemur, imperitæ multitudinis & populi judicio ſtandum non eſſe. Sic enim eſt vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æſtimat: itaq; minime mirandum eſt, ſi optimus quiſque & ſapientiſſimus, vulgi judicium ſemper contemnendum eſſe judicarit. Socrates enim apud Platonem vulgi & aures & oculos malos eſſe teſtes dicebat. Oratores quoq; Demoſth. de falſa legatione, & Cic. pro Muræna, populum modo mari, modo ventis comparant, quod (ut de fortuna dixit Ovid. 4. de Ponto.)

> Quodlibet eſt vento, & quavis incertior aura.

Unde Horat. 1. Serm. Satyr. x.

> ——Nec te ut miretur turba, labores,
> Contentus paucis lectoribus, an tua demens
> Vilibus in ludis dictari carmina malis?

Seneca De clementia lib. 1. cap. 1. Tum immittere oculos in hanc immenſam multitudinem, diſcordem, ſeditioſam, impotentem, in perniciem alienam ſuamque pariter exultaturam, ſi hoc jugum fregerit. Sunt hæc epitheta perpetua multitudinis, nec ſine ratione impoſita. Virgilius Æneid. 1.

> Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
> Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
> Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Et ſi ubiq; vulgus ſemper ad res novas leviſſimum, tamen Romana plebs, in primis quæ ex magna variaq; peregrinorum multitudine conſtat, longe cæteris mobilior eſt. Proponamus nobis hiſtorias: quantos tumultus, excitarunt apud Romanos plebis ſeditiones, quoties Reſpub. ſummam in diſcrimen adduxerunt, ut jam illud in proverbium venerit. Turba turbulenta. Seneca in epiſt. Non eſt quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare iſtis velis. Cui ergo, inquis, iſta didici? Non eſt quod timeas ne operam perdideris, ſi tibi didiciſti. Democritus ait: Unus mihi pro populo eſt & populus pro uno, &c. Turbare autem, eſt turbas excitare, tumultuari. Tot ſenſus, quot capita: præſertim ubi non certam rationem habent præ oculis, ſed inconſulta temeritate arripiunt quicquid animo male ſobrio ſe obtulerit.

Corvos ſequeris.

De his qui rem vagam, incertam, & inconſtantem ſequuntur, quiq; nullo ſcopo jaculantur. Perſius ſatyra tertia:

> An paſſim ſequeris corvos?

Alludit ad proverbia, Aves quærere, &, volantem inſectari. Et eſt metaphora ſumpta à pueris, & ab aucupibus: qui ſine ulla præmeditatione aves plerunq; ita ſtulte inſequuntur, ut in foveas ferantur præcipites. Nam, ut eſt apud Horatium in arte:

> Si veluti merulis intentus decidit auceps
> In puteum, foveamve ———

ſic qui certum ſibi vitæ genus ab ineunte ætate non delegerunt, quibuſq; vivendi via non eſt perſpecta & conſiderata, in maximas calamitates & miſerias ſolent ſæpe devenire.

Meropes.

Meropes diverſarum linguarum homines dicuntur, ἀπὸ τοῦ μερίζειν τὴν φωνὴν, μερίζειν, dividere, ὄψ, ὀπὸς, vox. Dicta à Merope Triopæ filio Gigante, qui unus fuit ex iis qui Jovem de cœlo deturbare conati ſunt: a quo Cos inſula, Meropis appellata exiſtimatur. Epiphanius lib. 1. Sectarum: Extruunt, inquit, turrim, & Babylonem condunt, nec probatum eſt Deo ſtultum opus eorum. Diſſipavit enim ipſorum linguas, & ex una in ſeptuaginta duas diviſit, quot viri tunc inveniebantur. Unde etiam Meropes hi vocati ſunt, propter vocem diviſam: ac turris ventorum appulſu everſa eſt. Vide poſt, Bilinguis.

Scorpiones, Apes.

Scorpiones & Apes apud Hebræos in proverbio habentur, pro his qui lingua blandiuntur, & latenter feriunt, ac venenum fundunt. Ezech. 3. Quoniam increduli ſunt tecum, & ſubverſores, & cum ſcorpionibus habitas. Pſ. 117. Circundederunt me ſicut apes, &c. Ut enim apis mel in ore habet, in occulto vero caudæ ſpiculũ: ſic homines adulatores lingua blandiuntur, latenter vero feriunt. Loquendo enim mellis dulcedinem proponunt, re vero ipſa vulnus inferunt. Hinc Diogenes orationem blandam, utpote ad fallendum vel ad gratiam paratam, mellitum laqueum vocitabat. Ajunt quoque medici, cibaria dulcia confeſtim in bilem abire & converti. Vide alibi, Oleum ore ferre.

Iura pudorque, & conjugii ſancta fides fugiunt aulas.

De aulis multorum uſurpatione celebratum eſt hoc Senecæ ex Agamemnone:

> ——— Jura, pudorque,
> Et conjugii ſancta fides fugiunt aulas.

Illud alterum ex *Thyeſte* veriſſime quoque dicitur:

> —— Ubi non eſt pudor,
> Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides,
> Inſtabile regnum eſt.

Vide alibi, Aulicaſtri.

Viſcatis manibus.

Viſcatis manibus, trito, & à multis Gallis frequentato proverbio dicuntur eſſe fures. Lucilius lib. 28. ſatyr. Nonio referente:

> Omnia viſcatis manibus leget, omnia ſumet,
> Crede mihi, preſſe auferet omnia.——

M. Varro in Andabatis:

> Nec manus viſco tenaci tinxerat viri caſta.

pro, à furtis & rapinis abſtinens. Nonius inquit, Manuatus eſt, pro furatus eſt. dixit Laberius in Mimo, quem Cophinum inſcripſit, teſte Gellio lib. 16. ca. 7. Idem in Fullonicis, virum furem manuarium appellat, apud eundem Gel. ibidem: Manuati, pudorem perdidiſti.

Non eſt mentiri meum.

Lactantius libro ſexto capite decimo octavo. In hac juſtitiæ virtutumq; omnium via, nullus mendacio locus eſt. Itaq; viator ille verus ac juſtus non dicet illud Lucilianum: Homini amico ac familiari non eſt mentiri meum, ſed etiam ignoto atque inimico exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando committet, ut lingua interpres animi, à ſenſu, & cognitione diſcordet. Multo ergo minus recte Plautus, ubi ait:

Mihi ſcelus videtur, me parenti proloqui mendacium.

Quaſi vero parenti duntaxat mendacium dicere, ſit nefas, atq; nō item reliquis mortalibus Syrus ſervus apud Terentium in Heaut. inter ipſam mendacii meditationem dicit, mentiri non eſſe ſuum. Plato in 3. De rep. diſputat quibus liceat mentiri. Multæ ſententiæ extant in literis Latinis & Græcis, in quibus vituperatur mendacium. Nam apud Homerum graviſſime inquit Achilles, ſe non ſecus ac mortem odiſſe eum, qui aliud promptum, aliud in pectore clauſum habet. Abominatur etiam Dominus mendacem, ut inquit Salomon cap. 12. Vulgaris eſt ſententia, mendacem oportere memorem eſſe: haud dubie ex eo nata, quod mendacia inter ſe non cohæreant, ut idem Salomon ait: Et mox variat.

Λῆροι.

Λῆροι verba fraudis & vanitatis. Demoſthenes: λόγος ζεῦμα. id eſt: Verba iſthæc ſunt, ut Terentius: vel, Verba ſunt atq; ineptiæ, ut Cicero. Plato epiſt. μὴ δόξαιμί ποτε ἐμαυτῷ λόγος μόνον εἶναί τις. id eſt: Ne viderer ad res agendas prorſus ineptus. Unde etiam, λόγους λέγειν, pro, inaniter verba fundere, verba loquaciter facere Demoſth. Turpilius in Canephoro: Teſtamentum ergo calabis, Logi. Logi, inquit Nonius, à Græco λῆροι, ſermones, vel dicta ridicula & contemnenda. Poſt, Lyræ lyræ.

Bilinguis.

Duplici autem lingua qui utuntur, infideles & veteratores, improbiq; habentur. Itaque Plautus in Pœnulo Hanonem, ut bilinguem, dicit eſſe biſulca lingua, quaſi ſerpētem beſtiam, δίγλωττον & μιγάδα, quales erant Carthaginenſes. Virgil.

Quippe domum timet ambiguam, Tyrioſq; bilingues.

Nam Carthaginenſes & lingua Tyriorum & Afrorum utebantur. Vide ante, Meropes.

Δημοπίθηκοι.

Δημοπίθηκοι proverbiali ſchemate velut populares ſimias vocat Ariſtophanes eos, qui plebi aſſentantur & obſecundant: quando & πιθηκίζειν, quod ſimiari notat, pro fallere, Græca lingua uſurpat. Eſt enim animal illud ad imitandum omnia, dextrum & habile. Ideo impoſtores, aſſentatores, & paraſiti, qui ad gratiam loquūtur, & principum auribus inſidias faciunt, Simiæ dicuntur. Plautus in Rudente, ſimiam pro lenone, in ſomniorum conjectatione ponit: quando lenonibus nihil eſt ſceleſtius, neque perditius, ingrato dubio procul & inviſo mortalibus genere, quodque eſt, ut ipſe dicit, Deorum odium atque hominum. Nam Horatius adulatorem in obſequium plus æquo pronum, ita ad divitis nutum mutari ſcribit:

Ut credas mimum partes agitare ſecundas,

Tales autem peſtes & pernicies aulicæ, Conſtantinus apud Aurelium Victorem tineas ſoriceſque palatii appellare ſolebat, ut Anaxilaus opum vermes.

Tui es oblitus.

Eleganter atq; proverbialiter inconſtantiam deſignamus, cum alicui irrepere ſui ipſius oblivionem dicimus. Seneca libro primo de clementia: Nec enim periculum eſt, ne te ſubita tui capiat oblivio. Transfertur ad res inanimatas. Cic. epiſt. 9. Niſi te amant, ſibi aſſentantur, & tamdiu dum ades, ſunt oblitæ ſui. Hoc eſt, à nativo ingenio degenerant. Cæterum Plinius libro ſeptimo natur. hiſt. aliter uſus eſt: ex præalto, inquit, tecto lapſus, matris & affinium propinquorumq; cœpit oblivionem. Utrunque in Galliis aſſitatum eſt.

Hinc illinc.

Elegans dictio ἀντικείμενος. Proverbiale eſt ait Donatus in Adelphis, pro undecunq;. Lucret. libro ſecundo De rerum natur.

Nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
Concurſant. ———

Idem lib. v.

Hinc illinc parvis. ——

Vtitur manu ſiniſtra.

In fures dicitur. Manu enim ſiniſtra, cum quid clam & doloſe agimus, utimur, ut in furto, ea enim magis latet, minuſve obſervatur. Catullus:

Marrucine Aſini, manu ſiniſtra
Non belle uteris in joco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.

Id eſt, neglecta & incuſtodita. Malum etiam manu immitti dicere ſolebant, nam hæc fere verba Plauti ſunt:

Neſcio quid hæc mali mala objectum eſt manu.

Scæva te, inquit Pompeius, dicitur mala, quaſi ſiniſtra. Vulgus ſcævum & in bonam & in malam rem dicit. Proinde in Varrone. Bonæ ſcævæ cauſa, bonæ rei interpretatur. Plautus in Pſeudolo:

Bene ego ad hoc prædatus ibo, novi bona ſcæva eſt mihi.

A ſcæva autem, id eſt ſiniſtra, vocatus eſt Scævola: quod ex uſta dextra, ſiniſtra uteretur. Et qui ſiniſtra, uterentur, ſcævæ appellabantur: in bonam quoq; ad malam rem.

Alius futurus, ubi propius acceſſerit periculum.

Verum neſcio quo pacto, ubi propius acceſſit periculum, fortia illa grandiaq; verba occulte ſubtervolant atq; negliguntur. Eraſmus ex Homero, In diſcrimine apparet qui vir.

Surſum deorſumque.

Plato: Surſum deorſumq; omnia convertis. In Alcib. 2. Surſum deorſumq; jactatus nuſquam ſane conſiſtis, ſed quod olim aſſeverabas, nunc damnas. In Minoe: At cum abſque fine quotidie leges ſurſum deorſumq; mutantes animadverto, fidem tibi habere non poſſum. In Philebo: Cuncta quippe ſurſum deorſumque ſemper fluunt. Ibidem ſtatim poſt: Mutationes ſurſum deorſumq; factas, voluptates & dolores inferre diximus. In Sophiſta: Statim me ſurſum deorſumq; permutans. In Protagora: Videns hæc omnia ſurſum deorſumq; graviter perturbari.

Dædalus videris.

Tu mihi Dædalus ipſe videris, hoc eſt, mirus artifex. Vide Eraſ. Dædali opera. Ibidem: Cum tamen ipſe longe admodum artificioſior ſis quam Dædalus, dum ipſe facis ut ſermones in circulum revolvantur. Dædalus volatu Cretenſium manus effugit.

Ligneis equis inſidere.

Alluſio ad equum Trojanum: de quo Cælius Rhodiginus, & Braſſicanus, uterque ex Cicerone.

Proteus es.

In Jone: Proteus varius varie mutaris, ſurſum, deorſum, in omnia te vertens, ac me ſubterfugiens. Hujus Homerici Protei miras transformationes recenſet Lucianus in Menelai & Protei dialogo: ad cujus fabulam alludit de morte Peregrini, & in Demoſthenis encomio.

Etiamſi Iupiter vel rex magnus ſit.

Et in Mentulam:

Quare concedo ſit dives, dum omnia deſint.

Idem de inconſtantia fœminei amoris:

Nulli ſe dicit mulier mea nubere malle.
Quam mihi, ſi ſeſe Jupiter ipſe petat.

Idem poſt in Lesbiam:

—Nec præ me velle tenere Jovem:

Plautus in Caſſina:

Negavi enim ipſi me conceſſurum Jovi, ſi is mecū oraret.

Et in Pœnulo:

Patrue mi, ita me dii amabunt, ut ego ſi ſim Jupiter
Jam hercle ego illam uxorem ducam, & Junonem extrudam foras.

Ovidius in epiſtola Phædræ ad Hippolytum:

Si mihi concedat Juno, fratremq; virumque,
Hippolytum videor præpoſitura Jovi.

Catullus ad Lesbiam:

Dicebas quondam, ſolum te noſſe Catullum
Lesbia, nec præ velle tenere Jovem.

Vir bonus, nunc pravus, nunc bonus eſt.

Poteſt enim vir bonus aliquis malus fieri, quod poëta quidam teſtatur, dicens:

Vir bonus, nunc pravus, nunc bonus eſt.

Ut autem malus efficiatur malus, fieri non poteſt. Eſſe enim ſemper neceſſe eſt. Quamobrem quoties caſus inopinatus providum hominem ſapientemq; & bonum invadit, malus efficitur. Solertem enim & ſagacem hominem nonnunquam inopinatus caſus circumvenit. Enim vero qui nihil penſi unquam habet, minime. Et gubernatori quandoq; ingens tempeſtatis impetus improviſus ſupervenit, & agricolæ anni intemperies: & medico quoque ſimilia, adeo ut providi fuiſſe videantur.

Pro rebus verba.

Ficinus in Eutydemum: Incomparabilis nebulonum ſophiſtarum vanitas pro rebus verba, & illa quidem ineptiſſima ubique præſtantium. In Platonis dialogo, Socrates univerſum ſophiſtarum gymnaſium ait ludum eſſe verborum: & homines verborum nimium curioſos, res bonas nunquam vel conſequi, vel afferre. Ante, Ne ſit nobis curæ nomen. Claudius Roſeletus in quendam mendacem:

Linquere tres libras nuper promiſerat auri
Petrus: at is tantum verba reliquit: homo eſt.

Stropha.

Idem lib. 3. Nihil Stropharum eſt, jam ſalarium dandum eſt. Id eſt, nihil tabulicans aut deceptionis eſt:

Noctè latent fures.

Catullus in Nuptiali. Et Euripides in Iphigenia:

κλωπῶν γὰρ νὺξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.

Idem adumbrare videtur Bion apud Stobæum aliquot verſibus.

Terra ſerpentes & ciconias fert.

Ælius Lampridius in Antonino Heliogabalo, de variis Imperatoribus: Eadem, inquit, terra & venena fert, & alia ſalutaria, eadem ſerpentes & ciconias, &c.

Σκολιὰν ὁδός.

Plutarchus obliquam & diſtortam viam alicubi vocat *σκολιὰν ὁδόν*.

POLYDORI VIRGILII.

Judas non dormit.

In eum qui alicui mortem vel fraudem machinatur. Notum eſt Judam, dum alii diſcipuli ex mœrore dormirent, cum Judæis de præceptore prodendo tranſegiſſe.

Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorum.

Cum quis prudentem virum fruſtra conatur decipere, aut circumvenire. Avis ſi rete ſemel viderit, ne quicquam expectet auceps ut eam tegat, aut avis ſua ſponte in illud incidat.

Expandere rete.

Rem aggredi, unde quis lucrum faciat: vel quempiam dolis petere, ut turba aliqua implicetur, ſeu pereat, tractum a piſcatoribus. Ezech. 32.

PETRI GODOFREDI.

De tribu Levi.

Apud Judæos Levitarum tribui, Deo dicatæ, nulla certa dedicata erat poſſeſſio, ſed varia victimarum portio. Hinc duplici ratione inolevit, ut leves, incõſtantes, & proſtituri pudoris appellemus de tribu Levi, tum alludendo ad id quod dixi, tum ad amphiboliam vocis, Levi. Rebuffus in com. de Gal. ſacerd.

GVILHELMI GENTIL.

Deſultoria levitas.

De maxima levitate, & natura verſipelli, ſubinde ſeſe in aliam atque aliam formam mutante. Sumptum à Martiano Capel. Levitate, inquit, pernix deſultoria geſtiebat. Joan. Picus: Homo deſultoriæ & variæ naturæ animal. Tracta metaphora à deſultoribus, qui duos equos abſq; ephippiis agitantes, ex altero in alterum mira pernicitate deſiliebant, teſte Livio. Utitur & Ulpian. in cap. apud Labeonem, de præſ. verb. Bud. Oldendorp.

Judicium circulatoris.

De inconſtanti & levi. Dictum eſt ab Juſtiniano, conſtit. v. Erronea, inquit, eſt talis vita, neque conſtantis & perſiſtentis animi, ſed judicium habens circulatoris, aliud de alio requirentis. Ejuſdẽ formæ eſt apud Juriſconſ. Erronem agere: &, Emanſorem agere.

EX APPEND.

IVNII ET CANTERI. *Exenterare.*

Ibidem ſenex à ſervo deceptus: Perii hercle ſi iſthæc vera ſunt planiſſime. Meum exenteravit Epidicus marſupium, pro marſupium inanivit, exhauſit, &, ut ſupra notavimus ipſi alvum lavit! Phraſis mere Plautina, ipſique multis in locis eodem aut plane ſimili ſenſu uſurpata, &, niſi me fallunt variæ lectiones, quas vetuſtis membranis Joan. Sambuci acceptas refert Plantini noſtri Plautus: etiam reſtituenda in Moſtellaria, ubi Daniſtæ ipſa argenti ſorte non contento, ſed inſuper poſtulanti fœnus ſibi reddi, reſpõdet Tranio, vix eſſe, unde ſortẽ herus diſſolvat, niſi ille ſe patiatur penitus exenterari, & ejici in exilium. TR. Sortem accipe. DA. Imo fœnus, id primum volo. TR. Quid tute hominem, hominum omnium teterrime, veniſti huc exenteratum? agas quod in manu eſt. Non dat, non debet. DA. Non debet? TR. ne erit quidem. Ferre hoc potes, an mavis ut aliquo abeat foras? Urbem exul linquat factis hic cauſſa tui: Cui ſortem vix dare licebit? &c. Viden' ut hac emendatione ſenſus efficiatur planiſſimus, & numeri per ſyncopen Comicis familiariſſimam belle procedant? Quid quod Celtæ idem iiſdem pene verbis efferant? Ajunt enim: Me tirerastu les boyaux hors du ventre? Atque ad hanc vocis migrationem accidit tertia æque elegans: videlicet pro, angi multum moleſtia aliqua & quaſi enecari, Stratippocles in Epidico: Expectando exedor miſer, atq; exenteror, &c. Proprium hujus verbi domicilium eſt in piſcium apparatu, quibus ἔντερα ſeu interiora, priuſquam coquantur, eximi ſolent. Ut autem huic adagio mantiſſam ex noſtris obſervationibus adjiciamus: poëta in hac oratione aliter atq; aliter efferenda tam varius eſt, quam ingenioſus. In Bacchidibus, Chryſalus ſervus de negocio aurario Mneſilochi heri ſui cauſa ſolicitus, & Nicobulum ſenem aggreſſurus:

> Extexam ego, inquit, illum pulchre jam, ſi dii volunt.
> Haud dormitandum eſt: eſt opus chryſo Chryſalo.
> Adibo hunc, quem quidem ego hodie faciam hic arietem
> Phryxi: itaque tondebo auro uſque ad vivam cutem.

Q. d. Ut arieti Phryxus aureum vellus exemit: ita ego illum tondebo, &c. Hiſtoria nota eſt de Phryxo & Helle. Idem Chryſalus ſervus frugi, & nomine ſuo non indignus, optimus nempe auri ab hero per ſycophantias auferẽdi magiſter, paulo poſt triumphans de vincenda etiamnum Troja ſua, & equi Durei ſui (literas dico ab ipſo falſò ſubornatas) virtutem commendans ait:

> Excidium, exitium, exceleb ra fiet hic equus hodie auro ſenis.

Quo in verſu tertio loco metaphora proxime & ſuaviſſime alludit & duarum priorũ, quæ alioqui duriores videri poſſent, aptiſſimũ eſt condimentum. Non lubens excedo ex hac fabula, adeo in hoc genere paſcit hominem, & ſaturum jam nondum tamen exſatiat. Decerpam vero non niſi belliſſimum quodq;. Nicobulus ſentiens tandem quam magnifice à ſervo ſuo tractatus eſſet, eaque gratia cum Bacchidibus expoſtulans, propemodum tamen etiam ab eis victus ait:

> Satis ſatis jam voſtri eſt convivii: me nihil pœnitet, ut ſim acceptus.
> Quadringentis Philippis filius me & Chryſalus circumdederunt:

Extat eadem locutio in Pœnulo, Pſeudolo, & ſæpe alibi. Tranſlatio eadem quæ in verbo Circumvenire: ambages enim non extrema ſunt fallendi via. Unum prius addam, quam ad alia tranſeo. Epidicus, qui neſcio an Chryſalo hac in arte quicquam conceſſerit, fallaciæ ſuæ dexteritatem extollens, & precium illius, uti petebat, juſtum, libertatem efflagitans:

> ——Fateor, inquit, datas triginta minas:
> Et eo argento illam me emiſſe amicam filii fidicinam.
> Pro tua filia iſtis adeo tetetigi triginta minis.

Metaphora ab iis, quæ ex inſidiis telo, viſco, aut aliter petuntur: qualis in illo Heautont. Intendenda in ſenem fallacia. Plura huc adpingere, præſertim uſu frequentata, operæ non eſt: niſi forte illud, cujus uſus vulgo ſatis eſt incognitus. In caterua Curculione Phædromi ad militem verba hæc ſunt:

> Miles quæſo ut mihi dicas, unde hunc habeas annulum,
> Quem paraſitus hic te eluſit.——

Κυβεία.

Aptiſſima metaphora, meteq; proverbiali Apoſtolus Epheſ. 4. verſutiam & impoſturam pſeudochriſtianorum & hypocritarum inſignit, mira vafritie ſimplicitati imperitorum illudentium & inſidiantium, vocans eam, *κυβείαν*, id eſt, aleam, ut ita vel ſi ita loqui liceat, aleationem. Amoribus alea ludentium, aſtu miro ac dolo colluſorum pecuniis inhiantium, malitioſeq; non raro intervertentium. Inde verbum *κυβεύειν*, pro verſute aliquid agere, doloq; malo tentare & decipere, uſurpari poſſe videtur. Alias *κύβεια* pro eventu quocunque ſcriptoribus frequens eſt, præſertim Latinis: ut, Martis alea. Apoſtoli verba ſunt hæc: *ἵνα μηκέτι ὦμεν νήπιοι κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβείᾳ τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης.* Quæ ſic verto: Ne amplius ſimplices ſimus æſtu jactati, & circumacti omni doctrinæ vento, per aleam hominum, per verſutiam ad aſſultum errorum, vel, ut alii, in hominum alea & aſtuta arte fallendi. Nec prætermittendum video illud, *κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας*, poſſe inter ſacra adagia referri: quibus verbis ſignificanter Apoſtolus taxat homines, mototiam in religione & fide Chriſtiana fabulam agentes, variis & quibuſq; novis opinionum & errorum fluctibus ſe permittentes.

INCVLPATVS.

ERASMI. *Purior clavo.*

Ἁγνότερος πηδαλίου, id eſt, Purior gubernaculo. Comparatio proverbialis de re vehementer inculpata, aut moribus undequaq; integris & incontaminatis. Clavus enim nauticus aſſiduis fluctibus abluitur, ut nihil ſordidum poſſit hærere. Adagium refertur à Suida.

A pure pura defluit aqua.

Theognis in ſententiis Elegiacis:

> *Εἴ μ' ἐθέλεις πλύνειν, κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης*
> *Αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης.*

Id eſt:

> Rurſum aqua de ſummo mihi vertice defluet uſque
> Limpida, ſi innocuum forte lavare pares.

Hoc diſtichon, quoniam ſubeſſe proverbium videbatur, adſcripſimus. Quadrabit in hominem uſquequaq; inculpatum & innocentem: quem etiam ſiquis aliquando vocet in crimen, tamen nõ ſolum fama illius non contaminatur, verum etiam illuſtrior redditur. Nec ſine cauſa laudi tribuunt illud Catoni Cenſorio, quod toties accuſatus & vocatus in jus, nempe quater & quadragies, ſemper judicum ſententiis fuerit abſolutus.

Aurum igni probatum.

Ὁ χρυσὸς τῷ πυρὶ δοκιμασθείς, id eſt, Aurum igni probatum, dicitur is, cujus fides rebus adverſis explorata ſpectataq; eſt. Utitur hac ſimilitudine M. Tullius in epiſtolis familiaribus lib. nono. Pindarus item in Nemæis hymno 4. *ὁ χρυσὸς ἑψόμενος αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας.* id eſt: Aurum coctum omnem nitorem oſtendit.

Rur-

Rurſum in Pythiis hymno x. πειρῶντι δὲ χρυσὸς ἐν βασάνῳ πρέπει καὶ νόος ὀρθός. id eſt: Experienti vero aurum in indice relucet & mens recta. Theognis.

Εὑρήσεις δέ με πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν, ὥσπερ ἄπεφθον
Χρυσὸν, ἐρυθρὸν ἰδεῖν, τριβόμενον βασάνῳ.
Ideſt,
Omnibus in rebus me comperies velut aurum
Purum dulce rubens, indice quum atteritur.
Idem alibi:
Ἐς βάσανον δ' ἐλθὼν παρατριβόμενός τε μολίβδῳ
Χρυσὸς ἄπεφθος ἐὼν, καλὸς ἅπασιν ἔσῃ.
Id eſt,
Venit ubi ad cotem & confertur in indice plumbo
Purum aurum quum ſit, totum erit egregium.

Uſurpat hanc collationem & divus Petrus apoſtolus epiſtola priore, πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου. id eſt: Multo precioſius auro, quod perditur, ſive auro peſtifero quod tamen per ignem probatur. Eſt autem illud auro non citra miraculum peculiare, ut igni non ſolum non fiat deterius, ſed magis ac magis eniteſcat. Itidem is qui vere bonus eſt objectus malorum procellis, illuſtrat animi virtutem, non amittit. Plinius lib. 33. ſcribit ob eam præcipue cauſam aurum omnibus metallis prælatum, quod uni rerum nihil igni depereat, tuto etiam in incēdiis durāte materia. Quinimo quo ſæpius arſerit, hoc magis proficiat ad bonitatem. Idque argumentum eſſe probi auri, ſi ſimiliter rubeat, ut ignis: atque ipſum obrizum appellant.

Aurum Colophonium.

Χρυσὸς ὁ κολοφώνιος, id eſt. Aurum Colophonium Zenodotus oſtendit dici ſolitum de auro probatiſſimo: quod apud Colophonios aurum optimum ſoleat fieri. Citatq; autores Ariſtophanem in Cocalo, & Herodotum, qui ſpectatiſſimum aurum, & purum putum, ut veteres dicebant, κολοφώνιον dixerint. Venuſtius fiet, ſi longius deflectetur velut ad mores vehementer incorruptos, aut ingenium exquiſitum & eximium.

IVNII. *Alauda non eſt ſine criſta.*

Οὐδὲ κορυδαλλὶς ἄνευ λόφου: Nec alauda eſt abſque criſta. Proverbio utemur, quoties ſignificabimus aliquem nō carere ſuis vitiis, aut eximiam virtutem raramque eruditionem fere expoſitas eſſe invidiæ. Ita accepit Eunapius Sardianus de Oribaſio medico loquens, qui ob inſignem artis peritiam magna invidia apud multos conflagravit ejus hæc ſunt verba: οὐδὲ κορυδαλλὶς ἡ παροιμία φησὶν ἄνευ λόφου, οὐδὲ Ὀριβάσιος ἦν ἄνευ φθόνου, id eſt, Neque ſine criſta (ut loquitur proverbium) eſt alauda, neque Oribaſius abſq; invidia fuit.

Purior ſalillo.

Purior ſalillo: comparatio proverbialis de quacunque re inculpata & integra apud Catullum, quanquam in re ſpurca:

Quod nullus tibi purior ſalillo eſt.

Summa puritas à veteribus ſali attributa eſt: unde puri epitheton apud poëtas. Au. Perſius ſatyra 3.

Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum.
Ovidius:
Far erat & puri lucida mica ſalis.

Finitimum eſt illi: Purior clavo.

COGNATI. *In parvulis nulla culpa.*

Martianus libr. Pandect. 40 tit. de fideicom. libertate. In parvulis autem nulla deprehenditur culpa. Hac ratione pueros plagis & verberibus nunquam cogendos, pulchre docet Plutarchus in opuſculo de liberis educandis. Venia enim datur ætati: nec mirum videri debet, eos qui magnum uſum rerum non habent, in aliquo negocio falli.

Maſſilienſes mores.

Plautus in Caſina, Maſſilienſes mores, quos miris laudibus Strabo & Cic. in oratione pro L. Flacco efferunt, tanquam optimos & probatiſſimos dixit: Ubi, inquit, tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas? Maſſilianam enim peregrinationem pro Atticæ diſciplinæ gratia ſuſcipiebant Romani. (Huc confer, quæ habet Eraſm. proverb. Naviges in Maſſiliam.)

Animo probi, re improbi.

Qui facinus aliquod nefarium patrat per imprudentiam, quatenus patrat, improbus eſt quatenus nolens patrat, probus. Hujuſmodi proverbium apud Gallos vulgo jactatur. Vide infra, Involuntarium venia dignum: & illud Pacuvii, citante Gell. lib. 13. cap. 58.

Ego odi homines ignava opera, & Philoſopha ſententia.

Involuntarium venia dignum.

Tritum, & à Gallis frequentatum, ſed ex Jureconſultis ſumptum qui dicunt, voluntatem & propoſitum facientis, diſtinguere mal. fic. ia l. qui injuriæ cum concord. in gloſſ. ff. de furtis. l. divus. de ſicariis. Et quod voluntate fieri non videtur, quod ignoratur. l. non videtur. ff. de liber cauſ. Thucydides lib. 3 ξύγγνωμον δ' ἐστὶ τὸ ἀκούσιον. id eſt: Quod citra voluntatem fit, id dignum eſt venia. Idem libr. 4. τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων καταφυγὴν εἶναι τοὺς βωμούς. id eſt: Delictis non voluntariis refugium ſunt aræ. Supplices autem apud Gentes ad templa, aras, ſtatuas confugiebant. Id quod etiam fit hodie à Papicolis. Vide ſupra: Animo probi, re improbi.

Pura manus.

Puras manus, nullius cæde pollutas, Horatius & Tibullus dixerunt. Sic apud Heraclidem περὶ πολιτειῶν, de Pariis, ubi Corax, Archilochi interfector, Pithyæ jubenti, ut è templo exiret, reſpondet, ἀλλὰ καθαρὰς χεῖρας ἀνέχω. Catullus ad ſeipſum, aliis verbis expreſſit:

... Niſi vitam puriter egi.

IN DELICIIS.

ERASMI. *Porcellus Acarnanius.*

Χοιρίον Ἀκαρνάνιον. id eſt, Porcellus Acarnanius. In mollem & amabilem, atque in deliciis habitum dicebatur. Lucianus in Dialogis meretriciis: λεῖος μοι, φασί, Χαιρέας, καὶ χοιρίον Ἀκαρνάνιον. id eſt: Lenis mihi, ut ajunt, Chæreas, & porcellus Acarnanius. Alluſum, opinor, ad porcellum, quem inducit Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσιν, ſymbolum eorum membrorum, quibus obſcœnæ voluptates peraguntur.

Mus albus.

Μῦς λευκός, id eſt, Mus albus, apud Suidam μῦς κακός. id eſt, mus malus, apud Diogenianum, in hominem laſcivum & libidinis immodicæ dicebatur. Nam mures domeſtici ſalaciſſimi ſunt, præſertim albi. Ælianus miram eſſe murum ſalacitatem, autorum teſtimoniis docet, libro 12 cap. 10. Atque inter multa illud addit. Epicratem in fabula quapiam quum mulierem ſignificare vellet prodigioſæ libidinis, μυωνίαν appellaſſe: citatque proverbiū, μῦς λευκός, ex Philemonis comœdia. Unde receptum videtur, ut inter amatoria blandimenta, quemadmodum paſſerculi, columbulæ, & id genus aliorum, itidem & muris cognomentum uſurpetur. Martialis:

Nam cum me murem, cum me tua lumina dicas.

Catella Melitæa.

Μελιταῖον κυνίδιον, id eſt, Melitæa catella, Quadrat in eum, qui habetur in deliciis, ac lautius in ocio alitur ad voluptatem, non ad uſum. Triplex enim canum genus. Quidam habentur ad uſum venandi, quos appellant ἰχνευτὰς: quaſi dicas veſtigatores. Quidam ædium cuſtodiæ præficiuntur, qui dicuntur οἰκουροὶ: id eſt, cuſtodes domus. Quidam animi cauſa nutriuntur, & ad luſum duntaxat muliercularum: hos μελιταίους, ſive μελιταιδίους appellant De quibus eſt illud Platonis: τὰ κυνίδια μιμούμενα τὰς δεσποίνας. id eſt: Catellæ dominas imitantes. Et Gorgo apud Theocritum in Syracuſiis, profectura duo mandat famulæ, ut infantem vagientem placaret, & catellum revocaret intro. Lucian⁹ ſaliſſime alludit in Stoicum barbarum, cui in eodem ſedenti vehiculo domina catellam committit, obteſtans illum per ea quæ ſunt in vita dulciſſima, ut diligenter curet. Eſt in familiis divitum hujuſmodi miniſtrorum genus, quos illi non ad miniſterium, ſed animi cauſa domi habent.

Melitæus catulus.

Μελιταῖον κυνίδιον. id eſt, Melitæus catellus dicebatur is, cujus opera nulli ſeriæ rei conducebat, ſed duntaxat animi cauſa alebatur: cujuſmodi non mediocris eſt multitudo in divitum familiis. Aliorum canum varius eſt uſus. Sunt quibus ædium cuſtodia delegata eſt, ut noctibus adverſus fures excubias agant. Hi vocātur οἰκουροί. Sunt quorum opera in venatibus utimur, qui θηρευτικοὶ dicuntur. Sunt quorum nullus eſt uſus, niſi ut cum ocioſis ac delicatis matronis luſitent: qui noſtris quoque temporibus mirum quam ſint in deliciis. Atque ij μελιταῖοι vocantur: nimirum ab inſula Melita, inter Corcyram nigram & Illyricum ſita. Autor Plinius lib. 3 capite ultimo. Itidem Strabo & Stephanus. Horum meminit Ariſtoteles ſectionis 10. problemate 14. indicans eos omnibus membris puſillos graciliſque fuiſſe. & hac dote commēdantur, quemadmodum ſunt qui ſine nanis & pumilionibus non poſſunt vivere. Apud Lucianum in Lapithis μελιτιεὺς Alcidamantem Cynicum, μελιταῖον κυνίδιον vocat. Athenæus libr. 12. ſcribit Sybaritis vehemēter in deliciis fuiſſe canes Melitæos. Qui quidem hoc eſſe videntur in genere canum, quod nani & pumiliones inter homines. At Maſiniſſa merito laudatur, quod pro ſimiis & catulis maluit pueros alere, uſque ad annum tertium, deinde remittebat eos ſuis parentibus. Sed intolerabilius eſt, quod apud Britannos complures alunt greges urſorum ad ſaltationem, animal vorax & maleficum. Cujuſmodi ſunt & ſimiæ, licet minus voraces. Nec pudet has Chriſtianorum eſſe delicias, tot egenis eſurientibus. Verum quid iſta deploramus, quum obambulent qui exemplo ab Italis orto, puellam aut puerum circumferūt, geſticulationes ineptas edoctum: & unius puellæ calamitas alit ocium quatuor aut quinque robuſtorum nebulonum. Et hujuſmodi ludos æquis oculis ſpectant homines Chriſtiani.

IVNII. *Pectide ſuavior.*

Inter venuſtas hyperbolas laudatur a Demetrio Phaleræo illa

Sapphus poetriæ; πολὺ πακτίδος ἁδυμελεστέρα, χρυσῶ χρυσοτέρα, id eſt, Pectide multo ſuavior, auro auratior. De poetriæ venuſto aut ſermone leporibus condito aut voce amœna dicetur. Eſt autem πακτὶ Pectis, inſtrumentum citharœdicum, cum eo quod antea Magadin expoſuimus, idem ut voluit Ariſtox. muſicus apud Athenæum libro 14. Menech. Sicyonius ibidem teſtat. Sappho poetriam primam uſam fuiſſe pectide. Sopater apud eundem lib. 4. binis fidibus tenſam fuiſſe pectida ſcribit. Suidas & Heſychius pandurion exponunt. Mentio fit hujus inſtrumenti in Epigram. lib. 7. ibi ἡδυμελεῖς μοῦσαι σὺν πακτίδι, id eſt, Suavicanæ Muſæ cum pectide, & iterum: ἁδὺ μέλος, ναὶ Πᾶνα τὸν Ἀρκάδα πακτίδι μέλπεις, hoc eſt: Suave canis (teſtor Panem Arcada) pectide carmen. Hujus generis ſunt ſimiles hyperbolæ: ut illa in Epigram. αὐχὴν λυγδίνου λειότερος, id eſt Lygdino marmore levius, & τρυφῆς λυγδίνης id eſt, Lygdina cervix, item illa Alcæi lyrici de vino: ἄλλοτε μὲν μελιτώδης οἶνος, ἄλλοτε δ' ὀξύτερος τριβόλων, id eſt: Nunc vinum placidum eſt, nunc tribulis aſperius.

COGNATI. *Κατεσθίειν δακτύλους.*

Cum ſuavitatem alicujus cibi, aut aviditatem eorum, quibus appoſitū is deberet, oſtendere volebant, de illis dicebant in familiari ſermone Græci κατεσθίειν δακτύλους, Latini, Prærodere digitos: Galli quoque hodie, cum vident quempiam qui vehementer cibo aliquo delectatur, juſques a lecher les doigts, dicunt. Ariſtophanes in Pythagoreis citante Athenæo lib. 4. [Greek illegible] Plautus in Pſeudolo: Nam ego inquit coquus, ita convivis cœnam conditam dabo hodie, atque ita ſuaviter conditam, ut quiſque quid conditum guſtaverit, ipſos ſibi faciam ut digitos prærodant ſuos.

IN DEPREHENSOS.

ERASMI. *Folio ficulno tenes anguillam.*

Huic diverſum eſt illud, τῷ θρίῳ τὴν ἔγχελυν, id eſt: Folio ficulno anguillam, ſubaudiendum tenes. Ubi quis alioqui fugax & lubricus arctiore nodo tenetur, quam poſſit elabi. Nam fici folium ſcabrum eſt, ut cui nomen etiam inditum ab aſperitate ſcripſerit Plutarchus, atque ob id ad retinendam anguillam natura lubricam, vel maxime idoneum.

Medius teneris.

Huic ſententiæ confine eſt illud apud Ariſtophanem in Ranis, νῦν ἔχῃ μέσος, id eſt, Nunc medius teneris. De eo qui ſic tenetur, ut extricare ſeſe nulla ratione poſſit. Tranſlatum a palæſtritis atque athletis: qui ſi quem medium corripuerint facile vincunt. Sunt autem verba Æaci ad Bacchum: ἀλλ' ἀλλὰ νῦν ἔχῃ μέσος, id eſt, At nunc medius teneris. Eodem pertinet illud apud Terentium: Sublimem medium arriperem.

Decipula murem cepit.

Εἷλεν ἡ παγὶς τὸν μῦν, id eſt, Laqueus murem cepit. De recte meritoque deprehenſis, & malo dignis. Quaſi dicas: Lupus in foveam incidit, aut aper in caſſes.

In laqueos lupus.

Εἰς πάγας ὁ λύκος: id eſt, in laqueos lupus. Cum improbus quiſpiam tandem in extremum adducitur diſcrimen. Etenim cum lupus animal ſit inſidioſiſſimum, applauditur ab omnibus, ſi quando contingat illum irretiri, ac protinus acclamant omnes, εἰς πάγας ὁ λύκος. Refertur à Zenodo.

In area latitas.

Ἐν ἅλῳ δραπετεύεις, id eſt, In area occultaris. De eo qui in eo verſatur negocio, ut non poſſit non eſſe conſpicuus: aut qui ſic latitat, ut a nemine tamen non conſpiciatur. Nam in area nullæ latebræ.

Culleo dignus: aut, Non uno culleo dignus.

Quum hominem enormiter ſceleroſum ſignificare volumus, eum culleo dignum dicimus. Hoc ſupplicium erat parricidis: id eſt, qui parentem occidiſſent. Quanquam apud priſcos parricidium dicebatur quoties homo hominem occidiſſet, hoc eſt, par parem: videlicet eo ſeculo, quod crudelitas erat occidiſſe bovem, avem, aut gallum gallinaceum. Dein quum cœpiſſet eſſe vulgare, ut homo occideret hominem, parricidii vox ad ſummæ impietatis ſignificationem deflexa eſt. Culleus autem erat ſaccus coriaceus, cui inſuebatur parricida, ſimul immiſſo vipera, ſimia & gallo gallinaceo: atque ita projiciebatur in profluentem. M. Tullius pro Roſcio Amerino: Quanto majores noſtri ſapientius: qui quum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violaret audacia, ſupplicium in parricidas excogitaverunt: ut quos natura retinere in officio non potuiſſet, magnitudine pœnæ a maleficio ſummo arcerentur, inſui voluerunt in culleum vivos, atque ita in flumen dejici. O ſingularem ſapientiam judicum, nonne videntur hunc hominem ex rerum natura ſuſtuliſſe & eripuiſſe, cui repente cœlum, ſolem, aquam terramque ademerunt: ut qui eum necaſſet unde ipſe natus eſſet, careret his rebus omnibus, ex quib. omnia nata eſſe dicuntur, &c. Proin Juvenalis impietatem cujuſdam exaggerans, negat illi ſatis eſſe ſerpentem unum, aut culleum unum. Narrat Suetonius, quoſdam ſtatuæ Neronis appoſuiſſe culleum cum elogio: Merueras, ſed ego quid poſſum?

In eaſdem anſas veniſti.

Plato in Phædro, ὅσον τούτου ἐφάπτεται, ὦ φίλε, εἰς τὰς αὐτὰς λαβὰς ἐλήλυθας, id eſt: Quantum ad illam rem pertinet, amice in eaſdem anſas veniſti, id eſt, nihilominus teneris, nec potes effugere quin dicas. Item Ariſtides in communi quatuor oratorum defenſione: [Greek illegible], id eſt, Itaque Galliculi erat in eaſdem anſas recidendum. Quadrat in eum qui ſic irretitus eſt ut quocunque ſe vertat, teneatur nec explicare ſeſe poſſit. Huic ſimillimum eſt, quod ſcribit Lucianus in Hermotimo. [Greek illegible], id eſt, Nam arbitratus effugiſſe te, in eandem naſſam incidiſti. Item illud quod alibi dicetur, θύννος ἐμβέβληκε.

Laqueus laqueum capit.

Ἄγρας ἡ παγὶς ἄλλην [Greek illegible], id eſt, Laqueum laqueus, ita ut videtur, ceperit. Ubi malus malum obſervat: veluti adulter adulterum, fur furem, perfidus perfidum: quod interdum uſu venit, ut dum duo ſibi vicissim inſidias tendunt, uterque deprehendat alterum.

Hinc illæ lacrymæ.

Ex Adria Terentiana per alluſionem proverbialiter uſurpatum videtur ab Horatio: Hinc illæ lacrymæ. Uſurpavit ad hunc modum M. Tullius in actione pro M. Cælio: Hinc illæ lacrymæ: nimirum & hæc cauſa eſt horum omnium ſcelerum atque criminum. Dicetur autem de rei cauſa aliquandiu diſſimulata, quæ vero tandem deprehendatur. Veluti ſi quis dicat, barbaros damnare Græcas literas, ne ſcilicet ipſi parum docti videantur, commode ſubnectet: Hinc illæ lachrymæ, hoc eſt, quod eos male habet. Sumuntur autem frequenter id genus alluſiones a claris autoribus, & in proverbii vicem transferuntur, etiamſi nulla figura proverbialis adſit. Quod genus illud ex Homero ſæpius iteratum in Epiſtolis Ciceronis ad Atticum, αἰδέομαι Τρῶας: id eſt: Vereor Trojanos.

Hydrus in dolio.

Ὕδρος ἐν τῷ πίθῳ id eſt, Hydrus in dolio. Proverbium hoc, ut ingenue fatear, nodum apud ullum veterum autorum reperi, neque Græcum, neque Latinum, & haud ſerio an de vulgo ſumptum ſit: neque enim libet credere virum eloquentem, & in literis non poſtremi nominis, ex ſeſe commentum eſſe. Nam refertur ab Antonio Sabellico in epiſtola quadam familiari. Addit & fabulam proverbii parentem hujuſmodi. Ruſticus quidam cum ſenſiſſet minui vinum in dolio cōditum, admiratus quid eſſet rei, cœpit conſpicere cœpit, num qua rima exſtillaret liquor: ubi nihil ejuſmodi cōperiſſet, pergit vicinos in ſuſpicionem apud ſe vocare, ne ſeſe abſente vas reclinerent, vinumque potitarent. Obſignat itaque diligenter dolium, ad opus exiturus. Reverſus ſignis illæſis, vinum nihilominus imminui videt. Tum vero fortunam agricolarum deplorare, quibus non in vite ſolum, verum etiam in doliis calamitas præſto eſſet. Ad extremum exhauſto dolio hydrus in imo repertus eſt, vini potor. Ea res in vulgi jocum abiit. Admonet Plin. lib. 10. cap. 72. ſerpentes quanquam exiguo indigeant potu, tamen vinum cum eſt occaſio, præcipue appetere. Juvenalis, de muliere vinoſa, ſatyra ſexta.

-- Tanquam alta in dolia longus
Decident ſerpens, bibit & vomit. ---

Adagium ipſum haudquaquam inelegans, nec aſpernandum. Quod ſi quem nihil movet recens autor; licebit uſurpare, cū quis occulta calamitate premitur, cauſa atque authore nō extante. Aut cum diuturni mali tandem autor deprehenditur. Porro ſerpentē, quem Græci vocant hydron, Latini natricem vocant, quod in aquis degat. Ex ulcere hujus morſu facto deſtuit copioſus humor aquoſus, & grave olens. Ita Dioſcorides libro 6. Plinius libro 6. cap. 23. tradit apud inſulas quaſdam ante Perſidem, hydros marinos vicenum cubitorum terruiſſe claſſem.

Tempus omnia revelat.

Tertullianus, quem divus Cyprianus præceptorem ſuum appellare conſuevit, in Apologetico contra Ethnicos: Bene autem, inquit, quod omnia tempus revelat, teſtib. etiā veſtris proverbiis, atque ſententiis Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 12. cap. item 11. citat in hanc ſententiam hos Sophoclis verſus:

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδὲν, ὡς ἅπανθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.

Id eſt:

Ob iſta ne quid occulas, ſiquidem intuens
Cuncta, audienſque cuncta proferet dies.

Idem in Ajace flagellifero,

Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα καὶ φανέντα κρύπτεται.

Id eſt,

Cuncta pariter immenſus ordo temporum
Occulta prodit, & idem prodita occulit.

Eodem

Eodem in loco Gellius admonet; quendam veterum poëtarum Veritatem temporis filiam vocaſſe: quod licet aliquando lateat, tamen temporis progreſſu in lucem emergat. Fertur in eandem ſententiam hic quoq; ſenarius proverbialis:

Ἄγει δ' ἀτὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Id eſt:

At veritatem tempus in lucem eruit.

Et alter huic adſimilis:

Πάντ' ἀνακαλύπτων ὁ χρόνος πρὸς φῶς φέρει.

Id eſt:

Omnia ſub auras tempus aperiens refert.

Idem opinor ſenſiſſe Thaletem, cum ait, ὅτι χρόνος σοφώτατον ἁπάντων, ἀνευρίσκει γὰρ τὰ πάντα. hoc eſt, Tempus omnium eſſe ſapientiſſimum, ut quod cuncta reperiat, eruatque. Nec aliud Pindarum in Olympiacis, cum ait:

Ἁμέραι δ' ἐπίλοιποι μάρτυρες σοφώτατοι.

Id eſt:

Poſteri dies ſapientiſſimi teſtes.

Idem alibi, tempus omnium parentem appellat, quod nihil non fiat progreſſu temporis:

Ἀποίητον οὐδ' ἂν χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.

Id eſt:

Ne tempus quidem rerum omnium pater, poſſit quod factum eſt infectum reddere.

Habet eandem ſententiam Pindarus, quum aliquot locis, tum Olympiade x.

Ὅ τ' ἐξελέγχων μόνος
Χρόνος, τὸ δὲ σαφανὲς ἰὼν πόρσω
Ἀλάθειαν ἐτήτυμον
Κατέφρασεν.——

id eſt, Et ſolum tempus quod veritatem certam prodit, quodque latebat in obſcuro, progrediens enarravit. Huc alluſiſſe videtur Vergilius in ſexto:

——Subigitque fateri
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Neq; diſcrepat Evangelicum dictum apud Matth. cap. x. οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται, καὶ κρυπτὸν ὃ οὐ γνωσθήσεται. id eſt, Nihil opertum, quod non revelabitur, & occultum, quod nõ ſcietur. Plutarchus in Problematis cauſam inquirit, cur antiquitus operto capite res divina Saturno fieri conſueverit. Atq; id ſignificatum arbitratur, quod veritas plerunq; tecta ignorataq; ſit, ſed eadem aperiatur tempore. Saturnus enim temporum autor ac deus fingitur. Nam Κρόνος Saturnus, χρόνος tempus. Nec aliud ſenſit T. Livius, cum ait lib. 22. A veritate laborare nimis jus ſæpe ajunt, extingui nunquam. Seneca lib. De ira 2. Dandum ſemper tempus eſt: veritatem enim dies aperit.

Cuculus.

Olim qui fuiſſent in re quapiam parum honeſta deprehenſi, vulgari probro Cuculi dicebantur. Id ortum à vinitoribus, qui ſerius cœpiſſent putare vineam, nec hoc munus abſolviſſent, priuſquam audiretur ea avis, velut ceſſationem exprobrans agricolis. Hujus vocem imitantes viatores deridebant vinitores. Ita Plin. lib. 18. cap. 26. In hoc temporis intervallo quindecim diebus primis agricolæ rapienda ſunt ea, quib. peragendis ante æquinoctiũ nõ ſufficerit, dum ſciat inde natam exprobrationem: fœdam putãtium vites, per imitationem cantus alitis temporarii, quem cuculum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumq; meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ ſales etiam cum primo vere laudantur. Auſpicio tamen deteſtabiles videntur. Adeo minima quæq; in agro naturalibus trahuntur argumẽtis. Porro quos Plinius petulantiæ ſales appellat, apud quaſdam nationes & hodie licet agnoſcere. Vernis enim menſibus, quum auditur coccyx (ſi tamen hic eſt cuculus, id quod ſentit Gaza) conjugati mutuis ſalib. inter ſeſe ludunt, dicentes, Tibi canit hæc avis: ſignificantes uxorem parum vigilanter cuſtoditam. Quin & Plautus in Aſinaria, ſic facit uxorem conviciantem marito in amica deprehenſo:

At etiam cubat cuculus ſurge amator, i domum.

Ac mox:

Cano capite te cuculum uxor ex luſtris rapit.

Horat. Sermon. lib. 1 Sat. 7.

Tum præneſtinus ſalſo multumque fluenti
Expreſſa arbuſto regerit convicia, durus
Vindemiator & invictus, cui ſæpe viator
Ceſſiſſet, magna compellans voce cucullum.

Hæc nimirum congruunt cum his quæ ſcribit Plin. probro ſolere objici vindemiatoribus, ſi cuculus eos deprehendiſſet putãtes vineam. Eum Horatii locum ſic explicat Porphyrio: Nam ſolent levia ruſtici circa viam arbuſta vindemiantes, à viatorib. cuculi appellari: quum illi provocati tantam verborum amaritudinem in eos effundant, ut viatores illis cedant, cõtenti eos cuculos iterum atq; iterum appellare. Acron hæc adfert: Hoc autem ipſa re novimus, quod viatores ſæpe vindemiatores conviciis agant quum tranſierint, & illi reſpondent ita, ut cuculum eum appellent, quaſi pigrum & recitant hoc cuſtodibus, eo quod ſemper aſſideant. In his Porphyrionis & Acronis verbis, video mendas aliquot ſubeſſe. Cum his convenit illud Plautinum: Etiam cubat cuculus, quod gravatim ſurgeret aſſeſſor puellæ. Quin arbitror in convicio cuculi, alluſum ad vocem cubandi. Unde pro levia, in verbis Porphyrionis, fortaſſe legendum, lenti. Jam quod quidam ex cuculo faciunt cucullum, ex avi veſtem, nihil eſt neceſſe: quum hæc vox penultimam habeat productam, apud Plautum in carmine trochaico:

Ac etiam cubat cuculus, ſurge amator, i domum.

Ac mox:

Cano capite te cuculum uxor ex luſtris trahit.

Trochaicus eſt. In Pſeudolo pro generali convicio videtur uſurpaſſe.

Quid fles cucule? vives.

Niſi forte, lachrymantem ac ſingultientem amatorem cuculum appellat, quaſi κοκκύζοντα. Similiter in Mercatore:

Iſthæc filio non credam, qui obſequitur patri: huic non, ut mero cuculo.

Itidem in Perſa:

Tua quidem cucule cauſa non hercle, ſi os præciderim tibi, metuam morticine.

EX APPEND. ERASMI.

Ubi deprehenſum eſt, quod erat occultum.

Ἠέ τις ἐσφῶν νιν ἐνίσπῃ θεῶν, ἢ εἴσονται αὐτοί.

Id eſt:

Sive illis Deus hoc aliquis deprodidit index,
Sive ipſi videre.——

Homerus.

COGNATI. *Erubuit, ſalva res eſt.*

Idem: Heliogabalus graviſſimum quenq; percunctari cœpit an promptus eſſet in Venerem? erubeſcentibuſq; ſenibus, exclamabat: Erubuit, ſalva res eſt: ſilentium ac ruborem pro conſenſũ ducens. Apud Juriſconſultos quoq; qui tacet, conſentire videtur: l. ſi fine. C. ſenatuſconſ. Vellejan. Alibi, Salva res eſt, dum ſaltat ſenex.

INDILIGENTIA.

ERASMI. *Princeps indiligens.*

Indiligens pædagogus corrumpit puerum, malus præceptor vitiat diſcipulum, rex improbus populum item corrumpit. Ad hanc ſententiam facit illud ex eodem libro:

——Αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.

Id eſt:

At corrumpit oveis paſtor malus.——

Dicuntur ab Eumæo ſubulco ad capratium.

Si quis juxta civitatem clypeus.

Εἴ τις περὶ πόλιν αἰγίς, id eſt, Si quis circum urbem clypeus. Hoc ſcommatis jaciebant in eos, qui ſparſim ac diſſolute civitatem obirent palantes. Refertur in Plutarchi Collectaneis, nec explicatus.

Malus janitor.

Πυλωρὸς κακός, id eſt, Janitor malus, id eſt, indiligens præfectus, aut cuſtos. Natum à dicto Thericyonis cujuſdam, qui cum videret Philippi copias Iſthmicas anguſtias occupaſſe, ſic ait: κακοὺς πυλωροὺς ἡμῖν ἡ Κόρινθος ἡ Πελοποννήσου ἔχει. i. Malos janitores vos ô Corinthii Peloponneſus habet. Siquidem anguſtias locorum, Græci pylas, id eſt, portas appellant. Refertur à Plutarcho in Apophthegmatis.

Phani oſtium.

Φάνου θύρα, id eſt, Phani oſtium. Id accinebatur, ubi quis fruſtra ſervaſſet aliquid: veluti ſi cujus uxorem adulterio vitiari cõtingeret, quam tamen ille multa zelotypia ſervaſſet. Natum ajũt à Phano quodam uſurario: vel, ut alii dicunt, cæco: qui cum cellæ penuariæ oſtium ita obſtruxiſſet, ut citra ſtrepitum non quiret aperiri, tamen è miniſtro apertum eſt, ſublatumq; penu. Alii narrant, huic Phano uxorem fuiſſe parum ſpectatæ fidei, quam quod is haberet adulterii ſuſpectam, atrii fores ſic occluſit, ut non niſi cum ſtridore ſonituq; poſſent aperiri. Verum illa cum per tegulas reciperet adulterum, vicini per jocum dicebant: ἡ Φάνου θύρα. Eaq; vox poſtea ceſſit in vulgi ſermonem. Haud ſcio an ſit idem cum eo, quod refert Euſtathius in Odyſſeæ librum ultimum, Φανίου θύρα, à Phania quodam, qui finxerit ſibi multam opum vim domi reconditam eſſe.

A limine ſalutare.

Huic pene diverſum eſt: A limine ſalutare. Plurimum venuſtatis obtinebit & hoc, ſi ad res incorporeas deflectatur, veluti ſi quis dicatur Theologiam à limine duntaxat ſalutaſſe: qui videlicet neque valde diuturnam, neque præcipuam operam impenderit, ſed rudimenta modo deguſtarit. Seneca epiſt. 49. Nec ego nego proſpicienda iſta, ſed proſpicienda tantum, & à limine ſalutanda. Agit de dialecticorum argutiis, quas abunde ſatis exiſtimat leviter attigiſſe. Translatum à vulgaribus iſtis amicis, qui non admittuntur in penetralia, ſed procul atque à limine ſalutant, ac deinde diſcedunt.

Lacinia tenere.

Qui leviter rem tenent, lacinia tenere dicuntur, hoc eſt, extrema veſtis

veſtis ora. cui contrarium eſt illud, Medius teneris. M. Tullius lib. De oratore. 3. Nam illud alterum genus, quod eſt temporibus, locis, rebus definitum, obtruncat, atque id ipſum laciniâ. Non dubium eſt, quin Cicero metaphoram duxerit à populari ſermone, nam idem dictum & hodie durat apud noſtrates, ſi quem invitant non ex animo. Inde illud, Scindere penulam. Et apud Terentium Myſis Getam reſupinat pallio. Cicero videtur alluſiſſe ad illud Plauti in Aſinaria: Lachrymantem laciniâ tenet lachrymans.

Surculum defringere.

Simili forma dixit eodem in loco, ſurculum defringere: pro eo quod eſt, non callere totam diſciplinam, ſed ex ea paululum quod ad rem præſentem faciat, decerpere: quemadmodum Jureconſulti nonnunquam ſententiam, aut fragmentum adducunt è Theologorum diſciplina. Locus apud Ciceronem hunc in modum habet: Atque hactenus loquuntur, etiam hac inſtituendi diviſione utuntur: ſed ita, non ut jure aut judicio, ut denique recuperare amiſſam poſſeſſionem, ſed ut ex jure civili ſurculum defringendo uſurpare videantur.

Vt canis è Nilo.

Qui leviter ac velut obiter artem quampiam, aut autorem deguſtant, hi ceu canis è Nilo deguſtare dicentur. Id adagii natum eſt ex apophthegmate quodam, cujus meminit Macrobius Saturnalium lib. 2. id eſt hujuſmodi. Poſt fugam Mutinenſem, quærentibus quid ageret Antonius, quidam familiaris ejus reſpondit: Quod canis in Ægypto, bibit & fugit. Nam in illis regionibus conſtat canes raptu crocodylorum exterritos, bibere, & fugere. Solinus ait, eos non niſi currentes lambitare, ne deprehendantur.

Per tranſennam inſpicere.

Per tranſennam inſpicere: proverbiale nimirum figura dictum eſt, pro eo quod eſt, non propius neque ſingillatim, ſed procul & ſummatim inſpicere. Tranſlatum à negociatoribus, qui mercibus quas contrectari nolunt, cancellos objiciunt: quidam etiam vitrũ pellucidum opponunt, ut prætereuntibus procul modo contemplari liceat: nec explicant eas, niſi licitatori idoneo. M. Tullius De oratore lib. 1. Si in aliquam domum plenam ornamentorum, vel in villam veniſſes, ſi ea ſepoſita (ut dicis) eſſent, tuque valde ſpectandi cupidus eſſes, non dubitare, rogare dominum, ut proferri juberet, præſertim ſi eſſet familiaris: ſimiliter nunc petat à Craſſo, ut eam copiam ornamentorum ſuorum, quam conſtructam uno in loco, quaſi per tranſennam prætereuntes ſtrictim aſpeximus, proferat, & ſuo quidque in loco collocet.

Per nebulam, per caliginem, per ſomnium.

Quarum rerum ambiguam quandam ac tenuem, peneque evanidam memoriam aut intelligentiam obtinemus, eas res per nebulam recordari, per ſomnium meminiſſe, per caliginem videre, proverbio dicimus. Ut quæ pueri vidimus, ſenes quaſi per ſomnium recordamur, vix tenuibus quibuſdam ſimulacris rerum inhærentibus animo noſtro: qualis eſt ferme vulgarium inſomniorum memoria. Porro quod per mediam nebulam intuemur, ejus confuſam duntaxat imaginem, ac velut umbram incertam aſpicimus. Cujuſmodi ſunt quæ per caliginem cernuntur in tenebris. Hinc igitur ducta metaphora. Hujuſmodi ſermonis formæ frequenter obviæ ſunt apud ſcriptores. Plaut. in Pſeud. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus. Idem in Capt. duobus: In memoriam regredior audiſſe me quaſi per nebulam. M. Tullius lib. de finib. 5. In infirma ætate, imbecillaque mẽte, vis naturæ per caliginem cernitur. Plato de legib. lib. 7. ἃ δὲ λέγω, δεῖ ἅμα παραδείγμασιν ἐμφανίζοντα εἰς φῶς ἄγειν, ἃ νῦν διαρρηθὲν ἴσως ἐστὶ καθάπερ ἐν σκότῳ λεχθὲν id eſt, Cæterum quæ dico, conandum eſt, ut velut exemplis in lucem prolatis reddamus perſpicua. Nam hæc videntur ſimilia iis, quæ dicuntur per caliginem quandam. Eodem in lib. legitur κατ᾽ ὄναρ, id eſt, per ſomnum, ſive in ſomnis.

Moriendum priuſquam &c.

Ibidem commemorat Alexandridæ dictum, ut vulgo celebre ac laudatum: καλόν γ᾽ ἀποθανεῖν πρὶν θανάτου δρᾷν ἄξιον. id eſt, Honeſtum eſt mori, priuſquam aliquid morte dignum commiſeris. Senſus eſt, ut ipſe exponit Ariſtoteles: Decet mori morte indignum: ſive, honeſtum eſt mori, quum nihil morte dignum admiſeris.

Per Satyram.

Variarum rerum mixturam ſparſim nulloque ordine congeſtarum veteres Satyram appellabant. Apparet vocem primum deductam à laſcivia Satyrorum, temere nunc huc nũc illuc ſalientium. Hinc deflexa eſt ad cibi genus, quod ex diverſis herbarum formis conflatum eſt: præterea ad lancem, variis rerum generibus onuſtam, quæ ſic diis offerebatur, nõ diſſimilis illi poculo quod Græci πεντάπλοον, a quintuplici rerum differentia, ſive κυκεῶνα a mixtura vocabant: de quo nobis ſupra dictum eſt. Feſtus ait, Saturam ſive Satyram dici cibum variis rerum generibus conditum, aut legem aliis multis conſertam legibus. Itaque in ſanctione legum adſcribi ſolere, Neve per Satyram derogato aut abrogato: quum ſignificant totam legem eſſe ſervandam. Citat Annium Luſcum ex oratione quam habuit adverſus Tyberium Gracchum: Imperium quod plebs per Satyram dederat, id abrogatum eſt. Citat & C. Lælium ex ea quam pro ſe dixit. Poſtero die quaſi per Satyram legem ſententiis exquiſitis, in deditionem accipitur. Legem Satyram interpretantur, quæ eadem multas res complectitur: quemadmodum Jugurtha acceptus eſt in deditionem, ſed multis præſcriptis conditionibus, ut triginta daret elephantos, pecus atque equos multos, cum magno argenti pondere. Uſus eſt hoc adagio Juſtinianus in præfatione Pandectarum: Et primo quidem, inquit, anno hoc opus tradebant legentibus, non ſecundum edicti perpetui ordinationem, ſed paſſim & quaſi per Satyram collectum, & utile cum inutilibus permixtum, maxima autem parte inutilibus deputata. Iidem Saluſtius in bello Jugurthino: Quaſi per Satyram ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur. Hæc Saluſtius dicit de Jugurtha nec ſunt in cujuſpiam oratione, nec ibi quiſquam adeſt Lælius: unde neceſſe eſt, locum apud Feſtum eſſe mutilum. Verba Lælii ſunt omiſſa, ſimul cum nomenclatura Saluſtii.

Summo pede.

Ἄκρῳ ποδὶ. id eſt, Summo pede, eadem figura dictum eſt, qua Summo digito. Negatur ſummo pede attigiſſe diſciplinam, qui nunquam ingreſſus eſt, nec attigit limen illius. Extat apud Platonem in Lachete: cujus loci alibi, ni fallor, fecimus mentionem.

In tranſcurſu.

Plutarchus in commentario De liberis educandis: ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐν παρέργῳ καθάπερ γεύματος ἕνεκα. id eſt, Sed hæc quidem ex tranſcurſu diſcere, veluti deguſtandi cauſa. Metaphora plane proverbium ſapit. Quintilianus pro eo dixit, In tranſitu, Plinius mavult, In tranſcurſu. Idem valet, Obiter.

Summis labiis.

Summis labiis Græci paulo diverſius uſurpant: nempe cum quis verbis duntaxat ſimulat quippiam non autem ex animo facit. Lucianus in Apologia: καὶ ἄκροις χείλεσι φιλοσοφῶν. id eſt, Ac ſummis labiis philoſophum agens. Item in Dialogis amatoriis: ἐπ᾽ ἄκρων τῶν χειλέων τοὺς ὅρκους ἔχουσι id eſt Summis in labiis jusjurandum habentibus. De amatoribus loquitur, qui Venereum jurant jusjurandum non ex animo. Seneca lib. 1. cap. 10. Non à ſummis labiis iſta venerunt, habent hæ voces fundamentum. Ad eundem modum D. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachum: Ut, non levi inquit, ſtatuque ſermone, & (ut ita loquar) ſummis labiis hoſpites invitemus. Hic aulicis & civilib. quibuſdam mos eſt, polliceri omnia, ſed verbis illis ſolœcibus, quibus nemo vel tantulum commovetur, niſi egregie ſtultus.

Summis naribus olfacere.

Τῷ ἄκρῳ μυκτῆρι ὀσφραίνεσθαι, id eſt, Summa nare olfacere. pro eo quod eſt, levi experimento, conjecturaque qualicunque deprehendere. Extat apud Lucianum in Jove redarguto.

Extremis digitis attingere.

Huic germanum eſt, Extremis attingere digitis, pro eo quod eſt, leviter attingere, quod ita demum adagium videbitur, ſi metaphora acceſſerit. M. Tullius in eo loco, quem modo citavi: Equidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, nõ modo qui primoribus labiis guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent, ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe. Græci ſic efferunt, τῷ ἄκρῳ δακτύλῳ ἅπτεσθαι, id eſt, Summo contingere digito. Ita Baſilius in epiſtolis, οἶδα καὶ αὐτὸς, εἰ καὶ ἄκρῳ δακτύλῳ τοῦ γλυκυτάτου μέλιτος τῆς ὑμετέρας ἐκκλησίας ἀπογευσάμενος πέρυσιν. i. e. Novi & ipſe tametſi ſummo digito, mel dulciſſimum veſtræ eccleſiæ guſtavimus anno ſuperiore. Tranſlatum videri poteſt à luctantibus. Nam Græci vocant ἀκροχειρίζεσθαι, colluctari cum quopiam, citra reliqui corporis cõgreſſum, ſed ſummis duntaxat digitis. Lucianus in Demonactis vita: οὐδὲ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἄκρῳ τῷ δακτύλῳ ψαύσας. id eſt, Neque ſummis, ut ajunt, digitis attigerat. Euripides hyperbolen citra metaphoram uſurpavit in Iphigenia Aulidenſi.

Primoribus labiis deguſtare.

Primoribus labiis deguſtare eſt breviter quippiam attingere. Ductum ab iis, qui cibum aut potum tenuiter deguſtãt, nihil inde in ſtomachum tranſmittentes. Cicero pro Cælio: Equidem multos & vidi in hac civitate & audivi, non modo qui primorib. labiis guſtaſſent genus hoc vitæ. Idem de natura deorum lib. 2. Is quum dixit ſore ſempiternũ, hunc cenſes primis, ut dicitur labiis deguſtaſſe phyſiologiam? id eſt, naturæ rationem. Quintilianus lib. 12. Sed hoc tranſeo, de quo neminem, qui literas vel primis, ut ajunt, labiis deguſtarit, dubitaturum puto. Procopius ſophiſta in epiſtola quadam: πάλιν δὲ ταύτην ἐπιμέμφομαι, εἰ τοσοῦτο γεῦσαν πρᾶγμα ἄκρῳ δακτύλῳ δοῦσα, εἶτα τῆς ἡδονῆς ἀφαιρεῖται. id eſt, Rurſum in hanc ſtomachabar, ſi cum tantam rem ſummo, ut ajunt, digito deguſtandam præbuiſſet, deinde voluptate ſpoliaret. Quibus in verbis illud nove dictum, quod digito guſtum tribuit: niſi hoc ſenſit, quod leviter deguſtant, eos rem deguſtandam ſummo digito admovere linguæ.

Moll

Molli brachio, Levi brachio.

His pene diverſum eſt, Molli brachio, & Levi brachio: cum indiligentem operam ſignificamus. Cicero epiſtolarum ad Atticum lib. 2. Quod me quodammodo molli brachio de Pompeii familiaritate objurgas, nolim ita exiſtimes. Idem ad eundem libro 4. Conſules, qui illud levi brachio egiſſent, rem ad ſenatum detulerunt.

Suſpenſa manu.

Plin. in epiſt. lib. 6 Suſpenſa manu, dixit pro eo quod eſt, leviter parumq; accurate: Tu vero, inquit, non debes ſuſpenſa manu cõmendare mihi, quos putas. Fit enim venuſtius, ſi à corpore ad animum transferas. Quintilianus declamatione 12. in eundem ſenſum uſurpat, Levi manu, tanquam proverbium. Cicero, Levi brachio: de quo dictum eſt alias. Itidem dicimus, Suſpenſo pede, pro ſenſim ac tacite. Ammianus lib. 14. Seſeq; ſuſpenſis paſſibus injecerunt in ſcaphas.

Compreſſis manibus.

Compreſſis ſedere manibus, dicitur in ocioſos, & nihil aliud quam ſua fata deplorantes. Titus Livius ab urbe condita libr. 7. Cur veteranus dux fortiſſimus bello, compreſſis, quod ajunt, manibus ſedeas. Extat & in Hebræorum proverbiis: Paululum conſeres manus: in ignavum, figura ſumpta à geſtu ſollicitorum quidem, ſed inertium tamen.

Pulmo prius veniſſet.

Pulmo prius veniſſet, dictum eſt olim in lentos ac ceſſatores. Opinor quod pulmo cum perpetuo moveat, nunquam tamen loco ſe promovet. Plautus in Epidico: Dii immortales, ſoccos juſſi adimere pedibus. Pulmo enim quod perhibent, prius veniſſet quam tu adveniſti mihi.

IVNII. *Summis auribus inſidet.*

Quod perfunctorie auſcultamus, quodq; difficulter credimus & cum aurium faſtidio, ἄκραις ὠσὶν ἐφιζάνειν, id eſt, Summis auribus inſidere, ſpecie proverbiali dixit Philo Judæus lib. de vita theoretica: ἥτις οὐκ ἄκραις ὠσὶν ἐφιζάνει, ἀλλὰ δι᾽ ἀκοῆς ἐπὶ ψυχὴν ἔρχεται, καὶ βεβαίως ἐπιμένει. id eſt, Quæ non primorib. auribus inſidet, ſed per aures in animum penetrat, & firmiter immoratur. Conſimili modo dixit Seneca, Summo animo inhærere: pro, ἐπιπολαίως & leviter.

E diverticulo.

Ἐκ παρόδου. i. E diverticulo fieri dicitur proverbialiter, ubi quid obiter & perfunctorie quaſi aliud agentes facimus: aut quoties incurie ac negligenter aliquid inſtituitur. Heliodorus lib. 3. οὐχ ὡς ἄν τις ἐκ παρόδου τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, ἀλλὰ καὶ συνεῖδεν ἐν ὀλίγαις. id eſt: Non veluti quiſpiam e diverticulo. id quod dicitur vulgo, ſed etiam non raro ſimul libavit. Chryſoſtomus. ἐκ παρόδου θεωρεῖν: Rem parum attente perpendere. Idem ἐν παρόδῳ προσκυνεῖν dixit. pro, Oſcitanter & quaſi per tranſennam adorare. Cicero libr. ad Atticum v. Regnat ἐν παρόδῳ conſilio & authoritate, hoc eſt, obiter.

Figura & triobolus.

Euſtathius Iliados 13. annotat proverbialiter dici, χῆμα καὶ τριώβολον, id eſt, Figura & triobolus: cujus uſus ſit in ingenioſos quidem, ſed niſi inſtiteris remiſſos, & non niſi præmiolis quibuſdam expugnabiles: cui vitio dexterrimus quiſque obnoxius ferme eſſe deprehenditur. Nata parœmia à Phrynicho tragico, qui tantum operæ ſtudiique colocaſſe in Tragicam ſaltationem perhibetur, ut novum genus ſaltandi (χῆμα vocant) excogitantibus, triobolum præmii vice numeraret. Refertur ab aliis origo proverbii ad Pythagoram, quem Jamblichus philoſophus ſcribit ingenioſo dextroq; diſcipulo, ſed ad diſciplinas excolendas tardiori, pro quolibet mathematico ſchemate triobolum perpendiſſe, ut præmii invitamento ſupinitatem diſcipuli caſtigaret, ſtudioq; diſcendi (quod libera & incoërcita voluntate conſtat) faces quaſdam ſubderet.

De paxillo ſuſpendere.

Πασσάλου ἀποκρεμάσαι, id eſt, De paxillo aut clavo ſuſpendere; proverbiali ſpecie dicitur, qui rerum nõ ſatagit, ſed negligentius quippiam curat. ſic exponitur ab Euſtathio. Metaphora ſumpta ab iis, qui non reponunt aliquid accurate, ſed velut aliud agentes, primo inſtrumento obvio appendunt illud. Simili modo dictum eſt, ſed tamen diverſo ſenſu, κρεμάσαι τὴν ἀσπίδα. i. ſuſpendere: pro, quietem agere, & in pace verſari: quoniam pacis tempore ſcuta de parietibus ſuſpenduntur.

Supra fumum clavus.

Ὑπὲρ καπνοῦ τὸ πηδάλιον, id eſt, Supra fumum clavus. Refertur ab Euſtathio Odyſſ. μ. Idem Odyſſ. π. indicat, proverbialiter dici ſecuritatis aut incuriæ cujuſdam argumento ἐπὶ τῷ ἀμελουμένῳ, de reb. jam ſecure ſepoſitis, quaſi ſupra fumum, ac proinde neglectis. Cui oppoſitum eſt illud Ulyſſis conſilium ad Telemachum filium.

—Ἐκ καπνοῦ κατάθεσθαι.

Id eſt:

Extra fumum depoſui:

diligentiæ navatæ indicio, ſiquidem arma aut utenſilia, cum cura ſeponimus, ne fumo denigrentur, ſed ſplendorem ſervent. Incuriam oſtendit qui illud ſcripſit:

Ἡδ᾽ ἀσπὶς ἐν τ[illegible] κρεμήσεται.

Id eſt:

Hic clypeus appendetur in fuligine.

nimirum neglectus propter diuturnam pacem, atq; obliteratus. Heſiodicum eſt, ὑπὲρ καπνοῦ θέσθαι πηδάλιον i. e. Supra fumum ſeponere gubernaculum: pro, navigationi ſuperſedere, ſic enim ait:

Πηδάλιον δ᾽ εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι.

Id eſt:

Clavum affabre factum ſupra fumum ſuſpendere.

& iterum:

Αἶψα δὲ πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο.

Id eſt:

Abſq; mora ſupra fumum ſepone temonem.

Gregorius Nazianz. in epiſtolis jocatur in Gregorium Nyſſenũ, qui rejectis ſacris libris & ſepoſitis, profanos in manus aſſumpſiſſet: ἦ, inquit, ὑπὲρ καπνοῦ τέθεικας ὡς τὰ πηδάλια χειμῶνος ὥρᾳ. id eſt, An ſupra fumum libros ſepoſuiſti, quemadmodum clavum ſolent brumæ tempore.

COGNATI. *Dicis gratia.*

Dicis proverbialiter apud Juriſconſultos fieri dicitur, quod perfunctorie & luſorie ſive leviter fit. Ulpianus lib. Pandect. 29. tit. 5. de ſenatuſconſ. Syllaniano, &c. cap. 3. ſub finem: Excuſantur autem ſervi, qui auxilium tulerunt ſine dolo malo: nam ſi finxit ſe quis auxilium ferre, vel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum ei proderit. Cajus lib. Pandect. 13. tit. 6. commodati, vel cõtra, cap. 4. Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, vel dicis gratia numerationis loco intercedant. Arnobius quoq; in proœmio quarti libri contra gentes, eodem ſenſu id uſurpavit: An ita (ut aſſolet) dicis cauſa, ex eo quod optamus & volumus bona iſta contingere, ſuperiorum retuleritis in cenſum? Milites quidem oſtentionales, Lampridio in Alexand. & Tranquillo imaginarii dicuntur, quod oſtentationis gratia titulum haberent militum, hos Cajus dicis gratia. Cic. in Verrem: Dicis cauſa appellat. & Varro lib. De ling. Latin. 6. ſub finem: Hoc, inquit nunc aliter fit, atque olim, quod augur conſuli adeſt tum cum exercitus imperatur, ac præit quid eum dicere oporteat, conſul auguri imperare ſolet, in licium vocet non accenſo, aut præconi. Id inceptum credo, cum non adeſſet accenſus, & nihil intererat, cui imperaret, & dicis cauſa fiebant quædam, neq; item facta, neque item dicta. Flavius Soſipater in I. Inſtitutionum grammaticarum libro, videtur indicare, dicis patrium caſum eſſe, cum enim doceret, quædam nomina unius tantum caſus eſſe, exemplaq; eorum proferret, in illis etiam, Dicis ergo, poſuit. Plinius libro viceſimooctavo. Et ſunt condita auguria quid loquenti, cogitantive id acciderit, inter execratiſſima ſi pontifici accidat dicis cauſa epulanti: in menſa utique id reponi, adolerique ad larem, piatio eſt. Modeſtinus Græce interpretatus eſt ὁσίως, vel ἀφοσιώσεως χάριν. Dion. lib. 37. hiſtoriarum. Idem ὁσίας ἕνεκα, vocavit. Tractum eſt hoc adagium ab his, quæ ut religione defungamur, utcunq; facimus: eum ſimulata olim in ea pro veris haberentur, & qualiacunque fere pro optimis dicarentur. Deducitur autem Dicis nomen, à verbo Dico dicas: eſtq; tanquam dicationis cauſa. Juriſconſultorum verbum proprium, apud quos certum eſt, non minus fictionum fuiſſe & imaginum, quam apud Pontifices. Vide infra, Summo digito; &, ἐν κεφαλαίῳ: &, Per indicem.

Ὡς τύπῳ dicere.

Frequens & illud Græcis autoribus, ὡς τύπῳ aliquid dicere vel enumerare, id eſt, craſſo filo. Idem Scaliger in hiſtorico: Atq; hæc quidem loca (ut ſolebat Plato & Ariſtoteles dicere) ὡς τύπῳ ad hunc modum enumerata ſunt. Exactius vero etiam ſic perſequamur. Eraſmus noſter Chiliadis tertiæ cent. 7. adag. 61. Tenuiter diducis, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, id eſt, Ut ita loquar. Græcis frequens eſt, inquit, cum ſentiunt ſe rem non ut eſt, exacte proloqui, ſed quibuſcunq; verbis ſignificare, ac notare verius quam eloqui. Theodor. Zvingerus, Philoſophus & Medicus, in epiſtola dedicatoria Jo. Rodolpho, abbati Morbacenſi & Lutrenſi ſcripta: Hic tantum, inquit, pro tabularum & commentariorum noſtrorum in artem medicinalem Galeni faciliori intelligentia obiter, καὶ ὡς ἐν τύπῳ præcipua capita operæ precium erit recenſere. Sunt qui ὡς τύπῳ εἰπεῖν interpretantur, ut in univerſum dicam: & ὡς τύπῳ λαβεῖν, ut ſummatim colligam. Ad hæc reſpiciunt & illa: τύπῳ λέγοντι λαμβάνειν, ἀποδεικνύειν. Sextus philoſophus in Pyrrhoniarum hypotypoſeων libris, ſuam claudere de re aliqua diſputationem volens, dicit: Hæc ſufficere poſſunt ὡς ἐν ὑποτυπώσει, ut initio ca. 28. & circa finem lib. 1. Idem cap. 1. libri primi: De Sceptica autem inſtitutione nos ὑποτυπωτικῶς dicemus. id eſt, breviter ſumma rerum ob oculos ponentes capita: vel, brevem quandam informationem aut ſummariam ob oculos ponentes. Varro de lingua Latina: Quæ videretur analogia in oratione, ut breviter potui, informavi. id eſt, ὑποτυπωτικῶς διεξῆλθον, aut uno verbo ὑποτυπωσάμην. Quamvis enim alicubi idem Sextus ad ὑποτυπωτικῶς adjungat alterum adverbium συντόμως: dubium eſt tamen, quin συντόμως in ὑποτυπωτικῶς incluſum etiam cenſeri poſſit. Vide ſuperius, ὡς ἐν τύπῳ.

Paxillo, ſive clavo ſuſpendere.

Paxillus eſt pertica ſive clavus ligneus, unde aliquid ſuſpenditur. Hinc [illegible Greek], i. clavo ſuſpendere, proverbio dicitur: pro, negligentius curare [illegible], aut parare: à ſupellectile tranſlatione notionis ducta, [illegible] ſuſpendere, ubi emimus, domi ſolemus. M. Varro in Eudæmo[illegible]ibus, Nonio referente, ubi dicitur primus Zeno novam hæreſim novo paxillo ſuſpendiſſe. Idem in Bimargo: Ut novum cribrum novo paxillo pendeat. Paxillus, inquit Nonius, diminutivum eſt à palo. Forte hoc adagium natum eſt à Perperis fratribus, quos Hercules à clavo ſuſpendit: de quibus alibi, in Perperi. Sic apud Plautum, ſuppellex pellionis, dicitur palus palo proximus: quod pellio pauper eſſet, & palos nudos ſine ſupellectile haberet. Sic apud Pindarum: [illegible Greek]. Sed & apud Homerum in [illegible Greek].

Per indicem.

Per indicem nota, dicuntur proverbialiter, quæ ſummatim & per capita rerum cognoſcuntur. Indices autem Græci [illegible Greek] appellant, vulgo tabulas librorum: qua in re nomen hoc a Cicerone etiam uſurpatum eſt. Juſtinian. lib. Inſtitutionum ſuarum 4. tit. de publ. judiciis: Sed de publicis judiciis hæc expoſuimus, ut vobis poſſibile ſit ſummo digito & quaſi per indicem ea tetigiſſe, &c. hoc eſt, quaſi indice, & ſumma duntaxat rerum, quæ in jure civili reconditæ ſunt, capita leviter aſpexerint, quaſiq; litora legerint. Suetonius in Auguſto: In altero volumine indicem rerum a ſe geſtarum, quem vellet incidi æneis tabulis, ſcripſit. Vide ſupra [illegible] attingere: & [illegible Greek].

In tranſitu.

Plane proverbium ſapit, valetq; obiter, & in tranſcurſu. Eo uſus eſt Quint. in 2. Plin. libr. 35 cap. 8. & 11 item libr. 3. in tranſcurſu. Dioſcorides medicus in præfat. [illegible Greek]. Utitur & Vellejus Paterculus. Jamblichus de vita Pythagor. lib. [illegible Greek]. Eraſm. in tranſcurſu habet. Juvenalis obiter dixit:

Atq; obiter leget, aut ſcribet, vel dormiet intus.

Id eſt:

[illegible Greek]. Turneb. adverſariorum 14. c. 5. ſub finem: Ut id quoq; in tranſitu ſcribam.

Ἐφήμεροι τοῦ βίου.

Homines ἐφήμεροι τοῦ βίου a Græcis appellantur, qui nobis in proverbio ſunt, quiq; ex tempore vivunt, futura non providentes, ſed inſtantium tantum curam habentes, & paſſim corvos ſequuntur, juxta Perſii verbum ſatyr. 3. quorum vox hæc habetur apud Anacreontem:

Τὸ σήμερον μέλει μοι,
Τὸ δ' αὔριον τίς οἶδε;

Id eſt:

Hodierna dies mihi curæ eſt,
Quis ſcit quid cras futurum ſit:

Ex Gell. libr. 19. cap. 9. & Crinito De honeſta diſciplina libr. 9. cap. 4.

Securi, Supini.

Securi metaphorice vulgo dicuntur, omni cura & ſolicitudine vacantes nec meditantes quid tandem futuri ſint: id quod ſignum eſt diri ſtuporis. in magno enim diſcrimine nō pertimeſcere, hominum eſt male ac peſſime de animo ſuo merentium. [illegible Greek] Græce ſecurus dicitur. Budæus Philecoo: Interim ſecuri futuri ævi agimus: & cum inter ſacrum (ut ajunt) & ſaxum ſtemus, aut inter incudem aut malleum, in hac rerum æſtimatione riſui ſæpius, quam lachrymis indulgemus. Securum Juriſconſulti ſupinum vocare ſolent, id eſt, ſocordem & deſidem. Et quoniam ſupinus recubitus indicium eſt hominis ſoluti & otioſi, factum eſt ut ſupinum pro molli, delicato, otioſo, negligenti & ſecuro ponamus: [illegible Greek]. Juvenal ſat. 1.

Et multum referens de Mecœnate ſupino.

Seneca ad Lucil. Eſt quidem, mi Lucili, ſupinus & negligens, qui in amici memoriam ab aliqua regione admonitus, reducitur. Hinc, Supina aure audire, pro negligenter. Mart. lib. 6.

Non attendis, & aure me ſupina
Jamdudum quaſi negligenter audis

Et ſupina ignorantia, pro ſtulta & hebeti, quæ craſſa vulgo dicitur l. nec ſupina ff. de jur. & fact. ignor. Vide Eraſm. In utramvis dormire aurem. Et mox, Lenti.

Lenti.

Equidem dictionem hanc vice proverbii uſurpatam ſæpe obſervavimus: & lentos adhuc hodie dicimus, qui affectibus nō moventur, ac velut æquanimitate torpentes ſtupent. Virum quoque eſſe negamus, qui iraſci neſciat. Cic. de oratore lib. 2. In quo ego, non quo libenter audiam, ſed quia cauſam non libenter relinquo, nimium patiens & lentus exiſtimor. Propertius:

Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Et Martialis:

Tu ſpectas hyemem ſuccincti lentus amici.

Cicero ad Q. fratrem: Omnino, inquit, non iraſci, non ſolum eſt gravitatis, ſed nōnunquam etiam lenitudinis. Inde in epiſtolis ad Atticum, Lente ferre, videtur poſitum, pro eo quod eſt, æquo animo perpeti quicquid contingat: Credas, inquit, mihi velim, neminem adhuc offēdi, qui hæc tam lente, quam ego fero, ferret. Gellius libro noct. Attic. 1. cap. ultimo: Tum Plutarchus lente & leniter: Quid autem, inquit, verbero, ego tibi videor iraſci? Sunt autem qui opinantur lenitudinem latius patere, quam illa Græcorum [illegible Greek]. Laberius: Nunc tu lentus es, nunc tu ſuſq; deq; fers, id eſt, quod accidit, non magnipendis, ac propemodum [illegible Greek]. Eſt in hanc fere ſententiam & illud: Mentem non habet, qui non iraſcitur, de quo infra. Vide etiam, Securus: & Supinus. Lentus autem pro tardo & ſegne, opponitur prompto ac celeri. ad cujus vocabuli vim Cicero reſpexit, cum C. Antonium debitorem lentum vocavit: Teucris, inquit, illa lentum ſane negotium. Hoc enim ſignificavit, eum libenter ſubterfugere, & tergiverſari, & diem ex die ducere, neque promptum eſſe ad diſſolvendum quod deberet. At contra Lucilius apud Nonium Marcell. Lentum ſolvere, accepit pro eo qui facile ſolveret, bonumq; nomen eſſet.

Molli articulo.

Quintilianus lib. Inſtitutionum undecimo per adagionem uſurpat, Mollem articulum, cujus verba hæc ſunt: Quam molli autem articulo tractavit Catonem? id eſt molli brachio, molli manu non acri manus ictu, aut ejus tenaci comprehenſione, ut vel à pugilibus, vel a luctatoribus acceſſita ſit traductio. Vocat autem mollem articulum, mollem manum. Nam in ea ſunt articuli, ut Catullus:

—Abſtulisti omnibus articulis.

id eſt, omnibus digitis, aut potius brachium lacertumq; artus enim etiam habet, quos articulos per diminutionem vocat. Eraſm. noſter ex epiſtol. ad Atticum lib. 2. & 4 ſumpſit. Molli brachio, & levi brachio: huic pene diverſa.

In cortina eſſe.

Hac metaphora uſus eſt Cornel. Tacitus in dialogo, cum ait: Quæ enim in cortina ſunt, non dum penitus imbiberunt ſuccum. Ac hercule, inquit, pervulgatis jam omnibus, cum vix in cortina quiſquam aſſiſtat, qui elementis ſtudiorum etſi non inſtructus, at certe imbutus ſit, &c. Id contrarium eſt ei, quod Græci [illegible Greek] vocant Plutarchus in Probl. [illegible Greek], tinctura, qua quiſpiam eſt imbutus: quæ quia ſolet eſſe [illegible Greek], dicitur, [illegible Greek], firma & conſtans ſcientia. Sic Cicero de Oratore: Sit enim mihi tinctus literis, audierit aliquid, legerit, iſta ipſa præcepta acceperit. [illegible Greek] & [illegible Greek] ea ſunt proprie, in qua lana ſuffecta ſuccos ebibit. Non multum abeſt, quod dixit Lucianus in bis accuſato, [illegible Greek], id eſt, Sunt autem etiam, qui cum ſolum attigerint foris lebetem ſummo digito, ac fuliginis nonnihil ſibi illeverint, abunde putent & ipſi ſeſe tinctos denuo eſſe.

Vagari deſine.

Marcus Antonius de vita ſua lib. 1. ſub initium: [illegible Greek], id eſt, Vagari deſine. [illegible Greek] vagus eſt: & [illegible Greek], vagari, & incurate rebus uti. quo vocabulo Plutarchus in Pompeio uſus eſt: [illegible Greek], i. e. animadvertens Perpennam vagari, & incurate rem gerere. Idem in Fabio, & in libr. De communibus notitiis

TVRNEBI. *Dicis cauſſa.*

Eſt [illegible Greek], id eſt, leviter & defunctoriè, & utcunque agere. tractum ab his quæ, ut religione defungamur, utcunq; facimus: cum ſimulata olim in ea pro veris haberentur, & qualiacunq; fere pro optimis dicarētur. Deducitur autem nomen illud non a verbo, dico, is: ſed à verbo, dico, as: eſtq; tanquam dicationis cauſſa. Idem advarſ. 31. c. 20.

GVILHELMI GENTII.

De plano aliquid cognoſcere.

Cum quis carptim, obiter, & quaſi aliud agens quid legit, negléctimq; cognoſcit, memoria minime complectens: vel cum quis negocium aliquod non accurate adminiſtrat. Sumptum ex more judicum. quibus pro tribunali ſedentibus arduæ cauſæ tractandæ ſuſcipiebantur: ubi vero deſcenderint, in plano conſtituti, leviora decidunt negocia. Hinc Juſtinia. Imperator in cap. à procedente. C. de dilat. Planariam (ita enim ibi legendum eſt) vocat interpellationem quæ judici extra judicium, & in plano facta eſt. In jure Pontificio ſimiles formulæ uſurpantur, Sine ſtrepitu, Sine figura, & forma judicii: de rebus ſummatim, abſq; ſevera obſervatione, ſed perfunctorie peractis.

Tranſlatitie agere.

Hoc eſt, negligenter, defunctorie: tranſlata locutione ab edictis tranſlatitiis quæ nullam diligentiam requirebant. Martianus in cap. j. ad Turpill. Prævaricatorem eum eſſe oſtendimus, qui colludit cum reo, & tranſlatitie munere accuſandi defungitur. ſic Ulpian. in cap. 1 de jur. pat. & in cap. 55. ad Trebell. ſic tranſlatitia officia appellat Plin. in epiſt. vulgaria, & ab omnibus uſurpata. Item Cicero in Verr. ij.

INDU-

INDVSTRIÆ.

ERASMI. *Dii facientes adiuvant.*

Varro libro De re ruſtica primo. Et quoniam, ut ajunt, alii facientes adjuvant, prius invocabo deos. Significat, divinam opem non ceſſantibus, ſed induſtriis, & pro ſua virili conantibus, auxilio eſſe ſolere. Huc arbitror referendum illud Homericum carmen quod jam velut in proverbium abiit:

Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις.
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται. ———

Id eſt:

Hæc partim ipſe tuo perpendens pectore tecum.
Partim aliquis divum tibi ſuggeret. ——

Id M. Tullius uſurpavit lib. epiſt. ad Attic. 9. Omnia vobis imperatis agenda. Sed tamen

Ἄλλα μὲν αὐτὸς,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται.

Id eſt:

Partim ipſe invenies, partim ſors ſuggeret ipſa.

Manum admoventi fortuna eſt imploranda.

Τὰς χεῖρας προσφέροντα δεῖ τὰς τύχας ἐπικαλεῖν.

Id eſt:

Manum admoventi fortuna invocanda eſt.

Admonet adagium, ita fidendum eſſe divino auxilio, ut nihilo ſegnius quàntum in nobis eſt, etiam ipſi noſtra adnitamur induſtria: alioqui non audituros ſuperos, inertium ac deſidioſorum vota. Quemadmodum eleganter ſcripſit Alexander Hegius, primus pueritiæ meæ doctor haudquaquam pœnitendus:

Solas jure Deus preces,
Quo nemo magis impiger,
Aut inſeſtior otio,
Averſatur inertium.

Plutarchus in Apophthegmatis Lacedæmonicis, refert apud eam gentem deos deaſq; omneis haſtatos fingi ſolere: Venerem etiam ipſam armis indutam, tanquam ne illi quidem otium agant, ſed bellicis ſtudiis exerceantur. Adduntque inquit, & proverbium:

Τὰς χεῖρας προσφέροντα δεῖ τὰς τύχας καλεῖν.

Id eſt:

Manum admoventi ſunt vocanda numina.

Æſchylus apud Stobæum:

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Id eſt:

Huic qui laborat, numen adeſſe aſſolet.

In eandem ſententiam Pindarus in Nemeis, εἰ δ᾽ ἄκρον ἀρεταῖς ἦλθεν αἶνον ἐγκέλευσα, σὺν θεῷ δὲ τύχα, id eſt, Ad ſummum virtutis apicem pervenerunt, qui guſtarunt labores, non autem ſine Dei fortuna. Proinde nec ita fidendum induſtriæ, ut divinam opem negligamus: nec ita rurſum pendendum ab illa, ut noſtrum prætermittamus officium. Alluſiſſe videtur huc Æſchylus in Perſis:

—— Εὐχόμεσθα,
Διὰ μακροῦ χρόνου τάδ᾽ εὐχομαι ἐκτελευτήσειν θεούς,
Ἀλλ᾽ ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς, χὠ θεὸς συνάπτεται.

Id eſt:

Plurimo jam tempore à deis
Optaveram hæc ut dextra conficerent mihi, at
Ubi vigilas ipſe, dii quoque admoveant manum.

Refertur ex eodem:

Φιλεῖ δὲ τῷ κάμνοντι συσπεύδειν θεός.

Id eſt:

Adeſſe gaudet ſed laboranti Deus.

Nonnulli, quorum eſt Suidas, adagionis originem ad apologum referunt. Ruſticos quidam quum plauſtrum hæreret in lama, ociosus invocabat Herculem. At ille aſtans: Admove, inquit, manum rotæ, ac ſtimula boves, itaque Deum invoca:

Τὰς χεῖρας προσφέροντα τὸν θεὸν καλεῖν.

Cum Minerva manum quoque move.

Huic finitimum eſt, σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. id eſt, Auxiliante Minerva manum interim move. Monet adagium, ne fiducia divinæ opis induſtriam remittamus. Convenit peculiariter in mulieres, quæ lanificium exercent, favente quidem atq; invocata Minerva: ſed nihilo ſegnius interim operi inſiſtentes. Sunt qui putent ab agaſone quopiam natum: cujus aſinus cum luto infix⁹ hæreret, debebatque illic ſuccurrere, ocioſus Herculem implorabat. Huic reſpondiſſe deum, uti interim manum admoveret aſino laboranti atq; ita demum numen adfuturum. Alii diverſam huic fabulam adferunt, pota, quendam cum eſſet decertaturus, Minervam conſuluiſſe, num futurus eſſet ut victor diſcederet. Reſponſum eſt, fore. Verum cum ille ingreſſus in theatrum, in certamine manib⁹ ſtaret ocioſis, percuſſus ab adverſario victum fuiſſe. Ad hoc adagium pertinet elegantiſſimum illud carmen, quod ex Agathonis tragœdia citat Ariſtoteles lib. Moralium Eudemiorum 5.

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην.

Id eſt:

Fortunam ut ars, fortuna ita artem amat invicem.

Citatur à Suida ſenarius hic in eandem ſententiam:

Αὐτός τι νῦν δρῶν, εἶτα τοὺς θεοὺς κάλει.

Id eſt:

Fac interim aliquid ipſe, dein deos voca.

Neque mel, neque apes.

Μήτε μέλι, μήτε μελίσσας, id eſt, Neq; mel, neq; apes. In eos dici ſolitum, qui recuſant incommodum ferre, quod ſit cum commodo quopiam conjunctum. Veluti ſi quis apes, quod ſint aculeatæ, nolit perpeti, is nec melle quidem, quod optat, fruetur. Res enim mortalium ita temperaverunt ſuperi, ut ſemper incommoditas comes ſit commoditatum. Typhon grammaticus in figuris hoc exemplum adfert parœmiæ, citatque ex Sappho poëtria Lesbia:

Μήτε μοι μέλι, μήτε μέλισσα.

Id eſt:

Neque mihi mel, neque apis.

Celebratur Mimus ad hanc faciens ſententiam:

Feras quod lædit, ut quod prodeſt, perferas.

Eodem pertinet illud Plautin. Fortiter malum qui patitur, poſt potitur bonum. Idem obſcurius quidem, ſed tamen eleganter innuit Homerus, ut opinor, per herbam moly, cui radicem nigram, florem lacteum attribuit: radicis nigræ ſymbolo laboris moleſtiã ſignificans, qua pervenitur ad animi tranquillitatem, virtutis abſolutæ præmium.

Qui vitat molam vitat farinam.

Ὁ φεύγων μύλον, ἄλφιτα φεύγει.

Id eſt:

Qui fugit molam, fugit farinam.

aut:

Devitat quicunque molam, fugit ille farinam.

Nam omiſſo articulo, videtur hemiſtichiũ carminis heroici. Qui refugit induſtriam, non fruetur emolumentis. Sunt qui molarum ſtridoribus offenduntur, quum ſine molis non liceat vivere. Sic quidam uxorum mores ferre non poſſunt, quum optent liberos. Dicunt & hodie vulgo: qui quærit ova, gallinarum cacaliſmum (ut vulgo vocant, Latini glocire dicunt) ferat oportet. Finitimum illi, μήτε μέλι μήτε μέλισσαν id eſt, Neque mel neque apes.

Induſtriam adjuvat Deus.

In aggrediundo negocio, quædam humana ratione providentur, quædam fortunæ commoditas, ipſaq; res ſuppeditat. Id eſt apud Homerum, cum alias aliquoties, tum hoc quem modo citavimus libro:

Τηλέμαχ᾽ ἄλλα μὲν αὐτὸς ἐνὶ φρεσὶ σῇσι νοήσεις,
Ἄλλα δὲ καὶ δαίμων ὑποθήσεται ———

Id eſt:

Hæc partim ipſe tuo perpendens pectore tecum,
Partim divum aliquis tibi ſuggeret. ———

Optimum obſonium labor ſenectuti.

Ὄψον δ᾽ ἐστὶ γήρως πόνος τῷ γήρᾳ, id eſt, Optimum obſonium ſenectuti labor. Laborandum in juventa, quo ſeni ſuppetat commodius vivendi facultas. Diogenes rogatus, quid eſſe miſerrimum cenſeret: reſpondet, ſenectutem inopem. Adagium autem videtur mutilũ. Equidem opinor πόνει, i. labora, legendum, ut intelligas, ſenectutis imbecillitatem exquiſitioribus cibis eſſe fulciendam: qui quo ſuppetant ſeni, paranda res eſt in juventa.

Ni purges & molas, non comedes.

Ἂν μὴ ἐκκαθάρῃς καὶ ἀλέσῃς, οὐ μὴ φάγῃς.

Id eſt:

Niſi & repurges & molas, haud unquam edes.

Id eſt:

Non continget tibi victus, niſi tuam item induſtriam adjunxeris. Cereſ cum oſtenderet uſum frumenti Triptolemo, ita dixiſſe fertur. Videtur eſſe ſenarius è poeta quopiam uſurpatus, ſed depravatus, conſtabit ſi legas, ἀλέσῃς. Poteſt transferri longius: Non proderit tibi ingenii felicitas, niſi exercueris. Inutilis erit principum favor, niſi te geſſeris ut oportet. Nihil conducet, quod doctum præceptorem nactus es, ni vigilaveris. Refertur à Diogeniano.

Lutum niſi tundatur, non fit urceus.

Πηλὸς ἂν μὴ δαρῇ, κέραμος οὐ γίνεται, id eſt, Lutum ni tundatur, non fit teſta. Citra laborem nullus evadit virum abſolutum. Et hoc ni fallor, Apoſtolius hauſit à vulgi fæce: homo non perinde ingenio elegans, atque palato, quemadmodum accepimus ab his, qui eum domeſtica conſuetudine noverant.

Manu fingere.

Manu fingere, eſt arte curaq; formare. Metaphora ſumpta ab iis qui è cera five argilla, fingũt imagines. Lucius Annæus Seneca in epiſtolis: Quædam ingenia facilia & expedita: quædam manu, ut ajunt, facienda ſunt. Idem libro de beneficiis 6. Diſcamus, inquit, beneficia ſecure debere, & occaſiones reddendorum obſervare, non manu facere. Manu facere dixit, pro noſtra opera accerſere. Itidem Plinius libro 18. Fateamur ergo culpam, ne his quidem quæ naſcuntur cõtenti, quando, plura eorum genera manu ſiunt.

Juvenalis item in Satyra 7.

Exigiteut mores pueri ceu pollice ducat,
Ut ſi quis cera vultum facit ———

Tibullus libr. 1.

Et manibus canas figere velle comas.

loquitur de tingente capillos arte.

Perſius Sat. 5.

Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

M. Tullius in Bruto, factum appellat elaboratum: Sed ut intellectum eſt, quantam vim haberet accurata & facta quodammodo oratio. Metaphora ſumpta eſt à plaſtis ac fabris, qui rudi materiæ indicunt effigiem. Unde & factum argentum dicitur: cui opponitur rude.

Serere ne dubites.

Ruſticanum adagium, ſed non indignum, quod in hoc volumen referatur: Serere ne dubites. Quo monemur, ne quando pigeat ejuſmodi rerum aliquid moliri, à quibus, nihil omnino diſpendii plurimum emolumenti poſſit proficiſci, ſi non in præſens, certe in poſterum: ſi nō nobis, at ſaltem poſteris. Columel. li. De re ruſt. 12. Quare vulgare illud de arborum poſitione, ruſticis uſurpatum: Serere ne dubites. Nam ædificatio nōnunquam exhaurit fructus, negociatio pendet à fortuna, neque paucis male ceſſit. Eundem ad modum, ex aliis aliud atque aliud eſt vel incommodi vel periculi, ſed ex arboribus conſerendis plurimum capitur commoditatis, neque magno tamen impendio conſtat. Eandem ſententiam Vergilius, addita figura ſic extulit, libro Georgicon 2.

Et dubitamus adhuc ſerere, atque impendere curam?

Qui arat olivetum.

Columella De re ruſtica libr. 6. parœmiam hujuſmodi refert: Quinetiam, inquit, compluribus interpoſitis annis olivetum putandum eſt. Nam veteris proverbii meminiſſe convenit: Eum qui aret olivetum, rogare fructum: qui ſtercoret, exorare: qui cædat, cogere. Alluſit hic Verg. Georgic.

Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.

Huic adagio locus fuerit, ubi ſignificabimus fieri non poſſe, quin voto potiatur is, qui curam extremam impenderit. Vulgatis enim diligentia, quaſi rogat, mediocris impetrat, extrema cogit. Alluſio fit ad eos, qui à principibus improbo ſtudio officioq; ſic impetrant, ut non precibus, ſed vi videantur impetraſſe. Laudatur, atq; imitandus proponitur in Evangelicis etiam literis flagitator importunus.

Quid tandem non efficiant manus?

Ariſtophanes in Avibus:

Τί δῆτα πόδες ἂν ἐργασαίατο.

Id eſt:

Quid eſt, quod haud effecerint domum pedes?

Interpres oſtendit alluſum eſſe ad hujuſmodi proverbium:

Τί δῆτα χεῖρες οὐκ ἂν ἐργασαίατο;

Id eſt:

Quid denique eſt, quod manibus effici haud queat?

Admonet, nihil eſſe rerum omnium, quod arte, quod induſtria nō efficiatur. Cæterum quod ſcripſit Ariſtophanes apte torſeris in milites ignavos, quibus omne præſidium & ſpes ſalutis non in manibus, ſed in pedibus ſita eſt.

Proba eſt materia, ſi probum adhibeas artificem.

A Plauto dictum in Pœnulo, non ſine proverbii ſpecie: proba eſt materia, ſi probum adhibeas fabrum. Egregia quidem indoles, ſi recte inſtituatur. Felix ingenium, ſi præceptor contingat idoneus. Aut, magnificum negocium, ſi modo ſcite tractetur. Metaphora notior eſt, quam ut ſit indicanda.

Artem quævis alit terra.

Τὰν τέχναν πᾶσα γαῖα τρέφει, id id. Artem quævis alit regio. Proverbialis ſententia, qua ſignificatum eſt, certiſſimum viaticum eſſe eruditionem aut artificium aliquod. Nam hæc neque eripi poſſunt à latronibus, & quocunq. terrarum abeas, te comitantur, nihil adferentia ſarcinæ. Suetonius ſcribit, aliquando Neroni prædictum à mathematicis, fore ut imperio deſtitueretur: unde vocem illam Neronis celeberrimam extitiſſe, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, quo majore venia meditaretur citharœdicam artem, principi gratam privato neceſſariam. Itaque cum intelligeret ſibi pereundum illud identidem dictitabat: Qualis artifex pereo. velut indignum eſſet, qui tantus eſſet muſicus, ut ubivis gentium vivere poſſet, nunc fame ad mortem adigi. Nec enim aſſentior hoc loco interpretum ſententiæ, qui locum apud Suetonium hunc ſecus enarrant. Idem nullo convicio magis offenſus eſt, quam quod quidam illum malum citharœdum appellaſſet. Idem evenit Dionyſio Syracuſano tyranno, qui imperio exutus Corinthi ludum aperuit, ac pueros literas & muſicam docuit. Apparet autem ſenarium eſſe, quem citat Suetonius, ſed paucarum ſyllabarum commutatione depravatum, fortaſſis ſic reſtituetur:

Τὸ τεχνίον γε πᾶσα γαῖα οὐ τρέφει.

Fertur inter Græcorum ſententias hujuſmodi ſenarius, ab hoc proverbio non admodum diſſidens:

Ἀπορίας δὲ τέχνη κεῖται πᾶσι βροτοῖς λιμήν.

Id eſt:

Ars ipſa inopiæ portus eſt mortalibus.

hoc eſt: Unicum confugium in egeſtate ars eſt. Unde qui ſapiunt, etiam ſi ſuppetat abunde res familiaris, tamen liberos ſuos opificium aliquod diſcere cogunt: quo, ſi contingat, ut fortuna auferat opes, aut in exilium ire jubeantur, ſi quo ſibi victum parent. At nunc pleriq; quibus domi nihil eſt, [illegible]itum familiis conſenescunt: unde ſi pellantur, aut mendicandum [illegible], aut tollendum quod non poſuerunt, contra Platonis legem. Qui ſcripſit Cornu copiæ Latinum, citat ſimillimum huic proverbium, opinor vulgo jactatum: ſua cuique ars pro viatico eſt. Honeſtiſſimum ſane viaticum, modo ars ſit honeſta. Cæterum nunc paſſim obambulant, quibus nulla eſt ars, ſed condonationes ac diſpenſationes, ut vocant, emptas ac revendendas, pro viatico circumferunt.

Ex umbra in ſolem.

Ex umbra in ſolem educere, eſt rem prius abditam & ocioſam, in publicum & in communem vitæ uſum deducere. Tranſlatum ab athletis, quibus mos, ſolis & pulveris patientia confirmare corporis robur, delicatorum autem eſt, in umbra latitare. Venuſtius fiet ſi ad animi rem torqueatur: veluti ſi quis dicat, philoſophiam à Socrate ex umbra in ſolem eſſe productam. Exempla paſſim apud ſcriptores obvia.

Manus precium.

M. Tull. actione in Verr. 3. Lapis aliquis cædendus & apportandus fuit, machina ſua. Nam illo non ſaxum, non materia advecta eſt, tantum operis & in iſta locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt, & manus precium, machinæ. Manus precium appellare videtur, mercedem non quæ datur pro materia, ſed quæ artis nomine, debetur architecto. Idem in Piſonem: Quum vero non modo poſtulante atq; eo cogente, ſed invito atq; oppreſſo ſenatu, non modo nullo populi Romani ſtudio, ſed nullo ferente ſuffragium libero, provincia iſta tibi manus precium fuerit, non evertiſſe per te, ſed perditæ civitatis, &c. Ita Cajus libro De verborum ſignificationibus, c. mulieris: Quoniam in manus precio plus eſt, quam in re. Et paulo ante præcedit: Res abeſſe videntur, ut Sabinus ait, & Pedius probat, etiam ex quarum corpus manet, forma mutatur: & ideo ſi corruptæ ſunt vel transfiguratæ, videri abeſſe, quoniam, &c. Detorqueri poterit in eos, qui inſtitutione formant ad virtutem, aut corrumpunt diſcipulos.

Muli Mariani.

Muli Mariani, caſtrenſi proverbio dicti ſunt varicoſi milites, qui ex C. Marii ducis inſtituto, in furca, tabella interpoſita, ſua onera portare conſueverunt, ut teſtatur & Feſtus Pompeius. At Plutarchus in vita C. Marii originem adagii bifariam refert. Cum Marius imperator milites curſu, variiſque ac longis itineribus, geſtandiſq; oneribus exerceret atque illi jam aſſueti, non gravatim taciteq; ea ferrent, caſtrenſi joco ἡμίονοι μαριανοί, id eſt, muli Mariani dicti ſunt. Hinc tranſlatum eſt in quoſvis, qui facile parerent imperatis. Meminit adagii & Julius Frontinus lib. Stratagem. 4. hiſce verbis: Cajus Marius recidendorum impedimentorum gratia, quib. maxime exercitus agmen oneratur, vaſa & cibaria militum in faſciculos aptata furcis impoſuit, ſub quibus & habile onus & facilis requies eſſet: unde & in proverbium tractum eſt, Muli Mariani: nimirum ob laborum tolerantiam, quod Homerus ἐριαύχενας ταλαιεργοὺς identidem appellat. Sunt qui diverſam adagii originem referant. Quum enim Scipio Numantiam obſidens ſtatuiſſet inſpicere non arma modo militum, verumetiam equos, mulos & currus, quo pacto hæc quiſq; ſibi haberet exercitata atq; apparata, Marium produxiſſe equum pulcherrime ab ipſo nutritum præterea mulum habitudine corporis, manſuetudine ac robore, longe cæteris antecellentem. Itaque quum imperator Marii jumentis delectaretur, ac ſubinde horum faceret mentionem, tandem factum eſt, ut jocoſa laude, qui in officio ſe præſtaret aſſiduū, patientem ac induſtrium, mulus Marianus diceretur. Et hanc alteram proverbii originem refert Plutarchus in vita Marii, quam modo citavi. Seneca in ludicro libello, quem ſcripſit in Claudium Cæſarem, mulos perpetuarios nominat. Feſtivius erit ſi detorqueatur in hominem immenſo ſtudio, aut perpetuis negociis vehementer diſtrictum.

EX APPEND. ERASMI.

Qui per ſe ſufficit.

Εἰσί μοι ὀφθαλμοί τε, καὶ οὔατα, καὶ πόδες αὐτῷ,
Καί νόος ἐν στήθεσσι τετυγμένος οὐδὲν ἀεικής.

Id eſt:

Sunt oculi mihi, ſunt aures, geminique pedes ſunt,
Inſita pectoribus mens eſt, neque ſtulta neque excors.

Quoties negabimus nos aliena opera egere, ſed ſatis idoneos eſſe ad rem, quam volumus, peragendam. Homerus.

Ars

Ars portus inopiæ.

Λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη: Unicum confugium in egeſtate eſt ars. Simile, Sua cuiq; ars pro viatico eſt. ſup. Artem quævis alit terra. Sapiunt, qui liberos etiam ſummo rerum artib. inſtruunt, quæ eos poſtea, ſi ita fors ferat, alere poſſint.

IVNII. *Multis brachiis æqualis.*

Πολλῶν βραχιόνων ἀντάξιος, id eſt, Multis brachiis æqualis. De induſtrio homine effertur adagium, qui ingenii ſolertia plus poſſit unus præſtare, quã indefeſſa opera plures ſimul: qualis Archimedes, qui incredibilia reipſa præſtitit, veluti quum cuncti Syracuſii navium imenſæ magnitudinis τριάρμενον, ab Hierone Ptolemæo regi Ægypti extructam deducere de navalibus nequirent, Archimedis induſtria ſolus Hieron eam deduxit, ut obſtupefactus ille exclamaret: Poſthac Archimedi de quavis re loquenti credendum eſt, ut prolixe narrat Proclus lib. 4 commentariorum in Eucliden. Extat adagii uſus apud Philoſtratum in Heroicis de Palamede: ἀλλ' ἐν Τροίᾳ ξὺν Οἴακι τῷ ἀδελφῷ ἐπεραιώθη, πολλῶν φασὶ βραχιόνων ἀντάξιος ἑαυτὸν ἄγων, id eſt, Trajecit Pontone una cum fratre Oeace multorum (quod dici ſolet) brachiorum inſtar ſeipſum ducens. Ita Xenophon dixit: πολλῶν οἰκετῶν εἶναί μοι ἀντάξιον, id eſt, illum plurium ſervorum vice habeo. Nec aliena eſt hinc ἑκατόγχειρος, hoc eſt, Centimani appellatio, de ingenioſo & πολυμηχάνῳ, quomodo prædictum Archimedem Centimanum dictum annotat Euſtathius, quo uno machinæ baliſtariæ tortu multa ſimul jacula in hoſtes diſtringeret.

Telephi citiparium.

Τηλέφου ὠκυτόκιον, Telephi citiparium. Dicetur non inepte de libro erudito, qui dignus ſit legi, vel certe de libello juventuti ad imbibenda rudimenta valde utili, & è quo multarum hiſtoriarum aut rerum ſcitu neceſſariarũ cognitio hauriri queat: veluti ſiquis Grammatices inſtitutionem doctam & ſuccinctam ὠκυτόκιον appellet: aut adagiorum opus eruendis authorum obſcuritatibus neceſſarium, τηλέφου ὠκυτόκιον denominet. Fuit autem Telephus grammaticus Pergamenus, qui inter alia quæ plurima ſcripſit, collectanea epithetorum uni eidemque rei ſervientium decem libris abſolvit opus, ὁμοίων ὀνομάτων φορμόν, utiliſſimum. Poteſt & ad mechanicos artifices referri, qui compendioſa quadam doctrina artem ſuam omnem tyronibus commonſtrare poſſunt. Eſt autem ὠκυτόκιον medicamentum proprie quod partum accelerat, unde & Timotheo poetæ ὠκυτόκος σελήνη vocatur luna, quod humecta ſua natura fœtum concitet.

Palamedeum inventum.

Παλαμήδειον εὕρημα, Palamedeum inventum, pro præclaro, & ingenioſe magnaque induſtria excogitato. proverbiali ſchemate prolatum invenio apud Eupolidem, ubi ſalſe ludit in eum qui primus in convivia matulæ uſum invexerit:

Παλαμηδικόν γε τοῦτο τοὐξεύρημα καὶ σοφόν.

Id eſt:

Palamedis inventum iſtud eſt & elegans.

Palamedes Nauplii ex Climine filius Argivus, vir eximiæ induſtriæ qui multa antea ignorata deprehendit, quæ varia commemorat in Heroicis Philoſtr. nam anni 4 partes primum illum diſcriminaſſe, menſium curricula diſpeſcuiſſe, anni orbem compoſuiſſe, nomiſmatum, ponderum menſurarum, numerorum rationem inveniſſe, ordinem exercitus, vigilias teſſeræ ſignique dationem inſtituiſſe ſcribit: & præter ſuperiora ludum etiam teſſerarium excogitaſſe, οὐκ ἀργὸν παιδιὰν, ἀλλ' ἀγχίνουν καὶ σοφὴν παιδιάν, id eſt, haud ſegnem, ſed ingenioſum pariter & ſerium ludum: aut, ut Sophocles in cognomine ipſius fabulæ ait, πεσσοὶ κύβοι τε τερπνὸν ἀργίας ἄκος, id eſt, Peſſos jocundum deſidiæ remedium. Huc ſpectat & celebre παλαμήδειον ἀβάκιον abacus Palamedis, quod numeros ad calculum vocare conſueverat. Apuleius laudato induſtriæ teſtimonio illud extulit: Quis Palamedes, qui Siſyphus talem excogitaſſet? Æſchylus introducit Palamedem de ſe ita loquentem:

Καὶ ταξιάρχας καὶ στρατάρχας καὶ ἑκατοντάρχας
Ἔταξα, σῖτον τ' εἰδέναι διώρισα.
Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα.

ubi gloriatur ſeductores exercitus, & cum præfectis centuriones inſtituiſſe, frumentariaque teſſera panes diſtribuiſſe, paſtumque fuiſſe diem in tres paſtiones, in jentaculum, prandium & cœnam.

Iſthic vellus non carpitur.

Ἐνταῦθα πόκος οὐ κνάπτεται, id eſt, Iſthic vellus non carpitur aut tondetur. Convenit adagium, ubi vir doctus ſordidam provinciam, qualis eſt erudiendæ juventutis, detrectat: aut quãdo innuere volumus aliquem eſſe doctiorem, quam ut ab eo prima rudimenta & artis tyrocinia petenda ſint. aut quando alienam & alterius loci operam a quopiam expoſcimus. Natum a Xenocrate Chalcedonio philoſopho, qui illiteratum hominem, geometriæ & aſtronomiæ prorſus rudem, ipſius ſcholam frequentantem hoc dicto abegit: παρ' ἐμοὶ πόκος οὐ κνάπτεται. id eſt, Apud me vellus non deglubitur. Lanificium multos habet operarum gradus, tondetur enim primum, mox maceratur, deinde hamatis aut dentatis inſtrumentis carpitur, poſtea in netricum & textorum officinam deditur, poſtremo in fulloniam ablegatur. Facetum eſt & dignum quod hoc in loco recenſeatur, quod de Jacobo Ceratino, viro incomparabili modeſtia, & utriuſq; literaturæ ad miraculum uſq; periti ſſimo, cive meo (quem honoris cauſa nomino, quippe quo gloriatur communis illi mecum patria Horna, maritimum Hollandiæ oppidum) olim audiſſe memini, ab aurito teſte, viro ſimiliter literatiſſimo. Is quum duro parentis imperio immorigerus eſſe nollet, Trajectum (quæ ſedes eſt epiſcopalis) profectus, ut ſacerdotali dignitati inaugurandus nomen daret, quum priſci ſeculi ac proinde barbari more (quem veluti per manus traditum ita mordicus obſervant, ut piaculum ſit ab eo vel latum unguem diſcedere) ab Officialium collegio examinandis presbyterii tyronibus deputato, in quæſtione haberetur, interrogatus ut grammaticalis regulæ authoritatem recitaret homo doctiſſimus, ſpurcæque barbariei proculcator ſtrenuus, ingenue negavit ſcire ſe: ad quod reſponſum è veſtigio ex adito illo ſanctiore, ut profanus juſſus eſt excedere, grammaticamq; felicius ac diligentius evolvere. Potuerat ille cum Xenocrate dixiſſe, ἐμοὶ ὁ πόκος οὐ κνάπτεται: Equidem ego vellus non carpo, ſed rara modeſtia, ac prope unica illum continuit, quo minus vel ſe excuſaret, vel errorem illorum caſtigaret, contentus ſolum viro ejuſdem ordinis candido (cujus eruditionem multis jam annis Lovanienſis academia ſuſpicit) repulſæ ſuæ cauſam detegere: qui mox introductus in ſacrarius illud penetrale, erroris ſuos illos magiſtros admonuit, qui inſignis calumniæ maculam ipſis eſſet aſperſurus, ni oportune illi mederentur. nihil enim illo viro Lovanium habere doctius, vel Eraſmi teſtimonio documentoq; eſſe Chryſoſtomi libros de ſacerdotali dignitate caſtiſſime ab eo in Latinam linguam converſos. Ea caſtigatione factum eſt, ut agnito errore Ceratinum revocarent, injuriamq; deprecarentur, priſci moris excuſatione, non eſſe integrum ſibi à ritualium librorum ductu & recepto more diſcedere. His aliiſq; lenociniis delibutus ſacerdotio inauguratur. Nimirum ille puritati Latinæ linguæ innutritus quodam modo, trivialia grammatices præcepta vel omnino non audierat, vel neglexerat dedidiceratque, vellus illud deglubere non doctus.

Neceſſitas rationum inventrix.

Elegans eſt apud Heliodorum eodem in loco diverbium, Εὑρετικὸν γάρ τι ἐστὶ λογισμῶν ἡ ἀνάγκη. id eſt, Inventrix nimirum eſt rationum neceſſitas. Neceſſitate compulſi incredibilia perpetrant, & viribus humanis majora, eaque excogitant quæ ingenio inacceſſa videbantur. Plutarchus libro De divinatione apud Stobæum pleraſq; artes neceſſitatem adinveniſſe aſſerit, verſumque proverbialem ſubjicit:

Χρεία πάντ' ἐδίδαξε, τί δ' οὐ χρεία ἂν εὕροι;

Id eſt:

Cuncta docuit neceſſitas, quid enim illa non adinveniat?

Quem verſum protuliſſe legitur Archytas Tarentinus, perlecto Eratoſthenis Mercurio. Poteſt & ad egeſtatẽ & inopiam referri, quam non immerito σοφίαν αὐτοδίδακτον appellat Xenophon, hoc eſt, ſapientiam nulla doctoris operâ acquiſitam: & Aul. Perſius ventrem vocat ingenii largitorem. Antiphanes comicus:

Πενία γάρ ἐστι, ὦ τρόπων διδάσκαλος.

Id eſt:

Mores magiſtra docet egeſtas optime.

Expiatis bona obtingunt.

Athenæus in primo Dipnoſophiſtarum initio, verſu hoc proverbiali utitur ex Callimacho Cyrenæo deſumpto:

Τρὶς δ' ἀπορρανάμενοι θεοὶ δεδώκασιν ἄμεινον.

Id eſt:

Dant bona cuncta Dei, ter vivo flumine tinctis.

Poſtularat autem Timocrates communicari ſibi ſermones eruditos in menſa variis de rebus habitos, neq; patiebatur ſe excludi ab ea auditione tanquam profanum, & myſteriorum cognitione indignum. Solebant vero antea quam ſacra attingerent, luſtrari ter ſe lavando aut circumferendo: quod ipſum antiquum eſt ſacrorũ verbum, pro purgare, Plauto quoque uſurpatum: ibi,

Pro lavatore circumferam.

quem morem expreſſit Vergil. in 6. ubi ait:

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Luſtravitque viros.——

Licebit uti, quando poſtulabimus participes fieri ſcientiæ reconditæ aut cognitionis rei cujuſpiam arduæ; tanquam ſymmiſtæ: veluti ſi anatomicæ diſſectionis ſtudioſus rerum quarundam difficilium explanationem ab Andrea Veſalio, ea in arte extra omnem aleam periti ſſimo, efflagitet. Transferri etiam poteſt ad animum vitiorum ſentina liberum.

BRASSICANI. *Aſteropæus.*

Quoniam Homerus poëta Iliad. libr. φ. heroem Aſteropæum ſcribit ambidextrum fuiſſe, nempe qui ſiniſtra tam expedite atque dextra manu uteretur, ſic dicens:

Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν,

cujus rei meminit & Galenus medicus libro ſeptimo, commentariorum in Aphoriſmos Hippocratis, aphoriſm 43 factum eſt, ut qui ad multas res agendas expedito & prompto ingenio eſſent, Aſteropæi dicerentur. Athenæus lib. 1. Deipnoſophiſtῶn, ſcribit Marcum Antonium Imperatorem, quod is in utriuſq; linguæ cognitione fuerit ex æquo conſpiciendus. Aſteropæum quendam dici potuiſſe. Hoc idem Libanius Sophiſta Montio Conſuli tribuit in exordio argumentorum in Demoſthenem. Huc confer Junii viceſimonono, adag. Cent. 8. Aſteropæus ambidexter.

IOANNIS VLPII.

Domi militiaque.

Pro quo Græci dicunt, ἐν εἰρήνῃ καὶ πολέμῳ, id eſt, In pace & bello. de eo dicitur, qui & ſemper & nuſquam non utilem ſeipſum præbet. Æſchines.

COGNATI. *Plerumque manus ipſa re præſtat.*

Manus nonnunquã apud metaphoricos accipitur pro artificio. Julius Solinus: Ea ædes manus Dædali oſtendebat. Cajus quoq; juriſconſultus tit. de verbor. ſignif. id eſt, mulieris & l. qui inſulam. § qui ædem. loc. Plerumq; plus in manus precio, quam in re eſt. Cicer. circa finem tertiæ Verrinæ: Et manus precium machinæ. Ubi Pedianus manus precium ait dici, ubi non tam materiæ ratio, quam manus atque artis ducitur. invenies & in oratione adverſus Piſonem. Marc. Vitruvius Pollio de architect. libr. nono. Hieron Syracuſis auctus regia poteſtate, rebus bene geſtis, cum auream coronam votivam diis immortalibus in quodam fano conſtituiſſet ponendam, manu precio locavit faciendam, &c. Plinius libr. 34. capite ſeptimo. Solitum enim ex manu precio cujuſcunque ſigni denarios ſeponere aureos ſingulos. Vulgus pro manufactura diceret. Utitur etiam libro triceſimoquinto, capite ſecundo, lib. 33. cap. 2. lib. 29. cap. 1. Quod manufactum & datum, inquit Varro libro 4. de lingua Latina: proco, manu precium, à manibus & precio. In pleriſque rebus materiæ formam præſtare Ovid. quoq; ait:

> Materiam ſuperabat opus. ———

Baſilius ad nepotes capite 15. [illegible]. Gregorius Theologus lib. 1. Sent. γραφεὺς δέδεικται τὸ πῶς ἐν ταῖς πινάξι. id eſt, Pictor tabellis comprobatur editis.

Αἰγυπτιάζειν.

Hoc eſt, Ægyptium agere: pro eo quod eſt, occulta præſtare. Hinc aliud proverbium manavit: Præſtantes in contexendis machinis Ægyptii. Hæc idem Euſtathius ibidem.

Ἀστεροπαῖος.

Quoniam Hom. Iliad. φ. Aſteropæum heroa meminit ambidextrum fuiſſe, nempe qui ſiniſtra tam expedite atq; dextra uteretur:

> Ἥρως Ἀστεροπαῖος, ἐπεὶ περιδέξιος ἦεν.

factum eſt ut qui ad multas res agendas expedito & prompto ingenio eſſent. Aſteropæi dicerentur. Hoc idem Libanius Sophiſta Montio conſuli tribuit in exordio argumentorum in Demoſthenem. Et Timocrates apud Athenæum Larenſimo convivarum principi. (Explicatum a Junio Cent. 8. prov. 29.)

Quod natura negat labor præbet.

Multis enim perſuaſum eſt, neminem ſtudio & labore quocũque ad carmen aptum fieri, niſi ad ipſum natus fuerit: quibus illud vulgo objicitur: Quod natura negat, induſtria & labor ſæpe præbet. Adde virtutem homini labore & induſtria parari, non inani & vana rerum argumentatione. Hinc Virg. 1. Georg.

> ——Labor omnia vincit Improbus, &c.———

& Manlius in primo:

> Et labor ingenium miſeris dedit, &c.

Heliodorus Æthiopicæ hiſtoriæ lib. 3. τέχνη καὶ φύσιν οἶδε βιάζεσθαι. id eſt. Ars & naturam frangere poteſt.

Capitalis.

Capitales interdum à Gallis ingenioſos & acutos dictos eſſe in proverbiis, notum omnib' eſt. Id etiam valuiſſe vocabulum illud apud veteres, docet Ovid. lib. 3 Faſtor. qui de Minerva capta diſſerens, multaſque ejus appellationis cauſas proferens, hanc primam ponit, dictam videri poſſe capitam, quaſi capitalem: quod ingenioſa ſit. Verſus quibus ea ſententia continetur, hi ſunt:

> Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
> Quæ dea natali cœpit habere ſuo.
> Nominis in dubio cauſa eſt. Capitale vocamus
> Ingenium ſolers: ingenioſa dea eſt.

Cic. in epiſt. quadam ad Qu. fratrem: Siculus ille capitalis, acutus Thucydides.

POLYDORI VIRGILII.

Aioth ambidexter.

Homo manu promptus. Vide ſupra Jun. adag. Aſteropæus ambidexter. Fuit Ajoth, Hebræorum dux à Deo conſtitutus, qui Moabitas vicit, eorumque ſervitute populum liberavit, læva pereinde manu utens ut dextera. Torqueri poterit in furem, & utraq; manu egregie rapacem.

In centro & circumferentia contendere.

Pro, decertare in rebus æque arduis & pari laude dignis. Ortum à duobus pictoribus de præſtantia contendentibus: quorum primus arrepto penicillo abſque ope circini, manu ſeſe in aëre ſolide librante, circuli circumferentiam pinxit, ita apte, ut nuſquam à vera rotunditatis æqualitate, omnium judicio erraret: alter deinde ſolo penicilli acumine centrum in medio circulo ita recte deſignavit, ut regula non potuerit rectius. Contentio nondum finita eſt, & licet prioris opus, plus diligentiæ & artis deſideraſſe nobis videatur, te tamen, amice lector, quo minus aliter judices nihil prohibet.

EX APPENDICE CANTERI & aliorum.

Ars cenſus, opera vita.

Meretur recipi inter parœmias hoc vulgo omnibus decantatiſſimum, cum hominem non patriis opibus vitam tueri, nõ amicorum ſubſidiis niti, nec parcis frui, aut dote uxoris beatum, propinquorum ut hæreditate locupletatum, ſed quotidiana opera & opificio vel arte ſuamq; familiam alere ſignificabimus. Alterum legitur apud Ovidium Metamorph. 3.

> Pauper & ipſe fuit, linoque ſedebat & hamis
> Decipere & calamo ſalientes ducere piſces:
> Ars illi ſua cenſus erat. ———

Alterum extat apud Terentium in Phormion. Pauper, cui opera vita erat, ruri fere ſe continebat: ibi agrum de noſtro patre colendum habebat.

INEPTA.

IVNII. *Neronianas thermas refrigerat.*

De inſulo homine, in quo nihil eſt venuſtatis, nihil Mercurialis ſalis, dicetur eleganter illud Epigrammatarii: Neronianas refrigerat thermas extat autem lib. 5. de Sabineo oratore inepto & frigido:

> Si temperare balneum cupis fervens,
> Fauſtine, quod vix Julianus intraret:
> Rogo, lavetur hic rhetor Sabineus,
> Neronianas is refrigerat thermas.

Tertium verſum ex vetuſto manuſcripto codice paulo aliter lego, quam in impreſſis codicibus legitur. Apparet aut thermas Neronis ferventiſſimas fuiſſe: quarum fornicum veſtigia adhuc hodie viſuntur Romæ, prope ædem S. Euſtathii. quarum mentio fit apud eundem libro ſeptimo:

> Quid thermis melius Neronianis?

Quadrabit adagium in quorundam hominum conciones ineptiſſimas aut ſcripta invenuſta, quæ vel Neronianas thermas refrigerare poſſent.

COGNATI. *Nudato Petro Paulum tegere.*

Hic ſermo in ore verſatur omnium Gallorum, in eos qui ſic à præſentibus malis extricant ſeſe, ut aliis gravioribus impediantur.

Non eſſet rectum, minori parere majorem.

Plato in Theæteto: Neq; enim fas eſt, hujuſmodi in rebus ſapienti viro juvenis minus pareat. Poſt, Nefas eſt recte loquenti non aſſentiri.

Ne manus quidem ad cantum.

In Græco Georgii Cedreni, ὁ παραγγέλματα τὸ χειρονομεῖν. Manus autem agitatione cantus regitur, menſuraque (ut vocant) præſcribitur, ut ad manus motum, tempora carminis quod canebatur, reſponderent Ita Horatius vult virgines Apollinem & Dianam Sapphico carmine celebrare, ipſo præeunte, 4. od. 6.

> Lesbium ſervate pedem, meique Pollicis ictum.

GODOFREDI. *Forum bajuli vicani.*

In contemptum, ſuggillationem, & notam judicii cujuſq; inepti, incompoſiti, & ridiculi: quale eſſe ſolet præfecti vicani, quem bajulum vocant, quod ipſi dignitas oneri potius ſit quam honorẽ.

Γυνὴ στρατηγεῖ.

Femina exercitum ducit. In eum cui negocium committitur, qui ei ineptus eſt gerendo. Nam Hom. Iliad ζ. tradit colum, telam, ac ancillarum curam mulieribus eſſe propria, bella viris. Utitur Tiraquell.

Devorata verba.

In eos qui quid dicunt, annotantque, ſed ſine ſale & eruditione: vel in eos qui aure haberi quid exaudiũt, & nõ reguſtata tranſmittunt, abſq; reditus & utilitatis obventione. Sumptum a ligurientibus & devorantibus cibum inſipidum, unde nullum guſtum vel ſuccum percipiũt. Duarenus: Ut cum, inquit, in veterum juris au-

thorum

thorum lectione diligenter ſe exercuerit: ſi doctrina eorum ſuaviſſima, non vorata modo, ſed concocta etiam, & in ſuccum ac ſanguinem converſa nondum expletus fuerit, aliorum doctrina ſe ingurgitet.

A bellariis epulum commendare.

Ἀπὸ τῶν τραγημάτων τὴν δείπνου ἐπαινεῖν. De iis qui res maximas a minimis partibus atque commodis commendant. Ariſtid. Panathenaica.

INFACVNDIÆ.

ERASMI. Βατταρίζειν.

Βατταρίζειν, dicebantur vulgo qui balbutirent, quibuſque hæſitans eſſet & impedita lingua, quod Græci τραυλίζειν appellant. M. Tullius ad Atticum libro ſexto, τῆς ξυναγωγῆς τῆς ἱερᾶς ἀπολειφθεὶς ἀδοξίᾳ καὶ ἐγὼ βατταρίζω. Quod vitium & ex humore immodico naſci docet Hippocrates. Probat Galenus comment. 6. unde in pueris ac temulentis fere accidit: quanquam addit & alias cauſas, indicans potiſſimum fieri in τ & ρ. pro quibus ſonant τ λ, unde fit, ut ægre ſuum ipſorum vitium pronuncient τραυλισμόν. De pueris cur magis balbutiant quam viri, quærit Ariſtot. ſectionis 11. problem. 30: Diſtinguit autem illic philoſophus τραυλότητα, ψελλότητα & ἰσχνοφωνίαν. Trauloſin autem definit, quum quis literam quampiam non poteſt exprimere, non quamlibet, ſed certam aliquam. Hanc Theodorus, vertit blæſitatem. Ψελλότητα vero, quum litera quæpiam aut ſyllaba ſupprimitur: veluti quum στρόφιν, dicitur pro στρόφιον. hanc Theodorus vertit balbutiem. Ἰσχνοφωνίαν vero quum non valent expendite ſyllabam ſyllabæ contexere pronunciando, quam Theodorus vertit linguæ hæſitantiam. Quæ vitia frequentius accidũt pueris, ut dictum eſt, ſenibus ac vinolentis, unde Flaccus balbam ſenectutem vocat. In cauſa putat Ariſtoteles vitium imbecillitatem, quæ non queat animo ſub ſervire. Etiamſi Tullius βατταρίζειν accipere videtur propemodum pro effutire. Inde tranſlatum ad eos, qui nugas deblaterant. Unde βατταρισμὸν nugacitatem vocant. vocem a Batto quopiam Thebano mutuati, cui vox fuerit exilis, linguaque parum articulata, cui Pythia dixerit, Βάττ' ἐπὶ φωνὴν ἦλθες, id eſt, Batte ad vocẽ veniſti. Autor Heſychius, addens quibuſdam videri vocem imitatitiam, qualis eſt φλοῖσβος, aliæque innumeræ. Dicunt & βαττολογίαν multiloquentiã, à Batto quopiam poëta, cui mos erat in poëmate eadẽ ſubinde inculcare. Utriuſque meminit Suidas. Verum hæc nihil ad ſenſum Ciceronis. Mihi magis apparet dictum fuiſſe βατταρίζειν, pro dolo malo agere: quod apud Cyrenæos vulpes dicatur βάσσαρος, teſte Herodoto, ut Latini quoque dicunt vulpinari. Battarus enim dux fuit deducendæ in Cyrenen Coloniæ. De pſelliſmo dictum eſt nobis alias.

Canere ad myrtum.

Ἄιδειν πρὸς μυῤῥίνην. id eſt, Ad myrtum canere, proverbio jubebatur imperitus literarum, & infacundus, quique non poſſet apud eruditos loqui. Hinc ſumpta metaphora, quod apud veteres mos eſſet, ut in conviviis ſinguli ſuam cantionem canerent: quod ſi quis citharam accipere recuſaſſet, ut pote muſices ignarus, is per jocum accepto ramo laureo ſeu myrteo, cogebatur ad eum canere. Porro priſcis hunc canendi fuiſſe morem, teſtatur & Fabius lib. Inſtitutionum 1. Unde, inquiens, etiam ille mos, ut in conviviis poſt cœnam, circumferretur lyra: cujus cum ſe imperitũ Themiſtocles cõfeſſus eſſet, ut verbis Cic. utar, habitus eſt indoctior. Sed veterum quoq; Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Plutarchus 1. Sympoſiacon libro ſcribit, olim fuiſſe morem ut in convivio primum voce commum deum canerent παιανίζοντας ait, deinde myrteum ramum unicuique tradi ſolere, quem αἴσακον vocatum exiſtimat, quod is qui eum accepiſſet, caneret. Poſt lyrã circumlatã, qui peritus artis fuiſſet, eam accipiebat, canebatque ſonum chordarum ad vocem attemperans. Recuſantibus autem muſices imperitis, σκολιὸν carmen dicebatur, quod non eſſet vulgare, neque cuivis facile. Alii dicunt myrtum non ſolere ordine circumduci, ſed à ſponda ad ſpõdam transferri, ut poſteaquam cecinisset is qui in prima ſpõda primus ſedebat, ei traderet, qui in ſecundo lecto primus accumberet, hic rurſum tertii lecti primo: deinde rurſum primi lecti ſecundus, ſecundo loco in ſecunda accumbenti ſponda traderet: cumque ad modum per omnes iret. Hæc ferme Plutarchus.

Pejus Babys tibia canit.

Κάκιον Βάβυς αὐλεῖ. i. Pejus Babys cantat. Hoc adagium jaci conſuevit in eos, quorũ exercitatio ſemper vergit in pejus. Quod genus ſunt oratores quidã qui quo diutius dicũt, hoc dicunt indoctius. Refertur autem ad hujuſmodi fabulã. Ferunt Babym fratrẽ fuiſſe Marſyæ, qui non veritus eſt ipſum Apollinẽ ad canendi certamen evocare. A quo quum eſſet victus, ab eodem ſupinus de pinu ſuſpenſus, excoriatus eſt. Deinde cum Apollo pararet Babym quoque perdere, interceſſit Pallas, admonens hunc uſque adeo infeliciter & indocte tibiis canere, ut omnino negligendus eſſe videretur: χεῖρον, inquiens βάβυς αὐλεῖ. Ideſt, Deterius Babys tibiis canit. Quibus verbis commotus Apollo Babyn adeo contempſit, ut eum ne ſupplicio quidem dignum exiſtimaret, ſed ſuæ potius inſcitiæ judicaret relinquendum. Uſurpabitur adagium & per comparationem, ut mentione facta de præceptore indocto, ſiquis de diſcipulo percunctanti, hoc pacto reſpondeat: χεῖρον Βάβυς αὐλεῖ. Neque vero repugnarim, ſiquis hoc loco χεῖρον, accipiat pro miſerius, ut ſit ſententia, Babym infeliciorem eſſe, dum indocte canens omnib. eſt ridiculus, quam ſi tolleretur è medio. Meminit hujus adagionis Athenæus lib. 14. oſtẽdens dici ſolitum de iis, qui indies deterius canerent. Quanquam hic locus apud hunc autorem depravatus eſt in vagatis exemplaribus, ni fallor. Sic enim legimus, καὶ κίων ἢ βάβυς αὐλεῖ, id eſt, Et Cion aut Babys canit. Erroris anſam præbuit, quod paulo ante commemorans ineptos tibicines, quos Hipponax jambographus laceraſſet, nominavit Cionem, Codulum & Babyn. In collectaneis quæ noſter excudit Aldus, reperio, τὸν βάβυος χορόν, id eſt, Babys chorum: pro indocta, parumque modulata cantione & fabulam aſſcriptam hujuſmodi. Mæandro fluvio duo fuere filii, quorum Babys ſolitus eſt unica tibia canere, Marſyas duabus Phrygio more. Cum autem ſuum uterque chorum haberet, & Babys inſcite tractaret tibiam, frater eò inſolentiæ ſublatus eſt, ut Apollinem quoque præ ſe cõtemneret: à quo cum eſſet excoriatus, jamque Babys ſimilis pœna pararetur, Palladis interventu exemptus eſt ſupplicio. Verum equidem ſuſpicor ſcripturam eſſe depravatam, ac legendum eſſe τοῦ βάβυος χεῖρον, ut idem ſit cum eo quod modo retulimus.

Ialemo frigidior.

Ἰαλέμου ψυχρότερος, id eſt, Ialemo frigidior. De cantione, oratione, argumento, loco, aut ejuſmodi re quapiam ſupra modum frigida, recte dicetur. Quidam ajunt Ialemon, lugentis vocem fuiſſe. Nam ἰαλεμίζειν Græci dicunt, pro complorare. Euripides in Troadibus Ialemon accipit, pro ejulatione & luctu:

> Οἷος ἰάλεμος, οἷά τε πένθη,
> Δάκρυά τ' ἐκ δακρύων καταλείβεται
> [illegible] μετέροισι δόμοισιν.

Id eſt:

Qui ejulatus quique luctus lachrymæque ſuper lachrymas diſtillantur in noſtris ædibus. Et Ariſtophanes apud Athenæum, grammaticus opinor, in dictionibus Atticis: ἐν γάμοις, inquit, ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος. id eſt, In nuptiis Hymenæus, in luctu Ialemus. Alii tradunt Ialemum Calliopes fuiſſe filium, infelicem, nulliuſque precii hominem, præſertim in cantu ſupra modum frigidum: unde ἰαλέμου ᾠδὴν, id eſt, Ialemi cantilenam, pro frigida dicunt ac miſerabili. Martialis item jocans in oratorem quendam frigidum, ait iſtum unum idoneũ eſſe, qui thermas refrigeret Neroniãas. Heſychius indicat & hoc pacto efferri proverbium, ἰαλέμου οἰκτρότερος i. Ialemo miſerabilior. Idem indicat ἰάλεμον dici, quod nullius precii quemadmodum Latini Nænias appellant: quum ea vox proprie ſonet lugubres cantiones.

IVNII. Veneris expers.

Ἀνάφροδιτος invenuſtum, omniſque veneris expers, & triviale, non ſine proverbii ſpecie dixiſſe videtur Eunapius Sardianus, de Porphyrii coævis ſcriptoribus, Origene, Amelio, & Aquilino loquẽs: Quorum ſcripta, inquit, tametſi ſuperſint, nullo tamen in numero ſunt, magna etenim invenuſtas in dicendo innata, tametſi dogmata ſana ſint. Græce ſonant longo diſertius: συγγράμματα μὲν καὶ αὐτῶν περιφέρεται, λόγος δὲ αὐτῶν οὐδείς. πολὺ γὰρ τὸ ἀκύθηρον (εἰ καὶ τὰ δόγματα ἔχει καλῶς) ἐπιτρέχει τοῖς λόγοις. Vox efformata videtur ἀπὸ τῶν κυθήρων, eſt enim eo nomine inſula ita nuncupata, à qua Cytheræa Venus dicta, ὅτι προσέκυρσε κυθήροις, quod illuc appulerit, ut voluit Heſiodus: alioqui à rotarum purpurearum præſtantia etiam Porphyruſa dicta, teſte Stephano, vel certe ἀπὸ τῆς κυθήρης. id eſt, à venere, quomodo Anacreon, ὄμμα δ' ὑγρὸν ὡς κυθήρης. Oculum putrum & lubricum veneris inſtar. Sic enim & ἀναφροδίτους illi dicunt quod gratia caret. Latinis quoque uſitata eſt ea loquẽdi formula, ut venerem pro ornatu & venuſtate accipiant: Ita Quintilianus Iſocratem omnes dicendi veneres ſectatum eſſe ſcribit. & alibi: Quod cum gratia quadam & Venere dicitur. Huc ſpectat, quod Plutarchum omnis ſcientiæ locupletiſſimum ſcriptorem, πάσης φιλοσοφίας ἀφροδίτην καὶ λύραν vocat Eunapius Sardianus, velut omnis eruditionis venerem & lyram. & autor innominatus, qui argumenta aliquot Ariſtidæ delibavit, ἀφροδίτη λόγου σωφρόνως ἁρμόζουσα τὸ σύγγραμμα, id eſt, Orationis venus temperate concionata.

Non è palæſtra.

Quicquid parum nitidum eſt & excultum artis pigmentis, ſed horridum potius ſine nitore ac palæſtra, ut Cicero loquitur, id οὐκ ἐκ παλαίστρας εἶναι, hoc eſt non eſſe a palæſtra proverbialiter dicitur. Convenit & in eum, qui citra exercitationem aut ingenii cultum, naturæ beneficio facundus eſt: talis enim diſertus eſt, at non è palæſtra. Dionyſius Mileſius ſophiſta, quum declamantẽ audiſſet Polemonem oratorem haud vulgarem, ἰσχὺν, inquit, ἀθλητοῦ ἔχει, ἀλλ' οὐκ ἐκ παλαίστρας, id eſt: Vires athletæ habet, at nõ è palæſtra, indicare volens nativum ingenii robur, exercitatione & cultura deſtitutum. Cicero in Oratore ἀπαλαίστρους, ut Budæus legit, aut ut alii ἀπαλαίστους, quaſi palæſtræ rudes vocat arte carentes, & in dicendo non exercitatos, his verbis: Itaque qualis eorum

motus.

motus, quos ἀπαλαίστρους Græci vocant, talis eorum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris ſententias. Fabius libri 9. cap. 4. Sicut etiã quos paleſtritas eſſe nolumus eos qui dicuntur ἀπάλαιστροι. Nam palæſtra corpus veluti formet, fingitque, ut ſit habile ac venuſtum: unde & palæſtræ præſules deos antiqui habue. ũt Mercurium & Herculem, ut ex Syneſio alibi diximus, quo ſignificatẽt cum ingenio robur conjungi debere. Unde Palæſtricam Mercurii artem appellat, Heliodorus lib. 10. τῆς ἐναγωνίου ἑρμοῦ τέχνης ἐμπειρότατος, id eſt, in concertatoria Mercurii arte exercitatiſſimus. Diverſo ſenſu dictum eſt à Pindaro in Nemes Oda 4. ἀπάλαιστος ἐν λόγοις ἔλεγεν, Mileſiam inſuperabilis eloquẽtiæ virum deſignans, ut paſſive prolatum ſit, qui in dicendi aut diſceptandi palæſtra dejici non poſſit.

Γαλῆν' ὁρῶ.

Proverbiale ſcomma eſt in parum rite pronunciantes, & quæ cæſura intercipiuntur, non recte diſtinguentes quod vitium multis familiare eſt, & in Homero illud: ſuggillat ſæpius Euſtathius. Tractum eſt autem è comico Strattide in fabula ἀνθρωπορραίστης, ubi ſic inquit:

Ποῖ ποῖ; γαλῆν' ὁρῶ. ποῖ πρὸς θεῶν. γαλῆν' ὁρᾷ.

Ad verbum ita ſonat:

Quo quo? felem video: quo per deos, felem tranquillitatem:

In Græcis vocibus aſſimilibus hæret omnis dicti gratia: quarum altera γαλῆν, felem aut muſtelam vocat, altera γαλήνην, tranquillam ſeu ſerenam tempeſtatem. Latinus ſermo eam venerem aſſequi non poteſt. Originem vero ſumpſit ab Hegelocho hiſtrione, qui Oreſten Euripidis fabulam quum ageret, verſum illum Tragici,

Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν' ὁρῶ

deficiente ſpiritu, minus articulate diſtinguens ſynalœphen, qua vocalis α abſorbetur, non γαλήνα, ſed γαλῆν viſus eſt auribus enunciaſſe: quamobrem Comici pleriſque huic verſui illuſerunt, inter quos & Sannyrion in Danae, his verbis:

Τί οὖν γενόμενος εἰς ὀπὴν ἐνδύσομαι;
Φέρ' εἰ γενοίμην γαλῆ; ἀλλ' ὁ Ἡγέλοχος με μηνύσειεν
Ὁ τραγικὸς ἀνακραγὼν ἂν εὐθὺς εἰς ἐχθροὺς μέγα,
Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν' ὁρῶ.

Id eſt:

Quid factus optime, ſubibo antrum cavum?
Muſtella quid ſi fiam: at Tragicus illico
Me prodet hoſti Hegelochus alte clamitans,
E fluctu muſtelam rurſus conſpicor.

Alioqui Euripidis verſus muſtellæ non meminit, ſed metaphorice loquitur de commutatione fortunæ in melius ad modum naucleri, qui poſt tempeſtatem, ſerenum cœlum proſpicit.

Suilla harmonia.

Ὕειος ἁρμονία, id eſt, Suilla harmonia, proverbii ſpecie de incõdito & indocto clamore effertur alicubi ab Ariſtide: τὴν ὕειον ἁρμονίαν ἁρμοττόμενοι, id eſt, Harmoniam porcinam modulantes. De ineptis & obſtreperis ſentiens, ac moleſto barbaroque ſermone obgrunnientibus: cujuſmodi eſt odioſa Realium vel nominalium (qui ſectas inter ſe diſſectas ante noſtra tempora fecerunt in Philoſophia) & qui ab auribus nomen uſurpant, natio.

Turtur cantat.

De inepto cantore extat proverbium apud Suidam, τρυγὼν ψάλλει, id eſt, Turtur pſallit aut canit: quãquam apud illum perperam ſcriptum legitur ἐπὶ τῶν φαύλως ᾀδόντων pro ψαλλόντων. nam turturum vocis ſonus aſperior eſt, & inamœnum ſtridet, gemitui quam cantui propior, quod τρύζειν Græci dicunt, unde & ad odioſam loquacitatem transfertur. Hinc Idyllio ſeptimo Theocritus.

Ἄειδον κόρυδοι, καὶ ἀκανθίδες, ἔστενε τρυγών.

Id eſt:

Cantabant corydi & ſpini, turturque gemebat.

Poteſt & ad ineptum inepti carminis ſcriptorem transferri.

Manliana.

Manliana a Cicer dici videntur ſcripta horrida, nulla varietate condita, uniformia, & quæ pigmenta orationis reſpuunt Cic. l. De oratore: Nec eſt quiſquam eorum qui ſi jam ſit ediſcendum ſibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit, quam Manlianas venalium vendendorum leges ediſcere. Ex quo loco apparet, Pacuvianam fabulam propter verũ varietatem & ſtyli venuſtatẽ delectationis fuiſſe plenam: at Manlianas leges veteri loquendi cõſuetudine inamœnas & uniformi ſcribẽdi genere auribus ingratas moleſtaſque fuiſſe. Licebit & Accurſianas ineptias aut qualiacũque ſcripta ſtyli horrore moleſta, Manlianis legibus aſperiora proverbio dicere, vel hoc modo: Manlianas leges non perinde auribus faſtidiũ ciere, ut hujus aut illius ſcripta. Alioqui Manliana dicuntur eidem Ciceri imperioſa, & pervicacia quadam ſancita, ut lib. 2. De finibus honorum & malorum: vide ne iſta ſint [illegible]anliana veſtra, aut majora etiam, ſi imperes quod facere nõ poſſim: idque à Manlii rigiditate prænimia: quem Aul. Mãlium in lib. Offic. nominat Cicero. An vero idem hic fuerit an alius, quem Cicero in prima Philippic. M. Manlium appellãt, haud ſcio, ubi ait: Propter unius M. Manlii ſcelus decreto gentis Manliæ neminem patricium [illegible] Manlium vocari licet.

Alabandicum opus.

Ἀλαβανδιακὸν σύγγραμμα, id eſt, Alabandicum ſcriptum vel opus, pro inepto ac barbaro dici proverbialiter invenio: & Philoxenus ἀλαβανδιακὸν σολοικισμὸν, ſolœciſmum Alabandicum nominat turpem & vitioſum, utrumque eſt apud Stephanum, Hermolaus Barbarus impolitos ac rudes carbunculos, Alabandicos dici annotat, ut Alabandicos libellos, ineptos & barbaros. nam in univerſum Cares omnes, inter quos ſunt Alabandæi, βαρβαρόφωνοι ab Homero nuncupantur, à barbarie & ruditate: quorum vecordia vel in eo eluxit, quod in gymnaſio, loco certaminibus & exercitationi corporis dedicato, ſtatuæ apud eos viſerẽtur habitu cauſidicorũ. contra in foro judiciario, diſcos aut ſimile quid manibus tenerent, ordine plane præpoſtero. Alabanda Cariæ urbs, ab Alabando, quem indigetam deorum in numero colebant, cõdita inter duos colles utrinque in acclive ſurgentes ſedet, ita ut ſpeciem referat clitellarum inverſarum. Ita enim vertenda ſunt Strabonis verba ex libro 14 ἀπὸ τῶν ἐπικειμένων κανθηλίων κατεστραμμένων, quæ perperam interpres reddidit, ut cillæ inverſæ ſpectũ exhibeant. quãquam & Græcus codex non careat menda pro κατεστραμμένων, egem κατεστρωμένων. unde emerſit jocus Apollonii, dicentis eam eſſe σκορπίων κανθήλιον κατεστρωμένον, hoc eſt, ſcorpionũ clitellas univerſas, ſcorpionum addens, propter iſtorum animaculorum abundantiam: ſugillat poſtea illos, ut molliter ac deliciis deditos, & τρυφῶντας hoc eſt libidine ferventes. Sic enim malo reddere, quam cum interprete, luſſitos.

COGNATI. *Frigus inducit.*

Mendacia, inſulſique ſermones frigus afferre dicũtur: cujus frigoris tãta vis eſſe dicitur aliquando, ut extinguere poſſit quodvis incendium. Franciſcus Floridus libro 1. Succiſivarum lectionum de Catulli epigrammate loquens: Omnes ſales omnemque leporem amitteret, & Alpina glacie eſſet frigidius. Demetrius Phalereus de elocutione, orationis frigidæ quoque facit mentionẽ, dicitque oſtẽtationis eandem quæ frigoris rationem eſſe. Sic Quintil. in 2. Itaque illud quæſtionum & argumentorum frigus apud corrupta judicia evitant ψυχρολογία a Græcis dicitur. & ψυχρολογεῖν. Frigere etiam eſt eorũ, qui plauſum nõn aſſequuntur. Cicero in Bruto: Quare tibicen diceret d[illegible] ſane frigenti ad populũ Mihi cane ac Muſis. Columna apud Macrobium lib. 5. Lucul. quæſt. Nam ſi nullum extaret, inquit, condimentum, fieret ſermo qui frigidus appellari ſolet, vel (ut rectius dixerim) exanguis & aridus, & frivolus puerilisque: de quo Horatius in Arte:

Serpit humi tutus nimium, timidusque procellæ:

eſſetque prorſus obſoniis illis ſimilis, quæ ſalem non habent.

Carmen deductum.

Virgilius in Sileno. Deductum dicere carmen, dixit pro tenui, exili & humili dicendi charactere, velut eidyllia, hoc eſt, exiles ac ſeparatæ imagunculæ, quales ad uſum obſignandarum literarum in gemmis aut auro ſculpi ſolent. translatione petita a lana. Meminit hujus Quintil. lib. 8 Inſt. cap. 2. At illud, inquit, jam non mediocriter probandum, quod hoc etiam modo laudari ſolet: ut proprie dictum id ſit, quod nihil inveniri poſſit ſignificãtius: ut Cato dixit, C. Cæſarem ad evertendam remp. ſobrium acceſſiſſe: & Virgil. Deductum carmen, id eſt, tenue. Recte quoque notat Macrobius ſexto Saturnal. deductum, pro tenui & ſubtili eleganter poſitum, ad imitationem antiquorum, qui deductam vocem tenuem & dimiſſam dicebãt. Et ſimiliter vocem deducere, tenuem & tinnulam reddere: ut plenius teſtibus ab eo citatis probatur. Hinc deducere pro imminuere & detrahere: unde & deductio pro imminutione, Pediano Aſcanio authore. Et Paulus juriſconſultus Digeſtorũ libro quinquageſimo, titulo illo aureo, de verb. & rerum ſignificatione, ſcribit: Bona intelliguntur cujuſque, quæ deducto ære alieno, ſuperſunt: venuſta autem metaphora videtur inſinuari, ne quid ſupra vires audeamus. Primum igitur in facili non argumento experimentum noſtri faciemus, atque tenui carmine præludemus, dum vires corroborentur & grandeſcãt, ne in dolio (ut fertur) figulinã diſcamus. Proinde deterritus gravioris materiæ ad Bucolica divertit. Convenit vero huic generi poematis peculiare orationis filum, nempe humile, preſſum, & figuris cum a vita communi, tum vero præcipue a re ruſtica petitis.

Barbarus.

Strabo libro 14. Sed ego arbitror, ab initio conficto nomine eos barbaros appellatos, qui difficulter, aſpere ac duriter loquerentur, ut bleſos, balboſque dicimus: omnes itaque, qui craſſe loquuntur, barbari dicuntur: quales ſunt nationes omnes, præter Græcos: quare illos proprie barbaros appellavit: ac in initio quidem per convicium, quaſi duriloquos, & craſſilingues: poſtea vero eo nomine abuſi ſumus, tanquam communi & gentilẽ diſtinguentes eos a Græcis. Et infra: Ita & Romani Hiſpanos appellabant barbaros, tanquam duriter & aſpere loquentes. Menelao reverſo à Troja, objicitur in tragœdia apud Euripidẽ, quod βεβαρβάρωται χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Barbari aut à βάζειν abſona

voce

voce, in quam peregrini homines Athenis, cum primum Græce loqui conarentur, ſæpius incidere ſolebant, dicuntur. Nos hodie quotidiano uſu, barbaros vocamus, homines rus ſapientes, atque extremæ humilitatis, vel prorſum nullius precii, viles: item duros & ſævos. Hinc inhumanus & barbarus: quibus commodus & diſertus opponuntur. Cic. Ver 5. & 6. Natura & moribus barbarus. Horat 1. Carm. Ode 13.

Dulcia barbare lædentem oſcula.

Id eſt, ruſtice. Aliquando cótemptim pro hoſte deſignatur, & quidem pro inani, & à civili more penitus alieno homine: cujuſmodi Virgilius uſurpavit in Tityro:

Barbarus has ſegetes.——

cum tamen ex Itala gente fuiſſe conſtaret. Unde Barbariſmi, ineptæ loquutionis denominatio comperta. Qui autem à barbaris occupantur, ἐκβεβαρβαρῶσθαι multis Græcis ſcriptoribus dicuntur, & vocabulo ἐκβαρβαροῦσθαι in barbariem redigere. Plutarchus in Timoleonte. & de Epheſo, initio Lyſandri: κινδυνεύουσαν ἐκβαρβαρωθῆναι. Et eſt alias etiam βαρβαρόομαι, paſſ. barbarus fio. Hinc illud Tyndarei ad Menelaum prope adagium apud Euripidem ἐν Ὀρέστῃ: βεβαρβάρωσαι, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις. Poëta porro barbarus Plauto in Milite, Latinus eſt: ut, Marcus vertit barbare. i. Latine, & in eodem poëta, Lex barbarica, Romana eſt.

INFORTUNII SIVE EXITII.

Aſinus inter ſimias.

Ὄνος ἐν πιθήκοις, id eſt, Aſinus inter ſimias. Ubi quis incidit in homines naſutos, & contumelioſos, ipſe ſtolidus, à quibus impune rideatur. Extat apud Aulum Gelliū libro ſecundo, cap. 23. apud quem Menander comicus in fabula, cui titulus Plocium, maritū de uxoris injuria querentem inducit his verbis: ὄνος ἐν πιθήκοις τοῦτο, τὸ λεγόμενον, ἐστὶ δὴ τοῦτο, id eſt, Aſinus inter ſimias, vulgo quod ajunt, ſine iſtud. Conſtat autem ſimiam animal eſſe petulantiſſimū, adeo ut non vereatur etiam leonem per laſciviam agitare, naribus illius affixa. Quin & hodie vulgo ſimile quiddam dicūt: Noctua inter cornices, ubi ſtupidior aliquis in homines petulātes ac dicaces incidit. Item nihil vetat, quo minus generaliter uſurpetur, ubi quis in negocium incidit vehementer moleſtum, aut infortunium aliquod unde ſe non audeat extricare.

Novacula in cotem.

Ξυρὸν εἰς ἀκόνην, id eſt, Novacula in cotem. Dici ſolitum in hos, qui forte in eas res inciderunt, in quas minime volebant. Neque novacula poteſt incommodius cadere, quam ſi in cotem incurrat. Ab hoc non ita multum abhorret illud Horatianum:

——Et fragili quærens illidere dentem,
Infringet ſolido.——

Recte accommodabitur & in eum qui lædendi cupidus, tandem hominem nactus eſt à quo viciſſim lædatur, cum illi nocere non poſſit. Siquidem novacula, ſi in molle quippiam inciderit, diſſecat: ſi in cotem, retunditur. Huc reſpexit Tarquinius, qui dixit ſibi in animo eſſe, ut Actius Navius Augur novacula cotem diſcinderet: ſignificans, in cotem nihil poſſe novaculam. quanquam ab augure factum, quod ille fieri poſſe non credebat, refert Livius libro primo.

Victus ſpinoſus.

Βίος ἀκανθώδης, id eſt, Vita ſpinoſa, aſpera, dura, ac priſca: qualem agebant illi, quibus glandes erant loco placentarum. Suidas conjungit hoc Atticis proverbiis, quibus mollem ac delicatam vitam declaramus, veluti contrarium. Idem indicat eodem ſenſu dici, βίον ἀβίωτον, id eſt, vitam non vitalem: hoc eſt, triſtem & inſuavem. Nam Latinis interdum vivere dicuntur, non qui ſpirant tantum, ſed qui genialiter vivunt. Contra Græcis ἀβίωτος ἔχειν dicuntur, quibus deſunt vitæ præſidia. Æſchines adverſus Timarchum: ἀτιμώσας τὴν τοιαύτην γυναῖκα, καὶ τὸν βίον ἀβίωτον αὐτῇ παρασκευάζων. id eſt, Ignominia notans ejuſmodi mulierem, & vitam nō vitalem reddens. Turpiter enim vivere, non eſt vivere. Poteſt intelligi & de acciſis facultatibus. Idem in oratione περὶ τῆς παραπρεσβείας: ἀβίωτον μοι τὸν λοιπὸν βίον νομίζω. id eſt: Reliquam vitam mihi non vivendam exiſtimo, hoc eſt, infelicem & calamitoſam.

Hodie nihil ſuccedet.

Plautus Amphitryonem in ſui nominis fabula citat adagii titulo: Nihil eſt, ut dici ſolet, quod hodie bene ſuccedat mihi. Alluſit autem ad vulgi ſuperſtitionem, cui quidam dies credebantur rebꝰ gerendis auſpicati, quidam infelices. Quod ſi unum atq; alterum parum ſucceſſit ex ſententia, hinc æſtimantes totum diem, dicūt, Hodie nihil ſuccedet: & ab omnibus negociis abſtinent.

Tempeſtas rerum.

Quum ſignificabimus magnam rerum confuſionem, uti licebit illis verſibus Homericis, quos uſurpat M. Tullius lib. Epiſt. ad Q. Frat. 3.

Ἤματ' ὀπωρινῷ, ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεὺς, ὅτε δή ῥ' ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπαίνῃ.

Id eſt:

Menſibus autumni vehementem Juppiter imbrem
Effundit, quum ſuccenſens mortalibus inſtat.

Subjicit idem protinus alios duos verſus, quibus ſignificat, ob injuſtitiam hominem à ſuperis immitti mala:

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Id eſt:

Inque foro violenta ferunt ſuffragia pravi, at
Vindictam acceſſunt, ſpernentes juſſa deorum.

Aqua & terra reddamini.

——Ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Id eſt:

——In terram vertamini aquaſque.

Pro eo quod eſt, Redigamini in nihilum, ac pereatis. Hemiſtichium hoc ſic refertur ab Heſychio, quaſi proverbio jactatum. Sumptum eſt autem ex Iliad. η. Nam his verbis Menelaus increpat Græcorum ignaviam, quod nullus auderet cum Hectore provocante monomachiam ſuſcipere:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Interpretatur Plutarchus in vita Homeri, & Alexander Aphrodiſeus libro primo problemat. lxxvij. reddit cauſam phyſicam, quur ita locutus ſit Homerus: Ex terra & aqua gignuntur omnia, & in hæc reſolvuntur omnia. Ab hac forma non abhorret, quod ex Epicharmo citat Plutarchus in conſolatione ad Appolloniū, συνεκρίθη καὶ διεκρίθη καὶ ἀπῆλθεν ὅθεν ἦλθε πάλιν, γᾶ μὲν εἰς γᾶν, πνεῦμα δ' ἄνω, τί τῶνδε χαλεπόν; οὐδὲ ἕν. id eſt: Concreta ſunt, & diſcreta ſunt, & abierunt rurſum unde venerant, terra quidem in terram, ſpiritus vero ſurſum; In his quid acerbum? nihil, loquitur de morte, quæ eſt diſſolutio corporis & animæ. M. Tullius libr. Tuſcul. quæſt. 3. citat ex Euripide:

Reddenda eſt terræ terra, tum vita omnibus
Metenda ut fruges: ſic jubet neceſſitas.

Hanc ſententiam Antiochus ſcribit placuiſſe Chryſippo, ſed diſſentiente Carneade. Eandem ſententiam αἰνιγματικῶς protulit Eccleſiaſtes Hebræus. Deniq; Ariſtoteles Rhetoricorum libr. 2. ſubindicat, qui olim ſervitutem profitebantur, eos terram & aquā domino tradere ſolitos, velut omnium rerum jus abdicantes, & in herum transferentes, καὶ ὅτι, inquit, διδόναι γῆν καὶ ὕδωρ, δουλεύειν ἐστί. id eſt, Et quod dare terram & aquam, ſervire eſt.

Aſinus inter apes.

Ὄνος ἐν μελίτταις. i. Aſinus inter apes. Conſimilem habet cum proximo ſenſum: dici ſolitum, ubi quis infeliciter incidit in homines improbos atq; importunos. Metaphora per ſe liquet. Quanquam adagium ab eventu quopiam natum videri poteſt. Meminit Suidas.

In apes irruiſti.

Εἰς μελίττας ἐνήλατο, id eſt, In apes inſiliſti. Ubi quis præter opinionem in ingens agmen velut examen malorum immergitur: quemadmodum evenire ſolet iis, qui impudentes in apum nidum incidunt. Circumvolantibus & impetentibus undiq; illis & fugientem etiam inſequentibus, haud facile diſcedit ſine vulnere, quiſquis inciderit. Solent autem juvenes commeſſabundi in convivium æqualium ruere, quemadmodum Alcibiades apud Platonem irruit in convivium Agathonis. Et Syrus in Adelphis de Demea, qui ſe proripit in convivium filii: Abiit, commeſſatorem haud ſane commodum, præſertim Cteſiphoni.

Dicas tria ex curia.

Εἴπῃς τὰ τρία τὰ παρὰ τῆς αὐλῆς, id eſt, Dicas tria de curia. Antiquitus qui judicium ſententiis fuiſſent ad capitale ſuppliciū condemnati, prius quam ad mortem ducerentur, ea facultas cōcedebatur, ut vino ciboq; expleti, tria quædam quæcunq; lubitū eſſet, dicerent. Quæ ſimulatq; dixiſſent, promulgata damnatione producebantur ad ſupplicium, αὐλὴν enim olim vocabant eum locū, quo damnati ducebantur: quem neoterici πραιτώριον appellāt. Apud Suidam legitur παρ' αὐλῇ dandi caſu: id eſt, Juxta curiam, ſive juxta ſeptum. Uſum adagii apud neminem adhuc reperi. Conjicio dici ſolitum, ubi quis petulantius loqueretur, ſed magno ſuo malo, aut exitium imprecaretur alicui. Adagium refertur a Zenodoto.

Ad aquam malus.

Ἐφ' ὕδωρ κακός, id eſt, Ad aquam malus. In infimæ ſortis homines olim dicebatur, ac ſordidiſſimis quęſtibus addictos, propterea quod antiquitus infames habebantur, multoq; omniū contemptiſſimi, qui litigantibus aquam ſubminiſtrare cōſueverunt. Nam alias admonuimus, veteres ad clepſydrarum menſuram in judiciis dicere ſolitos. Infundebatur & certantibus per clepſydras aqua. Eam aquam tenues quidam, ac nullius frugis homines infundebant, diſpenſabantq;. Porro qui hoc miniſterio fungebantur, Athenis habebantur rejecti, rei pariter ac bonæ famę indigi: non aliter quam Romanis legibus notantur ſcenici, & aliorum publicorum certaminum miniſteria quædam. Eſt aliud huic confine, βάλλ' ἐς ὕδωρ, id eſt, Aufer in aquam: id eſt, in malam rem.

Canis in vincula.

Κύων ἐπὶ δεσμά: id eſt, Canis in vincula. Dicebatur ubi quis ſeipſum in ſervitutem, aut in malum aliquod injiceret. A canibus ſumptum, ultro ſe præbentibus vinciēdos cibi lenocinio. Author Zenodotus. Heſychius indicat in eandem ſententiam dici, βοῦς ἐπὶ δεσμά, id eſt, Bos in vincula.

Mitte in aquam.

Βάλλ' ἐς ὕδωρ, id eſt, Mitte in aquam. hoc eſt, Aufer è medio. Dicitur vel in hominem, vel in rem exitio dignam. Tractum à ſupplicio quorundam, qui in profluentem aut mare præcipitabãtur. Quæ pœna peculiaris erat parricidis apud Romanos. Unde Philoſophus in Timoneo jubet aurum abjici in mare, quod aliquando feciſſe legitur Crates ille Thebanus. Horatius:

Vel nos in mare proximum
Gemmas & lapides, aurum & inutile
Summi materiam mali
Mittamus, ſcelerum ſi bene pœnitet.

Mihi non abſurdum videtur, ſi referatur ad aquam clepſydrarum diſpenſandam, ut intelligas in jus trahendum: & ad proverbium quod alio diximus loco, ὑφ' ὕδωρ ὁ πονηρός, id eſt, Sub aquam malus. Effertur adagium etiam hoc pacto, βάλλ' εἰς ὄλεθρον, id eſt, Abi in perniciem.

Ad Cynoſarges.

Ἐς κυνόσαργες, id eſt, Ad Cynoſarges, proverbiali convicio dicebatur, quemadmodum εἰς μακαρίαν καὶ εἰς κόρακας. Erat autem Cynoſarges, locus in Attica quiſpiam, in quo nothi, ſpuriiq; exercebantur: cui nomen inditum, ἀπὸ κυνὸς ἀργοῦ: id eſt, A cane albo, ſeu veloci. Nam Græcis ea vox ἀργὸς, utrunq; ſignificat. Qui collegit hiſtorias ex orationibus ſtelitenticis Gregorii Nazianzeni, tradit Cynoſarges dictum ἀπὸ τοῦ κυνὸς καὶ σαρκὸς, commutato κ in γ. Nominis cauſam hanc adſcribunt. Cum olim Diomus quidam Athenienſis, authore Stephano (nam Suidas Didymum ponit) ſacrificaret Herculi, canis quidam albus, aut (ut alii dicunt) velox aquila, victimæ partem abreptam in locum quendam depoſuit. Quo prodigio territus, cum Deum conſuluiſſet, reſponſum eſt, ut eo in loco Herculi ſacellum extrueret, in quem victima deportata fuiſſet. Nam eum Herculi placere. Porro quoniam Hercules nothus fuit, utpote ex adultera natus, & tamen virtute ſua diis æquum honorem aſſequutus: idcirco viſum eſt, ut inibi qui ſpurii fuiſſent, & neq; patris neq; matris nomine cives, exercerẽtur. Nec abhorret ab his quod ſcribit Plutarchus in libello quem inſcripſit ἐρωτικὸν, εἰ δὲ δεῖ καὶ τοῦτο τὸ πάθος ἀπὸ καλοῦ ἔρωτα θῆλυν καὶ νόθον, ὥσπερ εἰς κυνόσαργες συντελοῦντα τὴν γυναικωνῖτιν, μᾶλλον δὲ ὥσπερ αἰετόν τινα λέγουσι γνήσιον καὶ ὄρειον, ὃν ὅμηρος μέλανα καὶ θηρευτὴν προσεῖπεν. id eſt, Quod ſi igitur hunc quoq; morbum oportet vocare amorem fœmineum ac nothum, veluti in Cynoſarges conjicientem nos in muliebre conclave, magis autem, ſicut aquilam quandam dicunt gneſion, id eſt, ingenuam germanamq; ac montanam, quam Homerus nigram & venatricem appellat. Unde vel contumeliæ cauſa dicebatur, εἰς κυνόσαργες, velut in ſpurium: vel imprecando, quaſi dicas, in malam crucem. Poſtea conſentaneum eſt, hoc quoq; loco garrire cœpiſſe philoſophos & ſophiſtas. Nam Suidas teſtatur tria fuiſſe gymnaſia, Lyceum, Cynoſarges, & Academiam. Meminit hujus loci & Plutarchus in Themiſtoclis vita, quem ajunt fuiſſe nothum. Erat autem extra portas Athenienſiũ Herculis gymnaſium, quo ſpurii adoleſcentes ſeſe conferebant exercitii gratia, quod & ipſe Deus nothus ac matre mortali natus eſſet. Huc Themiſtocles adhuc adoleſcens arte pellicicbat & ingenuos aliquot adoleſcentes, quo paulatim tolleret nothorum & legitimorum diſcrimen.

Ad corvos.

Βάλλ' ἐς κόρακας, id eſt, Abi ad corvos: perinde valet quaſi dicas, Abi in malam rem, atq; in exitium. Ariſtophanes ἐν νεφέλαις:

Βάλλ' ἐς κόρακας τίς ἐσθ' ὁ κόψας τὴν θύραν;
Id eſt:
Apage ad corvos: quis eſt qui pepulit oſtium?

Rurſum in Pluto:

Οὐκ ἐς κόρακας;
Id eſt:
Annon ad corvos?

Iterum in eadem fabula:

Ἔρρ' ἐς κόρακας θᾶττον ἀφ' ἡμῶν.
Id eſt:
Ocyus hinc ad corvos abeas.

Refertur apud hunc poëtam & aliis pleriſq; locis. Plutarchus in cõmentario, quem ſcripſit adverſus Herodotum, taxat eum quod Iſagoram ad Cares, velut ad corvos relegarit: id eſt, quod eum Carem fecerit. Eleganter dictum eſt a Diogene Cynico: κρεῖττόν ἐστιν ἐς κόρακας ἀπελθεῖν ἢ ἐς κόλακας, id eſt, Satius eſt ad corvos devenire, quam ad adulatores, quod hi & vivos, & bonos etiam viros devorarent. Zenodotus ſcribit, in Theſſalia locum eſſe quendam, cui nomen inditum Corvis, in quem nocentes præcipites dabantur: atq; hujus adagii Menandrum etiam meminiſſe. Quoſdam autem originem adagionis ad hujuſmodi quandam hiſtoriam referre: Bœotiis quondam Arnam incolẽtibus oraculo prædictum eſt, futurum ut è finibus expellerentur, ſimulatq; corvi albi apparuiſſent. Evenit deinde, ut adoleſcẽtes aliquot per laſciviam ac temulentiam corvos, quos ceperant, gypſo oblitos, rurſum emitterent. Quos ubi vidiſſent volantes Bœotii, recordantes oraculum, arbitrati adeſſe tempus, quo forent ſuis è ſedibus ejiciendi, ſummopere perturbati ſunt. Cæterum adoleſcentes territi & ipſi tumultu, profugerunt, ac locum quendam ſibi mercati ſunt, cui nomen Coracon, id eſt, corvorum. Contigit aliquando poſt, ut Æoles ejectis Bœotiis, Arnam occuparent. Apud quos hic deinde mox receptus, ut maleficos relegarent in eum locum, cui nomen erat Corvi. Ariſtophanis interpres paulo diverſius hanc recẽſet hiſtoriam: nempe Bœotiis aliquando à Thracibus ſubverſis ac profligatis, reſpondiſſe Deum, ut ibi ſedem figerent, ubi corvos albos conſpexiſſent. Conſpexiſſe autem in Theſſalia juxta ſinum Pagaſæticum circumvolãtes corvos quoſdam ſolio lactos, quos pueri per luſum gypſatos dimiſerant. Bœotii vero rati jam perfectum oraculi ſymbolum, inibi ſedem conſtituerunt. Sunt qui parœmiã ad corvorum volatum referant, quod in deſertis fere locis volitare conſueverint. Ut proverbium conveniat cum illo, In extremas ſolitudines publicitus deportandum. Euripides in Hecuba:

—Οὐκ ἔστιν τύχη
Νήσους ἐρήμους πόποι ἐκβαλεῖτέ ποι;
Id eſt:
—Nunc huncce ſolitarias
Quantum poteſt aliquo auferetis in inſulas?

Stratonicus citharœdus apud Athenæum lib. 8. detorquet in cantorem quendam. Is quum ei neſcio quid moleſtus eſſet, ψάλλ', inquit, ἐς κόρακας, depravata per jocum voce ψάλλε pro βάλλε.

In lapidicinas.

Εἰς λατομίας, id eſt, In lapidicinas. Simillimum eſt illis, ἐς κόρακας, καὶ ἐς τὴν μακαρίαν, cum ſignificamus quempiam è medio tollendum, & in rem malam aliquo auferendum. Natum a Philoxeno poëta dithyrambico: qui cum Dionyſii tyranni poëmata non probaret, utpote indocta, in lapidicinas ab eo detruſus eſt: deinde revocatus illinc amicorum precibus, ubi denuo Dionyſium ſua carmina pronunciantem audiſſet, ſurrexit: & rogatus a Dionyſio, quid eſſet rei: reſpondit, ſatius ac potius eſſe in lapidicinis vitam degere, quam illius audire poëmata. M. Tullius in Epiſtolis ad Attic. lib. 4. Philoxeni animum probat, qui maluerit in carcerem reduci, quam aſſentari tyranno. Lucian. in libello, cui titulus, De mercede ſervientibus: οὐδ' ἂν ἐὰν μὴ ἐπαινῇς, ἐπὶ λιθοτομίας ἀπαχθήσῃ τὰς Διονυσίου, id eſt: Quod ni tu laudes, protinus in Dionyſii lapidicinas relegaberis. Plautus in Captivi duo: Inde ibis porro in latomias lapidarias. Hoc nomine carcer erat inſignis, quem Dionyſius extruxerat. Plutarchus libro ſecundo De fortuna & virtute Alexandri: οἷος ἦν αὖ πάλιν Διονύσιος, ὁ τὸν ποιητὴν Φιλόξενον εἰς λατομίας ἐμβαλὼν, ὅτι τὴν τραγῳδίαν αὐτοῦ διορθῶσαι κελευσθεὶς, εὐθὺς ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τῆς κορωνίδος περιέγραψεν. id eſt: Qualis rurſus erat ille Dionyſius, qui Philoxenum poëtam in latomias cõjecit, quod ipſius tragœdiam emendare juſſus, ab ipſo ſtatim initio uſq; ad finem diſpunxit. M. Tullius in Verrem actione 7. Latumias Syracuſanas omnes audiſtis, pleriq; noſtis. Opus eſt ingens, magnificum, regum ac tyrannorum, totum eſt è ſaxo, in mirandam altitudinem depreſſum, & multorum operis penitus exciſum. Item in eadem: Carcer ille qui eſt a crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quæ Latumiæ vocantur, in iſtius imperio domicilium Romanorum fuit. Ut quiſq; iſtius animum aut oculos offenderat, in Latumias ſtatim conjiciebatur. Idem in eundem actione tertia: L. Suetius homo omnibus ornamentis præditus, qui juratus apud vos dixit, multos cives Romanos in Latumiis iſtius crudeliſſime per vim morte eſſe multatos, &c. Hujus carceris meminit & T. Livius belli Punici ſecundi libro ſexto.

In puteo cum canibus pugnare.

Ἐν φρέατι κυσὶ μάχεσθαι, id eſt, in puteo cum canibus pugnare Dici ſolitum, ubi cuipiam negocium incidit cum homine rixoſo & contentioſo à quo ſe nequeat extricare. Effertur etiam hoc pacto, ἐν φρέατι κυνομαχεῖν, voce compoſita.

In beatam.

Βάλλ' εἰς μακαρίαν, id eſt, Aufer te in beatam. Quibuſdam placet dictum κατ' εὐφημισμὸν, pro eo quod eſt, in rem malam. Fingunt enim apud inferos locum eſſe quendam, cui nomen μακαρία. Ariſtophanes in equitibus:

Ἄπαγ' ἐς μακαρίαν ἐκποδών.
Id eſt:
Aufer te hinc procul Macariam.

Ad conſimilem ferme modum Athenæus Dipnoſophiſtarum libro primo, εἰς μακαρίαν τὸ λουτρὸν, id eſt, in beatum balneum. Devovet enim balneum, unde male fuerat affectus. Plato in Hippia majore: βάλλ' εἰς μακαρίαν τὸν ἄνθρωπον, id eſt, Aufer in beatam hominem. Alii fabulam hujuſmodi allegant. Narrant Macariam Herculis filiam fuiſſe, de qua prædictum erat oraculo, ut ſe ultro morti objiceret: ſic enim Athenas fore liberas ab incurſione Euryſthei, ſi quis Heraclidarum ſe ſponte offerret ad necem. Itaque Hercule defuncto, cum Euryſtheus illius liberos inſectaretur, atq; illi ad Miſericordiæ aram confugiſſent, Athenienſes recuſantes eos in hoſtium manus tradere, cum Euryſtheo bellum ſuſceperunt. Porro ædito oraculo, futurum ut Athenienſes ab Euryſthei incurſatione liberarentur, ſi quis è liberis Herculis ſemet inferis devoveret, Macaria ſeſe ſpontaneæ morti obtulit. Quo facto congreſſi cum hoſtibus Athenienſes victoriam reportarunt, cum aliis quam plurimis interfectis, tum Euryſtheo ipſo, ab Hylo, ſive Iolao Herculis filio perempto, cujus caput amputatum ad Alcmenam detulit. Illa defuncti oculos effodit. Cæterum Athenienſes Macariæ tumulum floribus & coronis decorantes, dicebant: βάλλ' εἰς μακαρίαν, id eſt: Mitte in Macariam. Hinc igitur or-

tum adagium. Primum de his ferebatur, qui ſeſe per virtutem in periculum ſponte demitteret: deinde de quovis piaculo dici cœptum. Pauſanias refert, Macariam eſſe paludem in Marathone, in qua magna vis Perſarum perierit, ignoratione viarum in ipſam prolapſa: quare ex re natum videri poteſt proverbium. Huc alluſit Stratonicus citharœdus apud Athenæum libro octavo, qui iratus diſcipulo Macedoni, quod nihil recte faceret, εἰς Μακεδονίαν, inquit, ex Macaria faciens Macedoniam: ſimul alludens ad illud proverbium, Domi non hic Mileſia.

In Orci culum incidas.

Ἀν δὲ πρωκτῷ ᾅδου πέσοις, id eſt, In Orci culum incidas. Sermo perniciem & extremum exitium imprecantis. Recenſetur à Diogeniano. Cognatum illis, βάλλ' ἐς κόρακας: βάλλ' ἐς μακαρίαν.

Charontia janua.

Χαρώνειος θύρα, id eſt, Charontica janua. De imminente capitis periculo, ſive de re magnopere triſti. Sic enim antiquitus appellabatur una è carceris januis, per quam damnati judicum ſententiis ad ſupplicium educebantur. Referunt Zenodotus, Heſychius & Suidas. Charontis enim cymba fingunt animas ad inferos deduci. Hanc Ariſtophanes in Pluto, ὁ δὲ χάρων τὸ σύμβολον δίδωσι, id eſt, Dat ſymbolum Charon ſignificans illi imminere mortem.

Aurum habet Toloſſanum.

Huic ſimillimum eſt illud: Aurum habet Toloſſanum. In eum qui magnis ac fatalibus afficitur malis, novoq; ac miſerando exitio perit. Refertur ab A. Gellio eodem loco, quem modo citavimus, ad hunc modũ. Eadem ſententia eſt illius quoq; veteris proverbii, quod ita dictum accipimus: Aurum habet Toloſſanũ. Nam cum oppidum Toloſſanum in terra Gallia, Q. Cepio conſul diripuiſſet multumq; auri in ejus oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabiliq; exitu periit. In pleriſque codicibus Gellianis hactenus legebatur in terra Italia, ſed mendoſe: quum Strabo & Juſtinus Toloſſam ponant in Gallia. Meminit auri Toloſſani M. Tullius libro De natura deorum tertio: Cognoſce, inquit, alias quæſtiones auri Toloſſani, conjurationis Jugurthinæ. Strabo libro Geographiæ quarto, admonet hanc pecuniam Toloſſanam Delphicæ pecuniæ partem fuiſſe. Brennus enim Prauſus natione, Tectoſagis auxiliantibus Delphos incurſaverat: deinde (quemadmodum refert Juſtinus libro vigeſimo ſecundo) cum Tectoſagi ſe in antiquam patriam Toloſſam recepiſſent, peſtilentia laborare cœperunt, a qua non prius ſunt liberati, quam aruſpicum reſponſis moniti, aurum argentumq; ſacrilegio quæſitum, in Toloſſenſem lacum mergerent: quod omne magno poſt tempore Cepio Romanus conſul abſtulit. Quod quidem ſacrilegium exitium attulit tum ipſi Cepioni, tum illius copiis. Erant autem auri pondo C.X. milia: argenti pondo quinquies decies centum millia. Scribit enim Strabo, Toloſſanos ex privatis fortunis auxiſſe ſacram pecuniam, ut magis Deum ſibi reconciliarent. Narrantur & alia quædam hoc loco à Strabone de auro Toloſſano ex Poſidonio: verum quoniam ad adagionis enarrationem non magnopere pertinere videbantur, ſat habuimus locum indicaſſe. Durat hodieq; apud vulgus hæc opinio, ut exiſtiment omneis miſere perire, quicunq; a ſacris rebus non abſtineant manus violentas.

Equum habet Sejanum.

Equum habet Sejanum, olim proverbio dicebatur in calamitoſum & ad extremam inopiam redactum. Allegoria ſumpta eſt ab equo quodam fatali, cui a Cn. Seio domino nomen inditum eſt Sejano. Is ex Diomedeis equis prognatus fuiſſe creditus eſt. Fuit inſigni quidem ſpecie, verum ejuſmodi quodam fato, ut quiſquis ejus equi poſſeſſor eſſet, ſacum omni domo ad internecionẽ uſq; deperiret. Id quod Cn. Sejus ipſe capitis damnatus, ac miſerando affectus ſupplicio: deinde & Dolabella bello interfectus: poſt hũc Caſſius ab hoſtibus occiſus, deinceps Antonius deteſtabili exitio perditus, probavit. Hunc equum C. Baſſus Argis ſe vidiſſe refert, haud credibili pulchritudine, vigoreq; & colore exuperantiſſimo, nempe puniceo. Hoc adagium & refert, & copioſius explicat Aulus Gellius, libro Noctium Attic. tertio, capite nono. Fieri poteſt, ut hæc de equo ſuperſtitio manarit ab equo illo Durateo, cujus Odyſſ. θ. meminit Homerus, qui fatalem interitum attulit Trojanis. Ad quod alludens Maro:

—Scandit, inquit, fatalis machina muros.

E diverſo quædam fataliter eſſe felicia credidit veterum ſuperſtitio. Nam author eſt Trebellius Pollio in libro de triginta tyrannis, vulgo perſuaſum fuiſſe, res iis feliciter cedere, qui Alexandri M. imaginem, auro argentove expreſſam geſtitarent. Nec hodie deſunt, qui gladios in bello fortunatos, & hujuſmodi quaſdam nugas pollicentur principibus. At magis mirandum eſſe, qui iſtiuſmodi impoſtoribus credant.

Tragicum malum.

Τραγικὸν κακὸν, id eſt, Tragicum malum, dicetur ingens, cujuſmodi finguntur in tragœdiis. Nam ab iis abſtinet comœdia. Quintilianus duo facit affectuũ genera: quoſdam enim atrociores eſſe, hos amat tragœdia: quoſdam mitiores, his utitur comœdia: ac tragicos quidem πάθη vocat, comicos ἤθη. Tragœdia ſemper habet triſtẽ exitum: Comœdia lætum. Unde P. Planeus, citáto Feſto Pompeio, Comœdice dixit pro ſuaviter. Fuge bene aſticiſti & dulce & comœdice.

Muſtelam habes.

Γαλῆν ἔχεις, id eſt, Muſtelam habes. In eum quadrat, cui omnia ſunt inauſpicata, tanquam fatis ac diis iratis, ut ajunt. Olim creditum eſt, hoc animal inauſpicatum infauſtumq; eſſe iis qui haberent, domiq; alerent: ut non admodum diſſideat ab illis, Equum habet Sejanum: &, Aurum habet Toloſſanũ. Unde nunc etiam apud quaſdam gentes, nominatim apud Britannos, infelix omen habetur, ſi cum paratur venatio, aliquis muſtelam nominet: cujus etiam occurſus vulgo nunc habetur inauſpicatus. Adagium refertur à Diogeniano.

Cadmea victoria.

Καδμεία νίκη, id eſt, Cadmea victoria. Hujus adagii varium adducunt & ſenſum & originem. Sunt qui putent inutilem victoriam Cadmeam vocatam, propterea quod Eteocles & Polynices Thebani, cum de regni vicibus diſceptarent ſingulari certamine cõgreſſi, utrinq; perierint. Cujuſmodi victoriæ meminit Herodotus libro primo de Phocenſibus agens. Vel quod Cadmei devicerint quidem Argivos cum Adraſto militantes, ſed ſuo malo. Poſteris enim illorum pœnas abunde magnas dederunt. Vel quod Oedipus ſoluto Sphingis ænigmate, victoriam quidem à monſtro magnificam reportavit, verum poſt imprudens ſuam ipſius matrẽ duxit uxorem. Idq; ſimulatq; reſcivit, oculos ſibimet eruit: itaque illius quoq; victoriæ parum felix exit⁹ fuit. Sunt qui huc referãt. Cum Cadmus literas à Phœnicibus acceptas, Græcis tradere vellet, Linum, quod is quoq; literas ſuas proferret, interemit. Deinde cives Cadmum exegerunt, ut nec huic bono fuerit Linum ſuperaſſe. Plutarchus ſubſcribit primæ ſententiæ. Nam ad hunc modum ſcribit in commẽtario περὶ τῆς φιλαδελφίας: οὐ γὰρ ἑτέραν οἱ παλαιοὶ καδμείαν νίκην, ἀλλὰ τὴν περὶ Θήβας τῶν ἀδελφῶν, ὡς αἰσχίστην καὶ κακίστην ὠνομάζοντο, id eſt, Non enim aliam priſci Cadmeam victoriam, quam eam quæ fuit fratrum apud Thebas, ut turpiſſimam atq; miſerrimam, appellarunt. Idem περὶ παιδῶν ἀγωγῆς, oſtẽdit Cadmeam appellari victoriam, quoties præſtat vinci quam vincere. Uſurpavit hoc adagium Plato libro De legibus primo, παιδεία μὲν οὖν φέρει καὶ νίκην, νίκη δὲ ἐνίοτε ἀπαιδευσίαν. πολλοὶ γὰρ ὑβριστότεροι διὰ πολέμων νίκας γενόμενοι, μυρίων ἄλλων κακῶν δι' ὕβριν ἐνεπλήσθησαν, καὶ παιδεία μὲν οὐδεπώποτε γέγονε καδμεία, νίκαι δὲ ἀνθρώποις πολλαὶ δὴ τοιαῦται γεγόνασί τε καὶ ἔσονται, i. e. Proinde eruditio etiam victoriam adfert; contra victoria nonnunquam imperitiam: eo quod complures ob victorias bello partas inſolentiores facti, innumeris aliis malis propter violentiam repleti ſunt. At eruditio nunquam fuit Cadmea, victoriæ vero multæ profecto hominib⁹ tales & fuerũt, & futuræ ſunt. Ariſtides in Pericle: ὡς τὴν καδμείαν νίκην ἠγεῖτο νικήσειν, id eſt, Itaq; Cadmeam victoriam reportaturum ſeſe exiſtimabat. Quoquidem loco ſcholium adſcriptum præter alia illud admonet ab iis, quæ retuli, nonnihil diverſum: Thebanus cæſis Argivis, qui cum Polynice pugnarãt negaſſe ſepulturam. Qua inhumanitate exaſperati Athenienſes, Thebanos oppugnatos devicerunt, & conſimilem ad modum retuerunt, ne cadavera cæſorum darentur ſepulturæ. Nec prorſus diſſonant ab his, nec prorſum congruunt quæ ſcribit Pauſanias in Bœoticis. Scribit autem in hanc ferme ſententiam: Commiſſo apud Iſmenum prælio, in congreſſu victi ſunt Thebani, & compulſi in fugam, intra mœnia ſeſe receperunt, tanquam Peloponneſii oppugnationis eſſent ignari. Porro quum illi magis ita quam arte irruerent, non pauci à Thebanis è muro jaculis ſunt interempti. Poſtremo vicerunt & alios, in palantes turbatoſq; facta impreſſione, ita ut totus exercitus, excepto Adraſto, interiret. Neq; vero ea victoria conſtitit Thebanis. ἀπὸ τούτου, inquit, τὴν σὺν ὀλέθρῳ κρατήσαντων τῷ δήμῳ καδμείαν ὀνομάζουσι νίκην, id eſt, Ex eo victoriam conjunctam cum exitio eorum qui vicerunt, Cadmeam appellant. Sed undecunq; natum eſt adagium, Cadmeam victoriam appellabant infelicem, etiam ipſis victoribus. Cujuſmodi fuit & Græcorum, quorum nulli non magno conſtitit capta Troja. Et medici Cadmeam victoriam vocant, cum ita depellitur morbus, ut ægrotus interim in remedio pereat ſuccumbente natura.

Fortunatior Strobilis Carcini.

Εὐδαιμονέστερος καρκίνου στροβίλων, id eſt, Fortunatior Carcini Strobilis. Ironia proverbialis in infelicem & improbum. Carcinus poëta quiſpiam fuit, cujus filii dicti ſunt Strobili ab Ariſtophane, quos & γλυκυτραχήλους vocat, id eſt dulcicervicos. Locus autem ſumptus eſt à nominum alluſione. Nam Græce Carcinus cancrum, Strobili cochleas ſignificant. Utrumq; genus diſtortum ac fœdum. Adagium recenſetur apud Suidam & Zenodotum, extat apud Ariſtophanem in Pace.

Iſſa.

Ἴσσα, id eſt, Iſſa. Proverbialis erat declamatio in eos, quibus ζ litera ſorte cecidiſſet, quiq; modis omnibus eſſent infortunati. Hęc Suidas, qui proverbium citat ex Meſenia Menandri, teſtatus & alibi uſurpatum apud authores. Conjectare licet, eam literam in ſortibus inauſpicatam fuiſſe: Martianus Capella in nuptiis Philologiæ & Mercurii, teſtatur hanc literam inviſam fuiſſe Appio Claudio, quod dentes mortui, dum exprimitur, imitetur.

Genius malus.

Ei quod alibi retulimus, Homo homini Deus: contrarium videtur Genius malus, quem Græci dicunt ἀλάστορα, quo nomine vocamus eos, quib⁹ incommodorum noſtrorum maximam partem acceptam ferimus: idq; etiam hodie vulgato ſermone. Sunt enim omnino quidam his aut illis ita inauſpicati, ut tanquam fatum quoddam malum, atq; in perniciem illorum nati, jure videri poſſint. Porro proverbium apparet è priſcorum opinione profectum, qui ſingulis binos genios attribuunt, quos dæmones vocāt: neq; hominibus modo, verumetiam locis atque ædibus: quorum alter perniciem nobis moliatur, alter juvare ſtudeat, cujus ſententiæ fuit Empedocles, citante Plutarcho in libel. De animi tranquillitate. Quo pertinet illud Bruti, quod in ejus vita memorat idem Plutarch⁹. Nam Bruto cum dies ille fatalis immineret, & in Aſia nocte ferme intempeſta ex more vigilaret in tabernaculo lucerna jam emoriente, videre viſus eſt perſonam quandam tragicam, & humana ſpecie majorem. Atq; ille protinus, ut erat animo interrito, percontatus eſt, quiſnam eſſet aut hominum aut deorū. Cui illa cum murmure: Tuus ſum Brute genius malus. Philippis me videbis. Eadem itaq; imago rurſus apparuit confligenti Philippis: quæ quidem illi pugna poſtrema fuit. Huic conſimilem quandam fabulā idem refert de M. Antonio, atq; Auguſto videlicet hos, reliquis quidem in rebus amanter, ſummaq; inter ſeſe concordia agitaſſe: cæterum in ludis quos ad æmulationē quandam ædebant, Octavium ſemper ſuperiorem eſſe ſolitum. Eam rem Antonium non mediocriter diſcruciaſſe. Fuiſſe autem in Antoniano comitatu magnum quempiam Ægyptium. Is ſeu quod vere noſſet ejus fatum, ſeu quod ad gratiam Cleopatræ fingeret, eum admonuit ut à Cæſare ſe quantum poſſet, ſejungeret: quod ipſius genius, alacer alioqui, genium illius reformidaret: quoque propius acceſſiſſet, hoc humilior dejectiorq; videretur. Teſtatur & Plato, Socrati peculiarem quendam fuiſſe genium: de quo ſcripſit Apul. & Plutarch. De genio ſenſiſſe videtur Terent. cum ait in Phorm. Mihi uſuvenit, hoc ſcio Memiori relinqui me, Deo irato meo. Quin & noſtrates Theologi veteres illos, opinor, ſecuti, duos unicuiq; genios, quos angelos vocant, ab ipſo protinus exordio vitæ adſcribunt: amicum, qui commoda noſtra procuret: malum, qui modis omnibus in exitium noſtrum immineat. Bonum genium explicat Nævius in Stalagmonis apud Donatum: A Deo meo propitio meus homo eſt. Item Perſius Diis iratis genioq; ſiniſtro. Poſtremo proverbium reſipiunt in genere omnia illa: Iratis diis. Propitiis diis. Terent. Neſcio, niſi deos iratos fuiſſe mihi ſatis ſcio, qui auſcultaverim ei. Horat. in Sermonibus:

—Immeritusque laborat
Iratis natus paries diis, atq; poëtis.

Idem rurſum:

—Vertumnis quoquot ſunt, natus iniquis:

Idem in Odis:

Divis orte bonis optime Romule
Cuſtos gentis abes —

Homerus Iliad. ε.

— Θεός νύ τις ἐγκοτός ἐστι.

Id eſt:

— Deus quiſpiam iratus eſt.

Et Vergilius:

Diis equidem auſpicibus reor, & Junone ſecunda.

Eodem pertinent & hæc: Solus à Diis diligere Antipho: &. Dii nos reſpiciunt: &, modo Juppiter adſit: &. Si quem numina læva ſinunt: &. Dexter adſit Apollo. atq; id genus ſexcenta paſſim apud poëtas obvia. Erit autem venuſtius, ſi ad ſpeciem deſcenderis: ut, Hic ſcribit carmina. Muſis quotquot ſunt, iratis. Canit irato Apolline. Eam cauſam egit ineptiſſime, planeque irata Suadela. Marte ſiniſtro pugnavim⁹. Neptuno propitio navigabimus. Mercurio, opinor, irato, cum hoc veteratore ſum pactus. Irata Venere dat operam liberis, de eo qui deformes filios progigneret. Invita Minerva, qui parum feliciter artem exerceat.

Vel hoſti miſerandus.

Suidas hujuſmodi verba ex authore quopiam citat: ὡς τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν καὶ ἐχθρὸν ἰδόντα, θρηνῆσαι μὲν τὴν τότε συμφορὰν τοῦ ἀνθρώπου. id eſt, Ut juxta proverbium etiam miſeraturus fuerit hoſtis, ſi præſentem vidiſſet hominis caſum. Eſt autem hyperbole: nam hoſtis non facile commovetur miſericordia. Ita Vergil. in 12.

Vel Priamo miſeranda manus.—

Item in ſecundo:

—Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Ulyſſi,
Temperet à lachrymis?—

Confine illi, Quod vel ipſe probet Momus.

Mala ultro adſunt.

Fertur & hujuſmodi ſententia in proverbiorum Collectaneis, ἀζητήτως τἀγαθὰ μόλις παραγίνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ ζητουμένοις, id eſt, Bona vix accedunt iis qui quærunt: mala vel non quærentibus obtingunt. Idem & vulgo dicunt idiotæ, neque tamen non recte: Mala ultro adeſſe, vel invocata. Et tamen paſſim vitiis noſtris accerſimus bellum, lites, morbos, quaſi ſua ſponte parum adſit malorum.

Per medium anulum traharis oportet.

Διὰ δακτυλίου δεῖ σε ἑλκυσθῆναι, id eſt, Per anulum trahendus es. In eum quadrabit, qui ſit vehementer extenuato graciliq; corpore, ſeu morbo, ſeu cura, ſeu ſtudio, ſeu qua alia re, Ariſtophanes in Pluto:

Διὰ δακτυλίου μὲν οὖν ἐμέ γ' ἂν διελκύσαις.

Id eſt:

Itaq; profecto per anulum me traxeris.

Verba ſunt anus, volentis ſe videri uſque adeo maceratam atq; exhauſtam dolore, ut per anulum trahi poſſet. Equidem opinor adagium eſſe ſumptum a luſu, quo ovum aceto maceratum per anulum trahitur. Cujus rei meminit Plin. lib. 10. cap. 60. Magicum erat, aliquid per anulum trajicere. Nam cerebrum capræ per anulum aureum trajectum, priuſquam lac daretur infantibus, inſtillabatur contra comitiales, cæteroſq; infantium morbos: veluti teſtatur idem lib. 28. cap. 10.

E tribus malis unum.

Τῶν τριῶν κακῶν ἕν, id eſt, Trium malorum unum. Suidas proverbium indicat apud Menandrum extitiſſe. Sumptum autem à Theramene, qui cuidam è tribus malis unum indixerit, è quibus quod vellet eligeret. Unde & Ariſtophanes apud eundem Suidam in Triphalete, ἐγὼ γὰρ ἀπὸ Θηραμένους δέδοικα τὰ τρία ταῦτα. id eſt, Ego enim à Theramene metui tria hæc. Quæ ſint autem ea tria, quæ te in proverbio, τὰ τρία τῶν εἰς Θηραμένη. Id uſurpavit Alexander in Æpolis. Ariſtides ait oraculum ſolere trahi obſignatum: quod qui ſolveret priuſquam fas eſſet, unum è tribus malis illum manebat, aut oculorum orbatio, aut manus, aut linguæ jactura. Sunt qui dicant, iis qui ſententia capitali damnati fuiſſent, tria ſolere deferri, gladium, laqueum, & aconitum.

Extrema extremorum mala.

Ἔσχατα ἐσχάτων κακῶν ἀπέλαυσαν, id eſt, Extrema extremorum mala acciderunt. In ipſo ſchemate ſita eſt proverbii ratio, quemadmodum in initio operis admonuimus. Ad hanc formam pertinere videtur, quod apud Athenæum lib. 15 ſcripſit Hipponax, κακῶν κακά, id eſt, malorum mala: pro ſummis malis. Item quod quidam Atticam, Ἑλλάδος Ἑλλάδα, id eſt, Græciæ Græciam dixit: quaſi dicas, Græciæ florem. Quod genus ſunt & illa, ἄρρητ' ἀρρήτων, & δεινότατα δεινῶν, & ποικίλων ποικιλώτερος. Hunc ſermonis typum Græci videntur, ab Hebræis mutuo ſumpſiſſe, qui vehementiam & infiniteſ ejuſdem dictionis congeminatione ſignificant. Quod genus eſt illud apud Hieremiam: Ficus bonas bonas, & ficus malas malas: Cum valde bonas, & valde malas velit intelligi.

Ogygia mala.

Ὠγύγια κακά, id eſt, Ogygia mala. Recte dicentur vel ingentia, vel antiqua, nam utrunq; Græce ſignificat Ogygium. Alii malunt ad Ogygium, primum Thebanæ civitatis principem referre. Hujus filius Cadmus, ob filias ſuas in varias calamitates incidit. Quo reſpiciunt qui Ogygia mala, pro atrociſſimis interpretātur. Hujuſmodi ferme Suidas: niſi quod magis probat, ut Ogygia mala, vetuſta dicantur. Cæterum qui Ogygia vetera dicunt, illud ſequuntur, quod olim Bœotiorum ac Thebana regio, Ogygia dicta ſit. Quin & omnis Attica olim hoc habuit nominis, ſicuti teſtatur Stephanus. Eſt & inſula pervetuſta dicta Ogygia, in quam Ulyſſes naufragus emerſiſſe fingitur ab Homero. Unde vox jam obſoleta velut in jocum proverbialem abiit. Nec in figura ſita eſt hujus proverbii ratio, ſed in novitate vocis: ut in operis hujus initio monuimus. Conſimili ratione, nec ſine proverbii ſpecie, Græci priſcos ac pervetuſtos, ὠγυγίους & ὠγυγίας appellant, à priſco quopiam Deo, & multis jam ſeculis obſoleto. Hujuſmodi propemodum de Ogygiis Suida & Stephanus.

Diolygium malum.

Διωλύγιον κακόν, id eſt, Ingens malum: ipſa loquendi figura proverbialis eſt. Utitur hoc adagio Plato in Theæteto: ἀπέραντος μὲν καὶ διωλύγιος φλυαρία. i. Haud longa quidem ac diolygia nugacitas. Apud Suidam referuntur hæc ex authore quopiam, Damaſcio opinor, καὶ οὐ δοκεῖ ἡ διωλύγιος φλυαρία δόξειν αὐτοῖς, καὶ διαπλάσμα, οὐδὲ χρυσοῦ ὕθλος, λεγέσθωσαν, ἀλλὰ πέρα τῶν μεγίστων φληναφημάτων. id eſt, Nonne hæc vel maxima nugamenta videbuntur? Sane videbuntur, & quidem merito. Non juxta deliramenta, quæ vocant anicularum, ſed ultra maximas nugas. Chryſoſtomus adverſus Judæos oratione prima ait, μέγα διωλύγιον ἐλελίζοντες. id eſt, clare jubilantes, ut vox procul queat exaudiri. Loquitur de paſtoribus, viſo lupo inter ſe vociferantibus. Vocis originem bifariam indicant, διωλύγιον, quaſi διὰ ὅλου, quod clamor nuſquam non penetret: &, διωλύγιον, quaſi ὀλέθριον, id eſt, perdens & exitium adferens. Dicitur autem proverbium de eo, qui malo quopiam ingenti ac diuturno tenetur.

Labore laborioſus.

Πόνῳ πονηρός, id eſt, Labore laborioſus. Ipſa figura hyperbolen habet laboris immodici. Refertur a Suida proverbii titulo. Hac forma Theophilus apud Athenæum libro decimotertio, dixit de inſigniter formoſa & procera, καλὴν κάλλει, μεγέθει μεγάλην, τέχνῃ τεχνικήν, quaſi dicas, forma formoſam, magnitudine magnam, arte artificem, ſive ſapientia ſapientiam. Similis tropus eſt apud

Hebræos, quoties vel exaggerant vel aſſeverant: Miſerans miſerabor, Laboravi laborans. Extat autem apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata. Subeſt autem & jocus ob amphibologiam vocis, πονηρὸς: enim Græcis ut laborioſum ac miſerum, ita ſignificat & malum aſtutumque.

Lemnium malum.

Λήμνιον κακὸν, id eſt, Lemnium malum, de malis immenſis ac miſerandis. Hiſtoria, unde natum adagium, varie narratur: neq; magni refert, eam anxie perſequi. Herodotus in Eratone, & proverbii & hiſtoriæ meminit in hanc ferme ſententiam: Pelaſgi ex Attica per vim expulſi, Lemnon incolebant. Hujus injuriæ cum pœnas de Atticis ſumere cuperent, probeq; cognitos haberét dies feſtos, ac ceremonias illorum, collocatis inſidiis, uxores Atheinienſium abduxerunt, cum Minervæ ſacra facerent in Braurone: hiſque in Lemnum naviglo aſportatis concubinarum vice ſunt abuſi. Cæterum mulieres cum plurimos liberos parerent, omneis & Atticis moribus inſtituerunt, & Attice loqui docuerunt. Ita factum eſt, ut nec miſcere conjugia cum puellis Pelaſgicis vellent, & ſi quando, Pelaſgus quempiam pulſare conaretur, omneis conglobati Attici, huic ſuppetias ferrent. Breviter adeo invaleſcebat pubes Attica, ut pleriſque in rebus priores tenere videretur. quare viſum eſt Pelaſgis, ut filios ex Atticis mulieribus ſuſceptos trucidarent. Idq; perfecerunt, occiſis una & matribus: deinde ſterilitate, orbitate, peſtilentia, reliquiſq; plurimis adacti malis, Delphicum oraculum conſuluerunt, qua via calamitatibus levari poſſent: Hinc igitur ait, per omnem Græciam increbuiſſe proverbium, ut ingentia miſerandaq; mala, Lemnia dicerentur. Partim igitur hinc natum adagium putat, partim illinc, quod aliquando Lemniæ mulieres graveolentia maritorum offenſæ, eos univerſos ſuſtulerunt, auxilio Thoantis. Cujus rei meminit & Euripides in Hecuba:

> *Καὶ Λῆμνον ἄρδην ἀρσένων ἐξῴκισαν.*
>
> Id eſt
>
> Mareſque Lemno ſuſtulére fœminæ
>
> Funditus.——

Item Seneca in Agamemnone:

> Et ſcelere Lemnon nobilem.

Magnetum mala.

Μαγνήτων κακὰ, id eſt, Magnetum mala. De malis ingentibus dictum videtur, aut iis quæ in authores ſuos recidunt. Cum Termeriis enim malis Magnetum mala conjunguntur, in his verbis, quæ citra authoris nomen referuntur apud Suidam. *οὐ τὰ μαγνήτων κακὰ, οὐ τὰ τερμέρια, οὐκ ἂν πάντως ἐπὶ τὸ ὕψιστον ἐξήγαγον τὴν τραγῳδίαν*. id eſt: Nec ſi Magnetum mala, nec ſi Termerium, nec ſi totam in ſumma tragœdiam eloquar. Quanquam in Suida legendum ſuſpicor, *τὰ τερμέρεια*, id eſt, mala Termeriorum de quibus alias nobis dictum eſt. Sumptum apparet ab hiſtoria, quæ de Magnetibus afflictis meminerit, in quæ feruntur incidiſſe, violato numine quopiam. Strabo Geographiæ lib. 14. Magnetas commemorat olim opibus florentes, à Treribus gente Cimerica funditus fuiſſe ſublatos: anno deinde proximo à Mileſiis locum fuiſſe occupatum: ſubindicans proverbium ex Archilocho ſumptum eſſe, qui meminerit de Magnetum malis.

Malis mala ſuccedunt.

In eum, qui variis exercetur incommoditatibus fortunæ, nunc morbo, nunc raptois, nunc aliis atq; aliis malis, conveniet illud ex eodem libro:

> *Ἄλλοτε μέν τε νότος βορέῃ προβάλεσκε φέρεσθαι,*
>
> *Ἄλλοτε δ᾽ αὖτ᾽ εὖρος ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν.*
>
> Id eſt:
>
> Tradebat notus hunc boreæ quandoq; vehendum.
>
> Nunc rurſum Zephyro jactandum tradidit Eurus.

Auſonius in Epigrammate eleganter dixit, Catenatos labores, quod negocium ex negocio ſeritur. Cui contrarium eſt quod ait Pindarus Olymp. 8. *ἐσθλὰ δ᾽ ἐπ᾽ ἐσθλοῖς ἔργα θέλοι δόμεν.* Optat ut Jupiter velit illi benefacta benefactis cumulare.

Tænarium malum.

Ταινάριον κακὸν, id eſt, Tænarium malum. Si quid crudelius ſævitum eſſet in famulos, Tænarium malum vocabant: propterea quod olim Lacedæmonii captivos, qui in Tænarium cōfugerant, reductos capitis affecerunt ſupplicio. Eſt autem hoc loco Tænarius, oppidum quoddam Laconicæ, cujus incolæ Tenaritæ vocentur, & ejuſdem regionis promontorium, in quo ſpelunca, per quam aditus erat ad inferos.

Tam perit, quam extrema faba.

Feſtus Pompejus oſtendit proverbio dici ſolere, Tam perit quam extrema faba: propterea quod extremæ fabæ plerunq; aut proterantur, aut decerpantur a prætereuntibus. Quadrabit igitur in hominem, ſeu rem omnibus omnium injuriis expoſitam. Velut ſi quis dicat Theologiam tam perire, quam extremam fabam, quod paſſim ab indoctiſſimis tractata corrumpatur.

Vivus, videnſque.

Quod in Eunucho dixit Terentius. Vivus, videnſq; pereo: Id M. Tullius indicat proverbiali figura dictum eſſe. Sic enim ſcribit in oratione pro P. Sextio: Iſte Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla unquam ſuſpicio durior ad ſenatum, aut Imperatores noſtros allata eſt, vivus, ut ajunt, & videns eſt cum victu ſuo ac veſtitu publicatus. Uſurpat aliquot locis & D. Hieronymus. Quin & illud quoque, Cum victu ſuo ac veſtitu, proverbium ſapit.

Ilias malorum.

Ἰλιὰς κακῶν, id eſt, Ilias malorum. De calamitatibus maximis ſimul & plurimis: propterea quod in Iliade Homerica nullū mali genus non recenſetur. Unde ex hac docti putant tragœdiarum argumenta fuiſſe ſumpta, ſicut ex Odyſſea comœdiarum. Eſt autem opus verboſum, viginti quatuor voluminib᾽ vix abſolutum. Unde & quamvis orationem plus ſatis prolixam, Iliade lōgiorem vocant, ut Æſchines adverſus Demoſthenem: *ταῦτα δ᾽ εἰπὼν δίδωσιν ἀναγνῶναι ψήφισμα τῷ γραμματεῖ, μακρότερον μὲν τῆς Ἰλιάδος, κενότερον δὲ τῶν λόγων ὧν εἴωθε λέγειν*, id eſt, His dictis decretum ſcribæ legendum tradit, prolixius quidem Iliade, vanius autem verbis iis quæ dicere cōſuevit. Euſthathius invertit adagionem ad hunc modū: *καὶ παροιμίαν μέν τινα κακῶν Ἰλιάδα φησίν, αὕτη δὲ καλῶν πάντως Ἰλιάς*, id eſt: Iliadem malorum proverbium ait, at hæc omnium bonorum Ilias. Syneſius in epiſtola quadam ad Fratrem: *καὶ ὅλως κακῶν Ἰλιὰς περιέστηκε τὴν πόλιν ἡμῶν*, id eſt, In ſumma malorum Ilias circunſteterit urbem noſtram. Plutarchus in præceptis conjugalibus: *ὁ δ᾽ Ἑλένης γάμος Ἰλιάδα κακῶν Ἕλλησι καὶ βαρβάροις ἐποίησε*. id eſt: At illorum nuptiæ Iliada malorum Græcis ac barbaris invexerunt. Loquitur enim de conjugio Paridis & Helenæ, quod inæſtimabilium malorum fuit cauſa. Utitur & M. Tullius in epiſtolis ad Atticum: Tanta malorum impendet Ilias.

Lerna malorum.

Λέρνα κακῶν, id eſt, Lerna malorum: de malis item plurimis, ſimul in unum congeſtis & accumulatis. Parœmiam Strabo commemorat, libro Geographiæ octavo, ſcribens Lernam lacum fuiſſe quempiam, Argivorum ac Mycenorum agro communem: in quem cum paſſim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgo natum proverbium, Λέρνα κακῶν: id eſt, Lerna malorum. In hoc lacu poëtæ fingunt hydram illam ſeptem capitum conſtitiſſe, quam Hercules igni Græco confecerit. Eam autem hydram Heſiodus ſcribit, ex echidna & Typhaone prognatam, alitam a Junone, nimirum in odium Herculis. Zenodotus ait, locum quempiam fuiſſe in Argolico, in quem cum omne ſordium genus promiſcuè conjicerent, fœtidas inde ac peſtilentes nebulas ſolitas exhalari. Quanquam rectius autumat, ut adagium ad Danaidum fabulam referatur. Nam ferunt Danaum quinquaginta juvenes, Ægypti filios, quibus totidem filias ſuas collocarat, omnes eadem nocte trucidaſſe, atq; horum capita in eum locum fuiſſe congeſta. Hinc ortum eſſe proverbium. Neq; vero negat fieri potuiſſe, ut contumeliæ cauſam in eundem locū, in quo capita compoſuerat, juſſerit & purgamenta comportari. Itaq; quoties hominem ſignificamus vehementer infamem, atq; omni turpitudinis genere contaminatum, aut cœtum hominum peſtilentium, quaſique ſentinam & colluviem facinoroſorum, recte dicemus, λέρνην κακῶν. id eſt, Lernam malorum. Apud Heſychium Cratinus comicus theatrum quod ex varia mixtaq; hominum colluvie conſtaret, λέρνην θεάτρων appellavit:

Mare malorum.

Κακῶν θάλασσα, id eſt. Mare malorum: dici ſolitum de calamitatibus immenſis & omnigenis. Inde ſumptum, quod mare res quædam eſt infinita, vel quod infinitis ærumnis abundant qui in eo verſantur. Eurypides in Hippolyto Stephanophoro:

> *Κακῶν δ᾽ ὁ τλήμων πέλαγος εἰσορῶ*
>
> *Τοσοῦτον ὥστε μή ποτ᾽ ἐκνεῦσαι πάλιν.*
>
> Id eſt:
>
> Tantum malorum pelagus aſpicio miſer,
>
> Unde enatandi nulla ſpes alluceat.

Plautus in Aſinaria, meretricem & lænam mare vocat, tanquam omnium authores calamitatum. Mare, inquit, non eſt mare: vos eſtis mare acerrimum. Æſchylus in Supplicibus:

> *Κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὣς ἐπέρχεται,*
>
> *Ἄτης δ᾽ ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ᾽ εὔπορον.*
>
> Id eſt,
>
> Agmen malorum fluminis ritu ingruit,
>
> Veluteq; pelagus altum, ita ut fundo vacet,
>
> Nec ſine periclo navigetur maximo.

Quin & ſacræ literæ vim inexhauſtam rei cujuſpiam ſignificantes, abyſſum appellant. Itidem D. Chryſoſtomus *περὶ τῆς ἱερωσύνης* libro ſexto: *ἴδε*, inquit, *τὴν ἄβυσσον τῶν πόνων*, Vide, inquit, laborum immenſum pelagus.

Theſaurus malorum.

Θησαυρὸς κακῶν, id eſt, Malorum theſaurus. Ad eundem modum invenitur cum alibi, tum apud Euripidem in Jone:

> *Οἴμοι, μέγας θησαυρὸς ὡς ἀνοίγνυται*
>
> *Κακῶν.*
>
> Id eſt:
>
> Me miſeram, ut ingens panditur theſaurus, ac
>
> Penus malorum.

Extat inter Græcanicas ſententias hujuſmodi ſenarius:

Θηςαυρός ἐςι τῶν κακῶν γυνὴ κακή.

Id eſt:

Theſaurus eſt mulier malorum, ſi mala eſt.

Uſurpavit adagium Plaut. in Merc. Tu quidem theſaurum huc apportaſti mali. Unde eſt & illud crebrius in arcanis literis, Theſauriſant ſibi malum: id eſt, colligunt, accerſunt, quaſique reponunt. Siquidem theſaurum proprie vocamus, rerum utilium vim pariter reconditarum.

Semper Ilio mala.

Αἰεὶ Ἰλίῳ κακά. id eſt, Semper Ilio mala. De vehementer calamitoſis & afflictis. Trojanorum excidium poëtis multa tragœdiarum argumenta miniſtravit: atq; hinc proverbium. Refertur ab Euſtathio in quartum Iliados librum. Stratonicus rogatus, cur nollet apud Ilienſes vivere: reſpondit, αἰεὶ Ἰλίῳ κακά. id eſt, Semper Ilio mala. Author Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum octavo. Quanquam is locus non vacat mendo.

Sybaritica calamitas.

Συβαριτικὴ συμφορά, id eſt, Sybaritica clades. Stephanus tanquã proverbium notavit. Porro quemadmodum Sybaritæ perierint, idem narrat in hunc modum. Oraculum hujuſmodi acceperant:

Εὐδαίμων Συβαρῖτα, πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ,
Ἐν θαλίῃσιν ἔσῃ, τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων.
Εὖτ' ἂν δὴ πρότερον θνητὸν θεοῦ ἄνδρα σεβίζῃ,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Id eſt,

Felix omnino felix Sybarita futurus,
Dum rebus lætis venerabere numina divûm.
At ſimul atq; illis mortalis homo anteferetur.
Tum veniet bellumq; tibi atq; domeſtica turba.

Evenit deinde ut Sybarita quiſpiam ſervum loris cæderet in agro, qui quum ad numinis aram confugiſſet, nihilominus perſequente domino cædebatur. Quod ubi vidit ſibi nihil profuiſſe numinis reverentiam, protinus ad monumentum patris herilis confugit: atque ibi demum religione commotus herus deſtitit à cædendo. Itaque, juxta Dei reſponſum, à Crotoniatis everſi ſunt Sybaritæ. Ælius Lampridius in vita Heliogabali, ſcribit eos eodem anno periiſſe, quo miſſum ex oleo & garo repeeriſſent: quem ob id Sybariticum vocabant, ut modo diximus. Cæterum de Sybaritarum luxu, deq; calamitate, permulta retulit Athenæus lib. 12 ſi cui hæc non ſatisfaciunt. Quadrabit adagium in eos, qui neglectu deorum, aut ob intemperantem luxum ſubvertuntur.

Alio relinquente fluctu, alius excipit.

Ariſtides in Themiſtocle, Θεμιστοκλεῖ δὲ ἀεὶ τὰ δεύτερα τῶν προτέρων μείζονα ἐξεδέχετο, καὶ τὸ τῆς παροιμίας αὐτῷ συνέβαινε. τὸ μὲν γὰρ ἔλιπεν αὐτὸν κῦμα, τὸ δ' ἐγκατελάμβανε, ἕως ἐξήλαθη διὰ τῆς τρικυμίας νικῶν, id eſt, Themiſtoclem poſteriora ſemper majora prioribus excipiebant, atq; illud, quod proverbio dicitur, illi accidit. Nam hæc illum reliquit unda, illa vero excepit, donec per tricymias victor evaſiſſet. Videtur autem verſus fuiſſe proverbialis, quem Ariſtides ad uſum ſuæ ſententiæ nonnihil detorſerit. Legetur integre ad hunc modum, τὸ μὲν μ' ἔλιπε κῦμα, τὸ δ' ἐγκαταλαμβάνει. id eſt: Hæc me reliquit unda, at illa corripit. Sumpta metaphora à periculoſe navigantibus, qui ſemper poſt unius impulſum fluctus, alium expectant, ſuccedentibus in vicem procellis. Atq; etiam numerant undarum inſultus, periclitantes nautæ. Nam decimam quamque maxime formidant, quam veteres decumanam appellabant. Græci graviſſimas illas procellas, τρικυμίας vocant. Nec inconcinne deflectetur ad incurſus malorum, cum (ut fere fit) calamitas calamitati ſuccedit, juxta proverbiale m illum verſiculum:

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

Cyrbes malorum.

Κύρβεις κακῶν, id eſt, Cyrbes malorum. De vehementer improbis, & omni facinorum genere contaminatis. Apud Athenienſes tabulæ quædam erant quadratæ, in quibus leges deſcriptæ proponebantur, præterea variæ delinquentium pœnæ. Has illi κύρβεις appellant, apud Lucianum ἄξονας dicuntur. Non diſſimile eſt illi quod alibi retulimus, Ἰλιὰς κακῶν, id eſt, Ilias malorum. Simili figura apud Athenæum libro nono, dixit Antiphanes opinor: καὶ ἔχειν μὲν μοι τῶν κακῶν παροψίδα. id eſt: Et hic malorum mihi catinus extitit. Solent enim in eodem diſco varia eduliorum genera apponi, ſed quæ voluptatem adferant quo gratior eſt tropus deflectens in contrarium, quaſi dicas, Ilias bonorum.

Malorum panegyris.

Κακῶν πανήγυρις, id eſt. Malorum panegyris. De malis agminatim congruentibus, & invicem ſibi ſuccedentibus. Panegyris enim apud Græcos dicebatur ſolennis ille populi conventus, ad ludos feſtos celebrandos: voce hinc compoſita, quod feſtis diebus univerſi convenirent. Piſides apud Suidam:

Καὶ πάντες, ὥσπερ ἐν κακῶν πανηγύρει,
Ἄλλος κατ' ἄλλων συμφορὰς ἰδυστύχει.

hoc eſt.

Omneis ſimul malorum ut in panegyri,
Alios tenebat aliud infortunium.

Homerus Iliados γ.

Οἴ μοι ἐγὼ Μέγαρα κακῶν ἐκ κακῶν ἀεί.

Id eſt:

Triſtitia perpetuo ut mihi triſtibus excipiuntur.

Hipponax apud Athenæum lib. 15.

Ἀεὶ δὲ κακῶν αἰεὶ κακὸν κακῷ ἐμφορέων.

Claudicat carmen: ſed recta incedet, ſi tollas καὶ vel τοῦ & pro αἰεὶ legas αἰεί. Auſonius in carmine nõ inelleganter appellat Catenatos labores, quod moleſtia moleſtiam excipiat in vita mortalium.

Per tenebras, quæ apud quercum.

Τὸ παρὰ δρυῒ σκότος, id eſt, Per tenebras, quæ apud quercum: de ingenti ac fatali calamitate dicebatur. Zenodotus Ariſtotelem citat authorem, in politia Samiorum, Prienenſium plurimos à Mileſiis occiſos fuiſſe juxta locum, cui nomen Quercus. Unde receptum, ut Prienenſiũ mulieres, ejus calamitates memores, per tenebras, quæ circa quercum eſſent, jurarent. Hujus hiſtoriæ ſimul & adagii meminit & Plutarch. in Problematis ad hanc ferme ſententiam. Cum bellum eſſet inter Prienenſes & Samios, initio mediocribus damnis invicem ſeſe afficiebant: deinde juſto prælio commiſſo, mille Samii à Prienenſibus occiſi ſunt. Septimo poſt anno congreſſi cum Mileſiis, primos quoſq; civium, ac nobiliſſimos ſimul uno prælio amiſerunt. Quo tempore Bias ille ſapiens Samum à Prienenſibus orator miſſus, egregiam laudem adeptus eſt. Poſt eam itaq; calamitatem atrocem ac miſerandam, Prienenſium fœminæ per tenebras quæ circa quercum erant, obteſtari ac dejerare cœperunt, quod liberos, parentes, maritos, chariſſima quæq; pignora eo loco perdidiſſent.

Gravicra Sambico patitur.

Δεινότερα Σαμβίκου πάσχει. id eſt, Atrociora Sambico patitur. In eos qui cruciatib. exquiſitis torquentur, aut quibus inſignia mala accidunt. Proverbium Plutarch. refert in Probl. Græcanicis, atqs hujuſmodi quandam adfert cauſam. Sambicus quiſpiam Eleus una cum ſociis aliquot, non paucas apud Olympia æreas ſtatuas concidit, vendiditque. Deinde majora etiam auſus, Dianæ præſidis templum diripuit. Eſt enim illius in Elide templum, quod Ariſtarcheum nominant. At ille mox comprehenſus, dum ſocios prodere recuſat, annum perpetuum exquiſitis cruciatibus dilaceratus eſt, inter quos etiam animam efflavit. Atq; hinc vulgo nata parœmia.

Malo aſino vehitur.

Quibus res ſunt parum ſecundæ, mala aſella vehi dicuntur, ἐπὶ ὄνου πονηροῦ ὀχούμενοι. Suidas ceu proverbiale refert, in dictione πονηρός. Felices enim eximiis equis inſidere gaudent, quo celerius pervenian teo quo volunt, nec inſeſte jacietur in hominem parum feliciter conjugatum.

Quæ ex antiqua.

Τὰ ἐκ παλαιᾶς, id eſt, Quæ ex antiqua ſubaudiendum, Tyro. Perinde valet, quaſi dicas ſummam moleſtiam, extremumq; malum. Tyrum enim, quæ cognominata eſt vetus, dictione compoſita παλαίτυρος, Alexander expugnatam, & in inſula compoſitam aggeribus redditam continentem, crudeliter tractavit, plurimiſq; affecit incommodis: unde proverbium, τὰ ἐκ παλαιᾶς. Quo ſignificabant tantum malorum, quantum antiqua Tyrus pertuliſſet. Recenſetur & in Plutarchi Collectaneis, atq; item Zenodoti. Hiſtoria eſt apud Q. Curtium.

Miſerior monomachis.

Non caret proverbii ſpecie, quod ex Poſidippo Comico refert Athenæus lib. 4. τῶν μονομαχούντων ἀθλιώτερος. id eſt, Miſerior his qui monomachiam exercent. Nam hi duriſſima lege committuntur, ut aut alter aut uterq; pereat. Carmen ſic habes:

Ὁ μὴ πεπλευκὼς οὐδὲν ἑόρακεν κακόν.
Τῶν μονομαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι.

Id eſt:

Vidit mali nil, navigandi qui eſt rudis.
Ipſis monomachis miſeriores nos ſumus.

Hos Latini vocabant gladiatores. quo ſpectaculo quum nihil poſſit immanius eſſe, tamen olim Romanis erat in deliciis. Lepidius fiet, ſi transferatur ad contentionem cum homine improbiſſimo ſuſceptam, quaſi pugnam dicas gladiatoriam.

Cujuſmodi portento me involvit fortuna.

Οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

hoc eſt:

Monſtro cui fortuna me implicavit.

Trimeter eſt Catalecticus. Dici convenier, ubi negocium incidit cum homine moroſo, difficilique, cum quo non queas vivere, nec à quo te poſſis extricare. Carmen ſumptum ex tragœdia Philoxeni poëtæ, apud quem Ulyſſes incluſus in antro Cyclopis, hoc modo loquitur:

Οἵῳ μ' ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

Refertur à Zenodoto.

My ſortitus es.

Ἔλαχες τὸ μ, id eſt, M litera tibi ſorte obtigit. Ænigma in ſtultos. Nam Græce μωροὶ hanc initialem habēt. Cum aliquando Dionyſio M in ſortibus obveniſſet, quidam per jocum ait, μωρολογεῖ διο

ληρεῖς. Stulta loqueris Dionyſi. At ille detorquens alio, μονομαχήσω μὲν οὖν, inquit: Singulari proinde certamine depugnabo. Ad hũc quidem modum refertur in collectaneis Græcorum, ſed mendoſe: quod liquet ex Plutarcho, qui narrat Dionyſium reſpondiſſe, μοναρχήσω μὲν οὖν: quod interpretes verterunt, Monarchæ erimus: decepti ſcripturæ vitio. Legendum enim, μοναρχήσω μᾶλλον: ut μᾶλλον ſit unica dictio, quæ non inferat tantum, ſed adverſetur potius. Corrigit enim alterius divinationem, & ſubjicit: Imo potius ero monarcha. Quis enim ſic loquitur, Erimus monarchæ. Ad hęc μοναρχήσω δὴ, non ſonat, Erimus monarchæ: ſed, Simus monarchæ. Poſtremo ſi legas, οὖν ut ſit inferentis, non corrigentis: quid aliud dicit Dionyſius, quam ideo ſe fore monarcham, quod ſtultus eſſet?

Nephaſti dies.

Ἀποφράδες ἡμέραι, id eſt, Nephaſti dies. Olim vocabantur inauſpicati, & quibus publica non licebat agere. Unde receptum, ut homines inviſos ac deteſtandos, ἀποφράδας appellarent. Teſtis Lucianus in hujus vocis calumniatorem. Apud Atticos hujuſmodi dies erant ſeptem, quibus inferiæ peragebantur manibus: eoq; habebantur inauſpicati. Ad hæc veterum ſuperſtitio ſibi perſuaſit & lunæ certos dies ſiniſtri auſpicii eſſe, veluti lunæ ſeneſcentis quartam, quintam & ſecundam: quos & ἀποφράδας appellabant. Rurſus dies in quibus rei capitis damnabantur, ἀποφράδας veluti funeſtos. Poſtremo dies inſigni quapiam calamitate funeſti, ἀποφράδες dicti ſunt. Horatius:

Ille & nephaſto te poſuit die.

Horum dierum meminit Plato libro De legibus ſeptimo, negans illos eſſe καθαρούς, id eſt puros, ſed ἀποφράδας appellat, ut funeſtos & ſepeliendis mortuis ſacros. Ea vox deinde tranſlata eſt ad homines execrandos, & abominandæ malitiæ, teſte verſiculo:

Ἄνθρωπος ἀποφρὰς καὶ βλέπων ἀπιστίαν,

Id eſt:

Homo nephaſtus, & ore perfidum tuens.

Eadem eſt autem Græcæ vocis etymologia, quæ Latinæ, παρὰ τὸ φράζω. Hujuſmodi ferme Suidas, Heſychius, & Etymologicus. Quin & homines deteſtandos ſacros dicimus: ut Horatius:

—Sacer inteſtabilis eſto.

Vergilius etiam ad animi rem tranſtulit:

Auri ſacra fames.———

Servabis bovem.

Βουκολήσεις, i.e. Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium. Siquidem qui per oſtraciſmum ejiciebantur, in Argivam exulatum ibant: ac illic bos erat æneus inſigni magnitudine. Refertur in Plutarchi collectaneis. Heſychius teſtatur extitiſſe in Phaſmate Menandri.

Inus dolores.

Ἰνοῦς ἄχη, id eſt, Inûs dolores. Ino Cadmi filia, ex Athamante duos peperit filios, Learchum & Melicertam, præterea filiam Eurycleam. Athamas autem verſus in inſaniam, reliquos liberos arcu percuſſit, occiditque. Inô una cum Melicerta ſeſe in mare abjecit. Et hanc quidem Megaras undis appulſam Megarenſes multo cum honore exceperunt, juſta perſolventes, Leucothoe nomine commutato: illum vero Corinthum delatum, Corinthii ſepelierunt, & in ejus honorem Iſthmios ludos inſtituerunt: & nomine item commutato vocantes Palæmonem. Hinc ortum adagium, ut intolerandum, & exanimantem (ut ita dixerim) dolorem ſignificantes dicerent, Ἰνοῦς ἄχη. Nam Achos proprie dolor dicitur apud Græcos, qui prorſus obſtupefacit, ſuique ſenſum adimit homini. Melicrates Tyrius apud eundem Zenodotum, unde hæc retuli fabulam, quæ parœmiæ dedit occaſionem, narrant ad hũc modum. Athamanti prius fuerat uxor Nephele, ex qua duos ſuſtulit liberos, Hellem & Phryxum. Hac defuncta ſecundam duxit uxorem Ino. Ea veluti noverca tendens inſidias Nepheles liberis, perſuaſit indigenis mulieribus, ut ſemina in terram jacienda prius frigerent, id eſt, adurerent in ſartagine. Cæterum ubi res male eveniſſet, neque quicquam is annus produxit, Athamas in hac rerum anguſtia Delphos miſit, qui conſulerent oraculum. Verum Ino legatos muneribus corrupit, ut domum reverſi dicerent, reſpondiſſe Deum, ita demum penuriam annonæ depellendam, ſi Hellen & Phryxum occidiſſent. Itaque perſuaſus Athamas Phryxum & Hellen ad aram admovit immolaturus. Verum dii miſerti aurei velleris ariete vectos illos per aëra ſuſtulerunt. Et Helle quidem, cum ſeſe in arietis tergo non ſatis teneret, delapſa eſt in mare, quod ab ipſa Helleſponticum appellatur: Phryxus autem in Colchicam regionem incolumis delatus eſt. Athamas ira deorum in rabiem verſus, Inûs liberos aggreſſus eſt, quemadmodum modo demonſtravimus.

Niobes mala.

Νιόβης ἄχη, id eſt, Niobes dolores. De maximis & acerbiſſimis malis dicebatur. Erat Niobe filia Tantali, uxor Amphionis, quæ filios habebat ſex, totidem puellas. Eo ſucceſſu inſolens contempſit Latonam, quæ non niſi duorum mater eſſet, Apollinis ac Dianæ. Hanc enim fabulæ narrant, poſt occiſos liberos, quos per multos habebat, præ dolore in ſaxum converſam fuiſſe: illud innocentes, immodico dolore diriguiſſe. Id ſaxum quod fabulæ dedit occaſionem, in Sipylo Phrygiæ conſpici tradit Homeri Scholiaſtes lachrymarum fontes emittens. Ovidius Metamorph. lib. vj. fabulam elegantiſſime narrans, de ſaxo loquitur:

Flectamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrymis etiam nunc marmora manant.

Qui funditus pereunt, Græcis πανώλεις ἀπολέσθαι dicuntur: veluti cum peſtilentia nullum in familia reliquum facit.

Antiopæ luctus.

Ἀντιόπης θρῆνος, id eſt, Antiopæ luctus. Dici conſuevit, ubi quis immerens calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur. Natum adagium ab Antiopæ fabula, quæ Nyctei filia fuiſſe narratur. Ea cum eſſet à cive quodam viciata pater gravius iraſcens, ad fratrem Lycum mittit, ut de ea ſupplicium ſumeret, at ille quod uterum ferre videret, miſertus, pepercerat. Itaq; peperit Zethum & Amphionem: quos ille in montem abjecit. Erat autem huic uxor, nomine Dirce: quæ ſimul atq; ſenſit virum ſuum Lycum Antiopæ captum amore, puellam in montem abductam tauri cervicibus alligat ſuſpenſis à cornibus tedis ardentibus, parans illam hoc exitii genere conficere. Verum ad vociferationem Antiopæ concurſum eſt, cum à vicinis ruſticis, tum ab Amphione Zethoque: qui matrem agnitam eripiunt, & à Dirce pœnas ſumunt.

Cythnicæ calamitates.

Κυθνώδεις συμφοραί, id eſt, Cythnicæ calamitates. Zenodotus Ariſtotelem autorem citat, Cythnios uſq; adeo divexatos afflictoſque fuiſſe ab Amphitryone, ut in proverbium abierint Κυθνώδεις συμφοραί, pro maximis cladibus, & immenſis calamitatibus. Eſt autem Cythnus ex inſulis Cycladibus una, contra Dryopidem ſita, teſte Stephano.

Cyrnia jactura.

Κυρνία ἄτη, id eſt, Cyrnium malum. De magnis diſpendiis & compilationibus dicebatur. Cyrnus inſula quæpiam eſt, è regione Apuleiæ: cujus incolæ longævi perhibentur eſſe propter mel, quo plerunq; veſcuntur, vicini Sardonicæ inſulæ. Nam ejus illic ſumma copia, quemadmodum autor eſt Stephanus. Hæc olim navigantibus erat inacceſſa, propter prædonum ac piratarum circa illam frequentiam. Atq; hinc vulgo proverbium increbuit. Plin. lib. iv. cap. xii. nominat Cyrnum, ſed diverſam à Corſica: quum Strabo tradat Cyrnum eſſe quam Romani dicunt Corſicam, inſulam ægre habitatam, ob locorum aſperitatem, & regionem multis locis imperviam, ſed præcipue quod qui montes obtinent, ac latrociniis vivunt, feris ipſis ſint efferatiores. E quibus ſi quando aliquot capti per duces Romanos Romam deducantur, dictu mirum quam ferinum quiddam ac belluinum præ ſe ferant. Nam aut ſibi mortem conſciſcunt, aut ſi vivunt, ſtoliditate & amentia ſic fatigant dominos, ut quantulocunq; emptos tamẽ emiſſe pœniteat. Talis olim Corſica, nunc viris laudatiſſimis inſtruit Romanas delicias. Ob immanitatem igitur latrociniorum, ac gentis feritatem, dicta eſt Κυρνία ἄτη: quemadmodum dictum eſt Cilicium exitium, quod alibi retulimus. Meminimus hujus adagii ſuperius in Cyrnia terra.

Argi collis.

Ἄργου λόφος. i. Argi collis. Ubi quis ingentibus malis eſſet implicitus. Poteſt accommodari vel ad locum, vel ad negocium variis obnoxium calamitatibus. Natum ajunt à colle quodam, cui cognomen Argi, frequentibus homicidiis ac latrociniis infami.

Archidamicum bellum.

Ἀρχιδάμιος πόλεμος, i. Archidamicum bellum. De bello ſævo crudeliq; dicebatur: epitheto ſumpto ab Archidamo duce Lacedæmoniorum, qui maximus copiis impreſſionem fecerit in Atticam, eamque decem annis divexarit. Graviſſimam autem noxam inflixit Acharnenſibus, ſuccisis omnibus arboribus: ut teſtatur & Syneſius in Encomio Calvitii. Proinde cum funditus tollerentur omnia, bellum Archidamicum dicebatur. Meminit adagionis & Demoſthenicarum dictionum interpres, indicans extitiſſe apud Lyſiam Archidami ſævitiam: memorat & Pauſanias in Laconicis.

Ægypti nuptiæ.

Αἰγύπτου γάμος, i.e. Ægypti nuptiæ, inauſpicatæ & infelices dicebatur. Sumptum à notiſſima fabula Ægypti, qui filios quinquaginta, totidem fratris filiabus maritos dedit. At hi præter unum omnes à ſponſis jugulati ſunt. Torqueri poterit in ſimulatam amicitiam, aut in munus honoris gratia datum in ſpeciem: quum revera quæratur pernicies ei cui datur. Ita nonnunquam ex affinitatibus aut fœderibus principum atrocia naſcuntur exitia.

Militavit cum Eraſinade.

Ἐστρατήγησε μετ' Ἐρασινάδου, id eſt, Militavit cum Eraſinade. Vulgo per jocum dicebatur de his, quibus res undiquaq; male procederent. Eraſinades dux quidam Arginuſam obſederat. Infeliciter autem pugnatum eſt, ad internecionem extinctis cum aliis quotquot reſiſtebant, inter quos erant Thraſyllus & Pericles, tum ipſo duce. Hujus Eraſinadæ malis & illud acceſſit, quod accuſatus eſt, quod pecunias Helleſponticas furatus eſſet. Hujuſmodi ferme Suidas.

Excubias agere in Naupacto.

Φρουρῆσαι ἐν Ναυπάκτῳ, id eſt, Excubare Naupacti. Achivi capta Naupacto, Pauſaniam excubiis cuſtodiæq; præfectum interfecerunt, authore Theopompo. Unde res in jocum vulgi videtur abiiſſe, adverſus eos qui pereũt ignavia ſua, aut qui munus odioſum & plenum diſcriminis adminiſtrant. Refertur a Zenodoto: Suidas effert ad hunc modum, Φρουρήσεις ἐν Ναυπάκτῳ, id eſt, Excubias Naupacti. Is aufert & aliam adagionis originem. Quum iis, qui Naupactum præſidio tuebantur, perpuſillum ſalarii dependeretur, atq; illi plurima quæ ad rem pertinebant, emerent, militario joco jactatum eſt, ut appareat in eos qui fruſtra ſudarẽt, quoſq; ſua ſpes fruſtraretur. Naupactus autem Ætoliæ civitas, quam tum Philippus obtinebat, à compingendis navibus dicta, quod illic Heraclidæ primum navim extruxerint.

Lemnia manu.

Λημνίᾳ χειρί, id eſt, Lemnia manu, dictum eſt pro eo quod eſt, nefaria, impia, crudeli. Natum ab hiſtoria proverbium, quam alias retulimus in Lemnio malo.

Lepus apparens, infortunatum facit iter.

Φανεὶς ὁ λαγὼς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους.

Id eſt:

Inauſpicatum iter obvius facit lepus.

Vulgo creditum etiam his temporibus, occurſum leporis omen eſſe parum felix, iter ingreſſis. Torqueri poteſt ad interventum cujuſpiam, qui videatur incommodum aliquod allaturus. Meminit Suidas.

Minxit in patrios cineres.

Qui intemperiis ageretur, cuique cuncta cederent infeliciter, in patrios cineres minxiſſe dicebatur. Antiquitus enim paterni ſepulchri ſumma fuit religio. Quod liquet ex Thamyridis fabula, quam alibi retulimus. Proinde qui monumentum patris violaſſet, huic ſicuti & parricidis, Erynnes furias ultrices immittebant, neque quicquam proſpere ſuccedebat. Horatius in Arte poetica:

> Nec ſatis apparet, cum verſus factitet, utrum
> Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
> Moverit inceſtus certe furit.———

Rupta ancora.

Κράδης ῥαγείσης, id eſt, Rupta crada. Dicebatur de his, qui repente tanquam magnum quidam facturi prodiſſent: deinde falſa omnium expectatione turpiter & indecore ſe geſſiſſent in negocio. Translatum à tragœdiarum hiſtrionibus: qui, ſi quando numen inducendum eſt, derepente machinis quibuſdam ſublati, in ſumma ſcena apparere conſueverunt, velut in aëre pendentes hamo quopiam à tergo in cingulum affixo ſuſpenſi. Nam his nonnunquam eveniebat, ut forte fortuna rupta ancora qua ſuſtinebantur, deciderent, non ſine magno ſpectatorum riſu, ſuoq; tum malo, tum dedecore. Porro crada hoc loco non ficulnum ramum indicat quemadmodum alias: ſed uncum illud æs, quo vincti tenebantur actores in machinis. Julius Pollux lib. iiij cap. xix. docet, κράδην appellari ſolitum in comœdia, quo in tragœdiis dicebatur μηχανή fuiſſe vero non diſſimile ficui: ſiquidem Attici ficum arborem κράδην vocant. Quanquam quarum libet arborum rami nonnunquam cradæ dicuntur.

Commune naufragium.

Κοινὸν ναυάγιον τοῖς πᾶσι παραμύθιον, id eſt, Commune naufragium, omnibus ſolatium. Multo facilius fertur malum quod nobis eſt cum omnibus, aut cum multis commune. Quin & hodie jactatur inter Scholaſticos, Miſerum eſt ſolatium habere calamitatis ſocium.

Obedientia felicitatis mater.

Æſchylus in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις:

> Πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας
> Μήτηρ γυνὴ σωτῆρος, ὧδ᾽ ἔχει λόγος.

Id eſt:

> Felicitatis mater obedientia,
> Conjunxque ut ajunt ſoſpitatoris Jovis.

Fingit poëta Jovem ſoſpitatorem, cujus beneficio contingat ſalus: huic eſſe uxorem, cui nomen πειθαρχία, id ſonat obedientiam, ſed proprie qua paremus magiſtratibus ac principibus ex horum conjugio natam eſſe filiam, cui nomen εὐπραξία, id eſt, felicitas. Principis eſt, conſulere ſaluti civium. Id conatur bonis & æquis legibus. Populi eſt, his obtemperare, ſi velit eſſe felix. Sed utinam non eſſent Joves ἀλάστορες, quibus uxor eſſet ἀπειθεία, & filia δυστυχία.

EX APPEND. ERASMI.

Niger.

Ut alba pro felicibus, ita atra & nigra pro malis & infamibus ponebant. Cic. nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio. Item Horat. Serm. j.

> ——— Commiſſa tacere.
> Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Vide alibi, Albus an ater ſit.

Magis, quam Sol Heracliti, extingui.

Μᾶλλον ἢ ὁ ἥλιος ὁ Ἡρακλείτου σβεσθῆναι. De iis, qui deficiunt in re aliqua incipienda, ſine ulla ſpe reparationis. Plat. Horat. Dicebat Heraclitus, Solem ſcaphæ inſtar habere ejuſque lumen deficere, quoties cavum ad ſuperiora vertitur, ſed rurſum fieri lucidum, quoties invertitur.

IVNII. *Malorum omnium pedem habet.*

Πάντων κακῶν πόδα ἔχειν, id eſt, Malorum omnium pedem habere, non ſine proverbii ſpecie dicitur, qui infortuniis preſſus, & calamitatibus ſubjacet maximis. Citatur ab Hephæſtione Alexandrino in Enchiridio verſus Jonicus Alcæi poëtæ non ſemel iſte:

> Ἐμὲ δειλάν, ἐμὲ πασᾶν κακοτάτων πόδ᾽ ἔχοισαν.

Id eſt:

> Me miſeram, me ærumnarum omnium pedem habentem.

Sumpta videtur metaphora a pede, fune nautico, quo veli pars inferior ad proram & puppim religatur, ut annotat Euſtathius, vel à pede imo montis: ſic enim radices imæ montis & funes πόδες Græce vocantur.

Graviora quam ab Archidamo Athenienſes.

Synesius in Calvitii encomio: τότε δεινότερα πάσχειν ὤμην ἢ ὑπ᾽ Ἀρχιδάμου τοὺς Ἀθηναίους, ἐπὶ τῇ διαφθορᾷ τῶν Ἀχαρνῶν. id eſt, Graviora tunc pati me rebar, quam ſub Archidamo perpeſſi fuerint Athenienſes, ſucciſis Acharnenſium arbuſtis. Archidamus Ageſilai filius, Lacedæmoniorum rex, graviſſime atteri vit Athenienſes, præter reliquam vaſtitatem ſucciſis eorum viribus, quas nobiliſſimas Acharnæ Athenienſium pagus proferunt.

Priamiſare.

Πριαμωθῆναι proverbiali ſchemate dicebatur, qui ſibi eradi pilos faciebat, quaſi Priamum imitaretur, qui in Tragœdiis ξυρίων, hoc eſt, eraſo novacula capillitio ob interfecti Hectoris filii ſui mœrorem introducitur. Veteres in funere aut luctu præpetiti nõ tondere modo cæſariem, ſed inſuper etiam radendo abolere conſueverant. Refertur ab Euſtathio Iliados ultimo, & item in Suidæ lexico, & ab Heſychio.

Ad genua venire.

Ad genua venire, proverbiali ſpecie uſurpavit Procopius, pro peſſum ire & ſuccumbere, loquens de Almandaro Perſa, ſingularis in re bellica prudentiæ duce, lib. 1. belli Perſici: Nam annis quinquaginta res Romanas ad genua venire compulit. Græce dici poſſet: τὰ τῶν Ῥωμαίων γόνυ κλίνειν ἠνάγκασε, vel ita, εἰς γόνυ καταβεβλῆσθαι. Sic enim Herodotus uſurpavit, ἐς γόνυ βάλλειν, pro dejicere & peſſundare, in Erato, his verbis, μετὰ δὲ ταῦτα ἡ ναυμαχία ὑπολαβοῦσα ἐς γόνυ τὴν πόλιν ἔβαλε, id eſt, Poſt hæc inſecutum navale prælium civitatem ad genua dejicit. Chorus apud Æſchylum in Perſis, Ἀσία δὲ χθὼν αἰνῶς ἐπὶ γόνυ κέκλιται. id eſt: Aſia graviter ad genua depreſſa eſt.

Adverſo æſtu.

Ἀντὶ ῥοῦ χωρεῖν, id eſt, Adverſo æſtu ſuccedere: adagium eſt plane diverſum ab illo, κατὰ ῥοῦν φέρεσθαι, id eſt, Secundo vel prono æſtu ferri: quod de iis effertur, quibus proſpere in vita cuncta eveniũt, à metaphora decurrentis aquæ, non ſtantis æqualitate ſuperficiei: illud vero de his dicitur, qui ex ampliſſimis fortunis dejecti ad egeſtatem rediguntur. Citatur ab Euſtathio Odyſſeæ ξ. Ita Plautus in Aſinaria: Quam magis te in altum capeſſis, tam æſtus te in portum refert. Altero uſus eſt Ariſtides, ibi, ἀλλ᾽ ὥσπερ ὑπὸ ὁρμῆς κατὰ ῥοῦν ὑπὸ τοῦ λόγου φερόμενος. id eſt, Impetus orationis veluti prono æſtu me arripuit.

Mariandynus tybicen.

Μαριανδυνὸς θρηνητής, id eſt, Mariandinus tibicen aut præcentor, dicitur luctuoſi carminis cantor, qui flebiles modos inſonat. Neq; abſurde poẽ aſtrũ inamœni atq; indocti carminis ſcriptorem μαριανδυνὸν θρηνητὴν dixeris, conſimili ratione, qua ineptam orationem, Carica Muſam, & Καρικὸν αὔλημα. Citatur nominatim proverbii vice ab Euſtathio in Dionyſianis commentariis: ἰστέον ὅτι ἐπιχωριάζουσι τοῖς Μαριανδυνοῖς θρηνῳδοὶ αὐληταί, ὡς καὶ ἡ παροιμία δηλοῖ, Μαριανδυνοῦ μεμνημένη θρηνητοῦ. id eſt, Sciendum apud Mariandynos frequentes fuiſſe tibicines lugubria concinentes, quod & proverbio indicatur, in quo fit mentio Mariandyni ejulatoris. Chorus apud Æſchylum in Perſis, Xerxi reduci, poſt deletas ingenti ſtrage à Græcis Perſarum copias, loco gratulatorii carminis accenturum ſe dicit lugubre Mariandyni tibicinis carmen, his verſibus:

> Πρὸς φθέγξομαί σου νόστον τὰν κακοφάτιδα βοάν,
> Κακομέλετον ἰὰν Μαριανδυνοῦ θρηνητῆρος.
> Πέμψω.

Id eſt:

> Excipiam reditum tuum clamore inconditto,
> Et male concinno Mariandyni tibicinis ululatu te
> Proſequar.——

Quo Æſchyli verſu uti licebit apud eum, qui pro expectato læto nuncio, adverſa omnia & triſtia apportat. Mariandyni gens eſt

Pontica, Paphlagoniæ contermina, nomen habens à Mariandyno Æolenſi, ut Stephanus indicat. Æſchyli interpres ex Calliſtrato annotat, Titium binos habuiſſe liberos, Priolaum & Mariandynum, qui in venatu periit, inſignem artificem lugubris concentus, qui flebiles tibiis modos adaptarit: ſuamque artem docuerit Hyagnin Marſiæ tibicinis patrem (quem Marſum nominat Euſtathius) & addit, eam gentem ad ſua uſq; tempora, in æſtivis caloribus debilibus numeris authorem ſuum Mariandynum Plinei filium fuiſſe ex Idea Dardani, ab aliis Cimmerii creditum fuiſſe filium. Quin & Mariandynas tibias aptiſſimas eſſe luctui, idem ſcribit, & conſentiens gentis perita Heſychius: huc referri & vulgatum illud;

[illegible]

Id eſt:

Spirat Mariandynis calamus Jonicos modos ſonans.

Poteſt autem proverbialis iſte verſus anapæſticus torqueri in hominem ſecum diſcordem, velut qui inter læta triſtes fabulas commemorat, aut lugubre carmen condit: Nam ut Mariandynæ tibiæ næniis funebribus dicatæ ſunt, ita Jonici modi amoribus, deliciis, laſciviæq; ſerviũt. Citatur in Æſchyli Græcis commentariis, quos quam nitidiſſimos ex corruptiſſimis dedit nobis Henricus Stephanus, *[illegible]*. Solebant autem tibiæ in luctu adhiberi; & teſtatur Statius Papinius, funera, præſertim minoris ætatis, ad tibiam efferri ſolere, eo verſu:

Tibia enim teneros ſolitum deducere manes.

Myſorum more inclama.

[illegible], i. Myſorum inſtar vociferari, proverbiali ſpecie dixit Æſchylus in Perſis, pro ejulare, & fletu omnia permiſcere, ubi Xerxes accepta clade mœſtus ita chorum alloquitur:

Καὶ [illegible]

hoc eſt:

Conſcinde planctu pectus, atque Myſium inclama.

Apparet autem barbaros ob nativam vocis aſperitatem olim ad funebres pompas ad ciendum luctum expetitos fuiſſe: Sic Phrygas & Myſios ad id muneris adhibet Euſtathius, ita & Carica Muſa, ut in Ionis, pro epicedio & funebri carmine Platoni accipitur. Æſchyli interpres ita ſuccincte tradit: *[illegible]* id eſt, Myſium inclama, nam Myſi Phrygeſq; ciendo luctui appoſitiſſimi ſunt. Simonides: *[illegible]* i. e. Myſium & flebile exclamantem ad Arganthonem amnem.

Lacryma Simonidea.

Mœſtius lacrymis Simonideis, proverbiali figura dictum eſt ab elegantiſſimo Catullo, de re flebili & miſeratione digna. Simonides poëta ex poëtis, quos *[illegible]* vocant, præcipui nominis fuit, hoc eſt, qui nænias & carmina quæ cum lamentatione mortuo extrema accinebantur (ſic enim Nænias exponit Diomedes grammat. conſpicuus: Unde Horat. lib. Od. ij. talia nominat Cææ munera. Sunt & qui elegiæ inventæ gloriam illi tribuerũt. Veteres autem in funere mortuorum elegiis ad ſepulturam utebantur, ut Lucilius Tarrhæus ait. Callinoum pentametri ſive elegiaci carminis authorem facit. Verba autem Catulli ſunt, in epigrammate ad Cornificium.

Paulum quidlibet allocutionis,
Mœſtius lacrymis Simonideis.

Fuiſſe autem Simonidem appoſitiſſimum concitando luctui, etiam Ariſtides oſtendit in Epicedio his verbis acclamans, *[illegible]*. Qualis Simonides hunc mœrorem digne lugebit?

Saturnius oculus.

[illegible], id eſt, Saturnius oculus, proverbiali ſpecie dixit Heliodorus de inſigni calamitate, & ineluctabili exitio, *[illegible]*, id eſt, In familiam meam Saturnius oculus incubuit: Sumpta occaſione a Saturni ſideris malefica poteſtate. Duos enim ſtatuunt planetas malignos, *[illegible]* dictos, quaſi peremptorios, Saturnum & Martem, eo quod ortum geniturae pulſantes vitam detruncent: & eorum conjugium exitiale habetur. Unde Porphyrius in effatorum Philoſophiæ ex oraculo:

——*[illegible]*
[illegible]

Id eſt:

——Promittit mala lurida fatum
At duè quum callem ingrediere Saturne ſiniſtrum.

& iterum:

[illegible]
[illegible]
At tibi ruptum iri fatalia ſtamina vitæ
Triſtificus Mavortium Saturno obviam fieri
Mentitus fuerat.——

Tanta autem & tam nota omnibus hujus aſtri eſt malignitas, ut ærumnoſos omneis Saturnios vulgari dialecto nominemus.

In Catonium agi.

In Catonium agi, proverbialiter dicitur, qui in præſens periculum & exitio proximum conjicitur. Ita uſurpaſſe videtur Cicero epiſtol. ad Attic. lib. 7. Vereor ne in Catonium Catonos quæ verba mutilo ſenſu truncata, obſcure videntur indicare, dicendum eſſe ne immodica dicẽdi libertas, qualis Catoniana, manifeſtam perniciem adferat. Occaſio petita videtur ex Laberio mimographo, quem in Staminariis fabula ita ſcripſiſſe refert Gellius lib. xvj.

Tollet bona fide vos orcus nudas in Catonium.

ubi Catonium pro inferis dixit, voce alludente ad Græcorum *[illegible]*: videturq; Catonium accipi poſſe pro carcere tetro, ab ingenio Catonis triſti ac tetrico derivato nomine: qualis apud Procopium memoratur *λήθη*, carcer teterrimus, ita dictus, quod eo conjecti in oblivionem veniebant, ſublata omni liberationiſque ſpe omni. unde apud Agathium manifeſto erroris tenetur interpres, qui illud *ἐς τὸ τῆς λήθης φρούριον* vertit, In oblivionis præſidium contrudi: quum debuerit clarius reddere in hunc aut ſimilem modum, In cuſtodiam arctiſſimam ab oblivionis argumento nominatam. Invenio & Charonium pro ſpecu exitiali, & quibuſdam quaſi faucib. inferorum, ut apud Aretæum Cappadocem claſſicum rei medicæ ſcriptorem, *[illegible]*. i. In antris Charoniis ſubita & præceps ſuffocatio accidere ſolet.

[illegible]

Adagium quod ab Eraſmo *[illegible]*, id eſt, Ad corvos relegare aut ejicere, annotatur, unica voce elegantius & venuſtius prolatum lego apud authores Græcos. D. Clemens Alexandrinus in 2. Pædagogi, ubi de odoramentorum uſu loquitur: *[illegible]* id eſt, Neque enim omnino quaſi ad corvos relegandus eſt eorum uſus, & iterum in tertio: *[illegible]*. id eſt, Inſolens illa & furioſa obambulandi contentio ad corvos nobis eſt rejicienda Heliodorus lib. 2 Æthiop. cæ hiſtoriæ. *[illegible]*, hoc eſt, Amoribus venereiſque nuptialium deorum cœtui renuncians, cumque ad corvos abire jubens. Syneſius lib. De inſomniis: *[illegible]*. id eſt, Imaginationem utpote ſenſu incertiorem ad corvos abigamus. Agnoſcit proverbium & Etymologici author, ejuſque natalem ex hujuſmodi fabula narrat. Quidam urbem obſidentes oraculo reſponſum acceperant, urbe non potituros ſeſe, at inde recedituros, ubi corvos albos conſpexiſſent. Ea res quum ad oppidanorum aures dimanaſſet, ingenioſo commento illi corvos [illegible] albatos è mœnibus dimiſerunt liberos, quo oſtento perculſi hoſtes re infecta domum redierũt, juſſi cum ignominioſo dicterio ad corvos abire. Origo adagii memoratur ab eodem paulo aliter. Bœotiis oraculum cecinerat, urbem illorum tunc perituram, quum albi corvi illis viſi eſſent, ea re comperta, juvenes aliquot temulenti [illegible] gypſo dealbatos dimiſerunt, urbemq; prodigio quamvis falſo graviter commoverunt, ſed illi mox deprehenſi pœnas [illegible] luerunt, interdicto ipſis potu. poſtea mos invaluit, ſcelerorum [illegible] rei alicujus compertos eo relegare, ubi gypſo dealbantes habitabant, Corvos innuentes. Ariſtides [illegible] adagii aliam tradit, nimirum eo quod locis præruptis & aſperis corvi [illegible] ſoleantur, hinc dici, *φθεῖρ' ἐς κόρακας*, Fuge ad corvos, nempe in præcipitium & præſentem perniciem. Alii referunt ad Coraceſium (quaſi dicas Corvicam rupem) Ciliciæ caſtellum, ſceleratis latronibus inſeſſum, & in abrupta caute ſitum, de quo ita Strabo lib. 14 *[illegible]*. Æſopus fabulatur, ingentem graculum adjunxiſſe ſe corvorum ſodalitio, velut horum æqualem: ſed quum inferior & illis impar ad congeneres aves rediiſſet, graculos degenerem volucrem averſatos factoque indigno commotos, illum excidiſſe acclamantes identidem. *φθεῖρ' ἐς κόρακας* id eſt, Apage ad Corvos. Pauſanias ſcribit, quod Bœotis reddito oraculo ut ſedes firmarent, ubi candidos conſpexiſſent corvos, illi conſpecto præter volantium corvorum agmine ad Pagaſiticum ſinum, quos pueri nihil tale cogitantes ludicro oſtento gypſatos emiſerant, locum illic condendæ urbi ceperunt, à Corvis loci nomine accepto. Ejectis poſtea illis Æoles eo ſuos relegabant exules: quibus occini illud ſolebat, Fuge ad corvos. Idem repetit Ariſtotelis teſtimonio, graſſante olim peſte vehementi & animadverſa innumera corvorum multitudine homines enixe operam impendiſſe capiendis illis, quos cum certis carminibus veneficiiſque luſtraſſent, devoviſſentque, vivos dimiſiſſe, peſtique accinuiſſe repetitum jam toties dictum *φθεῖρ' ἐς κόρακας* Hæc de adagii origine prolixius, quod ab Eraſmo pleraq; omiſſa ſint, aut aliter digeſta. Alluſit huc Nazianz. *[illegible]* Etymologici author *[illegible]* interpretatur, indignis modis repellere, & odioſe rejicere. ita fere uſus eo eſt Eſaias c. ultimo: *[illegible]*. id eſt, Ut iratus vindictam reponat, & in flamma ignis, exterminium illos. Non abludit hinc *[illegible]*, verbum apud Ariſtophanem proverbialiter prolatum: pro in Lybiam abire velut in præſentaneum exitium, ut author Etymologici annotat: eo quod Libiæ regio deſerta, & imbrium indiga ſit, omniſq; humanæ opis expers. Ariſtoph. Avibus: *[illegible]*. id eſt, Non tu hinc faceſſes peſſime ocyus ad Libas.

Olim Pelagi, Danaidæ poſtea.

[illegible]

Ideſt:

Olim Pelaſgi, Danaidæ poſtea.

Euripidis ſenarius in Oreſte fabula, proverbii ſpeciem redolens: qui torqueri poteſt in locuplete genere ortos, jam ad egeſtatem redactos, aut propemodum ſtirpitus extinctos. Pelaſgi, ſi Straboni credimus, numeroſa & valida olim gens fuit, quæ errabunda paſſim ſedes poſuit, leviq; de cauſſa eas mutavit, alio commigrans, & in infinitam adaucta multitudinem, celeriter defecit: ſiquidem maritimam Joniæ oram inſediſſe, & Chium inſulam inhabitaſſe leguntur. Herodotus refert etiam Imbrum & Lemnum inſulas Perſici belli temporibus a Pelaſga gente habitatas: memorat Strabo & campum Pelaſgicum in Theſſalia ad Lariſſam. Poſſederunt & Cretæ partem, ut ex Ulyſſis ad Penelopen verbis apud Homerum manifeſtum ſit. Fuerunt & Pelaſgi in Achaica, quum & Æoliam in Aſia incoluerunt: tranſierunt & in Italiam eorum coloniæ. Lesbus quoq; Pelaſgia antiquitus ab incolis ejus nominis dicta fuit. Conveniet itaq; in eos, quorum opes olim firmæ & potētes fuerunt, aut præpotens familia, nunc vero ea defecerat. Poteſt & haberi affine illi vulgato de Mileſiis: Fuēre quondam ſtrenui Mileſii.

Agamemnonium epulum.

Ἀγαμεμνόνειον δεῖπνον ἢ τράπεζα, id eſt, Agamemnonium epulum, vel Agamemnonia menſa, proverbialiter dicitur de iis, qui in exitiali menſa epulantur, ultimamq; cœnam ſumunt. Torquebitur in eos, qui amice accepti, mendicatum hauriunt poculum, aut venenatam offulam & Claudii Cæſ. boletum edunt. quod multis ex purpuratorum collegio contigit, qui ab Alexandro pontifice, ejus nominis ſexto, opipare excepti Agamemnonia menſa, paulo poſt interierunt. Refert Homer. Odyſſ. δ. quomodo Ægyſthus adulter lautum apparavit convivium, velut excipiendo Agamemnoni inſtructum, quo illum nihil mali ſuſpicantem interemit, ſic enim ait:

—— κατέπεφνε

δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Id eſt:

—— Cœna

Acceptum mactat, ceu ſub ſœnile cadit bos.

Aliter ἀγαμεμνόνειον δεῖπνον accipit Sophocles, pro anniverſario interfecti Agamemnonis epulo. Refertur ab Euſtat. Odyſſ. 4.

Cedrus cecidit.

Ὀλολύζει πίτυς ὅτι πέπτωκεν κέδρος.

Id eſt:

Ploret picea quod cedrus cecidit.

Potentiorum ruina documētum eſt minoribus modeſtiæ. admonentur enim contrahere vela, quib. res ſunt minus validæ, quando fortunis exuuntur & de ſtatu ſuo dejiciuntur magnates. Salomon ſimiliter ait: Quum cadit impius, metu concutitur juſtus. Cedrus arbor eſt longe reliquarum omnium proceriſſima. Unde proverbialis illa locutio apud Nazianzenum in Steliteuticis: τὴν ὑπὲρ τὰς κέδρους ἔπαρσιν καὶ τὴν εἰς τὸ μηδὲν καθαίρεσιν. i. e. Faſtigium ſuper cedros & dejectionem in nihilum. Idem in Monodia Baſ. καὶ ὄρεσι καὶ κέδροις ὑπερανατείνεσθαι. Increſcere ſuper mōtes & cedros. Pſalmiſta: εἶδον τὸν ἀσεβῆ ὑπερυψούμενον καὶ ἐπαιρόμενον ὡς τὰς κέδρους τοῦ Λιβάνου. i. e. Vidi impium evectum & exaltatum, ut cedros montis Libani. Apollinarius in metaphraſi Pſal. 18.

Φωνὴ θεσπεσίη κατεθρύψατο ὑψικόμους

Ἀθάνατος κέδρους βριαρὰς Λιβάνοιο καθαιρεῖ.

Id eſt:

Comminuit cedros divinus ſermo proceras,

Ille cedros Libani validas confregerat unus.

Onerat aliquam Zamiam.

Onerare Zamiam, non ſine proverbii ſpecie dixit Plautus pro, moliri alicui detrimētum, & qua ratione alicui incommodes, machinari. ita enim Euclio loquitur in Aulularia, de divitum amicitia cum tenuioris fortunæ hominibus:

Nemini credo, qui large blandus eſt dives pauperi.

Ubi manum injicit benigne, ibi onerat aliquam Zamiam.

Indicat autem, damnoſam eſſe egeni amicitiam divitem. Camerarius putat eſſe ζημίαν, qua voce detrimētum & jactura ſignificatur: quomodo Ariſtophanes in Pluto dixit, ἐκεῖνος ζημίαν ὤφειλεν. Damnum interdum dabas. Plautinæ vocis gratiam exprimunt Alexidis comici apud Athenæum lib. 3.

Ὡς καὶ τὸν ἐπ' αὐτῶν τῆς τέχνης μέγαν

Σωτῆρα, τοῖς ἄλλοις δὲ πᾶσιν ζημίαν.

Id eſt:

Ut qui ſit unus omnium cetariis

Artis columen, at noxa præſens, cæteri.

Tale fere eſt Heliodori illud lib. 6 ... id eſt, Sonticū & prægrave onus mihi eſt, quicquid Iſidis illa ſacerdos non imperarit, ſive magnum illud ſit, ſive exile. Gregorius Nazianz. ad Nectarium epiſcopum, ζημίαν ... id eſt, Inexpiabile diſpendium acceptum indicat. Neq; abſonum fore exiſtimat idem Camerarius, vir extra omnem judicii aleam poſitus, ſi Zamiæ ſignificatio huc advocetur. quæ apud Plinium extat lib. Naturalis hiſtoriæ decimo ſexto c. xxvj. quo loco ait, nuces pineas, quæ ſe in ipſa arbore, præ nimia, aut præpropera potius, maturitate diviſere, Zamias vocari, & niſi detrahantur cæteras lædere.

Sale conſperſi.

Ἁλίπαστοι, quaſi dicas, Sale injuriave conſperſi. Comico ſale dicuntur profligatæ valetudinis homines morboſi, quos ægerrime ſanitati reddere queas, οἱ δυσὶ δυσθεράπευτοι τὸ σῶμα. ut exponit Euſtathius in Odyſſeæ decimum ſeptimum. Ducta a litore metaphora, quod quia ſalo alluitur, nec fructum nec ſementem profert, quemadmodum homines valetudinarii manuum pedumque munia difficulter obeunt, neq; inoffenſè naturales actiones edere poſſunt. Poteſt detorqueri non invenuſte ad ſceleroſos homines & inemendabiles, qui nequitiæ ſalſugine permaduerunt.

Exunguare.

Proverbii gratia in uno verbulo ſæpe hæret metaphoricè ſumpto ſic ἐξονυχίζειν τὸν ἄκρατον, id eſt, Exunguare merum. dixit Plutarchus, quando nativam ejus vim percolatione frangimus, non aliter quam ſi feram unguib' à natura ad propulſandam injuriam armatam privemus, quomodo Lampridius Heliogabalum exarmatos leones in deliciis habuiſſe ſcribit, quanquam nonnulli apud Plutarchum loco prædicto ἐξονυχίζειν legant, ſiquidē & caſtrandi vini metaphora Latinis auribus familiaris ſit. Venuſtus ejus erit uſus, ſi dicamus Socratem percontando ſolere ἐξονυχίζειν ſophiſtas: aut Ciceronem Stoicorum ſtolidā de paritate delictorum opinionem pluribus locis convellere καὶ ἐξονυχίζειν. Alio ſenſu uſurpavit Athenæus lib. 3. ἐξονυχίζεις πάντα ... i. e. Quicquid incidit, exunguas, hoc eſt, penſiculate & ad unguem examinas.

Mulctores reipub. peſtis.

Ἀμολγοὶ ſive ἀμελγοί, ac ſi mulctores dicas, proverbiali dicterio nominabantur oratores, quod populi pecunias emulgerent atq; exugerent quodammodo. ut ex Pauſaniæ lexico annotat Euſtathius Iliad. λ. & iterum Odyſſ. δ. qui etiam ... dicebantur. ab ἀμέλγειν, quod ſignificat τρυγᾶν, hoc eſt, vindemiari, atq. inde natum proverbium, ἀμολγοὶ τῆς πόλεως ὄλεθρος, id eſt, Mulctores civitatis pernicies. Oratores olim fœcundiore aliquanto proventu & lucro, quam nunc advocatorum turba, factiones ſeditioneſq. venali lingua vovendo, & reipublicæ ærarium expilabant, & plebem exugebant temporariis patrociniis. Hinc fit, quod tantas pecunias coegiſſe rhetores illi legūtur: quum Demades Athenienſis talenta decem accepiſſe memoretur, non alia de cauſa, quam ut tacendo cauſæ ne officeret, ut apud Gellium inquit C. Gracchus, diſerte profeſſus, ſeipſum quoq; non gratis ad concionandum prodiiſſe, alioſq. omnes qui verba ad populum faciunt, rei familiaris ſuæ precium & præmium referre. Huc ſpectat oraculum, in quo ludit comicus Ariſtophanes.

Μὴ μοι Κέρκωπας αἰνῶν, ἀμολγοὶ γίνονται.

Id eſt:

Ne mihi Cercopidas ſtudio laudet is inani

Mulctores etenim fient. ———

BRASSICANI. *Aſſeneas, ut citius ad exitii terminos pervenias.*

Verſiculus eſt Homericus Iliad lib. ζ. & υ.

Ἆσσον ἴθ' ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι.

qui germana poetæ ſententia conſervata ſic redditur: Propius accede, ut celerius exitii terminos attingas. Cæterum cum Aſſos, Maritima Lyciæ civitas, in edito ſita ſit promontorio, ita ut parū tutum ſit accedere, Stratonicus citthariſta, ut Strabo lib. 13. Geograph. ſcribit (quanquam hoc Nicoſtrato citharœdo Stephanus tribuat) feſtiviſſ. joco dicebat:

Ἄσσον ἴθ' ὡς θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι.

Adagii uſus erit, quoties a reb. iis quæ non abſque periculo comparari poſſunt, deterremus. Quemadmodum ſi quis à corruptis ſodalitiis, certiſſima adoleſcentum pernicie, dehortari velles, dicere: Ἆσσον ἴθ', &c.

Miſeriorem quam panus puerum.

Nonius Marcellus proverbium citat ex Nonii optione: Qui me miſerum miſeriorem reddidit quam panus puerum. De graviſſima moleſtia commode dicetur. Panus enim tumore eſt inguinum ex formæ ſimilitudine ſic vocatus: hoc autem morbi genus ægri patiuntur pueri.

Lacuna.

Cicero in quarta Verrina: Ut illam rei familiaris lacunam implerent. Lacunam dixit proverbiali metaphora, acceptam in re familiari perniciem. Sic & Gellius lib. 5 cap 3. Lacunam famæ appellat, quando recta exiſtimatio turpitudine aliqua admiſſa læditur. Cic l 12, epiſt. ad Attic. de Cœlio: Ride quæſo ne qua lacuna ſit in auro: h. e. tacitum & non intellectum detrimentum. Ejuſmodi metaphoris feliciter uſus eſt Cicero, quando in orationibus ſubinde vocat gurgitem vitiorum, ſentinam urbis, ſtrumam civitatis, ſcopulos reipublicæ, vulturios paludatos, nucios, pegaſos, voraginem patrimonii, inſaturabile abdomen, ex vepreculis extractam nitedulam. ſed & antitheta in oratione apud eundem poſita proverbiales formas reſipiūt, ut in negocio ſine periculo, in ocio cum dignitate, in convivio ſobrius, in ſobrietate facetus, honores ſine ambitione, divitiæ ſine faſtu, copia ſine luxuria, & reliqua ejuſ generis infinita.

Ad

Ad inferos proficiſci.

Artemidorus libro Oneirocriticῶν 3. cap. [illegible], veteres eos qui longiorem profectionem ſuſcepiſſent, ad inferos proficiſci dixerũt: quemadmodum eos ex inferis rediiſſe dicimus, qui præter omnium expectationem convaleſcunt aut conſervantur. Cicero in Bruto dixit, ab inferis teſtes excitare. Euſtathius in Dionyſii Periegeſin proverbium citat, εἰς πόντον ἀποπλεῖν, in pontum abire: perinde ac ſi dixeris, in præſentaneam perniciem.

Mures migraverunt.

Sic dicimus proverbio, quando graviſſimam ruinam aut præſentem calamitatem imminere ſignificamus. Cic lib. 14. epiſt. ad Atticum: Tabernæ mihi duæ corruerunt, reliquæ rimas agunt. Itaq; non ſolum inquilini, ſed mures migraverunt. Plin. lib. VIII. c. XXVIII. De prognoſticis animalium: Ruinis imminentibus muſculi præmigrant, aranei cum telis primi cadunt.

Neque remi neque venti.

Cicero in 1. Phillippica, proverbialiter dixit, Neque remi neq; venti: de iis qui omnib. omnium præſidiis deſtituti ſunt. Siquidem Homerus navigationem adjuvare dixit:

[illegible]

Et Odyſſ. δ.

[illegible]

Id eſt:

Neque remiges neque ſocii:

Idem de proſpera navigatione Odyſſ. γ.

—[illegible]

quod Virgil. ita reddidit:

Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes.

IOANNIS VLPII.

Eodem jugo urgeri.

Pro eadem neceſſitate dicitur: ſumpta metaphora à jumentis jugalibus. Tertull. Poteſt etiam dici tanquam in eodem periculo verſari, ut in eodem luto hærere, in eadem navi eſſe.

Deorum dona ſæpe non dona.

Citantur ab Ariſtotele hi ſenarii:

[illegible]

Id eſt:

Multos Deus non benevolenti pectore
Ad ſumma rerum protrahit faſtigia,
Ut inde gravius poſteaquam miſeri cadant.

Indicant, ſummæ felicitatis plerunq; comitem eſſe inſignem calamitatem, nec temere eſſe, ſi quando homines nimia rerum omnium proſperitate utantur.

Bene Claudianus:
—Tolluntur in altum
Ut lapſu graviore ruant.——

Mithrii pœnas ſuſtinere.

Mithrii pœnas ſuſtinere, pro graviſſimas pœnas ſufferre dicitur: Nazianzenus.

Manuarium æs.

Manuarium æs, videtur vocare Gellius illud, quod in commune conferunt is, qui in certaminib. luſibuſque factus eſt inferior.

COGNATI. *Calvis & comatis pilos velli moleſtum.*

Apud Senecam Bionis dictum eſt allegoricum, quo etiam Galli vulgo utuntur: innuere volentes, tantundem vulneris accipere tenuioris fortunæ hominem è jactura exigua, quantum locupletem in magnarum facultatum carptu. Vide infra: Majus tuum putas naufragium.

Περιαμαθίζειν.

Περιαμαθίζειν ſpecie proverbiali pro abradi penitus, apud Suidam legitur. Priamus enim in illa calamitatum & malorum iliade, faciem cute tenus eraſam habuiſſe legitur. Lege ſupra prov. Iuniи Priamiſare.

De ſtatu mentis deturbare.

Promovere & dejicere accepit Demoſthenes, citante Claudio Saturnino Pandect. lib. XLVIII. tit. de pœnis, cujus verba paulo ante retulimus cum hac interpretatione: Hæc ipſa movent, hæc de ſtatu mentis deturbant homines propudii, hoc eſt, rei pudendæ ac ſuggillationi, id eſt, deriſioni & reprehenſioni nõ aſſuetos. Qui ira corripiuntur, de poteſtate aut mente etiam dicuntur exire, id eſt, de conſilio & ratione. Eſt enim magni animi, in imperio iracundiam vincere, quæ conſilio eſt inimica, & (ut Ennius dixit:) inſaniæ principium. De gradu autem dejicere, & de ſtatu dejicere, verba crebra apud Ciceronem, per metaphoram dicta ſunt: pro eo quod eſt, de conſtantia & propoſito deducere, in quo pedem fiximus. Poteſt etiam eſſe ducta translatio a gradibus theatri, vel loci editioris occupati. Dicitur etiam dimovere & deducere: Græcis [illegible]. Interdum enim gradus eſt dignitatis, interdum conſtantiæ, interdum occaſionis. Eſt enim uſus varius. Cicero lib. 2. Tuſcul. Non ſentiunt viri fortes in acie vulnera vel ſi ſentiunt, ſe mori malunt, quam de dignitatis gradu dimoveri, id eſt, quam indigne in ſeſe aliquid admittere. Hoc Græcè dicitur, [illegible]. id eſt, ab exiſtimatione priſtina dejici & deturbari: Hic autem gradus pro conſtantia & animo affirmato ponitur, ut apud Ciceronem in j. Offic. Fortis enim animi eſt, non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici (ut dicitur) ſed præſentis animi uti conſilio. Pro exiſtimationis & honoris loco. Cic. in 2. Philip. Eſt enim querela mihi neceſſaria pro hoc gradu, in quo me S.P.Q.R. collocavit. In gradum reponere, eſt dejectum reſtituere. Quint. lib. V. Sic fit, ut ſi quid titubaverint teſtes, opportuna rurſus ejus à quo producti ſunt, interrogatione, velut in gradum reponantur. Vide ſupra, In gradum reponere.

Διαστρέφειν ὀφθαλμόν.

Græcis provulgata vox, pro qua Cic. in Lucullo, Torquere oculum, Latine dixit: Conſuetudo autem ſermonis διαστρέφοντα ὀφθαλμὸν vocabat, qui vitio hoc oculorum laborabat: Latini eum ſtrabum appellaverunt.

Præter plorare nihil.

Hæc vox pervagata, proverbiiq; vim habet hodie apud Gallos: Præter plorare nihil relictum. Horat. in V. ſatyra, lib. ij.

—Multum Nauſica negatas,
Accipiet tandem, & tacitus leget, invenietque
Nil ſibi legatum, præter plorare, ſuiſque.

Ita autem Græcos loqui ſolitos, ut plorare juberent eum, quem à ſe contumelioſe dimitterent, notum eſt. Cic. in epiſt. quadam ad Quint. Fratrem, ὁ δ' οἰμωζέτω, nos modo valeamus. id eſt, ſed ploret. Horat. in extrema ſatyra. lib. 1.

— Demetri, tuque Tigelli,
Diſcipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Ariſtophan. in [illegible], & infra: [illegible]. Lucianus in Tragopodagra: [illegible]. id eſt, Sed omnibus illis nil niſi plorare impero. Scythæ Dario regi nihil aliud reſponderunt, quam κλαίειν, id eſt, ut ploraret. Lucian. primo Necromantorum dialogo, [illegible]. id eſt, Tu vero plorare illos meo nomine jube. Apud eundem Polyſtratus in Mortuorum dialogis, omnes hæreditati ſuæ inhiantes, plorare juſſit. Idem in Plutone, ſeu contra Menippum, in fine: Lugete vos quidem. Hoſpitalius ad Franciſcum Lotharingum, ducem Guiſianum:

Tu plenus ſtupri, plenuſque libidinis intus,
Et furax, & avarus, & ambitioſus honorum;
Impetrare putas aliquid te poſſe, priuſquam
Ablueris ſacra vivi te fluminis unda:
Quem foribus templi ſapiens arcere ſacerdos
Debuit, atque reos inter plorare decere.

Noctes atque dies patet atri janua Ditis.

Huic Virgiliano carmini ex ſexto Æneidos locus eſt, quotieſcunque ſignificare volumus, mortem omnibus eſſe communem. Arianus Nicomedienſis de Epicteti philoſophi præceptoris ſui diſſertationibus, libr. 1. cap. 24. [illegible], id eſt, Id quod caput eſt, conſidera januam ſcilicet eſſe patefactam. Januam appellat exitum è vita, quo quis liberatur omnibus in vita hac ærumnis. Extra omnem controverſiam deſcenſus ad inferos facilis eſt, & via lata, quæ ad mortem ducit, quare longe maxima pars mortalium per eum graſſatur. Huc vadunt, quorum mentes caligine cæcitatis ſunt obtenebratæ, quique ſuam juſticiam, nondum carnem exuti, [illegible] quod poſſunt, ſtabilire pergunt.

Extinguitur magis quam Heracliti ſol.

Σβέννυνται μᾶλλον τοῦ Ἡρακλειτείου ἡλίου, id eſt, Extinguitur magis quam ſol Heracliti. Apparet Heraclitum ſcripſiſſe, ſolem, quum occidit, Oceanoque mergitur, non aliter quam ignem extingui, ſed eundem ſub exortum redaccendi. Plato lib. de Republica 6. diſputans, eos qui primos annos extra in negociis conterunt, ubi jam ſenes ſeſe ad diſſerendi Philoſophiæq; ſtudium contulerunt, frigere pleroſq; fruſtraq; niti: [illegible], inquit, [illegible]. id eſt, Hoc magis extinguuntur quam Heracliti ſol, quod non redaccenduntur. Ab occaſu ſolis expectatur, exortus, a ſenectute non eſt reditus ad juventutem.

Mortuus rurſus id eris, quod prius.

[illegible]. id eſt, Poſtquam interieris, rurſus id eris quod prius. Veſpaſianus pater apud Sueton. Tranquillum in Cerylum libertum, ſed prædivitem, qui ut aliquando ſubterfugeret jus fiſci imperialis, cœpit ſe pro ingenuo ferre, eoq; mutato nomine, pro Cerylo, dici voluit Laches: torſit hunc verſiculum, ſignificans illi nihil profuturum immutatum nomen, nec conditionis diſſimulationem, quandoquidem omnino jus patroni in ejus bonis maneret. Citatur id carmen cum plurimis aliis titulo Menandri in collectaneis Græcis, quæ Stobæo tribuuntur. Ibi Menander ait: Si ſibi electio detur, ut poſſit à principio fieri, quodcunq; animal eſſe velit, quodlibet potius ſe optaturum quam hominem: quandoquidem nihil infelicius homine

minc quamvis generoſo, cum ſoli fœliciſſime agant adulatores, deinde ſycophantæ, poſtremo improbi moribus viri, &c. Prolixius eſt carmen, quam ut hic videatur referendum. Seneca libr. 2. epiſt. 1. Omne animal donec moriatur, id eſt quod cœpit. Homo homo eſt, equus equus, canis canis.

Barbata eminus ſalutanda.

Ut præter naturam eſt, barbatam eſſe fœminam, ita ejus occurſus nō immerito Italis habetur ominoſus, unde joculari ejus gentis dicterio, barbatam eminus eſſe ſalutandam præcipitur.

Civitatem, ſive domum venti perſpirant.

Dicitur de civitate ſive domo deſerta, ac ad ruinam tendente. Hoc quoq; Gallis vulgare admodum.

Παρὰ Λύδιον ἅρμα θεῖν.

Præter Lydium currum currere dicuntur, qui aurigandi arte ſuccumbunt: ut Euſtathius in Dionyſium ſcribit.

Ad manticam res rediit.

Dicitur in eum, cui nihil relictum eſt, quiq; ſolvendo ideo non eſt, quia decoxit.

Ἐν τετράδι γεννηθῆναι: Quarta luna nati.

Quarta luna natos proverbiali ſchemate dicimus, quibus ſiniſtra parumq; auſpicata rerum omnium ſunt initia. Quod ipſum non tam ad diem quartum, quam ad poſtremum lunæ quadrantem refero. Nam qui ſeneſcente luna, aut poſt hujus dodrantem naſcuntur, partim ob ſideris defectum, partim ob matris debilitatem, ægre atq; laborioſo in lucem prodeunt: atq; in poſterum dubia ſunt valetudine ac vacillante omnibuſque membrorum functionibus improſpere utuntur: maxima tamen calamitatis pars in fœtum recidere ſolet. Nam hoc illi accedit ad malorum cumulum, ut vitam agat ærumnoſam, atque infœlicem plerunq; in aggrediendis rebus ſucceſſum habeat: ſiquidem non tam corporis viribus, quam conſilio & prudentia, quibus res maxime perfici ſolent, ſunt deſtitui. Hinc igitur proverbii origo fluxiſſe mihi videtur: quæ tamen appoſite ad conceptum referri poteſt. Qui enim concepti ſunt utero deſtituto humore, quo fœtus alitur, quo vires & incrementa ſumit, non poſſunt omnibus numeris ſuis perfici, omniumq; partium facultatib. abſolvi: quod fere uſu venire ſolet iis, qui quarta luna, arentiq; vulva, ut Eſdras 4. cap. 6. ait, concipiuntur. Inter alia in vita Ariſtophanis legitur: [illegible] id eſt, Quare ipſum exagitarunt, ſeu contempſerunt Ariſtonymus & Amipſias dicentes, quarta luna (quod ajunt) natum, quod aliis laboraret, nam primas fabulas per Calliſtratum & Philonidem exhibuit. Hoc autem proverbium alia ratione tractatur Levino Lemnio. lib. j. De occultis naturæ miraculis, cap. viij. Noſtrates, inquit, quod quarta ſilentique luna, cujus vi menſes defluunt, conceptus inchoari cœperit, lunarem partum, aut populari voce plane inde indigetant: quum autem vir quarta luna, ſilentique ſidere, ac quarto à lunæ coitu die, quo menſes defluunt, mulierem ſubigit, non obſervato naturæ curſu, ut qui fluctui obnititur, æſtuque adverſo navigationem inſtituit: id noſtrates contra lunam micturire, proverbiali figura dicunt. inde Latini, Quarta luna natos vocant, quod inauſpicata vitæ principia habeant, præterquam naturæ ordinem, ac modum, generationis primordia ſint conſecuti. Quo fit, ut infelicem plerunque in aggrediendis rebus ſucceſſum obtineant, qui tali ratione concipiuntur. Siquidem cum erumpentibus menſibus mulieri vir commiſcetur, ſiſti fluxum contingit obducto viri peſſulo, labentemque ſanguinem reſilire ac repurgitari. Hic autem nec conſultum nec neceſſe eſt, promanantem ſanguinem ſiſtere: cum virile ſemen tali uligini commixtum, non poſſit purum putumque hominem efformare. Quo mihi juſta ratione, idque ex Dei præſcripto, inhibuiſſe viſus eſt Moſes, ne quis congrediatur fœminæ, hujuſmodi inquinamentis conſpurcatæ. Qui autem in quarta luna, hoc eſt, profluente menſium illuvie non exhorreſcunt: hoc efficiunt, ut quos excitant liberos, omnibus dotibus, naturæque muneribus, quibus bene nati abunde fruuntur, deſtitutos eſſe contingat. Ad nullas ſiquidem functiones obeundas, ad nulla munia, nullaſque res præclaras ſunt appoſiti: Quod ſi attentare quippiam pergant, nullam habens in rebus aggrediendis ſucceſſum, nullumque optatum aut proſperum eventum. Sunt enim inabſolutæ naturæ, ut qui naturales facultates, quæque ad actionem hominibus ſunt adjumento, imminuta, mutilaque habent atque imperfecta: idque non ſuo, ſed parentum errore, qui præter decorum, contraque naturæ ordinem, negocium procreandæ ſobolis ſunt aggreſſi. Quo effectum eſt, ut multa illis ſubducta ereptaque ſint, aut ſaltem parce & maligne diſtributa, quæ aliis effuſè atque affluenter obtigerunt. Quamobrem non eſt quod quiſquam magnopere miretur, unde tot monſtroſi partus, tam deformes hominum ſpecies, tot paſſim gibboſi, ficoſi, mutili, diſtorti, vari, repandiſque cruribus, tot circa podicem atque in inguine condilomata, bubones, tumidæq; mariſcæ. Quod ad animum vero attinet, in eo quidem non minus gravem jacturam patiuntur. Sunt enim a communi ſenſu prorſus alieni, ſtupidi, obtuſi, oblivioſi, bardi, bliteì, deliri, ſtolidi, inertes, rationis inopes, nec præſtantia doctrinæ, nec acumine ingenii, nec inventionis ſubtilitate, nec conſilio aut prudentia, cæteris ulla parte conferendi, amentes: cum non aliunde quam ex enormi decubitu, atque intempeſtiva venere, hæc proveniant: vel potius ex vitioſo corruptove progenitorum ſemine, in poſteros deriventur. Sic videre eſt illos, qui a provectioribus vergentiſque ætatis matronis progenerantur, ob corporis ariditatem pleruncque eſſe graciles, macilentos, ſtrigoſos: ob ſpirituum vero denſitatem rigidos, præfractos, refractarios, totoſque ἀγελάστους, atq; a Gratiis alienos, taciturnos, cogitabundos, atque animo plane demiſſo dejectoque, aſpectu torvo, fronte obducta: qualem hodie Decanum N. videmus. Alii vero his diſſimiles, & toto diametro oppoſiti, vividi ſunt, alacres, erecti, geſticuloſi, moribuſq; plane comicis: & quod ad externas notas attinet, corpore ſucculento, colore florido, vultu blando, facie honeſta & liberali: & quod ad oculos, ad lineamenta, totiuſque corporis ſpeciem attinet, prorſus amabiles & gratioſi. Vide proverbium, A ſignatis caveto.

Tactus aratro eſt.

Hoc etiam ſpectat comparatio illa Virgilii, lib. Æneid. 9.

> Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro
> Langueſcit moriens. ———

ex Hom. Iliad θ. Macrob. lib. v. c. 2. Huic ſimile eſt hoc: Tam periit, quam extrema faba. Vide Feſtum.

Ruit cælo nox.

Abiit Homeri hemiſtichium in proverbium: [illegible] non de nocte naturali, ſed quum lux diei oculis mortalium nubibus ſubtrahitur.

Miſeribitur hoſtis.

Hyperbole proverbialis eſt apud Virgil. ij Æneidos. Non enim temere hoſtis commovetur miſericordia Eraſmus noſter huic affinia hæc habet. Vel hoſti miſerandus, quod vel ipſe Momus probet, & ex eodem Virgilii libro:

> ——Quis talia fando, &c.

Argumentum a majori ductum: Si hoſtis miſerebitur, multo juſtius Trojani & liberi.

Charontis cymba.

Hunc poëtæ fabulantur portitorem apud inferos eſſe, qui accepto naulo, triente manes tranſportet, & in ripam ulteriorem exponat: & quoniam perſuaſum erat, neminem tranſvehi, niſi illius cymba, poſſe, Charontis cymba in proverbium abiit, pro morte & ſepulchro. Porro χάρων apud Ariſtophanem in Pluto, pro morte uſurpatur, ὁ δὲ χάρων τὸ σύμβολον δίδωσι. id eſt, Charon ſymbolum dat: pro eo quod eſt, morieris. Hinc & illud quod à Suida refertur. [illegible] A Charonto cognoſces & præconia. Charontis item janua, de imminente capitis periculo, ſive de re magnopere triſti. Eraſmus annotavit, antiqui ita unam ex carceris januis appellatam, per quam damnati judicum ſententiis ad ſupplicium educebantur. Macedones τὸν χάρωνα Leonem vocant. Hinc Lycoph. χάρωνα [illegible] nuncupat. Vide infra, Charontis ſymbolum accipere: [&, Charontis janua, in Ch[illegible]d.]

Pinus in morem.

Illud admiratione non caret, Herodotum in Erato, ſive ſexto hiſtoriarum libro ſcribere, unam ſolamq; arborum pinum ſucciſam non ſuppullulaſcere amplius, verum interire funditus, vel (ut ipſe ait) πανώλεθρος. Nata inde parœmia, ut piceæ ritu perdita dicantur, quæ funditus radicituſq; pereunt, ita ut nullo pacto reſtitui poſſint. Gellius hanc Herodoti ſententiam ut falſam notavit libro octavo, capite tertio, qui liber deſideratur, præter capitum inſcriptiones. Adagium hoc Eraſmus noſter ex Diogeniano & Suida collegit Meminit quoq; hujus Lod. Cælius Rhodog. Lectionum antiquarum lib. xxv. c. 2. ſub finem.

Majus tu tuum putas naufragium.

Seneca lib. v. Declamationum, declar. j. Majus tu tuum putas eſſe naufragium. Hodie nihil tritius hoc. Vide ſupra, Calvis & comatis pilos velli, moleſtum, Non diſſimiliter Galli: A un chaſcun ſon fardeau poiſe.

Lapſus viribus.

Metaphoricῶς lapſus animi viribus dicitur, qui imminutus eſt ſuis animi viribus: & lapſus facultatibus, qui ad inopiam decidit. Ulpian. in tit. de magiſtr. conven. l. j. Quod ſi idoneum exegerit, quamvis poſtea facultatibus lapſi ſint tutores, nihil eſt quod ei imputetur Lapſus corporis viribus & fortunæ, dicitur etiam. Affectus autem eorum qui lapſi animi viribus ſunt, & mente emota, ut inquit Lactant. dicitur eſtaſis. Quos Plin. lib. 24. mente commotos appellat, id eſt, fanaticos: Datur, inquit, mente commotis, & vertigine laborantibus. Græcè ἐξεστηκότες dicuntur. Unde ecſtaticus dicitur Ariſtot. qui mente facile commovetur. Dionyſ. Areop. ecſtaſin appellat abſtractationem mentis à corpore, ad contemplanda cœleſtia: quæ etiam anagoge dicitur. Summa autem voluptate afficiuntur, quibus hoc divinitus datum eſt. Lapſus animi viribus dicitur fatiſcere, languere concidere, & viribus defici. [illegible]

Ad-

Adverſo flumine.

Quoties res ex omni parte feliciter non procedit, aut non ex animi ſententia ſuccedit, proverbiali hac & frequenti apud auctores metaphora utimur, ſumpta à nautis, qui adverſa aqua per flumen navigant, aut navem ducunt: quod vulgo dicitur contra aquam, contra vim & curſum fluminis. Huic contraria ſunt: Secundo flumine, æſtu: Secunda aqua: Secundis ventis. Demoſth. in Orat. De falſa religione: ἐκ[illegible] ἀνω ποταμῶν [illegible] id eſt, Illa die profecto de adulteriis & protervitate orationes, adverſo (quod ajunt) flumine fluxerunt. Horat. 2. Epiſt. lib. 2.

Non agimur tumidis velis Aquilone ſecundo:
Non tamen adverſis ætatem ducimus Auſtris.

Id eſt:

Non in ſumma vivimus felicitate, ſed nec in ſumma calamitate. Hinc Ovid. 7. Epiſt. lib. 1.

—Adverſo movimus iſta Deo.

hoc eſt, irato.

Propertius quoque libro primo, Eleg. 1. Deos adverſos dixit, adverſantes, & contrarios. Livius: Omniane ſemper quæ magiſtratus ille dicet, ſecundis auribus (id eſt, faventibus:) quæ ab aliquo noſtrum dicentur, adverſis accipietis? Sic, Secundo populo: pro, favente, dicitur.

Excedunt dii.

Solitas à diis ſuis deſeri eas civitates, quæ mox in hoſtium poteſtatem venturæ eſſent, aut ſaltem eam fuiſſe veterum opinionem, oſtendit Æſchylus: apud quem Eteocles offenſus ſuperſtitione mulierum, quæ vagantes per templa, in tanto civitatis periculo, implebant omnia clamoribus, jubet eas id modo optare, ac precari, ut turris cives ab armis hoſtium protegat. Quem cum illæ interrogaſſent, undenam id, niſi à diis futurum putaret: reſpondens ille, quaſique illudens, ait vulgo dici ſolitum, excedere deos, cum urbs aliqua capitur. Verſus hi ſunt è fabula, quæ inſcribitur: Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, id eſt, Septem ad Thebas:

Ετ. πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ.
Χο. οὔκουν τάδ' ἔσται πρὸς θεῶν; Ετ. ἀλλ' οὖν θεοὺς
τοὺς τῆς ἁλούσης πόλεως ἐκλείπειν λόγος.

Id eſt:

Et. Turris ut tegat haſtam hoſtium, optate.
Chor. Annon igitur hæc à diis erunt? Et. At nunquid deos
Urbis quæ capitur præſides deſerere ajunt?

Quem in locum ſcholiaſtes ait, id contigiſſe Trojanis. λέγεται γὰρ, inquit, ὅτι ὅτε ἔμελλε πορθεῖσθαι ἡ Τροία, ἐφαίνοντο οἱ θεοὶ τοῖς Τρωσὶν ἀπερχόμενοι ἐκ τῶν ναῶν [illegible] ἀγάλματα αὐτῶν. id eſt. Fertur enim, cum jam inibi eſſet, ut Troja caperetur, apparuiſſe deos Trojanis, aſportantes è templis ſimulachra ſua. Ea autem nocte, qua capta eſt Troja, Æneæ, propter ſingularem ipſius pietatem, deos exeuntes è templis, & ſimulachra ſua aſportantes potius, quam cuiquam alii, apparuiſſe, credibile eſt. Virg. 2. Æneid.

Exceſſere omnes, adytis, ariſque relictis,
Di, quibus imperium hoc ſteterat.—

Hos verſus Servius & Macrobius referendos cenſuerunt ad veterem quandam Romanorum conſuetudinem: qui cum obſiderent urbem aliquam, eamque jam capi poſſe confiderent, certo carmine evocarunt tutelares illius deos: quod haud aliter urbi capi poſſe crederent: aut, etiamſi poſſet, nefas exiſtimarent, deos habere captivos.

In dies res in pejus ruunt.

Omnia fatis in pejus ruere, jam & vetus eſt, & ſummi poëtæ querimonia, lib. 1. Georg. [illegible] in epiſt. [illegible] Res in dies [illegible] ruunt. Quod in Mercenario Doctore Lucianus dicit: [illegible] In dies ſingulos, ut ita dicam, extenuantur, retroque ſublapſæ referuntur. Lucilius poëta ſatyricus in Serano, apud Nonium Marcel. Intereunt, labuntur, eunt rur omnia verſum. Turnebus Adverſariorum libro viceſimo quarto, cap. 1.

—Sic omnia fatis In pejus ruere, & retro ſublapſa referri:

Joannes Sambucus in tetraſticho dialogi Mercurii & Charontis ex Luciano:

Mercurius quæritur technas hominumque furores,
Semper quod pejor ſit quoque poſteritas.

Hoc proverbii vice Galli frequenter uſurpant:

Les choſes vont en empirant.
& De pis en pis.

vide Eraſm. Juxta Mandrabuli morem res ſuccedit. id eſt, indies id deterius labitur. Nam Mandrabulus theſauro invento, primo auream ovem poſuit Junoni Samiæ, proximo anno argenteam, tertio æream. Galli, Tout và pis que devant.

Charontis ſymbolum.

Ariſtophanes in Pluto Charontis ſymbolum accepiſſe, proverbialiter dicit, quibus mors imminet, & brevi ſunt morituri: ὁ Χάρων τὸ ξύμβολον ἔδωκεν. id eſt: Dat ſymbolon Charon. Fingunt enim poëtæ, Charontem cymba animas ad inferos deducere. Huic ſimilia apud Lucianum habentur proverbia: Alterum pedē in Charontis cymba habere: qui in Apologia homines extremæ jam affectæ ſenectutis, Æaco vicinos dicit. Apud eundem Demonax Cynicus: Charon me momordit, inquit. Pro cane dicit Charontem: innuens ſenectutem morti vicinam. Idem enim eſt ac ſi dixiſſet: Senectus, quæ ipſa morbus eſt, hoc me incommodo affecit. Charontem Virgil. deſcribit in 6. Statius libro quinto de eo:

-- Vehit ille merentes
Protinus & manes placidus locat hoſpite cymba.

Lucianus multa ſcribit in Charonte, & Suidas abunde meminit. Nos ſupra, In Charontis cymba.

Calamitas nulla ſola.

Galli hoc ſemper in ore habent. Calamitas nulla ſola. Euripides in Troad act. 5. ἐπὶ δ' ἄλγεσιν ἄλγεα κεῖται. Dolores doloribus accumulantur. Apud eundem in Oreſte act. 3. Electra dicit, clades alias alias viciſſim excipere. Vide infra, Abyſſus abyſſum invocat: &, Malorum hydra:

Un mal attire l'autre.

Huic conſimile illud: Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel. Joan. Languius Epiſt. 23. ſecundi Tomi Epiſtolarum medicinalium: His quoque calamitatibus, quarum nulla ſola eſt, ais accedere famem.

Ex ulnis.

In vulgi ſermonem abiit, E mediis ulnis adimi & abripi: pro eo quod eſt, ex intima familiaritate alicujus dejici. Lucianus in vocalium judicio: [illegible] id eſt, κίσσαν, hoc eſt picam avi ſulam commodo garrulatu, a mediis (ut dici ſolet) ulnis ſive complexibus, aut medio ſinu abreptam, κίτταν appellavit: & quam omnium conſenſu obtinui, & meo quaſi jure tenere videbar, ademit meque de hujus poſſeſſione ac vero dejecit. Plutarchus in vita Catonis Uticenſis. [illegible] id eſt, Gabinium Paulum ex Pompei ſinu hominem. Simili forma Juriſconſulti dicunt. De poſſeſſione dejici. Jus autem ſemper favet poſſidenti: interdictumque ferebatur, ne quis vi quempiam duceret. Extat edictum in Pandect. libro xliij. tit. de vi & vi armata. & refertur a Cic. pro Aul. Cecinna. Plato in Gorgia. ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με τῆς οὐσίας καὶ τοῦ ἀληθοῦς. id eſt, Conaris me de poſſeſſione ac vero dejicere. Eſt aliquoties apud Cic. Et apud eundem illud quoque: Ex ſinu illius. Quint. de Rhetorica: Quædum operæ cedit, jam pene poſſeſſione depulſa eſt. Fiunt enim jucundiora, quoties ad animi res transferuntur. Dicitur aliquoties, De grege illo.

Ne paxillus quidem relictus.

Haud dubie proverbiali ſpecie dictum eſt à Luciano in vocalium judicio: μηδὲ πάσσαλον μοι καταλέλοιπε. id eſt, Immo vero ne pedamentum reliquit. Quo venuſte utemur, cum ſignificabimus inclementius ſublata omnia, neque quicquam factum reliqui. Sequitur huic fere ſimile, Auferre cum pulviſculo.

Perperi.

Tritum proverbium, à multis antiquis frequentatum, atque ſumptum a fabula nota de fratribus Perperis, quos Hercules comprehenſos à clava ſuſpendit. Eos ferunt verſos in ſimios. Hiſtoriam narrat Eraſmus noſter in adag. Ne in Melampygum incidas: ex Gregorii Nazianzeni enarrationibus, & Suida. Nonius Perperos exponens indoctos, ſtultos, rudes, inſulſos, mendaces, hoſcē duos locos ex Accii Pragmaticis citat,

Ceſcribere in theatro Perperos populares.

Et.

Et eo plectuntur poëtæ quam ſuo vitio ſæpius,
Ductabilitate nimia veſtra, aut perperitudine:

Vide, Clavo ſuſpendere.

Ire ad ſcopulum.

Valet, ad interitum: & eſt tranſlatum à navi, quæ infligitur ſcopulo. Lucret. lib. 2.

--- Omnia paulatim tabeſcere, & ire
Ad ſcopulum ſpacio ætatis defeſſa vetuſto.

Ab hoc non admodum abhorret, quod eſt apud eundem eodem libro, Ire & abire: quæ interdum valent idem quod οἴχεσθαι, nempe interire, obire, & mori. Abitionem (inquit Feſtus) antiqui mortem dicebant: & abiiſſe, pro obiiſſe. Idem Lucret. eodem libro;

Nam, quare potius læti jam limine ab ipſo
Ad vitam poſſint conlectamenta reverti,
Quam, quo decurſum prope jam ſiet, ire & abire?

Idem lib. 3.

Denique ſæpe hominem paulatim cernimus ire;
Et membratim vitalem deperdere ſenſum.

Ζῶντι καὶ ὁρῶντι.

Hoc eſt vivo atque videnti. Proverbium olet. Cic. pro Quintio: Huic acerbiſſimum vivo videntique funus ducitur. Idem pro Sextio: Vivus (ut ajunt) & videns cum victu ac veſtitu ſuo publicatus. Sic iſta duo conjungebant, cum perſonam cum rebus omnibus ſēvendere ſignificabant. Terent. Eunuch. Vivus videnſque pereo. Itidem Plautus in Amphitryone: Vivus & ſanus intereo, Lucret. lib. 3.

Tu vero dubitabis, & indignabere obire?
Mortua cui vita eſt prope jam vivo, atque videnti?

Æſchines. [illegible] id eſt, Decem talenta videntibus, ſentientibus, aſpicientibus vobis ſurtim ſubtraxerunt. Joannes Calvinus in Senecæ de clementia lib. 1. cap. 4. Quaſi hoc dedecus non bene vita puniretur, ſi quis ſe vivo ac vidente paſſus fuerit aut vetri ſigna, aut dejici ſi ſignis deſertis terga dederit, & pudenda (ut Virgil. ait) vulnera tergo acceperit. Item in c. 2 ejuſdem libri: Non tantum poſt mortem Auguſtus Dei nomine donatus eſt, ſed vivus videnſque divinos ſibi honores exhiberi non ægre paſſus eſt. Horatius Epiſt. 1 lib. 2.

Præſenti tibi maturos largimur honores.

Idem valet, aſtans & præſens. Idem Horat. Od. 5 lib 3.

Præſens divus habebitur Auguſtus.
[illegible]

Mortem immortalem dicunt proverbio: quia ex veterũ quorundam ſententia, qui mortuus eſt, reviviſcit nunquam. Sic quidam apud Athenæum: [illegible]. Lucret. lib 3.

Et:

Mors æterna tamen nihilo minus illa manebit.

Et Catullus:

Soles occidere, & redire poſſunt:
Nobis, cum ſemel occidit brevis lux,
Nox eſt perpetua una dormienda.

Horatius hanc ſententiam ita complectitur Od. 7. libro quarto.

Damna tamen celeres reparant cœleſtia lunæ.
Nos ubi decidimus, pulvis & umbra ſumus.

Tempora, inquit, redeunt: ſed nos ſemel extincti nunquam renaſcimur. Deinde ſequitur:

Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria, &c.

id eſt, ubi ſemel mortuus fueris, te viviſces nunquam.

Rebus relictis.

Uſitatum genus loquendi veteribus: quod idem valet atque, rebus aliis omnibus relictis. Plautus Epid. Ego relictis rebus Epidicum operam quærendo dabo. Idem Trinum Probus eſt amator, qui relictis rebus rem perdit ſuam. Terent. Andr. Herus me relictis rebus juſſit Pamphilum hodie obſervare. Idem Heauton. Mihi nunc relictis rebus inveniendus eſt aliquis, labore inventa meo cui dem bona. Lucret. lib. 3.

-- Jam rebus quiſque relictis
Naturam primum ſtudeat cognoſcere rerum.

Vigilans dormio.

Sic Amphitruo ille in comœd. ſui nominis apud Plautum: Vix apud me ſum. Vigilans prope dormio, vivus & ſanus intereo. Lucret. lib. 3.

Et vigilans ſtertis, nec ſomnia cernere ceſſas.
Solicitamque geris caſſa formidine mentem?

Vide alibi, [illegible] id eſt. Vivo atque videnti.

In ignim ire.

Lucretius lib. 4. videtur non longe abludere à Græco proverbio. [illegible], quod eſt, in ignem, ſeu in igni nere, cum ſcribit:

Primaque diſpereunt quaſi in ignem lana trahatur.

illuſtri quidem & luculenta ſimilitudine demonſtrans, prima quæq; lumina diſperire, & ſemper recens ſuboriri; nempe quemadmodum ſi lana in ignem aut flammam aliquam traheretur, quicquid lanæ in ignem incideret, abſumeretur: ita & de lumine ſentiendum.

Tanquam mus ſuper farinam.

Nicolaus Erithræus in ſuo in Virgilium indice, in dictione Cloto Nereia: Quod dum nos more modoque noſtro (abſit invidia verbo) non tanquam mus ſuper farinam, ut ita dixerim, authores legendo percurrimus, ſed eorum, præſertim optimorum, & res, & verba penitus rimamur, & introſpicimus, &c.

Deploratum eſt.

Deploratum, eadem ratione dicitur, qua, Conclamatum, pro deſperato: quod jam ante annotavimus. Sic Liv. lib. 5. Suam quiſque ſpem, ſua conſilia communibus deploratis exequentes. Lib. 9. Cum hæc audirentur & dicerentur, & deploratum pene Romanũ nomen in conſilio ſociorum fidelium eſſet. Lib. 3. Id vero regnum non dubie videri, deploratur in perpetuum libertas. Hinc ducta locutio, quod mortuorum cadavera rogo impoſita deplorantur, & per intervalla conclamantur. Seneca lib. De clementia 1. capite ſecundo. Itaque adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilis ingenia diſtinguere à deploratis ſciat. Deplorata ingenia metaphorice ſanabilius oppoſuit. Ibidem cap. 14. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam poſitam, revocet: ſimul deploratũ eſt, ultima experitur. Hujuſmodi homines profligatiſſimos Græci [illegible] vocant, quaſi vitiorum habitu depravatos, quo verbo uſus eſt Cicer. lib. 1. ad Atticum. In id genus hominum & etiam conferri poteſt. [illegible]. Corporis valetudini ars medetur ſanimæ morbo, ſola mors. Frangas enim, ut ait Fabius, citius quam corrigas. Cic. in Orat. 1. Contra Catilinam, hominem perditum, & in quo nulla eſt ſpes, ut unquam ad bonam frugem ſe recipiat deſperatũ dicit. Hinc deſperata ſalus, in epigrammate cujuſdam ad Franciſcum Francorum Regem, hujus nominis primum:

Triginta auxiſti patribus Franciſce ſenatum,
Qui totidem aut plures tollere debueras.
Deſperata ſalus populi eſt, qui cogitur unus
Sanguine jam exhauſto tot ſaturare ſues.
Tot ſaturare boves, tot ſaturare aſinos.

Morticinus.

Morticinus erat olim & etiam hodie eſt convitium in tetros & exangui facie homines. Plautus Perſa:

Non hercle, ſi os perciderim tibi, metuam morticine.

Græci vocant [illegible], Plutarch. interpretatur [illegible]. Ab eo cadaveroſa facies Terentio. Latini etiam vocant Cetritos, poſtea cetritos, interpretantes illud [illegible]. Morticinia etiam [illegible] dicebantur, ut in illa Græcorum lege. [illegible] Citat interpres Ariſtophanis [illegible]. Hæc ille expreſſa eſt apud M. Varronem lib. 6. De lingua Lat. Ne quid ſcorteum adſit, ne quid morticinum. Ovid. 1 Faſtorum:

Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata deos.

Ne reſpexeris.

Hoc verbum à multis uſurpatum eſt, & hodie quoque vulgò habetur. Nam ſemideos in vitos reſpexiſſe, calamitoſum fuit. Sic Tireſias cum Dianam reſpexiſſet, oculis privatus eſt. Actæon quia eandem vidit, in cervum mutatur. Et Eurydicæ præceptum erat ne reſpiceret. Denique Lothi uxor, cum Dei ſpreto mandato reſpexiſſet, verſa eſt in ſalis ſtatuam: Geneſ. cap 19. Ovidio vidiſſe nocuit. Et id nimirum eſt, quod Virgilius in Sileno, Ecloga 6. dixit:

—Satis eſt potuiſſe videri.

Nam ſemidei tantum videntur quum volunt. Idem in Pharmaceutria, Eclog. 8.

Tranſque caput jace, ne reſpexeris.---

Percutere femur.

Geſtus eſt graviter indolentium, & indignantium, ut apud Homerum de Marte, filii necem competiente:

-- [illegible]

Plutarch. in Fabio Max. Ergo ut circum ventum Minutii exercitum, ordineſque confuſus vidit, ſimulque paventium & fugam quærentium clamor ad eũ allatus eſt, graviterque ingemuit, percuſſoque femore, iis qui aderant. Pro Jupiter, inquit, mea ergo opinione celerius, ſua prope ratione tardius, perdidit ſeipſum Minutius. Sic & in vita Pompeii, de piratis, qui metuere ſe ob captũ Romanum ſibi ſimularent: [illegible]. & de Pompejo, legis Maniliæ nuncium accipiente: [illegible]. Pro eo Cic. Frontem ferire videtur dixiſſe ad Attic. lib. 1. Et notus eſt locus Cic. pro Quint. Gellio, ubi Marcum Calidium ei atrocia crimina objicientem ita redarguit: Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons nulla percuſſa, non femur, pedis, quod minimum, nulla ſupploſio. Ex Cic. Bruto, & Quin. lib. 11. c. de pronunciat.

In diem atram incurrere.

Lucianus in Philopatre: Perſuadet mihi infelici, ut ad præſtigiatores iſtos homines accederem, & in diem atram, quod dici ſolet, incurrerem.

Funditus ſubvertere.

Plato in Parmenide: Diſſerendi [illegible] tem funditus ſubvertere. Quo his ignoratis te vertes: Idẽ [illegible] vili, vel de regno. Vel funditus civitates ſuas evertunt, vel imprudenter in hoſtium redigunt ſervitutem. Ibidem: Certum eſt omnia funditus everſurum. Huic non diſſimile. E medio tollere.

Torvum tuentes.

Aſpicio ſemper ſuperne ab ipſo ſuggeſto, & flentes & torvum tuentes, atque his quæ narrantur, ſtupefactos. Et oportet me valde mentem iis adhibere. Nam ſi lacrymas excutiam, ipſe argentum ſuſcipiens, ridebo: ſin autem riſum illis moveam, ipſe argentum amittens, flebo.

Coma erigitur.

Quoties miſerabile quicquam dico, lacrymis implentur oculi. Quum aliquid terribile, aut vehemens arrectæ propter terrorem comæ eriguntur, cor ſalit.

O factum male; Factum bene.

In rebus triſtibus uſurpabant antiqui, O factum male. Cic. in 15. Epiſtol. ad Atticum: O factum male de Alexione. Contra in ſecundis rebus, Factum bene. Plautus in Moſtellaria. Factum optime. Ac poſt, Male hercle factum. Adde hæc Syllogæ noſtræ.

Miſer vive.

Græcorum more. Catullus ad ſeipſum:

Tu

---Tu quoque impotens eſto.
Poſt:
---Nec miſer vive.
Horatius,
---Et ſine vivat ineptus.

Idem Catullus alibi ad ſeipſum:

Quin tu animum offirmas, atque iſthinc uſque reducis,
Et Diis invitis deſinis eſſe miſer.

Tota cum ſtirpe domus procumbit.

Virg. in 11. Æneid.

--- Et Evandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum.--

Catullus in nuptias Manlii.

---Nec patens
Stirpe nitier ---

Sophocles in Oedipo in Colono, idem opinor ſignificans: *οὐδ' οὐ τῷ μεγάλῳ Διὸς ταύτῃ πέλαγος πώποτε ἔλασεν φυτεῦμ' ἀχείρωτον, αὐτόποιον.* Stirpe enim valet, quod *βλαστὸν φύτευμα*, ſive ἔρνος. Sophocles in eadẽ fabula, *ὦ φίλτατ' ἔρνη.* quæ verba ſunt Oedipi ad filios. Ex eodem prope genere eſt, quod Ariſto. poſuit in 7. *ἐδίδαξαν νεομαχίαν* quod proverbio dici ſoleret. *διέφθαρται πᾶν αἷμα, καὶ ῥίζα, καὶ τὸ σπέρμα:* Lucret in 4.

Et quibus ante domi fœcunde nequiſſent
Uxores parere, inventa eſt illis quoque compar
Natura, ut poſſent natis munire ſenectam.

Et Propertius in 4.

Et ſerie fulcite genus.---

Euſebius in 2. de Conſtantini Imp. vita, ubi de Alexãd. Macedonũ Rege: *ἄπαντας πρόρριζον, ποιήσας.* Et cum gentis totius exitium ſignificant, iiſdem verbis utuntur authores, Sophocles in Electra:

Φεῦ, φεῦ τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι
Τοῖς πάλαι πρόρριζον, ὡς ἔοικεν,
Ἔφθαρται γένος.---

Ride in Sylloge noſtra:

--In te omnis domus inclinata recumbit.

Caſu concuſſus acerbo.

Virgilius. Sic Catullus ad Mallium:

Quod mihi fortuna caſuque oppreſſus acerbo,
Conſcriptum lacrimis mittis epiſtolium.

Statim poſt dixit, Mergi fortunæ fluctibus.

Ruunt de montibus amnes.

Virg. in 4 Æneid.

Tecta metu periêre, ruunt de montibus amnes.

Infelix cui omnia licent.

Cicero apud Marcellinum lib. 26. prope finem: Infelices eſſe, qui omnia ſibi licere exiſtimarunt. Idem Cicero apud Auguſtinũ lib. 5. cap. 27. Civit. O miſerum, cui peccare licebat. Idem de Philoſophia ſive in Hortenſio: Ajunt quidã eſſe beatos, qui vivant, ut ipſi velint. Falſum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt non adipiſci quod velis, quam adipiſci velle quod non oporteat. Hæc citantur ab Auguſtin. libri. 13. cap. 5. Tri. Ante, ex Catullo in Gell. Quod voluit, fecit, & iſta non eadem licent, quæ aliis licent.

Tabus in ſacco.

M. Antoninus Philoſophus & Rom. Imperator de vita ſua lib. 11. Nonne his quoque fatum fuit, ut ſenes & vetulæ prius fierent, inde morerentur? Quid autem illi poſtmodo facient, his mortuis? Omnia hæc fœtida ſunt, & tabus in ſacco.

COELII RHODIGINI.

Allienſis pugnæ dies funeſtior eſt, quam urbis capta.

Ubi authorem mali amplius deteſtamus, quam rem ipſam, quã affligimur. Apud Alliam flumen Fabius cum exercitu Senonibus occurrens, triſtiſſimam accepit cladem, hoſtibuſque ad Romam capiendam iter aperuit.

Corinthus ſuperciliosa.

Κόρινθος ὀφρυᾷ τε καὶ κοιλαίνεται. Corinthus ſuperciliis, curvitatibuſque laborat. Ubi ſignificabimus, ſummam felicitatem aliquo incommodo vitiari: ut eſt fere humanarum rerum conditio. Ager enim Corinthiorum obliquus & aſper: urbis eorum formam non conſequebatur: quæ ampliſſima fuit & opulentiſſima ſive viros innumeros ad civile regimen peritiſſimos, ſive eximias opificum artes animo vertas. unde & Græciæ emporium ea dicta eſt. Euſtath. Strabo.

POLYDORI VIRGILII.

Paxillus infractus eſt.

In eum qui præſidio, patrocinioque vetere deſtituitur, inſtar vitis, quæ amiſſis pali cui innitebatur adminiculis, humi dejicitur, atque extabeſcit, Eſa, 22.

Non rudit onager, cum herbam habet.

Non, inquit Job, cõditionem meam mihi deplorarem, ſi rectè mecum, id eſt, cum anima mea ageretur. Onager ferus eſt aſinus, qui rudere non ceſſat, ſi pabulo careat. Quadrabit in eum, qui ad facinus aliquod, quod ipſi lucro ſit, non reclamat: vel qui, cum ſit in aura vel bene aucta parte, ad aliorum felicitatem & vitæ delicias, vulgi & pauperum more, non oggannit, & quiritatur.

Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.

Ita Joel capite primo, denunciat Judæis futuram cladem longè maximam, qua etiam jumenta fame peritura eſſent. Conveniet in ſceleratos, quibus ut vita eſt turpis, ita & mors. Natum à jumentis, morbo vel fame debilitatis, ſuis in detrimentis expirantibus.

PETRI GODOFREDI.

Luctuoſum ſaxum.

Ἀγέλαστος πέτρα. Res triſtitudine afficiens: homo moroſus, injucundus, nunquam non mœſto & tetrico vultu. Natum à petra, cui inſedit Ceres, quæſitam nec inventam deplorans filiam. Ovid. Faſt. 4. Baptiſta Pius in Sidon. Vide proverb. Chil. Eraſ. Irriſibilis lapis.

C. BOVILLI.

Frigida aqua ferventem ollam adſpergere.

Pro, hilarem hominem inopino infortunii nuncio repente cõſternare, & peſtifero mœrore conficere: quod vetant medici, moderationem omnem adhiberi volentes. Sic vetant iidem, calentĩ immodice ab exercitatione corpori frigidã dari potionem: præſens ſcilicet ſæpiſſime venenum. Imitantur hos coqui, ferventeſ ollas ne frigida aſpergantur, aut frigido loco ſtatuantur, accurate caventes, rumperentur enim, præſertim argillaceæ.

EX APPEND. IVNII CANTERI, & aliorum.

Vecticulariam vitam vivere.

Pro, repente abundare, repente iterum nihil habere. Sumptum à vecticulariis nocturnis graſſatoribus, qui per maleficia ad opes viam affectant.

Qui comederit de ovis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum.

Idem Eſaias deterrere volens, ne quis ſocietatem haberet cum impiis, conſiliiſque acquieſceret Judæorum, Prophetis Chriſto ejus inſidiantiũ, anceps periculum lethaleque iis proponit, qui id tentarẽt, hujuſmodi *ἀλληγορικῇ παροιμίᾳ* uſus: Qui comederit de ovis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Edit ergo ova aſpidum, qui impiorum & facinoroſorum familiaritate & ſocietate ſibi nocet: fovet vero, qui alios etiam à culpa vacuos dira lue conficere & labefactare ſtudet: vel impuros, flagitioſos, impioſque auxilio ſuo opibuſque juvat, & tutos reddit. Unde ſubditur in allegoria, Erumpet in regulum: cujus ſerpentis afflatus proxima quæque ſæviſſima lue corrumpit. De hoc ſerpẽte multa Plin. & Ambroſius, aliique phyſici. Nos brevitati ſtudentes, ne videamur aliena inculcare, conſulto his ſuperſedemus.

INGENII MALITIA & inſtitutio.

ERASMI. *Lupus pilum mutat, non mentem.*

Ὁ λύκος τὴν τρίχα, οὐ τὴν γνώμην ἀλλάττει, id eſt, Lupus pilum, non ingenium mutat. Senecta caniciem adfert improbis, non item aufert malitiam. Caneſcunt enim lupi, velut & equi, more hominum per ætatem.

Naturam expellas furca, tamen uſque recurrit.

Cum videam à Græcis quædam velut obtorto, quod ajunt, collo in proverbiorum acervum trahi, cur ego verear ejuſmodi recẽſere, quæ præter adagii figuram ita venuſte dicta ſunt, ut venuſtius dici non poſſint? Quod genus eſt illud Horatii in Epiſtolis:

Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

Senſus eſt, haud facile dediſci, quæ nobis natura penitus indidit atque inſevit. Quod ſi quando vi ſit, ut vel metu, vel pudore, vel alia quavis cauſa perſonam alienam ſumamus, facile per occaſionem redimus ad mores naturales. Velut qui metuunt peccare, nõ virtutis amore, ſed formidine fuſtis, ii ſimulatque tollitur fuſtis, recurrunt ad mores priſtinos. Et Terentius: Si ſperat fore clam, rurſus & ingenium redit. Ducta eſt metaphora à ramis, qui appoſita furca torquentur alio quam natura poſuerat: qua ſublata, rurſum vergunt eodem quo prius. Pindarus in Olympiis hymno 11. eandem ſententiam aliter extulit: *τὸ γὰρ ἐμφυὲς, οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ, οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος.* id eſt: Nam ingenium nativamque indolem, nec aſtuta vulpes, neque prævalidi leones muta-

 ret

requiverint. Quantumvis enim cicures leonem, ſemper redit ad genuinam feritatem: neque vulpes unquam obliviſcitur fraudulentiæ nativæ, quantumvis manſuefacta. Idem in eodem opere hymno 13. ἀργαλέον ἐστὶ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος, id eſt, Difficile eſt occultare nativos mores. Item Horat. alibi.

--- Tolle periclum.
Jam vaga proſiliet frenis natura remotis.

Lignum tortum haud unquam rectum.

Ξύλον ἀγκύλον, οὐδέποτ' ὀρθόν.
Id eſt:
--- Nunquam rectum tortile lignum.

Hemiſtichium heroici carminis & hoc. Diſtorta, pravaque ingenia, vix unquam ad bonam frugem traducuntur. Qui ſemel inveteravit in vitiis, raro fit ut ad bonam mentem redeat. Effertur ad hunc modum: τὸ ξύλον καμπύλον, οὐδέποτ' ὀρθόν, id eſt, Lignum pravum nunquam rectum. Uſurpavit Galenus lib. De pulſuum differentia 4. ἐκείνοις μὲν οὐδὲν ἀποκρινόμενοι, πρὸς δὲ ἡμᾶς αὐτοὺς λέγοντες τὸ ἐκ κωμῳδίας, ὡς οὔτε σκολιὸν ὀρθοῦται ξύλον, οὔτε γεράνδρυον μεταφυτευθὲν μοσχεύεται. i. Illis quidem nihil reſpondentes, cæterum apud nos ipſos dicentes illud è comœdia quod nec tortum lignum fit rectum, nec arbor annoſa ſi transferatur, emittit ſtolones. Hic pro ἡμᾶς, excuſum erat ὑμᾶς pro γεράνδρυον, γεράνδρεον. Id admonuiſſe referebat, ne quis hanc ſcripturam corrumperet. Poſterius hoc proverbium alibi recenſuimus. Horatius metaphora unde ducta ſit, oſtendit:

Naturam, inquiens expellas furca, tamen uſq; recurrit.

Indicat enim ductam eſſe ab iis, qui furca admota conantur arboris diſtortæ vitium emendare. Confirmat hoc & ſententia proverbialis:

φύσιν πονηρὰν μεταβαλεῖν οὐ ῥᾴδιον.
Id eſt:
Ingenia prava vertere haud proclive ſit.

Æthiops non albeſcit.

Αἰθίοψ οὐ λευκαίνεται, id eſt, Æthiops non candeſcit. De iis dici ſolitum, qui nunquam mutaturi ſunt ingenium. Quicquid enim nativum, id haud facile mutatur. Fertur Æſopicus apologus de quodam, qui empto Æthiopi, cum eum colorem arbitraretur nõ nativum eſſe, ſed domini ſuperioris accidiſſe neglectu, aſſidua lotura faciem divexavit ita ut morbum etiam adjungeret, colore nihilo quam antea fuerat, meliore. Fertur & epigramma Luciani nomine:

Εἰς τί μάτην νίπτεις δέμας Ἰνδικόν; ἴσχεο τέχνης.
Οὐ δύνασαι δνοφερὴν ἡλιάσαι νύχιον.
Id eſt,
Abluis Æthiopem fruſtra, quin deſinis artem?
Haud unquam efficies, nox ſit ut atra, dies.

Qui ſemel ſcurra, nunquam paterfamilias.

Qui ſemel ſcurra, nunquã paterfamilias. Porphyrion enarrans Horatium admonet fuiſſe proverbiũ. Senſus eſt autem, eum quẽ ſemel depuduerit, quique contempta fama ſcurram agere cœperit, vix unquam ad bonam frugem redire. Scurra gaudet alieno cibo: paterfamilias parat unde domi vivat. M. Tull. in actione pro Publio Quintio: Memini, vetus eſt, de ſcurra multo facilius divitem quam patremfamilias fieri poſſe. Fortuna crebro largitur opes indignis, at bonam mentem dat nemini.

Podex lotionem vincit.

Πρωκτὸς λουτροῦ περιγίγνεται, id eſt, Podex lotionem vincit. Calliſtratus apud Ariſtophan. interpretem adagium hoc retulit ad eos, qui ſe in malum aliquod adigunt, propterea quod ea corporis pars, etiamſi lavetur, ſemet rurſum inquinat, ita ut ipſa ſit in cauſa, quo minus lavari poſſit. Quadrabit etiam, ubi quid fruſtra fieri ſignificabimus: veluti ſi quis nocentem è carcere redimat, atq; ille mox iterato commiſſo ſemet eodẽ præcipitet. Aut ſi quos reconcilies, mox in priſtinã relapſuros ſimultatem, aut caſtiges incorrigibile ingenium, quod genus eſt mulierũ. Conveniet & in illos, qui ſuo ipſius vincunt malo. Veluti ſi quis morũ intractabilitate obtineat, ne poſthac objurgetur à præceptore. Putant adagium videri ſumptum ab iis potiſſimum, qui cita ſunt alvo: quos Nonius foriolos appellat. Ariſtophanes in Veſpis: πρωκτὸς λουτροῦ περιγιγνόμενος i. Podex pervincens loturam. Itidem & morbus dicitur vincere artem, curamve medici, cum eſt immedicabilis. Ex veterum monumentis deprehẽdimus, fuiſſe morem publicũ, ut poſt exoneratam alvum adhiberetur ejus partis lotio, quæ tamen ſubinde erat repetenda. Martialis inter Iſſæ catellæ laudes commemorat, quod poſt depoſitum ventris onus rogaret lavari. Legimus & barbarum quendam ſervituris impatientem, ligno cui ſpongia erat addita tergendo podici in gulam adacto, ſibi conſciviſſe necem.

Occaſione duntaxat opus improbitati.

Ariſtoteles lib. Rhetor. 2. καὶ πρὸς οὓς ἂν ἔχωσι πρόφασιν ἢ προγόνων, ἢ αὐτῶν, ἢ φίλων, ἢ ποιησάντων κακῶς, ἢ μελλόντων, ἢ αὐτοὺς, ἢ προγόνους, ἢ ὧν κήδονται. ὥσπερ γὰρ ἡ παροιμία. προφάσεως δεῖται μόνον ἡ πονηρία, id eſt, Aut adverſus quos occaſionem habent, ſive progenitorum nomine, ſive ſuo ipſorum, ſive amicorum, ſive eorum à quibus beneficio fuerunt affecti, aut curæ habiti, vel ipſi, vel majores ipſorum, vel eorum pro quibus ſoliciti ſunt. Quemadmodum enim proverbio dicitur, Occaſione duntaxat opus eſt malitiæ. Quadrabit in nocendi cupidos, qui ne temere læſiſſe videantur, cauſas prætexunt. Celebratur hic mimus Publ[ii] ni fallor, in hanc ſententiam:

Malefacere qui vult, nuſquam non cauſam invenit.

Circumfertur & hodie vulgo apud noſtrates adagium nõ uſquequaque ſpernendum: Facile fuſtem invenerit, qui cupit cædere canem. Eodem ſpectat Terentianum illud: Fingit cauſas, ne det ſedulo. Item illud Martialis:

Iraſci tantum felices noſtis amici,
Non quia ſic merui, ſed juvat hoc facere.

Fortaſſis huc alluſit & Euripides, cum ſic ait in Iphygenia Aulidenſi:

Ἐπὶ βραχείας προφάσεως ἤδη μόνον,
Ἐφ' ἧς σ' ἐγώ τε χαἱ σαὶ λελειμμέναι
Δεξόμεθα ὃν ἐξῆν σε δέξασθαι χρεών:
Id eſt:
Occaſione tantum opus fuerit levi,
Ut & ipſa quique mihi ſuperſunt liberi,
Te rurſus accipiamus iſtunc ad modum,
Quo te accipi par eſt.

Citant & hunc ſenarium ex Menandro:

Μικρὰ πρόφασίς ἐστι τοῦ πρᾶξαι κακῶς.
Id eſt:
Ad prave agendum parva ſatis occaſio eſt.

Salivam imbibere.

Divus Hieronymus in Evangelia præloquens: Quis enim, inquit, doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen aſſumpſerit, & à ſaliva quã ſemel imbibit, viderit diſcrepare quod lectitat, non ſtatim erumpat in vocem? Elegãter proſecto, proverbialique figura dixit. Et a ſaliva, quã ſemel imbibit, id eſt, ab iſto guſtu quo puer imbutus eſt. Sumpta metaphora ab infantibus, quib[us] præmanſum cibum nutrices in os inſerunt, non ſine ſaliva. Cui cum aſſueverint, nihil jam illis ſapit, quod ab illius primæ ſalivæ guſtu diverſum ſit: proinde modis omnibus curandũ, ut optimis aſſueſcamus. Idem ſolet accidere pleriſque noſtrûm, ut quicquid diſſideat ab iis quæ primis illis annis imbibimus, protinus diſpliceat. Ajunt & canes eos amare, quorum ſalivam guſtarint. Verum malim ad ſuperiorem metaphoram referri. Huc ſpectare videtur & Perſianum illud:

Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum,
Nec gluto ſorbere ſalivam Mercurialem.

Quanquam magis arbitror referendum ad ficus Mercuriales, de quib. alias diximus: quos joci cauſa quidam ſaliva oblinebant, ut ludibrio eſſent qui tollerent: cum conſimilem luſum præmiſerit de nummo infixo luto. Illud certe pertinet ad hoc proverbium, quod eſt apud eundem in ſexta Satyra:

Nec tenuem ſolers turdorum noſſe ſalivam:

Salivam, pro guſtu dixit.

Quo ſemel eſt imbuta.

Huic non diſſimile eſt Horatianum illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
—— Teſta diu.——

Proinde recte monet Fabius, ut ſtatim optima diſcantur: propterea quod nihil hæret tenacius, quam id quod rudibus annis percepimus. Et Ariſtoteles libro Moralium Nicomachiorum 2. οὐ μικρὸν οὖν διαφέρει τὸ οὕτως ἢ οὕτως εὐθὺς ἐκ νέων ἐθίζεσθαι, ἀλλὰ πάμπολυ, μᾶλλον δὲ τὸ πᾶν, id eſt, Itaque non parvi refert, hoc an illo pacto protinus à pueris conſueſcamus, imo plurimum intereſt, vel potius omne in eo momentum eſt ſitum. Et Vergilianum illud ἀποφθεγμα in Georgicis:

--- Adeo in teneris conſueſcere multum eſt.

IUNII. Embarus es.

Adagium iſtud non inficior annotatum eſſe ab Eraſmo, attamen diverſo plane ſenſu & origine expoſitum, neque enim de vecordi, & deliro, ſed è diverſo de callido atque ingenioſo dici obſervatũ eſt. Refert namq; Pauſanias, vel ex eo Euſtathius in Bœotia, Embarum quendam ingenii dexteritate, vel potius felici aſtutia ſortem oraculi hoc pacto eluſiſſe. Athenienſes urſam, quæ in fanum Dianæ Munychiæ, à Munycho Pyræi regulo ſic nuncupatæ, irruperat, occiderant (in Favorini codice ἀπεκτόνεισαν repone, pro ἀπέκτειναν) animal illius numini ſacrum, quod factum conſecuta mox fuit peſtis: quam tum demum ceſſaturam oraculo cecinit Apollo, ſiquis Dianæ filiam immolaſſet. Itaque Barus quidam, ſive Embarus, id ſe facturum cum Athenienſibus pepigit ea conditione, ut generi ſuo gentilitium quodammodo & hæreditarium ſacerdotium deferrent, communi omnium conſenſu, quod & factum eſt. at ille vafro conſilio gnatam de more recomptam velut victimam mactaturus in adyto (quo præter ſacerdotem acceſſus nulli patebat) abſcondit & capram filiæ ornamentis indutam, illius loco immolavit. Atque inde proverbii occaſio manavit, ut catum hominem, & callido conſilio aliis imponentem, Embarum vocitarent. Convenit prorſus cum adagio, Theſſalicum ſophiſma, quod ſimili de cauſa natum eſt, nam Diotimo Theſſalo, (quem alii Aratum nominant) expeditionẽ ſuſcepturo oraculum præceperat, ut caveret necubi hoſtes illum a tergo invaderent, optimatibus votis uſi. ſic ille ſuperatis hoſtes prælio feſtinans, Apo iui προβίην, ceu manium præſidi, vel expeditionis

Hebræos, quoties vel exaggerant vel aſſeverant: Miſerans miſerabor, Laboravi laborans. Extat autem apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata. Subeſt autem & jocus ob amphibologiam vocis, πονηρὸς enim Græcis ut laborioſum ac miſerum, ita ſignificat & malum aſtutumque.

Lemnium malum.

Λήμνιον κακόν, id eſt, Lemnium malum, de malis immenſis ac miſerandis. Hiſtoria, unde natum adagium, varie narratur: neq; magni refert, eam anxie perſequi. Herodotus in Eratone, & proverbii & hiſtoriæ meminit in hanc ferme ſententiam: Pelaſgi ex Attica per vim expulſi, Lemnon incolebant. Hujus injuriæ cum pœnas de Atticis ſumere cuperent, probeq; cognitos haberet dies feſtos, ac ceremonias illorum, collocatis inſidiis, uxores Atheniensium abduxerunt, cum Minervæ ſacra facerent in Braurone: hiſque in Lemnum navigio aſportatis concubinarum vice ſunt abuſi. Cæterum mulieres cum plurimos liberos parerent, omneis & Atticis moribus inſtituerunt, & Attice loqui docuerunt. Ita factum eſt, ut nec miſcere conjugia cum puellis Pelaſgicis vellent, & ſi quando, Pelaſgus quempiam pulſare conaretur, omneis conglobati Attici, huic ſuppetias ferrent. Breviter adeo invaleſcebat pubes Attica, ut pleriſque in rebus prioreſ eſſe videretur. quare viſum eſt Pelaſgis, ut filios ex Atticis mulieribus ſuſceptos trucidarent. Idq; perfecerunt, occiſis una & matribus: deinde ſterilitate, orbitate, peſtilentia, reliquiſq; plurimis adacti malis, Delphicum oraculum cōſuluerunt, qua via calamitatibus levari poſſent: Hinc igitur ait, per omnem Græciam increbuiſſe proverbium, ut ingentia miſerandaq; mala, Lemnia dicerentur. Partim igitur hinc natum adagium putat, partim illinc, quod aliquando Lemniæ mulieres graveolentia maritorum offenſæ, eos univerſos ſuſtulerunt, auxilio Thoantis. Cujus rei meminit & Euripides in Hecuba:

Καὶ Λήμνου ἄρσεν' ἐξῴκισαν.

Id eſt

Mareſque Lemno ſuſtulēre fœminæ
Funditus.——

Item Seneca in Agamemnone:

Et ſcelere Lemnon nobilem.

Magnetum mala.

Μαγνήτων κακά, id eſt, Magnetum mala. De malis ingentibus dictum videtur, aut iis quæ in authores ſuos recidunt. Cum Termeriis enim malis Magnetum mala conjunguntur, in his verbis, quæ citra authoris nomen referuntur apud Suidam. οὐ τὰ Μαγνήτων κακά, οὐ τὰ τερμέρια, κἂν πάντα ἁπλῶς ἐπὶ τὴν τραγῳδίαν, id eſt; Nec ſi Magnetum mala, nec ſi Termerium, nec ſi totam in ſumma tragœdiam eloquar. Quanquam in Suida legendum ſuſpicor, τὰ τερμέρια, id eſt, mala Termeriorum de quibus alias nobis dictum eſt. Sumptum apparet ab hiſtoria, quæ de Magnetibus afflictis memoratur, in quæ feruntur incidiſſe, violato numine quopiam. Strabo Geographiæ lib. 14. Magnetas commemorat, olim opibus florentes, a Treviribus gente Cimerica funditus fuiſſe ſublatos: anno deinde proximo à Mileſiis locum fuiſſe occupatum: ſubindicans proverbium ex Archilocho ſumptum eſſe, qui meminerit de Magnetum malis.

Malis mala ſuccedunt.

In eum, qui variis exercetur incommoditatibus fortunæ, nunc morbo, nunc rapinis, nunc aliis atq; aliis malis, conveniet illud ex eodem libro:

Ἄλλο τι μὲν τοῦτ' ἀρτιν... ἀπ' ἄλλων φέρεσθαι.
Ἄλλοτε δ' αὖτ' ἄρτι ζεφύρῳ εἴξασκε διώκειν.

Id eſt:

Tradebat notus hunc boreæ quandoq; vehendum.
Nunc rurſum Zephyro jactandum tradidit Eurus.

Auſonius in Epigrammate eleganter dixit, Catenatos labores, quod negocium ex negocio ſeritur. Cui contrarium eſt quod ait Pindarus Olymp. 8. ἐσθλὰ δ' ἐπ' ἐσθλοῖς ἔργα θελοι... Optat ut Jupiter velit illi benefacta benefactis cumulare.

Tænarium malum.

Ταινάριον κακόν, id eſt, Tænarium malum. Si quid crudelius ſævitum eſſet in famulos, Tænarium malum vocabant: propterea quod olim Lacedæmonii captivos, qui in Tænarium cōfugerant, reductos capitis affecerunt ſupplicio. Eſt autem hoc loco Tænarius, oppidum quoddam Laconicæ, cujus incolæ Tænariæ vocentur, & ejuſdem regionis promontorium, in quo ſpelunca, per quam aditus erat ad inferos.

Tam perit, quam extrema faba.

Feſtus Pompejus oſtendit proverbio dici ſolere, Tam perit quam extrema faba: propterea quod extremæ fabæ plerunq; aut proterantur, aut decerpantur à prætereuntibus. Quadrabit igitur in hominem, ſeu rem omnibus omnium injuriis expoſitam. Vel ut ſi quis dicat Theologiam tam perire, quam extremam fabam, quod paſſim ab indoctiſſimis tractata corrumpatur.

Vivus, videnſque.

Quod in Eunucho dixit Terentius. Vivus, videnſq; pereo: id M. Tullius indicat proverbiali figura dictum eſſe. Sic enim ſcribit in oratione pro P. Sextio: Ille Cyprius miſer, qui ſemper ſocius, ſemper amicus fuit, de quo nulla unquam ſuſpicio durior ad ſenatum, aut Imperatores noſtros allata eſt, vivus, ut ajunt, & videns eſt cum victu ſuo ac veſtitu publicatus. Uſurpat aliquot locis & D. Hieronymus. Quin & illud quoque, Cum victu ſuo ac veſtitu, proverbium ſapit.

Ilias malorum.

Ἰλιὰς κακῶν, id eſt, Ilias malorum. De calamitatibus maximis ſimul & plurimis: propterea quod in Iliade Homerica nullū mali genus non recenſetur. Unde ex hac docti putant tragœdiarum argumenta fuiſſe ſumpta, ſicut ex Odyſſea comœdiarum. Eſt autem opus verboſum, viginti quatuor voluminib' vix abſolutum. Unde & quamvis orationem plus ſatis prolixam, Iliade lōgiorem vocant, ut Æſchines adverſus Demoſthenem: ... ἀναγνῶναι ψήφισμα τοῦ γραμματέως, μακρότερον μὲν τῆς Ἰλιάδος, κενότερον δὲ τῶν λόγων ὧν εἴωθε λέγειν, id eſt, His dictis decretum ſcribæ legendum tradit, prolixius quidem Iliade, vanius autem verbis iis quæ dicere cōſuevit. Euſthathius in vertit adagionem ad hunc modū: καὶ παροιμία μέν τις κακῶν Ἰλιάδα φησίν, αὐτὴ γε... id eſt: Iliadem malorum proverbium ait, at hæc omnium bonorum Ilias. Syneſius in epiſtola quadam ad fratrem: ... ἡ Ἰλιὰς ... τὴν πόλιν ἡμῶν, id eſt, In ſumma malorum Ilias circumſtetit urbem noſtram. Plutarchus in præceptis conjugalibus: ὁ δ' ἐκείνων γάμος Ἰλιάδα κακῶν Ἕλλησι καὶ βαρβάροις ἐνέτεκεν. id eſt: At illorum nuptiæ Iliada malorum Græcis ac barbaris invexerunt. Loquitur enim de conjugio Paridis & Helenæ, quod inæſtimabilium malorum fuit cauſa. Utitur & M. Tullius in epiſtolis ad Atticum: Tanta malorum impendet Ilias.

Lerna malorum.

Λέρνη κακῶν, id eſt, Lerna malorum: de malis item plurimis, ſimul in unum congeſtis & accumulatis. Parœmiam Strabo commemorat, libro Geographiæ octavo, ſcribens Lernam lacum fuiſſe quempiam, Argivorum ac Mycenorum agro communem: in quem cum paſſim ab omnibus purgamenta deportarentur, vulgo natum proverbium, Λέρνη κακῶν: id eſt, Lerna malorum. In hoc lacu poëtæ fingunt hydram illam ſeptem capitum conſtitiſſe, quam Hercules igni Græco confecerit. Eam autem hydram Heſiodus ſcribit, ex echidna & Typhaone progenitam, alitam a Junone, nimirum in odium Herculis. Zenodotus ait, locum quempiam fuiſſe in Argolico, in quem cum omne ſordium genus promiſcuè conjicerent, fœtidas inde ac peſtilentes nebulas ſolitas exhalari. Quanquam rectius autumat, ut adagium ad Danaidum fabulam referatur. Nam ferunt Danaum quinquaginta juvenes, Ægypti filios, quibus totidem filias ſuas collocarat, omnes eadem nocte trucidaſſe, atq; horum capita in eum locum fuiſſe congeſta. Hinc ortum eſſe proverbium. Neq; vero negat fieri potuiſſe, ut contumeliæ cauſam in eundem locū, in quo capita ſepulta erant, ſuſtulerit & purgamenta comportarit. Itaq; quoties hominem ſignificamus vehementer infamem, atq; omni turpitudinis genere contaminatum, aut cœtum hominum peſtilentium, quiſque ſentinam & colluviem facinoroſorum, recte dicemus, λέρνην κακῶν. id eſt, Lernam malorum. Apud Heſychium Cratinus comicus theatrum quod ex varia mixtaq; hominum colluvie conſtaret, λέρνην θεατῶν appellavit.

Mare malorum.

Κακῶν θάλασσα, id eſt, Mare malorum: dici ſolitum de calamitatibus immenſis & omnigenis. Inde ſumptum, quod mare res quædam eſt infinita, vel quod infinitis ærumnis abundant qui in eo verſantur. Eurypides in Hippolyto Stephanophoro:

Κακῶν δ' ἐγὼ τάλας πέλαγος εἰσορῶ,
Τοσοῦτον ὥστε μήποτ' ἐκνεῦσαι πάλιν.

Id eſt:

Tantum malorum pelagus aſpicio miſer,
Unde enatandi nulla ſpes alluceat.

Plautus in Aſinaria, meretricem & lænam mare vocat, tanquam omnium authores calamitatum. Mare, inquit, non eſt mare: vos eſtis mare acerrimum. Æſchylus in Supplicibus:

Κακῶν δὲ πλῆθος ποταμὸς ὡς ἐπέρχεται,
Ἄτης δ' ἄβυσσον πέλαγος οὐ μάλ' εὔπορον.

Id eſt,

Agmen malorum fluminis ritu ingruit,
Veluti pelagus altum, ita ut fundo vacet,
Nec ſine periclo navigetur maximo.

Quin & ſacræ literæ vim inexhauſtam rei cujuſpiam ſignificantes, abyſſum appellant. Itidem D. Chryſoſtomus περὶ τῆς ἱερωσύνης libro ſexto: ἴδε, inquit, τῶν πόνων τὸ πέλαγος, Vide, inquit, laborum immenſum pelagus.

Theſaurus malorum.

Θησαυρὸς κακῶν, id eſt, Malorum theſaurus. Ad eundem modum invenitur cum alibi, tum apud Euripidem in Jone:

Οἴμοι, μέγας θησαυρὸς ὡς ἀνοίγνυται
Κακῶν.

Id eſt:

Me miſeram, ut ingens panditur theſaurus, ac
Penus malorum.

Extat inter Græcanicas ſententias hujuſmodi ſenarius:

Θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.

Id eſt:

Theſaurus eſt mulier malorum, ſi mala eſt.

Uſurpavit adagium Plaut. in Merc. Tu quidem theſaurum huc apportaſti mali. Unde eſt & illud crebrius in arcanis literis, Theſauriſant ſibi malum: id eſt, colligunt, accerſunt, quaſique reponunt. Siquidem theſaurum proprie vocamus, rerum utilium vim pariter reconditarum.

Semper Ilio mala.

Αἰεὶ Ἰλίῳ κακά, id eſt, Semper Ilio mala. De vehementer calamitoſis & afflictis. Trojanorum excidium poëtis multa tragœdiarum argumenta miniſtravit: atq; hinc proverbium. Refertur ab Euſtathio in quartum Iliados librum. Stratonicus rogatus, cur nollet apud Ilienſes vivere: reſpondit, ἀεὶ Ἰλίῳ κακά, id eſt, Semper Ilio mala. Author Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum octavo. Quanquam is locus non vacat mendo.

Sybaritica calamitas.

Συβαριτικὴ συμφορά, id eſt, Sybaritica clades. Stephanus tanquã proverbium notavit. Porro quemadmodum Sybaritæ perierint, idem narrat in hunc modum. Oraculum hujuſmodi acceperant:

Εὐδαίμων Συβαρῖτα, πανευδαίμων σὺ μὲν αἰεὶ,
Ἐν θαλίῃσι θεῶν τιμῶν γένος αἰὲν ἐόντων.
Εὖτ᾽ ἂν δ᾽ ἐκ πρότερον θνητὸν θεοῖο σεβίζῃ,
Τηνίκα σοι πόλεμός τε καὶ ἐμφύλιος στάσις ἥξει.

Id eſt,

Felix omnino felix Sybarita futurus,
Dum rebus lætis venerabere numina divûm.
At ſimul atq; illis mortalis homo anteferetur.
Tum veniet bellumq; tibi atq; domeſtica turba.

Evenit deinde ut Sybarita quiſpiam ſervum loris cæderet in agro, qui quum ad numinis aram confugiſſet, nihilominus perſequente domino cædebatur. Quod ubi vidit ſibi nihil profuiſſe numinis reverentiam, protinus ad monumentum patris herilis confugit: atque ibi demum religione commotus herus deſtitit a cædendo. Itaque, juxta Dei reſponſum, à Crotoniatis everſi ſunt Sybaritæ. Ælius Lampridius in vita Heliogabali, ſcribit eos eodem anno periiſſe, quo miſſum ex oleo & garo repeiſſent: quem ob id Sybariticum vocabant, ut modo diximus. Cæterum de Sybaritarum luxu, deq; calamitate, permulta retulit Athenæus lib. 12. ſi cui hæc non ſatisfaciunt. Quadrabit adagium in eos, qui neglectu deorum, aut ob intemperantem luxum ſubvertuntur.

Alio relinquente fluctu, alius excipit.

Ariſtides in Themiſtocle, Θεμιστοκλεῖ δὲ τὰ δεύτερα ἀεὶ τῶν προτέρων μείζονα ἐξεδέχετο, καὶ τὸ τῆς παροιμίας αὐτῷ συνέπιπτεν. τὸ μὲν γὰρ ἔλειπεν αὐτὸν κῦμα, τὸ δ᾽ ἐγκατελάμβανεν, ἕως διεξῆλθε διὰ τῶν τρικυμιῶν νικῶν, id eſt, Themiſtocleũ poſteriora ſemper majora prioribus excipiebant, atq; illud; quod proverbio dicitur, illi accidit. Nam hæc illum reliquit unda, illa vero excepit, donec per tricymias victor evaſiſſet. Videtur autem verſus fuiſſe proverbialis, quem Ariſtides ad uſum ſuæ ſententiæ nonnihil detorſerit. Legetur integre ad hunc modum, τὸ μὲν μ᾽ ἔλειπε κῦμα, τὸ δ᾽ ἐγκατελάμβανεν, id eſt: Hæc me reliquit unda, at illa corripit. Sumpta metaphora à periculoſe navigantibus, qui ſemper poſt unius impulſum fluctus, alium expectant, ſuccedentibus in vicem procellis. Atq; etiam numerant undarum inſultus, periclitantes nautæ. Nam decimam quamque maxime formidant, quam veteres decumanam appellabant. Græci graviſſimas illas procellas, τρικυμίας vocant. Nec inconcinne deflectetur ad incurſus malorum, cum (ut fere fit) calamitas calamitati ſuccedit, juxta proverbialem illum verſiculum:

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

Cyrbes malorum.

Κύρβεις κακῶν, id eſt, Cyrbes malorum. De vehementer improbis, & omni facinorum genere contaminatis. Apud Athenienſes tabulæ quædam erant quadræ, in quibus leges deſcriptæ proponebantur, præterea variæ delinquentium pœnæ. Has illi κύρβεις appellant, apud Lucianum ἄξονες dicuntur. Non diſſimile eſt illi quod alibi retulimus, Ἰλιὰς κακῶν, id eſt, Ilias malorum. Simili figura apud Athenæum libro nono, dixit Antiphanes opinor: καὶ ταύτην μὲν μοὶ τῶν κακῶν παροψίδα id eſt; Et hic malorum mihi catinus extitit. Solent enim in eodem diſco varia eduliorum genera apponi, ſed quæ voluptatem adferant. quo gratior eſt tropus deflectens ab contrarium, quaſi dicas, Ilias bonorum.

Malorum panegyris.

Κακῶν πανήγυρις, id eſt, Malorum panegyris. De malis agminatim congruentibus, & invicem ſibi ſuccedentibus. Panegyris enim apud Græcos dicebatur ſolennis ille populi conventus, ad ludos feſtos celebrandos: voce hinc compoſita, quod feſtis diebus univerſi convenirent. Piſides apud Suidam:

Καὶ πάντες, ὥσπερ ἐν κακῶν πανηγύρει,
Ἄλλος κατ᾽ ἄλλην συμφορὰν ἐδυστύχει.

hoc eſt,

Omnes ſimul malorum ut in panegyre.
Alios tenebat aliud infortunium.

• Homerus Iliados 7.

Ὥς μοι δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.

Id eſt:

Triſtitiis perpetuo ut mihi triſtibus excipiuntur.

Hipponax apud Athenæum lib. 15.

Αἰδῶν αἰ καὶ νῦν κιδὶ κακὸν κακῷ ἐμψωδεῖν.

Claudicat carmen: ſed recta incedet, ſi tollas καὶ vel νῦν & pro κιδὶ legas κιδη. Auſonius in carmine nõ inelegantet appellat Catenatos labores, quod moleſtia moleſtiam excipiat in vita mortalium.

Per tenebras, quæ apud quercum.

Τὸ παρὰ δρυῒ σκότος, id eſt, Per tenebras, quæ apud quercum: de ingenti ac fatali calamitate dicebatur. Zenodotus Ariſtotelem citat authorem, in politia Samiorum, Prienenſium plurimos à Mileſiis occiſos fuiſſe juxta locum, cui nomen Quercus. Unde receptum, ut Prienenſiũ mulieres, ejus calamitates memores, per tenebras, quæ circa quercum eſſent, jurarent. Hujus hiſtoriæ ſimul & adagii meminit & Plutarch. in Problematis ad hanc ferme ſententiam. Cum bellum eſſet inter Prienenſes & Samios, initio mediocribus damnis invicem ſeſe afficiebant: deinde juſto prælio commiſſo, mille Samii à Prienenſibus occiſi ſunt. Septimo poſt anno congreſſi cum Mileſiis, primos quoſq; civium, ac nobiliſſimos ſimul uno prælio amiſerunt. Quo tempore Bias ille ſapiens Samum a Prienenſibus orator miſſus, egregiam laudem adeptus eſt. Poſt eam itaq; calamitatem atrocem ac miſerandam, Prienenſium fœminæ per tenebras quæ circa quercum erant, obteſtari ac dejerare cœperunt, quod liberos, parentes, maritos, chariſſima quæq; pignora eo loco perdidiſſent.

Graviora Sambuco patitur.

Δεινότερα Σαμβίκου πάσχει, id eſt, Atrociora Sambico patitur. In eos qui cruciatib. exquiſitis torquentur, aut quibus inſignia mala accidunt. Proverbium Plutarch. refert in Probl. Græcanicis, atq; hujuſmodi quandam adfert cauſam. Sambicus quiſpiam Eleus una cum ſociis aliquot, non paucas apud Olympia æreas ſtatuas concidit, vendiditque. Deinde majora etiam auſus, Dianæ præſidis templum diripuit. Eſt enim illius in Elide templum, quod Ariſtarcheum nominant. At ille mox comprehenſus, dum ſocios prodere recuſat, annum perpetuum exquiſitis cruciatibus dilaceratus eſt, inter quos etiam animam efflavit. Atq; hinc vulgo nata parœmia.

Malo aſino vehitur.

Quibus res ſunt parum ſecundæ, mala aſella vehi dicuntur, ἐπ᾽ ὄνου πονηροῦ ὀχεῖσθαι. Suidas ceu proverbiale refert, in dictione πονηρός. Felices enim eximiis equis inſidere gaudent, quo celerius perveniant eo quo volunt, nec inſcite jacietur in hominem parum feliciter conjugatum.

Quæ ex antiqua.

Τὰ ἐκ παλαιᾶς, id eſt, Quæ ex antiqua ſubaudiendum, Tyro. Perinde valet, quaſi dicas ſummam moleſtiam, extremumq; malum. Tyrum enim, quæ cognominata eſt vetus, dictione compoſita παλαίτυρος, Alexander expugnatam, & in inſula comportatis aggeribus redditam continentem, crudeliter tractavit, plurimiſque affecit incommodis: unde proverbium, τὰ ἐκ παλαιᾶς. Quo ſignificabant tantum malorum, quantum antiqua Tyrus pertuliſſet. Recenſetur & in Plutarchi Collectaneis, atque item Zenodoti. Hiſtoria eſt apud Q. Curtium.

Miſerior monomachis.

Non caret proverbii ſpecie, quod ex Poſidippo Comico refert Athenæus lib. 4. Τῶν μονομαχούντων ἀθλιώτερος, id eſt, Miſerior his qui monomachiam exercent. Nam hi duriſſima lege committuntur, ut aut alter aut uterq; pereat. Carmen ſic habet:

Ὁ μὴ πλεύσας οὐδὲν ἑόρακεν κακόν,
Τῶν μονομαχούντων ἐσμὲν ἀθλιώτεροι.

Id eſt:

Vidit mali nil, navigandi qui eſt rudis.
Ipſis monomachis miſeriores nos ſumus.

Hos Latini vocabant gladiatores. quo ſpectaculo quum nihil poſſit immanius eſſe, tamen olim Romanis erat in deliciis. Lepidius fiet, ſi transferatur ad contentionem cum homine improbiſſimo ſuſceptam, quaſi pugnam dicas gladiatoriam.

Cujuſmodi portento me involvit fortuna.

Οἵῳ μ᾽ ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

hoc eſt:

Monſtro cui fortuna me implicavit.

Trimeter eſt Catalecticus. Dici conveniet, ubi negocium incidit cum homine moroſo, difficilique, cum quo non queas vivere, nec à quo te poſſis extricare. Carmen ſumptum ex tragœdia Philoxeni poëtæ, apud quem Ulyſſes incluſus in antro Cyclopis, hoc modo loquitur:

Οἵῳ μ᾽ ὁ δαίμων τέρατι συγκαθεῖρξεν.

Refertur a Zenodoto.

My ſortitus es.

Ἔλαχε τὸ μ, id eſt, M litera ſibi ſorte obtigit. Ænigma in ſtultos. Nam Græce μωροὶ hanc initialem habẽt. Cum aliquando Dionyſio M. in ſortibus obveniſſet, quidam per jocum ait, μωρολογοῦ-

δι

ἀνόητα. Stulta loqueris Dionyſi. At ille detorquens alio, μονομαχήσω μὲν οὖν, inquit: Singulari proinde certamine depugnabo. Ad hũc quidem modum refertur in collectaneis Græcorum, ſed mendoſe: quod liquet ex Plutarcho, qui narrat Dionyſium reſpondiſſe, μοναρχήσω μὲν οὖν: quod interpretes verterunt, Monarchæ erimus? decepti ſcripturæ vitio. Legendum enim, μοναρχήσω μὲν οὖν: ut μὲν οὖν ſit unica dictio, quæ non inferat tantum, ſed adverſetur potius. Corrigit enim alterius divinationem, & ſubjicit: Imo potius ero monarcha. Quis enim ſic loquitur, Erimus monarchæ. Ad hæc μοναρχήσομεν, non ſonat, Erimus monarchæ: ſed, Simus monarchæ. Poſtremo ſi legas, οὖν ut ſit inferentis, non corrigentis: quid aliud dicit Dionyſius, quam ideo ſe fore monarcham, quod ſtultus eſſet?

Nephaſti dies.

Ἀποφράδες ἡμέραι, id eſt, Nephaſti dies. Olim vocabantur inauſpicati, & quibus publica non licebat agere. Unde receptum, ut homines inviſos ac deteſtandos, ἀποφράδας appellarent. Teſtis Lucianus in hujus vocis calumniatorem. Apud Atticos hujuſmodi dies erant ſeptem, quibus inferiæ peragebantur manibus: eoq; habebantur inauſpicati. Ad hæc veterum ſuperſtitio ſibi perſuaſit & lunæ certos dies ſiniſtri auſpicii eſſe, veluti lunæ ſeneſcentis quartam, quintam & ſecundam: quos & ἀποφράδας appellabant. Rurſus dies in quibus rei capitis damnabantur, ἀποφράδες veluti funeſtos. Poſtremo dies inſigni quapiam calamitate funeſti, ἀποφράδες dicti ſunt. Horatius:

Ille & nephaſto te poſuit die.

Horum dierum meminit Plato libro De legibus ſeptimo, negans illos eſſe καθαρούς, id eſt puros, ſed ἀποφράδας appellat, ut funeſtos & ſepeliendis mortuis ſacros. Ea vox deinde translata eſt ad homines execrandos, & abominandæ malitiæ, teſte verſiculo:

Ἄνθρωπος ἀποφρὰς καὶ βλέπων ἀπιστίαν.

Id eſt:

Homo nephaſtus, & ore perfidum tuens.

Eadem eſt autem Græcæ vocis etymologia, quæ Latinæ, παρὰ τὸ φράζω. Hujuſmodi ferme Suidas, Heſychius, & Etymologicus. Quin & homines deteſtandos ſacros dicimus: ut Horatius:

—Sacer inteſtabilis eſto.

Vergilius etiam ad animi rem tranſtulit:

Auri ſacra fames.——

Servabis bovem.

Βουκολήσεις, i.e. Bubulcus eris. Hoc velut ænigmate ſignificabant exilium. Siquidem qui per oſtraciſmum ejiciebantur, in Argivam exulatum ibant: ac illic bos erat æneus inſigni magnitudine. Refertur in Plutarchi collectaneis. Heſychius teſtatur extitiſſe in Phaſmate Menandri.

Inus dolores.

Ἰνοῦς ἄχη, id eſt, Inûs dolores. Ino Cadmi filia, ex Athamante duos peperit filios, Learchum & Melicertam, præterea filiam Euryclean. Athamas autem verſus in inſaniam, reliquos liberos arcu percuſſit, occiditque. Inò una cum Melicerta ſeſe in mare abjecit. Et hanc quidem Megaras undis appulſam Megatenſes multo cum honore exceperunt, juſta perſolventes, Leucotheæ nomine commutato: illum vero Corinthum delatum, Corinthii ſepelierunt, & in ejus honorem Iſthmios ludos inſtituerunt: & nomine item commutato vocantes Palæmonem. Hinc ortum adagium, ut intolerandum, & exanimantem (ut ita dixerim) dolorem ſignificantes dicerent, ἰνοῦς ἄχη. Nam Achos proprie dolor dicitur apud Græcos, qui prorſus obſtupefacit, ſuique ſenſum adimit homini. Melicrates Tyrius apud eundem Zenodotum, unde hæc retuli fabulam, quæ parœmiæ dedit occaſionem, narrat ad hũc modum. Athamanti prius fuerat uxor Nephele, ex qua duos ſuſtulit liberos, Hellem & Phryxum. Hac defuncta ſecundam duxit uxorem Ino. Ea veluti novercantendens inſidias Nepheles liberis, perſuaſit indigenis mulieribus, ut ſemina in terram jacienda prius frigerent, id eſt, adurerent in ſartagine. Cæterum ubi res male eveniſſet, neque quicquam is annus produxit, Athamas in hac rerum anguſtia Delphos miſit, qui conſulerent oraculum. Verum Ino legatos muneribus corrupit, ut domum reverſi dicerent, reſpondiſſe Deum, ita demum penuriam annonæ depellendam, ſi Hellen & Phryxum occidiſſent. Itaque perſuaſus Athamas Phryxum & Hellen ad aram admovit immolaturus. Verum dii miſerti aurei velleris ariete vectos illos per aëra ſuſtulerunt. Et Helle quidem, cum ſeſe in arietis tergo non ſatis teneret, delapſa eſt in mare, quod ab ipſa Helleſponticum appellatur: Phryxus autem in Colchicam regionem incolumis delatus eſt. Athamas ira deorum in rabiem verſus, Inûs liberos aggreſſus eſt, quemadmodum modo demonſtravimus.

Niobes mala.

Νιόβης πάθη, id eſt, Niobes dolores. De maximis & acerbiſſimis malis dicebatur. Erat Niobe filia Tantali, uxor Amphionis, quæ filios habebat ſex, totidem puellas. Eo ſucceſſu inſolens contempſit Latonam, quæ non niſi duorum mater eſſet, Apollinis ac Dianæ. Hanc enim fabulæ narrant, poſt occiſos liberos, quos per multos habebat, præ dolore in ſaxum converſam fuiſſe: illud innuentes, immodico dolore diriguiſſe. Id ſaxum quod fabulæ dedit occaſionem, in Sipylo Phrygiæ conſpici tradit Homeri Scholiaſtes, lachrymarum fontes emittens. Ovidius Metamorph. lib. vj. fabulam elegantiſſime narrans, de ſaxo loquitur:

Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lachrymis etiam nunc marmora manant.

Qui funditus pereunt, Græcis πανώλεθροι ἀπολέσθαι dicuntur: veluti cum peſtilentia nullum in familia reliquum facit.

Antiopæ luctus.

Ἀντιόπης θρῆνος, id eſt, Antiopæ luctus. Dici conſuevit, ubi quis immerens calamitatibus affligitur, deinde malis eximitur. Natum adagium ab Antiopæ fabula, quæ Nyctei filia fuiſſe narratur. Ea cum eſſet à cive quodam vitiata pater gravius iraſcens, ad fratrem Lycum mittit, ut de ea ſupplicium ſumeret, at ille quod uterum ferre videret, miſertus, pepercerat. Itaq; peperit Zethum & Amphionem: quos ille in montem abjecit. Erat autem huic uxor, nomine Dirce: quæ ſimul atq; ſenſit virum ſuum Lycum Antiopæ captum amore, puellam in montem abductam tauri cervicibus alligat ſuſpenſis à cornibus tedis ardentibus, parans illam hoc exitii genere conficere. Verum ad vociferationem Antiopæ concurſum eſt, cum à vicinis ruſticis, tum ab Amphione Zethoque: qui matrem agnitam eripiunt, & à Dirce pœnas ſumunt.

Cythnicæ calamitates.

Κυθνώδεις συμφοραί, id eſt, Cythnicæ calamitates. Zenodotus Ariſtotelem autorem citat, Cythnios uſq; adeo divexatos afflictoſque fuiſſe ab Amphitryone, ut in proverbium abierint κυθνώδεις συμφοραί, pro maximis cladibus, & immenſis calamitatibus. Eſt autem Cythnus ex inſulis Cycladibus una, contra Dryopidem ſita, teſte Stephano.

Cyrnia jactura.

Κύρνιον ἄτη, id eſt, Cyrnium malum. De magnis diſpendiis & expilationibus dicebatur. Cyrnus inſula quæpiam eſt, è regione Apuleiæ: cujus incolæ longævi perhibentur eſſe propter mel, quo plerunq; veſcuntur, vicini Sardonicæ inſulæ. Nam ejus illic ſumma copia, quemadmodum autor eſt Stephanus. Hæc olim navigantibus erat inacceſſa, propter prædonum ac piratarum circa illam frequentiam. Atq; hinc vulgo proverbium increbuit. Plin. lib. iv. cap. xii. nominat Cyrnum, ſed diverſam à Corſica: quum Strabo tradat Cyrnum eſſe quam Romani dicunt Corſicam, inſulam ægre habitatam, ob locorum aſperitatem, & regionem multis locis imperviam, ſed præcipue quod qui montes obtinent, ac latrociniis vivunt, feris ipſis ſint efferatiores. E quibus ſi quando aliquot capti per duces Romanos Romam deducantur, dictu mirum quam ferinum quiddam ac beluinum præ ſe ferant. Nam aut ſibi mortem conſciſcunt, aut ſi vivunt, ſtoliditate & amentia ſic fatigant dominos, ut quantulocunq; emptos tamẽ emiſſe pœniteat. Talis olim Corſica, nunc vinis lautiſſimis inſtruit Romanas delicias. Ob immanitatem igitur latrociniorum, ac gentis feritatem, dicta eſt κυρνία ἄτη: quemadmodum dictum eſt Cilicium exitium, quod alibi retulimus. Meminimus hujus adagii ſuperius in Cyrnia terra.

Argi collis.

Ἄργου λόφος. i. Argi collis. Ubi quis ingentibus malis eſſet implicitus. Poteſt accommodari vel ad locum, vel ad negocium variis obnoxium calamitatibus. Natum ajunt à colle quodam, cui cognomen Argi, frequentibus homicidiis ac latrociniis infami.

Archidamicum bellum.

Ἀρχιδάμειος πόλεμος, i. Archidamicum bellum. De bello ſævo crudeliq; dicebatur: epitheto ſumpto ab Archidamo duce Lacedæmoniorum, qui maximus copiis impreſſionem fecerit in Atticam, eamque decem annis divexarit. Graviſſimam autem noxam inflixit Acharnenſibus, ſucciſis omnibus arboribus: ut teſtatur & Syneſius in Encomio Calvitii. Proinde cum funditus tollerentur omnia, bellum Archidamicum dicebatur. Meminit adagionis & Demoſthenicarum dictionum interpres, indicans extitiſſe apud Lyſiam Archidami ſævitiam: memorat & Pauſanias in Laconicis.

Ægypti nuptiæ.

Αἰγύπτου γάμος, i.e. Ægypti nuptiæ, inauſpicatæ & infelices dicebãtur. Sumptum à notiſſima fabula Ægypti, qui filios quinquaginta, totidem fratris filiabus maritos dedit. At hi præter unum omnes à ſpõſis jugulati ſunt. Torqueri poterit in ſimulatam amicitiam, aut in munus honoris gratia datum in ſpeciem: quum revera quæratur pernicies ei cui datur. Ita nonnunquam ex affinitatibus aut fœderibus principum atrocia naſcuntur exitia.

Militavit cum Eraſinade.

Ἐστρατήγησε μετ᾽ Ἐρασινάδου, id eſt, Militavit cum Eraſinade. Vulgo per jocum dicebatur de his, quibus res undiquaq; male procederent. Eraſinades dux quidam Arginuſam obſederat. Infeliciter autem pugnatum eſt, ad internecionem extinctis cum aliis quotquot reſiſtebant, inter quos erant Thraſyllus & Pericles, tum ipſo duce. Hujus Eraſinadæ malis & illud acceſſit, quod accuſatus eſt, quod pecunias Helleſponticas furatus eſſet. Hujuſmodi ferme Suidas.

erat, hunc oportet ab egregio quopiam facinore auſpicari. Permagni ſiquidem refert, unde nominis ſumas exordia.

In hoc calciamento pedem habet.

Dictum ibidem & illud adagii forma: ἴσασι γὰρ ἐν τούτῳ πεδίλῳ δαμόδιον ποδ' ἔχων. id eſt: Novit enim ſe in hoc calciamento fortunatum habere pedem, pro eo quod eſt: Novit has laudes in ipſum competere. Olim magnæ deliciæ erant in ſoleis & calceis. Nam pedilon Græcis eſt calciamenti genus, varium ac picturatum: dictum παρὰ τὸ τῷ ποδὶ ἐφαρμόζεσθαι, eo quod pedi applicetur. Verùm tamen non omnis calceus convenit cuivis pedi, ita nec quævis laus in quemvis congruit.

Cum parvula eſt, bona videtur ſpina.

Μικρὰ μὲν ἡ ἄκανθα ἀγαθὴ φαίνεται, id eſt, Cum puſilla eſt ſpina, bona videtur. Poetria ſemper amabilis, quemadmodum ſpina quoque innoxia eſt, atque adeo veſca etiã, donec ætate dureſcat. Sentit opinor de aſparagis. Iactatur & inter Theologos illud: Qui major eſt ætate, major eſt iniquitate. Sic eſt rerum humanarum conditio, ut omnia ſuapte ſponte degenerent in peius. Citatur ex Diphilo:

Πολλὰς τεχνίτας ἐστὶν ὁ Ζεὺς, ὦ Ζεῦ,
Χαίρει μὲν πάντα τὰ χείρω ποιεῖν.

Id eſt:

Eſt cautus artifex ô Iupiter, dicis:
Nam gaudet omnes deteriores reddere.

Veſtigium ponere.

Veſtigium ponere, pro attingere, dixit M. Tullius libr. De finibus quinto. Quanquam id quidem infinitum eſt in hac urbe: quacunque enim ingredimus, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus. Refertur quiddam perquam facetum cujuſdam, Stratonici, ni fallor, qui in oppido quodã ſummis pedibus ingrediebatur, circumſpectans interim: rogantibus quid ageret, reſpondit ſe timere, ne quem calcaret præconem, innuens illic eſſe præconũ immodicam turbam. M. Tullius ejuſdem operis libro quinto. Quid enim? Sapientia pedem ubi poneret, non habeat, ſublatis officiis omnibus. Scio mihi alibi factam mentionem proverbii, Pedem ubi ponat, non habet. Verum hic locus tum non occurrebat, indignus qui prætermitteretur, eo quod oſtendit elegãtem uſum hujus metaphoræ in rebus animi. Sentit enim, nullum eſſe locum ſapientiæ, ſi tollatur officiorum delectus.

Primum Aenigma pueros optimos alit.

Τὰ πρῶτ' ἀρίστους παῖδας αἰνιγμα τρέφει.

Id eſt:

Ænigma primitus optimos pueros alit.

De re quapiam, quæ melioribus initiis cœpta, paulatim ad deteriora delabitur, ut pleraque mortalium faciunt. Exortum adagium ob Achillem, Patroclum, Ajacem. Neoptolemum, quod hi virtute præcelluerint, cum eſſent Æginetæ. Concinit his Strabo libro octavo, oſtendens ex hac inſula profectum Æacum cum ſua poſteritate. Nam Stephanus inſulæ nomen inditum putat ab Ægina Æaci matre. Eandem aliquando maris imperium tenuiſſe, quæ ne cum Athenienſibus quidem in navali ad Salaminem prælio de principatu certare dubitaverit, quum Perſæ Græciam invaderent. Hujus meminit etiam Homerus. Eſt autem Cycladũ nobiliſſima, quæ diu dicta fuit Oenone: ut indicat idem Strabo & Stephanus. Ob laborum autem tolerantiam & induſtriam frugalitatemque, dicti ſunt Æginetæ Myrmidones: quum enim haberent terram ſuperne lapidoſam, inferne frumentis idoneam, fodientes, in cavernis habitare viſi ſunt formicarum more, & aſportandis lapidibus quodam modo ejus animantis induſtriam repræſentare. Deinde labente morum integritate, male cœperunt audire Æginetæ, id quod proverbiis aliquot teſtatum eſt: quorum eſt illud: Ægineſes neque tertii neque quarti, ut dictum eſt in proverbio de Magarenſibus. Non diſſimile illi, Quondam fuerunt ſtrenui Mileſii.

Primum Mars in filiis laudatus eſt.

Τὰ πρῶτ' ἄρης ἐν τοῖς παισὶν ἐπῃνεῖτο, id eſt, Initio Mars laudabatur ob filios. De iis, qui initio ſpecimen aliquod indolis egregiæ præ ſe ferunt, deinde paulatim in alios degenerant mores. Quemadmodum evenit Romanis olim ſtrenuis, & Martem generis autorem virtute referentibus poſt in degenerem prolapſis molliciem: ut non ſine cauſa Iuvenalis exclamarit:

——Sed unde
Hæc tetigit Gradive tuos urtica nepotes?

Proverbium refertur à Suida.

Fabarum arroſor.

Κυαμοτρώξ, id eſt, fabarum arroſor dicebatur, qui in creandis magiſtratibus vendebat ſua ſuffragia, eoque quæſtus gratia ſedulo verſabatur in comitiis. Quod utinam hodie non fieret in creandis ſummis Eccleſiæ proceribus & orbis monarcha. Tunc à populo convicio notati ſunt, qui magiſtratulum ambienti favebant accepta pecunia: nunc palam ponuntur ingentia præmia, qui ſuffragantur in creando ſummo pontifice & Cæſare. Quin & ipſi principes quidam ſimpliciter vendunt magiſtratus: & miramur collabi civitatum diſciplinam. Priuſquam repertus eſt uſus calculorum, quos Græci ψήφους appellant, ſuffragia nigris & albis fabis ferebantur. Vide fabis victitare dicebantur quibus hinc erat quæſtus. Suidas citat ſenarium, ſed (ut fere ſolet) tacito autoris nomine:

Κρινεῖ δ' ὁ τούτους κυαμοτρὼξ Ἀττικός.

Id eſt:

Hos judicabit non fabæ eſor Atticus.

Proverbii meminit & Heſychius, indicans hunc morem fuiſſe apud Ætolos, ut cui alba faba obtigiſſet, is magiſtratum ſuſciperet. Unde ferre ſuffragia, ſive ſortiri, κυαμεύειν appellabant, & judicem κυαμοβόλον. Nam & judiciis quibuſdam non voce, ſed calculis ferebantur ſententiæ. Manet in hodiernum uſque idem mos, ut in Epiphaniis rex convivii faba deligatur. Extat autem & apud Ariſtophanem in Equitibus:

——Νῷν γὰρ ἐστι δεσπότης
Ἄγροικος ὀργὴν, κυαμοτρώξ.

Id eſt:

Nobis agreſti eſt dominus ira, qui fabas
Arrodit.——

Dici poterit & in temtem pareumque. Nam hinc ſumpta eſt metaphora in magiſtratus affectatores, aut ex ſuffragiis ſuis venantes quæſtum.

Autumnales arbores.

Eſt hoc quoq; dicendi genus petitum è medio, in eos qui adoleſcentes ingenio valent, ſed nunquam ad frugem perveniunt. Per arbores autem autumnales. Iudas in ſua epiſtola intelligit, eas quæ autumno florent, fructumq; nunquam ad maturitatem perducũt. In contextu autem Græco eſt, δένδρα φθινοπωρινά: quod ſonat, arbores autumno fructibus marcidis, ſive extremi autumni. Solent enim nonnullæ extremo autumno, præter temporis rationem, florere: idq; agricolis indicat, eas mox morituras. Arbores quoque quarum flores vaneſcentes ad fructum non perveniunt, frugiperdæ dicuntur à Brudæo in libro de aſſe. Vide alibi.

Principiis boni, finis bonus.

A Gallis uſurpatur, tanquam proverbii loco. Greg. Theolog. lib. ij. Sentent.

Ἀρχῆς καλῆς καὶ τέλος γίνεται καλόν.
Ὀρθῶς δοκοῦσιν οἱ ὅροι τῶν πραγμάτων.

Id eſt:

Cœptis bonis finem bonum ſuccedere,
Negociorum ritè monſtrat exitus.

Idem Ibidem:

Ἀρχὴ καλοῦ τίκτουσα τοῖς βροτοῖς τέλος
Βίου καθαρμὸς ἐστὶ θεῖος ἀσκεῖσθαι.

hoc eſt:

Initium finem ferens homini bonum,
Divina vitæ prorſus eſt luſtratio.

Contra,

male inſtituta oratio exitum invenire non poteſt: ut Cic. De natura deorum inquit Galli ſic efferunt:

De bon commencement, bonne fin.
De bonne vie, bonne fin.

Aliqui addunt:

De bonne terre, bon tuppin.

Huic non abſimile eſt illud Iuriſc. Principale ſi non valet, nec acceſſorium.

A Tarteſſo ad Tartarum.

Adagii loco uſus eſt, hoc ipſo præcipue tempore, quo omnis vivendi ratio in peius mutata eſt. Quo modo locutum eſſe Homerum teſtis eſt Strabo lib. iij. Immo & ab ipſo Homero hoc emanavit. Tarteſſus autem urbs eſt, in extremis Hiſpaniarum finibus ſita, cum propter Arganthonium regem, inter ſenum exempla relatum (centum enim & quinquaginta annos dicitur regnaſſe) cum maxime ob loci fertilitatem celebris. Tartarum vero locum eſſe præcipitem inferorum, ubi ſcelerum pœnas impiorum animæ expendant, nemo fere ignorat. Eſt hoc Gallicum non diſſimile. De ieunes anges à vieux diables tournent. Vidimus & nos Tornum, poſtquam ex ephebis exceſſit, ſtatim male tornatum diabolum. Dæmones autem ex angelis factos, omnes fere ſciunt. Et videmus frequenter, optimos adoleſcentes & temperatos, in procaciſſimos & aſperos juvenes evadere.

A veſta incipiens.

Illud non omiſerim, quod ab Heſychio ſcriptum eſt, morem fuiſſe Græcis, ut Veſtæ primitias facerent: atque inde proverbium exortum, quod prætermiſiſſe miror Eraſmum, A Veſta incipiens, hoc eſt, ἀφ' ἑστίας ἀρχόμενος. Profertur vero à curſoribus circa ſacra.

Ab ipſa veſta.

Plato in Eutyphrone: Nam prorſus ab ipſa Veſta mihi videtur huic urbi nocere velle, qui injuria te afficere tentat. Vide Eraſmum noſtrum, Ab ipſo lare.

Argentum verſum eſt in ſcoriam.

De negocii alicujus parum proſpero ſucceſſu, vel de eo qui ab adoleſcentia bonis ſtudiis imbutus poſtea ſe luxui, inertiæ, aliiſque

quæ vitæ turpitudinibus dedit: quale eſt, quod de Sionis urbe deploratur, Eſa. 1.

INIVSTITIA.

ERASMI. *Stateram ne transgrediaris.*

Μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν. Id eſt: Stateram ne tranſilias. hoc eſt: Ne quid facias præter ius & æquum. Nam ſtateram olim æquitatis ſymbolum habuiſſe vulgo, vel Doricum illud proverbium indicat, σταθμᾶς δικαιότερος, id eſt: Trutina juſtior. Ad eum modum interpretatus Demetrius Byzantius apud Athenæum lib. Dipnoſoph. x.

Lucrum malum, æquale diſpendio.

Celebratum Heſiodium dictum:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν.

Id eſt:

Ne male lucreris, mala lucra æqualia damnis.

Utinam hanc ſententiam cum mortales omnes, tum præcipue negociatores nō ſcriniis, ſed pectori inſcriberent ſuo, ducerentque non eſſe lucrum, quod jactura bonæ mentis comparetur: neque quicquam utile eſſe, quod nō idem ſit honeſtum. Verum his magis arridet illud Ennianum:

Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

Sophocles Heſiodiam ſententiam latius extulit:

Οὐκ ἐξ ἅπαντος δεῖ τὸ κερδαίνειν φιλεῖν.
Ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων πλείονας
Ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους.

Ideſt:

Non undecunque lucra gaude quærere.
Pleroſque ſiquidem turpibus de quæſtibus
Auferre damnum, non ſalutem videris.

Feruntur in eandem ſententiam aliquot ſenarii proverbiales:

Κέρδος πονηρὸν ζημίαν ἀεὶ φέρει.

Ideſt:

Diſpendio uſque eſt fraude quæſitum lucrum.

Et: *Τὰ δ' αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται.*

Id eſt:

At turpe lucrum adducit infortunium.

Huc pertinet quod alibi retulimus ex Iſthmiis Pindari: τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά. id eſt, Quod præter juſtum eſt dulce, exitum habet amariſſimum.

JUNII Κλιμακίζειν.

Κλιμακίζειν νόμους, quod ſonat Scalare, ſeu ſcalis frangere leges, ſpecie proverbiali dicetur, pro pervertere leges, & veluti cereas in quemvis ſenſum cōtorquere. Dinarchus orator in oratione pro Æſchine. οὗτος κλιμακίζει τοὺς νόμους. id eſt: Iſte leges in ſcanlas frangit. Tractum a Climace, ſic tortorias ſcalas nominãt, & iterum: ὁπόταν οὖν κλιμακίζῃ καὶ παραγῇ τοὺς νόμους. i. Quum igitur ſcalis frangat iſte & diſtorqueat leges. Suidas addubitat, an potius legendū βλιμάζει, hoc eſt, emulgeat: metaphora ſumpta ab iis, qui apum favos digitis exprimunt.

COGNATI. *Briarei manus inijcere.*

Hoc eſt, furaces & violentas. Hinc qui injuſtam opulentiam colligunt, & facultatibus præda & rapinis partis ditantur, dici poſſunt Briarei manus iniicere. Briareus gigas fuit cui centum brachia & manus fuiſſe dicuntur, ſæviſſimus & immanis pyrata. Nazianzen.

Bruta fulmina.

Hodie fulmina bruta metaphoricè accipiuntur, & ad interdicta Pontificia referuntur, quæ contra jus faſque ſt cenſentur, ideoque contemnenda. Bruta autem fulmina olim dicebantur, quæ nihil portendere videbantur, quaſi inania, & nulla ratione naturæ venientia, ut Plinius inquit.

Digito attingere.

Cicero ſæpe μεταφορικῶς uſus eſt, pro minuta levique injuria quempiam afficere, ſi injuria eſt appellanda, cum detrimenti nihil ignominiæque importatur. Inquit igitur libro v. Tuſculandi. ſputationum: Lælius, ſi digito quem attigiſſet, pœnas dediſſet. id eſt, ſi vel leviſſime tetigiſſet. Ita enim leviſſimum & pene nullum tactum exprimere ſolebant. At Cinna collegæ ſui conſulis Cn Octavii præcidi caput juſſit. Plautus in Perſa: Ne, ſi me uno digito attigeris, ne te ad terram ſcelus affligam. Porcius Licinius apud Gellium libro decimonono, capite nono. Ignis homo eſt: ſi digito attigero, incendam ſylvam ſimul omnem. id eſt, ſi leviſſime terigero. Et apud Terentium. Sine, digito ſi attigiſſes, ferres infortunium. Apud Græcos ἅπτεσθαι eodem intellectu capiebatur, ut teſtatus eſt Ariſt. in primo libro De ortu & interitu: ὥστ' εἴ τι κινεῖ ἀκίνητον ὄν, ἐκεῖνο μὲν ἅπτοιτο ἂν τοῦ κινητοῦ, ἐκείνου δ' οὐδέν. φαμὲν γὰρ ἐνίοτε τὸν λυποῦντα ἅπτεσθαι ἡμῶν, ἀλλ' οὐκ αὐτοὶ ἐκείνου. Sed etiam cum idē oſtendere volebant, θιγεῖν aliquando dicebant: cujus verbi eadem vis eſt quæ hujus ſuperioris, eodem etiam ſenſu. Virgil. inquit:

—Nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor.—

Tãgere uſurpavit Terent. in Eunucho, pro lædere, acuteque voce alicujus exiſtimationem violare: Quid Gnatho? quo parvo autem digito attingere, proverbialiter accipitur etiam, pro leviter, & quaſi negligenter. Ductū ex iis, qui onus tollentem extremis digitis, quaſi dicis cauſa & defunctorie adjuvant. Hoc uſus eſt Cicero pro Cælio, & Iuſtinianus Inſtitut: libro quarto, tit. de public. judic. qui ultimus eſt: Sed de publicis judiciis hæc expoſuimus, ut vobis poſſibile ſit, ſummo digito, & quaſi per indicem ea tetigiſſe: alioqui diligentior eorum ſcientia vobis ex latioribus Digeſtorum ſeu pandectarum libris Deo propitio adventura eſt. Vide alibi adag. ἐν κεφαλαίῳ: &, Per indicem. item alibi, adag. xliij Ducis cauſa.

Quo jure, quaque injuria.

Proverbiale eſt apud Terentium in And. act. 1. ſcen. iij. qualia ſunt, Fas & nefas. Nolis velis: pro, ſive velis ſive nolis. Et ſignificat, quocunque modo, ſive aliquo jure: & quacunque injuria, ſive aliqua injuria, ſive jure, ſive injuria: ſignificatque, Si jure fieri nequit, etiam cum injuria factum iri, omnino eſſe ſtatutum. Et ſunt qui putent, hoc loco particulam. Que abundare: eſſeque in hoc adhibitam ſolum, ut carminis fulciat hiatum. Hoc Græci dicunt: ἐκ δικαίου, ἀδίκως. Per æqua & iniqua dixit Livius, Galli. Soit à droit, ou à tort. Et eſt pronunciatum infinitum per ἰσοδυναμίαν variatum. Atque hujuſmodi ferme figuræ omnes, quæ conſtãt ex cōtrariis, proverbiales exiſtimãtur. Quod genus ſunt: Fanda atq; infanda, facta atq; infecta, digna atq; indigna, juvenesque ſeneſque. Vide Eraſmum primo De copia comment. Plaut. Rud. Quomodo habeas, nihil refert, jure, anne injuria, Cic. iv. Ver. Non quæro, jure an injuria ſint inimici.

Apes peſſimæ furto proveniunt.

Cælius Calcagninus in defenſione τῶν adverſus accuſationem σίμβλων per Lucianum Samoſatenum. Quid vero dicam judices, inquit, quod non ſolum μελίττας, i. apes ipſas abducere, verum & κυψέλας, id eſt, alvearia ipſa repugnante etiam Ariſtotele, conata eſt revellere, in quibus magna vis μέλιτος, id eſt, cibus ipſe τῶν μελιττῶν aſſervabatur: neque hanc execrandam σίμβλων tritum hominum adagium exterruit, peſſimas apes furto provenire: ſed e tota μελιττικῇ nititur me omni conatu deturbare. Nam licet illæ inter animalia fera & domeſtica ambiguæ incertæque ſint atque occupantis fiant: quum primum tamen in κυψέλην, id eſt cellam & loculamentū coactæ ſunt, publicæ eſſe deſinunt, & poſſeſſori adjudicantur. Iuſtinianus lib. ij. Inſtitutionum juris: Apum quoque, inquit, fera natura eſt. Itaque apes, quæ in arbore tua conſederint, antequam à te alveo includantur, non magis tuæ intelliguntur eſſe, quam volucres, quæ in arbore tua nidum fecerint. Ideoque ſi alius eas incluſerit, is earum dominus erit. Favos quoque, ſi quos effecerint, eximere quilibet poteſt. Examen quoque, quod ex alveo tuo evolaverit, eo uſque intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis perſecutio ejus eſt. Alioquin occupantis fit. Varro apes, Muſarum eſſe volucres teſtificatur: quod & ſi quando diſpalatæ ſunt, cymbalis & plauſibus in unum, locum reducuntur. Cum enim nondum manſuefactæ, ſed agreſtes tantum eſſent apes, in arborum cavis mellificabant: id quod & hodie aliquando accidit. Ovidius:

Et in quercu mella reperta cava.

Quercus vero, Heſiodi teſtimonio, quem advocat. Theophraſtus iij. de plantis, φέρει μέλι καὶ μελίττας. Heſiod. ἐν ἔργ. καὶ ἡμερ.

—Οὔρεσι δὲ δρῦς ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας.

Vide ea quæ annotavimus in Alcyonem, ſive de transformatione Luciani.

Pecte.

Ea translatione pectere à Plauto non raro dicitur, quæ à Terentio depexum dare: & apud Varronem lib. vj. Come, tūde: hoc eſt, pulſa & verbera: quod verbum & hodie quoque vulgo in Gallia uſurpamus.

Ab Herode ad Pilatum.

Subaudi, remittitur, qui a judice injuſto ad injuſtiorem, vel qui ab uno auxilium petēs ad alterum ire jubetur, quo ſic ludificetur. Luc. xxiij.

Τοὺς ἄλλους ἐράνιζ', ἀπὸ δ' ἴκτηρος ἴσχεο χεῖρας.

Nummum poſce alios, cave poſcere ab acceptatore.

In aliis legitur:

Τοὺς ἄλλους ἐσύλευζ', ἀπὸ δ' ἴκταρος ἴσχεο χεῖρας.

Caſtigationem ſuperioris verſus, ut videtur, Homerici à Diogene per metatheſim uſurpati, debemus Paulo Leopardo, quo non alium habet Flandria noſtra, ingeniorum ferax, vel humaniorem vel doctiorem. Legendo ἐράνιζε, id eſt, ſtipem poſce, & ἴκτηρος à ἱκνοῦμαι, commode utemur, cum joco peraces a nobis removebimus: item ſerio, cum monebimus amicum, ut avari aut copioſi, ſed improbi hominis opes ne attingat: vel, cum potentiore ne litem ſuſcipiat. Sin magis placet, ἐσύλευε, id eſt, ſpoliabat, & ἴκταρος, qui ab ἴκω dictus videtur: quadrabit in eum, qui infirmum & pauperem arrodit, ejuſque facultatibus inſidias ſtruit, intacto potentiore.

INSALUBRITAS.

ERASMI. *Herculana ſcabies.*

Ἡράκλειος ψώρα, id eſt, Herculana ſcabies: de ſcabie jucunda, faci-

faciſque ſanabili, interprete Suida: aut quæ deſideret Herculana id eſt calida balnea. Narrant enim, Herculi laboribus illis ingentibus fatigato Palladem ac nymphas crebro balnea ferventia ſuppeditaſſe. Vſum hujus adagii non indicat neq. Zenodotus, neque Suidas. Equidem opinor dici poſſe vel in eos qui multo ſtudio alio vel labore valetudinem offenderunt, ut quibus aliquo laxamento ſit opus: vel in eos qui blandis adulationibus deliniti, veluti jucunda quadam ſcabie pruriunt.

Herculanus morbus.

Ἡράκλειος νόσος, id eſt, Herculanus morbus. Hunc Dicæarchus apud Zenodotum eum exiſtimat eſſe, quem alii ſacrum, alii comitialem appellant. Eſt autem ex eorum numero quibus nulla medicorum ope ſuccurri poteſt: propterea quod divinitus immitti creditur, eoque cognomen additum eſt ſacro. Apuleius in prima defenſione, divinum appellatum putat, quod divinam, id eſt, rationalem animi partem violet. Naſci, quoties calor in humorem craſſum & ſpumidum, inimico igni conliqueſcit. Signa eſſe, grave caput, cervicem torpentem, tempora pulſata, auris præcipue dextræ tinnitum. Deprehendi potiſſimum incenſo lapide gagate & rotæ figularis circumactu. In hunc ajunt Herculem incidiſſe, vel propter immenſos labores, vel immittente Iunone. Heraclitus arrogantiam ſacrum morbum vocavit: vel quod id mali ſummos plerunque viros conſequi ſoleat, vel quod ſola mors remedium adferat. Herodotus in Thalia refert, Cambyſen huic obnoxium morbo quoſdam ſibi maxime familiares per inſaniam occidiſſe. Herculem item liberos ſuos interimentem inducunt tragici poetæ. Herculanus appellatus videtur, quod ut ille invictus, ita hic nulla medicorum ope ſuperabilis. Quanquam Ariſtoteles in Problematis ſectione trigeſima, problemate ſexta Theodorū primo, putat Herculem vere huic morbo obnoxium fuiſſe: atque omnes adeo, qui vel ingenio, vel ſtudio philoſophiæ, vel in adminiſtranda repub. vel in aliis artibus excelluerunt, atræ bili obnoxios fuiſſe. Equidem non video quamobrem hoc debeat inter adagia referri, niſi ſacrum aut Herculanum morbum appellemus, tumorem animi, aut aliud aliquod vitium inſanabile: quod genus eſt in ſenibus avaritia, in mulieribus loquacitas. Nam in omnibus fere Græcorum collectaneis video proverbii titulo recenſeri.

Ipſa ſenectus morbus eſt.

Terentius in Phormione: Ipſa ſenectus morbus eſt, Proverbiali figura dictum videtur. Nam in ſenibus ut abſit morbus, ipſa ſenecta per ſe mala valetudo eſt. Vnde illud frequens apud Homerum, χαλεπὸν γῆρας: id eſt, Moleſta ſenectus. Iliad. δ.

Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει.

Id eſt:

Viribus effœtum, jam te premit aſpera ſenectus

Et apud Vergilium:

—Subeunt morbi triſtiſque ſenectus.

Horatius in Arte poëtica;

Multa ferunt anni venientes commoda ſecum;
Multa recedentes adimunt.———

Iuvenalis.

—Circum illi agmine facto
Morborum omne genus.———

Nos item in carmine de Senectutis incommodis.

—Teterrima porro
Senecta morbus ingens.
Nullis arcerive poteſt, pellive medelis,
Quin derepente oborta.
Corporis epotet ſuccos, animique vigorem
Hebetet.

Idem teſtatur ſenarius ille proverbialis:

Φοβοῦ τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.

hoc eſt:

Metue ſenectam: non enim ſola advenit.

Item:

Χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐστὶν ἀνθρώποις βάρος.

Id eſt:

Pergrave ſenectus eſt onus mortalibus!

Citatur ex Antiphane:

[illegible]
Ὅταν ᾖ τὸ λοιπὸν μικρὸν, ὄξος γίνεται.

Id eſt:

Eſt vita vino noſtra quam ſimilima:
Vbi paululum reſtat, in acetum vertitur.

Item ex eodem:

Τὸ γῆρας ὥσπερ βωμός ἐστι τῶν κακῶν,
Πάντ᾽ ἔστ᾽ ἰδεῖν εἰς τοῦτο καταπεφευγότα.

Id eſt:

Quædam eſt malorum ara ſenectus omnium,
Adeo videre eſt cuncta ad hanc recurrere.

Rurſus ex eodem:

Πρὸς τὸ γῆρας ὥσπερ ἐργαστήριον,
Ἅπαντα τἀνθρώπεια προσφοιτᾷ κακά.

Id eſt:

Miſeram ad ſenectam, ut ad officinam quampiam
Mala univerſa confluunt mortalium.

Huc alluſit nonus Plautus, qui tarditatem inceſſus excuſans, ait ſe grave pondus geſtare: Tantum, inquit, hoc onus erit, quod fero. Quid oneris? Annos ſeptuaginta & quatuor. Item M. Tullius in Catone majore: Quæ pleriſque ſenibus, ſic odioſa eſt, ut onus ſe Ætna gravius dicant ſuſtinere. Ariſtoteles quinto De animalibus lib. ſenectutem appellat νόσον φυσικήν, id eſt, Morbum naturalem: quemadmodum & morbus ſenectus eſt adventitia: propterea quod nonnulli morbi idem efficiant in homine, quod ſenectus: & ſenectus ſimilia gignat, qualia morbi. Seneca morbum inſanabilem appellat. Donatus adſcribit verba Apollodori ex Græca comœdia, τὸ γῆρας ἐστιν αὐτὸ νόσημα. id eſt: Ipſa ſenectus morbus eſt.

EX APPEND. ERASMI.

Iſthmiazein.

De iis, qui parum commode parumque ſalubriter vivunt: quod Iſthmiorum ludorum tempus morbis eſſet obnoxium, ob ingentem populi concurſum. Vel de opera inani: ut permulta ſunt in ſuperioribus apud Eraſmum.

IVNII. Vmbris macilentior.

Σκιῶν λεπτότερος, id eſt, Vmbris macilentior. Proverbialis hyperbole in prætenues, & inſigniter macros & ſtrigoſos. Archeſtratus poëta Syracuſanus præ inopia macie confectus, τῶν σκιῶν λεπτότερος, hoc eſt, umbris ipſis tenuior fuiſſe dictus eſt a quopiam, teſte Euſtathio. Polemon ſcribit, eum à Ptolomæo captum, & in bilancem conjectum, oboli pondus momento traxiſſe, ὀβολοῦ ὁλκὴν ἔχοντα. Ælianus libro decimo, refert iſtud ita: Archeſtratus vates ab hoſtibus captus, in bilance poſitus, oboli pondere appenſus eſt, ut ajunt. Tales fuerunt Philetas poëta, & Cineſias qui tiliaceis aſſerculis gracile corpus fulciebat, & Melitus tragicus poëta, Socratis accuſator, & Samyrion comicus: quos ᾅδου πρέσβεις veluti inferorum legatos vocavit propterea Ariſtophanes dictitans illos ἐπὶ λεπτῶν ἐλπίδων ὀχουμένους. quaſi macra ſpe, vehiculi loco, invectos. An vero Siſyphus, Pirithous, & Theſeus ille de pygis ad inferos deſcendiſſe docti fuerint, propter notabilem macilentiam, qua umbris non diſſimiles eſſent, addubitat Euſtathius.

Aurei generis.

Proverbiale ſcomma extat apud Euſtathium Iliad. decimo, in homines flava cute luridos, vel auruginoſos exarquato morbo (quem icterium medici nominant) ſuffuſum bile crocea corpus habentes: tales enim χρυσοῦ γένους, id eſt, ex aureo genere, appoſite dici poſſe ſcribit: cujuſmodi homines etiā πυξίνους, id eſt, buxeos appellant, à buxi ligni flavedine. Aliter, χρύσειον γένος, hoc eſt, Aureum genus vocavit vetuſtas integros homines, ſcelerumque puros, ut Aratus Solenſis in Phænomenis, & Heſiodus, quod aurum æruginem non ſentiat.

COGNATI. Qui medice vivit, vivit miſerrime.

De his vulgo dicitur, qui ſuperſtitioſo & nimis exquiſito victu utuntur. Neque enim nos probamus, ut ſanus adhuc ex præſcripto vivat, nimiſque tenui & accurata victus ratione utatur. Contra, qui modice & temperanter vivunt, feliciter ac ſalubriter vivunt. Non videtur ſatis explicatum adagium. Nam cur ſuperſtitioſe vivere, eſt medicè vivere? annon medici modum ubique laudant & ſanitatem illi tanquam filiam tribuunt? Proinde vulgus errat hac acceptione, qui quam vivendi rationem ægris medici indicunt, indici etiam putant ſanis. At vero hujus proverbii autores voluiſſe videntur miſerum eſſe, qui aut per naturæ conformationem, aut cauſſam extraneam ea eſt valetudine, quæ tota à docti & diligentis medici cura pendeat: ut eſt valetudo eorum qui cerebri, hepatis, ventriculi, aut alius principis partis intemperie laborant. Item eorum qui calculo vel podagræ ſunt obnoxii, de quibus Galen. lib. De ſanitate tuenda. Atque iſtorum conditio vera miſera eſt, quod levi in alteram partem momento intemperiem augeant, & morbum familiarem ſibi accerſant. Et hæc Giſelin.)

Amarius helleboro.

Amarius helleboro, proverbio dicitur, ut in illo: [illegible] Catullus ad Iuventium:

Vt mi ex ambroſia mutatum, jam foret illud
Suaviolum triſti triſtius helleboro.

Id eſt, amarius. Sic Virg. [illegible]edia fert triſtes ſuccos. & alibi:

—Triſteſque lupini:

Non diſſimile, Ipſa bile amarior, apud Athenæum: &, Fellea:

COELII RHODIGINI.

Æſtiva ægritudo.

De mox deſitura; neque lancinatione diutina corpus emaciatura. Ratio, quod ſucci per æſtatem fundantur cito, & exſpirent præſertim ſi vires conſtent.

INSIDIÆ.

ERASMI: Βυσσοδομεύειν.

Βυσσοδομεύειν, frequenter eſt apud Homerum, nō citra proverbii ſpeciem: pro eo quod eſt alto pectore moliri quippiam, & clan-

culum

culum in animo ſtruere inſidias. Tranſlatum à fundamentis ædificiorum quæ profunda jaciuntur. Odyſſeæ ρ.

Εὖ μὲν ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον.

Id eſt:

Dicebant bene, ſed mente alta prava ſtruebant.

Idem alibi:

—Δόλον φρεσὶ βυσσοδομεύων.

Id eſt:

—Fraudem alta mente volutans.

Canis ad cibum.

Κύων ἐπὶ σῖτον, i. e. Canis ad cibum. De his qui in ſuum properant exitium. Qui canem volunt occidere, cibo oſtenſo alliciunt. Heſychius indicat hoc eſſe ſimile illis, βοῦς ἐπὶ σφαγὴν, καὶ ὗς ἐπὶ δεσμά: id eſt, Bos ad mactationem: &, Sus in vincula.

Δούρειος ἵππος.

Δούρειος ἵππος, i. Dureus equus: de clandeſtinis inſidiis dicebatur, aut ubi repente complures apparerent, qui latebant antea. Sumptum ab equo Homerico, in quo Græcorum proceres abditi, repente proſilientes Trojam ceperunt. Hunc Homerus Durateum appellat, ut Odyſſ. θ quod trabibus eſſet contextus:

Αἶσα γὰρ ἦν ἀπολέσθαι, ἐπὴν πόλις ἀμφικαλύψῃ
Δουράτεον μέγαν ἵππον, ὅθ' εἵατο πάντες ἄριστοι
Ἀργείων, Τρώεσσι φόνον καὶ κῆρα φέροντες.

Id eſt:

Fatum enim erat perituram urbem, ſimul ingrederetur,
Durateus præcellus equus, qui clauſerat omneis
Primores Danaûm luctumque necemque ferentes
Trojanis. ———

Plutarchus in vita Themiſtoclis, narrat illum aliquando dono rogaſſe equum à Philide nutritore equorum. Eum is ubi negaſſet, comminatum fuiſſe ſe brevi ex illius domo facturum equum δούρειον, ſignificans ſe crimina ipſius ac domeſticorum prolaturum in lucem. Nec inſcitum fuerit, ſi quis ludum alicujus eruditi, Durateum equum appellet; quod ex eo brevi tempore ſummi viri prodierint. De laudatis viris, qui ſubito alicunde emerſerunt, apud eruditos frequens eſt, ut ex illius domo velut ex equo Trojano prodiiſſe dicantur. M. Tullius Philippica ij ad egregii facinoris ſocietatem retulit: In hujus me conſilii ſocietatem tanquam in equum Trojanum includi cum principibus non recuſo: Ariſtophanes in Avibus proverbium detorquet in emphaſim roboris ac magnitudinis:

Ἵπποι ὑπαρχόντων μέγεθος ὅσον ὁ δούρειος.

Interpres admonet, alluſum ad equum æreum inſigni magnitudine, qui in acropoli ſtabat, Palladi dicatus a Chariaemo: quod ipſa teſtabatur inſcriptio: Verum is ad imitationem equi Trojani compoſitus erat. M. Tullius actione in C. Verrem vj. Trojanum equum accipit pro extrema calamitate. Quem concurſum factum in oppido putatis? quem clamorem? quem porro fletum mulierum, quum viderent equum Trojanum introductum, urbem captam eſſe dicerent, &c. Portas per quas introductus fuerat equus Durius, Homerus Iliados γ. σκαιὰς, hoc eſt, ſiniſtras appellat, quod læva mente Trojani equum illum induxerint in civitatem. Idem pro Murena dicit equum Trojanum intus eſſe, quum ſentit repub. periculum eſſe a civili diſcordia: Intus, inquit, intus eſt inquam equus Trojanus, à quo nunquam me Conſule, dormientes opprimemini. Idem pro M. Cœlio: An equus Trojanus fuerit, qui tot invictos viros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit?

Arundinea crura, & tabis propheta.

De prætenui homuncione & macilento, atque etiam morboſo dicitur illud comici Platonis:

Καλάμινα σκέλη φορῶν, φθίσεως προφήτης.

Id eſt:

Arundinea habens crucula, tabis propheta.

Torſit ille in Cineſiam Evagoræ filium, poëtam dithyrambicum, qui uſque adeo imbecillo & macro corpuſculo fuiſſe memoratur, ut tiliaceis aſſeribus circumquaque ſe cingeret, ne prælongum & exile corpuſculum ultro citroque flecteretur: unde φιλύρινος, id eſt, Tiliacei cognomentum illi apud Ariſtophanem. Inciderat autem iſte ex laterali morbo in epyema collecto in thoracem pure: quapropter venuſto more, cauſa remedii contra phthiſin, inuſtus fuerat, ut ex Platone comico refert Galenus, aphoriſm. lib. vij.

Ineſcare homines.

Proverbiali metaphora dixit Terentius in Adelphis. Abi, nunquam rem facies. Neſcis ineſcare homines Sannio. Ducta eſt ab iis, quæ præfixo æri cibo piſces illiciunt. Appoſite vero dictum eſt lenoni, cujus artis eſt primum hujuſmodi velut eſcis illectare juvenes, ut poſtea totos devoret. Et eſcam per tranſlationem appellant illecebram illam quæ trahit in fraudem. Unde Plato, quemadmodum in Catone majore teſtatur Cicero, τὴν ἡδονὴν δέλεαρ κακῶν, hoc eſt, voluptatem malorum eſcam dicit: quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo piſces. Græci ſimplici verbo metaphoram efferunt, δελεάζειν, καὶ δελεαζόμενον, id eſt, eſca captare. Ariſtophanes in Equitibus, Cleoni objicienti, quod facile populum ſibi conciliaſſet blanditiis, reſpondet Alantopola, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸν πολλὰ [illegible], recriminans, quod ipſi objectum blandimentis populum ineſcaſſet. Accedet non parum gratiæ, ſi deflectatur in bonam partem, tum ad res animi: veluti ſi quis dicat, puerorum animos gloriæ quibuſdam illecebris aut blandimentis ad amorem ſtudiorum ineſcandos, principum ingenia laudibus ad amorem virtutis ineſcanda.

Oportet omnibus corydalis.

Πάσαισι κορυδαλλοῖσι χρὴ λόφον ἐγγενέσθαι, id eſt, Omnibus galeritis oportet criſtam ineſſe. Citatur ex Simonide, & uſurpatur aliquoties à Plutarcho, nominatim in vita Timoleontis, in hunc ſenſum: nullum eſſe mortalis ingenium, cui non ſit aliquod vitium admixtum: ceu perinde ſecundum hominis naturam ſit non carere vitio, ut galeritæ naturale eſt habere criſtam. Plutarchi verba ſubſcribam: ἐπεὶ δὲ χρῆν ὡς ἔοικεν, οὐ μόνον πάσαις κορυδαλλαῖς λόφον ἐγγίγνεσθαι κατὰ Σιμωνίδην, ἀλλὰ καὶ πάσῃ δημοκρατίᾳ συκοφάντην, id eſt, Quoniam autem oportet, ut videtur, non ſolum omnibus galeritis criſtam ineſſe, quemadmodum dixit Simonides, verumetiam omni democratiæ ſycophantam: Meminit Corydi Ariſtophanes in Avibus, affingens ex Æſopo lepidam fabulam. Ait enim hanc autem fuiſſe omnium antiquiſſimam, videlicet ante natam quam eſſet terra: quumq; pater illius morbo periſſet, nec eſſet ſepulchro locus in capite ſepeliſſe patrem: unde & criſta tumuli loco eſt. Inibi Corydo regnum decernitur. In eadem indicat, Philocleri cuidam turbinato capite deformato, fuiſſe nomen Corydo. Congruit huic dictum Crateris quod refertur apud Laertium, vix eſſe quenquam qui prorſus omni vitio careat, ſed omnibus malis punicis aliquod ineſſe granum putre.

Tragulam injicere.

Plautus in Epidico: Tragulam in te injicere adornāt, id eſt, dolum aliquem in te ſtruunt. Et ibidem: Neſcio quam fabricam facit. Sic autem habet verſus tetrameter, trochaicus:

Tragulam in te injicere adornat, neſcio quam fabricam facit.

Utraque figura proverbialis videtur. Idem in Caſſina: Ego pol iſtam jam alioquorſum tragulam decidero. Rurſus in Pſeudolo: At volui injicere tragulam in noſtrum ſenem. Huic ſimillimum quod dixit in Moſtellaria: Pilum injeciſti mihi, pilum enim haſtæ genus eſt.

Ab tranſenna cibum petere.

Ab tranſenna cibum petere dicitur, qui periculo proximus eſt. Plautus in Bacchidibus:

Num ab tranſenna hic turdus lumbricum petit.

In ſenem dicitur, legentem epiſtolam, per quam erat fallendus. Ab eadem metaphora ſumptum, cujus modum meminimus.

Cuniculis oppugnare.

Ὑπονόμοις πολεμεῖν id eſt, Cuniculis bellare, dicitur qui non aperta vi ſed diſſimulanter ac dolis rem gerit. Contra qui palam agit quod agit, machinis agere dicitur. Caii Cæſaris potentia jam ad manifeſtam tyrannidem ſpectante, Catullus Luctatius vir ſummæ apud Romanos dignitatis: ſurgens in ſenatu ait: οὐκ ἔτι ὑπονόμοις, ἀλλ' ἤδη μηχαναῖς αἱρεῖ τὴν πολιτείαν id eſt, Cæſar non jam cuniculis ſed machinis tollit rempublicam. Suffoſſiones clam fiunt: machinæ, hoc eſt, arietes, onagri, baliſtæ palā admoventur. Dictum Plutarchus refert in vita Caii Cæſaris. Plus venereris habebit, ſi ad res animi transferatur: veluti ſi quis dicat malos genios interdum oppugnare nos machinis, quum palam terreant aut illectant: interdum cuniculis, quoties falſa ſpecie pietatis imponunt obrepuntque incautis.

In tranſennam inducere.

In tranſennam ducit, qui dolo fallit. Plautus in Perſa.

Hunc ego hodie hominem in tranſennam doctis ducam dolis.

Itaque huic inſidiæ paratæ ſunt, probe aggrediar virum. Ab aucupibus ſumptum eſt, qui intra cancellos eſcam ſpargunt inſidiantes aviculis. Unde & hodie qui dolo captus eſt intra tranſennam eſſe dicitur. Huic ſimillimum, In foveam & in laqueum inducere, quorum alibi meminimus.

Pulchre fallit vulpem.

Παλεύει καλῶς τὴν ἀλώπεκα. i. Decipit pulchre vulpem: Suidas recenſet duntaxat, nec explicat. Apparet dictum in eum, qui dolis captaret aſtutum, cuique fruſtra tenduntur inſidiæ. Nam παλεύειν, eſt arte illectare. Unde & columbæ exoculatæ, quas aucupes in reti ponunt, quo ſubſultantes, reliquas deceptas alliciant, παλεύτριαι dicuntur. Et qui feris tendunt caſſes, παγιδευταὶ vocantur. At vulpem dolo circumvenire difficile eſt.

BRASSIC. Equus Troianus.

Equum Trojanum proverbio dicimus tacitas inſidias, & paucis intellectam impoſturam. Sic enim Cicero non ſemel uſus eſt, pro M. Cœlio: An equus Trojanus fuerit, qui tot invictos viros muliebre bellum gerentes tulerit? Pro Murena: Intus, intus inquam, eſt equus Trojanus, à quo nunquam me Conſule dormientes opprimemini. Et in ij. Antoniana: In hujus me conſilii ſocietatem tanquam in equum Trojanum includi cum principibus

bus non recuſo. Cæterum equi Trojani deſcriptio ex Homero & Virgilio notior eſt quam ut hic recenſeri debeat. Macrobius ſcribit, Cincium in ſuaſione legis Fanniæ ſeculo ſuo objeciſſe, quod porcum Trojanum, hoc eſt, incluſis etiam aliis animalibus gravidum menſis inferrent.

COGNATI. *Leo in luſtro.*

David leones in luſtro vocat, inſidiantes inopi, & rapientes pauperem, trahentesq; in retia. Hi ſunt illi Gigantes in terra, Nephilim dicti. Hi ſunt Horei, Rephaim, Emim, Enakim, & Nimrodi, & poſteri, de quibus paſſim ſacræ literæ: quos porro Hieremias, quaſi lupos rapientes prædam incitat, effundentes ſanguinem, ac ſectantes lucra.

Magis nocent inſidiæ quæ latent.

Seneca in prologo Declamationum: Magis nocent inſidiæ quæ latent. Tela proviſa minus nocent. Ad hoc alluſit quidam Catonis nomine, lib. 2.

> Proſpice qui veniunt hos caſus eſſe ferendos:
> Nam levius lædit, quicquid provideris ante.

M. Antonius Muretus in Terentium, de Pamphilo: Hoc dicto, velut improviſo quodam jaculo, ſauciatus adoleſcẽs, quid ageret, aut quid conſilii caperet, neſciebat. Cic. 6. Ver. Tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quam indictæ & apertæ. Fingẽs vultum, damnum dabit: ut admonet Salomon in Proverb. cap. 10. Notum eſt illud Ovidii.

> Tuta frequensq; via eſt, per amici fallere nomen:
> Tuta frequensq; licet ſit via, crimen habet.

Ut facies in aqua ſplendens fallit, ita inter ſe hominum corda ſolent: ut idem Salomon inquit Proverb. cap. 27. quam ſententiam ſequamur: & id erit quod ait Poëta:

> Nuſquam tuta fides, —

POLYDORI VIRGILII.

In ore leonis favus mellis.

In inſidioſum blandiloquentem. Leonis potius eſt mordere, mactare, laniare, quam mel ex ore fundere. Alluſio ad Jud. 14. ubi in interfecto prius leone, Sampſon poſtea in ejus ore favum mellis reperit.

INSTANS.

ERASMI. *Ante pedes.*

Ante pedes eſſe dicitur, quod obvium, quodq; vel præſens adeſt, vel imminet. Terentius:

> Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
> Videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt
> Proſpicere, —

Sic Pindarus in hymno ultimo: τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ χρῆμα παντί, id eſt, Quicquid ante pedes eſt, ſemper melius. Lucian. in Pſeudologiſta: καὶ τὰ κοινὰ ταῦτα καὶ τὰ ἐν ποσὶν ἀγνοῶν, id eſt, Et quod hæc communia, quodq; hæc paſſim obvia ignores. Philoſtratus in Phœnice: βαδίζεις δὲ μετέωρος καὶ ὑπερορῶν πάντα τὰ ἐν ποσί, id eſt, Quo vadis autem ſublimi vultu, cunctaq; deſpiciens, quæ ſunt ad pedes. Et παρὰ ποδὶ dicitur, quod jam inſtat, imminetque, ἐμποδὼν, eſſe dicitur quod obſtat ἐν ποδὶν contra. προκυλινδεῖσθαι τῶν ποδῶν eſt aliquoties apud Platonem, id eſt, ante pedes provolvi, quod veluti expoſitum eſt. Veluti de Republica 4. πάλαι ὦ μακάριε φαίνεται πρὸ ποδῶν ἐξ ἀρχῆς κυλινδεῖσθαι καὶ οὐχ ἑωρῶμεν ἄρ' αὐτό, ἀλλ' ἦμεν καταγελαστότατοι, ὥσπερ οἱ ἐν ταῖς χερσὶν ἔχοντες, ζητοῦσιν ἐνίοτε ὃ ἔχουσι. id eſt, Jamdudum ô beate videtur rurſus ante pedes volvi, nec videmus illud ſed fuimus ridiculi, quemadmodum ſolent, qui cum manibus teneant aliquid, tamen quærunt quod habent. Non diſſimili figura Maro dixit, in manibus:

> In manibus terræ, non hic te carmine longo,
> Atque per ambages & longa exorſa tenebo.

COGNATI. *Præſentia atque viva.*

Sophocles in Trachiniis tempus vivens atque præſens dixit, quod tunc inſtaret:

> Ἦ μοι χρόνου τοῦ ζῶντος καὶ παρόντος νῦν
> Ἔφασκε μοχθῶν τῶν ἐφεστώτων ἐμοὶ λύσιν τελεῖσθαι.

Cicero porro exempla præſentia atq; viva vocavit, quamvis animo ſenſuq; illa careant, quæ ſumerentur ab hominibus, qui tunc vivebant, ac præſentes adeſſent: Sed quid ego vetera conquiram, cum mihi liceat uti præſentibus exemplis, atq; vivis? Idem in oratione pro P. Seſtio metaphorice itidem rem & ipſe inanimem, cauſam inquam, vivere dixit, quia antea tanquam mortua erat ac jacebat, cum commode defendi non poſſet, nec argumentis ullis ſublevari.

IN STVPIDOS.

ERASMI. *De fera comediſti.*

Ἀγρίου βέβρωκας, id eſt, De fera comediſti. Dicebatur olim oſcitanti. Nam vulgo creditum, carnem ferinam comeſam crebras oſcitationes excitare. Venuſtius erat, ſi commode transferatur ad ſupinos, oſcitabundos & negligentes.

Ede naſturtium.

Ἔσθιε κάρδαμον, id eſt, Ede naſturtium, in ſocordem, ignavum, hebetem, ſtupidum, olim dicebatur: propterea quod huic efficaciam ineſſe credant, erucæ contrariam: vim enim vigoremq; animi ſuſcitare, venerem coercere: quum illa è diverſo venerem acuat, vim mentis hebetet. Unde & nomen apud Græcos habere videtur κάρδαμον, quaſi cor domans. Plinius libro decimonono, capite octavo. Naſturtium, inquit, nomen accepit à narium tormẽto. Et inde vigoris ſignificatio, proverbio id vocabulum uſurpavit, veluti torporem excitantis. Græcis a corde nomen habet. Dioſcorides tradit, naſturtio vim eſſe ſimilem erucæ & ſinapi, quod attinet ad acrimoniam in nares erumpentem. Cæterum quod ait, naſturtio ſtimulari venerem, diſſentit à Plinio Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις.

> Ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα. τί καρδαμίζεις.
> Id eſt:
> Edi heri naſturtia. Quid naſturtiaris?
> Idem in Veſpis,
> Ὀξυθύμων καὶ δικαίων καὶ βλεπόντων κάρδαμα.
> Item,
> Acrium ac juſtorum, & oculis qui exhibent naſturtia.

Nihil differs à Chærephonte.

> Οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν.
> Id eſt:
> Nihil ore quicquam à Chærephonte diſcrepas.

In macilentum pallidumq; dicebatur. Chærephon enim tragœdiarum ſcriptor fuit. Is Heraclidarum res proſecutus eſt. Quoniam autem nocturnis lucubrationibus erat majorem in modum extenuatus confectusque, vulgari joco taxatus eſt. Quin etiam noctuæ cognomen additum. Ariſtophanes in Nebulis:

> Οὐδὲν διοίσεις Χαιρεφῶντος τὴν φύσιν.
> Id eſt:
> Nihil figura a Chærephonte differes.

Alluſit idem in Pluto:

> Οὐδὲν διοίσοντ' ἀτεχνῶς
> Τῶν Ἡρακλειδῶν οὐδ' ὁτιοῦν τῶν Παμφίλου.
> Id eſt:
> Ne tantulum quidem
> Ab Heraclidis differentem Pamphili.

Pamphilus enim in Stoa depinxerat Heraclidas ſupplices Athenienſes, ad quos metu Euryſthei confugerant. Hos igitur vocat Heraclidas Pamphili.

Nihil ab elephante differs.

Ἐλέφαντος διαφέρεις οὐδέν, id eſt, ab elephante differs nihil. In magnos & ſtupidos dicebatur: etiamſi primam ingenii laudem Plinius tribuit elephantis, ſed inter bruta. Verum corporis moles & formæ fœditas adagio locum fecit. Refertur à Diogeniano, videtur huc alludere Paleſtrio Plautinus, qui herum ſuum elephanti corio circumtectum ait, nec plus habere ſapientiæ quam lapidem.

Sacer piſcis.

Ἱερὸς ἰχθύς, id eſt, Sacer piſcis dicebatur, cui nemo nocebat, ſed ſui juris erat. Suidas indicat eſſe apud Homerum. Quicquid enim ingens ac præclarum haberi volebant veteres ἱερὸν appellabant: velut apud Homerum, ἱερὸν μένος Ἀλκινόοιο: id eſt, Sacra vis Alcinoi. Per jocum dici poterit in hominem prægrandem & in precio habitum, quum ſit ſtupidus & infans. Meminit & Athenæus.

Tanagræus cetus.

Obeſum ac prægrandi corporis mole Ταναγραῖον κῆτος appellabant, à Tanagra Bœotiæ civitate: quam Homerus γραῖαν vocat, Lycophron Pœmandriam appellat, maritimam: ad quam delatus cetus immani magnitudine, proverbio locum dedit. Refertur ab Athenæo lib. 12.

Loquax talpa.

Homo nullius judicii, ſed tamẽ impendio verboſus, loquax talpa dictus eſt populari convicio. Quod primum dictum eſt in Julianum Cepellam, poſteaquam venerat in publicum odium: nam talpæ noſtri, ut cæci ſunt, ita ſunt æq; muti. Idem dictus eſt πιθήκος ἐν πορφύρᾳ: id eſt, ſimia purpurata: cujus alibi meminimus. Refert Ammianus lib. 17.

Bos marinus.

Βοῦς ἐνάλιος, id eſt, Bos maritimus, de magnis, inſulſis & ad nihil utilibus: quales ſunt phocæ, tantum paſcentes, nec operi, nec eſui utiles, contra quam boves terreſtres. Refertur à Suida. Suſpicor autem legendum, Βοῦς ἐναύλιος, ut ſit idem quod mox ſequitur, Βοῦς ἐν αὐλίῳ κάθῃ, id eſt, Bos in ſtabulo ſedes. Sic enim refertur in Collectaneis Tarrhæi ac Didymi. Eſtque hemiſtichium jambici trimetri.

Mens non ineſt Centauris.

Νοῦς οὐκ ἔνεστι Κενταύροις, id eſt, Mens non ineſt Centauri. In vecordes & ſtultos dicebatur, & qui conarentur quod effici nõ poſſet. Nota eſt Centaurorum fabula. Adagium à Diogeniano fertur.

tur. Iſque convenire putat in contentioſos, & alieni appetentes: propterea quod Centauris exitium attulerit rerum alienarum appetentia. Haud ſcio an huc reſpexerit Plato Poëta, apud Athenæum lib. 10.

Τοῖς γὰρ οὐδεὶς κατ' ἐμὲ ἡ παροιμία,
Ἔνεστι κενταύροις νοῦς ὥσπερ ἐμοὶ δοκεῖ.

Id eſt:

Mens nulla vobis ſicut habet proverbium,
Cauponi ineſt mens, ut quidem viſum eſt mihi.

Loquitur de mulieribus vinoſis. Ariſtophanes in Equitibus: νοῦς οὐκ ἔνεστι τοῖς κόμαις. i. Mens non ineſt comis. Comas dixit pro Centauris: alludens interim ad ſtudium alendi equos, qui jubas habent.

Beccesſelenus.

Βεκκεσέληνος proverbio dicebatur ſtupidus ac delirus, ſyderatus, aut admodum ſenex. Beccus Phrygum antiquiſſima lingua panem ſignificat: authore Herodoto lib. 2. σελήνη lunam. Unde Arcades, qui volunt mortalium omnium antiquiſſimi videri, προσέληνοι dicuntur, tanquam antiquiores ipſa luna. Quod notans Apollonius lib. Argonauticon 4.

Ἀρκάδες οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται.

Pſammitichus autem Rex, hoc argumento deprehendit, Phrygios omnium antiquiſſimos fuiſſe, quod pueri qui nullam vocem hominis audierant, Beccum ſonarent. Suidas hoc loco jocans, negat mirum videri debere, ſi caprarum vocem imitati ſunt, qui fuerunt à capra nutriti. Nam id aſſerit Herodotus. Utitur Plutarchus libro primo, de vitis Philoſophorum: καὶ γὰρ πλάτων ὁ μεγαλόφωνος εἶναι ὁ θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον πρὸς ἑαυτοῦ εἰκόνα, ὄζει λήρου βεκκεσελήνου κατὰ τοὺς τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητάς. i. Etenim Plato vocalis quum ait, Deus condidit mundum ad ſuam ipſius imaginem, olet deliratiionem Beccesſelenam, quemadmodum loquuntur veteris comœdiæ ſcriptores. Sumptum eſt proverbium ex Ariſtophanis Nebulis:

Καὶ πῶς, ὦ μῶρε σὺ καὶ κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε.

Id eſt,

Et quo pacto ſtolide tu, & Saturnia olens, & Beccesſelene.

Quo loco complura ſuper hac dictione referuntur ab interprete, ſi quis forte requirit: ego quod ad adagii explanationem judicavi fore ſatis, attigi.

Saturni podex.

Κρόνου πυγή, id eſt, Saturni culus: de carnibus vetulis, jamque marcis, & ſenſu vacantibus. Quicquid enim putre jam & effœtum intelligi volebant olim, id Saturninum vocabant. Meminit Diogenianus, nec tamen explicat. Suidas & Heſychius admonent, ita dictam carnem ob vetuſtatem ſtupidam ac ſenſus expertem a Saturno Deo, qui multa proverbia nobis dedit. Ad animum tranſlatum nonnihil habebit gratiæ.

Caput vacuum cerebro.

Ὢ οἵα κεφαλή, καὶ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει, id eſt, O quale caput & cerebrum non habet. De his qui corporis ſpecie præcellunt, ingenio carentes. Natum ex apologo, qui circumfertur inter Æſopicos. Vulgo quoque vecordibus & inſipidis ajunt, cerebro vacuum eſſe caput.

Margites.

Margitem pro ſtupido dixit Lucianus in Hermotimo: ἀλλ' οἴει μαργίτη τινὶ διαλέγεσθαι, id eſt, Sed exiſtimas te cum Margite quopiam loqui. Hunc ita deſcribit Homerus, citante Ariſtotele libro Moralium Nicomachiôn ſexto.

Τὸν δ' οὔτ' ἂρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν, οὔτ' ἀροτῆρα,
Οὔτ' ἄλλως τι σοφόν.

Id eſt:

Hunc neque foſſorem voluerunt numina divûm
Eſſe, nec agricolam, nec in ulla prætereà re.
Scitum aut egregium. ——

Suidas docet, Margiten fuiſſe quempiam ob inſignem ſtolititiam celebrem, qui non potuerit numerare ſupra quinque: ſponſam ductam non auſus eſt attingere, veritus ne ſe apud matrem incuſaret. Quum jam eſſet factus juvenis, rogavit matrem, an ex eodem patre nata eſſet. Quanquam hæc alii tribuunt Melitidi, alii Choræbo: de quibus ſuo dicetur loco. Satis apparet, vocem eſſe fictâ à μάργος, quod ad nullam actionem eſſet utilis. Erat autem Margites titulus operis, quod à quibuſdam tribuebatur Homero, id, ut videtur, intercidit. Indicat hæc interpres Ariſtophanis in Avibus. Convenit cum illo Heſiodo, Nulla in parte utilis, qui nec ipſe ſapit, nec aliis obtemperat: &, Nullo in numero.

Ranagyrina ſapientior.

Plato in Theæteto: ἐν ἡμῖν μὲν αὐτὸν ὥσπερ θεὸν ἐθαυμάζομεν ἐπὶ σοφίᾳ, ὁ δ' ἄρα ἐτύγχανεν ὢν εἰς φρόνησιν οὐδὲν βελτίων βατράχου γυρίνου. id eſt: Nos illum tanquam Deum ob ſapientiam admirabamur. At ille nihilo magis antecellebat prudentia, quam rana gyrina. Sumptum eſt adagium ac informi partu ranarum, quem Græci γυρίνους vocant, a figura corporis in gyrum orbiculati, quo fit ut mira celeritate ſe quo velint, volvant verſentque: quemadmodum teſtatur quiſquis is fuit, qui ſcripſit Etymologicon Græcarum dictionum. Meminit gyrinorum & Heſychius. Suidas etiam Ariſtophanis adducit teſtimonium:

Οἱ δὲ πατέρες βοῶσι γυρίνων.

Id eſt:

Quemadmodum patres clamant gyrinorum.

Nec ab his abhorrent, quæ tradit Plinius libro nono, capite quinquageſimo primo Ranæ, inquit, ſuperveniunt, prioribus pedibus alas fœminæ mare apprehendente, poſterioribus clunes. Pariunt minimas carnes nigras, quas gyrinos vocãt, oculis tantum & cauda inſignes: mox pedes figurantur, cauda findente ſe in poſteriores. Mirumque, ſemeſtri vita reſolvuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuêre natæ, per inde occulta ratione, cum omnibus annis id eveniat. Hactenus Plinii verba recenſuimus. Meminit & Aratus:

Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.

Id eſt:

Inde gyrinorum clamant per ſtagna parentes.

Porro cum Ranæ tribuitur loquacitas, quæ ſtoliditatis ſolet eſſe comes, minimum mentis ineſſe oportet gyrinis: quos vix deprehendas animal eſſe, niſi moverentur. Ut autem hunc locum diligentius expenderem, Hieronymus Alexander, vir non tantum literis clarus, mihique vetere neceſſitudine junctus, in cauſa fuit: ille rurſus, quod indicavit, Cœlio Calcagnino tranſcribit. Nos neutrum volumus ſua laude fraudatum eſſe. Neque enim unquam tam juveniliter fuimus affecti, ut nobis placuerit cornicula Æſopica.

Ovium nullus uſus.

Προβάτων οὐδὲν ὄφελος, ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ, id eſt, Ovium nulla utilitas ſi paſtor abſit. Admonet adagium, διδασκάλων item eſſe omnia perniciosiſſimam, Nihil recte faciunt miniſtri niſi adſit herus. Inutiles diſcipuli, quoties abeſt præceptor. Inutilis populus, niſi principis authoritate gubernetur. Apparet ſenarium fuiſſe, Nam paucis ſyllabis commutatis reſtituetur hoc pacto:

Προβάτων οὐδὲν ὄφελος, ἂν ποιμὴν ἀπῇ.

Id eſt:

Namque uſus ovium nullus, ubi paſtor deeſt.

De hujus animantis ſtultitia, quamque, ſibi ſit inutile, ni paſtoris cura ſuccurrat, lege quæ alias ex Ariſtotele enavimus in proverbio Ovium mores.

Ovium mores.

Προβάτων βίος, id eſt, Ovium mores. In ſtupidos ac ſtolidos jaci ſolitum. Ariſtoph. in Pluto:

Ἀλλὰ προβάτιον βίον λέγεις.

Id eſt:

Mihi imo vitam prædices oviculæ.

Ariſtoteles lib. De natura animalium 9, quamobrem ita proverbio dici conſueverit, indicat: διαφέρει γὰρ τὰ ζῷα πρὸς τὰ ἤθη καὶ τὴν δειλίαν καὶ τὴν πραότητα καὶ ἀνδρείαν καὶ ἡμερότητα, καὶ νοῦν τε καὶ ἄνοιαν. ὅτι γὰρ τὸ τῶν προβάτων ἦθος, ὥσπερ λέγεται, εὔηθες καὶ ἀνόητον. πάντων γὰρ τῶν τετραπόδων κάκιστόν ἐστι. ἕρπει τε εἰς ἐρημίας πρὸς οὐδέν, καὶ πολλάκις χειμῶνος ὄντος ἐξέρχεται ἔξω, καὶ ὅταν ὑπὸ ὑετοῦ ληφθῇ, ἐὰν μὴ κινήσῃ ὁ ποιμήν, οὐκ ἐθέλει μετακινεῖσθαι, ἀλλ' ἀπόλλυται ἐὰν μὴ ἄρρενας κομίσωσιν οἱ ποιμένες, τότε δὲ ἀκολουθοῦσιν. id eſt: Differunt autem & timiditate mansuetudineque, & ferocia placiditateque, intelligentia ac ſtoliditate. Nam & ovium ingenium, quemadmodum ajunt, ſimplex ac ſtultum. Siquidem eſt omnium quadrupedum ineptiſſimum. Prorepit in deſerta, nulla de cauſa: ac ſæpenumero hybernis menſibus foras è ſeptis digreditur. Quumque a nivibus occupatum fuerit, paſtor compulerit, diſcedere non vult. ſed relictum ceſſanſque perit, niſi paſtores mares addixerint Nam ita demum conſequuntur. Proinde Ariſtophanes taxans vecordiam populi Athenienſis, oves illos vocat in Veſpis:

Ἐκκλησιάζειν προβάτων συγκεκλῃμένων.

Id eſt:

In concione pecus ovillum conſidet.

Nec hoc prætereundum loco, quod Diogenes Cynicus opulentū quendam, cæterum indoctum, πρόβατον χρυσόμαλλον, id eſt, Ovem aureo vellere dixit. Et Plautus in Bacchidibus, Quis has huc oves adegit, in ſenes ſtultos. Huc reſpiciens Origenes, enarrans Leviticum, ovis immolationem interpretatur affectum ſtultorum & irrationabilium corte & omem.

Fœnum eſſe. Ambroſia alendus.

Fœnum eſſe, & Ambroſia alendus, utrunque proverbiali figura dixit M. Tullius, alterum in indoctos ac brutos homines, alterum in egregios: ut intelligas illos pecudibus, hos diis æquandos, nam fœno victitant boves. Ambroſia cibus eſt apud Homerum, deorum αἰεὶ ἐόντων. Cic. lib. de Oratore 2, Sic ego, Craſſo audiente, primum loquar de facetiis, & docebo ſus, ut ajunt, oratorem eum, quem cum Catulus nuper audiſſet, fœnum alios ajebat eſſe oportere. Rurſum idem eodem libro: Jocabatur, inquit, Catulus, præſertim cum ita dicat ipſe, ut Ambroſia alendus eſſe videatur. Horatius præl. utas opiparaſque cœnas, deûm cœnas vocat:

O noctes cœnæque deûm ——

nectar & Ambroſiam indicans. Nam hæc illis tantum à poëtis tribuuntur, ſi quando domi cibum capiunt: alioqui ſi contingat aliquo ad opimam victimam invitari, nidore carnium magis delectantur.

Tibicines mente capti.

Athenæus libro Dipnoſophiſtarum 8. proverbio, jactatum ſcribit apud priſcos, tibicinibus nihil eſſe mentis: λέγεται γὰρ αὐλητῶν νοῦς οὐκ.

Ἀλλὰ

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσῆν χ' ὡ νόος ἐκπέταται.
hoc eſt:
Dictum enim eſt per vetuſtum, quod
Dii tibicinibus nunquam mentem inſeruêre,
Sed ſimul ac flarint, avolat ilico mens.
De hoc hominum genere plura diximus in proverbio, Tibicinis vitam vivis.

Ne quis unquam Megarenſibus.

Μηδὲ ποτε μηδεὶς Μεγαρέων γένοιτο σοφώτερος, id eſt, Nunquam quiſquam ſapientior ſit Megarenſibus. Scomma proverbiale jaci ſolitum in ſtupidos. Dictum eſt autem per adulationem de Megarenſibus, authore Diogeniano.

Midas auriculas aſini.

Μίδας ὦτα ὄνου, id eſt, Midas auriculas aſini. Refertur à Diogeniano. Natum à fabula notiſſima Midæ Regis Phrygiæ: cui Phœbus, quod ſtolide Panem canentem ſibi prætuliſſet, aſininas affixit auriculas. Quas cum diu mitra occultuiſſet, tandem à tonſore animadverſum eſt, ac prolatum in vulgus. Porro adagium recte dicetur, vel in ſtolidos & craſſis auribus pinguiq; judicio homines: vel in tyrannos, quibus cum aures ſint aſininarũ inſtar longæ, procul etiam audiunt, velut auſcultatoribus dimiſſis qui audita referant. Quos Plutarchus in libr. De curioſitate, *ὠτακουστὰς* appellat, & *προσαγωγίδας*. Eoq; Lucianus in libello cui titulus, Non eſſe facile credendum delatoribus, calumniæ depingens imaginem. Midæ aures illi tribuit, propter ſtudium ſubauſcultandi, captandique, quid alii rerum faciant, *ἐν δεξιᾷ τις ἀνὴρ κάθηται μεγάλα πάνυ ὦτα ἔχων, μικροῦ δεῖν τοῖς τοῦ Μίδου προσεοικότα*, id eſt: Ad dexteram vir quiſpiam ſedet, auriculis maximis, quales ferme Midæ fuerunt. Ariſtophanes in Pluto:

Μίδας μὲν οὖν, ἢν ὦτ' ὄνου λάβητε.
Id eſt:
Midas quidem itaque, ſi aſini aures ſumatis.

Quo loco interpres admonet proverbii de auriculis aſininis, ejuſque commenti varias allegat cauſas. Quoſdam authores eſſe, Midam hunc ob contemptum aliquando vituperatumq; Bacchi numen, in aſinum fuiſſe converſum. Alii narrant, cum aliquando præteriret aſinos hujus Dei atq; eos affeciſſet injuria, iratũ Bacchum, Midæ auriculas aſininas addidiſſe. Sunt qui dicant huic aures natura prælongas fuiſſe, & aſininarum inſtar prominentes: atque hinc fabulæ jocum ortum eſſe: Quanquam pluribus placet, hac allegoria ſignificatum, Midam utpote tyrannum, Corycæos ac ſubauſcultatores dimittere ſolitum, per quos quæcunq; per omnem regionem vel fierent, vel dicerentur, cognoſceret, nimirũ illis utens aurium vice. Proinde cum vulgus admiraretur, ab illo reſciri etiam ea quæ clam ac procul fierent, occaſionem fabulæ dederũt, ut Midas diceretur auriculas aſini habere. Vel quod nullum aliud animal acrius audiat quam aſinus, excepto mure: vel quod aures habeat omnium longiſſimas. Perſius:

Auriculas aſini quis non habet?

Ferunt nonnulli primum à poëta ſcriptum fuiſſe:

Auriculas aſini *Mida* Rex habet.

deinde metu Cæſaris ſcripturam mutaſſe, quis non habet?

Fungus.

Plautus in Bacchidibus, fungum dixit pro ſtupido, impenſeq; credulo. Vel quia fungus per ſe inſipida quæpiam res eſt, vel quod mollis ac fragilis, vel quod ſubito prorumpat. Plautina verba ſunt hæc: Adeon me fuiſſe fungum, ut qui illi crederem? Idem in eadem fabula. Quicunque ubi ſunt, ubi fuêre, quique futuri ſunt poſthac ſtulti, ſtolidi, fatui, fungi, Barbi, buccones, blenni: ſolus ego omneis anteëo ſtultitia.

Aut regem aut fatuum naſci oportere.

Annæus Seneca, vir amœniſſimi, ut Tacitus ait, ingenii (quod quidem ex eo liquet libello ludicro, quem ſcripſit in Claudium Cæſarem: nam is nuper in *Germania* repertus, in lucem emerſit) hujuſmodi refert adagium, in eo de quo modo diximus opuſculo: Aut regem, aut fatuum naſci oportet. Sed præſtat illud ipſius verbis adſcribere: Ego, inquit, ſcio me liberum factum, ex quo ſuum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat, Aut regem, aut fatuum naſci oportere. Rurſum in eodem libello: Occidit in una domo Craſſum Magnum, Scribonium, Baſſoniam, Aſſarios, nobiles tamen. Craſſum vero tam fatuum, ut etiam regnare poſſet. Iterum alio in loco obſcurius quidem, ſed tamen eodem alluſit carmine:

Abrupit ſtolidæ regalia tempora vitæ.

Jam ſi vere ſcripſit Heſiodus, non omnino de nihilo eſſe quod populari ſermone celebratur, fortaſſis haud abs re fuerit veſtigare, quæ res huic proverbio dederit occaſionem, quod duo tam diſſimilia, nempe regem & fatuum, ita conjungit, ut utrumq; alteri ſimillimum videri velit. Præſertim cum hæc ſit peculiaris Regum laus, ſolaq; vere regia, ſapientia, prudentia, vigilantia, cæteros antecellere. Conſentaneum eſt igitur, priſcos illos Reges, maxima ex parte inſigni ſtultitia præditos fuiſſe: id quod partim è poëtarum fabulis, partim ex hiſtoriographorum monumentis, licet cognoſcere. Siquidem Agamemnonem ſuum Homerus, & hunc imitati Tragici, ambitioſum potius quam cordatum faciunt. Quid autem ſtultius, quam uxor filiæ crudeliſſima cæde, Imperatoris mercari titulum? Quid ineptius? quam pro barbara puellula tam juveniliter digladiari: ut quod ſuos amores retinere non poſſet, Achillem ſua ſpoliaret amicula: nec id ſane ſine ſummo totius exercitus diſcrimine. Tum autem quam inepte ſtomachatur Achilles orbatus ſuis amoribus, quam pueriliter deplorat apud matrem? At hunc nobis unum poëta, velut abſolutũ egregii Principis exemplar, propoſuit. Ad hæc, quam non ſapienter indignatur Ajax? quam ſeniliter delirat Priamus, dum Helenam proſtitutæ pudicitiæ muliercuIam amplectens, ac filiam appellans, negat ſe pœnitere belli, in quo tot clades acceperat, tot orbatus liberis, toties luctu funeſtatus, ne Paris non potiretur amica. Quid multis? Tota Ilias, quam eſt longa, nihil aliud quam, quod eleganter ſcripſit Horatius.

Stultorum regum & populorum continet æſtus.

Quanquam & Odyſſea ſuos habet Procos & Alcinoos, craſſos & ſtupidos. Quin & Herculem ipſum robuſtum faciunt & animoſum, ſed hebetis craſſiq; animi. Jam Heſiodus, quem nonnulli volunt antiquiorem Homero eſſe, principes *δωροφάγους* ac *νηπίους* appellat. Opinor quod & parũ ſaperent in adminiſtranda repub. & opibus per fas nefaſq; cumulandis inhiarent, potius quam cõmunibus populi commodis. Cujuſmodi fingunt & Midam illum, ob animi ſtoliditatem, aſininis auriculis inſignitum: Et haud ſcio an huc pertineat & illud, quod priſci Theologi, nimirũ poëtæ, ſapientiam Apollini tribuunt ac Palladi: Jovi deorum & hominum monarchæ fulmen duntaxat triſulcum, & nutum illum ac ſupercilium, quo totum Olympum tremefacit, relinquunt. Alioqui quis nepos, quis balatro unquam nugatus eſt nugacius aut nequius nequam fuit, quam hic, cui regnum mundi dederunt? Technis fallit uxorem, nunc cygnus, nunc taurus, nunc aurum factus: inſidias ſtruit muliercuIis, ſubornat Ganymedes, ac cœlum nothis implet. Ad eundem modum Neptunum & Plutonem feroces, & inexorabiles fingunt, ſapientiam nõ tribuunt. Sed ut ad recentiores veniamus hiſtorias, & miſſas faciamus fabulas: quid tandem cordis fuiſſe credis Crœſo Lydorum Regi, ſi modo talis fuit qualem depinxit Herodotus, qui gemmis & auro cõgeſto fretus, Soloni indignabatur, quod ſibi felicis cognomen non tribuerit? Aut quid fingi ſtultius poteſt Xerxe, cum ad Athum montem legatos mitteret, eumq; contumelioſiſſimis ac minaciſſimis literis territaret: cum Helleſponto mari certum plagarum numerum infligi juberet. Neq; vero minus regaliter deſipuit Alexander ille Magnus, cum abdicato patre, Jovis filius ſalutari gauderet, dum vinocertaret, dum in conviviis ab adulatoribus ut Deum adorari ſeſe pateretur, dum queritur hunc orbem ſuis victoriis anguſtum eſſe, & Oceanum ingreſſus alios quærit mundos, quos expugnet: ut ne commemorem interim Dionyſios, Ptolemæos, Julios, Nerones, Tiberios, Caligulas, Heliogabalos, Commodos, Domitios: quorum alius ſibi Dei nomen vindicavit, cum eſſet hominis vocabulo indignus: alius ſe totum aſſentatoribus deridendum propinavit: alius ambitione præceps univerſum orbem inſaniſſimis rerum tumultibus concuſſit. Sed ego jure videar ineptus, qui catalogum hunc ingrediar, & aquam, ut ajunt, quæram in mari. Quin omnes potius & veterum & neotericorum annales evolve, nimirum ita comperies, vix ſeculis aliquot unum aut alterum extitiſſe principem, qui nõ inſigni ſtultitia maximam perniciem iñvexerit rebus humanis. Siquidem princeps, aut magno orbis totius malo ſtultus eſt, aut magno omniũ bono ſapit: tametſi proclivius eſt lædere quam prodeſſe, & citius ſerpit, vel pervadit potius pernicies quam utilitas. At nunc videmus nonnullos principes, quidvis expetere potius quam id quod unum principis vocabulo dignos reddit: & ſtultam plebeculam, omnia potius ſuſpicere in Regibus, quam id quod ſolum erat requirendum. Juvenis eſt: iſto pacto ſponſum commenda ſponſæ, non principem Reipub. Formoſus eſt: recte hoc nomine laudetur fœmina: Bonis eſt lacertis aut lateribus: probe dixiſti, ſi laudes Athletam. Robuſtus eſt, & tolerans laborum: iſto titulo calones ac lixæ commendantur. Multum auri congeſtum habet: fœneratorem diligentem prædicas. Facundus eſt: ſic admiror ſophiſtam. Belle canit, belle ſaltat: hiſtrionum ac tibicinum laus iſta eſt, non regum: Invictus eſt bibendo (nam hac quoq; laude veteres delectati ſunt principes:) apte, ſi ſpongiam mihi laudas. Procerus eſt, & ab humeris inter omnes eminet: præclarum, ſi quid ex alto detrahendũ ſit. Jam illa, ſcite ludit alea, ſcite latrunculis: laus eſt cum infimis nebulonibus communis, ac pudenda principi. Omnia congeras, cultum, aurum, gemmas, imagines, ab Hercule deductum genus, aut ſi mavis à Codro, Cercopeve: niſi pectus mihi narras longe à vulgi ſtultitia ſemotum, liberum à ſordidis humilium rerum cupiditatibus, ac falſiſſimis multitudinis opinionibus, non audio laudem Rege dignam. Neque enim temere divinus ille Plato ſcripſit, non aliter felices fore Reſpub. niſi ſi aut Philoſophis committeretur imperium, aut quibus imperium contigiſſet Philoſophiam ſequerentur. Porro Philoſophiam ſequi, non eſt palliũ aut peram circumferre, barbam demittere. Quid igitur? Iſta quæ vulgus ſtulte miratur, contemnere, deq; rebus longe ſecus ſentire, quam hominum multitudo ſentit. Nec video qui fieri poſſit, ut qui putet ſibi licere quicquid libet, qui divitias ut magnum quiddam admiretur, qui pro imperio quodvis etiam jusjurandum violandum putet, qui inani rapiatur gloria, qui pudendæ ſerviat libidini, qui mortem vehementer horreat, ſalutarem principem agere poſſit. Ac primum quidem eſt, recte de ſingulis judicare:

propterea quod infectis opinionibus ceu fontibus, unde omnes vitæ ſcatent actiones, omnia perperam gerantur oportet. Proximum eſt, ut abhorreant a turpibus, ferantur ad honeſta. Nam vera ſapientia non ſolum complectitur veri cognitionem, verumetiam ſtudium & amorem honeſti. Siquidem liceat fortaſſis invenire, qui perſpiciat bellum ſine gravi rerum humanarum pernicie ſuſcipi non poſſe: nec eſſe tanti veterem aliquem & obſoletum ditionis titulum: verum impellit ambitio, ut omnia miſceat armis. Et eſt fortaſſis qui videat, hinc maximam reipublicæ peſtem naſci, quod ad gerendos magiſtratus aſciſcuntur, non qui prudentia, rerum uſu, vitæ integritate, plurimum prodeſſe Reipub. poſſint, ſed qui maxima pecuniæ ſumma licitentur: verum huc pertrahit avaritia, ut neglecto publico malo, fiſci negotium agat. Et non deeſt qui intelligat, Principis eſſe munus, ſicut ab omnibus accipit vectigal, ita omnium conſulere rebus, præſidere in judiciis, excludere maleficia, magiſtratus obſervare, corrigere leges inutiles; verum ab hoc ſtudio revocant voluptates, per quas non eſt ocium, curis principe dignis vacare. Eſt qui ſentiat ſe plurimum prodeſſe poſſe rebus mortalium, verum id quidem non ſine vitæ diſcrimine, hic deſeret Rempub. quiſquis exiſtimabit, infeliciſſimum eſſe mori. Proinde primum omnium, Principis animus omnibus erroribus liberandus eſt, ut perſpiciat, quid vere honeſtum, quid vere glorioſum, quid vere magnificum. Deinde inſtillandum turpitudinis odium, & amor honeſti: quo videlicet perſpiciat, quid Principem deceat, & nihil appetat, niſi quod ſit bono ac ſalutari Principe dignum: ut honeſtum ubi ſit videat, & hoc uno metiatur omnia, nec unquam ab hoc aberret ſcopo. Atque hanc vocant ſapientiam, qua neceſſe eſt ut Princeps tanto cæteros antecellat mortales, quanto dignitate, opibus, ornatu, potentiaq; antecedit. Atq; utinam ſaltem Chriſtiani Principes omnes ſapientiſſimum illum Regem imitentur, cui cum daretur optio, quicquid vellet ab eo qui nihil non præſtare poterat, nihil aliud optavit quam ſapientiam, & eam ſapientiam, qua populum ſibi commiſſum recte gubernaret. Atq; idem quæſo quid aliud inculcat ſuo filio, quam amorem ac ſtudium ſapientiæ? Eodem ſpectat, quod Ægyptii ſimulachrum Principis ita repræſentabant, ut oculum pingerent cum ſceptro. Nimirum quod oculus in corpore, id verus Princeps in Repub. Quod ſol in cœlo, id Princeps in populo. Sol oculus mundi, Princeps oculus multitudinis. Quod animus in homine, id Princeps in civitate. Animus ſapit, corpus obtemperat, & imperat quidem animus corpori, ſed corporis bono: nec ſibi gerit regnum velut tyrannus, ſed ei cui præſidet. Deniq; Dei moderantis univerſa, ſalutaris princeps vivam imaginem refert. Atq; eo magnificentior eſt Princeps, quo propius ad archetypi ſui formam acceſſit. Deus nihil non perſpicit, nihil non ſentit, nullis corrumpitur affectibus. Ita potentiſſimus eſt, ut idem ſit optimus. Omnibus benefacit etiam indignis. Non punit niſi raro, idq; coactus. Nobis adminiſtrat hunc mundum, non ſibi. Hoc illi præmii loco eſt, ſi profuit. Contra qui peſtilens eſt Princeps, is cacodæmonis ſimulachrum ac vicem reddere videtur. Aut non ſapit: aut ſi ſapit, in publicam perniciem ſapit. Quod habet potentiæ, in reipub. peſtem abutitur. Et cum plurimum noceat omnibus, plus tamen vult nocere quam poſſit. Nihil eſt bono Rege præclarius, nihil melius, nihil Deo propius. Rurſus nihil malo Principe fœdius, nihil pejus, nihil cacodæmoni ſimilius. Numen quoddam eſt Princeps ſalutaris. At nulla bellua nocentior tyranno. Tyrannus eſt autem, quiſquis ſibi gerit imperium, quocunq; nomine pingatur aut ſculpatur. Non eſt noſtrum, de ſummis procerib. veluti pronunciare: ſed tamen cogimur, non ſine ſuſpiriis, hanc quam dixi ſapientiam, in Chriſtianis Principibus deſiderare. Alioqui, unde tot rerum novationes, tot toties icta & reſciſſa fœdera, tam crebri tumultus, tot ſtrages, tot pugnæ, tot minæ, tot diſſidia, niſi à ſtultitia proficiſcuntur? Et haud ſcio, an nonnulla hujus mali pars nobis ipſis ſit imputanda. Clavum navis non committimus niſi ejus rei perito, quod quatuor vectorum, aut paucarum mercium ſit periculum: & Rempub. in qua tot hominum millia periclitantur, cuivis committimus. Ut auriga fiat aliquis, diſcit artem, exercet, meditatur: at ut Princeps ſit aliquis, ſatis eſſe putamus natum eſſe. Atqui recte gerere principatum, ut eſt munus omnium longe pulcherrimum, ita eſt omnium etiam multo difficillimum. Deligis cui navim committas: non deligis cui tot urbes, tot hominum capita credas? Sed eſto, receptius eſt, quam ut convelli poſſit. Naſcuntur Principes: ut cuicunq; ſors faverit, ſive probus fuerit ille, ſive improbus, ſive ſtultus, ſive ſapiens, ſive ſanus ſive motæ mentis, modo figuram habeat hominis, ei ſumma rerum credenda eſt. Hujus arbitrio mundus bellis & cædibus miſcebitur, ſacra ac prophana omnia perturbabũtur. Sed ea res ſi minus mutari poteſt, proximũ tamen erat, diligẽti inſtitutione ſuccurrere: & ſi non licet idoneũ imperio deligere, enitẽdum eſt, ut idoneum imperio faciamus eum, quemcunq; fortuna nobis dedit. Videmus qua ſolicitudine, qua cura, qua vigilantia paterfamilias educat puerum, unius fundi Dominum futurum. Quanto igitur majori cura inſtituendus eſt is, qui vel magno omnium bono futurus eſt bonus, aut magno omnium exitio malus & de cujus unius natu ſalus aut pernicies pendebit orbis? Quibus decretis, quibus Philoſophiæ præceptis, hoc pectus erit præmuniendum: non ſolum adverſus tantas rerum tempeſtates, quæ ſolent in civitatibus exoriri, verum etiam adverſus fortunæ indulgentiam, quam arrogantia & ſtultitia fere ſolet comitari: adverſus delicias, quibus vel optima natura corrumpi poſſit: multo maxime vero adverſus adulatorum peſtiferas aſſentationes, & illud venenatiſſimum, Euge, quod illi tum potiſſimum occinunt, cum Princeps inſanit maxime. Hic mihi jam tum infantulo adhibendus erat artifex quiſpiam egregius. Non enim recte fingitur Princeps, niſi cum ſe nondum intelligit eſſe Principem. Statim, inquam, aſciſcendus formator: in quo deligendo conveniet & hoc eſſe diligentiores, quod Principem deligere non licet, inſtituere licet. Hic mihi in pectuſculum adhuc vacuum ac ſequax, inſtillet opiniones Principe dignas: muniat optimis de honeſto decretis: oſtendat diſcrimen veri Principis ac tyranni: ſubjiciat oculis, quam Deo propinqua res eſt ſalutaris Rex, quam teterrima bellua, quamq; abominanda tyrannus: admoneat eum qui ſibi gerit imperium, non Reipub. prædonem eſſe, non Principem: nihil intereſſe inter piratas & principes, piratarum animo præditos, niſi quod hi quo ſunt potentiores, hoc majorem adferunt perniciem rebus humanis: inculcet, quam multis hominum millibus, imo quam univerſo mundo prodeſſe queat, ſi is unum ſapientem ac bonum præſtiterit virum: doceat, apud Chriſtianos homines imperium nihil aliud eſſe, quam Reipublicæ adminiſtrationem, non dominium: imperium quidem appellari, ſed meminerit ſe imperaturum & liberis, & Chriſtianis, hoc eſt bis liberis: ad hoc ut princeps ſit aliquis, non ſatis eſſe natum fuiſſe, non ſatis eſſe vetuſtas imagines, non ſceptrum, non diadema. Animus ſapientia præcellens, animus pro publica incolumitate ſemper ſollicitus, & nihil ſpectans niſi cõmune bonum, Principem facit. Præmoneat, ne ſeſe vel applauſibus ſtultæ plebeculæ, vel adulatorũ laudibus metiatur. Ne quid agat impulſu odii, amoris, iræ aut ullius affectus inſtinctu. In creandis magiſtratibus, in condendis legibus, in cæteris muniis, unicum tantum ſpectet ſcopum, nempe honeſtum, & publicam utilitatem. Non ſatis eſſe, ſi ipſe nemini faciat injuriam, officialium quoq; ſuorum integritatem præſtandam eſſe Principi. Non eſſe ſitam in hoc Principis laudem, ſi ditionis terminos proferat, ſi finitimos ſubmoveat armis: verum ſi quam forte nactus eſt ditionem, juſtitia, frugalitate, cæteriſq; pacis artibus efficiat florentiorem. Doceat, ut ad bene merendum de bonis ſit propenſiſſimus, ad ignoſcendum facilis, ad puniendum non aliter accedat, quam amicus medicus, membrum deploratum amputaturus, aut inuſturus: ut omnia ſtudioſe vitet, unde perſpiciat Reipub. magnum malum fore. Super omnia vero bellum modis omnib. declinet, quod aliis è rebus, alia atq; alia mala naſcuntur: at bellum univerſum malorum agmen ſemel effundit. Hæc atq; hujuſmodi decreta, ſunt animo puerili, ſapientum apophthegmatis, & laudatorum Principum exemplis infigenda. At nunc videmus, vix ullos homines educari vel corruptius vel indiligentius iis, quos tanti refert omnium quam optime inſtitutos fuiſſe. Infans hic orbi imperaturus, ſtultiſſimis mulierculis committitur: quæ adeo nihil inſtillant in animum illius Principe dignum, ut etiam ſi quid recte moneat præceptor, aut ſi ſuapte ſponte videatur ad manſuetudinem propenſior, dehortentur: & Principem, hoc eſt, tyrannum agere doceant. Denique nemo non blanditur, nemo non aſſentatur. Applaudunt proceres, obſecundant miniſtri, adulatur & præceptor: non hoc agens ut patriæ ſalutarem reddat Principem, ſed ut ſibi magnificam paret fortunam. Adulatur & Theologus, quem vulgo confeſſorem vocant, epiſcopen aliquam aucupans. Aſſentatur magiſtratus, aſſentantur qui colludunt, qui convivunt, ut rectiſſime dixerit Carneades, a Regibus nullam artem recte diſci, præter artem equitandi: propterea quod ſolus equus, quoniam non ſentit Principis ac plebeii diſcrimen, neſcit adulari Regi: ſed excutit, quicunque is fuerit, qui non apte novit inſidere tergo. Statim docetur faſtum, docetur arrogantiam, admonetur licere quicquid libet. Audit, omnes omnium poſſeſſiones eſſe Principis. Principem eſſe ſuperiorem legibus: in pectore Principis omnem legum & conſiliorum mundum eſſe reconditum. Audit ſacras majeſtates, ſerenitates, divinitates, terreſtre numen, & hujuſmodi magnificos titulos. In ſumma dum adhuc puer eſt, nihil aliud diſcit ludere, quam tyrannidem. Mox rapitur ad puellas: invitant, laudant, inſerviunt omnes. Hic adeſt æqualium effœminatiſſima turba, nullus riſus, nullus ſermo, niſi de puellis. Sub hæc alea, choreæ, convivia, citharæ, diſcurſus in his ætatis optima pars conteritur: Quod ſi quando libeat literis oblectare ocium, leguntur aniles fabulæ, aut his pernicioſiores hiſtoriæ. Ex his animus nulla præmunitus antidoto, imbibit admirationem & zelum, ut Græci vocant, alicujus peſtilentiſſimi Ducis, puta Julii Cæſaris, aut Xerxis, aut Alexandri Magni. Atque in his ipſis quæ peſſima ſunt, maxime placent. Ab his impetus dementes, ab his exemplum peſſimum ſumunt. Pone nunc, ſi placet ingenium non delectum è multis, quod oportuit, ſed qualecunque contigit. Pone tam corruptam educationem, quæ vel Ariſtidis ingenium poſſet corrumpere. Pone tot adulationis venena, pone delicias, quibus male cõvenit cum ſapientia: pone voluptates, pone fortunæ ſplendorem, pone poteſtatem, pone ætatem ferocem, & ſuapte ſponte proclivem ad peſſima. Super omnia, pone pectus falſiſſimis infectum opinionibus. Et miraris ſi hic ab his profectus rudimentis ad gerendam Rempub. parum ſapienter adminiſtrat? Sed juvenis eſt, inquiunt, ſapiet aliquando: tum uſu. At Principem non oportet eſſe juvenem, etiam ſi juvenis fuerit. Et cum miſera eſt omnis prudentia, quæ colligitur uſu rerũ, tum in Principe miſerrima eſt. Nimio conſtabit Rei. publ. Principis ſui prudentia, ſi gerendo bello diſcet, bellum rem eſſe modis omnibus fugiendam: ſi non prius intelligat, magiſtratus inter-

gris viris eſſe committẽdos, quam improborum temeritate rempublicam labefactatam conſpexerit. Nec eſt committendum, ut ſicuti qui citbara diſcunt canere, priuſquam artem aſſequātur, citharas aliquot obterunt ac perdunt, quemadmodum ſcripſit Xenophon: ita princeps reipublicæ pernicie diſcat rempub. adminiſtrare. Non mirum igitur, ſi quando videmus evenire, ut præpoſtere res geratur: nimirum ut cum affectus è corpore orti, ab animo coerceri debeant, ab animo perturbationes proficiſcantur in corpus, ut oculus minus perſpiciat quam reliquum corpus, ut omnibus noxius ſit ac peſtilens, qui Dei vicem gerens, omnib' debuit eſſe ſalutaris. An non videmus egregia oppida à populo condi, à principib. ſubverti? Remp. civium induſtria diteſcere, principum rapacitate ſpoliari? Bonas leges ferri à plebeis magiſtratibus, à principibus violari: populum ſtudere paci, principes excitare bellum? Hæc, opinor, dederunt occaſionem adagio quod retulimus: à quo quidem neſcio quo pacto longius ſimus digreſſi: ſed jam ad id redimus. Dictum eſt igitur: Aut fatuum, aut regem naſci oportere: quod hujuſmodi ferme fuerint barbari Reges apud veteres: quorũ utinam noſtræ tempeſtatis principes ſint diſſimillimi. Nam & fatuis & ob inopiam mentis omnia permittuntur, & regib. ob potentiam omnis laudi quoq; tribuuntur. Poſſimus & de pari Regum ac fatuorum felicitate dictum interpretari, quod Regibus quicquid volunt, fortuna ſuppeditet: fatui vero nõ minus felices ſint ſua philautia, per quam ſibi putant nihil bonarum rerum deeſſe. Porro proverbium apud Romanos natum videtur, apud quos Regis cognomen erat inviſum, ceu barbarum ac tyrannicum, & pugnans cum publica libertate, quam illi in primis tum ſectabantur.

Stultior Melitida.

Μωρότερος μελιτίδου, id eſt, Stultior Melitide. Melitides unus è feliciſſimis illis fatuis, quos Homerus ſuo carmine nobilitavit. Hic jam everſa Troja, veniſſe legitur auxilium laturus Priamo, ut meminit Euſtathius decimum Odyſſeæ librum enarrans. Lucianus in Amoribus: μελιτίδην ἢ κόροιβον εἶναί με οἴει; id eſt, Melitidem aut Corœbum me putas per deos? Proverbium refertur à Zenodoto, docens hunc comicorum conviciis fuiſſe traductum ob ſtultitiam, nec potuiſſe numerare ſupra quinq; : & ducta uxore novam nuptam non attigiſſe, veritum ne ſe illa accuſaret apud matrem. Commemorat eodem in loco & alium quendam inſigniter ſtultum, qui dubitarit ex utro parente fuiſſet natus. De Melitidis ſodali Corœbo meminimus alibi Pauſanias admonuit, Corœbum una cum Butalione ac Melitide ab Ariſtophane inter fatuos numerari. Eadem Suidas, adferens hoc carmen ex Ariſtophane:

> Τίνες δ' αὖ λοιποὶ κεχηνότες, μαμμάκουθοι, μελιτίδαι καθῆνται.

Id eſt

> Hactenus abjectiſſimi, inhiantes Mamacuthæ, Melitidæ deſident.

Neſcit capitis & inguinis diſcrimen.

Qui eò impudentiæ vel cæcitatis potius devenerunt, ut nullum prorſus faciant diſcrimen inter honeſtum ac turpe, hi neſcire dicuntur quid interſit inter caput & inguen. Inter honeſta corporis membra caput primum obtinet locum, ac proinde recte nudatur: quæ vero ſub ventre ſunt, ut inhoneſta teguntur. Juvenalis de muliere temulenta,

> —Quid enim Venus ebria curat?
> Inguinis & capitis quæ ſint diſcriminia neſcit.

> Proverbiali figura dictum videtur.

Terra inteſtina.

Γῆς ἔντερα, id eſt, Terræ inteſtina. Dicebantur vilia, nulliuſque precii. Saxa vero terræ viſcera dicuntur. Refertur à Diogeniano. Terræ enim inteſtina ſunt ſaxa: & lapides appellamus homines inutiles. Simile illi:

> Ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης.

Id eſt:

> —Telluris inutile pondus.

Larus hians.

Λάρος κεχηνώς, id eſt, Larus hians. Dicebatur, ubi quis avidius inhiaret prædæ. Eſt enim Larus avis avida, voraxque: quam eandem Græci κέπφον appellant. Ariſtophanes in equitibus,

> Λάρος κεχηνὼς, ἐπὶ πέτρας δημηγορῶν.

Quæ Latine quidem commode reddi non poſſunt. Cleonem enim ob rapacitatem, Larum vocat, quod quemadmodum avis in ſcopulis obverſatur, ſi quid piſcium poſſit venari, ita ille verſaretur in Reipubl. negotiis adminiſtrandis, ſuum interim agens negocium, Plutarchus apud Athenæum libr. Convivialium tertio:

> Στὰς δ' ἄρ' ἐπ' οὐδὸν ἰὼν χαλάθρῳ ζεί ἦν παράσιτος
> Χαιρεφόων, ὃ κάρη λάρῳ ἐοικὼς.

Id eſt:

> —At vero adveniens in limine ſtabat
> Chærephoon paraſitus ei vicinus, avi non
> Diſſimilis, vulgo dicta eſt Larus eſurienti.

Apud eundem lib. 8. refertur hic trimeter,

> Ὀψοφάγους ὥσπερ τοὺς λάρους οἶμαι Σύρους.

Id eſt,

> Eſſe uti Laros obſoniorum avidos Syros.

Larum Theodorus Gaza vertit Graviam. Cujus mẽtionem facit Plinius inter maritimas, Halcyonem & Mergum lib. 9. c. 32.

Κορυβαντιᾷς.

Κορυβαντιᾷς, pro inſanire dixit Ariſtophanes in Veſpis:

> Ἀλλ' ἢ παραφρονεῖς ἐτεὸν, ἢ κορυβαντιᾷς.

Id eſt,

> Aut vere inſanis, aut corybantiaris.

Hanc vocem frequenter uſurpat Lucianus in Timone, epiſtolis Saturnalitiis, Lexiphane, Hermotimo. Sumptum eſt à Corybantibus Cybeles cultoribus, qui ſacro correpti furore cymbala pulſant, alios item in ſimilem agẽtes rabiem. Quod idem alias vocat κακοδαιμονᾷν, quaſi malo duci genio.

Lucerna pinguior: &, Lecytho pinguior.

Λιπαρώτερος λύχνου, λιπαρώτερος ληκύθου, i. Pinguior lucerna, pinguior lecytho. Videtur Ironia proverbialis in eos qui cum ſint edaces, nihilo tamen inde fiunt habitiores: quemadmodum lucerna plurimum abſumit olei, neq; tamen fit unquam ſaginatior. Fortaſſis non abſurde deflectetur in homines craſſo judicio, aut luxui deditos, aut voluptuarios. Refertur à Diogeniano.

Bœotica ſus.

Ἡ Βοιωτία ὗς, i. Bœotica ſus. Vetuſtiſſimum adagium, olim in ſtolidum & indoctum hominem jaci ſolitum: uſurpatur à Pindaro in Olympiacis:

> Ἔπειτ' ἀρχαῖον ὄνειδος ἀλαθέσι λόγοις φεύγομεν Βοιωτίαν ὗν.

Admonet Æneam Chorodidaſcalum, ita curet canendum hymnum, ut vetus illud probrum veris rationib. liceat effugere, quod in amuſos dici conſueverit Βοιωτία ὗς. Interpres originem proverbii refert ad hunc modũ. Qui priſcis temporib. Bœotiam regionem incolebant, Ὕαντες appellabantur, gens barbara & agreſtis: proinde quidam depravata voce, pro ὕαντες ὕας, id eſt, ſues appellabant. Idq; ſcomma ceſſit in proverbium, ut primum in Bœotos diceretur: ab his in quoſvis indoctos, inconditos, moribuſq; ruſticanis homines torqueretur Βοιωτία ὗς. Interpres citat eundem Pindarum ex Dithyrambis:

> Ἦν ὅτε σύας τὸ Βοιώτιον ἔθνος ἔνεπον.

Id eſt,

> Erat cum Bœoticam gentem ſues vocarent.

Citat & ex Cratino: οὗτοι δ' εἰσὶ Συβοιωτικὸν πεζέφιον φῦλον ἀνδρῶν. id eſt, Iſti ſunt Sybœoticum pedeſtre genus virorum, dictione ridicula compoſita ex ſue & bove. In commentariis Græcorum inveni, Βοιώτιος νοῦς, i. Bœoticus animus, pro ſtupido brutoq;. Plutarchus in commentario περὶ τῆς σαρκοφαγίας, indicat Atticos ſtupidi, bardi, inſulſi denique, & ſuis cognomen indidiſſe Bœotis, potiſſimum ob edacitatem. Cui adſtipulatur Athenæus lib. 10. referens hos verſus ex Eubulo:

> Πιεῖν μὲν ἄνδρες καὶ φαγεῖν μὲν ἀνδρικοὶ,
> Καὶ καρτερεῖν. τοὺς δ' Ἀθηναίους λέγειν
> Καὶ μικρὰ φαγεῖν, τοὺς δὲ Θηβαίους μέγα.

Id eſt,

> Sumus ad bibendum atq; ad vorandum ſtrenui,
> In his valemus: Athenienſes dicere
> Prompti, edere pauca, multa Thebani ſolent.

In Græcis verſibus apparet πιεῖν ſcriptum, pro πίνειν: aut πιεῖν τε μὲν prius, pro γὰρ: & τοὶ, pro οἱ. Idem Eubulus in Europa:

> Κτίζε Βοιωτῶν πόλιν
> Ἀνδρῶν ἀρίστων ἐσθίειν δι' ἡμέρας.

Id eſt,

> Urbem paravit illi Bœotis viris,
> Diem per omnem ingurgitare ſtrenuis.

Rurſus ex Eubuli altera fabula:

> Οὕτω σφόδρ' ἔστι τοὺς τρόπους Βοιώτιος.

Id eſt,

> Uſqueadeo mores obtinet Bœoticos.

Idem approbat multis multorum authorũ teſtimoniis. Sunt autem inter ſe cognata vitia, πολυφαγία & ſtoliditas. Atq; hinc Herculem Thebanum edacem faciunt, ſed eundem à literis alieniſſimum adeo ut præceptorem ſuum trucidārit. Fuit autem & hic Bœotus, nimirum Thebis natus. Rurſum Plutarchus De dæmonio Socratis: ἀνεγείρειν τὸ παλαιὸν Βοιωτῶν ἀρχαῖον εἰς μισολογίαν ὄνειδος, id eſt, Reſuſcitare vetus illud adverſus Bœotios de literatum odio probrum. Quanquam ipſe Plutarch' Bœotus fuit, homo quidvis citius, quam ſtupidus. Deniq; quoniam conſtat vel ob Romanũ imperium latiſſime propagatum, vel ob commercia negocia rerum, voces Germanicæ, Gallicæ, Britannicæq; linguæ fuiſſe mixtas: ſuſpicor à Græcis ad nos dimanaſſe, quod hominem ſtupidum, ac nullo mentis acumine præditum, vulgo dicimus Bos, pro Bœoto. Proprium enim huic linguæ, voces quamvis multarum ſyllabarum in unam ſyllabam contrahere.

Bœoticum ingenium.

Bœotii apud antiquos male audierunt vulgo, ſtoliditatis nomine, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt. Unde quicquid inſulſum eſſet ac ſtultum, id Bœoticum dicebant. Lucianus in Jove tragœdo: ἄγροικον τοῦτο εἴρηκας καὶ δεινῶς Βοιωτικόν. id eſt, Iſtud quod dixiſti prorſus agreſte eſt, & vehementer Bœoticum. Invenitur & Βοιωτικὸς νοῦς, id eſt, Bœoticum ingenium, pro ſtupido ac ſtolido. Horatius in Epiſtolis:

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Plutarchus ipſe Bœotus cum aliis aliquot locis, tum in commentario de carnium eſu, ſcribit ab Atticis notatos Bœotos, tanquam brutos & ſtupidos, ac pingues: idq; propter edacitatem, quemadmodum alibi meminimus: quod ea gens magis ſtuduit exercendis corporibus, quam animis excolendis. Unde teſte Stephano, quidam putaverunt nomen regioni inditum. Idem citat Ephorum, qui ſcripſerit Athenienſes rei nauticæ fuiſſe ſtudioſos. Theſſalos equeſtris, Bœotos corporum exercitamentis. Cyreticus curribus valuiſſe, Lacedæmonios circa leges fuiſſe diligentes.

Bœotica cantilena.

Βοιώτιος νόμος, id eſt, Bœotica cantio dicebatur, ſi quibus rerum initia tranquilla ac proſpera fuiſſent, poſteriora turbulenta ac triſtia.

Und Sophocles ſcripſit:

Οὐ ἄν τις ᾄδῃ τὸν βοιώτιον νόμον.

Id eſt,

Ubi quis cecinerit cantionem Bœoticam.

Natum ex hiſtoria. nam Bœotii primum liberam ac paratam agebant vitam, deinde mortuo Lajo in varias calamitates inciderunt, ut illorum cantilena a læto initio in luctum deſiiſſe videatur. Citatur a Zenodoto Ariſtophanes in Acharnenſibus uſurpare videtur pro cantione rudi atq; indocta.

Δεξίθεος εἰσῆλθ' ᾀσόμενος βοιώτιον.

Id eſt,

Dexitheus intrat, qui canet Bœoticum.

Bœotia auris.

Βοιώτιον οὖς, id eſt, Auris Bœotica. In pingui judicio hominem quadrat. Bœotorum ſtoliditas compluribus proverbiis locum fecit. Simillimum illi, Auris Batava. Diogenianus meminit adagii. Sunt qui ſcribant, olim Anaxagoram recitantem apud Thebanos librum Thebaidos, cum vidiſſet attentum neminem, clauſo codice dixiſſe· δικαίως καλεῖσθε Βοιωτοί· βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε, id eſt, Jure vocamini Bœotii, qui quidem aures habeatis boum, videlic. alludens ad Etymologiam nominis. βοῦς enim bos, & ὦτα aures: atq; ex his Bœotorum nomen videtur compoſitum. Quin Homer. Iliad. lib. 5. Bœotorum gentem pinguem appellat.

—Πὰρ δ' ἄρα οἱ ἄλλοι

Ναῖον Βοιωτοὶ μάλα πίονα δῆμον ἔχοντες.

Id eſt,

—Sed rura tenebant

Proxima Bœoti, quorum craſſiſſima gens eſt.

Notavit & Horatius Bœotorum tarditatem in Epiſtola ad Octavium Auguſtum:

—Quod ſi

Judicium ſubtile videndis artibus illud

Ad libros, & ad hæc Muſarum dona vocares,

Bœotum in craſſo jurares aëre natum.

Quo loco demiror, neminem interpretum quæſiſſe quid ſibi velit quod Horatius pinguitudinem ingenii Bœotis tribuit, velut ei genti peculiarem: cum apud Latinos autores nullum ſit hujus rei teſtimonium. Cognatum huic eſt, quod alibi commemoravimus*, Bœotica cantio quæ eſt ruſticana parumq; modulata poteſt intelligi, ut craſſis auribus craſſa conveniat harmonia. Quanquam Euſtathius in Iliad. β. de cantione nonnihil variantem narrat hiſtoriam: Sunt, inquit, qui putent Bœotiam dictam à bove, Nam quum Europa Phœnicis filia à Jove rapta eſſet è Sidone, Cadmus raptæ frater à patre miſſus eſt ad inveſtigandum ſororem. Eam ubi nuſquam invenit, profectus eſt Delphos, conſulturus oraculum. Deus reſpondit, ne ſolicitus aut curioſus eſſet de Europa, ſed ſequeretur ducem bovem: ubiq; conderet civitatem, ubicunq; bos defatigata procumberet. Hoc reſponſo accepto, per Phocenſium regionem fecit iter. Dein quum incidiſſet in vaccam juxta Pelagionis paſcua, hanc euntem ſequutus eſt. Ea quum univerſam Bœotiam peragaſſet, feſſa procubuit, quo loco nunc eſt Thebanorum civitas. Cadmus quum eam juvencam vellet immolare Palladi, miſit aliquot è ſuis comitib. qui a fonte Aretia haurirent aquam ad ſacrificium. At draco ejus fontis cuſtos, quem Marti ſacrum eſſe creditum eſt (nam et fons ipſe à Marte nomen habet) excitus ſtrepitu, complures ex his qui miſſi fuerant, confecit. Quod indigne ferens Cadmus draconem interfecit, & admonitu Palladis interfecti dentes ſevit: unde exiterūt illi terrigenæ fratres. Eam ob rem indignatus Mars, quum pararet Cadmum interficere, vetit* eſt à Jove, qui Cadmo in matrimonium, Martis ac Veneris filiā dedit, hac lege ut priuſquam ſponſam attingeret, ſerviret apud illam ſervitutem annuam. Tum ut nuptiis epithalamium canerent Muſæ ac deorum quiſq; nuptiale munus daret Harmoniæ. Hæc Euſtathius. Equidem arbitror hanc fuiſſe primam originem adagii, utcunq; poſtea detortum eſt ad alios uſus. Conſtat autem Thebanos olim muſices fuiſſe ſtudioſiſſimos. Argumento eſt illud quod refertur de Alcibiade, qui mirantibus quod negligeret muſices ſtudium, lyram hoc lemmate damnabat, quod hominis vocem imitaretur plectrum, quod habitum formamq; liberalem mutaret in illiberalem. Tibiam gemino rejecit argumento: & quod ſic immutaret os hominis, ut vix à familiariſſimis agnoſceretur: & quod hominis propriam adimeret vocem, loquendiq; facultatem eriperet. Mox adjecit: Canent igitur Thebani, qui loqui neſciunt.

Aſinus ſtramenta mavult quam aurum.

Ariſtoteles lib. Moralium Nicomachiorum 10. diſputans non eandem omnib. eſſe voluptatem, quum aliis reb. delectetur canis aliis equus, aliis homo, citat Heraclitum, qui dixerit, ὄνους σύρματ' ἂν ἑλέσθαι μᾶλλον ἢ χρυσόν· ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις, id eſt, Aſinos ſtramenta malle quam aurum: quod aſinis pabulum auro ſit jucundius. Atq; hac quidem in parte aſini plus ſapiunt quam homines. Illi rem æſtimant uſu, nos inutilib. atq; etiam noxiis rebus, ex animi perſuaſione ingentia ſtatuimus pretia. Notus eſt apologus de gallo, qui gemmam in ſterquilinio repertam contempſit. Gallus enim mavult purum granum, quam margaritam aut adamantem. Ita qui ventris ſunt mancipia, compotationem temulentam omnibus diſciplinis liberalibus anteponunt.

Colophonium calciamentum.

Κολοφώνιον ὑπόδημα, i. Colophonium calciamentum dicebatur cavum. Nam antiqui fere ſoleis utebantur quæ infimam pedū partem tantum munirent. Vidi apud noſtrates calciamenti genus ex ligno cavato confectum, quod vulgata linguâ tavum i. uncum appellant. Unde quadrabit in hominem ſtolidum & incompoſitū & ruſticanum. Per iterum ictus convenit de calciamentum. Venuſte itaq; dixeris in ſordidis autorib. verſaturo opus eſſe calceis Colophoniis. Huic contrarium videtur calciamētum Sicyonium cui cognomen inditum à Sicyone civitate Peloponneſi, ut indicat Stephanus, atq; etiam Sextus Pompejus Feſtus: neuter tamen indicat uſum adagii. M. Tull. indicat, Sicyonios calceos fuiſſe perbellos: ſed aptiores fœmineis, & effœminatis, quam viris. Tullii verba ſubſcribam: Quin etiam quum & ſcriptam orationem diſertus Orator Lyſias attuliſſet ad Socratem, quam ſi videretur, ediſceret, ac pro ſe in judicio uteretur, non invitus legit, & commode ſcriptam eſſe dixit: Sed, inquit, ut ſi mihi calceos Sicyonios attuliſſet, non uterer, quamvis eſſent habiles & apti ad pedes, quia nō eſſent viriles: ſic illam orationem diſertam ſibi & oratoriam videri, fortem & virilem non videri.

In navibus educatus.

Ἐν ναυσὶ τεθραμμένος, id eſt, in navibus educatus dicebatur, qui rudis eſſet, & alienus a moribus liberalib*, ſenſuq; communi. Solet enim fere nauticum genus ſuo elemento reſpondere, quod à civilium hominum commercio ſubmotum vivat. Ita Plato in Phædro: οὐκ ἂν οἴει αὐτὸν ἡγεῖσθαι ἀκούειν ἐν ναύταις που τεθραμμένων; id eſt, Annon putas illum exiſtimaturum, ſeſe audire homines in navib. alicubi educatos? Plautus in Ciſtellaria, mores agreſtes appellat maritimos, imo potius inconſtantes: quod mare vicibus æſtuariis accedat, recedatque. Plauti verba ſic habent: Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, jactat, largitur: quod dat, deludit: modo quod ſuaſit diſſuadet, quod diſſuaſit id oſtentat: maritimis morib* mecum experitur: ita meum frangit amantem animum.

Vaſis inſtar.

Ἀγγεῖον δίκην, id eſt, Vaſis inſtar loqui dicitur, qui quum ob imperitiam ex ſe nihil poſſit adferre, ab aliis audita profert. Fons ex ſe liquorem habet: vas nī aliunde infuderis, ſiccum eſt. Homines autem qui vacant eruditione, per aures implentur. Socrates in Phædro Platonis: ὅτι μὲν οὖν παρά γε ἐμαυτοῦ οὐδὲν αὐτῶν ἐννενόηκα, εὖ οἶδα, συνειδὼς ἐμαυτῷ ἀμαθίαν· λείπεται δὴ οἶμαι ἐξ ἀλλοτρίων ποθὲν ναμάτων διὰ τῆς ἀκοῆς πεπληρῶσθαί με δίκην ἀγγείου. id eſt, Nihil horum ex meipſo excogitavi, fateor, imperitiæ mihi conſcius. Supereſt igitur, opinor, ut aliunde ex alienis fluentis per aures fuerim impletus inſtar vaſis.

Mittere ſanguinem.

Olim militibus, ſi quid gravius deliquiſſent, ignominiæ cauſa incidebatur vena: id appellabant ſanguinem mittere. M. Tull. in eadem epiſtola. Miſſus eſt ſanguis invidiæ ſine dolore. Sentit ſe liberatum aliqua parte invidiæ, quod in eo judicio non valuiſſet ipſius teſtimonium, idq; citra dolorem ſuum, quod omne ſcirent, judices fuiſſe corruptos. Idem lib... epiſtola 1. Sic Appius quum ex ἀφαιρέσεως provinciam curârit, ſanguinem miſerit, quicquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, &c. Quin hoc ipſum, ex ἀφαιρέσεως curare, κακοζήλως eſt in hominem tui acerrime rapacem. Metaphora ſumpta eſt à medicis, qui incertis morbis corpus inaniunt, inedia aut venarum inciſione ſuperflua detrahentes.

Tredecim cubitorum.

Homines inſigniter procero corpore & hiſce temporib. populari joco taxantur, ut ignavi & inutiles. Quod, ut alia pleraq; manaſſe videtur ab antiquitate. Sic enim in eodem carmine Proxinō de marito loquitur: ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς, id eſt, Vir tredecim cubitorum, hyperbolicos ſignificans enormiter procerum, quum eſſet tam inſulſus, ut è mercatu pro nitro ſalem attulerit. De caliga Maximini nobis alias dictum eſt. Priſci prælongos homines ridiculi gratia Longuriones appellabant. Varro in Triphalo apud Nonium: Ego nihil narro, adeo hæc ita curat, qui ante me eſt neſcio qui longurio.

Salſitudo non ineſt illi.

Ἅλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ, i. Salſitas non ineſt illi. In inſacetos & fatuos

tuos ac ſtupidos. Sal enim primum, maximeque commune condimentum videtur, Plin. lib. xxxi. indicat metaphoram eſſe ſumptam ab uſu ſalis, quod in omnibus cibis ſit condimenti vice, & aviditatem invitet. Ergo hercle, inquit, vita humana ſine ſale nequit degere: adeo neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita ſales appellantur: omniſque vitæ lepos & ſumma hilaritas, laborumq; requies, non alio magis vocabulo conſtat. Atque hinc inſulſa oratio, quæ nihil habeat leporis, & inſulſus homo moribus inelegantibus. Contra ſalſum dicterium, quod acrimonia quadam mordeat. Et ſales vocant feſtiviter & argute dicta, non ſine illecebra quadam mordacitatis. Seneca non vult ſales noſtros dentatos eſſe. Quintilian. Inſtitut. lib. vi. c. de riſu: Salſum, inquit, in conſuetudine pro ridiculo tantum accipimus. Natura non utiq; hoc eſt, quanquam & ridicula oporteat eſſe ſalſa. Nam & Cicero, omne quod ſalſum, ait eſſe Atticorum, non quia ſint maxime ad riſum compoſiti. Et Catullus cum dicit,

Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis:

non hoc dicit, nihil in corpore ejus eſſe ridiculum. Salſum igitur erit, quod non erit inſulſum: velut quoddam ſimplex orationis condimentum, quod ſentitur latente judicio, & velut palatum excitat, quod & à tædio defendit orationem. Sane tamẽ, ut ille in cibis paulo liberalius aſperſus, ſit tamen immodicus, adfert aliquid propriæ voluptatis, ita hi quoq; in dicẽdo habeant quiddam quod nobis faciat audiendi ſitim. Hactenus ille. Porro Catulli carmen, quod Fabius citat, ſic habet:

Quintia formoſa eſt multis: mihi candida, longa,
Recta eſt: hæc & ego ſingula confiteor.
Totum illud formoſa, nego: nam nulla venuſtas,
Nulla in tam magno corpore mica ſalis.

Quo quidem in loco ſtultiſſime carpit Fabium Catullianus interpres, quaſi poëtæ verba parum perpenderit, cum ipſe dormitans Fabii verba parum perpenderit. Negat enim Fabius ſalſum vocari, quicquid ridiculum ſit, etiam ſi vulgo ſic uſurparent docti. Alluſit ad hoc adagium Terent. in Eunucho: Qui haberem ſalem, qui in te eſt, fatuum illum te & inſipidum intelligi voles, cui poſtea ſimili ironia, Atticam tribuit eloquentiam. M. Tullius Philippica 2. At etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti. Quam id, dii boni, non decebat! in quo eſt tua culpa nulla: aliquid enim ſalis ab uxore mima trahere potuiſti. Salem dixit feſtivitatem. Refertur à Diogeniano & Zenodoto.

Bibe elleborum.

Ariſtophanes in Veſpis, πῖθ' ἐλλέβορον, id eſt, Bibe elleborum. Quo dicto ſignificat inſanire quempiam. πῖθι vero dixit, nõ πίε, quod ut admonet interpres, hoc ad ſimplicem potum referunt grammatici, illud ad potionem pharmacorum. Idem oſtendit & verbum hinc eſſe fictum, ἐλλεβοριᾷν καὶ ἐλλεβορίζειν, pro inſanire. Quiq; parum animo conſtant, ἐλλεβόρου δεῖσθαι, id eſt, Elleboro opus habere, dicuntur. Atq; iidem apud Latinos etiam autores elleborum edere, & elleboro ſeſe purgare, proverbio jubentur: propterea quod antiquitus primus uſus fuerit hujus herbæ, ad levanda mentis & capitis vitia. Plinius libro Naturalis hiſtoriæ xxv. cap. v. ellebori duo facit genera, ſicut & Dioſcorides libro 4. candidum, quod Italia veratrum album appellat: & nigrum, quod alii vocant ectomon (etiam ſi in Dioſcoride atomon legimus.) Alii polyrrhizon: plerique Melampodion vocant, ab inventore Melampode vate, vel ejuſdem nominis paſtore, quod is animadvertiſſet eo purgari capras: deinde dato earum lacte ſanavit Prœtidas furentes. Sed Aulus Gellius Plinium ſecutus ait, coloris diſcrimen illum non in ſemine, neq; in virgultis, ſed in radice apparere. Candido vomitiones cientur, eoque ſtomachum & ventrem ſuperiorẽ purgat. Nigro alvus inferior diluitur, utriuſq; periculoſa ſumptio, ſed albi ut præſtantior, ita periculoſior. Quod ipſum tamen adeo vulgatum eſſe cœpit, ut plerique ſtudiorum gratia, ad pervidenda acrius quæ commentabantur, ſæpius ſumptitaverint. Nominatim autem Carneades Academicus, ſcripturus adverſum Stoica Zenonis libros, candido elleboro ſuperiora corporis purgare ſolitus legitur: ne quid ex corruptis in ſtomacho humoribus ad domicilia uſque animi redundaret, & inſtantiam vigoremque mentis labefaceret. Nigri vero religioſum etiam uſum fuiſſe teſtatur Plinius. Siquidem hoc & domos ſuffiebant, purgabantque, aſpergentes & ſeſe, & pecora. Tum ſolenni cum precatione colligebatur & ſuperſtitioſius, ut meminit etiam Theophraſtus. Primum enim gladio circumſcribebatur: deinde qui ſucciſurus erat, exortum ſolis ſpectabat, precabaturque ut id ſibi liceret diis concedentibus facere. Obſervabat & aquilæ volatum: quæ ſi propius advolaſſet, moriturum eo anno qui ſucciderat, augurium erat. Ex Plinio igitur colligere licet, utrumq; genus, tum candidum, tum nigrum, cum ad alia complura mala, tum adverſus melancholiam remedium efficax habere. Unde & proverbium natum, quod tamen varie effertur. Plautus in Menæchmis: Non poteſt hæc res tritum jugerum elleboro obtinerier. Demoſthenes Æſchinem in actione monet, ut ſeſe purget elleboro. Lucianus in Dialogo Menippi ac Tantali: ἀνόητος εἶ, ὦ Τάνταλε, καὶ ὡς ἀληθῶς ποτοῦ δέῃ τινός, ἀκράτου ἐλλεβόρου νὴ Δία. id eſt, Deſipis Tantale, & ut vere dicam, elleboro poto tibi eſt opus, eoque ſane meraco. Et apud eundem Rhadamanthus, in ſecundo Verarum narrationum libro, ita pronunciat, ut Ajax traditum ab Hippocrate elleborum bibat, prius quam in heroum conſortium recipiatur: alludens ad ejus inſaniã. Ibidem legitur, non licuiſſe Chryſippo in beatorum inſulam immigrare, niſi quartum jam ſumpto elleboro. Nimirum illuc alluditur, quod ter in vita bibiſſe memoratur, ut teſtatur etiam Petronius in carmine quodam. Horatius:

Expulit elleboro morbum bilemq; meraco.

Ovidius in epiſt. Ponticis lib. 4.

I, bibe, dixiſſem, purgantes pectore ſuccos,
Quicquid & in tota naſcitur Anticyra.

Perſius:

——Anticyras melior ſorbere meracas.

Inſanum ſignificans Auſonius ad Theonem.

Elleborumq; bibas Samii Lucominis acumen.

Naviget Anticyras.

Πλεύσειεν εἰς Ἀντικύρας. i. Naviget Anticyras. Horatius eleganter novavit adagii quaſi faciem, cum ait in Sermonibus:

Naviget Anticyras.——

Quibus verbis Stoicum inſanum ſignificat, quiq; mentis morbo laboraret, eſſetq; ſapientis indignus nomine: cum nemo ſapiens niſi ſanus. Dictum eſt autem eâdẽ figura, qua Græci dicunt. πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν, id eſt, Naviges Maſſyliam. Strabo lib. Geographiæ 9. duas Anticyras commonſtrat: & in altera quæ ſit poſt Criſſam oppidum, elleborum naſci: in altera ejuſdem nominis, quę ſit ad ſinum Maliacum & Oetam montem, optime temperari, atque in eam quam plurimis è regionibus adnavigari ſanitatis gratia. Pauſanias in ultimo libro ſcripſit, ſupra Anticyram montes eſſe magnopere petricoſos: in his copioſè provenire elleborum: nigro purgari alvum, albo vomitum cieri, ac ſuperiores corporis purgari. Stephanus addit, Anticyrenſem quempiam fuiſſe, qui Herculem elleboro dato liberârit inſania. Horatius:

Si tribus Anticyris caput inſanabile nunquam
Tonſori Licino commiſerit.——

Treis Anticyras dixit, pro univerſo elleboro: ſignificans deploratam & immedicabilem inſaniam. Simili figura, quos indicant eſſe parum integræ mentis, & hodie jubent deportari Chelam. Ad hanc formam pertinet illa, Tonſoris eget: aut, Curatore eſt opus. Horatius:

Nec tonſore putas nec curatoris egere.

Tutores enim dabantur pupillis, curatores mente captis. Sic & Columella lib. 1. cap. 3. ſcribit. Catonem dicere ſolitum, eum qui agrum incoleret, nec ſalubri cœlo, nec fertilem, velut commotæ mentis ad agnatos ac gentiles eſſe deducendum. Varro lib. De re ruſtic. 1. c. 2. Qui ſalubrem locum negligit, mente captus eſt, atq; ad agnatos & gentiles deducendus. Cic. lib. 2. De inventione: Si furioſus exiſtet, agnatorum gentiliumq; in eo pecuniaq; ejus poteſtas eſto. Nam duodecim tabulæ furioſis jus adimunt adminiſtrandi res ſuas ad gentiles agnatoſq; transferunt: quemadmodum legimus lib. Inſtitutionũ primo, tit. de curatoribus, & Pandectarum li. 27. tit. ult. de curatore furioſi. Rurſum ejuſdem operis lib. 1. tit. xviij de officio præſidis. Et apud Ciceronem lib. 3. Tuſculanarum quæſt. Qui ita ſit affectus, eum dominum eſſe rerum ſuarum, vetant xii. tabulæ. Verba xii. tabularum ſunt hæc: Prodigo & furioſo bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta eſto, & in curatione agnatorum ſunto.

Strychnum bibit.

Στρύχνον πέπωκε, id eſt, Strychnum bibit: in inſanos item competit, à ſtrychni herbæ natura: quæ vel guſtata, ſtatim inſaniam parit. Dioſcorides in quarto, quatuor ſtrychni genera facit: è quibus poſtremum, μανικόν, vocat, id eſt, inſanum. Plin. l. 21 c. 31 cum duo ſtrychni genera ſalutaria demonſtraſſet: Tertio, inquit, folia ſunt ocymi, minime diligenter demonſtranda. Remedia, enim non venena tractamus: quippe inſaniam facit, parvo quoque ſucco. Quanquam & Græci autores in jocum vertere. Drachmæ enim pondere luſum pudoris gigni dixerunt, ſpecies varias, imagineſq; conſpicuas obverſari demonſtrantes. Duplicatum hunc modum, legitimam inſaniam facere, quicquid vero adjiciatur ponderi, repræſentari mortem. Hoc eſt venenum, quod innocentiſſimi autores ſimpliciter Dorycnion appellavêre ab eo, quod hoc cuſpides in præliis tingerentur, paſſim naſcente. Dioſcorides ſcribit, Strychni radicem cum vino potam menſura & viſa quædam, ac ludibria non injucunda parere: duplicato modo ſumptam, ſtuporem triduanum inducere: quadruplicato potam adimere vitam: remedio eſſe, ſi multum ac largiter biberis ac revomueris. Unde mihi magis videtur congruere in φιλαύτους, & ſibi placentes, & (ut Flaccus inquit) ſibi pulchros. Nam Theophraſtus tradit qui ſtrychnum ederint, ſibi videri pulcherrimos. Cujuſmodi multos homines videmus, qui ſibi nulla in re diſplicere poſſunt, perinde quaſi ſtrychno victitẽt. Eſt diverſum inſaniæ genus, quo quidam ſibi diſplicent in omnibus: ſed alterum vulgatius eſt, & immedicabilius. Neque vero hoc ego recenſuiſſem in hoc opere (ne videlicet adagia non colligi à me, ſed naſci quis calumniaretur) niſi quod Plin. dicens, Græcos jocum vertiſſe, ſatis indicaret, herbæ hujus naturam in proverbium abiiſſe.

Porcum immola.

Neq; prætereundum exiſtimo, quod Plautus in Menæchmis, porcum ſinceram & ſacrum immolare jubet eum, quem mente

captum ſignificat: Adoleſcens, quibus hic preciis porci væneunt ſacres, ſinceri, nummum unum ea a me accipe. Jube te piari de mea pecunia: nam ego quidem inſanū eſſe te certo ſcio. Opinor quod veterum uſo, qui cujuſpiam irati numinis intemperiis agerentur, hoc piaculo ſe ſoleat purgare. Idem paulo poſt in eadem fabula: Nam tu quidem hercle certo non ſanus ſatis Menæchme, qui nunc ipſis maledicas tibi. Jube, ſi ſapias, porculum afferri tibi

Horatius in ſermonibus:

—Immolet æquis
Hic porcum laribus.——

Loquitur de eo, qui jam ab inſania reſipuiſſe videretur.

Squillas à ſepulchro vellas.

Σκίλλας ἀπὸ σήματος τίλλειν, i. Squillas à ſepulchro vellere jubebantur, qui parum ſanæ mentis eſſe viderentur. Hac enim herba malum hoc expiabatur antiquitus. Theocritus in Bucolicis:

Σκίλλας ἰὼν γραίας ἀπὸ σάματος αὐτίκα τίλλοις.

Id eſt:

I, ſquillas ab anus quam primum velle ſepulchro:

Innuit, illum quod in certamine canendi ſuperatus ſit, adeo iracunde ferre, ut periculum ſit, ne vertatur in inſaniam. Et alter ſimile quiddam refert:

Ἐνθὼν τὰν κυκλάμινον ὀρύσσοις εἰς τὸν Ἅλεντα.

Id eſt:

Hinc abiens fluvio infodias cyclaminon Halenti.

Dioſcorides libro ſecundo, demonſtrat, Cyclaminon Romanis dici rapum, efficacem detrahendo è capite phlegmati. Atque inter cætera ejus remedia hoc quoq; commemorat, ſuccum illius melli admixtum inferi naribus, ac lanam hoc imbutam digito imponi, ad purgandum capitis pituitam. Hujus radicem diſſectam reponi, aſſervarique, non ſecus ac ſquillæ. Deniq; contuſam, & in paſtillos redactus, valere adverſus veneficia, quæ Græci philtra vocant.

*Minus habes mentis, quam Dithyrambo-
rum poetæ,*

Διθυραμβοποιῶν νοῦν ἔχεις ἐλάττονα.

Id eſt:

Minus ſapis ſcriptoribus Dithyrambicis.

In ſtupidos ac furioſos torquetur. Adagium annotatur ab Ariſtophanis interprete in Avibus, ſumptum à poëtis Dithyrambicis, qui Baccho afflati furebant, unde & Horatius:

Aut inſanit homo, aut verſus facit.——

In Odis, Pindari grandiloquentiam attollens:

Seu, inquit, per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit, numeriſque fertur
Lege ſolutis.

Philoſtratus in Sophiſtis immoderatam in dicēdo vehementiam ac granditatem aliquoties appellat τὸ διθυραμβῶδες: eoſq; dicit συμβακχεύειν καὶ ὑπερβακχεύειν.

Piſtillo retuſius.

Proverbialis eſt hyperbole, quam in epiſtolis uſurpavit divus Hieronymus: Piſtillo retuſius: pro eo quod eſt, minime acutum. Timon Miſanthropus Cleanthem ob ingenii tarditatem appellat, ὅλμον ἄτολμον, id eſt, Piſtillum ſive mortarium ignavum. Et Chryſippeum acumen, apud eundem per ironiam uſurpatur in ſtupidum. Et cornutus ſyllogiſmus, pro ratione ridicula, frivolaque.

Embarus ſim.

Ἔμβαρός εἰμι, id eſt. Embarus ſum. Dictum eſt olim de inſano, deliroque. Referunt autem adagionem ad hujuſmodi fabulam. Olim Piræus inſula fuit (id quod ipſum etiam vocabulum adhuc indicat, περᾶν enim tranſmittere eſt;) in ea cum Munychus principatum obtineret, templum inſtituit Dianæ, cui cognomen additum Munychiæ. Dein cum urſus Dianæ ſacer quidam ibi repertus & ab Athenienſib. interfectus eſſet, fames ingruit: itum eſt ad oraculum, quæſitumq; malo remedium. Reſpondit deus, ita demum finem mali futurum, ſi quis filiam immolaſſet numini. Unus autem repertus eſt Embarus uſq; adeo demens, qui polliceretur ſe filiam immolaturum, ea lege, ut ſacerdotium in poſteros ſuos traduceretur. Itaq; puellam ſolenni ritu ornatam ſacrificavit. Fit & hujus mentio in Plutarchi Collectaneis.

Phryx plagis emendatur.

Phryx plagis emendatur. In barbaros ſerviliq; ingenio homines dicitur, qui non pudore, neq; monitis, ſed verberibus redduntur meliores: cum contra generoſus animus, ut ait Seneca, rectius ducatur quam trahatur. Cic. pro L. Flacco in teſtes Aſiaticos: Aſia veſtra conſtat ex Phrygia, Myſia, Caria, Lydia. Utrum igitur noſtrum, an veſtrum eſt hoc proverbium? Phrygem plagis fieri ſolere meliorem. Adagium ita refertur apud Suidam verſu trochaico:

Φρὺξ ἀνὴρ πληγεὶς ἀμείνων καὶ διακονέστερος.

Id eſt:

Verberatus Phryx, melior & obſequens erit magis.

Oſtendit Athenæus è Phrygia mitti ſolere mancipia laudatiſſima.

Ἀνδράποδ' ἐκ Φρυγίας, ἀπὸ δ' Ἀρκαδίας ἐπικούρους.

Id eſt:

Mancipia ex Phrygia, ſed ab Arcadia auxiliares.

Servilior Meſſena.

Δουλότερος Μεσσήνης, i. e. Servilior Meſſena. De minime liberis dicebatur, & alieno viventibus arbitrio. Lacedæmonii Meſſenios, quod iterum atq; iterum deſciviſſent, in ſervitutem redegerunt, eoſq; durius etiam quam reliquos ſervos tractarunt, ne denuo res novas moliri poſſent. Hiſtoria refertur à Pauſania in Meſſenicis, & à Juſtino lib. Epitomarum 3.

Stultior Corœbo.

Ἠλιθιώτερος Κοροίβου, id eſt, Stultior Corœbo. Proverbialis hyperbole in ſtupidos & vecordes. Corœbi ſtultitia vulgo fabulis celebrata eſt, qui maris undas numerare ſit conatus, quum non potuerit ultra quinq; proſequi ſupputationem. Meminit hujus Euſtathius in x Odyſſeæ. & Lucianus in Amoribus. Quanquam apud alios κορύβα per y. Adduntq; quidam Corybum hunc Mygdonis Phrygis fuiſſe filium, temporibus belli Trojani. Meminit & Virg. Corœbi cujuſdam:

Juveniſque Corœbus
Venerat inſano Caſſandræ captus amore,
Et gener auxilium Priamo Phrygibuſque ferebat.

Quo quidem in loco Servius indicat ſumptum ex Euphorione: Hunc, inquit, Corœbum ſtultum inducit Euphorion, quem & Virgilius ſequitur, dans ei,

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Quum ſit turpiſſima dolo quæſita victoria.

Stultior Morycho.

Μωρότερος εἶ Μορύχου, i. Stultior es Morycho. Siculum proverbium, in eos qui ridicule ſtulteve quippiam facerent. Mihi videntur peculiariter obnoxii huic adagioni, qui domeſticorum negociorum negligentes, foris agunt, aliena curantes. Quod genus inducitur Ollus apud Martialē. Cujuſmodi ſunt & apud Plutarchū Lamiæ. Zenodotus tradit, apud Siculos Baccho cognomen eſſe Morycho: idque inde datum, quod in vindemiis, hujus Dei facies muſto ficiſq; viventibus oblini conſueverit: quod utriuſq; arboris inventæ laudem Baccho tribuunt veteres, ut teſtis eſt Athenæus libr. Dipnoſophiſtarum 3. παρὰ τὸ μορύξαι τὸ μολῦναι, id eſt, à moryxæ, quod eſt contaminare: unde & Homerus, μεμορυγμένος dixerit, pro μεμολυσμένος. Bacchus autem ubiq; ridiculus, ac parum cordatus inducitur a poëtis, utpote Deus temulentus: velut in Ranis Ariſtophanis. ideoq; in hujus ſacris ludicra quædā, tanquam in ejus contumeliam fiebant. Quin & cognomen additum contumeliæ cauſſa ἠλίθιος. Apud Siculos hujus ſimulachrum, non in templum, ſed extra phanum ſub dio poſitum erat, juxta ingreſſum ſive veſtibulum, confectum è lapide, cui nomen Pſalla, arte Simmii cujuſdam Eupalami. Proinde vulgari joco jactatum eſt de illo, μωρότερος εἶ Μορύχου, ὃς τἄνδον ἀφεὶς, ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται i. e. Stultior es Morycho, qui omiſſis hiſ quæ ſunt intus, foris extra domum deſidet. Zenodotus adagium citat ex epiſtola quadam Polemonis ad Diophylum. Quanquam alieniſſimum eſt ab ingenio moribuſq; meis, veſtigandis, aut inſectandis aliorum erratis operam conterere: tamen nō poſſum hoc loco mihi temperare, quin ridendi magis quam inſectandi cauſſam proferam cujuſdam apud Italos non infimi nominis, inſcitiam ne dicam, an ſocordiam: præſertim cum is τὴν λέσχην ἐν δόξῃ, tantum ſibi ſumat in literis, ut arrepta veluti cenſoria virgula, non ſolum de ſcriptoribus cæteris magna pronunciet autoritate, verumetiam Angelum Politianum, virum modis omnibus & incomparabilem & inimitabilem, ceu præceptor quiſpiam flagellet, atque emendet. Cui cum non pauca concedat homo candidus, tamen delicatas illæ, & meris Atticiſmis aſſuetæ aures, tranſmarinæ Veneris ſenſum in eodem deſiderant, quod οὐδ' ἀρχὴν veterit, ne initio quidem. Audiamus igitur in hoc Ariſtarcho Venerem illam tranſmarinam, ac germane Græcanicam. Principio proverbium hoc è vulgatiſſimis Zenobii collectaneis enarrans, Polemonem perinde citat, quaſi locum ipſe legerit. Id quod ſuo more facit, videlicet ut in abſtruſis, minimeque vulgaris autorib. verſari videatur. Deinde Græca, quæ modo retulimus indidem, ὃς τἄνδον ἀφεὶς, ἔξω τῆς οἰκίας κάθηται, reddidit ad hunc modum: Qui relinquens habitationem interiorem, extra poſitam quærebat. Rurſum quod habetur in iiſdem collectaneis: Μόρυχος δὲ Διονύσου ἐπίθετον ἀπὸ τοῦ προσώπου αὐτοῦ μολύνεσθαι ἡνίκα τρυγῶσι, τῷ τῶν βοτρύων γλεύκει καὶ τοῖς χλωροῖς σύκοις, expreſſit hoc pacto: Morychus ſane epitheton eſt Bacchi, ἀπὸ τοῦ μολύνειν αὐτοῦ μολυνοῦντος, i. e. ab inquinando videlicet propriam faciem. Inquinare namque ſolet eam Bacchus racemis, & viridib. ficis. Deinde quod idem conſervator etymologiam nominis reddens ſcripſit, μορύξαι γὰρ τὸ μολῦναι, ſic interpretatus eſt lepos Atticus noſtri temporis, μορύξαι, inquit, porro idem eſt quod μωραίνειν: hoc eſt, ineptire, hoc eſt deſipere. Jam illud quanto eſt, πάντας Μορύχου μωρότερον, quod de Bacchi ſtatua reddidit: Græca ſic habent: ὡς ἔξω τοῦ ναοῦ τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ ἔστηκε παρὰ τὴν εἴσοδον ἐν ὑπαίθρῳ. Ea ſit extulit tranſmarina Venus: Præterea dicitur à ſimplicitate Bacchi, cujus ſimulachrum in aperto ſtatuitur apud Heſiodum. Vide quod veneres in uno, eoq; per breve cap. prodidit hic venuſtus. Primum Bacchus faſtiditis penetralibus ædium ſuarum, peregrinas ſectatur domos: deinde cum ſaxeus ſit (ſit enim de ſtatua mentio) tamen ipſe ſibi facie in

racemis & vicis oblinit, quo vindemiatores delectet. Ad hæc cum idem ſignificent, μορύξαι & μορύσσειν, utrunque declarat, ineptire & deſipere: verum his duntaxat, qui venerem illam tranſmarinam uſquequaque percaluerint. Denique quod eſt omnium venuſtiſſimum è veſtibulo (ſiquidem autore polluce, πρόδομος templi vocatur, quod & πρόπυλαιον dicitur) Heſiodum fecit: hoc eſt, è mutis ſaxis eloquentiſſimum poëtam. Et habet tamen hic talis artifex quibus ſit admirationi, hoc eſt. Similes habent labra lactucas: cum innumera ſint in hujus commentariis, pari flore reddita Græca: οὔτε οὐ γρῦ, quod ſunt, οὔτε γῦ ἐκλείπομεν, quæ vel ipſe ſaxeus Morychus rideat. Homo mehercle ſuavis, atq; adeo Moriæ beneficio felix, qui tranſmarinæ Veneris ſenſum requirat in aliis, ipſe communi carens, & ut videtur marinæ quam Veneri familiarior. Sed præſtat, opinor, ut omiſſis jocis ad inſtitutum negocium calamus recurrat. Jocatur in Morychum & Ariſtophanes in Veſpis, ζῶν βίον γενναῖον ὥσπερ Μόρυχος, id eſt, Vivere vitam generoſam: quemadmodum Morychus. At Suidas indicat hujus nominis poëtam quempiam fuiſſe tragicum, cujus vita non caruerit luxus ac mollicıei nota. Citatq; hoc in eum carmen Ariſtophanis. Extat autem in Acharnenſibus:

> Ὦ φιλτάτη σὺ καὶ ποθεινὴ φαινομένη.
> Ἦλθες ποθοῦσι φίλτατον μοι χρόνον.
> Φίλη Μορύχῳ ——
>
> Ideſt:
>
> Chariſſima ac deſiderata jam diu
> Optata ades, ſæce ſublimis choris,
> Grata & Morycho. ———

Stupidior Praxillæ Adonide.

Ἠλιθιώτερος τοῦ Πραξίλλης Ἀδώνιδος, id eſt, Stultior Praxillæ Adonide. In vehementer ſtupidos. Polemon apud Zenodotum tradit, Praxillam fuiſſe quampiam Sicyoniam poetriam, quæ in ſuis cantionibus Adonidem inducit ab inferis interrogatum quid apud ſuperos pulcherrimum reliquerit, reſpondere, ſolem, cucumeres, mala. Quod cum vehementer inſulſum videretur, cucumeres & mala cum ſole componere, proverbio dici cœptum in homines nullius judicii.

Vervecea ſtatua.

Plautinus Egio in Captivi duo, ſervum ſtupidum appellat ſtatuam verveceam: quaſi dicas, brutum ac mutum hominem: Vos, inquit, ite intro, interim ego ex hac ſtatua vervecea volo erogitare, meo minore quid ſit factum filio. Quidā pro vervecea, legunt verberea, quaſi verberonem plagis aſſuetum, pro ſtatua marmorea dixerit verberearn. Certe dictionem verveceam non patitur carminis trochaici ratio: ſupereſſet enim una ſyllaba, niſi in ea facias ſynæreſin.

Corpus ſine pectore.

Proverbiali figura dixit Horatius in Epiſtolis ad Albium:

> Non tu corpus eras ſine pectore: dii tibi formam,
> Dii tibi divitias dederant arteroque fruendi.

Item Ovidius in Heroinis:

> Hunccine tu ſperas hominem ſine pectore, dotes
> Poſſe ſatis formæ Tyndari noſſe tuæ?

Perinde vero dictum eſt corpus ſine pectore, quaſi dicas, ſine mente. Nam ſapientiam & ingenium in pectore atque in corde conſtituunt. Unde & Cordatos appellamus prudentes. Et Juvenalis, tardum ac ſtolidum ſignificans:

> —Cum læva in parte mamillæ
> Nil ſalit Arcadico juveni.———

Antronius aſinus.

Ἀντρώνιος ὄνος, i.e. Antronius aſinus, olim dicebantur, qui deformi prægrandiq; mole corporis eſſent, cæterū ingenio ſtupido bardoq;. Andron autem civitas erat Theſſaliæ, nomen inde ſortita quod cavernis & ſpecubus abundaret. Illic ajunt aſinos inſigni magnitudine quondam fuiſſe, unde proverbium increbuit. Autores Stephanus & Suidas. Attingit proverbium & Homeri Scholiaſtes in Iliad β. Extat & hodie joc' vulgaris in homines magno corpore, quaſi m parum ſapiant: quaſiq; natura ſic paria facere gaudeat, ut quod corporis addiderit moli, detrahat ingenio. Traditur à nonnullis, apud Antronios ingentes reperiri molares lapides: quorum qui ſubſternuntur, ob ſegnitiem & equidem, ὄνους vocant Græci. Lapidem autem vocamus ſtupidum & amentem.

Naribus trahere.

Τῆς ῥινὸς ἕλκεσθαι, id eſt, Nare trahi, eſt citra judicium, alieno arbitratu quovis adduci. Metaphora mutuo ſumpta à bubalis animantibus, qui annulo in ſummam narem inſerto circumducuntur, non aliter, quam equi freno. Quanquam & equis lignum aut ferrum dentatum in nares inſeritur, aut etiam in morſum, ad cohibendam eorum ferociam. Id inſtrumētum Poſtomin appellatum indicat Nonius. Lucianus in Dialogo quodam Junonis & Jovis σὺ δὲ ὅλως καὶ ἐνδέδωκας αὐτῷ καὶ ἄγει σε καὶ φέρει τῆς ῥινὸς φασὶν ἕλκων, i.e. Iſte quidē in diſ omnib. tibi dominatur, ducitq; te, & circumagit, ipſi, quod dici ſolet, nare trahens. Idem in Hæreſibus: οὐδὲν κωλύσει τοῦ μὴ τῆς ῥινὸς ὑφ' ἡμῶν ἕλκεσθαι, id eſt, Nihil obſtiterit, quo minus a quibuſvis nare trahatis. Obtorto collo trahi dicuntur, qui volentes nolentes ad aliquid adiguntur. Philoſtratus in Heliodoro pro eodem dixiſſe videtur, Mento trahere. ἀλλὰ παράγωμεν αὐτὸν εἰς τὰ δικαστήρια, ἄγων καὶ τοῦ γενείου ἕλκων, id eſt, Sed adducit illum ad tribunalia, & nolentem & mento trahens. Ita tranſlatum eſt ab equis quos equiſones inferiore labro trahunt, donec imponant frænum.

Arcadicum germen.

Ἀρκαδικὸν βλάστημα, i. Arcadicum germen: de grandib. & ignavis dici ſolitum. Juvenalis:

> —Quod læva in parte mamillæ
> Nil ſalit Arcadico juveni.—

Arcades olim male audierunt ob ſtuporem ingenii. De quorum immanitate multa Athenæus lib. 14. qui primi muſicam omnem in civitatē recipere noluerunt, nec alias liberales diſciplinas, quarum cultu manſueſcunt hominum ingenia. Unde & cœli vitio, & neglectu diſciplinarum, in ſummam morum immanitatem efferati ſunt. Lucianus in libello De aſtrologia tradit Arcades ob eam cauſam ſtupidos habitos, quod cæteris omnibus amplectentibus aſtrologiam, ſoli contempſerint, ſeſeque fecerint antiquiores ipſa luna. Unde & προσέληνοι dicti. Iidem epigrammatum jocis notati ſunt, ut βαλανοφάγοι id eſt, glandibus victitantes. Nam is priſcorum hominum cibus erat, nōdum repertis frugibus. Epigramma ſic habet:

> Πολλοὶ ἐν Ἀρκαδίῃ βαλανηφάγοι ἄνδρες ἔασι.
>
> Ideſt:
>
> Multi in Arcadia ſunt, queis alimonia glandes.

Ariſtophanes in Avibus, variis titulis irridet eos qui jactant antiquitatem ſuam:

> —— Καὶ πόθεν αὐτοῦ
> Ἀρχαιότεροι πρότεροι τε Κρόνου, καὶ Τιτάνων ἐγένεσθε.
>
> Ideſt:
>
> Antiquiores & Crono & Titanibus fuiſtis.

Arcadas imitans.

Ἀρκάδας μιμούμενοι, id eſt, Arcades imitantes. Zenodotus indicat dictum in eos, qui aliis, non ſibi laborant. Plato Piſandro ſcribit illum Arcadas imitari, quod comœdias a ſe conſcriptas aliis ædendas traderet ob inopiam. Adagium hinc ductum, quod Arcades olim inter Græcos bellicoſiſſimi, ſuis auſpiciis, ſuoq; titulo nunquam hoſtem ullum ſuperarunt, verum aliis ſuppetias ferentes præſepe. Unde illud illis fatale videbatur, aliis vincere, non ſibi.

Aſinum in rupes protrudere.

Proverbium olet, quod ſcribit Horatius in Epiſtolis:

> Qui male parentem in rupes protruſit aſellum.

Quadrabit in quoſdam perverſo natos ingenio, qui quum ipſi nō ſapiant, nolint tamen bene conſulentium monitis obtemperare. Hi ſunt etiam ultro quo tendunt impellendi, ut vel malo docti tandem agnoſcant ſtultitiam ſuam. Natum eſt a ruſtico quopiam, qui cum aſinum ſuum per alpes nivib. obtectas duceret, iſq; freno non obediret, iratus in rupes protruſit:

> Et merito quis enim invitum ſervare laboret?

Feles Tarteſſia.

Γαλῆ Ταρτησσία, id eſt, Feles Tarteſſia. De magnis & ridiculis dicebatur. Tarteſſii ſunt in Iberia, apud quos Feles maximæ naſci dicuntur. Fortaſſe non inepte dicitur & de rapacibus. Ariſtoph. in Veſp.

> Ὥσπερ μεγάλων κρέα κλέψασαν
> Ταρτησσίων ἔχετ' ἀεὶ γαλῶν.
>
> Ideſt:
>
> Nunc uti felem rapta carne,
> Obſervant geſtantem verua.

Item Lucianus, quum ait, ἁρπακτικώτεροι τῶν γαλῶν. i. rapaciores felibus: nimirum & ipſe felium ſignificat rapacitatem vulgo notatam fuiſſe.

Non ineſt illi dentale.

Γύης οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ, i. Gyes non ineſt illi. Dici conſuevit de quopiam, ad rem aliquam parum utili. Sumpta eſt metaphora ab aratro, cujus pars eſt γύης, eam nonnulli putant eſſe, quam Latini dentale vocant. Ea quoniam præcipua videtur, ſi abſit, nihil cōfici poteſt aratro. In hunc ſenſum uſurpavit Heſiodus, ὅτ' ἂν γύης. Cæterum Homerus pro jugere poſuit, agrum πεντηκοντόγυον appellans, id eſt, centum jugerum.

Stulto ne permittas digitum.

Ἐυήθει δάκτυλον μὴ δείξῃς, ἵνα μὴ καὶ τὴν παλάμην κατατρώγῃ, id eſt, Stulto digitum ne oſtenderis, ut ne palmam etiam devoret. Nihil permittendum imprudentibus, quantumvis puſillum. Siquidem in maximis lædunt, ſi vel tantillum commiſeris. Sapit & hoc vulgus.

Septennis cum ſit, nondum edidit dentes.

Ἑπταετὴς ὢν οὔπω τοὺς ὀδόντας ἔφυσεν, id eſt, Cum ſit ſeptem natus annos, nondum tamen dentes produxit. Ariſtophanis interpres admonet, proverbio dici ſolere. Mihi quadrare videtur in eum, qui natu grandis, tamen adhuc quaſi puerum agit: aut qui diu commoratus alicubi, nihil adhuc autoritatis aut honoris ſit aſſecutus. Metapho-

taphora mutuo ſumpta videtur ab infantibus, quibus circiter annum ætatis ſeptimum, omnes dentes ſoleant enaſci. Ariſtophanes in Ranis:

> Σκώψωμεν Ἀρχέδημον,
> Ὃς ἑπτέτης ὢν οὐκ ἔφυσε φράτερας.
>
> Id eſt:
>
> Taxemus Archidemum,
> Septennis hic nondum tribules ædidit.

Ubi poëta captans jocandi occaſionem, pro ὀδόντας, φράτερας mutavit. Taxat enim obiter Archidemum quempiam, qui morem Athenienſium neglexerat: apud quos hoſpes ſeptem annos in ea verſatus civitate, in civium numerum adſcriptus, jam velut in cognationem ac jus illorum adſciſcebatur.

Stultitia eſt, Iovem putare eſſe.

Τῆς μωρίας, τὸ Δία νομίζειν ὄντα τηλικουτονί, Inſcitia eſt natum tot annos credere, eſſe ullum Jovem. In eum accomodari poteſt, qui grandis natu dicit aut ſentit abſurdum quippiam, cum propter ætatem nihil oporteat jam ignorare. Non convenit enim in natu grandes puerilis ſuperſtitio. Recenſetur à Suida. Carmen eſt Ariſtophanis in nubibus:

> Ἰδού γ' ἰδοὺ Δί' Ὀλύμπιον· τῆς μωρίας
> Τὸ Δία νομίζειν, ὄντα τηλικουτονί.
>
> Id eſt:
>
> Ecce ecce, Olympium Jovem: dementia eſt
> Natum tot annos credere eſſe ullum Jovem.

Vt Bagas conſtitiſti.

Βάγας ἕστηκας, id eſt, Ut Bagas ſtabas. In ſtupidum & elinguem dicebatur. Bagas erat quiſpiam adſimilis attonito, ſtupidoq; & inſulſo. Commemoratur in Plutarchi Collectaneis. Haud ſcio num legendum ſit, Bagoas, pro Bagas: is Eunuchus fuit. Et eſt hoc genus timidum & imbelle.

Deſertum obtueri.

Ἐρήμην ἐμβλέπειν, id eſt, Deſertum intueri dicebatur, qui fixis & attonitis intueretur oculis. Metaphoram mutuati ſunt ab iis qui pelagus immenſum aut ſolitudinem taciti intuentur. Multis adeſt hoc oculorum vitium, ut paulo longius remota non exacte videant. Iis ſi quando dicendum eſt in hominum frequentia, quoniam in neminem certo figunt oculos, deſertum intueri videntur. Citatur Ariſtophanes ex Polyido.

Terebintho ſtultior.

Τερεβίνθου ἀνοητότερος, id eſt, Terebintho dementior, in ſtupidum, ſibiq; placentem: quod arbor ea late porrigat ramos. quod eſt inſolenter oſtentantium ſeſe: ad hæc nigrore inſignis, foliis craſſis, ſucco item pingui & reſinoſo, tum alias alia ſpecie. Parit quidem cum vite, ſed diſſimilem fœtum.

Cæcus auribus ac mente.

> Τυφλὸς τά τ' ὦτα, τόν τε νοῦν, τά τ' ὄμματ' εἶ.
>
> Id eſt:
>
> Tu ſimul & aure & mente & oculis cæcus es.

Quadrat in hominem plane ſtupidum.

Bis pueri ſenes.

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, i. Bis pueri ſenes. Una eſt ex illis proverbialib. inſcriptionib. ſatyrarum Varronis. Quadrabit in eos, qui provectiore cum ſint ætate, tamen puerilib. quibuſdã ſtudiis intempeſtiviter atq; indecore detinẽtur. Aut in ſenes ætatis vitio deſipiſcentes, tanquam iterum in pueritiam revolutos. Seneca: Non, inquit, bis pueri ſumus, ut vulgo dicitur, ſed ſemper: verum hoc intereſt, quod majora nos ludimus. Plato lib. De republ. 1. οὐ μόνον ἄρ' ὡς ἔοικεν ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' ἄν, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς. id eſt, Non ſolum igitur ſenex, ut videtur, bis erit puer, ſed ipſe etiam temulentus. Ariſtophanes in Nubibus:

> Φήσεις νομίζεσθαι σὺ παιδὸς τοῦτο τοὔργον εἶναι·
> Ἐγὼ δέ γ' ἀντείποιμ' ἂν ὡς δὶς παῖδες οἱ γέροντες.
>
> Id eſt:
>
> Pueri inquies tibi videri facinus illud eſſe:
> Reſpondero ipſe contra, ſenes bis eſſe pupos.

Sophocles in Peleo:

> Πηλέα τὸν Αἰάκειον οἰκουρὸς μόνη
> Γέροντα χειραγωγῶ κἀναπαιδεύω πάλιν.
> Πάλιν γὰρ αὖθις παῖς ὁ γηράσκων ἀνήρ.
>
> Id eſt:
>
> Ego Peleum Æaco ſatum, pueri in vicem,
> Senem puella moderor atque temporo,
> Nam iterum puer quiſquis ſeneſcit, redditur.

Theopompus: δὶς παῖδες οἱ γέροντες ὀρθῷ τῷ λόγῳ. id eſt, Pueros bis eſſe ſenes, recte dicitur. Plato: αὖ ὡς ἔοικε δὶς γέρων ἂν παῖς γένοιτο. i. e. Similis videtur bis ſeni puer ſenex. Antiphon: γεροντοτροφία ὁμοιοῦται παιδοτροφίᾳ. id eſt, Senem nutrire, perinde eſt quaſi nutrias puerum. Lucianus in dialogo, cui titulus, τὰ πρὸς Κρόνον, οὕτω γὰρ ἂν τὴν παροιμίαν ἐπαληθεύσαιμι, ἔφησε, παλιμπαῖδας τοὺς γέροντας γίγνεσθαι id eſt, Sic enim fiet ut verum videatur adagium, quo dici ſolet, ſenes rurſum repueraſcere. Huc pertinet quod libro De lingua Latina tertio ſcribit Varro, identidem in Atellanis haberi pupum ſenem, quod Oſci ſuapte lingua vocent caſnar. Nam veteres pupum, puerum vocabant Neq; vero proverbium ideo tantum eſſe dictum, pro ſenis ætatis culpa deſipiſcant: verumetiam quod omnibus modis in ſenibus jam velut exacta vita initium recurrere videatur: quemadmodum ſcite dixit Ariſtoteles in problemate quodam, in quo quærit, quonam pacto ſint accipienda, quæ priora dicuntur ac poſteriora Primum enim redit albor ſimul & raritas capillitii, quorum utrumq; pueris familiare: deinde balbuties, velut altera infantia. Præterea gingiva exarmata dentibus, aut certe perpaucis & eis vacillantibus inſtructa: quod & ipſum cum infantibus commune. Quinetiam ſenibus omne corpus ad puerilem decreſcit modum: conſimilis virium imbecillitas. Jam vero cibi quoq; conſimiles utrique congruunt ætati. poſtremo morum ineptia, levitas animi: & hoc ipſum, nihil ſapere, in ſenibus infantiam quandam referre videtur. Autor eſt enim in Politicis Ariſtoteles, poſt annos duodequinquaginta ingenii vigorem evaneſcere. Quapropter Euripides in Bacchis ait:

> —Τὸ γῆρας ὑμῶν εἰσορῶ νοῦν οὐκ ἔχον.
>
> Id eſt:
>
> Veſtram ubi ſenectam video mentis indigam.

Unde fit, ut ſenes pueris mire delectentur, quaſi ſimiles jam ad ſimilium amorem propenſi.

Saturniæ lemæ.

Κρονικαὶ λῆμαι, id eſt, Saturniæ lemæ. In excutientes ac ſtupidos dicitur, præſertim in eos qui ætatis vitio deſipiſcunt. Eſt enim lema humor in oculis concretus, unde lippitudo naſcitur. Derivatur autem ἀπὸ τοῦ λάω, id eſt, video, & μὴ negativa particula: quod ejuſmodi lachrymæ craſſæ oculos occupantes, viſui officiant. Ariſtophanes in Pluto.

> Ἀλλ' ὦ κρονικαῖς γνώμαις, ὄντως λημῶντες τὰς φρένας ἄμφω.
>
> Id eſt:
>
> Saturninis animis, vere lippitis ſenſibus ambo.

γνώμαις dixit pro λήμαις, unde λημῶ Græcis lippo, ecoutioq; ſignificat. Porro Saturniæ dicuntur quaſi ſeniles ac veteres: propterea quod Κρόνος, i. Saturnus, podagroſus ac ſenex à poëtis fingitur, & temporum deus: quaſi χρόνος. ἀρχαῖα vero, id eſt priſca & antiqua, Græci nõnunquam ſtulta vocant. Plato in Euthydemo ἔχων φλυαρεῖς καὶ ἀρχαιότερος εἶ τοῦ δέοντος. id eſt, nugaris, ac ſtultiores quam decet. Et κρονικώτερα, μωρότερα, & κρόνους nugas, ac deliramenta. Timotheus apud Athenæum lib. 3. Νέος ὁ Ζεὺς βασιλεύει, τὸ παλαιὸν δ' ἦν Κρόνος ἄρχων, id eſt, Juvenis regnat Jupiter: olim autem principatum tenebat Saturnus. Ariſtophanes in Veſpis.

> Καὶ τοὺς τραγῳδούς φησιν ἀποδείξειν Κρόνους
> Τοὺς νῦν.
>
> Id eſt:
>
> Seſe tragœdos, mente Saturnos ait.
> Mox redditurum.

Idem in Nebulis,

> Καὶ πῶς ὦ μῶρε σὺ καὶ Κρονίων ὄζων καὶ βεκκεσέληνε.
>
> Id eſt:
>
> Et quomodo ſtulte, & Saturnalis olens, & lunaris?

Dionyſodorus in Euthydemo Platonis, Socratem Saturnum vocat, bardum ac ſtupidum ſentiẽs, οὕτως, inquit, εἶ Κρόνος, id eſt, Adeo es Saturnus. Alluſit huc Lucianus in Timone, λημῶσι καὶ ἀμβλυώττουσι πρὸς τὰ γιγνόμενα, id eſt, Cæcutis ac lippis ad ea quæ patiantur. Atq; inibi paulo inferi⁹, καὶ κατ' ὀλίγον Κρόνον σε ὦ θεῶν γενναιότατε, ἀποφαίνουσι, παρωσάμενοι τῆς τιμῆς. id eſt, Et paulatim Saturnum te, ô deorum præclariſſime, reddunt, depellentes ab honore. Plutarchus ætate deſipientes oſtendit vulgo κρονολήρους appellatos fuiſſe, id eſt, Saturni more delirantes: videlicet propter aniles fabulas, quæ de hoc deo feruntur. Eas refert idem Plutarchus in commentario de facie apparenti in orbe lunæ: Saturnum in inſula quapiam fortunata, profundo in antro dormire, ſaxa complexum aurea. Cæterum hunc ſomnum illi accidere ex vinculis in eum uſum arte confectis à Jove. Aves autem quæ in ſcopuli cacumine verſantur, adferre illi ambroſiam, univerſamq; inſulam mira fragrantia compleri è rupe, velut è fonte ſcatente: adeſſe dæmones qui Saturnum obſervent & inſerviant Hos olim cum illo amicitia conjunctos fuiſſe, quum diis atque hominibus imperaret: multaq; de futuris rerum eventibus ex ſe prædicere. Sed maxima maximiſq; de rebus ſic efferunt, ut Saturni ſomnia videantur. Nam quicquid cogitarit Jupiter in animo, id ſomniare Saturnum. Hujuſmodi quædam nugamenta de Saturno commemorantur in hoc quo dixi libello. Jam illud eruditi lectoris judicio relinquo, nunquid ad hoc adagium pertineat quod Pythagorici συμβολικῶς mare, Saturni lachrymam appellant, ut teſtatur idem author, commentario de Iſide & Oſiride. Siquidem eſt aqua marina non ſalſa ſolum & amara, ſed craſſior & impurior reliquis.

Auris Batava.

Quemadmodum Græci dicunt, Βοιώτιον οὖς, i. Bœoticam aurem, pro pingui craſſaq;, itidem Martialis Epigrammatum li. 6. Batavam aurem dixit agreſtem, inelegantem, teſticamque,

> Tu ne es, tu ne, ait, ille Martialis?
> Cujus nequitias jocoſque novit,
> Aurem qui modo non habet Batavam.

Sic enim legit Dominicus Chaldertnus: quanquam nonnulli mutârant, pro Batavam, ſeveram. Erant Batavi Germaniæ populi.

Ca-

Catthorum pars, qui domeſtica ſeditione pulſi, extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus, ſimulq; inſulam inter vada ſitam occupavêre: quam mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit. Gens tum bello valida, ut quæ Germanicis bellis eſſet exercitatiſſima: tum opibus pollens, quod Romana militia non exhauriretur, quandoquidem erat his cum imperio ſocietas, ut viros tantum armaq; miniſtrarent: quemadmodum copioſius prodidit Cornelius Tacitus lib. xx. Convenit inter pleroſque doctos (nec id refragantibus conjecturis) eam inſulam, cujus meminit Tacitus, eſſe quam nunc Hollandiam vocant, terram mihi ſemper & celebrandam & venerandam, ut cui vitæ hujus initium debeam. Atq; utinam illi nos tam poſſimus honeſtamẽto viciſſim eſſe, quam illa nobis non eſt pœnitenda. Nam quod Martialis eam gentem ruſticitatis inſimulat, quod eandem Lucanus trucem vocat: aut nihil ad nos pertinet, aut etiam laudi vertendum arbitror utrunq;. Siquidem quæ gens non aliquãdo fuit rudior? Aut quando Romana gens laudatior quam quum præter agriculturam, & militiam, nihil artium noſſet? Quod ſi quæ quondam in Batavos dicta ſunt, contendet aliquis ad hujus temporis rationem pertinere: quæ major laus Hollandiæ meæ poterit tribui quam ſi dicatur à Martialis jocis abhorrere, quos etiam ipſe nequitias appellat? Utinamq; Chriſtianis vel omnibus aures eſſent Batavæ, quæ peſtilentes ejus poëtæ facetias aut non admitterent, aut certe his non caperentur. Quod ſi quis id ruſticitatem vocare velit, nos cõvicium haud illibenter agnoſcimus: videlicet cum integris Lacedæmoniis, cum priſcis illis Sabinis, cum laudatiſſimis Catonibus commune. Lucanus autem opinor, ita truces appellat Batavos, ut Virgilius acrem Romanum. Alioqui ſi mores domeſticos ſpectes, non alia gens eſt ad humanitatem, ad benignitatem propenſior: cuique minus adſit vel feritatis, vel truculentiæ, ingenium ſimplex & ab inſidiis, omniq; fuco alienum, nullis gravibus obnoxium vitiis, tantum ad voluptatem, præcipue conviviorum aliquanto deditius. Cujus rei cauſſam eſſe puto miram rerum omnium exuberantiam, quibus voluptatis ſtudium irritari ſolet: idq; partim ob commoditatem importationum, quod nonſolum occupat duo nobiliſſimorum fluminum oſtia, Moſæ, Rhenique, verumetiam quod aliquanta ſui parte Oceano alluitur: partim ob nativam regionis ubertatem, ut quæ paſſim navigalib. ac piſcoſis interluatur fluviis; paſcuis uberrimis abundet. Ad hæc avium infinitam copiam, paludes, ſaltuſq. ſuppeditant. Proinde negant aliam inveniri regionem, quæ ſimili ſpacio, tantum oppidorum contineat mediocri quidem magnitudine, ſed incredibili politia. In domeſticæ ſupellectilis nitore palmam uni concedunt Hollandiæ negociatores, quibus pleraque pars orbis eſt peragrata. Mediocriter eruditorum, nuſquam gentium frequentior numerus. Ad exquiſitam eruditionem, præſertim antiquam quod non perinde multi perveniant, aut vitæ luxus in cauſa eſt, aut quod apud illos plus honoris habetur egregiæ morum integritati, quam egregiæ doctrinæ. Nam ingenium non eſſe negatum illis: plurimis conſtat argumentis, quanquam mihi ſanè quam mediocre contigit, ne dicam exiguum, ut cætera pleraque.

Abderitica mens.

Abderitæ in ſtuporis inſaniæq. fabulam abiêre: quod perſpicuum eſt ex epigrammate Martialis lib. x. de eo qui damnatus in theatro repræſentavit Mutium Scævolam, ac manum impoſuit igni, ſed acrioribus paratus ſuppliciis, ni faceret:

> Si patiens fortiſque tibi duruſque videtur,
> Abderitanæ pectora plebis habes.

De Bœotis & Batavis aliàs nobis dictum eſt. Abderitanis autem naturam peculiarem fuiſſe mentis ſtuporem indicat M. Tull. in lib. De natura deorum. Et Plin. lib. xxv cap. viij. docet huic urbi vicina eſſe paſcua, in quibus equi paſti inflammentur rabie, quemadmodum apud Potniam aſini. Eſt autem in Thracia, condita dictaq; ab Abdera ſorore Diomedis, patria Democriti phyſici, juxta Pomponium Melam, Stephanus civitatem dictam autumat ab Abderito filio Erimi, Herculi adamato, quem Diomedis equi dilaceraverant.

JUNII. *Ὑπόξυλον.*

Ὑπόξυλον, quaſi ligneum, dicitur proverbiali tropo quicquid ineptum eſt: ſive ad rem, ſive ad perſonam id transferas. Hermogenes Rhetor ubi de verbis tropice prolatis agit, quam ſit eorum uſus civilibus periculoſus, poſtquam negavit id eſſe Demoſthenicum, ſubjicit: παρὰ δὲ τοῖς ὑποξύλοις τούτοις σοφισταῖς πάμπολλα εὕροις ἄν, γῦπάς τε γὰρ ἐμψύχους τάφους λέγουσιν, ὅπερ εἰσὶ μάλιστα ἄξιοι, καὶ ἄλλα πολλὰ ψυχρολογοῦσι πάμπολλα, id eſt, At apud ligneos iſtos ſophiſtas plurima ejus generis invenias, ſiquidem vultures appellant animata ſepulchra, his ipſis longe digniſſimi: aliaque id genus permulta frigide proferunt. Quo convicio Gorgiam Leontinum perſtringit, cujus illud eſt, γῦπες ἔμψυχοι τάφοι, id eſt, Vultures viva ſepulchra: quod ipſum ridet in illo Dionyſius Longinus, quemadmodum & illud, Ξέρξης ὁ τῶν Περσῶν Ζεύς, id eſt, Xerxes Perſarum Jupiter. Uſus eſt & Alexis comicus in fabula cui ſcleſtæ nomen dedit:

> Ἄκρα λίθινος, τὰ δ᾽ ἄλλα σῶμ᾽ ὑπόξυλον.
> Id eſt:
> Superne nitidi, reliquo corpore lignei.

Belgica etiamnum ligneum hominem nuncupat inſulſum, rebuſque gerendis ineptum.

COGNATI. *Tuditanus.*

Tudites mallei, à tundendo dicti inde & quibuſdam cognomen Tuditano fuit, quod caput malleo ſimile haberent.

Calphurnius Lanarius.

In proverbium abiiſſe videtur quili. 3. Officiorum nominatur Calphurnius Lanarius, de indoctis, ſtupidis, bardis. Hieronymus in epiſtola ad Auguſtinum, de Rufino: Miſit mihi temeritate ſolus maledicta, Calphurnius cognomento Lanarius.

Non plus ſenſus habet, quam ſurdi lapides.

Sic loquuntur omnes uno ore Galli & eſt apertius & dilucidius, quam ut interpretatione alia egeat. Operæ igitur verbiſque his parco.

Fœcunda de gente Meneni.

Eſt apud Halicarnaſſæum lib. 9. conſul Menenius, qui ab hiſtorico ſtultitiæ inſimulatur apertiſſime, ex cujus familiæ nomine & veriloquio perbelle ænigmatis more luſit Horatius ſic:

> —Hoc quoque vulgus
> Chryſippus ponit fœcunda in gente Meneni.

Dictum eſt de ſuperſtitioſis, quos Chryſippus numero ſtultorum & inſanorum habet. Nomen autem hujus Romanæ familiæ Græcanicum eſt ἀφήνιος enim dicitur, qui tanquam frænis ſolutus, habeniſq; patet, ad nutumque & voluntatem aliorum flectitur: vel à μήνιμα deducitur, qui ira & cupiditate nimium intemperanterq; efferetur, ideoq; inſanit, aut a μαίνω, quod eſt inſanio, uno elemẽto mutato ad euphemiſmum. Maniæ etiam, & meniæ, & meniæ, vicina nomina ſunt, quæ in ſtultitia & ineptiis ponebãtur, ut gens Menenii ſit natio ſtultorum, quæ longe lateq; patet, neque unius provinciæ finib. continetur, ſed orbis terrarum, qua ſol utrunque recurrens aſpicit Oceanum, amplitudine ſpatiatur. Hinc illud Eccleſiaſt. c. 1. Et ſtultorum infinitus eſt numerus.

Nequam, Magnus homo.

Marc. Terentius Varro lib. 6 De lingua Latina, ex Lucillo: Nequam, magnus homo, μέγας apud Ariſtophanem, eſt ſtolidus & ineptus: μεγαλόφρων, valde ſtultus, ὁ μέγα λήθαργος. Eraſmus noſter etiam ita interpretatur in proverbio, οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς. Videtur tamen author illius acroteleutii hoc ſenſiſſe: Omnis piſcis, quantumvis magnus, nullus eſt, ſi putidus. Ideirco idem eſt apud Plautum: Nequam eſt piſcis niſi recens. Stratonicus vero primus hoc protulit in Simylam quendam, magnum ac procerum, ſed ineptum & ſtolidum, per parodiam: ut putat Joſephus Scaliger, ex quodam poëta.

Inſepelibilis ſtultitia.

Plautus: Facias ſtultitiam inſepelibilem. Gloria quoq; inſepelibilis, quæ æterna eſt, dicitur. Plin. Junior Cornelio Priſco: Quid homini poteſt dari majus, quam gloria, laus & æternitas?

COELII RHODIGINI.

Septimani tragœdi.

Qui morbo, vel alia quavis cauſſa in delirium prolabuntur. Origo fuit morbus Abderitas olim infeſtans. is adjunctam habebat ferventiſſimam febrim, ad ſeptimum uſque diem. Interea deliria perpetua mentem agitabant, eaq; ridicula, nam & ad tragœdiam concitabantur, & jambica alta detonabant voce. Archelaum tragœdum, qui eodem tempore Andromedam Euripidis actitaverat, imitantes.

CAROLI BOVILLI.

Vagina quam gladii plures.

Theca ſapientiæ anima eſt: ea qui carent, majore ſunt numero quam qui ea præditi ſunt, & ubi debent, utuntur.

In mari balneandus.

Pro inſano, & parum ſui compote. Solent enim maritimi populi à rabido cane morſos, ſemel atque iterum mari immergere, & pene demergere, ut partim occulta marinæ aquæ vi, partim ipſa conſternatione, natura à ſe venenum propellat. Sic delirос nos Belgæ etiam eleganter inſulmus.

Ad clitellas natus.

De duris & ſtupidis ingeniis, qualia ſunt aſinorum: quos tam decent clitellæ & viliſſima munia, quam literæ deformant & dehoneſtant.

EX APPEND. IUNII ET Canteri.

Elephanti corio circumtectus.

Cum teſte Cic. de Nat. Deor. elephas acutiſſimi ſit ſenſus, & nulla beluarum eo ſit prudẽtior: mirum cuiquam videri poſſit, cur Palæſtrio volens Pyrgopolinicem ſuum iiſdem laudibus honeſtare, quibus Gnatho Terent. ſuum Thraſonem inquiens fatuum eſſe, inſulſum, tardum, ſtertere noctesque & dies, cur inquam, eum circumtexerit elephantis pelle, ait enim:

> Herus meus elephanti corio circumtectus eſt, non ſuo,
> Neque plus habet ſapientiæ, quam lapis.

Verum

Verum reſpexit ille, non ad naturam animalis, ſed nudam pellem: quæ quo durior eſt, & craſſior, hoc beluæ eſt congruentior, & magis propria, quo autem tenerior & delicatior, hoc nomine magis digna, & divino ejus ingenio accommodata. Atque ob hanc cauſſam Galenus noſter ὑγιεινῶν primo Germanos, recens natos puellos frigidæ immergentes, quo denſiore durioreque ſint cute, optimo jure irridet, ſuorumq; librorum lectione interdicit, ut qui non tam homines, quam aſinos, aliaq; animantia educant. Non prætereundus hoc loco ſalſiſſimus jocus, quo occaſione elephanti, qui è Luſitania per Belgicam noſtram in Germaniam mittebatur, Lovanii hoſpes meus humaniſſimus, Lucas Mæra, ut eſt ingenio faceto & liberali hominum illud genus notabat, qui, ut idem Gnatho ajebat, ſe eſſe primos omnium rerum volunt, nec ſunt: inquiens, plus ſatis hic & alibi eſſe elephantorum: id eſt, ut Latine etiam loquimur, maximarum ineptiſſimarumque beluarum, elegantiſſime. atteſtante enim Plinio, octavo, capite 1. terreſtrium animaliũ elephas maximum.

Occiſa ſus ſæpe plus multo ſapit.

Feſtivus ſenex Periplectomenes, lætus de ſucceſſu doli, quo deceptus Sceledrus, id quod viderat, putabat ſe non vidiſſe, & id quod ſciebat, neſcire, ait:

——Sat ædepol ſcio.
Occiſam ſæpe ſapere plus multo ſuem.
Cum manducatur, ne id, quod vidit, viderit.
Nam illius oculi atque auris, atque opinio
Transfugère ad nos.——

Ludit in ambigua notione verbi, Sapere: ex eo, quod ſapidiſſima omnium quadrupedum ſit ſuilla caro: quodq; ſtolidus ſervus iſte non ſaperet an vidiſſet, quod viderat, nec ne. Suem potius, quam aliud animal nominat: quod inter omnia nullum eo ſit magis indocile & brutum: cujus nobis fidem facit tum ipſa membrorum conformatio, tum flaccidus & obtuſus calor multo pingui immerſus, & craſſiſſima pelle undiquaq; concluſus. Hinc ambitorum & domicilium illi cœnum ſordeſq; omnis generis. Vide ſupra 64. 94. 106. 106. & tom. 1. 11. 12. 224. 231. 291. Belgæ tardum hujuſmodi hominem notantes, æq. ac Plautus venuſte, imo venuſtius & verecundius. Itidem ut hic, ludit in Pſeudolo, in eodem verbo, Sapere. Vide doctiſſ. caſtigationem Turnebi adverſ. viceſimo & decimo. Propterea vero quod hoc animal maxime omnium pingueſcat, adeo ut immobile interdum reddatur: etiam obeſum & pinguem porcum appellarunt. Cat. in Egnat. At porcus Umber, aut obeſus Etruſcus. Pomponius Vernionibus: Porcus eſt, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer. Ita enim utrumque hunc locum nobis ingenioſiſſime reſtituit patre tanto digniſſ. filius Joſephus Scaliger. Menander de Dionyſio tyranno, cujus edacitatem & æqualiculum deſcribit Athen. xij. παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα. Obeſus etenim ſus premebat os viri.

INTEMPERANTIA, ET LIBIDO.

ERASMI.

Myconius vicinus.

Μυκόνιος γείτων. id eſt, Myconius vicinus. In eum, qui invocatus ad convivium accedit. Nam hoc nomine Myconios notavit antiquitas, quod liguritores eſſent, & alienæ appetentes menſæ. Ad hunc modum Suidas. Zenodotus autem ait convenire in ſordidos, atq; humiles homunciones: propterea quod ea inſula, inter contemptas habita ſit, ob ſterilitatem, atq; ob id gentem avidiuſculam, & alieni appetentiorem fuiſſe. Athenæus idem ferme teſtatur in primo ſermone Dipnoſophiſtarum, citans hunc ex Archilocho verſum, quo taxavit Periclen quendã, ὡς ἄκλητος εἰς κλήτων εἰς τὰ συμπόσια μυκονίων δίκην. i. Velut qui invocatus irruerit in convivia Myconiorum more. Idem addit, Myconios quo inopes eſſent, utpote ſterilem inſulam incolentes, ἐπὶ γλισχρότητι καὶ πλεονεξίᾳ fuiſſe notatos. Egeſtas enim facit avidos alienarum rerum: unde & Cratinus Iſchomachum quendam gulæ mancipium, Myconium appellarit.

Unico digitulo ſcalpit caput.

Molles atq; effœminati, uno digito caput ſcalpere dicuntur: nimirum ſolliciti ne comam ſtudioſe compoſitam perturbent. Id primum dictum putant à Calvo poëta in Pompejum: hinc in omnes parum viros tranſlatum. Juvenalis ſatyra nona:

Qui digito ſcalpunt uno caput.

molles & impudicos ex geſtu notans. Porro geſtum eum antiquitus impudiciæ habitum argumentum, teſtatur in epiſtolis Seneca: Rerum, inquiens, omnium, ſi obſerventur, indicia ſunt. Et argumentum morum ex minimis quoq; licet capere. Impudicum, & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſpõſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum, interdum riſus, inſanum vultus, habituſq; demonſtrat.

Baceli ſimilis.

Ἴκελος Βακήλῳ. καὶ βάκηλος εἶ. id eſt, Bacelo ſimilis, & Bacelus es. In cinædos ac parum viros dictum aut in magnos quidem corpore, ſed animo ſtupidos. Tractum à forma moribuſque Baceli cujuſdam. Ait Suidas, Bacelum proprie ſignificare eum, qui ſit exectus: eoq; in molles dici, quod hoc morbo potiſſimum laboret illud hominum genus. Antiphanes in Caribus, Bacelum quempiam taxat apud Athenæum lib. 4.

——Οὐχ ὁρᾷς ἐγχεόμενον,
Τὸν χερσὶ τὸν βάκηλον, οὐδ' αἰσχύνεται.
hoc eſt:
——An Bacelum non vides,
Manibus ſuis ſic ſaltitantem nec pudet:

Meminit hujus Suetonius in vita Auguſti, ſcribens eum peculiari vocabulo, Bacelum pro ſtulto aſſidue ſolitum dicere. quanquam in vulgatis codicibus Baceolus ſcriptum eſt. Hermolaus exiſtimat & apud Quintilianum recte pro Bagoa, Bacelũ legi poſſe. Verba Fabii ſunt hæc: At vero ſtatuarum artifices, pictoreſq; clariſſimi, cum corpora ſpecioſiſſima pingendo fingendove effingere cuperent, nunquam tamen in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam, aut Megabyſum aliquem in exemplum operis aſſumerent ſibi. Verum equidem non video, cur Fabiana ſcriptura mutanda ſit: cum βαγώας, barbara lingua ſignificet eunuchum. quo nomine Lucianus philoſophum quendam inducit, qui vultu corporiſq; figura eunuchum præ ſe ferret. Quin & Ovidius De amoribus, ſervum puellæ cuſtodem Bagoam appellat:

Quem penes eſt dominam ſervandi cura Bagoæ.

Herniosus uſque ad gulam.

Κηλὴν μέχρι τοῦ λαιμοῦ. id eſt, Herniolus uſque ad gulam. Quadrat in vehementer hernioſum. Carmen eſt apud Ariſtophanem in Equitibus:

Κηλὰν ζηλοῦσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ λαιμοῦ.
Id eſt:
Sis hernioſus oportet ipſam uſque ad gulam.

Ariſtophanis interpres oſtendit fuiſſe & apud Diphilum.

Batalus.

Βάταλος εἶ. id eſt, Batalus es. Olim in effœminatos per contumeliam dicebatur. Plutarchus oſtẽdit, id cognominis Demoſtheni puero inditum fuiſſe, & ab inimicis probro objectũ. Porro cognominis hujus idem varias adfert rationes, vel quod Batalus quiſpiam fuerit tibicen, mollis & effœminatus, qui muliebribus ſandalus primus omnium in ſcenam prodierit, ac muſicam, ut ita dixerim, evitarit. vel poëtæ cuidam obſcœno nomen fuerit Batalo, vel quod apud Atticos Batalus appellata ſit ea pars corporis, quæ verecunde nominari non poteſt. Meminit hujus rei Libanius. Idem nempe Demoſthenes jam provecta ætate, ſimili contumelia dictus eſt Argas: ſive quod hoc nomine fuerit quiſpiam malarum autor legum: ſive quod, ut exiſtimat Suidas, ſerpentis genus ſit Argas. Dicunt item Græci Βαταλίζειν, pro eo quod eſt, turpiter atq; effœminate vivere.

Tibicinis vitam vivis.

Αὐλητοῦ βίον ζῇς. id eſt, Tibicinis vitam vivis. In eum jaciebatur, qui laude quidem, ſed alieno viveret ſumptu. Tibicines enim quoniam in ſacris olim adhibebantur, adeſſe ſolent & in cœnis illis pontificabilibus, idque immunes. De hoc hominum genere, ni fallor, ſentit Ariſtoteles, quærens in problematis, quamobrem τεχνῖται διονυσιακοί, i. artifices bacchanales, vix unquam bonæ frugis eſſe conſueverint. Reddit autem triplicem rationem. Sive quod neceſſariis artibus magnam vitæ partem occupati, non dant operam philoſophiæ præceptis: ſive quod aſſidue in deliciis ac voluptatibus vitam agunt: ſive quod egeſtas etiam ipſa ad vitia propellit. Problema refertur à Gellio, libro Noctium Atticarum xx. De tibicinibus, qui Roma Tibur ſeceſſerant, narrat T. Livius primæ decadis li. 9. Poſteaquam perpelli nequibant, inquit, conſilio haud abhorrente ab ingenuis hominum, eos aggrediuntur. Die feſto alii alios, per ſpeciem celebrandarum cantu epularum invitant: & vino, cujus avidum ferme genus eſt, oneratos ſopiunt, atq; in plauſtra ſomno victos conjiciunt, ac Romam portant. Nec prius ſenſere, quam plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ lux eos reliquit. ... fertur a Diogeniano & Suida. Muſice vivere, dixit Plautus: pro eo quod eſt, voluptariam & ocioſam agere vitam. Huc reſpexit Terentius: Vide ocium & cibus quid faciat alienus. Item Alexis apud Athenæum in Commoricntibus:

Οὕτω τι τἀλλότρια δειπνεῖν ἐστι γλυκύ.
Id eſt:
Uſque adeo dulce eſt, devorare non tua.

Et illud apud eundem, Theopompi:

Εὖ γ' εἶπεν Εὐριπίδης τοῦτ' ἔχον,
Τἀλλότρια δειπνεῖν τὸν καλῶς εὐδαίμονα.
Id eſt:
Sane eleganter dixit hoc Euripides,
Felicem eum eſſe, aliena qui uſque cœnitet.

Samiorum flores.

Σαμίων ἄνθη, id eſt, Samiorum flores. Ubi quis extremam voluptatem decerperet. Hoc autem nomine dicebatur locus quidam, in quo mulieres cum viris convivium agitabant, omnique genere voluptatum affatim explebant ſeſe. Quibus deliciis effœminati poſtea ſubacti ſunt a Perſis, & in ſervitutem acti. Stephanus admonet, Samum inſulam olim Ἀνθεμοῦσαν appellatam fuiſſe: nimirum à floribus. Eandem Παρθενίαν fuiſſe vocatam: videlicet

delicet à virginibus. Refertur adagium in collectaneis, quæ Plutarchi feruntur titulo. Meminit & Athenæus libro duodecimo ex Clearcho, demonſtrans locum ita vocatum, ob varias formas puellarum, quæ veluti flores arridentes, ad libidinem invitabant. Apte quadrabit in civitatem, domum, denique hominem voluptatibus perdite addictum.

Sponſi vita.

Νυμφίου βίος. i. Sponſi vita, pro molli ac delicata. Confine illi, quod alibi relatum eſt, Muſica vita. Suidas ſenarium hunc adducit, qui extat apud Ariſtophanem in Avibus:

Ὑμεῖς μὲν ἄρα ζήσετε νυμφίων βίον.

Id eſt:

Sponſi quidem profecto vitam vivitis.

Propterea quod proci fontibus & ſertis coronari ſoleant, & delicatius nitidiuſque coli: vel quod molles videantur, nuptiis inhiantes. Apud Athenæum libro octavo Stratonicus citharœdus Rhodios λευκοὺς Κυρηναίους καὶ μνηστήρων πόλιν, id eſt, Albos Cyrenæos & procorum civitatem appellat. Niſi malumus ad Homericos illos Penelopes ſponſos referre, quibus nihil cordi erat præter convivia, cytharam, choream, talos, diſcum, paraſitos, atque id genus alias voluptates. Unde Horatius homines luxui deditos, ſponſos Penelopes appellat.

Melle temetipſum perungis.

Ἐν μέλιτι σεαυτὸν ἐγκυλινδεῖς, i. In melle temetipſum obvolvis obliniſque. hoc eſt, molliter ſuaviterque vitam agis: quaſi parum ſit veſci melle, niſi totus ſis melleus. Extat apud Diogenianum.

Samiorum laura.

Σαμίων λαύρα, id eſt, Samiorum laura. Dictabatur in turpibus addictos voluptatibus. Lauros apud Samios angiportum quoddā erat, in quo cupediæ, popinariæque lautitiæ venditabantur a mulierculis in hoc paratis. Extat & hoc adagium in commentariis, quæ Plutarcho inſcribuntur. Refert idem Athenæus ex Clearcho libro 12. addens hoc inventum fuiſſe Polycratis Samiorum tyranni: eamque civitatis corruptelam fuiſſe commentam ex Sardium cubito, qui dulcis proverbio dictus eſt, auctore Platone.

Samium comatum.

Τὸν ἐν Σάμῳ κομήτην, id eſt, Samium comatum, dicebant, cum qui ante ignavus habitus, præclarius expectatione ſe ſe geſſiſſet in negocio. Ajunt pugilem quempiam apud Samios fuiſſe, qui cum adverſariis haberetur ludibrio, quod comatus eſſet, commiſſus cum illis, vicit. Unde in proverbium abiit, quoties quis certamen ſuſcipit cum iis, quos præter opinionem experitur ſeſe viribus ſuperiores. Non diſſimile, quod admonuit Sylla, Cavendum à puero male cincto. Recenſetur in Plutarchi Collectaneis.

Sardanapalus.

Σαρδανάπαλος, id eſt, Sardanapalus. Hujus cognomen ob inſignem hominis mollitiem abiit in proverbium. Ariſtophanes in Avibus:

Τίς ὁ Σαρδανάπαλος οὑτοσί;

Id eſt:

Quis hic Sardanapalus?

Fuit autem Sardanapalus Anacyndaraxis filius, rex Nini Perſicæ regionis, qui eodem die Tarſum pariter & Anchialem, duas Ciliciæ civitates obtinuit: cæterum deliciis uſque adeo effœminatus, ut inter eunuchos & puellas, ipſe puellari cultu deſideret ſit ſolitus. Apollodorus (ut citat Ariſtophanis interpres) tradit ejus ſepulchro epitaphiū hujuſmodi literis Aſſyriis inſculptum fuiſſe: ἔσθιε, πῖνε, ὄχευε, ὡς τὰ ἄλλα οὐδενός ἐστιν ἄξια. id eſt, Ede, bibe, utere Venere: nam cætera ſunt nihil. Suidas hac forma refert ex Caliſthene: σὺ δέ, ξεῖνε, ἔσθιε καὶ πῖνε καὶ παῖζε ὡς τἄλλα ἀνθρώπινα οὐκ ὄντα τούτου ἄξια. id eſt, Tu vero hoſpes, ede, bibe, lude: tanquam cæteras res humanas, hujus non faciens.

Lesbiis digna.

Λεσβίων ἄξια, id eſt, Lesbiis digna. De rebus irritis dicebatur, ob id, ut conjicio, quod Lesbii ob vanitatem vulgo male audirēt. Fortaſſis non male quadrarit & in ſordidos atque impuros. Nam hæc etiam nota quondam illis inuſta eſt: Unde λεσβιάζειν dictum, pro eo quod eſt, polluere. Ariſtophanes:

Μιανεῖ ἤδη λεσβιεῖ τοὺς ξυμπότας.

Id eſt:

Spurcabit ac jam polluet convivium.

Lesbiari.

Λεσβιάζειν antiquitus polluere dicebant. Ariſtophanes in Veſpis:

Μιανεῖ ἤδη λεσβιεῖ τοὺς ξυμπότας.

Id eſt:

Quæ combibones jam ſuos contaminet:

Ajunt turpitudinem quæ per os peragitur, fellationis opinor, aut irrumationis, primum à Lesbiis authoribus fuiſſe profectam, & apud illos primum omnium fœminam tale quiddam paſſam eſſe. Interpres hujus rei teſtem citat Theopompum in Ulyſſe: ἵνα μὴ τὸ παλαιὸν τοῦτο καὶ θρυλούμενον δι' ἡμετέρων στομάτων ἀποτείσω, ὃ φασι παῖδας Λεσβίων εὑρεῖν, id eſt, Ut ne vetus illud, ac vulgo jactatum inventum ore noſtro proloquar, quod ajunt Lesbios reperiſſe. Citat Stratidem in Troilo.

Μήποτ' ὦ παῖ Ζηνὸς ἐς τ' αὐτὸ μόλῃς,
Ἀλλὰ παραδοὺς τοῖς Λεσβίοις χαίρειν ἔα.

Id eſt:

Ne quando fili Jovis hucuſque pervenias, verum hoc
Lesbiis relinquas, ac valere ſinas.

Senarii duo videntur, ſed nonnihil depravati. Innuit idem Ariſtophanes ἐν Ἐκκλησιαζούσαις.

Δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους.

Id eſt:

Mihi at videre labda juxta Lesbios.

Alluſit autem ad communem literam, quæ prima eſt & Lesbiis, & obſcœno verbo λαικάζειν, id, ni fallor, tale quiddam eſt Græcis, quale fellare Latinis. Nam vox etiamnum manet, tametſi rem jam olim è medio ſublatam arbitror.

Corinthiari.

Κορινθιάζεσθαι veteres vulgato joco dicebāt eos, qui ſcortationibus ac diluſtris indulgerent, quive lenocinium exercerent: qui quæſtus hodie nuſquam uberior quam apud Venetos. Sumptum eſt à meretricibus Corinthienſibus, de quibus ſuo loco dictū eſt. Tantus enim illic honos habebatur meretricibus, ut (quemadmodum ex autoribus docet Athenæus) illic in templo Veneris proſtarent, atque in ſolennibus precibus illud addi ſoleat, ut dii augerent meretricum numerum. Quin & illud refert, meretrices facto ſacro Veneri, civitatem extremo periculo laborantem ſervaſſe placata Venere. Proverbii meminit hujus Stephanus De urbibus, Ariſtophanis allegans Cocalum.

Lydus in meridie.

Λυδὸς ἐν μεσημβρίᾳ, id eſt Lydus in meridie. In hominem inſatiatæ, aut etiam intempeſtivæ libidinis dictitabatur. Narrant Lydos adeo libidine perditos fuiſſe, ut non tantum noctu vacarent voluptati Venereæ, verum etiam ipſo meridie laſcivirent, manib. fœdum opus peragentes: unde λυδίζειν dicunt Græci, pro Lydorum more vitam agere. De gentis hujus luxu deliciiſque, multa commemorat Athenæus lib. 12. Meminimus alibi, nimirum in proverbio, Sybaritica menſa, de convivio Sybaritico, in quo & Venus admiſcetur. Porro nullum eſt tempus magis alienum à coitu, quam vel meridiei, ob æſtuantem ſolem: vel convivii, propter ſpiritus circa ſtomachum & concoctionem occupatos.

Lydus cauponatur.

Λυδὸς καπηλεύει, id eſt, Lydus cauponatur. In effœminatos & voluptatibus addictos jaciebatur. Ex hujuſmodi natum hiſtoria tradunt. Cyrus rex devictis Lydis imperavit ex conſilio Cræſi, ut cauponiam exercent, neque tractarent arma, ſed veſte ad terram uſque demiſſa uterētur, quæ olim molliciem indicabat: ut ad eum modum veluti in fœminas transformati, ad rebellionem fierent inutiles. Herodotus libro primo tradit, Lydos primos omnium caupones & inſtitores extitiſſe. Heſychius tradit, ab his inventa ſpectacula, & hinc Romanos dixiſſe ludos. καπηλεύειν Græcis proprie dici, qui vendunt eſculenta. Proverbium ſapiunt & illa quæ refert Suidas λυδίζω ſeu λυδίζειν, pro eo quod eſt, Lydorum more vivo. Refertur à Suida.

Lydio more.

Λυδίῳ νόμῳ, id eſt, Lydia lege, ſive Lydia cantione. Conveniē quoties ariolatur aliquis, & auguriis divinationibuſq; ſervit. Hac enim ſuperſtitione Lydi laboraſſe feruntur. Alluſit ad harmoniæ genus quod Lydium dicitur. Nam & magorum preces, incantamenta vocantur & carmina. Meminit Diogenianus: & item Heſychius, putans item eſſe λυδίῳ νόμῳ, ac ſi dicas μυσονόμῳ quod Lydi profecti ſunt à Myſis & ipſi divinationibus deditiſſimi. Addit aliam cauſam, quod Lydi flammeis muliebribus ſoleant ornare capita: unde quadrare videtur in effœminatos. Atqui ſi nobis quoque divinare liceret, Lydi curribus & equitatu valuiſſe leguntur: ita λύδιος νόμος idem erit cum eo qui apud Suidam dicitur ἁρμάτειος νόμος, ſive ἁρμάτειον μέλος, ita dictum, quod primum inventum ſit de Hectore, qui curru trahebatur, ut narrat Homerus.

Pepones.

Πέπονες, id eſt, Pepones. Proverbiale convicio dicuntur homines molles & effœminati, parumque viri. Homerus Iliados β.

Ὦ πέπονες, κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Id eſt:

O pepones, mala probra, Achivæ, non enim Achivi. Euſtathius in ſeptimum hujus operis librum, oſtendit ſimilitudinem ſumptam ab eo fructu, qui ſimulatque maturuit, dulcis quidem eſt, verum flaccidus & inutilis. Quanquam eadem vox aliquoties non convitiantis eſt, ſed blandius & amicius appellantis: velut Iliados ζ.

——Ὦ πέπον, ὦ Μενέλαε.

Id eſt:

——O pepo ô Menelae.

Videre mihi labda.

Δοκεῖς δέ μοι καὶ λάβδα κατὰ τοὺς Λεσβίους, id eſt, Mihi videre & labda juxta Lesbios. Fellatricem indicat, velut ænigmate primam literam, qua communis Lesbiis, & vitio quod ei tribuitur genti:

quemadmodum indicavimus alibi. Sumptum ex Ariſtophanis concionatricibus.

Adonidis horti.

Ἀδώνιδος κῆποι, id eſt, Adonidis horti, de quibus leviculis dicebatur, parumque frugiferis, & ad brevem præſentemque modo voluptatem idoneis. Pauſanias teſtatur, Adonidis hortos olim in deliciis fuiſſe, lactucis potiſſimum ac fœniculis frequentes in quibus ſemina haud aliter atque in teſta deponi conſueverint: eoque rem in proverbium abiiſſe, contra futiles ac nugones homines, & voluptatibus ineptis natos: cujuſmodi ſunt cantores, ſophiſtæ, poëtæ laſcivi, cupediarii, atque id genus alii. Erant autem ii horti Veneri ſacri, propter Adonidem ejus amatium, primo ætatis flore præreptum, atque in florem converſum. Horum mentionem facit Plato in Phædro: ὁ νοῦν ἔχων γεωργὸς, ὧν σπερμάτων κήδοιτο, καὶ ἔγκαρπα βούλοιτο γενέσθαι, πότερα σπουδῇ θέρους εἰς Ἀδώνιδος κήπους ἀρῶν χαίροι θεωρῶν καλοὺς ἐν ἡμέραισιν ὀκτὼ γιγνομένους, ἢ ταῦτα μὲν δὴ παιδιᾶς τε καὶ ἑορτῆς χάριν δρῴη ἂν ὅτε καὶ ποιοῖ. id eſt: Num agricola, qui ſapiat, ſemina quæ curæ haberet, quæque cuperet aliquando fructum adferre, æſtatis tempore ſummo ſtudio in Adonidis hortos mittet, gaudetque ſpectare eos intra dies octo jam pulchros effectos: an ea quidem per luſum, ac feſti gratia faceret, ſi quando tamen faceret? Item Plutarchus in commentario cui titulus, περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων, id eſt, de eo, qui a numine sero puniuntur: ἀλλὰ μικρός τις καὶ φιλόκαλος ὁ θεὸς [illegible] Ἀδώνιδος κήπους [illegible] ψυχαὶ [illegible]. id eſt, Imo moroſior quiſpiam, & leviculorum rerum curioſus eſt Deus, qui cum nihil habeamus divinum in nobis, neque quod ullo modo ad illius ſimilitudinem accedat, quodque conſtet ac ſtabile perpetuumque ſit, quin magis foliorum ritu, quemadmodum ait Homerus, undequaque marceſcamus, intereamuſque brevi, tantam noſtri curam habeat: non aliter, quam muliebres, quæ Adonidis hortos, ad dies paucul os vernantes, in teſtulis quibuſdam nutriunt foventque animas nec vi duraturas, in carne tenera, & ſolidam vitæ radicem non recipiente ſuppullulantes, ac mox ad quamvis occaſionem interituras. Meminit & Theocritus Idyllio Θ.

> Πὰρ δ᾽ ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις
> Ἀργυρέοις.
>
> Id eſt:
>
> Adſunt & teneri calathis candentibus horti,
> Servati. ——

Effertur parœmia etiam hoc modo, ἀκαρπότερος τῶν Ἀδώνιδος κήπων, id eſt, Infructuoſior Adonidis hortis. Non diſſimili figura Iſæus apud Philoſtratum juveniles voluptates appellat, Ταντάλου κήπους: quod umbris ac ſomniis perſimiles ſint, nec expleant hominis animum, ſed, irritent potius. Similiter Pollux ſophiſtæ Athenodori dictionem appellabat Tantali hortos quod juvenilis eſſet ac levis, ſpeciem præ ſe ferens, quaſi eſſet aliquid, quum nihil eſſet.

Ut Corinthia videris.

Ἀνὴρ Κορινθία τὰς χεῖρας χειρομαχεῖν, id eſt, Corinthia videris corpore quæſtum factura. In mulierem intempeſtivius libidinantem. De mulieribus Corinthi proſtantibus dictum eſt alibi. Dictum eſt autem χειρομαχεῖν, novo quidem verbo quod nobis indicat quæſtum facere corpore. χεὶρ enim naturam muliebrem ſignificat. Extat & hoc in iiſdem Collectaneis.

Agathonia cantio.

Ἀγαθώνιος αὔλησις, id eſt, Agathonia cantio. Recte dicetur de oratione blanda magis, quam frugifera. Agathon ubicen quiſpiam erat, cantilenarum ſuavitate majorem in modum aures deliniens. Nec hujus mores diſſimiles muſicæ fuiſſe perhibentur. Laboravit enim infamia mollitiei, Autor & Suidas & Zenodotus. Haud ſcio an hic ſit idem ille Agathon, in tragicorum certamine victor, in cujus epiniciis Plato celebrat illud nobile convivium. Hujus multis modis Ariſtophanes in Theſmophoriis, carminum mollitiem deridet.

Chalcidiſſare.

Χαλκιδίζειν ἢ χαλκιδεύσασθαι, dicebantur, qui rapaciores, & plus ſatis ad rem attenti viderentur. Chalcidenſes in inſula Eubœa populi, comœdiæ veteris conviciis notati ſunt, quod avariores eſſent. Heſychius indicat, eam gentem male audiiſſe ob fœdos puerorum amores: & hinc natum proverbii convicium in ſimili morbo obnoxios.

Phicidiſſare.

Φικιδίζειν, id eſt, Phicidiſſare, dicebantur vulgo, puerorum obſcœnis amoribus dediti. Quidam malunt ad eos referre, qui litera immodice & ad faſtidium uſque conſueverint uti. Siquidem ea gens literam σ ſolita eſt in φ commutare. Quo quidem vitio notantur & Eretrienſes: atteſtante proverbio, Ἐρετριέων ῥῶ, id eſt, Eritrienſium rho. Hodie jocus eſt vulgi in Picardos, cum Lutetianæ fœminæ ob linguæ delicias, ρ vertant in σ, Maſia ſonantes pro Maria

Siphniaſſare.

Σιφνιάζειν, id eſt, Siphniaſſare. Suidas indicat proverbio dici ſolere, pro eo quod eſt, manum admovere poſtico: ſumptum eſſe à moribus Siphniorum, qui libidinis cauſa id factitare conſueverint. Eſt autem Siphnus, inſula quæpiam, haud procul à Creta cui quondam nomen fuerit Merope, vel hoc nobilis elogio, una è Cycladibus. Refert eam & Plin. libro quarto, capite duodecimo. Proverbium indicat & Stephanus.

Αὐτολήκυθοι.

Αὐτολήκυθοι, vulgato verbo dicebantur, qui non ex animo, ſed ventris cauſa colerent amicos: inde conficta voce, quod ſponte ad lecythum commearent, & invocati præſto eſſent in conviviis. Eoſdem τηγανοκνίσας quoque vocatos fuiſſe teſtatur, & ab Eupolide τοὺς ἀπὸ τηγάνου & μετ᾽ ἄριστον φίλους, id eſt, Circum ſartaginem & poſt prandium amicos dictos fuiſſe. Plutarchus in libello cui titulus, Quo pacto quis dignoſcere poſſit adulatorem ab amico: ἀλλὰ μὴ καθάπερ οἱ πολλοὶ τοὺς αὐτολήκυθους τούτους [illegible] ἀλλὰ [illegible] μόνον [illegible]. id eſt: Sed ne quemadmodum vulgus hominum facit, Autolecythos iſtos, qui vocantur, ac menſales, quique tum demum audiunt, poſteaquam aqua manibus infunditur, ſicuti dixit quidam, exiſtimemus adulatores. Uſus eſt eo verbo Demoſthenes in oratione adverſus Cononem: Interpretes varie exponunt: vel de his, qui ad quidvis perpetrandum parati ſunt, vel de pauperibus, qui præter lenticulam nihil poſſident: vel de iis, qui faciles ſunt ad depromendam pecuniã, quod quidã ſolerent in lenticulis pecuniam recondere: atque aliis item modis, quorum nihil convenit cum ſententia Plutarchi. Apud Athenæum libro quarto vocantur ἀλλοτριοφάγοι, quibus dulce eſt aliena vivere quadra. Refert ibidem quiddam non illepidum: orta diſceptatione, quænam aqua rum eſſet optima, quum alii præferrent Lernæam, alii Pirenæam, alii aliam, Carneus juxta Philoxeni ſententiam dixit, τὸ κατὰ χειρῶν ὕδωρ ἥδιστον, ſuaviſſimam aquam quæ manibus infunditur: quod ea declaret cœnam eſſe paratam, quum conviviator jubet convivas lavare. Congruit cum eo quod alibi dictum eſt: Fervet olla, vivit amicitia.

Κλειταγοράζειν.

Κλειταγοράζειν, vulgato convicio dicebantur ii, qui puerorum amoribus oblectarentur: aut, ut ait Diogenianus, mulieres immodice libidinoſæ. Unde natum ſit proverbium, non ſatis liquet, niſi quod Heſychius docet, κλειτορίς Græcis ſonare naturæ muliebris viciniam partem: unde receptum, ut κλειταγοράζειν appellarent libidinoſam contrectationem, atteſtante & Suida.

Cliſthenem video.

Κλεισθένην ὁρῶ, id eſt, Cliſthenem video. Cliſthenes hic male audit, & comicorum conviciis laceratus eſt, quod parum vir haberetur, ſeſeque cultu indecore, velut in mulierem transfiguraret, Sardanapalum illum Aſſyrium imitatus. Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις:

> Ἀλλ᾽ οὐχ ὁρᾷς σαυτόν, ἀλλὰ Κλεισθένην.
>
> Id eſt:
>
> Teipſum vides non per Jovem, ſed Cliſthenem,

Suidas refert, & ait convenire in eos qui levi, deraſaque ſunt cute. Nam hic mos Cliſtheni, barba deraſa ſemper eſſe, quo juveneſcentior dum videretur. Effertur & ad hunc modum, Κλεισθένους ἀκολαστότερος, id eſt, Cliſthene intemperantior de cinædo, & deliciis effœminato, contrarium illi Ζήνωνος ἐγκρατέστερος, id eſt, Zenone temperantior.

Cleocritus.

Κλεόκριτος, id eſt, Cleocritus. Id nominis contumeliæ cauſa jaciebatur in cinædos ac molles, & parum viros. Nam & hunc veteris comœdiæ maledicta nobilitarunt. Dictus eſt autem effœminatus cinædus, hoſpes, obſcuro fœdoque genere, Cybeles filius quod Rheæ myſteria abſcectis viriliſque peragerentur. Ne forma quidem à moribus diſcrepabat. Nam facie velox autem referebat. Suidas nominatim proverbii loco refert: alioquin ipſe non retuliſſem inter adagia.

Sinopiſſat.

Σινωπίζειν, id eſt, Sinopiſſas id eſt, laſcivis. A Sinope ſcorto quodam nobili, celebratæque laſciviæ: cui nomen hinc inditum videtur quod noxiis eſſet oculis. Athenæus lib. 13. docet fuiſſe Æginenſem. Fuit & Sinope Æſopi filia, cui nihil carius fuit virginitate.

Sus per roſas.

Ὗς διὰ ῥόδων, id eſt, Sus per roſas. Quanquam in aliis exemplaribus ſcriptum invenio, ὗς διὰ ῥοῶν. Mihi neutra ſcriptura ſatis probatur: ſed legendum arbitror, διὰ ῥοιδίων, aut ῥοιῶν, ut ſit nomen diminutivum. Rhoeæ vero Græcis dicuntur mala punica. Eudemus proverbium citat ex Cratetis fabula, cui titulus γείτονες: indicans dici ſolere de agreſtibus & intractabilibus, Quemadmodum ſus per mala commode dici non poteſt

Aries

Aries cornibus laſcivìens.

Κεράσι ἀσελγαίνων, id eſt, Aries cornibus laſciviens. Diogenianus oſtendit convenire in magnos ac laſcivos. Pruriunt cornua arietibus bene paſtis: quod idem accidit bubus. Vergilius:

Jam cornu petat, & pedibus qui ſpargat harenam.

vitulum laſcivientem indicans. Heſychius indicat originem proverbii. In arce Palladis aries erat repoſitus ingens æreus, quem Plato comicus dixit ἀσελγαίνειν, non tam ob laſciviam, quam ob ingentem molem. Confertur enim cum equo Durateo. Veteres enim non ſolum ἀσελγὲς dixiſſe, quod eſſet laſcivum & indomitum, verum etiam quod eſſet prægrande: quemadmodum Eupolis ἀνέμῳ ἀσελγεῖ dixit, pro magno vento. Hæ ſunt grammaticorum cruces, ne æreus ille aries ſit formidabilis ob ingentia cornua. At quid vetat etiam ventum dici laſcivum & intemperantem, quod ſuo arbitrio ludit ubi velit? Mihi videtur adagium convenire & in ſtolidos, præter meritum evectos ad dignitatem.

Ἱππομανεῖν.

Ἱππομανεῖν, dicebantur proverbiali convicio fœminæ viroſæ, ac libidine præter modum prurientes. Ariſtoteles libro De animalibus ſexto. αἱ μὲν οὖν αἱ ἵπποι θήλειαι ἱππομανεῖν λέγονται ἐπὶ τῶν ἄλλων ... ἐπὶ τῶν ... τὸ ἀφροδισιάζειν, id eſt, igitur equæ furiunt in equos. Unde ab uno hoc animante ductum eſt vocabulum, quod in mulieres convicio dicitur, circa venerem intemperantes.

Caprarius in æſtu.

Αἰπόλος ἐν καύματι, id eſt, Caprarius in æſtu. Conſimilem habet ſenſum, videlicet intempeſtivæ libidinis. Nam his horis caprarii, dum ſeductis gregibus in umbra latitant, laſcivire ſoliti ſcribuntur. Zenodotus utrunque refert adagium, & item Suidas. Poterit ad quamvis voluptatem accommodari, non in tempore adhibitam.

Quæ ſub alis fiunt.

Αἱ ὑπὸ μάλης πράξεις, id eſt, facta ſubalaria: proverbiali figura dixiſſe videtur Plutarch. in commentario quod inſcribitur, Quo pacto ſit dignoſcendus adulator ab amico: πάντα, inquiens, ... ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσιν ... ἐστιν, id eſt: Ad laborem & res honeſtas ſegnis, in his rebus quæ ſub ala fiunt, nihil recuſat. De adulatore loquitur, ad honeſta officia tum pigro, tum inutili, ad voluptuaria miniſteria prompto: videlicet ad ſcortum cum fide adducendum, ad comparanda obſonia, ad inſtruendum convivium. Equidem opinor, ob id adulationi ſub alis ſedem datam eſſe, quod hæ corporis partes titillationem præcipuam ſentiant: ſive ob cutis tenuitatem: ſive quod inſolitus nobis earum contactus partium: ſive quod is locus venulas habeat, quibus frictu calefactis, ejuſmodi naſcatur delectatio. Ariſtoteles ſectione trigeſima quinta, problemate ſecundo, indicat ſub alis potiſſimum, ac ſub pedum veſtigiis fieri titillationem: conjectans in cauſa eſſe, vel quod ibi cutis ſit mollior, vel quod contactus ſit inſolens, quod idem uſu venit in aurib. Quod autem aliud eſt adulatio, quam aurium prurites quidam, & gargarizatio? Unde Lucianus in dialogo quodam Charontis, Menippi & Mercurii, philoſophum quempiam omnibus exuens vitiis, ... ὑπὸ μάλης ἔχω ... id eſt: Unum quiddam adhuc ſub alis geſtat, quod eſt omnium graviſſimum. Quidnam Menippe? Adulationem Mercuri, quæ illi plurimum attulit emolumenti in vita niſi ſi quis maliit ὑπὸ μάλης, ita dictum, ut alibi Lucianus dixit, ὑπὸ κόλπον. ſub ſinu: ſignificans eum Veneris uſum qui non vacat turpitudine. Nam oſcula, quæque ſupra ſinum fiunt, utcunque cum honeſtate poſſunt cohærere: cæterum infra ſinum, οὐδὲν ὑγιές.

E Maſſilia veniſti.

Ἐκ Μασσαλίας ἥκεις, id eſt, E Maſſilia veniſti. Suidas ait dici ſolitum de iis, qui cultu parum viris decoro uterentur: quod Maſſilienſes luxu perditi, muliebrem ferme in modum ornarentur, comis unguento delibutis, capilliſque religatis. Huic affine quod refert Athenæus Dipnoſophiſtarum libro duodecimo, πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν, cujus nos alibi mentionem fecimus in proverbio, Naviges Maſſiliam: & quid ſuper hoc ſentiremus, explicuimus.

Complura maſculi canis cubilia.

—Πολλαὶ κυνὸς ἄρσενος εὐναί.

Id eſt,

—Sunt canis infinita cubicula maſculi.

Hemiſtichium heroicum proverbiale. Recte dicitur in hominem mulieroſum, peculiariter eum qui non contentus certo thoro, paſſim per aliena cubilia volutari gaudeat. Nam hoc ſibi permittunt hac tempeſtate mariti. Porro ſi quid humanum acciderit uxori, cœlum terræ commiſcent, tam iniquè ſeveri in illas, quam turpiter in ſeſe indulgentes.

Lentiſcum mandere.

Σχῖνον διατρώγειν, id eſt, Lentiſcum mandere, vel arrodere: Græco proverbio dicuntur ii, qui nimio comendi corporis ſtudio ſuperſluunt: nam ex lentiſco dentifricium fieri conſuevit. Is eſt pulviſculus quidam candidandis dentibus comparatus. Fiebant & dentiſcalpia ex lentiſco: hoc eſt, cuſpides quædam purgandis dentibus accommodæ. Martialis in Apophoretis:

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna levare poteſt.

Quia & Dioſcorides libro primo indicat, lentiſci ſuccum ex aqua decoctæ figere vacillantes dentes, ſi eo colluantur: tum & cuſpides hinc factas ſi affricentur, utiles eſſe dentibus abſtergendis. Hujuſmodi igitur quibus dentiſcalpium ſemper in ore eſt, lentiſcum arrodere dicuntur, & σχινοτρῶγες, id eſt, Lentiſci arroſores appellantur. Nam dentium cura, olim ut delicatis probro dabatur: & Apulejo inter reliqua crimina objectum eſt, quod dentifricium paraſſet. Recte transferetur adagium & ad reliquum totius corporis cultum.

Penicillare.

Πηνίζειν μοι δοκεῖς, perinde valet quaſi dicas, fucum facere: quod idem dicitur φενακίζειν. Nam πῆνος, Græcis comam non genuinam, ſed appoſititiam ſignificat: quam quidam galericulum vocant. Hinc φενακίσματα, τέχναι, doli.

Πτερύζειν.

Πτερύζειν dicitur, qui conatur & geſtit quippiam efficere. Sumptum a pullis avium, cum adhuc involucres ſunt, alas moventibus. Lucianus uſurpat pro indecore & ſcurriliter geſticulari, libello De mercede ſervientibus. Ariſtophanes in Pluto:

Καὶ σὺ μὴ λέξῃς μ' ὕπο ... τουτο,
Ἀλλὰ φλυαρεῖς καὶ πτερύζεις.

Id eſt:

Tu mihi nondum fati potis ſuper hac re,
Sed nugaris geſticulando.

Et Diphilus apud Athenæum libr. 6. inducit paraſitum hunc in modum loquentem:

Γέγηθα καὶ χαίρω τι καὶ πτερύσσομαι.

Id eſt:

Lætorque gaudeoque & alas verbero.

Voluptas fœda.

In voluptatem inhoneſtam, aut ſcortum ad perniciem juvenum omnibus inſtructum artibus, quadrabit illud ex Odyſſeæ κ dictum de Circe:

—Ἤ γὰρ ἅπαντας
Ἡ σῦς ἢ λύκον, ποιήσεται, ἢ λέοντα.

Id eſt:

—Siquidem omneis
Fecerit illa ſueſve, lupoſve, truceſve leones.

EX APPENDICE ERASMI.

Laciada.

Ὁ Λακιάδης. Convicium in mœchos: populus quiſpiam eſt iſte Atticæ Laciadarum, tribus Oeneidis, apud quos ingens raphanorum copia; his utebantur in adulteros deprehenſos ludibrii cauſa. Suidas.

IUNII. *Phyſcone impurior.*

Tertullianus libro De pallio: Phyſcone impuriorem, molliorem Sardanapalo Cæſarem deſignare. De homine libidinibus luxuſque omni genere ſordidato. Fuit autem Ptolemæus Ægypti eo nomine regum ſeptimus, tertio cognominis, εὐεργέτης dictus, per antiphraſin, ut puto, quippe qui multitudinem Alexandrinam objecerit non ſemel militum gladiis. Strabone teſte: cognométo altero inſignis φύσκων, quaſi ventroſum dicas aut aqualiculum, propter abdominis ſtudium. Id enim ſonat φύσκων, quæ vox depravata eſt in φυσκὸς apud Heſychium, ejuſque tranſcriptorem Varinum: quum legi debeat φύσκων, χοῖρον, παχύ. eſt enim φύσκη inteſtinum craſſum. quare emendandus venit & Onomaſtic. Calepino adjecti locus de Ptolemæis, ubi pro Phyſcon legitur Phyton. Hujus Phyſconis meminit & Joſephus libro duodecimo, & Valerius Maximus libro nono, capite primo. Quin & Alcæus poëta Lyricus Pittacum Mitylenæum φύσκωνα & γάστρωνα vocavit, quod pinguem haberet æqualiculum, ut Laertius ſcribit.

Perdicis inſtar.

Proverbii ſpeciem haud dubiam præbet Pherecratis comici illud:

Ἄκοντα ἄκων δ' ἄγω πέρδικος τρόπον.

Invitus huc perdicis inſtar fert gradum.

Sive hoc ad libidinem perdicis avis, ſalaciſſimæ referri debeat, quæ etiam furtim & in occulto incubans, tamen ſi aucupis fœminam propius ad marem accedere ſenſerit, invita nidum relinquit, ſeſeque prurienti maris libidini præbet, ut ex Ariſtotele refert Plinius: ſive ad ejuſdem vafritiem, qua dum incubat utitur. Nam ut ovis pulliſque ſuis conſulat, viſo aucupe, nidum ægre & invita relinquit, & delumbem ſe ſimulans, hoſtem longius abducit. Competet in eum, qui invitus adverſante genio locum aut conditionem mutat.

Theſſalica buccea.

Θετταλικὸν ψώμισμα, Theſſalica buccea vel turunda, pro ingenti

ponitur, Athenæo teſtante, & Polluce libro 6. Hermippus in μοίραις:

Ο' ζεὺς ϛωσὶ ... Θετταλικὸν ...

Id eſt:

At Jupiter manium efformabat Theſſalum.

Philetærus in Lampadephoris. Θετταλικὸν τμῆμα κρέως χοιρείου, ſuillæ carnis portionem Theſſalico more ſectam, vocat fruſtum ingens, quantum manu tolli poterat: unde nata dicti gratia, quod Theſſali in prægrandia fruſta carnes partiri ſolebant, unde & Crates in Lamia:

Κ' καὶ ... Θετταλικῶς τετμημένα.

Id eſt,

Nam ſunt tricubita, more ſecta Theſſalo.

Non abſimiliter a gentis polyphagia, Ετιτοnicum ferculum pro magno, vulgare dicterium appellat. Alioqui Theſſali olim audiebant ſtrenui gurgites & inſigniter edaces. unde illud Antiphanis comici: ... Θετταλὸς λέγεις. id eſt: Uſque eſurit, nunquam ſatur. Tu Theſſalum depingis.

Mens abeſt in popina.

Ε'ν τῷ ... id eſt: Animus in popina. Dicitur de eo qui præſens abeſt, vel qui omnia commeſſationibus poſtponit delicias epulaſque ſemper anhelat. Plato comicus in Phaone:

Υ'μῖν γὰρ οὐδὲν ... νοῦς ...

Ε'ν τοῖς ... δοκεῖ.

Vobis quidem nil mentis eſt, dici ut ſolet:

Animus mihi eſſe videtur in cauponula.

Sanga cocus conſimiliter apud Terentium in Eunucho: Jamdudum eſt animus in patinis. Apud Athenæum in primo:

Ο' νοῦς γὰρ ἐν τοῖς ... τυγχάνει.

Id eſt,

Eſt namque noſtra mens affixa menſulæ.

Alluſit huc in Pace Ariſtophanes,

Ο' νοῦ γὰρ ὑμῶν ... ἐν ταῖς ...

Id eſt,

Tunc namque noſtra mens in peſtibus.

Non diſſonat ab hoc adagio illud Eupolidis in Autolyco.

Οἷς ζῆν ... ἐν ... μένοις.

Id eſt,

Qui delicate vivitis, de cætero ſecuri.

Bacchi ſacerdos.

Ιερεὺς Διονύσου, id eſt, Bacchi ſacrificus. Comico ſale vocatur ebrioſa rubidaque facie, ſic namque Eupolis priſcæ Comœdiæ ſcriptor, in fabula quam αἶγας inſcripſit, Hipponicum ἱερέα Διονύσου, velut Bacchi ſacrificulum nominat, ob rubedinem faciei, refertur ab Heſychio:

Gavia in ſtagnis.

Λάρος ἐν ἕλεσιν, id eſt, In ſtagnis gavia. Suidas annotat, dici ἐπὶ τῶν ταχὺ ... de cito redeuntibus: ut accipiamus eos, qui celeri alvi proluvio cibum ingeſtum reddunt: ut competat adagium in voracem & inexplicabilis gulæ hominem ac prodigum. quod & eruditiſſimo, magnique judicii viro Conrado Geſnero non improbatur. Poteſt & corrupta videri lectio, & quidem proclivi lapſu: ut pro ..., ſcribamus ...: efferamuſque adagium de iis, qui celeriter incrementum capiunt: quomodo veriſimile ſit gaviam avem piſcoſis in amnibus, locisq; in uliginoſis cito augeſcere in magna alimoniæ copia: alioqui quomodo in munificum & ad dandum proclivem quadret, id quod Eraſmus voluit, non video. Siquidem in rapacium avium genere Larus cenſetur, neutiquam rapinæ ſuæ liberalis. Quo pertinet illud Matronis Parodi poetæ:

Καιρεφῶν ... ἐοικώς.

Id eſt:

Chærephon paraſitus famelicæ gaviæ aſſimilis.

Quod ſi ... pro victum quærere accipi poſſit, non invitus ... legerem prono ſimiliter librariorum oſcitantiæ errore: ut torqueatur ad eos, qui citra moleſtiam & facile, nulloque negocio victum comparent, quemadmodum laro affatim alimonia ſuppetit piſculentis locis.

Charadrii vitam vivit.

Χαραδριοῦ βίος, id eſt, Charadrii vita, proverbialiter dicitur de inexplebili gurgite, qui ut multam cibi potuſq; ſaginam ingerit: ita mox eam deplere ſatagit: cujuſmodi hominem, ... Hipponax, belluonem inſatiabilem, qui ventrem ſaburrat ideotidem atque exinanit, ut novo onere eum inferciat. Plato in Gorgia: χαραδριοῦ βίον ... λέγεις, id eſt, Charadrii vitam iterum dicis. Id ait Socrates Callicli perſuadens, felicem vitam in aſſiduo influxu eſſe poſitam: Charadrius avis, quam rupicem Gaza nominat, ſimul & edere & dejicere putatur. Sic enim annotationes Græcæ, quas vidi in Gorgiam, habent, χαραδριός, ὄρνις τις ... Opinioni iſti ſuffragatur & Olympiodorus Alexandrinus in eum Platonis locum ... id eſt: Aut de ave loquitur, quæ & vorat & è veſtigio excernit alvi proluviem: aut de rupium cavernis, quæ affluentem aquarum vim recipiunt pariter & deponunt. Quod autem illorſum tendat Platonis oratio, verba Socratis proxime præcedentia liquide oſtendunt: ... Hoc eſt, Neceſſe igitur eſt, ſi multum affluat, multum etiam defluere, ipſaque exitus ora patentibus quibuſdam rimis dehiſcere. Nihil vero commune habet iſtud proverbium cum ea Charadrii natura, quam præter Ariſtotelem & Euphronium refert Heliodorus Tricenſis epiſcopus, Æthiopicorum libro tertio, quod videlicet ab auruginoſis viſus ... atque ... , latenter cujuſdam in modum, unde in ... cavers abſcondere eam propolæ ſolebant, ne emptor ante contactum ... remedium. Quo alluſum eſt ab Hipponacte, eo verſu, qui ſic emendandus venit in Suida:

Καὶ μιν ... χαραδριὸν πιπρά ...

Id eſt,

Illum recondit: num Charadrium vendens?

Cerylus evadam.

Βάλλε δὴ βάλλε κήρυλος εἴην: Jacias licet, Cerylus evadam. dictum iſtud vulgo jactari ſolere apud Dores, annotat Euphronius, & tranſcripſit Suidas: uſum tamen adagii neuter explicat. Videtur autem ſalacium & libidinoſorum dictu fuiſſe, qui nullum mortis genus deprecentur, modo in venere cupita & in mediis amplexibus animam efflare liceat, in voluptate ſummum bonum ſtatuentes. Nam Cerylus (ita inter Alcedines mas vocatur) in coitu interemori ſcribitur, & senio defectus a fœmellis ſubvehi alis. Non abludit ab adagio dictum Veſpaſiani in quendam Cerylum libertum: ... Poſtquam interieris, rurſum fies Cerylus.

Thmuitarum hircus.

Ο' Θμουιτῶν τράγος. Thmuitarum hircus, de mulieroſo homine in quem adhinniunt quodammodo ſcorta, ad unius nutū parata. D. Clemens in Protreptico, loquens de Apolline nobili adeſſores, qui amicas multas habuerit, inter quas commemorantur, Æthuſa, Arſinoe, Zeuxippe, Prothoe, Marpiſſa & Hypſipyle: ... inquit, ... id eſt, Muliereulis ad ſatietatem ſe explevit non paucioribus quam capri. Thmuitarum hircus. Eſt autem Thmuis, oppidum Ægypti, Stephano teſte. Euſebius & Nicephorus Phileæ meminerunt Thmuitarum epiſcopi, viri ſanctiſſimi. Nemini vero dubium eſt, ſingula Ægypti oppida peculiaria habuiſſe olim numina, animalia, quibus divinos faciebant honores: Tentyritæ accipitrem, Combitæ crocodilum, lupum Lycopolitani, canem Bubaſtii, ovem Saitæ, capram & hircum Menedeſii, hircum Thmuitæ colebant: cui ut veriſimile eſt, capras votivas victimas & donatis ſacra offerebant affatim. Itaque ganeonem inſignem, aut notæ famæ mœchum, pluribus abundare fœminis dicemus, quam olim capras Thmuitarum hircus.

Aſello piſci ſimilis.

Τῷ ὄνῳ ἰχθύϊ ὅμοιος Aſello piſci ſimilis dicitur, homo guloſus, & ventri abdominique deditus. Natum inde eſt quod Aſellus piſcium in genere ſolus cor in ventre (ἐν κοιλίᾳ, ut Athenæus ex Ariſtotele: ἐν τῇ γαστρί) D. Clemens ex eodem etiam habere legitur. quam obrem ... ab Epicharmo comico prope monſtrificam & portentoſam ventris naturam vocatur. verſiore dictionis ſuo, quam apud Athenæum libro ſeptimo legitur. ... D. Clemens libro ſecundo Pædagogi, capite primo, ... id eſt, Quem admodum in alvo ... piſci Aſello dicto maxime ſimilis, quem dicit Ariſtoteles ſolum inter reliqua animantia cor in ventre habere: unde & monſtroſi ventrem eum vocat Epicharmus ut conjicio. Tales ſunt qui ſe ventri mancipant, & quorum Deus venter eſt, Hæc ille.

Venter ſolarium.

Proverbii faciem habet quod Ammianus Marcellinus de Caſpiis gentibus loquens ait: Venter unicuique velut ſolarium eſt, eoque monente quod inciderit, editur. Iſtud aptiſſime quadrabit in gulones & abdominis ſervos, qui nulla habita horæ prandendi aut cœnandi ratione, quotieſcunque edendi libido ſe ingerit, ventrem ſaburrant ſagina cibi, nati tantum fruges, ut ille ait, abſumere, his namque ventrem ſolarium eſſe, appoſite ac cum gratia dicemus. Eſt autem Solarium, horologii genus, quod ad ſolem diſcrimina horarum indicat, gnomone umbram ejaculante, cujus prima gloria apud Romanos L. Papyrio curſori adſcribitur, Anaximeni Mileſio apud Græcos.

Siphnia artha.

Σίφνιος ἀρράβων, id eſt, Siphnius arrhabo. Proverbium extat apud Heſychium & Suidam, quo digitus infamis olim notabatur, à fœdis Siphniorum moribus: unde natum adagium σιφνιάζειν, quod extat apud Eraſmum noſtrum, ita ut Siphnii artham oſtendere, idem ferme ſit quod Martiali Medium & impudicum digitum oſtendere. Poteſt ita vocari & nummus aut artha, quam ſtupri arbiter largitur. Meminit Euſtathius in commentariis in Dionyſium Afrum, ... Id eſt, aſtragali Siphnii. Sed quum ejus nullibi fiat mentio, arbitror illum ... codicum deceptum, loco ..., legiſſe ἀστράγαλος. Heſychii codex emaculandus eſt, pro ... legendo ... Poſſet fortaſſis & pro ingenti

ingenti magnique precii arrhabone, σίφνιον ἀστράγαλον effecti, quod inſulani iſti olim opibus affluentiſſimi fuerint, quamdiu ſtato anni tempore decumas Delphico Apollini perſolverent, ex argenti fodinis, Herodoto teſte. Siphnus inſula una Cycladum fuit: a Siphno Sunii filio nomen habens, ut Stephanus ſcribit, laudatiſſimis poculis celebris: unde σίφνια ποτήρια, id eſt, Siphnia pocula, eodem authore dicta.

Suis typus.

Ὑὸς τύπος, id eſt, Suis typus, proverbialiter dicitur, ut annotat Euſtathius in Odyſſ. ι. neque tamen explicat. Equidem dici arbitror in hominē acuminato capite & illiberali forma, cui rictus ſuis inſtar protuberat: vel potius in invenuſtum & ſtupidum, qui primore etiam fronte facile præ ſe ferat, qualis ſit: ad modum Samiorum navigiorum, quæ præter aliarum gentium naves, capace alvo, roſtroque ſuilli rictus ſimili viſebantur. Unde manavit ille verſiculus:

> Ναῦς δέ τις ἀκὺ πόρος Σαμία, ὑὸς εἶδος ἔχουσα.
>
> Id eſt.
>
> Navigium eſt velox Samium, ſpecie ſuis altum.

Quo ſpectant & Samii mores, pro ſhenis a communi hominum uſu aut certe pro diſſolutis & elumbibus.

Caricum ſchema.

Καρικὸν σχῆμα, id eſt, Caricum ſchema, de libidinoſo effertur, Heſychius annotat, venerei congreſſus ſpurcum turpemq. modum ita nominari, atque inde ἀπὸ τῶν ἀσελγῶν, laſcivos & ſalaces effrænata libidine prurientes, καρικὰ σχήματα εἰδότας, id eſt, Caricas figuras edoctos, dicemus. Meminimi vidiſſe olim in Italia Petri Aretini, ingenio excellente male uſi, libellum, Caricis illis ſchematibus, & ſi quid illis ſpurcius aut portentoſius cogitari poteſt, plenum, βιβλίδιον τῶν καρικῶν σχημάτων μεστόν.

Menſura aquam bibens.

> Μέτρῳ ὕδωρ πίνοντες, ἄμετρον μάζαν ἔδοντες.
>
> Id eſt:
>
> Immodice vorat, & lympham modulo ebbibit æquo.

Verſus oracularis, qui in proverbium abiit, de luxonibus & comeſſatoribus, qui ſe cibis vinoque ingurgitant, aquæ parum vel adeo nihil inſumentes. Natum ex oraculo Sybaritis edito, quos immoderatus luxus Crotoniatis debellatos ſubjecit.

Ætna gravius.

Ætna proverbiali metaphora accipitur & pro libidinis incentivo, & pro re odioſe gravi. Illo modo dixit Salvianus, Maſſilienſis epiſcopus, libro De providentia Dei ſeptimo: Quis neſcit Africam totam obſcœnis libidinum tædis ſemper arſiſſe, nō ut terram ac ſedem hominum, ſed ut Ætnam putes impudicarum fuiſſe flammarum? Quo ſpectant & D. Hieronymi verba: Non tam Ætnæi ignes aut Vulcania tellus, non Veſævus & Olympus tantis ardoribus æſtuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ. Poſteriore modo dictum eſt ab Euripide in Hercule furente illud:

> Νεότας μοι φίλον· τὸ δὲ γῆρας ἀεὶ βαρύτερον
>
> Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται,
>
> Id eſt:
>
> Juventa gratum mihi onus eſt: at ſenium gravius
>
> Ætnæis cautibus capiti impendet.

Unde mutuatus eſt Cicero in libro De ſenectute illa verba: Pleriſque ſenibus ſenectus ſic odioſa eſt, ut onus ſe Ætna gravius dicant ſuſtinere. Huc faciunt & verba Nazianzeni:

> Σικελικοῦ ἄχθεα πρηώνος,
>
> Id eſt:
>
> Montis pondera Trinactii.

Originem utranque hujus inde metaphoræ indicat Virgilius Æneidos: ibi:

> Fama eſt Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
>
> Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Ætnam
>
> Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis.

Nam & Ætnam Siciliæ flammarum globos evomere, indubitatum eſt: & gravitatis nomen demonſtrat vel ipſa montis appellatio, tanto magis, quanto immaniſſimum naturæ portentum gigas ejus mole premi creditus fuerit. Non negaverim & Atho montem in prægravis ponderis ſignificationem trahi poſſe, quippe qui altiſſimus in trecenta uſque ſtadia umbram ejaculetur: ſed exiſtimare Eryſichthonem inexpletæ voracitatis hominem dictū inde fuiſſe βορῆς αἴθωνα, id eſt, voracitatis Athonem, ſomnium eſt, male intellectis, pejuſque redditis Athenæi, qui iſtud prodidit, verbis: qui libr. 10. Dipnoſoph. authoritate Hellanici ſcribit, Eryſichthonem Myrmidonis filium, ob inexplebilis edacitatis ſtudium, αἴθωνα nuncupatum fuiſſe, quaſi ſi dicas, Eſurientem ipſam, aut vehementem famem: id enim ſignificat, Suida teſte, αἴθων, quæ vox reponenda eſt apud Ælianum libr. 1. variæ hiſtoriæ, ubi perperam αἴθων legitur ſcriptum. Atteſtantur noſtræ ſententiæ præter Athenæum, Lycophron & Zezes: alioqui ſi de monte Atho ſermo eſſet, ἄθων ſcribendum fuerat, non αἴθωνα. verba Athenæi ſunt: Ἐρυσίχθονα τὸν Μυρμιδόνος, ὅτι ἦν ἄπληστος βορᾶς, αἴθωνα καλεῖσθαι, id eſt: Ereſichthonem Myrmidoniden Eſurium cognomento fuiſſe dictum, eo quod cibis ſaturari nequiret.

Nil boni cogitat vir arrigens.

> Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἐστυκὼς ἀνήρ.
>
> Id eſt:
>
> Nihil cogitat plane boni vir arrigens.

Proverbialem ſenarium citat Euſtathius ex Ælii Dionyſii rhetorico lexico, non explicat tamen: atque ita legit & Suidas fere hunc in modum, οὐδὲ μέγα φρονεῖ ἐστυκὼς ἀνήρ, id eſt, Nil magnum ſapit vir arrigens: ſed manca, porumque integra verſus lege. Significat autem, quod libidinis furor prudentiam omnem expectoret, honeſtique rationem ex animo deleat: quod ſi quis legat ἑστῶτες, indicabit, ſtantes, hoc eſt, in iram alioſve animi affectus erectos juſte judicare non poſſe: ſiquidem legimus judices olim ſediſſe, argumento ſedatioris animi, & ab omni motu compoſiti. Porro verbum στύειν in pudendam ſignificationem tranſtulit Comicus: unde & de Diana virgine dictum eſt, ἐν σώματι μέν, ὅτε δ' οὐ τὸν στύοντα, quod arrectionem inviſam habeat. Quin & lactuca ſeſſilis, lati folia, ab Athenienſibus εὐνοῦχος dicebatur, quod nimius ejus uſus impotentes in venerem reddat: qua de cauſa & Pythagoræi ἄστυτον eam vocarunt, quaſi caſtrantem & eunucham. Eraſmus citat alicubi, οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον ἀστεῖος ἀνήρ, quod ita convertit: Urbanus æqui nil bonive cogitat: ſed agnoſcit depravatum verſum.

Phæacum more vivere.

Φαιακικῶς ζῆν, id eſt, Phæacum vivere ritu: de homine voluptario effertur, qui ſemper nitidus cuticulam curat. Natum à Phæacibus Corcyræ inſulæ indigenis, luxu ſemper diffluentibus, quod Odyſſeæ θ. Alcinous rex his verbis prædicat:

> Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε χοροί τε
>
> Εἵματά τ' ἐξημοιβά, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.
>
> Id eſt:
>
> Nos recreant citharæ choreæ, & convivia ſemper,
>
> Mutatæque placent veſtes, caldaque lavamur.

Quod illorum vivendi inſtitutum adulabundus Ulyſſes, ſequenti libro collaudat, nullam vitam præferens ei:

> ——Ὅτε πλήθωσι τράπεζαι
>
> Σίτου καὶ κρειῶν, μέθυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων
>
> Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσι:
>
> Id eſt:
>
> ——Ubi menſæ
>
> Carnibus appoſitis ſcateant & pane parato,
>
> Impleat & pateras pincerna ac vina coronet.

Quo loco Euſtathius, κατὰ τὸν μέθυσον inquit, ἐπαγγέλλει ἐμφαίνων φαιακικῶς ζῆν καὶ ὑπερβρίζεσθαι. id eſt: Competit in temulentum qui Phæcum ritu ſemper vino vuidus eſſe gliſcit. Horatius quoque opipare habitum Phæaca nominat, ibi:

> ——Ut poſſim nitidus Phæaxque reverti.

Plutarch. Sympoſ. 8. ideo φαίακας ἁβροβίους vocat ut delicatos & opiparos: tametſi perperam illic legatur ἀνάβιος.

BRASSIC. *Vinum lac Veneris.*

Athenæus ibidem ſcribit, Ariſtophanem vinum ἀφροδίτης γάλα, id eſt, lac Veneris dixiſſe: quod immodicus vini uſus rei Venereæ ſit incitamentum. Sic Ovidius:

> Vina parant animos Veneri.——

Id quod paſſim apud omnes poëtas proditum eſt!

Vita Charadrii.

Plato in Gorgia Charadrii vitam intelligit hominis intemperantis, qui nunquam expleri poſſit, & in quem omnia influunt ut rurſus effluant, ut Seneca dixit. Ita Socrates loquitur, χαραδριοῦ τινα σὺ βίον λέγεις: Charadrii quandam vitam refers. Charadrium autem Theodorus apud Ariſtotelem vertit rupicem ſive hiaticolam. Nam ut interpres Ariſtophanis in Avibus docet, ὠνόμασται τὸ ὄρνεον παρὰ τὸ τὰς χαράδρας διατρίβειν. Avis hæc ita dicta eſt, quod hiatus & terræ voragines incolat. Itidem & intemperantes & incontinentes homines, qui nunquam expleri poſſunt, perpetuo popinarum nidorem ſacrum ſequuntur, & nepotum proſeuchas incolunt. Suidas citat aliud proverbium ex Didymo, χαραδριὸν μιμούμενος, id eſt, Charadrium imitans: de iis qui ſeſe occultare ſoleant. Siquidem autem hanc vendentes, occultare conſueverunt, ne prius emptori proſit quam ſit vendita. Nam regio morbo laborantes, quamprimum Charadrium aſpexerint, convaleſcunt. Plinius hoc ictero avi tribuit libro 30. cap. 11.

IOANNIS VLPII. *In communi piſce non inſunt ſpinæ.*

Ἐν ξυνῷ ἰχθύι ἄκανθαι οὐκ ἔνεισι, Videtur competere in helvones & gulæ nepotes, qui fraudatis aliis appoſita, quique priuſquam ſortiti ſunt, communia devorant, abſumunt. Plutarchus.

Ad oculos magis quam ad veſicam pertinet.

De re dicitur, quæ voluptatem magis & oblectationem, quam lucrum creat. Veſica ponitur pro pecuniarum receptaculo: nam porcinæ bubulæ veſicæ in eum uſum à veteribus haberi ſolebant. Varro

COGNATI. *Ebrius Inebriatus.*

Ebrius metaphoricos pro pleno & ad ſaturitatem uſque referto accipitur. Similiter μεθύειν (quod inebriari proprie ſonat) pro πληρῶσθαι & compleri efferunt Græci: quomodo in Dioſcuris Theocritus de Amyco Bebrycum rege, loquens, illud extulit: ἔστη δὲ πληγαῖς μεθύων. id eſt: Conſtitit oppletus & ebrius plagis. Apud noſtros Plautus comicus ebriam cœnam dixit, pro opipara & adjiciali, copioſaque. Quid, quod Nonius Marcellus ebrios dici poſſe qualibet re expletos, confirmat authoritate Varronis, qui in Eumenidibus dixit, ſcholiaſticas aures ſcholica dape ebrias? Quin & veſtis oſtro ebria legitur, quæ purpuræ florem ebiberit: quæ ſimili metaphora, ſaturata murice à Martiali dicitur. Deinde quia ebrietas mentem alienat, & (ut Enniano utar verbo) expectorat, ob immodicum potum, etiam pro dementato & mentis haud compote, accipitur ebrius. qua in ſignificatione eleganter ac ſignificanter ſumitur apud Horatium, Odarum lib. 1. de Cleopatra Ægypti regina, quam dicit fuiſſe fortuna dulci ebriam, hoc eſt, dementatam, nimiumque ſecundis rebus elatam, ad exemplum Anacreontis Teji, qui amantem ſine modo & amoris œſtro velut extra ſepoſitum, μεθύοντα ἔρωτι dixit, id eſt, amore ebrium: quod apud Philoſtratum in Apollonio lectum eſt. Quam ſignificationem ebrij, agnoſcas etiam in Petronii Arbitri illo verſu:

Vilis adulator picto jacet ebrius œſtro.

Quo innuit, par aſitos & adulatores ad ampliſſimas fortunas principum ſtoliditate evectos, priorum vitæ ſordium non amplius memores, reliquos præ ſe deſpicere, rerum ſucceſſu elatos. Budæus libr. 1. De contempt. rerum fort. Ex illorum natione videas proceſſibus immodicis inebriatos, id eſt, obrutos & confectos. Pari autem elegantia Euripides inducit Electram conquerentem de contumeliis, quas patri ſuo mortuo imponeret Ægyſtus, ac dicentem, ea omnia illum Clytemneſtra ebrium facere:

> Μεθυσθεὶς δ' ὁ τῆς ἐμῆς μητρὸς πόσις
> Ο κλεινὸς ὡς λέγουσιν ἐνθρώσκει τάφῳ,
> Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάινον πατρός.
>
> Id eſt:
>
> Ebrius matris meæ maritus
> Clarus, ut ajunt inſultat tumulo,
> Saxiſque petit marmoreum monimentum patris.

Nihil etiam ſimilius ebrietati quam garrulitas, adeo ut vulgus de hujuſcemodi ſoleat dicere: Iſte ſibi conciliat ebrietatem loquendo. Nulla enim mercede, inquit Eraſmus noſter in Lingua conduci poteſt ut deſinat, qui ſemel loquendo factus eſt ebrius. Quin & vulgo qui vino facti, ſunt hilariores, bene poti dicuntur ebrii non dicuntur, ni lingua deliret.

Voluptas, malorum eſca.

Vox graviſſima Platonis in Timæo: πρῶτον μὲν ἡδονὴν μέγιστον κακοῦ δέλεαρ. Cicerone in libello de Senectute, ita expreſſa: Divinus (inquit) Plato eſcam malorum voluptatem appellavit, quod ea videlicet homines capiantur ut hamo piſces, quod Hannibalis, Antiochi ac Volcinatum exemplo comprobatum eſt. Vide alibi. Dolor voluptatis comes. Sed à Plauto in Mercatore, in Lucianum prius verſa: Demipho. Sapientum illud dictum te audiſſe reor ſæpius: Voluptas eſt malorum eſca: quod ea non minus homines, quam hamo capiantur piſces. Idem in Ciſtellaria: Amor melle & felle jucundiſſimus, guſtum dat dulce, amarum ad ſatietatem uſque aggerit.

Phagones.

A Græco verbo formata voce φάγονες vocabantur mandones, illi comedones & edones, homines gutturis ac ventris vitio deditos, qui plus cibi ſumere ſoliti ſunt, quam natura deſideret, ut qui voluptatem corporis ſequerentur, & eam quidem turpiſſimam communemque nobis cum ſpurciſſimis belluis. Nonius τῷ φαγεῖν ... Edones Romani, ut turba intendant annonam: ſed propter Phagones ficedulam pinguem, aut turdum, niſi volantem non video.

Φοινικίζειν. Phœniciſſare.

Hoc ortum eſt à ſpurciſſima Phœnicum libidine, quam Græci merito ἄρρητον μῖξιν nominant: in primis Plutarchus in vita Cæſaris. Lucianus in Apophrade: ... λεσβιάζειν, καὶ φοινικίζειν. λεσβιάζειν autem ſumptum eſt à moribus Lesbiorum: accipitur pro, capitibus illudere: aut econtra, ore morigerari. Φοίνικες Plutarchus in Timoleonte vocat Pœnos: quorum aſtus & fides lubrica, etiam proverbiis nobilitata eſt.

Ipſa olera olla legit.

Videtur vulgare dictum fuiſſe in eos, qui cum ad aliorum libidinem antea proſtituiſſent, aut etiam proſtarent, quærerent ipſi quoque ubi libidinem exercerent ſuam.
Catullus in Cæſarem:

Mentula mœchatur, mœchatur mentula certe.
Hoc eſt quod dicunt, ipſa olera olla legit.

vel in eos, qui quod ſe facere oportet, faciunt: ut cum libidinoſus & ſalax ſcortatur & mœchatur, ebrioſus potat. Olera enim in olla coquuntur, quæ cum eis repletur, ipſa legere videtur: id eſt, colligere. Mamurra igitur Formianus adulter & nequam cum mœchabatur, id faciebat quod mentulam facere oportebat. Sic enim ad infamiam eum appellat. Tale eſt:

Tute lepus es, & pulpamentum quæris.

(Repete proverbii ejuſdem Eraſmicam explicationem. Chil. 1. centur. ſeptima, adag. 60.

Oſce loqui.

Livius author eſt, primum apud Oſcos fabularum ludos celebratos. Atque inde a juventute parodia conſertis Attelanis Romam invecta. Unde proverbium, Oſce loqui, quod videtur ſumptum ab impuris fabularum generibus, quæ in Italis ab illis primum & inventa & acta fuere. Unde etiam obſcœna dicta quidam putant, turpia appellata. Feſtus in Oſcum affert ex Titinnio in Quinta: Oſce & Volſce fabulantur: nam Latine neſciunt. Alium autem Romanorum quam Oſcorum ſermonem fuiſſe, ex hoc verſu patet. Oſci enim populi Campaniæ fuerunt. Sed Oſci ludi, ut exiſtimo, & fabulæ Oſcæ & mimi, lingua Romana non fiebant, Romanis tamen intellecta. Etſi enim ea gens deleta erat, tamen etiamnum vigebat ſermo, & comœdia.

Mente agitare coquos.

Speciem habere videtur proverbii, atq; in eos detorqueri poſſe, quibus ſemper animus (juxta Comicum) eſt in patinis, quique nulli rei præterquam vino & frugibus perdendis nati ſunt. Baſilius ad nepotes ſuos, capite 12. ... καὶ μαγείρους ... &c. Nam qui ſemper cœnas atque coquos mente agitant. Non diſſimile refert ex Platone veteris comœdiæ poeta Athenæus: ... idem: Nihil enim, ſed ut proverbium habet, in popina mihi videtur mens eſſe.

Toſcani.

Hoc nomine apud Venetos cenſentur præpoſteræ & nunquam ſatis damnatæ Veneris ſectatores.

Euricles.

Euricles, omnis ventriloquus inquit Suidas, vocatur: ab Eurycle, qui ventriloquus Athenis fuit, & vera hariolari cenſebatur. Ariſtophanes mentionem ejus facit, his verſibus:

> Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
> Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.

Mures molas lingunt.

Uſus eſt, qui molliciem eorum qui proni ſunt ad libidinem, & non niſi pulchras ſolicitant, notamus. Mures enim urbani farinam abſumunt, & delicatiſſimis ad ſacietatem uſque veſcuntur; cum ruſeſtres interim fructiculos depaſcantur. Qui adeo molles ſunt, ut nec caſeum arrodant, ſed lingant farinam. Seneca in eodem Ludo. Quia Romæ, inquit, mures molas lingunt. Apparet hoc dictum fuiſſe familiare Claudio: quo perſtringit Romanos tanquam delicatos, ac faſtidioſos, qui non quibuslibet ſcriptis recitandis intereſſe poſſint, precibus & precio interrogandi. Hoc quoq; quod ſequitur de muribus ferrum arrodentibus frequenter illi in ore fuit.

Lichnobius.

Λυχνόβιοι dicuntur, qui loco dierum noctibus utuntur, & ad lucernas vivunt, quaſi Lucernarii. Seneca epiſtol. 123. Nihil conſumebat, niſi noctem. Itaque crebro dicentib. illum quibuſdam avarum & ſordidum: Vos, inquit, illum & Lichnobium dicetis. Ludit Seneca in ambiguâ verbi ſignificatione. Deſignat enim & hominem ad lucernam viventem, & belluonem, ac voracem.

Eſſe, bibere, facere.

Idem epiſt. 124. Facere, eſſe, bibere. Germani autem vulgo ita uſurpant: Monachorum nunc vivere, nihil aliud eſt, quam facere, eſſe, bibere. Facere autem accipiunt, pro Venereis uti. In qua ſignificatione & apud Plautum invenitur, & Galli receperunt: Græci γινώσκειν eodem modo uſurparunt: & Latini, cognoſcere. ut

> Ovid. de Cadmo lib. 4. metamorph.
> —Ille ſuæ lambebat conjugis ora.
> Inque ſinus charos, veluti cognoſceret, ibat.

Itidem & in ſacris literis, τρεῖς ἀπολαύσεις ἡδονῆς, ἐσθίειν, πίνειν, ... i. Tres uſus voluptatis, edere, bibere, uti venere. Horat. epiſt. 11. lib. 2.

> Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti.
>
> & od. 13 lib 4.
>
> Ludiſque & bibis impudens.
>
> Lucilius Andron.
>
> Affatim edi, bibi, luſi.

In his ludere valet facere, & amori operam dare. Lucret. lib. 4.

> Nam facere interdum id velle, & certare videntur:
> Uſque adeo cupide veneris compagibus hærent.

Proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet.

Hoc verſu nihil eſt frequentius tum Latinis, tum Gallis ac Germanis: qui recte competit in Papiſtarum & malignantium eccleſiam. Illis enim hominibus omnia venalia ſunt, cœlum, terra, infernus, aqua & ignis. Utitur idem Fabricius in eadem oratione. Adhæc Baptiſta Mantuan. Carmelita in Candido, ecle 5.

Si

Siquid Roma dabit: nugas dabit: accipit aurum,
Verba dat: heu Romæ nunc ſola pecunia regnat.

Huic non diſſimile eſt ſupra Omnia venalia habet. Romam eſſe caput avaritiæ, annotavit interpres in l. ſequitur, ff. de uſur. Et meretricem, ex Apocal. 17. apparet: Oſtendam tibi, inquit angelus, magnæ meretricis damnationē, cum qua ſcortati ſunt reges terræ. & ibidem c. 19. Iudicavit de meretrice magna quæ corrupit terram proſtitutione ſui.

Pueris alienis adhæret.

Cap 2. Pueris alienis adhæſerunt. hoc eſt, omiſſa Dei lege ſatis putaverunt eſſe, ſi gentium more ambularent ac viverent, nihil quam ea quærentes quæ hujus mundi ſunt. David vero Kimhi, per pueros alienos, libros artis Genethliacæ exponit, quibus vacarunt, verbo Dei contempto.

Labia proluere.

Ad amplificandam immoderati potus ingluviem, hæc metaphora a Gallis ſæpe uſurpatur: quæ ducta eſt a pecudibus & belluis, quæ potentes labra, totamque velut promuſcidem aquis immergunt Perſius in epigram. quod proœmii loco ſuis ſatyris præpoſuit:

Nec fronte labra prolui Caballino.
——Ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.

Aqualiculus.

Aqualiculus proprie vas ſeu ſentinā domus ſignificat, in quam omnes ſordes confluunt. Hinc per tranſlationem pro ventre helluonis, impuri, & parum ingenioſi hominis ponitur, in quem ſibi haud ſecus in ſentinam ſordes confluant. Tales dicuntur etiam ventrioſi, & doliares, quod ventrem habeant protenſum ſive prominulum: quorum (ut inquit Apoſtolus) Deus venter eſt. Perſius ſatyr. prima.

——Cum tibi Calae
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

Anaximenes autem rhetor obeſo aqualiculo erat onuſtus, hunc adiens Diogenes, ita loquutus eſt. Impartire nobis tenuibus & ventrem. Nam & ipſe levaberis onere, & nobis commodabis. Idem luxurioſos ventres, vitæ charybdin appellabat, quod omnia devorarent, nec ſatiarētur unquam. Charybdis tantum ea ſorbet quæ mari vehuntur, & removit tandem, quod abſorbuit, at lurconum ventribus nec aer, nec terra, nec flumina, nec maria ſufficiunt quin & domos & agros totos abſorbent, nec revomunt. Tales obeſi, & quibus venter pinguis extet, (ait Plin. lib. 2. cap. 36.) minus ſolent eſſe ingenioſi, & etiam vocantur Troſſuli a Perſio, & ab Hieronymo in Iovinianum: Vnius tantum philoſophi exemplum poſui, ut formoſuli noſtri, & troſſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, imitentur ſaltem Gentilium parcitatem. Plinius lib. 33. Non intelligunt, inquit, Troſſuli nomen, quid valeat: multos pudet eo nomine appellari, invitoſque etiamnum troſſulos vocari.

Intempeſtivi convivii comes ſaltatio.

Etiam noſtris temporibus proverbii loco a Gallis dici ſolet,

De la pance vient la danſe.

Cicero in oratione pro Murena: Nemo ſobrius ſaltat, niſi forte inſaniat, neque in ſolitudine, neque in convivio moderato. Intempeſtivi convivii, immoderati joci, multarum deliciarum comes eſt, illa ſaltatio.

Equina libido.

Proverbialiter pro effræni immoderata, & vehementiſſima libidine ponitur. Nam (ut poëta ait 3. Georg.)

Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum:
Illas ducit amor trans gargara, tranſque ſonantem
Aſcanium, ſuperant montes, & flumina tranant.

Prudent. Symmach.

Advena quos profugus gignens, & equina libido,
Intulit Italiæ: *Tuſcis* namque ille puellis
Primus adhinnivit, ſimulato nomine mœchus.

Hinc elegans illa in Piſonem tranſlatio: Sic ad illius hanc orationem adhinnivit. Virgil. verſus citatur à Columella lib. 7. cap. 15. Horat. lib. j. Carminum, ode 125. ad Lydiam.

——Et libido, Quæ ſolet matres furiare equorum.

hoc eſt, quæ ſolet equas concitare, & ad furorem adigere. Lege Plinium de equarum libidine: quam furioſam & immenſam & incitatiſſimam vocant.

Dolor voluptatis comes.

Qui ſuavitate præſentis voluptatis capiuntur, nec curāt dolorem, quem mox ex illa voluptate emanaturū ſciunt: vel hos nullo pacto homines appellabimus, vel certe fruſtra homini mentem eſſe datam fatebimur. Sunt quidem dolor & voluptas inter ſe cōtraria: verum, ut divinus Socrates ait, ſi quis alterum capit, ſemper ferme alterum quoque accipere cogitur, quaſi ex eodem vertice ſint ambo connexa. Eaque de re fabulam inter noſtras narrationes habemus, videlicet, Deum ipſum cum ipſa hæc inter ſe pugnantia vellet conciliare, neque id aſſequi poſſet, in unum ſaltem eorum apices cōjunxiſſe: propter eaque cuicunque adeſt alterum, eidem mox alterum quoque adeſſe. Lucretius lib. 1. amori addidit γλυκύπικρον blandum, & ſuavem: ſignificans in amore dolorem ineſſe cum voluptate conjunctum. Notum, Amorem ſeu cupidinem γλυκύπικρον à Platone dici. Hinc illud:

Dulcia ſic triſti ſemper ſunt mixta labore,
Tincta voluptatis gaudia felle nocent.

Et Horat. Epiſtol lib. 1. epiſt. 2. ad Lollium.

Sperne voluptates, nocet empta dolore voluptas.

Prudentia hominum in eo verſari debet, ut dolorem perferant, quem ſequatur honeſta voluptas: nec belluarum more præſentiū tantummodo memores, voluptatem primum amplectātur, quam deinde dolor ſubſequatur. Nam qui, ut guſtui ſatisfaciat, corpus varietate noxiorum ciborum replet: cur non conſideret, paulo poſt fore, ut magnis cruciatibus divexetur? Nonne ſatius erat, eſurientis gulæ dolorem pati, ut tranquillitate corporis & bona membrorum valetudine perfruetur? Quid aliud, quæſo, ſibi voluit ſapientiſſimus ille, cum ſe plurimi emere, pœnitentiam nolle dixit? Gloria autem ita virtutem conſequitur, ut ejus ſit honeſtiſſimus fructus, ampliſſimum præmiū pulcherrimus fœtus. Sed ad virtutis apicem nemo ſine labore pervenit. Laborandum enim eſt, imo dolendum, ut lætari poſſimus: ſudandum, ut requieſcamus vigilandum, ut honeſto otio perfruamur. Vide alibi, Voluptas malorum eſca.

Non immolata ſacra devorat.

Quoniam niſi peracto ſacrificio, eo veſci licebat, illud ideo proverbio jactatum eſt, ex Simonide: ἄθυτα δ' ἱερὰ πολλάκις κατεσθίει. id eſt Haud immolata ſacra ſæpe devorat. In intemperantes, & ventri deditos, quales apud Hebræos fuere Heli filii, quorum nota eſt hiſtoria. Huic ſimile, quod ante, Ipſo carpere è rogo cœnam, Extracocta ſolebant proſecare (unde & proſecta dicebantur) ac partem adolebant, partem conſecrabant, ſacerdotibuſque dabant, partem ſibi apponebant. Sic luſtralibus extis veſcebantur apud Maronem. Tranquillus in Auguſto: Semicruda exta rapta foco proſecuit.

Hercules Socraticus.

Extat Varronis ſatyra, nomine Hercules Socraticus, titulo pet ingenioſo, ut omnium fere illius ſcriptoris ſatyrarum. Cum enim Socrates patientiam tolerantiamque præcipue coluiſſet, Cynicique ab eo oriundi eam cum æquanimitate æmularentur, & ſe domitores vitiorum, Herculiſque imitatores ferrent, inde, ut exiſtimo, ſcite Socratici Herculis titulū excogitavit Lucianus de Diogene: [Greek illegible]. Et mox ſequitur, [Greek illegible]. Citatur hæc Varronis ſatyra à Nonio.

Brachium exerere.

Qui brachium vel profert vel exerit, minus eſſe modeſtus & verecundus videtur, quam qui toga brachium cohibet & continet. Æſchines contra Timarchum, priſcorum oratorum pudorem & modeſtiam laudans, eos ait peroraſſe manus intra pallium continentes. Scribit enim: [Greek illegible]. Cicero in oratione pro Cælio: Nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium toga conſtitutus, & ut exercitatione ludoque campeſtri, tunicati uteremur. Eo autem anno quo ſumpta virilis toga fuerat, modeſtiam etiamnum & pudorem ab adoleſcentibus poſtulatum fuiſſe æques ac cum in puerili erant prætexta. Quod ſi tum magiſtris liberati, & ſuæ tanquam tutelæ facti, viſi eſſent eo anno protervio res aut petulantiores, de eorum pudicitia male exiſtimatū fuiſſe. Eodem etiā anno illo nefas illis erat, corpus in campo Martio nudare: ne corporis nudatione impudenti amatorem quærere velle viderentur. Itaque tunicati in campo ſe exercebant.

Vino ſomnoque ſepulti.

Eſt & hoc genus loquendi poëtis uſitatum. Ennius:

Nunc hoſtes vino domiti, ſomnoque ſepulti.

Sic Virgil lib 2. Æneid.

Invadunt urbem ſomno, vinoque ſepultam.

Idem lib. 9.

Somno vinolento ſepulti Procubuere.——

Ibidem:

——Retuli ſomno vinoque ſepulti
Conticuere.——— Lucret. libro primo:
Et quæ res nobis vigilantibus obvia mentcis
Terrificet morbo affectis, ſomnoque ſepultis.

In luſtris vivere.

Feſtus docet, luſtra ſignificare Lamas lutoſaſque ſunt in ſylvis, aprorum cubilia: à qua ſimilitudine, ij, qui in locis abditis & ſordidis ventri & deſidiæ operam dant, dicuntur in luſtris vitam agere. Lucret lib. 4.

Deſidio ſe agere ætatem, luſtriſque perire.

In luſtris & gancis vitam conterere, & corporis vires abſumere, & rem familiarem perdere. Plautus Aſin. Cano capite te Cucullum uxor ex luſtris rapit.

Prætextata verba.

Prætextata verba multis uſitata & familiaria ſunt, & obſcœna & turpia interpretantur: à fabulis prætextis, quales Afranii fuerunt, in quibus fœdiſſima & turpiſſima dicta & argumenta erant

Viſus eſt Tranquillus in Veſpaſiano: erat enim dicacitatis plurimæ & ſic ſcurrilis, ac ſordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abſtineret. Sic Macrob. libro primo Saturn. Hæc nobis ſit literata læta tiua & docta cavillatio, vice planipedis & ſabulonis, impudica & prætexata verba jacientis. Sic prætextati mores, dicuntur laſcivi & obſcœni, αἰσχρολογίαι. Iuvenal ſatyr. ij.

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Feſtus aliter interpretatur Prætextatum ſermonem.

Satyrion bibit.

Qui ad libidinem incitatus & inflammatus eſt, is proverbialiter è vi illius herbæ ſatyrio bibiſſe dicitur. Petronius arbiter: Adeo, inquit, ubique omnes mihi videbantur ſatyrion bibiſſe. Satyrion autem à Satyris ſalacibus, qui primi ſylveſtres Dii Nymphis colludentes per ſylvas & antra ad firmiorem Venerem herbam hanc invenerunt, dictum eſt. Dioſcorides lib. 3. cap. 141. ſcribit, ſatyrionem venerem ſtimulare, etiam ſi quis manu tantum radices ejus guſtaverit.

Prandium ferarum.

Prandium ferarum, ἢ ὁ μονοφαγῶν Plutarcho συμποσιακῶν lib. 2. cap. 10. Proverbialiter dictum, cujus nemo particeps eſt: atque adeo, ut Plautus ait, cum quis ſingulas eſcas devorat. Atque quod aliud ſit Seneca epiſtol. 19. Viſceratio, inquit, ſine amico, vita leonis ac lupi eſt.

Voluptate liqueſcit.

Liqueſcere voluptate, & fluere mollitia, eſt mollem eſſe, & voluptati deditum. Sic Cæcilius, vel (ut alii) Accius apud M. Varronem lib. 6. De lingua Latin. ad imitatus eſt Cicer. 2. Tuſculanarum cum dixit: Opinio eſt enim quædam effœminata & levis nec in dolore magis, quam eadem in voluptate, qua quum liqueſcimus fidimuſque mollitiæ apis aculeum ſine clamore ferre non poſſumus, eadem proverbiali figura dicitur apud eundem Varronem: Per lætitiam liquitur animus. Apollinous:

—Τῆς δ' ἰανθ. ... Et:

--- ... [illegible]

Cum muliere fuit.

Qui illam veterum verecundiam retinent, Cum muliere fuiſſe, dicunt: non concubuiſſe. Cic. De fato: Non poterit dici, ſive Laius fuerit cum muliere ſive non fuerit. Varro lib. 5 De lingua Latina. Æque eadem modeſtia potius cum muliere fuiſſe, quam concubuiſſe dicebant. ſυνεῖναι Plautus Mercatore:

Ea nocte mecum hoſpitus juſſu fuit.

Nec diſſimile quod dicunt mulieres in Ciſtellaria:

Viris cum ſuis prædicant nos ſolere.

Καύνιος ἔρως.

Proverbium hoc eſſe, veteres multi authores teſtantur: ut Stephanus, ubi de Cauno Cariæ urbe, à conditore Cauno hoc appellata loquitur, cujus amore Biblis ſoror impotenter ac turpiter deperierit: Vnde, inquit, natum eſt proverbium, Καύνιος ἔρως, ſed etiam Heſychius, Suidas, & Eraſmus noſter. Ariſtoteles libri 2. Rhetor. ... Καύνιος ἔρως. Nam ſignificari ab Ariſtotele per vagatam aliquam communemq; vocem, planum eſt, qua infamis amor Caunius fertur, notaturque turpis ac ſceleratus amor, quo Biblis erga fratrem Caunum flagraverat.

Thaſiumne, erat ei, an Chium?

Vino deditioribus, ac de catharris conquerentibus, hoc apud Græcos objici eſt ſolitum. Et quod affluxus Demetrius humeris alicujus, ſeu pituitæ imputabat: id vini abundanti effuſione Antigonus pater apud Plutarchum in ipſo Demetrio adſcribit. Nobiliſſima vina ſunt Chium & Thaſium: de quibus præter alios Plinius lib. 14. cap 7. & deinde: atque Athenæus libro primo. Hunc jocum etiam Burgundi ſuis vinis uſurpant, dicunt enim: Arboſienſe, an caſtri Caroli? Germani non minus ſcite uſurpant. Nam & cum qui in itinere diutius moratus, equarū eluvie ſe impeditum minus concinne cauſatur, potuiſſe, quod ad aquam pergere dicimus joco, niſi vinum (cui non item pontes inſternuntur) obſtitiſſet. & vino deditiores, ac de catharris conquerentes, ſimili plane modo notant, cum dicunt, ſi velint efficere, ne tanto affluxu infeſtentur, ab abſumendo vino eſſe temperandum. Germanica lingua multum gratiæ habet.

A voluptatibus ſuperari, extrema inſcitia eſt.

Plato in Protagora. Et quod dici ſolet à voluptatibus ſuperari, extrema inſcitia eſt, quoniam vere & graviter a Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe, atque eſcæ malorum. Vide quæ contra voluptates ſcripſerit Cicero, apud Auguſt. lib 4. contra Pelagianum, & apud Non. in dictione. Confectum.

Cubito tangens.

Plato de philoſophia, vel, amatoribus: Ego autem alterius illorum amicum juxta quem ſedebam, cubito tangens, interrogavi qui ita contenderet.

Noctis tenebris committere.

In Philebo: Si quem voluptatibus, præſertim maximis fruentem advertimus, vel quod ridiculæ, vel quod obſcœnæ ſint, ipſi quidem erubeſcimus, atque celamus, noctis tenebris talia committentes, quaſi ſint diurni luminis indigna conſpectu.

Pullus ejus.

Q. Fabius apud Feſtum Pompeium in verbis. Pullus Jovis. Puerum quem quis amabat, pullum ejus dicebant. Apud Feſtum non pullus Jovis, ſed pullus ejus legendum eſt. Extat apud Athenæum verſus Alexidis, quo albus Veneris columbus dicitur.

Ὁ λευκὸς ἀφροδίτης, εἰμὶ ... περιστερός.

Hunc verſum Catullus in Cæſarem & Mamurram expreſſit, & Adonei illum pulchritudine atque elegantia cumulavit:

Album vero columbum Dionæum
Cæſarem pulchrum concubinum.

Sic alibi Niveum columbum dixit:

Nec tantum niveo gavila eſt ulla columbo
Compar. ———

Columbus autem Dionæus, ſic à Catullo dictus, ut ab aliis. Pullus ejus. Sunt qui Dionæum, Adoneum, efferunt. Plautus in Menæch. Vbi aquila catamitum raperet, aut ubi Venus Adoneum. Auſonius in Myſobarbo:

Ogygiæ me Bacchum vocant,
Oſyrin Ægyptus putas:
Myſtæ Phanacem nominant
Dionyſon Indi exiſtimant:
Romana ſacra Liberum,
Arabica gens Adoneum.

Sybaritici libelli.

Martiali lib. 12. epigram. 96 dicuntur libri, obſcœniſſimo argumento compoſiti. Quam autem in luxum & delicias fuerunt Sybaritæ effuſi, vide apud Politianum Miſcelli cap. 15. Eraſm. in adag. Chiliad. Iunium in ſuis adag. Lampſacius verſus lib. 11. epigr 17. dicitur etiam obſcœnus, à Lampſaco Troadis oppido, in quo natus dicitur Priapus.

Ioco eſſe.

Catullus in quandam:

Jocum me putat eſſe mœcha turpis.

Sic Horat. in 2 Sermon.

Ne quid tu perdas, neu ſim jocus. ———

Et Propertius in 2.

Ah peream, ſi me iſta movent diſpendia, ſed me
Fallaci dominæ jam pudet eſſe jocum.

Cathedralicii miniſtri.

Pro mollibus, ad dominarum cathedras deſidentibus. Martialis.

Ignis in medullis ardet.

A Virgilio & Catullo, pro illo impotente amore dicitur. Virgil. 4. Æneid.

—Eſt mollis flamma medullas.
Idem:
Quid juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor:

Catullus cum Cæcilium acceſſit:

Ignes interiorem edunt medullam.

Idem de Acme & Septimio.

Ignis mollibus ardet in medullis.

Ignis: id eſt, amoris ille impotens ardor.

idem ſignificavit Catullus ad Lesbiam, cum μεταφορικῶς dixit.

--- Tenuis ſub artus
Tinniunt aures, gemina teguntur
Flamma, dimanat ſonitu ſuopte
Lumina nocte.

Dimanare amoris flammam, Plautus etiam dixit in Moſtellaria:

Continuo pro imbre amor advenit,
Is ubi in pectus permanavit,
Permadefecit cor meum

Idem Catullus de Cœlio & Quinctio:

Cum veſana meas terreret flamma medullas.

Vide poſtea, Fecit amor maciem.

Ludite.

Ludere, pro laſcivire, ac libidinari. Catul. in Iuliæ & Mallii epithalamio, ſive nuptiali carmine & Hymenæo:

Ludite ut lubet.--- Idem poſt,
Luſimus ſatis.--- Idem ibidem:
Da nuces pueris Satis diu Luſiſti nucibus.---
Horat. in 2. Epiſt.
Luſiſti ſatis, ediſti ſatis, atque bibiſti.

Zonam ſolvere.

Plerique Zonam ſolvere, pro vitiare, uſurpant, aut gravidam relinquere. Ab hujuſmodi zona βαρύζωνοι, χρυσόζωνοι, γυναῖκες à Græcis dicuntur. Apolloni interpres templum Athenis fuiſſe dicit, Dianæ dicatum λυσιζώνῃ, quod parturientibus ſcilicet præeſſe putabatur, quam ob cauſam etiam author hymni in Dianam, λυσιζώνην eadem vocat. Hæc pellicea fuit zona Veneri, quæ legitimas nuptias ligat, quā ceſtum dicūt. Si quis ergo alieni legitimiq; mariti

matrimonii jura violaverit, inceſtū dicitur admiſiſſe:id eſt, caſtitatis vinculum, zonamque Veneris violaſſe. Catul.ibidem:

Cinædus.

Pro impudente, & callido. Catul. de Varri ſcorto:

—— Vt decuit cinædiorem,
Impudentiorem, callidiorem.

Catullus:

Pulchre convenit improbis cinædis,
id eſt, bene.

Bene naſati, mentulati.

Lampridius in Heliogabalo: Romo denique nihil egit aliud, niſi ut emiſſarios haberet, qui ei bene naſatos perquirerent: eoſq; ad aulam perducerent, ut eorum conditionibus frui poſſet. Emiſſarios intelligimus exploratores verendorum magnitudine celebres. Cōditiones autem quærere adulteræ infameſq; fœminæ ſibi dicebantur, quæ homines bene mētulatos ſibi adſciſcerent, magis etiam invitatos præmiis. Idem. Lamprid. ibidem: Lavacrum publicum in ædibus aulicis fecit ſimul, & palam populo exhibuit, ut eo conditiones bene naſatorum hominum colligeret. Idque diligenter curatum eſt, ut ex tota penitus urbe, atque ex nauticis monobelos quærerent. Sic eos appellabant, qui viriliores videbātur. Poſt. Prodebantur per eos maxime, qui dolebant ſibi homines ad exercēdas libidines bene naſatos, & majoris peculii opponi. Martialis lib. 6. ad Papilum, eo fere alluſit hoc diſticho:

Mento tam magna eſt, tantus tibi Papile naſus,
Vt poſſis, quoties arrigis, olfacere.

Plutarchus in initio apophthegmatum ſcribit, Perſas adeo eo homines naſo & amare, & pulcherrimos exiſtimare, quod Cyrus, qui maxime regum omnium fuit amatus, aduncum habuit naſum.

Propolæ.

Propolæ circumforanei dicuntur à Lampridio, in Commodo. Propolas hominum genus eſſe nequiſſimum lucri luxuſque avidiſſimum, Cicero in Piſone facile oſtendit: & ſunt ii, qui res minimo redimunt, ut majore precio diſtrahant: Vendrigoli hodie ab Italis appellati: vel lenonū miniſtri, aquarioli, & ancillarioli a veteribus appellati. Dicuntur & Æruſcatores divinaculi, ab eodem Vulcatio, qui videlicet æra undiq; æruſcant ac corradunt. Feſtus & Gell. lib. 14 cap. 1.

Fecit amor maciem.

Ovidius in 10. Metamorph.

Fecit amor maciem. ——

Idem in 1. Amorum:

Longus amor tales corpus tenuavit in uſus,
Aptaque ſubducto corpore membra dedit.

Amantes & pallidos, & macie confectos videmus. Virgil. in Palæmone:

Heu heu quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo.

Item:

—— Amor exitium eſt pecori, pecoriſque magiſtro.

Catul. in Gell.

Gellius eſt tenuis. ——

Id eſt, macer, macie confectus. Etenim qui Veneri dediti ſunt, eos macie confectos videri neceſſe eſt. Lucret. in 3.

Ignes iκαμμένοι: tum vivere non quit,
Præ macie ſtudiis. ——

Virgilius:

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Et alibi:

—— Eſt mollis flamma medullas.

Idem:

... Et cæco carpitur igni.

Edax amor etiam ab Apollonio in Argonauticis dicitur μάργος ἔρως: at ab Anacreonte, ἐρωτομανής. Vide alibi, Ignis in medullis ardet: &, Mentis vitio læſa figura.

Bonus amor.

Bonum amorem & bonam Venerem. Catullus in nupt. Manlii, dicit conjugalem, & fama quem bona comprobat.

Admiſſarius.

Cicero Piſonem admiſſarium, atque aſinum dicit. Sunt qui mulum dicunt admiſſarium.

Inſanit.

Inſanire dicuntur, qui amant. Catullus in Lesbiæ maritum:

... Si noſtri oblita taceret,
Sana eſſet: quod nunc garrit, & obloquitur,
Non ſolum meminit, ſed quæ multo acrior eſt res,
irata eſt: hoc, eſt uritur, & loquitur.

Paſſere ſalatior.

Priapei carminis author:

.. Sine fine prurientes,
Vernis paſſeribus ſalaciores.

Impenſius uror.

Catullus in nuptiis Pelei & Thetidos

... Toto concepit pectore flammam.

Virgil. in 6. Æneid.

... Toto percepit pectore flammam.

Quod voluit, fecit.

Catullus in Gellium. Poſt ex Cicerone, Infelix cui omnia licent: &, O miſerum cui peccare licebat: &, Non ſunt beati, qui vivunt, ut ipſi volunt.

Delicias dicere, aut facere.

Si quis delicias diceret aut faceret.

Cicero pro Sextio qui eundem Gell. exagitat: Rem paternam ab idiotarum deliciis ad philoſophorum regulam perduxit. Vide alibi, Lætitiæ, commoda, gaudia.

Inſaturabile abdomen.

Cic. pro Sextio. de Gellio: Manebat inſaturabile abdomen. Sic Lurcones, aſoti, Apiciani (ut ita dicam) ventricolæ.

COELI RHODIGINI. *Proci Penelopes.*

Villorum diſciplinatum aſſectatores: quod proci, cum domina potiri non poſſent, ad ancillas diverterent Philip.

Lycia coma.

Promiſſa & comptior. Tradit Ariſtot. Lycios capillitium ſtudiotius fovere, & quidem ut mulctam ſubire maluerint, quam præcidere comam.

Perdicis libido & vafricies.

Pro turpi, efferata, ac demum pernicioſa. Perdix venator matris infando amore correptus, fervente utrinque libidine, novi facinoris verecundia, conſumptus eſt. Alii referūt ad perdicem avem: de cujus libidine ſupra in adagio Junii, Perdicis inſtar. Vafricies ejuſdem in proverbium abiit, ſi quidem deprehēſi ab hominibus, feſtucas pedibus capientes ſupinos ſe collocant, ut operti elabantur. Pullis in paſcua abductis ſi intervenit quiſpiam, ſibilo ſignificant, ut ſe ſelupinos objiciant, ibique ne palpitu quidem reperiri poſſint: ubi ille abiit, ſibilo admonentur denuo ut avolent: atque illud eſt, ἀντιπερδικίζειν. V. de Eraſm. Adagium, ἀντιπερδικίζειν.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & alior.

Ὀλοαῖς μανίαις.

Peſtiferis furiis. Theocritus ſignificare volens, Polyphemum ita indulſiſſe amoribus nymphæ Galatheæ, ut omnia præ his bona & honeſta contempſerit: cæcoque furore impotentem nec pudorem nec modum ſuæ libidini ſtatuiſſe: hujuſmodi proponit carmina, εἰδυλλίῳ ιά.

Ἤρατο δ' οὐ μάλοις, οὐ ῥόδῳ, οὐδὲ κικίννοις,
Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.
Et non ille roſis non malis, cæſarieve,
Sed ſævis furiis arſit. - -

INTEMPESTIVA.

ERASMI. *Simulare cupreſſum.*

Horatius in arte poëtica:

.. Et fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare, quid hoc, ſi fractis enatat expes
Navibus, ære dato? - -

Acron proverbium eſſe admonet, ortum ab imperito quopiam pictore, qui præter cupreſſum nihil noverat pingere. A quo cum naufragus quidam petiſſet, ut vultum ſuū exprimeret, ac naufragium ſuum depingeret, interrogavit ille num ex cupreſſo vellet aliquid adjici. Res ea primum in jocum, deinde etiā in adagium abiit. Conveniet uſurpabitur in eos, qui quod didicerunt, id ubiq; intempeſtive inculcant, etiam ad rem nihil attineat.

Intempeſtiva benevolentia nihil à ſimultate differt.

Senarius eſt Græcis proverbii vice celebratus:

Ἄκαιρος εὔνοι' οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει.

Id eſt:

Par odio importuna benevolentia.

Suidas in dictione ἄκαιρος, narrat hoc verſu Hippolytum reſpondiſſe Phædræ novercæ, dicenti ſe illius amore captam eſſe. Quadrabit in eos qui dum officioſi ſtudent eſſe non habita temporis ratione, nocent aut moleſti ſunt ſedulitate. Veluti qui non apto tempore objurgant amicū: aut qui immodicis & intempeſtivis laudibus conciliant homini invidiam: aut qui pecuniam ſuppeditant adoleſcenti, qua fiat deterior. Fertur & alter huic conſimilis:

Φίλος με βλάπτων οὐδὲν ἐχθροῦ διαφέρει.

Id eſt:

Cum nocet amicus, nihil ab hoſte diſcrepat.

Hoc reſpexit Horatius in Epiſtolis:

Nil moror officium, quod me gravat.

Rurſum alibi:

Sedulitas autem, quem ſtulte diligit, urget.

Seneca libro de Beneficiis ſecundo, Sæpe, inquit, nihil intereſt

inter

inter amicorum munera & hoſtium vota. Quicquid illi accidere optant, in id horum intempeſtiva indulgentia impellit atque inſtruit. Quid autem turpius, quam quod evenit frequentiſſime, ut nihil interſit inter odium & beneficium? In his Senecæ verbis, pro, vota, quod nos ex vetuſtis exemplaribus reſtituimus, vulgati codices habebant, acta. Id admonendum erat, ne quis ignarus ut mendum tollat, quod in multis antehac uſu venit. Huc pertinet illud Ennianum, optimo jure laudatum à Cicer. lib. 2 de Officiis: Benefacta male locata, malefacta arbitror. Proverbio accedet non nihil gratiæ, ſi paulo longius deflectantur veluti ſi dicas, Nullos æque nocere bonis literis, atque hos qui ſedulo quidem, at parum feliciter tractant eas, aut, Neminem magis officere famæ, quam ineptum præconem, aut, Secundam fortunam nocentiorem eſſe adverſa:

In lente unguentum.

Τὸν ἐπὶ φακῇ μῦθον, id eſt, in lenticula fabulam: ſubaudi, narras. Ubi quis mentionem inducit vilis cujuſdam & nihili hominis, aliis de viris egregiis verba facientibus. Ad hunc quidem modum legitur in omnibus vulgatis exemplaribus, apud Aul. Gellium lib. 13. cap. 17. Verum placet Hermolai caſtigationi ſubſcribere, qui locum hunc ita reſtituit, ut legat, Τὸ ἐν φακῇ μύρον, id eſt, In lente unguentum. Quadrat autem in hominem aut in rem quampiam, quæ neutiquam in tempore adhibeatur iis quibus minime congruit. Veluti ſi philoſophum juvenum laſcivientium convivio miſceas: aut inter pocula de rebus gravib' ac theologicis, incipias diſputare. Quemadmodum videlicet lenticulæ vili legumini, inepte quis admiſcuerit unguentum. Siquidem, authore Dioſcoride & oculorum aciem hebetat, ſtomacho gravis, inteſtinis noxia, nervis, pulmoni, & capiti inimica, gignit turbulenta inſomnia. Dicetur etiam, ubi plura inter ſe diſſimilia confundentur. Verba Frontonis apud Gellium ſunt hæc: Videte tamen, ne exiſtimetis ſemper, atque in omni loco mortales multos, pro multis hominibus eſſe dicendū: ne plane fiat Græcum illud de Varronis ſatyra proverbium, Τὸ ἐν φακῇ μύρον: id eſt, In lente unguendum. Idem uſurpavit M. Tullius libro ad Atticum primo. Legati, inquit, cum authoritatem mitterentur, quia adirent Galliæ civitates, darentq; operam ne eæ cum Helvetiis ſe jungerent. Legati ſunt, Qu. Metellus Creticus L. Flaccus, Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, Lentulus Clodiæ filius. Tametſi hic quoque locus eodem mendo laborat, quo Gellianus ille. Citatur autem adagium ab Ariſtotele, in libro De ſenſu & ſenſili: ἀλλ' ἀληθὲς τὸ Στράττιδος εἰς Εὐριπίδην σκωφθέν, ὅταν φακῆν ἕψητε μὴ 'πιχεῖν μύρον. id eſt: Nam verum eſt, quod ait Stratis Euripidem taxans, ubi lenticula coquitur, non oportere unguentum infundere, quo ſane loco, quæ portenta habeant noſtri vulgari codices, nihil attinet hic commemorare. Citat & Athenæus lib. Dipnoſoph. 4.

Παραινέσαι δ' ὑμῖν τι βούλομαι σοφόν·
Ὅταν φακῆν ἕψητε μὴ 'πιχεῖν μύρον.

Id eſt:

Vos admonere callidum quiddam volo:
Ubi lens coquitur, unguenta ne qua infundite.

Ex Phœniſſis Strattidis Comici poëtæ. Citat & ex Sopatri Necya: Ἰθακήσιος Ὀδυσσεὺς ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον πάρεστι, θάρσει θυμέ: id eſt: Ithacenſis Ulyſſes in lente unguentum adeſt, aude anime. Adducit & Clearchum proverbiorum collectorem, qui hoc quoque recenſuerit proverbii titulo, τὸ ἐν φακῇ μύρον, addens extare apud Varronem, compluriſque Latinorum uſos eo proverbio, quibus incognitū tamen ſit, unde Varro de ſumpſerit eum jambicum. Huc mihi videtur Ariſtophanes alluſiſſe, cum ait ἐν γήρᾳ!

Κἀπὶ φακῇ σισύμβριον ἑρπυλλον ...
Καὶ μύρον ἐπιχεῖς.

Id eſt:

Præterea feres ſerpyllum ſurſum,
Et unguentum infundes.

Porro unguentum intelligo oleum odoratum, ac velut unguētarium. Alioqui plebeium oleum admiſcere lētu, nihil prodigioſum, Athenæus lib. 2. citat hunc trimetrum ex Eupolide:

Ὄψον πονηρὸν πολυτελῶς ἠρτυμένον.

Id eſt:

Conditum opipare vile malumque opſonium.

Eſt autē apud ſcriptores hoc legumen cum primis celebre, quemadmodum bulbus, cepe, & allium: nonnulli etiam encomium lentis ſcripſere. Quædam per ſe pulchra ſunt, quæ tamen ſibi non cōgruunt. Elegantis igitur eſt, ſcire quid cui conveniet. Diocles philoſophus habitus eſt ὀψοφάγος. Hic cuidam interroganti, Uter piſcis eſſet melior congrus an labrax, nobis dictus lupus: Alter, inquit, elixus, alter aſſus. Sic Flaccus de poëta, Bello malus, utilis urbi. Quoties munus delegatur minus accommodo, apte dixeris, ἐν φακῇ μύρον. Adjicietur & hoc: Apud authores dictionem hanc cōperio varie ſcriptam, nunc acute, φακῆ: nunc circumflexe, φακῇ: quod cum tam crebro occurrat, vix inſcitia caſu ve factum videri poteſt. Unde conjicio, φακῆ dictam ex contractione pro φακέα. Nam φακέας legimus apud Athenæum. Idem λεοντῆν dictam admonet, pro λεοντέαν. Hæc igitur quibus placet origo, malunt dicere φακῇ: quibus magis placet forma communis, origine neglecta ſcripſerunt φακὶ & φακῇ.

In craſtinum ſeria.

Εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα, id eſt, In craſtinum ſeria. Plutarchus in vita Pelopidæ narrat, hanc vocem apud Græcos abiiſſe in proverbiū originem dedit Archias, vir opulentus ac potens, ſed parum ſobrius. Huic inter convivium allata eſt epiſtola, qui pertulit, admonuit, ut ſtatim legeret: de ſeriis enim rebus ſcriptam eſſe, tum ille vino madidus, ridens, inquit, εἰς αὔριον τὰ σπουδαῖα id eſt, In craſtinum igitur ſeria, ſimulque acceptam epiſtolam pulvillo ſuppoſuit, cui inſidebat, ac ſermonem cum Phillida cœptum pergebat. Quin & hodie incivile eſt, in conviviis tractare ſeria. Apud Hollandos adoleſcens audivi fabulam, non alienam ab hoc adagio. Quidam in convivio accumbebat igni vicinior, ita ut ima veſtis adureretur. Id animadvertens convivis quidam: Habeo, inquit, quod tibi nunciem. Tum alter: Si quid, inquit, triſtius eſt, nolo audire in convivio, ubi convenit feſtiva lætaque eſſe omnia. Nō eſt, inquit, admodum lætum, mox alter, Poſt cōvivium, inquit, ſeria. Ubi cœnatum eſſet hilariter: Nunc, inquit, dicito quicquid voles. Oſtendit ille veſtem à tergo enormiter adustam. Ibi ſtomachari cœpit, quod non admonuiſſet in tempore. Volebam, inquit, non vetabas, μετὰ δεῖπνον σπουδαῖα.

Æſtate penulam deteris.

Ἐν θέρει τὴν χλαῖναν κατατρίβεις, id eſt, Æſtate penulam deteris. Refertur a Zenodoto, Diogeniano, Suida. Recte dicetur in eum qui res neceſſarias temere, nec in tempore profundit, aliquando futuras uſui, ſi ſerventur. Id quod vulgo factitant adoleſcētes: qui facultates patrias ſtulte prodigunt in juventa, quibus ſuſtinenda fuerat imbecillitas ſenectæ. Neq; male quadrabit in eos, qui corporis vires in voluptatibus fruſtra conſumunt, quas in obeundis negociis ſeriis poſtea ſunt deſideraturi. Nam χλαῖνα ſumma veſtis eſt: quæ pro tempore ſumitur ad ventos pluviam, friguſve depellendum, quaſi Latine dicas penulam. Juvenal.

—Et multo ſtillaret penula nimbo.

Quanquam & Latini lænæ vocabulo utuntur, pro eo quod Græci χλαῖναν appellant. Nonius indicat genus veſtis militaris quæ ſit omnium extima, veluti chlamys pallium, & penula. Apud Diogenem Laertium tale quiddam objicit Philemo comicus in Cratetem, quod æſtate gereret pallium craſſum, hyeme laceram tunicam: videlicet quo diſceret temperantiam ac tolerantiam.

Menſe Majo nubunt malæ.

Romanorum adagium extat apud Naſonem: Menſe Majo nubunt malæ. Dici poteſt in mulieres intempeſtivæ libidinis: aut in eos, qui alieno tempore quicquam faciunt: aut qui parum auſpicato quid aggrediuntur. Nam olim inauſpicatum exiſtimabatur, mulieres Majo menſe nubere: ſive quod eo menſe umbra Remi occiſi à fratris Celere, creditur apparuiſſe nutricio ſuo Fauſticulo, atq; Accæ Laurentiæ, mandaſſeq; ut manibus ſuis juſta perſolverentur. Unde & Romulo authore, feſta Remuria dicta: poſteritas mutata litera Lemuria, velut à lemuribus appellare cœpit. Et umbris majorum his diebus parentari ſolitum: atque ob id dies illi inter ferales habiti: ac nuptiis nefaſti. Ovidius in faſtis:

Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora, quæ nupſit, nec diuturna fuit.
Hac quoque de cauſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas Majo nubere vulgus ait.

Plutarchus in Problematis alias quaſdam cauſas refert, quam ob rem hoc mēſe abſtineretur à nuptiis: vel quod medius intercedat inter Aprilem, veneri ſacrum, & Junium Junoni dicatum, quarum utraque dea nuptiis præſidet. Proinde propter auſpicium deæ, aut maturantes paulum, nubebant Aprile, aut puſillum prorogantes, Junio. vel propter funeſta quædam piacula, quibus per id temporis utebantur Romani, hominum effigies de ponte in Tiberim præcipitantes cum antea Græcos conſuevissent. Atque ob id Flaminiam Junonis ſacerdotem, quaſi luctum illis diebus agere nec ullo ſolenni cultu ſolitam uti. vel quod majus à natu majoribus, Junius à junioribus denominatus eſſe videatur. Porro nuptiis gaudior ætas ut intempeſtiva, ita inauſpicato. Quapropter ſcripſit Euripides:

Ἀλλ' ἐὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
Ἥ τ' Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.

Id eſt:

Verum ſenecta jubet valere Cypridem,
Et ipſa rurſum infenſa ſenibus eſt Venus.

Mentam bello tempore neque ſerito, neque edito.

Μίνθην ἐν πολέμῳ μήτ' ἔσθιε μήτε φύτευε.

Id eſt:

Mentam nec comedas, nec plantes tempore belli.

Ariſtoteles problematum ſectione viceſima, ſtatim initio refert hoc adagium, cauſam veſtigās unde dictum hoc in ora vulgi pervenerit. Arbitratur autem eſſe cauſſam, quod mēta corpori frigus adducat: ejus rei argumentum eſſe, quod ſemen genitale minuat, frigus autem adverſari fortitudini atque audaciæ: ſicut oſtendit ſectionis decimæ quartæ ultimo problemate cum ait eos, qui natura ſint frigida, formidoloſiores eſſe: contra qui calida, audaces. Poteſt & in eum ſenſum deflecti parœmia, ut admoneat, ne quid alieno tempore fiat quod officiat. quemadmodum menta bellum ineuntis eſt inutilis.

Roſam quæ præterierit, ne quæras iterum.

Ῥόδον παρελθὼν μὴ ζήτει πάλιν.

Id eſt

Id eſt:

Ne quære rurſum præteritam ſemel roſam.

Ne te maceres deſiderio rerum, quæ revocari reſtituique nō queunt: velut ex actæ juventæ, formæ, virium, fortunæ. Nam ut nihil eſt roſa gratius, ita nihil minus diuturnum. In eundem ſenſum dixit in Odis Horatius:

Mitte ſectari roſa quo locorum
Sera moretur.

Habent enim roſæ ſuum tempus, ſed perbreve. At exquiſitius delicati, etiam alieno tempore roſam quærunt: Vnde quadrabit & in eos qui jam ἔξωρα voluptates ſectantur: veluti ſi nucibus ludat vir, aut amet poriterve ſenex.

Foras Cares, non amplius anthiſteria.

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια.

Id eſt:

Cares foras, peracta enim anthiſteria,

Dici conſuevit, ubi quis ſemper eadem ſibi ſperat commoda, aut idem ſemper licitum fore credit, quod aliquādo pro temporis ratione fuerit permiſſum. Veluti ſi quis ſemel expertus cujuſpiam liberalitatem, ſubinde redeat aliquid muneris petens: aut cùm pueri permiſſam ſibi ad tempus feriandi ludendique facultatem ultra tempus protogant. Originem proverbii tradūt ad hunc modum. Athenienſibus menſis quidam anthiſterion appellabatur, quod is plurimos flores progigneret. In hoc feſta quæpiam agebantur, & convivia liberiora: quemadmodum in Saturnalibus fieri cōſuevit apud Romanos, in quibus & ſervis accumbere licebat, feriatis interim ab opere. Exactis autem feriis, cum jam ad ſolitas operas revocarentur, hoc pacto dicebant heri: Foras Cares, non dum amplius anthiſteria. Cares autē ſervos appellabant, quod ea gens mercenariis operis quæſtum factitaret, velut omnium ſervi, quæcunque conduxiſſent. Sunt qui dicant. Cares olim Atticæ regionis partem obtinuiſſe: Athenienſes autem cum anthiſteriorum ſolennitatem agerent, ſolere Cares in civitatem atque in domos receptos ad feſti communionem admittere: deinceps peracto ſolennitatis tempore, ſi quos è Carib. offendiſſent in urbe ceſſantes, per jocum dicebant:

Θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια.

Id eſt:

Exite Cares, acta enim anthiſteria,

Sonat autem ea vox Græca perinde, quaſi dicas Floralia Latine: quorum licentia multorum literis notiſſima eſt. Nō diverſum eſt quod ait Seneca in ludicro in Claudium ſcripto: Non ſemper erit Saturnalia. Nam Saturnalibus ſervis quoque libertas erat.

Anus hirciſſans.

Γραῦς καπρῶσα, id eſt, Anus inciſſans. De anu adhuc intempeſtiva libidine pruriente, & (ut ait Plautus) catulliente. Ariſtophanes in Pluto:

Ἀλλ' ἐγίγνωσκε
Γραὸς καπρώσης τἀφόδια κατεσθίων.

Id eſt:

——Verum noverat
Anus capriſſantis vorare viatica.

De juvene, cui anus libidinoſa omnia ſuppeditabat, quo viciſſim ab illo voluptatem auferret. Nota eſt hircorum libido, odorque, qui & ſedantes conſequitur.

Anus bacchatur.

Γραῦς βακχεύει, id eſt, Anus bacchatur. In eos dici ſolitum, qui præter ætatem indecore laſciviunt: Nam Bacchanalium licentia juvenculis utcunque permittitur, aniculis certe fœdiſſima eſt. Quandoquidem inſaniæ ſpecies eſt, aut vetulam amare, aut choros ducere, aut reliquis puellaribus luſibus indulgere.

Feli crocoton.

Γαλῇ κροκωτόν, id eſt, Feli crocoton ſubaudiendum, das, aut addis. Dici ſolitum quoties honos additur indignis, & quos haudquaquam decet. Aut quum datur quippiam iis, qui munere non norunt uti: veluti ſi quis à Muſis alieniſſimo, belliſſimum donaret librum. Crocoton veſtis genus eſt rotundæ ac fimbriatæ, qua divites utebātur matronæ. Apud Nonium in dictione Richa, refertur inter veſtes delicatas & crocoton. Sic enim arbitror legēdum, molliſſimam crocotam, chirodatem richam. Ac, teſte Plutarcho, quidam Herculem pinguebant κροκωτοφόρον, Omphale ſervientē. Sumptum adagium ab apologo Stratidis, quem alio loco narravimus. Porro vox hæc γαλῆ, Felemne ſignificet an muſtelam, an quem vulgo catum appellant, quoniam inter eruditos controverſum eſſe video, relinquo aliis judicandum.

Quid de puſillis magna prooemia.

Τί μοι περὶ μικρῶν μεγάλα φροιμιάζῃ; id eſt, Quid de minutis rebus magna texis procemia? Vbi quis in re non magni momenti, verboſa utitur prælocutione. Nā Athenis interdicebat præco dicturis in concione, ne vel præfatione, vel affectib. uterentur, rem modo exponerent, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, id eſt, Abſque prooemiis & affectibus: ut aliquot locis indicat Lucianus. Ad quod etiam Terentius, Etiam prooemium incipiat. Et Horatius:

——Quorſum hæc tam putida tendunt:

Leviter huc alludēs Ælius Spartianus in Ælio Vero: Et quoniam, inquit, nimis pauca dicēda ſunt, nec debet prologus enormior eſſe quam fabula, de ipſo jam loquar. Plutarchus in apophthegmatis Laconicis ad Cleomenem Cleombroti filium refert. qui quum alter quiſpiam uteretur oratione plus ſatis prolixa ὦ, inquit, μή μοι περὶ μικρῶν μεγάλα φροιμιάζου· ὅσον τὸ πρᾶγμα, τοσοῦτος καὶ ὁ λόγος ᾧ χρῇ. id eſt, Quid mihi de parvis magna procemia? Nam quanta res fuerit, tanta ſit & oratio qua uteris.

Ab unguibus incipere.

Ἐκ τῶν ὀνύχων ἄρχεσθαι, dicuntur, qui à leviſſimis, minimeque ad rem pertinentibus ordiuntur. Ita Baſilius in epiſtola quadam: γέλως ἂν εἴη, ἐκ τῶν ὀνύχων ἄρχεσθαι, ἐξὸν αὐταῖς αὐτῶν κεφαλαῖς διαλέγεσθαι. id eſt, Ridiculum eſt, ex unguibus initium ſumere, ac non potius cum ipſis illorū capitibus colloqui. Caput rei dicitur, quod eſt illius præcipuum. Vſus erit, quoties admonebimus, ut omiſſis parergis ac frivolis agatur de cauſa. Aut ſi quis velit emendare rei publicæ ſtatum, ordiatur à principibus potius quam ab humilibus qui non multum adferunt momenti, vel ad perniciem civitatis, vel ad ſalutem.

Tragœdias in nugis agere.

Tragœdias in nugis agit, qui in re levicula tumultū movet. & (ut ait Terentius) magno conatu magnas nugas dicit. M. Tullius De oratore lib. 2. Ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi tragœdias agamus in nugis. Vſurpàt idem Fabius lib. 6. cap. De peroratione: Nam in parvis, inquit, litibus has tragœdias movere, tale eſt, quaſi ſi perſonam Herculis & cothurnos aptare infantibus velis. Quin hoc ipſum, excitare tragœdiam, ſi alio quopiam deflectatur, proverbium reſipit. Vnde & Græcis ἐκτραγῳδεῖν, & τραγικοὺς λόγους, pro graviter ſive acerbe loqui.

Annoſam arborem tranſplantare.

Γεράνδρυον μεταφυτεύειν, id eſt, Vetulam arborem tranſplantare. In eos dicitur, qui ſero, atq; exacta jam ætate conantur dediſcere, quib. diu juvenes aſſueverint. Aut ſimpliciter de iis, quæ fruſtra molimur. Neq; enim loco movenda arbor, ubi jam alte fixerit radices, cum plantula adhuc eſt. Nam veteres negabat arborē transferri oportere, vel minorem bima, vel majorē trima: teſte Plinio. Videtur autem adagium ad quercum peculiarius pertinere, quæ omniū altiſſime radices agit, ut & dicūt τὴν δρῦν γεράνδρυον. Sive quod hanc arborem omnium primam arbitrantur fuiſſe. Quapropter & Iovi ſacra arbor, & ſylva Dodonæa quercea fuit: unde prima omnium oracula reddita creduntur. Eleganter uſus eſt hoc adagio Seneca lib. Epiſtolarum 13. epiſtola prima: Hæc, inquit, ſi nimium triſtia videbuntur, villæ imputabis, in qua didici ab Ægialo diligentiſſimo patrefamilias (is enim nunc hujus agri poſſeſſor eſt) quamvis vetus arbuſtum poſſe transferri. Hæc nobis ſenibus discerem neceſſarium eſt, quorum nemo non olivetū alteri ponit.

Ne unquam viri ſenis.

Ἀνδρὸς γέροντος μήποτ' εἰς πυγὴν ὁρᾷν.

Id eſt:

Tu ne viri unquam inſpicito podicem ſenis.

Id eſt, Ne re quiras illud à quoquam, quod ab eo præſtari non poſſit. Veluti ſi quis a philoſopho requirat eloquētiam, ab oratore exactam colligendi rationem, a ſene facilitatem & feſtivitatē juvenilem. Metaphora fœdior eſt, quam ut libeat interpretari: ſimul autem apertior, quam ut opus ſit. Refertur a Zenodoto.

In ſenem libidinoſum.

In eos qui ad rem gerendam jam inutiles ſunt ob ætatem, verū oratione valent: veluti ſi quis taxare velit vervecem, ut ait Plautus, vetulum turpiloquum quidem, cæterum ad Veneris uſum languidum: appoſite dixeris illud ex eodem libro:

Γήρᾳ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι, ἀλλ' ἀγορηταὶ
Ἐσθλοί.

Id eſt:

Iam ob ſenium bello emeriti, ſed dicere tantum
Egregii.---

Qualem in quarto facit Tydei filium:

Χείρονα μὲν μάχῃ, ἀγορῇ δ' ἔτ' ἀμείνω,

Id eſt:

Inferiorem pugna, dicendo priorem.

Moleſtum ſapientem apud ſtultos loqui.

Ἀργαλέον φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν.

Id eſt;

Dicere multa grave eſt ſapientem apud inſipientes.

Nihil intractabilius homine ſtulto; qui quicquid recte dicitur, id diverſam partē rapit. Proinde apud hujuſmodi aut ſilendū eſt viro cordato, aut oratio moribus illorum accommodanda. Recenſetur à Diogeniano Sed extat idem inter ſententias Theognidis.

Malum eſt bonum.

Κακὸν δ' ἀγαθὸν, ἤν τι μὴ καιροῦ τύχῃ.

Id eſt:

Bonum malum fit, tempore haud datum ſuo.

Nihil gratum quod intempeſtivum Pharmacum in tempore datum, ſaluti eſt: ſecus datum, mortem adfert. Citatur apud Athenæum lib. 7. hic verſiculus ex Timone:

Ὥρα ἐρᾶν, ὥρα δὲ γαμεῖν, ὥρα δὲ πεπαῦσθαι.

Id eſt:

Tempus amandi, tempus habendæ conjugis, eſt quod

Rebus ab his tandem moneat deſiſtere tempus.

In pace leones.

Ariſtophanes in Pluto:

Οἴκοι μὲν λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες.

Id eſt:

Quum leones ſint domi, iidem in Marte ſunt vulpeculæ.

Ariſtophanis interpres oſtendit proverbium jactatum in Lacones qui in Aſia infeliciter rem geſſerant:

Οἴκοι λέοντες, ἐν Ἐφέσῳ δ' ἀλώπεκες.

Id eſt:

Domi leones, in Epheſo vulpeculæ.

Ad hoc nimirum alluſit Comicus. Plutarchus in comparatione Syllæ & Lyſandri refert hanc ſententiã, tanquam vulgo jactatam in principes. Sic enim de Lyſandri frugalitate prædicat:

Ἀλλ' εἴπερ ἄλλος ἐν πρώτοις ἔφυγε τὸ θρυλούμενον,

Οἴκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ δ' ἀλώπεκες.

Id eſt:

Imo ſi quis alius effugerat illud quod vulgo circumfertur,

Domi leones, ſed foris vulpeculæ.

Olim fortaſſe ſic emergebant potentes: poſt & domi & foris leones eſſe cœperunt, aut ſi quod animal leone violentius. Cõvenict in eos, qui præpoſtere ſe gerunt: ibi feroces, ubi nihil erat opus: ibi fugaces, ubi res poſcebat virum: aut qui in ſuos ſævi, non itidẽ audent adverſus inimicos, quod Ciceroni objicit Saluſtius, videlicet quod contumelioſus in amicos, ſupplex inimicis. Aut in illos, qui ſimulata manſuetudine perveniunt ad tyrannidem.

Myra de lente.

Rodolphus Agricola, vir immortalitate dignus, libro Dialecti- ces 3. teſtatur apud Græcos proverbio dici ſolere. Egregia de lente, quoties res humilis & puſilla magnificis laudibus attolleretur perinde quaſi lentem, minutum ac vile legumen, ſplendidis encomiis efferas. Opinor Græcis efferri hunc in modum: Μύρα ἐπὶ φακῆς.

IOANNIS VLPII. *Volſellis pugnare cum gladio.*

Qui fragilia argumenta ad rem quampiam probandam adferunt dicuntur volſellis cum gladio pugnare. Idem vide in Iunii proverbio. Centur. tertia. Volſellis pugnant, non gladiis.

Tanquam ſuper ſpinas incedere.

Ὥσπερ οἱ ἐπὶ τῶν ἀκανθῶν ἐμβαίνοντες. id eſt, Tanquam ſuper ſpinas incedentes, dicuntur a Luciano equites, qui obtortis cruribus & contractis equitant.

Oreſtis ſomnium narrare.

Is dicitur, qui abſurda loquitur. Sic Galenus Theſſalo inſultat: Quieſce dum miſerrime in ſtratis tuis. namque haud vides, quæ ut putas noſſe probe. Oreſtis mihi ſomnium narras Theſſale.

COGNATI. *Panis ſine ſale.*

Cum vita verborum veritati nõ reſpondet, dicunt theologi ex propheta Iob: Panis eſt ſine ſale, Ezech. 13. Panis eſt ſine ſale. Palladius in Lanſaica hiſtoria, in vita Phanutii. Cephala hoc adagio uſus eſt ubi addit, vitam non reſpondentem orationi, eſſe ſpicam quæ à vẽto interit, quæ habet quidem figuram, ſed ab ea ereptum eſt alimentum. Et hoc quoque theologicum eſt adagium.

Nihil hoc ad jus.

Cicero in Topicis: Admonet autem hic locus, ut quæratur quid ante rem, quid cũ re, quid poſt rem evenerit. Nihil hoc ad jus, ad Ciceronẽ inquibat C. Aquilius Gallus noſter, ſi quis ad eum quid tale retulerat, ut de facto quæreretur. Refert quoque Aquilii dictum in vita ejus Rutilius. Senſit autem Aquilius, inquit Eraſm. noſter, aliud eſſe officium Iuriſconſulti, aliud Oratoris. Iureconſultus proprie de jure diſputat & reſpondet, eaſq; quæſtiones quæ ſunt juris, inquirit: Orator vero factum & conjecturam.

Ὀψιμαθής. *Serus ſtudiorum.*

Notantur hoc verbo à Græcis, qui jam provecti ætate ſerius ad literas adhibentur, & ob id raro ad verum judicium ſenſumq; diſciplinarum perveniunt, de quibus Aulus Gellius lib. 15. c. 30. qui ab alio vitæ genere detriti jam & retorridi, ad literarũ diſciplinas ſerius adeunt, ſi forte iidem garruli natura, & ſubarguti ſunt, oppido quam ſiunt in literarum oſtentatione inepti & frivoli: Eos Horatius deridet Sermonum Satyra 2. quod miſcellam linguæ Latinæ & Græcæ in Satyris confuſæ pro magno habent, cum ait ironicôs de duritie Luciliani carminis:

Ad magnum facit, quod verbis Græca Latinis
Miſcuit: ô ſeri ſtudiorum, &c. ———

Laboraſſe autem Lucilium ac cacozelia Græco latinitatis, paucis verſiculis planum facit Gellius lib. 18 c. 8. Vide Nann. Miſcellan. 4. extremum. Hanc Græci ſermonis affectionem reprehendit Iuvenalis 6. ſatyr. & Perſius ſatyr. 1.

Nugari ſolitos Græce.

Sic Cic. in 1. Tuſc. Sero ſtudiorũ opponitur παιδομαθής. Quintilianus: Quare qui in ſua quidque arte optime facit, παιδομαθὴς dicitur.

Claudicat.

Sicut claudicare dicuntur, qui pedum vitio laborant, ita & ſcripta claudicant, quæ ſuis pedibus non conſtant. Quo uſus Quintil. lib. 10. In comœdia maxime claudicamus. Sumſit autem hoc verbum, ſicut cætera, à Marco Tullio, qui in tertio de Oratore libro. ſic ait: Verum ut in verſu vulgus, ſi eſt peccatum, videt: ſic ſi quid in noſtra oratione claudicat, ſentit. Et in Oratore de numeris qui in oratione requiruntur agens, claudicãtem dicit orationem, quæ debitos pedes non habet: Sed omnis, inquit, nec quaſi fluctuans, æqualiter conſtanterq; ingrediens, numeroſa habetur oratio. Ex quibus præclare videmus, eam orationem claudicantem dici, quæ pedum obſervatione ſoluta, diſſipata & abrupta fluat. Idem Cicero actionem claudicare, quæ non recte obſervatur, in Bruto de P. Antiſtio loquens, ait: Actio, inquit, paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat. Et oratio in parte dicitur claudicare, quæ non omnes partes habet, ut eodem libro oſtendit Cicero: idque ait. cum conſtaret ex quinque notiſſimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nil poterat. In quacunque enim una plane claudicaret, orator eſſe non poſſet. Dicuntur etiam claudicare utroque homines lubricæ fidei, & incertarum partium. Hinc illud 3. Reg. 18. Vſque quo vos claudicatis in duas cogitationes? id eſt, vacillatis. Græci dicunt, ἐκχωλεύω ὑπὸ σοῦ πόθου, id eſt, Claudico in deſiderio tui: Non amplius tantopere te deſidero. Heliodorus lib. 1 ὅτι δὲ λίαν οὐκ ἐκχωλεύει σοι πρὸς ἐμὲ ὁ πόθος ὑπὸ τῶν πολλῶν συμφορῶν. Satis enim & ex his (quam ita mihi timuiſti) patet, quam per tot calamitates tuus erga me amor non claudicaverit: Gregorius epiſcopus Niſæ in oratione de S. Stephano, primo martyre, quum de claudo à Petro ſanato agit: τὸν μὲν ψυχὴν χωλεύοντας ἐπὶ τὴν πίστιν ἐχειραγώγησεν. id eſt, Claudicantes animo ad fidem veluti manu duxerat. Arator hiſtoriæ Apoſtolicæ lib. 1. de eodem claudo:

———Tulit ipſe figuram
Corporis ante gravem: quam poſt in vulnere mentis
Iſrael claudus habet, qui per ſua crimina labens
Corde magis quam carne fluit, ſpatiiſque ſub ipſis
Quadraginta annos Ægypti ſine remotus,
Claudicat, Ægyptum cupiens, atque idola quærens.

Lucretius lib. 3.

Claudicat ingenium delirat linguaque menſque
Et libella aliqua ſi ex parte claudicat hilum.

Dignus qui ranis miniſtret.

Nos vulgo verbũ hoc ſæpe uſurpamus, atque quoties vini miniſtratores reprehendimus, quod nimium aquæ ingerunt, ac vini ipſius vim penitus perdunt. Pherecrates apud Athenæum lib. 10. ἀποπυτίζων, ὥσπερ ἄξιος βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ.

Figulinam de dolio diſcere.

Theon Sophiſta in procœmio προγυμνασμάτων, καὶ τὸ πάντων ἀτοπώτατον, οἱ πολλοὶ τῶν νέων ἐπὶ τὸ λέγειν ἐρχόμενοι, ἐνίοτε οὐδὲ τῶν ἀναγκαίων ἐπιτηδευμάτων ὑπομένουσι, τὸ δὴ λεγόμενον κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐν πίθῳ τὴν κεραμείαν μανθάνοντες. id eſt, Quodq; eſt maxime incivile, imperati etiam a neceſſariis exercitationibus cauſas in foro agere, & ſententias dicere geſtiant, ſcilicet figulinam, ut proverbio dicitur, de dolio ordientes diſcere.

Ἐφόλκιον.

Ἐφόλκιον ſive fœminino genere ἐφολκίς, per tranſlationem pro convivia uſurpatur non vocato, ſed ab alio adducto, qui Latinis umbra dicitur. Eſt autem ἐφόλκιον, proprie genus navigii quod majorem navem ſubſequi ſolet. Suidas & Moſcopulus ſic dictum ajunt, παρὰ τὸ ἐφέλκεσθαι. τοῦ ἐφολκίου, mentio fit in legibus navalibus, l. 43. 44. & 46.

Mapalia mera.

Promiſcue ſententiam ferentes, & nõ ſervato ordine, alius aliũ turbantes. Punico vocabulo, Mapalia mera dicuntur. Idem Seneca in eodem Ludo de morte Cl. Cæſ. Ego, inquit, P. C. interrogare vos permiſeram, vos mera Mapalia feciſtis, quaſi diceret: In dicendis ſententiis non ſervatis civilem cõſuetudinem, ſed ruſticano more, diſſoluti fuiſtis, & a diſciplina receſſiſtis, incõditeque & perturbate omnia egiſtis: tum quicquid in buccam venit, promiſcue blateraſtis. Nam hoc animadvertere debet lector apud Senecam, ſemideos illos nũc nullo ordine obſervato loqui, unde poſtea Iupiter illos objurgat Alluſit ad aliud proverbium: Rus civitas. Confine eſt Epicharmium illud: ἀγρὸν τὴν πόλιν ποιεῖς, id eſt, E civitate rus facis. Mapalia, inquit Servius, idem ſignificat quod magalia: hoc eſt, Afrorum caſas humiles. His utitur Virgilius, cum de Libyæ paſtoribus & paſcuis loquitur. In mapaliis autẽ & agreſtibus caſis quia nihil eſt ſecreti, ſolet id vocabulum ſolute viventibus objici, authore Feſto. Mapalia Græci μαγάλια dicunt.

Capitis cautio ſtultorum eſt.

Capite cavere, eſt in ſeſe recipere cum obſtructione capitis: Plinius lib. 34. Vidimus in cella Iovis canem ex ære vulnus ſuum lambentem cujus eximium miraculum &, indiſcreta veri ſimilitudo, etiam ex nova ſatiſdatione intelligitur. Nam ſumma nulla videbatur, capite tutelarios cavere pro eo, instituti publici fuit. Hinc apud Gallos triviale: Capitis cautio ſtultorum eſt. Adrianus Turnebus adverſariorum lib. 22. cap. 30. Auſim, inquit omni ſponſione contendere, & (quod ſtultiſſimum ſacramentum noſtri dicunt) in capitis periculum jusjurandum dare, hanc veram eſſe ſcripturam.

Pueri-

Puerile eſt.

Proverbialiter dicimus, Puerile eſt, quod eſt, inconſultum, ineptum, & inconſideratum. Cic. fin. lib. 3 De fin. ib. Iſtiuſmodi autẽ & res dicere ornare velle, puerile eſt: plane autem perſpicue expedire poſſe, docti & intelligentis viri. Terent. in Phormione:

Quid vos (malum) ergo me ſic ludificamini,
Inepte veſtra puerili ſententia?

Cic. ad Attic. lib. 14. Acta enim illa res eſt conſilio puerili. Stat. v. Thebaid. Acta puerilia. Sen. epiſt. 4. Adhuc non pueritia in nobis, ſed quod gravius eſt, puerilitas remanet: & hoc quidem pejus eſt, quod authoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorũ tãtum, ſed infantium. Eſſe autem puerorum levitatem, imperitiã, ſtultitiam oſtendit. Idem: Pueritiam ejus, ſive potius puerilitatẽ, ludibrio habuit. Hinc pueriliter, id eſt, more puerorum. Cic. 3. De finibus. Quæ quum res tota ficta ſit pueriliter, tum ne efficit quod vult? Paulus 1. Cor. 14. Pueri ſenſibus ne ſitis, id eſt, ne careatis ſpirituali delectu rerum, & ne hæreatis in his quæ ipſi ſentitis. Salomon: Puer, inquit, centum annorum, id eſt ſtultus. Vide infra, Nuces relinquere. Columna apud Marantam lib. 5. Lucul. quæſtionũ: Nam ſi nullum extaret condimentum, fieret ſermo qui frigidus appellari ſolet, vel (ut rectiꝰ dixerim) exanguis & aridus, & involus, puerilíſque, &c. Vide ante, Frigus inducit. Carolus Mag. lib. 3. c. 26. de imaginib. Theodorus inquit, Mitenſis epiſcopus interfuit ſynodo Nicenæ II. ac pueriliter & ridiculoſe egit, quod, ut imaginũ adorationem aſtrueret, ſomnia archidiaconi ſui retulit.

Importuna benevolentia nullo differt ab odio.

Apud Græcos eſt proverbium: ἄκαιρος εὔνοια οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει: Importuna atque intempeſtiva benevolentia nullo differre ab odio. In re autem incommoda & mala homini obſecundare, perinde fere eſt, ac ſi moleſtia negociumque exhiberetur.

Exotica.

In communibus Græcorum & Latinorum proverbiis, exotica habentur pro peregrinis, longe petitis. & (ut Cicero De oratore vocat) adventitius, ut exotica unguenta Plauto in Moſtel. Non omnes poſſumus olere unguenta exotica, id id aliunde apportata. Idem Menech. Iſtros, Hiſpanos, Maſſiliẽſes, Illyricos, mare ſuperum omne, Græciamque exoticam, oraſque Italicas omnes ſumus circumvecti. Budæus Paceo. Quo fit, ut externorum epiſtolas velut exoticas merces ac vendibiliores elatius inter noſtros proferam ac venditem.

Clodius accuſet mœchos?

Juvenal. carmen iſtud è ſatyr. 2.

Clodius accuſet mœchos: Catilina Cethegum?

hodie uſurpatur, cum idcirco alteri quis objicere aliquid criminis nequit, quod & ipſe eodem ſit infectus vitio. Ait ergo poëta, intolerandum eſſe, ſi Clodius, qui ſororem ſuam conſtupravit, accuſet mœchos: ſi Catilina, conjurator ipſe & conjurationis princeps, accuſet Cethegum, ſceleris ejuſdem conſcium. Bonus, inquit, malum nocet: ſed non malus malum, non Gracchus ſeditioſum, non fur Verrem, adverſum quem Verrinæ actiones Ciceronis extant.

Unguenta vaſi ſordido quis credidit?

Chriſti pariter tria ſunt in hanc ſententiam oracula, ne dicam dogmata, Matth. 7. & 9. Marc 2. & Luc 5. Nam unguenta ſordido vaſi credere, idem eſt, quod ſanctum dare canibus aut margaritas porcis, aut vinum novum in veteres utres mittere. Quæ omnia in publico verſantur, cum Theologiæ myſteria impiis non prodenda, ſignificatur. Antiquitas enim res ſacras paradigmatis & ænigmatis, & parabolis pandit. Cæterum Judæi ſanctum appellabãt, quod eſſet ſemotum ab uſu prophani vulgi, & à conſecratis cum reverentia tractandum. Greg. Theolog. lib. 1. Sentent.

Μύρον δοχεῖον πονηρῷ ὁ πιστεύσας,

Id eſt:

Unguenda quaſi ſordido credidit?

Horat. lib. 1. Epiſt. ad Lollium:

Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit,

Sic Lucret. lib. 6. in princip. de Epicuro:

Intellexit ibi vitium vas efficere ipſum,
Omniaque illius vitio corrumpier intus,
Quæ collata foris, & commoda cumq; venirent
Partim quod fluxum, pertuſumq; eſſe videbat,
Ut nulla poſſet ratione expleriet unquam:
Partim quod tetro quaſi conſpurcare ſapore
Omnia cernebat, quæcunque receperat, intus, &c.

Sit riſus extra cachinnum.

Vituperatur cachinnatio, quamvis ridere conceſſum ſit, authore Cicerone. Unde ait Seneca: Sit riſus extra cachinnũ, id eſt, immoderatum riſum. Nam cachinnari, eſt ſolute atq; immodice ridere, unde cachinnones dicti ridibũdi. Epictetus philoſophꝰ: Riſus neque multus ſit, neque ob multa, neque ſolutus. Sunt qui putent intemperantiam riſus conſtare lienis magnitudine: quod Quint. Serenus atteſtatur. Qui autem rarẽter rident, alio proverbio dicuntur, Sine ſplene, vel liene: item, Agelaſti: quo nomine dictus eſt Craſſus: quem riſiſſe ſemel in vita ait Lucilius, cum aſinũ vidiſſet carduos comedentem: de quo dictũ eſt feſtiviter, Similem habent labra lactucam. Illud ſcitu dignum, quod memorat Apollonius, ſe nunquam Galbam ridentem vidiſſe. Xenocrati autem Plato præcepit, Gratiis ſacrificaret, ut foret hilarior. Quibus vero magnus eſt σπλὴν, propenſiores ſunt in riſum. Splene enim ridemus, felle iraſcimur, corde ſapimus, jecore amamus. Hinc illud Phyſicorum pervulgatum:

Splen ridere facit, cogit amare jecur.

& Perſij:

—Sed ſum petulanti ſplene cachinno. Id eſt,

Profuſus in riſum.

Fungus una nocte naſcitur.

Proverbium eſt, quod de re ſubitaria & inſperata fertur in primis. Fungum quoque dicimus, quicquid novi præter expectationem repente factum apparuerit: nempe Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, Theologos, Juriſconſultos, unius tridui ſtudio authoritatem adeptos, & præſtantes haberi cœptos. Apud Plautum in Bacchidib. fungus, pro re nihili accipitur à Chryſalo: Tanti eſt, quanti eſt fungus putidus. In eadem fabula fungus legitur, pro fatuo & ſtupido.

Repente oritur non expectatum.

Superiori ſimile eſt hoc in Gallis tritum admodum: Repente oriri ſolere, quod nemo unus unquam expectaſſet. Ocypus Luciani: Unde autem acerbus iſte per pedes mihi ſine vulnere improviſus accidit dolor? M. Varro in Eudæmonibus apud Noniũ, de improviſo, dixit. Cicer. Tuſcul. quæſtionum lib. 3. O poëtam, inquit egregium (antiquum.) Sentit omnia repentina & inopinata eſſe graviora.

Accepto damno januam claudere.

Vulgatum eſt proverbium quod dici ſolet in eos, qui pecoris ſui diligentes non fuere cuſtodes: quibus per deriſum imperatur, ut accepto damno ſtabulum claudant, ac perſciant, ſibi ereptam eſſe ſpem recuperandi quod amiſerunt. Juvenalis ſatyr. 13.

Quandoquidem accepto claudenda eſt janua damno,

Cupreſſum ſimulare.

In aliam ſententiam ab Horatio in arte poëtica dictum.

—Fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare?—

interpretatur Adrian. Turnebus eruditiſſimus vir, Adverſariorum lib. 9. c. 31. quam interpretes, & noſter Eraſmus: cum putat ab eo ſignificari malum & rudem pictorem, qui tabulam depingere non poſſit, ſed tantum parerga, quæ rudimenta erant artem pingendi diſcentibus, & ornamenta tabularum delineare. His perſimiles ſunt, qui magnum carmen condere conſtituunt: cum tamen deſcriptiones tantum amœnas fluviorum & nemorum, poëtices initia & progymnaſmata explicare poſſint, quas idcirco non ſuo loco adhibent, & poëma fucant & adulterant intempeſtivis ornamentis. Tale eſt illud Perſianum ſatyr. 1.

Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus,
Nugari ſolitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare.—

More majorum.

Et hoc in Ciceronis numeratur proverbiis. Dixit enim majorũ more petere: quod eſt tanquam petere ἀρχαϊκῶς, ſine artificio & dolo. Ludit autem Galbam: ac eum ſignificat prenſatorem primum non eſſe, ſed petitorem ineptum, qui fucos & fallacias non adhibeat, ſed ſimplex & rudis ſit ut veteres.

Quid mihi cum longis tibiis?

Τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, proverbium eſſe dicit Dio, lib. 1. de iis qui quid ſibi non utile faciunt. Quod & paulo aliter effert τί δῆτα μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν. Puto hoc dictum, vel ex eo, quod ad rem divinam & pulvinaria adhiberent tibicines, qui tibiis canebant longis, ut præcentoriis & thurariis cum tamen interdum ſacrificium ſibi non profuiſſe cenſerent: vel ex eo, quod quis tibias tractare commode parvas cum poſſet, vel puellatorias, quas Græci παρθενίους vocant, aut gingrinas, quæ breves erant, magnas longaſque ſumeret, quas commode non poſſet inflare. Meminit hujus & Suetonius in vita Othonis.

Laudare nimis mane.

Varie exponitur hoc Solomonis proverbium, cap. 17. Quidam ſic: Qui nimis accurate & magnifice laudat aliquẽ, videbitur execrare. Alii ſic: Laudare aliquem nimis mane, hoc eſt, ante quam tibi perſpectus ſit, vitio vertitur, &c. nimis præpropere.

Alienis malis ridere.

Malis alienis ridere, ut Euſtath. docet ad verſum illum Odyſſ. υ.

Οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν.

Id eſt;

Illi autem malis jam ridebant alienis.

eſt, non libenter, neq; ex animo ridere: & ita ridere, quaſi non tuis, ſed alienis maxillis rideas. Ex hoc Homeri verſu ſumptum eſt adagium. Sic & Horatius Sermonum lib. 2. ſatyra 3.

Cum rapies in jus malis ridentem alienis.

Non enim ſuis ridere malis videtur, qui invitus lætitiam ſimulat: cum ejus priſtinus non agnoſcatur vultus, nec priſtinus ridentis habitus. Qui nõ ex animo ridet, neq; exhilaratur, ſed coacto tan-

quam & invito vultu renidet: non ſuo ſed alieno vultu gaudere etiam dicitur, ut apud Valerium.

Errantesque genæ, atque alieno gaudia vultu.

In lenticula unguentum.

Proverbium eſt notiſſimum, & hominum ſermone frequens, atque ab Eraſmo collectum, verum eo nihil aliud Turnebo ſignificari videtur, quam, in tenuiculo apparatu & victu, ut in lenticulæ pulmento, non eſſe locum unguentis, quibus in lautis opiparisque conviviis uti ſolebant. Quin & cibis unguenta ſolebant admiſcere nonnunquam: quod in lentis pulmento faciendum nõ eſt, ob edulii utilitatem, tã precioſa condimenta non deſiderantis. Ariſtoteles de ſenſu & ſenſilibus: [illegible]

Fruſtra chordarum ciebis ſtrepitum.

Proverbium à citharœdis ductum, qui ingrati ſunt auditoribus, nec mercedem ſperatam accipiunt. Lycophron in Caſſandra: [illegible] id eſt, Fruſtra igitur chordarum ciebis ſtrepitum. Fruſtra, inquit, orabis Proteum, ut Helenam tibi reddat: nihil enim proficies. Niſi qui malit hæc, ut ſonant accipi, quod Paris vere citharœdus fuerit. quo faciunt etiam illa Horatij:

Nequicquam veneris præſidio ferox
Pectes Cæſariem, grataque fœminis
Imbelli cithara carmina divides.

Quinetiam Paridis lyram ad Alexandri Magni uſque ætatem extitiſſe tradit Plutarch. in Alexandro. Hæc Canterus.

Deploratis vulneribus manus admovere.

Joſephus Scaliger in cõjectaneis ſuis in lib. 6. Varronis De lingua Latina: Extabunt quidam qui quod tam deploratis vulneribus manus admoveant, mirabuntur. Morbus enim deploratus, & ægroti deplorati dicuntur, quibus nullo remedio poteſt ſuccurri. Sic Rempub. dicimus deploratam, jam everſam, vel de qua nihil melioris ſpei ſupereſt.

Nondum capillos animo præ imperitia abraſe unt.

Plato in Alcibiad. j. Qui cum nondum capillos quos ſervi alebant, animo (quemadmodum mulierculæ vulgo dicunt) præ imperitia abraſerint, rempub. tamen tractare aggrediuntur, adhuc barbariem redolentes.

Abſque ordine ſparſim ferri.

Plato in Civili: Magnitudine temporis partim deſierunt, partim abſque ordine ſparſim feruntur. Idem in Protagora: Sed paſſim quaſi paſcentes ſine cuſtode pererrant, &c. ſparſim vagantur, Addenda ad Syllogen. Sed quis cuſtodiet?

Grandis ſeni onus imponere.

Plato: Grande, ô Socrates, onus ſeni imponit. Indecorum namque, hujuſmodi quædam in cõſpectu multorum tractare, atque id ſeni præcipue. Ignorant enim multi, quod abſque hoc per omnia veluti diſcurſu & errore impoſſibile ſit mentis veritati conjunctæ compotem fieri. Tunc demum Parmenides: Neceſſe eſt, inquit, obtemperare, & ſi mihi videor in id quod paſſus eſt Ibycius equus, incidere. Cui & athletæ & ſeniori, curvum ſubituro certamen, & propter experientiam eventum extimeſcenti, Ibycus ipſe ſe conferens: Invitus, inquit, & ipſe jam ſenex ad amores regredi cogor. Eadem ratione ego mihi admodum trepidare videor, cum cogito quo pacto jam grandis natu tam profundum differendi pelagus tranſnatare queam. An vultis, poſtquam negocioſum ludum ingreſſi ſumus, à me ipſo, meaque poſitione in primis exordiar: Apud Eraſmum noſtrum, Ibyci equus.

Nihil ad rem ad propoſitum.

Ibidem: Nihil ad rem iſta tua quæſtio. In Theæteto: In præſentiarum tranſeo, cum nihil ad propoſitum nobis conferant. In Civili: Quam breviſſime quod ad propoſitum conducit, elegimus.

Quum nullus ſit morbus, nulla medela opus.

Ibidem: Et quum nullus ſit morbus, nulla medela indigeamus. Sanus non eget medico, ſed male habens. c. Eccleſia Chriſti. de pœnitent. diſtinct. 1.

Non jam illud quæro.

Non jam illud quæro.
Sic Cicero: Neque vero jam illud quæro. Et Virg. in 4. Æneid.
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro.

Aliud agendo male interdum agitur.

Joan. Baptiſta Egnatius de commentatoribus in Tranquillum: Alter adeo redundans, ut fabulari ſæpe videri poſſit: ita fit, ut aliud agendo male interdum agat. Antea:

Nos alio mentes, alio diviſimus aures:

Et, Nimium properans, ſerius abſolvit.

Arare bove & aſino.

Pro, officia male diſtribuere, ſi quis conſultet in re gravi leviculum citharœdum, aut mulierem: aut ad dicendum jus Theologum Jureconſulto, aut ad finienda ſacra Juriſperitum Theologo copulet. Aſinus ferendis ſarcinis valet, bos trahendo aratro, Deuteron. 22.

BOVILLI. *Extra circinum & regulam neſcio quidquam.*

Mathematicorum eſt, qui circino ad lineas circumducendas, regula ad producendas utuntur, Quadrabit, ubi quis ſe profitebitur nolle aliena à ſua arte aut inſtituta tractare.

Saturninus.

De eo dictum, qui phantaſticas abſurdaſque opiniones ſectatur in jure civili: ab hujus nominis Saturnino, quem notat Ulpian. in c. 1. de Sanat.

GENTII. *Rem non novam aggredi.*

De iis qui uxores vetulas accipiunt. Refertur proverbialiter ab Alciat. ut pleraque ſupra reccolita. Objectum nimirum ab auditoribus Bulgaro doctori, riſus cauſa, cum hujuſmodi uxorem duxiſſet, & poſtridie mane conſtitutionem, cujus initium illis verbis in C. de Iud. conceptum erat, auſpicaretur. Gloſſatius in c. rem non novam. C. de Iud.

EX APPEND. IVNII, CANTERI,

Poſt cauſam vulneratam remedium quærere.

De eo qui ſero & poſt feſtum venit, amiſſa bene rei gerendæ occaſione. Utitur Juſtinia. in c. ult. C. in quibus cau. ceſſ. in integ. poſtul. Ιατρὸς, inquit Suidas, mederi ſatius eſt quam ſini.

Coryphæus chorum ſequens.

Ὁ κορυφαῖος ἐπὶ τελευτῆς τοῦ χοροῦ. De iis qui ſe inferioribus ſubjicientes, dignitatem ſuam perdunt, Ariſtides contra proditores.

Intempeſtiva Minerva.

Ovidius Metamorph. 4.
-- Solæ Mineidis intus
Intempeſtiva turbantes feſta Minerva.

Intempeſtivam Minervam dixit operam & opus parum opportune exactum. Etſi de lanicii opere loquatur poeta, nihil vetat tamen generaliter accipere pro omni ſtudio & opere: quandoquidem omnibus præeſſe artibus Minerva fingitur, quarum pleræque abſque labore non fiunt: quo in genere eſt lanicii & texturæ ſtudium.

INTERNECIO.

ERASMI. *Funditus, radicitus, &c.*

Quod prorſus ac citra ſpem inſtaurationis perditur, funditus ac radicitus tolli dicitur: quorum alterum ſumptũ eſt ab ædificio, quum æquatur ſolo: alterum ab arboribus, quum non ſolum amputantur rami, verumetiam ipſa ſtirps inciditur, aut una cum radicibus tollitur. Acinetus Phœciana exprobrans amicæ, quod ab ea rebus omnib. exutus jã faſtidiretur: [illegible] inquit, [illegible] id eſt, Sicubi me juxta proverbium totum ſubvertiſti, inſuper & in ſervitutem redegiſti. Plautus in Trinummo. Qui illius ſapientiam & meam fidelitatem, & celata omnia pene ille ignavus funditus peſſundedit, Idem in Muſtellaria pro eodem dixit. Cum fundamento: Nõ videor mihi ſarcire poſſe ædes meas, quin totæ perpetuo ruant, quin cum fundamento pereant: nec quiſpiam eſſe auxilio queat. Quod nos dicimus Radicitus ſive à ſtirpe, Græci dicunt ἐκριζοῦν, quaſi dicas Extirpare. Quo verbo uſus eſt Cicer. libello de Fato: Extirpari autem, & funditus tolli, ut is ipſe, &c. Idem pro Sexto Roſcio Amerino: Et ex eo Titus Roſcius, non paululum neſcio quid in rem ſuam convertit, ſed hunc funditus evertit. Idem in Verrem libro quarto. Nam me dies, vox, latera deficient, ſi hoc nunc vociferari velim, quam miſerum indignumque ſit iſtius nomine apud eos diem feſtum eſſe, qui ſeſe iſtius opera funditus extinctos eſſe arbitrantur. Ruſus in eũdem lib. v. Labefactarat enim vehemẽter aratores jam ſuperior annus: proximus vero funditus everterat. Idem Pro domo ſua ad pontifices: Et funditus everteres civitatem. In eadem: Ut ejus qui pernicioſa Reip. conſilia cœpiſſet, omnis memoria funditus ex oculis hominum ac mentibus tolleretur. Item in epiſt. ad Q. fratrem prima: Sin autem omnibus in rebus obſequemur, funditus eos perire patiemur. Ruſus ad eundem. Remp. funditus amiſimus. Item in eadem: Videſne me non radicitus evellere omnes actiones tuas? Multum accedet gratiæ, ſi ad animum deflectatur: veluti ſi quis dicat ambitionem, avaritiam, ac libidinem funditus ex animo revellendam.

Ne bolus quidem relictus.

Οὐδ᾽ ἔγκεφαλος λέλειπται, id eſt, Ne bolus quidem relictus eſt. hoc eſt, nec vel pauxillum. Euſtathius enarrans tertium Odyſſeæ librum, citat hunc Eupolidis verſum:

Οὐχὶ λέλειπται τῶν ἐμῶν οὐδ᾽ ἔγκεφαλος.

Id eſt:

Nec bolus è meis relictus rebus eſt.

Nam

Nam ἔγκαφος, id apud Græcos ſignificat, quod nos vulgata voce magis quam Latina, morſellum dicimus: a verbo κάπτω, quod eſt avide comedo.

Ne ignifer quidem reliquus eſt factus.

Οὐδὲ πυρφόρος ἐλείφθη. id eſt, Ne ignifer quidem ſuperfuit. ubi ſignificamus, omneis ad unum interiiſſe, adeo ut ne ei quidem ſit parcitum, qui ignem præferat exercitui. Nam priſcis mos erat, ut vates aciem præcederet, lauro coronatus, ac faciem geſtans. Ab hoc belli vim abſtinebant utrinque: quod nefas ducerent, in virum ſacrum ferrum ſtringere. Proinde ſi crudelem aliquam ſtragem ſignificare voluiſſent, ne ignifero quidem parcitum ajebant. Meminit hujus adagii Euſtathius Iliados μ. enarrans hoc Homeri verſus:

Οὐκ ἔτ' ἔπειτ' ὀΐω οὐδ' ἄγγελον ἀπονέεσθαι
Ἄψορρον προτὶ ἄστυ.----

Id eſt.

Haud equidem fore credo, ut ſit rediturus ad urbem
Hinc poſthac aliquis vel nuncius.

Admonet hoc quoque figuram habere proverbialem, οὐδ' ἄγγελος ὑπελείφθη, id eſt, Ne nuncius quidem relictus eſt, quoties ſignificamus ad unum omnes extinctos, ut ne unus quidem effugerit qui rem geſtam renunciaret. Nam is vel dedita opera relinqui ſolet ab hoſte.

Πανωλεθρία.

Huic affine eſt, πανωλεθρία: qua voce ſignificabant internecionem, & ejuſmodi perniciem ut nihil omnino reliquum fieret. Thucydides in ſeptimo hiſtoriæ ſuæ lib. κατὰ πάντα γὰρ πάντως νικηθέντες, καὶ οὐδὲν ὀλίγον ἐς οὐδὲν κακοπαθήσαντες. πανωλεθρίᾳ δὴ τὸ λεγόμενον, καὶ πεζὸς, καὶ νῆες, καὶ οὐδὲν ὅ τι οὐκ ἀπώλετο. id eſt, In omnibus omnino victi, & nihil mediocre ulla in re paſſi, ſed internecione jam, quod dici ſolet, & pedites, & naves, & denique nihil erat, quod non periret. Venuſtius erit ſi bello, naufragio, incendio: ac ſimilibus caſibus alio detorqueatur. Veluti ſi dicas, libidinem magnam quidem eſſe peſtem Chriſtianæ religionis, verum avaritiam prorſus πανωλέθριον eſſe pietatis. Et Græcarum literarum imperitiam omnium diſciplinarum fuiſſe πανωλέθριον. Non diſſimili forma Cicer. in Piſonem, templum Caſtoris appellat buſtum omnium legum ac religionum: quod ibi fuerit oppreſſa legum authoritas, ac religionum cultus.

Pinus in morem.

Πίτυος τρόπον, id eſt, Piceæ ritu. Ubi quis funditus radicituſque perit, ita ut nullo pacto reſtitui poſſit; piceæ ritu perditus dicitur. Nam piceam ſucciſam negant ſuppullulaſcere. Meminit hujus proverbii Staphylus, citante Diogeniano, meminit & Suidas.

Totum ſubvertere.

Ὅλον ἀνατρέπειν, id eſt, Totum evertere dicitur, qui funditus perdit quempiam, & velut ab ipſis radicibus, funditusque. Aristænetus in epiſtola quapiam ad Phœbianum: οὕτως ὅλον με αὐτὸς κατὰ τὴν παροιμίαν ἀνέτρεψας ὡς δουλεύειν ἀναγκάσαι. id eſt, Ita tu me totum, quod ajunt, ſubverſum eo redegiſti, ut mihi ſit ſerviendũ. Cic. lib. Rhetoric. 1. Vertit ad extremum omnia. Dictum ab ædificiis, quæ ſubvertuntur a fundamentis.

Perdere naulum.

Juvenalis in Satyra, cujus initium, Stemmata quid faciunt:

Præconem Chærippe tuis circumſpice pannis,
Cum Panſa eripiat, quicquid tibi Natta reliquit:
Jamque tace, furor eſt poſt omnia perdere naulum.

Domitius Calderinus (ut inter recentiores, haudquaquam malus author) admonet proverbium eſſe in eum, qui quum multa amiſerit, reliquum etiam velit perdere. Sumptam autem metaphoram a mercatoribus, qui quum navigant, ſi minus quantum cupiunt lucrari poſſunt, ſtudent ut ſaltem recuperent ex mercibus dividendis quantum pro vectura navali ſolverunt. Ariſtippus interrogatus a quodam, num eſſet ubique, ridens, οὐκοῦν, ἔφη, παραπόλλυμι τὸ ναῦλον, εἴγε πανταχοῦ εἰμι. id eſt, Naulum igitur non perdo inquit, ſiquidem ubique ſum. Refertur a Plutarcho in commentario cui titulus εἰ διδακτὸν ἡ ἀρετή.

Cum cane ſimul & lorum.

Σὺν τῷ κυνὶ καὶ τὸ ἱμάντιον. id eſt, Una cum cane lorum quoque. Clauſula eſt heroici carminis. Eudemus indicat dici, quoties ſimul omnia pereunt, ut nihil omnino ſit reliqui, ne ſpes quidem recuperandi quod periit.

Qui jure perierunt.

In eos qui ſuo merito pereunt, conveniet illud ex eodẽ libro:

Τοὺς δὲ μοῖρ' ἐδάμασσε θεῶν, καὶ σχέτλια ἔργα.

Id eſt:

Hos fatum & malefacta neci exitioque dederunt.

Dictum de procis.

Omitte vatem.

Πάρες τὸν μάντιν, id eſt, Omitte vatem: Uti conveniet, quoties alicui parcendum admonebimus, quod is eximius ſit, & immunis habendus a vulgari ſorte. Veluti ſi quis poëtæ, theologo, ſacerdoti diceret, oportere parci. Antiquitus mos erat, ut augur coronatus ante aciem incederet: neque fas erat, hunc telis impetere, utpote virum ſacrum: Poterit adagium etiam per ironiam uſurpari.

INVIDIA ET ÆMULATIO.

ERASMI. *Cognatio movet invidiam.*

Ariſtot. Rhetor. lib. 3. docens invidiam oriri erga vicina & cognata (nullus enim invidet olim defunctis, aut diverſi generis, aut immenſo intervallo ſuperioribus inferioribusve) adducit hujus verſiculi teſtimonium:

Τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσταται.

Id eſt:

Etenim invidere novit ipſa affinitas.

Unde qui eo altitudinis proceſſerunt, ut invidiam gloria ſuperarint, extra omnem aleam, extraque invidiæ tela eſſe dicuntur.

Eſurienti ne occurras.

In eodem idyllio proverbii faciem habet & illud in fine. Gorgo hortans in reditum, quod maritus eſſet iracundus, adjicit:

---Πεινᾶντι δὲ μηδὲ ποτένθῃς.

Id eſt:

—Abſit ut unquam occurreris eſurienti.

Fames enim exaſperat iracundiam. Unde apud Plautum aliquis iracundius loquentem rogat, quam pridem ediſſet. Apud eundem eſt:

Fames & mora bilem in narem conciunt.

Figulus figulo invidet, faber fabro.

Ab hac forma velut excipiendi ſunt, qui in eadem arte verſantur: propterea quod inter hos artificii ſimilitudo magis æmulationem conciliat quam benevolentiam. Quorum mutuam inter ipſos invidiam Heſiodus in opere, cui titulus, Opera & dies, compluribus metaphoris indicavit: haud tamen damnans id genus artificum concertationem, imo probans ac laudans. Propoſuerat enim poëta duplex æmulationis genus, quorum alterum ſit utile pulchrumq; mortalibus, alterum fœdum ac perniciosum. Hoc homines ad rixas ac bella concitari, propter opum honorumque certamina: illo vero tanquam exemplis propoſitis ad induſtriam & honeſtas artes expergefieri. Honeſtam igitur æmulationem his verbis deſcribit:

Ζηλοῖ δέ τε γείτονα γείτων
Εἰς ἄφενος σπεύδοντ'· ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Quos verſus longe elegantiſſimos in hoc duntaxat vertimus ut intelligantur. Nam venuſtatem vix quiſpiam aſſequatur, nedum ego:

Semper vicinus vicino eſt æmulus, hunc ut
Condere cernit opes properantem gnaviter: atqui
Concertatio conducit mortalibus iſta.
Odit ita fabrum faber, figuloque moleſtus
Eſt figulus; mendico protinus invidet alter
Mendicus, cantor cantorem lividus odit.

Uſurpantur cum alias frequenter apud diverſos authores, tum apud Ariſtotelem lib. Moralium 2. Rurſum ejuſdem operis lib. 8. parœmiæ vice refertur: κεραμεῖς τοὺς τοιούτους πάντας ἀλλήλοις φασὶν εἶναι. id eſt, Omnes ejuſmodi figulos inter ſeſe ajunt eſſe. Figulos invidos dixit, nimirum alludens ad Heſiodeum adagium. Item Rhetoricorum lib. 2. ὅθεν εἴρηται καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. id eſt, Unde dictum eſt, & figulus figulo. Citat ibidem & hunc ſenarium, haud ſcio ex quo poëta:

Τὸ συγγενὲς γὰρ καὶ φθονεῖν ἐπίσταται.

Id eſt:

Etenim invidere didicit ipſa affinitas.

At eſt ſimilitudo, quam in Sympoſiacis Plutarchus μάχιμον dicit, hoc eſt bellacem ac pugnacem, qualis eſt gallorum gallinaceorum: qualiſque eſt inter ſophiſtas, mendicos, poëtas, cantores: & ob hoc vetat id genus hominũ in conviviis conjungi, ne quid oriatur rixæ. Eſt altera quam ἐπιεικῆ vocat: cujuſmodi eſt graculorum inter ſe. Ad hanc pertinent nautæ, agricolæ, venatores, aliptici. Atque ob id recte copulantur in accubitu. Ad hæc amantes, niſi contingat eos eandem amare.

Inimicus & invidus vicinorum oculus.

Alciphron in epiſtola quadam ad Ocymonem: δυσμενὴς καὶ βάσκανος ὁ τῶν γειτόνων ὀφθαλμός, φησὶν ἡ παροιμία. id eſt, Inimicus & invidus vicinorum oculus, ut dictum eſt proverbio. Extat autẽ apud Ariſtotelẽ lib. Rhetoricorum 2. Vicinus invidet vicino: juxta Heſiodi ſententiam. Nec invidemus iis a quib. longo abſumus intervallo, ſed quos propemodum ſperamus aſſequi. Unde Flaccus:

Invidia quia major.—

Et alibi:

Et jam dente minus mordeor invido.

Unicum arbuſtum haud alit duos erithacos.

Μία λόχμη οὐ τρέφει δύο ἐριθάκους, id eſt, Idem arbuſtum non alit duos erithacos. Zenodotus author eſt, hoc adagio notatos illos, qui ex rebus minutis feſtinant dieſcere. Mihi videtur nõ intempeſtiviter dici poſſe in eos, quibus parum convenit, nec in eodem munere concorditer verſari queunt. Eſt autẽ Erithacus, avis quędam ſolitaria, ut eodem in ſaltu non temere niſi unam invenias Hanc Theodorus Gaza nunc Sylviã, nunc rubeculã interpretatur

Thomas magiſter ait à quibuſdam ἰερῆα vocari, ab aliis ἰέρφιλον, à pleriſq; ἰέραυγον. Ariſtophanes eleganter ad hoc alluſit adagium in Veſpis:

—Οὐ γὰρ ἄν ποτε
Τρέφειν δύναιτ' ἂν μία λόχμη κλέπτα δύο.
Id eſt:
—Non enim fieri poteſt,
Fures ut unquam ſaltus alat unus duos.

Non omnino diſſimile eſt huic quod dixiſſe fertur Alexander Magnus: Mundum non capere duos ſoles.

Una domus non alit duos canes.

Εἷς οἶκος οὐ δύναται τρέφειν δύο κύνας, id eſt, Eadem domus non bene canes alit duos. Proverbio jactatus ſenarius in eos, inter quos parum convenit propter idem lucrum, quod communiter expetunt. Sic idem regnum non fert duos tyrannos. Eadem reſpublica non fert duos expilatores. Idem munus non fert duos ambitioſos quorum uterque conatur tenere primas. Refertur ab Ariſtophanis interprete.

Zoili.

Zoili audax quidem ſed parum felix mordacitas proverbio locum fecit, ut vulgo Zoili vocentur alienarum laudum obtrectatores, & alienorum laborum reprehenſores. Martialis:

Pendentem volo Zoilum videre

Hic Zoilus ſophiſta quiſpiam fuit, hoc facinore potiſſimum nobilitatus, quod Homerum poetarum omnium principem auſus eſt libris aliquot in eum ſcriptis inceſſere: unde Ὁμηρομάστιξ cognomen meruit quod ipſum etiam abiit in proverbium: ſic enim appellari cœpti nobilium authorum caſtigatores, vel Plinio teſte in præfatione Hiſtoriæ naturalis. Et Virgilio maſtiges: quorum de numero fuit Pero. Zoilus igitur commentarios in Homerum compoſitos Ptolemæo tyranno Ægyptiorum obtulit, ingens videlicet præmium à rege ſperans. Verum cum nihil mitteretur, penuria coactus, misit qui peterent. Ibi Ptolemæus ait ſe mirari, cum Homerus tot annos defunctus tot hominum millia paſceret, Zoilum egere Homero doctiorem. Denique per occaſionem ſupplicio affectus eſt. Quanquam de mortis genere diverſa tradunt authores.

Edentulus veſcentium dentibus invidet.

Divus Hieronymus epiſtolam illam eruditiſſimam, quam ad Magnum oratorem inſcripſit, hujuſmodi clauſit proverbio: Cui quæſo ut ſuadeas, ne veſcentium dentibus edentulus invideat, & oculos capreatum talpa contemnat, hoc eſt, ne quod ipſi non contigit, aliis invideat. Sic enim eſt ferme hominum quorundã ingenium, ut quiſq; laudet quantum ſe ſperat aſſequi poſſe: ſi quid ultra vires ſuas eſſe ſenſerint, id negant diſci oportere. Breviter paucos invenias, qui quod in ſeſe deſperent, in aliis probent, idq; non alia in re magis quam in literarum ſtudiis. Hieronymus videtur Græcam illam reddidiſſe ſententiam:

Αὐτὸς πενιχρὸς ὢν τοῖς ἔχουσι μὴ φθόνει.
Id eſt:
Ne pauper ipſe iis invide, qui poſſident.

Expertes invidentiæ Muſarum fores.

Ἄφθονοι μουσῶν θύραι, id eſt, Candidæ Muſarum januæ. De his dictitatum, qui literaturam ſuam candide libenterque impertiũt aliis, & ad docendum prompti, propenſique ſunt. Neq; male congruet etiam in dociles, juxta id, quod alibi commemoravimus: ἀνεῳγμέναι μουσῶν θύραι, id eſt, Apertæ Muſarum januæ.

Iactantiæ comes invidia.

Qui monebit, ne quis inſolentius jactet vel fortunæ munera, vel naturæ dotes, ne quando Nemeſis exaudiat, auferatque, non intempeſtive uſurpabit illud ex eodem libro:

Ἀλλ' ἔχε σιγῇ δῶρα θεῶν, εἴ τι δίδωσιν.
Id eſt:
Poſſideat tacitus, ſi qua adſunt munera divum.

Turpe ſilere.

Αἰσχρὸν σιωπᾶν, id eſt, Turpe ſilere. Hoc licebit uti, quoties quis alterius exemplo extimulatur ad ſtudium, aut negocium aliquod ſuſcipiendum. Aut natum, aut certe uſurpatum ab Ariſtotele: qui quum Iſocrates rhetoricen doceret, æmulatione commotus, cœpit & ipſe pomeridianis illis ſuis περιπάτοις diſcenti artem docere, dicens illud: αἰσχρὸν σιωπᾶν, Ἰσοκράτην δ' ἐᾶν λέγειν. id eſt, Turpe ſilere loquente Iſocrate. M. Tullius in opere de Oratore, oſtendit è tragœdia quapiam mutuaſſe Ariſtotelem, paucis immutatis. Scribit enim hũc in modum: Ariſtoteles quum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorũ videret, quod ipſe ſuas diſputationes a cauſis forenſibus & civilibus ad inanem ſermonis elegantiã tranſtuliſſet, mutavit repẽte totam prope formã diſciplinæ ſuæ, verſumque quendam de Philoctete paulo ſecus dixit. Ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum barbaris: hic autem, quum Iſocratem pateretur dicere. Ad Atticum lib 6. Ego, niſi Bibulus (qui dum unus hoſpes in Syria fuit, pedẽ porta non pl⁹ extulit quã domo ſua) adniteretur de triumpho, æquo animo eſſem: nũc vero αἰσχρὸν σιωπᾶν. Hoc nunc quidam abutuntur, nihil exiſtimantes turpius quam ſilere, ne apud homines illiteratos parum eruditi parumque diſerti videantur. Unde apud Lucianum præceptum illud μηδέποτε ſιωπᾶν, id eſt, Ne unquam ſile. propterea quod apud imperitos is demum infans & imperitus habeatur, qui non perpetuo garriat.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Oppido quam eleganter extulit Horatius.

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Vitium illud ſignificans humanis ingeniis inſitum, ut ſemper alienam ſortem magis mirentur, ſuam contemnant ac faſtidiant: optent inexperta, experta damnent. Siquidem ephippia vocantur, quas vulgo ſellas equeſtres appellãt, additas in hoc, ut commodi⁹ ſedeat equus. Veteres bubus arabant, non equis. Videtur eſſe ſumpta allegoria ex apologo quopiam. Citra metaphoram dixit Terentius: Noſtri nolmet pœnitet.

Fertilior ſeges eſt alieno in arvo.

Ovidius mutavit metaphoram, eundem explicans ſenſum:

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in arvo:
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Perſius ſatyra ſexta:

—Securus & angulus ille.
Vicini quia pinguior.—

In eandem ſententiam celebratur & Mimus, unus, ut opinor, ex illis Publii ab Aulo Gellio laudatis:

Aliena nobis, noſtra plus aliis placent.

Et Horatius.

Quid fit Mecœnas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit ſeu fors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?

Præſtat invidioſum eſſe. &c.

Nihil tam vulgari ſermone jactatum, quàm hæc ſententia: Præſtat invidioſum eſſe quam miſerabilem. Nam invidia fere comes eſt felicitatis, miſeratio calamitatis. Eſt autem apud Herodotum in Thalia, ubi Periander ita loquitur filio: [illegible] Id eſt, Tu vero doctus, quanto ſatius ſit, invidioſum eſſe, quam miſerandum. Extat epigramma Græcum Palladæ in hanc ſententiam:

[illegible]

Id eſt:

Pejor livore eſt miſeratio, Pindarus inquit:
Nam ſuos felices quos petit invidia.
Horum nos contra miſeret, quorum aſpera ſors eſt,
At mihi donari non cupio alterutrum
Ut nimium felix, vel ſim miſerabilis ulli.
Nam præſtat cunctis, rebus adeſſe modum.
Quandoquidem celſæ vicina pericula ſorti,
Imaq; deprimitur non toleranda ferens.

Eſt autem apud Pindarum primo hymno Pythiorum:

Ἀλλ' ὅμως, κρέσσων γὰρ οἰκτιρμοῦ φθόνος,
Μὴ παρίει καλά. νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν.
Id eſt:
Verum tamen melior eſt commiſeratione invidentia
Ne omitte honeſta, guberna juſto clavo exercitum.

Rurſus in Nemeis hymno 8. ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν· ἅπτεται ἐσλῶν ἀεί, χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει. id eſt, Obſonium eſt invidis obtrectatio, attingit autem honeſtos, cum deterioribus non contendit. Rurſus Pythiorum undecimo:

Ἴσχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον.
Ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων ἄφαντον βρέμει.
Id eſt:
Habet enim felicitas haud minimam invidiam,
At qui humilia ſpirat, in obſcuro fremit.

EX APPEND. ERASMI. *Laudaret faciem livor quoque.*

Proverbialis hyperbole apud Ovid. ad cujus formam liceret & alias fingere. De deplorata familia: Ipſa ſi cupiat, Salus ſervare hanc domum nequeat De loco munito: Ne Mars quidem expugnarit, De pertinaci Hujus animum ne Vertumnus quidem verterit. De libidinoſa: Hanc ne Priapus ipſe ſatiarit. De re neutiquam probabili: Iſtud ne Pythæ quidem perſuaſerit De re tacitu difficili: Hoc ne Angerona continere queat. In tanto ſtrepitu ne Somnus quidem ſomnum ceperit. De ſuſpicaci; Iſte ne Fidei quidem fidem habeat De aſtuto: Hic vel Argum fallat. Hic eſt miſerior, quam ut invidere poſſit Invidentia

Sol non invidet veſperæ.

Ἥλιος οὐκ ἐφθόνησε τῇ ἑσπέρᾳ, id eſt. Non invidet ſol veſperæ. Qui aliquo in artificio præ cæteris excellit, nihil derogatũ ſuæ exiſtimationi putat, ſi tenuibus aliquid ex parte ſua accedat laudis. Nihil famæ luminibus Budæi & Eraſmi, illius Galliæ, hujus Germaniæ, ſingularium ornamẽtorum obſtructum eſt tot literatorum virorum copia, ſed qui fulgent illimo illo jubare velut per ſiſictas acie oculorum retunduntur. Quod deceſſerit Petri Victorii, unidis inter Italica ingenia clariſſimi viri, nomini, ſi poſt reſtitutores ab ipſo tot inſi-

tot inſignes authorum locos, Iunius eadem in palæſtra deſudavit. [illegible Greek] hoc eſt, Deinde exiſtimas ſolem veſperæ invidere, aut illū curare, ſi qua ſit alia ſtella in cœlo? Verba ſunt Philagri ſophiſtæ apud Philoſtratum. Homerus ſolem exoriri dicit, non itidem ſtellas:

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην.

Id eſt,

Exoritur Titan linquens maris humida ſtagna.

IUNII. *Matrea belluam alit.*

In hominem invidum & livore percitum competit, quod ex Athenæo detortum eſt apud Euſtathium Odyſſeæ ι. de Matrea quodam Alexandrino, qui ænigmate ludere ſolebat, dictitans ſe belluam alere ſeipſam comedentem, [illegible Greek]. Polypus piſcis carnem ſuam rodere dicitur, ſed ingenti eſurie eo adactus at invidus alienæ felicitatis ſpectator, quamvis ipſe abundet, ſe conficit & juxta poëtæ dictum, macreſcit alterius rebus opimis, ut non mirum ſit, cur livor epitheto, ut quidem digniſſimo, edax à poëtis dicatur.

Num fratri tuo bene eſt?

Num fratri tuo bene eſt [illegible Greek]. Syneſius in Ægyptio ſive De Providentia, ſcribit eſſe proverbialem ſciſcitationem mordaci ſale permiſtam in pallidos & lurido calore tabeſcentes. ſic enim ait [illegible Greek]. id eſt, Ut res in proverbium ceſſerit, & percunctationem ad impallentes, Num recte ſe habent res fratris tui? Natum a Typhone Oſiridis fratre, qui diſſimillimis à germano moribus turpiſſime diſſidens, fratris opibus (quæ in obtinendo regno & voluntate hominum & naturæ ordine priores erant) inſidiabatur, ad imperium per fas nefaſque aſpirans, atque ita præ invidia macreſcens, quod eo loco eſſent res fratris. Quadrabit igitur in hæredipetas & invidos homines, qui alterius rebus opimis impalleſcunt, aut qui omnem movent lapidem, ut alienam conditionem intercipiant.

Terram continentem incolentes mare deſiderant.

Proverbii faciem habet quod in epiſtola ad Damagetum, Democriti verbis refert Hippocrates: [illegible Greek], id eſt, Qui continentem habitant, mare deſiderant, rurſus inſulani continentem terram exoptant. Convenit cum Horatiano illo verſu:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

Humanis mentibus altiſſime vitium iſtud inſidet, ut diverſa ſemper laudemus, noſtra ſorte nunquam contenti.

COGNATI. *Livor ſumma petit.*

Eſt enim ea invidiæ natura, ut ſumma & excellentia petat. Ovid. lib. 1. De remedio amoris:

Livor ſumma petit, perflant altiſſima venti.

Idem libro 2. Metamorph.

Summa petunt dextra fulmina miſſa Jovis.

Hoc epitheto Summa uſus videtur, ut alluderet ad hoc, cum inquit:

... Et ſumma papavera carpit.

Raro autem fieri ſolet, ut ſumma felicitas careat invidia. Michael Verinus:

Quo magis eſt abies procera, evertitur Euris:
Culmina, non valles, fulmina torta petunt.

Idem,

Quo major civis, major ſolet eſſe ruina:
Magnaque livorem gloria ſæpe petit.

Claudian. lib. 1.

.. Jam non ad culmina rerum
Injuſtos creviſſe queror: tolluntur in altum,
Ut lapſu majore ruant. ...

Sic Horat. lib. 2. ode 1.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Et Lucret. lib. 6. de fulmine:

Altaque cur plerunque petit loca, plurimaque plus
Montibus in ſummis veſtigia cernimus ignis?

Vivis fama negatur.

Raro enim accidit, ut viventes famam conſequantur, juxta illud Martialis lib 5.

Eſſe quid hoc dicam, vivis quo fama negatur?

quo utemur, quotieſcunque vivi merita laude fraudantur. Dies enim fatalis ſive mors, de ingeniis rectiſſime judicat. Nam multa, & præcipue motus vel invidia impediunt, quo minus recte de hominibus dum vivunt judicetur. Poſt mortem vero judicia liberiora & ſinceriora ſequuntur. Videtur Martialis alluſiſſe ad Ovidii iſtud, quod elegia decima quinta & ultima libri primi habetur:

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit:
Tunc ſuus ex merito quenque tuetur honor.
Ergo etiam cum me ſupremus adederit ignis,
Vivam, parſque mei magna ſuperſtes erit.

Sic Propertius lib. 3.

At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Poſt obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia poſt obitum fingit majora vetuſtas:
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Idem quoque Ovid. 3. de Ponto:

Scripta placent à morte fere, quia lædere vivos
Livor, & iniuſto carpere dente ſolet.

Libro quarto:

Non ſolet ingeniis ſumma nocere dies.
Famaque poſt cineres major venit, & mihi nomen
Tunc quoque cum vivis annumerarer, erat.

Quod idem in quarto de Triſtibus ſic dicit ad Muſam:

Tu mihi (quod rarum eſt) vivo ſublime dediſti
Nomen, ab exequiis quod dare fama ſolet.

Demoſthen. in oratione de Corona, itidem ſentit: Ecquis, inquit, omnium non novit, viventibus quidem omnibus ſubeſſe quandam aut majorem aut minorem invidiam: mortuum porro, ne hoſtium quidem ullum præterea odiſſe. Idem de falſa legat. [illegible Greek]. id eſt, Neque enim amplius ipſis defunctis adverſatur invidia. Idem 3. Epiſt. Et ſi iis qui adhuc ſunt in vita, obſtet invidia, quo minus juſtos & debitos honores obtineant: ſuis tamen liberis licebit merita præmia à vobis reportare. Thucydides lib 2. [illegible Greek] inquit. id eſt, Nō viventem amplius, quilibet ſolet laudare. [illegible Greek]. Viventi invidia eſt apud adverſarium: quod vero ſublatum eſt, irrefragabili colitur benevolentia. Idem lib 3. [illegible Greek]. id eſt, Homines ſervi ſunt abſurdarum rerum, & præſentia faſtidiunt. Ovidius ſe quoque poſt mortem, in fine transmutationum, dicit carminum gratia immortalitatem aſſecuturum, inquiens:

Cum volet illa dies, quæ nil niſi corporis hujus
Jus habet, incerti ſpacium mihi finiat ævi.
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum, &c.

Hæc tametſi de ingenii fama intelligi poſſunt (nam ut Cicero in Bruto ſcribit. Hominis decus eſt ingenium) videtur tamen Platonicorum dogma ſecut⁹, animæ immortalitatem aſſeruiſſe. Cujus veræ opinionis duces ante ſe habuit, ejuſdem tamē fere ætatis, viros duos eximios, Ciceronem ac Maronem: ut pudeat, quoſdā inveniri Chriſtianos, qui in re, fide noſtra certa, dubitationem movere audeant, quæ apud plurimos Ethnicos, quibus Chriſtus nullam fecerat fidem, indubitata fuit.

Canino more.

Budæus libro 1. De contemptu rerum: Qui ſibi ipſe uni poſſidet, inquit, non humano more, ſed canino poſſidet: ſic nec ſibi nec aliis, ut plerique prædivitum, non poſſeſſor eſt juſtus, ſed draco Heſperidum, & cuſtos hæreditatis, quæ hæredi ſervatur intacta. Canino, dixit: quia aliis eorum uſum invidet. Nihil enim cane invidentius. Et hoc ipſum, Draco Heſperidum, proverbii ſpeciem habet. Utrumque dicitur in eos, qui nec ipſi fruuntur re quapiam, nec reliquos item ſinunt uti.

Cognatio movet invidiam.

Eraſmicum: cui addenda hæc ex Platonis Philebo: Invidiæ nomen paulo ante inductum, dolorem quendā ſignificare cenſetur. Invidus tamen proximorum adverſis lætari deprehēditur. Malis quidem adverſariorum lætari, & injuſtum & invidum: multo magis amicorum malis lætari potius quam triſtari, injuſtius. Voluptas vero in amicorum malis, à livore proficiſcitur. Idem in Lyſide: Audivi jam olim ab aliquo, quod ſimili ſimile adverſum, & boni bonis inimiciſſimi ſint. Qui & Heſiodi teſtimonio utebātur, dicentis figulum invidere figulo, cantorē quoque cantori, & mēdicum mendico. Et in aliis ſimiliter neceſſarium ille putabat, ſimilia inter ſe invidia, æmulatione, contentione abundare, amicitia vero diſſimilia: inopem porro diviti amicum neceſſitate fieri, & imbecillum auxilii gratia forti, & medico ſimiliter ægrotum, omnem quoque ignarum peritum deſiderare, atque diligere. &c.

I R A.

ERASMI. *Lucernam accendere poſſis.*

Vehementem iram hac hyperbole exaggeravit Theocritus in Thyonicho.

[illegible Greek]

Id eſt.

Incaluitque ira, facile accendiſſe Lucernam
Ex ipſa ut poſſis. ...

Verba ſunt amantis, ac de protervia puellæ conquerentis: quæ quum in convivio ſileret, quidam illi dixit, Non loqueris, lupum vidiſti: illa ad nomen lupi vehementer incanduit. Aderat enim adoleſcens, nomine lupus, quem adamabat. Irati dicuntur ardere. Similis hyperbole, licet ſordidior, & hodie fertur apud noſtrates: ita loquentes: Adeo exarſit ira, ut ovum ad illius frontem poſſes decoquere.

Herculis ira.

Herculis iram appellat Ariſtophanes in Veſpis generoſi pectoris iram, magnoq; animo dignam, quod quemadmodum Hercu-

les laborioſiſſima quæq; & difficillima certamina ſubiit, è quibus eo plus honoris aſſequebatur, quo eſſent moleſtiora. Ita & generoſus eſt, & Herculis ira dignus, potentiores me. licet, quam plebejos homunculos. propterea inquit Comicus:

Ἀλλ' ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων τοῖσι μεγίστοις ἐπιχειρεῖν.

Id eſt:

At Herculaneam quandam iram habens, magnates adoriri ſe velle dicit.

Theocritus de robuſto illud extolit, idyllio 4.

[illegible]

Id eſt:

Viribus Alcidæ hunc contendere poſſe loquuntur.

Philon Judæus. ἡρακλειώδη ..., id eſt, Herculeam conſiderationem dixit proverbialiter: ibi, τὴν ἡρακλειώδη ... id eſt, Herculeam ferociam imitantes. Ad Ariſtophanicum verſum reſpexit Ariſtides, de Comteo illo ſentiens, ... ἡρακλέους ὀργήν τιν' ἔχων. id eſt, Altus quiſpiam Herculis quandam iram perceitus. Huic diſſimile eſt quod Ovidius ait lib. De ponto 3.

.. Nobile namque
Pectus, & Herculeæ ſimplicitatis habes.

Iſthmum ſinapi bibit.

Proverbii ſpeciem redolet, quod apud Artemidorum libr. v. Onirocriticῶν legitur, ἰσθμὸν σινάπι ἐπιεῖν, id eſt, Iſthmum ſinapi bibit aut momordit: ubi ille exponens viſum & eventum ſomnii cujuſdam, quo is qui viſus ſibi erat ebibiſſe liquidi ſinapi tantum, in jus vocatus, capite luerat, ſubjungit id quod illi acciderat, jam antea deſignatũ fuiſſe proverbiali dicterio modo dicto. ſic enim ſonãt ejus verba: ... quo miror quid Cornario, viro alioqui doctiſſimo, in mentem venerit, ut omiſſo verborum ductu, poſtremum iſtud verterit hoc pacto: Quis unquam ſinapi bibit? Uſus adagii eſſe poterit, quando aliquem criſpare naſum præ ira animoq; ringi ſtomachabũdum ſignificabimus: vel quando ſcommatis dicacitatiſve pœnas dat quiſpiam, & nunquam redhibitas per jugulum voces effutiens in capitis periculum ſe conjicit. nam tunc mordax conviciorum ſinapi appetit jugulii iſthmum. Eſt autem iſthmus præter notam ſignificationem, interſeptum narium, & oris gulæque interſepimentum: quod abſumptum ita ſinapis poculo denotabat ſomnium.

COGNATI. *Sanguinis plenus.*

Ferus iracundusque dicitur. Plautus in Bacch. dib. induxit Lydum ſtomachantem, quum vidit diſcipulum corruptum, ac malum ſibi minantem: Nil moror diſcipulos mihi eſſe tam plenos ſanguinis, valens afflictat me nunc jam vacuum virium.

Bilis in naribus.

Idem in Thyrſide de Pana: Eſt amarulentus, inquit, Æpolos, & illi ſemper acerba bilis in naribus ſedet. Proverbiale, de homine bilioſo & iracundo. Qui bilioſi ſunt, hoc eſt, abundant flava bile, iracundi ſunt. Hic enim humor mobilis eſt, & acutus, quare facile irritatur & effervescit.

Vox non hominem ſonat.

Vulgo fertur & hoc hemiſtichium ex Virg. Æneid. 1. Nec vox hominem ſonat in iratos. Rident enim qui gaudent: rudunt irati. Unde illud Perſii. ſatyr. 3.

Pecuaria rudere dicas. &c.
Sonat vitium percuſſa, maligne
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.

Metaphora ex vaſe fictili ſumpta. Nam quemadmodum emptores fictilium digiti tactu explorãt, an ſint bene cocta, & non rimoſa: quod ſi percuſſa vitium ſonant, & rimas indicant, contemnuntur: ſic homines tanquam fictile vas quoddam, ſono, id eſt, oratione, vitium & rimas, id eſt, inertiam, mollitiem, iracundiam, moroſitatem ac ruſticitatem produnt.

Jejuna iracundia.

Jejunia iracundia proverbii vice uſurpatur, pro propenſa admodum & proclivi, nimioq; plus ad omnem excandeſcentiam parata. Ut enim homines quum ægrotant, ad iram propenſiores ſunt, quam quum bene valẽt: ita & jejunii iracundiores ſunt, quam ſaturi. Ratio extat apud Ludovicum Cœliũ Rhodig. Lectionum antiq. lib. 29. cap. 19. Cujus ſententiæ fuit Ariſtoteles in Problematibus, ſect. 10. ubi quærens, cur animantium alia poſt partum ſævire ſoleant: Extenuatio quoque, ut ipſe inquit, iram, ratione habitus movet. unde fit, ut etiam gallinæ furant. non cum pepererint, ſed cũ incubant, ratione inediæ. Ex Plauti quoque ſententia in Curcul. Fames & mora bilem in nares cõcitant: Sed ea oblato cibo cõfeſtim miteſcit ac ſedatur: Quo fit, ut ſaturi jejunis minus efferveſcant: quod corpus cibo potuque irrigatum minus ſiccefcat, ac calore nativo tepefacto corpus ad concipiendam iracundiam minus eſt propenſum. Sic in laſſitudine, ſiti, inedia, intempeſtiva vigilia, pronior quiſque ad iram. Ideo ſi quis eſt quem ad iram cognoſcas pronum, cave hominem inedia neces: quinimo alas liberaliter, vitatis tamen calidioribus. Alimentũ enim ſanguinem reddit blandum, neq; bileſcere cũ permittit, hilaremq; facit hominem. Demoſthenes autem in oratione ij contra Philipp. de ſeipſo ſcribẽs: ... Equidem aquam bibens, nõ abs re diſſicilis & moroſus homo ſum. Ingenio præſignes eſſe plurimum iracundos, etiam obſervamus.

Ira ægre ſeneſcit.

Idem ibidem: Nam ἡ ὀργὴ ægre ſeneſcit ... Reddidit rationem Auguſtus, cur domeſtica mala potius commemoraret velit, quam publica. Alludit ad ſimile proverbium Ira omnium tardiſſime ſeneſcit, quod Græci dicunt, ὁ θυμὸς ἔσχατος γηράσκει. id eſt, Ira poſtremum ſeneſcit. Levinus Lemnius. Melancholici, inquit, tardius irritantur: verum accenſis ſerius ſeneſcit ira, proſuſque ſunt implacabiles, atque injuriarum tenaces.

Intemperiis agitatur.

Vulgo dira inſania aut dæmonis ſtimulis agitari homines iracunde moroſos dicant: antiqui intemperias vocabant, quaſi malefica quædam numina. Plaut. in Aulul. Neſcio pol quæ hunc intemperiæ tenent, pervigilat noctes totas. Idem: Larvæ hunc atque intemperiæ inſaniæq; agitant ſenem: hoc eſt, ... De intemperiis, Furiis, & Maniis, vide Martialis in ſecũdo. M. Cato de luſtratione agri: Vaſtitatẽ, calamitates, intemperiaſque prohibeſſis defendaſq; aurum æque. Intemperiæ, Maniæ, Furiæ, numina olim malefica habebantur. Bud. 1. de contempt. rer. fortuit. Intemperiis aguntur præcipites à furiiſque illis ſtygiis divexantur & maniis, id eſt, manibus depravatis, & noxiis ſpiritibus, qui hominum corpora præcordiaq; ſubeunt, qui obid κακοδαιμονῶντες dicuntur. hoc eſt, malo dæmone perciti, & fanatici. Genus autem maleficus pertentandis hominum præcordiis tria veneni exhalat, quæ ſunt tres peccati fomites. hoc eſt, Veneris urtica. Iræ ſtimulus, Cupiditatis œſtrus, qui per fas & nefas præcipites agit homines.

Achæmenia ira.

Achæmenia ira, pro vehementi & regia, vulgo uſurpatur. Sedul. 5.
Cujus Achæmeniam rabies accenderat iram.
Reſpexit autem ad Salomonis dictum, qui ait: Ira regis, rugitus leonis. Achæmenes enim primus Perſarum rex fuit, Herodoto & Platone teſtibus.

Stultus ſtatim prodit iram.

Idem Solomon c. 12. Stultus eo die quo irritatur, cognoſcetur: ac cautus injuriam diſſimulat. 1. Reg. 9. 2. Regum 16. Stultus contra ſtatim prodit iram ſuam, data occaſione: ſic mens, præceps & ſecurus eſt. Vide ante Fatuus ſtultitiam prodit.

Naſum facit aſcendere.

Metaphorica loquutione, Naſum facit aſcendere, valet, bilem movere, ad iram concitare, bilem in naſum concire. & (ut Plautus inquit) naſum exaſperare. Proverb. 15. Mitis reſponſio avertit iram: ſermo autem aſper bilem movet. Judic. 4 Prov. 25. Longanimitate perſuadetur princeps, & lingua mollis frangit oſſa hoc eſt, duros. Germanice das vuimlin in die naſen kommen.

Vir non videtur, qui iraſci neſcit.

Iracundiam ipſam Peripatetici fortitudinis cotem eſſe dicunt: qui etiam videri virum negant (inquit Cicero) qui iraſci neſciat. Hac enim virorum nobiliſſimorum ardens animus cauſam publicam, ac leniſſimas quidem patriæ offenſiones ferre ullo modo poteſt, ſed ſumma alacritate eas ulciſcitur.

In fermento jacere.

Ἐν ζύμῃ κεῖσθαι, id eſt, In fermento jacere, dicebantur, qui animo eſſent ægro, quique iracundia turgerent. Plautus in Mercatore: Uxor tua in fermento jacet. pro eo quod eſt intumeſcit ira. Idem in Caſſina: Nunc in fermento tota eſt: ita turget mihi. Nota tranſlatio. Fermentum enim & acorem habet, & tumorẽ. Unde & in divinis literis, Fermentum malitiæ raucorisque ſignificationem habet.

Fluctus mutus.

Κῦμα κωφόν: id eſt, Fluctum mutum appellabant, qui nondum edebat fragorem, ſed jam incipiebat intumeſcere. Primum enim tacitus undis inſurgit mare, mox exaſperata tempeſtate, procul fremit ac reſonat. Dici poteſt de bili hominis, quæ nondum erupit in convicium, ſed tacite inardeſcit. Veluti ſi dicas: Cede κύματι κωφῷ deſine contendere, ne diſputatio exeat in rixam, aut: Obliſe κῦμα κωφόν, reprime iram efferveſcentem.

Iracundior Adria.

Qui moribus parum eſt commodis, & irritabili ingenio, Adriæ comparatur proverbio. Ita Flacci amica, quicum fecerat divortium:

Tu levior cortice & improbo
Iracundior Adria.——

Ipſe fatetur ſe ſub iracundo fuiſſe ingenio.

Iraſci celerem, tamen ut placabilis eſſem.

Item in ſatyra cujus initium, Jamdudum auſculto. Æſchines in Demoſthenem dicit eum moribus fuiſſe adeo aſperis & inconſtantibus, ut cum Adria facilius ſit habere commercium, quam cum illo: non quod illud mare ſit cæteris ſævius, imo vix aliud mitius: ſed ita viſum eſt Italis, qui ſi navigaſſent mare Britannicum aut Danicum, faterentur Adriam indignum eſſe maris vocabulo.

Demiſſis auriculis.

Qui dejecto ſunt animo, auriculas ſuper humeros habere dicuntur

tur. Ita Plato lib. De rep. 10. τὰ ὦτα ἐπὶ τῶν ὤμων ἔχοντες. id eſt, Auriculas ſuper humeros habentes. hoc eſt, animis dejectis & ægris. Sumptum eſt à jumentis, quæ ſic aurium motu teſtantur affectum animi, quemadmodum homines fronte & oculis. Nam uni homini, ut ait Plin. lib. 11. natura auriculas dedit immobiles. In jumentis autem & quadrupedib. fere omnibus, auſcultantibus ſunt erectæ, feſſis marcidæ, mutantes pavidis, ſubrectæ furentibus, reſolutæ ægris. Inde eſt illud Flacci:

Demitto auriculas ut iniquæ mentis aſellus,
Quum gravius dorſo ſubiit onus.———

Quin & hodie vulgo, qui ſpe ſua fruſtrantur, dicuntur auriculas demittere, & Auriculas habere pendulas.

Mordere frenum.

Mordere frenum D. Brutus lib. Familiarium epiſtolarum 11. poſuiſſe videtur pro eo quod eſt, vel leviter repugnare ſervituti. Si frenum momorderis, peream, ſi te omnes quotquot ſunt, conantem loqui ferre poterunt: hoc eſt, ſi utcunque ſignificaveris te ſervitutem iniquo animo ferre. Ad hanc ſententiam faciunt, quæ reſpondet Cicero: Si timidus, inquiens, eſſem, tamen iſta epiſtola omnem mihi metum abſterſiſſes: ſed ut mones, frenum momordi. Frenum quite incluſo, omnem ſpem habuerim in te, quid nũc putas? Quanquam Papinius in Epithalamio Stellæ & Violantillæ in diverſum ſenſum uſurpavit, nempe pro eo quod eſt, ſervitutem accipere, frenumque recipere:

Fama tace, ſubiit leges, & frena momordit.

Id eſt:

Admiſit vincula matrimonii. Quanquam an etiam in hunc ſenſum verba Ciceronis accipi poſſunt, doctis excutiẽdum relinquo, Proverbium ſumptum videtur fabula Æſchyli, quæ inſcribitur Prometheus, in qua ſic loquitur Mercurius.

Τέγγῃ γὰρ οὐδὲν οὐδὲ μαλθάσσῃ λιταῖς
Ἐμαῖς· δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς
Πῶλος βιάζῃ καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ.

Id eſt:

Precibus nihil miteſcis inflexus meis.
Sed fræna mordens, pullus indomitus velut,
Ferociens, pugnas habenas vincere.

Mordere labrum.

Ἐσθίειν τὰ χείλη, id eſt, Comedere labra, vel hodiernis temporibus vulgo dicitur, qui ſtomachatur, animoque ringitur: ſumptum ab indignantium geſtu Ariſtophanes in Veſpis:

Ὑπ' ὀργῆς τὴν χελώνην ἐσθίων.

Id eſt

Comedens labra præ iracundia.
Οἱ δ' ἄρα πάντες ὀδὰξ ἐν χείλεσι φύντες.

Id eſt:

Aſt hi labra ſuis preſſerunt dentibus omnes.

Tacite ſtomachari.

In eum qui ſecum indignatur, quadrabit illud eodem libro

Ὁ δ' ἐχολώσατο κηρόθι μᾶλλον.

Id eſt:

Illi cor magis atque magis ſuccenditur ira.

De Neptuno dictum, indigne ferente, quod Ulyſſes proſpera navigaret.

EX APPEND. ERASMI.

Ira ſenectus mors.

Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο πλὴν θανεῖν, Senecta nulla obtingit iracundiæ, niſi mors. Soph. Cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit. Cic. Legere in ſuperioribus. Ira omnium tardiſſime ſeneſcit.

IUNII. Ignem ſpirat.

Δεινὸν ἀποπνείειν πυρὸς μένος, id eſt, Ignem efflare gravem, proverbialiter dicuntur irati homines & efferati: præterea vitilitigatores & maledici conviciatores: ut annotat Iliados 6. Euſtathius, ex illo Homerico de Chimera:

Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.

Id eſt:

Infeſta ardentis proflans incendia flammæ.

Quod contorſiſſe quidam legitur non illepide in rhetorem, epiſtolium dictantem, ac veluti efflantem in ardentis febris æſtuoſo paroxyſmo. Xenophon de rebus Græcorum lib. 7. πῦρ πνέοντες, ignem efflantes: hoc eſt commoti & feroces. Nazianzenus in funebri Baſilii oratione: τίς λόγου ῥητορικοῦ πνέων πυρὸς ἀνεδείχθη τοιοῦτος: id eſt: Quis in oratoria arte ignem ſpirante tantus extitit: id eſt: Quis in oratoria arte ignem ſpirante tantus extitit? Rhetoricam loquentem facit:

Ἐγὼ πνέω πῦρ κατὰ τῶν ἀντιπάλων.

Id eſt:

Meos in adverſarios ignem efflo ego.

Quo innuitur vehementia orationis, & eloquentiæ fulmine perſtringi animos adverſariorum. Huc ſpectare arbitror Salluſtii dictum de Athenodoro Stoico philoſopho, ὅτι πυρὶ ἄγαν ἐοικὼς ἀθρόως ἐξάπτοι πᾶσαν τὴν παρακειμένην ὕλην. id eſt: Quod vir ille igni eſſet aſſimilis, vicinam omnem materiam accendens.

Senis ira.

Γέροντος ὀργή, id eſt, Senis ira dicitur de ira languida, & facile quæ ſopitur: quod in ſenecta omnes affectus remiſſiores ſint, & celeriter cadant. Sophocles in commentariis Euripedeis:

Ὀργὴ γέροντος ὥσπερ μαλθακὴ κοπὶς
Ἐν χειρὶ θήγει, ἐν τάχει δ' ἀμβλύνεται.

Id eſt:

Senilis ira, mollis inſtar guttulæ
Pungit quidem, at retuſa hebeſcit illico.

Nazianzenus de ſene Euſebio, qui olim rigidior fuerat, nunc modeſtior miteſceret: ὥσπερ σίδηρος inquit, πυρὶ τὸ σκληρὸν μαλάσσεται. i. Ut igne ferrum, ita hic ſenio molleſcit. Diverſum ſentit Ariſtophanes in Veſpis:

——Τὸ γένος ἤν τις ὀργίσῃ
Τὸ τῶν γερόντων, ἔσθ' ὅμοιον σφηκιᾷ.

Id eſt:

——Qui ſenum genus
Proritat, ille in ſe crabrones concitat.

Ira non perfecte rationem audit.

Videtur quidem rationem audire ira, ut Ariſtoteles Ethicorum 7. libro docet, non plane tamen perfecteque audire, perinde ac miniſtri, qui velociores ſunt: qui priuſquam id quod dicitur, totum audiverint, percurrentes, aberrant in re peragenda. Poſt: Similiter & canes, qui priuſquam amicum internoſcant, modo obſtrepuerit, latrant: ſi propter caliditatem ira, velocitatemque naturæ, audiens illa quidem mandatum, tamen non intelligens, rapitur in ultionem, &c. Hæc Franciſc. Capanus, in quæſtione ſua pro Virgilio, contra Tuccam & Varum. Author diſtichorum de moribus, qui nomine Catonis inſcribitur:

Iratus de re incerta contendere noli:
Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Ira enim vehementer obſtat animi judicio & rationi. Vide Athenodori philoſophi admonitionem, Octavio Cæſari Auguſto factam. Dilatio autem maximum iræ remedium eſt. Excandeſcentia & ira virum etiam prudentiſſimum ſævire facit. Plato in Philebo.

Ira impedit animum.

Ira vehementer obſtat animi judicio: hoc eſt (ut quidam ait) impedit animum, ne poſſit cernere verum. Cælius mentem ſibi iracundiæ tumore ablatam dicit in epiſt. lib. 8. ad Cic. Sic Catullus de coma Berenices:

Senſibus ereptis mens excidit.

COELII RHODIGINI.

Iracundia jejuna.

Pro ea quæ propenſa admodum ſit & proclivis, & ad omnem excandeſcentiam parata. Ut enim valetudinarii proniores ſunt ad iram, valentibus: ita jejuni ſaturis: ratione ſcilicet bilis, quæ jejunis plurima eſt uti in ægris

EX APPEND. IUNII, CANTERI, *& aliorum.*

Ἑκάτη βελέτις.

Hecate ſagittatrix, vel potius jaculatrix. Suetonius in vita Neronis ænigmatice Parthum ſagittis acrem, & venationibus ac militaribus ſtudiis ad inſaniam uſque indulgentem & addictum, Ἑκάτην βελέτιν vocant, citato cujuſpiam diſticho Neronis agones, citharæque ſtrepitum magna cavillatione perſtringentis. Id autem eſt hujuſmodi:

Dum tendit citharam noſter, dum cornua Parthus.
Noſter erit Pæan, ille ἑκάτη βελέτις.

Senſus eſt: Nero ex agoniſticis certaminibus, & citharæ ludo ſibi non aliter triumphum adornabit, quam Parthus ferox ſagittis, Romanis legionibus in Armenia ſub jugum miſſis: alter cithara, Appollinis armis: alter ἰοῖς τοῖς ſagittis, quibus illam terribilem canunt poetæ, epinicia canet. Obiter quoque in vocabulo Pæanis (quod & Apollinis cognomen, & triumphantium vox eſt, ut quũ acclamant Io Pæan) irriſus eſt Nero: qui urbem ingreſſus poſt agones Græciæ, Pithiam veluti citharisticæ artis præſidem dextra gerebat. Ac necio an faceitiſſimus & mordaciſſimus author hujus diſtichi, alluſerit etiam ad etymologiã Pæanis & Hecates. Quadrabit in hominem ad ulciſcendum promptum, & ingenio irrabili. Licebit etiam jacere in intemperantis linguæ ac virulentæ fœminam. Quod ſi unica dictione legere placet ἑκατηβελέτις, non diſcrepabit ſententia de eo, qui ἄλγεα δῶκεν. κἠτι δώσει. Homerus Iliad. 1. Apollinem peſtilentiam Græcis ob negatam Chryſæ ſacerdoti filiam immittentem ἑκατηβελέτην appellat. Etiam ἑκηβόλον, & ἑκατον, & ἑκάεργον alibi vocat: quæ epitheta omnia à procul feriendo etymon habere videntur. Mira igitur gratia Parthus victor Romanarum legionum, idem tamen procul ultimis in terris poſitus (nam Parthos à Roma multa maria, inſulæ, regnaque diſtinguunt) ἑκατηβελέτις dicitur, Nero Pæan, utpote cithara & triumpho exultabundus. Nec tamen damno ut legatur, ἑκάτην βελέτιν.

ITERATIO CITRA TÆDIVM.

ERASMI. *Bis ac ter, quod pulchrum eſt.*

Δὶς καὶ τρὶς τὸ καλὸν, id eſt, Iterum ac tertio, quod pulchrum eſt: ſubaudi, dicendum eſt. Vſurpatur à Platone cum aliis in locis, tum in Philebo: ἀλλ' εὖ κατὰ τὴν παροιμίαν ἔοικεν ἔχειν, τὸ δὶς καὶ τρὶς τό γε καλῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν τῷ λόγῳ δεῖν, id eſt, de quibus & ante meminimus. Cæterum bene videtur proverbio dictum, quod egregium ſit, id iterum ac tertio in ſermone repeti oportere. Idem in Gorgia, δὶς γάρ τοί φασι καὶ τρὶς τὸ καλὸν λέγειν τε καὶ ἐπισκοπεῖσθαι, id eſt, Atqui pulchrum ajunt ea quæ pulchra ſunt, iterum ac tertio tum dicere tum conſiderare. Rurſum libro De legibus ſexto, λέγω δὲ καθάπερ ἄρτι ἐλέγομεν. δὶς γὰρ τό γε καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει, id eſt, Dico autem quemadmodum modo dicebam. Nam nihil lædit, quod pulchrum ſit bis dicere. Lucianus in Dipſadibus, citans eundem Platonem: κόρος, inquit, οὐδεὶς τῶν καλῶν, id eſt, Nulla ſatietas rerum honeſtarum. Omnino ea vis ineſt egregiis, ut quo ſæpius ac preſſius inſpiciantur, hoc magis atque magis placeant, ut ait Horat.

—Quæ ſi proprius ſtes,
Te capiet magis, ac decies repetita placebit.

Contra, quæ fucata ſunt aut vulgaria, nonnunquam initio arrident novitate ipſa, mox repetita ſordeſcunt. Quemadmodum Plinius libro decimoquinto, capite decimoquarto, meminit, de ſylveſtri quodam pomi genere, quod unedonem vocant, propterea quod unum tantum edi poſſit. Eſt enim inhonorum, ut ait, atque hinc nominis ratio.

COGNATI. *Poematis refractus.*

In rhythmicis luſiunculis, quas balladas noſtri vocant, ſunt hujuſcemodi clauſulæ ſæpius repetitæ, quos velut refractus lingua Gallia vocant. Quare cum ſignificare volunt, quempiam ad mentionem alicujus rei identidem revolui, ajunt, Hic eſt balladæ tuæ refractus, hoc eſt: Tu tertio aut quarto quoque verbo hujus rei meminiſſe ſoles. C'eſt le refrain de la ballade. Latinis dicuntur hujuſmodi clauſulæ, quæ frequenter in poëmate interponuntur, intercalares verſus, etiam Servio teſte, ut apud Vergilium:

Ducite ab urbe domum mea carmina ducite Daphnin.

Ab Euthymio autem Pſalmi, qui eodem verſu finiunt, quo cœperunt, Circulares vocantur. Fieri que ſolet, ubi ſententiam aliquam inſigniorem quærimus in audientis animo, quaſi aculeum quendam e repetitione productam affigere, utque tenacius memoriæ inhæreſcat affixum ita relinquere. Hujus generis poëmatis, cujus finis idem eſt, cum principio & circulus dicitur, Ariſtoteles in Analyticis meminit: cujuſmodi multa ſunt Catulli epigrammata. Quod autem odæ accinitur, Epodion eſt: quod hymno ſuccinitur, Ephymion, vulgo verſiculum vocant, τὸ ἐφύμνιον ἐπαδόμενον, eo modo quo epimythion dicitur, quod fabulæ adnectitur, quaſi appendix, ut cum apologi rationem & ſententiam authores mythologici attexerunt: ut ſunt apud Æſopum appendices fabularum, quaſi affabulationes. Sunt autem apologi, fabulæ ad mores formandos inſtituendoſque pertinentes.

ITERATVS ERROR.

ERASMI. *Eadem oberrare chorda.*

Horatius in Arte poëtica, ſententiam haud diſſimilem, diſſimili metaphora extulit:

—Et citharœdus, inquiens,
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

A cantoribus ducta tranſlatio eſt, quibus vehementer fœdum ſit, in iiſdem fidibus ſæpius peccare. In eos igitur concinne dicetur, qui vel in ſimili re crebrius peccant, vel culpam eandem iterum atque iterum committunt. Primus enim lapſus vel caſui datur, vel imprudentiæ: iteratus ſtultitiæ tribuitur, aut inſcitiæ.

Iterum eundem ad lapidem offendere.

Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον.

Id eſt:

Iterum ad eundem turpe lapidem impingere.

Senarius elegans ac proverbialis, refertur à Zenodoto in collectaneis adagiorum. Cic. Epiſt. fam. lib. 10. Culpa enim illa, bis ad eundem, vulgari reprehenſa proverbio eſt. Ovid. Triſtium 2.

At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo,
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

Vſurpatur ab Auſonio in epiſtola quadam: Etenim, inquit, popoſciſti tu, ut tua epiſtola ad eundem lapidem bis offenderes: ego autem quæcunque fortuna eſſet, ſemel erubeſcerem. Eſt autem, Bis ad eundem lapidem offendere, iterum eadem in re peccare. Nam primus error vel Græco adagio, veniam meretur: iteranti culpam venia dari non ſolet. Inter Græcanicas ſententias celebratur & hæc:

Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.

Id eſt:

Sapientis haud eſt, bis in eodem labier.

Extat & Græcum epigramma, incertum cujus:

Εἴ τις ἅπαξ γήμας, πάλιν δεύτερα λέκτρα διώκει,
Ναυηγὸς πλώει δὶς βυθὸν ἀργαλέον.

Id eſt:

Altera connubium experto cui ducitur uxor,
Hic fracta repetit æquora ſæva rate.

Fertur & Publianus Mimus, non alienus ab hac forma:

Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

At Scipio ſapienti ne ſemel quidem errare permittit, ut dicat, οὐκ ᾤμην, id, Non putaram.

Vulpes non iterum capitur laqueo.

Ἀλλ' οὐκ αὖθις ἀλώπηξ πάγαις, id eſt, At non iterum vulpes laqueis: ſubaudiendum, capitur. Qui ſapit, οὐ δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν προσκρούει λίθον: id eſt, non iterum ad eundem offendit lapidem. Stupidi eſt hominis, in malum guſtatum iterum incidere. In Plutarchi collectaneis effertur hunc ad modum: ἀλώπηξ ἡ διαφυγοῦσα πάγας οὐχ ἁλίσκεται, id eſt: Vulpes quæ ſemel effugerit laqueos, non capitur iterum. Huic animanti natura ineſt aſtutia, quemadmodum leonibus audacia. Sic Pindarus in Iſthmiis hymno quarto: τόλμᾳ μὲν γὰρ εἰκὼς θηρῶν ἐριβρεμετᾶν λεόντων ἐν πόνῳ, μῆτιν δ' ἀλώπηξ, virum fortem ob robur leoni, ob prudentiam vulpi comparat. Confine eſt illi quod ad alibi retulimus: Iterum ad eundem lapidem impingere, quod uſurpavit Gregorius Theologus in epiſtola quadam ad Boſphorium: δὶς γὰρ πρὸς τὸν αὐτὸν λίθον προσπταίειν τοῖς ἀνοήτοις μόνοις παροιμία δίδωσι, id eſt, Bis enim ad eundem lapidem impingere, ſolis ſtultis concedit proverbium.

Non licet bis in bello peccare.

Ἁμαρτεῖν οὐκ ἔστι δὶς ἐν πολέμῳ, id eſt, In bello bis errare non licet. In rebus periculoſis non tutum eſt labi. Nam ſi ſemel erratur, actum eſt de capite, nec eſt ſecundo errori locus. Vel quod in bello quia cuncta tumultu peraguntur, non detur ſpacium revocandi reſtituendique ſi quid perperam ſit inſtitutum. Vnde Homerus cum alibi, tum Iliados π.

—Ὀλίγη δέ τ' ἀνάπνευσις πολέμοιο.

Id eſt:

At vero exigua eſt interſpiratio belli.

Proinde in his rebus in quibus ſi ſemel erratum fuerit, non eſt quod in poſterum ſarcias, cautim ac circumſpecte agendum, admonente vel Mimo illo non infelici:

Deliberandum eſt diu, quicquid ſtatuendum eſt ſemel.

puta de ſacerdotio, de matrimonio, deque id genus aliis: quæ ſi temere fuerint inſtituta, non eſt quo priores cogitationes poſterioribus, ut ajunt, melioribus emendes. Huc pertinet quod è Catone citat Vegetius: in aliis rebus ſi quid erratum eſt, poteſt poſtmodum corrigi, præliorum delicta emendationem non recipiunt, quum ſtatim pœna ſequatur errorem. Aut enim confeſtim pereunt, qui ignave imperiteque pugnaverunt: aut in fugam verſi, victoribus ultra pares eſſe non audent. Adagium videtur natum ex apophthegmate: cum Lamachus quendam manipuli ducem increpaſſet, quod perperam quiddam egiſſet, iſque reſponderet, ſe non iterum commiſſurum quod commiſerat: In bello, inquit Lamachus, ne licet quidem peccare bis: quod primus error ſæpe vitam adimat.

Venia primum experienti.

Συγγνώμη τῷ πρῶτον ἁμαρτόντι, id eſt, Venia primum experienti. Refertur à Diogeniano. Ignoſcendum his, qui rudes novo quopiam in negocio incipiunt verſari, ſi quid per imperitiam peccaunt. Chryſoſtomus ſententiam extulit in homilia quadam, καὶ τῷ [illegible] ἀρχομένῳ τὰ συγγνώμην ἔχομεν ἅπαντες [illegible], id eſt: Et ei qui lapſus eſt in initio, veniam damus omnes, ob imperitiam. Fertur & hoc συγγνώμη τῷ πρῶτον ἁμαρτόντι, id eſt, Venia primum delinquenti. Pindarus in Hymnis, ὡς δύο ἁμαρτήματα [illegible] dixit, quod iteratum facinus non oporteat impunitum eſſe. Alibi retulimus, δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν λίθον. Celſus lib. Pandect. 1. tit. de legib. & ſenat. Nam ad ea potius debet aptari jus, quæ & frequenter fiunt, & facile, quam ad ea quæ perraro eveniunt: quia quæ ſemel aut bis, ut ait Theophraſtus, accidunt, contemnunt legiſlatores: Theophraſti Græca ſic habent, τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται.

Sus in volutabro cœni.

Ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου, id eſt, Sus lota rediit ad volutabrum luti. Cum quis iterat jam expiata flagitia, ſicut indicavimus alibi. Extat in Epiſtolis divi Petri. Huic affine eſt quod habent Proverbia Siracyd. Qui lavatur a mortuo, & iterum tangit mortuum, quid prodeſt lotio illius?

Canis reverſus ad vomitum.

Κύων ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα, id eſt, Canis ad proprium vomitum. Quadrat in eos, qui relabantur in eadem flagitia, à quibus aliquando ſunt expiati. Refertur in epiſt. divi Petri, his quidem verbis: συμβέβηκε δὲ αὐτοῖς τὸ τῆς ἀληθοῦς παροιμίας, κύων ἐπιστρέψας ἐπὶ τὸ ἴδιον ἐξέραμα, καὶ ὗς λουσαμένη εἰς κύλισμα βορβόρου, id eſt: Accidit autem illis illud veri proverbii, Canis reverſus ad proprium vomitum, & ſus lota ad volutationem cœni. Sumpta videlicet metaphora

phoca à canibus reſorbentibus quod evomuerint, & ſuibus ab amne protinus ad cœnum recurrentibus. In eandem ſententiam Hebræus ille παροιμιογράφος: Sicut canis qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam. Nam hunc, ni fallor, locum Petrus deſignavit.

Decipienti ſemel.

Suſpicor eſſe vulgo jactatum apud Italos, quod refert Joannes Campanus, vir ſuo ſeculo magnus, & admirabilis ingenii, libro De fugienda ingratitudine ſecundo: Decipienti me ſemel dii, malefaxint: faxintque bene, ſi bis idem deceperit, quod ſemel falli, perfidiæ decipientis par ſit imputari: verum qui ſemel expertus, rurſum ſidem habuerit eidem, dignus videatur qui fallatur. Confine eſt illi quod alibi recenſuimus: Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit. Quoniam Campanus erat variæ reconditæque lectionis, fieri poteſt, ut hoc dictum alicubi citatum legerit. Nam videntur eſſe duo ſenarii, paucul is immutatis,

Decipienti ſemel me, dii faxint male:
Faxintque bene, ſi bis idem deceperit,

Nam ipſe Campanus adducit titulo veteris proverbii, quanquam vetus dici poteſt, quod noſtra quoque memoria natum eſt.

COGNATI *Sui gratius cœnum, quam unguentum.*

Vulgo dici ſolet: Sui gratius eſſe, & ſuavius, olere cœnum, quam unguentum. Quod autem ad hoc proverbium attinet, ſuum genus (inquit Plinius libro octavo, capite quinquageſimo primo) in luto volutatio grata. Idem alibi: in luto ſuum requies eſt. Eodem pertinet illud Horatii, epiſt. 2. lib. 1.

Vixiſſet canis immundus & amica luto ſus.

Homerus Odyſſ. κ. ἐπιχθαμαιευνάδας appellat χαμαιευνάδας, id eſt, humi cubantes. Lucretius lib. 6.

Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Vnguentum. Nam ſetigeris ſubus acre venenum eſt.
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.
At contra nobis cœnum teterrima cum ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc res munda videtur,
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

IVDICANDI RECTE, SECVS

ERASMI. *In quinque judicum genibus ſitum eſt.*

Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται, id eſt, In quinque ſitum genibus Judicum: id eſt, in alieno arbitrio res eſt poſita. Nam antiquitus quinque judicibus datum erat negocium, ut de comicorum fabulis pronunciarent: ut teſtis eſt apud Zenodotum Epicharmus. Quanquam & apud Platonem quinque judicum fit mentio, cum alias, tum in libro De legibus 11. ἐν πέντε δὲ τῶν νομοφυλάκων τοῖς νεωτάτοις εἶναι τὴν κρίσιν, id eſt, Vt judicium ſit penes quinque natu minimos, ex nomophilacibus. Alluſum eſt autem ad illud Homero frequens:

—Καὶ ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται.
Id eſt:
—In genibus ſunt hæc ſita divum.

Cum ſignificamus non eſſe noſtræ facultatis, præſtare rei exitum, verum hunc ſuperis & fortunæ in manu eſſe. Pindarus in Olympiis:

—Νῦν δ' ἐν ὑμῖν ἐν θεῷ γε μὰν τέλος.
Id eſt:
Nunc ſpes quidem mihi, at in deo ſitus exitus.

Panidis ſuffragium.

Πανίδου ψῆφος, id eſt, Panidis ſuffragium. In eos torquebatur, qui ſtulte atque inerudite judicarent. Ajunt Panidem hunc Chalcidis regem fuiſſe, qui Heſiodum Homero prætulerit. Perinde quaſi dicat, Midæ ſuffragium: quod is quoque Panis agreſtem cantionem ante poſuerit Apollinis muſicæ. In genere conveniet in judicia vulgi, cui vere ſemper peſſima pro optimis placuerunt. Hujus ſuffragiis Menandrum aliquoties ſuperavit Philemon. Euripides cum quinque & ſeptuaginta tragœdias ſcripſerit, in ſolis quinque vicit. Nec aliud eſt hodie quoque populi de ſacris concionatoribus judicium, quam quod Plinius ætate ſua de recitatoribus fuiſſe ſcribit: Si quando tranſibis, inquit, per baſilicam, & voles ſcire quomodo quiſque dicat, nihil eſt quod tribunal aſcendas, nihil quod præbeas aurem: facilis divinatio, ſcito eum peſſime dicere, qui laudabitur maxime. Quapropter Socrates in Critone Platonis, illud in primis vult eſſe ſapienti fixum decretumque, ne quid opinione vulgi commoveatur. Imo ſuſpectum habeat, quicquid ſenſerit vulgo vehementer arridere. Scitum eſt illud Antiſthenis apud Diogenem Laertium: cui quum dixiſſet quiſpiam, Multi te laudant: Quid, inquit, mali feci? Huic ſimillimum quod Plutarchus in Apophthegmatis refert de Phocione: cui dicenti quum populus Atheniens is præter morem aſſentiretur plauſibus ſtudiis aſſentiretur: converſus ad amicos: Quid hoc inquit, eſt rei? num quid imprudens excidit?

Sus tubam audivit.

Σάλπιγγος ὗς ἀκούει id eſt, Tubam ſus audivit. In eos quadrabit, qui res quidem egregias audiunt, verum eas neque intelligunt: neque mirantur: aut in eos, qui iis quæ audiunt, neque gaudent, neque commoventur. Equi tubarum clangore concitantur ad bellum: ſuem abigat citius, quam animet ad pugnam. Extat apud Suidam hujuſmodi ſenarius:

Ὄνος λύρας ἤκουε, καὶ σάλπιγγος ὗς.
Id eſt:
Aſinus lyram, ſus audiit ſtolidus tubam.

Quod index auro, id aurum homini.

Inter multas Chilonis ſententias, hæc præcipue placuit eruditis, auctore Laertio. ἐν ταῖς λιθίναις ἀκόναις ὁ χρυσὸς ἐξετάζεται διδοὺς βάσανον φανεράν. ἐν δὲ χρυσῷ ἀνδρῶν ἀγαθῶν τε κακῶν τε νοῦς ἔδωκεν ἔλεγχον. id eſt, in ſaxeis coticulis aurum exploratur, evidens præbens ſpecimen: in auro vero proborum pariter & improborum ingenium deprehenditur. Stobæus carmen hoc citat ex Antiphane,

Πλοῦτος δ' ἀνθρώποις ἔστι βάσανος τρόπων.
Id eſt:
Opes ut index, hominis ingenium arguunt.

Alluſit huc Ariſtides in Themiſtocle: Ἐκ τούτου ὥσπερ τὴν ναῦ ἀπὸ χαμαὶ ἀρξάμενος, καὶ μηδὲ λέγειν ἐν χρυσῷ ἀλλὰ τὴν βάσανον ἀγαγὼν σκόπει. id eſt, Hinc virum ſpecta, a linea facto initio: atque mihi, quod dicitur, aurum, ſed ipſum admovens indicem conſidera.

Lydius lapis ſive Heraclius lapis.

Λίθος ἡρακλεία, ἡ λίθος λυδία, id eſt, Heraclius ſive Lydius lapis. In eos dicitur, qui vehementer acri exactoque judicio ſunt. Refertur à Theophraſto libro De natura lapidum. Ait enim lapidem quendam eſſe, qui Lydius ſeu Heraclius dicatur, qui attritu aurum atque argentum, cujuſmodi ſit, arguat. Hunc quidam Magnetem putant, velut Herculeanum, qui ferrum ad ſeſe trahit: unde nomen etiam additum σιδηρίτης: ſed ex Theophraſti verbis ſatis liquet, βάσανον ſignificari, quem Latini vocant indicem, in quem Battus ille paſtor apud Ovid. transfiguratus eſt. manente nimirum etiamnum in lapide prodendi ſtudio. Nec Heraclium vocatum ab Hercule, ſed ab Heraclea Lydiæ civitate. De hoc meminit Plin. lib. 33. cap. 8. his quidem verbis: Auri argentique mentionem comitatur lapis quem coticulam appellant, quondam non ſolitus inveniri, niſi in flumine Tmolo (ut autor Theophraſtus: nunc vero paſſim: quem alii Heracleum, alii Lydium vocant. Sunt autem modici, quaternas uncias longitudinis, binaſque latitudinis non excedentes. Iis coticulis periti, quum è vena lima rapuerint experimentum, protinus dicunt quantum auri ſit in ea, quantum argenti vel æris, ſcrupulari differentia, mirabili ratione non fallente. Huc alluſit Theocritus in Aita:

Λυδίης ἴσον ἔχων πέτρης στόμα.
Id eſt:
Vt Lydo lapidi par os habeam ———

Nimirum quo in variis oſculis optime judicaret, cujus eſſent: ſic enim ineptiunt amantes Scholiaſtes putat hos lapides apud Lydos inveniri, & hinc proverbium ortum. Et ne dubites quin de indice loquatur, ſequitur:

—Χρυσὸν ὁποῖα
Πεύθονται μὴ φαῦλον ἐτήτυμον ἀργυραμοιβοί.
Id eſt:
Cujus ab affectu explorat menſarius aurum
Sitne probum.

Adagium accommodari poteſt vel ad perſonam, vel ad rem. Ad perſonam hoc pacto: Tu ſcriptorum meorum optimus judex planeque, quod dici ſolet, ἡρακλεία λίθος. Idem hoc modo: In penſitandis æſtimandiſque ingeniis emunctiſſimæ naris, ac prorſum Lydius, ut ajunt, lapis. Ad rem transfertur hoc pacto: Adoleſcentium ingenia libertas aperit, viris commiſſum imperium, Lydius, quod ajunt, lapis eſt.

Gnomon & regula.

Quod eſt in re quapiam præcipuum, & ad quod unum reliqua omnia conferuntur, regulam & gnomonem proverbio vocabant. Lucianus in Harmonide: τοῦτο καὶ ἄλλως ἄριστον ἐν τῇ τέχνῃ, ὁ γνώμονά φασι καὶ ὁ ἀληθὴς κανὼν τῶν πάντων. id eſt Quod eſt caput omnis virtutis, gnomon, ut ajunt, & recte regula. Item in Scytha: οὗτος καὶ ὁ Ἑλληνικὸς κανών. id eſt, Hic tibi Græcanica regula. Item in Sectis, τοῦτον κανόνα καὶ στάθμην ἀκριβεστάτην. id eſt: Hanc regulam & amuſſim certiſſimam rerum ejuſmodi. Porro ad regulam exæquant fabri ſtructuram. Iidem, utuntur & gnomonibus. Conſtat autem gnomon è duabus lineis rectis, quas uti ſinqui dimetiens diſſecto quadrangulo conſtituit.

Emunctæ naris. Mucoſis naribus.

Emunctæ naris dicitur acri exactoque judicio, quaſi purgatis naribus, mucoque emunctis. Horatius de Lucilio:

Emunctæ naris, durus componere verſus.

Contra, Obeſæ naris dicuntur ſtupidiores.

Idem in Odis:
—Nec firmo juveni, neque naris obeſæ.

Lucianus in Alexandro Pſeudomante: τοῖς δὲ ἰδιώταις καὶ κορύζης μεστοῖς

Nullus delectus.

Ariſtoteles lib. Politicorum 2. refert hunc verſiculum ecu vulgo celebrem:

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Id eſt:

Par honor, ignavoque viro, & virtute valenti.

Quo licebit uti, ſi quando ſignificabimus nihil eſſe diſcriminis inter eruditum & impoſtorem, inter benemerentem & malemerentem, inter probum & improbum. Verba ſunt Achillis ſtomachantis, quod ſui ratio non eſſet habita ab Agamemnone, cum eſſet omnium multo fortiſſimus. Hoc loco lapſus eſt interpres Leonardus Aretinus, vir ille quidem tum doctus tùm eloquens, ſed homo tamen. Sic enim vertit carmen homericum: Honori incubit tam ignavus quam bonus. Nimirum deceptus ab eo qui libros eos illi prælegerat. Nec animadvertit ἰῇ poſitum pro μιῇ.

Lesbia regula.

Lesbia regula, dicitur quoties præpoſtere, non ad rationem factum, ſed ratio ad factum accommodatur. Et cum lex moribus applicatur, non mores ad legum emendantur: aut quoties princeps ſe populi morbus accommodat: cum contra conveniat plebem ad principis arbitrium vitam inſtituere, ſi modo princeps ipſe ad honeſti regulam ac ſcopum reſpiciat. Hujus adagii mentionem facit Ariſtoteles 5. Moralium lib. *τοῦ γὰρ ἀορίστου ἀόριστος καὶ ὁ κανών ἐστιν, ὥσπερ καὶ τῆς λεσβίας οἰκοδομῆς ὁ μολύβδινος κανών· πρὸς γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ λίθου μετακινεῖται καὶ οὐ μένει ὁ κανών.* id eſt, Siquidem infinitæ rei infinita item regula, quemadmodum plumbea Lesbiæ ædificationis regula: ad lapidis enim figuram tranſmovetur, neq; manet regula.

Cæci præſcriptio.

Τυφλοῦ παρακέλευσις, id eſt, Cæci juſſio ſive exhortatio, dicitur abſurda, quoties ipſe qui præſcribit, non intelligit quid dicat. Socrates apud Platonem in Theæteto, redarguens abſurdam Theæteti præceptionem, jubentis ut qui rectam habet et opinionem, recte opinioni aſſentirentur, confert illius orationem loro aut piſtillo circumvolubili: ſed rectius putat dicendum, Cæci juſſionem, *τυφλοῦ δὲ παρακέλευσις ἂν καλοῖτο δικαιότερον. τὸ γὰρ ἃ ἔχομεν ταῦτα προσλαβεῖν κελεύειν, ἵνα μάθωμεν ἃ δοξάζομεν, πάνυ γενναίως ἔοικεν ἐσκοτωμένῳ*, id eſt, Sed rectius cæci præceptio dicatur. Siquidem jubere ut ea quæ habemus accipiamus, ut diſcamus ea quæ opinamur: plane convenit homini inſigniter caliganti. Alias relatum eſt nobis illud Horatii, Cæcus uti ſi monſtret iter, Item, Cæca ſpeculatio.

Cenſoria virgula.

Tritiſſimum eſt apud eruditos, Cenſoriam virgam appellare judicandi autoritatem, præſertim cum ſupercilio à magiſtratu Romano ſumptum. Cujus formæ eſt quod ait beatus Hieronymus in dialogo adverſus Luciferianos: Nemo poteſt Chriſti palmam ſibi aſſumere, nemo ante diem judicii de hominibus judicare. Videtur autem Hieronymus alluſiſſe ad caput Deuteronomii 25. ubi juſtitiæ palma dicitur, quæ a judicibus tradebatur ei qui probaſſet ſuam innocentiam, cauſamque viciſſet. Hanc palmam vere Chriſtus habet, nec eam tradit indigno, quoniam ſolus judicio non fallitur: quum in humanis judiciis plurimum ſit & erroris & caliginis.

EX APPEND. ERASMI.

Γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν.

Mente optima judicare. De iis proprie, qui in judicando τῆς ἐπιεικείας, æqui & boni rationem habent non juris ſummi. Transferri poteſt ad cordatos, & qui Prudentiam ac humanitatem cum ſeveritate conjunxerunt. Ariſtot. Ethic. Nicomach.

IVNII. *Veluti Minervæ calculus.*

Ὥσπερ τις Ἀθηνᾶς ψῆφος, id eſt, Velut quidam Minervæ calculus: proverbialiter dictum eſt à Philoſtrato, ubi dicit Herodem Atticum, principem in oratoria virum, honeſtaſſe ſua præſentia Ariſtoclem Pergami docentem, miſſis eo & ſuis diſcipulis. Sic enim inquit: *Εἶδε καὶ Ἀριστοκλέα ὥσπερ τις Ἀθηνᾶς ψῆφος.* id eſt, Vidit & Ariſtoclem, velut quidam Minervæ calculus: nimirum ad faciendam fidem illius eruditionis, dignatus eum honorifica ſalutatione, eoque facto veluti comprobans præclaram de illo exiſtimationem. Uti ergo proverbio licebit, quum quis primarii judicis calculo abſolvitur: aut quoties docti Viri judicium accedit ad laudem alterius, teſtimonioque luculento hujus eruditionem extollit: aut ubi bellicoſus aliquis heros ſtrenuam ducis militisve virtutem liberali elogio exornat: utrique enim & militiæ & doctrinæ Minervam præfecit gentilitas. Exempli gratia: Egregiis N. eruditi juvenis dotibus teſtis accedit Reginaldus Polus, velut quidam Minervæ calculus, aut ſi ita deflectas: Petri Nannii eloquentiæ multorum doctiſſimorum hominum, ejus ludum frequentantium cœtus atteſtantur, *ὥσπερ τις Ἀθηνᾶς ψῆφος*. Natalem proverbii referendum puto ad judicium Oreſtæ: qui quum pares eſſent calculi & damnatoris & liberantes, Minervæ calculo alteri parti accedente abſolutus à crimine fuit, quod ita refert Ariſtides: *ἴσων φυγόντος, ἴσων, τὴν ψῆφον προσθεμένην, ἡ Ἀθηνᾶ πρώτην τὴν παρ' αὐτῆς εἶχεν.*

IVNII. *Lycurgei.*

Lycurgeus non ſine proverbii ſpecie dicitur à Cicerone, pro ſevero gravique & tetrico judice lib. epiſtola ad Atticum primo: Noſmetipſi qui Lycurgei à principio fuiſſemus, quotidie demitigamur, inquit autem, ſe multum remiſiſſe de cenſuræ gravitate. Similiter dixit Alciphron in epiſto. Lamiæ ad Demetrium, Spartanorum rigiditatem traducens: *μικρολυκουργίζοντες τῆς σῆς εὐθυμίας*, id eſt: Lycurgice ſtatuentes adverſus tuam benevolentiam. Lycurgus, Plutarcho teſte, artes excludebat, & peregrinos in hoſpitali lege, civitatis uſu inter dicebat.

BRASSICANI. *Veteris moneta.*

Παλαιοῦ κόμματος, id eſt, Veteris monetæ eſſe dicitur, quiſquis integrum adfert judicium, haud corruptum, fuci corruptelæque neſcius: denique quicquid probum eſt & rectum, veteris monetæ eſſe dicetur. vetera namque eo nomine bene audiunt, velut minime ad alterina & κίβδηλα. Symmachus epiſt. lib. 2. Itaque ut ipſe nonnunquam prædicas, ſpectatorum tibi, veteris monetæ ſolus ſuperſum cæteros delinimenta aurium capiunt. Uſus hujus proverbii durat etiamnum in lingua noſtra vernacula incorruptum, dicentibus nobis eſſe de veteri moneta. Ita ferme uſurpatur ἀρχαίως hoc eſt vetuſte apud Demoſthenem in Philippicis, pro ſimpliciter & ſine fuco doloque, quod priſci ſeculi homines integri fuerint. Sic enim habent ejus verba, *οὕτω δ' ἀρχαίως εἶχον.* hoc eſt, de verbo ad verbum: Uſque adeo vetuſte habebant.

De ſummo pectore.

Idem libro decimo ſeptimo, capite decimo tertio. Non me autem præteris, dicere aliquem poſſe de ſummo pectore, nihil eſſe in iis verbis negocii. Idem libro quinto, capite primo, hoc proverbio uſus eſt, de ſummo pectore, hoc eſt, verbis in præmeditatis & inconſultis. Homerus Iliad. lib. γ. ſcribit, Ulyſſem ex intimis pectoris penetralibus verba depromſiſſe:

Ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος εἵη.

Cato Cenſorius dicere ſolebat, authore Plutarcho: *τοῖς μὲν Ἕλλησι τὰ ῥήματα ἀπὸ χειλέων, τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι.* Græcis quidem verba ex labiis, Romanis autem ab ipſo corde proferri.

In montes offendere.

Auguſtinus de civitate Dei lib. 8. cap. 16. Tanta enim homines impii cæcitate in montes quodammodo offendunt, reſque oculos ſuos ferientes nolunt videre. In montes offendere dicuntur proverbio, qui tam prodigioſe cæcutiunt, ut non videant id quod ſit & maximum & perinde apertiſſimum. Virgil. in 11. dixit:

Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.

& Homerus de re compertiſſima, Odyſſ. ϑ.

Χερσὶν ἀμφαφόωντο καὶ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶντο.

Et manibus contingunt, & oculis ipſis intuentur.

IOANNIS VLPII. *Pulchra apud pueros ſimia.*

Pulchra (inquit Galenus) ſemper apud pueros eſt ſimia: nos admonens alluſionem eſſe ridiculam puerorum hoc anima illudentium. Poterit autem iſtud proverbium quoque ad locum, ſecus judicandi, commode transferri.

Roſcius.

Feſtus Pompeius teſtatur a Roſcio conſummatiſſimo mimo, Roſcios fuiſſe dictos, qui in arte ſua eſſent perfecti. De Roſcio Cic. libro primo de Oratore: Itaque hoc eſt jam diu conſecutus, ut in quo quiſque artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur. Idem in Bruto de claris Oratoribus. Et in ſcena eſſe Roſcium intelligat. Idē in ii. de Oratore: Soleo ſæpe imitari eorum impudentiam, qui agunt in ſcena, geſtum ſpectante Roſcio: quis enim ſeſe commovere poteſt, cujus ille vitia non videat? De Cicerone cum Roſcio exprimendis ſententiis certante, meminit Macrobius.

Oculis clauſis agere vel perſtringere.

Dicitur, qui indiſtincte & nullo judicio agunt, & minime cernentes quid facere oporteat. Auguſtinus: Quæ tandem vis, niſi cæcitas & vanitas animi cogit hominem clauſis (ut dicitur) oculis tanquam in alterum jacere, quod cum in eum jecerit, continuo recidat.

COGNATI. *Ex utroque latere.*

Ex uno latere, Ulpianus lib. tertio Pandect. tit. de Procuratoribus. Si ſtatus controverſiam ei faciat procurator, ſive ex ſervitute in libertatem adverſus eum quis litiget, ſive ex libertate in ſervitutem petat, debet cavere rem ratam dominum habiturum, & ita edicto ſcriptum eſt, ut ex utroque latere quaſi actor habeatur. Item Iuſtinianus in lege finali, libro Codicis quinto. tit. de curatore furioſi: Et juris, inquit, authores ex utroque latere magnum habuere certamen.

Album colorem ab atro non diſtinguit.

Modus loquendi familiaris hominibus noſtri temporis. De eo dicitur, qui non corporis luminibus, ſed animi caret, quique acumine ingenii aliqua in re non valet.

Quæ ignoramus aſpernuntur.

Laz. Bayfius: Fere fit ut facile aſpernantur, quæ ignoramus. Vulgo ſic dicitur: Scientia non habet inimicum præter ignorantem. Gallice, Science n'a ennemis, que les ignorans. Dixit Ariſtoteles: Nemo eorum quæ ignorat, bonus eſt judex. Seneca epiſt. 92. Temeritas interim eſt, damnare quod neſcias.

Ἐκλεκτικοί.

Ἐκλεκτικοὶ dicuntur vulgo, qui cum nulla habeant peculiaria dogmata, ex cæteris ſeligunt, quod optimum eſſe judicant ac veriſſimum. De his meminit Laertius in procemio libri 1. his verbis: ἔτι δὲ πρὸ ὀλίγου καὶ ἐκλεκτική τις αἵρεσις εἰσήχθη ὑπὸ Ποτάμωνος τοῦ Ἀλεξανδρέως, ἐκλεξαμένου τὰ ἀρέσκοντα ἐξ ἑκάστης τῶν αἱρέσεων. Haud ita pridem, inquit ἐκλεκτική quædam ſecta à Potamone Alexandrino inventa eſt, qui de ſingulis ſectis, quæ ſibi placuerunt, ſelegit. Talem & Cicero ſæpe in ſuis libris profitetur. Horat. in epiſt. lib. 1. cum ſe nullius diſciplinæ certum eſſe ſectatorem demonſtrat, philoſophorum, ſed ex omnibus ſe excerpere quod optimum videatur, his utitur verbis:

Nullius addictus jurare in verba magiſtri,
Quo me cunque rapit tempeſtas, deferor hoſpes:
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor.

Hujuſcemodi homines dicuntur etiam ἀναλογητικοί.

Lapides in filum.

Vſurpavit Baſilius ad nepotes cap. 6. cum jubet ad honeſtarum artium præſcriptum, mores & ſtudia noſtra applicari & corrigi, perinde quaſi lapides, juxta Doricum proverbium, ad filum vel Lesbiam regulam dirigentes: καὶ, inquit, τὴν Δωρικὴν παροιμίαν, τὸν λίθον ποτὶ τὰν σπάρτον ἄγοντας. Extat trochaicus apud Plutarchum in libro de Profectu ejus ſententiæ, πρὸς στάθμην πέτραν τίθεσθαι, μήτε πρὸς πέτραν στάθμην, id eſt, Lapis amuſſi eſt applicandus, non amuſſis ad petram.

Δικαίῳ ζυγῷ.

Hoc Pollucis ad Commodum Cæſarem dictum admodum vulgare, Libræ in morem, locum habet ſuum ac proprium: quando admonemus, ut res expendens ac librans ex amine, in neutram partem plus juſto propendeat, nec à recto deflectat. Eaque virtus principibus ac judicibus aptiſſima & accommodatiſſima eſt, quorum vita omnis & actiones in omnium hominum commodis tuendis cernuntur potiſſimum. Qua ſi præditi ſint, virtutum omnium facile principem conſecuti ſunt, qua & cæteros vincent, & ſeipſos.

Lychnus in Prytaneo.

Theocritus in piſcatoribus taxans judicum Athenienſium avaritiam ac rapacitatem: Lychnum in Prytaneo, inquit, Aſphalion ſemper prædam habere ferunt. Hoc eſt, venales habere ſententias judices: & ſicut piſcatores piſcibus capiendis unice intēti ſunt ita judices undecunque captant largitiones. Quid faciat aliquis miſer piſcator aliud, qui de nocte vigilat, nec facile dormire poteſt, quam ut de ſua piſcatione & præda cogitet: cum lychnus in Prytaneo, id eſt, judices Athenienſes, ſemper prædam, largitiones & munera appetant? Hæc illis venatio & captura piſcium eſt: Cum igitur de præda ſolicite cogitantem, ſomnus me tandem oppreſſiſſet accidit ut ſicut canis de offa, ſic ego de piſce aureo ſomniarem. Fuit enim in Prytaneo, quod Pauſanias teſtatur in Atticis, πῦρ ἄσβεστον, id eſt, perennis ignis. Erat autem Prytaneum Athenis domus publica, ubi benemeriti cives ſumptu publico alebantur: & convenire ſeniores, atque judicia exercere ſolebant: dictum quaſi πυρὸς ταμιεῖον, id eſt, granarium civitatis. Eum locum ſemper prædam habere, Aſphalion ait. Fuit & in arce Athenis lichnus, teſte eodem Pauſania, ex auro à Callimacho ex arte fabrefactus, ut cum ſemel oleum infunderent, toto id anno ſufficeret, neq; ante eundem diem anni completi aliud infundere opus erat, quamvis continuos dies ac noctes is lichnus arderet. (Hæc niſi fallor, omnia collegit ex Vuinſemio)

Magis ſpectandum quid liceat, quam quid expediat.

Alluſio eſt ad Pauli dictum, quod habetur 1. Corinth. 6. & 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, conducunt & conferunt, atque ædificant. Qui enim faciunt quicquid licet, hi cito delabuntur, ut faciant quod non licet. Nemo igitur quod ſuum eſt, duntaxat quærat, ſed etiam quod eſt alterius. Nam boni viri partes ſunt, aliorum inſervire commodis, potius quam utilitatis propriæ rationem habere: & nihil minus decet Chriſtianum hominem, quam Aſpendium: quod etiam vulgo dicitur agere citharœdum.

Ad aurem referre.

Hoc quoniam proverbii ſpeciem præ ſe gerit, non exiſtimavi prætereundum. Gellius lib. 2. cap. 17. ex Cicerone, de præpoſitionibus in & Con: Quibus in verbis eæ primæ literæ ſunt quæ in ſapiente atque felice, productæ dicuntur, in cæteris vero omnibus breves, conſule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. Quære cur ita ſit, dicent, probe ſe juvari, voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Manifeſta quidem ratio ſuavitatis in his vocibus, inquit Gellius, de quibus Cicero locutus eſt. Referre igitur ad aures dicimus, cum conſulimus ſuper re aliqua aures noſtras. Moris autem erat apud Romanos, ut conſules de re aliqua ad ſenatum referrent, & ii quibus ſenatum cogere licebat, dicebantur quum rem in ſenatu agitandam, decernendamque proponebant, rogantes ſenatorum ſententias. Cic. 2. in Catil. Reliquis autem de rebus conſtituendis, maturandis, agendis, jam ad ſenatum referemus, quem vocari videtis. Hinc tracta metaphora: Ad aurem referre.

Abſque præjudicio.

Taurus philoſophus apud Gellium libro ſecundo capit. 2. Abſque præjudicio, inquit, tu interea ſede. hoc eſt, ea conditione, ut per hoc nihil decedat juris filio tuo. Eſt enim præjudicium, omne gravamen quod adferre poſſit præcedens judicium. ff de re judic. l. ſæpe. C. res inter alios acta. l. a Vlpianus in Pand de liberis agnoſcendis & alendis à parentibus l. 5. §. meminiſſe. Præjudicium non fit veritati. Inde dicimus, præjudicari, pro damno officii: & ſæpe in leguleiorum vulgus ſpargitur, abſque præjudicio. Curt. libro ſexto. Sine præjudicio dicimus cauſam liberis corporibus animiſque habitum etiam in quo te comitari ſolemus reddidiſti. Verba ſunt Amyntæ, cauſam dicentis, ac ſi diceret: Si ex vinculis cauſam diceremus, præjudicatum quodammodo videretur, nos eſſe compertos & convictos ſceleris. Cū vero vinculis exemptos nos voluiſti, ſignificaſti te liberum judicium integrumque ſuſpendere voluiſſe, quoad defenſionem noſtram audieris.

Ex cortice de nucleo ſententiam ferre.

Aloyſius Luiſinus De compeſcendis animi affectibus libro 2. cap. ultimo. Vulgus, inquit, & imperita multitudo videtur ex cortice, neceſſario de nucleo quoque ſententiam ferre, & quale corpus videt, talem etiam animum judicare. Cum itaque duo æmuli ſunt aliqua in re, quæcunque tandem ea ſit, ſeu animi, ſeu rerum externarum, & qui ſapientum judicio dignior eſt ob animi pulchritudinem, qua nulla major eſt, cogitur illis cedere, qui præſtantiori corpore eſt ob vulgi favorem, exteriorem tantum cutem admirantis, neque penitius potentis ex imbecillitate intellectus penetrare: quis non videt apertos invidiæ aculeos, dum deprimitur qui extollendus erat, dum extollitur qui deprimendus? In ore Gallici vulgi verſatur hoc dictum: On ne cognoiſt pas le vin aux cercles. Nolite, inquit Chriſtus Matth. 7. ſpectare frondes & corticem. Hæc ſæpe communia ſunt agreſtibus cum mitibus, ſalubribus cum peſtiferis, fetus guſtatus indicat, qualis ſit arboribus guſtus. Vide mox. Ex guſtu judicium.

Ex guſtu judicium.

Ex guſtu enim judicantur aquæ, quæ ad quid ſint uſui. Hoc etiam ſæpe vulgo audire ſolemus. Hinc guſtare labris primoribus genus hoc vitæ: apud Cicer. Idem ad Attic. Iſtum convivam tuum deguſtes: id eſt, cognoſcere diſcas, fac ejus periculum. Idem Cic. de nat. deor. lib. 2. Sed dum palato quid ſit optimum, judicat Epicurus cœli palatum (ut ait Ennius) non ſuſpexit. Ex fructibus autem egregiis ſolet etiam de bonitate arborum judicium ferri: Chriſto teſte & referentibus Evangeliſtis, Matth. 3. 7. & 12. Luc 6. Nam è fructu, inquit Chriſtus, arbor cognoſcitur. Eſt autem ſuus cuiq; arbori peculiaris fœtus: qui ſapore prodit radicem, Arbor vere bona, & ſuccum mitem gerens in radice mentis, edit bonos fructus. Hos qui vere præſtat ipſa re, is demum eſt arbor bona. Hinc Seneca lib. 1. De clementia. capit. 1. Principatus tuus ad guſtum exigitur. Vere laudis guſtum non habere, metaphorice Cic. 3. Phil. Vt quidam morbo aliquo & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt: ſic libidinoſi, avari, facinoroſi, veræ laudis guſtum non habent. De guſtu cognoſcere, ἐκ γεύματος γινώσκειν, hoc eſt, minima experientia judicare. Vide alibi, Ex cortice ſententiam ferre.

Iudicium præceps, inſani judicis index.

Eſt Gallis uſitatum proverbium: Le fol juge brefue ſentence, quod Verinus ſic expreſſit:

Iudicium præceps, inſani judicis index.
Omnia ſunt longis diſcutienda moris.

Nec enim cito, nec temere judicandum. Hinc Marius apud Plutarchum: Nequaquam tantum ſe in humeros ſuos impoſiturum onus dixit, uti de re ita magna ante cognitionem, ſententiam ferret. Græci autem ἀγνώτως φέρεσθαι εἰς στάγμα dicunt: id eſt, de cauſa nondum cognita pronunciare. Salomon Proverbiorum capite 15 Qui quod novit loquitur, judex juſtitiæ eſt. Iuſtinian. libro Digeſtorum 48. Sanctius enim eſt, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari. Thomas Morus in Vtopia, ſive de optimo reipub. ſtatu, libro ſecundo, capite de magiſtratibus. Senatui proſpiciēdum fuit, ut conſulto potius, quā

site

cito loqueretur. Demoſt. Philip. prima, [illegible] Qui ſubito & ex tempore conſilium dant, non optime conſulunt. [illegible] Priuſquam audias, ne judica. Adhæc Bias Prienæus, duo maxime contraria conſilio eſſe dicebat, iram & feſtinationem. Qui autem ſententiam ferunt de re nō plane cognita & comperta, præpropera pronunciare dicuntur. Galli dicunt: Sage eſt le juge qui eſcoute, & qui tard juge. Seneca De clementia lib. 1. cap. 14. Prope enim eſt, inquit, ut libenter damnet, qui cito. Sic enim in judicando criminoſa eſt celeritas, atq; ut ait Juvenalis ſatyr. 6.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Caſſiana judicia.

Caſſius fuit Romæ judex ſeveriſſimus: unde Caſſiana judicia apud Cicer. pro Milone, Philip. 2. Idem in Verrem: Non quæro judices Caſſianos, veterem judiciorum ſeveritatem non requiro. Idem: Dabis etiam illum, quam tu in cohorte tua Caſſianum judicem habebas: id eſt, maxime ſeverum. Quod per ironiam dixit. Hic Caſſius reorum ſcopulus dictus eſt: ut inquit Valerius.

Actio pro amico.

Ad ſimilitudinem actionis pro ſocio, quæ datur ſocio bonorū contra ſocium, ſi quid perperam & ſubdole in communionem admiſit, & quæ eſt à jure civili prodita: bonis moribus convenit, ut actio pro amico detur contra amicum, ſi amicitiam prodidit aut deſtituit. Hæc autem non à prætore datur, nec apud judicem intenditur, ſed de hac judicant æqui & boni in ſermone, & ejus opinio vileſcit, qui amicitiæ jus prodidit. Socius enim cum ſocio egit, in id quod æquum & bonum eſt, ſocium ſocio præſtare aut facere. Budæus Ruzæo: Ad idq; actionem ut pro ſocio, ſic pro amico intendere, quæ nulla jure civili prodita eſt. Alibi eidem Ruzæo: Cum actio ut pro ſocio jure civili, ſic pro amico prodita ſit moribus, &c. Idem Vivi: Cum conſtione pro amico partim & ſodali, partim verbis in æquum honeſtumq; conceptis & præſcriptis agere & experiri acciter deſiiſſe, &c. Eſt etiam actio, cujus nomen eſt præſcriptus verbis. Celſus Juriſconſ. Nam quum deficiunt, inquit, vulgaria atq; uſitata actionum nomina, præſcriptis verbis agendum eſt.

Qua de re agitur.

Quod [illegible] Græcis eſt, Latinis, Qua de re agitur, dicitur: id eſt, id quod maxime nunc in controverſia hac verſatur, vel in ſummam quæſtionem cadit: ut Juvenal. dixit, & Cic. in Topicis. Budæus Ruzæo: Cognoſce qua de re agitur. Idem tertio De rerum fortuit. Apud quem qua de re agitur, in judicium deducatur.

Arbitratu meo, tuo, ſuo.

Formula eſt Gallis hodie vulgatiſſima, ducta è priſcis contractuum verbis. Proculus juriſconſ. in tractatu de verb. oblig. Cum ſtipulatus ſim à Proculo, ſi opus arbitratu meo ante calend. Junias effectum non ſit, pœnam, &c. Deinde ſubdit: Nec ad rem pertinere, quod aliquod tempus ante calendas Junias ſunt, quod ſtipulator non deſideravit, id ante calend. effici, & quo non eſt arbitratus ut fieret, quod fieri non poterat. Et paulo inferius: Quoniam mortuus (inquit) arbitrari non potuiſſet. Eſt enim arbitrari, conſtituere, modumq; & rationem, quaſique formam operis faciundi delineare & præſcribere redemptori: quod lingua vernacula diviſer appellat. Redemptori autem locator dat opus faciendum, pacta mercede. Inde apud Comicos ſæpe, Tuo arbitratu id fiat, id eſt, ut tu formam operis faciundi dederis. Budæus Draconi filio: Si mihi vitæ meæ rationem arbitrati liberum eſſet. Hoc eſt, vitæ agendæ conditionem optare liceret. Idem De contemptu rerum fortuitarum. Dei id demum providentia mihi tandem, ut opus arbitratu domini factum ſit, &c. Livius: Crudeliſſima gēs ſua omnia ſuiq; arbitrii facere. Bud. eidem Draconi filio: Quare niſi & mandatorum meorum, & pollicitationis tuæ memor, acri intentione tibi inſtiteris ipſe, ac mihi opus effectum exhibueris, perfectumq; ac probatum arbitratu meo præſtiteris. Formula eſt ſyngraphaiia, præbere & præſtare opus probatum arbitratu probi viri.

Pictor tabellis comprobatur editis.

Gregorius:

[illegible]

Id eſt:

Pictor tabellis comprobatur editis.

Mimus eſt autem, idem dictum hodie totidem verbis in ore omnium eſſe. Huic confinia quædam ſunt & apud Græcos & apud Latinos: quibus adſcribi poterit hoc Gallicum:

L'ouurage demonſtre l'ouurier.

Ex re ipſa igitur judicium fiat. Aliter:

A l'œuure on cognoiſt l'ouurier,
L'œuure l'ouurier deſcouure.

Inter pocula.

Quoniam homines inter epulas & pocula vere & conſtanter de rebus judicare non poſſunt, nec eſt locus ad bene judicandū idoneus, Gallis hæc vox protrita eſt, inter pocula: cum rem nullius momenti deputant, ac temere pronunciatam. Cic. in Tuſc. Quid quod ne mente quidem recte uti poſſumus, multo cibo & potione completi, id eſt, ſaturi, & cibo potuque diſtenti. Corrumpitur autem animus hominis vino ciboque: itaq; tunc expedite verum a falſo diſtinguere non poteſt. Huc pertinent quæ ſcribit Horat. Serm. lib. 2. ſatyr. 2.

Diſcite non inter lances, menſaſque nitenteis,
Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cum
Acclinis falſis animus, meliora recuſat:
Verum hic impranſi mecum diſquirite. Cur hoc?
Dicam ſi potero. Male verum examinat omnis
Corruptus judex.——

Ad hæc Perſ. ſatyr. 1.

——Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.

Sic Juvenalis mulieres in convivio de poëtis judicium facientes ridet, ſatyra 6.

——Quæ cum diſcumbere cœpit,
Committit vates & comparat, &c.

Vinum autem ſi copioſius hauſtum eſt, caput turbat, & mentem lædit, ingenium obruit, vigorem animi impedit, hominesq; quādoque ſuę mentis efficit adeo impotentes, ut quicquid norint, expromant. Sunt tamen qui Perſas æmulantes, exiſtimant firmiora conſilia eſſe, quæ inter vina à bene potis dantur, quam quæ à ſobriis & jejunis. unde ab ipſis Perſis abſtemii à conſilio rejiciuntur.

Peritis in ſua arte credendum.

Ethnici dixerunt, peritis in ſua arte credendum eſſe: &, Imperitos de artibus quas non didicerunt neq; intelligunt, perinde judicare, ut cæcos de coloribus. Et hæc etiam inter proverbia celebrantur. Huc pertinet illud Ciceronis Tuſcul quæſt. lib. 1. Sed hic quidem quamvis eruditus ſit, hæc magiſtro concedat Ariſtoteli, canere ipſe doceat.

Capite retrogradi.

Hoc proverbio ſignificamus eos, qui præpoſtero ſunt judicio, quiq; mendoſe, perperam, & male ſentiunt. Lucretius lib. 4.

Qui capite ipſe ſuo inſtituit veſtigia retro.

Id eſt:

qui capite ſuo retro graditur.

De plano.

De plano ſimpliciter ac nude, & vere. Lucret. lib. 1. De rerum natura:

Hoc tibi de plano poſſum promittere Memmi.

Juriconſulti dicunt, de plano cognoſcere: id eſt, non ſolenniter pro tribunali, ſed inter vias, ut veteres loquuntur.

Sub formula.

Formula pro lege & conſtitutione nonnunquam capitur. Cic. lib. 3. Officior. Nondum Aquilius protulerat de dolo malo formulas. Hinc ſub formula judicare, pro ad præſcriptum ſummi juris, quemadmodum judices, qui ex legum præſcripto pronunciant. Seneca De clementia lib. ſecundo, capite ſeptimo. Clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat. Marcell. titul. de pœnis, libro quadrageſimo octavo. Reſpiciendum eſt judicanti, ne quid aut durius aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit. Nec enim aut ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Quint. lib. quinto. Deprecatio rara admodum, & apud eos ſolos judices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur. Cadere autem, vel excidere formula, eſt aliquid de conceptis formulæ verbis immutare. Erant enim juris formulæ certis quibuſdam verbis conceptæ: à quibus ſi quis vel minimum receſſiſſet, cadebat cauſa: hoc eſt, amittebat cauſam. Quint. libro tertio. Neque ignoro, multa transferri: cum in omnibus fere cauſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur, hæ ſunt quæſtiones, &c. Sunt qui pro eodem accipiant, Cadere formula: &, Cadere cauſa, quibus ſunt qui non facile aſſentiuntur, etiamſi unum ſequi ſolet ex altero. Nam qui formula cadebat, idem etiam cadebat cauſa. Quod & ipſum non obſcure oſtendit Quintil. libr. ſeptimo, quum ait: Eſt enim certa ſervitus, ad certa ſe verba aſtringendi. idque faciendum, in lib. Cicer. De orat. vetat M. Antonius. Nam eſt etiam periculoſum, quum ſi uno verbo ſit erratum, tota cauſa cecidiſſe videamur. Seneca libr. ſecundo, capite tertio. De clementia: Plura proponere eſt tutius ne una definitio parum rem comprehendat, &, ut ita dicam, formula excidat. id eſt, lege illa formali quam dialectici in definitione exigunt.

Nemo innocens, ſi accuſaſſe ſufficit.

Hoc Juliani ſapienter ex tempore dictum etiam in proverbiū abiit: Ecquis tandem innocens erit, ſi accuſaſſe ſufficiet? Refertur a Marcellino, libro decimo octavo, ubi Cephedius orator Numerii provinciæ Narbonenſis rectoris innocentiam acerrime oppugnans, exclamat: Neminem quenquam nocentem fore ſi inficiari ſufficeret. Plutarchus de Iſide: In Creta, inquit, Jovis fuit ſtatua, auribus mutila, quo ſymbolo innuere voluit artifex,

principem non debere alicui aures ſuas mancipio dare. Non alienum hinc eſt Alexandri Macedonis factum, altera manu appoſita aurem obſtruentis, ut reo ſervaretur integra.

Cuius moneta ſit, vel ab ipſis notis agnoſcitur.

Lucian in Cataplo, ſive tyranno: Principio quamvis in accuſando ne verbis quidem opus fuiſſet, quandoquidem cujus monetæ ſit, vel ab ipſis notis agnoſcere potes: tamen quo res fiat ſole clarior, & ipſe tibi unum detegere, ſermoneque depingere conabor. Et Plato in Hippia majore. Ex ejus moribus conjecturam facies.

Audi utramq; partem, & recte iudica.

Ficinus in Philebum: Conſidera quam tutelam ſuſcipias, neque temere ad diſputationem properes. Imo audi utriuſq; ſententiam prius, & eam quæ tibi recta ratione examinanti probabilior apparet, accipe defendendam. Plato in Hippia majore: Tu me incognita cauſa verberabis? Cicero, apud Marcellinum libr. 19. in fin. Cum parcere vel lædere potuiſſem, ignoſcendi quærebam cauſas, non puniendi occaſiones: quod judicis lenti & conſiderati eſt proprium.

Ægrotanti omnia amara.

Ægrotanti amara videntur quæ guſtat, & ſunt: bene valenti contraria ſunt, atq; videntur. Quoties vinum ſanus bibo, ſuave & dulce mihi videtur. In Sophiſta: Medici namq; tradunt, ſalubribus epulis non prius nutriri corpus, quam impedimenta pellantur.

Iudex lentus & conſideratus ſit.

Cicero apud Marcellinum lib. 19. in fine: Cum parcere vel lædere potuiſſem, ignoſcendi quærebam cauſas, non puniendi occaſiones, quod judicis lenti & conſiderati proprium. &c. Idem apud Non. in dictione Lentum: Qui cum publicas injurias lente tuliſſet, ſuam non tulit. Nec cito quidem, nec temere judicandum. Michael Verinus:

Judicium præceps, inſani judicis index:
Omnia ſunt longis diſcutienda moris.

GVIL. GENTII. *Levato velo de cauſa cognoſcere.*

Schemate hoc utuntur Impp. in cap. 5. C. de naufra. lib. 11. De ſubmerſis, inquiunt, navibus decernimus, ut levato velo iſtæ cauſæ cognoſcantur, hoc eſt ſummatim. Eadem figura, quæ, De plano cognoſcere.

IVSTITIÆ.

ERASMI. *Juſtitia in ſe virtutem complectitur omnem.*

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.
Id eſt:
Juſtitia in ſe virtutem complectitur omnem.

Ariſtoteles cum alias, tum libro Moralium Nicomachiorum 5. verſum hunc ut proverbialem refert. Extat autem in elegiis Theognidis. Chæremon bonorum omnium ſummum prudentiæ tribuit. Cujus hic verſiculus citatur à Græcis:

Ὁ γὰρ φρονῶν εὖ, πάντα συλλαβὼν ἔχει.
Id eſt:
Cuncta univerſim, qui ſapit recte, obtinet.

Et Socrates putavit omnes virtutes eſſe ſcientiam. Id Ariſtoteles ita diſcutit, ut fateatur eſſe verum, nullam virtutem eſſe abſque prudentia. neget tamen omnem virtutem eſſe prudentiam, quum ſint habitus diſtincti. Sed Juſtitia frequenter accipitur non pro ſpecie, ſed pro genere: quemadmodum & in ſacris literis Juſtus dicitur, qui caret omni vitio.

Exigua res eſt ipſa iuſtitia.

Ariſtoteles lib. Rhetorices 1. Διὸ καὶ τὴν δικαιοσύνην φασὶ, μικρόν τι εἶναι, id eſt: Unde etiam ajunt, ipſam juſticiam, exiguum quiddam eſſe. Quo proverbio ſignificabant, non multum afferre momenti, ſi probus ſis, niſi talis etiam habearis: & opinionem longe plus valere, quam rem ipſam. At quanto melius Æſchylus in tragœdia, cui titulus, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις de Amphiarao:

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος.
Id eſt:
Neq; enim videri, at eſſe vir cupit optimus,
Mentis profundæ ſegete perfruens bona.

Rectius Socrates, admonens, ut talis quiſq; ſit, qualis haberi velit. Modeſtius Euripides in Oreſte, probans opinionem, ubi res ipſa non adeſt, tanquam optimo proximam:

Κρείσσων δὲ τὸ δοκεῖν κἂν ἀληθείας ᾖ.
Id eſt:
Res ipſa ut abſit, optima eſt opinio.

Ibidem Terentius in Adelphis: Si tibi iſtuc re ipſa non dolet, at ſimulare certe eſt hominis.

Trutina iuſtius.

Δικαιότερος τρυτάνης, id eſt, Juſtius trutina. Doricum proverbium de iis, qui inſigni incorruptaq; ſunt æquitate. Dores enim τὴν τρυτάνην, id eſt, Trutinam, τρυτάναν, vocant. Eſt autem id libræ genus, quo vel minutiſſimum ponderis momentum ſentitur, dignoſciturque. Latini quoque exactam æqualitatem Æquilibrium appellant. Unde & Æqua lance fieri dicitur, quod pariliter fit, citra perſonarum reſpectum. Ita Modeſtinus Pandect. lib. 42. titulo De re judicata. Quod & in perſona mulieris æqua lance ſervari æquitatis ſuggerit ratio. Item Juſtinianus Cod. 5. titulo De naturalibus liberis. Quapropter ſancimus in hujuſmodi caſibus omnes liberos, ſive ante dotalia inſtrumenta editi ſunt, ſive poſtea, una eademq; lance trutinari. Ad ſimili figura dixit Nicharchus in Epigrammate:

Γνώμων δ' ὀρθότερος κανόνος.
Id eſt:
Rectior eſt factus regula quam ulla fiet.

Iuſtitiæ oculus.

Δίκης ὀφθαλμός, id eſt, Juſtitiæ oculus, dicitur ſincerus & incorruptus judex, aut ipſum etiam judicium. Adagii meminit Suidas. Sumptum apparet ex illa Chryſippi deſcriptione apud Aul. Gellium lib. 14. cap. 4. in qua juſtitiæ oculos faciunt acres, rectosque immotos; quod eum qui recte ſit judicaturus, non oporteat huc aut illuc ab honeſto oculos deflectere. Celebratur hic ſenarius proverbialis:

Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.
Id eſt:
Eſt oculus æquitatis omnia intuens.

Iuſtitia iuſtior.

Δίκης δικαιότερος, id eſt, Juſtitia juſtior. Proverbialis hyperbole de vehementer integris & incorruptis. Veteres enim juſtitiam deam faciebant cujus imaginem eleganter, ut modo dixi, depinxit Chryſippus apud Aulum Gellium.

Maras.

Μάρας, id eſt, Maras. Hoc nomine ferunt fuiſſe quempiam apud Berœam Syriæ civitatem, ditiſſimum quidem illum, verum nihilominus humanum officioſum in omnes, tum cives, tum hoſpites. Unde vulgo receptum, ut id vocabuli tribueretur viris, qui ad multorum utilitatem nati viderentur. De hoc longiuſcula narratur fabula in Græcorum Collectaneis ſed mihi ſat viſum eſt attigiſſe, ne male collocarem operam. Nam neſcio quo pacto proverbium adulterinum & ſuppoſititium eſſe videtur. Si quem tenet cognoſcendi libido, extat opus, quod Aldus abſolutis jam adagiis meis excudit.

Bocchyris.

Βόκχυρις ſeu Βόκχορις, nam utrunque reperio. Plutarchus in vita Demetrii, Bocchorem vocat indicans, exactum judicium, Βοκχόρεως κρίσις appellari ſolere. Rex quidam fuit Ægyptiorum, adeo nota & incorruptæ in judicandis litibus juſtitiæ, ut vulgo ſi quem magnopere juſtum & integrum ſignificare vellet, Bocchyrim appellarent: perinde quaſi Rhadamanthum dicas, aut Minoem. Plutarchus in commentario, De vitioſa taciturnitate, teſtatur, fabulam de hoc jactatam fuiſſe, quod cum eſſet natura gravis & auſterus, Iſis illi aſpidem immittere ſolita ſit, quæ capiti circumvoluta, ſuperne hominem inumbraret, ut oſtento teſtatus recte judicaret. Adagium refertur a Suida. Dici poteſt & de iis, qui non temere de re quapiam pronunciant. Negant enim hunc regem ſolere ſententiam ferre, niſi de cauſa jam comperta, & certis argumentis deprehenſa: & tamē hujus Bocchoris judiciū quoddam reprehenſum fuit a meretrice Lamia. Adoleſcens quidam in Ægypto deperibat amore Theonidis meretriculæ. At illa pro noctis mercedem ingentem poſtulabat. Interim evenit, ut adoleſcens noctu ſomniaret ſe rem habere cum Theonide. Eo viſo liberatus eſt ab amore, deſiitq; ſcorto moleſtus eſſe. Illa ubi factum reſcivit, appellat adoleſcentem, petit pactam mercedem. Quum non conveniret, itum eſt ad judicem Bocchorem. Is cauſa cognita pronunciat, ut adoleſcens tantum pecuniæ adferret in vaſculo, quantum illa poſtulaſſet, eamq; præſente ac inſpectante Theonide, huc illucque manu tenens volveret, & illa interim hæreret umbræ, quaſi recte ſomnium umbra penſaretur. At hoc judicium ut iniquum reprehendit Lamia meretrix: Per ſomnium, inquit, adoleſcens amore coitus liberatus eſt, at umbra Theonidem non liberavit amore pecuniæ. Hæc Plutarchus in vita Demetrii.

Rhadamantheum iudicium.

Ῥαδαμάνθυος κρίσις, id eſt Rhadamanthi judicium. De incorrupte judicantibus. Rhadamantus enim manium judex, neque muneribus, neq; gratia deflectitur, quo minus ſevere judicet. Accommodari poterit ad mortis neceſſitatem, maximis pariter ac minimis ex æquo communem. Juxta illud Æſchyli apud Ariſtophanem in Ranis:

Μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ.
Id eſt:

Id eſt:

Una è deis Mors nulla captat munera.

Item Horatius:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regumq; turres.

Item alibi:

Non ſi trecentis, quotquot eunt dies,
Amice places illachrymabilem
Plutona tauris.

Item Pindarus in Nemeis:

Ἀλλὰ κοινὸν γὰρ ἔρχεται
Κῦμ' Ἀΐδα, πέσε δ' ἀδόκητον
Καὶ δοκέοντα.

Id eſt:

Fluctus enim Orci communiter accidit: obruitq; tum opinantem, tum inopinum, hoc eſt, & juvenem & ſenem: aut pariter & nobilem & obſcurum. Bifariam enim interpretamur ἀδόκητον καὶ δοκέοντα. Item in Olympiacis:

Βουλαῖς ἐν ὀρθαῖσι Ῥαδαμάνθυος.

Id eſt:

Rectis Rhadamanthi decretis.

Item alibi demonſtrans unum Rhadamanthum nec aſſentari cuipiam, nec quicquam ad gratiam facere: ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς εὖ πέπραγεν, ὅτι φρενῶν ἔλαχε καρπὸν ἀμώμητον, οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται ἔνδοθεν. i.e. Fortunatus Rhadamanthus, qui fructum judicii ſortitus eſt inculpatum, neq; impoſturis intus in animo delectatur. Uſurpat & Plato lib. de legib. 12.

Orphica vita.

Ὀρφικὸς βίος, id eſt, Orphicam vitam Plato libro De legibus 6. dixit vitam innoxiam, & a luxu ſanguinolentiſq; dapibus puram. Hujuſmodi ſiquidem vitæ rationem Orpheus inſtituiſſe videtur, ut non ſolum ſanguine pecudum non inquinarent aras deorum, verum ne veſci quidem ullius animantis carnibus ſuſtinerent, ſed libis ac frugibus melle conſperſis ſacra facerēt, nec aliis ipſi veſcerentur. Platonis verba ſunt hæc: ἀλλ' ὀρφικοί τινες λεγόμενοι βίοι ἐγίγνοντο ἡμῶν τοῖς τότε. id eſt, Sed Orphica quædam, ut dicitur, vita tum erat veſtris illo ſeculo. Videtur Orpheus hoc conatus apud Thraces, quod Pythagoras tentavit apud Jonios, Numa apud Romanos.

Virtus ſimplex.

Dubitari poſſit, utrum verſus ſit vulgo jactatus, quem ut omnibus notiſſimum citra nomenclaturam retulerit Ethicorum 2. Ariſtoteles, an imprudentia exciderit verſus pentameter. Differens enim è ſententia Pythagoræ, errorem eſſe infinitum, virtutem finitam, quemadmodum in nemore mille modis aberratur à recta via, quum ea ſit unica: eoq; vitium eſſe in proclivi, virtutem in arduo, quemadmodum facile eſt à ſcopo aberrare, ſed ſcopum attingere difficile eſt: ſubjungit.

Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.

Id eſt:

Eſt ſimplex virtus, omnigenum vitium.

Eadem penſari trutina.

Eadem penſari trutina: id eſt, eadem lege. Horatius in Sermonibus:

—Hac lege in trutina ponetur eadem.

Idem in Epiſtolis:

—Romani penſantur eadem
Scriptores trutina.—

Convenit cum illa Jureconſultorum regula: Patere legem, quam ipſe tuleris. Sine ut eo pacto tecū agatur, quo tu cum aliis egeris. Perſius:

—Examenq; improbum in illa
Caſtiges trutina—

Huic ſimillimum, Ad eandem exigere regulam ἴσῳ σταθμῷ id eſt, æquali trutina, ſive lance. Plutarc. ἀλλ' ἴσῳ σταθμῷ πᾶσιν ἡ κακία προσθεῖσα μόλυβδον ὥσπερ δικτύῳ κατέσπασε. id eſt, Sed æqua lance omnibus addita malitia ceu plumbum rete detraxit.

Rhamnuſius.

Ῥαμνούσιος, id eſt, Rhamnuſius. Eudemus in dictionibus rhetoricis admonet, id cognominis olim ceu proverbio additum ſapientibus ac moderatis viris. Nec explicat adagii rationem. Unde conjectare licet, vel ab ejus gentis moribus dictum, vel a dea Rhamnuſia, quæ modum in omni negocio docet adhibēdum, quemadmodum alias fuſius a nobis oſtenſum eſt.

Prienenſis juſticia.

Πριηνία δίκη, id eſt, Prienenſis juſticia. Suidas oſtendit convenire, cum ſignificamus, aliquem in judicando primum excellere. A Biante Prienenſi ſumptum: cujus integritas in judicandis agendiſq; cauſis in proverbium abiit, ut dicatur, δικάζων Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρείττων, id eſt, in judicando præſtantior Biante Prienenſi. Citatur ex Hipponacte jambographo, à Strabone libro geographias 14. & in vita Biantis à Diogene Laertio, etiam Demodici Lerii trochaicus:

Ἢν τύχῃς κρίνων, δίκαζε τὴν Πριηνίην δίκην.

Id eſt:

Si quam agas cauſam, Prienes fac uti tum more agas.

Hipponactis Scazon ſic habet:

Καὶ δικάζεσθαι Βίαντος τοῦ Πριηνέως κρέσσον.

Id eſt:

Si qua judicas, Biantem fac Prieneum vincas.

Rectam ingredi viam.

Τὴν ὀρθὴν βαδίζειν ὁδὸν, i. Rectam ambulare viā, dicitur, qui nuſquam deflectit ab honeſto. Ariſtid. in Pericle: ὥστε βαδίζειν τεταγμένα καὶ τὴν ὀρθὴν ὁδὸν σώζεσθαι κατὰ τὴν παροιμίαν id eſt, Ut ordine incedatur, & recta ſervetur via, juxta proverbium. Philon de humanitate. ὁδὸν γὰρ τὴν λεωφόρον ἄγουσαν ἐφ' ἰσότητα ἐδίδαξεν, i.e. Viam enim publicam, quæ ad æquitatem duceret, didicerat hanc. Plautus in Caſina: Nunc ego pol in rectam redii ſemitam. Item paulo poſt: Scicus de via in ſemitam regredere. Jubet autem ancilla, ut qui imprudens verum effutiverat, redeat ad ſimulationem quam inſtituerat.

Dum clavum rectum teneam.

Dum clavum rectum teneam: id eſt, dum meo fungar officio. Significat autem, non imputandum eventum parum proſperum artifici, modo is præſtiterit quod artis eſt. Quintilianus libro ſecundo, Inſtitutionum, proverbiale ſuiſſe demonſtrat. Nam & gubernator, inquiens, vult ſalva nave in portum pervenire: ſi tamen tempeſtate fuerit abreptus, non ideo minus erit gubernator, dicetq; notum illud:

Dum clavum rectum teneam.

Videtur hemiſtichium è poëta quopiam ſumptum. Nonnulli citant ex Ennio:

Dum clavum rectum teneam, navimq; gubernem.

Huc alluſit M. Tullius libr. Epiſt famil. 12. Una navis eſt jam bonorum omnium, quam quidem nos damus operam ut rectam teneamus: utinam proſpero curſu. Sed quicunque venti erunt, ars noſtra certe non aberit. Itidem Pindarus Pythiorum hymno primo, νώμα δικαίῳ πηδαλίῳ στρατόν. id eſt, Guberna juſto clavo exercitum.

Ad amuſſim applica lapidem, non ad lapidem amuſſim.

Plutarchus in commentatiolo, cui titulus, Quo pacto quis intelligere poſſit ſe profeciſſe, trochaicum hunc proverbialem refert:

Πρὸς σταθμὴν πέτρον τίθεσθαι, μὴ τὸ σταθμὴν πρὸς πέτρον.

Id eſt:

Lapis amuſſi eſt applicandus, non amuſſis ad petram.

Admonet, vitam ad leges eſſe corrigendam, non contra leges ad mores noſtros trahendas eſſe: ut id faciamus quod honeſtum ſit: non id rectum exiſtimemus, quod faciamus. De Lesbia regula retulimus alibi.

Nemo moveto lineam.

Μὴ κίνει γραμμήν, id eſt, Ne move lineam. Pindaricorum hymnorum enarrator exponens eum locum. ἔστασε δ' ἐν γραμμᾷ ... ὅστις ... ἀνδρα, ποτὶ γραμμᾷ μὲν αὐτὰν στᾶσε (loquitur autem de Antæo, qui juvenibus deſponſam filiam extrema ſtatuerit linea, ut qui primus ad eam curſu perveniſſet, is uxorem adduceret domum:) recenſet hujuſmodi proverbium. μὴ κίνει γραμμήν: i.e. Ne moveris lineam. Idq; tranſlatum exiſtimat à more veterum, qui metam ducta linea ſignabant, in qua præmium propoſitum erat quod auferret victor. Ducebatur autem & altera linea pro carceribus, quemadmodum alibi diximus: unde curſus erat initium. Igitur utraq; linea proverbii miniſtravit occaſionem. ἀπὸ γραμμῆς, id eſt, ab ipſo initio, & μὴ κίνει γραμμήν, i.e. Ne moveas metam. Significat autem, non eſſe mutandas leges, neq; prætereundos fines rerum præſcriptos. Huc peculiarius pertinet Theocriticum illud ἐν βουκολιασταῖς.

Καὶ τὸν ἀπὸ γραμμῆς κινεῖ λίθον.

id eſt:

Atque à lineola lapidem movet.—

Alludit ad flumen Galatheæ, ſaxum aliquod ab extrema ripa ſecum auferens. Eſt & ſacra linea in teſſerarum luſu de qua dictum eſt alias.

Ex æquo partire.

Ἐξ ἴσου δίδου πᾶσιν, id eſt. Ex æquo da omnibus. Tranſlatum ab iis, qui convivium aut hæreditatem partiuntur. Quadrabit in judicem, aut principem, quem oportet æquabile jus reddere.

Æqualitas haud parit bellum.

Ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ, id eſt, Æqualitas bellum haud parit. Æqualitate continetur concordia. Inæqualitas diſcordiarum eſt mater. Eſt Solonis apophthegma, quemadmodum ſcribit Plutarchus in hujus vita, admonens dictum hoc fuiſſe vulgo celebre, τὸ ἴσον πόλεμον οὐ ποιεῖ.

Quæ non poſuiſti, ne tollas.

Ἃ μὴ κατέθου, μὴ ἀνέλῃ. id eſt, Quæ non depoſuiſti, ne ſuſtollas. Citatur a Platone libro De legibus 11 tanquam ex poëta quopiam. Laertius refert inter Solonis leges: ſentiens opinor de termi-

nis agrorum non movendis, quos majores fixiſſent. Convenit in furaces, & in eos qui repetunt quod non crediderunt: item qui ſibi poſtulant acceptum ferri, quod non præſtiterunt.

A ſacris abſtinenda manus.

Vulgo quoq; creditum eſt, fatum inſtare ei, qui ſacris rebus, ac Deo dicatis manus injecerit, aut qui pios homines, aut certe ſungentes ſacris miniſteriis oppugnarit: veluti pontificem Romanum, epiſcopos, abbates, etiamſi parum fuerint piis moribus. Id propemodum jam olim dictum eſt ab Homero Iliad. ρ.

Ὁππότ' ἀνὴρ ἐθέλῃ πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
Ὅν κε θεὸς τιμᾷ, τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη.
Id eſt:
Cum divo certare viro ſimulatq; cupit quis,
Cuiq; Deus bene vult, malum huic brevi imminet ingens.

Nemo quenquam ire prohibet publica via.

Proverbii ſpeciem habet & illud Plautinum ex Curculione: Nemo ire quenquam prohibet publica via. Quo ſignificant, rerum communium æqualem omnibus uſum eſſe: neq; cuiquam vertendum vitio, quod jus publicum concedit. Plautus ad ſenſum turpiculum deflexit, nempe ad uſum ſcorti publicitus proſtantis. Videtur autem effictum ad imitationem Pythagorici ſymboli jubentis τὰς λεωφόρους βαδίζειν, id eſt, Publicam ingredi viam: aut contra, τὰς λεωφόρους μὴ βαδίζειν. Quo quidem mihi reſpexiſſe videtur Flaccus in Arte poëtica, quum ait:

Publica materies privati juris erit, ſi
Nec circa vilem patulumq; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere.——

Zaleuci lex.

Ζαλεύκου νόμος, id eſt, Zaleuci lex. De edicto mandatoq; plus ſatis rigido, parumq; humano dicebatur. Zaleucus quidam Locrenſibus iis, qui vocantur Epizephyrii, leges tulit acerbiores: quales feruntur & Draconis fuiſſe leges apud Athenienſes, vere Draconis ut ille dixit, non hominis. Non diſſimile illis, Manliana imperia: &, Phalaridis imperium. Meminit hiſtoriæ Valerius Max. lib. 6. cap. 5. Etenim quum filius Zaleuci ſecundum jus ab eo conſtitutum ob crimen adulterii utroq; oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris pœnam adoleſcenti remitteret, repugnavit aliquandiu: poſtremo populi victus precibus ſuo prius, deinde filii oculo eruto, ſalva lege, ſupplicii modum temperavit.

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Non tam ovum ovo ſimile, quam illud proverbii ſpeciem præ ſe fert, quod eſt apud Juvenalem:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Pœna legum exercetur in humiles quoſpiam, & à quibus ob ingenii manſuetudinem aliquid emolumenti poteſt auferri. Rapacibus ignoſcitur. Sumptum eſt ab apophthegmate Anacharſidis, qui hoc dicto eluſit ſtudium Solonis in conſcribendis legibus, quemadmodum refert Plutarchus in vita Solonis: τοὺς νόμους τοῖς ἀραχνίοις ὁμοίους ἔφασκε· καὶ γὰρ ἐκεῖνα ἐὰν μὲν ἐμπέσῃ τι κοῦφον καὶ ἀσθενὲς στέγειν· ἐὰν δὲ μεῖζον, διαρρῆξαν οἴχεσθαι: id eſt, Leges aranearum telis adſimiles dicebat, propterea quod illas ſi quid levius, aut imbecillum incurrerit hæreſin majus aliquid, diſſecat ac fugit. Ad eandem pertinet ſententiam, quod in Phormione ait Terentius:

Quia non rete accipitri tenditur, neq; milvio,
Qui male faciunt nobis: illis qui nihil faciunt, tenditur.
Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.

Urbanus nihil æqui cogitat.

Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον οὐδ' ἀστεῖος ὤν.
Id eſt:
Urbanus æqui nil, bonive cogitat.

Admonet, ruſticam vitam innocentiorem eſſe, ut quæ ſola cum ſolis habeat commercia terris. Contra, qui degunt in urbibus, propter contagia negociorum & hominum, aſtutiores evadere: unde & aſtuti, παρὰ τὸ ἄστυ dicti putantur. Poteſt & huc accommodari parœmia, quod eximiæ morum civilitati & urbanæ blandiloquentiæ fere comes eſſe ſolet aſtutia. Contra qui moribus ſunt ſubagreſtibus, iis plerunq; eſt fides certior, animuſque ſincerior. Verſus eſt ſenarius, ſed depravatus. Et Terentianus Demea ait, In aſtu aliud ex alio venire malum.

Quod aliis vitio vertas, ipſe ne feceris.

Quod damnaturus ſis in aliis, in te ne admiſeris. Ad id facit illud Iliados ψ.

Καὶ δ' ἄλλῳ νεμεσᾶτον ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
Imo adeo ſi quiſquam alius patraret pararet
Tale aliquid, damnaretis, vitioq; daretis.

Omnia judicia abſolutoria eſſe.

Hoc dictum videtur proverbialiter poſſe contrahi, ut ſignificemus, pœnitenti eſſe parcendum, etiamſi res non ſit omnino integra. Nam ſi quis reus poſt litem conteſtatam obtulerit actori quod petiiſſet, eive ſatisfecerit, abſolvendum eſſe Juſtinianus ſanxit §. fin. Inſt. de perpet. & tempor. act. Quoniam vulgo ſoleat dici, omnia judicia abſolutoria eſſe. Plautus in Pſeud. videtur non abſimile quoddam dictum alio vertiſſe, apud quem ſunt hæc carmina:

Si fatere. PS δώσω, ἵνα αὐτὸ ἐμὲ νίκης
Si fatetur, dixit, Callipho dudum tibi.

Significant illa verba, judicetur, ut & idem abſolvatur. videturq; proverbiale eſſe carmen, de his qui ſecuri accuſationis judicium ſubeunt. Non abſimile illi quod etiamnum inter Græcanicas ſententias extat: κατήγορος ὢν μὴ κριτὴς ἔσῃ, niſi quod hoc potest ſimpliciter accipi, eundem accuſatorem & judicem eſſe non oportere. [Locus hic Plauti quem Gilbertus adducit, maculoſiſſimus eſt: Græca enim à ſciolis quibuſdam, ut in' ἀλλ' ἄγγελος ὄντα interjecta ſunt, eam ob cauſam Camerarius, vir noſtra ætate ut doctiſſimus, ſic & diligentiſſimus, lacunam reliquit addita nota: cum tamen de veſtigiis ſui veteris lib. eam ſic expleri poſſe annotet:

SI. Ita, quas meo gnato des, qui amicam liberet.
Fateri ἐὰν καὶ τοῦτο ναὶ PS. καὶ τοῦτο ναί.
CA. Fatetur. SI. dixin' Callipho dudum tibi.]

Publica privatis potiora.

Valerius Maximus lib. 5. cap. 1. Publica inſtituta privata pietate potiora ſunt, Ubi & Q. Fabii, ejuſq; ſibi ad hanc ſententiam ſpectans memorabile exemplum proponit. Idipſum & Eraſmus ex Plutarcho in apophthegm. Huc reſpicit Hermogenian[9] lib. Pandect. 36. tit. ad ſenatuſconſ. Trebell. cap. 14. cum inquit: Nam quod ad jus publicum attinet, non ſequitur jus poteſtatis, &c. Ulpianus lib. 26. Pandect. tit. de adminiſtr. &c. cap. 5. Et eſt vera iſta ſententia: Nemo enim jus publicum remittere poteſt hujuſmodi cautionibus, aut mutare formam antiquitus conſtitutam, &c. Unde & pupillorum cauſam communem omnium cauſam appellat Cicero, act. 3. in Verrem.

Rex Jupiter omnibus idem.

Hujus etiam hemiſtichii uſus frequens eſt, cum Deum ſua ſe æquitate exitum cujuſq; rei permiſſurum fatis, neutratumq; partium ſtudia ſecuturum denotamus.

Ad denarium ſive quadrantem ſolvere.

Ad denarium ſolvere dicunt proverbialiter Latini, pro plane omnia ſolvere. Quod Galli ita exprimunt: A un denier prés. Cui non diſſimile illud Chriſti, Matth. 5. ultimum quadrantem ſolvere ſeu reddere, ἔσχατον κοδράντην. Quod eſt, ſummo jure cogi à creditore, nihil vel de ſorte vel de uſura remittente. Fortunatus de extremo judicio:

Cogentur minimi quadrantem ſolvere nummi.
Prud. Ham.
——Cunctaq; exacturus ad uſq;
Quadrantem minimum.——
Sedul. 1.
Donec cuncta brevem reddamus ad uſq; quadrantem.

Juvencus lib. 1. ſententiam reddidit:

Ultima quam minimi reddatur portio nummi.

Eſt autem quadrans, pars aſſis quarta, numulus æneus, non magni precii. Galli vocant, quart: alii Liard. Quadrantarii dicebantur balneatores, quibus talis numus numerabatur: Quadrantariæ item mulieres meretrices quaſi viliſſimæ, ut Clytæmneſtra & Clodia, à Cæcilio poëta & Cicerone. Vide poſt, Quadrantaria.

Salva conſcientia.

Idem in prologo lib. 4. Naturalium quæſtionum: Nullum verbum mihi, quod non ſalva conſcientia procederet, excuſſum eſt. Admonet proverbium, ne nummis reverentiam violemus ullius rei gratia. Non diſſimile eſt hoc à magnis celebratum autoribus: Uſq; ad aras amicus.

Cedo quemvis arbitrum.

Ceſſit in proverbium hæc Juriſconſultorum uſitatiſſima & elegans locutio, qua ſignificamus: Alioqui per me licet ut judicem adeamus, & in arbitrum quem voles compromittamus, eorum quidem qui inter divos relati ſunt. Sic Terent. Poſtremo aut deſine, aut cedo quemvis arbitrum. Ac ſi diceret: Vincam quocunq; judice eorum, qui harum rerum conſultiſſimi fuerunt. Terentii proverbium Græce ſic dici poteſt, φέρε δή, ὃν ἂν βούλῃ, τοῦτον κριτὴν ἄγου. Id eſt, ὅν τιν' ἂν θέλῃς, τοῦτον ἔχω ἐπιτρέπω. Dicitur etiam: Fero tibi quemvis judicem, id eſt, hac de re cujuſcunque judicio acquieſcam. Cic. pro Roſcio Comœdo: Quem ego ſi ferrem judicem, refugere non deberet: cum teſtem producam

ducam reprehendere audebit. Livius in 8. ab urb. con. Provoco ad populum, eumq; tibi fugienti ſenatus judicium, judicem fero. Græce ἐφιέναι δίαιταν dicitur à Demoſthene & Galeno. Bud. Ruzeo: Cedo quemvis arbitrum eorum, qui conſultiſſime de jure gentium humanoq; reſponſitarunt. Apud Græcos: ἐπιτρέπω σοι δίαιταν, id eſt, Committo tibi arbitrium, ſumo te arbitrum. ἐπιτρέπομαι τὴν δίαιταν. Arbitrium accipio mihi commiſſum. Dicitur enim etiam, ἐπιτέτραμμαι ἐπιτροπήν. Lucian. [illegible] τὴν δίαιταν. Nec nos, bella Venus, noſtræ formæ metuimus: ne quidem ſi ad tuum Matrem hujus arbitrium cauſæ deferretur.

Suum ſervare.

Suum ſervare, Gallis eſt quod Græcis κομίζεσθαι τὰ ἑαυτοῦ δίκαιον, id eſt, auferre quod ſuum ſit: quod nihil deperdere eſt. Verbum eſt etiam Juriſconſultis uſitatum. Budæus Ludovico Ruzeo: Quod ſi ſummo jure uti nunc inſtiteris, tuumq; (ut ita dicam) inuſitata tibi frugalitate ſervare, &c. Sunt qui ſic efferunt: Rem tuam cuſtodi, alienam dimittere noli. Qui ſua quærunt, etiam Corvi dicuntur in literis ſacris.

Alius ne feceris, quod tibi fieri non vis.

Hæc ſententia omnium ore teritur, & eſt quidem ſatis perſpicua. Greg. Theolog. lib. 2 Sentent.

Οἷα παρ᾽ ἄλλων μὴ παθεῖν ὅλως θέλεις,
Τοιαῦτα καὶ σὺ μηδὲ δρᾶν ἄλλον θέλε.

Id eſt:

Ab altero quod ferre nolis, aut pati,
Id ruſus alteri vide ne feceris.

Idem libro primo.

Τοιοῦτος ἴσθι τοῖς φίλοις, καὶ τοῖς πέλας,
Οἵους σεαυτῷ τοὺς τυχόντας ἤθελες.

Id eſt:

Talem te amicis exhibe, atq; proximis,
Quales eos ipſi tibi eſſe pervelis.

Hoc præceptum Chriſtus primus nobis tradidit, Matth. 7. & Luc. 6. Omnia, inquit, quæcunq; volueritis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis. Hæc enim eſt Lex & Prophetæ. Cornelius Vibulanus in titul. Inſtit. Imperialium de juſt & jure. Nullum eſt autem præceptum ſalutarius, quam illud à filio Dei ac Deo ipſo nobis traditum, quo hæc tria juris præcepta continentur: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Sic Scævola de adminiſt. & periculo tut. &c. Reſpondi, inquit, eum tutorem, qui cæteros ad portionem vocaret, eadem parte contentum eſſe debere. Hinc, Aliis quæ feceris, tibi facienda ſunt, ſimiliter dicitur. Cicero 2. Tuſcul. ex antiquo poëta, ſed non adſcripto ejus nomine:

—Qui alteri exitium parat,
Eum icire oportet ſibi paratam peſtem, ut participet
parem.

Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Scriptum eſt 1. ad Corinth. 6. Hebr. 13. Neq; fures, neq; avari, neq; raptores, regni Dei hæreditatem accipient. Nam hos judicabit Dominus: niſi ſerio agant pœnitentiam & reſtituant ablatum, pie ſcribit Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium: Si res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſſit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Recto contendere curſu.

Κατὰ εὐθεῖαν, κατ᾽ εὐθυωρίαν, non per ambages, mæandros, & flexiones ſive diverticula. Lucretius in principio lib 6.

Qua poſſemus ad id recto contendere curſu,
Vide apud Eraſmum, Rectam incedere viam.

Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Utinam omnes quod in omnium ore eſt hodie, & jam pridem ſacris literis præceptum eſt, nempe Matth. 7. & Luc. 6 in quo lex & prophetæ, obſervarent: ſiquidem ſatis hoc eſſe ad vitæ rationes poſſit. Citatur in gloſſ. Inſtitutionum Imperialium de juſtit. & jure § juris præcepta, ad iſtud, alterum non lædere. & ff eod. l juſtitia. & in Decretis, in princip. ff quod quiſq; juris. in princip. Nõ huic diſſimile hoc quod habetur ff. quod quiſq; juris ſtatuerit in alterum, ipſe eodem uti debet. & iſtud, Patere legem, quam ipſe tuliſti. Habetur in Sylloge noſtra Lactantius cap. 52. libri acephali epitomes: Vide ut ne facias ulli, quod pati nolis, ſed alterius animum de tuo metieris. Si acerbum eſt, injuriam ferre, & qui eam fecerit, videtur injuſtus: transfer in alterius perſonam, quod in te ſentis, & in eum, quod de altero judicas; & intelliges tam te injuſte facere, ſi alteri noceas, quam alterũ, ſi tibi. Hæc ſi mente volvemus, innocentiam tenebimus, in qua juſtitia, velut in primo gradu conſiſtit. Primus eſt enim, non nocere proximo, ſed officioſe prodeſſe, &c. Idem libro ſexto Divinarum Inſtitutionum adverſus Gentes. de vero Dei cultu, ubi de matrimonio, pudicitia & adulterio: Servanda fides ab utroq; alteri eſt, imo exemplo continentiæ docenda uxor, ut ſe caſte gerat. Iniquum eſt enim, ut id exigas quod ipſe præſtare non poſſis, &c. Hactenus Lactantius. Ælius Lampridius in Alexandro Severo: Si quis de via, in alicujus poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci, aut fuſtibus ſubjiciebatur in conſpectu ejus, aut virgis, aut condemnationi, aut ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, graviſſimis contumeliis: cum diceret: Viſne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabatq; ſæpius, quod à Chriſtianis audierat, & tenebat, idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris: Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus præſcribi juberet.

Ad regulam & libellam facta.

Quæ exacta & perfecta ſunt, ad regulam & libellam facta dicimus. tranſlatione ſumpta ab operibus, quæ ad regulam ac libellam, ad amuſſim ac perpendiculum fiunt & exiguntur. Hinc Catullus de Cœlio & Quinctio:

—Nam tua nobis
Perfecta exigitur una amicitia.

Amicitiam Cœlii perfectam ac ſanctam ſignificat. Plinius lib. 36. cap. 25. Deinde ſpiſſa calcatis carbonibus inducitur ſabulo calce ac favilla mixtus. Materia craſſitudine ſemipedali ad regulam & libellam exigitur. Indidem tranſlatum videri poſſit & Ovidianum illud in 5. Faſtor.

Non habet exactum, quod agat.—

Plinius junior: Pari libra, id eſt, æquabili judicio, & pari cenſura. Vitruvius. Ad regulam reſpondere: pro, quadrate exacte. Gell. lib. 20. cap. 1. In librili perpendere, & ad amuſſim æquiparare, ad æquilibrium. id eſt, æqui menſuram, æqualitatem, perpendiculum, & regulam. Hinc æqualitas, libra, ratione æquandi: de eo, quod ad amuſſim, ſive amuſſate, & inculpate compoſitum eſt. Cicero ad perpendiculum dixit, Varro: Campus ad libellam æquus. id eſt, omni ex parte planus. Plinius, ad libellam exigere, dixit. His addenda, Trutina penſare: & alia, quæ etiam ad animum transferuntur. Vide in Sylloge lapides ad filum.

Digna ferat.

Catullus de coma Berenices:

Digna ferat.—

id eſt, par ſupplicium ſceleri.

IUVENTA.

ERASMI. *Iuventa viribus pollet.*

Ad vires plurimum momenti adfert ætas juventa. Ad id facit illud ex eodem loco de Ænea:

Καὶ δ᾽ ἔχει ἥβης ἄνθος, ὅ τε κράτος ἐστὶ μέγιστον.

Id eſt:

Flos quoq; adeſt ævi, cujus tunc maxima vis eſt.

Iuvenari.

Juvenari dixit Horatius, tum nove, tum proverbialiter, in Arte poetica. Græci item νεάζειν, νεανίζειν, νεανιεύειν, conſimili modo uſurpant: pro eo quod eſt, juvenum more jactantius, inconſideratius, inconſultius agere, aut ſi quid aliud ei ætati peculiare videtur. Quod quo longius traducatur, hoc fuerit venuſtius, ut ſi quis orationem floridam phaleratamque dicat νεανίζειν. Ejuſdem eſt formæ γυναικίζειν pro geſtu cultuq; repræſentare mulierem. Ob inſcitiam rerum & impotentes affectus ætas illa magis eſt lubrica. unde & νεανικῶς factum dicunt Græci, quod majore impetu quam judicio geſtum eſt. Baſilius in epiſtola quadam: [illegible], ἡ παροιμία φησίν. id eſt, Et hinc nimirum qui nondum perfecti ſunt ſecundum interiorem hominem, nec adhuc ad perfectum ætatis modum pervenerunt, circumagi, ac fluctuare dicit proverbium. Reperitur & ἀκμάζειν, pro eo, quod eſt, juvenilia facere. Sic uſus eſt Hyperides, in oratione contra Mantitheum, & Lyſias adverſus Nicarchum tibicinem. Laberius, citante Nonio, pro eodem dixit adoleſcenturire: Incipio adoleſcenturire, & neſcio quid nugarum facere.

Turnebi, Mureti & aliorum. Novior Leberide.

Καινότερος, & γυμνότερος λεβηρίδος. Junior Leberide. exuunt enim ſingulis annis ſerpentes exuvia ſua & quaſi innovantur. Ita rurſum id, quod eſt apud Eraſ. Nudior Leberide, proponit Hartungus decuria prima, cap. 1.

LACESSENTIS.

ERASMI. *Arietem emittit.*

[illegible], Arietem objicit. In rixæ pugnæq; cupidum dicebatur. Antiquitus enim bellum ſuſcepturi Fecialem mittebant, qui arietem adductum in hoſtium fines immitteret: hoc ſignificans pacto, civitatem & agros illorum hoſtibus compaſcuos fore. Autor Diogenianus.

Cominus atq; eminus.

Ad eandem formam pertinet ἐγχέσι καὶ πόρρωθεν, id eſt, Cominus atq; eminus. Tranſlatum & hoc à bello, in quo nunc conferti pugnant gladiis, nunc machinis procul tela in hoſtem torquent. Id ſi ad animi res transferatur, fiet venuſtius. Cum hominibus habenda pax, cæterum cum vitiis cominus atq; eminus pugnãdum. Qui cominus pugnant, σταδίαν μάχην dicuntur: qui haſtis, ἀκροβολισμόν μάχην dicuntur.

Ad pila ubi ventum.

M. Tullius in libello De re militari, ſi tamen non fallit titulus: Prima autem, inquit, & ſecunda acies, quæ quum ad pila, ut dicitur, ventum fuerit, totum ſuſtinet bellum. Pilum autem eſt genus haſtæ Romanæ brevius. Itaq; quum de propinquo res geritur, ad pila ventum dicitur. Videor mihi alicubi hoc adagium retuliſſe, ſed in præſentia locus non occurrit.

Non ut prior lædam, ſed ut injuriam retaliem.

Senarium hunc quidam ex Olynthia Menandri citant, quidam ex Therſita Chæremonis:

Ὡς οὐχ ὑπάρχων, ἀλλ' ἀμυνόμενος.

Id eſt:

Ut qui prior nolim malo laceſſere,
Sed jam datum malo retaliem malum.

Convenit cum illo Terentiano: Sic exiſtimet, reſponſum, non dictum eſſe.

Nunquam enim meos boves abegerunt, nec equos.

Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους.

Id eſt:

Non enim equos unquam mihi ſubduxere boveſve.

Proverbiali figura videtur olim uſurpatũ, pro eo quod eſt: Nunquam me læſerunt, aut affecerunt injuria, cum negamus nobis eſſe cauſam, cur illum aut illum odiſſe debeamus. Plutar. in commentario De vitanda uſura: καὶ ζῶντα μή με οἴεσθε λέγειν, πολλάκις ἐξ ἐλευθερίας τοὺς δανειστὰς οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν, οὐδὲ μὲν ἵππους. id eſt, Neq; vero me exiſtimetis hæc dicere, quod bellum mihi ſit cum uſurariis:

Nunquam etenim vel equos mihi ſubduxere, boveſve.

id eſt, Nunquam quicquam mei abſtulerunt. Id quo longius trahecetur à ſimplici ſermone, hoc magis erit proverbiale. Sumptũ eſt autem ex Iliados Homericæ lib. 1. ubi Achilles contendẽs cum Agamemnone, negat ſibi cauſam eſſe, quamobrem cum Trojanis bellum ſuſcipiat, niſi ut illi morem gerat:

Οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων ἕνεκ' ἤλυθον αἰχμητάων
Δεῦρο μαχησόμενος, ἐπεὶ οὔ τί μοι αἴτιοί εἰσιν.
Οὐ γὰρ πώποτ' ἐμὰς βοῦς ἤλασαν οὐδὲ μὲν ἵππους,
Οὐδέ ποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ
Καρπὸν ἐδηλήσαντο.——

Id eſt:

Haud ego Trojugenum huc acceſſi nomine, quo cum
His bellum gererem: neq; enim ſum læſus ab iſtis.
Nunquam etenim vel equos mihi ſubduxere boveſve:
Nec Phthies unquam ſegetumq; vitumq; feracis
Sunt populati agros.——

Ductum eſt autem ex antiqui ſeculi ritu, quo, cum vita mortalium adhuc eſſet paſtoralis, prima belli cauſa erant abacta pecora: quemadmodum eleganter indicat Homerus Iliad. 6. depingens Achillis clypeum:

Τοὶ δ' ὅτε δή ῥ' ἵκανον ὅθι σφίσιν εἶκε λοχῆσαι,
Αἶψ' ἔπειτα τὰ μὲν προϊδόντες ἐπέδραμον, ὦκα δ' ἔπειτα
Τάμνοντ' ἀμφὶ βοῶν ἀγέλας καὶ πώεα καλὰ
Ἀργεννέων ὀΐων, κτεῖνον δ' ἐπὶ μηλοβοτῆρας.

& reliqua quæ ſequuntur. Quos verſus ne quis omnino contemptos queratur, ita vertimus:

Dehinc procul his ſpeculatores populi unus & alter
Obſervant, ſi fors videant oviumve boumve.
Agmina at hæc confeſtim adſunt, quæ pone ſequuntur
Paſtores duo, demulcentes pectora cannis,
Ignari fraudis: contra illi ex compoſito, mox
Accurrunt, armenta boum, niveoſq; bidentum
Concidere greges, cæſis paſtoribus ipſis.

Omni conatu invadere.

Si quem ſignificabimus totis viribus tendere in quempiam oppugnandum, conveniet illud ex Iliad. 5.

Αἰνείας δ' ἀπόρουσε σὺν ἀσπίδι δουρί τε μακρῷ.

Id eſt:

Obvius Æneas, clypeoq; inſurgit & haſta.

Pugnis & calcibus.

Πὺξ καὶ λὰξ, i. Pugnis & calcibus. Proverbiali figura dictum reperitur, pro eo quod eſt, omni contumeliæ genere, totiſq; viribˀ. Syneſiˀ in epiſtola quadam ad fratrem: ὁ δὲ πὺξ οὐ τενεῖ, οὐ δὲ λὰξ ἐπεμβήσεται ὑπὲρ τὸν κρείττονα. i. Neq; pugnos impinget, neq; calcib. impetet quempiam meliorem. Ariſtophanes in Pace:

Παίειν, ὀρύττειν, πὺξ, λὰξ, καὶ τῷ πέει.

Id eſt:

Ferire, fodere, pugno, itemq; & mentula.

Quo loco interpres admonet proverbii, πὺξ ὁμοῦ καὶ τῷ σκέλει. Id eſt, Pugno ſimul & tibia. Nam comicus riſus cauſa, pro tibia mentulam numerat. M. Tullius in oratione pro Sylla dicit, quendam non ſolum verbis uti improbiſſimis ſolitum, verumetiam pugnis & calcibus.

Irritare crabrones.

Τὰς σφῆκας ἐρεθίζειν, id eſt, Irritare crabrones. Ad hanc ſententiam referendum eſt & illud, quod eſt apud Plautum in Amphit. Irritabis crabrones. Id dictum eſt à poeta in mulierum ingenium, quibus iratis ſi repugnes, magis provoces, neq; ſine tuo malo diſcedas. Eſt autem crabro inſecti genus, affine veſpis, pertinaciſſimum, aculeoq; peſtilentiſſimo. Siquidem refert Plinius Naturalis hiſt. lib. 11. cap. 21. crabronum ictus haud temere ſine febri eſſe. Additq; traditum à quibuſdam, ter novenis hujus animantis punctibus interfici hominem. Ariſtot. lib. De partibus animalium 9. præter alia quæ de crabronibus commemorat, illud quoq; tradit, cum in apum genere quædam aculeis careant, ut fuci, & reges, veſpæ quoq; nonnullæ ſine aculeis inveniantur, nulli crabrones reperiuntur non armati aculeo. Quanquam de duce, num aculeatus ſit, nonnihil addubitat. Utitur hoc adagio D. Hieronymus in quadam epiſt. Eandem ſententiam ſic idem extulit Plautus mutata allegoria:

Bacchæ bacchanti ſi velis adverſarier,
Ex inſana inſaniorem facies: feret ſæpius.
Sin obſequaris, una te ſolvas plaga.

Nam mos erat, uti Bacchanalia celebrantes, obvios thyrſis ferirent. Ariſtoph. in Lyſiſtrata, nam hoc titulo inſcriptam comperit:

Ἢν μή τις ὥσπερ σφῆκας ἐρεθίζῃ μ' ἐμβαλών.

Id eſt:

Niſi ſi quis uti veſparum fraudet me, ſtimuletque.

Alluſit huc, opinor, qui ſcripſit epitaphium Archilochi poëtæ maledici:

Κρίμα δὲ παρεὶς μέλλεις οἶδ' ἐπιστὰς, μὴ ἀπὸ τοῦδε
Κινήσης τύμβου σφῆκας ἐφεζομένους.

Id eſt:

Ne fors crabones qui huic inſedere ſepulchro
Irrites, tacitum, carpe viator iter.

Xenoph. lib. 4. indicat unde natum ſit: nimirum ab his, qui ſtudent eximere veſpas ab antris ſuis: ὁρῶ δ' ἐγώ, ἔφη, καὶ τοὺς σφῆκας ἐξαιρεῖν βουλομένους, εἰ μὲν ἐκπετομένους θηρῷεν, ὑπὸ πολλῶν πάσχουσι κακῶς. id eſt, Et ego, inquit, video etiam eos quicunq; crabrones excipere volunt, ſi quidem evolantes conentur venari, à multis feriri crabronibus.

Refricare cicatricem.

Cum dolor temporum ſpacio jam mitior renovatur, Refricari cicatrix dicitur. Notum, unde ducta metaphora: nempe à corporali vulnere, quod jam coit cicatriceq; obductum. Quæ ſi fructu denuo aperiatur, recrudeſcit vulneris priſtini dolor. Cic. ad Att. Appii vulnera non refrico. Idem in Rullum. Neque refricare obductam reip. cicatricem videter. Item refricare dolorem dixit lib. De oratore ſecundo. Dicimus & Refricare memoriam, & Suffricare memoriam: pro eo quod eſt, leviter renovare: ſed in malam fere partem.

Tangere ulcus.

Κινεῖν ἕλκος τὸ πάθος, id eſt, Movere ſeu tangere hulcus, eſt renovare dolorem, ejuſq; rei facere mentionem, quæ nos magnopere urat. Terentius: Quid minus neceſſe fuit, quam hoc hulcus tangere? Quo loco Donatus admonet ſubeſſe proverbium. Octaviˀ Auguſtus, ut autor eſt Tranquillus, filiarum Juliarum & nepotis infamem vitam, morte ipſa gravius tulit: neceas aliter appellare conſuevit, quam treis vomicas, aut tria carcinomata ſua: nimirum quod eorum non ſine magno dolore ſui recordaretur. Hanc metaphoram M. Tullius oppido quam eleganter expreſſit in Clodium, qui populum fame jam exaſperatum, concionibus inſuper ſeditioſis in rabiem agebat. Ut tu, inquit, in hoc hulcere tanquam unguis extiteris. Plutarchus De adulatione: κινήσαντος δὲ λόγου καθάπερ ἕλκος. i. Arcani ſermonis cum moviſſet hulcus.

Ut lupus ovem.

Ὡς λύκος ἄρνα φιλεῖ, id eſt, Ut lupus ovem amat, qui ſui cõmodi gratia ſimulat amorem. Nam is vulgo dicitur amor, quum reverà ſit odium. Juvenis enim cum puellam venatur, ut illi pudicitiam, theſaurum incomparabilem eripiat, ut pro honeſta fama turpi rumore traducat, ut parentibus, amicis ac bonis omnibus inviſam reddat: deniq; ut quod eſt omnium chariſſimum, bonam mentem eripiat: quæſo quid deterius hoſtis faciat hoſti? Socrates citat carmen in Phædro, veluti populari uſu jactatum:

Ὡς λύκοι ἄρνα φιλοῦσ', ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασταί.

Id eſt:

Ut lupi oves, ita amat puerum veſanus amator.

Ma-

Maro:

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam,
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella.

Et Horatius:

Non ego te, tigris ut aſpera,
Getulúſve leo, frangere perſequor.

Ignem ne gladio fodito.

Πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν, id eſt, Ignem gladio ne fodito. hoc eſt, Ira percitum ne laceſſas quin magis concedere convenit, & blandis verbis tumidum animum placare. Ita D. Hieronymus, & apud Athenæum Demetrius Byzantius, Diogenes Laertius exponit, potentium & ferocium iracundiam non eſſe conviciis exagitandam: propterea quod flamma quo magis exagitatur, hoc magis atque magis invaleſcit. Neque diſſentit ab hoc interpretamento Plutarchus. Quanquam Plato lib. De legib. 6. ſic uſurpavit, ut de iis dici ſolitum videatur, qui fruſtra moliuntur, quod effici nullo pacto queat: oſtendéſque id luſus genus quoddam fuiſſe, ut ignem gladio diſſecarent. Ad eundem fermè ſenſum retulit D. Baſilius in Epiſtola ad nepotes, ut idem ſibi velint, Ignem gladio diſſecare: &, Cribro haurire aquam. Huc nimirum alluſit Lucianus in 2. Verarum narrat. libro, cum ex inſulis fortunatis dimitteretur, fingens ſe à Rhadamantho admonitum, ut ſi quando rediret in hūc noſtrum orbem, tria quædam obſervaret, μὴ πῦρ μαχαίρᾳ σκαλεύειν, μὴ θέρμους ἐσθίειν, μὴ παιδὶ ὑπὲρ τὰ ὀκτωκαίδεκα ἔτη πλησιάζειν: id eſt, Ne gladio ignem diverberaret, ne lupinis veſceretur, ne ſe puer decimum octavum annum egreſſo adjungeret. Siquidem horum meminiſſet, futurum ut aliquando ad eam inſulam reverteretur. Horatius hoc dicto videtur indicare crudelitatem cum inſania conjunctam. Amor enim per ſe furor eſt: qui ſi erumpat in pugnas ac cædes, ignis gladio perfoditur. Libro ſermonum 2. Satyr. 3.

—His adde cruorem
Atque ignem gladio ſcrutare.

Temulentus dormiens non eſt excitandus.

Proverbii ſpeciem habet, quod admonet Theognis, ſopitum ebrium non oportere excitari ſomno. Simillimum eſt autem illi, κακὸν εὖ κείμενον μὴ κινεῖν, id eſt, Malum bene conditum ne moveas. Non eſt refricādum odium, cui jam tempus induxit oblivionem. Non eſt removādum animi vulnus, cui jam obduci cicatrix cœpit. Theognidis carmen ſic habet.

Μηδ' εὕδοντ' ἐπέγειρε Σιμωνίδη, ὅντιν' ἂν ἡμῶν
Θωρηχθέντ' οἴνῳ μαλθακὸς ὕπνος ἕλῃ.

Id eſt:

Ne cuiquam è nobis ſomnum depelle Simonida,
Oppreſſum vino quem ſopor altus habet.

Thunniſſare.

Θυννίζειν, Græci transferunt pro ſtimulare pungereq́; vel quòd hic piſcis, quo ſit palato gratior, pungi ſoleat: vel quod ipſe piſcis adurat, pungatq́; contactu. Plin. lib. 9. c. 15. rem auditu novam memorat de thynno. Ait in mari animalculum eſſe perquam exiguum, aranei magnitudine, ſcorpionis effigie: id ſe delphino, & ei qui gladius vocatur, crebro delphini magnitudinem excedenti, ſub pinna affigit aculeo tantóq; infeſtat dolore, ut in naves ſæpenumero exiliant. Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 7. prodidit, thunnorum generi, quos Athenienſes thynnidas appellant, ſubter ventrem pinnam affixam eſſe, quæ vocetur athera. Addit piſci nomen inditum, παρὰ τὸ θύνειν, quod impetu feratur, præſertim cum œſtro cōcitus igitur, id quod illi accidit circa ſolſtitium æſtivum. Id eſt, animalculū in capite ſpecie ſcorpii, magnitudine drachmæ. Quo malo ſic exagitantur, ut ex aquis ſubſiliant, non minus alte quam delphini. Atq; hujus rei teſtem adducit Ariſtotelem. Lucianus in Jove Tragœdo: ἄπαγε, θυννῶδές τι ἐνεθυμήθης ὦ Πόσειδον, καὶ κομιδῇ παχύ: id eſt, Apage thunnicum enthymema Neptune, & ſupra modum pingue. Rurſum in eodem Dialogo ad idem verbum alludens: εἰ τ' ἄρα οὕτως ὑμῖν ἀποτεθύννισται, id eſt, Si mea vobis ita expuncta ſunt. Adagium recenſetur a Diogeniano.

IVNII. *A vipera morſum culpas.*

De eo qui alienæ calamitati inſultat, nondum expertus fortunæ ſævitiam, extulit illud Ariſtides in oratione modo citata: καί μοι δοκεῖς κατὰ τὴν παροιμίαν, τὸ τῆς ἐχίδνης δῆγμα αἰτιᾶσθαι, μηδεπώποτ' αὐτὸς δηχθείς: id eſt, Videris mihi viperæ dentibus ſaucium culpare, ipſe ſaucius antea nunquam, juxta proverbium. Adagii origo videtur ex Apologis ſumpta.

BRASSICANI. *Vnguis in hulcere, ulcus.*

Idem pro domo ſua ad Pontifices: Et tu in hoc hulcere tanquam unguis exiſtens. Unguem in hulcere vocat rem moleſtiſſ. quæ cum magno dolore vix ferri poſſit. Non diſſimili proverbio Plato vocat hulcus, rem moleſtiis infinitis plenam, & quæ ſemper aliquid habeat de quo poſſis queri, ſic dicens in Axiocho. ἀλλ' ἡ γεωργία γλυκύ; δῆλον. ἀλλ' οὐχ ὅλον, ὥς φασιν, ἕλκος, ἀεὶ λύπης πρόφασιν εὑρισκόμενον: id eſt, Verum dulcis eſt agricultura. eſt ſane: nonne tota tamen quod ajunt ulcus eſt, ſemper paratam doloris habens cauſam? ita Sophocles in Antigone: γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ φίλος κακός.

COGNATI. Τραγῳδεῖν.

Videtur τραγῳδεῖν id ſignificare apud Demoſthenem in oratione pro Cteſiphonte, quod Cic. pro Milone tragœdias excitare, ſive res tractare turbidas dixit: Nunc ejuſdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat, valeat, materiam præbet ad invidiam Miloni faciendam. Quin hoc ipſum, ſi alio quopiam deflectatur, proverbium reſipit, vel etiam pro tumultum movere, ſive rixas, &c. Hinc tragicus, ampullentus & tumidus dicitur Senecæ, in ludo de morte Claudii Cæſ. Et quo terribilior eſſet, tragicus fit. Hoc etiam Galli in vernaculo ſermone conſervant. Apollo Pythius apud Ennium, referente Cicer. De oratore lib. 1. dicit ſe eſſe eum, unde ſibi ſi non populi & reges, at omnes ſui cives conſilium expetant:

Suarum rerum incerti, quos ego mea ope ex
Incertis certos, compoteſq; conſilii
Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

Κονδυλίζειν.

Apud eundem Demoſth. κονδυλίζειν proverbialiter accipitur: & ſignificat, quovis modo cōtendere, omniq; contumeliæ genere. Lucian. οὓς κατηγορῆσαι ἔδει διακονδυλίζειν. Vide apud Eraſ. Pugnis & calcibus. Cic. in Parador. Quoniam verbis contēdimus inter nos, nō pugnis. Hoc locutionis genere uſus eſt Eſa. 58. Ecce ad lites & contentiones jejunatis & percutitis pugno impie. Percutere autem pugno, ponitur pro omni injuria & violentia, aut immani tractatione: qua utuntur creditores, & delatores ſibi adjudicatos. Exod. 21. Si rixati fuerint viri & percuſſerit quis proximum lapide aut pugno, id eſt, eminus vel cominus.

LÆTITIA, TRISTITIA.

ERASMI. *Irriſibilis lapis.*

Ἀγέλαστος πέτρα, id eſt, Irriſibile ſaxum. De re vehementer acerba triſtiq;. Oſtendebatur olim ſaxum quoddam in Attica, in quo ferebatur cōſediſſe Ceres, cum relicto cœlo, ſuccēſis facibus Proſerpinam à Plutone raptam quæreret. Porro cum Eleuſinem perveniſſet, ibi triſtis in ſaxo quodam inſedit, quod ob eam ipſam cauſam, ἀγέλαστον appellabant. Autor Zenodotus. Quadrabit in ſeveros ac tetricos, quoſq; vocāt ἀγελάστους: quorum in numero Socratem ponit Plinius. Periclem Ariſtides. Neq; perperam accommodabitur ad rem magnopere moleſtam.

Sinapi victitare.

Triſtes ac ſupra modum tetrici, ſinapi victitare dicuntur: quod hodieque vulgo tritum eſt. Plaut. in Truc.

Si hic aſtor hic homo Sinapi victitet,
Non cenſeam tam triſtem eſſe poſſe.

Ariſtophanes in Equitibus, conſimili figura dixit.

Κἄβλεψε νᾶπυ, καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασεν.

Id eſt:

Torvum tuens, ut qui ſinapi victitant,
Frontem ſeveram contrahebat.

Interpres Ariſtophanis admonet, napy ſemen eſſe, unde fiat ſinapi. Hujus vis eſt, ciere lachrymas, eoq; Ennius apud Macrobium triſte vocat:

Nec triſte quæritat ſinapi, neque mœſtum cepe.

De cepis alias nobis eſt dictum.

Animus habitat in auribus.

Veteres animo ſedem in oculis dedere, pleriq; in corde. At Herodotus in Polymnia, juxta vulgi ſermonem, ut videtur, docet animum habitare in auribus: quod qui bene audiunt, voluptate afficiantur, qui ſecus, exacerbentur. Herodoti verba ſubſcribam: εὖ νῦν τόδε ἐξεπίστασο, ὡς ἐν τοῖσι ὠσὶ τῶν ἀνθρώπων οἰκέει ὁ θυμός, ὃς χρηστὰ μὲν ἀκούσας τέρψιος ἐμπιπλέει τὸ σῶμα, ὑπεναντία δὲ τούτοισι ἀκούσας ἀνοιδέει. i. e. Et nūc illud ſane diſcito, quod in auribus hominū habitet animus: qui quum bona audierit, voluptate corp' implet: quum his diverſa moleſtia afficit. Opinor hunc eſſe ſenſum adagii, quod ex his quæ audimus, maxime placatur aut irritatur animus. Nam hac potiſſimum iter eſt ad animum hominis. Comiter ac blande dictum, ſæpe atroces iras vertit in benevolentiam, & aſperior ſermo provocat capitales inimicitias. Quin & convicio quidam jugulantur, non aliter quam ferro aut veneno. Proinde peſtilentiſſimum homicidarum genus eſt, quod hoc ſeculo potiſſimum regnat, qui venenum aſpidum portant in lingua, & qui idem peragunt lingua, quod ſicarii ferro.

Harmodii cantilena.

Ἁρμοδίου μέλος, id eſt, Harmodii cantio. De lugubrib. ac triſtib. dicebatur. Simillimum illi id eſt, Admeti mélos. Ariſtophan. cum aliis aliquot locis, tum in fabula, cui titulus Ἀχαρνῆς.

Οὐδὲ παρ' ἐμοί ποτε τὸν Ἁρμόδιον ᾄσεται.

Id eſt:

Nec unquam apud me carmen Harmodium canet.

Interpres indicat, cantilenæ genus fuiſſe, quod in compitis cani conſueverit in Harmodium & Ariſtogitonem, quod hi Piſiſtratidarum tyrannidem ſuſtuliſſent. Ejus carminis hoc erat initium: φίλταθ' Ἁρμόδιε, οὔ τί που τέθνηκας. id eſt, Chariſſime Harmodi, haudquaquam mortuus es. Refertur à Suida ac Diogeniano.

In antro Trophonii vaticinatus eſt.

Ἐν Τροφωνίου μεμάντευται, id eſt, In Trophonii antro vaticinatus eſt. De homine vehementer triſti, tetricoq; : propterea quod olim creditum eſt eum, qui in Trophonii ſpecum deſcendiſſet, poſtea nunquam ridere. Ariſtophanis in Nubibus :

—*Ὡς δέδοικ' ἐγώ,*
Ἔσω καταβαίνων ὥσπερ εἰς Τροφωνίου.
Id eſt :
—Ut videlicet horrui,
Haud aliter, ac ſubiens ſpecum Trophonii.

Porro hiſtoria de Trophonio varie narratur a Græcis. Quidam ajunt hunc Trophonium in ſecandis ſaxis ſummum artificem fuiſſe, fanumq; ſubterraneum extruxiſſe in Lebadia Bœotiæ regione: quod Trophonii vulgo cognominatum eſt, nimirum ab artifice. Dein ſciſcitaturos oracula, in aditu ſpecus ſedere ſolitos, nudos: atque inde flatu quodam abripi ſub terram. Geſtare autem ſecum placentas quaſdam, quas lemuribus & ſerpentibus occurrentibus objicerent. Deinde percepto oraculo, rurſus per alium hiatum in ſummam terram reſtitui. Alii narrant hoc pacto. Agamedes Stymphali, quæ eſt Arcadiæ pars, rex erat: is uxorem duxit Epicaſten, cujus filius erat Trophonius. Ii ejus tempeſtatis mortales omneis artificio ſuperabant. Delphicũ templũ extruendum receperant, atq; in Helide ærarium quoddam cõdiderant Augeæ, ubi aurum ſuum reconderet: qui poſtea ſoluta lapidis cujuſdam commiſſura, quam in hoc ipſum reliquerant, noctu ingreſſi, pecuniam furari conſuevẽrũt, ſocio Gercyone Agamedis germano, atque Epicaſte filio. Quæ res cum vehementer perplexum haberet Augeam, forte fortuna accidit, ut Dædalus Minoem fugiens ad eum diverteret. Hunc exoravit Augeas, ut arte quapiam fures hos inveſtigaret. At Dædalus laqueos quoſdam ſummo artificio conſtituit, quibus Agamedes captus eſt. Id conſpiciens Trophonius, non eſſe effugium, capite Agamedis amputato, ne poſſet agnoſci quis eſſet, una cum Gercyone Orchomenon aufugit. Hos cum Augeas, authore Dædalo perſequeretur & illic, aufugerunt; alter, nempe Gercyon, Athenas (ut teſtatur Callimachus) in Arcadiam: alter vero in Lebadiam Bœotiæ regionem. Ubi parato ſibi domicilio ſubterraneo, per omnem vitam perſeverabat. Quo defuncto, vulgo creditum eſt, illic certa reddi oracula: ac Trophonio, perinde ut deo, ſacrificari cœptum. Quidam ajunt Agamedem & Trophonium, Dædali opera ſuffuratos aufugiſſe, & Trophonio, fugienti terram hiatu diductam, vivumq; abſorbuiſſe circa Lebadiam. Aliquot poſt annis, cum Bœoti peſtilentia laborarent, conſultum oraculum reſpõdit, Trophonii manibus honorem habendum eſſe. At illi cum eſſent ignari, ubinam terrarum illius eſſet monumentum, apum indicio repererunt. Nam ubi eas conſpicerent, e cavo quodam ſubſcatentes conjectarunt eum eſſe locum. Quare viſum eſt aliquem in id antrum demittere, qui rem exploraret. Quidam igitur ingreſſus, duos dracones obvios habuit: quibus objectis offis mellitis, illæſus evaſit. Unde & mos inolevit, ut antrum Trophonii ſubituri placentas aliquot ſecum deferant. Priusquam autem ſubirent, certis diebus ceremoniis præſcriptis luſtrabantur, pure interim agentes: deinde ſtola ſacra ornati deſcendebant, haſtas manu geſtantes, ut ajunt nõnulli, quo vim ſerpentium depellerent. M. Tullius Tuſculanarum quæſtionum lib. 1. tradit Trophonium & Agamedem exædificato Apollini Delphico, venerãtes deum, laboris ſui mercedem petiiſſe, nihil quidem certi, ſed quod eſſet optimum homini: quibus Apollo ſe id daturũ, oſtendit, poſt diem ab illo tertium, qui ut illuxit, mortui ſunt reperti. Recentiores ita tradunt. Trophonium virum quempiam fuiſſe ſupra modum gloriæ famelicum. Empedocliq; ſimillimum extructoq; ſibi ſubterraneo domicilio oraculo reddidiſſet deinde ubi ille fame interiiſſet, genium quendam in id immigraſſe, atque oracula reddere perrexiſſe: poſt, ſuperſtitione mortalium pluteis in id antrum demiſiſſe ſe, ac dies complureis fuiſſe commoratos. Quæ quidem Trophonii fabula mihi adeo videtur ſimilis ei quæ de Patricii antro, quod eſt in Hibernia fertur, ut altera ex altera nata credi poſſit. Tametſi nõ deſunt etiam hodie permulti qui deſcendant: ſed prius triduano evecti jejunio, ne capite ſano ingrediantur. Qui deſcenderunt, ajunt ſibi ridendi libidinem in omni vita ademptam. Plutarchus in commentario De dæmonio Socratis narrat, Timarchum quendam in Trophonii ſpecũ ingreſſum, poſteaquam illinc rediiſſet, prodigioſa dictu narraſſe ſibi viſa, non abhorrentia ab iis, quæ Beda & alii nonnulli Chriſtiani ſcriptores de inferis prodiderunt. Meminit & Cicero lib. De natura deorum 3. hujus Trophonii. Meminit Herodotus in primo. Sed plurima de hoc nugamento nugatur apud Philoſtratum Apollonius, vir meo judicio dignus, qui non alia de re philoſophari debuerit. Ridet locis aliquot Trophonium hunc Lucianus, adamantinus omnium ſuperſtitionum inſectator: per cujus antrum & Menippus ſe jocatur ab inferis rediiſſe. Hujus antri mentionem facit Euripides in Ione:

Τί δ' ἆρα μ' ἐκ Τροφωνίου φέρεις; id eſt :
Quid ex Trophonii refers oraculum?

Item in eadem:

Σηκούς τ' ἐπεισῆλθεν Τροφωνίου. Id eſt :
Templa adiis Trophonii.

Quæ nos de Trophonii antro retulimus, partim ex Ariſtophanis interprete, partim ex Zenodoto ſumus mutuati.

Admeti nænia.

Ἀδμήτου μέλος, id eſt, Admeti nænia. De triſti lugubriq; cantione. Accommodari poterit ad orationem querulam ac miſerabilem. Accipitur enim cantilenæ genus, quod *σκόλιον* vocant: de quo multa Julius Pollux. Dictum eſt autem obliquium, vel a tibiarum figuris, vel quod in conviviis (quemadmodum modo diximus) obliquo ordine a lecto in lectum flectentes canẽdi vices. Quidam hujuſmodi cantiones faciles & illaboratas intelligunt: nimirum quales oportet eſſe, quæ inter pocula canuntur, & ex tẽpore. Verum de iis, deq; ſuperiore proverbio, qui volet copioſius edoceri, legat Ariſtophanis interpretem, in eo quem mox indicabim* loco. Adagium ad hujuſmodi fabulam referũt. Admetus rex fuit Pheræorũ, cujus armenta paviſſe fingitur Apollo mercede cõductus, cũ ex Olympo depulſus, humana ſpecie exularet apud mortales. Exilii cauſam hanc adferunt. Æſculapius Apollinis filius Chirone præceptore medicã artem perdidicerat: deinde ſanguine qui ex Gorgonis fluxerat venis, a Pallade accepto, per hũc plurimos reſtituit ſanitati. Porro ſanguine qui e ſiniſtris defluxerat venis, ad perniciem hominum utebatur: qui e dextris, ad ſalutem. Quin fabulis vulgatum eſt, illum etiam vita defunctos quoſdã in vitam revocaſſe. Quare ne pro deo haberetur apud mortales, cum id videretur præſtare quod deorum eſt proprium, Jupiter illum fulmine percuſſit. Ob id indignatus Apollo, Cyclopes qui Jovi fulmen illud fuerant fabricati, peremit. Quam rem indigne ferens Jupiter, Apollinem deſtinarat e cœlo ad inferos præcipitem dare: ſed Latonæ interventus precesq; mitiorem pœnam impetrarunt. Itaque cœlo interdictum eſt, juſſuſq; ſolum vertere, damnatus ut annum apud hominem mortalem mercede ſerviret. Igitur ad Admetum profectus Appollo, regis armenta (ſicuti dictum eſt) paſcebat. & ut erat artifex, effecit ut omnes vaccæ gemellos parerent. Cumque apud Admetum perquam humaniter eſſet habitus, ut patrono gratiam officii referret, a Parcis impetravit, ut cum in illarum fuſis Admeti fatalis dies volveretur, liceret hac lege mortem effugere: ſi quem alium repperiſſet, qui volens illius vice mortem oppetere vellet, ſuiq; capitis diſpendio illius vitam redimere. Ergo cum adeſſet dies ille fatalis, neque quiſquam inveniretur, qui mortis vicarius eſſe vellet, patre etiam ac matre recuſantibus, una Alceſtis uxor mariti vitam ſua cariorem habuit. Qua defuncta ſtridulæ quædam & lugubres næniæ decantabantur aſſidue apud Admetum: donec mota Proſerpina, remiſit Alceſtidem: aut (ut quidam dicunt) donec Hercules expugnato Orco, hanc ad ſuperos reduxit. Meminit *περὶ τῶν μέλους* etiam Euripides in Alceſtide:

—*Διπτὰ δ' ἦν μέλη κλύειν.*
Id eſt :
Ad cantiones duplices audire erat.

Notat etiam Ariſtophanes in Veſpis:

Ἄδει Κλέωνος λαβόμενος τῆς δεξιᾶς
Ἀδμήτου λόγον, ὦ ταῖρε, μαθὼν τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
Τοῦτον τί λέξεις σκόλιον
Id eſt :
Canit Cleonis apprehenſa dextra,
Verbum Admeti doctus, Amice diligito probos,
Huic quid obliquum loqueris?

Miſcet iambicis anapæſtica.

Interpres citat hos verſiculos ex fabula Ciconiis:

Ὁ μὲν ᾖδεν Ἀδμήτου λόγον πρὸς μυρρίνην,
Ὁ δ' αὐτὸν ἠνάγκαζεν Ἁρμοδίου μέλος.
Id eſt :
Atq; is quidem canebat Admeti modos
Ad myrtum, at alter adegit Harmodii melos
Ut caneret.———

Congerit & alia quædam non indigna cognitu, quæ licebit inde petere.

Argivos vides.

Ἀργείους ὁρᾷς, id eſt, Argivos vides, id eſt, ſtupentibus & attonitis oculis, Sumptum opinor ab Oreſte, furiis agitato. Heſychius nonnihil lucis aperit, admonens eos qui inter helotes eſſent alicujus authoritatis ac ſplendidi, ſolitos appellari Argivos, ſunt enim helotes in Peloponeſo: & Peloponeſi primaria civitas eſt Argos. Ambitionis igitur erat, quod Argivi quam helotas appellari maluerint. Non me fugit, apud Lacedæmonios helotas vocari ſervos quod ex gente ſubacta ſervos ſibi conſtituerint. Et fortaſſe ex his quibus heri magis fidebant, Argivi dici maluerunt, quam helotes. Similem affectum & hodie deprehendas in quibuſdam, qui nati in obſcuriſſimo pago, præclaræ cujuſpiam urbis cognomen aſciſcũt. Ariſtophanes in Pluto, *μανικὸν βλέπειν* dixit eodẽ ſenſu. Refertur à Suida proverbii nomine.

Arctum annulum ne geſtato.

Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον, id eſt, Arctum annulum ne geſtato, hoc eſt, interprete divo Hieronymo, Ne vixeris anxie: & ne temet in ſeri vitutem conjicias, aut in ejuſmodi vitæ inſtitutum, unde te non queas extricare. Si quidem quiſquis annulum anguſtum geſtat, is ſibi quodammodo vincula inicit.

Cor ne edito.

Μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν, id eſt, Cor ne edito, hoc eſt: Ne curis tuum ipſius animum excrucies. Ad hunc modum enarrat Demetrius By-

Byzantius apud Athenæum. Aut, Ne ſolicitudinibus vitam reddas breviorem. Ariſtotel. enim libro de partibus animalium 3. narrat, cor eſſe fontem omnium ſenſuum, vitæq; ac ſanguinis. Ariſtoph. in Nebulis:

Ὅμως δὲ θυμὸν δακὼν ἔφην,

Id eſt:

Animum tamen mordens meum, ſic inquam.

Item Theognis:

Καὶ δάκνομαι ψυχὴν, καὶ δίχα θυμὸν ἔχω.

Id eſt:

Et rodor mentem, ſumq; animi ambiguus.

Videtur ex Homero ſumptum, apud quem eſt Iliad ζ.

Ἤτοι ὁ κὰπ πεδίον τὸ ἀλήιον οἶος ἀλᾶτο,
Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Id eſt:

Solus at ille quidem vacuis errabat in agris,
Cor adedens, curis hominum veſtigia vitans.

Et Ω —Σὴν ἔδεαι κραδίην.

Id eſt:

—Tuum edis cor.

Item Odyſſeæ ι.

Ἔνθα δύω νύκτας, δύο τ' ἤματα συνεχὲς αἰεὶ
Κείμεθ' ὁμοῦ, καμάτῳ τε καὶ ἄλγεσι θυμὸν ἔδοντες.

Id eſt:

Hic ſoles noctesq; duas conſedimus, uſque
Rodentes animum curis ſimulatque labore.

Item Iliados α.

—Σὺ δ' ἔνδοθι θυμὸν ἀμύξεις,

Id eſt:

—Tu intus præcordia rodes.

Mutare veſtem.

Mutare veſtem præter uſum vulgarem, frequenter uſurpatur à M. Tullio, ut mutare veſtem dicantur, qui lugerent mortuum, aut eſſent rei. Nam rei quoq; pullati aut ſqualidi quondam incedebant, ſtultiſſimo more. Cur enim lugeant nondum damnati? &, ut ſæpe fit, innocentes? Quanquam & ſenatus mutata veſte dolorem ſuum aliquando teſtatus eſt. M. Tullius pro Sextio: Lex erat lata, vaſtato ac relicto foro & ſicariis ſervisq; tradito, & ea lex, quæ ne ferretur, ſenatus fuerat veſte mutata. In eadem: Erat igitur in luctu ſenatus, ſqualebat civitas publico conſilio, mutata veſte. Ac mox: Quum ſubito edicunt duo conſules, ut ad ſuum veſtitum Senatores redirent. Item mox: Neve hunc ſuum dolorem veſte mutata ſignificarent, ſive illa veſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſive ad deprecandum valebat. Idem Epiſt. ad Q. fratrem lib. 2. Cato legem tulit de imperio Lentuli abrogando. Veſtem filius mutavit. Rurſum, in eadem: Qui ne veſtitum quidem defendiſſent, &c. Veſtitum appellat, qui veſtem non mutarat. Proverbialius erit, ſi dicas: Hic caſus indignus eſt, ob quem quis veſtem mutet, hoc eſt, indignus eſt gravi luctu.

Ne ſi ad Iovis quidem aulam.

Qui metuunt malum, ad aſylum, ad aram, ad arcem, ad ſtatuas principis, ad divorum phana confugiunt. Verum à morte nullum eſt effugium. Id ita Sophocles expreſſit verſibus:

Ὅταν γὰρ ὁ καιρὸς θανάτου ἐλθὼν τύχῃ,
Οὐδ' ἂν πρὸς αὐλὴν Ζηνὸς ἐκφύγοι μολών.

Id eſt:

Ubi mortis urget tempus, ad Jovis atria,
Si fugeris, effugere non poſſis tamen.

Proverbii ſpecies eſt in illis verbis, vel ad Jovis quidem atrium: quod pro tutiſſimo poſuit refugio. Huc confugerat Aquila, inſectante Scarabeo.

Suſtollere manus.

Qui vehementer gaudent, quaſi res divinitus geratur ex animi ſententia, ſuſtollere manus dicuntur. M. Tullius Epiſt. lib. 7. Suſtulimus manus ego & Balbus. Tanta fuit opportunitas, ut illud neſcio quid non fortuitum, ſed divinum videretur. Idem in Academicis: Hortenſius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucilio loquente fecerat, ut etiam manus ſæpe tolleret. Horatius ſatyr. 5.

Importunus amat laudari, donec ohe jam
Ad cœlum manibus ſublatis dixerit, urge.

Canere de Telamone.

Ἄδειν τὸ Τελαμῶνος, id eſt, Canere cantionem Telamonis. De queruloſermone dictum proverbium, quod Telamon impotentius fleverit, Ajacem filium periſſe apud Trojam, præſertim hoc genere mortis. Euſtathius enarrans carmen illud Homericum, quod eſt in Catalogo navium.

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας:

commemorat hanc parœmiam, καὶ τὸ ᾄδειν Τελαμῶνος παροιμιακῶς λεχθὲν, ἀπὸ σκολιοῦ μέλους οὗ ἀρχὴ, παῖ Τελαμῶνος Αἶαν αἰχμητά. id eſt quod proverbio dicitur, canere cantionem Telamonis, ab obliquo cantu, cujus initium: Fili Telamonis Ajax belliger. Simillimum eſt illud, quod alibi retulimus, Ἀδμήτου μέλος καὶ Ἁρμοδίου μέλος, id eſt, Admeti cantilena, & Harmodii cantilena.

Lityerſam cantionem canis.

Λιτυέρσαν ᾠδὴν ᾄδεις, id eſt, Lityerſam cantionem canis. Lityerſes nothus erat Midæ regis. Hic cum ageret in Celænis, exceptos eos qui advenissent, compellabat ut ſecum meterent: deinde præſectis capitibus, reliquum corpus manipulis involvebat. Idem inſtituit, ut in honorem Midæ, theoricos, id eſt, æſtivus aut meſſorius hymnus caneretur. unde ductum proverbiū, ut qui non ex animo canerent, aut qui coacti canerent, hi Lityerſam cantionem canere dicerentur. Menander in Chalcedonio:

Ἄδοντα Λιτυέρσαν ἀπ' ἀρίστου τίνα.

Meminit hujus fabulæ Julius Pollux libro De rerum vocabulis 4. capite περὶ ᾀσμάτων ὀνομάτων. Sed hoc novat, Lityerſam loris cædere ſolitum, quos metendo viciſſet: ſed quum aliquando incidiſſet in meſſorem ſe robuſtiorem, ab eo trucidatum fuiſſe. Quoſdam autem authores eſſe, Herculis manu periiſſe. Proinde cantionem eam ad patris deſiderium leniendum fuiſſe repertam. Lityerſæ meminit & Theocritus.

Tragicum tueri.

Τραγῳδικὸν βλέπειν, i. e. Tragicum tueri. Non diſſimili figura dixit Ariſtophanes in Pluto πενίαν, id eſt, paupertatem deſcribens:

Βλέπει γέ τοι μανικόν τι καὶ τραγῳδικόν.

Id eſt:

Tragicum tuetur, ac furiale quippiam.

Quadrabit vel in faſtuoſos, vel in triſtes ac luctuoſos.

Tauricum tueri.

Βλέπειν ταυρηδὸν, id eſt, Tueri taurinc, pro eo quod eſt, torue. Ariſtophanes in Ranis:

Βλέψας οὖν ταυρηδὸν ἐγκύψας κάτω.

Id eſt:

Itaq; ore prono contuetur tauricum.

Plato demonſtrat hunc Socrati fuiſſe morem, taurinis oculis obtueri. Et Vergilius bovem torvam vocat:

—Optima torvæ
Forma bovis.—

Atrei oculi.

Ἀτρέως ὄμματα, id eſt, Atrei oculi. De torvo truculentoq; aſpectu dicebatur. His enim oculis in tragœdiis indicabatur. Atreus, qui Thyeſtæ fratri filios ipſius epulandos appoſuit, propter uxorem adulterio vitiatam.

Titanicus aſpectus.

Τιτανῶδες βλέπειν, id eſt, Titanicum tueri hoc eſt, vultu Titanico obtueri. Titanicum autem torvum vocant, ac tetricum, ac cujuſmodi fuiſſe feruntur veteres illi Titanes. Lucianus in Timone: ὁ δὲ σεμνῶς ἀνατείνας τὸν πώγωνα καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας, καὶ βρενθυόμενός τι πρὸς αὑτὸν ἔρχεται, Τιτανῶδες βλέπων, i. e. Itaq; promiſſa barba, reductiſque ſuperciliis, ſecum murmurans neſcio quid, accedit Titanico vultu aſpiciens. Idem in Icaromenippo: ὁ Ζεὺς μάλα φοβερὸν δριμύ τι καὶ Τιτανῶδες εἰς ἐμὲ ἐνιδών. id eſt, At Jupiter admodum terribiliter, acriterque, & Titanico me intuens vultu.

Cepas edere aut olfacere.

Κρόμμυα ἐσθίειν, id eſt, Cepas edere, dicebantur joco proverbiali, qui lachrymari viderentur. Natum a Biantis apophthegmate. Is enim Alyattæ regi ſibi per nuncium miſſum denūcianti, ut quam primum ad ſe veniret, reſpondit ad hunc modum: ἐγὼ Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν. i. e. Ego jubeo Alyattam cepas edere, hoc eſt, κλαίειν καὶ οἰμώζειν, id eſt, Flere & ejulare. Quibus verbis extremum regis cōtemptum indicabat. Ductum eſt hinc proverbium, quod cēparum odor, ut eſt acris, cōſueverit lachrymas oculis excutere. Ariſtophanes, κρόμμυον δ' οὐ προσὸν, innuens illum vel citra cepas fleturum. Quoniam autem idem efficit ſinapi, nihil vetat & hinc proverbium ducere. Columella in carmine:

Seque laceſſenti fletum factura ſinapis.

Mox & cepæ meminit:

Atque oleris pulli radix lachrymoſaque cepa.

Simili figura, neq; diverſa ſententia dicti ſunt κρομμύων ὀσφραίνεσθαι id eſt, Cepas odorari, qui flerent. Ariſtophanes in Ranis:

Τί δαὶ τὰ κλαίεις; κρομμύων ὀσφραίνομαι.

Id eſt:

Quid quæſo lachrymas? cepe odor ſcilicet.

Hæc ferme Suidas. At Plinius lib. 20. cap. 5 tradidit eas & lachrymationi, & caligini oculorū mederi. Nec hoc pugnat cum his quæ diximus: ſiquidē educendo purgant. Xenophon in Sympoſio dixit κρομμύων ὄζειν, id eſt, olere cepe: quod in ſordidos & illotos congruit. Huic affine eſt, σκοροδίζειν, pro moleſtia afficere, ſive ad lachrymas adigere. Ariſtophanes in equitibus ſub perſona populi Athenienſis: φάσκων φιλεῖν μ' ἐσκορόδισας, id eſt, Dum ais te diligere me, alliaſti me. Quanquam ea vox a Comico riſus gratia confiςta eſt.

Superatus es à gallo quopiam.

Ἥττηται τινὸς ἀλεκτρυόνος, id eſt, Superatus es à gallo quopiam. Jocus proverbialis in ſervos, qui dominos à tergo ſequuntur, ſupplices videlicet & abjecti: cujuſmodi ſolent eſſe galli ſuperati in pugna. Nam hæc avis victa ſilere ſolet, canere, ſi viciſſet, ut author eſt Cicer. in Divinationibus. Addunt gallum in pugna ſuperatum ultro ſequi victorem. Sumptum eſt ex Ariſtophane, niſi me fallit memoria. Refertur ab Eudemo.

Triſtis ſcytale.

Ἀχνυμένη σκυτάλη, id eſt, Triſtis ſcytale. De re triſti ſeriaq. dicebatur, aut de nuncio, qui dolorem adferret. Meminit hujus Ariſtophanes in Lyſiſtrata. Refertur à Diogeniano Quin Ariſtophanes grammaticus librum conſcripſit περὶ τῆς σκυτάλης ἀχνυμένης, citaturq; ab Athenæo libro Dipnoſophiſtarum tertio. Plutarchus in convivio ſeptem ſapientum: τὴν δὲ Αἰθίοπος ἐπιταγὴν τί ἄν τις ἄλλο, πλὴν ἀχνυμένην σκυτάλην προσείποι, id eſt, Æthiopis mandatatum illud, quid aliud appelles quam ſcytalem triſtē? M. Tullius ad Atticum: Habes ſcytalem Laconicam. Quod quidem videtur non abſurde, vel ad epiſtolam perbrevem, vel ad obſcuram, & arcanis de rebus conſcriptam, vel ad ſolicitam ac mandantem accommodari poſſe. Quid ſit autem Scytale Laconica, docet Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. 17. c. 9. Sed ipſius verba præſtiterit adſcribere: Lacedæmonii autem, inquit, veteres, cum diſſimulare & occultare literas, publice ad imperatores ſuos miſſas volebant, ne ſi ab hoſtibus exceptæ forent, conſilia ſua noſcerentur, epiſtolas id genus factas mittebant: Surculi duo erant teretes, oblongi, pari craſſamento, ejuſdemq; longitudinis, deraſi atq; ornati conſimiliter. Unus imperatori in bellum proficiſcenti dabatur. Alterum domi magiſtratus cum jure, atque cum ſigno habebant. Quando uſus venerat literarum ſecretiorum, circum eum ſurculum lorum modicæ tenuitatis, longum autem quantum rei ſatis erat, complicabant, volumine rotundo, ac ſimplici, ita ut oræ adjunctæ undiq; & cohærentes lori quod plicabatur coirent. Literas deinde in eo loro per tranſverſas juncturarū oras, verſibus ab imo in ſummum proficiſcentibus, inſcribebāt. Id lorum literis ita perſcriptis revolutum ex ſurculo, imperatori commenti illius cōſcio mittebant, revolutio autem lori literas truncas atq; mutilas reddebat, membraq; earum & apices in parteis diverſiſſimas ſpargebat. Propterea ſi lorum in manibus hoſtium inciderat, nihil quicquam conjectari ex eo loro quibat. Sed ubi ille, ad quem erat miſſum, acceperat, ſurculo compari quem habebat, capto ad finem perinde ut debere fieri ſciebat, circūplicabat, atq; literæ per ambitum eundem ſurculi coaleſcentes, rurſum coibāt, integramq; & incorruptam epiſtolam & facilem legi præſtabant. Hoc genus epiſtolæ Lacedæmonii σκυτάλην, id eſt, loricatum ſurculum appellant. Hactenus A. Gellius. Meminit hujuſce rei Plutarchus in Lyſandro: cui Pharnabazus rex ſuppoſitiua ſcytala impoſuit. Suidas eadem ferme refert, quæ Gellius de ſcytala. Strabo Geographiæ lib. 1. hyperbolam hanc quoque commemorat: Ager anguſtior eſt, qua ſcytala Laconica.

Areopagita.

Ἀρεοπαγίτης, id eſt, Areopagita. De triſti ſeveroq; dicebatur, aut etiā de judice vehementer incorrupto. Invenitur & σκυθρωπότερος ἀρεοπαγίτου, id eſt, Triſtior Areopagita. Athenis ſumma erat Areopagitarum autoritas: hi erant judices, qui de capitalib. cauſis pronunciabant, tanta integritate, ut noctu atq; in tenebris, non interdiu, neq; luce cauſas cognoſcerent: quo non dicentes, ſed dum tacent quæ dicerentur, ſpectarent. Id ita eſſe teſtatur Lucianus in Sectis. Alluſit ad proverbium Cicero ad Atticum lib. 1 Senatus ἄρειος πάγος, nihil conſtantius, nil ſeverius, nil fortius. Idem ejuſdem operis lib. 4. ex quo intellectum, treis τοὺς ἀρεοπαγίτας ambitum, comitia, interregnum, majeſtatem, totam deniq; Rempublicam flocci non facere.

Ne ſis patruus mihi. Sapere patruos.

Patruorum in nepotes ceu peculiaris genuinaq; ſeveritas, proverbio locum dedit. Horat. in Odis:

> Metuentis patruæ verbera linguæ.

Patruam linguam vocat ſeveram & objurgatricem. M. Tullius adverſus Herennium: Fuit in hac cauſa quidam patruus, cenſor, magiſter. Objurgavit M. Cœlium ſic, ut nemo unquam parens. Horat.

> —Sive ego prave,
> Seu recte hoc volui, ne ſis patruus mihi.

id eſt, ne me caſtiges. Ad hanc formam pertinet illud Perſianum:

> Cum ſapimus patruos.———
>
> Id eſt:

Poſtquam abjectis puerilibus nugamentis, ſeveros mores induimus. Idem Horatium æmulatus, ut ſolet, dixit.

> Ne ſis mihi tutor.

id eſt, ne mihi præſcribas atque imperes.

Frontem exporrigere, Frontem contrahere.

Frontem explicare, cum hilareſcimus: contrahere, cum ringimur, hoc eſt, ubi quid moleſtum eſt, dicimur. Plin. lib. 11. Frons & aliis, ſed homini tantum triſticiæ, hilaritatis, clemētiæ, ſeveritatis index. Terentius: Exporrige frontem. Horatius in Odis:

> Sollicitam explicuere frontem.

Idem alibi:

> Deme ſupercilio nubem.———

Ex porrecta fronte, hilariter. Porrectiore fronte mecum loquaris oportet, apud Plautum. Obducta fronte, corrugata fronte, cōtracta fronte, caperata fronte. Plautus: Caperat frons ſeveritudine. Quod quidem a caprinis cornibus translatum volunt. Et, Nubila frons, ſerena frons, explicata frons.

Magis gaudet eo qui ſenectam exuit.

Τέρπεται μᾶλλον, ἢ τὸ γῆρας ἐκδύς, id eſt, Gaudet magis quam qui ſenectam exuit. De vehementer hilari, ac geſtienti gaudio. Ariſtophan. in Pace:

> Ἥδομαι γὰρ καὶ γέγηθα, καὶ πέπορδα καὶ γελῶ
> Μᾶλλον ἢ τὸ γῆρας ἐκδύς, ἐκφυγὼν τὴν ἀσπίδα.
>
> Id eſt:
>
> Gaudeo ſiquidem, atque lætor, atque pedo & rideo.
> Qui clypeum ſuffugerim, magis ac ſenectam qui exuit.

Ductum eſt à ſerpentibus & cicadis, quæ ſtatis temporibus exuunt ſenectutem, ac veluti renaſcuntur.

Contrahere ſupercilium, inflare buccas.

Ὀφρῦς ἀνασπῶντες, καὶ γνάθους φυσῶντες, id eſt, Adductis ſuperciliis & inflatis buccis. In faſtuoſos ac turgidos dictū Suidas admonet. Siquidem in ſuperciliis, ſicut alias oſtendimus, arrogantiæ ſedes. Horatius in flatas buccas ad iracundiæ retulit argumentum:

> Quin Juppiter ambas
> Iratus buccas inflet.———

D. Auguſtinus in libris Confeſſionum, Buccis typho crepātibus. Quo loco nonnulli perperam, typo legunt. Mirum eſt autem, Auguſtinum voce Græcanica tantopere delectatum, ut quum faſtum dicere poſſet, typhum dicere maluerit: niſi quod ea jam uſu Latio donata videbatur. Traductum à ranis quæ per iram inflantur. Notus eſt apologus Æſopicus, de rana per arrogantiam diſrupta. Horatius:

> Creſcentem tumidis inflat ſermonibus utrem.

Sanguine flere.

Αἷμα κλαίειν, id eſt, Sanguine flere, proverbialis hyperbole, ſignificans nihil non fieri, quo flectatur aliquis. Sic enim antiquitus loquebantur: Haud flectes illum, ne ſi ſanguine quidem fleveris. Iidem αἷμα στένειν, id eſt, Sanguine gemere. Durat hoc adagium in hodiernum etiam diem. Translatum videtur à prodigiis, quib' interdum ſtatuæ ſanguineis guttis lachrymare videntur.

Lapides flere.

De re vehementer miſeranda proverbiali hyperbola dici ſolet, eam eſſe tam lamētabilem, ut vel lapides cogantur ad fletum. M. Tullius in eodem libro: Tu vero vel ſi teſtamentum defenderes, ſic ageres, ut omne omnium teſtamentorum jus in eo judicio poſitum videretur: vel ſi cauſam ageres militis, patrem ejus, ut ſoles, dicēdo à mortuis excitaſſes, ſtatuiſſes ante oculos, cōplexus eſſes filium, flenſq; eum Centum viris cōmendaſſes, lapides mehercle omnes flerē ac lamentari coëgiſſes, ut totum illud uti lingua nuncupaſſes, non in duodecim tabulis, quas tu omnibus bibliothecis ante ponis, ſed in magico carmine ſcriptum videretur, hæc ille. Simili hyperbola ſemel atq; iterum uſus eſt Dominus, quum Phariſæis reſpondet, ipſos lapides clamaturos, ſi tacerēt homines. Rurſus quum Judæis de generis nobilitate glorianticus ait, Deum vel è lapidibus ſuſcitaturum filios Abrahæ. Sed Chriſto fortaſſe nihil eſt hyperbolicum, qui poteſt quicquid vult efficere. In verbis autem Ciceronis, ad proverbium alludit magici carminis mentio. Quod enim vehementer commovet animum, qualis incantatione efficacius dicitur, ſicut alibi retulimus.

Erinnys ex tragœdia.

Ἐριννὺς ἐκ τραγῳδίας, id eſt, Erinnys tragœdia. De fœdis aniculis. Sumptum ex Ariſtophanis Pluto, de loco dictum eſt de Penia:

> Ἴσως ἐριννύς ἐστιν ἐκ τραγῳδίας.
>
> Id eſt:
>
> Ad forſan eſt Erinnys ex tragœdia.

Strabo Geographiæ lib. 4. tradit inſulas eſſe decem in oceano Gaditano, nomine Caſſiteridas, quarum una prorſus inculta ſit, in reliquis habitare homines colore fuſco, tunicis utentes ad talos uſq; dimiſſis, pectoribus cingulo ob vinctis, baculos manu geſtantes, in ſumma, perſimiles furiis tragicis. Quibus ex verbis apparet, hoc habitu furias in tragœdiis induci ſolere.

Sarone magis nauticus.

Σάρωνος ναυτικώτερος, id eſt, Sarone magis nauticus. Ajunt hūc fuiſſe deum quempiam nauticum, unde & Saronico mari cognomen inditum. Congruet in horrido cultu hominem & morib. feris: quod genus nautas pleroſq; videmus eſſe. Aut in negociatorem, per omnia maria volitantem. Meminit & Saronis, & ab hoc cognominam maris, Ariſtides in Themiſtocle: οὐδὲ τὸν πάντα χρόνον ἐν τῇ θαλάττῃ οἰκοῦντες, ὥσπερ τὸν Γλαῦκόν φασι τὸν Ἀνθηδόνιον, ἢ τὸν Σάρωνα τὸν ὁμώνυμον τοῦ πελάγους. id eſt, Nec uti per omne tempus in mari habitent, quemadmodum ajunt facere Glaucum Anthedonium, & Saronem mari cognominem. Pauſanias in Corinthiacis Saronis facit mentionem, qui Athepiæ regioni maritimæ imperarit. Huic diverſum quod ait in Ranis Ariſtophanes.

> —Πῶς δυνήσομαι
> Ἄπειρος, ἀθαλάττωτος, ἀσαλαμίνιος
> Ὤν, εἶτ' ἐλαύνειν;
>
> Id eſt:
>
> —Quonam modo
> Potero imperitus, & à mari alieniſſimus,
> Salaminis expers atque navim agere rudis?

IVNII. *Helenæ crater.*

Ἑλένης κρατήρ, id eſt, Helenæ crater: de læto nuncio, aut re quavis animo noſtro impenſe grata, quæ ſolitudinem levare poſſit, curaſq; diluere. Philoſtratus in Sophiſtis: [illegible] id eſt, Levabit ſibi animi moleſtias non aliter quam Helenæ poculum Ægyptiis pharmacis imbutum. Intelligit de pharmaco Nepenthe. Locus eſt apud Homer. Odyſſ. 4.

> Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
> Νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
>
> Id eſt:
>
> Iratum cauſas abolens, fugamq; malorum
> Seniumque, & triſtitiæ pariens oblivia, vino
> Pharmacon immiſit ———

De quo ita Plin. lib. 25. c. 2. Nobile illud Nepenthes oblivionem triſtitiæ veniamq; afferens, & ab Helena utiq; omnibus mortalibus propinandum.

COGNATI. *Nullus equus tam eſt effœtus, tamque exhauſto corpore, quin menſe Majo hinnitum edat.*

Ver prima anni pars proverbium hoc nobis peperit: hoc intelligimus, neminẽ tam ſenilis atq; devexæ ætatis, quin in amœniſſima illa anni parte aliquid in ſe juvenilis animi geſtetur, aut aliqua hilaritatis erectionisq; mentis indicia proferat. Viſi enim ſunt ſeniculi aliquãdo inter ſe juvenari & laſcivire, ſuaq; habere blandimenta, ac vernis menſibus in amplexus ruere.

Carmen Lytierſæ.

Lytierſes filius nothus Midæ, in Phrygia dicitur habitaſſe: qui cum eſſet agricola & laudatiſſimus meſſor, hoſpites prætereuntes convivio primum excipere, ac deinde cogere ſolebat, ut ſe in demetenda ſegete adjuvarent. Sub veſperam vero cum illi labore deſeſſi dormirẽt, tunc ipſe capita eorum amputare, & trunca corpora una cum manipulis colligere ſolebat. Eum Hercules, ob hãc crudelitatem interfectum, in Meandrum fluvium abjecit. Hunc igitur Lytierſem, ut inſignem meſſorem, alii in Phrygia meſſores carminibus celebrare ſolebãt, unde carmen Lytierſæ, dicitur carmen meſſorium, vel à meſſoribus decantari ſolitum. Eraſmus noſter ait, dici de carmine, quod quis non ex animo, ſed coactus canerer, Theocritus in Operariis:

> Θᾶσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λιτυέρσα.
>
> Id eſt:
>
> Vide & hæc, quæ ſunt divini Lytierſæ.

Cor ſalit.

Ficinus in Jone: Cor aliquando dolore ſalit, aliquando lætitia. Vide ante, Mens volat.

Pallentes procul abite curæ.

IVNII. Anacreon:

> [illegible]

Verſus eſt Martial. lib. 11. epigr. 8. Catullus ad paſſerem Lesbiæ:

> Et triſtes animi levare curas.

Idem ad Sirmionem peninſulam:

> O quid ſolutis eſt beatius curis,
> Cum mens onus reponit, ac peregrino
> Labore feſſi venimus Larem ad noſtrum,
> Deſideratoque acquieſcimus lecto.

Virgil. in Georgic.

> Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit.

Horat. ad amicos in Epode ſcribens hyemem voluptatib. traducendam eſſe vult. Idem lib. 1 Epiſt.

> Deme ſupercilio nubem.—

Id eſt, aufer ex vultu triſtitiam. Martial. 10.

> Nox non ebria, ſed ſoluta curis.

Vide poſt, Curis gaudia miſcere, & Mentis vitio læſa figura.

Lætitia.

Omnes lætitias, quaſi proverbio dixiſſe veteres, animadvertimus. Sic Cicer. in 2. De finibus. Ille Cæcilianus, qui omnibus lætitiis lætum eſſe ſe narrat. Item 2. epiſt. ad Cœlium: Repente vero incesſi omnibus lætitiis. Et Pomponius quoq; multitudinis numero: Quot lætitiæ inſperatæ modo mihi irrepſere in ſinum? Et Lucretius in tertio:

> Hic exultat enim pavor, & metus: hæc loca circum
> Lætitiæ exultant.———

Catullus ad ſe ipſum:

> Expulit ex omni pectore lætitias.

Idem ad Manlium:

> Tu mea tu moriens fregiſti commoda frater!
> Tecum una tota eſt noſtra ſepulta domus.
> Omnia tecum una perierunt gaudia noſtra,
> Quæ tuus in vita dulcis alebat amor:
> Cujus ego interitu tota de mente fugavi
> Hæc ſtudia, atque omnes delicias animi.

Vide poſtea, Delicias dicere, &c.

Riſi.

Riſi, proverbio dixiſſe videtur Catull. de quodam & Calvo:

> Riſi, neſcio quomodo in corona.

Vide Feſtum in verbo, Ride. Idem ad Catonem:

> Ride, quicquid amas Cato Catullum,
> Res eſt ridicula & nimis jocoſa,
> Et rem ridiculam, Cato & jocoſam,
> Dignamque auribus, & tuo cachinno.

Declarant gaudia vultu.

Catullus in Pelei & Thetidis nuptiis:

> Dona ferunt præ ſe, declarant gaudia vultu.

Hoc etiam teſtatum M. Antoninus philoſophus lib. de vita ſua 11. Statim ipſo in vultu inſcriptus eſſe debet ſermo, ac ſtatim ex ipſis oculis apparere: quemadmodum ex aſpectu amatores ſenſum ſui amaſii ſtatim cognoſcunt.

Vultuoſus.

Verbum familiare priſcis. Sunt autẽ vultuoſi, qui vultus ducunt præ triſtitia, & frontem cõtrahunt. Hinc vultuoſe, & (ut Græce dicam) [illegible] Bud. 2. De contemp. rer. fortuitar. Quare omnia ferme ſua munia incõdite, vultuoſe, meticuloſe, turbide, & rurſus geſtiẽter, elate, ferociter inaniq; cum fiducia obire ſolet: prout ſcilicet lætus aut triſtis caſus obtigit, unde pendere ſe arbitratur. Ibidem: Nihil unque fiet proprius, quam ut vultuoſe ac ſubacerbe mittere conniventiam, &c.

Curis gaudia miſce.

Fertur diſtichon nomine Catonis hoc:

> Interpone tuis interdum gaudia curis,
> Ut poſſis animo quemvis ſufferre laborem.

Nam, ut inquit Ovidius:

> Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Catullus curas pro amoribus accipit, in Pelei & Thetidis nuptiis:

> Sancte puer, curis hominum qui gaudia miſces.
>
> Id eſt:

amoribus. In eandem ſententiam alibi:

> Qui dulcem curis miſcet amaritiem.

Vide alibi, Pallentes abite curæ.

GVLIELMI GENTII.

Et Capitolium aſcendere.

Formula eſt apud Juriſconſultos pervulgata, pro triumphum agere: deducta ex more triumphantium, qui in Capitolium aſcendentes pulcherrimum fructum victoriæ referebant: ut ait Cic. in Verr. 7.

EX APPEND. IVNII, CANTERI,

Καλὰ ἔνδοι πάντα.

> Καλὰ ἔνδοι πάντα, ὡς ὁ γαμβρὸς εἶπ' ἀποκλᾴξας.
>
> Id eſt:
>
> Clauſa domi ſponſa, quidam: Sunt omnia recte,
> Dixit.———

Citatur proverbii titulo à ſcholiaſte Theocriti. Natum à quodam, qui domi ſponſam concluſerat, & adjiciente. Καλὰ ἔνδοι πάντα: Sunt intus omnia recte. Sub finem hiſtoriæ Domitiani in Tranquillo legimus, cornicẽ in Capitolio elocutam, ἔσται πάντα καλῶς. Hæreditatem opimam, vel ſacerdotium opulentum nactus, opportune hoc verſu animi ſui gaudium prodet.

LANGVOR, VEHEMENTIA.

ERASMI. *Oeſtro percitus.*

Οἴστρῳ παραπλήξ, id eſt, Oeſtro percitus, id eſt, ingenti animi cupiditate commotus, ac velut attonitus. Oeſtrum enim inſecti genus, horrendo ſtrepitu, unde & nomen inditum apud Græcos. Nam Latini, aſylum appellant. Hoc addito Juno vaccam Iõ in furorem egit. Undẽ poëtæ divino correpti furore, œſtro concitu dicuntur. Eſt apud Platonem, tametſi locus in præſentia nõ ſuccurrit, opinor in Phædro. Unde & οἰστρομανής dictione compoſita, pro inſano: & οἰστρᾶν & οἰστρηλατεῖν, pro inſanire.

Pyrrichen oculis præ ſe ferens.

Πυῤῥίχην βλέπων, id eſt, Tumultum ac bellum vultũ præ ſe ferres: inde dictum, quod Pyrrhiche ſaltationis genus eſt, quod ab armatis pueris peragebatur: ut teſtis eſt Athenæus libro Dipnoſophiſtarum 14. oſtendens in ea belli imaginem repræſentari, impetum & ardorem adoriantium, & celeritatem fugientium. Ælius Spartianus in Adriano: Militares, inquit, Pyrrhichas populo frequẽter exhibuit. Tranquillus item Pyrrhices meminit: Pyrrhichen ſaltaverunt Aſiæ Bithyniæq; principum liberi. Julius Pollux. lib. 4. c. 14. inter varia ſaltationum genera commemorat ἐμμέλειαν tragicorum, κόρδακα comicorum, σίκιννιν ſatyricorum, πυῤῥίχην ac [illegible] quas ἐνόπλιοι vocat, quod armati ſaltarent: unde ξιφισμός dictum indicat, quod gladiis peragеretur: & ποδισμός, quod mira pedum celeritate corpus circumagerent. Idem commemorat & alia ſaltationum genera, quæ belli habebant imaginem: κῶμος & τετράκωμος, quam ait Herculi fuiſſe ſacram. Rurſus aliam quam καρπαίαν dixere, quæ & ipſa armis peragebatur. Plato de legib. 7. docet duo potiſſimum ſaltationis genera fuiſſe: alterum bellicum ac tumultuoſum, quod Pyrrhiche dicebatur: alterum moderatius, quod ἐμμέλεια. Pyrrichen deſcribit his verbis: πυῤῥίχην αὖ τε [illegible]

προσαγορεύοιτ᾽ ἂν ὀρθῶς, τάς τε ἐκ πασῶν πληγῶν καὶ βολῶν ἐκνεύσεσι καὶ ὑπείξεσι πάσαις, καὶ ἐκπηδήσει ἐν ὕψει, καὶ ξὺν ταπεινώσει μιμουμένην. καὶ τὰς ἐναντίας ταύταις, τὰς ἐπὶ τὰ δραστικὰ φερομένας αὖ σχήματα, ἐπιχειροῦσας τὰς τῶν τόξων βολὰς καὶ ἀκοντίων καὶ πασῶν πληγῶν μιμήματα μιμεῖσθαι. τό τε ὀρθὸν ἐν τούτοις καὶ τὸ εὔτονον τῆς τῶν ἀγαθῶν σωμάτων καὶ ψυχῶν, ὅταν μίμησις γίγνηται κατ᾽ εὐθὺ τῶν τοῦ σώματος μελῶν γιγνόμενον, ὀρθὸν μὲν τὸ τοιοῦτον, τὸ δ᾽ ἐναντίον τούτοις οὐκ ὀρθὸν ἀποδεχόμενον. id eſt, Pyrrichen recte appellaveris, quæ vitationes omnium plagarum ac jaculorum deflexione corporum, omniq; cedẽdi ratione, ſubmiſſione ac ſubſultibus in altum imitatur. Rurſum his contrarios geſtus, qui cõducunt ad corporis motus, agilitati parante idoneos, qui tum in arcuum jaculationibus tum in haſtilium miſſionibus, denique in omnium plagarum impetitionibus ſimulachra pugnæ ſtudent imitari. ſimulque rectitudinem, interim & robur, bonorum corporum atq; animorum, quoties ſit imitatio, quæ adhibita plerunq; confert ad corporis membrorum firmitatem, rectum quidem hoc: quod autem his contrarium eſt, non ut rectum approbatur. Meminit & ſcholiaſtes in Iliados Homericæ π. commemorans tria ſaltationum genera. Pyrrhichen, Sicinnin, quæ pertinet ad ſacra, & ſcordaciſmum, qui ſit indecorus, & prophanis conveniens. Pyrrhiche Cretenſium erat, & in armis peragebatur, Unde Homerus virum in belli muniis agilem intelligi volens, ſaltatorem appellat ὀρχηστὴν περ ἐόντα. Hoc pugnæ genus eleganter depingitur ex Xenophonte apud Athenæum lib. 1. ἀνέστησαν πρῶτοι Θρᾷκες, καὶ πρὸς αὐλὸν ὠρχήσαντο σὺν ὅπλοις, καὶ ἥλλοντο ὑψηλά τε καὶ κούφως, καὶ ταῖς μαχαίραις ἐχρῶντο. τέλος δ᾽ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον παίει, ὡς πᾶσι δοκεῖν πεπληγέναι τὸν ἄνδρα. ὁ δ᾽ ἔπεσε τεχνικῶς πως, καὶ πάντες ἀνέκραγον, καὶ ὁ μὲν σκυλεύσας τὰ ὅπλα τοῦ ἑτέρου ἐξῄει ᾄδων Σιτάλκαν, ἄλλοι δὲ τῶν Θρᾳκῶν τὸν ἕτερον ἐξέφερον ὡς τεθνηκότα, ἦν δ᾽ οὐδὲν πεπονθώς, id eſt, Surrexerunt autem primi Thraces, & ad tibiam ſaltabant, ſubſiliebãtque in altum, idq; leviter interim utentes gladiis. Tandem alter alterum feriebat, ſic ut omnibus videretur hominem percuſſiſſe. Ille vero artificio quodam cadebat, moxq; omnes exclamabant. Tum is qui percuſſiſſe videbatur, cum alterum armis ſpoliaſſet, exibat, canens Sitalcam. Porro cæteri Thraces, alterum efferebant veluti mortuum, quum nullo eſſet affectus malo. Refert illic & alia ſaltationum genera, ſi quis avet ea cognoſcere. Denique Homerus Iliad. π Cretenſem quempiam bello ſtrenuum, ὀρχηστὴν appellat, hoc eſt, ſaltatorem, ob Pyrrichen, de qua diximus, Thracibus familiarem. Ita Scholiaſtes commemorans tria ſaltationum genera, Pyrrhichen bellicam, Sicinnin ſacris accommodam, & κορδακισμὸν ſordidam ac prophanam. Ariſtophanes in Avibus:

—Ἄγγελος

Ἐλθεῖ πρὸς ἡμᾶς δεῦρο πυρρίχην βλέπων.

Id eſt:

—Nuncius

Accurrit ad nos, Pyrrhichen oculis tuens.

Unde & pedi Pyrrhichio nomen, quod impetum habet militis ruentis in prælium: & vel a Pyrrho Achillis filio (quod Plin. lib. 7. c. 56. ſentire videtur, ſcribens: Armatam ſaltationem Curetes docuere, pyrrhichen Pyrrhus, utramq; in Græcũ, vel, ut putat Athenæus, a Pyrrhicho quodam Lacedæmonio: ſunt enim bellaciſſimi Lacones, apud quos peculiaris erat hæc ſaltatio, quã mox à quinto anno pueri diſcebant, quod illi vocant πυρριχίζειν: & Pyrrhichiſtæ dicuntur, hoc genus exercentes. Vel ab ignea vi nomen habet, Julius Pollux, eo quem mox citavi loco, ait Pyrrhichen eandem eſſe cum Teleſia, & utroſq; fuiſſe judices hoc genus certaminum. Quin hoc ipſum, ſi quis tumultuantem & ita excandeſcentem dicat πυρριχίζειν, non carebit proverbii ſpecie. Simili tropo Timocles apud Ariſtophanem:

Μισῶν λέγεις ἄνθρωπος, οὐδὲ πώποτε
Ἀντιλέγει οὐδὲν οὐδέν, ἀλλ᾽ ἄρη βλέπων.

Id eſt:

Sermonis oſor homo, nihil contra loquens
Unquam, ſed ore præferens Martem truci.

Itidem poetæ dicunt, Torua tuens: & Græci, ταυρηδὸν βλέπων.

Manum habere ſub pallio.

Manum habere ſub pallio dicuntur, qui languent ocio. Quintilianus lib. 12. damnat eos, qui nunquam commoventur inter agendum, ſemperq; manum, quod ajunt habent ſub pallio. Quapropter, inquit, mihi falli multum videntur, qui ſolos eſſe Atticos credunt tenues & lucidos & ſignificantes, ſed quadam eloquentiæ frugalitate contentos, ac ſemper manum intra pallium continentes. Hactenus Fabius: Sumptum eſt a geſtu rhetorum. Nam qui languent, manum occultant ſub pallio: qui commoti ſunt, profeſſum & agitatione manus brachiique pronunciabantur ea, quæ contentionis pluſculum haberent. Subindicat hoc & Æſchines in oratione contra Timarchum, de ſobrietate priſcorum rhetorum loquens: ὃ νῦν ἅπαντες ἐν ἔθει πράττομεν, τὸ τὴν χεῖρα ἔξω ἔχοντες λέγειν, τότε θρασύ τι ἐδόκει εἶναι, καὶ εὐλαβοῦντο αὐτὸ πράττειν. i. e. Itaque quod nunc omnes ex more facimus, ut inter dicendum manũ extra pallium habeamus, tum temporis confidentiæ tribuebatur ac verebantur id facere. Addit, Salamine ſpectari ſtatuam Solonis manum intra pallium habentis.

Non contis aut ramulis.

Idem libro eodem de Antonio quodam ad honorem menſæ regalis apud Perſas evecto, & ad jus ferendæ ſententiæ admiſſo: Non contis, inquit, aut ramulis, ut ajunt, id eſt, non flexiloquis ambagibus, vel obſcuris, vel velificatione plena, in templo, ferebatur, eoque incitans regem. Quanquam pro ramulo, legendum arbitror remulo: nam contis & remis impellunt navim, qui ventos habent adverſos. Pars eſt magis adagii, quod alibi recenſuimus. Velis remiſque, quam novum adagium.

LAVTITIÆ.

ERASMI. *Iovis & regis cerebrum.*

Διὸς ἐγκέφαλος id eſt, Jovis cerebrum: καὶ βασιλέως ἐγκέφαλος, i. e. regis cerebrum. De cibo vehementer opiparo ac ſuavi, ſuit de molliter delicateq; viventibus. Clearchus apud Zenodotum ſcribit, opiparas epulas apud Perſas, Jovis ac regis cerebrũ appellari. Athenæus li. 12. docet, Sardanapalum iis, qui voluptatem aliquam eſſent commenti, Jovis ac regis cerebrum apponere ſolitum, cibum opinor exquiſitum. Idem lib. 1. Jovis cerebrum inter ſecundæ menſæ delicias annumerat. Apud Apuleium prima Apologia citatur Ennius:

Quid ſacrum præterii, cerebrum Jovis pene ſupremi.
Neſtoris ad patriam hic capitur, manuſque bonuſque.

Ephippus apud Athenæum, Διὸς ἐγκέφαλον, id eſt, Jovis cerebrum, inter ſecundæ menſæ lautitias commemorat. Idem cibum prælautum νέκταρος ἄνθος vocat, id eſt nectaris florem. Atq; alibi vinum, τὸ Ἀφροδίτης γάλα, id eſt, Veneris lac, ab Ariſtophane nominatum docet. Rurſum alio in loco ſuaves cibos, τὰ Ἑλένης βρώματα, id eſt, Helenæ cibos, dictos indicat.

Iovis lac.

Quod inſigniter eſſet lautum in cibis, Jovis lac veteres appellabant. Eurip. apud Athen. lib. 14.

Καὶ τυρὸς ὀπίας ἐστὶ Διὸς γάλα.

Id eſt:

Eſt ſucculentus caſeuſque & lac Jovis.

Apud eundem frequenter inter ciborum delicias commemoratur, Διὸς ἐγκέφαλος, de quo alias diximus Perſę, ſi quid eſſet exquiſite lautum, appellabant Διὸς καὶ βασιλέως ἐγκέφαλον, i. e. Jovis & regis cerebrum: propterea quod rex Perſarum ſolet dare præmium honorarium, ſi quis novũ aliquod eduli genus repeTiſſet. Clearchus apud eundem lib. 12. quanquam eadem, multis aliis verbis commemorat. Videntur antiqui quicquid eximium videri volebant, Jovi tribuiſſe. Inde illud è Satyra:

Et Jovis auribus iſta
Servas.———

Deorum cibus.

Θεῶν τροφή, id eſt, Deorum cibus. De prælautis epulis dicebatur, propterea quod Homerus fingit deos nectare atq; ambroſia victitare, nec ob id unquam ſeneſcere. Tranquillus in Nerone: Parricidia, inquit, & cædes à Claudio exorſus eſt. Cujus necis etſi non author, at conſcius fuit: neque diſſimulavit, ut qui boletos, in quo cibi genere venenum is acceperat, quaſi deorum cibum, proverbio Græco collaudare ſit ſolitus. Horatius in Epiſtolis:

O noctes, cœnæque deum.———

Ariſtophanes in Ranis, οἱ μεγάλοι δεῖπνοι, regum aulica convivia ſignificans.

Attica bellaria.

Πέμματ᾽ Ἀττικά, id eſt, Bellaria Attica: de lauditiis & cupediis. Transferri poteſt ad rem quemcunque, majorem in modum ſuavem ac jucundam. Plato Politiæ ſuæ lib. 3. ψέγεις καὶ Ἀττικῶν πεμμάτων τὴν δοκοῦσαν εἶναι εὐπάθειαν. id eſt, Damnas & Attica bellaria, quæ videntur ad lautitias pertinere.

Herculana balnea.

Ἡράκλεια λουτρά, id eſt, Herculana balnea De impendio ferventibus balneis dicebatur, quales legimus & thermas Neronianas. Ariſtophanes in Nebulis:

Ποῦ ψυχρὰ πώποτ᾽ εἶδες Ἡράκλεια λουτρά;

Id eſt:

Ubinam frigida unquam vidiſti Herculana balnea?

Interpres adſcribit, Ibycum autorem eſſe, Vulcanum muneris vice ſubmiſiſſe Herculi fervida balnea. Atq; inde omnia calida balnea, Herculana dici cœpta teſtatur idem Athen. lib. 12. Porro Ariſtoteles in Problemat. ſectionis 24. probl. ultimo, oſtendit hujuſmodi balnea apud veteres habita ſacra: propterea quod ex ſulphure ac fulmine rebus natura ſacris, proveniant. Piſandrus autẽ tradit, Minervam Herculi feſſo calidum balneum ſuppeditaſſe. Unde mihi fit veriſimile, proverbiũ recte dici poſſe, quoties ætate aut labore quopiam fatigatis miniſterium paulo diligentius ad refocillandas vires adhibetur. Nam Plato lib. De legib. 6. γεροντικὰ λουτρά, id eſt, Senilia balnea, calida vocat, eaque ſenib. exhiberi jubet. Siquidem veteres frigida lavabant, calida balnea valetudinariis duntaxat exhibebantur. At his temporibus aurigæ quoq; & nautæ lavãt in thermis. Ac Germani maximam vitæ partem in hypocauſtis tranſigũt, pyrauſtarum inſtar. Pindarus quoq; Olymp. 12. meminit horum balneorum: θερμὰ Νυμφᾶν λουτρὰ βαστάζεις. Calida Nympharum balnea frequẽtas, ſive quod in ea civitate locus eſſet, cui nomen Calida balnea, ſive quod ipſe more Herculis poſt

multa certamina exhauſta jam refocillaretur calidis balneis, quas Nymphæ Herculi laboribus fatigato ſubmiſiſſe feruntur. Porro corpus hominis magnopere revocari calidis balneis, declarat in Nemeis Oda 4. οὐδὲ θερμὸν ὕδωρ τόσον γε μαλθακὰ τεύχει γυῖα, τόσσον εὐλογία φόρμιγγι συνάορος, id eſt, Ne calida quidem aqua æq; mollit ac refocillat membra, quantum laudatio citharæ aptata.

Ἐπιμαζεῖν.

Μάζα Græcis genus eſt cibi e ſimila tritici, quod (ut apparet) in deliciis erat: unde vulgari joco dicebant, ἐπιμαζεῖν, pro opipare, ſplendideq; vivere: ſive ob egregias mazas, ſive quod aliquid his etiam lautius ſumerēt. Eam vocem Jul. Pollux lib. 7. indicat fuiſſe veterum, pro qua recētiores dixerint κριθιᾶν, a jumentis ductum, quibus hordeum placentæ ſunt. Illud mirum, cum hoc verbum proferat ex Æſchylo & Sophocle, cur recentiorum eſſe dicat: niſi forte apud recentiores cœpit uſitatius eſſe quam ἐπιμαζεῖν. Eupolis ad Thalaſſerotem. ἐπιμαζεῖς ἢ μεμάνηκας ἀνὰ γάρ τι λοιδορεῖν γυναικὸς ἱερὸν. Aut luxu diffluis, aut inſanis: nam audio te captum amore mulieris maledicæ. Conſimili forma dicebant ματτυάζειν, à mattya cibi genere: quod Athenæus lib. 14. recenſet inter ſecundæ menſæ delicias.

Ματτυάζειν.

Athenæus Dipnoſophiſtarum lib. 14. refert cibi genus, primum a Theſſalis repertum, ſed quod Athenis quoq; fuerit in deliciis cum ſubeſſent imperio Macedonum, quorum lingua dicebatur ματτύη, à Græca voce μάττω, quod eſt pinſo, ſive macero: unde dicta ſit & μάζα quæ & ipſa proverbio locum facit, ut ἐπιμαζεῖν dicerentur, qui lautius viverent: poſt quicquid eſſet opiparum & elegans in cibis, ματτύα dicebant etiam in avibus, piſcibus, oleribus ac farris: & ματτυάζειν, qui ſuaviter viverent. Citantur in teſtimonium verſus ex Alexide:

Σκευάζετ᾽ εὐωχεῖσθε, προσπίνετε,
Λεπάστ᾽, ματτυάζετε.

Id eſt:

Facite apparatus & epulis incumbite,
Lepammi, atq; mattyazete.

Cæterum Atticis λαικαὶ dicuntur, qui intemperanter indulgent Veneri: huc ni fallor alludentibus quod λαικάζω ſonet deglubo: quę vox & Latinis uſurpatione facta eſt obſcœna. λέπος enim Græcis pellem ſignificat. De Mattyis qui plura volet cognoſcere, legat finem decimiquarti libri, quem modo citavi, & mattyis explebitur affatim. Tot autē. Athenæus docet, quid ſit mattya. Idem libr. 4. tradit, apud Lacedæmonios ματτύην dicta bellaria, quæ poſt ἄικλον (id erat convivii genus) apud illos dabantur, quæ quidem & ἐπαΐκλια vocabantur. Meminit hujus cibi & Martial. lib. 9. Mattya ſola juvant.

De lautitiis.

De cibis prælautis quadrabit illud eodem Odyſſ. γ.

Ὄψα τ᾽ οἷα ἔδουσι διοτρεφέες βασιλῆες.

Id eſt:

Qualia purpurei comedunt obſonia reges.

Venuſtius fiet, ſi trahetur ad orationem ſupra modum elegantem, quaſi dignam deorum auribus.

Mellis medulla.

Μέλιτος μυελὸς, id eſt, Mellis medulla. De re majorem in modum ſuavi dicebatur. Unde & Ennius apud M. Tullium, M. Cornelium Cethegum, Suadæ medullam appellat, ob ſingularem ſuaviloquentiam. Nam quod optimum eſt, id natura videtur intime recondidiſſe. Unde & illa paſſim obvia, In medullis: &, Medullitus amare: non diſſident a ſimulachro proverbiali. Hujus eſt formæ, τῆς ἑλλάδος ἑλλάς.

Optimum condimentum fames.

Optimum condimentum fames inter apophthegmata Socratica celebratur. Irridebat hoc dicto luxum Athenienſium, qui variis cupediis & operoſis conditurīs conarentur efficere, ut cibus ſaperet palato: cum id optime præſter fames, condimentum ut optimum, ita & viliſſimum. Nihil enim ſuavius edi, quam quod editur ab eſuriente. Manet hodieq; vulgo tritum proverbium, famem efficere, ut crudæ etiam fabæ ſaccarum ſapiant. Ariſtophanes apud Stobæum:

Ἄπαντα δ᾽ ὁ λιμὸς γλυκέα πλὴν αὐτὸν ποιεῖ.

Id eſt:

Præter ſeipſam cætera edulcat fames.

Quod fames facit in cibo, idem ſitis in potu. Darius enim in fuga cum aquam turbidam bibiſſet & cadaveribus inquinatam, negavit ſe unquam bibiſſe jucundius, nimirū nunquam ſitiens biberat. Eandem ſententiam ſic apud Athenæum libro quarto effert Xenophon: ἡδὺ μὲν μᾶζαν καὶ κάρδαμον φαγεῖν πεινῶντι, ἡδὺ δὲ ὕδωρ διψῶντα ἐκ ποταμοῦ ἀρυσάμενον πιεῖν, id eſt, Dulce eſt mazam & naſturtium edere eſurienti, dulce eſt ſitienti aquam è fluvio hauſtam bibere. Ibidem refert quiddam non infeſtivum de Socrate, qui frequenter ad multam veſperam ambulare conſuevit ante ædes ſuas, percontantibus quid illic ageret: Obſonium, inquit, comparo in cœnam. De Dionyſio, cui faſtidienti nigrum jus quod in Phiditiis apponebatur, coquus reſpondit, nō eſſe mirum, cum deeſſent condimenta: de palæſtra, curſuq; ante cœnam ſentiens: alias nobis dictum eſt. Aut natum à Socrate proverbium, aut ab illo uſurpatum quod vulgo ferebatur. Marcus Tullius in libr. De finibus bonorum ſecundo. Diceret id, quod Socratem (qui voluptatem nullo loco numeras) audio dicentem, cibi condimentum eſſe famem, potionis ſitim. Licebit non nihil gratiæ addere proverbio, ſi longius deflectatur: velut ad literarum ſtudium, quod eo dulcius eſt quo vehementius ſitiuntur literæ. Et voluptates commendat rarior uſus.

Afra avis.

Λιβυκὸν ὄρνεον, id eſt, Libyca avis. Refertur à Suida de prægrandibus, quod ex ea regione deportentur aves immani magnitudine. Horatius de prælauta uſurpavit:

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum
Jucundior, quam lecta de pinguiſſimis
Oliva ramis arborum.——

Nam gallinas prægrandes olim mittebat Africa, quas eaſdem Numidicas aves appellant. Acron videtur de ſtruthione ſentire, quæ & ipſa avis mira mole corporis eſſe fertur. Mea quidem ſententia nō inepte jacietur & in hominem peregrino cultu notabilem. Et Plautus alicubi Pœnum avem vocat, ob manicas alarum inſtar utrimq; penſiles. Proverbium extat in Avibus Ariſtophanis. Interpres indicat convenire in barbaros ac meticuloſos. Sunt enim homines prægrandes fere timidiores. Terentius: Hic nebulo magnus eſt.

Anima & vita.

Ζωὴ καὶ ψυχή, id eſt, Anima & vita: de re ſupra modum ſuavi. Proverbium natum in cubilibus atq; inde deductum in communem ſermonem. Videtur autem peculiare fuiſſe mulierib[9], Juvenalis:

Ζωὴ καὶ ψυχή, modo ſub lodice relictis
Uteris in turba ——

Item Martial. Epigrammatum lib. 10. in Læliam:

Ζωὴ καὶ ψυχή laſcivum congeris uſque,
Pro Pudor Herſiliæ civis & Ægeriæ.

Huc reſpexit Juvenalis quum ait:

Concumbunt Græce.——

Heſiodus pecuniam, animam mortalibus eſſe dicit:

Χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι.

Id eſt:

Pecunia enim anima eſt miſeris mortalibus.

Coturniſſare.

Κιχλίζειν, proverbio dicebantur, qui pinguibus coturnicibus, aut turdis veſcerentur: aut qui riderent laſcive parumq; decore. Proinde & κιχλισμὸν, riſum mollem & impudicum appellant. Quadrabit igitur vel in liguritores, & cupediis addictos, vel in laſcive ludentes. Sturni nihil non imitantur: & turdus à Plinio recenſetur inter aves, quæ ſermonem hominum imitantur. Nam autores vocem hanc varie transferunt.

Dubia cœna.

Dubiam cœnam, opiparam, variiſq; inſtructam ferculis appellabant: idq; proverbium à paraſitis repertum apparet. Phormio apud Terentium: Cœna dubia apponitur. Quid iſtuc verbi eſt? Ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum. Exponit paraſitus verbum ſuum alioqui anceps. Nam dubium, etiam periculoſum ſignificat: & dubia cœna poſſit intelligi, quæ non careat ſuſpicione veneni. Horatius in ſermonibus:

——Vides ut pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia.——

Et res parum tutas appellamus dubias.

Cœna popularis.

Quemadmodum Phormio Terentianus cœnam dubiam appellat, variis epulis inſtructam, ubi tu dubites quid ſumas potiſſimum: ita Philto Plautinus cœnam popularem appellat magnificam, egregieq; lautam, atq; adeo gratuitam quoq;, quales ſolent exhiberi populo. Verba Plautina ſic habent: Quid tu ſi in ædem ad cœnam veneris, atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit, appoſita ſit cœna, popularem quam vocant. Si illi congeſtæ ſint epulæ à clientibus, &c.

In leporinis.

Ἐν λαγῴοις, id eſt, In leporinis carnibus vivere dicebantur, qui laute atq; in deliciis vitam agebant. Nam leporinam olim in deliciis habitam declarat Martialis:

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Atteſtatur & proverbium: Tute lepus es, & pulpamentum quæris? Ariſtophanes in Veſpis: Sunt, inquit mille civitates, quæ nunc nobis tributum ſolvunt. Harum unicuiq; ſi quis imperet ut viginti alat viros,

Δύο μυριάδες τῶν δημοτικῶν ἔζων ἐν πᾶσι λαγῴοις,
Καὶ στεφάνοισι παντοδαποῖσιν, καὶ πύῳ καὶ πυριάτῃ.

Id eſt:

Viginti millia populorum viverent in omnibus leporinis, omni-

ſuga ſibi conſuluit, votaq; protinus hecatombe, & Apolline invocato, furtim abiit. Poſtea congreſſi prælio, Æniânes pulſis Achæis & Inachienſibus, illorum agros occupaverunt. Hæc ferme Plutarchus. Itaq; competet in illos quoque, qui magnum quiddam molientes, quidvis & patiuntur & faciunt, ut voti ſui compotes aliquando fiant.

Obviis ulnis.

Obviis ulnis eſt apud Quintilian. pro eo quod eſt avide ſitienterq;. Tranſlatum ab iis qui porrectis ulnis properant in complexum eorum, quorum magno deſiderio tenebantur, quoſq; cupidiſſime conſpiciunt. Legimus & Obviis manibus. D. Hieronym. ad Pammachium: Condiſcipulum quondam, & ſodalem & amicum, obviis, ut ajunt, manibus excipio. Baſilius in præfatione dialogi, ἀμφοτέραις χερσὶν, id eſt, Ambabus manib⁹, eodem ſenſu ſcripſit. Hæc ſi ad rem animi detorqueantur, figuram proverbialem habebunt: ut, Ego tuas literas obviis ulnis excipiam.

LIBERALITAS.

ERASMI. *Plena manu.*

Plena manu, pro eo quod eſt, ampliter, copioſe, prolixe minimeq; maligne. Tranſlatum ab iis, qui non minutim & parce, ſed plena manu largiuntur. Cic. ad Attic. lib. 2. At hercle alter familiaris tuus Horatius, quam plena manu, quam ornate noſtras laudes in aſtra ſuſtulit. Seneca in Declamationibus: Liberalius hodie, & plena manu faciam. Idem in ludicro quod ſcripſit in Claudium Cæſarem: At Lacheſis, quæ & ipſa homini formoſiſſimo faveret, fecit illud plena manu, & Neroni multos annos donat. ſit lepidius, quo magis ad animi res transfertur.

Quod recte datum eſt.

Plato in Philebo oſtendit proverbium à poetis uſurpatum, Nō oportere repoſci, quod ſemel datum eſt: ἡμεῖς δὲ δὴ λέγωμεν, καί τὸ καλῶς λεγόμενον, δὶς καὶ τρὶς τό γε ὀρθῶς ἔχον ἐπαναπολεῖν. id eſt: Nos autem dicamus id quod ſolent pueri, quæ recte data ſunt, non licere rurſus eripi. Hoc eo dicebat, quod Socrates ſolet ab integro repetita diſputatione, quæ prius conceſſa fuerant, rurſus in dubium vocare. Simile quiddam & hodie jactatur inter pueros, ubi quis quod dedit, repoſcit. Adeo dicta hujuſmodi per tot ſecula, perq; tot nationes ad nos uſq; dimanarunt.

Pleno modo.

Ante dictum eſt nobis, Plena manu fieri, quod largiter, minimeq; maligne dicitur. M. Tull. ad Attic. lib. 6. Epiſt. 1 ſimillima figura dixit, pleno modo. Si illa jam habent pleno modo, verborum honorem, invitationem crebram, &c. Nam antea dixerat, ſe publicanorum uſuras affatim laudaſſe.

Pingui menſura.

Πίονι μέτρῳ, id eſt, Pingui menſura, dixit in eodem carmine, pro eo quod erat affatim & largiter.

—Μάλα γάρ σφιν πίονι μέτρῳ,
Δαίμων ἐκ χειρῶν ἀμάλλας ἀλωάς.

Id eſt:

Illis fortunante deo bona copia frugum
Arearum campos menſura implevit opima.

Simillimum eſt illi quod ante diximus, Plena manu: & Ambabus manibus.

Bis dat, qui cito dat.

Memini, ni fallor, apud Senecam alicubi legere: Bis dat, qui cito dat. Idem libr. De beneficiis 2. Ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit. Quæ ſententia monet, haud cunctanter, haud gravatim opitulādum amicis, cum opus eſt, ſed ultro nō expectatis precibus deferendum officium. Inter epigrammata Græca fertur & hoc diſtichon, nomine tituloq; Luciani:

Ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ,
Πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Id carmen Latine non poteſt commode verti, propter quod lepos & argutia epigrammatis ſit in hac voce χάρις: quæ Græcis aliquando beneficium ſignificat, aliquando gratiam, qua commendatur aliquid, aliquando deam ipſam. Citatur apud Auſonium ſententia Græca:

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.—

Eſt autem initium carminis Heroici, ex epigrammate quopiam, Tardum beneficium, ingratum eſt. Eam ille ſic vertit:

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namq;
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Rurſum aliter vertit idem:

Si bene quid facias, facias cito: nam cito factum
Gratum erit, ingratum gratia tarda facit.

Unde & Hector apud Euripidem in Rheſo, contemnit ac damnat auxilium ſero delatum amicis:

Μισῶ φίλοισιν ὕστερον βοηθεῖν.

Id eſt:

Odi equidem amicis ſerius ſuccurrere.

Extat & Mimus non invenuſtus in hanc eandem ſententiam:

Bis eſt gratum, quod opus eſt, ultro ſi offeras.

Item alter huic adſimilis:

Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Ambabus manibus haurire.

Ἀντλεῖν ἀμφοτέραις, id eſt, Haurire ambabus: ſubaudi, manibus. De iis dici conſuevit, qui ſummo conatu quippiam agunt. Itidem Ariſtophanes in Equitibus:

Καμφοῖν χεροῖν μυστίλαν τῶν δημοσίων.

Id eſt:

Utraq; manu bona diſpergens publica ſugit.

Huic confine eſt illud Homericum ex Iliad. η.

Id eſt:

Novi equidem clypeum dextra, lævaque movere.

Invenitur & illud, ἀμφοῖν ἀρύεσθαι, id eſt, ambabus manibus largiens: id eſt, affatim & prodige, aut etiam perbenigne. Plato in Sophiſta: καὶ τὸ λεγόμενον οὐ τῇ ἑτέρᾳ λαπτέον, ἀλλ' ἀμφοῖν χεροῖν. id eſt, Et quod dici ſolet, nequaquam altera prendendum manu, quin magis ambabus. Nonnihil ab hac forma recedere videtur, quod ſcriptum eſt apud Ariſtidem in Cimone, qui citat hunc locum ex hymno poetæ cujuſpiam. μέγα δ' ἔστενεν Ἀσία ὑπ' αὐτῷ πληγεῖσ' ἀμφοτέραις χερσί, κράτει πολέμου. id eſt, Graviter autem gemuit Aſia, ab illis percuſſa ambabus manibus, robore belli. Vicinius illud quod eſt apud eundem in oratione Panathenaica: ὁ δ' ἀμφοτέραιν τῇ χειρὶ παρῆν, ἄγων τοὺς μέχρι τῆς Ἀττικῆς Ἕλληνας ὁμοῦ καὶ βαρβάρους, id eſt, At ille utraq; aderat manu, ducens uſq; ad Atticam Græcos ſimul ac barbaros. Quanquam hoc loco poteſt etiam citra figuram dictum accipi, ut intelligamus vel de terreſtribus pariter ac maritimis copiis, vel de barbaris ac Græcis. Quando quidem & militum manum dicimus, ut apud Vergilium:

Juvenum manus emicat ardens.

De plena manu dictum eſt alias, quod Græci dicunt, ἐμπλεῖ χειρί, quaſi dicas, divite manu. unde & Cererem ἀμαίαν cognominant, quemadmodum nos Almam, quod affatim alat, & ὄμβριον ὕδωρ, quod copioſe nutriat.

Ipſo horreo.

Quod prolixe & affatim datur, ipſo horreo dari dicitur, quemadmodum ipſo caniſtro: propterea quod ex horreo plenius depromitur, quam è chœnice. Simile illi, ἐκ πίθου ἀντλεῖς id eſt, E dolio hauris.

Promus magis quam condus.

Sane quam elegans & proverbialis Auſonii dimeter Iambicus: Promuſq; quam condus magis. in quendam profuſiorem, qui parta prodigere noſſet, quæſita aut quæſita ſervare non noſſet. Sumpta metaphora à rei familiaris diſpenſatoribus, maximeq; penuariæ. quos Græci ταμίας vocant: quorum partes ſunt ad uſum familiæ promere, id eſt, proferre quædam: alia condere, hoc eſt, ſeponere. Jam qui tātum promit, is ad inopiam velis equiſq; properat. Plautus in Truculento, parce promos appellat, ſordidos ac tenaces, & qui ſumptum libenter effugiunt.

Larus in paludibus.

Λάρος ἐν ἕλει, id eſt, Larus in paludibus. Suidas ſcribit dictitatum de iis, qui faciles ſunt ad dandum. Dictum à Laro ave, quam eandem κέπφον appellari putāt: quanquam Theodorus Gaza hanc fulicam vertit, illam gaviam. Ea quoniam facile decipitur, illiciturque, proinde proverbio locum fecit.

Bona Porſenæ.

Bona Porſenæ dicebantur, quæ velut ab hoſtibus erepta parvō væneunt. Eam appellationem Livius ab urbe condita 2. ſcribit ad ſuam uſq; ætatem duraſſe: putatq; inde natam, quod in bello ſolebant bona Porſenæ venire Romæ, eaq; conſuetudo una cum titulo perſeverant & in pace: quod alioqui is mos hoſtiliter bona vendendi non congruat tam pacatæ regis profectioni. quod ſi minus probatur, exiſtimat eam conſuetudinem à mitiori principio fuiſſe natam. Illud arbitratur vero proximum, quod Porſena diſcedēs ab Janiculo ex fœderis lege, caſtra opulenta, convecto ex propinquis ac fertilibus Hetruriæ arvis commeatu, Romanis dono dedit, inopi tum urbe ab longinqua obſidione. Ea deinde ne populo immiſſo diriperentur, hoſtiliter veniſſe, bonaq; Porſenæ appellata: gratiam muneris magis ſignificante titulo, quam auctionem fortunæ regiæ. Fortaſſe non inepte dicetur in res quæ dono cujuſpiam, aut fortunæ commoditate, citra noſtram operam contingunt: Nam Livius non indicat uſum adagii.

De alieno liberalis.

De alieno facile largimur, de noſtris non item. Hanc ſententiam protulit Antinous in eodem libro:

—Ἐπεὶ οὔ τις ἐπίσχεσις οὐδ' ἐλεητύς
Ἀλλοτρίων χαρίσασθαι.—

Id eſt:

—Nam res largiri alienas,
Haud res ulla vetat, neq; enim piger.

Seneca Epiſtolarum libro 2. epiſtol. 16. Non eſt quod mireris animum meum, adhuc de alieno liberalis ſum. Ita Mitio in Adelphis Æſchino dicenti, Fac, promiſi ego illis: reſpondet, Promiſiſti autem? De te largitur puer.

Pp 2 Com-

Communis Mercurius.

Κοινὸς ὁ ἑρμῆς, id eſt, Communis Mercurius. Lucianus in Votis: [Greek illegible], id eſt, Itaq; quod paſſim in ore eſt omnibus, communis, ut ajunt, Mercurius, opeſq; in medium allatas depone. Plutarchus in libello, cui titulus, [Greek illegible], id eſt, Sed imperitia & inelegãtia communem Mercurium, cauponatorem & quæſtuoſum factum eſſe. Quidam hinc natam parœmiam arbitrantur, quod Mercurius, ut eſt furtorum autor ac repertor, primus oſtẽderit, quæ furto parta ſint, ea in medium communiter oportere deponere. Alii malunt huc referre, quod Mercurius ſit orationis autor, per quam inter homines omne commercii genus conſtat: unde & medios inter ſuperos atq; inferos à poëtis fingitur, pariter ſuperis dextrum gratus & imis: quod ſermo animi interpres, ſummos cum infimis, reges cum plebe conciliet. Extat ſuper hac re fabella non illepida Ariſtidis in 2. lib. quem adverſus Plat. conſcripſit, in defenſionem Rhetorices. Eam hoc magis libuit adſcribere, quod is autor haudquaquam adhuc vulgo notus eſt, [Greek illegible]. Quæ ſi quis Latine malit, ſenſum utcunq; reddemus. In initio cum recens eſſent homines nati, magnus inter hos ac reliqua animantia tumultus erat, perturbatioq; ſuper terram, propterea quod non poſſent invicem uti ſeſe. Nec enim ulla res intercedebat, quæ illos conciliaret: verum qui potentiores erant, opprimebant inferiores. Neque ſatis erant idonei, ut reliquis animantibus reſiſterent. Omnibus enim illis omni ex parte inferiores erant, aliaq; in re ab aliis vincebantur: veluti ab univerſo genere volucrum celeritate. Unde factum eſt, ut quod ait Homerus Pygmeis accidere à gruibus, id eum temporis paſſim à robuſtioribus avibus paterentur mortales. Rurſum quantum ad vires attinebat, longe ſuperabantur, & à leonibus, & ab apris, & aliis item compluribus. Atq; hunc in modum ſilentio peribant. Jam vero quoad munitionem ornatumq; corporis, non corvis modo, verumetiam cochleis cedebant: neq; cuiquam ex ipſo ſuppetebat, quod ad tuendam vitam erat opus. Itaq; cum ad eum modum interiret hominum genus, ac paulatim dilaberetur, Prometheus, ut ſemper eſt hominum ſtudioſus, orator aſcendit in cœlum, mortalium nomine: non ille quidem miſſus ab eis (neque enim dum id temporis legatos ullos erat cernere) ſed ipſe ultroneus abiit. At Jupiter, partim in gratiam Promethei, maxime qui juſta poſtulare videretur, partim negocio apud ſeſe conſiderato, filium Mercurium jubet ad homines deſcendere, Rhetoricen ſecum adducentem. Edixit autem ut eam mortalibus impertiret, non quemadmodum Prometheus omnibus ex æquo, ſenſus reliquaq; corporis membra, perinde quaſi theatralem pecuniam diſpertiens, ut omnes ex æquo Rhetorices eſſent participes, non aliter, quam loculorum, manuum ac pedum: ſed ut præſtantiſſimos quoſq; ingenioque generoſiſſimo & indole pollentiſſima præditos deligeret, atq; iis demum munus hoc impertiret, ut pariter & ſuam ipſorum & aliorum incolumitatem tueri poſſent. Porro poſteaquam Rhetorica jam ad mortales perveniſſet, cum negotium, quod habebant cum beluis moleſtiſſimum licebat effugere, tum vero deſierũt undequaq; inter ſeſe ſimultatem exercere, reperto cõmerciorum initio. Digreſſiq; de montibus alii in aliam orbis partem jungeban ur, principio quidem ſub dio viventes: poſt autem ubi verbis inter ſe communicaſſent, & civitatem condiderunt, ac diſtributi ſunt: non, quemadmodum antea, temere, verum in ordines plebis ac belli duces, ſanctiſq; legib. tum principes, tum Reip. ſtatum inſtituerunt. Diis munera cœperunt offerre, primitias auſpicantes ab oratione. Quibus nunc quoq; vel maxime gaudere deos conſentaneum eſt. Quandoquidem hac contigit, ut primum eſſe deos cognoſceremus. Hinc deinceps ita crevit homo, ut qui initio debilis fuerat atq; invalidus, poſtea in altum tolleretur: quique antea pro nihilo habitus, ac deſpectus erat, deinceps factus eſt omnium quæ ſunt in terra dominus, cui quib. uti liberet, jus eſſet, non alio propugnaculo ſibi parato quam oratione. Atq; hic nobis ſit fabulæ finis. Hactenus Ariſtides. Extat ſi ſatis commemini, fabella non diſſimilis apud Platon. in Protagora.

IVNII. *Theagenis munificentia.*

Θεαγένους μεγαλοφροσύνη καὶ [Greek illegible], id eſt, Theagenis magnanimitas & liberalitas, in proverbiũ verſa eſt, de inſigni & effuſa benignitate. Eunapius, ut opinor, apud Suidam de Hegia ampliſſimæ ſpei juvene: [Greek illegible], hoc eſt: Erat in Hegia magnanimitas quædam Theagenis in munificentia poſita. Fuit autem hic Theagenes, non is cujus apud Ariſtoph. pecuniæ proverbio locum dedere ad oſtentationem magnæ, at reipſa exiguæ, ſed ſub Imperatoribus Romanis, prætor Athenarum excelſo animo & honoris cupido, opibus præpotens, utpote qui calamitatibus nonnullorum oppidorum, ac dum egenis hominibus aliquot mederi poterit, [Greek illegible], id eſt, nõ una manu ſed ambab juxta proverbium, elargitus: [Greek illegible], erat enim ſupra modum donandi avidus, & quidem magna. Hujus pater Archiadas ſublata rapto ingenti pecuniæ vi, conſpicatus ſubtriſtem filium, jam tum puerum, bono illum eſſe animo juſſit, nihilq; facienda illam jacturam: quando ſi in Palladis ludos conſumenda ea fuerat, longe majores ſumptus facturi fuerint, iſtud vero cum jactura certamen multo eſſe cum honeſtius, tum ſplendidius. Ex quo apparet, qualem habuerit magiſtrum & magnanimitatis doctorem a puero Theagenes.

Canibus oſſa prodo.

Μηνύω κύνεσσι ὀστέα, id eſt, Canibus oſſa commonſtro. Proverbiũ eſt de eo, qui inimico ſuum patefacit conſilium: veluti ſi quis rivali amores ſuos detegat, aut litigator adverſario actionem ſuam indicet. Extat Epigram. lib. 7.

> [Greek illegible]
> [Greek illegible]

hoc eſt:

> Quid canibus prodo oſſa, loquacis præmia linguæ
> Quæ ſint teſtatur læ vis arundo Midæ.

De arundine Midæ fabula eſt apud Ovidium Metamor. 11. quam perſtrinxit & Petronius arbiter his verſibus:

> Sic commiſſa ferens, avidus reſerare miniſter,
> Fodit humum, regiſq; latentes prodidit aures:
> Concepit nam terra ſonum, calamiq; loquentes
> Invenere Midam, qualem conceperat index.

COGNATI. *De jure ſuo decedere.*

Verbum hoc uſitatiſſimum eſt, quando aliquid condonandum cõmites ſuademus, & non ſummo jure agendum, id eſt, ſtricto & rigido: quæ ſumma interdum eſt injuria, ut dixit Comicus. Cic. in Officiis lib. 2. Convenit autem in victoritatibus & conſiliis eſſe æquum & facilẽ. Eſt enim liberale paululum nonnunquam de ſuo jure decedere, & interdum fructuoſum. Idem pro Roſcio Amer. Iſto cauſam proferre non potes, tametſi ſtatim viciſſe debeo, tamen de meo jure decedam, & tibi quod in alia cauſa nõ concederem, in hac concedam, fretus hujus innocentia. Item ad Attic. lib. 16. Sed quum videas quantum de jure noſtro deceſſerimus. Brutus ad M. Antonium lib. 11. Dicitur & Remiſſius agere.

Mancipio dare.

Mancipio dare eſt rem mancipi, puta fundum, domum, equũ, ſervum alienare per traditionem, ita ut præſtare debeas emptori, aut per in jure ceſſionem. Res autem mancipi dicuntur, quarum dominium ab alio in alium transferri poteſt, quæq; alienari poſſunt. Mancipium dictum eſt a manu capiendo. Itaq; mancipio ea accepiſſe dicimur, quorum dominium nobis quæſitum eſt, ſeu quorum domini ſum, per abalienationem aliquam: videlicet per emptionem lege mancipi ſervata, aut per donationem. Cicero in Topic. Finge mancipio aliquem dediſſe id, quod mancipio dari non poteſt: num idcirco id ejus factum eſt, qui accepit: aut num is, qui mancipio dedit, ob eam rem ſe ulla re obligavit? Lucretius libro tertio.

> Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Id eſt:

(ut loquuntur Juriſconſulti) nulli datur vitæ proprietas, ſed uſus, aut uſus fructus tantum. Quod carmen ſupra memoravimus: ad quod lege, ſi vacas, quæ annotavimus.

Recte

Recte data, eripi non licet.

Nos itaq; dicimus quod pueri ſolent: Quæ recte data ſunt, eripi non licet. Data pro donis. Sic Ovidius de amore:

—Nullis flectitur ille datis.

POLYDORI VIRG. *Terra lacte & melle fluit.*

De terra amœna & ubere. Apes enim non niſi in Jovis floridis & lætis abundant, uti armenta non niſi in irriguis & pinguibus. Exod. iij Idem innuere voluit Moſes, cum dixit Judæos ſucturos eſſe mel de petra, & oleum de duriſſ. ſaxo. felix enim ille locus, & ſtatim dives, ubi ſaxa mel & oleum ſudant. Torqueri poterit ad homines induſtrios, qui ſua diligentia ſterilem terram reddūt fœcundam: ſtupidum hominis ingenium doctrina expoliūt: ex rebus, quæ incommodæ & inutiles ſunt aliis, ſua comparant commoda.

PETRI GODOFREDI. *In mari magni piſces capiuntur.*

Induſtrioſis magna commoda conſectanda in magnis & amplis urbibus, & ubi ingens populi confluxus. Mare quia magnum eſt, & ſpacioſum, magna alit animantia, majoraq; homini commoda exhibet quam fluvius quantumvis ingens; ſi mari comparetur, exiguus.

LIBERTAS, VERITAS.

ERASMI. *De plauſtro loqui.*

Libertas veteris comœdiæ eouſque progreſſa eſt, ut non ſolum civium primates, verumetiam deos nominatim taxaret. Id quod apparet ex Ariſtophane, qui in Pluto Jovem, Mercurium, Æſculapium, reliquoſq; deos omnes contumelioſe tractat. Bacchum item in Ranis, non admodum honorifice. Quoniam autem apud priſcos illos hujuſmodi fabulæ in plauſtris agebātur, à juvenibus, ore fece collito, ne poſſent agnoſci, qui magna licentia in obvium quenq; dicteria jaciebant: inde natum adagium, ὡς ἐξ ἁμάξης λαλεῖν, id eſt, Tanquam è plauſtro loqui, de his qui palam ac libere conviciantur. id notat Ariſtophanes in Nebulis, dicens: οὐ μὴ σκώψῃς, ἀλλὰ ποιήσεις ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι. id eſt, Non me ludes, nec tu facies ea quæ trygodæmones iſti. Niſi malumus hæc referre ad conſuetudinem, quæ poſterioribus etiam ſeculis duravit apud Athenienſes. Nam in feſto, quod Lenæum appellant, mos erat poëtas inter ſe concertare ſcriptis carminibus ad riſum concitando accommodatis, quæ ſedentes in plauſtris pronunciabant, invicem ſibi convicia dicentes. Sunt qui ad eleuſina ſacra, quæ magna vocantur, referunt: in quibus mulieres curru vehebantur, atq; interim dum veherentur, ex more mutuis conviciis ſeſe laceſſebāt. Lucianus in Jove tragœdo: [illegible]

[illegible]

Id eſt:

Ut nulli deorum parcit, verum è plauſtro libere loquitur,

Corripiens ſimul inſontem, pariterq; nocentem.

Objicit & Demoſthenes Æſchini, quod in ſe veluti de plauſtro dicenda & nō dicenda protuliſſet. Unde hoc ipſum, veteris comœdiæ licentia, proverbii quiddam ſapit. D. Hieronymus ad Ruſticum monachum: Ego enim neminem nominabo, nec veteris comœdiæ licentia certas perſonas eligam atq; perſtringam. Alluſit huc, opinor, Ariſtophanes in Equitibus:

Οἴμοι, σὺ δ' οὐδὲν ἐξ ἁμάξης λέγεις.

Id eſt:

Heu mihi, nihil tu loqueris è plauſtratio.

Siquidem ἁμαξουργοὶ vocantur plauſtrorum fabri.

Iubentis aperte loqui.

Si quem admonebimus, ut proferat doloris aut odii cauſas, neque celet in animo, non illepide dixerimus illud ex primo Iliados libro:

Ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα εἴδομεν ἄμφω.

Id eſt:

Eloquitor, ne celato, quo noi imus ambo.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Senarius eſt proverbialis apud Terentium in Andria, non admonens quid oporteat fieri, ſed oſtendens quid vulgo fiat. Vulgaris enim amicitia conſtat obſequiis. Nam invicem connivere ad familiarium vitia.

Hæc res & jungit, junctos & ſervat amicos.

At inter veros amicos, nihil eſt veritate jucundius, modo abſit aſperitas agreſtis & inconcinna graviſq;. Porro qui vulgo plurimis ſtudet amicus eſſe, moribus alterius obſecundet, caveatque juxta Perſium:

Auriculas teneras mordaci radere vero.

Non probari vero ſententiam hanc poëtæ, ſatis indicat cum ait, Namque hoc tempore: id eſt, his corruptis moribus. Eandem ſententiam in Adelphis idem aliter extulit: Ut homo eſt, ita ut quicas, ita morem geras. Donatus admonet proverbialiter dictū M. Tullius in ſermone De amicitia: Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria familiaris meus Terent. dixit.

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Moleſta veritas eſt, ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ. Sed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Pindarus in Nemeis hymno 5. [illegible] Sentit ſimplicem veritatem non ſemper ut eſt proferendam, quod damnoſa ſit: ſed ſapientis eſſe nonnunquam celare ſuam ſententiam, in tempore prolaturus, quum fructus ſpes oſtenditur. Apud Athenæum lib. v. citatur hic trimeter ex Agathone:

Εἰ μὲν φράσω σοι τἀληθές, οὐχ' εὐφρανῶ.

Εἰ δ' εὐφρανῶ τι, τἀληθὲς οὐχὶ φράσω.

Id eſt:

Si vera dicam, tibi voluptati haud ero:

Si ſim voluptati, haud tibi vera dixero.

Aſſeverantius dicere.

Audacius quippiam & aſſeverantius dicturi, quod nobis tamen ita videatur, adducemus illum eodem ex libro verſum, quo Helena utitur de Telemacho:

Ψεύσομαι, ἢ ἔτυμον ἐρέω; κέλεται δέ με θυμός.

Id eſt:

Mentiar, aut verum dicam: mens attamen ipſa

Imperat ut dicam.—

Idem carmen extat Iliad. κ.

Byzeni libertas.

Βυζήνιος παῤῥησία, id eſt, Byzeni libertas: ubi quis audacius liberiuſq; loquitur. A Byzeno quodam Neptuni filio, cui mos fuerit mira in dicendo libertate uti. Stephanus commemorat Βυζήνην Scythiæ civitatem: unde Byzeni. Ejus gentis peculiare eſt, intrepide loqui.

Non poſſum non dicere.

Ubi quis negat ſe reticere poſſe, quod habet in animo, feſtiviter accommodabit illud ex eodem libro.

Εὐξάμενός τι ἔπος ἐρέω· οἶνος γὰρ ἀνώγει

Ἠλεός.—

Id eſt:

Dicam equidem quiddam jactantius: urget enim me

Vinum amens.—

Eodem in loco quantum poſſit vinum, eleganter oſtendit Ulyſſes. Ita enim conſequitur:

—Ὅς τ' ἐφέηκε πολύφρονά περ μάλ' ἀεῖσαι,

Καί θ' ἁπαλὸν γελάσαι, καί τ' ὀρχήσασθαι ἀνῆκε,

Καί τι ἔπος προέηκεν ὅπερ τ' ἄῤῥητον ἄμεινον.

Id eſt:

Vinum quantumcunq; gravem atq; pudentem

Incitat ad cantum, ac tenerum ridere, choroſq;

Ducere compellit: nonnunquam quod tacuiſſe

Præſtiterat, reſerato effutit pectore dictum.

Et fama fuit, & eras.

—Ἦ μὲν καλός, ἀεὶ δ' ἦσθα.

Id eſt:

—Et dicebaris eraſque.

Hemiſtichion proverbiale, quoties facta reſpondent opinioni. Suidas meminit è poëta quopiam. Eſt enim fragmentum carminis heroici.

Aperto pectore.

Aperto pectore dicimus, pro eo quod eſt, vehementer ex animo citraq; fucum, quaſi reſudatis animi penetralibus. M. Tullius in libello De amicitia: In qua niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumq; oſtendas, nihil fidum. Plinius junior Fabato: Epiſtolarum quas mihi, ut ais, aperto pectore ſcripſiſti, oblviſci jubes: at ego nullarum libentius memini. Alluſum eſt autem ad Momi dictum, qui feneſtras in hominum pectore deſideraſſe fingitur, quo liceret inſpicere, quidnam in ſpecubus illis reconditum eſſet. Perſius in quinta ſatyra:

Ut quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,

Voce traham pura, totumq; hæc verba reſignent

Quod latet arcana non enarrabile fibra.

Similiter apud Naſonem Phœbus:

———Aſpice vultus

Ecce meos, utinamq; oculos in pectore poſſes

Inſerere, & patrias intus deprendere curas.

Aperte ſimpliciterq; loqui.

Simpliciter & aperte dicturos eos, citraq; ambages, ſignificabimus hoc carmine, quod eſt in eodem libro:

———Οὐ μὲν ἐγὼ σέ γε

Ἀλλ' ἐπιρρέξαιμι παρέξ εἰπεῖν, οὐδ' ἀπατήσω.

Id eſt:

Non facis te diſſimulans decepero victis:

Veritatis ſimplex oratio.

Refertur in Diogeniani collectaneis hoc adagium. Extat autem in Phœniſſis Euripidis ad hunc modum,

> Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ,
> Κοὐ ποικίλων δεῖ τἄνδιχ' ἑρμηνευμάτων.
> Ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρόν· ὁ δ' ἄδικος λόγος
> Νοσῶν ἐν αὑτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν.

Id eſt:

> Nam veritatis ſuevit eſſe oratio
> Simplex, vafris nec eſt egens ambagibus
> Interpretum: ſiquidem ipſa per ſe congruit.
> At ſermo iniquus, quia per ſe ſit morbidus,
> Medicamenta exquiſita depoſcit ſibi.

Citatur a Seneca epiſt. 49. Nam, ut ille ait tragicus, veritatis ſimplex oratio eſt. Proverbium uſurpabitur, vel in rhetores ac poetas, qui mendacia verborum lenociniis fucare ſolent: vel in blandiloquos, qui quod non ex animo dicant ſolent accuratius adornare ſermonem, ac veros affectus hoc diligentius imitari verbis, quo magis vacant affectibus:

> (Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
> Ac faciunt prope plura dolentibus ex animo:

cum interim ſimplex illa ruſticanaq; veritas, negligat id genus orationis fucos, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην, id eſt, Ficus ficus, ligonem ligonem appellans.) vel in divinos, qui vaticinia ſua verbis ambiguis efferunt, ne queant deprehendi, ſitq; rima quæpiam per quam elabantur. Deniq; in eos qui perplexe loquuntur, dum verum diſſimulant. Nam hoc indicio ſæpenumero deprehenditur vanitas, velut in Eunucho Terentiana:

> Pergin' ſcelesta mecum perplexe loqui?
> Scio, neſcio, abiit, audivi, ego non adfui.
> Non tu iſthuc mihi dictura aperte es, quicquid eſt?

Ad cribrum dicta.

Τὰ ἀπὸ κοσκίνου, id eſt, Ad cribrum dicta. Quæ vera compertaque videri vellent, ad hunc appellabant modum. Transumptum illi, ἀπὸ κοσκινομαντείας. Sumptum a divinationis genere, quod ſuſpenſo circumactoq; cribro peragebatur, quemadmodum alias indicavimus ex Ariſtotele & Luciano.

Curetum os.

Κουρήτων στόμα, id eſt, Curetum os. Dici ſolitum, ſi quando quis numine afflatus loqui videretur: propterea quod Curetes Cybeles comites furore quodam ſacro perciti, divinare viderentur. Refertur a Zenodoto. Meminit & Heſychius.

Quod in animo ſobrii, id eſt, in lingua ebrii.

Τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώττης ἐστὶ τοῦ μεθύοντος, id eſt, Quod in corde ſobrii, id eſt in lingua ebrii. Proverbialis ſententia quam refert in collectaneis Diogenianus. Uſurpat Plutarchus, idque proverbii nomine, in libello cui titulus, περὶ ἀδολεσχίας. Nec prætereundum illud Herodoticum: οἴνου κατιόντος ἐπιπλέουσιν ἔπεα, id eſt, Subſidente vino, ſupernatant verba. Nam ſobrios aut metus aut pudor cohibet, quo minus efflutiant ea quæ ſatius putarint ſuppreſſiſſe. At vinum & pudorem adimit, & timorem abigit. Unde fit, ut temulenti ſæpenumero non contineant voces per jugulum redituras. Pindarus in Nemeis, θρασὺ δὲ παρὰ κρατῆρα φωνὰ γίνεται, id eſt, Audax juxta craterem vox fit. ſive quod vinum adfert confidentiam: ſive quod in convivio tutum eſt, magnifice loqui. ſive quod qui vicit, merito citraq; periculum laudatur.

In vino veritas.

Ἐν οἴνῳ ἀλήθεια, id eſt, In vino veritas, paſſim apud autores uſurpatum adagium: ſignificans ebrietatem animi fucum tollere, & quicquid in pectore conditum eſt, in apertum proferre. Unde divinæ literæ vetant vinum dari regibus: quod ibi nullum ſit arcanum, ubi regnet ebrietas. Plin. lib. 14. cap. 22. ſcripſit, vinum uſque adeo mentis arcana prodere, ut mortifera etiam inter pocula loquantur homines, & ne per jugulum quidem redituras voces contineant: vulgoque, inquit, veritas attributa vino eſt. Celebratur & Perſæ cujuſdam apophthegma, qui negavit tormentis opus eſſe ad exquirendum verum: vino enim rectius elici. quod approbans Horatius in Odis:

> Tu lene, inquit, tormentum ingenio admoves
> Plerumq; duro, tu ſapientium
> Curas, & arcanum jocoſo
> Conſilium retegis Lyæo.

Idem in arte poëtica:

> Reges dicuntur multis urgere culullis,
> Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborent,
> An ſit amicitia dignus.——

Rurſum alibi:

> Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.

Affertur & ad hunc modum apud Athenæum lib. 2. parœmiarum, οἶνος καὶ ἀλήθεια, id eſt, Vinum & veritas: Quod largius poti non tantū efflutiunt ſua arcana, verumetiam audacius in alios loquuntur. Apud Plutarchum in vita Artaxerxis, Sparamixas Mithridati per vinum quiddam inſolentius eloquuto: φθόνος μὲν οὐδεὶς ὦ Μιθριδάτα, ἐπεὶ δὲ ... [illegible] ... ἀληθεύειν, id eſt, Nulla quidem invidia eſt ô Mithridates, cæterum quando Græci dicunt, vinum & veritatem eſſe, &c. Celebratur à Græcis hæc quoq; ſententia proverbialis: Τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος ἐπὶ τῆς γλώττης τοῦ μεθύοντος, id eſt, Quod in corde ſobrii, id in lingua ebrii. Theognis:

> Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
> Γινώσκουσ', ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον.

Id eſt:

> Aurum aut argentum fabris dignoſcitur igni:
> Vinum hominis prodens arguit ingenium.

Athenæus hunc ſenarium citat ex Euripide:

> Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ.

Id eſt:

> Forma ære lucet, vina produnt pectora.

Apud eundem Ephippus:

> Οἶνος πολὺς πολλ' ἀναγκάζει λαλεῖν.
> Οὔκουν τοὺς μεθύοντας φασὶν ἀληθῆ λέγειν.

Id eſt:

> Vis multa vini, multa te cogit loqui,
> Loqui proinde vera dicunt ebrios.

At idem lib. 10. refert Anacharſidis dictum, ὅτι ψευδεῖς δόξαι τοῖς μεθύουσι γίγνονται, id eſt, quod falſæ opiniones accidunt temulentis. Ac mox narrat quiddam haud infeſtivum. Quidam e convivis dixerat Anacharſidi: Uxorem duxiſti admodum deformem. At ille: Prorſus, inquit, idem mihi videtur. Sed heus puer, porrige poculū meracius, ut illam faciam formoſam. Non ſolum igitur amantes, verumetiam ebrio τὰ μὴ καλὰ καλὰ πεφάνται: quemadmodum inquit Theocritus. Atqui verum qui poteſt dicere, qui labitur recti judicio? Sed veritas nō ſemper reſpondet mendacio, verum interdum ſimulationi. Poteſt autem fieri, ut ex animo loquatur, qui tamen falſum dicat: & verum dicat, qui non vere loquatur. Poſtremo proverbium non ſonat de inſana temulentia, quæ facit, ut quæ fixa ſunt, videantur ambulare: & quæ ſimplicia videātur multiplicia: ſed de moderata, quæ dyſopiam ac fucum excutit. Alcibiades in Sympoſio Platonis: τὸ δ' ἐντεῦθεν οὐκ ἄν μου ἠκούσατε λέγοντος, εἰ μὴ πρῶτον μὲν, τὸ λεγόμενον, οἶνος ἄνευ τε παίδων καὶ μετὰ παίδων ἦν ἀληθής, id eſt, Quæ vero nunc ſequuntur, nō prius audiretis, quam proverbium illud revolueritis: Vinum & cum pueritia, & ſine pueritia, veridicum eſt. Quibus ex verbis liquet, idem de pueritia quod de vino, proverbio jactatum fuiſſe. Durat & hodie vulgo tale proverbium, non audiri verum, niſi a tribus hominum generibus, pueris, ebriis, & inſanis. Huc adſcribendum arbitror verſiculum illum proverbialem:

> Γλῶσσ' ἁμαρτάνουσα τἀληθῆ λέγει.

Id eſt:

> Verum, ſolet prolapſa lingua dicere.

Nam verum eſſe creditur, quod exciderit imprudenti, quandoquidem id demum vacat fictionis ſuſpicione. Ex hujuſmodi lapſu colliguntur & omnia certioris fidei:

> Sæpe Neoptolemi pro nomine nomen Oreſtis
> Exit & errorem vocis ut omen amo.

Deniq; M. Tullius in Topicis, inter ea quæ certam faciunt fidem, commemorat pueritiam, ſomnum, imprudentiam, vinolentiam, inſaniam.

Emendus cui imperes.

Cuiq; in ſuos ſervos imperioſum eſſe licet: in alienos aut in liberos non item. Ita Plaut. Stalin. in Trinum hero imperioſius revocanti, quem herum eſſe neſciebat, aut ſcite diſſimulabat: Emere, inquit, melius eſt cui imperes. Item in Perſa: Emere oportet quem tibi obedire velis. Huc pertinet illud Theocriticum, quod alibi recenſuimus: Non ſum ſollicita ne mihi vacuam abſtergeas. Mulier indigne ferr objurgari ab illo, cui non erat ancilla nec uxor. Addit ad illud: Συρακοσίαις ἐπιτάσσεις, id eſt, Syracuſanis mulieribus imperas. hoc eſt non tuis, ſed liberis.

Libero lecto nihil jucundius.

M. Tullius ad Att. lib. 14. epiſtol. cujus initium, O mi Attice, de Quinto loquens. A ducenda autem uxore ſic abhorrens, ut libero lectulo neget quicquam eſſe jucūdius, &c. Expertus fuerat Quintus uxorem: ea mortua torquebatur etiā magna cura de dentitione dotis. Cœlibem itaq; vitam judicabat eſſe ſuaviſſimam. Eam appellat lectulum liberum. Siquidem, ut ait Juvenalis, Minimum dormitur in illo lecto, in quo nupta jaces.

Oracula loqui.

Χρησμοὺς λέγειν, id eſt, Oracula loqui, dicuntur qui certa & indubitata loquuntur. Theocritus in Syracuſiis.

> Χρησμὼς ἁ πρεσβῦτις ἀπῴχετο θεσπίξασα.

Id eſt:

> Hæc anus abſceſſit, divorum oracla loquuta.

Τὰ ἐκ τρίποδος, alias dictum eſt: &, Sibyllæ folium. M. Tull. ad Brutum epiſt. cujus initium, Scripta & obſignata jam: Hæc ex oraculo Apollinis Pythii edita tibi puta. Idem De finibus 5. Quia quum à Zenone, inquam, hoc magnifice tanquam ex oraculo editur, virtus ad beate vivendum ſeipſa contenta eſt.

Vera fronte.

Quæ ex animo, citraq; fucum dicuntur geruntūrve, vera fronte fieri dicūtur. M. Tul. pro C. Rabirio. At ſi verum tum veriſſima fronte dixerunt, nunc mentiūtur: ſi nunc mentiti ſunt, doceāt nos verum. Contra, dicemus mentiri fronte fieri, quod agitur per ſimulationem. Quemadmodum M. Tullius ad Qu. fratrem, ſi non

fallit

falſit titulus, ait: Frons, oculi, vultus perſepe mentiuntur, oratio vero ſæpiſſime. Frons & oculi maxime declarant animi affectum: nam verba fingere non eſt difficile, ſed, ut ait Ovidius, per difficile eſt crimen non prodere vultu. Et apud Maronem Dido:

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Terentius in Sene ſeipſum excruciante: Vah, etiam vultus fingit carnifex. Et in Phormione Geta componit vultum Antiphonis in congreſſum patris, quem tamen retinere non potuit.

Vero verius.

Quum nihil poſſit eſſe vero verius, tamen proverbiali tropo dicimus vero verius, quod prorſus indubitatum haberi volumus. Martialis in Gallicum quendam, cui ex more ſæpe repetebatur illud:

Dic verum mihi Marce, dic amabo:
Vero verius, inquit: ergo quod ſit, audi:
Verum Gallice non libenter audis.

Non diſſimili forma dicimus Certo certius, quanquam nihil probabile aliud alio certius eſſe. Ulpianus lib. Pandect. 23. tit. de teſtamentaria tutela: Teſtamento datos ſponſores non eſſe cogendos ſatiſdare rem ſalvam fore, certo certius eſt.

Ficus ficus, ligonem ligonem vocat.

Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων.

Id eſt:

Ficuſque ficus, ac ligonem nominans
Ligonem. ———

Senarius comœdiis Ariſtophanis in adagionem traductus. Quadrat in eum, qui ſimplici & ruſticana utens veritate, rem ut eſt narrat, nullis verborum ambagibus aut phaleris obvolvens. Sunt enim apud Rhetores figuræ quædam, quibus fit ut turpia honeſte, aſpera molliter, ſuperba modeſte, mordacia blande dicantur. At qui craſſiore ſunt Minerva, rudius ac planius eloquuntur, ſuo quicq; nomine ſignantes. Lucianus in Jove tragœdo: ἐγὼ δὲ ὡς ὁ κωμικὸς ἔφη, ἄγροικός εἰμι, τὴν σκάφην σκάφην λέγων, i. e. Nā ego, quēmadmodū ait Comicus, ruſticanus ſum, & ligonem ligonem appello. Rurſum in præceptis hiſtoriæ ſcribendæ, vult ſcriptorem liberum & incorruptum eſſe, qui rem, ut eſt geſta, narrans, ficus ficus appellet, ligonem, ligonem. Invenitur ad hunc quoq; modum: τὰ σῦκα σῦκα λέγω, καὶ τὴν κάρδοπον κάρδοπον, id eſt, Ficus ficus voco, panarium panarium. Ariſtophanes in Nebulis:

Οὐκ ἂν ἀποδοίην οὐδ' ἂν ὀβολὸν οὐδενὶ,
Ὅστις καλέσειε κάρδοπον τὴν καρδόπην.

Id eſt:

Ego nec obolum cuipiam perſolverim,
Qui cardopum tantum vocarit cardopam.

Cardopus arca panaria. Cæterum poeta facit Socratem nugantem, qui contendat, non eſſe dicendum κάρδοπον, quemadmodum dicebat Cleonymus, sed καρδόπην, ὥσπερ καλεῖς, inquit, τὴν σωστράτην.

Profundum ſulcum.

Βαθεῖαν αὔλακα, id eſt, Profundum ſulcum. Refertur & hoc in adagiorum Collectaneis: addunt dictum de iis, qui cogitationib' profundis ac penitioribus rem expenderent. Sumptum eſt autem ex Æſchyli tragœdia, cui titulus, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, in qua verſus hi dicuntur de Amphiarao:

Βαθεῖαν αὔλακα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.

Id eſt:

Sulco è profundo pectoris fructum metens,
Rectæ unde cogitationes germinant.

Citatur aliquot locis in Moralibus a Plutarcho, & à Platone ſecundo de Republica libr. Alluſit ad hoc proverbium aliquot locis M. Tullius: ut in epiſtola ad Atticum libro quarto. Ne βαθύτης mea, quæ in agendo apparuit, in ſcribendo ſit occultior. Rurſus libr. 5. Admirabere meam βαθύτητα, cum ſalvi redierimus: tanta mihi μελέτη hujus virtutis datur. Rurſum lib 6. epiſt 1. Nam nulla te ſum delectatos magis: quam meam βαθύτητα in Appio tibi liberalitatem in Bruto probari vehementer gaudeo. Mihi videtur recte quadratorum & ineos, qui ſe metiuntur non ex aliorum opinione, ſed ex recte ſecuſve factorum conſcientia.

Os ineſt orationi.

Ὀστοῦν ἔνεστι τῷ λόγῳ, id eſt, Sermoni ineſt os ac vigor. De oratione non inani, ſed ſolidas habente ſententias. Dictum hoc Themiſtocli tribuitur, videtur e poeta quopiam deſumptum. Eſt enim Iambicus dimeter. Quintilianus item rerum inventionem appellat orationis oſſa, ſumpta ſimilitudine ab animantium corporib', quæ oſſibus ſuſtinentur, colligantur nervis, veſtiuntur carnibus & pelle, cohærent anima, moventur actu.

Audi quæ ex animo dicuntur.

Ἄκουε τ' ἀπὸ καρδίας, id eſt, Audi quæ dicuntur ex animo. Nam ſeria, quæque citra diſſimulationem dicuntur, ex animo dici dicuntur: eaq; ex corde proficiſci vulgus ait. Lucian. in Jove Tragœdo, ἀκούσατ' οὖν ἀπὸ καρδίας, τὸ τοῦ λόγου, id eſt, Itaq; audite dii, nimirum ex animo dicenda, ſicuti proverbio dicitur. Nam adulatorum & ſimulantium oratio in faucibus naſcitur, non in corde. Plutarchus in commentario quem inſcripſit, Quo pacto quis poſſit aſſentatorem ab amico dignoſcere, refert hos ſenarios:

Ἐμοὶ γὰρ εἴη πτωχὸς εἰ δὲ βούλεται
Πτωχὸς γενέσθαι, ὅστις ἂν ἀφθόνως ἐμοὶ
Φόβου παρέντος τ' ἀπὸ καρδίας λέγῃ.

Id eſt:

Mendicus utinam ſit mihi, vel ſi libet.
Mendicum & infra, qui mihi volens bene
Timore poſito, poſſit ex animo loqui.

Addit hoc haud facile dici a divitibus, ac principibus, quibus modis omnibus eſt inviſa veritas: neq; quicquam ferunt aures delicatæ, niſi quod aſſentatione multa conditum ſit, & adulationem ſapiat. Ad hanc figuram pertinet illud Plautinum, Corde amare: itē illud Perſequi corde, animo & viribus, utrunq; eſt in Captivi duo. Contrarium eſt huic, A ſummis labris: pro eo quod eſt, non ex animo. Seneca in Epiſt. ad Lucilium: Non a ſummis labris iſta veniunt.

Liberi poetæ & pictores.

Lucianus in dialogo quem inſcri, ſit, περὶ τῶν εἰκόνων, καὶ τι παλαιὸς οὗτος ὁ λόγος, ἀνευθύνους εἶναι ποιητὰς καὶ γραφέας, id eſt, Atqui vetus hoc dictum eſt, liberos eſſe poetas ac pictores. Idem in Demoſthenis Encomio, τὸ μὲν δὴ ποιητικὸν φῦλον ἐλεύθερον, id eſt, Atqui poeticum genus liberum. Sentit autem liberum eſſe poetis & pictoribus impune, quicquid velint fingere: εὐθύνη, Græcis eſt cauſa ſive accuſatio. Magiſtratum itaque de quo cogebatur rationem reddere qui ſuſceperat, ὑπεύθυνον appellabant, liberum autē, & de quo non exigebatur ratio, ἀνεύθυνον. Indicat hoc Æſchinis oratio adverſus Cteſiphontem. Diphilus apud Athenæum lib. 6.
de poetis:

——Οἷς ἐξουσία
Ἐστὶ λέγειν πάντα καὶ ποιεῖν μόνοις

Id eſt:

——Quibus licet,
Et facere ſolis quidlibet atque dicere.

At quod alluſit Horatius, cum ait:

——Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Nam poetæ num nec agi mnt coq; illis fruſtra præſcribas. Seneca lib. De vita beata. j. Sive Platoni, inquit, credimus, fruſtra poeticas fores compos ſui pepulit: ſive Ariſtoteli, nullum magnum ingenium ſine mixtura dementiæ fuit. Eſt autem plurimum cognationis inter poeticen & picturam. Hinc eſt quod Simonides, autore Plutarcho, τὴν μὲν ζωγραφίαν ποίησιν σιωπῶσαν προσαγορεύει, τὴν δὲ ποίησιν ζωγραφίαν λαλοῦσαν, id eſt, Picturam tacitam poeſim appellavit, poeſim autem loquentem picturam. Proinde Horatius:

Ut pictura poeſis erit. ———

Torqueri poteſt in eos, qui pertinaci & obſtinato ſunt ingenio, quoſq; neceſſe ſit ſuis moribus relinquere: aut in mulieres, quibus nihil non permittitur: aut in principes, quibus omnia laudi dantur.

Libera Corcyra caca ubi libet.

Ἐλευθέρα Κέρκυρα, χέζ' ὅπου θέλεις, id eſt, Corcyra libera, pro in cacato ubi velis. Cum ſignificamus libertatem quidvis agendi. Citatur ab Euſtathio in Dionyſium: ſed magis quadrabit, ubi ſignificabimus impunitatem eſſe maleficiis. Hic non abſurde puto referri poſſe quod Plutarchus narrat. Chii quidam, quum apud Spartanos peregrinarentur, à cœna non ſolum vomuerunt, verum etiam incacarunt in ſellas Ephororum. Primum diligenter inquiſitum eſt, quinam eſſent tanti facinoris autores: daturi nimirum pœnas, ſi cives eſſent. Cæterum ubi compertum eſt factum a Chiis, Spartani dicebant, Chiis licere intemperantes agere.

Ter.

Ne illud quidem figura proverbiali vacat, quod Græci numeri additione rem amplificant, maxime ternionis: fortaſſis quod is apud priſcos & abſolutiſſimus & ſacer habebatur: ut quicquid ter dictum aut factum eſſet, id ratum & efficax haberetur, unde in magnorum myſteriis adhiberi ſolitus. Vergilius in Pharmaceutria,

Terna tibi hæc primum triplici diverſa colore
Licia circundo, terque hæc altaria circum
Effigiem duco, numero deus impare gaudet.

Et apud Theocritum in ejuſdem tituli carmine:

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ.

Id eſt:

Ter libo, ter & hæc pronuncio myſtica verba.

Item in ceremoniis funebribus,

—— Et ſupremum ter voce ciemus.

Apud Euripidem in Hecuba præco ter iterato verbo ſilentium indicit,

Σιγᾶτ' Ἀχαιοί, σῖγα πᾶς ἔστω λεώς,
Σίγα, σιώπα.

Id eſt:

Silete Achivi, populus omnis ſit ſilens
Taciturnitate ſilentioque.

Ariſtophanes in Ranis.

Τί οὖν ἀπαυδῶ, κ' αὖθις ἀπαυδῶ, κ' αὖθις μάλ' ἀπαυδῶ.

Id eſt:

Iſtis recuſo, iterumque recuſo, rurſum valde recuſo.

Paſſimq; legitur non ſolum apud poetas, verum etiam oratores. τρὶς μακάριος, τρὶς κακοδαίμων, τρὶς μάκαρες, τρὶς ἄθλιος, id eſt, Ter ſceleſtus, ter execrabilis, ter beatus, ter maximus ter infelix. Quod Latini duntaxat in carmine ſunt imitati. Vergilius.

—O terque quaterque beati. Ovidius:

Omnia bis dices vera fuiſſe mea.

Eſt illud etiam nunc vulgo familiare, ut ſi quid aſſeverent vehementius, id ter repetant: ut hinc etiam adagium ortum videri poſſit. Strabo libro Geographiæ primo, quod Homerus ſcribit, Charybdim ter in die reddere quod abſorbuit, ter reſorbere, quum conſtet id nõ fieri niſi bis in die, excuſat hac hyperbole, quaſi τρὶς nõ ſonet hic numerum, ſed vehementiam. Ad hanc ſermonis formam pertinet quod eſt apud Platonem libr. de repub. x. καὶ τὰ ἄλλα ... τρίτα ἀπὸ τῆς ἀληθείας ... id eſt, Et quum videnturillorum opera, non intelligunt ea tertio gradu abeſſe à veris. Agit de iis qui è poetis ſumunt recte vivendi rationem, quum illi pro veris tradant phantaſmata. Durat hujus ſermonis veſtigiũ & hodiernis diebus in lingua Gallica, qui hujus ſyllabæ adjectione è comparativo faciunt ſuperlativum, niſi quod in verſis literis, reſonant pro ter.

EX APPEND. ERASMI.

Vinum, equus poetæ.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ.

Sane magnus equus lepido ſunt vina poetæ.

Athen. Ingenia, ſi premantur moleſtiis ſterileſcũt, & tenebricoſa fiunt: ſin libera ſint curis nihil iis divinius, lepidius, & admirãdum magis Adagium ad aliũ traduci uſum poteſt, ut habeatur proverbio, Aquam bibens nihil boni parias.

Vinum animi ſpeculum.

Κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ. Forma ære lucet, vina produnt pectora. Ath. τὸ ἐν τῇ καρδίᾳ τοῦ νήφοντος, ἐπὶ τῆς γλώσσης τοῦ μεθύοντος. Quod in corde ſobrii, id in lingua eſt ebrii. Non abſimilis & ille verſus prover.

Η γλῶσσ' ἀμαρτάνουσα τ' ἀληθῆ λέγει.

Verum ſolet prolapſi lingua dicere.

Vide alibi, Vinum animi ſpeculum: &, In vino veritas.

IVNII. Οὐκ ὄναρ ἀλλ' ὕπαρ.

Penelopes dictum fuit apud Homerum Odyſſ. xx. ſomnio viſi nocturni fidem faciente:

—Οὐκ ὄναρ, ἀλλ' ὕπαρ ἐσθλόν.

Id eſt:

Non ſomnium eſt, ſed res vera.

Euſtathius ibi admonet proverbialiter efferri de re neutiquam ficta, ſed manifeſta Sunt autem inter ſe contraria, ὄναρ & ὕπαρ. illud ab οὐ καὶ ἀρετῇ quod rei veritatem aboleat: hoc vero ab ὕπνου ... quod ſomnium deſtruat, ut ὕπαρ ſit ſomni abolitio per vigilantiam: at ὄναρ, ejus quod revera ſubſiſtit, abolitio. Hippocr. in leges ... ὄναρ καὶ ὕπαρ. i. Inſcitia eſt malus theſaurus & male repoſitæ opes iis qui eam habent, tam vigilantibus quam dormientibus, qui locus ab Jano Cornario doctiſſimo homine, & cujus judicium in pleriſq; maximi feci ſemper, quam bene ſit verſus, ignoro. Ita autem vertit: Imperitia vero malus theſaurus eſt, & infelices opes iis qui eam repoſitam habent, & inſomnium, aut potius ſomnium diurnum, & maxime verum. Plato lib. ij. de Repub. ὁ θεὸς ἁπλοῦν καὶ ἀληθὲς ... οὔτε ὕπαρ οὔτ' ὄναρ, id eſt, Deus ſimplex quiddam eſt & verum, neq; aliis imponit, neq; vigilando, neque dormiendo. Heliodorus lib. ij. εἴθε γένοιτο ... καὶ μὴ ὄναρ. i. Utinam certa viſio foret, haud ſomnium, id eſt: Utinam quod ſomnia vi, ita ſe haberet revera. Ariſtides ὡς ὕπαρ τὸ ... ἐμαυτῷ. id eſt, Somnium rem eſſe veram, apud me perpende tis. Huic ſimile eſt illud, ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος tes vera pro ſomnio. Plato lib. De regno. ... ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος γίγνεται. id eſt, Rurſus periculum factum, ut per exemplum arte diſcamus rempub. mederi, ut pro ſomnio vera viſio nobis exiſtat. Idem in tertia epiſtola ad Dionyſium: διὰ τὸ τότε ... ὕπαρ ἀντ' ὀνείρατος γέγονεν id eſt. Itaq; quod tunc petulante lingua in medeſtom jactatus es, nunc vice ſomnii extitit vera quædam viſio. Diverſum huic eſt, οὐδ' ὄναρ, Ne per ſomnium quidem: quo utitur Lyſis Pythagoræus ad Hipparchum. ... id eſt, Non eſſe communicanda ſapientiæ bona iis, qui ne per ſomnium quidem expurgatum habeant animum. Philo Judæus libello, Quod boni omnes liberi ſint, οὐδ' ὄναρ ... Qui ne per ſomnium quidem artes attigerit. Euripides in Cercyone fabula loquens de Neptuno:

Πλήσας δὲ ... οὐδ' ὄναρ κατ' ...

Φίλοις ... —

hoc eſt. Saburrato ventre ne per ſomnium quidem in nocte amicis exhibuit. Galenus lib. 2. De natural. facultat. ... οὐδ' ὄναρ ... id eſt, Si vel per ſomnium cum Peripateticis aliquando fuiſſe verſatur.

Veriora Bacidis dictis.

Ἀληθέστερα τῶν Βάκιδος ἀπόλλωνος, Veriora Sibyllinis aut Bacidis oraculis. De rebus indubitatis, minimeq; cõtroverſis. Divũ Chryſoſtomus. οὐδ' ἀληθέστερα λέγω τῶν Σιβύλλης ἀπόλλωνος. Ne ſi veriora quidem dicero quam Sibyllæ dicta ſint aut Bacidis. Fuit Bacis ex iis, quos χρησμολόγους velut fatidicos Græci nominant, ut in Theage oſtendit Plato. χρησμολόγον oraculorum concentorem appellat Suidas, carminibus luſtralibus expiaſſe illum fanaticas Lacænas, relatum eſt a Theopompo in nono Philippicarum. Pauſanias in Phocicis commemorat, lecta ſibi eſſe Bacidis oracula, atq; ptitiumque nympharum vocat, meminit ejuſdem & in Bœoticis. Philetas Epheſius tres enumerat Sibyllas: unam Apollinis ſororem, alteram Erythræam, tertiam Sardianam: totidemq; Bacides quorum primus oriundus fuerit Eleone Bœotiæ oppido, alter Athenienſis, tertius Areas. Fuit autem is, quem diximus Lacedæmoniorum fœminas ab inſania liberaſſe, Apollinis juſſu immiſſum, genere Bœotius.

Libera in Cynadra aqua.

Ἐν Κυνάδρᾳ ἐλεύθερον ὕδωρ, id eſt, Libera in Cynadra aqua Proverbium eſt ad viræ libertatem adhortatorium. Nam quum libertas res ſit inæſtimabilis, ſecura dulciuſq; aqua vivitur in libertate, quam in magna rerum abundantia ſervitur. Vere inquit Perſius, liberum eſſe cui vitam ducere licet, ut voluit. Eſt autem Cynadra, fons Argis à perfugio canis, nomen habens. Meminit proverbii Euſtathius Odyſſeæ r. Annotat & author Etymologici. Argis fuiſſe ἐλεύθερον ὕδωρ, id eſt, liberalem aquam, è qua ſervi qui in libertatem aſſerabantur, poculum hauriebant: unde etiam Cerberum canem inferni tricipitem bibiſſe, liberumque fuiſſe fabulantur, à cujus forte perfugio fonti Cynadræ nomen creatum fuit.

In cavea non canit luſcinia.

Ἡ ἀηδὼν ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδει, id eſt, In cavea non canit luſcinia: proverbio ſignificatur, ingenii libertate nihil eſſe præſtantius ad res agendas, propterea quod ſervilis conditio animi ſinum coarctet quodammodo ac præludat, præclare enim dictum eſt ab Homero Odyſſ. ρ

Ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεύς

Ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

Id eſt:

Dimidio ingenii non æquus Juppiter orbat,

Servilis quem forte premit conditio vitæ.

Recte quoq; Philon Judæus, ... id eſt, Homini libero nihil ſervitute intolerabilius eſt Scopelianum ſophiſtam obſecrarant Clazomenii, ut domi ſuæ profiteretur, ſperantes ejus doctrina celebres fore Clazomenas: horum petitionem rejiciens ille, eas obſtruxit per commode, dictitans incluſam caveæ luſciniam non canere. Græca Philoſth. verba ſunt, ... h. e eſt, & invenuſte deprecatus fuit. Luſcinia, inquiens, non cantillat in cavea. Luſciniæ tale ingenium eſt, ut non niſi libero aero modulatur, capta, caveæq; cancellis immiſſa obmuteſcat, quanquam audio in vetum eſſe apud nos, qui arte quadam erudiat luſcinias, ut in caveis canant.

Xenocratis teſtimonium.

De minime vano & indubitato teſtimonio efferri poteſt. Siquidem hoc de illo proditum legim' apud Laertium, quod quum nemini injurato teſtari liceret apud Athenienſes, ſoli huic jusjurandum remiſſum fuerit: ... Quo ſpectat illud Ciceronis ad Atticum: Quæ mihi tres multo honorificentior viſa eſt, quam aut illa, cum jurare tui cives Xenocratem teſtimonium dicentem prohibuerunt, aut cum tabulas Metelli Numidici, quum hæ, ut mos eſt, circumferentur, noſtri judices aſpicere noluerunt. Ex quo ſimiliter Metelli tabulæ, pro incorruptæ integræque fidei tabulis, quibus etiam non inſpectis fides habeatur, in adagii uſum vocari poſſunt.

Etiam ſaxa loquentur.

Καὶ λίθοι βοήσουσιν, id eſt, Etiam ſaxa loquentur: refertur par ae miæ nomine apud Joan Zezen in omnigena hiſtoria, de rebus admodum manifeſtis, quibus lapides aliaq; inanima omnia & vocis expertia atteſtari queant. Eſtque hyperbolica loquendi formula.

BRASSICANI. *In cavea minus bene canit luſcinia.*

Philo Judæus in Scopeliano dixit. In cavea minus bene canere luſciniam, quo proverbio utemur, ſi quando ſignificamus, libertatem eſſe rem inæſtimabilem, & ingenia libera rebus omnibus agendis eſſe accommodatiora. Homerum Odyſſ. lib. ρ. ſcribit, Jovem omnib. ſervis dimidiam animi portionẽ abſtuliſſe, cujus & Plato in ſexto libero De legib' meminit, ἥμισυ γάρ τ' ἀρετῆς ἀποαίνυται εὐρύοπα Ζεὺς ἀνέρος, εὖτ' ἄν μιν κατὰ δούλιον ἦμαρ ἕλῃσιν.

IOAN. VLPII. *Vinculis Hippocratis alligare.*

Quæ argumentis fortiſſimis roborata ſunt, vel ſcripturarum teſtimoniis, Hippocraticis vinculis alligata dicuntur. Hieronymus.

Sua fronte.

Sua fronte proponi dicitur, quod libere & aperte, non autem coacte aut occulte, Tertullian.

Roma-

Romana libertas, Latina libertas.

Summæ libertatis olim erat populus Romanus, ut qui nulli ſubeſſent regi, principi, aut imperatori: ipſi vero infinitis nationibus, regnis & regibus imperarent. Nonnihil tamen inter Romanam & Latinam libertatem intereſt: plus enim Romana juris, minus Latina habet. Salvian.

COGNATI. *Libertas, res inæſtimabilis.*

Adeo res eſt inæſtimabilis libertas, ut etiam pecunia lui non poſſit, Ulpiano teſte lib. Pandect. 40. titul. de ſtatuliber. cap. 9. Libertatem, inquit, pecunia lui non poſſe, nec reparari poſſe, quæ ſententia mihi vera videtur. Juſtinianus lib. 1. Inſtit. tit. quibus ex cauſis manumit. non licet. Sed cum libertas inæſtimabilis res ſit, & propter hoc apte vigeſimum ætatis annum antiquitas libertatem ſervo dare prohibebat: in eo nos mediam quodammodo viam elegantes, non aliter minori viginti annis libertatem in teſtamento dare ſervo ſuo concedimus, niſi decimum ſeptimum annū impleverit, & decimumoctavum attigerit. Paul. tit. de divers. regul. juris: Libertas inæſtimabilis res eſt. Cajus eodem tit. Libertas omnibus rebus favorabilior eſt. Euripides apud Stobæum: [illegible], i. e. Libertatis nomen omnibus præferendum eſt. Dicitur & a quodam

Alieno more, nutu, vel arbitratu vivere.

Ariſtoteles lib. Rhetor. 1. [illegible], id eſt, Liberalis enim ingenii eſt alterius arbitratu non vivere. Idem libro quarto Ethicorum: [illegible] id eſt, Neq; vero alterius nutu atq; arbitratu vivere poteſt, niſi amici. Eſt enim hoc ſervile. Demoſthen. [illegible], id eſt, Vivere ad nutum & voluntatem aliquorum, &c.

Κωμῳδεῖν, ſatyrizari.

Priſcis temporibus de comœdiæ licentia κωμῳδεῖν vulgo dicere eos, qui probris inceſſerentur: nam hi nominatim aut improbos aut inimicos ſuos perſtringebant, principum etiam virorum vitam & mores reprehendentes: hodie dicuntur Satyrici, Plutarchus in Pericle, veteris comœdiæ ſcriptores [illegible] appellat, qui vitæ genus id ſectarentur: quod in acerbe exagitandis ordinibus verſaretur. Satyra autem mordax fuit, & falſum genus carminis, quod ſale multo perfricaret homines, ut notum eſt.

Primum quodque veriſſimum eſt.

Tertulliani dictum eſt contra Ethnicos: quo utimur, quum oſtendimus Chriſtianam doctrinam antiquiorem eſſe Ethnica, & hiſtoriam Moſaicam vetuſtiorem Græcis & Romanis. Philippus Bretanus in quadam epiſtola: Non contemnendum Tertulliani dictum, inquit, primum quodque veriſſimum eſt.

Ebrietas & amor ſecreta produnt.

Seneca Epiſt. 106. Eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit & eblanditur, & nō aliter quam ebrietas aut amor ſecreta prodit. Nemo quod audierit, tacebit. Qui rem non tacuerit, non tacebit authorem. Horatius in epiſtol.

Quod non ebrietas deſignat? operta recludit:
Spes jubet eſſe ratas, ad prælia trudit inermem.

Sic & Homerus Iliad. ξ. ait hominem etiam valde prudentem à vino impelli, nonnulla loquatur, quæ taceri præſtitiſſet. Nihil enim ſecretum, ubi regnat ebrietas. Unde Plato ait in Alcibiade, vini veritatem filiam eſſe. Cujus ſententiam confirmat proverbium Græcum: [illegible], i. e. In vino veritas, quod temulenti mentem ſuam nudare conſueverunt. Vide poſt, Indicio ſui facti fuit.

Ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ.

In communibus Gallorum proverbiis eſt, Accedamus nunc propius ad veritatem: quod Græci dicunt, ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ, Pro quo Bud. De contempt. rer. fortuit. lib. 2. dixit: Conferamus nunc pedem cum veritate, hoc eſt, propius ad veritatem accedamus. Nam conferre pedem, antiqui dicūt, quod nos, Ad punctum venire, dicimus. Cic. pro Planc. Non poſſum magis pedem conferre (ut ajunt) ut propius accedere.

Noxa & nexu ſolutus.

Budæus Ludovico Ruzæo volens ſignificare, Longolium omnibus numeris libertatis præditum eſſe, ut qui nec liberos nec conjugem in patria haberet, nec munere aut magiſtratu aut alio auctoramento, id eſt ſalario publico obſtrictus eſſet, noxa deniq; (ut ajunt) atq; nexu ſolutum eſſe dicit. Noxa autem & interdum noxia ſoluti dicūtur, qui ob nōxam prius addicti, qui etiam noxæ dediti dicebantur, poſtea ea obligatione liberati ſunt. Noxæ autē dediti ſervi dicuntur apud Juriſconſultos, qui ob delictum & damnum datum cæduntur: qui & ob noxam dati dicuntur. Unde ſervus noxa ſolutus, qui noxam nullam nocuit: id eſt, culpam crimēque admiſit (noxa enim eſt culpa & vitium) aut certe cuj⁹ nomine caput noxa ſequi. id eſt, cujus nomine dominus noxali actione cōveniri nō poteſt. Olim quum mancipia vendebant, ſolebant promittere & cavere, & furtis & noxiis eſſe ſolutum: quia noxia caput ſequitur, hoc eſt, dominum ſervi. Quare in emptorem actio trāſit: ſervi nomine, qui furtum vel noxiam admiſit. Paulus de evictionib. Quia furtis noxiiſque ſolutum eſſe ſervum venditor præſtare debet venditionis tempore. Pomponius: Si emptor qui ſtipulatus ſit, furtis noxiiſq; ſolutum eſſe, hæres extiterit is, cui ſervus furtum fecerit, incipit is ex ſtipulatu actionem habere. Unde illud Varronis in 1j. De re ruſtica: In horum autem ſervorū venditione ſolet accedere peculium, aut ſi excipietur, ſtipulatio intercedere, ſanum eum eſſe, furtis, noxiis eſſe ſolutum. Nexu autem ſolutus eſt, qui cum addictus eſſet creditoribus, poſtea ære alieno diſſoluto ipſe necti deſiit. Græcis iſta ſunt, [illegible]. Inde obnoxii dicti primum, &, [illegible], ut noxa ſoluti, [illegible].

Αὐτόνομοι.

Qui nullius imperio ſubſunt, αὐτόνομοι proverbialiter dicuntur, non ſine legibus ipſi, ſed probatis viventes legibus & complacitis, atq; ex æquo & bono ad normam divinitus inſtitutam, quæ charitate & pietate concreta eſt, ab avaritia q; omnino aliena & abhorrens: qua lege regi, vivere eſt, quaſi ſuis legibus vivere, iis quidem qui rectam habent opinionem de rebus divinis & æternis. Hinc αὐτονομία, libertas vivendi propriis legibus: in qua ſunt hodie Veneti, Helvetii, & aliquot aliæ reſpublicæ.

Facere vivere: &, Ire in pace.

Locutiones ſunt Hebraicæ & Scripturæ frequentes: pro, permittere, liberum eſſe. Eſa. 38 Et vivere fac me. Joſue 2. Et vivere facietis patrem meum. Gen. 15 Et tu ibis ad patres tuos in pace. id eſt, non eris ſervus. Galli dicunt: Laiſſez nous vivre en paix.

Veritatis ſimplex oratio.

Simplex enim, juxta proverbium, eſt veritatis oratio. & Socrates apud Platonē in Cratylo dicit, [illegible] idem eſſe. Adde, quod veritatis prolata lux omnes facile tenebras diſſipabit, &, ut Lactantius Divinar. Inſtit. lib. 3. adverſus Gentes de falſa ſapientia inquit, ut quantum veritas vi ſua propria valeat, tantum ingenii quoq; viribus nixa, exeret ſe aliquando. & diſcuſſis convictiſq; tam publicis, quam eorum qui ſapientes putantur, erroribus, humano generi clariſſimum lumen inferet. Deus enim hanc voluit rei eſſe naturam, ut ſimplex & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt, ideoq; ornamentis extrinſecus additis fucata, corrumpitur. Mendacium vero ſpecie placet aliena, quia per ſe corruptum vaneſcit ac defluit, niſi aliunde ornatu quæſito circumlitum fuerit ac politum. Veritas autem perſpicua & evidēs eſt, quæ propter ſuam virtutem Solis confertur radiis, qui ſua virtute caligines pellit, nebulas obſcuras diſcutit, & ita ut ſūt omnia, videntium oculis ſpectanda proponit. Quid multis? Veritatis ſplendor ambiguitates propellit omnes. Uſum hujus proverbii docuit Eraſmus noſter. Contra compoſita verba dicuntur ad oſtentationem aut ſimulationem artificio cōficta: quod orationes arte compoſitæ, fere captioſæ ſint, & ad fallendum præparatæ. Saluſt. in Jugurth. Non ſunt compoſita verba mea, parum id facio. Seneca lib. 2. cap. 1. De clementia: Vocem generoſam, magni animi, magnæ lenitatis, quæ non compoſita nec alienis auribus data ſubito erupit.

Veritas in profundo.

Proverbiale eſt ex Democrito, vel Academicorum [illegible], quod exponitur a Cic. 1. Academ. Tum ego, cum Zenone, ut accepimus, Arceſilas ſibi omne certamē inſtituit, non pertinacia aut ſtudio vincendi (ut mihi quidem videtur) ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pene veteres, q nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerūt: anguſtos ſenſus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, & (ut Democritus) in profundo veritatem eſſe demerſam. Idem in altero Academicarum quæſt. fragmento, ſive in Lucullo: Naturam accuſa, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abſtruſerit. Lactant. 3. Inſtit. cap. 28. Democritus quaſi in puteo quodam veritatem jacere demerſam. Lucian in Hermotimo, ſive de ſectis, huc reſpicit: veritatis intentionem impoſſibilem eſſe oſtendens. vide Diogenem Laertium in Pyrrhonis vita. Turnebus Adverſariorum lib. 15. cap. 3. In eo ſere profundo puteo, in quo demerſam Democritus latere veritatem putavit. &c.

Hiſtorica fide.

Hiſtorica fide proverbialiter dicitur, quod fere narratur. Naſo tertii Am. eleg. 12.

Exit in immenſum fœcunda licentia vatum:
Obligat hiſtorica nec ſua verba fide.

Veritatem enim a nonnullis hiſtoriæ animam vocitatam eſſe novimus: tum [illegible] idem propemodum eſſe, quod [illegible]. Hiſtoricorum enim eſt, non niſi vera ſcribere.

Licet Plato amicus, magis tamen amica veritas.

Proverbii vice frequenter uſurpatur: Licet Plato amicus, magis tamen amica veritas. Lactantius Firmianus libro tertio. De falſa ſapientia, capite 13, eo reſpexit: Sciant igitur, inquit, errare ſe, qui philoſophiam putant eſſe ſapientiam. Non trahantur autho-

authoritate cujuſdam, ſed veritati potius & faveant & cedãt. Corinthus de Dialectis agẽs: [illegible Greek] id eſt: Non igitur noſtra laudantes, eos viros in hac parte accuſabimus: ſed amici cum ſint, pluris facientes quam ipſos veritatem, quemadmodum & Plato philoſophus ſummus ait.

Tam verum, quam quod veriſſimum.

Noſtra quoq; ætate id imprimis eſt uſitatum, & dicimus: Tam verum, quam quod veriſſimum: quod prorſus indubitatum haberi volumus. Non diſſimili forma dicitur. Vero verius, & certo certius, de quibus Eraſmus noſter. Vide etiam, Loquor quæ ſentio: & Tam clarum eſt hoc, ut nihil clarius: &, Nullo pacto amplius dubitandum eſt, in re luce clariore: &, Vero eſt conſentaneum: &, Tam eſt omnibus notum, quam ſolem lucere.

Iuris Italici eſſe.

Poſteaquam Italiæ ſolum immune factum eſt, provinciale autem tributarium, multæ civitates jus Italicum impetravere: & coloniæ quæ juris erant Italici, quæ plurimas Juriſconſulti commemorat in tit. de cenſibus. Itaq; jus Italicum, nihil aliud eſt, quam immunitas à tributis. Tributorum autem duo genera erãt: unum agris impoſitum, alterum capitibus. Sed quibus eſſet ab Imperatore remiſſum tributum capitis, eorum etiam immune ſolum eſſe factum, imperator Titius interpretatus eſt.

Dicenda, tacenda.

Sermo eſt mere proverbialis, quem in conſuetudine etiam Galli uſurpant. Sed & antiquos Græcos & Latinos ſic locutos reperimus. Græce enim ῥητὰ καὶ ἄρρητα dicitur, ut ſit in libero convivio. Horatius libr. 1, epiſt. ad Mecœnatem ij.

Ut ventum ad cœnam eſt: dicenda, tacenda locutus.
Tandem dormitum dimittitur. ———

Sic intelligi debet ut familiariter cum in cœna locutum intelligamus & amice, ut qui omnem pectoris ſui ſenſum aliis ingenue faciliq; aperiunt, nihilq; celant, nec ſermones eos refugiunt, freti amicitia & bonitate ejus, quo cum ſunt: qui ſi eliminarentur, capitales interdum authori forent.

Conſtat certum.

Quando dicimus, certum eſſe. Crebro ita loquitur Lucretius, & ſæpenumero hic verſus reperitur libr. 1.

Quod quoniam in noſtro quoq; conſtat corpore certum.
Idem lib. v.
Quod quoniam noſtro quoq; conſtat corpore certum.

Latine loqui.

Latine loqui, vulgo dici ſolet, & ab autoribus uſurpari: pro, vere & ſimpliciter loqui, nihilq; mentiri, nec ſupra verum rem efferre. Cic. in Verrem: Latine me ſcitote, non accuſatorie loqui. Bene ſcilicet Latini de Latinis exiſtimabant, eos ſimplices & ingenuos, minimeq; ſimulatos & fallaces mendaceſque exiſtimabant: unde illa loquendi ratio, ut exiſtimat Turnebus, manavit. Sed & Martialis in quadam epiſtola, Latine loqui dixit, pro ſimpliciter & aperte & ingenue, & ſine diſſimulatione & integumento verborũ loqui: Si quis tamen, inquit, tam ambitioſe triſtis eſt, ut apud illũ in nulla pagina Latine loqui fas ſit, poteſt epiſtola, vel potius titulo contentus eſſe. Nam epigrammata ſine circuitu ullo aperte laſciviunt, & petulanter loquuntur. Alibi,

Cæſaris Auguſti laſcivos livide verſus.
Sex lege, qui triſtis verba Latina legis.

id eſt, aperte & ingenue laſciviam & flagitia enunciantia. Simplicitatis enim Romanæ & Latinæ ducebant eſſe, ſuis res vocabulis afficere. Proinde idem:

Abſolvis lepidos nimirum Auguſte libellos,
Qui ſcis Romana ſimplicitate loqui.

Sic ſe res habet. Res ita, ut dicitur, non habet.

Rem quidem ita, ut dicitur non habere, ſed ſermones quoſdam hujuſcemodi eſſe nihilo magis veros, quã falſos, &c. Plato id Hipparcho, contrarius ſermo: Sic ſe res habet. In Alcib. ij. Nunc vero longe contra res ſe habet. In Parmenide, ſectione ij. Sic ſe, ut dicis, habet. Ibidem: Vera loqueris. Recte ais. Omnino quidem ſic ſe res habet: Veriſſima hæc ſunt: Veriſſima narras. In Philebo: Sic ferme ſe res habere videtur. In Civili: Sic veritas habet.

Quæ cernimus, ſcire affirmabimus.

Plato in Sophiſta, De his autem quæ oculis conſpiciuntur, cœlo ac terra, & hiſce rebus, quæ his continentur, contra. Vide noſtram Syllogen: Credimus quæ coram intuemur. Magis credendum eſt teſti deponenti de viſu, quam deponenti de auditu, arg. eorum quæ not. in l. teſtium, C. de teſtib. & in c. cum cauſam, extr. de teſtib. Dion Caſſius Nicæus in Nerva Trojano: Id autem ſcribo & trado, quod vidi, ſed audivi, ut audivi narro.

Vera opinari pulchrum, mentiri turpe.

Alibi & paulo poſt: Aliud itaq; eſt, opinari falſa, quam ea quæ non ſunt, opinari. Et: Alii ſibi ipſis mentiri nequaquam concedunt.

Socratico more.

Julius & Satyris, cujus Martialis lib. x meminit, epigr. 99, hominum vitia Socratico more carpſit.

Soluti legibus.

Solutos legibus eos hodie etiam dicimus, qui ante tempus habent, ad ſacerdotium vocantur, & magiſtratum aſſequuntur. Lex eſt annuaria, qua cavebatur, ne quis honores aſſequeretur, niſi ſuis annis, de qua Lampridius in Commodo.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Noli temere de Hippolyto mentiri.

[illegible Greek]. Ex hiſtoria ſumptum. De nemine mentiendum monet, præſertim qui ſit illuſtris. Simile, [illegible Greek]: Noli temere de Bellerophonte mentiri. Nam & illius hiſtoria maxime celebris. Ariſtides contra criminantes, &c.

Tempus omnium explorator.

Ὁ χρόνος πάντων βασανιστής, Elegans proverbium, neſcio unde ſumptum. Uſurpat Auguſtinus Eugub. de Perenni Philoſophia, lib. 4. Veritas quæ, ut Heraclitus inquit, cum lateret in profundo demerſa: tempus, quod, ut dicitur, πάντων βασανιστής, eliciet in lucẽ. Veteres veritatem, temporis filiam vocarunt. Et Thales Mileſius tempus ſapientiſſimum appellavit, quod omnia inveniſſet. Plutarchus cur Pythia oracula ceſſaverint, τὸν χρόνον ἐρευνητὴν vocat: quaſi qui fidem ſuam tandem liberare debeat.

LONGÆVITAS.

ERASMI. *Neſtorea ſenecta.*

Eadem certe apud Latinos Neſtoris anni in proverbium abierunt, cui treis ætatis attribuit Homerus in Odyſſeæ tertio:

Τρὶς γὰρ δή μιν φασὶν ἀνάξασθαι γένε᾽ ἀνδρῶν.
Id eſt:
Illum jam exegiſſe hominum tria ſecula fama eſt.

Idem affirmat in primo Iliados.

Et Juvenalis:
—Atque ſuos jam dextra computat annos.

tertiam ætatem indicãt. Breviter proverbii faciem habebit, quicquid ab iis ſumitur, qui in ſigni vivacitate fuerunt, ut, Phœnice vivacior: quem Heſiodus ſcribit, novem corvi ætates vivere: &, Cervo vivacior, corvo vivacior: &, Tireſia vivacior: quem tragœdia fingit ſex ætates hominum vixiſſe: &, Seribus vivacior: quos Græcis hiſtoriis proditum eſt, trecentos annos vivere. Quod genus exempla ſi quis deſideret, legat Lucianum de Macrobiis, id eſt, longævis, & Plinii 7 libri caput 48.

Vltra penſum vivit.

Lepidum eſt quod ait Lucianus in Philopſeude, ὑπὲρ γὰρ τὸν ἄτρακτον ζῇ, id eſt: Jam enim ultra fuſum vivit, hoc eſt, vivit ultra fatalem diem. Alluſum ad Parcarum fuſos, quibus ævum mortalium evolui fabulantur poetæ. Quin & Theologi metam vitæ fatalem, periodum appellant, quam prætercurrere nulli fas ſit.

Vltra catalogum.

Ὑπὲρ τὸν κατάλογον ζῇ, i.e. Ultra catalogum vivit. De eo dicebatur, qui multum ætatis viveret, ut jam præſcriptum illum annorum numerum prætergreſſe videretur. Eſt, ni fallor, apud Lucianum. Refertur a Suida.

Vltra linum.

Ὑπὲρ τὸ λίνον, id eſt, Ultra linum. Lucianus in Jove redarguto, [illegible Greek] ὑπὲρ τὸ λίνον. i.e. Neq; enim quicquam ita fieri poterit, præter Parcarum legem, & ultra linum. Ultra linum dixit, pro eo quod eſt, extra decretum fatale. Alluſum eſt autem ad fila earum Parcarum. Confine illi quod alias retulimus ὑπὲρ τὸν ἄτρακτον, id eſt, Ultra fuſum.

Cornicibus vivacior.

Ὑπὲρ τὰς κορώνας βεβιωκώς, id eſt, Cornicibus vivacior. De vehementer annoſis, proverbialis hyperbole. Ab avis ejus prodigioſa vivacitate ſumpta, de qua ita ſcribit Plutarchus in commentario, qui inſcribitur, περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων, citans Heſiodum, ſub perſona Naidis, ætates animelium varias ſic complectentem:

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων· ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
Τρεῖς δ᾽ ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας. δέκα δ᾽ ἡμεῖς τοὺς φοίνικας.
Νύμφαι ἐυπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Id eſt:

Ter tria ſecli hominis tranſmittit garrula cornix:
Quatuor at peragit cornicis tempora cervus.
Cervinam ætatem corvus ter prætérit ater.
Corvinos annos novies agit Indica Phœnix.

At qui

Atqui criſpicomæ, ſoboles Jovis alma tonantis,
Egredimur decies phœnicis ſecula nymphæ.

Hos verſus Heſiodios interpretatus videtur quidam, quiſquis fuit, extat autem carmen inter reliquas Maronis appendices, eſtque hujuſmodi:

Ter binos, deciesque novem ſuperexit in annos
Juſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos novies ſuperat vivendo garrula cornix.
Et quater egreditur cornicis ſecula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus, at illum
Multiplicat novies phœnix reparabilis ales.
Quem nos perpetuo decies prævertimus ævo
Nymphæ Hamadryades, quarum longiſſima vita eſt.
Hi cohibent fines vivacia fata eſt.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum,
Cætera ſecreti novit Deus arbiter ævi.

Hos verſus ideo pariter libuit ſubſcribere, ut mihi ſæpius ex tempore, id quod erit neceſſe vertenti, venia detur, ſi quando videbor non omnia uſque quaque ad amuſſim reddere: cum in his apparuerit, quantum ſibi permiſerit antiquitas in traducendis poetarum carminibus. Eandem hanc Heſiodi ſententiam oppido quam commode, breviterque reddit Plinius. Heſiodus, inquiens, cornici novem noſtras attribuit ætates quadruplum ejus cervis: id triplicatum corvis. Etiam ſi nonnullis autoribus hæc fabuloſa videntur. Inter quos Ariſtot. arbitratur, homine nullum aliud animal eſſe vivacius, excepto uno elephanto. Martialis:

Et cornicibus omnibus ſupereſt.

De anu nimium vivace. Item Horatius in Odis:

——Servatura diu, parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen.

Eodem pertinet quod philoſophus ille moriens, cornicibus invidiſſe legitur longævitatem, quam natura negaſſet homini, Syneſius in epiſtola quadam: εἰκὸς ἐν κορώνης ἐνιαυτοὺς ἄρξειν τὸν ἄριστον, τὸν δικαιότατον, id eſt, Conſentaneum eſt juſtiſſimum principem, cornicis annis imperaturum eſſe.

Heſiodi ſenecta.

Ἡσιόδειον γῆρας, id eſt, Heſiodia ſenecta. Longæva, vivaxque ſic appellabatur. Fertur enim de Heſiodi longævitate Pindari epigramma quoddam hujuſmodi.

Χαῖρε δὶς ἡβήσας, καὶ δὶς τάφου ἀντιβολήσας
Ἡσίοδ', ἀνθρώποις μέτρον ἔχων σοφίης.

Quod autem ait, eum bis pubuiſſe, ſignificat (opinor) extremam ſenectam quaſi pueritiã referentem, juxta proverbium quod alibi retulimus, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Porro quod bis ſepultum, alludit (ni fallor) ad hiſtoriam, cujus meminit Plutarchus in Convivio ſeptem ſapientum. Cum ob ſuſpicionem interfectus eſſet in Locris, & cadaver ejus abjectum in mare, delphinorum agmen illud exceptum, in Rhium expoſuit. Illic cum Locrenſes ſacrum ex more peragerent, & recens Heſiodi cadaver agnoſcerent, rebus omnibus omiſſis, cædis autores veſtigarunt: eos comprehenſos vivos in mare præcipitarunt, ac domus incenderunt. Heſiodum in Nemeo ſepelierunt. Sed occultant ſepulchrum propter Orchomenios: qui moniti oraculo, conabantur viri reliquias apud ſe ſervare. Unde conſentaneum eſt quemadmodum Homeri nativitatem permultæ urbes ſibi vendicant, ita Nemeos ſimul & Orchomenios Heſiodi ſepulchrum ſibi aſſerere. Niſi ſepultum ſemel, accipere maluimus, cum in mare projectus eſſet. Proinde videto lector, ne pro ἀντιβολήσας, legendum ſit ἀντιλαχήσας: quod paternum admittit caſum, cum ſignificat conſequi, aut nanciſci.

Tithoni ſenecta.

Τιθωνοῦ γῆρας, id eſt, Tithoni ſenecta. Fabulæ tradunt, Tithonum adamatum ab aurora in cœlum ſublatum fuiſſe, atque illius ſucco perfuſum ad tantam perveniſſe ſenectutem, ut tandem optaverit, ut in cicadam verteretur. Lucianus in quodam dialogo: καὶ ὑπὲρ τὸν Τιθωνὸν ἔζη ὁ γέρων, id eſt, Atque ultra Tithonum vivebat ſenex. Hujus Tithoni perſonam inducit Ariſto Chius in libr. De ſenectute, propter vivacitatis miraculum, ut teſtatur in Catone M. Cicero. Suidas adagium refert hunc in modum: ὑπὲρ τὰ γηράματα Τιθωνοῦ βαθύτερον, id eſt, Seneſcas Tithono profundius.

Phœnice vivacior.

Lucianus in Sectis, ἢν μὴ φοίνικος ἔτη βιῷς, id eſt, Ni Phœnicis annos vixeris. De phœnicis vivacitate diximus alibi. Cujus etiam raritas proverbio fecit locum, Phœnice rarior: quale eſt illud, Corvo quoque rarior albo. Negant enim phœnicem eſſe niſi unicam, ſi qua fides ſcriptoribus.

Sibylla vivacior.

Sibyllæ vivacitas proverbio locum fecit. Propertius Elegiarum libro ſecundo:

At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.

Sibyllæ ætatem pro quantumvis longa poſuit. Hanc Vergilius ſexto Æneidos libro longævam ſacerdotem vocat. Et Servius cum enarrans locum, adſcribit Apollinem amore Sibyllæ captum, ei poſcendi quod vellet arbitrium dediſſe: illam hauſtis arenis, tantum popoſciſſe vitæ. Id Apollo fieri poſſe reſpondit, ſi Erythræam inſulam relinqueret, nunquam eam reviſura. Venit itaque Cumas, ubi corporis viribus defecta, in ſola voce vitam retinuit. Quod ubi cognoviſſent illius cives, incertum invidia, an commiſeratione, epiſtolam ad eam miſerunt, creta antiquo more ſignatam. At illa, viſa terra patria, in mortem reſoluta eſt. Ita vati ſuæ verba dedit Phœbus.

Facies tua computat annos.

Proverbiali nimirum ſchemate dictum à Juvenale in vetulam, jam ἔξωρον quidem, & ad Veneris luſus prorſum intempeſtivam, ſed quæ verborum nequitiis puellam etiam dum ageret:

——Facies tua computat annos.

hoc eſt, frontis rugæ, numerum annorum tuorum præferunt, quanquam libido nondum in te conſenuit. Congruit huc apologus de crocodilo: cui jactanti majorum ſuorum claritatem, & primus in certaminibus partes, vulpes ad hunc modum reſpondit: ἀλλ' εἰ καὶ μὴ σὺ λέγῃς, ἀλλ' ἡ δέρματός γε φαίνει, ὅτι πολλῶν ἐτῶν εἶ γεγυμνασμένος, id eſt, Quin etſi tu non dixeris, tamen ipſa pelle præ te fers, quod multos jam annos in certaminibus ſis verſatus. Habet enim hoc animal cutem, ceu laminis quibuſdã duriſſimis adverſus omnes ictus armatum. Martialis in quendam qui affectabat etiam videri puer.

In te (inquit) reclamat ſed tua barba: vir es.

Alterum pedem in cymba Charontis habere.

Extremæ decrepitæque ſenectæ homines, etiam hodie vulgo dicuntur alterum pedem in ſepulchro habere. Nec hinc abhorrent quæ ſcribit Lucianus in Apologia, ἤδη αὐτῷ ἤδη τῷ Αἰακῷ γειτνιῶν, καὶ μονονουχὶ τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῷ πορθμείῳ ἔχων, id eſt, Qui jam ſit Æaco ipſi vicinus, quique jam tantum non alterum pedem in cymba Charontis habeat. Idem in Sectis, Καὶ τὸν ἕτερον πόδα, φασίν, ἐν τῇ σορῷ ἔχων, id eſt, Et alterum pedẽ, ut ajunt, in tumulo habẽs. Ponponius lib. Pandectarum quadrageſimo titulo De fideicommiſ. libert. cap. Ad Julianum, dixit his verbis. Ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationẽ optimam in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum hujus ſententiæ quam dixiſſe fertur Julianus, Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere quædam vellẽ. Haud ſcio an huc pertineat quod Lucianus ſcribit in votis ὅς γε ἤδη ἐν τῷ πορθμείῳ τὸν ἕτερον πόδα ἔχει, id eſt, Qui quidem jam alterum pedẽ habeat in navi. Plutarchus in commentariolo De puerorum inſtitutione, notat ſenes vulgato convicio vocari ſolere κρονολήρους καὶ σοροδαίμονας, quod jam ætate deſiperent, & foſſæ confines eſſent, magiſque buſtuariæ larvæ, quam homines. Plautus Acheruntium ſenem dixit, Terentius Silicernium: & capularem dixit neſcio quis, Græci τυμβογέροντας vocant autoribus Heſychio & Suida, ac πεμπέλους, extremæ ætatis homines: illos, quod tumulo ſint proximi, hos quod brevi mittendi ſint ad inferos, παρὰ τὸ πέμπειν, quod eſt mittere, & ἕλος palus: quod qui moriuntur, crederentur per Stygiam paludem tranſmitti ad inferos.

Viri ſenis aſtaphis calvaria.

Ἀνδρὸς γέροντος ἀσταφὶς τὸ κρανίον.

Id eſt:

Viri ſenes velut uva paſſa cranium.

Admonet adagium, invalidum & flaccidum eſſe ſenile corpus, exhauſto ſucco, carnibuſque adeſis. Lucianus in Tyranno de ſenibus: ἐπεὶ ἀσταφίδες γε πάντες εἰσίν, id eſt, quandoquidem jam omnes uvæ paſſæ ſunt. Rugoſæ enim & flaccidæ ſunt uvæ paſſæ, propter ſuccum ſolet decoctum. Unde veteres & Uvas paſſas vocabant ſenes paſſos ob rugoſitatem. Lucilius, citante Nonio:

Rugoſi paſſique ſenes eadem omnia quærunt.

Mature fias ſenex.

Mature fias ſenex, ſi diu velis eſſe ſenex Latinorum proverbiũ, quo monemur, ut integra adhuc ætate deſiſtamus à laboribus juvenilibus, ac valetudinis curam agere incipiamus, ſi velimus eſſe vivaci ac diurna ſenecta. Nam ſenectutis ſors, ocium & quies. Uſurpatur à Catone majori apud Cic. Neque enim, inquit, unquam offenſus ſum veteri illi laudatoque proverbio, quod monet mature fieri ſenem, ſi diu ſenex eſſe velis. Hoc quanquam Catoni nõ probatur homini duro, quique ſibi nec in extrema ſenecta remittendis laboribus indulſerit: tamen audiendum nobis maxime ſi de vitiis juventæ ſentias, puta libidine, bibacitate, turbulentia vitæ: quæ niſi quis mature reliquerit aut nunquam perveniet ad ſenectam, aut brevem habiturus eſt ſenectam.

Sexagenarios de ponte dejicere.

Sexagenarios de ponte dejicere, eſt natu majores, perinde quaſi deliros, & ad omne vitæ munus inutiles, in ocium rejicere, atque ab omni functione negociorum relegare. Inde natum, quod olim ſexagenariis ferendorum ſuffragiorum jus non erat, ætate velut à publicis muniis dimiſſa. Vel quod olim Juventus Romana, quo ſola ferret ſuffragia, ſenes invalidos de pontibus præcipites dederit. Nam de ponte ſuffragia ferri jam cœperant, atque ea ſententia magis probatur Siſinnio Capitoni apud Feſtum Pompeium quam vulgaris illa, qua putant poſt urbem a Gallis liberatam, ob cibatus inopiam ſexagenarios in Tiberim de ponte dejici cœptos. Varro libro De vita patrum ſecundo, honeſtam cauſam religioſamque patefacit: cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant quinquaginta annos, tum denique erant publicis nego-

negociis liberi,atq; expediti,& ocioſi. Ideo in proverbium quidã putant veniſſe, Sexagenarios de ponte dejici oportere: quod ſuffragium non ferant,quod per pontem ferebatur. Nonius Marcellus: Sexagenarios per pontem mittẽdos,male dici popularitas intellexit. Macrobius Saturnalium libro primo. Adimere vis doctis viris,in verborum comitiis jus ſuffragandi, ac tanquam ſexagenarios majores de ponte dejicere? Ovidius in Faſtis:

Pars putat,ut juvenes ferrent ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Unde & Depontani dicuntur ſenes jam velut emeriti,& à civilib. negociis in ocium remiſſi. Plato lib. De legibus ſexto. loquens de magiſtratu τῶν νομοφυλάκων,id eſt,legibus ſervandis præfectorum, non admittit ad eum magiſtratum gerendum minorem annis quinquaginta, nec ſinit in eo perſeverare majorem ſeptuaginta: ut ſi quinquagenarius magiſtratum inierit viginti annos eum adminiſtret: ſin ſexagenarius,decem duntaxat. Licebit autem uti proverbio,vel in odium ætatis,tanquam ad nihil jam utilis, & ab omni vitæ munere relegandæ: vel ſimpliciter in eos, qui propter ætatis imbecillitatem tunc jam donati ſunt, ac ſolidorum munerum vacationem acceperunt.

Vitiat lapidem longum tempus.

Σήψει καὶ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος.

Id eſt:

Saxa etiam longum faciet putteſcere tempus.

Nihil in rerum natura ſaxa durabilius. At id quoq; temporũ diuturnitas abſumit. Quod poetæ nimirum innuunt, cum fingunt Saturnum temporis deum,ſaxum Jovis loco ſuppoſitum devoraſſe. Ovidius libro de ponto quarto.

Gutta cavat lapidem,conſumitur annulus uſu.
Et teritur preſſa vomer aduncus humo.

Mors optima rapit,deterrima relinquit.

Optima mors eripit è medio, relinquit deterrima. Proinde videmus quoſdam prorſus inutiles Tithoniam ætatem vivere, pauciſſimos egregio præditos ingenio, ad ſenectæ limen pervenire. In hanc ſententiam quadrat illud ex eodem libro:

Τοὺς μὲν ἀπώλεσ' Ἄρης, τὰ δ' ἐλέγχεα πάντα λέλειπται.
Ψεῦσταί τ' ὀρχησταί τε χοροιτυπίῃσιν ἄριστοι,
Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων ἐπιδήμιοι ἁρπακτῆρες.

Id eſt:

Suſtulit hos Mavors,reliqua ad mala probra relicta,
Mendaces,ſaltatores primiq; choreis
Ducendis,agnis,atque hœdis diripiendis
Strenui.———

Celebre eſt illud Maronis:

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit ſubeunt morbi,&c.———

Concinit & Theocritus in Epitaphio Bionis:

Ταῖς νύμφαισιν ἔδοξεν ἀεὶ τὸν βάτραχον ᾄδειν,
Τῷ δ' ἐγὼ οὐ φθονέοιμι· τὸ γὰρ μέλος οὐ καλὸν ᾄδει.

Id eſt:

Sic viſum eſt nymphis,ſemper canit improba rana,
Huic neq; ego invideo:nec enim bona carmina cantat.

In ſola Sparta expedit ſeneſcere.

Ἐν Σπάρτῃ μόνῃ λυσιτελεῖ γηράσκειν,id eſt,Una in Sparta expedit ſeneſcere. Dictum eſt,quod apud Spartanos ſummus honos ſenib. habebatur olim. Torqueri poterit ad quoslibet penes quos virtus in precio ſit. Refert Plutarchus in Laconicis,ſed incerto autore. Dictum eſt autem à quodam hoſpite, quum videret apud Lacedæmonios juvenes tantum honoris habere ſenioribus. M. Tullius in Catone majore,ſimilem ſententiam aſcribit Lyſandro: Lyſandrum,inquit,Lacedæmonium dicere ajunt ſolitum,Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domicilium ſenectutis. Nuſquam enim tantum tribuitur ætati,nuſquam eſt ſenectus honoratior. Nota eſt hiſtoria de ſene: cui cum ingreſſo theatrum nullus Athenienſium daret locum,ſoli Lacedæmoniorum legati caniciem illi⁹ reveriti, & aſſurgendi officio venerati ſunt, & inter ipſos honoratiſſimum locum ceſſerũt,cui facto quum applauderet Athenienſium populus,quidam è Lacedæmoniis dixit: *Scire quidem populum Athenienſem quid deceat,ſed negligere.* Narratur a multis, nominatim à Valerio Maximo libro 4 cap. 5

Senex bos non lugetur.

Γέρων βοῦς ἀπένθητος ἔρρει,id eſt. Bos ſenex vacat luctu domeſticorum, hoc eſt,ſenum mors, quod tempeſtiva videatur, non lugetur ab amicis. Quin & hodie ſi quando nunciatur obitus hominis natu grandis: Nihil acerbum, inquiunt, haud perit in cunabulis. Mortem juvenum complorant ii quoq;, ad quos nihil attinet. Talem mortem deprecatur Solon apud Ciceronem libro De ſenectute. Elogium autem Solonis, cujus meminit Tullius, ſic habet:

Μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι, ἀλλὰ φίλοισι
Ποιήσαιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς.

Id eſt:

Ne mihi illugubris veniat mors,ſed mihi charis
Mœrorem potius adferat & gemitus.

Ennius contra:

Idem

Nemo me lachrymis decoret,neque funera fletu
Faxit.———

Sed utterque recte ſenſit. Solon vult mori charus ac deſiderandus ſuis: Ennius non putat lugendam mortem, quam conſequitur immortalitas. Refertur & hic verſus in Menandro:

Πικρόν ἐστι χρῆμα γέρων ἐν οἰκίᾳ μένων.

Id eſt:

Moleſta res eſt,in domo manens ſenex.

Vivum cadaver. Vivum ſepulchrum.

Ἔμψυχος νεκρός,i. Vivum cadaver. Proverbiali figura dixit Sophocles in Antigone:

——Οὐ τίθημ' ἐγὼ
Ζῆν τοῦτον,ἀλλ' ἔμψυχον ἡγοῦμαι νεκρόν.

Id eſt:

——Hunc ego vivere
Haud arbitror,vivum at cadaver judico.

Refertur apud Athenæum libro 12. Euripides in Æolo apud Stobæum:

Φεῦ φεῦ παλαιὸς αἶνος ὡς καλῶς ἔχει,
Γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο πλὴν ὄχλος
Καὶ σχῆμα, ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα.
Νοῦς δ' οὐκ ἔνεστιν,οἰόμεσθα δ' εὖ φρονεῖν.

Id eſt:

Heus heus vetuſtum ut recte habet proverbium,
Nil aliud atque turba nos ſenes ſumus,
Umbræque,verum ſerpimus inſtar imagina
Inſomniorum: cæterum mens haud ineſt,
Quanquam videmur ſapere nobis ad probe.

In eos dicetur,qui ſic vivunt,ut nihil dignum vita agant. Lucianus ſenem decrepitum ἔμψυχόν τινα τάφον,id eſt,Vivum quoddam ſepulchrum appellat. Huc pertinet etiam illud Mimi cujuſdam,Laberii,(ni fallor) apud Gellium,

Similis ſepulchris nil niſi nomen retineo.

Danace.

Δανάκη,id eſt,Danace,ſic appellabatur nummulus ille, qui Charonti perſolvitur,naulum pro tranſmiſſione Stygiæ paludis: cujus meminit Lucianus in Charonte,Apulejus item in fabula Pſyches. Refertur in Collectaneis Plutarchi,nec indicatur uſus. Mihi videtur recte uſurpandum,ſi quis jubeat ſenem parare δανάκην: innuens prope eſſe,ut emigret è vita. At ſi quem uſque adeo nihil reliquiſſe dicat,ne Danace quidem ſuperfuerit. In hunc ſenſum uſurpat Juvenalis ſatyr. 3,qui hunc nummulum trientem vocat:

——— Nec ſperat cœnoſi gurgitis alnum
Infelix,nec habet quem porrigat ore trientem.

Epimenideum corium.

Ἐπιμενίδειον δέρμα,id eſt, Epimenidis pellis. De re repoſita, miraculiq; loco ſervata. In nonnullis codicibus ſcriptum offendi Epimelidium,ſed depravate,ni fallor:aſſcriptum erat, hujus pellem adſervari abditum,ceu rem ſacram apud Lacedæmonios. Indicat autem Eudemus, tractum ab Epimenide Cretenſi,qui legitur perpetuo ſomno dormiſſe quadraginta ſeptem, aut (ſi Laertio credimus) quinquaginta ſeptem annos,neq; paucos poſtea ſupervixiſſe. Unde conſentaneum eſt hujus reliquias,ut miraculi monumentum ſervatas fuiſſe.

Viro ſeni maxilla baculus.

Ἀνδρὸς γέροντος αἱ γνάθοι βακτηρία.

Id eſt:

Maxilla ſenibus ſcipionis eſt vice.

Dici ſolitum de iis,qui ob defectas ætate vires, lautiore pariter & copioſiore victu coguntur uti: quo quod ſenecta deterit, utcunq; ſarciant cibo. Manet & in hodiernum ſenile verbum: Ego me dentibus meis ſuſtento. Eſt autem velut ænigmaticum,reliquos ingredi pedibus,ſenes dentibus. Etenim quod deceſſit nativo corporis ſucco,id cibi ac potus adminiculo ſarciendum. Videmus illud evenire vulgo,poſteaquam deſtituit ſenes edacitas illa, vitæ finem imminere.

Effœta ſenecta.

Quod in Odyſſeæ λ. dictum eſt de mortuis,id ad hominem ob longævitatem, jam defectum viribus, accommodare licebit, aut in eum qui conſternetur animo:

Οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν.

Id eſt:

Nam jam non nervis carnes atque oſſa cohærent.

Limen ſenectæ.

Γήρως οὐδός,id eſt,ſenectæ limen antiquitus appellabant, velut extremum autumnũ ætatis humanæ,quum jam appetit hyems decrepitæ ſenectæ. Sumptum eſt ex Homero apud quem id perquam frequens eſt:ut Iliad. χ.

Ὅν κα πατὴρ Κρονίδης ἐπὶ γήραος οὐδῷ
Αἴσῃ ἐν ἀργαλέῃ φθίσει.

Id eſt:

Quem ſors Juppiter ipſe ſenectæ in limine diris
Conficiet fatis.———

Idem Iliados ω

Τηλίκου ὥσπερ ἐγὼν ὀλοῷ ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Id eſt:

Id eſt:

Fermeme ta hac ætate, ſenectæ in limine triſti.

Idem Odyſſea:

Ὃν προλιπὼν ἐπὶ γήραος οὐδῷ.

Id eſt:

Quem proficiſcens ille ſenectæ in limine liquit.

Rurſum Odyſſeæ ψ.

——Καὶ γήραος οὐδὸν ἱκέσθαι.

Id eſt:

——Atque ſenectæ attingere limen.

Uſurpatur & à Platone, tanquam poëtici proverbii vice. Rurſum apud Heſiodum in Operis & diebus:

Ὃς καὶ γηράσκοντα γονῆα ἐπὶ γήραος οὐδῷ

Νεικείῃ.——

Id eſt:

Quiqueſ ſenectæ in limine feſſum ætate parentem

Irritarit.——

Seneſcit bos.

Γηρᾷ ὁ βοῦς, τὰ δ' ἔργα πολλὰ τοῦ βοός.

Id eſt:

Bos conſeneſcit, at opera multa ſunt bovis.

Cum ob ætatis imbecillitatem aliquis inutilis redditur ad obeundum munus. Nam divitum vulgus haud aliter miniſtris utitur, quam equis & canibus, aut paulo etiam inhumanius: dum uſui ſunt, alliciunt: ubi ſenuerint, rejiciunt. Unde conſultum eſt, ut unuſquiſque ſibi paret, quo ſenectutem ſuam commodius foveat, alatque: ne tum cogatur ex aliena liberalitate pendere, cum à nemine non contemnetur: ac meminerit Diogenis apophthegmatis, qui rogatus, quidnam eſſet in hac vita calamitoſiſſimum, reſpondit, γέρων ἄπορος, id eſt, Senex egens.

Fatale vitæ tempus exactum.

In decrepitos, quorum ætas jam exacta videbitur, quadrabit ex eodem libro:

Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος ἠελίοιο

Ἤσθιον.

Id eſt:

Dementes, ut qui ſacros tibi maxime Phœbe

Abſumpſere boves.

Nam per Solis boves, annos fatales, ut opinor, innuit poëta.

COGNATI. *Mathuſalæ vivacitas.*

Mathuſalæ vivacitas, proverbii vice habetur: de qua meminit quintum caput Γενέσεως, & Baſilius Magnus ad nepotes, ſub finem, περὶ ἡμῶν [illegible], Tithoni quoque & Neſtoris longævitas vulgo celebrata eſt.

LUCRUM EX SCELERE.

ERASMI. *Uſura nautica.*

Apud Juriſconſultos uſuræ nauticæ dicuntur centeſimæ maguæque. Negociaturi ſortem interdum accipiunt mutuo. Quoniam autem qui nauticam exercent negociationem, ſe ſuaque ventis & undis committunt, fœneratores majorem uſurā exigebant. Interdum accipiebant mutuum in una civitate, quod in alia redderent: veluti ſi negociator Venetiæ pecuniam acciperet, reddendam Brugis. Hoc genus negociationis, quod utriuſque periculo fit, à Græcis dicitur, ἀμφοτερόπλουν. Idq; mutuum vocabatur ἐκδόσεως ναυτικῆς. Uſus eſt Demoſthenes in Oratione adverſus Dionyſidorum. Dicebatur & ἔκδοσις (quo verbo uſus eſt Demoſthenes contra Aphobum) quod foris daretur. Porro de fœnore nautico titulus eſt in Pandectis lib. 22. Eam pecuniam Modeſtinus vocat trajectitiam, ſed non ſolus. Paulus appellat uſuras maritimas. Idē titulus eſt in Codice l. 4. Hoc indicare, ſatis eſt parœmiographo. Qui quærit exactiora, inde petat.

Tributis potiora.

Τὰ τῶν φόρων κρείττω, id eſt, Tributis potiora, dicebatur, ubi quis ex malefactis & iniquitate commodum ingens reportaret. Referunt à Suida & Zenodoto proverbii nomine, nec plurib. explicatur. Harpocratiō in dictionario rhetorico ſcribit extitiſſe in oratione Hyperidis adverſus Athenogenem: Inde natum opinor, quod qui principum nomine tributum exigunt, fere plus extorquent, quam par eſt: Et principes ſic petunt, ut ab invitis rapiant, ni dent quod petitur. Congruit huic illud Pindari ex Pythiis hymno. κέρδος δὲ φίλτατον ἑκόντος εἴ τις ἐκ δόμων φέροι, id eſt. Lucrum autem gratiſſimum, ſi quis ex volentis ædibus ferat.

COGNATI. *Aquæ furtivæ dulciores ſunt.*

Extat inter Hebræorum proverbia cap. 32. non diſſimile ſenatio Græco: γλυκεῖα ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος, i. e. Dulce pomum, cum abeſt cuſtos. His utemur cum ſignificabimus, impunitate malos ad peccandum provocari. Adde, quod etiam occaſio facit furem, quod vulgo quoque dicitur. Plaut. in Pœnuli prologo:

Dum ludi fiunt, in popinam pediſſequi,

Irruptionem facite, nunc dum occaſio eſt.

COGNATI. *Omnes lucri cupidi.*

Plato in Hipparcho, vel, de lucrandi cupiditate, vel, de ſtudio lucrandi: Lucripidi nonne lucrum cupiunt: Eos lucripidos eſſe dico, qui propter inexplebilem aviditatem in minima & viliſſima quæque, & nullius pretii mirum in modum ſitiunt, & in his etiam lucrum quærunt. Omnes quidem lucri cupidi, & omnes homines bona appetunt.

Nondum capillos animo præ imperitia abraſerunt.

In ſinum vertere.

In ſinum vertiſſe quis dicitur, qui in ſuum commodum vertit apud Lampridium in Commodo: Prædam omnem in Sinum contulit.

EX APPEND. IUNII, CANTERI, *& aliorum.*

Quis iſthic fluvius, quem non recipiat mare?

Palinuri eſt dictum in Curcul. de anu multibiba & merobibai: cum herus Phædromus ſinum cum vino afferret, polliceretur q; ſervo, quod vini anui reliquum inde eſſet, id ambobus ſibi ſatis fore: objiciebat nimirum ſervus, tam facile illum totam lagenam exhauſturam eſſe, quam facile omnes fluvios capit mare. Dicemus idem ſcite de homine copioſo & avaro, quem nullum lucrum exſatiat. item de librorum helluone, quem nihil fugere poteſt.

Solem mercede præſtare.

Lactantius libro Inſtitutionum 3. tacite notans philoſophos: diſciplinam ſuam ſordidis lucellis, fœdiſque cupiditatib. & voluptatib. lenocinantes, volenſque oſtendere Chriſtianos his longe præſtare, qui ab his morib. abeſſent, duo ſubjecit veluti adagia, nempe ſolem mercede præſtare, & aquam vendere, hoc modo: Gratis iſta ſunt, facile, cito, modo pateant aures, & pectus ſapientiam ſitiat. Nemo vereatur nos, aquam non vendimus, nec ſolem mercede præſtamus. Equidem non abſurdum puto, ſi Lactantiū Auguſtinumque lib. Confeſſ. 12. 25. ſequendo, in hos qui Dei naturæque beneficia omnibus ex æquo ſine diſcrimine expoſita in quæſtum & commodum ſui ſolum transferunt, & rem omnium communem lucri cupiditate, privati juris faciunt, illud Lactantiī jaciatur: Mercede ſolem præſtāt, & aquam vendunt. Heretici qui publicum æterni Evangelii fontem omnium communem, qui ſalutem æternam omnibus in Chriſtum credentibus promiſſam ſibi ſolis arrogare non verentur, mercede ſolem præſtāt, & aquam vendunt. Item, qui divina ſacramenta lucroſas artes exiſtimāt: in ſumma: quicunque Dei ac Domini noſtri beneficia, omnibus ex æquo condonata, ſuæ gloriæ & pleonexiæ ſervire cogunt: ſolem mercede præſtare, aptiſſime & veriſſime dicemus.

LUXUS ET MOLLITIES.

ERASMI. *Indulgere genio.*

Proverbiales ſunt & illæ figuræ, Defraudare genium, pro eo quod eſt, negare naturæ quod appetit: & Indulgere genio, pro eo quod eſt, animo obſequi. Terentius in Phormione: Suum defraudans genium. Plautus in Truculento: Sed iſtos qui cum geniis ſuis belligerant, parce promi. ſordidos & parcos ſignificans. Idem in Aulularia: Egomet fraudavi meum genium. Contra Perſius ſatyra quinta:

Indulge genio, carpamus dulcia.---

Unde & Genialem appellant diem, lætum & voluptuarium. Et Genialiter vivere, pro molliter & laute.

Curare cuticulam.

Huic confinis eſt illa frequens apud poëtas figura: Curare cuticulam. Nam qui voluptati ſtudent magis quam famæ, omnia hoc curant, ut cutis ſumma niteat: eaque gratia lautioribus epulis, balneis, unguentis, ſomno, conviviis, aliiſque id genus deliciis utuntur. Horatius in Sermonibus:

——Ire domum, atque

Pelliculam curare jube.——

Idem in epiſtolis:

Me pinguem, & nitidum, & bene curata cute viſes,

Cum ridere voles, Epicuri de grege porcum.

Perſius:

——Et aſſiduo curata cuticula ſole.

Vita macerata.

Βίος μεμαλαγμένος, id eſt, Vita macerata, ſeu permollita. De molliter viventibus, quibus ex facili omnia ſuppetunt. Refertur à Diogeniano, Zenodoto, & Suida. Translatum arbitror à leguminibus aut ſalſamentis maceratis, jamque ad eſum accommodatioribus: aut à tritico jam molito, piſto ac ſubacto. Cui diverſum eſt, Βίος ἀκανθώδης, id eſt, Vita ſpinoſa.

Pontificialis cœna.

Olim cœnas ſumptuoſas opiparaſque, Pontificiales appellabant. Ad quod alludens Horatius in Odis:

Abſumet hæres Cæcuba dignior

Servata centum clavibus, & mero

Tinget pavimentum ſuperbo

Pontificum potiore cœnis.

Quo quidem in loco interpres admonet, prælautas cœnas proverbio Pontificiales appellari ſolitas. Macrobius libro Saturnalium 3. vetuſtiſſimam quandam pontificis cœnam deſcribit, ſummo apparatu, & omnigenis lauticiis affatim inſtructam. Id inde natum apparet, quod ſolennes, ſacræque cœnæ exquiſitiſſimis epulis ſoleant inſtrui. Ab eo quod ſcripſit Horat. non abhorret quod hac tempeſtate apud Pariſios vulgari joco vinum theologicum vocant, quod ſit validiſſimum minimeque dilutum. Nec infeliciter quidam hujuſce proverbii cauſam rogatus, reſpondit à Jureconſultis occupari, quas vocant præbēdas, decanatus & archidiaconatus. Theologis nihil reliquum fieri, præter curata, quæ vocant ſacerdotia. Cæterū quoniam de paſtoribus ſcriptum eſt, Peccata populi comedent, minimum adhibitam dari concoctionem opus eſſe vino efficaciſſimo. Atq; hinc eſſe natum vulgi dictum. Plautus in Menæchmis conſimili figura Cereales cœnas dixit: Cereales, inquiens, cœnas dat, ita menſam extruxit. Tantas patinarias ſtruices concinnat. Standum eſt in lecto, ſi quid de ſummo petas. Legimus & adipales cœnas & adipoſas, & adjiciales. Teren. in Phormione, dubiam cœnam dixit, pro lauta, copioſaque.

Pergræcari.

Si apud Græcos proverbia ſunt: κορινθιάζειν, λεσβιάζειν, κρητίζειν, & id genus alia complura: quid eſt quo minus habeatur adagium apud Latinos quod in Moſtellaria dixit Plautus, Pergræcari, pro eo quod eſt, genialem agere vitam? Nam quid ſit pergræcari, ipſa Plauti verba ſatis indicant:

> Dies, inquit, noctesque bibite, pergræcamini,
> Amicas emite, liberate, paſcite
> Paraſitos, obſonate pollucibiliter.

Hactenus ille M. Tullius in Verrem actione tertia: Fit ſermo inter eos & invitatio, ut Græco more biberetur. Græcorum gens male audit paſſim apud poëtas Latinos, & idem apud Ciceronem, non ſolum quaſi voluptatibus addicta, & effœminata deliciis, verumetiam quaſi lubrica fide. Sive quod olim Romanis adhuc rudibus, & antiquam illam obtinentibus ſeveritatem, Græcorum elegantia luxus videbatur: ſive quod ſtudiorum æmulatio, ac mutuum odium in cauſa fuit, ut ejuſmodi probra de Græcis conferiberent: ſive quod vere Græcorum nonnulli tales apud Italos fuerunt, quales eos depingit Juvenalis: id quod non inficiatur & Lucianus in libro De mercede ſervientibus, ut ex illis gentem omnem æſtimaretur.

Semper Leontini juxta pocula.

Ἀεὶ Λεοντῖνοι περὶ τοὺς κρατῆρας, id eſt, Semper Leontini juxta crateres. In voluptarios quadrabit, aut in eos qui ſemper iiſdem ſtudiis ſunt addicti. Leontini Siciliæ populi ſunt: quos ubi Phalaris expugnaſſet, ne quando rebellionem pararent, ademptis armis ad compotationes & voluptates rejecit atque hinc natum adagium, quod refertur à Diogeniano.

Thericlei amicus.

Θηρικλείου φίλος, id eſt, Thericlei amicus. Dictum in biboſos. Thericles primus excogitavit poculū, ut citatur autor Eubulus. Dictum eſt autem inventum inventoris vocabulo. Siquidem Græci vitreū poculum θηρίκλειον vocant autore Suida. Fertur apud eundē & illud, θηρικλέους τέκνον κύλιξ, id eſt, Thericlis filius calix. Hujus dicti autorem citat Athenæus Theopompum in Nemea. Antiphanes θηρικλέους ὄργανον appellat. Sed plura ſuper hac re prodidit Athenæus lib. 11. oſtendens Thericlem Corinthium quempiam ætate Ariſtophanis Comici fuiſſe figulum, qui nova arte primus è terebintho tornatile poculum finxerit, quod à fictilibus non potuerit dignoſci. Cujus rei meminit Theophraſtus in libris De plantis. Poculum erat ſatis profundum, auriculis brevibus, ut ad ilia geſtari poſſet, at uteri effigiem imitatum, quemadmodum refert idem Athenæus: & incertum, utrum poculo nomen ſit inditum ab homine, an homini à poculo. Alii mutant Thericleum dictum, διὰ τὸ δορὰς θηρίων αὐτῷ ἐντετυπῶσθαι, id eſt, Quod ferarum pelles illi fuerint inſculptæ. Pamphilus Alexandrinus mavult hinc dictum, quod Bacchus hoc poculo libans feras exturbare ſoleat. Sed nominis controverſiam relinquamus. Illud conſtat, ejuſmodi poculi genus poſtea dictum Thericleum, inſuper & crateres dictos Thericleos. Similiter & intus lignea, foris inaurata pocula, nihilominus Thericlea vocata: quæ Callimachus χρυσόκλειστα dixit. Imo quicquid novo artificio reperiſſet aliquis, Thericleum appellabatur. De pateris Thericleis meminit Plutarch. in apophthegmatis Scipionis minoris, tanquam de re ſingulari ac precioſa.

Sale perunctus hic adjuvabitur.

> Ἀλσὶ διασμηχθεὶς [illegible].
> Id eſt:
> Acri ſale hic perlutus adjuvabitur.

In eos dicebatur, qui vel ætate vel vino delirarent. Quidam ab artibus translatum exiſtimant, qui ſale loti redduntur meliores quod ſalis acrimonia corrorum craſſitudinem emendet. Iidem temulentia laborantes mos erat ſale & oleo perungere: id adverſus ebrietatem remedium exiſtimabatur. Quidam à vaſis teſtaceis dictum malunt, quæ ſale imbuuntur, quo fidelius contineant liquorem infuſum. Sumptum eſt autem proverbium ex Ariſtophanis Nebulis.

E clibano boves.

Proverbium ſapit quod ſcripſit Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσιν:

> Εἶτ' ἐξένιζε, παρετίθει δ' ἡμῖν ὅλους
> Ἐκ κριβάνου βοῦς.
> Id eſt:
> Accipit inde, & appoſuit totos boves
> E clibano nobis.——

Uſus erit, quoties efferemus ſplendorem convivii, aut inſignem edacitatem. Conſimili figura vocabant Hecatomben, id quod aliquanto poſt ſequitur apud eundem poëtam:

> Καὶ πουλυπόδων ἑκατόμβην.
> Id eſt:
> Et polyporum hecatomben.

Theſſalorum ala.

Θετταλικαὶ πτέρυγες, id eſt, Alæ Theſſalicæ. Proverbiali joco quondam dicebantur veſtes manicatas, quas Græci χειριδωτοὺς vocant: quod hoc genere per luxum ac delicias uterentur Theſſali. Apud Maronem hoc amictus genus tanquam parum virile, Trojanis ab hoſtibus opprobatur:

> Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Et apud Plautum quidam cultu Punico, velut avis [illegible] rotica videtur propter manicas aut angulos, aliis tum ſiſtas, utrinque propendentes atque extantes.

Sapientia vino obumbratur.

Plinius hiſtoriæ mundi lib. 23. c. 1. Vinū jejunos bibere novitio invecto inutiliſſimum eſt curas, vigoremq; animi impedit, ad procinctum tendentib. ſomno accommodatum, ac ſeveritatibus, jamque dudum hoc ſuo, quod Homerica illa Helena ante cibum miniſtravit. Sic quoque in proverbium ceſſit: Sapientiam vino obumbrari. Hactenus Plinius. Porro quod Plinius citat, eſt Odyſſ. 4. In proverbiis item Eccleſiaſticis duo ſcribuntur, quæ ſapientem etiam dementent, vinum, & mulieres.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Terentius in Eunucho: Verbum Hercle hoc verum eſt, Sine Cerere & Libero friget Venus. Dicuntur hæc ſub perſona Chremetis adoleſcentuli ruſtici, qui ſobrius oderat meretrices, poſt idē potus non abhorret. Cib. enim & potus irritamenta ſunt libidinis. Eleganter autem Cererem pro vino, Venerem pro libidine dixit, continenter in figura perſiſtens. Nam illud ipſum verbum, Friget, metaphoram habet: quam Donatus à picatione vaſorum mutuo ſumptam autumat, quod frigida pix non adhæreat. Frigida profecto nimiumque affectata interpretatio: quod quidem tanti viri pace dixerim, ſi modo illius eſt interpretamentum. Ardent amantes & frigent quæ langueant.

Horatius:

> Non enim poſthac alia calebo
> Fœmina ——

Et frigent in uxores mariti, qui non admodum amant. Divus Hieronymus Terentianam ſententiam craſſiore Minerva explicans: Diſtento ventre (ait) diſtenduntur ea quæ ventri adhærent. ſignificans libidinem eſſe gaſtrimargiæ comitem. Peculiariter autem vinum irritat libidinem: ideoque Paulinæ literæ vetant, ne vino inebriemur, quod in eo ſita ſit libido. Euripides.

> Οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις.
> Id eſt:
> Abſente vino, nulla tunc adeſt Venus.

In Græcorum collectaneis ita lego:

> Νεκρὰ ἡ Ἀφροδίτη [illegible] Διονύσου [illegible] Δήμητρος.
> Id eſt:
> Mortua res Venus ſine Baccho & Cerere.

Cynicus apud Athenæum libro Dipnoſophiſt. 6. refert eandem ſententiam his fere verbis:

> Ἐν γαστρὶ [illegible] κενῇ γὰρ [illegible]
> Οὐκ ἔστι, πεινῶσιν δ' ἡ Κύπρις πικρά.
> Id eſt:
> Nam ventri inani non ineſt formarum amor.
> Amara Venus eſt dura quos premit fames.

Ac mox ſubjicit carmen Euripidis, quod ille mutuatus ſit ab Achæo Satyrico:

> Ἐν πλησμονῇ τοι Κύπρις, ἐν πεινῶσι δ' οὔ.
> Id eſt:
> Saturo Venus adeſt, famelico nequaquam adeſt.

Athenæus lib. Dipnoſophiſt. 2. diſtichon adducit eandem complectens ſententiam:

> Ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, ἐν δὲ τοῖς κακῶς
> Πράττουσιν οὐκ ἔστιν Ἀφροδίτη βροτοῖς.
> Id eſt:
> Saturis Venus adeſt, cæterum infelicibus
> Miſeriſque nulla adeſt Venus mortalibus.

Apud hunc ipſum lib. 2. Ariſtophanes vinum lac Veneris appellat, quod alat libidinem:

> Ἡδύ τι πίνειν οἶνον Ἀφροδίτης γάλα.
> Id eſt:
> Vinum bibenti ſuave, lac Cypriæ deæ,

Huc pertinet epigramma, quod fertur incerto autore.

Ἐρῶν

Ἔρωτα παύει λιμὸς, εἰ δὲ μὴ, χρόνος.
Ἐὰν δὲ μὴ τούτοις σβέσαι τὴν φλόγα,
Θεραπεία σοι λοιπὸν ἔστω ἡ βρόχος.
Id eſt:
Fames amorem ſedat:id ſi ſit minus,
Tempus medetur.ſin nec iſta extinguere
Flammam queant tum reſtat,ut funem pares.

Idem intelligi voluit Apulejus, cum Veneri ebriam cœnam effingit,cum interim eſuriat Pſyche. Quanquam Ariſtoteles indicat,immodicam vini potionem inutiles reddere ad coitum. Nam dilui vim ſeminalem:atq; ob eam cauſam Alexandrum magnum in Venerem parum fuiſſe ſtrenuum, quod eſſet vinoſus. Idque Theophraſtum dixiſſe narrat Athenæus.

Heterognathus es.

Ἑτερόγναθος εἶ,i.Heterognathus es.In edacem dici conſuevit, quod ob voracitatem alternatim, utraq; mandibula cibum commanderet.Nam hinc dictum ἑτερόγναθος, quod nunc in hanc,nũc in illam mandibulam cibum transferat, Heſychius tamen interpretatur de duris ac male morigeris, translatum putans ab equis.

Siculiſſare.

Σικελίζειν,i Siculiſſare. Eudemus indicat antiquitus uſurpatũ, pro eo quod eſt,auſterum eſſe, tetricumque. Et eum quidem in modum.Epicharmum uſum eſſe. Cæterum aliis placere, magis referendum ad improbos & vafros. Non dubium quin ab ejus gentis moribus ſumptum. At Athenæus Diphnoſopiſtarum lib. 1 indicat,adagium natum ab Androne Siculo, qui morem invenerit ad tibiam ſaltandi,geſticulandique.

Ficus avibus grata.

Σῦκα φίλ' ὀρνίθεσσι, φυτεύειν δ' οὐκ ἐθέλουσιν.
Id eſt:
Fici gratæ avibus ſunt,quæ plantare recuſant.

Carmen heroicum citatur ab Athenæo continenter eodem quo modo diximus loco.Quadrare videtur in voluptarios,ac fugitantes honeſti laboris,cum tamen appetant emolumentum.

Aſini mandibula.

Ὄνου γνάθος.id eſt, Aſini mandibula. Convenit in edaces,alioqui ſtolidos & ignavos. Cujuſmodi pingit Horatius:
Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.
Heſychius citat ex Eupolide,dictumque in homines edaces. Addit & loci nomen eſſe. Et haud ſcio an ſentiat de loco,in quo Samſon reperit aſini mandibulam: cujus fit mentio Judicum 15.

Riſus Ionicus.

Γέλως ἰωνικός,id eſt,riſus Jonicus.In molles & voluptarios dicitur.Nam Jonum mollicies perinde ut Sybaritarum faſtus,in proverbium abiit: quod alteri Græcorum, alteri barbarorum eſſent luxurioſiſſimi. Athenæus libro Dipnoſophiſt.12. de luxu Jonum locutus, ait extare parœmiam auream, quæ mores ejus gentis teſtificetur: hanc(ut opinor)intelligens.Idẽ lib.14.docet,ſaltationis genus olim fuiſſe laſcivum ac petulans, quod Jonicum diceretur. Valerius Maximus libro rerum memorabilium ij. prodidit Jonas primos unguenti coronarumque in convivio dandarum,& ſecundæ menſæ conſuetudinem, haud parva luxuriæ irritamenta reperiſſe. Maximus Tyrius in diſſertatione, cui titulus, Quis ſit philoſophiæ finis: Crotoniates, inquit, Olympicum oleaſtrum adamat. Spartiates armaturam, venationes Cretenſis, luxum Sybarites. Jon choros. Hinc Horatius in Odis.
Motus doceri gaudet Jonicos
Matura virgo.---
laſcivas ſaltationes,& parum decoras geſticulationes ſignificans. Unde & apud Ariſtophanem ἰωνικῶς, pro eo quod eſt,ἁβρῶς,id eſt,molliter ac delicate.

Matrem ſequimini porci.

Ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι,id eſt, Poſt matrem adeſte porci. Id ſubinde repetitur apud Ariſtophanem in Pluto. Interpres admonet jocum eſſe proverbialem in ſtupidos & indoctos. Sus enim Minervæ opponitur,juxta proverbium. Veluti ſi quis diceret indocti præceptoris indoctis diſcipulis,ἕπεσθε μητρὶ χοῖροι. Quadrabit & in gulæ ventrique deditos.

Porcus Troianus.

Gulæ veteres architecti & boccõmenti ſunt, ut bos aut camelus totus apponeretur,differtus intus variis animantium generibus. Hinc & porcus Trojanus venit in populi fabulam: cui hoc nomen inditum eſt, quod ita varias animantium ſpecies utero tegeret, quemadmodum Durius equus texit armatos viros. Macrob.lib. Saturnal.3.refert Cincium in oratione, qua ſuaſit legem Fanniam de moderandis ſumptibus, objeciſſe ſuo ſeculo, quod porcum Trojanum menſis inferrent. Mihi,ſi detur optio malim porcum Trojanum quam equum. Conveniet in opipara convivia,aut in hominem variis delitiis expletum.

Decempes umbra.

Δεκάπους σκιά ἐστι,id eſt, Decempes umbra eſt: id eſt. cœnandi tempus. Veteres umbris notabant horas diei. Lucianus in Gallo: ſυνεχὲς ἐπισκοπῶν ποσάπους ἡ σκιὰ εἴη. id eſt: Aſſidue obſervans quot pedes haberet linea. Olim qui vocabant ad cœnam,deſignabant ad quam umbram ſolarii vellent adeſſe cõvivas. Itidem qui vocabantur ne venirent ante tempus rogabant, ad quotam lineã eſſet veniendum. Porro umbra decempedum erat gratiſſima paraſitis,cœnæ ſpem faciens, quemadmodum & fumus largior exiens è culina. Hujus adagionis uſum nullum video: niſi ſi quis ſignificare volens hominem vehementer edacem, dicat illi magnopere placere umbram decempedem. Aut nihil agere quempiam,niſi obſervare umbram decempedem: quomodo utitur Ariſtophan.in Concionatricibus:
--- Σοὶ δὲ μελήσει
Ὅταν ᾖ δεκάπουν τὸ στοιχεῖον
Λιπαρῷ χωρεῖν ἐπὶ δεῖπνον.
Id eſt:
Ubi facta ſit umbra decempes,
Verum hoc fuerit tibi curæ,
Aut lautam accurrere cœnam.

Ammianus libro viceſimotertio, tradit, apud Perſas nullam horam præſcriptam ſumendi cibum, præterquam regibus,ſed ſuum cuique ventrem ſolarium eſſe. Et apud Plautum, ſi ſatis commemini,paraſitus quiſpiam deſtomachatur in eos qui horologiorum uſum commenti ſunt, quum venter ſit optimum horologium. Adagium refertur à Suida.

Ventres.

Γαστέρες,id eſt, Ventres dicebantur homines edaces, ventrique atque abdomini ſervientes. Epimenides Cretenſis, citante duo Paulo in epiſtola quam ſcribit ad Titum:
Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.
Id eſt:
Cretenſes vani uſque malæ feræ,alui inertes.
Item Lucilius:
Vivite lurcones,comedones,vivite ventres:
Terentius in Phormione: Pugnos in ventrem ingere. Donatus oſtendit,& ad totum paraſitum referri poſſe. Plutarch. in commentario, De diſcrimine adulatoris & amici, putat hos verſus jambicos,non proinde quadrare in cancrum, atque in aſſentatorem & paraſitum:
Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῆ βλέπων
Ὀφθαλμὸς, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θηρίον.
Id eſt:
Eſt venter omne corpus,undique obtuens
Oculus,ſuiſque beſtia repiat dentibus.

Ariſtotel.libro Moralium 3.oſtendit homines ventri gulæque deditos appellari ſolere γαστριμάργους,quod præter modum expleant ventrem cibo potuque. Conſtat vocem eſſe compoſitam a γαστὴρ venter,& μάργος inſanus. Libet obiter commemorare ridiculum quiddam, quod per hujus loci occaſionem comperi. Qui Græcũ Etymologicum nobis contexuit, negat à quoquam vel Grammaticorum vel Rhetorum explicatum, unde dictus ſit gaſtrimargus; verum id eſſe factum ab Ariſtotele in opere de Animalibus. Equidem hactenus inhiabam larus, reconditum quiddam expectans. Margos,inquit, animal eſt, quod ex putrefactione naſcitur inter terram & aquam.Id quemadmodũ è terra naſcitur,ita non deſinit veſci terra,donec ea perterebrata emergat in auras. Quo ſimul ut emerſit,moritur triduum,donec veniat humida nebula: qua madefactum animal reviviſcit nec dein amplius terra veſcitur. Atq; hinc qui veteres philoſophos ſequuti ſunt,homines impendio voraces appellarunt γαστριμάργους. Jam hoc ſomnio quid ineptius? Sed ille ſomnium addit ſomnio: Poſſunt tamen, inquit, pie quæ dicta ſunt intelligi. Omnis enim cupiditas è corruptione naſcitur. Ea poſteaquam nata eſt, non deſinit edere cor cui ineſt, donec per habitum ſcientiæ apertum prodeat: ubi prodierit, moritur tribus animi potentiis. Et ſic gratia ſancti ſpiritus per nebulam eruditionis apparens,dat ſtillas cognitionis, vivificatque non juxta priorem vitam cupiditatib. obnoxiam,ſed juxta eam quam ob virtutẽ cum diis habet familiaritatem. Hæc plus quam frivola,tamen recenſere viſum eſt:quo lector intelligat,quãtum ſit illis rhapſodiis tribuendum:& quam ſiniſtre faciant, qui nefas eſſe putant in dubium vocare, quicquid quacunq; occaſione chartis illitum repererint. Fuit hoc aliquando quorundam ſtudiũ, ut non ſolum poëtarum fabulas ad Chriſtianam allegoriam traherẽt, verum etiam ipſi novas fabulas comminiſcerentur, quas allegorice nobis exponerent: quaſi veritas niſi adhibito mendacio diſci non poſſit. Hic autem cum fuerit Chriſtianus,tamen quoniam ſui ſomnii autorem vult videri Ariſtotelem, putat ſe nobis pulchre obleviſſe os, quod pro deo deos dicit: ſcilicet Ariſtoteles ſolet animantium naturas,ad mortalem accommodare ſenſum,& ille novit quid ſpiritus ſanctus. Julius Pollux libro de rerum vocabulis 6. admonet olim bibacem πίθον,id eſt dolium appellatum:& edacem,κάβαυνον, quod κάβος frumẽti menſuram ſignificaret, quaſi lagenam dicas? Antiphanes apud Athenæum lib.11.de obeſo & bibaci;
—Τοῦτον οὖν
διὰ οἰνοφλυγίαν καὶ πάχος τοῦ σώματος,
Ἀσκὸν καλοῦσι πάντες οἱ ἐπιχώριοι.
Id eſt:
—Hunc igitur ob
Bibacitatem & obeſitatem corporis,
Utrem vocant,ejuſce cultores loci.

Apud hunc ipſum alicubi cibo potuique dediti, φύλακες dicuntur. Nec abſcurum eſt illud, Lagenam pendere, non hominem.

Venter auribus caret.

Γαστὴρ οὐκ ἔχει ὦτα, id eſt, Venter non habet aures. Ubi de paſtu agitur, non admittuntur honeſtæ rationes. Atteſtatur huic ſenarius ille proverbii vice Græcis celebratus:

Λιμῷ γὰρ οὐδέν ἐστιν ἀντειπεῖν ἔπος.

Id eſt:

Contra famem etenim nulla contradictio eſt.

Celebratur à Plutarcho Gellioque dictum illud Catonis, ex oratione quadam, qua diſſuaſit legem agrariam. Eam ſic exorſus eſt, ut dicat arduum eſſe ad ventrem verba facere, qui careat auribus. Nec inepte accommodabitur in eos, qui ventris addicti voluptatibus, nihil admittunt quod ventri non ſit amicum. Seneca libr. 3. epiſt. 21. Venter, inquit, præcepta non audit: poſcit, appellat. Non eſt autem moleſtus creditor, parvo dimittitur: ſi modo das illi quod debes, non quod potes.

Ventrem mihi objicis.

Commemorantur & verſus in Græcanicorum adagiorum collectaneis:

Γαστέρα μοι προφέρεις ἧς οὐδὲν ὄνειδος ἀμεῖνον,
Ἡ πλήρης μὲν ἐλαφροτέρη, κενεὴ δὲ βαρεῖα.

Id eſt:

Ventrem mi objectas, quo probrum haud pulchrius ullum.
Plenus is eſt levior, gravis idem ubi pendet inanis.

Equidem ubi proverbium ſit non video, niſi in hoc, κενὴ δὲ βαρεῖα, quod apud Græcos proverbii vice videtur uſurpatum. Euripides in Iphigenia Aulidenſi:

Καλόν γε μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας.

Id eſt:

Mihi opprobraſti probrum honeſtum ſcilicet.

Aut in ea parte velut ænigmata: Levis cum plenus eſt, gravis quum inanis. Nam reliqua vaſcula quo pleniora ſunt, hoc ſunt graviora: quo magis inania, hoc leviora. Contra venter quod diſtentior cibo, hoc levior eſt, propter auctos excitatoſque paſtu ſpiritus.

Utres, Thylaci.

Ἀσκὸς καὶ θύλακος, id eſt, Uter & Thylacus dicebatur, qui cibo potuique indulgebat, ἀσκὸς enim uter eſt vinarius: θύλακος vas farinarium. Athenæus lib. 11. refert hos verſus ex Alexis Heſione, qui dicuntur ſub perſona Herculis:

Ἤπειτα κύλικα τῶν λαβὼν ἐξῆς πυκνὰς
Ἕλκει κατεσπακώς τε τὴν παροιμίαν
Ἀεὶ ποτ᾽ ἀσκὸς μὲν ἀνὴρ, ὁ δὲ θύλακος
Ἄνθρωπος.

Id eſt:

Calicem popoſcit, ac datum crebro bibens
Trahitque & hauſit, &, ut habet proverbium,
Semper bene uter, thylacus ſemper bene eſt
Homo.

Itidem Horatius:

Si ventri bene, ſi lateri pedibuſque tuis, quid
Divinæ poterunt regales addere majus?

De lurconibus ac ventribus dictum eſt alias non ſemel.

Methyſocottabi.

Vulgari convicio μεθυσοκότταβοι dicebantur bene poti, quaſi cottabo temulenti. Cottabus enim poculi genus eſt. Athenæus libr. 15. refert ex neſcio quo autore, ex Ariſtophane ni fallor:

Πόρνην δὲ Σιμαίθαν ἰόντες Μέγαράδε
Νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι.

Id eſt:

Scortum Simæthan, Megaram abegit ac tulit
Furto, juventus cottabis probe uvida.

Μύττος.

Impendio tacitus, aut in Venerem ſolutior dicebatur μύττος, quaſi dicas mutitor, à μῦ mutorum ſyllaba, de quo nobis alias dictum eſt. Eſt hujus nominis piſcis fœmina, quæ ſine mare non paſcitur. Hinc & in libidinoſos, aut ſupra modum uxorios. Rectius autem in viroſas fœminas. Autor Heſychius.

Piræus non fert vaſa inania.

Julius Pollux lib. 6. cap. 6. refert hoc ex Ariſtotele: τὸν Πειραιᾶ μὴ κομίζειν ἀγγεῖα κενά, id eſt, Piræum non vehere vaſa inania. Piræus portus erat Atticæ: Huc appellebant vaſa mercibus onuſta. Eodem conveniebant adoleſcentes, convivium acturi. Indicat hoc Antipho in Eunucho Terentiana: Aliquot adoleſcentuli coimus in Piræo in hunc diem ut de ſymbolis eſſemus. Eſt ejuſdem nominis portus Corinthiacus, ubi conſentaneum eſt majorem fuiſſe luxū. Hinc ductum ſcomma in eos, qui gaudent ſemper cibo potuque diſtenti. Expende, num apud Pollucem legendum πείραιαν, ut ad hominem referatur: quando Stephanus indicat, locum & hominem qui prius Piræus dicebatur, poſtea dictum πειραιᾶ.

Bos in ſtabulo.

Βοῦς ἐν αὐλίῳ, id eſt, Bos in ſtabulo, dicebatur inutilis, & in ocio vitam agens. Heſychius indicat a Cratino dictum in fabula cui titulus, Deliades: quanquam hujus nobis meminimus.

Herculani lecti.

Ἡράκλειοι στρωμναί, id eſt, Herculani lecti, dicebantur molles ac delicati. Teſtis eſt Athenæus libr. 12. quod dictu mirum eſt: quum Cynici ſibi vindicent Herculem, quemadmodum hodie Carmelitæ ſibi vindicant prophetam Eliam. Sed is qui hæc loquitur apud Athenæum, hoc agit, ut perſuadeat Herculem mollem ac voluptariam egiſſe vitam: cæterum quæ de illius laboribus feruntur apud poetas, mera eſſe figmenta. Sic homines blandiuntur ſuis vitiis.

Abronis vita.

Ἄβρωνος βίος, id eſt, Abronis vita. De molliter ac delicioſe viventibus. Sumptum a morib. Abronis cujuſpiam notæ luxuriæ: quemadmodum apud nos Apicius & Æſopus luxu nobilitati ſunt. Græci quicquid delicatum ac molle, ἁβρὸν & παναβρὸν appellant: unde ἁβροδίαιτος, laute victus & opipare victitans. Refertur a Zenodoto.

Sybaritica menſa.

Συβαριτικὴ τράπεζα, id eſt, Sybaritica menſa. De convivio dicebatur nimium apparato. Natum a gentis ejus moribus. Eſt enim Sybaris oppidum vicinum Crotoni, ut teſtis eſt Herodotus libr. v. Stephanus indicat poſtea Thurion appellatum. Unde Sybaritæ dicti, gens in architectura voluptatum operoſiſſima: Suida teſte, luxu deliciiſque adeo notabilis, ut quicquid effœminatum, quicquid molle, quicquid accuratà atque ambitioſa luxuria paratum eſſet, id vulgo Sybariticum diceretur. Unde Ovid. in libro Triſtium 2. ſcribens ad Auguſtum:

Nec qui compoſuit nuper Sybaritida, fugit.

Sybaritida vocat opus Hemitheonis cujuſdam cinædi Sybaritæ, de generib. voluptatum & obſcœnarum deliciarum. Item Martialis lib. 12.

Qui certant, inquit, Sybariticis libellis.

Philo Hebræus in vit. Moyſi, Sybariticas nequitias vocat laſciva poëmata. Maximus Tyrius in diſſertatione tertia de voluptatib. Sybariticas ſaltationes commemorat. Ariſtoteles lib. Moralium Eudemiorum 1. Smyndiridem quoque Sybaritam comparem Sardanapalo inter voluptarios nominavit. Suidas fabulas amatorias aut parum pudicas, Sybariticas appellatas ſcribit. Idem refert Sybaritas inſtituiſſe, ut equi ad tibiæ cantum ſaltare condiſcerent: & luxioſus, Sybaritas appellatos: & Sybariſſare, Sybaritarum more deliciis indulgere dictum. Adſtipulatur & Quintilianus lib. 3. Frugalitas, inquiens, apud Sybaritas forſitan odio foret. Plutarch. in convivio ſeptem ſapientum, tradit apud Sybaritas hunc fuiſſe morem, ut mulieres ab uſque anno priore ad convivium vocarentur, quo ſe per ocium auro veſtibuſque poſſent exornare. Hæc atque hujuſmodi ferme referuntur ab Angelo Politiano Miſcellaneorum cap. 15. Cæterum convivium Sybariticum depingit, ac miſſus Sybaritica meminit Ælius Lampridius in Heliogabali vita, Imperatoris luxu perditiſſimi, adeo ut nomen inveneriт, vulgo dictus Apicius. Sed Lampridii verba ſubſcribam. Semper, inquit, ſane aut inter flores ſedit, aut inter odores pretioſos. Amabat ſibi precia majora dici earum rerum, quæ menſæ parabantur, orexin in convivio hanc eſſe aſſerens. Sexcentorum ſtruthiocamelorum capita, una cœna multis exhibuit ad edenda cerebella. Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti & duo fercula ingentium epularum: ſed per ſingula lavarentur, & mulieribus uterentur, & ipſe & amici cum jurejurando, quod efficerent voluptatem. Celebravit item tale convivium, ut apud amicos ſingulos ſinguli miſſus appararentur, & cum alter maneret in Capitolio, alter in Palatio, alter in Cælio, alter trans Tyberim, & ut quiſque manſiſſet, tamen per ordinem in eorum domibus ſingula fercula ederentur, ireturque ad omnium domos. Sic unum convivium vix toto die finitum eſt, cum & lavarẽt per ſingula fercula, & mulieribus uterentur. Sybariticum miſſum ſemper habuit ex oleo & garo: quem quo anno Sybaritæ repererunt, perierunt. De Sybaritarum tum luxu, tum interitu, permulta commemorat & Athenæus in Dipnoſophiſtis, quum alibi, tum libro 12. in quibus & illud: Sybaritas nullam artem recipere in ſuam civitatem, quæ ſine ſtrepitu non poteſt exerceri, veluti fabrorum ærariorum, aut lignariorum, ac ſimilium: ne quid ſit quod dormientibus obſtrepat. Ob eandem cauſam gallum gallinaceum fas nõ eſt in civitate alere. Alia præterea deliciarum argumenta refert ille ſi cui vacat legere. Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ συβαρίζειν dixit, pro eo quod eſt, opipare ac genialiter vivere:

Ἦν δ᾽ ἐξέσται τοῦθ᾽ ὑμῖν,
Πλεῖν, μένειν, κινεῖν, καθεύδειν,
Ἐς πανηγύρεις θεωρεῖν,
Ἑστιᾶσθαι, κοτταβίζειν,
Συβαρίζειν.

Id eſt:

Jam vero licebit vobis navigare, manere, movere, dormire, in feſtis ſpectare, convivio accipi, cottabo ludere, Sybariſſare. Gregorius Theologus ad Baſilium ſimili tropo menſam ſuam luxu redundantem, Alcinoi dixit, οὐχ εἰς λωτοφάγων πενίαν, ἀλλ᾽ εἰς Ἀλκινόου τράπεζαν. i. Non ad lothophagorum inopiam, ſed Alcinoi menſam.

Epiſcythizare.

Ἐπισκυθίζειν, Lacedæmoniorum adagio dicitur, pro eo quod eſt, vinum merum intemperantius bibere. Et Achæus in Æthone

Satyrico

Satyrico [Greek], ſive (ut in quibuſdam exemplaribus legitur) [Greek] dixit: Pro eo quod eſt, ἀκρατοποτεῖν, hoc eſt, meracius bibere. Athenæus libr. x. Dipnoſophiſtarum, ex Herodoto & Chamæleonte authoribus: refert Cleomenem regem Spartanum cum Scythis agentem conſuetudinem, & illorum ἀκρατοποσίαν, id eſt, meri potationem imitatem in inſaniam verſum fuiſſe, quemadmodum interpretantur Spartani. Locus eſt apud Herodotum lib. 6. cui titulum fecit Erato: addens hic natum apud eoſdem Spartanos vulgare dictum, ut ſi quando velint ζωρότερον πίνειν, hoc eſt, intemperantius bibere dicant, ἐπισκύθισον, hoc eſt, Minimum infundito aquæ: pro eo quid dicendum erat, ἐπίχυσον, id eſt, Infunde aquam. Apud eundem libro 11. Hieronymus Rhodius docet, σκύθιον dictum pro κάδιον & Athenæus dubitat, num a Scythis Scyphus, id eſt, poculi genus, habeat nomen, ut σκύφος dictũ ſit quaſi σκύθος, nam vocem ſic immutatam oſtendit apud autores extare. Quin & illud addit, Lacedæmonios quum ſentirent barbaros Aſiaticos omnia dolis agere, vice Thimbronis eo legaſſe Dercyllidam, quod is nihil haberet ſinceritatis Laconicæ, ſed ingenium ſubdolum ac ferum, exiſtimantes huic nõ poſſe dari verba: quem ob id σκύθον appellarunt Lacedæmonii, quaſi σκύφον. Scythæ autem & Thraces ἀκρατοπόται vocantur, id eſt, meribibi: unde plerunque convivia illorum ſanguinolenta ſunt & tumultuoſa. Apud eundem Anacreo, ni fallor, ἀκρατοποσίαν, σκυθικὴν πόσιν appellat: quod Callimachus verbo compoſito dixit ζωροποτεῖν. Atque utinam hic mos plus quam barbaricus intra Scytharum ac Thracũm fines conſtitiſſet, nec ad nos uſq; dimanaſſet. Non enim ſolum bibimus intemperanter, verum etiam cogimus alios ad bibendum, & recuſantem ferro adorimur, quum inhumanius pene ſit cogere ad bibendum qui non ſitiat, quam ſitientem ſubmovere a potu: quemadmodum eleganter apud Athenæum l. x. dixit Sophocles:

> —Τὸ πρὸς βίαν πίνειν
> Ἴσον κακὸν πέφυκε τῷ διψῆν βίᾳ.

Id eſt:

> Cogi ad bibendum non minus grave eſt malum,
> Quam ſi quis acrem perpeti cogat ſitim.

Commode deflectas licebit ad cujuſvis rei intemperantem & immodicum uſum.

Syracuſana menſa.

Συρακουσία τράπεζα, id eſt, Syracuſana menſa, prælauta atque opipara dicebatur. Syracuſani enim ut erant olim opibus florentiſſimi, ita voluptatib. ac deliciis addictiſſimi. Lucianus in dialogo Simuli ac Polyſtrati: καὶ τράπεζαν, inquit, ὥσπερ τὰς ἐν Σικελίᾳ, id eſt, Ac menſæ Siculis lautiores. Athenæus lib. 12. Διαβόητοι δέ εἰσιν ἐπὶ τρυφῇ καὶ αἱ τῶν Σικελῶν τράπεζαι, id eſt, Celebres ſunt ob delicias & Siculorum menſæ. Addit ex Clearchi autoritate, Siculos dicere, apud ſe mare quoq; dulce eſſe, quod gaudeant edulis quæ mare porrigit. Meminit Siculæ menſæ Diogenes in epiſtola quadam ad Ariſtippum: item Ariſtides in Pericle: denique Strabo lib. 6. & hæc aliaq; plura commemorat Plutarch. in vita Niciæ ex Diphilo refert: παχὺς ἐκβολιμαῖος σιτευτὸς Σικελικῷ id eſt, Pinguis & abdomine Siculo ſtercoratus ſive ſaginatus Quod miror quare Latinus interpres vertendum putarit, delibutus: quum βόλιτος ſignificet ſtercus bubulum, utiliſſimum agrorum lætamen. Plato in epiſtola quadam ad propinquos Dionis, negat ſibi felicem illam vitam, in Siculis Italicisque menſis ac reliquis voluptatibus ſitam, unquam placuiſſe. De Syracuſanorũ luxu meminit & Ariſtoteles in Politia ejus gentis addens Dionyſium minorem nonnunquam ad nonageſimum uſque diem ebrium, perſeveraſſe: atq; ob eam rem cæcutientibus ab vitioſis oculis fuiſſe. Narrat Theophraſtus apud Athenæum, amicos illius & compotores in cõviviis adſimulare ſolitos, nõ videre ſe ſe vel cibos vel calices appoſitos: videlicet ad eum modum adulantes regi cæcutienti, unde διονυσοκόλακες, ſunt appellati apud eundem Ariſtophanes ἐν Δαιταλεῦσι:

> Ἀλλ' οὖν ἐγὼ ταῦτ' ἐκδιδαχθεὶς ...
> Πίνειν δ' ἔπειτ' ᾄδειν κακῶς,
> Συρακοσίων τράπεζαν Συβαρίτιδάς τ' εὐωχίας.

Id eſt:

> Atqui hæc quidem me duce non didiciſtis,
> Verum bibere potius, deinde male canere,
> Syracuſanorum menſam Sybariticaque convivia.

Itẽ Plato de Rep. 3. Συρακοσίαν δὲ, ὦ φίλε, τράπεζαν καὶ Σικελικὴν ποικιλίαν ὄψου, ὡς ἔοικας, οὐκ αἰνεῖς. id eſt: Syracuſanam amice menſam, & Siculam in obſoniis varietatem non videris approbare. Athenæus libr. 14. citat Cratinum, qui prælautam culinam ac bene fumantem ac ſuaviter olentem deſcribens, ita loquitur.

> Οἰκεῖν ... τὸ χάσμαν
> ... Σικελὸς ...

Id eſt:

> Habitare mihi hic videtur aliquis in ſpecu,
> Qui thura odora vendit, aut Siculus coquus.

Apud eundem mox Antiphanes quoque laudat Siculos coquos, ut arte condiendi præſtantes. Verum his temporibus Siculi frugalitatem Hiſpanicam & Italicam ſic imitantur, ut propemodum ſuperent, hujuſque proverbii gloriam plane perdiderunt. Quanquam Athenæus in Dipnoſophiſtis, inter opiparas menſas etiam Italicas, recenſet. At his ſane temporibus priſcam illam frugalitatis laudem ſibi vendicarunt: quemadmodum & Græci ad priſtinam illam temulentiæ gloriam poſtliminio redierunt. Unde Fauſtus Andrelinus Forolivienſis, poëta non ſolum laureatus, verum etiam regius, atque etiam (ſi diis placet) regineus, verus congerro meus, qui plusquam triginta jam annos in celeberrima Pariſiorum Academia poëticen docet, in carmine quod de pavimento Pariſienſi inſcripſit, adagionem in Anglos derivavit:

> Menſa, inquiens Britanna, placet.—

Et haud ſcio unde natum ſit hoc vulgatiſſimum apud Gallos proverbium, ut cum hominem vehementer cibo diſtentum velint intelligi, dicant: Tam ſatur eſt quam Anglus. Verum iidem ut illis attribuunt πολυφαγίαν, ita nobis πολυποσίαν adſcribunt.

Vixit, dum vixit, bene.

Vixit, dum vixit, bene. Eſt in Hecyra Terentiana. Proverbiale fuiſſe, vel ſenex indicat, rogans, num præter unam ſententiam nihil attuliſſet. Conveniet in eos, qui molliter ac ſuaviter vivunt, atq; faciunt ſumptus, ut non multum juvent hæredem Eſt autem amphibologia in verbo Vivere: quod interdum ſimpliciter vivere eſt, interdum genialiter vitam agere. ut apud Catullum:

> Vivamus mea Lesbia atque amemus:

Teneri calidis balneis.

Ἁπαλοὶ θερμολουσίαις, i. Teneri calidis lavacris, in molles & luxu diffluentes dicebantur. Nam antiquitus calida balnea deliciarum nomine taxata fuiſſe, vel Homerus teſtis eſt Odyſſeæ θ. inter voluptuariæ vitæ delicias ea commemorans:

> Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροί τε,
> Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ λοετρά τε θερμὰ καὶ εὐναί.

Id eſt:

> At ſemper cordi nobis epulæque chorique,
> Cantuſque & variæ veſtes, & balnea calda,
> Concubituſque.—

Refertur adagium ab Eudemo, his quidem verbis: Ἁπαλοὶ θερμολουσίαις, ἁβροὶ μαλθακευνίαις, id eſt, Teneri calidis lavacris, delicati lectorum mollicie. Huc alluſit Perſius cum ait:

> Eluxaſque nates labefactat forcipe adunca.

Amazonum cantilena.

Ἀμαζόνων ᾄσμα, id eſt, Amazonum cantilena: in delicatos ac laſcivos, & parum viros. Philoſtrat. Apollonii vita lib. 4. μειράκιον τῶν ἁβρῶν ἀσελγῶς κομίζομένον, ὡς ᾄδεσθαι κατὰ τὸ τῶν Ἀμαζόνων ᾄσμα. id eſt, Adoleſcens de numero mollium uſque adeo laſcivus habitus, ut aliquando Amazonum quoque fuerit cantio. Quid autem ſibi velit, Amazonum cantio fateor mihi nondum ſatis compertum apud idoneos authores. Niſi ſi cui placet, ut accipiamus Amazones ludibrii cauſa in molles viros cantilenas ſolere celebrare. Quod ſi fas ſit mutare ſcripturam, mihi nequaquam diſpliceat, ut pro ἀμαζόνων, μαζονόμων legamus. Sic enim appellant lancis genus prægrande, quo cibi inferuntur in convivium. Mos autem erat antiquitus, ut epulæ lautiores tibicine præcedente inferrentur, ut acipenſer. Horatius in extrema Satyra:

> Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
> Membra gruis.—

Verum hoc interim meum eſto ſomnium, donec ab eruditis certius aliquid proferetur. Quod ſane deſperandum non eſt, indies in lucem emergentibus novis autoribus. Quum hæc jam quartum eſſent ædita, prodiit opus Cœlii Rhodigini: qui tradit, ſibi videri proverbium hoc non de fœminis Amazonum, ſed in genere de tenuibus dici. Hoc commentum cum ſit inſigniter frigidum, quanto ipſe verecundius, qui me profeſſus ſum neſcire quod neſciebam?

Coronam quidem geſtans, cæterum ſiti perditus.

Στέφανον μὲν ἔχει, δίψῃ δ' ἀπόλωλε, i. Coronam quidem geſtans, cæterum ſiti perditus, In temulentum & lurconem apte torquebitur, quique obliguritata re redactus ſit ad inopiam. Ariſtophanes in Equitibus:

> Ὥσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον δίψῃ δ' ἀπολωλώς.

Id eſt:

> Quemadmodum Connas coronam quidem geſtans aridam, verum ſiti perditus.

Taxat autem Cratinum comicum, tãquam ebrioſum ac delirantem. Effertur adagium & in hunc modum apud Diogenianum:

> Δελφὶς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων, δίψῃ δ' ἀπολωλώς.

Id eſt:

> Vir Delphus cum portet ſerta, ſiti exanimatur.

Natum eſt a moribus Connæ cujuſdam. Is primum erat tibicen vinoſus, atque in conviviis aſſidue coronatus potabat, nam priſcis mos erat, in compotationib. coronas geſtare. Deinde è tibicine factus eſt Olympionices, atque in Olympiis ſæpe victor coronam tulit: Unde Cratinus cum πολυστέφανον vocat. Alioqui pauperrimus, neque tantillo ditior factus ſuis victoriis. Nihil enim habuit iſte fertur, præter oleaſtrum.

Ex amphitheto bibiſti.

Ἀμφιθέτου ἔπιες, id eſt, Ex amphitheto bibiſti. Dicebatur in eum, qui meracius ac largius potabat. Amphitetum enim erat poculi genus, ita factum, ut quavis ex parte poſitum ſteret, nullumque certum haberet fundum. Probabilius eſt quod inter varia addit Heſychius, Amphithetõ eſſe poculum, quod ob magnitudinem ambabus tollitur ac reponitur. id Hollandi nautæ vocant buſam.

Maſchalam tollere.

Μασχάλην αἴρειν, id eſt, Maſchalam tollere dicebatur, qui avidè biberet. Sumptum à geſtu bibentium, inter ebibendum cyathos, gulam ac mentú intendentium, & alius erigentium cubitos, ne quid reſideat in cyatho liquoris. Idem appellant ἀνθύλιον, ἀπὸ τῆς κύλικος, quod eſt poculi genus. Heſychius indicat, μασχάλην eſſe partem proræ quæ contineat ἀρτέμονα, ſive antemonem. Antemonem autem volunt eſſe veli genus. Sunt qui dicant μασχάλιον eſſe caniſtrum è palma contextum, quod virga palmea maſchale dicatur: non nunquam & pro ſune poni. Alii contendunt maſchalam eſſe machinam, qua ſarcinæ deponuntur in naves, aut eximuntur è navibus. Hinc jocus in eos qui poculum tollunt in altū. Heſychius adfert & hunc trochaicum tetrametrum, citra nomenclaturam autoris:

Ὡς αὐτῶν τὴν μασχάλην ὑψοῦ μετεωρίζοντες,

Id eſt:

Surſum in altum ut irruentes erigamus maſchalam.

Fortaſſis huc alluſit Stratonicus citharœdus apud Athenæum lib. 8. qui notans ſingulas Græciæ civitates, Βυζάντιον εἶπε μασχάλην Ἑλλάδος, id eſt, Byzantium dixit Græciæ maſchalam: quod illic opinor ſtrenue potaretur, ſive quod eſſet emporium Græciæ. Eſt enim Thraciæ civitas, eadem dicta Conſtantinopolis. Adjungit proverbio gratiam alluſio, quod ſunt pocula navigii ſpecie, veluti cymbia, σκαφίδια, τριήρεις, & alia nonnulla. Refertur à Zenodoto. Meminit & Julius Pollux lib. 6. c. 3. his quidem verbis: ἐπὶ δὲ τῶν μεθυόντων ἔλεγον τὸ μασχάλην αἴρειν, ὡς τοῦτο ἔθος ὂν τοῖς ἐν μέθῃ. id eſt, ebriis vero dicebant maſchalam tollere, tanquam is mos ſit temulentis. Adducit & Homerici carminis teſtimonium:

Χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλῳ ἔκθανον,

Id eſt:

Sublatis manibus riſu emori. - - -

Ex his videtur, non a tollendo, poculo ſed à geſtu gaudentium fuiſſe dictum. Certe manet & hodie apud Germanos milites, ut dextra ſublata lætitiam indicent animi.

Vinum ſenem etiam vel nolentem, ſaltare compellit.

Ac rurſus ibidem hoc item carmen proverbio jactatum ſcribit:

Οἶνος ἄνωγε γέροντα καὶ οὐκ ἐθέλοντα χορεύειν.

Id eſt:

Vina ſenem, ut nolit, cogunt ductare choreas.

Admonet nihil eſſe tam ineptum, neque tam alienum, ad quod non incidat ebrietas. Subjicit & aliud carmen non diſſimilis ſententiæ:

Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνην ἀνέηκεν.

Id eſt:

Inſanire facit ſanos quoque copia vini.

Idem lib. 4. Dipnoſophiſt. adducit proverbium ex Eripho quodam comœdiarum ſcriptore:

Λέγει τοι τὶς ἀρχαῖος, εὖ γε οὗτος ἔχων,
Οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
Πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.

Id eſt:

Recte vetuſto dicitur proverbio,
Quod vina ſenibus perſuadent ô pater,
Uti velint nolint, choreas ducitent.

Huc pertinet illud Platonis lib. De legib. 1. οὐ μόνον ἄρ' ὡς ἔοικεν ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' ἄν, ἀλλὰ καὶ ὁ μεθυσθείς. Itaque videtur, non ſolum ſenex fuerit bis puer, verum etiam temulentus. Item Horatius:

Quod me Lucanæ juvenem commendet amicæ.

Vinum caret clavo.

Athenæus eodem lib. de potationibus diſſerens, hujuſmodi proverbium eleganter vulgo dici ſolere ſcribit, τὸν οἶνον οὐκ ἔχειν πηδάλιον, id eſt, Vinum non habere clavum; propterea quod ebrietas nihil conſulte, neque moderate dicit vel facit. Obruitur enim ratio, quæ clavi vice ſobrios moderatur ac gubernat. Huc pertinet Ovidianum illud:

Nox & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat, Liber amorque metu.

Non illepidum eſt quod apud Athenæum libr. 11. refert Xenophon, apud Perſas fuiſſe vetitum, ne προχοΐδας inferrent in convivium, apparet fuiſſe vaſculi genus, quo vinum è cratere miniſtri effunderent in cyathum, id factum eſt, ne ſupra modum bibentes & animi & corporis viribus deſtituerentur; & addit eum morem adhuc apud illos ſervari: nec enim inferri prochoidas, ſed nihilo ſecius tantum illos bibere, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ εἰσφέρειν αὐτοὶ ἐκφέρονται, ἐπειδὰν μηκέτι δύνωνται ὀρθούμενοι ἐξιέναι, id eſt, pro eo quod non inferuntur prochoides, ipſi efferuntur, poſteaquam eò amplius poſſunt exire ſaltantes. Itaque vinolentia nullis minus ignoſcenda eſt quam qui Reipublicæ clavum moderantur, hoc eſt, regibus & magiſtratibus. Et divinæ literæ vetant vinū dari regibus. Nec vinum nec ſomnus convenit aſſidentibus clavo, ſed interdum nulli magis indulgent vino ſomnoque.

Amphidromiam agis.

Ἀμφιδρομίαν ἄγεις, id eſt, Amphidromiam agis. Adagium ad varios uſus poterit accommodari: vel ad eos qui pueros oſtentant, ac circumferunt aut munuſcula captant ambiuntque. Sumptum à priſca conſuetudine, qua mulieres quæ in partu adfuiſſent, & in obſtetricando juviſſent, quinta poſt die manus abluere ſolebant ac puerum curſu laribus circumferre. Eoque die munuſcula miſſitabant ut à cognatis, ſepiæ plerunque & polypi: decimo à partu die nomen indebatur infanti. De munuſculis hujuſmodi meminit & Terentius in prima Phormionis ſcena, & Plautus in Truculento: in qua fabula Phroneſiū meretrix Dinarcho cupienti accumbere in ſacrificio pro puero acceritio, jubet potius illud agat, quod quinto die fieri conſuevit. Quanquam Heſychius & amphidromiam ſeptimo die ſcribit celebrari ſolitam. Plato in Theæteto, τὰ ἀμφιδρόμια vocat genere neutro. Idem facit Ephippus apud Athenæum libro Dipnoſoph. 9.

EX APPENDICE ERASMI.

Gallonius.

De lurcone, omnia gulæ ventriſq; delectatione metiente, Cic. multis locis. Ait Lucill. Gallonem nunquam bene cœnaſſe, quod nunquam eſuriens cœnaret: adeo luxu fuit perditus.

Codali chœnix.

Καδάλου χοῖνιξ. Codali demenſum. De magnis menſuris Suid. Videtur tractum à ſervo quopiam edaci, cui chœnix fuerit altius capax, & hac arte fraudarit herum.

Naviges in Maſſiliam.

Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν. In molles, & moribus vultuque parum viriles. Ubi hæc Maſſilia fuerit, deliciis effœminata, non addit Suidas. Nam Gallica adeo diſciplinæ ſeveritate extitit, ut Plaut. mores Maſſilienſes dixerit, pro rigidis & ſeveris.

IUNII. *Theſſalicus ſaltus.*

Θετταλικὸν πτέρυμα, id eſt, Theſſalicam ſaltationem in proverbiū abiiſſe annotat in Dionyſium commentario Euſtathius, pro molli fortaſſis, nam & Θετταλικαὶ πτέρυγες alæ Theſſalæ, in luxus argumentum apud authores nobilitantur: quod ejus generis togæ utrinque alarum ſpeciem præferrent, extentioribus fortaſſe manicis: unde τοῖς Θετταλικοῖς dixit in Marica Eupolis, apud Stephanum & Pollucem, de geſtātibus diffuſiores more Theſſalorum chlamydas, de quo annotatum eſt Heſychio, Suidæ & Eraſmo. Oratores quidam has Theſſalicas alas Θετταλικὰ πτερά non malè dixit: quod in certaminibus ſuis præmia proponerentur ejuſmodi chlamydes, celebratur & Θετταλικαὶ calceamenti genus, illi nationi peculiare. Memorat & Θετταλικὸν πτέρυμα Stephanus, aſtrigmenti genus elegantioris ad comptum faciens, quo angulos chlamydum quos πτέρυγας exponit Heſychius, affibulare atque conſtringere ſolebant, ut arbitror. Nec vero diſſimile eſt hanc lectionem ab Euſtathio male interpolatam fuiſſe. Quicquid ſit, divinatione quam aſſeveratione magis opus eſt, in re non explicita, donec aliquis exoriatur, qui ſcriptum hunc aperiat. Forte Θετταλικὸν πήδημα, i. Theſſalicum ſaltum, pro ingenti, quem grallatorium vocat Plautus, non inepte expoſueris, ratione iā ſuperiore adagio addita.

Thymo nemo veſcitur ubi adeſt caro.

Οὐδεὶς κρεῶν παρόντος ἥδεται θύμῳ.

Id eſt:

Carnes ubi adſunt, nemo veſcitur thymo.

Proverbialis ſenarius ex Antiphanis faceti ſſimi poetæ comœdia, cui nomen eſt Parœmia, quod proverbiis ſcateat, Athenæo teſte. Nemo libenter egeſtatem ſubit, modo liberius vivendi ratio ſe oſtendat: opima quam tenuia munera libentius quiſque ſequitur: menſæ opiparæ famelicus aſſidere mavult, quam tenuē ſalinum illingere.

Tanquam fungus ſuffocat.

Μύκητος δίκην ἀποπνίγει, id eſt, Fungi in modum ſuffocat. Proverbiali ſpecie dicitur ad animum relatum: veluti ſi dicamus, luxum obruere ingenia, & velut in herba enecare, ne unquam ad frugem perveniant, nimirum ἡ τρυφὴ τὴν ἀκμὴν μύκητος δίκην ἀποπνίγει τοῦ νοῦ: id eſt, luxus ingenii vigorem ſuffocat fungi inſtar, & honeſtatis ſtudium obliterat atque ſtrangulat, veluti fungus ſolet, induſtriam: & pravum ſodalitium adoleſcentiæ ſpem, fungi more, ſuffocat, cui competent verba quæ extant apud Ephippum:

Ἵν' ὥσπερ οἱ μύκητες ἀποπνίξω σ' ἐγώ.

Id eſt:

Ut, quemadmodum fungi ſolent, te ſuffocem.

& Epicharmus comicus:

Ὥσπερ οἱ μύκητες ἀποπνιγήσεσθε
Πιεζόμενοι. —

Id eſt:

Emaciati tanquam fungis ſuffocabimini.

Sunt inter fungos qui lethiferi dicuntur, qui gula quaſi compreſſa ſuffocant: unde πνίγοντας Nicandro dicuntur epitheto, & Claudius Imper. fungorum eſu, quos boletos vocant, extinctus legitur, unde manavit jocus Neronis apud Dionem, quinquageſimo octavo hiſtoriarum libro, μύκητας θεῶν βρῶμα dicentis: hoc eſt, fungos deorum eſſe edulium: quod fungi eſu è vita exceſſiſſet ſublatus.

Galli-

Gaditanum.

Gaditanum non citra proverbialis ſalis acrimoniam pro molli & effœminato proferri à Martiali video: ut lib. 5.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurrat.

& in Gaditanis puellis laſciviam ſingularem prædicat, ubi inquit:

Nec de Gadibus improbis puellæ,
Vibrabunt ſine fine prurientes,
Laſcivos docili tremore lumbos.

& libr. 11. Tarteſſiacam manum vocat petulantem, & nequitias Gaditanas edoctam:

Et Tarteſſiaca conceptat æra manu.

Porro per Nili cantica haud dubie Canobitarum ſympoſia perſtringit, impudicis cantilenis perſtrepentia, qua de re plura in τρυφερότητι diximus. Idem libro 1. improbum Concilium Gaditano aſſimilat:

Quid de Gadibus improbus magiſter

Idem lib. 6. de Telethuſa laſciviſſima puella:

Edere laſcivos & Bœtica cruſmata, geſtus,
Et Gaditanis ludere docta modis.

Cucumere veſcens, chlamydem texito.

Recenſetur nominatim parœmiæ nomine in Athenæi dipnoſophiſtarum 3. verſiculus talis:

Τὸν σικυὸν τρώγουσα γύναι, τὴν χλαῖναν ὕφαινε.

Id eſt:

Contexas mulier, cucumi quum veſcere lenam.

Neque tamen authoris indicium illic ſit, neque ſenſus explicatur. Putat Hermolaus Barbarus, vir ſane extra omnem cōtroverſiam doctiſſimus, dictū propter textrices, quæ plerumq; venereæ ſint: quam vim excitare credatur cucumeris eſus. unde Demetrius Ixion σικυὸν etymon (ſic cucumis vocatur) derivari voluerit, παρὰ τὸ σεύεσθαι καὶ κινεῖν quod veneris appetitum extimulet, cui refragatur Diphili medici authoritas, cucumin ἀφροδισίων ἐφεκτικὸν, dicentis, hoc eſt, venerē cohibere: cui & Simeon Zethus ſubſcribit, ejus uſum τὴν ἐπὶ τὰ ἀφροδίσια κίνησιν ἀμβλύνειν prædicantis, id eſt, ſenſū venereæ cupiditatis obliterare. imo tota medicorum ſchola eandem ſequitur opinionem. Itaque alio referri parœmiæ ſenſum ſuſpicio eſt, ac potius induſtriæ ſedentariæ ſignificationem præ ſe ferre, ut moneant fœminas officium ſuum (quo olim in texendo fere diſtinebantur, ut toties Homerus inculcat) facere, neque deliciis a labore avocatas ſuperſedere, & σικυὸν peponem hic dici arbitror, quam ita Theophraſtus & Attici nominant: σπερματίαν, quaſi ſeminoſum (ut Ovidiano utar vocabulo) vocat Pollux, cujus in deliciis mirus eſt uſus. Eſtq; hic clariſſimus proverbii intellectus: Ne ſedentariæ operæ, hoc eſt, textrinæ, tuique muneris obliviſcere mulier, quum pepones ciborum delicias mādis. Quid enim gratiæ habeat verſiculus iſte, ſi innuat, ut mulier videlicet texendo cucumerem mādu cet (ea enimque ſunt barbari verba) non video: quem tamen ſecutus eſt diſſimulanter Cælius. Ego doctioribus præjudicatum nolim, ſententiam libenter mutaturus, ubi certiora doceant.

Tritones piſcinarum.

Cicero libro epiſtolarum ad Atticum 2. Si erit nebulo iſte cum his Dynaſtis in gratia, non modo de Cynico conſulari, ſed ne de iſtis quidem piſcinarum tritonibus poterit ſe jactare. Piſcinarū tritones nominare videtur cupedivoros ganeones, gulæ proceres, qui piſcinis impēdio delectarentur, nam luxus antiquitus præcipue erat piſcium eſu, inter quos ea ætate præſtabant Hortēſius orator, qui piſcinā apud Baulos habebat, Philippus & Lucullus, ut memorat Plinius libro 9. Quod ſtudium principū civitatis notat eod. in libro Cicer. his verbis. Noſtri autē principes digito ſe cœlum putant attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant, alii autem negligant. Niſi intelligat allegorice per piſcinas, magiſtratuum munia, ad quæ Tritones illi & principes provehant palpones ſuos quos ipſis collupitum ſit, cuncta ad ipſorum nutum facientes, ut piſcinarum Tritones ſint, qui potentia ſuffulti, primaſque civilibus ornent, ſi non potius onerent aſſentatores ſuos, ipſorum dictis applaudere doctos. Fuit autem Triton faboloſus maris deus ex Neptuno & Amphitrite genitus, ſuperna corporis parte umbilico tenus homo, inferna in biſulcam caudam, delinente delphinus.

Volſellis pugnant non gladiis.

Volſellis pugnant, non gladiis, adagium extat apud Varronem in libris De lingua Latina: quod diſtringere licet in molles homines, partimque maſculo animo præditos. quaſi qui malint ſemper eſſe vulſi rāſique lævigato mento, quam barba (quæ & decori & maſculæ fortitudini viris tributa eſt) inſigniri in pugnā deſcendere. Sunt autem volſellæ, inſtrumenta compreſſoria, evellendis ſtirpitus pilorum radicibus comparata: quæ τριχολαβίδες & τριχολάβια Paulo Æginetæ, μυδιστήρια cæteris nominantur: illa a prehenſandis pilis, hæc ā depilandi argumento. De quibus Martialis libro 9.

Pungentque ſævæ cana labra Volſellæ.

Quo loco ſævas aptō epitheto vocat Volſellas, à cruciatus magnitudine, quo afficiuntur qui ſe depilandos præbent.

Malorum abyſſus.

Κακῶν βυθὸς, id eſt, Malorum abyſſus dixit proverbialiter de extremis calamitatibus Gregorius Nazianzenus: εἰς κακῶν βυθὸν πεσόντες, ὃ δὴ λέγεται. hoc eſt: Prolapſi in abyſſum malorum, id quod dici ſolet, alioqui & ἀβύσσου πραγμάτων πέλαγος lego de negociis inexplicabilibus, è quibus exire difficilimum ſit. Nazianzenus in Diſtichis:

Πλοῦτον μωρὸς τοῖς ὀνείροις πλέον,
Ἢ χρημάτων ἄβυσσον οἱ κεκτημένοι.

Ideſt:

Eſt ditior multo fatuus in ſomniis,
Quam qui pecuniarum abyſſum poſſident.

Abyſſum vocari altiſſimam primi elementi profunditatem, Aretas Cappadox in Apocalypſin comm. annotat, quod hiatus perpetui voragine non occulter ſubjecta, παρὰ τὸ μὴ βύειν, vel quod immenſam altitudinem oſtendat ab α intendendi particula. Legimus & ἀβύσσου πέλαγος pro mari, fundo præ altitudine carente.

Vnguento perfundi anum haud decet.

Senarius proverbialis eſt, ex Achilocho deſumptus apud Plutarchum, quo Pericles obſtruxit os Elpinicæ Cimonis præclari ducis ſororis, loquacitate importuna odioſæ, quū illa inceſti nomine cum fratre male audiret, tacite enim in aurem dixiſſe illi fertur:

Οὐκ ἂν μύροισι γραῦς ἐοῦσ' ἠλείφεο.

Id eſt:

Quum ſis anus, haud unguine imbui decet.

Adagii uſus erit, quum intempeſtivas alicujus delicias aut luxum, alieno ætatis tempore, perſtringemus: velut in ſene meretricios amores.

Abdominis miniſter.

Indulgonem & comeſſatorem voluptatibus omnia metientem, quadrat proverbialis ſenarius Eurip. in priore Autolyco.

Γνάθου τε δοῦλος νηδύος θ' ἡσσημένος.

Id eſt:

Abdominis miniſter & ſervus gulæ.

Citantur ab Athenæo Dipnoſop. 10. & Galeno in Metecphraſi Menodoti, hi verſus de athletis faciendo ſolum ventri natis:

Οἳ πρῶτα μὲν ζῆν οὔτε μανθάνουσιν εὖ,
Οὔτ' ἂν δύναιντο· πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ
Γνάθου τε δοῦλος νηδύος θ' ἡσσημένος
Κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπερβολὴν πατρός;

Id eſt:

Imprimis hi didicere nunquam vivere
Recte, nec unquam illud queant. nam qui poteſt
Servúſque buccæ & impotens abdominis
Opes parare alendo patrio ſolo?

Libuit locum totum adſcribere, ut utriuſque authoris ulceroſas mendas ſanarem: nam primus verſus apud Galenum prodigioſe depravatus ita legitur:

Οἱ πρῶτα εἰκῆ ὕ ἢ μανθάνουσι δὲ

& poſtremus apud Athenæum ſimiliter pacto:

Εἰς ὑπερβολὴν πατρός.

Idem furnus, idem duxit trochus.

Αὐτὸς κάμινος, αὐτὸς ἤλαυνε τροχός.

Id eſt:

Caminus idem duxit, atque eadem rota

Senarius proverbialis de iis, qui ſimilia efficiūt, teſtantib. Suida & Heſychio: quorum ille citat duplicem lectionē, καπνὸς ἢ τροχὸς, id eſt, fumus aut rota: hic vero mutilatum adferens adagiū, prioribus tantum duabus vocibus conſtans ſubjicit clarius, petitam eſſe tranſlationem a figuli rota. Meo quidem judicio & dictū fuiſſe, & nō ſine gratia uſurpari poſſe videtur de conſimilibus operibus, aut dicendi rationi conformi & congenere: vel etiam de duob. hominib. ingenio ſimilibus, aut improbitate paribus, &, quod dici ſolet, eodem in ludo edoctis, tales namque

Αὐτὸς κάμινος, αὐτὸς ἤλαυνε τροχός:

quaſi qui eodem in furno cocti ſint, aut eadem rota currente efficti.

Εἰς ὑπερβολὴν πατρός.

Gregorius Nazianzenus in Athanaſium: τὸν μὲν πάντα τερθρεύεσθαι ... id eſt, Alienæ quadræ ſervum, mazaque venalem, ventris gratia quidvis & facere & loqui edoctum. Conſimili modo avarum hominem, δοῦλον τῶν βαλαντίων, id eſt, marſupiorum mancipium vocavit Eunapius. Pertinet huc & Diphili comici illud: παχὺς, ἀδελφὸς ... id eſt, Obeſus, adipe fartus Siculo, quod ipſum proverbii ſpecie detorſit Plutarchus in Nicia in Timæum hiſtoricum, tarditatem ingenii pinguis & inſulſitatem ſcriptoris notans.

Agni lana mollior.

In placidi ingenii hominē cōveniet Theocriti illud, ἁπαλωτέρα ἀρνός, Agno tenerior: quod ille ad puellaris corporis mollitiem

retulit, quemadmodum & illud epigrammatarii Philodemi, ἀμνοῦ χνόου μαλακώτερα, id eſt, Agni lana mollior, & illud Martial. de Eratione puella,

Agna Galeſi mollior Phalantini.

A quo diverſum eſt illud Catulli:

Cinæde Thalle mollior cuniculi capillo,
Vel anſeris medulla.

& incerti authoris in Priapeiis:

Quidam mollior anſeris medulla.

Iſta namque hyperbole infamis & proſtitutæ turpitudinis mollities ſignificatur. Affine huic eſt, Vervece mitiorẽ efficere. id quod ſeptimo de aſino aureo, quovis Vervece mitiorẽ efficere, id quod ex Luciano tranſtulit: μαλακώτερόν σοι ἀποφανῶ κριοῦ προβατίου ταύτῃ τῇ τομῇ. id eſt, Efficiam tibi iſtum ovicula modeſtiorem caſtratione. Vervex aries eſt caſtratus, cõſtat autem arietem ferociam omnem exuere exectis genitalibus.

Satyrorum rex.

Βασιλεὺς σατύρων, Satyrorũ rex proverbialiter dicetur effrenatæ laſciviæ & ſalacitatis infinitæ homo. Nota eſt Satyrorum libido in venerem proclivis, cum ex aliis, tum ex Philoſtrato lib. 6. Vſus eſt adagio Hermippus comicus:

Βασιλεῦ σατύρων τί ποτ᾽ οὐκ ἐθέλεις δόρυ βαστάζειν;

Id eſt:

Satyrorum regulo quid haſtam ferre recuſas?

quod in Periclem jactum eſt convicium, quum maximas Lacedæmoniorum ſociorumque copias incluſis oppidanis, præſidiiſq; in locis idoneis diſpoſitis expectare maluit, quam exiguas civium vires in periculũ adducere, ut in ejus vita ſcribit Plutarchus, οἱ σάτυροι τοῦ Διονύσου ἱεροὶ (inquit Aretæus Cappadox) ἔρθια ἴσχουσι τὰ αἰδοῖα, ξύμβολον τοῦ θείου πρήγματος. i. Satyri Baccho ſacri erectos habent mutones, divinæ poteſtatis ſymbolum. A Satyris σατυρικὸν σχῆμα. Satyrica ſaltatio, pro laſciva & ſalace Heliodoro dicitur. Nicephorus ex Philoſtorgio lib. 9 hiſtor. Eccleſiaſticæ, Satyrum ſimiæ genus eſſe, facie rubida, agile, & caudatum. Apud Plutarchum in Galba de libidinoſis & luxu diffluentibus dictũ eſt, ἐφήμεροι & σατυρικοὶ τοῖς βίοις ἄνθρωποι, id eſt, Homines in diem viventes & Satyrici. Citatur ex Mario Plotio vetuſtiſſimo grammatico, quem aliquando in publicum dabimus, iſte verſus catalecticus, ubi de Chœrilio ſive Delphico metro tractat.

Ἡνίκα μὲν βασιλεὺς ἦν Χοιρίλος ἐν σατύροις.

Id eſt:

Obtinuit regnum quum Chœrilus in Satyris.

Binis tonderi forficibus.

Διπλῇ μαχαίρᾳ κείρεσθαι, id eſt, Gemina tonderi forfice. Proverbiale convicium de molliculis hominibus & effœminatis, quique ornandæ & componendæ corporis formæ ſtudii pluſculum impendunt. Citatur abſque authore à Iulio Polluce onomaſtici ſecundo. Eſt autem hoc loco μάχαιρα, quæ & ψαλίς, forficula tonſoria. E diverſo, qui κηπωκουρίας tonſuræ genus ita dictum, tondebantur, hi, teſte Heſychio, μιᾷ μαχαίρᾳ κείρεσθαι, una forfice tonderi dicebantur, tametſi locus iſte nonnihil apud eum ſit corruptus.

Melanthio delicatior.

De helluone delicato, luxuique dedito dici conveniet illud Athenæi rhetoris in Deipnoſophiſtis, τρυφερώτερος τοῦ Μελανθίου. Melãthio magis delicatus, ſive ad Melanthium inter procos Penelopes nobilem decoctorem, adagii occaſio referenda eſt, cujus Homerus in Odyſſea meminit: ſive ad Melanthium poetam tragicum ὀψοφαγίᾳ inſignem, quem refert Clearchus voto exoptaſſe μακραύχενος ὄρνιθος τράχηλον, hoc eſt, olorinum collum, quo ſic longiore ſpacio dapum ſenſu perfrueretur. Callias in vinctis fabula Melanthii mollitiem in famem his verſibus notat:

Τίς ἄρα τοὺς Μελανθίους ἂν γνοίην;
Οὓς ἂν μάλιστα λευκοπρώκτους εἰσίδης.

Id eſt:

At qua nota Melanthios cognovero?
Quos albiculos maxime perſpexeris.

Ne Bœon piſcis moleſtus ſit.

Μή μοι βωὼν κακὸν ἰχθύς, id eſt, Ne bœon piſciculus mihi noxam pariat. Citatur ab Etymologici authore, qui illud exponit de homine voluptuario & delicato ganeone, qui vilia & communia edulia aſpernatus, cupedias ſectatur: cujuſmodi Philoxenus Cythereus fuit, qui appoſitum exiguum mullum percũctanti ſimilis auri admovit, ut ingenioſo commento prægrandem Dionyſio tyranno in eadem menſa appoſitum impetraret, uti refert Athenæus. Eſt autẽ βωὼν piſciculus gobio perſimilis, alio nomine βλέννος à muccoſitate, ut videtur, nomẽ ſortitus, quanquã apud Athenæũ l. 7 βίδεος ſcribatur, ubi & alter extat in vulgatis codicibus error talis: ἐν ἑνὶ αὐτῶν ... πλήθει, pro quo reponas ex Euſtathio & Etymologici anthore καλεῖ, ut dicat βλέννος piſcem, à βλέννα. id eſt, muco nomen habentem, gobio eſſe perſimilem. Vilem autem fuiſſe & ingrati ſaporis piſcẽ iſtũ, oſtendit Epicharmus, ἀχαρίστους βωῶνας, id eſt, inſipidos Bœonas vocitãs. Lectio hujus parœmiæ diverſa eſt apud Athenæum, ſed quæ eodem ſenſu conſtare poteſt: μή μοι βωὼν ἰχθύς. id eſt. Procul à me faceſſat Bœon malus piſcis. Competet in hominem aſpernabundum, & delicati moroſique ingenii, qui communia & vulgaria faſtidiat

Ceræ inſtar.

Κηροῦ δίκην, id eſt, Ceræ in modum, de molli dicitur aut tabeſcẽte. Eunapius de Maximino: ἡ δὲ σὰρξ πᾶσα κηροῦ δίκην ἐξετάκετο, id eſt, Caro univerſa ceræ in morem commarcuit. David Pſalmo 22. ἐγενήθη ἡ καρδία μου ὡσεὶ κηρὸς τηκόμενος ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου. id eſt, Cor mihi in viſcerũ penetralibus ceræ inſtar deliquit. Chryſoſtomus in oratione de temulẽtia: κηροῦ παντὸς μαλακώτερος. id eſt, Quavis cera mollior. A ceræ mollitie etiam illa parœmia fluxit, κηροῦ δὲ πλαστότερος: Cera tractabilius, aut fingi aptius: qua uſus eſt, Damaſcius Syrus, de Aſclepiodoro Alexãdrino loquens: τὴν ἑαυτοῦ φωνὴν καὶ τὰ περὶ αὐτὴν ὄργανα τῆς φύσεως ἀπεργασαμένης, κηροῦ εὐπλαστότερα καὶ μετερρύθμιζεν εἰς ὅτι ἐβούλετο. id eſt, Vocem ſuam & quæ voci inſtrumenta fabricata eſt natura, ſequaciora magiſque quam cera ductilia concionavit, & in quemcunque vellet modulum exaptavit. Quin & a lurido ceræ pallore manavit verbum κηριᾶν, quod eſt præ metu impalleſcere, cereumque evadere.

Nemo comatus qui non præciditur.

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψηλικίζεται.

Id eſt:

Nullus comatus qui non præcidi ſolet.

Proverbium eſt vetuſtum, imo oraculare, manifeſtis verbis teſtatur Synenus: quo ſignificetur, omnes qui impenſe mollitiei cura operam navãt, aut calamiſtraturæ nimiũ ſtudium impendẽt, aut quomodocunque tandem corporis cultum & nitorem deamant, molles cenſeri & pathicum quiddam ſi non corpore, animo ſaltem præferre, fractoſque eſſe. Verba ejus ſunt in epiſtola ad fratrem, de Ioanne quodam improbo homine & ignavo: χθὲς τίς ... ἀλλὰ μὴν τὸ γε κομήτης ἐστιν ὃς οὐ ψηλικίζεται. i. e. Heri apertiſſime proverbii fidẽ comparavit, vel oraculi potius: revera namque oraculum eſt, quod non tibi ignotum eſt, Nullus comatus qui non præcidi ſolet. Idem in libello de Coma: τίς μὲν οὖν ἡ παροιμία καὶ τί βούλεται; οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ... τὸ δὲ ἀκροτελεύτιον, οὐδέ ... φθέγξασθαι τὸ ... id eſt, Quod eſt igitur proverbium illud, & quid ſibi vult Nullus comatus qui non jam poſtremam vocem, trimetri numeroſæ legi tu ipſe adaptato: neq. enim proferetur à me fœdum illud & re & nomine verbũ. Quæ verba citãtur & à Suida in dictione κομήτης, non nominato tamen authore. Idem alibi ſenarii poſtremum verbum immutatum citat hoc modo: οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ πορνεύεται. Verobique tamen idem eſt ſenſus.

Smyrnæi mores.

Σμυρναῖος τρόπος, id eſt Smyrnæi mores: proverbium videtur competere in eos, qui deliciis Luxuſque indulgent, rurſus quum res poſtulat viros, fortiter ſe gerũt, ita enim exponit ipſe Ariſtides in Smyrnæ encomio: tribuit namq; illis ἁβρότατος μὲν εἰς τὰ κατὰ ἡμέραν, πλὴν ... πολέμους κρείττους ἢ πολλοῖς ἐξεῖναι λυσιτελεῖν, addit deinde. ὥς τινα καὶ τῶν ποιητῶν εἰπεῖν Σμυρναῖον τρόπον τὸ τοιοῦτον εἰρῆσθαι. id eſt, In dies opipare vivũt, ſed in bello ferociores ſunt, quam ut multis expediat ejuſce rei periculum facere, uſq; adeo ut nonnulli poetæ Smyrnæos mores tale ingenium vocent, ſubjicit deinde exemplum unum de Chiis, qui vacuam ab oppidanis illorum urbem occupaturos ſe rati, vitis in mõte operi ruſtico intentis, mox quum de monte decurrentes ſubito cives conſpexiſſent, tanta trepidatione injecta fugerunt, ut triremes pleraſque iniquitate locorum amiſerint, impetum in ſe civium metuentes. Dicetur ergo de gente aut homine bellicoſo, pacis tempore diſſoluto.

Fracti.

Κατεαγότας, eodem ſenſu, quo Fractos Latini, nominant Græci molles & effœminatos, atque elumbes. Plutarchus in vita Demoſthenis de Batalo agens. Ephefio tibicine ἦν δὲ, inquit, ὁ Βάταλος, ὡς μὲν ἔνιοί φασιν, αὐλητὴς τῶν κατεαγότων, id eſt, Erat autem Batalus, ut nonnulli dicunt, tibicen unus e mollitie fractis. Eunapius Sardianus: ὑπὸ μαλακίας τοῦ σώματος κατεαγὼς καὶ λελυγισμένος. id eſt, Præ corporis mollitie fractus & viminis in morem delicate inflexus. Philon Iudæus libro de gigantibus: θηλυγονοῦσιν οἱ φύσει ἄνανδροι καὶ κατεαγότες καὶ θηλυδρίαι τὰς ψυχάς. id eſt, Fœmineam ſobolem gignunt, qui natura parum viri ſunt, & fracti, animiſque effœminati. Athenæ. lib. 12. de Abydenis: ... id eſt, Vivẽdi ratione ſoluti ſunt & fracti. Muſonius Philoſophus: οἱ μὲν κατεαγότες ὑπὸ τῆς τρυφῆς καὶ ... id eſt, Illi quidem deliciis fracti penituſque enervati. Libanius ſophiſta ad proconſulem Montium de Batalo ita ſcribit: ὃς πρῶτος ... γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο καὶ μέλεσι κατεαγόσι. id eſt, Qui primus in ſcena fœmineis ſoccis & cantus modulis fractis uſus fuit. Damaſcius in Philoſophica hiſtoria: ... id eſt, Multi quibus aures ſunt fractæ, & pravitatis erroribus imbutæ mentes ad Comicum luſum riſumque converterũt philoſophiæ arcana. Aurib. fractos nominat, quorum aures Alexandrinis (ut ita dicã) deliciis aſſuefactæ, nihil niſi molle parumque virile admittunt. Plato in Gorgia: τῶν τὰ ὦτα κατεαγότων ἀκούεις ταῦτα, id eſt, Talia muſſitantes audies iſtos quibus fractæ ſunt aures, hoc eſt, qui in

ocio & deliciis vivunt, loquitur de ocioſis hominibus, qui in ſedentaria ſocordia propterea enervatos garrulos & formidoloſos evaſiſſe Athenienſes diſputabant, quod Pericles externum militem ſtipendiaria militia primus autoraſſet, corruptis inde civitatis moribus & in molliciem ſolutis, quo loco commentum Olympio dori nõ ſatisfacit mihi, fractos aurib. dici ſcribẽtis, [illegible] id eſt, ſive quod in palæſtra aures, dictaque excipere non poſſent. Galenus de glorioſis quibuſdam ſua tẽpeſtate medicis, magnifica de optima corporis habitudine verba crepantib. loquens, ſic inquit in lib. adverſus Threſybulũ: [illegible] id eſt, Quorum ſunt admiranda iſta volumina, quæ hodie circumferuntur ab iſtis quorum fractæ ſunt aures. Neque vero de pugilibus aut athletis, quorum aures creſtuum plagis comminutæ ſunt: (cujuſmodi homines [illegible] Græcis vocari ex Ælio Dionyſio olim in Lexico noſtro annotaveramus: qualem deſignari puto a Martiali lib. 7. ibi:

Atjuvenes alios fruſtra colit aure magiſter)

eo in loco Galenum ſentire certum eſt ei, qui verba ponderet, pẽſiculatiuſque dicta obſervet. Clemẽs lib. 2. Pædagogi, mores corrumpi ait muſica [illegible] id eſt, numerorum fractorum. Plutarchus Sympoſiacõn. 7. [illegible] id eſt. Effœminati auribusque fracti propter imperitia & honeſti inſcitiam. Simili modo & [illegible] uſurpant a Græcis. Philon lib. De gigantibus [illegible] id eſt, Effœminatam fractamque voluptatem. Idem alibi, [illegible] id eſt, inceſſu fracto præ mollitie. Demetrius Phalereus [illegible] id eſt, Anapæſtorum lex eſt maxime affinis fractis ſpurciſque verſibus, cujuſmodi fere ſunt Sotadici.

Apud Sirenas aut Lotophagos hærere.

Dicetur appoſite de iis, qui peregre diu hæſere, velut exoticis deliciis inefcati. Neque in concinne de iis dixeris, qui inutili quopiam ſtudio immorantur, tempus melioreſque horas, imò ætatẽ totam in eo conſumunt. Symmachus in epiſtolis, ut mihi quaſi apud Sirenas aut Lotophagos hæſiſſe videaris. Similiter uſus eſt illo Au. Gellius libr. 16. Cui ſane ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne ut plerique alii, tu quoque in illis dialecticæ gyris atque mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcat. Sirenes Acheloi & Melpomenes filiæ fuiſſe produntur, vel Steropes Amythaonis filiæ: quarum nomina Thelxiepea & Aglaopheme. Lycophron tres numerat, fabulæ illis tribuunt pennas quas ablatas Muſæ ſibi vẽdicarint. Plura de illis leges in Euſtathii commentariis in Odyſſ. μ. Huc ſpectat quod apud Athenæum coquus quidam loquitur: [illegible] id eſt, Si ſartaginem ſemel concinnaro, videbis quod de Sirenibus legimus, denuo fieri, ut nemo angiportum hoc prætcrire queat propter fragrantiam: quinimo quiſquis prætcrierit, illico hians neque muticns ſtabit ante fores, velut clavo affixus. Lotus vero fructus eſt arboris meſpilo aſſimilis, ex quo ut & e palmulis vinum exprimitur: alii herbam & radicem eſſe ajunt, qua guſtata arenoſæ Lybiæ incolæ ſitim extinguunt. Polybius oculata fide tradit Loton arborem eſſe pumilam, aſperam, ſpinoſam, frondib. viridantem rhamno ſimilibus cujus fructus initio candidis myrtillibus non diſſimilis ſit, mox increſcens colore Phœniceo palmœ ore evadat, magnitudine rotundæ olivæ, nucleo perpuſillo, è quo delicatus exprimatur latex, quo, ſine admixtu aquæ ſitim levent, ultra decimum diem non durabilis.

Helepolis.

Ἑλέπολις, id eſt Helepolis, proverbialiter à Philone Iudæo uſurpatur pro delinimento & illice vinculo, quo capitur animus, ita ait in lib. Quod vir bonus idẽ ſit & liber: [illegible] id eſt, Sunt enim iſta helepoles quædã animorum imbecillium, nec bene recta ratione confirmatorum. loquitur de pulchritudine & dicendi gratia. quæ res ambæ pellaciſſimæ ſunt, & illigandis capiendiſq; ſenſib. efficaciſſima vincula. Sunt autem Helepoles machinæ bellicæ, expugnandis urbib. (unde illis nomen, [illegible]) comparatæ a Demetrio Poliorcete excogitatæ fabricatore Diochde Abderita: cujus in ea machina ſingularis induſtria fuiſſe prædicatur, ut ex Moſchione refert Athenæus lib. 5. Meminit earum & Heliodorus lib. 9. [illegible] id eſt, Vrbem per helepoles capere tentans. Licebit ad uſum trahere hoc pacto, ſi dicamus, Luxum eſſe juventutis helepolin.

Collaria cadavera.

[illegible], velut cadavera collo tenus medio proverbialiter dicuntur ab Ariſtophane popinones perditi, perpetuis comeſſationibus luxuque tempus terentes, qui vitam gulæ deliciis metiuntur, atque æſtimant, quibus offerto præ ingluvie corpore pigris, & juxta poetam vino ſepultis, neq; eas neq; mens officium facit. Talis Philoxenus ille, quem gruinum collum voto expetiiſſe refert Athenæus, tricubitale guttur Machon comicus. Ejuſdem generis fuit M. Apicius non inverecunde ab Eunapio [illegible] vocitatus, Velut helluationis extremus finis.

Lumbos factus ut Myſius aſinus.

[illegible]

Delumbatus aſini inſtar Myſii.

Citatur proverbii nomine ab Euſtathio in Navium catalogo, ſed non explicatur. Contentus enim eſt addere, in Myſia rariſſimos eſſe aſinos, quibus rectũ ſit dorſum circa lumbos aut ilia, ita enim ὀσφὺς vocatur tertia & inferior dorſalis ſpinæ pars, ad clunes deſcẽdens. Videtur quadrare in molles & effœminatos, quos elumbes vocamus. Græci [illegible], hoc eſt fractos: de quo alibi diximus. Porro in Euſtathio Romæ excuſo pro [illegible], legendum eſt ex manuſcripto exemplari quod Bononiæ videre contigit, [illegible].

Vuida vita.

Ὑγρὸς βίος, id eſt, Vivida vita: proverbialiter apud Græcos fluxim atque delicatum vivendi genus, popinonibus uſitatũ: (quanquam & ad laſciviam extendatur a nonnullis) occaſione ſumpta à pinguedinis argumento, quæ in humiditate conſiſtit maxime quippe carnium molem humectiorem molliorem que obtinentibus obeſulis. Alexis comicus:

[illegible]

[illegible]

Id eſt:

Optabam ego guſtum capere vitæ illius,
Quam vulgus vuidam omne paſſim nominat.

Crobylus comicus apud Athenæum:

[illegible]
[illegible]
Vitæ tuæ vuiditas nimis me perculit:
Helluationem namque vuiditatem nunc appellitant nonnulli.

Philon Iudæus lib. De vita contemplativa: [illegible] id eſt: Vuidus & effuſus victus omnibus ex æquo mortalibus eſt inimicus. Plutar. in Lucullo & Cimone parem fuiſſe [illegible] ait, hoc eſt, æqualem poenã & ſtudiũ. [illegible] alicubi epigrammate legitur, pro vuido ac delicato. Clemens in Pædagogo [illegible] id eſt. Ejuſmodi amictus corporis ſtilum repræſentat delicatius. Heſychius ὑγρὸν exponit [illegible], voluptatibus deditum.

Aſiatici mores.

Aſiatici mores in proverbium abiere, pro mollibus & inconſtantibus & luxu corruptis. Ammianus Marcellinus libro 16 Iulianum aliquoties corrigebat, Aſiaticis coalitum moribus, ideoq; levem. Aſia inquit Plinius libr. 33. devicta primum luxuriam miſit in Italiam: eadem domata multo etiam gravius afflixit mores. Atteſtatur & Livius lib. 9. quartæ decadis: Aſia, in quiẽs, amœnitate, copia rerum omnium, mollitia, & regiis opibus ditiores quã fortiores exercitus faciebat. Aſiaticum etiam dicendi genus vocant tumidum & inane. Vnde Quintilianus libro 12 cap. 10 Aſiana gẽs tumidior & jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata eſt. Ibidem ait, diſcrimen illud fuiſſe inter Aſianos & Atticos, quod illi inflati & inanes haberentur, hi preſſi & integri. Idem teſtantur Ciceronem ipſum ut tumidiorem & Aſianum ac redundantem ſui temporis homines inceſſiſſe.

Sybaris.

Sybaridis vocabulum paſſim video uſurpari à Philoſtrato ſpecie proverbiali, pro luxu & deliciarum affluentia: a Sybaritis, ventri atque abdomini deditiſſimis: cujus rei fidem facit Athenæus. Conſtat enim Sybarim copioſiſſimam fuiſſe, & omnibus earumque aſſeclis deliciis affluentiſſimam urbem, quæ triginta aliquãdo armatorũ myriadas in bellũ adverſus Crotoniatas miſerit, extremi illorum luxus teſtimonium præbuerunt & equi, quos concinnis moribus tripudiiſque cieri ad tympani & tibiæ pulſum docuerant: quæ res ipſis exitio fuit. Accedit eodem, quod vetuerint fabrilia opificia omnia quoquot ſtrepitum edunt, intra urbis mœnia exerceri, quo liberius indulgerẽt ſomno: qua de cauſa etiam gallinacei urbe exulabant. Quid quod primi matularum uſum in conviviis excogitarunt, ne ſæpius exurgendum foret: prætereа pelues, in quibus calda ſe ablueren. Denique quum cæteri homines negociandi cauſa, aut diſcẽdorum morum, viſendive regiones gratia peregrinari ſoleant, illos gloriatos fuiſſe legimus, ſe in duorum fluminum Sybaridis & Crathidis pontibus conſeneſcere captando videlicet molle ocium. Nunc uſum oſtendamus. Philoſtratus de vita Apollonii libr. 4 [illegible] id eſt: Adoleſcens mutata toga & Lydiis deliciis rejectis, ac reliqua Sybaride valere juſſa, ſquallorem & penulam adamare cepit. & iterum: [illegible] i. Delicatius illa amplexabantur, profuſiq; Sybaride erant referti. Rurſus lib. 6. [illegible] i. Quid ambitioſe æmulantur hominem, qui Sybaride, h. e. luxu cuncta metitur. Idem li. 8. [illegible] i. Dictum a me fuit initio de cibariis meis quod

quod frugalis ſint, gratioraque aliorum Sybaride. Quo in loco Sybarin appellat opiparos miſſus. Appianus in Parthico. Æſopū, inquit non abs te ut ſapientiam ſuſpicere poterunt Seleucienſes, quum viderent Surenam Mileſiacarum ſpurcitiam matricam anteriusgeſtantem, pone trahentem Parthicam Sybarin. Græce eſt: τὴν τῶν Μιλησιακῶν ἀκολαστημάτων ... ἐξεστρηκότα ... Vbi Parthicum luxum innuit. Epicharmus συβαριτικὰ ... , id eſt, Sybaritica eloquia dixit, pro mollibus & deliciarum plenis. Gregorius presbyter, ... συβαριτικαῖς ... αἰσχρολογίαις, id eſt: Sybaritica Græcorum turpiloquia. Eunapius de Zenonis Imperatoris filio, οἱ δὲ βασιλικοὶ ... ἐξουσίᾳ ... id eſt. Aulici quibus publicas pecunias prodigere luſus erat, adoleſcentem compulerunt, ut Sybariticarum motu crapulæ aſſidue operam daret.

Canopiſmus.

Κανωβισμὸς, id eſt, Canobiſmus proverbialiter accipitur pro petulantia & immodica laſcivia apud Euſtath. a deliciis geniatis Canopi Ægypti oppidi, quod abundare hoſpitiis ad omne luxus vitæque diſſolutæ genus appoſitis ſcribit Strabo libro 17. tibiis tripudiiſque perſtrepente totos dies noctesque urbe: quod ipſum confirmat Ammianus lib. 22. Hactenus (de Canopo loquitur) impendio locus & diverſoriis lætis extructus, auris & ſalutari temperamento perflatilis. Proverbialem uſum oſtendit Euſtath. in Dionyſium Afrum commentariis, ἐμφαίνει δὲ ... id eſt: Oſtendit ille & luxui indulgere Canobitas, ubi Canopiſmum deſcribit, & qui illic ſit deliciarum ſplendorem. Hoc ſenſu accepiſſe videntur, qui Varronis verſum citant:

Nobis Saperdæ videmur, cum ſimus Canopici.

quem tamen verſum aliter legi debere, docuimus alibi. Huc ſpectat illud Iuvenalis:

——Sed luxuria, quantum ipſe notavi,
Barbara famoſo non cedit ripa Canopo.

Latinus Pacatus in Panegyrico: Illos tepens Pharus & mollis Canopus emiſerat.

Alexandrinæ deliciæ.

Conſimili ſenſu Alexandrinas delicias dixit Fabius Quintilianus inſtitutionum oratoriarum 1. libr. ubi parentum erga liberos ſuos indulgentiam ſevere proſcindēs: Verba, inquit, ne Alexādrinis quidem permittenda deliciis, riſu & oſculo excipimus: extremam intemperantiam turpemq; luxum deſignans. Luxus autem & intemperantiæ genitrix eſt opulentia. Nemini vero dubium eſt, Alexandriam copioſiſſimam & opibus in hunc uſque diem.

Medica menſa.

Μηδικὴ τράπεζα, id eſt, Menſa medica, pro exquiſitè ſumptuoſa & ingentis apparatus menſa proverbialiter accipitur a Syneſio lib. De inſomniis: à Medorum deliciis, qui Perſidi conterminitin eorum mores defluxere, ſiquidem apparatus Perſicos, pro opiparis dixit Horatius & ſcribit Herodotus. Perſas natali ſuo quenq; die opiparam opponere cœnam & prolixam diverſis ferculorum miſſibus, idque tam a pauperibus quam a divitibus factitari: alioqui Perſarum regi mille victimes quotidie jugulari, præter immenſam volucrum vim, ex Heraclide Cumano refert Athenæus. Syneſii verba ſūt. ... id eſt, Menſam apponit, ſi velit, Siculam, aut ſi malit, Medicam. Vſurpat & Dion. Chryſoſtomus in oratione 33. ... id eſt, Defecerunt pariter ſceptra, paludamenta, menſa Medica ipſorumque proſapia. Thucydides libr. 1. de Pauſania elatius ſe gerente, τράπεζαν περσικὴν παρετίθετο, id eſt, Menſam apponebat Medicam, quāquam ſcholiaſtes Græcus περσικὴν legiſſe videtur: ſed exponit rectè τρυφηλὴν, id eſt, opiparam deliciiſque affluentem. Diverſo plane ſenſu, μηδικὴν τράπεζαν, id eſt, Medicam menſam extulit Athenagoras lib. De mortuorum reſurrectione, pro immitibus cruentiſque epulis: reſpiciens, ut opinor ad crudele Aſtyagis Medorum regis factum, qui Harpalo amico conſiliorum omnium participi epulandum filium appoſuiſſe legitur apud Iuſtinum Trogi Pompeii epitomiaſten.

Hercules in Lydia.

Hercules in Lydia, proverbialiter dicitur qui cultu corporis effœminatior incedit, indecoro ſibi habitu utens, ut miles in toga talari conſpicuus. Multorum ſcriptis celebratur Hercules, mulieribus indutus apud Omphalem Lydiæ reginam. Ariſtides in oratione adverſus eliminatores: ἡρακλῆς ἐν λυδοῖς ὠρχήσατο, id eſt, Hercules inter Lydos ſaltavit. Tertullianus libro De pallio: Qualis ille Hercules in ſerico Omphales fuerit, jam Omphale in Herculis ſcorto deſignata deſcripſit, ubi pro ſerico, Beatus Rhenan. Theriſtro legit, innuit autem, non minus pudendū fuiſſe Herculi muliebrem cultum aſſumere, quam Omphale leonina pelle cingi.

Chiorum more vellere.

Χιακῶς τίλλειν, id eſt. Chiorum more pilos vellere. Parœmiæ vice recitat Euſtath. in Odyſſ. 3. tanquā Chii fuerint conſueti vulſis eſſe corporib. unde & χῖος λόφος, id eſt, Chius vertex dicitur, cui media pars capitis pilis nudata ſit per volſellas. Puto verius ſervilis homines dicterium fuiſſe: quippe quū Chii primi ſe gātur uſi fuiſſe emptitiis ſervis quibus radebantur vellebanturque crines: vel potius in molles & effœminatos, qui volſellis & pſilotris, aliove quovis modo glabra reddāt corpora, quod confirmat Heſichius, annotans dici ... id eſt, de vulſis fractiſque mollitie. Chios vero fuiſſe molles & laſcivos, oſtendit adagium, Chius riſus, de diſſolutioris licentiæ ac molliore luſu dictum. Quadrabit in hominem compturæ plus æquo ſtudioſum, qui depilari radive ſe permittit identidem quo niteat cutis. Non abludit hinc Martialis jocus:

——Mens eſt Pannice vulſa tibi.

Quo dicterio notat ſupinam hominis mollitiem. Cratinus in fabula Horis inſcripta traducit etiam τὸ λυδιστὶ τίλλειν, id eſt, Lydo more vellere, mollitie argumento, ſiquidē Lydos delicatos fuiſſe conſtat, unde voluptatum & mollem ... dixit Anacreon, illius autem verſus ſic ſe habent:

——Μετὰ τῶν ... τιλτριῶν
Ἐχων χορὸν λυδιστὶ τίλλοιμι μέλη ...

Id eſt:

Cœtus agens cum pilatricibus ſimul,
Quæ obſcœna Lydo more vellerent loca.

Seplaſia dignus.

De homine delicato & opiparo efferri poterit proverbialiter. Cic. in L. Piſonem: Fuit inceſſus ſaltem Seplaſia dignus & Capua. & iterum Seplaſia mehercule, ut dici audiebam, te ut primum aſpexit, Campanum cōſulem repudiavit. Seplaſia male in Germanico exemplari legitur. Fuit autem Seplaſia, platea Capuæ in qua unguentarii negociari erāt ſoliti: ut annotavit Aſconius Pedianus. Cicero in oratione pro P. Seſtio, de Piſone homine horride ruſticano loquens: Capillo ita horrido ut Capua, in quam ipſe tū imaginis formandæ cauſa duumviratum gerebat, Seplaſiam ſublaturus videretur. Quod ipſum proverbiale eſſe poteſt de tetrico homine, & voluptatum contemtore: ut dicamus, illum ipſa etiam fronte Seplaſiam tollere, aut edicto proſcribere. Plinius uſurpat Seplaſiam pro officina pharmacopœorum, libro 34. cap. 11. loquens de medicis: Nunc quoties incidere in libello, componere volentes ex his aliqua, hoc eſt impēdio miſerorum experiri commentaria, ea omnia quidem fraudibus corrumpendi, famaq; jampridem emplaſtra & collyria mercantur, tabeſque mercium: fraus Seplaſiæ ſic exteritur.

Iunonis puer.

Author epiſtolæ falſo M. Tullio adſcriptæ ad Cn. Octavium proverbiali tropo Iunonium puerum dixit delicatum, & deliciis innutritum. Sic enim ait: Cum te Iunonium puerum & matris tuæ partum aureum eſſe dixi. Iuno à poetis ſuperba, & delicaturæ opeſoſæ ſtudioſa fere inducitur: quo ſpectat χρυσοπέδιλος epitheton, velut aureis ſoccis in inceſſu utentis. Neq; temere eſt quod Pavonem, animal ſi quod aliud ſuperbum, Iunonis tutelæ dicatum legimus: unde Iunonia volucris Ovidio vocatur. Eodem ſpectat parœmia quæ eſt apud Athenæum, ἡραῖον βαδίζει, id eſt, Iunonium incedit: de greſſu ſuperbo.

Anima ſui pro ſale data.

Inter proverbia recenſetur Varronianum illud, Animam ſuibus datam eſſe pro ſale, certe non ſine venere dicetur, de ventriosibus Catianæ ſcholæ deditis, qui noctes dieſq; curandæ cuticulæ incumbunt, corpuſque porcorum more ſaginant: de his enim dicemus, Animam illis pro ſale datam eſſe: Varro lib. ij. De re ruſtica, cap. iiij. Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum: itaque iis animam datam pro ſale, qui ſervaret carnem, Plin. libro octavo, cap. lj. Animal hoc maxime brutum, animamque ei pro ſale datam non illepide exiſtimabatur. Cic. lib. v. De finibus bonorum: Etenim omnium rerum, quas & creat natura, & tuetur quæ aut ſine animo ſint, aut multo ſecus, eorū ſummum bonum in corpore eſt, ut non inſcitē illud dictum videatur in ſue, animum illi pecudi datum pro ſale, ne putreſceret. Apparet autem dictum iſtud à Cleanthe manaſſe. Sic namque ſcribit in Stromatū 7. Clemens Alexand. διὸ καὶ Κλεάνθης φησὶν ἀνθ' ἁλῶν αὐτοῖς ἔχειν τὴν ψυχὴν ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. id eſt, Quapropter Cleanthes dicit ſues pro ſale habere animam, ne computreſcāt carnes. Sal additur carnibus, ut eas à putredine ſervet immunes: at porco animali voraci & ingluvioſo, animam vice ſalis adjeciſſe natura videtur.

BRASSIC. *Animus apud cauponem.*

Athenæus lib. 10. Dipnoſoph. ex Platonis Phaone citat, ... id eſt, Animus apud cauponem. Non diſſimili forma loquendi dixit Terent. Animus eſt in patinis: de potoribus qui nulli rei nati ſunt, quam vino ac frugibus perdendis: quos Baſilius magnus in Commentario ad Nepotes, nihil niſi, ut ipſe ait, ... id eſt, Coquos mente agitantes, graviſſime coarguit.

Nil niſi potantes.

Athenæus lib. 9. Dipnoſoph. Archeſtrati nobiliſſ. verſiculum in potores citat:

Ocio

Οἱ πίνουσι μόνον, βατράχων τρόπον οὐδὲν ἔδοντες.

Id eſt:

Qui ranarum more tantum bibunt, nihil autem comedunt.

Apud eundem Athenæum libr. 10. ex ſententia Demetrii, qui cognomento Chalcus dictus, *συμπεριφερόμενοι* dicuntur, hoc eſt, Nautæ ſympoſii qui poculorum propinatione, nunc ad illum, nunc ad alium devehuntur: de iis in Plauti Mercatore, quidam dixit: Hortatur coquos tanquam remiges in mari.

Quatuor hab. ns capita.

Athenæus lib. 10. Dipnoſoph. ſcribit Menandrum de Byzantii vinoſis atque temulentis mercatoribus dixiſſe, *τετράκεφαλον ἔχειν*, id eſt, Quatuor habens capita. Siquidem ebriis omnia geminata videntur. Cujus rei rationem reddit Alexander Aphrodiſienſis lib. 1. Problem. 121. & Lactan de Opificio Dei cap. 9. Adagium ad eos pertinet, qui cum ſe largius invitarint, ſeſe putant nonnunquam pro uno multa capita geſtare.

Volſellis pugnare, non gladiis.

Varro libr. 5. De lingua Latina proverbiali verbo utitur, Volſellis pugnant, non gladiis, quo commode poſſumus uti vel adverſus eos qui parum viri ſunt, nempe qui Volſellis ita ſint vulſi, juxta ſententiam Ciceronis, ut nec unicum pilum boni viri habeant: vel in eos, qui prorſus infirmis argumentis utantur. Cæterum de vulſis corporibus, in Demonacte Luciani abunde diximus. Vide alibi, Junii, 4. adag. Centur. 3. Relatum & ab Vlpio.

Qualem demens ille chlamydem diſperdit?

Tertullianus in libro De pallio citat ex Menãdro comico, mirum niſi proverbiale: Qualem demens ille chlamydem diſperdit? quod in eos commode dicetur: qui rem ſuam vivi videnteſque decoquunt, imo qui ſua ſponte ſeſe in maxima magna mala conjiciunt: cujuſmodi plures reperias, qui cum neque per ſe nec ex aliis ſapiant non jam chlamydem tantum, ſed & ſeſe ipſos miſerandum in modum perdunt.

Alexandrinæ deliciæ.

Quintilianus in I. Verba ne Alexandrinis quidem deliciis permittenda, riſu & oſculo excipimus. Alexandrinas delitias, luxum effœminatiſſ. & molliſſimum appellavit. Alexandrini ſiquidem apud omnes ſcriptores hoc nomine male audiunt, quod propter amœnitatem urbis cœliq́ue clemẽtiam immodice delicati fuerint. Ammianus Marcellinus libr. 22. Alexandria vertex omnium civitatum. In ibi ſunt auræ ſalubriter ſpirantes, aer tanquillus & clemens, atq; ut periculum docuit per varias collectum ætates, nullo pene die incolentes hanc civitatem Solem ſerenum non vident &c. Quam ex admirabili eventu condita ſit Alexandria, docet Stephanus: quæ per excellentiam etiam *πόλις* dicta fuit, ut Athenæ *ἄστυ*. Roma urbs.

IOAN. VLP. *Ad Sirenum ſcopulos conſeneſcere.*

Pro, in re aliqua ad ſenium uſque demorari, aut miram quandam in ea percipere voluptatem, non ſecus ac ſi Sirenes ipſas canentes audiamus. Aul. Gellius, & Junii adag. 5. Cent. 4. Apud Sirenas aut Lotophagos hærere.

Excubitis cantare.

Κατ' ἀγκῶνος ᾄδειν, Dicitur in delicatos & aulicos, qui quidvis ſibi permiſſum putant & decens.

Da mihi hodiernum, tu ſu me craſtinum.

Hoc eſt: Fruar ego hac vita, tu futura. Dictum, quod in ore habere ſolebant homines voluptatibus addicti. Chryſoſtom.

COGNATI. *Diſſoluti, diſcincti.*

Vulgo dicuntur impoſiti, & animo diſſipato ac vago, quippe quibus nihil penſi, ſed molles & ignavi ſunt. Proverb. Mollis & diſſolutus. Eccleſiaſt. 2. Væ diſſolutis corde. Cic. 1. Offic. in eos qui nihil famam curant, neque quicquam eos pudet: Negligere, inquit, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiã omnino diſſoluti. Gregor. Theol. lib. 2. Sentent.

Βιάζε & σὺ τοὺς ἀτάκτους, μὴ λύειν.
Τάξιν σχεῖν ...
Ἠρμοσμένην ...

Id eſt:

Tu diſſolutos coge, ut ordinem quoque
Teneant decorum, & comprobatum
Legibus. ———

Idem lib. 1. Quintilian. de inſtitutione puerorum: Diſcunt (inquit) hæc miſeri, antequam ſciant vitia eſſe: inde ſoluti ac fluentes, id eſt, deliciis fracti, & incorrecti. Contra, is animo compoſitus & præcinctus dicitur, cui certa quadam ratione honeſtum vitæ inſtitutum conſtat, unde nunquam deturbatur. Servius exponens lib. 8. illud Virgilii carmen.

Diſcinctos Mulciber Afros.

Vel habitum (inquit) eorum oſtendit qui uſque in talos fluebat. Quod Plautus tradit in Penulo, dicens: Quæ eſt illa avis cum Afrum vidiſſet, veſtem demiſſam trahentem. Aut diſcinctos dixit inhabiles militiæ. Perſius Satyra 3.

Non pudet ad morem diſcincti vivere Nattæ?

Omnes enim qui militant & alte cincti ſunt, hoc eſt, ſtrenui, fortes, viriles minime molles, aut certe inefficaces: ut contra præcinctos, accinctos, ſuccinctos, ſtrẽuos alicujus induſtriæ & virtutis dicimus. Horat.: Altius ac nos præcincti ſunt. Vnde & Græce *εὔζωνος* appellatur, non qui bonam zonam habet, ſed qui eſt ſtrenuus. Hæc Servius. Id genus hominum etiam *ζωστῆρας* Græci appellant. Hinc manaſſe Syllæ dictum conſtat optimates ſæpe admonentis, ut male præcinctum puerum caverent. De ſoluto autem & diſcincto Mœcenatis ingenio, legito multa apud Senecam, Epiſtolarum libr. 14. epiſt. 93. diſerte Mecœnas ait:

Nec temulum curo, ſepelit natura relictos.

Alte cinctum putes dixiſſe. Habuit enim ingenium & grande & virile, niſi illud ipſe diſcinxiſſet. Idem libro 20. in epiſt. cujus initium eſt: Quare quibuſdam temporibus provenerit corrupti generis oratio. Diſcinctum fuiſſe Mecœnatem, & Virgilius in elegia in ejus obitum, ac alii teſtantur.

Κόρυος

Qui Athenis primum radi ſe paſſus eſt, *κόρυος* convicii nomine dictus fuit, teſte Chryſippo *περὶ τοῦ κείρεσθαι*. At enim vero quod mollitiei evidentius indicium, quam in ſpeciem muliebrem trãſformari, levique mento, fœminarum in morem conſpici, pudẽda nimirum mehercule metamorphoſi, qualiſque Tereſiam quempiam deceat, aut Heliogabalum, qui Herodiano teſte vultum elegãtius componebat, quam fœmina. Majores noſtri inſigne piaculum reputabant, & monſtri cujuſpiam modo procurandum, ſolo habitu mentiri mulierem: quanto magis, levore & glabritie faciei fœminam exprimere.

Sardanapalus.

Quoties effœminatum & moleſtiſſimum hominem, adeoque ſtupris & ſegnitie perditiſſimum ſignificare volumus, Sardanapalum dicimus. Hunc virum muliere corruptiorẽ, Juſtinus hiſtoricus appellat, & abſolutæ infamiæ atque turpiſſimi exempli, cum apud Homerum, tum alios autores eſt. Vide Proverb. Chiliad. Sardanapalus.

Straton Pathicus.

Straton Pathicus proverbio Græco locum dedit. Nam ejus nomen de homine delicato ſemper raſo efferunt, qui juventam ut mẽtiretur, ridicule, imo flagitioſe radi quotidie ſe paſſus eſt. Traducitur ab Ariſtophane his verbis:

Εὐνοῦχος ἡμῖν ἦλθες ἐξυρημένος.

hoc eſt:

Eunuchus huc ades raſus novacula.

Θιασώτης Κότυος.

Apud Syneſium molles & effeminati homines, parumq; viri, ſodales aut aſſeclæ Cotyos, proverbiali ſpecie dicuntur in quadam epiſtola, cujus initiũ eſt tale, *ὥσπερ ἄλλοτε πολλάκις ἐπὶ τῶν ...*, &c. Quemadmodum ſæpe alias oblata occaſione prodeſſe tibi ſtudii, &c ſic inquit, *ἀλλὰ καὶ ... ἄνδρα ... τῆς Κότυος*, hoc eſt, At tu hominem tametſi integerrimus videatur, audacter pronuncia ſemivirum eſſe, & re ipſa Cotyos ſodalem. Alibi in epiſtola ad fratrem, flagitioſæ vitæ hominem deſignans, ait illum *τῷ Κότυϊ νεωκορεῖν*, hoc eſt, Cotyttus æditimum eſſe. Clariſſime vero oſtendit hoc in calvitii encomio, ubi poſtquam dixit Cliſthenes, Timarchos alioſq; omnes, qui lucro formam proſtituunt, molles præterea & effœminatos univerſos eſſe *τριχοπλάστας*, hoc eſt, calamiſtratoræ ſtudioſos ſubinfert: Nunc, inquit, quod quis ſit *θιασώτης τῆς Κότυος*, id eſt, Cotyos ſodalis: nullum aliud hujuſce rei indicium fuerit, quam ſi cincinnos componat ſæpius, & unguento delibutos præferat, hunc in promptu eſt dici, & Cotyos deæ Chiorum, & Ithyphallis, hoc eſt, Priapi ſacris operatum eſſe, quo loco ſodalem Cotyos nũcupat eum, qui ſit profligatæ pudicitiæ.

Fœmina.

Flagitioſæ mollitiei viri, etiam vulgari convicio fœminæ audiunt apud Gallos. Hinc metaphoricos dicitur oratio a Quintiliano in I. effœminata: Sit, inquit, in primis lectio virilis, & cum ſuavitate quadam gravis: & nõ quidem proſæ ſimilis, quia carmẽ eſt, & ſe poetæ canere teſtãtur: non tamen in canticum diſſoluta, nec pſalmate (ut nunc a pleriſque fit) effœminata. Notat enim ſui tẽporis poetas, qui Plasmate & potione ex dulcioribus quibuſdam rebus compoſita, formabant & fingebant, vocem, eamq; molliorem & ſuaviorẽ reddebant. Tales Perſius vocat fractos. i. evitatos effœminatoſque voce muliebri. Sic Homerus Iliad. β. Græcos per contemptum Achæas, non Achæos dixit:

Ὦ πέπονες κάκ' ἐλέγχε' Ἀχαιΐδες οὐκέτ' Ἀχαιοί.

Quem locum imitatus Virgil. 9. Æneid.

O veræ Phrygiæ (ait) neque enim Phryges. ———

Ita Perſius Trojades vocat Romanos nobiles, qui ſe Trojugenas eſſe gloriãtur. Hoc enim nomine Romanorum principum, mollities metaphoricos ſignificatur: quippe qui molles eſſent, & effœminati, ut Trojades. Sic iterum Homerus:

Ὦ μοι ἀπειλητῆρες Ἀχαιΐδες, οὐκέτ' Ἀχαιοί.

Genere enim muliebri appellavit illos Græcas, quaſi fœminas potius quam viros. Ignominioſo hoc etiam nomine Itali ſuos nobiles

biles nimis effœminatos inſectantur & proſcindunt, quum eos, Gallina bagmata, vocant.

Copa.

Coparum autem nomine vagas mulieres olim capiebant. A ſaltatrice Copa. Mecœnatis liberta, quæ ob mollitiem male audiebat. De ea Virgilii epigram. extat.

Πομπικὸς.

Attici Heraclidem πομπικὸν, immutato leviter nomine πομπικὸν ſoliti ſunt vocare, quod delicata veſte uteretur, & in cultu corporis magnum ſtudium poneret, nec non in inceſſu ſpeciem quandam retineret, ac ſedato greſſu uteretur. Galli hujuſcemodi homines Pompeius vocant. Quæ enim in pompa ferebantur, ſplendoris ac magnificentiæ plena erant. Plochirus in Dramate: ὑπὸ πομπικῆς ἀρχικῆς ἐπαλμένος. id eſt, Pompatice & regali ſuperbia elatus.

Μολυβδίνη μάχαιρα.

Græci μολυβδίνην μάχαιραν dicere ſoliti ſunt judicium, ſive aliquid aliud infirmum. Diogenes apud Laertium inſimulavit hac quoque voce formoſum adoleſcentem, decorumq; qui deformia indecoraque loqueretur, volens ſignificare, orationem ipſius non reſpondere corporis ſpeciei, Non te pudet ex eburnea vagina, plumbeum gladium educere? Verba Græca hujus ſententiæ hæc ſunt, οὐκ αἰσχύνῃ ἐξ ἐλεφαντίνου κολεοῦ μολυβδίνην ἕλκων μάχαιραν.

Volſellis non gladiis pugnare.

Proverbium eſt in parum viros, à Varrone libro 5. De lingua Latina repetitũ. Volſellas autem μαδιστήρια appellabant nonnulli, Æginata, τριχολαβίδιον καὶ τριχολάβιον, inſtrumenta ad prehendendos ducendoſque pilos comparata. Supra etiam Iunii, Volſellis pugnant, non gladiis.)

Binis tonderi forficibus.

Iulius Pollux proverbiali ſchemate uſus eſt, διπλῇ μαχαίρᾳ κείρεσθαι, hoc eſt, Binis tonderi forficibus. Quod in eos qui plus nimio componendo corporis decori impendunt ſtudii, torqueri poteſt. (Idem habet Iunius alibi Cent. 4. prov. 97.)

Μυροβρέχης.

Μυροβρέχας vocant Græci, qui delibutos unguentis capillos habent, ſed ubique mollitiei & luxus argumento. Cic. pro Sexto Roſcio, capillum compoſitum ac delibutum, faſtus ac mollitiei ſymbolum notat.

Criſpiores apio.

Apud epigrammatarios extat proverbiali ſchemate dictum illud, οὐλότερος σελίνου, Apio magis criſpum. Quo ſpectat illud apud Ariſtotelem in Rhetorices tertio, σελίνου οὖλα τὰ σκέλη φορεῖ, Apiũ criſpa habet crura. Et Lucianus in Amoribus, πολὺ τῶν ἐν λειμῶνι οὐλότερος σελίνων, Multo criſpiores pratenſi apio.

Mileſia ſtragula.

Mileſia regio optimas habere lanas dicitur; unde & in proverbium abierunt. Mileſia ſtragula, pro delicatiſſimis. Theocritus in Syracuſis etiam tapetas molliores ſomno vocans, ſubdit:

Φασὶ καὶ Μίλητος, ἃ τὰν Σάμον ἀμφινέμονται.

Sic Miletus dixerit, quique incolunt Samum.

Mileſiorum enim luxus in hominum ſermonem abiit, adeo ut quicquid molle, parumque virile velint intelligi, Mileſium appellent. Ariſtoph. in Ranis, notat μιλήσια τρήματα.

Fabula Mileſia.

Fabulæ Mileſiæ proverbio dicuntur ſermones nec veri, nec veriſimiles, nec in aliquem vitæ uſum parati & congruentes: ſed tantum ad voluptatem & extrahendum tempus, vel in conviviis, vel in cœtibus virorum ac fœminarum: qualia ſunt etiam amatoria omnia. Ideoque Lucianus ſermones amatorios vocat Mileſios. & Capella quaſdam poetarum fabulas. Scripſit nominatim de Mileſiis Ariſtides libros aliquot μιλησιακῶν, & Apuleius aſinum, ex Luciani aſino deſumptum, & concinnatum. Ejuſmodi narrant vetulæ pueris ad focum ne plorent, aut moleſti ſint. Mileſiæ a Mileto Ioniæ, quæ de luxu & deliciis male audivit, dicuntur.

Mores Maſſilienſes.

Plautus in Caſina: Vbi tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas? hoc eſt, molles. Ajunt enim ipſos Maſſilienſes delicato muliebrique cultu uſos, ac molles & effœminatos extitiſſe. De quibus Athenæus. (In ſuperioribus, mores Maſſilienſes pro optimis uſurpari monuit Gilbertus ipſemet & Eraſm. Chil. 2. Centur. 3. prov. 98. Naviges in Maſſiliam. Supra enim Cognatus Cent. 1. proverb. 11 idem explicare inceperat, ſed contrario ſenſu: & quamobrem ex uno adagio duo fecerit, clam me eſt. Eraſm. abunde tibi ſatisfecerit, qui annotavit duas fuiſſe Maſſilias: unam Lybicam, deliciis infamem: alteram Gallicam diſciplinæ ſeveritate nobilem: teſtib. Cicerone & Valer. Maximo.)

Indulgere genio.

Perſio eſt obſequi animo, & relaxare curas, voluptati operam dare. Iuvenal. ſatyr. 4.

—Genialis agatur
Iſte dies ———

id eſt, voluptuoſus, & convivali lætitia plenus.

Virgilius primo Georgicorum:
Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit.

Vbi Servius: Quoties voluptati operam damus, indulgere genio dicimus. Sic Geniales homines dicuntur, qui ad invitandũ, & largius apparandum cibum promptiores ſunt. Per contrarium autẽ Terentius in Phormio. Suum defraudãs genium, dixit: & Siniſtro genio vivere, à Perſio: pro, naturã ſuam duriter vivendo defraudare: &, Cum genio belligerare, Dinarchus in Plauti Truculento:

Sed iſti qui geniis ſuis belligerant parcipromi.

Dicuntur etiam proverbialiter cum genio ſuo pugnare, qui vim naturæ atque genio afferunt, ab eo operas exigentes, quibus magnopere gravatur: ut ſi ex homine literarum ſtudioſiſſimo, aulicũ facere velis. Budæus libro 1. De contem. rerum fortuit. Egone ut rurſus cum genio meo belligerare inſiſtam, atque obluctari Minervæ? Vide pòſt. Defraudare genium. Eraſm. in Chiliad. eadem omnino habet, ut ſupervacaneum fuerit hæc à Cognato (qui fortè non tã diligenter Chiliadas evoluit) nulla ratione repetere.

Vivamus.

Hac dictione utimur, quoties aliquem ad fruendas nobiſcum voluptates cohortamur: eaque poetis eſt per familiaris, & inter pocula uſitatiſſima, pro, genialiter vivamus. Et vitam eam demum vocant poetæ quæ voluptuaria eſt Catullus ad Lesbiam:

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumoreſque ſenum ſeveriorum
Omnes unius æſtimemus aſſis.

Martialis:
Vivamus, mortem fallere nemo poteſt,

Virgilius:
Pone merum & talos pereat qui criſpina curat.
Mors autem vellens, vivite (ait) venio.

Lucilius:
Vivite lurcones, comedones, vivite ventres.

Et hoc quoque in Monachos Papales dici hodie ſolet, qui nitidi, & bene curata cute (ut reliqua taceam) ſic vulgo videntur. Varro ἐκεῖ φιλοτεχνίας.

Properate vivere puer, quas ſinit ætatula
Ludere, eſſe, amare, & Veneris tenere bigas.

Plautus:
Agite, vivite, bibite feſtive fores,
Potate, ſite mihi volentes propitiæ.

Catullus in nuptias Iuliæ & Manlii:
Pelle humum pedibus -- id eſt, ſalta.

Horatius:
Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus --

Obſonare pollucibiliter.

Plautus pollucibiliter in Moſtellaria, & pluribus aliis in locis pro opipare uſus eſt. Nam de eſculentis & poculentis, Herculi decimam dabant, idque polluceri: & conſecratum quod fuerat, polluctum dicebatur.

Grumio Trojano conſervo: Nunc dum tibi lubet,
Licetque, pota, perde rem,
Corrumpe herilem filium, adoleſcentem optimum,
Dies noctéſque bibite, pergræcamini,
Amicas emite, liberate, paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter, &c.

Graviſtellus.

Plautus licentia uſitata ſibi in fingendis nominib in Epidico alluſit ad pondus telluris, quod dicitur ab Homer. Iliad. σ. & Odyſſ. υ. ἄχθος ἀρούρης, atque ita jocatus eſt in obeſum: Sed quis eſt hæc muliercula, & ille graviſtellus qui venit? Sext. Pompeius hunc locum in Graviſtello adducere videtur.

Gula plures quam gladius perimit.

Perdimus & quaſi occidimus corpora noſtra, ſi exceſſum diurnis nocturniſque comeſſationibus, aut ingurgitationibus, vel etiam immodicis vigiliis facimus: quod vitium proh dolor, homines graviſſimo damno hodie afficit, datque locum veteri dicto: Plures gula quam gladio perire. Hac de cauſa nõ fruſtra Chriſtus nos ad temperantiam, propter ingentia mala quæ ex intemperantia ſequuntur, adhortatur. Attendite, inquiens, ne graventur corda veſtra crapula & ebrietate. Michael Verinus.

Miratis ſubito Franciſcum funere raptum?
Crede mihi, ancipiti plus ferit enſe gula.

Idem de eadem:
Quum doleat ſtomachus, medicum accerſis Leonem,
Paule jubes, febris ſi tibi cauſa gula eſt.

Idem:
Autumno inquiris cur tot moriantur in uno

Cauſam

Cauſam, quum gula ſit peſtis, & atra lues?

Eccleſiaſt. cap. 37. In multis enim eſcis erit infirmitas. Sal. Prover. 23. Noli eſſe in conviviis & commeſſationibus potatorum, quia vacantes potibus conſumentur. Aloyſius Luiſinus libro tertio De compeſcendis animi affectibus: Contra citandum adagium, quo plures interfici crapula, quam gladio monemur. A Gallis ſic exprimitur:

Gourmandiſe tue plus de gens, que l'eſpee.

Aſoti.

Homines luxu & gula perditos, Græci ἀσώτους appellant, Latini vero nepotes & nequam. Cic. lib. 2 De finib. Nolim mihi fingere aſotos, ut ſoleis, qui in menſam vomant, & qui de conviviis auferantur, crudiq; poſtridie ſe rurſus ingurgitent, qui ſolem (ut ajũt) nec occidentem unquam viderit, nec orientem, qui conſumptis patrimoniis egeant: nemo noſtrum iſtius generis aſotos, injucunde putat vivere. Idem 2. De natura deorum. Poſſe aſotos ex Ariſtippi, acerbos ex Zenonis ſchola exire. Gellius ἀσωτίαν luxum & popinationem interpretatur. Hinc ἀσωτεύω. Martial. lib. 4. ζῇς ἀσώτως, id eſt: Laſcive, incontinenter, prodigaliter vivis.

Perſice epulari.

Æmylius Probus in Pauſania non ſine ſpecie proverbiali dixit, Epulabatur more Perſarum pro, nimis exquiſite ac ſumptuoſe. Non enim, inquit, mores patrios ſolum, ſed etiam cultum veſtitumq; mutavit. Apparatu regio utebantur, veſte Medica, ſatellites Medi & Ægyptii ſequebantur, epulabatur more Perſarum luxurioſius, quam qui aderant, perpeti poſſent. Eraſmus noſter in apophthegm. Pauſaniæ Cleombroti: Poſt victoriam à Medis apud Plateas reportatam, præcepit ſuis, ut apponerent cœnam Perſicam, quam ſibi barbari prius apparaverant. Lucian. in Mercenario doctore: Nam ego, inquit, recuſarim cum Perſarum rege convivere, ſi nullus ex eo convictu fructus ad me redeat. Ea cum eſſet opipara ac ſumptuoſa: Lurco, inquit, eras ò Perſa qui cum tantas haberes delicias, ad noſtram veneris Mazam: id erat panis genus contemptum ac vulgare, quo etiam utuntur hodie noſtri Granvallienſes, ac vocant Lavaſſe. De Perſarum epulis victuq; legatur Xenophon libro octavo Cyripædiæ, & Athenæus lib. 4. cap. 6. Idem tamen Xenophon libro ſeptimo, teſtatur Perſas, cum domi ſunt, propter regionis ſterilitatem inopiamque, duram laborioſamq; vitam agere. Vide Herodot lib 9. & Plutarchus in apoph. Laconicis. Probus etiam apparatum regium dixit, pro nimis exquiſito ac ſumptuoſo proverbiali figura. Vide ſuperius adag. 305. Menſæ Siculæ, Aſianæ, Perſicæ.

Epicureus.

Epicurus ſummum bonum in voluptate ponebat, non corporis, quemadmodum Ariſtippus, ſed animi, hoc eſt, in abſentia omniũ dolorum. Traditur fuiſſe continentiſſimæ vitæ, nomen tamen illud voluptatis, in qua ſummum bonum ponebat, effecit, ut ab eo homines voluptarii Epicurei dicantur. Lucianus in Alexandro Pſeudomantis, id eſt, de Falſo vate Alexandro, εἰ δὲ τοῦτο ἀπεκρίνατο, ἐς κόρακας, οὐδεὶς ἔτι αὐτὸν ὁμωρόφιον ἠξίου, οὐδὲ πυρὸς ἢ ὕδατος ἐκοινώνει, ἀλλ' ἐλαύνειν ἔδει ... ἄθεον καὶ ἐπικούρειον, ὅπερ μεγίστη λοιδορία. id eſt, Si reſpondiſſet iotus, ad corvos, non jam talem quiſquam amplius tecto recipiebat, nec ignem aquamve cum eo communem habebat, ſed neceſſe erat cum ſubinde vertere ſolum, tanquam impium, nullam vim cæleſtem numenve divinum exiſtimantem & Epicureum: quod erat maximum conviciũ. Idem in Hermotimo, ἀκούω ταῦτα, ὦ Λυκῖνε, οὐ σοῦ μόνου, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων λεγόντων, ὡς οἱ μὲν Ἐπικούρειοι, ἡδονικοί τε καὶ φιλήδονοί εἰσι. i. e. Nõ ſolum hoc quidem, ò Luciane, ſed omnes quoq; cæteros mortales ſæpenumero affirmantes audivi, Epicureos quidem eſſe corruptos deliciis, voluptatumq; extreme amantes. Horat. libr. 1. epiſtol. ad Tibul.

Me pinguem & nitidum bene curata cute viſes,
Cum ridere voles Epicuri de grege porcum.

Eadem ratione dixit illud M. Tullius in L. Piſonem: Cõfer nunc Epicure noſter ex hara producte, non ex ſchola: confer, ſi audes, abſentiam tuam cum mea. Quamvis enim Epicurus videretur interdum in quadam animi voluptate ſummum bonum conſtituere, hanc de eo opinionem tamen ipſius refellunt verba, quæ retulit Athenæus libro ſecundo, & ſic interpretatur Cic. 2. De finibus: Non enim intelligo quid ſit, aut ubi ſit ſummum bonum præter illud, quod cibo, aut potione, aut aurium delectatione, & obſcœna voluptate capiatur. Eraſm. noſter de verbis coquinariis: Habebit gratiam, inquit, ſi quis dicat, Epicuri philoſophiam demulcere vulgarium animos ... quod voluptatem aſſerat ſummum bonum eſſe. Plutarchus libellum ſcripſit quod oſtendit ſecundum Epicuri doctrinam non licere ſuaviter vivere. M. Varro in Modio, citante Nonio: Et hoc intereſt inter Epicurum & Ganeones noſtros quibus modulus eſt vitæ culina.

Abyſſus eſt.

Proverbii ſpeciem habet, & vulgo uſurpare ſolemus, abyſſum quandam eſſe, fundumq; non habere. Nam abyſſus ex eo nomen invenit, quod fundo careat. Varius eſt hujus adagionis uſus: primum in ventres & glutones, edaceſq;, tum in bibaces. Quadrat & in præter modum profuſos. Competit etiam in eos, qui male ab aliis rapiunt, quæ male item profundant in alios. Uſurpatur quoq; in avaros, quorum cupiditatibus nihil eſt ſatis, verum, quo magis impleantur opibus, hoc magis inanes eſſe videntur.

Penelopæ proci.

Quum Ariſtoteles philoſophiam nimio ſtudio complectabatur, aſſerere non dubitabat, eos qui reliquas artes conſectarentur, hãc vero negligerẽt, eſſe Penelopes procis ſimiles: qui, ut Homer. quum domina potiri nequiviſſent, ad ancillas divertebant. Hoc tradebat, perinde ac ſi philoſophia ſit ars artium, & ſcientia ſcientiarum; cæteras vero ſcientias tanquam viles, ſic & earum aſſectatores, Penelopes procos, id eſt, inertes, viles dictitabat. Horatius tamen epiſtol. 1. ad Lollium aliorſum trahit, dicens:

Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopæ, nebulones, Alcinoique,
In cute curanda plus æquo operata juventus:
Cui pulcrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

Sponſorum autem appellatione, procos ſignificat quos Homerus Μνηστῆρας nominat. Procorum autem vivendi genus fuiſſe inertiſſimum, deſidioſiſſimum, molliſſimum, diſſolutiſſimũ, atq; voluptatibus deditum, & mancipatum, nec rationis lucem penitus capiens, cujuſmodi eſt viliſſimus quiſq;, quem numerum ex multis unum appellavit, declarat Homerus multis Odyſſ. libris, in primis lib 1. & 2. Athenæus lib. 4. Procorũ cœnas & prandia cum Phæacum conviviis comparans, tales illorum eſſe compotationes ait, quales probabile eſt eſſe luxurioſorum, violentorum, amatorum: Phæacum autem convivia eſſe illa quidem delicata, & voluptaria, veruntamen graviora & temperatiora: quorum rex apud Homerum Odyſſ. θ. dicit ſibi ac populo ſuo, convivia, citharam, choreas, cultum corporis varium, ac ſæpe mutatum calida balnea, Venerem placere. Fuit etiam Antinous unus è procis Penelopes, ferox, contumelioſus, & arrogans.

Cedere ſtomacho.

Hæc phraſis ejuſdem notæ eſt cum iis, quas ſupra annotavimus, Indulgere genio, &c pro, concedere, obſequi, non repugnare. Prudentius in Pſychomachia.

——Tetro ceſſiſſe ſtomacho.

Idem poſt eadem pene phraſi ſimilem ſententiam effert:

At ſi mentis apex regnandi jure potitus
Pugnacis ſtomachi pulſus, fibraſq; rebelleis
Frænet & omne jecur ratione coerceat una,
Fit ſtabilis vitæ ſtatus, & ſententia certa
Haurit corde Deum, domino & ſubjungitur uni.

Simile illud Clementis lib. 11. Pædag. cap. 1. τὸν νοῦν ἐγκατορύττειν τῇ κοιλίᾳ Animum in alvo defodere. Citatur ab Hadriano Junio, in illo adagio, Aſello piſci ſimilis.

Volutares ſues.

Dicitur in homines ſpurcos, & quaſi cœno & colluvie demerſos: de quibus Varro Prometheo libro primo. In tenebris ac ſuilla vivunt, niſi non forũ, hara, atq; homines qui nunc pleriq; ſues ſunt exiſtimandi. Idem lib. 6. volutares ululantes dixit, Volutares ſues, qui & colluviares, quod in colluvie nutrirentur χαμαλώδεις, ait vocari Appion grammaticus apud Heſychium. Sic 2. Petri 2. Canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni, hoc eſt, qui poſt innocentiam arreptam denuo in veterem vitam eſt revolutus. Prover. 26. Ut canis revertitur ad vomitum, ſic ſtultus iterans ſtultitias ſuas. Vide infra παχὺς ὗς.

Apolauſti.

Apolauſti dicti ſunt voluptarii, gaudenteſque, etiam ab ipſo Capitolino, in eodem Ælio Vero.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Terentianum proverbium, quod habetur apud Eraſmum. Ad quod addendum hoc Ovidii in Metamorphoſ.

——Cereris ſine munere.——

& iſtud Catulli de Berecynthia:

Nimio è labore ſomnum capiant ſine Cerere.

Κικιννοφόροι.

Qui vibrabant capillos, homines molles & effœminatos, vocabant Græci κικιννοφόρους: quod verbum Strabo lib. 14. uſurpat. Tertull. in lib. de pallio, tales ruſticulos vocat.

Παχὺς ὗς.

Refert Athenæus lib. 12. contra Dionyſium Heracleæ Ponticæ tyrannũ, vulgo jactatum: παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα. id eſt: Obeſus enim ſus premebat os viri. Ibidem plura de hujus Dionyſii edacitate, & immenſa corporis mole. Ita enim veteres, ut nos quoque vulgo facimus, homines pingues & obeſos porcos vocabant. Pomponius Vernionibus:

Porcus eſt, quem amare cœpi, pinguis, non pulcher puer.

Umbri, Lydi, Sybaritæ & Etruſci, luxus deliciarum ac porci, infamia flagrarunt. Propterea Umbri dicuntur pingues Perſio ſatyra tertia.

In locuplete penu, defenſis pinguibus Umbris.

hoc eſt, veneri gulæque inſervientibus & obeſis. Ovidius 5. Artis:

Illa velut conjunx Umbri rubicunda mariti
Ambulat, ingentes Varia ferrq; gradus.

Eo etiam ſpectavit Plautus Milite, cum ait:

Minime ſputator, ſcreator ſum: itidem minime muccidus,
Poſt Epheſi ſum natus, non in Apulia, aut Umbria.

Ruſticos & mapulæ deditos innuit Catullus quoq; in Scazonte: in Egnatium videtur idem voluiſſe;

Aut porcus Umber aut obeſus Etruſcus.

Ad hoc etiam facit aliud ſequens adagium: Volutares ſues, & hæc Gallorum:

Gras comme un pourceau, un cochon, ou moine.

Hinc Epigramma illud cujuſdam Scoti:

Diceris Antoni porcos paviſſe ſubulcus,
Vivus adhuc monachos lumine caſſus alis.
Par ſtupor ingenii eſt, ventriſq; abdomen utriſque:
Sorde pari gaudent, ingluvieq; pari.
Nec minus hoc brutum genus eſt mutumve ſuillo,
Nec minus inſipidum, nec minus illepidum.
Cætera conveniunt: ſed non levis error in uno eſt,
Debuerat monachis glans cibus eſſe tuis.

Et hoc alterius quoq; Scoti:

Credibile eſt Circen mutaſſe potentibus herbis,
In monachoſq; ſues, inq; ſues monachos.

Delicati & formæ fiducia laſcivientes.

Plato in Menone, vel, de virtute. Idem de philoſophia, vel, amatoribus: An non vides ipſum in tumiditate quadam & ſaturitate atq; ſomnolentia, univerſam ætatem egiſſe, ut credas aliud quicquam eum tibi reſponſurum, quam quod turpe ſit philoſophia? Erat autem hic in muſica eruditus. Scientia enim ignorantem inimicum habet.

Etruſcorum convivia.

Econtra Etruſcorum convivia dicuntur lautiſſima & opipara ſive pinguia. Dionyſius in nono, de L. Æmilio agens, Etruſcos laute ſolitos vivere ſcribit. Hinc Catul. in Egnatium.

Aut porcus Umber, aut obeſus Etruſcus.

id eſt, pinguis Virgil. in ij. Georg.

Hic laticem qualem pateris libamus, & auro
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus.——

Catullus ad Porcium & Socrationem.

Vos convivia lauta ſumptuoſe
De die facitis.——

Unguentatus.

Unguentatus proverbio dicitur mollis, atq; unguentis delibatus & madens, & quod dixit Homerus, τὴν κεφαλὴν λιπαρός. Ego autem verto cum cæteris. F. Africanus apud Gell. in vij. cap. xij. molliſſimum hominem ſignificat. Nam qui, inquit, cottidie unguentatus, adverſum ſpeculum ornetur, &c. Catul. ibidem:

Diceris male te a tuis
Unguentate glabris marite
Abſtinere.——

Cic. in epiſtolis, Sumptuoſas cœnas dixit.

Sybariticus miſſus.

Sybaritas deliciis ac luxu nobiles vel eorũ internecio fecit: unde ferculum Sybariticum dicitur. cujus Athenæus. quale fuerit, meminit Eraſmus noſter Sybariticam menſam parat: & Adrianus Junius Sybarin pro adagio habet, Ælius Lampridius in Antonino Heliogabalo: Sybariticum miſſum ſemper exhibuit, ex oleo & garo: quem pro anno Sybaritæ repererunt, perierunt.

Molli requieſcere ſomno.

Μαλθακῷ ὕπνῳ, Catullus ad Mallium:

——Molli requieſcere ſomno.

Et Ennius:

Lætantes vino curatos ſomnus repente
In campo paſſim molliſſimus perculit.——

Vide Junium, Somno mollius.

PETRI GODOFR. *Fluviatiles aves.*

In nimium ruſticantes, & aquarum delectatione immodice captos: quales fuere Tharſenſes, quorum civitatem præterlabitur Cydnus fluvius, juxta quem ii multo tempore conſidentes, quiete aquæ pulchritudine velut ebrii facti, tanquã fluviatiles aves otiabantur: ut ad eos ſcribit quadam epiſtola Apollonius, teſte Philoſtrato. Similis eſt vita, quam ſuis Alcoranus promittit.

MAGNIFICA PROMISSA.

ERASMI. *Aureus in Olympia ſtato.*

Quem ſummo præmio dignum Græci ſignificant, ei dicere ſolent: Aureus in Olympia ſtatuere. Lucian. in Pſeudologiſta, χρυσοῦς ἐν Ὀλυμπίᾳ σταθείη, id eſt, Aureus, ut ajunt in Olympio ſtato, quod is honos id ætatis præcipuus haberetur, loco tam celebri, ſtatuam inter illuſtreis viros habere. Huc alluſit Vergilius, cum ait:

Si fœtura gregem ſuppleverit, aureus eſto.

Plato in Phædro: ὑπισχνοῦμαι χρυσῆν εἰκόνα ἰσομέτρητον εἰς Δελφοὺς ἀναθήσειν, id eſt, Polliceor me ſtatuam auream tibi æqualem Delphis collocaturum, Ibidem paulo poſt: παρὰ τὸ τῶν Κυψελιδῶν ἀνάθημα σφυρήλατος ἐν Ὀλυμπίᾳ σταθῆναι, id eſt, Inter ſtatuarum Cypſelidarum monimenta in Olympia fabre factus ſtato. Interpres fortaſſis χρυσήλατος legit, aut certe ſomniavit: ut qui verterit aureum. Porro Corinthi dicuntur Cypſelidæ, à Cypſelo, qui pulſis Bacchidis è Corintho, ibidem imperio eſt potitus, ſummaſque coegit divitias: cujus rei argumentum, inquit Strabo, τὸ Ὀλυμπίασιν ἀνάθημα Κυψέλου, σφυρήλατος χρυσοῦς ἀνδριὰς εὐμεγέθης. Alluſit huc & Philoſtratus in Apollonii vita, καὶ στεφανώσει σε ἐν Ὀλυμπίᾳ, id eſt, & coronabunt te in Olympia. Non diſſimili figura dixit Perſius ſatyra ſecunda:

Præcipui ſunto, ſitq; illis aurea barba.

Quibuſdam enim ſignis aurea barba conſuevit addi.

Aureos montes polliceri.

Χρυσᾶ ὄρη ὑπισχνούμενος, id eſt, Aureos polliceri montes. Proverbialis hyperbole de iis, qui immenſa promittunt, ſpeſq; ampliſſimas oſtentant: à Perſarum arrogantia ducta, qui propter auri venas montes aureos jactabant. Plaut. in Sticho: Neque ille ſibi mereat Perſarum montes, qui eſſe aurei perhibentur. Atq; idem in Milite, in eandem ſententiam dixit argenti montes. Tum argenti montes, non maſſas habet. Terentius in Phormione: Is ſenem per epiſtolam pellexit, modo non montes auri pollicens, quo quidem loco illud obiter admonendum arbitror, quod opinor vulgus interpretum latere. Modo non, dictum pro eo, quod eſt apud Græcos μονονουχί, id eſt, tantum non: id perinde valet, quaſi dicas propemodum. Nam tantum non. Græcanico more reperies, tum apud Livium, tum apud Suetonium, neq; ſemel apud Valer. Maximum. Apulejus in prima actione Apologiæ ſuæ: Qui ſi eſt avaritia egenus, & ad omne lucrum inexplebilis, nec montibus auri ſanabitur D. Hieronymus in Ruffinum: Ut cum montes auri pollicitus fueris, ne ſcorteum quidem nummum de theſauris tuis proferas, Ariſtophanes ἐν Ἀχαρνεῦσιν:

Κἄχεζεν ὀκτὼ μῆνας ἐπὶ χρυσῶν ὀρῶν.

Id eſt:

Menſes & octo cacavit in auri montibus.

Cacavit, dixit pro ſedit, laſcivia comœdiæ veteris. Phœnix Colophonius apud Athenæum li. 12. de Nino rege prædivite loquens, ex monte fecit mare, ait: ὃς εἶχε χρυσοῦ θάλασσαν, id eſt, Mare poſſidens auri. Paulo diverſis dixit Saluſtius in Catilinario: Maria monteſq; polliceri cœpit. Ad eundem modum Perſius:

——Magnos promittere montes.

ut hyperbole magnitudinis ſit non in aureis, ſed ſimpliciter in ipſis montibus.

Montes frumenti.

De montibus auri nobis alibi dictum eſt. Sed quemadmodum Muſca ad quaſvis res transfertur, quum negamus quicquam tale eſſe, Nulla mihi muſca in ædibus: ita Montes ad quarumlibet rerum affluentem copiam transfertur. Plautus in Pſeudolo: Quibus cunctis montes maximi acervi frumenti ſunt domi. Vox hæc montes, ſupereſt ſermoni, niſi quod ex uſu vulgari addita auget copiæ ſignificationem. Itidem in uſum venit Oppido, pro valde: quum tantam rerum copiam intelliget & agricolæ, quanta ſatis eſſet vel oppido Plautus in Moſtellaria. Montem erroris dixit, pro errore graviſſimo: Nec ſalus nobis ſaluti jam eſſe, ſi cupiat, poteſt. Ita alium erroris montem maximum ad portum modo cõſpicatus ſum: herus advenit peregre, periit Tranio. Si legas, Ita mox alium, cõſtabit verſus trochaicus, In Milite dixit montes argenti, tum montes argenti, non maſſas habet.

Solidos è clibano boves.

Ariſtophanes in Acharnenſibus:

Παρετίθει δ' ἡμῖν ὅλους
Ἐκ κριβάνου βοῦς.
Καὶ τίς εἶδε πώποτε βοῦς κριβανίτας.

Id eſt:

Deinde nobis præbuit
E clibano totos boves & quis rogo
Conſpexit unquam clibano coctos boves?

Antiphanes apud Athenæum lib. 4. facit quendam querentem de frugalitate Græcorum, qui paululum carnium apponerent, quum majores ſoleãt totos boves, cervos & arietes aſſos apponere. Quin & regi Perſarum coquum, totum camelum aſſum, atque etiamnum calidum appoſuiſſe. At ego mihi malim perdiculam, aſſam & calidam apponi. Idem in eodem libro tradidit ex Herodoto, apud Perſas diebus natalitiis fuiſſe morem, ut divites bovem, aſinum, equum & camelum apponerent totos, in clibano aut fumo coctos. Proverbialis hyperbole de barbarica rerum copia, ſive de lautitiis affatim ſubminiſtratis. Antiquitus enim in deliciis erant cibi in clibano cocti. Primum enim panis in clibano decoqui cœptus, quem κριβανίτην, id eſt, clibanatium vocabant: eaque

res uſq; adeo viſa eſt nova, ut etiam proverbio locum fecerit: deinde carnes & piſces eodem modo coqui cœperunt. Unde & thunni, & id genus alia, in clibano cocta, xeniorum vice miſſitabantur amicis.

Theagenis hecateum.

Θεαγένους ἑκάταιον, id eſt, Theagenis Hecateum. In ſuperſtitioſos ac ridicule meticuloſos dictum eſt. Sic Theagenes legitur uſque adeo fuiſſe ſuperſtitioſus, ut domi haberet Hecates ſimulacrum, nec uſquam pedem moveret, niſi & illo conſulto. Unde & καπνὸς, id eſt fumus, eſt cognominatus: quod magnifice pollicetetur, cum eſſet pauper. Qua de re meminimus alibi.

Charetis pollicitationes.

Αἱ Χάρητος ὑποσχέσεις, id eſt, Charetis pollicitationes. Dici ſolitum, ubi quis facile ac benigne promittit, juxta illud Naſonis:

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.

Natum adagium à Charete quodam Athenienſium duce, qui quidvis cuivis pollicebatur, at non præſtabat item quod receperat. Hunc Charetem nunc ferme reges & pontifices imitantur, dum omnibus omnia promittunt, neque recuſant quicquam, ut ſaltem ſpe lætos à ſe dimittant atq; ultro etiam invitant ut rogentur, ſpe videlicet illectantes. Narrant & de Veſpeſiano filio, quum admoneretur, ne tam facilis eſſet ad pollicendum, quod longe plura promitteret quam præſtare poſſet, reſpōdit: Non oportere quenquam ab Imperatoris conſpectu triſtem diſcedere. Adagium refertur a Suida: nec dubito quin ſumptum ſit ex Ariſtophane.

Album panem pinſo tibi.

Λευκὴν μᾶζαν φυρῶ σοι, id eſt, Album panem pinſo ſive tempero tibi. Dici ſolitum, ubi quis magnarum rerum ſpes amplas oſtendit. Eſt enim maza panis genus. Porro Græcis album panem in deliciis fuiſſe, locis aliquot teſtatur Lucian[*], nominatim in libello De mercede ſervientibus, οὐδ' ὄναρ λευκοῦ τοῦ ἄρτου ἐμφορηθείς i. e. Ne per ſomnum quidem unquam albo pane ſaturatus. Et D. Hieron in epiſt. ad Nepotianum, ſimilam inter delicias ponit: Quid prodeſt, inquit, oleo nō veſci, & moleſtias quaſdam, difficultateſq; ciborum quærere, caricas piper, nuces palmarum, ſimilam, mel, piſtacea? Ac ne fuiſſe quidem Romæ piſtores ad Perſicum uſque bellum, annis ab urbe condita, ſuper quingentos octoginta, teſtis eſt Plinius lib. 18. cap. 11 ubi rationes aliquot arte conditi panis oſtendit. Porro quod primum e triticea farina redditur, candidus eſt: rurſum quod ex ordeacea poſtremum, id magis eſt album, ut indicat in Problemat. Ariſtoteles, ſection. 21. probl. 3. & 7. ejuſq; rei cauſam reddit. Græci panes elegantiores λευκοὺς appellabant: ſordidiores, φαιοὺς: id eſt, fuſcos ſeu nigros. Sic Alexis apud Athenæum lib. 3.

Λευκοὺς μὲν ὀκτώ, τῶν δὲ φαιῶν τοὺς ἴσους.
Id eſt:
Panes quidem albos octo, dein totidem nigros.

Huc pertinet illud: Ex jure heſterno panem atrum vorant. Narratur ibidem quiddam nō illepidum de Diogene Cynico: qui quū placenta veſceretur, percontanti quid comederet, reſpondit, ſe panem edere bene confectum. Hoc adjicere viſum, ut intelligamus, olim miras fuiſſe delicias in panibus conficiendis. Apud eundem lib. 4. deſcribitur convivium Atticum, in quo commemorantur & panes λευκότεροι χιόνος, albiores nive.

Ariolari.

Ariolari proverbio dicebatur, qui nihil adferret certi, nihilque præſentis emolumenti, verum in diem modo pollicitaretur. Ita Dorio leno in Phormione Terent. adoleſcenti Phædriæ pecuniā daturum ſe promittenti, dicentique, Non mihi credis? reſpondit: Ariolare. Item Sannio in Adelph. Sed ego hæc ariolor. Sumptū à divinis, qui prædicunt eventura. Futurorum autem nulla certa cognitio, quemadmodum eleganter dictum eſt à Pindaro:

Τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.
Πολλὰ δ' ἀνθρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν.

Quorum carminum hæc ſententia, cœcam eſſe rerum futurarum ſcientiam: mortalibus autem multa præter ſpem evenire.

Ἐπαύλια δῶρα.

Ἐπαύλια δῶρα dicebantur magnifica munera. Sic enim appellabantur apud Græcos quæ poſtero poſt nuptias die, ſponſæ pater adducebat ſponſo ac ſponſæ, pompæ cujuſdam ſpecie. Præcedebat enim puer, candida toga, facem geſtans ardentem. Poſt hunc caniſtrifer: poſt hunc longa ſeries adportantium aurum, pelues, ſmegmata, lecticas, pectines, lectos, alabaſtros, ſandalia, ſcrinia, unguentaria interdum & dotem ipſam. Addunt, & ipſum diem à nuptiis ſecundum ἐπαύλιον dici, quod ſponſa tum inducatur in cubile. Adagium accommodari poterit & in eos, qui jactant ſuam beneficentiam. Opinor autem hæc eſſe, quæ Juriſconſulti vocant παράφερνα.

Modio demetiar.

Μεδίμνῳ ἀπομετρῶ, id eſt, Modio demetiar. Proverbialis hyperbole, ingens, & cumulatum ſperantis emolumentum. In magna ſiquidem rerum exuberantia, non hominis neq; congiis, ſed modio metimur. Integre hoc reddit Suidas:

Μεδίμνῳ ἀπομετρῶ τὰ πατρῷα χρήματα.
Id eſt:
Modio paternam metiar pecuniam.

Tametſi ſunt qui negent idem eſſe Latinis modium, & Græcis μέδιμνον.

Verba importat Hermodorus.

Λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται.
Id eſt:
Sunt Hermodori verba mercimonium.

In eum dicebatur, qui præter verba nihil adferret. Quemadmodum Laches in Hecyra Terentiana Pamphilum filium rogat, nū unam duntaxat ſententiam ſecum e Lemno reportaſſet. Aut in eos qui verba vendunt pecunia: quod in poetas, advocatos, fumi venditores, atq; in id genus homines recte dici poterit. Natum ab Hermodoro quodam Platonis auditore, qui commentarios ab illo conſcriptos in Siciliam deportare conſueverit, atq; inibi venditare. Unde Siculi, ut ſunt dicaces, rem in proverbium verterunt, dicentes, Hermodorum pro mercibus importare verba. Cæterum ſophiſtæ & philoſophi lucubrationes ſuas, λόγους appellant. Alluſit haud dubie huc M. Tullius lib. epiſt. ad Atticum 13. Dic mihi, placetne tibi primum edere injuſſu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros ſolitus eſt divulgare, ex quo λόγοισιν Ἑρμόδωρος. Porro licet Cicero mutilum adduxerit proverbium, tamen ſi addas ἐμπορεύεται, conſtabit Græcus ſenarius. Hinc & λογέμπορος dictus, qui præter verba nihil adfert.

Heſperidum mala.

Μῆλα Ἑσπερίδων δωρεῖσθαι, id eſt, Mala Heſperidum largiri dicuntur qui magna ſplendidaq; largirentur. Nota eſt fabula de malis aureis. Huc alluſiſſe videtur Maro noſter in Bucolico carmine:

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Alybantis hoſpitis munera.

Τὰ δῶρα τοῦ Ἀλύβαντος ξένου, ἢ τὰ τοῦ Ἀλυβαντίου ξένια, id eſt, Munera Alybantis hoſpitis, aut Alybantii amici xenia. Euſtathius interpres Homeri, putat recte proverbio dici poſſe, quoties fit ut aliquis falſo jactet ſe magna largitum eſſe, ſeu verbis duntaxat, non re præſtet beneficium. Nam apud Homerum ultim. Odyſſeæ lib. Ulyſſes ignoto habitu cum Laerte patre colloquens adſimulat ſe Alybantium eſſe Aphidantis opulentiſſimi viri filium, & quondam Ulyſſem exceptum hoſpitio, muneribus ampliſſimis donatum à ſe dimiſiſſe:

Εἰμὶ μὲν, inquit, ἐξ Ἀλύβαντος, ὅθι κλυτὰ δώματα ναίω,
υἱὸς Ἀφείδαντος Πολυπημονίδαο ἄνακτος.
Αὐτὰρ ἐμοί γ' ὄνομ' ἐστὶν Ἐπήριτος.
Id eſt:
Sum ex Alybante oriundus, ubi mihi ſplendida tecta,
Regis Aphidantis proles Polypemonidæ.
Eſt mihi nomen Eperitus.——
Ac paulo ſuperius:
Τὸν μὲν ἐγὼ πρὸς δώματ' ἄγων ἐὺ ἐξείνισσα,
Ἐνδυκέως φιλέων πολλῶν κατὰ οἶκον ἐόντων,
Καί οἱ δῶρα πόρον ξεινήια οἷα ἐῴκει.
Χρυσοῦ μέν οἱ δῶκ' εὐεργέος ἑπτὰ τάλαντα,
Δῶκα δέ οἱ κρητῆρα πανάργυρον ἀνθεμόεντα,
Δώδεκα δ' ἁπλοΐδας χλαίνας, τόσσους δ' ἐπὶ τοῖσι χιτῶνας
Χωρὶς δ' αὖτε γυναῖκας ἀμύμονα ἔργ' εἰδυίας
Τέσσαρας, εἰδαλίμας, ἃς ἤθελεν αὐτὸς ἑλέσθαι.
Id eſt:
Hunc equidem tecto induxi, accepiq; benigne,
Sollicitéq; fovens ex his quæ plurima noſtris
Ædibus exuperant, atq; hoſpita munera deinde
Adjeci, tali dare quæ decuiſſet amico.
Auri cælati tribui ſeptena talenta,
Donavi pateram ex ſolido depictam argento.
Bis ſenas textu donavi ſimplice lænas:
Pallia ad hæc totidem adjeci, totidemq; ſubuclas;
Inſuper ancillas nitidas atq; arte manuq;
Quatuor egregias: ſibi quas delegerat ipſe.

Ad pileum vocare.

Ad pileum vocare, pro eo quod eſt, ad libertatem invitare, aut promiſſis ingentibus ſeditionem commovere, proverbialē figurā dixit Macrobius lib. Saturnalium 1. Dicet aliquis, nunc me dominos de faſtigio ſuo dejicere, & quodammodo ad pileum ſervos vocare. Atq; hæc quoq; verba ſublegit à Seneca, qui epiſt. 47. ſcribit in hunc modum: Dicat nunc me vocare ad pileum ſervos, & dominos de faſtigio ſuo dejicere. Livius lib. 24. Poſtero die ſervi ad pileum vocari, & carcere vincti emiſſi confuſaq; omnis multitudo Hippocratem atq; Epicidem creant prætores. Metaphora ducta à veterum conſuetudine, qua ſervi cum ſtatum mutarent, ac manumitterentur, capite raſo pileum accipiebant. Unde eſt in Amphytrione Plautina, ſub perſona Soſiæ ſervi libertatem optātis: Quod ille faciat Jupiter, ut ego hodie raſo capite calvus capiam pileum. Huc pertinet quod Plutarch[*] refert in Apophthegmatis Scipionis, qui non prius ſuſtinuit agere cum Carthaginenſibus de pace, quam L. Terentium, quem captivum habebant, ad

ſeſe reducerent. Terentius autem Scipionem triumphantem ſubſequutus eſt pileatus, veluti libertus. Idem quod ibidem refertur de T. Quintio, quem in triumpho ſubſequuti ſunt pileati omnes Romani, quos in bello captos, & apud Græcos ſervientes, drachmis quingentis redemptos ipſi dono dederant. Cujus meminit T. Livius lib. 4. de bello Macedonico. Martialis Epigrammatum ſecundo ad Olum:

> Totis pilea ſarcinis redemi.

hoc eſt, rebus omnibus relictis contemptiſq; peperi mihi libertatem. Etenim qui poteſt nihil habere, is nulli ſervire cogitur, cuique liberum eſt ſuo more vivere. Atq; ideo ſubjicit:

> Servum ſi potes Ole non habere,
> Et regem potes Ole non habere.

Perſius:

> —Hæc nobis pilea donant.

Suetonius in Tiberio: Servíſq; ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit. Idem in Nerone: Obiit trigeſimoſecundo ætatis anno, die quo quondam Octaviam interemerat: tantumq; gaudium publice præbuit, ut plebs pileata tota urbe diſcurreret, omnium hoc indicio additam ſibi libertatem ſignificãs. Servius in Æneidos 8. refert Feroniam ſervorum deam haberi, in cujus templo capite raſo ſoliti ſint pileum accipere. Videtur autem pileum priſcis inſigne fuiſſe virtutis ſpectatæ, ut hinc fluxerit mos, ut qui magiſtri doctoriſq; titulo decorantur, pileum accipiant. A. Gellius Noctium Atticarum 7. cap. 4. ſcribit ſervos eos venire ſolitos pileatos, quorum nomine venditor nihil præſtaret. Ejus rei Cælius Sabinus Juriſconſultus hanc fuiſſe cauſam ſcribit, quod ejuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendendo deberent, ut emptores errare & capi non poſſent, neq; lex vendundi opperienda eſſet, ſed oculis jam perciperent, quid nam eſſet mancipiorum genus.

Bona Cillicon.

Ἀγαθὰ Κιλλικῶν, id eſt, Bona Cillicon, ſubaudiendum, facit, aut habet. Convenit, ubi quis mali factis ac fœdis artibus ſibi paravit opes. Huic adagio locum fecit Cillicon quidam natione Mileſius: qui prodita Prienenſibus Mileto patria, ampliter quidem, ſed fœde ditatus eſt. Is cum proditionem moliens rogaretur quid nam eſſet facturus: reſpondet, πάντ' ἀγαθά, id eſt, Omnia bona. Unde proverbium effertur etiam ad hunc modum: πάντ' ἀγαθά, ὥσπερ Κιλλικῶν, id eſt, Omnia bona, velut inquit Cillicon. Autores Suidas & Zenodotus. Alludit huc & Ariſtophanes in [illegible]:

> [illegible]

Id eſt:

> Mali nihil, verum quod inquit Cillicon.

Interpres adjicit Cilliconis exitium. Prodita à Cillicone inſula Theagenes quidam Syrius commigrarat Samum, atq; illic vendebat carnes. Ab hoc cum Cillicon carnes emere vellet, tradidit illi, ut quod ſupereſſet, amputaret. At ille porrecta machæra manum hominis abſcidit: Iſta, inquiens, manu non prodes alteram civitatem.

Ego faciam omnia more Nicoſtrati.

> [illegible]

Id eſt

> Ego cuncta more fecero Nicoſtrati.

Pro eo quod eſt egregie. Nam hunc Nicoſtratum ajunt comœdiarum actorem fuiſſe talem, qualis apud Romanos prædicatur fuiſſe Roſcius. Itaq; propter artis famam in vulgi ſermonem abiit Suidas proverbii titulo recenſet.

Sponde noxa præſto eſt.

Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα, id eſt, Sponde, ſed noxa præſto eſt. Quæ quidem omnia Socrates apud Platonem putat ad eandem ſententiam pertinere. Namqui pro altero fide jubet, id pollicetur, quod non ſitum in ipſo ſitum præſtare, nempe fidem alienam. Sed primum Plinius lib. 7. cap. 32. cuncta pariter adſcribit Chiloni, ſed ita ut oraculorum vice fuerint habita: Rurſus, inquiens, mortales oraculorum ſocietatem dedere Chiloni Lacedæmonio, tria præcepta ejus Delphis conſecrando aureis literis, quæ ſunt hæc: Noſſe ſe quenque: & Nihil nimium cupere: Comitemque æris alieni, atq; litis eſſe miſeriam. Explicuit Plinius, quid ſit ſpondere. Fidejubemus enim pro eo cui creditur pecunia: & ſæpe fit, ut fidejuſſor cogatur creditori numerare pecuniam. Fide jubemus & apud judices, de ſiſtendo reo, atq; illo fallente plectuntur vades. Et hoc dictum ad Homerum autorem referunt: cujus hoc eſt carmen [illegible].

> [illegible]

Cherſias apud Plutarchum in convivio Platonis refert ad fabulam Homericam de Ate: quæ quod adfuerit Jovis ſponſioni de nativitate Herculis, ab eo præcipitata eſt in terram. Citantur ac laudantur hæc tria apophthegmata à Plutarcho, in libello de futili loquacitate.

BRASSIC. *Pygmæum imponere Coloſſo.*

Philoſtratus in Sophiſta Nicete, proverbio dixit, Pygmæum imponere Coloſſo: hoc eſt, rem minutam & abjectam ampliſſimam efficere. Cicero dixit, arcem facere ex cloaca.

COGNATI. *Maria & montes polliceri.*

Hyperbole proverbialis eſt, qua Saluſtius in Catilinario ſuo utitur. Maria monteſq; polliceri cœpit Catilina: qui ſignificare voluit, Cito maximæ mihi erunt facultates, quarum tu quoque Fulvia eris particeps. Ad eundem modum Perſius.

> —Magnos promittere montes.

Paulo diverſius à Græcis uſurpata eſt [illegible]. De quo vide Eraſmum noſtrum. Utrumq; uſurpare ſolemus, cum de ingenti alicujus pollicitatione dicere volumus, idque cum quadam irriſione dicimus. Mons enim pro re magna, ut eſt mons) Sic Virg. 2. Æneid. equum Trojanum, quem maximum eſſe voluit, inſtar montis eſſe dixit (Alibi Aureos montes polliceri & Chartcus pollicitationes.)

Verba cupreſſis ſimilia.

Quum Leoſthenes ad bellum Athenienſes perpuliſſet, magnificis ſpebus ad nomen libertatis ac principatus erectos, Phocion illius verba dicebat cupreſſis ſimilia, quæ ſublimes cum ſint ac pulchræ, fructum non habent. Nihil potuit dici accommodatius in ſermonem ſplendide magnificeq; pollicentem, ſed infrugiferum, quemadmodum cupreſſus arbor ſublimi compoſitoque in conum vertice procul egregium quiddam polliceri videtur, at vix ulla ſterilior, de qua Plinius: Natu moroſa, fructu etiam ſuperveua eſt, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratioſa. Eſt & ab hac arbore proverbium alterum: Simulare cupreſſum. Quod expoſuit Eraſmus noſter, & idem Cælius lib. 25. cap. 2.

MAGNI MOMENTI.

ERASMI. *Vel Megaram uſque.*

Manet is ſermonis color & hodie, ubi quid ſignificamus magni precii, nobiſq; vehementer expetitum, dicimus. Hujus rei gratia vel in Indiam uſq; proficiſcerer. aut: Digna res eſt cujus gratia vel in Hyberniam uſq; navigetur. Socrates apud Platonem in Phædro: [illegible] id eſt, Nam profecto feſtivi & in publicum utiles fuerint ſermones. Mihi ſane tanta cupiditas eſt audiendi, ut ſi pedibus vel Megaram uſque ambules, ac mox juxta morem Herodici, ubi ad mœnia acceſſeris, denuo abſcedas, non te ſim relicturus. Ambigue dictum eſt [illegible]. Incertum enim utrum Herodicus quiſpiam hoc dixerit, an Herodicus aliquis in populi riſum abierit: qui cum tantum itineris confeciſſet, vel oblitus aliquid, vel mutata ſententia, à mœnib. redierit Athenas: quomodo Phædria Terentianus à diverticulo redit in urbem. Unde hoc ipſum juxta Herodicum, proverbii ſpeciem habet, in hominem incerti conſilii, aut qui ſero mutat ſententiam: quum deliberandum ſit, antequam incipias. Simile illi, Dignum propter quod vadimonium deſeratur.

Dignum propter quod vadimonium deſeratur.

Ubi rem maximi momenti volemus ſignificare, quæque vel quantovis diſpendio debeat expeti, dignam eſſe dicemus, cujus gratia vadimonium deſeratur. Nam qui vadati ſunt, non niſi ſummo ſuo periculo abeſſe poſſunt. Plinius ſecundus præfatione Naturalis hiſtoriæ: inſcriptiones, inquit, propter quas vadimonium deſeri poſſit: Hoc eſt, quarum gratia omnia ſint poſthabenda. vel maxime ſeria. Seneca de beneficiis libr. 4. Vadimonium promittimus, tamen deſeritur. Non in omnes datur actio. Deſerentem vis major excuſat. Hæc Senecæ verba declarant, vehementer urgens eſſe oportere, quod excuſat vadimonii promiſſi deſertorem. Horatius.

> Et caſu jam reſpondere vadato
> Debebat.—

Ridet improbum garrulum, qui maluerit periclitari de cauſa, quã à nugis diſcedere. Conſimilis eſt forma, Quaſi pro aris fociſq; dimicare, quum de re chara ſeriaq; certamen eſt. Nec diſſimili ſchemate dixit Celſus, lib. Pandect. 6 titul. de rei vindicatione: Laribus ſepulchriſq; avitis carere. Finge, inquit, pauperem qui ſi reddere id cogatur, laribus ſepulchriſque avitis carendum habeat: ſufficit tibi permitti tollere ex his rebus quæ poſſis, dum ita ne deterior ſit fundus, quam ſi initio non foret ædificatum.

EX APPENDICE ERASMI.

Incantatione quavis efficacius.

Πάσης ἐπῳδῆς ἐνεργέστερον. De re admirandæ & pene prodigioſæ efficaciæ, ut eloquentia hominis docti, pudore, veritate, Plat.

Priſcos tribuiſſe vires inexplicabiles & naturæ curſum excedentes, vocibus incantatorum, notum eſt.

COGNA-

COGNATI. *Quæſtio non eſt triobolaris.*

Vulgus Gallorum dicere ſolet, quæſtionem nõ eſſe trium obolorum: cum ſeriam rem & animadvertendam agi, ſignificare volunt. Hinc Budæus Ludovico Ruzæo: Neq; enim ludicra aut triobolaris eſt ſponſio, ut noſtrates loqui ſolent. Poſcit enim ut prædibus prædiiſq; (quod dicitur) ſtipulanti caveatur. Sponſio hic nõ eſt nomen actionis, ſed pactum ſignificat, quo promittens ſe obſtringit. Verba enim ſtipulationum ſunt: Spondes, ſpondeo ut, verbi gratia: Si in urbem ego rediero, illicq; domicilium retulero, ſpondes te curaturum bonam partem accepturum, quæ me invaſuræ ſunt ſimul ac rediero, ſi apud te deponere paratus ſim? Tuo enim periculo res agetur. Hęc ſunt verba ſtipulantis, id eſt, percunctantis. Quibus ſi ille reſpondeat, Spondeo: contracta eſt obligatio. Sed hæc ſponſio, inquit repromiſſorem idoneum & locupletem poſcit, a quo ſtipulator ego idonee mihi caveam. Res enim non triob oli, ſed in ea rationum mearum ſumma agitur.

Auro carius.

Catullus ad Lesbiam:

Nobiſq; hoc carius auro.

Auro carius, quaſi proverbio dicebant, quod ſibi gratiſſimum, cariſſimumq; eſſe ſignificabant. Tibullus in primo:

Carior eſt auro juvenis, cui levia fulgent
Ora, nec amplexus aſpera barba terit.

Ibidem:

O mihi cara magis candidiore nota.

MALEDICENTIA ET OBTRECTATIO.

ERASMI. Ἰαμβίζειν.

Ἰαμβίζειν priſci dixerunt, pro conviciari ac maledicere: voce ducta ab Jambe, fœmina inſigniter maledica. Probabilius eſt ab jambo pede ductum, qui conviciis repertus eſt, impetum ferientis atque impetentis exprimens. In quo congruit & illud, quod à brevi orſus deſinit in longam: quemadmodum injuria ex levioribus initiis crit in gravem tragœdiam, quod indicavit & Homerus, ἥτ' ὀλίγη μὲν πρῶτα, id eſt, Quæ primum exigua eſt. Unde & hominem ad conviciandum propenſum ἰαμβίλον appellant. Hujuſmodi ferme Suidas & Heſychius.

Στηνιῶσαι.

Στηνιῶσαι, eſt alterum aſperis conviciis inceſſere. Athenis erat feſtum quoddam in quo jus erat dicteriis & conviciis in alios ludere. Unde στηνιῶσαι dici cœperunt, qui liberius in quempiam debacchabantur. Feſto nomen erat στήνια. στηνὸς enim proprie dicitur, quod aſperum, auribuſq; moleſtum eſt. Ita Heſychius & Etymologus. Simile illi, De plauſtro loqui.

Execrationes ſerere.

Ἀρὰς ἐπισπείρειν, id eſt, Execrationes ſerere, dicebantur, qui dictis devoverent aliquem: inde natum, quod apud Cyprios eſſet ſolemne vellent. Tantum Heſychius. Docet Plinius, quædam non feliciter ſeri, niſi cum conviciis. Eſſe etiam genus, quod terræ infoditur ac pede compreſſa additur execratio: Ne unquam exeas. De Lindiorum ſacro diximus alias.

Mæſonica dicteria.

Dicteria petulantius jacta, priſci Mæſonica vocabant, σκώμματα μαισώνεια: a Mæſone quodam hiſtrione comœdiarum Megarenſi, cujus inventum eſt perſona, quam a repertore Græci μαίσωνα vocabant: repertit enim perſonam famuli & coqui: Quin & veteres Græci coquum urbanum μαίσωνα vocabant, externum τέττιγα. In comœdiis autem ſemper inducuntur coqui dicaces, præſertim apud Plautum. Idteſtatur Philemon alicubi:

Σφίγγ' ἄρρεν', οὐ μάγειρον εἰς τὴν οἰκίαν,
Εἴληφ'. ἁπλῶς γὰρ οὐδὲ ἓν μὰ τοὺς θεοὺς
Ὧν ἂν λέγῃ συνίημι.——

Id eſt:

Recepi in ædes non coquum, ſed maſculum
Sphingem, nihil enim per deos intelligo
Simpliciter, ex his quæ loquitur ——

Convenit cum Hipponactęo præconio.

Ultra Hyperbolum.

Ὑπὲρ τὸν Ὑπέρβολον, id eſt, Vincit Hyperbolum. Hyperbolus quiſpiam erat, mirum in modum appetens litium. Unde convenit in eos, qui ſimili laborant morbo. Plutarchus in vita Alcibiadis, Thucydides Peloponneſiaci belli lib. viij, & Ariſtophanes in Equitibus oſtendit, Hyperbolum fuiſſe hominem modis omnibus improbiſſimum, nec ulla re clarum aut potentem, niſi vitio linguæ. Præterea M. Tullius lib. de claris oratoribus ita ſcribit de Saturnino: Homo ſimillimus Athenienſis Hyperboli, cujus improbitatem veteres Atticorum comœdiæ notaverunt. Ariſtophanes præter alia ſcribit & hoc de Hyperbolo:

Ἄνδρα μοχθηρὸν, πολίτην ὀξύβαφον ὑπέρβολον.

Id eſt:

Improbum virum, atque civem vappam accidamque Hyperbolum.

Mortui non mordent.

Οἱ τεθνηκότες οὐ δάκνουσι, id eſt, Mortui non mordent. Id etiam hac tempeſtate vulgo dictitãt. Natum arbitror ex apophthegmate Theodori Chii, qui fuit Ptolemæi regis in arte Rhetorica præceptor. Hic enim in conſilium aſcitus cum deliberaretur, utrum Pompejus ab Ægypto repellendus eſſet, an admittendus: cenſuit receptum occidendum, addens hoc dictum, νεκρὸς οὐ δάκνει, id eſt, mortuos non mordere. Refert Plutarchus in vita Pompeii.

Mortuis non conviciandum.

Victo non inſultandum, nec in mortuum ultra congerenda convicia, quanquam jure ſit occiſus, huic ſuffragatur Homerus in eodem libro:

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Id eſt:

Haud fas eſt ſuper occiſis jactare teipſum.

Ulyſſes ita, de procis extinctis.

Non impetam lingua.

Οὐκ ἐπιγλωττήσομαι, id eſt, Non inceſſam lingua. Figuræ novitas in proverbium abiiſſe videtur, autore Diogeniano Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

Περὶ τῶν Ἀθηνῶν δ' οὐκ ἐπιγλωττήσομαι.

Id eſt:

At lingua Athenas neutiquam inceſſam mea.

Heſychius citat Æſchylum in Heraclidis Græcis ἐπιγλωττᾶσθαι, eſt linguæ conviciis inceſſere: quaſi dicas, inlinguare: quemadmodum à vola dicimus involare. Proprie vero pertinet ad male ominantes Rapiuntur enim dicta in omen, velut in augurium venturi mali bonive. Unde ſemper à maledictis temperandum. Pindarus in Pythiis hymno quarto, inter cæteras virtutes laudat & linguam à maledictis temperantem, ἀφανίζειν μὲν κακᾶς γλώσσας φαεννᾶς ὀπός, i. e. Privans malam linguam voce dilucida. Interpres citat in hanc ſententiam carmen Heſiodi:

Μηδὲ κακῶν ἐρίζειν μηδ' ἐσθλῶν νεικεῖν.

Id eſt:

Haud ſolitum ſociis certare boniſve maliſve.

Uti licebit, cum ſignificabimus nos de re quapiam periculoſa nolle verba facere: veluti, De rebus principum aut potentiũ οὐκ ἐπιγλωττήσομαι. Verbum inde ductum, quod qui temere loquuntur, ἐπὶ ἄκρας γλώττης λαλεῖν loqui dicuntur: ſicut alibi monſtravimus.

Cum larvis luctari.

Vide in loco, Inanis opera.

Jugulare mortuos.

Vide in loco, Abſurda.

Tuis te pingam coloribus.

Tuis te pingam coloribus: id eſt, Talem te deſcribam, qualis es. Translatum à pictoribus, qui nonnunquam faciem hominis ita ut eſt exprimunt, ac repræſentant nonnunquam alienis fucãt coloribus. Aut etiam alluſum eſt ad Æſopicam corniculam, quæ ſe coloribus alienis venditavit. D. Hieronymus in Rufinum: Poſſem & ego tetuis coloribus pingere, & inſanire contra inſanientem. Ibidem rurſum: Scire enim te jactas crimina, quæ tibi ſoli amiciſſimo ſim confeſſus & hæc in medium prolaturum, meiſq; me coloribus eſſe pingendum. Plinius in pręfatione hiſtoriæ mundi. Ec ne in totum videar Græcos inſectari, ex illis non velim intelligi, pingiq; coloribus, quos in libellis his invenies. Et Cic. lib. Epiſtol. ad Qu. fratrem ſecundo, epiſt. ult. Tuis coloribus, meo penicillo. Quanquam hoc paulo diverſius.

Sphæram inter ſeſe reddere.

Plutarchus in libello de cognoſcendo profectu: μάλιστα δ' ἂν τὸ φιλόνεικον καὶ δύσεριν ἐν ταῖς ζητήσεσιν ὑφιῶμεν, καὶ παυσώμεθα τοὺς λόγους ὥσπερ ἱμάντας ἢ σφαίρας ἐπιδιδόντες ἀλλήλοις, τοῦ πατάξαι καὶ καταβαλεῖν μᾶλλον ἢ τοῦ μαθεῖν καὶ διδάξαι χαίροντες, id eſt, Maxime ſi quæſtionum ambitio contentioq; remittitur, ſiq; deſinimus argumẽta, ceu lora ſphæraſq; ſic viciſſim inter nos reddere. ut magis gaudeamus ferire aut dejicere, quam diſcere aut docere. Eſt apud Platonem in Euthydemo: ὁ δὲ Διονυσόδωρος ὥσπερ σφαῖραν ἐκδεξάμενος τὸν λόγον, πάλιν ἐστόχαζε τοῦ μειρακίου. i. Dionyſodorus tanquam ſphæram exceptum ſermonem rurſus jaculabatur in adoleſcentem. Meminit de luſus genere Julius Pollux, libro De rerum vocabulis nono. Seneca quod Græci de ſphæra tradunt ad pilæ luſum refert, oſtendens eam commoditatem requiri inter dantem beneficium & accipientem, quæ eſt inter mittentem pilam & excipientem: Volo, inquit, Chryſippi noſtri uti ſimilitudine de pilæ luſu; quam cadere non eſt dubium, aut mittentis ſtudio, aut accipientis. Tunc curſum ſuum ſervat, ubi inter manus utriuſq; apte ab utroq; & jactata & excepta verſatur. Neceſſe eſt autem luſor bonus aliter illam colluſori longo, aliter brevi mittat. Eadem beneficii ratio eſt niſi utriq; perſonæ dantis & accipientis aptatur, nec ab hoc exibit nec ad illum perveniet ut debet. Si cum exercitato & docto nego-

cium eſt, audacius pilam mittemus: utcunq; enim venit manus illam expedita & agilis repercutiet. Si cum tyrone & indocto, non tam rigide, nec tam excuſſe, ſed languidius, & in ipſam dirigentis manum remiſſe occurremus. Idem faciendum eſt in beneficiis, &c. In eodem libro aliquanto poſt: Sicut in luſu eſt aliquid, pilam ſcite ac diligenter excipere, ſed non dicitur bonus luſor, niſi qui apte & expedite remiſit quam acceperat. Non diſſimilis eſt, quem hodie pilæ vocant apud Italos, cujus meminit Horatius:

Namq; pila lippis inimicum & ludere crudis.

Athenæus lib. 1. docet, ſphæræ luſum olim dictum φαινίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων, quæ verba quid ſibi velint, non ſatis intelligo: magis arbitror dictum ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι, quod ſphæra miſſa emicet. Ibidem citatur carmen Antiphanis:

—Σφαῖραν λαβὼν
Τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε, τὸν δ' ἔφευγ' ἅμα·
Τὸν δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησεν πάλιν
Κλαγκτηραῖσι φωναῖς.

Id eſt:

—Sumpta pila
Gaudebat huic dediſſe, at hunc fugit ſimul:
Excuſſit hunc, at erigebat alterum,
Tubæ in modum ſonante voce.—

Quadrabit adagium in eos, qui ſe viciſſim dicteriis inceſſunt. Cōſine, ſicut opinor, illi Perſiano:

Cædimus, inq; vicem præbemus crura ſagittis.

Juxta Senecæ ſententiam, quadrabit etiam in eos, qui ſibi mutuo aſſentantur, & colludunt in diſputationes: velut quum Scotiſta reſpondet ſcotiſtice, Nominalis juxta decreta nominalium: ut non quæratur veritas, ſed theatrica quædam fabula peragi videatur.

Infixo aculeo fugere.

Βαλὼν φεύξεσθαι οἴει, id eſt, Jaculo immiſſo fugiturum te putas? Metaphora proverbialis, ubi quis dicto convicio, ſeu maleficio quopiam peracto, ſtatim ſubducit ſeſe, ne vel tueri cogatur quod dixerit, aut ne mutuum recipiat. Eryximachus medicus in convivio Platonis, Ariſtophani diſcedere paranti, ne cogeretur & ipſe laudare Cupidinem, ac jocis quibuſdam poëticis eludenti, Βαλών γε, φάναι, ὦ Ἀριστόφανες, οἴει ἐκφεύξεσθαι· ἀλλὰ πρόσεχε τὸν νοῦν, καὶ οὕτω λέγε, ὡς δώσων λόγον· ἴσως μέντοι ἂν δόξῃ μοι ἀφήσω σε, id eſt, Ut videtur, inquit, Ariſtophanes immiſſo in nos jaculo fugiturū te credis? Quin tu animum adverte, atq; ita loquere, tanquam rationem redditurus. Sane ſi mihi videbitur, fortaſſis te dimittam. Utitur item in Phædone, & in primo de rep. libr. quanquam hoc loco mutet metaphoram, & ad balneatorem injecta aqua diſcedentem referat: ταῦτα εἰπὼν ὁ Θρασύμαχος ἐν νῷ εἶχεν ἀπιέναι, ὥσπερ βαλανεὺς ἡμῶν καταντλήσας κατὰ τῶν ὤτων ἀθρόον καὶ πολὺν τὸν λόγον, id eſt, Hæc locutus Thraſymachus, in animo habebat diſcedere, ceu balneator quiſpiam, offuſis in aures copioſis ac multis verbis. Ac mox eodem in loco, οἷον ἐμβαλὼν λόγον ἐν νῷ ἔχεις ἀπιέναι, id eſt, Velut injecto dicto paras diſcedere. Reſpexit ad proverbium Plutarchus in commentario De iis qui tarde puniuntur a numine, ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνο, εἶπεν, ἀπάλλαγη, ἀπελθὼν οὐκ ἔχει ὥσπερ τὸ βέλος ἐγκαταλιπών, id eſt, Quin etiam ſi diſceſſit, inquit, immiſſo jaculo, non convenit telum inhærens negligere. Alluſit ad hanc parœmiam Ariſtoteles in tertio Naturalium auditionum lib. Refellens enim Anaxagoræ ſententiam, qui dixiſſet infinitum immotum eſſe, & in ſeipſo conquieſcere, negat ſatis eſſe dixiſſe tantum, & aufugere, quum cauſam etiam reddere debuerit, quamobrem infinitum moveri non poſſet. οὐ γὰρ, inquit, χρὴ, τοῦτον εἰπόντα ἀπηλλάχθαι, ut obiter & orthographiam emendem, non Ariſtotelis, ſed typographi. Quadrabit igitur in eos, qui velut oracula quædam pronunciant, aliis conjectandi materiam miniſtrantes, ut qui non interpretentur quam obrem ita ſenſerint. Tranſlatum videtur ab apibus, aut veſpis, quæ infixo aculeo, ſtatim aufugiunt. Id enim innuit Plato in Phædone. Poteſt & ad Parthos referri, qui jaculo conjecto in hoſtem, mox equis verſis ſe fuga proripiunt, nec audent cominus congredi. Simillimum eſt huic, quod eſt apud Ciceronem libro de finibus bonorum quarto. Scrupulum, inquit, abeuntes: ſed videbimus. Solet enim ſcrupulus eſſe moleſtus ambulantibus. Idem apertius in oratione pro L. Flacco: Flacco vero quid profuit, qui valuit tam diu dum huc prodiret. Mortuus eſt aculeo jam dimiſſo, ac dicto teſtimonio.

Vulgus ſuſpicax.

Suſpicioſum vulgus & pleraq; malam in partem interpretatur. Homerus in eodem libro:

Δύσζηλοι γάρ τ' εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων.

Id eſt:

Quippe homines pleriq; ſumus male ſuſpicioſi.

Pellem caninam rodere.

Pellem caninam rodere, proverbiali metaphora dixiſſe videtur Martialis: pro eo quod eſt, hominem maledicum & improbum conviciis inſectari. Sic enim ſcribit in obtrectatorem quendam & oblatratorem:

Non deerunt tamen hac in urbe forſan,
Unus vel duo, treſve, quatuorve,
Pellem rodere, qui velint caninam.

Zoili.

Vide in loco invidia.

Vitilitigator.

Vitilitigatores M. Cato vocabat, litium avidos, & alienorum operum calumniatores. Eaq; vox ob novitatem doctis in adagionem abiit, quemadmodum & Homeromaſtiges & Vergiliomaſtiges. Plinius in præfatione Hiſtoriæ mundi: Ergo ſecuri, etiam contra vitilitigatores: quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus compoſuit: quid enim illi aliud quam litigant, aut litem quærunt: exequemur reliqua propoſiti.

Archilochum teris.

Ἀρχίλοχον πατεῖς, id eſt, Archilochum teris, ſeu calcas. De maledico dicebatur: πατεῖν autem dictum eſt, vel quod maledicus aſſiduus videatur in evolvendis hujus poëtæ carminibus: vel quod hujus veſtigiis ingreditur. De Archilocho teſtatur & Horatium

Archilochum proprio rabies armavit jambo.

Equidem ſuſpicor hoc idem eſſe cum illo, quod alibi poſuimus, Ἀρχιλόχου πατρίς, id eſt, Archilochi patria: depravata voce πατεῖς, in πατρίς.

Archilochi patria.

Ἀρχιλόχου πατρίς, id eſt, Archilochi patria. Diogenianus teſtatur hoc dici ſolere de mordacibus ac maledicis. Videas enim populos nonnullos natura dicaces: cujuſmodi fuiſſe feruntur Siculi.

Genuino mordere.

Qui clanculum obtrectant, lacerantq; quempiam, cum genuino mordere dicuntur. Perſius:

—Et genuinum fregit in illis.

Lucilium ſentiens poëtam Satyricum. Item D. Hieronymus: Poſſim reſpondere, ſi velim: poſſim genuinum læſus infigere. Dentes autem genuini ſunt omnium reconditiſſimi, ac propemodum operti gingiva. Sero emergunt homini: nempe circiter annum vigeſimum: multis & octogeſimo, ut autor eſt Plin. lib. 11. cap. 37. Et ob id haud abre, livoris atq; obtrectationis morbo dicati. Poteſt non abſurde referri & ad viperæ denticulos illos, quibus eam venenum infundere putant. Plinius eodem, quo d modo citavimus capite: Nam hi quoq; ſunt viperæ ſub gena fiſtuloſi. Poteſt & ad canes referri, qui poſtremis dentibus oſſa duriora circumrodunt. Omnis autem obtrectatio morſus dicitur. Unde Ariſtophanes jocatur, in anulo non ineſſe remedium adverſus ſycophantiæ morſum. Diogenes apud Laertium rogatus, cujuſnam animantis morſus eſſet pernicioſiſſimus: Ex feris, inquit, obtrectatoris: ex cicuribus adulatoris. Hoc venenum Horatius loliginis ſuccum appellat.

Dente Theonino rodi.

Theonino dente rodi dicuntur, qui conviciis lacerantur: Sumptum a Theone poëta quodam rabioſæ loquacitatis, petulantiſſimæq; maledicentiæ. unde & Auſonius in carmine hendecaſyllabo, poëtam quempiam indoctum & mordacem Theonem appellat:

Nec poſthac metues, ubiq; dictum:
Hic eſt ille Theon poëta falſus.
Bonorum mala carminum Laverna.

Horatius in epiſtolis:

Dente Theonino qui circumroditur.—

Neq; diſſimili figura eſt uſus in epiſtola ad Julium Florum:

—Hic delectatur jambis,
Ille Bioneis ſermonibus.—

Acron admonet, Bionem philoſophum fuiſſe, qui mordaciſſimis dialogis laceravit poëtas, ſic ut nec Homero parceret. Porphyrion autumat, Ariſtophanis comici patrem fuiſſe. Zoili quoq; mordacitas propemodum in proverbio eſt: ſed ut invidum intelligas magis quam oblatratorem. Horatius hoc vitium, alicubi ſuccum loliginis vocat, & ſalem nigrum: quod cum morſu addat & famæ maculam.

Carpet citius aliquis, quam imitabitur.

Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.

Id eſt:

Reprehendet aliquis citius, atq; imitabitur.

Senarius hic Apollodori pictoris operibus inſcribi conſuevit, qui primus umbrarum imitationem invenit. Refertur ad hunc modum.

Μωμήσεταί τις θᾶσσον ἢ μιμήσεται.

Apte dicetur de re quapiam artis abſolutæ, atq; inimitabili. Porro res egregias multo proclivius eſt carpere quam æmulari. Cæterum eſt elegans παρονομασία in duobus vocib' Græcanicis, μωμεῖσθαι & μιμεῖσθαι, quæ cum ſono minime diſtent, tamen res declarant longe diverſiſſimas. Huc alluſit Plinius libr. 35. c. 11. Imitati multi, æquavit nemo. Theognis in eandem ſententiam:

Μωμεῦνταί δέ με πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
Μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Id eſt:

Carpunt me plures docti indoctique: imitari
Nos indoctorum de grege nemo valet.

Etiam

Etiam in deorum cœtu.

Καὶ θεῶν ἀγορᾷ, id eſt, Etiam in deorum cœtu, ſeu concione. Quidam interpretantur de majorem in modum probis & æquis, quidam de vehementer maledicis. Addunt, locum quempiam eſſe in Eleuſine, vicinum Anactoro, vocatū θεῶν ἀγορὰν, in quem non ingrediebantur, niſi bene ominantes: unde de quopiam præter modum maledico dicebant: οὗτος καὶ θεῶν ἀγορᾷ δυσφημεῖ, id eſt, Hic vel in deorum concione male ominata loquetur.

Dentata charta.

Dentata dicuntur mordacia. M. Tull. ad fratrem lib. Calamo & atramento temperato Dentata etiam charta res agetur. Et Seneca dentatos ſales eſſe non vult. Rurſus Edentula, quæ morſu careant.

Hipponacteum præconium.

Hipponacteum præconium, pro infami nota dixit M. Tullius, aliquo proverbiali ſchemate in epiſtolis familiaribus de Tigellio quodam ita ſcribens: Eumque addictum jam tum puto eſſe, Calvi Licinii Hipponacteo præconio. Nam Hipponax poeta fuit jambographus, amarulentus, ac notæ mordacitatis, qui (autore Dionyſio Halicarnaſſeo) trimetrum Archilochium de induſtria in Scazontem infregit, cum inimicos laceſſere vellet, quo videlicet feriret fortius. Hic Bupalum & Anthermon, quod ab his deformi ſpecie pictus eſſet, verſib. jambicis inſectatus legitur. Erat autem Hipponacti notabilis in vultu fœditas, quamobrem quidam imaginem ejus propoſuere in ridentium circulis: quorum aliquot ſuis carminib. creditur ad laqueum compuliſſe. Negat id eſſe verum Plin. lib. 36 cap [illegible]

Archilochia edicta.

Adagionis faciem habet & illud, quod Cicero ſcribit ad Atticum, lib. 2. Itaque Archilochia in illum edicta Bibuli, populo ita ſunt jucunda, ut eum locum in quo proponuntur, præ multitudine eorum qui legunt, tranſire nequeamus. Archilochia edicta contumelioſa vocat ac virulenta. Archilochi poetæ mordacitas vulgo celebratiſſima fuit. Is Lycamben ſocerum, à quo fuerat repudiatus, hujuſq; filiam adeo virulentis verſib. inſectatus eſt, ut uterq; ſe laqueo præfocaverit.

Plauſtra conviciis onuſta.

Eodem alluſit Lucianus, cum ait in Eunucho, καὶ ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν κατεσκέδαζον ἀλλήλων, id eſt, Et ſolida plauſtra conviciis onuſta inter ſe effundebant. Loquitur de duobus philoſophis inter ſeſe contumelioſe altercantibus. Significat autem ὑπερβολικῶς tantum cōviciorum, quantum plauſtro poſſit vehi. Quæ quidem ipſa figura ad proverbii naturam pertinet, cum dicimus: Plauſtra promiſſis onuſta, & naves pollicitis onuſtas pro maximis ampliſſimiſq; promiſſis. Nam & ἁμαξιαῖα, i. e. Plauſtralia, Græci vocant magnifica, faſtuoſaque: à plauſtris ducto nomine. Alexis apud Athenæum lib. 9. detorſit in bonam partem: παρέθηκε τὴν τράπεζαν, εἶτ' ἐπεισφέρει ἀγαθῶν ἁμάξας, id eſt, Appoſita menſa eſt, ac deinde circumtulit rerum bonarum plauſtra.

Naves onuſta conviciis.

Adſimili figura dixit Homerus Iliad. υ. convicia, quorum onus, navis centiremis non queat portare: cujuſmodi Lucianus dixerat, ὅλας ἁμάξας βλασφημιῶν, ut ante dictum eſt. Carmen Homeri ſic habet:

Ἔστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι
Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο.

Id eſt:

Probrorum ſuper eſt ambobus copia ſumma,
Quorum onus haud portet centum ratis incita remis.

Affine & illi, quod alio dicetur loco:

Οὐκ ἂν ἀνέλοιντ' οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι.

Id eſt:

Quos tollere nec centum queant Ægyptii.

Hermippus apud Athenæum lib. 1. deſcribens, quid à quaque regione ſoleat importari, verſiculum hunc joco admiſcet:

Καὶ παρὰ Περδίκκου ψεύδη ναυσὶν πάνυ πολλαῖς.

Id eſt:

Atque à Perdica ratibus mendacia multis.

Notans, ni fallor, Lyciorum mores. Nam Perdicia pars eſt ac portus Lyciæ. Lycias ſordes notat & Vergilius Æneid 4. veluti vanas.

Morſus aſpidis.

Ἀσπίδος δῆγμα, i. Morſus aſpidis. De malo immedicabili, aut de lingua vehementer virulenta. Refertur adagium ab Apoſtolio Bizantio, non admodum memorabili autore, niſi nos meliorum inopia compelleret. Quanquam hunc nec Politianus gravatus eſt quodam in loco citare teſtem. Circumfertur Græcus verſiculus, adagio concinens:

Ἰὸς πέφυκεν ἀσπίδος κακὴ γυνή.

Id eſt:

Telum aſpidis profecto mulier improba.

Ælianus primo De naturis animalium libro, tradit adverſus viperarum, omniumq; ſerpentium morſus remedium inventri, aſpide una excepta: præcipue ſi de rana guſtarit, ut ait libro proximo. Solus hujus ictum omni cura potentiorem eſſe, nec ab ullo vinci, præter quam à muliere, quæ vel aſpectu contactuq; ſolo nocet: quorum alterum cum regulo, alterum cum aconito commune. Nicander item in Theriacis:

Ἀσπίδα φοινήεσσαν ἀμυδρότατον δάκος ἄλλων.

Id eſt:

Aſpida crudelem, cujus ſuper omnia morſus
Immedicabilis eſt. ———

Plinius prodidit, aſpidem nunquam vagari ſine compare: quod ſi cōtigerit alteram interimi, protinus altera perſequitur percuſſorem in mediis quoq; foris turbis agnitum. Addunt quidam, ab hoc ictum ſerpente intra quatuor horas emori. Nihil autem vetat, quo minus trahatur adagium ad hoſtem clancularium, & tanto peſtilentiorem, quod clanculum citraque dolorem infundat venenum hæc ſerpens, neq; poſt morſum appareat vulnus in corpore: tantum ſomnⁿ lethalis obrepit, quemadmodum deſcribit Nicander, atque hinc exiſtimant quidam morſum illius ἀναλγέστατον ab eodem poeta vocari.

Hiſtricis ſeta.

Θρὶξ ὑστριχός, id eſt, Pilus hyſtricis, dici poterit dicterium acriter in quempiam tortum. Ab animante ſumptum, cui mos irritato, pinnas aculeatas quibus illi tergum inhorret, teli ritu ejaculari, etiam procul: idq; facit intenta cute. His igitur ora canum urgentium figit. Eſt autem hiſtrix de genere erinaciorum, niſi quod huic longiores aculei. India & Africa potiſſimum hyſtrices generat, ut autor eſt Plin. lib. 8 cap 35.

EX APPEND. ERASMI.

Πομπεύειν

Pro, conviciari, unde πομπεῖαι, convicia, quod in pompis Bacchanalibus quidam è curribus convicia in alios jacerent, & viciſſim ab aliis impeterentur. Menander.

Ὀλόσχοινος.

Mariſcus, eſt junci genus terrium, pinguitudine, magnitudine, & aſperdine, & callofitate cæteris præſtans. Unde dicitur proverbialiter de duro & procaci ſermone, quo velut os alicui perſtringimus. Æl. h.

Quam Clinia ex Demetrio.

Plaut. Plura ex me audies hodie mala quam audivit unquam Clinia ex Demetrio. Videtur ſumptum è comœdia quadam Turpilianæ titulis Demetrius, vel alia, ubi pater prolixe & acerbe objurgat filium. Talis enim inducitur Clinia in Heaut. Terentii, qui ob duritiem patris profugit in militiam. Fortaſſe & Terent. & Plaut. ab eodem Græco auctore ſua ſumpſerunt.

IUNII. *Canina victitans, cynocephalum oppugnas.*

Cleon apud Ariſtophanem in Equitibus, ad fartorem inquit:

Κυνὸς βορὰν σιτούμενος μάχει κυνοκεφάλῳ.

Id eſt:

Eſca canina veſcens, pugna provocas canicipitem.

Proverbiali figura dictū torqueri poteſt in eos, qui gregales ſuos ejuſdem factionis & inſtituti, ſcriptis impetūt: veluti ſi Franciſcanus vitæ profeſſione quiſpiam, calamū diſtringat in ejuſdem inſtituti contubernalem. Contrarium huic eſt vulgare dicterium: Aves concolores plerunque una volitant, quo innuitur conſenſus hominum, idem vitæ genus, eadem ſtudia, eoſdem mores ſequi. Cōcordat cum hoc adagio vetus dictum: Cujus pane veſcor ejus verba molior, æqua namq; ratio eſt nos illi non adverſari amico, qui nos fovet, omniq; ope & opera res noſtras promovet: à qua præclara nos mutuo demerendi ratione qui diſcedunt, næ illi ferinam immanitatem æmulātur. Quiſquis ergo adverſus ſui ordinis hominem verbis aut ſcriptis inſurgit, is canina eſca veſcens, Cynocephalum adoritur. Sunt autem Cynocephali quaſi Canicipites dicas genus hominum, ſi non potius animalium, capitib. caninis, pro voce latratum edentium: ut lib. 7. c. 2. Plin. & ex eo tranſcripſit Auguſtinus De civitate Dei 6.

Cuminum ſerere.

Κύμινον σπείρειν, hoc eſt, Cuminum ſerere dicitur proverbio homo virulentæ linguæ, quiq; effreni oris petulantia maledicus cōvicia dicaſque ſeminat. Demetrius Phalereus ſcribit Sophronem mimographum eo uſum, κύμινον ἔσπειρεν, id eſt, Cuminum ſevit. Natum à natura herbæ: quam ejuſmodi eſſe tradunt naturalium rerum indagatores, ut lætius provenire putetur, ſi maledicta adhibeantur, diræq; imprecationes, dum ſeritur, quod ne quis ceu ridiculum exibilet, apponā Theophraſti, doctiſſimi philoſophi, ex octavo de Plantarum hiſtoria lib. verba: ἴδιον δὲ τὸ λεγόμενον ἐπὶ τοῦ κυμίνου, φασὶ γὰρ δεῖν καταρᾶσθαι καὶ βλασφημεῖν σπείροντας, εἰ μέλλει καλὸν ἔσεσθαι καὶ πολύ. i. e. Peculiare eſt quod de eo memorant, ferunt namq; imprecationibus & maledictis opus eſſe, ſi qui ſerūt, illud copioſum pulchrumque provenire velint. Eadem naturæ lex eſt in ocymo, quod injuriis maledictiſq; terræ mandatum, fœcundius exiſtimavit antiquitas, non abnuente & Plinio.

Lacrymas ſopitas excitas.

In conturbatorem, qui rixas & jurgia ſeminat, qui injuriam obli-

obliteratam renovat, aut dolorem jam à multo tempore ſopitum refricat intempeſtive, competere eleganſ proverbium, è Callimacho, citatum in Sophoclis Suidæq; commentariis:

—Τί δάκρυον ὤδινες ἐγείρεις.

Id eſt:

—Quid lacrymas pergis revocare ſepultas?

Idem eſt cum illo Sophoclis in Oedipo Colonæo:

Δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακὸν ὦ ξεῖν' ἐπεγείρειν.

Id eſt:

Malum jam olim quieſcens reſuſcitare, ô hoſpes, grave eſt,

Nihil moleſtius accidere poteſt homini ingenuo, quam ſi mali hulcus olim obductum admonitione recrudeſcat.

Bupalia pugna.

Βουπάλειος μάχη, id eſt, Bupalium duellum, proverbiali figura effertur à Juliano apoſtata, pro virulento & dentato ſcripto; quo maledicentiæ & irarum habenas omnes in quempiam effundimus, ſic enim ſcribit in epiſtola ad Alypium Cæſarii fratrem, qua gratias illi agit de geographica pinace elegantioribus formis ac lineamentis expreſſa: [illegible] i. Singulari induſtria illud elaboraſti, adjectis & ſenariis jambicis, qui non Bupaliam pugnam canunt, ut Callimachi Cyrenæi poetæ verbis utar, ſed quales venuſta Sappho vult in deorum hymnos concinnari.

Anus rabioſa.

Γραΐδιον λυττῶν, id eſt, Anicula rabioſa, apud Philoſtratum effertur de litigioſis, & qui inter ſe conviciis certant, in Scopeliano ſophiſta: [illegible], id eſt, Altercantes inter ſe & irati animi indicium præ ſe ferentes, ebrias anus & rabidas nuncupabat. Manet dicterium illud etiam in noſtrate lingua.

Intus Hecuba, foris Helena.

De fœmina formoſa quidem, ſed maledica, & improbis moribus prædita, dicitur proverbio. Gregor. Nazianzenus in carmine adverſus fucatas mulieres purpuriſſo oblitas.

[illegible]

Id eſt:

Turpem intus Hecubam, pulchram Helenemque foris.

Hecuba Priami uxor præ ſenio turpiſſima in canem converſa fingitur: Plautinus Menæchmus propter maledicentiam, ſic enim ait:

Non tu ſcis mulier, Hecubam quapropter canem
Graii eſſe prædicabant? Mu. Non equidem ſcio.
Me. Quia idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:
Omnia mala ingerebat quemquem aſpexerat,
Itaque adeo jure cœpta appellari eſt canis.

Huc ſpectat illum Juvenal. ſatyr. x.

Sed torva canino Latravit rictu, quæ poſt hunc (Priamum) vixerat uxor.

Poterit & de fucata dici, quomodo uſus eſt Nazianzenus, quæ larva potius & ſpectrum hominis videri queat, niſi ſtibii & purpuriſſi mangonium penicillo inſcriptum fœditatem obliteret. Transferri etiam poterit ad librum ſpurcitiæ plenum, ſpecioſum titulum præferentem, aut membranis ſumptuoſis magnifice exornatum.

Αἰξωνεύεσθαι.

Stephanus in dictione αἰξωνεῖα, quæ civitas eſt Magneſiæ, ſcribit αἰξωνεύεσθαι proverbio dici vanos accuſatores & ſycophantas. Æxones enim, ut idem inquit, βλάσφημοι καὶ συκοφάνται. κωμῳδοῦνται. Harpocration in dictionario decem Oratorum dictione αἰξωνεῖς, ſcribit hoc adagio Menandrum & Platonem comicos eſſe uſos.

BRASSICANI. *Bellum cum Protogene mortuo gerere.*

Aul. Gellius lib. xv. c. ultim. ſcribit Rhodios Demetrio Poliorceti, qui tum eos obſidione cingebat, atq; extra urbis muros memoratiſſ. illam Jalyſi imaginem Protogenis manu factam abſumeri igni parabat, per Legatos ita reſpondiſſe: Quæ malum, inquiunt, ratio eſt ut tu imaginem iſtam velis incendio ædium facto diſperdere? Nam ſi nos omnes ſuperaveris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris: ſin vero nos vincere obſidendo nequiveris, petimus conſideres, ne turpe tibi ſit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo geſſiſſe. Hoc proverbio Joannes Braſſicanus, pater & præceptor meus amantiſſ. plurimum delectabatur: ad eos autem pertinet, qui cum larvis luctantur, & contempta memorabili lege Solonis, mortuos jam conviciis inſectantur. quod Homerus etiam intellexit, dum inquit Iliad. lib. ω.

Κωφὴν γὰρ δὴ γαῖαν ἀεικίζει μενεαίνων.

Et Agamemnon Iliad. *

Οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων
Γίνετ', ἐπεί κε θάνωσι.

Et ex ejus ſententia Virgil. lib. 11 Æneid.

Nullum cum victis certamen & æthere caſſis.

COGNATI. *Non plaga, ſed contumelia iram concitavit.*

Claudius Saturnius Pandect. libr. 48. tit. de pœnis: Maximus, inquit, apud Græcos orator Demoſthenes ſic ait: [illegible] id eſt. Non enim plaga iram concitavit, ſed ipſa facti indignitas: neq; tam ingenuis grave eſt cædi (quanquam grave ſit) quam per contumeliam cædi. Siquidem multa is, qui alium cædit admittere poteſt: quorum magnam partem is qui verberibus affectus eſt, habitu corporis, vultu, vociferatione, nunc ut contumeliam inferens, nunc ut inimicum ſe gerens, nunc pugnam ducens, nunc in malam cædens, alteri renunciare ac repræſentare nequit: hæc ipſa movent, hæc de ſtatu mentis deturbãt homines, propudii ac ſuggillationis non aſſuetos. Idem contra Midiam: [illegible] c. Non Athenienſes omnium rerum quicquam intolerabilius contumelia, neque propter quam potius iraſci conſentaneum ſit. Iſocrates contra Lochitem: Contumelia plus dolet, quam verberum injuria. Ira enim ex opinione injuriæ naſcitur, quare ſi deſinent putare, injuriam ſibi fieri, iraſci deſinẽt. Nonius ubi dixit injuriam leviorem eſſe rem contumelia, affert ex Pacuvio:

Patior facile injuriam, ſi eſt vacua à contumelia.

Cui loco hunc ſubjungit, ex Cæcilii fallacia:

Facile ærumnam ferre poſſunt, ſi male abeſt injuria:
Etiam injuriam, niſi contra conſtant contumeliam.

Idem Nonius ex Laberii nuptiis:

Æquum animum indignanti iniquat contumelia.

Vide alibi *Telum ira facit.*

Βουπάλειος μάχη

Pugna Bupalia, ſpecie proverbiali dictum à Juliano apoſtata, pro maledica virulentaque inſectione in epiſtola qua Alypio Cæſarii fratri gratias agit, ob miſſam ad ſe Geographicam pinacã, diligentia magna elaboratam. ita namque ait: [illegible] id eſt, Magna induſtria illud elaboraſti, additis & jambis, non pugnam canentibus Bupaliam, ut cum Callimacho Cyrenæo poeta dicam, ſed quales venuſta Sappho vult hymnis congruere: (Lege ſup. prov. Junii, Bupalia pugna.

Sycophantice obſervare.

Sycophantice obſervare Gallis dicitur, pro, delatoris quadruplatoriſq; more obſervare: hoc eſt, diligentiſſime: quod hujuſmodi homines milvinis oculis omnia luſtrent, ut prædæ inhiantes. Ulpian. de jur. & fact. ignor. Ut neq; negligentia craſſa aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neq; delatoria curioſitas exigatur. Hinc ſycophantica obſervatio Budæo dicitur. Græcum proverbium eſt, nullam beſtiam nocentiorem eſſe ſycophanta ſeu calumniatore. Nam, ut Salomon in proverb. cap. 25. inquit, haſta & gladius & ſagitta acuta eſt vir, qui adverſus proximum ſuum falſo teſtificatur.

Apologum facere.

Apologum facere, metaphorice dicuntur, qui narrationem commentitiam faciunt. In qua ſignificatione uſus eſt Plautus. Vel qui longam commemorationem narrant ut Bud. lib. 3 De contemp. rer. fortuit. poſuit Ut in aliquod, inquit, tibi tandem epimythium hic apologus evadat Seneca verbo Apologo, alia ſignificatione uſus eſt epiſt 7. Et ſæpe illum invicem apologavit. i. lœdoria & convicio notavit. Gallice dicitur, brocarder.

Poſtica occurrite ſannæ.

Perſii hemiſtichium eſt: quod proverbialiter ſumitur, quotieſcunq; clanculariæ irriſioni & ſubſannationi, quæ vel nobis abſentibus, vel poſt tergum & à parte poſteriore fit, locum ſive occaſionem non eſſe dandam ſignificatur. Ad quod Hieronymus Ruſtico alludit: Multo tempore, inquit, diſce quod doceas. Ne credas laudatoribus & irriſoribus. Si enim ſubito reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes poſt te colla curvari, aut manu aſini aures agitari, aut æſtuantem canis protendere linguam. Tres autem poſticæ ſubſannationis ſunt ſpecies. Prima eſt ciconiæ ſimilitudo & effigies, quæ manu contracta, digitiſq; in roſtri ſpeciem compoſitis repræſentatur: eaq; plerunq; utuntur ardeliones. Secunda, cum pollicibus ad tempora appoſitis reliquos digitos motitantes, aſininas auriculas imitamur. Tertia pueris eſt uſitatiſſima, qui ſæpe in eos quos contemnunt, linguam exerunt. Hinc ſannio ſive ſannius: de quo Cic. De orat. 2. Quid enim, inquit poteſt eſſe tam ridiculum, quam ſannio eſt, qui ore, vultu, imitandis motibus, voce, denique corpore ridetur ipſe, hoc eſt, quum alios ſoluto riſu, & contortis totius corporis partib. ridet, moreſque aliorum inepto geſtu exprimit, ipſe omnibus fit ridiculus.

Manichæi morbo laborat.

Theodorus Provid. 2. [illegible]

[illegible] τοῖς χείλεσι. i. e. Manichæi morbo laboras, qui eſculentis & poculentis fruens, conviciaris iis qui ea præbent.

Σατυρικός.

Plutarchus in Pericle, veteris comœdiæ ſcriptores [illegible] appellat, qui vitæ genus id ſectarentur quod in acerbe exagitandis hominibus verſaretur. Hinc [illegible] pro dicere. Idem in Catone majore dixit. Satyra autem mordax fuit, & ſalſum genus carminis, quod ſale multo perfricaret homines, ut notum eſt.

COELII RHODIGINI. *Stultorum theſaurus maledicentia.*

De iis qui ſola linguæ petulantia ulciſcuntur illatam (ut ſibi videtur) injuriam.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Ocyma cantare.

Satyrographus ille diſertiſſimus (ſic enim à D. Hieronymo laudatur) qui, teſte Fabio, multum veræq; gloriæ aſſequutus eſt unico libello, lepidiſſima [illegible] proverbiali. Ocyma cantare, pro probris, conviciisq; adſpergere. & maledictis inſectari, dixit ſatyr. 4. ubi cum genus & formam, tanquam eximias naturæ dotes, jactanter Alcibiades efferret, alioqui teneræ ætatis imbecillitate ad Rempublicam gerendam parum idoneus, præſertim rerum uſu deſtitutus, & veri rectique ſordidus author: Socrates eodem loco nihilo meliorem facit Baucide Pannucia, diſcinctum ſocordemq; vernam maledictis graviter impetente. Perſii verba hæc ſunt:

Dinomaches ego ſum, ſuffla, ſum candidus: eſto.
Dum ne deterius ſapiat Pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantaverit ocyma vernæ.

Senſus eſt: Jacta quantumvis natales claros, egregiamq; corporis pulchritudinem: ſi ingenium ſordidum ſit, & prudentia rerumque ſolertia abſit: nihilo meliores vinoſa & ſuffarcinata aliqua anu, ætate & vino delirante (talis enim inducitur Baucis) quæ probe defricat conviciis ſocordem & diſſolutum ſervum domi natum. Ducta eſt allegoria a veterum more, inter ſerendum ocymum uſurpato: quod teſte Plutarcho & Plinio lib. 19. c. 7. creditum eſt provenire copioſius & felicius, ſi maledictis additis ſereretur. Eodem plane ſenſu, eademq; figura proverbiali poſſumus dicere. Cuminum ſerere: quod etiam autor eſt Plinius, cum imprecatione ut exeat, poſtquam ſatum fuerit, terra adacta pavitur.

Maledicus à malefico non diſtat, niſi occaſione.

Oſtenſurus Quintilianus lib. 12. quam fœdum & illiberale ſit patrono conviciis rem gerere, & certare inter dicendum ſive veris ſive fictis uti: canina facundia, ut Appius dicebat: non dubitat maledicum parem malefico facere, ut ſola diſcrepent occaſione: nimirum ſubindicans, conviciatori & maledico ad malefaciendū & nocendum adverſario expromptam eſſe voluntatem: modo daretur locus & tempus idoneum lædendi, quæ in foro, in ipſa actione commode fieri nequeunt. quanquam abunde ſatis maleſica ſit conviciandi libido. Utrum vero hanc ſententiam excogitarit ex tempore, an alicunde depromſerit, difficilis exiſtimatio. Ratio potior propiorque videtur, alicubi lectam in medium adduxiſſe vel vulgo ſparſam ſubjeciſſe. Sin minus: argumento debili, & latius probando, rationeque majoribus rationib. fulcienda, ſi ſibi credi velit, uſus eſt. Sed ipſius verba perpendamus. At quidam etiam, ſi forte ſuſceperint negotia paulo ad dicendum tenuiora, extrinſecus adductis ea rebus circumliniunt: ac ſi defecerunt alia, conviciis implent vacua cauſarum, ſi contingit, veris, ſin minus, fictis: modo ſit materia ingenii, mercaturq; clamorē dum dicitur: quos ego adeo longe puto ab oratore perfecto, ut eum ne vera quidem objecturum, niſi id cauſſa exigit, credam, ea eſt enim prorſus canina, ut Appius dicebat, eloquentia, cenſuram maledicendi ſubire, quod facientibus, etiam male audiendi præſumenda patientia eſt. Nam & in ipſos fit impetus frequenter qui egerunt: & certe patroni petulantiam litigator luit. Sed hæc minora ſunt illo ipſo vitio animi, quo maledictus a maleſico non diſtat, niſi occaſione. Turpis voluptas & inhumana, & nulli audientium bono grata, à litigatoribus quidem frequenter exigitur, qui ultionem malunt, quam defenſionem. Hactenus ille. Jam hic mihi vide, quam ſolida ſit oratio, ad probandum gravius eſſe cadere in vitium animi, quo maledicus à maleſico tantum diſtet occaſione, ſuperioribus illis duobus, nempe, in ſe provocandi impetus conviciis aſperſorum, & defenſi cauſſam petulantia linguæ reddendi deteriorem: cum priora illa ſatis eſſe in vitio conſtet, nec probatione opus ſit: poſtremum hoc argumentis adſtrui oporteat: ſi non ſententiam vulgo vel doctis ſaltem tritam uſurpaſſet. Uti licebit, cum taxabimus ſcriptoris vel eccleſiaſtæ alicujus maleferiatam conviciandi cæteris libidinem: quo morbo ſophiſtæ potiſſimum laborant.

Vel cum notabimus intemperantis & effrenis linguæ, paſſim bonis eruditisq; maledicta ingerentis procitatem.

MALI RETALIATIO.

ERASMI. *Neoptolemi vindicta.*

Νεοπτολέμειος τίσις, id eſt, Neoptolemica vindicta. Superiori ſimillimum eſt, ubi quis eadem patitur, cujuſmodi patravit in alios Id Pauſanias in Meſſeniacis refert, & exponit his verbis: [illegible] i. e. Sane pervaſit Lacedæmonios progreſſu temporis Neoptolemea, ſicut vocant vindicta. Siquidem Neoptolemo, Achillis filio, qui Priamum in ipſis palatii focis occiderat, viciſſim evenit, ut & ipſe apud Delphos & Apollinis aram occideretur: atq; hinc ortum, ut ubi quis idem patitur quod in alios fecit. Neoptolemeam vindictam appellent. Euripides in Oreſte ſub perſona Apollinis de Neoptolemo:

Θανεῖν γὰρ αὐτῷ μοῖρα Δελφικῷ ξίφει.

Id eſt:

In fato enim illi eſt Delphico gladio.

Termeria mala.

Τερμέρια κακά, id eſt, Termeria mala. Veteri proverbio dicuntur ingentia, maxime quoties mala quæ quis in alios impegerit, aliquando in ipſis caput retalliantur. Hujus adagii meminit Plutarch. in vita Theſei: qui cum Herculis exemplo terras obiret, nocentes quos ſuperaſſet, eadem pœna ſolitus eſt afficere, quam illi per ſævitiam in alios exercuiſſent. Nam Hercules Damaſcum de rupe ædiſſima præcipitem dedit, Buſyridem pa[illegible]ctavit, Antæum palæſtra ſuperatum occidit, Cygnum gladiatorum more cōfecit: denique Termerum humana capita confringentem, verberibus itidem contudit. Unde in eos in quos ſua malefacta retorquentur, proverbio dicitur: Termerium malum. In hanc ferme ſententiā Plutarch. in vita Theſei. Eſt autem ſupplicii genus vel in primis favorabile, cum pœna ſceleri reſpondet: quemadmodum de Thurino fumi venditore, fumo necato legimus: & Perillo, quem Phalaris æneo impoſitum tauro, ſuo ipſius invento perdidit. Illud perquam feſtivum, quod in vita Gallieni Imperatoris refertur. Cum quidam vitreas gemmas pro veris imperatrici vendidiſſet, atq; ea re deprehenſa, vendicari flagitaret: ille vēditorem rapi juſſit, tanquam leonibus objiciendum: deinde caponem emittit, ac cunctis rem tam ridiculam admirantibus per præconem denunciari juſſit: Impoſturam fecit, & paſſus eſt: atq; ita negociatorem dimiſit. Sed de Termeriis malis Suidas multo aliam adfert interpretationem, nempe locum quendam eſſe in Caria, cui nomen Termerio, quo tyranni quandoq; pro carcere ſoleant uti. Situm autem eſſe inter Melum & Halicarnaſſum. Ex hoc cum poſtea prædarentur latrones, neq; deprehendi poſſent, quod eſſet locus admodum munitus, abiiſſe in proverbium. Quanquam Stephanus Termeram urbem in Lycia ponit, quam ait a Termero ſortitam vocabulum. Poſtremo Termeria mala dicta videri poſſunt, quaſi extrema mala. Nam τέρμα Græce finem ſignificat: & [illegible] extremum vitæ diem vocant. Porro Latini, quod ſummum videri volunt ac maximum, id extremum appellant, ut Extrema dementia, extrema inſania. Neq; ſecus Græci ἔσχατον κακόν, extremū malum pro maximo dicunt. Et ἐξ ἐσχάτων ἔσχατα, ex extremorum extrema, quaſi plus quam maxima.

Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

Perſius Satyra quarta:

Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

Id eſt:

Viciſſim carpimus & carpimur, ridemur & ridemus, mordemus & mordemur, lædimus & lædimur. Sumptum à militia. Ad eundem modum Horatius:

Cædimus, & totidem plagis conſumimus hoſtem.

Plutarchus in commentario De profectu cognoſcendo, ſimilem adfert metaphoram, de ſphæra ultro citroq; miſſa ac remiſſa: [illegible], quemadmodum alio retulimus loco, proverbio, Sphæram inter ſe reddere.

Dedi malum & accepi.

Dedi malum, & accepi. Beticum adagium eſt, quo licebit uti, quoties ejuſmodi permutatio videbitur facta, ut malum pro malo ſit redditum, & par pari relatum: veluti ſi quis improbum generum dediſſet, ac nurum item improbam recepiſſet. Recenſetur & explicatur à Plinio juniore in Epiſtolis. Cæcilius, inquit, Claſſicus, homo fœdus, & aperte malus, proconſulatum in ea parte non minus violenter quam ſordide geſſerat, eodem anno, quo in Africa Marius Priſcus. Erat autem Priſcus ex Betica, ex Africa Claſſicus. inde dictum Beticorum (ut plerunque dolor etiam venuſtos facit) non illepidum ferebatur: Dedi malum, & accepi. Congruet & in eos, qui liberos ſuos committunt malis præceptoribus, & recipiunt eos pejores quam tradiderant. Rurſum in eos, qui laceſſunt illos, unde gravius læduntur: quod uſu venire tradunt iis qui in Ægypto venantur onagros. Nam animal laceſſitum frequenter calcitrando lapides miſſos retorquet in jaculantes tanto impetu, ut pectora inſequentium penetrent, aut caput fractis oſſi-

collibus diſplodant. Unde & inſtrumento bellico nomen inditum, autor Ammianus libro viceſimo tertio.

Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.

Si dixeris quæ vis, quæ non vis audies. D. Hieronymus in Ruffinum nominatim proverbii loco citat: Nihilque ſuper hoc audies, inquit, niſi illud tritum: Quum dixeris quæ vis, audies quæ non vis. Terentius in Andria:

Si mihi pergit quæ vult dicere, quæ non vult audiet,

Rurſum in prologo Phorm.

Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene.

Eodem alluſit in prologo Andriæ.

Deſinant maledicere, malefacta ne noſcant ſua.

Obſcurius etiam in prologo Eun.

Tum ſi quis eſt qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimet eſſe, ſic exiſtimet: ſciat
Reſponſum, non dictum eſſe. ———

reſponſum enim vocat, convicium convicio redditum. Sed hic locus admonet, ut quorundam errorem coarguam, qui in margine adſcripſerant, me in his quæ ſequuntur, legere, Quia læſit prius: imo ſic legebatur in vulgatis exemplaribus, ergo primus ex fide veterum teſtium germanam lectionem, nimirum hanc:

quale ſit, prius
Qui bene vertendo, & eas deſcribendo male, ex
Græcis bonis, Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit.

ut, quale ſit, idem valeat quod apud Græcos οἷον, apud Latinos velut, aut quod genus ſit: quibus utimur exemplum propoſituri. Meminerat enim de convicio regendo, ejus mox ſubjicit exemplum, deinde prius reſpondet ad adverbium quod ſequitur, nuper: Qui prius male verterat multas fabulas, quarum non meminiſtis, idem nuper dedit ineptam fabulam Phaſma, cujus poteſtis meminiſſe: Verum ut ad rem redeamus, primus hujus adagii pater Homerus fuiſſe videtur, apud quem hic verſus eſt Iliadis Υ,

Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Id eſt:

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipſe.

Item Heſiodus lib. cui titulus, Opera & dies:

Εἰ δὲ κακόν κ' εἴποις, τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Id eſt:

Fors mala dicenti, dicentur plura viciſſim.

Rurſus in eodem.

Εἰ δέ κεν ἄρξῃ,
Ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον, ἠὲ καὶ ἔρξας,
Δὶς τόσα τίνυσθαι μεμνημένος. ———

Id eſt:

——Si quod prior ipſe,
Aut verbum, aut factum, dicaſve geraſve moleſtum,
Aut te cum duplici rediturum fœnore noris.

Euripides in Alceſtide:

Εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς
Ἐρεῖς, ἀκούσῃ πολλὰ κοὐ ψευδῆ κακά.

Id eſt:

Si dixeris nobis male,
Mala invicem permulta, nec falſa audies.

Longe venuſtius idem extulit Sophocles, citante Plutarcho.

Φιλεῖ γὰρ ἡ γλῶσσα τῶν ἄγαν [illegible]
Ἄκων ἀκούειν οὓς ἑκὼν εἴπῃ λόγους.

Id eſt:

Etenim ſolet qui dicta temere jecerit,
Audire nolens verba, quæ dixit volens.

Refertur ex Sophocle:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Qui multa temere verba fudit, is ſolet
Audire nolens quæ volens dixit male.

Quin etiam his noſtris temporib. ejuſmodi quiddam vulgo dictitant: Ut ſalutabis, ita & reſalutaberis: hoc eſt, Ut tua fuerit oratio, ita tibi reſpondebitur. Plautus: Contumeliam ſi dices, audies. Cæcilius in Chryſio apud Gellium: Audibis male, ſi male dicis mihi. Eodem pertinet Euripideum illud apud autores paſſim obvium: [illegible] id eſt, Infrænis oris, & iniquæ vecordiæ finis ſeu vectigal calamitas. Celebratur & hoc inter Chilonis apophthegmata: [illegible] id eſt, Non eſſe maledicendum iis quibuſcum agimus: alioqui audituros quæ moleſtiam adferant. Huc arbitror aſcribendum verſiculum, quem Quintil. ut vulgo jactatum citat:

Nec male reſpondit, male enim prior ille rogarat.

Eodem bibere poculo.

Eodem bibere poculo, eſt iiſdem affici incommodis, maliſque communibus obnoxium eſſe. Plautus in Caſina, ut ſenex ex eodem hoc poculo quo bibi biberet. Translatum vel à bibendi certaminibus, vel ab iis, qui metuunt venena. Idem hodieque noſtrati vulgo triviſſimum manet. Etenim ſi quando minantur, ſe parem gratiam relaturos, ajunt ſe de eodem porrecturos poculo. Taxat Martialis quendam, qui convivis vinum dilutum & acerbum apponebat, cum ipſe de exquiſitiſſimo biberet: qui mos & hodie pleriſque divitibus, atque hinc proverbium natum videri poteſt. Fit autem interdum, ut qui imprudentes poculum acerbum guſtarint, ſtudeant & alios illicere, ut ex eodem bibant. Eſt aliquoties & in divinis literis mentio de calice Babylonis, cum ſignificatur aliqua calamitas irroganda. Denique Dominus noſter in Evangelio rogat filios Zebedæi, num poſſent de eodem poculo bibere, unde ipſe deſtinarat bibere: addens alterum ſimile proverbiale, De eodem baptiſmo. Nec enim dubium eſt, quin utrunque fuerit vulgari ſermone celebratum. Paulo diverſius eſt, quod ait Ariſtophanes in Equitibus:

Οὔποτ' ἐκ ταὐτοῦ μεθ' ἡμῶν πίεται ποτηρίου.

Id eſt:

Ille nobiſcum haud eodem potat unquam poculo.

Taxat fellatorem.

Pro pede Xenium.

Τοῦτό σοι ἀντὶ ποδὸς ξεινήϊον.

Id eſt:

Iſtud habe Xenium pede pro bovis. ———

Verba ſunt Philœtii bubulci Ulyſſis apud Homerum Odyſſ. χ. ad Cteſippum quem ſagitta trajecerat, illi inſultantis, ut munus illud accipiat pro bubulo pede, quem ille mendicanti Ulyſſi impegerat paulo ante. Admonet ibi Euſtathius, uſurpatum adagium à primi nominis theologo, in eos quibus malum pro malo rependitur.

Fures ipſi accuſant.

Οἱ φῶρες κατηγοροῦσιν, id eſt, Fures ipſi inſimulant, aut accuſationem intentant. Ariſtides adverſus eos qui taciturnitatem ſeriam in ipſo criminabantur: [illegible] id eſt, Antehac ignoraveram quid ſibi vellet vulgo quod dici ſolet, Fures ipſos accuſare: nunc vero intelligere id mihi videor. Nam quum illi quos æquum foret ad ſtudioſorum exercitamenta & audiendas declamationes convenire, ea poſtpoſita cura, cauſantur neminem eſſe qui declamet, quomodo non animadvertunt propriam vecordiam in alieno vitio? quemadmodum ſi quis radiante ſolis jubare occludat oculos, neget que lucem exiſtere. Conveniet dici in illos, qui ſuam ipſorum culpam, frivolo prætextu excuſant: & quum ipſi juſtæ deprehenſioni ſubjaceant, in alios crimen devolvunt. Tales ſunt moroſi quidam, qui clamitant non eſſe concionatores verbi, quum nuſquam ipſi pedem domo efferant, quo ſacris concionibus interſint. Poteſt & aliter in uſum vocari, hoc modo: Inſimulas me neglecti officii & protervia, qui tuos penates non inviſerim illac iter faciens: quum tu ipſe accuſandus eo nomine venias, qui prior hac parte impegeris, nimirum juxta proverbium, Fur ipſe accuſat. Non raro uſu venire ſolet, ut qui manifeſto criminis tenetur, priores accuſandi partes ſuſpiat, ut ſuſpicionem offenſæ eximat, integritatemque mentiatur.

COGNATI. Ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται.

Græco hoc proverbio uſus eſt Suetonius in vita Claudii, quo ſubobſcure ſignificare voluit, ſe remedium illi malo, quod ei feciſſet, inventurum, ſublaturumque Neronem, qui ſtulto conſilio imperium, ut res poſtea docuit, Britannico eripuiſſet. Suetonii verba hæc ſunt: Et ſubinde obvium ſibi Britannicum arctius complexus, hortatus eſt, ut creſceret, rationemque a ſe omnium factorum acciperet. Græca inſuper voce proſequuntur, τρώσας καὶ ἰάσεται, hoc eſt, Etiam læſus ſanatur, vel a nullo ſanari poteſt vulnus, niſi ab eo qui inflixit. Proverbium autem hoc ab Achille ortum eſt, qui eadem haſta, qua Telephum vulneravit, ipſum poſtea ſanavit. Crebrum vero id eſt apud veteres autores. Plutarchus in commentario, quem inſcripſit περὶ ἀκούειν, de morſu quodam, qui in animis ingenioſorum adoleſcentium a Philoſophia excitatur, loquens, dicenſque poſſe illum a ratione ipſa, quæ ipſum inflixit ſanari, non minus ac plagam illam Telephi: manifeſte ad hoc proverbium reſpexit, cum etiam verbis ipſis uſus ſit: quamvis verſum etiam Euripides addat, quo poeta ille eandem rem tragice commemorat. Verba Plutarch. hæc ſunt: [illegible] hoc eſt, Neque vero ut autor eſt Euripides, ſolum Telephi vulnus ab eadem haſta, quæ illud inflixerat, ſanatum exiit, ſed etiam ingenioſi adoleſcentis, qui in philoſophia probe eſt inſtitutus acceptus morſus eadem oratione unde illatus eſt, emendari poteſt. Eraſmus noſter in quadam epiſtola Jacobo Tutori ſcripta, eo videtur reſpexiſſe, cum inquit: Quemadmodum qui ſunt à ſcorpiis icti, ſolent ab iiſdem remedium petere: ita mihi convenire videtur, ut qui literis ſumus addicti, animi laſſitudinem aut corporis affectionem è ſtudiis gravioribus contractam, ab iiſdem ſtudiis, ſed amœnioribus, recreemus.

Dixerit inſanum qui me, totidem audiet.

Vetus dictum, & comicum, quod adhuc hodie tenemus, cum quo conveniunt multæ aliæ variorum authorum ſententiæ. Terentius in Andria: Si mihi pergit ea quæ volt dicere, ea quæ non volt,

volt, audiet. Rurſum in Phormionis prologo: Benedictis ſi certaſſet, audiſſet bene. Eodem alluſit in prologo Andriæ: Deſinant maledicere, maleſacta ne noſcant ſua. Sed ſuperior Terentio Sophocles, hanc ſententiam ſic expreſſerat in Ajace:

Ἐγὼ γὰρ ἀνδρὶ συγγνώμην ἔχω
Κλύοντι φλαῦρα, συμβαλεῖν ἔπη κακά.

Idem citante Plutarcho:

Φιλεῖ γὰρ γλῶσσαν ἐκχέας μάτην
Ἄκων ἀκούειν, οὓς ἑκὼν εἴπῃ λόγους.

Id eſt:

Etenim ſolet, qui verba jecerit temere,
Audire nolens verba jecerit temere,

Huc pertinet Euripideum illud, apud authores paſſim obvium:

Ἀχαλίνων στομάτων ἀνόμου τ' ἀφροσύνας τὸ τέλος δυστυχία.

Id eſt:

Infrenis oris, & iniquæ ſtultitiæ finis, ſeu vectigal, calamitas.

Idem in Alceſtide:

—Εἰ δ' ἡμᾶς κακῶς
Ἐρεῖς, ἀκούσῃ πολλὰ, κοὐ ψευδῆ κακά.

Id eſt:

—Si dixeris nobis male,
Audies multa, nec falſa mala.

Cælius quoq; apud Gellium: Audibis male, ſi male dicis mihi. Quintilianus hunc verſiculum, ut vulgo jactatum citat:

Nec male reſpondit, male enim prior ille rogarat.

Plautus: Contumeliam ſi dices, audies. Etiam his noſtris tēporibus, ejuſmodi quiddam vulgo dictitant: Ut ſalutabis ita reſalutaberis. Id eſt, ut tua fuerit oratio, ita tibi reſpondebitur. Celebratur & hoc inter Chilonis apophthegmata: Non maledicendum iis, quibuſcum agimus, alioquin audituros, quæ moleſtiam afferant. Hieronymus nominatim proverbii loco citat: Si dixeris quæ vis, quæ non vis, audies. Homerus autem omnium antiquiſſimus ſic, Iliad.υ.

Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Id eſt:

Talia dicentur tibi, qualia dixeris ipſe.

& Heſiodus:

Εἰ δὲ κακόν τ' εἴποις, τάχα κ' αὐτὸς μεῖζον ἀκούσαις.

Id eſt:

Quod ſi malum dixeris, forſan, & ipſe majus audies.

Horat. ſatyr. 3. lib. 2. obliq; quidem & acriter Damaſippum ut inſanum perſtringens, inquit:

Dixerit inſanum quis me, totidem audiet.———

ut in alio loco:

—Qui tibi nomen,
Inſani poſuere.———

Quo cognomine vulgo notabatur, ut apparet. Varie proferri ſolet, nunc: Dignus eſt qui audiat quæ non vult, qui in alios dixit quæ non debuit. Qui non facit quod debet, fiet ei quod fieri nō debet. l. ſin. ff. de rei vindic. &c. Quod in alios abs te dictum, in te retorquendum eſt. Quod de te dici poteſt, de alio dicis, aſtuto præoccupationis jure. Alios ex tuo ingenio æſtimas. Ex tua inſcitia alios ſignis & exiſtimas. Cum in alios moroſe inquiris, illi in te multo magis. Verum cum Davide dicamus: Illi maledicunt, tu autem Domine benedices.

MALVM CONDVPLICATVM AVT RENOVATVM.

ERASMI. *Ignem igni ne addas.*

Μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, id eſt, Ne incendium incendio addas. Uſurpatur à Platone. Senſus liquet, Ne calamitatem adjungas calamitati, ne commotum magis etiam commoveas. Diogenianus putat à carbonario quodam eſſe natum, qui invaleſcente incendio cōflagrarit clamans interim, μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ. Plato lib. De legib. 2. vetat, ne pueri ad annū uſq; duode viceſimum vinum bibant: ne ſi vini calor acceſſerit ad fervorem ætatis. Ignem igni ſuggerere videatur. Item Plutarchus in præceptis cōjugal. μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν. i. Ne ignis ad ignem accedat. Utitur idem cum aliis aliquot locis, tum in præceptis De valetudine: ὥσπερ οὖν μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, ὥς φασι, πλὴν μηδὲ τις ἐπὶ πλησμονῇ ἄκρατον ἐπὶ ἀκράτῳ ἐχέτω. id eſt, Ut ne igitur ignis ad ignem, quemadmodum proverbio dicitur, expletio ad expletionem, merum ad merum addatur.

Oleum camino addere.

Affinem huic habet ſententiam: Oleum camino addere: pro quod eſt, malo fomentum, ac velut alimoniam ſuppeditare, quo magis ac magis augeſcat. Horat. in Satyris:

Adde poemata nunc, hoc eſt, oleum adde camino.

id eſt, Adde majoris inſaniæ materiam.

Uſurpat hoc D. Hieronymus ad Euſtochium: Vinum & adoleſcentia duplex eſt incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus?

Oleo incendium reſtinguere.

Ἐλαίῳ πῦρ σβεννύεις, id eſt, Oleo reſtinguis incendium, dici ſolitum, ubi quis ea admovet remedia, quæ malum magis ac magis exacerbēt. Veluti ſi quis animi triſtitiam fœdis voluptatib. obruere conetur. Aut ſi quis offenſum, jurgiis & conviciis velit placare. Quod ſi dicatur ὑπομένων, nihil differet à proximo. Huc reſpexit Lucianus in Timone, cum ait, Si quem aſpexerit incendio conflagrantem pice atq; oleo ſe velle reſtinguere.

Ignis non extinguitur igni.

Πυρὶ οὐ σβέννυται πῦρ, id eſt, Igni non extinguitur ignis. Malum malo non tollitur, ira non ſedatur iracundia: ſed ferocitas ſedatur lenitate, malum patientia tollitur, injuria beneficio vincitur μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, alibi retulimus ex Platone & Plutarcho.

Hydram ſecas.

Ὕδραν τέμνεις. Dictum eſt loco, inanis operæ.

Malum malo medicari.

Τὸ κακὸν κακῷ θεραπεύειν. id eſt, Malum malo medicari. Eſt malum aliud alio malo tollere. Sophocles in Ajace Maſtigophoro:

Εὔφημα φώνει, μὴ κακὸν κακῷ διδοὺς
Ἄκος, πλέον τὸ πῆμα τῆς ἄτης τίθει.

Id eſt:

Bene ominata loquere, ne malum malo
Medicans, & hancce noxam adaugeas tibi.

Dehortatur Ajacem Temeſſa, ne malo inſaniæ addat alterum majus malum, ſpontaneam cædem ſui. Et Herodot. in Thalia: μὴ τὸ κακὸν τῷ κακῷ ἰῶ. id eſt, Ne malo medearis malo.

Morbum morbo addere.

Morbum morbo addere, i. conduplicare malum. Euripides in Alceſtide:

Μὴ νοσοῦντι μὴ νόσον
Προσθῇς· ἅλις γὰρ συμφορᾷ βαρυνόμεθα.

Id eſt:

Ne tu mihi morbo laboranti alterum
Appone morbum: nam ſat hoc premor malo.

Ejuſdem figuræ eſt Homericum illud Iliad. ξ.

Μή πού τις ἐφ' ἕλκεϊ ἕλκος ἄρηται.

Id eſt:

Vulneri uti ne quis vulnus tibi forſitan addat.

Sophocles item:

Δέδωκας ἡμῖν νόσον ἐπὶ νόσῳ νέαν.

Id eſt:

Morbo quidem morbum addiſti tu alterum.

Non alienum eſt ab hac forma, quod eſt apud Homerum Iliad. η. αἰσχος ἐπ' αἴσχει, cum indicamus, acerbis addi acerbiora. Sic enim ibi loquitur Menelaus:

Ἦ μὲν δὴ λώβη τάδε γ' ἔσσεται αἰνόθεν αἰνῶς.

Id eſt:

Dedecori res iſta profecto dedecus addit.

Lutum luto purgare.

Πηλῷ πηλὸν καθαίρειν, id eſt, Lutum luto purgari, dicitur ubi res ſordida ſordibus tollitur, hoc eſt, cum ſordes nō tolluntur, ſed aut mutantur, aut augētur etiam. Apollonius in epiſtola quadam: ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνο ἐπιστεύσατε μὴ πηλῷ πηλὸν καθαίρειν. Loquitur de ſacerdotibus, qui deorum aras ſanguine polluerēt, eamq; expiationem eſſe ducerent. Huc pertinet Diogenis, ni fallor, dictum. Is ingreſſus balneum ſordidum: Qui hic, inquit, lavant, ubi lavant, indicans talibus balneis conſpurcari corpora potius quam purgari. Idem accidit Alexandrinis, qui in urbibus alunt vim ibidem, in hunc uſum, quod ſerpentes ac macellorum ſordes devorent: verum ſuis immunditiis omnia ruſus conſpurcant.

Pro caco exoculatus eſt.

Omnes hujuſmodi facetiarum formulæ pertinent ad adagiorum naturam, cum videmur corrigere quod dictum eſt, ſed altero verbo, quod vel idem polleat, vel magis etiam lædat, veluti ſi quis dicat: Non furatus eſt, ſed involavit. Non furatus eſt, rapuit. Ariſtophanes in Pluto:

Μῶν οὐ κεκλόφως, ἀλλ' ἥρπακας.

Id eſt:

Annon furatus es, ſed rapuiſti?

Idem in eadem fabula:

Ἀντὶ γὰρ τυφλοῦ ἐξωμμάτωται.

Ludit enim ſervus ambigua voce ἐξωμμάτωται, quæ declarat & oculis donatum Plutum, & exoculatum.

Poſt Marathonem pugna.

Μετὰ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην, i. Poſt Marathonem prælium. Ubi quis poſt calamitatem, in aliam novam ruſus incidit. Marathon locus eſt Atticæ, crebris cladibus inſignis, ubi acerrima pugna fuit cum Perſis. Refert Herodotus libr. 6. Simile huic, μετὰ πόλεμον ταραχή. Poſt bellum tumultus.

Lis litem ſerit.

Ἔρις δ' ἔριν ἀντιφυτεύει.

Id eſt:

—At lis ſeritur de lite viciſſim.

Hemiſtichium eſt heroicum. Reſecanda injuria eſt, non retalianda. Alioqui quis erit reciprocandi mali finis, ſi viciſſim contumelia contumeliæ reddatur? Carmen extat inter præcepta Phocylidis.

Πικρὰ γὰρ ἡ ἀμαθία, ἡ δὲ ἐμπειρία [illegible].

Germanum illi quod alio commemoravimus loco:

Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβη βλάβην.

Id eſt:

Litem parit lis, noxa item noxam ſerit.

De fumo ad flammam.

Ammianus Marcellinus lib. 24. Utq; ſolet, manum injectantibus fatis, hebetari ſenſus hominum, & obtundi, his illecebris ad meliorem expectationem erectus, egreſſuſq; Antiochiam, Melevo dictante, prorſus ire tendebat de fumo, ut proverbium loquitur vetus, ad flammam. De eo dictum, qui ſe à rebus dubiis in præſens exitium conjecit. Alibi retulimus ex Plauto: Flamma fumo eſt proxima.

Litem parit lis, noxa item noxam parit.

Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβη βλάβην.

Id eſt:

Litem parit lis, noxa item noxam parit.

Senarius in rixoſos & litium avidos dici ſolitus, quibus lis ex lite alia ex alia naſcitur: negocium ſeritur ex negocio, injuria propagat injuriam. Extat apud Suidam.

Fallacia alia aliam trudit.

Terentius in Andria: Fallacia alia aliam trudit. Donatus admonet, proverbiali figura dictum. Sumptum à conſuetudine conantium fallere, ac dolos dolis conſarcinantium, ne deprehendantur. Unde conſutis dolis dixit Plautus. Et Sutelas appellat hujuſmodi technas. Et δόλους ὑφαίνειν, apud Homerum id eſt, dolos texere.

Refricare cicatricem.

Quare in loco Laceſſentis.

Illico hyems erit.

Ariſtoteles in Problematis ſectione 13. refert hunc verſum, nullo citato autore, ſed veluti vulgo jactatum.

Εἰ ὁ νότος βορέαν προσκαλέσεται, αὐτίκα χειμών.

Id eſt:

Illico hyems fit, ubi Boream acceſſiverit Auſter.

Cauſam hanc adfert, quod notus ſuapte natura nubem & imbrem affatim colligat. Proinde ſi hoc tempore Boreas acceſſerit, cōgelaſcunt omnia hujus rigore, atq; ita protinus hyems. Adjicit in eodem problemate carmen alterum, conſimili fere ſententia:

Εἰ βορρᾶς τηλὸν καταλήψεται, αὐτίκα χειμών.

Id eſt:

Molle lutum Boreas ſi prenderit, ilico hyems fit.

Id tametſi vulgo ſimpliciter dictum apparet, tamen nos eo deflectere poterimus, ut dicamus ingens periculum imminere, ſi malum malo ſucceſſerit. Veluti ſi qui immodice diſcruciat ſeſe ſtudii laboribus, amare etiam incipiat: aut ſi qui prius principi parum gratus fuit, in plebis etiam odium veniat: aut ſi regi vehementer leni, placidoque, ſuccedat admodum rigidus, aut contra. Nam hujuſmodi ſubitæ mutationes, maximos rerum motus ſolent excitare.

Præſtat uni malo obnoxium eſſe quam duobus.

Ariſtophanes in Concionatricibus ſenarium hunc proverbialem refert:

Ἑνὶ γὰρ συνέχεσθαι κρεῖττον ἢ δυοῖν κακοῖν.

Id eſt:

Uni atque geminis præſtat involui malis.

Quoties utrunq; malum evitari non poteſt, danda tamen opera, quo declinemus alterum, & in id quod minus habeat incommoditatis, incurramus.

IVNII. *Lorica ſeu corona inſtar.*

Θριγκὸς loricam & ſummam ambitus muri coronam ſignificat faſtigiata ſtructura, quomodo Philoſtratus junior in Iconib.: πόλις αὕτη τεῖχος ὀφρυόεσσα κατ' ἄκρον, [illegible] (non autem τεῖχος:) Hæc urbs Troja ſuperciliosa Homero dicta eſt, quam ambit lorica quædam. Hinc metaphorice trāsfertur, & pro faſtigio & apice cujuſvis rei ponitur: Plato in 7. de republ. Dialecticam θριγκὸν, i. apicem diſciplinarum vocat his verbis: ἆρ' οὖν δοκεῖ σοι ὥσπερ θριγκὸς τοῖς μαθήμασιν ἡ διαλεκτικὴ ἡμῖν ἐπάνω κεῖσθαι, id eſt. Placet igitur dialecticam diſciplinis ſuperponi velut loricam quandam aut coronæ projecturam, quæ faſtigium murorum claudit. Alexander Aphrodiſeus libr. 1 comment. in Topica: ὁ δὲ Πλάτων διαιρετικὴν μέθοδον ἐξυμνῶν, καὶ θριγκὸν αὐτὴν φιλοσοφίας λέγει. id eſt, Plato dividendi methodum mirifice extollens, & philoſophiæ omnis loricam eam appellans. Quod ergo anteſtat cæteris, & principem locum obtinet. ὥσπερ θριγκὸς ἐπικεῖσθαι τοῖς ἄλλοις. i. loricæ in modum reliquis impoſitum eſſe dicemus, non ſine Venere. Huc ſpectat tranſlatio proverbii vicem implens, qua apud Euripidem Hercules à furiis (quibus agitatus liberos eliſerat) nonnihil reſpirans, deplorat ſe funeſtis cædibus domum repleviſſe, ſuprema pinnatum coronatenus inundantem: ὡς δῶμα θριγκῶσαι κακοῖς. Quo uti licebit, quum malorum ingentem alluviem ſignificabimus.

Errorum Odyſſea.

Odyſſeam errorum ſcite & non ſine Mercuriali ſale protulit Budæus, floreutiſſimum noſtra ætate Galliarum decus, pro multiplicibus & magnis erroribus. Verba ejus ſunt lib. 5. de Aſſe: Cōmenta certe ſunt iſta veteratoris ſpiritus, qui primæ noxæ ſuaſor & impulſor, in hanc errorem Odyſſeam genus humanum dedoxit. Nemini dubium eſt, Homeri Odyſſ. ab Ulyſſe nominatam, variis & portentoſis ac fidem excedentibus erroribus ſcatere: unde quicquid ingens & varium eſt, ὀδύσσειαν vocare licebit, ut Iliade malorum.

Malorum abyſſus.

Κακῶν βυθὸς, id eſt, Malorum abyſſus dixit proverbialiter de extremis calamitatibus Gregorius Nazianzenus: εἰς κακῶν βυθὸν ἐμπεσόντες, ὅ φασι λέγειν. hoc eſt, Prolapſi in abyſſum malorum, id quod dici ſolet alioqui & ἀνοίγεσθαι πέλαγος [illegible] de negotiis inexplicabilibus, è quibus exire difficillimum ſit. Nazianzenus in Diſtichis:

Πλουτεῖ μωρὸς τοῖς ὀνείρασι πλέον,
Ἢ χρημάτων ἄβυσσον οἱ κεκτημένοι.

Id eſt:

Eſt ditior multo fatuus in ſomniis,
Quam qui pecuniarum abyſſum poſſident.

Abyſſum vocari altiſſimam primi elementi profunditatem, Aretas Cappadox in Apocalypſin com. annorat. quod hiatus perpetua voragine nō occultet ſubjecta, παρὰ τὸ μὴ βύσσειν, vel quod immenſam altitudinem oſtendat, ab α intendendi particula. Legimus & ἀβύσσον πέλαγος pro mari, fundo præ altitudine carente.

Decumani malorum fluctus.

Κακῶν τρικυμία, id eſt, Malorum decumani fluctus, De ingentibus calamitatib. effertur. Mercurius apud Æſchylum Prometh.

Οἷός σε χειμὼν καὶ κακῶν τρικυμία
Ἔπεισ' ἄφυκτος. ———

Id eſt:

Tibi quanta tempeſtas, & inevitabiles
Fluctus malorum decumani mox ingruent.

Theodoretus lib. De providentia 6. ὁ πλοῦτος πολλοὺς ἔχων θορύβους καὶ φροντίδας παντοδαπὰς καὶ τρικυμιῶν μυρία ἐπιβουλεύει τῇ ἀρετῇ. id eſt, Opes variis tumultibus & omnigenis curis refertæ, ac ſexcentis decumanorum fluctuum generib. virtuti inſidiantur. Ibidem: ταῖς τῶν παθῶν τρικυμίαις ἐνδιδόναι, id eſt, Affectuum decumanis undis cedere. Nazianzenus in diſtichis:

Κυβερνήτης ἔμπειρος φεύξεται τρικυμίας.

Id eſt:

Doctus gubernator decimas undas cavet.

Plato libr. De repub. 5. [illegible] τῆς τρικυμίας ἐπάγεις. id eſt, Poſteaquam vix evaſi binas diſceptationum undas, nunc maximum difficillimumq; veluti decumani fluctus verticem ſuperingeris. Idem in Euthydemo: σῶσαι ἡμᾶς, ἐμέ τε καὶ τὸ μειράκιον ἐκ τῆς τρικυμίας τοῦ λόγου id eſt, Servatos nos velis me pariter & adoleſcentulum è diſputationis decumano tantum non impetu. Clemens Alexand. in Pædagogo, δύνει εἰς βυθὸν ἀσχημοσύνης ταῖς τῆς μέθης τρικυμίαις ἐπικλυζόμενον. i. Corpus immergitur in profundū turpitudinis, adobrutum quibuſdam decumanis temulentiæ fluctibus. τρικυμίαν tempeſtatem volunt eſſe gravem, qua tres undarum cumuli in unum coeunt, quam graphice deſcribit in epiſtola ad Euoptium Syneſius: Latini decumanum fluctum nominant. Lucianus in libello De mercede ſervientib. τὰς τρικυμίας καὶ ζάλας καὶ ναυάγια. i. Decumanos fluctus, procellas, naufragia. Plato in Euthydemo: [illegible] ὥσπερ Διοσκούρους ἐπικαλούμενος, σῶσαι ἡμᾶς, ἐμέ τε καὶ τὸ μειράκιον ἐκ τῆς τρικυμίας τοῦ λόγου. i. Obteſtatur hoſpites velut ipſos Dioſcuros invocans, qui nos (me videlicet & adoleſcentem) è decumano ſermonis fluctu ſervatos velint.

Ex Ilio me ducis.

Quum ſignificamus præteritorum malorum memoriam refricari, aut ad triſtium rerum mentionem nos compelli. Heliodorus lib. 2. ἐξ Ἰλίου με φέρεις καὶ σμῆνος κακῶν καὶ τὸν ἐκ τούτων βόμβον ἄπειρον ἐπὶ σαυτὸν κινεῖς. i. Ex Ilio me rapis, ac malorum examen & infinitum ex illis bombum in te commoves. Ita Virgilianus Æneas.

Infandum regina jubes renovare dolorem,
Trojanas ut opes & lamentabile regnum,
Eruerint Danai. ———

Magis ſpectandum quid liceat, quam quid expediat.

Alluſio eſt ad Pauli dictum, quod habetur 1 Corinth. 6. & 10. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, conducunt & conferunt, atq; ædificant. Qui enim faciunt quicquid licet, huc cito delabuntur, ut faciant quod nō licet. Nemo igitur quod ſuum eſt, duntaxat quærat, ſed etiam quod eſt alterius. Nam boni viri partes ſunt, alienis inſervire commodis, potius quam utilitatis propriæ rationem habere: & nihil minus decet Chriſtianum hominem, quem Aſpendium: quod etiam vulgo dicitur agere chitarœdum.

Solidæ petræ innitendum.

Huc utimur quum ſignificamus, non fortunæ bonæ conſcientiæ fidendum eſſe, atq; in ſacræ anchoræ præſidio ſpem eſſe reponendam.

Addi-

Addere gangrænam.

Addere gangrænam, uſurpat Arnobius lib. 3. adverſus gentes, pro geminare malum, aut veterem culpam novæ noxæ acceſſione gravare, verba ejus ſunt: In quo quum unam contrahere poſſetis culpam, conſcriptione de ſuperis tali addidiſtis (ut dicitur) gangrænam, quum deorum nominib. appellaviſtis res turpes. Simili metaphora dictum eſt illud à Varrone lib. 3. de vita populi Romani: Quo facilius animadvertatur per omnes articulos populi hanc mali gangrænam ſanguinolentam permeaſſe. Ad eundem modum Lucilius in Satyris:

Serpere uti gangræna malo atque herpeſtica poſſet.

IOANNIS VLPII. *Soracum malorum.*

Κακῶν σώρακος, id eſt, Malorum corbis, dicitur eadem proverbiali forma qua, ἀγαθῶν ἢ κακῶν ἅμαξαι, id eſt, Bonorum vel malorum plauſtra: pro ingentibus & malis copioſis. Ariſtophanes κακῶν τοσούτων σωρακὸς εἰς σώρακον, id eſt, Brevibus malorum ipſum mihi corbem refer.

COGNATI. *Argentum amanti dare.*

Plautus in Trinummo: Argentum homini amanti dare, eſt dare gladium quo ſe occidat. Nocet, non juvat, qui largitur noxia. Notum, & adhuc uſitatum eſt. Cui non diſſimile eſt illud Exod. 5. Ad dandum gladium in manum eorum, id eſt, occaſionem.

Damnum tunc factum, nunc apparuit.

Senecæ proverbialis ſententia ex libro. 7. De beneficiis, ca. 29. quam repetit aliis verbis paulo poſt: Stulte, non noſti detrimenti tui tempora. Perdidiſti, ſed cum dares. Simile: Quæ peccamus juvenes, ea luimus ſenes.

Odyſſea errorum.

Sicut apud Græcos proverbiale eſt, Ἰλιὰς κακῶν, pro malis innumeris; ſic Budæus dixit Odyſſeam errorum, pro errorum cumulo: quia in Odyſſea, errores Ulyſſis, domum ſuam & patriam repetentis, à poëta deſcripti ſunt: De contemptu lib 1. Hoc caput, quo ex capite malorum omnium Ilias errorumque (ut ita dicam) Odyſſea emanavere. Huic non diſſimile eſt hoc Euripidis in Theſeo, Cicerone interprete: Aut ſemper aliquam mortem meditabar mali.

Abyſſus abyſſum invocat.

Iſtud ex Pſal. xlij. ſumptum eſt, & vulgo uſurpatur, quū notant calamitatem aliam ſemper vocare calamitatem. Quod alii dixerunt Malorum hydram, & κακῶν βυθὸς, id eſt, Malorum abyſſum: cum ſcilicet adverſæ res cladeſque continenter ingruunt, ac velut unda ſupervenit undæ, aliæ poſt aliam ſuccedunt. Terentius: Aliud ex alio malum, ſubaudi oritur. Similis metaphora eſt apud Germanos: kein unglück kompt nit allein. id eſt nullum infortunū ſolum. Galli ſic efferunt: Nul mal ſans autre, hoc eſt, Nulla calamitas ſola, de quo ſuperius, Un mal attire l' autre. Simile & hoc:

Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel.

Magnus liber, Magnum malum.

Μέγα βιβλίον, μέγα κακόν, exiſtimat Callimachus apud Athenæū lib 3. Hinc Plutarchus de morum profectu: χορὸς ἄλλοις μείζων, ἡμῖν δὲ συμφωνότερος, Chorus forte aliis major eſt, nobis vero concinnior. In Laconica enim brevitate multum doctrinæ & ſapientiæ eſt. Breve verbum de verbo abbreviato, ſed cœleſti ſua vitate refertum. Non enim in ſermone regnum eſt Dei, ſed in virtute.

Hæc vis eſt.

Veteres cum vehementius & violentius vel arctius tenebantur, pellabantur, trudebantur, exclamare ſolebant: Hæc vis eſt. Plautus:

Vis hæc quidem hercle eſt, & trahi & trudi ſimul.

Sueton. in Julio: Deinde clamantem. Iſta quidem vis eſt. Eſt & hæc ratio loquendi, Gallis admodum familiaris.

Coquere hœdum in lacte matris.

Crudelitatem crudelitati addere, ut ſi quis filium ante ora parentum morte mactet: quod tyranni ſæpe fecerunt. Deuteron. 14. Tractum potius à loquendi more, quam quod ita coquendi carnes apud veteres fuerit conſuetudo.

GODOFREDI. *De fumo ad flammam.*

Gallus Cæſar, inquit Ammian. Marcel lib. 14. de flamma ad fumum: hoc eſt, de lethalium inſidiarum periculo timore ad ipſam plane necem tetendit. Et Plato de juſto 8. Populus, inquit, liberorum hominum fugiens fumum, in flammam ſervilis dominationis incidit. Notatur iſto ſtulta temeritas, & calamitas eorum, qui à ſimultate, vel dubio, vel minimo malo in certum vel ingens odium & malum proruunt.

CAROLI BOVILLI. *Solem, ventum adverſum, averſum habere.*

Pro, iniquo & inauſpicato uti rerum ſucceſſu: vel contra. Milites ubi vel fato quodam, vel hoſtili arte eo adducūtur, ubi iis infeſtus ſolis adverſi radiis oculorum acies perſtringatur & hebeteturt, infeliciter fere pugnant. Sic viatores, ubi vento obnitendum eſt, minimo progreſſu & maximo labore quid efficiunt. Contra quando ſe res habent, facilia omnia, & ſecunda.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Fornax ferrea.

Moyſes Propheta exaggerans gravitatem ſervitutis, qua Iſraëlitæ in Ægypto premebantur, laboribus intolerabilibus & injuriis vexati, & prorſus inhumaniter tractari ab Ægyptiis, hujuſmodi ſervitutem τεχνικῶς fornacem ferream vocat Deuteron. 4. & hunc ſequutus Salomon in dedicatoria templi oratione, & Hieremias cap. 11. Metaphora ſumpta à fornacibus lateres torrentibus. Dicetur de neceſſitudine quacunque gravi & duriſſima ac diuturna afflictione. Sic jugum ſervitutis Turcicæ, quod Thraces, Phryges, Armeni, Græci, & propemodum univerſa Occidentalis Aſia, bonaque Aphricæ, Europæque pars perferre cogitur, fornax ferrea juſte appellari poſſit.

MALUM VERTENS BENE.

ERASMI. *Nunc bene navigavi, cum naufragium feci.*

Νῦν δ' εὐπλόηκα, ὅτε νεναυάγηκα, i. Nunc bene navigavi, poſteaquam naufragium feci. Quoties id quod videtur incommodum, fortuna præter ſpem vertit in bonum. Zenon Citticnſis, qui relictis prioribus præceptoribus, Cratetis auditor eſſe cœpit, naufragio ejectus dixiſſe legitur: εὖ γε ποιεῖ ἡ τύχη προσελαύνουσα ἡμᾶς φιλοσοφίᾳ i. Bene facit fortuna, cum nos ad Philoſophiam admonet. Author Suidas. Plutarch. in libello De utilitate capiendaex inimico, meminit hujus proverbii.

Laqueus auxiliari videtur.

Ἀμύνειν ὡς ἔοικεν ὁ πάγος. i. Laqueus ita ut videtur & bono fuit. Dictitari conſuevit, quoties incommodum alicui verteretur in bonum, veluti ſi quis Turca bello captus, ſerviret, apud Chriſtianos, iſque hac occaſione noſtræ religionis ſacris initiaretur. Aut ſi dives ad inopiam redactus, hac occaſione fieret ex luxurioſo ſobrius, ex impio pius. Huc pertinet quod Philoſophus ille Zeno, ni fallor, dicebat ſe tum proſpere navigaſſe, poſteaquam naufragium fecerat.

COGNATI. *De parva ſcintilla magnum ſæpe excitatur incendium.*

Siracides in cap. 11. Sententiarum: ἀπὸ σπινθῆρος μικροῦ πληθύνεται ἀνθρακιά. i. De parva ſcintilla magnum ſæpe excitatur incendium, hoc eſt, ex paucis verbis ingens malum. Hæc ſententia proverbialis eſt hodie valde vulgaris & memorabilis. Ea utimur, quando ſignificare volumus, ex leviſſimis offenſis ſi negligantur, naſci atroces injurias. Itaq; Heraclitus Epheſius dicebat, injuriā magis extinguendam quam incendium. Sed ad reſtinguendum incendium accurrunt omnes, gliſcenti vero ſimultati citius addūt irritamenta. Parvæ autem occaſiones magnarum rerum cauſæ exiſtunt, ut inquit Demoſth. ad Leptinem. Galli dicunt:

A petite occaſion prend le loup le mouton Et:

De peu de choſe vient grand noiſe:

Gregorius Theologus Sententiarum lib 1.

Σπινθῆρι μὲ ἄπλετον ἥψατο πολλὴν φλόγα,
Καὶ σπέρμ' ἐχίδνης πολλάκις διώλεσε.
Τοῦτ' οὖν ὁρᾶν ἔχε λίαν, καὶ μικρὸν βλάβος
Μικρὸν μὲν εἶναι, οὐ δὲ μείζω ἐξέχειν.

Ideſt:

Scintilla magnam parva flammam concitat,
Semenque peſtem viperæ ſæpe attulit.
Id cum ſcias, & parvulam labem fuge,
Diſcrimen ingens namque gignit parvula.

Translatio ſumpta eſt ab igniario, quo ignis elicitur.

Bellum haudquaquam lachrymoſum.

Ἀδάκρυς πόλεμος, i. Bellum lachrymis carens: ubi victoria contigit citra cædem & ſanguinem: aut ubi quis è periculoſo quopiam negocio ſic extricavit ſeſe, ut nullo ſuo malo diſceſſerit: ſive cum rixoſi verbis inter ſe digladiantur, nec eſt quicquam periculis ne veniatur ad manus: aut ubi certamen agitur ejuſmodi, ut neutri parti quicquam accidat incommodi: velut in conflictatione literaria, in qua victus diſcedit eruditior, victor amicior. Natū ajunt è vetuſto quodam oraculo Dodonæo, quo reſponſum Lacedæmoniis adverſus Arcadas pugnaturis, ἀδάκρυν πόλεμον ἔσεσθαι, id eſt, Bellum ſine lachrymis futurum. Deinde cōtigiſſe illis victoriam, nemine prorſus interfecto. Nos item incruentam victoriam vocamus, quum nulla cæde contigit victoria: & apud Græcos, ἀναιμωτὶ νικᾶν, id eſt, Citra ſanguinem vincere. Plutarchus in commentario de fortuna Romanorum, ἀδάκρυον νίκην appellat eam, quam Paulus Æmilius de Perſa reportavit. Effertur proverbium etiam ad hunc modum: ἀναίμακτον ἔστησε τρόπαιον, id eſt, Incruentum ſtatuit trophæum. Celebratur inter Pittaci oracula illud quoq; δεῖ νικᾶν ἄνευ αἵματος τὰς νίκας, Oportere victorias citra ſanguinem fieri. Author Laertius. Nec abhorret hinc illud quod in Græcorum

corum commentariis reperio: [illegible] i. Bellum quoddam abſque ferro motum eſt in Græcia. Significat autem bellum, quod ratione, non armis peragitur. Nam id demum viris ſapientibus dignum. Alioqui ferro congredi ferarum eſt & gladiatorum: quos equidem inſra ferarum genus pono. Et tamen nemo crediturus erat, niſi cernerem oculis, quantopere hæc bellandi ratio placeat Principibus Chriſtianis. Pugnatur machinis, quales nulla unquam ethnicorum feritas, aut ulla barbaries excogitavit. Quin eſt apud Germanos populus, cujus hæc præcipua gloria, quam plurimos mortales ferro trucidaſſe: quod cum per ſe immane eſt, tum hoc etiam fœdius, quod hoc faciunt mercede conducta: Veluti carnifex quiſpiam ad lanienam pretio emptus. Atque hæc tum magis erunt proverbialia, ſi longius transferantur: ut puta, ad litem forenſem, contentionem, aut aliud id genus certamen.

EX APPEND. ERASMI.

Malum bono penſatum.

Cum natura egregium bonum egregio vitio penſat, vel cum quis beneficium ſuum aliquo vitiat maleficio, quadrabunt illa Homeri:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Hunc alios ultra dilexit Muſa, deditque
Atque boni, atque mali quiddam: nam lumina ademit,
Ac dedit emulcere ſuavi pectora cantu.

IUNII. *E Tragico Comicum drama.*

[illegible] i. Actus è Tragico Comicus, proverbialiter à Synelio vocatur, quum pro triſtibus initiis lætus ſuccedit eventus, præſens exitium incolumi ſalute commutatur. ſic enim inquit in longa illa ad Euoptium epiſtola: *[illegible]* i. Hanc fabulam è Tragica Comicam & fortuna nobis concinnavit, & ego meis ad te literis inſerui. Heliodorus lib. 7. *[illegible]* i. Exitus cataſtrophen habuit è Tragica Comicam. E diverſo dixit Agathius Scholaſticus Epigram. lib. 7.

[illegible]

Id eſt:

Comicum ad is luſum Tragica feritate reponens.

Nemo non novit tragœdiam in neces, ſuſpendia, exilia, aliaſque calamitates deſinere: Contra Comœdiam nuptias plerunque & optatos habere exitus. Alioqui *[illegible]* pro triſti & vitæ periculo conjuncto poni ſolet, ut apud Philoſtratum in Ariſtide: *[illegible]* id eſt. Qua ratione quis ſecure tractare queat periculoſa & Tragicas ſententias. Item pro ſupercilioſo & ſuperbo. Plutarchus in Lucullo: *[illegible]* i. Faſtus tragices & intolerabilis. Nazianzenus in epiſtola ad Anyſium *[illegible]*. Non licuit, arbitror, Tragice habentem, Comice ludere. quod ipſum vice proverbii poterit eſſe, quando aliquis gravibus moleſtiis implicitus excuſat ſe, cur minus lætus ſit aut jocis ludat. Cui germanum eſt illud Syneſii lib. De providentia: *[illegible]* i. Ita ſæpenumero Tragica pernoctatio in Comœdiam deſinit, quo voluit innuere, pernoctes debacchationes dirum & infelicem exitum minantes ſæpe in riſum deſinere. Ælianus, *[illegible]* i. Tragœdia digna pati, dixit pro, diras calamitates incurrere et Plutarchus Luculli vitam *[illegible]* nominat: id eſt antiquam Comœdiam: quod poſt militares & actos in Repub. labores, deliciis luxuique ſe totum dediderit: quemadmodum Comœdia poſt initia dura, in lætum finem deſinit, & nuptias plerumque.

Amiſit urbem, & pugionem recepit.

[illegible]

Id eſt:

Amiſſa urbe recepit pugiunculum.

Proverbium eſt in eum, qui pro luculenta quam fecit jactura, exiguum quid reportat: veluti ſi negociator pro mercibus opulentis ad Indos ſpe divitis lucri miſſis, vilem tegeticulam referat. Calippus, qui occiſo per inſidias Dione, Syracuſarum tyrannidem invaſit, non multo poſt quam imperium ſuſceperat, ad occupandam Catanam vicinum oppidum profectus, urbis Syracuſanæ imperio excidit. qua accepta calamitate proverbialem verſiculum hunc exclamavit:

[illegible]

Id eſt:

Pugiunculum recepit, urbem perdidit.

Refertur à Plutarcho in vita Dionis. Eſt autem *[illegible]* pugiunculi ſive cultelli genus, ſcalpendis caſeis comparatum, ſi vocis etymon ſpectemus, *[illegible]*.

Etiam è vitericubus naſcitur.

[illegible] i. etiam è vitericubus naſcitur. Proverbium eſt, quoties indicare volumus è nequam parentibus, bonæ frugis liberos: ex indocto magiſtro, diſcipulum eruditum: è ſtolidis interdum cordatos naſci. Gregorius Nazianzenus ex oratione Athanaſio Alexandrino dicta: *[illegible]* i. Audiſtis vero etiam è vitericubum oriri, & inter diſcipulos unus extitit proditor ille Judas. Huic contrarium eſt quod de Eutherio dixit Marcellinus lib. 16. qui Armenus natus gente truculenta & improba, juſti conſilii plenus fuit. & quum ſpado eſſet, nihil effeminatis eunuchorum moribus conſonum habuit, ſic autem ait: Sed & inter vepres roſæ naſcuntur, & inter feras nonnullæ miteſcunt. inquens, nullam tam barbaram eſſe gentem, & ab humanitate omni alienam, quin bonos aliquos producat. Sic Scythia Anacharſin protulit inſignem Philoſophum: Cappadocia improbitate morum infamis, Baſilium illum vere Magnum, Gregorium Nazianzenum & Aretam Cappadocem cujus in Apocalypſin extat commentarius, aliosque præclaros ſcriptores dedit.

BRASSICANI.

IN Paro frigida quidem eſt aqua, ſed pulchræ mulieres.

Interpres Ariſtophanis in Veſpis, proverbialem verſiculum citat, nec ejus uſum oſtendit: *[illegible]*. Paros habet quidem frigidam aquam, ſed formoſas mulieres. Ego quantum judicare poſſum, exiſtimo proverbii uſum eſſe ſi quando ſignificabimus diſpendium eſſe perpetuo compendio aliquo ſarciendum. In Paro tametſi frigida ſit aqua, venuſtas tamen mulierum hoc quicquid eſt diſpendii, abunde reponit. Quod ſi quis è numero Doctorum melius noverit, quis adagio locus ſit, is candide admoneat. reperturus hominem gratum tantum abeſt ut ingenuis admonitionibus obtemperare nolim.

IOANNIS VEPII.

Literarum radices amaræ, fructus dulces.

Indicat, aditum ad literas eſſe difficilem, multiſque laboribus & vigiliis conſtare, ipſarum vero poſſeſſionem jucundam & dulcem. Hieronymus. Idem expreſſit Horat. in arte poetica.

Qui cupit optatam curſu contingere metam, &c.

COGNATI.

Aurum ex ſtercore colligendum.

Hoc utimur, quotieſcunque ſignificare volumus, id quod Plinius jam olim dictitabat, nullum librum tam malum eſſe, quin parte aliqua prodeſſe queat. Recte etiam olim dictum eſſe puto, non quis, ſed quid dicatur, conſiderandum. Modeſtiæ enim eſt, quod alicujus ſæculi communi linguæ fuit vitium, diſſimulare. Nec enim video aurum minori eſſe in precio, quod in vaſe fictili hoc illud in ſplendida arca cuſtodiatur. Nonne gallus Æſopicus dum vertit ſtercorarium, nitidam gemmam reperit?

Optima nomina non appellando fieri mala.

Proverbiale eſt apud Columel. in pri. Vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe fertur. i. quamvis locupletes habeas debitores, tamen ſi diu judicium ipſis nõ dictaveris, uſuraſque non petieris, mala tandem fieri. i. ipſos tandem non ſolvendo tanto æri alieno fieri, ſicque inanem tandem perſecutionem, & nomina ipſa caſſa factum iri. Sic Seneca: Segnes & tardi, lenta nomina non mala, hos ego non appellabo, ſed commonefaciam. Nomina autem pro debitoribus accipiuntur, vel pro ſyngraphis creditarum pecuniarum. Appellamus enim nomina, id eſt, debitores, per apparitores, i. magiſtratuum viatores: qui in jus homines vocant & in jus ire jubent. Porro inania nomina ſunt, quorum inutilis eſt perſecutio, ut debitorum: qui cum judicati ſunt, judicatum facere nequeunt. Appellare autem & interpellare, verba ſunt juris, ejuſque creditoris nomina ſua exigentis, debitoremque in jus vocantis. Sunt enim nomina quædam, quæ non ante diſſolvi debent, quam creditor interpellarit: quædam autem ſunt in quibus dies ipſa, hoc eſt temporis lapſus pro homine appellat, adeo ut in mora eſſe videatur debitor, ſi ultro debitum non obtulerit. Purgatur autẽ mora apud Juriſconſ. per oblationẽ debiti, & depoſitionem, & alias: hoc eſt, cum quidpiam agit debitor, quo ſum moveri creditor poſſit, ſi ad pœnã aut uſuram tranſacti poſt diem temporis agere inſtiterit. Ut autem appellari dicitur debitor, cum flagitatur ut ſolvat, ita cum ſolvere ſe dicit, reſpondere dicitur. Cicero in quadam epiſtola ad Atticum: Fit ſæpe, ut ii qui debent, non reſpondeant ad tempus.

Nec ſic quidem male.

Hujus proverbii meminit Plato in Sympoſio: Adoleſcens, inquit, quum canem allatrantem ferire lapide deſtinaſſet, lapis à cane aberrans in novercam incidit, eamque ſauciavit. quod quum adoleſcens animadvertiſſet, exclamavit *[illegible]*, id eſt, Nec ſic quidem male, ceſſit, ſubintelligendum. Budæus ita: Tametſi *[illegible]*, ut ajunt, &c.

Redivivus homo.

Gallis, Redivivus homo metaphoricῶs dicitur, qui revaluit ex capitali morbo. Redivivum autem a Græcis *[illegible]* dicitur. Hinc redivivus lapis, qui ex vetuſto renovatus eſt, tranſlatione ab operum ſtructura. Cic. in Verrem: Qui etiam ad extremum con-

cōnſcripſerit, Rediviva habeto redemptor: quaſi quicquam redivivi ex illo opere tolli poſſet, ac non totum opus ex redivivo conſtitueretur, hoc eſt, ex lapidibus interpolatis, ac denuo cæſis. Idem in eundem Verrem: Columnam efficere ab integro novam, nullo lapide redivivo. Lactan. lib. 7. Deus enim veniet & orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas juſtorum animas corporibus innovatis ad æternam beatitudinem ſuſcitabit. Redivivum Lactant. pro renovato dixit, ut Cicero. Budæus Vivi: Quod ne redivivo quidem lapide uti mihi licuit. Idē Chriſtophoro Longolio. Quod ſi quibus in locis in ſpeciem opus ipſe ex redivivo, quaſi novum extruxi, bona fides hoc poſcit, ut mea rediviva ſint. Unde irredivivus pons Catullo pro irreparabili. *ἀναπεσόντας* & rudus, redivivum ab novo diſſert Vitruvio lib. 7.

Ædificare politis decisis lateribus.

Eſaias 9. Ædificandi dictione reſtaurationem intelligit: metaphora ſumpta ab extructione domorum. Lateres ceciderunt, inquit, ſed quadratis lapidibus ædificabimus. Hæc Ephraitici ſuperbe admodum, & elato nimis corde dicunt, lateres ſibi corruiſſe, ſed quod nunc rurſus ſua extructura ſint lapidibus quadratis atque politis. Significant enim, parvo ſe damno affectos majora præſtare poſſe.

Monachum facit deſperatio.

Non hercle hoc vetus de monachis adagium obſoletum eſt, ſed adhuc uſu hominum viget. Videmus equidem monachici ordinis pleroſque, re ſua familiari comeſta & decocta, intraſſe monaſteria, famem ut explerent, inopiam ut fugerent: idque tam aperte quidem, ut nunc in genere de cunctis dicatur: Monachum fecit deſperatio. Hic ſcopus cunctis fere *ἀσώτοις* & decoctoribus peculiaris eſt, atque communis: confugiunt ad peram & cucullam, corpuſque ſqualidum reddentes, repente monachi ex aſotis, pigris & nihili hominibus exiſtunt, virtutemque circumeuntes laudant. Novimus autem inter eos Quintium Sonetum Veſulienſem Minoritam, & Joannem Vallenſem Carmelitam.

POLYDORI VIRGILII.

Torris de igne erutus.

De eo qui perdiu in aliquo verſatus malo, tandem periculo vita eripitur, velut torris cum ſemi uſtus de igne extrahitur.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Laniena Hippocratica.

De ea medicæ artis parte, quæ ſtringendo, urendo, ſecandoque inſtrumentis, ignibus & ferro exercetur. Prudent. in Rom. Trahetur ad quævis dura perpeſſu, & ipſo adſtructu crudelia.

MALVM ASSVETVM.

ERASMI. *Callum ducere.*

Proverbiales metaphoræ ſunt, Callū ducere, & Occalleſcere. ſi quidem ad animum detorqueantur. Quintilian. lib. 12. Et ingenio adhuc alendo callum inducere. Sæpicule legimus apud M. Tullium, occalluiſſe aures, cum aſſuetudo ſenſum mali adimit.

Dies adimit ægritudinem.

Menedemus in *ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ*. Terentiana nominatim adagii vice refert: Aut ego, inquiens, profecto ingenio egregie ad miſeriam natus ſum, aut illud falſum eſt, quod vulgo audio dici, diem adimere ægritudinem hominibus. Eodem ſpectaſſe videtur Sophocles in Ajace flagellifero:

> χρόνος γὰρ εὐμαρὴς θεός,

Id eſt:

> Tempus enim facilis Deus.

videlicet quod omnia leniat, molliatque:

Ovidius:

> Quod male fers, aſſueſce, feres bene, multa vetuſtas
> Lenit. —

Euripides in Alceſtide: *χρόνος μαλάξει*. i. Tempus dolorem leniet. Marcus Tullius libro Tuſcul. quæſt. 3. Quod ita eſſe dies declarat, quæ procedens ita mitigat, ut iiſdem malis manentib. non modo leniatur ægritudo, ſed in pleriſque tollatur. Idem Epiſt. lib. 5. Nam quod allatura eſt diuturnitas, id nos præcipere conſilio prudentia debemus. Citatur ex Iphiclo:

> [illegible] *ἁπάντων δ' ἐστὶν ἰατρὸς χρόνος*.

Id eſt:

> Tempus moleſtiis medetur omnibus.

[illegible] Euripides:

> [illegible]
> [illegible]

Id eſt:

> Medicus dedit qui temporibus morbo moram,
> Is plus remedii, quam cutis ſector dedit.

Malorum aſſuetudo.

Qui malis aſſuevit, ac permulta tulit, commodius fert & aliud, ſi quod inciderit infortunium. Ad id conveniet illud eodem ex libro ſub perſona Ulyſſis:

> Ἤδη γὰρ μάλα πολλὰ ἔπαθον καὶ πολλὰ μόγησα,
> Κύμασι καὶ πολέμῳ· μετὰ καὶ τόδε τοῖσι γενέσθω.

Id eſt:

> Jam tuli & ante mali multum, multumque laborum
> Fluctibus & bellis, age & hoc acceſſerit illis.

Neque enim ignari ſumus.

Ubi quis ad tolerantiam præſentium incommodorum, animat ſeſe præteritorum malorum recordatione, non infeliciter uſurpabit illud ex eodem libro:

> τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Id eſt:

> Obducees animæ, & quondam graviora tuliſti.

Id æmulans Virgilius:

> O paſſi graviora, dabit Deus his quoque finem,
> Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis.

Conſimiliter Horatius in Odis:

> — O fortes majoraque paſſi
> Mecum ſæpe viri. —

Nota res mala, optima.

Plautinum illud in Trinummo, proverbiali ſchemate dictum videtur. Nota res mala, optima eſt: Dictum eſt autem ſub perſona ſenis, ſuadere conantis amico, ne uxorem tametſi malam repudiaret, aliam ducturus: propterea quod plerunque fit, ut qui commutat, primum pro malo pejus accipiat, tum ignotum pro noto, poſtremo inſuetum pro familiari. Tantum enim valet aſſuetudo, ut mala quibus aſſevevimus, optima videantur: contra quæ ſint optima, propter inſolentiam peſſima videantur. Adagium itaq; deterret, ne temere novandis rebus ſtudeamus, vitem uſque vitium illud, haud ſcio an maximum, quod Græci *φιλοκαινίαν* appellant, id eſt, novarum rerum appetentiam: cui comes alterum veluti Germanum, quod *ἀψικορίαν* vocant, quod mox faſtidiuntur paulo ante adamata. Convenit cum Plautina ſententia, quod apud T. Livium Pacuvius Calavius ſuadens Campanis, ne Senator: ▪ mutare vellent, populum jam re doctum dicere compulit, Noviſſimum quodque malum maxime tolerabile eſſe. Huc pertinet & Ovidianum illud.

> Quod male fers, aſſueſce, feres bene: multa vetuſtas
> Lenit. —

Eodem pertinet & Mimus ille, neſcio cujus:

> Mulier tum demum eſt bona, cum aperte eſt mala.

Cognitum enim malum aut vitamus, aut nos ad id accommodantes ferimus. Item ille: Conſueta vitia ferimus, non reprehendimus. Ariſtoteles lib. Moralium Nicomachiorum. 7. *ἀεὶ γὰρ πονεῖ τὸ ζῷον, ὥσπερ καὶ οἱ φυσικοὶ λόγοι μαρτυροῦσι, τὸ ὁρᾶν καὶ τὸ ἀκούειν φάσκοντες εἶναι λυπηρόν, ἀλλ' ἤδη συνήθεις ἐσμέν, ὥς φασιν*. id eſt, Semper enim animal laborat ut audiat, videatque, quemadmodum teſtantur & naturales ſermones, dum fatentur quidem eſſe moleſtum, ſed jam aſſuevimus, ut ajunt.

Uſus eſt altera natura.

Nihil hoc dicto celebratius, *ἔθος ἄλλη φύσις*, i. Uſus, altera natura. Natura nihil efficacius, potentiuſque. Unde Satyricus:

> Cuſtode & cura natura potentior omni.

Hic parem, aut certe proximam vim habet aſſuetudo. Ariſtoteles lib. Rhet. 1. diſputans de jucundis. docet ea jucunda eſſe, quæ vel ſecundum naturam ſunt: vel, quod huic proximum eſt, conſueta. Nihil enim putat intereſſe inter naturam & uſum, niſi quod intereſt inter ſemper & plerumque. Perpetuum enim eſt, quod indidit natura: frequens, quod uſus affixit. Proinde ſanctiſſimum conſilium dedit, qui juſſit ut à teneris ſtatim annis optima eligamus, quæ poſt uſu futura ſint etiam jucunda.

Scarabeo citius perſuaſeris.

Θᾶττον ἂν κάνθαρος μεταπεισθείη, id eſt, Citius Scarabeum in diverſam ſententiam pertraxeris. De iis qui malis aſſueverunt, à quibus tamen revocari non poſſunt, eo quod aſſuetis videātur optima. Lucian. in Pſeudologiſta: [illegible] id eſt, Neque enim ipſe unquam fieres melior increpatione mea, nihilo magis quam ſcarabeo perſuaderi poſſet, ne amplius talia volvat, poſteaquam ſemel illis aſſuevit. Scarabeus fœtus ſuos educat in ſtercore, præcipuo caprino, & indidem paſcit, atque ibidem habitat. Excrementa vero fingunt in ſphærulas, eaſque in nidum devolvunt, capite in terram demiſſo, poſterioribus pedibus in altum erectis. Nemo facile abducitur à vitiis, in quibus natus & educatus eſt: & quæ per ſe ſunt fœdiſſima, videntur & pulchra & dulcia, diutinæ conſuetudinis commendatione.

COGNATI. *Dolorem longa conſumit dies.*

Seneca De conſolatione ad Martiam c. 8. Dolorem dies longa conſumit. Refertur apud Terentium adagii vice. Vide Eraſmum in adag. Dies adimit ægritudinem. Sic a multis profertur;

Tempus moleſtis medetur. A Gallis vero: Le temps oute.

Leviora quibus aſſuevimus.

Hinc eſt, ut Chriſtus Luc. 5. dixerit: Nemo qui biberit vetus, ſtatim vult novum: dicit enim, Vetus melius eſt. Siquidem ut poma, ita & vina per ſe auſtera, miteſcunt vetuſtate: ita leviora nobis videntur, quibus aſſuevimus: ut in communibus proverbiis dicitur. Qui etiam malis aſſuevit, ac multa tulit, commodius fert & aliud, ſi quod inciderit infortunium. Afranius in Privigno, citante Nonio: Quod ſi feciſſet, paulo ſæpius didiciſſet id ferre; & non eſſet intolerabilis.

Nux, aſinus, mulier nil recte faciunt, ſi verbera ceſſent.

Nolui hoc diſtichum, quod toto terrarum orbe cantatiſſimum eſt, negligere:

> Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligati:
> Hæc tria nil recte faciunt, ſi verbera ceſſent.

Plutarch. li. De inſtituendis mulierib. admonendis mulieribus ferulam adhibet. Aſinis non opus eſt verbis, inquit Cicero in Piſonem, ſed fuſtibus. Adeo enim ſubjecti addictiq; fuſtibus ſunt aſini, ut Italorum vulgus paſſim verbera, plagaſque flagris inflictas, Aſinitas vocitet. Porro in Eccleſiaſtico, cap. 33. Cibus, virga, & onus aſino. Ovidius autem inducit Nucis arborem conquerentem, quod frequenter ſaxis feriatur. Tum feſtiviter per occaſionē, moralem loco tractat, oſtendens non eſſe mirum, ſi nucibus damno eſt ſua fertilitas, quum idem uſu veniat in mulieribus. Nuces tamen etſi perticis decutiantur, copioſius proveniunt in proximum annum, quam ſi decerperentur.

Nullum mendacium ſine teſte.

Mirum eſt, inquit Plinius lib. 8. cap. 22. quo procedat Græca credulitas, nullum tam impudens mendacium, quod teſte careat. Joan. Langius Epiſt. 35. hoc Plinii Secundi dictum revocat, dicēs: Ob id ſtellis omnibus, tam erraticis quam fixis ſuos effingunt characteres, quibus ſe morbos & infortunia depellere poſſe gloriantur: adeo nullum tam eſt impudens mendacium, quod teſte vel prætextu aliquo careat. Lucianus in Ocypo: Quilibet ſe decipit mendacio: & veram cauſam ſupprimens, aliam fictam in promptu habet. Accurſius ait, Nullam eſſe tam malam cauſam, quam peritus advocatus non poſſit bonam facere. Audivimus etiam pueri aliquando illud in ſchola, ex Comœdia: Nihil tam bene dici poteſt, quin male interpretando poſſit depravarier.

MALVM ACCERSITVM aut retortum.

ERASMI. *Ilienſis tragœdos conduxit.*

Ὁ Ἰλιεὺς τραγῳδοὺς ἐμισθώσατο, id eſt, Ilienſis tragœdos conduxit. Ubi quis ultro provocat quempiam, unde ſua audiat probra: veluti ſi Trojani accerſant hiſtrionem, qui ipſis calamitates quas ſemel pertulēre, denuo quaſi renovet. Lucianus in Pſeudologiſta: ἐπεὶ γὰρ κατὰ τὴν παροιμίαν Ἰλιεὺς ὢν τραγῳδοὺς ἐμισθώσω, id eſt: Poſteaquam enim juxta proverbium Ilienſis cum ſis, tragœdos conduxiſti. Idem alibi, [illegible], id eſt, Itaque plane idem nobis accidit quod Ilienſibus, ut qui iſtum ceu tragœdum quempiam adverſus nos excitavimus, qui Phrygum canteт calamitates.

Suo jumento ſibi malum accerſere.

Qui ipſe ſibi malorum eſt autor, ſuo jumento ſibi malum accerſere dicitur, tanquam ſuo ſumptu ſuaque opera, quaſi ſuopte plauſtro malorum farcinam adportet ſibi. Plautus in Amphitryone: Ipſe homo ſibi à me malam rem accerſit jumento ſuo. Sumpta metaphora a plauſtris oneratis. Nam id quoque ſignificat jumentum, autore Gellio lib. 20. cap. 1. aut certe ab animalibus, tergo vectantibus onera.

Suo ſibi hunc jugulo gladio, ſuo telo.

Suo gladio ſuove telo jugulari dicitur, qui ſuis ipſius dictis revincitur, aut qui ſuopte invento dolove capitur: denique in quem quocunque modo, ſeu dictum ſeu factum retorquetur, quod ab ipſo profectum ſit, veluti ſi quis exemplo Protagoræ antiſtrephon dilemma in eum qui propoſuerit, retorqueat: aut ſi quemadmodū Phalaris, Perillum mali repertorem, ſuo invento conficiat. Itaque in Adel. Terentii, Mitio ſenex fratris Demeæ ſævitiam increpans, hujuſmodi utitur ſententia: Hoc unum affert vitii ſenecta, attentiores ad rem ſumus quam oportet. Eandem Demea paulo poſt in fratrem retorquens: Poſtremo, inquit, non meum illud verbum facio, quod tu Mitio bene & ſapienter dixti dudū: Vitium commune omnium eſt, quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus: Hanc maculam nos decet effugere. Hac ratione cum Mitio cōſtringeretur, adigereturque ut agrum quem rogabatur, daret: tum Demea Suo, inquit, ſibi hunc jugulo gladio. Translata metaphora ab his, qui in pugna ſuis ipſorum telis aliquoties confodiuntur. Plautus in Amphit. Atque hunc telo ſuo ſibi, malitia ſua, à foribus pellere. Cicero pro Cæcinna. Aut tuo quemadmodum dicitur, gladio, aut noſtro, defenſio tua conficiatur neceſſe eſt. Huc alludit Ovidius in Epiſt. Heroidum:

> Remigiumque dedi, quo me fugiturus abires:
> Heu patior telis vulnera facta meis.

Eodem pertinent & illa Ciceronis: In tuum ipſe mucronem incurras, neceſſe eſt: Rurſum: Hic eſt defenſionis tuæ mucro, in quem incurrat oratio tua, neceſſe eſt. Neque vehementer hinc abludit Livianum illud lib. 2. de ſecundo bello Punico: Sentiebat Hannibal ſuis ſe artibus peti. Lucianus in Piſcatoribus, [illegible], i. Quæ quidem telis a nobis, uti fateris, ſumpta, adverſus nos jaculatus es. Tradit Plutarch. Braſidam ducem educto è corpore telo, eodem cuſtodiit eum qui miſerat. Marius unus e triginta tyrannis, à milite quodam interemptus narratur à Trebellio Pollione, qui adoriens dixerit: Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti. Nam Marius ante tempus imperii faber ferrarius fuerat, & ejus militis opera in fabrili officina uſus. Hunc igitur vere ſuo gladio dixeris jugulatum.

Incidit in foveam, quam fecit.

Idem pollet illud quod in Odis Davidis refertur Pſal. 7. λάκκον ὤρυξε καὶ ἀνέσκαψεν αὐτὸν καὶ ἐμπεσεῖται εἰς βόθρον ὃν εἰργάσατο, id eſt, Lacum fodit, & aperuit eum, & incidet in foveam quam fecit. Translatum vel ab his, qui foveis eſfoſſis, aut reliquis id genus decipulis inſidiantur feris: vel à bellis, in quibus aliquoties ſubfoſſis cuniculis hoſtis hoſtem captat.

Suo ipſius laqueo captus eſt.

Nec aliud ſibi vult, quod apud eundem legitur Pſal. 9. ἐν παγίδι ταύτῃ ᾗ ἔκρυψαν συνελήφθη ὁ ποὺς αὐτῶν: id eſt: In ipſo laqueo quem abſconderant, comprehenſus eſt pes eorum. Nota metaphora: nempe mutuo ſumpta ab his, qui inſtructis pedicis, aut cibus aut feris inſidias tendunt.

Hunc technam in teipſum ſtruxiſti.

Eandem ſententiam aliter expreſſit Lucianus [illegible], eſt, hoc que commentum in tuum ipſius caput reperiſti. De hæredipeta: qui quum divitem ex aſſe hæredem ſcripſiſſet, ac teſtamentorum protuliſſet, quo divitem ad id faciendum provocaret, tecti ruina ſubito oppreſſus eſt, ac ſua reliquit illius ejus facultatibus inhiārat. Utendum erit, cum dolus in alterum excogitatus, in caput autoris recidit, ita ut non raro contingit accidere.

Turdus ipſe ſibi malum cacat.

His ſimillimum eſt illud Græcorum adagium, κίχλη χέζει αὑτῇ κακόν, id eſt, Turdus ipſe ſibi malum cacat. In illos dici ſolitū, qui ſibiipſis miniſtrarent exitii cauſam. Siquidem viſcum, autore Plinio, nō provenit, niſi maturatum in ventre, ac redditum per aviū alvum, maximo palumbium ac turdorum. Cujus rei meminit & Servius in ſextum Æneidos. Ariſtoteles item libro De natura animantium nono, tria turdorum genera facit, quorum primum ἰξοβόρον vocatū ait: aut, ut Athenæus, ἰξοφάγον, nimirum quod viſco veſcatur. Quoniam autem viſco capiuntur aves, ipſe ſibi malū cacat videlicet. Plautus paulo diverſius extulit: Ipſa, inquiens, ſibi avis mortem creat. Quanquam equidem non dubitem affirmare, à Plauto Cacat non creat, fuiſſe ſcriptum: deinde locum à quopiam ſemidocto, & Græcanici proverbii ignaro depravatum, ſuppoſita voce adulterina, Creat. Sophocles in Antigone:

> Ὅστις δ' ἀνωφελῆτα φιτύει τέκνα,
> Τί τόνδ' ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὑτῷ πόνους
> Φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων;

Id eſt:

> Inutiles quicunque liberos ſerit,
> Quid aliud hunc quam ſibi creare dixeris
> Ipſi dolores, atque riſum malevolis?

In hos igitur quadrabit parœmia, aut in eos, qui potentes ſibi generos adſciſcunt, à quibus poſtea per vim opprimantur.

Ipſe ſibi mali fontem reperit.

Extat item apud eundem ſenarius proverbio celebratus:

> Αὐτὸς γὰρ εὗρε τοῦ κακοῦ τὴν πυτίαν.

Id eſt:

> Ipſus mali ſibi reperit coagulum. Aut,
> Αὐτὸς εὗρε τοῦ κακοῦ πηγὴν.

Id eſt:

> Ipſe reperit mali fontem.

Sic Æſchylus in Perſis:

> Νῦν κακῶν ἔοικε πηγὴ πᾶσιν εὑρῆσθαι φίλοις.

Id eſt:

> Nunc mali fons eſt repertus, ut videtur omnibus.

Verſus eſt Trochaicus. Sunt enim & perniçioſi fontes, quorum aqua guſtata mortem, aut inſaniam, adferat, quos prodiderunt literis reperiſſe.

Suo ipſius judicio perit ſorex.

Cui confine eſt illud Terentianum ex Eunucho: Egomet meo indicio miſer quaſi ſorex hodie, perii. Verba ſunt Parmenonis, qui deluſus à Pythia prodiderat ſe ſeni. Donatus admonet eſſe proverbium in eos, qui ſuapte voce produntur. Atque hinc exiſtimat ductam eſſe metaphoram, quod ſorecum proprium ſit vel ſtridere clarius quam mures, vel ſtrepere magis cum obrodunt involucra: ad quam vocem multi ſe intendentes, quamvis per tenebras noctis transfigunt eos. Uſurpat hoc adagium divus Aurelius Auguſt. in primo De ordine libri erga ſuum Licentium: quidam putarant-

ut tabula ſoricem ſtrepitu abſterret, ipſe ſeſe prodebat Auguſtino quod vigilaret. Alluſit eodem Origines homilia in Geneſim tertia: Sed videbor, inquit, ipſe meis indiciis captus.

Captantes capti ſumus.

Αἱρέοντες ᾑρήμεθα, id eſt, Captantes capti ſumus. Cum res præpoſtere evenit, ut ipſi circumveniamur ab iis, quibus conabamur imponere. Id quod non raro ſolet uſuvenire, ut in eas incidamus pedicas, quas aliis ſtruxeramus. Sæpe fit, ut qui ſimulat amorem, quo puellam in amorem pelliciat, ipſe vere incipiat amare. Et qui dat operam, ut invitatiunculis alium conetur efficere temulentũ, ipſe reddatur ebrius: & qui finitimum moliatur imperio depellere, ipſe ſuum amittat imperium. Sic & Horatius:

Græcia capta ferum victorem cepit.—

Videtur eodem alluſiſſe Plato, cum ità ſcribit in Theæteto, ἀτεχνῶς μοι δοκεῖς ὦ Σώκρατες μάλιστα ἁλῶναι ὁ λόγος αὐτὸς θηρεύων, id eſt, Mihi videtur ô Socrates maxime capti ratio quæ captabat. Sophocles in Oedipo Coloneo:

Γίγνωσκ' ἔχων τ' ἔχῃ, καὶ σ' εἷλε θηρῶνθ' ἡ τύχη.

Id eſt:

Scito quod tenens teneris, teq; captantem invicem
Fortuna cepit.—

Plautus in Epidico: Jam captor ipſe captus eſt. Lucianus in meretriciis dialogis: καὶ ἑάλωκα ὁ κακοδαίμων καὶ συνεαλώκειν αὐτῇ, id eſt: Et cepi miſer, & ſimul ab illa captus ſum. Translatum aut à bello, aut piſcatione, ſeu venatu.

In venatu periit.

Feſtivius dixit Lucianus in Toxaride ταῦτά τοι ἀπώλετο ὑπὸ τῆς ἄγρας, id eſt, Et ipſa venatu periit, hoc eſt: dum adoleſcentem venatur, ſtudetque irretire, etiam ipſe ſeſe perdidit. Quin etiam illa ipſa. Venari laudem, aucupari famam, proverbiales ſunt metaphoræ: velut, Expiſcari pro ſciſcitari atque exquirere.

Qui inſpuerit in cavernam formicarum, &c.

Idem indicat vulgari ſermone fuiſſe jactatum, ὡς ὁ πτύσας εἰς μυρμηκιᾶς οἰδεῖ τὰ χείλη, id eſt, Quod qui inſpuerit in agmen formicarum, huic intumeſcant labra: Hoc ſeu vere fit ut ex halitus repercuſſu virus aliquod afficiat conſpuentis os, ſeu temere credi tum torqueri poterit in eos, qui multitudinem imbecillium quidem, ſed tamen numeroſam & concordem provocant. Heſychius authorem citat Dinolochum. Is fuit Comœdiarum ſcriptor, Epicharmi filius.

Ex ipſo bove lora ſumere.

Ἐκ τοῦ βοὸς τοὺς ἱμάντας λαμβάνειν. i. Ex ipſo bove lora ſumere dicuntur, qui quo lædant quempiã, id ab ipſo quem lædunt, accipiunt. velut ſi quis verſibus inceſſeret eum, à quo carminis componendi rationem didiciſſet: aut tyrannus pecuniam extorqueat à civibus, qua ſatellitium ad opprimendam civitatem alat, aut ſi quis rhetorices præſidiis rhetoricen oppugnaret. Metaphora ſumpta ab agricolis, qui lora cædunt è boum tergoribus quibus boves vinciunt. Plutarch in commentario, cui titulus εἰ ἡ ψυχὴ τοῦ σώματος... τί δ' ἄν τις λέγοι; ἀρκεῖ γὰρ ἡ φύσις τῆς σαρκὸς ὕλην ἔχουσα νόσων ἐν ἑαυτῇ, καὶ τοῦτο δὴ τὸ παιζόμενον, ἐκ τοῦ βοὸς τοὺς ἱμάντας λαμβάνουσα, τὰς ἀλγηδόνας ἐκ τοῦ σώματος. id eſt: Quid igitur dixerit quiſpiam? Satis eſt ipſa corporis natura, morborum materiam in ſe continens, ac juxta quod joco dici ſolet, tanquam ex ipſo bove lora ſumens, ita ex ipſo corpore dolores.

Viro Lydo negocium non erat.

Ἀνδρὶ Λυδῷ πράγματ' οὐκ ἦν, ἀλλ' αὐτὸς ἐξελθὼν ἐπρίατο, id eſt, Viro Lydo, negocium non erat, at ipſe foras præfectus paravit. Dici ſolitum, ubi quis impatiens ocii, ipſe ſibi negocium ac turbam accerſit. Alluſiſſe videtur hoc Plutarchus, adverſus Colotem, ἐμοὶ δὲ δοκεῖ καθάπερ ὁ Λυδὸς ἐφ' αὑτὸν ἀνοίγειν οὐ θύραν μίαν, ἀλλὰ ταῖς πλείσταις τῶν ἀποριῶν καὶ μεγίσταις περιβάλλειν τὸν Ἐπίκουρον. id eſt, Mihi vero videtur quemadmodum Lydus ille, in ſeipſum aperire non unam januam, ſed maximis ac plurimis difficultatibus circumvallare Epicurum. Sumptum a Crœſo Lydorum Rege, qui antea felix, rebuſq; florentiſſimis utens Cyrum in ſe provocavit: a quo victus in maximas calamitates devenit. Author Zenodotus.

Talia gignit bellum.

Senarium hunc M. Tullius Epiſt. ad Quint. Fratrem lib. 3. cen vulgo jactatum adducit:

Τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται.

Id eſt:

Similia bellum calamitoſum perficit.

Sentiens, è diſſidiis eorum qui Rempub. adminiſtrãt, multa gigni abſurdã. Verba Ciceronis ſic habent: Summum ocium forenſe, ſed ſeneſcentis magis civitatis quam quieſcentis. Sententia autem mea in ſenatu ejuſmodi magis ut alii nobis aſſentiantur quam noſmetipſi τοιαῦθ' ὁ τλήμων πόλεμος ἐξεργάζεται. Id tranſlatum ad privatam diſcordiam pluſculum habebit gratiæ.

Securim injicere.

Securim injicere dicuntur, qui vehementer lædunt ac vulnerant. M. Tullius pro L. Murena: Sed tamen Servi, quam te ſecurim putas injeciſſe petitioni tuæ, quũ tuæ populũ Romanũ in eũ metum adduxiſti? Atq; inibi paulo ſuperius, quod hic ſecurim dixit, velut exponens appellat plagam: Atque ex omnibus illa plaga eſt injecta petitioni tuæ, non tacente me maxima. Item pro Plancio: Quam graviorem potuerunt Reipublicæ infligere ſecurim. Idem in Epiſtola ad Quint. Fratrem lib. 2. Tenediorum igitur libertas, ſecuri Tenedia præciſa eſt. Et Demoſthenes Phocionem appellare ſolet, ſuorum argumentorum ſecurim. Frequentia ſunt apud Plautum, Injicere tragulam, Injicere pilum, Injicere telum. Omnis tela in patriam intenta, dixit Cicero De provinciis conſularibus.

Sibi parat malum qui alteri parat.

Verſiculum hunc Ariſtoteles lib. Rhetoric. 3. citat titulo Democriti Chii:

Οἷ τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Id eſt:

Ipſe ſibi mala cudit quiſque alii mala cudens.

Nemo poteſt alterum injuria afficere, niſi prius lædat ſeipſum; Qui alium fraudat pecunia, ſeipſum ſpoliat bona mente, gravius ſeipſum lædit quam alterum. Veriſſime itaque dictum eſt.

Ipſus ſe lædit, alium qui lædere quærit.

Chius dominum emit.

Χῖος δεσπότην ὠνήσατο, id eſt, Chius dominum mercatus eſt. In eos quadrabit, qui ſibiipſi malum accerſunt. Uſus eſt hoc adagio Eupolis in amicis, Athenæo teſte, libro Dipnoſophiſtarum ſexto. Natum ait inde, quod cum Chii primi ſervis mercenariis inſtituiſſent uti, poſtea ſubacti à Mithridate Cappadoce, propriis ſervis vincti ſunt traditi, ut in Colchorum regionem deportarentur: idque illis aliquando eventurum, oraculum prædixerat. Hujus hiſtoriæ authores citat Nicolaum Peripateticum, & Poſidonium Stoicum. Nec Stephanus tacuit, hanc gentem primum uſam famulis θεράπουσι, quemadmodum Lacedæmonii utebantur, quos vocabant εἵλωτας, id eſt, captivos: Sicyonii quos dicebant, κορυνηφόρους. Id eſt clavigeros, à clavo: Itali Pelaſgos: Cretes quos appellant δμωΐτας. Eſt autem Χίος, clariſſima Jonum inſula, habens ejuſdem nominis civitatem. Poſſeſſivum circumflexe ſcribitur Χῖος.

Mala attrahens ad ſeſe, ut Cæcias nubes.

Κακὰ ἐφ' αὑτὸν ἕλκων ὡς καικίας νέφος. id eſt, Sic mala ſibiipſi, ut Cæcias nubem attrahens. Verſus eſt ſenarius, proverbio celebratus in eos, qui ſibiipſis litium ac negociorum materiam; attune, accerſuntque: Ducta ſimilitudine ab ejus venti natura, cui nomen Cæcias: quem Plinius media inter aquilonem & exortum regione flare ſcribit, & unum contra aliorum ſeptentrionalium ventorum naturam, nubes non pellere, ſed attrahere. Quin ipſius adſcribam verba: Ventorum, inquit, etiam frigidiſſimi ſunt, quos à Septentrione diximus ſpirare. Vicinus hic Corus. Hi & reliquos compeſcunt, & imbres abigunt. Humidi Auſter & Aphricus, & præcipue Auſter Italiæ. Narrant & in Ponto Cæciam in ſe trahere nubes. Hactenus Plinius. Ariſtoteles libro De mundo, putat Cæciam circa ortus æſtivos flare: additque hunc à nonnullis eundem haberi cum illo, quem alii Ἑλλησποντίαν nominant, flatque proximus Argeſtæ. Quod autem in cauſa ſit, ut hic ventus nubes non more reliquorum à ſe propellat, ſed ad ſe vocet, Ariſtoteles in Meteorologicis conatur oſtendere. Vel quod alius, inquit, ventus reflet adverſus eodem tempore: vel quod hic è ſublimi cœli parte ſpirans, puta Orientali, non tranſverſus per terram feratur, ſed recurvata linea, propter reflexum, unde exortus eſt, eo recurrit. Atque ita fit, ut nubes ad ſeſe cogat. Unde idem in libro De mundo Cæciam inter eos ventos numerat, qui ἀνακαμψίπνοοι, id eſt, reſupinati flatus vocantur. In Problematis autem ſectione 26 duas hujuſce rei cauſas reddit. Alteram hanc eſſe putat, quod eodem tempore reflet alius ventus, Cæciæ contrarius. Altera non diſſonat ab iis, quæ retuli: nempe Cæciam ſpirare ab eminentiore cœli regione, nimirum ab ea quæ vergit ad Orientem: hanc autem eſſe editiorem quam occiduam, colligit ex magnitudine & altitudine maris Occidentalis. Itaque fieri, ut Cæcias occiduam regionem adverſus invadens, nubes contrahat, eaſque ſuo in ſe reflexu ad ſe trahat. Hujus rei mentionem facit & Plutarchus in vita Sertorii, ſcribens hunc ducem, animadverſa Cæciæ natura, qui tum forte flabat, Caritanos, aut (ut Græci Codices habent) Characitanos hoſtes ad deditionem coegiſſe ad hunc modum. E regione ſpeluncarum, in quibus illi ſe continebant, objecit aggeres cinericios. Quibus incurſatione equitum concitatis, Cæcias tantum pulveris in fauces ſpeluncarum devexit, ut cum ferre non poſſent, ſeſe Sertorio in manus darent. Refertur adagium ab Aulo Gellio, lib. 2. cap. 22 idque ex Ariſtotele. Refertur & à Theophraſto, libro De natura ventorum. Sed ab hoc, atque item ab Ariſtotele refertur, ut videatur etiam in bonam partem dici poſſe. Ait enim, ἕλκων ἐφ' αὑτὸν τὸν πλοῦτον, ὥσπερ ὁ καικίας νέφος, id eſt, Attrahens ad ſeſe divitias, ut Cæcias nubes. Plutarchus in commentario, cui titulus, Quo pacto quis poſſit ab inimicis juvari, ὡς γὰρ ὁ καικίας τὸ νέφος, οὕτως καὶ ὁ φαῦλος βίος ἐφ' αὑτὸν ἕλκει τὰς λοιδορίας, id eſt: Quemadmodum enim Cæcias nubes, itidem improba vita, probra ad ſeſe attrahit. Uſurpat idem in bonam partem in Præceptis politicis. Unde de re quavis dici poſſe videtur in utramlibet partem. ut: His ad ſeſe eruditorum

rum hominum gregem attrahit, perinde ut Cæcias nubes. Hic undique pecunias attrahit ad ſeſe, quemadmodum Cæcias nubes. Hunc omnes bonæ felicitates non aliter ſequuntur, quam Cæciam nubes. Nuſquam abſunt jurgia, ubicunque hic adeſt: neque enim ſecus ad ſeſe lites attrahit, quam Cæcias nubes. Conſimiliter ad rem referri poteſt: Res eſt tumultuoſa ambitio: quippe invidiam, ſimultatem, profuſionem, atque id genus alia incommoda non aliter attrahit ad ſeſe, quam Cæcias nubes. Modeſtia cunctorum hominum benevolentiam allicit ad ſeſe itidem ut Cæcias nubes.

Omnes attrahens ut magnes lapis.

Πάντας γ' ἐφέλκων ὡς μαγνῆτις λίθος,

Id eſt:

Cuncta attrahens haud aliter ac magnes lapis.

Hoc carmen Suida citat ex Piſide. Videtur proverbiale. Metaphora ducta a natura lapidis, ferrum ad ſe trahentis, & attractum tenentis: quem quidam eundem putant cum eo, quem Heracleũ vocant: cujus alibi mẽtionem fecimus in proverbio, Lydius lapis. Hoc miraculi Plinius verbis attollit lib. 36. cap. 16. ad hunc modum: Quid lapidis rigore pigrius? Ecce ſenſus manuſque tribuit illi. Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, & patitur mores, trahiturq; à Magne & lapide: domitrixq; illa rerum omniũ materia, ad inane neſcio quid currit, atq; ut propius venit, aſſilit tenetur q; & complexu hæret. Sideriten ob hoc alio nomine appellant: quidam Heracleon. Magnes appellatus eſt ab inventore, ut autor eſt Nicander, in India repertus. Hactenus Plinii verba reddidimus. Inter multas Magnetis ſpecies Æthiopicum commemorat, attractu uſque adeo efficaci, ut non ferrum modo, verum etiam alterũ Magnetem ad ſe trahat. Eoque tantus hujus lapidis honos, ut argento expendi ſoleat. Commemorat & Hæmatiten non perinde in attrahendo ferro violentum, ſed alio inſignem miraculo. Siquidem eſt colore ſanguineo (nam hinc etiam vocabulum) ita ſi teratur, ſanguinem reddit. Hujus igitur lapidis tam prodigioſa vis proverbio locum fecit. Citat Suidas Euripidem ex Oeneo.

Ὥσπερ μαγνῆτις λίθος

Τὴν δόξαν ἕλκει καὶ μεθίστησι πάλιν.

Id eſt:

Sicuti Magnes lapis

Mentem trahit, transfertque rurſum ac demovet.

Confine eſt illi, quod alibi diximus:

Ἐφ' ἑαυτὸν ἕλκων ὡς ὁ καικίας νέφος.

Id eſt:

Ad ſe attrahens, ut Cæcias nubes trahit.

Ne quid ſuo ſuat capiti

Terentius in Phormione proverbiali figura dixit, Ne quid ſuo ſuat capiti pro eo quod eſt, ne quid mali illi conciliet. Expreſſum eſt ad illud Homericum Iliad. σ.

Οὐκ ἄφελες πρίαμοι κακὰ ἀνδράσι ῥάψαι;

An ſuere inviſæ non debebam mala Trojæ?

Idem Odyſſeæ γ.

Εἰνάετες γάρ σφιν κακὰ ῥάπτομεν ἀμφιέποντες

Παντοίοισι δόλοισι.

Id eſt:

Annum illis nonum mala jam ſuimus, tentantes

Fraudibus omnigenis.——

Rurſum Odyſſeæ π.

Τίπτε δὲ σὺ Τηλεμάχῳ θάνατόν τε μόρον τε

Ῥάπτεις;

Id eſt:

Cur tu Telemacho mortem ſuis, exitiumque?

In cœlum expuis.

Εἰς οὐρανὸν πτύεις, id eſt, In cœlum expuis, id eſt, facis quod in tuum ipſius recidat caput, aut, obloqueris his qui facile poſſint lædere. Siquidem qui in cœlum expuit, primum videtur cœlites ipſos afficere contumelia, deinde fit ſæpius, ut ſputum in ipſius faciem recidat. Confine illi, πρὸς κέντρα λακτίζειν, id eſt, Adverſus ſtimulum calcitrare.

Spontanea moleſtia.

Celebratur inter Græcos cum primis bellus & elegans trimeter.

Αὐθαίρετος λύπη ἐστὶν ἡ τέκνων σπορά.

Id eſt:

Ultroneus dolor eſt parare liberos.

Dici non poteſt quantum & quam moleſtum negotium ſit educare filios: præſertim quum adeo pauci ſint qui parentum officio reſpondeant. Verum hanc moleſtiam non eſt cui poſſint imputare, quum liceat cælibem vivere. Longius trahi poteſt, ad eos qui ſibi ſponte periculum ac moleſtiam arceſſunt. Atq; adeo ſimilis propemodum conditio eſt tollentium liberos & ſcribentium libros. Tuendum, emendandum quod ſcripſeris, & tamen non eſt quem incuſemus, quum nobis liberum ſit dormire.

In tuum ipſius malum lunam deduces.

Ἐπὶ σαυτῷ τὴν σελήνην καθέλκεις, id eſt, Adverſus teipſum lunam detrahes. Maleficæ mulieres incantamentis quibuſdam lunam in terram detrahere credebantur antiquitus. Unde Vergilius:

Carmina vel cœlo poſſunt deducere lunam.

Et Horatius in Odis:

Per atque libros carminum valentium

Refixa cœlo devocare ſidera.

Et rurſum in Sermonibus:

--- Lanamque rubentem,

Ne foret his teſtis, poſt magna latere ſepulchra.

Item Juvenalis:

Una laboranti poterit ſuccurrere lunæ.

Creditũ eſt olim, hujuſmodi ſagas oculis ac pedibus privari ſolere. Aglaonice quæpiam cum per aſtrologiæ cognitionem defectus præſciret, jactitabat, ſe lunam è cœlo detracturam in terram. Atque ejus jactantiæ pœnas dedit: de quo dicetur in proverbio, Lunam detrahere. Proverbium igitur hinc ſumptũ, dicebatur de iis, qui ſuis ipſorum artibus ſibi malum accerſerent. Quod genus, ſi quis callidis rationibus effeciſſet, ut accerſeretur aliquis, deinde eveniret ut ab eo quem accerſendum curaſſet, ſubverteretur.

Lunam detrahere.

Τὴν σελήνην κατασπᾷ, id eſt, Lunam detrahit. Conſuevit dici de eo, cui res vehementer adverſæ viderentur. Interpres Apollonii in librum quartum, natum autumat ab Aglaonice Hegemonis filia: quæ cum ob aſtrologiæ peritiam, lunæ defectus præſciret, jactabat ſeſe lunam è cœlo deducturam in terras. Eam vocem tam arrogantem audivit Nemeſis, moxque pœnas ſumpſit. Atque hinc proverbii origo.

Dares Entellum provocas.

Dares Entellum provocas, & proverbii ſpeciem habet, & apud eruditos videtur in jus proverbii ceſſiſſe. Sic enim Hieronymus ad Auguſtinum: Memento, inquit Daretis & Entelli. Conveniet uti, ſi quando quiſpiam juvenili temeritate laceſſet aliquem, non perinde promptum ad ſuſcipiẽdum certamen, verum intolerandum, ſi ſemel inierit. Qui ſeorum ferme mos, ut libenter ſuffugiant negocia, ſuſcepta pertinaciter gerant. Sumptum eſt ex 5. Æneid. lib. ubi Dares quiſpiam viribus fretus, & ferox juventa, ultro proſiliens in medium, quemvis ad certamen provocat: aſſurgente nemine, deterritiſque reliquis, jam perinde quaſi victor, præmium flagitat ab Ænea. At Entellus ſenex & jam pridem ab hujuſmodi genere certaminũ feriatus, inſtigãte partim Aceſte, partim veterum victoriarum memoria, tandem ſurgit ceſtibus dimicaturus. Is diu ſuo conſiſtens loco juvenem inſolentius circumſilientem tulit, donec fruſtrato ictu lapſus, pudore ſit recanduit, ut Daretẽ jam longe imparem plane confecturus fuerit, niſi eum Æneas intercedens eripuiſſet. Carmen ipſum Maronis adſcriberem (eſt enim longe lepidiſſimum) ni & longiuſculum eſſet, & in promptu ſitum.

Atlas cœlum.

Ἄτλας τὸν οὐρανόν, id eſt, Atlas cœlum ſubaudiendum ὑπεδέξατο id eſt, ſuſcepit. Dici ſolitum de his, qui ſeſe magnis, & moleſtis involvunt negociis ipſique ſibi malum accerſunt. Nam hic Cœlum hoſpitio excepit. Deprehenſus autem quod illi ſtruxiſſet inſidias, præceps datus eſt in mare Atlanticum. Porro notior eſt quam ut hoc loco ſit referenda, de Atlante fabula, cælum humeris & vertice ſuſtinente.

Accerſitum malum.

Ἐπίσπαστον κακόν, id eſt, Accerſitum malum dicitur, cujus ipſe tibi cauſam præbueris. Homerus Odyſſ. σ.

Ἦ τάχα Ἶρος Ἄϊρος ἐπίσπαστον κακὸν ἕξει.

Id eſt:

Ne mox perditus Irus habebit, quo ſibi quærit

Ultro malum.——

Bis interimitur, qui ſuis armis perit.

Minus eſt proverbialis, incertum cujus, Senecæ titulo celebratur, ſed falſo.

Bis interimitur qui ſuis armis perit.

Magis dolent incommoda, quibus ipſi dedimus occaſionem. Natum apparet ex Æſopico apologo. Hunc Gabrias quidam verſibus jambicis complexus eſt ad hunc modum:

Βληθεὶς τὸ στῆθος αἰετὸς τοξεύματι,

Ἀλγῶν δὲ κλαυθμὸν πολλὰ δακρύων,

Βλέψας δ' ἑαυτοῦ ὄντα τὸν ἐπτερωμένον,

Βαβαὶ πτερόν με τὸν πτηνὸν ἀπώλεσεν.

Id eſt:

Quondam icta pectus aquila vulnus inſpicit,

Multumque lacrymans præ dolore conſtitit.

Pennatum ut autem ſpiculum cernit: Papæ,

Ait, ala me aligeram gravi exitio dedit.

Adagium Græcum, quod ex hoc item apologo ſumptum eſt, alio diximus loco.

Corvus ſerpentem.

Κόραξ τὸν ὄφιν, id eſt, Corvus ſerpentem: ubi quis ſuo ipſius invento perit, ſumptum ex apologo quodam Æſopi. Corvus eſuriẽs ſerpentem in aprico dormientem conſpicatus rapuit, a quo morſus periit. Cognatum ei quod alias retulimus, κορώνη τὸν σκορπίον, id eſt, Cornix ſcorpium. Torquere licebit & in hominem ob edaci-

civitatem periclitantem: veluti Diogenes Cynicus, comeſo polypo crudo periit.

Colubrum in ſinu fovere.

Ὄφιν ἐν τῷ κόλπῳ θάλπειν. id eſt, Serpentem in ſinu fovere, dicitur, qui complectitur amore, ſtudioque proſequitur hominem ingratum, & aliquando per occaſionem nociturum. Sumptum eſt ab apologo quodam, qui Æſopi nomine fertur. Eum Gabrias quidam jambis expreſſit in hunc modum:

Ἔθαλπέ τις γεωργὸς ἐν κόλποις ἔχιν
Ῥιγοῦσαν· ἐπεὶ δὲ θέρμης ᾔσθετο,
Ἔπληξε τὸν θάλψαντα καὶ ἀπέκτεινε τάχος.
Οὕτω κακοὶ πράττουσι τοὺς εὐεργέτας.

Id eſt:

Sinu fovebat quidem agricola viperam
Gelu rigentem: at hæc calorem ut ſenſerat,
Ferit foventem, moxque perimit vulnere.
Ingrati ad hunc benemeritos tractant modum.

Eſt & alter apologus, de gallina fovente ſerpentis ova: quam admonet hirundo ne in ſuam perniciem foveat.

Hoſtis domeſticus.

Rurſum in eodem domeſticum hoſtem proverbio ſolitum dici teſtatur, ubi malum non aliunde proficiſcitur, ſed ex nobis ipſis naſcitur: velut cum quis ipſe ſe prodit, aut redarguit, ipſe ſua ſibi autoritate ſeſe conficit, οὐκ ἄλλων δέονται τῶν ἐλεγχόντων, ἀλλὰ τὸ λεγόμενον, οἴκοθεν τὸν πολέμιον καὶ ἐναντιωσόμενον ἔχουσι. id eſt, Non opus habent aliis qui redarguant, ſed juxta proverbium, cum domi hoſtem habeant, quique ſit adverſaturus, &c. Agit, opinor, de ſophiſta, qui cum ſit loquax, ipſe ex ſeſe præbere ſolet quo revincatur.

Capra gladium.

Eodem ferme pertinet, αἲξ τὴν μάχαιραν, id eſt, Capra gladium: ſubaudi, reperit. In eos dicitur, qui ipſi reperiunt, quo pereant. Ortum autem eſt adagium ab hujuſmodi quodam eventu. Olim cum Corinthii Iunoni Acrææ (nam id illi cognomen) rem divinam facere pararent, hujus Iunonis ſtatuam ajunt à Medea poſitam fuiſſe: atque hi, qui ad præbendam hoſtiam erant conducti, defoſſo ſub terra cultro, oblitos ſeſe aſſimularent, capra pedibus excalpens eum eruit, prodiditque, itaq; mactata eſt. Quidam ſic efferunt parœmiam, αἲξ δοῦσα τὴν μάχαιραν, id eſt, Capra cultrum præbens. Quidam hoc pacto ὄις τὴν μάχαιραν, id eſt, Ovis cultrum.

Pyrauſta gaudes gaudium.

Χαρὰν πυραύστου χαίρεις, i.e. Gaudium pyrauſtæ gaudes. De momentaria fluxaq; voluptate. Oſtendimus alicubi Pyrauſtam ad lucernas advolantem, ambuſtis alis perire: unde proverbium, πυραύστου μόρος, id eſt, Pyrauſtæ fatum. Cujus alibi meminimus.

Prudens in flammam mitto manum.

Divus Hieronymus quodam in loco proverbium uſurpat hujuſmodi: Prudens in flammam manum immitto, pro eo quod eſt, ſciens expono me diſcrimini, maliſque objicio. Sumptum videri poteſt ab hiſtoria Mutii Scævolæ. Extat & apud Ciceronem.

Calidum prandium comediſti.

Huc alludere videtur & Plautinum illud: Calidum hodie prandium prandidiſti, id eſt: Feciſti quod tibi magno malo ſit futurum. Ab his ſumptum, qui ſe noxiis ac letiferis ingurgitant cibis, poſt ea ventris tormina ſecuti.

Malum conſilium.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Senarius eſt proverbialis, in eos in quorum caput recidit, quod alii perperam conſuluerant. Siquidem ut dicunt Græci ἱερὸν ἡ βουλή, id eſt, Sacra quædam res eſt conſilium. Atque ut eſt libenter accipiendum cum res poſtulat, ita eſt religioſe citraque fraudem dandum, ſi quis egeat. Alioquin non defuturum eſt numen aliquod, quod pœnas repetat ab eo qui rem ſacram ac divinam perfidia violarit. A. Gellius Noct. Attic. libr. iiij. cap. v. putat adagium hoc ex hiſtoria quadam natum, eamque ex annalibus Maximi, narrationibuſque Verrii Flacci refert ad hunc modum. Statua Romæ in comitio poſita Horatii Coclitis viri fortiſſimi de cœlo tacta eſt. Ob id fulgur piaculis luendum aruſpices ex Hetruria acciti, inimico atque hoſtili in populum Rom. animo, inſtituerant eam rem contrariis religionibus procurare: atque illam ſtatuam ſuaſerunt in inferiorem locum perperam trāſponi, quem ſol oppoſitu circum undique aliarum ædium nunquam illuſtraret. Quod cum ita fieri perſuaſiſſent, delati ad populum, proditique ſunt: & cum de perfidia confeſſi eſſent, necati. Conſtititque eam ſtatuam perinde, ut veræ rationes poſt compertæ monebant, in locum editum ſubducendam: atque ita in area Vulcani ſublimiore loco ſtatuendam. Eaque res bene & proſpere reipub. ceſſit. Tunc igitur quod in Hetruſcos aruſpices animadverſum vindicatumq; fuerat, verſus hic ſcite factus, cantatuſq; à pueris, urbe tota fertur:

Malum conſilium, conſultori peſſimum eſt.

Hactenus quidem Gellius. Porro Valerius Max. libro ſeptimo, rem quandam haud diſſimilem memorat de Papyrio Curſore: qui cum conſul Aquiloniam obſideret, velletque prælium committere cum hoſtibus, niſi ſi quid auſpicia refragarentur, ac conſultus pullarius ſuaderet uti committeret, cum aves infauſta nunciaſſent: re cognita pullarium in prima acie conſtituit. Is primo trajectus telo violatam religionem expiavit. Meminit hujus rei T. Livius Decad. primæ lib. x. Nec diſſimile eſt quod refert Socrates in hiſtoria tripartita. Eutropius Eunuchus dum ſtudet in quoſdam qui ad templum confugerant, animadvertere, perſuaſit imperatori ut ferretur lex, qua templi religio nulli prodeſſet, nocenti. Lata lege factum eſt, ut Eutropius cum offendiſſet Cæſarem, cōfugeret ſub altare: unde protractus capite plexus eſt, ſuo ipſius conſilio perditus. Vergilius tacite notavit parœmiam in Æneid. xij. lib. cum ait:

——Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in adverſos telum qui torſerat hoſtes.

M. Varro li. De re ruſt. iij. c. i. palam citat adagium his verbis: Opinor, inquam non ſolum quod dicitur, Malum conſilium conſultori eſſe peſſimum, ſed etiam bonum conſilium et qui conſuluit, & qui conſulitur, bonum habendum. Sophocles in Electra:

Βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστιν ἔχθιον κακῆς.

Id eſt:

Res nulla conſilio nocentior malo.

noxa ad eum referens, cui conſilium datur. Apparet autem ſenarium hunc Latinum (id quod & Gellius admonuit) de Græcis illis Heſiodi verbis expreſſum eſſe, qui leguntur in opere, cui titulus, ἔργα καὶ ἡμέραι.

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

Id eſt:

Ipſe ſibi nocet ille, alium qui lædere quærit.
Conſultum male conſultori peſſima res eſt.

Plutarch. in comment. De audiendis poetis exiſtimat hujus verſiculi eandem eſſe ſententiam, quæ ſit dogmatis Platonis in Gorgia: ubi Socrates dicit, pejus injuriam facere quam injuriam pati, & damnoſius eſſe malo afficere quam affici. Atque adeo totidem fere verbis invenitur hæc ſententia apud Eccleſiaſticum Hebræum autorem, cap. xxvij. Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur. Extat in hanc ſententiam & Apologus Græcus non invenuſtus, nec omnino indignus quem his commentariis adjungamus. Leonem ob ſenectam ægrotantem, & ea cauſſa ſuo in luſtro continentem ſeſe, cætera quidem animantia officii gratia viſebant regem ſuum, excepta vulpe. Proinde lupus nactus opportunitatem, accuſavit vulpem apud leonem læſæ majeſtatis, quæ pro nihilo haberet eum, penes quem rerū erat ſumma, nec ob contemptum ad viſendum acceſſiſſet: atque interea intervenit in lupi fabula vulpes, & extremam ſermonis partem audivit. Itaque leo conſpecta vulpe, protinus adverſus eam infremuit. At iſta poſtulato ad purgandum ſeſe ſpacio: Et quis, inquit, omnium qui huc convenerunt, tantum tibi profuit quantum ego, quæ quoquo verſum circumcurſitavi, tibique morbi remedium à medicis repperi? Cumque leo protinus edixiſſet, ut remediū aperiret: Si vivum, inquit, lupum excories, & illius pellem induas, convaleſces. Leo credulus, continuo lupum invaſit, & interemit. Quo extincto riſit aſtuta vulpes, calumniatoris malum conſilium in ipſius recidiſſe caput. Carmen autem refertur à Plutarcho, & hunc in modum:

Ὅς ἄλλῳ κακὰ τεύχει ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Id eſt:

Damna parans aliis, proprio parat epati damna.

Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit.

Ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα κεράτων, καὶ τὰ ὦτα προσαπώλεσεν, id eſt, Camelus dum affectat cornua, & aures inſuper perdidit. Convenit in eos, qui dum peregrina ſectantur, ne ſua quidem tuentur. Sumptum ex apologo de camelis, qui per oratorem cornua à Iove poſtularunt, ille offenſus ſtulta poſtulatione, aures quoque reſecuit, & hoc Apoſtolii videtur.

Sibi malum reperit.

In eum qui ſuo læditur invento, quadrabit illud ex Odyſſ. φ.

Οἷ αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων.

Id eſt:

Qui ſibi perniciem vel primum repperit ipſe
Vino victus. ———

Dictum eſt de Eurytione, qui primus invenit uſum vini peremptus à Lapithis.

Cœno puram aquam turbans, nunquam invenies potum.

Βορβόρῳ ὕδωρ λαμπρὸν μιαίνων, οὔποτ' εὑρήσεις ποτόν.

Id eſt:

——Si lympidam perrexeris
Cœno aquam ſpurcare, nunquam quod bibas inveneris.

Carmen eſt Trochaicum, quod nos hemiſtichio, & carmine ejuſdem generis expreſſimus. Dici ſolitum ubi quis ea quæ ſunt per ſe pulcherrima, contaminat, admixtis iis quæ ſunt turpiſſima. Veluti ſi quis poeticæ admiſceat obſcœnitatem, ſuo utique vitio.

Nam ars per ſe ſincera. Aut ſi quis theologicam eruditionẽ hæreticis opinionibus depravet, aut ſpurcitia ſermonis inquinet, aut prophanis contaminet literis: aut amicitiam principis crebris offenſis irritet. Conveniet in hos quoque, quibus hæc vita gravis eſt, idque ipſorum culpa: quod animi vitio, quæ per ſe moleſta nõ ſunt, moleſtiam adferre videantur. Quod ſi adſit mens à ſtultis affectibus immunis, quicquid acciderit, voluptati futurum eſt.

Bellerophontes literas.

Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, id eſt, Bellerophontes literas. Subaudiendum verbum aliquod accommodum ſententiæ, Adfert, aut aliud aliquod. Locus erit huic proverbio, cum quis literas velut commendatitias perfert, quæ contra ipſum ſint deſcriptæ. Vulgò literas Vriæ vocant. Neque diſſimilis eſt hiſtoria apud Hebræos. De Bellerophonteis literis hujuſmodi fabulam commemorant Græci. Bellerophontes propter occiſum Belletum Argos exilio multatus, in Tirynthem pervenit, Prœtique regis hoſpitio eſt uſus. Interim Antea regis uxor, adoleſcentis amore correpta, cœpit illius animum ad ſtuprum ſollicitare, & ſui copiam obtulit. Ille ubi flagitiũ recuſaſſet, videlicet hoſpitii religione permotus, illa prior occupans, verſoque in odium amore muliebri, Bellerophontẽ apud maritum occulte defert, tanquam ab illo fuiſſet de ſtupro interpellata. Quod ubi perſuaſiſſet, quoad poterat regis animum in perniciem juvenis inſtigabat, ſemper ad aurem occinens illud Homericum,

Τεθναίης ὦ Προῖτ' ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην,

Id eſt:

Aut morere ò Prœte, aut interfice Bellerophontem.

Prœtus itaque vere regio ingenio, & ut Homeri utar verbo, ἀγκυλομήτης, velut officii cauſa Bellerophontem ad Iobatem hoſpitem mittit, additis literis, velut in illius commendationem ſcriptis. In his mandabat Iobatæ, ut juvenem quoquo pacto tolleret e medio. Bellerophon (ut eſt minime ſuſpicax innocentia) literas acceptas reddit, ut fuerant obſignatas. Quas ubi perlegiſſet Iobates, quo Prœto gereret morem, aggreditur adoleſcentem honeſto titulo perimere. Nam hic ferme malorum principum mos. Animum juvenis ſuapte ſponte ferocem, ad periclitandas vires, gloriamque parandam inflammat. Ac primum perſuadet, ut cum Chimæra congrediatur. Id erat monſtrum triforme.

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

Id eſt, Caprina ſpecie.

Hanc Bellerophontes equo inſidens alato, telo confixit, confecitque. Poſt aliis atque aliis periculis objecit juvenem: à quibus omnibus quum ille victor rediret, rex & vires admiratus, & ex eventu conjectans innocentiam, literas Prœti oſtendit, generum aſcivit, ac moriens eidem imperii ſucceſſionem tradidit. Itaque quiſquis imprudens aut nunciat, aut facit quippiam, quo ſe prodit, in eum recte dicetur, Βελλεροφόντης τὰ γράμματα, aut quicunque ſub officii prætextu læditur. Adagium recenſetur à Zenodoto. Plautus in Bacchidibus: Tace: nullus homo dicit, hæ tabellæ te arguunt: Quas tu attuliſti hæ te vinciri jubent: Aha Bellerophontem jam tuus me fecit filius. Egomet tabellas detuli, ut vincirer: ſine. Effertur adagium in hunc etiam modum. Βελλεροφόντης κατὰ σαυτοῦ, id eſt, Bellorophontes adverſus ſeipſum. Lucianus in Apologia. τοῦ ἐπιρρηθέντος ..., καὶ τοῦ Βελλεροφόντου γεγραφὼς τὸ βιβλίον, id eſt, Qui Bellerophontes librum adverſus teipſum ſcripſeris. Simili commento rex Pharnabazus impoſuit Lyſandro. Refert Plutarchus in ipſius vita.

Ale luporum catulos.

Theocritus in Hodœporis:

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥς τυ φάγωντι.

Id eſt:

Paſce canes qui te lanient, catuloſque luporum.

Proverbium eſt, teſte interprete, in eos, qui læduntur ab iis, de quibus bene meriti ſint, aut ingratos. Addit ille dictum Socratis, μηδὲ ποιῶν εὖ, θρέψαι λύκους. Malis faciens bene, nutri lupos. Nam plerunque ſolet id uſu venire illis, qui catulos luporum enutriũt. Extat ſuper hac re non inelegans Epigramma, quanquam incerto autore, de ove lupi catulum alente ſuis uberibus:

Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσται.
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Id eſt:

Lacto lupum uberibus propriis non ſponte, ſed dorſum
Me demens adigit paſtor ut id faciam.
In me rurſus erit fera poſtquam creverit ex me.
Natura haud unquam vertitur officiis.

De canibus autem ſumptum eſt ex Actæonis fabula, à ſuis ipſius canibus dilacerati. Nam & hoc indicãt enarratores Theocriti. Ex quibus facile liquet quodnam ſit illud proverbium antiquum, cujus meminit M. Varro in libris De re ruſtica, tractans de canibus alendis. Diligenter, inquit, ut habeant cibaria, providendum. Fames enim hos ad quærendum cibum ducit ſi non dabitur: & a pecore abducet, ſi non præbebitur. Niſi, ut quidam putant, & illuc pervenerint, ut proverbium attollant antiquum, vel etiam ut aperiant de Actæone, atque in dominum adferant dentes. Idem in Phœbo, citante Nonio. Crede mihi, plures dominos comedere ſervi, quam canes. Quaſi id Actæon occupaſſet, & ipſe prius ſuos comediſſet, &c. Hæc uſque Varronis relata. Cæterum legimus & leones & dracones, nutriciis ſuis gratiam officii retuliſſe. Verum nulla eſt, fera tam ingrata, quæ ſit cum hominibus ingratitudine conferenda.

Phoci convivium.

Φώκου ἔρανος, id eſt, Phoci præmium, ſive convivium. Dictitari ſuetum, ubi quis ſuo malo convivas acciperet. Tametſi nihil vetat, quo minus longius etiam traducatur, nempe ad quoſvis, qui læduntur ab iis, de quibus benemeriti fuerint. Ajunt Phoco cuipiam filiam fuiſſe jam nuptiis maturam. Is procos (nam erant complures) convocare ſolitus, præmia ſtatuebat, & conditionibus ſubinde novis propoſitis nuptias prorogabat. Quamobrem indignati juvenes Phocum in convivio trucidarunt. Autor Zenodotus. Etiamſi Plutarch. in Amatoriis narrationibus fabulam hanc diverſe narrat. Euſtathius in primum Odyſſeæ, treis conviviorum ſpecies facit εἰλαπίνην, quod ad ſplendorem ac magnificentiam ſit apparatum γάμον, quod ipſum etiam ſumptuoſius eſſe conſuevit, ἔρανον, ad quod plurimi conveniunt, ſed ſuo quiſque cibo ſumptuque. Ea convivandi ratio præcipue probatur Heſiodo, propterea quod cum plurimum habeat jucunditatis, minimum habet ſumptus. Nam temperantius & editur & bibitur, ubi quiſque de ſuo edit ac bibit. Heſiodi carmen eſt hujuſmodi:

Ἐκ κοινοῦ πλείστη δὲ χάρις, δαπάνη τ' ὀλιγίστη.

Porro qui ſplendidiores affectarent videri, ii etiam ἔρανον tum de ſuo, tum lautius exhibebant. Homerus has treis conviviorum formas ſimul complectitur:

——Τίς δαὶς, τίς δὲ ὅμιλος.
Εἰλαπίνη ἠὲ γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Puer glaciem.

Ὁ παῖς τὸν κρύσταλλον, id eſt, Puer glaciem. Dicebatur in eos, qui cum retinere quippiam non poſſint, nolunt tamen amittere. Veluti ſi quis magiſtratum recuſet deponere, cui gerendo ſit impar: aut munere nolit abſolvi, quod tueri tamen non poſſit. Competet & in eos, qui ſponte nolint à ſe amovere, quod tamen aliquãto poſt ſit elapſurũ. Vt cum opes urgemus, premimuſque, mox nihilominus nos relicturas: aut cum rem noxiam urgemus, nec volumus amittere quod lædit. Refertur à Zenodoto, Suida, Diogeniano. Meminit Plutarchus, & explicat lib. De futili loquacitate. Sumptum videtur è Sophocle qui autorem comparat pueris, qui glaciem conſpectam arripiunt manibus, ac delectantur: ſed ea mox liqueſcente, nec facile poſſunt abjicere lubricam maſſam, nec retinere noxiam. Itidem amor nec excuti poteſt ob voluptatem adjunctam, nec retineri ob moleſtias admixtas voluptatibus majores.

Tute hoc intriſti omne tibi exedundum eſt.

Non diverſum ſuperiori Donatus admonuit, illud quod apud eundem poetam legitur in Phormione:

Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum.

Verba ſunt Phormionis paraſiti: qui quoniam fuerat autor conſilii de ducenda puella, æquum eſſe putat, ut ſuo periculo rem item expediat. Tranſlatum putant ab alliato ruſticorum moretario. Quæ quidem ſententia, vel hodie quoque vulgo noſtrati in ore eſt. Et altera huic ſimilima: Colo quod aptaſti, ipſi tibi nendum eſt, id eſt, Tu incipiundi autor extitiſti, nunc idem explices oportet.

Bos adverſus ſeipſum pulverem movet.

Βοῦς ἐφ' ἑαυτὸν κονιᾶται, id eſt, Bos adverſus ſeipſum pulverem movet, ſive feſtinat. Vbi quis ad ſuum ipſius malum volens lubẽſque ducitur. Nam boves ut ſunt manſueti, facile ſe præbet vinciendos, neque gravatim obtemperant jugo κονιᾶν enim Græcis ſignificat feſtinandi ſtudio ciere pulverem. Quidam accommodant in eos, qui prudentes ac ſcientes ſemet in præviſum periculum injiciunt, bovis in morem, qui ſibi patitur injici vincula, quibus ad cædem ducatur. Refertur à Zenodoto.

Faber compedes quas facit ipſe geſtet.

Auſonius in Trochaicis ſuis Terentiano proverbio confine quoddam ſubnectit, & poetæ metaphoram altera quadam interpretatur metaphora:

Tu moleſtus flagitator lege moleſta carmina.
Tibi quod intriſti, exedundum eſt, ſic vetus verbum jubet.
Compedes, quas ipſe fecit, ipſus ut geſtet faber.

Competit in eos, qui ſibi ipſis autores ſunt malorum. Videtur autem è Theognide poeta ſumptum, qui ait:

Οὔτις ἑκὼν φιλόφρονι πέδας χαλκεύεται αὐτῷ.

Id eſt:

Vincula nemo ſibi cudit charisſime Cyrne.

Huic ſimile quiddam humilius quidem, ſed tamen aptum vulgo dicitur: Flagellum ipſe paravit, quo vapularet. Idque ſumptum à pueris aut ſervis, qui coguntur aliquoties ipſi parare virgas quibus vapulent.

Ipſi teſtudines edite qui cepiſtis.

His confine proverbium refertur a Græcis ſcriptoribus:

Αὐτοὶ χελώνας ἔσθιεθ' οἵπερ εἵλετε.

Id eſt:

Id eſt:

Qui prendidiſtis, iidem edite teſtudines.

In eos jacitur, qui poſteaquam incōſulte quippiam adorti ſunt, aliorum implorant auxilium, quos ſuo negocio admiſceant. Parœmiam ex hujuſmodi quodam apologo natam exiſtimāt. Piſcatores aliquot jactæ reti, teſtudines eduxerūt. Eas cum eſſent inter ſe partiti, neque ſufficerent omnibus comedēdis, Mercurium forte accedentem invitarunt ad convivium. At is intelligens ſe nequaquam humanitatis gratia vocari, ſed ut eos faſtidito cibo ſublevaret, recuſavit, juſſitq; ut ipſi ſuas teſtudines ederēt, quas cepiſſent. Sunt autem, autore Plin. in Carmania populi, qui teſtudinū carnibus victitent: unde & nomen illis attributum, χελωνοφάγοι. Apud quos affirmant inveniri teſtudines tanta magnitudine, ut earum teſtis caſas integant.

Echinus partum differt.

Ἐχῖνος τὸν τόκον ἀναβάλλει, id eſt, Echinus partem differt. De iis dici ſuetum, qui prorogāt quippiam ſuo malo: veluti qui creditam pecuniam comperendinant, tamen aliquando reddēdam vel majore cum fœnore. Ajunt echinum terreſtrem ſtimulata alvo remorari partū, deinde jam aſperiore ac duriore facto fœtu mora temporis, majore cruciatu parere. Autor Suidas Plin. lib. ix. cap. xxv. tradit, piſcem qui dicitur echineis, fluxum gravidarum ſiſtere, & uſque ad puerperium in utero continere fœtum, Quanquam hoc ἀπιστεῖται.

Noſtris ipſorum alis capimur.

Τοῖς αὐτῶν πτεροῖς ἁλισκόμεσθα, id eſt, Noſtris ipſorum pennis capimur; Ariſtoph. in Avib.

> Τωνὶ μὲν ἐσμὲν κατὰ τὸν Αἰσχύλον,
> Τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς.

Id eſt:

> Atque hic quidem conjecimus, juxta Æſchylum,
> Hæc non ab aliis, imo pennis propriis.

Æſchylus autē, ut admonet interpres, in fabula, cui titulus Myrmidones, hoc proverbium appellat λόγιον, quod ex apologo Libyco ductum ſit. Fertur autem apologus hujuſmodi aquilam ictam ſagitta, cum inſpexiſſet jaculum ad imaginem pennatum aſſiductum, imitatumque, dixiſſe:

> Τάδ' οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς αὑτῶν πτεροῖς
> Ἁλισκόμεσθα. ———

Id eſt:

> Hæc non ab aliis, imo pennis propriis
> Capimur. ———

Vſus eſt hoc Athenæus lib. xi. καὶ τοῦτο οὐχ ὑπ' ἄλλων, ἀλλὰ τοῖς σοῖς πτεροῖς μετὰ τὴν Εὐριπίδου μεγάλην ἁλίσκεται, id eſt: Idque non ab aliis, ſed tuis ipſius alis caperis ut egregius ille dixit Æſchylus. Convenit in eos, qui ipſi præbent occaſionem ſui mali: ut Chremes Terentianus, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, cum ſervum hortatur, ut techinam aliquam in Menedemum intendant, a quo mox ipſe deluditur dolis.

Capra contra ſeſe cornua.

Ἡ αἲξ κατ' ἑαυτῆς τὸ κέρας, id eſt, Capra contra ſemetipſam cornua. Ad ſuperiorum claſſem pertinet, ab apologo natum. Capra quæpiam cum eſſet jaculo vulnerata circumſpectans unde nam id mali ſibi evenīſſet, arcum contemplans, caprinis cornibus compactum dixit ad hunc modum, κατ' ἐμαυτῆς ἤνεγκα, id eſt: In meam ipſius perniciem produxi cornua.

Carpathius leporem.

Ὁ Καρπάθιος τὸν λαγών, id eſt, Carpathius leporem. Dicebatur in eos, qui ſibi rem noxiam accerſerēt. Hinc deductum adagium, quod enim in Carpathiorum inſula lepores non eſſent, illi curarunt importandos aliunde. Verum ubi ejus animantis magna vis increviſſet, ut eſt mira fœcunditas, fruges inſulæ populari cœperunt. Refert & interpretatur parœmiam Iulius Pollux, quinto de rerum vocabulis libro. Addit nec in Ithaceſiorum inſula naſci lepores, nec in Sicilia fuiſſe priuſquam Anaxillas Rheginenſis eos importaſſet: unde victor in Olympiacis, Regienſium numiſmati currum inſcalpſit & leporem. Refert item & interpretatur Ariſtoteles lib. Rhetoric. iij.

Calidam veruti partem.

Τὸ θερμὸν τοῦ ὀβελοῦ, id eſt, Calidam veruti partem. Subaudiendum, arripuit, aut ſimile quippiam, ubi quis per imperitiam negocii ea parte rem aggreditur, qua minime tutū fuerat aggredi. Aut ubi quis ob inſcitiam pro melioribus eligit pejora. Zenodotus ait hujus adagii meminiſſe Sophoclem. Sumpta metaphora ab iis, qui per imprudentiam, eam veruti partem manu prehendunt quæ calet: deinde offenſi rejiciunt, alteram partem apprehendunt. Non uſquequaque diſſimile huic, ἁλιεὺς πληγεὶς νοῦν φύσει, id eſt, Piſcator ictus ſapiet, quod alio loco retulimus.

Cornix ſcorpium.

His confine eſt & illud, κορώνη τὸν σκορπίον, id eſt, Cornix ſcorpium ſubaudi, rapuit. Quadrat in hos, qui parant eos lædere, unde tantundem mali ſint viciſſim accepturi. Quemadmodum cornix correpto ſcorpio arcuata illius cauda, vulnus accepit lethale, periitque. Extat ſuper hac re Græcum epigramma Archiæ, quod non gravabor adſcribere:

> Ἐκ ποτε πετρ[illegible] μελαμπτέρος [illegible],
> Σκορπίον [illegible],
> Οὐ μάρψας ἀγρευτὸν, ὁ δ' ἀΐξας ἐπ' [illegible]
> Οὐ βραδὺς, ἀλκήεντι [illegible],
> Καὶ ζωῆς μιν ἄμερσε, [illegible] ἐπ' ἄλλῳ,
> Ἐκ κείνου πλέξαντι [illegible] μόρον.

Id eſt:

> Scorpius e terra prorepſerat, idque vidente
> Corvo, qui cœlo victitat in liquido.
> Corripuit viſum, fugitque: ſed hic ut humum ales
> Contigerat, telo mox ferit atque necat.
> Ecce tibi quod in hunc avis inſidioſa parabat,
> Inde ſibi accivit ipſa necem miſera.

Atque in rebus humanis frequenter uſu venire ſolet, ut qui cepiſſe videatur, ipſe captus ſit. Quemadmodum & Horatius:

> Græcia capta ferum victorem cepit, ———

Cornutam beſtiam petis.

Conſimilem ferme ſenſum habet Plautinum illud. Cornutam beſtiam petis: de eo qui laceſſit eum, qui paratus ſit retaliare injuriā, quemque non niſi tuo malo provoces. Huc ſpectavit Horatius in Odis:

> Parata tollo cornua.

Cicadam ala corripuiſti.

Τέττιγα πτεροῦ συνείληφας, id eſt, Cicadam ala corripuiſti. Dicitur in eos, qui quempiam provocant minime ex uſu ſuo. Lucianus in Pſeudologiſta, ſcribit Archilochum poetam jambographum, & ad maledicendum egregie inſtructum, ad hunc modum reſpōdiſſe cuidam, a quo fuerat convicio provocatus: τὸν τέττιγα πτεροῦ συνείληφας. Eſt autem hujus inſecti mira quædam & prodigioſa loquacitas, maxime efferveſcente ſole. Plinius negat iis vocem eſſe, ſed ſtridorem, cum tractu: cumque ſonum emittit non alis, quemadmodum muſcæ, apes, culices (nam his ſtridor ſimul cum volatu deſinit: at cicadæ ſi preſſeris alas, vehementius etiam perſtrepit:) ſed in pectore ſubeſſe ait duos ſpecus, attrituque membranæ mobili accedente te ſpiritu per hos e viſceribus ſonū edi. Ergo quemadmodum ſi cicadam natura garrulam ala prehendas, clarius obſtrepit: ita ſi poetico homini præbeas occaſionem ſimultatis, non modo non tacebit, ſed clarius obſtrepet, & omnem bilem chartis illinet atris. Proinde Platonem ajunt admonuiſſe, ne quis hominem poetam ſibi faceret inimicum. Et Horatius,

> —— Genus irritabile vatum, dixit.

Octipedem excitas.

Cratinus in Thrattis apud Suidam, ὀκτάπουν ἀνεγείρεις. Id eſt, Octipedem excitas: nimirum ſcorpium, cui pedes ſunt octo, ac plerunq; ſub ſaxis abditus cubat: quem nō niſi tuo periculo ſuſcites propter venenum, quod in cauda geſtat.

Movere Camarinam.

Κινεῖν τὴν Καμάριναν, id eſt, Movere Camarinam: eſt ſibi ipſi malum accerſere. Lucianus De apophrade. ὁρᾷς ὡς ἄμεινον ἦν σοι ἀκίνητον τὴν Καμάριναν ἐᾶν, id eſt, Vides quāto ſatius tibi fuerit, Camarinam immotam ſinere. Vnde natum ſit adagium, Servius grammaticus explicat, Vergilianum illum locum enarrans in tertio Æneidos:

> —— Et fatis nunquam conceſſa moveri
> Apparet Camarina procul. ———

Camarina, inquit, palus eſt juxta oppidum ejuſdem nominis: quæ cum olim ſiccata, peſtilentiam creaſſet, conſuluerunt oraculum, an penitus eam deſiccare præſtaret. Vetuit Deus Camarinam moveri. At illi exiccarunt, non obtemperantes oraculo: & ceſſaderunt neglecti oraculi. Eadem ferme commemorat & Suidas: illud inſuper addens, quibuſdam Camarinam eſſe fruticem, cujus ramos ſi quis commoveat quatiatve, tetrum quendam odorem ædere. Verum mihi ſuperior ſententia magis videtur ad veriſimilitudinem accedere. Meminit hujus adagii Stephanus quoque verſu heroico: effertque ad hunc modum:

> Μὴ κίνει Καμάριναν, ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.
> Ne moveas Camarinam: etenim non tangere præſtat.

Ait autem, Camarinam opidum, & ejuſdem nominis paludem eſſe in Sicilia. Meminit & Silius libro decimo quarto, Maronem imitatus:

> Et cui non licitum fatis Camarina moveri.

Anagyrum commoves.

Superiori neutiquam diſſimile videtur illud apud Græcos celebratum, ἀνάγυρον κινεῖς, id eſt, Anagyrum commoves. In eos, qui ſibiipſis malorum autores eſſent: quique in ſuam ipſorum perniciem quempiam irritarent. Vnde ducta ſit parœmia, varie narratur ab autoribus. Alii ad fruticis naturam referunt, cujus meminit in tertio lib. Dioſcorides, quem quidam magyrum, quidam anagyrum appellent: nonnulli acopon, medicamentis quidem efficacem, verum odore majorem in modum gravi, maxime ſi manu teratur: cujus fructus guſtatus vehementem vomitum promovet. Vnde vel ab odoris moleſtia quæ carpentem conſequitur, adagium ductum videri poteſt, quandoquidem & acopi vocabu-

culum indidem apparet repertum: vel à concitandi vomitus efficacia. Meminit hujus & Plinius lib. xxvii. cap. iv. Sunt qui dicant, Anagyrum locum eſſe in Attica, quæ ad tribum pertineat Erechtheidem, autore Stephano, ubi frutex quidam graviſſimi odoris plurimus proveniat: ut anagyrum pro frutice non ſecus accipiamus, quam Anticyram pro elleboro, rurſum alii Anagyrum genium quendam exiſtimant, qui propter violatum ſacellum ſuum vicinos omnes funditus everterit. Atque hujus adagii mentionem fieri apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata, & ſane apud Ariſtophanem locus ſic habet:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Vnde advenit? ab Anagyro ergo per Iovem
Anagyrus eſſe motus apparet mihi.

Suidas hujuſmodi ferme commemorat. Anagyraſion quendam genium fuiſſe, ſic a loco quem diximus, cognominatum, qui ſenem vicinum, quod lucum ſuum inciſiſſet, hunc admodum ultus ſit. Senis concubinæ inſanum quendam amorem immiſit in illius filium: quæ cum adoleſcentis animum pellicere non poſſet, cum ultro apud patrem detulit, quod ſe de ſtupro non deſineret interpellare. Pater perſuaſus à muliere, filium e tecto præcipitē dedit, ac interemit. Deinde facti pœnitens, ſemetipſum laqueo præfocavit. Poſtremo mulier ſeſe in puteum abjecit. Atque hujus fabulæ citat autorem Hieronymum, haud ſcio quem in opere De tragœdiarum ſcriptoribus.

Suem irritat.

[illegible], id eſt, Suem irritat. In avidum rixarum dicebatur. Sus enim agreſtis provocatus rectà petit eum, à quo provocatus eſt. Sic enim narrant venandi periti, ſi quis cum lancea protenſa provocarit, etiamſi jam ille ſequebatur alium quempiam, illico vertere curſum, & in provocatorem tendere, ne culpide quidem vitata.

Leonem ſtimulas.

Conſimilem vim habet, quod a Diogeniano refertur, [illegible], id eſt, Leonem pungis, ſeu vellicas. De his qui potentem ac ferocem in ſuum ipſius exitium provocant atque ſtimulant. Nota eſt metaphora quam ut ſit explicanda.

Ipſa olera olla legit.

Ipſa olera olla legit: in eos quadrabit, qui ſuum ipſorum vitium in aliud quippiam rejiciunt: aut qui ſe ad ſcelus aliquod quaſi facti ſunt, ut non poſſint non peccare. Catullus in Cæſarem:

Mentula mœchatur, mœchatur mentula certe.
Hoc eſt quod dicunt ipſa olera olla legit.

Nam olla coquendis oleribus nata eſt: vel quod abſurdiſſimum ſit, ſi quis dicat ollam legere olera quæ non coquet, niſi ſi quis immiſerit. Non igitur olla in cauſſa eſt: ſed qui injicit mala olera. Nō eſt admodū huic diſſimile, quod ex Homero ceu proverbiale citat Tertullianus, Ipſum ferrum virum attrahit. Id a nobis alio dictum eſt loco in proverbio, Tollenda mali occaſio. item, Ipſa olla lenticulam attigit.

Fontibus apros floribus auſtrum.

Dubium non eſt, quin ad proverbiorum claſſem pertineat, quod eſt apud Maronem in carmine Bucolico:

Eheu quid volui miſero mihi, floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.

Vbi quis optat noxitura, nam ventus floribus inimiciſſimus, præcipue auſter, ob violentiam.

Leonem radere.

[illegible], id eſt, Leonem radere dicuntur, qui feroces & præpotentes attentant & illudunt, magno ſuo periculo. Vſurpavit hoc adagium Socrates apud Platonem libro de Repub. i. negans ſe uſque adeo dementem eſſe, ut leonem auſit tondere, & Thraſymacho, homini praeferoci illudere, [illegible]. Nam agni citra periculum tondentur velluntur que. leo nullo modo tractari vult. Ad hoc adagium alluſiſſe videtur Martialis Epigrammatum libro x. quum ait:

Quare ſi pudor eſt, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

Vertit enim poeta in jocum, quaſi totum eſſet & ignavum, leonē jam non ſentientem vellere. Per leonem autem innuit pudenda muliebria, jam emortua ſenio. Id Ariſtides in Panathenaicis, ad Periclem a Platone taxatum refert: [illegible], id eſt, Itaq; vide ne leonem radere conemur, non Thraſymachum calumniari volentes, ſed Periclem taxare, præſertim de timiditate.

Arcadiam me poſtulas.

[illegible], id eſt, Arcadiam me poſtulas. Diogenianus proverbii duplicem oſtendit uſum. Convenire enim vel in magna vel inutilia petentem. Vnde ſit natum, non indicat, qui huic ſcriptori fere mos. Cæterum Herodotus lib. i. ſatis docet natum ex oraculo: [illegible]

[illegible]

Id eſt:

Arcadiam me oras, magnum petis, haud dabo quicquam.

Notat hoc proverbium Cicero in epiſtola ad Atticum libr. xiij. Quod mihi mandas de quodam regendo, [illegible] tamen nihil prætermittam.

Eurycles.

[illegible], Eurycles vulgato cognomine dicebatur, qui de ſe ſuiſque incommodis aliquid divinaret. Nam hoc nomine vates fuit quiſpiam [illegible] cognominatus: hinc, ni fallor, quod ex aſtris vera prædiceret, [illegible]. Meminit & Suidas quanquam apud hunc [illegible] ſcriptum eſt, id eſt, divinus ſive ventriloquus. Refertur in collectaneis adagiorum Plutarcho inſcriptis. Vſurpatur autem à Platone in Sophiſta. Taxans enim eos qui perplexis & abſurdis rationibus produnt ſuam ineptiam, addit, [illegible], id eſt, Non opus eſt aliis a quibus redarguantur, ſed domi, quod dici ſolet, habent hoſtem qui contradicat, & intus ſubmurmurantem tanquam abſurdum illum Euryclem circumferentes ſemper incedunt.

Ipſe ſibi perniciem accerſivit.

In eum qui ſibi pertinaciter accerſit malum, cui veluti fato deſtinatus ſit, congruet illud ex eodem libro:

[illegible]

Id eſt:

Iſtum mortis in exitium mala Parca trahebat.

Bœotis vaticinare.

[illegible], id eſt, Bœotis vaticinare. Abominantis eſt ſermo, perinde ut dicimus. Hoſtibus iſta vaticinare.

—Capiti cane talia demens
Dardanio ——— Et:
Hoſtium uxores, puerique cæcos
Sentiant motus orientis auſtri, &
Æquoris nigri.——— Et:
Hoſtibus eveniant convivia talia noſtris:

Aptius autem dicetur in eum qui triſtia vaticinatur, ſi quando precabimur, ut ea in ipſius caput recidant. Zenodotus aliter conto natum ſcribit, Heraclidem allegans autorem: Olim, inquit, cū Thebani de belli eventu conſulerent oraculum, vates quæ tum Dodonæ reſponſitabat, ait eos fore victores, ſi quid impie patraſſent. Itaque conſultorum quidam arreptam Myrtilam (nam id mulieris fatidicæ nomen) in lebetem aqua calida ferventem, qui forte inibi aderat, injicit. Sunt qui narrant Bombum divinum quendā Thebanis de belli ſucceſſu ſciſcitantibus, reſpondiſſe futurum, ut quam plurimos vincerent ſi prius quempiam e ducibus immolaſſent. At illos Bombum ipſum interemptum immolaſſe, atque hinc ortum proverbium.

Oenoe charadram.

[illegible], id eſt, Oenoe torrentis alveum. Nam charadra Græcis ſignificat eam terræ geſturā, quam aqua pluvia, aut torrens, nonnunquam terræ motus efficit. Zenodotus in collectaneis adagiorum ait, dici ſolitum in eos, qui ſibi ipſi malum accerſerent. Hinc eſſe natam parœmiam, quod Oenoe vicus quidam ſit Atticæ, quem qui incolebant, alveum quendam torrentis vicinum, ſuis finibus incluſerunt. Deinde ingruente immodica vi aquarum, & ob id corruptis agris, agricolationem perdidiſſe. Strabo Geographiæ libro octavo, duas Oenoas commemorat: alteram Eleutheris finitimam, alteram apud Marathonē, de qua vulgo jactata parœmia, [illegible]: id eſt, Oenoe charadram. Effertur adagium ad hunc quoque modum, [illegible], id eſt, Oenoe charadram: ubi quippiam accerſitur ad commoditatem, unde pernicies adfertur. Heſychius hoc proverbium citat & explicat ex Demone, proverbiorum autore. Stephanus indicat Oenoem eſſe unam duarum civitatum, quas habet Icaria. Vnde dicuntur Oenæi.

Malum bene conditum ne moveris.

Idem pollet & illud, [illegible], i. e. Ne moveris malum bene conditum, ſive quieſcens. In eos, qui ſua ſtultitia ſibi turbas excitant: aut qui mala jam tempore ſepulta reſuſcitant, renovantq; Proverbium retuliſſe videtur Theognis hoc verſu:

[illegible]

Id eſt:

Nam perſæpe malum præſtat domi habere repoſtum.

Huic ſimillimum eſt illud:

—Sopitos ſuſcitat ignes.

Pyrauſtæ interitus.

[illegible], i. Pyrauſtæ interitus. In eos dicebatur, qui ſibi ipſis exitium accerſunt. Ait enim Zenodotus, Pyrauſtam inſectū eſſe, quod lucernis advolet, atq; ita exuſtis alis concidat, pereatq;. Citat autem hunc ex Æſchylo ſenarium:

[illegible]

Id eſt:

Magnopere ſtultum metuo pyrauſtæ exitum.

Tradit eadem de pyrauſta Ælianus De natura animantium libro duodecimo, citans eundem ex Æſchylo locum. Meminit de pyrauſte [illegible]

ſauſta & Plinius libro undecimo cap. xxxvj. Gignit, inquiens, aliquo & contrarium natura elementum: ſiquidem in Cypri ærariis fornacibus ex medio igni, majoris muſcæ magnitudine volat pennatum quadrupes, appellatur pyralis, a quibuſdam pyrauſta, (aut ut nonnulli codices habent, pyrotas.) Quandiu eſt in igne, vivit: cum evaſit lõgiore paulo volatu tunc emoritur. Cujuſmodi ferme tradit Ariſtoteles tertio lib. De animalibus, è nive vetuſtiore vermem naſci qui nive exemptus non vivat. Eum nos vidimus in Alpibus. Quod ſi placet ad hoc referre adagium, convenit & in eos, qui [illegible] id eſt, qui celeriter intereunt. Nec inventuſte deflecteretur in eos, qui nuſquam vivere poſſunt, niſi in propria patria: ſi contingat agere peregre, rebus omnibus offenduntur.

Ipſo cratere.

Αὐτῷ κρατῆρι γένοιτο κακά, i. ipſo cratere contingant mala. Dicitatur ſolitum de iis, in quos reddit quod per inſidias in alios moliebantur. Craterem enim quaſi malorum fontem vocat unde κρατὴρ κακῶν, id eſt, Crater malorum, de quo dictum eſt alias.

Docui te urinandi artem.

Ἐδίδαξά σε κολυμβᾶν καὶ σὺ βαπτίζειν με ζητεῖς id eſt, Docui te urinandi artem, & tu me viſ demergere. In eos quadrat, qui benefacta malefactis retaliant & beneficium acceptum in eius ipſius vertũt perniciem, à quo acceperunt. Sapit fæcem.

Fæcem bibat qui vinum bibit.

Haud dubium quin proverbialiter dixerit Ariſtophanes in Pluto. Fæcem epotandam eidem, qui vinum prius ebiberit: id eſt, qui fruitus ſit optimis, eundem boni conſulere debere deteriores.

> Ὅμως δ' ἐπειδὴ καὶ τὸν οἶνον ἐξέπιες
> Πιεῖν ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ τὴν τρύγα.

Id eſt:

> At ubi haud gravatus bibere vinum es, fæx item
> Tibi nunc eidem eſt ebibenda ſcilicet.

Verba Chremyli de muliere, quæ quondam vernans ac florens ætate placuerat, tum anus faſtidiebatur a juvene.

IVNII. *Archilochum calcas.*

Ἀρχίλοχον πατεῖς, id eſt, Archilochum calcas. Eſt enim hæc vera & genuina lectio: ad cuius præſcriptũ conformari debet quod ex Diogeniano refert Eraſmus, Ἀρχίλοχον πατρίς, pro ἀρχίλοχον πατεῖς, facillimo lapſu literæ ρ. pro ε, tranſcripta. De cujus uſu ab Eraſmo diſſentire me non diſſimulo, nam Archilochum proterere aut calcare, eo ſenſu accipio, quo Crabrones irritare, in maledicum convicia facientem ei qui poſſit longe majore vehementia mordere, juxta illud:

> —Genus irritabile vatum.

qua ratione Leonides epigrammaticus monet hoſpitem, ne Hipponactis maledicentiſſimi poetæ tumulum calcet:

> Μήπως ἐγείρῃς σφῆκα τὸν κεκοιμημένον.

Id eſt:

> Ne forte veſpam conſopitam concitet.

Convenit & in pauperem, cui cum locuplete aut magnatium aliquo res eſt, qui rebus illius plurimum officere poſſit. Euſtathius Odyſſeæ undecimo idẽ eſſe annotat, Ἀρχίλοχον πεπάτηκας, id eſt, Archilochum calcaſti: ac ſi quis dicat Scorpium calcaſti, aut anguem aut aſperos tribulos. Archilochus namque Lycambidas poematibus ſuis virulentis atq; dentatis ad laqueos compuliſſe legitur. Archilochum igitur calcare dicemus, qui quomodocunq; potentiorem laceſſit.

Neſcit aranea ſobolem ut erudiat.

> Ἀράχνη δ' οὐκ οἶδεν παῖδας ὡς παιδεύσεται.
> Ὀρθῶς ἀπόλλυνται γὰρ τῇ τεκούσῃ φίλτατοι.

Id eſt:

> Aranea prolem neſcit ut ſuam educet.
> Quas namque eduxit, mortis illi cauſa ſunt.

Senarii proverbiales in eos, qui malum ſibiipſi cudunt, molientes quod in ſuum poſtea vertatur incommodum, aut exitium. Aranea fœtus ſuos in ſuam ipſius perniciem parit & educat. Citantur à Suida.

Facem accendere.

Πυρσὸν ἀνάπτειν, id eſt, Facem accendere, proverbiali ſchemate dicitur pro eo quod eſt, fomitem & incrementum malo ſuppeditare. Theodoretus de providentia [illegible], id eſt: Opum affluentia materiæ vice alit avaritiæ flammam, & nequitia divitiis adjuta, maximam facem ſuccendit. Sic Plutarchus in Camillo dixit, [illegible], id eſt, facem in altum extulit Romam verſus. Suidas ex incerto autore annotat, [illegible], id eſt, face præire & oſtendere viam ſalutis. Metaphora a bellica face, quæ apud veteres belli prooemium erat a fecialibus qui ignifeti dicebantur, immitti in hoſtiles terminos conjecta, ut ex Euripide conſtat in Phœniſſis:

> Ἐπεὶ δ' ἀφείθη πυρσός, φοινίας σάλπιγξ.

Id eſt:

> Emiſſa poſtquam fax fuit, pugnæ cruentæ
> Symbolum.—

vel à face, quæ in ſpeculis accenſa hoſtilem adventum nunciabat. Quintilianus libro primo. Id nobis acriores ad ſtudia dicendi faces ſubdidiſſe, contenderim. Seneca: Accedunt deinde carmina poetarum, quæ affectibus noſtris faces ſubdant.

Protervia ignominiam præcedit.

Συντριβῆς προηγεῖται ὕβρις, id eſt, Protervia ruinam præcedit. Qui integer eſt ſceleris, calamitoſam ignominiam non incurrit, neque capite aut fortunis oppugnatur juxta vulgare dictum: Qui non peccat, non luit in ære: culpa enim damnoſa eſt. Meminit hujus proverbii Nazianzenus in eadem Invectiva: [illegible], id eſt, Præcedit ruinam protervia, ut præclare loquitur, ac ignominia & gloriam humiliatio, aut ut clarius dicam, Proterviam comitatur ruina, humiliationem gloria. Συντριβὴ capitis diminutio vocari poteſt Iuriſconſultorum vocabulo, quum alicujus fortunæ & ſtatus affliguntur atteruntur que.

Capra mucronem.

Αἲξ τὴν μάχαιραν, id eſt, Capra cultrum. Effertur adagium de iis, qui ſibi ipſi malorum fontes aperiunt, ſibi exitiũ accerſunt. Natum a Chorinthiaca capra, quæ defoſſum dedita opera cultrum, jugulandæ victimæ paratum, ſcalptu ungularũ eruit, quo mox concidit mactata. Idem eſt cum illo, Αἲξ ἐπὶ τὴν μάχαιραν, id eſt, Capra gladium miniſtrans. Citatur in Suidæ collectaneis. Vt licebit hoc pacto, quum quis ſuo indicio commiſſum a ſe facinus prodidit, ut dicamus eum, αἰγὸς τρόπον ἀπολέσθαι, Capræ in modum periiſſe: aut clarius etiam ita, αἰγὸς τῆς Κορινθίας τρόπον, inſtar Corinthiacæ capræ.

Lepus nidum ſuum prodit.

> Λαγὼς καταγορεύει τὴν καλιάν.

Id eſt:

> Sui ipſius nidi indicium facit lepus.

Dicetur de eo qui ſe ipſe prodit quavis ratione. Concordat cum Terentiano illo: Suo ipſius judicio periit ſorex. Lepus procurſu nidi ſui indicium venatori facit.

Igne aliud ferventius.

Καὶ πυρὸς ἔστιν θερμότερα. Etiam igne alia ferventiora. Extat apud Ariſtoph. Adagium conveniet dici, quum indicabimus quempiam fruſtra dolis certare apud doloſum hominem nihilque malas artes proficere apud earum calliditiſſimum: quomodo legimus Autolycum furaciſſimum non potuiſſe fallere Siſyphum ejuſdem artis experientiſſimum. Vertur Euſtath. Odyſſ. xix. [illegible]. Extat enim juxta proverbium etiam igni calentius aliud. Vius eo eſt paulo aliter Plutarchus in Demetrio. Nam quum recenſuiſſet Stratoclis inſignis adulatoris impudens factũ, volens adſcribere alterius cujuſdam longe illiberalius decretum: [illegible] inquit, [illegible], κατὰ τὸν Ἀριστοφάνην id eſt, Atqui fuerunt & alia igne ferventiora, juxta Ariſtophanis dictum.

Formicarum nidos inſpiravit.

Formicarum nidos inſpirare, quod eleganter unica voce μυρμηκιᾶν, efferunt Græci, quaſi Formicari dicas, proverbio dicũtur, qui malum ſibi imprudenter accerſunt. Natum inde, quod qui inſpirant aut aperto ore loquuntur in formicarum antra ſeu cavernulas, his lingua ulcere intumeſcit atq; inflatur, cujus rei cauſſam aſſignant venenatum aerem, quo illarum antra imbuuntur è palliu ſerpentium, formicas namq; mortuis anguibus veſci libenter, inter confeſſa habetur. Quid quod draco ex eſu formicarum & cantharidum, veneno diſtendi, atq; in rabiem agi putatur? ut Iliad. xxij. annotat Euſtathius.

Agaſonem vincit.

Νικᾷ τὸν ὀνηλάτην, id eſt, Agaſonem vincit. Adagium oſtendit eſſe Suidas in refractarium hominem, qui monentis verbis obaudit, ſeq; in præſens diſcrimen aut exitium conjicit. Originem adagii non commonſtrat: ac proinde ſine teſte non auſim quidquam comminiſci.

Sibi ipſe exitii author.

De iis qui immergentes alienum peccatum dependunt & innoxii alieno crimini involvuntur, apte dicentur illi verſus Homerici:

> Ἀλλὰ τί ἦ σὺ τόδ' ἄναιτιος ἄλγεα πάσχει
> Μαψιδίως ἄλλων ἀλεγεινὰ ἔχων.—

Id eſt:

> Quid vero hic aliena luit mala, culpam aliorum
> Dependens inſons?—

Hinc Hippocratis illud manaſſe putatur, τὸν ἰατρὸν ἐν ἀλλοτρίαις συμφοραῖς ἰδίας καρποῦσθαι λύπας. i. Medicũ in alienis magis proprium mœrorem metere, de quo ſeorſim agemus poſtea.

Carpathius teſtem.

Καρπάθιος τὸν μάρτυρα, Carpathius teſtem: ſcilicet ἐπηγάγετο, accerſivit, aut adduxit. Dicetur, quũ quis teſtem citat in ſuũ ipſius ma-

malum & perniciem: veluti quum authoris teſtimonium, aut ſcripturæ locus quem pro ſe adducit quiſpiam, diverſum ſonat atque repugnat ipſius opinioni. Vſurpavit adagium Archilochus, deflexum ab altero vulgatiore, Carpathius leporem. Eſt autem Carpathus inſula non procul à Coo, in quam importati aliunde lepores, in tantam copiam excrevere, ut non frugibus tantum, ſed & vitibus eroſis exitium attulerint.

Serpentem fores, & is te.

Ὄφιν θάλπεις, id eſt, Anguem foves, proverbium de eo qui educatum probum filium, & paternam ſubſtantiam dilapidaturum: aut amat in ſuum exitium meretricem: aut qui dogma impium, præſentem animæ perniciem, fovet atque amplexatur. Natum ex oraculari dicto Apollonii Tyanæi ad Menippum Licium, egregia forma adoleſcentem, à Lamia quapiam tenelle adamatum: quo ſpectri molimine comperto, hominem intuitus: O formoſe, inquit, & a formoſis expetite, ὄφιν θάλπεις καὶ σὲ ὄφις, id eſt, anguem foves, & anguis te, mox oſtendit eam quæ ſponſa exiſtimabatur, imaginem & ſimulachrum materiæ eſſe ſolum, ex numero Empuſarum, quæ veneris appetentiſſimæ, humanas carnes ardenter expetant, & venere libidinis illicio ineſcent eos quos poſtea ſint deglubituræ: uti memorat Philoſtratus quarto libro de vita Apollonii. Similis propemodum eſt huic hiſtoriæ apologus Babrii ſcultoris:

Ἔθαλπε τὰς γεωργὸς ἐν κόλποις ὄφιν.
Ὥρα κρυώδει, ... θέρμης ἄδεν.
Ἔπληξε τὸν θάλψαντα, κἀκτεινεν τάχος.

Id eſt:

Anguem foveat ruſticus ſuo in ſinu,
Brumæ rigentem frigore, hic igni calens
Punxit foventem, & ſuſtulit cita nece.

Conqueritur apud Æſchylũ in Agamemnone fabula Clytemneſtra, intentante ipſi necem Oreſte filio, ſe talem anguem in lucem protuliſſe, matricidam deſignans, eo verſu:

Οἲ 'γὼ τεκοῦσα τόνδ' ὄφιν ἐθρεψάμην.

hoc eſt:

Miſera parens cujuſmodi anguem ſuſtuli.

Iciens ictus eſt.

Βέβληται βαλών, id eſt, Iciens ictus eſt, competit in eum, qui ſibi ipſi malum acceſſit. Ortum habet ab Hercule, qui in Olympia ſtatuam conſpicatus, eamque latronem ratus eſſe, ſaxum eo contorſit: quod cum reſiliſſet, Herculem ipſum feriit. Effertur & ad hunc modum, παίσας καὶ πληγείς, id eſt, Percutiens idem & percuſſus. Euſtathius Iliad λ. originem paulo aliter refert, quod nimirum inter Elidem & Piſam ſtatua ſteterit, arte dædalea ſe vertens: quam cum Hercules lapide percuſſiſſet, virum ſuſpicatus illa impulſa Herculem feriit. Eleganter uſus eſt adagio Philoſtratus in Iconibus, de Capaneo loquens: ... id eſt, Fulmine percuſſus fuiſſe dicitur Capaneus, qui prior (niſi me fallit opinio) jactantia Iovem percuſſerat.

Canibus oſſa prodo.

Μηνύω κυσὶν ὀστέα, id eſt, Canibus oſſa commonſtro. Proverbiũ eſt de eo, qui inimico ſuum patefacit conſilium: velut ſi quis rivali amores ſuos detegat, aut litigator adverſario actionem ſuam indicet. Extat Epigram. lib. v. 11.

Ἀλλά τί μηνύω κυσὶν ὀστέα, μάρτυρές εἰσι.
Τῆς ἀθυροστομίης αἱ Μίδεω κάλαμοι.

Id eſt:

Quid canibus prodo oſſa, loquacis præmia linguæ
Quæ ſint, teſtatur lævis arundo Midæ.

De arundine Midæ fabula eſt apud Ovidium Metamorp. xi. quã perſtrinxit & Petronius Arbiter his verſibus:

Sic commiſſa ferens, avidus reſerare miniſter,
Fodit humum, regiſque latentes prodidit aures:
Concepit nam terra ſonum, calamique loquentes
Invenere Midam, qualem conceperat index.

BRASSICANI. *Securim inucere.*

Cicero pro Murena: Quam te ſecurim putas injeciſſe petitioni tuæ? Securim injicere proverbiali metaphora dicuntur, qui diſpẽdium afferunt, qui præpediunt in eo quod aſſequi cupias, aut rem in apertum diſcrimen adducunt. Ita ſuæ petitioni ſecurim injicere dixit, qui ipſe ſuam petitionem aliquo incommodo labefactarit. Idem pro Plancio: Quam graviorem potuerunt reipublicæ infligere ſecurim? Infligere reipublicæ ſecurim dixit, qui eam maximo magno malo læſerit. Plautus in Moſtellaria, pilum injicere dixit. Iuvenalis in x. Satyr.

—Impacta ſecuris Cædit.—

Echinus parturiens cunctatur.

Ἐχῖνος τὸν τόκον ἀναβάλλει, Echinus partum procraſtinat. Echini terreſtres, quos Erinaceos dicimus, exiſtimantur propter aculeos catulorum, ſuorum partum morari ſolere ac deinde aculeatioribus factis catulis ægerrime eniti. Vnde proverbium, Budæo etiam teſte, in eos uſurpatur, qui ſubinde verſuram faciunt, hoc eſt, creditorem mutant, fœnus fœnore ſolvunt, nomen nomine expungunt, atque illi dum fidem ſuam ad aliquod tempus labefactari nolunt, ad extremum fortunis omnibus evertuntur.

Simiæ ſanguinem profudiſſe.

Diodorus Siculus libro x. ſcribit in Pithecuſis eum honorem haberi Simiis, quem Ægyptii canibus tanquam diis ſuis exhibeant: vivere ſimul cum hominibus, cibum ab iis abſq; omni metu capere, parentes iſthic liberis ſuis a Simiis, ut aliæ gentes a diis imponere nomina: qui ſimiam occiderint, tanquam impium flagitium deſignaſſent, iis pœnam extremum ſupplicium eſſe conſtitutum: unde etiam proverbio apud eos dicatur de iis qui jam occiſi & è medio ſublati ſint, ὅτι πιθήκων αἷμα ..., id eſt, Simiæ ſanguinem eos profudiſſe.

COGNATI. *Cæcias nubes trahit.*

Cæcias, alias Helleſpontias, ab ortu æſtivo ſpirat: quem nubes in ſe trahere, Plinius inquit: naturæ humidæ, ſecundum Ariſtotelem. Præbuit autẽ huic adagio occaſionem, Cæcias nubes trahit, de iis qui lites, odia, aliaque ſibi ſua ſponte acceſſunt. De quo Eraſmus noſter fuſius, in adag. Malum ad ſe attrahens, ut Cæcias nubes.

Sua cuique nocet ſtultitia.

Idem Epiſt. lib. xiij. epiſt. lxxxviij. Sua cuique nocet ſtultitia. Hæc vim & uſum proverbii ſatis indicant. Demoſtenes, ... πολλῶν κακῶν ἡ ἄνοια πολλοῖς αἰτία γίγνεται. id eſt, Multarum & gravium calamitatum multis hominibus ſtultitia cauſa eſt, Vn fol cerche ſon malheur, dicunt Galli. Huic ſimile, Suo ſibi gladio pereunt. Terent. in Adelph. & Lactant. Inſtit. lib. tertio cap. xxviij.

Optima nomina non appellando fieri mala.

Proverbiale eſt apud Columel. in prin. Vel optima nomina non appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe fertur. id eſt, quamvis locupletes habeas debitores, tamen ſi diu judicium ipſis non dictaveris, uſuraſque non petieris, mala tandem fieri. id eſt, ipſos tandem non ſolvendo tanto ære alieno fieri, ſicque inanem tandem perſecutionem, & nomina ipſa caſſa factum iri. Sic Seneca: Segnes & tardi, lenta nomina non mala, hoc ego non appellabo, ſed commonefaciam. Nomina autem pro debitoribus accipiuntur, vel pro ſyngraphis creditarum pecuniarum. Appellamus enim nomina, id eſt debitores, per apparitores: id eſt magiſtratuũ viatores: qui in jus homines vocant, & in jus ire jubent. Porro inania nomina ſunt, quorum inutilis eſt perſecutio, ut debitorum: qui cum judicati ſunt, judicatum facere nequeunt. Appellare autem & interpellare, verba ſunt juris, eaque creditoris nomina ſua exigentis, debitorem in jus vocantis. Sunt enim nomina quædam, quæ non ante diſſolui debent, quam creditor interpellarit: quædam autẽ ſunt, in quibus dies ipſa, hoc eſt, temporis lapſus pro homine appellat, adeo ut in mora eſſe videatur debitor, ſi ultro debitum non obtulerit. Purgatur autem mora apud Iuriſc. per oblationem debiti, & depoſitionem, & alias: hoc eſt, cum quidpiam agit debitor, quo ſummoveri creditor poſſit, ſi ad pœnam aut uſuram tranſacti poſt diem temporis agere inſtiterit. Vt autem appellari dicitur debitor, cum flagitatur ut ſolvat: ita cum ſolvere ſe dicit, reſpondere dicitur. Cicero in quadam epiſtola ad Atticum. Fit ſæpe, ut ii qui debent, non reſpondeant ad tempus.

Ova aſpidis rumpere.

Ova aſpidis rumpere, proverbium eſt, quo Eſaias utitur cap. lix. pro eo quod eſt, ſummo periculo rem aliquem tentare: Ova aſpidum, inquit, ruperunt. Hoc enim vult, cum dicit eodem cap. Si aſpidis ovum conteratur, erumpet vipera. Ea dicitur ſomniculoſa, quod ſomnum lethiferum percuſſis immittat. Hinc venenum aſpidum, pro nocentiſſimo uſurpat David. Idem eſt, quod, Corvum excludere. Germani dicunt, Ein raben auſsbruten.

Sibi malum arceßit jumento ſuo.

Plautinum proverbium in Amphitruone, quod valet: Quærit ſibi malum, quod jumento imponat ſuo: cum potius ſi quod malum & iniquum onus ſit, alienis jumentis, quam noſtris imponere ſoleamus ne eo opprimantur, & rumpantur. Suo igitur jumento & abſolute dictum, pro, cum ſuum ſit jumentum, intelligit autem eum ipſum. Malum enim ſibi quærit, quod geret, cujuſque jumentum erit: niſi ſi quis ſibi & jumento ſuo, per appoſitionem interpretatur. Alterum tamen concinnius videtur: quanquam ne hoc quidem ſine gratia. Melius eſt, ſuo ſibi jumento, explicari, pro, ſuo proprio jumento: id eſt, ſibi. Vide alibi. Indicio ſui facti fuit.

Excitat ignem.

Excitare ignem, in Gallicis eſt proverbiis: & valet idem quod apud Græcos, ζωπυρεῖν qui ſcintillam ζώπυρον, id eſt, ignem, ſemina & fomenta vocant. Virgil. libro octavo Æneid.

Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes.

Ad hunc locum pertinet illud Horatii, Od. 1 lib. 2.

—Et incedis per ignes Suppoſitos cineri doloſo.

Adhæc Virgil lib. vi. Æneid. in principio, ſemina flammæ periphraſticôs ſcintillas vocat, quæ excutiuntur, quæ fomentis exceptæ, & cremiis, flammam excitant, ut merito ejus ſemina dici debeant. Sic Lucretius lib. v. rerum naturalium.

Quod

Quod genus interdum ſegetes, ſtipulamque, videmus
Accipere ex una ſcintilla incendia paſſim.

Indicio ſui facti fuit.

Proverbium in eos, qui ſuapte voce produntur: ut ſervus ille nequam, quem Dominus de ore ſuo judicavit, Lucæ 19. Etiam in Scriptura è ſuis ipſorum verbis condemnantur hypocritæ. Lucretius libro quarto.

Multi de magnis per ſomnum rebus loquuntur
Indicioq; ſui facti perſæpe fuêre.

id eſt, & ſæpe ſuum factum indicaverunt. Idem lib. 5.

Quippe ubi ſe multi per ſomnia ſæpe loquentes,
Aut morbo delirantes procraxe ferantur.

Id eſt:

Palam aperuiſſe, atque indicaſſe, & quaſi in publico garriiſſe, ſua voce prodidiſſe. Elegantiſſima dicendi formula. Terent. in Adelphis: Indicio de ſe ipſe erit. Utitur & Cicero. Verbum eſt à Græco detortum, κράζω, valet clamo, & vociferor: cujus præteritum κέκραγα. hinc verbum procrago procraxi, & παῤῥησιάζω, procraxe. Cic. Tropicis: Et per ſomnum vinum, inſaniam, multa ſæpe patefacta ſunt. Videtur ducta metaphora à ſoricibus, qui dum rodunt, ſuo indicio ſæpe pereunt: ut alia proverbiali metaphora dicitur apud noſtrum Eraſmum, Sorex ſuo indicio periit. Sic ſuperbi inconſiderate agentes, fere ſuæ ipſi ruinæ cauſa ſunt. Vide ante aliud proverbium, quod cum his congruit: Ebrietas & amor ſecreta produnt, & : Sibi malum arceſſit jumento ſuo.

Inſtar Veſparum.

Veſpa eſt inſecti genus, crabronibus affine pertinaciſſimum, aculeoq; peſtilentiſſimo. Hinc illud Platonici dialogi de divitiis, qui Eryxias inſcriptus eſt: Nam mihi Syracuſani erga nos non aliter affecti eſſe videntur, quam ſint veſpæ: quæ ſi leviter irritatæ provocentur, ſiunt invictæ, donec eas aliquis aggreſſus funditus extinguat. Apud Eraſmum duobus in locis eſt, Irritare crabrones. Ante, Muſcarum in morem.

CAROLI BOVILLI.

Poculo imparato, amovet obicem dolio.

De iis, qui mera imprudentia præſens damnum incurrunt, non præparantes ea multo ante, ſine quibus negocium, quod in manibus eſt, expediri nequit. vulgatum eſt apud Celtas: Il tire la broche, devant que le pot ſoit preſt. Priuſquam ad manû ſit œnochea, aut crater, ſeriam relinit, & vinum temere effluere ſinit.

TVRNEBI, ET ALIORVM.

Ipſa olera olla legit.

In eos, qui quod ſe facere oportet, faciunt: ut cum libidinoſus & ſalax ſcortatur, ebrioſus potat. Olera enim in olla coquuntur: quæ cum eis repletur, ipſa legere videtur, id eſt, colligere. Catullus in Mamurram. Ita Turnebus Adverſ. 3. cap. 13. Aliter Eraſm. in Chiliad. in proverb. Ipſa olera olla legit.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Ova aſpidum ruperunt.

Non dubito inter tot interpretes Latinos & Græcos, quorum extant commentarii in eminentiſſimum vatem Eſaiam, compluꝛes fuiſſe, qui allegoricam hanc παροιμίαν luculenter & ſcite expoſuerint. Quorum quia mihi deſunt monumenta, alea ingenii tentanda eſt: donec adſit Palamedes aliquis, vel Theſeus potius, qui hærentem expediat, & oblata dextera tueatur. Propheta ergo volens oſtendere, quam immanibus ſe ſceleribus inceſtaſſent Judæi, quæ ſuis authoribus exitio forent: per comparationem eos ſimiles facit, iis qui aſpidis ova ruperunt: quo non eſt aliud in ſerpentum genere tenacius iræ, magiſq; ultionis avidum, dæmonis exemplo. Ingentia ergo ſcelera [illegible] vel [illegible] aſpidum ova recte dicta ſunt, quia nimirum cacodæmonum virus, ſemen & partus crimina & peccata ſunt. Porro rumpentes, ipſi peccatores nullam ſuæ ſalutis rationem habentes, qui ovorum aſpidis ruptione, hoc eſt, ſcelerum partu ſibi exitium acceꝛſunt, mortemque æternam ac ſecundam. Gemino namque diſcrimini ſe exponunt, ova aſpidum rumpentes: ut vel à parentibus, fœtum ſuum violatû dira ultione perſequentibus, vel ab ipſis fœtibus, ex ovis ruptis erumpentibus vel excluſis, letho dedantur.

MALVM MALE VITATVM.

ERASMI. *Fumum fugiens, in ignem incidi.*

Καπνόν γε φεύγων εἰς τὸ πῦρ περιέπεσον.

Id eſt:

Dum vito fumum, flammam in ipſam decidi.

Senarius eſt proverbialis, ſuperiori ſententiæ finitimus. Lucian. in Necyomantia: ἐλελήθειν δ' ἐμαυτὸν ἐς αὐτό φασι τὸ πῦρ ἐκ τοῦ καπνοῦ βιαζόμενος. id eſt, Ignorabam autem, quod juxta proverbium ex fumo in ipſum ignem compellerer. Utitur & Plato lib. de Repub. 8. cum ait populum, dum recuſat ingenuis ſervire, quaſi vitato fumo in flammam incurrere, videlicet, ut ſervis etiam ſervire cogatur. Huc alluſit Horatius, cum ait in Sermonibus:

—Nam fruſtra vitium vitaveris illud,
Si te alio pravum detorſeris.—

Et in arte poëtica:

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte.

Plutarch. περὶ δυσωπίας, τῇ δὲ δυσωπίᾳ συμβέβηκεν ἀτεχνῶς φεύγουσι τὸν καπνὸν εἰς τὸ πῦρ ἐμβάλλειν ἑαυτήν, id eſt, Ineptæ autem verecundiæ illud haud dubie accidit, ut fumum fugiens infamiæ, in ignem conjiciat ſeſe, id eſt, in aliud majus.

Ne cinerem vitans, in prunas incidas.

Μὴ τέφραν φεύγων εἰς ἀνθρακιὰν πέσῃς.

Id eſt:

Ne cinerem fugias in carbonariam incidas.

Ne ſic defugias malum hoc aut illud, ut in aliud longe majus incurras. Videtur heroicus depravatus, conſtabit, ſi pro πέσῃς, legas ἐμπεπτώκῃς.

Cucurrit quiſpiam ne pluvia madeſceret, & in foveam præfocatus eſt.

Ἔσπευδε μὴ βρεχθῇ, καὶ εἰς βόθρον ἀπεπνίγη, i. Cucurrit quiſpiam ne conſpergeretur aqua, & in fovea præfocatus eſt. Ubi quis levius malum incautius fugiens, in maximum incurrit. Videtur è vulgo ſumptum ab Apoſtolio. cujuſmodi multa ſcientes prætermiſimus.

Reiicientis culpam.

Adverſus eum qui mali ſui caſum alio rejicit, ita ut vulgo factitant, appoſite torquebitur illud ex Odyſſ. λ. dictum ab Elpenoris umbra, qui temulentus perierat apud Circen:

Ἆσέ με δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος.

Id eſt:

Mi mala fata deûm nocuerunt, uſq; Lyæi.

Sic alibi Agamemnon diſſidii cauſam in Aten retorquet.

Evitata Charybdi in Scillam incidi.

Τὴν χάρυβδιν ἐκφυγὼν, τῇ σκύλλῃ περιέπεσον.

Jambici ſunt Dimetri ἀκέφαλοι, quos caſu ne effuderit, an arte finxerit incertum. Horû hic eſt ſenſus: Evitata Charybdi in Scyllam incidi, hoc eſt dum vito gravius malum, in alterum diverſum incidi. Sumptum adagium ab Homerica fabula, quæ narrat Ulyſſem, dum metu Charybdis propius ad Scyllam navem admovet, ſex è comitum ſuorum numero perdidiſſe. Quidam ajunt, Scyllâ Niſi Megarenſium Regis fuiſſe filiam quæ propter aureum crinem ademptum patri, in monſtrum hoc marinum converſa ſit: ut meminit Pauſanias in Corinthiacis. Cui videtur aſſentiri Vergilius in Bucolicis, cum ait:

Quid loquar, aut Scyllam Niſi, quam fama ſecuta eſt
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis:

Servius indicat, Scyllam Phorci & Crateidis nymphæ filiam. Hanc cum amaret Glaucus, Circe, quæ illius amore tenebatur, quod eum in Scyllam propenſiorem eſſe videret, fontem in quo nympha lavare conſueverat, magicis venenis infecit. In quem cû illa deſcendiſſet, pubetenus in varias mutata eſt formas. Nam id Circæ peculiare, in ferarum figuram homines vertere: Horrens itaq; ſuam deformitatem, ſeſe in mare præcipitem dedit, ac fabulæ præbuit argumentum. De rei veritate, diverſa eſt ſcriptorum opinio. Salluſtius putat eſſe ſaxum in mari prominens, quod procul viſentibus muliebrem formam imitetur: in quod illiſi fluctus, quoniam & luporum ejulatum & canum latratum videntur imitari, finxerunt illam à pube hujuſmodi feris ſuccinctam eſſe. In Græcorum commentariis invenio, triremem fuiſſe quandam miræ pernicitatis, cui nomen fuerit inditum Scyllæ, παρὰ τὸ σκυλεύειν. quod hac graſſantes piratæ mare Tyrrhenum ac Siculum infeſtarent, reliquaſque naves quotquot præteriſſent, diſpoliarent: atque hinc natam fabulam. De Charybde vero narrant poëtarum fabulæ, hanc fœminam fuiſſe voraciſſimam: quæ quod Herculis boves rapuiſſet, à Jove fulmine icta, in mare præcipitata eſt, & in hujuſmodi verſa monſtrum, quod adhuc priſtinam ſervat naturam. Abſorbet enim univerſa: quæq; abſorbuerit, ea circa Tauromenitarum egerit litus: ut Salluſtius eſt autor. Unde tanquam proverbio ſcortum vorax, & aviditatis nunquam ſatiatæ, Charybdim appellat Horatius:

—Ah miſer
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma.

Servius ait, Scyllam in Italia eſſe, Charybdim in Sicilia. Virgil. Æn. lib. 3. tranſitum hunc inter duo pericula anguſtum eleganter deſcribit:

Hæc loca, inquiens, vi quondam vaſta convulſa ruina,
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt, cum protinus utraq; tellus
Una foret: venit medio vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit, arvaq; & urbes
Littore diductas, anguſto interluit æſtu.
Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis

iti, rectaque ratione medicari non poſſit, appoſite uſurpabimus illos Sophoclis verſus ex Oedipo tyranno:

> Οἶμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν
> Νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην, ὅσα κεύθει.
>
> Id eſt:
>
> Nec Iſther ipſe (quod reor) nec eluat
> Phaſis, malorum quicquid hæc celat domus.

Sunt autem nominatiſſimi fluvii & maximi, Iſther Germaniæ & Phaſis Colchidos, uterque maximarum etiam navium capax: ille prægrandibus ſeptem oſtiis in Euxinum ſe exonerat, hic Aſiam ab Europa diſterminat: unde ἀσίας τέρμων Æſchylo dicitur.

Inſanus appenſis pellibus non curatur.

Tatianus Aſſyrius in oratione adverſus Græcos: οὐδὲ ὁ μεμηνὼς σκυτῶν ἐξαρτήμασι θεραπεύεται: Neque furioſus pellium appendicibus curatur. Quemadmodum ab inſaniæ morbo non liberant coriaceorum ſegmentorum pendigines, ita ſtoliditatem non auferunt doctoralia inſignia, nec ingenii vanitatem habitus ſacerdotalis. Eandem plane ſententiam habet cum illo Plutarchi, Calceus podagra non liberat.

Malum ſectionis egens.

Annotat Euſtathius in Iliados decimũ, proverbialiter dici πήματα τομῶντα, quæ ſectionis egeant mala, de ingentibus & extremis: ſumpta metaphora à putrido vulnere, nulla arte medicabili, niſi per novaculæ ferrique inciſionem. Extat autem apud Sophoclem in Ajace flagellifero:

> —Οὐ πρὸς ἰατροῦ σοφοῦ
> Θρηνεῖν ἐπῳδὰς πρὸς τομῶντι πήματι.
>
> Id eſt:
>
> Admurmurare carmina haud medici eſt boni,
> Quando malum jam ſectionem flagitat.

Non eſt alienum ab hoc & illud, ξυρεῖ τὸ ἐν χρῷ, Viva ſecabit cute tenus.

BRASSICANI.

Romæ quoque homines moriuntur.

Idem 16. Is ipſe interrogatus quid de Roma ſentiret, id tantum ſibi placuiſſe ajebat, quod didiciſſet ibi quoque homines mori. Proverbium ſignificat inevitabilem eſſe mortem, quocunq; tandem ſeceſſeris. id quod eleganter extulit Martialis:

> Nullo fata loco poſſis excludere, cum mors
> Venerit in medio Tybure Sardinia eſt.

Tonitrus imbrem antecedit.

Hoc eſt, poſt minas verbera: ductum verbum à lepida voce Socratis, ſapientiſſimi viri, qui abſurdos aſperoſq; mores uxoris patienter admodum tulit: cuæ cum ipſi antea maledixiſſet, poſtea autem aquam in eum effudiſſet: Nonne, inquit ille amicis, hoc futurum dixerã: ἐν Ξανθίππη βροντώσῃ καὶ ὕδωρ ποιήσει. Vix enim Latine hoc pronunciari poſſe puto, ut maneat in ea lepos elegãtiaque, quæ in ea his verbis pronunciata percipitur. Nam tonitrus imbrem antecedere certum eſt. Seneca libr. Natural. quæſt. 27. Ideo hujuſmodi tonitrua venturi prænuncia imbris ſunt. Hic Galli: Tant tonne qu'il pleut.

Chironia ulcera.

Appellant Euſtathius & Ægineta, veluti Chironiæ medicinæ periſſimo indigentia. Galenus περὶ θεραπευτικῆς μεθόδου, quod ejuſmodi ulcera primus ſanarit Chiron. Ea maxime accidunt pedibus & cruribus, duaſque habent calentes oras, tumentelque modico dolore. Joan. Langius in Epiſtola xiij. primæ partis, de Gallici morbi ſymptomatis: Chironia, inquit, quæ ſane Chironis centauri medici & Achillis præceptoris opem poſcebant. R. Conſtantinus de Corn. Celſo ad Joannem Capellam medicum: Nos aliquot nævos, varos, lentigines, ephelidas, verrucaſque tantum curavimus. Reſtant Chironia, Thelephia quoque ulcera, quæ pro deploratis habeo, niſi à te ſanentur, qui ſummus es medicus arte & dignitate.

Onus Atho aut Æthna gravius ſuſtinere.

Cicero in Catone majore de quibuſdã ſenibus dixit, eos onus Athlo aut Æthna gravius ſuſtinere. Id autem ex Euripide ſumptũ eſt, apud quem Ἡρακλῆ μαινομένῳ chorus, qui è ſenibus conſtat, juventutem quidem celebrat ac prædicat: malum vero, ut veteres loquebantur, ætatem miris modis exagitat, eique multa mala precatur. Inter cætera autem, eam dicit onus eſſe Æthna gravius, quo perpetuo prematur ſenum caput. Verſus hi ſunt:

> Ἁ νεότας μοι φίλον
> Τὸ δὲ γῆρας ἄχθος αἰεὶ
> Βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων
> Ἐπὶ κρατὶ κεῖται.
>
> Id eſt:
>
> Juventus mihi chara eſt:
> Senectus autem pondus ſemper
> Gravius Æthnæ ſcopulis
> Supra caput ſitum eſt.

Sed & apud Plautum non ſatis ita ſenes de ætate ſua, ut de gravi aliquo aut ponderoſo onere, loquuntur. Athos Theſſaliæ (vel ut alii, Thraciæ) mons eſt eminentiſſimus, cujus verticis incolæ ſolem orientem tres horas prius conſpiciunt, quam illi, qui proximis maritimis regionibus accolunt. Uterq; mons proverbiali metaphora accipitur, pro re odioſe gravi. Euripides in Hercule furente: ἁ νεότας μοι φίλον· ἄχθος δὲ τὸ γῆρας αἰεὶ βαρύτερον Αἴτνας σκοπέλων ἐπὶ κρατὶ κεῖται. id eſt, Juventa gratum mihi onus eſt: at ſenium gravius Æthneis cautibus capiti impendet. Originem metaphoræ Æthnææ indicat Virgilius Æneidos 3. ibi:

> Fama eſt Enceladi ſemuſtum fulmine corpus
> Urgeri mole hac, ingentemque inſuper Æthnam
> Impoſitam, ruptis flammam expirare caminis.

Nam & Æthnam Siciliæ flammarum globos evomere, indubitatum eſt: & gravitatis nomen demonſtrans, vel ipſa montis appellatio, tanto magis, quanto immaniſſimum naturæ portentum gigas ejus mole premi creditus fuerit. Non negaverim & Atho montem in prægravis ponderis ſignificationem trahi poſſe, quippe qui altiſſimus in trecenta uſque ſtadia umbram ejaculetur.

Πῦρ καὶ σκώληξ.

Metaphora Salomonis eſt & Siracidæ c. 7. pro excidio & vaſtatione. Nam & vermes corrumpunt ea quæ erodunt, & ignis correpta abſumit.

Præterita non mutantur.

Mos eſt dicendi. Bunellus ad Cognetium: Non reprehendo præterita, inquit, quoniam mutari corrigique non poſſunt. Galli dicunt:

> Ce qu'eſt paſſé, eſt paſſé.

Huc pertinet, quod eſt apud Terentium in Phormione, act. 5. ſcena 9. ſub finem: Nauſiſtrata: Meritone hoc meo videtur factum? Demipho: Minime gentium. Verum quando jam accuſando fieri infectum non poteſt, Ignoſce, orat, confitetur, purgat: quid vis amplius? Ant. Muretus in act. 3. ſcenæ 7. Terentii Adelph. Malim quidem: dicitur à Mitione, inquit, & habet hunc ſenſum: Malim quidem, ſi fieri poſſit, aliter eſſe: ſed quando quod factum eſt, infectum fieri non poteſt, æquo animo fero. Tale aliquid quum dicere pararet, impeditur à Demea. Pindarus quoq; elegãter ait: Quicquid factum eſt, infectum reddere, ne omniũ Deus Jupiter poſſet. Tryphonius Juriſconſ. in Pandect. tit. de capt. & poſtliminio reverſis. l. 12. Factæ autem, inquit, cauſæ, infectæ nulla cõſtitutione fieri poſſunt. Vulgare eſt hoc in jure civili, facilius impediri aliquid fieri, quam factum tolli. Habetur Digeſt. De his qui ſui ſunt vel alieni jur. l. patre furioſo. Ovidius:

> Nec quæ præteriit, curſu revocabitur unda:
> Nec quæ præteriit hora, redire poteſt.
>
> Verinus:
>
> Præteritas nullus revocabit temporis horas.

Significant enim, tempus præteritum reparari non poſſe. Hinc Demoſth. pro corona: Præterita ſemper apud omnes omittuntur, & nemo unquam de iis deliberationem habendam propoſuit. Budæus Nicolao Beraldo ſcribens: Sed præterita (ut ajunt) non tam corrigi, quam reprehendi poſſunt.

Ulcus eſt.

Ex hoc in proverbium venit. Cicer. Quicquid horum attigeris, ulcus eſt, id eſt, ita à te defendi nõ poterit, quin erroris vanitatiſq; convincaris. Idem De natura deorum: Quæro, quomodo beatus ſit? quomodo æternus? Quicquid horũ dixeris, ulcus eſt. Ita male inſtituta oratio exitum invenire non poteſt. Ulcera metaphorice dicuntur ea quæ dici nequeunt, ut dolorem non cieant, aut ignominiam. Tractum à medicis cum ſpecillo attingunt loca ulceroſa. Non eſt enim ulcus attingendum, niſi ab eo ſanari poſſit, qui ſpecillum adegit. Quare in proverbium venit: Satius erat hoc ulcus non attingere. Hinc etiam fera ulcera, Græcis ἄγρια dicta, quaſi quæ mitigari nequeunt, quæ manum chirurgicam non admittunt, indomita, & quæ curatione irritantur. Budæus Picardo. Stylum (ut fit) imprudens in hoc ulcus opinionis meæ adegi, aut etiam imprudenter. Fortaſſe enim intactum id oportuit, quoad medicamentum nactus ſim: quod nullum utique operæ precium allaturum eſt, niſi tempeſtivum ſit. In hoc ulcus: id eſt, in hujus rei commemorationem, quæ exiſtimationem meam ſuggillat. Hoc enim in loco, in ulcus ſtylum ſe adegiſſe dicit, quia melius erat non meminiſſe, cum ſatis ſibi purgaſſe culpæ notam nõ videatur, ut illa Cic. exempla. Idem Budæus De contempt. rerum fortuit. Ferum profecto id, diruumque ulcus animi (nihil enim ſignificantius dixerim) quod non modo remediis non cedit (id eſt, non curatur & vincitur) ſed etiam medendo exacerbatur. Specillum autem eſt, quo chirurgi explorant vulnera.

In foveam neceſſario decidit.

Quadrat in eos, qui in anguſtias eas redacti ſunt, ut extricare ſeſe nullo modo poſſint. Idem Lactan. eodem libro & cap. Cum, inquit, providentiam divinam, quæ eſt in uno Deo, conaretur evertere, quia contra veritatem niti cœperat, deficientibus argumentis, in hanc foveam neceſſario decidit, unde ſe extricare non poſſet. Hic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quoniam Lucilius, qui contra diſſerebat, obmutuit. Hic eſt ergo cardo rerum, hic vertuntur omnia. Explicet ſe Cotta, ſi poteſt, ex hac voragine. Redit rurſus ad proverbium, & quam vocavit foveam, dicit voraginem. Alii nuſam, puteum: Huic ſimillima ſunt:

Poetam nemo ſibi inſenſum reddat.

Plato in Minoe: Min. Quam igitur ob cauſam fama hæc inter homines diffuſa eſt, Minoem ipſum agreſtem, rudem, durum, injuſtumque hominem extitiſſe? Socr. Ob quam & tu, vir optime, & unuſquiſq; alius, cui bona exiſtimatio curæ eſt, ſi modo ſapitis, diligenter cavere debetis, ne poëticum hominem infenſum aliquem habeatis. Poëtæ quippe vim maximam in utramq; partem, & ad laudandum & ad vituperandum habent. Qua in re Minos deliquit, cum huic urbi bellum indiceret: quæ cum cæteris ſapientibus plurimis, tum vel maxime poëtis omnis generis, ac tragicis præſertim, referta eſt. Nos Minoa ferientis tragœdia ulti ſumus: ſed & hujus gratia, tributa illa pendere nos coëgit. In hoc igitur deliquit Minos cum nos laceſſeret: unde ipſi infamia.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs?

Idem Hieremias ſane perquam elegans uſurpat *ἰδίωμα* proverbiale, nunquid fœderabitur ferrum ferro? Quod recentiores ſic vertunt: Num ferrum affligit ferrum? Munſterus autem: Nunquid franget ferrum ferrum? non vitans amphibologiam caſus, nec colliſionem conſonantium: quam videtur hic refugiſſe vetus Interpres. Omnis ſenſus hic mihi videtur ex præcedentibus & conſequentibus colligi poſſe: Meo præſidio fulta (loquitur autem ad Hieruſalem Deus) non eſt quod metuas & Regem Babyloniorũ, cum non minus valida & invicta ſis futura, quam ille: uſque adeo autem munita eris (me ſuppetias ferente) ut vim vi repellere, armiſque impetentem armis propulſare poſſis, ut non ſit neceſſe tibi, cum eo pacis leges inire, illiuſque amicitiam colere, vel ſequi fortunam. Apte utemur eo, cum duos pares potentia & opibus, ſed vehementer mutuo odio flagrantes negabimus in gratiam redituros, utpote non facile expugnabiles, & æque ad iracundiam & ultionem promptos.

MALVS VICINVS.

ERASMI. *Salſuginoſa vicinia.*

Ἁλμυρὸν γειτόνημα, id eſt, Salſuginoſa vicinia. De ſterili, agreſti, atque inhumana vicinia dicebatur. Ariſtides in Themiſtocle: ἔστω τὸ γειτόνημα ἁλμυρὸν ὥς φασιν. id eſt, Sit ſalſa, ut ajunt vicinia. Interpres adſcripſit adagium ex Alcmane Lyrico poëta ſumptum. Plato lib. De legibus 4. χαλεπὸν γὰρ μὲν ὄντως, ἁλμυρὸν καὶ πονηρὸν γειτόνημα, id eſt, Haud ſane vere, ſalſuginoſa, malaque vicinia. Transferri poteſt vel ab negocium multi quidem laboris, at parum frugiferum, vel ad vicinos moleſtos. Traductum ab agris mari finitimis, qui plerumque ſolent ad culturam inhabiles eſſe. Proinde Vergilius etiam terram ſalſam, ut minime feracem damnat. Ad hæc videmus homines & ipſos litorales fere cæteris inhumaniores, tanquam inhumanitatis nonnihil ex immaniſſimo contrahant elemento.

Aliquid mali, propter vicinum malum.

Lyſimachus apud Plaut. in Merc. Nunc ego verum eſſe illud verbum experior, aliquid mali eſſe propter vicinum malum. Quibus ex Plauti verbis ſatis liquet, hanc ſententiam vulgari ſermone fuiſſe celebratam. Eam Heſiodus eleganter expreſſit in opere, cui titulus, Opera & dies.

Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
Ἔμμορέ τοι τιμῆς, ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ.
Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Id eſt:

Si qua domi inciderit tibi res, tunc illico omiſſis
Adſunt vicini zonis, cinguntur at ipſi
Affines. noxa eſt vicinus ut improbus ingens,
Contra ita maxima commoditas, ſi commodus adſit.
Deeſt honor huic, bona quem vicinia deficit: at nec
Intereat bos, ni vicinus ubi improbus adſit.

Neque tantum inter privatos vicinos hæc ſententia locum habet, verum etiam experimentis obſervatum eſt, populos à vicinis ſubverſos: quemadmodum Ætolis & Acarnanib. evenit, qui ſe mutuis cladibus everterunt, inter ſe finitimi: item Carthaginenſibus & Byzantinis, quarum hiſtoriarum meminerunt Heſiodi interpretes. Hoc videtur leviter alluſiſſe Vergilius in Eclogis, cum ait:

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

Et.

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Admonet autem parœmia, uti bonorum convictum, & conſuetudinem expetamus à malis nos quam maxime poſſumus, abducamus. Proinde ſcitum eſt illud Themiſtoclis apud Plutarch. qui cum prædium quoddam venderet, hoc quoque præconem addere juſſit: ὅτι καὶ γείτονας ἔχει χρηστούς. id eſt: quod vicinos etiam haberet bonos. quaſi vicini commendatione futurum eſſet longe vendibilius. Neque multum abhorret hinc illud ejuſdem Heſiodi carmen.

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Id eſt:

Sæpe mali maleſacta viri populus luit omnis.

Si juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.

Plutarchus in libello De liberis educandis, ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ. i. Si juxta claudum habitaris, diſces ſubclaudicare. Pindari interpres extulit hunc in modum.

Χωλῷ παροικῶν κἂν τις, σκάζειν μαθήσῃ.

Id eſt:

Claudo vel uni ſi propinquus manſeris,
Diſces & ipſe claudicare protinus.

Huc pertinet illud Heſiodium, nobis alibi dictum. πῆμα κακὸς γείτων, &c. Ea vero rerum humanarum eſt infelicitas, quod facilius tranſiliunt vitia quam bona. Et tamen verum quod addit Heſiodus ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Ita Pindarus in Nemeis hymno ſeptimo: εἰ δὲ δέεται ἀνδρὸς ἀνήρ τι, φαίημέν κε γείτον' ἔμμεναι νόῳ φιλήσαντ' ἀτενεῖ γείτονι χάρμα πάντων ἐπάξιον. i. Si vir viro eget, quid dicemus vicinum eſſe vicino, amico conſtanti amicum? Gaudium omni redignum. Quanquam video nec lectionem, nec interpretationem hujus loci conſtare Græcis. Quidam enim pro δέεται, legunt γέγηθε, referuntque ad commodorum aut incommodorum communicationem, quam homo capit ab homine, maxime à vicino. Et legendum videtur γείτονι ἔμμεναι, ut reſpondeat participio φιλήσαντα, interpres adducit & illud ex Heſiodo:

Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.

Id eſt:

Vicini incincti venêre propinqui.

Notum eſt illud Themiſtoclis, qui proſcripto agro juſſit & hoc præconem addere reliquis donibus, quod bonum haberet vicinũ. Proverbium admonet, perniciosam improborum hominum conſuetudinem: propterea quod cum corporis, tum maxime animi vitia contagio ſerpunt in vicinum. Naſo.

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:
Multaq; corporibus tranſitione nocent.

Id Ariſtoteles exiſtimat potiſſimum uſuvenire in morbis oculorum, quod ea corporis pars maxime ſit mobilis. Item in ſcabie, quod in ſumma ſit cute, & humore glutinoſo, & vicinum permeat. Poſtremo in omnib. morbis qui è ſpiritu corrupte naſcuntur, ut peſtis, quod ſpiritus facile ab alio in alium trajiciatur. Denique eſt occultus quidam naturæ conſenſus: quo fit ut oſcitare incipiat qui viderit oſcitantem, & micturiat qui meientem conſpexerit. Autor eſt Alexander Aphrodiſeus. Et balbutire diſcit, quiſquis aſſidue cum balbo vivit. Morum autem ſcabiem affricat convictor convictori. Ariſtoteles ſectionis 6. problemat. 4. quærit quare lippitudo, tabes, & ſcabies, contagio migrent ad alios, nec idem accidat in omnibus morbis. Plutarchus in commentario De ratione dignoſcendi verum amicum ab adulatore, ſcribit tantam habere vim aſſiduam conſuetudinem, ut imprudenter etiam imitemur vitia eorum, quibuſcum vivimus. Quemadmodum Platonis familiares ejus gibbum imitabantur. Ariſtoteles amici, balbutiem ejuſdem exprimebant: Alexãdri Macedonum Regis familiares, cervicis inflexum, & vocis in dicendo aſperitatem effingebãt. Plato de legib. 2. eleganter indicat, quomodo fallat contagium: [illegible] id eſt, Utrum probabilius an potius neceſſarium hoc ipſum eſſe, quod cum quis cum pravis hominum improborum moribus conflictatur, non odit, ſed gaudet magis approbans, quanquam veluti per jocum reprehendit, ſomnians ſuam ipſius malitiam, tunc profecto neceſſe eſt, ut ſimilis evadat gaudens utriſcunque gaudeat.

COGNATI. *An ſit bonus vel malus vicinus.*

Quanti æſtimanda ſit res vicinitatis commendatione, elegãter Cajus lib. Pandect. 18. tit. de contrahend. emp. c. 35. Si quis in vendendo prædio confinem celaverit, quem emptor ſi audiſſet, empturus non eſſet, teneri venditorem dicimus. Pomponius libr. Pandect. 38. tit. ſi quid in fraudem patron. fa. ſit c. 13. Et alias videamus, ſi dicat patronus, rem quidem juſto precio æſtimatam eſſe, verbo tamen hic intereſſe ſua, non eſſe venũdatam, inque hoc eſſe fraudem, quod venierit poſſeſſio, in quam patronus habeat affectionẽ vel opportunitatis, vel vicinitatis, vel, cœli vel quod illic educatus ſit, vel parentes ſepulti: an debeat audiri volens revocare? nullo pacto erit audiendus. Fraus enim in damno accipitur pecuniario. Huc pertinet quod Themiſtocles prædium vendens, juſſit per præconem proclamari, quod bonum haberet vicinum: ſentiens juxta Heſiodum, ex bono vicino plurimum eſſe utilitatis, ut contra malo noxæ plurimum. Demoſt. contra Callicl. de fundo. οὐκ ἦν ἄρα χαλεπώτερον οὐδὲν ἢ γείτονος πονηροῦ καὶ πλεονέκτου τυχεῖν. id eſt, Nihil eſt profecto moleſtius, quam vicinum avarum atque injuſtum habere. Thucydides lib. 4. [illegible] id eſt, Bonum ac malum hominibus proficiſcitur à vicinis. Plura Eraſmus Chiliadis primæ, Centuria 1 proverbio 32. Aliquid mali propter vicinum malum: Noxus malus vicinus. Nemo enim lubens mercatur domum cui vicinus ſit homo immodice loquax: ac ne fundum quidem, qui laboret eadem infamia. Certe peſſimum habet vicinum, qui garrulum ac futilem habet: inquit Eraſmus in ſua Lingua.

Cui bonus eſt vicinus felix illucet dies.

Vulgare proverbium eſt, quod & contra effertur apud Juris interpretes: Cui bonus non eſt, aut malus eſt vicinus infelix contingit mane. Singularis eſt commoditas boni vicini: mali, incommoditas omnium maxima. Unde Heſiodus.

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
Tam noceat malus vicinus tibi, quam bonus proſit.
Item,
Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.
Non vel bos pereat, niſi vicinus improbus eſſet.

Vide prov. Eraſm. Noxa malus vicinus.

MANSVETVDO.

ERASMI. *Mactata hoſtia lenior.*

Mactata hoſtia lenior, proverbiali figura dixit Horatius in Odis,

Mactata veniet lenior hoſtia.

De ſpontaneis ac manſuetis. Sumptum eſt à ſacrificiis, in quibus explorabatur hoſtia ducto per frontem cultro; idque mactare vocabant. Unde qui ſpectata ſunt virtute, eos mactos virtute, vocant.

Auricula infima mollior.

Huic ſimillimum, quod M. Tullius uſurpat in Epiſtolis ad Qu. Fratrem libro 2. Tu, inquiens, quemadmodum me cenſes oportere eſſe in Rep. & in noſtris inimicitiis, ita & eſſe, & fore auricula infima ſcito molliorem. Ammianus lib. 19. In aliis nimium ſeveris, in hoc titulo, ima, quod ajunt, auricula mollior. Translata metaphora ab ea auriculæ parte, qua nihil eſt aliud in humano corpore mollius, aut flexibilius, lentiuſque, ut quæ nec oſſe rigeat, neque cartilagine durefcat, neque nervis intendatur.

Apio mollior, aut mitior.

Ἀπίου πεπαίτερος, Apio mitior. Simili figura dictum eſt à Theocrito.

Καὶ τὺ μὰν [illegible].——
Id eſt:
Et jam certe apio manſuetior.---

Eſt autem apius Græcis raphanus, aut pyri genus.

Spongia mollior.

Ejuſdem eſt generis, τῆς σπογγιᾶς μαλακώτερος, i. Spongia mollior. Sic enim aſſentator quiſpiam loquitur apud Comicum quempiam, citante Plutarcho in commentario De diſcrimine adulatoris & amici:

[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]...
Id eſt:
Nicomache me iſti militi opponas velim,
Niſi peponalem, quantus eſt, effecero,
Niſi ſpongia illi molliorem qualibet
Reddidero vultum.——

Ad eundem modum dicebant. Pepone mollior. Theopompus apud Athenæum l. 2. [illegible] id eſt, Molliora mihi pepone & cucumere facta ſunt. Ad hanc formam pertinet, quod idem citat ex Epicharmo: πεπαίτερος [illegible], id eſt, Mitior equidem malua, quod ea herba vim habeat leniendi. Item, Cinædo mollior. Plautus in Aulularia: Ita fuſtibus ſum mollior magis, quam ullus cinædus. Nam priſci ſaltatores & pantomimos cinædos vocabant, quod cum geſticulatione canerent. Similiter Catullus,

Cinæde Thalli mollior cuniculi capillis.

Sedens columba.

Ἡ[illegible] πελειάς, i. Sedens columba. Suidas proverbii titulo commemorat, indicatque dici ſolitum de ſupra modum manſuetis ac ſimplicib. Nam columbæ cum avolant, fallunt cæteras pernicitate volatus: cum ſedent, nihil minus aut ſimplicius. Neque quicquam habent, quo ſe tueantur adverſus milvios & accipitres, præter alarum velocitatem. Mihi videtur dici poſſe & in eos, qui ſimplicitatem ſimulant, quo magis imponant: propterea quod mos ſit aucupibus, exoculatam columbam in reti ponere, quæ ſubſultans, cæteras columbas alliciat. Ea Græcis dicitur παλεύτρια, a verbo παλεύειν, quod eſt ſeducere, ſive in laqueum illicere. Ariſtophan. in Avibus, de columbis loquens,

Καὶ [illegible] ἐν δικτύῳ.
Id eſt:
Et cogit paleutriam agere, alligatas in reti.

Vide lector, num legendum ſit [illegible], id eſt, illaqueata. id enim patitur, quo fallat alias.

Oleo tranquillior.

Oleo tranquillior: hyperbole proverbialis, in homines minime iracundos, lenique ingenio præditos, à liquoris natura ſumpta, quo nihil magis tacitum, magiſque lene. Plautus in Pœnulo: Ita hunc canem faciam tibi oleo tranquilliorem. Eſt autem uſque adeo tranquilla olei natura, ut mare quoque rerum omnium ſæviſſimum, tranquillet: atque ob id urinantes ajunt oleum ore ſpargere, quod mitiget elementi naturam aſperam, lucemque deportet. Autor eſt Plin. lib. 2. Idem confirmat Plutarchus: & cur ita fiat, rationem reddit in libello De cauſis naturalibus. Rurſus in convivalium quæſtiuncularum Decade ſexta, cauſam adferens, cur Homerus inter tot liquores, oleum duntaxat appellarit ὑγρὸν, id eſt, humidum, ſive liquidum, oſtendit oleo nihil ineſſe aſperum, ſed undique leve eſſe, & ob id maxime reddere imagines more ſpeculorum. Præterea nec motum aut percuſſum ſtrepit, quemadmodum humores reliqui: nec luctatur cum igni, ſed tacite paſcit. Denique non eſt alius liquor qui tam late diffundatur, cum inungitur corpori, aut ſerius ſiccefcat, aut æque molliat ac leniat. Utitur hoc adagio & Plato in Theæteto de ſcientia, placida ingenia, quæ leniter ac tranquille ad diſciplinas & diſputationes accedunt, oleo molliter fluenti comparans: [illegible] id eſt, Ad hæc adeo leniter ac circumſpecte, ſimulque expedite ingreditur ad diſciplinas quæſtioneſque, multa cum manſuetudine, olei in morem, citra ſtrepitum fluentis, ut admireris tantus cum ſit, hæc ad eum modum agere.

Mitior columba.

Πρᾳότερος περιστερᾶς, i. Manſuetior columba. Columbina ſimplicitas ac manſuetudo, laudatur etiam in divinis literis. Nam hoc eſt columba in avibus, quod ovis in quadrupedibus. Ipſa nulli animantium meditatur noxam, nec aliunde præſidium habet adverſus milvios, quam a celeritate volandi. Adagii meminit Diogenianus. [illegible]

Cera tractabilior.

Κηροῦ εὐπλαστότερος, id eſt, Cera tractabilior. De vehementer docili dicebatur, aut de ingenio facili, tractabilique, & in quemvis habitum ſequaci. Horat.

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

Perſius quinta Satyra,

Artificemque tuo ducit ſub pollice vultum.

Rurſum Horatius:

——Argilla quidvis imitabitur uda.

Eſt autem hoc ceræ peculiare, ut manibus contrectata molleſcat. Et hinc variæ rerum formæ ſolent effingi. Erat & picturæ genus è ceris coloratis, quemadmodum è teſſellis lapidum ac lignorum. Quanquam rudis ætas ſimilior eſt argillæ quam ceræ: primo quidem fingi poteſt, dum tenera eſt, verum ubi duruit ingenium, non facile refingitur in aliam ſpeciem, ſed quemadmodum dixit Plato lib. de Repub. 4. [illegible] id eſt, Periculum eſt, ne ad quæcunque ſe quis appulerit a pueritia, talia ſint & quæ ſequuntur.

IVNII. *Iecorarius.*

Ἡπατίας, quaſi jecorarium, dicas, piſcis eſt felle carens: unde placidi ingenii hominem, & qui iraſci non poſſe videri queat, ἡπατίαν nominabimus cum Eubulo comico in Laconibus fabula,

[illegible],
[illegible].
Id eſt:
Carere bile merebaris, mecumque verba ceu cum jecorario factitabas:
Imo ex articulis ſum ego unus.

COGNATI. *Molle ac facetum.*

Molle ac facetum, pro, ſuavi, multæque urbanitatis & gratiæ, noſtri uſurpant. Quintil. lib. 6. cap. 4. Facetum, inquit, non tantum circa ridicula conſiſtit: neque enim diceret Horatius Sermonum lib. 1. Satyr. 10. facetum carminis genus natura conceſſum eſſe Virgilio. Decoris hanc magis & excultæ cujuſdam elegantiæ appellationem puto. Ideoque in Epiſtolis Cicer. hæc Bruti verba refert: Ne illi ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti mollius. Quod convenit cum Horatiano illo,

... Molle atque facetum,
Virgilio annuerant gaudentes rure Camœnæ.

Nam Virgiliana illa gravitas procul eſt ab omni riſu.

Homo ſacra res homini.

Seneca epiſt. 96. Homo, ſacra res homini. Alludit ad veterem parœmiam: Homo homini Deus. Magna, inquit, laus eſt, ſi homo manſuetus homini eſt, ſi naufrago manum porrigat, erranti viam monſtret, & cum eſuriente panem ſuum dividat. Natura nos cognatos edidit: hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit. Membra ſumus corporis magni. Non diſſimile eſt carmen hoc, quod occinere dictus eſt Philoſtratus apud Plutarch. in Antonio: Sapiens ſapientibus ſaluti eſt. Item illud Gregorii Theol. libr. 1 Sententiarum.

[illegible],
[illegible],
[illegible],
[illegible].
Id eſt:
Oculus videns alia, ſeipſum non videt,
Sin lippiat nimis, nec hæc videt quidem.
Proinde conſultore nobis eſt opus:
Etenim manus manu, pes indiget pede.

MEMORIA.

ERASMI. Iucundi acti labores.

Iucundi acti labores. M. Tullius libr. De finibus bonorum & malorum 2. Quid ſi etiam jucunda memoria præteritorum malorum: ut proverbia nonnulla veriora ſint, quam veſtra dogmata: vulgo enim dicitur, Iucundi acti labores. Ex ipſa hominum natura ſumptum adagium: eſt enim hoc inſitum omnibus, ut jucunda cuique ſit anteactorum malorum aut periculorum ſecura recordatio, commemoratioque, præſertim inſignium fatalium, & quæ cum turpitudine conjuncta non ſint: veluti bellorũ, naufragiorum, atque id genus diſcriminum. Vnde dictum eſt ab Horatio:

—Gaudent ubi vertice raſo
Garrula ſecuti narrare pericula nautæ.

Hoc proverbium ortum ab Homero ceu fonte, à diverſis deinde ſcriptoribus variè eſt uſurpatum. Extat autem apud hunc Odyſſ. lib. xv.

Νῶϊ δ' ἐνὶ κλισίῃ πίνοντέ τε δαινυμένω τε,
Κήδεσιν ἀλλήλων τερπώμεθα λευγαλέοισι
Μνωομένω, μετὰ γάρ τε καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ,
Ὅς τις δὴ μάλα πολλὰ πάθῃ καὶ πόλλ' ἐπαληθῇ.

Id eſt:

At nos in ſcamnis veſcentes atque bibentes,
Triſtibus inter nos recreemus pectora fatis,
Commemorando, etenim pri poſt gaudeat actis,
Aſpera quiſquis multa tulit per multa vagatus.

Citatur & locus hic, & proverbium ab Ariſtotele Rhetoric. libr. 1. ubi commemorat quæ cuique natura vel jucunda ſint, vel moleſta. Vergilius Homerum æmulatus:

——Forſan & hæc olim meminiſſe juvabit.

Item in tragœdiis Seneca,

Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.

Circumfertur Græcis & hujuſmodi trimeter proverbialis.

Ὡς ἡδὺ τοῖς σωθεῖσι μεμνῆσθαι πόνων.

Id eſt:

Memoria dulcis jam peracti olim mali.

Cicero videtur indicare ſumptum ex Euripide: Nec male, inquit, Euripides, concludam ſi potero Latine. Græcum enim hunc verſum noſtis omnes.

Suavis eſt laborum præteritorum memoria.

Conſtat verſus, ſi pro ſuavis, legas ſuave: niſi malis priſcorum more eluderes, aut quod eſt commodiſſimum, omittere verbum eſt: niſi mavis ſubjicere poſt Laborum.

Quæ dolent, ea moleſtum eſt contingere.

Amphis in Ampelurgo apud Stobæum,

Ἐν οἷς ὁ ἀτυχὴς αὐτὸς πέπονθε,
Ἥκιστα πάντας προσάγειν ἥδιστον.

Id eſt:

In quibus homo eſt non admodum felix locis,
Minime ſuave admovere ad hæc manum.

Vnuſquiſque invitus audit ſua incommoda, maxime ea quæ ſint cum aliqua infamia conjuncta: veluti turpitudinem generis, vitium formæ. Proinde civilitatis eſt, nemini ſuum refricare vulnus, nec ulcus tangere.

Vbi quis dolet ibidem & manum habet.

Ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὴν χεῖρ' ἔχει.

Id eſt:

Vbi dolet quis, ibi & manum frequens habet.

Senarius proverbialis, quem refert Plutarch. lib. De futili loquacitate. Natum eſt dictum à naturali hominum conſuetudine, qua fit, ut ei corporis parti quæ dolet, frequenter manus admoveamus. Tempeſtiviter utemur, cum ſignificabimus quempiam ea tractare, deq; iis libenter verba facere, quæ movent animum. Stobæus idem refert ad hunc modum,

Ὅπου τις ἀλγεῖ, κεῖσε καὶ τὸν νοῦν ἔχει.

Id eſt:

Vbi quis dolet, illic in mentem habet.

Alluſiſſe videtur ad proverbium Cicero Epiſtolarum ad Atticum libr. 3. Sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus ſæpius manum afferam. Item Plautus in Perſa: Quaſi lippo oculo me meus herus utitur, manum abſtinere haud quit tamen. Plutarch. huc torquet, ubi quid ſive dolet ſive delectat, ibi quiſque linguam habet. Sic

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Et Pindarus taxatur ut φιλάργυρος, quod multus in laudando auro. Nam hoc pacto ſtatim auſpicatur Olympia: ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. i. Optima quidem aqua, cæterum aurum, velut ardens ignis eminet noctu, magnificas ſupra opes. Rurſum in Iſthmiis hymno 3. [illegible] i. Et multipotens judicarunt aurum homines eximium in cæteris.

Aurem vellere.

Aurem vellere, veteres dicebant admonere: à priſco ritu ſumpta figura, quo in jus ducturi quempiam aurem vellicabatur, atteſtantes eum, quem quaſi teſtem meminiſſe volebant. Inde Horatianum illud in Sermonibus,

——Et licet atteſtari: ego vero
Oppono auriculam.——

Siquidem ut frons antiquitus erat ſacra Genio, veluti ſcribit in Maronis Silenum Servius, ut digiti Minervæ, genua Miſericordiæ: ita auris Memoriæ deæ, quam Græci μνημοσύνην vocant. Virgilius in Sileno:

Cum canerem reges, & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit paſtorem: Tytire pingues
Paſcere oportet oves, diductum dicere carmen.

Quod imitatus Calphurnius in Bucolicis,

——Vellit nam ſæpius aurem
Invida paupertas, & dicit: Villa cura.

Nonnihil decoris adjunxit proverbio Calphurnius, quod ad rem tranſtulit. Quanquam poteſt paupertas hoc loco pro dea accipi. Seneca lib. De beneficiis 4. Nec tanquam munus dabo, ſed verba mea redimam, & aurem mihi pervellam, damno caſtigabo promittentis temeritatem. Rurſus libro ſecundo. Loquar mecum, & mihi aurem pervellam. hoc eſt: Ero mihi ipſi monitor, ne ſimiliter peccem. Vtitur in hunc modum & aliis aliquot locis, ut in epiſtola quadam: Sic ergo aliquis cuſtos, & aures ſubinde pervellat, abigatque rumores, & reclamet populis laudantibus.

Iucunda malorum præteritorum memoria.

Inibi refert & hanc ſententiam proverbialem ex poeta quopiam,

Ἀλλ' ἡδύ τοι σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων.

Id eſt:

Meminiſſe laborum ſuave qui ſervatus eſt.

Item illud:

Καὶ μέγα χαίρει τις καὶ ἄλγεσι τέρπεται ἀνὴρ
Μνησάμενος, ὅστις πολλὰ πάθῃ καὶ πολλὰ ἔοργε.

Id eſt:

Magnopere eſt jucunda viro renovata dolorum
Mentio, qui permulta tulit, permultaque geſſit.

Hujus & alibi meminimus.

Ignarium dare.

Seneca libr. De beneficiis 4. refert ut vulgo jactatum: Vt doleat, inquit tibi, ut poſtea conſideratius loquaris, quod dicere ſolemus, ignarium dabo. De lapide pyrete ſentit, ni fallor, quem alii vivum, nonnulli ignarium vocant, quod plurimum habeat ignis, ut attritu digitos adurat, & alioqui ponderoſiſſimus. Itaque dicebatur ignarium dare, qui ſuggereret quod dolore quodam revocaret hominem à peccando: quemadmodum lapis digito additus, vel pondere vel attritu non ſinit hominem oblivisci, cujus gratia ſumpſerat eum. M. Tullius haud abſimili forma dixit in Antonium Philippica 2. Num expectas dum te ſtimulis fodiam? Hæc te, ſi ullam habes partem ſenſus, lacerat, hæc cruentat oratio. Terentius: Noli fodere latus.

Perſius:

——Atque aliquis cubito ſtantem prope tangens.

His enim geſtibus admonemus, quemadmodum & vellendo aurem: de quo nobis prius dictum eſt.

Tanquam meum nomen. Tanquam digitos.

Proverbiales hyperbolæ ſunt, Tanquam meum nomen: &, Tanquam meos digitos teneo: ſi quando promptam, certamque memoriam ſignificare volumus.

Martialis,

Totis diebus Afer hæc mihi narras:
Et teneo melius iſta, quam meum nomen.

Iuvenalis,

Tanquam ungues digitoſque ſuos.——

Nihil magis meminimus quam proprii nominis: unde & vita defunctos olim ſuo nomine inclamabant. Et proprii nominis oblitum, dicimus prodigioſæ obliviſcentiæ hominem. Antiquitus in digitis computus peragebatur. Extat ea de re libellus Bedæ. Quin hodieque numerandi imperitum & obliviosum per jocum rogare ſolent, quod in manibus habeat digitos. Plutarchus in commentario, cui titulum fecit, Quo pacto quis intelligere poſſit ſe profeciſſe, ſcribit olim morem fuiſſe nomina digitorũ ediſcere, hiſque in metu tanquam remedio futuris uti, ipſius verba ſubſcribam. οἱ μὲν γὰρ ἐκμανθάνοντες τὰ τῶν Ἰδαίων ὀνόματα δακτύλων χρῶνται πρὸς τοὺς φόβους αὐτοῖς ὡς ἀλεξικάκοις, ἀτρέμα καταλέγοντες ἕκαστον. id eſt, Quidam enim ediſcunt ſuorum nomina digitorum, eiſque contra pavores utuntur, tanquam ad depellenda mala remedium habeant, paulatim ſingulos recenſentes. Quæ vero ſint digitorum apud Græcos vocabula, Gellius in Noctibus Atticis indicavit. Cælius Calcagninus, ut indicat Alexander, mavult intelligi de nominibus Dactylorum Idæorum, de quibus nonnihil attingemus in proverbio, Celmis in ferro: licet in Plutarcho, ἰδίων legatur, non ἰδαίων.

IVNII. Supra Simonidem memor.

Ὑπὲρ τὸν Σιμωνίδην μνημονικός, i. Præ Simonide memor. Proverbiali hyperbole dictum eſt a Philoſtrato lib. 3 De vitis Sophiſtarũ, in Proclo Naucratite: τὸ δὲ μνημονικὸν, ἐνενηκοντούτης ἤδη γεγονὼς, ἔῤῥωτο ὑπὲρ τὸν Σιμωνίδην. i. Nonagenarius memoria excelluit ultra Simonidem. Ariſtides in oratione [illegible] ait Simonidem in extrema ſenecta jactantiuſcule de ſua memoria glorîantem ſcripſiſſe hoc diſtichon:

Μνήμῃ δ' οὔτινά φημι Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ὀγδωκονταέτει παιδὶ Λεωπρέπεος.

Ideſt:

Laoprepis gnato certare Simonidi ab annis
Decrepito, memori quis queat ingenio.

Artem memoriæ primus oſtendiſſe dicitur Simonides Cæus (male namque apud Ciceronem libr. De oratore 2. Chius vocatur) cujus vulgata fabula eſt, quod cum apud Scopam, principem in Theſſalia virum, epulo exceptus magnifice, nuncio eſſet excitus, quod duo juvenes equis advecti pro foribus illi præſtolari dicerentur, egreſſus neminem reperit, ſed tamen ſoſpitatem ſuam illis debere ſe illo ipſo momento comperit, ſiquidem illo interim ſpacio collapſum conclave, ita epulantium ora obtrita penitus confuderat, ut inter noſci nequiverint, verum ille memor diſcumbentium ordinis, felici memoriæ ſuggeſtu & nomina omnium edidit, & propinquis ad ſepulturam corpora tradidit: hac re admonitus ordinem præcipuum eſſe memoriæ lumen: quam rem prodidit ſcriptis Cicero, Quintilianus & Martianus Felix. Ammianus Marcellinus lib. xvj. putat illum epotis quibuſdam pharmacis vigorem memoriæ conciliaſſe. Addit deinde, quod æque proverbiale eſt: Totum memoriæ dolium exhaurire, ſic enim inquit de Iuliano apoſtata: Credendum eſt hunc etiam tum adultum, totum memoriæ dolium, ſi uſquam reperiri potuit, exhauſiſſe. Videtur autem alluſum ad dolium Pandoræ, de quo eſt apud Heſiodum.

IOANNIS VLPII.

Adamante notare.

De his quæ in perpetuam memoriam ſervantur, Claudian.

Iret adhuc in verba dolor, niſi Iuppiter alto
Cœpiſſet ſolio: voces adamante notabat
Lene Iovis.

Verba finguntur adamante notari: tanquam Deus nihil loquatur, niſi ſerium dignumq; quod in perpetuam memoriam conſervetur. Apud Hierem. xvij. legitur: Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino.

Vt æditui reſponſa numinis prædicat.

Proverbium in eum competit, qui aliquid abſens & memoriter dicit. Æditui enim ut à numine oracula accipiebant, ſi ore conſulentibus referebant, non ex ſcripto. Macrob.

COGNATI. *Γράφειν ἐν φρεσίν.*

Quod Græci proverbialiter dixerunt, *γράφειν ἐν φρεσίν*, Cicero pluribus in locis, in mente inſculpere dixit, pro condere in animo Chryſidis. Æſchylus in Prometheo vincto *ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν.* Pindarus quoq;, cum ſignificare vellet, ita ſe quempiam in animo inſculptum habere, ut inde non poſſet deleri, nec ullum futurũ tempus, quo penitus memoria ejus extingueretur, quamvis tunc oblitus foret, ita locutus eſt initio x. odæ Olympionicũ, mandans muſis, quæ id ſcibant, ut legerent: *τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀνάγνωτέ μοι Ἀρχεστράτου παῖδα πόθι φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται.*

Verſatur mihi in labris primoribus.

Et hoc quoque Gallis in proverbio eſt, quod ſua lingua ſic exprimunt: Il m'eſt ſur la langue, il me va par la bouche. Charmedi autem ſeni, in Plauti Trinummo dicenti. Non placet, qui amicos intra dentes concluſos habet: reſpondet Sycophanta. Atque etiam modo verſabatur mihi in labris primoribus. Dicuntur etiam vel imagines aut alea ludere, quæ oculis ſic obverſantur, ut culices & muſcæ minutiſſimæ circumvolitare æſtate viatores ſolent. Hinc ludibundæ imagines.

Vulneratus ſemper plagam contrectat.

Demoſth. contra Philip. 1. *ὥσπερ οἱ βάρβαροι πυκτεύουσιν, οὕτω πολεμεῖτε Φιλίππῳ, καὶ γὰρ ἐκείνων ὁ πληγεὶς ἀεὶ τῆς πληγῆς ἔχεται, κἂν ἑτέρωσε πατάξῃ τις, ἐκεῖσέ εἰσιν αἱ χεῖρες, προβάλλεσθαι δ' ἢ βλέπειν ἐναντίον, οὔτ' οἶδεν οὔτ' ἐθέλει.* Quemadmodum barbari pugnis decertant, ita vos bellum geritis cũ Philippo. Etenim qui ex illis vulneratus eſt, ſemper plagam contrectat & ſi quis alibi ictus fuerit, illic manus ſunt. Ictum autem depellere, aut contra intueri, neque novit, neq; vult, &c. Alluſit ad illud Vbi quis dolet, ibi & manum habet, quod Eraſmus noſter diligenter explicuit in Chiliad. Vide alibi Difficile, juſtum dolorem temperare.

Nota nulli magis domus eſt ſua.

Proverbialis hyperbole eſt apud Iuvenalem ſatyr. 1. in principio:

Nota magis nulli domus eſt ſua, quam mihi lucus
Martis, &c. ———

qua utuntur quidam ſi quando promptam certamq; noticiam ac memoriam ſignificare volunt. Similes ſunt apud Eraſmum, Tanquam meum nomen: &, Tanquam ungues digitoſq; ſuos: item Nota etiam lippientibus ac cæcis.

Manet alta mente repoſtum.

Hoc Virgilii hemiſtichium proverbii loco hodie dicitur, quum nec quæ tum vulnera inſlicta ſunt, curata ſunt penitus, ſed; tanquam ſuppurata ulcera ex diverſis animorum morbis, ſic adhuc tument, ſic ſerpunt, ut nihil deſiderent amplius, quam ferro aperiri.

Dixti novi nil.

Euripides in Hecuba: *οὐ καινὰ εἶπας, εἰδόσιν δ' ἐπῄνεσας.* i. Dixti novum nil, ſed probe ſcientibus hæc approbaſti. Iſtud objici vulgo ſolet, memorem monenti: *εἰδότι λέγεις*, Scienti narras, *εἰδότι λέγω*. Huic exemplo eſſe poteſt Plautinum illud polyproton:

Memorem immemorem facit, qui memori memorat, quod memor meminit.

Rem tenes.

Plato in Parmenides: Non omnino tamen rem tenes.

Ceu canes Lacenæ inſequi.

Alibi: Ceu canes Lacenæ bene inſequeris, & veſtigas dicta.

METVS EX CONSCIENTIA.

ERASMI. *Fures clamorem.*

Οἱ φῶρες τὴν βοήν, id eſt, Fures clamorem: ſubaudiendum, timent aut ſenſerunt. Quadrabit in eos qui ſibi conſcii, metuunt ne deprehendantur, aut qui peracto maleficio fulgitant pavitantque. Habet autem hoc cum omnis malefacti conſcientia, tum præcipue furti, ut hominem trepidum reddat ac lucifugam. Vnde eſt in Hebræorum ſententiis, Impium vel perſequente nullo fugere. Huc alluſit Vergilius.

Et cum clamorem, quo nunc ſe proripit ille?
Tityre coge pecus, tu poſt carecta latebas.

Lupus aquilam fugit.

Λύκος αἰετὸν φεύγει, id eſt, Lupus aquilam fugit, ubi periculum imminens evitari non poteſt. Aquilam enim, alata cum ſit, fruſtra lupus fugit. Refertur a Diogeniano: meminit autem & Zenodotus. Nec indicant originem proverbii. Nunquam enim audivi, aquilas moleſtas eſſe lupis.

Lupus ante clamorem feſtinat.

Λύκος πρὸ τῆς βοῆς σπεύδει, id eſt, Lupus ante clamorem feſtinat, ubi quis admiſſi conſcius, ultro timet prius quam accuſetur. Siquidem ludus ſimulatque prædam rapuit, mox properat aufugere, ne coorto ruſticorum clamore veniat in periculum. Autor Diogenianus.

Conſcientia mille teſtes.

Quintilianus Oratoriarum Inſtitutionum libro 5. hanc ſententiam, ut proverbialem citat, Conſcientia mille teſtes. Senſus interprete non eget. Quis enim neſcit, conſcientiam rem eſſe unam omnium efficaciſſimam: adeo ut nulla tormenta melius prodant maleficium, quam conſcientia: nullus carnifex ſeverius puniat, quam hæc. Vnde & illud:

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu.

Extat & Græcanica ſententia: *συνείδησις πλήττει τὴν ψυχήν*. id eſt, Conſcientia verberat animum. Iuvenalis item:

——Et ſurdo verbere cædit.

Hanc ſenſêre poetæ, cum de diris & ultricibus furiis fabulantur.

EX APPEND. ERASMI.

Animo conſcio nihil miſerius.

Nihil miſerius quam animus hominis conſcius. Plaut. Secura mens juge convivium. Sap. Felix.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Horat. Vide ſupra, Conſcientia mille teſtes.

IVNII. *Vt lucorum delubra.*

Ὡς τεμένιον ἱερόν, id eſt, Vt lucorum delubra. Proverbiali figura dicitur de rebus quas anxia cura obſervamus. & religioſe colimus, Aulus Gellius noctium Atticarum lib. 17. Niſi qui grammaticorum nova inſtituta, ut *τεμένιον ἱερόν* obſervant. Quanta religione priſci lucos (quos *τεμένη* dicunt Græci) coluerint, intacto inviolatoq; arborum honore, docent libri omnes, tum numinis reverentia, tum loci opacitate horrorem animis incutiente.

Polydamas primus objiciet probrum.

Quoties reprehenſionem à patrono aut viro egregie nobis charo meruimus, aut principis viri offenſam veremur, uti licebit illo Homeri, quod Iliad. χ. loquitur Hector rei male geſtæ ſibi conſcius.

Ὤμοι ἐγών, εἰ δή με πύλας καὶ τείχεα
Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Id eſt:

Hei miſero, quid agam? repeto ſi mœnia Trojæ,
Pulydamas probri maculam mihi primus inuret.

Cicero

Cicero epiſt. ad Atticum libr. 2. Quid enim noſtri optimates, ſi qui reliqui ſunt, loquentur? an me aliquo præmio de ſententia eſſe deductum?

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Cato ille noſter, qui mihi unus eſt pro centum millibus. Hanc & quidem genuinam lectionem ex vetuſtis exemplaribus reſtituit doctiſſimus Petrus Victorius, cujus viri eximium in literis judicium maximi facio. Ibidem lib. 7. αἰδέομαι non Pompeium modo, ſed Troas, καὶ Τρῳάδας, Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην. Quis? Tu ipſe ſcilicet laudator & factorum & ſcriptorum meorum. Hujus verſus teſtimonio utitur & Ariſtoteles ἠθικῶν lib. 3. ubi de civili fortitudine agit: δοκοῦσι γὰρ ὑπομένειν τοὺς κινδύνους οἱ πολῖται διὰ τὰ ἐκ τῶν νόμων ἐπιτίμια καὶ τὰ ὀνείδη καὶ διὰ τὰς τιμάς, καὶ διὰ τοῦτο ἀνδρειότατοι δοκοῦσιν εἶναι, παρ' οἷς οἱ δειλοὶ ἄτιμοι, οἱ δὲ ἀνδρεῖοι ἔντιμοι, τοιούτους δὲ καὶ Ὅμηρος ποιεῖ, οἷον τὸν Διομήδην καὶ τὸν Ἕκτορα.

Πουλυδάμας μοι πρῶτος ἐλεγχείην ἀναθήσει.

Id eſt:

Videntur namque pericula ſuſtinere cives, propter mulctas quas lex irrogat, propter ignominiã & honores: eaque de cauſa fortiſſimi exiſtimatur eſſe, quippe qui timidos nullo, ſtrenuos viros magno in honore habent. Tales canit Homerus inter alios, Diomedem & Hectorem,

Polydamas probri maculam mihi primus inuret.

Ad hunc Homericum verſum alluſiſſe Perſium prima ſatyra exiſtimo, ubi vereri ſe ſignificat, ne ſibi a principe & Romano populo præferatur Labeo quiſpiam trivialis poeta, ſic enim inquit,

Ne mihi Polydamas & Troiades Labeonem
Prætulerint.———

Nã enim hoc verſu ad duos Homericos alluſit, quibus Hectoris metus indicium fit, qui Polydamantem monitorem imprimis metuebat, ſecundo loco cives ſuos, in eo verſu,

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.

Id eſt:

Trojanos vereor & Trojadas vittatas.

COGNATI. *Conſcientia crimen prodit.*

Conſcientia nihil aliud eſt, quam ſecretum, & quod falli non poteſt facti noſtri judicium, & mille teſtes, ut dici ſolet. Nam ſua quemq; fraus, & ſuus terror maxime vexat, ſuum quemq; ſcelus agitat, amentiaq; afficit, ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæq; animi terrent. Cic. pro Sexto Roſ. Ame. Paulus Pandect. lib. xl. tit. 9. qui & a quib. manumiſſi liberi: & Imperator Antoninus Calphurnio Critoni reſcripſit, eo tempore quo quis propter facinorum ſuorum cogitationem jam de pœna ſua certus eſſe poterat, multo plus conſcientia delictorum, quam damnatione jus dandæ libertatis eum amiſiſſe. Poſt ſub finem: Conſcientia animam verberat. Seneca epiſt. 106. Securitatis magna portio eſt, nihil iniqui fecere. Confuſam vitam & perturbatam potentes agunt, tantum metuunt, quantum nocent, trepidant enim cum fecerint, hærent: conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit: dat pœnas, quiſquis expectat. Ioan. Philonius Dugoli. 2. Chriſtianorum inſtitutionum vocat conſcientiam peccatorum codicem. Quæ enim iis eſſe poſſit animi tranquillitas, quæ mentis ſecuritas & conſtantia?

——Quos diri conſcia facti
Mens agit attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Pœna etenim vehemens, ac multo ſævior illis.
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Quas & Ceditius gravis invenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Juvenalis verſus ſunt ſatyra 13. Quo ſpectat illud Eſaiæ c. 57. Impii cor tanquam mare æſtuat: nulla ſiquidem pax, nec unquam pacata mens impiis, dicit Dominus. Et quemadmodum animi puritas mentiſq; integritas in oculis, in vultu, colore, lineamentis relucet, totoque ſe habitu oſtentat, ita animus funeſtus, vitiiſq; obſitus ſe palam exerit, ac foras erumpit. Quod Eſaias indicat, quum inquit agnitio vultus eorum reſpondet eis. hoc eſt, ſpecies externuſque corporis habitus improbos illos eſſe arguit ac ſceleratos, nec niſi fraudes, impoſturas inſidias, ſeditiones, omniaque hoſtilia meditari. Budæus Robertero: Conſcientia mihi inſtar eſt teſtium multorum locupletum, omnique exceptione majorum. Vide infra adag. 521. Conſcientia mentem exagitat, & Non eſt pax impiis.

Authoritatem defugere.

Cicero pro P. Sylla μεταφορικῶς uſurpavit: Itaque attende jam Torquate, quam ego non defugiam authoritatem conſulatus mei, maxima voce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperque dicam, &c. Significat autem ſe nõ defugere, dicens authoritatem ſui conſulatus, ſe cuncta illa quæ tunc geſſit, confiteri, ac præ ſe ferre recte & ordine geſta eſſe, paratumq; illa defendere, ac quæcunque quaſi juſſerit ille ac mandarit, non recuſaturum facere. Antiquus eſt certe atque elegans modus loquendi, ductus (ut opinor) ex foro, propriuſque veterum Juriſconſultorum: quorum plures hujuſcemodi locutiones hodie ignorantur amiſſis eorum ſcriptis. Illo autem uſus eſt Terentius in Eunucho, cum callidum ſervum Parmenonem, incenſo prius adoleſcẽte, coactoque herili jure ſibi imperare, ut rem periculoſam tentaret, ſecurum jam atque omni metu vacuum induxit ita loquentem: Nunquam defugiam authoritatem, ſequere. Ælius Donatus ſic locum declaravit: Non, inquit, recuſabo facere, dum tu tamen author ſis facti: quod ſane fuit conſilium Parmenonis, non tamen ille fontem hujus ſermonis aperuit, neque penitus erudite interpretatus eſt. Plautus autem in Penulo, eodem modo locutus eſt. Cum enim amans herus multum poteſtatis in ſe ſervo dediſſet his verbis: Si tibi libido eſt, aut voluptati, ſino, ſuſpende, vinci, verbera, autor ſum, Sino. reſpondet ille, intelligens ipſum amore inflammatum tempori ſervire, ac poſſe, cum velit id factum inficiari: Si authoritatem poſtea defugeris, ubi diſſolutus tu ſies, ego pendeam.

Conſcientia mentem exagitat.

Extat proverbialis apud Græcos ſententia, συνειδὸς πλήττει τὴν ψυχήν, id eſt, Conſcientia verberat animum. Saluſtius in Catilinaria. Namq. animus impurus, diis hominibuſque infeſtus, neque vigiliis, neq; quietibus ſedari poterat, ut conſcientia mentem exagitatam vaſtabat. De hujuſmodi vexatione conſcientiæ Cic. in Paradoxis: Te, inquit, conſcientiæ ſtimulant maleficiorũ tuorum, te metus exanimant judiciorum atque legum quocunque aſpexiſti, ut furiæ, ſic tuæ tibi occurrunt injuriæ, quæ reſpirare non ſinunt, qui tamen ſatis opibus hominum ſepti eſſe & muniti videntur, ut idem ait lib. de Finibus primo: Deorum tamen numen horrent, eaſque ipſas ſolicitudines, quibus eorum animi noctes dieſque exeduntur, à diis immortalibus importari putant. Idem pro Sexto Roſcio, Nolite (inquit) putare, quemadmodum in fabulis ſæpenumero videmus, eos qui aliquid impie, ſcelerateque commiſerunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: ſua quenque fraus & ſuus terror maxime vexat: ſuum quenque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animique terrent. Et in L. Piſonem Macrobius in lib. De ſomnio Scipionis, per Titii ſupplicium, cujus jecur vultures duo viciſſim ſibi ſuccedentes continuo exedunt, malæ conſcientiæ tormenta ſignificari dicit. Conſcientia autem patrati ſceleris excita & commota, adeo vexat perturbat, ut neque vigiliis, hoc eſt, vigilando, neq; quietibus, id eſt quieſcendo, ſedari acquieſcere poſſit. Seneca epiſt. 97. Prima & maxima peccantium eſt pœna, peccaſſe. Nec ullũ ſcelus, licet illud fortuna exornet muneribus ſuis, licet tueatur ac vindicet, impunitum eſt, quoniam ſceleris in ſcelere ſupplicium eſt. Sed nihilominus & hæc & illa ſecundæ pœnæ premunt ac ſequuntur, timere ſemper & expaveſcere & ſecuritati diffidere. Proprium autem nocentium eſt, trepidare. Hic conſentiamus, mala facinora conſcientia flagellari & plurimum illi tormentorum eſſe, eo quod perpetua illam ſolicitudo urget ac verberat, quod ſponſoribus ſecuritatis ſuæ nõ poteſt credere. Plutarchus De animi tranquillitate: Tranquillitati, inquit, adverſatur conſcientia perpetrati facinoris: veluti ulcus in corpore, ſic in anima pœnitentiam indeſinenter cruentantem ac pungentem relinquit. Levinus lib. 1. cap. 12. De occultis naturæ miraculis: Conſcientia inquit, mentem hominis latenter a Deo inſtigatam arguit & accuſat, incuſſoq; terrore, ac ſcelerum recordatione, ante actam vitam deteſtatur, conceptoque emendationis vitæ propoſito malorum pœnitentia ducitur, Ita ultrix illa conſcientia homini aurẽ vellicat, ac maleficia jampridem patrata oculis objicit. Vide ſupra, Conſcientia crimen prodit: & infra, Non eſt pax impiis. (Cõſule Chiliad. Conſcientia mille teſtes, & ſupra Cognatus ipſemet proverbio 41. jam attigerat ferme, ſed aliis verbis, nempe. Cõſcientia crimen prodit.)

Verecundus metui comes eſt pudor.

Proverbialis verſiculi pars eſt, de cujus autore non conſtat, antiquum eſſe conſtat: cum eam etiam Plato in Euthyphrone, & Plutar. in Cleomene citent. Ideo recte dictum eſt, inquit Plutarchus:

Namque verecundus metui comes eſt pudor.——

Pleriqne enim eos maxime reverentur, quos timent. Definitur autem metus a Stoicis ſic: Metus eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur. Huic generi partes plures ſubjiciuntur nimirum pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido.

Silentium fatentis eſt.

Αὐτὸ δὲ τὸ σιγᾶν ὁμολογοῦντός ἐστί σου.

Id eſt:

Ipſum ſilentium tuum fatentis eſt.

Euripid. in Iphig. Taurica. Eodem fere ſpectant & hæc, quæ etiam proverbiorum vice Juriſconſulti frequenter uſurpant Qui tacet, conſentire videtur. ff. loca. l. item quæritur. § fin. l. in adoptionibus ff. de adopt. ff. ſolut. mat. l. 2. in Authen. quib. mod. nat. effic. ſui. §. generaliter. & in cap. qui tacet. de reg. jur. lib. vi. Qui non improbat, probat ff. ad Maced. l. ſi filius. Villanus in l. 1. Lucillianarum quæſtionum Maranta: Video illum ſilentem, ac per hoc tacite annuentem. Gregorius Nazianzenus in oratione 2. De pace. Silentium enim aſſenſum eſſe [illegible] docet. Cic. in 2. contra Verrem: Dicebat accuſator reo: Ajo te Siculos ſpoliaſſe: ſi tacuiſſet, lis ei æſtimabatur, ut victo, &c. Reo. n. cauſſam deſerente, actor obtinet. Non purgare ſe, non diluere objecta, & accuſationem ſilentio excipere, confitentis eſt. Seneca de clementia li. 1. c. 9. Et cum defixum videret, nec ex conventione jam, ſed ex conſcientia tacentem. Quo, inquit, animo facis?

Non

Non eſt pax impiis.

Non eſt pax impiis, inquit Spiritus ſanctus per Eſaiam οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσιν, cap. 57. Nam impii, inquit c. 4. v. 22 quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt. His utimur vulgo contra malam conſcientiam, de qua Plautus in Moſtellaria. Nil eſt miſerius, quam animus hominis ſibi conſcius: puſillanimis omnia metuit, etiam muſcas præter volantes. Conſcientia enim eſt mille teſtes, immo mille exercitus contra nos. Quod ſi bona ſit mens, quaſi juge convivium, inquit Salomon cap. xv. Cui ſubſcribit Syracida cap. 13. cum inquit: Bona eſt ſubſtantia, peccatum non cogitare, & in animo volvere. Ille quidem bene ſperat, qui bonam conſcientiam gerit, inquit Auguſtinus. Et Ambroſius in Prologo Pſalmi trigeſimi ſeptimi, quinquageſimæ primæ, lib. 1. Officiorum. Et Bernardus in ſermone exhortatorio ad milites templi: O vita ſecura, ubi conſcientia pura. Et rurſum: Unicuique eſt libera ſua conſcientia. Eſt enim conſcientia mille teſtes, ut proverbio fertur, & inſtar vermis intus corrodit ac lacerat ſceleratum. Pacatus in Panegyr. Habet neſcio quos inter nos mens ſcelerata carnifices: imo ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt. Cicero pro Roſcio: Nolite putare, quemadmodum ſæpe in fabulis videtis, eos qui aliquid impie ſcelerateque commiſerint, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus, ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat, ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit, ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. Hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ. Secundum hæc Cic. verba intelligendum illud Statii, 1. Thebaid.

—Scelerumque in pectore diræ.

Idem Cic. pro Milone: Magna eſt vis conſcientiæ, & magna in utramq; partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerunt, & ſemper ante oculos pœnam verſari putent, qui peccarint. Plura Seneca in eandem ſententiam, epiſt. 98 Vide ante, Conſcientia crimen prodit: &, Conſcientia mentem exagitat.

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Laberianus verſus eſt, qui medio civili bello in theatro dictus, totum in ſe populum non aliter convertit, quam ſi miſſa vox eſſet publici affectus.

Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

Vulgo uſurpatur. Ita natura conſtituit, ut quod alieno metu magnum eſt, ſuo non vacet, & oportet ut qui aſſiduum terrorem incutit, ſingulis têporis articulis ſit de vita ſolicitus, & nova pericula in horas ſibi impendere cogitet. Cypr. ad Donat. de tyran. Tam ille timere cogitur, quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas, ſit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur, quàm ſecuros non ſinit eſſe ſubjectos, tam neceſſe eſt ut non ſit ipſe ſecurus. Timet enim omnes, qui omnibus eſt cauſa timoris, & illi ab omnibus periculum, qui omnium ipſe periculum eſt. Idem eſt quod dixit Curtius l. x Nullum ei ſatis fidum eſſe, quem metuat. Plin. in Paneg. Habes amicos, quia amicus ipſe es. Cic. Offi. lib. 1. Plauſus excitantur Atreo dicente, Oderint dum metuant. Idem Offi. 2. Præclare Ennius.

Quem metuunt, oderunt,
Quem quiſque odit, periiſſe expetit.

Seneca lib. 2. De ira, Quid? Quod ſemper in authores redundat timor, nec quiſpiam metuitur, ipſe ſecurus. Idem De clementia lib. 1. c. x. lib. 2. cap. 3. Illud mecum conſidero, multas voces magnas, ſed deteſtabiles, in vitam humanam perveniſſe celebreſque vulgo ferri, ut illam, Oderint, dum metuant. Verba ſunt Atrei ex veteri tragœdia. Cui Græcus verſus ſimilis eſt, inquit idem Seneca: Græce ſic habetur.

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Trimeter eſt jambicus, quem ſic Latine vertere poſſis.

Me miſceatur igne terra mortuo,

ab Eraſmo relatus inter parœmias, & quem proverbialem fuiſſe ſignificat Tranquillus in Nerone, quem refert, quodam in ſermone communi verſum illum dicente, reſpondiſſe: [illegible].
Ad hunc ſenarium alluſit Claudianus, Ruffinum faciens ſic loquentem,

Everſo juvat orbe mori, ſolatia lethi
Exitium commune dabit, ———

Non abſimilem ſententiam laudat ipſe Seneca Nat. quæſt. lib. v. Egregie, inquit, Vagellus meus in illo inclyto carmine:

Si cadendum eſt mihi cœlo cecidiſſe juvat.

Idem licet dicere: Si cadendum eſt, cadam orbe concuſſo, non quia fas eſt, optare publicam cladem, ſed quia ingens mortis ſolatium eſt, terram quandoq; videre mortalem.

METVS POENÆ.

ERASMI. *Funiculum fugiunt miniatum.*

Τὸ σχοινίον φεύγουσι τὸ μεμιλτωμένον.
Id eſt:
Vitant ſinopi collitam reſtim rubram.

Apte dicetur, ubi quis properat officio ſuo fungi, non ex animo, ſed ne in mulctam incidat. Carmen ſumptum ex Ariſtoph. cujus interpres, & item Suidas, hujuſmodi ferme commemorant: Atheenſium magiſtratus variis modis conati ſunt efficere, ut populus quam maxime frequens ut concionem ventitaret: objectis enim repagulis quibuſdam vias reliquas occludebant, quæ non ducerent ad forum: tum merces tollebant ex mercatu, ne quid hac gratia ibi ceſſaretur: denique funem parabant rubro colore, quem μίλτον, interprete Plinio, minium vocant Latini, nonnulli cinabarim appellant, oblitum. Hoc duo miniſtri publici populum cingentes, agebant in concionem. Studebat quiſque funiculum effugere, propterea quod quiſquis colore notatus appareret contagio funis, ut mulctam pendere cogebatur. Unde qui vitam metuunt, eos eleganter dicemus φεύγειν τὸ σχοινίον μεμιλτωμένον, i. fugere funiculum miniatum.

Manum de tabula.

M. Tullius in epiſtola quadam: Heus tu manum de tabula: Magiſter adeſt citius quam putaramus. Videtur autem hac proverbiali figura, manū de tabula, admonuiſſe ut deſiſteret ab ſcribendis dicteriis. Alluſum autem apparet ad Apellis nobiliſſimi pictoris dictum: qui cum Protogenis opus immenſi laboris ac curæ ſupra modum anxie miraretur, ait omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed uno ſe præſtare, quod manum ille de tabula neſciret tollere, memorabili præcepto nocere ſæpe nimiam diligentiam. Hæc Plin. l. 35. c. 10. Proinde ſi quando admonebimus, ut recedat aliquis ab opere negociove, quod in manibus habet, jubebimus illum manum de tabula tollere. Peculiariter autem conveniet in quoſdam ſcriptores plus ſatis accuratos, & moroſæ cujuſdam diligentiæ, qui ſine fine premunt ſuas lucubrationes, ſemper aliquid addentes, adimentes, immutantes, & hoc ipſo maxime peccantes, quo nihil peccare conantur.

Metus infamiæ.

Cum dicemus nos hominum de nobis opinione, rumoribuſq; commoveri, quo minus mutemus conſilium, conveniet illud ex eodem lib. præterea Iliad. ζ. quod frequenter uſurpat M. Tullius in Epiſt. ad Attic.

Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους.
Id eſt:
Trojanos ac Trojanas, vereorque pudetque.

Verba ſunt Hectoris, pudore nolentis in urbem recipere ſeſe, ne quis approbraret illi imputaretque Trojanorum interitum.

Abſque baculo ne ingreditor.

Ἄνευ ξύλου μὴ βάδιζε, id eſt, Abſq; ligno ne ingrediaris. Inermis ne ſis. Verum ſemper ad manum ſit, quo depellas, ſi quis forte quærat lædere. Natum ajunt a Cleomene quondam Athenienſium duce. Is cum eſſet in inſaniam verſus, quod omnibus haberetur exoſus, baculum geſtans, obambulare conſuerit, quo propulſaret impetentes.

Cautus enim metuit, &c.

Qui non ex animo, ſed mali metu continent à maleficio, in eos quadrabunt hæ proverbiales ejuſdem metaphoræ:

Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque
Suſpectos laqueos, adopertum milvius hamum.

Nam aliis aliæ tenduntur inſidiæ: lupi fovea frondibus contecta capiuntur. Unde apud Plautum ſervus minatur ſe lenoni, cui nomen Lycus, foveam effoſſurum. Similis eſt illa de fuſte:

—Vertere modum formidine fuſtis.

In tempore cavenda pœna mali.

Quoties admonebimus, ut multo ante occurratur malo, priuſquam oppreſſerit nos: aut ceſſandum à peccando, priuſquam ingruat divina vindicta: uſui fuerit illud ex eodem libro:

—Ἀλλὰ πολὺ πρὶν
Φραζώμεσθ' ὥς κεν καταπαύσομεν.———
Id eſt:
Verum nos multo ante modum, finemque velimus
Ponere.———

Verba vatis, minantis procis Ulyſſis reditum.

Samiorum mala metuis.

Τὰ Σαμίων ὑποπτεύεις, id eſt, Samiorum metuis mala. Dictitatum de iis, qui metuerent proditionem. Narrant Athenienſes olim in Samios quoſcunque cepiſſent inclementius ſæviſſe, atque alios interemiſſe, alios confixiſſe fama: id eſt ſupplicii genus. Samii viciſſim ſi quos cepiſſent Athenienſium, hoc ad eundem modū excruciabant. Unde proverbium Samii literati. Nam Suidas indicat, hoc dici ſolitum de his qui metuerent immedicabiles calamitates. Idem indicat, Samen dici genus calamitatis Samiæ, quod Athenienſes notas infames inuſſerunt Samiis captis, mox Samii viciſſim Athenienſibus. Duris Samius ſcriptor multa tragice exaggerat de crudelitate Periclis & Athenienſium in Samios, quæ Plutarchus putat magna ex parte conficta in invidiam Periclis & Athenienſium. Simili figura dictum eſt illud, [illegible].

Volam pedis oſtendere.

Τὸ κοῖλον τοῦ ποδὸς δεῖξαι, id eſt, Cavum ſive volam pedis oſtendere dicuntur, qui in bello fugiunt, quod apud hiſtoricos frequentiſſime dicitur, Vertere terga. Proverbium refertur ab Heſychio. Dicitur & hodie vulgo in fugaces, calcaneum oſtendere.

Περὶ

Περίτριμμα.

Vide in loco, Aſperitas, Moroſitas.

MINANTIS.

ERASMI. *Et meum telum cuſpidem habet acuminatam.*

Ipſiſſimam proverbii ſpeciem habet, quod ſcriptum eſt apud Homerum Iliad.υ. ſub Hectoris perſona:

—Ἔστι καὶ ἐμὸν βέλος ὀξὺ πάροιθεν.

Id eſt:

—Telum quando meum quoque cuſpide acuta eſt.

Recte utemur, quoties fatebimur nos inferiores quidem eſſe, verum non deeſſe tamen, quo queamus nocere. Cui ſimile Vergilianum illud:

—Et noſtro ſequitur de vulnere ſanguis.

Item illud apud Ovidium:

Et mihi ſunt vires, & mea tela nocent.

Si tibi machæra eſt, & nobis urbina eſt domi.

Plautus in Bacchidibus: Si tibi eſt machæra, & nobis urbina eſt domi. Quoties malum malo opponitur. Nam machæra & urbina utrunque teli genus eſt. Sunt autem apud Plautum Chryſali verba, minas referentis & militis ſævitiam ſævis item dictis retundentis. Placiades Fulgentius pro urbina, legit Veruina: & interpretatur teli genus oblongum. Simillimum eſt illis, Par pari: &, Malo nodo malus quærendus cuneus.

Æacidinæ minæ.

In eadem ita loquitur mercator: Siquidem hercle Æacidinis minis animiſque expletus incedit. Iratus ſi me tetigerit, iratus vapulabit. Non ſine proverbii ſpecie dictum eſt pro atrocibus ac ſuperbiſſimis minis. Verſus patitur ut pro Æacidinis, legatur Æacinis. Nam id nonnulli divinant. Sed probabilius eſt, poetam ſentire de Achille, Æaci nepote, quem Homerus ubique facit ſtomachabundum ac minabundum: velut in primo ſtatim Iliados libro, ubi ſic incandeſcit in Agamemnonem, ut manum admoveat capulo, a conviciis ad pugnas venturus, niſi Pallas eum capillis revocaſſet. Quin & ipſum opus ab Achillis ira habet exordium:

Μῆνιν ἄειδε θεά.

Quod quidam adſerunt de Æaco manium judice, non video quid ad hunc faciat locum. Quicquid etiam invictum & inſuperabile volumus intelligi, Achilleum dicimus.

Ψευδόπυρα.

Ψευδόπυρα εἶναι τὰ σά. De minis ac terriculis inanibus: aut quum oſtenditur atrox periculum, quum re nullum ſit periculum. Translatum a militari aſtutia, qua fit, ut ad territandos hoſtes noctu diverſis locis ignes incendant, ut ingens exercitus eſſe credatur. Hos ignes adſimulatos, ψευδόπυρα vocant. Non habebit proverbii gratiam, niſi transferas ad eos qui fumis verborum territare ſtudent aliquem, aut in fraudem illicere. Sic enim interdum falluntur & nautæ.

Complurimum thriorum ego ſtrepitum audivi.

Πολλῶν ἐγὼ θρίων ψόφους ἀκήκοα.

Id eſt:

Thriorum ego ſtrepitum audii complurium.

Senarius eſt proverbialis, quo minas & inanem clamorem nos contemnere ſignificamus, quemadmodum Thais illa Terentiana ſævas & glorioſas Thraſonis minas pro nihilo ducit, magnum nebulonem appellans. Ariſtophanes in Veſpis:

Ὡς ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας οἶδα θρίων τὸν ψόφον.

Id eſt:

Thria novi quid ſtrepant, ut ſæpius qui audiverim.

Porro thria a Græcis dicuntur ficulna folia: quæ cum incenduntur, minacem quendam ædunt ſtrepitum, & formidandum iis, quibus ante non ſit auditus, alioquin inanem & contemnendum. Niſi mavis legere θριῶν ſic enim Græci vocant calculos, quos in urnam mittunt ſortilegæ, cum divinant, quemadmodum admonuimus alibi. Solent hujuſmodi divinatrices aliquando e ſortibus dira prædicere, quo ſtultos ac credulos territent: cum ſæpenumero nihil eveniat eorum quæ minantur.

Ollam alere.

Χύτραν τρέφειν, Id eſt, Ollam alere dicebantur, qui metum oſtenderent, quo deterrerent quempiam. Veluti ſi quis præſidium alicubi collocatum habeat, quo minus vicini res novas moliantur. Sumptum id eſt a more civitatis Athenienſis, in qua ollas in tectis diſponere conſueverunt, ad deterrendas ululas, quarum illic maxima vis. Nam illarum ſtrepitum omne genus avium reformidat. Adagium refertur tum a Suida, tum a Diogeniano. Sumptum eſt ex Ariſtophanis Comœdia, cui titulus, Aves:

Ὅτι μάχεσθαι δεῖ λαβόντα τι τῶν χυτρῶν.
Τί δὲ χύτρα νῷν ὠφελήσει;
Γλαῦξ μὲν οὐχ ἅπτεται ὑμῶν.

Id eſt:

Pugnare ſane oportet, ſimul & ollas ſumere.
Sed quid juvabit olla?
Ulula nos tum non adibit.

Ferrum & flamma.

Quum exitiabile bellum ſignificamus, ferro flammaque rem geri dicimus, ſive ferro ignique. M. Tullius in oratione pro L. Flacco: O dii immortales, quid hoc miſerius, nos qui P. Lentulo ferrum & flammam de manibus extorſimus, imperitæ multitudinis judicio confidimus. Mox in eadem: O nox illa, quæ pene æternas huic urbi tenebras attuliſti, quum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum & flammam vocabantur. Rurſum pro Sylla: Cujus nuper ferrum retuderim, flammamque reſtinxerim. In oratione pro domo ſua, addit ſaxa: Deinde quum ille ſaxis & ignibus & ferro vaſtitatem meis ædibus intuliſſet. Item pro Flacco: Quorum vidiſti toto illo anno ferrum in foro, flammam in ædibus, vim in tota urbe verſari.

Igni ferroque minari.

Qui extremam denunciant inimicitiam, igni ferroque minari dicuntur: quod verbum & hodie vulgo tritiſſimum eſt. Qui civilius bellum gerunt, tantum abigunt prædas, a cæde incendioque abſtinent. M. Tullius Philippica xii. Sanctiore erunt, credo, jure legati quam duo conſules contra quos arma fert, quam Mutina quam obſidet, quam patria cui igni ferroque minitatur. Rurſum Philippica xiii: Hi cui ferro ignique minitantur. Venuſtius erit, ſi quo ad arma minime pertinet, transferatur: veluti ſi quis dicat philoſophos cuiipiam igni ferroque minitari, quod in eum peracerbe atrociter ſcribant. Sic quibuſcum nolumus nobis quicquam eſſe commercii, iis aqua & igni interdicimus.

Tolle calcar.

Αἶρε τὸ [illegible] id eſt, Tolle calcar ultorium. Extat adagium in Ariſtophanis Avibus:

Αἶρε πλῆκτρον, εἰ μάχῃ.

Id eſt:

Tolle calcar ſi pugnas.

In eum dici ſolitum, qui jam ultionem parat. Mutuo ſumpta metaphora a gallis pugnam ineuntibus, quibus ferrei ſtimuli quidam illigari ſolent, quo ſe tueantur inter certandum: quanquam autore Ariſtotele libro De animalibus ii. cap. xii. natura calcar addidit ex avium genere iis, quæ ob corporis molem ſunt ad volatum minus idoneæ: cujuſmodi ſunt galli. Id confirmat Plinius libro decimo. Et regnum, inquit, in quacunque ſunt domo, exercent: dimicatione paritur hoc quoque inter ipſos, velut ideo tela adnata cruribus ſuis intelligentes: nec finis, ſæpe commorientibus.

Qui paratus ad reſiſtendum.

Qui ſignificare volet, ſe nequaquam detrectare certamen ſed abunde ſuppetere, quo partes tueatur ſuas, uſurpabit illud ex Iliad.ν.

Τῷ μοι δοῦρά τε καὶ ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι,
Καὶ κόρυθες καὶ θώρηκες λαμπρὸν γανόωντες.

Id eſt:

Et mihi ſunt haſtæ teretes, clypeique rotundi,
Tum galeæ, tum thoraces procul igne micantes.

Ne mihi vacuam abſtergas.

Theocritus in Syracuſiis:

μὴ φύη, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη,
Πλὰν ἑνὸς οὐκ ἀλέγω, μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Id eſt:

Ne quiſquam exiſtat, Proſerpina, quem dominum, uno
Excepto agnoſcamus: ego id non curo, caveto.
Abſtergas ne mihi vacuam.—

Subeſſe proverbium videtur in eo quod ait:

—Μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

ſubaudiendum autem γνάθον, χεῖρα aut ſimile quiddam. Apparet eſſe comminantis aut timentis alapam aut colaphum. Nam locus nondum ſatis liquet. Eruditis itaque relinquimus excutiendum diligentius. ἀπομάττειν dicuntur & plaſtæ qui argillam oblinunt, dum fingunt imaginem. Solent quidam ſimulare officium, quaſi velint aliquid ſordium a mala abſtergere, & interim imprudenti illinunt aliquid ſordium. Quemadmodum inducunt Bacchum facie, gypſo & uvarum ſucco oblita. Interpres tamen, homo nec admodum edoctus, nec diligens, mavult ſubaudiri menſuram, fortaſſe χοίνικα. Quod in menſura redundat, abſtergetur terete baculo. Fallit igitur, qui nondum plenam abſterget, ita ſimulans aliquid redundare. Sentit ſe non eſſe illi ancillam, ut ab eo debeat objurgari. Heri offenſi defraudant ſervos ſuo dimenſo: hoc eſt, ni fallor quod ait: non ſum ſollicita, ne mihi menſuram vacuam abſtergeas.

IUNII. *Habenas injicere.*

Habenas injicere & laxare, utraque lingua proverbiali figura effere, illud pro compeſcere ac impetum ſiſtere, hoc pro indulgere & permittere libertatem. Euripides:

Οὐ χρὴ ποτ' ἀνδρὸς [illegible] γυναικὶ χαλᾶν,
Δεσμὸν χαλινοῦ, οὐδ' ἀφεῖναι ἐπὶ κρατεῖν.

Id eſt:

Injicere frenos conjugi haud virum decet
Carum, nec imperium illi laxando dare.

Philo-

Philoſtra. in Polemone, [illegible] τῷ λόγῳ. id eſt, Frenum orationi injectum eſt. Idem in Antæo: ἐμβέβληκε τὸ ἐνιαυτὸν τῇ φωνῇ. id eſt. Fræ frænum injecit. Idem in Dione [illegible] ἵππων, ἡνίᾳ μᾶλλον ἢ μάστιγι. id eſt. Urbium ferociam non ſecus quam equorum, habena moderans potius quam ſcutica. Gregorius presbyter, [illegible] τὸν λόγον. id eſt, Paululum ſilens te vocabo orationem quibuſdam velut habenis. Plutarchus in Lycurgo de Lacedæmoniorum inſtitutis loquens: [illegible] ἐμβαλλόντι αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν. id eſt, Animadverſo in quantam inſolentiam aſſurgeret oligarchia, velut habenas illi injiciunt. Cenſorum (quos Ephoros, quaſi inſpectores nominant) poteſtatem, quæ verba ex Platone De legibus de ſumpta ſunt. Simocatus, [illegible] id eſt: Faſtum atque inſolentiam mediocritate non frænat. Atque iſta quidem prioris loquendi formulæ exempla ſunto; poſterioris hæc. Philoſtratus in Pericle: πάσας ἀφεὶς ἡνίας. id eſt: Omnes habenas laxans. Nazianzenus [illegible] τὰς ἡνίας, id eſt: Omnes habenas permittens. Plutarchus in Numa: τῷ δήμῳ τὰς ἡνίας ἐνδούς, id eſt: Populo habenas indulgens. ita Virgilius Æneid. xij.

—Iiarumque omnes effudit habenas.

Huc ſpectant illæ phraſes. Nazianzenus in Apologetico, [illegible], id eſt: Illi calcaribus opus habent, iſti habenis: ſunt enim nonnulli ſegnes & ad capeſſendam honeſtatem pigri, qui rationis ſcutica excitandi ſunt: alii rurſus immodice fervidi propoſitum urgent. Philoſtratus in Ruſo. [illegible]. id eſt: Oportet dicendis frænum injicere, tacendis calcar ſubdere. Deniq; Habenæ metaphorice pro imperio & moderamine accipiuntur. Cydonius Theſſalonicenſis in oratione de mortis contemptu: [illegible], id eſt, Deſpuentes rationis habenas. Nazianzenus in Stelitent. ἥκιστα λόγου πειθόμενοι χαλινοῖς, id eſt, Minimæ obtemperare rationis habenis. Petronius Arbiter de eo, qui ſervitutem exuit alicui magiſterio addictus:

Mox & Socratico plenus grege mutet habenas
Liber & ingentis quatiat Demoſthenis arma.

Ubi innuit, philoſophicis ſcriptis imbutum optime applicaturum ſe ad oratoriam artẽ. Chorus apud Æſchylum in Agamemnone, ſublatis e medio Ægiſtho & Clytæmneſtra, μέγαν, inquit, [illegible], hoc eſt, Magno & moleſto domus fræno oblato liberata ſum. Nazianzenus [illegible], dixit, pro, doctioribus arbitrium ſtatuendi permittere. Æſchylus rebellem imperium detrectantem, & ſalubribus conſiliis non acquieſcentem, equino pullo habenas reſpuenti comparat. ibi:

Δακὼν δὲ καινὸν ὡς νεοζυγὴς
Πῶλος βιάζῃ, καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ.

Id eſt:

Mordens lupatum, ceu jugum ferre inſolens
Pullus, rebellas, nec [illegible] cenis obtemperas.

Cari capite nudius.

ψιλότερος τῆς Καρίνου κεφαλῆς. Cari capite glabrius. Syneſius libro De regno, refert Carum imper. in expeditione Perſica oppreſſum a legatis ſupervenientibus, quum forte in herba ſtratus pulmentum e piſis & ſalſium laridum eſitaret, viſis illis nihil fuiſſe commotum, nec velut aliud agentem ambages quæſiviſſe, ſed ex ſpatiis ad ſe dixiſſe, ut regi ſuo nunciarent, niſi moderatius ageret, ſed omnes eorum ſylvas & campos ſuo capite glabriores effecturum: ſimulque depoſito pileo commonſtraſſe calvam nihilo hirſutiorem ſua galea. Græce iſta ita leguntur: [illegible]. Opinor deceptum eſſe Syneſium in Cari nomine, quem ex Fla. Vopiſco, Sex. Aurelio. & Eutropio conſtat juvenili in ætate trucidatum fuiſſe, contaminatiſſimæque vitæ hominem, & juventutis prodigioſum corruptorem: in quem fortiſſimi Imperatoris dictũ illud minime caderet. Carus illius perditiſſimi pater, optimus ſenex, & militaris laboris frugalitatiſq; patientiſſimus. ex Vopiſci Syracuſani hiſtoria fuiſſe cognoſcitur, ac res memorabiles adverſum Perſas geſſiſſe ex Eutropio intelligitur. Cæterum Perſarum regem eo ipſo in loco ſcribit Syneſius tiara & candye (quæ ambo faſtigii regii apud Perſas inſignia habentur) redimitum Caro ceſſiſſe. Quadrabit igitur in calvum, maximeq; depilem ſenem: aut in regionem arenoſam & glabram, nulloq; herbaceo virore veſtitam. Poteſt & in exemplum minarum cedere: cujuſmodi veterum ducum quiſpiam hoſtibus ſuis interminatus fuiſſe proditur, ſe videlicet effecturum, ut ipſorum cicadæ humi canerẽt, eo dicto innuens ſe cuncta hoſtium arbuſta ſucciſurum ſtirpitus, ut vel ſic truncatis ſtipitibus cicadæ neceſſario cogerentur humi cantillare. Operæ pretium eſt huc attexere exemplum minarum Ateæ Scythiæ regis, quem ad Byzantios poſt illatam ſuis finibus injuriam ita reſcripſiſſe memorat Ariſtocritus [illegible]: id eſt, Proventus meos carpere nolite, ne veſtram aquam equæ meæ bibant. quo ſignificare voluit ſe læſum, cum exercitu valido adfuturum, omniaque late devaſtaturum. Qua ratione Neſtor apud Euphorionem Colophonium poetam, indicans nõdum a Græcis bello laceſſitos fuiſſe Trojanos, ſic inquit:

Οὐδέ πω ἀμφιέντος ἀγχιάδης ἄρχοντ' ἐπιέναι.

Id eſt:

Argolici nondum Simeonta bibere jugales.

Uti nutrices Lamiam.

Quam inanes minas ad territandum ſolum comparatas innuere volumus, meminit illo Dionis Chryſoſtomi: ὥσπερ αἱ τίτθαι διηγούμεναι τὴν λάμιαν, i. inſtar nutricum Lamiam pueris objicientium. Ejus verba hæc ſunt oratione iv. [illegible] (ita corrigendus eſt codex Græcus, qui habet [illegible]) καὶ τοὺς ἀετοὺς καὶ τὰς σκύλλας καὶ τοὺς κύκλωπας, [illegible] τὴν λάμιαν. i. Solos mirans leones, aquilas, ſcyllas, & cyclopes, quibus ille ſtupidos homines demulſit, non aliter quam ſolent nutrices pueros, Lamiæ adventum narrantes. Lamiam quaſi λαιμίαν, à prægrandi ingluvie nomen habere vult Etymologici author, diximus de ea in adagio. [illegible] Lamiæ turris, antea: nunc & hoc addendum eſt ex Nicephoro Calliſto libro xviii. c. ix. Lamiam etiam γιλλὼ vocari Sic enim ait de Mauritio Imperat. Illud inſuper anile, parumq; ſimile veri addeos, Empuſam (ita enim nominant, quam γιλλὼ quis dixerit) ſæpenumero infantem Mauritium è cubili, velut mox devoraturam, extuliſſe, nullo accepto incommodo.

Minis occidit.

Ταῖς ἀπειλαῖς ἀποκτείνειν, id eſt, Minis occidere, proverbialiter dixit Cratinus, lepidiſſimus poeta, de vana interminatione: qualẽ oſtentant quibus Mars eſt ventoſa in lingua, ut canit. Virgilius, verba ejus è Bubulcis fabula, hæc ſequuntur [illegible]

Καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν σκιαμαχῶν,
Ἀποκτείνει ταῖς ἀπειλαῖς.

Id eſt:

In cœlum pugna dimicans umbratili,
Interficit minis.

Priorem verſum expreſſit ita Virgilius in Æneide:

—Et cœlum territat armis.

Eſt autem σκιαμαχεῖν, umbratican & ludicram pugnam edere. Hermias, [illegible] σκιαμαχεῖν μᾶλλον ἢ τὴν τῶν ὄντων ἐπιστήμην ἔχει, id eſt: At decantata illa philoſophia in umbra digladiatur potius, quam rerum ſcientiam præſtare poteſt. Ariſtides, ὡς ἀληθῶς σκιαμαχεῖν με ἀναγκάζουσι, id eſt: Revera in umbram pugnare in me cogunt & alibi, [illegible] id eſt: Scio umbratilem pugnam mihi eſſe cicadam, quod iſti, ad quos tendet oratio, non adſint.

COGNATI. *Feras agitare putaſti.*

Eſt hoc quoque Gallis familiare. Virgil. xi Æneid.

Sylvis te Tyrrhene feras agitare putaſti.

Facetus jocus in hominem, qui nõ ut cum beluis belluina pelle indutus in pugnam venit Tali armorum genere fortaſſis feræ terreri poſſunt, non autem bellatores.

Vas vacuum detergere.

Hoc proverbiali figura videtur dici a Theocrito in Syracuſi[illegible]:

Μή μοι κενεὰν ἀπομάξῃς.

Id eſt:

Ne mihi vas vacuum detergas:

de eo cujus offenſionem ac iram contemnimus, quemque nobis, etſi velit, tamen nocere non poſſe exiſtimamus. Eraſmus noſter comminantis, aut timentis alapam, eſſe ait, ſed tamen in medio relinquit.

Vide quid agas.

Protrita eſt clauſula, qua eos monemus, qui magna aggrediuntur non terrentis tamen eſt, ſed excitantis: ut inquit Donatus in illud Terentii in Phormione: Vide quid agas, prima coitio eſt acerrima.

Quaſſare, ſeu movere caput.

Quaſſare, ſeu movere caput, geſtus eſt ſuccenſentis, & iraſcentis, aut minantis, aut lamentantis, Virgil. Æneid. vij. de Junone:

Tum quaſſans caput, hæc effudit pectore dicta:
O ſtirpem inviſam, &c.—

Idem xij.

Ille caput quaſſans, non me tua fervida terrent.
Dicta ferox. &c.—

Accepit autem de Lucretii lib. ij. ubi legitur:

Iamque caput quaſſans grandis ſuſpirat arator,
Crebrius incaſſum magnum cecidiſſe laborem.

Plautus Trinum. Quid quaſſas caput? Ch. Cruciatur cor mihi, & metuo. Homer. Odyſſ. ε.

Κινήσας δὲ κάρη προτὶ ὃν μυθήσατο θυμόν.

Verbum hoc manſit etiam in vulgi uſu.

Id non impune feres.

Minantium proverbium, quo ſæpe utitur Catullus, De Gallo,

Verum id non impune feres: nam te omnia ſecla
Noſcent, & qui ſis, fama loquetur anus.

Invenies alium Galatheam.

Adhortaturi, ne quis ea captare pergat, quæ nequit aſſequi.

ſed

ſed potius juxta Terentium id velit, quod poſſit vel animum cura & mœrore confectum ob felicioris ſtatus amiſſionem, vel adverſum caſum, rerumque proſperarum jacturam, ſpe meliorum accenſuri: opportunum illud Theocriti Idyl. ια, à Virgilio ſenſu, non verbis, redditum.

Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως καὶ καλλίον' ἄλλαν.

Id eſt:

Forſitan invenies Galatheam vel meliorem
Forma aliam --
Virgil. ecloga 2.
Invenies alium ſi te hic faſtidit Alexis.

MIRA NOVA.

ERASMI. *Agamemnonii putei.*

Ἀγαμεμνόνεια φρέατα, id eſt, Agamemnoni putei. De novis & admirandis operibus dicebatur. Ajunt enim Agamemnonem & circa Aulidē, & paſſim in omni Græcia puteos effodiſſe, ne per æſtum aquarum inopia laborari poſſet. Autor Zenodotus.

Annus clibanum.

Ἄννος κρίβανον, id eſt, Annus clibanum. In eos olim dicebatur, qui novæ quippiam rei repeririſſent, Nam Annus quidam Ægyptius clibanorum uſum, in quibus panes coquerent, fertur excogitaſſe. Siquidem priſci pulte polentaq; victitabant, cocti panis uſum neſcientes. De ratione coquendi panis in furnis, permulta Plinius libro decimo octavo, capite undecimo, & hinc rei vocabulum etiam inditum. Nam Plautus in Aulularia artopteſiam vocat. Seneca in Epiſtola quadam ad Lucilium oſtendit, antiquitus panem manuum tractatione ſubactum, ferventi cinere teſtaque percoqui ſolere: deinde paulatim repertos furnos, & alia genera, quorum fervor ſerviret arbitrio. Hic panis dicebatur κριβανίτας. Meminit hujus adagii tum Suidas, tum Ariſtophanis interpres ἐν ἀχαρνεῦσι. Quanquam exemplaria pleraque, ἄνθρωπος habent: in uno duntaxat loco ἄννος ſcriptum reperi, quod mihi quidem magis arridet, ut vocabulum ſit proprium.

Annas clibanum.

Ἄννας κρίβανον, id eſt, Annas clibanum ſubaudi, reperit. Haud me fugit, hoc ſuperiore loco relatum à nobis: verum quoniam toties alia nobis occurrit ſpecie in proverbiorum Collectaneis, libuit admonere, trifariam eſſe ſcripturam. Alibi lego, & quidem pleriſq; in locis ἄνθρωπος κριβάνιος, id eſt, Homo clibanum. Quam equidem lectionem arbitror eſſe depravatam. Nec obſcurum, unde depravandi occaſio, iis qui Græcas literas norunt. Alibi invenio, ἄννος: ut vir fuiſſe videatur. In quibuſdam offendo ſcriptū, ἄννας: ut mulieris, aut certe barbaricum ſit vocabulum. Clibanum autem accipio: non hunc vulgatum (quod enim hoc admirādum, aut novum?) ſed teſtaceum illum, qui incluſo pane, ponitur in clibanis vulgaribus in quibus panis, aut etiam piſces, aut carnes paulatim lento vapore decoquuntur.

Cyziceni ſtateres.

Κυζικηνοὶ στατῆρες, id eſt, Cyziceni ſtateres. De re ſcite ſculpta. Hoc enim ſubindicant παροιμιολόγοι. Nam hi nummi olim celebres erant, quod eleganter ſculpti viderentur. Repræſentabant altera parte Cybelen deorum matrem, facie muliebri: altera leonis imaginem. Mihi magis videtur fore locus proverbio, cum hominem ſignificamus inæqualem, ac ſui diſſimilem: aut qui longe aliud agat, quam præ ſe ferat, quemadmodum nummi Cyziceni ex uno latere Cybelen oſtendebant effœminatam, ex altero leonem. Stateris valebat 28. drachmas Atticas: unde & de re magni precii videtur poſſe dici. Cyzicus autem erat civitas Propontidis. Quidam ejuſdem nominis urbem ponunt in Sicilia. Proverbii præter alios meminit Suidas.

Cornicum oculos configere.

M. Tullius in Oratione pro Murena ſcribit ad hunc modum. Deinde etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis, totum eſt contemptum & abjectum. Poſſet agi lege necne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia qui conſulebantur, à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur. Inventus eſt ſcriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis juriſconſultis, eorum ſapientiam compilarit. Itaq; irati illi, quod ſunt veriti, ne dierū ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam cōpoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent. Idem in actione Pro L. Flacco Hic hercule cornici oculum, ut dicitur: nam hunc Hermippū hominem eruditum, civem ſuum cui debebat eſſe notiſſimus, percuſſit. Porro proverbium natum ſit ex apologo quopiam, an ex eventu an ex metaphora ſumptum, non ſatis liquet. Undecumque fluxerit, perinde valere videtur. Cornicum oculos configere, quaſi dicas, novo quodam invento veterum eruditionem obſcurare, officereque ut ſuperiores nihil ſciiſſe, nihil vidiſſe videantur. Effertur autem per ironiam. In eadem ſententia uſus eſt divus Hieronymus, Apologetico adverſus Ruffinum ſecundo: Nunc vero cum pro varietate regionum diverſa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque tranſlatio corrupta ſit atque violata, noſtri arbitrii putas, aut ex pluribus judicare, quid verum ſit, aut novum opus in vetere condere, illudentibuſque Judæis, cornicum, ut dicitur, oculos configere. Hæc Hieronymus ſentiens, quaſi ſua caſtigatione prolata, Judæi jam nihil ſcituri viderentur, à quibus id temporis veteris teſtamenti veritas petebatur. Nec admodum diverſe uſurpavit Macrobius libro Saturnalium ſeptimo. Et quia, inquiens, his loquendi labyrinthis nos impares fatemur, age Vecti, hortemur Euſtathium, ut recepta contraria diſpoſitione, quicquid pro vario cibo dici poteſt, velit communicare nobiſcum: ut ſuis telis lingua violenta ſuccumbat, & Græcis Græco eripiat hunc plauſum, tanquam cornix cornici oculos effodiat. Hactenus Macrobius. Illud non ab re fuerit admonere lectorem, ut etiam atque etiam conſideret, num cornicum vivacitas & concordia huic adagioni locum fecerit: ut quidem cornix antiquitus concordiæ ſymbolum erat. Ejuſdem vivacitas etiam Græco proverbio celebrata eſt. Ut is videatur cornicum oculos velle cōfigere, quiſquis ea quæ antiquitas magno conſenſu approbavit, damnare ac reſcindere conetur. Nec admodum abſurdum, ſi quis in hunc modum accipiat, ut dicatur oculos cornicum configere, qui perſpicaciſſimis oculatiſſimiſque viſum adimat, offundatque tenebras: aut qui rem ipſiſſimam acu, quod ajunt, tangat, tantus videlicet artifex, ut non ſolum ſcopum, aut avem, verum & ipſos oculos jaculo feriat.

Præſtat uni malo obnoxium eſſe quam duobus.

Ariſtophanes in Concionatricibus ſenarium hunc proverbialem refert:

Ἑνὶ γὰρ συνέχεσθαι κρεῖττον ἢ δυοῖν κακοῖν.

Id eſt:

Uni atque geminis præſtat involui malis.

Quoties utrunque malum evitari non poteſt, danda tamen opera, quo declinemus alterum, & in id quod minus habeat incommoditatis, incurramus.

Glauci ars.

Γλαύκου τέχνη, id eſt: Glauci ars. Hujus parœmiæ duplex eſt uſus. Cōvenit enim vel in opus celeriter abſolutum, vel in id quod eſt arte ſumma ſummaq; cura elaboratum. Quidam ortum exiſtimant à Glauco quodam Samio, qui primus æris ferruminationem invenerit. Alii à Libyco quodam, qui quatuor cymbala quædam fabricatus dicitur, certis proportionibus ita inter ſe reſpondentia, ut primi ſpiſſitudo Epitriti rationem haberet ad ſecundum, ad tertium Hemiolii, ad quartum dupli. Et pulſata muſicam quandam harmoniam reddebant. Autor Zenodotus.

Tenui filo.

Tenui filo, pro ſtylo ſubtiliori, minuſque grandiloquo oratione. Nam Rhetores treis faciunt orationis χαρακτῆρας, grandem, tenuem & mediocrem, ſumpta metaphora à nentibus, aut certe à textoribus. Horatius:

——Tenui deducta poëmata filo

Auſonius in oratione, qua Gratiano Imperatori de conſulatu gratias agit: Tenuiori, inquit, filo, ut dicitur, deducta libaverim. Cui diverſum erit, Craſſo filo, craſſiore filo. veluti ſi dicas, *Barbaros* craſſo filo tractare rem Theologicam. M. Tullius libro De oratore ſecundo dixit, Uberiore filo, pro copioſius: & in Senectute, Aliud filum orationis, pro alio dicendi genere.

Tenui vena, Divite vena, Tenui canale.

Rem eandem alia reddunt metaphora, cum ajunt: Paupere vena, benigna vena, divite vena. Venam autem appellant indolem, & vim genuinam ingenii: tranſlatione ducta vel à fontibus, quorum alii, anguſtiore vena manant, alii tanta, ut flumen ingens efficiant: vel à metallis, quorum etiam venæ non genere tantum, ſed & copia differunt. Simillimum his eſt, quod ait Quintilianus lib. 11. Pleniore tamen hæc canali fluunt, Vos Albani tumuli atque luci.

Agas aſellum.

Agas aſellum. Hoc adagii quoniam mutilum refertur, non ſatis liquet, quid ſibi velit. Refertur autem à Cicerone libro De oratore ſecundo, ad hunc quidem modum. In hoc genus conjiciuntur proverbia, ut illud Scipionis, cum aſellus omneis provincias ſtipendia merentem ſe peragraſſe gloriaretur, agas aſellum, &c. Hactenus Tullius. Neq; vero libet referre, quæ in hunc locum adfert Omnibonus, interpres alioqui non omnino malus. Tamen viſum eſt ipſum adagium in medium proponere, quo doctis ſaltem veſtigandi miniſtraremus occaſionem. Fortaſſe legendum. Agaſo aſellum. Nam veteres elidebant vocales, more Græcorum, etiam in ſcriptura. Atq; ita ſenſuerit, unumquemque facere quæ ſe digna ſint. Depotant nepotes, decoquit lurco, digladiatur miles, pejerat leno, mentitur advocatus. Siquidem hoc ipſum agaſonis vocabulum, in contemptus abiit proverbium, id quod apud Græcos feſtivius eſt, ob ſermonis ἰδίωμα. Nam Dores aſinum vocant, non ὄνον, ut cæteri, ſed κάνθωνα & agaſonem, non ὀνηλάτην, ſed κανθηλάτην, veluti teſtatur Julius Pollux libro De rerum vocabulis ſeptimo. Fortaſſis huc pertinet quod ſcripſit Flaccus Epiſtola 19. ad Lollium:

---Adimum

Traxerit,aut alitoris aget mercede caballum.

Magna civitas,magna ſolitudo.

Strabo Geographiæ libro decimoſexto. Seleuciam ad Tigrim ait Babylone majorem fuiſſe,ſed pleraque ſui parte deſertam, ac jure optimo de illa dici poſſe, quod de Megalopoli Arcadiæ civitate dixit comicus quiſpiam:

Ἐρημία μεγάλ' ἐστὶν ἡ μεγάλη πόλις.

Id eſt:

Eſt magna ſolitudo,magna civitas.

Alluſum eſt ad nomen urbis,cujus meminit & Plinius in 4. Quadrabit in urbes,aut domos, agros, aut hortos, aut aliud id genus quippiam,amplum quidem & ſpacioſum, ſed parum excultum. Aut in librum ingentem quidem illum, verum impolitum & illimatum.

Ad id quod erat opus.

Εἰς τὸ δέον,id eſt,In id quod opus erat, ſubaudiendum,inſumſit, aut ſimile quiddam. Natum ajunt ex oratione Periclis. Narrant hunc datis pecuniis impetraſſe ab Aſtyanacte Lacedæmoniorum Rege,qui jam bellum parabat, ut ex Attica diſcederet. Deinde cum eſſet populo rationem ejus pecuniæ redditurus, puderetque palam titulum inſumptæ pecuniæ proloqui,recte ſignificavit, εἰς τὸ δέον,inquiens ἀνήλωσα τοσαῦτα τάλαντα εἰς τὸ δέον. id eſt,In uſus neceſſarios tantum talentorum inſumpſi. Hæc ferme referuntur in Zenodoro. Notavit adagium & Ariſtophanes in Nebulis:

ὥσπερ Περικλέης εἰς τὸ δέον ἀπώλεσα.

Id eſt:

Ita ut Pericles perdidi in quod oportuit.

Quo loco interpres varias adfert hiſtorias, unde proverbium ortum putent: quæ ſi quis requiret, unde petere poſſit, oſtendimus. Eleganter torquebitur per jocum in eos, qui ſic adminiſtrarunt pecuniam alienam,ut non poſſint idoneam rationem reddere.

Cercyræa ſcutica.

Κερκυραία μάστιξ.id eſt, Cercyræum flagrum. De re ſuper vacaneo cultu exornata. Quadrabit & in ea, quibus ornatus additur neutiquam decorus aut congruus. Cercyræis quoniam crebris ſeditionibus agitabantur,mos erat geſtare flagra ingentia, anſis eburneis exornata. Quidam ajunt,ea duplicia fuiſſe. Itaq; in proverbium abierunt. Autor interpres Ariſtophanis in Aves. Lycurgus Rhetor quum ob immodicam linguæ libertatem è concione ejiceretur,exclamavit: ὦ Κερκυραία μάστιξ ὡς πολλῶν ταλάντων ἀξία εἶ.id eſt: O Cercyræa ſcutica,quam multa vales talenta. Notans populum inutilem,magno tamen alendum. Refert Plutarchus in vita decem Rhetorum.

COGNATI. *Monſtrum eſt.*

Plato in Hippia majore: monſtrum eſt & mirabile quod dicis. Ibidem: Monſtra rurſus afferre videris. In Theæteto. Monſtrum quod dicis,& abſurdum hoc dictu.Ibidem: Monſtrum hoc eſſet. In Euthydemo: Monſtrum hoc eſſet. Vide poſtea,ex Catullo.

Omnia monſtra facis.---

Omnia monſtra facis.

Catullus ad quendam de Lesbia:

Sed tu cum turpi ore omnia monſtra facis.

id eſt,turpiſſima quæque atque incredibilia confingis, & loqueris iſto impolluto ore. Tranſlatum autem videtur ab haruſpicino atque augurio. Sic apud Diomedem Grammaticum L. Caſſius Hemina 2.

Monſtrum fit,ſus parit porcos triginta.

Plautus in Moſtell.quæ hic monſtra ſunt. Et Terentius idem ſignificans,aliquid monſtri alere,ſic dixit. Cic ad Atticum: Venerat horis duabus ante Cherippus,mera monſtra nunciarat. Monſtrum alere,habetur apud Eraſmum noſtrum ex Terentiano. Vide antea,Monſtrum eſt,& alibi,Monſtrum.

Murium jocinora.

Antigonus in mirabilium narrationum congerie. Sunt,inquit, & quæ cum luna creſcunt ac decreſcunt,ut murium jocinora, quæ ſimul cum luna ferunt augeri & minui:ideoque de prodigioſis miraculis apud multos proverbii loco uſurpari,Murium jocinora.

MIXTA.

ERASMI. *Πεντάπλοα.*

Athenæus lib.11.commemorat poculi genus quod olim πεντάπλοα dicebatur,quod in publicis ludis adhibebatur. Ephebi quidam curſu contendebant Athenas. Currebāt autem geſtantes viteum ramum,onuſtum fructu, qui dicebatur ὦσχος. Initium curſus erat à templo Bacchi uſque ad templum Palladis,cui cognomē σκιράς. Victor in eo certamine capiebat calicem dictum πεντάπλοαν,atque ita tripudiabat in choreas. Nomen inditum calici, quod in eo quinque rerum ſpecies eſſent commixtæ,vinum,mel, caſeus,farina,& paululum olei. Accommodari poterit ad orationem ex variis argumentis conſarcinatam. Simile quoddam vas erat fictile,quod Græci κέρνος appellabant, Baccho ſacrum. In eo plures erant rerum ſpecies,ſed diſtinctæ cyathulis inter ſe connexis. Athenæus nominatim recenſet circiter ſedecim. Ut igitur Farraginem dicimus rem variam,atque ex diverſis generibus conflatam: ita poterimus vel πεντάπλοαν vel κέρνος dicere. De copiæ Cornu dictum eſt alias. Nec his diſſimile eſt quod Satyram dixêre priſci: quo de ſuo dicitur loco.

Copiæ cornu.

Vide ſuperius in loco, Bonæ fortunæ.

Farcire Centones.

Vide ſuperius in loco, Garrulitas.

COGNATI. *Κωμῳδοτραγῳδία.*

Comœdotragœdia,res dicitur ex lætis ſimul & triſtibus conſtans. Haud illepide ſic appellatur vita humana, quæ nunc proſperis, nunc adverſis rebus utitur. Item & matrimonium. Porphyrius.

Γλυκύπικρον.

Dulce cum amaro cojunctum,a Græcis dictum eſt, γλυκύπικρον: ex quo γλυκύπικρον illud amoris, de quo Plautus in Moſtellaria:

Namq; ecaſtor amor & melle & felle eſt fœcundiſſimus:
Guſtu dat dulce,amarum ad ſatietatem uſque oggerit.

Lucret.lib 4.

Nequicquam,quoniam medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid,quod in ipſis floribus angat.

GODOFREDI. *Ubi mel,ibi fel.*

Nihil homini tam divinitus datum, nihil tam proſpere ſuccedit, quid admixtum ſit aliquid difficultatis. Apul. Florid.4.

TURNEBI. *Chium & Ammineum miſcere.*

Eleganter hoc extulit Auſonius de profeſſore Græcæ linguæ & Latinæ,alludens ad vina diverſe nata, Chium enim vinum, Græcum eſt. Ammineum Latinum. Idem 14.cap.21.

Spinoſum aliquid in prato.

Proverbialiter hoc dixit Juſtinian. de concept. Dig. ſtb. quaſi diceret: In re pulcherrima & venuſtiſſima turpe quiddam eſſe immixtum, quod illam dignitatem ac ſpeciem imminuit: ut ſi in prato viridiſſimo & amœniſſimo,ſpinæ & vepreculæ ineſſent,quæ inambulantium pedes offenderent. Et hoc tamen perfoſſo ſinquit,ne ex occaſione hujuſmodi lapſus oriatur aliquid in tali prato ſpinoſum.

MODESTIA MODUSQUE.

ERASMI. *Demittere ſeſe ad aliorum mediocritatem.*

Ubi quis moderatur data opera vires ſuas, ad aliorum mediocritatem (veluti ſi quis præceptor tradat auditoribus, non quantum ipſe docere poſſet,ſed quantum illi capere) convenit. Aliud ex eodem libro,de Nauſicaa ſic habens moderante curſum mulatum, ut pediſſequæ,& Ulyſſes,pedibus conſequi poſſent:

Ἡ δὲ μάλ' ἡνιόχευεν ὅπως ἅμ' ἑποίατο πεζοί,
ἀμφίπολοί τ' Ὀδυσεύς τε, νόῳ δ' ἐπέβαλλεν ἱμάσθλην.

Id eſt:

Hæc ita lora regens,pedes ut comes iret Ulyſſes,
Tum comitum quoque turba modo,ratione que certa
Inſtigat ſcutica.

Noſce teipſum.

Ad eandem ſententiā pertinent tria illa,inter omnia ſapientum apophthegmata vel maxime celebrata,adeo ut (quemadmodum in Charmide teſtatur Plato) pro foribus templi Delphici ab Amphyctionibus inſcripta,veluti digna Deo viſerentur. Quorū primum eſt,γνῶθι σεαυτόν, Noſce teipſum. In quo modeſtiæ mediocritatiſq; commendatio eſt,ut nobis vel majora, vel etiam indigna ſequamur. Nam hinc omnis vitæ peſtis oritur, quod ſibi quiſque blanditur, & quantum aliis præter æquum detrahit, tantum ſibi philautiæ vitio præter meritum tribuit. M. Tullius ad Q. Fratrem lib.1. Et illud γνῶθι σεαυτόν,noli putare ad arrogantiam minuendā ſolum eſſe dictum,verum etiam ut bona noſtra noſcimus. Extat hic quoque ſenarius inter ſententias proverbiales:

Τὸ γνῶθι σαυτὸν πανταχοῦ 'στι χρήσιμον.

Id eſt:

Ubique confert,ut teipſum noveris.

Citatur à Nonio Marcello Satyra quædam Varronis hoc titulo, γνῶθι σεαυτόν. Ovidius de arte amandi:

——Fama celebrata per orbem
Litera,cognoſci quæ ſibi quenque jubet.

Juvenalis:

E cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.

Ovidius hanc ſententiam ad Pythagoram autorem refert: Platonicus Socrates ab Apolline profecta arbitratur. Plato in Phædro οὐ δύναμαί πω κατὰ τὸ Δελφικὸν γράμμα, γνῶναι ἐμαυτόν, id eſt

Nos-

Nondum poſſum meipſum juxta Delphicam inſcriptionem cognoſcere. Sunt qui ex Homero tanquam Oceano, hanc quoque mutuo ſumptam exiſtiment apud quem Hector, cum in reliquos omneis imperium faceret, tamen Ajacem ut ſe præſtantiorem declinavit. Sic enim ait poëta:

Αἴαντος δ' ἀλέεινε μάχην Τελαμωνιάδαο.

Id eſt:

Congreſſum Ajacis fugit Telamone creati.

Diogenes Thaleti tribuit. Apud hunc Antiſthenes Phemonoæ adſcribit, cæterum Chilonem uſurpaſſe. Thales autem rogatus: τί δύσκολον, ἔφη τὸ ἑαυτὸν γνῶναι, τί δὲ εὔκολον, ἄλλῳ ὑποτίθεσθαι, id eſt, Quid eſt difficile? reſpondit, Seipſum noſſe. Quid facile? Alterum admonere. Macrobius primo in Scipionis ſomnium commentario tradit, quidam Delphicum oraculum conſulenti, quonâ itinere poſſet ad felicitatem pervenire: reſponſum ad hunc modum: Si teipſum cognoveris. Id autem oraculum redditum fuit Crœſo, ut Autor eſt Xenophon in Pædia Cyri. Citatur a Gnomologis Græcis hic eſt Antiphane ſenarius:

Εἰ θνητὸς εἶ βέλτιστε, θνητὰ καὶ φρόνει.

Id eſt:

Præclare, ſi mortalis es, mortalia fac cogites.

Eandem ſententiam ſic extulit Pindarus: θνατὰ θνατοῖσι πρέπει, id eſt, Mortalia mortales decent. Demonax interrogatus quando cœpiſſet Philoſophari: Poſteaquam inquit, cœpi noſſe meipſum. Socrates quod Apollinis oraculo ſolus eſſet ſapiens judicatus, quũ Græcia tot haberet Sophos, ſic interpretatur: quod cæteros profitentes ſe ſcire quod neſciebant, hoc nomine vinceret, quod ſciret ſe nihil ſcire: & hoc unum ſe ſcire profitebatur. Cæterum hanc Socratis modeſtiã vicit Anaxarchus, qui prædicabat ſe ne id quidem ſcire, quod nihil ſciret. Apud Menandrum Comicum quiſpiam corrigit hoc omnibus, laudatiſſimum dictum:

Κατὰ πόλλ' ἄρ' ἐστὶν οὐ καλῶς εἰρημένον,
Τὸ γνῶθι σαυτόν· χρησιμώτερον γὰρ ἦν
Τὸ γνῶθι τοὺς ἄλλους.

Id eſt:

Multis modis dictum videtur perperam,
Cognoſcere teipſum: magis enim in rem fuerat hoc;
Cognoſce cæteros.

In tuum ipſius ſinum inſpue.

Hac noſtra tempeſtate multis regionibus hoc circumfertur adagium. Jubent enim hominem, aliena vitia taxantem, in ſuum ipſius ſinum inſpuere: tanquam admonentes, ut domeſticorum malorum recordatione deſinat arrogantius inſectari vitam alienam. Idem antiquis fieri ſolere, colligi utcunque poteſt ex verbis Plinianis, qui libro 29. c. 4. ſcribit hunc in modum: Veniam quoq; a deis, ſpei alicujus audacioris petimus, in ſinum ſpuẽdo. Idem in eodem capite ſcribit ex authoritate Salpæ, torporem ſedari quocunq; membro inſtupete, ſi quis in ſinum expuat. Quorũ utrumque non prorſus abhorret à noſtro vulgato proverbio. Siquidem qui carpit aliena, ſpe quadam improba peccat, quaſi ſperet ſibi nihil ſimile à quoquam opprobrari poſſe, cum nemo ſit, qui non aliquo vitio teneatur. Et qui proprii mali, quaſi ſui ipſius ſenſu caret, ceu torpore quodam tenetur. Seneca l. De beneficiis 7. Fortaſſe vitium de quo quereris, ſi te diligenter excuſſeris, in ſinu invenies. Lucianus in apologia. De mercede ſervientibus, [illegible] id eſt: quodque non prius in tuum ipſius ſinum inſpueris, quam accuſare cœperis. Idẽ in Votis, [illegible] Jocatur quiſpiam in amicum, quod tanquam oblitus ſui, opes immenſas imaginaretur, neque in ſinum ſpueret, ut agnoſceret, quiſnam eſſet. Idem indicat Theocritus Ecloga ſexta. Nam Polyphemus cum paulo arrogantius ſuam formam extuliſſet:

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.
Ταῦτα γὰρ ἁ γραία με Κοτυτταρὶς ἐξεδίδαξεν.

Quorum carminum hæc ferme ſententia eſt: Ne quid me lædit invidia, neve noceat faſcinatio, ter in meum inſpui ſinum, nam id me Cotyttaris anus docuit. Scholiaſtes addit, eum morem ſua etiamnum ætate duraſſe mulierculis, ut abominantes invidiam, in ſinum expuant. Refert & Callimachi verſum:

Δαίμονι, τίς κόλποισιν ἐπέπτυσε γ' ὡ γυναῖκες;

Id eſt:

O fortuna, ſinum mulier quæ conſpuit omnis?

Huc fortaſſe pertinet quod ait Lucianus in Necyomantia, [illegible] id eſt: Poſteaquam ter mihi deſpuiſſet in faciem. Nec alienum hinc eſt, quod in ſecunda Satyra ſcripſit Perſius:

——Frontemque atque uda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat.——

E ſimili ſuperſtitione profectum eſt, quod indicat Athenæus l. 1. priſcos ad depellenda mala ſolitos ter abſtergeri. Refert verſiculum hunc Cyrenæi:

Τρὶς δ' ἀπομαξαμένοισιν [illegible]

Id eſt:

Ter vero abſterſis, melius bona numina donant.

In ſe deſcendere.

In ſe deſcendere, eſt ſua ipſius vitia quempiam inſpicere. Tranſlatum vel à fodinis, vel à cellis: in quas qui deſcendunt, quid illic repoſitum, reconditumq; ſit, noſſe poſſunt. Alluſum eſt autem ad ſpecus illos & ſinus humani cordis, quibus Momus feneſtram adhiberi voluit. Perſius:

Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo.
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Tecum habita.

Proximum Homerico carmini videtur & illud ejuſdem Perſii:

Tecum habita, ut noris quam ſit tibi curta ſupellex.

Id eſt: Domi tuæ vivito, ut intelligas, quam tenuis ſit tua fortuna. Tranſlatum ab iis, qui in Principum familiis agunt, & ut vulgo fit, ex alienis opibus periinde quaſi ſuis intumeſcunt: quibus ſi domi vivendum ſit, vix ſalinum habeant quod apponant. Tecũ igitur habita, id eſt, tuapte ſupellectile te metire, ac tuis ipſius malis bonisve te ipſum expende. Haud ſcio an huc pertineat quod ſcribit M. Tullius in Catone majore: Secum, ut dicitur, vivere.

Meſſe tenus propria vive.

Idem diverſa explicuit metaphora Perſius Satyra ſexta:

Meſſe tenus propria vive.——

Id eſt:

Sumptum facito pro modo facultatum tuarum. Ab agricolis traductum, qui ſumptus annuis agrorum proventibus metiuntur. Neque enim res conſiſtere poteſt, cum quæſtum ſuperat ſumptus, quemadmodum ait Plautus. Oſtentatorem divitiarum elegante verbo Alexis apud Athenæum libro ſexto, πτωχαλαζόνα dixit, eodem verbo declarans faſtum cum paupertate conjunctum. Nunc mundus hoc hominum genere plenus eſt, qui plus quam tyrannicum faſtum paupertatis profeſſione conjungunt.

Intra tuam pelliculam te contine.

Intra tuam pelliculam te contine. Porpyrion proverbium eſſe admonet, quo vetamur obliti ſortis noſtræ, majora conari, quam pro noſtra facultate. Idq; inde ſumptum putat, quod olim ductores in pellibus, hoc eſt, pelliceis tentoriis dormitarent. Mihi videtur rectius referri ad aſinum illum Cumanum, quem Apologi fabulantur adaptaſſe ſibi leonis exuvium, atque ita ſeſe ad tempus pro leone geſſiſſe: verum eam rem illi magno fuiſſe malo, cum agnitus, & magno omnium riſu aliena appoſititiaque exutus pelle fuſtibus ad necem cæderetur. Neq; abſurde quis ad Cleonem Athenienſem referat qui ex byrſopola, hoc eſt, coriario creatus exercitus ductor, fortuna favente victoriam reportavit, capta Pylo, ſuam ipſius civitatem furto ſpoliavit, atque ad eum modum ad ſummas opes evectus eſt: tandem per alium ejectus, maleque acceptus, pœnas dedit, quod non in propria pelle quieſſet. Hic inducitur in Ariſtophanis comœdia, cui titulus Equites: neq; non aliis locis ſubinde mordetur ab eodem poëta. Huc nimirum videtur alluſiſſe Plautus, cum militem glorioſum & jactabundum fingit elephantino corio circumtectum, non ſuo, ſive quod ſtolidum ſignificaret, ſive quod majora, quam pro facultate loquentem. Horatius:

Et merito, quoniam in propria non pelle quieſſem.

Martialis in ſutorem quendam, qui Cleonis exemplo, prius ad ſummas evectus divitias, ut venti erant ita velum in altum ſuſtulit deinde ad priſtinam rurſus inopiam largitionibus ſuis redactus eſt, ut nihil jam eſſet niſi cerdo:

Luſiſti, inquit, ſatis eſt: ſed te, mihi crede, memento
Intra pelliculam cerdo tenere tuam.

Item Seneca in Epiſtolis. Sapientem undique ſubmovent, & intra cutem ſuam cogunt. Id citra metaphoram ſic extulit Ovidius:

Crede mihi, bene qui latuit bene vixit: & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam:

Alluſit huc & Lucianus in Imaginibus, [illegible] id eſt: Non jam manent in his quæ adſunt, de his qui fortunæ ſucceſſibus elati, ſuæ conditionis non ſatis meminerint. Denique mihi non abſurdum videtur, ſi proverbium referatur ad Marſyæ excoriati fabulam: qui quoniam parum memor ſuæ conditionis, auſus eſt cum Apolline certare, ſua pelle exutus eſt.

Ne quid nimis.

Alterum diverſis verbis eandem ſententiam complectitur, μηδὲν ἄγαν, id eſt, Ne quid nimis, quam quidem tanquam vulgo celebratam Terent. in Andria etiam Soſiæ liberti perſonæ tribuit. Diogenes Laertius Pythagoræ adſcribit. Ariſtoteles 3. Rhetoricorum lib. ad Biantem autorem refert, tractans de juvenum immoderatis affectibus, quos ait ubique nimia vehementia peccare: nam & amare nimium, pariter & odiſſe nimium. Seneca non item, ſed ut ipſius Ariſtoteles utar verbis, κατὰ τὴν Βίαντος ὑποθήκην, καὶ φιλοῦσιν ὡς μισήσοντες καὶ μισοῦσιν ὡς φιλήσοντες, id eſt, Juxta Biantis admonitionem, & amant tanquam oſuri, & oderunt tanquam amaturi. Sunt qui Thaleti tribuant. Sunt qui Soloni, teſte Laertio. Plato quodam loco ex Euripide citat. Neque deſunt qui ad Homerum veluti fontem referant: cujus hi verſus ſunt in Odyſſ.

——Νεμεσσῶμαι δὲ καὶ ἄλλῳ
Ἀνδρὶ ξεινοδόκῳ ὅς κ' ἔξοχα μὲν φιλέῃσιν,
Ἔξοχα δ' ἐχθαίρῃσιν, ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα.

Id eſt:

——Mihi nequaquam is placet hoſpes;

 Qui

Nihil minus expedit, quam agrum optime colere.

Apud priſcos adagionis inſtar fuiſſe Plinius teſtatur libri 18. cap. 6. Temerarium, inquit, videatur unam vocem antiquorum poſuiſſe, & fortaſſis incredibile penitus exiſtiment, nihil minus expedire, quam agrum optime colere. L. Tarius Rufus infima natalium humilitate, conſulatum militari induſtria meritus antiquæ alias parſimoniæ, circiter mille ſiclos (ſive, quæ lectio quibuſdam magis arridet, ſeſtertiûm) liberalitate Divi Auguſti congeſtum, uſque ad detractionem hæredis exhauſit, agros in Piceno coemendo, colendoque inglorium. Internecionem ergo, famemque cenſemus? Imo hercle judico modum, rerum omnium utiliſſimum. Bene colere, neceſſarium eſt; optime damnoſum. Hactenus Plinius. Huc & Terentius alluſit, cum ait in Phormione: Noſtrapte culpa facimus ut malos expediat eſſe, dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos. Item illud Horatianum:

> In vitium culpæ ducit fuga, ſi caret arte.

Denique proverbium Hebræorum, admonens, Ne quis nimium ſit juſtus.

Dimidium plus toto.

Πλέον ἥμισυ παντός, id eſt, Dimidium plus toto: ænigma proverbiale, quo commendatur aurea mediocritas. Refertur & exponitur a Platone lib. De legibus 3. ἆρα οὐκ ἀγνοήσαντες τὸν Ἡσίοδον ὀρθότατα λέγοντα, ὡς τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς πολλάκις ἐστὶ πλέον· ὁπόταν ᾖ τὸ μὲν ὅλον λαμβάνειν ζημιῶδες, τὸ δὲ ἥμισυ μέτριον, τότε τὸ μέτριον τοῦ ἀμέτρου πλέον ἡγήσατο ἄμεινον ὂν χείρονος. i. Nonne quod ignoraverint Heſiodum rectiſſime dicentem, dimidium ſæpenumero plus eſſe quam totum videlicet cum totum accipere noxium fuerit, dimidium autem moderatum, ibi moderatum immoderato plus eſſe duxit, utpote quod ſit deteriore melius. Ad eundem modum enarrant Heſiodi interpretes: nimirum in toto ſignificatam eſſe τὴν πλεονεξίαν, in dimidio τὴν ἰσότητα. Siquidem qui dimidio contentus eſt, is in medio conſiſtit: contra, quiſquis ad totum uſque progreditur, is mediocritatem prætergreſſus ad extremum perveniat oportet. Meminit ejuſdem adagii & lib. De Rep. 5. Rurſus lib. De legibus 6 declarans in civitate præcipuum eſſe, ut eximiis viris committantur magiſtratus: ἀρχὴ γὰρ λέγεται μὲν ἥμισυ παντὸς ἐν ταῖς παροιμίαις ἔργου, καὶ τό γε καλῶς ἄρξασθαι πάντες ἐγκωμιάζομεν ἑκάστοτε, τὸ δ' ἐστί τε ὡς ἐμοὶ φαίνεται πλέον ἢ τὸ ἥμισυ. id eſt, Principium enim totius negocii dimidium dicitur in proverbiis, ac bene cœpiſſe ab omnibus ubiq; laudi datur. Cæterum hoc mihi ſane pluſquam dimidium videtur. Plato alluſit ad vocis amphibologiam: nam ἀρχὴ Græcis & principium rei, & magiſtratum ſonat. Pittacus apud Laertium, ubi ſe ſponte abdicaſſet magiſtratu, agri ſibi à Mytilenæis relicti dimidium reſecuit, authore Soſicrate, dicens, dimidium præſtabilius eſſe toto. Idem pecuniam à Crœſo miſſam recuſavit, reſpondens, ſibi dimidio plus eſſe quam vellet. Carmen extat apud Heſiodum lib. primo operis, cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι. Scribit enim ad Fratrem Perſam in hunc modum:

> Ἤδη μὲν γὰρ κλῆρον ἐδασσάμεθ', ἄλλα τε πολλὰ
> Ἁρπάζων ἐφόρεις μέγα κυδαίνων βασιλῆας
> Δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι·
> Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.
> Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.

Quos verſus utcunque vertimus ad hunc modum:

> Jamque patris nobis erat herciſcunda facultas,
> At tu ultra ſortem rapiebas plurima, Reges
> Donivoros ubi concilians, qui ſolvere litem hanc
> Affectant, verum ſtulti neſcire videntur
> Dimidium quam ſit toto præſtantius, & quam
> Magna ſit utilitas malvæ, aſphodilique vireſcentis.

Quid autem ſit aſphodelus, videtur olim parum inter eruditos conſtitiſſe. Quandoquidem Gellius lib. 18. hanc quæſtionem in ſtudioſorum conviviis propoſitam fuiſſe prædicat, tanquam de re paucis cognita. Theodorus alicubi vertit albucum. Quod autem ad hujus adagii pertinet enarrationem, ex multis Luciani locis colligere licet, aſphodelum herbam eſſe plebejam ac vilem: atq; hac victitare manes, apud quos nullus luxus, nulla ſit ambitio. Quinetiam apud Theocritum Idyllio ſeptimo, aſphodelus inter ruſticanas herbas commemoratur.

> Κνύζᾳ τ' ἀσφοδέλῳ τε πολυγνάμπτῳ τε σελίνῳ.

Proinde poeta, regum ac locupletium immoderatos luxus taxat, illorum faſtibus populárium mediocritatem anteponens. Plutarchus item in convivio ſeptem ſapientum: locum hunc Heſiodium putat ad frugalitatis monitionem eſſe referendum. Suidas κατὰ ἀντιπεριστασιν paræmiam exiſtimat, hujuſmodi quandam adferens fabulam. Duo fratres erant, quorum alter moriens, fratri teſtamento mandavit, & filii quem pupillum relinquebat tutelam, & facultatum illius procurationem. At is cum eſſet ejuſmodi, cujuſmodi vulgo ſunt homines (nimirum ut plus apud eum valeret lucrum, quam pietas) pueri res occupare conatur: idque dum molitur, etiam ſua perdidit. Deinde poſtulanti, ut ſui ratio haberetur, quo poſſet in locum meliorem reſtitui, reſponſum eſt ad hunc modum:

> Νήπιος οὐκ οἶδεν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.
> Dimidium quam ſit toto præſtantius, iſtud
> Haud novit ſtultus...

Regium igitur eſt, dimidium totius: totum qui ferre, tyrannicum. Itaque proverbium trifariam licebit uſurpare. Primum, cum mediocritatem illam vere auream efferemus, citra quam nihil eſt in rebus humanis nec honeſtum, nec jocundum, nec laudatum: mediocritatem autem opportunitate metimur, quemadmodum Heſiodum imitatus ait Pindarus:

> Ἕπεται δ' ἐν ἑκάστῳ μέτρον· νοῆσαι δὲ καιρὸς ἄριστος.

Id eſt:

Adeſt unicuique rei modus: ad eum cognoſcendum optima opportunitas. Etenim pro loco quod alias nimium eſt, alias erit parum. Idem in Nemeis hymno ultimo:

> Κερδέων δὲ χρὴ μέτρον θηρεύεμεν.
> Ἀπροσίκτων δ' ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι.

Id eſt:

> In lucris autem oportet modum ſectari.
> Nam immenſarum rerum cupiditates, vehementiores habent inſanias.

Altera utendi ratio fuerit, cum æqualitatem anteferemus, quam Pythagoras dixit amicitiæ tum parentem, tum altricem: contra inæqualitatem, diſcordiarum bellorumque matrem: id quod eleganter extulit Euripides in Phœniſſis,

> ... Κεῖνο κάλλιον τέκνον,
> Ἰσότητα τιμᾶν, ἣ φίλους ἀεὶ φίλοις
> Πόλεις τε πόλεσι ξυμμάχους τε ξυμμάχοις
> Συνδεῖ. τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ.
> Τῷ πλέονι δ' αἰεὶ πολέμιον καθίσταται
> Τοὔλασσον, ἐχθρᾶς θ' ἡμέρας κατάρχεται.
> Καὶ γὰρ μέτρ' ἀνθρώποισι καὶ μέρη σταθμῶν
> Ἰσότης ἔταξε, κἀριθμὸν διώρισε.
> Νυκτός τ' ἀφεγγὲς βλέφαρον, ἡλίου τε φῶς
> Ἴσον βαδίζει τὸν ἐνιαύσιον κύκλον,
> Κοὐδέτερον αὐτῶν φθόνον ἔχει νικώμενον.
> Εἶθ' ἅλιός μὲν, νύξ τε δουλεύει βροτοῖς.

Id eſt:

> ... Illud nate fuerit pulchrius,
> Æqualitatem amplecti, amicos hæc enim
> Glutinat amicis ſemper, urbes urbibus,
> Sociosque ſociis nectit: etenim æqualitas
> Cum legibus reſpondet atque congruit.
> At quod minus ſit, cum hoc quod eſt pluſ, prælium
> Uſque habet, & hinc diſcordiarum exordia.
> Siquidem modos cunctorum & æquilibria
> Æqualitas mortalibus præſcripſit, &
> Præfinit numeros, & atræ noctis, ac
> Lucis diurnæ ſecuit hæc diſcrimina,
> Ut annuum æquis vicibus exigant ſimul
> Orbem, nec altera alteri unquam inviderit
> Superata, deinde noxque ſolque ſerviunt
> Mortalibus.... & reliqua.

Tertia utendi ratio, ſi quando deterrebimus ab inferenda injuria, ſuadebimuſq; ſatius eſſe, juxta Platonis ſententiam, injuriam in ſeſe admittere, quam inferre alteri. Nam id ſibi velle proverbium hoc, demonſtrat Plutarchus in commentario De audiendis poetis. Huc arbitror pertinere quod de Dario refert Plutarchus. Qui enim præfectos provinciarum ad ſeſe acceſſitos percontatus eſſet, num gravia eſſent tributa: atq; illi reſpondiſſent, eſſe mediocria: juſſit de ſingulis dimidium pendi: judicans eſſe ſatius, dimidium accipere cum benevolentia provincialium, quam totum cũ odio ſuorum. Fortaſſis & hodie peccatur à nonnullis adverſus hoc proverbium. Dum enim Theologi quidam ac præſules nihil omnino volunt de ſuis dogmatibus ac jure concedere, veniunt in periculũ ne perdant & illa quæ bono jure tenebant. Mea ſententia nõ ſemper aſpernandum illud comici Syri conſilium: Potius quam venias in periculum, ſerveſne an perdas totum, dimidium, ſive (ut legunt alii) dividuum face.

Vbi paveris impera.

In eadem Ecloga.

> ... Παυσάμενος ἐπίτασσε.
> ... Præcipito poſtquam ſatiaveris eſce.

Ad eum modum reſpondent mulieres cuipiam objurganti, quod loquaciores eſſent, & ſilentium imperanti. Conveniet, ubi quis imperioſior eſt in eos, de quibus nihil eſt meritus.

Domus recta.

Annæus Seneca libro Epiſtolarum familiarium 16. Videbimus quod parum reciſum ſit, quod parum ſtructum, quod non hujus recentis politurae. Cum circumſpexeris omnia, nullas videbis anguſtias inanes. Deſit ſane varietas marmorum, & conciſſura aquarum à cuniculis interfluentium, & pauperis cella, & quicquid aliud luxuria, non contenta decore ſimplici miſcet, quod dici ſolet, domus recta eſt. Hactenus Seneca. Quod ſi locus non vacat mendo, ſignificat vulgo domum rectam vocari, non quidem opulentam & ambitioſam, ſed cui nil deſit juſtæ ſupellectilis. Ad eundem modum M. Tullius Græcorum linguam ambitioſæ meretrici confert, quæ multo luxu ſuperfluat: Latinorum honeſtæ ac pudicæ matronæ, cui nihil deeſt, quod ad honeſtam pertineat mundiciem.

In epitaphio Theophraſti, qui tantiſper viguit, dum eſſet in labore: ſimulatque remiſit ſtudium, interiit:

> Οὐκ ἄρα τοῦτ' [illegible] τινὶ λέλεκται,
> [illegible]
> [illegible]
> [illegible]
> Id eſt:
> Frangi, ut ſtudiis tenſum laxaveris arcum,
> Veridici ſane verba fuére viri.
> Nanque opere aſſiduo valuit Theophraſtus: & idem
> Laxato ſtudio, membra ſolutus obit.

Oportet agrum imbecilliorem eſſe.

Columella lib. I. cap. iij. teſtatur apud Afros agricolas hujuſmodi proverbium fuiſſe celebre: Oportet agrum imbecilliorem eſſe quam agricolam. Hoc ænigma ſic explicuit Vergilius, ſpecie non minus proverbiali:

> —Laudato ingentia rura,
> Exiguum colito.—

Sed præſtat ipſa Columellæ verba aſſcribere: Adhibendum modum menſuramque rebus: idque ut non ſolum aliud acturis, ſed & agrum paraturis dictum intelligatur, ne majorem quam calculorum ratio patitur, emere velit. Nam huc pertinet noſtri poetæ ſententia:

> Laudato ingentia rura,
> Exiguum colito.

Quod vir eruditiſſimus (ut mea fert opinio) traditum vetus præceptum numeris ſignificavit. Quippe acutiſſimam gentem Pœnos dixiſſe convenit, Imbecilliorem agrum quam agricolam eſſe debere: quoniam quum ſit colluctandum cum eo, ſi fundus prævaleat, allidi dominum. Nec dubium, quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam anguſtus eximie. Conveniet in eos, qui ſtudent imperio proferendo: quum hoc ipſum quam habent, non poſſint adminiſtrare, aut qui ſuſcipiunt munus, cui gerendo ſunt impares. Congruet cum eo quod alibi retulimus. Spartam nactus es hanc orna.

IVNII. *Eſt modus matulæ.*

Proverbialis eſt epigraphe e Satyris Menippæis Varronis apud Nonium Marcellum, quæ admonet, ſervandum eſſe in poculis modum, neque ad ſatietatem uſque ingurgitandum. Vitandum enim omni in re eſt, quicquid nimium eſt. Hinc facete dictum fuit a Pretello quodam: qui interrogatus, quidnam de Bœotiis ſentiret, reſpondit: Quid aliud quam quod idem ſonant & dolia, ſi voce eſſent prædita. Inſcriptio autem ita habet. Varro. Eſt modus matulæ, [illegible], id eſt, de temulentia. Solet enim primo loco adagium aut diverbium ponere, tum ſubjicere libri argumentum.

Poſtes tranſcendere.

Ὑπερβαίνειν τὰς φλιάς [illegible], hoc eſt, Poſtes tranſcendere, vel pedem injicere tranſultorium, ſpecie proverbii uſurpatum invenio: pro, incompoſite & extra modum in aliquam rem invehi, immodiceque ſe gerere. Suidas ex authore incerto: [illegible] hoc eſt: Haud nimis alte, velut tráſcenſis poſtibus, juxta proverbium in religionem inſultás, ſed præſcriptis ſibi certis limitibus ætati ſuæ congruis, cultum divinorũ pura & ſincera conſcientia adminiſtrans. Vſus eo fuit & Ariſtoteles alicubi, & Aretas Cæſarienſis epiſcopus in Apocalypſeos explanatione, interpres vertit, gradum limenque excedere. Diverſum a ſuperiori eſt. [illegible] pro, ordine & quaſi per gradus ulterius pergere. Athenæus: [illegible], id eſt, Gradatim ad ea quæ proxime ſequãtur, quodam dicendi fervore tranſilit.

Alba linea.

Alba linea fieri dicitúr quod ſimpliciter fit & abſque varietate quadam picturæ. Aul. Gellius libro xx. cap. ultim. Multa & varia lectitantes, in quas res cunque inciderent, alba (ut dicitur) linea, ſine cura diſcriminis, ſolam copiam ſectati convertebant: quo loco copiam pro multitudine ſola intelligo, non autem pro variatione dictionis. Tranſlatio á tabulis monochromatis, ubi nulla pigmentorum varietas oculos ſatiare poteſt.

Oſſula contentus.

De eo qui exiguis contentus haud magna & opulenta ambit, ſed tenuem conditionem, quæ propulſandæ fami ſit ſatis, dicetur verſiculus Homericus, quo Vlyſſem perſtringit Melantus, qui extat Odyſſ. xvij.

> Αἰτίζων ἀκόλους, οὐκ ἄορας, οὐδὲ λέβητας.
> Id eſt:
> Depoſcens micas, non enſes, neve lebetes.

Hunc verſum per jocum detorſit in contrarium ſenſum Chariclea apud Heliodorum lib ij. Æthiopicarum rerum, [illegible] id eſt, Tales mihi videmini, qui non micas ſed vernas & lebetes ſitis poſtulaturi. Innuens non exilia quæ[illegible], ſed ingentia flagitaturos, ἀκόλους Græci vocant minuta panis ſegmenta, quæ amplius minutiuſque confringi nequeant: [illegible], a frangendo, ut Etymologici autor & Euſtathius annotant. Heſychius quaſi [illegible] dici ait, quod ſedando famem (quæ juxta proverbium bilem in naſum concire ſolet) placare nos conſueverit & mitigare, ſublata bilis occaſione: ita enim Heſychii verba intelligenda ſunt. Quod autem ἄορας biſariam reddidi, & enſes, & vernas, Euſtathii authoritate fretus id feci: quod utrunque donum magnificum, & benemeritis optimatibus condignum haberetur antiquitus.

Cubitis metiri, ut Nili incrementa.

Πήχεσι [illegible], id eſt, Cubitis metiri, veluti Nili incrementa. Proverbialiter extulit hoc Flavius Philoſtratus in Dionyſio Mileſio, [illegible], id eſt. Quibuſdam ejus admiratoribus duodecim ſalientum os eſſe videtur: alii cubitis linguam ejus metiuntur, qua ratione Nili incrementa ſolent. Quo dicto videtur indicare voluiſſe præcellentem viri eloquentiam, cujus magnitudinem & incrementum non punctis aut exilibus ſpaciis, ſed ingentibus & cubitalibus menſuris explorare metirique liceat. Huc alluſit Nicephorus Calliſtus in dedicatione ſui operis, imperatorem alloquens: [illegible], hoc eſt: Imperatorio cubito omnes ſuperaſti, quaſi dicat, multis paraſangis alios omnes principes anteceſſiſſe. Diximus alibi quid ſit, Cubitis adoleſcere. Poteſt forte adagium non male referri ad humani judicii moroſitatem diverſimodam, varie namque pro ſuo quiſque captu de ingeniis ac ſcriptis judicamus, ut eundem ille ambroſia alendum cenſeat, hic in ordinem cogat, alius moderatius de eo ſentiat: ad modum Nili gurgitum, qui quotannis augeſcentes non unum tamen intra modum conſiſtunt. Nam nec infra octo, nec altius ſex decim cubitis extollitur, nimietate cultum agrorum morando, parvitate ſegetum minando ſterilitatem: ut libro xxij. refert Ammianus. Qua ratione etiam mediocritatis ſenſu proferri adagium poterit. Quod vero attinet ad Nili Ægyptii fluvii augmenta, intelligi ea res utcunque poteſt ex Strabonis & Heliodori ſcriptis, quorum iſte in Æthiopicarum rerum nono ita perſcribit: [illegible] (ita enim emendandi ſunt codices impreſſi) [illegible]. Conabor ea, ut poſſum, Latinis auribus appendere: Sacerdotes in puteo Nili menſurationem regi commonſtrant, aſſimilem illi quæ apud Memphin viſitur, conſtructum é ſculpto ejuſdem generis ſaxo, inſcriptis per cubitalia intervalla lineis, in quas incumbens fluvialis aqua occultis ſub terra meatibus acta, Nili incrementa & receſſus indigenis indicat, numero notatum, quæ vel patent oculis, vel aquis intectæ latent: ex quibus ratio inundationis immodicæ parcioriſve initur. Strabo autem lib. xvij oſtendit magnam rerum omnium ubertatem in Ægypto fuiſſe, quum Nilus ad decimum quartum cubitum excreviſſet: penuriam vero, cum octo ſolum cubitos impleviſſet. Qui vero ſequitur locus, vitii ſuſpectus mihi eſt. Socrates Scholiaſticus cubitum Nili incrementa oſtendentem, in Serapidis templo antiquitus aſſervatum fuiſſe ſcribit, quod Græca religio putaret, Serapidis numine Nilum creſcere ut Ægyptum irrigaret: Quem Alexandria transferri curavit Conſtantinus, ut genus vanitati illuderet, cujus rei meminit & Nicephorus. Poſt Græcos ita Plinius lib. v. c. ix. Auctus Nili per puteos menſuræ notis deprehenduntur. Iuſtum incrementum eſt cubitorum ſedecim. In duodecim cubitis famem ſentit, in xiij. etiamnum eſurit. xiiij. cubita hilaritatem afferunt. xv. ſecuritatem, xvj. delicias.

Mel ſummis digitis delibandum.

Χρὴ τὸ μέλι τῷ ἄκρῳ δακτύλῳ, ἀλλὰ μὴ κοίλῃ χειρὶ γεύεσθαι. hoc eſt Mel ſummo digito, haud cava manu delibandum eſt. Dionyſius Mileſius apud familiares ſuos identidem dicere ſolebat, ut Philoſtratus libr. de Sophiſtarum vitis commemorat: Tranſlationibus aliiſque deliciis, quibus oratio ornatur, parce utendum eſt, non affluenter & ad faſtidium uſque. Voluptatibus modice frui pro re nata, illaudatum non eſt, modo ne totum te iis immergas. Vti adagio conveniet, quoties moderatum rei alicujus uſum laudabimus.

Eleuſina ſervat quod oſtendat.

Eleuſina ſervat quod oſtendat reviſentibus: in adagium cedet digniſſimum Senecæ dictum, quando ſignificabimus non ſemel & unica vice effundendas eſſe omnes eruditionis opes. Habent hoc vitii nonnulli, ut omne ſuum myrothecion, univerſa pigmenta ſimul in unicam epiſtolam aut orationem impendant, quum parcior ornatus laudabilior ſit. Seneca naturalium Quæſtionum lib. vij. Eleuſina ſervat quod oſtendat reviſentibus. Rerum natura, ſacra ſua non ſimul tradit. Habent illud civitates, quæ ſpectaculorum & reliquiarum oſtentus gratia, ſtatis annorum intervallis adeuntur, ut ſervent in proximam panegyrin ſemper aliquid antea non ſpectatum. Eleuſin ſive Eleuſina, Atticæ locus

Eleuſiniæ Cereris religioſo fano nobilis, quo primis frumenti ſatio invecta fuerit, παρὰ τὸ ἐλθεῖν, ut Diodorus Siculus ait; vel ab Eleuſino Mercurii filio nomen habens, ut Etymologici autor voluit. Atticæ ſacrarium eam vocat Apuleius.

Sumptus cenſum ne ſuperet.

Et hoc pervulgatū eſt omnibus gentibus, Italis maxime. Antheraſtillis Adelphaſio ſorori ſuæ in Plauti Pœnulo: Probe ſtilis, inquit, noſtro quæſtu ſatis bene exornatæ ſumus. Non enim poteſt quæſtus conſiſtere, ſi eum ſumptus ſuperat ſoror. Eo illud eſt latius ſatis, quod ſatis eſt, habitus plus quam ſat eſt. Hanc proverbialem & plane auream ſententiam doctiſſimus & omni literarum genere ornatiſſimus vir, Hieronymus. Niger Patavinus, ſupra januam domus ſuæ incidi ac inſcribi curavit: hanc in domo ac veſtibulis, & in cubiculis etiam vidimus: nec invenimus emblema pulchrius, vel auguſtius, quod coerceet ſtudium voluptatis & vitæ ſuavis ac delicatæ, & inprimis ſumptus immodicos: ad quos cum opus ſit pecunia, celeriter obruuntur debitis, ſervientes cupiditatibus ſuis. Frugalitas autem ars eſt œconomica, & tamen quæſtuaria, quæ civilis virtus eſt, habet enim rationes rei familiaris, compoſitas ad augendas facultates. Fol eſt qui plus deſpend que ſa rente ne vaut. Thucyd. lib. VI. de Alcibiade: ταῖς ἐπιθυμίαις μείζοσιν, ἢ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, ἐχρῆτο, id eſt: Majores ſumptus ad explendas cupiditates, quam pro modo facultatum ſuarum faciebat. Vide Theognidem.

Neque defraudat, neque marginem

Excedit.

Ὡς μήτε κρούσαι, μήθ' ὑπὲρ χεῖλος βαλεῖν.

Id eſt:

Vt nec defraudet, neve excedat marginem.

Senarius verſus, quem paræmiæ nomine adducit Heſychius, & habere moderationis temperamentique ſignificationem annotat. Sumptum à venditoribus, æquitatem & modum in menſuris obſervantibus, ita ut neque concutiant metretem, ut excidat quod menſum eſt, neque tantum effundant quod ſuperfluat, & margines excedat. Græci vocant κρουσιμετρεῖν, in menſura defraudare aliquem, quod improbi inſtitores faciunt: unde & κρουσιδήμοι dicuntur metaphorice vulgi impoſtores, apud Ariſtophanem. At χεῖλος proprie labrum denotat, & per tranſlationem, ſupremam oram atque marginem cujuſcunque rei. Heſiodus de Pandoræ dolio, ἐνδὸν ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσι. i. Continuit ſe intra dolii labra, & ὑπερχειλεῖς vocant, quod eo uſque plenum eſt ut ſuperfluat, ut ἐπιχειλεῖς, quod infra margines non uſque quaque menſuram implet.

Intra proprios limites conſiſtere.

Εἴσω τῶν οἰκείων ὅρων ἱστάναι, id eſt, Intra limites proprios conſiſtere, dixit Iulianus proverbii ſpecie, in epiſtola ad Iamblicum pro, modulum ingenii ſui & eruditionis non excedere, ſed ingenue mediocritatis propriæ conſciū ſubſiſtere, neque de ſe magnifice ſentire aut crepare. Verba ejus ſunt iſta: ἐχρῆν δ' ἴσως καὶ ἐμὲ εἴσω τῶν οἰκείων ὅρων ἱστάναι, καὶ τοὺς ἐκ τῶν μουσικῆς ἐμφορουμένους ἀγαπᾶν. id eſt. Decebat autem, nos quod dixi, privatos intra limites conſiſtere, utque delibutos muſica conquieſcere. Conveniet eum adagio, quod nos ipſos noſſe monet, dixerat enim ille paulo ante: ἐχρῆν καὶ ἐμὲ τῷ γράμματι τῷ Δελφικῷ πεισθέντα ἐμαυτὸν, id eſt, Par fuerat nos Delphici ſcripti monitu perſuaſos, nos ipſos noſſe. Nazianzenus in Apologetico, ἐν ὅροις τῆς εὐσεβείας μένειν, i. Intra pietatis terminos manere dixit: pro, non evagari extra præſcriptos religionis fines.

Xenocratem modeſtia ſuperat.

Apud Syneſium eſt illud: σεμνότερος καὶ τὸν Ξενοκράτους ἐλέγχει, id eſt, Modeſtia vultus compoſiti, Xenocratis effigiem ſuperans. Dicetur in philoſophaſtros, ſanctimoniam neſcio quam vultu præferentes. Xenocratis temperantia nō in veneteis modo rebus, ſed & in vitæ continentia & munerum corruptela abſtinendo, prædicatur maxima à Diogene Laertio, quæ res effecit etiam, ut injurato illi crederetur apud Athenienſes: de quo prius diximus.

Medium ſequere.

Proverbiales ſunt ſenarii Pratinæ tragici poetæ Phliaſii apud Athenæum in 14.

Μήτε σύντονον δίωκε, μήτε τὰν ἀνειμέναν,

Ἰαστὶ μοῦσαν, ἀλλὰ τὰν μέσαν νεῶν.

Id eſt:

Ne ſequere mollem, quem vocant Ionicum,

Neve aſperum tonum, viam at mediam tene.

Quibus appoſite utemur, ubi modum, quo ſine nihil recte fit, ſuadebimus, quemadmodum inter harmoniæ genera, quum Lydii modi lugubre quid ſonent ac flebile: Ionici mollibus ſerviant: at Dorii velut inter utroſque medii laudantur: ita in dicendi ratione inter grande illud atque robuſtum genus, & alterum gracile, medium ex duobus floridum & picturatum ſequendum monet Fabius. Huic affine eſt illud Damaſcii Siri in Philoſophica hiſtoria: τὰ δὲ περὶ τὴν δίαιταν ἦν μέτριος καὶ ἀφελής, οὔτε ... οὔτε ... διὰ πλοῦτον ... i. Menſæ apparatus erat moderatus & frugalis, neq; ſordidior propter egeſtatem, neq; diſſolutior propter opulentiam, ſed medius ac Muſicus, in modum Doricorum modulorum revera concinnus.

Schema & gradus.

Doricum proverbium eſt, σχῆμα καὶ βάσις, quod communis lingua profert, σχῆμα καὶ βῆμα, id eſt, Habitus & inceſſus. Quo ſignificabatur, non protinus ad altiora artium penetralia eſſe provolandum, & quaſi ſupra ſepta excedendum, at præoccupanda veluti ſedilia certis ordinibus conſtituta, ſed pedetentim & ordine quodam pergendum eſſe, ne prætereantur quæ præcedere debent rudimenta atque initia, ſine quibus cognitis caſſa fiat & concidat reliqua omnis traditio. Extat apud Etymologici authorem.

BRASSICANI. *Ne meas vites lædite.*

Quando ingenii noſtri tenuitatem & libenter & ingenue profitemur, aut labores noſtros exiguos cum ſumma modeſtia deprimimus, commode utemur hoc Theocriti verſiculo ex quinto Idyllio.

Μὴ μευ λωβᾶσθε τὰς ἀμπέλος, ἐντὶ γὰρ ἁβαί.

Id eſt:

Ne meas vites lædite, ſunt enim valde quam teneræ. Et ego à ſtudioſis omnibus, quibus unice deſudavi in iis proverbiorum Symmictis digerendis, hoc unum & unicum impetrare cupio, ut hanc meam lucubrationem egregie teneram & infirmam, æqui bonique conſulant, & à majorum gentium authoribus præſtantiores etiam fructus, & qui nullam judiciorum ſeveritatem, tanquam adverſam aliquam tempeſtatem reformidare poſſint, expectent. Proverbiorum Symmicta, ſive quis Latine dicere velit Miſcellanea, pro mediocritate mea, quæ vides, ſcripſi. Inſcriptionis autem rationem ex optimis quibuſque authoribus mutuatus ſum: ſiquidem Athenæus libr. 5. Dipnoſ. Erodici Cratetii, & libro 15. Ariſtoxeni Symmicta citat. Porphyrius in quæſtionibus Homericis 2. meminit Philemonis Symmicton. Suidas Porphyrii & Seleuci Symmicta citat. Lucilius Tarrhæus lib. 1. Commentariorum in Apollonii Rhodii Argonautica, Symmicta Seleuci: & li. V. Symmicta Simonidæ nominatim adducit. Ab iis ego inſcriptionem accepi, utinam & pari cum eruditione ſtudioſis omnibus aliquando prodeſſe poſſem: quantum autem mihi deinceps Dei Opt. Max. voluntate mihi erit, quantumque à curanda prorſus offenſa & plane depoſita valetudine, mihi dabitur ocium, hoc omne ad ejuſmodi bonorum ſtudiorum elegantiora ſcitamenta conferam: quamobrem etiam præfatus ſum, me Symmicta hæc ſcripſiſſe, quis enim ita perfecta eruditione præditus eſt, qui ſe quidpiam in hoc commentandi genere ab ſolviſſe, nemo gloriari poſſit ubi dies perpetuo diem docet. & quotidie tot boni authores rurſus adempti βιβλιοθήκαις, tanquam ex inferis exiſtuat, noſtroque maximo bono renaſcuntur.

IOANNIS VLPII.

Omnis virtus eſt mediocritas.

Verum Academia dixit virtutes omnes, quandam medietatem eſſe moderatam. Cic.

COGNATI.

Omnem nimium non bonum.

Sententia hæc vulgo ſermone Gallico fertur: Omne nimium vertitur in trop. hoc eſt, in nimium & vitium, ſive infeliciter & calamitoſe. Qui igitur perditum in modum ac nullo conſilio aliud gerunt, illis dicitur: Omne nimium non bonum. Ad hæc. πᾶν τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει, καὶ οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδὲ ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσεως ᾖ. hoc eſt, Omne nimium, inimicum, & hoſtile eſt naturæ: non repletio, nec fames, neque aliud quicquam quod naturam excedit, bonū eſt Greg. Theolog. libr. 5. ſentent.

Ἀγαν λάβοις ἂν ἔχειν μέτρον ἄριστον ἅπαν.

Id eſt:

Omnia ſumma nocent, ſed moderata juvant.

Ennius.

Nimium boni eſt, cui nil mali eſt.

Plautus in Pœnulo,

Modus omnibus in rebus ſoror, optimum eſt habitu.

Nimia omnia nimium exhibent negocium hominib ex ſe,

Non enim poteſt quæſtus conſiſtere, ſi eum ſumptus ſuperat ſoror,

Eo illud ſatius eſt, ſatis quod ſatis eſt, habitus plus quam ſat eſt.

Laurentius Humfredus tertio de nobilitate libro: Sed quicquid nimium eſt, ingratum & injucundum eſt, ejuſq; omnis in fruendo ſuavitas amittitur. Hinc Galli:

Beau chanter ſouvent ennuye.

Vide alibi, Mel ſatietatem gignit: &c, Aſſiduum mirabile non eſt, (Huc refer illud Chil. Ne quid nimis.)

Mediam viam eligere.

Vbi paribus utrinq; rationibus ancipites diſtrahimur, tutiſſimum eſt mediam viam amplecti. Monet hoc adagium, ut quiſque in medio maneat, quod in eo virtus conſiſtat, quæ ſuum cuiq; tribuit. Idem Phocylides:

Ἐν μέσῳ πάντα ἄριστα —

Id eſt,

Ideſt:

Appete mediocria, non magna.

Vita enim media eſt tutiſſima & tranquilliſſima. Admonet autem Phœbus Phaetontem apud Ovidium libr. Metamorph. 2. ne depreſſius altiusve currum agat, ne aut terras aut cœlum comburat. Medium autem ipſi eſſe tenendum,

—Medio, inquit, tutiſſimus ibis:
Inter utrumque tene.———

Sic enim Dædalus apud eundem Ovid. Metamorph. 8.

Inſtruit & natum: medioq; ut limite curras
Icare ait, moneo: ne ſi demiſſior ibis,
Vnda gravet pennas, ſi celſior, ignis aduret.
Inter utrumque vola.

Modus hic loquendi frequentiſſimus eſt Iuriſc. in primis Iuſtiniano: Ideo nos, inquit, mediam quodammodo viam eligentes. Simplicitas enim legibus eſt amica: eodem Iuſtiniano etiam referente, libr. earundem Inſtitutionum 3. tit. de legitima agnatorum ſucceſſ. §. cæterum, ubi ſimplicitatem legis XII tab. commendat, damnat mediam Iuriſprudentiam propter ſubtilitatem. Simplicitas enim & æquitas ſtatim aperit veritatem, non differt negocium.

In ſinum deſpuere.

Elegans extat lib. Epigrammatum carmen: εἰς ἀγάλματα θεῶν, incipit.

Πανσῶ πλάνας, ἔρωτα, &c.
Εἰς δ' ἀιδῶ τις κόλπον ἀνέπτυσε.

Theocritus in Bubulco eidyllio 24.

—Τρὶς εἰς ἐὸν ἔπτυσε κόλπον.

Id eſt:

Ter in ſuum deſpuit ſinum.

Geſtus abominantis. (Eraſmicum eſt in Chiliad. In tuum ipſius ſinum inſpue. Chiliad 1. Centur. VI. proverbio 94.)

Navigare per mare.

Idem Theocritus in Thyonico, eidyllio 14. Navigabo (inquit) per mare, hoc proverbio mediocritatem quandam ſignificans.

Aites.

Theſſalica lingua ἀΐτας dicitur adamatus. Vox facta videtur ab α particula privativa, & ἴτης, id eſt, ἰταμὸς, quod ſeu protervum ſeu immodeſtum ſignificat: ἀΐτης igitur modeſtus, ſeu probus ac verecundus dicitur, quæ virtutes præcipue ornamento ſunt juvenibus, & amorem conciliant. Præcipuum enim in converſatione ac ſocietate hominum condimentum, ſal & urbanitas. Theocritus eidyllio 12.

Τὸν δ' ἕτερον πάλιν, ὥς κεν ὁ Θεσσαλὸς εἴποι, ἀΐταν.

Id eſt:

Alterum vero Theſſalice loquens, amatum vocat. Græci quoq; ἐρώμενον, Galli vero Ayme dicunt.

Reſpue quod non es.

Brevis Perſii 4 ſat. cohortatio ad ſui ipſius cognitionem: & eſt metaphora ab ingratis cibis, quos propere ore reſpuimus. Cic. 2. De orat. Guſtatus quod valde dulce eſt, aſpernatur & reſpuit. Hinc per metaphoram pro rejicere & aſpernari. Cic. in Piſonem, de Piſone & Gabinio: Quis vos oculis non fugiat, auribus reſpuat, animo aſpernetur? Tales cohortationes ſunt plures apud eundem Perſium: nempe ſat. 1.

—Nec te quæſiveris extra.

& ſatyr. 4.

Tollat ſua munera cerdo:
Tecum habita, ut noris quam ſit tibi curta ſupellex.

Egregie vero & digna Perſio ſententia. Similis eſt apud Platonem in fine Alcibiadis & Charmide, his verbis: γνῶθι σεαυτὸν. Vbi Socrates: Seipſum vero cognoſcere, prudentiam eſſe concedimus. Sic qui Delphici Apollinis oraculum ſecuti, in ſui cognitione incumbunt, animi ſui ſupellectilem & virtutes quibus præditi ſunt facile perſpiciunt. Vide Stobæum in ſententiis, de cognoſcendo ſeipſum: Ovid li. 2. Artis, de Apollinis templo, & Eraſ. noſtrum. Non diſſimile eſt Horat. illud Serm. lib. 1. ſat. 3.

—Denique teipſum Concute, &c.

Sic in epiſt. ad Curionem Cicero: Tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera: nemo eſt qui tibi ſapientius poſſit perſuadere teipſo: nunquam labere, ſi te audies. Nos. Nec te quæſiveris extra: antea tractavimus.

Diſce modum ſervare, alieno diſce periclo.

Carmen eſt hoſpitalii in Metenſ. propugnatione: quod inter proverbia noſtra ideo recenſuimus, quoniam proverbii ſpeciem præſefert, & à multis uſurpatur, quoties ad mediocritatem admonent.

Diſce modum ſervare, alieno diſce periclo:
Diſce cupidinibus certos præſcribere fines.

Itidem Horatius ſatyr. 1.

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines.

Certi ſunt fines, intra quos rectum conſiſtit: ultra autem aut citra hos fines conſiſtere non poteſt. Altero hemiſtichio admonemur, ut ex aliorum erratis, cautiores reddamur.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Secundum carmen refertur ab eodem Hoſpitalio ad Franciſc. Lotheringum Guiſianum ducem, ſed aliis verbis:

Tum deſideriis fines adhibere, modumque
Sumptus & proprio contentis, jam nihil ultra
Appetere, & nullas vicino intendere lites.

Πειρᾶσθαι εἰπεῖν.

Eſt & hæc (ſi Demoſthenis interpretibus credimus) modeſta locutio, conatum potius quam facultatem perficiendæ rei ſignificans. Cicero in exordio lib. de Officiis, Latine expreſſit hoc modeſtiæ verbum: De quibus, inquit, dicere aggrediar. Ad talem orationis modeſtiam, componere ſe decet: ne, ſi magna quædam profiteamur, alii dicant, aut certe cogitent,

Quid tanto dignum dabit hic promiſſor hiatu?
Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Ex moderatis corpus bene habet.

Alibi: Ego illud quod dici ſolet, videre videor, nempe ex moderatis corpus bene ſe habere. Vnde inquam vides? Non inſomnem potius, & nauſeabundum virum, cerviceque molli, & cutis extenuatum reddunt. Confiteor igitur non multas, ſed temperatas exercitationes, bonum corporis habitum hominibus præſtare. Tandem conceſſit, reliqua omnia quæ circa corpus verſantur, temperata quidem prodeſſe quam plurimum, pauca vero vel nimia, nihil. Et ille moderata juvare confeſſus eſt. Cicero apud Auguſtinum De vita beata: Oratæ, homini ditiſſimo, amœniſſimo, delicatiſſimo, neque ad voluptatem quicquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valetudinem. Nam & prædiis quæſtuoſiſſimis, amicis jucundiſſimis, quantum libuit, abundavit, & illis omnibus aptiſſime ad ſalutem corporis uſus eſt: ejuſque (ut breviter explicem) omne inſtitutum, voluntatemque omnem ſucceſſio proſpera conſecuta eſt. Vide poſt. Nihil nimis.

Noſce teipſum.

Alibi, Præclara quidem res prudenti viro, omnia noſſe: ſecunda vero navigatio, proximaque videtur ab eo, ſeipſum minime latere. Ibid. Præceptum Delphicum. Noſce teipſum. Huic contrarium eſt, Neſcit ſeipſum, apud Chryſoſtomum, referente Ioanne Vlpio. M. Antonius Imperator de vita ſua lib. 11. Hæc propria ſunt animi ratione præditi: Seipſum videt, componit talem, qualem vult: efficit fructus, quos fert, ipſe percipit: ſuum finem conſequitur quicunque vitæ ſit terminus.

Nihil nimis.

Plato in Philebo. Temperatos nempe proverbium præcipiens, ſemper continet, & huic illi obtemperant. Intemperantes autem & petulantes homines voluptatis fervor ad furorem uſque occupans, immoderatis clamoribus exultare compellitur. Eraſmus, μηδὲν ἄγαν, Ne quid nimis. Ante, Ex moderatis corpus bene habet.

Moderata laudamus & exceſſus vituperamus.

Plato in civili: Vt ſecundum rationem moderata laudemus, vituperamuſque in ſingulis, quæcunque modum ſermonis non ſervant, dum in talibus quibuſdam diſputationibus aut prolixius quam decet, aut brevius loquimur. Sed per longas ambages fruſtra vagati ſumus. De prolixitate inquam & brevitate, deque omni exceſſu atque defectu habenda ratio. Dicit, mediocria tolleraturum neque ea vituperaturum: Non quæro, inquit, hominem irreprehenſibilem. Idem in Protagora: Hortor, ut mediocritatem pro viribus ſervetis ad medium perduci. Vide alibi, Averſor morum vitia, ipſum amo.

Suo ſe modulo metiri.

Io. Baptiſta Egnatius in ſecunda epiſtola ad lectorem, in annotationes ſuas ad aliquot Imperatorum ſcriptores: Ignoſcant quæſo mihi, qui ſciant in homine multo minus mirum eſſe, neſciſſe quædam quam uni conſtare omnia. Conſultant ſe ſinguli, & ſuo ſe (quod ajunt) modulo metiatur quiſque: haud ſane tã acerbe alienam negligentiam inceſſat, qui ſua ſibi conſcius eſſe velit.

Quis erit modus.

Obſcœni author carminis.

Oro, nam quis erit modus? &c.———

COELII RHODIGINI

Vmbram ſuam metiri.

Philippus Macedo poſt nobilem in Cheroneo victoriam arrogantior factus, ac de ſe magnificentius ſentiens, literas aliquanto aſperiores, ac prope tyrannicas, ad Archidamum Ageſilai filium dedit: qui id quod erat, ſuſpicatus, reſpondit: εἰ μετρήσεις τὴν σαυτοῦ σκιὰν, οὐχ εὑρήσεις μείζονα γεγενημένην, ἢ πρὶν νικᾶν, Si umbram tuam metieris, non reperies eam vel tantulo majorem eſſe, quam fuerit ante victoriam. Vtemur & nos illo in tumentes proſpero rerum ſucceſſu.

TVRNEBI. Eſt modus matulæ.

Satyra quædam Varronis inſcribebatur. Eſt modus matulæ: vel, ut alii libri ſcribunt, Modus matula, qua inſcriptione monebit

bat, adhibendum eſſe modum compotationi & ebrietati. Nam e matula potum ſignificavit: cum cibum ſicciorem in ventrem, liquidiorem in veſicam deſcendere conſerent. Varro alio loco: Divitum apotheca, Chias ad communem revocat matellam. Plautus: Noloin veſicam quod eat in ventrem volo. Idem Adverſ. xvij. c. xxj.

MOLESTI, INTOLERABILES.

ERASMI. *Ferire frontem.*

Qui ſupra modum & impotenter indignantur, frontem ferire dicuntur. M. Tullius ad Atticum epiſt. 1. Puto te in hoc aut riſiſſe, aut ingemuiſſe, ut frontem ferias: ſunt qui etiam Cæſoniū putant, &c. Quæ prius dixerat, judicabat eſſe digna vel riſu, vel gemitu: cæterum de Cæſonio tam eſſe dignum, ut Atticus frontem ferire debeat. Qui hoc negant eſſe proverbium, eâdem opera negant eſſe proverbium, perfricare frontem: &, Premere pollicem, & alia compluria, quæ a geſtu corporum ducta ſunt.

Lippo oculo ſimilis.

Video quoſdam bis moribus, ut eos æquo animo ferre non queas: rurſus ita induſtrios, & ad obſequium expoſitos, ut quoties ſeſe offert occaſio, non poſſis cavere, quin aliquid illis committas. Lippus oculus manuum contractu læditur: & tamen naturale eſt nobis, illic habere manum ubi dolet. Plautus in Perſa: Ego nec libenter ſervio, neque ſatis ſum hero ex ſententia: Sed quaſi lippo oculo me herus meus, manum abſtinere haud quit tamen. Quin mihi imperet, & qui me ſuis negociis præfulciat. Item in Bacchidibus: Lippi illic oculi ſervus eſt ſimillimus. Si non eſt, nolis eſſe, neque deſideres: Si eſt, abſtinere quin attingas, non queas.

Ne beſtiæ quidem ferre poſſent.

Proverbialis hyperbole eſt apud M. Tullium actione in Verrem v. Poſtremo ut odor Apronii te terrimus oris & corporis, quem, ut ajunt, ne beſtiæ quidem ferre poſſent, uni iſti ſuavis & jucundus videretur. Confine eſt illi quod alibi retulimus, Balbinum polypus Agnæ delectat. Idem in Catil. invectiva v. Tantus enim illorum temporum dolor inuſtus eſt, ut jam iſta non modo homines, ſed ne pecudes quidem mihi paſſuræ eſſe videantur. Paulo diverſius dixit in epiſt. ad Atticum, cujus initium, Quæris ex me, lib. 1. Et quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum eſſe ſciebant.

Tota ulcus eſt.

In eodem dialogo, ad laudatam agriculturam, ita reſpondet Socrates: ἀλλ' ἡ γ' ἐκεῖνη ὡς ἔοικεν ἕλκος, ἀεὶ λύπας ἀναφύουσα, &c. id eſt, Verum annon tota, quod ajunt, ulcus eſt, ſemper moleſtiarum occaſionem ex ſe gignens? Id quidem aſſe verum declaravit Volteius Horatianus. Cæterum quicquid nobis vehementer moleſtum eſt, Vlcus, Vomicam & Carcinoma ſolemus appellare. Quemadmodum de Cæſare Auguſto literis proditum eſt, quod Iuliam filiam & neptem, & Agrippam prius adoptatum, poſtea abdicatum, non aliter appellare ſoleret, quam tres Vomicas ſuas ac tria Carcinomata: adeoque deteſtabatur mores illorū minime frugales, ut ad omnem illorum mentionem ſoleat exclamare verſu Homerico:

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

Id eſt:

O utinam celebs manſiſſem, orbuſque periſſem.

Atque hic quoque verſus inter proverbiales merito referendus eſt, uſurpandus ab his qui infeliciter duxerunt uxores, aut liberos pœnitendos ſuſceperunt. Conveniet & in hominem moleſtis moribus. Theocritus in epitaphio Adonidis acerbum dolorem καρδίαιον ἕλκος appellat.

Ἄγριον ἄγριον ἕλκος ἔχει κατὰ μηρὸν Ἄδωνις,
Μεῖζον δ' ἁ Κυθέρεια φέρει ποτικάρδιον ἕλκος.

Id eſt:

Dirum dirum vulnus habet circa inguen Adonis:
Sed majus Cytherea gerit ſub pectore vulnus.

Improbitas muſcæ.

In improbum, & ſubinde redeuntem, etiam ſi turpiter repellatur, quadrabit illud ex eodem:

Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
Ἥ τε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανάᾳ δακέειν.———

Id eſt:

Atque illi muſcæ vires intra præcordia miſit,
Quæ quamvis de pelle viri ſit ſæpe repulſa.

Onus navis.

Ἄχθος νεώς. Onus navis. In inertes & inutiles jacere conveniet, ut ſit ἄχθος ἀρούρης. Confine illi,

———Ετώσιον ἄχθος ἀρούρης.

Id eſt:

———Telluris inutile pondus.

Quadrabit & in magnum, eundemq; moleſtum. Naves enim longe plus oneris ferunt quam curius. De Hamaxiæis alibi dictū eſt.

Quos non tollerent centum Ægyptii.

Οὓς οὐκ ἂν ἄραιεν οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι.

Id eſt:

Quos vere nec centum queant Ægyptii.

De moleſtis dici ſolitum, ac moribus intolerandis, ſeu faſtu prætumidis. Inde ductum, quod Ægyptii plerique geſtandis oneribus quæſtum non ſatis honeſtum factitare conſueverint: unde & ἀχθοφόροι dicti, in jocum proverbialem abierunt. Refertur a Iatinum ab Eudemo in collectaneis dictionum rhetoricarum, & item à Suida. Extat autem apud Ariſtophanē in Ranis, ad hunc modum.

Δύ' ἅρματ' ἐπέθηκε & νεκρὼ δύο,
Οὓς οὐκ ἂν ἄραιεν οὐδ' ἑκατὸν Αἰγύπτιοι.

Id eſt:

Duo plauſtra, duoque item impoſuit cadavera.
Quæ ferre nec centum queant Ægyptii.

Idem in Avibus.

Οὐκ Αἰγύπτιος πλινθοφόρος.

Id eſt:

Non Ægyptius lateriger.

Conſimili modo Lucilius apud Nonium:

Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri
Ducere protelo validis cervicibus poſſent.

Rurſum idem alibi:

Hunc juga multorum, pro telo ducere centum
Non poſſunt.———

Ægyptius laterifer.

Αἰγύπτιος πλινθοφόρος, id eſt, Ægyptius laterum geſtator. Suidas nominatum proverbii titulo refert. Extat autem apud Ariſtophanem in Avibus, ubi quærit quiſpiam, quis compoſuiſſet equū Durium in arce Palladis, centum cubitorum? Cui reſpondetur:

Ὄρνιθες, οὐδεὶς ἄλλος, οὐκ Αἰγύπτιος
Πλινθοφόρος, οὐ λιθουργός.

Id eſt:

Aves, nec alius ullus, haud Ægyptius
Laterifer, aut faber lapidarius.

Quadrare videtur in ſordidum, atque infimæ ſortis hominem: in quem uſum etiam Cariorum vilitas uſurpata eſt: aut in eum, qui moleſtis negociis premitur. Admonuimus modo, Ægyptiis in vulgi fabulam ac riſum abiiſſe, quod aſinorum ritu vectandis temporee oneribus quæſtum facerent. Ad quem labore hoc exercitatiores illos fuiſſe conjicio, quod in effodiendis lacunis, hinc q; exportando, ac lateribus argillaceis, hujuſmodi opera potiſſimum opus erat apud Ægyptios, ob limum quem invehit Nilos. Nam illic paſſeres opinor, aut hirundines monſtrarunt artem è luto conſtituendi parietes Argumento eſt, quod Hebræi cum apud illos agerent, adacti ſunt luto lateribuſque geſtandis ſervilem operam præſtare Pharaoni. De mulis Marianis alibi reperies.

In culmo arare.

Ἐν καλάμῃ ἀροῦν, i. In ſtipula arare dicuntur, qui labore nunquam intermiſſo vim mentis exhauriunt: aut qui nunquam deſinunt ab amicis petere, quod dent. Sumpta metaphora à nimium avidis agricolis, qui ſegetem non patiuntur unquam interquieſcere: ſed aſſidua cultura ſuccum omnem ſoli exhauriunt, ſtatim à meſſe, novam ingerentes ſementem. Suidas citat ex Lyſia.

Qui conturbat omnia.

In eum qui maximas undique ciet turbas, apte detorquebitur illud ex eodem libro:

———Πάντας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων.

Id eſt:

———Omnes omnigenûm ille procellas
Ventorum ciet.———

Anno ſenior fio.

Quoties aliquid nobis magnopere moleſtum ſignificamus, ſeneſcere nos etiam vulgo dicimus. Ariſtophanes in Ranis:

Μὴ καὶ πτίσῃς με ἐγὼ θεοῦ μαρτύρομαι,
Ὅταν τι τούτων τῶν σοφισμάτων ἴδω,
Πλεῖν ἢ 'νιαυτῷ πρεσβύτερος ἀπέρχομαι.

Id eſt:

Fatis caveto, quippe quoties conſpicor,
Iſtiuſmodi negociorum quippiam,
Diſcedo, crede, ſenior anno protinus.

Tædio vero moleſtiaque conciliari ſenium, indicat etiam Homerus:

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Id eſt:

Illico mortales inter mala multa ſeneſcunt.

Vt fici oculis incumbunt.

Ὥσπερ τὰ σῦκα ἐπὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς φύεται, id eſt, Quemadmodum ficus oculis innati Dicitur dicebatur, qui pertinaciter urgeret, premeretque negocium aliquod. Sumpta ſimilitudine à ficis: hoc eſt, vitio quod oculis adnaſcitur, nec facile poteſt avelli oculo incolumi. Ariſtophanes in Ranis:

Ὥσπερ

Ὥσπερ σῦκον ἐπὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς ἦν.

Id eſt.

Vt ficus oculis imminens, ſic ille erat.

Accommodabitur haudquaquam inepte & in hos qui cum graves ſint & intolerabiles, tamen avelli non queunt, niſi magno malo. Quod genus utinam nulli eſſent, aut unquam exiſterent principes, & principum optimates: qui cum avaritia ſint inexplebiles, libidine corruptiſſimi, crudelitate perniciosiſſimi, tyrannide immanes, veriſſimi Reip. hoſtes ac prædones, in publicam perniciem, non ſolum armis & opibus inſtructi, verumetiam novis artibus, quas nec Dionyſius unquam, nec Phalaris reperit, tamen ſic adhærent, ſic imminent, ſic affixi ſunt populo, ut nec ferri poſſint, nec avelli. Vſque adeo nullus eſt ſenatus, nullus magiſtratus, nulla religio, nulla reipub. pars, in quam actis radicibus illi non penetrârint, ceu peſtis per omneis corporis venas ſparſa. Siquidem animadverterunt hoc homines tantum ad nocendum oculati cordatique, unam hanc ancoram ſupereſſe publicæ incolumitatis, ſi civium & civitatum honeſta concordia, tyrannis potentium coerceatur. Hanc igitur inprimis dirimere cura eſt. Sentiunt in pace minimum ſibi licere, cum res legibus & conſiliis agitur, non dolis, aut armis. Proinde modis omnibus id agunt, ne populus publica pace gaudeat. Perſpiciunt præcipuam Reip. felicitatem in hoc ſitam, ut principem habeat interdum, cordatum, vigilantem: hoc eſt, vere principem. Itaque miro ſtudio curant tutores, ne unquam vir ſit princeps: adsciſcuntur optimates ii qui publicis malis ſaginantur, ut voluptatibus ſit quam effœminatiſſimus, ne quid eorum ſciat quæ maxime decet ſcire principem. Exuruntur vici, vaſtantur agri, diripiuntur templa, trucidantur immeriti cives, ſacra prophanaque miſcentur: dum princeps interim ocioſus ludit aleam, dum ſaltitat, dum oblectat ſe morionibus, dum venatur, dum amat, dum potat. O Brutorum genus jam olim extinctum, o fulmen Iovis aut cæcum, aut obtuſum. Neque dubium eſt, quin iſti principum corruptores, pœnas Deo daturi ſint, ſed ſero nobis. Interim ferendi ſunt, ne tyrannidem excipiat anarchia, malum pene pernicioſius. Quod complurium Rerumpublicarum experimentis comprobatum eſt, & nuper etiam agricolarum experimentis comprobatum eſt, & nuper etiam agricolarũ per Germaniam exortus tumultus nos docuit, aliquanto tolerabiliorem eſſe principum inhumanitatem, quam ἀναρχίαν omnia confundentem. Siquidem fulmina terrent quidem omnes, at non ita multos feriunt. Cæterum mare inũdans nulli parcit, nihil nõ miſcens ac volvens. At quod optimates impii ſunt Reipublicæ, id fortaſſe ſunt Eccleſiæ, nonnulli ex his ordinibus, quos vulgus Mendicantes vocant. Pios non accuſo, nec ordinem inceſſo: malos noto, quæ ubique maxima turba eſt. Hinc ſeſe per omne Reipublicæ corpus ſparſerunt, ut nihil uſquam agatur ſine illis. Regnant in concionibus, quod peculiare munus Epiſcoporum. Tyrannidem occuparunt in ſcholis: quod huic proximum munus. Per hos miniſtrantur Eccleſiaſtica ſacramenta, per hos ſacerdotes ſumus. Hi plus quam cenſoria ſeveritate pronunciant de fidei profeſſione. Hic Chriſtianus eſt, hic ſemichriſtianus, hic hæreticus, hic ſeſqui hæreticus. In horum ſinus populus effundit occultos vitæ actus, & ſecretiſſimas animi cogitationes: nec his contenti ſunt, nulla panguntur principum fœdera, in quibus hi non agant parteis. Sine his nullum contrahitur matrimonium. In theatricis certaminibus, in publicis ſordibus, agonothetas agunt: adeo nihil pudet. Denique nec mori licet abſque iſtis. Nulla eſt aula principum, in quam non irrepſerint. Si quod impudens facinus deſtinârunt principes, per hos exequuntur. Si quid moliuntur Romani pontifices, quod paulo ſit alienius ab Apoſtolica illa & priſca ſanctimonia, horum potiſſimum utuntur miniſterio. Veluti ſi quid bellum, ſi quis tumultus ſi qua exactio, ſi qua condonatio parum pudens, in hiſce fabulis iſti primas agunt. Interim ſimplici populo ſpecie ſanctitatis imponitur. Sacerdotes ad hos collati, ſacerdotes non ſunt. Epiſcopi horum fiducia in utramvis autem dormiunt. Plebs deſtituta, pro unicis paſtoribus gemino luporum genere diſcerpitur, dum & præſules exercent tyrannidem: nec hi tamen paſtores ſunt, ſed alia ratione prædones. Rurſus admoneo, nec pios a me notari, nec ordinem. Nam qui inter eos ſunt incorruptiſſimi, ſolent eadem quæ deploro, deplorare. Atque apibus licet ſuos fucos, ut aculeo carentes, quamvis furacis aliquando depellere. Hos fucos omnibus crabronibus aculeatiores, nec reges nec ſummi pontifices queant à Republica profugare, niſi magna Chriſtianæ religionis ruina: adeo ſuas factiones communierunt, adeo totum orbem arcibus ac populis ſuis occuparunt, & indies novos ſtruunt nidos: hoc nimirum protextu, quod ſuperiorum monaſteriorum religio, cujus commendatione primum exorta ſunt, perierit: quaſi vero & horum non paulo poſt ſit peritura ſinceritas, ſi qua modo ſinceritas. Ita ſit ut orbis impiis & ocioſis monachorum gregibus oneretur, & principes fraudentur populo, & epiſcopi grege, & populus paſtore: Chriſtianæ religionis puritas ac libertas, paulatim ad Iudaicas ceremonias delabatur. Et quemadmodum difficile dictu ſit, utrum gravior ſit Reipublicæ malorum principum inter ſe concordia an diſſidium: quod ſive belligerantur, magno populi malo id faciant: ſive conciliantur, in publicum exitium conſpireat: ita neſcias utrum magis ſit optandum, imo quo melius dicam, utrum magis deteſtandum, illorumne inter ipſoſos conſenſus, an ſeditio, quod utraque res publico ſiat malo. Opinor autem ficos hic dici, rigidum tumorem innaſcentem genis oculorum, ea res cum moleſtiſſima ſit, tamen nõ ſine periculo tollitur: quod oculo immineat, parti vexationis & tractatus impatientiſſimæ. Adagii mentionem facit Suidas.

Ἄγουσι καὶ φέρουσι.

Triſtiſſima quidem, ſed tamen proverbialis apud Græcos autores figura eſt, ἄγουσι καὶ φέρουσι: pro eo quod eſt, hoſtili more populantur, aut vexant. Id ſi traducatur ad animum, non paulo ſiet feſtivius, quemadmodum Ariſtoph. in Nebulis.

Ὑπὸ γὰρ τόκων χρηστῶν τε δυσκολωτάτων
Ἄγομαι, φέρομαι, τὰ χρήματ' ἐνεχυράζομαι.

Id eſt:

Diris ab uſuris & uſurariis
Rapior miſer, feror que difficillimis,
Poſſeſſiones pignori opponens meas.

Lucianus dixit, ἄγει καὶ φέρει, pro eo quod eſt, ſub arbitratu quo vult, trahit. Conſimiliter uſus eſt Cornelius Tacitus De oratoribus. Nunc principes in Cæſaris amicitia, agunt feruntque cuncta, atque ab ipſo principe cum quadam reverentia diliguntur. Homerus Iliad. ε.

Ἀπεὶ οὔ τί μοι ἐνθάδε τοῖον,
Οἷόν κ' ἠὲ φέροιεν Ἀχαιοὶ ἤ κεν ἄγοιεν.

Id eſt:

Neque enim hic mihi quicquam
Tale eſt, a Danais ut ferri poſſit, agive.

Verba ſunt Sarpedonis, excitantis Hectorem ad bellum pro tuenda patria, cum ipſe pugnaret, nihil habens quod Græci poſſent auferre, nimirum Lycius patria. Item Verg. Æneid. 2.

Alii rapiunt incenſa, feruntque
——— Pergama.

pro, diripiunt ac populantur. Conſimilem admodum Livius dixit, libro De bello Maced. viij. Tum demum fracta pertinacia eſt, ut ferri agique res ſuas viderunt. Apud Herodotum ita Crœſus loquitur Cyro victori: οὐδὲν γὰρ ἐμοὶ ἔτι τούτων μέτα, ἀλλὰ φέρουσί τε καὶ ἄγουσι τὰ σά. id eſt, Iam enim nihil iſtorum meum eſt, ſed tua diripiunt. Translatum videtur a more militari, quod illic homines & jumenta aguntur, ſarcinæ feruntur. Plato in libris De legibus. τῶν ἀλλοτρίων μηδένα μηδὲν φέρειν, μηδὲ ἄγειν id eſt, Ne quis quicquam alienatum rerum ferat, agatve. Vnde color ſermonis ex legum formulis ductum videtur. Q. Curtius libr. 4. pro ἄγεσθαι καὶ φέρεσθαι, dixit, volui agique Eludant videlicet quibus forte ac temere humana negocia volui agique perſuaſum eſt. In eodem libro dixit, ferri agique: Adhuc lymphatos ferri agique, arma jacientes. His nobis inconditum tumultum militum declaravit.

Manivoro vinculo.

Χειροβρῶτι δεσμῷ, id eſt, Manivoro vinculo. Sic quiſpiam appellavit manicas veſtium Ponticorum quod manus offendant, arctantque. Idem objicitur Trojanis apud Vergilium:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Recenſet Zenodotus.

Athos celat latera Lemniæ bovis.

Ἄθως καλύπτει πλευρὰ Λημνίας βοός.

Id eſt,

Athos obumbrat latera Lemniæ bovis.

Vbi quis officit, aut moleſtus eſt, aut gloriam cujuſpiam obſcurat, aut alioquin obſiſtit. Tradunt in Lemno bovis fuiſſe ſimulachrũ, ingens, candido factum lapide Id Athos mons tametſi longo diſſitus intervallo, tamen ob ſummam celſitudinem, obſcurat umbra ſua. Eſt autem Athos, Thraciæ mons ingens, adeo ut umbrã jaciat ad ſtadia trecenta, teſte Stephano. Meminit hujus Apollonius Argonauticõn lib. 1.

Ἦρι δὲ νισσομένοισιν Ἄθω ἀνέτελλε κολώνη,
Ὀρνυμένη Θρηικίη...
Ὅσσον ἐς ἔνδιον κεν ἐύστολος ὁλκὰς ἀνύσσαι
Ἀκροτάτῃ κορυφῇ σκιάει, καὶ ἐς ἄχρι Μυρίνης.

Id eſt:

Solis ad exortum vada ſalſa ſecantibus alto
Vertice ſeſe oſtendit Athos mons Thracius, is qui
Diſſitus à ſacra tanto diſcrimine Lemno,
Quantum alata die valeat tranſmittere navis:
Hanc tamen aerii contingit verticis umbra,
Quin longinquam etiam contingit ad uſque Myrinen.

Proverbii meminit & Plutarchus in Moralibus, tum alias, tum in commentario, quem inſcripſit de facie apparente in orbe lunæ, teſtans umbram porrigi per ſeptingenta ferme ſtadia. Theocriti Scholiaſtes verſiculum hunc citat ex Sophocle:

Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός.

Id eſt:

Athos obumbrat terga Lemnii maris.

Ætna, Athon.

Ætnam & Athonem montes in moleſtiæ tædiiq; proverbium abiiſſe, teſtatur Lucilius apud Aulum Gell. libr. xvi. c. 9. etiam ſi locus is depravatus habetur. Lucilii verſus, quos adducit, ſunt hi.

Verum hæc ludus ibi, ſuſq; omnia, deq; fuêre.
Suſq; & deq; fuêre inquam omnia, ludus jocuſque.

Illud opus durum, ut Setinum acceſſimus ſinem ἐπὶ τὸ λευκόν, ut ajunt,

ajunt, montes Aetnæ omnes atque aſperi Athones. De Aetna Siciliæ monte dictum eſt, quod gigantem ſua mole premat, juxta poetarum fabulas: ſive quod crebris incendiis gravis ac pernicioſus olim eſſet accolis. Vnde & M. Tullius in Catone majore, dixit onus Ætna gravius. De Atho vero, quod ob ingentem celſitudinem, umbra ſit moleſtus, quam in Lemnum uſque trecentis diſſitam ſtadiis mittit, alibi diximus. Pomponius Mela tradidit hujus cacumen altius, quam unde cadant imbres: ejus rei conjecturam ex eo colligi, quod de aris, quas in vertice ſuſtinet, non abluitur cinis, ſed quo relinquitur aggere, manet. Obſtat & navigantibus, quod toto longe dorſo procedat in pelagus, qua continenti adhæret. Vnde & a Xerxe perfoſſus. Athenæus lib. x. commemorat Eryſichthonem quendam inexpletæ voracitatis, vulgo dictum fuiſſe βορᾶς ἄθωνα, id eſt, Voracitatis Athonem.

IVNII. Lapides loqueris.

Lapides loqueris, proverbiali figura dixit Plautus in Aulularia: pro duris, & auditu gravibus ac moleſtis verbis. ita enim Megadorus ſenex ad ſororem, jubentem ut jam gravis ætate uxorem domum duceret, loquitur,

Quia mihi miſero cerebrum excutiunt
Tua dicta ſoror, lapides loqueris.

Indicat illius verba tam graviter animum perculiſſe, ut non potuerit ſaxis ſauciari magis. Hujus adagii in noſtrate lingua manſit hactenus uſus.

Iejunium olet.

Νῆστιν ὄζειν, id eſt, Iejunium olere, Græco proverbio dicuntur, quibus gravis eſt anima & putidum olens. Ariſtoteles problematum ſectione 13. Διὰ τί τοῖς ἐσθίουσι μηδὲν ἐδηδοκόσιν, ἀλλὰ νηστεύουσι τὸ ὄζειν μᾶλλον (ὃ καλοῦσι νῆστιν ὄζειν) φαίνεται ἢ ἐδηδοκόσι, ὅτι ἔδει μᾶλλον, id eſt, Quid cauſæ cur ora eorum qui nihil ederint, ſed jejuni ſint, magis puteant (id quod Iejunium olere dicitur) poſtquam cibum ſumpſerint, nequaquam, quum oportuerit tunc magis obolere. Cauſſam aſſignat aeri propter requiem ſervefacto, qui ſpiritum & excrementa pituitoſa in putredinem agat.

Cæcilius comicus:

—Quæ mihi
Vbi domum adveni, aſſedi, extemplo ſuavium
Dat jejuna anima.

Plautus in Mercatore:

Iejunitatis plenus, anima fœtidat.

ſic enim citat Nonius Marcellus, & legit vetus codex: pro quo vulgata editio habet, Iam plenus ætatis, animaque fœtida. Huc pertinet quod in Baſſam olidam anum ſcribit Martialis. libr. 4. Epigram.

Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod jejuna ſabbatariorum,
Mœſtorum quod anhelitus reorum,
Quod ſpurcæ moriens lucerna Ledæ.

Quæ poſtrema dictio in impreſſis libris perperam in Ledæ commutata legitur.

Bilem vomere.

Χολὴν ἐμεῖν, hoc eſt, Bilem vomere, proverbio dicuntur, qui moleſtiam animo ingratam & auribus concipiunt, & faſtidiunt aliquid. Adagium citatur ex Ariſtoxeno Muſico. Plutarchus Sympoſiacôn lib. 7. cap. viij οὓς Ἀριστόξενος χολὴν ἐμεῖν ἔφη ἐν ἁρμονίας ἀκροάσει. id eſt, Quos Ariſtoxenus dicit bilem vomere, quoties modulatum quippiam & concinnum audierint. A ventriculi natura ducta eſt origo, qui averſatus aliquid, faſtidioque nauſeans, bilem innatantem rejicit.

COGNATI. *Νῆστιν ὄζειν, Iejunium olere.*

Græci ſignificare volentes fœtorem quendam animæ, qui non vitio aliquo oris provenit, ſed in omnibus fere eſt, qui nihil guſtarint, νῆστιν ὄζειν, quaſi jejunium olere dicebant. Hoc teſtatus eſt Ariſtoteles ſegmento Problematum duodecimo, quæſtione ſeptima: qua potiſſimum hujus rei cauſam diligenter quæſivit, cur ſcilicet gravis anima eorum ſit, qui nihil adhuc comederint, ſed jejuni ſint, cum ſtatim ſumpto modico cibo moleſtus ille odor pellatur. Inquit enim: Διὰ τί τοῖς μηδὲν ἐδηδοκόσιν, ἀλλὰ νηστεύουσιν ὄζει μᾶλλον, ὃ καλοῦσι νῆστιν ὄζειν, φαγοῦσι δ' οὐκ ὄζει. Hunc autem ingratum oris odorem ſignificavit Cæcilius comicus, cujus hæc verba leguntur apud Nonium, edita (ut apparet) ab eo qui uxoris parum acceptæ odioſam comitatem, blanditiaſque accuſaret: Quæ mihi, ubi domum adveni, aſſedi, extemplo ſuavium dat, jejuna anima. Inter ea quæ peſſime olere ſolent, jejunia Sabbatariorum, hoc eſt, Iudæorum, die ſeptimo ab omni opere feriantium, enumerat lib. 4. Martialis. Sabbatariorum porro, riſus aucupandi gratia poſitum eſt, quaſi quæ jejunant cæteræ nationes, gravem animam non exhalent. (Huc confer ſup. illud Iunii, Iejunium olet.)

Anſeres ex Phalerno.

Proverbium hoc ex Anſere poeta ſumptum eſt, qui oſtentatione falſæ doctrinæ ſeſe jactitans, viris eruditis impudenter obſtrepebat. Vt enim anſeres moleſto quodam ſtridore obganniunt, ita hic inter poetas minime canorus, ſed tamen odioſe garrulus atque obſtreperus. Hunc Ovidius procaciſſimum, cum petulantis eſſet linguæ, & immodeſtæ, appellavit. Virgilio ſemper iniquus fuit, ut Servius & Donatus ſcribunt. Horatium quoque odio inſecutus eſt. De hoc anſere Virgilius ecloga ix. intelligi cum ait:

—Sed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Quod mox proverbii loco uſurpatum eſt, cum indoctus inter doctos garrit: & ab Eraſmo noſtro explicatum in adagio, Graculus inter Muſas. Propertius quoque de hoc Anſere canit:

Nec minor his animis aut ſi minor ore canorus
Anſeris indocto carmine ceſſit olor.

Fuit vero M. Antonii Triumviri amicus, cujus & laudes decantaſſe ſcribitur: qua de cauſa & agro Phalerno ab eo donatus eſt. Quo & Cicero in Philippicis reſpexit, his verbis pene ænigmaticis. Ex Phalerno Anſeres depellantur. Quod etiam proverbiali figura dicitur, quum ſignificamus ignavos fugiendos quorum exigua eſt gratia.

Ducere ſerram.

In ſtreperos & odioſos dicitur, qui non minus auribus moleſti ſunt, quam ſerræ obſtrepentis & ſtridentis argutia. Varro cap. de pavonibus. De pavone, inquit, libere licet dicas, quia diceſſit Fircellius, qui ſecus ſi quid diceret de iis, gentilitatis cauſa ante eum ſerram duceret. Voluit Varro dicere, Fircellium Pavonem, propter nomen commune & gentilitatem, quæ ei cum pavonibus intercedebat, ſi quis de eis ſecus & male loqueretur, ſtreperum & odioſum paraturum fuiſſe: neque libentius hominem eum auditurum, quam ſtridentem & obſtrepentem ſerram, cujus argutia auribus moleſta eſt. Lucret. lib. 2 De rer. nat.

Ne tu forte putes ſerræ ſtridentis acerbum
Horrorem conſtare elementis lævibus æque,

Cicer. lib. Tuſcul. quæſt. Surdi vocem citharœdi non audiunt: ne ſtridorem quidem ſerræ audiunt, tum cum acuitur.

Μίαν ἀηδόνα.

Veteres quaſi proverbio μίαν ἀηδόνα videntur dixiſſe. Nam Plutarchus in li. περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν, Chryſippi ſententiam refellens: ὅμοια δ' ἐστὶ ταῦτα τοῖς ... ἡδονὰς ... ἀπέχειν ... μίαν ἀηδόνα. Ac paulo poſt. ... ἀποσχέσθαι ... Catullus ad Gellium ad hoc videtur alluſiſſe, quum ait:

Queis te lenirem: nobis neu conarere
Infeſtum telis icere muſca caput.

Ieiuna anima.

Inamabile ſuavium ſignificans Statius comicus argute dixit,

Sed tua moroſane uxor, quæſo, eſt, quam rogas?
Qui tandem tardet mentionis, quæ mihi
Vbi domum adveni ac ſedi, extemplo ſuavium
Dat jejuna anima, nil peccat de ſuavio,
Vt devomas vult, quod foris potaveris.

Hinc, jejunum olet, apud Cæcilium, Plautum, Martialem.

Obſurduerunt aures.

Obſurduerunt aures mihi: &, Obſurdui auribus, dicitur, quum nos verborum alicujus pertæſos ſignificamus, quæ ſæpius auribus noſtris inculcarit. Hoc vernaculo ſermone dicimus. I'ay les oreilles rompues. Stephanus non omnino ad verbum Græce, κατεαγέναι τὰ ὦτα, ſed latius, ... Moleſti quidem ſunt, eadem ad ſe iterum iterum loquendo. Nihil enim odioſius & moleſtius, quam quod ſemper idem eſt, & quoties eadem ad faſtidium iterantur.

Longo ex itinere etiam palea oneri eſt.

Celtæ. En longue voye paille poiſe. Leviſſimæ quidem paleæ, longa tamen in via graves fiunt & moleſtæ. Si hoſpes interdum initio gratiſſimus, tridui aut quatriduí mora oneri eſt, ſumpta tranſlatione a Marthæ verbis ad Chriſtum, jubentem monumento Lazari quatriduum mortui lapidem amoveri.

MORVM CONTAGIO.

ERASMI. *Ne guſtaris quibus nigra eſt cauda.*

Μὴ γεύεσθαι τῶν μελανούρων. i. Ne guſtes ex iis quibus eſt nigra cauda. Interpretatur Plutarch. in comment. De liberis inſtituendis, Ne commercium habeas cum improbis, & iis qui ſunt nigris ac infamibus moribus. Tryphon grammaticus inter ænigmatis exempla hoc quoque commemorans interpretatur hoc modo ψευδῆ λόγον μὴ προΐεσθαι. τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μέρεσι μελαίνεται, καὶ ἀμαυροῦται. id eſt, Ne mendacem ſermonem protuleris. Mendacium enim in extremis is partibus nigreſcit & obſcuratur. Quidam ad ſepiam piſcem referunt, qui atramento quod in cauda geſtat, ſeſe occulit. Quanquam Plinius libr. 32. cap. ultim. Melanurum inter piſces recenſet, cum de ſepiis multa prioribus libris diſſeruerit, ut videatur non idem eſſe piſcis Melanurus & Sepia. Theodorus Gaza melanurum Oculatam vertit: quem piſcem nominat tantum loco quem modo indicabimus.

Oſci-

Oſcitante uno, deinde oſcitat & alter.

Ἐὰν χασμᾶται, μεταχασμᾶται ἕτερος. id eſt, Cum oſcitat unus, ſtatim oſcitat & alter. Dicendum, quoties exemplo peccati, ſtatim provocatur aliquis ad ſimile facinus. Fit autem hoc occulta quadam naturæ vi, ut qui viderit oſcitantē, cogatur & ipſe oſcitare. Cujus rei cauſam etiam reddere conātur philoſophi. Simili modo tranſeunt & quidam animorum affectus. Socrates apud Platonem in Charmide: καὶ ἐκεῖνος ἀκούσας ταῦτα καὶ ἰδών με ἀποροῦντα, ὥσπερ οἱ τοὺς χασμωμένους καταντικρὺ ὁρῶντες ταὐτὸν τοῦτο συμπάσχουσι, κἀκεῖνος ἔδοξέ μοι ὑπ' ἐμοῦ ἀποροῦντος ἀναγκασθῆναι καὶ αὐτὸς ἁλῶναι ὑπὸ ἀπορίας. id eſt. Hæc ubi audivit Critias, meque vidiſſet hæſitantem, quemadmodum ii qui ex adverſo vident oſcitantes eodem affectu corripiuntur, itidem & ille mihi viſus eſt meа dubitatione cogi, ut & ipſe à dubitatione corriperetur. Oſcitantiam autem Latini vocant corporem indiligentiam. Qui cum ignavis vivit, facile fit illorum ſimilis. Omnes enim proclives ſumus à labore ad libidinem, ut ait Comicus. Torpedo piſcis ſuo contactu protinus torpidum reddit Plato in Menone: δοκεῖς μοι ἐμφερέστατος εἶναι ταύτῃ τῇ πλατείᾳ νάρκῃ τῇ θαλαττίᾳ· καὶ γὰρ αὕτη τὸν ἀεὶ πλησιάζοντα καὶ ἁπτόμενον ναρκᾶν ποιεῖ· καὶ σὺ δοκεῖς μοι νῦν ἐμὲ τοιοῦτόν τι πεποιηκέναι ναρκᾶν. id eſt. Videris mihi ſimillimus eſſe iſti latæ torpedini marinæ. Nam hæc quoque ſemper eum qui accedit ac tangit, torpidum reddit. Et tu videris mihi quoque tale quiddam feciſſe ut torpeam.

Corrumpunt mores bonos colloquia prava.

Eodem pertinet ille Menandricus ſenarius, quem divus Paulus Apoſtolus haudquaquam gravatus eſt in prima ad Corinthios epiſtola citare:

Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Id eſt:

Mores bonos convictus inficit improbus.

Tertullianus ad uxorem vertit Græcum carmen, ſed libertate Latinæ comœdiæ: Cōvictum, inquit, atq; commercia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum.

Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.

Conſimilem huic ſententiam refert Ariſtot. 9. Moralium lib. Celebratur & hic ſenarius à Græcis,

Κακοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ κακός.

Id eſt:

Malus ipſe fies, ſi malis convixeris.

Quanquam autem alienius ab hoc inſtituto videtur, hujuſmodi conquirere: tamen non mihi tempero quin aliud adſcribam ex Senecæ De ira lib.; ſi non magnopere pertinens ad proverbii declarationem, certe ad vitam inſtituendam in primis conducibile. Sumuntur, inquit, à converſantibus mores. Et ut quædam in contractis corpore vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit. Ebrioſus convictores in amorem vini traxit. Impudicorūm cœt⁹ fortemque, & ſi liceat, virum emollit. Avaritia in proximos virus ſuum tranſtulit. Eadem è diverſo ratio virtutum eſt, ut omne quod ſecum habent, mitigent. Nec tā valetudini profuit utilis regio, & ſalubrius cœlum, quam animis parum firmis, in turba meliorum verſari. Quæ res quantum poſſit, intelliges, ſi videris feras quoque convictu noſtro manſueſcere, nullique immani beſtiæ vim ſuam permanere, ſi hominis contuberniū diu paſſa eſt. Hucuſque Senecæ verba reddidimus. Porro cum omnis contubernii cōflictatio, plurimum habet momenti ad corrigenda depravandaq; mortalium ingenia, tum præcipue valet oratio: quæ quidem ex arcanis illis animi penetralibus deprompta genuinam quandam & occultam vim atque (ut Græce dicam melius) ἐνέργειαν ſecum adfert, eamque in auditoris animum, in quem illabitur, trāſfundit præſentaneum venenum, ſi peſtilens fuerit: remediū efficax fit ſalutaris. Proinde nullū adhuc apophthegma philoſophorū memini legere, quod mihi videatur cum illo conferendū, quod Joannes Colerus meus, vir pariter & eruditus & incorrupt⁹, ſubinde dictitare conſuevit: Tales nos eſſe, qualia ſunt quotidiana colloquia: tales evadere, qualia frequenter audimus. Jam vero quod de colloquio dictum eſt, idem oportet & de ſtudiis accipere. Qui vitam omnem in Ethnicis conterunt literis, gentiles evadunt: qui præter obſcœnos authores nil evolvunt, moribus obſcœnis reddantur oportet. Etenim lectio colloquium quoddam eſſe videtur.

Si juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.

Plutarchus in libello De liberis educandis, ἂν χωλῷ παροικήσῃς, ὑποσκάζειν μαθήσῃ. id eſt, Si juxta claudum habitaris, diſces ſubclaudicare. Pindari interpres extulit hunc in modum.

Χωλῷ παροικήσας κἂν ἑνί, σκάζειν μαθήσῃ.

Id eſt:

Claudo vel uni ſi propinquus manſeris,

Diſces: & ipſe claudicare protinus.

Huc pertinet illud Heſiodium, nobis alibi dictum: πῆμα κακὸς γείτων, &c. Ea vero rerum humanarum eſt infelicitas, quod facili⁹ tranſiliunt vitia quam bona. Et tamen verum quod addit Heſiodus: ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ. Ita Pindarus in Nemeis hymno ſeptimo, εἰ δὲ δεῖταί τι ἀνὴρ ἀνδρός, φαῖμέν κε γείτον' ἔμμεν νόῳ φιλήσαντ' ἀτενεῖ γείτονι χάρμα πάντων ἐπάξιον. id eſt, Si vir viro eget, quid dicemus vicinum eſſe vicino, amico conſtanti amicum? Gaudiū omni re dignum. Quāquam video nec lectionē, nec interpretationem hujus loci conſtare Græcis. Quidam enim pro [illegible], legunt γείτονι: referuntque ad commodorum aut incommodorum cōmunicationem, quam homo capit ab homine, maxime a vicino. Et legendum videtur γείτον' ἔμμεν, ut reſpondeat participio φιλήσαντα. Interpres adducit & illud ex Heſiodo:

Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.

Id eſt:

Notum eſt illud Themiſtoclis, qui proſcripto agro juſſit & hoc præconem addere reliquis dotibus, quod bonum haberet vicinum. Proverbium admonet, pernicioſam improborum hominum conſuetudinem: propterea quod cum corporis, tum maxime animi vitia contagio ſerpunt in vicinum. Naſo:

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi:

Multaque corporibus tranſitione nocent.

Id Ariſtoteles exiſtimat potiſſimum uſuvenire in morbis oculorum, quod ea corporis pars maxime ſit mobilis. Item in ſcabie, quod in ſumma ſit cute, & humore glutinoſo, ad vicinum permeat. Poſtremo in omnibus morbis, qui è ſpiritu corrupto, naſcuntur, ut peſtis, quod ſpiritus facile ab alio in alium trajiciatur. Denique eſt occultus quidam naturæ conſenſus: quo fit ut oſcitare incipiat qui viderit oſcitatem, & micturiat qui mejentem conſpexerit. Author eſt Alexander Aphrodiſeus. Et balbutire diſcit, quiſquis aſſidue cum balbo vivit. Morum autem ſcabiem affricat convictor cōvictori. Ariſtoteles ſectionis 5. problemat. 4. quærit, quare lippitudo, tabes, & ſcabies, cōtagio migrēt ad alios, nec idē accidat in omnibus morbis. Plutarchus in commentario De ratione dignoſcendi verum amicum ab adulatore, ſcribit tantam habere vim aſſiduam conſuetudinem, ut imprudentes etiam imitemur vitia eorum, quibuſcum vivimus. Quemadmodum Platonis familiares ejus gibbum imitabantur: Ariſtotelis amici, balbutiem ejuſdem exprimebant: Alexandri Macedonum regis familiares, cervicis inflexum, & vocis in dicendo aſperitatem effingebant. Plato De legib. 2. eleganter indicat, quomodo fallat contagium: πότερον εἰκὸς ἢ καὶ ἀναγκαῖον ταὐτὸ εἶναι, ὥσπερ ὅταν τις πονηροῖς ἤθεσι ξυνὼν κακῶν ἀνθρώπων, μὴ μισῇ, χαίρῃ δὲ ἀποδεχόμενος, ψέγῃ δὲ ὡς ἐν παιδιᾶς μοίρᾳ ὀνειρώττων αὐτοῦ τὴν μοχθηρίαν, τότε ὁμοιοῦσθαι δήπου ἀνάγκη τὸν χαίροντα ὁποτέροις ἂν χαίρῃ. id eſt, Utrum probabile, an potius neceſſarium hoc ipſum eſſe, quod cum quis cum pravis hominum improborum moribus conflictatur, non odit, ſed gaudet magis approbans, quanquam veluti per jocum reprehendit, ſomnians ſuam ipſius malitiam, tunc profecto neceſſe eſt ut ſimilis evadat gaudens utriuſcunque gaudeat.

A bonis bona diſce.

Ariſtoteles Moralium Nicomachiorum. 9. oſtendens virtutem optime diſci convictu bonorum, quod amici ſe mutuo corrigant, ſi quid erratum eſt, & ſeſe viciſſim ad honeſtas excitant actiones, citat carmen veluti notum: ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλά. Verſus autem eſt Theognidis, cujus meminit Xenophon in commentario, De dictis ac factis Socratis. Ajebat enim inter unguenta nullum oleum melius olere, quam quo ungebantur athlethæ, amaracinum & ſoliatum fœminis eſſe relinquenda, Rogatus quid deceret olere ſenes, reſpondit, probitatem. Dein rogatus, ubi hoc unguentum venderetur. Theognidis hemiſtichio reſpondit:

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι.

Id eſt:

Quis bonus eſt, ab eo bona diſcito. ——

Itidem & noſter γνωμολόγος,

Diſce, ſed a doctis.

IVNII. *Barbarus evaſit inter Barbaros.*

Tyndarei dictum eſt apud Euripidem in Oreſte fabula; ad Menelaum Oreſtis patrocinium molientem:

Βεβαρβάρωσαι, χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.

Id eſt:

Et barbarus factus, moram longam inter barbaros trāhens.

Joan. Zezes in hiſtoria omnigena: ὡς βεβαρβάρωσαι Τρωσὶ χρόνον διατρίψας id eſt, Ut factus es barbarus, tanto tempore apud Trojanos commoratus. Quadrabit cōgrue in eum, qui puritatem Latini ſermonis corrupit aſſidua lectione & conſuetudine barbarorum hominum. quod accidit Juriſperitis inter Baldos, Accurſios, Dinos & Caſtrenſes aſſiduis, & nobis inter Forlivienſes, Commentatores, & Jacobus de partibus, ejuſque farinæ alios.

Adulter ad adulterum trahit.

Citatur in Suidæ cōmentariis adagium, ſed perfunctorie, ἕλκει μοιχὸς εἰς μοιχόν, id eſt, Trahit adulter ad adulterum. Dictum arbitror in contagionem morum, nam flagitioſi alios ſuis flagitiis ſocios quærunt: vel potius in ſimilitudinem ingeniorum æqualis enim æqualem delectat maxime.

IOANNIS VLPII. *Talis quiſque eſt, quales quibus cum familiaris.*

Τοιοῦτός ἐστιν, οἵσπερ ἥδεται ξυνών. Senarius eſt Euripidis, quō indicatur, familiarium vitam & mores in eum quoque tranſire, qui eorum conſuetudine fruitur. Unde etiam dicitur: Cum bonis bonus eris, cum perverſis perverteris. Eodem relabitur Eraſmic. Botrus oppoſitus botro matureſcit.

COGNATI.

Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

Claudiani proverbialis verſus, in principes adeo intempertãtes, ut ad libidinem ſuo exemplo ſubditos excitent. Reges enim, Reguli, Dynaſtæ, paucis exceptis quaſi Deo ſint majores, nunquamque occaſum viſuri, nihil niſi propriam curant utilitatẽ, alienis inhiant ditionibus & theſauris, ſeque totos avaritiæ dedunt: Tyria, quod ajunt, maria concitãt, bellis diſcordiarumq; ignibus & fraudibus omnia vexant, miſerrimoſq; populos, militum nequiſſimorum, imo prædonum & incendiariorũ ferro, libidini, immanitati, & multiplicibus injuriis exponunt, objiciuntque: juſtitiam, fidem, liberalitem, pietatem, atque omnes ad unam virtutes, quaſi legis Juliæ majeſtatis reas, finibus ſuis exturbant, inque exiliũ ejiciunt: vitiorum myriadas quaſi ſocias auxiliareſque legiones exoſculãtur, & in fidem, tutelam atque amicitiam evocant & excipiũt. Reliqui vero mortales, ab illis quaſi præceptoribus edocti, eadẽ pro viribus moliuntur. Verum enim eſt quod ait Xenophon. lib. de Cyri Pædia octavo [illegible]. Cic. quoque lib. 3. De legibus, nobilium vita, victuque mutato, mores mutari ci vitatum putavit. Quo perniciosius (ut inquit ille) de rep. merentur vicioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundũt in civitatem: neq; ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt, pluſq, exemplo, quam peccato nocent. Sed de his in lib. De pœnitentia diximus, quæ legere ne graveris, ut miſſa nunc faciam conſulto quæ a me alibi ſunt ſcripta. Quales enim principes, tales populi. Verinus:

> Si ſtudia & mores populi cognoſcere curas:
> Res facilis: vitam principis inſpicias.

Hinc Gallicũ illud, De tel ſeigneur telle meſgnie. Apud Athenæũ lib. 10. refertur diſtichon ſub Polemonis cujuſdam nomine,

> [illegible]
> [illegible]

Id eſt:

> Elis ebria eſt, & mentitur: qualis autem cujuſque
> Domus, talis etiam (eſt) univerſa civitas.

Monet hoc carmen, vulgus imitari principum mores, ut dicitur ſi [illegible], pro regis ſeu principis domo acceperis. His ſimile eſt hoc

> Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Princeps enim qui animum advertit ad res vanas ac mendaces, id eſt, delectatur vanis, hujus miniſtri omnes impii erunt. Prov. 29. & Eccleſiaſtici 10. Vide, Regum caſus norunt omnes: Sic reges faciunt. &, Theramenes cothurnus: &, Dum caput dolet, cætera membra dolent: &, Novus rex, nova lex.

Errare humanum eſt.

Seneca libr. 4. Declam. 3. Pater, inquit, humanum eſt errare. Vulgo hodie ita profertur: Humanum eſt, peccare: ſed perſeverare, diabolicum. Verinus:

> Errare eſt hominis, ſed non perſiſtere: ſæpe
> Optimus eſt portus vertere conſilium.

Juvenalis ſatyr. 8.

> —Fecimus & nos
> Hæc juvenes. eſto, dediſti nempe, nec ultra
> Foviſti errorem: breve ſit, quod turpiter audes,
> Quædam cum prima reſecentur crimina barba.

Salom. Proverb. cap. 28. Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus erit, & reliquerit ea, miſericordiam cõſequetur. Cic. 12. Philipp. Cujuſvis eſt hominis, errare: nullius, niſi inſipientis, perſeverare in errore. Terent. Cenſen' me hominem eſſe? Quo loco poëta proprium hominis eſſe dicit errare. Demonax apud Lucianum: Hominis eſt, peccare: Dei vero, aut hominis Deo proximi, emendare peccata. Cicero pro Marco Cælio: Eſt enim humanum peccare & collabi aliquando. at illud vel ſæpius efficere, vel in maximis erroribus deprehendi, ſceleſtorum. His conſimile eſt iſthuc Thucydidis lib. 3. [illegible] id eſt, Solent natura omnes & privatim & publice delinquere: nec ulla lex tanti eſt, quæ iſtud prohibere poſſit. cum per omnia iverint ſupplicia homines. Innuit autem, homines ſine peccatis ſine delictis non vivere. Quum homines ſimus, humani à nobis nihil alienum putemus. Cujuſvis enim hominis eſt, errare, labi, falli. Homines igitur nos eſſe, id eſt, errare, non erubeſcamus: at inſipientes eſſe, id eſt, in errore perſeverare, hoc vero ſummopere pertimeſcamus, vel potius exhorreſcamus. Generalis excuſatio eſt, Homo ſum. id eſt, à natura hoc habeo, ut errare & hallucinari poſſim.

[illegible]

Eſt pars ſenarii cujuſdam poëtæ, quã proverbialiter Plutarch. in Agide uſurpat. Ea limites honeſti & inhoneſti ita diſtinguuntur, ut ubi honeſtum deſinat, ibi incipiat turpitudo. Plutarch. verba ſunt hæc ex Xylandri interpretatione: Imprudentes ad eas res tentandas delati ſunt: quas quum parum honeſtas ſentirent, tamen jam inhoneſtas eſſe (notum enim illud eſt, [illegible], quod non honeſtum eſt, jam turpe eſſe ſentias) colligere non potuerunt.

Dum caput dolet, cætera membra dolent.

Gallorum adagio eſt. Culpa autem & ſocordia principum & dynaſtarum fit, voluptatem plerumque pluris quam virtutem facientium, ut per hoc populus paſſim ſuo exemplo corrumpatur: quorum tanto perniciosiora ſunt vitia, quanto plureis ſui habent imitatores. Unde convenienter dictum a Cælio Secundo eſt: In imperio morbum graviſſimum eſſe, qui à capite deſcendat. Eſt quotidianus ſermo, & in proverbiis dicimus, A capite aliquid exordiri, Eſt huic vel illi rei caput, Piſcem à capite primum putere: cum malorum publicorum & privatorum cauſam in reip. vel familiæ cujuſquam principe conſiſtere profitemur: ad id Platonicum ſcilicet innuentes, Tales eſſe cives, quales qui primatum inter eos obtinent. Extat epiſtola ſynodi Germanicæ, Bonifacio celebratæ ad Ethilbaldum regem, cujus verba huc reſpicientia ſubjicimus: Tempus eſt, ut multitudini pereuntis populi parcas: quæ ſequendo exempla peccantis, cadit in puteum mortis, &c. Sumptum a medicis, qui licet in omnibus membris mutuam ineſſe ſympathiam conſentiant, caput tamen præcipuam vitæ ſedẽ tradunt, utpote à quo omnes nervi originem trahant: ut non immerito etiam illud dictum ſit, caput in homine perinde eſſe atque radicem in arbore: & à Seneca De clementia, à capite bona valetudo. Vide alibi, Sic reges faciunt: &, Theramenes cothurnus: & Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus: & poſt, Novus Rex, nova lex.

Regum caſus norunt omnes.

Regum ac principum caſus & fortunæ, quaſi in ædito poſitæ, omnibus conſpicuæ ſunt: caſque homines, ſi modo non ſint omnino ſupini & negligentes rerum, ſed attenti, & aliqua cura de rebus præditi, vulgo ſermonibus celebrant & ventilant. Sic enim loquitur Pylades apud Eurip. in Iphigenia in Tauris.

> —Regum enim caſus
> Norunt omnes, quibus conſideratio aliqua eſt.

Gallis peculiaris ac frequens parœmia, non diſſimilis Horatianæ huic. Peccare ſuperne. qui enim quod inſignis, aut nobilis, aut dignitate præditus eſt, in ſublimi eminet, ut proinde ejus flagitia nullo modo latere poſſint: cum in ſpecula quadam cõſtitutus alta & ardua, & a ſuperiore loco, ita ex ea peccet, ut ejus probra omnibus pateant. Virtutes & vitia principium ſunt in aperto: quorum verba atq; opera ſimulac ſunt ædita, perpẽtuæ conſecrantur memoriæ. Nihil quod fit aut dicitur à viris principibus, excidit, quin in vulgus perferatur, & ſuos habeat interpretes. Quare, ut Herodianus ait. Principũ res nullo pacto latere poſſunt. Plin. Panegyr. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: Principum vero nõ modo domos, ſed cubicula ipſa, intimoſque ſeceſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat. Claudian. in Panegyr. Honorii:

> Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
> Ut te totius medio telluris in orbe
> Vivere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
> Facta palam, nec poſſe dari regalibus uſquam
> Secretum vitiis. Nam lux altiſſima fati
> Occultum nil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
> Intrat, & anguſtos explorat fama receſſus.

Juvenalis:

> Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
> Crimen habet, quanto qui peccat, major habetur.

Saluſt. In Jugurth. Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neq; bona eorum, neque mala in occulto patitur. Eadem eſt ſententia Plutarchi in politicis. Seneca De clementia lib. 1. cap. 5. Principes multa debent etiam famæ dare. Nam ut loquitur Quintil. in milite Mariano: Quo ad altiorem quiſque honorum gradum extenditur, magis in exemplum ſpectantibus patet. Et hæc eſt conditio ſuperiorum, ut quicquid faciunt, præcipere videantur. Quare nil mirum, ſi habere debeant famæ rationem. Vide alibi, Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus: &, Sic reges faciunt: & Theramenes cothurnus: & dum caput dolet, &, Novus rex, nova lex.

Novus rex, nova lex.

Non minus incommodi eſt, in gubernatorum crebra mutatione, quam formæ politiarum, legum & gubernationis innoventur: ſicut vulgo dicitur, Novus Rex, nova lex. quod non tã de ſcripta lege, quam de principum moribus intelligitur, qui ſæpe efficacius moveat ſubditorum animos, quam leges ipſæ. Sicut Oſeæ. 4. dicitur: Qualis ſacerdos, talis populus. Et Claudianus inquit.

> —Non ſic inflectere ſenſus
> Humanos edicta valent, ut vita regentum.

Proverb. 28. inter pœnas peccatorum generis humani recenſentur crebræ mutationes principum. Vide alibi.

> Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.

& Dum caput dolet, cætera membra dolent. Solent homines vitã principis æmulari, inquit Herodianus. Cicer. lib. 3. De legib. Ut enim cupiditatibus principum vitiis infici ſolet tota civitas: ſic emendari & corrigi continentia. Neq; tantum mali eſt, peccare principes quanquam eſt magnum hoc per ſe, ipſum malum, quãtum illud. quod permulti etiã imitatores principum exiſtunt, quo perniciciſius de rep. merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem. neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt,

p'uſque exemplo, quam peccato nocent. Scribit etiam Plato, quales ſunt in rep. principes, tales ſolere & reliquos eſſe cives. Idipſum proverbio Græco ſignificatur: οἵα ἡ δέσποινα, τοίαι καὶ θεραπαινίδες. Vita enim principis, ut veriſſime ſcribit Plinius, cenſura eſt, eaq; perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Cui ſimile eſt illud Ovidii Faſtorum 5.

Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipſe facit.

Seneca lib. De clementia 2. c. 2. A capite, inquit, bona valetudo: inde omnia vegeta ſunt atq; erecta, aut languore demiſſa, prout animus eorum viget aut marceſcit. Et erũt cives, erunt ſocii digni hac bonitate, & in totum orbem recti mores revertentur.

Qui cum ſapientibus verſatur, ſapiens erit.

Hoc Solomonis proverbio uti ſolemus, quum ſignificamus fere ſimiles evadere homines eorum quibuſcum habent conſuetudinem. Extant in eam ſententiam verſiculi quidam apud Æſchinem ac Demoſthenem, nam uterque alteri objicit improborum familiaritatem, ex qua ratiocinatur, quod de moribus alterius judicandum ſit. Sunt autem hi verſiculi:

Ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Vide apud Eraſmum, Corrumpunt bonos mores colloquia prava: Et, Si juxta claudum habites, claudicare diſces.

Uva ab uva livorem ducit.

Ex populi opinione dicitur de liveſcentibus ſub vindemiam acinis uvarum, cenſentis ubi livere & nigreſcere cœperat unus uvæ acinus, protinus propinquum eo conſpecto velut invidia quadam ſimilem colorem ducere ſolitum eſſe, dum denique tota uva matureſceret & nigra eſſet. Quod autem in acino dixi, idem in uvis fieri cenſebant. Ubi enim uvam viderat uva matureſcentem & lividam, eundem colorem ab ea trahebat. Hinc Juvenalis:

Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

Hoc carmen ac adagium refertur ad commodorum aut incommodorum communicationem, quam homo capit ab homine, maxime à vicino. Huc pertinet Heſiodum:

Γείτονες ἄζωστοι, ζῶσαντο δὲ πηοί,

Id eſt:

Vicini incincti, cincti venere propinqui.

Deniq; eſt occultus quidam naturæ conſenſus: quo fit ut oſcitare incipiat qui viderit oſcitantẽ & micturiat, qui mejentem conſpexerit. Author eſt Alexander Aphrodiſeus. Et balbutire diſcit, quiſquis aſſidue cum balbo vivit. Morum autem livorem affricat convictor convictori. De aliis adagiis quæ ad morum contagionem pertinent, Eraſmo noſtro in Chiliadibus dictum eſt.

Averſor morum vitia, ipſum amo.

Ovidius in 3 elegiarum:

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit:
Averſor morum crimina, corpus amo,
Sic ego nec ſine te, nec tecum vivere poſſum,
Et videor voti neſcius eſſe mei.

Vide alibi, Non odi: & Odi & amo: item, Moderata laudamus, exceſſus vituperamus. M. Antoninus Philoſophus imperator de vita ſua libris ſæpe monet, vitia hominum nobis eſſe ferenda: Quid enim eſſet laudis, malis ſe malum præbere?

Suus cuique mos.

Symmachus in ſua relatione ad Valent. Theodoſ. & Arcad. Auguſt.

Suus enim cuique mos, ſuus cuique ritus eſt.

Prudentius contra in eundem Symmachum, lib 2.

—Suus eſt mos cuique genti.

In quibuſdam legitur:

—Proprius genti cuique eſt mos.

MVLTI.

ERASMI. *Non una vehit navis.*

Οὐ μία ναῦς ἄγει, id eſt, Non una vehit navis. Proverbii perſonam ante ſe gerit. Quo conveniet uti, quoties majorem hominũ multitudinem ſignificamus, quam ut eos una navis poſſit capere. Veluti ſi quis dicat, *τῶν ἀπαιδεύτων οὐ μία ναῦς ἄγει*, id eſt, Indoctos non una navis vehit. Eſt autem apud Theognidem:

Τοὺς δ' οὐχ εὑρήσεις διζήμενος, οὐδ' ἐπὶ πάντας
Ἀνθρώπους, οὓς ναῦς μὴ μία πάντας ἄγει.

Id eſt:

Hos non invenies homines ſervatus & inter
Omnes, quos ſane non venit una ratis.

Pueri ſeneſque.

In principio admonuimus, omneis ferme hujuſmodi figuras eſſe proverbiales, quæ conſtant ex cõtrariis: Maximi minimique, juveneſque ſeneſque, diis atque hominibus, ſacra prophana, fas nefas, fanda infanda. Horatius,

—Parvi properemus & ampli,

quum omnibus ſentiat hoc eſſe connitendum. Plato lib. De legib. 7. κατὰ τὸ λεγόμενον πάντ' καὶ παῖδα καὶ πρεσβύτην, κατὰ τὸ δυνατόν, id eſt, Imo quod dici ſolet, omnem puerum ac ſenem pro viribus, &c.

IVNII. *Arenam ſuperat.*

Arenæ nomen in infinitatis ſignificationem parœmiæ ſpecie, frequentiſſimo uſu trahitur ab authoribus utraque lingua. Phœnix Colophonius ſcribit, Ninum Aſſyriorum regem plura habuiſſe auri talenta, quam ſit Caſpia arena, *χρυσίου τάλαντα πολλῷ πλείονα ἢ ψάμμου*. Philippus epigrammat.

Καὶ τὴν Λιβύσσης ἐξαριθμήσεις κόνιν.

Id eſt:

Numerabis & Libyſſæ arenæ pulverem.

Catullus:

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Laſerpitiferis jacet Cyrenis.

& iterum,

Ille pulvis Erythræi,
Siderumque micantium,
Subducat numerum prius.

Virgilius in Georgicis:

Quem qui ſcire velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ.

Callimachus innumerabilem exercitum, *στρατὸν ψαμάθῳ ἶσον* dixit in hymno Dianæ: hoc eſt, arenæ pares copias ibi:

Ἔνθ' δὲ στρατὸν ἐπὶ ...
Ἤγαγε Κιμμερίων ψαμάθῳ ἶσον.

Id eſt:

Cimmerios paſto ſaturatos lacte equini
Adduxit, numerum æquantes flaventis arenæ.

Anacreon *ψαμμαθώδης* quaſi Arenarium extulit pro infinita copia:

Εἰ ψαμμαθώδης οἶσθα
Τὸ τῆς ὅλης θαλάσσης.

Id eſt:

Si pulverem invenire
Vales maris totius.

Flaccus quoque numero carentem arenam dixit. Gregorius Nazianz. lib. De Theologia, loquens de Solomonis ſapientia, *ψάμμον ἀναχεομένης τῆς σοφίας τῆς θείας*, id eſt, Arena exuberantius prudentiæ divinæ flumen. Varro in Menippæis arenam & *ψαμμακόσια* ſæpe numero, pro ingenti multitudine extuliſſe apud Macrobium legitur. Eupolis comicus in fabula cui nomen, Aureum genus:

Ἄπειρος ἀριθμοῦ ἐστιν ψαμμακοσίους.

Id eſt:

Fruſtra ineas numerum arenæ parium ſpectatorum.

Extat & oraculum, quo Dei ſapientia ineffabilis comprehenditur, tale:

Οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης. Id eſt,

Menſura eſt pelagi, & numerus mihi notus arenæ.

Pindarus Olympior. od. 2 *ἐπεὶ ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν*, id eſt, Arena etenim numerum ſubterfugit. Idem in Pythiis: *ὁπόσαι ἐν θαλάσσᾳ καὶ ποταμοῖς ψάμμοι κύμασι ῥιπαῖς τ' ἀνέμων κλονέονται*. id eſt, Quot arenæ in mari & amnibus, fluctibus, & ventorum flatibus agitantur. Marcellinus lib. 14. Quæ omnia ſi ſcire quiſquam velit quam varia ſint & aſſidua, arenarum numerum idem & montium pondera ſcrutari poterit. Quin & in ſacris Bibliis, iſta parœmiæ ſpecies ignota non eſt, ut Geneſeos c. 41 ubi Joſephus tantam frumenti vim in horrea congeſſiſſe legitur, ut arenam maris æquaret. & Regum 2. c. 17. *ὡς ἡ ἄμμος ἡ ἐπὶ τῆς θαλάσσης εἰς πλῆθος*, id eſt, Multitudo hominum arenæ littoreæ par. Homerus Iliad. 9.

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Id eſt:

Non, mihi ſi numeret, quanta eſt vis putris arenæ.

Conſimilis eſt ſignificatio multitudinis in foliis, minutula pluvia, nive, aſtris, fluctibus, & capitis pilis, propter illorum ſpiſſitatem. Homerus in navium Catalogo:

Λίην γὰρ φύλλοισιν ἐοικότες ἢ ψαμάθοισιν.

Id eſt:

Frondibus arboreis numero ſimiles & arenæ.

Qu. Calaber ſive Smyrnæus in Paralipomenis:

Τοὶ δ' ... φύλλοισιν ἐοικότες ἠὲ ψεκάδεσσι
Πῖπτον.—

Id eſt:

Æquales numero foliis pluviæque cadebant.

Huc ſpectat illud incerti authoris: *τῶν ἐαρινῶν φύλλων πλείονές εἰσιν οἱ συκοφαντοῦντες*. id eſt, Plures ſunt calumniatores, quam vernæ frondes, Callimachus:

Νιφάδεσσιν ἐοικότες ἠὲ ἀριθμὸν
Τείρεσι.—

Id eſt:

Quam ſpiſſa cadit cœlo, aut quot ſidera lucent.

Phrynichus Athenienſis,

Σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν ὅσσ' ἐνὶ πόντῳ
Κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή.

Id eſt:

Schemata tot præbent choreæ, quot volvere fluctus
Litus in undiſonum nox ſolet atra mari.

Aſſeribenda eſt huc & illa hyperbole, qua Apollinarius utitur in metaphraſi Pſalm. 39.

Καὶ μάλα πλειότεροι κεφαλῆς ἐριθηλέος χαιτῶν. Id eſt,

Verticis illa mei potuere æquaſſe capillos.

Loquitur de peccatorum ſuorum multitudine infinita. Libet hic adjungere infinitam curioſitatem, aut verius ineptiam Xenocratis, qui ſyllabarum numerum, quem literarum inter ſe combinatio efficit, in caput colligit, ut conſtituat ſummam vicies & decies millies denum millium myriadum: quod apud Plutarchum lectum eſt in Sympoſiacis.

IOANNIS VLPII *Quot ilicis folia:*

Quot fluctus inſulæ.

Hyperbolæ proverbiales, quæ de immenſo numero, vel magna multitudine dicuntur. Plutarchus:

Ὅσσα δρῦς φύλλ' ἀλιζόνθ', ἀ ἀμφὶ νῆσος.

Id eſt:

Quot quercus foliis, quot fluctibus inſula abundat.

Leguntur etiam & tales hyperbolæ apud Homerum,

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Id eſt:

Non ſi tanta daret quot arenis littus abundat.

Ovidianæ hyperbolæ de immenſo numero hæ ſunt.

Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos,
Æquora quot piſces, fronde teguntur aves:
Quot cœlum ſtellas, tot habet tua Roma puellas.

Et alio loco:

Quot lepores Atho, quot apes paſcuntur in Hybla:
Cærula quot baccas Pallados arbor habet,
Littore quot conchæ: tot ſunt in amore dolores.

Ariſtoteles hujuſmodi hyperbolas pueriles vocat, quod ſcilicet pueros & homines iracundos doceant, non omnes viros.

COGNATI. *Καταβομβηδόν.*

Καταβομβηδὸν, inſtar apum examinis condenſati, vel apum more, vel avium catervatim convolare. Agathius lib. 2. hiſtoriarum, ubi de Narſetis eunuchi induſtria in exercendo, & ad militares labores aſſuefaciendo milite loquitur: περιελαύνειν καὶ ἀκροβολίζεσθαι, καὶ ἐν τῷ ὁπλίζεσθαι ... ἐς τὸ κυκλοῦσθαι ... ὑπὸ σάλπιγγι ... καταβομβηδὸν συναλίζεσθαι ἐθίζων. id eſt, ciens eos in orbem decurrere, & in equis decenter velitari, & in ſpeciem armatæ cujuſdam Pyrrichæ circumvehi, & confeſtim tuba claſſicum canente ad ſigna turmatim cogi. Terentius porro in Heautontimorumeno, & Cic. pro Milone, Gregem ancillarum appellaverunt, quod Græci σμῆνος, cum multitudinem infinitam ſignificare volunt. Sophocles in Trachiniis σμῆνος ... παρθένων.

Innumerus numerus.

Elegantiſſima dicendi formula vulgo apud Latinos & Gallos trita, qua utitur Lucretius lib. 2. De natura rerum,

Seminaque innumero numero, ſummaque profunda.

Idem lib. 3.

Et ſpectare immortalis mortalia membra.
Innumero numero, certareque praeproperanter
Inter ſe quæ prima ——

pro, infinito. In epita. Plauti apud Gellium:

Et numeri innumeri ſimul omnes collachrymarunt.

Inſtar apum.

In Jone: Ajunt nobis poëtæ, quod è fontibus quibus mel ſcaturit, haurientes, & a muſarum viridariis collibuſque decerpentes carmina ad nos afferant: quemadmodum mel ex floribus apes, & inſtar apum volare ſe dicunt. In civili: Colonias tanquam apum examina emittunt, civitatemque amplificant.

Arena maris numerum ſuperat.

Catullus ad Lesbiam:

Quæris, quot mihi baſiationes
Tuæ Lesbia ſint ſatis, ſuperque?
Quam magnus numerus Libyſſæ harenæ,
Aut quam ſidera multa, cum tacet nox.

Idem in nuptiis Juliæ & Manlii:

Illa pulveris Erycii, ſiderumque micantium
Subducet numerum prius.

Quod autem modo harenam, modo pulverem dicit, utrumque ὁμηρικῶς.

——Ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε.

Vide ante, Magis latet eos quam maris arenæ. Horum ſententia eſt: Ille qui noſtros luſus ac delicias numerare vult, eas interim dum facimus, prius pulverem & ſtellas numeret. Pulvis autem hoc in genere proverbio celebratur.

COELII RHODIGINI.

Panegyrica.

Quæcunq; ex pluribus aggregata ſunt Panegyrim enim Græci vocant nundinas, feſtoſque conventus: unde panegyrica oratio, quæ in hujuſmodi conventibus haberi ſolita eſt.

Sagena ex omni piſcium genere congregata.

Chriſtus apud Matth. 13. eo innuit varias & multas gentes per Apoſtolum ad Evangelii cultum adductum iri, etiam malas, quaſquam poſtea rejiciendas. Vulgus hodie etiam ad alteriores hominum ordines transfert, quos videt promiſcua & incerta turba diffluere. Tractum à piſcatorib. qui verriculis ſuis quodvis piſcium genus obvium capiunt.

MUNERUM CORRUPTELA.

ERASMI. *Bos in lingua.*

Βοῦς ἐπὶ γλώττης, id eſt, Bos in lingua. In eos qui non audent libere, quod ſentiunt, dicere. Translatũ vel à robore animantis, quaſi linguam opprimens, non ſinat eam eloqui: vel hinc, quod Atheniensiũ nomiſma quondam bovis obtinuit figuram. Item apud Romanos Servius rex, ovium ac boum effigie primus ſignavit æs, autore Plin. lib. 18. cap. 3. Idẽ teſtatur Plutarchus in Problematib. rerum priſcarum, quod priſcis omnis fere poſſeſſio erat in gregib. & armentis. Unde & à pecorib. dictam pecuniam volunt. Itaque qui mulctæ pendendæ metu deterriti reticerent, aut qui pecunia corrupti loqui non auderent, bovem in lingua dicebantur habere. At Julius Pollux nono de rerum vocabulis libro, proverbium hoc exponens, his ferme conſentanea cõmemorat, addens ipſum nomiſma bovem vulgo vocari ſolere. Proinde in Deliacis ſpectaculis, ſi cui munus dandum erat, præconem pronunciare, ſolitum: Tot boves illi dabuntur. Bovem autem valuiſſe duabus drachmis Atticis: unde fuiſſe qui crederent, hoc nomiſma Deliorum fuiſſe proprium, non Athenienſium. Addit jam in Deliacis legib. extare mentionem, ἐκτίνειν δέκα βοῦς, id eſt, De pendendis decem bubus, id eſt, nummis decem. Neque defuiſſe, qui ſenſerint, Homerum quoque de nomiſmate locutum, non de animante cum ait:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Verum hanc opinionem alio in loco refellit Julius Pollux, oſtendẽs illam fuiſſe commutationem rerum citra nummos. Qui ſcripſit ſcholia in Homerum, lib. 2. tradit bovem apud priſcos in honore fuiſſe, quum multis de cauſis, tum præcipue quod Apollini ſacrum ſit animal. Itaque in altera parte nomiſmatis inſculpebant bovem, in altera faciem regiam. Adagium autem effert ad hunc modum: Βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ βέβηκεν, i. Bos in lingua incedit, admonens id dici ſolitum, ubi quis pecuniæ cauſa taceret.

Theognis.

——Βοῦς μοι ἐπὶ γλώσσῃ.

Id eſt:

In lingua mihi bos.——

Philoſtratus in vita Apollonii, γλώττης τε ὡς ... βοῦς ἐπὶ ... δόγμα. Linguam primus hominum coercuit, bovem in illa ſilentii inveniens decretum. De Pythagora loquitur, ſilentii autore. Item in S. opeliano ſophiſtis: ... τὴν γλῶτταν ... βοὸς ... αὐτῶν ἐπικειμένου. id eſt, Neq; mirandum eſt, ſi quidam in linguam habentes vinctam, bove ſilentii eam occupante. Extat apud Æſchylum in Agamemnone.

Τὰ δ' ἄλλα σιγῶ, βοῦς ἐπὶ γλώττῃ μέγας
Βέβηκεν.

Id eſt:

Taceo cætera: linguam occupavit bos quidam
Ingens.

Argentanginam patitur.

Ἀργυράγχην πάσχει, id eſt, Argentanginam patitur. Superiori finitimum eſt, natum ex hiſtoria, quam refert Aulus Gellius in Noctib. Atticis, atque item Plutarch. in vita Demoſthenis. Ea eſt hujuſmodi. Quum adverſus Mileſiorum legatos, qui auxilii petendi cauſa Athenas venerant, acriter in concione dixiſſet Demoſthenes, obſtitereque; quo minus impetraturi poſtulata viderentur, cauſa in diem poſterum rejecta, legati Demoſthenẽ ipſum adierunt, magnaque pecuniæ ſumma, ne contra ſe diceret, redemerunt. Poſtridie, quum res denuo foret agenda, Demoſthenes multa lana collo circumvoluto in concionem prodiit, fingens ſeſe συνάγχην, id eſt, anginam pati. Eamque rem impedimento eſſe, quo minus ex more diceret. Tum e populo quiſpiam, cui ſimulatio ſuboleret, exclamabat, eum non συνάγχην, ſed ἀργυράγχην pati. Eſt autem ſynanche morbi genus, quem vulgus medicorum depravate ſquinantiam appellat. Hunc Aretæus Cappadox libr. primo commemorat inter morbos acutos, oſtendens bifariam appellari: vel κυνάγχην, quod id malis canibus ſit familiare: vel συνάγχην, quod ſpiritum coarctet ac præfocet.

Bovem in faucibus portas.

Βοῦν ἐπὶ γνάθοις φέρει.

id eſt:

In faucibus portat bovem.

In edacem ôlim dicebatur, ut indicant Zenodotus & Suidas. Notum, uti conjicio, vel a Theagene athleta Thaſio, vel à Milone Crotoniata: quorum alter bovem ſolidum ſolus comedit, teſte etiam Græco epigrammate, tum autore Poſidippo apud Athenæum: alter (ut narrat apud eundem Theodorus Hieropolites) in Olympiis taurum quadrimum humeris ſuſtulit, ac ſtadii ſpacio geſtavit, eumque eodem die ſolus comedit. Cujus rei meminit & Aulus Gellius in Noctibus Atticis.

Lupi illum priores viderunt.

Lupi illum priores viderunt. In raucum dicitur, & cui vox repente ſit adempta. Feſtivius dicetur in eos qui metu alicujus obticeſcunt, alioqui feroces. Vergil. in Eclog. cui titulus Mœris.

——Vox quoque Mœrim

Iam

Jam fugit ipſa: lupi [illegible] eam videre priores.
Servius admonet, phyſicos authores eſſe, ineſſe eā vim lupis, ut ſi quem hominem priores viderint, ei vocem adimant. Neq; deſunt philoſophi, qui hujuſce rei cauſam reddere conantur. Socrates apud Platonem lib. De republica i rem ad allegoriam vertit, dicēs Thraſymachum ſibi vocem ademptum fuiſſe, niſi forte ſortuna prior illum conſpexiſſet: καὶ ἐγὼ, inquit, ἀκούσας ἐξεπλάγην, καὶ προσβλέπων αὐτὸν ἐφοβούμην, καί μοι δοκῶ, εἰ μὴ πρότερος ἑωράκειν αὐτὸν ἢ ἐκεῖνος ἐμὲ, ἄφωνος ἂν γενέσθαι. Theocritus in Idyllio ξ.

--- Οὐ φθεγξῇ; λύκον εἶδες.

Id eſt:

Ædere non poteris vocem, lupus eſt tibi viſus.

Illud interim obſervatione dignum, Theocritum vertiſſe ſententiam, cum negat eū proloqui poſſe, non quià lupo ſit viſus, ſed qui lupum viderit. Sed alluſit duntaxat ad proverbium Theocritus, cum ſignificaret rivalem conſpectum cujus nomen erat Lupus.

Malis ferire.

Μήλοις βάλλειν, id eſt, Malis petere dicuntur, qui muneribus aſſequi ſtudent quod optant, aut qui donis provocant ad amorem mutuum. Ducta eſt allegoria a fabula Atalantæ, quam Hippomenes curſu ſuperavit, ſed arte, projectis inter currendum malis aureis: in quibus ſublegendis dum puella ſubinde remoratur, præceſſit, ac vicit juvenis. Refertur adagium à Diogeniano. Plutarchus in Sympoſiacis indicat olim fuiſſe morem, ut in eos qui ſemper vincerent, mala, roſas, nonnulli etiam mala Punica jacerent. Ut hinc quoque videri poſſit ortum adagium, ac dictitatum de iis, qui magnopere mirantur ac probant quempiam, aut etiam blandiuntur. Idem decade nona narrat, Anaxarchum cum ab Alexandro poſt cœnam malis peteretur, ſurrexiſſe, dixiſſeque hunc ſententiam ex Oreſte Euripidis:

Βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί.

Ennius,

Ferietur aliquis mox deum humana manu.

Poteſt & ſimplicius accipi, malis petere, cum quis ad amandum laceſſitur ac provocatur: ſic enim interpretatur Suidas. Unde & illud apud Maronem:

Malo me Galatea petit laſciva puella.

Et:

Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Et:

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

Et Acontius apud Ovidium Cydippæ malum inſcriptum in gremium mittit. Ariſtophanes in Nebulis: μήλῳ βληθεὶς ὑπὸ πορνιδίου, id eſt, A ſcorto malo percuſſus. Interpres adſcribit, malum amoris eſſe ſymbolum: propterea quod veneri ſit ſacrum. Unde in certamine formarum, præmium malum erat aureum, idque Veneri contigit. Theocritus in Cyclope:

Ἤρατο δ' οὐ ῥόδοις, οὐ μάλοις, οὐδὲ κικίννοις,
Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.---

Id eſt:

Non malis, non ille roſis, non ille cicinis.
Sed furiis mage peſtiferis adamabat.---

Idem in Hodœporis:

Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα.

Olim munuſcula malis conſtabant, unde Horatius in Epiſtolis,

Fruſtis & pomis viduas venentur avaras,
Excipiantque ſenes, quos in vivaria mittant.

Muneribus vel dii capiuntur.

Quod ſcripſit Ovidius:

Munera (crede mihi) capiunt hominesque deosque:
Placatur donis Jupiter ipſe datis.

Euripides in Medea, vulgi ſermone fuiſſe celebratum oſtendit, cum ait:

---Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς λόγος.
Χρυσὸς δὲ κρείσσων μυρίων λόγων βροτοῖς.

Id eſt:

---Donis vel ipſos dictitant flecti deos.
Certe inter homines, mille dictis luteum
Præpollet aurum prorſus ac præponderat.

Celebratur & hic verſiculus, quem etiam uſurpavit Plato libro tertio Politiæ:

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

Id eſt:

Cum divis flectunt venerandos munera reges.

Unde Seneca philoſophi cujuſdam apophthegmata referens ait: Omnium eſſe dulciſſimum, accipere.

Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines.

Julius Pollux libro nono, de rerum vocabulis, ſcribit hoc carmen olim proverbio celebratum fuiſſe.

Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικῶντι χελῶναι.

Id eſt:

Et virtus teſtudinibus, & ſapientia cedit.

Eſt autem velut ænigma, innuens pecuniā longe plus poſſe, quam aut virtutem aut ſapientiam. Antiquitus enim Peloponneſiorum nomiſma χελώνη, id eſt, teſtudo dicebatur, propter inſculptam in eo teſtudinis figuram. Teſtem hujus rei citat Eupolidem, qui in fabula, cui titulus, Captivi, ἰσολλὴ dixerit χελώνιον, id eſt, obolum pulchræ teſtudinis. Conſimili figura dictum & illud, Multas noctuas ſub tegulis latitare: &, Bos in lingua: quæ ſuis retulimus locis.

Dorica muſa.

Δωρικὴ μοῦσα, id eſt, Dorica muſa. De munerum avidis. Ariſtophanes in Equitibus jocatur in Cleonem, quod nullam aliam muſicam diſcere potuerit quam Doricā: videlicet alludens ad notiſſimas harmoniarum ſpecies, Doricam, Lydiam, Phrygiam & Bœoticam. Ludit autem verbo perperam depravato, δωροδοκεῖν, pro δωριστὶ, inquiens, τὴν ἁρμονίαν μαθεῖν, οὐ μὴ δύναται. id eſt: Iſte diſcere haud poteſt, præterquam δωροδοκεῖν. Eſt autem Græcis δωροδοκεῖν, muneribus corrumpi, ut in gratiam alicujus dicas ſententiam. id quod Pythagoras appellat κυάμους ἐσθίειν, id eſt, Fabas edere. Nam antiquitus fabis ſuffragia ferebantur. Itaque συμβολικῶς fabas edebant, qui quæſtum ex ea re facerent. Sic enim interpretatur is quiſquis fuit, qui collegit hiſtorias, quas Gregorius Nazianzenus attigit. Quanquam exortus eſt nuper, qui Pythagoræ fabas vertit in ova, quod inſit animantis initium: κύαμος autem dictum, quaſi κύειν. quem audiendum putarem, ſi vel unum autorculum veterem, vel argumentum aliquod gravius allegaſſet. Heſiodus item principes corrupte judicantes, δωροφάγους appellat; id eſt, donivoros.

Munerum corruptela.

In eum qui rem auro, doniſq; aggreditur, non infeſtiviter torſeris illud ex eodem libro dictū de Mercurio ſumente caduceum:

Εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει,
Ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id eſt:

Eripuit virgam, quo mulcet lumina ſomno,
Quorumcunque velit, ſolvit quoque lumina ſomno.

Quadrabit enim pulchre in munera, quod de virga Mercuriali dictum eſt, quibus velut expergeſiunt judices, antea ceu dormitantes: & rurſum infeſti placantur, ut in cauſa velut obdormiſcant, conniveantque. Ariſtophanes in Concionatricibus, ait deos quoque capi donis, eoque manibus ſtare ſupinis:

Οὐδὲ γὰρ οἱ θεοὶ εὐχόμεθα διδόναι τ' ἀγαθά,
Ἑστᾶσι τὴν χεῖρ' ὑπτίαν
Οὐχ' ὡς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται.

Id eſt:

Nam cum precamur largiantur ut bona,
Manum ſupinam porrigentes ſtant, velut
Nihil daturi, ſed recepturi magis.

Interpres admonet, ſtatuas deorum olim fere ſupinis manibus fingi ſolere. Supinam autem appellat repandam, velut ad excipiendum compoſitam.

Pecuniæ obediunt omnia.

Tam omnibus nationibus in ore fuiſſe videtur hæc ſententia, quam nunc etiam omnibus eſt in uſu: Pecuniæ obediunt omnia. Et refertur in Proverbiis Hebræorum, apud Eccleſiaſten, cap. 10. nec eo ſecius à Græcis pariter ac Latinis authoribus celebratur. Euripides in Phœniſſis:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα,
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Id eſt:

Mortalibus nil charius pecunia,
Atque inter homines una plurimum valet.

Item Ariſtophanes in Pluto:

Ὡς οὐδὲ ἓν πέφυκεν ὑγιὲς οὐδενός,
Ἀλλ' εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττονες.

Id eſt:

Proh ut nihil ſanum reperias uſpiam,
Sed pariter omnes ſerviunt victi lucro.

Huc alludit & Demoſthenicum illud in prima Olynthiaca, δεῖ δὲ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων, id eſt: Breviter opus eſt pecuniis, neque citra has quicquam eorum quæ facienda ſunt, confici poteſt. Rurſum Ariſtophanes in eodem Pluto, facetiſſime perſequitur, quicquid rerum vel bonarum, vel malarum geritur inter mortales, id pecuniarum gratia fieri: quin etiam diis ipſis non aliam ob cauſam rem divinam fieri. Atq; inter alia permulta hanc catholicam ſententiam refert:

Εἰ γάρ τί ἐστι λαμπρὸν καὶ καλὸν,
Ἢ χάριεν ἀνθρώποισι, διὰ σὲ γίγνεται.
Ἅπαντα τῷ πλουτεῖν γάρ ἐσθ' ὑπήκοα.

Id eſt:

Si quid eximium eſt aut ſplendidum,
Si quid venuſtum hominibus, abs te uno venit.
Siquidem opibus univerſa ſimul obediunt.

Proinde Horatius pecuniam reginam appellat:

Scilicet uxorem cum dote, fidemque & amicos,
Et genus & formam regina pecunia donat.

Sed nemo feſtivius pecuniæ tyrannidem deſcripſit, quam Euripides, Bellerophontem ad hunc modum loquentem faciens. Referuntur autem à Seneca lib. Epiſtolarum triceſimo primo (nam ipſa quidam fabula non extat) verſus aliquot. Hi quoniam ſunt in primis lepidi ac venuſti, non gravabor aſcribere, ſed aliquot locis emendatos quandoquidem apud Senecam habentur depravati:

Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer.

Ne-

Nemo, an bonus: an dives, omnes quærimus.
Non quare & unde: quid habeas, tantum rogant.
Ubique tanti quiſque, quantum habuit, fuit.
Quid habere nobis turpe ſit, quæris? nihil.
An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus.
Aut dives opto vivere, aut pauper mori.
Bene moritur, quiſquis moritur dum lucrum facit.
Pecunia, ingens generis humani bonum:
Cui non voluptas matris, aut blandæ poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſi quid Veneris in vultu micat,
Merito ille amores cœlitum atque hominum movet.

Cum hi, inquit, noviſſimi verſus in tragœdia pronunciati eſſent, totus populus ad ejiciendum & actorem & carmen conſurrexit, uno impetu: donec Euripides in mediū ipſe proſilijt, petens ut exſpectarent, viderentque quem admirator auri exitum faceret. Dabat in illa fabula pœnas Bellerophontes, quas in ſua quiſque dat. At ex his verſibus, quos Latinos recitat Seneca, poſteriores aliquot reperi Græcos apud Athenæum in Dipnoſophiſtis lib. 4. ſed citra nomenclaturam authoris eos hoc loco ſubſcribam:

Ὦ χρυσέ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
Ὡς οὔτε μήτηρ ἡδονὰς τοιάσδ' ἔχει,
Οὐ παῖδες ἀνθρώποισιν, οὐ φίλος πατήρ,
Οἵας σὺ χ' οἱ σὲ δώμασιν κεκτημένοι.
Εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν τρέφειν.

Id eſt:

O captus aurum hominibus ornatiſſimus,
Ut nec genetrix nec pater, nec liberi
In ædibus tales voluptates ferunt,
Quales paris tu his, qui domi te poſſident.
Quod ſi hoc modo Veneris renident lumina,
Haud mirum amores ſerit innumerabiles.

Subit interim admirari perverſum præpoſterumque mortalium ingenium. Sententiam improbam in ficta fabula, ſub perſona improba ab hiſtrione recitatam in theatro nō ferunt, ac per tumultum ejiciunt, ſibi quiſque domi ignoſcit. Quotus enim quiſq; eſt, qui ſtudio vitaque non loquitur, quod illic hiſtrio ſonabat? Horrent voces in theatro, & non horrent rem in omni vita? Quid infamius, quid execratius apud omnes mendacii vocabulo: quid ipſa re in moribus hominum uſitatius? Quid perjurio deteſtabilius? Excute vitam hominum, perjurii plena ſunt omnia. Vide quid populo jurent principes, quid Epiſcopi, quid Abbates, imo quid in baptiſmo Chriſtiani omnes. Confer mores, quantam invenies perjuriorum μυριάδα? Quam abominamur furis nomen? At in vita nihil aliud invenies. Niſi furtum non eſt, accipere pecuniam mutuam animo non reddendi, negare depoſitum quum tutum eſt, mala fide invadere hæreditatem aut poſſeſſionem alienam, imponere emptori, ſuffurari nonnihil de materia quam ſuſcepiſti, pro gemmis vitra obtrudere, aliud vini genus pro alio vendere: denique nullam prætermittere occaſionem fraudandi proximum. Sed ad proverbia redeo.

Muneribus res agitur.

Qui dicet non eſſe locum recte factis & æquis rationibus, ſed largitione & aſſentatione rem omnem peragi, poterit illud accommodare ex Iliad. ι.

Δώροισίν τ' ἀγανοῖσιν ἔπεσσί τε μειλιχίοισι.

Id eſt:

Et donis permagnificis, & lenibus dictis.

Quo quidem in carmine muneribus non temere prior datus eſt locus.

Argenteis haſtis pugnare.

Ἀργυραῖς λόγχαις μάχεσθαι, id eſt, Argenteis haſtis pugnare dicuntur: qui cum negocium alio pacto confici nequit, muneribus & largitione perficiunt. Nihil autem tam arduum, quod pecunia non expliceret. Quemadmodum eleganter dictum eſt à M. Tullio, actione in Verrem 2. Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit. Ortam ajunt parœmiam ab oraculo quodam Apollinis Pythii, qui Philippo regi conſulenti, quo pacto poſſet victoria potiri, reſponderit ad hunc modum:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις.

Id eſt:

Argenteis pugna telis, atque omnia vinces.

Videlicet monens, ut quoſdam largitionibus ad proditionem ſollicitaret, atque ita conſequuturum quæ vellet.

Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſalvus erit.

Ælius Lampridius in vita Alexandri Severi: Idem, inquit, addebat ſententiam de furibus notam, & Græcam quidem, quæ Latine hoc ſignificat: Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſalvus erit. Quæ Græce talis eſt:

Ὁ πολλὰ κλέψας ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται.

Id eſt:

Qui multa tollit, pauca dat, ſervabitur.

Admonet adagium (id quod noſtris quoque temporibus vulgo factitant fures non omnino ſtupidi) non niſi magnis prædis injiciendam manum: ut ſuperſit quo judicem, ſi forte ſit opus, corrumpant atque excoculent. Cæterum qui parva tollunt, deprehenſi pendent, utpote quibus nihil ſit quod impertiant præfectis.

Vulpes haud corrumpitur muneribus.

Ἀλώπηξ οὐ δωροδοκεῖται, id eſt, Vulpes non corrumpitur muneribus. Suidas hujus adagii Cratinum citat authorem. De callidis ac verſutis, quos haud facile ſit objecto munuſculo, aut aſſentatiuncula, pollicitiſve fallere. Lariis enim & aliæ quædam aves eſca capiuntur, vulpes non item. Verbum autem δωροδοκεῖν, ſumptum eſt à concionibus aut judiciis, in quibus nonnulli pecunia corrupti dicunt ſententiam.

Corrupta judicia.

In eos qui corrupte judicant, aut ſuffragium ferunt, non ad Reipublicæ commodum, ſed ad privatum commodum reſpicientes: ſive qui per tyrannidem leges opprimunt: competet illud ex eodem libro:

Οἳ βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες.

Id eſt:

Qui per vim in populi cœtu communia jura
Depravant, ac juſtitiam depellere tentant
Nil veriti vocem divûm. —

Faba nummus.

Dictum eſt alias, olim fabis ferri ſolita ſuffragia: quod innuiſſe Pythagoram exiſtimāt, quum vetaret edere fabas. Corrupta itaq; ſuffragia lepidiſſimo tropo ſignificavit M. Tullius in eadem epiſtola: Sed heus tu, videſne conſulatum illum noſtrum quem Curio ante ἀποθέωσιν vocabat, ſi hic factus erit, fabam nummum futurum? Hæc ille. Ubi faba nummus eſt, ibi redemptum eſt ſuffragium.

Guttam aſpergere.

Quum ex magno lucro paululum quiddam alicui deciditur, guttam aſpergi dicimus. M. Tullius in oratione pro A. Cluentio: Atqui etiam ipſe conditor totius negocii, Guttam aſpergere huic Bulbo. Itaque minime amarus is viſus eſt, qui aliquid ex ejus ſermone ſpeculæ degustarat. Eodem ſchemate dicimus M. camauri, pro minima portiuncula. Sed in verbis M. Tullii præter tropum proverbialem ſubeſt faceciſſima alluſio in propriis nominibus. Staienus promiſerat magnam pecuniæ vim judici Bulbo, nam id erat judici nomen.) Staienus autem qui totum hoc negocium condiebat (hinc enim dictus eſt conditor, media producta, non à condendo conditor, prima acuta) adjungit Bulbo alterum judicem, cui nomen Guttæ, ea res Bulbum reddidit alacriorem. Solent autem coqui bulbis (id eſt ceparum genus) addere condimentum, quo fiant dulciores. Ad id alludens Cicero: Itaque, inquit, minime amarus is viſus eſt. Hinc & guttatim fieri dicitur, quod ſit paulatim. Plautus in Mercatore: Cur guttatim contabeſcit, quaſi in aquam indideris ſalem. Et guttatim donat, qui ſæpe, ſed minute largitur.

Salvete equorum filiæ.

Apparet joco vulgari fuiſſe jactatum, in eos qui emolumenti gratia blandiuntur. Refert Ariſtoteles lib. Rhetoric. 3. In certamine multorum, quum is qui vicerat, dediſſet exile precium pro carmine Simonides recuſavit, indignans mulos celebrare ſuo poëmate. Verum ubi victor dediſſet ſatis magnum præmium, carmen tale fecit:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων,

Id eſt:

Salvetote volucripedum ſoboles equorum.

Siluit enim, quod eſſent ex aſinis quoq; nati: & quod honeſtius erat expreſſit, equorum filias.

Pecunioſus damnari non poteſt.

M. Tullius in Verrem actione ſecūda, ad hoc omnium ſermone percrebuiſſe, non apud Romanos tantum, verumetiam apud exteras nationes, in judiciis illorum temporum, pecunioſum, quāvis ſit nocens, neminem poſſe damnari. Et in eundem oratione tertia: Reus eſt enim, inquit, nocentiſſimus. Qui ſi condemnatur, deſinent homines dicere, his judiciis pecuniam plurimum poſſe. Sin abſolvitur, deſinemus nos de judiciis transferendis recuſare. Huic affine quod aliquoties reperitur apud Saluſtium in bello Jugurthino, Romæ eſſe venalia omnia. Nunc amiſit Roma imperium: omnia & dictum non hæreret.

IVNII. *Lepus leonem trahit aureo laqueo.*

Ἕλκει λαγὼς λέοντα χρυσέῳ βρόχῳ.

Id eſt:

Lepus leonem rete ductat aurea.

Senarius eſt proverbialis, cujus in largitiones & munerum corruptelas uſus eſt. Natū dictenū à quodam lagophthalmo (ita medici nominant eum, qui palpebris hiantibus leporum more indormit) qui principem datis muneribus corruperat.

COGNATI. *Bos in lingua.*

Pollucis ſententiam apud Homerum: χρύσεα χαλκείων, &c. docētus fuiſſe commutationē rerum citra nummos: & ſic permutationem

tionem, non venditionem comprobat. Paulus jureconſultus lib. Pandect. 18. tit. de contrahenda emptione. Plutarchus ſcribit, Theſeum nota bovis nummum ſignaſſe, ex quo hoc proverbium, de iis qui corrupti pecunia tacerent: ut Demoſthenes, cum dictus eſt argentanginam pati, utrumque explicat, ac exemplis comprobat meus Eraſmus, in proverb. Bos in lingua. Addam illud Philoſtrati Scopel. [illegible]

Labefactare munere.

Labefactare munere, metaphorice à Catullo contra Ruffum dictum eſt, oſtendente nullis muneribus ac donis obtinere ipſum poſſe, ut fœmina ulla ſui corporis poteſtatem faciat:

Non ſi illam raræ labefactas munere veſtis.

Hæc ſane vox valet, duram ipſam obfirmatamque flectere ac delinire, quomodo etiam expugnare pudicitiam, dictum eſt. Græci quoque ſcriptores eodem fere pacto loquuntur, ut Herodotus libro octavo, ubi narrat, præfectos quoſdam claſſium ſociorum in fide retentos pecunia, [illegible] Icti autem vulneratique muneribus appellati ſunt, quia vis ipſis ita quodammodo allata eſt, & tanquam de gradu propoſitoque dejecti Mercede.

Ganelo.

Ganelo Caroli Magni legatus, pecunia corruptus, Marſillo Saraceno Francorum aciem prodidit, in qua Rolandus, & alii illuſtres viri perierunt. Quare comprehenſus, Aquiſgranū ducitur, & manibus & pedibus equis quatuor alligatus, diſtrahitur. Gaguinus lib. 4. de Francis: Sabellicus Enneadis octavæ libro octavo. A quo eſt id, quod Gallis tritum eſt vetuſtate proverbium: Magis proditor, quam Ganelo.

Cauponari bellum.

Quod ex Ennio legitur apud Ciceronem libro primo Officiorum, ſub Pyrrhi perſona,

Nec mi aurum poſco, nec mi precium dederitis:
Nec cauponantes bellum, ſed belligerantes.
Ferro, non auro vitam cernamus utrique.

Quod, inquam, hic dicit cauponari bellum, id ex Æſchylo videtur omnino ſumpſiſſe. Nam & ille in Septem ad Thebas, poſtquā Parthenopæi ferociam, & clypei picturam deſcripſit, hæc ſubjungit.

Ἐλθὼν δ' ἔοικεν οὐ καπηλεύσειν μάχην,
Μακρᾶς κελεύθου δ' οὐ καταισχυνεῖν πόρον.

Dicuntur autem *καπηλεύειν μάχην*, ſeu Cauponari bellum, ii, qui more cauponum omnia pecuniæ cauſa faciunt: & dona vel ipſi hoſtes corrumpunt, vel ab iiſdem ſe patiuntur corrumpi: ac auro denique magis quam ferro vel viribus bellum gerunt.

GVL. GENTII. *Suffragia emendicata.*

De iis quæ leviter cauſſam adjuvant, ut potentium commendationes, civitatum in alicujus honorem decreta. Singuli, inquiunt Impp. in c. 14 C. de accuſa. univerſique judices cognoſcant, in publicis criminibus non oportere emendicatis uti ſuffragiis decretorum, Sumptum à ſuffragatoribus, hoc eſt, ſuffragiorum è blanditoribus. C. de ſuffrag.

MVNVS NON MVNVS.

ERASMI. *Cyclopis donum.*

Κύκλωπος δῶρα, id eſt, Cyclopis munus: pro eo quod eſt, munus inutile. Cujuſmodi ſunt ferme tyrannorum & latronum beneficia, qui ſolent hoc ipſum ferme tyrannorum & latronum beneficia, qui ſolent hoc ipſum magni beneficii loco imputare, quod aut minus, aut ſerius noceant. In hanc ſententiam Cicero Philippica ſecunda: Quod eſt aliud P. C. beneficium latronum, niſi ut commemorare poſſint iis ſe vitam dediſſe, quibus non ademerint? Lucian. *οὐ πάνυ τοι ἐμὲ τὸ τοῦ Κύκλωπος ἐκεῖνο εὐφραίνει δῶρον, τὸ ὑποσχέσθαι, ὅτι ὕστατον ἐγώ σε κατέδομαι*, id eſt, Haud admodum me Cyclopis illud donum delectat, videlicet quod ita pollicetur: Ego te in poſtremum devorabo. Verba ſunt Micylli cerdonis: qui cum eſſet queſtus quod non ſtatim cum aliis in cymbam Charontis reciperetur, atque hoc ipſum Clotho parca, beneficii vice imputaret, quod interim tantillum moræ lucrifaceret, ne deſcenderet ad inferos, ad hunc modum reſpondit. Neq; dubito, quin Lucianus Homericum locum retulerit, quod eſt in Odyſſ. lib. nono, ubi Cyclops Polyphemus delectatus dulci vino, quod illi donarat Vlyſſes, munus promittit, quo accepto ille ſit magnopere gaviſurus, ut denuo ſibi miniſtret de ſua lagena. Dedit Vlyſſes ſpe muneris iterum atque iterum. Porro ubi jam vino delinitum crederet mitius reſponſurum, repoſcit Vlyſſes munus promiſſum. Cui Cyclops hunc in modum reſpondit:

Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι μετὰ οἷς ἑτάροισι,
Τοὺς δ' ἄλλους πρόσθεν· τὸ δέ τοι ξεινήιον ἔσται.

Id eſt:

Poſt ſocios mihi, poſtremuſque vorabitur Vtis,
At reliqui prius: hoc ex me tibi munus habebis.

Cæterum *οὖτις* Græce nullum ſignificat, quod nomen ſibi finxerat Vlyſſes, quo Polyphemum poſſet deludere.

Hoſtium munera, non munera.

Priſcorum ſuperſtitio credidit, obſervanda vel maxime munera, à quibus, quo animo mitterentur: propterea quod quæ darentur ab iis quæ nobis male cuperent, exitio plerunq; fuiſſe conſtaret: ita ut fuit pyxis illa fallax, per pandoram à Iove, Prometheo miſſa: quemadmodum fuit & veſtis, qua medea novam nuptam Iaſonis donavit: rurſum veſtis illa, quam Deianira miſit Herculi. Proverbiorum interpretes exiſtimant hanc parœmiam ex hiſtoria natam, quæ refertur apud Homerum Iliados libro ſeptimo. Narrat autem Hectorem & Aajacem inita amicitia, dona inter ſeſe permutaſſe, atq; Hectorem Ajaci donaſſe gladium, Ajacem Hectori dediſſe baltheum: deinde pariter ambobus ſuum munus exitio fuiſſe. Siquidem Ajax victus ab Vlyſſe, cognitiſque iis quæ per inſaniam tum dixerat, tum fecerat, eodem gladio ſibi necem cōſcivit. Item Hector per occaſionem balthei occiſus eſt ab Achille juxta muros Trojanos. Adagium refertur apud Sophoclem in Ajace Maſtigophoro: ſed ita refertur, ut non ab Ajace natum, ſed tanquam vetus jam tum ab eo videatur uſurpari. Siquidē is poſteaquam mori decreviſſet, execratur eum gladium, quem quondam ab inimiciſſimo, dono acceperat, eumque ſibi fuiſſe inauſpicatiſſimum ait, neque quicquam omnino poſtea feliciter apud Argivos ſucceſſiſſe. Deindē ſuſpicionem hanc vulgato dicto confirmans ait:

Ἀλλ' ἔστ' ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία,
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.

Id eſt:

Quin verum id eſt mortalium proverbium,
Non eſſe dona, dona quæ veniant tibi
Ab hoſte, verum inauſpicata ac noxia.

Hac de refertur epigramma Græcum hujuſmodi.

Ἕκτορος Αἴαντι ξίφος ὤπασεν, Ἕκτορι δ' Αἴας
Ζωστῆρ', ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατον.

Id eſt:

Ajaci datus enſis ab Hectore, baltheus Ajace.
Hectori: utrique ſuum, donum erat exitio.

Rurſus ex alio quodam epigrammate;

Οὕτως ἐξ ἐχθρῶν αὐτοκτόνα πέμπεται δῶρα,
Ἐν χάριτος προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Id eſt:

Atque ita ab hoſte hoſti veniunt lethalia dona,
Quæ ſtudii ſpecie fata necemque ferunt.

Huc ſpectat & illud, quod apud Euripidem Medea recuſans Iaſonis xenia tanquam perniciem allatura:

Κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς, inquit, *δῶρ' ὄνησιν οὐκ ἔχει.*

Id eſt:

Lædit, juvat nil improbi munus viri.

Servius oſtendit & Vergilium huc alluſiſſe, cum ait in Æneid. lib. 4.

——Enſemque recludit
Dardanium, non hos quæſitum munus in uſus.

De gladio loquitur, ab Ænea relicto, quo Dido ſeſe confodit: quem Æneam hoſtem & impium eadem vocat. Huic aſcribendum loco, quod arcanæ ſcripturæ proverbia admonent, ne de inimico reconciliato ſimus ſecuri. Item proverbialis ille ſenarius,

Λόγον παρ' ἐχθροῦ μή ποτ' ἡγήσῃ φίλον.

Id eſt:

Ab hoſte dicta ne unquam amica dixeris.

Et alter huic ſimilis:

Ἐχθροῖς ἀπιστῶν οὔ ποτ' ἂν πάθοις βλάβην.

Id eſt:

Diffiſus hoſti, nil feres unquam mali.

Proverbium accommodari poterit etiam ad illos, qui pauperes munuſculis quibuſdam captant divites, ad eum modum liberalitatem illorum velut elicientes. Neque enim hoc eſt dare munus, ſed flagitare. Vnde Plutarchus in commentario *περὶ τοῦ ΕΙ τοῦ ἐν Δελφοῖς*, probat quod Dicæarchus Archelao dictum ab Euripide putat,

Οὐ βούλομαι πλουτοῦντι δωρεῖσθαι πένης,
Μή μ' ἄφρονα κρίνῃς, ἢ διδοὺς αἰτεῖν δοκῶ.

Id eſt:

Donare pauper diviti velim nihil,
Ne ſtultus habear ſcilicet, ſi muneris
Titulo atque ſpecie dona videar poſcere.

Quadrabit & in eos, qui per artes magicas dæmonum utūtur obſequiis. Nam ea demum exeunt in perniciem utentium, & in hæredipetas, poſtremo, qui quovis officio captant, non ex animo, ſed aliud ſpectantes. Itaque mutatione voculæ novabitur parœmia: nempe hoc pacto, *κολάκων ἄδωρα δῶρα*, & *πενήτων ἄδωρα δῶρα*, denique, *πλουτούντων ἄδωρα δῶρα*, quemadmodum admonuimus in operis initio.

Malum munus.

Κακόν γε δῶρον ἴσον ἐστὶ ζημίᾳ.

Id eſt:

Munus malum eſt perinde uti diſpendium,
Nocet, non juvat, qui largitur noxia. Veluti ſi quis adoleſcenti ſub-

ſubminiſtret pecuniam, aut ſtulto committat imperium, aut indocto ſacerdotium.

Cum Delphis ſacrificaverit, ipſe carnes abſumit.

Plutarchhus ſeptimo lib. τῶν συμποσιακῶν, hunc ſenarium veluti proverbialem citat:

Δελφοῖσι θύσας αὐτὸς ὀψωνεῖ κρέας.

Id eſt:

Carne ipſe Delphis immolata veſcitur.

Oſtendit dici ſolitum de iis, qui vocatis convivis ipſi cibos appoſitos devorant, ut illis ſpectare tantum liceat, non veſci. In Delphicis enim ſacris, is qui immolarat victimã, ea veſcebatur. Contra fiebat his ſacris, quæ Hecatæ inferebatur: ex quibus nihil redibat ad eum, qui offerebat, præter fumum & tumultum. Quanquam & in diverſum ſenſum accipi poteſt, ut intelligamus, Delphicum ſacerdotium nihil impertiri de victima, ei qui victimam dedit: ita fit aliquoties, ut edax conviva, ſeu pluribus adductis edacibus umbris, velut harpyis, cœnam omnem devoret, eſuriente qui vocavit. Adagium torqueri poteſt etiam ad illos, qui beneficio, quod alii dediſſe videntur, ipſi fruuntur. Ut epiſcopi nonnulli nepotibus ſuis ſacerdotia magnifica donant nonnunquam: ſed ad pueros ſolus titulus redit, ad epiſcopos proventus.

IVNII. *Labra, non palatum rigat.*

Χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερῴην δ' οὐκ ἐδίηνε.

Id eſt,

Labra quidem rigat, nequit humectare palatum.

Extat apud Homerum Iliad 22. de Andromache, cui necem mariti Hectoris lugenti, ad pellendum ex animo mœrorem poculũ oblatum erat, quod dolor non paſſus eſt altius deſcendere. Trahi poteſt eleganter ad uſum proverbialem, quod indicat ibi & Euſtathius, in eum qui exiguum munuſculum largitur, quod humectandis quodammodo labris cedat aſperginis vice, nequeat tamẽ oris palatum imbuere: hoc eſt, vel animum explere, vel præſenti neceſſitati mederi. Competet etiam non abſurde in pollicitatorem ſtrenuum, qui verbis aureos tantum nõ montes polliceatur, dives nimirum promiſſis, quibus cor homini ſalire faciat, nihil tamen aut perparum præſtet. Eſt autem ὑπερῴη, aut, ut in manuſcripto Euſtathio ſcribitur, ὑπερῷον, cœlum convexum, quod palatum vocamus.

Amaro dulce miſtum.

Ubi eadem res & gaudii & triſtitiæ cauſam vagiæ nobis exhibet, adagio uſus eſt, quo Plato in Philebo utitur, τὸ δὴ λεγόμενον πικρῷ γλυκὺ μεμιγμένον, id eſt, juxta id quod dici ſolet, amaro dulce admixtum. Hieronymus adverſus Ruffinum paulo diverſius uſurpat, de bilingui: De eodem ore & dulce proferens & amarum. Ibidem, De eodem fonte dulce & amarum proceſſerit. Plautus è Platone mutuatus videtur, quod apud illum Callidorus adoleſcens in Pſeudolo dicit, Dulce amarumque una nunc miſces mihi. Huc pertinet γλυκύπικρον, quaſi Dulcamarum dicas, apud Ciceronem epiſt. Ad Atticum lib. 5. In his γλυκύπικρον illud confirmas, moram mihi nullam fore: deinde addis, ſi quid ſecus, te ad me forte venturum. Qua voce continetur & amoris ſignificatio. Sappho apud Hephæſtionem:

Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ,
Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.

Id eſt:

Amor ne ſubigit miſeram impotens.
Suave amarus & inſuperabilis.
Stimulus ———

Meminit & Plutarch. in Sympoſiacis. Plautus ad ſententiã quam ad verba magis reſpiciens dixit in Ciſtellaria

Amor melle & felle eſt fœcundiſſimus.

COGNATI. *Succeſſorem viventi dare.*

Succeſſorem viventi & ſpiranti emittere, Gallis proverbio dicitur, quum magiſtratus in futurum mandantur, & exuviæ hominum adhuc viventium a principe donantur captatoribus ſenum, quas reſervationes vocant. Suſpenduntur enim donationes in diem mortis eorum, qui iis magiſtratibus funguntur.

Largis effice muneribus.

Catullus de coma Berenices.

Ab impuris dona non ſumenda.

Plato 4. De legibus, ab impuris dicit non eſſe ſumenda dona, παρὰ μιαροῦ δῶρον, οὔτ' ἄνδρα ἀγαθὸν, οὔτε θεὸν ἐστί ποτε ὀρθὸν δέχεσθαι.

Catul. de coma Berenices:

Namque ego in adignis præmia nulla peto.

POL. VIRGILII. *Cibus alienis dentibus molitus, nauſeoſus.*

Quoties quis aliena opera parum grata uti cogitur, vel ubi quem pudet omnino aliena ſcripta mutuari: uti faciunt qui ſuum experiri volunt ingenium, ſibi tantum fidentes, præterea nemini. Manſus cibus quem nutriculæ infantium ori admovent, cui grandiori nauſeam non pariat;

MVNVS APTVM, AVT INEPTUM.

ERASMI. *Ranis vinum praminiſtras.*

Βατράχοις οἰνοχοεῖς, id eſt, Ranis vinum infundis. In eum dicebatur qui id miniſtraret, quo nihil eſſet opus ei cui exhiberetur: velut ſi quis apud indoctos multa de philoſophia diſſerat. Ranis enim nihil opus vino, aqua paluſtri magis gaudentibus. Explicatur adagium a Zenodoto, Suida, Diogeniano. Pherecrates apud Athenæum in Coriano: ἔρρ' ἐς κόρακας· βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ. id eſt: Abi in malam rem, ranis pocillari te oportuit. Objurgat enim pincernam, quod quatuor vini cyathis duos infuderit aquæ. Unde licet conjicere, proverbium in hos quoque convenire, qui vinum immodica diluunt aqua, ita ut aquam, non vinum bibere videantur, ranarum ritu.

Non noſtrum onus, bos clitellas.

Quintilianus Inſtitutionum oratoriarum libro quinto parœmiæ, quã ait eſſe ceu brevẽ apologũ, hoc adfert exemplũ: Nõ noſtrũ onus, bos clitellas: Satis conſtat ex apologo ſumptũ verũ quis ſit is apologus, equidem nondum reperi. M. Tull. Epiſtol ad Atticum lib. 5. in epiſtola cuius initiũ eſt, Laodiceam veni pridie calẽdas Sextiles: videtur ad hoc adagium alludere, & nobis velut anſam conjectandi præbere. Inde, inquit, ire ad Taurum cogitabam, ut cum Maphragone collatis ſignis, ſi poſſem de ſervo tuo decidere. Clitellæ bovi ſunt impoſitæ. Illanc? Non eſt noſtrum onus, ſed feremus: modo, ſi me amas, ſit annuũ. At ſi tu ad tempus, ut ſenatum totum excites. Mirifice ſollicitus ſum, quod jam diu ignota ſunt mihi omnia. Idem in eadem epiſtola paulo ſuperius: Sed eſt incredibile quam me negocii tædeat. ne non habeas ſatis magnum campum: ille tibi non ignotus curſus animi & induſtriæ meæ, præclara opera ceſſat. Quippe jus Laodiceæ me dicere, cum Romæ A. Plotius dicat? Et cum exercitum noſter amicus habeat tantum, me nomen habere duarum legionum exilium? Denique hæc non deſidero. Lucem, forum, urbem, domum vos deſidero. Sed feram ut potero, ſit modo annuum. Si prorogatur, actum eſt. Hactenus Tullius. Quibus quidem ex verbis, quanquam ſubobſcuris, & haud ſcio an etiam mendoſis, odorari licet, Non noſtrum onus, bos clitellas, proverbium fuiſſe recuſantis munus aliquod, veluti parum accommodatum ſibi. Neque enim bonum eſt clitellis tergo impoſitis onera geſtare, ſed potius aſinorum ac mularum. Neque dubitandum eſt, quin Fabius ex hoc Ciceronis loco exemplum illud ſit mutuatus. Raphael Regius, qui Fabium, additis ſcholiis conatus eſt emendare, ſcripturam mutat ad hunc modum: Nos noſtrum onus, vos clitellas: interpretans hunc eſſe ſenſum, neutram partem abſque onere diſceſſuram. Mihi, ſi fas eſt quicquam immutare, ſic potius legendum videtur: Non noſtrum onus, bos clitellas? Ut ſit velut rem abſurdam, ſeque indignam abominantis, ſi quis bovi clitellas velit imponere. Neque diſcrepat hoc cum ſententia verborum Tullianorum, quæ modo retulimus. Ait enim eam provinciam non ſatis vel aptam, vel dignam ingenio ſuo: laturum tamen utcunque, modo ne ſit longior annua. Proinde proverbium duplici forma poterit efferri: Bovi clitellæ impoſitæ ſunt, ubi mandatum eſt negocium parum apto. Et, bos clitellas? ut ſubaudias, ferat, ubi quis deprecatur provinciam, cui parum ſit idoneus, aut quam ſibi ducat indecoram. Illud obiter admonitum lectorem velim, ne protinus radat aut diſpungat, ſi quis in his quæ citamus ex authoribus, viderit ad quorundam emendationem non reſpondere. Non quod profiteamur à mendis repurgatum, quicquid huc adducimus, ſed quod labantur hi quoque qui libros emendant: velut hoc loco, quem modo retulimus ex Epiſtolis, in æditione Aldina, quod voces ſunt immutatæ neſcio, cujus opera, ne dicam culpa? Nam Aldo non licet imputare, tum quia doctus eſt, tum quia amicus. Primum enim quis non videat rectius eſſe, opera ceſſet, quam opera ceſſent? Deinde quod ſequitur, cui non perſpicuum ſit eſſe viciatum, tum diſtinctione, tum voce Exilium, mutata in Exulum? Sic enim legit: Et cum exercitum noſter amicus habeat, tantum me nomen habere duarum legionum exulum? Cum Tullius tantum poſuerit pro magno, cui legiones exiles oppoſuit, hoc eſt, puſillas. Et aliquando poſt: Ut cum Maphragone, ſignis collatis, ſi poſſem, de ſervo tuo decernerem. Quid erat cauſæ, ut pro Deciderem ſive Decidere, mutaretur decernerem? Quaſi non fuerit illud multo verbum elegantius. Etenim ſi legas Decidere, ſubaudiendum eſt verbum, Certarem, ſive Congrederer (cujuſmodi ecclipſes familiariſſimæ ſunt Ciceroni, præſertim in hoc opere) ut legas, ut cum Maphragone collatis ſignis: ſubaudiaſque, congrederer. Rurſum quod hoc ſequitur, Clitellæ bovi ſunt impoſitæ. Illanc? Non noſtrum onus, offenſus, neſcio quis apoſiopeſi, Illanc? mutavit, Illæ, non eſt noſtrum onus. Quod iterum uſuvenit in hoc quod ſubjicitur, At ſi tu ad tempus: ſubaudi, adfueris. Mutavit enim, Adſis tu ad tempus, Latinitate quoque corrupta, nedum argutia ſententiæ. Hæc invitus & coactus admonui, ne qui (ut ſunt nonnulli) præcipites ad id, ob celebritatem Aldini nominis protinus damnent aut radant, ſi quod deprehenderint ab illius æditione diſcrepare: nec ſtatim priores abjiciant

codices

codices, emendationibus hujuſmodi freti. Proverbium uſurpavit & Ammianus libro 16.

Negocium non aptum.

Qui recuſat munus, aut provinciam ſibi parum accommodam: aut qui negabit accerſere velle ſeſe quempiam, ad id muneris, ad quod gerendum idoneus non videatur: uſurpabit illud ex eodem libro,

Ἵππους δ' εἰς Ἰθάκην οὐκ ἄξομαι.

Id eſt:

Cæterum æquos Ithacam non duxero.

Verba ſunt Telemachi recuſantis equos, quos Menelaus offerebat dono: quod Ithacēſis inſula non eſſet oportuna alendis equis, quippe petricoſa, minimeque paſcuis apta.

Ne è quovis ligno Mercurius fiat.

Οὐκ ἐκ παντὸς ξύλου Ἑρμῆς ἂν γένοιτο, id eſt, Non è quovis ligno Mercurius fingi poſſet, id eſt: Non omnium ingenia ſunt accommodata diſciplinis. Quidam enim, ut ait Fabius, rus ablegandi ſunt. Sumpta eſt allegoria a fabris, qui materiam deligunt. Quandoquidem ad alias res alias materias convenire, copioſe demonſtrat Theophraſtus lib. De plantis 5 Item Plinius libr. 16. Quidam ſuperſtitioſius exquirunt materiam: unde numen exculpant. Et quanquam Priapus ille deus facilis & craſſus, haud gravatur ficulnus eſſe: non tamen idem liceat in Mercurio deo tam ingenioſo, totque prædito artibus. Tametſi mihi magis arridet, ut ad magicum Mercurii ſimulachrum referatur: quem non ex quavis materia, ſed certo ligno ſcalpebant, alioqui non futurum idoneum ad magicæ artis uſum. Vnde id quoque inter reliqua magici criminis argumenta objectum fuerat Apuleio, quod Mercurii ſigillum ſcalpendum curaſſet ligno buxi: quemadmodum oſtendit ipſe apologia Magiæ prima Fortaſſis buxus ad id potiſſimum deligebatur, vel quod hominis pallorem præ ſe ferat, vel quod materies ſit omnium maxime æterna. Nam & adverſus ignem quoque ferri rigorem obtinet, autore Plinio. Apuleius Apologia Magiæ prima proverbium refert ad autorem Pythagoram: Non enim, inquit, ex omni ligno, ut Pythagoras dicebat, debet Mercurius exſculpi. Finitimum eſt huic, quod eſt apud Athenæum lib. 5. Incertum autem, utrum Democharis an Cratetis dictum: ἐκ θύμβρας οὐδεὶς ἂν δύναιτο κατασκευάσαι λόγχην, οὐδ' ἐκ Σωκράτους στρατιώτην ἄμεμπτον, id eſt, Ex thymbra nemo queat conficere lanceā, neque è Socrate probum militem. Eſt autem thymbra oleris genus, aut fruticis, non diſſimile thymo aut ſaturciæ. Hujus meminit Plinius libro decimonono, cap. octavo, condimentis aptum: unde & θυμβροφάγοι dicuntur Græcis, qui acribus delectātur, quod dicetur & in eos, quibus res ſunt aſperæ: Rurſus Athenæus in eodem lib. ἀλλ' οὔτε ἐκ θύμβρας, ἔφη Δημοχάρης, λόγχη, οὔτε ἐκ τοιούτων λόγων ἀνὴρ ἀγαθὸς γίνεται id eſt, Sed neq; è thymbra, quemadmodum inquit Demochares, lancea, neque ex hujuſmodi ſermonibus vir bonus ſit.

Officium humilius.

Cum quis recuſat munus tanquam humilius, parumque ſeſe dignum applicabit illud ex eodem Odyſſ. ρ.

Οὐ γὰρ ἐπὶ σταθμοῖσι μένειν ἔτι τηλίκος εἰμί.

Id eſt:

Nam ut maneam in ſtabulis, jam non mea poſtulat ætas.

Verba ſunt Vlyſſis ad ſubulcum.

Putre ſalſamentum amat origanum.

Clearchus apud Athenæum libro tertio:

Σαπρὸς ταρίχος τὴν ὀρίγανον φιλεῖ.

Id eſt:

Putrida ſalſamenta amant origanum.

Origanum autem herba eſt acri ſucco, qualis & thymbra. Quin & hodie frugi patres familias carnibus jam olentibus adduntacetum origani loco, ne ſentiatur putris odor. Apte dicetur de re per ſe parum honeſta, aut jucunda atque ob id exoticis condimentis & honeſtamentis egente. Qui mos etiam hodie ſordidis, ut piſcibus ſubputribus (ne quid offendat edentes putor) acida miſceant. Veritas per ſe placet. Honeſta per ſe decent. Falſa fucis, turpia phaleris indigent, hoc eſt, putre ſalſamentum origano.

Navis annoſa haudquaquam navigabit per mare.

Ναῦς παλαιὰ οὐ πλεύσει θάλασσαν, id eſt, Navis antiqua non navigabit per mare. Congruit in eos, qui jam ob ætatis imbecillitatem ad res arduas obeundas, ſuſtinendaque pericula parum ſunt idonei, ac primum ipſi pereunt oppreſſi negociorum magnitudine, & in diſcrimen adducuntur quorum res agitur. Nota eſt allegoria. Refertur adagium à Diogeniano.

Apta provincia.

In eum qui provinciam ſuſcipit, ſuis aptam viribus, abſtinens à negocio cui ſit impar (veluti ſi quis epiſcopatum accipiat, ſummū pontificium recuſet) conveniet illud ex eodem libro:

Αὐτὰρ ὅ γ' ἄλλας ἔγχεα πάντα ἑλὼν ὅσ' ἀρήρει παλάμῃφι,
Ἔγχος δ' οὐχ ἕλετ' οἶον ἀμύμονος Αἰακίδαο:

Id eſt:

Quæ manibus quadrent, ingentes corripit haſtas
Quaslibet: aſt haſtam ſolam non ſumit Achillis.

De Patroclo dictum, qui cum Achillis armis eſſet indutus, ab haſta tamen abſtinebat, quod ea gravior eſſet, quam ut quiſquam Græcorum regere poſſet, præter unum Achillem. Quod idem in Odyſſea de arcu Vlyſſis finxit Homerus.

Ad pedem.

Περὶ πόδα, id eſt, Iuxta pedem. Quod appoſitum & vehementer accommodatum eſt, id περὶ πόδα dicebatur. Sumpta metaphora à calciamentis, probe ad pedis menſuram quadrantibus. Vnde celebratur & illud Pauli Æmylii apophthegma, novum calceum, oſtendentis: Vos inquit, videtis bellum ad novum eſſe calceum, verum qua parte pedem torqueat meum, id ego demum ſentio, ſignificans Papyriam uxorem non eſſe ſuis accommodatam moribus Suidas Platonem citat, poetam opinor:

Ὡς ἐστί μοι τὸ χρῆμα τοῦτο περὶ πόδα.

Id eſt:

Vt hoc meo negocium quadrat pedi.

Bos ſub jugum.

Βοῦς ὑπὸ ζυγόν, id eſt, Bos ſub jugum: ubi quis aſſidue laborat, aut ubi ſe quis laborioſo involuit negocio. Ductum a bubus agricolis. Quin & hic erit locus utendi, cum negabimus aliquem ad id trahendum negocii, ad quod adminiſtrandum parum ſit idoneus, ſed eum qui ſit aptus: quod bos jugo ducendo natus videatur, non item canis, aut cervus. Proinde confine fuerit illi quod alio poſitum eſt loco, Bos clitellas. Recenſet Zenodotus.

Veneri ſuem immolavit.

Ἀφροδίτῃ ὗν τέθυκεν, id eſt. Veneri ſuem immolavit. Dici ſolitū, ubi quis munus offert minime gratū. Inviſus enim Veneri ſus propter Adonidem illius amaſium, apri dente peremptum. Aut contra, cum quis alium in gratiam alterius lædit Quemadmodum caper mactatur Libero, non quia gratus, ſed quia nocuit.

Iuxta navem.

Κατὰ ναῦν, id eſt, juxta navem dicuntur, quæ digeſta ſunt ordine, quæque quadrant ac congruunt, propterea quod inſtrumenta navium ſuo quæque loco reponi ſoleant. Equidem addubito, num in his verbis ſit proverbium quæ adſcribuntur, κατὰ ναῦν τὰ ἄρμενα, id eſt, Iuxta navem carbaſa Neq; enim omni navigio quævis vela congruunt.

Pygmæorum acrothinia coloſſo adaptare.

Ἀκροθίνια τῶν πυγμαίων κολοσσῷ ἐφαρμόζειν, id eſt, Acrothinia Pygmæorum coloſſo accommodare dicebantur, qui inanem ac ſtultam ſumerent operam, aut qui præter decorum minima maximis adaptarent. Veluti ſi quis rem frivolam & minutam ampliſſimis copioſiſſimeque laudibus proſequeretur. Philoſtratus in Niceta, ἠγνόει δὲ ἀκροθίνια πυγμαῖα κολοσσῷ ἐφαρμόζων, id eſt: Non intelligebat autem ſeſe Pygmæa acrothinia coloſſo accommodare. Quanquam Suidas hunc locum citans, πυγμαίων dicit non πυγμαῖα. Meminit adagii Euſtathius in Odyſſeæ φ Coloſſi dicuntur vaſtæ prodigioſæq. magnitudinis ſtatuæ. Nam hinc vox Græcis dicta putatur, quod illarum proceritatem viſus humanus non aſſequatur. Pygmæorum qui longiſſimi ſunt, duos pedes & quadrantem non excedunt. Vnde & nomen inditum putant a cubitali proceritate. Eſt autem gens, extremas Ægypti partes inhabitans, agricolationi dedita, bellum ſubinde gerens cum gruibus. Belli cauſa eſt, quod grues ſublegunt ſemina, famemque inducunt ei regioni. Ita ſcholiaſtes in tertium Iliados. Horum fœminæ quinto anno pariunt, octavo ſterileſcunt. Pygmæorum meminit Iuvenalis Satyra 13. Et in hos plurimus jocus in Græcorum Epigrammatibus. Porro acrothinia Græcis primitiæ dicuntur, quod hæ ſoleant è ſummo acervo tolli. ἄκρον ſummum, & θῖνες frumentorum acervi dicuntur.

A Deo ficti.

Qui vehementer ad aliquid natura compoſiti ſunt, hos proverbiali ſermone ad hoc natos, factos, ſculptoſque dicimus. Inſignem autem naturæ dexteritatem M. Tullius eleganter expreſſit eodē libro: Sunt autem, inquit, quidam ita natura muneribus in iiſdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, ſed ab aliquo deo ficti videantur. Alluſit autem ad Pandoram, quam finxit Vulcanus, cæteris item diis ſua munera in unam conferentibus.

IVNII. Non eſt cujusvis recte condire.

Οὐ παντός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς.

Id eſt:

Condire ſcire eſt hercle non cujuslibet.

Venuſtum adagium eſt Cratini comici lepidiſſimi in Glauco fabula, de rebus non vulgaribus, ſed arduis atque operoſis. Huic adagio obnoxii ſunt, quotquot ſcribunt carmen, nam ſi eruditius fuerit paulo, & ad popularium aures minus attemperatum, ita ut vulgi captum excedat, obſcuritatis homine damnantur illico: contra ſi leve ſit & triviale, ac ſuberis inſtar ſuperfluitans quodammo-

modo, à doctoribus rejicitur, ὡς [illegible], uſque adeo Condire recte, non cujuſvis eſt.

Æſopicum onus.

Αἰσώπειος φόρτος, id eſt, Æſopicum onus, proverbiali ſpecie dicitur quod non uſque quaque gravat, ſed paulatim levius redditur, imminuiturque. Natum a Æſopo fabulatore, qui mazas ſ[illegible] & commeatus in longũ iter parati vim magnam humeris exportandam in ſe recepit, iniquius nimirum & portatu difficilius onus: qua de cauſa ludibrio ſannisque omnium patuit primo: ſed quum indies decederet aliquid oneri, de menſo dietim indè in cibum abſumpto, poſtea ob induſtriæ ſpecimen cunctis admirationi fuit, videntibus illi decreſcere onus, conſervis propter viæ moleſtiam & diuturnitatem ingraveſcere. Qui ſcholæ ergaſtulum ſuſcipit, docendi inſolens, ſubit quidem ille Æſopicum onus, ſed quod uſu fit levius.

IOANNIS VLPII. *Sal patriæ pluris faciendus eſt quam hoſpitis menſa.*

Dictum Æſchinis, quo ſignificatur, plus deberi patriæ civitati, quam amicis aut ulli neceſſitati.

COGNATI. Κατὰ πόδα.

Id eſt, juxta pedem. Metaphora à calceo ducta, qui accommodatiſſime ſingulos articulos pedis exprimit, qua de re extat ſcitiſſimum Pauli Æmilii dictum, cujus Plutarchus ἐν τοῖς γαμικοῖς παραγγέλμασι meminit. Iuſtinianus lib. Codicis 1 titul. De veter. iur. enucl. cap. 2 §. penult. cavit, ne quiſquam commentaria in leges ſcriberet. (niſi inquit) tantum ſi velint eas in Græcam vocem transformare ſub eodem ordine, eademque conſequentia, ſub qua voces Romanæ poſitæ ſunt: hoc quod Græci κατὰ πόδας dicunt, id eſt ad pedes, ſeu iiſdem veſtigiis. Quum docemus aliquem nihil de ſuo addere, ſed aliena recitare, alieniſque veſtigiis inſiſtere, lege ſupra in Eraſm. prover. Ad pedem.

In te omnis domus inclinata recumbit.

Hic Virgilii verſus ex duodecimo Æneidos, inter proverbiales habetur de eo, cui tota domus innititur, ut columen familiæ recte poſſit appellari. D. Eraſmus in quadam ad me epiſtola: Tu vide quid per parentes & negocia liceat. Parentes ſuum potius quam tuum agunt negocium. Quæ tunt columnam, in quam domus inclinata recumbat.

Id maxime decet quemque, quod eſt ſuum.

Cicero de officiis. Quæ contemplantes expendere oportet, quid quiſque habeat ſui, eademque moderari, nec velle experiri quam ſe aliena deceant. Id enim maxime quemque decet, quod eſt ſuum cujuſque maxime. Hinc Plin. libro vigeſimo ſecundo, Decet & Erythraonas ſuus nitor, abſolutaque nigritia. Gregor. Theolog. libro primo Sentent.

Σὺ δὲ [illegible].

Id eſt:

At tu, tibi quæ convenit, complectitor.

Genus vitæ ſive actionis ſive contemplationis intelligit, & monet, ne quis ea tractet, quæ non didicit: & convenit plane cum illo Horatii verſiculo:

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis.

Huc pertinet quod ait Xenophon, cum vetat œconomum fieri, qui antea non didicit. Nam vir peritus omnia recte facit, ut inquit Salomon in Proverb. cap. 26.

MVNVS BONI CONSVLENDUM.

ERASMI. *Munerum animus optimus.*

—[illegible].

Id eſt:

Verum in muneribus res præſtantiſſima mens eſt.

Græcis hemiſtichium heroicum proverbiale: quo ſignificatur, in amicorum muneribus non eſſe ſpectandum rei miſſæ precium, ſed mittentis potius animum: ut Xerxes ille aquam manibus hauſtam a ruſtico libenter accepit. Et Chriſtus viduæ nummulos omnibus divitum muneribus prætulit. Et quidam monet, exiguum munus a tenuis miſſum amico, perinde ut maximum boni conſulere. Plinius in præfatione diverſa exhibit metaphora: Verum & diis lacte ruſtici, multæque gentes ſupplicant: & mola tantum ſalſa litant qui non habent thura. Quin trítiſſimum hodie eſt, ut qui munus aliquod offerant animum jubeant ſpectari, non rem. Refertur adagium à Phurnuto in opere de Natura deorum.

Arripienda quæ offeruntur.

Solennis eſt, multiſque locis iteratus verſiculus hic:

Οἷς [illegible].

Id eſt:

Quiſque ſibi appoſitus, ſi quid foret utile, promptas.

Admovete manus.——

Quem torquere licebit in tutores, qui rem nacti pupillorum, manus injiciunt, interque ſe partiri ſibi vindicant. Aut in ſimile hominum genus, invadentium & involantium aliena.

Nihil recuſandum quod donatur.

Si quando dices nullum eſſe recuſandum munus, quodcunque offertur, aut arripiendam eſſe quoties obtigerit alicujus occaſio commoditatis, conveniet illud ex eodem libro:

—Οὔ τοι [illegible].

Donum rejicere haudquaquam decet——

Donum quodcunque dat aliquis, proba.

Δῶρον δ' ὅ τι δῷ τις ἐπαίνει.

Id eſt:

—Donum quodcunque probato.

Proverbium admonet, boni conſulendum eſſe munus, aut officium conſiliumve quod offertur ab amico. Vnde natum ſit, indicat Strabo geographus libro ſexto. Cum Achivi juſſi eſſent oraculo Crotonem condere, miſſus eſt Myſcellus quidam, qui civitatis futurum locum conſideraret. Is quum jam Sybarim ædificatam cerneret, videreturque is locus magis idoneus, repetit oraculum, conſuluitque deum, num fas eſſet hanc pro illa concedere. Numen ad hunc modum reſpondit:

Μύσκελλε βραχύνωτε, [illegible],

Κλαυθμοὺς [illegible] δῶρον δ' ὅ τι δῷ τις ἐπαίνει.

Eos rerius interpres vertit in hunc modum:

Terga brevis Miſcelle tuo de pectore omitte.

Cætera perquirens fruſtra en venatis iniqua.

At rectum quodcunque datur, tu laude probato.

Extat idem in Collectaneis adagiorum, ſed multo depravatiſſimum. Quanquam ex vocum veſtigiis, hujuſmodi lectio colligi poterit.

Μύσκελλε βραχύνωτε, [illegible],

Οὐδ' ἄλλα [illegible] δῶρον δ' ὅ τι [illegible].

Id eſt:

Diverſa inquirens à numine Myſcele gibber,

Capias favola quod datur æqui conſule donum.

Myſcellus dictus videtur ob crurum exilitatem, quæ habebat murinis ſimilia: Brachynotus, ob dorſum contractum. Diximus alias, Crotonem ſaluberrimam fuiſſe, Sybarim peſtilentem. Refert & alia Suidas de oraculis Myſcello redditis, ſed quæ non admodum faciant ad conſtructionem proverbii.

Equi dentes inſpicere donati.

Sunt quædam & hodie vulgo jactata, non indigna quæ veteribus adagiis annumerentur: quod genus eſt illud. Non oportere equi dentes inſpicere donati: cum ſignificamus æqui bonique conſulendum, qualecunque eſt quod non emitur, ſed gratis donatur. Siquidem equum empturus dentes inſpicit, in quibus ætatis indicia certiſſima ſunt, ne circumveniatur. At incivile ſit idem facere in æquo donatitio. Vſus eſt tamen hoc proverbio D. Hieronymus in præfatione Commentariorum, quos ſcripſit in Epiſtolam Pauli ad Ephesios. Parum, inquit, eloquens ſum. Quid ad te? Diſertiorem lege. Non digne Græca in Latinum transfero, aut Græcos lege, ſi ejus figuræ habes ſcientiam: aut ſi tantum Latinus es, noli de gratuito munere judicare, & ut vulgare proverbiũ eſt, equi dentes inſpicere donati. Hactenus Hieronymus. Sed hanc hominum incivilitatem quam incuſat Hieron. nos nuper & experti & admirati ſumus. Dedimus Novum Teſtamentum, innumeros locos vel emendavimus vel explicuimus, idque non æſtimandis vigiliis. Incredibile dictu, ut obſtrepuerint, ut reclamaverint Theologi quidam ac monachorum vulgus, quibus is meus labor plurimum adjumenti adferebat. Quorum ut quiſque maxime egebat hac mea induſtria, ita odioſiſſime reclamabat: ingratum hominum genus, quibus ſi quiſpiam largiatur prandiolũ aliquanto lautius, unde diſtenti ac temulenti diſcedant, tantum non adorant hominem: & qui tantam utilitatem gratis donat, tot ſudoribus conſtantem, etiam conviciis inſectantur.

Vilis amicorum annona eſt.

Horatianum eſt, quo excuſare ſolemus hoſpitem, impeditum repentino amici adventu, quo minus pro dignitate eum excipiat. Ipſa Horatii verba, quæ Grammaticis plurimum negocii faceſſunt, paulo altium & varium habent ſenſum. Ea adducam: neque enim hic amplius concidimus.

Vtere Pompeio Groſpho: &, ſi petet, ultro

Defer. nil Groſphus, niſi verum orabit, & æquum.

Vilis amicorum eſt annona, bonis ubi quid deeſt.

In quem locum ita Eraſmus in Chiliadibus. Paſſim habeantur amici, qui petant: qui dent, per pauci. obſcure ſatis, & mire. Landinus: Parvo ſubvenitur amicis ſi boni ſint, quoniam modeſtiſſima petunt. Alius: Facile eſt amicos comparare, ubi viri boni indigent. Cum enim viri boni ſint contenti parvo, ſi in pauperiem inciderint, facile eſt eos ſibi amicos facere. Atque his proxime acu rem tetigiſſe videtur. Monet enim ſcitum Horat. ut multũ utatur Groſpho: & ſi quid petat (petiturus vero eſt non niſi verum & æquum) ultro deferat. Tum enim comparari, &c. Vilis annona,

ſionis, Id eſt vilitas me penuria paucitas. Bonis ubi quid deeſt: ubi neceſſe eſt quid boni petant. Paulo aliter Lambinus: Parvo conſtant amici, cum viris bonis aliquid deeſt. Etiamſi tu Icci locuples & copioſus, in Groſphum, qui tibi beneficio deviaciendus eſt, & quodammodo emendus, ut ejus amicitiam tibi compares, & promerearis, etiamſi inquam præbueris te liberalem, munificum & benignum: talem amicum tamen, utpote rem omnium cariſſimam, haud care videberis emiſſe. Aliter alii, præſertim qui diguntur poſt, bonis.

MVTANDÆ SENTENTIÆ.

ERASMI. Calculum reducere.

Calculum reducere, eſt mutare factum, cujus te pœniteat: aut vertere conſilium rei non ſatis commode inſtitutæ. Nonius citat Ciceronem in Hortenſio: Itaque tibi concedo, quod in duodecim ſcrupis olim, ut calculum reducas, ſi te alicujus dati pœniteat. Tranſlatum apparet, aut à ratiocinantibus, aut quod eſt vero propius à ludo latrunculario. In ſumma, proverbii ſpeciem habent, quæcunque a calculis finguntur metaphoræ. ut, Ad calculos vocare: pro eo quod eſt, rationem inire & æſtimare. M. Tullius dialogo De amicitia: Hoc quidem eſt nimis exigue & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par ſit ratio datorum & acceptorum. Valerius Maximus lib. iiij. cap. de liberalitate: Si ad calculos revocetur, parvum, utpote ſeptem jugeribus, & hoc in Pupinia abditis redactum, ſin animo prærogantis, omni pecunia majus. Et, Ad calculos reverti, eſt redire ad rationem, ac reſpectum, conſiliumque. Cicero ad Atticum. Quare nunc ſaltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus: ut non ſolum glorioſis conſiliis utamur, ſed etiam paulo ſalubrioribus. Et in epiſtolis Plinianis, Movere calculos, pro eo quod eſt, proponere rationes. Et, Ponere, inquit, in utraque parte calculos: id eſt, utrinque rationes expendere. Et, hic calculus accedat: id eſt, hoc momenti adjungatur. Neque quicquam prohibet eadem ratione dici, Decedere calculum: &, Detrahere calculum.

Palinodiam canere.

Παλινῳδεῖν, id eſt, Palinodiam canere, eſt diverſum ab his, quæ prius dixeris, dicere, atque in contrariam vertere ſententiam, Tranſlatum eſt à Steſichori Lyrici poetæ facto: cujus meminit Plato in Phædro. Is cum Helenam carmine vituperaſſet, oculis orbatus eſt, intelligens autem (Achille, ſicut ſcribit Pauſanias in Laconicis, Helenæ juſſu nunciante) cæcitatis ſuæ cauſam, protinus palinodiam cecinit. Helenamque prius vituperatam laudavit, itaque viſum recepit. Hunc Socrates jocatur ſeſe velle imitari, & amoris vituperati prius canere palinodiam, quam orbetur oculis. Sonat autem Græce παλινῳδία, quaſi dicas recantationem. Quo quidem verbo Flaccus uſus eſt in Odis, promittens palinodiam amicæ, quam contumelioſo carmine provocarat:

———Dum mihi
Fas recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

Divus Aurelius Auguſtinus ad Hieronymum: Quare arripe, obſecro te ingenuam & vere Chriſtianam cum charitate ſeveritatem, ad illud opus corrigendum atque emendandum, & palinodiam (ut dicitur) cane. Deinde alludens ad Steſichori fabulam: Incomparabiliter enim pulchrior eſt, inquit, veritas Chriſtianorum, quam Helena Græcorum. Pro iſta enim fortius noſtri martyres adverſus hanc Zodomam, quam pro illa illi heroas adverſus Trojam dimicaverunt. Neque ego hoc ideo dico, ut oculos cordis recipias (quos abſit ut amiſeris) ſed ut advertas: quos cum habeas ſanos & vigiles, neſcio qua diſſimulatione avertiſti. Ad quæ quidem reſpondens Hieronymus: Sed ſi mea cominus dicta reprehendas, inquit, & rationem ſcriptorum expetas: & quæ ſcripſerim emendare compellas, & ad palinodiam provoces, & oculos mihi reddas, in hoc læditur amicitia. Verum de hac palinodiam Auguſtinus ipſe poſtea propemodum palinodiam canit, ſcribens Hieronymo, ſeſe de Steſichoro ineptius quam literarius addidiſſe. Mihi videtur & arrogantius ad virum tanto doctiorem. Verum hoc venia dignum in Afro juvene, & epiſcopo. M. Tullius ad Atticū: Expecta palinodiam divinam. Vſurpavit hoc adagium nominatim proverbii vice Ioannes Chryſoſtomus. Item Plato in epiſtola ad Dionyſium tertia.

Vertere vela: Funem reducere.

Vertere vela, eſt in diverſum mutare ſententiam, vitæque inſtitutum Horatius in Odis,

———Nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos.———

Tranſlata metaphora à navigantibus. qui curſus errorem verſis velis corrigunt. Hanc Perſius in quinta Satyra nonnihil novans, Funem reducere dixit: pro eo quod eſt, inſtitutum mutare in diverſum:

Quæ dederam ſupra, repeto, funemque reduco.

Conſilium in melius commutandum.

Si quando jubebimus mutare conſilium, utpote fœdum ac ſtultum: aut reprehendemus quippiam ut inconſulte factum, uſui fuerit illud ex eodem libro:

—Τίς νύ τοι ἀθανάτων νημερτέα βουλὴν
Ἐς στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς;

Id eſt:

Quis tibi conſilium ſubmiſit inutile tandem
Divorum, ſanamque exemit pectore mentem?

Reprehenſio cogitationis.

Cum ipſi reprehendimus animi noſtri cōſilium, aut cogitationem parum honeſtam, aut parum utilem, locus fuerit ex Iliad. ρ.

Ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα φίλος διελέξατο θυμός;

Id eſt:

Sed mihi cur animus, ſecum hæc in pectore verſat?

Imitabor nepam.

Imitari nepam dicitur qui retrocedit. Id erit proverbialius, ſi torqueatur in eum qui in deterius uſque degenerat, ἐπὶ τὸ μᾶλλον ἀναβάλλων. Nam nepa (quemadmodum autor eſt Feſtus Pompeius) Afrorum ſidus, appellatur cancer, vel (quidam putat) ſcorpius) qui & ipſe retrogradus eſt. Nonius Marcellus negat eam vocem aliud ſignificare quam ſcorpium, ex M. Tullii De finibus libro v. Serpere anguiculos, natare anaticulos, volare merulas, cornibus uti videamus boves, nepas aculeis, ſuam denique cuique naturam eſſe ad vivendum ducem. Citat & Manilium:

———Ad ſidera vectam
Erigonen, ictuque nepam ſpolioque leonem.

Hæc Nonius. At ſi nepa nihil eſt quam ſcorpius, mirum quum Cicero maluerit dicere nepam. Quanquam ſcorpio quoque peculiare eſt retrocedere, ſi quis oſtendat. & cancer ictu vulnerat. Plautus in Caſina: Retroverſum cedam ad parietem, Imitabor nepam.

Talum reponere.

Τὸν κύβον ἀναθέσθαι, id eſt, Rurſus talum ponere dicebantur, qui quod parum ex ſententia evenerat, curis (ut ajunt) poſterioribus corrigebant. Antiphon in oratione De concordia, ἀναθέσθαι δὲ ὥσπερ πεττὸν τὸν βίον οὐκ ἔστιν, id eſt, Vitam perinde atque talum denuo ponere non licet. Vitam ſemel actam rurſus iterare non eſt datum. Licet tamen juxta Mitionis Terentiani dictum, prioris vita lapſus melioribus factis corrigere. Amiſſa vita non quod corrigas.

IVNII. *Pugna conſilia ſcindit.*

Μάχη ἐμποδίζει κρίσιν, id eſt, Conſilia abrumpit pugna. Hemiſtichium proverbiale, quo ſignificatur non ſolum in prælii conflictu, ubi ad manus utrinque ventum eſt, ſæpe numero recte proviſa conſilia turbari, & inutilia reddi, verum etiam in quavis contentione animi impetum & acrimoniam refundi atque hebeſcere. Acrior in diſputando altercatio ſæpius confundit ingenium, memoriam obliterat, & præcogitata argumentorum arma prorſus extorquet e manibus, induſtriamque expectorat. Extat apud Heſychium.

Inhibere remos.

Quod Græci πρύμναν κρούεσθαι dicunt quaſi puppim remorum niſu obvertere, id Latini inhibere remos: utrique non ſine proverbii ſpecie. Nazianzen. in epiſtola ad Eudoxium rhetorem: διὰ τοῦτο ἔγνωμεν πρύμναν ἀνακρούσασθαι, τὸ τοῦ λόγου, καὶ εἰς ἑαυτοὺς συστραφῆναι, ὥσπερ τὸν ναυτίλον φασὶ ἰχθὺν ὅταν χειμῶνος αἴσθηται. id eſt, Ea propter decretum eſt, remos (quod dicitur) inhibere, & nos contrahere quemadmodum Nautilum piſcem ferunt, ingruentis tempeſtatis metu. Proverbium eſſe facile apparet ex eo quod addit, τὸ τοῦ λόγου. Significat autem ſe decreviſſe ſuperſedere, nec ultra pergere, à conſueto curſu deſiſtentem, namque hoc indicat & illud de Nautilo piſce adjectum, qui (ut Ariſtoteles & Oppianus ſcribunt) ſummo in gurgite teſta cōvexa quaſi velificatur, expanſis brachiorū cirris: mox ſi metus alicūde mali prehenderit, converſa teſta mare hauriens, gravis pondere ſubſiſtit ocyſſime. Idē in funebri oratione Baſilio dicta, ἐξαίφνης μεταβαλὼν πρύμναν τε ἀνακρουσάμενος ἐκείνῳ δίδωμι, καὶ ἐπαμφοτερίζουσαν τὴν νίκην ἐποίησα, id eſt, Mutato repente conſilio & remos inhibui, huic puppim ſiſtens, & victoriam ambiguam effeci. Aptiſſime adagio uſus eſt Nicephorus Calliſtus hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. ij. cap. xxxij. pro mutare ſententiam in diverſum, loquens de Melitæ incolis, aliam quam prius opinionem de Paulo habentibus, ita inquiens: οἱ δὲ πρύμναν ἀνακρουσάμενοι τἀναντία λέγοντες ἦσαν, id eſt, At illi inhibentes remos diverſa de illo prædicabant. Quintilianus lib. duodecimi procemio, ſimili figura dixit: Vnum modum in illa immenſa vaſtitate cernere videmur Mar. Tullium: qui tamen ipſe quamvis tanta atque ita inſtructa nave hoc mare ingreſſus, contrahit vela, inhibetque remos, & de ipſo demum genere dicendi, quo ſit uſurus perfectus orator, ſatis habet dicere. Quid autem ſit inhibere remos, explicat Cicero libr. xiij. ad Atticum, his verbis: Sed arbitrabar ſuſtineri remos, quum inhibere eſſent remiges juſſi. id non eſſe ejuſmodi didici heri, cum ad illam noſtram navis appelleretur:

non

non enim ſuſtinent, ſed alio modo remigant, & paulo poſt: Inhibitio autem remigum motum habet, & vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim. A quo nonnihil diſcrepat Thucydidis ſcholiaſtes Græcus, & ex eo Suidas, exponens πρύμναν κρούσασθαι eſſe, quum paulatim ſubducimus, non autem ſubito navigium obvertimus. Nam qui eo modo recedit, ad puppim remigat. Thucydides libro 1. ἐθαύμαζον τοὺς Κορινθίους πρύμναν κρουομένους. id eſt, Admirabantur Corinthios cur remos inhiberent.

COGNATI. *Ab inceptis deſiſtere.*

Plato in Sophiſta. Rerum difficultate deterriti ab inceptis protinus deſiſtamus.

EX *APPEND.* IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

In aliam terram transferri.

Εἰς ἑτέραν γῆν μεθίστασθαι. De rebus longe abductis, & valde mutatis. Ariſt. in Regem. Sic cum phraſim barbaram in melius commutari volumus, optamus illam deportari in ſolas terras.

MVTATI INSTITVTI.

ERASMI. *Nuces relinquere.*

Nuces relinquere. eſt omiſſis ſtudiis ac nugis puerilibus ad graviora magiſque ſeria converti Perſius.

—Et nucibus facimus quæcunque relictis.
Cum ſapimus patruos.——

Tranſlata metaphora, vel à venuſta nuptiarum ceremonia in quibus ſponſus uxorem ducens nuces ſpargebat, utpote jam pueritiæ renuncians. Ita Catullus in carmine nuptiali.

Da puer propere nuces:
Concubine nuces da.

Vergilius in Bucol. eclog. 8.

Sparge marite nuces.——

Quanquam Plinius lib. 15. cap. 22. cauſas alias adfert, quam ob rem nuces in nuptialibus ceremoniis conſueverint antiquitus adhiberi. Sed præſtat ipſius referre verba: Nuces, inquit, juglandes, quanquam & ipſæ nuptialium Feſcenninorum comites, multum pineis minores univerſitate, eædemque portione ampliores nucleo. Nec non honos his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. Quæ cauſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtu munito: quod eſt veriſimilius, quam quia cadendo tripudium ſonum ve faciant. Feſtus item indicat, in nuptiis à pueris nucis ſpargi ſolitas, ut novæ nuptæ intranti domum novi mariti, fauſtum eſſet auſpicium. Addit Servius, pueros catamitos, cum à turpi ſervitio recederent, ſolitos nuces ſpargere: ſignificantes ſe poſthac omnia puerilia ſpernere. Vel hinc igitur, vel certe à puerorum luſibus, qui nucibus peraguntur, ductum proverbium videri poteſt. Nam talis ac nucibus olim luſitaſſe pueros, vel Horatius teſtis, cum ait:

—Te talos aule nuceſque.

Proinde ad hanc proverbii formam pertinebunt & reliquæ illæ figuræ: Nunquam à nucibus recedere, Redire ad nuces, Nuces abjicere, Nuces intermittere, Nucibus indulgere, Nuces repetere: atque id genus al.2.

De calcaria in carbonariam.

Quoties fit ut à re propoſita ad aliud quippiam longe diverſum digrediamur, de calcaria in carbonariam decurrere dicimus: ſive cum ex uno malo in aliud diverſum incidimus. Tertullianus lib. De carne Chriſti. Igitur, inquit, de calcaria, quod dici ſolet, in carbonariam, à Marcione ad Apellem. Hinc non diſſimile eſt illud Ciceronis in actione pro Murena: Reſpondebo igitur Poſthumio primum, qui neſcio quo pacto, mihi videtur prætorius candidatus in conſulatem, quaſi deſultorius in quadrigarum curriculum incurrere.

A Dorio ad Phrygium.

Ἀπὸ Δωρίου ἐπὶ Φρύγιον, id eſt, A Dorio ad Phrygium venire dicebatur, qui à vita temperatiore ad luxum ſeſe convertiſſet: aut qui a fortuna mediocri ſe contuliſſet ad majorem vitæ ſtrepitum. Sumpta metaphora à notiſſimis illis veterum harmoniarum generibus, in quibus Dorium moderatius: quemadmodum indicat Suidas, referens hæc verba ex autore neſcio quo, τὴν δὲ τροφὴν ἐκεκλήρωτο μετρίαν, καὶ ἄθρυπτον οὔτε γλίσχραν διὰ πενίαν, οὔτε διὰ πλοῦτον βλακώδη, ἀλλὰ μέσην καὶ μουσικήν, τὸ Δώριον τρόπον τῆς τύχης ἀληθῶς ἡρμοσμένην. id eſt, Victum autem ſortitus erat moderatum, deliciarum expertem, neq; ſordidum ac moleſtum ob inopiam, neque ob divitias diſſolutum, ſed medium quendam ac modulatum, vere ad Dorium fortunæ modum attemperatum. Refert & alium locum, ſuppreſſo autoris nomine, ni fallor. ἐφαιδρύνετο μουσικὴν λογίζεσθαι, αὐτοὶ τῆς διέξοδου τῶν γεγραμμένων ὡς μόνον, ὥσπερ γλῶτταν τὴν εὐθεῖαν ὑπὸ τῆς διαλέξεως ἐπιτρεπομένην μεθαρμοζόμενοι, ἀπὸ Δωρίου φασὶν ἐπὶ Φρύγιον. Quæ tametſi difficile eſt apte vertere, ſi neſcias quid præcedat aut ſequatur: tamen opponam divinationem meam, donec locus occurrerit. Non videbor hominum rotunde loquentium verbula, ſed ipſos ſenſus in medium adferens, tantum non ipſius linguæ tonum à diſputatione ad attentionem adapravero, quanquam apud Suidam legitur μόνον τι. Ex his verbis apparet, Dorium modum fuiſſe delicatiorem, Phrygium ſeveriorem. Apuleius Floridorum lib. 1. palam indicat, Doricam muſicam à Phrygia longe diverſiſſimam fuiſſe: quandoquidem hæc ad religionem inflammabat animos, illa ad bellum inflammabat. Apuleii verba ſic habent: Tibicen quidam fuit Antigenidas, omnis voculæ melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator, ſeu tu velles Æolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygiũ religioſum, ſeu Dorium bellicoſum. Hactenus Apuleius: cui ſi credimus, non poteſt eſſe temperatus modus Dorius, qui ad bellum accendit: niſi forte ſtatis in præliũ moderatius canebant tibiæ, quod illic plus valeat ſibi præſens animus, quam furore percitus. Verum an in Apuleii verbis pro Æolion legendum ſit Ætolicum ſive Ætolicum, & pro Aſium, Caſſium ſive Iaſtium, ab Iade ſive ἰαστί (ut Ionicum intelligas modum) doctis expendendum relinquo. Quanquam his non ſatis congruunt quæ refert Lucian. in Harmonide: ἑκάστης δὲ ἁρμονίας διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίας τὸ βακχικόν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνόν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν. id eſt, Uniuſcujuſque harmoniæ ſervare proprietatem, Phrygiæ divinum impetum (quod Apul. vertit religioſum) Lydiæ bacchanalem furorem, ſive licentiam, Doricæ ſeveritatem, Ionicæ jucunditatem (quod Apuleius videtur tranſtuliſſe varium.) Contra Dion in commentariis de regno refert, Alexandrum Magnum ad bellum accendi ſolere Timotheo muſico Dorium incinente. Athenæus lib. 14. Doricæ harmoniæ tribuit τὸ ἀνδρῶδες, καὶ τὸ μεγαλοπρεπές, καὶ τὸ σφοδρόν, id eſt, ſeveritatem, majeſtatemque ac vehementiam: ut quæ neque diſſoluta ſit, neque hilaris, ſed triſtis, minimeque varia. Iam his recentior Boetius in præfatione libri De muſica, oſtendit hanc artem ad movendos affectus præcipuam habere vim, proq; ratione modorum, alios atque alios animi motus vel excitare vel ſedare. Addit Pythagoram incentione modi Phrygii incitatum adoleſcentem patria barbarum, quippe Tauromitanum, vino temulentum, ita furentem, quum jam ædibus amicæ, quæ rivalem admiſerat, ignem admovere tentaret, tibicina juſſa ſpondeos ſuccinere, ad ſobriam mentẽ revocaſſe. Boetius refert, juvenem Phrygio modo fuiſſe incitatum, ac mutato modo ad ſe rediſſe: nec exprimit in quemadmodum ſit mutatus Phrygius. M. Tullius, quem illic citat Boetius neutrius meminit modi: tantum ait ſpondeorum incentione fuiſſe ſedatum adoleſcentem. Si Timotheus Dorio modo concitabat Alexandrum ad bellum, & hic adoleſcens ad expugnãdam domum Phrygio fuit accenſus, apparet modos hos non multum inter ſe diſcrepare. Lucianus Phrygio tribuit τὸ ἔνθεον, id eſt, furorem, ſed ſacrum duntaxat. Hujus autem furoris Plato tria facit genera: unum, quod poetis immittant Muſæ: alterum, quod vatibus immittit Apollo: tertium, quod amantibus Cupido. Habet autem & Bacchus & Mars furorem ſuum. Itaque juvenis ille triplici furore correptus inſaniebat, Bacchi, Cupidinis & Martis. Pyrrhichios autem ad prælium acuere, alias docuimus: unde illud πυῤῥίχην βαίνειν, de trucibus & commotis Pyrrhichio autem contrarius eſt ſpondeus. Quod ni Boetius dixiſſet mutatum modum, probabile eſſe poterat, eundem modum. Phrygium incitare pyrrhichiis, & levare ſpondeis. Et haud ſcio an Boetius, quum ait immutatum modum, ſentiat non mutatas harmonias, ſed vocum celeritatem. Videtur locus proverbio, quum ad diverſa tranſitur, veluti ſi quis de Rhetorum præceptis ſermonem exorſus, ad Theologicam materiam digrediatur. Equidem arbitror veteres de generibus harmoniarum diverſa tradidiſſe, quod ipſa mutatis gentium moribus pariter ſint immutata. Priſcorum enim Aſianorum laudata eſt ſeveritas, priuſquam luxu effœminarentur. Idem uſuvenit Laconibus, in quibus ſunt Dores. Hinc illa mixturarum nomina, ὑποδώριον, μιξολύδιον, ὑπομιξολύδιον. Athenæus hypodorium modum putat eundem eſſe cum Æolio, cui tribuit tumorem ac faſtum, & ſubmolle quiddam. Quidam muſices ſtudioſi affirmant difficillimum eſſe tranſitum à Dorio ad Phrygium. Oſtendimus & alias. Phrygium melos, πολιὸν appellatum, & in funebribus næniis adhiberi ſolitũ. Quod ſi Dorius cantus Phrygio diverſus eſt, utpote qui ad belli cupiditatem inflammet, conſentaneum eſt illum pyrrhichiis conſtitiſſe: quandoquidem ſpondeo contrarius eſt pyrrhichius. Verum de his harmoniarum generibus permulta Plato in libris De repub. Rurſus in Lachete docet hanc eſſe vere Doricam cantionem, & Græcam harmoniam, non Prygiam: neque Ionicam, neq; Lydiam, ſi vita concordet cum oratione bona. Nonnulla Plutarchus in libro de Muſica. Nos quantum ad percipiendum adagii ſenſum ſat eſt, attigimus.

Pro eleganti medico malus poeta.

Ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ, κακὸς ποιητὴς καλεῖσθαι ἐπιθυμεῖς, id eſt, Pro venuſto medico malus poeta dici cupis. In eum dici ſolitum, qui non contentus artis ſuæ profeſſione, in qua locum mediocrem obtinebat, pergit aliena profiteri, in quibus non perinde ſit exercitatus, nec parem proinde gloriam reportaturus. Periander quiſpiam non incelebri fama medicus, & ejus ætatis vel cum primis

doctus

doctus, ad poëtices ſtudium deflexit, & ineptos quoſdam verſiculos ſcribere cœpit. Hinc vulgaris jocus increbuit. Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis tribuit hoc dictum Archidamo Ageſilai filio.

Rudentes & remos cum armis commutavit.

Νῆα καὶ κώπας ἀνθ' ὅπλων ἠλλάξαντο.

Id eſt:

Mutarunt armis remos & nautica vincla.

Conveniet, ubi quis artem, aut quæſtum ſolitum relinquit, gloriæ cupiditate commotus: veluti ſi quis è nauta fieret miles, negociatore ſacerdos. κάλοι, funes nautici ſunt: κωπίας, ligna unde remi parantur.

Maritimus cum ſis, ne velis fieri terreſtris.

Θαλάττιος δ' ὤν, μήποτε χερσαῖος γένῃ.

Id eſt:

Si ſis marinus, abſtine à terreſtribus.

Admonet, non mutandam conditionem, ne in melius quidem: verum unicuique tuendum id vitæ genus, ad quod vel inſtitutus à natura videtur, vel in quod caſu incidit. Mutuo ſumptum ex apologo quodam Æſopico, qui fertur hujuſmodi. Cancer quidam relicto mari, cœpit in agro quodam paſci. Ibi forte conſpectus à vulpe protinus arreptus ac devoratus eſt. Itaque periturus ſero deploravit ſtultitiam ſuam, quod marini generis cum eſſet, ad terreſtrium animantium partes deſciſcere voluerit. Eſt apologus non diſſimilis de lupo tibiis canente, ac mox canibus irruentibus deplorante, quod ex coquo factus eſſet tibicen. Hermolaus Barbarus ad Picum invertit non ineleganter proverbium: χερσαῖος ὢν μὴ ζήτει θάλασσαν. id eſt: Terreſtris cum ſis, ne quæſieris mare.

Sui diſſimilis.

In ſui diſſimilem quadrabit illud ex Odyſſ. π. quod de Pallade dixit Ulyſſes:

——Σὲ γὰρ αὐτὴν παντὶ ἐΐσκεις.

Id eſt:

Nunc alio, nunc rurſum alio ſis obvia vultu.

Idem mire quadrabit in ſapientiam, quæ variis involucris obtegitur apud priſcos, & alia atque alia ſpecie proponitur: præſertim in divinis literis, quæ tota ferme conſtat allegoriis.

Qui multum obfuit.

Vide ſupra in loco Infortunii.

Vlyſſes pannos exuit.

Plutarchus in commentario, Qua ratione ſit adulator, &c. hunc Homericum verſum uſurpat, non ſine ſpecie proverbiali, ex Odyſſeæ χ.

Αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς.

Id eſt:

Vilibus at pannis mox eſt exutus Ulyſſes.

Accommodare licebit iis, qui genere vitæ ſubito commutato, è pauperibus divites, è ſqualidis nitidi, è triſtibus hilares exiſtunt. Nam Ulyſſes ſimulatque pannos in quibus medicum apud procos egerat, exutus, magnificis veſtibus ornatus eſſet, repente viſus eſt alius. Plutarchus torquet in adulatorẽ, qui polypi more omnium ſtudiis ſeſe accommodat, adeo ut qui paulo ante apud amicum philoſophiæ deditum, prolixam barbam ac pallium geſtarit, aſſidue verſans in libris, nihilque crepans niſi numeros, rectangulos & triangulos Platonis: ſi forte fortune in amicum inciderit, voluptatibus addictum, continuo mutata figura velut à Circe transformatus, Sardanapalus fiat.

Subito alius.

Simili modo torquet & aliud Homericum ex Odyſſeæ π. in hominem repente mutatum, quique ſubito alius factus eſſe videatur:

Ἀλλοῖός μοι ξεῖνε φάνης νέον ἠὲ πάροιθεν.

Id eſt:

Hoſpes nunc alius mihi quam dudum eſſe videris.

Congruit huic illud Theocriti:

[illegible]

Id eſt:

Num quo alius ſubito factus ſum numine divum.

Ad bonam frugem.

Qui commutatis ad meliora ſtudia moribus reſipiſcunt, proverbio dicebantur ad meliorem frugem ſeſe recipere. Uſurpat M. Tullius in actione pro M. Cælio: Et ſe ad bonam frugem, ut dicitur, recepiſſe, graveiſque homines atque illuſtreis fuiſſe. Item Plautus in Trinummo: Certum eſt ad frugem applicare animum. Lampridius in Heliogabalo: Milites ſe paſſuros dixerunt, ſi ad bonam frugem rediret. Unde Frugi & bonæ frugi dicuntur, qui ſuo funguntur officio: præſertim ſervi, quos ad operam præſtandam alimus. Ulpianus ad legem Aquiliam, cap. idde Neratius: Sed ſi bonæ frugi ſervus intra annum mutatis moribus occiſus ſit. Item titul. de quibus rebus ad eundem judicem eatur, cap. ſi quis ſervum: Intereſſe fructuari videtur, bonæ frugi ſervum eſſe. Rurſum in Digeſtis libro undecimo, titul. de ſervis corruptis, §. quod ait prætor. Sed utrum ita demũ tenetur, ſi bonæ frugi ſervum perpulit [illegible] delinquendũ. Plautus in Caſina: Credo poleſſe, ſi tu frugi bonæ es. Rurſus in Pſeudolo: Cupis me eſſe nequam, tamen ero frugi bonæ. Nequam oppoſuit frugi. Nequam enim nulli eſt uſui. Et ita frugi hominem dicimus, quemadmodum nequam, utraque voce indeclinabili. Columella De re ruſtic. lib. 1. Ejuſdem agilitatis homo frugi melius quam nequam faciet. Et in Declamationibus, frugi filius opponitur luxurioſo.

De toga ad pallium.

Certe ſpeciem habet proverbii quod refert Tertull. in libello De pallio: Hæc nimirum indignitas erit à toga ad pallium. Cujus duplex erit uſus, vel cum ad diverſum vitæ genus ſeſe contulerit aliquis, vel cum à fortuna honeſtiore ad humiliorem: velut ſi quis ex aulico fiat monachus, aut è præfecto pædagogus, è conſule rhetor. Toga Romanorum erat, pallium Græcorum. Poſt pallium cœpit eſſe geſtamen philoſophorum. Confine illi, Ab equis ad aſinos.

Circeo poculo.

De Circes virga nobis ante dictum eſt. Adſimili forma M. Tullius uſus eſt Circeo poculo, de homine ſubito in alium mutato, actione in Verrem 1. Sed repente è veſtigio ex homine tanquam aliquo Circeo poculo factus eſt verres: redit ad ſe, atque ad mores ſuos. In verbis Ciceronis tacita alluſio eſt ex ambiguo vocis. Nam verris porcus eſt majalis, nondum caſtratus.

Longum valere juſſit.

Μακρὰ χαίρειν φράσας ταῖς ἐνταῦθα τιμαῖς, id eſt, Honoribus qui hic ſunt, longum valere juſſis. Ea figura quoties ad rem, non ad hominem refertur, haud dubie proverbialis eſt. Rem igitur à quo nos abdicamus, ei renunciare dicimus, ac longum valere jubere. Sumpta metaphora ab iis qui diſcedunt diutius abfuturi, ſeu nunquam redituri. Eſt ſæpicule apud Lucianum, & idem apud alios. M. Tullius in epiſtolis ad Atticum lib. 8. At ille πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ dicens, contulit ſe Brunduſium. Incertum utrum de philoſopho quopiam loquatur, qui cum ſolitus eſſet multa præclara de honeſto loqui, quod in ipſo ſitum eſſet, poſtea veluti renuncians philoſophiæ, ſibi conſuluerit: an de Pompejo, qui Cæſarem fugit in Græciam, incolumitatis rationem habens potius quam dignitatis. Hyppolitus apud Euripidem:

Τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Id eſt:

Veneri tuæ multum valere renuncio.

Uſurpat Lucianus in Jove tragœdo. Idem in apologia [illegible], interpretatur proverbium his quidem verbis, τὸ γὰρ μακρὰ χαίρειν, τὸ μηκέτι φροντίσαι δηλοῖ, id eſt, Hoc dictum longum valere, declarat nobis non amplius curæ futurum. D. Tullius Epiſtolarum familiarium libro 15. pro μακρὰ χαίρειν, dixit, Nuncium remittere: Virtuti, inquit, nuncium remiſiſti, delinitus illecebris voluptatis. Eadem forma dicimus Repudiare, aut renunciare, aut nuncium mittere iis quæ ſpreta relinquimus: metaphora ſumpta à ſolemni more divortii, quo qui divertebat, dicere ſolet: Tua tibi habe. Sic enim Cajus libro viceſimoquarto, titulo ſecundo, de divortiis & repudiis, cap. Divortium. In repudiis autem, id eſt, in renunciationibus comprobata ſunt hæc verba. Tuas res tibi habeto: item hæc verba: Tuas res tibi agito. His igitur verbis peragebatur divortium in matrimonio. In ſponſalibus autem, inquit, diſcutiendis, placuit renunciationem intervenire oportere. In qua re hæc verba probata ſunt: Cõditione tua non utar. Ita Alcmena apud Plautum: Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas. Huc illudens Cicero in Antonium: Frugi factus eſt, inquit: illam ſuas res ſibi habere juſſit. Apud juriconſultos frequens eſt, Nuncium mittere, quod ſit pariter in matrimoniis atque in ſponſalibus, licet diverſa verborum formula, quemadmodum diximus. De rebus animi fiet jucundi⁹: veluti ſi quis dicitur ab aulica vita, alio ve ſtudio recedere, de eo ſic loquamur: Aulam ſuas ſibi res habere juſſit, philologiæ ſuas res ſibi habere juſſit.

EX APPENDICE ERASMI.

Ab Hymetto, ab area Syra.

Craſſam & ruſticanam, qualem à plebe diſcimus philoſophiam, Cic. appellat ab area Syra: ut petitam ex Zenone & Platone philoſophiam ab Hymetto. Syri enim barbarie nobiles erant ut Attici (hos per montem Atticæ, mellis ibidem nati bonitate, clarum, accipit) lepore dictorum.

Recoquere.

Pro, emendare & refigere, ſeu reformare. tribuitur elegantiſſime perſonis. Horat. Quintil. Et Cicero Aſiam ſimulata cauſa valetudinis adiit, ubi ſe, ut ipſe ait, recoquendum præceptoribus dicendi dedit. Volaterranus.

IVNII. *Bubulcus antea, nunc caprarius.*

Βοῦς πρὶν ἤλαυνε, νῦν δ' αἰπόλος ἀνδρ' ἐγένετο.

Id eſt:

Caprigeni gregis es ductor, paulo ante bubulcus.

Theocritus Idyllio primo, De iis qui in pejus degenerant, ab equis, quod dicitur, ad aſinos: vel qui perſonam ſuſtinere nequeunt aut tueri quam præ ſe ferunt: vel qui placidos mores in aſperos commutant, humani prius & mites, nunc crudeles & efferati, denique ex Mitionibus Demeæ. Natum videtur à boum & caprarum ingenio, quod proceſſu temporis bubulci caprariique ſuo cōſuetudinem rapiunt, animantiumque iſtorum mores imitantur. Boves ut ſunt placidi & manſueto ingenio, ita & eorum magiſtri: contra caprarii ſalacitate & intractabili feritate capras æmulari creduntur contagione in naturam abeunte.

Quid ſole relicto venis.

In eum qui ſedem commodam cum incommoda, aut cum peſtilente loco ſalubrem regionem commutarit, aut Academiam literario ocio deſtinatam, cum aula negociorum, litium & ambitionis plena, aptiſſimè detorquebitur Homeri illud ex Odyſſeæ λ. ubi venientem ad inferos Ulyſſem his verbis excipit Thebanus Tireſias:

Τίπτ' αὖτ', ὦ δύστηνε, λιπὼν φάος ἠελίοιο
Ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς νέκυας καὶ ἀτερπέα χῶρον;

Id eſt:

Quid miſer exangues umbras inamœnaque viſis
Pascua, Titanis lumen vitale relinquens?

Ad aliud proœmium tranſeo.

Μέτειμι ἐπὶ ἕτερον προοίμιον, id eſt, Tranſeo ad aliud proœmium. proverbii vice uſurpatum ab Ariſtide Rhetore uſus erit, quoties aliud urgemus propoſitum, aut diverſam à priore ſententiam amplectimur: aut ſi explicatæ antea prolixioribus verbis rationi, ſecundā ſubtexere inſtituamus. Sumptum eſt ex Steſichoro Syrico poeta, ac forte ex ejus palinodia, quam in Helenæ a ſe prius vituperatæ encomium reconcinnavit. Ariſtides in oratione adverſus ſilentii ſui criminatores: μέτειμι δὲ ἐπ' ἄλλο προοίμιον κατὰ Στησίχορον. id eſt: Tranſeo nunc ad aliud proœmium, juxta Steſichorum.

Spongia medebitur.

Σπόγγος ἰάσεται, id eſt, Spongia medebitur. Quadrabit, quoties mutaturos nos ſententiam, & antiquaturos pollicebimur. Uſus ſpongiæ notiſſimus erat in extergendis menſis, præcipueque abacis, in quibus ſcribebant & inducta ſpongia corrigebant. quomodo Auguſtus Ajacem fabulam in ſpongiam incubuiſſe dicit, ad exemplum Ajacis, qui in ferrum, uti refert Suetonius Tranquillus. Ariſtides in oratione quadam εἰ γάρ τι ἡμῖν λελήρηται, οὐδὲν δεῖ τῆς Στησιχόρου παλινῳδίας, ἀλλὰ σπόγγος ἰάσεται. id eſt: Quod ſi quid nugati ſumus, nihil opus fuerit Steſichori palinodia, nimirum abunde medebitur ſpongia. Alluſit huc author epigrammatis incertus libro ſexto, in quo Callimanes quidam Mercurio artis ſuæ inſtrumenta his verſibus dedicat:

Καὶ βιβλίων [illegible]
Σπόγγον, [illegible]

Id eſt:

Undivagique thorum Tritonis ſpongiam, in alto
Decerptam terranis quæ medicina ſtyli eſt.

Clemens Alexandrinus, [illegible] dixit madorem ventriculi nimium aridis cibis ebibere atque rapere. quod metaphoricè licebit transferre ad orationem, quæ ſi nimis diffluens ſit, exſiccanda venit, ac molli illo madore exinanienda. Græce non maledixeris, [illegible].

Capra anniculæ pera.

Citatur ab Euſtathio Odyſſ. 9 parœmia heroici verſus lege aſtricta ejuſmodi:

Αἰγὸς ἐπετείου [illegible] ἀρίστη.

Id eſt:

Anniculæ capræ miſſæ pera optima fertur.

Videtur autem conficta ad commendationem puellaris ætatis: ſunt enim ἐπετείους anniculi agni, ut exponit Heſychius. Uſus ejus accommodabitur, ſi quando eundem juvenem præclaræ ſpei & modeſtum laudabimus, qui poſtea ſenii vitio moroſior redditus intolerabilis evaſit.

Cras credo, hodie nihil.

Varronis eſt inter parœmiacos librorum titulos proverbium non ſemel à Nonio Marcello citatum, quo mutationem & variabilem rerum humanarum ſortem ſignificari autumo. Conforme illi eſt, imo idem plane, Anaxandridæ comici illud ex Anchiſe fabula.

Πολλοί γε νῦν μέν εἰσιν οὐκ ἐλεύθεροι,
Ἐς τ' αὔριον δὲ Σουνιεῖς, εἶτ' εἰς τρίτην
Ἀγορᾷ κέχρηνται. τοῦ γὰρ οἴακος στρόφος
Δαίμων ἑκάστῳ.

Id eſt:

Multi quidem ſunt hodie liberi parum,
Quos Sunienſes luce craſtina, dies
Sequens videbit perſuum claros foro.
Sors namque clavum verſat hominum cuilibet.

Ubi per Sunienſes, negociatores intelligi puto, à Sunio Athenarum emporio notiſſimo, ubi rerum venalium forum erat, Donato teſte: ut innuūt, repente quoſdam è ſervis negociatores bona fortuna uſos evadere, mox etiam civilium rerum gubernaculis admoveri, hoc eſt, ex ſervis Cecropios fieri. Extat apud Ariſtophanem ſimile proverbium: ὃς χθὲς μὲν οὐδείς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας. id eſt, Qui nunc nullius cras permagnus. Conſimili figura ferme dixit Nazianzenus in Athanaſium, χθὲς ἱερόσυλοι καὶ σήμερον ἱερεῖς. id eſt, Heri ſacrilegi hodie ſacrifici: de iis qui ſacra intempeſtive tractant, adhuc tyrones artis, aut qui doctores eſſe præſumunt, vix diſcipuli. Poſtremum autem illud, τοῦ γὰρ οἴακος στρόφος δαίμων ἑκάστῳ, id eſt, Fortuna vertit clavum cuilibet: proverbium ſapit, quo fortaſſis uſus ſit Varro ſimiliter: ut haud abſurdum ſit, illud apud Nonium reponere in dictione Examuſſim, ubi ſic legitur, item [illegible] hoc modo legendo. Idem [illegible], ut ex initiali voce totum tunc adagium agnoſci potuerit.

BRASSICANI. *Etiam vetus arbuſtum transferri poteſt.*

Seneca libro 13. Epiſtolarum, Ægialus paterfamilias dicebat etiam vetus arbuſtum transferri poſſe. Adagium eſt, omnem tandem ætatem poſſe ad optimam quamque vivendi rationem trāsferri & accommodari, quando ſenex Cato Græcas literas didicit. Ita quod veriſſimum ſit hoc Publianum:

Nulla eſt ſera ad bonos mores via.

COGNATI. *Rerum reliquit habenas.*

Hoc eſt, gubernationem, imperium & moderationem: ducta metaphora ab aurigis, qui equos habenis regunt, quibus relictis ipſi diſſolute vagantur, nullo moderante. Idem Virg. de Latino, lib. Æneid 7.

—Rerumque reliquit habenas.

Dicitur de eo, qui afflictiſſimis in rebus ſpem aut conſilium abjicit. Debet enim ad publicum aliquod munus vocatus, animum fortem & excelſum, quo omnem negociorum quantumcunque magnitudinem facile ſuperet, ſecum afferre.

Decedere de ſuo more.

Decedere de ſuo more vel inſtituto, proverbii vice & loco apud Gallos uſurpari cœptum eſt, pro, mores mutare, & aliter agere quam ſolitum eſt. Cic. in Verrem: Nonne hoc indicent, tantas eſſe injurias, ut multo maluerint de ſuo more decedere, quam de tuis moribus non dicere? Decedere inſtituto ſuo, apud Livium legitur τὸ [illegible]. Budæus Ruzæo: Noli, de tuo more decedere, ut in alienos mores immigres, id eſt, mores mutare. Migrare ex ingenio ſuo, plus eſt quam decedere de more ſuo: quia qui migrat, non habet animū revertendi. Sic redire ad ingenium, eſt revolvi ad mores ſuos. Terent. in Adel. Si ſperat fore clam, ruſus ad ingenium redit.

Nuces relinquere.

Eſt enim nucum luſus ſoli pueritiæ conveniens, grandiorique ætati indecorus. Hinc Perſ. ſatyr. 1.

—Et nucibus facimus quæcunque relictis,
Cum ſapimus patruos.

hoc eſt: Quamvis ſenes ſumus, atque cani nuces (ut eſt in proverbio) reliquerimus, patruamque gravitatem & ſeveritatem redolere nos conveniat: tamen vani ſumus atque leves, & omnes falſæ laudis umbras conſectamur. Ad hæc Horat. Serm. lib. 2. Saty. 3. ſub finem:

Ædificare caſas, ploſtello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectat barbatum, amentia verſet.

Tibul. lib. 2. eleg. 1.

Ludet, & ex virgis extruet arte caſas.

Idem Horat.

—Poſtquam te talos Aule nuceſque
Ferre ſinu laxo, donare & ludere vidi.

Martialis:

Jam triſtis nucibus puer relictis
Clamoſo revocatur à magiſtro.

Item:

Alea parva, nuces, hæc non damnoſa videntur:
Sæpe tamen pueris abſtulit illa nates.

Eraſmus noſter ad antiquas quaſdam conſuetudines proverbium refert: nos ad luſus pueriles ſolum referimus, atque utimur pro exuere puerilia, inconſulta, inepta & inconſiderata, quæ eos qui, ex ephebis exceſſerunt, nulla ætatis ratione habita, dedecent. Seneca epiſt. 4 Adhuc non pueritia in nobis, ſed, quod gravius eſt, puerilitas remanet, & hoc quidem pejus eſt, quod authoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantum, ſed infantium. Vide alibi, Puerile eſt.

NECESSITAS.

ERASMI. *Feras, non culpes, quod vitari non poteſt.*

A. Gellius ſcribit, Publii Mimi ſententias aliquot, ad commu-

nem

dem ſermonem accommodatiſſimas vulgo circumferri ſolitas, è quibus hæc una eſt, quovis philoſophorum dogmate ſalubrior: Feras, non culpes, quod vitari non poteſt. Quibus verbis admonemur, ut mala fatalia, quæ nulla ratione poſſint neque declinari, neque propelli, ſaltem animi æquitate leniantur. Nec aliud, tametſi verbis aliis, docet Euripides in Phœniſſis, quum ait:

Δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν.

Id eſt:

Toleranda fata numinum.

Idem in ejuſdem tragœdiæ calce,

Τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν.

Id eſt:

Quippe mortalem neceſſe eſt ferre fata numinum.

Homerus Odyſſeæ lib. 9.

Νοῦσον γ' οὔπως ἔστι Διὸς μεγάλου ἀλέασθαι.

Id eſt:

Nulli fas vitare malum ex Jove rege profectum.

Huc pertinet & illud ſcitum Varronis dictum: Uxoris vitium aut tollendum eſſe, aut ferendum. Item adagium quod ſuo dicemus loco: μὴ πρὸς κέντρα λακτίζειν. id eſt, Ne contra ſtimulum calcitres.

Diomedea neceſſitas.

Διομήδειος ἀνάγκη, id eſt, Diomedea neceſſitas. De iis qui vi adacti, non ſponte quid faciunt. Uſurpatur à Platone lib. de Republica 6. Διομήδεια λεγομένη ἀνάγκη ποιεῖν αὐτῷ ταῦτα ἃ ἂν οὗτοι ἐπαινῶσι. id eſt, Dimodea, ut dicitur, neceſſitas eſt, facere omnia quæcunque iſti probarint. Quidam originem adagii referunt ad Thracium illum Diomedem, qui ſolitus fertur hoſpites ſuos compellere, ut cum filiabus ſuis deformiſſimis rem haberent, quo facto, eoſdem interimebat. Unde fabula ſpargit, Diomedis equas homines pabuli vice eſitare ſolitas: videlicet filias à viris agitatas, equas appellans. Et ſane in hunc ſenſum interpretatur Ariſtophanis enarrator in Concionatricibus, ubi verſus hic habetur,

Καὶ ταῦτ' ἀνάγκη μοὐστὶ Διομήδεια.

Quæ adoleſcens, num qua ſit neceſſitas ſibi ſectari anum? Reſpondit illa, eſſe, & quidem Diomedeam. Alii referunt ad Diomedem ducem Græcorum, hujuſmodi commentum adferentes. Cum Diomedes & Ulyſſes communi opera ſublato Palladio, redirent noctu. Ulyſſes quo facti gloriam in ſe unum transferret, deſtinabat occidere Diomedem præcedentem, ac Palladium ſecum portantem. Itaque cum enſem in caput illius à tergo vibraſſet, Diomedes, animadverſa ad lumen lunæ gladii umbra, ſubtraxit ſe plagæ: correptumque Ulyſſem, vinctis manibus præcedere compulit, gladio lato ſubinde cædens illius tergum. Hinc Diomedea neceſſitas. Hujuſmodi fere Suidas ac Zenodotus.

Vocatus atque non vocatus Deus aderit.

Oraculum olim Lacedæmoniis redditum abiit in proverbium: Καλούμενός τε κἀκλητος θεὸς παρέσται. i. Vocatus & invocatus Deus aderit. Uſus erit, ubi quid ſignificabimus etiam non accerſitum, neque curatum, tamen eventurum, velimus nolimus: puta ſenectam, mortem, malefactorum pœnam: Horatius huc alluſit in Odis,

Nec ſatelles Orci
Callidum Promethea
Revexit, auro captus, hic ſuperbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet, hic levare functum
Pauperem laboribus:
Vocatus atque non vocatus audit.

Fortaſſis reſpexit huc & Terent. in Eunucho, Ut vocato mihi atque invocato ſit locus ſemper.

Ingens telum neceſſitas.

Ingens telum neceſſitas. De re inevitabili. Livius primæ decadis lib. 4. Neceſſitate, quæ ultimum ac maximum telum eſt, ſuperiores eſtis. M. Tullius lib. De amicitia: nec vero negligenda eſt fama, nec mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet benevolentiam civium. Utitur eodem adagio quodam in loco Plinius avunculus Eſt aliquoties apud Livium: Huic rei aliud invenietur telum. & Eam rem hoc telo maxime parabant, ut pro conſilio, rationeque ac via gerendi negocii capi videatur: fortaſſis ſumpta metaphora à venantibus, qui telo appetunt, quod capere volunt. Unde & Certa dicentur tela, conſilia quæ nunquam fallunt.

Adverſum neceſſitatem ne dii quidem reſiſtunt.

Ἀνάγκᾳ δ' οὐδὲ θεοὶ μάχονται, id eſt, Neceſſitati ne dii quidem reſiſtunt. Hæc ſententia Simonidi tribuitur: Sumpta eſt ex Homero. Refertur duobus locis à Platone, libris De legibus 7 & 5. ἀλλ' ἔοικεν ὁ τὸν θεὸν πρῶτον παροιμιασάμενος εἰς ταῦτ' ἀποβλέψας εἰπεῖν, ὡς οὐδὲ θεὸς ἀνάγκῃ μή ποτε φανῇ μαχόμενος. id eſt, Sed apparet eum qui primum admiſcuit deum proverbio, hæc ſpectaſſe quum dicit, quod ne deus quidem unquam viſus eſt cum fato pugnare. Idem in convivio: πολλὰ δὲ καὶ δεινὰ τοῖς θεοῖς ἐγίγνετο, ὡς λέγεται, διὰ τὴν τῆς ἀνάγκης βασιλείαν, id eſt, Multa vero & acerba diis acciderunt, ut dicitur, ob neceſſitatis regnum. Item libr. De legib. 5. ſcribit: τὴν ἀνάγκην οὐδὲ τοὺς θεοὺς βιάζεσθαι. id eſt: Ne deos quidem cogere poſſe neceſſitatem. T. Livius. Pareatur neceſſitati, quam ne dii quidem ſuperant. Palladius: neceſſitas feriis caret.

Euripides in Helena:

Λόγος γάρ ἐστιν οὐκ ἐμός, σοφῶν δ' ἔπος,
Δεινῆς ἀνάγκης οὐδὲν ἰσχύειν πλέον.

Id eſt:

Namque illud eſt ſapientum dictum, haud meum,
Nihil neceſſitate dira fortius.

Extat apud Græcos verſus proverbialis:

Ὑπὸ τῆς ἀνάγκης πάντα δουλοῦται, τέχνα.

Id eſt:

In ſervitutē cuncta agit neceſſitas:

Euripides in Hecuba:

Στερρὰ γὰρ ἀνάγκη.

Id eſt:

Rigida namque neceſſitas.

Horatius,

—Si figit adamantinos
Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos.—

Poëtæ Neceſſitatem deam faciunt, Parcarum matrem: quæ & ipſæ ineluctabiles atque inexorabiles vocantur. Hanc neceſſitatem Philoſophi Fatum appellant, quæ eſt æterna rerum ſeries, neceſſario cohærentium. cui veluti cedens Jupiter apud Maronem,

Fata, inquit, viam invenient.—

Et tragicus quidam apud Senecam:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Quod factum eſt, infectum fieri non poteſt.

Nihil hac ſententia vulgatius: Quod factum eſt infectum fieri non poteſt. Extat apud Terentium in Phormione. Ariſtot. lib. Moralium Eudemiorum 5. τὸ δὲ γεγονὸς οὐκ ἐνδέχεται μὴ γενέσθαι. id eſt, Fieri non poteſt, ut quod factum eſt, ſit infectum. Mox citat carmen ex Agathonis tragœdia:

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα.

Id eſt:

Etenim illud unum ipſi negatum eſt & Deo, ut
Infecta reddat, facta quæ fuerint ſemel.

Uſurpatur in Epiſtolis Ciceronis ad Atticum non ſemel verſus ille Homericus, ex Iliad. σ. & τ.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν, ἀχνύμενοί περ.

Id eſt:

Iſta moleſta licet antacta valere ſinamus.

Nec inſcitum Phocylidis carmen,

Μὴ δὲ παροιχομένοισι κακοῖς τρύχου τὸ ἦτορ.
Οὐκ ἔτι γὰρ δύναται τὸ πεπραγμένον εἶναι ἄπρακτον.

Id eſt:

Neve malis jam præteritis animum excrucieris.
Quod ſemel eſt factum, fieri infectum haud queat
unquam.

Eandem ſententiam habet Pindarus Olympiorum hymno ſecundo:

Τῶν δὲ πεπραγμένων
Ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν,
Ἀποίητον οὐδ' ἂν
Χρόνος ὁ πάντων πατὴρ
Δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.

Id eſt:

Eorum quæ facta ſunt, ſive jure, ſive præter jus, nihil ut ſit infectū, nec tempus quidem efficere poſſit opere perfecto.

Tranſverſum agere.

Tranſverſus agi dicitur, qui vim impetu quodam ab inſtituto deflectitur. Ita Laberius Mimus apud Macrobium libro Saturnalium 4. curſum fortunæ tranſverſum vocat. Hunc enim C. Cæſaris benignitas invitavit, ut eques Romanus, & ſenex prodiret in ſcenam. In prologo igitur queritur, præter animi ſui ſententiam eo Cæſaris autoritate fuiſſe compulſum.

Neceſſitas, inquit, cujus curſum tranſverſum impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detruſit pene extremis ſenſibus, &c.

Ita qui præceps ira fertur, Tranſverſus rapi dicitur. Dictum apparet à navigantibus, qui ſecundo vento, recto curſu feruntur: flatu adverſo, tranſverſim aguntur.

Omnia eſculenta obſeſſis.

Ἅπαντα γάρ τοι βρωτὰ πολιορκουμένοις.

Id eſt:

Cinctis ab hoſte veſca ſunt & quælibet.

Senarius proverbialis: Cum urget neceſſitas, nihil non facimus Et vehementer famelicis nullus non ſuavis eſt cibus. Natum ab

urbium obſidionibus, in quibus nonnunquam & canes & feles, herbarum radices, nonnunquam humana excrementa, inopia cibi devorarunt.

Adactum jusjurandum.

Ἐπακτὸς ὅρκος, id eſt, Adactum jusjurandum dicebatur, vel quod non vernaculum eſſet, ſed peregrinum, & aliunde aſcitum, ut indicat Zenodotus, ut ſi quis Græcus Scythico more juret, νὴ τὸν ἀκινάκην καὶ τὸν ἄνεμον, id eſt, Per ventum & acinacem. nam per ſuos deos unaquæque gens jurare conſuevit. vel quod non ſpontaneũ, ſed adactum vi: vel quod ſponte ſuſceptum, nemine cogente, ſi Suidæ credimus, & Etymologico. Sunt enim tria jurisjurandi genera: unum, quod ἐπώμοτον vocant: alterum, quod κατώμοτον: tertium quod ἐπακτόν. Heſychius contra: ἐφ᾽ ὃν ἕτερος ἄγει, οὐκ αὐθαίρετος. i. Ad quod alius adigit, non ſpontaneum. Hoc quidem inter adagia non recenſuiſſem, niſi Zenodotus prior in hoc albo poſuiſſet.

Viro eſurienti neceſſe eſt furari.

Πεινῶντι κλέπτειν ἐστ᾽ ἀναγκαίως ἔχει.

Id eſt:

Famelicus vir eſſe furax cogitur.

Lepori eſurienti etiam placentæ fici.

Λαγῷ πεινῶντι καὶ πλακοῦντες εἰς σῦκα.

Id eſt:

Lepori eſurienti & placentæ pro ficis.

Suidas tradit dictum de iis qui compulſi neceſſitate, res etiã pretioſiſſimas abſumunt. Fortaſſis natum ab hujuſmodi quapiam fabula, qualem de ſe narrat Apulejus, quod adactus fame, placentas primum lambere, deinde etiam comeſſe didicerit.

Fatis imputandum.

Dum hominem quempiam culpa liberabimus, eamque vel in fatum, vel in fortunam rejiciemus, uſurpare licebit quod tribi dicit Priamus ad Helenam.

Οὔ τί μοι αἰτίη ἐσσί, θεοί νύ μοι αἴτιοί εἰσιν.

Id eſt:

Nil tibi ego imputo, verum ipſis magis imputo divis.

Nemo cogendus amicus.

Dum innues aliquem non eſſe ad negocium accerſendum præter animi ſententiam, aut non eſſe collocandum officium in eum qui nec agnoſcat, nec accipiat libenter, accõmodum fuerit quod eodem in libro de Phœnice dixit Achilles.

——Ἤν ἐθέλῃσιν· ἀνάγκῃ δ᾽ οὔ τί μιν ἄξω.

Id eſt:

Si volet: invitum hunc haudquaquam abduxero quoquam.

Mors omnibus communis.

Qui dicet omnibus ex æquo moriendum, nec ullis viribus arceri fati neceſſitudinem, citabit illud ex Iliados σ.

Οὐδὲ γὰρ οὐδὲ βίη Ἡρακλῆος φύγε κῆρα.

Id eſt:

Nec vis Herculea fatum evitavit acerbum.

Ne dii quidem a morte liberant.

Nemo tam charus ſuperis, ut illorum favore mortem evitarit. Huic ſententiæ ſuffragabitur Homericum ex eodem libro teſtimonium:

Ἀλλ᾽ ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον οὐδὲ θεοί περ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δύνανται ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ᾽ ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο.

Id eſt:

At vero mortem communiter omnibus æquam
A dilecto homine, neque dii depellere poſſunt,
Quem funeſta dies jamjam urget acerbi.

Fatum immutabile.

Divina decreta non commutantur, humanæ leges pro tempore variantur, quemadmodum & mores & voluntates. Ad id congruet illud ex eodem libro:

Οὐ γάρ τ᾽ αἶψα θεῶν τρέπεται νόος αἰὲν ἐόντων,

Id eſt:

Non etenim divum mens vertitur aſtricolarum,

Fatum inevitabile.

Quod fatis decretum eſt, id nemini licet evitare. Ad eam ſententiam faciet illud ex eodem libro.

Ἀλλὰ μάλ᾽ οὔ πως ἔστι Διὸς νόον αἰγιόχοιο,
Οὔτε παρεξελθεῖν ἄλλον θεὸν, οὔθ᾽ ἁλιῶσαι.

Id eſt:

At mentem Jovis haud ullis rationibus unquam
Divorum quenquam vitare aut fallere fas eſt.

Fato adactus.

In eum qui non ſponte, ſed caſu, veluti que fatis impellentibus, in aliquod vitæ genus incidit, congruet illud ex eodem libro:

Τὸν δ᾽ ἄγε δεῦρ᾽ ἄνεμός τε φέρων καὶ κῦμα πέλασσε.

Id eſt:

Aſt hunc huc ventuſque ferens atque appulit unde.

Officium ne collocaris in invitum.

Inſtar injuriæ fuerit, ſi quis officium collocet in invitum. In eam ſententiam Homer. Odyſſ. ν.

Ἶσόν τοι κακόν ἐσθ᾽, ὅς τ᾽ οὐκ ἐθέλοντα νέεσθαι,
Ξεῖνον ἐποτρύνει, καὶ ὃς ἐσσύμενον κατερύκει.
Χρὴ ξεῖνον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Id eſt:

Juxta peccat uterque, vel is cui extruditur hoſpes
Invitus, vel qui remoratur abire volentem.
Hoſpes donec adeſſe volet, tractare benigne
Convenit, emittendus ubi diſcedere quærit.

Volentem bovem ducito.

Τὸν θέλοντα βοῦν ἔλαυνε, id eſt, Volentem bovem agito. Utere illorum opera, qui ex animo faciunt. Stulticia eſt, venatum ducere invitas canes, ut ait Plautus. Refertur ab interprete Theocriti, Diximus in proverbio, Præſentem mulge.

Neceſſitas magiſtra.

Suidas ex Carchedonio citat hoc proverbium:

Χρεία διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ σοφόν.

Id eſt:

Cautum è rudi reddit magiſtra neceſſitas.

Tempus, rerum uſus ipſaq; neceſſitas excitat ingenium ad diſcendas artes. Idem indicat Græcorum ſententia, πενία τέχνας ἐγείρει & apud Ariſtophanem Penia jactat ſe artium inventricem. A Perſio venter dicitur magiſter artis, ingeniique largitor. Et ut ait Q. Curtius: Neceſſitas ignaviam acuit.

Neceſſitas moleſta.

Mox eodem in loco citat ſententiam ceu vulgo jactatam, oſtendens eſſe moleſta quæ ſecundum naturam non ſunt. Vis autem pugnat cum natura, eoque moleſta omnibus neceſſitas: καὶ ὀρθῶς, inquit, εἴρηται· πᾶν γὰρ ἀναγκαῖον χρῆμ᾽ ἀνιαρὸν ἔφυ, id eſt, Et recte dictum eſt: Quicquid enim eſt neceſſarium, natura moleſtum eſt. Verum optime non aſſueſcamus, niſi initio adhibeatur aliqua vis: ſed quod prius erat violentum, ac proinde moleſtum, aſſuetudine primum fit leve, poſtea etiam jucundum.

Deſerere vadimonium.

Olim & turpe erat, & damnoſum, vadimonium deſerere: nec excuſabatur vadimonii promiſſor, niſi ob cauſas egregie graves. M. Tullius invectiva in Catilinam 2. Itaque ego illum exercitum, ex Gallicanis legionibus, & cum hoc delectu, quẽ in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit, ex his copiis, quæ a nobis quotidie comparantur, magnopere contemno. collectum ex ſenibus deſperatis, agreſti luxuria, ex ruſticis mendiculis, ex decoctoribus, ex his qui vadimonia deſerere, quam illum exercitum maluerunt. Et Horatianus ille garrulus, qui vadato reſpondere debebat, dubitat utrum mavult Horatium deſerere, an vadimonium: Alibi commemoratum eſt nobis. Dignum ob quod vadimonium deſeratur: de re maximi momenti.

Sontica cauſa.

Nævius poëta, citante Feſto, Sonticam cauſam appellat admodum gravem, in hoc trochaico catalectico:

Sonticam eſſe cauſam oportet, quamobrem perdas mulierem.

Translatum à duodecim tabulis, quæ ſonticum morbum appellant non vulgarem, ſed tam moleſtum, ut reus non cogatur apud judices comparere.

IUNII. *Neceſſitas linealis.*

Ἀνάγκαι γραμμικαί, quaſi dixeris elementarias aut lineales potius, neceſſitates vocat Ariſtoteles indubitatas certiſſimaſque demonſtrationes, quas & διαγραμμικάς, id eſt lineales commonſtrationes appellat Jo. Philoponus. Tracta metaphora a Geometris, qui problematum ſuorum & theorematum probationes à primis punctorum & linearum fontibus arceſſunt. Aphrodiſæ. γραμμικὰς ἀνάγκας pro validiſſimis rationibus uſurpavit: & probationes potentiſſimas, γραμμικὰς ἀποδείξεις vulgo vocari ait Quintilianus lib. 10. ca. 18. ubi perperam grammaticæ legitur, pro γραμμικαί. Priſcianus Lydus philoſophus ταῖς γεωμετρικαῖς ἐπαγόμενοι ἀνάγκαις, id eſt, Geometricis inſiſtentes neceſſitatibus. Uſus eſt & Anacreon Lyricus voce ἀνάγκας, id eſt, neceſſitatis, pro validis & efficacibus argumentis, ita inquiens:

Τί με τοὺς νόμους διδάσκεις, καὶ ῥητόρων ἀνάγκας;

Id eſt:

Leges, quid, rhetorum aut me
Doces neceſſitates?

Apud Porphyrium in lib. De eſſatis ſtomachatur Hecate, ſe verborum efficacibus vinculis devocatam ad reſponſa adigi: θεσμοῖς ἠγάγετέ με θεὸν ὀκλάζουσαν ἀνάγκαις, conquerens ſe verborum neceſſitatibus numen vincentibus evocari. Proverbii ſpeciem ſapit & Platonis illud in epiſtola ad familiares Dionis: τὰς τῶν τυράννων ἐπιθυμίας ἴσμεν ὅτι μεμιγμένας ἀνάγκαις εἶναι, id eſt, Tyrannorũ precea neceſſitatib. eſſe permiſtas nõ ignoramus. Quo ſpectat illud

illud Ciceronis ad Atticum lib. 9. Ego autem non tam γοητείαν hujus timeo, quam πειθανάγκην, καὶ δὴ τυγχάνουσιν ἔχοντες, inquit Plato, εἰ δ' ἐπιμείνητε πειθανάγκην ἐπάγοιμεν. Ubi πειθανάγκην vocat vim & obſecundandi neceſſitatem aut violentam perſuaſionem. Eunapius de Longino Zenonis imp. fratre: ἐν τῇ γυναικωνίτιδι πολλαῖς τὴν πειθανάγκην προςῆγεν id eſt, In matronarum conclavi multas ſuada neceſſitate ad ſtupri commercium adegit. Suidas ex incerto authore: ὑπολαμβάνων διὰ τούτων πειθανάγκην τοῖς Λευκαδίοις προσάξειν. id eſt, Ratus ſe hac ratione Leucadios ad eam parendi neceſſitatem redacturum, ut imperata facerent. & iterum: εἶξα τῇ Θετταλικῇ πειθανάγκῃ. id eſt, Ceſſi Theſſalicæ neceſſitati.

Neceſſariam fortunam terit.

Qui invitus neceſſitati obſecundare cogitur, aut reluctante genio præſcriptum à potentioribus exequi, is eleganter τρίβειν τὴν ἀναγκαίαν τύχην, hoc eſt, neceſſariam fortunam terere dicetur. Extat apud Amphim comicum in Ialemo.

Τὴν χειρὶ τρίβων τὴν ἀναγκαίαν τύχην.

Id eſt:

Neceſſitatis ſortem perterens manu.

Sophocles ἀναγκαίαν τύχην pro ſervili conditione accipit, quæ ad vim & neceſſitatem ſpectat inevitabilem. Alludit huc nonnihil vernaculæ noſtræ linguæ diverbium. Neceſſitatem in virtutem commutare.

Neceſſitatem edere.

Ἀναγκοφαγεῖν, id eſt, Neceſſitatem edere, proverbii ſpecie dicitur, qui neceſſitati ut conſulat, quidvis patitur. Dionyſius Longinus in libello περὶ ὕψους, hoc eſt, de ſublimi dicẽdi genere, annotat ἀναγκοφαγεῖν τὰ πράγματα, dici ἐπὶ τοῦ αἰσχρὰ καὶ ῥυπαρὰ πλεονάκις μεθ' ἡδονῆς ὑπομένοντος [illegible]. id eſt, de eo qui iſta indigna ac turpia, patienter libenterque animo perferat, ut rebus ſuis impenſis ſatagat. Illud obiter obſervandum eſt, in Græco codice perperam legi [illegible], pro [illegible]. Uſus eo eſt Theopompus hiſtoricus, de Philippo Macedone loquens: δεινὸς, inquit, ὁ Φίλιππος ἀναγκοφαγῆσαι τὰ πράγματα. id eſt, Quum ſciret Philippus rerum neceſſitatem devorare. Simile ferme parœmiæ ſpecie utuntur noſtrates, quando eum qui neceſſitati conſulens, intoleranda ſuſque deque fert, Neceſſitatem in virtute commutare dictitant. Origo nata ab athletis, qui ad neceſſitatem edunt, ut firmitudinem illam quadratam corporis continue alant, ut innuit Heſychius. Ariſtoteles in politicis ἀναγκοφαγίαν appellat athletarum diætam, vivendique rationem, velut neceſſariam ingurgitationem, quod continue tumoris molem corpori adjicere ſtudeant, uti Galenus inſinuat. Ad hunc modum Philoſtratus de Ruſo Perinthio ſophiſta loquens, dicit illum duraſſe corpus, perpetua ſagina illud roborando, cujus verba ſunt: ἰάλετο δὲ καὶ γυμναστικῇ κρατύνειν τὸ σῶμα, ἀναγκοφαγῶν ἀεὶ καὶ διατείνων αὐτὸ παγκρατιαστικοῖς [illegible]. id eſt, Dictus fuit conſueviſſe corpus roborare gymnaſtico exercitio, ſemper illud explendo, & non aliter, quam ſolent luctatores, fatigando.

COGNATI. *Aſtra inclinant, ſed non urgent.*

Commune eſt hodie, cui ſimile eſt illud Ptolomæi: Sapiens dominabitur aſtris. Deus enim omnipotens eſt, & omnia operatur in omnibus. Nam cum medicus curat ægrotum, & agricola è terræ cultu ſibi meſſem fertiliorem promittit, & hæc Dei opus eſt: ipſe tamen per ſua inſtrumenta atque per quædam quaſi media operatur.

——Sua cuique exorſa laborem,
Fortunamque ferent: Rex Jupiter omnibus idem,
Fata viam invenient.——

Fata viam invenient.

Apte in parœmiæ ſpeciem detorqueri poteſt, Fata viam invenient: quoties indicabimus, citra noſtram induſtriam & conſilium, divina providentia, inevitabilia diſcuti, aut certe mitigari. Virg. 3. Æneid.

Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.

Rejectio denunciationis triſtis eſt: cui opponit fatorum providentiam, & præſentem numinis opem, quod invocatum, obſcœnam famem eſt mitigaturum. Idem 10. Æneid.

Volens eo quo ducit neceſſitas, ſequere.

Plato in Axiocho: Pergeergo, Progtua conſuetudine illum confirma, ut volens eo quo ducit neceſſitas, ſequatur, &c. Idem in dial. 11. De legib. vel legum latione, ſub finem: Hæc via maxime proficiſcamur, qua Deus ipſe ducere videtur. Idem in Protagora: Unumquenque amo, laudoque, ſponte qui turpe nihil patrat: Neceſſitati vero neque Dii quidem ipſi pugnant. In hanc ſententiam ſunt multa apud Eraſm. noſtrum, ſub Neceſſitatis loco communi. Vide alibi, Quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur: & poſt, Neceſſitati nec Deus repugnat.

Neceſſitati nec Deus ipſe repugnat.

Plato in Protagora. Unumquenque vero laudo, amoque, ſponte qui nihil patrat neceſſitati vero neque Dii quidem ipſi pugnant. Sed neceſſitatem in divinis penitus voluntariam eſſe volunt. Alibi, Volens eo quo ducit neceſſitas, ſequere.

COELII RHODIGINI. *Argento Vomere aratur.*

Quoties in ſumma annonæ caritate fruges tanti conſtant, ut videri poſſint etiam argenteis agricolæ uſi eſſe inſtrumentis. Natum ex oraculo quodam Delphico, quod niſi ipſi obtemperaretur, minabatur, ἀργυρέῃ σὺ λόγχῃ ἀρόσεις, argenteo vomere arandum fore.

NOBILITAS, OBSCVRITAS.

ERASMI. *Generoſior Codro.*

Εὐγενέστερος Κόδρου, id eſt, Generoſior Codro. Per ironiam recte dicetur in iſtos, qui majorum fumoſis imaginibus, & natalium antiquitate gloriantur. Codrus Melanthi filius fuit. Melanthus à Neleo ſextus, à quo Neleo prognatus & Neſtor. Hic Melanthus, Meſſene patria pulſus venit Athenas: atque ibi cum Xantho Bœoto, qui tum Athenis imperabat, ſingulari certamine cõgreſſus, victor diſceſſit, & Athenienſium imperium occupavit. Cui ſucceſſit filius Codrus, ſingulari in patriam pietate præcipue nobilis. Nam cum Atticis bellum eſſet adverſus Dores, proditumque eſſet oraculo, victoriam penes Athenienſium populum futuram, ſi Rex illorum ab hoſtibus fuiſſet occiſus: Codrus patriæ gloriam ſua incolumitate chariorem habens, ignota ſpecie hoſtem provocavit, & interemptus eſt. Reliquit autem filios duos, Mentorem, qui patri defuncto ſucceſſit in imperium, & Neleum, cujus auſpiciis colonia in Aſiam demigravit. Hæc ferme Zenodotus.

Generoſior Sparta.

Ἐλευθερώτερος Σπάρτης, id eſt, Generoſior Sparta. Dicebatur excellenti animo, minimeque timidus aut humilis. Spartanis enim olim indoles aderat generoſa, & ingenium omnis impatiens ſervitutis, ac velut imperio natum: unde nec mœnibus urbem cingebant, legibus ita jubentibus, abunde munitam arbitrantes fortibus viris. Fœdiſſimum autem exiſtimabant, quenquam è pugna redire, niſi victorem. id quod epigrammate quoque teſtatum eſt. Nec tyrannidem in ſuam Remp. admittebant, ſed æqua libertate parebant legibus. Denique nihil humilioris operæ exercebant, ſed agriculturam & artes ſedentarias per Helotas (id erat ſervorum genus) peragebant.

Subdititius es.

Ὑποβολιμαῖος εἶ, id eſt, Suppoſititius es. Subdititii ſive ſubmiſſitii vocantur partus diſſimulati: unde transfertur in hominem fictum, & per dolum ab alio quopiam allegatum ſubornatumque. Finitimum illi, πλάνος ἄνθρωπος.

Nec patris nomen quidem dicere poſſit.

Syneſius in epiſtola quapiam adverſus Andronicum: ἄνθρωπος ἀλιτήριος οὐδ' ὄνομα πατρὸς, ἀλλ' οὐδὲ πατρὸς εἰπεῖν ἔχων, id eſt, Homo qui aut nomen dicere non poſſit, imo ne patris quidem, ut ajunt. Quadrat in vehementer obſcuros & ſpurios, incertoque patre natos. Quod genus eſt & illud Juvenalis,

Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.

Unde Plutarchus exiſtimat ſpurios dictos nothos, quod duabus his literis prænotari ſolerent, S. P. hiſque ſignificari, ſine patre.

Terræ filius.

Olim homines obſcuro ignotoque genere prognati, terræ filii dicebantur: propterea quod terra ſit omnium communis parens, vel quod juxta quorundam etiam hiſtorias, primitus mortales è terra naſcebantur. Tertullianus in Apologetico adverſus gentes: Nam & terræ filios vulgus vocat, quorum genus incertum eſt. Apud Athenæum l. 10. legitur γηγενὴς ἄνθρωπος, id eſt, è terra genitus homo. M. Tullius ad Atticum lib. 1. Et huic terræ filio, neſcio cui, committere epiſtolam tantis de rebus non audebam. Idem ad Trebatium lib. familiarium epiſtolarum 7. Cn. Octavius tuus familiaris ſummo genere natus, terræ filius.

Perſius.

——Præſto eſt mihi Manius hæres,
Progenies terræ. quære ex me quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen: adde etiam unum,
Unum etiam, terræ eſt jam filius.——

Juvenalis:

Unde fit, ut malim fraterculus eſſe gigantum.

ad proverbium palam alludens. Nam gigantes è terra progenitos poëtæ fabulantur. Huc pertinet, quod apud Euripidem Jon Xuthum percontatur

Γῆς ἐξέφυν μητρός;

Id eſt:

Num ſatus tellure?

Atque ille reſpondet.

Οὐ τέκνα πέδον τίκτει.

Id eſt:

Non parit natos ſolum.

Apud Pauſaniam, Strabonem, atque alios id genus autores, legimus populos quoſdam αὐτόχθονας appellatos, qui non adeo referant originem ſuam, quemadmodum plerique faciunt, verum ex ipſo ſolo nati videri velint: quorum de numero ſunt Athenienſes. Qui ſibi nobilitatem virtute pepeciſſent, nullis majorum imaginibus illuſtres, novi homines dicebantur. Porro ignoti, & ſubito apparentes, incertum qua regione profecti, Cœli filii vocabantur, quaſi è cœlo demiſſi. Inducitur & in Moſaicis literis Melchiſedech ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ ſive patre, ſive matre. Neque diſſimili ratione οὐρανοπετεῖς, id eſt, de cœlo lapſi dicebantur.

Juvenalis,

—Tertius è cœlo cecidit Cato.

Quanquam hoc magis convenit in homines eximia virtute. Plutarchus in invectiva quam ſcripſit adverſus Herodotum, de navi quadam, unde ſubito vox eſt ædita Adimanto: ἡ δὲ κέλης ... ἐοικυῖα θεοπομπῷ, id eſt, Navis autem illa erat, ut videtur, è cœlo delapſa. Atque hic ſermonis color ſumptus eſt è tragœdiis, in quibus machinis quibuſdam ſic repente oſtendebantur perſonæ populo, ut è cœlo veniſſe videri vellent. Apud Romanos Novi homines dicebantur, qui majoribus obſcuris nati, ſuis virtutibus innotuiſſent: quod M. Tullius ab inimicis probro objectum, ipſe gloriæ ſibi vertit.

Matris ut capra dicitur.

Τῆς μητρὸς ὥσπερ ἡ αἲξ καλοῦμαι, id eſt, matris ut capra dicitur. Inſpurios dictum videtur, quorum pater incertus eſt, eoque gratia a matre denominantur. Ductum ab hœdis, qui in caprilibus à matre dignoſcuntur: nam a patribus haudquaquam poſſis. Poteſt & in jocum verti proverbium: veluti ſi quis per luſum neget ſe patrem agnoſcere, matrem ſcire, τῆς μητρὸς ὥσπερ ἡ αἲξ καλοῦμαι, id eſt, Matris velut capra vocor. Manet etiam hodie vulgi jocus, quo dicunt, Sapientem eſſe filium qui patrem ſuum norit. Hoc ab Homero manaſſe videtur, apud quem Odyſſeæ α. Telemachus rogatus, num Ulyſſis eſſet filius, reſpondet ad hunc modum,

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
Οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.

Id eſt:

Eſſe quidem illius mater me ait: aſt ego ſane
Neſcio, nemo ſuum ſuum patrem unquam noverit ipſe.

Lychnobii.

Apparet λυχνοβίους proverbiali joco dictos, qui lucernariam vitam ducerent, ut torqueri poſſit vel in nocturnum potorem, vel hominem ſupra modum ſtudioſum, qui (quemadmodum dictum de Demoſthene) plus abſumat olei, quam vini: vel in ſordidum & parcum, quaſi de lucernario oleo victitantem. Seneca lib. Epiſt. 22. epiſt. 122. dictum oſtendit in lucifugam quendam, cujus tota vita erat præpoſtera, adeo ut quicquid hominum vulgus interdiu ſolet facere, id ille faceret noctu. Sub noctem expergiſcebatur, diluculo ibat cubitum. In quem ita jocatus Varus, lepidiſſimus fabulator, ut cum diceret admodum frugaliter vivere, quippe qui nihil inſumeret niſi noctem. Et quibuſdam illum ſordidum & avarum dicentibus: Vos, inquit, illum & lychnobium dicetis. Eſt autem in joco vox ambigua, ut intelligas eum uſque adeo non ſordidum, ut lucernas etiam abſumeret: vel adeo parcum, ut lucernis victitaret. Cæterum alluſum eſt ad vitam hominis præpoſteram: cujuſmodi deſcribit in eadem Epiſtola, & Butam quendam Attilium.

Virtus gloriam parit.

In eodem encomio: τιμῶνται δ' ἀρεταί, ... ὁδὸν ἰέναι ... id eſt, Quibus virtutes in precio ſunt, it pervenium ad illuſtrem viam. Nobilitat autem ſuum quenque opus. Sentit beneſactis potius quam opibus parari veram gloriam: nec uno modo contingere honeſtam famam, ſed ſua quenque virtute fieri clarum. Homerum illuſtravit poëtice, Demoſthenem eloquentia, Ariſtidem integritas, Themiſtoclem res præclare geſtæ: itidem & alii aliis modis incluerunt.

Quanta vix cœlo capi poſſit.

Hæc hyperbola M. Tullius Philippica 2. famæ celebritatem expreſſit, de his loquens, qui C. Julium tyrannidem affectantem occiderant: præſertim quum illi eam gloriam conſecuti ſint, quæ vix cœlo capi poſſe videatur. Vergilius:

Imperium terris, ſed famam terminat aſtris.

At Maro Daphnidem facit & ultra ſidera notum. Et Horatius:

Sublimi feriam vertice ſydera.

Apud M. Tullium frequenter obvium eſt: In cœlum laudibus ferre.

Avis ex avibus.

Ὄρνις ἐκ τῶν ὀρνίθων, id eſt, Avis ex avibus, proverbii forma dictus eſt Ariſtophani per ironiam vir nobilis, quaſi bonus ex bonis prognatus,

Τίς ἐστιν ... ὄρνις ... ἐκ τῶν ὀρνέων.

Id eſt:

Upupam hancce quæ prognata ab avibus eſt avis.

Qui de nobilitate gloriantur, repetunt ab avis & atavis gentis ſtemmata. Nam empta nobilitas, aut nuper parta, non proinde magni ſit.

Cymbalum mundi.

Plinius major in præfatione ad imperatorem Veſpaſianum refert, Apionum grammaticum à Tyberio Cæſare Cymbalum mundi conſueviſſe vocari, ob nominis, ut opinor, celebritatem. Quum publicæ, inquit, famæ tympanum potius videri poſſet. Is Apion ajebat, eos abſe donari immortalitate, ad quos aliqua componebat. Huc Tyberius alludens, appellabat illum cymbalum mundi: quod hominem honeſta fama donaret, quæ per univerſum mundum amabiliter reſonaret. Plinius autem ob arrogantiam maluit illum appellari tympanum publicæ famæ: quod famam daret potius, quam honeſtam famam. Nam reſonat & tympanum ſed inamæno ſtrepitu. Alluſiſſe videtur huc, quod tympana fiunt è pelle aſinina.

Διακωδωνίζειν.

Διακωδωνίζειν Demoſthenes dixit, pro explorare atque examinare. Sumptum putant ab iis, qui noctu cum tintinnabulo circumeunt excubias, ne quis dormiat, aut ut hoc ſigno declarent ſe vigilare: ſive ab iis, qui coturnices tintinnabulo experiuntur, num ſint ad pugnam idoneæ, ut viſum eſt Ariſtarcho. Nec deſunt qui malint inde ductum quod ad eundem modum explorari ſoleant equi, an tubarum & armorum ſtrepitum laturi ſint. Simili modo convitiis olim explorabantur initiandi myſteriis: cujus conſuetudinis veſtigium adhuc ſervant Theologorum ſcholæ.

Domi nobilis.

Qui non opibus tantum aut potentia clarus eſt, ſed ex nobilibus nobilis prognatus eſt, hunc Cicero ſubinde domi nobilem vocat, actione in Verrem 3. Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco anguſto fieri juſſit, ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi Romani ſocium atque amicum, fumo excruciatum ſemivivum reliquit. Idem actione 4. Sopater quidam fuit Halicienſis, homo domi ſuæ cum primis locuples atque honeſtus. Rurſus actione 5. Itaque quum Pillenus Herbitenſis homo diſertus & prudens, & domi nobilis item pro Cluentio: Q. Ar literas A. Aurius vir fortis, & experiens, & domi nobilis. Rurſus ad Qu. fratrem Epiſtol. lib. 1. M. Orfium equitem Romanum commenda, hominem domi ſplendidum, gratioſum etiam extra domum. Convenitet in eum, qui ſuis virtutibus magnus & clarus eſt.

E domo in domum.

Hanc ſermonis famam aliquoties habemus obviam apud Pindarum & Ariſtophanem, οἴκοθεν οἴκαδε quum ſignificant aliquem propriis virtutibus quippiam egregiæ laudis peperiſſe ſuæ domui patriæve, Velut in eodem encomio: οἴκοθεν οἴκαδ' ... id eſt, A domo id domum a Stymphali mœnibus: Gratiohor, minuſque invidiæ obnoxia virtus eſt, quæ ab avis atavisque demanavit ad poſteros.

Fumoſæ imagines.

Καπνώδεις εἰκόνες, id eſt, Fumoſæ imagines, in eos dicebantur, qui jactarent per vetuſtam generis nobilitatem. M. T. in Piſonem: Obrepſiſti ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum nihil ſimile habes præter colorem. Juvenalis veteres ceras appellat:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Ibidem facetiſſime deridet Curios jam dimidios naſumque minorem Corvini.

Jovis germen.

Ἐκ Διὸς ἔρνος, id eſt, Ex Jove germen dicebatur inſigni virtute præditus, verba ſunt paſtoris ad paſtorem, munere ſ... alchre peritum: cui honoris gratia clavam dono dedit. Clava autem geſtamen eſt Herculis, ex Jove prognati. Obſervatum eſt à priſcis, à poëtis Jovis filios ſemper induci civiles & ... contra Neptuni truces & aſperos. Muſica autem civilitatis magiſtra eſt. Carmen ſic habet:

..Οὕνεκεν ...
Παῖ ἐπ' ἀλαθείᾳ πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος,

Id eſt:

... Ex ſiquidem tu,
Re vera factum ac prognatum ipſo ex Jove germen.

Interpres tamen mavult eo referre, quod qui vera loquuntur, ex Jove prognati dicuntur, adducens carmen Homericum:

Οὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον οὐδ' ἀπατηλὸν,
Οὐδ' ἀτελεύτητον, ὅ τί κεν κεφαλῇ κατανεύσω....

Id eſt:

Haud etenim fallax erit aut revocabile quicquam,
Quod capite annuero....

Paſtor ob id laudatur, quod ingenue profiteatur ſe non conferendum cum inſignibus. Qualis inducitur & a Marone.

-- Me quoque dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.

In aſtragalis nobilitas.

Ἐν τοῖς ἀστραγάλοις τὴν εὐγένειαν ἔχει, In aſtragalis nobilitatem gerit, dicetur in hominem ſtemmata & fumoſas majorū imagines jactantem, nulla re alia quæ virtutem aut doctrinam commendet, ſpecta-

ſpectabilem. Herodes Atticus ſophiſta ad Bradeam levitum ſuum dixiſſe legitur apud Philoſtratum lib. 2. ſophiſtarum, quum ille magnificè crepàret de generis ſui antiquitate & nobilitate: [illegible], Tua nobilitas in aſtragalis ſita eſt. Solebant Romani generoſiores in calceis lunulas, antiquitatis inſignia præferre, vel Plutarcho teſte, Arcadū more, qui ſe Luna priores jactitabant: & Philoſtratus loco jam dicto, nobilitatis illud ſymbolum vocat, [illegible] (male namque [illegible] illic legas eburneum ſupertalare luniforme. Vnde Juvenalis:

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Quo ſpectat & Martialis locus lib. 2. parum ſcite hactenus ſcriptus.

Non heſterna ſedeo lunata lingula planta.

Vbi non heſternam, vocat veterem & antiquæ nobilitatis teſtem, voce non temere mutata ex manuſcripto.

An manus ferre.

Ἐς χεῖρας φέρειν, id eſt, Ad manus ferre, proverbium eſſe annotat Euſtathius Odyſſ. 2. pro, ſpectatæ famæ & nobilem eſſe [illegible], ſumpta origine à generoſis, qui panda & prælonga veſtimenta gerunt, ut major ſit apparatu, longumque trahant ſyrma, & integant melius. Cratinus comicus.

[illegible] χεῖρας φέρων.

Id eſt,

Specioſos videris, at nominis nihil ad manus adfers.

quod ita exponit Euſtathius, quaſi dicat, non magnum habere illū nomen & prolixum ad modū eorum qui longa trahunt veſtimēta, ut oras extremas manibus excipere cogantur. Equidem à ponderè deductam parœmiam autumno, ut dicat, nomē breve parum adferre momenti ac ponderis, nam manibus pōdera exploramus. Sic vulgaris lingua & exiguam pecuniæ ſummulam, aut quicquid tandem exile ſit & curtum, nihil ad manū adferre loquitur. Olim autem paucarum ſyllabarum nomina faſtidiebantur, ut contemptiora, unde apud Lucianum Simon opulentus homo, cum incremento nominis Simonides appellari vult, & apud Plautum glorioſus miles ponderoſo nomine Pyrgopolinices cenſetur.

Cecrope generoſior.

Proverbiali figura dicitur homo antiquiſſimæ nobilitatis, à Cecrope Ægyptio, qui Sai Ægypti urbe oriundus in Atticum appulit, regnumque ibi adeptus eſt: de quo multa Zetes Lycophronis interpres & Euſtathius commentariis in Dionyſium, qui quoniam primus Athenis matrimoniorum ritu conſtituto, uni viro unā uxorem conjunxerit, ut excluderetur de patribus incertitudo, διφυὴς quaſi biformis creditus fuit, Athenæo teſte. Vſus adagii eſt apud Lucianum in Dialogis, Κέκροπος εὐγενέστερος, id eſt, Cecrope generoſior: & apud Syneſium in epiſtola ad Evoptium fratrem: [illegible], id eſt, Quid de generis nobilitate cum Cecrope contendere non deſinit. Non abhorret hinc illud Juvenalis Satyr. 8.

——Tunc licet à Pico numeres genus, & mox
Inter majores ipſum Promethea ponas.

Picus Aboriginum vetuſtiſſimæ gentis rex, Saturni filius, Fauni pater fuit: de quo Dionyſius Halicarnaſ. in 1. At Prometheus Deucalionis pater fuit, qui è limo hominem primus finxiſſe, in fabulis legitur.

BRASSICANI. *Deorum liberi ſunt invulnerabiles.*

Pindarus in Iſthmiis Oda 3 in Meliſſum Thebanum, [illegible]. Deorum liberi ſunt invulnerabiles, de potentioribus non incommode dicetur, qui nuſquam non evadunt, ut Cicero de nobilibus dixit in oratione pro Quintio. Homines nobiles ſeu recte, ſeu perperam facere cœperunt, ita in utroque excellunt, ut nemo noſtro loco natus aſſequi poſſet.

IOANNIS VLPII. *Cera & ære nobilis.*

Cera & ære nobilis dicitur, cujus nomen & ſcriptis & ſtatuis celebratum eſt. Romani majorum egregia facta & literis mandabāt, & in foro ſtatuis honorabant In cereis autem tabellis olim ſcribere ſolebant, & ex ære ſtatuas formare.

COGNATI. *Terræ filii.*

Pro proverbio apud Gallos dici cœpit alia ratione, quam apud Græcos & Latinos, Terræ filii, quo eos intelligunt, qui paucis annis locupletati, agros longe lateque coementes, familiarum celebrium conditores fuerunt: Terricus, Quorum corda, mentes, & ſenſus, & animi, nihil niſi quæ terrena ſunt, ſapiunt.

Anne ſuum laudet patrem, niſi proſpera proles?

Plutarch. in Arato: Antiquum quoddam, Polycrates, proverbium videtur mihi Chryſippus philoſophus, ne ejus in eiſa pleriſq; ſententia iners offenderentur, non ita ut erat, ſed ut commodius ipſi videbatur, protuliſſe:

Anne ſuum laudet patrem, niſi proſpera proles?

Quem redarguens Dionyſodorus Trœzenius verum adagium ipſe exponit, cujus hic eſt ſenſus:

Anne ſuum laudet patrem, niſi non bona proles?

Atque eorum ora hoc dicterio obturari, qui cum ipſi per ſe nullius ſint precii, majorum ſuorum in laudes ſubrepant, in iiſq; prædicandis ſint nimii. Enimvero cui generoſa indoles majoribus (ut ait Pindarus) innata eſt, ut tibi: et, ſi ad pulcherrimum exemplum domeſticorum vitam ſuam componere inſtituerit, an felicitatis parte ponendum eſt, ſi majorum ſuorum, qui virtute aliis antecelluerunt, memoriam colat, & perpetuo aliquid de iis vel audiat, vel loquatur. Non enim propriorum bonorum penuria ſuam exiſtimationem & aliorum gloria ille ſuſpendit: ſed majorum ſuorum virtutibus ſuas actiones annectens, ut generis, ita etiam vitæ factorumque ſuorum authores & duces eos prædicat. Hucuſque Plutarchus, ipſam parœmiam explicans. Proverbium hoc etiam in noſtri Eraſmi Chiliadibus exponitur. Notum eſt autem, pleroſque, cum nihil ipſi habeant proprium, quod laudem mereantur, ad paternas & avitas laudes (uti claudi ad equum) recurrere. Quaſi vero iis octimi merito non queat, Heroum filios eſſe noxas: Extant ad hanc ſententiam multæ graves & argutæ veterum Græcorum poetarum ſententiæ. Eleganter quoque Ovidius ſub Vlyſſis perſona:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi.
Vix ea noſtra voco.——

NON SOLVS ILLE.

ERASMI. *Braſidas quidem vir bonus.*

[illegible], id eſt, Braſidas vir bonus quidem ille, ſed Lacedæmon multos habet præſtantiores. Adverſus eos, qui ſe non modo primos, verumetiam ſolos exiſtimant. Natum ex apophthegmate, quemadmodum docet Plutarchus in Laconicis, & item in vita Lycurgi Finitimum illi, Multi Mannii Ariciæ.

Multi Mannii Ariciæ.

Mannius apud Feſtum Pompeium, Dianæ Ariciæ lucum, qui ex ipſe Aricinus dictus eſt, conſecraſſe legitur. Ex hoc Mannio Aricio, viro laudatiſſimo, quam plurimi extiterunt viri item clariſſimi, eodem nomine, ut hinc natum proverbium, Multos Ariciæ Mannios eſſe. Sed longe diſſentit Aſinius Capito, exiſtimans proverbium convenire in deformes, verum hic locus apud Feſtum ita mendis corruptus eſt, ut nihil certi poſſit elici, præter hæc quæ retuli.

Multi bonique.

Πολλοὶ καὶ ἀγαθοί, Multi bonique. Proverbiali figura dicebatur olim. Translatum à ritu ſacrorum, in quibus ſacrificus rem divinam facturus dicebat: τίς τῇδε; id eſt, Quis hic? Deinde qui aderāt, reſpondebant πολλοὶ κἀγαθοί, id eſt, Multi & boni. Atque hæc partim ominis cauſa dicebantur: oportebat enim in ſacris εὐφημεῖν, hoc eſt, bene ominata dicere: partim, ut ſi quis eſſet ſibi conſcius admiſſi piaculi, ſecederet a myſteriis Plutarch. in Sympoſiacis: [illegible], id eſt, Quādo quidem Platoni teſtes adſunt multique bonique. Sed de hoc ante meminimus Quo quidem alluſit & Ariſtides in Pericles, [illegible], id eſt, Verum velut unus enimvero honeſtorum ac bonorum, citra invidiam, ac purum illi reddidit teſtimonium. Quin etiam Homericum illud jam proverbii vice receptum eſt, [illegible], magnuſque bonuſque Eſt ſubinde & apud Ariſtophanem. Proverbiū igitur locū habuerit, quoties aut teſtes aut judices, aut convictores ſignificamus idoneos, ac nequaquam rejiciendos.

NOTVS.

ERASMI. *Hoc jam & vates ſciunt.*

Idem aliquanto poſt diſſerens, quod in conſolationibus apud populum dicere multo ſit difficilius, quam in judiciis cauſas agere (eo quod qui ſuadet, de futuris loquitur: qui accuſat aut defendit, de præteritis; & ad hæc, legem habet pro fundamento, quo habito facile eſt reperire demonſtrationem) ſubjungit Epimenidis Cretenſis ſententiam: [illegible], id eſt: Quod videlicet factum, ſciri jam poteſt à divinis Addit Epimenidem ſolere non de futuris, quæ ſciri non poſſunt, ſed præteritis vaticinari, verum occultis. Nam eſt hoc quoddam divinandi genus. Beatus Paulus Epimenidem prophetam appellat Apte torquebitur jocus in rem tandem compertam, quam diu fefellerat.

In ore atque oculis.

Quæ propalam fiunt in ore atque oculis omnium fieri dicuntur. M. Tullius in Verrem lib. 5. Quum hæc confeſſus eris quæ in foro palam Syracuſis in ore atque oculis provinciæ geſta ſunt. Rurſus in Divinatione: In mentem tibi non venit, quod negocii ſit cauſam publicam ſuſtinere, vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis judicium, ſed etiam in oculis conſpectuque omnium exponere? &c. Os fortaſſis hic dixit pro aſpectu. Alioqui In ore omnium dicuntur eſſe, de quibus rumor eſt publicus Et In oculis ferre dicimur, quos obſervamus, curæque habemus.

Rumor publicus non omnino fruſtra eſt.

Carmen Heſiodi celebratiſſimum citat Ariſtoteles libr. Moralium Nicomachiorum 7.

φήμη δ' οὔ τις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα λαοὶ
πολλοὶ φημίζουσι.--

Id eſt,

Haud quaquam in totum rumor perit ille, per ora
Qui volitat compluribus.--

Philoſophus hunc verſiculum adducit velut argumentum probabile, voluptatem eſſe ſummum bonum, quod eam homines expectant & bruta animantia.

Domeſtice notus.

Simili figura dixit Lucian. in Pſeudologiſta: ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ, καὶ οἴκοθεν σε ἐπισταμένῳ εἰδότι. id eſt, Viro libero, & qui te ex domeſtico convictu cognitum habeat. Id erit venuſtius, ſi ad res animi traducatur, ut ſi quis dicat, artem rhetoricam οἴκοθεν alicui notam. Ejuſdem generis eſt Plinianum iſtud, in epiſtola ad Atticum: Clementem hunc ego in Syria cum adoleſcentulus militarem, penitus & domi inſpexi.

Intus & in cute.

Intus & in cute notus, eſt modis omnibus cognitus: perinde quaſi dicas, foris atque intus notus. Perſius:

Ad populum phaleras, ego te intus & in cute novi.

Id eſt: Aliis fucum facito, mihi plane notus es, neque poteſt impoſturam facere. Et Summam cutem, primam illam rei quaſi frontem & ſpeciem vocamus. Auſonius in præfatione in periocha Homeri: Hæc eius ſpecies apparet, ſummam cutem primi operis intuenti. Et Horatius:

Introrſum turpis, ſpecioſus decora.

Principes inter ſe noti.

Qui dicit mutuam principum, aut eruditorum inter ipſos eſſe notitiam, etiamſi diverſas longeque diſſitas habitent regiones, uſurpare poterit illud ex eodem libro:

Οὐ γάρ τ' ἀγνῶτες θεοὶ ἀλλήλοισι πέλονται
Ἀθάνατοι, οὐδ' εἴ τις ἀπόπροθι δώματα ναίει.

Non ignoti inter ſe ſunt dii morte carentes,
Quanquam ſemoti diverſa in ſede morentur.

Torqueri poterit & in ſatrapas iſtos, qui tametſi belligerari videntur, magnoque rerum tumultu conflictari, tamen ipſi clanculum inter ſe colludunt: hoc tantum agentes, ut ſuam uterque plebem exhauriat, & imminuta reip. autoritate, ſuam conſtabiliant tyrannidem.

BRASSICANI. *In Plauti comœdia mœchus.*

Aulus Gellius noctium Atticarum libro j. capite 7. Ne ut in Plauti comœdia mœchus, ita in Ciceronis oratione ſolæciſmus eſſet manifeſtarius, apud Plautum in Caſſina, ſenex adulter apertè à rubore deprehenditur. Proinde quod eſt apertiſſ. & nemini non cognitum, manifeſtius eſſe dicimus, quam in Plauti comœdia mœchum.

COGNATI. *Nec me animi fallit.*

Apud veteres Latinos nec rarum nec infrequens eſt, maxime poetas, ut oſtendemus Lucret. lib j.

Nec me animi fallit, Græcorum obſcura reperta,
Difficile illuſtrare Latinis verſibus eſſe.

Item:

Nec me animi fallit, quam ſint obſcura.———

Sic & lib. v.

Nec me animi fallit, quam res nova, miraque menti
Accidat exitium cœli, terræque futurum.

Hunc loquendi modum imitatus eſt Virgil. libro tertio Georgic.

Non ſum animi dubius, verbis ea vincere magnum,
Quam ſit.———

Oculorum ſubdere viſu.

Nec minus frequentia ſunt hæc, ſed in ore ſunt omni populo. Idem Lucret. ibidem.

Nec tamen hanc poſſis oculorum ſubdere viſu.

Puer quivis intelligit.

Plato: Sapientia, inquam, ipſa felicitas eſt: quod quidem vel puer quivis intelligat. Quo ille, cum ob puerilem ruditatem, admiratus eſſet, & ego admirationem animadverterem, &c. Vide alibi, Pueri more.

Bene te cognoſco.

Catullus in Gellium.

Quod te cognoſſem bene.———
——Et tecum multum conjungeret uſu.

Ibidem & Lesbiam.

Nunc te cognovi.———

Fama loquetur anus.

Catullus de Gallo.

Verum id non impune feres: nam te omnia ſæcla
Noſcent, & quis ſis, fama loquetur anus.

Vetus opera apud Priſcianum.

[illegible]

Id eſt:

Martialis.

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Idem Catullus ad Gellium.

Neſcio quid certe, eſt, an fere fama ſuſurrat.

Sunt autem homines malæ linguæ, etiam ſi tacerent. Ad Mallium:

Sed dicam vobis, vos porro dicite multis
Millibus, & facite, hæc charta loquatur anus.

Loqui annales, dixit & Macrobius in j Saturn. Multarum gentium, quas priſci loquuntur annales.

A veſpere ſolis ad ortus.

Ovidius in Ibin. Phavorinus apud Gell. lib. 2. c. 22. Satis, inquit, notum eſt, limites regioneſque eſſe cœli quatuor: exortum, occaſum, meridiem, ſeptentrionem.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Sol omnia aperit.

Omnino mihi quidem videtur proverbialis ille Theocriti verſus ex eidyl. j.

—Ἤδη γὰρ φράζει πάνθ' ἅλιος ἄμμι.

Id eſt:

—Equidem prodit ſol omnia nobis.

Senſus eſt, omnia temporis ſpacio in lucem promi & revelari. Solem per μετωνυμίαν pro die poſuit, cum cauſa efficiens diei, ſolis ſplendor ſit. Et ut ſole lucente omnia ſunt aperta & conſpicua: ita etiam temporis decurſu, obſcura quæque in apricum, ut ait Horatius, proferuntur. Conſimilis huic eſt ſenarius ille, etiam proverbialis.

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

& Pindaricum hoc: ὁ χρόνος πάντων πατήρ. Poteſt videri alluſum ad fabulam Homericam, Odyſſeæ 9. ubi in Veneris concubitu Mars adulter deprehenditur inditio ſolis: epimythio indicante, tandem aliquando fœda male celata prodi.

NOVITAS.

ERASMI. *In folle offerre.*

Calliſtratus lib. Pandect. xxxv. tit de cond. & Demoſt. cap. cum ſervus: Nos, inquit, neque cōditionem meram putamus eſſe, quæ in datione exiſtit: neque meram conditionem, quæ in facto conſiſtit: ſed eam conditionem, quæ ex quadam mixtura cōſiſtit. Nam non utique ſi ille in folle reliqua obtulit, liber erit: non enim teſtator hoc ſenſit, ſed illud, ut rationes reddat quomodo ſervus reddere ſolet, id eſt, legendas offerre rationes primum, deinde computandas, ut explorari poſſit, computationes probæ an improbæ referantur, accepta, relata recte, annon recte. Apparet in folle dictum, pro eo quod erat, inexplorate, inexplicate & confuſe, ſicut qui ſyngraphas & pecuniam ſacculo incluſas offert.

Aliud genus remi.

Ἄλλο γένος κωπῶν. id eſt, Aliud genus remi. Dicebatur olim, ubi quiſpiam res novas & ante non viſas induceret: aut ubi quis verſis moribus priſtinis, novum & inuſitatum vitæ genus inſtitueret. Hinc ortum ajunt, quod Hercules cum ad boves Erythræas navigaret, leonis exuvio carbaſi vice, clava mali loco, pro rudentibus pharetræ loris, pro remo arcu, denique pro navigio libere ſit uſus. Quod inuſitatum profecto navigandi genus cum vidiſſent accolæ, acclamabant: ἄλλο γένος κωπῶν. Refertur in Plutarchi collectaneis.

Grata novitas.

Si quando dices nuperrima quæque, vulgo maxime placere, non intempeſtivum fuerit illud ex eodem libro:

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥ τις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται.

Id eſt:

Cantio enim hæc hominum longe eſt celeberrima vulgo,
Et gratiſſima, quæ nuperrima venit in aures.

Accinit huic Pindarus Olymp. hymno 9.

Αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων.

Id eſt:

Lauda vinum vetus, ſed novorum hymnorum flores.

Sentiens gratiores eſſe hymnos, qui res nuper geſtas celebrant, quam qui priſca tractant. Pleraque commendat novitas, potiſſimum apud imperitos: contra in ſcriptis antiquitas conciliat gratiam, novitas invidiam, unde Flaccus in Epiſtolis.

Indignor quicquam reprehendi, non quia craſſe
Compoſitum, illepide ve putetur, ſed quia nuper.

Ac cæteris ferme in rebus favor novitatis, ſuperiorum obliterat gratiam, Vnde David epiſcopus Trajectenſis, patre progenitus Philippo Burgundiorum duce, hujus qui nuper defunctus eſt proavo materno, vir doctus & cordatus, ſuadentibus quibuſdam, ut pro-

propter ætatem ingraveſcentem pateretur adjungi ſibi deſignatum epiſcopum, ait ſcite divi Antonii exemplo commoveri, quo minus id facere vellet. Nam hunc negligi cœpiſſe, ſimulatque ſucceſſiſſet Rochus rectior divus. Simile faſtidium eſt humani ingenii in his quæ nobis ad manum ſunt. Miramur enim exotica, quũ interdum domi habemus meliora. Id potiſſimum uſuvenit in medicis: noſtros faſtidimus, licet eruditos, beluam è longinqua barbarie profectam ſuſpicimus. Itidem pharmacopolæ magno emunt herbas longinquo advectas, quum interdum meliores naſcantur in horto vicini. Id eleganter notavit Alexis apud Athenæum lib. 3.

Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρεῶμεν τὰ συγγενῆ.

Id eſt:

Aliena amamus, proximum contemnimus.

Qui modus equitum.

Τίς τρόπος ἱππέων, id eſt, qui modus equorum? Ubi quis novam ac peregrinam induceret cõſuetudinem: veluti ſi quis Italus Gallicis veſtibus uteretur. Dictum videtur de hoſpitibus novo quadrigarum genere invectis. Metagenes in Thurioperſis apud Suidam. [illegible] id eſt, Quis equorum modus? Ut autem ſaltant hi more barbarico. Confinitatem habet cum illo, quod paulo ſuperius recenſuimus: [illegible] id eſt, Aliud genus remi.

IVNII. *Cælaturam olet.*

Γλυφάνου ὄζειν, id eſt, Scalprum aut cœlum olere dicitur, quod recenter fabricatum eſt. Theocritus idyllio primo de poculo tornato recenter:

——Νεοτευχὲς ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον.

Id eſt:

Quod natum nuper redolet cælamina ſcalpri.

Transferri poterit ad librum recens ab aliquo conſcriptum, & è prælo profectum: aut ad carmen nuperum quod ſub incudem nõdũ revocarit author. Sic indecia quæ non diu duraverant in bello navali apud Ariſtophanem Acharn. ὄζουσι πίττης. Picem olẽt: propter triremium, aliarumque navium bellicium apparatum, quæ picæ illitæ nuper ad belli procinctum paratæ fuerant.

COGNATI. *Nihil dictum, quod non dictum prius.*

Iactatum per Gallias compita dictum, ex prologo Terentii in Eunuch. Ludovicus Regius in quadam epiſtola ad Lancelotum Charlum Epiſcopum: Verum ne ſit vulgo quod dici ſolet, Nihil dictum, quod non dictum prius. Levinus Lemnius in nuncupatoria ſuorum librorum De occultis naturæ miraculis: Ne id Comici occentet naſutior, quod non dictum Nihil dictum prius. Claudius Britonius Heduus in lib. De vera Eccleſiæ conſtituendæ ratione. Atqui nihil nunc queat dici inquies, quod non ſit dictum prius. Vide infra, nullo exemplo facis.

Nullo exemplo facis.

Ex hoc Ciceronis de Senectute loco, exemplo nullo aliquid facere, id eſt, novum & inauditum: hoc proverbium eſt nobis pervulgatum. Exemplum autem eſt, quod aliquãdo fuit. Tacitus: Omnia quæ nunc vetuſtiſſima creduntur, nova fuere, inveteraſcet hoc quoque: & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Plin. lib. 28. Sunt inter exempla, qui aſinum lac bibendo liberati ſunt podagra, chiragrave. Vide alibi, Nihil dictum, quod non dictum prius. Budæus Calvero: Quando factum fuit mihi, nullo ut exemplo vitam inſtituerem, id eſt, primus. Pro nullo exemplo Græci dicunt [illegible], id eſt, deſignabunde. Eſt enim deſignare, novum aliquid & inuſitatum inceptare. Contra, quod & nos aliorum exemplo ſi facimus, culpa vocamus.

Ἠμιν οὐδεὶς.

Magna quoque elegantia Græci, cum quid ab aliquo fortaſſe factum, vel potius a nemine tentatum volunt indicare, vocibus his, [illegible] ad eam rem exprimendam utuntur. Herodotus in Thalia. [illegible] Cyrus apud Xenophontem, ſub finem lib. 7. ſic ait: [illegible] Ariſtides in Panathenaica: [illegible] Menelaus apud Homer. [illegible]

[illegible]

Κτεάνων.——

Ibidem Procorum quidam ad Antinoum:

[illegible]

Apud Ariſtophanem quoque ſenex in fine Veſparum inquit, [illegible] nec enim putabat fore quenquam tantis animis, ut cum ipſo certamen ſuſcipere auderet. Denique non videtur abludere, ut hoc ad extremum additur, illud Perſii principium:

Quid leget hæc? mihin iſtud ais: Nemo hercule, nemo,
Vel duo vel nemo.——

Et hæc Canteri ſunt.

NVGALIA.

ERASMI. Χυτρολήρος.

Hominem ſtulte nugacem Græci vocabãt χυτρολήρον, voce ridicule compoſita à χύτρα, quæ proprie dicitur aqua impetu ſcatẽs, & χύτρα olla. & ληρεῖν quod eſt nugari. Olla autem ſtupidos appellamus. Refertur à Suida. Extat apud Ariſtophanem in Equitibus: quo dicto notaſſe videtur homines immodice nugaces. Nam & λήρους quidam fontes dici putant, [illegible] Indicat hoc Vlpianus, enarrans tertiam Demoſthenis Olynthiacam: Alibi retulimus proverbium, Luſciniæ nugis inſidentes, [illegible] Sed poſt comperi, λέσχας Græcis dici nonnunquam ſedilia quædam publica, in quibus Athenienſes otioſi complures pariter ſedebant, quibuslibet de rebus inter ſe nugantes: qualia ſunt hemicyclia. In teſtimonium proferunt hoc carmen ex Homero:

Οὐκ ἐθέλεις εὕδειν χαλκήϊον ἐς δόμον ἐλθὼν
Ἠὲ ἐς λέσχην.

Hæc ſedilia fuiſſe Apollini conſecrata ſcripſit Cleanthes. Quidam eum deum appellant λεσχηνόριον.

Nugæ theatri.

Plautus in comœdia Pſeudolo, nugas theatri appellat, quotidiana convicia, quæ in meretri. es. lenones & paraſitos jaciebantur à comœdiarum actoribus. Sic ibi Ballio leno rogatus quod ipſi dixiſſet quiſpiam? Nugas, inquit, theatri, verba, quæ in comœdiis ſolent lenoni dici, quæ pueri ſciunt. Malum & ſceleroſum & perjurium aiebant eſſe me ſic leno. His autem conviciis non oportebat quenquam offendi: ut ajebat Socrates, nihilo hercle magis quam in magno convivio, liberius dictis. Quin etiam totum hoc quod in comœdiis agitur, nugæ theatri dici poterunt: veluti juvenes amare, lenes objurgare, ſervos heris imponere, lenas ſtitie, &c. Aliquanto ſecus dictum eſt M. Tullio, qui theatri vocem traxit ad ſignificationem oſtentationis Velut in oratione pro Rabirio: Multas equidem C. Cæſaris virtutes magnas incredibileſqi cognovi, ſed ſunt cæteræ majoribus quaſi theatris propoſitæ. & pene populares, caſtris locum capere, &c. Unde & Theatrica dicuntur quæ multitudinis favorem captant.

IVNII. *Nugarum inſtitores.*

In blaterones, & meras nugas diſcipulis ſuis tradentes artiſtas, quadrabit illud Hermiæ, quo apud Athenæum uſus eſt Myrtilus: [illegible] Audire ambulones Stoici, nugarum mercatores, verborum mimi. Tales ſunt qui in dialecticæ Sirenæis ſcopulis, & ſpinoſis ſcholaſticæ Theologiæ ſalebris ſemper verſantur. Diogenes Laertius refert Timonem Phliaſium in Sillis appellare [illegible] φλέδονα philoſophum Antiſthenem, velut ineptias nugaſque omnigenas.

COGNATI. *Lyræ, lyræ.*

Lyræ, lyræ, vox vulgaris fictitia, nugatoria, & effutitia: pro nugis & frivolis veteres in proverbio habuerunt. Plautus in Pœnulo: Gerræ Germanæ: atque ædepol Lyræ lyræ. Ante [illegible] Lucianus ἐν τοῖς πρὸς κρόνον primo dialogo: [illegible] id eſt, Non tu deſines iſtiuſmodi nugari nugas?

Ioco non ſerio.

Plato in Theæteto: Hæc tu fortaſſe dices à me tibi diſputationis ſolum cauſa joco dicta fuiſſe, non ſerio demonſtrata. In Euthyphrone: Nihil ſane moleſtum à jocantibus ridentibuſque, ſed à ſerio contendentibus. Author obſcœni carminis:

Nolite omnia quæ loquor, putare Per luſum mihi, per jocumque dici.

Nugari de ſublimibus.

Idem, De philoſophia: Nugantur de ſublimibus quædam, & philoſophantes garriunt. Poſt. Ex pharetra obſcura ſagittant. ex Theæteto.

In nugas merſus.

Plato in Parmenide: Aliquando hæc me cogitatio perturbavit, ne quid forte in omnib. Idem: ſed ubi paulisper inſiti. Inde rurſus diſceſſi, metuens ne in nugas nullis unquam verbis explicandas merſus perirem. In Protagora, Voce propria removis iis nugis jociſque convivium celebrant.

Poema longum.

Plato in Lyſide: Nugæ quædam ſunt, velut poema longum compoſitum.

Ne ſit nobis cura nomen.

Idem in Civili. Præſtat autem in ſingulis rem ipſam cum rationibus, quam nomen ſolũ abſq; ratione perſpicere. Vetus eſt, omniumq; ſententia, ſi quis ea quæ magna ſunt, recte tranſigere velit, In parvis quibuſdam prius illa, facilioribuſque, quam in maximis conſiderare debere. Etenim verborum curioſitas evitanda eſt, ut idem Plato in civili. ſtatim in principio. ait. Voluntas teſtatoris eſt magis in ſpicienda, quam verba. ff. ad Trebl. l. ubi. §. & ego. Plato in Euthydemo ſcribit, homines verborum curioſos res bonas nũquam vel cõſequi, vel afferre. Cic. in lib. Academicorũ apud Aug. lib. 2. contra Academicos. Non enim vocabulorum opificem, ſed rerum inquiſitorem decet eſſe ſapientem. Nomina enim rerum tenere, nõ ſatis eſt, niſi res ipſas cognoſcamus. Vide poſt, Pro rebus & pro farina verba.

Poſt ludos ad ſeria.

Ficinus in Euthydemum. Socrates ironice jubet Sophiſtas, ut poſt ludos ad ſeria veniant.

Opor-

Ὀρτυγοτροφίαι : aut, ὀρτυγοκοπίαι.

Proverbialiter dicuntur omnia ludicra, & inania exercitia. Vide Plutarchum de audiendis poetis, & ibi à Guilielmo Xylandro indicata. Suidas in dictionibus ὀρτυγοτροφεῖν & ὀρτυγοκόπος, ludi quidem genus deſcribit, in quo coturnices in gyrum collocatæ percuterentur, &c.

CAROLI BOVILLI. *De Gallo in aſinum.*

Saillir du coq à l'aſne. Celeris eſt, caſu, vel aſtu ſermonem de re aliqua, ad aliam toto genere diverſam repente & ſine cauſa transferre.

EX APPEND. IVNII, CANTERI,

Ἄπτερος μῦθος.

Fabula abſque pennis vel inalata, pro fabula gravis ponderis, cito auribus excipienda, interiuſque recondenda, ne oblivione pereat, omnino proverbialiter ab Homero Odyſſ. 17. uſurpatur, ubi legitur:

Ὣς ἄρ' ἐφώνησεν, τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.

Ideſt:

teſte Euſtath. μὴ διαπτᾶσα ἀλλ' ἐμμείνασα τῇ Πηνελόπῃ, id eſt. Vbi Telemachus dicere deſiiſſet, verba Penelopæ aures allapſa, imo ejus pectore ita inhæſerunt, tanquam alis carerent omnino, neque viderentur denuo evolatura. Alius ἄπτερος velut, ἰσχυὸς καὶ ἰσόπτερος, ſed diverſo ſenſu. Sacræ literæ ἄπτεροι μῦθοι vel λόγοι eleganter vocabuntur, ut velociter auribus admittendæ, menteque ima ſemper obverſandæ.

NVNQVAM.

ERASMI. *Cum mula pepererit.*

Adagium pervetuſtum, Cum mula pepererit: quoties ſignificamus aliquid nũquam futurum, aut adeo raro ſolere accidere, ut improbum ac ſtultum videatur ſperare. Ortum videri poteſt ex eo quod refert Herodotus in Thalia. Cum Babyloniorum urbs obſideretur a Dario, quidam Babylonius conviciis inſectans Darium, atque exercitum: Quid, inquit, iſthic deſideretis Perſæ? Quin potius abſceditis, tunc expugnaturi nos, ἐπὰν ἡμίονοι τέκωσι, id eſt, cum mulæ pepererint, videlicet ratus id nullo unquam tempore futurũ, propterea quod natura ſteriles ſunt mulæ. At paulo poſt evenit, ut Zopyro mula quæpiam pareret: quo quidẽ oſtento in ſpem capiendæ Babylonis erectus eſt, & accepit. Huic ſimile quiddam refertur a Suetonio in vita Galbæ Cæſaris. Hujus avo procuranti fulgur, cum aquila de manibus exta rapuiſſet, & in frugiferam quercum contuliſſet, ſummum ſed ſerum imperium portendi familiæ, reſponſum eſt. Atque ille irridens, Sane, inquit, cum mula pepererit. Quod omnẽ ita arripuit Galba, ut eum poſtea res novas molientem, nihil æque confirmarit ad mulæ partus, cæteriſque ut obſcœnum oſtentum horrentibus, ſolus pro lætiſſimo acciperet, memor ſacrificii dictique aviti. Plin. 8. c. 44. de mularum ſterilitate ſcribit hunc in modum: Obſervatum eſt è duobus diverſis generibus nata, tertii generis fieri, & neutri parentum eſſe ſimilia. Eaque ipſa, quæ ita nata ſunt, non gignere in omni animalium genere, idcirco mulas non parere. Hujus rei cauſam adfert Alexander Aphrodiſeus, quod ſemina natura & habitu diverſa, ſi commiſceantur, tertium quiddam ab utroque diverſum conficiunt, vimque ſimplicium prorſus amittunt: veluti ſi miſceas album nigro, abolitis utriſque coloribus, redditur fuſcus ab utroque diverſus, quem Græci λευκόφαιον appellant. Sed multo exactius de his Ariſt. lib. De generatione animalium 2. c. 6. refellens Democriti & Empedoclis rationes. Quanquam proditum eſt in annalibus Romanorum, mulas peperiſſe ſæpe, verum id prodigii loco habitum, ut eodem in loco, quem modo citavi, teſtatur Plinius. Theophraſtus vulgo parere in Cappadocia tradit. Ariſtot. lib. De natura animalium 5. c. 6. tradit mulas coire ac gignere in Syria ſupra Phœnicem: ſed eſſe animal ibi ſui generis, etiamſi ſimile.

Ad Græcas calendas.

Huic affinem habet ſenſum, Ad Græcas calendas, pro nunquam: propterea quod Græci non habent calendas, more Latinorum, ſed νουμηνίας, id eſt, novilunia. Atque ad lunæ recurſus Græci ſolvebant uſuras. Vnde Strepſiades in Nubibus Ariſtophanis, optat ſibi incantatricem quampiam, quæ carminibus ſuis efficiat, ne quando luna exoriatur: ſic enim fore, ut nõ reddat uſuras: quãdoquidem trapezitæ ad lunas, mutuam dant pecuniam, & lunis uſuræ creſcunt. Huc itaque reſpexit Auguſtus cũ diceret ad Græcas calendas ſoluturos, quos nunquam reddituros mutuum ſignificabat. De quo in ipſius vita ſcribit Tranquillus ad hunc modum: Quotidiano ſermone quædam frequentius & notabiliter uſurpaſſe eum literæ ipſius αὐτόγραφοι oſtentant: in quibus identidem, cum aliquos nunquam ſoluturos ſignificare vult, ad calendas Græcas ſoluturos ait. Huic ſimile eſt, quod nunc inter eruditos jactatur, Anno magno Platonis: quem exiſtimant nunquam futurum.

Vbi per Harma fulgurarit.

Ὁπόταν δι' ἅρματος ἀστράψῃ, id eſt Vbi per Harma fulgurat. De iis quæ nimis cunctanter ac ſero, aut admodum raro fiunt, aut cũ nimis anxiè ac ſuperſtitioſe captatur rei gerendæ opportunitas. Strabo lib. Geographiæ 9. unde natum ſit adagiũ, indicat, ſcribẽs vicum quempiam eſſe deſertum atque infrequentem apud Mycaleſum Bœotiæ, ſeu Mycaleſſum Tanagræi juris, quem harma, id eſt, currum nominant. Rurſum alterum ab hoc diverſum, ejuſdem tamen nominis in Attica (quæ quidem tribus ex Atticæ populo, Tanagræ ſimilis) atque ob hanc ſimilitudinem, nominis quoque communionem ſortitum. Cæterum harma Bœotiæ ſive vocatum, quod Amphiarao excuſſo currus manis in eum locum delatus ſit, ubi nunc ſacellum ejus extat. Alii ſervor, Adraſto fugiente, currũ ejus eo loco confractum fuiſſe, ipſum Arionis opera ſervatum, hinc natam parœmiam: ὁπόταν δι' ἅρματος ἀστράψῃ. id eſt, Vbi per harma fulgurat: videlicet Pythicis vatibus fulgur aliquod certum, quod ex eo loco veniret, obſervantibus, eoque viſo ſacra Delphos mittentibus. Obſervabant autem ad menſes treis, ſingulis mẽſibus treis dies, noctéſque totidem: idque è Iovis fulguralis foco, quæ eſt in muro inter Pythium & Olympium. Hæc ferme Strabo. Vſum adagii Plutarch. palã indicat in Sympoſiacis: οἱ γὰρ inquiens, σπανίως καὶ δι' ἅρματος, ὥς φασιν, ἑστιῶντες, ἀναγκάζονται ... καινὰ γράφειν, id eſt, Etenim qui raro & per harma, ut ajunt, convivium exhibent, hi coguntur utcunque accommodũ ac novum deſcribere. Itaque de raris & incertis dici ſolitum videtur. Poterit & per jocum accommodari ad ea quæ nunquam evẽtura credamus: quemadmodum ajunt, Ad Græcas calendas.

Aceſſæi luna.

Ἀκεσαίου σελήνη, id eſt, Aceſſæi luna. Dictum in comperendinatores, qui novam ſubinde cauſſam comminiſcuntur, quo negociũ proferant: à nautæ cujuſdam moribus ortum, cui Aceſſæo fuerit nomẽ. Is cum eſſet ignavus, ita prorogare cõſuevit navigationem, ut ſe diceret lunam magis opportunam expectare. Nam Græci, præcipueque ex his Lacedæmonii, quicquid eſſent rerum auſpicaturi, ſuperſtitioſe lunam obſervabãt. Id quod tacite notat Euripides, cum in Iphigenia in Aulide reſpondet Agamemnon, tum nupturã filiam, ubi lunæ dexter circulus advenerit. videlicet de plena luna ſentiẽs. Lucian. in libello de Aſtrologia, palam refert. Lycurgum legem inſtituiſſe Lacedæmoniis, in prælium inirent ante plenilunium. In eam ſuperſtitionem jocatus Ariſtophan. τῇ πανσελήνῳ, id eſt, plenilunio, ſero aut nunquam futurum ſignificans. Etenim cum Datis & Artaphernes ductores regis Perſarum, in Marathonem irrupiſſent, plenilunium obſervabant, ut tum exirent in prælium. Ergo prius quam illi venirent, Athenienſes bellum aggreſſi ſunt. Hiſtoriæ meminit Herodotus lib. 6. Inde quaſi proverbio decũctantibus, & quavis occaſione rem proferentibus, dicitur, ἐν τῇ πανσελήνῳ, id eſt, plenilunio. Adagium refertur à Diogeniano. De lunis Laconicis & alibi nonnihil nobis dicetur.

Cum nibas coccyſſaverit.

Ὅτ' ἂν Νίβας κοκκύσῃ, id eſt, Cum nibas coccyſſaverit. Simillimum illi, Ad Græcas calendas. Tradunt in Theſſalonica, Macedoniæ civitate, vicum eſſe, cui nomen Nibas, ubi galli nunquam vocem ædant quemadmodum & cicadæ mutæ ſunt alicubi. Porro quod illic locus addit gallinaceo, id ars efficit, addito collo circulo è ſarmentis auri, ſi qua fides Plinio: qui hoc retulit libro viceſimo nono, cap. 4. Heſychius addit, Nibades dici capras criſtatas, ut ab iis expectetur τὸ κοκκύζειν, quod eſt gallinaceum.

IVNII. Peliam recoquere.

Peliam recoquere, non modo veneficæ dicuntur, quæ ſenectam in juventutis florem reſtituere promittunt, ſed & medici, qui venereæ virtutis ſpem ſenibus pollicentur, qui veteribus authoribus ſine certa antiquorum codicum opera reſtituendis incumbunt, qui denique qualemcunque mutationem moliuntur, ſive res bene cedat, ſive ſecus.

Plautus in Pſeudolo,

Item ut Medea Peliam concoxit ſenem,
Quem medicamento & ſuis venenis dicitur
Feciſſe rurſus ex ſene adoleſcentulum.

Quo alluſiſſe videtur Cic. in libello De ſenectute. Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit, nec ve tanquam Peliam recoxerit, placet enim impenſius ea lectio, quam quæ in vulgatis codicibus extat hoc modo, Tanquam pilam retorſerit. Non abludit hinc dictum Martialis lib. 6. de Thelethuſa, agillima ſalaciſſimaque puella:

Tendere quæ tremulum Peliam poſſit. ———

hoc eſt, effœtum ſenem vegetum reddere, & veluti juvenem ad venerem armare. Pelias Neptuni ex Tyro Salmonei filia, rex fuit Iolci, cui lividæ in fronte cicatricis ſtigma, ab ungula equina impreſſum, nomen dediſſe putatur (id enim eſt πελιωθῆναι, teſte Euſtathio) hic Medeam pluris faciens, filias ſuas ejus nutui ac voluntati obſecundare juſſit, itaque illarum obſequio abuſa Medea, Peliæ corpus in æneo lebete coquendũ eſſe perſuaſit, ut ſenii exuvio poſito, juventutem recuperaret: utque fides verbis accederet, arietem prius in fruſtra diſſectũ in lebete decoxit, adhibitis lectis quibuſdam venenis, eumq; in agni ſpeciem mutatum eduxit. Itaque fictæ benevolentiæ oſtentu Peliæ illudens, in ænea cortina illum concoquendo necavit. Fabula legitur apud Diodorum Siculum Bibliothecæ lib. 5. Poterit in uſum trahi hoc modo, ſi dicamus, ſcriptis alicujus vel admonitione ſalubri alios novos eſſe factos, & Peliæ inſtar recoctos, ſi Plautinũ jocũ velim' ſequi: qui ſeu ſtudio,

ſtudio,ſeu memoriæ lapſu fabulam corrupiſſe videri poteſt: quippe cum Æſonem reſtitutum legemus,non Peliam. Poteſt & aliter,& quidem verius in uſum recipi,hoc pacto: Monachi,qui in Meſuem commentarios ſcripſerunt, dum rem herbariam reſtituere multifariam mancam ſatagunt, variis eam erroribus involverunt,& quaſi Peliam recoquendo everterunt.

Cum Æſone juveneſcere.

Ἅμα τῷ Αἴσονι ἀνηβᾷ,id eſt, Cum Æſone rejuveneſcere Proverbium ſuperiori affine,& ei quod alibi diximus, Equus Sephodeus. Quadrabit in eum, qui diuturna valetudine afflictus,emaciatuſque priſtinas vires de integro recuperarit: vel qui ſenecta invalidus, vires juveniles lectione authoris eruditi recipere ſibi videatur: veluti ſi quis in barbaris ſcriptoribus vitam aſſidue conterens, bonarum literarum lectione tædium illud levet, hoc eſt, cum Æſone rejuveneſcat, Syneſius Troillo: [illegible] id eſt. Iſta ſi nanciſci mihi contingat,oſtendam non fuiſſe fabulamentum, quod de Æſone Theſſalo fertur, quem repubuiſſe bis juvenem è ſene factum perhibent. Fabulantur Æſonem Iaſonis patrem veneficiis Medeæ reſtitutum fuiſſe juventæ: id autem Medeam feciſſe parato arte lavacro, ex herbarum quarundam ſalubrium decocto (cui a concoctionis argumento [illegible] nomen erat) annotavit Palæphatus, vetuſtus ſcriptor. Finitimum huic eſt illud Euripidis ex Heraclidis:

Νέος μεθέστηκ' ἐκ γέροντος αὖθις αὖ.
id eſt:
Evaſit iterum factus è ſene juvenis.

BRASSICANI. *Prius unda cum flamina. redibit in gratiam.*

Cicero in 13. Antoniana, de re quæ nullo unquam tempore fieri aut contingere poſſit. Sic apud Homerum,ubi dii pro Trojanis & Græcis pugnantes introducuntur, Vulcanus cum Xantho fluvio,quem alias Scamandrum appellant,fortiſſime dimicat, atque in eum modum interpretatur & Heraclides Ponticus in allegoriis Homericis, & Didymus in Commentario libro υ Iliad. Adagium eo libentius appoſui, quod omnia ἀδύνατα proverbialia ſunt:

IOANNIS VLPII. *Myrica citius poma ferent.*

Si quis idem ſperat: latiturus poma Myricas
Speret, & è medio flumine mella petat.

Proverbialia hæc ἀδύνατα apud Ovidium leguntur.

COGNATI. *Quum plumbum natabit ſuberis inſtar.*

Dicitur, quoties ſignificamus aliquid nunquam futurum: quemadmodum ajunt, Ad Græcas calendas: aut, Quum mula pepererit, pro nunquam. Michael Hoſpitalius de Caleti expugnatione.

Quin etiam tantum huic animi victoria duplex
In foribus ſummis legeretur marmore duro
Dum demum Francus premet obſidione Caletum,
Addiderat, tantus noſtri contemptus, ut arcis
Inciſum carmen (valet id ſermone Latino.)
Quin ferrum plumbumve natabit ſuberis inſtar.

Λογοθεώρητος.

Cicero Caninium Rebilium conſulem λογοθεώρητον fuiſſe dicit: verbo philoſophorum uſus, qui λογοθεώρητα vocant ea, quæ ratione & intelligentia comprehenduntur & percipiuntur, non ſubſenſu cadunt: ut a Philoſophis ponuntur ἀρχαὶ λογοθεώρητοι, principia rerum ſenſum fugientia, ut atomi & materia, ſed & ſapiens Stoicorũ, qui nunquam fuit, nec futurus eſt, λογοθεώρητος etiam dicitur, ut & Caninius diei unius conſul: quem propter brevitatem diecul æ unius, cogitare homines potius conſulem fuiſſe, quam conſulem videre potuerunt. Macrob. lib. Saturnal. 2. cap. 3.

Ne in ſomno.

Ne in ſomno quidem. Græcis proverbialiter dicitur: pro eo quod eſt, nulla ratione, nullo tempore, ſeu quod ne ſperare quidẽ audeas. Theocritus in Bucoliſco:

—Aufer te hinc à me.
Tu homo ruſticus mihi ſuaviolum dare vis? ô miſer non
didici
Agreſtibus dare baſia, ſed urbana oſcula ſoleo figere labris.
Non tu nitidum meum os labris unquam attinges, ne per
ſomnum quidem.

Verba ſunt Eunicæ puellæ civilis, ruſticum dare baſium conantem à ſe repellentis:

Μὴ τύγε μοι φιλάσαις· τὸ καλὸν στόμα, μηδ' ἐν ὀνείροις.

Contra vim mortis,non naſcitur herba in hortis.

Omnibus eſt moriendum: & à morte nec potentia, nec opes, nec herbæ liberare poſſunt, quemadmodum dicitur in vulgari verſiculo:

Contra vim mortis, non naſcitur herba in hortis.

NVPERA.

ERASMI. *Heri & nudiuſtertius.*

Χθὲς καὶ πρώην,id eſt, Heri & nudiuſtertius. Proverbialis hyperbole, tempus admodum nuper actum ſignificans. Plutarchus in commentario De contentione ignis & aquæ: [illegible] id eſt: Atqui ignis uſus heri,ac modo, quod ajunt, ſub Prometheo. ignis vita,non citra aquam erat. Eſt ſubinde apud Lucianum, nominatim in libello De mercede ſervientibus. Item Plato De legibus lib. 3. τὰ δ' ἄλλα ἄλλοις παμπληθῆ ... χθὲς καὶ πρώην γεγονότα. id eſt, Quin & alia, quæ & aliis plurima, heri, ut ita loquar, ac nudiuſtertius acciderant. Alibi legi, nec tamen occurrit locus: ἐχθὲς καὶ πρώην ἑαυτῷ θεοὺς ποιησάμενος. id eſt, Qui heri & nudiuſtertius ſibi deos inſtituit. Plato in Alcibiade ſecundo: οἶμαι δέ σε οὐκ ἀνήκοον εἶναι ἔνιά γε χθιζά τε καὶ πρωϊζὰ γεγενημένα. id eſt, Arbitror autem tibi non inauditum eſſe, quædam & heri & nudiuſtertius eſſe facta.

COGNATI. *Novus homo*

Nulla majorum commẽdatione, aut imaginibus claros, ſed rebus ſuis præclare geſtis atque induſtria nobilitatos, novos homines dixerunt: Quod ne ſine authore & teſte non confirmare videar, Appianus Romanæ hiſtoriæ Græcus ſcriptor hiſce verbis probat:

[illegible]
[illegible]

Id eſt:

Romani eos vocant novos, non qui ex majoribus, ſed qui ex ſeſe claruerunt. Vt contra, Gentiles homines linguæ vulgares dicunt, à gentis origine, quorum majores ſervitutem nõ ſervierunt, nec capite diminuti ſunt. Nec enim minus profecto novi, quam antiqui gentiles laudandi, ſi recto pede rectaque via huc ad honores perveniant. Illi ſiquidem aliquis quaſi plumbo onerati incedunt, hi ſuis virtutibus: illi ut hederã & vitis, alienis nituntur adminiculis: hi ut trochus piſcis ipſe inire ſe dicitur & concipere, ſic primi ſunt generis nominis, honoris, authores ſuis poſteris. Apud Romanos enim infame novorum hominum erat vocabulum, Ciceroni non ſemel objectum, & a Saluſtio nominatim probro datũ, quod homo novus Arpinas eſſet ac repertitius, accitus, & paulo ante urbi Romæ civis initus. Sed utinam hac ætate omnes Cicerones haberemus, qui labore, induſtria, eloquentia, ingenio, ſibi aditum ad honores conſequendos patefecerant. Plutarch. in Catone majore, Xylãdro interprete: Et quia Romani eos, qui obſcuris orti parentibus per ſeipſos innoteſcere cœpiſſent novos homines vocare ſolebant &c. Plinius vocat ſubitas imagines, & novam nobilitatem, quæ cum creſcat ipſa, & aſcendat per ſe, propius ad eam laudem abſolutionis videtur accedere, quam ſanguis antiquus, putidus & putrefactus vetuſtate, ut etiam dixit Gregor. Nazianz, in hanc fere ſententiam.

Probrum eſt malum vocari, non ignobilem:
Genus eſt eorum qui diu ſunt putridi.

Ecce σαπρούς vocat, id eſt, putrefactos, qui jam diu in ſepulchris mortui jacuerunt, ac corrupti, quibus quidam ſe ortundos prædicant. Cicero quoque imagines vetuſtas & bene antiquas Piſonis, ridicule fumoſas appellavit. Inane eſt itaque hoc nomen antiquæ nobilitatis, ſi nulla res alia nobilem faciat, præter antiquam ſtirpem, & ſtultæ ſtemmatum ac inanes imagines (Multa de hac re Iuvenal. Satyr. 8.) Idem Cicero in Bruto, hominem repentinum, novum hominem vocavit, qui ſubito repenteque in hominum cognitionem, famam, commendationemque pervenit ſit autem ſcribit: Ignoti homines repentini, quæſtores celeriter facti ſunt, oppidano quodam incondito genere dicendi. In Saluſtiana oratione in Ciceronem, repertitius appellatur civis per contumeliam, qui nõ eſt origine civis, ſed jure, ut in civitatem receptus: quo jure municipes erant. Sunt qui Reptitius legunt eleganter, ut per contumeliam irrepſiſſe in civitatem dicatur. quidam Irreptitius, alii Repetitius: quaſi is ſit, qui cum civem Romanum ferat, ab aliis repetatur.

Nova ac pulchra ſtupeſcimus.

Plato in Minoe: Pulchra quidem ut videtur, ubique pulchra putantur; turpia contra, turpia: non autem pulchra turpia, vel turpia pulchra.

NVSQVAM.

ERASMI. *Vbi cervi abjiciunt cornua.*

Ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι, id eſt, Vbi cervi cornua abiciũt. Hoc adagio ſignificabant velut ἐν μεγάλοις, quempiam in negocio difficili verſari. Siquidẽ cervi cornua depoſituri ſecedunt in loca aſpera atque inacceſſa. Conveniet & in eos, qui a communi hominum convictu ſubducunt ſeſe, Timonem illũ Athenienſem, ob id ipſum μισάνθρωπον appellatum, imitantes. Quadrabit item, ubi locũ vehementer abditum abſtruſumque ſignificabimus. Poſtremo quod innuemus nuſquã inveniri, illic eſſe dicemus, ubi cervi cornua abjiciunt: ut quemadmodum Ad Græcas calendas, de tempore: itidem hoc, de loco dicatur. Veluti ſi quis dicat ad hunc modum: ubi geſtũ eſt illud præclarum facinus, quod jactas? illic

Illic opinor, ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. Plin. lib. 8. cap. 32. de cervis cornua mutantibus ſcribit in hunc modū: Cornua mares habent, ſolique animalium omnibus annis vetus tempore amittunt. Ideo ſub ipſam diem quam maxime invia petunt. Latent amiſſis velut inermes, ſed & ipſi bono ſuo invidentes. Dextrum cornu, negant inveniri, ceu medicamento aliquo præditum. Idque mirabilius fatendum eſt, cum & in vivariis mutent omnibus annis: defodi ab iis putant. Haſtenus ille. Meminit hujuſce proverbii & Ariſtoteles libro De natura animantium nono, cujus verba non pigebit adſcribere: ἔτι δ' ὁ ἄῤῥην ὅταν γένηται πίων, γίνεται δὲ σφόδρα τοῦ μετοπώρου, οὐδαμοῦ ποιεῖ φανερὸν αὑτὸν, ἀλλ' ἐκτοπίζει, ὡς διὰ τὴν πιότητα εὐάλωτος ὤν. ἀποβάλλουσι δὲ καὶ τὰ κέρατα ἐν τόποις χαλεποῖς καὶ δυσεξευρέτοις, ὅθεν καὶ ἡ παροιμία γέγονεν, οὗ αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι. φυλάττονται γὰρ ὥσπερ τὰ ὅπλα ἀποβεβληκυῖαι ὀφθῆναι. λέγεται δὲ ὡς τὸ ἀριστερὸν κέρας οὐδείς ἑώρακεν, ἀποκρύπτειν γὰρ ὡς ἔχοντά τινα φαρμακείαν, id eſt, Præterea mas poſteaquā pinguerit: pingueſcit autem admodum, idque autumno, nequaquam ſeſe conſpiciendum præbet: verum ſecedit è medio, quippe qui propter corpulentiam, tum facile capi poſſit. Ad hæc abjiciunt & cornua locis aſperis, inventuque difficillimis. Vnde proverbium etiam natum eſt. Vbi cervi abjiciunt cornua. Nam ut jam armis ſuis exuti cavent ne conſpiciantur. Ajunt ſiniſtrum cornu à nemine viſum eſſe. Abdere enim illud cervos, tanquam remedium aliquod in ſe habeat. Quanquam Plutarchus in commentario De Pythiis oraculis oratione proſa reddidis, oſtendit hoc oraculum æditum fuiſſe de Procle tyranno, ut illi fugere ac migrare liceret eo, ubi cervi cornu abjiciunt: ſignificante deo ut defoderetur, & è medio prorſus tolleretur. Idem meminit adagii Sympoſiacôn decade 7. problem. 2.

In Aphannis.

Εἰς Ἀφάννας, id eſt, In Aphannis. Stephanus tradit, Aphannas locum quempiam eſſe Siciliæ, vehementer obſcurum & ignobilem: unde & nomen adductum apparet. Hinc natum proverbiū, ἢ εἰς Ἀφάννας, id eſt, Aut in Aphannis: de incertis, & quæ nuſquam ſunt. Zenodotus ait natum ex hujuſmodi caſu. Sibaritæ quondam oraculum adeuntes, orabant ut ſibi victoriam adverſus Crotoniatas concederet: idque Crotoniatis, ipſis præſentibus. Quidam autem Crotoniatarum per jocum reſpondit ad hunc modum: Iſtam quidem conſequemini in Aphannis. Sybarita credens id à Deo reſponſum, admiratus eſt, quid ſibi vellet hoc verbi Aphannæ. Proverbium ait quadrare in eos, qui ſe putāt invictos, & nulli tolerandos eſſe. Verum mihi Stephani magis probatur interpretamentum.

Nec apud homines, nec in mari.

Ibidem & illud proverbiali ſchemate dictum eſt, ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι. id eſt: Virtutes autem periculi expertes, neque apud homines, neque in cavis navibus habentur in precio, pro eo quod erat, nuſquam: quaſi dicas, neque terra, neque mari. Ipſa autem ſententia convenit cum illo Heſiodio decantatiſſimo:

Virtutem poſuere dei ſudore parandam.

Nemo magnam laudam paravit abſque periculo. Eoque Pindarus bellum appellat κυδιάνειραν, quod viris pariat illuſtre nomen. Tropus proverbialis eſt in his verbis, nec in terra, nec in mari, &, Pugnatur terra marique.

NVNTIVS LÆTVS.

ERASMI. *Vulcanus tibi vaticinatus eſt.*

Ἀφθάς σοι λελάληκεν, id eſt, Vulcanus tibi vaticinatus eſt. Refertur à Suida. Suſpicor dictum, ubi quis crederet ſe rem habere certam, velut ex oraculo auditam. Φθᾶς apud Memphiticos Vulcanus dicitur, unde literulæ acceſſione ἀφθᾶς: velut στάχυς ἄσταχυς.

Siren amicum nunciat, apis hoſpitem.

Σειρὴν μὲν φίλον ἀγγέλλει, ξεῖνον δὲ μέλισσα.

Id eſt:

Hoſpitem apis, verum Siren prædicit amicum.

Quoties complures eadē de ſe bene ominantur: aut ubi ſuæ quiſque ſpei blandiens, ex quamlibet levibus argumentis divinat futurum quod optat. Nam Siren hoc loco non unam ex illis virginibus Homericis ſignificat, verum inſecti genus, non diſſimile. Authore Suida. Quanquam apud Heſychium σεῖρα legitur non σειρήν.

Haud annuncias bellum.

Οὐ πόλεμον ἀγγέλλεις, id eſt, Non annuncias bellum. Dici ſolitum, ubi quis rem oppido lætam annunciat, quod bellum res ſit omnium calamitoſiſſima: & tamē ad hujus rumorem hodie plerique mortales hilareſcunt, nimirum ſceleratiſſimum illud Carum genus, qui malis humani generis aluntur. Iulianus in epiſtola ad Baſilium ἡ μὲν παροιμία φησὶν, οὐ πόλεμον ἀγγέλλεις. ἐγὼ δὲ προσθείην ἂν τὸ ἐκ τῆς κωμῳδίας, ὦ χρυσέων ἀγγείλας ἐπῶν, id eſt, Proverbio dicunt, Haud bellum annuncias. Ego vero illud addiderim ex comœdia: O aureorum nuncius verborum. Conduplicavit proverbium Iulianus, quandoquidem & hoc proverbiale χρυσέων ἀγγείλας ἐπῶν. Sumptum eſt autem ex Ariſtophanis Pluto. Verba ſunt ſenum chorum explentium ad Carionem, qui Pluti annunciarat adventum. Vſurpavit & Plato in Phædro, οὐ πόλεμόν γε ἀγγέλλεις, i.e. Haud ſane bellum annuncias. Ac rurſum libro De legibus 3. Pindarus in Pythiis hymno 4. τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος ῥῆμα πόρσυν', ἄγγελον ἐσλὸν ἔφα τιμὰν μεγίσταν πράγματι παντὶ φέρειν, id eſt, Quin ex Homeri dictis & illud conferens orna: Nuncium bonum ait honorem maximum in omni negocio ferre. Verſus autem quem citat Pindarus, hic adfertur ab interprete:

ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ.

Id eſt:

Hoc quoque præclarum eſt, ubi nuncius optima norit.

Extat autem Iliad. ο.

Quid tibi Apollo cecinit?

Τί σοι Ἀπόλλων κεκιθάρικε, id eſt: Quid tibi Apollo cecinit citharа? hoc eſt, quid tibi reſpondit? Alluſum eſt autem ad Apollinis citharam, quam illi tribuunt poetæ. Vſus eſt hoc adagio Æſchylus in Ajace Locrenſi. Refertur à Zenodoto. Convenit, ubi quis à principe redeuntem percunctabitur, quid reſponſi tulerit: Τί σοι Ἀπόλλων κεκιθάρικε.

Provolvitur ad milvios.

Προκυλινδεῖται ἰκτῖνι, id eſt, Adorat milvium. Initio veris prodeunt milvii: quare læti tenues, quod jam hyeme ſint levati provolvuntur, eoſque velut adorant. Accommodari poteſt in eos, qui nova ſpe geſtiunt. Suidas proverbii loco commemorat. Item Iuvenalis:

—Durate, atque expectate cicadas.

Sumptum eſt autem ex Avibus Ariſtophanis, προκυλινδεῖσθαι τοῖς ἰκτίνοις. Cauſam aſcribit interpres in eadem, docens quatuor partes anni per aves denunciari hominibus. Ver attribuit milvis.

COGNATI. *Immolare Evangelia.*

Cœlio dicuntur immolare Evangelia, qui rei divinæ ex felici nuncio dant operam. Græcis enim Evangelium quemvis bonum & optatum nuncium declarat.

OBLIVIO.

ERASMI. *Ollæ veſtigium in cinere turbato.*

Χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇ τέφρᾳ. id eſt: Ollæ veſtigium in cinere turbato. Plutarchus in Sympoſiacis interpretatur, nullum evidens iracundiæ veſtigium oportere relinqui: ſed ſimul atque deferbuerit atque reſederit animi tumor, omnem præteritorum malorum memoriam penitus tollendam eſſe.

Vivorum oportet meminiſſe.

Vivorum meminiſſe oportet. Vetus adagium in eos, qui plurimum de vita defunctis loquuntur: id quod vulgo putant ominoſum, mortuos in ore habere, eoſque velut citatos in ſermonem adducere. Vnde & M. Varro lib. De lingua Latina tertio, putat lethum ἀπὸ τῆς λήθης, id eſt, oblivione dictū, quaſi in oblivionem abire conveniat, qua vita exceſſerit: atque in funeribus ſic quondam à præcone dici ſolere: Ollus letho datus eſt. Refertur adagium à Cicerone lib. De finibus bonorum & majorum. Vbi cum Piſo deinde Q. Cicero dixiſſent, ſe vehementer commoverit recordatione clarorum virorum, ex contemplatione locorum, in quibus aliquando vivi verſati fuiſſent, & uterque recenſuiſſet, quorum memoria potiſſimum delectaretur: tum Pomponius Atticus quaſi jocans: At ego, inquit, quem vos ut deditum Epicuro, inſectari ſoletis, ſum multum equidem cum Phædro, quem unice diligo, ut ſcitis, in Epicuri hortis, quos modo prætéribamus, ſed veteris proverbii admonitu vivorum memini: nec tamen Epicuri licet oblivisci, ſi cupiam, cujus imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis & annulis habent. Hactenus Cicero. Plautus item in Truculento: Dum vivit, hominem noveris: dum mortuus eſt, quieſcas. At nunc vulgus ne beneficium quidem amicorum meminit, quum Thaletis dictum jure celebretur. Oportere non minus abſentium amicorum, quam præſentium, memores eſſe.

Odi memorem compotorem.

Μισῶ μνάμονα συμπόταν, id eſt, Odi memorem compotorem. In eos, qui, quæ inter amicos & inter pocula dicuntur liberius, foras eliminant. Lucianus in Lapithis, ex poeta quopiam citat. Martialis:

Μισῶ μνάμονα συμπόταν Procille.

Iocatur enim poeta in Procillum quempiam, qui inter pocula juſſus poſtridie cœnatum venire, venit ſerio: perinde quaſi, quæ inter vina dicuntur, pondus habere debeant. Hujus proverbii meminit Plutarchus in Sympoſic. primo ſtatim problemate: ubi quærit, num conveniat in conviviis philoſophari. Putat autem dictum adverſus eos, qui præter modum inſtant & urgent in conviviis, ad bibendum impellentes, & exigentes q; præſcriptum poculi modū Solent enim nonnulli, non admodum avidi bibendi ſic effugere, ut interjectis ſermonibus convivas in oblivionem avocēt: deinde ſi quis forte memor exigat, mentiuntur jam ebibiſſe ſeſe. Dores autem

autem in Sicilia ἐπιστάθμους, id eſt, conviviorum, ſeu menſuratum præfectos, Mnamonas appellant: quos Latini modiperatores vocant, teſte Nonio, quod bibendi modum imperent. Unde proverbium quadrare videbitur in eos, qui modum in convivio præſcriptum, nimium exacte requirant. Aliis magis videtur, ut proverbium admoneat ἀμνηστίαν, hoc eſt, oblivionem omnium, quæ in conviviis vel fiunt vel dicuntur. Id enim teſtatum eſſe & majorũ fabulis, qui Baccho ſimul & ferulam & oblivionem conſecrarint: nimirum hoc innuentes, non oportere meminiſſe, ſi quid in convivio peccatum ſit: aut certe levem admodum ac puerilem reprehenſionem ſufficere. Nam ferula pueros cædi ſolitos, vel Juvenalis indicat:

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.——

Idem Plutarchus alias eodem in opere narrat, Lacedæmoniis hũc fuiſſe morem, ut ſi quem amicum aut hoſpitem in domum acciperent, oſtenſis foribus dicerent, θύραζε οὐκ ἐξέρχεται λόγος, id eſt, Hac non egreditur ſermo. Damnat autem hanc conſuetudinem, propterea quod ſentiat in conviviis ſermonibus utendum nõ ineptis, ſed eruditis ac frugiferis, quos efferri ſi honeſtum & conducibile. Refertur idẽ in vita Lycurgi, ex cujus inſtitutione qui natu maximus erat ſtabat ad hoſtium, & ad convivium ingredientibus dicebat, oſtẽſis foribus διὰ ταύτης ἔξω λόγος οὐκ ἐκπορεύεται, id eſt, Per haſce nullus ſermo progreditur foras. Horatius hoc quoque inter jucundi convivii commoditates commemorat:

——Ne fidos inter amicos
Sit qui dicta foras eliminet.——

Huc pertinet ille, Græcorum ſenarius:

Ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς οἶνον γράφω.
Id eſt:
Inſcribo vino ſi quæ jurat fœmina.

innuens, irrita eſſe ſolere quæcunq; in compotationibus effutiuntur. Alluditur autem ad proverbium, quod alibi retulimus, εἰς ὕδωρ γράφω, id eſt: In aqua ſcribo de re evanida. Huc adſcribendum, quod, quemadmodum in Sympoſiacis teſtatur Plutarchus, veteres Bacchum oblivionis filium finxerant: idque per jocum invertit apud hunc quiſpiam dicens patrem potius oblivionis appellandum fuiſſe quam filium: quod vinum præſertim immodicum, vel ante ſenectam adimat homini memoriam.

Ne malorum memineris.

Μὴ μνησικακήσῃς, id eſt, Ne malorum memoriam refrices. Thraſybulus, ubi civitatem Athenienſium triginta tyrannorum ſævitia liberaſſet, plebiſcitum interpoſuit, ne qua præteritarum rerum mentio fieret. Quam malorum oblivionem Athenienſes ἀμνηστίαν vocãt, author Valerius Maximus libro quarto, Rerum memorabilium, titulo De animi moderatione. Meminit & M. Tullius in prima Philippica, his quidem verbis: In quo templo quantũ in me fuit, jeci fundamenta pacis. Athenienſiumque revovi vetus exemplum, Græcum etiam verbum uſurpavi, quod tum in ſedandis diſcordiis uſurpaverat civitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum, oblivione ſempiterna delendam cenſui. Ariſtophanes in Pluto.

Μὴ μνησικακήσῃς εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες.
Id eſt:
Mala ne acta refrices, Phyla ſi capta eſt tibi.

Interpres inter alia tale quoddam commentum adſcribit. Thraſybulus occupato loco quodam, cui nomen Phyla, triginta tyrannos ſuſtulit: poſt ubi arrogantius quiddam dixiſſet, audiſſe, μὴ μνησικακήσῃς, id eſt: Ne malorum memoriam revoces. Idque dictum in proverbium abiiſſe Probus Æmilius refert poſt exactos tyrannos Thraſybulum hanc tuliſſe legem, ne quis de præteritis actis accuſaretur aut mulctaretur: ea lex dicta eſt oblivionis. Idem ſocios volentes contra legem ſævire in eos, cum quibus reditum erat in gratiam, publice cohibuit & legem latam cõfirmavit. Huic pro tantis meritis præmii loco data eſt corona ex duabus virgulis oleaginis: & hoc civili honore vir prudens contentus fuit. Admonet adagium, non eſſe refricandam commemoratione præteritorum malorum memoriam. Sunt autem apud Ariſtophanem verba Mercurii ad Carionem ſervum. Plato lib. De legibus quarto, Φράσω γὰρ, οὐ μνησικακεῖν βουλόμενος ὑμῖν, id eſt: Dicam certe, non autem quod velim præteritorum malorum memoriam vobis refricare. Sumptum videtur ex Homero, apud quem aliquoties hic verſus, nempe Iliados, ζ. θ. τ.

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν ἀχνύμενοί περ.
Id eſt:
Verum hæc acta quidem, mœſti licet ire ſinamus.

Hunc tanquam proverbialem ſubinde uſurpat Tullius ad Atticũ ſcribens. Eodem ſpectat & illud ejuſdem Odyſſeæ θ.

——εἰ δ' ἔπος ἔστι βέβακται
Δεινὸν, ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι ἄελλαι.
Id eſt:
-- Si dictum eſt verbum durius ullum,
Id procul abripiant venti per inane procellæ.

Plutarchus περὶ φιλαδελφίας, δεῖ ἐν ἀμνηστίᾳ τὴν ἡμέραν ἐκείνην τίθεσθαι, id eſt, Oportet eum diem oblivioni tradere. Erit hic uſus proverbii, ſi juxta vulpinum illud conſilium, admonebimus aliquem, ne præteritorum malorum memoria ſemet affligat; quandoquidẽ quod factum eſt, infectum fieri non poteſt. Lucianus in Caucaſo: τὸ δὲ εἰς τὴν ὑστεραίαν ταμιεύεσθαι τὴν ὀργὴν καὶ μνησικακεῖν καὶ τὴν χθιζήν τινα μῆνιν διαφυλάττειν, ἄπαγε, οὔτε θεοῖς πρέπον, οὔτ' ἄλλως βασιλικόν, id eſt, Cæterum in poſterum diem reponere odium, & malorum meminiſſe ac pridianam quandam memoriam reſervare, apage, neque diis dignum, neque alioqui regale.

Proprii nominis obliviſci.

Proverbialis hyperbole, proprii nominis obliviſci, in hominẽ ſupra modum oblivioſum Lucianus, in Toxaride: θᾶττον γοῦν ἕκαστος αὐτῶν ἐπιλάθοιτο τοῦ πατρός, id eſt, Itaque citius fieret, ut patris ſui nomen obliviſceretur quiſque. Ovidius:

Nominis ante mei venient oblivia nobis.

Uſurpatur & à divo Hieronymo in epiſtola quadam. Plinius libro hiſtoriæ mundi ſeptimo, inter ademptæ memoriæ exempla commemorat & Corvinum Meſſalam oratorem, qui nominis etiam proprii fuerit oblitus: quum id defunctis etiam agnoſci creditum ſit aliquandiu. Atque hinc mos priſcis, priuſquam rogo imponerent cadavera, nomen proprium inclamandi.

Oblivionis campus.

Λήθης πεδίον, id eſt, Lethes campus. Dicetur vel de vehementer oblivioſis, de rebus commentitiis ac frivolis, quæ nuſquam ſint. Ariſtophanes. ἐς τὸ Λήθης πεδίον, id eſt: Quis in Lethes campum? Vulgus enim nugas eſſe credit, quæ de inferis tradunt poëtæ. Et ut Juvenalis inquit,

——*Stygio nigras in gurgite ranas,*
Nec pueri credunt.---

Malorum oblivio.

Qui deprecabitur omen aliquod parum fauſtum, aut qui jubebit obliterari memoriam malorum, non intempeſtiviter uſurpabit illud ex eodem libro:

Τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταχεύαιεν θύραζε.
Id eſt:
Iſta dii ſuperi ventis hæc omnia tradant.

Ventis tradere.

Ventis tradere, pro eo quod eſt, obliviſci, atque ex animo ejicere. Servius proverbialem figuram admonet eſſe. Vergilius in decimo Æneidos:

——Nec ferre videt ſua gaudia ventos,
Idem alibi,
——Sed auræ
Omnia diſcerpunt.——
Rurſus idem:
——Partim
Mente dedit, partim volucreis diſcepſit in auras.
Item Horatius in Odis:
——Triſtitiam & metus,
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.---
Ovidius:
Cunctane in æquoreos abierunt irrita ventos?
Cunctane lethæis merſa feruntur aquis?
Idem:
Quæ tibi ſunt facienda tamen, cognoſce nec Euris
Damna, nec tepidis verba ferenda Notis.

Imis ceris eradere.

Imis ceris eradere, pro eo quod eſt, delere penitus, ſic ut nullũ omnino memoriæ priſtinæ veſtigium extet. Sumptum ab his qui in ceratis ſcriptitant tabulis, his mos eſt, ita nonnunquam verſum ſtylum per ſummum æquor ceræ ducere, ut qualiacunque tamen prioris ſcripturæ remaneant veſtigia: aliquoties funditus delent. D. Hieronymus ad Chryſogonum: Ita noſtræ es neceſſitudinis penitus oblitus, ut illam epiſtolam quam in corde Chriſtianorum ſcriptam Apoſtolus refert, non parva litura, ſed imis, ut ajunt, ceris eraſeris. Conveniet in profundam oblivionem, vel amicorum, vel priſtinæ fortunæ, vel ſi quid eſt ſimile.

Bibere mandragoram

Ineſt vis ſomnifica mandragoræ, adeo ut enecet etiam largiorẽ potu, ſi Plinio credimus, hiſtoriæ mundi libro 25. cap. 13. Dioſcorides indicat, radicem vino decoqui ad tertiam partem: ex eo colato ſumi cyathum, adverſus inſomnium. Datur & ſecandis adverſus intolerabilem cruciatum. Quin & ſedi immiſſa herba, glandis vice ſomnum facit. Hanc Pythagoras ἀνθρωπόμορφον appellavit, quod radix imitetur hominis formam. Unde Columella in carmine ſemihominem dicit:

Quamvis ſemihominis veſano gramine fœta
Mandragoræ pariat flores.--

Eandem circeam appellant, quod radix illius amatoriis veneficiis credatur utilis. Unde qui ceſſant in officio, dormitantque, multã mandragoram bibiſſe dicuntur. Sic uſus eſt Julianus in epiſtola quadam in Callixenem: οὐ φαίνεται πολλὴν πιὼν μανδραγόραν ἐκπεπωκώς, id eſt: An non videtur multã hauſiſſe mandragoram? Uſurpat & Demoſthenes in Philippica 4. ἀλλ' ὡς μανδραγόραν πεπωκόσιν, ἢ φάρμακον ἄλλο τι τοιοῦτον ἐοίκαμεν ἀνθρώποις, id eſt, Similes videmur his qui mandragoram biberunt, aut aliud ſimile pharmacum. Iidem qui dormitant in negocio, ſub mandragora dormire dicuntur. Lucianus in Timone: ὥσπερ ὑπὸ μανδραγόρᾳ καθεύδεις, id eſt, Quandoquidem veluti ſub mandragora dormis. Hoc non diſſimile eſt illi, quod alibi retulimus, Bibe elleborum.

Ex libro gubernatores.

Galenus in libro quem conſcripſit de ſuis libris, ἀλλ' οἱ μὴ μαθόντες παρὰ διδασκάλοις, ἐοίκασι κατὰ τὴν παροιμίαν, τοῖς ἐκ βιβλίου κυβερνήταις ἐοικότα ζητεῖν, id eſt, Cæterum qui non didicerunt ſub præceptoribus, ſed juxta proverbium ſimiles ſunt gubernatoribus è libro, iſtiuſmodi quærit. Idem libro de compoſitione pharmacorum tertio, ἐοικὼς τοῖς κατὰ τὴν παροιμίαν λεγομένοις ἐκ βιβλίου κυβερνήταις, id eſt, Adſimilis iis, qui proverbio dicuntur gubernatores è libro. De mutis magiſtris alibi dictum eſt.

IVNII. *Auris ferre dedit.*

Αὔραις φέρειν, id eſt, Ventis ferre proverbialiter damus, quæ irrita & oblivione obliterata volumus Menander hiſtoricus: ὁ δὲ Χαγάνος ... ταῖς αὔραις φέρειν ἐδίδου, αἶψά τε τὴν πολέμου φίλην ... ἐπὶ σάλπιγγι ..., id eſt, Chaganus Scytharum ductor juramentum præſtitum ventis ferre dedit, copiaſque adunabat correpta ſubito tuba bellis amica. Horatius Odarum primo:

> Tradam protervis in mare Creticum
> Portare ventis.——

Virgilius Æneidos nono:

> ——Sed auræ
> Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.

Ubi Servius Honoratus ita: Quæ inutiliter jubentur, dicitur ventus diſcerpere. Theocritus in Dioſcuris:

> Τὰ δ' εἰς ὑγρὴν ᾤχετο κῦμα
> Πάντ' ἄνεμος ...

Id eſt:

> In mare verba leves rapuerunt omnia venti.

Tale eſt & Ovidianum illud:

> Et jubet Æolios in freta ferre notos.

Gregorius Nazianzenus in ἐπιλογικῇ, primo καὶ εἰ μὲν ψευδῆ, αὔραις φερέτω, id eſt, Id quod ſi falſum eſt, auræ differant.

COGNATI. *In ima cera.*

In ima cera, dixit Suetonius in Jul. Cæſ. cap. 38. quod Cicer. lib. 3. in Verrem, extrema cera: quæ omnia pro ultima parte tabulæ ſeu teſtamenti ponuntur. Scævola libr. Pandect. xxxiij. titul. de uſu & uſufruct. cap. xxxiiij. In ima parte teſtamenti ita adjecit, &c. Vitruvius libro de Architectura decimo, capite undecimo. Extremum librum, pro ultima libri parte, dixit: & libro primo capite ſexto. Extremum volumen vocavit. Tabulæ autem dicuntur folia teſtamenti. Hinc primæ & ſecundæ intelliguntur, prima & ſecunda charta teſtamenti: quæ etiam primæ & ſecundæ ceræ dicuntur. In primis, hæredes primo loco inſtituuntur. Secūdæ ſunt, in quibus ſubſtitutiones fiūt, ſi inſtituti hæreditatem nō adierint. Idem Sueton. in Nerv. Cautum, ut in teſtamentis primæ duæ ceræ teſtamentorum modo, nomine ſuſcripto vaçuæ ſignificaturis oſtenderentur.

Illud devoravi imprudens.

Eſt triſtiſſima loquendi ratio, cum dicimus Illud devoravi imprudens, id eſt, repente ejus memoria mihi excidit Plautus in Trinummo: Devoravi, inquit, nomen imprudens modo, atque etiam verſabatur mihi in labris primoribus. Eſt enim tractum ab iis, qui aliquid in ore tenentes, imprudentes id devorant. Et Cicero dicit in Bruto. Itaque ejus oratio nimia religione attenuata, doctis & attente audientibus erat illuſtris: a multitudine autem & a foro, cui nata eloquentia eſt, devorabatur id eſt, non intellecta tranſmittebatur. Quæ ſignificatio ducta eſt ab iis, qui cibum non guſtatum deglutiunt, quaſi ſtupente palato.

Meminiſſe jacet.

Lucretianum quoque eſt in libro quarto, Græci τὸ μεμνῆσθαι, id eſt, meminiſſe. Hoc utimur, quando ſignificare volumus, memoriam, ſeu vim & poteſtatem animi, qua res præteritas meminimus, lapſam eſſe, & jacere. Lucret.

> Præterea meminiſſe jacet, languetque ſopore.

Ibidem dixit:

> ---Sopor & oblivia curant.

Id eſt:

efficiunt ne hoc miremur. Tranſlatio eſt. Similiter uſus eodem lib. videre, τὸ ὁρᾶν:

> Nec fuit ante videre oculorum lumina.

Idem eodem lib. ſed ante Eſſe: id eſt, τὸ εἶναι:

> Eſſe in imaginibus miſſis conſiſtere eorum.

Ennius ſic loquitur:

> Aut occaſus ubi, tempuſve audere repreſſit.

Id eſt:

audaciam, τὸ τολμᾶν. Cic. lib. 2. De finibus: Id primum videamus, beate vivere veſtrum quale ſit. Ante annotavimus ex Seneca, τὸ eſſe, bibere, facere. Hinc noſtri cives populariter dicunt. Frontini vivere, nihil aliud eſt, quam bibere.

E gremio defluere.

Proverbium id olim fuiſſe, Feſtus docet. Catullus ad Ortalum:

> Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
> Effluxiſſe meo forte putes animo.
> Ut miſſum ſponſi furtivo munere malum
> Procurrit caſto virginis è gremio.

Sic etiam Propertius:

> Id tibi ne vacuo defluat ex animo.

Ex eodem autem genere videtur etiam illud Ciceronis in epiſt. ad Brutum: Bibulum noli dimittere è ſinu tuo.

OBSCVRITAS.

ERASMI. *Davus ſum non Oedipus.*

Oedipi ingenium ſcite proponendis ſimul & diſſolvendis ænigmatum ſcrypis nobilitatum eſt, propter diſſoluta ſphingis problemata, adeo ut in proverbium abierit ejus nominis appellatio. Velut apud Terent in Andria, ſervus diſſimulās intelligere quod herus dixerat: Darus, inquit, ſum non Oedipus. Id quod commutato nomine poteſt ad quemlibet accommodari: Paulus ſum: non Oedipus; Antonius ſum, non Oedipus. Quin ipſa per ſe figura proverbialis eſt, poteſtque ad eundem modum fingi ex quavis vel perſona, vel re vulgo nobilitata, ut: Qui poſſim hæc omnia meminiſſe? Petrus ſum, non Lucullus. Qui poſſim tantis ſufficere laboribus? Nicolaus ſum non Hercules. Qui poteto rem tam duram perſuadere? Ricardus ſum, non Cicero, Sed Terentiano dicto ſimile eſt illud Euripidis in Hippolyto coronam geſtante.

> Οὐ μάντις εἰμὶ τὰ φανερὰ γνῶναι σαφῶς.

Id eſt:

> Non ſum augur, abdita ſcire ut queam palam.

Iidem in Hecuba:

> Οὔτοι πέφυκα μάντις ὥστε μὴ κλύων
> Ἐξιστορῆσαι σῶν ὁδὸν βουλευμάτων.

Id eſt:

> Divinus haud ſum, nec niſi audiero, queam
> Viam tuorum noſſe cogitatuum.

Ergo torqueri poterit in eos, qui de induſtria loquuntur obſcurius αἰνιγματικῶς, aut in hos qui vel ob imperitiā, vel ſuperſtitioſam incognitarum vocum affectationem, ſtylū obſcurant, ac vate magis egent quam lectore. Cujuſmodi fuiſſe Heraclitum tum Plato locis aliquot, tū Ariſtoteles Rhetoricæ artis libro tertio, teſtatur: additque eam hominis obſcuritatem ex ancipiti verborum compoſitione fuiſſe profectam, cum incertum eſſet, utro verbum aliquod eſſet referendum, ad ſuperiora ne, an ad ſequentia. Proinde ad hujus intelligendos libros Socrates Delio quopiam natatore opus eſſe dixit. Ad quod alludens Martialis, ita jocatur in Sextum obſcuritatis affectatorem.

> Non lectore tuis opus eſt, ſed Apolline libris:
> Judice te major Cinna Marone fuit.

Eundem Heraclitum cum ſuo vitio, Joviano divus opprobrat Hieronymus. Quanquam Laertius ſcribit eum philoſophum, ſi quando libeat, oratione luculentiſſima uti, ut appareat ex induſtria affectatam obſcuritatem, adeo ut diſcipulis etiam ſolitus ſit præcipere σκότεινα, id eſt, Obſcura.

Per nebulam, per caliginem, per ſomnium.

Quarū rerum ambiguam quandam ac tenuem, ne neque evanidam memoriam aut intelligentiam obtinemus, eas res per nebulam recordari, des ſomniū meminiſſe. per caliginem videre, proverbio dicimus. Ut quæ pueri vidimus, ſenes quaſi per ſomnium recordamur, vix tenuibus quibuſdam ſimulachris rerum inhærentibus animo noſtro: qualis eſt ferme vulgarium inſomniorum memoria Porro quod per mediam nebulam intuemur, ejus confuſam duntaxat imaginem, ac velut umbram incertam aſpicimus. Cujuſmodi ſunt quæ per caliginem cernuntur in tenebris. Hinc igitur ducta metaphora. Hujuſmodi ſermonis formæ frequenter obviæ ſunt apud ſcriptores. Plaut. in Pſeud. Sunt quæ te volumus percontari, quæ quaſi per nebulam noſmet ſcimus atque audivimus. Idem in Capt. duobus: In memoriam regredior audiſſe me quaſi per nebulam. M. Tullius libro de finibus quinto. In infima ætate, imbecillaque mente, vis naturæ per caliginem cernitur. Plato De legibus libro ſeptimo, ἃ δὲ λέγω, πειρατέον παραδείγμασιν ... εἰς φῶς· νῦν γὰρ λεγόμενα ἔοικεν κατά τι σκότος, id eſt, Cæterum quæ dico conandum eſt, ut velut exemplis in lucem prolatis reddamus perſpicua. Nam hæc videntur ſimilia iis quæ dicuntur per caliginem quandam. Eodem in libro legitur καθ' ὕπνον, id eſt, per ſomnum, ſive in ſomnis.

In canis podicem inſpicere.

Ariſtophanes ἐν ἐκκλησιαζούσαις:

> Τοῦτο μὲν κυνὸς πυγὴν ὁρᾶν.

Id eſt:

> Canis quidem hunc inſpicere juſſi podicem.

Interpres admonet vulgo dici ſolere in cæcutientes, adſcribens & hunc trochaicum:

> Ἐς κυνὸς πυγὴν ὁρᾶσθαι καὶ τριῶν ἀλωπεκῶν.

Id eſt:

> In canis deſpicere podicem, triumque vulpium.

Alluſit eodem & in Acharnenſibus:

> Τοῖς ἑστίοις φυσῆτε ... κυνός

Obſcœnius eſt quam ut vertere libeat. Has profecto nugas pigeret adſcribere, ni propoſitum eſſet operi ſuſcepto per omnia ſatiſfacere, καὶ τὴν ἰλύν ... ἀνακινεῖν.

Bœotia ænigmata.

Βοιώτια αἰνίγματα, id eſt, Bœotica ænigmata, dicebantur obliqui atque

atque obſcure dicta, quæque perdifficile percipi poſſent. Sumptum à fabula Sphingis, monſtri Thebani. Ea propoſuit Oedipo ænigma hujuſmodi: τετράπους, δίπους, καὶ πάλιν τρίπους, id eſt, Quadrupes, bipes, ac ruſſum tripes. Id Oedipus interpretatus eſt hominem eſſe, qui puer manibus quoq; pedum vice nititur: deinde confirmato gradu duobus pedibus ſe ſuſtinet, donec ætas decrepita baculum, ceu tertium pedem addat. Extat epigramma, Sphingis ænigma complectens, ad hunc modum:

Ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τετράπον, οὗ μία φωνή,
Καὶ τρίπον. ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον, ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
Ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα καὶ κατὰ πόντον.
Ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐρειδόμενον ποσὶ βαίνῃ,
Ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

Id eſt:

Eſt bipes in terris & quadrupes, haud eadem vox,
Et tripes immutat ſpeciem hoc ex omnibus unum,
Quæcunque in terris reptant, volat æthera circum,
Perque mare, aſt ubi jam pedibus compluribus auctum
Accelerat greſſum, victis tum maxima membris
Segnities ac torquor adeſt minimumque vigoris.

Heſiodus itaque in 2. Georg lib. vetulum ac ſenio jam incurvum, tripedem hominem appellat:

—Τότε δὴ τρίποδι βροτοὶ ἶσοι.

Id eſt:

Tunc jam tripedi mortali ſimiles.

Delius natator.

Δήλιος κολυμβητής, Delius natator. Olim vulgo dicebatur admodum natãdi peritus, quique poſſet in ſumma natare aqua. Natum adagium, aut certe factum illuſtrius ex Socratis apophthegmate. Cum enim huic Euripides librum obtuliſſe Heracliti, cui cognomen additum σκοτεινοῦ, propter affectatam ſcriptorum obſcuritatẽ rogaretque cujuſmodi videretur, reſpondiſſe fertur hoc pacto: *ἃ μὲν συνῆκα γενναῖα· οἶμαι δὲ καὶ ἃ μὴ συνῆκα· πλὴν Δηλίου δεῖται κολυμβητοῦ, ὥστε μὴ ἀποπνιγῆναι ἐν αὐτῷ.* id eſt, Quæ quidem intellexi, præclara: arbitror autem & ea quæ non intellexi: quanquam natatore Delio opus, ut ne quis in eo præfocetur. Hæc Socrates, alludens ſimul & ad proverbium, & ad Heracliti ſenſus nimium abſtruſos ac profundos: ut niſi natator inſigniter peritus contigiſſet, periculum eſſet ne lector in eo libro ſuffocaretur, mergereturque. Laertius in Heraclito refert hoc dictum ad Craterem quendam, qui primus Heracliti librum de natura Græcis invexerit, & hoc elogio commendarit.

Carcini poemata.

Καρκίνου ποιήματα, id eſt, Carcini poëmata. Dicebantur ea, quæ viderentur obſcurius & inſtar ænigmatis dicta. Carcinus poëta quiſpiam fuit, cujus & alias meminimus in hoc opere: in quem jocatur Ariſtophanes in comœdia, cui titulus, εἰρήνη:

Εὐδαιμονέστερος φανεὶς τῶν Καρκίνου στροβίλων.

Id eſt:

Qui viſus eſt felicior vel Carcini ſtrobilis.

Is finxit Oreſtem ab Ilio coactum, ut matricidium confiteretur, per ænigmata reſpondentem, authore Suida: qui teſtatur proverbium à Menandro uſurpatum in Falſo Hercule. Stratonicus apud Athenæum lib. 8. cum audiſſet quendam imperite canentem, rogavit, cujus eſſet cantio: cum is reſpondiſſet, Carcini πολύ γε μᾶλλον ἢ ἀνθρώπου, id eſt. Multo ſane magis, inquit, quam hominis. Nam καρκίνος Græcis & cancrum animal ſignificat. Itaque jocus ex ambiguo captatus eſt.

Numeris Platonicis obſcurius.

Proverbialis hyperbole videtur, quam uſurpat M. Tullius in epiſtolis ad Atticum, lib. 7. Ænigma Oppiorum ex Velia, plane non intellexi. Eſt enim numero Platonis obſcurius. Id ideo dictum, quod Plato numeris Pythagoricis obſcurat ſuam philoſophiam, ac veluti nebulas quaſdam offundit, præcipue in Timæo, Nam Pythagoras omnem fere philoſophiæ rationem ad numeros traxit. De quibus permulta Macrobius in commentariis, quos ædidit in Somnium Scipionis.

Ne Apollo quidem intelligat.

Quod vehementer eſſet obſcurum, & intellectu perdifficile, id negabant vel ab Apolline poſſe intelligi. Athenæus lib. Dipnoſophiſt. 3. *τί δ' ἡ ἐπιστολὴ ἐθέλει, οἴομαι μηδὲ τὸν Ἀπόλλω διαγνῶναι.* id eſt, Quid autem ſibi velit epiſtola, arbitror equidẽ, nec ipſum Apollinem intelligere. Adducit tibi ſenarium ex Antiphane:

Ταῦτ' οὐδ' ἂν ὁ Ἀπόλλων μάθοι.

Id eſt:

Nec Apollo, quid ſibi hæc velint intelligat.

IVNII. *Sed Apollo & Apollo Sol.*

Heraclites Ponticus in Allegoriis Homericis proverbium ætate Ariſtotelis, qua & ipſe vixit, vulg. ſermonibus crebro uſurpatum tale commemorat:

Ἥλιος Ἀπόλλων, ὁ δέ γ' Ἀπόλλων ἥλιος.

Id eſt:

Sol eſt Apollo, & ipſe Apollo Sol erit.

Verſus eſt ſenarius, quem proverbialẽ fuiſſe oſtendunt verba quæ adjungit. *καὶ τὸ δημῶδες ἄνω καὶ κάτω θρυλούμενον, ἥλιος*, &c. id eſt: Populare illud ultro citroque decantatum, Sol eſt Apollo, &c. uſum non explicat. Apparet tamen dici ſolitum in eos qui vocibus ambiguis & obſcuris rem explicant, & velut alia in re nunc Solis vocabulo, nunc Apollinis utuntur, quum prorſus idem ſint. Apollinem & Solem eundem eſſe, pluribus oſtendit Macrobius libro Saturnaliorum primo.

BRASSICANI. *Problema Archimedeum.*

Cicero lib. 12. epiſtolarum ad Atticum, *πρόβλημα Ἀρχιμήδειον* vocat quæſtionem reconditam & implicatam, quæ à nemine vel à paucis intelligi poſſit. Idem lib. 7. ad Atticum rem abditiſſ. numero Platonis obſcuriorem vocat. Vitruvius lib. 9. cap. 3. ſcribit, Archimedem ſi quid abſtruſum & multo labore quæſitum, vix tandem inveniſſe, ſolitum exilire gaudio, & currentem identidem exclamaſſe *εὕρηκα εὕρηκα*, id eſt, Reperi tandem, reperi. Exemplum incredibilis & nunquam intermiſſi ſtudii Archimedis recenſet Plutarchus in commentariolo, Utrum ſeni ſit adminiſtranda reſpublic. *Ἀρχιμήδην δὲ τῷ πινακίῳ προσκείμενον ἀποσπῶντες βίᾳ, καὶ ἀποδύοντες ἤλειφον οἱ θεράποντες, ὁ δ' ἐπὶ τοῦ σώματος ἀληλιμμένου διέγραφε τὰ σχήματα.*

COGNATI. *Noctem ſive tenebras inducere rebus.*

Tenebræ per tranſlationem pro cujuſcunque rei obſcuritatẽ: Quintil. lib. 10. cap. 1. Menander omnibus ejuſdem operis authoribus abſtulit nomen, & fulgore quodam ſuæ claritatis tenebras obduxit. Sic apud Cicer. 4. Acad. Obducere tenebras clariſſimis rebus. Itidem: Offundere tenebras alicui rei. Ariſtoteles Rhetor. 1. *ἐπισκοτεῖ τῇ κρίσει τὸ ἴδιον ἡδὺ ἢ λυπηρόν.* id eſt: Tenebras judicio offundit privata voluptas aut moleſtia. Pro Dejotaro: Familiam abjectam & obſcuram, è tenebris in lucem vocavit. Ovid. 1. Metamorph. ſine tranſlatione dixit:

—Tenebras inducere rebus.

ubi paulo ante dixerat:

—Nubes inducere terris.

Nubes etiam per tranſlationem reperitur. Langus de Iſagogico Apelli: Qui ſacris lucem & ſplendorem afferre volentes, fumum offuderunt legibus & tenebras. M. Antonius Muretus lib. 2. Variarum lectionum, cap. 20. ii verſus mihi quidem tenebræ ſunt. Ariſtoph. in principio νεφελῶν:

Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν ὅσον·
Ἀπέραντον. οὐδέποθ' ἡμέρα γενήσεται;

Id eſt:

Rex Jupiter, quam immenſa res eſt noctium:
Nunquamne pulſa nocte naſcetur dies:

M. Anton. Muretus lib. 8. Variar. lect. cap. 5. Unius enim literulæ erratum interdum eas etiam eruditiſſimis hominibus offundit tenebras, ut tanquam in illum nocte errantes, quovis potius perveniant quam quo volunt. Vide alibi, Qui tenebras.

Heracliti dicta.

Heracliti dicta in publico verſantur, pro Scotinis ſcriptis, & tenebroſis, intellectuque difficilimis: cujuſmodi ſunt Prophetarum & Apocalypſeos oracula. Heraclitus enim σκοτεινὸς dictus eſt: id eſt, tenebricoſus: propterea quod de induſtria adeo obſcuraret ſtylum, ut ejus ſcripta philoſophi ſudantes vix intelligerẽt. Cicero De finibus bonorum & malorum. Duobus modis quis obſcurus eſſe poteſt: vel de induſtria, ut Heraclitus, cognomento Scotinus, qui de natura nimis obſcure ſcripſit, &c. Non diſſimile apud Juriſconſul. Africani lex: de rẽ difficili: quod hujus Juriſconſulti reſpõſa, quæ paſſim in Pandectis leguntur, obſcura ſint, & interpretatione indigeant.

Doſiadæ ara, Lycophronis Alexandra.

Utrumque à Luciano citatur in Lexiphane, tanquam poëmata obſcura: *καθάπερ ὁ Δωσιάδα βωμὸς ἂν εἴη καὶ ἡ τοῦ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα*, &c. id eſt, Perinde ut Doſiadæ ara, & Lycophronis Alexandra ſeſe habent: & ſi quid iſtis ſermone etiam miſeriore ſcriptum eſt. Sunt qui primum exponunt, & intelligunt, Theocriti epigramma, quod βωμὸς inſcribitur, ac Troili epitaphium continet. De altero Suidas: Scripſit Lycophron & Alexandram, obſcurum illud poëma.

Obſcurus fio, dum brevis eſſe laboro.

Horatiana, & proverbialis ſententia, in Arte poëtica: qua ſignificatur, brevitatem inducere obſcuritatem. Brevitas quidem in oratione, ſumma virtus eſt, ſi ſuis locis adhibeatur apte: ſed cam dum aliquid ſectãtur, & plus nimio affectant, ſæpe in obſcuritatẽ incidunt. Sine dubio brevitatem orationis in re & ſententia longa adhibere, obſcuritatem parit. Videndũ eſt igitur ut orationis magnitudo ſententiæ ſubjectæ ſit æqualis: id eſt, ut tantum ſit verborum, quantum neceſſe eſt: quemadmodum ſcribit Cicero De oratore ad Qu. fratrem, lib. 2. Quod præſtare difficile eſt. Verum enimvero, ut ait Pindarus Pyth. magnæ virtutes, longam orationem deſiderant. Ei autem, qui de re magna & longa, pauca verba facere velit: ſapiens auditor aptandus & quærendus eſt: *ἀρεταὶ*, inquit, *δ' αἰεὶ μεγάλαι πολύμυθοι· βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν, ἀκοὰ σοφοῖς· ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν*, Ariſtot. libro primo Rhetor. Obſcuram ſententiam tuam eſſe perſpicit & omnem obſcuritatem inde proficiſci, quod nimis brevitati ſtuduerit. Quare ipſe cognito illius vitio, id corrigere aggreſſus eſt: Si quod paucis, in-

quit, verbis expoſui, pluribus enunciato, magis apertus erit animi mei ſenſus. Eandem ſententiam Cicero, cum & ipſe in hujuſmodi culpam ſibi videretur incidiſſe, elegãtiſſime protulit & quaſi Horatii ſententiam atque Ariſtotelis locum interpretatus eſt: Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum à me eſſe paulo obſcurius. Eraſmus noſter lib. 1. De verborum copia, cap. 6. de ſtulte affectantibus brevitatem: Quod ſi caſu, vel huc vel illuc ducimur, periculum eſt ne nobis uſu veniat, quod quibuſdam Laconiſmi βραχυλόγοις videmus evenire: qui cum pauca dixerint, tamen in ipſis paucis multa ſuperſunt, ne dicam omnia.

Pythagorico more.

Ficinus in Timæum cap. 40. De mixtis imperfectis, de liquoribus, & lapidibus, & metallis, omnia Pythagorico more ſubobſcuris metaphoris involvuntur: apertioribus autem verbis Platonem auditoribus ſuis tradidiſſe putamus, & Ariſtotelem præ cæteris manifeſtius eadem literis commendaſſe. Itidem dixit: Atque in cunctis Moſaico more probatur, hominem in divino hoc opificio, in primis proponi, & poſtremum fieri quaſi finem.

Demiſſo capite.

Cicero in oratione pro domo, de Sex. Clodio: Latitat omnino demiſſo capite. Catul. in Gell.

Non ſi demiſſo ſe ipſe voret capite.

Latitat omnino.

Idem Cicero.

Ægyptiis cæciores.

De Ægyptiorum cæcitate Exod. 10. qui in ipſis tenebris probe ſibi oculati videbantur, in media & ſuda luce cæcutiebant. Lux autem prolata etiam in tenebris, ſanis tantum, & qui fidei lumen recipere, ſtatim jucunda & utilis: iis autem quibus lippiunt oculi, aut ex glaucomate, ſive hypophymate caligant, id eſt, incredulis & malis, injucunda maxime eſt, & noxia.

POLYDORI VIRGILII. *Lucerna ſub modio.*

Virtus ſcientia, ars qua quis alius, & ſæpe toti orbi prælucere & mirifice prodeſſe queat, diſſimulata, tecta, aut ſolum aliquem in locum abdita. Modius, menſuræ genus, oras ſive labra undique æqua habet: eoque ſi lucernæ ardenti imponatur, mox omni eam aeris communione privat, & extinguit, Matth. 5. contrarium huic, Lucerna ſuper candelabrum. Virtus procul eminens, exque ipſo hominis habitu non aliter ſpectabilis quam lucernæ ardentis candelabro impoſitæ flamma. Poteſt & illi accommodari, qui quod venale habet, oſtendit: id eſt, ſua omnia velut gloriabundus omnibus ubique oſtentat.

GVIL. GENTII. *Lex Aphricani.*

Dicitur de re perplexa & obſcura. Sumptum à reſponſis Aphricani Juriſconſ. difficilibus, Delium natatorem efflagitantib⁹. Lex Aphricani eſt, ergo difficilis: in ore omnibus eſt ea ratiocinatio.

OBSECVNDANTIS.

ERASMI. *Ad digituli crepitum.*

Qui arrogantius faſtuoſiuſque jubent quippiam, digituli crepitu ſignificare dicuntur. Divus Hieron. in epiſt. ad Ruſticum monachum, uſurpavit in ſuperciliosum quendam & faſtidientem, qui dicturus, digituli crepitu ſilentium imperabat: deinde ſimili faſtu, ſingulas voces, per intervalla promebat: ut ſingultire crederes, non proloqui. Videtur autem hic geſtus fuiſſe dominorum, ſervis humilius aliquod miniſterium innuentium. Martialis lib. 3. in Zoilum:

Digiti crepantis ſigna novit Eunuchus.

Item in Diſtichis.

Cum poſcor crepitu digitorum, & verna moratur,
O quoties pellex culcitra facta mea eſt.

M. Tullius lib. Officiorum 3. Itaque ſi vir bonus habeat hanc vim, ut ſi digitis concrepuerit, poſſit in locupletum teſtamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne ſi exploratum quidem habeat id omnino neminem unquam ſuſpicaturum. Simile eſt illud de nutu & renutu Jovis, quod ex Homero citat Plinius in Epiſtolis. Et nutu dicuntur efficere, qui minimo negocio rem conficiunt: item, Ad omnes nutus obſequi, qui prompte morigerantur.

Cum uterque concedit alteri.

Rurſum cum omiſſa contentione, uterque alteri concedit, locus erit ei, quod eodem ſtatim loco conſequitur:

Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦθ' ὑποείξομεν ἀλλήλοισι,
Σοὶ μὲν ἐγὼ, σὺ δ' ἐμοί.

Id eſt:

Quin magis alteri in his rebus cedamus uterque,
Tu mihi, contra ego deinde tibi.——

Deum ſequere.

Plutarchus in libello De audiendo, refert hoc adagium, quod & inter ſeptem Græciæ ſapientum oracula celebratur, ἕπου θεῷ, id eſt, Sequere deum. Putat hunc eſſe ſenſum: Obtempera rationi, quaſi cuique debeat oraculum eſſe, quicquid in pectore dictaverit ratio. Unde & Virgilius dixit:

——An cuique deus ſua dira cupido.

Cui verſus ille Græcis celebratus adſtipulatur:

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐστιν ἐν ἑκάστῳ θεός.

Id eſt:

Ineſt enim ſuus cuique animus, deus.

Et Menander apud Plutarchum.

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός

Id eſt:

Nam noſter animus numen.

Et conſimilia quædam apud Lucanum dici: Cato Uticenſis. Sumptum videtur ex Homericæ Iliadis libro primo, ubi Achilles Palladi obtemperans hæc dicit:

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Id eſt:

Qui diis paruerint, proni hujus vota recipiant.

Apud eundem eſt hoc hemiſtichium non uno loco poſitum:

---Καί τις θεὸς ἡγεμόνευε.

Id eſt:

Quin & divum aliquis ductor fuit——

Plato in Critone: Ἔα τοίνυν, ὦ Κρίτων, καὶ πράττωμεν ταύτῃ, ἐπειδὴ ταύτῃ ὁ θεὸς ὑφηγεῖται, id eſt, Sine igitur, ô Crito, & hoc pacto agamus, quandoquidem hac nos ducit deus. Cicero lib. De finibus 3. commemorat inter præcepta veterum ſapientum, quæ conſtat proverbiorum vice celebrata: Quæque ſunt, inquit, vetera præcepta ſapientum, qui jubent tempori parere, & ſequi deum, & ſe noſcere, & nihil nimis.

Lex & regio.

Νόμος καὶ χώρα, id eſt, Mos ſive lex & regio. Admonet proverbium (quemadmodum & alias obiter indicavimus) ſerviendum & obſecundandum eſſe moribus regionis in qua verſeris. Zenodotus adſcribit, unicuique genti ſuas quaſdam eſſe leges & inſtituta vivendi. Nam Perſarum mos eſt, ut inter pocula temulenti cõſultent, ac reges ſuos pro numine adorent. Deinde qui ſunt pares; oſculantur invicem: inferiores genam modo contingunt potentiorum. Natos pueros poſt quadriennium demum inſpiciunt. Gordii regem creant eum, qui ſit inter ipſos quam maxime corpulentus. Syrraci coronam deferunt ei, qui proceritate corporis reliquos antecellat, atque (ut quidam narrat) cui caput ſit longiſſimum. Stymphali mulierem eam in honore habent, quæ cum pluribus viris habuerit conſuetudinem. Montani Maſſagetæ in viis coeunt. Sauromatæ inter pocula filias vendunt. Mazaſius abſtinet a mulierum congreſſu, niſi ſi quam bello ceperit. Tibareni poſt uxoris partum, ipſi perinde quaſi peperint, revincto capite cubant. Apud Cecertæos opifices onera geſtant, donec occurrat, qui emat. Sidones parentes devorant, excepto capite. Nam hoc inaurant. Caſiæ, aut juxta alios Heniochi, natos lachrymis proſequuntur, defunctos gaudio. Bacchitri ſi quando à morbo revaluerint, canibus ſemetipſos objiciunt. Orgempei neque domos habẽt, nec animante veſcuntur. Sunt autem calvi non ipſi modo, verumetiam mulieres: idque ajunt accidere, propter aquæ vim nativam, quam bibunt. Thaleteæ diis oſſa ſacrificant, ipſi veſcuntur carnibus: atque hi profecto plurimum ſapiunt, mea quidem ſententia. Tauroſcythæ homines immolant. Byzoni mediterranei lacte bubulo victitant, nec ullo præterea veſcuntur cibo. Iberes ovium loco, canum greges alunt: Æthiopes, qui dicuntur Colcenſes hyenas. Quin hodie non pauciora ingeniorum & morum diſcrimina. Ad ea quoad fieri poteſt, accommodare ſeſe, polypumque piſcem imitari, non minima prudentiæ pars eſt.

Non ſtatuar leæna in machæra.

Οὐ στήσομαι λέαινα τυροκνήστιδος.

Id eſt,

Non ego leæna ſtatuar in tyrocneſtide.

Proverbium meretricium, cum negat ſcortum ſui copiam facturum ſeſe. Nam in capulis militarium gladiorum elephantes ac leones imponi ſolent. Athi procumbentes inſculpuntur: ſive ne lædant manum utentis gladio, ſive ne defringantur facile, ſi in pedes erecti fingerentur. Tyrocneſtis, vox militaris videtur, enſem ſignificans. Poteſt adagium & ad verecundiorem uſum detorqueri: ut ſi quis negans ſe per omnia morem geſturũ, inſervituramque pro libidine, dicat, οὐ στήσομαι λέαινα ἐπὶ τυροκνήστιδος. Adagium recenſet Suidas. Extat autem apud Ariſtophanem in Lyſiſtrata.

Obedientia felicitatis mater.

Vide in loco Infortunii.

Inſanire cum inſanientibus.

Τοῖς μαινομένοις συμμαίνεσθαι, id eſt, Cum inſanientibus inſanire dicebatur, qui ſe moribus quorumlibet attemperabat. Vſurpavit Galenus lib. περὶ φυσικῶν δυνάμεων primo, ἐπεὶ δ' ἱκανῶς ἀδολεσχοῦμεν οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ὡς ἡ παροιμία φησί, μαινομένοις ἀναγκασθέντες συμμαίνεσθαι, πάλιν ἐπὶ τὴν τῶν οὔρων ἐπάνειμι διάκρισιν, id eſt, Poſteaquam autem ſatis nugati ſumus haud ſponte, ſed juxta proverbium, coacti cum inſanientibus inſanire, rurſus ad urinarum diſcretionem revertamur.

ERASSI-

BRASSICANI. *Faſces ſubmittere.*

Faſces ſubmittere, proverbiali metaphora dicimus, alicujus authoritati, eruditioni, ingenio, ſive ſententiæ ingenue cedere. Cicer. in Bruto de claris Oratoribus: Cum tibi ætas noſtra jam cederet, faceſque ſubmitteret. Plinius citra metaphoram extulit lib. 7 cap. 30. Cn. Pompejus confecto Mithridatico bello intraturus Poſſidonii ſapientia clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit, & faſces lictorios januæ ſubmiſit, is cui ſe Oriens Occidenſq; ſubmiſerat. Valerius Publicola cum poſſet imperii ſummi, id eſt, conſulatus jure uti agendo cum populo, faſces tamen majeſtati populi Romani ſubmiſit. hoc eſt, à ſe lictores tantiſper abire juſſit, quoad concionatus eſſet. quæ res illi perpetuam gratiam conciliavit: ut author eſt Livius in ſecundo.

IOANNIS VLPII. *Qui honorat ſeipſum honorat.*

Vulgo dicitur, honorem non eſſe apud honoratum, ſed apud honorantem. Ariſtoteles.

COGNATI. *Πείσις ὁμηρικὴ.*

Plutarchus in libello de coercenda iracundia, Homericam obedientiam proverbialiter uſurpavit: Qui videtur alluſiſſe ad locum Homericum, qui eſt Odyſſ. υ.

Ὣς ἔφατ' ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ.
Τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα, νωλεμέως.——

Et paulo poſt:

Στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ·
Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Utuntur, cum affectus rationi obtemperant. (Totum id, ni fallor, videtur mutatum ex Joan. Hartungi Decuriæ locorum memorabil. cap. 7. aitque obedientiam Homericam, πείσιν ὁμηρικὴν proverbialiter dici, cum affectus rationi obtemperant.)

Quocunque Deus.

Adagium Chriſtianorum: pro eo quod eſt, Quocunque via patuerit, nullo nobis ab initio loco quo eamus, propoſito. Et ſupplendum eſt, ducet: Sic Græci: ὅποι πόδες ἄγουσι, id eſt, Quo pedes ducunt. Apollon. lib. 1. Argonaut. ἡ ῥα κιλεύθου τὴν ἴθυσε, ὅπῃ πόδες αὐτὸν ἔφερον ἀλύουσα. Idem lib. 4. ἦ ῥα ἔφη, τὴν δ' αἶψα πόδες φέρον ἐγκονέουσαν. Sic Euripides Med.

Φεῦγε, φεῦγε, μάτηρ ἴαινε
Αὐτόθι αὐτίκα, μηδ' ὅποι πόδες φέρουσι.

Theocr. eo uſus eſt in Hyla, & in Thalyſiis: Lucianus in Hermotimo. Plato lib. De repub. 3. ἀλλ' ὅπη ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον. id eſt, Quocunque ratio ceu ventus tulerit, hac cundum eſt Sic loquuntur & Latini. Cic. 2. Tuſculan. Ut enim heri feci, ſic nunc rationem quo ea me cunque ducet, ſequar. Eleganter interpoſita eſt dictio inter quo & cunque, per eam figuram quæ Tmeſis dicitur. Horat. lib. 3. ode 11.

I, pedes quo te rapiunt, & auræ.

Sive terra ſive mari iter facere voles, propera, quantum potes, ὅπῃ πόδες ἄγουσι καὶ αὖραι. Idem in Epodis, ode 16.

——Pedes quocunque ferunt, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus. Virg. Mœr.
Quo te Mœri pedes? ——Plautus in Mercat.
Nec podagricus, nec articularius eſt, quê rus pedes ducunt.
An paſſim ſequeris corvos teſtaque lutoque
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis.

Homerica obedientia.

Plutarchus in libello de coercenda iracundia, πείσει ὁμηρικῇ proverbialiter uſus eſt: & dicitur, cum affectus rationi obtemperant. Sunt qui exiſtimant, Plutarchum alluſiſſe ad Homeri locum, qui eſt Odyſſ. υ.

Ὣς ἔφατ' ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ,
Τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα,
Νωλεμέως.——

Et paulo poſt:

Στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ,
Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Eraſmus noſter tranſtulit, Perſuaſio.

Nunquid vis?

Hoc genus loquendi olim Romanum fuit, & hodie aulicum. Sic enim loquuntur, qui vel diſcedere ab aliquo, vel aliquem à ſe dimittere volunt. Nunquid vis? numquid eſt, quod me tua cauſa efficere velis? Horatius in illo elegantiſſimo & ſuaviſſimo feſtiviſſimoque ſermone 9. lib. 1. quo graphice importuni ſcurræ & hominis odioſiſſimi moleſtiam exprimit, Romano more dixit,

Cum aſſectaretur: Nunquid vis? occupo.——

Sic Terentius:

Rogo nunquid velit? recte, inquit: abeo.

Audio, haud auſculto.

M. Varro lib. 5. De lingua Latina. A quo dictum poëtæ. Audio, haud auſculto. Hoc dicto ſignificatur, audiendum non parendum. Ex Ennio, locus, ut reor, à Varrone citatus eſt. Cæcilius: Audire, ignoti quod imperant, ſoleo, non auſcultare. Pacuvius:

——His, qui avium cantum intelligunt,
Magiſque ex alieno jecore ſapiunt, quam ſuo,
Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.

Hoc poſtremû carmen apud Ciceronem Ennii nomine citatur. Ex alieno jecore ſapere, eſt quoque proverbium.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Cede Deo.

Tam frequens eſt apud omnes ſcriptores, præcipue Virgilium Æneid 5. Cedere Deo, fortunæ, fatis melioribus, ut nihil ſupra. Interpretes tamen hujuſmodi jubent, ut utar Homericis, ἐς καλὸν ὅτι, tanquam nihil præ cæteris eximii habentia, alias ſæpe ἀκεχωρισμένα, ubi nibil opus eſt. Ergo ab Homero natum eſt, fonte omnium ingeniorum: qui ſic Menelaum concionantem inducit, ſecumque deliberantem, an Hectori congrediatur, Trojanum armis ſepto, qui ad diripienda Patrocli arma properabat, an potius cedat cedat virtuti divinitus adjutæ. Ejus verba hæc ſunt:

Ὁππότ' ἀνὴρ ἐθέλει πρὸς δαίμονα φωτὶ μάχεσθαι,
Ὅν κε θεὸς τιμᾷ, τάχα οἱ μέγα πῆμα κυλίσθη.
Τῷ μ' οὔτις Δαναῶν νεμεσήσεται, ὅς κεν ἴδηται
Ἕκτορι χωρήσαντ', ἐπεὶ ἐκ θεόφιν πολεμίζει.

Hæc non adeo apte, ſic tamen ut utcunque intelligi poſſint, converti:

Numine nam lævo quiſquis pugnaverit illi,
Qui ſuperum cura eſt & amor: male devocat ultro
In caput ille ſuum. Nec me culpetis, Achivi,
Hectora ſi declino, Dii cui tela miniſtrent.

Extat apud Eugubinum lib. 3. De perenni philoſophia elegantiſſimum pentaſtichon in eandem ſententiam. Æmulatus quiſpiam erat Byſanum: ergo Phœbus, pro æmulo eo ſuſcitanti cuidam ſic reſpondit:

Ἔχθεο, καὶ παλίνορμος ἐπείγεο, καὶ λῆγε φόνου.
Οὐ γὰρ ἐφιστίω ἀνέρι ἀμείνονι φωτὶ μάχεσθαι.
Κεῖνος γὰρ θεὸς αὐτὸς ἰδεῖν ἐστι ἰσίκελος χαίτη.
Οἱ καὶ γῆ τρέμει, καὶ οὐρανὸς ἀλέγει ὕπερθεν,
Πόντος τ' ἀίδιος τ' ἠδ' οὔρεα δεῦρο αὐτοῦ.

Homerus Iliad. χ. ubi Priamus ad filium Hectorem:

Ἕκτορ μή μοι μίμνε φίλον τέκος ἀνέρα τοῦτον,
Οἶος ἄνευ τ' ἄλλων, ἵνα μὴ τάχα πότμον ἐπίσπῃς,
Πηλεΐωνι δαμείς, ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτερός ἐστιν.

Et Iliad. ε. Apollo ſic loquitur Diomedi:

Φράζεο Τυδείδη, καὶ χάζεο, μηδὲ θεοῖσιν
Ἶσ' ἔθελε φρονέειν, ἐπεὶ οὔ ποτε φῦλον ὁμοῖον
Ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων.

Ibidem.

Ἀλλ' αἰεὶ πρὸς Τρῶας τετραμμένοι οὐδὲ ἐπείγεσθε
Εἴκετε, μηδὲ θεοῖς μενεαινέμεν ἶφι μάχεσθαι.

OCCASIO.

ERASMI. *Feneſtram aperire: & ſimiles metaphoræ.*

Aperire feneſtram: pro eo quod eſt, occaſionem, ac velut anſam miniſtrare. Terent. ἐν ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ. Huic quantam feneſtram ad nequitiam pateſeceris? Verum hoc non niſi in malam partem; illud etiam in bonam, Aperire januam. Plinius Suetonio Tranquillo: Atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa januam famæ patefecit. Plutarchus in lib. de Oſiride, μεγάλας μὲν τῷ ἀθέῳ λαῷ ἀναπετάσας πύλας. id eſt, Magna impiæ plebi repagula aperientes. Ejuſdem formæ & illud Ciceron. pro Planco: Quanquam qua nobis janua in cauſam ingreſſus ſum. Item illa: Aperire viam, præſtruere viam, præcludere viam, jacere fundamenta: quorum alibi meminimus. Diverſo quidem ſenſu philoſophus quidam Cynicus dictus eſt θυρεπανοίκτης, quod in omnium ædes irrumperet, reprehenſurus ſi quid diſpliceret: ſed tamen ea vox torqueri poteſt ad eos, qui cæteris viam aperiunt.

Anſam quærere: & conſimiles metaphoræ.

Anſa eſt, qua quippiam prenditur ac tenetur. Hinc ducta metaphora, varias adagiorum formas præbuit. Plautus in Perſa, An non vides hunc anſam quærere? id eſt, captare occaſionem reſcindendæ irritandæque pactionis. Quod quidem à Græcorum tractum eſt figura, apud quos frequens eſt, λαβὴν ζητεῖν, παρέχειν λαβήν. id eſt, anſam quærere, præbere anſam. Ariſtophanes in Lyſiſtrata:

Εἰ γὰρ ὑφ' ἡμῶν τούτων καὶ σμικρὰν λαβήν,
Οὐδὲν ἐλλείψουσιν αὗται λιπαρᾶς χειρουργίας.

Id eſt:

Si qua per nos vel puſilla data ſit anſa fœminis,
Pinguis ipſæ nil relinquunt protinus chirurgiæ.

Plato lib. De legibus 3. καὶ ὁ λόγος ἡμῖν οἷον λαβὴν ἀποδίδωσιν. id eſt, Et ipſe ſermo nobis velut anſam præbet. Ariſtides in Pericle, τοῖς βασκαίνειν δοκοῦσι παρέχειν λαβήν. id eſt, Anſam præbere, ut invidere videatur. Idem adſimili figura dixit in Timone, οὐδὲ δίδωσι χώραν τῇ βλασφημίᾳ, id eſt, Neque dat locum convicio. Rurſum Plato lib. De legib. 7. Ut contentionis anſas multis præbuerint. Rurſum De republica lib. 8. indicat metaphoram ſumptam à palæſtritis. quorum hæc ars eſt, ſic componere corpus, ut prehendi non poſſint: πάλιν τοίνυν ὥσπερ παλαιστὴς τὴν αὐτὴν λαβὴν πάρεχε. id eſt, Rurſum igitur tanquam, palæſtrita eandem anſam præbe. Eodem peru-

pertinet. In eaſdem anſas incidere: & , Anſam arripere, anſam præterire, anſam negligere: & ſi qua ſunt alia. Epictetus in Enchiridio ſuo ſcripſit, unicuique rei binas eſſe anſas, alteram qua teneri poſſit, alteram qua non poſſit. Arripiendum igitur unumquodque ea qua poſſit teneri. id eſt, bona undique excerpenda, mala toleranda. Philoſophus quidam adoleſcentes nullis mathematicis diſciplinis inſtructos noluit admittere, quod diceret illis deeſſe anſam philoſophiæ. Plutarch. autẽ in libello De audiendis poëtis, eleganter ſcripſit multas eſſe corporis partes, per quas ſeſe inſinuant vitia: virtuti vero unicam eſſe anſam, aures adoleſcentulorum ſi puræ fuerint, nulliſque aſſentatorum & corruptorum hominum ſermonibus occupatæ.

Gladium dediſti, quo ſe occideret.

Adagii formam habet, quod ſcripſit Plaut. in Trinummo: Gladium dediſti, quo ſe occideret. id eſt, miniſtraſti materiam & adjumentum ad perniciem. Veluti ſi quis amanti adoleſcenti pecuniam det in manum: aut juveni temerario mandet magiſtratum: aut mulieri permittat quo lubeat eundi licentiam. Dedit & Æneas Didoni gladium quo ſe occidit. Quo quidem loco multa Servius: quæ nobis alio loco dicta ſunt in proverbio, ἰχθῦν ἀδυεσθαι.

Premenda occaſio.

Qui ſignificabit modis omnibus inſtandum eſſe, nec omittendam è manibus ſemel oblatam occaſionem, accommodabit illud ex Ody. δ.

Ὑμεῖς δ' ἀσκελέως ἐχέμεν καὶ μᾶλλον πιέζειν.

Id eſt:

Vos premite & vinclis magis arcte ſtringite captum.

Eximere è manu manubrium.

Figura proverbiali dixit Plautus: Eximere è manu manubriũ, pro eo quod eſt, jam paranti facere quippiam, extorquere peragendi facultatem. Locus eſt in Aulularia. Capio fuſtem, obtrunco gallum, furem manifeſtarium. Credo ego ædepol illi mercedẽ gallo pollicitos coquos, ſi id palam feciſſet, exemi ex manu manubrium. Translatum ab eo, cui jam vibrato gladio percuſſuro, repente capulus excutitur è manibus.

Non ſemper erit æſtas.

Ad eundem ferme ſenſum pertinet & illud ex eodem libro:

Οὐκ αἰεὶ θέρος ἐσσεῖται, ποιεῖσθε καλιάς.

Id eſt:

Æſtas non ſemper fuerit, componite nidos.

Non ſemper virebit ætas, para, quo ſe recipiat ſenectus, aut non ſemper erit proſpera fortuna, munias animum philoſophiæ decretis, quo fortunam adverſam poſſis contemnere. Admonet & Cato Agricolas, cogitent quam longa ſit hyems. Notus eſt apologus de formicis exprobrantibus cicadæ, quod totam æſtatem nihil aliud quam cecinisſet otioſa, eoque mendicaret in hyeme. Hoc dictum oportuit adoleſcentum pileis inſcribi. Neque enim tantum admonet parandam eſſe rem in ſenectam, verum etiam eruditionem, virtutem, honeſtam famam: quæ præſidia ſunt optima ſenectutis.

Nunc tuum ferrum in igni eſt.

Ejus ferrum in igni eſſe dicebant, cujus negocium jam ageretur. Præmollitur enim ferrum igni ad cudendum. Ita Seneca in ludicro libello, quem ſcripſit de morte Claudii imperatoris. Hercules enim qui videret ferrum ſuum in igni eſſe, modo huc, modo illuc curſabat, & ajebat. Noli mihi invidere, mea res agitur: deinde ſi quid volueris, invicem faciam, manus manum lavat. Alluſit eo, quod Hercules quoque ex homine factus eſſet deus: id quod ambiebat Claudius. Alexander Magnus interrogatus, quomodo potitus eſſet Græcia reſpondit. μηδὲν ἀναβαλλόμενος. id eſt: Nil procraſtinans. Refert Homeri Scholiaſtes Iliad. β.

Capere crines.

Plautus in Muſtellaria capere crines dixit, pro arripere occaſionem oblatam, & arreptam retinere. Sumptum vel ex illo deo quem Græci vocant καιρὸν (nam eum fingunt fronte capillata, occipitio calvo:) vel ex hominum conſuetudine, qui crinibus remorantur quem nolint abire. Si tibi acceptum eſt fore tibi unicum, ſempiternum, atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita: Soli gerendum cenſeo morem, & capiendos crines. ut fama eſt, hominis, ex in ſole pecuniam invenire.

IVNII. Ἐνδόσιμον.

Ἐνδόσιμον, pro anſa & occaſione præbita, quam arripere deceat, venuſte ponitur. Heliodorus libro quarto, τὸ ὥρας ἐνδόσιμον ἐπιτηρεῖν, id eſt, Opportuni temporis occaſionem obſervare. Julianus ad Jamblichum: [illegible], id eſt, Quia vero tute ipſe auſpicium nobis melodiæ dediſti & ſopitos non aliter ac Mercurii virgula excitaſti age ad inſtar bacchantium, qui Baccho thyaſum quatiente in tripudia ſolvuntur, eos tuo ſtimulo conciti, æmula, ut par eſt, voce ſuccinamus, eorum more qui choroſtaten poſt rhythmum modulantem conſequuntur. Idem ad Hecebolum, [illegible] παίζομεν, ἀφ' ὧν αὐτὸς χαρίζῃ, τὸ ἐνδόσιμον ἐκ τῶν σῶν γραμμάτων λαμβάνοντες. id eſt, Hæc tecum ludimus, libertatis anſam è tuis ſcriptis arripientes. Sineſius Evoptio, decumanorum fluctuum tempeſtatem deſcribens, [illegible] id eſt, quum ſilente vento non etiã ſimul ſternuntur fluctus, ſed occaſione prævalentis motus, confligantur cum impetuoſo flatu. Ariſtoteles Politicorum octavo, profitetur ſe de muſica velle nonnihil in medium afferre, ὥσπερ ἐνδόσιμον γενέσθαι τοῖς λόγοις, οὓς ἄν τις εἴποι ἀποφαινόμενος περὶ αὐτῆς: id eſt, Ut ſit illud materia & auſpicium diſceptationis de ea habendæ. Idem lib. De mundo: [illegible] ἐνδόσιμον [illegible], hoc eſt: Moventur ſidera à Deo juxta legem ſuperam, aut iis modulis quos Deus quaſi auſpex præit. Eſt autem proprie ἐνδόσιμον, carmẽ nauticum, quod κελευστὴς in puppi ſtans remigibus præibat, quo velut animati & incenſi acclamabant illi, quod indicat clare Philoſtratus junior: τὸ ἐνδόσιμον τοῖς ἐρέταις ᾄδει, id eſt, Remigibus præludium canit. Liquido idem docent incerti authoris verba, ὁ δὲ κελευστὴς τοῖς ἐρέταις τὸ ἐνδόσιμον ἐνεδίδου, οἱ δὲ ἐπὶ τῇ [illegible], id eſt, Celeuſtes remigibus præludium dictabat, illi mox in remos incumbentes præcinentem clamore læto ſequebantur. Vel ἐνδόσιμον dicitur, quod chorodidaſcalus cœtui chorove præcinit: cui à rhythmi finem è cunctis ſimul reſpondetur. quod ex Juliani verbis ſupra citatis abunde liquidum fit. Heſychius ἐνδόσιμον exponit citharæ præludium, quod ante cantilenam prælibari ſolet, [illegible], & apud Suidam legitur, ψαλμοῦ ἐνδόσιμον τῆς ᾠδῆς, pſalterii præludium, quod cantum præcedit.

COGNATI. Χρόνου φείδου.

Clemens Alexandrinus in primo Stromateon hujus vocis mentionem fecit, ubi docet brevibus quibuſdam, acutiſque dictis ſapientum virorum, magnarum rerum ſenſum contineri, ut hæc ipſa χρόνου φείδου. Nam vim etiam ipſius interpretatur: & quia obſcurũ eſt, quid ſignificari ab eo voluerit, non una declaratione contẽtus eſt, ſed geminã affert. Aut enim quia vita brevis eſt, putat admoneri nos ne fruſtra tempus in rebus inanioribus conſumamus: ſive contra parcere nos debere quotidianis ſumptibus, ne ſi forte longam ætatem aliquis vivat, res ad vitam neceſſariæ deſint. Cicero lib. 3 de Finibus bonorum ac malorum, ita Latine expreſſit: Vetera præcepta ſapientum jubent tempori parcere, &c. Legitur etiam apud Stobæum lib. 3. Theophraſtum memoriæ proditum eſt dicere ſolitum, πολυτελὲς ἀνάλωμα tempus eſſe.

Non ſemper Saturnalia erunt.

Et hoc proverbium ſapit, quod Galli vulgo ſic exprimunt: Ne ſera touſiours feſte. Saturnaliorum licẽtia nota eſt, in quibus ſervi quoque libertate gaudebant, & domini viciſſim ſervis miniſtrabant. Seneca in eodem loco: Dicebam vobis, non ſemper Saturnalia erunt. Simile illi eſt: θύραζε Κᾶρες, οὐκ ἔτ' Ἀνθεστήρια. Foras Cares non amplius Anthiſteria. & huic Gallicos: Touſiours ne ſont pas nopces. Nec diſſimile eſt hoc Artabazis, dimiſſionẽ exercitus diſſuadentis apud Xenoph. παιδ. 6. [illegible], i.e. Quaſi domi manere, ſit militia, in hoſtili vero agro verſari, dies feſtus, in hiquidem hic mercatus non videtur dimittendus. Huic non diſſimile: Non ſemper erit æſtas.

Pro re nata.

Proverbii vice & loco uſurpari cœptum eſt, Pro re nata eſt, prout occaſio tulit, ἐκ τοῦ παρόντος Cicer. ad Attic. Animadverteretem poſſe pro re nata te non incommode ad me venire. Bud. Robertetis: Cum iis quæ ipſe cauſa mea pro re interdum nata & contendit & efficit.

Eſt tempus.

Eſt igitur tempus, ut de voluptatibus etiam cõſultemus. In Lyſide: Redeundi domũ eſt hora. In Protagora: Nunc jam hora eſt, ut me ad alia conferam: & jam pridem, ut dixi tempus erat ut abirem. Frequens hic loquendi modus apud eundem Platonem.

Scimus, quæ tibi licent.

Catullus in nuptias Juliæ & Mallij:

Scimus, hæc tibi quæ licent
Soli, cognita ſed marito, &c.

Hæc, inquit, ſoli, nec dum conjugi licebunt: nunc minime ſolus cum iis: alia vita alios mores poſtulat & alia vivendi ratio.

Sol admonet.

Craſſus apud Cicer. lib. 3. De oratore: Ne illa quidem, quæ ſupra dixi, nova vobis eſſe arbitrabar, ſed voluntati veſtrum omnium parvi. His autem de rebus ſol me ille admonuit ut brevior eſſem: qui ipſe jam præcipitans, me quoque hæc præcipitem penè evolvere coegit.

PETRI GODOFREDI.

Nundinis diſſolutis non eſt negociationis commercium.

Τοῖς πανηγύρεσι διαλυθείσαις οὐκ ἔτ' ἐστὶν ἀγοράζειν [illegible]. Ita ſecutũ, deſidem, & oblata occaſione res ſuas opportune agendi, pro ſtrati-

truſinantem hominem monebimus, ne ſi non aget cum poſſit, non poſſit cum volet. Damaſcenus in ſerm. de defunctis, intelligens, ſoluta hac fragili compage nullum futurum auxilii tempus, nullam profuturam advocationem.

CAROLI BOVILLI. Ferrum, cum igni candet, tundendum.

Arripienda, quæ datur occaſio, & rei bene gerendæ tempus non prætereundum. Si quo cum contraxeris, fac traditio ſubſequatur ſine mora. Ne matrimonii quidem ſponſio longius extrahenda. Pueri, præcipue dum tenerum eſt ingenium, optimis imbuendi. Nos vulgo, Il faut batte le fer quand il eſt chaud.

OCCVLTA.

ERASMI. *Terræ defoſſum habes.*

Τῇ γῇ κατώρυχας, id eſt, Terra defoſſum habes. In eum qui non impertit, neque profert ſuas dotes. Sumptum ab avaris, theſaurum humo defodientibus. Quod apud Plautum facit Euclio. Itidem Horatius in Epodis:

—Haud paravero,
Quod aut avarus, ut Chremes, terra premam,
Diſcinctus aut perdam ut nepos.

Occultæ muſices nullus reſpectus.

Occultæ muſices nullus reſpectus, Græcis quondam celebratum adagium, cujus ſenſus eſt, quamvis egregias ingenii dotes, ſi non proferas, perinde eſſe quaſi non habeas. Quo videtur alluſiſſe Perſius cum ait:

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Extat & in Hebræorum proverbiis, nempe Eccleſiaſtici cap. 20. ſimile quiddam: Sapientiæ reconditæ, & theſauri abſtruſi nullam eſſe utilitatem. Hoc noſtrum refertur à Suetonio in vita Neronis imperatoris, quem ſcribit imperatoriæ dignitatis oblitum uſque adeo muſices ſtudioſum fuiſſe, ut non modo nihil omitteret eorum quæ generis ejus artifices, vel conſervandæ, vel augendæ vocis gratia factitarent, verumetiam in ſcenam prodire concupiverit: ſubinde inter familiares Græcum proverbium jactans, Occultæ muſicæ nullum eſſe reſpectum. Vſurpat idem Aullus Gellius, libro noctium 13 capit. ult. Noſti, inquit, magiſter, verbum illud ſcilicet vetus: Egregiam muſicam quæ ſit abſcondita, eam eſſe nulli rei. Vſurpatur à Luciano in Harmonide, οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀποκρύπτειν φασὶν ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς, id eſt, Nulla enim utilitas occultæ, quemadmodum proverbio dicunt, & abſtruſæ muſices. Alluſit huc haud dubie Ovidius cum ait,

Tu licet & Thamyram ſuperes, atque Orphea cantu,
Non erit ignotæ gratia magna lyræ.

Sunt autem nonnulli mortales, qui vel nativo quodam ingenii vitio, vel data etiam opera quæ ſciunt diſſimulant, & aliis gravantur & impertire. His illud nonnunquam eveniret, ut pro indoctis negligantur. His adſcribendum, quod Græci τυφλὸν πλοῦτον appellant, id eſt, cæcas divitias, reconditas opes & obſtruſas. Ad hunc modum vocat Plutarchus compluribus locis, atque item Lucianus. Hoc dictum Plutarchus in vita Lycurgi teſtatur vulgo apud Lacedæmonios fuiſſe jactatum, quod illic Plutus ſervaretur inhonoratus, non aliter quam imago picta inanimis & immobilis. Sic enim Lycurgus inſtituerat rempublicam, ut divitiæ nec uſui cuiquam eſſe poſſent, nec ornamento.

Qui apud inferos ſunt terniones.

Οἱ ἐν ᾅδου τριακάδες, id eſt, Qui ſunt apud inferos terniones. Hoc adagio ridebantur ii, qui res abditas & abſtruſas, curioſa quadam diligentia veſtigarent. Non abſurde torquebitur in eum qui nimis anxie vel ſuperſtitioſe magis arcanarum literarum myſteria rimatur, aut qui Homericas fabulas omneis inanibus allegoriis interpretari conetur, aut Platonicorum & Pythagoreorum numeros explicare laboret. Ajunt terniones apud inferos honoratos eſſe, ut Hecatæ ſacros: cui quidem ob id ipſum trigla piſcis ſacrificatur, & ſimulachrum ejuſdem in triviis conſtitui mos erat. Ad quod reſpiciens Vergilius:

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Niſi qua vidit avis.

Πλὴν εἴ τις ὄρνις, id eſt. Niſi ſi qua vidit avis. Hyperbole proverbialis de re vehementer occulta. Ariſtophanes in Avibus:

Οὐδεὶς οἶδε τὸν θησαυρὸν τὸν ἐμὸν, πλὴν εἴ τις ἄρ' ὄρνις.

Id eſt:

Nemo meum vidit theſaurum, niſi forſitan ſi qua avis uſquam.

Suidas etiam hunc verſiculum citat ex Ariſtophane:

Οὐδείς με θεωρεῖ πλὴν ὁ παραπετόμενος ὄρνις.

Id eſt:

Nemo me contuetur, niſi prætervolans avis.

Attici Eleuſinia.

Ἀττικοὶ Ἐλευσίνια, id eſt, Attici Eleuſinia, ſubaudiendum, ἐπ' αὐτοῖς, id eſt, inter ſeſe. Duris apud Zenodorum ait parœmiam uſurpari ſolitam, ſi quando convenitſſent inter ſeſe aliqui ſecreto de re quapiam arcana tractantes. Ducta metaphora a myſteriis ſacrorum Eleuſiniorum, quæ in honorem Cereris agebantur apud Eleuſim, ſumma religione, myſticiſque ceræmoniis, à quibus arcebantur prophani. Capitale autem erat, ex his myſteriis quicquam in vulgus efferre: cujuſmodi videntur fuiſſe apud Romanos ſacra Bonæ deæ: quam eandem C. Baſſus apud Lactantium Fatuam appellatam tradidit. Nam hæc & noctu & in operto fiebant & excluſis maribus.

In tenebris ſaltare.

Ἐν τῷ σκότῳ ὀρχεῖσθαι, id eſt, In tenebris ſaltare. Eſt rem gerere clanculum, nullo teſte, nulloque judice. Translatum ab iis, qui an ſecus moneant pedes. Lucianus in Sectis, ἐν σκότῳ φασὶν ὠρχούμεθα, id eſt: In tenebris, ut ajunt, ſaltaremus. Quibus ex verbis videtur adagium dici poſſe etiam in illos, qui temere, nulloque judicio, nulla certa ratione rem agunt. Sentit enim Lucianus, nos philoſophia deſtitutos, tanquam in tenebris ſaltaturos, ut quicquid in manus venerit, id eſſe credamus quod quærebatur. Apparet huc tacite alluſiſſe Platonem libro de Repub. 8 ἵνα μὴ σκοτεινῶς διαλεγώμεθα πρότερον διοριζώμεθα, id eſt, Ne tenebroſe diſſeramus, prius definiamus. Nam qui confuſe diſputat, velut in tenebris ſaltat.

Monſtrum alere.

Mõſtrum alitur, ubi quid occulti vitii latere ſignificamus: haud ſcio an inde ſumpta metaphora, quod monſtra ob pudorem clanculum aluntur & occultantur. Siquidē Pamphilus in Andria Terentiana, quod prius repudiatus gener, rurſum ad affinitatem repeteretur, ſuſpicans aliquid eſſe vitii in puella quod celaretur, Repudiatus, inquit, repetor. Quamobrem? niſi id eſt, quod ſuſpicor aliquid monſtri alunt. Ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me.

Muris circumcurrentibus.

Τῶν τοίχων περιτρεχόντων, id eſt, Parietibus circuncurrentibus. Plutarchus in Sympoſiacis decade 7. problemate 5. indicat celebre fuiſſe proverbium, quo ſecretum ſignificabant, muris videlicet teſtes & arbitros arcentibus. Ad bonorum virorum hujuſmodi voluptates etiam ac luſus ait oportere eſſe, ut nihil egeant vallo parietum. Licebit uti, cum ſignificabimus, aliquid ali monſtri, & ob id captari ſecretum.

Summis ingredi pedibus.

Qui clanculum aut cautim, ac pedetentim, quod ajunt conantur aliquid, ſummis pedibus ingredi dicuntur. Græci jucundius efferunt adverbio compoſito, ἀκροποδητί. Idem valent illa, Suſpenſo gradu: & ἀκροβατοῦντες. Suſpenſis pedibus. Traductum à geſtu eorum qui ſic ingrediuntur, ut ſtrepitum pedum nemo ſentiat: aut qui vix diffiſi, cautim & leviter figunt veſtigia. Aliquando diverſius eſt, quod eſt apud Platonem in Lachete οὐδ' ἄκρῳ ποδὶ ἐπιβαίνοντες, id eſt, Ne ſummo quidem pede ingredientes. Quod pertinet ad illam formam: Summis labris deguſtare, Summis digitis attingere.

In aurem dicere.

Εἰς οὖς λέγειν, id eſt, In aurem dicere: vel hodie vulgo dictitant, pro eo quod eſt, clanculum ac ſecreto committere. Translatum ab iis qui propius admoti ad aurem inſuſurrant, quæ nolint ab aliis exaudiri. Vnde & illud apud Homerum aliquoties:

Ἄγχι σχὼν κεφαλὴν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.

Id eſt,

Admoto capite reliqui ne audire valerent.

Horatius in ſermonibus:

—in aurem
Dicere neſcio quid puero.—

Euripides in Ione:

Δεῦρ' ἔλθ' ἐς οὖς γὰρ τοὺς λόγους εἰπεῖν θέλω.

Id eſt:

Accede, in aurem ut quæ volo tibi eloquar.

Lucianus in Gallo, πρὸς οὖς τινι τῶν Συρακουσίων κοινολογούμενος. Id eſt: Ad aurem cum Syracuſanis quibuſdam communicans. Huc pertinet & illud Evangelicum: Et quæ in aurem audiſtis, prædicate ſuper tecta, id eſt: Quæ ſecretis colloquiis accepiſtis, palam prædicate.

Oſtium obdite prophani.

Θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι, id eſt, Fores occludite quique prophani. Sumpta eſt alluſio ex Orpheo, cujus hoc citatur carmen:

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Id eſt:

Fas quibus eſt audire loquar, vos turba prophana.
Obturate fores.—

Iubet ut prophani oſtium aurib. imponant, ne quid arcani ſermonis poſſit ingredi. Ariſtides in Pericle, λέγω δὲ ταῦτα πρὸς οὓς θέμις, τοῖς δὲ βεβήλοις ὀλίγα φροντίζων, id eſt: Loquor hæc apud eos, quibus audire eſt. Prophanorum autem levis omnino ratio eſt. Conveniet uti, ſi quando ſignificabimus nos de rebus arduis

& arcanis locuturos eſſe. Huc reſpexit Horatius, quum ſcribit in Odis:

> Odi prophanum vulgus, & arceo.
> Favete linguis: carmina non prius
> Audita, Muſarum ſacerdos
> Virginibus pueriſque canto.

Ovidius:

> Lingua favens adſit noſtrorum oblita laborum,
> Quæ puto dedidicit jam bona verba loqui.

Ante ſacrificium præco clamore ſolebant jubere populum favere linguis, hoc eſt, verba boni ominis loqui, unde & faventia dicitur bona ominatio. Item Seneca de philoſophia agens: Et ipſam ut deos, & profeſſores ejus ut antiſtites colite: & quoties ſacrarum literarum mentio intervenerit, Favete linguis. Hoc verbum non ut plerique exiſtimant, à favore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla voce mala obſtrepente. Sed pluſculum habebit gratiæ, ſi per ironiam adhibeatur: veluti ſi quis recitaturus ſophiſticas aliquas Scotiſtarum argutias, ita præfatur, θύρας ἐπίθεσθε βέβηλοι, Ad hunc modum non ſemel uſurpavit Lucianus.

In ſimpulo.

M. Tullius libro De legibus tertio, agens de lege tabellaria, hoc eſt, de jure ferendorum per tabellam ſuffragiorum: Et avus quidem noſter, inquit, ſingulari virtute in hoc municipio quoad vixit, reſtitit M. Gratidio, cujus in matrimonio ſororem, aviam noſtram habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in ſimpulo, ut dicitur, Gratidius, quos poſt filius ejus Marius in Ægæo excitavit mari. Hactenus Cicero. Quantum igitur conjectura conſequi licet in ſimpulo fieri dicebant, quod vel clanculum, vel in re minuta atque humili fieret. Eſt enim ſimpulum, autore Feſto, vas parvum, non diſſimile cyatho: unde mulieres divinis rebus deditæ, ſimpulatrices vocentur. M. Varro ſcribit, vas eſſe minutim fundens, in cujus locum ſucceſſerit epichyſis, unde veteres res minutas, nulliuſque precii, ſimpularias appellabant. Plin. libr. 35. cap. 22. In ſacris quidem etiam inter has opes, non myrrhinis cryſtalliniſve, ſed fictilibus prolibatur ſimpulis innocentius. Atteſtatur & M. Varro, cum apud Nonium Marcellum ait, deos ipſos vili ſimpulo invitari. Item Apuleius. In hodierino fictili ſacrificat. Sunt qui pro Sympulo, legant Sympuvium, cujus meminit Iuvenalis ſatyra ſexta:

> ——Aut quis
> Sympuvium ridere Numæ, nigrumque catinum,
> Aut Vaticano fragiles de monte patellas
> Auſus erat?———

M. Tullius in Paradoxis: Quid autem Numa Pompilius? minuſne gratas diis immortalibus capedines ac fictiles urnulas fuiſſe quam Delicatas pateras arbitramur? Polemon apud Athenæum lib. 11. tradit, ad ipſius etiamnum ætatem Græcos quoſdam bibere ſolitos ex fictilibus: velut Argivos in publicis conviviis, ac Lacedæmonios in feſtis, aut epinicus, aut nuptiis virginum. Proinde non abſurdum mihi videtur, ſi quis exiſtimet ſumptam allegoriam à puerorum luſu, quo ſolent per fiſtulam anguſtam in ſimpulum inflantes, quaſi fluctus quoſdam & aquæ ſtrepitum excitare.

In angulo.

Ἐν γωνίᾳ, id eſt, In angulo fieri dicitur, quod fit in occulto. Quod uſurpatum in Evangeliis à Domino Ieſu Chriſto, reperitur eſſe apud Platonem in Gorgia: τὸν λοιπὸν βίον βιῶναι, μετὰ μειρακίων ἐν γωνίᾳ τριῶν ἢ τεττάρων ψιθυρίζοντα. id eſt: Reliquum vitæ degere cum adoleſcentulis tribus, aut quatuor in angulo ſuſurrantem. Item Lucianus in Concione deorum, μηκέτι ψιθυρίζετε ὦ θεοί, μηδὲ κατὰ γωνίας συστρεφόμενοι πρὸς τὸ οὖς ἀλλήλοις κοινολογεῖσθε, id eſt: Ne poſthac ſuſurros miſcete ô dii, nec ad angulos converſi, alii aliis ad aurem conſpirate. M. Tullius lib. De oratore primo, Quibus ego de his rebus omnibus in angulis, conſumendi ocii cauſa, ut diſſerant, &c. Sic & illud in Evangelicis literis proverbialiter eſt dictum, Super tectum prædicare: pro eo quod eſt, palam & in publico prædicare. Nunquam enim legimus Apoſtolos de tecto clamaſſe.

Admoto capite.

Plutarchus in libello cui titulus, πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου, verſum hunc qui apud Homerum frequenter obvius eſt, ceu proverbialem uſurpat:

> Ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.

Id eſt:

> Admoto capite, reliqui ne audire valerent.

Admonet eo loco, ſi quid objurgandus eſt amicus, ut id fiat primum in tempore, deinde comiter & amice magis quam aſpere, poſtremo clanculum, remotis arbitris: ὅθεν ἄριστα ἔχει, τὸ ἄγχι σχὼν κεφαλήν, id eſt: Unde optimum eſt illud, Admoto proprius capite. Pro eo Livius libro ad Urb. cond. 10. dixit, Conferre capita, Conſules velut deliberabundi capita conferunt.

Urit abſque torre.

Verſum hunc ceu proverbialem ſubinde Plutarchus uſurpat.

> Εὕει ἄτερ δαλοῖο καὶ ὠμῷ γήραϊ δῶκεν.

Id eſt:

> Exurit ſine torre, gravique dat illa ſenectæ.

Nempe uxor improba, quæ moribus ſuis ſenium viro præmaturum conciliat. Idem lepide transfertur ad amaritiam, ad ambitionem, ad invidiam, amorem obſcœnum, ſimiliaque animi vitia, quibus obnoxii torquentur & contabeſcunt.

IOANNIS VLPII. *Sub tunica & ſinu.*

Quod occulte, non palam fit, id hodie proverbialiter dicitur fieri ſub pallio. Tertullianus paulo elegantius exprimit, Sub tunica & ſinu. Vide infra Iunii adagium.

Sub pallio condere.

Præcedenti abſimile, de eo quod clam & occulte aſſervatur, non autem palam oſtenditur. Galenus.

IVNII. *Sub tunica & ſinu.*

Quicquid clam & occulte fit, non propatulo, Sub tunica & ſinu fieri dicitur proverbio: quo uſus eſt Tertullianus libro De fuga in perſecutione: Tu autem (inquit) pro eo paciſceris cum delatore & milite, vel furunculo aliquo præſide, ſub tunica & ſinu quod ajunt. Eodem loquendi genere dixit Ælius Lampridius, in Commodum: prædam omnem in ſinum contulit: pro, non publico ærario addictam, in privatum commodum retulit, & rurſus de ſectatoribus loquens: qui etiam condemnationes in ſinum vertiſſe dicuntur, hoc eſt, ad ſe rapuiſſe. Huc ſpectat quod Plinius libro 36. M. Scaurum rapinarum provincialium ſinum vocat, quod rapinis ditatus eſſet, per fas nefaſque omnia ad ſe rapiendo.

COGNATI. *Sine arbitris.*

Arbitri dicuntur, qui alienæ rei quaſi teſtes interſunt: quos ideo expellimus, ne conſilii noſtri participes ſint, & ut libere cum conſciis noſtri conſilii agere poſſimus. Saluſtius in Catilinaria: In abditam partem ædium ſecedit, atque ibi omnibus arbitris procul amotis, orationem habuit. Vulgo autem dici ſolet. Sine arbitris: id eſt, nemine vel audiente, vel vidente. Hinc locus ab arbitris remotus à Cicerone dicitur in 7. Verr. & ad Atticum libro decimo quinto. Livius pro primo, ab urbe condita: Tanaquil inter tumultum claudi regiam jubet, arbitros ejicit. Admitantem populi multitudinem, qui rei accidiſſet Tarquinio moribundo, ejicit, ne quid de re cognoſcerent. Ibidem: Lucus erat, quem medium ex opaco ſpecu fons perennis rigabat aquæ: quo quia per ſæpe Numa ſine arbitris (id eſt, clam, ſolus, nemine comitante) velut ad congreſſum deæ ſe inferebat, Camœnis eum lucum ſacravit Idem libro ſecundo, Conjuratique ibi remotis arbitris multa inter ſe de novo (ut fit) conſilio egiſſent. Sic Cic. 3. Offic. Plautus in Ciſtellaria: In latebras abſcondas pectore penitiſſimo tuam ſtultitiam, ſola facito, ut ſcias ſine arbitris. Hic Plautus exponit quid velit. Sine arbitris, cum vocem, Sola, adjicit. Idem in Capt. Unum vos exorare ſinite nos. L. id quidnam eſt? C. ut ſine hiſce arbitris atque vobis, nobis detis loquendi copiam. L. hiſce & vobis abſentibus. Sene de morte Cl. Cæſaris, in exordio: Hunc ſi interrogaveris, ſoli narrabit, coram pluribus nunquam verbum faciet. Notat morem eorum, qui portenta ſpargunt in vulgus. Primum uni cuipiam narrant, velut arcanum, quod ſileri velint: deinde fama ſerpit, alio aliis per manus tradente. Plaut. in Capt.: Secede huc nunciam, ſi videtur, procul, ne arbitri dicta noſtra arbitrari queant (id eſt, obſervatores.) Cyprianus: Ne prophanus arbiter eloquium noſtrum impediat Huc ſimile eſt, Secretum petit: infra.

Sub ala.

Quicquid clam & occulte fit, non propatulo, ſub ala, proverbio fieri dicitur. Quo uſus eſt Demoſth. contra Ἀφόβου ψευδομαρτυριῶν, οὐχ εἷς οὐδὲ δύο ταῦτ' ἴσασιν, οὐδ' ὑπὸ μάλης ἡ πρόκλησις γέγονεν, ἀλλ' ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ πολλῶν παρόντων idest, Non unus, neque duo iſta norint, neque ſub ala (ut ajunt) provocatio facta eſt, ſed in medio foro, multis præſentibus. Sunt qui docent, ὑπὸ μάλης ita dici, ut ὑπὸ κόλπου, ſub ſinu. Utroque uſus eſt Lucianus: ὑπὸ μάλης, in dialogo Charontis, Menippi & Mercurii: ὑπὸ κόλπου, alibi, Et Eraſmus aliter interpretatur.

Secretum petit.

In ore eſt omni populo, & apud veteres non rarum nec infrequens. Id autem valet: Poſtulavit, ut ſecreto mihi loqueretur. Plinius in quadam epiſtola: Paucos poſt dies ipſe me Regulus convenit in prætoris judicio: illuc me perſecutus, ſecretum petit. Suetonius: Aviæ Antoniæ ſecretum petenti denegavit. id eſt, petenti ut ſecreto cum aliquo loqueretur. Huic ſimile ante. Sine arbitris.

Ne vicini ſentiant.

Hunc Platonis locum ſic vertit Iunius in ſuis adagiis: Perſarum regi cum primogenitus naſcitur, cunctis ſubditis ſacer eſt dies: at nobis in lucem editis, juxta Comici dictum, ne vicini quidem in magnopere perſentiſcunt.

Mon-

Monſtrum.

Monſtrum vulgo dicitur res ante minime viſa, inuſitata. Catul. in Pelei nuptiis:

Æquoreæ monſtrum Nereides admirantes.

Dicitur quoque de immani, & humanitatis omnis experte, ſcelerato, flagitioſo, & impoſtore improbo. Vide apud Eraſmum noſtrum, Monſtrum alere: & ante, Omnia monſtra facis: & Monſtrum eſt.

POLYDORI VIRGILII.

Theſaurus in agro abſconditus.

Cum innuemus, eruditionem non eſſe cuiquam obviam, nec cuivis eam facile contingere, ſed ut rem multo labore comparandam, eſſe abſconditam in agro, id eſt, in multa authorum lectione: vel cum ſignificabimus, optimum quod eſt hominis, in penitiore animi ſede latere. Precioſa res eſt, integer animus, quo velut in adyto pectoris clauſo, nihil perſpici eſt difficilius. Chriſtus Matth. 13. hoc voluit, cognitionem Dei eſſe ſupremum theſaurũ eſſe que abditum in penetralia ſacrorum librorum. Ejuſdem cum iſto generis ſunt illa: Bonus de bono theſauro cordis profert bona: malus de malo theſauro cordis profert mala. Probus vir non poteſt improbe quidquam facere: à peſſimo vero nihil boni proficiſci poteſt. Cor in viſcera intima theſauri inſtar abditum, animi ſedes eſt, eoque ejus virtutes & vita continentur. Matth. duodecimo.

OCCVPATIO, OCIVM.

ERASMI. *Ne ad aures quidem ſcalpendas ocium eſt.*

Proverbialis eſt hyperbole, Cum ne nimium quidem ocii ſupereſſe ſignificamus, dicimus nec tantillum vacui temporis eſſe, quod ad ſcalpendas aures ſit ſatis. Lucianus in bis accuſato: οὐδ' ὅσον κνήσασθαι τὸ οὖς, φασί, σχολὴν ἄγων, id eſt: Ac ne tantiſper ocioſus, ut aurem, ſicut ajunt, ſcalpere vacet.

Nullum ocium ſervis.

Οὐ σχολὴ δούλοις, id eſt, non eſt ocium ſervis. Refertur ab Ariſtotele lib. Politicorum ſeptimo. Sumptum à ſervorum conditione, quibus heri nullum concedunt ocium: imo paulo plus etiam imponunt operæ, quam illi præſtare poſſit: ut quam ſunt in demenſo parci, tam ſint in operarum penſis liberales. Dicetur in eos, quibus propter obnoxiam miniſteriis ſordidioribus conditionem, non vacat honeſtis diſciplinis operam dare. Nam artes liberales hinc dicuntur, quod iis ingenui incumberent: utpote quibus & ocium & in res ſuppetebat. Accõmodabitur haud quaquam inſcite & in improbos, quorum ingenium ita vitiis occupatius ſervitute. Nulla autem ſervitus gravior, quam ſi quis vitiis ſerviat, maxime cum is plurimos habeat dominos, eoſque plurimum inter ſe diſſidentes: & ob id neutiquam eadem imperantes. Etenim ſi quãdo ſegnities jubet in medios dormire dies, avaritia contra jubet, prima luce adeſſe in portu: cum tenacitas indicit parſimoniam, amor jubet profundere. Solus itaque ſapiens & liber eſt, & in ocio vivit.

Feſtum multas habens.

Ἑορτὴ πολλὰ ἔχουσα, id eſt, Feſtum multas habens, ſubaudiendum, moleſtias, aut occupationes. Dictum in eos, qui magnas componerent ſarcinas, aliquo profecturi. Venuſtius erit, ſi deflectatur ad quoſdam, qui nihil agunt, quamvis exiguum, niſi magno molimine, longa cunctatione miroque apparatu, ita ut ſæpenumero tum ſe, tum reliquos omneis defatigarint apparando priuſquam quicquam incipiant. Natum ab iis, qui feſta ſolent adire. Nam iis mos, multam ſupellectilem una ſecum convehere, vaſa, veſtes, ſacra, panes atque id genus alia multa, ne quid deeſſet ad ſolennitatem pertinens. Extat in iiſdem Collectaneis.

Vincula Tyrrhena.

Δεσμοὶ Τυῤῥηνοί, id eſt, Vincula Tyrrhena, dicebantur odioſa negocia, quibus diſtringebatur aliquis. Traductum à vinculis, quibus Tyrrheni captivos vinciebant gravibus & moleſtis.

Cum licet fugere, ne quære litem.

Ἔξον φυγεῖν, μὴ ζήτει δίκην, id eſt, Cum fugiendi poteſtas eſt ne quære litem. Ab Alcibiadis apophthegmate natum. Is cum è Sicilia citaretur ab Athenienſibus, ut crimini ibus reſponderet, abdidit ſeſe, negans litigandum eſſe, ſi quo modo liceret effugere. Subjicientibus aliis. Non igitur confidis patriæ de te judicaturæ: Imo, inquit, ne matri quidem crediderim. Metuerem enim ne fors imprudens albi calculi loco nigrum immitteret. Alcibiadis ſententiæ ſubſcriberet, quiſquis litium expertus eſt. Græcis unico verbo dicuntur Φυγόδικοι, qui litem detractant.

Conchas legere.

Summi ocii eſt, & umbilicos legere in littoribus: qui luſus eſſe ſolet puerorum. Quanquam transferri poteſt ad eos, qui aliud agentes, obiter etiam leviora quædam animi gratia admiſcent. Craſſus orator apud Ciceronem lib. De oratore 2. de Lælio & Scipione loquens: Non audeo, inquit, dicere de talibus viris, ſed tamen ita ſolet narrare Scævola, conchas eos & umbilicos ad Cajetam & Lucrinum legere conſueviſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumque deſcendere. Vmbilicos opinor appellabat, vel conchas vel calculos, umbilici formam imitantes, vel herbam quæ veneris umbilicus dicitur, autore Dioſcoride. In conchis enim incredibili varietate luſit natura, quemadmodum refert Plin. lib. 9. cap. 33. Tot, inquit, colorum differentiæ, tot figuræ: planis & concavis, longis & lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæſis, in dorſum elatis, levibus, rugatis, denticulatis, ſtriatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, foris effuſo, intus replicato. Iam diſtinctione virgulata, crinita, criſpa, cuniculatim, pectinatim, imbricatim, undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectum expanſa, prædenſata, porrecta, ſinuata, brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plauſum apertis, ad buccinam recurvis, &c. In ſubterraneo domicilio, quod oſtenditur juxta Cumas Italiæ, quod vulgus fingit fuiſſe antrum Sibyllæ, quum veriſimile ſit fuiſſe ſpeluncam prædonum ac piratarum, viſuntur parietes vario concharum contextu Moſaicam opus imitantes. Valerius Maximus lib. 8. cap. 8. de Scipione & Lælio refert idem quod narrat Cicero.

Liber non eſt, qui non aliquando nihil agit.

Qui in ſummo ocio verſabantur, ab omnibus feriati negociis, ſi nihil agere dicebantur. M. Tullius in eodem libro ſub perſona Craſſi ad Scævolam: Quid putas, inquam, quando ages negocium publicum, quando amicorum, quando tuum? quando denique nihil ages. Tum illud addidi: Mihi enim liber eſſe non videtur, qui non aliquando nihil agit, hæc ille. Mox interpretatur quid declaret, nihil agere: In qua inquit, permaneo Catule ſententia, meque quum huc veni, hoc ipſum nihil agere & plane ceſſare delectat. Nam ceſſare dicuntur non tantum ii qui deſiſtunt à negocio, ſed qui ſunt in ocio. Expedit autem interdum nihil agere, ut cætera recte agamus. Alias oſtendimus, eos nihil agere dici, qui inanem ſumunt operam.

IVNII. *Impura fames immigrat.*

Εἰς τοὺς ἀργοὺς λιμὸς εἰσοικίζεται, Impura immigrat inedia. Extat apud Menandrum comicum. Scomma eſt in civicam vitam: quæ plerunque ocioſa quum ſit, in egeſtate, vel certe minore affluentia quam ruris ſaturitas ſolet, exigitur: ruſtici autem & agricolæ, laboribus aſſiduis & ſqualori haud temere addicti, ſudoribus ferme diffluunt, illuvie panniſque obſiti, ac propterea ſpurci, minimeque puri: at urbani homines qui in oppidis vitam degunt, ut cultiores habitu, ac corporis munditiam magis excolunt, ita feriato ocio operati, non perinde poſſunt abundare, præter paucos locupletibus fundis & proventibus annis divites. Quadrabit non male in aulicos, qui corporis cultui tantum tribuunt, ut domi privatæ eſuriant ſplendide.

Phidias pacem amat.

Φειδίας εἰρήνην φιλεῖ, id eſt, Phidias paci ſtudet. Citatur à Suida nominatim proverbii vice, ſed non explicatur uſus. Arbitror eo referri, quod artes Palladiæ bellum ſtudiis & induſtriæ inimicum fugiunt, pacem & almam quietem adamant. Poteſt & alio torqueri, quod bellum videlicet inexhauſtos maximoſque ſumptus quærit nihil parcum: Phidiæ autem nomen ἀπὸ τοῦ φείδεσθαι, id eſt, à parcendo etymon habere videtur. Princeps qui bellum conficere feliciter cogitat, à parſimoniæ ſordibus abeſſe quam longiſſime debet, & in militem, alioſque belli uſus, pecunias militiæ nervos liberaliter effundere. Conſtat autem in Minervæ eburneæ à Phidia Athenienſibus fabricatæ impendium, coacta fuiſſe quinquaginta talenta a Pericle: & quum repetundarum arceſſeretur, Alcibiadis conſilio ne rationes redderet, bellum moviſſe.

Rureſtris locuſta.

Ἀγροῖκος μάντις, id eſt, Rureſtris vates aut locuſta, proverbialiter dicitur, Suida teſte, de ocioſo & reſide ſegni. Eſt autem μάντις locuſtæ genus tardum, ægreque vadens viridi corpore, cujus inceſſu nonnulli curioſa vanitate futurorum eventus captare ſoliti fuerant.

Eſcala.

Ἐκ κλίμακος, Eſcala, proverbialiter dici annotat Euſtathius Iliad ψ. de iis qui de induſtria & provide ociũ captant, & a laboribus remiſſionem. Natum à gymnicis certaminibus uſitata conſuetudine, qua pugilibus tempus diu terentibus ſcala inferri ſolebat, ut digreſſi divulſique & ſuum uterque locum obtinentes diſtinerentur, ne in circumcurrendo ictus acciperent, ſed ſuum quiſque locum obtinens, qualiquali manuum objectu ſe defenderent. Ita ferme ille ex Pauſaniæ lexico at Heſychius paulo aliter, pugi-

pugilibus ſcalam interponi ſolere ait, ſi quando moram extraherent, ne in eodem loco macerent.

Tanquam ovis meridians.

Socrates apud Platonem in Phædro, de ſupino ocio, animique veterno extulit proverbialiter illud, ὥσπερ πρόβατον μεσημβριάζον, hoc eſt, tanquam ovis meridians, verba ejus ita habent: καὶ εἰ μὴ ἴδοιεν καὶ νὼ, καθάπερ τοὺς πολλοὺς, ἐν μεσημβρίᾳ μὴ διαλεγομένους, ἀλλὰ νυστάζοντας καὶ κηλουμένους ὑφ' αὐτῶν δι' ἀργίαν τῆς διανοίας, δικαίως ἂν καταγελῷεν, ἡγούμενοι ἀνδράποδ' ἄττα σφίσιν ἐλθόντα εἰς τὸ καταγώγιον, ὥσπερ προβάτια μεσημβριάζοντα περὶ τὴν κρήνην εὕδειν. id eſt, Si viderint nos animi veterno torpentes merito derideant, arbitrati mancipia quæpiam in ſuum delata gurguſtium, tanquam oves meridiantes ad fonticulum indormire. Solent oves medium diem accedente ſole ad fontium aquas deſides jacere, aut in umbra.

COGNATI. *Murgiſo.*

Apud antiquos pro inerti & deſidioſo, vulgo ferebatur.

Sedet.

Sedere Latinis non ſolum habitu illo corporis manere ac quieſcere ſignificat, ſed etiam negligenter & pigre ſe gerere ac cunctari in aliquo negocio, ut cum Cicero in Piſonem inquit, An poteſt ulla eſſe excuſatio, non dicam male ſentienti ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo reip. motu, conſuli? Ita etiam καθῆσθαι in Græco, Demoſthenes in prima Philippica cum Atheniențium ignaviam, torporemque reprehenderet, qui aſtutam rationem Philippi non attenderent, nec ſe cingi undique ab illo præſidiis, & quaſi circumvallari viderent, remedia ve tanto malo nulla adhiberent, inquit: ἡμεῖς δὲ καθήμεθα οὐδὲν ποιοῦντες. Paulus in Pœnulo:

Perge etiam tentare, rem in pauca confer, ſitiunt qui ſedent.

Virgil. lib. 12.

—Sedeant ſpectentque Latini.

Hic etiam ſedere, ignavæ ceſſationis eſt, apud Horatium, qui de puſillanimo dixit: Sedet qui timuit, ne non ſuccederet.

Ocia dant vitia.

Et hoc etiam admodum tritum eſt, Ocia dant vitia: qui ignavus cum per inanem ſuam ſpem eſt falſus, & inductus in egeſtatem victus, ad malas artes & multa flagitia & facinora ſolet impelli. Hinc Menander:

Δειλῶν δὲ καὶ ἀργῶν δειλὰ καὶ φρονήματα.

Id eſt:

Ignavorum virorum ignavæ ſunt cogitationes.

item:

Ὡς πολλὰ θνητοῖς ἡ σχολὴ τίκτει κακά.

Id eſt:

Quam multa mortalibus ocium parit mala.

Ianus Anyſius:

Incertem hominem eſt neceſſe rapto vivere.

Saluſtius in Catilinario: Gloriam, honorem, imperium bonus & ignavus æque ſibi exoptant. Sed ille vera via nititur: hoc eſt, virtute tendit ad virtutes. Huic ignavo, quia bonæ artes & mores deſunt, dolis atque fallaciis, id eſt ſimulatione & falſitate contendit. Seneca Epiſt. lib. 3 Epiſt. 25. Omnia nobis vitia ſolitudo perſuadet Verinus:

—Patiturque labore

Virtutis robur, corrumpunt ocia mentem.

Gregorius Theologus Nazianzenus Sententiarum libro tertio.

Ὕβρεις τὸ ἀργὸν εἶναι ἐγὼ δίκην ἄγω.

Ἔργον ἔχων δ' ἔχε νοῦν ἀπὸ φθοροῦ.

Id eſt:

Ocia luxuriant: quod agas tu ſemper habeto,

Vt tibi mens ceſſet irrequieta minus.

Ocium namque incolume eſſe non poteſt, niſi negocio modificatum, ut inquit Thucydides libr. 2. Homines nihil agendo, male agere diſcunt, quemadmodum recte ſe habet illud M. Catonis oraculum, apud Columellam lib. 11. De re ruſtica. Galli, Aiſe faict larrons (Simile eſt illud Columellæ: Homines nihil agendo, male agere diſcunt, & Heſiod ἔργων β.

Πολλὰ δ' ἀεργὸς ἀνὴρ κενεὴν ἐπὶ ἐλπίδα μίμνων,

Χρηΐζων βιότοιο, κακὰ προσελέξατο θυμῷ.

Nihil enim quicquam flagitiorum eſt, quod non ex ignavia tanquam ex fonte originem habeat. Hujus quidem rei exempla quam plurima paſſim à circulatoribus & decoctoribus eduntur, qui ubi ſpem diutius inanem foverunt, tandem ad furta & alia generis ejuſdem ſcelera convertunt animum.)

Ociari ſtrenue & actuoſe.

Strenue & actuoſe ociari eſt acri ſtudio commentari: hoc eſt, ἐργαστικῶς τι ἢ πανοῦργως σχολάζειν. Eo uſus eſt Budæus in epiſtola quadam ad Draconem filium: additque, in ſchola ociantium, σχολάζειν enim eſt ociari & feriari. Vacuos enim curis eſſe oportet, qui literarum ſtudio ſe dediderunt. Ideo fit, ut vacare ſtudio dicantur. Scipio ſenior ſi quando vacans à negociis bellicis in literis verſaretur, dicere ſolet, ſe nunquam minus eſſe ocioſum, quam quum eſſet in ocio. Senſit, ut Eraſmo meo viſum eſt, ſed id temporis non dare animum ocio, ſed reipublicæ negociis. Sic Macrobius lib 1. Saturn. Scito te enim non ludo, ſed ſerio feriari. id eſt, ferias ubi non per ludum, ſed per ſeria peragendas. Feriari, & ferias agere, & negocio vacare, quod & ociari dicitur. Hinc feriari ludicris, eſt ocium ludicris conterere.

Sub ficu requieſcere.

Sub ficu quieſcere dicuntur proverbialiter, qui tranquillam atque ſuavem vitam agunt. In veterum enim nummis, ſuavitatis iſtiuſmodi ſignificatum obſervavimus. Nam in quodam, ficus eſt inter duos tumulos ſita: unius tumuli inſcriptio, ἀμβροσία: alterius, τὸ νέκταρ: quaſi ficus utriuſque vicem gerat. Apud authores inter arbores primas celebratum paſſim comperimus, ac voluptatis plenam, jucundam & amabilem. Sane φιλοσύκους nonnulli appellant puriores manſuetioriſque vitæ duces. Zach. 3. Dominus exercituum, vocabit vir amicum ſub vincam & ficum. Iudic. 9. & pluribus aliis in locis ſacræ Scripturæ. de ficu huc accommoda.

Tibicinem expectare.

Antiquum & nobile dicterium eſt de ceſſatoribus, Tibicinem expectare: quippe quo Scipio minor uſus eſt in Pompeium, qui tibicinis filius credebatur, & C. Lælio conſulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negaverat Scipioni ſe petiturum, ſed adfuturum Lælio, eumque deducturum. Dum credunt promittenti, & hunc expectant, decepti ſunt. Renunciatum eſt enim, ipſum in foro circumire candidatum, ac civium prehenſare dextras. Ob id cæteris indignantibus, Scipio ridens? Næ, inquit, nos egregie ſtulti fuimus, qui perinde quaſi deos precaturi ſimus, non homines, jam dudum tempus terimus, tibicinem expectantes. Solet enim in ſacris tibicen ſignum dare comprecandi Deum, quaſi jam adeſſet. Pompeium autem tibicinem à Scipione vocatum fuiſſe. Cor. Tacitus libr. 14. de Octavia Meſſalinæ filia loquens, ſcribit.

Sedet.

Sedere proverbialiter dicuntur ocioſi & nihil agentes. Hoc enim verbum nonnunquam ignavum ceſſationemque denotat. Sic uſurpatur & a Cic. libr. 2. De legibus. Apud M. Varronem lib. 6. De lingua Lat. Sedent habetur, pro feriantur. Plautus:

Venter meus reſidet eſuriales ferias.

Cicero Attico: Quid enim? ſedere totos dies in villa iſta.

Terentius in Adelph.

An ſedere oportuit domi virginem tam grandem?

Virg. 12. Æneid.

—Sedeant, ſpectentque Latini.

id eſt, animo ocioſo, ſecuro, vacuoque ſint: niſi ſupinam ſecuritatem intelligat. Alludit ad illud: In utramvis dormiant aurem.

Fluctus numerare.

Fluctus numerare, ii, ad Atticum libr. Cicero proverbialiter dixit, pro ociari, ac plane nihil agere, ex eoque voluptatem capere. Paſtoribus enim tempeſtatem ſpectantibus, & fluctus ejus numerantibus, magna voluptas eſt.

Πυλαίους ὀχλαγωγίας.

Apud civitatis portas ocioſos homines convenire nugandi & garriendi cauſa conſueviſſe, notum, & adhuc uſitatum eſt. Inde πυλαίους ὀχλαγωγίας, ego arbitror dici inanes & vulgares fabulas, quibus rudes & inepti homines, ocioque abutentes delectentur atque teneantur. Vſus eſt Plutarch. in Pyrrho.

Curſum ſiſtere paululum ad reſpirandum.

Alibi: Primum quidem hunc veluti curſum ſiſtentes, paululum reſpiremus, & inter nos ratiocinemur ſimul interquieſcentes.

Ocium fortunas ſecundas perdit.

Sententia proverbialis, tractata quidem luculenter à Demoſthene in oratione περὶ εἰρήνης. Et Cato major ad lites cenſorias ſimiliter: Scio, inquit, fortunas ſecundas negligentiam perdere: quod uti prohibitum item, quod in me eſſet, meo labori non parſi. Catullus ad Lesbiam ſecundo:

Ocium & cives prius, & beatas

Perdidit urbes———

Prius, id eſt olim Epicharmus ſimiliter: ἀγαθῶν τοι τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τἀγάθ' οἱ θεοί, τὰ πλεῖστα δ' ἐκ τοῦ πόνου ἀνθρώποις αὔξεται, ἀμελείᾳ δὲ φθείρεται. Non diſſimilis Euripidis ſententia:

Οὐκ ἐν ἀργίᾳ, ἀρετὴ τ' αὖ καρδία,

Οὐκ αἰσχρόν τ' ἀνάγκη φρονεῖν καλῶς.

COGNATI. *Scalpendis auribus ocium non eſt.*

Hoc utimur, quum nos multis negociis diſtringi, & occupationibus propemodum obrui declaramus. Citatur ab Eraſmo noſtro ex Luciano in his accuſato. Henricus Stephanus in ſuis Græcis colloquiis ſive dialogis: οὐδὲ ὥστε κνήσασθαι τὸ οὖς σχολὴν ἄγω. Galli proverbiali etiam forma ſic ad verbum proferunt: Ien'ay pas le loiſir de me grater l'oreille. Alibi idem pro eodem: οὐδ' ὥστε ἀπομύξασθαι σχολὴν ἄγω. pro eo quod Galli dicunt: Ie n'ay pas le loiſir de me moucher. Dicunt etiam proverbiali joco, Ie n'ay pas le loiſir d'eſtre malade. Quod idem Stephanus Græce ſic expreſſit: οὐδὲ νοσεῖν σχολὴν ἄγω vel σχολάζω.

CARO-

CAROLI BOVILLI. *Diem humeris protrudere.*

Hoc ita Celtæ: Pouſſer le jour a l'eſpaule. De ocioſis, & totas dies ad apricum ſolem oſcitantibus: quibus gravius nihil eſt & moleſtius ipſa ſolis mora: quare ut tranquillæ noctis adventu tædia ſua propellant, diei finem unicum optare videntur: ideoque finguntur diebus vim quandam velle inferre, & totis humeris eos ab horizonte protrudere.

ODIVM.

ERASMI. *Odium agreſte.*

Μῖσος ἄγριον, id eſt, Odium agreſte. Atrox odium veteres ſic appellabant, propterea quod ruſtici plerunque *μνησίκακοι* ſunt, & acerbius atque implacabilius oderunt. Lucianus contra indoctum: *μισεῖ δ' ἄγριον, φασί, μῖσος πάντων ἔχεις ἐπὶ τῇ ἀπαιδευσίᾳ*. id eſt, laboras autem agreſti, ſicuti dicitur, omnium odio, propter inſolentiam. Unde & civilitatem appellamus morum comitatem, humanitatemque. Et apud Iureconſultos civilis actio diſcernitur à criminali. Denique Græci quicquid barbarum, immane aut crudele volunt intelligi id *ἄγριον* vocant.

Odium Vatinianum.

Odium Vatinianum, pro capitali, ac vehementer acerbo. Vatinius, in quem acerrime M. Tullius invectus eſt, in tantum odiũ populi Romani pervenerat, jam detectis illius flagitiis, ut in proverbium ceſſerit, Odium Vatinianum. Catullus.

——Munere iſto
Odiſſem te odio Vatiniano.

Odium novercale.

Conſimili figura legimus, Odium novercale: propterea quod novercis omnibus innatum ſit fatale quoddam & irreconciliabile odium in privignos. id quod elegãter indicat epigramma Græcum, quod haud gravabor adſcribere. Fertur autem titulo Callimachi, nec illo quidem indignum autore:

Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,
Ὡς βίον ἠλλάχθαι, καὶ τρόπον οἰόμενος.
Ἡ δὲ τάφῳ κλινθέντα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα.
Φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

Quorum carminum elegantiam cum haud neſciremus nos non aſſecuturos, tamen quo poſſent intelligi, ut cunque vertimus:

Exiguo lapidi puer addit ſerta novercæ,
Mutaſſe ut vitam, ſic ratus ingenium.
At puerum extinguit tumulo hæc illapſa: novercæ
Privigni exanimum vel tumulum fugite.

Euripides in Alceſtide:

Ἐχθρὰ γὰρ ἡ ἐπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις
Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα.

Id eſt:

Hoſtis noverca eſt ante natis liberis,
Nihiloque mitior nocente vipera.

Oderint Dum metuant.

Oderint dum metuant. Tyrannica vox, ſumpta è tragœdia, & à nemine ſcriptorum non uſurpata: præcipue M. Tullio familiaris, quam etiam in vulgi ſermonem proceſſiſſe, ſatis indicat Seneca lib. De clementia ij. ſcribens multas voces magnas, ſed deteſtabiles, in vitam humanam perveniſſe, celebreſque vulgo fieri, ut illam: Oderint, dum metuant. Cui Græcus, inquit verſiculus ſimilis eſt, qui mortuo terram miſcere ignibus jubet. Idem lib. De ira i. Nam aliquæ voces ab iratis emittuntur, quæ magni videantur animi, verum ignorantibus magnitudinem: qualis illa dira & abominanda, Oderint dum metuant: Syllano ſcias ſeculo ſcriptam. Licebit adagium etiam per jocum uſurpare: veluti ſi quis eruditione ſuperior, de clancularis hoſtibus, qui tamen ob metum hiſcere non audeant, dicat: Oderint dum metuant. Conveniet & in divites, qui dicunt illud Horatii:

——Populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.
Item illud Iuvenalis:
——Tunicam mihi malo lupini
Quam ſi me toto laudet vicinia pago.

Odit cane peius & angue.

Proverbiali figura dictum eſt & illud ab Horatio,

Alter Mileti textam cane peius & angue,
Vitabit chlamydem.———

Sentit autem, ut opinor, de cane rabiente. Quod ſi longius etiam traducatur, magis erit proverbiale, ut, Hic totus luctis addictus eſt: literas, quas amavit aliquando, nunc (quod ajunt) vitat cane peius & angue, vel, Hic ſe totum adulatoribus permittit: amicos, à quibus verum audiat, vitat cane peius & angue. Idem Horatius in Odis:

Cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat.

Plautus item in Mercatore:

Nempe turi uxor eſt tua, quam dudum dixerat
Te odiſſe æque atque angues.

Empedoclis ſimultas.

Ἐμπεδόκλειος ἔχθρα, id eſt, Empedoclis ſimultas dicebatur pertinax & irreconciliabilis. Empedoclem enim ajunt iis fuiſſe moribus, ut aſſidue ſimultatem cum aliquibus ſuſciperet, eaſque pertinaciſſime exerceret. Quadrabit etiam, ubi quis levi de cauſa ex amico fit inimicus. Refertur a Diogeniano. Suidas ex Lyſia citat hæc verba: *ᾤμην δ' ἔγωγε, τοιαύτῃ φιλίᾳ συνηρμόσθαι, ὥστε μηδ' ἂν τὴν Ἐμπεδόκλειον ἔχθραν ἐμποδὼν ἡμῖν γενέσθαι*. id eſt, Ego ſane putabam nos ejuſmodi neceſſitudine copulatos eſſe, ut ne Empedoclis quidem ſimultas nobis poſſit obſtare. Referendum ad illud quod alio dictum eſt loco, Odium Vatinianum: &, Odium novercale.

Ἄσπονδος πόλεμος.

M. Tullius Epiſtolarum ad Atticum libr. 9. Hujus igitur belli ego particeps & ſocius & adjutor eſſe cogor, quod & *ἄσπονδος* eſt cum civibus *ἄσπονδον* vocat perpetuum, & atrox, & irreconciliabile. Suidas oſtendit, *ἀσπόνδους ἐχθροὺς* dici eos, qui in concordiam redigi non poſſunt. Sonat ferme, quaſi dicas inconfœderabiles, ut docendi cauſa ſic loquamur. Conveniet in ſimultatem ac diſſidium amarulentũ. Uſus eſt eo proverbio divus Chryſoſtomus homilia in Matthæum quadrageſima ſeptima. Itẽ divus Baſilius in epiſtola quadam ad Athanaſium: *κἂν τὴν αἰτίαν ἐρωτῶσι τοῦ ἀκηρύκτου τούτου, ἔτι δὲ ἀσπόνδου πολέμου, ψαλμοὺς λέγουσι καὶ τρόπους μελῳδίας τοὺς παρ' ὑμῖν κεκρατηκότας*. id eſt. Quod ſi rogentur, quæ cauſa ſit hujus nec indicti, & ſine ſacris ſuſcepti belli, narrant cantica quædam eſſe & ſpeciem melodiæ, quæ apud nos obtinuit. Æſchynes in oratione *περὶ παραπρεσβείας*: *ἐξ ὧν οὐκ εἰρήνη γένοιτ' ἂν ἐκ πολέμου, ἀλλ' ἐξ εἰρήνης πόλεμος ἀκήρυκτος*. id eſt, Ex quibus non pax fieret è bello, ſed ex pace bellum non indictum: hoc eſt, vehemens & atrox. Idem in eadem: *εἰ δ' ἔσονται τῶν πολέμων αἱ μὲν αἰτίαι τῶν ῥητόρων, αἱ δὲ δωρεαὶ τῶν στρατηγῶν, ἀσπόνδους καὶ ἀκηρύκτους τοὺς πολέμους ποιεῖτε*. id eſt, Quod ſi bellorum cauſæ quidem erunt oratorum, dona vero ducum, efficietis ut bella & ſacris careant, & denunciationibus. Etenim qui indicit: qui mittit fæciales, qui ſacrificat, ipſa mora fit lenior: & hoc conſilio probabile eſt hujuſmodi moras repertas, velut jure citationem triplicem, litis conteſtationem, in matrimonio libellum repudii, & ſolẽnia verba. Tua tibi habe: quo dum hæc aguntur, reſidat impetus ille impotens.

Archidamicum bellum.

Ἀρχιδάμιος πόλεμος, id eſt, Archidamicum bellum. De bello ſævo crudelique dicebatur: epitheto ſumpto ab Archidamo duce Lacedæmoniorum, qui maximis copiis impreſſionem fecerit in Atticam, eamque decem annis divexarit. Graviſſimam autem noxam inflixit Acharnenſibus, ſucciſis omnibus arboribus, ut teſtatur & Syneſius in Encomio Calvitii. Proinde cum funditus tolluntur omnia, bellum Archidamicum dicebatur. Meminit adagionis & Demoſthenicarum dictionum interpres, indicans extitiſſe apud Lyſiam. Archidami ſævitiam memorat & Pauſanias in Laconicis.

Et Scellii filium abominor.

Hic eſt affectus humanus, ut ſi quis vel hominem, vel quamcunque rem vehementer oderit, non ſolum à commemoratione verum etiam à cognatis vocibus abhorreat. Id eleganter expreſſit Ariſtophanes in Avibus. Ibi perſona quædam ſic loquitur:

Ἀριστοκρατίας δῆλος εἶ ζητῶν.

Id eſt:

Ariſtocratiam palam eſt te quærere.

Altera reſpondet:

Ἥκιστα, καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι.

Id eſt:

Minime, ſed ipſum Scellii natum quoque
Abominor.———

Scellii filius dictus eſt Ariſtocrates. Hoc nomen jure inviſum eſt deteſtanti Ariſtocratiam, quod ea vox abominandæ rei memoriam renovet.

Non magis quam canem.

Odium & contemptum vulgo declarant canis vocabulo, Horatium:

——Ode cane peius.

Et Plautus in Amphitryone: Valuiſtin' uſque? Expectatus advenis. Soſ. haud vidi magis. Expectatum cum ſalutat haud quiſquam magis quam canem. Sic enim legendum opinor, ut conſtet ratio carminis trochaici tetrametri, catalectici.

Cui iſta arrident, meis ne gaudeat.

Ariſtophanes in Nubibus:

Ὅς τις οὖν τούτοισι γελᾷ, τοῖς ἐμοῖς μὴ χαιρέτω.

Id eſt:

Proinde riſum cui iſta pariunt, is meis ne gaudeat.

Pro-

Proverbii ſpeciem habet, quo licebit uti, quum ingens intereſſe diſcrimen ſignificabimus inter noſtras & aliorum rationes. Græcus verſiculus claudicat una ſyllaba. Plenus erit, ſi pro χαλῶ, legas χαλᾶν. Contrarium huic illud Maronis:

Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mevi.

De iis quæ ejuſdem ſunt farinæ, & ex æquo contemnenda.

Ne via quidem eadem cum illo vult ingredi.

Μηδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν βαδίζειν, id eſt, Ne via quidem eadem ingredi, dicuntur, qui extremo diſſident odio, adeo ut non ſolum menſa tectove communi non ſuſtineant uti, ſed ne via quidem cõmuni velint ambulare. Vnde & vulgata dicunt ironia: Vſq; adeo illum amat, ut ſi forte fortuna fuerit obvius, in aliam deflectat viam. Plutarch. in commentario περὶ φιλαδελφίας: τῷ δὲ ἀδελφῷ μηδὲ τὴν αὐτὴν ὁδὸν οἰόμενος δεῖν βαδίζειν. i. Cum fratre vero ne via quidem eadem ſibi putans ingrediendum eſſe. Huic congruit proverbialis ille verſiculus:

Κακῷ σὺν ἀνδρὶ μηδ᾽ ὁδοῦ ὁδοιπόρει.

Id eſt:

Viro ſceleſto ne viæ fueris comes.

Fratrum inter ſe iræ ſunt acerbiſſimæ.

Si quando ſimultas inciderit inter fratres, ea ſolet eſſe atrocior quam vulgarium inimicorum. Supperunt abunde multa ex hiſtoricis exempla: Cain in Abel: Romuli & Remi: Iacob & Eſau. Antonini Severi imperatoris filii in Getam odium, uſque adeo ſævum ac pertinax fuit, ut ne morte quidem illius atrociſſima potuerit ſaturari, quin & in omnes illius amicos ſæviret. Quo de refertur adagium, idque commemoratur ab Ariſtot. libr. Politicorum 7. πρὸς γὰρ φιλοὺς οἴονται δεῖν τὴν ἀδικίαν ... ἀποστερεῖσθαι νομίζοντες. ὅθεν εἴρηται χαλεποὶ γὰρ ἀδελφῶν πόλεμοι. Καὶ οἱ πέρα στέρξαντες, οἱ δὲ καὶ πέρα μισοῦσιν. id eſt, A quibus, inquit, deberi beneficium exiſtimant ab iiſdem non ſolũ fraudari beneficio, ſed inſuper lædi ſe putant. Vnde proverbio dicitur, Acerba enim bella fratrum. Et qui ſupra modum amant, iidem & ſupra modum oderunt. Hactenus Ariſtoteles. Huc reſpexit Euripides in Iphigenia Aulidenſi:

Δεινόν γ᾽ ἐρωτικοῖσι γίγνεσθαι λόγους,
Μάχας θ᾽ ὅταν ποτ᾽ ἐμπέσωσιν εἰς ἔριν.

Id eſt:

Res dira verbis invicem altercarier,
Dictiſque fratres dimicare mutuis,
Si quando his inciderit aut contentio.

Ira omnium tardiſſime ſeneſcit.

Ὁ θυμὸς ἔσχατον γηράσκει, id eſt, Ira poſtremum ſeneſcit. Huic diverſum illud Ariſtot. apophthegma, qui, autore Laertio, rogatus quæ res quam ociſſime conſeneſceret? Reſpondit, Beneficium. M. Tullius utrunque complexus: Cui placet, inquit, obliviſcitur: cui dolet, meminit. Nam vulgo mortales injuriæ tenaciſſime meminiſſe ſolet, benefactorum quam faciliſſime obliviſci. Græcum adagium videtur ex Sophocle ſumptum, cujus in Oedipo Coloneo hæc ſunt verba:

Θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο, πλὴν
Θανεῖν· θανόντων δ᾽ οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται.

Id eſt:

Senecta nulla obtingit iracundiæ
Niſi mors: ſepultos nullus attingit dolor.

Hoc idem innuit Homerus lepidiſſimo ſane figmento de Litis & Ate. Hanc deam facit, quæ noxas ac turbas ſoleat immittere rebus mortalium, atque ipſam quidem acribus oculis ac prævelocibus eſſe pedibus. Cæterum poſt eam multo intervallo conſequi Litas deas, quæ quod Ate turbaverit, ſarcire moliantur. Has & ſtrabis oculis fingit, & pedibus claudis: illud nimirum innuens, offenſas eſſe citas, reconciliationes eſſe tardas: propterea quod injuriæ diu meminiſſe ſolent homines. Carmen ipſum Homeri ſubſcribam ex Iliad. lib. 9.

Καὶ γάρ τε λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ᾽ ὀφθαλμώ,
Αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ᾽ ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι.
Ἡ δ᾽ ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος, οὕνεκα πάσας
Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ᾽ αἶαν,
Βλάπτουσ᾽ ἀνθρώπους· αἱ δ᾽ ἐξακέονται ὀπίσσω.
Ὃς μέν τ᾽ αἰδέσεται κούρας Διὸς ἆσσον ἰούσας,
Τὸν δὲ μέγ᾽ ὤνησαν, καί τ᾽ ἔκλυον εὐξαμένοιο.
Ὃς δέ κ᾽ ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
Λίσσονται δ᾽ ἄρα ταί γε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
Τῷ ἄτην ἅμ᾽ ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.

Id eſt:

Quorum verſuum non indolem neque gratiam, ſed ſententiam utcunque reddemus Latinis auribus:

Nam Litas etiam genuit Saturnius ingens,
Rugoſas, pedibus claudis, ac lumine læſas,
Quæ Ates a tergo veniunt, medeantur ut illi.
Ipſa Ate, pedibuſque valens & robore præſtans,
Proinde gradu celeri longe prævertitur, omneis
Occupat, & terras prior advenit illa per omneis,
Mortales lædens: verum hæ poſt terga ſequuntur,
Sarturæ quicquid commoverit illa malorum.
At vero natas Iove, qui reveretur, & audit,
Se ſimul ac adiere, huic commoda plurima gratæ,
Concilient, hujuſque viciſſim vota recipiant.
Rejicit at ſi quis præfracte & pernegat illis,
Tunc adito Iove patre, precantur, ut illicet Ate
Huic adſit, pœnaſque ſuo det denique damno.

Ejuſdem Ates fit mentio Iliad. τ. ubi Iupiter imputans huic deæ, quod à Iunone deceptus eſſet, illam capillis arreptam in terras præcipitem dedit, interdicens ne unquam rediret in cœliũ contubernium. Hoc Homeri figmentum quidam exiſtimant eſſe finitimum ei, quod de Lucifero cœlis deturbato credunt Chriſtiani.

Vt lupus ovem.

Vide in loco Amor.

Si tu proreta.

Non tam ficus ficui ſimilis eſt, quam eſt ſimile proverbio, quod eſt apud Plautum in Rudentibus:

Si tu proreta iſti navi es, ego gubernator ero.

Quo licebit uti, quoties neuter alteri in negocio quopiã vult cedere. Nam prora, ea pars navis eſt, quæ in appellendo percutit littus: puppis eſt poſterior, in qua ſedet qui clavum regit. Habent enim nautæ ſingulis diſtributa munia, quorum præcipua ſunt proretæ & gubernatores. Vnde proverbium. Prora & puppis. Prora, Græca vox eſt: cui parti qui præſidet, πρωρεὺς & πρωράτης illis appellatur: unde πρωρατεύειν, proram regere. Suſpicor autem Plautum & alteram vocem Græce poſuiſſe, ut priori Græce reſponderet κυβερνήτης. Nam ſi gubernator legas, verſus trochaicus antepenultimo loco habebit brevem ſyllabam, gubernator ero: quod carminis ratio nullo pacto recipit. Si tu proreta iſti navi es, ego κυβερνήτης ero. Verum hoc quicquid eſt, eruditorum judicio relinquo. Honeſtior autem navis pars eſt puppis. Vnde Vergilianus Æneas.

Stat celſa in puppi. -

Et M. T. Cornificio libr. 12. Quamobrem mi Quinte conſcende nobiſcum, & quidem ad puppim.

Principum favor neceſſarius.

Vbi quis invitis principib. conatur extricare ſeſe è malo quopiam, aut lite à quo non poſſit explicari, niſi adjutus illorum favore, conveniet illud ex eodem libro dictum in Ajacem *Oileum*:

Φῆ ῥ᾽ ἀέκητι θεῶν φυγέειν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Id eſt:

Iactabat ſeſe ſpacioſi ex æquoris altis
Emerſurum undis, invito numine divum.

IVNII. Epirotico cane vehementius.

Σκληρότερος ἠπειρώτου κυνός, id eſt, Epirotico cane acrius. Quadrat in Sycophantam, & odioſe loquacem. Syneſius libro De providentia: ἐγὼ τοι χαῦνος ... ἐμμανὴς ... σκληρότερος ... ἠπειρώτου κυνὸς συμφορὰς ... τὴν μὲν ἰδιώτῃ, τὴν δὲ οἰκίᾳ. id eſt, Ad ille velanus inſanire illico cœpit, & latrans acrius quam canis Epiroticus, calamitates efficiebat partim privatis hominibus, partim familiis. Citat locum non nominato, ut plerunque facit, authore Suidas in dictione σκληρός, ſed corruptum, quem hinc ſanare licet. Epirotici canes corporis magnitudine, robore, & celeritatis præſtantia commendantur ab Ariſtotele & Oppiano: qui & Moloſſi dicuntur, à gente Epiri. alioqui & Cerberus triſaux, ejuſque frater Orthus, Plutonis Moloſſorum ſive Epirotarum regis canes etiam fabulis poetarum celebres fuere, latratu horrendo manes apud inferos territantes.

Bupali odium.

Βουπάλειον ἔχθος, id eſt, Bupalium odium, de inexpiabili & acerbo odio proverbialiter dicitur, à Bupalo Chio ſculptore, vel ſecũdum alios, pictore, qui acerrimam cum Hipponacte Epheſio, clariſſimo poeta, ſimultatem exercuit, ſed infelici conatu: quippe qui maledicorum verſuum morſus concoquere non potens laqueo ſibi gulam fregerit. Leonides epigrammatar.

Ὦ ξεῖνε φεῦγε τὸν χαλαζεῶν τάφον,
Τὸν φρικτὸν Ἱππώνακτος, οὗ χ᾽ ἁ τέφρη
Ἰαμβιάζει Βουπάλειον ἔχθος.

Id eſt:

Hoſpes ſepulchrum grandinans diris fuge,
Horribile Hipponactis, cujus & cinis
Exercet odium Bupali jambis feris.

Plura de hoc annotavimus in primo libro Animadverſorum, ubi correximus locum illum Horatii.

--- Aut acer hoſtis Bupalo. ---

Attica hoſtilitas.

Ἀττικὴ ἔχθρα, id eſt, Attica hoſtilitas aut ſimultas: de exitiali odio effertur, ut crudeli facinore. Heliodorus Emeſenus Æthiopicæ hiſtoriæ lib. 2. ubi Thisbe rapta hero per literas ſuadere conatur, ut ipſam è prædonũ immiti jugo aſſerat: βέλτιον γὰρ θάνατον βαρύτερον ζωῆς καὶ φίλτρον βαρβαρικὸν ἔχθρας ἀττικῆς ἀπανθρωπότερον ... id eſt, Id namque præſtantius eſt, quam vitam morte graviorem & barbaricas illecebras Attica hoſtilitate immaniores

per-

perpeti. Nata parœmiæ origo à ſævilliſſimo & crudeliſſimi exempli facinore, quod ab Attica Progne perpetratum eſt, hæc enim Pandionis Athenarum regis filia Tereo Thracum regi innupta filium unicum Ityn patri epulandum appoſuit: unde erupit funeſtum odium, utriq; exitiale & marito & illi ipſi. Quo ſpectant Achillis Alexandrini verba: Eriphyles monile, Philomelæ menſam, Sthenobææ calumniam, Æropes inceſtum, Prognes in jugulando filió immanitatem oblivioni tradidiſſe videris.

IOANNIS VLPII.

Balneum ingreſſus depone odium.

Ἐν βαλανείῳ εἰσελθὼν, μὴ ζηλοτυπήσῃς τὸν συμβαίνοντι σοι ἐν τῇ πυέλῳ, id eſt, Ingreſſus balneum, ne certes odio cum eo, qui pedem habet tecū in eadem pelui. Sententia ad multa applicari poteſt: nempe in communibus locis, templis, theatris, balneis, conviviis, manibus nullum exercendum eſſe odium. Jul. Pollux.

COGNATI. Βουπάλειον μῖσος.

Ab eodem nomine effictum eſt & alterum proverbium à Leonide epigrammatario, Bupalium odium, pro inexpiabili: cujuſmodi apud Ciceronem audit Vatinianum odium. Verſus ejus ſunt hi,

> Φεῦγε τὸν χαλαζῶντα τάφον,
> Ἱππώνακτος Βουπάλειον ἰὸν ἔχοντα,
> Τὸ φρικτὸν καὶ νεκρὸν ἔτι μῖσος ἔχει.

Dicam & Latine.

[illegible] id eſt:

> Hoſpes ſepulchrum grandinans diras fuge,
> Ubi fetus Hipponax jacet, cujus cinis
> Etiamnum in odium Bupali jambos jacit.

Hipponax Bupalum verſibus inſectatus eſt. (Vide Junii prov. Bupali odium.)

Oculi dolent.

Terentius & Plautus oculos dolere illis ſignificarunt, qui rem moleſtam, odioſamq; cernerent, id eſt, qui quod nollent, viderent. Terentius in Phormione paraſitum ita induxit loquentem cum uxore Chremetis: Vin' primum hodie facere, quod ego gaudeam Nauſiſtrata, & quod tuo viro oculi doleant? Plautus in Aſinaria induxit intemperantem patrem cum amica filii inſpectantem illo, accubantem, atque ipſum interrogantem: Nunquid nam tibi moleſtum eſt, mi gnate, ſi hæc nunc mecum accubat? Cui filius reſpondet: Pietas, pater, oculis dolorem prohibet: quanquam ego iſthanc amo, poſſum equidem inducere animum ne ægre patiar, quia tecum accubat. Nunquam tibi, inquit Cælius, oculi doluiſſent, niſi repulſa Domini vultum vidiſſes. Contra Græci de iis dixerunt, qui rem pulchram atque jucundam viderent, qua tamen frui non poſſent. Forma enim egregia corporis aſpectantium oculis dolorem inurit: formoſæque virgines ea de cauſa ab Alexandro dictæ ſunt, oculorum ægritudines. Devictis enim Perſis, ut memoriæ prodit Plutarchus, cum ſpectaret captivitas ſpecie corporis præſtantes, jocans, inquit, εἰσὶν αἱ ἀλγηδόνες ὀμμάτων αὗται πέρσιδες.

Vitis & Braſſica.

Ἄμπελος καὶ κράμβη, id eſt, Vitis & Braſſica. Dicitur de inter ſe pugnantibus, & cantas inimicitias exercentibus, ut inter hos pax nunquam conciliari poſſit. (Id quomodo ſe habeat, explicat doctiſſime Pierius in fine Hieroglyph.)

Oculis limis & taurine tueri.

Eſt odientis & indignantis ſignum, limis oculis aſpicere & taurine, ut inquit Plato Nicander in Alexipharmacis.

> Δοχμὸν ὑποδρὰ ταυρηδὸν λεύσσων.
> Id eſt:
> Taurinumque tuens obliquo lumine.——

Unde torvæ bovis epitheton apud Virgilium: qui perpetuo epitheto boves torvos vocat, quod præcipua frontis aſperitas in hoc pecore apparet. Unde torvitas, ut Pompejo placet, quaſi taurorum acerbitas, ducta. Virgilius 6. Æneidos:

> Talibus Æneas ardentem, & torva tuentem,
> Lenibat dictis animum.——

Ubi nomen pro adverbio torve: figura poëtis Græcis & Latinis frequentiſſima. Nam & ipſe dixit in Bucolicis:

> ——Tranſverſa tuentibus hircis.

Hac enim facie iratus Æſchylus inducitur ab Ariſtoph. in Ranis. Leæna quoque ab oculorum ſævitia, quæ ſumma in ea eſt, torva dicitur a Poëta. Ex quo Ariſtoteles leonem charopon vocat, quem Catul cæſium appellavit, id eſt, glaucum, quia glaucis oculis præditum hoc animal aſpectu horribili apparet. Quales & Belloneæ oculi ſunt, quæ ideo perpetuo epitheto γλαυκῶπις ἀθήνη ab Homero dicitur. Hinc & Hercules mortalium ferociſſimus Charops cognominatus eſt, quaſi iracunde intuens, χαροποὶ enim Græce, ita Latine dicitur. Quo epitheto ut militib. congruo, Torvus Abas Virgilio dicitur: Torvuſq; Proculeius Naſoni. Sicut de æque horribilis Polyphemi oculo:

> ——Quod torva ſub fronte latebat.

Et de immani Cyclopum gente.

> Cernimus aſtantes nequicquam lumine torvo,
> Ætneos fratres.——

& quæ alia ſimilia apud poëtam leguntur. Convenit cum altero; Titanicus aſpectus. Huic longe diſſimile eſt βλοσυρός, quo quidem oculorum pulchritudo atque gratia ſignificatur. Neque tamen illud omitti debet, obtutum amatorium, qui modeſtia ſervata fiat, ad tauri oculos referri ſolitum à peritiſſimis: iſque plurimum fieri ſolet in obliquum: & id torvum eſt, unde illud, βλέπειν ταυρηδὸν, i. tueri taurine ſive torve, quod in Platonis, tum in Xenophontis conviviis, & Phædone, & alibi, eadem fere ſententia poſitum animadvertas. Lucianus in Imaginibus, bovinos oculos vocavit, pulchros & nitentes. (Vide, Tauricum tueri, apud Eraſm. Ghil.)

Læſi, inviſi & odioſi.

Idem eodem libr. cap. 13. Quod quos læſerunt, & oderunt. Hoc nihil Latinis, Græcis & Gallis facundis magis uſitatum.

Ovinis pellibus juncta lupina.

Philoſophi ſcribunt, eam eſſe vim & naturam lupinarum pellium, ut ſi hæ cum ovium pellibus miſceantur, has primum abſumere, & ſeſe mox etiam. Hinc adagium fertur de iis qui ſacra auferunt, & in theſauris ſuis recondunt: Ovinis pellibus junxerunt lupinas. Id autem quam infeliciter cedere ſoleat, commune docet proverbium de auro Toloſſano. Durat hodieque apud vulgus hæc opinio, ut exiſtiment omnes perire, quicunque à ſacris rebus non abſtinent manus violentas. Vindicata autem fuit Toloſſani auri ſurreptio. Sic hodie mixtæ ovinis pellibus lupinæ, hoc eſt, civitatum ærariа quam plurima, infelici Eccleſiaſticorum theſaurorum contactu miſere evanuerunt. Accidit etiam Joanni Boemorum regi, quod de lupinis pellibus dicitur. Hujuſmodi vis eſt Aquilæ pennis, ut aliarum avium plumas, ſi miſceantur, interterere, adurere propemodum, & quodammodo devorare, pro comperto tradantur, & videantur: quod in tergoribus pantheræ atq; hyænæ identidem fieri compertum eſt. Eandem inter juglandem & quercum antipathiam eſſe ſcribit Plinius, tanto quidem naturæ odio, ut ſi quercus juxta nucem juglandem ſata ſit, prorſus emoriatur. Eſt & illud huic miraculo perquam ſimile, quod de Cardamo ſive naſturtio fertur: cujus natura eſt, humorem omnem terræ ad ſe ita attrahere, ut reliquæ circumpullulantes herbæ cogantur exareſcere. De lupinæ & ovillæ pellis diſſidio Oppianus lib. 3. Cynegeticon: Anne hoc eſt præclarum naturalis diſſidii ſpecimen, quod tympana lupino obducta corio, alia, pelle cooperta agnina, ſonitu ſuo diſrumpunt: Non diſſimilia ſequuntur, Aquilæ pennæ: &, Nullius in bonis eſt, quod divini juris: & Male parta, male dilabuntur.

Diis hominibuſque inviſus.

Pervetuſta eſt hæc & omnium conſenſu comprobata ſententia, ut quemadmodum qui cunctis hominibus odio ſunt, ne diis quidem grati eſſe: ita & quos univerſi homines maxime ament, maxime à diis amari exiſtimentur. Hinc dicitur, Diis hominibuſque gratus: vel contra inviſus.

Qui parcit virgæ, odit filium.

Eſt & hoc Salomonis Prov. 13. in fine, quo parentibus præcipit, ut ſæpe alias, ut doceant, regant, & coerceant pueritiam. Virga autem hic correptionem & totam pædagogiam; quæ complectitur doctrinam, honeſta exercitia, & certa ſtudia, ac certas operas, præmia recte factorum, & pœnas delictorum. Iſtud ſic expreſſit Guntherus, poëta clariſſimus, Ligurini Lib. 7.

> ——Qui parcere virgæ
> Suſtinet, huic odio perhibetur filius eſſe.

De virga diſciplinæ David loquitur Pſal. 23. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Hæc autem ſignificant curam & ſtudium parentum & paſtorum. Sic Mich. 7. Paſce populum tuum virga tua. Paul. 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos, an in charitate? Metaphora à paſtoribus, qui cum virga regere ſolent oves, & jumenta agere.

Euryclês.

Plato in Sop. Ut fertur, domi hoſtem & adverſarium habent intus ſubmurmurantem, tanquam abſurdum illum Euryclem circumferentes ſemper incedunt.

COELII RHODIGINI

Amicus ut oleum plantis.

Oleum plantis infeſtiſſimum, unde etiam illæ inoculationes ἐλαιώδεις non admittunt. Ironice dicetur de iis, inter quos haud convenit.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Inviſus & Orciperia.

Comparatio illa Homerica, quæ affirmat Ulyſſes mendax & fraudulentus, ſi quis alius, mendacem hominem & vanum, qui ventris ſtudio & paupertate coactus falſa nunciat, non aliter quam inferorum portas ſibi eſſe exoſum proverbialis eſt. Extat autem Odyſſ. ξ.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσι,
γίγνεται, ὃς πενίῃ εἴκων ἀπατήλια βάζει.

Id eſt:

Namque mihi inviſus tanquam ſævi oſtia Ditis,
Verba doloſa loquens, quia paupertate coactus.

Huic ſimile eſt illud Iliad. γ.

ἶσον γάρ σφιν πᾶσιν ἀπήχθετο κηρὶ μελαίνῃ.

Id eſt:

Sic erat exoſus, veluti mors omnibus atra.

OMINANDI.

ERASMI. *Bene ſit.*

Καλῶς ἔσται: id eſt, Bene ſit. Ominis vox, cum quis rem quampiam novam & arduam auſpicatetur, ut in teſtamentis, præfabantur, τοῦτο καλῶς ἔσται: id eſt, Hoc bene erit. Sed ſi quid acciderit humanitus. Item in concionibus: Quod fauſtum felixque ſit: Id futurum eſt ſalſius, ſi per ironiam proferatur de re ridicula, nulliuſque momenti, perinde quaſi maxima. Quemadmodum Perſius de divite avaro cadum reſignaturo. Hoc bene ſit. Frequens eſt apud autores. Bene vertat: &, Male vertat Vergilius in Bucolicis.

Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hœdos.

Et, Dii bene vertant, quod agas. Servius grammaticus exiſtimat hanc figuram mutuo ſumptam ab Hectore, & Ajace, quorum utrique ſuum munus in perniciem ceſſit.

Cum Muſis.

Σὺν μούσαις: id eſt, Cum Muſis, hoc eſt, Muſis bene fortunantibus, de doctis, aut iis quæ docte dicuntur: aut (quemadmodum oſtendit Suidas) cum illiteratus inter eruditos vivit: ut per ironiam efferatur.

Adſint Dii beati.

Σὺν δὲ θεοὶ μάκαρες.

Id eſt:

Felices adſint ſuperi.——

Sermo eſt bene ominantis in re quapiam aggredienda. Sic enim præfati ſolent rhapſodi, hoc eſt, carminum Homericorũ recitatores & interpretes. Quemadmodum & citharœdis cantaturis mos erat Apollinem, ut dexter adeſſet, carmine invocare, ἀλλὰ μάλα χαῖρε: id eſt, At multum ſalve rex. Quin & teſtamentum conditurri præfabantur omnis cauſa, τοῦτο καλῶς ἔσται: id eſt, Hoc bene ſit. Item apud Romanos dicturus in concione, ſimili precatione utebatur, ut felix ac fauſtum eſſet Reipublicæ, quod dicturus eſſet. Refertur apud Zenodotum.

Mercurio dextro.

Heſychius indicat veteres in jactu quodam ſolere omnis gratia præfari Mercurium, quemadmodum in conviviis ἀγαθοῦ δαίμονος, καὶ Διὸς σωτῆρος, de quibus ſuo dictũ eſt loco. Idem indicat in ſortibus ducendis, primam ſortem dici ſolere Mercurium. Per jocum uſurpare licebit, ubi quid aggredimur novi. Qui de ſummo periclitantur, dicuntur omnem jacere aleam: qui primũ tentant aliquid, dici poſſunt Mercurium ducere. Iulius Pollux l. 6 c. 9. indicat in κρεωνομία, id eſt, carnium partitione, primam carnium portionem ἑρμοῦ κλῆρον, id eſt, Mercurii ſortem appellari ſolere.

In morbo conſumatur.

Seneca lib. De beneficiis ij. Quingenti, inquit, denarii ſunt: illud, quod dici ſolet, in morbo conſumat. Zeno cuidam promiſerat quingentos denarios mutuo: admonitus ab amicis, hominem eſſe malæ fidei, tamen credidit, vel ob hoc quia promiſerat, & ſumma erat exilis. Solent igitur creditores, quum ſentiunt non redditurum creditam pecuniam, nec exiſtimant operæ precium ob tantillum legibus agere, dicere: Habeat, conſumat in morbo. Qui ſermo dubium habet ſenſum. Poteſt enim ab amico dici, qui nolit deeſſe amico, quod impendat, ſi morbus inciderit: poteſt & ab inimico, qui malo viro morbum optet.

In tuum ipſius caput.

Quoties in autorem mali malum retorquetur, aut recidit, Græci dicunt: εἰς κεφαλὴν αὐτοῦ. Demoſthenes in oratione [illegible]: ταῦτα τοίνυν ἠρᾶτο οὗτος, καὶ καταρᾶται [illegible] εἰς κεφαλὴν αὐτῷ δεῖ τρέψαι, id eſt: Hæc igitur optabat iſte, patriæque imprecabatur, quæ nunc vos oportet in ipſius caput vertere. Ita Creſippus in Euthydemo Platonis: εἰ μὴ ἀγροικότερον ἦν εἰπεῖν, εἶπον ἂν, εἰς κεφαλήν, id eſt, Niſi dictu ruſticus eſſet, dicerem, Tibi in caput. Nam ſophiſta collegerat, eos procurare interitum adoleſcentis qui vellent eum doctum evadere, quum nondum eſſet doctus: nam perit, quod deſinit eſſe quod erat: & incipit eſſe quod non erat. Ita Maro:

Quod dii prius omen in ipſum Convertant.

Apud Ariſtophanem in Pluto Penia ratiocinatur, ſi omnes homines diteſcerent, ſore ut Chremylus ipſe cogeretur arare, fodere, reliquoſq; labores exhaurire, ac jam afflictior viveret dives, quam antehac vixerat pauper. Chremylus autem memor laborum, quos in paupertate pertulerat, abominatur hoc verbum, & in Peniæ caput reprecatur, dicens, ἐς κεφαλήν σοι, id eſt, In caput tibi, ut ſubaudias, recidat. Cœlius ad M. Ciceronem lib. 8. At Domitius quum manus ad os oppoſuit, te ad 9. Calend. Jun. ſubroſtrarii (quod illorum capiti ſit) diſſiparant periſſe.

EX APPEND. ERASMI.

Bona ſpes oſtenſa.

ὣς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπτατο δεξιὸς ὄρνις.

Id eſt:

Sic fato felix dextris advolat ales. Homerus:

Aquilæ volatum quamplurimis proſpero auſpicio victoriam & felicitatem portendiſſe docent hiſtoriæ, quod ut planius habeas, conſule Pierium libro Hieroglyphicon 19.

Sternutaverunt amores.

Ex Thalaſia Theocriti apparet proverbiale dictum fuiſſe, quod aliqui de ſigno bono, alii de adverſo & malo intelligunt: Amores ſternutaverunt: hoc eſt, ſternutando ſignum præbuerunt, quod eſſet amaturus, ipſum evenit.

IVNII. *Hirundo æſtatem loquitur.*

ἡ χελιδὼν τὸ θέρος λαλεῖ: id eſt, Hirundo æſtatem loquitur. Ariſtophanis interpres in Equites fabulam, eo loco, οὐχ ὁρᾷς; νέα χελιδών, id eſt, Nonne videtis? nova hirundo: admonet proverbium eſſe mutilum, ſed integrum tale eſſe: νέα χελιδὼν ἔαρος ἀρχή, hoc eſt: Nova hirundo veris eſt initium. Eraſmus noſter, interpretus verba ita accipit, ut parœmiam perinde valere ſcripſerit, quaſi dicas, initium veris. Hanc parœmiam imitatus eſt Philemon comicus. [illegible]

ἡ μὲν χελιδὼν τὸ θέρος, ὦ γύναι, λαλεῖ.

Id eſt:

Æſtatis ô mulier hirundo eſt nuncia.

Quadrat proverbium in auſpicioſa conjectura, quum indicio non vano indubitatum de futuris eventum ominamur: verbi gratia, ſi viſa fuerint in freti anguſtiis catafcopia prædatoria, quæ mari inſidiari incipiant, belli futuri ea ſunt præludia, nempe ἡ χελιδὼν τὸ θέρος λαλεῖ. aut ſi dicamus ſororiantes puellæ mammas, nubilem ætatem loqui, nimirum hirundo veris eſt primordium. Alioqui νέαν χελιδόνα, id eſt, novam hirundinem non inconcinne puto vocari poſſe eum, qui novi quippiam licet vetus opinione tamen hominum novum adferat: quemadmodum hodie multi nova inventa jactitant, quæ vel plane vetera ſint, vel e veteribus pendeant ſaltem: veluti hirundo naturæ lege aut obſervatione hominum ſemper ver prænunciat, à primordio mundi ſemper novum, cum anni novantis initio.

BRASSICANI. *Bona ſalute.*

Cato in fine quarti capitis De re ruſtica innuit, veteres in exordiis omnium ea præfatione uſos fuiſſe. Bona ſalute. Sic in principio concionandi Romani dicebant, Quod ſit fœlix & fauſtum: &, Diis auſpicibus, Diis faventibus, Diis benevolentibus ubiq; ſunt prompta.

IOANNIS VLPII. *Felix & fauſtum ſit lumen.*

Varro author eſt. Græcos cum lumen inferrent dicere ſolitos: Φῶς ἀγαθόν, Fauſtum ſit lumen.

COGNATI. *Erat melius*

Hæc oratio propemodum ſolennis videtur fuiſſe, quando ſub denunciatione periculi admonebatur aliquis ut deſiſteret. Terent. in Adelphis, ſcena prima, actu ſecundo. Ante ædes non feciſſe erit melius. Appius decemvir apud Livium lib. 8. decadis primæ. Non erit melius, inquit, niſi de quo conſulimus vocem miſiſſe. Non erit incommodum ſi huc referas illud ἔσται πάντα καλῶς, quod eſt apud Suetonium in Domitiano, de cornice quæ paucis diebus antequam occideretur Domitianus, Dicitur his elocuta verbis, quod oſtentum ſic aliquis explicuit.

Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, non potuit dicere, dixit, Erit.

Melius enim fore, mortuo tyranno, cornix ominabatur.

Bene veniat ſive vertat.

Elegans ſermo eſt, & in uſu veterum ſcriptorum. Hæc enim Pomponii comici verba leguntur apud Nonium, Bene eveniat: Ita ſit, & tibi bene ſit, qui recte ominaris. Cum igitur Bene eveniat, dici ſolitum eſſet ab iis, qui recte ominarentur exitumq; alicujus rei ſecundum optabant, vere Cicero in epiſtola quadam ſeptimi libri ad Atticum, inquit: Carneadem quid bene eveniat, pronunciaſſe, quam vis ſpurce ſentiret, tamen prudentius reſpondiſſe, quã Epicureos: qui cum omnia ad ſe referant, ut ſibi queſq; proprias ſequantur, nihil alterius cauſa fieri à nobis in vita debere aſſeverabant. Ille enim quaſi dolebat ita ſe rem habere, Deoſq; propitios eſſe optabat. Simile quiddam in magnis rebus auſpicandis præfari ſolebant veteres: ut Cicero in principiis defenſionum Murenæ, Rabirii & aliorum. Perſius ſatyra quarta:

Hoc bene ſit.——

Simile eſt illud: Quod Deus bene vertat. Theocritus in Thyonico:

[illegible] ἐπὶ δεξιὰ πάντα, [illegible]
αἰγίοχε, &c.

Id eſt

Id eſt:

Utinam tibi bene vertat quod agis.

Bene autem ominantur, qui bonum: male, qui infauſtum. Plautus, Melius ominare, id eſt, εὐφήμει, deſine male, loqui. Egeſtatem autem homines inimicis imprecari ſolent, ultimamque inopiam. Diræ imprecationes ſunt execrationis plenæ. Et diras imprecari, Græce ἐπαρᾶσθαι τὰς πολλὰς ... ἀράς. Dicitur & ἀρὰς δεινὰς καὶ φρικώδεις ἐπαρᾶσθαι. Vide infra, Dii meliora.

Aut omina me fallunt.

Fernandus Pincianus, Græce Latineq; doctiſſimus, in Senecæ De conſolatione ad Polybium, cap. 23. caſtigans hũc locum, Aut omnia me fallunt: Legendum, inquit, omina, ut ſit dicendi modus vulgatus, & fere proverbii vice Accius in Oenomao, Nono ſeſcentes, Ominibus fauſtis, dixit.

Tam infauſti ominis, quam noctua.

Cicero Epiſt. 113. Tam infauſti ominis, quam noctuæ aves. Ferunt & hoc inter proverbia. Vulgo etiam creditum eſt, occurſum monachi omen eſſe parum felix. Adeo hominum genus deteſtandum. Olim ſpadonis aut eunuchi; cinædi aut claudi occurſus & conſpectus mane, primo domus egreſſu, inauſpicatus habebatur, de quibus Lucianus in Pſeudologiſtâ.

Non raro parva, magnarum rerum ſunt indicia.

Θρυλούμενον eſt hodie hoc Cleombroti dictum, quod habetur apud Plutarchum de oraculorum defectu: τὸ δὲ λοιμώδης ἔσεσθαι ... ἀραχνίων πλῆθει ... ἐαρινοῦ δὲ ... ἱστίων ... [illegible], id eſt: Aranearum multitudine, peſtiferam fore æſtas: vernis vero ficus foliis, cornicis pedem adæquantibus, tempeſtiva veris navigatio indicatur, quod & Heſiodus in ἔργοις, lepide quoque monet. Ficus folia æſtatis ſignum eſſe Chriſtus in Evangelio quoq; teſtatur, Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Parva eſſe magnarum calamitatum ſigna. Silius quoque Italicus libro 2. de bello Punico, hoc pentaſticho ſcribit:

Vim primi ſenſere canes, mox nubibus atris
Fluxit deficiens penna labente volucris,
Inde feræ ſylvis ſterni, tum ſerpere labes
Tartarea, atque hauſtis populari caſtra maniplis
Arebat lingua & gelidus per viſcera ſudor.

Synodus Cabilonenſis ſub Clodoveo Francorum rege, Multa quidem eveniunt, inquit, quæ dum leviter corriguntur, ſæpius in majora conſcendunt.

Teucris.

In aliquot epiſtolis Antonius Ciceronis collega, Teucris vocatur, quod ariolaretur & vaticinaretur: id eſt, falſis promiſſis ſæpe Ciceronem, cui pecuniam promiſerat, decepiſſet. Caſſandra autem fatiloqua, ſæpe ab aliquo vate Teucris appellata fuerat.

Deus avertat.

—Quod procul à nobis flectat fortuna gubernans.

id eſt, avertat. Vide alibi, Capiti eveniat: &c. Dii omen in ipſum convertant. Dii autem avertentes fuerunt inferi, qui ἀποτρόπαιοι καὶ ἀλεξίκακοι à Græcis vocantur, qui averruncat & avertunt prodigia & portenta: Dii depellentes etiam à Perſio & Averrunci vocantur. Tarquinius priſcus in oſtentorio & arborario apud Macrobium: Arbores quæ inferorum deorum avertentiumque ſunt in tutela eas infelices nominant, alternũ ſanguine infelicem. Veteres à ſanguine & cruore abhorrebant, ita arborem, cujus lignũ cruentum videbatur, ſanguine dixit infelicem. Vide ante, Bene habet, &c, bene ſit: Quod Deus bene vertat. Quod, Dii meliora, dicunt Latini veteres, cum mali aliquid votis deprecantur & amoliuntur: valet, Dii ferant meliora. Tibullus:

Dii meliora ferant, nec ſint inſomnia vera.

Pacuvius, Dii meliora monerint; pro, Dii monuerint meliora, ſcripſit, authoribus grammaticis.

Auris tinnit.

Hodie per jocum ajunt, ſibi dextram tinnuiſſe aurem, ſignificet, alicubi ſermonem de ſe abſentibus factum cum laude, Apud Theocritum in Amaryllide non abſimile eſt hoc:

Ἄλλεται ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός, ἆρά γ' ἰδησῶ αὐτάν;

Id eſt:

En oculus dexter ſalit mi, illam ne videbo

Apud Plautum non ſemel obvia ſunt: Prurit mihi tergum; pruriunt dentes, malæ, pugni: item, Supercilium ſalit.

Avi ſiniſtrâ.

Apud Mar. Varronem lib. 6. A quo dicuntur comitia: aliudve; quod ſit avi ſiniſtra. ſcæva. Cicero De legibus, Iſque avi ſiniſtra, dictus populi magiſter eſt, id eſt, proſpera, & ſecundo auſpicio. Aves enim proſperæ dicebantur ſiniſtræ, Cõtra impedientes aves aut dicebantur Arculæ, ab arcendo: aut Clivix, quia difficilia vocabant Clivia ad verbum ... : aut Remores, à Remorando: aut Alteræ cum alteræ ſuper venirent, quæ felici auſpicio vitium facerent: aut Volſgræ, quæ ſe vellendo malum auſpicium faciebant: aut Inebræ & Enebræ. Eo nomine omne obſtaculum intelligebatur, & ab inhibendo dicitur, docente Feſto. Lævum autem dicitur proſpectum: Intonuit lævum. Æneid. 2. Et Cicero in primo De divinatione ait, à ſiniſtra cornice ratum & lætum augurium fieri.

Quod fauſtum felixque ſit.

Hanc ſolennem formulam ſæpe uſurpant veteres, cujus meminit Varro ſub finem lib 5. De lingua Lat. & alicubi Livius: item Cicero 1. De divinatione: Neq; ſolum, inquit, deorum voces Pythagorei obſervaverunt, ſed etiam hominum, quæ vocant omina: quæ majores noſtri quia valere cenſebant, idcirco omnibus rebus agundis, Quod bonum, fauſtum, felix, fortunatumque ſit, præfabantur. Virgilius in Pharmaceutria eclog. 8. Bonum ſit. Bonæ precationis ſunt formulæ: quibus contraria eſt illa imprecatio apud eundem Virg. Mœride, ecloga 9.

—(Quod nec bene vertat.)

Cum bona alite: Auſpicio bono.

Sic Græci:

Σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν.— & Sophocles in Trachin. Catullus in nuptias Juliæ & Manlii:

—Bona cum bona Nubit alite virgo

Bonam alitem dixit, quod aves quædam in his infauſtæ maleque ominatæ ſint; quas Græci propterea τοῖς γάμοις δυσοιώνιστα ὄρνεα vocant. Vide Lycophronis interpretem. Horatius in j. Carm.

Mala ducis avi domum.

Callimach. εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος, bonas ac malas alites ſignificans, dixit, γνωσεῖται δ' ὄρνιχας ὃς αἴσιος, οἵ τε πέτονται ἤλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες, Itaque ἀγαθαῖς πτέρυξι, bonam alitem apte interpretemur. Idem ibidem.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Raſilemque ſubi forem.

Propertius in iiij.

—Mihi, inquit, Omen triſte prætulit ipſa rapta de rogo.

Fax autem ominis cauſa præferebatur.

Non eſt Deus neſcius noſtri.

Catull. ad Mallium:

—Non eſt Dea neſcia noſtri.

[illegible] Antoninus de vita ſua libr. ij. paulo poſt principium, & libr. 6. Deum noſtri curam agere dixit

Tinniunt aures.

Græce ab eodem Stephano: βομβεῖ μοι τὰ ὦτα. Galli dicunt, Les oreilles me cornent. Dicitur ab his, qui vana prævident: Et iſtud quoque collegit Polyd. Virgil. Catul. ad Lesbiam:

—Sonitu ſuopte Tintinant aures.

POLYDORI VIRGILII.

Tinnire aures.

Si quem videmus vana auditione terreri; ſcite dicemus illi aures perſonare. Sumpta metaphora à metallis, quæ pulſata tinniunt.

Κενοτάφιον.

Proprie inane & imaginarium ſepulchrum, quo neque corpus neque reliquiæ illatæ ſunt: c. 42. de religion. Poteſt non illepide torqueri ad hominem vanæ mentis, foris in ſpeciem illuſtre quid præ ſe ferentem. Eadem formula, qua Horatius dixit, Corpus ſine corpore. Deſumptum ab honorariis ſepulchris, & inanibus ſepulchris, in memoriam defuncti, cujus corpus inhumatum eſt dicatis: quando ex officio & pio voto Cenotaphium (ut & hodie) religioſum faciebant veteres ceremoniis, ad inſtar veri ſepulchri: ut teſtatur Marcianus in c. in tantum de rer. divis. niſus Virgilii authoritate in 3. Æneid.

Libabat cineri &c.

GUIL. GENTII *Qui [illegible] conſpexerit, augurium capere poterit.*

Dictum in deformes & turpi adſpectu homines. Veteres omen bonum captabant ex occurſu formoſi cujuſpiam, malum ex deformis aſpectu. Ad quod alludens Juvenal. ſatyr. v. ait:

———Tibi pocula curſor.

Et cui per mediam nolis occurrere noctem.

Author eſt Ælius Spartianus in vita Severi, quod is mortem ſibi portenderit ex occurſu Æthiopis cujuſdam. Idem tradit Plutar. de Bruto & Caſſio. Hinc forte veteri proverbio, inquit Tiraquellus, viri inexhauſtæ lectionis, dicebatur, ἐρινύων λόχος, hoc eſt; furiarum ſtirps: is nimirum, qui fœda eſſet ſpecie. Nam quod noxium eſt & exitiale, id à furiis ortum eſſe dicitur. Contra pulchritudo eſt quavis epiſtola commendatior, ut ait Ariſtoteles apud Laertium.

OMNIA.

ERASMI. *Ioca ſeriaque.*

Quoties omnia noſtra cum aliquo communicamus, cum eo joca ſeriaq; conferre dicimur. M. Tullius libro De finibus bonorum ij. Atqui cum joca ſeriaque, ut dicitur, qui cum arcana, qui cũ occulta omnia? Tecum optime: deinde etiam cum mediocri amico De-

co Donatus in Adelphos, hujuſmodi ferme figuras omneis quæ conſtant ex contrariis, proverbiales exiſtimat. Quod genus ſunt: Fanda infanda: quo jure quaque injuria: facta atq; infecta: digna atq; indigna: falſque nefalque: claimque palamque: terraq; mariq: noctesq; dieſque: juveneſq; ſeneſque: neq; in minimo neq; in maximo: neq; deos neque homines veretur: vocatus atq; invocatus: re ſalva & perdita: atq; alia hujus generis innumerabilia, de quibus meminimus & initio operis.

Nec animans, nec inanime.

Proverbiali figura dictum eſt apud Platonem libro de legibus octavo. πάντων τῶν τε ἐμψύχων καὶ τῶν ἀψύχων: id eſt, Omnium & animantium & inanimorum: quum nihil omnino ſignificamus excipiendum. Simili figura dicimus, Juvenumq; ſenumque &, Bipedum ac quadrupedum nequiſſimus: item, Nec diis nec hominibus placet: Nec vivis parcit nec mortuis. Locum Platonis citavimus integrum in proverbio, συμμαχεῖν.

Pueri ſeneſque.

Vide ſuperius in loco, Multi.

Latum & anguſtum.

Nemini obſcurum arbitror, proverbiali ſchemate dictum eſſe apud Ariſtophanem in Equitibus ſub perſona Cleonis: cui cum eſſet, quod nutricum more male paviſſet populum, qui paululum præmanſi insereret in os, maximam partem ipſe deglutiret reſpondet.

> *Καὶ νὴ Δί᾽ ἐπίγε δεξιότητι τῇ ἐμῇ*
> *Δύναμαι ποιεῖν τὸν δῆμον [illegible]*
>
> Id eſt.
>
> Ita per Jovem, nam dexteritate ego mea
> Exilem & amplum valeo populum reddere.

Macreſcunt enim pueri male paſti: rurſus bene paſti fiunt obeſi. Apposite torquebitur in eos, qui adoleſcentes recte docent, aut ſecus: qui ve populo recte concionantur, aut ſecus. Siquidem hæ res plurimum habent momenti, ad mores populi vel ad honeſta formandos, vel ad vitia depravandos.

Dulce & amarum.

Plautus in Pſeudolo non ſine proverbii ſpecie dixit dulce & amarum, pro lætis ac triſtibus. Amans adoleſcens de epiſtola amicæ: Dulce amarumque una nunc miſces mihi. Idem in eadem fabula: Dulcia atque amara apud te ſum eloquutus omnia. Scis amorem, ſcis laborem, ſcis egeſtatem meam. Idem in Truculento: Nunc poſteaquam ſcio dulceatque amarum quid ſit de pecunia.

Omnium quos Sol videt.

Sunt & illæ figuræ proverbiales, Omnium quos terra ſuſtinet: aut quos Sol videt peſſimus, optimuſve. Plautus in Sticho: Facile invenies pejorem & pejus moratam pater quam illa fuit: meliorem neq; tu reperies, neq; vidit Sol. Idem in Bacchidibus:

> Quia ædepol certo ſcio Vulcanus: Luna, Sol, dies, dii
> quatuor
> Sceleſtiorem nullum illuxere alterum.
> Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras.

Unde & oculus mundi dictus eſt. Simile eſt illud, Quodcunque in ſolum venit. M. Tullius Epiſtola fam. lib. 9. epiſt. ultima: Convivio delector, ibi loquor, quicquid in ſolum, ut dicitur, & gemitū & riſus. Sentit ſe in convivio de quibuslibet, rebus loqui, ſeu lætis ſeu triſtibus. Citatum eſt nobis hoc adagium in ſuperioribus ex primo libro De natura deorum. ſed hic locus tum non occurrebat, qui tamen ad proverbii fidem pertinere viſus eſt. Plautus in Pœnulo: Quantum hominum terra ſuſtinet ſacerrimo.

IUNII. *Etiam mater & ſorores.*

Quando citra diſcrimen aut exemptionem omnes promiſcue indicare volumus, proverbii hujus uſus erit: αἲ αἲ καὶ μήτηρ καὶ ἀδελφαί: Etiam mater & ſorores. Utitur loco modo citato Syneſius, oſtendens nominatim adagium eſſe, ſic enim inquit: αἲ αἲ καὶ μήτηρ, ἀλλὰ καὶ ἀδελφαί, φασὶ [illegible], id eſt: Imo etiam mater ac ſorores (quod ajunt) virorum pulchritudini multum deferunt, volens innuere nullam tam ſanctam, tam caſtam eſſe, quæ non formæ venuſtæ & egregiæ lenocinio trahatur, citra exceptionem, etiamſi mater illa ſit aut germana.

A calvo uſque ad calvum.

Dion Cocceius libro 15. refert Caligulam Cæſarem conſpicatum ſemel ingentem noxiorum aliorumque captivorum turbam præcepiſſe proverbiali dicterio, omneis à calva ad calvum trucidari. Græce eſt, [illegible] ἀπὸ τοῦ φαλακροῦ, μέχρι τοῦ φαλακροῦ πάντας [illegible]. Quem locum ita reddit Suetonius Tranquillus: Nullius inſpecto elogio à calvo ad calvum duci imperaviſſe hoc eſt, promiſcue, ſineq; diſcrimine: neq; enim placet quod Hermolaus Barbarus ex Dione hunc in modum interpretatur: Hoc eſt, quicunque inter duos forte calvos ex fontibus ante ſe conſtitutis aderant, laniandos beſtiis rapi vice pecudum mandaſſe quæ carius vendebantur. Adagii uſus eſt, quoties ſignificamus neminem excluſum aut præteritum.

COGNATI. *Quod in ſolum venit.*

Hoc proverbium rationem quandam loquendi priſcam olet. Ut enim ea demum nobis eſſe videntur quę ſenſibus comprehendimus velut quæ vel tangimus, vel cernimus, ſic cum omnia prope ferat ſolum, id ſolum eſſe exiſtimamus, quod in eo videmus, & omnia quæ ſunt in rerum natura, eo ſuſtineri putamus, proinde, Quod in ſolum, valet, quicquid eſt, quicquid accidit, quicquid ſeſe offert, quicquid evenit. In eandem ſententiam Cic. Epiſt. famil. lib. 9. ultima ad Pætum epiſt. Convivio delector, ibi loquor, quicquid in ſolum, ut dicitur, & gemitum, & riſus. Sentit ſe in convivio de quibuslibet rebus loqui, ſeu lætis, ſeu triſtibus. Idem libr. 1. De natura deorum dicit: Hinc quodcunque in ſolum venit, ut dicitur, effingis atque efficis, id eſt, quicquid in rerum natura eſt. Varro hoc proverbium etiam uſurpavit: Libet mi epigrammata facere, & qui nomina nō memini, quod in ſolum mihi venerit, ponam, id eſt, quodcunq; nomen ſeſe mihi obtulerit, & in buccā venerit. Diverſum eſt hoc Afranii veteris Poëtæ in Crimine, citante Nonio: Orbitatem ſenectuti tuæ malam metui, quod in ſolum nō venit cæco ac dementi. Rurſum: Ne veniret quod non agitur in ſolum. Hic veteres Grammatici, In ſolum, inſolitum interpretantur; a quibus vix recedere licet.

Amaro dulce permixtum.

Alibi: Ecce cum quis in reſtitutione, vel corruptione ſimul cōtraria patitur, algens ſæpe caleſcit, & calens aliquando refrigeſcit: quærens (ut arbitror) id aſſequi, illud abjicere, ac (quod dicitur) amaro dulce permixtum, & cum difficultate rejectionis adſiſtens moleſtiam, poſt ferum congreſſum facit. Ratio igitur nobis hæc dictat, nos non modo in lamentationibus & in tragœdiis, neq; in fabulis tantum, ſed in totius vitæ tragœdia atq; comœdia dolores voluptatibus immiſceri, & in aliis ſexcentis. Vide apud Eraſmum noſtrum, Dulce & amarum. Idem Plato in Philebo: Voluptates plenas doloribus invenire licet. Quin etiam meminiſti eos qui tragicis ſpectaculis adſtant, dum delectantur, ſæpe lugere.

ORIGINIS.

ERASMI. *E tardigradis aſinis equus prodiit.*

Ἐκ βραδυσκελῶν ὄνων ἵππος ἀνέβη: id eſt, E tardigradis aſinis equus emerſit. Cum clarus evadit quiſpiam obſcuro genere natus, ut quoties ab indocto præceptore proficiſcitur diſcipulus erudit[°]. Poteſt & per ironiam proferri, & per negationem: ut, Nunquam ex aſinis naſcetur equus, &, En tibi ex aſinis equum, id eſt, ex infimis parentibus arrogantem & ferocem. Huic contrariū eſt quod alibi retulimus, Heroum filii noxæ: quū ex egregiis viris prognati nō reſpondent majorum virtutibus. Quemadmodum Socrates apud Platonem in Alcibiade priore, docet ambos Periclis filios Paralum & Xanthippum fuiſſe ſtupidos, Cliniam evaſiſſe furioſum. Denique nullum illius opera factum ſapientem, quum Zenonis conſuetudine multi ſapientes evaſerint. Idem tractat in Menone, commemorans & Ariſtidem, qui filium habuit Lyſimachū nullius rei: præterea Thucydidem, cui duo fuerunt filii, Meleſias & Stephanus Neuter reſpondit virtuti paternæ. His addi poterat M. Tullius, qui filium reliquit illaudatum, & à patris virtutibus plurimum degenerantem.

Ex quercubus ac ſaxis nati.

Huic finitimum eſt illud Homericum: E quercu è ſaxis prognatus, quod quadrabit vel in hominem obſcuro genere, vel in eum, qui ſit agreſti atque effero ingenio, moribuſque immanibus. Inde ductum adagium, quod antiquitus in cavis quercubus, tectorum vice victitarent homines, atq; hinc e quercubus nati fingebantur. Inde illud:

> —Et duro robore natos.

Præterea creditum eſt ſaxis a Deucalione Pyrrhaque projectis, mortalium genus, abſumptum diluvio, inſtauratum fuiſſe. Homerus in Odyſſ. τ.

> Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός ἐσσι παλαιφάτου, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης.
> Nam neq; fatidica quercu ſatus es, neq; ſaxo.
>
> Id imitatus Pallads in Epigrammate:
>
> Οὐ γὰρ ἀπὸ δρυός εἰ, οὐδ᾽ ἀπὸ πέτρης φασί.
>
> Id eſt:
>
> Neque te, quod ajunt, quercus aut lapis edidit.

Alluſit ad id feſtiviter Plato libro de Republ. 8. ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ᾽ οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν; id eſt: An exiſtimas è quercu quacunque, aut rupe, reſpublicas naſci, an non potius ex moribus eorum, qui in republica verſantur? In crudeles & immites convenit illud Theocriticum in Æpolo de Cupidine: [illegible] λεαίνας μαζὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτραφε μάτηρ. Id eſt:

> —Scilicet ille leænæ
> Ubera ſuxit, & in nemore hunc genetrix fera pavit.

Nunquam ex malo patre bonus filius.

Euripides hanc ſententiam proverbio celebrem fuiſſe teſtatur, ex malo patre non progigni bonos liberos.

Φεῦ φεῦ, τοῦτ' ὀρθῶς ἄρ' ὁ παλαιὸς αἶνος ἔχει,
Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Id eſt:

Heu heu, ut illud dictitant recte, probum
Patre ab improbo non poſſe naſci filium.

Aſtipulatur huic dicto proverbium illud: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. id eſt: Mali corvi malum ovum. Item illud Theognidis:

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται.——

Id eſt:

Non etenim è ſquilla roſa naſcitur.—— Atque id genus alia, quæ ſuis referuntur locis.

Eſquila non naſcitur roſa.

Proverbiali figura dixit Theognis:

Οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται, οὐδ' ὑάκινθος.
Οὐδέ ποτ' ἐκ δούλης τέκνον ἐλεύθερον.

Id eſt:

Non etenim è ſquilla roſa naſcitur, aut hyacinthus:
Sed neque ab ancilla filius ingenuus.

Admonet adagium, è probis parentibus naſci liberos probos, ex improbis improbos. Simili forma dixit Horatius in Odis:

——Neq; imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Venuſtius erit, ſi ab indocti doctoris indoctum diſcipulum referatur, ad improbi nutritii improbum alumnum. Pertinet adagium ad illam claſſem, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν: id eſt, Mali corvi malum ovum, &c.

Οὐκ ἂν γένοιτο χρηστὸς ἐκ κακοῦ πατρός.

Id eſt:

Prolem probam haud pater progignet improbus.

Eſt autem Scilla herbæ genus non diſſimilis aloe: de qua multa Plinius diverſis locis.

Ex minimis initiis maxima.

Ad indicandum maximas ſimultates nonnunquam ex leviſſimis injurioſis naſci, non ſecus atq; ex minutiſſima ſcintillula graviſſimum incendium, mire congruet illud ex eodem libro de Eride, id eſt, dea contentionis:

Ἥ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα
Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.
Quæ primum exigua ſurgit, verum illico cœlum
Attingit capite, in terris veſtigia ponens.

Hunc locum Vergilius Æneidos iiij detorſit ad famam:

Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras.
Ingrediturq; ſolo, & caput inter nubila condit.

Exiguum malum, ingens bonum.

μικρὸν κακὸν, μέγ' ἀγαθόν, id eſt, Puſillum malum, ingens bonum. Admonet adagium ex paululo incommodi, laboreque exiguo, ſumma maximaque commoda colligi. Refertur à Diogeniano. Non diſcrepat huic Muſonii ſententia, quam commemorat Aulus Gellius lib. 16. cap. 1 ἄν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει· ἄν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μεθ' ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει, id eſt, Si quid feceris honeſtum cum labore, labor abit, honeſtum manet. Si quid feceris turpe cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet. Eandem ſententiam Cato, minus quidem modulate, minuſque rotunde, ſed tamen fideliter extulit ad hunc modum: Cogitate cum animis veſtris, ſi quid per laborem recte feceritis, labor ille à vobis cito recedet, benefactum à vobis, dum vivetis, non abſcedet. Sed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit: nequiter factum illud apud vos ſemper manebit.

Bonæ leges ex malis moribus procreantur.

Macrobius Saturnalium libro iij. Vetus verbum eſt, inquit: Leges bonæ ex malis moribus procreantur. Nam ſicuti medicorum pharmacis nihil opus foret, niſi morbis laboretur: ita legibus ferundis nihil opus eſſet, niſi perperam viveretur. Unde apud Æginetas olim pecuniaria pœna mulctabatur is, qui legis inſtituendæ dediſſet occaſionem. Autor Ariſtoteles libro Rhetoricorum ij Cornelius Tacitus lib 15. Uſu probatum eſt, leges egregias exempla honeſta apud bonos ex delictis aliorum gigni. huc pertinet, quod Solon ἐρωτηθεὶς, διὰ τί κατὰ πατροκτόνου νόμον οὐκ ἔθηκε, διὰ τὸ ἀπελπίσαι εἶπεν, id eſt, Rogatus quam ob cauſam non tuliſſet legem in parricidas: reſpondit, quod non ſperaſſet futurum parricidam.

Initium belli.

Ἀρχὴ πολέμου: id eſt, Origo belli: ubi quis prior laceſſit injuria ſeu convicio. Sumptum videtur ab hiſtoriographis, quibus mos eſt, primum cauſas exponere, quibus bellum cœptum fuerit. Huc alluſit Lucianus cum aitin Pſeudomante: καὶ κατὰ τὸν Θουκυδίδην ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη, id eſt: Et quemadmodum ait Thucydides, Hinc jam bellum oritur. Unde πόλεμος lædere dicitur, qui nulla laceſſitus injuria ſimultatem exercet.

Hinc belli initium.

Inter proverbia quæ ſumuntur ex alluſionibus autorum, mihi non videtur illud ſilentio prætereundū, quod ex Thucydide uſurpavit Lucianus in Pſeudomante: καὶ κατὰ τὸν Θουκυδίδην, ἄρχεται ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη, id eſt: Et juxta Thucydidem, jam hinc belli initium. Id ad varios uſus poterit accommodari, ſive cum ad incipiendum negocium accingi ſignificamus, ſive cum alicunde natam ſimultatem innuimus, ac tumultum rerum exortum. Ad eundem Thucydidis locum, non dubium quin alluſerit Ariſtophanes in Acharnenſibus:

Κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου.

Atque illud, κἀντεῦθεν, eo loco frequentius iterat: quo magis conſentaneum, illum alluſione ad jocum abuſum fuiſſe.

Piſcis primum à capite fœtet.

Ἰχθὺς ἐκ τῆς κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται: id eſt, Piſcis à capite primum incipit putere. Dictum in malos principes, quorum contagione reliquum vulgus inficitur. Apparet ab idiotarum vulgo ſumptum.

Ab impiis egreſſa eſt iniquitas.

Concinit huic Hebraicum illud ex libro Regum j. cap. 24. quod David nominatim etiam pro vetuſto proverbio citat. Ab impiis egredietur iniquitas. Significat autem, ab improbis ſemper mali quippiam exoriri, à bonis nihil malorum proficiſci. Proinde nihil eſſe, cur Saul metuat, ne à ſe occideretur. Hoc facinus impium, non niſi ab impiis eſſe patrandum, ſe manus ſuas regia cæde non inquinaturum. Porro proverbium, ſi quem hoc quoq; juvabit, Hebræo ſermone pronunciatur ad hunc modum: מרשעים יצא רשע Quandoquidem habent hoc peculiare pleraque proverbia, ut in ea lingua ſonari poſtulent, in qua nata ſunt: quod in alienum ſermonem demigrarint, multum gratiæ decedat. Quemadmodum ſunt & vina quædam, quæ recuſant exportari, nec germanam ſaporis gratiam obtineant, niſi in his locis, in quibus proveniunt. Idem propemodum dicitur apud Græcos verſu proverbiali:

Ἀπὸ γὰρ ἐσθλῶν ἔργα χρηστὰ γίγνεται.

Id eſt:

Probis ab animis facta promanant proba.

Mali corvi malum ovum.

Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν: id eſt. Mali corvi malum ovum. Apte uſurpabitur, quoties à malo præceptore diſcipulus malus proficiſcitur: ex improbo patre filius improbus: ex patria illaudata vir illaudatus: denique facinus ſceleratum ab homine ſceleſto. Metaphoram alii referunt ad naturam animantis, quæ nec ipſa eſt idonea cibis humanis, nec ovum parit ad quidquam utile. Sunt qui dicant fieri, ut corvorum pulli parentes ipſos devorent, ſi forte nō paſcant illos ad ſatietatem: & hinc ductum adagium, alii malunt ad hujuſmodi fabulam referre. Corax quidam primus Syracuſis, poſt mortem Hieronis, inſtituit artem rhetoricen mercede profiteri. Cum hoc adoleſcens quidam Tiſias hac lege pactus eſt, ut tum demum mercedem perſolveret, ubi jam artem perdidiciſſet. Dein ubi jam arte cognita, præmium reddere cunctaretur, Corax in jus diſcipulum vocat. Ibi juvenis hujuſmodi dilemma proponit. Percontanti quis eſſet artis finis, ubi Corax reſpondiſſet, perſuadere dicendo: Age, inquit, ſi perſuadeo judicibus, me nihil debere, non reddam, quia vici cauſam: ſin minus perſuadeo, non reddam, quia non perdidici artem. At Corax Tiſiæ dilemma tanquam vitioſum & ἀντιστρέφον, in diſcipulum retorſit ad hunc modum: Imo, inquit, ſi perſuades, dabis quia tenes artem, & debes ex pacto: ſin minus, dabis quia ſententiis judicum damnatus. Quod commentum tam vafrum, tamque callidum ubi judices audiſſent, admirati verſutiam adoleſcentis, ſucclamarunt: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Sunt qui narrent hoc ſucclamatum à corona circumſtantium, cum alter alteri litem intenderet. Hujuſmodi ferme leguntur in Prolegomenis in Hermogenis rhetoricem. Ex hac fabula, ni fallor, efficta eſt ea, quam narrat A. Gellius in Noctibus Atticis lib. 5 cap. 10. de Protagora ſophiſta, & hujus diſcipulo Euathlo: quæ tametſi longiuſcula eſt, & in promptu ſita, tamen quod omnium lepidiſſima videatur, non pigebit adſcribere. Gellius igitur oſtenſo vitioſo dilemmate, quod Antiſtrephon vocant, propterea quod totidem verbis poſſit in adverſarium retorqueri. Quale eſt, inquit provulgatum illud, quo Protagoram ſophiſtarum acerrimum uſum eſſe ferunt adverſus Evathlum diſcipulum ſuum. Lis namque inter eos, & controverſia ſuper pacta mercede hæc fuit. Evathlus adoleſcens dives, eloquentiæ diſcendæ, cauſarumque orandi cupiens fuit, is in diſcipulum Protagoræ ſeſe dedit, daturumque promiſit mercedem, grandem pecuniam, quantam Protagoras petiverat: dimidiumque ejus dedit jam tunc ſtatim prius quam diſceret: pepigitq; ut reliquum dimidium daret, quo primum die cauſam apud judices oraſſet & viciſſet. Poſtea cum diutiſcule auditor aſſectatorque Protagoræ fuiſſet, & in ſtudio quidem facundiæ abunde promoviſſet, cauſas tamen non reciperet; tempuſque jam longum tranſcurreret, & facere id videretur, nē reliquum mercedis daret: capit conſilium Protagoras (ut tum exiſtimabat) aſtutum petere inſtituit ex pacto mercedem, litem cum Evathlo conteſtatur. Et cum ad judices conjiciendæ conſiſtendæq; cauſæ gratia veniſſet, tum Protagoras ſic exorſus eſt. Diſce, inquit, ſtultiſſime adoleſcens, utroque id modo fore, uti reddas quod peto, ſive contra te pronunciatū erit, ſive pro te. Nam ſi contra te lis data erit, merces mihi ex ſententia debebitur, quia ego vicero: ſin vero ſecundum te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea reſpōdit Evathlus, Potui, inquit,

huic tuæ tam ancipiti captioni eſſe obviam, ſi verba ipſe non facerem, atq; alio patrono uterer. Sed majus mihi in iſta victoria proludium eſt, cum te non cauſa tantum, ſed etiam in argumento vinco Diſce igitur in quoq; magiſter ſapientiſſime, utroq; modo fieri uti non reddam quod petis, ſive contra me pronunciatum fuerit ſive pro me. Nam ſi judices pro mea cauſa ſenſerint, nihil tibi ex ſententia debebitur quia ego vicero: ſin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debeo, quia ego non vicero. Tum judices dubioſum hoc inexplicabileq; eſſe, quod utrinque dicebatur rati, ne ſententia ſua utramcunq; in partem dicta eſſet, ipſa ſeſe reſcinderet, rem injudicatam reliquerunt, cauſam in diem longiſſimum diſtulerunt. Hactenus Gellius. Quid autem? an non optimo jure judices hoc ſaltem ſententiæ vice pronunciare debuerunt, … Narrat eandem fabulam L. Apulejus in Floridorum libris non dicam copioſius, neq; enim poteſt copioſius referri, quam a Gellio denarrata eſt, ſed tamen floruſentius, (& ut ita dixerim) picturatius. Meminit Euathli Ariſtophanes in Fucis, atque item in Acharnenſibus.

Autor omnium & fons.

Cum indicare volemus primum omnium autorem, unde ceu capite proficiſcantur omnia, maxima pariter & minima (veluti ſi quis dicat ſuperbiam omnium malorum parentem, ſidem omnium virtutum fontem. Homerum omnis poëticos parentem) non inconcinniter accommodabitur illud ex eodem libro de Oceano dictum.

Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Ex quo uno fiera cuncta fluunt & flumina cuncta,
Et cuncti manant fonteſque, lacuſque profundi.

Ex tua officina.

Nihil jam hac figura tritius Ex tua officina, ex aliena officina. Ex noſtra officina depromi dicuntur, quæ a nobis inventa, noſtroque ingenio perfecta ſunt: ex aliena, quibus ab alio mutuo ſumptis utimur ut noſtris. Nam officina locus ubi opifices ſuas exercent artes. Sumpta metaphora ab iis, qui aliena opera in ſuis vendunt tabernis. Hoc quo longius traducetur ad res animi, hoc fuerit lepidius, ut, hoc conſilii quis non intelligat è tua prodiſſe officina? Totum hoc negocii tuæ fuit officinæ.

Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.

Simillimam huic eodem loco ſubjici. Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt. Quæ quidem id inouit videtur, egregia beneq; nata ingenia ſtatim matureſcere, & ad frugem pervenire. Taxat Fabius & hoc ſententiæ genus. Mihi tamen viſum eſt in adagiorum catalogum has quoq; referre, quod vulgo celebres fuiſſe teſtatur, & imprudentior hyperbole, ſicut paulo ſuperius dictum eſt, non rejicitur ab hoc genere.

Magnorum fluminum navigabiles fontes.

Simili metaphora videtur dictum & illud, quod refert ac notat Fabius in 8 Inſtitutionum libro, Magnorum fluminum navigabiles fontes ſunt. Eam ſententiam ait ſe juvene decantatam fuiſſe. Significat autem, præpotentium quantulaſcunque, plus pollere quam univerſas tenuium opes. Cæterum notat Fabius hoc ſententiarum genus, quam palam falſæ videantur.

Hinc illæ lacrymæ.

Vide locum, In deprehenſos.

JUNII. *Fons & radix.*

Πηγὴ ῥίζα, id eſt, Fons & radix pro origine & principe cauſa, proverbii ſpecie ponitur. Julianus medicus in quem invehitur Galenus, … id eſt, Ut reliquum aphoriſmi radicem fontemque habeat iſtum, quod humorum copia morbos corporibus invehat Galenus in Terapeu. … id eſt, Oſtendam quod ſit principium, quæ radix curandi methodi. Hippocrates libr. de flatibus … id eſt, Quod ſit auſpicium, qui fons morborum qui corpori accidant. Proclus Conſtantinopolitanus epiſcopus, … id eſt, Recurrens ad primordium ac radicem humanæ creationis Conſtantino imperat dictum memoratur à Nicephoro hujuſmodi, Romani imperii dignitas atque amplitudo fontem atque radicem habet, veram pietatem. Syneſius libro De providentia, … id eſt, Doctrinam cenſebat virtutis eſſe fontem. Philo Judæus, … id eſt, Recte ratio cæterarum legum fons eſt, unde ortum habent. Empedocles Agrigentinus de rerum primordiis loquens, … id eſt, Principio rerum radices quatuor audi, quod ex Athamante Pythagoreo tranſtulit cujus hæc leguntur verba, … id eſt, Quatuor ſunt ſeminaria & radices rerum, ignis, aqua, aer, terra. Plutarchus in Romulo … id eſt, fontem & originem benevolentiæ dixit. Zoroaſter magnus Deum animæ fontem vocat in oraculis ſuis, … id eſt, Quære Deum qui fons animæ. Simili modo Cicero in Tuſcula Cauſam atq; fontem eſſe memoriæ. Idem Clodium fontem gloriæ Milonis vocat, & alibi ſegetem ac materiam, Panegyrici Maximiano dicti author, Quia ſeminarium juventutis & quaſi fontem humani corporis ſemper Romanis exercitib. miniſtratum Nazarius Panegyriſta, concordiam fundamentum ac radicem oti, bonorum civium ſeminarium, quietis publicæ ſegetem vocat.

Elementum.

Conſimili figura & στοιχεῖον. i. elementi appellatio pro initio & rei primordio uſurpatur Damaſcius Syrus in Philoſophica hiſtoria, … id eſt: Prima elementa potiſſima multiplicis rerum cognitionis ſunt iſta, amor, induſtria, & ingenii ſagacitas. Polycrates Epheſinus epiſcopus ad Victorem Romanum ſcribens, martyras in Aſia ſepultos, qui poſſeſſionis Chriſtianæ rudimenta homines docuerant, appellat μεγάλα στοιχεῖα, ingentia primordia atque elementa fidei. Iſocrates orator, … i. Iſta namque probe inſtitutæ Reipubl. prima & maxima ſunt elementa. Syneſius in Dione, … id eſt, Virtutes ut veluti totius Philoſophiæ elementa ſuſpicimus & admiramur. Timon miſanthropus Joanne Stobæo teſte, avaritiam & ambitionem nominabat στοιχεῖα τῶν κακῶν: id eſt, malorum elementa.

E vipera rurſum vipera naſcitur.

Ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἔχιδνα γίγνεται, E vipera rurſum naſcitur vipera. Apposite quadrabit in improbi præceptoris improbum diſcipulū, ſceleſti patris conſceleratum filium. Citat Joannes Stobæus ex Eſdoro, neſcio quo.

[Greek verses illegible]

Ex improbo natura gignit improbum,
Ut vipera iterum naſcitur de vipera.

Pertinet ad claſſem illam, … E ſcilla roſa nō naſcitur: ſive … accipias herbam globoſa radice, ſive lentiſcū arborem nam ex Etymologici authore & Plutarcho in Pericle notum ſit, … etiam … vocari.

Prooemium & exordium rei.

A fabulis, quia vitæ humanæ actiones quam proxime repræſentant velut in ſpeculo, multiplex adagiorum materia excrevit ſtolonū inſtar ſuppullulans: ita … & contractus …, id eſt prooemium, pro initio acceptum legitur, Xenophon … id eſt, Non imponam tibi voluptates prooemiis: ita vocans exordia orationis, ad aurium illaqueationē comparata. D. Andreas Hieroſolymitanus oratione in angelicam ſalutationem: … id eſt, Hinc natura humana lætitiæ prooemia accipit, hoc eſt, primordia Proclus Conſtantinopolitanus epiſcopus … i. Parturitionis quæ naturali lege fit prooemium initiumque eſt, violatio. Eunapius de Maximino … id eſt: impietatis illius prooemia tormentis ſubſecutis conſonat Nazianzenus ad Olympium: … id eſt, Prooemia tui imperii honoratoria exiſtere, continuata aliorum gloria. Idem in Monodia … id eſt, Iſtud nobis fuit amicitiæ prooemium & rudimentum. Hujuſmodi ſonat reſponſum Diomeæ paraſiti apud Athenæum in Dipnoſoph … hoc eſt, Prooemium coenæ Chalcidicæ ſplendidius eſſe apparatu urbico. Similiter Flavius Philoſtratus de Palamede loquens … id eſt, Lupos prooemium peſtes facit Apollo, indicans è luporum nece auſpicari peſtis initium. Tranſlatione inde ducta, quod fabulæ è prooemiis exordiantur. Tale eſt illud in bellica acclamatione ex tragoedia.

Κλῦθ' ἀλαλὰ πολέμου θύγατερ ἐγχέων προοίμιον.

Id eſt:

Vociferatio belli filia ades, haſtarum prooemium:

vel ut apud Athenæum legitur, …, id eſt, votorum prooemiū, quod à votis & numinis obteſtatione belli prœludia ordiantur, prior lectio extat alicubi apud Euſtathiū Huc ſpectat & Herodis Attici dictum apud Philoſtratum, … id eſt, Videris mihi haud ſcire prooemiis uti, inveniens eam parum diligentem in captanda auditorum benevolentia qua prooemium quoddam eſt actionis omnis. Conſimiliter … rei exordium, pro exitu ſumunt Græci quoniam poſtremus fabulæ tragicæ cantus, quem egredientes concinebant, … diceretur, Polluce teſte libro Onomaſti: … quanquam Nonius Marcellus. Exordium dictum putet quaſi … hoc eſt, extra viam. Appianus in Parthico, vel Plutarchus in Craſſico (utrobique enim eadem verba numeroſo paginarum tractu leguntur, ut dubium ſit mihi, uter plagii ſit inſimulandus) dixit, … id eſt. Ferunt Craſſi expeditionem Parthicam in ejuſmodi Exordium, inſtar tragoediæ, deſiiſſe. Varro Hecatombe … Socrates cum in vinculis publicis eſſet, & jam bibiſſet

ἐξόδιον in exodio vitæ, ita enim habet genuina lectio in manuſcripto Nonii exemplari. Idem, Quæ ſervitutis & libertatis ab origine ad exodium adductæ, & iterum in τῷ ἐμφύλιον. Quod cœperas modo in via narrare, ut ad exodium ducas. T. Livius lib. 7. Exodia appellari ridicule intexta verſibus ſcribens, videtur ea cum Epiſodiis confudiſſe. Convenit autem vere cum Cataſtrophe, niſi quod hæc lætum exitum plerumq; denotet. Sic ἐπεισόδιον dicitur, quicquid adventitiũ eſt, quod in fabulis illud dicatur ciendi riſus gratia adjectum, cujuſmodi apud mechanicos παρέμπτωμα. noſtris appendix dicitur ita in Epigrammatibus Græcis: φῦκος αὐτὸς ἐπεισόδιον, id eſt, fuci aſcititius flos dicitur, minime genuinus, ſic accipit Gregorius Nazianzenus ad Baſilium, ὥσπερ ἄλλου τινὸς ἐπεισοδίου προθέμενοι: id eſt, Quum me alterius ferculi loco propoſuiſſent. Plutarchus Luculli deliciis annumerat & tripudia & ἀκροαμάτων ἐπεισόδια, adjectitias cantilenas aut narrationes Heliodorus libr. 1. νῦν δὲ ὁ τῆς τραγῳδίας, οὐκ ἐν καιρῷ χεῖρον τ' ἂν ἐπεισόδιον ὑμῶν. i. e. Iſtud epiſodium tragicum non fuerit hujus loci atque temporis. Heliodorus l. 2. ἐπεισόδιον δὲ τοῦτο οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον ἐπεισηνέγκατε, id eſt, Epiſodium iſtud nihil ad Bacchum, quod ajunt, importune introduxiſti. Accedit ad hanc claſſem & de epilogo manans proverbium ἐν κακῷ, τὸν ἐπίλογον χρῆσθαι, hoc eſt, perperam uti epilogo, de iis qui infelicem dictis factiſve ſuis finem imponunt. Jam vero & ipſum dramatis ſeu fabulæ vocabulum, miſeriæ cujuſdam & calamitoſæ ſortis qualis ferme in tragœdiis deſcribitur, ſignificationem habet. Nazianzenus ad Sophronium præſidem, δρᾶμα γεγόναμεν, οἱ ποτὲ τοῖς πλουσίοις ἐναριθμούμενοι, id eſt, Nos ipſi qui in locupletum numero habebamur, fabula facti ſumus. Idem in priore invectiva Julianum Imperatorem appellat δρᾶμα ἀσεβείας, velut impietatis fabula & documentum Halicarnaſſæus lib. 1. δραματικῆς μεστὸν ἀτοπίας id eſt, fabuloſæ abſurditatis plenum.

Erroris ſcala.

Proverbiali ſchemate dictum illud eſt à Porphyrio lib. 2. de abſtinentia ab animatis, πλάνης κλιμακτήρ. Erroris ſcala, pro origine & primordio erroris, unde error natus per gradus quoſdã paulatim adoleverit, & in immenſum adauctus fuerit, verba ejus hæc ſunt, πολλοῖς γὰρ χρόνοις ὕστερα παρελήφθη, ὁ τῆς πλάνης κλιμακτήρ, id eſt, Multis enim poſt ſeculis etiam hæc introducta ſunt, erroris gradus, quem locum citans Euſebius lib. 1. præparationis Evangelicæ, ut hunc Lutetiæ excuſus legitur, citat, πλάνης ἰχνευτὴς μαστήρ, quaſi dicas, erroris indagator, quæ ſitor, haud dubio vitio. Hinc κλιμακηδὸν ἀνῄει de Dione dixit Syneſius, Gradatim aſcendit, pro eo quod eſt, A primis initiis ordine ad altiora pergit, ἐπιβάθρα quoq; (ita nautica ſcala vocatur) pro aditu accipit venuſte Plutarchus in Demetrio, ubi quum ſuaſiſſet Antigono amicorum, quiſpiam occupandas eſſe Athenas, ita enim futurum ut teneret ἐπιβάθραν τῆς Ἑλλάδος, id eſt, Scalam Græciæ, reſpondit Antigonus memorabili dicto, ἐπιβάθραν καλὴν καὶ ἀσφαλῆ εἶναι τὴν εὔνοιαν, hoc eſt, Benevolentiam pulchram eſſe ſcalam & ſtabilem.

Ex eodem lare.

Ἐκ μιᾶς ἑστίας, id eſt, Ex uno & eodem lare, proverbiali figurâ dictũ eſt à Syneſio, pro, eodem ex principio, in lib. De providentia, ὡς ἐκ μιᾶς ἑστίας [illegible] βλάστειν τὴν ῥίζαν, id eſt, ut ex eodem lare ortum habeant res tantopere diverſæ, ſitq; una duorum geminum radix. Ariſtides κοινῆς τοῦ γένους ἑστίας, id eſt, Communi generis lare, hoc eſt, origine. Ita accipiendum eſt illud quod in Arateo commentario male redditum ſuſpicor, Sophron in Mimo qui nuncius inſcribitur, à Veſta incipiens, omnes invocãt Jovem omnium principem, Græce arbitror eſſe, ἀφ' ἑστίας, quod interpres communi vertendi ratione, à Veſta vertit, quum debuiſſet hoc pacto Sophron in ipſo exordio à Jovis invocatione auſpicatur; cauſam namque reddit, cur Aratus operis ſui initium à Jove ordiatur, neque enim Veſtæ illic fit mentio, quamvis ea vox Veſtam quoque Græcis ſignificet.

Taurus Draco. Genuit & taurum Draco.

Proverbialis trimeter citatur ab Arnobio lib. eodem, ubi ita ait, Authorem aliquis deſiderabit rei, tum illum citabimus Tarentinum, notumq; ſenarium, quem antiquitas canit, dicens, Taurus draconem genuit, & taurum draco. Idem ſenarius etiam apud Alexandrinum Clementem legitur in Protreptico Græce, ſed ſuperante ſemel voce πατρός, quam ſi tollas, conſtabit lege ſua verſus, hoc modo.

Ταῦρος δράκοντος, καὶ πατὴρ ταύρου δράκων.

Id eſt:

Taurus Draconis, & pater Tauri eſt Draco.

Natum dicterium à monſtroſa Jovis libidine, qui aſſumpta ſpecie tauri matrem Cererem, compreſſit, ex eaque Proſerpinam, ſive liberam filiam genuit, quam ipſam cum adoleviſſet, ſucci plenam conſpicatus pater, in draconis formam prioribus artibus migrat, ſpiriſque pavidam virginem involvit, ex quo partu tauriformis proles extitiſſe memoratur. Ad rem accommodabitur apposite, ſi ferocem aut indoctum diſcipulum ab ejuſdem notæ aut ingenii, magiſtro inſtitutum prædicabimus, vel ſi filium genitori moribus iiſdem ſimillimum notabimus,

Mali corvi malum ovum.

COGNATI. *Romulus.*

Hoc nomine ſæpe utebantur in eos, quos ſignificare volebant diſſimillimos eſſe Romuli, multumque ab illius præſtanti virtute abeſſe. Author declamationis illius in Ciceronem, quæ tribuitur Saluſtio, Ore te Romule Arpinas.

Perſius.

—Nam Romule cæves?

Catullus in Cæſarem,

Cynæde Romule hæc videbis, & feres?

Ad ſemen nata reſpondent.

Multo aſſiduoque uſu recepta eſt hæc Senecæ ex lib. 13 Epiſtol. 88. ſententia: Non naſcitur, inquit, ex malo bonum, non magis quam ficus ex oleo: ad ſemen nata reſpondent, bona degenerare non poſſunt. Seneca ad illa Chriſti reſpexiſſe videtur, qui apud Matth. cap. 7. ait: A fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Nunquid colligũt de ſpinis uvam aut de tribulis ficus. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor fructus malos facit. Nõ poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Id Lucas 6. cap. repetiit. Vide apud Eraſm. τοῦ πατρὸς ἐστὶ τὸ παιδίον. Proper. lib. 3.

Hic ſatus ad pacem, hic caſtrenſibus utilis armis:

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Andreas Fricius Modrevius in præfatione librorum ſuorum de peccato originis & libero hominis arbitrio: Si enim fructus arbori ſuæ neceſſario reſpondet, an quod ab origine vitiatum eſt, proferet ex ſe opus virtute dignum Verinus:

Sæpe patris mores imitatur filius infans:

Qualis erat mater, filia talis erit.

Caſta refert caſtæ genitricis filia mores:

Laſcivæ nunquam filia caſta fuit.

Sic Thais in Terentii Eunucho, grandiuſcula, & ea ætate ut viris placere poſſet, maternam, ut fit, vivendi rationem inſecuta eſt, Chremes quoque Terentianus ex maternis moribus filium æſtimat. Sic enim Soſtrate rixatur:

Is quod eſt conſimilis moribus.

Convinces facile ex te natum.

Tui ſimilis eſt probe.

Nam illi nihil utili eſt relictum, quin id itidem ſit tibi.

Tum præterea talem, niſi tu nulla pareret filium.

Et quidem ita natura comparatum eſt, idque magna ex parte uſu venire videmus, ut filii ſint paternorum morum æmuli, parentumque veſtigiis inſiſtant, ſicut pleriq; ſectentur aleas, ſcorta, popinas nonnulli tamen parentum induſtria, atq; educationis beneficio, ad ſummam virtutem emergunt, ac ad optimam frugem ſe conferunt. Ex patris autem ſemine, materniq; ſanguinis profluvio atq; fluxu, multa ad poſteros ſolent derivari. Eadem enim vis & natura, quæ parentum ſemini ineſt, in natos diffunditur, ac tranſvaſatur. Sic ex Propertii ſuperiori ſententia:

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Pumilio licet in monte non eſt magnus.

Seneca Epiſt. lib. 10. epiſt. 77. Non eſt magnus pumilio, licet in monte conſtiterit Populari ſermone adhuc hodie celebratur. Proprie dicitur homo parvæ & humilis ſtaturæ Gell. l. 19. c. 13. Quos pumiliones dicimus Græci νάνους appellant. Juvenalis.

Nanum Atlanta vocamus.

Aetas alia ex alia oritur.

Cicero: Quoniam ita comparata eſt ratio vitæ naturæq; noſtræ, ut alia ætas oriatur ex alia ὥσπερ πῦρ. Lucretius lib. 3.

Ex aliis aliud reparare neceſſe eſt

Deinde ſequitur

Sic aliud de alio nunquam deſiſtit oriri.

Nec quicquam in nihilum interit, ut idem docuit lib. 1. ſed omnia reſolvuntur & revertuntur in corpora prima. Greg. Theol. libr. 5. Sent. ἡμέρα ἐπ' ἡμέραν ὠθεῖ, id eſt, Lux nos in lucem trudit, &c. Ennius libr. Annalium 16. Priſciano citante:

Æſtatem autumnus ſequitur, poſt acer hyems fit.

Quem verſum Servius citat in Æneid. lib. 6.

Luto eodem factus.

A fabula Promethei tractus eſt hic vulgaris ſermo, qui primus è limo hominem finxiſſe dicitur, Eaque fabula, ut opinor, ab hiſtoria primordiali emanavit quam Moſes Judæus ſcripſit. Sic Juvenalis ſatyr. 14.

Unus & alter

Forſitan hæc ſpernant juvenes, quibus arte benigna,

Et meliore luto finxit præcordia Titan.

i. Prometheus Titanis nepos Nam ex Aſia & Japeto Titanis & Terræ filio natus eſt, ſenſus eſt, Invenies forte unum aut alterum ea naturæ bonitate, ut vitia parentum non æmuletur. Budæus Jacobo Sadoleto: Aut tui ſimilis alter eodem luto factus, &c. Ex cujus verbis ſatis arbitror liquere proverbium, ut noſtra interpretatione jam non ſit opus.

Sata de quercu.

Cicero ad Atticum ad hoc proverbium, quod etiam inter Græ-

cos habetur hiſce verbis alluſit. Dices fortaſſis dignitates ... tanquam ... ſaluti conſule, hoc eſt: Jam ſatis gloriæ magnificæque exiſtimationis tibi comparaſti: nunc habeto potius ſalutis rationem, quam quid te deceat tantopere videas. Vide apud Eraſmum: E quercubus nati: De quibus à nobis alibi dictum eſt.

Ortus unius, alterius interitus.

Sic vulgo dicitur: Ortus unius, alterius interitus: & unius interitus ortus eſt alterius. Nemeſius Philoſophus. De natura hominis cap. 5. In elementa, inquit, rurſum diſſolvuntur corpora itaq; perpetuo permanent omnia, & ad rerum omnium quæ ſunt, ortum ſufficiunt: neq; vel redundant unquam vel imminuuntur. Quamobrem alterius ortum, interitum eſſe ajunt alterius; & viciſſim alterius interitum, alterius ortum. Hoc eleganter exprimit Lucretius lib. 1.

Nulla res naſcitur, niſi morte aliena adjuta.

Id eſt:

alterius rei interitu. Cum his congruunt & illa lib. 2.

Sic rerum ſumma novantur.

Semper, &c.

Lib. 5.

Cedit enim rerum novitate extruſa vetuſtas.

Idem lib. 5.

Sic volvenda dies commutat tempora rerum:

Quod fuit in precio, fit nullo denique honore.

Porro aliud ſuccedit, & è contemptibus exit.

Quia quod ex uno decedit, alteri accedit. Ita quædam æternitas, quoad fieri poteſt per ſucceſſionem rerum conſervatur. Hom. ιλ. ζ hominum ætatem cum foliorum ortu & natura comparat. Idem ιλ. φ.

Ex ſolido enaſci.

Corpus ſolidum apud geometras, quod triplici dimenſione cōſtat, longitudine, latitudine, & altitudine, ut eſt apud Gell. l. 1. cap. 20. & apud Euclidem lib. 1. opponitur inani ſeu vacuo. Horatius ſatyr. 2. lib 1.

Et inane abſcindere ſolido.

Translatitie ergo ex ſolido enaſci dicitur, quod non tantum ſuperficiem habet, aut cutem ſupremam, ſed plenum eſt & integrum qualiter Donatus enarrat in Andria. Terentii. Sic Curtius libr. 9. Noſtra quoq; gloria cum ſit ex ſolido, plus tamen habet nominis, quam operis Seneca l. 1. c. 1. De clementia: Quibus veritas ſubeſt, quæ (ut ita dicam) è ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in majus meliuſque procedunt.

Τῶν σπαρτῶν γένος.

Genuini atq; generoſi priſce & poetice dicuntur, τῶν σπαρτῶν γένος. Apud Æſchylum in ea tragœdia, quæ à ſeptem ducibus nomen habet, cum nuncius explorator ad Eteoclem reverſus, hoſtium duces ad ſingulas portas collocatos recenſere cœpiſſet, & à Tydeo exorſus, ejus ferociam & jactantiam explicaſſet: quærit ex rege denique quemnā putet huic opponi poſſe. Tum rex, de riſa prius hoſtilis ſuperbia, Melanippum deligit, Aſtaci filium, qui Tydeo videatur poſſe reſiſtere, cum ſit generoſus ac pudore plenus, ſuperbiamque exoſus, & omnem fugiat turpitudinem, atque adeo genuinus ſit civis, ut qui a ſativis hominibus, quibus Mars olim pepercerat, originem ducat. Hæc autem poſtrema Græce ſic leguntur.

Σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο,
ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ' ἐστ' ἐγχώριος.

Quæ verba ex Apollodoro & Thebana hiſtoria ſunt intelligēda: qui tradit, Cadmum Draconis quem occiderat, dentes ſeminaſſe: à quibus cum viri armati extitiſſent, eos mutuis cædibus petiiſſe, quinque tantum ſervatis.

Ovidius quoque Metamor. 3.

Jamque brevis vitæ ſpacium ſortita juventus,
Sanguineam tepido plangebat pectore matrem,
Quinque ſuperſtitibus.

Ex his igitur oriundum vult Menalippum Æſchylus, non ex advenis illis qui cum Cadmo terram occuparant. Nam ſic & Megareū paulo poſt τῶν σπαρτῶν γένους eſſe prodidit, & Creontem in Phœniſſis Euripides.

EX APPEND. IUNII, CANTERI, & aliorum.

Troja non producit Thracem.

Ἀλλ' οὐ δ' ὁ Τροία γεννᾷ ... φαίνεται.

Threicium non Troja virum produxerit unquam.

Significatur, è degeneri proſapia haud naſci generoſum pectus. Diverſa ratione dixit Flaccus:

Nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

extat apud Stephanum. Trojani ob luxum effeminati audierunt: at Thraces bellicoſi ſemper: unde Thracia Martis domicilium Manlio Antiocho fingitur.

Philoſophare cœlum intuens.

Φιλοσόφει τὸν οὐρανὸν βλέπων. Hoc unum eſt, teſte Jamblicho, ex Pythagoræ ſymbolis, quæ non ſecus atque proverbia & veteres ſecretiores celebrant. Cujus ſenſus mihi videtur eſſe: Si te ad veritatis ſtudium conferre velis, rerumque humanarum ac divinarum inveſtigare ac ſcite rationes, quo in genere verſatur Philoſophia; originem tuam ſemper animo oculiſq; tuis obſervari facito, atque tibi mente redeundum, unde profectus es prudenter cogites Origo hominis cœleſtis eſt, ubi omnia mirifico quodā conſenſu teſſi permutur, hoc exemplari propoſito, ſtudia omnia actioneſq; tuas moderare. Unde Græci ἄνθρωπον, quaſi ἄνω ἀθρῶν dici volūt. Quod etiam expreſſit Philo de homine, his verbis ... id eſt. Aliorum oculos depreſſos circumduxit, eoq; nutant in terram: hominis vero erexit, ut cœlum intueatur. Ovid. Metam. 1.

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram;
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre.
Juſſit & erectos ad ſydera tendere vultus.

PARASITI.

ERASMI. *Muſca.*

Μυῖαι olim dicebantur, qui delectantur aliena menſa: quod Plautus moribus comparat, ſemper alienum edentibus cibum. Apud Athenæum l. 6. paraſitus quiſpiam ſe muſcæ confert.

Ἀκλητὸς ἐλθεῖν, μυῖα.

Id eſt.

Quod invocatus cœnitare amo, muſca ſum.

Advolat enim hoc inſectū ad cibum alienum, & ægre poteſt abigi. Apud eundem Hegeſander narrat, quum Alexander dixiſſet ſe morderi à muſcis, (ſive vocabat paraſitos) jamq; conaretur illas abigere, Cineſias unus ejus ordinis qui forte aderat: Profecto aliæ muſcæ ſiticuloſæ magis urgebuntte, ſemel guſtato tuo ſanguine. Extat apologus de erinacio, qui voluit vulpi μυιοσόβης eſſe Plaut. in Mercatore deflexit ad hominem curioſum, & ad omnia advolantem: Muſca est meus pater. Nihil poteſt illum clam haberi. Nec ſacrum nec tam prophanum quicquam eſt, quin ac ſit ibi illico.

Myconiorum more.

Μυκονίων δίκην: id eſt, Myconiorum more dicebantur ad convivium accedere, qui ultro venirent non vocati. Myconus una Cycladum eſt: ipſa gens ob rerū inopiam cogebatur ſeſe cōvivijs ingerere: unde jocus proverbialis Apud Athenæum Archilochus lacerat Periclem, quod invocatus irrueret in convivia, μυκονίων δίκην, quem locum & alibi retulimus. Myconiorum morum veſtigia videas & hodie in quibuſdam hybernis, qua de re clariſſimus vir Gulielmus Moorionius olim fabulam mihi non illepidam recitavit, imo non fabulam, ſed rem ipſo teſte geſtam. Hybernus quidam ignotus, ingreſſus aulam principes tempore prandii, non invitatus accubuit menſæ regiorum ſatellitū. Qui videntes autem peregrinum rogarūt cujas eſſet, profeſſus eſt patriam, rogarūt num quod officium haberet in aula. Nullum inquit, ſed habere cupio. Illo demirantes hominis impudentiā, juſſerunt ſurgere atq; abire. Hoc inquit, faciam, pranſus, quid mutris? Vicit improbitate nec locum macie deſeruit. Hybernus. Tandem ita verſa in riſum, rogarunt hominem qua tandem fronte auſus eſſet ignotus & alienus ſeſe in regiam familiam ingerere. Quoniam, inquit: ſciebam regem ſatis eſſe divitem ad dandum mihi prandium.

Quadra propria.

Et hodie vulgo dicitur, Nihil æque ſapere ut cibum proprium domi ſumptum, Nonius citat hoc hemiſtichium ex Priapeis Catulli:

De meo ligurire libido eſt.

Ligurire dixit, pro guſtare cum voluptate. At dii Homerici maluntinvitari ad nidores hoſtiarum, quam vivere οἰκόσιτοι. Citat & ex Plauti Perſa: Tuburcinari de ſuo, ſi quid domi eſt.

Muris in morem.

Plautus in Captivi duo: Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum. In paraſitos dictum, quibus jucundum eſt aliena vivere quadra. Non conveniunt, nec in una ſede morantur, libertas & cibus alienus: quos eleganter indicat Apologus Æſopicus de mure ſylveſtri & domeſtico. Quin & Græci proverbiali verbo, μυοπωλοῦν dicuntur, qui muris in morem cibi cauſa obambulant, oberrantque. Indicavit hoc Heſychius.

Αὐτολήκυθοι, Ἀλλοτριοφάγοι.

Vide locum, Intemperantia.

Καὶ ... χρηστῶν ...

Vide in eodem loco, in proverbio Αὐτολήκυθοι.

IUNII. Sartaginum pernicies.

Paraſitorum qui ventris gratia amicitiam colunt, non nunc tātum, ſed omnib. pene ſeculis plena fuerunt omnia, ut mirandū nō ſit, cor illos dicteriis proverbialibus paſſim notari, quibus infamis eorum gula traducitur: quæ ſub uno proverbii obtutu, velut ſub una Mycono comprehenſa dabo. Primū igitur ab Eubulo comico λοπαδοφθόροι ſeu λοπαδάγχαι dicuntur illi gurgites, ſeu peſtes & pernicies ſartaginum, cuncta abligurientes. Idem illos vocat apud Athen. ... exitiales gulas, alienarum opum tubulcinatores, Jam & ...

apud

apud Suid. ejuſmodi belluò paraſitus vocatur, q; patellas venetur: & apud eundẽ pariter & Athenæũ κνισοδαίμων, quod veteris ſtudio felicitatem metiatur, ἐνθεσόβολος, idem nominatur, veluti buccearum aut bolorum mancipium: ab ἔνθεσις, quod turundã buccamve denotat. γαστροπλὴξ quoq; Euſtathio teſte, quod abdomini ſerviat. κνισολοιχὸς, majoris vehementiæ vocabulo quam τραπεζολοιχὸς: utrumque tamen audit: hoc quod menſas illingat: illud quod nidorem è cibis ſurgentem ore carpat atq; illingat quodammodo lambente lingua. Huc accedunt: γάστρις, velut ventrio, ab inexplebili alvo: ψωμοκόλαξ apud Philemon. comicum, quod offulas adulabundus carpat: quem Diphilus in Theſeo ψωμοκόλαφον, quod offulas obliguriat: alii ψωμολοίχον appellant, tanquam offularum perniciem. Quin & παντοφάρυγξ, ſeu potius πανταφάρυγξ, idem nuncupatur, quod inexpletus gurges cuncta abſumat, ſive quod inexhauſtum quoddam pelagus illius gula ſit. Talis etiam λεβητοχάρων vocatur Cercidæ Megalopolitani vocabulo, ſive quod lebetibus & à conſequenti ferculis gaudeat, ſive quod eduliorum lebetibus excoctorum veluti Charon quiſpiam ſit inferorum portitor. Additur his & ab Euſtathio θυροκνὰξ, niſi legendum ſit θυρεὸς κναξ, quod alienis foribus inſidietur, alienam quadram lambiens. Videtur & novo vocabulo κυροτράπεζος apud Suidam paraſitus deſignari, veluti teredo & coſſus menſarum. Neque obliterandum eſt Hipponactis dicterium μεσηγυδορποχέστης, quo Bupalum hoſtẽ lacerat, tanquã qui implacabilis voracitatis ſtudio ſæpius inter cœnandum alui ſaburram exoneret, ut depleto ventri, novum onus identidem adjiciat: voce compoſita a μεσηγὺ, & δόρπος, καὶ χέζειν. Quid, quod & Crates Cynicus paraſitos appellare ſolebat συγκατανευσίζωνες, quaſi dicas, ad nutum manducones, quod coẽpulantes aliis, annuere dictis omnibus, ventris cauſa neceſſe habeant.

Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis.

Jocus eſt in paraſitum, gulæ plus æquo deditum, Marulli mimographi, quem M. Antonini Philoſophi & Cæſ. temporibus vixiſſe teſtatur Julius Capitolinus cujus præter Ael. Spartianum meminit & D. Hieronymus adverſus Ruffinum: Tu Hectorem imitaris, ab Ilio nunquam recedis. Alluſum eſt autem ad Ilii, quo Troja cenſetur, nomen ambiguum, cum Ili inteſtino, per quod cibus receptus delabitur. Competet in ſtrenuum gurgitem, qui nunquam helluonari deſinat. Quadrabit & in ganeonem inexhauſtæ libidinis, quippe quum Ilium pro impubio ſeu interfœmineo muliebri accipi ſoleat, atteſtante Heſychio quo ſenſu detortum fuit illud Homericum, Ἴλιον εἴσω: id eſt, Intra Ilium.

BRASSIC. ***In ollis venari.***

Apud Athen. ex Menandri Trophonio paraſitus, ἀθάλαττος ἐν τοῖς λοπαδίοις ἁλίσκεται: tametſi mare nullo unquam tempore attingat, in ollis tamen egregiam capturam aſſequitur. Proverbium in eos competit, quibus nullum vinum gratius eſt quam alienum, qui vere dicuntur κόλακες, ſunt enim juxta Anaxilam comicum, τῶν λαχίτων ὕδρας κόλακες.

Muſca eſt.

Non ignoro paraſitos etiam muſcas appellari, verum in aliam ſententiam Plautus Muſcam eleganti proverbio dixit hominem mirifice curioſum, qui nihil non exquirit atq; penetret. Sic in Mercatore. Muſca eſt meus pater, nihil poteſt clam illum haberi. Nec tam ſacrum, nec tam prophanum quicquam eſt quin adſit ibi ilico.

IOAN. VLP. *Ad ſolarium verſari.*

Dicitur in aſſentatores & paraſitos, & amicos illos ollares, qui curioſe ſolent umbram ſolarii obſervare, & tempus cœnæ inde diſcere. Cicero.

Suave me ſuffocet.

Paraſitorum & gnatonum proverbium eſt. De his qui gulæ, luxui & deliciis dediti ſunt, commode dici poterit, ſuave eos ſuffocare. Chryſoſtomus:

COGNATI. *Chamæleontem imitari.*

In paraſitos dictum. Chamæleon colorum omnium ſimilitudinem exprimit, præterquam albi: ut inquit Plutarchus in libro de Diſcrimine adulatoris & amici: & Ariſt. in 4. De hiſtoria animalium. Sic paraſitus & adulator omnia novit ob oculos proponere præter veritatem, in qua animarum conſiſtit ſalus. Paraſiti enim iſtud Terentiani didicere:

> Quicquid dicunt, laudo: id rurſus ſi negant,
> id quoque: negat
> Quis, nego: ait, ajo: quæſtus is multo nunc eſt
> Ubertimus.

Plutarchus Alcibiadem Chamæleonte mutabiliorem dixit, quod ſe omnium ſtudiis, ac victus rationi adſimulabat. Nihil enim erat, quod non imitando exprimere poſſet, ſive cum bonis eſſet, ſive cum malis. Sic ipſe Ariſt. in 1. Ethic. utitur, & in 4. De partibus animalium. Plin. 28.

Fucus.

Fucos proverbialiter vocamus, qui ex ſudore & ſanguine aliorum ſua comparant commoda, ſuis indulgent voluptatibus. Fuci enim apum laboribus ac melli inſidiantur. Hinc à Vive ſumpta metaphora lib. 2. de Subventione pauperum: Tanquam fuci fruentes alienis ſudoribus. Plin. Nat. hiſtor. l. 2. cap. item 2. fuci (inquit) ſunt ſine aculeo, velut imperfectæ apes, ſerotinus fœtus, & quaſi ſervitia verarum apum: hos peſtilentes apibus dicit, quod nihil operantes abſumunt aliarum apum induſtriam.

EX APPEND. IVNII CANTERI.

Detergere menſam.

Ut ſervis conditione paraſiti proximi ſunt: ita eorum quoque moribus lepide & copioſe exprimendis, idem comicus urbanam ſuam ruſticitatẽ ingenii varietate amœnitateq; temperavit: adeo ut non verear dicere, ipſum Græcis omnibus ſi non anteſtare certe optimis parem eſſe. Et quidem ſupra in proverb. Sartaginum pernicies, Junius noſter ex iiſdem fontibus, unde propediem ſuum omnigena lectione inſtructiſſimũ Nomenclatorem emiſſurus eſt, pleroſq; paraſitorum titulos vulgo inauditos propoſuit. Nos vero hic uno contenti erimus, dum cætera opportuniore loco expoliamus. Paraſitus initio Menæchmorum:

> Juventus nomen fecit Peniculo mihi.
> Ideo quia menſam, quando edo, detergeo.

Similitudinis ea eſt ratio, quod ab iis quæ terguntur, omnia aſcititia ut ſordes adhærentes, impedimẽta aliaq; auferri ſoleant. Græci vero, audaciores Latinis, paraſitum fingunt poſt abſumptas epulas, menſæ impoſitas, arrodere, imo devorare ipſas menſas, vocant enim κνισοτράπεζοι & τραπεζοφάγοι.

Muſca eſt.

Charinus in Mercatore: Muſca eſt pater meus, nihil poteſt clam illum haberi. Nec ſacrum nec tam profanum, quicquam eſt, quin ibi ilico adſit. Nota eſt muſcarum natura, quovis ſe ita confeſtim penetrantiũ, ut nulla re abigi poſſint, unde & paraſiti muſcæ, tom. 1. 355. Quadrabit in omnes alienarum rerum mire diligentes, ſuarum negligentes: item eos, quib. unum ſtudium eſt omnia inquirere. Aggeram ex eodem pauca ejus generis. Palæſtrio ad Pleuſidem: Sed ſpeculabor ne quis aut hinc à læva aut a dextera noſtro conſilio venator aſſiet cum auritis plagis. Idẽ paulo infra ad Pyrgopol. Circũſpicito dum, ne quis noſtro hic auceps ſermoni ſiet. Et mox Milphidippa. Nunc quiſnam hinc prope adeſt, qui rem alienam potius curet, quam ſuam: Qui aucupet me, quid agam, qui de veſperi vivat ſuo? Atque hæc quidem ab aucupibus mutata accepit ut a fabris illa Pægnii verba ejuſdem cum prioribus notionis. Nunquam hercle iſtuc exterebrabis tu, id eſt, ut ſimili, ſed notiore metaphora utar, exculpes, ullo modo reſciſces.

PAVPERTAS.

ERASMI. *Nec obulum habet unde reſtim emat.*

Proverbialis hyperbole, in eos qui maxima rei familiaris inopia laborant Lucianus in Thimone: χθὲς μηδὲ ὀβολὸν, ὥστε πρίασθαι βρόχον ἐχόντας, id eſt, qui pridie ne obulum quidem habebãt, quo laqueum emerent. Pauperrimus autem ſit oportet, qui tenuitatis tædio ſeſe laqueo præfocare velit. Porro plus quam pauperrimus videtur, cui ne nummulus quidem ſuppetit ut reſtim emat, qua ſe ſuſpendat.

Nudior leberide.

Γυμνότερος λεβηρίδος: id eſt, Nudior leberide: de vehementer tenuibus. Leberis enim ſerpens exuvium ſignificat, quo nihil eſſe poteſt inanius. Accidit autem hoc omnibus fere, quæ cortice integuntur, ſed molliore velut ſtellioni, lacertæ, præcipue ſerpentibus: atque hæc ferme bis exuunt vere & autumno. præſertim vipera. Serpenti primum ab oculis incipit decedere pellis, ita ut obcæcari videatur iis qui rem non intelligunt: atque una nocte & die ſenectus tota exuitur à capite uſque ad caudam. Ex inſectis re juveneſcunt ſylva & culex eaq; quorum pennæ obteguntur, ut ſcarabæi, item locuſtæ & cicadæ In genere mari norum exuit & cancer, idq; ſæpius anno. Atque hoc exuvium Græcis etiam σύφαρ dicitur: cujus mira ſentitur cum levitas, tum ſiccitas, univerſo humore in novum fœtum conſumto. Author Ariſt. libr. De nat. animantium 8. Ait Suidas, Leberidem hominem fuiſſe ſupra modum pauperem, ita ut vulgari ſermoni locum fecerit Athenæus in Dipnoſophiſtis? κενὸν δεῖξας αὑτὸν κενότερον λεβηρίδος, id eſt; Oſtendis teipſum inaniorem leberide.

Iro, Codro pauperior.

Iri & Codri paupertas proverbio locum fecit.

Ovidius:

> Irus erit ſubito, qui modo Crœſus erat,
> Tota domus Codro rheda componitur una.

De Iro mentionem facit Homerus Odyſſeæ σ. ſcribitque eum publicum fuiſſe mendicum apud Ithacenſes, corpore ſpecieq; prægrandi,

grandi, à matre dictam Arnæam, à juvenibus Irum fuiſſe nominatum. quod ii, & nuncius, quo uſus eſſet. Cum hoc commiſſus Ulyſſes, cum haberetur & ipſe pro medico, ejicit hominem. Quin & Hecale paupertate nobilis eſt. hujus meminit Plautus in Ciſtellaria: Siquidem eris ut volo, nunquam Hecale fies. Meminit & Ovidius:

Cur nemo eſt Hecalem, nulla eſt, quæ ceperit Irum?
Nempe quod alter egens, altera pauper erat.

His formulis quod modis uti liceat, in operis ingreſſu ſatis oſtendimus.

Nudior paxillo.

γυμνότερος παττάλου: id eſt, Nudior paxillo De extremæ paupertatis homine dicebatur hæc hyperbole. Nam paxillis corticem quoque detrahimus.

Telenico pauperior.

Τελενίκου πτωχότερος, id eſt, Telenico pauperior: Nam is uſq; adeo notæ paupertatis fuit, ut Seriphii verbum inde finxerint, dicantque τελενικεύειν, pro evacuare.

Ne in pelle quidem.

Οὐδ' ἐν δέρματι: id eſt, ne in pelle quidem. Hyperbole proverbialis de ſupra modum tenuibus: velut uſq; adeo nudis, ut ne pelle quidem in propria tegantur. Commemoratur à Suida.

Nudus tanquam ex matre.

γυμνὸς ὡς ἐκ μητρός: id eſt, Nudus ut ex matre. Proverbialis hyperbole de vehementer paupere, ſimi enim naſcimur, ac ne pilis quidem tecti, nedum veſtibus: quod non item in cæteris animalibus accidit. Hoc dictum & hodie vulgo noſtrati eſt in ore, Tam nudus quam natus erat. Huic ſimile alibi refertur. Tanquam è naufragio.

Araneas ejicere.

Habet illud quoque proverbii ſpeciem, quod eſt apud eundem in eodem opere:

Ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια.
Id eſt:
Vaſis ejicias, quas nectit aranea telas.

Sic enim ſignificant inanitatem & inopiam etiam hodie ad eundem modum Catullus:

—Nam tui Catulli,
Plenus ſacculus eſt aranearum.

Quo dicto nunc nihil eſt vulgo vulgarius. Lucianus in Pſeudologiſta: εὐρῶτος καὶ ἀραχνίων μεστά, id eſt, Carie & araneis differta.

Cum exoſſis ſuum rodit pedem.

Heſiodus in opera & dies, ſignificavit egeſtatem his verbis:

Ὅτ' ἀνόστεος ὃν πόδα τένδει.
Id eſt:
Quando pedes edit ipſe is qui caret oſſe.

Exoſſem vocat polypum, quod oſſib. careat. Is creditus eſt nonnullis ſua brachia rodere, cum deeſt cibus: eſt enim edaciſſimus. Quanquam Plin. exiſtimat id illi accidere à conchis: verum præcila renaſci credit, quemadmodum caudas lacertis. Alcæus apud Athenæum lib. 7.

ἔδω δ' ἐμαυτὸν ὡς πολύπους.
Id eſt:
Comedo meipſum more polypi.

Unde & αὐτοφάγος dictus. Verum hanc opinionem & Athenæus rejicit.

Macilenta manu pinguem pedem.

Heſiodus in opere quod inſcripſit, Opera & dies, velut ænigmate quodam explicuit paupertatem.

Λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζῃς.
Id eſt,
Gracili autem manu pinguem pedem premas.

Manus enim gracileſcunt fame, pedes intumeſcunt frigore, Carmen ſic habet:

Μή σε κακοῦ χειμῶνος ἀμηχανίη καταμάρψῃ
σὺν πενίῃ, λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζῃς.
Id eſt:
Ne te deprendant inopem mala tempora brumæ,
Atque pedem premere incipiat manus arida pinguem.

Venuſtius erit, ſi longius transferatur, ad viaticum parandum ſenectuti, aut ſimilia.

Pedem ubi ponat, non habet.

Et illa proverbialis hyperbole videtur apud Ciceronem frequens: Pedem ubi ponat, non habet, pro eo quod eſt, ne tantillum quidem agri poſſidet. Libr. Epiſt. ad Attic. 13. Ariobarzanis ilius Romam venit. vult, opinor regnum aliquod emere à Cæſare. Nã quomodo nunc eſt, pedem ubi ponat, in ſuo non habet Idem Philippicarum ſecunda: Quid erat in terris, ubi in tuo pedẽ poneres? Rurſum lib. 7. ad Atticum. Pedem in Italia video nullum eſſe, qui non in iſtius poteſtate ſit. Idem lib. De finibus 4. Quid enim ſapientia, pedem ubi poneret, non habebat, ſublatis officiis omnibus. Conveniet autem in hominem inſigniter tenuem atq; inopem, cui ne veſtigium quidem pedis ſit in agrorum poſſeſſionibus. Apud eundem eſt jocus in fundum, quem poſſis mittere funda.

Piſtillo nudior.

Ὑπέρου γυμνότερος, id eſt, Piſtillo nudior. De vehementer tenui. Cognatum illi, πασσάλου γυμνότερος: id eſt, Paxillo nudior. His enim cortex detrahitur.

Cinclus.

Κίγκλοι, id eſt, Cincli, ruſticano proverbio dicebantur præter modum pauperes, quibus neque domus eſſet, neque quicquam quod ſuum poſſent dicere. Qualem Catullus deſcribit Furium, cui neque villula fuerit, neque domus, neque arca. Cinclus enim avis quædam eſt imbecillis, atque invalida, atque ut non poſſit ipſa ſibi proprium nidum parare: proinde ova nidis ſupponit alienis. Unde & ruſtici verterunt in adagionem, ut mendicos & errones Cinclos vocent. Autor Ælianus lib. De naturis animantium 12. Quod genus homines Græci ἀοίκους vocant: hoc eſt, expertes penatũ. Suidas tradit Cinclum avem eſſe maritimam, gracilem, nulloq; ferme corpore, cui peculiare ſit clunium pennas ſubinde movere: unde & nomen additum σεισοπυγίς, nimirum ab agitatione caudæ. Eam proverbio feciſſe locum, quo Menander ſit uſus in Thaide:

Πτωχότερος εἶ λεβηρίδος καὶ κιγκάλου.
Id eſt:
Mendicior leberide atque cinclo.

Hinc κιγκλίζειν dici, pro eo quod eſt, commoveri, & obſtrepere.

Pauper, ſed ingenioſus.

In hominem tenui cultu, ſed egregio tamen corpore quadrabit illud ex Odiſſe.

Οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει.
Id eſt:
Quos profert ſenior pannis è vilibus armos.

Dictum eſt de Ulyſſe, certaturo cum Iro. Lucianus in Herculi Gallico, torquet ad ſenem ingenio facundiaq; præcellentem.

Multa docet fames.

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.
Id eſt:
Fames magiſtra eſt artium compluriũ.
Ovidius.
Ingenium mala ſæpe movent: —
Perſius:
—Ingeniique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Centro & ſpatio circumſcripta.

Plutarchus in præceptis civilibus: ἂν δ' ἢ τὰ τῆς οὐσίας μέτρια, καὶ κέντρῳ καὶ διαστήματι περιγεγραμμένα πρὸς τὴν χρείαν, id eſt: Quod ſi facultates modicæ fuerint, & centro & ſpacio circumſcriptæ ad uſum. Sẽtit fortunas tam anguſtas ut niſi certa dimenſione diſpẽſentur, nõ ſint ad neceſſarios uſus ſuffecturæ. Veluti qui ſupputatione facta, quantum habeant annui cenſus, ſubducunt quantum quoq; menſe, quaque hebdomade, quoque die poſſunt impendere. Quod ſi hoſpitis adventus, aut ſimilis caſus fecerit ſumptus paulo largiores, id ſequentium dierum parſimonia ſarcitur, ne non conſtet ratio. Idem de futili loquacitate docet, reſpõſionem eſſe κέντρῳ καὶ διαστήματι circumſcribendam, ne quid reſpondeatur ultra quam requirit percontatio. Quidam enim de uno interrogati, reſpõdent de pluribus. Metaphora tranſlata eſt à circulo, qui fit circino circumducto: in medio centrum eſt immobile, hinc ſpacium undiq; æquale ad lineam obeuntem. Unde & circumſcripta dicuntur, quæ certis finibus continentur.

Paupertas ſapientiam ſortita eſt.

Πενία δὲ τὴν σοφίαν ἔλαχε: id eſt, Paupertas ſapientiam ſortita eſt. Zenodotus citat ex Euripide. Alii tribuunt Ariſtophani. Ignava eſt opulẽtia, verum inopia multarum artium repertrix eſt: id quod ipſa jactat apud Ariſtophanem in Pluto, artium omnium inventionem ſibi vendicans. Vergilius:

—Labor omnia vincit
Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.
Ovidius:
Ingenium mala ſæpe movent. —
Perſius:
Magiſter artis, ingenique largitor
Venter —

Circumfertur hic quoque verſiculus apud Græcos:

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.
Magiſtra multorum improba exiſtit fames.

Xenophon πενίαν appellavit σοφίαν αὐτοδίδακτον, ἡ γὰρ ὥσπερ τοὺς λόγους πείθουσα, αὕτη τοῖς ἔργοις ἀναγκάζει: hoc eſt, ſapientiam, quæ citra doctorem contingit, etenim quod hæc perſuadet oratione, ad hoc illa re ipſa compellit. Theocritus in Piſcatoribus:

Ἁ πενία Διόφαντε μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.
Αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος. —
Unica paupertas Diophantes ſuſcitat artes.

Ipſa

ipſa laborandi doctrix, ſtudiique magiſtra.

Huc ſpectat & illud, quod Jupiter aurei ſeculi tam paratam rerum copiam ſui movit:

Ut varias uſus meditando extunderet arteis.

Item Mimus ille non elegans:

Hominem experiri multa paupertas jubet.

Poteſt & illuc referri proverbium, quod videmus accidere, neſcio quomodo ut penes Midas & improbos homines ſit opulētia, doctiq; probiq; fere tenui ſint fortuna. Qui quidem de re extant duo problemata, Ariſtotelis titulo: quorum altera rogat, qui fiat, ut paupertas apud probos viros plerunque verſetur. Redditque hujuſce rei varias cauſas, ſive quod improbi per fas nefaſque malunt parare divitias, quam cum paupertate cōtubernium diutinum habere: proinde fugit illos, quibus videatur maximorum flagitiorum occaſio futura, ad illos deflectit quos exiſtimat ſeſe recte modeſteq; uſuros. Sive quod inops & virium & conſilii, (quippe fœmina) plus auxilii ſibi futurum ſperat apud πολυδάκρυας ἄνδρας (ut habet proverbium.) Sive quod cum ipſa ſit mala, malos vitat: ne ſi πῦρ ἐπὶ πῦρ, id eſt, malum acceſſerit malo, jam fiat intolerabile atq; immedicabile. In altero rogat quid in cauſa ſit, ut opes a malis fere poſſideantur, non item à bonis. An quia cæcæ ſunt, inquit, & ob id errant in delectu? Hæc quoniam poeticen ac ſophiſticen ſapiunt magis quam philoſophum, præſertim ſerium, vix mihi ſit veriſimile, ab Ariſtotele fuiſſe profecta. Quod autem dixit de cæcis divitiis, id ſumptum eſt potiſſimum ex Ariſtophanis Pluto. Quo loco Plutus qui Deus eſt divitiarum, rogatus, unde cæcitatis malum obtigiſſet respondit ad hunc modum:

ὁ Ζεύς με ταῦτ' ἔδρασεν ἀνθρώποις φθονῶν,
ἐγὼ γὰρ ὢν μειράκιον ἠπείλησ' ὅτι
ὡς τοὺς δικαίους καὶ σοφοὺς καὶ κοσμίους
μόνους βαδιοίμην· ὁ δ' ἐμ' ἐποίησεν τυφλὸν
ἵνα μὴ διαγιγνώσκοιμι τούτων μηδένα.
οὕτως ἐκεῖνος τοῖσι χρηστοῖσι φθονεῖ.

Id eſt,

Hoc me malo mulctavit ipſe Juppiter,
Rebus videlicet invidens mortalium.
Nam olim puer minabar id fore, ut ad probos,
Doctos, modeſtos, tantum adirem: at Juppiter
Oculos in hoc ademit, ut ne quempiam
Horum liceret jam mihi dignoſcere,
Adeo bonæ ille frugis invidet viris.

Hunc locum imitatus Lucianus in Timone, conſimilia quædam de Pluto narrat: quem non cæcum modo facit, verum etiam claudum: cæcum quidem ſemper, ac tum demum claudicantem, quoties ad bonos viros mittitur, alias pedibus perniciſſimis.

Ad incitas.

Quoties urgeret extrema neceſſitas, his res dicebatur ad incitas rediſſe Plautus in Trinummo: Hem nunc hic cujus eſt, (ſubaudi ager) ut ad incitas redactus. id eſt, ad extremam inopiam. Idem in Pœnulo: Tace modo, profecto ad incitas lenonem rediget, ſi eas abduxerit. quin potius peribit ſaxo, quam unam calcem civerit. Sed haud ſcio an hic legendum ſit, unum calcum civerit. Nonius Marcellus admonet incitam dici egeſtatem: & verum dicit, ſed non abſque tropo. Nam in his duobus locis quæ retulit è Plauto, extremam quidem inopiam ſignificat: at non ſtatim ubicunq; poſitum incitæ, ſignificatur egeſtas. Lucilius incita dixiſſe videtur in neutro genere: illud ad incita quum redit, atq; internecionem. Item. Commanducatus corrupit, ad incita adegit. At Iſidorus lib. 18. uſurpavit genere maſculino: Calculi, inquiens, partim ordine moventur, partim vagi: qui vero moveri omnino non poſſunt, inciti dicuntur. Cio, moveo eſt: inciti quaſi immobiles, quos Græci dicerent ἀκινήτους. Satis liquet, proverbium ductum à luſu calculorum, in quo erant certæ lineæ, ad quas redactus calculus moveri jam non poſſet. Quadrabit & in eos, qui confutati manifeſtis argumentis, non habent quod reſpondeant: quod Dialectici vocant Metam, ſilentii.

Quum ſis nanus, cede.

νάνος ὢν ὕπεικε, id eſt, Nanus quum ſis, cede. De puſillis dictum: Nam nani homunciones appellantur infra modum humani corporis, & prodigioſæ brevitatis. Juvenalis.

——Nanum Atlanta vocamus.

Νάνος enim Græce dicitur quaſi μὴ ἄνω, quod non excreſcat in altum. Citatur Theophraſtus qui ſenſerit nanos dici qui pudendum membrum ſit juſto majus, quod in hoc hominum genere inveniri probabile eſt. Quadrabit in tenues & humilis fortunæ homunculos, ac, quemadmodum ait Horatius, moduli bipedalis, qui potentes ſumptu conantur æquare.

Ne tempeſtas quidem nocere poßit.

In homines inſigniter nudos & inopes, non ſine proverbii ſpecie dixit M. Tullius actione in Verrem 5. Cæteros Leontinos quibus nō modo Apronius in agris, ſed ne tempeſtas quidem ulla nocere potuit, expectate noſtte. Etenim non modo incommodi nihil ceperunt, ſed etiam in Apronianis illis rapinis, in quæſtu ſunt compendioque verſati, &c. Alluſum eſt autem in Apronii vocabulo ad aprum Calydonium. Et qui poſſident aliquid rerum, aut habent in agris, aut in mari: his tempeſtas nocere poteſt. Cui vero nulla tempeſtas nocere poteſt, is nec in agris poſſidet quicquam, ut agricolæ: nec in navibus, ut negociatores.

Λιμοδωριεῖς.

Λιμοδωριεῖς In proverbiorum Collectaneis, quæ Plutarchi nomine feruntur, hujuſmodi reperio fabulam. Cum aliquando Peloponeſus annonæ laboraret inopia, quidam urgente fame, collectis ſarcinis, inde demigrarunt: ii cum in certis ſedibus huc atq; illuc vagarentur, recepti ſunt in civitatem a Tripolitis, Tripolis autem ea in Rhodo eſt. Nomen igitur inditum illis, ut dicerentur λιμοδωριεῖς. Heſichius addit ex authoritate Didymi, eos qui juxta Oetam accolebant, ſi vocatos, quod ob terræ ſterilitatem frequēter cum fame rem habebant, δωριεῖς Græce dici videntur à dono & eundo. Itaque qui vagantes famem adferebant, λιμοδωριεῖς dicti ſunt. Alioqui Dores non ſunt in Peloponneſo, ſed inter Locros & Ætolos: Autor Strabo libro nono. Quadrabit igitur in eos, qui fame adacti, aliquo demigrant: velut Italorum vulgus fere hoſpites omnes λιμοδωριεῖς appellat, ſeu fame compulſos ad eam viſendam regionem. Feſtus Pompeius admonet, homines exili re tenuique fortuna, dictos olim Canalicolas: quod circa canales fori conſiſterent.

Omnia præter animam.

Quum nihil non datum ſignificamus, præter vitam, dicimus omnia tradita præter animam. M. Tul. pro Roſcio Amerino. Quod ſi tibi cauſa nulla eſt, quur hunc miſerum tanta calamitate affici velis, ſi tibi omnia ſua præter animam tradidit, nec ſibi quicquam paternum ne monumenti quidem cauſa reſervavit, &c. Simili figura animam debere dicuntur, qui plus quam omnia debent. Terentius. Quid ſi animam debet? Rurſus omnia debet præter animam.

Zonam perdidit.

Zonam perdidit Caſtrenſe proverbium in ἀζωνάτους, id eſt, eos qui nihil habent nummorū. A Græca quadam fabula tractum Acrum admonet Porphyrion a militum cōſuetudine, qui quicquid habent, in zona ſecum portant. Cujuſmodi ſane hominem perquam venuſte deſcribit Lucilius, citante Nonio:

Cui neque jumentum eſt, nec ſervus, nec comes ullus.
Bulgam, & quicquid habet nummorum, ſecum habet omne:
Cum Bulga cœnat, dormit, lavat omnis in una
Spes hominis Bulga, hac devincta eſt cætera vita:

Nam Bulgam appellat Lucilius folliculum, ſive crumenam, & ſacculum de brachio propendentem. Sic enim & Horatius:

Suſpenſi lævo tabulas, loculoſque lacerto.

Tametſi Feſtus Bulgam Gallicum vocabulum autumat. Conſimili modo Gracchus loquitur apud Gellium: Cum Roma profectus ſum, zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inaneis retuli. Horat. in Epiſtolis:

Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit. ——

Plautus in Pœnulo: Tu qui zonam non habes, qui in hanc veniſti urbem? aut quid quæritis? In quibus Plauti verbis duplex eſt alluſio, & ad veſtem: Pœnorum more diſcinctam, & ad pecuniam quæ in zona geſtatur, citra quam in urbe ſumptuoſa non ſat commode vivitur. Peſcennius Niger apud Spartianum vetuit, ne milites zonam ſecum deferrent in bellum: ſed ſi quid haberent pecuniæ, publice commendarent, recepturi poſt prælium: ſimul & ipſis luxuriei materiam eripiens & hoſti prædam, ſi quid adverſi eveniſſet. Eſt apud Lampridium in Alexandro: Miles non timet, niſi veſtitus, calceatus, armatus, & habens aliquid in zona.

Animam debet.

Τὴν ψυχὴν ὀφείλει: id eſt, Animam debet. Donatus proverbium eſſe admonet, de eo qui immodico ære alieno teneatur, ut plus quam omneis facultates debeat, ac denique ſeipſum debeat. Terentius in Phormione: Quid ſi animam debet? Erat enim antiquitus lex, ut qui ſolvendo non eſſet, is nexus addiceretur creditori luiturus corpore, id eſt opera, quod ære non poſſet. Extat apud Gellium lex 12. tabularum, quæ jubebat diſſecari corpus ejus, qui multis creditoribus deberet, nec eſſet ſolvendæ rei.

Non habet cui indormiat.

Theocritus in Hodœporis:

Οὐδὲ γὰρ εὐμάλλου τῷ δεσπότᾳ ἐς τὶ καθεύδειν,

Id eſt:

Rumatæ ſiquidem domino nec vellus erat, cui indormiret.

Hoc colore Lacon paſtor deſignat extremam caprarii cujuſdam inopiam, cui nec pellis eſſet hircina, in qua ſomnum caperet. Solebant enim veteres in animantium tergoribus & diſcumbere & dormire. Apud Homerum proci in bubulis tergoribus agitant convivia. Et hodie, dicimus. Non habet lectum: aut, Non habet Stramenta quibus indormiat.

Fames Melia.

Λιμὸς μηλιαῖος, id eſt, Fames Meliæa. De fame extrema, deque rebus difficillimis. Eſt enim Melus oppidum, Theſſaliæ, quod Nicias Athenienſium dux obſedit, expugnavitque non tam machinis bellicis, quam fame. Hæc ferme Suidas. Idem efferit hoc pacto: λιμῷ μηλίῳ, fame Melia. Meminit hujus hiſtoriæ Thucydid. in 5. Proverbium eſt apud Ariſtophanem in Avibus:

Τοὺς δ' αὖ θεοὺς ἀπολεῖτε λιμῷ μηλίῳ.

Id eſt:

Iterum deos fame enecatis Melia.

Saguntina fames.

Saguntina fames, conſimili ratione in proverbiū venit, Hiſtoriæ meminerunt T. Livius, Valerius Maximus, & M. Tullius in Philippicis. Eſt autem Saguntum Hiſpaniarum oppidum, juxta flumen Hiberum, ſocietate, fœdereq; conjunctum cum Romanis. Id longa Pœnorum obſidione fameque eo redactum eſt, ut cives extructo in foro igni, quicquid erat precioſarum rerum, in eum conjicerent: ac poſtremo ſe, ſuoſque liberos eodem præcipitarent, ne venirent in hoſtiū manus. Auſonius: Jam jā Peruſina, jam Saguntina fame Lucaniacum liberet. Græca vehementem & intolerandam famem, quæq; λειποθυμίαν inducat, βούλιμον appellant, & βουλιμιᾶν dicuntur, qui animo deficiunt, præſertim ob inediam. Ariſtoteles ſectionis vij. problemate quarto. quærit, quur in frigore & hybernis menſibus homines magis βουλιμιῶσι (nam hoc verbo utitur) & quam Ariſtoteles vocat βουλιμίαν, Theodorus vertit famem caninam, Mos erat olim apud Græcos famem virgis ex ædibus ejicere, dicentes: ἔξω βούλιμον, ἔσω δὲ πλοῦτον καὶ ὑγίειαν, id eſt, Foras famem, intro divitias & ſanitatem.

Famis campus.

Λιμοῦ πεδίον, id eſt, Famis campus. In civitates dicitur, ingenti fame preſſas. Eſt autem locus quiſpiam hoc nomine. Adduut, cum aliquando illic ſumma fame laboraretur, apud Athenienſes oraculum admonuiſſe, ut famem loco deſignato, certis piaculis placarent: illi deſignarunt campum, qui eſt poſt æratium. Atque hinc eum locum famis campum appellant.

Aquam bibens nihil boni parias.

Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

Id eſt,

Aquam bibens probum & utile paties nihil.

Hujus autorem ferunt Demetrium Halicarnaſſeum: cujus ſenſus eſt, à poetis nihil præclarum aut poſteritate dignum aut venuſtū proficiſci, ſi biberint aquam, hoc eſt, ſi pauperes fuerint & tenui victu. Horatius:

Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.———

Item Juvenalis.

Quod ſi Vergelio puer, & tolerabile dt ſit
Hoſpitium, caderent omnes à crinibus hydri,
Surda nihil gemeret grave bucina.———

Idem.

—Satur eſt cum dicit Horatius, Ohe,

Demetrii Halicarnaſſei diſtichon hujuſmodi citatur à Zenodoto: etiamſi, in epigrammatis refertur Niceratitit.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ,
Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

Quanquam apud Athenæum ſecus refertur verſus prior.

Οἶνός τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ.

Id eſt:

Sane magnus equus lepido ſunt vina Poetæ.

Iidem verſus referuntur ab Athenæo, ſecundo Dipnoſophiſtarū libro, ex epigrammate quodam quod quidam ſcripſerat in Gratinum, qui frequenter in comœdiis taxatur ut vinoſus. Quin & Horat. eloquentiam vino tribuit:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Martialis: Poſſum nil ego ſobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poetæ,

Ariſtoteles libro de naturis animantium viij. Pſittacum loquaciorem fieri putat, ſi vinum biberit.

Non eſt Dithyrambus, ſi bibat aquam.

Οὐκ ἔστι διθύραμβος, ὅταν ὕδωρ πίνῃ.

Id eſt:

Haud Dithyrambus eſt, aquam ſi potitet.

Non adeſt hylaritas, quum deeſt vinum: languet poetarum ingenium ni vino coaleſcat. Unde, teſte Flacco.

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus. &:
Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſilit dicenda. &:
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.———

Quin, ut refert in Sympoſiacis Plutarchus, Æſchylus tragœdias ſuas potando ſcripſit: Excitat enim vinicalor inveniendi vim, quæ torpet nonnunquam in jejunis, movet phantaſias, addit impetus, ſubministrat fiduciam. Addit Gorgiam non recte ſuam tragœdiā Marti tribuiſſe, cum Baccho magis ſit adſcribenda. Dithyrambi canebantur in honorem Bacchi: qui & ipſe διθύραμβος dictus eſt, quod bis natus velut è duabus januis prodierit.

Pauſone mendicior.

Παύσωνος πτωχότερος, id eſt, Pauſone mendicior. Pauſon pictor quiſpiam fuit, inſigni tenuitate, quemadmodum apud Juvenalem Codrus. Hunc notat Ariſtophanes in Pluto: apud quem cum Peniæ exclamaſſet, ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει, id eſt, O urbs Argos, quod ait, audi: reſpondet Chremilus, Παύσωνα νῦν κάλει τὸν ξύσσιτον, id eſt, Pauſonem adhibe tibi convivam.

Sterilior Agrippo.

Ἀκαρπότερος ἀγρίππου, id eſt, Sterilior Agrippo Laconicum adagium eſt, de iis qui extremæ ſunt paupertatis, neque quicquam fructuum poſſident. Quadrat & in ignavos, nulliuſq; induſtriæ homines. Lacones oleam ſylveſtrem agrippum vocant. Tantum Zenodotus & Suidas.

Trium dierum commeatum.

Trium dierum commeatus, cum inſtare paupertas extrema ſignificatur. Tranſlatione ducta à militum commeatu. Et apud Ariſtophanem cum alias, tum in Acharnenſibus:

Κἀμοὶ ἀποτρεῖν σιτί᾽ ἡμερῶν τριῶν.

Id eſt:

Mihique ut reſervem commeatum tridui.

Interpres addit, antiquitus in bellum ituris edici ſolere, ut ſibi tridui non minus commeatum pararent. Meminit & in equitibus:

Ἐγὼ παρέξω καὶ τοῦτο ἡμερῶν τριῶν.

Id eſt:

Præbeo & iſtum quod ſat eſt intriduum:

Porro tridui commeatum dicemus minimas facultates, quæ vix ad tridui victum ſufficiant. Non diſſimili figura Terentius in ſe ipſum excruciante, dixit Decem dierum familiam.

Qui eget, in turba verſetur.

Etiam hodiernis temporibus vulgo jactatur fabula de cæco mendico, qui jubebat miniſtro ut eo ſe duceret, ubi magna eſſet hominum procella, addens ſententiam populari joco celebrē, ibi quæſtum eſſe, ubi ſit hominum frequentia. Homer, item Odyſ. ρ.

Πτωχῷ βέλτερόν ἐστι κατὰ πτόλιν, ἠὲ κατ᾽ ἀγροὺς
δαῖτα πτωχεύειν.———

Id eſt:

Mendica præſtat populoſa per oppida cœnam
Mendicare ſuam, quam ruri.———

Quærenda facultates, deinde virtus.

Δίζεσθαι βιοτήν, ἀρετὴν δ᾽ ὅταν ᾖ βίος, id eſt, quærendus victus, virtus autem, ubi victus adfuerit. Refertur à Diogeniano. Hoc proverbium Horatius ſic effert in Epiſtolis:

O cives, cives, quærenda pecunia primum.
Virtus poſt nummos.

Per ironiam autem dictum eſt. Neque enim hoc ſentit Horatius, prius habendam eſſe rationem facultatum quam morum. Sed irridet ſententiam vulgo decantatam: quam his quoq; temporibus pleriquc parentes liberis ſuis ſerio inculcant.

Mendico ne parentes quidem amici ſunt.

Πτωχῷ φίλοι οὐδ᾽ οἱ γεννήτορες, id eſt, Mendico ne parentes quidem amici ſunt. Divitiæ conciliant amicos, Paupertas nec illos habet amicos, quos natura conjunxit. Tantum valet in hominum vita, cujus nomen tum oportuit eſſe leviſſimum, ſi res non ex noſtris cupiditatibus, ſed ex uſu metiremur.

Omnem facultatem indutus eſt.

Ἅπασαν τὴν οὐσίαν ἠμφίεσται: id eſt, Univerſam ſubſtantiam indutus eſt. De paupere, qui præter veſtitum nihil præterea rerum poſſidet: alioquin ἄοικος καὶ ἀνέστιος. Quod quidem & hodie vulgato joco dicunt, ad hūc modum: Cum ſubſilio, facultates omnes meæ commoventur. Notum illud, Biantis philoſophi dictum. Omnia mea mecum porto. Plautus in Rudentibus: Hoc quod induta ſum ſummæ opes.

Cleomenes ſuperat cubile.

Ὁ Κλεομένης τοῦ σκίμποδος περιέχει, id eſt, Cleomenes cubile ſuperat. De eo qui magis abundaret rebus ſuper vacaneis quam neceſſariis. Ductum apparet a quopiam, corpore quam pro lectuli modo majore. Sicut & Juvenalis:

Lectus erat Codro, Procula minor.

Certiſſima paupertas.

Sententiā proverbialem refert Junius Columella, libro de reruſtic. 12. c. 2. Præparatus igitur receptaculis, oportebit ſuo quicque loco generatum, atque etiam ſpeciatim nonnulla diſponere, quo facilius, quum quid poſtulabit uſus, recipere poſſit. Nam vetus proverbium eſt, paupertatem certiſſimam eſſe, quum alicujus indigeas, uti eo nō poſſe, quia ignoretur ubi projectum jaceat, quod deſide-

deſideratur. Hactenus Columellæ verba retulimus. Sentit autem ni fallor, ſi quis habeat domi, quod quum utendum eſt, inveniri nō poteſt, eum magis egere eo quod habet, quam ſi non haberet. Etenim qui non habet, rogat aliunde commodato: qui habet, ubi ventum eſt ad articulum quo ſit utendum: nec ſuum habet, quod ubi ſit neſcit: nec alienum habet, quo poſſit uti.

Oſtiatim.

Eleganter, nec ſine proverbii ſpecie M. Tullius dixit Oſtiatim, pro ſingulatim ſive nominatim, in Verrem actione 6. Hic nolite expectare, dum ego hoc crimen agam oſtiatim: ab Æſchylo Tyndaritano pateram abſtuliſſe, abs Thraſone ita Tyndaritano patellā, &c. Jucundius erit, ſi transferatur ad res animi: ut ſi quis è ſingulis libris aut capitulis autorū petat teſtimonia aut probationes, dicetur oſtiatim petere. Eodem ferme ſenſu ad Atticum lib. 2. epiſtola, Accepi aliquot, dixit κατ' ἄλφιτα: Ac ne forte quæras κατ' ἄλφιτα de ſingulis rebus: univerſa res eo eſt deducta, ſpes ut nulla ſit.

Theagenis pecunia.

Θεαγένους χρήματα, κατ' Αἰσχίνην, id eſt, Theagenis pecuniæ quemadmodum Æſchinis Jocus proverbialis in eos, qui pauperes quū eſſent tamen divites haberi volebant. Hoc morbo notatus eſt uterque & Theagenes & Æſchines. Unde cognomen his additum, πλοῦτος, a Sello quopiam inepte ambitioſo: qui quum re eſſet perquam tenui, tamen affectabat videri locuples: unde qui hoc morbo laborabant, σελλίζειν dicebantur.

EX APPENDICE ERASMI.

Socratis gallus, vel callus.

In nudos & inopes. Nonius è Varrone ita citat hoc adagium: invenisſe ſe, cum dormire cœpiſſet tam glaber quam Socratis gallus, eſſe factum ericium cum pilis & proboſcide. Fortaſſe legendum callus, vel callum. Conſtat Socratem patientiſſimum fuiſſe laboris, nudis ambulaſſe pedibus, dormiviſſe humi: ut hinc manarit jocus in ipſius callum.

Vt è bulga matris.

Ad nuditatem quoque & inopiam, vel ad æquam omnibus vitæ conditionem (nativitas enim non diſtinguit Crœſum ab Iro, regē à plebeio) referri poteſt ille Lucilii verſus apud Nonium:

Ita ut quiſque noſtrum è bulga eſt matris in lucem editus.

Bulga proprie folliculus omnis: unde & crumena, & ſacculus ad bracchium pendens.

IVNII. *Nauſiclidis ſolitudo nec ver, nec amicos.*

Ναυσικλείδου ἐρημία μήτε ἔαρ, μήτε φίλους ἔχει.

Id eſt:

Nauſiclidis ſolitudo neque ver, neque amicos habet.

Dici proverbiali ſpecie autumo de homine cunctis vitæ præſidiis atque adjumentis deſtituto. Apparet natum à Nauſiclide quopiam, qui ſeceſſerit ſolitarium in locum, ab omni humano cultu alienum.

Turturis inſtar male canis.

Τρυγόνος κατ' τρυγόνα ψάλλεις: id eſt, Turturis ritu dira canis. Proverbium eſt de egenis, & qui laborioſe tenuiterque victum quæritant. Natum inde, quod turtur tunc maxime canere ſolet, quum fames & inedia urget. Neq; abſurde, ut mihi videtur, quadrare poſſit in malum poëtam, ineptis verſibus faſtidioſum, aurium tædio natum, ut ſit, τρυγόνος κατ' τρυγόνα ψάλλειν. Turturis in morem male cantillare, nam turturis cantus gemitus æmulatur: unde & avem iſtam gemere dixit, & quidem proprie, Virgilius.

Mugilis vitam degere.

Κεστρέως βίον τρίβειν. Mugilis vitam agere dicitur, qui non habet quod edat: hoc eſt, eſuriem & inediam patitur. Eubulus in fabula Nauſica.

Ὃς νῦν τετάρτην ἡμέραν θυμιᾶζεται,
Νῆστιν κεστρέως τρίβων βίον.

Id eſt:

Qui nunc diem, ſi diis placet, quartum lavat,
Jejunus improbi vitam mugilis agens.

Euphron comicus:

Μίδας δ' κεστρεύς ἐστι, νῆστις περιπατεῖ.
Midas mugil eſt, jejunus obambulat:

Amipſias comicus:

Ἧττον αὐτοῦ νῆστις ὡς κεστρεὺς ἀπολειφθεὶς ἐμοί.
Paulo minus jejunus ut mugilis in morem mihi famulabere.

Alexis in Phryge

Ἐγὼ δ' κεστρεὺς νῆστις οἴκαδ' ἀπέρχομαι.
Ego famelicus mugil accurro domum.

Diphilus in Lemniis:

Οὗτοι δεδειπνήκασιν, ὁ δὲ τάλας ἐγὼ
Κεστρεὺς ἀναλύω νῆστις ἄγαν.
Sumpſere cœnam iſti: aſt ego interim miſer

Inediam obingentem fieri cogor mugil.

Citatur & Theopompo authoritas, κεστρέων νῆστις χορός: Famelicus mugilum cœtus: & apud Athenæum Heſperus Cynicus exclamat, εἶναι κεστρεὺς νηστεύω: Eſurimus mugilum iſtar. Mugil vero ſolus in genere piſcium jejunus ſive famelicus audit, eo quod nulla capiatur eſca animata, non carne, non alia re quapiam vitali, ut ab Ariſtot. proditum eſt, aut piſcium aliorum eſca.

Ovo nudior.

Ovo nudior aut glabrior, proverbiale convicium in calvos, aut raſos: detortum è Niciæ epigrammatarii verſiculo, libro ſecundo.

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τις ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτός,
Καὶ δασὺς ὢν λίαν, ᾠὸν ἅπας γέγονε.

Id eſt:

Amiſit quidam crines, caput inficiendo,
Qui nunc eſt ovo nudior hirtus erat.

Quid enim ovo eſſe poteſt magis depile? Huic affine eſt Petronii arbitri illud, Lævior ære vel rotundo: monetam, ut opinor deſignans.

Tranquillitate calvior.

Φαλακρότερος γαλήνης; id eſt, Tranquillitate ipſa magis calvus. Superiori non diſſimilis hyperbole, citatur apud Demetrium Phalereum, & repetitur à Suida haud dubie in calvos, aut tota cute extritos muliebriter. Natum inde, quod tempeſtate criſpentur omnia, & horreant quod φρίσσειν illi dicunt: nos etiā in mari fluctibus aſpero, & ab aura commoto horrorem vocamus, contra in ſerenitate, & ea aeris malitia, quam ſignificantius γαλήνην Græci appellant, nuda & quodammodo calva jaceant omnia. Sub eandem claſſem vocabitur ex Martiali Concha lævior, quum ait:

Lævior es conchis Galle Cytheriacis.

Araneis abundat propter inopiam.

Homericus verſiculus eſt proverbialis Odyſſeæ π. quem Telemachus loquitur, interrogatus an thorus paternus etiamnum propter collecti inopiam ſcateat aranearum telis obſitus. ſic enim ait:

Χήτει ἐνευναίων κακ' ἀράχνια κεῖται ἔχουσα.

Id eſt:

Horret Arachnæis vacuus ſine conjuge telis.

Volens ſignificare deſertum jacere atque neglectum: nam locis incultis ſtabulantur araneæ. Varius Imper. opera ſervorum decem millium pondo aranearum quum collegiſſet, ſqualloris urbis Romæ manifeſtum teſtimonium ad poſteros tranſmiſit. Poëta quiſpiam pacem optans, voto à Deo exquirit, ἀράχνας νήματ' ὑφαίνειν τοῖς ὅπλοις; ut araneæ telas ſuas armis intexant. Heſiodus in præceptis ruſticis ita mandat ἐκ δ' ἀγγέων ἐλάσειας ἀράχνια: admonens doliorum eſſe ſatagendum, ne intus nidulentur araneæ, Proverbiali itaque ſpecie dicemus, κατ' ἀράχνια ἔχειν, id eſt, araneis abundare, quicquid incultum deſertumque jacet. Transferetur appoſite ad ingeniorum culturam, aut ad interpretum oſcitantiam ſupinam, qui difficilioribus authorum locis altum agunt ſilētium, & ſqualorem quendam conciliant: & Nonius Marcellus & Varro corruptis tot locis deſcriptorum incuria, paſſim κατ' ἀράχνια ἔχειν. Ad ſuperiorem verſum alluſiſſe videtur Propertius in 3.

Putris & in vacuo texetur aranea lecto.

Manus in Ætolis habet.

Τὰς μὲν χεῖρας ἐν Αἰτωλοῖς, id eſt, Manus ambas habet in Ætolis; proverbium eſt Ariſtophanis; de impudenter petace, aut muneris corruptelæ obnoxio. nam Ætoli populi nomen habere videntur, deductum ab αἰτεῖν ὅλον, quod totum flagitent. ita Homerus Odyſſeæ ξ. egenum hominem & mendicum ex Ætolia oriundum non temere fingit, ad vocis etymon alludens, quod eſt, αἰτεῖν, id eſt, poſtulo. Verſus Ariſtophanis eſt:

τὰς μὲν χεῖρας ἐν Αἰτωλοῖς, ὁ δὲ νοῦς ἐν Κλωπιδῶν.

Id eſt:

Manus utraque in Ætolis, at mens in Clopidis.

Quod proverbiale eſſe ſcomma, annotat Euſtathius in veteratorem improbum & munerum receptatorem, qui & flagitioſe manibus donaria efflagitet, & furaci animo opes involat. Eſt autem paragrammatiſmus in Clopidis & Cropidis. nam Cropidæ tribus Athenienſis nomen eſt: at Clopidæ ἀπὸ τῆς κλοπῆς, à furto nomen habere videntur. Simili figura utuntur Itali, quum innuere volunt quempiam aurium obſequio ſervire, dicunt enim talem ire Placentiam hoc eſt, ad gratiam & loqui & facere omnia: quod Placentia Inſubrium civitas à placendo dicta eſſe videatur.

Aranearum plenus alvus.

Ἀράχνιον μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα.

Id eſt:

Araneis refertus eſt alvus tibi:

Senarius proverbialis apud Cratinum comicum in fabula quæ Dolium, ſive ſeria inſcribitur. Proverbio egeſtas, & extrema inopia ſignificatur: ex quo detortum videtur Catullianum illud de ſeſe:

 Plane

Plenus ſacculus eſt aranearum.

Staphyla anus apud Plautum in Aulularia, metuens ne ædes inanes à furibus aſportentur: Ita inquit, inaniis ſunt oppletæ atque araneis.

IOANNIS VLPII.

Centum viri unum pauperem ſpoliare non poſſunt.

Paupertas omni caret metu, intrepide ubique verſatur, nullos metuens fures, nullos latrones. Unde Horatius:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Maxima paupertas propugnat one defenditur, quam nullus rex, nullus imperator vincere poteſt.

COGNATI *Cœna ſine ſanguine, ſive terreſtris.*

Diphilus comicus cœnam ſine ſanguine vocavit, quam Plautus terreſtrem appellavit. Ambo autem tenuem pauperemque, hoc eſt, vilibus dapibus inſtructam menſam intellexerunt: ille ob quam ornandam nullæ cæſæ forent animantes, hic ob olera. Carmen autem ipſum Diphili ex Athenæi ſexto libro Dipnoſophiſtarum hic apponam:

Ὅταν με καλέσῃ πλούσιος δεῖπνον ποιῶν,
Οὐχ ἐνθεωρῶ τὰς τριγλύφους, οὐδὲ τὰς στέγας,
Οὐδὲ δοκιμάζω τοὺς Κορινθίους κάδους.
Ἀτενὲς δὲ τὸν τοῦ μαγείρου καπνὸν τηρῶ.
Κἂν μὲν σφοδρὸς ἐκφερόμενος, εἰς ὀρθὸν τρέχῃ,
Γέγηθα καὶ χαίρω, καὶ πτερύττομαι.
Ἐὰν δὲ πλάγιος καὶ λεπτός, εὐθὺς νοῶ,
Ὅτι τοῦτό μοι τὸ δεῖπνον, ἀλλ' οὐδ' αἷμ' ἔχει.

Inducitur autem paraſitus eleganti facetoque poëta ita loquens. Narrat enim ſe diſſentire ab ingenio multorum, qui cum vocati ſunt ad cœnam à divite aliquo, fortunatoque homine, ſtatim domum introeuntes laudant triglypha, tecta laqueata, Corinthiaque vaſa, conjectis in hujuſcemodi ornamenta ædium oculis: ſe namq; his rebus ſpretis, intentis oculis reſpicere fumum culinæ quod ſi ille impetu quodam directo latus ſit ſe gaudere, ac præ gaudio exultare. Contra autem ſi obliquus ac tenuis, illico cognoſcere cœnã, quod ei vehementer dolebat, ſanguinem non habituram. A ſigno igitur ille judicat ſe male acceptum iri: neque enim hujuſcemodi cœna ipſum delectabat. Plautinus contra ſenex in Captivis, paraſitum facete ludit, oſtendens ſe hujuſcemodi cœnam ei daturum: Aſper meus victus ſane eſt. cui ille: Sentiſne eſitas? Sequitur: Ægio terreſtris cœna. Par. ſus terreſtris beſtia eſt. Æg. multis oleribus. Par. curato ægrotus domi. Nihil autẽ inimicitius eſſe oleribus paraſito, & hic declaravit, & apud eundem Græcum comicum in Mercatore, quidam qui accuſat alium, & piſces, & aves, & omnes demum delicatiores eſcas coementem. Inquit enim, ſumptibus & voracitate illius fieri, ut & ipſe, & univerſa civitas neceſſario ad olera redigatur, ac pugnent ſæpe, contendantq; inter ſe de apiis, ut in Iſthmiis fieri ſolebat, quorum certaminum corona victoriæ præmium erat ex apio. Nam jocatus in hoc lepide eſt. inquit igitur. ἐν ἰχθύος ἀπορίᾳ πάντως μάχονται, οὕτω καὶ ἡμεῖς εἰς τὰ λάχανα τὴν πόλιν περὶ τοῦ σελίνου μαχουμένων ὥσπερ Ἰσθμίοις. Plures tamen verſus leguntur apud Athenæum eodem, quo ſuperiores, libro. Eadem autem ſententia Alexidis comici fuit, qui in fabula Demetrio accuſans Phayllum quendam, ut in piſcibus emendis perditũ, affirmavit, ipſum tertiam quandam tempeſtatem additum eſſe: prius namque flante Aquilone, aut Auſtro vehementiore, mariſque fluctibus commotis nemini piſcem comedere licuiſſe. Poſtea vero accedente illo in forum, atque omnes inde piſces evertente, tanquam procella quadam à turbine ad eandem penuriam omnes compelli. Quare (inquit) reſtat ut concertemus inter hoc de oleribus. Carmen quoq; ipſius, quia elegantiſſimum eſt, hic apponam: πρότερον μὲν εἴ που ἔπνευσ' ἢ βορέας ἢ νότος βίαιος ἐν τῇ θαλάττῃ λαμπρός, ἰχθὺς οὐκ ἐνῆν οὐδεὶς φαγεῖν. νυνὶ δὲ πρὸς τούτοισι τοῖς πνεύμασι ἐπιγέγονε χειμὼν τρίτος, Φάϋλλος. ἐπὰν γὰρ καταιγίσας εἰς τὴν ἀγορὰν ἔλθῃ, ὥστε φεῦγε πάντες, τὸ λειφθὲν, ὥστε γίνεται ἐν τοῖς λαχάνοις τὰ λοιπὰ ἡμῖν ἡ μάχη. Leguntur autem apud Nonium verba quædam apud Turpilij, quæ videntur è principio poſterioris hujus exempli expreſſa: Ante hac ſi flabat Aquilo, aut Auſter, inopia erat piſcati. Quod vero terreſtrem cœnam ſuam eſſe Ægio dixit, additque copiam illic tantum olerum eſſe, Cicero quoque teſtatus eſt in epiſtola ad Gallum, lege ſumptuaria C. Cæſaris, terra nata excepta fuiſſe, ut cum aliarum epularum definitus numerus eſſet, herbarum, ac cæterarum rerum, quæ oriuntur e terra, propter vilitatem copia concederetur. In quibus etiam cõdiendis lautos homines tantum ſtudii ponere ſolitos oſtendit, ut illæ etiam ſua ſponte viles injucundæq; res ſuaviſſimæ fierent. Animadvertendum etiam, quam acute ſubtiliterque paraſitus ſpem non amiſerit ſumptioſæ cœnæ, quamvis audiſſet illam terreſtrem futuram: aliter enim cœpit vocem eam terreſtrem, quam ille uſurparat: terreſtres enim quoq; animantes vocantur, quæ in terris vivunt, ut diſtinguãtur ab iis quæ in aquis, aut aere degunt. & ſane Cicero in vertendo Timæo, quod eſt apud Platonem, πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον τέταρτον, terreſtre quartum reddidit. Earum autem nonnullæ jucundæ ſunt, in conviviiſque apponuntur. Putavit igitur ſine piſcibus avibuſque poſſe opipare apparari convivium.

Τί τ' ἀλλότριον ἄνθρωπε βασκανώτατε κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις.

Pervulgata vox in Græco ſermone, cujus meminit Plutarchus in libro de ſecuritate animi, oſtendens eam ſane prolatam eſſe adverſus curioſum, atque φιλοπευθῆ commune pene vitium omnium mortalium. Illa autem hæc eſt. τί τ' ἀλλότριον ἄνθρωπε βασκανώτατε κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις. Idem manifeſto valet ſententia Horatii in tertia ſatyra. lib. 1.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius?

Ubi pervidere, ad imitationem Græci verbi παραβλέπειν videtur eſſe formatum, atque inde omnino translatum, proinde ſignificare oculis tranſire, nec attente contemplari: quod à contrario intelligitur. Themiſtius oratione quam vocavit Βασανιστὴν, ſcribit ſe mirifico amore rerum ſuarum cognoſcendarum teneri, diſſentireq; in hoc ab ingenio plurimorum, qui alienas res curioſe inveſtigant, ſuas propriaſque negligunt. ita autem locutus eſt elegans eruditusque ſcriptor: ἐγὼ δὲ … ἀγαθόν. (Vide Nonii Miſcellan. 3. ſub fine.

Ne gleba agri illi relicta ad locum ſepulturæ.

Hoc utimur quoties unque aliquem omnibus fortunis ſpoliatum aut alicujus luxuriem mendicitatemq; ſignificare volumus, cum antea fructuoſiſſimis prædiis abundabat. Humabant enim mortuos magnis veteres quod teſtatur Livius lib. 11. ab urbe condita. Cicero pro Sext. Roſc. Æſchines cum effudiſſet patrimonium omne Timarchum declarare voluit, Ariſtophanes quoque in ἐκκλησιαζούσαις.

Calvior tranquillitate.

Φαλακρότερος γαλήνης. id eſt, Magis calvus quam ipſa tranquillitas. Quod inde natum eſt, quod tempeſtate criſpentur omnia & horreant: contra ſerenitate nuda & quodammodo calva jaceant. Demetrius Phaleræus de hyperbole loquens in libro De Elocutione: τοῦ δ' αὐτοῦ εἴδους ἐστὶ καὶ τὸ φαλακρότερος γαλήνης. id eſt: Ex quo genere eſt etiam illud, Magis calvus ſerenitate.

Ovo depili nudior.

Ex Niciæ epigrammatarii dicto torqueri poteſt, quod tale eſt: ᾠὸν ἅπας γέγονεν. quaſi dixeris: Ovum totus evaſit. Extat namque in comatum primo, mox calvum redditum e multo pigmentorum uſu ad tingendos crines comparatorum epigramma tale.

Τὴν κεφαλὴν βάπτων τις, ἀπώλεσε τὰς τρίχας αὐτάς,
Καὶ δασὺς ὢν λίαν, ᾠὸν ἅπας γέγονεν.

Id eſt:

Amiſit quidam crines, caput inficiendo:
Qui nunc eſt ovo nudior, hircus erat.

Cujus ſimile eſt illud apud Petronium: Lævior ære vel rotundo. & illud Apuleji in Aſino Aureo. Cucurbita glabrior. Item: Concha levior ut apud Martialem:

Levior & conchis Calle Cytheriacis.

Diurnum petere.

Seneca lib. 2. Controverſiarum, Diurnum petere dixit, pro eo quod panem mendicare. ut ſolent facere in Gallis quidam inertis & ignavæ vitæ homines, quos tanquam inſulſos, & ad nullam rem utiles Bliteos Latine appellamus, qui de alieno eoque emendicato in diem vivunt. Ex ſuperioribus illud Pythagoricum, Chœnici ne inſidias, huc referri non incommode poſſet.

Ipſo carpere è rogo cœnam.

Catullus de Rufa: Sæpe quam in ſepulchris vidiſtis, ipſo carpere è rogo cœnam. Extremæ autem mendicitatis ſignũ eſt, quod affert Catullus. Et eſt tale illud Terentii in Eunucho, cuidam paraſito dictum. E flamma te cibum petere poſſe arbitror. Lucilius lib. 17. referente Nonio: Mordicus petere aurum à flamma expedit, è cœno cibum. Apud Nonium legitur etiam, Ex igne: pro, ex cœno: in dictione Mordicus. Cœna autem quæ a Catullo dicitur, ea eſt, quæ appellatur a Perſio funeris cœna:

—— Sed cœnam (inquit) funeris hæres.
Negliget iratus.

Quod è flamma cibum petere Terentius dixit, ad dapes referendum, quæ pro inferis in rogum mittebantur. unde illud Catulli. Feſtus: Epulas in rogum conjicere ſolebant, locumque in quo illæ comburerentur, culinam vocabant. Non diſſimile eſt iſtud: Non immolata ſacra devorat quod poſtea habetur.

Oſſa atque cutis.

Proverbialis hyperbole de macilentia: ut Apollonius 2. Argon.

Πίνῳ δ' αὐσταλέος χρὼς,
ἐσκλήκει, ῥινοὶ δὲ σὺν ὀστέα μοῦνον ἔεργον.

Plautus in Captivis:

Ego, inquit Paraſitus, qui tuo mœrore maceror,
Macreſco, conſeneſco & tabeſco miſer.
Oſſa atque pellis ſum miſera macritudine, &c.

Ne

Ne aceti quidem ſatis.

Milon apud eundem in Operariis.

Ἐκ πίθου ἀντλεῖς ϑύλακον, ἐγὼ δ' ἔχω ὀξὺ ἀλλ' ἐξ ...

E dolio tu quidem hauris, ſed mihi vix ſat aceti eſt.

Proverbiale in eum qui extreme inops eſt: & viciſſim antitheſis ejus, Dives & abundans, atq; à pleno dolio vinum hauriens. Quaſi dicat: Amor non convenit homini pauperi & mercenario, ſed diviti viventi in ocio, luxu atque omnium rerum abundantia.

Calamitas virtutis occaſio.

Non temere eſt quod etiam vulgo fertur hodie: Vexatio dat intellectum. Seneca libr. De divina providentia, de proſperitate agens: Nolite obſecro vos expaveſcere iſta, quæ dii immortales velut ſtimulos adduunt animi Calamitas virtutis occaſio eſt. Illos merito quis dixerit miſeros, qui omnia feliciter torpeſcunt, quos velut in mari tranquillitas iners detinet Neceſſitas ignaviſſimum quemque ad ſolertiam revocat. Heliodorus Æthiopicæ hiſtoriæ lib.7 εὑρετικὴ γὰρ ἐν ... λογισμῶν ἡ ἔνδεια. id eſt: Inventrix omninò conſiliorum neceſſitas eſt. Crux enim vigilantes & cautos, felicitas negligentes efficit. Hos itaque Deus, quos probat quos amat, indurat, recognoſcit, exercet Hinc Hiere.31. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus, Paul. 2. Cor. 6. Quaſi morientes, & ecce vivimus: quaſi correpti, & non occiſi: quaſi dolentes, ſemper tamen gaudentes, &c. Ad Hebræos cap. 12. Fili mi ne neglexeris correptionem Domini, neque deficias, cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Itidem Prov.3. Item Apoc.3. Ego quoſcunq; amo, arguo & caſtigo. Hinc David Pſalm. 118. Caſtigans caſtigavit me Dominus, ſed morti non tradidit. Ex maleficiis autem fortunæ plura illata ſunt commoda, quam ex beneficiis. Inde illud Luciani in primo:

———Fœcunda virorum
Paupertas fugitur, totoque arceſſitur orbe
Quo gens quæque petit.——

Ita ſæpenumero proſpera ſunt homini, quæ videntur adverſa: & quod damnum putatur ingens, lucrum eſt maximum: & ut inquit Horat 8. ſatyr. lib 2. Serm.

——Ingenium res.
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.

Vide alibi, Egeſtas artes docet: &, Memento ſatanitas divexationes materiam virtutis eſſe: tum, Maleſuada fames.

Nemo amicus, nemo propinquus.

Seneca libro quarto declamationum, prima declamatione: Nemo amicus, nemo inquam propinquus eſt. Nihil hac ſententia decantatius Hinc Verius.

Millibus ex multis unus vix fidus amicus:
Hic albo corvo rarior eſſe ſolet.

Vide ante, Cognatus pauperi nullus. Utrumque Joannes Spangenbergius ſic expreſſit pentametris, in Pſal. 88.

Rebus in adverſis nullus amicus adeſt.
Qui me ſoletur nullus amicus adeſt.

Nemini quippe omnino nunc tuto fidas: neminē prorſus alterius miſeret (neque enim quiſpiam eſt, qui Deum vere norit:) ſed alius alium execratur, in vicem mentiuntur, occidunt, furantur, atque adulteriis exæſtuant, ita ut Dei lege plane actum ſit.

Pauperi pax in obſeſſa via.

Idem de paupertate: Nudum latro tranſmittit, etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt. Alluſum eſt à vulgato Juvenalis:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Gregorius Theologus lib.1. Sententiarum:

Πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.

Id eſt:

Nil viro indigente ſecurum eſt magis.

Vide alibi, Nudum ſpoliare veſtibus. Gallis eſt ſimile. On ne peut homme nud deſpouillier.

Proletarii.

Proletarii dicebantur homines inopes, & nullo cenſu in claſſes redacti, capite cenſi, & extra cēſum: ſicut Athenis τὸ ϑητικόν. Ut autem apud Græcos tres erant cenſus, ſic apud Romanos erant quinque claſſes in centurias ſuas diviſæ, ut docet Livius lib.1. ab urbe condita. Claſſici erant, qui cenſum conferebant. Per tranſlationem autem dicuntur proletarii, qui nulla animi dote, nulla ingenii nec civilis prudentiæ facultatē cenſentur, & commendabiles ſunt. Vide alibi, Quintæ claſſis.

Inter inquilinos cenſeri.

Et hic ſermo Gallis admodum frequens eſt, pro eo quod eſt annumerari inter eos qui domum propriam non habent. Inquilinus autem eſt, qui in alieno & conducto habitat: ἔνοικος Græce dicitur: & ἐνοίκιον, precium conductæ domus. Sic quoque Latine, inter inquilinos cenſeri: ut Græci dicunt, εἰς ἐνοίκων πλαῖν: Galli, Entre les locataires.

Egeſtas artes docet.

Trium Græcorum & Latinorum ſcriptis proverbium Græci ita:

Πολλῶν ὁ λιμὸς γίγνεται διδάσκαλος.

quod ab Eraſmo noſtro verſu ſic redditur:

Fames magiſtra eſt artium complurium.

Plaut. in Stycho:

Egeſtas & inopia omnes artes perdocet, ubi quem attigit.

Ad quod alludens Claudianus:

Provocet ut ſegnes animos, rerumque remotas,
Ingenioſa vias paulatim exploret egeſtas.

Unde Manilius lib.1. Aſtronomicῶn.

Sed cum longa dies acuit mortalia corda,
Et labor ingenium miſeris dedit & ſua quemque
Advigilare ſibi juſſit fortuna premendo:
Seducta in varias certatur pectora curas,
Et quodcunque ſagax tentando reperit uſus.

Horatius ſatyr.8. lib.2. Serm.——Ingenium res
Adverſæ nudare ſolent, celare ſecundæ.

Idem:

Et latis & fundi paupertas impulit audax.
Ut verſus facerem.——

Famem atque neceſſitatem eſſe, quæ aves humanum ſermonem exprimere, & articulata voce proferre doceat, hominesque navos, ſtrenuos & diligentes efficiat; oſtendit Perſius noſter hoc notiſſimo:

Magiſter artis, ingeniique largitor Venter.——

Id eſt:

fames: cujus ſedes in orificio ventris eſſe creditur. Cui ſententiæ ſubſcribit Diodorus in 1. ſcribens neceſſitatem ipſam rerum magiſtram, ſingulorum peritiam ingeniis miniſtraſſe. Huc vergit id ſcriptoris Græci carmen luculentum:

Πάντ' ἐδίδαξε πικρὰ πάντολμος ἀνάγκη.

Id eſt:

Omnia hæc docuit amara omnia audens neceſſitas.

Hinc Apulejus in 1. Magiæ, paupertatem artium omnium repertricem vocat. Vide ſupra, Calamitas virtutis occaſio: & Eraſmum noſtrum in adagiis, Paupertas ſapientiam ſortita eſt: &, Neceſſitas magiſtra. Non diſſimile eſt illud Petronii in ſatyra:

Ingenioſa gula eſt, &c.——

Sic Seneca lib.1. De clementia, cap.12. Acerrima virtus eſt, quam ultima neceſſitas extundit. Eſt autem non minus vera γνώμη ſeu ſententia: quam celebris & vulgata. Portius Latro in declamatione: Graviſſimi ſunt morſus irritatæ neceſſitas. Qu. Curtius libr.1. Ignaviam quoque neceſſitas acuit: & ſæpe deſperatio ſpei cauſa eſt. Idem alibi: Efficacior omni arte neceſſitas, non uſitata modo præſidia ſed etiam nova admovit. Hinc illud hortamentū Hannibalis ad milites lib.21. Livii, quo nihil efficacius dici potuit: Aut vincēdum aut moriendum milites Et 3. Decad. libr. 1. Vobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, omnibus inter victoriam, mortemve certam, deſperatione abruptis, aut vincere, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius quam in fuga mortem oppetere. Nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius clarum eſt. Simile quiddam eſt apud Saluſtium.

Cognatus pauperi nullus.

Pauperum cognationem à nemine libenter agnoſci, Gallis vulgare & notum eſt. Difficile enim & operoſum eſt, reperire cognatum pauperis, Nemo fatetur ſibi quicquam cognatum eum eſſe, qui auxilii alicujus indiget: propterea quod ſtatim putat; à ſe aliquid petitum iri. Id Menander ſumma cum elegantia dixit, pronunciavitque.

Ἔργον εὑρεῖν συγγενῆ
Πένητός ἐστιν, οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ,
Αὑτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
Δεόμενον, αἰτεῖσθαι γὰρ ἅμα τι προσδοκᾷ.

Id eſt:

Ægre inveneris
Cognatum egentis nemo enim agnoſcit libens,
Ad ſe attinere eum, opis alicujus qui indiget.
Nam mox petitum quippiam à ſe iri putat.

Non diſſimiliter dixit Phormio Terentianus:

Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens,
Negligitur ipſa. Vide avaritia quid facit.

Extat Græcum epigramma de Soſicrate, ex amore mendico, quod miro lepore Baptiſta Pius Bononienſis Latine reddidit. cujus ultimum diſtichon tantum adſcribam:

Τίς; πόθεν εἷς ἀνδρῶν; τίνι δ' ἡ πόλις; ἦ μάλα ἴσμεν;
Τοῦτ' ἦν ὅς οὐδεὶς οὐδὲν ἔχοντα φίλος.

Id eſt:

Unde? quis eſt hominum? quænam tibi patria? noſtin?
Verba miſer? Tenues nullus amicus amat.

Vide alibi, Nemo amicus Nemo propinquus.

Commune ſepulchrum.

Cum olim, qui locupletes erant, in ſuis fundis aliquid loci ſepulturæ ſeponerent, & privata haberent ibi ſepulchra ſibi, ſuis ac liberis aut hæredibus: plebs, quæ agris fundiſq; carebat, in loco aliquo communi ſepulturæ deſtinato humabatur: ſepulchrum

commune vocabatur, ubi ſepeliebatur. Ex quo Horatius ſatyr. 8. lib. 1. ſcripſit:

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum.

Sed Catullus fata fratris ſui deplorans, apud Trojam mortui & conditi, ubi tot quondam heroes belli Trojani tempore ex Aſia & Europa occubuerant, & compoſiti fuerant, eam urbem commune ſepulchrum appellat Europæ & Aſiæ:

Troja nefas, commune ſepulchrum Europæ Aſiæque.

Sic hodie vulgariter Italia Gallorum commune ſepulchrum tranſlate dicitur. Itidem Lucretius libr. 5.

Illi nec ſervus eſt, nec arca.

Hæc & plura alia ſunt egeſtatis argumenta, Idem Catullus ad Furium.

Furi, cui neque ſervus eſt, neque arca,
Nec cimex, nec ignis.

Idem poſt, ad Iuventium puerum:

Iſti cui neque ſervus eſt, nec arca,

Sic Lucil. apud Non. in verbo Bulga:

Cui neque jumentum eſt, nec ſervus, nec comes ullus.

M. Cato apud Gel. lib. 13. cap. 22. Neque vaſum, neque veſtimentũ ullum eſt in manu pretioſum, neque ſervus neque ancilla, &c.

Pauperes à diſpendio tuti.

Menippus Lucianicus Charonti reſpondet: οὐκ ἂν λάβοις παρὰ τοῦ μὴ ἔχοντος: Haudquaquam auferre queas ab eo qui non habeat. Symmachus in relatione:

Paupertate à diſpendio tutæ ſunt.

Nunquam Hecale fies.

Nunquam ea paupertate opprimere, qua olim Hecale anicula. Plaut. Ciſtell.

—Nam ſiquidem ita eris ut volo,
Nunquam Hecale fies, ſemperque iſtanc.
Quam habes, ætatulam obtinebis.

Pauperrimam fuiſſe Hecalem, prodiderunt Plutarch. Ovid. Apul. Habes alium, id adag. Junii.

CAROLI BOVIL. *E cucumere bibere.*

Propeꝛegrinari, extra loca viſere: quod pauperibus viatoribus lagena propria ſit cucumis ſole exſiccatus.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Cratetis poetica.

Κράτητος πήρα proverbiali convicio egeſtas & mendicabulum dicitur, teſte Demetrio Phalereo. Occaſionem adagio dedit poëmatium Crateris philoſophi quo manticam ſuam deſcripſit.

PENSATIO BENEFICII, VEL OFFICII.

ERASMI. *Manus manum fricat.*

Socrates in Axiocho Platonis ait, Prodico ſophiſtæ hunc Epicharmi comici verſiculum ſemper in ore fuiſſe:

ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει, δός τι, καὶ λάβοις τι.

Affricat manum manus, da quiddam & aliquid accipe.

videlicet hominis quæſtum facere taxans, qui neminem gratis doceret, & à quo ſe quoq; quæ tum dicturus eſſet; didiciſſe affirmabat: at ne id quidem gratuito, imo numerata mercede. Sententia digna tùm homine Siculo, tum vafro poëta. Sic enim illum appellat Cic. Moret autem, neminem ferme mortalium inveniri, qui velit in quempiam beneficium collocare, à quo non ſperet aliquid emolumenti viciſſim ad ſe rediturum: ſed officium invitari officio, beneficium beneficio provocari. Idem adagium effertur & hoc pacto: χεὶρ χεῖρα νίπτει, id eſt, Manus manum lavat. Idem pollet utraq; metaphora. Nam mutua commoditas eſt quoties vel fricat, vel abluit manus manum. Circumfertur inter Græcanicas ſententias hujuſmodi diſtichon:

Ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα καὶ πόλις σώζει πόλιν.
Χεὶρ χεῖρα νίπτει, δάκτυλος δὲ δάκτυλον.

Id eſt:

Urbs ſervat urbem, ſervat itidem vir virum.
Manus manum, digitumque digitus abluit.

Utitur eo & Seneca in ludicro libello De morte Claudii Cæſaris.

Gratia gratiam parit.

Eandem ſententiam Sophocles ſimpliciter extulit in Oedipo Coloneo:

Ἡ χάρις χάριν φέρει.

Id eſt:

Gratiam adfert gratia.

Rurſum apud eundem in Ajace Maſtigophoro:

χάρις χάριν γάρ ἐστιν ἡ τίκτουσ' ἀεί.

Beneficium ſemper beneficium parit.

Quod Heſiodus velut enarrans in 1 Georg.

Τὸν φιλέοντα φιλεῖν, καὶ τῷ προσιόντι προσεῖναι.
Καὶ δόμεν ὅς κεν δῷ, καὶ μὴ δόμεν ὅς κεν μὴ δῷ.
Δώτῃ μέν τις ἔδωκεν, ἀδώτῃ δ' οὔτις ἔδωκεν.

Id eſt:

Æquum ut ametur amans: qui accedit, jungitor illi,
Da, tibi qui dederit: qui non dederit tibi ne da.
Danti aliquis dedit, at non danti non dedit ullus:

Quibus ſignificatur, beneficium invitari beneficio, & officium officio provocari. Euripides in Helena:

χάρις γὰρ ἀντὶ χάριτος ἐλθέτω.

Id eſt:

Beneficium beneficio reſpondeat.

Par pari referre.

Ἴσον ἴσῳ ἐπιφέρειν.

Terentius in Eunucho Parœmiam uſurpat, ſuperiori non admodũ diſſimilem: Par pari referto. Qua monemur, ut tales ſimus in alios, quales in nos illos experimur. Ac juxta Mideam Euripideã amicis ſimus amici, inimicis infeſti, in perfidios perfidi, parcos parci, clamoſos clamoſi, impudentes improbi: denique cujuſque meritum merito ſimili retaliemus. Idem in prologo Phorm.

Quod ab ipſo allatum eſt ſibi, id eſſe relatum putet.

Non inconcinne tum quoq; uti paremus, ſi quãdo verba verbis, blanditias blanditiis, promiſſa promiſſis penſamus. Huc pertinet illud non illepidum, quod refert Ariſt. li. Mor. 9 Diony citharœdũ acceſſiverat, ut ſibi caneret in nuptiis: atque cum eo his pactus eſt leg. ut quo doctius meliuſq. caneret, hoc copioſiorem ferret mercedem. Annixus eſt omni artificio citharœdus, utquam ſcitiſſime caneret, ſperans ampliſſimum præmium. At poſtridie pactam mercedem repoſcenti muſico qui conduxerat, ait jam perſolviſſe ſeſe quod eſſet pollicitus: nempe par pari retuliſſe, proq; voluptate repoſuiſſe voluptatem, ſpem lucri ſignificãs: quæ quidem hoc major fuerat, quo magis ex arte cantaſſet. Verum hoc loco negat philoſophus par pari relatum; propterea quod alter id quod volebat, accepit alter eo quod expectabat, fruſtratus eſt. Huc videtur reſpexiſſe Euripides cum ait in Andromache:

Σώφρων γὰρ ἡμῖν σώφρονας προσλήψεται,
Θυμούμενος δὲ τοῖσι θυμουμένοις.

Id eſt:

Modeſtus in nos ſentiet modeſtum item,
Commotus autem nos reperiet concitos.

Porro proverbium natum videri poteſt a compotationibus veterum Græcorum, apud quos æqualibus cyathis bibere mos erat. Archippus in Amphitryone ſecunda apud Athenæum, libr. 10.

τίς ἐνέχεέ σοι, ὦ μιαρώτατε, ἴσον ἴσῳ;

Quis par ſceleſte miſcuit vobis pari?

Item Cratinus in Pytine,

Τὸ δ' ἴσον ἴσῳ φέροντ' ἐγὼ ἀνταπεκρινάμην.

Id eſt:

At par pari reddenti ego reſpondero.

Item lib. 6. οὐ διὰ τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ ἰχθυοπώλας ἴσον ἴσῳ τὸν ἰχθὺν πωλοῦντας, id eſt, Non per eos qui Romæ piſcem vendunt, parem pari: ſentiens ſingulos precio æſtimatos vendi. Erat hæc vox, ἴσον ἴσῳ ſolennis inter propinandum: ut ex eodem autore facile liquet. Ea ſignificabant, aut pares eſſe cyathos: aut tantundem additum aquæ, quantum inerat vini. Hujus formæ ſunt illa; Paria facere, pro penſare ex æquo & parem calculum ponere. Plinius ad Maccum: Accepi pulcherrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere, nec urbis copiis ex Laurentino, nec maris jam turbidi tempeſtatibus poſſum. M. Tullius lib. De oratore ad Brutum, Par pari retulit ad ſchema rhetoricum, quo membra orationis pari ſyllabarum numero ſibi reſpondent Nam inquit, quum aut par pari refertur aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt verba, verbis comparantur: quicquid ita concluditur, plerumque fit numeroſe cadat.

Botrus oppoſitus botro matureſcit.

Βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται: id eſt: Botrus juxta botrum matureſcit. Hujus proverbii varius eſſe poteſt uſus. Vel ubi pares in negocio quopiam videri volunt aliqui & tantundẽ adferre momenti, ut nullus alteri debeat concedere. Vel cum ſignificabimus mutuis officiis opus eſſe: ut ſit ſimillimum illi, quod alibi retulimus, χεὶρ χεῖρα νίπτει. Vel ſi quando dicemus, talem quenq; evadere, cum qualibus habet conſuetudinem. Habet enim hoc aſſiduitas, ut vicinis vitia faciat communia. Quemadmodum teſtificatur ſenarius ille, quem enarrator Pindari citat ex Ariſtarcho:

χωλῷ παροικῶν καὶ σὺ ὑποσκάζειν μαθήσῃ.

Id eſt:

Claudo propinquus ſi vel uni fixeris.
Diſces & ipſe claudus ingredi brevi.

Hoc quanquam alio loco nobis citatum memini, nimirum in adagio. Si juxta claudum: tamen quoniam ſcripturam offendi nonnihil à priore diverſam libuit per occaſionẽ denuo referre. Tranſlatum eſt adagium ab uvis, quæ mutuo oppoſitæ maturitatem inter ſe viciſſim & accipiunt. Quo reſpicit illud Juvenalis?

Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva.

Adagium recenſetur a Suida.

Senes

Senes mutuum fricant.

Huc pertinet & jocus ille in proverbium verſus, de ſenibus mutuo ſe fricantibus. Narrat autem fabulam Ælius Spartianus in Adriani imperatoris vita: Is Adrianus in balneo veteranum quempiam, ſervuli penuria, ſeſe marmoribus affricantem conſpicatus, eum & ſervulis aliquot & ſumptibus donavit. Quod reliqui veterani feliciter ceſſiſſe videntes, cœperunt & ipſi complures ſub oculis imperatoris ſeſe marmoribus affricare, ut hoc modo principis elicerent benignitatem. At ille evocatis ſenibus, juſſit ut alius alium viciſſim defricarent, atque ita pueris nihil opus fore. Is jocus poſtea in vulgi fabulam ceſſit. Celebratur & Scipionis Æmiliani apophthegma, jumenta quod manibus careant, alieno egere frictu. Quod ſignificatum eſt, eos qui res egregias gerere non poſſunt, egere præcone, quo famam ſibi comparent.

Fricantem refrica.

Τὸν ξύοντα ἀντιξύειν, id eſt, Scalpentem viciſſim ſcalpe. Refertur in Diogeniani collectaneis. Par eſt, de merente bene, bene mereri, & officium officio penſare. Suidas ab aſinis metaphoram tranſlatam exiſtimat, invicem morſicantibus: & in utramque partem dici poſſe, qui ſe mutuis officiis adjuvant, aut qui ſe mutuis contumeliis afficiunt. In quam ſententiam celebratur & Mimus ille non illepidus, Senecæ titulo, ſed falſo:

Ab altero expectes, alteri quod feceris.

Ariſtides in communi defenſione quatuor oratorum: τὸν ξύοντα τὸν ὄνον ἀντιξύειν, καὶ τοῖς ὄνοις ἡ παροιμία ἔχειν δίδωσι ... id eſt: Scalpentem invicem ſcalpere, etiam aſinis videlicet tribuit proverbium. Porro Periclem cum leonibus magis, quam cum aſinis eſſe conferendum dixerint Homerici. Huc pertinet illud χεὶρ χεῖρα νίζει, id eſt, Manus manum lavat. Quod citat in Axiocho Plato: ... αὐτῷ ... τὸ ἐπιχάρμειον.

Ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει· δός τι καὶ λάβε τι.

Id eſt:

Semper illi mos erat in animo volvere illud Epicharmi dictum:

Abluit manum manus, da aliquid, & aliquid accipe.

Quanquam Aldina editio pro ... habet ..., id eſt, in ore habere, & melius trochaicus tetrameter græcus conſtabit, ſi pro λάβε τι, legas λάμβανε. Quod idem alio loco citavimus, ſed aliter, mendoſum exemplar ſecuti, cum Græcus Plato nondum eſſet ad manum quem conſulere poſſemus. Cujus rei viſum eſt commonefacere lectorem, ne quis hoc nomine mihi calumnia inſtituat, quod temere Platonis ſcripturam invertetim. Quantum autem ad ſententiam pertinet, nihil omnino refert νίζει legas, an κνίζει: quandoquidem ut manus manui mutuum præſtat officium lavando, itidem & ſcalpendo.

Ferrum ferro acuitur.

Non erat conſilium, in hunc ordinem admiſcere proverbia Theologorum: non quod ea contemnam, ſed partim quod hoc honoris habendum judicarim ſacris literis, partim quod paſſim in manibus ſint. Unum tamen illud, quoniam ſic ad amuſſim ad iſta quadrat, non pigebit adſcribere. Id eſt in proverbiis Salomonis, cap. 27. Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici ſui. Hebræi pronunciant ad hunc modum, (ſi quidem eſt aliquid, adagium in ſuapte audire lingua) ברזל בברזל יחד

Da mihi mutuum teſtimonium.

Δάνεισόν μοι μαρτυρίαν, id eſt, Da mihi mutuum teſtimonium: hoc eſt, Da mihi tuum teſtimonium, recepturus itidem meum, ſi quando deſiderabis. In eos recte jaciendum qui ſe mutua talione laudant ac prædicant: aut qui mutuo ſtudio ſibi invicem ſuffragantur: aut qui ad gratiam teſtificantur neglecta religione. M. Tullius pro L. Flacco, repudians elevansq; Græcorum teſtium fidem: Veruntamen inquit, hoc dico de toto genere Græcorũ Tribuo vel literas, do multarum artium diſciplinam: Nõ adimo ſermonis leporem, ingeniorũ acumen, dicẽdi copiam. Deinde ſi qua ſibi alia ſumunt, non repugno. Teſtimoniorum religionem & fidem nunquam iſta natio coluit. totiſq; hujuſce rei quæ ſit vis, quæ autoritas, quod pondus ignorant. Unde illud eſt, Da mihi teſtimonium mutuum? Non Gallorum, non Hiſpanorum putatur. Totũ iſtud Græcorum eſt, ut etiam qui Græce neſciunt, hoc quibus verbis à Græcis dici ſoleat, ſciant. Quibus ex verbis M. Tullii ſatis liquet, adagium hoc ætate illa multo fuiſſe tritiſſimum.

Pro Delo Calauriam.

Ἀντὶ Δήλου τὴν Καλαυρίαν: id eſt, Pro Delo Calauriam. Eſt in fabulis, Neptunum cum Latona permutationem feciſſe, ut illa Calauriam inſulam Neptuno concederet, poſſideret Delum, proque dato Tænaro reciperet Pythonem. Eſt autem Calauria exigua inſula haud procul à Creta. Pauſanias in Corinthiacis tradit, Calauriam olim fuiſſe ſacram Apollini; Delphos Neptuno: hoc inter ſe commutaſſe loca. Meminit ejus rei Strabo quoque libro octavo, Trœzen inquit, ſacra Poſidoni, id eſt, Neptuno eſt, unde & Poſidonia dicta quondam. Eminet autem è mari ad quindecim ſtadia: ne ipſa quidem obſcura civitas. Hujus portui dicto Pogon imminet Calauria, exigua inſula, circuitu ſtadiorum triginta. Hic erat aſylum Neptuno ſacrum. Et fama eſt, hunc Deum commutatione facta cum Latona, data Delo recepiſſe Calauriam: Cum Apolline vero pro Pytho recepiſſe Tænarum: Ephorus autem ipſum refert oraculum:

Ἶσόν τοι Δῆλόν τε Καλαύρειάν τε νέμεσθαι,
Πυθώ τ' ἠγαθέην καὶ Ταίναρον ἠνεμόεντα.

Id eſt:

Nihil refert Delos fuerit ne Calauria culta,
Pythos ve excellens, an pervia Tænarus auris.

Ea res in proverbium abiit, quoties manus manum lavat, & officium officio penſatur.

Eodem cubito.

Αὐτῷ πήχει: id eſt, eodem cubito: hoc eſt, eadem regula, eadem menſura. Utitur aliquoties Lucianus cum alias, tum in libello De ratione conſcribendæ hiſtoriæ χωλῷ ... πήχει ... καὶ μέτρῳ ἀκριβεῖ, id eſt, In ſumma cubitus unus, atque exacta regula. Ariſtophanes in Ranis:

Καὶ γὰρ ταλάντῳ μουσικὴ σταθμήσεται,
Καὶ κανόνας ἐξοίσουσι καὶ πήχεις ἐπῶν.

Id eſt:

In lance enim librabitur poetica,
Promentque regulas cubitoſque carminum.

Non diſſimili figura dixit Cornelius Tacitus lib. De oratoribus in præfatione, quum ait, ſe quæ à præſtantiſſimis viris acceperat iiſdẽ numeris, iiſdẽq; rationib. perſequi velle. Plin. Ep. lib. 8. dixit, Pari libra. Illud fortaſſe παρέργως, at non inutile fuerit admonere, pleraſq; metaphoras à menſuris ductas eſſe proverbiales; ut, Penſiculare rem, penſitare factum, rependere beneficium, remetiri gratiã; librare negocium, expendere cauſam, remunerare beneficium, æquilibrium officii, retaliare convicium: atque id genus alia.

Eadem menſura.

Quod modo retulimus, videtur pariter & ad officii, & ad injuriæ relationem pertinere, verum ad beneficii penſationem magis referendum, quod ait Heſiodus.

Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον, αἴ κε δύνηαι.

Aut menſura eadem, aut melius quoque, ſi qua facultas.

Quod docet, officium remetiendum eſſe eadem menſura, aut etiam coprioſiore, ſi ſuppetat facultas: rurſumque hac parte imitandos eſſe fœcundos agros, qui ſementem depoſitam multo cum fœnere reddere conſueverunt. Citatur à Luciano proverbii vice in Imaginibus αὐτῷ μέτρῳ φασὶ καὶ λώιον, id eſt: Eadem menſura, quod ajunt aut melius M. Tull Epiſt. ad Atticum lib. 13. Ego autẽ me parabã ad id quod ille mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώιον, ſi modo potuiſſem. Nam hoc etiam Heſiodus aſſcribit, αἴ κε δύνηαι. Hoc adagio non gravatus eſt uti præceptor noſter Chriſtus in Evangelio, quum ait futurum, ut qua menſura fuerimus aliis emẽſi, eadem nobis alii remetiantur. Sic enim loquitur apud Matthæũ: ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε· καὶ ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, μετρηθήσεται ὑμῖν, id eſt: in quo judicio judicatis, in eo judicabimini: & qua menſura metimini aliis, illa remetientur vobis.

Hoſtimentum eſt opera pro pecunia.

Hoſtimentum eſt opera pro pecunia. Hoc adagium admonet, nihil gratuitum eſſe debere, ſed officium beneficio penſandum. Hoſtimentum autem, autore Pompejo Feſto, beneficii penſatio eſt: à priſco verbo hoſtire & redoſtire, quod eſt paria referre. Ab eodem hoſte dici putat Nonius, quod ex æqua cauſa pugnam ſuſcipiat. Sic lena apud Plautum in Aſinaria adoleſcenti reſpondet, ſua exprobranti beneficia. Hoſtimentum eſt opera pro pecunia, hoc eſt: Neuter habet quod imputet alteri. Tu mulierem amabas, miſſa eſt: ego pecuniam, dediſti. T. Livius: Nunquam nec opera ſine emolumento, nec emolumentum ſervis ſine impenſa opera eſt. At in amicorum officiis alia ratio eſt; nec enim liberatur à debenda gratia, qui gratiam retulit: nec permutatione officiorum fit, ut venter alteri quicquam debeat. Confine illis, Manus manum fricat: &, Scalpentem ſcalpe.

Ut ſementem feceris, ita & metes.

Elegantiſſima metaphora dixit Cicero: ut ſementem feceris, ita & metes, id eſt, reportabis præmium tuis factis dignum. Plautus in Epidico: Sed ut acerbum eſt, pro benefactis cum malam meſſem metas, id eſt, cum pro beneficio maleficium reportes. Et apud Platonem: Quam hic meſſem facturus eſt? Haud ſane bonam. Hæc metaphora communis eſt etiam ſacris literis: Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Et D. Paulus: qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem: qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Et: ſi vobis ſeminavimus ſpiritualia, magnum ſi veſtra carnalia metamus? Huc reſpicit illud Euripides in Hecuba.

Ὑμεῖς δ' ἔχοιτ' ἄξια τῆς βουλεύματος.

Id eſt:

Habeatis at vos inſtituto congrua.

Denique illud pene ſolenne eſt apud Græcos poetas, ... Ariſtoph. in Equitibus:

Οὐ δὲ ...
Πλὴν ...

Id eſt:

Id eſt:

—Nec muſicam doctus ſcio,

Sed literas tantum, atque eas malas male.

Illud autem frequens: ἀπολῶ κακὸν κακῶς. id eſt: Te malum perdam male; Interpres admonet figuræ proverbialis: qua de re dictum eſt in hujus operis veſtibulo. Ruſum Euripides in Hecuba:

Τὸν μὲν κακὸν
Κακόν τι πάσχειν, τὸν δὲ χρηστὸν εὐτυχεῖν.
Bonis bene evenire, ſed malis male.

Idem in eadem fabula:

—Ἀλλ' ἐπεὶ τὰ μὴ καλὰ
Πράσσειν ἐτόλμας, τλῆθι καὶ τὰ μὴ φίλα.

Id eſt:

—Quia ubique non decent haud veritus eſt patrare, fer quæ non libent. Perquam feſtivum eſt, quod de Diogene refert Laertius. Super cœnam quidam illi objiciebant oſſa, velut cani, quod Cynicus eſſet, eam contumeliam ille ſic penſavit. Acceſſit propius, & juxta illos ſtans mingebat, viciſſim illis canem agens. Sed propius huc pertinet, quod idem refert in Zenone, qui ſervum in furto deprehenſum cædebat. Servus interim clamabat in fatis fuiſſe ut furaretur. At Zeno. Illud etiam ut cæderetis. Servus quoniam audierat herum diſputantem de neceſſitate fatorum, eam prætexuit ſuo commiſſo ſed ſcite tero: ſit philoſophus.

Pro bonis glomi.

Ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες: id eſt, Pro bonis glomi, Dici conſuevit: ubi quis beneficium, quod in alium contuliſſet, cumulate, cumq; fœnore reciperet. Agathides enim Græcis glomi dicuntur: verum alluſionis decus in voce Græca eſt, quod in ſermone Latino reddi non poteſt. meminit Suidas.

Benefactis penſare delicta.

M. Tull. ep. ad Attic. li. 14. epiſt. cujus initium. Certior Pylio factus citat hunc ſenarium citra nomenclaturam, ut vulgo celebrē:

Ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον.
Aliis benefactis hæcce depellunt probrum.

Loquitur, ni fallor, de Bruto & Caſſio, qui occiderant Cæſarem. Locus ſic habet: Itaque idus Martiæ me non tam conſolantur quã antea magnum enim mendum continent, & ſi illi juvenes, ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς, &c. Convenit cum illo. εὖ κακῶς ἐνδρῶν λέγεις.

COGNATI *Fures furibus.*

Et hoc quoque omnibus in ore eſt Solent autem fures furibus. inceſti inceſtis favere. Blandimur enim hoc modo vitiis noſtris, & conſueta vitia ferimus niſi reprehendimus: quoniam conſuetudo peccandi, multitudinem facit peccantium. Juvenalis ſatyr. ij.

Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo.
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni:

Pro Pytho Tænarum.

Tænarum pro Pytho in proverbium abiit, vel permutationis, vel ejus actionis, quæ præſcriptis verbis fit: Do, ut des.

Ἴσον τοι Δῆλόν τε Καλαυρείαν τε νέμεσθαι,
Πυθώ τ' ἠγαθέην καὶ Ταίναρον ἠνεμόεσσαν.
Æqualiter Delumque, Calauriamque diſtribuunt.
Sic & Pythona divinam Tænarumque ventoſam.

Extat fabula de Neptuno cum Latona, hanc faciente permutationem, Vide quoque apud Eraſm. Pro Delo Calauriam.

Ut quiſque eſt meritus, præmium ferat.

Vulgare & conſuetum antiquis, atque hodie noſtris, Nævius in Danæ, Quia ut quiſque eſt meritus, præſens pretium pro factis ferat. Nonius pretium pro præmio accipit dicit.

PERFICIENDI, SIVE ABSOLVENDI.

ERASMI. *Nodum ſolvere.*

Κάθαμμα λύειν. id eſt, Nodum ſolvere, dicebatur qui negotium alioqui impeditum facile conficeret. Natum hinc ajunt, quod tradunt Midam curru nodis quibuſdam inexplicabilibus è corni libro connexo vectari ſolitum. De hoc in templo repoſito proditus erat apud Phrygas rumor, qui vinculum illius ſolviſſet, eum Aſiæ imperio potiturum. Alexander magnus explicuit, exemplo clavo qui jugum temoni connectebat: Quidam ajunt gladio diſſecuiſſe. Cujus hiſtoriæ alio loco mentionem faciemus, in proverbio, Herculanus novus M. Tullius epiſto. ad Attic. lib. v Cæſari nullus honos à Senatu habeatur, dum hic nodus expeditur. id eſt, dum hoc negocium conficitur.

Tenedia bipennis.

Τενέδιος πέλεκυς: id eſt, Tenedia ſecuris. Conveniet aut in eos, qui nimium ſevere judicant ac puniunt: aut qui celeriter expediũt cõtroverſias, & litium ambiguitates. Inde tranſlatum: quod olim rex Tenedi ſecurim geſtans, lites audire conſuevit: cauſa judicata, protinus eum qui feciſſet injuriam, ſecuri percutere: aut quod Tenedius quidam rex legem tulit in adulteras, ut utriuſq; corpus ſecuri conciderentur: ejuſq; legis exemplum etiam in filium ædidit. Proinde in numiſmate juſſiſſe inſculpi, altera ex parte ſecurim, altera duos vultus ex eadem cervice prominentes. Cujus rei meminit & Stephanus in urbium catalogo. Plutarchus in commentario de Pythiis oraculis, oſtendit ſecurim typum atq; inſigne fuiſſe Tenediorum: idque propter cancros, qui ſunt apud illos in loco qui dicitur Aſterium. Verba Plutarchi ſi quis forte requiret, ſunt hæc: ἄλλως τ' ἀμίλλει σὲ λαβόντας ποτὲ ξενικὰ εἴδωλα ἀναθεῖναι, λέγεται, ὡς τοὺς Τενεδίους τὸν πέλεκυν ἀπὸ τῶν καρκίνων τῶν γινομένων περὶ τὸ καλούμενον Ἀστέριον· μόνοι γὰρ ὡς ἔοικεν ἐν τῇ παραλίᾳ τύπον πελέκεως ἔχουσι. Lucianus in Philopſeude: τοῦ ἐμοῦ, ἦκε γάρ μοι Τενέδιος πέλεκυς ἐπὶ τὰ ψευσμάτα. id eſt: Ratus enim juxta illud, quod vulgo dici conſuevit, ſecurim, quandam mihi veniſſe ad incidenda mendacia. Mihi videtur alluſum ad Alexandri Magni factum, qui nodũ inſolubilem in Midę plauſtro enſe diſſecuit: quemadmodum oſtendimus alibi. Meminit & Pauſanias in Phocicis: ſed originem adagionis ad aliã fabulam refert Scribit autem ſecurim inter anathemata fuiſſe, monumentũ Periclitii, cujus Pater Euthymachius Tenedius, quã de re vetuſta ferretur fabula: Cycnon filium fuiſſe Neptuni, ac regnaſſe in Colonis. Porro Colonæ erant in terra Trojana, contra inſulã cui nomen Leucophrys Porro cum Cycnus haberet filiã nomine Hemetheã, ac filiũ nomine Tennen ex Proclea, ea fuerat Clytii filiã ſoror Caletoris, quem Homerus in Iliados tradit inter fectum ab Ajace, quod is Caletor in Proteſilai navim ignẽ injeciſſet. Hæc igitur cum eſſet defuncta, huic ſucceſſit Philonome Craugaſi filia, quæ cum adamaret Tennen, ac rejecta fuiſſet, mentitur apud maritum, quod ipſa nolens ab eo fuerit de ſtupro ſollicitata. Cycn' uxoris mendacio perſuaſus, Tenne una cum ſorore ciſtæ inclutum abjicit in mare. Cæterum incolumes appulſi ſunt in inſulam Leucophryn, cui poſtea Tenne nomen verſum ſit Tenedos. Cycnus tandem ubi comperiſſet ſe deceptum, navigat ad filium, ſimul & agniturus errorem ſuum, & veniam deprecaturus. Cum autem appuliſſet Cycnus & navim ab arbore quapiam aut ſaxo religaſſet, Tennes præ iracundia ſecuri funes incidit Unde proverbium dictũ ceptum de iis qui pertinaciter negarent aliquid. Hic eſt qui Tenedia ſecuri hoc aut illud incidere poſſet. Huic non diſſimilis hiſtoria refertur in proverbio Tenedius homo.

Colophonem addidit.

Τὸν κολοφῶνα ἐπέθηκεν: id eſt: Colophonem addidit, Dici conſuevit, cum ſumma manus rei cuipiam imponitur aut cum accedit id, ſine quo negocium confici non poteſt. Originem adagionis indicat Strabo libro Geographiæ ſuæ decimoquarto, ſcribens Colophonios olim, cum navalibus copiis abundaſſe, tum equeſtribus uſque adeo præcelluiſſe, ut ubicunque gentium bellum gereretur quod confici non poſſit, Colophoniorum equitum auxilio profligaretur. Atque inde vulgo natum proverbium, κολοφῶνα ἐπέθηκε; id eſt, Colophonem addidit. Refertur à Diogeniano proverbium. Judicavit & Feſtus Pompejus, ſcribens Colophonem dici ſolere, cum aliquid finitimum ſignificaretur tametſi locum cum arbitror non vocare mendo. In eum ſenſum uſus eſt Plato De legibus ſecundo: ἐπὶ τέλει τῆς μέθης χρεία τὸν κολοφῶνα ἐπιθῶμεν, id eſt: Itaque de uſu temulentiæ primum colophonem imponamus: etiamſi apud Platonem legimus χορεία; præceſſit enim de Chorea mentio. Ac mox: οὗτος ἡμῖν, ὦ ξένοι, εἰ ξυνδοκεῖ, κολοφὼν ἐπὶ τῷ περὶ οἴνου λόγῳ ἐπιτεθεὶς εἰρήσθω. id eſt: Hic nobis hoſpites, ſi vobis idem videtur, colophon ſermoni de vino habito dictus eſto. Idem in epiſtola ad Dionyſium tertia: τὸν κολοφῶνα ἐπέθηκας τῆς ὑπὸ χρηστῆς ἀρίστης, ἐπὶ τὸν νεώτερον. id eſt, Colophonem vir præclare, pollicitis omnibus maxime juvenilem impoſuiſti Ruſuſin Theæteto: καὶ ἐπὶ τούτοις τὸν κολοφῶνα ἀναγκάζω προσβιβάζων τὴν χρυσῆν σειράν. id eſt, Et ad hæc adigo Colophonem, vi compellens auream illam catenam Sentit enim Socrates, Homerum per auream catenam ſignificaſſe ſolem, cujus motu ſervantur omnia, protinus interitura ſi ſteterit. Præcipuum igitur argumentum, quo probet quiete corrumpi univerſa, motu ſervari, appellat Colophonem. Item Ariſtides in Themiſto. le: καὶ τοῦτο κολοφὼν τοῦ λόγου. id eſt: Atq; hic orationis ſumma Plutarch' in libello De muſica tametſi ſtylus prope clamitat illius nõ eſſe: ταύτας τὰς στίχας, ὦ ἀγαθὲ διδάσκαλε, κολοφῶνα τῶν περὶ τῆς μουσικῆς λόγων πεποίημαι. i. e. Hos verſus bone præceptor, Colophonem eorum, quæ de muſica diſputata ſunt, feci. Idem in libello De prudentia animantium dixit κορωνίδα: ὡς δὲ κορωνὶς ὁ λόγος ἐπιθεὶς αὑτῷ παύσηται: id eſt: Ut autem ratio ſibi faſtigium imponens finem faciat. Gregorius Theologus in libello de fuga ſua: ἥκει γὰρ ἐπ' αὐτὸν ἤδη τὸν κολοφῶνα τοῦ λόγου. id eſt: Jam enim venio ad ipſum ſermonis Colophonem Sunt qui admoneãt, proverbium uſurpari de extremis malis. Ad eum modum uſus videtur Chryſ. in epiſt. ad Innocentium Romæ epiſcopum. Heſychius admonet, Colophonem interdum dici graculum quod, ut opinor: ſummis ædium faſtigiis avis ea ſoleat imponi, velut admones juxta cornicem Heſiodiam, ut homines ſibi componant nidos: neque enim ſemper fore æſtatem. Latinis idem dictum eſt, Apicem imponere. M. Tullius in Catone majore: Apex autem ſenectutis eſt autoritas. Reliqua pete à proverbio, quod alibi retulimus, Colophonium ſuffragium Coronidem addere, diximus alibi.

Colo-

Colophonium ſuffragium.

Κολοφώνιον ψῆφον: id eſt, Colophonium ſuffragium. Uſurpatur in epiſtola quapiam Platonis ad Dionyſium. Adagium eſt verbis magis quam re diverſum ab illo quod alibi retulimus τὸν κολοφῶνα ἐπέθηκεν: id eſt, Colophonem addidit. Adagionis originem explicant in hunc modum. Cum olim Colophonii domeſticis ſeditionibus tumultuarentur inter ſeſe, evenit ut aliquot ex illis mutatis ſedibus ad Smyrnæos demigrarent. Dein accidit, ut cum bellum gererent Smyrnæi, ac ſæpenumero victi diſceſſiſſent, tandem adhibitis Colophoniis, quos in civitatem receperant, extiterint ſuperiores. Unde inſtitutum eſt, ut quemadmodum Smyrnæi non vicerant in bello, niſi Colophoniorum acceſſione, ita nec in ſuffragiis vicerant, niſi illorum calculum adjungerent. Proinde cum Jonii duodecim civitatibus imperarent, quarum una Smyrna, in publicis conſiliis, ſi quãdo Smyrnenſium æquales fuiſſent calculi, pars ea vincebat, cui ſubſcripſiſſent Colophonii illi, quorum opera vicerant in prælio. Nec abhorrent ab his quæ refert Iabenus ſcriptor Græcus, duodecim Joniæ civitates convenire ſolitas: Id concilium Panionium dicebatur, in quo ſi forte calculis hinc atq; hinc paribus nihil decerni poterat, accerſebantur Colophonii, qui victoriam adferebant utricunque parti fuiſſent ſuffragati. Itaque proverbium quadrabit, cum ſignificabimus judicium aut ſuffragium alicujus plurimum in re quapiam valere. Hujus adagii nobis alibi facta eſt mentio.

Summum faſtigium imponere.

Illud generalius eſt, Summum faſtigium imponere: pro eo quod eſt, rem omnib. ſuis partibus abſolvere. Exempla reperies apud Ciceronem libro Officiorũ 3 apud Plin. in Epiſt. aliquoties. Translatum ab ædificatoribus, qui perfecto demum ædificio faſtigium aliquod ſolent imponere: quibus ſicuti fundamentum prima inſtituendi operis pars eſt, ita faſtigium ſuprema eſt jam abſoluti. Unde quemadmodum fundamenta jacere transferunt ad id, quod eſt inſtituere quippiam: itidem faſtigium addere, traducunt ad rei perfectionem, ſummamque, ut vocant, manum. Huic confine quod à Græcis dicitur, τὸν κολοφῶνα ἐπέθηκε: id eſt, Colophonem impoſuit.

Circulum abſolvere.

Τὸν κύκλον ἀποδοῦναι: id eſt, Circulum abſolvere, eſt rem omnib. numeris omnibuſque partib. perfectam reddere. Unde & κυκλοπαιδεία dicta, quæ diſciplinarum omnium velut orbem abſolverit, & ἐγκύκλιος παιδεία. Metaphora ſumpta videtur à mathematicis, apud quos circularis figura perfectiſſima abſolutiſſimaq; judicatur. Unde illud non ſine cauſa laudatum carmen de ſapiente:

—Mundi inſtar habens, teres atque rotundus,
Externæ ne quid labis per levia ſi dat.

Confine illud, παντὶ ῥυθμῷ: id eſt, Omni numero. Ita Fabius in præfatione libr. 8. Quam ut per omneis numeros & penitus cognoſcere, ad ſummam ſcientiæ neceſſarium eſt, ita incipientibus ſimplicius ac brevius tradi magis convenit. Quod a muſicis dictum videtur.

Summam manum addere.

Eandem vim habet: Summam manum addere. Mirum ni metaphora ab artificibus translata, qui primum rude quoddam operis ſimulachrum effingunt, atque hanc primam appellant manum: deinde formant expreſſius, poſtremo ſumma cura expoliunt: atque hanc ſupremam, ſeu ſummam manum vocant. Ovidius:

Nec tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Neſciat his ſummam ſi quis abeſſe manum.

Mox pro eodem dixit ultimam limam:

Ablatum mediis opus eſt incudibus illud.

Seneca ad Lucilium: Vino deditos delectat potatio extrema, illa quæ mergit, quæ ebrietati ſummam manum imponit. Eadem figura dicimus, nihil deeſſe præter extremam manum. Exempla crebriora ſunt apud ſcriptores, quam ut hic referat repetere.

Supremum fabulæ actum addere.

In eandem formam referendum eſt illud, Supremum fabulæ actum addere: pro eo quod eſt, extremum finem imponere: à poëtis comœdiarum aut tragœdiarum ſcriptoribus aſcitum, qui fabulas ſuas in actus quoſdam diſtribuunt. Unde illud Horatianum:

—Nec ſit quinto productior actu.

Solent autem in extremo actu, plurimum artis addere, ſicuti ſcribit M. Tullius ad Quintum fratrem: Illud te ad extremum & oro & hortor ut tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte & concluſione muneris ac negocii tui diligentiſſimus ſis: ut hic tertius annus imperii tui, tanquam tertius actus perfectiſſimus atque ornatiſſimus eſſe videatur. Idem ad Atticum libr. 13. Etenim hæc decantata erat fabula, ſed complere paginam volui. Cicero in Catone transfert ad vitam peractam. Quemadmodum & Apuleius libr. Floridorum 3. de Philemone comico loquens: Renunciaverunt, inquit, Philemonem poetam qui expectaretur, ut in theatro fictum argumentum finiret, jam domi veram fabulam conſummaſſe. Enim vero jam dixiſſe rebus humanis valete & plaudere. Opinor ad hanc formam pertinere, quod apud Nonium ait Lucilius: Sarcinatoris eſt, ſummum ſuere centonem optime.

Ad Umbilicum ducere.

Extant apud autores aliquot abſolvendi parœmiæ, que rarum de numero eſt illa: Ad umbilicum ducere: pro eo quod eſt, librum finire atque abſolvere. Sunt enim umbilici, interprete Porphyrione ornamenta quædam oſſea, aut lignea cornea ve, umbilici noſtri formam imitantia, quæ voluminibus jam abſolutis addebantur: atque hinc proverbialem figuram eſſe natam, ad umbilicum pervenit, id eſt, finem. Horatius in Epodis:

—Deus deus nam me vetat
Inceptum celeres promiſſum carmen jambos
Ad umbilicum ducere.

Martialis in quarto Epigrammatum libro:

Ohe jam ſatis eſt, ohe libelle
Jam pervenimus uſque ad umbilicos,
Tu procedere adhuc & ire quæris.

Idem libro quinto:

Quæ cedro, decorata purpuraque,
Nigris pagina crevit umbilicis. Idem in tertio:
Cedro nunc licet ambules perunctus,
Et frontes gemino decens honore,
Pictus luxuriertis umbilicis.

Ruſſus in undecimo:

Explicitum nobis uſque ad ſua cornua librum,
Ex quaſi perfectum, Septiciane refers:

Verum equidem haud ſcio, poſſitne proverbium hoc alio quam ad librum aut carmen transferri, niſi durior fiat metaphora.

Ad coronidem uſque.

Μέχρι τῆς κορωνίδος: id eſt, Uſque ad coronidem: quum extremum finem rei cujuſpiam ſignificamus. A navibus translatum putant literatores, quibus aliquid roſtri ſpeciem gerens ſolet addi. Nam Corone Græcis cornicem ſonat coronis corniculam. Apud Homerum uſurpatur κορώνη pro anulo, aut ſi quid aliud apponitur oſtio. Idem velut ornamenti gratia perfectis omnibus additur. Unde Euſtathius indicat, lætum rerum finem χρυσῆν κορωνίδα proverbio dici ſolere. Plutarchus in lib. De fortuna Alexandri refert, Philoxenum è Dionyſio conjectum in latomias (id erat nomen teterrimo carceri) quod tragœdiam quam illi caſtigandam tradiderit, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς μέχρι τῆς κορωνίδος περιεχαράχθαι: videlicet circunducta linea ſignificans, totam eſſe diſpungendam. Idem adverſus Stoicos: ἐκ παρόδου καὶ ἀρχῆς ἄχρι κορωνίδος, id eſt, Ab ingreſſu, & initio uſq; ad coronidem. Jucundus erit, quoties transfertur ad animum: veluti ſi quis ſtudiorum coronidem dicat, aut moneat, ut egregiis cœptis auream addat coronidem: aut vitæ laudabiliter actæ jubeat auream imponi coronidem, hoc eſt mortem piam. Quanquam coronis dicitur internum quod accedit abſoluto operi, ut Martialis,

—Multaque coronide longus:

qualia ſunt in convivis, quæ Græci vocant ἐπιδορπίσματα ſive μεταδόρπια: quod cœnis addantur. Latini ni fallor, bellaria vocant. Cujus vocis eadem fuerit gratia, ſi ad res animi transferatur: velut ad acceſſionem quæſtioni prærpoſitæ additam, aut aliud ſimile. Poſtremo grammatici, quoties perſona actoris eodem metri genere finit quo cœperat, Coronidem vocant eamque notam velut roſtri figuram exprimentibus lineis. Attigeramus hoc proverbium, in eo quod eſt, A capite uſque ad calcem: ſed tribus duntaxat verbis.

Servatori tertium.

Τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι: Tertium ſervatori. Proculus Diodochus in commentario de tribus animi partibus, juxta Platonis diviſionem, deque quatuor virtutem generibus uſurpavit adagium hoc, his quidem verbis: ἀλλὰ τούτων διαλυθέντων, καὶ τῶν τῆς ψυχῆς μερῶν κατ' ἀξίαν διακριθέντων, τὸ τρίτον τῷ σωτῆρί φασι, i. e. His diſſolutis, animique partibus juxta ſuam rationem diſtinctis, tertium ſervatori, quod ajunt: Sentit autem Proculus, abſolutis duobus reſtare tertium: videlicet, quo pacto quatuor virtutes ad tres illas animi partes poſſint referri. Proculus videtur Platonem imitatus in Charmide: πάλιν τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, τὸ τρίτον τῷ σωτῆρι, ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς ἐπισκοπῶμεν: i. e. Rurſum igitur, inquam, tertium ſoſpitatori velut ab initio conſideremus. Eodem alluſiſſe videtur, licet tectius, l br. De legibus 3 ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῶν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ, τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν: i. e. Porro tertius vobis ſervator videns principatum adhuc frementem & animoſum, ceu pſallium injecit illi Ephororum potentiam. Sentit Lacedæmoniorum rempub. tribus modis fuiſſe temperatam, ne erumperet in tyrannide. Primum addita altera familia, ex qua reges creari liceret, nam initio ex una tantum phaserat. Deinde nobilium ac principum potentiæ oppoſita viginti octo ſeniorum autoritas, quæ in gravißimis negociis regiæ par habebatur. Poſtremo quinque Ephororum magiſtratus, cui rex parere cogebatur. Hæc autem omnia putat numinis providentia fuiſſe procurata ad civitatis incolumitatem: eoque dicit, Tertius ſervator. Sumptum eſt adagium ex Iſthmiorum hymno ſexto Pindari, apud quem de tertio Jovis ſoſpitatoris calice legimus ad hunc modum: ὡς δὲ τρίτον σωτῆρι πορσαίνοντας Ὀλυμπίῳ Αἴγιναν κάτα σπένδειν μελιφθόγγοις ἀοιδαῖς, ſubaudi κρατῆρα. Quorum carminum hæc ferme ſenſus eſt: Optat Pindarus ut aliquando vincat Olympia Æginenſis, quo contingat tertium miſcere ca-

Item ſoſpitatori Iovi, non ſine laudibus, tum ipſius victoris, tum Iovis Olympii. Craterem autem intelligit, aut ſimpliciter eum qui ſumitur in conviviis victorialibus: aut κρατῆρα τῶν ὕμνων, id eſt. Calicem cantionum, quemadmodum alibi.

Γλυκὺν κρατῆρ' ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν.

Id eſt:

Dulcis calix vocalium cantionum.

Quo quidem loco Pindaricus interpres oſtendit, antiquitus fuiſſe morem, ut in conviviis primus calix miſceretur Iovi Olympio, ſecundus heroibus, tertius Iovi ſervatori. Teſtem hujus rei citat Sophoclem ἐν Ναυπλίῳ:

Ζεὺς ἀλεξητήρ τε καὶ Διὸς σωτηρίου
Σπονδὴ τρίτου κρατῆρος.

Id eſt,

Curarum ademptor Iupiterque & tertii
Libatio ſcyphi ſoſpitatoris Iovis.

Citat & Æſchylum in Epigonis,

Λοιβὰς Διὸς μὲν πρῶτον ὡραίου γάμου
Ἥρας τε· ἔπειτα τὴν δευτέραν χέω
Ἡρώων· τρίτην Διὸς σωτῆρος εὐκταίαν λίβα.

Id eſt:

Libationes primum quidem Iovis tempeſtivarum nuptiarum, Iunoniſque: deinde ſecundum populum heroibus tribuo: deinde tertio loco Jovis ſoſpitatoris optabilem ſtillam. Addit autem hunc calicem σωτῆρος appellatum: quod huc uſque potatio citra ebrietatem, animique noxam conſiſtere: ultra quem ſi quis progreſſus, eſſet jam ad libidinem, intemperantiamque res vergere videretur: juxta illud apud Apulejum Aſclepiadis dictum, exiſtimantis primum craterem pertinere ad ſitim, ſecundum ad voluptatem, tertium ad ebrietatem, quartum ad inſaniam. Hunc autem eundem, Διὸς σωτῆρος calicem appellant τέλειον: ſive quod in hunc deſineret bibendi modus: ſive quod hic numerus inter omnes abſolutiſſimus eſſe putatur ut cui adſit & initium, & medium & finis: eoque rebus divinis potiſſimum accommodatur: & à Platone refertur ad animum, ut pote divinum & ob id ternione conſtantem. Ne id quidem theologica ratione vacat, quod primam & ultimam pateram Iovi dicarint, mediã ſemideis. Primũ enim heroibus medius locus competebat: vel quod juxta Platonis ſententiam mediæ cõditionis eſſent inter ſummos illos deos, οἳ ἄλυμα κοτῆχον, ut inquit Homerus, quos Plato mentes autumat eſſe nullis obnoxias corporibus & inter nos corporibus oneratos & ad id affectibus mortique obnoxios. Dæmonibus enim Platonici tribuunt corpora; tametſi non ejuſmodi, qualia ſunt noſtra, verum aerea: cujus opinionis ſe fuiſſe teſtatur & divus Aurelius Auguſtinus, in libel. De natura dæmonum: & alias aliquoties. Vel quod juxta poetarum fabulas ſemidei compoſitæ mediæque ſunt originis, ex altero parente deo, altero homine: velut Hercules ex Alcmena & Iove, Caſtor & Pollux ex Leda & Iove. Porro Iovem intelligunt mentem illam ſummam, omnia ſimul complectentem, ut idem & initium & finis ſit omnium: eamque ob cauſam ab hoc auſpicabantur potationem, & in eundem finiebant. Meminit Iovis ſoſpitatoris non ſemel Ariſtophanes in Pluto, velut hoc loco:

Τὸν οὖν Δία τὸν σωτῆρα χαίρειν ἐᾶν δεῖ
Χαίρειν ἐάσας ἐνθάδ' αὐτοῦ καταμένειν.

[illegible] Id eſt:

Mihi itaque viſum ſoſpitatorem Jovem ut
Valere ſinam, atque hoc permaneam poſt hac loco:

Tradit interpres, templum Athenis fuiſſe τοῦ Διὸς σωτῆρος, quem eundem quidem ἰλάσιμον appellant. Διὸς σωτῆρος, mentionem facit & Athenæus in Dipnoſophiſtis, lib. 2. addens olim fuiſſe morem, ut cibis appoſitis mox vinum indilutũ infunderetur: quo nimirum declararent, quanta vis eſſet boni dei. Deinde cum ſuo quiſque arbitrio diluiſſet, nomen Jovis Servatoris præfabantur: innuentes ita temperatum vinum tuto citraque noxam bibi. At idem lib. 11. propemodum docet, & poſt cœnam à lotis manibus inferri ſolere calicem Jovis Servatoris qui idem fuerit cum eo qui dictus eſt ἀγαθοῦ δαίμονος, Diphilum adducens autorem, qui ſcripſerit in Sapphone:

Ἀρχίλοχε δέξαι τήνδε τὴν μετανιπτρίδα,
Μεστὴν Διὸς σωτῆρος ἀγαθοῦ δαίμονος.

Archilocho ſumito hanc tibi Metaniptridem,
Plenam Jovis Soteris optimi Dei.

Adagio licebit uti, cum ſignificabimus nos ad id quod in negocio poſtremum ac præcipuum eſt accedere. Prius quam finem faciam, illud admonere libet, ex Pindari verbis, eundem videri Jovem Olympium, ac ſoſpitatorem. Plutarchus Convivialium quæſtionum, decade v. de tribus his calicibus loquitur, ni fallor: οὐδὲ γὰρ [illegible] ἐν τῷ θεῷ [illegible] κρατῆρας κιρνάντες [illegible] ἰδεῖν τῷ [illegible] id eſt. Neque enim quum Deo rem divinam facimus, reliquis omnibus eis, maxime cum templis & aris vota facimus: ſed tribus crateribus mixtis, aliis de primo libamus, aliis de ſecundo, aliis ex ultimo. Nam invidia ſtat extra chorum divinum. Meminit hujus rei & decade 7. demonſtrans, cum uni ſacrificabatur deo omnibus ſimul vota fieri, ſed non nominatim.

Domum cum facis, ne relinquas impolitam.

Cum nulla Heſiodi poetæ ſententia non ceſſerit in proverbiũ; tamen equidem eas libentius recenſuerim, quæ propter ænigmatis involucrum propius accedunt ad ſpeciem proverbialem: quod genus eſt illa ex libro, cui titulus, Opera & dies:

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν,
Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

Id eſt:

Neve domum fabricans, linquas mutilamque rudemque
Ne ſors inſideat crocitans garrula cornix.

Proculus interpres admonet locum hunc bifariam accipi. Quibuſdam videri, monere poetam, uti quiſq; domicilium ante hyemem abſolvendũ curet: ne tum non habeat, quod depellat frigoris moleſtiam. Hyemem enim cornicis indicatam ſymbolo videlicet avis hybernæ. Porro cum ſemper aliàs, tum maxime menſib. hybernis εἷς οἶκος, οἶκος ἄριστος. Eſt gratia domus, domus optima: quemadmodum in proverbio eſt. Alii putant ſignificatum, ædificium ſemel inſtitutum, non oportere ſemper ſectum relinquere, ne vulgo riſui ſis: & qui prætereunt, obloquantur, carpantque levitatem tuam qui quod cœperis, non abſolvas. Quandoquidem hunc obloquendi morem vulgo peculiarem eſſe, vel Evangelicæ notant parabolæ. Eam autem obtrectantium petulantiã per cornicem voluit indicare poeta, nempe avem garrulam & obſtreperam: ut hinc etiam verbum proverbiale ductum ſit, κρώζειν. At ipſi Proculo magis probatur, ut καθολικῶς accipiamus, unicuiq; negocio, quod ſemel inſtituerimus, finem idoneum imponendum, ut nihil omnino deſideretur, & utiq; contendum ad profectionem. In quo longius avocabitur a ſimplici ſermone, hoc venuſtius fiet & magis proverbiale. Veluti ſi quis adhortetur aliquem, ne literarum ſtudium deſerat ſed laudabiliter inſtitutus ſummam imponat manum, ne vulgo ludibrio ſit, quod à bene cœptis deſtiterit Heſiodium hoc objiciens?

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεστον καταλείπειν;
Μή τοι ἐφεζομένη κρώζῃ λακέρυζα κορώνη.

Omnia octo.

Ἀμφὶ ὀκτώ id eſt, Omnia octo, quum nihil deeſſe ſignificamus; aut cum multa inter ſe ſimilia videntur. Parœmiam hinc ortam exiſtimant. Steſichorus poeta in oppido Catana ſplẽdide ſepultus fertur, monumento diligenti quadam ratione ex omnib. octonis conſtructo, octo columnis octo gradibus, angulis octo atq; hinc proverbium increbuiſſe Ἀμφὶ ὀκτώ. Meminit hujus & Julius Pollux in nono, agens de luſu taxillorum, quem ait numeris conſtare, in quibus ſit unus qui Steſichorius appelletur, nimirum octo: idque cognominis ſumptum eſſe ab ejus monumento. Sunt qui dicant eum qui Corinthios in unam civitatem coegit, cives univerſos in octo tribus diſtribuiſſe, atque hinc ortum vulgi ſermonem; Neque deſunt qui ſcribant, idque Evandro (ut citant) authore, octo deos eſſe qui rerum imperent ſummæ ignem, aquam, terram, cœlum lunam, ſolem, mithram, noctem. Mithram autem Perſæ eundem cum ſole exiſtimant. Rurſum alii dicunt octo fuiſſe certaminum ſpecies in Olympus, atque inde ductum adagium, Omnia octo. Quod ſi nobis quoq; conceditur in ænigmate divinare, non abſurde natum videri poteſt à fabula quam narrat Plutarchus in commentario De dæmonio Socratis: Deliis ac cæteris Græcis oraculo reſponſum fuiſſe apud Ægyptos, ita demum malorum finem fore, ſi aram quæ in Delo erat duplaſſent. Qui cum non intellexiſſent quid ſibi vellet oraculum, ridicule duplatis ſingulis aræ lateribus, imprudentes ſolidum octuplum effecerunt, ob inſcitiam proportionis quæ longitudine duplum reddit. Cæterũ hac in re conſultus Plato, geometriæ cum primis, peritus reſpondit, deum Græcis imperitiam exprobraſſe: monere ut geometriæ darent operam. Delectatum apparet hoc proverbio Heliogabalum imperatorem, cui morem hunc fuiſſe ſcribit Ælius Lampridius, ut ſimul ad cœnam vocaret octo calvos, octo luſcos, octo podagroſos, octo ſurdos, octo nigros, octo prælongos, & octo præpingues & obeſos.

Si meus ille ſtylus fuiſſet.

Si meus ſtylus fuiſſet, dixit M. Tullius in ſecunda Philippica: pro eo quod eſt, ſi hoc negocii meo arbitrio, meoque artificio commiſſum fuiſſet Tranſlata metaphora à fabularum authoribus, quorum ſtylo & calamo fabula tota conficitur. Verba Ciceronis hæc ſunt: Sed unam rem verior ut non probes: Si enim fuiſſem, non ſolum regem, ſed regnum etiam de Repub ſuſtuliſſem. Et ſi meus ille ſtylus fuiſſet, ut dicitur, mihi crede non ſolum unum actum, ſed totam fabulam confeciſſem. Porro ſtylus eſt cuſpis illa graphiaria, qua ſcribimus in tabulis ceratis. Transfertur autem ad characterem & filum quoddam orationis: ad quod alluſit Cicero.

Ad Herculis columnas.

Ἡράκλειαι στῆλαι jam olim in proverbio ſunt, ut admonet Pindari interpres. Sic enim vulgo dici ſolere, τὰ πέρα Γαδείρων οὐ περατά: id eſt. Quæ ultra Gades, inacceſſa. Quo ſignificant, ultra columnas Herculis non eſſe pro digrediare Columnas has Hercules ibi fixiſſe dicunt, cum boves, veſtigaret Geryonis, tanquam illic eſſet ſuprema orbis meta. Pindarus in Nemeis: Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν. id eſt. Non ulterior acceſſus ad occidentem, ultra Gadira. Item alibi:

[illegible]

εἰ δ' ἐὼν καλὸς ἔρδων τ' ἐοικότα μορφᾷ,
ἀνορέαις ὑπερτάταις ἐπέβα
παῖς Ἀριστοφάνεος, οὐκ ἔτι πρόσω
ἀβάταν ἅλα κιόνων
ὑπὲρ Ἡρακλέος περᾶν εὐμαρές,
ἥρως θεὸς ἃς ἔθηκε
ναυτιλίας ἐσχάτας.

Sentit Ariſtophanis filium ad extremam perveniſſe laudem, ultra quam non poſſit creſcere, qui quidem egregiæ formæ facta adjunxerit illuſtria. Quod ſi quis præterea quicquam laudis requirat, id perinde eſſe, ac ſi quis ultra columnas ab Hercule fixas conetur tranſire. Ruſus in Olympiis hymno 3.

νῦν γε πρὸς ἐσχατιὰν Θή——
ρων ἀρεταῖσιν ἱκάνων ἅπτεται
οἴκοθεν Ἡρακλέος σταλᾶν, τὸ πόρσω
δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις.

Id eſt:

Nunc ſane ad extremos limites virtutibus perveniens Theron, attingit à domo Herculis columnas. Quod autem ultra eſt, ſapientibus pariter & inſipientibus inacceſſum. Conſimilem in modum uſus eſt Gregorius Nazianzenus in Monodia, ſentiens Baſilium eo perfectionis perveniſſe, ut longius progredi negatum eſſet humanæ naturæ. Heraclides Ponticus in allegoriis Homeri improbos Homeri poëmatis interpretes exigendo putat ὑπὲρ Ἡρακλείους ἐσχάτας στήλας καὶ τὴν ἄβατον ὠκεανοῦ θάλασσαν: id eſt, ultra Herculis extremas columnas, & inacceſſum Oceani mare.

Ad Phaſim uſque navigavit.

Autore Strabone lib. Geographiæ 11. Phaſis eſt Euxini ſinus, & extremæ navigationis meta, vel teſte proverbio:

εἰς Φᾶσιν, ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.

Id eſt:

Ad Phaſim ubi ſupremus curſus navibus.

Per Phaſim Colchidem ſignificavit, non flumen Phaſim, nec urbem ejuſdem nominis ad flumen ſitam. Theocritus in Idyllio.

πεζὸς δ' ἐς Κόλχως τε καὶ ἄξενον ἵκετο Φᾶσιν.

Id eſt:

Et Colchos pedes, & te acceſſit in hoſpite Phaſis.

Pindarus conſimili figura in Iſthmiis hymno 2. ἀλλ' ἐνίσσετο πρὸς μὲν Φᾶσιν θερείαισιν, ἐν δὲ χειμῶνι πλέων Νείλου πρὸς ἀκτάς. i. Sed tranſibat ad Phaſim quidem menſibus æſtivis, hyeme vero navigans ad Nili ripas, id eſt, a Colchide in Ægyptum. Strabo enim putat Phaſianos ab Ægyptiis oriundos: argumentum ſumens ex uſu lineorũ, quorum tanta ſit vis apud Phaſianos, ut hinc exportentur etiam in alias regiones. Dicitur de iis, qui longinquas orbis regiones peragrarunt. Eſt enim ipſa figura quaſi proverbialis hyperbole, quomodo dixit & Juvenalis.

Omnibus in terris quæ ſunt à Gadibus uſque
Auroram & Gangem. ——

Et Horatius in Odis,

Extremum Tanaim ſi biberes Lyce.

Et Vergelius in Bucolicis.

At nos hinc alii ſitientes ibimus Afros:
Pars Scythiam & rapidum Cretæ veniemus Oaxem.

Sumptum videtur ab Jaſonis fabula. Neque diſſimile fuerit ſchema ſi quis ad Herculeas uſque columnas dicatur navigaſſe, aut uſq; ad Britannos: quos autores extra mundi terminos ponunt, quod Oceano ſeparentur.

Horatius in Odis lib. 3

Viſum pharetratos Gelones,
Et Scythicum inviolatus amnem.

Idem eadem oda,

Viſam Britannos hoſpitibus feros.

Idem ruſum.

Et ultimos orbis Britannos:

Toto devorato bove in cauda defecit.

Πάντα καταφαγὼν τὸν βοῦν, εἰς τὴν οὐρὰν ἀπέκαμε, id eſt, toto devorato bove in cauda defecit, hoc eſt, reliquo negocio peracto in extremo fine delaſſatus eſt. Videtur eſſe ſenarius, ſed depravatus. Sapit tamen vulgi fecem & hoc...

Bellicum canere, Receptui canere.

Alias admonuimus, fermè proverbiales eſſe metaphoras, quæ ſumuntur a bello velut, Bellicum canere pro eo quod eſt, animare atque exhortari. M. Tullius Philippica 7. Bell cũ me ceciniſſe dicunt. Item Canere claſſicum dicitur, qui excitat diſſidium. Receptui canere pro finire, M. Tullius Philippica 13. Quis enim revocante & receptui canente ſenatu, properet dimicare? Quintil. lib. 12 cap. Quæ poſt finem ſtudia: quare antequam in has ætatis veniat inſidias, receptui canet & in portum integra nave perveniet. Signa canant Apud Martialem, id eſt, jam congrediamur & apud Plautum, collatis ſignis depugnare: apud eundem, veris gladiis depugnare. Quin hoc ipſum Collatis ſignis, haud dubie proverbii ſpeciem habet, cum ſignificamus ſeriam & exactam de re diſceptationem, ut M. Tullius in epiſtolis ad Attic. Ut cum Maphragone ſignis collatis, Apud Juvenalem.

——Hæc tuba rixæ,

id eſt, hoc belli initium.

Hic telam texuit, ille deduxit.

Apud Iulium Pollucem lib. 7. c. 10. refertur ſenarius, ſuppreſſo autoris nomine (ni forſitan Nicophanes eſt in Pandora.)

Ὁ δ' ἐξυφαίνει θ' ἱστὸν, ὁ δὲ διάζεται.

Quanquam legendum arbitror, ὁ μὲν ἐξυφαίνει τὸν ἱστὸν ὁ δὲ διάζεται: ſive, quod probabilius eſt, διάζετο, nam vocem ἱστὸν etiam metri ratio reſpuit. Jam ſi nobis textor quiſpiam Græcus exponeret, quid ſit διάζεσθαι (quod ut indicat Pollux, Attici dicebant ἀποσφηνοῦν) non eſſet difficile proverbii ſenſum enarrare. Nam Suidas tantum habet, διάζομαι τὸν στήμονα. Heſychius paululum lucis addiderat, dicens διάζετο, διαζέσθαι: ſi διάζετο veniret à themate διάζομαι. Quod ſi διάζεσθαι eſt ſtamini quod ſupereſt addere, ſenſus erit: Alter orſus eſt, alter perfecit.

Filum neviſti, & acu opus eſt.

Proverbii faciem habet verſiculus, ut apparet, anapæſticus, quem Julius Pollux lib. decimo refert Hermippi fatis.

Νῆμα μὲν ἐνέλωσε, τὸ δ' ἔργον ἐστὶ βελόνης.

Id eſt,

Filum ductum eſt, opus eſt & acu.

Cum ſignificamus, non ſatis eſſe cœpiſſe, niſi pari induſtria perficias. Didiciſti artem, ſupereſt exercitatio. Didiciſti grammaticã, reſtat dialectica Didiciſti ſacras literas, reſtat bona vita.

Luna radiis non matureſcit botrus.

Plutarch. hunc Jovis ſenarium ceu proverbialem adfert, differens quod luna quoniam radios habet, imbecilliores quam ſoli; excitare poſſit humores, concoquere non poſſit,

Μέλας γὰρ οὐ ταῖσδ' οὐ πεπαίνεται βότρυς.

Id eſt:

Neque enim his niger maturus efficitur botrus.

Convenit in eos, qui conantur quod ob defectũ virium nequeunt perficere. Refert idem in commentario De facie apparente in orbe lunæ. Accedet plus veneris, ſi volẽtes ſignificare diſciplinas humanas non præſtare felicitatem, dicamus. μέλας γὰρ ἐν ταύταις οὐ πεπαίνεται βότρυς. In αὐταῖς, ſubaudiet dum ἀκτῖσι, id eſt, radiis.

Nihil poteſt nec addi nec adimi.

De perfectis operibus ita vulgo dici ſolitum indicat Ariſtoteles libro Moralium Nicomachiorum ij. ὅθεν εἰώθασιν ἐπιλέγειν τοῖς εὖ ἔχουσιν ἔργοις, ὅτι οὔτ' ἀφελεῖν ἔστιν, οὔτε προσθεῖναι id eſt. Unde de operibus quæ bene habent, ita ſolent prædicare: Nec adimere poſſis, nec addere. Nam ut bene ſit aliquid, præſtat mediocritas, tollit exceſſus, aut defectus, exceſſum inducit, qui addit: defectum, qui adimit. De Lucilio ſcripſit Horatius,

Quum flueret lutulentus, erat quod tollere velles.

De Demoſthene ac Cic. dictum eſt, illi nihil poſſe demi, huic nihil poſſe addi.

Quadratus homo.

Ariſtoteles Moralium Nicomachiorum j. diſputans adverſus eos, qui felicitatem hominis bonis externis definiunt, quæ fortunæ arbitrio dantur ſimul & eripiuntur, dicit ad hanc rationem felicem, Chamæleontem quempiam induci, ut qui ſubinde mutatis rebus nunc felix ſit, nunc infelix: quemadmodum Chamæleon ad ſpeciem rerum quibus admovetur, mutat colorem: quum vera felicitas præcipue ſita ſit in bonis animi. Unde colligit, qui vere beatus ſit nihil obſtare quo minus per omnem vitam ſit beatus ac ſubjicit: ἀεὶ γὰρ ἢ μάλιστα πάντων πράξει καὶ θεωρήσει τὰ κατ' ἀρετήν, καὶ τὰς τύχας οἴσει κάλλιστα καὶ πάντῃ πάντως ἐμμελῶς, ὅ γ' ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸς καὶ τετράγωνος ἄνευ ψόγου. id eſt, Semper enim aut quam maxime, omnino faciet & contemplabitur quæ ſunt virtutis, ac fortunæ caſus optimè feret, ac prorſus omni ex parte modulate; is ſane qui vere bonus eſt, & quadrangulus, carens omni vitio. Libro Rhetoricorum 3. meminit hujus dicti inter genera metaphorarum. Hæc autem figura in quamcunque partem volvatur, ſui ſimilis eſt. Ita ſapiens quæcunque inciderit fortuna, non mutat animum. Venuſtius erit, ſi viri fortis, animum nec ullis fortunæ caſibus labefactabilem, dicamus τετράγωνον.

Rudem accipere, Rude donare.

Rudem accipere, pro dimitti a munere: Rude donare, pro dimittere: crebriter apud idoneos autores obvia ſunt. Inde ducta metaphora, quod antiquitus gladiatores, quibus permiſſum erat à gladiatorio munere ceſſare, rude donari dicebantur. Neceſſario dabatur virga, quam rudem appellabant: unde hoc modo dimiſſi, rudiarii vocantur, proinde quicunque à munere quovis in ortum reſtituuntur, vel ob ætatem, vel ob imbecillitatem, rudem accepiſſe dicentur. Horat. in j. epiſtol

Spectatum ſatis & donatum jam rude, quæris
Mecœnas, iterum me antiquo includere ludo.

Item Iuvenalis,

Ergo ſibi dabit ipſe rudem, ſi noſtra movebunt
Conſilia. ——

Ovidius:

Si igitur tarda vires adimente ſenecta,
Me quoque donari jam rude tempus erat:

M. Tullius Philippicarum ij. Tam bonus gladiator rudem tã cito accepiſti? Lepidior erit metaphora, ſi longule traducatur: veluti ſi quis adhortetur quempiam, ut à ſtudiorum laboribus abſtineat,

ſibique

ſibique rudem impartiat: aut qui vitam aulicam reliquerit eum aulicæ vitæ rudiarium appellemus. Huic ferme contrarium videtur, quod ait Fabius, Acutæ eloquentiæ candidatus, quanquā equidem hoc loco legendum arbitror, avitæ, pro acutæ: & bonarum literarum candidatis. Nam candidati proprie dicuntur, qui magiſtratum ambiunt. Quod ſi transferatur alio, tranſibit in proverbii ſpeciem.

Capere provinciam. Tradere provinciam.

Tradere provinciam, figura proverbiali dicuntur, qui negocium aliquod curandum committunt. Capiunt, ſuſcipiunt ve provinciam, qui rei curandæ onus in ſe recipiunt. Metaphora ſumpta eſt à conſuetudine Romanorum: apud quos qui magiſtratum gerebant, provincias alias alii ſortiebātur. Exempla paſſim apud autores obvia ſunt. Terentius in Seipſum excruciante: Videlicet ille Cliniæ ſervus tardiuſculus eſt Idcirco huic noſtro tradita eſt provincia. Idem in Phormione: ò Geta provinciam cepiſti duram. Plautus in Ciſtellaria: Abi rus, ubi directus in tuam provinciam. Officium illi delegatum, provinciam vocat.

Finem vitæ ſpecta.

Extat apud Horodotum hiſtoria longe notiſſima, quemadmodum Solon Crœſo reſponderit; nemini competere nomen beati, niſi qui feliciter vitæ curſum peregiſſet. Quod referens Iuvenalis,

—Quem vox, inquit, facunda Solonis
Reſpicere extremæ juſſit ſpacia ultima vitæ.

Hanc ſententiam copioſius extulit Sophocles in Oedipo tyranno:

Ὥστε θνητὸν ὄντ', ἐκείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
Ημέραν ἐπισκοποῦντα, μηδέν' ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
Τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.

Id eſt:

Itaque morali ſupremus ille fatorum dies
Uſque reſpectandus, ut ne quem beatum judicet,
Quin mali nihil univerſum paſſus ævum exegerit.

Eadem paulo diverſius idem extulit in Trachiniis,

Λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς,
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν
Θάνῃ τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἴ τῳ κακός.

Id eſt:

Vetus inter homines extat hoc proverbium,
Haud poſſe quenquam quempiam cognoſcere;
Bonus an malus ſit, antequam fatalibus
Defunctus annis, ultimum obierit diem.

Conſimiliter Euripides in Andromache,

Χρὴ δ' οὔποτ' εἰπεῖν οὐδέν' ὄλβιον βροτῶν,
Πρὶν ἂν θανόντος τὴν τελευταίαν ἴδῃς.

Id eſt:

Ne quempiam pronuncies mortalium
Unquam beatum, citius atque mortuo
Illo, ſupremum videris vitæ diem,

Idem in Troadibus.

—Τῶν δ' εὐδαιμόνων
Μηδένα νομίζετ' εὐτυχεῖν πρὶν ἂν θάνῃ.

Id eſt,

Ne quempiam horum quos benignis flatibus
Fortuna provehit, beatum enuncies
Prius atque vita exceſſerit feliciter.

Eadem repetit aliis verbis in Heraclidis,

—Τῇ δ' ἐμῇ τύχῃ
Βροτοῖς ἅπασι λαμπρὰ κηρύσσει μαθεῖν,
Τὸν εὐτυχεῖν δοκοῦντα μὴ ζηλοῦν, πρὶν ἂν
Θανόντ' ἴδῃ τις, ὡς ἐφήμεροι τύχαι.

Id eſt:

—Cæterum hoc rerum ſtatu
Mortalibus denunciat palam omnibus,
Docetque, ne qui proſperis ſucceſſibus
Uti videtur, hunc beatum exiſtiment
Prius atque demigraſſe vita viderint
Uſque adeo ſunt mutabiles rerum vices.

Ovidius in Transformationibus ſic extulit.

—Sed ſcilicet ultima ſemper
Expectanda, dies homini eſt: dicique beatus
Ante obitum nemo ſupremaque funera debet.

Quin hodieque paſſim omnibus eſt in ore. Ab exitu rem ſpectandam eſſe.

Haud perficiet.

Qui dicet negocium quod aliquis inſtituit, haudquaquam perfectum iri, verbis Homericis id dicat licebit,

——Τελέει δ' ὁδὸν οὔποτε ταύτην.

Id eſt:

——Verum hancce viam haud perfecerit unquam.

Curſu Lampada trado.

Curſu lampada tràdere, proverbialis metaphora, pro eo quod eſt, partes tuas quaſi ſucceſſione in alium atque alium transferre. Lucretius,

Et quaſi curſores vitæ lampada tradunt.

De animantibus agit, quæ ſucceſſione propagantur, vita per vices ab aliis in alia transfuſa M. Varro lib. De re ruſtica 3. cap. 15. Sed ô Merula Axius noſter nedum hoc audit, phyſicam addiſcat, quod de fructu nihil dixi, nunc curſu lampada tibi, trado. Quibus verbis ſignificat ſe alteram ſermonis partem Merulæ tradere, iſque in dicendi vicem ſuccedit. Lucretius videtur imitatus Platonem, qui libr. De legib. 6. ſcribit, cives oportere liberis generandis atque educandis operam dare, ut vitam, quam ipſi à majorib. accepiſſent, viciſſim quaſi tædam ardentem poſteris tradant. Eodem pertinet Perſianum illud.

Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis?

Ariſtophanes in Ranis:

Λαμπάδα δ' οὐδεὶς οἷός τε φέρειν,
Ὑπ' ἀγυμνασίας ἔτι νυνί.

Id eſt,

Jam nemo queat geſtare facem;
Quod non curant exerceri.

Taxat ignaviam atque inertiam civium. Quod loco Interpres addit, in tribus certaminibus ſolere veteres geſtare faces, id eſt, ut illi dicebant λαμπαδηδρομίαις in Prometheis, in Vulcaniis, & Panathenaicis. Porro Prometheus creditur primus hoc ludorum genus inſtituiſſe, hunc quidem admodum, ut currentes facem ardentem geſtarent. Eam defatigatus proximo in manum dabat. Is item defeſſus alii, ac deinceps alius alii, ſucceſſione tradebant in vicem, hiſtoriæ Promethea, quaſi ſimulacrum repræſentantes, quemadmodum ferulam, qua cœleſtem ignem exceperat, ne rurſus extingueretur, perpetuo motu jactarit, in terram devolans. Hujus rei mentionem facit Plato libro, De rep. 1. ſignificans daduchias etjam in honorem Minervæ ſolere celebrari. Pauſanias autem in Atticis, ritum horum ludorum deſcribit copioſius. Meminit & Herodotus, ſed obiter, in Urania, oſtendens eum morem à Perſis repertum, ut diſpoſitis equis atque curſoribus, alius alii mandata velut lampada traderent, quo celerius perferri poſſent. Author rhetorices ad Herennium: Non enim quemadmodum in palæſtra, qui tædas ardentes accipit, celerior eſt in curſu continuo, quam ille, qui tradit: ita melior Imperator novus, qui accipit exercitum, quam ille qui diſcedit: propterea quod defatigatus curſu integro facem, hic peritus Imperator imperito exercitum tradit. Itaque lampadem tradere dicetur, qui jam vel delaſſatus, vel emeritus, in alios munus gerendum ad ſe transfert. Et invicem lampada tradere, qui, quod ait Terentius, tradunt operas mutuas, & aliis alii viciſſim ſuppetias ferunt.

Sarta tecta.

Sarta tecta, pro conſummatis probeque curatis, & in quibus nihil ſit omiſſum. ex ſolennibus verbis Iureconſultorum abiit in proverbium. Plautus in Trinummo, Ne tibi ægritudinem pater parerem parſi ſedulo. Sarta tecta tua præcepta uſque habui mea modeſtia. M. Tullius libro Epiſtol. famil. 15. Hoc mihi da atque largire, ut Marcum Curium ſartum & tectum (ut ajunt) ab omni incommodo, detrimento: moleſtia, ſyncerum integrumque conſerves. Idem in Verrem actione tertia. In ſartis tectis vero quemadmodum ſe geſſerit quid ego dicam? Idem in concione ad populum priuſquam iret in exilium, Si igitur aliquo tempore his hominibus conſuluiſtis, quorum animus eſt religionis pietate defunctus, debetis mihi quoque proſpicere, qui nomini deorum conſecratum, ſartum tectum ab omni periculo conſervavi. Idem in Verrem actione eadem, Quapropter ita me de privaturæ criminibus auditore, ut ex utroque genere, & juris dicendi, & ſartorum tectorum exigendorum ea poſtuleris, quæ maxime digna ſunt eo reo. In eadem, Qua ſivit quis ædem Caſtoris ſartam tectam debere tradere. Aliiſque locis compluribus, velut in eundem Verrem actione v. Ulpianus libr. Pandectarum primo, titulo de officio pro conſ. & legati, capite. Si in aliquam, Ædes ſacras & opera publica circumire, inſpiciendi gratia, an ſarta tectaque ſint, vel an aliqua refectione indigeant. Item Celſus Pandect. libro ſeptimo, titul de uſufructu, capite. Hactenus loquens de reficiendis ædificiis, Hactenus tamen (inquit) ut ſarta tecta habeat: ſi quā tamen vetuſtate corruiſſent, neutrum cogi reficere. At mox. Unde Celſus de modo ſarta tecta habendi quærit, &c. Rurſus libro 48. titul. ad legem de repetundis, cap. lex Julia, Illud quoque cavendum ne in acceptum feratur opus publicum faciendum, frumentum ve publice dandum, præbendum, apprehendendū, ſarta tecta tuenda, antequam perbata, perfecta præſtita legerint. Feſtus Pompeius docet veteres ſarte dixiſſe pro integre: quamobrem & opera publica quæ locantur, ut integra tecta præſtentur ſarta tecta locantur. Nam ſarcire eſt integrum facere. Sed Feſtus legiſſe videtur ſarta tecta, pro integre tectis. Niſi forte legendum eſt in prioribus, ſarta & integra.

EX APPEND. ERASMI.

Domum redeamus.

Quoties digreſſi redimus ad id quod inſtitueramus. Cicero.

IVNII. *Coronidem imponere.*

Τὴν κορωνίδα ἐπιθεῖναι: id eſt, Coronidem imponere, eſt abſoluto operi finem imponere Syneſius in Calvitii encomio: ὥσπερ οὖν καὶ περὶ τοῦ Διὸς, ᾧ κορωνίδα τῶν λόγων Δίων ἐπέθηκεν. id eſt, Ita & de Iove dictum fuit, quam Dion orationi ſuæ coronidem impoſuit

Nazian-

Nazianzenus in funebri oratione Cypriani: ξίφει τὴν κεφαλὴν [illegible] τὴν κορωνίδα. id eſt: enſe decollatus, iſtam coronidem variis tormentis imponit. Idem ad Euſebium Samoſatenum præſulem: καὶ τοῖς ὑπὲρ τῆς ἀληθείας [illegible] ἐπιθεὶς κορωνίδα. id eſt, Beatior qui ſudorib. pro veritate exantlatis tam pulchram coronidem impoſueris. Idem in Monodia Baſilii magni: καλὴν ἐπέθηκεν [illegible] τὴν κορωνίδα. id eſt, Egregiam coronidem tempus illud attulit. Coronidem exponit Heſychius quod in ædificiis poſtremo loco adjicitur aut imponitur, turbinatum, videlicet faſtigium, ſimileve quid. Heliodorus lib. 3. τὴν κορωνίδα τῆς πομπῆς καὶ ὀφθαλμὸν ἀληθῶς τὴν σὴν θυγατέρα γνωρίζοντες id eſt: Pompæ coronidem atque oculum revera tuam filiam agnoſcentes. & lib. 10. τὴν κορωνίδα τῶν ἀγαθῶν. id eſt, Bonorum coronidem. Cognatum eſt illud Ariſtidis in Aſclepiadis: [illegible] id eſt, Iſtud tanquam capitellum beneficiorum erga Græcos impoſuerunt. ſic Nazianzenus in Athanaſium: κοινὸν κεφάλαιον ἐπιθείς. id eſt, Improprium capitellum imperio imponens. Huc referri poteſt & Heſiodicum illud.

—Ἑτέροισιν ἐγὼ λόγον ἐκκορυφώσω.

Id eſt:

—Viſum eſt alio ſermone imponere finem.

Proclus enim exponit, τὸ ἐκκορυφώσω, [illegible] κορυφὴν ἐπιθήσω, id eſt, perficiam, & veluti capitellum imponam.

BRASSIC. *Quantum pedes noſtri poſſunt.*

Socrates Platonicus in Gorgia, præcipit intemperantiam eſſe fugiendam, ὡς ἔχει ποδῶν ἡμῶν. Quantum pedes noſtri poſſunt: hoc eſt, omnibus viribus Homerus Iliad. lib. ν.

Ἀλλ' ὅσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε.

Refer huc illud è Chiliad. Quantum pedibus potes.

COGNATI. *Polycleti norma.*

Πολυκλείτειος κανών, id eſt, Polycletæa norma, proverbii ſpecie effertur de homine omnibus numeris abſoluto, de opere ad unguem facto, deque re extra controverſiam perfecta. Natum à Polycleti ſtatuariorum anteſignani commentario, quo abſoluti operis ſpecimen artificibus præſcripſit, itemque ejuſdem ſtatua abſolutiſſima, quibus ambobus κανὼν nomen inditum fuit ab authore. Sed operæ pretium eſt Galeni verba quibus hanc rem perſequitur, apponere ex quinto libro De Hippocratis & Platonis decretis: [illegible] id eſt, Quemadmodum in Polycleti regula perſcriptum eſt, nam quum eo in commentario Polycletus nos edocuiſſet ſymmetrias corporis ſcriptum denique opere confirmavit, fabricata ſtatua juxta libri præſcripta, inditoque illi ſimiliter, ut & commentario, Normæ peculiari nomine. Idem de corpore quadrato loquens in primo De temperamentis, quod non modo medium obtinere humiditatis ſiccitatiſque, verum etiam optima formatione præditum vult eſſe ſupra Polycleti normam, ſic inquit, [illegible] id eſt, Laudatur alicubi ſtatua Polycleti, Norma vocitata, creato inde nomine, quod exactam ad amuſſim omnium inter ſe membrorum commenſurationem habeat. Transfertur appoſite ad animi dotes, ſi hominem omni virtutem genere præditum πολυκλείτειον ἀνδριάντα vocamus. Eo modo accipitur & per ſe κανὼν Græcis, ut Norma Latinis. Apud Suidam incerti authoris verba citantur: [illegible] id eſt, Pubertatis anni norma erant rectè inſtitutæ, ſanæq; vitæ. Eunapius, de Marciano: [illegible] id eſt, Vir ad omnes virtutes veluti norma quæpiam affabre factus. Simili tropo Hieronymus ad Ruffinum dixit, Norma Catonianæ ſeveritatis & Martialis lib. 11. Regula morum. Affine etiam eſt illud Trebellii Pollionis: Valeriani vita cenſura eſt, κανὼν pictus fuit & Apoſtolicorum dogmatum liber, quod ſit veluti regula quædam & amuſſis, ad quam ſincera Chriſtianæ profeſſionis doctrina expendatur, unde de Paulo Samoſateno præſule refert Euſebius [illegible] id eſt, Quod à Canone diſcedens, ad ſpurias & adulterinas doctrinas defecerit. Ad eundem modum capitur & γνώμων. Damaſcius de Jſidoro philoſopho Hypatiæ doctiſſimæ fœminæ marito: [illegible] i. Univerſum theatrum illius judicio utebatur, ceu regula eorum qui bene maleve dicerent. Thucydides de Themiſtocle: [illegible] γνώμων. id eſt Rerum præſentium exactiſſima norma adhibito vel levi conſilio.

Tenedius vir.

Dicitur de auſtere judicantibus. Fertur olim fuiſſe Tenediis morem hunc, ut cum quis de magno aliquo flagitio accuſabatur, ſecurim geſtans vir eidem aſſiſteret, quem oportebat objecti criminis convicto ſtatim plagam infligere lethalem: (Pete ex Eraſmo Tenedia bipennis: &, Tenedius homo.)

Extremum imponere manum.

Extremam imponere manum, pro finire & abſolvere omnibus numeris ſuis, proverbii vice celebratur. Virgil. 7. Æneid.

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum.—

Effertur etiam: Summam manum addere. Sumptum eſt ab ædificatoribus qui abſoluto ædificio, faſtigium ſolent aliquod imponere. Cui confinia ſunt: Colyphonem imponere, Ad unguem expoliri. Opus utique rude primæ manus, ut ajunt, hoc eſt, primi artificii, Græcis dicitur πρωτόχειρον. Satagere autem, eſt cum ſolitudine inceptum perficere. Colophonem imponere, Budæus in Commentariis linguæ Græcæ aliter quam Eraſmus explicat.

Penſum abſolvere.

Penſum per tranſlationem, eſt muneris cujuslibet perfunctio: ducta metaphora ab ancillis, penſa, & lanæ vel lini aut canabis manipulos, qui ex colo pendent, & fuſo trahuntur, deducendos à matronis capientibus. Dicimus ergo venuſte, penſum abſolvere, perſolvere, conficere, peragere: quod Gallice dicitur: faire ſon office, & ce que on a entrepris. Dicimus etiam accurare penſum, id eſt, diligenter & accurate officium facere. Item exigere penſum ab aliquo, id eſt, petere, an ſuo ſit functus officio. Cicer. v. Vert. Penſum dicitur a verbo pendeo, quod ex colo linum vel lana pendeat. Livius de Licinio: Principio ſtatim anni, cum velut penſum nominis familiæque ſeditionis legibus agrariis promulgandis, cieret. Euripid. in Ione τίς ἄρτι [illegible] id eſt. Quis eſt quem penſis involvo: id eſt, ſermonibus.

Jucunda & utilia.

Iſtud adagium ab egregio illo majorum inſtituto fluxit, quo utilia ſolum dicere & ſcribere permittebatur: nec ullam, teſte Servio artem eſſe voluerunt, quæ non eſſet reip. utilis. Unde illud Domitii Piſonis celebre dictum: Authoris non oportere libros, ſed theſauros componere. Plato quoque poetas & oratores in ſuis legibus præcipit aut prohibendos civitate, aut cogendos utilia ſcribere. Hinc Horatius poetæ profeſſionem eſſe vult, ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ. Verum, ut inquit Perſius ſatyr. j.

Hæc fierent ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis?

Hæc inquit, mollia & enervata de rebus impudicis carmina fierent, ſi quid virilitatis majorum noſtrorum viveret in nobis? Juvenalis fere dimidium primæ ſuæ ſatyræ in notandis fabuloſis, omnium à ſummo minimoque poeta, ineptiis nihil omnino moribus profuturis, imo nocituris conſumit, per hoc oſtenens non gratia placendi, ſed voluntate juvandi oportere ad ſcribendum accedere. Thucydides quoque in reprobum hominum judicium inquit: Ea pro honeſtis habent homines, quæ ſunt voluptuoſa: pro juſtis, quæ ſunt utilia.

Septimæ decoctionis ſaccharum.

In his quæ per ignis iterationem depurgantur, perfectionem in 7. decoctione conſiſtere ſcribunt authores: veluti quotidie cernere eſt in ſaccharo purgando, nam ubi ſepties igne id examinaveris, percoxerisque, nihil quicquam ulterius proficit, ſed lapideſcit penitus, ne ulterius eliquari poſſit. Unde proverbium vulgo uſurpatum de re, quæ ſummam à ſepta ſit perfectionem, ſeptimæ electionis ſaccharum: ubi ſagaciſſimum quempiam atque vaferrimum hominem deſignamus. Sic Hebræi, Septem, de re pluries repetita ponere conſueverunt. Unde argumentum ſepties purgatum, pro ſæpius, Pſa. 11. dictum i. donec quicquid in eo terreni fuerat igne abſterſum, exhalarit. Quæ vero plurima & Philon, & Hierocles, & alii ſuper ſeptenarii perfectione diſputant, nunc miſſa facimus.

Summa ſummarum.

Hoc genus dicendi lingua frequentat Gallica, quum impoſituri ſunt ſermoni finem: & in eodem eſt, cum in rationibus multa nomina & capita in unam ſummam rediguntur, ac ſic multis ſummis factis, omnia tandem in unum conſummuntur. Nam ut capita in epiſt. ad Lentulum: Subductis rationibus ſummam feci cogitationum. à calculatoribus eſt ductum, qui (ut diximus) æra redigunt in ſummam, ſummamque ex iis faciunt. In Lucretio autem libr. 5. ſumma ſummarum immenſitatem ipſam univerſi ſignificat,

Sicut ſummarum ſumma eſt æterna, &c.—

Plautus in Truculento uſus eſt. Petronius Arbiter ſummam uſurpat pro perfectione & conſummatione & abſolutione: Quis, inquit, poſtea ad ſummam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam proceſſit?

Quod ſupereſt.

Quod ſupereſt, Accedit huc. Expediam & hujuſmodi alia plura Virgilianam & Lucretianam olent quandam loquendi rationem. Lucretius lib. j.

Nunc

Nunc age quod ſupereſt, cognoſce & clarius audi.
lib. 5.
Quod ſupereſt, ne te in promiſſis plura moremur.
Idem lib. 5.
Quod ſupereſt, quali natura prædita conſtent
Fulmina, &c. ———
Idem non longe poſt,
Expediam, neque te promiſſis plura morabor,
Idem ibidem.
Huc accedit, ut non omnia, quæ jaciuntur, &c.
&c.
Quod ſupereſt, facile eſt ex his cognoſcere rebus.
Non diſſimile eſt iſtud:
—Quod inſtat, agamus.

Elegãtes ſunt hæ particulæ, quibus Lucretius mire delectatus eſt, ſonantque id quod Græcis τὸ λοιπὸν, ſeu denique, poſtremo, poſtea etiam Atticus Nicte greſia.

GVLIELMI GENTII.

More majorum.

Uſitatiſſimum hoc proverbium eſt apud Iuriſconſ. More majorum: quod tum fit, quando quid recte ac decenter geritur. Nam pop. Roma. majorum inſtituta atque exempla pro legibus ducebant, ut Cic. teſtatur in ij. De legib. c. 5. de juriſd. c. 11. de juſt. & jur. Livius & reliqui autores familiariter utuntur.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Πλήρης ἡ φιλοποτία.

Abſoluta eſt potatio. De rebus quæ finem & abſolutionem ſuam conſecutæ ſunt. Ariſtid. in Bachan. Quid φιλοποτία ſit, vide alibi.

A limbo tunicam abſolvere.

Ἀπὸ κρασπέδου χιτώνιον ἀπεργάζεσθαι. Totum è partibus conſtare, quis ignorat: Dicetur ergo de iis, qui multis ex partibus totum conficiunt. Ariſtides, Plat. 3. Ex eodem illud ſimile fluxit, τὸν λέοντα ἀπὸ τοῦ ὄνυχος ἀπεργάζεσθαι: Leonem ab ungue abſolvere.

PERFIDIÆ.

ERASMI. *Verbis conceptis pejerare.*

Olim juraturo ſolennibus verbis præibatur, quo jusjurandum eſſet firmius. Plautus in Aſinaria: Ubi conceptis verbis ſciens libenter peieraveris. Idem in Aſinaria: Ubi conceptis verbis ſciens libenter pejeraveris. Idem in Bacchidibus: Ego jusjurandum verbis conceptis dedi, daturum me hodie mulieri. Interdum jurans tenebat aram, quo major eſſet juriſjurandi religio. Itaq; ſanctiſſimum juriſjurãdum ſignificantes, dicebant: Nec ſi aram tenens juraveris, credam tibi. M. Tullius in oratione pro L. Flacco: Ergo is qui ſi aram tenens juraret, nemo crederet, per epiſtolam quod volet injuratus probabit?

Θρᾴττειν.

Dictum eſt nobis in ſuperioribus, κρητίζειν abiiſſe in proverbium fraudulentiæ. Idem obſcurius indicatur per θρᾴττειν: quæ vox Græcis ſignificat turbare, aut moleſtũ eſſe. Quod ſi reſpicias ad θρᾴττας, quæ ſunt ancillæ Thraciæ, ſignificat decipere, & Thraciis dolis tractare. Theodorus de Nicone citharœdo dixit θρᾴττειν. Nicon autem erat Thrax, Hoc ſi neſcias, dictum amittit gratiam. Refert Ariſtoteles lib. Rhet. 3. Arbitror huc alluſiſſe Ariſtophanem in Equitibus, ubi Nicias juſſus audacter eloqui quod haberet, reſpondit: ἀλλ' οὐκ ἔνι μοι τὸ θρέττε, interpres admonet, θρέττε barbaricam eſſe vocem, quæ fiduciam ſignificet, & ad audendum animet: quaſi quis dicat. Sume Thracum audaciam.

Superavit dolum Troianum.

Apud Plautum in Pſeudolo, ſenex laudans ſervum ſuum, quod arte nova, ſtructis inſidiis per ſubornatum quendam impoſuerit Ballioni lenoni, ita loquitur,

Superavit dolum Trojanum, atque vicit Pſeudolus.

Sentit autem de equo Trojano, è trabibus contexto, de quo jam ſæpius diximus. Quemadmodum autem Græci per ſubornatum Sinonem impoſuêre Trojanis, ita Pſeudolus per Harpagem impoſuit lenoni.

Græca fide.

Ἑλληνικῇ πίστει i. Græca fide, reperitur pro certa item fide. Fortaſſis idem cum proximo: niſi malumus per ironiam accipere. Auſonius ad Paulum:

Nobiſcum invenies ἀργυρώνητα ſi libet uti
Non Pœna, ſed Græca fide.———

Idem de Philone villico ſuo:

Mutuatur ad Græcam fidem.

Plautus Græcam fidem dixit, ubi non verbis, neque ſtipulationibus, ſed præſente pecunia res agitur. Sic enim apud eum loquitur Clærena lena in Aſinaria: Diem, aquã, ſolem, lunam, noctem, hæc argento non emo: Cætera quæ volumus uti, Græca mercamur fide, id eſt, numerata pecunia. Euripides in Iphigenia Taurica.

Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν.
Ideſt,
Græcia nequaquam novit fidem.

Hoc ſane nomine ea natio peſſime audiit olim.

Punica fides.

Vide locum, Inconſtantia.

Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

Vide in eodem loco.

Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Ibidem.

Magadari.

Μαγαδίζειν, ſive μαγαδίζειν dicebantur olim, qui bilingues eſſent, eodem ore laudantes ac vituperantes, blandientes & objurgantes, pudice & obſcœne loquentes. De magadide multa diſſerit Athenæus lib. 14. dubitans citharæne genus ſit, an fiſtulæ. Quidam eandem putant cum ſambuca, nonnulli & cum pectide. Verum hoc nihil ad proverbium, quando conſtat organum eſſe δίφωνον, quo ſimul emittit geminam vocem, gravem & acutam harmonia quæ dicitur διὰ πασῶν. Citatur ex Alexandride hic ſenarius.

Μάγαδιν λαλήσω μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγαν.
Id eſt:
Magnum ac puſillum, proloquor Magadin ſimul.

Ait vetuſtum eſſe genus, repertum a Lydis. Nomen inditum eſt à Thrace quodam, cui nomen erat Magdus. Alii putant inventum eſſe Sapphus. Pindarus magadin appellat ψαλμὸν ἀντίφθογγον, qualis eſt cantio, quum ſimul concinunt viri & pueri impuberes, Hac de re nonnihil attigimus in proverbio, Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.

Altera manu fert aquam, &c.

Τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ, τῇ δ' ἑτέρῃ τὸ πῦρ, id eſt, Altera manu fert aquam, altera ignem. In eum torqueas licebit, qui cum coram ſit blandus, occulte nocet: aut in bilinguem, & nunc vituperantem, aut in diverſa ſentientem. Finitimum illi Plautino.

Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.

Refertur adagium à Plutarcho, in commentario De primo frigore: τῇ μὲν ὕδωρ ἐφόρει δολοφρονέουσα χειρί, τῇ δ' ἑτέρῃ τὸ πῦρ. i. Altera quidem aquam geſtabat doloſa manu, altera vero ignem. Loquitur autem de muliere diverſis & contrariis inſtructa. Mirum eſt autem, idem dictum hodie totidem verbis in ore vulgo.

EX APPEND. ERASMI.

Vtrunque.

Ἀμφότερον, κέντρον τε βοῶν, καὶ μέτρον ἀρούρης.
Id eſt:
Utrumque eſt, ſtimulusque boum, menſuraque agrorum.

De re ad diverſum accommodabili. Callim. loquens de virga decempeda (ἄκαινα eſt Græcis) paſtoribus vice pedis uſitatiſſima. Vide num huc referre accommode queas adagium, Gladius Delphicus. Et illud Virgil ij Æneid.

—ad utrumque paratus de Sinone loquens.

Qui nocere poteſt, & idem prodeſſe.

In hominem & bonis & malis artib. inſtructum, qui & juvare poteſt, ſi velit, & lædere, quadrabit illud Hom. uſurpatum à Luciano.

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
Id eſt:
Pharmaca miſta, ſalubria multa, & noxia multa.

Thucyd. οἱ πολέμιοί γε ὄντες, σφόδρα ἐβλάπτετε, καὶ ἂν φίλος ὢν, ἱκανῶς ὠφελοίην, Quod ſi cum hoſtis eſſem, vehementer nocui, etiam, ſi ſim amicus, magnopere queam prodeſſe.

Altera manu ſcabit, altera ferit.

Ὥσπερ ... τῇ μὲν ἑτέρᾳ χειρὶ ... ψήχοντα τὴν κεφαλήν, τῇ δ' ἑτέρᾳ παίοντα, Perinde quaſi quis ejuſdem viri altera manu ſcabat caput, altera mal. feriat. Nazianzen. ſup. proverb. Altera ſcabit, altera ferit: & Alteram manu fert aquam, altera ignem: &, Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.

IVNII. *Altera caduceum, haſtam altera.*

Θατέρᾳ μὲν δόρυ, θατέρᾳ δὲ κηρύκειον προϊσχόμενος, id eſt, Altera manu haſtam, altera caduceum præferens. Proverbium eſſe adnotat Euſtathius ex Pauſania de iis, qui armatas preces adferunt, amicæ admonitioni minas conjungentes. Ex hiſtoria natum, quæ talis eſt. Gephyræi ad decimas Apollini Delphico votivas perſolvendas ab Athenienſibus miſſi acceperant oraculum iſtud,

Ἀνδρὶ γεφυραίῳ οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.
Id eſt:
Non domus eſt melior Gephyræo, præ domo amica:

admoniti inſuper, ut brevia boum veſtigia inſequuti, ibi locorum conſiderent, ubi delaſſatos boves conſpexiſſent: itaq; oppugnante Athenienſes Eumolpo, ipſi ad Tanagram contenderunt; tradito in manum fœciali ductori exercitus caduceo, ſub pacis legationiſque obtentu, ſubſequente à tergo armata juvenum manu. Ibidem ex al.

ex alterius lexici fide annotat Euſtathius eandem hiſtoriæ occaſionē paulo aliter: nimirum Gephyræos à Tanagræis bello infeſtatos fœcialem præmiſiſſe, armatis pone inſecutis omnibus. Polybius libr. 4. de Rhodiis aſtu tali uſis loquens. προεχειρίσαντο μὲν Ἀρίδικον πρεσβευτὴν πρὸς τοὺς Βυζαντίους, Πολέμοκλῆ δὲ τρεῖς ἔχοντα τριήρεις συνεξαπέστειλαν, βουλόμενοι τὸ δὴ λεγόμενον καὶ τὸ δόρυ καὶ τὸ κηρύκειον ἅμα πέμπειν πρὸς τοὺς Βυζαντίους, id eſt, Ad Byzantinos legatum Aridicen delegerunt, ſimulque cum eo Polemoclem tribus inſtructum triremibus emiſerunt, volentes ſimul & haſtam & caduceum, juxta proverbium, ad Byzantios mittere, affine huic eſt. & plane cognatum id, quod decimo Æneidos dixit Vergilius:

Pacem orare manu præfigere puppibus arma.

Porro ex ſuperiore oraculo conſtare poteſt ratio etiã adagii quod apud Eraſmum legitur: Domus amica, domus optima.

Ventis & ſcripturæ in aqua credere.

Ἀνέμοις πιστεύειν καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, i. e. Ventis credere & literis in aqua deſcriptis. Proverbii vice dicitur, ubi fluxam in aliquo fidem & lubricam notamus, & perfidiam perſtringim⁹. Nazianzenus ad Sophronium præfectum: ὡς ἀνέμοις μᾶλλον πιστευτέον καὶ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος, ἢ ἀνθρώπων εὐημερίᾳ. i. Ut auræ potius fidendum ſit & literis aquæ inſcriptis, quam mortalium rebus proſperis. Competet inconſtantiam & malam fidem, hoc modo: Quod fœminarum auribus committitur, auræ te fidere & ſcripturæ in aqua cogita.

Thorycionem imitatur.

Θωρυκίωνα μιμεῖσθαι, id eſt, Thorycionem imitari dicuntur proditores, & qui ſuas amicorumque res & conſilia hoſtibus produnt. Thorycion Ægyneta fuit ordinum militiæ ductor, qui linum ad vel, utres, pelles, picemque ad perduelles, dimittebat, interdum etiam pecuniam hoſtilibus navibus ſuppeditabat, & bello Peloponneſiaco hoſtibus doliis picis plena mittebat ad corrumpendam incendio patriã. Thoryciona imitari videntur, iſtud prodentibus nobis. Flandri aliquot σιτοκάπηλοι ſeu Dardanarii, qui incredibilem rei frumentariæ vim maximis impendiis è Batavia noſtra in Galliam ad hoſtes vexerunt. Nemo hercle Thorycionem propius expreſſit quam Philologus Qu. Ciceronis libertus, qui Ciceronem, à quo in literis inſtitutus fuerat, occultis itineribus per avia facile elapſurum centurioni hoſti prodidit, digniſſimus eo ſupplicio quod poſtea incurrit, Pomponia hera ipſius Quinti uxore, ſceleſtum hominem cogente, ut ſuos artus membratim deſectos & aſſaret, & aſſos devoraret, ut à Plutarcho in ſcripta relatum eſt.

Anguilla in ſtrigmento.

Ἔγχελυς κατὰ γλοιοῦ, id eſt, Anguilla in ſtrigmento: de lubricæ fidei homine dicitur. Anguilla per ſe lubrica eſt, nec facile manibus ſtringuitur, multo magis ſi ſtrigmento olei uvido, quod γλοιὸν vocant Græci, imbuta ſit. Extat apud Simonidem in Jambis ὥσπερ ἔγχελυς κατὰ γλοιοῦ, velut anguilla in olei ſtrigmento. Simile illi eſt quod ex Ariſtophanis [illegible], fabulæ nomen eſt, citatur ab Athenæo, λεῖος ὥσπερ ἔγχελυς id eſt, Inſtar anguillæ lubricus.

Παραφρυκτωρεῖν.

Παραφρυκτωρεῖν dicuntur proverbiali voce proditores, & qui cũ aliquo amicitiam ſimulantes hoſtibus conſilia produnt. Natum à caſtrenſi more, quo commilitonibus aut ſociis ſignum gerendæ rei dabatur, accenſa face, quæ φρυκτὸς dicitur: qua re qui abutitur, & perduellibus tali teſſera quid agatur apud ſuos ſignificat, is παραφρυκτωρῶν & παραφρυκτωρίδιος dicebatur, ut Dinarchus orator indicat Lyſias: τούτων εἷς ὁ πρεσβύτης ἐν Σικελίᾳ παραφρυκτωρευόμενος τοῖς πολεμίοις ληφθεὶς ὑπὸ Λαμάχου, ἀπετυμπανίσθη, id eſt, Ex his ſenex unus qui in Sicilia hoſtibus face præluxerat, captus à Lamacho in crucem fuit actus. Quiſquis ergo hoſtium rebus plus ſtudet, quam ſuorum commodis, vel amicorum conſilia corrumpit, quo illis noceat, vel ea ſuadet, per quæ fortunas omneis & opes neceſſariorum funditus evertat recte παραφρυκτωρεῖν dicetur.

Græca fides.

Græca fides pro dubia & vana accipitur, haud pro certa: quippe quæ nulla prorſus eſſet, niſi præſente pecunia occultus creditori ſatiſdaretur, quod ex Plauto in Aſinaria manifeſtũ fit, ubi ait: Cætera, quæque volumus uti, Græca mercamur fide, & oſtendit hoc clariſſime Polybius hiſtoriæ lib. 6 his verbis: παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐὰν ταλάντου μόνον πιστευθῶσιν ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα καὶ σφραγῖδας τοσαύτας, καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν, id eſt, Apud Græcos ſi cui vel unum duntaxat talentum creditum ſit, adhibitis decem antigraphis, totidemque ſigillis, duploque pluribus teſtibus, fidem non ſervant. Abiit & Græca fides in proverbium de aſtu doloque improbo. ſic Sillius Italicus utitur libr. 14. belli Punici:

Calliditas Graja, atq; aſtus pollentior armis.

BRASSICANI.

Βεργαΐζειν.

Stephanus in dictione Βέργη ſcribit βεργαΐζειν proverbio dici, μηδὲν ἀληθὲς λέγειν, id eſt, nihil dicere quod verum ſit: adagio ab Antiphane comico Bergæo nato, qui prorſus incredibilia & vana quædam ſcripſerit.

Deos abſentes teſtes facit.

Plautus in Mercatore: Deos abſentes teſtes memoras, qui ego iſthuc credam tibi? proverbiale de eo, qui cum ſumma confidentia ſtrenue mentiatur. Sic Ajax de Ulyſſe apud Ovidium:

——Sua narrat Ulyſſes
Quæ ſine teſte facit.——

Et Juvenalis:

Solus enim hoc Ithacus nullo ſub teſte canebat.

COGNATI.

Titani.

Titani vox familiaris atque frequens & apud Græcos & apud Latinos eſt, pro his qui jusjurandum fidemque violant, ac deniq; non ſolum magiſtratibus adverſantur, ſed deos ipſos negligunt, homines ſævo immaniq; ingenio. Plautus in Perſa: Quid ego faciam? Diſne advorſer, quaſi Titani, cum diis belligerem, ſat quib. eſſe non queam? Cic. 3. De legibus: Noſter vero Plato Titanum è genere ſtatuit eos, qui ut illi cœleſtibus, ſic hi adverſantur moribus. Platonis locus eſt in 3. De legibus. Titane & Gigantes Saturno & Jovi bellum finguntur intuliſſe: quibus propter virium fiduciam, & quod factionibus florerent, addiderunt multa capita; ora manus, item pedes ſerpentinos, unde à diabolo prodiiſſe intelligas, & ſerpentis eſſe progeniem. Vide infra, Cyclopica muſica: & Gigantes.

Rimoſus.

Rimoſos homines etiam vulgo dicimus, qui ſibi commiſſa non retinent. Quapropter Terentianus Parmeno ſervus in Eunucho, ſe arcana proditurum minitans, ait:

Plenus rimarum ſum.——

Juvenalis ſatyr. 6.

Semper aquam portas ad rimoſa dolia:

Ducta eſt metaphora à rimoſis vaſis, quæ fundunt. Græcis [illegible]. Huic contrarium, Aſtrictus, quo vocabulo Budæus Picardo uſus eſt: In cujus ſinum aſtrictiſſimum curas meas interiores depoſitare ſolitus ſum, i. nulla parte perfluentem. Quibus verbis ſignificat, eum eſſe arcanorum creditorum continentiſſimum.

Fronti nulla fides.

Fronti fidem non temere habendam eſſe, etiam vulgo dicitur, & hypocriſeos magnos eſſe receſſus. (Juven. Satyr. ij.) Sæpe enim frons & blandiloquentia fraudis & inſidiarum tegumenta ſunt, & incircumſpectis ac nimium credulis gravium malorum cauſæ exiſtunt. Hinc Lucian. in Palio. Quid certi promittere & oſtentare poteſt frons hominum, quæ plures quam Proteus ſpecies mentiri, atq; in plures mutari queat?

Altera manu trahere, altera repellere.

Notum & vulgatum eſt iſtud, de his, qui committunt, quod dicunt alios non eſſe committendum. Vita enim turpis abrogat authoritatem docenti Greg. Theol. lib. 1. ſentent.

Ἢ μὴ δίδασκε, ἢ δίδασκε τῷ τρόπῳ.
Μὴ τῇ μὲν ἕλκειν, τῇ δ' ἀπωθεῖσθαι χερί.

Id eſt:

Vel non doceto, vel doceto moribus:
Hac ne trahens manu, repellas altera.

Paulus Rom. 2. de his qui inſtituendi formandique rationes aliis præſcribunt, ut ſunt & hodie: Qui doces alium, inquit, teipſum nõ doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulterium committis, &c. Chriſtus Matth. 5. Quiſquis autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Finitimum eſt illi Plautino:

Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.

Refertur ſimile à Plutarcho, de primo frigore: Altera manu fert aquam, altera ignem. Non diſſimiliter dixit idem Greg. Euſebio ſcribens: Altera ſcabit, altera ferit.

In ſummo labro jusjurandum.

Vide in loco Fides & Gravitas in Adagiis Gilberti Cognati.

Punica fides.

Pœnorum aſtus & librica fides, ut Græcorum & Phœnicum; etiam proverbiis nobilitata eſt. Adde, quod Φοίνικας aliquoties vocat Pœnas Plutarchus: apud quem in Timoleonte, ipſe Timoleon contra Cretenſes cretizavit. Pœnis enim ſtomachantibus, quod fraude eſſent à Timoleonte circumventi, ſubiit Rheginis ridere, & jocari de eorum perverſitate, qui omnium hominum infidiſſimi, & fraudulentiſſimi in aliis reprehenderent id, quod prope ſibi laudi ducerent, uniceque uſurparent.

EX APPEND. IUNII CANTERI; & aliorum.

Lingua prædatur.

Elegans eſt illud Heſiodi, & claſſi adagiorum adſcribendum, ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται. De homine parato, turpis compendii & lucelli ergo, omnia humana & divina jura perjurio violare, & ad omnem ſpem & occaſionem quæſtus & rapinæ, dolis & malis artibus linguam ſuam exponente. Heſiodi verba hæc ſunt, ἔργων καὶ ἡμερῶν.

Χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτὰ, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.
Εἰ γάρ τις καὶ χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον ἕληται,
Ἢ ὅ γ' ἀπὸ γλώσσης ληΐσσεται, οἷά τε πολλὰ
Γίγνεται, εὖτ' ἂν δὴ κέρδος νόον ἐξαπατήσῃ
Ἀνθρώπων, αἰδῶ δέ τ' ἀναιδείη κατοπάζῃ.
Ῥεῖα τέ μιν μαυροῦσι θεοὶ, μινύθουσι δὲ οἶκον
Ἀνέρι τῷ, παῦρον δέ τ' ἐπὶ χρόνον ὄλβος ὀπηδεῖ.

Hæc utcunq; expreſſi Latinis verſibus
Eſt ſatius tribuente Deo non fraude paratas
Condere opes Etenim quiſquis convertit avaras
Vi manibuſq; facultates, linguave doloſa
Compilat plebem (quæ paſſim plurima fiunt)
Cum male ſuadus habet mortalia corda cupido,
Conſequiturq; pudorem audacia non verecunda:
Hunc facile immergunt tenebris dii: conteritur res
Parta domi, paucoſq; dies fortuna ſequetur.

Hinc videri poteſt depromptum illud omnibus familiare apud Latinos: Male partum, male dilabitur.

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Calumniam cum Virgilio Orco mandabo eorũ, qui negabunt aſſignandum adagiis, quod apud Virg. Æneid. 10. legitur a Junone Jovis germana & conjuge dictum:

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Quo voluit ſignificare, ideo Trojanos ſupplices eſſe Italis, ut mẽtiantur amicitiæ & concordiæ fœdera: quo ſecuros, nilq; malorũ metuentes, ex improviſo adortos ſubigerent, & opprimerent. Cõveniet dici de iis, qui ſimulata benevolentia nihilo minus perniciem moliuntur: vel qui ita amicitiam prehendunt, ut interim tamen ad omnem occaſionem parati ſint lædere.

PERPLEXVS.

ERASMI. *Ventus neque manere ſinit, neque navigare.*

Ἄνεμος οὔτε μένειν ἐᾷ, οὔτε πλεῖν, id eſt, Ventus neque manere ſinit, neq; navigare. Philoctetes apud Æſchylum:

Ἔνθ' οὔτε μίμνειν ἄνεμος, οὔτ' ἐκπλεῖν ἐᾷ.

Id eſt:

Ubi nec manere, nec ire ventus annuit.

Simillimum eſt illi: Lupum auribus teneo. Uſus erit, ubi quis in eas rerum anguſtias inciderit, ut nec relinquere negocium ſit integrum, nec abſolvendi ſit facultas. Mutuo ſumpta metaphora a ſæviſſima ventorum tempeſtate, cum nautis & periculoſiſſima eſt navigatio, neque tutum tamen ancoram jacere. Q. Curtius lib. 8. citra figuram extulit hoc pacto: Attonitiſque auribus ſtupens agmen, nec progredi, nec conſidere audebat. Refertur à Diogeniano.

Auribus lupum teneo.

Extat apud Terentium in Phormione: Antiphoni adoleſcenti uxor erat domi, quam nec ejicere poterat (vel quia non licebat, quod in eam deperiret: vel quod integrum non erat, cum eſſet judicum ſententiis addicta:) neque rurſum retinere quibat, propter patris violentiam. Et cum à patruele felix diceretur, ut qui domi poſſideret id quod amabat: Imo, inquit, quod ajunt, auribus teneo lupum. Nam neque quo modo amittam a me, invenio: neque uti retineam, ſcio. Moxque leno quaſi referens parœmiam, ait ſibi idem uſu venire in Phædria: quem neque retinere poterat, qui nihil numerabat: neque repellere, quod eſſet improbe blandus ac monteis aureos pollicitus. Donatus Græcam parœmiam Græcis adſcribit verbis: τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι, id eſt, Auribus lupum teneo, neque retinere, neque amittere poſſum. Suetonius in Tiberio: Cunctandi cauſa erat metus undique imminentium diſcriminum, ut ſæpe lupum tenere ſe auribus diceret. Plutarchus in Præceptis civilibus: λύκον οὔ φασι τῶν ὤτων κρατεῖν, id eſt, Ajunt lupum non poſſe teneri auribus: cum homines hac parte maxime ducantur, nimirum perſuaſione. Dicitur in eos, qui ejuſmodi negocio involvuntur, quod neq; relinquere ſit integrum, neque tolerari poſſit. Videatur ab eventu quopiam natum, ut alia pleraque. Aut inde certe, quod ut lepus auribus, quippe prælongis, commodiſſime tenetur: ita lupus, quod aures habet pro corpore breviores, teneri iis non poteſt, neque rurſum citra ſummum periculum è manibus dimitti, belua tam mordax. Cæcilius apud A. Gellium libro decimoquinto, capite nono, eandem ſententiam, ſed citra metaphoram extulit. Nam hi ſunt, inquit, amici peſſimi, fronte hilari, corde triſti: quos neq; ut apprehendas, neque ut amittas, ſcias. Huc alluſit Theognis, etiamſi alienius:

Ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σῆς φιλότητος.
Οὔτε γὰρ ἐχθαίρειν, οὔτε φιλεῖν δύναμαι.

Id eſt:

Pectora noſtra tui quam mire amor afficit: ut quem
Non odiſſe queam, ſed nec amare queam.

Unde illud videtur effictum:

Nec tecum poſſum vivere, nec ſine te.

Refertur & a M. Varrone pro exemplo adagionis: Auribus lupum teneo.

Hæret in vado.

Divus Ambroſius in commentariis quos ædidit in Evangelium Lucæ, nõ inelegans uſurpavit adagium, ſignificans Chriſti genealogiam, quæ diverſè fertur ab Evangeliſtis, explicare non poſſe: In abruptũ, inquit, diſputationis venimus: hæremus in vado. Metaphora nimirum à navigio ducta, quod vado illiſum, fruſtra circumagitur: neq; curſum inſtitutum tenere poteſt: id quod evenit his qui incidunt in ſyrtes, aut in ſalebras. Ad hunc etiam modum effert proverbium M. Tullius, lib. De finibus bonorum quinto. Venit ad extremum, hæret in ſalebra. Rurſum aliis eodem in opere: Hic ſi definire, ſi dividere potuiſſet: ſi loquendi vim, ſi denique conſuetudinem teneret: nunquã in tantas ſalebras incidiſſet. Sunt autem ſalebræ fluminum aut viarum obſtacula, a ſaltu dictæ. Non diſſimili figura dixit idem Cicero, Aqua hæret. Sic enim ſcribit Q. fratri: Hic aqua mihi hæret, ſignificans nihil eſſe profectũ in cauſa. Suſpicor dici ſolitum de cauſa prorogata, ſi enim ut non infunditur aqua niſi dicturo, nec fas eſt loqui poſt exſtillatas clepſydras: ita cum ſervatur quod reliquum eſt aquæ, interrumpitur dicentis oratio. Plautus in Pſeudolo: Perii, nunc homo in medio luto eſt: nomen neſcit: hæret hæc res.

Gangamon.

Julius Pollux libro decimo, capite quadrageſimo, docet genus eſſe retis involutis flexibus ſinuoſum ac perplexum, quod a Græcis dicatur γαγγάμων a γῶ quod eſt capio, ut indicat Etymologiæ, putans & γαγάμην appellari: unde & γαγγαμουλκεῖς dici qui piſcantur & hoc retis genere. & γαγγαμεῦσι. Aut idem eſt cum ſagena aut ſimillimum Pollux citat Æſchylum, qui negocium involutum & explicatu difficile, γαγγάμωνα dixerit, quemadmodum dicimus naſſam. Unde ventris locum circa umbilicum γαγγάμωνα dictum, quod illic appareat circumvolutio quædam nervorum. Fortaſſis & interior alvus ſic appellatur, quod inteſtina in ſeſe complicentur, ne mox effluant ſtercora.

Nunc mea in arctum coguntur copia.

Rem eandem diverſa ſignificat allegoria. Terent. in Heautontim. ait:

In anguſtum oppido nunc meæ coguntur copiæ.

Metaphora ſumpta ab exercitu qui laborat, iniquo concluſus loco, & undiq; obſidetur ab hoſtibus, ut difficile ſit effugere.

De gradu dejicere.

Proverbialis allegoria. De gradu dejicere pro eo quod eſt, animo conſternari, ac velut a ſtatu mentis dimoveri. M. Tullius Officiorum libro primo: Fortis vero animi eſt conſtantis non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuante de gradu dejici, ut dicitur: ſed præſentis animi uti conſilio. Conſimilis figura eſt, In gradum reponere: quaſi in priſtinum locum reſtituere. Quintilianus Inſtitutionum libro quarto. Aut ſi quid titubaverint, opportuna rurſus ejus à quo producti ſunt, interrogatione veluti in gradum reponantur. Ad eandem formam permanent. Movere loco, deturbare gradu, reſtituere in locum.

In aqua hæret.

Uſurpatur huic non diſſimile proverbium à M. Tullio libro Officiorum tertio: Dicit ille quidem multa multis locis, ſed aqua hæret, ut ajunt. Significat autem Epicurum parum ſecum in diſputando conſtare, ſeque ipſum involvere, dum ea quæ dicit alibi, pugnant cum iis quæ dixit alibi, atque ita quaſi fluctuare, neque in ſolido conſiſtere. Id quod evenire ſolet iis, qui cum aberrant à vero verborum fucis rem involvunt. Translatum apparet vel à fluitantibus qui vado deſtituti, huc atque illuc jactantur, quoque magis ſe commovent, hoc majore periculo laborant. Aut certe ab oratorum clepſydris, de qua meminimus alibi: ut enim in aqua hærere dicamus, qui ſeſe diſtillata jam aqua tamen è cauſa non poteſt expedire. Cicer ad Q. fratrem libro ſecundo. Quod idibus & poſtridie fuerat dictum de agro Campano actum iri non eſt actũ. In hac cauſa mihi aqua hæret. Incertum, utrum ſignificet eam actionem integram ſibi relinqui, an cauſam eſſe inextricabilẽ. Huc referendum illud, quod paulo ſuperius ex Quintiliano citavimus: Et laboratam, congeſtamque dierum ac noctium labore actionem, aqua deficit. Nec abhorrent ea quæ poſt dicemus in proverbio, Hæret in vado.

In puteo conſtrictus.

Vide locum contra.

Ne Execeſtides quidem viam invenerit.

Οὐδ' Ἐξηκεστίδης ἂν εὕροι τὴν εὐθεῖαν ὁδόν, id eſt, Ne Execeſtides quidem rectam viam invenerit. De negocio perplexo atque inexplicabili. Execeſtides quidam vulgo male audiit, quod incommodus eſſet in peregrinationibus, ut omneis vias quam maxime cognitas haberet. Idem taxatur ab Ariſtophane in Avibus:

Εἰ δὲ δοῦλός ἐστι καὶ Κὰρ ὥσπερ Ἐξηκεστίδης.

Id eſt:

Quod ſi ſervus eſt & Car, quemadmodum Execeſtides:

Rurſum in ejuſdem fabulæ initio:

Οὐδ'

Οὐδ᾽ ἂν μὰ Δί᾽ αὐτὸς ὁδὸν ἐξεύροι Ἐξηκεστίδης.

Id eſt:

Non per Jovem hinc vel ipſe viam Execeſtides.

Subaudiendum, invenerit. Unde dici cœptum de his qui tota aberraſſent via, aut qui difficili inexplicabilique negocio diſtinguerentur.

Labyrinthus.

Λαβύρινθος, id eſt, Labyrinthum olim vocabant orationem, aut rem quampiam vehementer impeditam & inextricabilem. Velut ſi quis Philoſophiæ ſtudium Labyrinthum vocet, quod ſemel ingreſſis nullus unquam ſit exitus. Aut voluptatis ſtudium Labyrinthum vocet, quod aditus ad eam proclivis, exitus difficillimus. Sumptum à Labyrintho Dædali, quod antrum fabulæ ponunt in Crete, ſinuoſum & inexplicabilibus ambagibus inextricabile, in quo ſervabatur Minotaurus. Dictum putat Suidas παρὰ τῷ μὴ θύραν λαβεῖν, id eſt, quod oſtium non habeat: indicans & in garrulos ac nugaces competere, qui ſermonis nullum inveniunt exitum, ſi ſemel garrire cœperint. Gregorius theologus in epiſtola ad Euſebium Cæſarienſem: torquet in verſipellem, ἐπειδὴ πρὸς ἄνδρα ποιοῦμαι τοὺς λόγους οὐκ ἐχθαίροντα τὸ ψεῦδος καὶ τὸ ἐν ἑτέρῳ φωρᾶσαι ποικίλων ἐξαιρεῖν, κἂν ὅτι μάλιστα σοφοῖς τισὶ καὶ ποικίλοις λαβυρίνθοις, id eſt: Quoniam cum eo viro loquor, qui non ſolum non amet mendacium, ſed & qui in alio poſſit quam ocyſſime deprehendere, etiamſi vel maxime callidis variiſq; labyrinthis involvatur. Huic non diſſimilis erat Mæander. Id erat picturæ genus, ortum ab exemplo Labyrinthorum, cujuſmodi videmus & hodie in nonnullis pavimentis. Utitur Prudentius in carmine, cujus initium, Cultor Dei:

O tortuoſe ſerpens
Qui mille per Mæandros
Fraudeſque flexuoſas,
Agitas quieta corda.

Hinc & Mæandro Lydiæ fluvio nomen, quod flexuoſus erret.

De poſſeſſione dejicere.

De poſſeſſione dejicere, ex ſermone Juriſconſultorum in vulgi ſermonem abiit: pro eo quod eſt, famam cuipiam eripere, quam jam omnium conſenſu obtinuerit: aut adimere quippiam, quod ſuo quaſi jure tenere videatur. Nam jus ſemper favet poſſidenti: interdictumque ferebatur, ne quis vi quempiam dejiceret: Extat edictum in Pandect lib. 43. tit. De vi & vi armata: & refertur à M. Tullio in oratione pro A. Cecinna. Plato libro cui titulus Gorgias, ἐπιχειρεῖς ἐκβάλλειν με ἐκ τῆς οὐσίας καὶ ἀληθοῦς, id eſt, Conaris me de poſſeſſione ac vero dejicere. Eſt aliquoties apud M. Tullium. Et apud eundem illud quoque. Quaſi in ſuam poſſeſſionem venerit: cum quis imperioſius agit, aut plus æquo immoratur. Quintilian. libro ſecundo. De rhetorica: Quæ dum opere cedit, jam pene poſſeſſione depulſa eſt. Fit enim jucundius dictum, quoties ad res animi transfertur.

Perplexus, animique conſternati.

In eum qui periculoſo negocio conſternatur animo, nec rationem invenit, qua explicet ſeſe, quadrabit illud ex eodem libro:

Νέστορι γὰρ δ᾽ ἐκ χειρῶν φύγεν ἡνία σιγαλόεντα.

Id eſt:

Fugere è manibus mirandæ Neſtori habenæ.

Perplexus.

Qui ſe dicet in maximis verſari periculis, nec ullum affulgere ſubſidium, uſurpabit illud eo codem libro:

——— Οὐδέ τις ἄλλη
φαίνετο γαιάων, ἀλλ᾽ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα:

Id eſt:

—Nec ulla apparuit ultra
Tellus, ſed nobis cœlum undiq; & undiq; pontus.

Peribis, ſi non feceris.

Ubi quis in eum redactus eſt locum, ut nec aggredi rem poſſit citra magnum incommodum, neque tuto omittere, conveniet illud ex oraculo profectum, deinde populari (ut ſolet) ſermone jactatum: peribo, ſi non fecero: ſi ſaxo, vapulo. Refertur ab Aulo Gellio, libro noctium tertio, capite tertio, è Plautina comœdia, cui nomen Fretum. Verſus Plauti ſunt hi:

Nunc illud eſt, quod Arietini reſponſum magnis ludis:
Peribo, ſi non fecero: ſi faxo, vapulabo.

Porro quænam ſit hiſtoria redditi oraculi, Gellius ipſe teſtatur ſibi non liquere, & in hoc hos Plauti verſiculos enotaſſe, ut Hiſtoriam quæreret. Sunt autem verſus jambici tetrametri catalectici. Unde dictur verbum, adjectum opinor ab interpretante, ſubmovimus. Nam in vulgatis codicibus ſcriptum eſt Magnis ludis dicitur.

Nec currimus, nec remigamus.

Ariſtophanes ἐν ἐκκλησιαζούσαις facit mulieres hoc molientes ut occupent Rempub. quod hactenus ab omni functione ſubmotæ nihil egerint.

Νῦν μὲν γὰρ οὔτε θέομεν, οὔτ᾽ ἐλαύνομεν.

Id eſt:

Neque currimus nunc, nec juvamur remige.

Metaphora ſumpta eſt à nautis ad Reip. gubernationem. Nautæ currere dicuntur quum venti ſunt ſecundi: ἐλαύνειν, quum deſtituti ventis, remigio navim impellunt, qui curſus dicitur ſecundarius, ὁ δεύτερος πλοῦς. Sentiunt ſe nec pace, nec bello ad ulla vocari munia. Apte torquebitur & in illos qui fruſtra conantes, nihil proficiunt, videlicet adverſante fortuna.

Nec caput, nec pedes.

Negocium ita perturbatum, ut neſcias quo pacto vel expedias, vel amittas: veteres dicebant, nec caput habere nec pedes. Sic enim M. Tullius jocatur reſpondens ſuo Curioni: Sulpitii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuiſſe, propter res tuas ita contractas, ut quemadmodum ſcribis, Nec caput, nec pedes. Equidem vellem pedes haberent, ut aliquando redires. Alibi nobis dictum eſt ex Platone, ἀκέφαλος μῦθος, Sine capite fabula.

IVNII. *Tanquam in nocturno prælio.*

Ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, id eſt, Tanquam in nocturno conflictu. Proverbium eſt, quum imprudentes & ignari obiter in aliquam materiam incidimus: aut quum oſtendimus, nos haudquaquam obſcure cum quopiam congredi velle, & diſſimulanter ut alios fallamus, ſed aperto marte, & in clara quodammodo luce. Syneſius in Dione, ἀλλ᾽ οὐχ ὥσπερ ἐν νυκτομαχίᾳ, ἀφανεῖ ἐπεξιέναι αὐτῷ, id eſt, Neque vero illum adoriri meus eſt, velut in nocturna pugna. Nazianzenus in Apologetico, εἰ βούλει δὲ ὡς ἐν νυκτομαχίᾳ καὶ σελήνης ἀμυδροῖς φέγγεσι ἐχθροὺς ἢ φίλους ὑφορᾶσθαι τοὺς διαγινώσκοντες, id eſt: Aut ſi mavis, non internoſcentes hoſtiumne an amicorum ſint vultus, id quod uſu venit in nocturno congreſſu & obſcura luce lunæ. Nicephorus Calliſtus libro octavo, loquens de Epiſcopis, inteſtino inter ſe bello conſligentibus de verbo ὁμοούσιος, inquit, ὡς μηδὲν τῆς νυκτομαχίας διαφέρειν, id eſt, Ut nihil a nocturno prælio differat eorum altercatio. Apud Homerum Ulyſſes & Diomedes cum Dolone & Rheſo noctu ad manus veniunt.

Geminas chordas ferit.

Διπλᾶ κρέκειν, id eſt, Binis fidibus canere dicuntur proverbii ſpecie, qui duob. dominis ſerviunt, aut qui ancipitem fovent ſententiam, neutro inclinantes. Ariſtides in oratione quæ ὑπὲρ τῶν τεττάρων inſcribitur, ἀλλ᾽ οἶμαι κομψοί τινες εἰσὶ καὶ διπλᾶ κρέκουσιν, ἵνα ἐὰν μὲν λάθωσι, ταύτῃ κρατῶσιν, ἐὰν δὲ φωραθῶσιν, ἔχωσιν ἀναχωρεῖν, id eſt: A lepidi bellique homunculi, ut arbitror, ſunt, binaſq; chordas pulſant, ut ſi obtineant, potiores hac parte ſint, ſin deprehendantur, retrocedere queant.

IOANNIS VLPII.

Ἀμηχανεῖν τῷ φορμῷ.

Eſt putare, vel in modum ſtoreæ aut ſportæ conſuere, inde, qui in anguſtias aliquas pelluntur, & in paſſam quandam inducuntur, proverbialiter dicuntur φορμὸν ῥάπτειν. Æſchines.

Determinare foſſam.

Hoc eſt, concludere aliquem intra circulum, vel certum aliquod ſpacium, extra quod egredi non debeat. Sic uſus Tertullianus. Hanc tibi foſſam determinavit ipſe, qui te non vult aliud credere, quam quod inſtituit, ideoq; nec quærere.

COGNATI. *Cyceon.*

Κυκεών, id eſt, Cyceon, proverbiali figura accipitur, pro confuſione rerum turbulenta, ὡς πραγμάτων ἀσύντακτος, & pro indigeſto quodam chao. Licebit & libellum aut epiſtolam è variis argumentis conſarcinatam, Cyceonem vocare. Quin & conturbatorem, qui ſurſum ac deorſum omnia miſcet, κυκεῶνα non inconcinne appellari poſſe, annotat Euſtathius. Syneſius in epiſtola ad Theophylum: ἀλλ᾽ εὐθὺς ἦν ἅπαντα κυκεὼν φωνὴ συμμιγής, i. e. E veſtigio cuncta erant cyceon, hoc eſt, miſcellanea & confuſa vox omnia confuderat. Idem ad Euoptium, καὶ ἡ θάλασσα κυκεὼν ἐγεγόνει, id eſt: Mare cyceon evaſerat, hoc eſt, turbidis fluctibus commiſcebatur undique. Theodoritus libro. De providentia primo, τὸ ψευδὲς δὲ τῶν ποιητῶν τῶν μυθώδεις κεράσασα, καὶ οἷόν τινα κυκεῶνα κατασκευάσασα, τῆς πλάνης τοῖς ἀνθρώποις τὴν μέθην προξένησε, id eſt: Poëtica phalanx mendacia jucūdis fabulis permiſcens, & quaſi cyceonem quandam concinnans, inebriavit homines errore late patente de multiformibus diis. Fuit autem Cyceon confuſanea liquorum potio, cujus miſtura caſeum, mel recens, & farinam recipiebat, uti docet Athenæus libro undecimo. Cinnum putatur dixiſſe Cicero in libro De oratore. Gaza ex Ariſtide confuſam potionem & commixtam vocat. Arnobius Cynum reddit libr. quinto, adverſus gentes: niſi in ſcriptura ſit vitium, ubi de Cerere loquens: Sitienti, inquit, ardori oggerit potionem Cynum, cyceonem quam nuncupat Græcia, quod ex Orpheo myſteriorum deſcriptore tranſtulit, apud quem Ceres,

Αἶξαντ᾽ ἀϊδαλέον γ᾽ ἐν ὑψηλῷ ἐν κυκεῶνι.

Quem verſum ſic convertit ibi Arnobius:

Inde manu poclum ſumit, riſuque ſequente
Perducit totum Cyceonis læta liquorem.

Quo ſpectat & initiatorum ſymbolum, quod rogati in ſacrorum ſumptionibus reſpondebant: ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, id eſt, Arnobii verbis: Jejunavi atque ebibi cyceonem, è ciſta ſumpſi, ſic enim illic legendum eſt, pro extra. Meminit cyceonis Homerus, apud quem Iliad. 11. Hecameda eam apparat, ait enim:

—[illegible]:

Pro, [illegible], & Epiphanius in compendio de fide catholica, [illegible]. Cyceon poculo concionatus. Hinc metaphorice [illegible] dicitur, qui Davi more perturbat omnia. Sic Ariſtophanes Periclem βροντᾶν, ἀστράπτειν, ξυγκυκᾶν τὴν Ἑλλάδα dixit, quod Cicero, fulgurare, tonare, permiſcere Græciam. Syneſius ad Proæreſii laudem transtulit, quem ait imitatione Periclis fulgurare quidem & tonare in orationibus, [illegible], id eſt, non tamen commiſcere & colludere Græciam.

Sufflaminare.

Uſus eſt Hieronym. pro cohibere, compeſcere & retardare: nam ſufflamen retinaculum eſt, quo una rotarum religatur: ne currus inceps ruat, ſi quando via eſt pronior. Unde Juvenalis:

Ipſe rotam ſtringit multo ſufflamine conſul

COGNATI. *Contrahit & dimittit animum.*

Hoc eſt, dolet, triſtatur, & animum dejicit. Cicero in eadem epiſt. Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine negocii ſinas, contraque erigas ac reſiſtas, ſive etiam ultro occurras negociis. Translatione utitur à corpore ad animum deducta. Ut enim animalis membra flecti, contorqueri, porrigi & contrahi poſſunt: ſic animus dicitur cõtrahi per [illegible], & quaſi in anguſtum adduci in dolore & triſtitia: maxime quando rem ingratam tanquam malum averſatur. Tunc enim re triſti objecta villi cordis dicuntur conſtringi. Dicitur quoque effundi in lætitia, ut cum res quædam jucunda, quæ bona judicatur, ſe offert, aperit ſe cor, & expanſis villis illam excipere conatur. Res quoque gravis, quam inviti facimus, & à qua propter difficultatem abhorremus contrahit animum, et triſtitiam & ægritudinem adferens. Eadem formula in conſimili re uſus eſt alibi Cicero, cum inquit: Receſſus ſolis quaſi triſtitia quadam contrahit terram, acceſſus autem lætificat. Pari translatione utens, rogat ne animum demittat: hoc eſt, non ſit animo mœſto, abjecto, fracto, nec de ſe diffidat aut deſperet: ſed contra erigat ſe, lætus ſit & alacer. Ut enim triſtis demiſſo capite incedit, ita animus quoque dicitur demitti, ut pro Cluentio: Ac C. Fabricius à ſubſ. illius demiſſo capite diſceſſerat. Et pro domo: Invenies eum apud ſororem occultantem ſe, capite demiſſo. Pro Cluentio: Erigebat animum demiſſum, oppreſſum Oppianicus.

Mutum reddidiſti.

Plato in Philebo. Huic ſimile, Perplexos nos reddidiſti: & Quo me vertam neſcio.

PERICVLI.

EX APPEND. ERASMI.

Teſtudo extra tegumenta.

Χελώνη, [illegible]. Teſtudo, ſi caput longius efferat, non ſine periculo eſt. Quoties dehortabimur aliquem ne domo abſit, aut ne ſe alienis immiſceat. Plutarch. Livius.

Reliqua vide in loco diſcriminis.

PERSPICACITAS.

ERASMI. *Lynceo perſpicacior.*

Lyncei perſpicacitas in proverbium abiit. Plinius naturalis hiſtoriæ libro ſecundo, capite decimoſeptimo. Noviſſimam, inquit, lunam, primamque eadem die vel nocte, nullo alio ſigno, quam in ariete conſpici: id quod paucis mortalium contigit. Et inde fabula cernendi Lynceo. Sunt qui tradunt, Lynceum primum reperiſſe dinas metallorum, æris, argenti, auri. Et hinc vulgo natam fabulam, quod ea quoque videret quæ ſub terra forent. Teſtis Lycophronis interpres. Meminit hujus & Plato in epiſtola quadam. Ariſtophanes in Pluto:

[illegible] τοῦ Λυγκέως.

Id eſt:

Faxo ut videas vel Lynceo ipſo acutius [illegible].

Lucianus in Hermotimo [illegible], id eſt, Tu vero nobis ipſo etiam Lynceo perſpicatiores: qui ſecuri videtur, per pectus ipſum, quæ ſunt intus cernis. Idem in Icaromenippo. [illegible], id eſt, Qui nunc repente quaſi Lynceus quidam effectus, cuncta diſcernis? Horatius in prima epiſtola ad Mecœnatem:

Non poſſis oculo quantum contendere Lynceus,
Non tamen idcirco contemnas lippus inungi.

Marcus Tullius M. Varroni: Quis eſt tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nuſquam incurrat? Apollonius in Argonauticis ſcribit hunc Lynceum uſque adeo fuiſſe perſpicacem, ut etiam terram ipſam oculorum acie penetraret, quæque apud inferos fierent, perviderет.

—[illegible]
[illegible]
[illegible].

Ideſt:

At miro viſus pollebat acumine Lynceus,
Si modo vera eſt fama, virum quæ prædicat illum.
Per facile inſpexiſſe ſub altis condita terris

Plutarchus in commentario, quem inſcripſit adverſus Stoicos teſtatur, famam fuiſſe de Lynceo, quod ſaxa quoque & arbores oculorum acie penetraret. Pauſanias in Corinthiacis tradit Lynceum Danao vita defuncto regni ſucceſſionem ſuſcepiſſe. Pindarus in Nemeis hymno decimo, meminit Lyncei, qui ex Taygeto monte viderit Caſtorem & Pollucem ſub quercus trunco latitantem, & horum alterum jaculo vulneraſſe. Pindari interpres citat hiſtoriam rerum Cypriarum, Ariſtarchum & Didymum.

Serpentis oculus.

Ὄφεως ὄμμα, id eſt, Serpentis oculus. De his dici conſuevit, qui acribus & intentis intuerentur oculis. Ab animante ſumpta metaphora. Sunt enim huic animanti oculi duriores ac perſpicaces. Unde Flaccus:

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius?—

Ἐν πλάτει.

Ἐν πλάτει dictum, accipiendum interpretantur Græci, quum paulum ultra præſcriptum ſignificat eſſe concedendum, præſertim in his quæ ſunt humanitatis. Veluti ſi quis pollicitus ſolutionem ad diem Auguſti decimum, reddat poſtridie. Julianus Pandectarum lib. 46. tit. de ſolut. & lib. cap. Ratum autem dominus habere debet, mox quum primũ certior factus eſt, ſed hoc ἐν πλάτει & cum quodam ſpacio temporis accipi debet. Et hunc Juliani locum citat Ulpianus, eodem libro, tit. rem ratam haberi, cap. quo enim. Rurſus lib 13. tit. de cõdictione triticaria, cap. in hac actione, Verius eſt, inquit, quod Servius ait condemnationis tempus ſpectandum: ſi vero deſierit eſſe in rebus humanis, mortis tempus. Sed etiam ἐν πλάτει ſecundum Celſum erit ſpectandum. Non enim debet breviſſimum vitæ tempus æſtimari. Iterum libro vigeſimo ſecundo, tit. de probationibus cap. penult. Nec quo quæritur, num aliquis meminerit quo die aut quo conſule factum ſit, ſed num hoc aliquo pacto probari poſſit, quando id opus factum ſit: & hoc Græci ἐν πλάτει dicere ſolent, &c. Hactenus Pandectæ. Verum illud ἐν πλάτει non norunt Caleti: qui ad horam undecimam juſſi claudere portas civitatis, ſtatim ad primum horæ ictum occludunt, repulſis & qui foris ſtant, & qui egredi cupiunt, utriſque portæ proximis. Quum denunciatur anathema qui ad diem præſcriptum non ſolverint, liberantur a fulmine, ſi ab eo die intra decimumquartum liberarent fidem ſuam. Hæc ad juris æquitatem pertinent.

Odorari, ac ſimiles aliquot metaphoræ.

Translationes quæ dicuntur a corporis ſenſibus, quoniam veſut ad manum ſunt, & quaſi de proximo ſumuntur omnes ferme proverbiales ſunt: quemadmodum admonuimus in operis hujus initio, velut Odorari, pro reſciſcere, & ſagaciter deprehenſum, atque animadverſum cognoſcere. Odor, pro ſuſpicione ac rumore. Cicero: Eſt nonnullus odor dictaturæ. Olfacere apud Terentiũ in Adelphis, pro deprehendere. Subolere apud eundem, pro ſuſpectum eſſe. Obolere, pro moleſtum eſſe, aut eſſe in ſuſpicione. Unde & Naſuti dicuntur, & Emunctæ naris, & Muccoſis naribus. Denique naſus ipſe in proverbium abiit, pro judicio. Horatius:

—Non quia nullus
Illis naſus erat.—

Et putent, quæ diſpliceant. Huc pertinent & illa. Olet mendacium, Redolent Atticiſmum, Olent lucernam, Iidem Guſtum rei vocamus, veluti primam illam experientiam & degustationem, quaſique ſpecimen. Cicero ad Atticum: Hominem deguſtes. Idem ad eundem: Et Latinus ille tuus Atticiſmus ex intervallo reguſtandus. Unde & Salivam primam dicimus primum illum guſtum, quem pueri tanquam a nutricibus imbibimus. Et Palato ſatiſfacere dicitur, quod animo placet. Et Devorare dicimus, cum rem alioqui acerbam, veluti citra ſenſum perferimus: translatione ſumpta ab his, qui amara catapotia, tanquam invito palato ſolent abſorbere. Unde aliquoties apud Ciceronem & Fabium: Devorare tædium, abſorbere moleſtiam. Affinia ſunt illa: Sapiunt arrogantiam, Reſipiunt juvenile quiddam. Concoquere item, pro vincere moleſtiam. Nauſeare cum tædio audire. Evomere, dicere, quod dolor non ſinebat reticere. Et, Expuere miſeriam ex animo. Conſputare, pro laceſſere maledictis. Deſpuere, pro contemnere. Stomachari, pro indignari. A viſu tam multæ dicuntur metaphoræ: ut Oculis ferre, pro vehementer amare, curæque habere. In oculis eſſe. Obſervari oculis, pro eo quod eſt recordari, & in memoria cogitationeque eſſe. Reſpicere, curam agere, & rationem habere. Proſpicere in poſterum conſulere. Deſpicere, faſtidire. Suſpicere, mirari. Connivere, pro data opera diſſimulare. Caecutire, hallucinari, pro falli judicio. Verum hæc longius perſequi, nec hujus eſt inſtituti, & infiniti fuerit operis. Quæ quanquam iſtiuſmodi videntur ad proverbiorum cognationem pertinere, tamen ea minutius exactiuſque conquirere, non eſt tenteneta: maxime quod jam hanc provinciam ſibi ſumpſit Richardus Pacæus,

natione

ſnatione Britannus, cujus & ſæpius libet meminiſſe, juvenis, ut nihil interim dicam de moribus, prorſum tali dignus ingenio, Græcæ pariter ac Latinæ literaturæ cum primis eruditus, tū haud mediocriter exercitatus in evolvendis omni jugæ profeſſionis autoribus: deinde oculatiſſimus in annotandis iis, quæ lectorum vulgus illotis, ut ajunt, pedibus prætereunt: denique judicii nequaquam juvenalis, ſed excuſſi exactique. Hic, inquam: felicibus Muſarum auſpiciis opus animo concepit, jam opinor etiam præ manib. habet, magno, ni fallor, uſui futurum politioris literaturæ ſtudioſis: in quo quicquid eſt apud utriuſq; linguæ ſcriptores inſignium metaphorarum, quicquid feſtiviter ac ſcite dictorum, quicquid hujuſmodi gemmarum ac deliciarum orationis, in unum volumen concinnare deſtinat.

COGNATI. *Deo nihil clauſum.*

Seneca 84. Declam. Nihil Deo clauſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis. Notum & tritum. Supremum autem illud numen, quod ſedet ſuper cœlos, & intuetur abyſſos, ubique & ſemper nobis præſens eſt, omniaque noſtra iſta & facta tuetur & animadvertit, de quibus omnibus ſuo tempore à nobis rationem exiget. Quod ſi cogitent homines, & vigili mente nunquam non volutarent, minus peccarent, & innocentius viverent. Lucianus in Saturnalibus: Verum novit ille, inquit, quippe cum ſit Jupiter, penes quos ſit culpa. Demoſthen. contra Midiam, ἡ γὰρ εἰ κρύφα ἐστὶν ἡ ψῆφος, λήσει θεούς, id eſt, Si occulta eſt ſententia, non idcirco deos latebit. Cic. 3. De natura deorum: At obſcurum Deo nihil poteſt eſſe.

PERSPICVITAS.

ERASMI. *Vel cæco appareat.*

Proverbialis hyperbole frequens apud autores, Vel cæco appareat: de re vehementer perſpicua. Ariſtophanes in Pluto:

Τὸ τοῦτο κρίνεις; δηλαδὴ κἂν τυφλῷ
Γνοίη δοκεῖ τοῦτο.——

Id eſt:

Qui ſcis eſſe? ſcilicet vel cæcus hoc
Videat.——

Euſebius adverſus Hieroclem ἀλλὰ γὰρ καὶ τυφλῷ φασὶ δῆλον, id eſt. Quia etiam vel cæco perſpicuum ajunt eſſe. Plato libro de Republica octavo, καὶ τυφλῷ γε δῆλον, ὡς μεταβάλλει. id eſt, Sane & cæco perſpicuum eſt transmutari. Idem in Sophiſta, πῶς γὰρ οὐ φανερὸν, καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, καὶ τυφλῷ, id eſt: Qui fieri poteſt, ut hoc non appareat, quemadmodum proverbio dicitur, vel cæco: Sumptum videri poteſt ex octavo libro Odyſſ. Homericæ:

Καί κ' ἀλαός τοι ξεῖνε διακρίνειε τὸ σῆμα.

Id eſt:

Hanc etiam cæcus metam diſcerneret hoſpes.

Quintil. libr. 12. Nam quis ignorat, quin illud longe ſit honeſtiſſimum, & liberalibus diſciplinis, & illo quem exigimus animo digniſſimum, non vendere operam, nec elevari tanti beneficii autoritatem: cum pleraque hoc ipſo poſſint videri vilia, quod precium habent. Cæcis hoc, ut ajunt, ſatis eſt, Neq; quiſquam, qui ſufficiētia ſibi (modica autem hæc ſunt) poſſidebit, hunc quæſtum ſine crimine ſordium fecerit. In his verbis Fabii, vox quæpiam deeſſe videtur, ut legas: Cæcis hoc ajunt, ſatis perſpicuum eſt. Alluſit ad hoc adagium Antigonus Rex unoculus, cum allato inſtrumento prægrandibus ſcripto literis, ταυτὶ μὲν καὶ τυφλῷ δῆλα, id eſt, Hæc quidem vel cæco perſpicua ſunt, inquit. Recenſuit Plutarch. ἀποφθέγμασι Decade 1. Apud Titum Livium libro belli Macedon. 2. quum Phaneas Philippum violentius in Ætolos dicentem inter fatus dixiſſet. Rem in verbis non verti, aut bello vincendum, aut patendum melioribus. Philippus reſpondit, Apparet id quidem etiā cæco: jocatus in valetudinem oculorum Phaneæ.

E puero perſpicuum eſt.

Καὶ παιδὶ δῆλον, id eſt, Et puero perſpicuum. De re ſupra modum perſpicua, confeſſaque. Utitur & Plato quodam in loco, quē alibi commoſtravimus: & Philoſtratus in vita Apollonii. Eſt in epiſtolis Baſilii, τοῦτο καὶ παιδὶ γνώριμον, id eſt: Hoc & puero notum. Finitimum illi, quod ante retulimus, καὶ τῷ τυφλῷ δῆλον, id eſt, Vel cæco perſpicuum.

Notum lippis ac tonſoribus.

Quæ jam in ora vulgi abierunt, omnibus tonſoribus ac lippis nota dicuntur: propterea quod olim in tonſtrinarum conſeſſibus omnes rumores narrari conſueverunt. Quod indicat Ariſtophanes in Pluto:

Καί τοι λόγος γ' ἦν, νὴ τὸν Ἡρακλέα, πολὺς
Ἐπὶ τοῖσι κουρείοισι τῶν καθημένων,
Ὡς ἐξαπίνης ἀνὴρ γεγένηται πλούσιος.

Id eſt:

Hercle profecto ſermo erat videlicet,
In officinis deſidentium frequens
Tonſoriis, hominem repente divitem
Factum eſſe

Et apud Terentium Antipho, in tonſtrina de puella cognoſcit. Item Horatius de tonſtrina:

——Gaudent ubi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Idem in Sermonibus.

——Opinor,
Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.

Ubi proverbium explicuit, ſignificans rem vulgo jactatam. Nam lippi in tonſorum officinis deſident, expetentes remedium oculorum. De tonſorum garrulitate, complura lectu digna recenſet Plutarchus in libello, quem ſcripſit. De futili loquacitate. Quorū unum illud referre non pigebit. Cum aliquando, inquit, in tōſtrina ſermo eſſet de Dionyſio, diceretu rque tyrannidem illius adamantinam eſſe, & inexpugnabilem: ridens tonſor, Hæccine, inquit, loqui nos de Dionyſio, in cujus jugulo ego ſubinde teneo novaculam? Quod dictum ſimulatque Dionyſius reſciſſet tonſorem in crucem ſuſtulit, atque ita, quod ait Plinius, voces per jugulum rediere in autorem. Ut autem tonſorum genus uſq; adeo loquax ſit, id exiſtimat eſſe in cauſa, quod in eorum officinas loquaciſſimi quique conveniant deſideantque, eorum aſſiduo convictu garrulitatis morbo inficiuntur & ipſi. Quas ob res Theophraſtus, ut idem teſtis eſt Plutarchus, τὰ κουρεῖα ἄοινα συμπόσια, (id eſt, ſine vino compotatione) appellavit, quod illic loquacitate ceu temulenti reddantur homines. Simili infamia laborant balneatores, quod illic quoque deſideant ocioſi, garrientes quidlibet. Quin hinc factum eſt, ut veteres ærarias officinas λέσχας dixerint, ut indicavit Joannes grammaticus: quod hybernis frigoribus huc ſeſe turba tenuium teporis gratia conferre conſueverit: ibique deſidens ocioſis fabulis tempus fallere. Hæc loca velut ignavis apta; Heſiodus jubet vitare agricolam.

Πὰρ δ' ἴθι χάλκειον θῶκον καὶ ἐπαλέα λέσχην,
Ὥρῃ χειμερίῃ.

Id eſt:

Menſibus hybernis valeat ferraria ſedes.
Ac nugæ tepidæ:——

Tanquam in ſpeculo: tanquam in tabula.

Hyperbolæ proverbiales ſunt & hæ, ὥσπερ ἐν κατόπτρῳ καὶ ὥσπερ ἐν γραφῇ, id eſt. Tanquam in ſpeculo, tanquam in tabula. De re vehementer revidente, perſpicuaque. Terentius in Adelphis: Deniq; inſpicere, tanquam in ſpeculum vitas omnium jubeo. Plato lib. De legib. decimo, ὡς ἐν κατόπτροις, id eſt, Tanquam in ſpeculis, propterea quod inter multa, quæ rerum refertur imagines, velut aqua, æs politum, gemmæ quædam, nihil æque perſpicue reddit ſimulachra, ut vitrum plumbo ſublitum. Nam vitrum quidem ut tatum ac pellucidum maxime capax eſt imaginum, verum acceptas non perinde continet ob pellucentiam: proinde ſublitū plumbum, ob nigrorem aliquem naturæque denſitatem ſiſtit impreſſam imaginem, neque dilabi ſinit. Evaneſcunt enim ſimulachra, non ſecus atque candelæ lumen in Sole, quoties excipiuntur in corpore nimium tenui perſpicuoque velut in aere, pura aqua, cryſtallo, vitroque non obſcurato corporis alicujus oppoſitu. Rurſum in nimium denſis & obſcuris non hærent, velut in ſilice, lignove. Proinde natura, ſolertiſſima rerum omnium architectrix oculum animantium ad ſpeculorum imaginem finxiſſe videtur: quippe parti pellucenti nigrorem quendam adjunxit à tergo, quo ſublato, protinus tollatur & videndi facultas. Unde ſcite dictū eſt illud: Ut ſpeculum oculus eſt artis, ita oculum eſſe naturæ ſpeculum. Illud miraculo dignum. ſpeculum non modo clariſſime repræſentare ſimulachrum rerum omnium, quæcunq; objecta ſunt, verum etiam intervalla, colores, motus, breviter res ipſas pene dixerim evidentius quam ſunt, hoc uno diſcrimine, quod adverſa refert. Cujus cauſa hæc eſt, quod ſpecies quæ à corpore ſolido per aerem manat ad ſpeculi ſuperficiem, ſimplex puraque eſt, unde fit, ut non alia ſit adverſa, quam adverſa. Quibus de rebus acutiſſime multa diſſeruit. Ambroſius Leo Nolanus noſter in quæſtionibus ſuis, Jam ars picturæ à rudib. initiis profecta, eo ſubtilitatis excrevit, ut non oculis hominum, ſed etiam avibus impoſuerit, effeceritque, ut veras res eſſe crederent, quæ coloribus erant fucata.

Electro lucidior.

Ἠλέκτρου διαφανέστερος, id eſt, Electro pellucentior. De re magnopere dilucida, aut de forma ſupra modum nitida, quod electrum miro quodam more pelluceat. Unde Vergilius, liquidum appellat:

Liquidove poteſt electro.

Lucianus in Amoribus, ἠλέκτρου, φασίν, ἢ τῆς Σιδωνίας ὕελου διαφανέστερος, id eſt, Electro, ut ajunt, aut Sidonio vitro pellucentior. Sidonium autem vitrum vocat, quod ea civitas artificio vitri fuerit olim nobilis.

Archimedes non poſſet melius deſcribere.

Archimedes Syracuſanus geometra fuit celeberrimus, nuſquā non intentus figuris geometricis, adeo ut pingens ſit interfectus. Ex quo proverbii ſpecie dictum eſt illud, quod eſt apud M. Tullium in oratione pro A. Cluentio: Si ut tu dicis, gratiæ cōciliandæ cauſa, quadraginta iſtorum acceſſio milium quid valet? Si ut nos dicimus, ut quadragena millia nummum ſedecim judicibus darentur; non Archimedes potuit melius deſcribere. Solent enim Geometræ mathematicas figuras in pulvere depingere.

Velut è ſpecula.

Ὡς ἀπὸ σκοπιᾶς, id eſt, Velut è ſpecula. Similitudo proverbialis ſum

cum quis res velut oculis ſubjectam, totam undiq; contemplatur. Siquidem ex alto commodiſſime ſpectantur omnia: propterea quod nihil obſtet, quod impediat proſpectum. Utitur Plutarchus in libello, cui titulus, De Romanorum fortuna.

Mens videt, mens audit.

Νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει, id eſt, Mens videt, mens audit. Hemiſtichium prius videtur carminis Trochaici, tetrametri, catalectici. Refertur ab Ariſtotele, quaſi vulgo jactatum, ſectionis 11 problemate 33 ubi propoſita quæſtione, quur noctu acrius audiamus quam interdiu, inter alias cauſas & hanc reddit, quod interdiu animus variis negociis diſtrahitur: qui niſi ſit præſens, nec corporis ſenſus officio ſuo funguntur, adeo ut mente alienata, nec corporis dolorem interdum ſentiamus: & ipſe ſum expertus in cruciatu dentium, ac calculi, multo leviorem reddi doloris ſenſum, ſi poſſis animum in aliquam cogitationem alienam intendere: ὥσπερ, inquit, εἴρηται τὸ, νοῦς ὁρῇ, καὶ νοῦς ἀκούει. Noctu vero quoniam oculorum ſenſus quieſcit, & animi cogitatio tranquillior eſt, tum aurium meatus non minus patent nocte quam interdiu, nec minus capaces ſunt ſonorum, ſed eos facilius etiam renunciant animo, quod tum nullis actionibus diſtrahatur, nec oculorum ſenſu avocetur, quemadmodum in die, fit ut acutior ſit aurium ſenſus. Locus erit adagio, ubi jubemus quempiam attentum eſſe, quemadmodum dicimus Hic eſto, & Iſthic ſum. De mente peregrinante nobis dictum eſt alias.

Candidus ſermo.

Λευκὸς λόγος, Græcis dicitur oratio dilucida, perſpicuaque, à colore qui inter cæteros plurimum habet lucis. Unde λευκότεροι φωνῇ dicuntur, qui clarius efferunt quod ſentiunt, hoc eſt, σαφέστεροι. Et λευκὴ φωνὴ dicitur, quæ facile penetrat aures auditorum. Hujuſmodi metaphoræ ſunt, quæ ſumuntur è propinquo: ut qui ſentire dicuntur aut videre, qui rem intelligunt: tenere, qui meminerunt: odorari, qui ſuſpicantur: cæcutire, qui errant. E proximo ducuntur, quum quod oculorum eſt, transfertur ad aures, velut hoc.

IUNII. Nubem ſummovere.

Νέφος παράγειν, id eſt, Nubem tollere, proverbii ſpecie dicitur, qui rebus obſcuris lucem addit & perſpicuitatem. Julianus ſophiſta in libro quem Philonem inſcripſit, ἐν ὑπαίθρῳ δεῖξαι καὶ ἐξεκάλυψα μόνος καὶ πρῶτος ἐπισκοτοῦν νέφος παραγαγὼν καὶ ἀπωσάμενος, id eſt Eam aperta cœlo oſtendi & retexi ſolus, & primus opacam nubem diſpuli atq; ſummovi. Proclus Conſtantinopol. epiſcopus de fide: τῇ οἰκείᾳ αἴγλῃ τὴν ἀχλὺν τῶν αἰσθήσεων ἀπελαύνουσα, id eſt, Suo jubare caliginem ſenſuum abigens. Olympiodorus, φιλοσοφία τὸ τῆς Ὁμηρικῆς Ἀθηνᾶς ποιεῖ, ἀχλὺν ἀποσκεδαννῦσα, id eſt, Philoſophia facit id quod Homerica Pallas, nubem diſpellens. Non abludit hinc illud ex Epigrammaton libro 3.

Φέγγος ἐν ξυνετοῖς, ἀξυνέτοις δ' ἔρεβος.

Id eſt:

Ut doctis lumen, ſic erebus rudibus.

Alio ſenſu dixit Anaxandrides comicus διασκεδάσαι τὸ νέφος τοῦ μετώπου, id eſt, diſcutere frontis nubilum: pro, triſtitiam abigere, lætumque vultum inducere, ubi ait:

Διασκέδασον τὸ παρὸν τοῦτο νέφος ἐπὶ τοῦ μετώπου,

Id eſt:

Quin fronti inhærentem nunc nubem pellite.

Philoſtratus junior ſupercilium nubilum, pro triſti dixit, Græce ξυνεφὲς ὀφρύων. Euripides in Hippolyto de Phædra:

Στυγνὸν δ' ὀφρύων νέφος αὐξάνεται.

Id eſt:

Triſtiſque frontis augeſcit nubes.

Simili modo dictum eſt illud ab Horatio:

Deme ſupercilio nubem.——

& illud Juvenalis:

——Remota Erroris nebula.——

Neque alienum hinc eſt illud Philoſtrati, αἱ ὑπόνοιαι γνώμης ἀχλὺς καὶ δεσμοὶ γλώττης, id eſt, Suſpiciones ſunt ingenii nubes & linguæ vincula, & illud Ariſtidis oratoris, ταῦτ' ὥσπερ νέφος ἢ σκότος ἐπισκοτεῖ πᾶσι τοῖς περὶ παιδείαν καλοῖς, id eſt, Iſta tanquam nubes quæpiam aut atra caligo tenebras offundunt eruditionis bonis.

COGNATI. Καὶ τυφλῷ δῆλον.

Proverbium frequens non ſolum in Græco ſermone, ſed & Latinis Dicitur vero de rebus quæ ſatis perſpicuæ ſunt, nec videntur quempiam poſſe latere. Polybius in 16. lib. hiſtoriarum, καὶ τυφλῷ δῆλον, ὡς τὸ λεγόμενον, &c. Nos quoque in Gallico ſermone proverbio hoc utimur: & ſane in mentem facile cuilibet venire poſſet de re certa perſpicuaque τὸ καὶ τυφλῷ δῆλον dicere, illam cæco etiam apparere.

Lynceus.

Proverbialiter Lynceus pro oculatiſſimo, & acutiſſimi viſus uſurpatur: tractum a viro, nomine Lynceo, oculatiſſimo, perſpicaciſſimoque mortalium, de quo Hieronym. contra Joan. Origeniſtam ſic ſcribit: Lynceus (ut fabulæ ferunt) videbat trans parietem, Valer. Flaccus 1. Argonaut.

Fluctibus & mediis terras dabit ille magiſtro,
At dabit aſtra taci cumq; æthera Juppiter umbra:
Perdiderit, ſolus transibit ſidera Lynceus.

Apulejus lib. 2. de Aſino: Vides hominem ferreum, & inſomnem, certe perſpicaciorem ipſo Lynceo. Horatius l. 1. ſatyr. 2.

——Ne corporis optima Lynceis
Contemplere oculis.

Id eſt, acutiſſimis. Theocr. ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων Λυγκεύς. De Lynceo notiſſima fabula eſt, cum uſque adeo cæteris oculorum acie præſtitiſſe, ut quæ apud inferos agerentur, videret. Sed plura de eo Plin. l. 2. c. 17. & Eraſmus noſter.

Superis & inferis notum.

Rem vulgo jactatam hoc proverbio explicemus, Superis & inferis notum. Flacius, Uuigandus & Judex in epiſtola dedicatoria ſeptimæ Centuriæ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ: Antequam lux verbi divini illuceſceret in Germania, regnantibus tenebris pontificiis & monaſticis, unicus ille Romanus præſul poteſtatem ſibi ſumebat, leges etiam politicas non modo reformandi, ſed etiam delendi, ſubſtitutis ſuis decretis & decretalibus: id quod ſuperis atque inferis notum eſt. Huic non diſſimilis eſt Epimenidis Cretenſis ſententia: ὁ ποιητὴς εἶπε καὶ μάντις, id eſt, Quod videlicet factum, ſciri jam poteſt à vatibus, Lippis ac tonſoribus notum eſſe, etiam dicitur, de quo rumor eſt publicus.

Ut liquidius pateat.

Plato in Minoe, vel, de lege: Sed age videamus, an hinc nobis liquidius pateat, ſi veridem ſemper, ſive alias aliis vivamus legibus, &c. In Euthyphrone: In præſentia explicate planius nitere. Ibidem: Liquide monſtraturus ſis. In Parmenide: Ut clarius intelligam. In Philebo: Dic planius. Ibidem: Idque ſi nunc nobis liquido pateat. Ibid. Hæc mihi ſi planius dixeris, aſſequar fortè. Ibid. Lucidius explica. In Hippia majore: Planius explicabo, clarius aperiam. In Sophiſta: Vos juvenes acutius hoc inſpicitis: ſenes vero nos, obtuſius.

Sciunt hæc coqui.

De condimentis obſoniorum extant coquorum ſcripta atque inſtituta, eorum ſcilicet, qui præparandis obſoniis præeſſe ſciunt. Sciunt hæc, ut ajunt, coqui.

In promptu habere.

Quod ſi in promptu nunc habes, explica. In Euthyphrone: Forſitan in promptu non habes. Ibidem: Sed prompte jam dicas. In Philebo: Num in promptu præ cæteris poſitæ? In Theæteto: Etiamſi in promptu non habeat. In Civili: Viſne; niſi quid aliud in promptu habemus, texendi artem eligamus?

Latiſſimus campus.

Latiſſimus demonſtrandi campus eſt, quod nec nos iiſdem ſemper nobiſcum, nec homines invicem legibus vitam agunt.

Verbi cauſa.

In Philebo. Cicero in lib. Academicorum ad Varronem apud Auguſtinum lib. 3. contra Academicos.

PERTINACIA.

ERASMI. Oſtrei in morem hæret.

Ὥσπερ λεπὰς προσέχεται, id eſt, Oſtrei ſive conchylii in morem adhæret. Ariſtophanes dixit in anum, quæ ægre a juvene divellebatur.

Ὦ Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τοῦ
Ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσείχετο.

Id eſt:

O Jupiter, quam fortiter conchæ modo.
Iſthæc anicula adhæret adoleſcentulo.

Eſt concharum genus quod capillamentis quibuſdam inter ſe cohæret, quoties ut adverſus undarum motus.

Alios tragœdos provocat.

Τοὺς ἑτέρους τραγῳδοὺς ἀγωνιεῖται, id eſt, Adverſus reliquos tragœdos ſeſe parat. Refertur ex Lycurgi ſophiſtæ oratione adverſus Demadem. Didymus oſtendit dici ſolitum in eos, qui ſeſe componunt, inſtruuntque ad verſus partem adverſam. Translatum videtur à certaminibus Baccho ſacris, in quibus tragœdiarum fervebat concertatio.

Mordicus tenere.

Mordicus tenere, eſt ſumma pertinacia tueri: quod Græci vocant ἀπρὶξ M. Tullius Academ. quæſt. libro primo. Nam ab omnibus ejuſmodi viſis perſpicuitatem, quam mordicus tenere debemus, abeſſe dicemus. Divus Aurelius Auguſtinus in epiſtola quapiam ad divum Hieronymum. Illi me plus movent, qui cum poſterius interpretarentur, & verborum, loquutionumq; Hebræarum viam atque regulas mordicus, ut fertur, tenerent: non ſolum inter ſe non conſenſerunt, ſed etiam reliquerunt multa. In eundem ſenſum dixit Seneca libro de Beneficiis ſeptimo, Utraq; manu. Hæc, inquit, Demetrius noſter utraq; manu tenere proficiſcentem jubet, hæc nuſquam dimittere.

Toto

Toto corpore, omnibus unguiculis.

Similem habent pertinaciæ ſignificationem, Toto corpore: atque omnibus unguiculis. A feris ſumpta metaphora, quæ dentib. unguibus: totoq; corpore retinere ſolent, quod nolint extorqueri. Lucia. in dial. Diogen. & Cratetis, τὸ δὲ χρυσίον ὀδοῦσι καὶ ὄνυξι καὶ πάσῃ μηχανῇ ἐφύλαττον, id eſt, Cæterum aurum dentibus & unguibus atque omni ope ſervabant, M. Tullius lib. Tuſc. quæſt. 2. Toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, contentioni vocis aſſerviunt.

Gladiatorio animo.

Proverbii ſpeciem habet quod legimus in Phormione Terentiana: Hem gladiatorio animo ad me affectant viam. Quo ſignificatur, ita tendi ad nocendum alteri, ut id cum proprio etiam periculo tentetur, animo pertinaci, paratoque vel perdere, vel perire. Nam gladiatori compoſito ad certamen, hæc pugnæ propoſita ſors eſt, aut occidere ſi occupaverit, aut occumbere ſi ceſſaverit. Ariſtoteles audaciam hujuſmodi, cum propriæ ſalutis contemptu conjunctam, Celticam appellat.

Niſi crura fracta &c.

M. Tullius in Philippica 13. docet proverbio fuiſſe jactatum in C. Plancum, eũ perire non poſſe, niſi crura ei fracta fuiſſent. Is incenderat curiam: ob quod facinus quum eſſet ejectus in exilium, tamẽ poſt armatus auſus eſt redire in urbem. Adagium autem ductum eſt ab his qui ob ſcelera ſubiguntur in crucem: tantaque eſt malitiæ vivacitas, ut nec illic mori poſſint, niſi fractis crurib. mors acceleretur. Jocatur autem Cicero, Planco fuiſſe fracta crura, cum legibus eſſet adempta poteſtas redeundi in civitatem. Et tamen vixit ac rediit. Aſſcribam M. Tullii verba. Sequũtur alii tribunitii, C. Plancus inprimis, qui ſe ſenatum dilexiſſet, nunquam curiam incẽdiſſet: quo ſcelere damnatus, in eam urbem rediit armis, à qua exceſſerat legib. ſed hoc ei commune cum plurimis diſſimilimis. Illud tamen verum, quod in hoc Planco proverbii loco dici ſolet: perire eum non poſſe, niſi crura ei fracta eſſent. Fracta ſunt, & vivit. Hoc tamen, ut alia multa, aquilæ fertur acceptum. Hactenus Tullii verba recenſuimus. In quorum poſtremis jocus eſt in aquilam, quo ſignificatur armata manus. Nam vexilla Romanorum præcipua habebant aquilam. Meminit & in oratione pro Roſcio Amerino. Sin autem ſic ageris, ut arguatis aliquem patrem occidiſſe, neque dicere poſſitis, aut quare, aut quomodo, aut tantummodo ſine ſuſpicione latrabitis. crura quidem vobis nemo ſuffringet: ſed ſi ego hos bene novi, literam illam cui vos uſque eo inimici eſtis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut poſtea alium neminẽ niſi fortunas veſtras accuſare poſſitis. Quidam putant hinc ſignificari Θ. de quo dictum eſt in proverbio, Θ præfigere. Mihi magis videtur ſentire de τ. quod crucis habet imaginem: & in crucem ſuffixis ſolent frangi crura. Et hac quidem litera rei abſolvebantur: ſed interim actor referebat notam calumniæ & impudentiæ, qui crimen atrox objecerit, quod nullis argumentis probare valebat.

IVNII. *Gradum figere.*

Utitur frequenter hac proverbiali ſpecie, Tertullianus gradum figere: pro conſiſtere. & pertinaciter inhærere & conſtanter ut lib. 4. adverſus Marcionem: Et poſſim hic jam gradum figere, non agnoſcendum contendens opus, quod non erigat frontem. Rurſus lib. De fuga in perſecutione: Itaque quum duces fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit ad gradum in acie figendum ſuadere? & in libro adverſus Praxean: Hic mecum gradum fige. Et iterum: Hic ergo jam gradum volunt figere ſtulti, imo cæci & in lib. De velandis virginibus: Ubi enim gradum fiximus de Apoſtoli abſoluta definitione.

COGNATI. *Retinere cor in encordali fune.*

Elegantiſſimum adagium, ἐν πείσῃ τὴν καρδίαν ἴσχειν, id eſt: Retinere cor in encordali fune, hoc eſt, in ſua conſtantia atq; firmitudine. Eo utitur Synesius in encomio calvitii: ubi peſſime redditum eſt, in Piſa animum præparare, Interpres enim pro πείσῃ (quæ etiam πεῖσμα καὶ πρυμνήσιον vocatur) legit, Πίσῃ.

PHILAVTIA.

ERASMI. *Non videmus manticæ, quod in tergo eſt.*

Catullus in Scazonte:

> Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

Id eſt: Non videmus noſtra ipſorum vitia, cum aliena curioſis oculis perſpiciamus proverbium natum eſt ex Apologo quopiam Æſopico, qui fertur hujuſmodi apud Stobæum, Αἴσωπός φησι δύο πήρας ἕκαστον ἡμῶν φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν, καὶ εἰς μὲν τὴν ἔμπροσθεν ἐντίθεσθαι τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὄπισθεν τὰ ἑαυτοῦ. Quorũ verborum hæc ferme ſententia: Finxit Æſopus ſingulos mortales binas habere manticas, hoc eſt, peras: alteram ante pectus, alteram à ſcapulis tergoque propendentem. Sed in priorem, inquit, aliena vitia immittimus, in poſteriorem noſtra. Perſius:

> Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo:
> Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Horatius:

> Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo.

Divus Hieronymus: Sed illa eſt vera inter amicos reprehenſio, ſi noſtra opera non videntes, aliorum, juxta Perſium, manticam conſideremus.

Feſtucam ex alterius oculo ejicere.

Hanc humani ingenii cæcam φιλαυτίαν non ſolum poetarum literæ, verum etiam Evangelicæ (neq; enim gravabuntur in hunc videant in oculo fratris, in ſuo trabem non vident, id eſt, aliorum vel minimis vitiis offenduntur, ſuis & maximis blandiuntur. Sic enim habet Matthæus: τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος τὸ ἐν τῷ ὀφθαλμῷ τοῦ ἀδελφοῦ σου, τὴν δὲ ἐν τῷ σῷ ὀφθαλμῷ δοκὸν οὐ κατανοεῖς, ἢ πῶς ἐρεῖς τῷ ἀδελφῷ σου, ἄφες ἐκβάλω τὸ κάρφος ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου καὶ ἰδοὺ ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου, id eſt: Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem vero quæ in oculo tuo eſt, non intelligis? aut quomodo dices fratri tuo: Sine, ejiciam feſtucam ex oculo tuo: & ecce trabes in oculo tuo? Sic enim ad verbum Græca reddita ſonant. Divus Hieronymus: Qui per trabem, inquit, oculi ſui, feſtucam alterius nitatur eruere. Hoc hominum genus Horatius eleganter notat.

> Cum tua, inquiens, pervideas oculis mala lippus inunctis,
> Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
> Quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius? ——

Idem alibi:

> Qui ne tuberibus propriis offendat amicum,
> Poſtulat, ignoſcat verrucis illius æquum eſt.

Quod ipſum proverbii ſpeciem evidentem ante ſe gerit. Tubera majora vitia dixit: verrucas, minora, quæ alibi nævos appellavit.

Quod volumus, ſanctum eſt.

D. Auguſtinus libro contra Creſconium grammaticum 4. Nõ jam, ut vetus proverbium fertur, quod volumus ſanctum eſt, ſed etiam quando volumus, & quamdiu volumus. Alibi, ni fallor citat ex Ticonio Donatiano. Eſt Hemiſtichum carminis heroici. Genus hoc hominum hodie regnat in mundo, qui pietatem non exigunt ad Chriſti regulam, ſed ad ſuos affectus: & quicquid vehementer amant, hoc videri volunt etiam ſanctum, in rebus natura ſceleratiſſimis ſibi mire blandientes. Sanctum autumnant, geſtare tale cingulum quamobrem? quia parvo negocio cupiunt haberi pro ſanctis. At neq; ſobrie neq; caſte volunt vivere, nec injurias perpeti, quur ita? quia durum eſt ac difficile.

Papæ Myxus.

Βαβαὶ Μύξος, id eſt, Papæ Myxus. In glorioſos & jactabundos dici conſuevit: nam βαβαί ſtuporis & admirationis ſignificationẽ habet. Myxus autem ſacerdos quiſpiam fuit Dianæ, glorioſus & magniloquus, qui ſe fingebat omnia mirari. Refertur à Suida & Zenodoto.

Amicos tragœdos æmulatur.

Τοὺς φίλους τραγῳδοὺς ἀγωνίζεται, id eſt, amicos tragœdos æmulatur. Suidas è Didymo citat, addens dici ſolitum de his, qui ſeſe accõmodarent, & morum ſeveritatem ſumerent, ad æmulationẽ aliorum. Sumptum ab hiſtrionibus tragœdiarum: qui cum ſint leviſſimi nebulones, tamen ubi Deum aut regem agunt in fabula, tum cultu, voce geſtuque majeſtatem quandam imitantur.

Tragice loqui.

Τραγικώτερον λαλεῖν, id eſt, Tragice loqui. Eſt verbis uti magnificentioribus. Eſt enim tragicorum character ſublimis, atque tragœdia ampullas & ſeſquipedalia verba. Menander apud Plutarchum in conſolatorio commentario ad Apollonium, εἰ δ' ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς νόμοις, ἐφ' οἷσπερ ἡμεῖς ἔσπασας τὸν ἀέρα τὸν κοινόν, ἵνα σοι τραγικώτερον λαλῶ, id eſt: Quod ſi iiſdem legibus, quibus & nos hauſiſti communem aerem, ut tibi tragice loquar. Utitur & Plato libr. De republ. 3. Gregorius Theologus in epiſtola quadam, ἀλλ' οὐκ ἐξῆν, οἶμαι, τραγῳδοῦντα τραγικῶς, μὴ καὶ κωμῳδεῖν κωμικῶς, id eſt, Non licebat, opinor, cum ageres tragice, feſtum agere comice. Idem in epiſtola ad Baſilium, ὦ γῆ καὶ ἥλιε, ἀὴρ καὶ ἀρετή, τραγῳδήσω γάρ τι μικρόν, id eſt: O terra & ſol, aer & virtus, quanquam ſuſpicor pro ἀρετή, ſcriptum fuiſſe αἰθήρ: quemadmodum ex ἀήρ fecerat ἀρετή. Nam qui primus has epiſtolas ædidit, adeo videtur callere Græce, ut vix legat. [illegible] ſubinde apud Lucianum ἐκτραγῳδεῖν, pro eo quod eſt, magnificentius eloqui, & rem verbis ampliorem reddere: & φορτικῶς λαλεῖν, pro, grandius & faſtuoſius dicere.

Turpis jactantia.

Non eſt generoſi animi jactare ſeſe de his, quæ fortiter aut feliciter fecit. Super hoc ita Menelaus apud Homer.

> —— Οὐ μὲν καλὸν ὑπέρβιον εὐχετάασθαι.

Id eſt:

> Haud ſane pulchrum ſeſe jactare ſuperbe.

Ne magna loquaris.

Μὴ μεγάλα λέγε, id eſt, Ne grandia loquaris, refertur à Diogeniano, Admonet temperandum eſſe à magniloquentia, jactantiaque, qua nihil omnium intolerabilius. Dictum eſt autem propter Nemeſim deam, quæ grandiloquentiam hujuſmodi non ſinit impunitam. Marcus Tullius Epiſtolarum ad Attic. libro quarto Epiſtol. 8.

Μήποτε μέγ' εἴπῃς, πρὶν τέλος ἐπιθείης.

Id eſt :

Ne quando jactes, ni prius perfeceris.

Ariſtophanes in Ranis :

Ὦ θαυμάσι' ἀνδρῶν, μὴ μεγάλα λίαν λέγε.

Id eſt,

Mirande vir, ne magna nimium dixeris.

His verbis Bacchus reprimit Euripidem, per arrogantiam ſemet ante ponentem Æſchylo. Sophocles in Ajace flagellifero :

Μηδὲν μέγ' εἴπῃς, οὐχ ὁρᾷς ἵν' εἶ κακοῦ;

Id eſt,

Ne magna loquere, non vides quo in ſis malo?

Theocritus in Cyclope :

—Μηδὲ μέγα μυθεῦ

Id eſt,

—Ne quid ſublime loquaris.

Theognis,

Μή ποτε μηδὲν ἀγορᾶσθαι ἔπος μέγα· οἶδε γὰρ οὐδεὶς
Ἀνθρώπων, ὅ τι νὺξ χἠμέρη ἀνδρὶ τελεῖ.

Id eſt,

Verbum Cyrne cave magnum ne dixeris unquam.
Neſcis quidnam homini nox ve dies ve ferat.

Plato in Phædone, μὴ μέγα λέγε, μή τις ἡμῖν βασκανία περιτρέψῃ τὸν λόγον τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι, id eſt, Ne loquare grandia, ne qua nobis invidia futuram orationem interturbet. Antiquitas enim finxit deam Nemeſim, jactantiæ ultricem. Ita Pindarus in Iſthmiis hymno quarto: ἀλλ' ὅμως καύχημα κατάβρεχε σιγᾷ· Ζεὺς τά τε καὶ τὰ νέμει, id eſt, Attamen gloriationem obnubila ſilentio. Jupiter hæc & illa partitur. Eſt enim unica placandæ invidiæ ratio, ſi quod accidit boni, ad autorem deum referatur. Idem in Nemeis hymno decimo, ἔστι δὲ καὶ κόρος ἀνθρώπων βαρὺς ἀντιάσαι, id eſt, Eſt autem grave, in hominum invidiam incidere. Eſt enim invidum mortalium ingenium, nec ulla re citius ſaturatur, quam audiendis laudibus alienis. Idem ejuſdem operis hymno 5. αἰδέομαι μέγα εἰπεῖν. Huc alluſiſſe videtur. Verg. lib. 10.

Dixerat ille aliquid magnum.———

Invenitur ſæpius & μέγα φρονεῖν, pro eo quod eſt inſolentem atque elatum eſſe. Sophocles in Oedipo tyranno;

Φρονεῖ γὰρ ὡς γυνὴ μέγα.

Id eſt,

Sentire enim altum ut fœmina.

Extat & ſenarius proverbialis :

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἐν ἑκάστῳ θεός.

Id eſt,

Ineſt enim ſuus cuique animus Deus.

Et Menander apud Plutarchum :

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός.

Id eſt,

Nam noſter animus numen eſt.

Et conſimilia quædam apud Lucanum dicit Cato Uticenſis. Sumptum videtur ex Homericæ Iliadis libr. 1. ubi Achilles Palladi obtemperans hæc dicit :

Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτοῦ.

Id eſt :

Qui diis paruerit, proni hujus vota receptant.

Apud eundem eſt hoc hemiſtichium non uno loco poſitum :

—Καί τις θεὸς ἡγεμόνευεν.

Id eſt,

Quin & divum aliquis ductor fuit.———

Plato in Critone, ἔα τοίνυν, ὦ Κρίτων, καὶ πράττωμεν ταύτῃ, ἐπειδὴ ταύτῃ ὁ θεὸς ὑφηγεῖται, id eſt: Sine igitur, ô Crito, & hoc pacto agamus; quando quidem hac nos ducit Deus. Cic. lib. De finibus 3. commemorat inter præcepta veterum ſapientum, quæ conſtat proverbiorum vice celebrata: Quæque ſunt, inquit, vetera præcepta ſapientum qui jubent tempori parere, & ſequi Deum, & ſe noſcere, & nihil nimis.

Argenti fontes.

Ἀργύρου πηγαὶ λαλοῦσιν, i. Argenti fontes loquuntur. Hoc adagiō notabūtur ii, qui ſtolide quidem atq; indocte, ſed arroganter tamē & confidenter loquerentur, opib. videlicet ſuis freti. Vulgus enim divitum dulci, ut ait Horatius, fortunæ ebrium, hoc quoque putat ſuis divitiis deberi, ut quicquid dixerint, id protinus velut eruditum, omnes ſuſcipiant & approbent. Quod notans Flaccus, inquit:

—Mex (contendere noli)
Stultitiam patiuntur opes.———

Item alibi:

Et quicquid velut hoc veluti virtute paratum,
Speravi magnæ laudi fore.———

Huc pertinet & minus ille nequiquam invenuſtus:

Fortuna quem nimium fovet, ſtultum facit.

Item illud ex Antiphane apud Stobæum :

Ὁ δὲ πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακός,
Τυφλοὺς βλέποντας παραλαβὼν ποιεῖ ταχύ.

Id eſt :

Opes enim nos, ſicuti medicus malus,
Ubi receperint, reddent videntes, ilico cæcos.

In eandem ſententiam Menander in ſe ipſum lugente :

Τυφλὸς ὁ πλοῦτος, καὶ τυφλοὺς ἐμβλέποντας εἰς αὐτὸν ποιεῖ.

Id eſt :

Cæcæ divitiæ, atq; eos qui ſe intuentur, cæcos reddunt.

Rurſum illud ejuſdem.

Τότε φαίνεται ὑβριστικὴ λίαν τρυφή,
Ὅτι πλοῦτος ἐξαίφνης τὸν κεκτημένον
Εἰς ἀλλότριον ἦθος ἐκ τοῦ πρότερον ἄγει.

Id eſt:

Nimis inſolens tum redditur laſcivia,
Quoties opes qui poſſidet, mores repens
Mutat in alienos priſtinis contrarios.

Diximus alias. Fœnum habet in cornu Felicitatis comes eſſe ſolet ferocia Pindarus in Iſthmiis hymno tertio : εἴ τις ἀνδρῶν εὐτυχήσαις ἢ σὺν εὐδόξοις ἀέθλοις, ἢ σθένει πλούτου, κατέχει φρασὶν αἰανῆ κόρον, ἄξιος εὐλογίαις ἀστῶν μεμίχθαι, id eſt, Si quis vir fortunatus fuit, vel in glorioſis certaminibus, vel in opulētia obtinet, ut ajunt, magnificam ſaturitatem, dignus qui laudibus civium admiſceatur. Quadrabit in eos quoq; quorum oratio propter opum fiduciam plus ſatis libera atq; audax videbitur. Nam quemadmodum paupertas timiditatem adfert, itidem opulentia παρρησίαν, id eſt, loquendi confidentiam adducere ſolet.

Fortuna reddit inſolentes.

In eūm qui poſteaquam fortuna ſecundior affulſit, animos item effert, & paulo confidentius gerit ſeſe, quadrabit illud ex eodem libro :

Γηθόσυνος δ' ἄρα πέτασ' ἱστία οὔρῳ ἐπ' ἐσθλῷ.

Id eſt,

Lætatus ventis pandebat vela ſecundis.

Fœnum habet in cornu.

In homines maledicos ac feroces dicitur: Fœnūm habet in cornu. Horat. in ſermonibus :

Fœnum habet in cornu, longe fuge.———

Inde tranſlatum, ut Acroni placet, quod antiquitus bubus cornipetis fœnū pro ſigno in cornu appenderetur, quo ſibi caverent qui forte occurriſſent. Idque ideo fieri ſolitum Plutarchus in problem. autumat, quod copioſiore pabulo, non modo boves, ſed & equi, & aſini inſolentiores ac ferociores reddantur. Unde extat & Sophoclis dictum in tumidum quempiam ac præferocem : Tu, inquit, ferves, quaſi pullus pabuli copia. Huic aſtipulatur illud Solonis dictum apud Laert. τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου hoc eſt: Satietatem naſci ex opulentia, ex ſatietate ferociā. Dictum eſt autem aliquando, ut idem teſtatur Plutarchus in M. Craſſum, quod in curvo fœnum haberet, propterea quod haudquaquā impune laceſſeretur, homo prædives ac potens, & ſimultatum perſequentiſſimus. Ac poſtea Cæſar dictus eſt ei fœnum detraxiſſe, quod omnibus illum ut cornipetam taurum fugientibus ac formidantibus, ipſe primus auſus fuerit illi reſiſtere. Uſurpat adagium hoc etiam divus Hieronymus in epiſtola quadam, minitans his à quibus forte eſſet laceſſendus.

Colophonia ferocitas.

Κολοφωνία ὕβρις, id eſt, Colophonia ferocitas. In inſolentes, qui ferociter deſpiciunt & affligunt humilioris fortunæ homines: aut in eos, quibus ſua ferocitas exitium attulit. Sumptum ab arrogantia ſuperbiaque ejus gentis. Refertur à Diogeniano in adagionū collectaneis. Theognis:

Ὕβρις καὶ Μάγνητας ἀπώλεσε καὶ Κολοφῶνα.

Id eſt:

Perdidit & Colophona ferox mens & Magnetes.

De gentis hujus ferocia nonnihil dictum eſt nobis in proverbio, Colophonium ſuffragium.

Nemini fidas, niſi cum quo prius modicum ſalis abſumpſeris.

Vulgo apud noſtrates circumfertur adagium, haud fidendum eſſe cuiquā: niſi cum quo prius modicum ſalis abſumpſeris. Significat autem hominis ingenium non poſſe perſpici, niſi diuturno convictu longoq; commercio. Apparet proverbium hoc ab antiquitate profectum eſſe Quandoquidem Ariſtoteles libro Moralium 8. ſimile quiddam refert his quidem verbis, Ἔτι δὲ προσδεῖται χρόνου καὶ συνηθείας, κατὰ τὴν παροιμίαν γὰρ οὐκ ἔστιν εἰδῆσαι ἀλλήλους πρὶν τοὺς λεγομένους ἅλας συναναλῶσαι, id eſt, Præterea autem ſpatio temporis & conſuetudine opus eſt. Siquidem juxta proverbium, fieri nō poteſt ut nos mutuo pernoſcamus antequam ſalis, quem dicunt, modium pariter abſumpſerimus. Idem Moralium Eudemicorum lib. 7. Διὸ εἰς παροιμίαν ἐλήλυθεν ὁ μέδιμνος τῶν ἁλῶν, id eſt, Quapro-

ptes

pter in proverbium abiit ſalis modius. Eodem in libro refert illud quoque ex Poeta quopiam Hemiſtichium, ni fallor.

> Οὐδ' ἄνευ χρόνου φίλος.
>
> Id eſt:
>
> Non eſt amicus abſque temporis mora.

Addit ex Theognide,

> Οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὐδὲ γυναικὸς
> Πρὶν πειρηθείης ὥσπερ ὑποζυγίου.
>
> Id eſt:
>
> Haud noſce ingenium ve viri licet, aut muliebre,
> Ut nec jumenti, ni experiare prius.

Notat hanc parœmiam & Plutarchus in Commentario περὶ φιλαδελφίας, his quidem verbis. Τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν, ὅπου δὲ ἡ φύσις ἡγεμονίαν τῇ κρίσει οὐκ ἀποδίδωσιν, οὐδὲ ἀναμένειν τὸν θρυλούμενον τῶν ἁλῶν μέδιμνον, ἀλλὰ συγγεγέννηκε τὴν ἀρχὴν τῆς φιλίας, ἐν τούτοις δεῖ μὴ πικροὺς εἶναι μηδὲ ἀκριβεῖς τῶν ἁμαρτημάτων ἐξεταστάς. Id eſt, Alienos enim, quemadmodum ait Theophraſtus, non oportet amantem judicare, ſed amare poſtea quam judicaris. Siquidem ubi natura ipſa dux eſt ad benevolentiam præcedens judicium, neque expectans illum vulgo celebratum ſalis modium, quippe quæ amicitiæ ſenatium inſeverit, ibi non oportet acerbos & exquiſitos eſſe delictorum expenſores. Meminit hujus parœmiæ & M. Tullius in ſermone de amicitia: Verum illud eſt quod vulgo dicitur, Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit. Huc pertinet illud quoque Sophoclis in Oedipo:

> Χρόνος δίκαιον ἄνδρα δείκνυσιν μόνος,
> Κακὸν δὲ κἂν ἐν ἡμέρᾳ γνοίης μιᾷ.
>
> Id eſt:
>
> Mora temporis probum arguit tantum virum:
> Ad improbum vel unico agnoſas die.

Huc pertinet etiam ille ſenarius proverbialis:

> Ἠθῶν δὲ καὶ βασανιστής ἐστιν ἀνθρώποις χρόνος.
>
> Id eſt,
>
> Nota morum & index tempus eſt mortalibus.

Idem admonet illud Epicharmi.

> Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν.
>
> Id eſt,
>
> Sobrius ſis, ac memineris nemini confidere.

Verſus integer refertur apud Ciceronem libr. epiſt. ad Atticum primo, Atque ita tamen novis amicitiis implicati ſumus ut crebro mihi vafer ille Siculus inſuſurret Epicharmi cantilenam illam ſuam.

> Νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Sic enim carmen trochaicum è veſtigiis codicum reſtituimus, ne quis temere depravet. Nam quod νᾶφε dixit pro νῆφε & μέμνασο pro μέμνησο Dorica ea proprietas eſt. Cicero in libello de petitione conſulatus. Quamobrem Epicharmion illud teneto, nervos atque artus eſſe ſapientiæ, non temere credere.

> Idem illud Euripidis in Helena.
>
> —— Σώφρονος δ' ἀπιστίας
> Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς.
>
> Id eſt:
>
> —— Prudente diffidentia
> Haud alia res utilior eſt mortalibus.

Invenio citatum mutilatum ad hunc modum,

> Ἁλῶν μέδιμνον καταφαγών.
>
> Id eſt,
>
> Modium ſalis poſtquam ederis.

Quo quidem licebit uti ſi dicas, Vide quid agas, qui tua arcana credas illi, nondum ἁλῶν μέδιμνον καταφαγών, Aut ſic, Tum demum illi fidas ἁλῶν μέδιμνον καταφαγών. Eſt autem jambicus dimeter, ex Poeta quopiam, ſicuti conjicio, ſumptus.

Oleum in auricula ferre.

Oleum in auricula ferre, eſt apud Martialem. Quo loco mihi non ſatis facit interpres Domitius Calderinus, vir alioqui probe doctus. Nam poeta taxare videtur hominem rigida ſupinaque aure: id quod etiam Græci notant, ὦτ' ὀρθὰ ἔχων, ἀντὶ τοῦ ἄνω τὰ ὦτα ἔχων, id eſt, ſublimem & ſupinam aurem habens. Carmen Martialis eſt hujuſmodi:

> Narratur quidam belle dixiſſe Marulle:
> Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Porro ut in problematibus ſcripſit Ariſtot. aures aqua infuſa offenduntur oleo non item. Quin ſi forte aqua in aurem inciderit, oleo infuſo medemur, dum lubrica facta aure, aqua defluit. Proinde & urinatores oleum auribus inſtillare conſueverunt, quo minus aqua lædantur. Hinc itaque videtur natum adagium: nempe à geſtu eorum, quibus eſt aliquid liquoris infuſum: quod ne effluat aurē ſupinant, quaſi averſantes ac faſtidientes audire. Neque tamen negaverim poſſe referri ad aſſentatores, qui velut oleum in aurem inſtillant, dum jucunda loquuntur magis quam ſalutaria. Cui diverſum eſt illud Perſianum:

> Auriculas teneras mordaci radere vero.

Huc igitur pertinebit & illud Evangelicum, de venditoribus olei. Verum cui placet hic ſenſus poſterior, In auriculam, accuſandi caſu legat oportet. Quod quoniam & proverbii ſpeciem præ ſe gerit, & vulgo jactatum, Martialis indicat, non exiſtimavi prætereundum.

Ab Etcobutadis ducit genus.

Ἐξ Ἐτεοβουταδῶν ἕλκει τὸ γένος, id eſt, Ab Eteobutadis ducit genus. Dici ſolitum de iis, qui majoribus illuſtribus & antiqua nobilitate ſunt oriundi: videlicet a Buto quopiam, qui ſacerdotes Athenis inſtituit. Et ab hujus poſteris poſtea ſummi magiſtratus creabantur. Venuſtus erit, ſi per ironiam ſumatur in hominem obſcurum, aut nobilitatis & imaginum oſtentatorem.

Ne intra veſtibulum quidem.

Οὐδ' ἐν προθύροις, id eſt, Ne intra veſtibulum quidem. In tumidos, feroces & inſolentes dici ſolitum, qui procul omnes a ſeſe ſubmovent. Lex erat Athenis, ut homicidio contaminati extra ſepta ſacrorum conſiſterent. Siquidem prima magnarum atria ſolent patere quibuslibet. Ad hunc morem adagium videtur alludere.

Aut minus animi, aut plus potentia.

Ἢ φρονεῖν ἔλασσον, ἢ δύνασθαι μεῖζον, id eſt, Oportet aut minus animoſum eſſe, aut plus poſſe. Convenit in feroces, quorum arrogantiæ nō ſuppetant vires. Aut qui non timent irritare, quem vincere non poſſunt. φρονεῖν accipi poteſt pro ſapere: qui ſunt humili fortuna, iis multa diſſimulanda ſunt: quandoquidem quod vident perperam fieri, non queant vetare: & quod ſentiunt fieri oportere, non poſſunt efficere. Plutarchus in Laconicis tribuit Archidamo Zeuxidami filio, cum filium videret præcipitantius & inconſiderantius pugnantem cum Athenienſibus: ἢ τῇ δυνάμει πρόσθες, ἢ τοῦ φρονήματος ἄφελε, id eſt, Aut adde viribus, aut detrahe animo.

Mendax atraphaxis.

Ψευδῶν πλέα ἀτράφαξις, id eſt, Referta mendaciis atraphaxis De tumidis ac ventoſis. Atraphaxis oleris genus. quod celeriter in altum ſurgit. Latinis atriplex dicitur: aliis ni fallor, betarū generi quæ & ipſæ ſubito grandeſcunt, alioqui fatuæ. Id quod indicat & Theophraſtus in Hiſtoria plantarum, lib. 1 cap. 5. Eadem herba ab eodem lib. 7. cap. 1 recenſetur inter eas quæ celeriter proveniunt, nempe die à ſatu octavo. Eſt cauſe grandiore, ſed molli carnoſaque. Suidas admonet dictū in Cleonem qui falſo calumniaretur equites in conſilio: cui cum fides haberi videretur, dictum eſt, Ψευδατράφαξυς πλέαν οὖσαν τὴν βουλήν, id eſt, Concilium plenū eſſe mēdaci atraphaxi, quo dicto ſimul notata eſt & Cleonis in calumniādo vanitas, & populi facilitas in credendo. Eſt enim illud propriū calumniæ, è leviſſimo malo ſubito maximam excitare tragœdiam. In hanc ferme ſententiam Suidas. Adagium ſumptum eſt ex Equitibus Ariſtophanicis.

Suum cuique pulchrum.

Vide. Alia aliis placent.

Suo quiſque ſtudio gaudet.

Qui dicet aliis ſtudiis alios teneri, & unumquemque ſuo victitare quæſtu proferet illud ex eodem libro:

> Οὐ γὰρ Φαιήκεσσι μέλει βιὸς οὐδὲ φαρέτρη,
> Ἀλλ' ἱστοὶ καὶ ἐρετμὰ νεῶν, καὶ νῆες ἐῖσαι.
>
> Id eſt:
>
> Nam Phæacibus haud cordi jacula, atque pharetra.
> Sed remi, tabuliſque ratis compactilis æquis.

Affine illi: Tractant fabrilia fabri. Pindarus in Pythiis hymno decimo, καὶ γὰρ ἑτέροισιν ἑτέρων ἔρωτες ἔκνιξαν φρένας, Aliis aliarum rerum amor pupugit mentem.

Suus cuique crepitus bene olet.

Ἕκαστος αὑτοῦ τὸ βδόλον μᾶλλον γλυκὺ ἡγεῖται, id eſt, Unuſquiſque ſuum ipſius crepitum malo ſuaviorum exiſtimat, hoc eſt, nemo eſt cui ſua mala non videantur vel optima. Ariſtoteles Moralium Nicomachiorum 9. τὰ πολλὰ γὰρ οὐκ ἴσου τιμῶσιν οἱ ἔχοντες καὶ οἱ βουλόμενοι λαμβάνειν· τὰ γὰρ οἰκεῖα καὶ ἃ διδόασιν, ἑκάστοις φαίνεται πολλοῦ ἄξια, id eſt, Pleraque enim non eodem precio æſtimantur ab his qui habent, & ab his qui cupiunt accipere. Nam ſui cuique, & quæ dat videntur eſſe multi precii. Hic locus magis congruebat proverbio. Suū cuique pulchrum: ſed ea pagina jam exierat manus meas. Proverbium de crepitu ſuſpicor ab Apoſtolio è vulgi fæce hauſtum. Nōdum enim quenquam reperi, cui ſuus crepitus bene oleret. Illud verum eſt homines vehementius abhorrere ab alienis excrementis, & crepitu, quam à ſuis.

Ipſis placet.

Αὐτοῖς ἀρέσκει, id eſt, Ipſis placet. Ubi rem parum nobis probari, aut cauſam nihil ad nos pertinere ſignificamus. Terentius in Andria: Mihi non ſit veriſimile. Atqui ipſis cōmentum placet. Nōadmodum abludit ab illo, Suum cuique pulchrum. Suis cuique conſiliis, ſuæque ſententiæ blanditur. Huc pertinet illud apud Homerum frequens: εὔαδε θυμῷ, id eſt: Placuit animo. Item illud apud comicos: Sic lubitum eſt animo meo. Et apud Vergilium:

—— Diis

—Diis aliter viſum.
Plato libro De legibus tertio retulit hoc proverbium.

Pedere thus.

Βδεῖν λιβανωτόν, i. Pedere thus. Proverbii ſpeciē habet. Accommodabitur in hos, quorum & vitia placent, aut ipſis, aut aliis impendio amantibus: facit enim hoc φιλαυτία, ut unicuique ſua placeant, arrideantque, etiam ſi ſint putidiſſima. Facit item hoc amor immoderatus, ut polypus etiam Agnæ delectet Balbinum: veluti ſcripſit Horatius. Ariſtophanes in Pluto,

Οὐ λιβανωτὸν γὰρ βδέω.
Id eſt:
Non ſoleo thura pedere.

Quadrabit & in aſſentatores turpiſſima pro honeſtiſſimis laudantes.

In armis acciſſat.

Ἐν τοῖς ὅπλοις ἀκκίζεται, id eſt, In armis acciſſat. In eum qui ſibi placet, ſeſeque quaſi contemplatur in armis ſuis. Conveniet in quemvis ſibi ſtulte placentem. Refertur præter alios Etymologico. De Accone muliere, quæ ad ſpeculum inepte ſibi blandiebatur, dictum eſt alibi in proverbio, Acciſſare.

Quæ quis ipſe facit.

Ariſtoteles Rhetoricorum libro tertio, diſputans de affectibus, refert hoc dictum vulgo jactatum, ὅσα γὰρ αὐτοὶ ποιοῦσι, ταῦτα λέγεται τοῖς πέλας μὴ νεμεσᾶν, i. Nam quæ quis ipſe facit, hæc dicitur vicinis non vertere vitio. Convenit cum illo Terentiano: Homine imperito nil quicquam eſt injuſtius, qui nihil niſi quod ipſe facit, rectum putat. Sunt enim qui damnant, quicquid ipſi non poſſunt aſſequi.

Et me mater.

Idem illud quod ſequitur.

Κἄμ' ἔφαθ' ἁ μάτηρ Πολυδεύκεος ἄνδρα ἀυτεῖν.
Id eſt:
Me quoque Pollucem mea mater vincere dixit.

Cum quis anteponitur, aut æquatur iis cum quibus nullò modo conferendus eſt. Matres enim amore cæcutiunt in filios, & formoſiſſimos putant, qui ſunt deformes: fortiſſimos, qui ſunt ignaviſſimi. Porro Pollux pugil optimus fuiſſe creditur, teſte Flacco:

Caſtor gaudet equis: ovo prognatus eodem,
Pugnis.———

Teipſam laudas.

Σαυτὴν ἐπαινεῖς, id eſt, Laudas teipſam. Hemiſtichium jambicum, quod accinitur, ubi quis ſeſe laudat, ſuique tibicinem agit. Plene ſic effertur:

Σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας γύναι.
Id eſt,
Laudas teipſam mulier Aſtydamæ in modum.

Aſtydamas hiſtrio quiſpiam fuit Morſimi filius. Huic ſtatua in theatro ponenda decreta fuerat, quod in agendo Parthenæum ſeſe graviter ac ſcite geſſiſſet. Itaq; titulum ipſe conſcripſit, in quo ſuas laudes complectebatur, eumq; in concionem attulit, ut approbatu: adderetur ſtatuæ. Verum ſuffragiis populi decretum, ne moleſtus ille titulus inſcriberetur. Ea res primum comœdiæ jocis agitata poſt in proverbium abiit: ita ut nunc quoq; non in facere vulgus dictitet, malignos eſſe vicinos illi, qui ipſo laudator ſui fuerit. Recenſetur à Zenodoto. Titulus quem Aſtydamas ſtatuæ ſuæ inſcripſit, extat etiamnum apud Suidam:

Εἴθ' ἐγὼ ἐν κείνοις γενόμην, ἢ κεῖνοι ἅμ' ἡμῖν,
Οἳ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν,
Ὡς ἐπ' ἀληθείας ἐκρίθην ἀφεθεὶς παράμιλλος.
Νῦν δ' ἐν χρόνῳ προέχουσ' οἷς φθόνος οὐχ ἕπεται.

Eos verſus quoniam eleganter Latinos reddidit Conradus Goclenius, linguæ Latinæ publicus Profeſſor in Academia Lovanienſi, juvenis utriuſque linguæ ad unguem doctus, & in utroq; ſcribendi genere mirificus artifex, ſive proſam orationem malis ſive carmen, olim inter primos eruditionis proceros præcipuus habiturus, non eſt cur ego tentem aliter vertere. Latini verſus Goclenii ſunt hi:

Vixiſſent utinam mecum illi, aut inter ego illos,
Quos penes eſt linguæ ſuaviloquentis honos:
Præmia prima equidem citra certamen haberem:
Nunc adimunt in quos nil habet invidia.

Uſurpavit & Julianus in epiſtola quadam ad Baſilium: ἐπῄνεσα τὸν ἐμαυτὸν ὥσπερ Ἀστυδάμας, id eſt, Laudavi meipſum ut Aſtydamas.

Teipſum inſpice.

Μὴ τοὐμὸν, ἀλλὰ καὶ τὸ σὸν φῦλον σκόπει.
Id eſt:
Age non meum, verum & tuum inſpicito genus.

Teucer in tragœdia quapiam in Agamemnonem ſibi generis vitam probro vertentem, quod nothus eſſet, regerit hujuſmodi convicium, quod & ipſe genus duxiſſet a Cliſthene effœminato. Stultum eſt in alterum dicere, quod in te poſſit retorqueri. Adagium refertur a Plutarcho.

Patriæ fumus, igni alieno luculentior.

Proverbii faciem habet, atque ad eandem pertinet ſententiam, quod eleganter ſcripſit Lucian. in Encomio patriæ: καὶ ὁ τῆς πατρίδος αὐτῆς καπνὸς λαμπρότερος ἐφάνη τοῦ παρ' ἄλλοις πυρός, id eſt, Ac patriæ fumus luculentior homini videtur quam ignis alibi. Philoſtratus in Ariade, ἐρᾷ δὲ ὁ Θησεύς, ἀλλὰ τοῦ τῶν Ἀθηνῶν καπνοῦ, Ἀριάδνην δὲ οὔτε εἶδεν ἔτι, οὔτε ἔγνω ποτέ, id eſt, Theſeus vero amat quidem, ſed Athenarum fumum. Nam Ariadnen neque vidit adhuc, neque etiam dum cognovit. Apud Homerum, terræ natalis fumum Ulyſſes optat videre ſurgentem: unde & ductum proverbium. Sic enim legitur Odyſſ. α.

Ἱέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρώσκοντα νοῆσαι,
Ἧς γαίης.———
Id eſt:
Exoptans oculis ſurgentem cernere fumum,
Natalis terræ.———

Multi te oderunt, ſi teipſum amas.

Πολλοί σε μισήσουσιν ἂν σαυτὸν φιλῇς.
Id eſt,
Multi oderint, ſi temetipſe diligas.

Deterret à faſtu proverbium, & à philautia. Multis enim diſpliceat oportet, qui ſibi nimium placet. Contra modeſtia, præcipua favoris & benevolentiæ conciliatrix. Suidas ait, Nymphas faſtiditas à Narciſſo hoc dixiſſe quod modo retulimus. Concinit huic ſenarius ille:

Ἂν ᾖς φίλαυτος, οὐχ ἕξεις φίλους.
Id eſt:
Nemo erit amicus, ipſe ſi te ames nimis.

Nulli minus ſunt appoſiti ad mutuum amorem ac benevolentiam quam qui ſeſe vehementer amant.

Sine rivale diligere.

Sine rivale diligere dicuntur, qui ſtulte mirantur, quod nemo alius concupiſcat. Veluti ſimia catulos ſuos & miratur, & amplectitur: & indocti Poetæ ſuas nugas ſoli diligunt. Sumpta eſt allegoria ab amantibus, quibus eſt amica deformis, & quam alius nemo velit. Extat adagium in Epiſtolis Auſonianis. M. Tullius ad Atticum libro 6. Hujus nebulonis oratione ſi Brutus moveri poteſt, licebit eum ſolus ames, me æmulum non habebis. Item lib. ad Qu. fratr. O dii, quam ineptus, quam ſe ipſe amans, ſine rivali. Horatius in arte Poetica:

Nullum ultra verbum aut operam ſumebat inanem.
Quin ſine rivali teque & tua ſolus amares.

EX APPEND. ERASMI.

Cenſor bonus, clemens laniſta.

Ironiæ proverbiales in eos, qui audacter & arroganter de quibuſvis rebus ſentiendi, judicandi, eaſque inter ſe comparandi authoritatem ſibi ſumunt. Cic. Nam ut rejectio facta eſt clamoribus maximis, cum accuſator tanquam cenſor bonus, homines nequiſſimos rejiceret: reus tanquam clemens laniſta, frugaliſſimū quemque ſecernit. Loquitur de Clodio accuſato. Ut autem cenſorum eſt, homines nequam & improbos è Senatu ejicere: ita laniſtarū, id eſt, eorum qui gladiatoribus domini ſunt, & magiſtri, gladiatores, familias in ludo exercere & locare.

IVNII. *Scruta laudat ſcrutarius.*

Alieni præconii, & quidem indigni notam habet proverbium quo Lucilius in Satyris uſus fuit.

Quidni? ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius laudat.

Non eget aliena commendatione virtus, fortunæ prorſus ſecura, nil opis externæ cupiens, non indiga laudis, ut cecinit Claudianus: & Plauto teſte, facile emptorem reperit merx proba: at vino non vendibili hederæ mangonium quæritur. Quando itaque improbum, maleque feriatum hominem commentari ſcimus, adagii uſus eleganter quadrabit. Sunt autem ſcruta, viles nulliuſque penſi merces cujuſmodi pueris venales à proxenetis empritare ſolem*: de quibus Sidonius Apollinaris lenſit libr. 7. epiſt. Nunc quædam frivola, nunc ludo apta virgineo ſcruta donabat, quam Baptiſta Pius ibi ſcrota legit, ſed vocabuli inventu rari rudis: quanquam Lucilius ipſe apud Gellium lib. 3. clare ſatis aperiat, quænam vocet Scruta his verſibus,

Quidni? ſcruta quidem ut vendat ſcrutarius, laudat,
Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbus dimidiatam.

A quo verbo, Scrutariam facere, dixit Apuleius, de furibus, qui vilia parviq; momenti ſubripiunt. Sunt enim ait: Timidicule per balneas & aniles cellulas raptantes: ſcrutariam facitis. Quo loco Beroaldus parum ſcite ſcrutariam a ſcrutando & perquirendo deducit, de ſcrutis ne per ſomnium quidem memor. Addam & ego meam conjecturam Scrutarium eundem eſſe arbitror, quem γρυτοπώλην Ariſtophanis ſcholiaſtes dici annotat, qui γρύτην (ſic λεπτὰ σκεύη interpretantur, hoc eſt minutula & futilia vaſcula) vendat, ut grutarius forte tranſcriptione in ſcrutarium exierit & grutaria ſcruta.

Qui

Qui celocem regere nequit, onerariam petit.

Competit in eum, qui majora aggreditur quam ferre valeant humeri. Citatur ex Apuleio in libro De republic. his verbis: Qui celocem regere nequit: onerariam petit. Celox navigium eſt breve, à celeritate qua pollet, nomen habens: annotaria gravis eſt & tarda de onere cui ferendo accommoda eſt. Celocem facili momento quis regat & impellat: majori arte ac labore in agendo onerariis opus eſt. Non abludit hinc Syllæ dictum, inſultantis Marii junioris conſulis capiti, quod memorat libro primo Appianus: ἐρέτην δεῖ πρότερον γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν, id eſt: Remigem prius eſſe oportet, quam tractando gubernaculo manum admoveas.

Telephus è perula.

Τήλεφος ἐκ πηριδίου, Telephus e perula dici apparet in hominem tenui fortuna, ſed propter nomen aſcititium præclarum, magnos ſibi ſumentem ſpiritus: veluti ſi quis Caroli nomine ſibi placeat, quod illud Imperatoris maximi decantatiſſimum ſit nomen. Ariſtophanes, καί τοι πρότερον γ' ἦσθα πτωχὸς, Τήλεφος εἶναι φάσκων ἐκ πηριδίου. id eſt, Atqui ante mendicabas, Telephum te eſſe prædicans è perula ſcilicet. Fuit enim is Telephus mendicus, ſtipem quæritans manticam circumferens. Sunt qui referant hoc ad Telephum Myſorum regem, ab Achille haſta vulneratum: de quo etiam Horatii illud ex arte Poetica exponunt quidam,

Telephus & Peleus quum pauper & exul uterque.

cujus in Acharnenſibus meminit Ariſtophan. Myſi nominatim, ejuſque ῥάκια, hoc eſt, obſoletas plagulas dari alteri poſtulat Euripides.

Delphinum patina non capit.

Οὐδὲ λεκάνη τὸν δελφῖνα χωρεῖ, id eſt, Non capit Delphinum lanx eſcaria, Dictum fuit arrogans, Græci ſupercilii plenum, Amphicratis Athenienſis rhetoris, qui Seleuciam Tigranis regiam veniens profugus, rogatus ab oppidanis ut oratoriæ artis poſſeſſionem illic ſuſciperet, indignanter eos rejecit dicterio, haud dubie faſtus indice, ὡς οὐδὲ λεκάνη τὸν δελφῖνα χωροίη, hoc eſt, quod neq; patina delphinum caperet, reſpuens eos velut indignos, qui tãti oratoris vocem audirẽt. Delphin piſcis cetaceus, ac proinde magna mole corporis, ut omn. cetaceorum genus, major eſt, quam ut lance aut catino contineatur. Transferri poteſt ad ingenium, quod tenue & vile altiſſimorum myſteriorum & reconditarum diſciplinarum capax non eſt: ad perſonam, ut ſi quis dicat Eraſmum majorem fuiſſe quam qui in patria a Muſis aliena & viri doctrinam æſtimare nequeunte obſoleſceret, nimirum lanxilla Delphinum non capiebat. Extat autem dictum alibi apud Plutarchum in Lucullo.

COGNATI. *Non reſpondet opinioni calculus.*

Juſtinianus in ſuis Inſtitutionibus, titul. Quibus ex cauſis manumittere non licet: Sæpe enim (inquit) de facultatibus ſuis amplius, quam in iis eſt, ſperant homines. Et ſane ea eſt hominum philautia, ut unicuique ſua facile quam maxima videantur, & plus ſæpe ſit in opinione, quam calculo. Franciſcus Balduinus in eundem Juſtiniani locum: Sed ubi in ea re (inquit) precavimus, ſic errore opinionis, non quidem elevantis, ſed minuentis centum, qui major eſt, ſed potius extollentis minorem. & ita liberaliter magnificantis, ut plerumque non reſpondeat opinioni calculus.

Omnes fallimur.

Catullus ad Varum de Suffeno.

Nimirum idem omnes fallimur, neque eſt quiſquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poſſis. Suus cuique attributus eſt error.
Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.

In φιλαύτους, & ſibiipſis placentes.

Suffenus.

In arrogantem, & confidenter de ſe loquentem.

Sua cuique chara patria.

Quam ſit ſua cuique chara patria, Euripides in Hippolyto & in Medea oſtendit, ubi ſic domum, patriamque conjunxit: ὦ πατρὶς, ὦ δώματ' ἐμά, & paulo poſt, μέγιστον οὐκ ἄλλο ὑπεροῦ ἢ γῆς πατρῴας στερεῖν.

POTENTES.

ERASMI. *In omnia potentes.*

In eos qui plurimum poſſint vel nocere vel prodeſſe, quadrabit illud Heſiodi,

Ἐν τοῖς τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθοῖό τε κακοῖό τε.

Ideſt:

Eſt enim in his pariter ſic à ſumma boniq; malique.

Quod quidem à Poeta de iis dictum, accommodare licebit vel in hominem, cujus ſumma ſit autoritas: vel in rem, quæ plurimum habeat momenti, veluti in principem, aut vehementer gratioſum, ſive in pecuniam per jocum, vel in literas ac virtutes ſerio.

Nutu ac renutu.

Cui ſummam potentiam adſcribimus, ejus nutu ac renutu cuncta geri dicimus Multum eſt, verbo efficere quod velis: at plus eſt, idem efficere nutu ac renutu. M. Tullius actione in Verrem; Niſi ad nutum tuum præſto fuerit, niſi libidini tuæ cupiditatique paruerit. Idem pro Cæcinna: An certius quicquam objici poteſt, quam quod is cui objicitur, ne nutu quidem infirmare conetur: Item contra Rullum: Tamen omnes vobis pecunias ad nutum veſtrum penderent. Idem Epiſt famil. lib. 11. Interfecto enim rege, regios omneis nutus tuemur. Rurſus lib. 13 epiſt. 1. Nec dubitat, quin ego a te nutu hoc conſequi poſſim. In eodem ad Silium proprætorem: Ut libentiſſimis Græcis, nutu quod velis conſequare. Plinius lib. Epiſt. 1 ad Octavium Rufum indicat eſſe ſumptum ex Homero, qui fingit Jovem ſolo nutu probare aut reiicere hominum vota. Verba Plinii aſſcribã: Vide in quo me faſtigio collocaveris, quum mihi idem poteſtatis idemque regni dederis, quod Homerus Jovi optimo maximo,

τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.

Preces armatæ.

Idem lib 9. epiſt. cujus initium, Tuas 11. cal. προσαναγκαστικὴν appellat, ſuaſionem cum neceſſitate vique conjunctam. Quales ſunt principum preces, id quod eleganter Ovidius expreſſit in Jove.

—Precibuſque minas regaliter addit.

Ciceronis verba ſubſcribam: Ego autem non tam γοητείαν hujus timeo quam προσαναγκαστικήν. αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, inquit Plato, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν, id eſt, Nõ tam fucos hujus timeo, quam parendi neceſſitatem: nam tyrannorum preces, ut ait Plato, ſcis neceſſitati admixtas eſſe. Extat & ille minus celebris.

Cogit rogando qui rogat potentior.

IUNII. *Annum in menſem contrahit.*

De imperioſo homine, quique in republic. omnem paginam, omneſque partes ſibi ſumit, pro arbitrio ſtatuens atq; immutans quicquid lubitum eſt. aptiſſime effertur ſenarius ille Philippidæ comici, quem in Demetrio citat Plutarchus.

Ὁ τὸν ἐνιαυτὸν συντεμὼν εἰς μῆν' ἕνα.

Id eſt:

Annum integrum qui contraxit in menſem unicum.

Natum a Stratocle Athenienſi, qui Demetrio victori adulans decreto ſanxit, ut Martium menſem, Novembrem dici ſciſcerent, ut myſteria Jacchi, quæ hoc menſe cum ſtatis nundinis celebrari ſolebant, Martio menſe fierent, jam Novembris agnomen adepto, in gratiam Demetrii. Qui ergo ordinem conſuetum in rebus pro lubitu commutat, ſcite dicetur. Annum in menſem cõtrahere. Videtur & non male quadrare poſſe in abbreviatorem, qui prolixe & ad faſtidium uſque multis libris conſcripta, in compendium contrahit: quomodo operoſam & prælongam Trogi Pompeii hiſtoriam in epitomen concinnam redegit Juſtinus.

Valet ima ſummis mutare.

Per hoc ſummam Dei potentiam intelligimus. Idem Od. 34. libr. I.

Valet ima ſummis
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens, &c.

Illi cognatum: Θεὸς τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινοῖ, καὶ τὰ ταπεινὰ ὑψηλοῖ. Qui poteſt ea quæ ſunt humilia & infima, ſumma efficere: & contra. Simile eſt in limine Heſiodi legere, ἔργ. καὶ ἡμέρ.

COGNATI. *Χαρωνῖται, ſive Orcini.*

Videntur Latini Charonem, portitorem inferorum, appellaſſe orcum. Unde Plutarchus & Suetonius χαρωνίτας ſive orcinos appellant turbam illam novorum ſenatorum, qui poſt necem Cæſaris, fraude Antonii in ſenatum irruperant, & Romaniſque hominibus illis nominibus deſpicerent. Plutarchus in Antonio commemorat accepiſſe Antonium interfecti Cæſaris commentarios, & ex eorum authoritate (nam iis quæ voluerat, aſcripſerat) ſe aliis magiſtrat⁹ tribuere ſimulabat, alios ab exilio revocare, alios vinculis liberare: πολλοὺς δὲ βουλευτὰς, ἐνίους δὲ ἀρχὰς τῷ Καίσαρι δοκεῖν... ἐπιγεγραμμένους ... διὸ τούτους ἅπαντας ἐπιχλευάζοντες οἱ Ῥωμαῖοι, χαρωνίτας ἐκάλουν, ἐλεγχόμενοι γὰρ εἰς τὰ τοῦ νεκροῦ κατέφευγον ὑπομνήματα. Proinde jocantes Romani Charonitas appellabant, quod ſi quid illis eſſet objectum, ad mortui confugerent commentarios. Suetonius in Auguſto: Senatorũ affluentem numerum deformi & inconditæ turba. Erant enim ſuper mille & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium allecti, quos Orcinos vulgus vocabat, ad modum priſtinum & ſplendorem redegit.

Dii

Dii poetici ſive vulgares, hodie Gallis dicuntur heroes, & dynaſtę, qui etiam de loco in locum migrant, comeſſentur, amāt: quorum caput eſt Papa: humeri quib. caput incumbit, ſunt patres purpurati ſive Cardinales: pedes, qui munera obeunt, ſunt monachi; & infimi ordinis ſacerdotes. Horum autem Synagoga non habet hodie decorem, & proportionem priſcam. Sed ſurſum deorſim, ut dicitur omnia in ea conſtituta ſunt. Indigni dignitatibus prædıti ſunt, & ſummo loco: digni in imis ſubſelliis conſenſerunt. Caput enim & primarii ordines tam præpoſtere conſtituti ſunt, ut non recte fungi officio ſuo velint. Io. Rivius in epiſtola lib. De vita & morib. Chriſt. ſcribit, Ethnicorum virtutes abſq; Dei notitia, eſſe quaſi corpus (ut ille ait) ſine capite.

Dii Stoici.

Dii Stoici contra dicuntur veri, quos Stoici membra habere negant: puta caput, ventrem præputium, hoc eſt, quod ſub ventre eſt, pedes, & reliqua.

Ubi Papa ibi Roma.

Vox omnibus protrita, imprimis Papiſtonibus. Io. Fabricius Montanus in oratione de Tridentino concilio: Scio ego, quod omnia ſua ad R. P. ceu caput referant, qui nempe ſit unus omnium inſtar, juxta vulgatum dictum, Ubi Papa, ibi univerſalis ſynodus, Sed quam falſo, quam nequiter R. P. hæc omnia ſibi uſurpet, notius eſt, quam ut probatione egeat.

Sic reges faciunt.

Jactatur & vulgo verbum hujuſmodi: Sic reges faciunt. Hoſpitalius in Franciſci Franciæ Delphini, & Mariæ Scotorum reginæ nuptias.

Non quo more ſolent humiles de plebe mariti
Expectare, plus dum mentum mollis inumbret,
Et juſtæ vigeant robuſto in corpore vires,
Sic reges faciunt. Licet illis ducere lectas
Quandocunque volunt, quacunque ætate puellas,
In numero.———

Idem in epiſt ad Margaritam regis ſororem,

Regibus & mos eſt.———

Horat. lib. 1. ſatyr 2.

Regibus mos eſt.

Convenit cum hoc: Sic viſum ſuperis. Quod ſæpe ſolitus eſt dicere clariſſimus vir Nicolaus Perrenotus Burgundus. Vide alibi, Et Theramenes cothurnus: &, Dum caput dolet, &c. Grandia autem ſcelera & atrocia à principibus perpetrari ſolent, cum pauperes ſæpius exquiſitam & abſolutam innocentiam colant.

Coryphæi.

Græci Coryphæos vocant, cujuſque ordinis capita, & principes; παρὰ τὴν κορυφὴν, hoc eſt, à vertice capitis: Hinc Latinis vertices mundi ſunt reges, imperatores, & ſummi pontifices. Cicer. in 1. De natur. deor. Philo noſter Zenonem Epicureorum coryphæū appellare ſolebant: quum Athenis eſſem, audiebā frequenter. Unde & coriphæus præſultorem & ἔξαρχον ſignificat. Budæus Philecoos Mundi vertices & ordinum honorumq; apices regunt.

Libanum in Carmelum.

Libani metaphora, ſicut Cedrorum vocabulo, intelliguntur florentia regna, fortes ac potentes principes, apud omnes fere prophetas, in primis Eſaiam c. 10 & 11 & 19. Et convertetur, ait Libanus in Carmel, & Carmel in ſylvam reputabitur, hoc eſt, qui modo excelſi ſunt, ut cedri Libani erunt ſicut arbores Carmeli, quæ ſunt humiles. Et Carmel in ſylvam reputabitur, id eſt, ii qui modo erāt humiles, ut arbores Carmel, erunt excelſi, ut arbores ſylvę Libani, qui præaltis cedris ſuis ſuperbus eſt. Hic brevi futurū eſt, ut montes & colles humilientur, valleſque humiliores attollantur. Certe quos ſurdos, intelligendoque Dei verbo minime idoneos putamus, ii tunc temporis veritatis divinæ & auditores & factores erunt, atque Chriſtum propalam confitebuntur & docebunt, tum mites, de Domino, ſibi innoteſcente magis ac magis gaudebunt. Itidem Cedrus accipitur Pſalm 29. Vox Domini confringentis cedros, &: Confringet Dominus Libani cedros, id eſt, ſublimes, excelſos, potentes, ſuperbos.

COELII RHODIGINI

Cardamo ſimilis.

In præpotentes, qui vicinos pauperculos non deſinunt exſugere, dum ad nihilum redigant. Cardamo ea eſt natura, ut herbarum in propinquo naſcentium humorem ad ſe pertrahat: quo fit, ut illas arere neceſſe ſit.

GULIELMI GENTII.

Quicquid dominatur, vim Dei habet.

Idem teſtis eſt proverbium eſſe, idq; ex authoritate Artemi doti Daldiani libr. 2. de Somniorum interpret. c. 37. & 74. Aſtronomi quoque illud confirmant, teſtantes Solem & Mercurium præ cæteris planetis propinquos aſſidue in cœleſti circuitu comites invicem eſſe, ut videlicet, quicunq; Solem ſiderum dominum viderit abſq; ſapienti mercurio in cœlo nunquam audere plane intelligat & in terris potentiam atque dominationem nunquam abſq; ſapientia vel concedi debere, vel conceſſam diu poſſe regnare.

EX APPEND. IUNII, CANTERI, & aliorum.

Domi ſuæ quilibet rex.

Quoties vulgo ſignificamus nos, quæ volumus, libere & inculpate in ædibus noſtris agere, dicimus nos domi regnum poſſidere. Eo reſpicit illud Homeri.

Αὐτὰρ ἐγὼν οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Nec ab eo abludit hoc Juvenalis,

Tu tibi liber homo, & regis conviva videris.

Transferri poteſt ad animum. Artem enim, quam quis perfecte novit, ſine imperitorum reprehenſione quivis exercere poteſt. In ſuo opere author, niſi velit, alterius limam, ſpongiam, ſtylum denique, tolerare non debet.

Σειρὰ Διὸς χρυσῆ.

Jovis catena aurea. Hactenus noſtræ ætatis neminem ex adagiorum interpretibus fuiſſe, qui explicaret τὴν ἀλληγορίαν [illegible], quæ extat apud Homerum Iliad θ. & apud Orphea in Argonauticis, mirari me fateor. Eraſmus in Convivio fabuloſo, neſcio quid innuit principes, inferiorum bona per præfractos tanquam per catenam ad ſe rapere. Mihi vero longe alind voluiſſe Homerum perſuadeo: cum hoc epiphonemate claudat concionem ſuam Jupiter.

Τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν, περί τ' εἰμ' ἀνθρώπων.

Ideſt:

Tantum ego præcello divos, præcello hominesque.

Et cum minerva reſpondeat patri, quaſi obſcuriorem orationem ejus declarans hoc carmine:

Εὖ νυ καὶ ἡμεῖς ἴδμεν ὅ τοι σθένος οὐκ ἐπιεικτόν.

Ideſt:

Novimus & robur non eſſe domabile.

Dicetur ergo Jovis catena aurea, proverbialiter de immenſa potentia, cum pari opum ſplendore, generis claritate & virtutum omnium ornamentis conjunctā, nullis caſibus obnoxia, nullis viribus humanis dejicienda per ſe munita & valida, alioſque, vel extollere, vel deprimere & attenuare potenti. Hujus explanationis primus interpres ipſe Homerus prodeat, deinde Orpheus, quamvis annis major: unde & Homerum ſumpſiſſe, conjectura non levi adducor: quippe qui originem oſtendat. Sed Homerum Jovis perſona ad cæteros deos deaſque orantem videamus.

Εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε θεοί, ἵνα εἴδετε πάντες·
Σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες,
Πάντες δ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι.
Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε,
Ζῆν' ὕπατον μήστωρ', οὐδ' εἰ μάλα πολλὰ κάμοιτε.
Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι,
Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ.
Σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
Δησαίμην, τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.

Id eſt:

Eja quid valeam divi facitote periclum.
Aurea ſublimi cœlo demiſſa catena
Pendeat: hanc omnes divi verſate deæque:
Nec tamen ex cœlo terram deducere ad imam.
Poſſitis Jovis auguſtum & tot nobile numen:
Sæpius hæc quam vis vos cura laborque fatiget.
At quoties hanc ipſe volam tractare trahendo,
Ad me ſubducam pariter, terramq; fretumq;.
Deinde catena gravis figetur vertice Olympi.
Omnia qua ſubnexa ſimul ſublimia fient.
Tanto homines ſuperoſque omnes ſupero intervallo.

Catena aurea indicat & nobilitatem generis, & opum ſplendorem: & quoniam inter metalla omnia auro virtus & dignitas præcipua: unde principibus viris catenæ aureæ familiaris geſtatio. Quod hanc cœlo ſuſpenſam omnes deos deaſque contrectare ille jubeat, ſi forte queant ſolo deprimere: tanta ſe eſſe potentia ſignificat, ut nullus eam affligere & labefactare poſſit. Quod vero ſibi proclive ait eſſe cum hac pariter terram & mare, hoc eſt univerſi naturam, in altum rapere, raptaque alligare cœlo: omnium rerum imperium penes ſe unum eſſe, & cuncta pro arbitrio ſe moderari oſtendit, & excelſa & inſignia deprimere, & (ut utar Virgiliano adagio) fundo vertere, & ima extollere, quantū & quoties libeat. Non negaverim tamen, quod monent interpretes, Homerum his verſibus Jovem omnium rerum authorem facere, & cuncta ab illo originem ducere: quod adeo non repugnat noſtræ interpretationi, ut magnopere conferat. Immenſam namq; potentiam & vires habere oportet, in quem referuntur omnia. Vertamur ad Orphei Argonautica.

Orro

Ὅσσα τ' ἔην γεγαῶτα, καὶ ὕστερα ὅσσα τελεῖται
Γίγνεται, Ζηνὸς δ' ἐνὶ γαστέρι σύρρα πέφυκε.
Ζεὺς πρῶτος γένετο, Ζεὺς ὕστατος ἀρχικέραυνος.

Id eſt:

Condita quæ ſunt cunq; & quæ condenda ſuperſunt,
Omnia ea ante Jovis in ventre catena fuerunt.
Jupiter altitonans primus fuit, ultimus idem.

Uſus proverbii erit hujuſmodi: Chriſtus morte ſua, tanquam catena Homerica, omnia ad ſe detraxit. Evangelium Chriſti ſummos infimosque tanquam deos deasque Homericas, aurea verborum catena ad ſe adduxit. Hunc hominem ſuæ eleemoſynæ, cæteræque virtutes, perinde ut catena Homeri, in cœlum ſubducent. Pauli Apoſtoli heroicæ virtutes non ſecus ac catena illa apud Homerum terræ affigi nunquam poterunt. Sed ut magis occaſionē calumniandi omnē excludam, age proferantur ex oraculo Dæmonis, citante Porphyrio ἐν λογίων φιλοσοφίας, elegantiſſima metra:

Ἄρχεαι, ἄρρητε, πατὴρ αἰώνιε μύστα,
Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐπογούμενε, δίνας ὁ νώτοις
Αἰθερίαις, ἀλκῆς ἵνα σοι μένος ἐς ὕψος τέταται,
Πάντ' ἐπιδερκόμενος, καὶ ἀκούων οὔασι καλοῖς.
Κλῦθι τεῶν παίδων, οὓς ἥρμοσας αὐτὸς ἐν ὥραις.
Σὸς γὰρ ὑπὲρ κόσμοιο, καὶ ἀστερίου ἀπερείτου
Χρυσεῖ ὑπερκρέμαται πολὺ σὸν αἰώνιος ἀλκή.
Ης ὑπὲρ ἐξώρμηκας, ὁρίνων φωτὶ σεαυτὸν.

Vides hanc Deo tribui auream poteſtatem ſuper mundum & cœlum ſtelliferum: cum voluerit ſummum & primarium imperium ea ratione, qua aurum reliqua omnia metalla dignitate antecedit, recte ſignificare?

PRÆLONGI.

ERASMI. *Coloſſi magnitudine.*

Κολοσσαῖος τὸ μέγεθος, id eſt, Coloſſea magnitudine. Proverbialis apud Lucianum hyperbole, in homines prægrandi corporis mole. A ſtatuis ingentibus, quas Coloſſos appellant. Inter has in primis celebratur ſolis Coloſſus apud Rhodios, ſeptuaginta cubitis altus: hoc eſt, juxta Feſtum Pompejum, pedes centū & quinque, cujus pollicem vix pauci potuerunt amplecti. Referuntur & alii apud Plinium prodigioſæ magnitudinis. Nam iis impendio delectabantur olim Imperatores Romani, quibus (ut videtur) magis erat cordi, maximos eſſe, quam optimos. Legimus & Ætneos dici prægrandes. De magnis ac vehementer moleſtis, qui Athones dicti ſunt, alibi meminimus, quemadmodum & Hamaxiæis.

Caliga Maximini.

Caliga Maximini, vulgo dictitatum eſt in homines inſulſos, & immodicæ proceritatis. Id adagii refert Julius Capitolinus in vita Maximi Imperatoris. Nam cum eſſet, inquiens, Maximinus pedum, ut diximus, octo & prope ſemis, calciamentum ejus, id eſt, campagium regium, quidam in luco qui eſt inter Aquileiam & Arciam poſuerunt, quod conſtat pede majus fuiſſe hominis veſtigio atque menſura. Unde etiam vulgo tractum eſt, cum de longis atque ineptis hominibus diceretur: Caliga Maximini. Hactenus Julius. Ergo proverbium rectius uſurpabitur, ſi cum odio cōtemptuve dicatur, propterea quod is Maximinus, unde natum eſſe cōſtat, inviſiſſimus eſſet pariter & populo Romano, & Senatui: quippe Thrax natione, deinde ſordido genere, poſtremo moribus barbaris ac feris. Quia etiam nunc homines inſignitæ proceritatis vulgo male audiunt, tanquam ſocordes atque inertes.

Clematis Ægyptia.

Huic confine eſt, quod à Phalereo Demetrio refertur, κληματὶς αἰγυπτία, id eſt, Clematis Ægyptia. Id ait joco dici ſolitum in eos qui corpore præter modum procero atque atro colore eſſent: natum haud dubie ab ejus herbæ ſpecie, de qua meminit Dioſc. lib. 4 Plin. lib. 24 cap. 15. Itali, inquit, centunculum vocant roſtratis foliis ab ſimilitudinem capitis pendulatum, jacens in arvis. Græci autem Clematidem appellant. Sed cum clematidis multæ ſint ſpecies, quas inibi recenſet Plin una duntaxat proverbio locū feciſſe videtur, ea nimirū quæ clematis Ægyptia cognomine dicitur. Dicitur autem quod hanc maxime gignant Ægyptus, folio lauri longo tenuique adverſus ſerpentes & privatim aſpides, ex aceto pota efficax, quæ eadem ab aliis daphnoides, ab aliis polygonoides vocatur. Laertius in vita Zenonis ex authoritate Apollonii ſcribit, Zenonem gracili fuiſſe corpore, ſtatu procero, atra cute. Deinde autorem citat Chryſippum, qui in ſecundo proverbiorum ſuorum libro ſcripſerit, ob eam cauſam à quodam clematidem Ægyptiam fuiſſe dictum.

Amens longus.

Ἀφρὼν μακρός, id eſt, Amens qui longus. Hoc eſt quod vulgo dictitant, prælongus mentem deeſſe puſillis nimium adeſſe animorum. Sumptum videtur ex Sophocle, apud quem hi verſus ſunt in Ajace flagellifero,

—Οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς
Οὐδ' εὐρύνωτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι,
Ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ.

Id eſt:

—Non enim hi
Qui porriguntur mole faſta corporis,
Latoque tergo, niti oportet maxime,
Verum mage illis, qui valent prudentia.

Videtur in eadem ferme ſententia fuiſſe Homerus. Tydeum hūgens corpore puſillo, cæterum ſtrenuum. Sic enim ait Iliad. ε.

Τυδεύς τοι μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής.

Id eſt:

Strenuus in pugna Tydeus, ſed corpore parvus.

Idem habetur in obſcœno carmine,

Utilior Tydeus, qui (ſi quid credis Homero)
Ingenio pugnax, corpore parvus erat.

Et apud Statium,

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Nullus malus magnus piſcis.

Οὐδεὶς σαπρὸς μέγας ἰχθύς.

Id eſt:

Nullus malus magnus piſcis.

Ænigma proverbiale, dici ſolitum in hominem prægrandi quidē corpore, cæterum ingenio nullo. Clearchus in commentario de proverbiis apud Athenæum lib. 8. hinc ortum ſcripſit. Stratonicus citharœdus cum Porpin vidiſſet Rhodium citharœdum ingenti corporis mole, verum arte non perinde magnum, percunctantibus quibuſdam quiſnam is eſſet, hunc ad modum reſpondit: οὐδεὶς σαπρὸς, μέγας, ἰχθύς, ancipiti dicto ſignificans illū nullū. i. nullius eſſe precii, malum & improbum magnum corpore, denique piſcem, quia mutus eſſet & infacundus, ac male canorus. Theophraſtus De riſu, fatetur dictum quidem eſſe à Statonico, ſed non in Porpin, verum in Simylam hiſtrionem, μέγας οὐδείς, σαπρός, ἰχθύς, id eſt, Nullus, magnus, putris piſcis. Sed elegantius quod retulit Clearchus, propter Amphibologiam non invenuſtam. Ariſtoteles in eodem mox loco apud Athenæum ſuper hoc adagio fabulam hujuſmodi refert, in repub. Naxiorum. Apud Naxios locupletes quidem plerique urbem habitabant, cæteri vero ſparſi per vicos agebant. In quodam itaq; vico, cui nomen Leſtadæ, Telegoras habitabat prædivis ac nobilis, multæque apud plebem autoritatis. cui cum alii complures honores habebantur, tum præcipue muneribus quotidianis civium honorabatur adeo ut qui vendebant, ſi quis minoris licetetur quam vellent, dicere ſoliti ſint, ſe malle dono dare Telegoræ, quam tanti vendere. Quidam igitur adoleſcentes cum piſcem ingentē licitarentur, ac piſcator ex more diceret, ſe malle Telegoræ dono mittere, quam tanti vendere, moleſte ferentes eadem audire toties, ſimulata benevolentia ad Telegorā adduxerunt emptum piſcem. Quem cum ille libenter recepiſſet, tum ipſum adorti ſunt, tum filias jam nubiles cōſtuprarunt. Quod factum, indigne ferentes Naxii, arreptis armis invadere conati ſunt adoleſcentes, tantaque hinc orta ſeditio, ut Lygdamis hujus tumultus præfectus, poſt arrepta tyrannide patriam oppreſſerit. Hactenus Ariſtoteles. At hæc non video quid ad proverbium faciant, niſi duo faciamus proverbia: quorum hoc poſterius ſic efferatur. Citius Telegoræ donārim, quam tanti vendam. Nam Athenæus indicat, Ariſtotelem de proverbio diſſeruiſſe. Videtur eſſe ſenarius, ſed inverſo dictionum ordine perturbatus. Conſtabit, ſi legas οὐδεὶς ἰχθὺς σαπρός.

Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem.

Divus Hieronymus in epiſtola quadā, citat hujuſmodi proverbium apud Græcos celebratum: Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem. Quanquam fatetur id elegantius ſonare Græce quā Latine. Græcus autem ſenarius extat apud Græcos hujuſmodi,

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

Id eſt.

Subtile pectus venter obeſus non parit.

Refert & Galenus contra Thraſybulum, velut vulgo jactatum: καὶ τοῦτο πάλιν τῶν πάνυ παλαιῶν ἀνθρώπων ᾄδεται διὰ παντὸς ὑπὸ ἀληθεστάτου, ὡς γαστὴρ ἡ παχεῖα τὸν νοῦν οὐ τίκτει τὸν λεπτόν, id eſt, Et hoc ab omnibus prope hominibus canitur, eo quod omnium veriſſimum eſt, quod venter obeſus non gignit mentem ſubtilem. Apud Lacedæmonios infame erat, ſi quis corpore fuiſſet vehementer obeſo. Agatharchides apud Athenæum lib. 12. refert Anchidem ob delicias ſupra modum corpulentum, inconcionem adductum fuiſſe, atq; illic à Lyſandro vehementer objurgatum, minimumq; abſuiſſe quin in exilium ageretur: idq; futurum minitatos Lacedæmonios, ni vitam frugalius inſtitueret. Et ibidem Menander de quodam obeſo loquitur: παχὺς γὰρ ὗς ἔκειτ' ἐπὶ στόμα. i. Obeſus etenim ſus premebat os viri. Admonet adagiū, luxu corporis hebeteſcere mentis aciem. Quemadmodum ſcribit etiam Horatius,

—Nam corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat ipſum;
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Plutarch. apud Gellium oſtendit pueros multo paſtu ſtupidiorēs ac tardioris ingenii evadere.

Puſillus quantus Molon.

Μικρὸς ἡλίκος Μόλων, id eſt, Puſillus ut Molon. De vehementer brevi ſtatura corporis homuncionibus. Suidas oſtendit duos fuiſſe Melones, nata ſicuti conjicio, corporis brevitate: quorum alter hiſtrio fuerit, alter fur, honeſti ſcilicet quæſtus uterque,

PRÆTER SPEM BONVM AVT malum.

ERASMI. *Coturnix Herculem.*

Ὄρτυξ ἔσωσεν Ἡρακλῆ τὸν καρτερόν.

Id eſt:

Servavit Herculem coturnix ſtrenuum.

Senarius eſt Græcis proverbii vice celebratus, quem tamen Zenodotus negat apud ullum veterum ſcriptorum inveniri: cæterum dici ſolitum de his, qui in periculo ſervati eſſent ab his, a quibus minime ſperarant. Adagionis originem ad hujuſmodi fabulam referunt: Coturnicem quandam Herculi in deliciis fuiſſe, cujus nidore cum viva incenderetur, ille mortuus ſit in vitam reſtitutus. Meminit hujus fabulæ Athenæus quoque libro nono, ſcribens Herculem Jovis & Aſteriæ filium in Lybiam proficiſcentem a Typhone fuiſſe interemptum: revocatum autem in vitam odore coturnicis, illi ab Jolao admotæ, & ob eam cauſam Phœnices Herculi coturnice ſacrificare.

Faciunt & ſphaceli immunitatem.

Καὶ σφακέλου ποιοῦσιν ἀτέλειαν, i. Faciunt & ſphaceli immunitatem. Athenis celebratum proverbium de his, qui quovis prætextu quod volunt aſſequuntur, Natum ajunt ab eventu hujuſmodi. Piſiſtratus tyrannus decimas exigebat ab Athenienſibus, eorũ quæ in agris proveniſſent. Itaque cum aliquando obambularet, videretq. ſenem quendam in ſaxis quibuſdam, hoc eſt, loco petricoſo laborantem, rogabat quoſnam fructus inde colligeret. At is reſpondens: Dolores, inquit, & ſphacelos: atque horum decimas exigit Piſiſtratus. Porro tyrannus admiratus hominis libertatem decimas Athenienſibus remiſit. Ea res in vulgi ſermonem abiit, etiam ſphacelos immunitatem parere. Sphacelus autem morbi genus eſt, quod ex immodica defatigatione ſolet accidere. Quidã putant eſſe tormina articulorum, quidam oſſium tabem. Theophraſtus lib. De cauſis plantarum 5. demonſtrat & plantarum radicibus vitium accidere, quod ab hominum morbo *σφακελισμὸς* appelletur. Adagium recenſetur a Suida. Heſychius indicat, quemlibet dolorem gravem, ſphacelum dici.

Omnia ſecunda, ſaltat ſenex.

Omnia ſecunda, ſaltat ſenex. Jocus proverbialis, quo conveniet uti, quoties res prius in periculum adducta, præter expectationem feliciter exierit. Servius enarrans illum Maronis verſiculum ex tertio Æneid lib.

Luſtramurque Jovi votiſque incendimus aras:

adagium refert, explicatq; his verbis. Sciendum ſane moris fuiſſe, ut piaculo commiſſo, ludi celebrarentur. Nam cum iracundia matris deûm Romani laborarent, & eam nec ſacrificiis nec ludis placare poſſent, quidam ſenex ſtatis ludis Circenſibus ſaltavit: quæ ſola fuit cauſa placationis. Unde & natum proverbium. Omnia ſecunda, ſaltat ſenex. Idem Servius explicans locum ejuſdem poëtæ in Æneid. 8.

Ut celſas videre rateis, atque inter opacum
Allabi nemus, & tacitis incumbere remis,
Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis
Conſurgunt menſis, audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat.

Cum aliquando, inquit, Romæ ludi Circenſes Apollini celebrarentur, & Hannibal nunciatus eſſet citra portam Collinam ingruere, omnes raptis armis concurrunt. Reverſi poſtea cum piaculum formidarent, invenerunt ſaltantem in circo ſenem quendam: qui cum interrogatus, dixiſſet ſe non interrupiſſe ſaltationem, dictum eſt hoc proverbium: Salva res ſaltante ſene. Verrius apud Feſtum Pompejum hujuſmodi fabulam adfert. C. Sulpitio, & C. Fulvio conſulibus M. Calpurnio Piſone Prætore urbis, faciente ludos, ſubito nunciato hoſtium adventu, è foro ad arma concurſum eſt. Sed poſtquam victores rediſſent in theatrum, ne ludi intermiſſi religionem adferrent, & inſtaurari oportere dicerent, inventum eſt ibi C. Pomponium libertinum, hominem grandem natu, ad tibicinem ſaltaſſe. Itaq; gaudio non interruptæ religionis æditam vocem, nunc quoq; celebrari. Sunt qui C. Volumnium arbitrentur appellatum fuiſſe, qui ad tibicinem ſaltârit. Meminit hujus & T. Livius alicubi, ni me fallit memoria. Huic finitimum eſt illud quod alio diximus loco, *γλαὺξ ἵπταται*, id eſt, Noctua volavit. Ariſtophanes in Veſpis.

Γλαὺξ γὰρ ἡμῶν πρὶν μάχεσθαι τὸ στρατὸν διέπτατο.

Id eſt:

Noſtra enim ante prælium ulula provocavit agmina.

Significat victoriam non virtute militum, ſed Minervæ dexteritate contigiſſe.

Homo homini Deus.

Non admodũ hinc abludit & illud *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*. id eſt, Homo homini Deus. quod dici ſolet de eo, qui ſubitam atque inſperatam attulit ſalutem, aut qui magno quopiam beneficio juvit. Antiquitas enim nihil aliud exiſtimabat eſſe Deum, quam prodeſſe mortalibus. Unde frugum, vini, legum autores, & quicunque ad vitæ commoditatem aliquid attuliſſet, eos pro diis habebat antiquitas: adeo, ut & beluas quoſdam pro numinib. coluerit: velut apud Ægyptios ciconiam, quod ſerpentes, qui certo anni tempore ex Arabicis paludib. ſubvolant, obviam profecta arcere conficereq; credatur: apud Romanos anſerem, quod Capitolinam arcem, expergefactis clangore cuſtodibus, ab irruptione Gallorum ſervârit. Quod indicat M. Tullius, cum lib. De natura deorum primo ſcribit: Concludam beluas à Barbaris propter beneficium cõſecratas. Quin & autore Prodico Chio, corpora quædam inanima pro diis habita ſunt, velut Sol, Luna, Aqua, Terra, quod ad vitam conducere viderentur, quodque horum commoditate mortalis majorem in modum delectarentur. Scythæ, quemadmodum in Toxaride teſtatur Lucianus, per ventum & gladiũ, tanquam per deos jurant: propterea quod ille ſpirandi ſit autor, hic mortis. Sed quoniam, ut inquit Cic. Plurima homini ab homine vel commoda, vel incommoda ſolent oriri, & Dei proprium eſt vel ſervare, vel benefacere: idcirco qui in gravi periculo ſuccurrit, quive ingenti quopiam afficit beneficio, quoniam Dei quaſi vice fungitur, ei cui prodeſt. Deus dicitur, extitiſſe. Huic adſtipulatur illa ſolennis apud Homerum atq; Heſiodum clauſula.

——*Θεοὶ δωτῆρες ἐάων.*

Id eſt:

——Dii bonorum largitores.

Et quod ait Strabo lib. 10. Recte dictũ eſt, mortales tunc maxime deos imitari, cum benefici ſunt. idem libro decimoſeptimò tradit, Ægyptios quoſdam duplicem facere deum: immortalem, qui rerum omnium ſit autor, & mortalem ignoti nominis: tum à quib[9] beneficio ſint affecti, eos ferme pro diis colunt. Præterea vulgo quoque, in rebus perplexis ac deſperatis, aut ancipiti periculo ſervantur, a Deo quopiam ajunt ſeſe ſervatos. Horatius.

——*Sic me ſervavit Apollo.*

Rurſum in Odis, in bello per Mercurium, & iterum ab arboris ictu ſeſe Fauni ope ſervatum ſcribit. Eodem alluſit Juvenalis, cum ait,

Quadraginta tibi ſi quis Deus aut ſimilis diis,
Et melior fatis donaret homuncio.——

Item Virgilius in Tityro,

O Melibœe, Deus nobis hæc ocia fecit.
Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.

Deinde reddit cauſam, quare ſit Cæſarem loco numinis habiturus, beneficium ſubtexens.

Ille meas errare boves, ut cernis, & ipſum
Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

Plinius Secundus lib. Naturalis hiſtoriæ 2. manifeſtius Græcam *παροιμίαν* indicavit, ſed tam impie ſentiens de diis, quam paulo poſt de animarum immortalitate, deque corporum reſurrectione deſipienter. Nam cum & multitudinem deorum irriſiſſet, & unũ illi ſummo, quem aut mundum hunc, aut naturam neſcio quam eſſe putat, prorſus ademiſſet curam mortalium: Deus eſt, inquit, mortali juvare mortalem. Et hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres fere Romani, hac nũc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens: hic eſt vetuſtiſſimus referendi bene merentib. gratiã mos, ut tales muneribus adſcribant. Quippe & omnium aliorum nomina deorum, & quæ ſupra ſiderum retuli, ex hominum nata ſunt meritis, Hactenus Plinius.

Ovidius:

Conveniens homini eſt hominem ſervare voluptas,
Et melius nulla quæritur arte favor.

Plutarchus in commentario, quem inſcripſit adverſus Principem indoctum, negat deos hoc nomine felices eſſe, quod quã diutiſſime vivant, ſed quod virtutis ſint Principes & authores. Porro Paulus virtutum ſummam ad charitatem refert: charitatem autem in eo ſitam, ut de quam plurimis quam optime mereamur. Huc reſpexit Gregorius Nazianzenus in oratione De cura pauperum: Fias inquit, ærumnoſo Deus miſericordiam Dei imitando: nihil enim æque divinum habet homo, ac beneficentiam. Quanquam autem apud Chriſtianos Dei appellatio non eſt ulli mortalium vel per jocum communicanda, neq; omnino tam inſignis, tamque fœda adulatio eſt in mores noſtros recipienda: tamen fieri poteſt, ut hujus adagii ſit uſus neque improbus, neq; inconcinnus, ſi quis hoc modo dicat: Cum tantis malis premerer, ut nemo mortaliũ aut vellet aut poſſet opitulari, tu unus mihi præter ſpem extitiſti, tuoq; beneficio me non ſervaſti modo periturum alioqui, verumetiam ornatiorem aliquanto feciſti quam antea fuerim, ut aut omnino nuſquam, aut in nobis certe duobus, locum habeat verum illud Græcorum adagium, *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*. Aut hoc modo: Literis debeo omnia, etiam vitam: ſed ipſas tibi debeo literas, qui mihi tua liberalitate ſuppeditas, alíſq; ocium meũ. Quid autem eſt quod Græci dicunt, *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*, ſi hoc nõ eſt? Aut hoc pacto: Qui mediocri beneficio juvat, ſit ſane amic[9] verum qui arte ſua, ſingularíq. cura atq; induſtria vitam jamjam fugientem retinet, ac reſtituit, id quod utique facit medicus, quid aliud eſt eſt, quam quod Græci dictitant, *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*, Aut ſic. Eum in locum res erat deducta, ut ne ipſa quidem ſalus poſſet auxiliari. Ibi tu mihi veluti præſens quoddam numen extitiſti, & mira celeritate depulſis incommodis, in priſtinum locum reſtituiſti, nec ſperantem, nec expectantem, ut intelligerem illud non temere dictum a Græcis, *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*. Aut ſic: In reliquis quidem rebus mihi ſemper amiciſſimus fuiſti: in hac vero cauſa non amiciſſimus modo, verum etiam pene dixerim Græci dicunt, *ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον*.

Deus,

Deus ex improviſo apparens.

Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς ἐπιφανείς, id eſt, Deus ex improviſo apparens. In eos dicitur, quibus in rebus perplexis præter ſpem exoritur aliquis qui ſalutem adferat negociique difficultatem expediat. Sumptum eſt à conſuetudine tragœdiarum, in quarum pleriſque machinis quibuſdam Deus aliquis oſtendebatur: idque non in ſcena ipſa, ſed è ſublimi, qui repente commutatis rebus fabulæ finem imponeret. Id quod teſtatur & M. Tullius lib. De natura deorum primo, ut cum ſic ait: Quod quia quemadmodum natura efficere ſine aliqua mente poſſit, non videtis, ut tragici poetæ, cum explicare argumenti exitum non poteſtis, confugitis ad Deũ: cujus operam profecto non deſideraretis, ſi immenſam & interminatam in omneis partes magnitudinem regionum videretis. Nec dubiũ eſt, quin Tullius imitat' hic ſit illud ex Platonis Cratylo: εἰ μὴ ἄρα δή, ὥσπερ οἱ τραγῳδοποιοὶ ἐπειδάν τι ἀπορῶσιν, ἐπὶ τὰς μηχανὰς καταφεύγουσι θεοὺς αἴροντες. id eſt, Niſi ſane quemadmodum tragœdiarum ſcriptores, ſicubi hæſerint, ad machinas confugiunt, deos ſuſtollentes. Quem Platonis locum ob ignoratum proverbium, Latinus interpres perperam aut certe obſcure vertit nimirum hunc in modum: Niſi forte quemadmodum tragici, quoties ambigunt, commenticiis quibuſdam machinamentis ad deos confugiunt. Ad eundem lapidem impegiſſe videtur, qui Lyſandri vitam tranſtulit è Plutarcho. Quum enim Lyſander inſtituiſſet innovare Rempub. perpenderetq. negocium eſſe difficilius, quam ut vulgaribus conſiliis poſſet expediri, fecit quod poetæ ſolent in tragœdia: fictis oraculis ac deorum religione ſtuduit quod conſtituerat efficere. Græca ſic habent: ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ μηχανὴν αἴρων ἐπὶ τοὺς πολίτας, λόγια πυθόχρηστα καὶ χρησμοὺς συνετίθει καὶ κατεσκεύαζεν. i. Quemadmodum in tragœdia machinam tollens apud cives, reſponſa velutà Pytho reddita & oracula componebat apparabatque. Idem ſubobſcure, ſed ſane quam eleganter indicat Ariſt. lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ primo: Ἀναξαγόρας τε γὰρ, inquiens μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιίαν, ὅταν γὰρ ἀπορήσῃ διὰ τίν' αἰτίαν ἐξ ἀνάγκης ἐστί, τότε ἕλκει αὐτόν. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις πάντα μᾶλλον αἰτιᾶται τῶν γιγνομένων ἢ νοῦν. Quæ quidem verba ſic licebit vertere: Nam Anaxagoras mente perinde, quaſi Deo quopiam tragico, qui repente ſolet oſtendi; utitur ad condendum mundum. Etenim cum hæret in explicanda cauſa, quare neceſſario ſit, tum illam adducit. Porro reliquis in rebus, quidvis potius cauſam facit eorum quæ fiunt, quam mentem. Unde in Græcorum tragœdiis illud pene ſolenne eſt: πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων id eſt, Multæ formæ deorum, &c. Cum inducto numine fabulam explicant: velut in Oreſte Eurip. Apollo in mediis tumultibus apparens, res turbatiſſimas ſubito componit. Hujus rei exemplum videtur ab Homero ductum, qui quemadmodum Iliad. α. Palladem inducit, ut ferocientem Achillem compeſceret, ita compluribus aliis locis numen aliquod allegat. Quod quidem Horat. in Arte poëtarum vetat in comœdiis fieri niſi rerũ difficultas major ſit, quam ut poſſit humana ope explicari,

> Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus
> Inciderit. —

Qua ratione Plaut. in Amphit. Jovem induxit, eoque tragico comœdiam vocat. Lucianus in Philopſ. Καὶ τὸ τοῦ λόγου, θεὸν ἀπὸ μηχανῆς, ἐνόμιζόν μοι τοῦτον ἥκειν ἀπὸ τῆς τύχης. id eſt, ac juxta proverbium, arbitrabar hunc mihi perinde quaſi Deum quempiam repente apparentem, à fortuna fuiſſe adductum. Alluſit eodem in libro De mercede ſervientibus: εἰκότως γὰρ τῆς τοιαύτης τραγῳδίας ἐπὶ χείρων ἄλλον ἐκ μηχανῆς θεὸν ἐπὶ τῆς κεραίας καθεζόμενον, id eſt, Nam hi peculiariter ad hujuſmodi tragœdiam pertinent aut aliũ Deum quempiam de repente exortum, atque in antennis conſidentem. Huc reſpexit Euripides in Iphigenia Aulidenſi, θεὸς ἐγὼ πέφηνά σοι μέγιστος. id eſt, Equidem Deus tibi maximus apparui. Lucianus in ſectis, Ἐπιστὰς τὸ τῶν τραγῳδῶν τοῦτο, θεὸς ἐκ μηχανῆς ἐπιφανείς, id eſt, Aſſiſtens juxta tragœdorum proverbium, Deus ex improviſo oſtenſus. Apud Athenæum lib. 6. lurconem quendam querentem facit poëta neſcio quis; quod piſcium venditores vix oſtenſos piſces ſtatim ſubducerent:

> *Καὶ ἔπειτ' ἀποπέμπουσι τοὺς ὠνουμένους;*
> *Ἀπὸ μηχανῆς πωλοῦντες, ὥσπερ οἱ θεοί.*
> Id eſt:
> Et venditos mox eximunt aſpectui.
> Venduntque, tanquam è machina, ritu deûm.

Proinde quoties ſalus ex inſperato oſtenditur, id Deo ſolet adſcribi. Ita Plin. lib. 2. Quippè etiam in repertis alias invenit caſus, alias, ut vere dixerim, Deus. Idem lib. 27. Hic ergo caſus, hic eſt ille qui plurima invenit in vita Deus.

Mercuriale.

Ἕρμαιον Græci vocabant lucrum præter expectationem oblatũ, à primitiis quas olim in viis ponebant Mercurio: iis viatoris veſcebantur. Alii malunt ductum ab acervis lapidum quos in itinerib. ambiguis Mercurio ſacros ponebant. quorum meminerunt & Hebræorum proverbia: Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, ita qui tribuit inſipienti honorem quanquam hic varie tranſlatum eſt Græcis. Quidam ita ſunt interpretati: ὡς ἀποδεσμεύει λίθον ἐν σφενδόνῃ, ὅμοιός ἐστι τῷ διδόντι ἄφρονι δόξαν. id eſt, Qui religat lapidem in funda, ſimilis eſt tribuenti ſtulto gloriam. Alii pro hermæo, verterunt πολυάνδριον, qui locus eſt multorum ſepulturæ deſtinatus: & lapidem accipiunt non quodvis ſaxum, ſed gemmam, Nec multum inter ſe diſcrepant, qui verterunt polyandrium. & qui Hermæum. Nam & ſepulchra plebeiorum habebant congeriem lapidum. unde illud Maronis.

> Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.

In locum ſordidum ac funeſtum, ſtulte mittas gemmam. Non enim ornat locum, ſed ſordidatur à loco. In Hermæum vero ſi mittas quemvis lapidem, nihil eſt gratiæ. Nec enim extat in turba lapidum ſingulorum officium: ſi gemmam, multo ſtultior es. Sed illorum eſt argutiſſima ſententia, qui verterunt, fundum. Non enim tantum perit, officium tuum, ſed in tuum malum reſiliit: veluti ſi ſtulto lapidem innectas fundæ, dediſti quo te feriat. Verum hæc non ſunt proprie hujus inſtituti. Suidas citat hæc abſque nomenclatura: οὐ κατὰ τοὺς ἄλλους ἡρπακὼς τὸ ἕρμαιον, οὐδὲ οἰηθεὶς ἀμαρτάνειν οὐδέν, εἰ ἑκὼν παρ' ἑκόντος ὁτιοῦν ἐωνήσατο, id eſt, Non juxta cæterorum morem captus amore lucri, nec arbitratus ſe nihil peccare, ſi volens à volente quidvis mercatus eſſet. Idem refert hanc ſententiam tacito item autoris nomine: ἕρμαιόν ἐστι τῶν πονηρῶν ὅστις ἐπιεικής. id eſt, Lucrum eſt improborum; quiſquis eſt humanus ac modeſtius. Bonorum enim lenitas, invitat malorum audaciam. Refert & illud ex Damaſceno, ut apparet: καὶ ἐδόκει ἑρμαίῳ ἐντετυχηκέναι ὁ μοι συντυχών id eſt, Videbatur ſibi in Hermæum incidiſſe, quiſquis in me inciderat. Recreat enim viatorem, ubi dubius de via reperit acervũ Mercurii. Idem acervus dicitur λόφος ἑρμαῖος id eſt, tumulus ſive collis Mercurialis. Philoſtratus in Sophiſtis Hermæum appellat theſaurum in ædificio repertum, & alias pro inſigni lucro forte objecto uſurpat.

Deorum manus.

Θεῶν χεῖρες, id eſt, Deorum manus Olim per ironiam, ut opinor, dicebantur efficacia illa pharmaca, quæ plurimis ex rebus & è lõginquo petitis conficiuntur: quibus hodie tum medici, tum pharmacopolæ vulgo faciunt impoſturam. Plutarchus quarta Decade τῶν συμποσιακῶν, ſimul & proverbium refert, & Eraſiſtratum citat, bujuſmodi medicorum mixturas improbantem: ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ὅτ' αὖ μιγνύοντες τὰς βασιλικὰς καὶ ἀλεξιφαρμάκους ἐκείνας δυνάμεις, ἃς θεῶν χεῖρας ὠνόμαζον, ἐρασίστρατος δ' ἤλεγχε τὴν ἀτοπίαν καὶ περιεργίαν, ὁμοῦ μεταλλικά, καὶ βοτανικά, καὶ θηριακά, καὶ τὰ ἀπὸ γῆς καὶ θαλάττης, εἰς τὸ αὐτὸ συγκεραννύντων. καλὸν γὰρ ταῦτα ἐάσαντας ἐν πτισάνῃ καὶ σικύᾳ καὶ ὑδρελαίῳ τὴν ἰατρικὴν ἀπολιπεῖν. ἀλλὰ πολλὰ τὸ ποικίλον ἐξάγει, καὶ γοητεύει τὴν ὄρεξιν. id eſt, Quin multo magis cum regulas illas & efficaces variorum remediorum mixturas cõficiunt, quas Deorum manus appellarunt. Eraſiſtratus autem coarguit abſurditatem & curioſitatem eorum, qui ſimul metallica & herbaria, & ferina, quæque terra gignit; quæque mare, in unum commiſcuerunt. At bene haberet, ſi his omiſſis in ptiſana & cucurbita & hydrelæo medendi artem finiſſent. Verum per Jovem ipſa rerum varietas imponit nobis, & appetentiam illicit. Hactenus Plutarch. Meminit hujus adagii Galenus tractatu 6. citans ex Erophylo. Libet obiter & C Plinii verba hoc loco ſubſcribere, quibus medicorum mixturas taxat. Ea ſunt in præfatione libri 24. Hinc, inquit, nata medicina. Hæc ſola naturæ placuerat eſſe remedia, parata vulgo, inventu facilia, ac ſine impendio, ex quibus vivimus. Poſtea fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas invenêre iſtas, in quibus ſua cuiq; homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atque India in remedio æſtimantur. Hulcerique parvo medicina à rubro mari imputatur: cum remedia vera quotidie pauperrimus quiſq; cœnet. Nam, ſi ex horto aut petatur herba, vel frutex quæratur, nulla artium vilior fiet. Hactenus Plinius.

Negocium ex ocio.

> *Πρᾶγμ' ἐξ ἀπραξίας.*
> Id eſt:
> Ex ocio negocium.

Hemiſtichium Iambicum, uſurpandum ubi res præter opinionem evenit, & inde tumultus oboritur, unde tranquillitatem & ocium ſperabamus. Nam & illud multis uſu venit, ut dum ſectantes ocium, fugiunt honeſtam induſtriam, incidant in turbas inexplicabiles. Autor Suidas, Nec indicat unde ſit natum.

Eventus præter expectationem.

Quoties res multo ſecus evenit quam vel fuerat inſtituta, vel probabilibus conjecturis eventura videbatur, congruet illud ex eodem libro:

> *Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος αἰγιόχοιο.*
> Id eſt:
> Verum præpollet magni Jovis uſque voluntas.

Pindarus in Pythiis hymno ultimo, τὸ γὰρ μόρσιμον οὐ παρφυκτόν· ἀλλ' ἔσται χρόνος οὗτος, ὃ καί τιν' ἀελπτίᾳ βαλών, ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω, i. Quod enim in fatis eſt, evitari non poteſt, ſed erit tempus hoc, quod aliquem deſperatione jaculatum, præter opinionem, hoc quidem dabit, aliud vero nequaquam. Rurſum Iliad. π:

> *Ἀλλ' αἰεί τε Διὸς κρείσσων νόος ἠέπερ ἀνδρῶν.*
> Id eſt:
> Sed magis atque hominum pollet Jovis uſque voluntas.

Mopſo Niſa datur.

Schema proverbiale videtur & illud apud Virgil. in Pharmaceutria,

> Mopſo Niſa datur —

Cum præter omnium ſpem res præclara cõtingit cuipiam prorſus

ſus indigno ut nihil jam non poſſe ſperari vel à quovis appareat,

Mopſo Niſa datur: quid non ſperemus amantes?

Eſt autem emphaſis in nominib. Nam Mopſum dicens, intelligit infimum, abjectiſſimumque paſtorem: Niſam, puellam inſigni forma. Non alludit hinc illud Sophoclis in Ajace flagellifero.

Οὐκ ἔστ' ἄελπτον οὐδέν.

Id eſt:

Nihil eſt, quod haud ſperare liceat.

In eandem ſententiam Livius apud Stobæum,

Ἐλπίζειν χρὴ πάντ' ἐπεὶ οὐκ ἔστ' οὐδὲν ἄελπτον,
Ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Id eſt:

Speres cuncta, nihil quod non contingere poſſit.
Omnia ſunt magnis factu proclivia divis.

Glaucus poto melle reſurrexit.

Γλαῦκος πιὼν μέλι ἀνέστη, i. Glaucus poto melle revixit. Dici ſolitum, quoties aliquis vulgari rumore dictus mortuus, denuo prodit in publicum, & quaſi redivivus apparet iis, quibus perſuaſum fuerat cum vita defunctum eſſe. Satis conſtat ab eventu natum; nempe Glaucum quempiam præter omnium expectationem, guſtato mellito pharmaco revaluiſſe. Eamque rem in jocum popularem verſam fuiſſe. Quidam narrant in hunc modum: Glaucus quidam poto melle, ob quem pene exanimatus eſt. Ad hunc multis accurrentibus medicis, polyidos herba, quam draconem vocant, eum reſtituit.

Inſperabilem vitam vivis.

Ἀνέλπιστον βίον ζῇς, id eſt, Inſperatam vitam agis (ſic enim loquũtur Attici:) hoc eſt, vitam mirificam, & quam ne ſperare quidem auderet quiſquam: aut in qua non ſpes alat animum, ſed ipſæ res adſint. Extat apud Pindarum.

Lavares Peliam.

Λούσεις τὸν Πελίαν, i. Laves Peliam. Dictum apparet, ubi quis ſalutem pollicitus, adfert exitium: aut ubi quis prodeſſe conatus, ingens addit malum. Ductum a notiſſima Perſiæ fabula: quem dum filiæ a Medea perſuaſæ ſtudent ad inventam revocare, lebeti ferventi impoſitum occiderunt. Fortaſſis non intempeſtiviter dicetur, ubi quis falſa ſpe ductus, inanem ſumit operam. Veluti ſi quis arte, quam vocant Alcimicam, fretus, ſibi promittat futurum, ut è ſtanno fiat argentum, ex ære aurum. Refertur in adagiorum Collectaneis, quæ Plutarchi feruntur nomine.

Subitum remedium periculi.

Cum indicabimus rem in extremum diſcrimen adductam, actumq; fuiſſe, ni ſubita ſalus, ceu Deo quopiam immiſſa protinus affulſiſſet, illud ex eodem lib. tum alias ſæpe, conveniet.

Εἰ μὴ ἄρ' ὀξὺ νόησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Id eſt:

Ni ilico ſenſiſſet, genitor divûmque hominumque.

Pro virgine cerva.

Ἀντὶ παρθένου ἔλαφος, i. Loco virginis cerva. Proverbio hoc uti licebit, quum præter opinionem inſperatum quid accidit: veluti ſi quis opima ſpe excidat, & pro aureis tantum non montibus exiguũ quid referat: aut ubi quis criminis purus, reus tamen accuſat', liberatur, authore ſceleris deprehenſo: aut quum aliud pro alio fraudulenter ſubſtituitur. Extat apud Achillem Statium Alexandrinum lib. 6. de amoribus Clitophontis & Leucippes Cuſtos, inquit, ut veriſimile eſt, obſtupuerat, inopinatæ rei novitate commotus juxta parœmiam, pro virgine cerva conſpecta. Natum videtur à fabula Iphiginiæ, quæ quum in Aulide Bœotiæ ad aram, Dianæ adducta ſtaret, futura deæ victima, ipſa quidem repente evanuit, & in Taurica devecta eſt, immolata ejus loco ſuppoſitia cerva. Hanc rem narrat apud Euripidem in Iphig. nuncius:

Ἄελπτον δ' εἰσιδοῦσιν ἐκ θεῶν του
Φάσμ', ἥ γ' ἐναργὲς ὄμμα δ' ἦν πιστὸν παρόν.
Ἔλαφος γὰρ ἀσπαίρουσ' ἔκειτ' ἐπὶ χθονί
Ἧς αἵματι βωμὸς ἐδεύετ' ἄρδην τῆς θεοῦ.

Id eſt:

Spectrum intuentes à deorum quopiam
Inopinum, & ægre creditum ſpectantibus:
Nam cerva humi jacebat artubus micans,
Aram deæ cruore ſtagnantem imbuens.

Non alienum hinc eſt quod Martialis jocatur in Miſitium quendam, a Cybeles ſacerdotibus noctu præfectis virilibus orbatum, quum illi Achillam puerum concubinum ea parte mulctaſſe ſe crederent decepti: proinde ſubjicit author,

Suppoſitam fama eſt quondam pro virgine cervam.

Alauda in nido latet gramen.

Citatur à Caſſiano Baſſo Scholaſtico, librorum qui de agricultura apud Græcos inſcribuntur collectore, adagium hoc.

Ἐν κορυδαλοῦ κοίτῃ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις.

Id eſt:

Ramoſum gramen nido occultatur alaudæ.

Quo licebit uti, quum effugii aut ſubſidii ſpem oſtentabimus veluti ſi potentior quiſpiam nos conetur opprimere, in legum & æqui præſidio fiduciam nobis repoſitam, aut in vetuſti juris codicillis, indicare volentes, proverbiali hoc verſu utemur, vel ſi ſcriptorum authoritate multiplici ac rationibus oppugnati ſignificemus neque nos hac parte inermes eſſe, ſed ad manum habere in expedito tela quibus nos defendamus: nimirum,

Ἐν κορυδαλοῦ κοίτῃ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις.

Solet autem alauda peculiari quodam amuleto nidũ ſuum luſtrare impoſitis graminis ramulis, quemadmodum aquila callitricho, cornix verbenaca ſupina, turdus myrto, lauro palumbes, ut Zoroaſtræ magi authoritate lib. 15. γεωπονικῶν legitur.

E media flamma ſervare.

Qui ingentibus periculorum undis circumſcriptum aliquẽ aut difficillimis litibus irretitum explicat, is è media flamma talem liberare, proverbialiter dicitur. Ariſtides in Apelle genethliaco: ἐκ μέσου φασὶ πυρὸς τοὺς ἄνδρας σώζειν, id eſt, è medio, quod ajunt, incendio virum ſervare. & iterum: τίνα δ' ἐκ ἂν οὗτός γε καὶ ἐκ πυρὸς ἀνθρώπων ἀνδράσι σώσειε, id eſt, Quem non ille ex ardente flamma conſultus eripuerit. Notum eſt de Ænea, qui patrem Anchiſen è medio ardentis Trojæ incendio humeris extulit quod apud Halicarnaſſeum in primo ex Sophocle legas.

Ad fores venire.

Ἐπὶ θύρας ἥκειν, id eſt, Ad fores venire, proverbio dicitur, quum quid ſe ultro ingerit, verbi gratia: ſi dicamus honores & dignitates alicui non ambienti obvenire, aut opes ex hæreditatibus non expectatas, ad manum venire, huic illa omnia ἐπὶ θύρας ἥκειν dicuntur. Poteſt venuſte & ad carminis venerem transferri hoc modo: In pangendo carmine ita dexter eſt Grudius, ut Muſæ illius ad limina ventitare, ἐπὶ θύρας ἥκειν, dicendæ ſint. Philoſtratus de Ariſtocle ſophiſta voluptates deliciaſq; aurium in quotidianum uſum recepit, ὥσπερ ἐπὶ θύρας αὐτῷ ἡκούσας, id eſt tanquam ad fores ipſius ventitantes. Natum videtur ab amatoribus, qui amaſiarum januas frequentare ſolent, eaſque ſertis exornare. unde janua queritur apud Propertium,

Nunc ego nocturnis potorum ſaucia rixis,
Pulſata indignis ſæpe queror manibus.

Vel à diſcipulis, præceptorum januas adeuntib', quomodo de M. Antonio Imp. dixit Philoſtratus: φοιτῶν αὐτῷ καὶ φοιτῶν ἐπὶ θύρας, id eſt, Frequenter illum inviſens, & ad januas commeans. Utitur Ariſtides in oratione adverſus eos qui criminabantur in ipſo ocioſam eloquentiam: τούτοις χαίρω, τούτους ἀσπάζομαι, ἐπὶ τὰς τούτων φοιτῶ θύρας, id eſt, Hæc amo, hæc exoſculor, horum ad fores crebro ventito. Vernacula noſtra lingua hanc parœmiam mordicus etiamnum ſervat & exprimit, quum dicit, alicui ad limia venire, quod inſperato accidit, & ultro ſe præbet.

Phœnicis inſtar reviviſcere.

Καθάπερ φοίνιξ ἀναβιώσκεσθαι, i. Phœnicis in morem reviviſcere, proverbio dicitur, qui longa valetudine, aſſiduis curis, amore, ſollicitudine, carceris tædio emaciatus, nunc vividior factus ad ſe redit. Ariſtides refert ad ſtatuam civitatis, cujus ruinæ in novam urbis faciem reſtitutæ ſint, reparatis etiam iis quæ obſoleta forent, ita enim loquitur de Smyrna, beneficio M. Aurelii Imper. reædificata: ἡ πόλις ἀναφύεται μεθεῖσα τὸ γῆρας, ἡ αὐτὴ παλαιά τε καὶ νέα χρόνος, ὥσπερ τὸν φοίνικα ἀναβιώσκεσθαι λέγουσιν αὐτὸν ἐξ αὐτοῦ, id eſt, Repullulat civitas depoſito ſenio, vetus eadem & nova, quomodo Phœnicem ex ſe reviviſcere fama loquitur & alibi de eadẽ γέγονεν δὴ παλαιοτάτη καὶ νεωτάτη ἡ αὐτὴ ἑαυτῆς ἀνανεωσαμένη, ὥσπερ τὸν ὄρνιν φασὶ τὸν ἱερόν, id eſt. Facta eſt eadem urbs & antiquiſſima & noviſſima, reſumpta juventa, quod de ſacro alite dicitur. De Phœnice ave ita Ambroſius lib. De fide reſurrectionis: Avis in regione Arabiæ, cui nomen eſt Phœnix, redivivo ſuæ carnis honore reparabilis, cum mortua fuerit, reviviſcit. Euſebium Pamphili in vita Conſtantini: αἰγύπτιον ὄρνιν φασὶ μονογενῆ ὄντα τὴν φύσιν, θνήσκειν μὲν ἐπ' ἀρωμάτων αὐτὸν αὐτῷ τὴν πυρὰν θυμιώμενον, ἀναβιώσκειν δὲ ἐξ αὐτῆς σποδιᾶς καὶ ἀναπτάντα τοιοῦτον ὄντα καὶ ὁποῖος τὴν φύσιν ἦν. Phœnicem volucrem Ægyptiam ferunt natura unigenam eſſe, & ſuper aromatum acervo emori, ſuum ſibi rogum adolentem, poſtea de ſuo cinere reviviſcere, reſumptiſq; pennis talem exiſtere, qualis antea fuerit. Nazianzenus in Carminum lib.

Ὡς δ' ὄρνιν φοίνικα φάτις θνήσκοντα πάλιζον,
Ἐν πυρὶ πατρώοιο πολλοῖς ἔτεσιν μετὰ κύκλα,
Πυργαλέης κόνιος ζῶον γόνον αὐτοφύτευτον.

Id eſt:

Phœnicem perhibent poſt fata reſumere vires,
Naſcentem ex igni, & decurſis pluribus annis,
De cinere annoſo fœturam ſponte renaſci.

De hac ave ita ferme Artemidorus lib. De inſomniis 4. cap. 49. Phœnix ubi fatale ingruit tempus, evolat in Ægyptum, loco unde profectus adſit ignorato, ſibiq; conſtructo è caſia myrrhaque rogo, immoritur: ex eo cinere poſt ſtatum temporis curriculũ vermis enaſci putatur, qui grandeſcens in volucrem abit, fitque iterum Phœnix, moxque emigrat ex Ægypto, locumque unde genitor advenerat, volatu repetit. Ejus verba leguntur apud Suidam in dictione φοῖνιξ ſed à librariis corrupta, nam illa, ἀφικνεῖσθαι εἰς Αἴγυπτον ἐκεῖθεν, ex Artemidoro ita legi debent. ἀφικνεῖσθαι αἰγύπτῳ οἴκοθεν. Plura de hac ave qui ſcire deſiderat, legat opuſculum Lactantii, & alterum Claudiani, de Phœnice: Cornelium Tacitum anna-

ſinalium lib. 5. Plinium lib. 10. cap. 2. Solinum cap. 36. Ovidium in Transformationum libris: deoique Achillem Statium Alexandrinū in calce libri tertii de amoribus Clitophontis & Leucippes.

A ſcapha in triumphalem quadrigam.

Ἀπὸ λεμβοπλοΐας ἐπὶ τὴν ἀρχηγικὴν ἀπήνην ἀνέβη, id eſt, De ſcapha ad triumphalem currum tranſiliens. Extat apud Syneſium in Epiſtolis de Andronico dictū, qui infimis ortus natalibus, præfecturam ſuffragio Principis adeptus fuerat. Efferri poteſt de quovis è fece hominum ad magnas opes dignitateſq; provecto: quemadmodum Julius Ligur poſt ſedentariam operam in ducendo ſcalmo diu navatam, Sexti Pontificis beneficio inſignibus Eccleſiaſticorum honorum ornatus, tandem ad Pontificatum maximum emerſit, nimirum ἀπὸ λεμβοπλοΐας ἐφ' ἡγεμονικὴν ἀπήνην ἀναβάς, Licebit & nonnihil deflectere cum gratia, hoc modo, Agathocles Siculus è figulo Rex factus, ἐκ κεραμείας ἐπὶ τὴν βασιλικὴν ἀπήνην ἔβη, i. E figlina regium currum conſcendit.

BRASSICANI.

Agroſtis in nido Corydi.

Ἐν κορύδου καλιῇ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις.

Id eſt:

In Corydi nido intorta occultatur agroſtis.

Adagium extat apud innominatum Græcum ſcriptorem, qui rem ruſticam viginti luculentiſſimis libris abſolvit, lib. 15. τῶν περὶ γεωργίας ἐκλογῶν, ut ipſe inſcripſit: quo loco ex Neſtoris panacea tractat admirabilem quarundam rerum ſympatheian & antipatheian:

Καρκίνος [illegible]

Ἐν κορύδου καλιῇ σκολιὴ κέκρυπται ἄγρωστις.

hoc eſt, ut quam ſimpliciſſime Latine dici poteſt: Cancrum herba polypodio ſi quis contigerit, chelas abjicit, Veſpertiliones ex incenſæ hæderæ ſuffumigatione moriuntur; Vultures intereunt ex odore unguentorum. Serpens conjectis in eum quernis foliis emoritur, ſerpens ne commoveri quidem poterit ſi Ibis avis ala tactus ſit, Vipera ſemel percuſſa calamo, obtorpeſcit: ſæpius autem, ut ad ſeſe ipſam redit & convaleſcit. Viperæ ſi ramum ex fago arbore adhibeas, metu exanimatur. Teſtudo ſi ſerpentem ederit, ægrotat: rurſus ſi Origanum ederit, convaleſcit. Ciconiæ platani foliis pullos præmuniunt adverſus veſpertiliones, Hirundines adverſus Silphas ex Cantharidum genere apio utuntur, Palumbes lauro, Accipitres ſylveſtri lactuca, Harpæ aves hædera, Corvi agno ſive amerina. Upupæ amianto, Cornicis periſtereωne quem rectum vocant: Cinchla avis, quam motacillam dicunt, myrto. Perdix calami pabulo, Herodius ſive ardea cancro.

In Corydi nido intorta occultatur Agroſtis.

Ejuſmodi peculiaria animantium remedia commemorant & Plutarchus in commentario, utrum prudentiora ſint marina an terreſtria, & Ariſt. de hiſtoria animal. lib 9. cap. 6 Plin. item lib. 8. c. 27. Adagii uſus eſt, ſi quando ſignificamus nobis non deeſſe tacita quædā & paucis cognita prædia, quemadmodum Coridus avicula Agrowſti, quam Theodorus & Hermolaus gramen vertunt, occulto quodā adverſus ea quæ nocere poſſint amuleto utitur. Quod ſi quis dixerit nos plane actum agere, qui poſt alios Adagia ſcribamus, is interea non obliviſcatur, & in Corydi nido agroſtin eſſe reconditam: hoc eſt, neq; nobis ex bonorum authorum penu deeſſe juſtum ſpicilegium, ex quo non aſpernandam proverbiorum meſſem continuare poſſimus. Junii adag. 3. Cent. 3. Alaudæ in nido gramen latet.

Etiam inter vepres roſæ naſcuntur.

Ammianus Marcellinus lib. 16 cum de Eutherio eunucho loqueretur, ſic inquit: Sed inter vepres roſæ naſcuntur, & inter feras nonnullæ miteſcunt. Hoc geminum proverbium oſtendit in omne hominum genere, quantumvis perverſo ac deplorato, reperiri tamen aliquot bonos viros, & qui moribus minime ſint aſpernandis Gregorius Theol in vita Athanaſii dixit, φύεται καὶ ἐξ ἀκάνθης ῥόδον, id eſt, naſci etiam è vite rubum: hoc eſt, ex optimo parente nonnunquam peſſimum filium.

COGNATI. *Nova lux effulſit.*

Allegoria proverbialis de inſperata felicitate, ſive bonorum affluentia Virg. 9. Æneı.

Hic primum nova lux oculis effulſit.——

Idem ſub finem ejuſdem libro de ſalute præter ſpem oſtentata

Continuo nova lux effulſit.——

12. Æneid.

——Diſcuſſæ umbræ, & lux reddita menti eſt.

Nox & tenebræ in Sacris metaphorice capiuntur pro multitudine afflictionum, & malis ingruentib. Cicero: Receſſus ſolis quaſi triſtitia quadam contrahit terram, acceſſus autem lætificat. Etenim oriente ſole, cœlum videtur aperiri, ſicut occidente claudi. Plaut in Perſa, pro luce faculam dixit: Tace ſtultiloque, neſcis quid iſtuc boni. Nequicquam tibi fortuna faculam lucriferam allucere vult. Virg. 6. de inferis locis:

Ut triſtis ſine ſole domos loca turbida adires.

Et ut lux pro lætitia, præſenti concilio, & ſubita felicitate: ita crux & caligo pro triſtitia, & animi extremitate. 12. Æneid.

Ut primum diſcuſſæ umbræ & lux reddita menti eſt.

Ne hoc quidem male.

Οὐδ' οὕτως κακῶς, id eſt, Nec ſic quidem male. Quo licet uti, ubi res licet præter ſpem aut inſtitutum, nō infeliciter tamen ceciderit, Plutarchus commentario περὶ εὐθυμίας. Originem habet à pictore, qui cum aberrans à cane quem lapide petebat, percuſſiſſet novercam: οὐδ' οὕτως κακῶς, dixit.

Τρὶς ἓξ βάλλειν.

Proverbium antiquis fuit, dici ſolitum de illis, qui ſummum ind opinatumq; bonum conſequeretur. Id ſumptum videtur à jactu cuborum ſive teſſeratum, quarum cum latera numeris diſtincta ſint, jactus hic fœlix ſecunduſque, & apud eos erat, & nunc quoq; habetur quamvis ludendi rationes diverſæ, diſſimileſque (ut opinor) fuerint. Cum ſpeculator apud Æſchylum in Agamemnone, Initio ſtatim ejus fabulæ, qui poſitus erat, ut obſervaret ignem editum (id enim ſignum convenerat inter Agamemnonem & Clytæmneſtram Ilii capti) ſublato illo, longeq; a ſe viſo, cognovit expugnatam eſſe Trojam, fortunatumque exitium habuiſſe diuturnam illam moleſtamque ſuam curam, lætatur. Verba ipſius hæc ſunt.

Αὐτός τ' ἔγωγε φροίμιον χορεύσομαι,
τὰ τῶν δεσποτῶν γὰρ εὖ πεσόντα θήσομαι,
τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας.

Id eſt:

Ego vero ipſe procemia canam,
Dominorum enim bene cadentia faciam,
Ter ſexies jacta mihi hac face.

Declaratio autem hæc legitur in antiquo libro: παροιμιακῶς εἴρηκε τρὶς ἓξ βαλεῖν, ἐπὶ τῶν ἄκρως εὐτυχούντων. Suidas etiam videtur hoc proverbium intellexiſſe, cum ait: ἢ τρὶς ἓξ ἢ τρεῖς κύβοι. [Lege alibi Junii prov: Ter ſex jacit.]

Intervenit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Fuit genus machinæ tragœdiarum, quod in ſumma trepidatiōe remedia arceſſebat humanis majora. Demiſſa namque Deos, oſtendebat ex improviſo. Id quod etiam ad proverbium rerum deſperatarum traxère: θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Plurima exempla tragicis omnibus, & in Plauti Amphitryone. Idem Scaliger in eodem hiſtorico: In fine autem, inquit, & proci interficiuntur, & intervenit θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, quod tragœdiæ proprium eſt. Eo Lucianus utitur in Philophoſ. in lib. De mercede ſervientibus, & in Sectis. Eraſmus noſter illud fuſius tractavit, in Proverb. Deus ex improviſo apparens.

Tanquam tibias ad fontem.

Proverbium caſus fortuiti, ex Marſyæ Phrygis fabula natum quam ex Hygino referam: Minerva tibias dicitur prima ex oſſe cervino feciſſe, & ad deorum epulum cantatū veniſſe. Juno & Venus cum eam irriderent, quod & cæſia erat; & buccas inflaret, fœda viſa, & in cantu irriſa, in Idam ſylvam ad fontem venit: ibique cantans in aqua ſe aſpexit, & vidit ſe merito irriſam. Unde tibias ibi abjecit, & imprecata eſt, ut quiſquis eas ſuſtuliſſet, gravi afficeretur ſupplicio. quas Marſyas Ceagri filius paſtor, unus è Satyris invenit quibus aſſidue commeletando, ſonum ſuaviorem indies faciebat, adeo ut Apollinem ad citharæ ſonum in certamen provocaret. Quo ut Apollo venit, Muſas indices ſumpſerunt. Et cum jam Marſyas inde victor diſcederet, Apollo citharam verſabat: idemque ſonus erat. quod Marſyæ tibiis facere non potuit. Itaque Apollo victum Marſyam ad arborem religatum Scythæ tradidit: è cujus ſanguine flumen Marſyas eſt appellatum De hoc certamine deque Marſyæ excogitatione, lege Luciani dialogum Junonis & Latonæ, & quæ illic annotavimus. Adagio autem uſus eſt Celius Lactantius Firmianus De falſa ſapientia lib. 3. cap. 14. Rectius itaque Lucretius inquit, cum eum laudat, qui ſapientiam primus invenit: ſed hoc inepte, quod ab homine inventam putavit. Quaſi vero illam alicubi jacentem homo ille quem laudabat, invenerit, tanquam tibias ad fontem, ut poëtæ ajunt: quod ſic repertorem ſapientiæ, ut Deum laudavit.

Securis ad verſus mendacia.

Lucianus in Philopſeude: Atque ego quidem ut eum conſpexi, reſpiravi: hoc ipſum quod proverbio dici ſolet, advenıſſe mihi ratus, namque ſecurim quampiam adverſus mendacia. Occludet, inquam, eis ora vir ſapiens adeo monſtroſa narrantibus, atq; prorſus, juxta vulgatum illud adagium, repente Deum immiſſum eſſe mihi hunc à fortuna putabam. De hoc vide Eraſm.

Deus ex improviſo apparens.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, *& aliorum.*

Auretenus experiri tumultum.

Et hoc Chriſtianiſſimi poëtæ eſt, ubi orbem Romam inducit Theodoſio ſuo gratias agentem, cum Gothi poſt Ligurum opes, & amœna profundi Padi rura devaſtata, Tuſcum ſolū victo amne prementes in montibus Feſulanis à Stilicone oppreſſi eſſent. verſus ſunt ij. contra Symm.

——Quæ feſtis ſuſpendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac teſtante ſub armis
Libera, & auretenus Geticos experta tumultus.

Ita enim legi debent, quomodo authore me eos Marneffius expreſſit. Alphetenus enim, quem hic locum habebit, cum Gothi in Pollentinis campis exciſi ſunt? Accommodari poteſt ad omnia, repente à vicina imminente plaga ſine ullo detrimento liberata, ut ad Germaniam totá, cum immanes Getę canes nobis infeſtiſſimi, Viennam oppugnarent: & totam Siciliam, obſeſſa ab iiſdē M. lite.

PROBRVM, GLORIA.

ERASMI. *Glorioſum & apud poſteros.*

Cum facinus ſignificabimus, cujus famam & poſteritas celebratura videtur, quadrabit illud ex eodem libro:

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.
Id eſt:
—Imo facinus inſigne peregit
Ipſa etiam quod poſteritas exaudiat.—

Gloria futuri.

—Τὸ δή τοι κλέος ἐς ὀπίσσω.
Id eſt:
Gloria futuri.——

Hemiſtichium eſt carminis Heroici. Refertur in iiſdem Plutarchi Collectaneis. Admonet, famam laudemque recte factorum contingere, potiſſimum apud poſteros. Alioqui, quemadmodum recte dixit Ovidius,

Paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit.

Non omnino temere eſt, quod vulgo dictitant.

Apud Ariſtotelem uſurpatur proverbii vice, & apud eruditos jam olim in proverbium abiit nobilis illa Heſiodi ſententia (φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, quemadmodum ait Ariſtides in defenſione Periclis) quæ dicit non uſquequaque irritum eſſe ſolere, quicquid rumore populi jactatum fuerit. Ea eſt in operis volumine ſecundo, cui titulus, Opera & dies,

——Δειλὴν δὲ βροτῶν ὑπαλεύεο φήμην.
Φήμη γάρ τε κακὴ πέλεται, κούφη μὲν ἀεῖραι
Ῥεῖα μάλ', ἀργαλέη δὲ φέρειν, χαλεπὴ δ' ἀποθέσθαι.
Φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥν τινα πολλοὶ
Λαοὶ φημίξουσι, θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.
Id eſt:
Rumores hominum cures vitare moleſtos.
Fama malum eſt, oritur, ſurgitque facillima: verum
Difficile hanc perferre, grave eſt ſedare cortam.
Nam non ulla quidem prorſum perit irrita fama,
Per populos quæcunq; volat, qui numen & ipſa eſt.

Poteſt bifariam accipi ſententia: nimirum aut non plane falſum videri, quod plurimis eſt in ore, quodq; populi cōſenſus approbat: aut non prorſus aboleri poſſe rumorem, etiam falſum, qui jam in vulgus diminārit. Proinde admonet, ut ſolicite caveamus, ne vel falſo per temeritatem in fabulam vulgi venire contingat. Quod autem famam deam dixit cum Homero ſenſit, qui compluribus locis ὄσσαν ſuam inducit ſic enim deam ipſam appellat. Et hunc æmulatus Virgil. in 4. Æneid.

Hæc paſſim dea fœda virûm diffudit in ora.

Sutorium atramentum.

M. Tullius lib. Epiſtolarum 9. ad Pætum: Jam pater ejus accuſatus eſt à M. Antonio: ſutorio atramento abſolutus putatur. Subeſſe videtur proverbium. Sentit, opinor, hominem abſolutum fuiſſe judicum corruptela, non citra infamiam. Eſt autem hujuſmodi ſutorium atramentū, ut neq; magnopere atram imprimat notam, neque ullam tamen illinat maculam. Infamiam enim atramenti ſymbolo poëtæ ſignificant ut Horatius,

—Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera,—

Is quidem ſuccus quidam eſt, quem pleriſq; mollium piſcium, maxime Sepiis ineſſe ſcripſit Ariſtoteles libro De partibus animalium 4. eum tunica contineri membranea, emitti vero fiſtula quadam: quem effundunt in metu, & aquam infuſcant, ne queant deprehendi.

Rurſus Horatius,
Sed veluti tractata notam labemque remittunt
Atramenta fere ſcriptores carmine fœdo
Splendida facta linunt.—

Cæterum quod Græci Chalcanthum appellant. Cornelius Celſus fere vertit ſutorum atramentum: cujus frequenter meminit in medicinis, præſertim libro quinto. Colligitur ex ære. Unde & Græcis nomen χάλκανθος, quaſi dicas flos æris. Unde ſuſpicor magis dici maculam, quam ægre poſſis diluere. Nam atramentum quod ſcriptorium vocant, facilius diluitur, nec inhæret corio. Plinius in Epiſtola ſimili figura dixit, Vitelliana cicatrice ſtigmoſum.

Scarabeo nigrior.

Κανθάρου μελάντερος, id eſt, Scarabeo nigrior. In fœdos & vehementer atros, ac fuſcos. Nam ſcarabeus animal inſigni & fœdo nigrore eſt, de quo alibi plura dicentur.

Dedecus publicum.

Rem modis omnibus infamem ac pernicioſam, non ineleganter indicaveris his verbis, quibus Hector Paridem objurgat lib. Iliad. 3.

Πατρί τε σῷ μέγα πῆμα πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
Δυσμενέσιν μὲν χάρμα, κατηφείην δέ σοι αὐτῷ.
Id eſt:
Noxa ingens urbique tuæ, populoque patrique:
Hoſti gaudia, ſed probrumque dolorque tibi ipſi.

Cythonymi probrum.

Κιθωνύμου μίασμα, id eſt, Cythonymi dedecus. In hominem dicebatur vehementer infamem, fœdique nominis, cujuſque nomen jure ſupprimi debeat, vel ob calamitates. Unde & Græca vox à cælando nomine dicta. Et hodie dictitant vulgo, tegendam ollam: quoties innuunt fœdius eſſe facinus, quam ut autoris facienda ſit mentio. Autor Zenodotus.

Cerite cera dignus.

Olim notari dignos atque improbos, & nequam homines, Cērite cera dignos proverbio vocabant: nimirum ceritem ceram, inſignem ignominiam appellantes. Horatius,

Quid deceat, quid non obliti, Cerite cera
Digni, remigium vitioſum Ithacenſis Ulyſſis.

Acron & Porphyrion hujuſmodi tradunt originem adagii. Romani Ceritib bello ſuactis eam dixēre conditionem, ne ſuffragii jus haberent, ne leges ullas aut æderent, aut haberent. Eamque ignominiam in adagium abiiſſe. Meminit de tabulis Ceretibus & Aulus Gellius lib. 16. cap. 13. Primos autem municipes, inquit, ſine ſuffragii jure Cerites eſſe factos accipimus. Conceſſumque illis, ut civitates Romanæ honorem quidem caperent, ſed negociis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis cuſtoditiſque. Hinc tabulæ Cerites appellatæ, verſa vice, in quas cenſores referri jubebant, quos notæ cauſa ſuffragiis privabant. Confine videtur illi, quod alibi diximus, *Sutorium atramentum.*

Hi bonorum virorum eſt morbus.

Αὕτη γε χρηστῶν ἐστὶν ἀνδρῶν ἡ νόσος.
Id eſt:
At iſte ſane morbus eſt probi viri.

Suidas propemodum ut proverbiale citat. Extat autem apud Ariſtophanem in Veſpis. Uti licebit, cum id probro datur, quod magis laudi duci oportebat. Finitimum illi, ex Euripides Aulidenſi Iphigenia,

Καλόν γέ μοι τοὔνειδος ἐξωνείδισας.
Id eſt:
Mihi opprobraſti probrum honeſtum ſcilicet.

Aut εἰρωνικῶς, in triſtia quædam ſevera vitia: quæ cum atrociora ſint, tamen minus obnoxia ſunt infamiæ, quod his magnates ac probati laborent. Quis enim non execratur furem? At longe fœdius eſt adulterium: quod tamen proceres ſibi propemodum laudi tribuunt. Invidere, obtrectare, ſtudere congerendis opibus, longe ſcéleratius eſt, quam puellam habere, qui cum cubites, ob nocturnos (ut divus ait Hieronymus) metus. At hoc qui facit ſacerdos, vappa vocatur ac ſterquilinium: & integri ſanctiq; habentur, qui ambitione tument, avaritia contabeſcunt, invidentiæ virus afflant omnibus: quod videlicet hi bonorum virorum morbi ſunt.

Quem fortuna pinxerit.

Ὃν ἡ τύχη μέλανα γράψει, τοῦτον πᾶς χρόνος οὐ δύναται λευκῶσαι, id eſt, Quem fortuna nigrum ſcripſerit, hunc non univerſum ævum candidum reddere poteſt, hoc eſt, Cui fortuna refragatur, huic quicquid tentaverit, infeliciter cedet. Alluſum eſt ad nigros & albos calculos ſuffragiorum. Recenſetur in Collectaneis Apoſtolii.

Cur non ſuſpendis te?

Τί οὐκ ἀπήγξω, ἵνα Θήβῃσιν ἥρως γένῃ; id eſt, Quin te ſuſpendis, ut apud Thebanos heros fias? Apud alios ſummus honos habebatur iis, qui ſibi mortem conſciviſſent, præſertim pro ſalute patriæ, ut apud Atticos Codro pro patria non timido morti: Apud Romanos Deciis, & Quinto Curtio, M. Catoni Uticenſi, Bruto, & aliis pleriſque: apud Thebanos autem nullus honos habebatur iis, qui ſibi vim attuliſſent. Unde per ironiam dictum putant, ut Thebis lemideus fias. Dici poſſe videtur in eos, qui famæ ducti cupiditate, ſemet periculis gravibus objiciunt. Refertur a Zenodoto.

Adhortantis ad gloriam.

Cum adhortabimur ad immortalem gloriam egregiis parandam

factis non inconcinniter adhibebimus illud carmen, quo M. Tull. aliquot uſus eſt locis.

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Id eſt,

Strenuus eſto, quo te poſteritas quoque laudet.

Extat autem apud Homerum cum alias, tum Odyſſeæ lib. primo. Sic enim Pallas in ſpecie Mentoris adhortatur Telemachum ad virtutem, aliorum illuſtrium heroum exemplo,

Καὶ σὺ φίλος (μάλα γάρ σ' ὁρόω καλόν τε μέγαν τε)
Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Id eſt,

Tuq; age (quando te video magnumque bonumq;)
Strenuus eſto, ut te te & poſtera prædicet ætas.

Fractis auribus.

Galenus contra Thraſybulum. ὧν ἐστὶ καὶ θαυμάσαι καὶ τὰ περιφερόμενα συγγράμματα, παρὰ τῶν τὰ ὦτα κατεαγότων ἐκφερόμενα, id eſt, Quorum ſunt admirandi iſta libri, qui circumferuntur ab his qui fractas gerunt aures, De pugilibus, ni fallor, ſentit, qui poſtea facti medici, ſcribunt libros: aut potius de libris imperitorum medicorum, qui leguntur à pugilibus, qui ſolent habere laceras aures, more ſuum, oculos ſugillatos, totam faciem tuberibus notatam, ex arte quam exercent. Galenus enim crebro deſtomachatur in athletarum genus. Uſus eſt hoc adagio Plato in Gorgia, nec ſatis liquet quo ſenſu. Etenim quum Socrates dixiſſet ſe audire, quod Pericles reddidiſſet Athenienſes deteriores, nimirum ignavos ac timidos, loquaces & avaros, ut qui primus mercenaria ſtipendia inſtituiſſet: Callicles reſpondet, τῶν τὰ ὦτα κατεαγότων ἀκούεις ταῦτα, ὦ Σώκρατες, i. Ab his qui aures habent fractas, audis iſta ò Socrates. Sentit opinor de athletis & barbaris, quibus ignavi videntur à militari ferocia alieni. Hanc conjecturam meam tantiſper valere volo, dum aliquid adferetur exploratius. De perforatis auribus dictũ eſt alias. Conveniet in hominem pugnacem, & ut notantem multos, ita notatum à multis.

PROCLIVITAS.

ERASMI. *Currentem incitare.*

Τὸν τρέχοντα ὀτρύνειν, id eſt, Currentem incitare, eſt adhortari quempiam ad id, ad quod jam ſuapte ſponte tendit. Atque hac figura mitigamus, vel præcludimus magis offenſam admonitionis. Cicero ad Caſſium, Ut Cæſarem in Italia viderem, ſic enim arbitrabamur, eumq; multis honeſtiſſimis viris conſervatis, ad pacem currentem, ut ajunt, incitarem. Idem ad Quintum fratrem lib. ij Quare facis tu quidem fraterne, quod me hortaris. Sed me hercle, currẽtem nunc quidẽ. Rurſus ad Atticum: Quod me hortaris, ut eos dies conſumam in Philoſophia explicanda: currentem tu quidem. Idem in Oratore: Facilius enim eſt, currentem, quod ajunt, incitare, quam commovere languentem. Plin. ad Caninium, Scio te ſtimulis non egere: me tamen tui charitas evocat, ut currentem quoq; inſtigem. Ducta eſt metaphora ab his, qui curſu certant, quibus acclamatio ſolet addere velocitatem. Lucian. ex Homero citat ad Nigrinum: θάρρει, ὦ γαθέ, τοῦτο γάρ τοι τὸ τοῦ Ὁμήρου, σπεύδοντα καὶ αὐτὸν παρακαλεῖς. i. Bono es animo, quandoquidem juxta Homericum illud, hortaris eum, qui ipſe ſua ſponte properet. Extat autem Iliad. ζ.

Ἀτρείδη κύδιστε, τί με σπεύδοντα καὶ αὐτὸν
Ὀτρύνεις;

Id eſt:

Quid me ſponte mea propetantem maxime Atrida
Extimulas? ———

Eodem alluſit Odyſſ. ω.

Ὣς εἰπὼν ὤτρυνε πάρος μεμαυῖαν Ἀθήνην.

Id eſt,

Jamdudum promptam, ac cupientem, bis Pallada dictis
Excitat. ———

Itaq; currentem incitamus, cum ad id vocamus aliquem, ad quod ſuapte cupiditate fertur, ac propendet. Quemadmodum memorat Dion. Timotheum cantorem quempiam certa quadam cantione, quæ Palladis vocatur, Alexandri Magni animum repente ad belli cupiditatem incitare ſolitum. Atq; incitabat ille quidẽ, ſed ſponte currentem, utpote naturâ ſanguinarium & belli ſitientiſſimum. Alioqui Sardanapalum illũm ἁβρότατον, id eſt molliſſimum, iiſdem modis haud unquam comovisſet. Terent. in Andria torſit in malam partem, omiſſa metaphora: Age ſi hic non inſanit ſatis ſua ſpõte, inſtiga. Huc pertinent illa M. Tullio familiaria, E curſu revocare. In principio Topicorum, E curſu ipſo revocavit voluntas tua. Et, In curſu eſſe: &, Curſum interrumpere.

Calcar addere currenti.

Eandem ſententiam aliunde ducta metaphora, extulit Plinius junior in epiſt quadam ad Pompejum Saturninum: Flagitabas ut tibi aliquid ex meis ſcriptis mitterem, cum ego id ipſum deſtinaſſem. Addidiſti ergo calcaria ſponte currẽti. Translatione ſumpta ab equitibus, qui nonnunquam etiam ſponte currentibus equis, quo curſitẽt celerius, calcar addunt. Ita nobis calcar addit, qui extimulat languentes: addit currentibus, qui cupiditatem ac ſtudium noſtrum auget acuitque.

Ovidius,

Non opus admiſſo ſubdere calcar equo.

Sunt autem ferme proverbiales in totum illæ metaphoræ: Subducere calcar, ſubdere ſtimulos, quemadmodum & illæ, Injicere frenum, compeſcere freno, revocare freno. M. Tullius ad Atticum: Adſcribit etiam, & quaſi calcar admovet. Idem ad eundem lib. vj Sed alter, ut dixit Iſocrates in Ephoro & Theopompo, frenis eget, alter calcaribus. Plato lib. De legibus 9. ἐς καλόν, ὦ Κλεινία, χρεῖόν τι μοι ὥσπερ φερόμενον αὖ τοῦ λόγου κατέσχες. i. Opportune me Clinia, impetu currentem retudiſti. Et illud Ciceronis: E medio curſu revocavit.

Bene plauſtrum perculit.

Ruſticorum proverbium eſt, Bene plauſtrum perculit, Apparet dici ſolitum in eos, qui quem impellunt, quo ſuapte ſponte jam propẽdebat. Translatum à plauſtris onuſtis, quæ quo exonerentur, ſolent everti. Fit autem id commodius in eam partem, inquam propter ſolum declivius inclinant. Donatus indicavit hoc adagium, exponens in Eunucho hæc Parmenonis verba: Perculeris jam tu me? Ab hac ſententia non abhorret Plautinum illud in Curculione: Qui monet, quaſi adjuvat. Verba ſunt lenonis, qui libentius ſit mutaturus fidem, admonitus à trapezita, quod tamen vel citra monitorem erat facturus. Idem eleganter expreſſit Sophocles apud Plutarchum in vita Artaxerxis,

Ταχεῖα πειθὼ τῶν κακῶν ὁδοιπορεῖ.

Id eſt:

Rerum malarum facilis eſt perſuaſio.

Pleriqne ad deteriora proclives ſunt.

A vicinis exemplum habent.

Ἐκ τῶν γειτόνων ἔχειν τὸ παράδειγμα. i. A vicinis ſumunt exemplum. Qui faciunt quippiam aliorum exemplo provocati. Vicinus enim vicino morbum ſuum affricat. & malorum commercio reddimur deteriores. Huc nimirum alluſit Terentius in Andria,

Quid iſthuc tam mirum eſt, de te ſi exemplum capit?

In planiciem equum.

Ἐς πεδίον τὸν ἵππον, id eſt, In planiciem equum. Quoties quis ad id provocatur, in quo plurimum valet, quoque vel maxime gaudet. Equus in campo tanquam in ſua eſt harena. Apud Lucianum in Captivo, quum ipſe Iudices poſtularet, Plato reſpõdit, τοῦτο ἐκεῖνο, εἰς πεδίον τὸν ἵππον, id eſt. Hoc ipſum (quod dici ſolet) equum in planiciem: videlicet hominem rhetoricum ſignificans, & in agendis cauſis exercitatum. Plato in Theæteto. ἱππέας εἰς πεδίον προκαλῇ, Σωκράτη εἰς λόγους, id eſt. Equites in planitiem provocas, Socratem ad diſputandum. Tametſi quidam codices ἵππον, habent hoc loco, non ἱππέας. Syneſius in epiſtola quadam: Ἐπ' αὐτὸ δὲ τοῦτο προκαλῶ, ἵππον εἰς πεδίον, τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου, παρορμᾶν ἡγούμενος, id eſt. Ad hoc ipſum certe provoco, equum in planiciem (juxta id quod dicitur) adhortari me putans. Translatum videtur à militia. Nam quoties res eſt pediti cum equite, pedes fugit campeſtria, ſectaturque loca impeditiora.

Muſtela ſevum.

Γαλῆ στέαρ, id eſt, Muſtelæ pingue, ſub audiendum das, aut committis. Cum ea dantur, quorum qui accipiunt, natura ſunt appetẽtiſſimi. Gaudet enim hoc animal præcipue ſævo. Veluti ſi quis laudaret laudis avidiſſimum: aut adbibendum provocaret, naturâ bibo ſum: aut ad aleam invitaret, quibus hic ludus impendio gratus eſſet. Refertur adagium a Diogeniano.

Una ſcutica omneis impellit.

——Μία μάστιξ πάντας ἐλαύνει.

Id eſt:

——Una ſcutica incitat omneis.

Hemiſtichium heroicum ad negocio dictum, quod facile fieret, videlicet à promptis omnibus, & ſuapte ſponte currentibus. Fortaſſis aptè dicetur in hos, quos eadem cauſa impellit: puta eadem ſpes lucri, ſtudium commune, idem amor aut odium: Sumptum ab aurigis. Autor Suidas. Uſurpat Plutarch. in vita Lycurgi, ſcribens urbem Lacedæmoniorum ἀπὸ σκυτάλης μιᾶς καὶ τρίβωνος ἄρχουσαν τῆς Ἑλλάδος ἑκούσης καὶ βουλομένης id eſt, Scytala ac ſago imperantem Græciæ ſpontaneæ volentique.

Lydum in planiciem provocas.

Λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς, id eſt, Lydum in campum provocas. In eum competit, qui laceſſit jam dudum ad id propenſum, ac prõptum. Noti ſunt Lydi, quod ad bellum capeſſendum æquo propenſiores eſſent. Herodotus lib. j. docet Lydos equitatu valuiſſe, Proinde Crœſus optat Jones equitatu venire oppugnatum Lydos. Finitimum ei quod ſupra recenſuimus, τὸν ἵππον εἰς πεδίον.

Sphæra per præcipitium.

Ejuſmodi proverbium refertur ab Euſtathio in Iliados Homeri librum ſecundũm, ἡ σφαῖρα κατὰ πρανοῦς, id eſt, Globus per declive, ſubaudiendum, volvitur aut mittitur. Perinde eſt quaſi dicas, currentem incitare. Nam ſphæra vel ſuapte ſponte facile per locum declivem devolvitur. Nec male quadrabit in eos, qui vitæ genus aliquod nacti ſunt, ad quod videntur eſſe naturâ propenſi: ut conveniat cum illo, τὸν ἵππον εἰς πεδίον, id eſt, Equum in planiciem.

Uno digitulo.

Uno digitulo, ſummam negocii facultatem ſignificabant. Terent. in Eunucho: Qui mihi nunc uno digitulo fores aperis fortunatus, Ne tu iſtas faxo, calcibus ſæpe inſultabis fruſtra. Hieronymus in dialogo Luciferani & Orthodoxi: Hanc igitur haſtam, quam totis viribus myſiſti, de qua nobis minitaris uno, ut ajunt, digitulo repellam. Huc pertinet & illud, quod alibi dictum eſt, Minimo provocare: cum ſignificamus, nos vel nullo negócio poſſe vincere.

Suade lupis ut inſaniant.

Πείσαις τοι μέλλοντι καὶ τῶ λύκως αὐτίκα λυσσῆν.

Id eſt,

Hoc quoque Milo lupis mox perſuadeto rabire.

Ubi quis animum inducit ad rem ſtultiſſimam, quam non aggrederetur, niſi inſanus, nã lupi inſaniunt vel ſua ſponte, veluti ſi quis tyrannum inſtiget ad crudelitatem, cum plus ſatis ſæviat ſuopte ingenio. Rabies proprie canum eſt: unde Scholiaſtes Theocriti putat hoc velut abſurdum proponi. Sed canes aliquando rabiunt, lupi nunquam non rabiunt.

In numerato.

In numerato habere, ſi ad animi rem transferatur, proverbii rationem habuerit: velut Octavius Auguſtus (ut refert Seneca) pronunciavit de Vinitio oratore, quod ingenium in numerato haberet: propterea quod in cauſis agendis ingenio eſſet præſentiſſimo, & quicquid aliis præſtaret diutina cogitatio, id illi prima ſtatim animi intentio daret. Sumptum eſt ab his, qui res ſuas ad certiſſimum calculum redegerunt. hoc eſt, ad pecuniam numeratam. Quintilianus in ſexto: De actore, inquit, facile dicente ex tempore dictum eſt olim, ingenium eum in numerato habere. Vide proverbium, Numero dixiſti.

Titio ad ignem.

Δαλὸς ἐπὶ πῦρ, id eſt, Titio ad ignem, ubi quis applicatur ad res ad quas naturâ propenſus eſt. Ut ſi mulieroſus ad puellarum convictum, ſanguinis avidus ad militiam, lucri ſitiens ad mercaturã. δαλὸν enim Græci vocant lignum ſemiuſtulatum. Non admodum abludit ab illo, εἰς ἀμίδα ἐνουρεῖν, id eſt, In matulam immeire. Réfer- Refertur a Suida & Zenodoto.

Maturior moro.

Πεπαίτερος μόρου. De Hectore Æſchylus in Phrygibus ita loquitur apud Athenæum lib. ij.

Ἀνὴρ γ' ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος μόρου.

Id eſt:

Porro vir ille erat moro maturior.

Dici poteſt vel in hominem miti ingenio prædìtum; vel in mollem, vel in vehementer propenſum ad aliquid velut, in virginẽ nupturientem. Addit ex Nicandro, hujus arboris fructum primum omnium apparẽre. Additur & huic arbori velitatio, ... maturitatem. Opinor fici genus eſſe, quum ſcribitur per ὀμφακίην, μόρον.

Olla lenticulam attigit.

Epicharmus apud Athenæum, eo quem alibi citavimus loco, χύτρα δὲ φακῆς ἔθιγεν, Sed olla lenticulam attigit. Conveniet in eos, qui vehementer propenſi ſunt ad aliquid, velut huc nati, ut ultro nulla data occaſione ſe conferant ad id quod appetunt. Olla fictilis videtur amare lentem, ac veluti ultro venire ad lentem. Simile illi quod alibi retulimus, Ipſa olera olla legit: &, Equum in planiciem.

Ignis ad torrem.

Πῦρ ἐπὶ δαλῷ ἰλθὼν, id eſt, Ignis ad torrem veniens. De negócio, quod raptim facileq; congeritur: quaſi cum ultro ignis ad torrem tranſvolat, ob materiei ſiccitatem. Meminit Diogenianus. Simile fuerit, Ignis ad naphtham. Eſt autem naphtha, bituminis genus, ad quod flamma vel è longinquo tranſvolat.

Quam facile vulpes pyrum comeſt.

Plautus in Moſtellaria: Tam facile vinces, quam vulpes pyrum comeſt. De re factu proclivi, quod nihil negocii ſit vulpi dentatiſſimæ, pyrum edere.

Tam in proclivi quam imber.

Non abſque proverbii ſpecie dictum eſt illud à Plauto in fabula, cui titulus eſt, Captivi duo:

Tum hoc tibi in proclivi quam imber eſt, quando pluit.

Nam proclive proprie dicitur, quod ex alto deorſum propendet. Arduum eſt autem onera ſubmoliri in altum: deorſum vero vel ſuapte ſponte devolvuntur.

Tanquam de narthecio.

Proverbii ſimillimum eſt & illud Ciceronis in ij. De finibus Bonorum libro. Tanquam de narthecio: pro eo quod eſt, ex parato, & ad manum. Nam narthecium, opinor, vocat pyxidem, unde pharmacopolæ depromunt medicamenta. Verba Ciceronis ſic habent: Jam doloris medicamenta illa Epicurea, tanquam de narthecio promant, ſi gravis brevis: ſi longus, levis.

Mercator naviga, & expone.

Strabo libro Geographiæ decimo quarto, refert hujuſmodi proverbium, ἔμπορε κατάπλευσον, ἐξελοῦ, πάντα πέπραται, id eſt, Mercator adnaviga, expone: omnia divendita ſunt. Ait natum à Cilicibus, olim piraticam exercentibus, quorum præcipuus quæſtus erat ex mancipiis: quæ propter opportunitatem loci facile capiebantur, & celerrime diſtrahebantur: quod Delus, quæ non procul aberat, emporium præſtaret & amplum & pecunioſum, ut illic eodem die præſente pecunia, multa mancipiorum milia diſtrahi poſſint & evehi. In cauſſa erat illud quoque, quod Romani ex Carthagine Corinthoque ſubverſis, vehementer locupletati fuerant, eoq; pluribus mancipiis uti cœperunt. Si quid habet proverbium, præter rei geſtæ memoriam, poterimus uti, quoties ſignificabim⁹ rei cujuſpiam eſſe tantam aviditatem, ut nulla copia ſufficiat: præſertim ſi quid mali ſit, quod expeditur. quemadmodum nihil avidius emitur, quam nugaces quidam, & ſeditioſi libelli, faſtidius bonis authoribus.

Una pertica.

Una pertica, pro eo quod eſt, eadem opera. Plinius Secundus libro octavo, epiſt. ij. Nam regione, inquit, tota, & novitas remiſſione, & forma laudatur, ipſis etiam, quos non una, ut dicitur, pertica, ſed diſtincte gradatimq; tractavi. Quanto quis melior & probior, tanto mihi obligatior abit, expertus eſſe non apud me,

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

Id eſt,

Vir malus ac fortis precio ducuntur eodem.

Sumptum videtur ab his qui metiuntur agros. Perticam poſuit pro decempeda. Nam Servius Sulpitius (ut indicat Feſtus Pompeius) dixit perticam eſſe lineam qua dividuntur agri, & verſus eſt Homericus lib. Iliad ix quem alibi recenſuimus atque expoſuimus.

Tarichus aſſus eſt ſimulatque viderit ignem.

Τάριχος ὀπτὸς ὡς θᾶσσον ἴδῃ τὸ πῦρ.

Id eſt,

Tarichus aſſus mox ut ignem viderit.

Athenæus libro tertio, proverbii loco citat. Eſt autem Tarichus piſcis ſalſus, de quo nonnulla in proverbio, Si non adſunt carnes. Opinor idem eſſe cum illo, ἀφύη εἰς τὸ πῦρ, quod ante jam expoſuimus in proverbio. Aphya in ignem. Eodem in loco refert & hunc verſum ceu proverbialem:

Οὐκ ἀπώλετο τάριχος, ὧν περ ἄξιος.

Id eſt,

Tarichus haud laturus eſt, queis dignus eſt.

IUNII. *Tanquam ſi pupillas moveas.*

Ὥσπερ κόρας κινεῖν, Tanquam ſi pupillis nictites. Annotat Heſychius, proverbialiter dici de re factu proclivi, & in qua nihil difficultatis ſit. Sic enim inquit, ἐπὶ τῶν ῥᾳδίως λεγόντων, nihil autem pupilla magis lubricũ: ac proinde mobilius expeditiuſve creavit natura, ut hinc vernacula lingua noſtra ſumpſerit adagium, quod intra nictum oculi aliquid perfectum iri loquitur, quod facili momento dictoque citius abſolvi poſſit. Admonendus eſt tamen obiter lector mendæ quæ in Heſychii codice inhæret: ubi perperã ſcriptum inveniet ἰλᾶν, pro κινεῖν.

Facilius quam Oreum devicerint Bœoti.

Ῥᾷον ἢ τὸν Ὠρεὸν ἐπολιόρκησαν οἱ Βοιωτοί, id eſt, Citius quam Oreum devicerint Bœoti, Proverbium dici admonet Suidas de iis, qui limites ſuos tranſcendunt. Ego arbitror efferri poſſe de expeditione celeriter confecta: vel etiam de re factu proclivi. Oreon Eubœæ urbem conſtat eſſe in Bœotiæ confinius, quam Bœoti noctu adorti in poteſtatem ſine magna difficultate redegerunt, de iis namque Apollodori verba interpretanda exiſtimo apud Stephanum.

Quam facile canis exta edit.

Quam facile canis exta edit, Proverbiale dicterium eſt apud Annæum Senecam in Apocolocyntoſi ſeu Ludo de morte Claudii Cæſ. ubi D. Auguſtus introducitur hunc in modum ſententiã ſuã diſſerens. Qui vobis nõ poſſe videtur muſcam excitare, tam facile homines occidebat, quam canis exta edit. Iſta namque lectio magis placet, quam vulgata, quæ legit. Quam canis excidit: ut annotatum eſt à me nuper in annotationibus in eum librum: faventq; illi ſcripturæ doctorum pleríque. Dicitur de re expedita, & oppidò quam facillima facta, quo pertinet illud Horatii:

Ut canis à corio nunquam abſterrebitur uncto.

BRASSICANI. *Muſas hortari ut canant.*

Auſonius in epiſt. ad Symmachum, ejuſmodi proverbialia ſchemata, quibus ſignificamus nos eum inhortari qui ſua ſponte atque adeo non rogatus in negocium incumbat, eleganter expreſſit: Muſas hortari ut canant, maria ut effluant, auras ut vigeant, ignes ut caleant.

COGNATI. *In mundo, ad manum.*

Antiqui homines cum aliquid in promptu, palam & in expedito ac cito

ſet cito eſſe intelligi volebant, hoc adverbio familiariter utebantur. Plautus in Pſeudolo: Quia ſciebam (inquit ſervus) mihi piſtrinum in mundo fore. Idem in Penulo: Id quidem in mundo nunc eſt tuæ. In Perſa: Nempe habeo in mundo. In Pſeudolo: Piſtrinũ in mundo ſcibam, ſi id facerem mihi, Simo. Non à me ſcibas piſtrinum in mundo tibi? A mundo muliebri id ductũ eſt. Mulieres enim quæ ad cultũ corporis faciunt, in promptu habent, conduntque omnia in arcula diligenter, ut præſto cum uti velint, ſemper ſint. Sive in mundo dicebant, ſignificantes pœnam illam, aut malum extare, ut illi conſcii ſibi ſuæ vitæ, in ſe cadere facile id poſſe intelligerent, obſcure ut mos eſt minantium, quod volebant indicantes: ut ſi furem improbum ve aliquem hominem, verbis perterrefacere volentes, diceremus: Nonne tu ſcis inveniri carcerem, compedes, carnificem? De eo Sextus Pompeius & Flavius Soſipater. Item Chariſtus hunc Ennii locum afferens. Tibi vita ſeu mors in mundo eſt. Heſychius ad manũ quæ ſunt, prompta & parata interpretatur. & ſervum ad manum ad multa utilem, hoc modo [illegible]

Πάρεστι ἐν ὁδῷ.

Per translationem ſolet dici, Hæc res eſt in promptu: id eſt, præſto parata, manifeſta, & ad manum ut ſtatim promi, id eſt, proferri poſſit. Cicer. libro primo Officio. Quæ quanquam ita ſint in promptu, ut res diſputatione non egeat, ut præſentarium argentũ Plauto, pro in numerato exiſtenti. Lucretius in principio lib. vj.

> Omnia jam ferme mortalibus eſſe parata.

Id eſt, quaſi in medio poſita & parabilia. Natura parabilibus contenta eſt: Lucret. lib. ij.

> Omnibus in promptu, manifeſtumque eſſe videmus.

Id eſt, ante oculos omnium poſitum, omnibus apertum, ἐπιπολῆς ἐστι. Vide alibi, In numerato habere: &, In promptu poſita.

In numerato eſſe, ſeu habere.

In numerato eſſe, eſt paratum eſſe, & promptu facile, quod quamprimum promi poteſt: a pecunia numerata & repoſita, parata, expedita, ac deprompta, tracta locutio. Gallica etiam lingua, cum pecuniam præſentem ſignificare vult, non in diem ſolvendã, eundem ſermonem uſurpat, argentum numeratum dicens, Reallement & de fait, ut præſentarium argentum Plauto pro in numerato exiſtenti. Inde ingenium in numerato habere, metaphorice dictum eſt. Quinti lib. vj. De Pollione Aſinio, jocis ſeriiſque pariter accommodato, dictum eſt, eſſe omnium horarum: & de actore facile dicente ex tempore, ingeniũ eum in numerato habere. In procinctu eſſe vel vivere, etiam eodem pertinet: ſermo tractus ab exercitibus ad pugnam paratis. Gellius: Cum procinctæ igitur claſſes erant, & inſtructa acies, cœptum in hoſtẽ progredi, tibicines canere inceptabant. Idem Quintil. lib. x. Qui autem ſciret quo quæq; modo ſint dicenda, niſi tanquam in procinctu paratam quidem in omnes caſus eloquentiam habuerit, velut clauſis theſauris incubat. Hinc in procinctu vivere, ſignificat ſemper ocreatum eſſe, & inſtratos equos habere, & frenatos ad profectionem, quæ in omnem horam diemque impendere videtur. Omnis enim dies atque omnis hora tendit & ad pugnam, & ad fatum extremum. Quare ſemper paratos & expeditos, & tanquam in procinctu confirmatos eſſe oportet. Quæ etiam ad manum ſunt & præſto, in numerato eſſe dicuntur, ut diximus. Vide alibi, πάρεστι ἐν ὁδῷ, In promptu.

Ponere certum, difficile'ſt.

Pulchre dictum. Idem Lucretius eodem lib v.

> Nam quid in hoc mundo ſit eorum, ponere certum,
> Difficile'ſt. ——

Ita ſolebat Epicurus loqui, cum ageret de rebus incertis: Nihil eorum, quæ ſunt in promptu poſita, contra hæc teſtimonium dicit, &, Hæc non pugnant cum iis, quæ ſunt in promptu poſita, &: Qui unum principium rerum omnium ſumunt, & iis quæ ſunt in promptu repugnant, & facultate cognoſcendi ſitne in hominis poteſtate poſitum, exciperunt. Idem Lucretius hoc eodem quinto libro:

> ——Sed quæ ſit earum
> Præcipere, haudquaquam eſt pedetentim progredientis.
> Idem ibidem:
> Difficile eſt ratione docere, & vincere verbis. &c.
> Libro ſecundo:
> Et quam difficile id mihi ſit pervincere verbis.

Vide, ante, πάρεστι ἐν ὁδῷ. In numerato habere.

In manu eſt.

Uſus & ſignificatio hujus locutionis pulchre declaratur à Cicer. Offic. j. quaſi per exegeſin: Quod ad præſens, inquit, tanquam in manu datur, jucundius eſt. Sic Cælius ad Cicer. libro octavo Epiſt. Quam velis eum obligare, in manu tua eſt. Seneca libro De clementia primo, capite primo Qualem quiſq; ſortem ſtatumque habeat, in manu mea poſitum eſt. Dicit Nero, in facili ſibi eſſe, locupletare quos libet, vel etiam fortunis ſpoliare. Rem ergo certam eleganter dicimus In manu poſitam, quaſi manum comprehenſam Dicitur & in manibus, & ad manum, & præ manibus, & ſub manu. & inter manus. Duo poſtrema rariora ſunt, ideo exempla ſubjiciam. Seneca ad Lucil. Conſilium naſci ſub die debet: hoc quoque tardum eſt: ſub manu, ut ajunt, conſilium naſcatur. Tranquill. in Auguſto: Quo celerius, & ſub manu annunciari cognoſcique poſſet, quod in provincia quaq; generetur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Eſt autem ſub manu eſſe, ad latas expeditum, promptumq; in uſum, ſive eſſe in promptu, & in proximo. Inter manus quoq; dicitur per translationem, pro, in poteſtate eſſe. Virg. Æneid. xj.

> Cætera qua rerum jaceant perculſa ruina,
> Ante oculos, interque manus ſunt omnia veſtras.

Præ manibus, pro, in manibus, vel inter manus. Plaut. in Bacchid. Reddidi patri omne aurum, quod mihi fuit præ manibus. Poteſt etiam interpretari manus, imperium, aut arbitrium, ut illud Tranquillin. Nerone: Omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe fortunæ. id eſt, in poteſtate: quod Græci dicunt, ἐν χερσὶν εἶναι Lucianus libro primo:

> In manibus veſtris, quantus ſit Cæſar, habetis.

PROFICIENTIVM IN MELIVS.

ERASMI. *Ab aſinis ad boves tranſcendere.*

Huc ſpectat illud Plautinum ab Aſinis ad boves tranſcendere: pro eo quod eſt, ex humiliore conditione ad ditiorum partes tranſire. Sic enim apud Plautum in Aulularia, Euclio, cujus pauperculi dives quidam expetebat affinitatem: Venit hoc mihi in mentem Megadore, te eſſe hominem divitem, factioſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum. Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit, te bovẽ eſſe, & me eſſe aſellum. Ubi te cum conjunctus ſiem, ubi onus nequeam portare pariter, jaceam ego aſinus in luto, tu me bos haud magis reſpicias, natus quam ſi nunquam ſiem. Et te utar iniquiore, & meus me ordo irrideat, neutrobi habeam ſtabile ſtabulum, ſi quid divortii fuat. Aſini me mordicus ſcindant, boves incurſent cornibus. Hoc magnum periculum eſt. me ab aſinis ad boves tranſcendere, Hactenus Plautus. Videtur allegoria ex apologo quopiam mutuo ſumpta, qui mihi in præſentia non ſuccurrit.

Dives factus jam deſiit gaudere lente.

> Ἐπειδὴ πλουτεῖ, οὐκέθ' ἥδεται φακῇ.
> Id eſt:
> Lenticula diviti placere deſiit.

Lens legumen, pauperum ac tenuium cibus: quæ faſtiditur ſimulatque lautior fortuna contigit. Unde proverbium in eos, quibus ad uberiorem conditionem evectis, faſtidio ſunt ea, quæ prius in opes, boni conſulebant. Sumptum eſt adagium ex Ariſtophanis Pluto. Dicitur enim illic in adoleſcentem: qui quum pauper haberet conſuetudinem cum anu nactus divitias, cœpit illam faſtidire. Non diſſimile illi quod alibi recenſuimus, ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

Satis quercus.

Ἄλις δρυός, id eſt. Sat quercus. Vetus adagium in eos, qui relicto victu ſordido, ad elegantiorem lautioremq; digrediuntur. Inde profectum, quod priſci illi mortales rudes atque inculti, ſimul atque Ceres uſum frumenti monſtravit, glandibus victitare deſierunt. Quanquam Plinius libro decimo ſexto, teſtatur, & ſua ætate militas gentes glande victitaſſe: apud Hiſpanos etiam in deliciis habitam, adeo ut bellariorum vice ſecundis menſis inferretur. Hujuſmodi nimirum tragemata conveniebant iis quibus dẽtrificii loco lotium eſſet. Nec inconcinne quadrabit in eos, qui relicta antiqua illa virtute, ad mores conſiliaque ſui ſeculi ſeſe transferunt, ac recentiorum moribus incipiunt uti. Hunc ad modum videtur uſus Cicero, ſcribens ad Atticum libro ſecundo, in epiſtola cujus initium, Multa me ſolicitant. Clodii contentiones, quæ mihi proponuntur, modice me tangunt: etenim vel ſubire eas videor ſumma cum dignitate, vel declinare nulla cum moleſtia poſſe. Dices fortaſſis, ἄλις tanquam δρυός. Saluti, ſi me amans, conſule. Me miſerum, cur non ades? Atque ita quidem in omnibus legitur exemplaribus: verum equidem doctis, ut ſpero, comprobaturis, ſic legendum eſſe contẽderim: Dignitatis tanquam δρυὸς ἅλις. Saluti, ſi me amas, conſule: ut intelligas, dignitatis rationem quaſi quercum & priſcum illud virtutis ſtupium omittendum eſſe, poſthac ſaluti potius conſulendum quam famæ. Id quod & alibi ſcribit ſibi eſſe in animo, nempe ad eundem Atticum libro quarto. Sub turpicula mihi videbatur eſſe palinodia, ſed valeant vera, recta, honeſta conſilia. Apertius velut interpretatur adagiũ ad hunc ipſum libro ſecundo, Quid ergo, inquies? Iſtos mercede conductos habebimus? Quid faciemus, ſi aliter non poſſumus? An libertinis atque etiam ſervis ſerviamus? Sed ut tu ais, ἅλις σπουδῆς. Exponens nimirum quid intellexerit δρυὸς, hoc eſt, probitatem ac virtutem. Nihil autem prohibet, quo minus & in genere proverbium uſurpemus, quoties priſtinum aliquod ſtudium, aut inſtitutum relinquitur.

Non enim ſpinæ.

Οὐ γὰρ ἄκανθαι, id eſt, Non enim ſpinæ. De conditione dicebatur in melius commutata. Sumpta metaphora à novalibus, quæ repurgatis ſpinis frugiferæ incipiũt eſſe. Recte quadrabit de nego

cio prius infrugero ac moleſto, unde poſtea capitur emolumentum. Quidam inde natū exiſtimant, quod antiquitus ante repertam agricolationem, agri ſpinis in frugiferis occupabantur, mortaleſque duram quandam & agreſtem agebant vitam. Deinde oſtenſa ratione colendi terram, mitior victus ſucceſſit. Atq; hinc dici cœptum. Non enim ſpinæ. Concordat cum hoc interpretamento, quod alio diximus loco, de puero geſtante ſpineas frōdes & panes in nuptiis, ac dicente, ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον, id eſt: Effugi malum, nactus ſum melius. Legitur & illud, βίος ἀκανθώδης, id eſt, Vita ſpinoſa, pro incommoda & infrugifera.

Effugi malum, inveni bonum.

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Id eſt,

Evaſi mala, ſum nactus meliora.

Hemiſtichium proverbiale, dici ſolitum ſi quando fortuna lautior cuipiam contigiſſet. Natum ajunt à ceremoniis nuptialibus. Nam Athenis mos erat ut in nuptiis puer quiſpiam induceretur undique ſpineis frondibus & quernis glandibus opertus, coronatuſque, cunas geſtans panibus impletas. Dicebat autem hæc,

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Ea vox bene ominabatur ſponſo ſponſæque, tanquam ad meliorem uſque fortunam profecturis. Malum enim vocabat ſpinas & glandes, panes bonum: propterea quod ſteriles ſpinæ, juxta proverbium, quod alio poſuimus loco, οὐ γὰρ ἄκαρπος. Et glandibus victitabant agreſtes illi priſci, juxta illud, ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα. Reperto frumentorum uſu, glandium eſus faſtidiri cœptus. Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte, ſignificat id dici ſolere ab iis qui initiabantur, quum peractis injuriis, quibus agitabantur ante myſteria, jam ad honorem imitationis admittentur. Nam Æſchini objicit quod noctu miniſtrans imitandis, abſterſo luto juſſit eos dicere,

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

Ariſtophanes in Pluto.

Ἔπειτα πλουτῶν οὐκ ἔθ' ἥδεται φακῇ.

Id eſt,

Ubi dives eſt, haud lente gaudet amplius.

De juvene qui nactus Plutum, faſtidit anum cui pauper morem geſſerat. Diverſum eſt huic quod Julius Pollux libro ſexto refert ex Eupolide,

Οἴνου παρόντος, ὄξος ἠγόρασε πιεῖν.

Id eſt:

Præſente vino bibere acetum maluit.

Adagium à Zenodoto refertur.

Iuxta cubitum profecit.

Κατὰ πῆχυν ἐπιδέδωκε, id eſt, Iuxta cubitum profecit. De eo dicebatur, qui promotus eſſet ad meliora: ſive cum quis ordine legitimo progreditur, ſive cum magnis proficit acceſſionibus. Cubitus enim & modum ſignificat, ut intelligas nihil tranſiliendum [illegible] & modum grandiuſculum, ut accipias incrementum am[illegible] [illegible] tam minuta latis digitis, aut palmorum porrectu metiri [illegible]mus.

Meliores nanciſci aves.

Ἀμείνους οἰωνοὺς τυχεῖν, id eſt, Meliores nanciſci aves dicuntur, quibus poſt res adverſas ſuccedunt proſperiora. Nam ut apud Latinos avis & ales interdum non animal, ſed omen ipſum & augurium ſignificat, itidem apud Græcos, οἰωνὸς & ὄρνις, quum φήμη eodem accipiatur modo, quemadmodum indicat Euſtathius in primum Odyſſeæ librum. Horatius in Odis;

Mala ducis avi domum.

Idem alibi:

Mæonii carminis alite.

Homerus iliados, ω.

—Μηδέ μοι αὐτὴ

Ὄρνις ἐν μεγάροισι κακὸς πέλευ.—

Id eſt:

Hiſce mihi ne tu fueris mala in ædibus ales.

Rurſum ejuſdem operis μ.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Id eſt,

Optimum id augurium eſt, patriam virtute tueri.

Laboravit autem hac ſuperſtitione antiquitas, ut in magnis rebus aggrediundis avium occurſus obſervaret: neque defuerunt qui eam velut artem profiterentur. Atque hinc apud Romanos augurum collegium. Jam pene exploſa eſt apud Chriſtianos hujus profeſſionis ſuperſtitio, ſed ita ut in ejus locum ſucceſſerit malum prope peſtilentius, atq; adeo conduplicatum, nempe horū qui ex aſtris futura pronunciant: & aliorum qui numinis afflatum mentientes, apud credulam & indoctam plebeculam prophetæ volunt haberi. Atqui mirum eſt, utroſq; invenire quibus imponant. Imponunt enim non vulgo tantum, verumetiam ipſis regibus & orbis moderatoribus.

Melius nobis eſt quam heri.

Proverbialem habere figuram videtur illud Ariſtophanis in Pluto:

Ὦ Βλεψίδημ' ἄμεινον ἢ χθὲς πράττομεν.

Id eſt:

O Blepſideme melius atque heri mihi eſt.

Cum ſignificamus fortunam in melius commutatam. Item illud Theocriticum, quod alio citavimus loco:

—Τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.

Id eſt:

—Melius cras forſan habebit.

Nam Heri & Cras, pro præterito futuroq; tempore poſita ſunt.

Ego ex bono in bonum traductus ſum.

Ἐγὼ μὲν ἐκ τοῦ καλοῦ εἰς καλὸν μετηνέχθην, id eſt, Ego quidem è bono in bonum tranſii. Suidas indicat dici ſolitum de his, qui bonum inſtitutum bono commutant. Innuit autem natum à quodam, qui ex bono citharœdo fact⁹ ſit poeta tragicus. Eſt enim poetica muſicæ confinis arti: unde & muſicam artem, poeticen vocavit Terentius. Sumptum eſt adagium ex Ranis Ariſtophanicis.

Fuit & Mandroni ficulna navis.

Ἐγένετο καὶ Μάνδρωνι συκίνη ναῦς, id eſt, Fuit & Mandroni ficulna navis. In eos dici ſolitum, qui præter meritum ad felicitatem atque opes evicti priſtinæ conditionis non meminerunt, ſed præſenti rerum ſucceſſu inſolentius abutuntur: ita ut fere mos eſt τοῖς νεοπλούτοις, id eſt, iis qui ad novas divitias ex infima fortunæ conditione provehuntur. A Mandrone quodā ſumptū, qui indignus & immerens, ex naviculario factus eſt imperator. Navim autem ficulnam, per contemptum dixit. Nam ficulnum in genere vocant Græci, quicquid imbecille aut contemnendum ſignificare volunt.

Hodie nullus, cras maximus.

Ὁ νῦν μὲν οὐδείς, αὔριον δ' ὑπέρμεγας.

Id eſt:

Qui nullus hodie, cras erit vel maximus.

De eo cui repente præterque ſpem ingens aliquis honos acceſſerit. Et vulgo, qui ex infima conditione ad dignitatem evehuntur, è nihilo dicuntur emerſiſſe. Extat apud Ariſtophanem in Equitibus.

I modo, venare leporem, nunc Itym tenes.

Plautus in Captivi duo: I modo, venare leporem: nunc Itym tenes: proverbiali figura dixit, id eſt, hanc interim cœnam qualēcunque, certam habes: quære alteram, ſi potes potiorem. Itys enim avis, quam à Phaſiee Scythiæ flumine phaſianum vocant. Proinde cum jubebimus, ut qui nactus ſit commodi quippiam, ad aliud ſeſe accingat, non intempeſtiviter hoc utemur adagio. Verū equidem opinor hunc Plauti locum, ut ſunt alii pleriq;, depravatum eſſe legendum autem, nec Itym, ut habent codices: nec ichthyn (ut perperam mutavit quidam: cum nec avis, nec piſcis quicquam faciat ad venationem leporis) ſed ictin. Nam eſt id animal de genere muſtellarum, quod in cuniculos immittitur, ut prædam eliciat: Latini viverram appellant Suidas oſtendit, idem animal inſidiari piſcibus. Meminit hujus Ariſtoteles libro De naturis animantium IX. c. IX. Quanquam non indicat inſidiari leporibus, ſed avibus & alvearibus. Quod ſi recte conſtat ictin eſſe viverram. Plinius octavo libro indicat præcipuam viverris gratiam fuiſſe, propter venatum leporum & cuniculorum: Injiciunt, inquit eam in ſpecus, qui ſunt multifores in terris (unde & nomen animali) atq; ita ejectos ſuperne capiunt.

IVNII. *Puteus ſi hauriatur, melior evadit.*

Apparet proverbium eſſe vetus, quo in epiſtola ad Euſtachium medicum utitur Baſilius, καὶ γὰρ τὰ φρέατα φασὶν ἀντλούμενα βελτίω γίνεται. Etenim putei (quod ajunt) ſi hauriantur, meliores evadunt. Ferrum ſi exteratur, niteſcit: aqua pigra ſi moveatur, nihilo fit deterior: & ingenium adoleſcentis quo magis excolas exerceaſque, hoc fit præſtantius. Uſus eſt & D. Clemens lib. primo Strom. Ἡ φρέατα ἐξαντλούμενα, διειδέστερον ὕδωρ ἀναδίδωσι, καὶ τὸν σίδηρον ἡ χρῆσις καθαρώτερον φυλάσσει, id eſt: Puteus exhauſtus limpidiorem reddit aquam, & ferrum uſus purius ſervat. Philon Judæus libr. De gigantibus, πολλάκις δὲ καὶ πρὸς τὸ ἄμεινον ἐπιδίδωσιν, ὥσπερ φασὶ τὰς ἀπαντλουμένας πηγάς· καὶ γὰρ ἐκείνας λόγος ἔχει τότε μᾶλλον γλυκαίνεσθαι. id eſt, Sæpe etiam melior evadit, quemadmodum perhibent fontes, ſi hauriantur: hoc etenim tunc dulceſcere magis vulgaris opinio eſt.

Cubitis adoleſcere.

Πήχεσιν αὐξάνεσθαι, id eſt, Cubitis adoleſcēre aut incrementum capere, proverbiali tropo dicitur, qui in re quapiam aut arte magnos & repentinos profectus facit. Eunapius Sardianus de Maximo loquens: πήχεσι δὲ ἐπὶ πᾶσαν σοφίαν αὐξόμενος. id eſt: Per cubitos ad omnigenam eruditionem provectus, aut excreſcens. Ita divitem repente ingentibus opibus ditatum, πήχεσιν ἐπὶ πλοῦτον ἀμήχανον αὐξηθέντα, id eſt, per cubitos in immenſas opes adultum dicemus. Natum à Gigante quopiam, quam ſingulis menſibus cubito increviſſe fabulæ loquuntur. Quin & Antæum Libycum in ſexaginta cubitorum altitudinem increviſſe, ex veterum memoria prodidit ſcriptis Plutarchus in Sertorio. Ad hanc adagionis formulam, efficta eſt etiam illa Philoſtrati in Iconibus, ἰσχυροὺς ἀποφαίνει καὶ τετραπήχεις ἐκ μικρῶν, id eſt. Et validos efficit & ex puſillis quadricubitos. & illa Cratetis comici in Lamia: ἐπὶ τριπήχη θ' ἡλίκως τεμάχη, hoc eſt, Tricubitalia fruſtra carnis

Theſſa-

Theſſalico more diſſecta. Prodigioſæ magnitudinis ſignificationem habet & Philoxeni Cytherii guloſiſſimi votum apud Machonem comicum, qui optavit τριῶν ἔχειν τὸν λάρυγγα πηχῶν, id eſt, guttur tres longum cubitos. Ariſtophanes quoque proceros deſignans, τετραπήχεις, inquit, καὶ γενναίους, id eſt, quadricubitos & ſtrenuos. Citatur & hoc modo adagiū, κατὰ πῆχυν ἐπιδιδόναι, id eſt, Cubiti ſpacio increſcere. Suidas ex incerto, ut ſolet, authore: οὗτος φιλόσοφος ἐλευθερίως ἐπιδιδοὺς ἀνήλου, καὶ ἐπεδίδου κατὰ πῆχυν, ὡς φασιν, ἄχρις οὗ ἔσχε τῆς τύχης δυστύχημα, i. Philoſophus liberaliter erogare pecunias non deſtitit, creſcebatq; velut per cubitos (ut ita dicam) firmum illud propoſitum, donec repente incredibilem calamitatem incidit.

Aureum lac haurire.

Χρυσοῦ γάλακτος ἀπογεύσασθαι, id eſt, Aureum lac delibare dicitur non ſine proverbii ſpecie, qui è doctrina viri literati aut frugi concionatoris profectum capit. Nicephorus ad eum modum uſus eſt lib. XIII. Paſtorem inquit, ſuum flagitarunt, vivere reducē, cujus ex ore aureum (ut ita dicam) lac hauſerāt prius. Paulus quoque lac vocat doctrinam, qua tenellæ mentes nondum altiora capientes imbuuntur. Poteſt transferri & ad eloquentiam eruditi doctoris, cujus os lacteo (ut inquit Hieronymus) eloquentiæ fonte manat.

Nitedula ex vepribus.

Proverbii ſpeciem redolet quod apud Ciceronem in oratione pro Publ. Sextio legitur: Quoniā id fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula, remp. conaretur arrodere. Loquitur de Numerio quodam, infimarum ſordium & abjecto homuncione. Torqueri poteſt in hominem in ſummis vitæ ſordibus natum beneficio fortunæ aut per ſycophantias aliamve quampiam rationem ad ampliores fortunas evectum, alieniſq; opibus inſidiantem: qualis apud Ciceronem Chryſogonus eſt, Roſcii bonis inhians mordicus. Nitedulam Servius libro Georg. j. murem exiguum ſubterraneum eſſe putat, alioqui Nitedula vocatur animalculum volvere igneo iubare per tenebras lucens, quam λαμπυρίδα Græci vocant, in Italia ſæpius mihi non ſine admiratione ſpectatum captumque apud villam clariſſimi Comitis Philippi Pepoli penonicaſis: cujus igneus liquor calami ſulco tractus, literarum notas reddit etiam in tenebris illuſtres, qua ratione competit in Barpuratum, paulo ante pannoſum.

COGNATI. *Artificium omne incrementum recipit.*

Martianus libro Pandect. XXXII. titul. de legat. & fideicommiſſ. cap. LXXVI. Ornatricibus legetis, Celſus ſcribit, eas quæ duos tantum menſes apud magiſtrum fuerint, legato non cedere: alii & has cedere, ne neceſſe ſit nullam cedere, cum omnes adhuc diſcere poſſint, & omne artificium incrementum recipiat: quod magis obtinere debet, quia humanæ naturæ congruum eſt. Pompon. Pandect. lib. XL. titul. de fideicommiſſ. libertatis, capite vigeſimo. Nam ego diſcendi cupiditate, quam ſolam vivendi rationem optimam in octavum & ſeptuageſimum annum ætatis duxi, memor ſum ejus ſententiæ, quam dixiſſe fertur, κἂν τὸν ἕτερον πόδα ἐν τῇ σορῷ ἔχω, προσμαθεῖν τι βουλοίμην, &c id eſt, Et ſi alterum pedem in tumulo haberē, non pigeret aliquid addiſcere. Iuxta hanc ſententiā eſt quod Marcus Cicero in lib. de Senectute, inducit Solonem in verſibus gloriantem, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri diceret. Idem ibidem: Ut honeſtum illud Solonis eſt, quod ait verſiculo quodam (ut ante dixi) Seneſcere ſe, multa in dies addiſcentem. Solonis verſus eſt hic,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

In hunc locum Anton. Auguſt libro primo, Emend. c. VIII. Vide alibi, Perficiuntur ſemper artes.

Quo longius à Papa, eo melius.

Lutheri vivi vox fuit, quæ in Gallis proverbii loco hoc tempore à Gallis dicitur, qui totis pectoribus Papam abhorrent & deteſtantur, voci enim divinæ, Exite ex ea popule meus, Apocalyp. XVIII. obtemperandum putāt. Ut nimirum hac locutione in ſummis fidei articulis, & in tribus, nulla ſit quoq; propinquitas, & conformitas cum Antichriſto.

Perficiuntur ſemper artes.

Vulgo invaluit, & verum eſt, perfici ſemper artes, atque climari. Vide alibi Artificium omne incrementum recipit. Nemo enim ignorat, principium omnium artium eſſe rude, ac temporis ſucceſſu & experientia adaugeri & excoli, quod certe medicina, omnium mortalium voto experita, ac toties immutata, indicat, Empedocles apud Ariſtotelem lib. III. De anima.

Πρὸς παρεὸν γὰρ μῆτις ἀέξεται ἀνθρώποισιν.

Id eſt,

Ad præſens hominum creſcit ſapientia ſemper.

Tandiu enim diſcendum eſt, ait Seneca, quam diu neſcias, aut ſi proverbio credimus, per omnem vitam. Cic. Academicarum quæſt. libro primo. In quibus erat philoſophia ipſa, in qua quod inchoatum eſt neque perfectum, progreſſio quædam in virtutem appellatur. Quam Cicer. Progreſſionem appellat. προκοπὴ Græce dicitur.

Res incrementum tempore ſuſcipiunt.

Artes incrementum tempore ſuſceperunt, adeo ut noſtri temporis artifices ſuperioribus longe præcellant: ita & facultatem veſtram, ſtudium videlicet ſophiſtarum, creviſſe, ac veteres ſapientiæ ſtudioſos ſi vobiſcum comparentur, viles admodū extitiſſe videamus. Quod ſi hodie Bias reviviſcat, à nobis jure irrideretur: quemadmodum ipſum Dædalem ſculptores ajunt, ſi reviviſcens talia fabricaret, qualia quondam, ex quibus ſibi gloriam comparavit, ridiculum fore. Sapientes quidem noſtri ſuperioribus præſtant. Addenda parœmiarum noſtrarum ſyllogæ: Artificium omne incrementum recipit.

Quod cupis, capis.

Catullus in nuptiis Julii & Manlii.

Quod cupis, capis. ——

Idem in nuptiali carmine:

Quid tum ſi carpunt, tacita quod mente requirunt?

Non mirandum, ſi quis quem diu cupivit, amoris fructum capiat.

GVLIELMI GENTII.

Felici diplomate uti.

De iis qui omnia feliciter ac præproſpere agunt. Venul ejus juriſc. tractum vocis ſatis docet in cap. LXXVII. de verbor. obligat. cum inquit: Qui Epheſi daturum ſe ſpondit, neque diplomate diebus ac noctibus, & omni tempeſtate contempta, iter cōtinuare cogitur, neque tam delicate progredi debeat, ut reprehenſione dignus appareat. Solebant olim, ut & hodie, curſu publico per diſpoſitos equos nocte dieque iter agere. Cæterum non abſque diplomate, id eſt, literis, à Principe impetratis, hoc ipſum concedebant. Imp. Juſtinus in cap. penultim. C. de curſu public. vocat Tractatoriam. Hujus diplomatis beneficii meminit, & Plin. lib. epiſt. X ad Trajanum, Tacitus lib. XVIII. Plautus in Capt. vocat ſyngraphum ut hoc obiter addam, vocis illius ſignificandæ cauſſa.

Heri ſervus, hodie liber.

Speciem habet proverbii in eo liberto, qui ad verſus patronum arrogantius & inſolentius ſeſe gerit. Ulpian. in cap. VI. de injur. Nec enim inquit, Prætor ferre debet heri ſervum, hodie liberum, conquerētem quod dominus ei convicium dixerit, vel quod leviter pulſaverit.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

Monet Philo Lyſitelem ſuum, ut, cum ſe ſemel ad bonam frugem recepiſſet, porro pergeret: alioqui futurum, ut totam recte anteactam vitam una atque altera macula ſtatim deturpet, à lignorum ſtrue, quæ ſub dio poſita, ſi rara eſt aut exigua, lapſu pluviæ ad imum uſq; faſcem ſitu & putredine extabeſcit. Cic. Philip. XIV. Nec diſperſis buſtis humili ſepultura crematos, ſed contectos publicis operibus atque muneribus, eaque extructione, quæ ſit ad memoriam æternitatis ara virtutis.

PROFVSIO.

ERASMI. *Calliæ defluunt pennæ.*

Callias apud Græcos quiſpiam fuit, qui per luxum ac libidinem patrimonium abligurierat. In eum vulgaris jocus extitit, Καλλίας πτερορρυεῖ, id eſt, Calliæ defluunt pennæ. Solet enim hoc interdum avibus accidere, vel morbo, vel certis anni temporibus. Quemadmodum & quadrupedibus quibuſdam mutantur pili aut villi. Unde & Deplumati dicuntur ac detonſi, qui facultatibus exuti ſunt. Hoc verbum πτερορρυεῖν, frequenter per jocum uſurpatur apud Ariſtophanem in Avibus.

Opus ad opus.

Addam & illud ex eodem, ἔργον ἐπ' ἔργῳ, quo nullum operæ finem ſignificamus. Verba ſunt mulieris, de marito conquerentis, quod emiſſet lanam ſordidam ac rudem, in qua plurimum eſſet operis ſibi. Ita Maro de vite colenda:

Cui nunquam exhauſti ſatis eſt. ——

Proterviam fecit.

Erat hoc religioſum in nonnullis etiam aliis hoſtiis, ne quid ex ſacris epulis relinqueretur: aut ſi quid reliquum eſſet, id igni abſumeretur: quemadmodum Moyſes tradit de agno paſchali. Porro id genus ſacrificii, Romani proterviam appellant. Unde celebratur illud Catonis feſtiviter dictum in Albidium quendam, qui patrimonium univerſum luxu abſumpſerat, unis exceptis ædibus, qui incendio conflagrarunt: Proterviam, inquit, fecit? propterea quod ea quæ cor eſſe non potuerit, quaſi combuſſiſſet. Autor Macrobius lib. Saturnalium ij. Ad hoc facit quod apud Athenæum lib. VIII. Theocritus Chius Diochii Gurgiti, qui devorato piſce calido, dixit ſe cœlū exuſſiſſe: Unum, inquit, illud tibi ſupereſt, ut mare ebibas: atque ita tres res omnium maximas confeceris, terram, mare, cœlum. At quoties ſumptus ſuperat quæſtum, nec morbus decedit jam in naturam verſus, quid ſupereſt, niſi ut malas artes vertant ſeſe, quo luxui ſemper glicienti ſuppe-

ſuppeditet pecunia? Atque hæc eſt una non minima peſtis Germaniæ noſtræ, præcipue apud eos qui nobilitatis titulo gloriantur: quanquam ſunt in his, qui nobilitatem fingunt, ut hæc faciant impunitius, qui ſubornantâ quibus vocentur Ioncken, jactant acces paternas, addunt plumam galeæ, pingunt clypeum, in quo dextra libraus machæram diſſecat elephantem: ſubſcribunt epiſtolis ſuis tres literas, Equ. Si quis ſit natus viculo quopiam, puta Ornithoplutus picto Iſocomo, non ſe ſcribit Iſocomenſem (nam id plebeium eſt) ſed Ornithoplutus ab Iſocomo. Atque cum ſibi jus eſſe putant indicere bellum cui viſum eſt. Si legum ſeveritas coerceret alium juvenum intemperantiam, non eſſent tam multi quibus ſupplicia vel infligere cogerentur, vel condonare. Per aleam enim, chartas, ſcorta, compotationes, & ocium venitur ad æs alienum, mox ad rapinas & ſycophantias. Curritur in militiam, redeunt cum præda, non ab hoſtibus parta. His rudimentis exercitati, nullum horrent facinus. Apud veteres erant leges ſumptuariæ, atque adeo Corinthi, quæ civitas erat cæteris corruptior, tamen lex erat oppoſita, ſumptuoſius quam pro rei familiaris modo viventibus. Eam apud Athenæum lib. VI. Diphilus refert hiſce verſibus:

Τοῦτ' νόμιμόν ἐστιν βέλτιστ' ἐνθάδε
Κορινθίοις ἐν πᾶσιν, ἐάν τινά ποτε
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνειν, πόθεν
Ζῇ καὶ τί ποιῶν, κἂν ἔχῃ οὐσίαν ἔχη,
Ἧς αἱ πρόσοδοι λύουσι ταῖς ἀναλώματα,
Ἐᾶν ἀπολαύειν τοῦτον ἤδη τοῦ βίου.
Ἐὰν δ' ὑπὲρ τὴν οὐσίαν δαπανῶν τύχῃ,
Ἀπεῖπον αὐτῷ τοῦτο μὴ ποιεῖν ἔτι.
Ὃς δ' ἂν δὲ μὴ πείθητ' ἐπέβαλον ζημίαν,
Ἐὰν δὲ μηδ' ὁτιοῦν ἔχων ζῇ πολυτελῶς,
Τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτὸν, Ἡράκλεις.
Οὐκ ἐστὶ γὰρ χωρὶς κακοῦ ζῆν ἀνδρὶ, κακοῦ δ' ὅς
Τοῦτον, ἀνάγκ' ἀλλ' ἀναγκαίως ἔχει
Ἢ λωποδυτεῖν νύκτωρ, ἢ τοιχωρυχεῖν,
Ἢ τῶν ποιούντων ταῦτα κοινωνεῖν τισίν,
Ἢ συκοφαντεῖν κατ' ἀγορὰν, ἢ μαρτυρεῖν
Ψευδῆ. τοιοῦτον ἐκκαθαίρομεν ὄχλον.

Id eſt,

Hoc lege cautum eſt hic apud Corinthios:
Si quempiam obſonare ſemper ſplendide
Videmus, hunc rogamus, unde vivat, &
Quid faciat operis, ſi facultates habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas queat,
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Sin forte ſumptus ſuperat ea quæ poſſidet,
Prohibemus huic ne faciat hoc in poſterum:
Ni pareat, jam plectitur mulcta gravi.
Sin ſumptuoſe vivit is qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules.
Nec enim licet vitam abſque malo ullo degere
Talem ſcias: ſed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
Aut hæc patrantum jungier commercio,
Aut in foro agere ſycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus hac ex urbe, velut purgamina.

Ad hodie Germania in non obſcuris civitatibus fert hoc genus nepotes & ganeones: qui non ſolum nihil habent, verum etiam multis multa debent, neque cuiquam illorum dicitur: Heus tu, unde ſuppetit res tuo luxui? Quod ſi fieret, fortaſſe comperirent eſſe verum quod ſcripſit Diphilus.

Gallorum incuſare ventres.

Ἀλεκτρυόνων μέμφεσθαι κοιλίαν, id eſt, Gallorum incuſare ventrē. De edacibus, ac luxu multum abſumētibus facultatum. Huic enim animanti venter mirifice calidus, ita ut omnia ſtatim concoquat. Ariſtophanes in Veſpis:

Ἀλεκτρυόνος μ' ἔφασκε κοιλίαν ἔχειν.
Ταχὺ γὰρ καταπέψει τἀργύριον.

Id eſt,

Mihi dixerat ventrem eſſe gallinacei:
Velociter enim concoquet hoc argentulum.

Hoc genus homines, Græci dicunt κατεσθίειν τὴν οὐσίαν. id eſt, devorare ſubſtantiam. Id enim eſt atrocius, quam καταφαγεῖν. ſummam autem profuſionem ac celerrimam indicant verbo ἀφανίζειν: id eſt, ſic abſumere, ut nuſquam appareat veſtigium. Utitur his omnibus, ſed poſtremo frequentiſſime Æſchines in Timarchum, πάντ' ἠφάνισε.

Relinque quippiam & Medis.

Λεῖπε τι καὶ Μήδοις, id eſt, Reliquum facito aliquid & Medis Proverbialis jocus in eos qui ex convivio nihil reliqui faciunt, aut qui facultates univerſas abliguriunt. Plutarch. in Sympoſiacis: καὶ μὴν ὑπὸ τοῖς Βοιωτοῖς τὸ, λεῖπέ τι καὶ Μήδοις, διαφέρεται, ἐπειδὴ μετὰ τὴν Φωκίδα καὶ τοὺς ἐσχάτους τῆς Βοιωτίας ὅρους καὶ φθείροντες ἐπεῖχον. id eſt: Nobis quidem Bœotis illud in ore eſt: Relinque quippiam & Medis: ex quo Medi & Phocidem ipſam & extremos Bœotiæ terminos incurſarunt, omnia vexantes miſcenteſque populationibus. Subjicit autem, quod etiam vulgo hodie dictitat, λεῖπέ τι καὶ τοῖς ἐπελθοῦσι, id eſt, Relinquito quippiam & hoſpitibus adventuris. Adagium ad varios uſus trahi poteſt, aut per ironiam: ut ſi dicas diviti, indignis & ſumptuoſis hæredibus ſuas opes deſtinanti relinquere, Relinque quippiam & Medis hoc eſt, compance tu quod diſſipent ii qui tibi male volunt. Aut immodice profuſo, aut intemperantius garrulo, quemadmodum in Phormione Terentius: Parce ſodes, ut poſſis cum illa.

E dolio hauris.

Ἐκ πίθου ἀντλεῖς, id eſt, E dolio haurire dicebant olim qui abundaret rebus optatis. Eſt enim dolium vas vinarium ingens, unde largiter haurire licet neque facile ſentitur detrimentum, videlicet in tanta copia. Theocritus ἐν Θαλυσίοις,

Ἐκ πίθω ἄντλεῖς δῆλον, ἐγὼ δ' ἔχω οὐδ' ἅλις ὄξος.

Id eſt,

Dolia plena fluunt tibi, ſed mihi vix ſat aceti eſt.

Scholiaſtes admonet, proverbium dici ſolitum de iis, quibus adeſſet benigna rerum copia. Divitum eſt habere dolia, pauperes vappam bibunt è lagenis Nam vini vis quo copioſior eſt, hoc ſuavior eſſe conſuevit, ubi paululum eſt liquoris, celerius vapeſcit. Admonet & Heſiodus, dimidiato dolio parcendum eſſe, quod ſera ſit in fundo parſimonia. Huic ſimillimum eſt, quod ſubinde occurrit apud Chryſoſtomum, ἐκ πηγῶν, id eſt, è fontibus: quoties uberem paratamque rerum copiam ſignificat. M. Tullius in Bruto. dicit eos è dolio potare, qui vinum adhuc fervens bibunt, quod vinum expreſſum primum doliis excipitur: ubi deferbuerit aliquantulum, conditur in vaſa. Ipſius verba præſtat adſcribere: Ut ſi quis, inquit, phalerno vino delectetur, ſed eo nec tam novo, ut proximus conſulibus natum velit: nec rurſus ita vetere, ut Opimium aut Anicium conſulem quærat. Atqui eæ notæ ſunt optimæ. Credo, ſed nimia vetuſtas non habet eam quam quærimus ſuavitatem, nec eſt jam ſane tolerabilis. Num igitur qui hoc ſentiat, ſi is potare velit, de dolio ſibi hauriendum putet? Minime, ſed quandam ſequatur ætatem. Sic ego iſtis cenſuerim, & novam quaſi de muſto & lacu fervidam orationem fugiendam, nec illam præclaram Thucydidis nimis veterem tanquam Anicianam, notam perſequendam Hactenus M. Tullius. Nec arbitror alienum ab hac forma, quod Athenæus libro XI. ex Hipponacte citat, πίνειν κύπει, id eſt, è mulctro bibere. Scazontes Hipponactei ſic habent:

Ἐκ πέλλ[ι]δ[ος] πίνοντες, οὐ γὰρ ἦν αὐτοῖς
Κύλιξ, ὁ παῖς γὰρ ἐμπεσὼν κατέαξε.

Id eſt,

Mulctro bibentes, nam calix eis deerat:
Quippe hunc miniſter forte fregerat lapſus.

Una cum ipſo caniſtro.

Αὐτῷ κανῷ, id eſt, Una cum ipſo caniſtro. Quadrat in eos, qui rem intemperanter profundunt, devorantque & abliguriunt. Mos enim erat antiquis, ut teſtatur Didymus, ut cœnæ caniſtris inferrentur. Citatur apud Zenodotum Plato:

Ἀνήρπακας αὐτῷ κανῷ.

Id eſt,

Ipſo caniſtro cuncta rapuiſti ſimul.

Largitio non habet fundum.

M. Tullius libr. Officiorum ij. Omnino, inquit, meminiſſe debemus, id quod à noſtris hominibus ſæpiſſimè uſurpatum, jam in proverbii conſuetudinem venit, largitionem fundum non habere. Quo dicto ſignificabant, ſtulta liberalitate quantas liberos pes exhauriri, vel effluere potius. Tranſlatum videtur à pertuſo dolio Danaidum apud inferos. Quæ fundo carent, Græci vocant ἀπύθμενα. Unde Parthenius apud Athenæum libro XI. ἀπύθμενον φιάλην dixit.

Ipſo horreo.

Vide in loco Liberalitas.

Plena manu.

Vide in eodem loco.

Cupidinum crumena porri folio vincta eſt.

Πράσου φύλλῳ τὰ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντια, id eſt, Porri folio amorum vincta eſt crumena. Refertur eodem in loco quem modo citavimus, ſed præſtat ipſius verba ſubſcribere, ὃ δὲ πάντων μάλιστα θαυμάσειεν, φειδωλὸς ἀνὴρ καὶ μικρόλογος ἐμπεσὼν εἰς ἔρωτα, καθάπερ εἰς πῦρ σίδηρος, ἀνεθεὶς καὶ μαλαχθεὶς, ἁπαλὸς καὶ ὑγρὸς καὶ ἡδίων τι τοῖς τὸ παίζειν μὴ πάνυ φαίνεσθαι γελοῖον, ὅτι πράσου φύλλῳ τὰ τῶν ἐρώτων δέδεται βαλάντια, ἐλέγχεσθαι καὶ ὅτι τῇ μέθῃ τὸ ἐρᾶν ἐοικὸς ἐστι, ποιεῖ γὰρ θερμοὺς, καὶ ἱλαροὺς, καὶ διακεχυμένους, id eſt: Quodque vel maxime miretur aliquis, vir parcus & ſordidus, ſimul ac in amorem inciderit, non aliter quam igni impoſitum ferrum, fit mollior ac tener, lentus ac ſuavior: ut non uſquequaque deridiculum videatur illud quod joco populari dicitur: Cupidinum crumenas porri folio vinctas eſſe. Dictum eſt autem ob eam cauſam, quod amor ad ſimilis ſit ebrietati. Reddidit enim calidos, & hilares & effuſos. Plutarchus itaque ſentire videtur, Proverbium alludere ad porri naturam: cujus vis eſt calefacere, ciere urinam, irritare Venerem, movere menſes, & alvum inflare: quemadmodum docet Dioſcorid. lib. ij. Suidas oſtendit, hoc adagium dictum de iis, qui per amorem immoderatos faciunt ſumptus, luxuiq; indulgent.

gent, quemadmodum ſolent in comœdiis amantes. Plutarch. in libello quem inſcripſit ἐρωτικὸν hoc quoque inter cæteras Cupidinis ſive amoris laudes commemorat, quod è ſordido ſplendidum, è parco liberalem, è triſti civilem, è timido audacem reddit hominem. Proinde Cupidinis loculi, porri folio vincti dicuntur: quod facile ſolvantur, vel quod admodum fragile ſit porri folium, vel quod hujus genuina vis, ſolvere corpus ac movere.

Feſto die ſi quid prodegeris.

Plautus in Aulul. ſub perſona ſenis Euclionis: Feſto die ſi quid prodegeris, profeſto egere liceat, niſi peperceris. Schema proverbiale. Admonet autem, ne in ſumptibus ſolennibus ita profuſi ſimus, ut non ſuppetat quo feramus quotidianos. Nam feſti dies vel ſacris offerendis, vel diurnis epulationibus, vel ludis in honorem deorum, vel feriis obſervandis celebrabantur: profeſti ad rei privatæ publicæq; adminiſtrationem concedebantur. Accommodabitur non perperam & in eos, qui juvenes rem prodigunt, eſurituri ſenes, quive intempeſtive profundunt, poſtea deſideraturi.

Bello parta.

Ἐκ πολεμίας, id eſt, Ex hoſtium regione. Vbi quis immodice inſumeret: Solemus enim celerius ac temere profundere, ſi quid hoſtib. ſit ereptum. Quod quidem adagium & hodie paſſim audivimus vulgo dictitari in lucrones & helluones. Plutarchus in libello cui titulum fecit ὑγιεινὰ παραγγέλματα, ἐμπιπλάμενοι παρ᾽ ἑτέροις τῶν πολυτελῶν, καὶ ἀπολαύοντες καθάπερ ἐκ πολεμίας ἀφειδῶς ἐπιστιζόμενοι, id eſt: Implenti apud alios, cibis ſumptuoſis, fruique velut ex hoſtili regione raptis, ampliter ſeſe cibo onerantes. Vſurpat idem Sympoſiacæ Decadis 7. problemate 6. Satyrus apud Athenæum lib. 4. id genus homines depingit his verbis. καταπατήσαντες τὸν ἀγρὸν, διαρπάζοντες τὴν οἰκίαν, λαφυροπωλοῦντες τὰ ὑπάρχοντα. id eſt: Proculcantes agrum, diripientes domum, pro ſpoliis vendentes facultates. Nam λαφυροπωλεῖν, eſt prædas hoſtibus detractas ſub haſta vendere. Atq; ea ſolent minoris æſtimari, veluti aliena. Hinc Græcis λαφύκται dicuntur, qui luxu prodigunt rem familiarem, ut indicat Athenæus lib. 11. & ejuſmodi profuſio λαφυγμὸς dicitur, & λαφύσσειν, prædari, aut intemperanter profundere ſeu devorare, ut indicat Suidas Nam λάφυρα ſpolia dicuntur, vivis hoſtibus detracta: quemadmodum σκῦλα, mortuis.

Glaucus alter.

Γλαῦκος ἄλλος ἱππόβρωτος, id eſt, Glaucus alter ab equis devoratus Quadrabit in hominem alendis equis exhaurientem facultates ſuas. A fabula natum, qualis fertur & de Actæone.

Immolare boves.

Βουθυτεῖν. tanquam proverbialiter dicebantur, qui amplos magnificoſque ſumptus facerent. Divitum enim eſt, vel Regum potius, boves immolare. Ariſtophanes in Plutos

Καὶ νῦν ὁ δεσπότης ἔνδον βουθυτεῖ.

Id eſt,

Et nunc quidem intus immolat boves herus.

Et βουθυσίαν pro magnifico apparatu uſurpant.

Caricum ſepulchrum.

Καρικὸς τάφος, id eſt. Caricum monumentum. De re magnifica, ſumptuoſaq;. Sumptum à Mauſoli ſepulchro, quod eſt apud Caras. Plinius l. 36. c. 5. oſtendit opus hoc inter ſeptem orbis miracula commemoratum, idq; potiſſimum ob artificum famam Patebat ab Auſtro & Septentrione ſexagenos ternos pedes, Brevius à frontibus, toto circuitu pedes quadringentos undecim Attollebatur in altitudinem viginti quinq; cubitis. Cingebatur columnis quadraginta ſex. ab Oriente cælaverat Scopas, à Septentrione Bryax, à Meridie Timotheus, ab Occaſu Leochares. Opere nondum abſoluto periit Artemiſia. Latine hujuſmodi monumenta vocant mauſolea. Martialis lib. 1.

Aere nec vacuo pendentia mauſolea.

Item Propertius libro tertio.

Nec mauſolei dives fortuna ſepulchri.

Cui multum eſt piperis, etiam oleribus immiſcet.

Ὁ πολὺ ἔχων πέπερι, τίθησι καὶ λαχάνοις, id eſt, Qui multum habet piperis, etiam oleribus admiſcet. Cui rei cujuſpiam largior adeſt copia, ea profuſius utatur licebit. De puſillo parcius inſumendum. Vt cui multum ſuppetit facultatũ huic licet opipare vivere. Nam piper oleribus admiſceri ſolere, teſtatur & Martialis:

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet vina piperque coquus.

Nonnihil ſuſpicor & hoc Apoſtolium à vulgi fæce hauſiſſe. Tametſi utitur Hermolaus. Barbarus in Epiſtola quadam ad Picum. Huic ſimile quod alibi retulimus, Porre ſallamentum amat origanum.

Non navigamus ad Hippolaitas.

Οὐχ ἱππολαΐτας πλεῦμες. Equidem ad hunc modum reperio ſcriptum in vulgatis exemplaribus: verum ex his verbis non video quæ ſententia poſſit exſcalpi. Dicam igitur quid mihi vero proximum videatur: non quod alios velim protinus ſequi meam divinationem, ſed ut eruditis conjectandi veri qualemcunq; ſuppeditem occaſionem. Quid ſi legas, οὐχ ἐς τοὺς ἐξαιρέτους ἱππολαΐτας πλεῦμες, id eſt, Non navigamus ad eximios Hippolaitas, ut ſit admonentis parcius utendum eſſe rebus præſentibus, neque enim navigari ad eum locum, unde rerum ejuſmodi copia exuberat, ut quod temere prodegeris, facile poſſis ſarcire. Nam in Græcorum commentariis hoc tantum adſcriptũ invenio, ἐπὶ τῶν βραχέα κεκτημένων, id eſt, De iis qui pauca poſſident. Hippola vero vetuſtiſſima civitas fuit Laconicæ, non procul à mari; qua olim conſentaneum eſt ob portus commoditatem, mercimoniis floruiſſe. Meminit hujus Pauſanias in Laconicis his quidem verbis, καὶ ἐπὶ θαλάσσῃ ναὸς ἐστιν Ἀφροδίτης, καὶ ἄγαλμα ὀρθὸν λίθου. ἀπὸ τούτου δὲ ἀπέχοντι τριάκοντα σταδίους, Θυρίδες ἄκρα Ταινάρου, καὶ πόλεως Ἱππόλας ἐστὶν ἐρείπια, ἐν δὲ αὐτοῖς Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἐπίκλησιν Ἱππολαΐτιδος, id eſt: Et ad mare templum eſt Veneris, & ſtatua recta lapidea. Hinc recedenti ſtadia triginta, ultima ſumma Tænari, & civitatis Hippolæ ruinæ ſunt: & in his Minervæ phanum Hippolaitidis. Meminit hujus urbis & Stephanus. Ne quam prætermittam conjecturam, & illud excute lector, num pro Hippolaitas, legendum ſit Hippobotas. Is eſt populus Chalcidenſis, cujus meminit Plutarchus in vita Periclis, olim opibus, gloriaque, cum primis clarus. Nam ipſum nomen ab agrorum fertilitate inditum eſt, quaſi dicas equorum altricem: quorum regionẽ pulſis indigenis, & deducta colonia occuparunt Athenienſes. Hujus etiam mentionem facit & Herodotus in Terpſichore.

Drachma grando.

Δραχμὴ χαλαζῶσα, id eſt. Drachma grandinans. De lucro, quod tanquam cœlitus emiſſum obtigit. Nam olim theatrale præmium erat drachma, quæ velut grando nivis in morem in populum ſpargebatur. Id à Diophanto tradunt inſtitutum. Unde ſi quando accidiſſet, per jocum ajebant, δραχμὴ χαλαζῶσα. Miſſilium mos nec hodie totus extinctus eſt. Author Zenodotus. Meminit & Heſychius.

EX APPEND. ERASMI.

Virgo primum.

Παρθένος τὸ πρῶτον. De iis, qui rem paternam profundunt, inde fortaſſe, quod virgines adhuc rudes meretricii quæſtus, facile ſui copiam faciunt, poſtea quo plus auferant, difficiles ſe præbent, quomodo adoleſcentes prius, quam intelligant, quid pecunia ſit, largius profundunt ſua. Et prima vitæ pars fere, licet optima, ſtultiſſime conteritur.

IVNII. *Collativus venter.*

Prodigus homo & abliguriens omnia, atque voracitatis inexplebilis, Plautino dicterio Collativus venter nuncupatur, in quem quicquid conferas diſperit, dilabiturque: Annotatur à Sext. Pompeio his verbis: Collativum ventrem magnum & turgidum dixit Plautus, quia in eum omnia edulia congeruntur. Locus eſt apud Plautum in Curculione, ubi ſic Palinurus ſervus de Cappadoce.

——Quis hic eſt homo,
Cum Collativo ventre atque oculis herbeis?

Simili modo γαστὴρ πλάγιος. Homerice item bono ſale vocabitur, φαγὸς μεγαλοσώματος, id eſt, manduco, vaſto corpore, ut annotat Euſtathius.

Fundo carens calix.

Citatur ab Euſtathio Iliados λ. ſenarius proverbialis:

Ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ.

Id eſt:

Fundo carens menſis non infertur calix.

Non tamen exponitur ejus uſus. Apparet dicterium eſſe in profuſe liberales, prodigoſque, aut linguaces blaterones, qui verborum modum neſciant, quos à menſæ communione, vitæque conſortio excludendos moveat. Quadrabit & in prægrande poculum, quod à menſa exulare poſtulet homo ſobrius. Eſt autem πύνδαξ idem quod πυθμὴν, vaſis alicujus fundus: quanquam Sophocles in Iphigenia πύνδακα ξίφους pro capulo gladii extulerit, ut ex Pauſaniæ lexico Euſtath. & Heſychius annotant. Porro ſenarius iſte verſus è Sophoclis Triptolemo deſumptus videtur, corrupteque apud Etymologici authorem legitur, οὐ τραπεζοῦται κύλιξ. Citatur adagium & à Demetrio Phalereo hunc in modum. ἀπυνδάκωτος οὐ τραπεζοῦται κύλιξ, ἀντὶ τοῦ, ἀπύθμενος ἐπὶ τράπεζαν κύλιξ οὐ τίθεται, id eſt. ut verbum verbo exprimam, Fundi indigus menſari non ſolet calix: pro eo quod eſt: Fundo carens calix, in menſa non apponitur.

COGNATI. Καλαμαία μάντις.

Locuſta ſtipularis.

Theocritus bucoliographus in Meſſoribus, puellam depaſtricem alieni patrimonii καλαμαίαν appellat, hoc eſt. locuſtam, quæ meſſem deſtinatam agricolis intercipere conſuevit. In ſtipulis naſcitur, & arrodit ariſtarum ſummitates. Ideo μάντις καλαμαία, id eſt, locuſta agreſtis. Siculis dicta; quia cum plurimæ naſcuntur, prænunciant eo anno difficultatem annonæ ac famem. Vates, inquit Milon tibi de nocte accubabit, in ſtipulis habitans locuſta. Eſt autem ſententia: Amica tua, ſicut locuſta ad inopiam ac famem te rediget, arrodens tuam rem familiarem, quemadmodum locuſtæ ariſtas arrodere ſolent. Ea enim eſt vaſtitas ac præſentanea peſtis rei familiaris, & via compendiaria ad extremam inopiam, cum quis in re tenui, vel etiam mediocri, domum ducit mulierem ſumptuoſam, procacem & nobilem. Terentius in Eunucho, pri-

mi actus ſcena prima, (ad Theocriti locum alludens, ut annotavit Nannius Miſcell. 1.) meretrices calamitates vocat:

Sed ipſa egreditur, noſtri fundi calamitas:
Nam quod nos capere oportet, hæc intercipit.

Eſt autem intercipere, cùm quod alteri deſtinatum eſt, antequam ad eum perveniat, ab altero arripitur. Fundus porro latè accipitur, pro patrimonio. Per calamitatem etiam grandinem intelligimus, quod calamum comminuat, cõtundat, & demolitur. Græci quoque καταφαγῖν ἀσία dicunt: ut Menander apud Athenæum, de eo qui relictum à patre vendidiſſet, preciumq; ejus in ventrē abſumpſiſſet: γῆν κατεφαγῶν, inquit. Cic. pro P. Seſtio: Vique eo non fuit populariis ut bona ſolus comeſſet. Paulo poſt: Verum ego tibi patrimonium eripui Gelli, an tu comediſti? Nevius apud Nonium: Ædepol paternam qui comeſt pecuniam. Horat. in poſteriore Epiſtol. ad Numenium Valam: Non hercle miror, ajebat, ſi qui comedunt bona, cum ſit obeſo nihil melius turdo.

Babylo.

Babylonem ex urbis magnitudine, & opibus Babyloniorum Regum & Perſicorum magnificentia & liberalitate, hominem nimium liberalem & profuſum, figurato ſermone Comici vocant: idque ex Atticorum conſuetudine, qui Babylonios interdum Barbaros vocabant, id eſt, Medos & Perſas. Terentius in Adelphis:

Dinumeret Babylo illi viginti minas.

Paſſim & effuſe.

Plato in Eutyph. Ego vereor, inquit Socrates, ne ob humanitatem, qua erga mortales omnes utor, paſſim & effuſe nimis unicuique me præbere virum ipſis videar, non ſine mercede duntaxat, verum ultro me meaque offerre ſolitus.

POLYDORI VIRGILII.

Panis filiorum non objiciendus canibus.

Inprimis: reſpiciendi nobis noſtri ſunt, ante alienos. Matth. 15. Reſponſio eſt Chriſti ad Cananæam, qua teſtabatur, ſe Judæis ſalvandis miſſum eſſe non gentibus. Proverbium proverbio excipiens mulier: Catelli, inquit, edunt micas de menſa dominorum ſuorum. Etiam infimæ ſortis hominibus benefaciendum, cum & catellis ſua victus portio ſit adſignata.

PETRI GODOFREDI.

Nunquam lagenam crateri impone.

Μηδέ ποτ' οἰνοχόην τιθέμεν κρητῆρος ὕπερθεν
Πινόντων· ὀλοὴ γὰρ ἐπ' αὐτῷ μοῖρα τέτυκται.

Id eſt.

Ne cratera ſuper potantum pone lagenam:
Qui facit, eveniet mors illi cruda repente.

Heſiod. 1. ἔργων. Non ſimul omnia effundenda, & aliorum libidini prodigenda, quæ habeas, ne ipſe egens deinde & famelicus pereas. Quod ita etiam vulgo efferunt: Nunquam exuas te, antequam cubitum eas. Sic Godof. Tzetzes ita interpretatur: Nunquam privatim publico, partim toti, deterius meliori præfert. Vilior enim οἰνοχόη cratere eſt. Nam κρατὴρ vas quoddam erat, ut lebes, in ſympoſiis adhibitum, vino diluto repletum: οἰνοχόη vero, οἶον κύλιξ, aut quid ſimile, quo ex cratere bibituri hauriebant. Proclus eo admoneri putat, ne iratos verbis provocemus magis, & irritemus: & nugaces homines atq; importune garrulos tecto ne recipiamus. Aliis videtur Heſiodus deterrere omnes ab aſſiduis perpotationibus: ibi enim nihil aliud quam crateri œnochoe imponitur. Certe Moſcopulus genitivum pluralem abſolute ſumere videtur, his verbis μηδὲ ποτε πινόντων τινῶν καὶ συμποσιαζόντων.

TVRNEBI, ET ALIORVM.

Marſupio alvum lavare.

Pro, exhaurire marſupium, ad egeſtatem redigere. Varro ἀνθρωπουπόλει: Et hymenæus, qui primo lavare alvum marſupio ſolet. Intelligit nuptias ſumptuoſas, quæq; maritos earum primo ſtatim auſpicio impendiis inaniunt. Quæ enim eluuntur, ea mera inania, quæ relinquuntur: cum alioqui eluere, pro conſumere, ſolerent frequentare veteres. Turn. Adverſar. l. 21. c. 10.

PROPRII COMMODI ſtudium.

ERASMI. Tunica pallio propior eſt.

Apud Plautum in Trinummo legitur allegoria proverbialis: Tunica pallio propior eſt. Quo ſignificatur, ex amicis non aliis atque aliis magis eſſe devinctos, neque parem omnium habendam eſſe rationem. Apud veteres primum in officio locum habebant parentes, proximum pupilli noſtræ fidei crediti, tertium clientes, quartum hoſpites, quintum cognati & affines: ut indicat Gellius lib. 5. cap. 13. Præterea quædam negocia propius aliis ad nos pertinere. Pallium extrema veſtis apud Græcos, quemadmodum apud Romanos toga. Tunica toga tegebatur, ut frequenter apud Homerum χλαῖναι καὶ χιτῶνες, ſimul nominantur.

Intus canere. Aſpendius citharœdus.

Qui privati commodi impendio ſtudioſi eſſent, ac fere quicquid rerum agerent, id omne ad domeſticam referrent utilitatem, ii proverbio intus canere, itidem apud Græcos Ἀσπένδιοι κιθαρισταὶ, id eſt, Aſpendii citharistæ dicebantur. M. Tullius in Verrem actione tertia: Atq; etiam Aſpendium citharistam, de quo ſæpe audiſtis (id quod eſt Græcis in proverbio) quem omnia intus canere dicebant, ſuſtulit, & intimis ædibus ſuis poſuit, ut etiam illum ipſum artificio ſuo ſuperaſſe videatur. Facetiſſime taxavit Cicero Verris rapacitatem, qui intus canentem in intimis ædibus collocarit, hoc eſt, plus quam intus cecinerit. Idem in Rullum adverſus legem agrariam: Atque hoc carmen hic tribunus plebis, non nobis, ſed ſibi intus canit. Nam oſtendit Tullius in ea oratione, legem tametſi popularis videtur, haud tamen populi, ſed decem virum utilitati repertam. Porro de Aſpendio citharœdo, Aſconius Pedianus ad hanc ferme ſententiam enarrat. Vulgares citharœdi cum canunt, utriuſq; manus funguntur officio, ita ut dextra plectrum teneant, id quod foris canere appellant: ſiniſtra digitis chordas carpant, quod quidem intus canere vocant. Difficile autem viſum eſt, quod Aſpendius citharœdus faciebat, qui nequaquam utraq; uteretur manu, ſed omnia, id eſt, totam cantionem intus, & ſiniſtra tantum manu complecteretur: atq; ita tacita leviq; modulatione ſiniſtra contractis chordis, cantilena peragebatur, ut vox ad citharœdum duntaxat, aut proxime aſſiſtentem perveniret. Hinc fluxiſſe proverbium, ut furaces homines Aſpendii citharistæ Græcis vulgo dicerentur: quod ut hi carminis, ita illi furtorum eſſent occultatores. Patetur Aſconius, adagionem etiam in illos apte dici, qui multum inteſtinis ſuis commodis conſulunt, præter honeſtatem. Neque diſcrepat interpretamentum, quod adfert Zenodotus ex Zenone Myndio in adagiorum collectaneis. Porro Aſpendus Pamphyliæ civitas eſt, authore Stephano: unde Aſpendii dicebantur, apud quos citharœdi hoc artificio præcelluiſſe videntur. Ad hoc proverbium apparet alluſiſſe Plinium libro vigeſimo octavo, capite quinto cum ait, Verum id remediis cecinit, non ſpiris.

Ne quicquam ſapit, qui ſibi non ſapit.

Sententia vel hodie vulgo frequentiſſime jactata. Fruſtra ſapere, qui ſibi non ſapiat. Plato in Hippia majore, καὶ γελοῖόν γε, inquiens, συνδοκεῖ, ὅτι τὸν σοφὸν, αὐτὸν αὑτῷ μάλιστα δεῖ σοφὸν εἶναι. id eſt: Idem itidem & pleriſq; videtur, quod oportet eum qui ſapiat, ipſum ſibi maxime ſapientem eſſe. Vſurpat & Cicero in Epiſtola quadam ad Trebatium, oſtendens ex tragœdia Medea ſumptum: Et quando, inquiens, cœpi agere Medeam, illud ſemper memento:

Qui ſibi ipſe ſapiens prodeſſe nequit, ne quicquam ſapit.

Eſt autem verſus trochaicus. Idem Epiſtolarum Familiarium l. 13. ad Cæſarem Imperatorem. Itaq; ab Homeri magniloquentia confero me ad vera præcepta Εὐριπίδου:

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Quem verſum ſenex Præcilius laudat egregie. Idem lib. De divinatione 1. citat ex Ennio in divinos: Qui ſibi ipſimet non ſapiunt, alteri monſtrant viam. Quibus divitias pollicentur, ab his drachmas ipſi petunt. Citatur à Luciano in Apologia:

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Id eſt.

Sapientem enim odi, qui ſibi ipſi non ſapit.

Eundem Alexander toſſit in Calliſthenem, qui ſe moribus eorum quibuſcum vivebat, non accommodaret, ſed præ ſe ferebat, nihil eorum quæ illic gerebantur, ſibi placere. Eaq; libertas optimo viro attulit exitium, cum Anaxarchus Philoſophus omnium adulatorum abjectiſſimus, haberetur in precio. Eam ſententiam ſic ad unguem ſervant hujus tempeſtatis homines, ut hominis vocabulo videatur indignus, qui non quavis ratione ſuis conſulere commodis noverit. Hujus generis eſt illud apud Suetonium:

Aſpice felicem ſibi, non tibi, Romule Syllam.

Ad ſuum quemque quæſtum, æquum eſt eſſe callidum.

Apud Plautum eſt proverbialis ſententia in Truculento, tum in Aſinaria:

Ad ſuum quemq; quæſtum, ac æquum eſt eſſe callidum:

Quæ ſi transferatur paulo longius, pluſculum habuerit gratiæ velut, alius eſt pecuniæ appetens, alius famæ ſtudioſus, alius voluptatum avidus, alius literarum ſitiens, alius pietatem ſectatur. Quiſque advigilat ad id quod expetit.

Decora teipſum.

Γέραιρε σαυτόν. id eſt, Honeſta teipſum. Jocus proverbialis in eum qui ſe magnificentius gereret. Nam γεραίρειν venerari eſt, & honorem habere.

Anguillas captare.

Ἐγχέλεις θηρᾶσθαι. id eſt, Anguillas venari dicuntur, qui privati compendii cauſa, cient tumultus. Inde ducta ſimilitudine, quod cum aqua ſtat immota, nihil capiunt, qui captant anguillas: tum vero ſurſum ac deorſum miſcent ac perturbant aquam; ita demum capiunt. Quadrabit in eos, quibus tranquillo Reipubl. ſtatu, nihil eſt emolumenti. Proinde ſeditiones gaudent exoriri, quo civitatis publicum malum, in ſuum privatum vertant commodum. Proverbium extat apud Ariſtophanem in Equitib.

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας,
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν,

'Εὰν

Ἐὰν δ' ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν,
Αἱροῦσι· καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

Id eſt,

Namque accidit tibi, quod anguillas qui aucupantur:
Vbi quieta ſtat palus, nil piſcium reportant:
Contra lutum in moverint ſurſum atque item deorſum,
Capiunt: ita ipſe capis, ubi rempublicam inquietas.

Hanc artem heu nimium callent Principes quidam, qui conſilio tyrannico diſſidia ſerunt inter civitates, aut bellum aliquod alicunde ſuſcitant, quo licentius mulctent miſeram plebeculam, & innocentiſſimorum civium fame, ſuam expleant ingluviem.

Vna lavabor.

Παραλοῦμαι, id eſt, Vna lavabor. Dici conſuevit, ubi quis inſinuat ſe in ſocietatem alterius, aut ubi quis admittit aliquem in ſocietatem: uti qui pauperior eſt, ſumptum effugiat. Suidas ait olim fuiſſe morem, ut divites una cum pauperibus lavarent: ut quibus propria ſupellex ſtrigilium, ſpongiarum, guttorum, atque id genus rerum non eſſet, divitum uterentur ſupellectile. Citat idem Ariſtophanem ex Anagyro, ἀλλ᾽ ἅπαντας χρὴ παραλοῦσθαι καὶ τοὺς σπόγγους ἐᾶν, id eſt. Verum oportet omnes una lavare, ac ſpongias omittere. Tanquam hoc commoditatis laturi ſint tenues, ſi cum divitib. balneum ingrediantur, ut ſpongiis ſuis parcant. Vnde mihi videtur, non inconcinne dici poſſe, ubi quis leviculam aliquam commoditatem, quam citra ſuum incommodum præſtat, perinde ut ingens beneficium imputat. Veluti ſi Cardinalis inanē titulum familiaritatis largiatur alicui, nihil ipſi nociturum, qui concedit profuturum nonnihil ei, qui accipit, recte dicetur, παραλοῦσθαι. Quidam codex habet, παρακολυμβῶ, velut una mergor.

Manum admovere.

Τὴν χεῖρα ἐπιβάλλειν, id eſt, Manum apponere dicebantur, qui ſeſe inſinuarent in rei cujuſpiam egregiæ communionem. Tranſlatum à ſacris, in quibus nonnunquam fieri ſolet, ut aliis rem divinā facientibus alius aliquis adveniens, admota victimæ manu, fiat & ipſe particeps ſacrificii.

Vndecunque lucrum captant.

In advocatos, in calumniatores, in malos medicos, qui captant undecunque, ſi quis incidit in caſſes, quem poſſint expilare, congruet illud, quod in eodem eſt libro.

Αἰεὶ γὰρ περὶ νῆσον ἀλώμενοι ἰχθυάασκον
Γναμπτοῖς ἀγκίστροισιν, ἔτειρε δὲ γαστέρα λιμός.

Id eſt,

Semper enim quaqua patet inſula, piſcibus hamo
Inſidiabantur, ventrem fames enecat atra.

Genu ſupra propius.

Γόνυ κνήμης ἔγγιον, id eſt, Genu ſura propius. Qui Græcas parœmias collegerunt, ajunt, hoc adagium ex eventu quodam eſſe natum. Quum in prælio quidam conſpiceret duos amicos pariter de vita periclitantes, fratrem & conſobrinum, neque poſſet utriq; ſimul ferre ſuppetias, omiſſo conſobrino fratrem defendit. atque hanc interim ſententiam pronunciavit, quæ poſtea tranſiit in proverbium γόνυ κνήμης ἔγγιον, id refertur ab Ariſtotele libro Moralium nono. Accedunt, inquiens, eodem & proverbia univerſa, ut, Anima una, &. Amicorum communia ſunt omnia, & Amicitia eſt æqualitas, &, Tibia genu propinquius. Theocritus in Idyllio, cui titulus Charites, tribuit hoc adagium viro tenaci, qui ſibi vivat, neque quicquam velit impertiri amicis.

Πᾶς δ' ὑπὸ κόλπου χεῖρας ἔχων πόθεν οἴσεται ἀθρεῖ
Ἄργυρον, οὐδέ κεν ἰὸν ἀποτρίψας τινὶ δοίη.
Ἀλλ' εὐθὺς μυθεῖται, ἀπωτέρω ἢ γόνυ κνάμα.
Αὐτῷ μοί τι γένοιτο.

Id eſt,

Verum quiſq; ſinu dextram occulit, illud & unum
Cogitat, unde ſibi congeſta pecunia creſcat,
Nec cuiquam abſterſa rubigine donet amico.
Imo ſtatim hoc, Mihi ſura genu longinquior, inquit:
Ipſi ſolum aliquid detur mihi.——

Athenæus lib. 9. ex eo deflexiſſe videtur, ut dicat de iis potius, quæ propius ad rem pertinent. Ex hoc igitur Plautus ſuum illud effinxiſſe videtur: Tunica pallio propior. Confinis eſt huic adagio illa Heſiodi ſententia:

Μηδὲ κασιγνήτῳ ἶσον ποιεῖσθαι ἑταῖρον.

Id eſt,

Sed nec germano quiſquam eſt æquandus amicus.

Eſt enim inter hos, quos amamus, habendus ordo. Nihil autem vetat, quo minus ad rem torqueatur: quod genus, ſi quis dicat, majorem habendam eſſe vitæ, quam pecuniæ, corporis quam veſtis, animæ quam corporis rationem, recte adduxerit, γόνυ κνήμης ἔγγιον.

Omnes ſibi melius eſſe malunt, quam alteri.

Eandem ferme ſententiam Terentius ſimpliciter extulit in Andria:

Verum illud verbum eſt, vulgo quod dici ſolet,
Omnes ſibi eſſe melius malle, quam alteri.

Rurſum in eadem fabula proverbium ad perſonam detorſit:

Heus proximus ſum egomet mihi.

Ariſtoteles lib. Moralium Eudemiorum ſeptimo, δοκεῖ γὰρ ἐνίοις μάλιστα ἕκαστος αὐτὸς αὑτῷ φίλος, id eſt, Nonnullis enim videtur quemq; ſibi potiſſimum amicum eſſe. Idem Plato lib. De legibus quinto, τοῦτο δ' ἐστὶν ὃ λέγουσιν, ὡς φίλος αὐτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τέ ἐστι, καὶ ὀρθῶς ἔχει, id eſt: Hoc eſt autem quod ajunt, unum quemque natura ſibi amicum eſſe, idque recte fieri. Quin & hodie Theologorum proverbium celebratur, charitatem à ſeipſo proficiſci: natum videlicet ex hiſce cantici myſtici verbis, Ordinate in me charitatem. Verum de eo quid ſentiam, alias ubi locus inciderit, diligentius tractabimus. Sed Terentianam ſententiam Euripides extulit in Medea:

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.

Id eſt:

Quod quiſque ſemet plus amico diligit,

Vel ſic:

Quod quiſque ſe plus atque amicum diligit.

Rurſum in Græcarum ſententiarum collectaneis:

Φιλεῖ δ' ἑαυτοῦ πλεῖον, οὐδεὶς οὐδένα.

Id eſt:

Nemo ſeipſo diligit quenquam magis.

Simonidis cantilena.

Σιμωνίδου μέλος, id eſt, Simonidis cantilena. De vafris ac ſubdolis dictum eſt. Hunc tradunt primum aſtutiam & quæſtum in artem induxiſſe. Erant illi duo ſcrinia, alterum gratiarum, alterum præmiorum: quæ cum poſt tempus aliquantum aperuiſſet, gratiarum arculam ſemper offendebat inanem, præmiorum ſemper plenam. Hoc commento ſignificans, ſe nolle gratis donare carmina. Meminit hujus rei Plutarchus in libello, περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης. Vnde Ariſtophanes apud Suidam: φεῦγε Σιμωνίδου μέλος, id eſt, Caue Simonidis carmina. Meminit Ariſtophanes in Avibus,

Πρῶτον μὲν αὐτὸν τὴν λύραν λαβόντ' ἐγὼ 'κέλευσα
Ἆσαι Σιμωνίδου μέλος.

Id eſt,

Primum quidem ipſi juſſi, ut ſumpta lyra ſonaret
Simonideam cantionem.

Ad duo ſcrinia alluſit Theocritus in Charitibus:

Ὀκνηραὶ δὲ πάλιν κενεᾶς ἐπὶ πυθμένι χηλῶ.

Id eſt:

Rurſus ut ignavæ vacuo intra ſcrinia fundo.

Mihi ipſi balneum miniſtrabo.

Ἐμαυτῷ βαλανεύσω, id eſt, Ipſe mihi balneator ero, ubi quis ſuis ipſius inſervit commodis, aut ubi quis, non expectato alieno officio, ipſe ſuum agit negocium. Ariſtophanes in Pace:

Ἀλλ' εἰ ταῦτα δοκεῖ, κἀγὼ μαυτῷ βαλανεύσω.

Id eſt,

Balneum & ipſe mihi, ſi hæc vobis grata, parato.

Interpres admonet tranſlatum, à balneis, in quibus ceſſante balneatore, ipſi qui lavant, aquam hauriunt, atque infundunt. Zenodotus putat & ad eos referri poſſe, qui glandes in ignem ejectas coquunt. Fortaſſis haud abſurde referetur ad glandium excuſſores. Nam Græci βαλανεὺς, balneariūm cauponem ſignificat, βάλανος, glandem. Atque hinc anceps proverbii interpretatio.

Sibi canere.

Ἑαυτῷ ψάλλειν, i. ſibiipſi canere, dicitur qui non ad alienum arbitrium facit quippiam, ſed animo obſequens ſuo. In Platonis convivio jubent tibicinā ſibiipſi canere. Et cantor quiſpiam, Antigenidas opinor, jubet diſcipulum, quod populo non admodum gratus eſſet, ſibi canere & Muſis. M. Tullius in Bruto: Id enim eſt ſummi oratoris, ſummum oratorem populo videri. Quare tibicen Antigenidas dixerit diſcipulo ſane frigenti ad populum, Mihi cane & Muſis: ego huic, Brute, dicenti ut ſolet apud multitudinem, Mihi cane & populo, dixerim. Divus Hieronymus ad Iſmeniam refert, hujus, ni fallor, diſcipulum. Atque is non juſſus eſt ſibi canere, ſed præceptori, qui poterat judicare.

Aſtutior coccyce.

Μηχανικώτερος κόκκυγος, id eſt, Coccyce aſtutior, dicebatur, qui aſtu ſibi conſuleret. Sumptum ab avis ingenio, ova ſubjicientis in nidos alienos, maxime palumbium: de qua abunde Plinius & Ariſtoteles.

Civitates ludimus.

Πόλεις παίζομεν, id eſt, Civitates ludimus. Luſus genus quoddam eſt, in quo calculis ludebatur olim, quos antiquitus πόλεις, id eſt, urbes, vocabant. Neoterici χώρας, hoc eſt, regiones appellare cœperunt. Vſurpavit adagium Cratinus in Fugitivis. Hic nimirum locus eſt, ni fallor, quem Julius Pollux citat libro De rerum vocabulis nono, Πανδιονίδα πόλιν βασιλέως, τοῦ περικόλακος, φράσον ἣν λέγουσι, καὶ κύνα καὶ πόλιν, ἣν παίζουσιν. id eſt, Pandioniam civitatem Regis, ſupra modum adulatricis. Noſti quam dicimus, & canem & civitatem, quam ludunt. Genus autem luſus deſcribit his verbis: ἡ δὲ διὰ πολλῶν ψήφων παιδιὰ πλινθίον ἐστί, χώρας ἐν γραμμαῖς ἔχον διακειμένας, καὶ τὸ μὲν πλινθίον καλεῖται πόλις, τῶν δὲ ψήφων ἑκάστη κύων, διῃρημένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστι περιλήψει τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων, τὴν ἑτερόχροον ἀναιρεῖν, id eſt. Qui vero complurium calculorum dicitur luſus, lateruncuIus eſt, regiones in ſe continens in lineis ſitas. Et lateruncuIus quidem ipſe civitas appellatur, cæterum, unuſquiſque calculus, canis.

Porro cum calculi ſint duobus diſtincti coloribus, luſus hæc ars eſt, ut comprehenſis duobus calculis uti coloribus eum qui diverſi coloris eſt, tollas e medio. Alluſit ad hoc proverbium Plato lib. De Repub. quarto, ἑκάστη γὰρ αὐτῶν πόλεις εἰσὶ πάμπολλαι, ἀλλ᾽ οὐ πόλις, τὸ τῶν παιζόντων, id eſt. Nam illarum unaquæque plurimæ ſunt civitates, non civitas, quemadmodum dicere ſolent ludentes. Refert Zenodotus, quanquam idem adagii ſenſum non indicat. Quare cuique quod vero proximum videatur, conjectandum relinquo. Mihi quadraturum videtur, quoties ſuum quiſque commodum quacunque ſectatur via, & æmulo, competitoriq; modis omnibus tendat inſidias: qui luſus frequens eſt in aulis Principum, & in magiſtratibus publicis. Ab hoc luſu manaſſe videtur, qui nunc vulgo ſicarius dicitur.

Mercator eſt.

Ἔμπορος εἶναι σκήπτεται, id eſt, Mercatorem ſe adſimulat. Dicendum in eum, qui ob timiditatem cauſas commentitias prætexit ne cogatur ſubire diſcrimen. Suidas ex Ariſtophane citat, apud quem tum in Pluto, tum in Eccleſiazuſis quiſpiam inducitur, loquens in hunc modum, ut dicat ſe fingere mercatorem eſſe, quoties ad bellum ire jubetur, quod negociatores non cogerentur exire: quoniam expediebat illos relinqui, quo de commeatu proſpiciant. In Pluto ſic habet locus:

> Γεωργὸς εἶ; μελαγχολῶ γ᾽ οὕτως ἐγώ.
> Ἀλλ᾽ ἔμπορος; ναί, σκήπτομαί γ᾽ ὅταν τύχω.
> Id eſt:
> Num cultor agri es? mente ſic furere putas?
> Negociator? Simulo, ſi quando eſt opus.
> Alter ſic habet:
> Ἀλλ᾽ ἔμπορος εἶναι σκήπτομαι.
> Id eſt:
> Quaſi ſim negociator, ita me mer gero.

Non uſquequaque diſcrepat hinc Evangelica parabola de his, qui invitati ad nuptias, variis cauſationibus excuſant.

Opta vicino ut habeat, magis autem ollæ.

Εὔχου τὸν πλησίον ἔχειν, ἐπὶ πλεῖον δὲ τὴν χύτραν, id eſt, Opta ut proximus habeat, magis autem ut olla. Potiſſimum eſt habere domi, quibus opus proximum, vicinum habere divitem, à quo poſſis petere. Videtur è vulgi fæce hauſtum.

Suam quiſque homo rem meminit.

Plautus in Mercatore: Suam quiſque homo rem meminit. Sententia proverbialis notans communem hominum morem, qui in alieno negocio dormitant, in ſuo quiſque & vigilat, & attentus eſt. Vnde recte monet apud Gellium Ennius.

> Hoc tibi ſit argumentum ſemper in promptu ſitum,
> Ne quid expectes amicos, facere quod per te queas,

In eandem ſententiam extat belliſſimus Æſopi apologus de caſſita avicula: quæ negavit ullum eſſe periculum, donec res alienis manibus eſſet commiſſa. Alluſit ad proverbium Plautus in Pœnulo, Itane tentas an ſciamus nos meminiſſe noſtra? Eodem alluſit Terentius in Phormione: At ſi talentum rem reliquiſſet decem &c. Quicquid cordi eſt, facile meminimus: & plerunque oblivionis mater eſt negligentia.

Veniat hoſpes, quiſquis profuturus eſt.

> ——Ξεῖνος ἔλθοι ὅς τις ὀνήσει.
> Id eſt:
> ——Veniat qui proderit hoſpes.

Theopompus citante Zenodoto, ſcribit hoc adagium ex Philippi Regis apophthegmate profectum eſſe. Nam is ubi Theſſalorum civitatem ſubvertiſſet, & hoſpites quos mihi repperit divendiſſet, per jocum dicebat:

> Ξεῖνος ἔλθοι ὅς τις ὀνήσει.

Videtur ex oraculo, aut poeta quopiam ſumptum. Eſt enim hemiſtichium carminis heroici. Admonet adagium, eorum demum adventu eſſe gratum, qui commodi quippiam adferunt. Ovidius.

> Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere,
> Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

BRASSICANI. *Candidatus Cæſaris.*

Candidati Cæſaris, eleganti proverbio dicuntur, qui negligentius aliquid petunt, tamquam minime ambientes, quod principum explorata benignitate, certo ſciunt ipſis obventurum eſſe. Quintil. in 6. Jungitur inquit, amphiboliæ ſimilitudo, ut A. Galba qui pilam negligenter petenti, Sic, inquit petis tanquam Cæſaris candidatus. Nam illud Petis, ambiguum eſt, Securitas ſimilis. Cæſaris autem candidati, ut Sueton. etiam in Auguſto meminit, propterea negligentius petebant, quod ſciebant principum commendationem non fruſtra futuram. Hoc adagium ingenue fateor me decerpſiſſe ex Annotationibus prioribus in Pandectas doctiſſimi & nunquam ſatis laudati viri Gulielmi Budæi. Ejuſmodi candidatorum plena nunc eſt aula, qui tum maxime munus aliquod ambiunt, quando negligentius hoc animadvertere putantur: quemadmodum & Cicero apud Gellium lib. 12. cap. 12. putabat eſſe prudentis & cauti patrisfamilias, quod emere vellet, empturum ſeſe negare propter competitores emptionis.

POLYDORI VIRGILII.

Sine corollario non recedere.

In avidiuſculos, quibus non ſatis eſt, quod juſtum & æquum eſt, adipiſci, niſi quiddam amplius auferant, veluti auctarium. Dictum corollarium à corollis, quod ex. cum maxime placuiſſent actores in ſcena dici ſolebant licet.

PETRI GODOFREDI.

Piſcatur in aqua turbida.

De eo, qui dum alii inter ſe rixantur, ipſe ſibi & ſuis commodis conſulit. quem nihil morantur ſed juvant potius aliorum incommoda. Piſcatores turbidam aquam obſervare ſolent, ut ex ea decipuli magis neſciam facilius capiant prædam. Huc ſpectat Eraſmi proverb. Anguillas captare: & apologus Æſopi, de eo qui aquam turbabat, ut plures caperet piſces.

CAROLI BOVILLI.

Ades tritico, dum molitur, tuo.

Proverbium illud Celtarum, Sois à ton bled moudre, ſi tu ne veux perdre plus que la poudre: omnes monet, ut diligentes in negociis ſint ſuis: nunquam, quæ ipſi efficere poſſunt per alienos exequi ea curent, præſertim in quibus fiducia ſæpe fallit. Vnde Italus: A nemine ut fallaris, fide nemini.

GULIELMI GENTII.

Saccularia opera.

De opera forenſi quorundam formulariorum, quæſtus & lucri nimium captatoria: dum cauſſas, earumq; libellos in ſacco concluſos habent, non niſi ſtylo mercenario inde eruendos. Utitur alicubi Budæus in rabulas & ſycophantas foraneos, cauſſarum procuratores: qui nullam juris boni, æquive rationem habentes, ejus ignari, inconſultis advocatis, aliiſq; ie peritioribus cognitionibus non ſolum neglectis, ſed & eorum partes & munia obeunde ſubrepunt impudenti ore & faſtu formulatum, & aucupio verborum proſtant in cauſſas juris aliis demandatas, quo honorarium aliis deſtinatum præripiant. Sumpta metaphora forte a ſaccariis, quæſtum ex ſaccis facientibus; non à ſacculariis, quod mali ominis eſſet.

PROXIMIS UTENDUM.

ERASMI. *Viam qui neſcit ad mare, &c.*

Plautus in Pœnulo: Viam qui neſcit, qua deveniat ad mare, eum oportet amnem quærere comitem ſibi. id eſt: Qui rem commode conficere nequit, is quavis ratione conficiat neceſſe eſt. Poteſt & in hunc accommodari ſenſum: Qui per ſe non ſapit, aliis obtemperet qui plus ſapere videantur. Poteſt item in hunc: Qui recte vivendi rationem ignorat, eos ſibi proponat, quorum vita laudata eſt. Fluvius etiam ſi longis ambagibus, tamen aliquando tandem ad mare deducit, quandoquidem illuc infunditur. Huic confine eſt: Qui viæ ignarus eſt, virgiferum adhibet. Cato Cenſorius in eos, qui ſubinde ambirent magiſtratum, non inſcite dicere ſolebat καταγελᾶν τοὺς ἀγνοοῦντας τὴν ὁδὸν μετὰ ῥαβδούχων ζητεῖν προπέμπεσθαι, μὴ πλανηθῶσι: id eſt, non aliter quam viæ ignaros ſemper velle cum virgiferis incedere ne errarent. Magiſtratus enim ex more lictor, aut aliquis virgam geſtans præcedebat.

Vt poſſumus, quando ut volumus non licet.

> Ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ᾽ ὡς δυνάμεθα.
> Id eſt:
> Non uti libet, ſed uti licet, ſic vivimus.

Senarius proverbialis, quo monemur, tempori ac neceſſitati ſerviendum eſſe. Terentiana Myſis in Andria rogata, quam Athenis vitam agerent, verecunde ſeni meretricium quæſtum confitens: Vivimus, ajunt, quando ut volumus, non licet. Cæcilius in Plotio apud Donatum. Vivas ut poſſis, quando non quis ut velis. Item Plato in Hippia majore, τοιαῦτα ὦ Ἱππία τὰ ἡμέτερα ἐστίν, οὐχ οἷα βούλεταί τις (φασὶν ἄνθρωποι ἑκάστοτε παροιμιαζόμενοι) ἀλλ᾽ οἷα δυνατά. id eſt, Ejuſmodi ſunt Hippias noſtræ, non quales quis optaret (ſicuti proverbio dicitur uſquequaq;) ſed quales eſſe poſſunt. Alluſit eodem & in Cratylo: ὅπως ἂν δυνώμεθα ἐπιχειρητέον, id eſt, Præfari, utcunque potuerimus. Sic enim modeſtiæ gratia præfantur, qui negocium aliquod ſuſcipiunt. Huc pertinent & illæ Græcorum ſententiæ:

> Βουλόμεθα πλουτεῖν πάντες, ἀλλ᾽ οὐ δυνάμεθα.
> Id eſt,
> Omnes cupimus, at non licet diteſcere. Et:
> Πάντες καλῶς ζῆν θέλομεν, ἀλλ᾽ οὐ δυνάμεθα.
> Id eſt,
> Bene vivere omnes volumus, at non poſſumus.

Nemini ſua fortuna ſatisfacit, & aliud votis deſtinat, quod tamen haud ſcio an quiſquam unquam ſit aſſecutus. Vſus erit, ubi ſignificabimus noſtra nobis parum placere, verum facultatem deeſſe, non animum: videlicet fortunam eſſe parum commodam, aut vitam non ſatis integram, aut epiſtolam non ſatis eruditam.

Quando id fieri non poteſt.

Nihil dici poteſt nec venuſtius, nec moralius ea ſententia

quæ

quæ extat apud Terentium in Andria: Quoniam id fieri quod vis, non poteſt, id velis quod poſſis: οὐ δυνάμενος ὃ θέλεις, θέλε ὃ δύνασαι. Plurimum decoris adjunxit ea verborum converſio. Qualis eſt in illis: Non vivendum ut edas, ſed edendum ut vivas. Eſt autem adagium hoc finitimum illi, δεῖ τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, id eſt, Oportet id quod adeſt boni conſulere. Et Martialis inter felicitatis calculos commemorat, ut

Quod ſis, eſſe velis.———

Bona etiam offa poſt panem.

——— Ἀγαθὴ καὶ μᾶζα μετ᾽ ἄρτον.

id eſt,

——— Et poſt panes bona maza eſt.

Hemiſtichion carminis Heroic. Zenodotus ait de iis ſolere dici, qui penuria meliorum amplectuntur deteriora. Nam maza quiddam eſt pane cocto deterius, confectum ex lacte & farina, quo ruſtici vice panis uti conſueverunt. ἐν τῷ ἀλφίτῳ, in deliciis olim fuiſſe, alias demonſtravimus ex Theo...ito. Proverbii ſpeciem habet quod eſt apud Athenæum lib. 8. haud diſſimile, πεινῶντι γὰρ ἀνδρὶ μᾶζα τιμιωτέρα χρυσοῦ καὶ ἐλέφαντος, id eſt, Maza ſive offa eſurienti homini charior & auro & ebore. Quo licebit uti, cum indicabimus, rem uſu, non opinione æſtimandam. Ex his quæ prodidit Athenæus de apparatu conviviorum, liquet mazam prius apponi ſolere, deinde panem. Verum conſumpto pane probatur & maza. Vt poſſumus, quando ut volumus non licet. Xenophon lib. ſexto παιδείας, facit quendam con...antem milites, qui defecti pane, maza veſci cogebantur. Hoc cibo qui victitant, dicuntur ἀλφιτοσιτεῖν, quemadmodum qui pane, ἀρτοσιτεῖν.

Si non adſunt carnes, taricho contentos eſſe oportet.

Ἂν μὴ παρῇ κρέα, στερκτέον τῷ ταρίχῳ.

Id eſt.

Probanda ſalſamenta egenti carnium.

Sunt qui dicunt, τάριχος accipi pro piſce, ſed vili putriq; qui idem ſit apud nos forte? Forſitan hic pro jure accipiendum tarichus. Nam quibus deeſt obſonium, ſolent pane in jus immerſo veſci. In aphyas & tarichos creber jocus eſt in comœdiis. Senſus hic eſt: Vbi non eſt copia meliorum, boni conſulere oportet quæcunque contingunt. Refertur à Diogeniano.

Aulœdus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit.

M. Tullius in oratione pro Murena comparationem faciens juriſconſultorum & oratorum. Itaque mihi plerique videntur, inquit, initio hoc multo maluiſſe: poſt cum id aſſequi non potuiſſent, iſthuc potiſſimum ſunt delapſi. Vt ajunt in Græcis artificibus eos aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint: ſic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris ſtudium devenire. Hactenus Cic. Recte dicetur in eos, qui malunt in multo inferiore ordine alicujus haberi momenti, quam inter excellentes negligi. Quemadmodum Julius Cæſar maluit in frigido oppidulo primus eſſe, quam Romæ ſecundus. Nec male quadrabit in eos, qui deſperatione meliorum ad humiliora ſeſe conferunt. Citatur idem adagium in Decretis ex Auguſtino, in monachos malos, ad clericorum gregem deſciſcentes.

Si bovem non poſſis, aſinum agas.

Εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε ὄνον. id eſt: Si nequeas bovem, aſinum agito. Id eſt: Si non potes ut vis, utcunque potes facito. Si fortuna ſplendidior non contingit, eam ſortem quæ contingit, boni conſulas; ſi quod optas non licet, id quod eſt proximum, amplectere. Autore Suida.

Altera navigatio.

Δεύτερος πλοῦς, id eſt, Secundarius curſus vocabatur, cum vento deſtituti, remis navim impellerent. Nam ὁ ἐξ οὐρίας πλοῦς, πρῶτος, id eſt, Cum ſecundis ventis navigaretur, ea prima navigatio dicebatur, autore Pauſania: quem citat Euſtathius in ſecundum Odiſſeæ librum, quo loco proverbii quoq; mentionem facit. Ariſtoteles lib. Moralium Nicomachiorum ſecundo, ἐπεὶ οὖν τοῦ μέσου τυχεῖν ἄκρως χαλεπόν, κατὰ τὸν δεύτερόν φασι πλοῦν, τὰ ἐλάχιστα ληπτέον τῶν κακῶν, i. e. Quando igitur medium exacte conſequi difficile eſt, juxta ſecundum, ut ajunt curſum, minima malorum ſumenda ſunt. Philoſophus ſentit virtutem in medio eſſe ſitam. At id quoniam interdum difficile eſt aſſequi, monet ut quam leviſſime aberremus. Huc pertinet illud Ariſtophanis in Concionatricibus:

Νυνὶ μὲν γὰρ οὔτε θέομεν, οὔτ᾽ ἐλαύνομεν.

Id eſt,

Nam nunc nec aura impellimur, nec remige.

Interpres admonet, nautas quum vento deſtituuntur, ad remos confugere. Convenit, ubi quoties quæ potiſſima fuerant, non contingunt, ad proxima cõfugitur auxilia. Cognatum eſt illi quod alibi retulimus, δευτέρων φροντίδων ἀμεινόνων. Uſurpavit hoc Joannes Chryſoſtomus homilia in Matthæum prima. ἐπειδὴ δὲ ταύτης διεσφάλημεν τῆς χάριτος, φέρε κἂν τὸν δεύτερον ἀσπασώμεθα πλοῦν, id eſt, Poſteaquam vero ab hac gratia ſumus excuſſi, age vel ſecundum amplectamur curſum. Atque hic ſtatim in ipſo, quod ajunt, portu impegit interpres Anianus, ſic enim hunc locum reddidit. Quia vero hanc a nobis excuſſimus gratiam, vel ſecundas divinas expetamus, etiamſi in vulgatis per typographos exemplaribus. pro excuſſimus, legitur excuſamus, & pro expetamus, expectamus. Agit illic Chryſoſtomus, primum & optimum eſſe nullis uti literis: poſteaquam autem ab eo quod erat optimum degeneravimus, nobis eſſe nautas imitandos: qui quum recto curſu non poſſunt eo pervenire quo volunt, tamen vel remigio, vel obliqua navigatione conantur eodem pertendere. Fefellit autem interpretum proverbii ignoratio: & ideo ex πλοῦν fecit πλεύσας. Hæc indico, non ut traducam Anianum, cujus induſtriæ debent ſtudioſi: ſed ut errorem tollam. Extat Naumachii, Chriſtiani ut ſuſpicor Poetæ, carmen, quo primum hortatur ad virginitatem, matrimonium appellans ſecundarium curſum:

Εἰ δέ σε καὶ κοινοῖο πόθος βιότοιο κιχάνει,
Καὶ τοῦτο συνδυάσεις ἐρέω, πῶς χρεῖον ὑπάρχει
Τὸν πλοῦν, ὥς φασιν, τὸν δεύτερον εὔφρονι θυμῷ.

Id eſt,

Quod ſi te vulgaris amor vitæ tenet, addam
Hoc quo uti didici, quo pacto curſus, ut ajunt,
Hic alter tibi ſit peragendus mente ſagaci.

Alluſit huc Cic. in Oratore ad Brutum: Quod ſi quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenii vis forte deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat tamen eum curſum quem poterit. Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis tertiiſque conſiſtere. Summam celeritatem ſignificans, utrumque conjunxit Philippica prima: Tum vero ſum tanta cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli neque remi, neque venti ſatisfacerent.

Præſentem fortunam boni conſule.

Τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, id eſt, Quod adeſt boni conſule. καὶ τὸ παρὸν εὖ τίθεσθαι, id eſt, Quod adeſt, æqui boniq; facere oportet. Admonet adagium, ne nos alienarum rerum cupiditate maceremus, ſed quæcunq; contigit ſors, eam velut optimam amplectamur. Magna enim felicitatis pars, ut ſua cuique fortuna placeat. Plato in Gorgias: ὡς ἔοικεν ἀνάγκη μοι κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ. i. Neceſſum eſt mihi, ſicut videtur, juxta vetus adagium, quod adeſt, boni conſulere, & hoc accipere quod abs te datur. Cratinus in Pylæa:

Ἀνδρῶν σοφῶν χρὴ τὸ παρὸν πρᾶγμ᾽ ὡς καλὸν
Εἰς δύναμιν εὖ τίθεσθαι:

Id eſt:

Sapientium eſt virorum, uti quod adeſt boni,
Tanquam bonum ſit, conſulant pro viribus.

Affine eſt illi, quod alibi retulimus, Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει, i. Spartam es nactus, eam diſpone. Quod quidem carmen citat Stobæus ex Euripidis tragœdia, cui titulus, Τήλεφος, id quod obiter admonendum duximus. Nam adagium ſuo dictum eſt loco.

Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris?

Τὴν παρεῶσαν ἄμελγε, τί τὸν φεύγοντα διώκεις.

Id eſt,

Præſentem mulgeto, quid inſequeris fugientem?

Heroicus proverbialis, admonens præſens lucrum non omittendum, ſpe commodorum, quæ non item ad manum videntur eſſe, Sumptum ex Cyclope Theocriti. Scholiaſtes citat conſimilis ſententiæ verſum Heſiodium,

Νήπιος ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν τ᾽ ἀνέτοιμα διώκει.

Id eſt,

Stultus qui non prompta ſequens, jam prompta relinquit.

Exiſtimat eundem habere ſenſum quod alibi nobis dictum eſt, τὸ, φεύγοντα βοῦν ἐλαύνεις.

Quod adeſt, boni conſule.

Qui admonebit oportere boni conſulere, quicquid à fortuna conceditur, uſurpabit illud ex Odyſſ. ξ.

Ἔσθιε δαιμόνιε ξείνων καὶ τέρπεο τοῖσδε,
Οἷα πάρεστι. θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ᾽ ἐάσει,
Ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλῃ, δύναται γὰρ ἅπαντα.

Id eſt,

Hoſpes ſume cibum, & quorum data copia lætum his
Paſce animum, nam ſors dabit hæc, rurſum illa negabit.
Utrumque eſt animo lubitum, valet omnia quippe.

His verbis Eumenes ſubulcus Ulyſſem invitat, ut cibos viles & ruſticanos, qualeſcunq; eſſent, boni conſuleret. Transfertur ad omnẽ hominis vitam, quoties admonebimus, ut quemcunq; ſtatum ſors dederit, in eo læte tranquilleque vivamus. Apud Athenæum l. 10. refertur hic ſenarius.

Ἐπὶ τοῖς παροῦσι τὸν βίον διάπλεκε.

Id eſt,

Quæ præſto ſint, in hiſce vitam nectito.

Iſocrates in oratione De pace, στέργειν τοῖς παροῦσι, ait pleriſq; hominibus eſſe difficillimum: & hinc eſt quod bellum malunt quam pacem.

Quæ dantur.

M. Tullius libro Epiſtolarum ad Atticum 6. [illegible]

Αἰσχρὸν [illegible]

Meque objurgavit veteri proverbio, τὰ μὲν διδόμενα. Vtitur eodem

& aliquo quodam loco. Non admodum liquet, quid ſibi velit: niſi quod conjicere licet, τὰ μὲν διδόμενα, verſum eſſe Poetæ cujuſpiam, eſt enim hemiſtichium, jambicum, quod admonet, quod à fortuna datur, id boni conſulendum eſſe, & ferendum æquo animo, quod mutari non queat. Plato in Gorgia videtur indicare proverbium: νυνὶ δ' ἐξ ἐψεύσθην, καὶ ὡς ἔοικεν, ἀνάγκη μοι κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ, id eſt, Nunc autem mendacio deluſus, atq; ut videtur, necesse eſt mihi juxta vetus proverbium, quod adeſt boni conſulere, idque quod abs te datur accipere, δῶρον δ' ὅτι δῷσιν, ἐπαινεῖν, alibi dictum eſt. Eodem pertinet, ut poſſumus, quando ut volumus non licet.

Quod datur.

Nonius Marcellus citat hunc verſiculum è Cæcili Plotio.

Patiere quod dant, quando optata non dantur.

Danunt, antique dictum pro dant. Convenit cum eo quod ante retulimus ex Cic. τὰ μὲν διδόμενα, & huic ſimilibus.

Extrema linea.

Quoniam olim initium unde curſus incipiebatur, ducta linea notabatur, rurſus extremum linea ſignabatur: idcirco à linea incipere, ſive ad lineam redire dicebantur, qui rem ab initio repetebãt. Et quod in quaque re poſtremum eſt, extremam lineam appellabant. Ita Terentianus Phædria: Poſtremo extrema linea amare nonnihil eſt. Et Tertullianus li. quem adverſus Hermogenem ſcripſit, vocat eum ignorantium extremam lineam, quod ultimus eſſet hæreticorum, Siquidem adhuc erat in vivis, quum ea ſcriberet Tertullianus.

COGNATI. Præſtat poſſidere quam perſequi.

Et præſentem mulgere, quam fugientem ſectari, ut in Cyclope Theocritus ait. Qui poteſt capere (ut etiam vulgo dicitur) capiat, poſſeſſio valet. Caius lib. Pandect. vj. tit. j. de rei vindicatione cap. xx. iiij. Is qui deſtinavit rem petere, animadvertere debet an aliquo interdicto poſſit nanciſci poſſeſſionem: quia longe commodius eſt ipſum poſſidere, & adverſarium ad onera petitoris compellere, quam alio poſſidente petere. Vlpianus lib. xlv. tit. de fidejuſſoribus & mandatoribus, cap. xv. Intereſt enim ejus, pecuniam retinere potius, quam ſolutam ſtipulatori à reo repetere. Huic non abſimile eſt, quod Ariſtot. lib. xv. Polit. cap. iij. ait: Melius eſſe providere, ne homines nimia potentia augeantur, quam poſt contra auctos remedium quærere. Præſentibus igitur commodius fruamur: & abſentium cupiditate nos non excruciemus. Huc videtur reſpexiſſe Saluſtius in bello Catilenæ, quum ait, Non debere certa pro incertis mutare: de quo inferius adag. 99. Incerta pro certis.

Pro incerta ſpe, certa præmia.

Incerta pro certis. Salluſtius in bello Catilinæ, de Allobrogibus loquens diverſa conſilia animo volventibus, inquit enim: Pro incerta ſpe, certa præmia. Idem: Cæterum juventus pleraque incerta pro certis malebant, hoc eſt, mutationem rerum fieri cupiebant, ut una cum Catilina regnare poſſunt. Ibidem: Neque ego, inquit Catilina, incerta pro certis captarem. Animadvertendum præterea, an cum idem de bello Jugurthæ narrat ita, Metellum Regi Boccho ſuaviſſe, quanquam opibus ſuis confideret, tamen non debere certa pro incertis mutare, reſpexerit (ut puto) ad ſententiam verſus Heſiodi, valde celebratam, inquit enim ſapiens ille Poeta,

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

Id eſt,

Stultus, qui parata relinquit, & imparata perſequitur.

Theocritus in Cyclope,

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Id eſt,

Mulge præſentem, quid enim fugientem ſectaris?

Vbi Scholiaſtes Heſiodi verſum citavit. Hoc age igitur, quod præſens, quodque præ manu eſt, & in id tibi mens intenta ſit: de eo cogita, non interea inanes cupiditates & vana ſomnia ſequaris. Plautus autem apertius illam vertit, cum Pſeudolum, callidum ſervum, ſecum philoſophante induxit, in aliiſque multis dicentem: Stulti haud ſimus fruſtra ut ſimus, quam quod cupienter dari petimus nobis, quaſi quid in rem ſit, poſſimus noſcere. Certa amittimus, dum incerta petimus: atque hoc invenit in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim. Hoc autem proverbio monemur, ut præſentibus commodis fruamur, & abſentium cupiditate nos non excruciemus, juxta hoc Philemonis comici,

Ἐὰν δ' οὐκ ἔχομεν, τοῖς γε μὴ χρώμεσθα,
Ἃ δ' οὐκ ἔχομεν, ζητοῦμεν ἂν μὴ διὰ τύχην,
Σὺ δ' ἑαυτοὺς ἐστερημέν' ἐσόμεθα.

Id eſt,

Si præſentibus non utimur,
Abſentia quærimus: his quidem noſtra culpa.
Illis vero per fortunam privabimur.

Democritus apud Stobæum ſermone 10. Cupiditas plurium amittit præſentia, ſicut olim Æſopicus ille canis. Fuerunt autem qui incerta ſpe majora acquirendi ducti, divitias ſuas certas & firmas in diſcrimen adduxerunt; atque ita tandem coacti ſe pares illis in pace exhibuerunt, quos bello ſuperare nequiverunt. Nos igitur contenti rebus præſentibus ſimus, inq; memoriam quotidie nobis res veniant præteritæ, nec non dies, noctesq; illorum apud nos exempla meditemur, qui eo quod implendæ inſatiabilis cupiditatis ſpe regi ſe paſſi ſunt, nihil unquam minus quam ſuarum cupiditatum finem adepti ſunt. Seneca De conſolatione ad Martium, c. 5. Oblita meliorum, fortunam tuam qua deterior eſt, aſpicis. Eundẽ habet ſenſum, quod alibi nobis dictum eſt: Præſtat poſſidere, quã perſequi Joannes Fabricius Montanus in oratione de Tridentino concilio. A Scripturis, inquit, ad traditiones, à certo utiq; ad incertius rejicere nos conantur. Et paulo poſt: Dicite per Deum immortalem, cur à Scriptura ad traditiones, à certo ad incertius nos abduci patiamur? Galli autem dicunt:

On doit tenir la choſe certaine, & delaiſſe l'incertaine.

Demoſthen. contra Timocratem: Multi ſæpe majorum ſpe allecti, præſentia perdiderunt. Theocritus in Bucoliaſtis,

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Qui omiſſis præſentib. & certis ſequitur incerta, hoc & alio verſu ejuſdem Theocriti admonendus eſt:

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε, τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

E Scholiaſte Theocriti in Cyclope:

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

Id eſt,

Stultus qui non prompta ſequens, jam prompta relinquit.

Manum prehendere, complecti.

Plato in Parmenide: Manum meam prehendens Adimantus: Salve, inquit, ô Cephale, & ſi quo indiges, quod noſtræ facultatis ſit, dic. Expone, inquit, quid ſit quo indiges. Agnovit me, & complexum me ſalutavit.

Majore cura tuenda, quæ parta ſunt.

Tuendi cura major eſſe debet, quam acquirendi. Cic. ſuntlære, in quadam ad C. Cæſarem Epiſt. citante Nonio in dictione, Tueri, Quidam lib. I. diſtichorum,

Ne tibi quid deſit, quæſitis utere parce:
Vtque quod eſt, ſerves, ſemper tibi deeſſe putato.

Idem eodem lib. ſub finem,

Conſerva potius quæ ſunt jam parta labore.

PRUDENTIÆ.

ERASMI. A fronte ſimul & occipitio.

Cum indicabimus admirabilem rerum omnium cognitionem, aut ſingularem prudentiam, quæ conſtat non præſentium modo ſcientia, ſed & memoria præteritorum, & futurorum proſpicientia, recte verſum hunc ex eodem uſurpabimus libro,

Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,

Id eſt,

Qui ſcit præterita ac præſentia, poſtque futura.

Vergilius vertit ad hunc modum:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Alter Ianus.

Ἰανὸς ἄλλος, id eſt, Janus alter. Quadrabit vel in providum ac circumſpectum, vel in ancipitem & perfidum. Perſius,

O Jane, à tergo cui nulla ciconia pinſit.

Sumptum à Jano bifronte, cujus notior eſt fabula, quam ut ſit hoc loco percenſenda.

Acetum habet in pectore.

Huic Germanum eſt Plautinum illud in Bacchidibus: Nunc experiar, ſitne acetum tibi cor acre in pectore. Legitur & alias apud hunc ipſum: Ecquid habet acetum in pectore? pro eo quod eſt: Num ſapit, num quid habet aſtutiæ: Nam ut ſalia, itidem & acida, palatum juvant, acuuntque & irritant ſtomachum. Horatius in Serm. acetum pro mordacitate dixit,

At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,
Perſius ex clamat.——

Et hoc ipſum, Aceto perfundere, proverbii ſpeciem habet, ſicut & illud eſt Sermonibus Horatianis,

——At idem quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.

Amyris inſanit.

Ἄμυρις μαίνεται, id eſt, Inſanit Amyris, Allegoria proverbialis, qua recte utimur, ubi quis ſub inſaniæ prætextu rebus ſuis conſulit. Aut ubi quis ſolus periculum proſpiciens, in tempore ſibi cavet, creditus interim vulgo deſipere: deinde rerum eventus docet illum unum ſapuiſſe. Vt hæc ſit vox velut opprobrantis ſocordiam iis, qui ſibi non proſpexerint mature: neque ſapere cœperint, niſi accepto vulnere. Zenodotus ab hiſtoria natum ait hujuſmodi. Cum Sybaritæ florerent opibus, quendam Delphos emandarunt, qui de rerum ſuarum ſucceſſu ſciſcitaretur oraculum. Reſponſum eſt, evertendam Sybaritarum fortunam, ubi plus honoris habere cœpiſſent hominibus quam diis. Evenit deinde ut ſervus à Domino vapulans, cum nequicquam ad deorum aras confugiſſet, poſt ad heri monumentum confugiens, liberaretur à plagis, ut alibi dictum eſt. Quod ſimul atque conſpexiſſet Amyris;

Amyris, collectis rebus ſuis, in Peloponneſum demigravit, reliquis interim Sybaritis hominem velut inſanum ridentibus. Poſtea idem ob fictam inſaniam miraculo fuit, & proverbio locum fecit. Citatur ab Euſtathio in ſecundo Iliados libro: citatur autem ex Pauſaniæ rhetorico dictionario. Addit quoſdam Thamyrim hunc appellare, quoſdam Amyrim, abjecto theta. Solet autem more hominum evenire, ut vati tum demum habeatur fides, ac laudetur, poſteaquam ipſis jam premimur malis. Proinde Caſſandra in tragœdia quapiam loquitur ad hunc modum, citante Plutarcho.

Καὶ σοφὴ πολλοῖσιν, κακοῖς κεκλημένη
Σοφὴ κέκλημαι, πρὶν παθεῖν δὲ μαίνομαι.
Sapienſque dicor, his malum qui ſentiunt:
Porro antequam illud ſentiant, inſanio.

Sapiens divinat.

Donatus in Hecyram indicat proverbium eſſe, divinat re ſapiẽtem: quod ex conjecturis prudenter collatis colligit verum, nõ ſolum de præteritis, verum etiam de futuris, quãquam in fabula quidem Laches divinans, tota errat via. Cujus tamen conjecturam approbans Philippus, ait: Plane hic divinat, nam id eſt. Reliqua pete ex proverbio, Qui bene conjiciet.

Mus non uni fidit antro.

Nihil hodie eſt decantatius apud vulgus, quam eum murem eſſe miſerum, cui non eſt niſi unus cavus. Idem Plautus expreſſit in Truculento.

Sed tamen cogitato mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam
Quia ſi obſideatur unum, aliunde præſidium gerit.

Locus erit adagio: ſi quem admonebimus, ut ſibi plures amicos paret, aut una cum opib. ſtudeat Philoſophiæ, ut ſi fortuna quod ſuum eſt eripiat, in literis ſit præſidium.

Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe.

Ariſtoteles libro Rhetoricorum iij. nullo autore citat ceu vulgo jactatum: *οὐ δεῖ τὸν ξένον ξένον ἀεὶ εἶναι*, i. Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe. Hoſpites dicuntur ignari ejus loci, in quo vivunt. Sed turpe eſt, diu in eadem civitate vivere, & ſemper eſſe peregrinum. Videtur jambicus trimeter corruptus. Turpe eſt in eadem diſciplina diu verſatum eſſe, & nihil ſcire.

Sapiens non eget.

Ibidem inter ſententias refert hoc carmen.

Χρῇ δ' οὔποτ' αὐτὸς ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνήρ.
Id eſt.
Haud unquam eget qui mente ſana eſt præditus.

Sive quod magnæ ſint opes, habere bonam mentem: ſive quod ſapienti facile eſt diteſcere, ſi velit. Velut Ariſtippus ejectus naufragio, reperit à quibus humaniter exciperetur. Idem quum Dionyſius talentum petenti diceret, Nonne dicebas ſapientem non egere? Da, inquit, & reſpondebo. Dedit rex, ac mox exegit reſponſum. Tum Ariſtippus: Nonne dixi, ſapientem non egere?

Tanquam de ſpecula.

Qui futura longe proſpiciunt, priuſquam eveniant tanquam de ſpecula prævidiſſe dicuntur. M. Tull. ad Servium Sulpitium lib. iiij. Multo enim ante tanquam ex aliqua ſpecula proſpexi tempeſtatem futuram, &c. Habent enim non oppida tantum, & arces, ſed & naves, ſpeculas ſuas: inde periti naucleri proſpiciunt imminere ventos aut turbines.

Qui bene conjiciet, vatem hunc perhibeto eſſe optimum.

Vide in loco. Conjectura.

Homo Thales.

Ἄνθρωπος Θαλῆς, id eſt, Homo Thales. Ironia proverbialis in ſtultum, qui ſapiens haberi ſtudeat. Ariſtophanes in Avibus.

Ἄνθρωπος Θαλῆς Μέτων.
Id eſt,
Homo Thales Meto.

Idem in Nebulis.

Τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;
Id eſt.
Qua gratia illum proinde ſuſpicimus Thalem?

Fuit enim Thales, unus e ſeptem Græciæ ſapientibus. Eſt & apud Plautum, Salve Thales: cum ſtultum ſignifices.

In holmo cubano.

Ἐν ὅλμῳ εὕδειν, id eſt, In holmo cubano. Dicebatur ab iis, qui ſe quippiam divinatione cognitum ire minitabantur. Nam *ὅλμον* quidam vatem interpretantur. Alii tripodes Apollinis holmos appellatos fuiſſe. Tradit autem Ariſtophanes grammaticus, citante Zenodoto, eos qui holmis indormiſſent, repente divinandi ſpiritum concipere. Addit Apollinem ob id *ὑπόλμιον* cognominatum à Sophocle. Quanquam apud Heſychium *ὅλμος* pro mortario ponitur. Apud Athenæum lib. xj. poculi genus eſt, cornu adſimile, ut per jocum torqueri poſſit & in bibones.

Perendinum ventum præſcire.

Τὸν τριταῖον ἄνεμον προγιγνώσκειν, id eſt, Perendinum ventum præſcire dicuntur, qui conjecturis, quod multo poſt eventurum ſit, colligunt. Sumptum à nautis, aut à negociatoribus. Pindarus.

Σοφοὶ δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον ἔμαθον.
Id eſt.
Sapientes futurum perendie ventum noverunt.

Id enim demum eſt ſapere, non ſolum quod ante pedes eſt, videre, verum id quoq; quod procul abeſt, proſpicere.

Non pluet poſt noctem, qua ſus agreſtis pepererit.

Plutarchus in commentario. De cauſis naturalibus, verſum hũc ceu proverbio jactatum citat.

Μηκέτι νυκτὸς ὕοι, ἢ κεν τίκτῃ ἀγροτέρα σῦς.
Id eſt.
Non jam nocte pluet ſus qua enitetur agreſtis.

Sues cicures ſæpius pariunt, ac diverſis temporibus, feræ non niſi ſemel, idque iiſdem ferme diebus nimirum ineunte æſtate. Unde negant fore pluviam, poſteaquam ſus agreſtis pepererit: nimirum exactis jam menſibus pluviis. Per jocum uſurpari poterit, ſi dicamus, res fore tranquilliores, poſteaquam moroſus ac rixoſus quiſpiam animo ſuo morem geſſit.

Lesbius Prylis.

Ὁ *Λέσβιος πρύλις*, id eſt, Lesbius Prylis. Plutarchus in adagiorum Collectaneis (ſi modo non fallit titulus) tradit hoc proverbium per ſimilitudinem ſumptum. Prylin enim fuiſſe Mercurii filium, ac divinandi peritum. Quanquam *πρύλις* Græce, militem peditem ſignificat.

Timidi mater non flet.

Probus Æmylius in vita Thraſybuli, teſtatur hoc velut ænigma vulgo jactatum, timidi matrem non flere: quod in bello qui contemnunt hoſtem, nihilque metuendum ducunt, quoniam ſibi parum cavent fere pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. Contra qui nihil non metuit, neque quicquam omnino contemnit, is tutioribus utens conſiliis, raro venit in periculum. Thraſybulus enim quum indixiſſet bellum triginta tyrannis, qui Athenas oppreſſerant, & caſtellum Atticæ Phylen occupaſſet, non plures ſecum habuit quam triginta commilitones: Hoc, inquit, initium fuit ſalutis Atticorum, hoc robur libertatis clariſſimæ civitatis. Neque vero hic non contemptus eſt primo à tyrannis, neque ejus ſollicitudo: quæ quidem res & illis contemnentibus perniciei, & huic deſpecto ſaluti fuit. Hoc enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robuſtiores. Quo magis præceptum illud omnium in animis eſſe debet, nihil in bello oportere contemni, nec ſine cauſa dici, Timidi matrem flere non ſolere. Quanquam ſatis conſtat, hunc locum depravate legi, unde conjicio ſic ſcriptum fuiſſe: Neque vero hic modo contemptus eſt primo à tyrannis, ſed ejus etiam ſolitudo. Itaque modo depravatum eſt in non, & ſolitudo in ſolicitudinem: & depravatio deinde trahit depravationem, ut anſa anſam. Sentit enim Probus. ipſum Thraſybulum, ut hominem mediocriter nobilem ac divitem deſpectui fuiſſe tyrannis. Deinde hoc magis fuiſſe contemptui, quod tam paucos haberet ſuæ factionis homines. Retulimus alibi de fortitudine, quæ erumpit in nervum.

EX APPEND. ERASMI.

Senum conſilia, juvenum lancea.

Καὶ μάλιστα εὐδοξεῖ πόλις ἔνθα βουλαὶ γερόντων, καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριστεύουσιν αἰχμαί. Æſchinis conſilium fuit, ubique juvenum robur conjungendum eſſe cum ſenum prudentia. Plutarchus in commenta. An ſeni gerenda ſit reſpubl.

IUNII. Crania bina gerit & innumeros oculos.

Verſus eſt hexameter Cratini, ab Hephæſtione citatus ex fabula, cui titulus *πανόπται*. veluti cuncta intuentes,

Κρανία δισσὰ φορεῖ, ὀφθαλμοὶ δ' οὐκ ἀριθμητοί.
Id eſt,
Crania bina, oculoſque gerit numerum fugientes.

Qui competit in cordatum hominem & providum, magno ingenio præditum, & mira ſagacitate futura proſpicientem. Ductum, opinor ab Argo, quem oculeum totum nominat in Aulularia Plautus.

Ventura per dioptram proſpicit.

De cordato homine, qui ſagaciter odoratur & prævidet imminens periculum, appoſite dicetur illud Piſidæ,

Ταῦτα πρὸ πολλοῦ τῇ διόπτρᾳ συβλέπεις;
Id eſt.
Hæc ante multo per dioptram proſpicis.

Senarius eſt jambicus. Tranſlatio petita ab inſtrumento geometrico, quo explorant turrium & propugnaculorum altitudinẽ, librato per foramen viſu: quod Græci à perſpiciendo *διοπτρὰ* & *διόπτρας* vocant. Quiſquis igitur propria induſtria rei exeptum præſagit, Ingenii dioptra rerum exitum proſpectare dicetur.

& aliquo quodam loco. Non admodum liquet, quid ſibi velit: niſi quod conjicere licet, τὰ ἐκ διδόμενα, verſum eſſe Poetæ cujuſpiam, eſt enim hemiſtichium, jambicum, quod admonet, quod à fortuna datur, id boni conſulendum eſſe, & ferendum æquo animo, quod mutari non queat. Plato in Gorgia videtur indicare proverbium: νῦν δὲ ἐψευσμένος, ὥσπερ ἔοικεν, ἀνάγκη μοι κατὰ τὸν παλαιὸν λόγον τὸ παρὸν εὖ ποιεῖν, καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ, id eſt, Nunc autem mendacio deluſus, atq; ut videtur, neceſſe eſt mihi juxta vetus proverbium, quod adeſt boni conſulere, idque quod abs te datur accipere, δῶρον δ' ὅτι δῷσιν, ἐπαινεῖν, alibi dictum eſt. Eodem pertinet, ut poſſumus, quando ut volumus non licet.

Quod datur.

Nonius Marcellus citat hunc verſiculum è Cæcili Plotio.

Patiere quod dant, quando optata non danunt.

Danunt, antique dictum pro dant. Convenit cum eo quod ante retulimus ex Cic. τὰ μὲν διδόμενα, & huic ſimilibus.

Extrema linea.

Quoniam olim initium unde curſus incipiebatur, ducta linea notabatur, rurſus extremum linea ſignabatur: idcirco à linea incipere, ſive ad lineam redire dicebantur, qui rem ab initio repetebāt. Et quod in quaque re poſtremum eſt, extremam lineam appellabant. Ita Terentianus Phædria: Poſtremo extrema linea amare nonnihil eſt. Et Tertullianus li. quem adverſus Hermogenem ſcripſit, vocat eum ignorantium extremam lineam, quod ultimus eſſet hæreticorum. Siquidem adhuc erat in vivis, quum ea ſcriberet Tertullianus.

COGNATI. Præſtat poſſidere quam perſequi.

Et præſentem mulgere, quam fugientem ſectari, ut in Cyclope Theocritus ait. Qui poteſt capere (ut etiam vulgo dicitur) capiat, poſſeſſio valet. Caius lib. Pandect. vj. tit. j. de rei vindicatione cap. xx. iiij. Is qui deſtinavit rem petere, animadvertere debet an aliquo interdicto poſſit nanciſci poſſeſſionem: quia longe commodius eſt ipſum poſſidere, & adverſarium ad onera petitoris compellere, quam alio poſſidente petere. Vlpianus lib. xlv. tit. de fidejuſſoribus & mandatoribus, cap. xv. Intereſt enim ejus, pecuniam retinere potius, quam ſolutam ſtipulatori à reo repetere. Huic non abſimile eſt, quod Ariſtot. lib. xv. Polit. cap. iij. ait: Melius eſſe providere, ne homines nimia potentia augeantur, quam poſt contra auctos remedium quærere. Præſentibus igitur commodius fruamur: & abſentium cupiditate nos non excruciemus. Huc videtur reſpexiſſe Saluſtius in bello Catilenæ, quum ait, Non debere certa pro incertis mutare: de quo inferius adag. 99. Incerta pro certis.

Pro incerta ſpe, certa præmia.

Incerta pro certis. Salluſtius in bello Catilinæ, de Allobrogibus loquens diverſa conſilia animo volventibus, inquit enim: Pro incerta ſpe, certa præmia. Idem: Cæterum juventus pleraque incerta pro certis malebant, hoc eſt, mutationem rerum fieri cupiebant, ut una cum Catilina regnare poſſunt. Ibidem: Neque ego, inquit Catilina, incerta pro certis captarem. Animadvertendum præterea, an cum idem de bello Jugurthæ narrat ita, Metellum Regi Boccho ſuaviſſe, quanquam opibus ſuis confideret, tamen non debere certa pro incertis mutare, reſpexerit (ut puto) ad ſententiam verſus Heſiodi, valde celebratam, inquit enim ſapiens ille Poeta,

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

Id eſt,

Stultus, qui parata relinquit, & imparata perſequitur.

Theocritus in Cyclope,

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε· τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

Id eſt,

Mulge præſentem, quid enim fugientem ſectaris?

Vbi Scholiaſtes Heſiodi verſum citavit. Hoc age igitur, quod præſens, quodque præ manu eſt, & in id tibi mens intenta ſit: de eo cogita, non interea inanes cupiditates & vana ſomnia ſequaris. Plautus autem apertius illam vertit, cum Pſeudolum, callidum ſervum, ſecum philoſophante induxit, in aliiſque multis dicentem: Stulti haud ſimus fruſtra ut ſimus, quam quod cupienter dari petimus nobis, quaſi quid in rem ſit, poſſimus noſcere. Certa amittimus, dum incerta petimus: atque hoc invenit in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim. Hoc autem proverbio monemur, ut præſentibus commodis fruamur, & abſentium cupiditate nos non excruciemus, juxta hoc Philemonis comici,

Ἐὰν δ' ἃ ἔχομεν, τοῖς παροῦσι χρώμεθα,
Ἃ δ' οὐκ ἔχομεν, ζητοῦμεν ἂν μὲν διὰ τύχην,
Ὡς δ' ἑαυτοὺς ἔσμεθ' ἐστερημένοι.

Id eſt,

Si præſentibus non utimur,
Abſentia quærimus: his quidem noſtra culpa.
Illis vero per fortunam privabimur.

Democritus apud Stobæum ſermone 10. Cupiditas plurium amittit præſentia, ſicut olim Æſopicus ille canis. Fuerunt autem qui incerta ſpe majora acquirendi ducti, divitias ſuas certas & firmas in diſcrimen adduxerunt; atque ita tandem coacti ſe pares illis pace exhibuerunt, quos bello ſuperare nequiverunt. Nos igitur contenti rebus præſentibus ſimus, itaq; memoriam quotidie nobis res veniant præteritæ, nec non dies, noctesq; illorum apud nos exempla meditemur, qui eo quod implendæ inſatiabilis cupiditatis ſpe regi ſe paſſi ſunt, nihil unquam minus quam ſuarum cupiditatum finem adepti ſunt. Seneca De conſolatione ad Martium, c. 5. Oblita meliorum, fortunam tuam qua deterior eſt, aſpicis. Eundē habet ſenſum, quod alibi nobis dictum eſt: Præſtat poſſidere, quā perſequi Joannes Fabricius Montanus in oratione de Tridentino concilio. A Scripturis, inquit, ad traditiones, à certo utiq; ad incertius rejicere nos conantur. Et paulo poſt: Dicite per Deum immortalem, cur à Scriptura ad traditiones, à certo ad incertius nos abduci patiamur? Galli autem dicunt:

On doit tenir la choſe certaine, & delaiſſe l'incertaine.

Demoſthen. contra Timocratem: Multi ſæpe majorum ſpe allecti, præſentia perdiderunt. Theocritus in Bucoliaſtis,

Καὶ φεύγει φιλέοντα, καὶ οὐ φιλέοντα διώκει.

Qui omiſſis præſentib. & certis, ſequitur incerta, hoc & alio verſu ejuſdem Theocriti admonendus eſt:

Τὰν παρεοῖσαν ἄμελγε, τί τὸν φεύγοντα διώκεις;

E Scholiaſte Theocriti in Cyclope:

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

Id eſt,

Stultus qui non prompta ſequens, jam prompta relinquit.

Manum prehendere, complecti.

Plato in Parmenide: Manum meam prehendens Adimantus: Salve, inquit, ô Cephale, & ſi quo indiges, quod noſtræ facultatis ſit, dic. Expone, inquit, quid ſit quo indiges. Agnovit me, & complexum me ſalutavit.

Majore cura tuenda, quæ parta ſunt.

Tuendi cura major eſſe debet, quam acquirendi. Cic. ſunt hæc, in quadam ad C. Cæſarem Epiſt. citante Nonio in dictione, Tueri. Quidam lib. 1. diſtichorum,

Ne tibi quid deſit, quæſitis utere parce:
Vtque quod eſt, ſerves, ſemper tibi deeſſe putato.

Idem eodem lib. ſub finem,

Conſerva potius quæ ſunt jam parta labore.

PRUDENTIÆ.

ERASMI. A fronte ſimul & occipitio.

Cum indicabimus admirabilem rerum omnium cognitionem, aut ſingularem prudentiam, quæ conſtat non præſentium modo ſcientia, ſed & memoria præteritorum, & futurorum proſpicientia, recte verſum hunc ex eodem uſurpabimus libro,

Ὃς ᾔδει τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα,

Id eſt,

Qui ſcit præterita ac præſentia, poſtque futura.

Vergilius vertit ad hunc modum:

Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Alter Ianus.

Ἰανὸς ἄλλος, id eſt, Janus alter. Quadrabit vel in providum ac circumſpectum, vel in ancipitem & perfidum. Perſius,

O Jane, à tergo cui nulla ciconia pinſit.

Sumptum à Jano bifronte, cujus notior eſt fabula, quam ut ſit hoc loco percenſenda.

Acetum habet in pectore.

Huic Germanum eſt Plautinum illud in Bacchidibus: Nunc experiar, ſitne acetum tibi cor acre in pectore. Legitur & alias apud hunc ipſum: Ecquid habet acetum in pectore? pro eo quod eſt: Num ſapit ſaum quid habet aſtutiæ: Nam ut ſalia, itidem & acida, palatum juvant, acuuntque & irritant ſtomachum. Horatius in Serm. acetum pro mordacitate dixit,

At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto,
Perſius exclamat.———

Et hoc ipſum, Aceto perfundere, proverbii ſpeciem habet, ſicut & illud eſt Sermonibus Horatianis,

———At idem quod ſale multo
Vrbem defricuit, charta laudatur eadem.

Amyris inſanit.

Ἄμυρις μαίνεται, id eſt, Inſanit Amyris, Allegoria proverbialis, qua recte utimur, ubi quis ſub inſaniæ prætextu rebus ſuis conſulit. Aut ubi quis ſolus periculum proſpiciens, in tempore ſibi cavet, creditus interim vulgo deſipere: deinde rerum eventus docet illum unum ſapuiſſe. Vt hæc ſit vox velut opprobrantis ſocordiam iis, qui ſibi non proſpexerint mature: neque ſapere cœperint, niſi accepto vulnere. Zenodotus ab hiſtoria natum ait hujuſmodi. Cum Sybaritæ florerent opibus, quendam Delphos emandarunt, qui de rerum ſuarum ſucceſſu ſciſcitaretur oraculum. Reſponſum eſt, evertendam Sybaritarum fortunam, ubi plus honoris habere cœpiſſent hominibus quam diis. Evenit deinde ut ſervus à Domino vapulans, cum nequicquam ad deorum aras confugiſſet, poſt ad heri monumentum confugiens, liberaretur à plagis, ut alibi dictum eſt. Quod ſimul atque conſpexiſſet

Amyris,

Amyris, collectis rebus ſuis, in Peloponneſum demigravit, reliquis interim Sybaritis hominem velut inſanum ridentibus. Poſtea idem ob fictam inſaniam miraculo fuit, & proverbio locum fecit. Citatur ab Euſtathio in ſecundo Iliados libro: citatur autem ex Pauſaniæ rhetorico dictionario. Addit quoſdam Thamyrim hunc appellare, quoſdam Amyrim, abjecto theta. Solet autem more hominum evenire, ut vati tum demum habeatur fides, ac laudetur, poſteaquam ipſis jam premimur malis. Proinde Caſſandra in tragœdia quapiam loquitur ad hunc modum, citante Plutarcho.

Καὶ ὅταν πάθωσι τι, κακοῖς κυροῦμαι
Σοφὴ κέκλημαι, πρὶν παθεῖν δὲ μαίνομαι.
Sapienſque dicor, his malum qui ſentiunt:
Porro antequam illud ſentiant, inſanio.

Sapiens divinat.

Donatus in Hecyram indicat proverbium eſſe, divinare ſapientem: quod ex conjecturis prudenter collatis colligit verum, nō ſolum de præteritis, verum etiam de futuris, quāquam in fabula quidem Laches divinans, tota errat via. Cujus tamen conjecturam approbans Philippus, ait: Plane hic divinat, nam id eſt. Reliqua pete ex proverbio, Qui bene conjiciet.

Mus non uni fidit antro.

Nihil hodie eſt decantatius apud vulgus, quam eum murem eſſe miſerum, cui non eſt niſi unus cavus. Idem Plautus expreſſit in Truculento.

Sed tamen cogitato mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam
Quia ſi obſideatur unum, aliunde præſidium gerit.

Locus erit adagio: ſi quem admonebimus, ut ſibi plures amicos parēt, aut una cum opib. ſtudeat Philoſophiæ, ut ſi fortuna quod ſuum eſt eripiat, in literis ſit præſidium.

Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe.

Ariſtoteles libro Rhetoricorum iij. nullo autore citat ceu vulgo jactatum: οὐ δεῖ τὸν ξένον, ξένον ἀεὶ εἶναι, i. Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe. Hoſpites dicuntur ignari ejus loci, in quo vivunt. Sed turpe eſt, diu in eadem civitate vivere, & ſemper eſſe peregrinum. Videtur iambicus trimeter corruptus. Turpe eſt in eadem diſciplina diu verſatum eſſe, & nihil ſcire.

Sapiens non eget.

Ibidem inter ſententias refert hoc carmen,

Χρὴ δ' ὅστις αὑτοῦ ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ.

Id eſt,

Haud unquam eget qui mente ſana eſt præditus.

Sive quod magnæ ſint opes, habere bonam mentem: ſive quod ſapienti facile eſt diteſcere, ſi velit. Velut Ariſtippus ejectus naufragio, reperit à quibus humaniter exciperetur. Idem quum Dionyſius talentum petenti diceret, Nonne dicebas ſapientem non egere? Da, inquit, & reſpondebo. Dedit rex, ac mox exegit reſponſum. Tum Ariſtippus: Nonne dixi, ſapientem non egere?

Tanquam de ſpecula.

Qui futura longe proſpiciunt, priuſquam eveniant tanquam de ſpecula prævidiſſe dicuntur. M. Tull. ad Servium Sulpitium lib. iiij. Multo enim ante tanquam ex aliqua ſpecula proſpexi tempeſtatem futuram, &c. Habent enim non oppida tantum, & arces, ſed & naves, ſpeculas ſuas: inde periti naucleri proſpiciunt imminere ventos aut turbines.

Qui bene conjiciet, vatem hunc perhibeto eſſe optimum.

Vide in loco, Conjectura.

Homo Thales.

Ἄνθρωπος Θαλῆς, id eſt, Homo Thales. Ironia proverbialis in ſtultum, qui ſapiens haberi ſtudeat. Ariſtophanes in Avibus.

Ἄνθρωπος Θαλῆς μέτων.

Id eſt,

Homo Thales Meto.

Idem in Nebulis,

Τί δῆτ' ἐκεῖνον τὸν Θαλῆν θαυμάζομεν;

Id eſt,

Qua gratia illum proinde ſuſpicimus Thalem?

Fuit enim Thales, unus è ſeptem Græciæ ſapientibus. Eſt & apud Plautum, Salve Thales: cum ſtultum ſignifices.

In holmo cubano.

Ἐν ὅλμῳ εὐνάζω, id eſt, In holmo cubano. Dicebatur ab iis, qui ſe quippiam divinatione cognitum ire minitabantur. Nam ὅλμον quidam vatem interpretantur. Alii tripodes Apollinis holmos appellatos fuiſſe. Tradit autem Ariſtophanes grammaticus, citante Zenodoto, eos qui holmis indormiſſent, repente divinandi ſpiritum concipere. Addit Apollinem ob id ἐνόλμιον cognominatum à Sophocle. Quanquam apud Heſychium ὅλμος pro mortario ponitur. Apud Athenæum lib. xj. poculi genus eſt, cornu adſimile, ut per jocum torqueri poſſit & in bibones.

Perendinum ventum præſcire.

Τὸν τριταῖον ἄνεμον προγινώσκειν, id eſt, Perendinum ventum præſcire dicuntur, qui conjecturis, quod multo poſt eventurum ſit, colligunt. Sumptum à nautis, aut à negociatoribus. Pindarus.

Σοφοὶ δὲ μέλλοντα τριταῖον ἄνεμον ἔμαθον.

Id eſt.

Sapientes futurum perendie ventum noverunt.

Id enim demum eſt ſapere, non ſolum quod ante pedes eſt, videre, verum id quoq; quod procul abeſt, proſpicere.

Non pluet poſt noctem, qua ſus agreſtis pepererit.

Plutarchus in commentario. De cauſis naturalibus, verſum hūc ceu proverbio jactatum citat.

Μηκέτι νυκτὸς ὕσαι, ᾗ καὶ τίκτῃ ἀγροτέρα σῦς.

Id eſt,

Non jam nocte pluet ſus qua enitetur agreſtis.

Sues cicures ſæpius pariunt, ac diverſis temporibus, feræ non niſi ſemel, idque iiſdem ferme diebus nimirum ineunte æſtate. Unde negant fore pluviam, poſteaquam ſus agreſtis pepererit: nimirum exactis jam menſibus pluviis. Per jocum uſurpari poterit, ſi dicamus, res fore tranquilliores, poſteaquam moroſus ac rixoſus quiſpiam animo ſuo morem geſſit.

Lesbius Prylis.

Ὁ Λέσβιος πρύλις, id eſt, Lesbius Prylis. Plutarchus in adagiorum Collectaneis (ſi modo non fallit titulus) tradit hoc proverbium per ſimilitudinem ſumptum. Prylin enim fuiſſe Mercurii filium, ac divinandi peritum. Quanquam πρύλιν Græce, militem peditem ſignificat.

Timidi mater non flet.

Probus Æmylius in vita Thraſybuli, teſtatur hoc velut ænigma vulgo jactatum, timidi matrem non flere: quod in bello qui contemnunt hoſtem, nihilque metuendum ducunt, quoniam ſibi parum cavent fere pereunt, & matribus luctum adferunt cum orbitate. Contra qui nihil non metuit, neque quicquam omnino contemnit, is tutioribus utens conſiliis, raro venit in periculum. Thraſybulus enim quum indixiſſet bellum triginta tyrannis, qui Athenas oppreſſerant, & caſtellum Atticæ Phylen occupaſſet, non plures ſecum habuit quam triginta commilitones: Hoc, inquit, initium fuit ſalutis Atticorum, hoc robur libertatis clariſſimæ civitatis. Neque vero hic non contemptus eſt primo à tyrannis, neque ejus ſollicitudo: quæ quidem rei & illis contemnentibus perniciei, & huic deſpecto ſaluti fuit. Hoc enim illos ad perſequendum ſegnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robuſtiores. Quo magis præceptum illud omnium in animis eſſe debet, nihil in bello oportere contemni, nec ſine cauſa dici, Timidi matrem flere non ſolere. Quanquam ſatis conſtat, hunc locum depravate legi, unde conjicio hic ſcriptum fuiſſe: Neque vero hic modo contemptus eſt primo à tyrannis, ſed ejus etiam ſolitudo. Itaque modo depravatum eſt in non, & ſolitudo in ſolicitudinem: & depravatio deinde trahit depravationem, ut anſa anſam. Sentit enim Probus, ipſum Thraſybulum, ut hominem mediocriter nobilem ac divitem deſpectui fuiſſe tyrannis. Deinde hoc magis fuiſſe contemptui, quod tam paucos haberet ſuæ factionis homines. Retulimus alibi de fortitudine, quæ erumpit in nervum.

EX APPEND. ERASMI.

Senum conſilia, juvenum lancea.

Καὶ πάλιν ἐν τῷ πολέμῳ τῶν βουλαὶ γερόντων, καὶ νέων ἀνδρῶν ἀριστεύουσιν αἰχμαί. Æſchinis conſilium fuit, ubique juvenum robur conjungendum eſſe cum ſenum prudentia. Plutarchus in commenta. An ſeni gerenda ſit reſpubl.

IUNII. *Crania bina gerit & innumeros oculos.*

Verſus eſt hexameter Cratini, ab Hephæſtione citatus ex fabula, cui titulus πανόπται, veluti cuncta intuentes,

Κρανία δισσὰ φορεῖ, ὀφθαλμοὶ δ' οὐκ ἀριθμητοί.

Id eſt,

Crania bina, oculoſque gerit numerum fugientes.

Qui competit in cordatum hominem & providum, magno ingenio præditum, & mira ſagacitate futura proſpicientem. Ductum, opinor ab Argo, quem oculeum totum nominat in Aulularia Plautus.

Ventura per dioptram proſpicit.

De cordato homine, qui ſagaciter odoratur & prævidet imminens periculum, appoſite dicetur illud Piſidæ,

Ταῦτα σὺ πόρρωθεν τῇ διόπτρᾳ προβλέπεις;

Id eſt,

Hæc ante multo per dioptram proſpicis.

Senarius eſt jambicus. Tranſlatio petita ab inſtrumento geometrico, quo explorant turrium & propugnaculorum altitudinē, librato per foramen viſu: quod Græci à perſpiciendo διόπτραν & διόπτρας vocant. Quiſquis igitur propria induſtria res eventum præſagit, ingenii dioptra rerum exitum proſpectare dicetur.

Fortunatus ſapiens.

Compendioſam admodum & proverbiorum claſſi aſcribendam ſententiam extulit in Nemeis Pindarus, qua felicitati & opulentiæ ſummæ prudentiæ opinionem ineſſe dicit, ſic autem inquit ἐν δ' ἐν εὐτυχίᾳ πανδοξίας ἄκρον. Eandem ſententiam expreſſit Euripides eo ſenario.

Τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν.

Id eſt,

Sapere putatur ſorte qui utitur bona.

Idem in Heraclidis fabula.

Ἐπεὶ δ' ἐν ὄλβῳ καὶ τόδ' ἓν ὀρθῶς ἔχει.
Εὐψυχίας δοκεῖ τις ἀμαθὴς γὰρ
Τὸν εὐτυχοῦντα πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς.

Id eſt,

Hoc affluentes obtinent opes mali,
Quod ingens venam beatam creditur
Habere dives, omnium rerum ſcius.

Quos verſus ex Creſſis male adducit Stobæus, legens χρεῶν, pro καλῶς. Huc ſpectat vulgi joculare dicterium, orandum eſſe pro divitum & bene natorum liberis: quod ſive ſapiant, ſive ingenio careant, illis reipub. munia committenda debeantur.

Manu ignavus, mente præſens.

De homine cordato, qui conſilium in numerato habet, non perinde manu ſtrenuus, proverbiale eſt illud Timocreontis Rhodii in ſuis epigrammatis.

Ὁ νοῦς βουλεύει χεὶρ ἄπεστι, νοῦς δὲ πάρα.

Id eſt,

Mens præſens, ſed abeſt conſilium manibus.

Refertur ab Hephæſtione grammatico. Prudentia & ingenium, niſi manus famulatrices ſortiantur, inutiliter ſatagunt: contra robur, ingenii & moderatricis prudentiæ expers, amens fertur, omnia confundens. At utraque ſi jungantur & in unum coeant, invictum reddunt. Eam ob cauſam Ægyptii in Hieroglyphicis notis Mercurium juvenili ſpecie ſeni aſtantem pingebant: innuere volentes doctum & ſapientem, niſi vires adſint, quæ gravis ætatis nomine deſignantur, nihil agere, quaſi alterum ſine altero inutile ſit. Eadem de cauſa Sphinx in templorum veſtibulis collocata apud eos fuiſſe legitur, ſacrum ſymbolum combinationis conjugiique harum virtutum, quando per feræ effigiem robur, per hominis prudentiam intelligi vellent: quæ conjunctæ, murus ſunt inexpugnabilis, & (quod dici ſolet) Semiramidis mœnia: at disjunctæ, prudentia ſine viribus, & vires ſine prudentia, mole ſua cadunt. Præclarum eſt elogium Mithridatis Pontici apud Velleium Paterculum: Conſiliis dux, miles manu. & Dictys Cretenſis de Hectore teſtatur, nunquam vires conſilio potiores fuiſſe, & Pacatus Drepanus Theodoſio id tribuit, quod dux ſit conſilio, miles exemplo. ſic de Fauno Aboriginum rege dixit Halicarnaſ. libro primo, ἀνὴρ μετὰ τοῦ δραστηρίου καὶ συνετός: Vir pariter & impiger & cordatus.

Melanurum perca ſequitur.

Citatur parœmia ab Athenæo lib. vij. incerto authore: ἕπεται πέρκη μελανούρῳ, id eſt. Perca aſſequitur melanurum. Proverbii uſum non indicat. Videtur quadrare in prudentes homines & callidos, qui alieno periculo ſuis rebus cavent aut ex unius patrocinio & ſententia toti pendent, unum obſervant. Natum ex ingenio utriuſque piſcis. Melanurus ex re nomen habens, quod cauda illi maculoſa ſit, imbecillus eſt (Oppiano teſte) piſcis. ſed qui nativam debilitatem calliditate compenſat, adeo ut naſſas & retium ſinus facile eludat, unde ait.

Ἔξοχα γὰρ μελάνουρος ἐν ἰχθύσιν, ἦ μὲν ἄναλκις,
Ἡ δὲ περιφρονέων. ——

Id eſt,

Invalidus mire, at prudenter callidus idem
Squammoſos inter piſces Melanurus. ——

Adagio viam aperit & Numenius in halieutico opere, Percæ ductorem Melanurum vocans.

—— Πέρκαισιν καθηγητὴν μελάνουρον.

Meminit hujus piſcis & Ovidius in halieutici fragmento,

Quin laude inſignis caudæ Melanurus. ——

Itaq; fallitur Eraſmus noſter, dum Melanurum ſepiam vertit: quibus piſces nihil habeant commune, toto genere diverſi. nec minus, quod de improborum ſocietate dici conjectat: quum ex Numenii verbis liqueat, Melanurum prævium Percarum agminis ducem ſe præbere, eaſque ut tutiores ſint, illum comitari.

Sphingis ænigmata diſſolvit.

Epigrammatωn libr. iij. Alcæi Poetæ proverbialis verſus legitur.

Νῦν σφιγγὸς γρίφους Οἰδίπος ἐφρασάμην.

Id eſt.

Nunc Sphingis nodos Oedipus explicui.

Quadrabit in eum qui inſigni dexteritate, recondita authorum ſenſa & tenebroſos locos poſſit explanare. Alexis comicus in Orcheſtride:

Δαιμονίως ἀσπάζομαι,
Γραῦν σφίγγα πρός με αἰνίγματα λέγη.

Id eſt,

Complector valde humaniter
Anum Sphingem quæ ſolvat ænigmata mihi.

Huc ſpectat urbanus Ciceronis jocus, ad Hortenſium, quum iſte diceret ſe Ciceronis ænigmata intelligere: Atqui debes, inquit ille. quum Sphingem domi habeas. acceperat enim à Verre auream Sphingem Hortenſius, patrocinii præmium, uti refert Quintilianus. Comicus Straton in Phœnicide.

Σφίγγ' ἄρρεν' οὐ μάγειρον, εἰς τὴν οἰκίαν
Εἴληφ'. ἁπλῶς γὰρ οὐδὲν μὰ τοὺς θεούς
Ὧν ἂν λέγῃ συνίημι. ——

Id eſt,

Domum introduxi maſculam Sphingem,
Haud cocum. Adeo nihil (teſtor Deos) intelligo
Quæ loquitur. ——

ubi Sphingem maſculam vocat cocum poeticis verbulis utentem identidem data opera, ut ea ratione obſcurior imperito heroi illuderet. Finitimum huic eſt Epicharmi illud: Οἰδίπους τοίνυν καὶ ἂν αἰνίγματ' οὐ νοεῖς, id eſt, Jam olim Oedipus quum ſis, ænigmata haud capis. Sphingem fabulantur fuiſſe belluam canino corpore, vultu puellari, avis in modum pennatum, humana voce loquentem, conſuevisſeque Thebanis civibus ænigma proponere: quo indiſſolutum quum multis necis cauſa fuiſſet, tandem Oedipus Corinthius diſſolvit, exitialemque beſtiam ſuſtulit: quam fabulam pluribus perſequitur Palæphatus aliter eam exponit apud Nicephorum Philoſtorgius: Sphinx, inquit, de ſimiarum genere eſt. pectore ad collum uſque glabro, reliquo corpore hirſuto, ubera muliebria habet, facies pluſculum rotunda eſt & acuminata, à muliebri ſpecie non abhorrens, vox humana, ſed ſtridula, nec articulata: beſtia indomita, maligna, aſtuta, hanc crediderim olim Thebas allatam, & quum in civium ad ſpectaculum commeantium vultus inſiluiſſet, eoſque unguibus lancinaſſet. Oedipum civium ſuorum injuria offenſum, feram interemiſſe, nomenque inde illuſtre retuliſſe. Cæterum fabula Oedipo fortitudinis gloriam tribuens, alatam eam fingit, eo quod celeriter in obvios inſultum faceret, eam illi pectus muliebre, corpus leoninum addit, illud propter glabritiem, & fœmineæ formæ ſimilitudinem: hoc propter ferocitatem, quodque utplurimum quadrupes ingrediens leoninum inceſſum mentiatur. Sermonem quoque illi aſſignat, quod vox ejus humanæ ſit affinis: ænigma vero, quod obſcurum quiddam neque intellectum vociferetur. Neque otioſum fuerit, ut huc aſcribatur quod D. Clemens commemorat Stromatum l. v. apud Ægyptios pro templis ſtare dedicata Sphingum ſimulachra: quo ſignificent, obſcurum eſſe minimeque explicitum, & ænigmatis cujuſdam ſimile, quicquid de Deo loqui aut opinari mortales inſtituerimus. Non ignoro tamen aliter iſtud ſymbolum à Syneſio exponi, in libro de Regno ad Theodoſium juniorem, & iterum in Ægyptio.

Cum vulpe habens commercium, dolos cave.

Senarius proverbialis citatur à Suida talis,

Κερδοῖ συνών, τὴν κερδὼ τὴν ἀντιδίκα.

Id eſt,

Cum vulpe habens commercium, dolum cave.

Affine eſt illi Paulino, Cum pravo depravaberis. A malorum conſortio cavendum eſt, ne aut impoſtura exitio tibi ſit. aut ne in mores tranſeat contagium. τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος, ut inquit Pindarus. hoc eſt, Nativum ingenium neque doloſa vulpes, neque rugibundus leo commutare valeant. κερδὼ autem vulpes dicitur, quaſi κερκὼ, à cauda quam ſpiſſam habet tractu, vel ab aſtutia qua lucrum quæritur & emolumentum, quam κέρδος etiam nominant: unde & κερδαλέος fraudulentus homo dicitur.

Turbinem felix proſpecta.

Ἐξώριον εὐτυχὴς ἄθρει, id eſt. Turbinem proſpecta felix exiſtens. Citatur ex Varronis Menippeis à Nonio Marcello. Quum res ſunt maxime ſecundæ, tum adverſa fortuna præcipue timenda eſt, quemadmodum nautæ, licet proſpero fere vento oram ſolvant, ad manum tamen, aut ſaltem præparata adverſus tempeſtatem ſi forte ingruat, inſtrumenta adminicularia habere debent, ne malo cedere cogantur. Sapientis eſt, infortuniis ſe ante parare, quam opprimant. Simile huic eſt illud Paulinum: Qui ſtat, videat ne cadat. Non abludit hinc Vectii Valentis reſponſum apud Cor. Tacitum, quum metueret à Claudio Oſtiæ agente, Aſpicere ſe tempeſtatem ab Oſtia atrocem: quum de Meſſalinæ adulteriis quæſtionem acrem futuram innuere vellet cunctis in aurem dormientibus, ἐξώστης autem ventus eſt procelloſus, quaſi dicas quaſſatorem: ἀπὸ τοῦ ὠθεῖν, id eſt, ab impellendo. Affine eſt illud,

Ἔξω δ' αὐτὸς ὢν κινδύνων σκόπει.

Id eſt,

Extra malum exiſtens, pericla proſpice.

Qui ſitiunt, ſilentio bibunt.

Οἱ διψῶντες σιωπῇ πίνουσιν, id eſt, Siticuloſi ſilentio bibunt. Qui aſpirant ad aſſequendos honores, nemine qui ambitus ſit particeps conſcio id affectant: qui amicam ambiunt, re non communicata cum rivali, cum parentibus & neceſſariis tranſigunt. Ariſtides eo utitur in declamatione in puteum Æſculapii: ἀλλ' οὐ μὴν δὴ

χρὴ τὸ εἰ ψεύδεται φασὶ πίνειν σιωπῇ, ἀλλ' ἐπικοσμῆσαί τι καὶ προσειπεῖν τὸν σωτῆρα, id eſt, Haud decet juxta attiadas, quod ajunt, ſilentio bibere ſed exornare oratione, & laudare ſalutis authorem Deum. Licebit diverſo ſenſu uſurpare, quando ſignificabimus non eſſe ſupprimendas & oblitterandas inſignis viri laudes, vel ſimile quid ſed claris verbis in lucem id omne efferendum. Idem in epicedio Eteonis pueri: ἀλλ' ὥσπερ οἱ διψῶντες σιωπῇ πίνουσιν, οὕτως ἐκεῖνος ἐδέχετο τὰ λεγόμενα. i. Quemadmodum ſilentio bibunt ſiticuloſi, ita illi ſatis erat dictata excipere.

Quod Magas inter organa.

Καθάπερ ἐν τοῖς ὀργάνοις ἡ μαγάς, id eſt, Ut inter muſica inſtrumenta Magas. De eo qui ſe novit attemperare moribus hominum & accommodare tempori, vel qui rebus ſeriis gravitatem, jocis facilitatem, miſcere novit. Philoſtratus in Dione: βλέπων δὲ ἐς τὸν ἐκπλαγέντα [illegible], καθάπερ αἱ μαγάδες τοῖς ὀργάνοις προσηχοῦσι τὸ αὐτοῦ ἴδιον ξὺν ἀφελείᾳ, id eſt, reſpiciens ad illam Demoſthenis reſonantiam & Platonis, qua ſimiliter, ut ſolent inter organa muſica magades, Dion concionibus conjungit quod in ipſo proprium erat, cum ſimplicitate non affectata, innuit, Dionē miſcuiſſe apte & temperaſſe Platonicam ſimplicitatem cum vehementia Demoſthenica. Dici itaq; poteſt & de eo, qui moderari & condire quodammodo ſciat quæ utraque immodica ſunt, & vitium attrahunt vel exceſſu vel defectu. Idem in Scopeliano loquens de Smyrna Joniæ civitate primaria, beneq; inſtituta πάσης, inquit, τῆς Ἰωνίας οὔσης μουσικῆς [illegible], ἀκριβεστάτην ἐπέχει τάξιν ἡ Σμύρνα, καθάπερ ἐν τοῖς ὀργάνοις ἡ μαγάς. i. in tota Jonia ad modum Muſæ præclare inſtituta principem locum obtinet Smyrna, ut in muſicis organis Magas. Porro id obiter admonendum. In proverbio, quod e Philoſtrato citavi, teſtimonio perperam legi puto in eſſe in Florentinis codicibus, βλέπων, pro βλέπων & ἢ καθάπερ pro ἡ. Licebit mea quidem ſententia non male trahere proverbii uſum ad eos, qui ſcientiam quam ex profeſſo docent, literatis delicus [illegible] exigunt. Controverſia eſt inter authores, ſitne cithara, an tibia Magadas, quam etiam μάγαδιν vocant, nam Tryphon grammaticus annotavit, tibiæ eſſe genus, edentis gravem pariter & acutum ſonum: de qua ſenſit & Anaxandrides comicus in eo verſu,

Μάγαδιν λαλήσω μικρὸν ἅμα σοι καὶ μέγαν.

Id eſt,

Magade eloquar tenuem & ſimul gravem ſonum.

Atque ita accepiſſe videtur Ion Omphale tragicus Poeta,

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς.

Id eſt,

Magadaſque tibi Lyda cantum præeat.

Sed potius ea ratione cithara concordat, certe Didymus annotat eſſe αὐλὸν κιθαριστήριον. i. tibiam quæ ad citharam aptis modulis concinat Athenæus in quinto Magadin collocat inter inſtrumenta quæ fidib. redduntur, ut ſunt lyra, cithara & barbiton. Anacreon quoque inſtrumentum eſſe ψαλτικὸν agnoſcit quo videlicet fidicine utantur, Lydorum inventum, & teſtatur eo verſu,

ψάλλω δ' εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων. Id eſt,

Pſallo viceniſq; fidibus tenens magade.

At Teleſtes apud Athenæum pentachordon magada agnoſcit, quin & Apollodorus eandem eſſe cum Pſalterio volunt. Pindarus Magada vocat ψαλμὸν ἀντίφθογγον, hoc eſt, pſalterium diſſonum, quod binos ſonos ederet. Euphorion magada dicit eſſe inſtrumentum priſco ſeculo uſitatum, cui poſteritas Sambucæ nomen creavit. Deniq; Budæus inſtrumentum ait eſſe muſicum, quadratis conſtans tabulis leviter connexa, intentis in ea ſituatæ fidibus. In tanta veterum diſcordia id ſaltem ſtatuere licet, quod ad proverbii rationem attinet, Magada geminum ſonum repræſentare, ut & exiles modulos gravioribus, & ruſus graviores acutioribus contemperet, & varietate illa grata cantus diſparis, aures demulceat, ut ea ratione, qui ſervire noverit ſcenæ & utramque paginam facere, proverbio iſti ſit obnoxius.

Mente ſenex.

Æſchyli verſus eſt proverbialis, in tragœdia cui titulus, Septem ad Thebas,

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.

Id eſt,

Mentem ſenilem, corpus, at juvenile habet.

De eo qui ætate juvenis, ſenilem gravitatem prudentiamq; præ ſe fert. Huic affine eſt illud Nazianzeni in Monodia Baſilii: πολιὸς τὴν σύνεσιν καὶ πρὸ τῆς πολιᾶς, i. Ingenio canus etiam ante canos. Pindarus in Pythiis hymno 4. κοῦρος γὰρ ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς. i. Ille inter pueros juvenis eſt, at in conſiliis ſenex. idem in Olympiis oda iiij. φύοντι δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμάκι καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. i. Frequenter etiam nunc ſpuntur etiam in juvenibus cani, extra juſtam ætatē. Nicephorus Calliſtus lib. ix. de Macario Ægyptio: Adoleſcens admodum, inquit, ſapientiæ ſtudiis antecelluit, indito ea de cauſa cognomine, παιδαριογέρων, quaſi dicas, puerum ſenem, ob maturæ prudentiæ ſpecimen in ætate intempeſtiva. Contrarium huic eſt, quod apud Philoſtratum Antiochus ſophiſta de Hermogene Tarſenſi jocatur, οὗτος inquit, Ἑρμογένης, ὁ ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. id eſt, Hic eſt Hermogenes, inter pueros ſenex, inter ſenes, puer, qui mortuus eo tetendit, quod iſte nulla certa de cauſa memoria defectus repente infans e diſerto extiterit. Non abludit hinc Plutarchi dictum Lucullo: χρηστὸν [illegible] ἡ φύσις οὐ γηρᾷ, [illegible] τὸ σῶμα. i. Laudatius eſt ingenium, in quo ſeneſcit malum, at bonum juveneſcit.

In paguro ſapientia.

Ἐν παγούρῳ σοφία, id eſt. In paguro ſapientia proverbium eſt, quo ſignificatur, ut arbitror, etiam parvis rebus ſuam eſſe gratiam, & puſillæ ſtaturæ hominibus non deeſſe prudentiam, ut ad eum modum dicatur, quo illud, Ineſt & formicæ ſua bilis. Alioqui elegantiſſime lepidiſſimeq; Paguri ſapientiam habere dicetur, qui viribus ſuis diffiſus, cum fortiori congredi timet, ut ſi dicamus doctum quempiam, cui cum ſophiſta res ſit, imbecillitatis ſuæ conſcium, in idoneum tempus pugnam differentem; παγούρῳ σοφία, id eſt. Paguri ſapientia armare ſe debere. Pagurus cancri genus eſt, qui quotannis ſpoliatum ſe teſtea cruſta & aculeis omniq; armatura ſentiens, latebris ſuis verno tempore tantiſper ſe continet, dum nova, eaq; durior teſta ſuccreverit, nec ante hoc tempus imbecillarum virium conſcientia, piſcem ullam aggredi audet. Hinc eſt quod conſilii prudentiæque argumento Pagurum de collo Dianæ Epheſiæ ſuſpendiſſe antiquitas putatur. Hujus prudentiæ meminit multis verſibus in primo Halieuticōn Cilix Poeta: & apud Epicharmum comicum in Purpura fabula, piſcator, inquit σοφίαν ἐν παγούροις μὲν θεοὶ ἐχθροῖς καὶ ἰχθυδίοις εὑρήκα παντοδαπὰς τέχνας. id eſt, in Paguris Diis inviſis ſapientiam, inque piſciculis omnigenas artes deprehendi. Lycophron in Caſſandra appellat Phœnicem Achillis formatorem πάγουρον, non tam propter cutis aſperitatem ſenio contractam, quod Zezes & Euſtathius annotant, quam propter innatam prudentiam, cujus ergo Peleus illum formandæ Achillis filii pueritiæ præfecit.

BRASSICANI. Sapientes ſunt qui veteri vino utuntur.

Quod Plautus in Caſina de veteri vino dixit, hoc ad omnis antiquitatis commendationē pertinet. Homerus certe vetus vinum, divinam potionem appellat Odyſſ. β.

Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο,
Ἕστασαν, ἄκρητον, θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες.

Ovidius ij. De arte.

Qui properant, nova muſta bibant, mihi fundat avitum,
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Sapientiſſ certe ſunt exiſtimandi, qui ſcriptoribus antiquis utuntur, non iis quos præpoſtere veteres vocant, quos vappæ verius & fæci quam vino comparaveris Gnathæna, ſive, ut alii Phryne, ut eſt apud Athenæum libro 13. ἐπιδέξιος δέ τινος οἶνον ἐν τῷ ψυκτηριδίῳ μικρόν, καὶ εἰπόντος ὅτι ἑκκαιδεκαέτης, μικρός γε, ἔφη, ὡς τοσούτων ἐτῶν. Pindarus in Olympiis Oda ix. αἴνει δὲ παλαιόν.

IOANNIS VLPII.

Sapientia in exitu canitur.

Indicat, finem vitæ ſpectandum eſſe: laudari enim penitus anteactæ vitæ prudentia non poteſt, niſi bono fine claudatur, cui affine eſt illud Solonis: Finem vitæ ſpecta. figuratius tamen dicitur, ſapientiam in exitu cani. Salvianus.

Multum navigavit aqua.

Πολλὰ [illegible]. De eo, qui multas regiones peragravit: & μεταφορικῶς de eo, qui multarum rerum experientiam habet. Ariſtophanes.

Bonum ſervat caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum.

Convenit cum eo quod dicit ſapiens, Omni cuſtodia cuſtodi cor tuum, quia ex ipſo vita procedit. Bernhardus.

Tempore pacis cogitandum de bello.

Ἐν εἰρήνῃ μελετᾶν τὰ πολεμικά. Admonet proverbium, in tempore de neceſſitatis proſpiciendum eſſe.

COGNATI.

Strenuis abunde dictum puta.

Id ſumptum eſt ex Marii Salluſtiani dicto in extrema concione de bello Jugurthino. Plura dicerem, Quirites, ſi timidis virtutem verba adderent: nam ſtrenuis abunde dictum puto. Soſia Terētianus: Dictum puta, nempe ut curentur recte hæc. Huic rei illuſtrandæ apta quoq; eſt Ariſtophanis in Phormione ſententia hæc: Ah, dictum ſapienti ſat eſt. Itidem Saturio apud Plautum in Perſa: dictum ſapienti ſat eſt. Doctores autem rudioribus omnia copioſius explicatiuſq; tradunt, provectiores contra paucis verbis ſummatum docent. Nam dictum ſapienti ſat eſt. Indoctiori omnia ſunt inculcanda, iteranda, explicanda fuſe, late, copioſe, mille modis enucleanda. Eſt enim omnibus notum illud dictum:

——— Brevis eſſe laboro,
Obſcurus fio. ———

Vide inferius adag. 29. In dictum puta, & adag. 687. Intelligenti pauca. [Vide Manutii annotat. in Car. ubi hanc ſententiam monet deſumptam à Demoſthene περὶ συντάξεως]

Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τἆλλα δὲ κωφὰ καὶ τυφλά.

Id eſt.

Mens videt, mens audit, alia ſed ſunt cæca. Carmen Trochaicum Epicharmi Siculi poetæ: cujus ceu vulgo jactati, abſque authoris nomine meminit Ariſtoteles Problematum ſectione undecima, c. 33. Sed authorem ipſum nominatim citat. Plutarchus libro

De

De fortuna Alexandri aj. Enimvero, inquit Epicharmus, mens videt, mens audit, cætera autem ſurda cæcaq; ſunt & ratione carent. Habent quidem ſenſus proprium quandam potentiam, quos tamẽ mens adjuvat, ornat, & denique ſuperat: adeo ut ſola imperare videatur, reliqua vero ſurda, cæca, inanima, deformia ſint potius & moreantur eos, quibus mens & virtus non adeſt.

Ex præteritis præſentia æſtimantur.

Quintilianus lib. v. Spectantur ante acta, dictaque: ex præteritis æſtimari ſolent præſentia. Idem lib. vij. cap. ij. Probi vero mores, & anteactæ vitæ integritas, nunquam non plurimum profuerit Cic. pro P. Sylla. Ubi erit igitur illud fortiſſimum præſidium pudoris? quo in loco nobis vita anteacta proderit? Vita enim quæ honeſte acta eſt, prodeſt multum: ut ea quæ ante acta turpiter, ſcelus facit credibile. Seneca lib. De vita beata, cap. xix. de Diodoro Epicureo Philoſopho: Ille interim beatus, ac plenus bona conſcientia præcedentis vitæ laudabilis, ejus ætatis in portu, & ad anchoram vitæ actæ quies. Idem epiſt. xxxij. Atqui conſilium futuri ex præterito venit.

Intelligenti pauca.

Extant ad hoc proverbium multæ graves & argutæ veterum ſententiæ: quas huc cogere omnes, infiniti laboris eſſe. Elegunter Gulielmus Xylander. In menſibus Atticis: In decimum Scirophorionis incidiſſe ſolſtitium Dionyſius monet, quanquam non expreſſe, ita tamen ut intelligenti ſatis ſit dictum. Non diſſimile eſt hoc Comicum: Dictum ſapienti ſat eſt: de quo ada. Strenue abunde dictum. Galli ſic exprimunt: A bon entendeur ne faut qu'une parole.

Sapiens à ſeipſo pendet.

Proverbiale eſt. Stoici dicebant, ſapientem non aliunde quam à ſeipſo pendere, ut Cic. in Paradox. Nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quique in ſe uno ſua ponit omnia. Cui vero ſpes omnis & ratio pendet e fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi. Idem in tertio Finium: Quæ autem illi catorthomata appellant, omnes numeros virtutis continent. Sola enim ſapientia in ſeſe tota converſa eſt. Nostrum proverbium exprimit, quod Græci dicũt αὐτοῦ κρεμάμενος ἐξ αὐτοῦ παθεῖν ut ſit ſapiens, qui non aliunde afficitur, quam à mente ſua, adhuc, nec extrinſecus pendeat. Quod ita intelligendum eſt, ut innocentia hominis non in homine, ſed in Deo ſita ſit, ut & beatitudo. Hinc Horatius ex Stoicorum verbis:

Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Jove. ———

Vir igitur bonus & ſapiens, judex ſit ſui, ut Virg. dicit: nec aliis, ut inquit Horat. de ſe plus quam ſibi credat. Hinc illud Perſii, ſatyr. j.

Nec te quæſiveris extra: ———

ſed (quod alibi dicit) tecum habites. Sententiæ ſunt divinæ: quæ monent, neminem oportere in rebus gerendis famam popularem captare, nec alieno vivere ſenſu. Cic. in Tuſc. Tuo tibi judicio eſt utendum.

Tutelæ ſuæ eſt factus.

In tutelam ſuam veniſſe antiqui dicebant, qui tutore jam non egeret, & ephebus, i. pubes factus eſſet: quod hodie triſtiſſimum eſt in Gallia, ubi dicitur: Il na beſoin de tuteur, ni de curateur, car il eſt ſage. Ulpian. l. v. D. quibus ex cauſ. in poſſ. ait prætor: Si is pupillus in ſuam tutelam venerit, hoc eſt, ad pubertatem, eave pupilla viripotens fuerit, & recte defenderetur, &c. Idem l. 50. D. de legatis & fi. Quum filioſam, ita legatur, Quum is in tutelam ſuam pervenerit: pubertatis tempus ſignificatur. Cic. De oratore primo. Negaretque niſi poſthumus & natus & antequam in ſuam tutelam veniſſet, mortuus eſſet, hæredem eum eſſe poſſe. Idem in Bruto: Quum is hoc probare vellet, M. Curium, quum ita hæres inſtitutus eſſet ſi pupillus ante mortuus eſſet, quam in ſuam tutelam veniſſet pupillo non nato hæredem eſſe non poſſe. Æmylius Probus in Eumenis vita de Alexandro: Regnum ei commendaſſe, quoad liberi ejus in ſuam tutelam perveniſſent. Sæpe tamen de eo dicitur, qui ne curatore quidem eget: hoc eſt, natus annos quinque & viginti. Ulp. de admin. tut. Tutelæ ſuæ factum dicit, ſignificans majorem vigintiquinque annis. Sui quoque mancipii eſſe accipiunt & Jureconſulti, & noſtri, proverbialiter, qui nullius dominio ſubjectus eſt, ſed ſui juris & poteſtatis. Bud. lib. 3. de contempt. rer. for. Equidem, inquit, nullos homines opinor minus aut ſui mancipii eſſe, aut animi ſui poſſeſſores, &c. Eo quod jus poteſtatem ſignificat. ideo etiam ſui juris dicuntur homines liberi, & patria poteſtate ſoluti: αὐτεξούσιοι, αὐτόνομοι & nonnunquam αὐτοκράτορες Græcis dicuntur. Item: In jus ditionemque venire, i. in poteſtatem.

Patruos ſapere.

Perſio in eadem ſatyra. Patruos ſapere, metaphoricẽ dicuntur, qui patruorum ſapientiam referunt, quique poſtquam ex Ephebis exceſſerunt, talem gravitatem induerunt, qualis eſſe ſolet in patruis:

Cum ſapimus patruos. ———

inquit. Patruus enim ſynecdochicẽ, pro gravi & ſevero ponitur. Veteres enim ſuos liberos patruis dabant informandos, quod parentes in eos eſſe ſoleant indulgentiores, & ſoleant patrui ſeverius objurgare nepotes, ſi quid hi peccaverunt. Quum autem patruus pro objurgatore acri & aſpero etiam ponatur, ad ea quæ Eraſmus noſter protulit, hæc addam. Sciunt omnes, quanta vis ſit τῆς στοργῆς φυσικῆς quæ proculdubio in patre erga filium multo major eſt, quam in filio erga patrem: ut docet Ariſt. libro viij. De moribus ad Nicomach. Patruus autem quamvis etiam ipſe amet fratris filios, patrio illo & immoderato affectu caret tamen. Itaque cum male verum examinet omnis corruptus judex (ut ait Horat. lib. ij Ser. ſat. ij.) veriſimile eſt patrem incredibili illo in filium amore impeditum multa errata filii præterire ac diſſimulare, atque adeo probare: quæ ſi quis alius cernat, valde improbet, ac reprehendat: tanta eſt oculorum paternorum in peccatis filii lippitudo, ſeu potius cæcitas. At patruus, ut dixi, ab hoc impotente affectu liber ac ſolutus, de fratris filiorum peccatis judicat incorrupte. Ita ſi quid delinquunt, id acriter & ſevere deprehendit, coercet, & caſtigat neque à ſe impetrare poteſt, ut vel mediocribus illorum peccatis facile concedat. Ex eo natum eſt ut patruus pro ſævo & aſpero reprehenſore ſeu caſtigatore ponatur. Cic. pro Cælio: Quum reliqua vita mitis eſſet, fuit in hac cauſa pertriſtis quidam patruus, cenſor, magiſter. Idem ad Att. lib. ij. Cura, amabo te, Ciceronem noſtrum. ei nos θεῖοι videmur, id eſt, patrui. Et Catul. in Gel.

Gellius audierat patruum objurgare ſolere.
Si quis delicias faceret, aut diceret, &c. ———

Horat. ſat. ij. & lib. ij.

——— Adde fratrum patruum, vicinos ———

Ejuſdem lib. ſat. ij. ———

Sive ego pravè,
Seu recte hæc volui, ne ſis patruus mihi. ———

Idem lib. iij. Carm. Od. xij. ———
Metuentes patruæ verbera linguæ.

Ianus.

Janum autem regum omnium ſuæ ætatis prudentiſſimum fuiſſe volunt, & præterita ſcientem, & futura prævidentem, unde & bifrons fuiſſe fingitur. Fuit autem Latii rex & antiquiſſimus Italiæ Deus, à quo Janiculum dictum. Hunc autem ait Perſius (ſat. j) à nemine irrideri poſſe. quod, ut eſt apud Ovidium I. Faſtorum.

Sculta vides Janus, quæ poſt ſua terga geruntur
Nil mage, & latebras reſpicit ille tuas.

Præterita d. (ut dixi) futuraq; cernebat. Hinc eſt ut per Janum quemlibet virum prudentem ſignificemus, qui norit adulatores & irriſores vitare, nec ſibi ab eis imponi patiatur.

Sagaces.

Sagaces proprie canes dicuntur, quia ineſt in eis vis odorandi eximia. Itaque ſagaces appellantur multi, & ſolertis acuminis, inquit Feſtus. Lucret. lib. i.

——— Tum cum primis ratione ſagaci.

Idem eodem lib.

Eſt igitur nimirum id, quod ratione ſagaci
Quærimus. ——— Ibidem.
Verum animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
Sunt ——— & lib. ij.
Nec minus hæc animum cognoſcere poſſe ſagacem
Tu mihi da tenues aureis animumque ſagacem.

Corculus, Cordatus.

Cor eſſe Latinis prudentiam & ſapientiam, cognomen Corculi ſatis oſtendit. Cic. i. Tuſcul. Et Naſica ille prudens, bis conſul, corculum appellatus. Corculum enim, teſte Feſto, dicebant antiqui ſolertem & acutum. Plin. lib. vij. cap. xxxj. Catos. Corculos apud Romanos cognominatos eſſe refert, qui ſapientia præſtiterunt. Et apud eundem Cic. ibi.

Egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.

id eſt, prudens, multa ſolertia & ingenio pollens. Lactant. lib. iij. Non inficior fuiſſe illum paulo cordatiorem quam cæteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio poſſe comprehendi. Plaut. Pœnu. Quas tu ſapienter, docte, & cordate, & cate, &c. Lucret. lib. v. rerum natural.

Ingenio qui præſtabant, & corde vigebant,

id eſt, cordati erant, conſilio & mente præſtabant. Jecur etiam in eadem ſignificatione ponitur in Epigrammatis, de eodem illo Catone grammatico, clauſula iſta:

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

Naris vel auris acutæ homo.

Per metaphoram acutæ naris vel auris acutæ homo dicitur prudens & ſagax, quiq; alio proverbio eſt emunctæ naris, hoc eſt purgatæ, & facile rem ſubodorat, atq; ſubtilis eſt. Qui enim naſi ſunt acutioris, melius odorari, & ſagaciores intelligentioreſque cenſentur, ut Flaccus Serm. lib. i. ſat. iij.

——— Acutis.
Naribus horum hominum rideri poſſit. ———

Contra, qui naris obeſæ ſunt, deterius olfacere, tardiores, ſtupidiores minuſque intelligentes eſſe putantur: Idem Horatius epod. xij. ——— Neque naris obeſæ, hoc eſt, ſed ſagaciſſimus, & naris emunctiſſimus. Sic acutas aures, pro aeribus & judiciis intelligentis dixit Calpurnius:

Quicquid ineſt, ſylveſtre licet videatur acutis
Auribus, & noſtro tantum memorabile pago.

Contra,

Centri. obeſæ aures, judicii nullius, aut obtuſi & hebetis habentur. Idem Calphurnius:

> Ruſtica credebam memorales carmina nobis
> Conceſſiſſe Deos, & obeſis auribus apta.

Id ex eo, quod pingue pro ſtupido & bardo, tardiq; ingenii, à Latinis poni conſuevit.

Felicis cerebri.

Hæ proverbiales locutiones elegantioris ſeculi & oris ſunt. Felicis cerebri, quam dicendi rationem ſequuti Galli, De raſſis & bon cerveau, dicunt Integer mentis, ſive animi, Sanus animi. Horatius l. 1. Serm. ſatyr. 11.

> ——— O te Bollane, cerebri
> Felicem, ajebam tacitus. ——

Cerebri boni & ſanæ mentis fuiſſe Bollanum indicat, aperteque & ingenuæ libertatis & bilis hominum, qui moleſtos ferre nullo modo poſſet, ſed eos objurgaret audacter, & à ſe contumelioſe dimitteret, amandaretque. Eadem ratione dixit paulo poſt:

> ——— Et mentis bene ſanæ.

Divinus.

Author dialogi de virtute, an tradi doctrina poſſit? qui inter Platonicos habetur: Reor, inquit, hoc ipſum non ita facile poſſe declarari, ſiquidem ſuſpicor hujuſce rei poſſeſſionem quiddam maxime divinum eſſe, & bonos fieri ſimiliter, atque divini vates, & fatidici fiunt. Illi enim neque natura, neque arte tales fiunt, ſed ſpiritu, quo divinitus afflantur. Sed & viri boni, rebuſpublicis eventura, futuraque, ex afflatu quodam divino multo clarius & manifeſtius, quam fatidici, ſæpe prædicunt. Hinc & fœminæ virum hujuſmodi Divinum eſſe dicunt. Quin & Lacedæmonii, quando aliquem laudare volunt, virum illum Divinum appellant: quod ipſum Homerus, & reliqui Poetæ frequenter uſurpant. Quando igitur Deus alicui reipublicæ maxime vult prodeſſe, viros el bonos ingenerat, quando vero obeſſe, eoſdem, ſi qui ſunt, ex ea tollit. Sic videtur virtus, neque natura comparari, neque diſciplina, ſed his divina ſorte, qui illa præditi ſunt, ineſſe. Plato ipſe id dial. vj. de rep. vel juſto: Neque enim fuit unquam, nec eſt, nec erit mos alius, humanus ſcilicet, ad virtutem inſtitutus præter iſtorum diſciplinam. Nam divinum quidem, juxta proverbium, excipiamus. Certo enim id ſcito, quiſquis immaculatus & integer ex hac conſtitutione rerumpublicarum evaſit, talem divino auxilio evaſiſſe. Plato ſub finem Menonis: Divinos hujuſmodi viros appellare decet, &c. Plato in Minoe, Primo cavendum eſt, ne quid in Deum, aut verbo, aut opere, aliquando peccemus, denique adverſus divinos homines. In Sophiſta. Mihi divinus videtur, Omnes quidem philoſophos, divinos appello eos qui non ficte, ſed vere philoſophantur.

Prius panis pinſendus, quam de prora deſcendum.

Nauticum, & quod in re navali uſurpatur communi ſermone dicterium: qualia videmus vulgo ſingulis prope artificibus ſua eſſe, quæ non omnes alii intelligunt. Eo uſus eſt Demades rhetor apud Plutarchum in Cleomene: quo ſignificare voluit, oportere priusquam proræ & clavo præficiantur rectores, & claſſis inſtruatur, de commeatu & ſumptibus cogitare.

Neſtoris ſapientiores.

Proverbii ſpeciem habent, quæ à Neſtore Pilyorum duce ſumuntur, qui & ſapientiſſimus & vivaciſſimus & facundiſſimus fuit. In eodem dialogo: Sed quæ utilitas homini ſit, ſi Neſtore quidem ſit ſapientior, & quæ vere ad vivendum ſunt neceſſaria, non habeat, cibos, potus, & veſtes, & ſi quid aliud eſt hujuſmodi?

Epimetheus & Prometheus.

Plato in Protagora: Ne ſæpius nos Epimetheus ille in diſputatione fallat: quemadmodum diſtribuendo neglexit, ut tu narrabas. Prometheus enim in fabula mihi magis, quam Epimetheus placet: cujus exemplo utens, & univerſæ vitæ meæ Promethumenus, id eſt, proſpiciens hæc omnia tracto. Admonet, ut Promethei providentiam, potius quam Epimethei properantiam imitemur. Ad hæc Syllogæ noſtræ.

Scientiis qui primas habet, à cæteris non læditur.

Nemo à ſcientiis aliis læditur, qui primas habet. Vide ante, Qui multos ignorat, &c.

Sapiens ſibi ſapiat.

In Hippia majore. Sapiens in primis ſibiipſi ſapiat. Huic ſimile, Neſcit ſeipſum.

Ex adyto libri locutus.

Plato in Theæteto, Non jocatur illa, ſed velut ex adyto libri eſt locuta.

Extremum diem ſemper adeſſe putes.

Martialis libro primo, epigrammate centeſimotrigeſimoquarto. Nos enim, ut fert hominum conditio, non abeſt ut craſtino die moriamur.

COLLEGII RHODIGINI.

Mopſo certior.

De eo qui mentis acumine ſingulari futura certo prævidet, & prædicit. Mopſi tanta fuit in divinando præſtantia, ut ea, bis terve eventu conſequente comprobata, Calchantem Troja reverſum, ejuſque cauſſas perquirentem, ſummo mœrore affecerit, ac tandem enecuerit.

Eruditi oculi.

De iis oculis, quorum judicium amuſſiatum, ac quodammodo cenſorium in perpendendis diſcernendiſq; rebus pernoſcitur, nec id in legendo ſolum, ſed etiam in ſpectanda pictura nobili, aut opere antiquis artificum nominibus precioſo Cicero.

POLYDORI VIRGILII. Cor.

Cor occæcatum habet, qui perpetuis in erroribus verſatur, mẽtis lumine extincto Eſaiæ ſexto. Profundo ſunt corde, qui prudentia vel ſapientia ſua nimium nituntur. Eſaiæ vigeſimo nono Profunda fere immenſa ſunt, neque ita oculis patent. Duplex cor, in quo nihil niſi tectum, ſimulatum, fictum. Eccleſiaſtes ſecundo, Simplicia undique videri & tangi poſſunt: duplicia neque tota cerni, neque quaquaverſum adiri. Cor elatum, ſuperbum, vanitatis plenum quacunq; de cauſſa. Pſalmo ſexageſimotertio. Cor magnum, forte, audax, excelſum. Machabæorum ſecundo. Sumptum e vulgo, qui magna animantia fortiora putat, parva paventiora: cum, ut contra docet Ariſtoteles in parvis fortior ſit calor, & parti ſufficiens, & in magnis, minor, & minus efficax. Cor leonis ſimiliter fortiſſimum, à leonis audacia & ferocia, ſecundo Regum decimoſeptimo. Habere cor, ſapere, intelligere: non habere cor, deſipere, minus intelligere. Hieremiæ capite quinto, Vide Theſaurus in agro, &c. Unum cor, magna animorum conſenſio. Hieremiæ xxxij. Cor diviſum, ſtudiorum, voluntatumque diſſenſus. Oſeæ x. Pravum cor, mala & fraudulenta mens. Hier. xvij. Cor hominis immutat faciem Ex varietate vultus, qui in facie apparet, elucet omne animi arcanum, Eccleſiaſt. xiij. Cor regum inſcrutabile, diverſum à priore. Nam regibus quod lubet, licet ideoque voluntates eorum vehementes, mobiles, ſæpe ſibi adverſæ, adde quod fidem, rectum, honeſtum, ſæpe utilitate metiantur. Proverb. xxv. Hærebit etiam in infimæ ſortis homines, lucello addictiſſimos. Secundum cor fit, quicquid ſub manum ſuccedit, & ex animi ſententia. Sic Davidi Deus dicebat inveniſſe virum ſecundum cor ſuum. Act. decimotertio.

Qui feſtinus eſt pedibus, offendit.

In rebus gerendis adhibenda primum cogitandi ſolertia, deinde agendi moderatio. Huic ſimile, Canis feſtinans, cæcos parit catulos.

PETRI GODOFREDI.

Amyris furit.

Vide adag. Amyris inſanit. Cum Amyris una cum reliquis legatis Sybariticis, Apollinem de communium rerum ſucceſſu conſulerent, reſponſum, tum Sybaritas ituros, cum pluris facerent homines quam Deos. Evenit deinde, ut ſervus à domino vapulans, nequicquam ad Deorum aras confugiſſet: poſt ad paternum heri monumentum confugiens, liberaretur à plagis. Eo animadverſo, Amyris locum mutavit reliquis eum ut inſanum ridentibus. Demum vero, cum non multo poſt Sybaritæ à Crotoniatis cladem acciperent, prudentiæ nomine commendatus eſt. Docemur hoc exemplo, etiamſi aliis ſimus ludibrio, curare tamen noſtra. Thomæus var. hiſt. ij. ult.

Figulus ollis anſas pro voluntate ponit.

Unuſquiſque ſuæ rei moderator eſt & arbiter, ſicque ſuo more utens nulli injurius eſt. Philelphus epiſt. x. ij. à Græcis mutuatus eſt. Eandem fere metaphoram attingit Paulus Rom. vij.

Parva pluvia magnum ſedavit ventum.

Et ventis etſi nihil violentius eſt, tamen iidem imbribus ſopiuntur, teſte Plin. ita facto vel modico cordati viri & verbis minæ vani hominis, & verba quantumvis tumida ſuperantur.

CAROLI BOVILLI.

Elephantinæ olfacere promuſcide.

Pro, imminentia pericula diu ante providere. Diverſum, Indigere elephantina promuſcide, pro, inopem eſſe conſilii, nihil proſpicere, nihil cavere, tardo eſſe ingenio, & lævum in præſens, ignaro, quod ultra eſt, curare. Elephanti quod olfactus ſenſu valeant, proboſcidibus debent.

TVRNEBI, ET ALIORVM.

Quaſi lupus armis valeo, clunes infractos gero.

Fuit etiam olim opinio, lupum armis validum, tergo infirmum eſſe, ut ex hac Plauti apud Nonium ſententia prope proverbiali apparet. Ibidem fortaſſe nõ inepte id ille uſurpabit, qui ſuatũ virium

ſibi conſcius, non tam viri & hoſtis ſui, quam fœminæ congreſſum reformidat.

PRVDENTIA SENILIS.

ERASMI. Senum prudentia.

De ſenibus quidem, attamen ob rerum peritiam non idoneis ad negocium aliquod conficiendum, apte dicetur illud ex eodem libro:

Καὶ πολιοί περ ἐόντες ἀπτόλεμοι πολεμισταί.

Ætas cana quidem, ſed non in idonea bello.

Ætate prudentiores reddimur.

Si quando negabimus nobis eadem probari jam natu grandioribus, quæ quondam ob ætatis inſcitiam arriſerunt, ſed uſu rerum auctam prudentiam, congruet illud ex eodem libro:

——— *Ἐγὼ δ' ἔτι νήπιος ἦα*
Νῦν δ' ὅτε δὴ μέγας εἰμὶ καὶ ἄλλων μῦθον ἀκούων
Πυνθάνομαι, καὶ δή μοι ἀέξεται ἔνδοθι θυμός.

Id eſt.

———Eram adhuc puer, aſt ubi jam ſum
Grandior, & reddit me aliorum oratio doctum;
Ipſeque grandeſcit mi animus.

Dicitur ad procos a Telemacho.

Annoſa vulpes haud capitur laqueo.

Γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

Vulpes anus laqueis capi haud ullis poteſt.

Senarius proverbialis, dicendus in eum, qui longa ætate, multaque rerum experientia callidior eſt, quam ut arte queat capi.

Anus ſubſultans multum excitat pulveris.

Γραῦς ἀνασκιρτῶσα πολλὴν κόνιν ἐγείρει.

Id eſt:

Anus ſubſultans, multum pulverem excitat.

In eos dici ſolitum, qui ob rerum experientiam, multum negociorum aggrederentur. Videtur carmen heroicum, ſyllaba duntaxat depravatum.

Eum auſculta cui quatuor ſunt aures.

Inter Græcanicorum proverbiorum collectanea refertur, *ἄκουε τοῦ τὰ τέσσαρα ὦτα ἔχοντος*: id eſt. Eum auſculta cui quatuor ſunt aures. Hujus adagionis hujuſmodi quoddam interpretamentum adfert Zenodotus: Oraculo quondam fuiſſe reſponſum Entimio Cretenſi & Antiphemo Rhodienſi, ut eum obſervarent cui quatuor eſſent aures. is autem erat prædo quidam Phœnix, quem cavendum eſſe monebat oraculum. Porro quod quatuor aures habere dictus eſt, non ſatis liquet, verene habuerit, an per allegoriam ſit accipiendum, quod quatuor locis exploratores haberet diſpoſitos. Verum illi cum Dei reſponſum tanquam ridiculum negligerent, in prædonem inciderunt, atque ab eo ſunt extincti. Itaque ex hoc eventu vulgo natam eſſe parœmiam exiſtimant. Sed mihi magis arridet, quod idem ex Ariſtophane grammatico refert, Lacedæmonios Apollinis ſimulachrum ita ſolere fingere, ut quatuor haberet aures, & manus totidem, vel quod, ut autor eſt Soſibius, hac figura viſus ſit illis apud Amyclas pugnantibus: vel ſignificantes, ut equidem conjicio, viro prudenti res quamplurimas tum audiendas eſſe, tum uſu vitæ periclitandas. Porro creditum eſt antiquitus, nulla oracula fuiſſe certiora quam Apollinis. Unde jactatum etiam illud: *τὰ ἐκ τρίποδος*: Atque ita monet proverbiū, audiendos eſſe illos qui diuturno complurium rerum uſu præ cæteris ſapiunt, ita ut fere faciunt ſenes. Vnde & apud Homerum laudatur Neſtoris oratio, tanquam omnium auditu digniſſima: & in Odyſſeæ ſecundo libro, Ægyptium heroa ſenem primo loco loquentem facit:

Ὃς δὴ γήραϊ κυφὸς ἔην, καὶ μυρία ᾔδη.

Id eſt,

Qui jam incurvus erat ſenio ſed plurima norat.

Eodem ſpectavit Euripides in Phœniſſis, ad quem locum alluſit Lucianus in Hercule Gallico: id quod obiter admonendum putavi, propterea quod is dialogus inter multos alios à nobis Latinus, eſt factus: & alluſio nonnihil habet tenebrarum, ſed carmen Poetæ referam:

Ὦ τέκνον, οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακὰ
Ἐτεόκλεις πρόσεστιν, ἀλλ' ἡ ἐμπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.

Verba ſunt Iocaſtæ jam anus ad Eteoclem adoleſcentem filium. Ea nos ſic vertimus:

O gnate Eteocles, cuncta nequaquam mala
Adſunt ſenectæ: nam per experientiam
Vſuque rerum dicere, haud nihil, rudi
Poteſt juventa melius ac prudentius.

Idem nunc vulgus noſtrativum effert, ſubſordida quidem, ſed tamen apta metaphora, cum ajunt: Proſpectandum vetulo latrante cane, hoc eſt. Nequaquam negligendum, quoties ſenes periculum cavendū admonent. Canes enim vetuli non latrant temere, quemadmodum juvenculi.

Moderator negocii.

Carmen quod ibidem proxime conſequitur, conveniet in eum qui prudentia & authoritate ſua negocium aliquod moderatur

Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως.

Id eſt:

Ille ratem clavo ſcite docteque regebat.

Multorum feſtorum Iovis glandes comedit.

Πολλῶν πανηγύρεων Διὸς βαλάνους ἔφαγεν, id eſt, Multorum feſtorum Jovis glandes comedit. De ſene, longoque plurimarum rerum uſu docto: perinde valet quaſi dicas, multas vixit Olympiadas. Quercus autem Iovi ſacra: unde nuces juglandes: Simili joco & hodie dicunt noſtrates, Comedit multa ova paſchalia: ſenem indicantes.

Seneſco ſemper aliquid addiſcens.

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Id eſt:

Diſcenti aſſidue multa, ſenecta venit.

Hic pentameter ex Elegiis Solonis in proverbium abiit: ſignificat autem uſu vitæ, multaque rerum experientia parari prudentiam. Convenit cum ea, quæ citatur apud Gellium, ſententia:

Vſus me genuit, peperit mater memoria.

Citatur à Platone libro de Repub. vij. Rurſum in Dialogo De Philoſophia, quærens quiſpiam, num Philoſophia ſit *πολυμαθίη*: Quid aliud, inquit, eſt philoſophari, quam id facere quod dixit Solon? Dixit autem:

Diſcenti aſſidue multa, ſenecta venit.

At mihi quidem videtur ſemper aliquid diſcendum ei, qui in Philoſophum ſit evaſurus, ſive junior ſit, ſive ſenior, ut quam plurima diſcat in vita. Citat & in Lachete. Seneca in Epiſtola quadam ad Lucillum. Tam diu diſcendum eſt, quam diu neſcias: & (ſi proverbio credimus) quam diu vivas. Citatur ſemel atque iterum apud M. Tullium in Catone majore. Quinetiam Terentianus ille Demea, Solonis ſententiam retulit, cum ait: Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, uſus ſemper aliquid apportet novi: Aliquid moneat, ut illa quæ credas ſcire, neſciàs: & quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies. Alludit huc cujuſcunq; eſt verſiculus ille, neq; inſcitus, neq; inelegans, Senecæ nomine celebratus, equidem e Publianis mimis unum eſſe ſuſpicor: hac adductus conjectura, quod in hoc numero quoidam reperio, qui nominatim ab Aulo Gellio ſub Publii titulo referuntur. Senarius autem hic eſt:

Diſcipulus eſt prioris poſterior dies:

Sine cortice nabis.

Sine cortice nare dicuntur, qui jam per ætatem non egent cuſtode morum: aut qui eo doctrinæ proceſſerunt, ut jam præceptorum opera non habeant opus. Horatius:

———Simul ac duraverit ætas,
Membra, animumque tuum, nabis ſine cortice. i.

Citra cuſtodem ac pædagogum ipſe te reges ac moderaberis. Acron proverbii admonet: putatque metaphoram mutuo ſumptam à juvenibus: qui cum primitus natare diſcunt, corticibus aut ſuberibus ventri ſubligatis natant: deinde exercitatiores, citra hujuſmodi adminicula natare incipiunt. Plautus in Aulularia: Quaſi pueris qui nare diſcunt, ſcyrpea induitur ratis, Qui laborent minus, facilius ut nent, & moveant manus. Eſt autem Græcis *φελλὸν* ſive *φελλὸς* (nam varie ſcribunt) quod Latini vertunt ſuber (ſic enim vertit Theodorus) cortex arboris ſemper fluitans, & ob id aptus navibus præſertim ancoralibus (indicat enim ancoræ locum, ut à cautis caveatur) & piſcantium tragulis: ſuſtinet enim ſummos retium funes, utilis & cadorum obturamentis: poſtremo & fœminarum calceatui menſibus hybernis, unde joco proverbiali apud Græcos, cortices arborum dicuntur nunc non pudet viros æſtivis menſibus tali uti calceatu. Meminit Plinius libro xvi. cap. viij. Lucianus in veris narrationibus narrat *φελλόποδας*, unde Græci *φελλίζειν* dicunt ſupernatare. Et *φελλεῖς*, loca quæ paululo terræ tegunt ſaxa

---

POTENTIA CONJVNCTA cum viribus.

ERASMI. Conſiliis ſimul & facto valens.

In hominem conſilio pariter, ac viribus excellentem, conveniet illud Odyſſeæ ξ.

Οἷος ἐκεῖνος ἔην βουλῇ ἔνι ἠδὲ μάχεσθαι.

Id eſt:

Is cujuſmodi erat ſeu pugna, conſiliove.

Prudentia conjuncta cum viribus.

In eum qui norit idem & aliis imperare quid ſit agendum, & ipſe perſequi cum eſt opus, quod aliis imperat, apte quadrabit illud ex eodem libro:

Ἀμφότερον βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Id eſt,

Et juxta ductor bonus, & certamine pollens.

Sunt enim qui imperatorem agere norunt, at militem præſtare non norunt.

PVDICITIA.

ERASMI. Hippolytum imitabor.

Ἱππόλυτον μιμήσομαι: id eſt, Hippolytum imitabor. Diogenianus in

nus in proverbiorum collectaneis ait dictitatum de iis, qui ſtatuiſſent pure caſteque vivere. Nota eſt fabula vel apud Euripidem, vel apud Senecam, quemadmodum is juvenis odio fœminei generis, Dianæ ſtudiis ſeſe totum adduxerit, deſpecto Veneris numine. Sic enim loquitur apud Euripidem:

τὴν σὴν δὲ Κύπριν πόλλ' ἐγὼ χαίρειν λέγω.

Id eſt,

Veneri tuæ longum valere renuncio.

Melanione caſtior.

Μελανίωνος σωφρονέστερος: id eſt, Melanione caſtior dicebatur, qui magnopere a mulierum congreſſibus abhorreret. Ajunt Melanionem quondam odio mulierum, in ſolitudinem demigraſſe, perque avia montium & nemorum, cane, quo uno convictore utebatur, feras inſectari ſolitum, nec unquam domum revocari potuiſſe. Meminit adagii Ariſtophanes in Lyſiſtrata. Quanquam hæc inter editas nondum habetur: nos ſcriptam legimus. Simili figura dicetur, Hippolyto caſtior, nam & huic ſimile venandi ſtudium, ſimile odium fœminarum.

IVNII. Bellerophonte caſtior.

Extat apud Syneſium in Calvitii encomio: τὰ γὰρ εἰς ἀφροδίτην ἐγὼ δυσμενέστατος, καὶ τοῦ Βελλεροφόντου σωφρονέστερος ἀμφισβητοίην ἄν, id eſt. Venerearum rerum puriſſimus vel cum Bellerophonte contenderim. Bellerophontes prius dictus proprio nomine Hipponus ſeu Leophontes, occiſo Bellero Corinthiorum Principe, Argos confugit ad Prœtum, à quo de more expiatus à cæde, incidit in gravi ſſimum vitæ diſcrimen. Nam Antæa (Euripides Stenebæam nominat) ſollicitato diu multumque ejus congreſſu odium illud delatione ultra eſt, ut quem ad ſtuprum inflectere nequiverat, interitu aboleret. Homerus Iliad. 6. refert quo pacto illa cum Bellerophonte κρυπταδίῃ φιλότητι μιγήμεναι furtivæ veneri indulgere optarit: quã ipe cum excidiſſet, maritum in illius necem accendit; fabula ad amuſſim hiſtoriam de Joſepho exprimente. Huic contrarium eſt apud Martialem,

Ideo reſolutior cinædo.

De Ganymede intelligens. Libet hoc loco aſcribere incredibilem Porphyrionis avis caſtitatem, quæ ſi ſolum aſpexerit meretricem, emori creditur, ſi Ariſtoteli, Æliano, Zozæque fides habenda eſt; ut in proverbium videatur trahi ſingularis illa avis temperantia.

Veſtalium thoro purior.

Hyperbole proverbialis caſtimoniam ſingularem denotans. Mametinus in Panegyrico Juliano dicto, Lectulus etiam ſine inconceſſis, ſed legitimis voluptatibus, Veſtalium thoris purior. Similiter Auſonius in Panæg. Gratiani.

Operto conclavis tui non ſanctior ara
Veſtalis, non Pontificis cubile caſtius,
Nec pulvinar flaminis tam pudicum.

Virgines Veſtales Veſtæ deæ operatæ pudicitiam vovebant, quam triginta annorum ſpacio illibatam, & à connubio immunem conſervare cogebantur: & ſi vitium admiſiſſent, ſandapilæ impoſitæ veluti funere efferebantur, vivæque terra obruebantur: ut in ſecundo Antiquit. refert Halicarnaſſæus.

IVNII. Gubernaculo caſtior.

Ἁγνότερος πηδαλίου: hoc eſt, Gubernaculo caſtior, Parœmia de puris, minuſque ſordidis rebus, quod ea gubernaculi pars ſemper ſit in aqua: ea vero & ἰθύντηρ & οἴαξ appellatur, atteſtante Euſtathio, Odyſſ. lib. 5.

Verecundus metui comes pudor.

Namque verecundus metui comes eſt pudor.

Proverbialis Heroici verſiculi pars apud Platonem in Euthyphrone, & Plutarchum, in Cleomene. Vide apud Eraſmum noſtrum, Pudor & metus: ex Homeri Iliad. 4. Poeta quidem in Euthyphrone:

Scribere cur metuam, quum ſcribo de Jove ſummo:
Namque metus ſecum ſocium trahit uſque pudorem.

PVDOR.

ERASMI. Pudor in oculis.

Ἐν ὀφθαλμοῖς ἡ αἰδώς: id eſt, In oculis pudor. Horum nos pudet, quæ in propatulo ſunt. Aſpectus enim vel incutit, vel renovat etiam pudorem. Unde fit, ut pueri cum pudeſcunt, oculos tegant. Et apud Platonem Socrates dicturus de amore, ob pudorem oculos tegit, nimirum huc alludens. Hinc & poetæ Cupidinem, quod ſit improbiſſimus, cæcum fingunt. Eodem pertinet illud Ciceronis, Epiſtolam non erubeſcere. Videmus etiam eos qui oculis capti ſunt, à verecundia plurimum abeſſe. Huc ſpectavit Ovidius, cum ait, noctem, utpote cæcam, pudore vacare:

Nox (inquit) & amor, vinumque, nihil moderabile ſuadent
Illa pudore vacat, Liber, amorque metu.

Refertur adagium ab Ariſtotele libro Rhetoricorum 2. καὶ τὰ ἐν ὀφθαλμοῖς καὶ τὰ ἐν φανερῷ, ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῶ, id eſt: Et ea quæ ſunt oculis expoſita, quæq; in propatulo ſunt Unde & illud proverbio dicunt, Pudorem in oculis eſſe. Citatur & apud Athenæum lib. 13. Idem in Problematis cauſam inquirens, quamobrem pudefactis rubeſcant aures, iratis oculi. hujus adagii teſtimonium citat: διὰ τί, inquit, ἡ μὲν αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς κατὰ ψύξιν μετὰ φόβου, ὥς τε εἰκότως ἀπολείπει τοὺς ὀφθαλμούς [illegible] ... id eſt, An propterea; quod pudor in oculis frigus quoddam adducit una cũ metu, atq; ob id merito calor deſtituit oculos? Is vero demigrans inde fertur ad locum ſui maxime capacem. Eſt autem hujuſmodi ſumma pars aurium: nam reliqua pars eſt oſſea. Rurſum iratis calor ſuffunditur: idque potiſſimum apparet in oculis, propter albicantem illorum colorem. Refertur hic verſus ex Euripide:

Αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖσι γίγνεται, τέκνον.

Id eſt,

Mea gnata in oculis naſcitur hominum pudor.

Ariſtophanes in Veſpis:

Ἀλλ' ἐν τούτοις γε οὐκ ἔνι
Οὐδ' ὀφθαλμοῖσιν αἰδὼς τῶν παλαιῶν ἐμβάδων.

Id eſt,

Cæterum iſtis haud ineſt,
Calciamenti vetuſti, nec vel in oculis pudor.

Huc referri poteſt & illud quod Ariſtoteles lib. Rhetor. 1. ex Sapphone citat:

αἰδώς κέν σε οὐκ εἶχεν ὄμματα.

Id eſt,

Non eſſet tibi pudor in oculis.

Hinc & illæ figuræ: Quo ore, qua fronte audebis objurgare filium? Et illud apud Ciceronem in Epiſtolis ad Atticum: Nec enim conquiſitores φαινοπροσωπεῖν audent. Quin & hodie vulgo dicunt: Non audebis faciem oſtendere. Apud Euripidem in Iphigenia Aulidenſi, Menelaus jubet Agamemnonem, ut ſeſe aſpiciat, videlicet quo facti pudeat:

βλέψον εἰς ἡμᾶς, ἵν' ἀρχὰς τῶν λόγων ταύτας λάβω.

Id eſt,

Aſpice in nos recta, ut hoc capiãm loquendi exordium;

Is reſpondet:

Μὴ τρέσας οὐκ ἀνακύψω βλέφαρ' ἄτρειον γεγώς;

Id eſt,

Num verebor lumina in te tollere, Atreo ſatus?

Fortaſſis huc adſcribendum erat quod apud Homerum Achilles Agamemnonem κυνώπα vocat, ob impudentiam, velut oculis caninis & inverecundis.

Pudebat recuſare, & non audebant ſuſcipere.

M. Tullius in Epiſtolis ad Atticum, verſum hunc Homericum, ceu proverbialem, non ſemel uſurpavit:

Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

Id eſt,

Detrectare pudor, formido ſubire vetabat.

Quo licebit uti, quoties incidit ejuſmodi negocium, ut aliud ſuadeat honeſtas, aliud utilitas: & dedecoroſum ſit, non ſuſcipere provinciam: rurſum periculoſum, ſuſcipere. Poteſt accommodari etjam ad illos, qui rogati neque negare audent ob pudorem; neque præſtare tamen volunt quod rogantur, ob diverſum animi vitium. Eſt autem hic verſus apud Homerum Iliados η. ubi Hector quemlibet è Græcorum ducibus ad ſingulare certamen provocat, & reliquis omnibus cunctantibus ſurgit Menelaus:

Ὣς ἔφαθ' οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.
Αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

Id eſt:

Sic ait: interea tenuêre ſilentia cuncti.
Detrectare pudor, formido ſubire vetabat.

Pudor & metus.

Cum abſtinetur à re quapiam, quod ea tum inhoneſta ſubinde videatur, tum vero minime tuta, locum habet illud ex Iliados o.

——ἴσχει γὰρ αἰδώς, καὶ δέος.——

Id eſt,

Nam pudor atque metus vetuit.——

De conglobata acie dictum, quæ ne ſeſe diducerêt, partim pudor obſtabat, partim metus. Pudorem autem ingens addere calcar ad fortiter agendum, indicat in eodem libro, cum ait:

αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται.

Id eſt,

Plures ſunt ſalvi atque cadunt hi, queis pudor adſit.

Verecundia inutilis viro egenti.

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένῳ ἀνδρὶ παρεῖναι.

Ita legitur apud Homerum Odyſſeæ ρ. Citatur à Platone in Lachete. Ac mox:

αἰδῶ δ' οὐκ ἀγαθήν φησ' ἔμμεναι ἀνδρὶ προΐκτῃ.

Apud Heſiodum item:

αἰδὼς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.

Id eſt,

Verum homini pudor haudquaquam conducit egeno.

Is verſus in proverbium abiit. Admonet autem abjiciendum pudorem, quoties urget neceſſitas. Eſt enim verecundia cum ad multa vehementer inutilis, tum maxime quum res poſtulat, ut omnia nobis ſint facienda: vel ut inutilis pudor eſt, qui deterret à diſcendo quod turpe eſt neſcire. Et, ut ait Flaccus:

——Incurata malus pudor ulcera celat. Idem alibi:
——Pudor (inquit) te malus urget.

Eodem alluſit Euripides in Iphigenia in Aulide:

Ὅμως δ' ἔχειν γε δυνατὸν, αἰδεῖσθαι χρεὼν,

Id eſt,

Veruntamen pudere oportet eatenus. Quoad licet,

Homerus Iliad. ω. ſcribit verecundiam ſeu reverentiam plurimum prodeſſe, & eandem officere plurimum:

——Οὐδέ οἱ αἰδὼς
γίγνεται, ἥ τ' ἄνδρας μέγα σίνεται ἠδ' ὀνίνησι.

Id eſt,

Nec pudor eſt illi qui vel lædit vehementer,
Vel multum prodeſt homini.——

Et videre eſt nonnullos hoc inutili pudore præditos, qui corporis incommoda celare malunt, quam amicorum ope tolli, quo ingenio fuiſſe legitur Apelles, cui & morbum & inopiam diſſimulanti candidus amicus furtim ſub cervicale pondus auri ſubmiſit. Sed eorum multo maxima turba eſt, qui animi morbos & egeſtatē inutili pudore diſſimulant. Atqui his fere accidit, ut poſt malo in apertum erumpente, cum miſerius, tum fruſtra erubeſcant.

Tinctura Sardonica.

Βάμμα σαρδονικὸν id eſt, Tinctura Sardonica. De colore præcellenti dicebatur, præcipue purpuræ. Per jocum autem transfertur ad eum qui pudefit, aut qui ob plagas ſanguine tingitur. Sardo, (ſive ut Heſychius ſcribit) Sardon, inſula ingens, oppoſita Italiæ, in qua variæ purpuratum tincturæ laudatiſſimæque fiebant. Itidem & Tyrium muricem, oſtrumque Sarranum, legimus apud Latinos. Ariſtophanes in Pace:

ὃν φαῖνεν φάσιν εἶναι βάμμα σαρδιανικόν.
Quam ille prædicat coloris eſſe ſardiniaci;

Idem in Acharnenſibus:

ἵνα μή σε βάψω βάμμα σαρδιανικόν.
Ne tingam colore Sardiniaco.

Tinctura Cyzicena.

Βάμμα κυζικηνικὸν id eſt, Tinctura Cyzicena. Dedecus non eluendum appellabatur apud Atticos. Dicebaturque in eos qui metu quippiam indecore facerent. Nam Cyziceni duobus nominibus notati ſunt, timiditatis & molliciei. Recenſetur in iiſdem Collectaneis. Meminit & Heſychius, addens Cyzicenos ob molliciem notatos, quod Jones eſſent. Eadem fere Ariſtophanis interpres. Stephanus addit, eos fuiſſe graves Tyrrhenorum prædationibus. Extat apud Ariſtophanem in Pace:

Ἀλλ' ὅταν δέῃ μάχεσθαι τ' ἔχοντα φοινικίδα,
Τηνικαῦτ' αὐτὸς βέβαπται βάμμα κυζικηνικόν.
Sicubi pugnare oportet, atque ferre palmulam,
Ipſum eum tinctura tingit mox ibi Cyzicenica.

Solent autem tincturæ inſignes à locis habere cognomen. Nec enim ubivis quilibet color tingitur feliciter. Simili modo dictum eſt, ἐμβάμμα τοςυκέτιον, & βάμμα σαρδανικόν. Id parœmia detorſit ad mores hominum. Eſt enim æſtimatio rumorque conſequens hominum vitam, velut tinctura quędam. Vnde carbone notari dicuntur, qui damnantur. Et notum eſt illud Ennianum apud Aulum Gellium: Quæ tincta malis, aut quæ bona dicto. Ariſtophanis interpres indicat, Lacedæmonios puniceis tunicis uti ſolitos, ne ab hoſte ſentirentur vulnerati, ob coloris ſimilitudinem. At ignavi molleſque palleſcunt. Addam quod eſt apud Herodotum libro quarto. Quum Æthiopum Rex conſpexiſſet à Rege Perſarum miſſam veſtem purpuream, rogavit tincturæ rationem. Eam cum ab Ichthyophagis didiciſſet, δολεροὺς μὲν ἀνθρώπους ἔφη εἶναι, δολερὰ δὲ αὐτῶν τὰ εἵματα. id eſt. Non ſolum ait homines eſſe ſubdolos, ſed & veſtes illorum eſſe doloſas.

Vbi timor, ibi & pudor.

Ἵνα δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς: id eſt. Vbi timor, ibi & pudor. Proverbialis ſententia, quæ hodieque vulgo manet. cui ſimilis illa Terentiana: Omnes deteriores ſumus licentia. Et maxima pars hominum formidine fuſtis à malefactis temperat. Plato libro de legibus 5. ἡ δ' ἄδεια αἰσχύνην τίκτει. id eſt: Audacia vero parit impudentiam. ἄδειαν autem vocant, cum abeſt metus. Item in Euthyphrone citat ex poeta quopiam. Eſt enim hemiſtichium carminis heroici.

——Ἵνα γὰρ δέος, ἔνθα καὶ αἰδώς.
——Vbi enim timor, & pudor illic.

Suidas indicat eſſe Epicharmi.

Adverſus Solem ne meito.

Πρὸς τὸν ἥλιον τετραμμένος μὴ ὀμιχεῖν: id eſt, Adverſus ſolem ne meito. Opinor commendari verecundiam. Tametſi Plinius ſuperſtitioſam hujus rei cauſam reddit libro 28. cap. 6. Verba ipſius ſubſcribam: Auguria valetudinis ex urina trahuntur. Si mane candida, dein rufa ſit. illo modo concoquere, hoc concoxiſſe ſignificatur. Mala ſigna rubræ, peſſima nigræ. Mala bullantis & craſſæ in qua quod ſubſidit, ſi album eſt, ſignificat circa articulos aut viſcera dolorem imminere. Eadem viridis, morbum viſcerum; pallida bilis, rubens, ſanguinis. Mala & in qua veluti furfures atque nubeculæ apparent diluta quoque alba, vitioſa eſt. Mortifera vero craſſa, gravi odore. Et in pueris tenuis ac diluta. Magi vetant ejus rei cauſa contra ſolem lunamq; nudari, aut umbram cujuſpiam ab ipſa aſpergi. Heſiodus juxta obſtantia reddi ſuadet, ne Deum nudatio aliquem offendat. Locus hic quem Plinius citat, & ex quo ſymbolum Pythagoræ ſumptum apparet, eſt in opere cui titulus Ἔργα καὶ ἡμέραι

Μηδ' ἄντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν,
Αὐτὰρ ἐπεὶ κε δύῃ, μεμνημένος ἔς τ' ἀνιόντα·
Μήτ' ἐν ὁδῷ μήτ' ἐκτὸς ὁδοῦ προβάδην οὐρήσῃς.
Μηδ' ἀπογυμνωθείς· μακάρων τοι νύκτες ἔασιν.
Ἑζόμενος δ' ὅ γε θεῖος ἀνήρ, πεπνυμένα εἰδώς,
Ἢ ὅ γε πρὸς τοῖχον πελάσας εὐερκέος αὐλῆς.

Id eſt,

Adverſus ſolem rectus ne meito, verum ut
Occiderit, donec redeat, facere iſta memento,
Sed neque progrediens lotium diſperſeris unquam,
Inque viis, extra ve vias, neque membra renudes
Micturus. ſi quidem divis nox ſacra beatis.
At qui vir fuerit prudenſque priuſque, recumbens,
Sive domus muris admotus corpore, meiet.

Superis impari numero, inferis pari ſacrificandum.

Τοῖς μὲν οὐρανίοις περιττὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις. id eſt: Superis quidem imparibus ſacrificandum, inferis vero paribus. Sed refert tantum ut ænigma Pythagoricum, non interpretatur. Cæterum in problematibus Rom. antiquitatum, docet apud veteres primum menſem diis cœleſtibus habitum ſacrum, ſecundum vero diis inferis, in quo & luſtrationibus quibuſdam, uti mos erat, & mortuis parentabant. Quin etiam totius menſis tres dies principes & autores eſſe voluerunt, Calendarum, Nonarum, &c. Iduum, quos feſtos ac ſacros habebant, veluti diis ſuperis dicatos, qui hos ſequerentur, hoc eſt poſtridie Calendas, Nonas, & Idus, diis manib. attribuebant, ac proinde nefaſtos ac religioſos judicabant. Sic & apud Græcos tertios crateres ſoſpitatori Jovi, ſecundos ſemidiis ac dæmonib. tribuebatur. Principium autem omnis numeri eſt μὰς, cui adverſatur δυὰς, inter pares numeros primus, nec finem habens, nec perfectus, cum ternio ſit abſolutus. Ac de numerorum quidem myſteriis multa reperies apud Platonem & Pythagoricos, nonnulla etiam apud priſcos Theologos. Quod ad explicandum hujus ſymboli ſenſum attinet, arbitror illud ſignificatum: Deum, quoniam mens eſt ſimpliciſſima, & in ſe ipſo perfecta, dotibus animi potiſſimum delectari, Nam quæ corporis ſunt, compoſita ſunt, ac propagatione in immenſum multiplicantur: cum animus ſit ſimplex, immortalis, & ſeipſo contentus.

Per publicam viam ne ambules.

Λεωφόρον μὴ βαδίζειν. id eſt: Per publicam viam ne ambules. Divus Hieronymus exponit, Ne vulgi ſequaris errores. Nunquam enim tam bene cum rebus humanis actum eſt, ut optima plurimis placuerint. Vnde quidam hoc ſic efferunt: Viam Regiam declinato, per ſemitas ingreditor. Quod quidem præceptum non abhorret ab Evangelica doctrina, quæ monet, ut declinata via ſpacioſa, per quam ambulant plerique, per anguſtam ingrediamur viam, à paucis quidem tutam, ſed ducentem ad immortalitatem.

Apud menſam verecundari neminem decet.

Sequitur ibidem aliud proverbium, quod ex tanta antiquitate per manus traditum, hodieque verſatur in ore omnium:

Verecundari neminem apud menſam decet:
Nam ibi de divinis atque humanis cernitur:

Niſi quod vulgus addit, nec in lecto. Sententia eſt non philoſophi, ſed Staſini ſervi comici: quum nuſquam magis habenda ſit verecundiæ ratio, quam in lecto & convivio. Sunt tamen qui ruſtico pudore moleſti ſint convivæ, ſemper expectantes ut ipſis præminiſtretur, & quod datum eſt reponentes. Jam hoc ipſum, de divinis atque humanis cernitur, proverbiale eſt: quo tropo ſignificabant, de ſumma rerum agi. Dictum ſervo dignum, qui felicitatis puppim ac proram in ventris expletione collocarat:

Ne pudeat artem.

Verſus erat olim populari ſermone jactatus:

Ne pudeat artem proloqui quam factites.

Multos non pudet turpi quæſtu vivere, quum pudeat nomen ejus quæſtus profiteri. Quemadmodum [redacted] quis uſuram exercens, vocari mavult negociator. Verſum citat [redacted]. Tul. cum ait, Me autem ſive pervulgatiſſimus ille verſus qui vetat:

Artem pudere proloqui quam factites.

diſſimulare non ſinit, quin delectet: ſive tuum ſtudium hoc à me volumen expreſſit.

IVNII. *Vultum demittit tanquam Telephus.*

Κύπτει ὥσπερ Τήλεφος; id eſt. Oculos humi demittit velut Telephus. De homine nimirum pudente, qui tenuitatis ſuæ conſcientia oculos non attollit: vel eo, qui obaudit & ſe non audiſſe ſimu.

ſimulans, oculos humo affigit. Amphis comicus in Impoſtore fabula, poſteriore hac ſignificatione extulit:

Ἔκυψεν ὥσπερ Τήλεφος τρῶτον σιωπῇ.

Id eſt,

Demiſit primum oculos ſilentio tanquam Telephus:

Telephus Myſorum Rex exul, mendicabulum factus eſt. Itaque eo egeſtatis redactus, non mirum ſi pudore affectus fuerit. Timocles comicus:

——— *Ὁ μὲν γὰρ ὢν πένης,*
Πτωχότερον αὐτοῦ καταμαθὼν τὸν Τήλεφον
Γενόμενον, οὐδὲ τὴν πενίαν ῥᾷον φέρει.

Id eſt,

Egentiorem ſe fuiſſe Telephum
Diſcens egenus, inopiam fert æquius.

Squilla rubicundior aſſa.

De eo qui pudefit ac rubore ſuffunditur vel caſtigatus vel ſcommate aſperſus, proverbialis hyperbole extat apud Athenæum ex Anaxandride comico: *ἐρυθρότερος καρίδος ὀπτῆς*, id eſt: Aſſa ſquilla rubicundior. is enim inducit in Cercio fabula quendam minitantem, ſe alteri offuſurum ruborem pro re male geſta, ut præ aſſata ſquilla ruffeſcat, his verbis:

Ἐρυθρότερον καρίδος ὀπτῆς σε ποιήσω.

Id eſt,

Efficiam ut aſſa ſquilla non rubeat magis.

Ita enim ex Euſtathio emendanda eſt Athenæi lectura, quæ male *ὄντως* habet. Atque ita fortaſſis accipi debet illud Eupolidis comici in *δήμοις* fabula, de facie rubida:

Ἔχων τὸ πρόσωπον καρίδος μεμβλακωτος.

Id eſt,

Faciem habens ſquillæ rubicundæ, inſtar calcei punicei ſimilem.

Sunt autem *καρίδες* ſeu *καρίδες* ex eo genere piſcium, quos Gambaros Latini, nos Garneros vocamus, qui exili aut aſſata toti rubeſcunt, prius albicantes. Alia metaphora in rubore utitur Eſaias cap. 13. Hebraiſmo dicente vultum flammarum, pro pudore igneo ſuffuſo, Græce ſonat: *τὸ πρόσωπον αὐτῶν ὡς φλὸξ μεταβαλοῦσι*. id eſt. Vultum immutabunt in modum flammæ.

BRASSICANI. Caput tegere.

Plautus non uno loco dixit; Adeo nudo & aperto capite: hoc eſt, ita perfricta fronte, quod qui rubore ſuffundatur, caput atque faciem obtegere conſueverint. Vlyſſes apud Homerum in convivio Alcinoi Demodocum canentem audiens, caput operit Odyſſ. θ.

Ταῦτ' ἄρ' ἀοιδὸς ἄειδε περικλυτός. αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα.

Sic de Thelemacho Odyſſ. δ.

Χλαῖναν πορφυρέην ἄντ' ὀφθαλμοῖιν ἀνασχών.

Seneca de vita beata: Luxuriatur etiam in operto capite. Ita Quintus Calaber lib. 14 Paralipomenωn de Helena:

Καί ῥα καλυψαμένη κεφαλὴν ἐπίσπετο καλὸν ὀπωπήν,

Meminit & Petronius Arbiter:

Execratus aniculæ inſidias, caput operui.

Aul. Gellius lib. 19. cap. 9. Permittite mihi quæſo operire pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem feciſſe ajunt. Locus extat apud Platonem in Phædro. Sic & capite recto dicimus, quoties verecunde & reverenter aliquid tractamus. Meminit Theophraſtus in libello cui titulus, Characteres.

COGNATI. Tinctura Cyzicena.

De inelvibilis turpitudinis nota dictum, *διὰ τὸ ῥίλαμα*: ut Etymologici autor annotat.

Si non hominum, ſaltem ſolis vos pudeat.

Hoc improbos ab occultis ſceleribus revocare tentamus. Solem enim priſci putabant & rerum hominum honeſtis exhilarari, & eorundem turpibus nephariiſque factis commaculari. In multis enim rebus, quæ ſanctitatis plenæ, revocare improbum à ſcelere deberent, cum occultum aliquod facinus molitetur, Solem etiam veteres ponebant, quem nemo fallere poſſet, cum luce ſua omnia perluſtret: ut Demoſthenes de falſa legatione: in proditores enim publicorum commodorū invehens, inquit, *καὶ οὔτε τὸν ἥλιον αἰσχυνόμενοι ταῦτα ποιοῦντες, οὔτε τὴν γῆν πατρίδα οὖσαν. ἐφ' ἧς ἕστασαν, οὔτε ἱερὰ οὔτε τάφους*, & quæ ſequuntur. Omnium enim horum pudere ipſos oportuiſſe declarat, quæ magnam vim habent ab aſterrendis mortalibus ab improbis factis. Sed Creon etiam in Oedipode tyranno, increpans eos qui adſtabant, quod Oedipum patefactis jam tot ipſius ſceleribus, non e medio auferrent: Si non hominum ipſos puderet, inquit, oportere ſaltem ſolis pudere, nec pati ipſum inquinari, qui luce ſua cuncta alit; aſpectu hominis contaminatiſſimi. Verba poetæ hæc ſunt: *ἀλλ' εἰ τὰ θνητῶν μὴ καταισχύνεσθ' ἔτι γένεθλα, τὴν γοῦν πάντα βόσκουσαν φλόγα, αἰδεῖσθ' ἄνακτος ἡλίου.* Homerus in *Βατραχομυομαχίᾳ*

———*ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα:*

Id eſt.

Habet Deus vindicem oculum.

Scribere cur metuam, quum ſcribo de Iove ſummo?

In Eutyphrone: Poeta quidam:

Scribere cur metuam, quum ſcribo de Iove ſummo?

Ante, Verecundus metui comes pudor.

POLY. VIRG. Pallium breve utramque operire non poteſt.

Cum innuemus, unam rem duobus non ſufficere. Tractum à marito pudico, uxorem adulteram increpante, & oſtendente thorum conjugalem non poſſe capere duos viros. Eſa. 29.

PVNIRI PRO ALIO.

ERASMI. Canis peccatum.

Vide, Vltio malefacti.

Tibicen vapulat.

Eubulus apud Athenæum lib. 9. ait fuiſſe morem, ſi quid peccaſſet coquus, tibicinem ſolere vapulare. Philylius apud eundem:

——— *ἐὰν ἄρ' τύχῃ*
μάγειρος ἀδικήσας, τὸν αὐλητὴν λαβεῖν
πληγάς. ———

Id eſt,

Quicquid coquus
Peccaverit, tibicen accipere ſolet
Plagas. ———

Proinde coquus quiſpiam apud eundem ait, ſe non rem priſcam, ſed ab ipſo inventam narrare: *ἵνα μή*, inquit, *ὁ αὐλητὴς πληγὰς λάβῃ* id eſt: Ne tibicen vapulet. Ob id opinor, quod coquos lædere tutum non ſit: juxta ſententiam aliquanto poſt apud eundem citatam:

Οὐδεὶς μάγειρον ἀδικήσας ἀθῷος διέφυγεν,

Id eſt,

Nullus homo læſo indemnis evaſit coquo.

Quanquam Græcus verſiculus non vacat mendo.

RAPACITAS.

EX AP. ERASMI. Radicitus.

Alexander admonitus longe plus vectigalium è ſuis civitatibus auferri poſſe: *χαίρω κηπουρόν*, inquit, *μισῶ, τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα*. Olitorem odi qui radicitus herbas evellat. Quo vetuit omnes Principes, ſuos *ὑπηκόους* excoriare. Nam boni paſtoris eſt, tōdere pecus, non deglubere. Hodie tamen ſeriq; videntur *πλεῖον μὴ πλέον ἔχειν* ... vel *δικαίως αἰνεῖν, τῶν πλεονεκτῶν* plus æquo habere, laudare tantum quod æquum eſt. Theod. Soph. Athen.

IVNII. Hydrargyro furacior.

Ὑδραργύρου κλεπτίστερος, id eſt, Hydrargyro furacior, ſeu argento vivo, eſt enim hydrargyros, quod argētum vivum nominamus, Chymiſtæ Mercurium: quod & ille furtorum magiſter, & epitheto etiam *φώρ*, id eſt, furis apud Græcos notus fuerit. Parœmiæ origo eo refertur, quod vivum argentum cuncta quæ fuſilia ſunt, recipiat & in ſe rapiat: vel quia ut fures potiſſimum inſidiantur auro, ita & argentū vivum cætera fere metalla ut ignobiliora, ipſi innatantia, rejicit: at aurum veluti mero quodam dominio ſibi uſurpat ac poſſidet, ſordes tantum illius expuens. Adagio uſus eſt eleganter Io. Zezes, præſulum ſui temporis ſordidam avaritiam notans

Ὑδραργύρου γὰρ εἰσὶ κλεπτίστεροι τῶν κλέπτων.

Id eſt,

Furaciores fure ſunt hydrargyro.

COGNATI. Nudum ſpoliare veſtibus.

In Job. cap. 22. legimus, Nudum ſpoliaſti veſtibus. Quod ſane fit, ſi quando cuique exiguum illud, quod ei neceſſarium eſt, adimitur. Ludovicus primo de Subventione pauperum: Imo vero, inquit, minutum detrahitur pauperi, ſi habeat, & ſpoliatur nudus. Venuſta verborum pugna eſt, ſpoliare nudum: veluti, Feſtina lente: Infelix felicitas. Etiam huc pertinet hoc Menippi apud Lucianum in Mortuorum dialogis: Quod non habeo, quinam auferas? Non diſſimile eſt hoc Gallicum: On ne peut homme nud deſpouiller. Vide infra, Pauperi pax in obſeſſa via. (Nonne idem eſt atque illud Eraſm. Nudo veſtimenta detrahere?)

Aperi burſam, aperiam buccam.

Ouure ta bourſe, j'ouvriray ma bouche. Ea verba tribuunt Celtæ rapacibus, quorum curva nimis ſunt & adunca, inſtar aquilarum, labia, & ora quæ non amor proximi, ſed ſolus nummorum numerus & aperit & claudit: ut fere ſunt cauſidicorum. de quibus illud noſtrum:

Aurea cauſſidicus loquitur ſuffartus ab auro:
Bulgam claude tuam: claudet & hic labium.
Plurima divitibus medicus: ſed ſcripſit egeno
Pro nihilo, infelix, accipe nil, & abi.

RARITAS.

ERASMI. *Phœnice rarior.*

Φοίνικος σπανιώτερος, id eſt, Phœnice rarior. De rebus aut etiam hominibus inventu perquam raris. Natum adagium à fabula phœnicis avis, de qua ſcribit Plin. lib. 10. cap. 2. Et ante omnes nobilem Arabiæ phœnicem, haud ſcio an fabuloſe, unum in toto orbe, nec viſum magnopere. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roſeis caudam pennis diſtinguentibus, criſtiſ faciem, caputq; plumeo apice honeſtante. Commemorantur hoc loco & alia quædam de phœnice prodigioſa: quæ quoniam ad proverbii ſententiam nihil attinent, cui libebit inibi legenda relinquo. Ovidius in Transformat. lib. 15. ſub perſona Pythagoræ:

> Una eſt quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales.
> Aſſyrii phœnica vocant: nec fruge, nec herbis,
> Sed thuris lachrymis & ſucco vivit amomi.
> Hæc ubicunque ſuæ complevit ſecula vitæ,
> Ilicis in ramis tremulæque cacumine palmæ,
> Unguibus & duro nidum ſibi conſtruit ore.
> Quo ſimul & caſias & nardi lenis ariſtas,
> Quaſſaque cum fulva ſubſtravit cinnama myrrha
> Se ſuper imponit, finitque in odoribus ævum.
> Inde ferunt totidem qui vivere debeat annos,
> Corpore de patrio parvum phœnica renaſci.
> Cum dedit huic ætas vires, oneríque ferendo eſt,
> Ponderibus nidi, ramos levat arboris altæ,
> Fertque pius, cunaſque ſuas, patriumque ſepulchrum.
> Perque leves auras Hyperionis æde potitus,
> Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Extat de Phœnice carmen, & Firmiani Lactantii, non inconcinnum, per Muſas neque faſtidiendum.

Ubi per Harma fulgurarit.

Ὁπόταν δι᾽ Ἅρματος ἀστράψῃ: id eſt, Ubi per Harma fulgurat. De iis quæ nimis cunctanter ac ſero, aut admodum raro fiunt aut cum nimis anxie ac ſuperſtitioſe captatur rei gerendæ opportunitas. Strabo lib. Geographiæ 9. unde natum ſit adagium, indicat, ſcribens vicum quempiam eſſe deſertum atq; infrequentem apud Mycaletum Bœotiæ, ſeu Mycaleſſum Tanagræi juris, quem Harma id eſt, currum nominant. Rurſum alterum ab hoc diverſum, ejuſdem tamen nominis in Attica: quæ quidem tribus ex Atticæ populo, Tanagræ finitima: atque ob hanc ſimilitudinem, nominis quoque communionem ſortitum. Cæterum Harma Bœotiæ ſic vocatum, quod Amphiarao excuſſo curru inanis in eum locum delatus ſit, ubi nunc ſacellum ejus extat. Alii ferunt, Adraſto fugienti, currum ejus eo loco confractum fuiſſe, ipſum Arionis opera ſervatum, hinc natum parœmiam: ὁπόταν δι᾽ Ἅρματος ἀστράψῃ id eſt, Ubi per Harma fulgurat, videlicet Pythicis vatib. fulgur aliquod certum, quod ex eo loco veniret, obſervantibus, eoque viſo ſacra Delphos mittentibus. Obſervabant autem ad menſes treis, ſingulis menſibus treis dies, noctéſq; totidem, idque è Jovis fulguralis foco, qui eſt in muro inter Pythium & Olympium. Hæc ferme Strabo. Uſum adagii Plutarch. palam indicat in Sympoſiacis, [illegible] inquiens [illegible] id eſt, Etenim qui raro & per Harma, ut ajunt, convivium exhibent hi coguntur utcunque accommodum ac notum deſcribere. Itaque de raris & incertis dici ſolitum videtur. Poterit & per jocum accommodari ad ea, quæ nunquam eventura credamus quemadmodum ajunt, Ad Græcas Calendas.

Lac gallinaceum.

Vide in loco, Bonæ fortunæ.

Rara avis.

Rara avis, proverbio dicebatur res quævis nova, & inventu perrara. Perſius:

> ——Si forte quid aptius exit,
> Quando hæc rara avis eſt.—— Juvenalis.
> Rara avis in terris, nigroque ſimillima cycno. Idem,
> ——Corvo quoque rarior albo.

Quin & Phœnicis raritas in proverbium abiit. Ducta allegoria ab avibus peregrinis & inuſitatis, quæ nonnunquam caſu in noſtram regionem devolant, vel miraculi gratia deportantur. Unde illud ſæpius iteratum apud Ariſtophanem.

> τίς ὄρνις οὗτος;

> Id eſt,

> Quæ eſt hæc avis? De hoſpite & ignoto.

Alba avis.

Λευκὸς ὄρνις. Alba avis pro re nova atque auſpicata dixit M. Tullius in Epiſt. familiarib. lib. 7. Cum enim ſalutationi nos dedimus amicorum, quæ fit hoc etiam frequentius quam ſolebat, quod quaſi albam avem videtur bene ſentientem civem videre, abdo me in bibliothecam. Quadrabit & in rē admodum raram & inuſitatam, quod aves perpaucæ ſint hoc colore. Ita Juvenalis

> ——Corvo quoque rarior albo.

De albæ gallinæ filio, dictum eſt alibi.

Corvus albus.

Vide in loco, Judicandi.

Noctuinum ovum.

Γλαυκὸς ὠόν: id eſt, Noctuinum ovum. Refertur à Nicolao Perotto in Copiæ cornu proverbii loco, nec explicatur tamen. Fortaſſis antiquitus abſtemium, & à vino abhorrentem hoc adagio ſignificabant. Philoſtratus enim in vita Apollonii. lib. 3. de ovo noctuæ rem oppido quam prodigioſam refert. Itaque ſatius eſt ipſius referre verba: τὰ γλαυκὸς inquit, [illegible] id eſt: Oberi vanum ubi loci niduletur noctua, deinde ova ſubducere oportebit, eaq; mediocriter cocta infanti mandenda dare. Quod ſi quid ex his ederit, prius quam deguſtarit vinum, inſeretur illi vini odium, adeo ut in omnē vitam quam maxime ſobrius ſit futurus. Ælianus libro De naturis animantium primo, fabulam refert paulo magis etiam quam hæc eſt anilem. Eam quoq; præſtiterit ipſius autoris recenſere verbis: [illegible] id eſt, Ciconiæ noctuas ova ſua perdere ſolitas arcent mitu ingenio. Nam hæ contactu reddunt ea ſubventanea, ſteriliaque. Remedium igitur adverſus hæc illud adhibent: Platani frondes in nidum convehunt, quas noctuæ poſteaquam contigerint, torpeſcunt, ita ut jam nocere non queant. Hactenus Ælianus. Sunt qui negent noctuinum ovum inveniri. Proverbium itaque quadrabit vel in hominem nihili, nulliuſque frugis, juxta fabulamentum Æliani: vel in rem raram inventu, juxta horum ſententiam.

IUNII. *Rarum, carum.*

Plato in Euthydemo: τὸ γὰρ σπάνιον, ὦ Εὐθύδημε, τίμιον· τὸ δὲ ὕδωρ [illegible] id eſt: Quod rarum eſt Euthydeme, idem etiam magni fit, at aqua, tametſi res ſit longe optima, quod Pindarus ait, nihil vilius. Proverbium eſt & vetuſtiſſimum, & hodie uſitatiſſimum, quod χωλίαμβῳ verſu omnibus in ore eſt:

> Quod rarum, carum, vileſcit quotidianum.

D. Hieronymus alicubi: Omne quod rarum eſt, plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere eſt precioſius. Martialis libro 1. Epigram.

> Rara juvant: primis ſic major gratia pomis,
> Hybernæ precium ſic meruere roſæ.

Facit namq; faſtidium copia, ut inquit Livius: & frigidius amamus ſemper ea, quibus ubi libeat, potiri fas ſit. Huc ſpectat quod libro ad Herennium tertio Cornificius ait: Uſitatæ res facile è memoria elabuntur, inſignes & novæ manent diutius. Solis exortus, curſus, occaſus nemo miratur, propterea quod quotidie fiunt: ac eclipſes ſolis mirantur, quia raro accidunt, & ſolis eclipſes magis quam lunæ, quoniam hæ crebriores fiunt docet igitur natura, ſe vulgari & uſitata re non exuſcitari, novitate vero & inſigni quodam negotio commoveri.

COGNATI. *Rara avis.*

Ad ea quæ Eraſmus noſter huic proverbio adſcripſit, viſum eſt hæc addere: Alluſio eſt ad Phœnicem avem, quam unicam in toto terrarum orbe, ac Jovi ſacram eſſe, ait Plin. lib. 10. cap. 10. Cujus naturam deſcribit Ovid. lib. 15. Metamorph. ubi in eum Cæneus mutatus eſſe fingitur. Marullus poeta elegantiſſimus, Perſium ſequutus.

> Rara avis, inquit, eſt bonus poeta.

Pro re autem ſingulari, egregia, inventuque difficili uſurpatur.

CAROLI BOVILLI. *Talos ſcabere.*

Quoties innuemus rem admodum raram, infrequentem & ſpecimen temerariæ cujuſdam mutationis. Pruriginis ſtimuli excitari ſolent, ubi mollis caro eſt, & cutis: non autem, ubi exanguis caro & cutis aſpera, niſi venturam frigoris aſperitatem, aut ſubitam ejuſdem ſolutionem portendant. Simile, Scabere talos, gratter ſes talons: pro, novam mutationem rei aut temporis à minima re ridicule & leviſſime ominari, cauſſa eadem.

REFUGIUM.

ERASMI. *Abdera pulchra Tejorum Colonia.*

Strabo lib. Geographiæ 14. tradit, Tejos cum Perſarum contumelias ferre non poſſent, urbe relicta, Abdera Thraciæ urbem demigraſſe, atque hinc illud vulgatum fuiſſe:

> Ἄβδηρα καλὴ Τηίων ἀποικία.

> id eſt,

> Abdera pulchra Teium colonia.

Hoc ænigmate proverbiali ſignificamus, non deeſſe quo confugiamus, ſi quis præter modum pergat eſſe moleſtus. Huc fortaſſis alluſit M. Tullius libro Epiſtolarum ad Attic. ſeptimo: Quod imperium habeam, id eſt Ἀβδηριτικόν. Et libr. quarto: Hic Abdera

non

non tacente me. Dices: Tamen tu non quieſcis? Ignoſce, vix poſſum. Laudantur & ab Herodoto libro primo, Teii, quod relicta patria libertatem ſervarint. Cujus rei meminit & Strabo libr. 14. non ſilens obiter de proverbio. quanquam Aldina editio illic depravata eſt. ut in multis aliis locis, Joachimus Vadianus meus, vir juxta candidus ac doctus, exiſtimat convenire proverbium, ubi quis fortunam tenuem. ſed cum libertate conjunctam, anteponit amplis opibus, ſed obnoxiis ſervituti. Cujus ſententiæ non refragor. Nam damnatus eſt Abderitarum aer, & item paſus.

IVNII. *Andromachen ex anguibus concinnari.*

Ἐξ ὄφιων τὴν ἀνδρομάχην διακοσμεῖν, id eſt, Anguium plexu Andromachen exornare: proverbio dicitur, qui adminicula omnia undecunque congerit ad confirmandam ſuam cauſam, & exornandas fulciendaſq; rationes ſuas: vel qui operis molem multiplicis lectionis opibus & omnis generis ſcriptorum authoritatibus inſtruit atque exædificat. Nicephorus Calliſtus lib. 14. Id conſilii nobis eſt, ut ex omnibus quæ ad rem faciunt, colligamus, & interdum etiam ſpiris anguium implexis Andromachen adornemus, Græce eſt: *ἵνα τὸ δὴ καὶ ἐξ ὄφιων τὴν ἀνδρομάχην διακοσμῶμεν*. Eſt autem hoc loco ὄφις ornamentum capitis, quod crinium volutis lubrico ſpirarum implexu, in modum anguium, inerrantibus faſtigiatur: quod Statius Papinius ſuggeſtum comæ nominat, quod genus in veteribus Italiæ monumentis frequens occurrit Reſpexit huc Juvenalis ſatyra ſexta, fœminarum aſtum notans, quæ anguino iſto plexu & ſtructura plocamorum, proceritatem mentiebantur, ubi ait:

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput, Andromachen à fronte videbis,
Poſt, minor eſt.

Conſtat autem, Andromachen Hectoris uxorem ſtatura longiſſimam fuiſſe, ex Ovidiano verſu.

BRASSICANI. *Surculum defringere.*

Surculum defringere dixit Cicero in tertio de Oratore, aliquid ex diſciplina quapiam mutuo ſumere, ſicuti perpetuo omnes artes alternis quibuſdam præſidiis indigent. ſic dicens, ſed ut ex jure civili ſurculo defringendo uſurpare videbantur. Extat apud Ciceronem libro ſecundo de Oratore, feſtiviſſimus jocus Siculi Pacuvii, cui cum familiaris quidam quereretur, qui diceret uxorem ſuam ſuſpendiſſe ſe de ficu: Amabo te, inquit, da mihi de iſta arbore quos ſeram ſurculos.

COGNATI. *Cito, procul, tarde.*

Medicorum oraculum eſt, fugam pro efficaciſſimo remedio ſuadentium adverſus peſtem, Cito, procul, tarde, quod vice proverbii celebratur, vel etiam apud Gallos.

Remede contre la peſte par art
Fuir toſt, & loing, & retourner tard.

Marcilius Ficinus in Epidemiarum antidoto, capite vigeſimo quinto & ultimo, Super omnia ſuadeo, ut cito ac procul fugias ab his locis quibus imminet peſtis, tardeque redeas. Fuge, inquit, quantum potes hominum converſationem, & maxime quando es jejunus. Dixi, cito, hoc eſt quamprimum apparent ſigna proximæ peſtis. Et etiam ut procul fugias, moneo, tardeque revertaris. Vel ipſo autem nomine peſtilentia formidabilis omnibus eſt, quod fere inopinato & derepente irruat atque abripiat, breviq; momento magna contagione facillime latiſſimeq; ſerpat & evagetur. Præcipua igitur in peſtilentia obſervatio, & neceſſaria eſt, Peregrinari, ut inquit Cornelius Celſus lib. 1. de medicina, cap. 10. Eraſmus noſter in Lingua ſua: Quamprimum ſubducamus nos ab obtrectatoris conſortio non aliter quam fugimus hominem lepra ſordidum, aut peſtilentia comprehenſum.

Platanis ſimiles.

Themiſtocles Athenarum Princeps, Athenienſibus ipſum contumelia afficientibus: Quid tumultuamini, inquit adverſus eos, à quibus ſæpenumero fuiſtis affecti commodis? Ajebant autem ſe ſimilem plantanis, ſub quarum umbram accurrunt homines afflicti tempeſtate, & eaſdem ſimul ut redit ſerenitas, vellunt, conviciiſq; petunt. Sentiens hunc eſſe populi morem, ut in belli periculis implorent opem fortium virorum, id pace contemnant ac vexent eoſdem. Ii igitur platanis ſimiles dicuntur, quorum opera, quamvis neceſſario ſæpius utamur, nihilominus inſita quadam pravitate, illos eoſdem incommodis liberi, habemus deriſui, convellimus, perditos quandoque etiam cupimus: mox tamen neceſſitate deprehenſi, expertem repetimus virtutem.

Præſtat ferro, quam morbo mori.

Libanius in Achillis apologia ait: Præſtat occidi ferro, quam peſte mori. Illud quidem virile & honorificum, hoc vero commiſerabile. *κρεῖσσον γάρ ἐστι τῆς τοῦ θεοῦ δυσμενείας*. id eſt. Dei enim hoſtilis inclementiæ ſignum eſt. Celebratum vulgoq; jactatum; præcipue thraſonum ſermone. Huc pertinet, quod Virg. de Ænea ſcripſit, graviſſima tempeſtate implicito, lib. 1. Æneid. ſic exclamante:

Exemplo Æneæ ſolvuntur frigore membra:
Ingemit, & duplices tendens ad ſydera palmas,
Talia voce refert: O terque quaterque beati.
Queis ante ora patrum, Troiæ ſub mœnibus altis.
Contigit oppetere, &c.

Longe fugit, qui ſuos fugit.

Refertur à Nonio, in Ervum, in Convenire, hic titulus eſt proverbialis ſatyræ Varronis: Longe fugit, qui ſuos fugit. Quæ adagio non videtur abludere à Terentiana in Phorm. Ita fugias, ne præter caſam. id eſt, domum, ut tutiſſimum cuiq; perfugium: quo cum perveniſti, fugiendi finem facere debes. Hanc videre licet apud Eraſmum noſtrum. Varro in illam ſatyra de Stoicorum ſapiente, & decretis mirabilibus diſputat: in quibus ab homine recedere videntur, & ſe fugere, ſuoſque.

COELII RHODIGINI.

Aeneus clavus.

Quicquid tale eſt, ut eo niti poſſimus, tanquam radice præſentiſſima, adverſus reflatum omnem, alioqui nociturum. Natum à venatoribus: qui, ſiquidem in remotioribus ſuem aut cervum ſtraviſſent, ne putredo conſequeretur, æneum clavum infigebant, ad eam avertendam. Æs enim ſtypticum eſt, præſertim rubigo, adeo ut dicant in *χαλκωρυχείοις* oculos opificum juvari, palpebraſq; nudas pilis denuo veſtiri. Huc refer quæ de haſta Achillis referuntur.

Geſtare hydnæ, hyenæ, & phocarum pelles.

De iis qui adverſus potentiorum vim præmuniti ſunt. Tubera enim, & pellis hyenæ, ac phocarum de cœlo minime tanguntur: unde etiam velis inſuebantur olim: erantque teſte Horo, apud Ægyptios ſecuritatis ſymbolum.

TVRNEBI ET ALIORVM.

Longe fugit, qui ſuos fugit.

Titulus proverbialis ſatyræ Varronis, non multum abludens ab illa adagione Terentii: ita fugas, ne præter caſam, quod eſt, ut ne nimium longe, nam ad caſam, id eſt, domū ubi tutiſſimum cuique perfugium eſt, cum perveniſti, fugiendi finem facere debes. Idem Adverſ. 15. cap. quinto.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Ad inferiora ſe convertere.

Μετὰ στρέψαι πρὸς τὰ ἐνδεῶν. Convenit in eos, qui ſemper inferioribus opem ferunt. Sumptum à navigantibus, qui in eandem fere partem, in quam navis inclinant. Ariſtid. L. Leutrica 4.

Conchas legere.

Conchas legere proverbio dicuntur, qui ad animum remittendum nonnunquam ad ludrica quædam ſeſe demittunt. Ita Cic. in 4. de Oratore: Sed tamen ita narrare ſolet Scævola, Conchas eos ad Caietam & Lucrinum legere conſueſſe, & ad omnem animi remiſſionem ludumq; deſcendere. Hic ſcio non defuturos qui me dicant etiam gignere proverbia: qui ſi velint, hoc Angelo Politiano reſcribant, qui hoc proverbio nominatim & apposite uſus eſt in Miſcel. cap. lxxvij: Atque ejus viri authoritas apud me longe ſanctior eſt, quam ut metuam ab ejus incomparabili eruditione vel latum digitum diſcedere. Valerius Maximus lib. 8. cap. 8. de Scipione & Lælio: Ita animi quoque remiſſioni communiter acquieſcebant. Conſtat Namque eos Cajetæ & Laurenti vagos, littoribus conchulas & calculos lectitaſſe.

REPELLENTIS.

ERASMI. *Aliam quercum excute.*

Ἄλλην δρῦν βαλάνιζε: id eſt, Aliam quercum excute. In eos convenit, qui ſine fine petunt aliquid: aut qui continenter ab eodem mutuum poſtulant. Hos hoc adagio licebit ablegare, ut nobis omiſſis, aliorum aures ſuis precibus ſollicitent. Parœmiam hinc natam putant, quod olim mortales glandibus victitabant, Cereris uſu nondum reperto. Has qui quercubus excuſſis colligebant, mercede ad id conducti, balaniſtas, id eſt, glandium collectores, ſive glandiarios appellabant. Qui ſi quando circumſpicerent ſique glandes etiam dum in arbore reliquæ eſſent, prætereuntes per jocum acclamabant. Aliā quercum excute. Eam vocem vulgus arreptam vertit in proverbium: Non inconcinne accommodabitur ad negotium relinquendum, ex quo jam nihil emolumenti poteſt capi: aut mutandum amicum, qui jam utilis eſſe deſiit: aut præceptorem mutandum, unde nihil eſt quod amplius diſcas.

Sexagenarios de ponte dejicere.

Sexagenarios de ponte dejicere, eſt natu majores, perinde quaſi delitos & ad omne vitæ munus inutiles, in otium rejicere, atque ab omni functione negotiorum relegare. Inde natum, quod olim ſexagenariis ferendorum ſuffragiorum jus non erat, ætate velut à publicis muniis dimiſſa: Vel quod olim juventus Romana, quo ſola ferret ſuffragia, ſenes invalidos de pontibus præcipites dederit. nam de ponte ſuffragia ferri jam cœperant. Atque ea ſententia magis probatur Siſinnio Capitoni apud Feſtum Pompejum, quam vulgata illa, qua putant poſt urbem à Gallis libera-

libertam, ob cibatus inopiam ſexagenarios in Tyberim de ponte dejici cœptos. Varro lib. De vita Patrum 2. honeſtam cauſam religioſamque patefacit, quum in quintum gradum pervenerant, atque habebant quinquaginta annos, tum denique erant publicis negociis liberi, atque expediti & ocioſi. Ideo in proverbium quidam putant veniſſe, Sexagenarios de ponte deiici oportere: quod ſuffragium non ferant, quod per pontem ferebatur. Nonius Marcellus, ſexagenarios per pontem mittendos, male dici popularitas intellexit. Macrobius Saturnalium libro primo, Adimere vis doctis viris, in verborum comitiis jus ſuffragandi, ac tanquam ſexagenarios maiores de ponte deiicere? Ovidius in Faſtis:

> Pars putat, ut iuvenes ferrent ſuffragia ſoli,
> Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.

Unde & Depontani dicuntur ſenes, iam velut emeriti, & à civilibus negotiis in otium remiſſi: Plato libro De legibus ſexto loquens de magiſtratu τῶν νομοφυλάκων, id eſt, legibus ſervandis præfectorum, non admittit ad eum magiſtratum gerendum minorem annis quinquaginta, nec ſinit in eo perſeverare maiorem ſeptuaginta: ut ſi quinquagenarius magiſtratum inierit, viginti annos eum adminiſtret: ſin ſexagenarius, decem duntaxat. Licebit autem uti proverbio, vel in odium ætatis, tanquam ad nihil iam utilis, & ab omni vitæ munere relegandæ: vel ſimpliciter in eos, qui propter ætatis imbecillitatem, rude iam donati ſunt, ac ſolitorum munerum vacationem acceperunt.

Tollat te, qui non novit.

Tollat te, qui non novit. Si cuius dolos iam non ignotos eſſe nobis ſignificamus, neque poſthac poſſe ab illo falli, concinne dicemus. Tollat te, qui non novit. Refertur à Quintiliano lib. 6. Simile eſt, inquit, quod dicitur παροιμία, & proverbia oportune aptata: ut de homine in aquam lapſo, ut allevaretur rogantis Tollat te, qui non novit. Hæc Fabii verba alioqui ſubobſcura, velut interpretatur Horatius in Epiſtolis, agens de ſcurra Plano, qui ſponte ſua ſæpe cadens, tanquam crure fracto, miſerandis vocibus prætereuntes implorabat, ut homo tolleretur. Peregrinus autem quiſpiam, ac doli ignarus, ſi quando allevaturus acceſſiſſet, à ſcurra ludibrio habebatur. Verum ubi jam illius ſimulatio pleriſque innotuiſſet, iſque aliquando crure vere fracto tolli precaretur: nemo ſubvenit, omnibus Planum ſolitos agere ludos arbitrantibus. Nimirum evenerat homini, quod Ariſtotelē dixiſſe ferunt, qui rogatus, quidnam lucri facerent mendaces? Hoc, inquit, ut nec vera dicentibus habeatur fides. Verſus Horatii ſunt hi:

> Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
> Fracto crure Planum, licet illi plurima manet
> Lachryma, per ſanctum dicat juratus Oſirim,
> Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
> Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

Porro vocem hanc Planus. A. Gellius lib. 16. cap. 7. commemorat inter verba inuſitata, quibus uſus ſit Minus Laberius: atque ſignificare ſycophantem. Quanquam eodem nomine uſus eſt M. Tullius, eodem ſignificatu, in oratione quam dixit pro Cluentio. Eſt autem dictio Græca πλάνος ſignificatque tum errorem, tum impoſtorem. Poteſt & hoc pacto efferri adagium: Quære hoſpitem, aut quære peregrinum: quemadmodum extulit Flaccus, Conveniet & in eos, à quibus aliquando ſumus deluſi, eaque experientia facti cautiores, minuſque creduli. Simile eſt illud Juvenalis:

> Circuit & fatuos non invenit ——

Nam fatui facile decipiuntur. Nec abludit hinc Græcum illud, οὐ αὖθις ἀλώπηξ: id eſt, Non iterum vulpes, ſubaudi, decipitur.

EX APPEND. ERASMI.

Quærere peregrinum. πλάνος.

In eos, à quibus deluſi ſumus aliquando eaque experientia facti cautiores. Horatius.

> Nec ſemel irriſus, triviis attollere curat
> Fracto crure Planum, licet illis Plorima manet
> Lachryma, per ſanctum juratus dicat Oſirim;
> Credite, non ludo, crudeles tollite claudum.
> Quære peregrinum vicinia tota reclamat.

Apud Quintilianum reclamabatur. Tollat te, qui non novit. Unde proverb. in ſuperioribus. Simile illud Juvenalis:

> Circuit & fatuos non invenit. ——

Quin & πλάνος errorem, & ob hoc impoſtorem deſignare teſtantur Laberius, A. Gellius.

IUNII.

Sunt & aliæ vulpes.

Elegans eſt proverbium Timocreontis Rhodii, quo licebit uti, quoties culpam ſolis nobis impoſitam deprecamur, injuriæ ſuſpicionem etiam aliis communem indicantes: οὐκ ἐγὼ μόνα κάλωξις, ἐντὶ καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες id eſt: Non ego ſola ſum vulpes. Timocreon Medorum partibus addictus credebatur. quod crimen mox etiam in Themiſtoclis caput procuſum fuit, recuſationem ſuſtinentis μηδίζειν, quod Perſis ſtuderet: itaque edito ſcripto ita de ſe teſtatus eſt: οὐκ ἄρα Τιμοκρέων μοῦνος μήδοισιν ὅρκια τάμνεται ἀλλ' ἐντὶ κἄλλοι δὴ πονηροί, οὐκ ἐγὼ μόνα κάλωξις, ἔντι καὶ ἄλλαι ἀλώπεκες. Ergo haud Timocreon ſolus cum Medis fœdus pepigit, ſunt & alii conſcelerati, non ſola vulpes ego ſum, quin & aliæ inveniuntur. Eſt autem κάλωξις, vel potius meo judicio κίδωξις, vulpes, ſic enim ſcribit & Heſychius.

Philoxeni codicillus.

Φιλοξένου γραμμάτιον, id eſt, Philoxeni codicillus. Citatur proverbium à Suida, & exponitur de iis, qui repudiant oblatam conditionem, aut poſtulata pervicaciter rejiciunt. Natum à Philoxeno Cytherio, dithyramborum ſcriptore, Dionyſii tyranni deliciis: qui cum inepta hujus poemata & faſtidiret audire, & tranſverſo calamo jugulaſſet, in Latomias (ita appellatur carcer Syracuſis, ab eo ipſo tyranno factus è ſaxo in mirandam altitudinem depreſſo, & multorum operis penitus exciſo, ut teſtatur in Verrinis Cicero) miſſus fuit: unde liberatus juſſu tyranni, ac Tarentum elapſus, ac per literas à Dionyſio ut rediret revocatus, reſponſo illum dignatus non fuit, ſed arrepto codicillo primum alphabeti elementum, quod eſt α, identidem inſcripſit, quo votum illius prorſus reſciſſa amicitiæ teſſera repudiaret. habet autem α, negandi vim apud Græcos, inficiatoria particula Philoxeni ergo codicillum aut Pogillares reſcripſiſſe dicetur appoſite. qui rogatus non obtemperat, vel oblatis nuptiis nuntium remittit, vel denique ratione quavis abnuit ac reſpuit rogationem. Venuſtius eſt quam quod ab aliis affertur, οὐ φιλοξένου, id eſt, Philoxeni non.

COGNATI. *Nuntium remittere.*

Hæc loquendi formula frequens eſt apud Jureconſultos in repudiis divortiiſq; Ulpian. lib. 24. Pandect. tit. in ſoluto matrimonio, quemadmodum dos petatur: Si maritus vel uxor conſtante matrimonio furere cœperit, quid faciendum ſit, tractandum eſt: ſi illud quidem dubio procul ſervatur, eam perſonam quæ furore detenta eſt; nuncium remittere non poſſe, &c. Idem lib 23. Pandect. tit. de jure dotium: *Proinde ſi forte nuptiæ non ſequantur nuncio remiſſo &c.* Cicero in Topicis nuncium remittere, pro repudiare quoque dixit. nam per nuncium ſæpe renunciabant repudium. Hinc illud Plauti. Is me, inquit, nunc renunciare repudium juſſit tibi. Et id quoque in tranſitu addam, Remittere eſt, authore Nonio, mittere. Dinarchus apud Plautum in Truculento:

> Ego adeo jam illi remittam nuncium affini meo,
> Dicam ut aliam conditionem filio inveniat ſuo.

Idem in Amphitr.

> Valeas, tibi habeas res tuas, reddas meas.
> Juben ire mihi comites? IUP. ſanan' es? AL. ſi non jubes.
> Ibo egomet: comitem mihi pudicitiam duxero.

Verba ſunt uxoris iratæ. Alludit ad morem antiquum & verba ſolennia nuncium remittentium uxori. Repudium enim mittentes ita dicebant. Simile illud Cic. in nobili illa Philipp. Frugi factus eſt, illam ſibi ſuas res habere juſſit, ex XII. tab. fecit divortium.

Vivite, Valete.

Vivete, valete, renunciantis ſunt, non bene precantis.

Valerius Catullus:

> Cum ſuis vivat, valeatque mœchis.

Virgil. in Pharmaceutria.

> Omnia vel medium fiant mare, vivite ſylvæ.

id eſt, valete. Quale eſt Tibullianum illud:

> O valeant ſylvæ, deficiantque canes.

Et apud Terentium:

> Valeant qui inter nos diſſidium quærunt:

Sic & ſalutem literis dixit, qui ſtudia deſeruit: amator apud Theocrit. eidyllio 28. ἄρτι δὲ χαίρειν τοῖσι τεοῖς προθύροις ἐπιτάσσομαι. id eſt, Jam vero valere tuis veſtibus denuncio.

Dii benefaciant vobis.

Denegantis, ac cum repulſa dimittendis hoc dictum eſt. Sicuti Germani, cum mendicum indonatum dimittunt, hoc dicere ſolent, Berate dich Gott: & Galli: Dieu vous face bien. Theocritus in Charitibus, eo uſus eſt: qui cum carmine celebraſſet Hieronem Syracuſarum Regem (quæ Theocriti patria fuit) nulla illi gratia relata eſt. Quare hoc eidyllio conqueritur de ingratitudine Regum & Principum erga literas ac doctrinæ ſtudia. Eſtque hæc communis & publica querela hominum doctorū & bonorum, jam à multis ſeculis, de contemptu horum beneficiorum divinorum. Nam quanto dona Dei nobiliora ſunt, ac precioſiora, tanto contemptius plerumque haberi ſolent ab impiis & ingratis. Avaritia, cauſa eſt ingratitudinis, & ut Muſæ contemnantur.

Quære peregrinum.

Solenne & uſitatum, ſumptum ex Horatii ad Scenam Epiſtola:

> Quære peregrinum, vicinia rauca reclamat.

Id eſt,

Quære peregrinum aliquem, nempe qui te non norit, ut ei os ſublinas: non vicinos, quibus fidem facias. nam nos quidam qui te probe novimus eſſe Planum & impoſtorem, mendacemque, fidem tibi non habemus, nec inducere amplius non potes. Vicini enim quam maxima voce poſſunt, reclamant tibi Plano, tuaſque fallacias habent cognitas: & ut Galli dicunt, Cognoiſſance vous nuiſt. Utitur Budæus de Aſſe.

Aver-

Avertere oculos.

Cap.j. Avertam oculos meos à vobis. id eſt, ad vos non reſpiciam, neque ſum preces veſtras exauditurus. Hoc enim non exaudire & reſpicere eſt.

Movere baculum.

Apud Gellium lib.j.cap.ij. Ex verbis Arriani proverbialiter dicuntur baculum movere, qui inſolentius refragantur, & ſententiā repellunt. μὴ τὰς ... : i. Num particeps vitii tu an non contra iſtum baculum moveam? Materia pro inſtrumento, ut Latini ferrum pro gladio. Alias βακτηρία & βακτήριον. Vide poſt Circum baculum currere.

Circum baculum currere.

Gulielmus Canterus novarum ſuarum lectionum lib. vij. cap. xxx. & ultimo, odep quintam libri iij. Horatii corrigens, quæ eſt de Regulo:

> Hoc caverat mens provida Reguli
> Diſſentientis conditionibus
> Fœdis & exemplo trahentis
> Perniciem veniens in ævum,

Sic enim inquit Canterus: Ajunt fere interpretes hujus loci: Dicebat illam redemptionem captivorum re & exemplo turpem fore: perniciem hinc proceſſuram in poſterum tempus, ſi tale deduceretur exemplum. Hortabatur, ne periculoſam imitationē exempli in poſterum proderent: & ſimilia. Quid autem eſt aliud id quod Galli proverbio dicunt, Circum baculum currere, ſi hoc non eſt? Ut itaque rem totam uno verbo abſolvamus, puto legendum, exēplo trahentis. Recte namque dicitur exemplum aliquod perniciem ſecum trahere. cujus imitatio pernicioſa eſt. Hactenus Canterus, doctiſſimus ſimul & elegantiſſimus. Vide ante, Movere baculum.

Morbum jurare.

Cicero libro i. epiſt. ad Atticum. epiſt. i. eodem modo illudens Aquilium, dicit, morbum juraſſe ne cogeretur conſulatum petere: ut homines morbum jurabant ne militarent, ne in ſenatum venirent, ne aliquo munere fungi cogerentur. juſta enim morbi excuſatio erat. Quaſi vero homines ad conſulatum cogerentur, ac non per ferrum & flammam eo tempore ad eum magiſtratum cōtenderent. Ludens igitur dicit, eum morbum juraſſe, qui ad conſulatum nullo modo aſpirare poſſet, eo etiā tempore valetudine deteriore eſſet, hominibuſq; vulgo diceret, ea de cauſſa ſe conſulatū non petiturum. Iurat morbum, qui ſanitatem eiurat. Eiurat, qui iurat quod deſideratur à ſe præſtari non poſſe: ait Sext. Pompeius.

Præteritus eſt.

Nomen elegans, & à Gallis ſua lingua uſurpatum in hac ſignificatione, qua Græci ἀπεψηφισμένοι, ἀποδοκιμασθέντες pro his qui in petitione magiſtratuum repulſam habuerunt; ut ſæpe apud Ciceronem invenitur. Dicitur enim populus eos ex competitoribus in comitiis præterire, quos ſuis ſuffragiis non adjuvat: & cēſores eum ſenatu movent, quē in ſenatoribus recenſendis prætereunt: & pater in jure dicitur filium præterire hæredē, quæ in loco hæredum non habet. Cicero in oratione pro Plancio, ſubinde repetit. ſed unum tantum exemplum ſubiiciemus: Nunc tantum diſputo de iure populi, qui poteſt & ſolet nonnunquam dignos præterire: nec ſi à populo præteritus eſt quem non oportuit, à iudicibus condemnandus eſt, qui præteritus non eſt. Livius lib. iiii. Principes plebis ex comitiis malebant, quibus non haberetur ratio ſui, quam ut indigni præterirentur. Præterire aliquid per metaphoram dicimus quoque, quum nullam eius facimus mentionem. Cic. de provinc. conſul. Omitto iuriſdictionem in libera civitate contra leges, ſenatuſque conſulta: ſedes relinquo, libidines prætereo.

E medio pellere, tollere.

Verum ſi hoc è medio, ut dicitur, pelleretur. &c. In Sophiſta: Si penitus è medio tolleretur. Idem in Civili: Textoriam facultatem è medio tollemus.

Moleſte, ægre ferre.

Interrogationem hanc ægre ferrem: Plato in Protagora. Cicero contra C. Antonium & L. Catilinam, competitores in toga candida, orat. ix. referente Aſconio Ped. Te tamen, Q. Muci, tam male de rep. exiſtimare, moleſte fero, &c. Huic contrarium, Æquo animo ferre: in Thæteto.

POLYDORI VIRGILII.

Lavi manus.

Eo utetur, qui negat ſe interponere in aliquod negotium, & per hoc de culpa, quam incurrere poſſet, cavet. Matth. xxvii. Tractum à more purgandi veterum per aquam.

TVRNEBI ET ALIORVM.

Expellere furca, vel furcillis.

Pro, conatu & vi maxima expellere & exturbare, non autem ſola manu. Horat.

> Naturam expellas furca, tamen uſque recurret.

Catullus:

> Mentula conatur Pimpleum adſcendere collem:
> Muſæ furcillis præcipitem eiiciunt.

Et Cic. ad Attic. vj. Sed quoniam furcilla extrudimur, Brunduſium cogito. Sic Ariſtophanes in Pace, furcis quoque ejectam pacem queritur, teſtibus ipſis interpretibus: τὴν δὲ μὲν δικρανοις ὠθοῦντες ... & apud Suidam ex hiſtorico quodam affertur: περιτυχόντες δὲ ... δικράνοις, ... τὴν τῶν ἀγοραίων ... idem.

GVLIELMI GENTII.

Revoluto mantello.

Ex vulgari ſermone dixit Accur. in c. Papinianus, de inofficioſ. teſta. cum contrariis exceptionibus adverſus diverſos quis utitur. Ab his ducta metaphora, qui mutant pallium.

IVNII, CANTERI ET ALIORVM.

Vtraque manu cadere.

Ἀμφοῖν χεροῖν ἀφιέναι. De iis quæ ſummo ſtudio à nobis rejicimus.

Communibus oſtiis excludere.

Κοιναῖς ταῖς θύραις ἀποκλείειν. Dicetur de iis, qui communi opera malum aliquod propellunt. Sumptum ab iis qui continuas habitant ædes, &, ut fit, communes habent portarum exitus. Illi enim ſi conſpirent, facile quem volent, domo amolientur, & excludent. Ariſtides prima de Societate.

Deus hoc habeat decus.

Sumptum eſt ex Simonide, & Platoni Ariſtotelique uſurpatum adagium: quo utemur in deprecandis rebus noſtras vires ſuperantibus, ſolique Deo factu proclivibus. Sic enim utitur Plato in Protagora: ubi docens ſolum Deum vere bonum eſſe, hominesque non facile bonos evadere, neque poſſe ſi quam nacti ſunt bonitatem, perpetuo tueri, his verbis utitur: ὅτι γενέσθαι μὲν ἄνδρα ἀγαθὸν χαλεπὸν ἀληθῶς· ἔστι μέν τοι ἐπί γε χρόνον τινά. γενόμενον δὲ διαμένειν ἐν ταύτῃ ... ἀγαθὸν, ἀδύνατον καὶ οὐκ ἀνθρώπειον, ἀλλὰ θεὸς ἂν τοῦτο ἔχοι τὸ γέρας. i. Fieri quidem virum bonum, arduum ſane eſt: licet vero ad tempus aliquod eſt. verum cum fueris, in hoc habitu permanere, virumque bonum eſſe, impoſſibile & non humanum. at Deus hoc habeat decus. Ariſtoteles in Metaphyſicis. ὥστε κατὰ Σιμωνίδην, θεὸς ἂν τοῦτ᾽ ἔχοι τὸ γέρας videtur hemiſtichium choriambicum eſſe.

RIGOR.

ERASMI. *Summum jus ſumma injuria.*

Summum jus, ſumma injuria. hoc eſt, Tum maxime diſceditur ab æquitate, cum maxime ſuperſtitioſe hæretur legum literis. Id enim ſummum jus appellant, cum de verbis juris contenditur, nec quo ſpectatur quid ſenſerit is qui ſcripſit. Nam voces ac literæ, quaſi legum ſumma cutis eſt. Eam ineptam quorundam ſuperſtitioſorum juris interpretum, copioſe ſimul & eleganter illudit M. Tull. in actione pro Murena. Terent. Verum illud Chreme dicunt, jus ſummum ſæpe ſumma malicia eſt. M. Tull. Officiorum lib. i. Ex quod illud, ſummum jus, ſumma injuria, factum eſt jam tritum ſermone proverbium. Columella primo rei ruſticæ libro. Nec ſane eſt vindicandum nobis, quicquid licet. Nam ſummum jus antiqui ſummam putabant crucem. Citatur & Celſus adoleſcens li. Pandect. xlv. tit. de verborum obligatione, cap. ſi ſervum Stichum: Qui ſerpſerit quæſtionem eſſe de bono & æquo: in quo genere plerumque ſub autoritate juris ſcientiæ pericuoloſe erratur. Itidem Paulus lib. 50. tit. de regulis juris: In omnib. quidem maxime tamen in iure æquitas ſpectanda eſt. Simili figura Seneca lib. De ira i dixit, ſummo animo: Si intelligis non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod aiunt, animo inhærere.

Ad vivum reſecare.

M. Tullius lib. De amicitia, ad vivum reſecare, dixit pro eo quod eſt, rem exactius quam ſat eſt, ac moroſius excutere. Sed hoc inquit, primum ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe. Neque id ad vivum reſeco, ut illi qui hæc ſubtilius diſſerunt. Mutuo ſumpta metaphora à tonſoribus, capillos aut ungues reſecantibus. Nā ii ſæpenumero moleſti ſunt, dum nimium diligentes eſſe ſtudent. Idem in libris De finibus, dixit Preſſius agere, pro exactius & accuratius. Plautus in Bacchidib. ſub perſona Chryſali: Tondebo auro uſque ad vivam cutem. Et hoc ipſum Tondere, pro deludere, Græcis in proverbio eſt.

Radit uſque ad cutem.

Ξυρεῖ ἐν χρῷ, id eſt, Ad cutem uſque radit. Grammatici citant ex Sophocle. De eo dicebatur, qui nimium exacte videretur agere cum aliquo. Sumptum à tonſoribus, qui quoſdam per pectinem radant, relictis pilorum quaſi ſtupibus: quoſdam citra pectinem, ad vivam uſq; cutem. Plautus in Captivi duo; Sed utrum ſtrictimne dicam attonſurum eſſe an per pectinem, neſcio: verum ſi frugi eſt, uſque admutilabit probe. Loquitur de hero, diligentius omnia percunctaturo, & tanquam ad cutem raſuro. Cognatum illi, Ad vivum reſecare.

Ex ſyngrapha agere.

Sunt & illæ formæ à Iuriſconſultis ductæ, verbæ in proverbium: Ex ſyngrapha agere, obſignatis tabulis agere: pro eo quod eſt, rigide parumque civiliter, ſed velut ex obligatione. Cicero pro Murena: Pergitiſne eos tanquam ex ſyngrapha agere cum populo? Syngrapha Latinis ſonat conſcriptionem, quod utriſque manu conſcripta utriſque partibus tradi ſoleat, & in hoc ſyngraphæ differunt à tabulis, quod tabulæ ab una parte tantum ſervari conſueverint. A Chirographo, tabulis, codicillis differt ſyngrapha: quod in illis non ſcribantur niſi acta, in hac etiam contra fidem actionis, pactio venit, & non numerata pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum ſcribi ſolet. Ita propemodũ Aſconius Pedianus in Verri. iij.

Ad libellam debere.

Qui pecuniam præſentem ac juſti ponderis debet, ad libellam debere dicitur. Nam olim ad libram dabatur pecunia non ad numerum. Inde illa vulgata, Expendere, Expenſum ferre, Dependere, Rependere, Impendere: pro ſumptum facere, ſumptuum rationem reddere, ſolvere, reſolvere, & inſumere. M. Tull. pro Roſcio Amerino, Niſi planum facit HS. LIII. ad libellam ſibi deberi, perdit litem.

Cenſoria virgula.

Vide ſuperius in loco Iudicandi.

Obtorto collo.

Qui vi compellitur, obtorto collo trahi dicitur. Marcus Tullius actione in Verrem vj. Hinc illa Verrea nata ſunt; quod in convivium Sextum Cominium protrahi juſſit, in quem ſcyphum de manu jacere conatus eſt, quem obtorta gula de convivio in vincula atque tenebra abripi juſſit. Idem pro Cluentio: Nec quicquam prius eſt factum, quam ut illum perſequeretur, & collo obtorto ad ſubſellia reduceret, ut reliqua poſſet perorare. Plautus in Amphytrione dixit, obſtricto collo: Ob iſtud indignum dictum obſtricto collo hac te diripiam. Item in eadem fabula: Quin ego hinc Amphytrionem collo obſtricto traham. Idem in Pœnulo: Dubito fugere hinc in malam crucem, priuſquam obtorto collo ad prætorem trahor. Rurſus in Rudentibus: Opta ocyus, rapite obtorto collo mavis, an trahi. Atque inibi paulo poſt. Subveni mi Charmides, rapior obtorto collo.

IVNII. Ἐν χρῷ.

Proverbiale eſt illud ἐν χρῷ, quaſi dicas, In cute: pro admodum vicino, & quaſi in confinio: nihil iis eo eſt frequentius. Syneſius ad Euoptium fratrem: οὐ πρὶν ἢ ἐν χρῷ γενέσθαι τοῦ κινδύνου. i. Non priuſquam in cute verſaretur periculum. Agathias: περιεσφίγξαντες δυσώπως αὐτὰς ἀλλήλαις καὶ συνεμίγνυον λίαν ἐν χρῷ πεπιεσμένας. i. Conjunxerunt eas conſertu mutuo complicatas, conſtrictaſque admodum in cute commiſcuerunt. Ita accipitur illud incerti authoris apud Suidam. ἦν δὲ ἄρα αὐτῷ ἐν χρῷ φίλος. i. Erat ille in cute amicus, eſt, proxime. Sophocles in Ajace,

Ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο, μὴ χαίρειν τινά.

Id eſt,

Radit cute tenus, abſit omne ut gaudium.

Lucianus τὴν ἐν χρῷ σπουδὴν πρὸς τὰ βιβλία, vocat addictiſſimam libris diligentiam. Thucydides, ἐν χρῷ παραπλεῖν quod ſonat, in cute prænavigare, dixit: quod Virgil. legere & radere vicinum littus. Nam & rem ipſam ſpectat quod eſt apud Xenophontem, ἐν χρῷ κεκαρμένος. i. ſtrictim & ad vivam uſq; cutem detonſus. id quod Callimachus, ἐγχυτὶ dixit, & Archolcus ibi,

Χαίτην ἀπ' ὤμων ἐγχυτὶ κεκαρμένος.

Id eſt,

Detonſa cute tenus coma in humeros fluens.

COGNATI. Τὸ ἐν χρῷ ξυρεῖν.

Sophocles in re periculoſa proverbialiter uſurpat, τὸ ἐν χρῷ ξυρεῖν ad vivum uſque radere, pro funditus abolere. In Ajace flagellifero, pro mordicus pungere, & inſidendo altius penetrare.

Ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο, μὴ χαίρειν τινά.

Id eſt,

Radit cute tenus abſit omne ut gaudium.

Ubi vice τοῦτο, Suidas ὄντι legit & citat. Accedit ad hæc, quod ipſum radendi vocabulum non efferant Latini abſq; moleſtiæ cujuſdam acerbæ atque ingratæ ſignificatione. Sic jejunam & aridam tranſlationem, aures radere dixit Fabius & veritatem mordacem radere teneras auriculas, propter odium quod parit ait Perſius, qui & avari per fas & nefas corradere opes cum multorum injuria dicuntur. Sed iſtum Grammaticis proprium campum relinquo. Vide aliud, Tonderi pecus, non radi decet (& Iunii ſup. ἐν χρῷ.)

EX APPEND. IVNII, CANTERI,
Gratiis lita.

Non potuit feſtivius aut magis proverbialiter dici, quam eſt à Platone Athenienſi philoſopho dictum ad Xenocratem diſcipulum ſuum, qui ſemper, teſte Laertio libro quarto, tetrico vultu & ſevero habitu incedebat, nulla animi hilaritate oſtenſa, nulla oris facetia, frontiſque nitore triſtem ſeveritatem mitigante ac temperante. Volens igitur Plato ſeveri graviſque ac vultuoſi, ac proinde moleſti hominis mores, comi quodam blandeque feſtivo habitu generi componi ornarique, illum θύειν ταῖς Χάρισιν juſſit: quod Gratiæ inducantur ſemper à Poetis, liberali oris effigie, & renidenti facie, ſolutiſque zonis. Hoc dicto caſtigabimus ſuperciliosum aliquem Theologum, vel turbulentum ſophiſtam. Et de inhumano ac barbaro: Nunquam ille Gratiis litavit.

RISVS.

ERASMI. *Intra labia riſit.*

De riſu Sardonio nobis alias dictum eſt. Similem deſcribit Theocritus in Thalyſia,

Καί μ' ἀτρέμας εἶπε σεσαρὼς
Ὄμματι μειδιόωντι, γέλως δέ οἱ εἴχετο χείλευς.

Id eſt,

Et me eſt affatus diducto leniter ore
Arridenti oculo, riſus vero labium intra
Hæſit.

Homerus riſum Sardonium dixit amarulentum. Hic deſcribit riſum modeſtum & amicum: qui ſi erumpat, cachinnus fit indecorus.

Riſus Ionicus.

Vide ſupra in loco, Luxus & Mollities.

Riſus Sardonius.

Σαρδόνιος γέλως, id eſt, Sardonius riſus. De riſu ficto, aut amarulento, aut inſano denique. Et ſenſus & origo proverbii adeo varie tractatur ab autoribus, ut verear, ne riſus hic Sardonius non citra riſum legatur: tamen attingemus referre quædam. Zenodotus in collectaneis ſuis Æſchylum citat, qui hujuſmodi ferme tradiderit in opere De parœmiis: Gentem eſſe quandam Carthaginenſium coloniam, quæ Sardonem regionem inhabitet: ei morem eſſe, ſenes ſeptuageſimum prætergreſſos annum Saturno ſacrificare, ridentes interim, ac mutuo ſeſe complexantes. Nam turpe ducebant, infundere aut ejulatum ædere, aut lachrymas profundere. Hinc adſimulatum riſum, Sardonium vocari cœptum. Timæus apud eundem Zenodotum ait, Sardonii conſuetudinem fuiſſe, ut filii parentes iam grandævos iuxta foſſam, aut præcipitium, in quo ſepeliendi forent, collocarent, atque inde fuſtibus cædentes, in eam darent præcipites. At illi interim pereuntes ridebant: exiſtimantes eam mortem felicem atq; egregiam, quod liberorum impietate interirent. Sunt qui dicant, in Sardorum inſula herbam naſci quandam, cui Sardoæ cognomen ſit, apiaſtro ſimilem. eam ſapore quidem eſſe dulcem, verum guſtatam, ora hominum in rictus dolore contrahere, ut veluti ridentes emoriantur. Hoc ſenſiſſe videtur Solinus. cumque hoc Servius grammaticus, enarrans hunc ex Vergiliana Thyrſide locum,

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

Atque his ferme confinia tradit Lycophrontis interpres de riſu Sardonio. Servium ſecutus Latinus Drepanus in Panegyrico: Serenos ergo, inquit, vultus induebamus, & ad illorum vicem, qui deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes. Neq; rurſum deſunt, qui Sardonium riſum cognominatum autumant, ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας, quod dentes aperiat atque nudet, cujuſmodi riſus eſſe ſolet eorum, qui non ex animo rident. Hinc & jocus ille paraſiti Plautini, conquerentis quod ſuis dictis nullo pacto juvenes ariſiſſent, ac non ſaltem canes fuiſſent imitati, ut dentes oſtenderent. Et Apuleius. Reſtrictis forte ſi labellis riſeris. Id genus riſum deſcripſit Homerum Iliad. o. de Iunone loquens,

——— Ἡ δ' ἐγέλασσε
Χείλεσιν, οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν
Ἰάνθη. ———

Id eſt,

Illa quidem labiis ridebat, nubila porro
Frons minime renitebant. ———

Ad id facit quod ſcribit Ariſtoph. in Pace.

Ἠγριωμένους ἐπ' ἀλλήλοισι καὶ σεσηρότας

Id eſt,

Invicem in ſe exaſperatis, oſque diducentibus.

A canibus ducta metaphora, quibus hoc iræ indicium eſt, nudare dentes. Quem morem ajunt equis etiam ineſſe ſi quando parent mordere: unde vulgo nunc riſum hujuſmodi, riſum equinum vocant. Rurſum alii perhibent, apud Sardinios fuiſſe receptum, ut ex captivis pulcherrimos quoſque, ac natu maximos, qui ſeptuageſimum exceſſiſſent annum, Saturno mactarent, ridentes in morte, propterea quod id forte ac virile videretur. Citatur autor Clearchus. Carthagine ſolemnem fuiſſe morem, ut in magnis votis puerum Saturni manibus imponerent. Hujus ſtatua fingebatur ærea, manib. porrectis. Sub eo fornax erat, ea ſuccendebatur. puer itaq; ignis vapore contractus ac tortus, ridentis ſpeciẽ exhibebat. Denique & Simonidem allegat Zenodotus, novæ fabulæ autorem. Ait enim, Talum quempiam æreum virum, priuſquam in Cretam perveniret, in Sardiniam acceſſiſſe, ubi non paucos mortales neci dedit. Qui quum morientes ringerentur, riſus imaginẽ quandam exhibentes, proverbio locum fecerunt. Adduntnonnulli, quum e Sardinia in Cretam tranſmittere vetaretur, illum in ignẽ deſiliiſſe, quandoquidem ærei corporis erat: deinde Sardinios pectori ſuo admotos necare ſolitum. Emoriebantur autem velut in

amplexu

implens, ac ridentibus adſimilem, nimirum rictu incendii vi diducto. De hoc Talo ridicula narratur fabula. Ajunt enim hunc à Vulcano ex ære fuiſſe fabrefactum, Minoiq; dono miſſum, ad Cretenſis inſulæ tutelam. Erat autem illi unica duntaxat vena, eaq; à ſumma cervice, ad imos uſque talos porrecta. Ter in ſingulos dies inſulam obibat, excubias agens. Itaque & Argo navem è Colchide cum Iaſone redeuntem vetuit in portum Cretenſem appellere. Sed à Medea deceptus periit, ut nonnulli dicunt, dato veneno, quod inſaniam immitteret, ut aliis placet, cum illa pollicita ſe illum immortalem redditurum, clavum qui ſummæ venæ erat affixus, eduxit, atq; ita ſanguine, totoque corporis humore defluente, periit. Rurſum alii tradunt, interiiſſe percuſſum arcu à Pæante circa talum. Dioſcor. lib. vj. inter venena prodidit herbæ ſpeciem eſſe quandam, quam quidam ranunculum appellant Latine, Græci batrachion: (eam à regione, in qua copioſius proveniat, Sardoam, ſive Sardoniam dicunt) quæ pota ſive comeſa mentem adimat, labiiſque contractis riſus ſpeciem præbeat. Atque inde in hominum vitam ſiniſtri ominis veniſſe de riſu Sardonio proverbium. Meminit hujus herbæ & Plinius lib. xxv. circa finem. Strabo lib. Geographiæ xj. ſcribit in Cambyſena, quæ flumen Alazonium accolit, aranearum genus quoddam naſci, quod alios ridendo cogat emori, alios flendo, deſiderio ſuorum. Quidam addunt de Tarcotella, cujus morſum interitus cum riſu ſequatur. Quin & Ariſtoteles De partibus animalium lib. iij. ait, ictu etiam trajecta præcordia, in præliis riſum attuliſſe, literis proditum eſſe: idq; accidere calore quem moveat vulnus. Mortuus eſt & Zeuxis pictor ridendo, dum ſine fine ridet anum à ſe pictam: & Chryſippus conſpiciens aſinum veſcentem ficis. M. Tullius Epiſtol. famil. lib. vij. ad Fabium Gallum: Videris, inquit, mihi vereri, ne ſi iſtum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδάνιον. ſignificans futurum, ut ſi Cæſar rerum potiretur multis arridere atq; applaudere cogeretur, quæ magnopere diſplicerent. Lucian. in Aſino: σαρδάνιον γελῶντες ἔλεγον i. Sardonice ridentes ajebant. Riſum innuit contumelioſum & ſubſannantem. Idem alibi: Δᾶμις δὲ τὸ σαρδάνιον ἐπιγελάσας ἔτι μᾶλλον παρώξυνε. i. Damis autem Sardonio arridens riſu, magis etiam irritavit. In eodem ſenſu videtur uſurpatum à Platone libro De repub. j. cum ſcribit Thraſymachum, quem amarulentum & arrogantem ubique facit, Sardonice riſiſſe: καὶ ἀκούσας ἀνεκάγχασέ τε μάλα σαρδάνιον, καὶ εἶπε. i. His ille auditis edito cachinno, valde Sardonice riſit, ac dixit. Homerus item aliquot locis hujus riſus mentionem facit in Odyſſ. υ. narrans quemadmodum e procis quiſpiam, puta Cteſippus, Vlyſſem in ædibus ſuis habitu ſpecieq; mendici ſedentem, arrepto è ſportula bovis pede petiſſet, atque ille capite tantum modum deflexu declinaſſet ictum:

——μείδησε δὲ θυμῷ
σαρδάνιον μάλα τοῖον.——

Quo loco Euſtathius interpres admonet, eum ridere riſum Sardonium, qui diductis modo labris rideat: cæterum intus aut ira, aut moleſtia diſcrutiatus. Veteres enim riſum Sardonium vocaſſe, quoties aliquis deſpectim non ſolum ridet, ſed etiam irridet: dictum autem παρὰ τὸ σεσηρέναι τὰ χείλη, id eſt, à diducendo labia. Quomodo fere rident, qui apud ſeſe perniciem alicui deſtinant: quemadmodum Vlyſſes mox ſublaturus, e medio procos, idque jam tum in animo ſtatuens, riſit riſum quendam ſubamarulentum. Conſimilem riſum riſit apud Heſiodum Jupiter iratus Prometheo, propter ignem furto ſublatum. Carmen adſcripſi, quod quidem eſt in primo libro operis, cui titulus ἔργα καὶ ἡμέραι:

τὸν δὲ χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς·
Ἰαπετιονίδη πάντων πέρι μήδεα εἰδώς,
χαίρεις πῦρ κλέψας, καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας,
σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι.
τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.
ὣς ἔφατ', ἐκ δ' ἐγέλασσε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Id eſt,

Huic animo infenſus, qui nubila colligit, inquit:
Proles Iapeti multo techniſque doliſque
Inter mortales unus doctiſſimus omneis,
Impoſuiſſe mihi gaudes, ignemque tuliſſe;
Nempe ingens atroxque malum & tibi poſtque futuris:
Queis ego pro rato igne malum dabo, quo ſimul omnes
Gaudebunt propriumque malum foviſſe libebit.
Sic fatus, riſitque parens hominumque deûmque.

Riſum hunc fatalem interpretantur, quoties imminet pernicies à fatis deſtinata. Cujuſmodi fuit & ille procorum, quem deſcribit Homerus eodem libro, quem paulo ante citavimus, alioque retulimus loco:

——μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
ἄσβεστον γέλων ὦρσε, παρέπλαγξεν δὲ νόημα.
οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν,
αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον, ὄσσε δ' ἄρα σφέων
δακρυόφιν πίμπλαντο, γόον δ' ὠίετο θυμός.

Id eſt,

Diva procis movit validum Tritonia riſum
Haud compeſcendum, ac animum ſtupefecit: at illi
Jam malis ſine mente quidem riſere alienis,
Carnis fruſtra & cruda & ſanguinolenta vorantes.
Interea lachrymis implentur lumina, fletum
Senſit & ipſe animus.

Opinor & Sardonium riſum accipiendum, quem Homerus Iliad. η. tribuit Ajaci ſingulare certamen ineunti.

τοῖος ἄρ' Αἴας ὦρτο πελώριος, ἕρκος Ἀχαιῶν,
μειδιόων βλοσυροῖσι προσώπασι.——

Id eſt,

Sic ingens Ajax ſurgebat murus Achivûm,
Terribili ridens vultu.——

In vetuſtiſſimis quibuſdam in Heſiodum commentariis epigramma reperi, quo proverbium de riſu Sardonio non ineleganter explicatur. id eſt, hujuſmodi:

Σαρδώ τις ἐστὶ νῆσος ἰβηροτρόφος,
ἐν ᾗ βοτάνη φθαρτικὴ γῆς ἐντρέχει
σελινοειδὴς σαρδόνη κεκλημένη.
βεβρωμένη δὲ τοῖς ἀπείροις, αὐτίκα
σπασμούς τε ποιεῖ, καὶ γελῶντας ἐμφαίνει,
καὶ πότμος εὐθὺς καὶ γελάσιμος μόρος.
ἄλλοι δὲ φασὶ σαρδωνοὺς τοὺς βαρβάρους
γηρῶντας αὐτῶν τοὺς γενάρχους ἐσχάτως
ἄγειν λαβόντας εἰς ἀπότομον τόπον
κτείνειν τε τούτους ἐν τε ῥοπάλοις καὶ λίθοις·
ὡς ῥιπτοῦσιν ἐκ πετρῶν τοὺς ἀθλίους.
γελῶντας αὐτοῖς παιδίοις πατροκτόνοις,
ἄλλοις δὲ τοὺς θνήσκοντας ἀρέσκει πλέον
γελᾶν, ὁρῶντας τῶν τέκνων παρανομίας,
ἢ τὰς κυκλοτερεῖς καὶ στροφὰς τῶν πραγμάτων.

Id quoque nos noſtro more propter imperitiores Latinum ex tempore fecimus, hoc modo:

Quædam inſula eſt vocata Sardo Hiberiæ,
In qua herba pernicioſa ſurgit e ſolo,
Cui Sardanæ nomen, apiaſtri præferens
Figuram at ea comeſa ab imprudentibus
Mox ora contrahit, atque riſus exhibet
Speciem, inde protinus mors occupat
Imitata riſum. Cæterum ſunt qui ferant
Gentem eſſe quandam Sardanorum barbaram,
Ætate qui feſſos parentes in loca
Prærupta raptos deferant, atque ibi neci
Saxiſque fuſtibuſque dent miſerrimos:
Ex ardu[is] ſubinde præcipitent petris.
At inter iſthæc impiis rident jocis,
[E]duntque temere parricidis luſibus.
Aliis magis probatur hæc ſententia,
Ridere eos qui ſic necantur, quippe qui
Spectent ſuorum pignorum veſaniam,
Citaſque rerum & æſtuarias vices.

Pauſanias in Phocaicis tradit, Sardoam inſulam ſerpentes gignere innoxios. Præterea eam à venenis herbarum prorſus immunem eſſe: niſi quod unam alit exitialem, apii ſpecie, quæ juxta fontes quidem proveniat, non inficiat tamen fontium aquas: eam qui ederint, ait ridentes emori. Atque hinc Homerum, & poſt Homerum alios adagium induxiſſe, ut dicerent eos ridere riſum Sardonium, qui riſum riderent, τὸν ἐπὶ οὐδενὶ ὑγιῆ, hoc eſt, omnino inſanum. Itaque non abſurde videtur accipi poſſe riſus Sardonius pro riſu demente, quoties inſtantibus malis inſane ridetur. Siquidem legimus C. Gracchum in ambiendo magiſtratu repulſum, adverſus inimicos inſolentius ridentes inclamaſſe, eos Sardonium ridere riſum, ignaros quam magnis tenebris ex ſuis actibus circumfunderentur. Hoc in Gracchorum vita Plutarchus. Idem in commentario de ſuperſtitione: ἐν ταὐτῷ τοίνυν σκόπει τὸν ἄθεον, γελῶντα μὲν μανικὸν καὶ σαρδόνιον γέλωτα id eſt: Hic itaque conſidera eum, qui nullos credit eſſe deos, inſanum quidem & Sardonium interpretatur, riſum πλατὺν, id eſt, amplum ubi quis ore vehementer diducto ridet: quem eundem opinor, γέλωτα συγκρουσ-τικὸν appellant, id eſt riſum concutientem. Cui quidem interpretamento ſuffragatur ipſius Etymologia vocabuli, quam paulò ſuperius oſtendimus, ἀπὸ τοῦ σεσηρέναι τοὺς ὀδόντας. Poſtremo non omnino videbitur abſurde Sardonius riſus accommodari poſſe ad riſum luctuoſum ac triſtem, cujuſmodi tribuit Homerus Iliados ζ. Andromachæ, tanquam is indicium fuerit animi, mortem Hectoris præſagientis:

ἡ δ' ἄρα μιν κηώδεϊ δέξατο κόλπῳ
δακρυόεν γελάσασα.

Id eſt,

Illa ſinu accepit ſpiranti, flebile ridens.

Eudemus in Collectaneis dictionum in rhet. ait placere nonnullis, ut de riſu contumelioſo accipiatur, ubi quis deſpectim contemptimque ridet: de quo proverbium etiam fertur, ἀφ' ὕψους καταγελᾷς μου i. e. E ſublimi me derides. Addit idem lapidis eſſe genus, qui riſus Sardonius appelletur. Suidas ſcribit hinc etiam verbum effictum, ut σαρδάζειν dicantur, qui Sardonium rideant. Sed jamdudum libet à riſu Sardonio diſcedere: idque faciemus, ſi prius illud addiderimus, epithetum hoc Sardonium variis formis inveniri apud autores. Apud Lucianum & Ciceronem σαρδάνιον legimus, apud Homerum σαρδάνιον, apud Verg. Sardoum, apud Lycophronis enarratorem σαρδῷος γέλως; apud Plutarchum σαρδιανός: εἴ τις ἐν τῆς ψυχῆς σαρδιανὸς γέλως. id eſt; Si quis eſt animi Sardianus riſus. Stephanus indicavit dici σαρδόνιος, & σαρδιανικός. Tametſi non omnia ab eadem voce manant: Nam à Sardo ſive Sardon inſula, cui quondam, nomen fuerat for-

mulæ, deducitur Sardonius, Sardous & Sardonicus, A Sardos Illyriæ civitate, proficiſcitur σαρδωοί: unde, ſicuti reor, mutato ω in α, σαρδάνιος. A Sardis Lydiæ oppido, Sardianos & Sardianicus. Ex his ſuccurrit conjectura in epigrammate Græco, quod modo citavimus, non legendum fortaſſis ἰβηρογεράσ, ſed ἰσαμογηράσ. Vſurpavit adagium Salvianus lib. 7. Sardonicis quodammodo herbis, omnem Romanorum populum putes ſaturatum: moritur & ridet.

Ajacis riſus.

Αἰάντειος γέλως: id eſt, Aiacinus riſus. In eos, qui temere ac vecorditer rident: id quod appoſite dicitur in homines mortiferis voluptatib. gaudentes, brevi perituros: aut qui malefactis gaudent, mox pœnas daturi, Cujuſmodi riſum eleganter deſcribit Homerus in Odyſſ. υ.

——μνηστῆρσι δὲ Παλλὰς Ἀθήνη
ἄσβεστον γέλω ὦρσε. παρέπλαγξεν δὲ νόημα.
οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν.
αἱμοφόρυκτα δὲ δὴ κρέα ἤσθιον· ὄσσε δ' ἄρα σφέων
δακρυόφιν πίμπλαντο. γόον δ' ὠΐετο θυμός.

Id eſt,

Deinde procis riſum commovit diva Minerva
Haud compeſcendum, mentemque excuſſit: at illi
Protinus attoniti malis riſere alienis.
Mandunt interea tabentes ſanguine carnes.
Lumina complentur lachrymis, mens anxia mœret.

Adagium natum eſt ex hiſtoria Ajacis. Is adeo graviter tuliſſe legitur Vlyſſem ſibi prælatum in capeſſenda ſucceſſione armorum Achillis, ut præ dolore in inſaniam verſus ſit: itaque gladio diſtricto in gregem pecorum inſiluit, exiſtimans ſeſe Græcorum copias cædere. Tum duos quoſdam maximos ſues à trabe ſuſpenſos flagris excidit, arbitrans bos eſſe Agamemnonem atque Vlyſſem: quorum alteri ut iudici, alteri ut victori potiſſimum erat iratus. His igitur ſuibus plurimo cum riſu inſultavit, addens convicia quæcunque ſuggerebat ſplendida bilis. Deinde poſteaquam reſipuiſſet, partim pudore partim metu ſibi mortem conſcivit. Nec intempeſtiviter torquebitur in eos, quibus riſus oboritur nulla de cauſa: quem vulgo dicunt, aut inſaniæ, aut ſtultitiæ argumentum eſſe. Atteſtatur & ſenarius ille proverbialis:

γελᾷ δ' ὁ μωρὸς, κἄν τι μὴ γελοῖον ᾖ.

Id eſt.

Ridet fatuus, ut nulla riſus cauſa ſit.

Ἀχρειόγελως.

ἀχρειόγελως, proverbiali novoque compoſito verbo dicebatur nugator, quique rebus ineptis oblectaretur, Nam ἀχρειόγελως perinde ſonat, quaſi dicas temere ridentem: quod vitii vel ſtultitiæ ſignum eſt, vel dementiæ:

Riſus ſyncruſius.

Γέλως συγκρούσιος. Riſum effuſiorē, Græci συγκρούσιον habent, quod hominem quatiat, quem eundem quidam exiſtimant Sardonium eſſe. Putant autem, & recte putant, hunc riſum gravi viro vehementer indecorum eſſe, propterea quod videatur ab animo impotente proficiſci. Siquidē ut turpe eſt viro gravi muliebri more ejulare, ſi quid doleat: ita gaudio immoderato in cachinnum effundi, parum decorum eſt. Simili figurā Philoſtratus in Sophiſtis aliquoties dixit, πλατὺ γελᾶν, id eſt, late diductoque ore ridere.

Riſus Megaricus.

Γέλως μεγαρικός, id eſt, Riſus Megaricus in eos dicendum, qui parum tempeſtive jocantur, quique, quod notat Quintilianus, malunt aliquoties amicum quam dictum perdere. Aut quorum artes jā in contemptum abierunt, ſucceſſione majorum artificum obſcuratæ. Neque male quadrabit in ſenes, qui ætate aliena, luſus quoſdam indecoros, ac voluptates juveniles turpiter conſectantur. Nam Ionica comœdia viguit ad tempus, deinde in contemptum venit, irriſa ab Athenienſibus. De riſu intempeſtivo celebratur & hic ſenarius.

Γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν.

Id eſt,

Non in loco ridere pergrave eſt malum.

Riſus Chius.

Γέλως χῖος, id eſt, Riſus Chius: de molli laſcivoque luſu. Quandoquidem & Chiorum mores taxavit vetus comœdia. Adagium commemoratur à Diogeniano.

Stultior Moletide.

Vide ſuperius in loco, In Stupidos.

Emori riſu.

Proverbiales hyperbolæ ſunt & illæ. Emori riſu, diffluere riſu, pro vehementer ridere. Homerus Odyſſ. σ.

——αὐτὰρ μνηστῆρες ἀγαυοὶ
χεῖρας ἀνασχόμενοι γέλῳ ἔκθανον.——
——Deinde procorum ſplendida turba
Præ riſu emoriens nimio ſuſtulit ad alta.

Vſurpavit & Terentius in Eunucho: Omnes riſu emoriri.

IVNII. *Regula rectior.*

κανόνος ὀρθότερος, id eſt, Regula rectior, proverbialis hyperbole, uſurpata à Nicarcho libro ſecundo epigram. Græcorum: γέγονεν δ' ὀρθότερος κανόνος. loquitur de gibboſo quodam, ni fallor, quem corrigere volens imperitus medicus circumpoſitis aſſeribus, eliſa anima rectum fecerat. Idem eſt quod στάθμης ἀκριβέστερος, amuſſi exactior. ac ſi quis dicat, inquit Euſtathius: ὀρθότερος τοῦ ὀρθοτάτου ἢ κανόνος εὐθύτερος. id eſt: ipſa rectitudine rectior, aut fabrili regula directior. Theognis in iis quas hypothecas inſcripſit;

τόρνου καὶ στάθμης καὶ γνώμονος ἄνδρα θεωρὸν
εὐθύτερον χρὴ μὲν αὐτὸν φυλασσόμενον.

Id eſt.

Rectior & perpendiculo tornoque, & amuſſi
Sit judex, cunctis qui placiturus erit.

Sophocles de Pelope:

ἴσον μετρῶν ὀφθαλμὸν, ὥσπερ τέκτονος
παρὰ στάθμην ἰόντος ὀρθοῦται κανών:

Hoc eſt.

Æquale metitus oculo, ceu quum faber
Ductum ſequens amuſſis, normam dirigit.

IVNII. *Mandibulis alienis ridere.*

Γναθμοῖς γελᾶν ἀλλοτρίοις, id eſt, Mandibulis alienis ridere. Hujus parœmiæ formam ſua ætate etiam uſurpatam annotat in Odyſſ. viceſimum Euſtathius, aliis quidem verbis, ſed tamen eodem plane ſenſu: nempe ξενικῷ γέλωτι γελᾶν: hoc eſt, Peregrinis buccis ridere dici autem utrunq; ait de riſu non vero & ex animo profecto: eos namque qui præ ira naſum criſpant, aut præ conſilii inopia animi hærentes in re non ridicula riſum cient. Alienis maxillis ridere: ſic qui inviti & vi adacti cibum ſumunt, ἀλλοτρίοις γναθμοῖς ἐσθίειν, id eſt, Alienis mandibulis eſitare d centur, tanquam quorum propriæ maxillæ torpeant, officiumq; ſuum detrectent. Homerus Odyſſeæ υ. de procis ſequens, quibus injuriarum ac protervitatis ſummæ pœnas capite luituris Minerva cachinnum emeditum injecerit, & mente emotos reddiderit, ita ait:

οἱ δ' ἤδη γναθμοῖσι γελώων ἀλλοτρίοισιν.

Id eſt,

Illorum at riſus buccis alienis inerrat.

Poterunt hinc proverbiales in uſum trahi figuræ, ut eum qui citra appetentiam edit, γνάθοις ἀλλοτρίοις ἐσθίειν, hoc eſt, ore alieno manducare dicamus: qui invitus manum operi admoveat, ἀλλοτρίᾳ χειρὶ πίπτειν, aliena manu quid agere: qui quod nolit aſpiciat, ἀλλοτρίοις ὄμμασι θεωρεῖν, alienis oculis intueri: quid difficilis ſit in præſtanda alterius dictis opera, ἀλλοτρίοις ὠσὶν ἀκούειν, alienis auſcultare auribus.

Labiis ridere.

Eſt & illud proverbiale, χείλεσι γελᾶν, id eſt, Labiis ridere, pro eo quod eſt, Non diducto ore & vultu libere exporrecto, ſed ringentium in modum renidere, & quaſi in Sardonium riſum ſolvi, qui fieri ſolet cum morſu animi mœrore gravati. Extat ſimiliter apud Homerum Iliados 15.

——ἡ δ' ἐγέλασσε
χείλεσιν. οὐδὲ μέτωπον ἐπ' ὀφρύσι κυανέῃσιν ἰάνθη.

Id eſt,

Illa labris riſit, non frons hilarata ſerenis
Luminibus ſeſe explicuit.——

Loquitur de Iunone commotiore. Heliodorus lib. 2. Æthiopidos; πρὸς ταῦτα ὑπομειδιάσας ὀλίγον καὶ βεβιασμένον καὶ μόνοις τοῖς χείλεσιν ἐπιτρέχον. Id eſt, Ad hæc leniter ſubriſit, extorto & primoribus tantum labris obverſante riſu. Theocritus in Thalyſiis de Lycida.

——γέλως δέ οἱ εἴχετο φειλᾶς.

Id eſt,

Compreſſis riſus labiis inſedit inhærens.

Diverſum hinc eſt quod ἀφανεῖ χείλεσι γελῶντα dixit quiſpiam eſſuſe ridentem, quaſi qui præ riſu marceſceret exuccus. Clemens tria riſus genera ponit, μειδίαμα decorum riſum, κιχλισμὸν meretricium, & καγχασμὸν procacem, & libidinis notas ſpirantem.

COGNATI. *Ἀχρειόγελως.*

Græci quos ſignificare volunt inſigniter fatuos, ἀχρειογέλωτας vocant. Nam riſu inepto, res ineptior nulla eſt, (Id ſupra Eraſmus explicuit in ἀχρειόγελως.)

Sardonius Riſus.

Pauſanias author eſt, apud Sardos herbam gigni api ſimilitudine, quæ comedentes cum profuſo riſu humanis rebus exigebat. Inde Homerus, & poſteri riſum nullo ſalubri ſenſu dignum, Sardonium nominant. Saluſtius hujus herbæ meminit, In Sardinia, inquit, quædam herba naſcitur, quæ ſardo dicitur, quæ ſi apiaſtri ſimilis hæc ora hominum & rictus dolore contrahit, & quaſi ridentes interemit. Dioſcorides lib. 6. Sardoan ranunculi genus eſſe teſtatur, quæ veſcentibus mentem adimat, & quadam nervorum diſtenſione dehiſcere in rictus ora cogat, ita ut imaginem ridentium præbeant. Ob id Sardonius riſus in adagium ceſſit. Quamvis Timæus aliam originem proverbio reddiderit, aliam Sophocles, aliam Clitarchus. Apulejus de hac herba loquens. Quantum arbitror (inquit) ſi quis eam guſtaverit jejunus, ridendo exanimabitur. (Hue conferendum Eraſm. adag. Sardonius riſus, ex cujus explicatione videntur iſthæc concinnata.)

Catulo

Catuli riſus.

Gallicum Proverbium, pro ficto aut amarulento. Ris de chien, qui ne paſſe les dens. Catullo tamen,

Ridere ore catuli ore gallicani:

eſt turpiter & late inter ridendum os diducere: ut patulus erat oris rictus canibus gallicis venaticis.

Sint modici riſus.

Ovidius in Arte amandi:

Sint modici riſus parvæque utrinque lacunæ.

PETRI GODOFREDI.

Riſus cauponis.

De ſimulato riſu, & ad fraudem compoſito, qualis eſt cauponis: qui euſque facilis eſt, & commodus, dum ſuo lucro, ut proſpiciat, locus ſit.

CAROLI BOVILLI.

Riſus profundior lacrymas parit.

Naturaliter evenit, ut nimius riſus lacrymas excutiat. Sæpe etiam nimiam cordis dilatationem compreſſio excipiens fletum riſui intermiſcet. Sic lætiſſimas interdum res maxime adverſæ turbant & intervertunt.

Crocum edit.

De ridiculo, qui levi de cauſſa effuſum in riſum ſolvitur. Crocum tradunt medici cor dilatare & aperire, eoque homini hilari & læto irrepreſſa movere labia, & ſtolidum, craſſumque riſum etiam invito exprimere. Sunt etiam, qui ſcribant libram croci ſumptam, poſſe ita cor dilatare, ut erumpentes præ riſu lacrymas vita ſequatur.

RIXOSVS.

ERASMI. *Rhodii ſacrificium.*

Ῥόδιοι τὴν θυσίαν: id eſt, Rhodienſes ſacrificium ubi res jurgiis & verbis male ominatis peragitur. Refertur à Diogeniano. Idem eſt cum eo quod paulo inferius referemus, Λίνδιοι τὴν θυσίαν: id eſt, Lindii ſacrum. Nam Lindus civitas in Rhodo eſt, teſte Stephano: à qua deductum videri poſſit Londinum, apud Britannos: quam urbem Stephanus Lindonium vocat, citatq; Martianum autorem. Siquidem utraque inſula eſt, Rhodus & Britannia. Ac vetus ejus gentis lingua, quæ nunc Vualica dicitur, ſatis indicat, eam aut profectam à Græcis aut certe mixtam fuiſſe. Ne mores quidem admodum diſſident à Græcanicis.

Spirat Cæcias.

De Cæcia vento, nubes ad ſe pertrahente, ſatis dictum eſt nobis in ſuperioribus. Ad venti naturam alludens Ariſtophanes in Equitibus, dixit:

ὡς οὗτος ἤδη καικίας, καὶ συκοφαντίας πνεῖ.

Id eſt,

Ut iſte ſpirat Cæcias & ſycophantias jam.

Interpres admonet proverbii. quanquam in Aldina æditione, pro καικίας depravate legitur κακίας, quum hanc vocem metri ratio nō admittat. Cæcias autem poeta poſuit pro turbis ac litibus. Notatur enim ibi Cleon, ut delator & criminator.

Inſana laurus adeſt.

Plinius lib. 16. capite 45. juxta quorundam diſtinctionem quarto. In eodem, inquit, tractu portus Amyci eſt, Bebrice rege interfecto clarus. Ejus tumulus à ſupremo die lauro tegitur, quam inſanam vocant: quoniam ſi quid ex ea decerptum inferatur navibus, jurgia fiant, donec abjiciatur. Hactenus Plinius. Mihi non viſum eſt abſurdum hoc adagiis adnumerare: quandoquidem res uſque adeo vulgata fuit, ut hinc arbor cognomen invenerit. Itaque quadrabit in hominem rixarum autorem: ut ſunt nonnulli, qui quocunque ſe vertunt, jurgia ſuſcitant.

Lindii ſacrum.

Λίνδιοι τὴν θυσίαν id eſt, Lindii ſacrum: ſubaudi faciunt. Dicebatur in eos, qui inauſpicato rem divinam faciebant. Sumptum ab hiſtoria, cujus meminit etiam Lactantius in Inſtitutionibus Chriſtianæ religionis, libro 1. Hercules olim agricolæ cuidam Lindio duos boves per vim eripuit, & mactatis illis convivium ſibi paravit. Senex autem Herculi comedenti, cum multa in eum maledicta congereret, voluptati pariter & riſui fuit: ita ut Herculem dixiſſe ferant, nullum unquam convivium ſibi jucundius accidiſſe. Sed haud ab re fuerit Lactantii verba ſubſcribere. Apud Lindum, inquit, quod eſt oppidum Rhodi Herculis ſacra ſunt, quorum à ceteris longe diverſus eſt ritus: ſiquidem non εὐφημίᾳ, ut Græci vocant, ſed maledictis & execratione celebrantur. Eaque pro violatis habent, ſi quando inter ſolennes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei hæc ratio redditur, ſi tamen ulla eſſe in rebus vaniſſimis poteſt. Hercules cum eo delatus eſſet, famemque pateretur, aratorem quendam aſpexit operantem, ab eoque petere cœpit, ut ſibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri poſſe: quia ſpes ſua omnis colendæ terræ duobus illis juvencis niteretur. Hercules ſolita violentia uſus, quia unum accipere non potuit, utrumque ſuſtulit. At ille infelix, cum boves ſuos mactari videret, injuriam ſuam maledictis ultus eſt: quod homini eleganti & urbano gratiſſimum fuit. Nam dum comitibus ſuis epulas apparat, dumque alienos boves devorat, illum ſibi amariſſime conviciantem cum riſu & cachinnis audiebat. Sed poſtquam Herculi divinos honores, ob admirationem virtutis, deferri placuit à civibus, ei ara poſita eſt, quam de facto βούζυγον, id eſt, bovis jugum, nominarunt: ad quam duo juncti boves immolarentur, ſicut illi quos abſtulerat aratori, eumque ipſum ſibi conſtituit ſacerdotem: ac præcepit iiſdem maledictis ſemper in celebrandis ſacrificiis uteretur, quod negaret ſe unquam epulatum jucundius. Hucuſque Lactantiana reddidimus verba. Zenodotus addit, hunc apud Lindios inoleviſſe morem, jubente etiam oraculo, ut inter peragenda ſacra, convicia quædā jactarentur. Meminit hujus & Gregorius Nazianzenus in Orationibus ſtelitenticis. Adagium ad multos uſus accommodari poteſt, vel ad rixoſum convivıū ſeu diſputationem: vel ad rem quampiam, malis ominibus inſtitutam.

Litem movebit ſi vel aſinus canem momorderit.

Celebratur Græcis & hic ſenarius proverbialis:

δίκην ὀφλήσει κἂν ὄνος δάκῃ κύνα.

Id eſt,

Litem movebit, ſi vel aſinus mordeat canem.

Quadrabit in eos, qui de re quantumvis exigua litem ſuſcitant. Natum videtur ab eventu quopiam. Extat autem apud Juriſconſultos actio ex lege, Si quadrupes damnum dederit. Refertur à Zenodoto & Suida: quanquam apud utrumque ſcriptum eſt, μακρὰς pro μικρὰς: quorum hoc mihi videtur ſenſus expoſcere.

Canina facundia.

Saluſtius apud Nonium Marcellum in dictione Rabula: Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur. Quod quidem Appii dictum apud Eruditos ſcriptores in adagionem ceſſit in quoſdam, qui tantum ad maledicendum eloquentiæ ſtudium exercerent: à rixa canum, & oblatratu ſumpto epitheto. Siquidem r. litera quæ in rixando prima eſt canina vocatur. Divus Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum monachum: Pomparum ferculis procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. Idem obtrectatores ſitos ſubinde canes appellat. Sumptum à genere philoſophorum, quos κυνικοὺς appellant: ſive ob ſordidam vitam, ſive quod obvios quoſque mordeant: quum mendicato vivant, more canum.

Litem incipere.

In eum qui jam provocatus aggreditur conviciis agere, congruet illud ex Iliad. α

ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ... ἔγχος ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ.

Haſtam corripuit robuſtam cuſpide acuta.

Cui diverſum illud, Haſtam abjecit: quod alibi retulimus ex Cicerone.

Ne allia comedas & fabas.

Μὴ σκόροδα φαγὼν μηδὲ κυάμους: id eſt, Ne edas allia & fabas. Proverbiali videtur ænigmate dictum, pro eo quod eſt, ne bellis, neve in judiciis adſis. Nam in bellum inferebantur allia cōmeatus militaris. Atq; utinam ita fatis comparatum eſſet, ut hoc peſtilentiſſimum hominum genus, qui bellis delectantur, præter allia nihil habeant unquā quod edant: aut ſi quid alliis etiam eſt deterius. In judiciis fabas eſitabant, ne obdormiſcerent. Hæc quidem Suidas. Etiamſi magis puto referendum ad calculos fabarios, quibus antiquitus ferebantur ſuffragia.

Ptolemaica lis.

Πτολεμαϊκὴ δίκη, id eſt, Ptolemaica lis. Diogenianus indicat dici ſolitum in litium avidos. Anus quæpiam fuit Ptolemais, quæ quoad vixit, lites agitabat, nec unquam à cauſis agendis erat feriata.

Ultra Hyperbolum.

Vide ſuperius in loco, Maledicentia.

Tetigit lapidem à cane morſum.

Plinius lib. 29. cap. 5. de veneno rabidi canis agens: Tanta, inquit, vis mali eſt, ut urina quoq; calcata rabioſi canis noceat, maxime hulcus habētibus. Remedium eſt fimū caballinum, aſperſum aceto, & calefactum in vino appoſitum. Minus hoc miretur, qui cogitet lapidem a cane morſum, uſq; in proverbium diſcordiæ veniſſe. Hactenus Plinius. Cujus e verbis conjicere licet, vulgo creditum fuiſſe, ſi quis lapidē à cane morſum contigiſſet aut calcaſſet, eum iracundiorem evadere, & ad diſſidia propenſum. Fortaſſis ita dictitabant in hominem conviciatorem ac rixoſum; Hic lapidem calcavit à cane morſum.

Syrbenæ chorus.

Συρβήνης χορός: id eſt, Syrbenæ chorus. De choreis incompoſitis ac tumultuoſis olim dictitatum. Nam σύρβα quidam vocem exiſtimant, qua ſubulci erga ſues utantur: unde & σύρβα pro tumultu abutuntur. Ceterum Heſychius interpretatur σύρβα μετὰ θορύβου. Idem mox addit, σύρβη Græcis ſonare thecam fiſtularem: unde συρβηνεὺς dicatur tibicē, aut tumultuoſus: Uſurpat Athenæus li. 15 ἐπεὶ

Θόρυβος κατεῖχε τὸ συμπόσιον, ἔφη, τίς οὗτος ὁ συβηνίων χορός; id eſt, Cum convivium eſſet plenum tumultus: Quis, inquit, iſte ſyrbenæorum chorus? Sic enim conſtanter refert hanc vocē Athenæus. Uſurpat idem pagina ejuſdem libri proxima: & aliquanto poſt ex Clearcho docet, quis ſit συβηνίων χορός, videlicet in quo quiſque quod ſibi viſum fuerit canat, nec auſcultet quid præſcribat is qui choro præſidet, quique docet, quemadmodum oportet canere. Vidimus olim Lutetiæ ludicram agi comœdiolam, in qua plures concinebant, ſed ita temperatis harmoniis, ut omnia diſſonarent. Id erat curatum ab artifice muſices, nam imperitus non idem poſſet. Ducta videtur metaphora à diſſono illo porcorum grunnitu. Non intempeſtive dicetur in homines inter ſe diſcordes & querulos: aut ubi offendet aures imperitorum cantorum ſymphonia diſcors.

Eretrienſium Rho.

Ἐρετριέων ῥῶ: id eſt, Eretrienſium Rho. ubi quis crebrius & aſperius eam literam ſonaret. Quo nomine nunc male audiunt apud Gallos Picardi. Notantur item quibus Alcibiadis labdaciſmus impendio placebat. Ridetur Arrius à Catullo, quod

Chommoda dicebat, ſiquando commoda vellet
Dicere, & hinſidias Arrius inſidias.
Ac tum mirifice credebat ſe eſſe locutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinſidias.

Adagium refertur à Diogeniano. Meminit Plato in Cratylo: οἶσθα ὅτι ἐπὶ τῷ αὐτῷ ἡμεῖς μὲν φαμὲν σκληρότης, Ἐρετριεῖς δὲ σκληροτήρ. i. Scis quod nos pro eodem dicimus ſclerotes, id eſt, durities, pro quo Eretrienſes ſcleroter. Ex quo liquet, Eretrienſes adamaſſe hanc literam, quam loco σ ſuppoſuerint: quum contra Athenienſes, eam verterint in σ, ut θαρσεῖν pro θαῤῥεῖν. Quoniam ea litera dicitur impetus ac vehementiæ ſignificationem habere, videtur & in homines præcipites ac violentos congruere proverbium.

EX APPEND. ERASMI.

Hæc Helena.

Αὕτη Ἑλένη, ὑπὲρ ἧς ἐμονομάχουν. Hæc Helena pro qua digladiabantur. Lucianus agens de duobus Peripateticis, lucri cauſa apud Judices contendentibus. Menelai & Paridis ſingulare certamen vide Iliad. 3.

IVNII. *Funem contentionis ducere.*

Contentionis funem ducere proverbialiter extulit. Tertullianus non ſemel, pro altercari & litigis contendere: ut libr. iiij. adverſus Marcionem: De titulo quoque Tertul. funis ducendus eſt contentionis, pari hinc inde niſu fluctuante. & in libro de Reſurrectione carnis. Nolo nunc contentioſo fune deducere, hac an illac homines perditio depoſtulet. Rurſus in initio libri adverſus Judæos: Alternis vicibus contentioſo fune uterque diem in veſperam traxerunt.

Cum Muſis certare.

Ἀγωνίζεσθαι ταῖς Μούσαις, id eſt, Cum Muſis certamen inire, dicetur proverbialiter, qui doctrinæ quam callet indubitata certitudine, cauſæq; bonitate confiſus, cum doctiſſimo quoq; congredi, & in diſputationis palæſtram deſcendere non dubitārit. Galenus in fine lib. 1. Therapeutices methodi: ἀλλὰ καὶ τὸν παλαιὸν αὐλητὴν ἱέρων, ἀμιλλᾶσθαι τῶν ἀγῶν ταῖς μούσαις. Equidem antiquiſſimi tibicinis exemplo ô Hieron, etiam cum Muſis concertarim. De Thamya Thrace ſentit, niſi fallor, cui tamen peritia ſuæ confidentia parum proſpere ceſſit, orbitatis pœna victo inflicta. unde hoc loco recte φιλόνεικον cum ut ambitioſum vocat Galenus. Non alieno hinc ſenſu συγχορεύουσι ταῖς μούσαις, dixit Philon Judæus literatos viros, quaſi cum Muſis choros ductitarint.

IOANNIS VLPII.

Terram & aquam poſcere.

Γῆν καὶ ὕδωρ αἰτεῖν, hoc eſt, Terram & aquam poſcere, & γῆν καὶ ὕδωρ διδόναι, i. Terram & aquam dare. Græci dicunt pro bellum alicui inferre, & bellum cum aliquo ſuſcipere. Æſchines.

COGNATI. *Diſſidii pomum.*

De eo qui ſeminarium litium & rixarum ſpargit, diſſidii author, proverbialiter dixit Nicephorus Calliſtus libro decimo quarto, τὸ φιλονεικίας μῆλον εἰς μέσον βάλλειν, id eſt, Contentionis pomum in medium projicere. ubi craſſo errore lapſus eſt interpres, ita vertens: Contentionis ovem, vehementer eam perſtringens, in medium protulit. Alluſit ad fabulam de pomo, quod Eris diſcordiæ dea in convivio deorum projecit inter accumbentes deas, inſcriptum, ut pulcherrimæ cederet. qua de re Lucianus legatur.

COGNATI. *Mulierum ritu altercari.*

Et hoc à Gallis proverbii vice uſurpatur. Livius lib. iiij. Sedemus deſides domi, mulierum ritu inter nos altercantes. Cicero in Parador. Quoniam verbis contendimus inter nos. Gregor. Theolog. lib. primo Sentent.

Λόγῳ παλαίει πᾶς λόγῳ, βίῳ δ' οὐ τίς.
Id eſt,
Contendit ore quiſque, nemo moribus.

Mulierum etiam & puerorum eſt, mordicus certare. Plutarchus de Alcibiadis moribus: Cum puer adhuc eſſet Alcibiades, inquit, in lucta preſſus, ne caderet, prementis manus, quibus nexus tenebatur, ad os attraxit, mordicuſque impetiit: ſicque dimiſſus, ab eo dicente Mordes ô Alcibiades tanquam mulieres: Nequaquam, inquit, ſed ut leones. Vide alibi, Leones. Hinc non diſſimile in Afranii privigno, citante Nonio: Interea verba jactare, & labris inter ſe velitari velificarier. Velitari, pro leviter contendere, dictum à militum congreſſione. Sic illud Turpilii magis huc accedit: Comparce verbis velitare, ad rem redi.

Poſt verba verbera.

Eſt vulgare proverbium. Humili loco poſitis eſt ſolenne, rixari ac jurgari: poſt ubi ſe mutuo conviciis, maledictis, clamoribus ſatis ad ravim exercuerunt ac proſciderunt, tandem ad manus venire, & litem decidere pugnis & calcibus:

Comitiales.

Comitiales contrarii ſunt Nefaſtis itaque luſit Plautus Pœnulo;

Non potuiſti adducere homines magis ad hanc rem idoneos:
Nam iſtorum nullus nefaſtus eſt. comitiales ſunt meri:
Ibi habitant, ibi eos conſpicias, quam Prætorem, ſæpius.

Hic comitiales litigioſi dicuntur, & qui in comitio propter lites quaſi habitare videntur, inquietantes Prætoris tribunal: qui ſi nihil eſt litium, litem ſerunt.

Eurycles.

Plato in Sophiſta: Qui illis aut nihil efficit, aut retro repellitur, numquam ut proverbio fertur, expugnabit urbem.

Gigantum pugna.

Ibidem, videtur enim inter eos quaſi Gigantum pugna eſſe quædam.

Tricones.

Tricones dicuntur contentioſi, & litium peramantes. Feſtus dicit, vetus eſſe verbum, quo uſus eſt Capitolinus in Ælio Vero.

EX APPEND. IVNII, TVRNEBI, & aliorum.

Andabatæ.

Olim poſt curricula Circenſia ſero, noctiſq; tenebris depugnabant homines interdum è curru, heroum antiquorum more. Duo autem homines ſedebant in curru, auriga & παραβάτης. quidem etiam ἀναβάτης, id eſt, adſcenſor, ſeu andabata, ... more formationis: cum autem noctu pugnarent, nec ſe prope viderent, ut ludicrum etiam augeretur, interdum oculis etiam clauſis pugnare cogebantur. Turn. xix.

EX APPEND. IVNII, CANTERI, & aliorum.

Cane milite pejor.

De inſigniter feris & immanibus extulit Prud. in Apothe. quo loco, ut is quatuor ab hinc annis à me caſtigatus eſt, cum poeta oſtendiſſet neminem aut philoſophiæ, aut ſuperſtitionibus adeo addictum olim fuiſſe, ut non concedat uno ab aliquo numine moveri omnia ac regi, addit,

Iſtud & ipſe Numæ tacitus ſibi ſenſit haruſpex:
Semifer & Scotus ſentit cane milite pejor.

Vide comment. noſtrum Milites Canes Moloſſorum ſunt: eorum enim reges, ut & Mithridates Ponti, corporis cuſtodes habuerunt canes efferatos, quos in hoſtes ante fugam immiſerant. Talibus nunc utuntur Armorici in littore Britannico, ad cuſtodiendum Archangeli templum. Tales aliquando in quibuſdam Græciæ inſulis fuere, ſolis Turcis infeſti. Alii ſimpliciter accipiunt de canibus pugnantibus inter ſe, aut cum feris, ex illo Horatii epiſtol. 1.

Militat in ſylvis Catulus.

SALVBRITAS.

ERASMI. *Crotone ſalubrius.*

Κρότωνος ὑγιέστερος. id eſt, Crotone ſalubrius. De re nequaquam noxia, ſed undequaque ſalutifera. Zenodotus ab animante ſumptam parœmiam exiſtimat. Eſt enim Croto, muſcæ genus: Theodorus redivum vertit: Hermolaus mavult ricinū dici Latine, placidum & innoxium, neq; ſectu, neque alia quapiam re moleſtum. Strabo libro Geographiæ ſexto, tradit hinc ortum, quod Crotoniatarum locus longe ſaluberrimus olim fuerit judicatus, vel hoc argumento, quod brevi temporis ſpacio quamplurimos produxerit, tum athletas, tum philoſophos. hoc eſt, corporibus pariter atque animo præſtantes viros. inter athletas præcipuum Milonem, inter philoſophos Pythagoram. Idem eodem libro tradit, Myſcellum & Archytam pariter Delphos adiiſſe, ut de urbe condenda conſulerent oraculum: & alterutrum pollicente deo, Architam opes delegiſſet Miſcellum loci ſalubritatem: illum itaque Syracuſas condidiſſe, hunc Crotonem: quarum urbium altera ceſſit in proverbium opulentiæ, altera ſalubritatis. Alluſit ad hoc proverbium Palladas in epigrammate:

Οὐκ ἀλόγως ἐν δεξιοῖσιν ἐπίθεσιν ...
Εἶναι ἰητὴρ ... χερσίν.

Ἡ παλαιὰ

[illegible Greek verse]

id eſt,

Divinum quiddam, vimque admirabilem ineſſe
Dizythus, certe diximus haud temere.
Namque here quem febris longa & quartana tenebat;
Jam delaſſatum conficiens miſere,
Dizython admovi; neque erat mora longa, Crotone,
Hoc ubi feciſſem, ſanior ille fuit.

Suidas mavult ad animalis ſimilitudinem referri, quod undique ſui ſimile ſit, nec ullam habeat inciſionem. Nam ὑγιὴς interdum integrum dicitur: ut, Integer vitæ, integer mentis: pro quo Græci ὑγιής. Eſt autem inſecti genus, canibus ac bubus infeſtum. Suſpicor eſſe, cujus ſine nomine meminit Plinius lib. 11. cap. 34. Semper habet caput infixum ſanguini; quumque cibi exitum non habeat, nimia ſatietate dehiſcit. Nunquam in jumentis gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando, in quibus omnia: in ovibus & capris hoc ſolum. Verum pro inſecto Stephanus indicat ultimam oportere acui, κροτών. Heſychius addit. Crotonem dici genus gummi Ægyptii: cujus varias medicinas indicat Plinius libro vigeſimo quarto, capite undecimo. Quidam ajunt, & Seſamidem dici Crotonem: fortaſſis eandem quam Plinius lib. 25. cap. 5. appellat Seſamoides, quod ait elleboro admiſceri ſolitum, quo tutius ſumeretur, id eſt (ni fallor) ellebori genus, quod Italia veratrum appellat. Quoniam hæc herba non ſolum corpus morbis alias immedicabilibus liberat, verum & animum purgat ab inſania: non admodum diſſimile veri videtur, hinc ductum proverbium, Crotone ſalubrior. Seſami meminit & Dioſcorides. Seſamæ Plinius. Libro decimoquinto, capite ſeptimo, meminit Seſami, quod ſit arboris genus, unde confici ſolet oleum: quam alii vocant Cyci, voce, ut videtur, Ægyptia, alii Crotonem, alii Rhibim, alii Siſamum ſylveſtre. Ibidem indicat & ex caſtaneis & ex oriza fieri ſimile genus olei. Rurſum libro vigeſimoſecundo, capite vigeſimoquinto, meminit Seſamæ cujus in remediis varios uſus indicat. Cæterum quid ſit dizithum in epigrammate, nondum compertum habeo, niſi quod Plinius libro eodem circa finem oſtendit zythum eſſe potionem apud Ægyptios repertam, ex frugibus: hinc δίζυθον dictum videtur, quaſi dicas duplicem cerviſiam. Hac tibi medentur & hodie Sibuli quidam.

Cucurbita ſanior.

Κολοκύνθης ὑγιέστερος, id eſt, Cucurbita ſalubrior: Suidas & Zenodotus pro adagio referunt. Athenæus libro tertio, citat hunc verſiculum ex Epicharmo:

ὑγιέστερος δ' ἦς τι κολοκύντας πολύ.

id eſt,

Eratque longe ſanior cucurbita.

Verſus Græcus conſtabit, ſi legas ἦς γε. Nam ut nos adduximus, habetur in Athenæo ædito per Aldum. Unde ſit natum, non indicat. Proinde divinandum id inde ductum, vel quod cucurbita non facile læditur aeris vitio, propter cruſtum quo tegitur: vel quod ea variis remediis efficax eſſe perhibetur, quemadmodū indicat Dioſcorides lib. 2. item Plinius libro vigeſimo, capite tertio. Nec una tantum ſpecies ad remedia: valet & ſativa, quam Græci κολοκύνθην appellant, valet innanis intus ſylveſtris, quam Græci ſomphon, ut ait Plinius, dicunt: valet & ſativa minor κολοκυνθίς, quaſi dicas cucurbitulum. Mihi videtur non abſurde ductum hinc proverbium, quod cucurbita undiq; turgeat integra, nec rimis hians nec vermiculis obnoxia: Eſt autem integritas & obeſitas corporis, ſanitatis argumentum. Cognatum illi quod alias recenſuimus, κρότωνος ὑγιέστερος, id eſt, Crotone ſalubrior.

Valere pancratice.

Plautus in Bacchidibus, Valere pancraticè dixit: pro eo quod eſt, firma eſſe valetudine. Nam in Pancratiſtis robur corporis potiſſimum ſpectabatur. Pro eodem dixit, Valere athletice, Valere publice, Valere baſilice. Terentius item: Pugilem eſſe ajunt de puella robuſtiore & habitiore. Græci βασιλικῶς pro magnifice, proverbiali figura dicunt. Neque is ſermo vulgo non tritus eſt, etiam hodiernis temporibus.

Saniores piſce.

Proverbialiter haud dubie dixit Juvenalis. Saniores piſce. Nam ad eum modum hodieq; vulgo loquuntur. Tam ſanus es quam piſcis. Id inde ſumptum eſt, quod creditum eſt, piſces non ſentire morbos. Quanquam huic ſententiæ refragatur Ariſtoteles libro De natura animalium octavo, atq; ſecutus Plinius libro nono. Siquidem ægrotare piſces hoc argumēto colligunt piſcatores, quod aliquoties inter ejuſdē generis præpingues ac vegetos, aliquot capiunt extenuatos, ac languentibus ſimiles, coloreque immutato. Quanquam univerſo piſcium generi non incidit peſtis, quemadmodum frequenter accidit hominibus, ac cæteris animantibus, non cicuribus modo, verum etiam feris.

Tria ſaluberrima.

In eodem opere, quandoquidem nullo autore refert, videtur & hoc proverbii fuiſſe jactatum: Sed præſtat ipſius verba tranſcribere: [illegible Greek], id eſt, Unde optime dictum eſt, cibi ſatuitatem, non refugere laborem, naturæ ſemen conſervare, eſſe ſaluberrima.

SCIENTIA.

COGNATI. *Nil ſcientia potentius.*

Plato in Pythagora. Nos quidem conſenſimus, nihil ſcientia potentius eſſe, imo ſemper ubicunq; adeſt, voluptati, conjunctiſque cæteris dominari. Actio autem erraus, & quam ſcientia non regit, ab inſcitia provenit, quapropter, quod dici ſolet à voluptatibus ſuperari, extrema inſcitia eſt. Quod vero dicitur ab affectionibus ſuperari, nihil eſt aliud, quam inſcitia: & quod affectibus dominari, nihil quam ſapientia. Sunt qui inſcitiam dicunt, quando quis falſa opinione decipitur circa res plurimi faciendas. Scientia autem nobilitas. l. providendum, in gl. C. de poſtuland.

SCVRRILITAS.

ERASMI. *A ſexaginta viris venio.*

Athenienſes mire delectantur iis, qui riſum dictis aut factis movere norunt, adeo ut ad hoc in Diomeo, aut Heracleo ſexaginta convenirent, qui in civitate nominabantur ſexaginta viri: quemadmodum nos dicimus duum viros, trium viros, & decem viros, magiſtratum ſignificantes: ut ſi quid ridicule dictum eſſet; vulgo ita loquerentur οἱ ἑξήκοντα τοῦτο εἶπον, id eſt, Sexaginta viri hoc dixerunt: aut ἀπὸ τῶν ἑξήκοντα ἔρχομαι, id eſt, A ſexaginta viris venio. Refert Athenæus libro decimoquarto. Erat Athenis tribus, quæ dicebatur διομεῖς, a Diomo quodam Colyti filio: unde διομιεῖς, ut ex Heſychio licet conjicere. Poterit per ironiam dici in dictum ineptum & agreſte, Dictum ſexaginta viris dignum: aut in ſtulte dicacem, Hic nobis venit à ſexaginta viris.

Equitandi peritus ne cantet.

Ἱππικὴν διδαχθεὶς μὴ ᾄδε, id eſt, Equitandi peritus nè cantet. Sumptum a Poeta quopiam, in eum qui profeſſus res ſerias verſatur in nugis. Equitatio militaris eſt, & ad bellum pertinet. Muſici ſunt imbelles ac voluptatum ſectatores. Gregorius Theologus in epiſtola ad Eudoxum rhetorem: [illegible Greek], id eſt, Eum qui didicit artem equitandi, non vult canere poetis, ne qua eveniat, ut ſimul & in equitando aberres, & in canendo. Nondum liquet è quo Poeta ſumptum ſit, ſed dictum videtur in Thebanos qui duas artes præcipue diſcebant, equitandi & canendi tibiis quum altera parum alteri congruat.

IVNII. *Gephyræ & Gephyriaſmoi.*

Γέφυροι & γεφυραῖοι & γεφυρισταί, quaſi Pontani, proverbialiſſale dicuntur mordaces & dicaculi homines, qui dentatis morſibus conviciantur. Nota origo à more Athenis recepto, Eleuſyniorum myſteriorum tempore. tunc enim in ponte (per quem ad Cereris templum ibatur) ſedens quiſpiam velata facie, ſcommata jaciebat in prætereuntes cives, ac præſertim optimates, eos conviciis liberis appetens: ut ex Heſychio diſcas. Plutarchus in Sylla, [illegible Greek], id eſt, Conviciatorum quiſpiam carmine in illum luſit tali, Eſt Sylla conditum morum, ſed polline. Herennius Philon in libello de diverſis dictionibus, qui Hammonii titulo nunc circumfertur, γεφυρισμὸν ſcommatis genus eſſe teſtatur, ab Athenenſium moribus tractum, qui in pontibus libellos infames oratione ſive aſtricta, ſive pedibus ſoluta, quibus famam alicujus inceſſerent, deſcribere, & publico in loco præſtituere conſueverant, quem morem imitata eſt Romanorum immodica licentia in Paſquillo ſuo. Meminit, ſed obſcure, Strabo libro nono, his verbis. ἐφ' ᾗ καὶ ἡ γέφυρα, καὶ οἱ γεφυρισμοί, id eſt, Ubi Gephyra, & qui Gephyriſmi, hoc eſt, invectivi ſales, dicuntur, ubi parum dextre Gephyriſmos accolas exponit interpres, conviciis & mordacitate celebres quæ interpretationis ratio prorſus abſurda eſt Græcæ linguæ ſucco imbutis auribus. Hinc γεφυρίζειν pro ſubſannare, & quaſi de ponte illudere, conviciaque facere. Plutarchus de Ariſtione tyranno loquens: [illegible Greek], id eſt, Scurrilia dicta quibus Syllam ejuſque conjugem Metellam de mœnibus frequenter laceſſebat ſanniſconviciiſque in illum debachatus Ariſtion tyrannus. Polybius de eodem: [illegible Greek], hoc eſt, At Sylla parum abfuit quin urbem funditus deleret ira percitus

propter ſcommata, quæ varia in illum toto obſidionis tempore jecerat Ariſtion, ſubſannando illum, & conviciis inceſſendo. Meminit Gephyræ Stephanus, oppidum Bœotiæ eſſe annotans, quæ alio nomine Tanagra dicatur: ἀφ᾽ ὧ, inquit, ἡ γεφυραϊκὴ ἰδιοῖ ubi legendam eſſe arbitror ἰδιωτία, vel ἀδολεσχία ut dicat inde nomen habere Sales Gephyræos. Annotat Heſychius, γεφυρίδα vocari etiam ſcortum quod in ponte proſtaret. Ab his diverſi ſunt γέφυροι, id eſt, Gephyri, progenies illuſtris cujuſdam fœminæ: quæ quum uno partu novenam ſobolem peperiſſet, veritaque ne vulgi convicium de ſcrophæ fœcunditate ſibi impingeretur, habito duorum liberorum delectu reliquos ancillis ſuis de ponte in profluentem demergendos projici mandaverat, ſed fortuito patris peregre redeuntis ſuperventu ſervari incolumes liberi, à ponte de quo præcipitandi fuerant, cognomen ſortiti fuerunt ſalutare, γέφυροι velut Pontani nuncupati. Refertur ab Euſtathio Iliados decimotertio.

Scommata Dionyſiaca.

Διονύσια σκώμματα, id eſt, Dionyſiaca ſcommata proverbialiter dicuntur ſcurrilia convicia, quibus mores hominum flagellantur & perſtringuntur. Syneſius in Dione Pruſæo: νῦν δὲ βάλλοντι Σωκράτην καὶ Ζήνωνα τοῖς Διονυσίοις σκώμμασι καὶ τοὺς ἀπ᾽ αὐτῶν ἀξιοῦντι πάντας ἐλαύνεσθαι γῆς καὶ θαλάσσης, id eſt, Nunc inceſſenti Socratem & Zenonem dicteriis Dionyſiacis, eorumque ſectatores terra marique proſcribendos mandanti. Suidas ex incerto authore. ποτὲ δὲ βάλλων καὶ σκώπτων τοῖς ἐκ Διονυσίων σκώμμασι, id eſt, Interdum convicians, & Dionyſiacis ſcommatibus debacchans. Natum à præ nimia licentia Bacchanalium feſtarum, quæ flagitiis & ſcurrarum dicacitate perſtrepebant.

COGNATI. *Cynicus Momus.*

Cynici dicuntur dicaces, & qui jocis ſcurrilibus delectantur, quibus etiam Diogenes increpare ſolitus eſt molles ac delicatos homines: unde canis nomen ipſi impoſitum eſt. Cicero libro ſecundo Epiſtolarum ad Atticum, de Piſone loquens: Etenim, quantum conjectura auguramur, ſi erit nebulo iſte cum his dynaſtis in gratia, non modo de Cynico conſulari, &c. Itidem per Momos, homines palam obtrectantes ſignificantur, propemodum iis convicium facientes, qui rerum potiuntur. Sed & Cynici non tantum quia obvios allatrabant, ſed etiam ob vitam illiberalem, ab humanitate remotam & munditia, appellantur in Græcia. Horatius:

> Cui canis ex vero ductum cognomen adhæret.

Hunc arbitror propter ſordidam immundamq; vitam eſſe canem appellatum. Menæchmus illud apud Plautum. Hecubam eo canem ait cœptam eſſe appellari, quod, quemcunq; aſpexerat, in eum omnia mala ingerebat. Cicero pro Roſcio, accuſatores cum anſeribus & canibus comparat: alios enim eſſe qui clamare poſſint tantum, non etiam nocere: alios, qui latrare & mordere poſſint: illos anſeribus, hos canibus eſſe ſimiles. Eadem ratione maledicos homines, canes appellare licet.

Στωμύλματα.

Ariſtophanes hoc proverbium eleganter torquere ſolebat in aliquos ſui temporis blaterones inſulſiſſimos, qui ſe poetas jactabant, cum hoc eſſent nomine indigniſſimi, eos etiam ἐπιφυλλίδας appellans. Senarius Ariſtophanis eſt in comœdia quæ inſcribitur Ranæ:

> Ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα.
> Id eſt,
> Epiphyllides ſunt hæc & ampullæ meæ.

Galba.

Galba, ut aſſerit Tranquillus de Servio Galba, olim Gallis per jocum præpinguem denotabat, quæ vox paulatim illis excidit, & penes Germanos, unde prius fluxit, adhuc hodie in uſu eſt, qui in hac ſignificatione mutatis quibuſdam literis, & jam hodie per jocum dicunt Kalb: quod de vitulo bene ſaginato proprie apud eos dicitur. Ægidius Tſchudi in Rhetica deſcriptione ſcribit, quod etiam hac adhuc ætate Helvetii pinguem hominē vitulum vocant. Vitulus autem Celtica lingua, Calb ſignificat. Sed Romanos Galb pro Calb, ut Gaius pro Caius, protuliſſe.

Albati ſcurræ.

Hodie etiam uſurpatur in ſacerdotes factioſe dimicantes, quique ſcurrilem levitatem in verbis & geſtu præferunt. Albati enim ſunt, candida toga induti, qua ſacra facturi utuntur. Virgil.

> Velati lino.
> Ovid. 3. Faſt.
> ——Atque caput niveo velatus amictu
> Idem 3. Amorum:
> ——Velati veſtibus albis.

Democriti. Heracliti.

Bud. lib. Epiſt. 4. Philecoo ſcribens: Qui rerum ſtatus, inquit, præpoſterus, etſi hodie Democritos multos excitat inter homines dicaces, ridiculiſque gaudentes, vereor tamen ne Heraclitos longe plures mox faciat. Voces ſunt celebres, & in ore omnium. Democritici autem dicti ſunt a Democrito Abderite, homine ad ridendas vulgi ineptias & curas inanes maxime propenſo: qui ideo Gelaſinus dictus eſt, de quo Horat. libro 2. Epiſt. ad Auguſtum:

> Si foret in terris rideret Democritus.——

Hunc quoque commemorat Cicero, de riſu verba facturus. libro ſecundo De orat. ad Q. fratrem: Atque illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus, & quomodo ſimul latera, os vultum, oculos occupet, viderit Democritus. Heraclitici vero humanam ſtultitiam lamentantur: dicti ab Heraclito Epheſio, qui omnes humanas res calamitoſas & deflendas eſſe exiſtimavit. De utroque Lucianus in vitarum auctione: & Aloyſius Luſinus De compeſcendis animi affectibus, libro ſecundo, capite decimo, in fine. Fruſtra Democritus eſſe contendis, cum jam ob habitum diu contractum Heraclitus effectus ſis. Ab hoc Heraclito dicti quoque ſunt σκοτεινοί, id eſt, tenebroſi. Vide Heracliti dicta.

Παντολάβοι.

Pantolabus, notiſſimi ſcurræ nomen apud Horatium in ſatyr. 8. lib. 1. & in 1. lib. 2. quem numerat in plebe, ſatyrice & urbane. Ab eo in proverbiis noſtris παντολάβοι ab omnibus petentes & accipientes dicuntur, οἱ παρὰ παντὸς τοῦ προστυχόντος λαμβάνοντες καὶ αἰτοῦντες. Budæus Longolio: Non vult autem pater ejus Pantolabum eum eſſe.

MELCHIORIS NEIPEI.
Cybiotates.

Alexandrini dicaces natura, & liberioris linguæ, Veſpaſianum immenſa pecuniæ aviditate laborantem, ac ſubinde vectigalia civitatibus, & tributa provinciis augentem, omnibuſque e rebus, etiam ſordidis, lucri odores venantem infami convicio Cybioſacten vocabant cognomine unius è regibus ſuis turpiſſimarum ſordium. Suet. in Veſpaſiano 19. Sic enim ibi vulg. leg. A quo non abludit quod Giſelinus in quodam manuſcript. legit. cibotandem, vel cybotantem, mendo propriis nominibus per familiari. Quin & Strabo libro 16. ubi Ptolemæorum genealogiam recenſet, hunc Cybioſactem nominat, qui maritus per aliquot dies fuerit filiæ Ptolæmei Auletæ. Si non acturis locus eſt, putem dictum fuiſſe Cymbotatem: cum Heſychius teſtetur, κύμβος ſignificare fundum ollæ fictilis, & κυμβίον jaci ſolere in porcos & ſordidos: vel cimbotatem à κίμβιξ, quod valet ſordidus, ἀπὸ τοῦ κιμβάλλειν χερσίν. Euſtat. qua voce etiam Ariſtot. Ethicor. 25. genus quoddam avarorum hominum notat, ſed hæc incerta: neque ego quicquam ſtatuo. Vtemur vulgata voce, dum alia certior reperiatur; in principes ſumme avaros, & omnes undique cauſſas exenterandis ſubditorum loculis venantes, nunc proponendo decimationes bonorum, vel proventuum: nunc mercimonia certa vi pecuniæ taxando: quin & quibuſcunque annonæ partibus, ut frumento, vino, cerevisiæ, aliiſque ad victum ſpectantibus, vectigal aſſignando quantum libet, & quoties libet. Philippus Gallorum rex, qui vectigal ſali impoſuit, quod magna adhuc tyrannide gravat Galliam, merito Cybioſactes dici potuit: quanquam poſteri quoque infamie hoc vocabulum non ſatis longe à ſe repellere videantur, qui hominis jamdiu ſepulti ſortes imitando aſſeruut, ſed, ut ille ait, lucri bonus eſt odor ex re qualibet.

SECVNDÆ EXPERIENTIÆ.

ERASMI. *Poſterioribus melioribus.*

Inter Græcanicas parœmias refertur, δευτέρων ἀμεινόνων: id eſt, Alteris melioribus. Quo ſignificabant, ea quæ prima experientia parum bene ſucceſſerant, ſecunda nonnunquam commodius evenire: & prioris conſilii erratum, poſteriore conſilio corrigi. Quod quidem nonnulli putant à ſacris ortum, in quibus ſi prima victima non fuiſſet litatum, iterabant ſacrum, meliora ſperantes, id quod ſatis indicat leno Plautinus, qui ſæpius Veneri cæſa victima litare non poterat. Plato lib. De legibus quarto, videtur ad talorum jactum, aut luſum conſimilem referre: propterea quod non raro fit, ut cui luſus incommode ceciderit, is de integro novari ludum atque iterari poſtulet, ſperans fore ut jam felicius ludat. Ait enim, πάλιν οὖν οἷον φασὶν οἱ παίζοντες, ἀμεινόνων ἐξ ἀρχῆς δευτέρων ἐπαναπολήσωμεν, id eſt, Rurſum igitur, quemadmodum ludentes dicere conſueverunt, ſecundis denuo meliorib. repetamus. Quanquam & hoc loco παίζοντες, referri poteſt non ad luſum aliquem, ſed jocum magis proverbialem. Sed interpretamento priori Tullius adſtipulatur, qui ſecundo. De divinatione libro ſic ait, Quæ eſt autem inconſtantia deorum, ut primis minentur extis, bene promittant ſecundis? Idem in Philippicis oratione 12. Poſteriores enim cogitationes, ut ajunt, ſapientiores eſſe ſolent. Idem ad

Quin-

Quintum fratrem: ego vero nullas δεύτερας φροντίδας habere poſſum in Cæſaris rebus, hoc eſt: Nullum idoneum reperio conſilium, quo ſuperioribus malis poſſim mederi. Huc reſpexit & Davus ille Terentianus, cum ait,

Hac non ſucceſſit, alia aggrediamur via.

Quin eodem alluſiſſe videtur & Ariſtoteles primo τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ libro, cum ait, δεῖ δὲ εἰς τοὐναντίον καὶ τὸ ἄμεινον, κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποτελευτῆσαι. Loquitur de his, qui cauſarum naturalium admiratione provocati accedunt ad philoſophandum. Quos cauſis cognitis vult jam deſinere mirari, & ad meliora converti. Porro proverbium videri poteſt ex Euripidis ortum tragœdia, cui titulus Hippolytus coronatus.

——Κἀν βροτοῖς
Αἱ δεύτεραί πως φροντίδες σοφώτεραι.

Id eſt,

Si quidem ſolet mortalibus prudentior
Poſterior eſſe aliquando cogitatio.

Verba ſunt nutricis ad Phædram, quaſi recantantis ac palinodiam canentis ſuperioris orationis, poſteaquam vidit eam de moriendo cogitare. Reſpexit huc & in Supplicibus.

Ἀλλ' ἐν δόμοις μὲν ἤν τι μὴ καλῶς ἔχῃ,
Γνώμαισιν ὑστέραισιν ἐξορθούμεθα,
Αἰῶνα δ' οὐκ ἔξεστι.——

Id eſt,

In ædibus ſi quid parum recte eſt, licet
Corrigere poſterioribus ſententiis,
At non item ævum.——

Inde & metanœa dicta Græcis, quod poſterior cogitatio perſpicit aliter agendum fuiſſe.

Danda venia lapſo.

Qui dicet aliquando dandam veniam, ſi quid erratum ſit per incuriam (neque enim hominis eſſe, ut ſemper exactam præſtet diligentiam) uſurpabit illud ex Odyſſ. v.

Ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀΰπνους ἔμμεναι αἰὲν
Ἀνθρώπους.——

Id eſt,

Haud quaquam fieri potis eſt, ut pervigil uſque
Mortalis duret.——

Deſtitutus ventis remos adhibe.

Quum res non ſuccedit ut volumus ad alia præſidia confugiendum eſt; aut quum fortuna eſt adverſa, tum magis ad laborandum. Refert adagium Hermolaus in Epiſtola quadam Græca, quæ Politianicis admixta eſt, καὶ τοῦ πνεύματος ἐπιλείποντος ἀμφοτέρων φασὶν, ἐπὶ τὰς κώπας χωρεῖν, id eſt, Et deſtitutis ventis, ad remos, quod ajunt, te confer.

EX APPENDICE ERASMI.

Alteris melioribus.

Πάλιν δευτέροις ἀμεινόνοις ἐξ ἀρχῆς δεύτερον ἐπαναπολήσωμεν. Rurſum igitur ſecundis denuo melioribus repetamus δεύτεραι γὰρ φροντίδες σοφώτεραι. Secundæ enim cogitationes prudentiores. Vide alibi. Poſterioribus melioribus: &. Poſteriores curæ meliores. Tractum è ſacris, ubi cum in unis hoſtiis ſecunda non apparerent, ad alteras ibatur. Plato. Ariſt. Euripides. Ariſtides. Heſych. Pavorinus. Huc reſpicit illud Davi Terentiani, Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via. Neque male quis & illud huc referat, quod alibi non ſatis recte explicatur: Mactata veniet lenior hoſtia.

IVNII. *Semel in laqueum vulpes.*

Ἅπαξ ἀλώπηξ εἰς πάγην.

Id eſt,

Vulpes ſemel laqueum ſubit.

Jambicus dimeter proverbialis de aſtutis hominibus, quos haud proclive eſt poſt primum errorem irretitos tenere: ſed expertus quantum opum hauriant lites, quantumque moleſtiarum pariant, iterum laqueos declinat, & cum piſcatore ictus ſapit poſtliminio. Prudentis non eſt, denuo eundem in lapidem pedem offendere. Conjugii turbas repetentem naufrago comparat Græcum epigramma, jam ſecundo pelagus tentanti. Annotat Suidas etiam aliter efferri. οὐκ αὖθις ἀλώπηξ, Non iterum vulpes, ut ſubaudiatur, εἰς πάγην, in laqueum.

COGNATI. *Poſteriores prioribus priores.*

Multis ferme in rebus favor novitatis, ſuperiorum obliterat gratiam. Modeſtinus lib. 1. Pandect. tit. 14. de conſtitutionibus principum. cap. ultimo. αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν, id eſt: Conſtitutiones tempore poſteriores potiores ſunt iis quæ ipſas præceſſerunt. Paulus eod. lib. tit. 3. de legib. Non eſt novum, inquit, ut priores leges ad poſteriores trahantur. ideo, ubi ibidem inquit Tertullian. quia antiquiores leges ad poſteriores trahi, uſitatum eſt. Promulgatur enim altera prioris legis infirmandæ cauſa. Cicero Philipp. 11. Poſteriores enim cogitationes (ut ajunt) ſapientiores eſſe ſolent. Quum Cicero addit (ut ajunt) oſtendit eſſe proverbium. Eſt autem de Græcis his verbis interpretatum: δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι. Huic affine illud Eraſm. Poſterioribus melioribus.

Δευτέρων ἀμεινόνων.

Scite κατὰ παροιμίαν dicunt Græci, δευτέρων ἀμεινόνων; cujus adagii origo ab iis deſumpta eſt, teſte Heſychio & Phavorino, qui cum primis ſacris non recte litaſſent, ad ſecunda meliora ſe accingebantur. Tum enim δευτέρων ἀμεινόνων dicebant. Inde porro ad alia transfertur; quæ poſtquam primo eventu minus e ſententia ſucceſſerunt, ſecundo melioribus (ut ita dicam) avibus repetuntur: quemadmodum ſolent & δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι dici. Uſus hujus parœmiæ reperitur apud Ælium Ariſtidem, rhetorem diſertiſſimum, duobus in locis. Primum enim in pulcherrima illa, quam in urbis laudem habuit oratione extrema ad Romanos & peroratione: δευτέρων φασὶν ἀμεινόνων. Iterum vero, ἐν τῷ εἰς τοὺς αἰτιωμένους, ὅτι μὴ μελετῴη, hæc ſunt ejus ad amicum in initio verba. καὶ ὅπως σοι μὲν πλοῦν ἡμῖν ἐξ ὑγείας τε καὶ εὐπραγίας, καὶ δευτέρων ἀμεινόνων ἀγγείλῃς, &c. quorum verborum hic ſenſus eſt: Ut autem tu quidem vento ac avibus fauſtis, ſecundiſque melioribus navigare nobis annuncieris, &c. Vide poſt, Succidanea hoſtia, ubi de ſecunda quoque navigatione.

Succidanea hoſtia.

Cum prima hoſtia non litabatur, aut effugerat, & ſuccidaneæ hoſtiæ immolabantur, ad deos placandos, meliores (ut opinor) dari dicebantur, ad quem ritum Virgil. Æneid. v. reſpexit, cum ſcripſit,

Hanc tibi Erix meliorem animam pro morte Daretis
Perſolvo.——

Cum enim Daretem tanquam hoſtiam ſacris voviſſet, & interficere decreviſſet, proinde quaſi ea hoſtia grata heroi non eſſet futura, nec litatura, ſuccidaneam ſeſe meliorem dare demonſtrat. Nam in ſacris ſuccidaneis, Græci per euphemiſmum, δευτέρων ἀμεινόνων dicere ſolebant. De quo ante me annotaſſe, nunc primum recordor. Sic & libro 1:.

Hoc habet hæc melior magnis data victima divis.

Quo & aliud proverbium Græcum pertinet, δεύτερος πλοῦς. Prima autem navigatio temeraria magis plerumq; & improvida eſt; & ſecunda non raro ejus peccatum corrigit & emendat. Secunda quidem victima, & ſecunda navigatio, poetis uſitata & familiaria ſunt. Turnebius Adverſariorum libro 22. c. 18. Secunda navigatione, ut in proverbio eſt, placuit tentare pelagus, & aliud quiddam probabilius periclitari.

SECVRITATIS ET REI TUTÆ.

ERASMI. *In tranquillo eſt.*

Ad hanc formam pertinet Terentianum illud ex Eunucho: Tum autem Phædriæ meo fratri gaudeo eſſe amorem in tranquillo, item illud: Qui te in ſcopulum e tranquillo auferat, & quod alibi diximus: Ego in portu navigo, item illud: In terra ſunt. Eadem autem loquutionis ſpecie dicimus, In tranquillo, qua dicimus In tuto, in proclivi.

In vado.

Metaphora proverbialis, In vado eſſe: pro eo quod eſt in tuto citraque diſcrimen: ſumpta à natantibus aut navigantibus. Terentius: Omnis res in vado eſt. Plautus in Aulularia: Hæc propemodum jam eſſe in vado ſalutis res videtur. Vadum autem eſt aquæ fundus: in quo quiſquis conſtiterit, is jam effugit periculum ne mergatur.

In portu navigare.

Affinis eſt huic allegoria, ἐν λιμένι πλεῖν, id eſt, in portu navigare? qua ſignificamus, nos jam a periculo abeſſe: propterea quod qui mediis adhuc in fluctibus navigant, hi ventorum & æſtus arbitrio navigant: contra qui jam intra portum ſunt, nihil habent negocii cum undis ac ventis. Unde vulgatiſſima metaphora, hominem in cujus præſidio conquieſcimus, portum appellamus. Et qui ſeſe ad tranquillam tutamque aliquam vitæ rationem traducunt, in portum ſe recipere dicuntur. Terentius in Andria: Nunc hujus periculo fit: Ego in portu navigo. Maro paulo diverſius in Æneid. lib. 7.

Nunc mihi parta quies, omniſque in limine portus.

Duabus ancoris fultus.

Ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖ, id eſt: Duabus nixus in portu ſedet, ſubaudiendum ancoris. De firmis & immotis, & qui rem ſuam probe conſtabilierunt. Ductum à navibus intra portum tuto manentibus, à prora ſimul & à puppi projectis ancoris. Meminit Ariſtides in Panath. Ab eadem metaphora dictum eſt, quod adverſus Cteſiphontem dixit Demoſth. Οὐκ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς, ſubaudiendum ἀγκύρας, id eſt, Haud eadem ancora nixus eſt qua vulgus hominum.

Tanquam ad aram.

De ſacra ancora dictum eſt alias. Illi ſimillimum eſt, Ad aram, quum extremum refugium intelligi volumus. Inde ſumptum, quod olim qui extrema neceſſitate urgebantur, ad aras deorum ſoleant confugere, unde nefas erat, quicquam detrahere M. Tullius in oratione pro Roſcio Comœdo: Quod item nuper in Erote Comœdo uſu venit, qui poſteaquam e ſcena non modo ſibilis, ſed etiam convicio explodebatur, ſicut ad aram confugit in uſus domum, diſciplinam, patrocinium, nomen. Idem libro 3. De natura deorum: Quod vos, inquit, quum facere non poteſtis, tanquam ad aram confugitis ad deum. Idem actione in Verrem 4. Magiſtratuum autem noſtrorum injurias, ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum, præſidiumque veſtrum publico conſilio confugerent: Ovidius Epiſtolarum libro 4.

Unica fortunis ara reperta meis.

Plutarchus in Meſt. llaria: Ad aram confugiſti.

Ad aſylum confugere.

Vide in loco Experientiæ.

Arx.

Non abhorret ab hac forma arcis metaphora quum tutiſſimum, ac validiſſimum præſidium ſignificamus. M. Tullius in Verrem actione 6. Idem ad vos privatim judices confugit, utitur hac lege quæ judicium eſt, communi arce ſociorum. Rurſus in eadem: Hic locus eſt igitur unus quo perfugiant, hic portus, hæc arx, hæc ara ſociorum. Item pro Roſcio Comœdo: Hæc lex ſocialis eſt, hoc jus nationum exterarum eſt, hanc habent arcem minus aliquanto munitam quidem quam antea, verum tamen, &c. Item pro Sylla: Ego vitam omnium, ſtatum orbis terræ, urbem hanc denique, ſedem omnium noſtrum, arcem regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperii, quinque hominum amentium ac perditorum pœna redemi. Idem in Epiſt. famil. ſcribens P. Lentulo, quod erat in cauſa præcipuum, Arcem cauſæ vocat: Non potuit, inquit, magis in arcem cauſæ illius invadere. Ariſtoteles præfatus in rhetorica ad Alexandrum, εἰδότας καλῶς ὡς ἀκρόπολίς ἐστι κατὰ πάσας ἡ διὰ τὸ συμφέρον γνωμὴν θεωρία, id eſt, Quum pulchre noſſent, arcem eſſe ſalutis, utilitatis conſiderationem quæ fit oratione.

Bonum eſt duabus niti ancoris.

Pindarus Olympiacῶn hymn. 6.

Ἀγαθαὶ δὲ πέλον——
τ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς
ἐκ ναὸς ἀπεσκίμφθαι δύ' ἄγκυραι.

Bonæ ſunt in hyberna nocte duæ ancoræ ad laxandum è celeri navi, id eſt, Boni eſt duplici præſidio niti, ut ſi alterum deſtituat, altero juvemur: quemadmodum is victor quem laudat, geminam habebat patriam, ut ſi quid accidiſſet alteri, ad alteram ſe reciperet. De hoc dictum eſt nobis alias ἐπὶ δυοῖν ὁρμεῖν.

Extra fumum & undam.

Ariſtoteles eodem libro refert verſum Homericum, ut vulgo decantatum.

Τοῦ μὲν καπνοῦ καὶ κύματος ἐκτὸς ἔεργε
Νῆα.——

Id eſt,

A fumo navim ſimul atque à fluctibus arce.

Ariſtoteles indicat eſſe verba Calypſus, adhortantis Vlyſſem, ut neque nimium littori vicinus naviget, fumum ſequutus, neque ſe profundo credat pelago, ſed in medio ſecet viam: quod ibi periculum ſit à ſaxis & vadis, hic ab undis. Argyropylus autem interpres ea verba tribuit Circæ: quid ſequutus, neſcio.

E terra ſpectare naufragium.

Alias nobis dictum eſt, de muris judicare Achivos: pro eo quod eſt, in tuto ſpectare aliorum pericula. Idem alia metaphora feſtivius extulit M. Tullius lib. ad Atticum 2. epiſt. De geographia: Nunc vero quum cogar exire de navi, non abjectis, ſed ereptis gubernaculis, cupio iſtorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus Sophocles,

Κἂν ὑπὸ στέγῃ πυκνῆς ἀκούειν ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

Quanquam hic verſiculus in aliis codicibus habebatur varius, ſed æque depravatus, in aliis erat omiſſus. Videtur eſſe verſus trochaicus catalecticus:

Κἀν ὑπὸ στέγης ἀκούειν ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

pro ψακάδος, quidam codices habebant ψακαλος, quod quid ſit, non intelligo. ψακαλος, non patitur carminis ratio. Senſus autem hic videtur eſſe: optat de tecto audire tumultus aliorum, ipſe vacuus & quietus animo.

Mortuo leoni & lepores inſultant.

Extat epigramma Græcum, cujus argumentum ſumptum eſt ex Homericæ Iliad. χ. ubi Hectorem ab Achille jam interfectum circumſiſtunt Græci, mortuo inſultantes: nec quiſquam erat qui extincto non aliquod vulnus infligeret. Sic enim habet Homerus:

——Ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες Ἀχαιῶν,
Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος, οὐδ' ἄρα οἱ τις ἀνουτητί γε παρέστη.

Id eſt:

At reliqua accurrunt Graii, cinguntque cadaver
Hectoris, eximiam ſpeciem formamque ſtupentes:
Nec tamen aſtitit exanimi ſine vulnere quiſpiam.

Ac paulo poſt:

Ὡς ἄρα τις εἴπεσκε, καὶ οὐτήσασκε παραστάς.

Id eſt,

Dixerat hoc aliquis, ſimul & vulnus dedit aſtans.

Epigramma ſic habet:

Βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
Νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Id eſt,

Nunc telis petitote meum poſt fata cadaver,
Audet vel lepus exanimi inſultare leoni.

Dictum eſt alias de his qui mordent mortuos, cum larvis luctantur, & cum umbris depugnant.

Ne ſi ad Iovis quidem aulam.

Qui metuunt malum, ad aſylum, ad aram, ad arcem, ad ſtatuas principis, ad divorum phana confugiunt. Verum à morte nullum eſt effugium. Ita Sophocles expreſſit verſibus:

Ὅταν γὰρ ὁ καιρὸς τοῦ θανεῖν ἐλθὼν τύχῃ,
Οὐδ' ἂν πρὸς αὐλὰς Ζηνὸς ἐκφύγῃ μολών.

Id eſt,

Vbi mortis urget tempus, ad Jovis atria
Si fugeris, effugere non poſſis tamen.

Proverbii ſpecies eſt in illis verbis, Vel ad Jovis quidem atrium: quod pro tutiſſimo poſuit refugio. Huc confugerat Aquila, inſectante ſcarabeo.

Primum apes abigenda.

Agathius de bello Gothico libro 3. Placebant hæc dicta Vlilago Herulorum præfecto. Vnde id uſurpatum proverbium & barbarum & parvi momenti, utile tamen & alicujus energiæ. Identidem prædicabat, primum abigendas apes, deinde & mel ſubtrahendum. Senſit Buzes primum hoſtium copias adventantes oſſe ſubmovendas, quo poſſint Aſia potiri. Sumptum a curatoribus apum, qui quo mel eripiant ex alveariis, apes fumo, aut alio quovis modo abigunt.

Pugno tenere.

Ἀπρὶξ ταῖν χεροῖν λαβεῖν, id eſt, Pugno ſtringere dicitur, quod ipſo contactu ſentiunt. Sic Plato in Theæteto: οἱ οὐδὲν ἄλλο οἰόμενοι εἶναι, ἢ οὗ ἂν δύνωνται ἀπρὶξ τοῖν χεροῖν λαβέσθαι, id eſt, Qui nihil eſſe putant, quicquid non poſſint ſtrictim manibus apprehendere. Loquitur de his qui non exiſtimant quicquam eſſe in rerum natura: præter res corporeas, & ſenſibus expoſitas: actiones, generationes, & hujus generis alia, quæ intellectu, non ſenſibus percipiuntur, exiſtimant eſſe inania vocabula. Talis viſus eſt Platoni Diogenes, qui dicebat ſe cyathos & menſas videre, cyatheitates ne menſeitates, quas Plato commemorabat, non videre. Sed viciſſim audivit: Nimirum oculos quibus cyathi & menſæ videntur, habes: mentem, qua cyatheitates ac menſeitates cernuntur, non habes. Tam craſſum ingeniorum genus Plato veluti prophanum à Philoſophiæ myſteriis jubet arceri. Verius enim ſunt, quæ non videntur, quam quæ videntur, & certius ea ſcimus quæ ratione colligimus, quam quæ manibus contrectamus, ſenſuum enim judicium fallax eſt.

His Medus non inſidiabitur.

Τάδε μῆδος οὐ φυλάξει, id eſt, Hæc Medus non obſervabit. Cum Xerxes exercitum in Græciam, traducere pararet, ut autor eſt apud Zenodotum Dicæarchus, Græci deſperatis rebus facultates ſuas abſumpſerunt, ne multum reliquum fieret, quod hoſtis tolleret, ita dicentes: Hæc Medus non obſervabit. Eaque vox in adagium abiit, ubi quis largius impenderet ſua, ne venirent in aliorum manus. Veluti ſi quis pecunias ſuas erogaret amicis, ut eas liberis turpiter abſumpturis ſubducat, recte dixerit: ταῦτα μῆδος οὐ φυλάξει. Aut ſi civis opulentus pecunias extruendis ædificiis abſumat, ne his inſidietur avarus princeps, & omnium fortunis imminens.

Ocioſus eſt.

Si quem jubeb mus animo ocioſo eſſe, tantum curare cuticulam, negocium aliis curæ futurum, accommodabimus illud ex eodem libro:

——Μέτε τοι ἄλλα
Ἐνθάδ' ἐοντι χρεὼ μελέτω τάγε τοῖσιν ἔοντι,
Ἀλλὰ μάλ' ἠδὺ φαγὼν καὶ πιών τις ὥς τι πάρος περ.

Id eſt,

——Tute caveto
Aut dicti, aut facti cruciet tua pectora cura:
Quin Tranquillus, edaſque, bibaſque ita ut ante ſolebas.

Chœnici ne inſideas.

Χοίνικι μὴ ἐπικαθίζειν, id eſt, Chœnici ne inſideas. Interpretatur divus Hieronymus, De victu ne fueris ſolicitus in diem craſtinum. Eſt enim Chœnix demenſum, & cibus diurnus, ut apud Homerum Odyſſeæ τ.

Οὐ γὰρ

Οὐ γάρ μ' ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅστις ἐμῆς γε
Χοίνικος ἅπτηται.———

Id eſt,

Namque operæ immunem haud patiar, quicunque meam unquam
Chœnica contigerit.———

Eodem pacto Laert. & Suidas exponunt. Porro ſervis olim cibus diurnus chœnice diſtribuebatur, ut illi viciſſim operis penſum perſolverent: quam ob cauſam Apollo Pythius Corinthios χοινικομέτρας appellavit, quod ſervos poſſiderent quadragies ſexies mille. Author Athenæus libro ſexto. Plutarchus autem longe diverſius: puta, non indulgendum ocio, ſed induſtria proſpiciendum victum, ne deſit in poſterũ. Idem in Sympoſiacis hujus ſymboli meminit, his quidem verbis. μετὰ τῆς Πυθαγορικῆς χοίνικος ἐφ' ἧς ἀπηγόρευε καθῆσθαι, διδάσκων ἡμᾶς, ἀεί τι τῶν παρόντος εἰς τὸ μέλλον ἀπολείπειν, καὶ τῆς αὔριον ἐν τῇ σήμερον μνημονεύειν, hoc eſt, Vna cum Pythorica chœnice, in qua vetuit deſidere, docens nos, ut ex eo quod præſens eſt, ſemper aliquid in futurum relinquamus, & craſtini diei in hodierno meminerimus. Exiſtimat autem idem majores ſignificare voluiſſe, quibus religioſum habitum eſt, menſes inanes tollere. Demetrius Byzantius apud Athenæum interpretatur, non oportere ſpectare tantum quæ præſentis diei ſunt: quin craſtinum ſemper eſſe expectandum: propemodum cum Plutarcho conſentiens. Ego certe, quandoquidem in hujuſmodi ſymbolis divinare non ſolum licet, verum etiam neceſſe eſt, opinor Pythagoricum hoc ænigma ſumptum ex Homeri loco, quem modo citavimus: ſignificarique, non oportere per inertiam ocium & cibum alienum ſectari, ſed ſua quemque induſtria ſibi parare facultates, quibus mundiciam vitæ ſuſtineat. Paraſiticum enim ac fœdum, aliena vivere quadra, nec ullam artem callere, qua poſſis ἀεργὸς vivere. Notat id Homerus etiam in Iro, cum ait Odyſſea σ.

———Μετὰ δ' ἔπρεπε γαστέρι μάργῃ,
Ἀζηχὲς φαγέμεν καὶ πιέμεν· οὐδέ οἱ ἦν ἲς
Οὐδὲ βίη.———

Id eſt,

———Sed ventre inſignis inerti
Aſſidue bibere atque edere, aſt induſtria nulla
Nullaque vis aderat.———

Nec abhorret hinc illud Pauli Apoſtoli, ne ipſum quidem incelebre vulgo: Qui non laborat, nec manducet. Cum nobis adornaretur ſexta, ni fallor, Chiliadum æditio, nẽpe anno ab orbe redempto 1517. Commodum in lucem exiit opus Antiquarum lect. Ludovici Cælii Rhodigini, de quo quid in totum ſentiam, non habeo neceſſe nunc ferre ſententiam: tametſi ipſe operis guſtus (nam delibavi duntaxat) protinus arguit hominem inexplebili legendi aviditate per omne genus autorum circumvolitantem, & ex retextis aliorum ſertis novas ſubinde corollas concinnare gaudentem. Quod autem Georgii Vallæ, Volaterrani, meique nuſquam, quod quidem comperĕrim, admiſcuerit mentionem, quorum tamen commentariis nonnihil adjutum fuiſſe probabile eſt, ſcio judicio factum, non livore: etiamſi hoc ipſum tractans ſymbolum, negat ſe quicquam adferre velle in medium, quod in aliorum commentariis rebulliat (ſic enim ille loquitur) cum non pauca adducat quæ in meis Chiliadibus reperio. Nec enim arbitror ad me pertinere, quod ille gignit etiam proverbia, ſed cujuſmodi chiliadas ſexcentas explere poſſis, ſi ſors ea res cordi ſit. Vbi pluſculum ocii continget, non gravabimur attentius etiam obſervare, ſi quid illic ſit quod ad noſtrum hoc inſtitutum pertineat, haudquaquam hominem ſua laude fraudaturi, ſi quid contulerit. Cæterum quod ad hujus ænigmatis explanationem attinet, non me fugit quid de cœnice, deque ſtragulis convolutis divinarit ille, cujus equidem commentum in præſentia nec probo, nec refello, mihi certe non libeat ad iſtum divinare modum, ſi quid alioquin à probis autoribus ſuppeditetur: quæ præſidia ſimul atque nos defecerint, tum forte divinabimus & ipſi, ſed ita ut in hujuſmodi rebus non multum operæ ſeriæ ponamus. Quorſum enim attinet anxie diſquirere quid ſenſeritis, qui data opera curavit ne poſſit intelligi? Cum hæc ſcriberem, ex eruditorum literis cognovi, Rhodiginum obiiſſe ſupremum vitæ diem, non ſine gravi dolore ſtudioſorum & jactura ſtudiorum. Narrant enim qui illum domeſtice norunt, fuiſſe virum integritatis Chriſtianæ, nullo ſtudiorum labore fatigabilem, cum ad extremam ſenectutem pervenerit. Itaque tot virtutibus facile condono, ſi minus candide de nobis ſenſit. Plus enim apud me valet publica ſtudiorum utilitas, quam mei nominis ratio.

Thymbra victitans.

Vide in loco, Aſperitas, Moroſitas.

Rem factam habere.

Huic pene diverſum eſt illud quod aliquoties apud Martialem legitur, Rem factam habere: pro eo quod eſt, certam & indubitatam. Siquidem promiſſa parum certa ſunt. Verum iis demum queas fidere, quæ jam præſtita ſint atque exhibita. Velut ad Proculum:

Tu factam tibi rem ſtatim putaſti.
Rurſum:
Jam te rem factam Bithynice credis habere.

Rem factam dixit, quaſi non promiſſam, ſed paratam atque abſq; lutam. Vnde & argentum factum dicimus, non rude, ſed elaboratum ac celatum. Aut reſpexit ad morem juris, juxta quem dixit Terentius, facta tranſacta omnia. Et M. Tullius in Catilinam invectiva 3. Atque illud quod faciendum primum fuit, factum atque tranſactum eſt. Quoties in contractibus adhibitis, quicquid ad legitimam conventionem pertinet.

Hermionis vice.

Ἀνθ' Ἑρμιόνος. id eſt, Hermionis vice, addendum ex uſu ſententiæ verbum, quod eam expleat: puta, fuero tibi, aut mea domus, aut hæc urbs erit vobis, aut aliud ſimile quippiam. Valet autem perinde quaſi dicas: Loco aſyli tibi fuero, vel inſtar aræ, quæ te tutum reddat. Eſt Hermione templum in Peloponneſo, ſacrum Cereri ac Proſerpinæ: ad quod qui confugerint, tuti ſunt propter loci religionem. Zenodotus Ariſtophanem citat in Babyloniis, qui hujus adagii fecerit mentionem. Effertur bifariam ea vox, Ἑρμιών, καὶ Ἑρμιόνη, ut ἀπὸ τοῦ καλυδῶνος καλύδνη, autor Stephanus.

In terra pauperem.

Ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον ἢ πλουτοῦντα πλεῖν.

Id eſt,

Egere præſtat in ſolo, quam divitem
Sulcare fluctus.

Satius eſt paulum habere tuto, quam multum cum periculo. Nec placebant cuidam opes de funibus pendentes, multo minus quas eripere ventis in manu eſt. Proverbium admonet, certam fortunam, licet modicam, incertis quamlibet amplioribus anteponendam.

Mœnia Semyramidis.

Τείχη Σεμιράμιδος id eſt, Muri Semyramidis, de muris inexpugnabilibus dicebatur, egregieque munitis. Ovidius libro Metamorph. 4.

———Vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semyramis urbem.

In tuo regno.

Quod cujuſque privatum eſt, regnum ejus dicitur. Inde & Melibœus Vergilianus:

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.

Scævola apud Ciceronem in Oratore: Id niſi in tuo regno eſſemus, non tuliſſemus, id eſt, in tua villa. Nam Craſſo loquitur in Tuſculano, quæ villa tum erat Craſſi. Quinetiam vulgo jactatur adagium, Suæ quemque domi regem eſſe: quod tamen ab ipſa uſq; antiquitate manaſſe videtur. Quandoquidem apud Homerum Odyſſea α verſiculus hic extat:

Αὐτὰρ ἐγὼ οἴκοιο ἄναξ ἔσομ' ἡμετέροιο.

Id eſt,

Ædibus in noſtris ego regem geſſero ſane.

In tuo luco & fano eſt ſitum.

In tuo luco & fano, legitur apud Plautum: pro eo quod eſt, in tua poteſtate, tuo arbitrio, tua tutela, tua manu. Tranſlatum à fanis & lucis, numinibus dicatis. Nonnihil diverſum eſt quod ait M. Tullius in oratione pro Aulo Cæcinna: In meis caſtris præſidiiſque verſaris. Id eſt, Mecum facis, & pro me pugnant quæ dicis.

Intra ſuas præſepes.

Simili figura dicit Plautus in Caſſina: Scit, ſi id impetret, futurum quod amat intra præſepeis ſuas, pro eo quod eſt, certum ac paratum. Nam quod intra ſepta noſtra clauſum ſit, id tuto certoq; poſſidemus. Dictum eſt autem in ſenem dantem operam, ut ancilla quam amabat, villico ſuo nuberet: hoc quidem conſilio, ut inſciente uxore, cum liberet, ea ruri potiretur. Idem in Rudentibus: Ad herum arbitrum vocat me hic intra præſepes meas.

Aliud cura.

Cum negabis eſſe cauſam, cur aliquis aut dubitet, aut ſolicitus ſit, exempto ſcrupulo, accommodabitur illud ex Odyſſ. κ.

Ἄλλῳ ἄλλο τί τοι μελέτω φρεσίν.———

Id eſt,

Alcione cures aliud.———

Item Terentius: Atqui jam repperi, aliud cura.

In diem vivere, Ex tempore vivere.

In diem vivere, eſt præſentibus rebus contentum vivere atque ex parato, minime ſollicitum de futuris. Quæ vita Græcis dicitur, καθημέριος βίος, & καθημερόβιοι, qui ad eum vivunt modum, Theocritus in Idyl. γ.

Θνατοὶ πελόμεσθα, τὸ δ' αὔριον οὐκ ἐσορῶμες.

Id eſt.

Mortales ſumus, haud ſunt nobis craſtina curæ.

Ariſtophanes in Equitibus:

Κριθὰς παρέξω σοι, καὶ βίον καθ' ἡμέραν.

Id eſt,

Ego affatim tibi ſuppeditavero hordeum &
Victum diurnum

Homerus Odyſſ. φ.

Νήπιοι, ἀγροιῶται, ἐφημέρια φρονέοντες.

Id eſt,

Agreſtes, ſtolidi, tantumque diurna ſcientes.

Perſius.

——Atque ex tempore vivis.

Id eſt, citra ſolicitudinem futurorum. Vnde & ex tempore dicere, id eſt, citra præmeditationem. M. Tullius Philippica 5. ſimili forma dixit, In horam vivere: Quæ non faciebat Hannibal, qui multa ad uſum reſervabat, hæc ii, qui in horam viverent, non modo de fortunis & de bonis civium, ſed ne quidem de utilitate ſua cogitaverunt. Nec abludit ab hac ſpecie, quod ſcribit Horatius in Arte Poetica.

——Et mutatur in horas.

Hoc eſt, ſubinde. Hanc vitam, ceu feliciſſimam omnium, probavit Chriſtus, ut quam & ipſe ſemper ſecutus ſit, & Apoſtolis ſequendam propoſuerit. At dictu mirum, quam hodie non probetur, etiam his qui plus quam Chriſtiani poſtulant videri.

Porrectis dormire pedibus.

Huic affine eſt illud, id eſt: ἀποτείναντα τὼ πόδε καθεύδειν, id eſt, Porrectis pedibus dormire. Lucianus De mercede ſervientibus καὶ τοῦτο δὴ τὸ τῆς εὐχῆς ἀποτείναντα τὼ πόδε καθεύδειν, id eſt: Iamque tandem, quod optari ſolet, obtigit, ut porrectis pedibus dormias. Ad eandem figuram pertinet, quod in Ariſtophanis Pluto dixit Mercurius, ἀναβάδην ἀναπαύομαι, id eſt, Sublatis pedibus requieſco, & ſupinus per ocium. Et Supinitatem, negligentiam, incogitantiamque ſignificamus. Et conſerere manus, in Hebræorum proverbiis, in ignavum: Paulum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, ut dormias.

Canis tanquam Delum navigans.

Κύων ὥσπερ εἰς Δῆλον πλέων, id eſt, Canis, tanquam in Delum navigans. In ſupinum, ocioſum, ſecurum, ac voluptuariam agentem vitam dicebatur. Nam Athenis facilis ac tuta in Delum navigatio. Vnde fiebat, ut qui illuc ſolverent, inter navigandum ſecuri, nihilque periculi metuentes canerent. Mos autem erat Athenienſibus ut quotannis navem ſolemni apparatu religionis cauſa Delum mitterent: id quod indicat Plato in Critone: unde conſentaneum eſt, qui hæc vectabantur, hymnos quoſdam in Apollinis laudem ſolitos decantare.

In utramvis dormire aurem.

In utramvis dormire aurem, eſt animo ocioſo, ſecuro, vacuoque eſſe. Terentius in Heauton. Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis ocioſe ut dormitas. Vtitur eo & Baſilius in epiſtola quadam, ſed malam in partem, ita ut ſupinam ſecuritatem intelligi velit. Menander in Plotio apud Gellium:

Ἐπ' ἀμφοτέραν, ἰὼν ἐπίκληρος ἡ μέλλει καθευδήσειν.

Id eſt,

In aurem utramque quandoquidem dotata eſt, cubet.

In dexteram aurem.

Eodem ſenſu dixit Plinius, In dexteram aurem. Ita enim ſcribit Romano ſuo: Nihil quod in dexteram aurem, fiducia mihi dormias, non impune ceſſatur, id eſt, quod ſis ſecurus. Sic enim admonent medici, ut in primo ſomno, qui profundiſſimus eſſe conſuevit, in aurem dexteram incumbamus: cum experrecti redormire cupimus, in ſiniſtram. Porro qui levi ſomno vult uti, in neutram incumbit aurem, quo facilius expergefiat.

Leporis vita.

Λαγὼ βίον ζῆν, id eſt, Leporis vitam vivere dicuntur, qui ſemper anxii trepidique vivunt, quod id animal omnium prædæ expoſitum, ne ſomnum quidem capit, niſi oculis apertis. Demoſthenes in Æſchinem, λαγὼ βίον ἔζης, δεδιὼς καὶ τρέμων, καὶ ἀεὶ πληγήσεσθαι προσδοκῶν, id eſt, Leporis vitam vivebas, timens ac tremens, ac ſemper expectans ut vapulares. Vſus eſt & Plutarchus in libello περὶ φιλοπλουτίας, quem pridem Latinum reddidimus λαγωοῦ δειλότερος ſcripſit Athanaſius in apologia prima & apud Strabonem, Phrygius leporibus timidior, de quo dictum eſt alias per occaſionem.

In utrumvis dormire oculum.

Plautus in Pſeudolo: De iſthac re in oculum utrumvis conquieſcito. Senſum habet eundem cum eo quod ſuperius retulimus, In utramvis dormire aurem. Captatus eſt autem à Comico jocus ex novatione verborum. Proinde conſequitur illico: Oculum utrum, anne in aurem? Et reſpondet novator. At hoc pervulgatum eſt nimis. Notatur interim commune hominum ſtudium, in hujuſmodi dictis ſubinde novandis.

Halcedonia ſunt apud forum.

Quod dixit in Caſina Plautus, Halcedonia ſunt circa forum, proverbii ſpeciem gerit. Significatur hac voce tranquillitas & ſilentium. Idem in Pœnulo: Niſi mihi illam tam tranquillam facis, quam mare eſt olim, cum ibi halcedo pullos educat ſuos. Extat etiam in Græcorum commentariis hujuſmodi proverbium, ἁλκυονίδας ἡμέρας ἄγεις, id eſt, Halcyonios agis dies, de tranquillam & ocioſam agentibus vitam. Ariſtophanes in Avibus:

Ἁλκυονίδας τ' ἄγουσ' ἡμέρας ἀεί.

Id eſt,

Atque halcyonios duxit aſſidue dies.

Ab ave quadam marina ductum adagium, quæ Græcis Halcyon dicitur, Latinis halcedo: ut autor eſt M. Varro lib. De lingua Latina 3. ne quis Plautinum verbum depravatum eſſe putet. Fabula de Ceyce & Halcyone eſt apud Ovidium de ave ſic refert Plinius lib. 10 cap. 13. Halcyon paulo amplior eſt paſſere, colore cyaneo ex parte majore, tantum purpureis & candidis admixtis pennis collo gracili & procero. Ea fœtificat bruma, qui dies Halcyonides vocantur. Neque apparent niſi mari tranquillo, maxime Siculo. Faciunt autem ſeptem ante brumam diebus nidos, & totidem ſequentibus pariunt. Hi dies & nautis ſunt noti. Nam in his tempeſtatem non metuunt. Ædificant autem medio in mari. Nidi pilæ figura, paulum eminendi ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine, ex ſpinis aculeatis compacti, tanta duricie, ut ferro incidi nequeant. Franguntur ictu valido, ut ſpuma arida maris. Hactenus Plinius. Lucianus de tranquillitate Halcyonidum dierum teſtatur in dialogo, cui titulus ἀλκυών. Vergilius inter prognoſtica futuræ tempeſtatis hoc quoque refert:

Non tepidum ad ſolem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi Halcyones.——

Meminit harum & Theocritus Idyllio ſeptimo:

Χ' ἁλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα, τάν τε θάλασσαν,
Τόν τε νότον, τόν τ' εὖρον, ὃς ἔσχατα φυκία κινεῖ.
Ἁλκυόνες γλαυκαῖς Νηρηίσι ταί τε μάλιστα
Ὀρνίθων ἐφιλάθεν, ὅσαις τε περ ἐξ ἁλὸς ἄγρα.

Id eſt,

Halcyoneſque undas ſternunt, pelaguſque, Notumque
Atque Eurum extremam morantem flatibus algam.
Halcyones quas inter aves Nereides omnes.
Vnice amant glaucæ, quæcunque ex æquore paſtum
Venantur.

Vita molita.

Ἀληλεσμένος βίος, id eſt, Vita molita, ſive victus, ut ita loquamur, farinatus. Suidas indicat adagium varie accipi. Quoſdam uſurpare de vita priſcorum, qui glandibus veſcebantur: fortaſſis ob id quod illis ſeculis ignotus adhuc eſſet carnium & piſcium eſus, ſolaque glandium farina victitarent mortales. Alios de his, quibus citra laborem vita lauta contingeret: propterea quod aliquandiu poſt frumenta reperta, farinæ faciendæ ratio neſciretur. Eſt autem farina paratior, ſi cui libeat veſci. Alioqui proſcindendum arvum, ſerendum triticum, metendum, excutiendum, molendum, pinſendum. Nonnullos de iis, qui in magna rerum, quas deſiderarent affluentia, vitam agerent: ut affine ſit illi quod alio poſitum eſt loco: οὐ γὰρ ἄκανθαι, id eſt, Non enim ſpinæ. Cæſar Commentariorum libro 1. Trium menſium molita cibaria ſibi quemque domo efferre jubet. Huc alludere videtur Ariſtophanes in Equitibus, quum Cleon populo blandiens ita loquitur:

Ἀλλ' ἄλφιτ' ἤδη σοι πορίσω 'σκευασμένα.

Id eſt,

At ego paratas tibi farinas jam dabo.

Cui reſpondet altera perſona.

Ἐγὼ δὲ μαζίσκας γε διαμεμαγμένας,
Καὶ τοὔψον ὀπτόν, μηδὲν ἄλλ' ἢ 'σθιε.

Id eſt,

Bene maceratas ego dabo tibi maſſulas.
Piſcemque coctum, nil alium quam veſcere.

Hoc poſterius pertinet ad proverbium quod ante retulimus, Victus maceratus. Rurſus in eadem fabula, quum Cleon offerret μαζίσκας μεμαγμένας, alter reſpondet:

Ἐγὼ δὲ μυστίλας μεμυστιλημένας.

panem intelligens jam jure maceratum ac madefactum & ob id paratum eſui. Ac mox offert vinum jam temperatum, ut ſtatim poſſit bibi.

Ἔχε καὶ πιεῖν κεκραμένον τρία καὶ δύο.

Id eſt,

Dilutum habe, quod ebibas, tria ac duo.

Nam olim vinum non bibebatur niſi aqua dilutum, quod apud Germanos inſuetum eſt. Optimam autem temperaturam exiſtimabant, ſi duobus vini cyathis duo aquæ adderentur. Porro quæ parata ſunt, ea gratiora eſſe paulo poſt declarat populus. Quum enim alter jactaret ſe ſuo periculo rapuiſſe quod dabat, alter coxiſſe, reſpondet:

Ἀπιθ', ἡ γάρ, ἀλλ' τοῦ παραθέντος ἡ χάρις.

ſignificans illi deberi gratiam, qui cibum paratum appoſuerit.

Equus me portat, alit rex.

Ἵππος με φέρει, βασιλεὺς με τρέφει.

Id eſt,

Me rex alit, ac me portat equus.

Refertur inter Græcorum adagia: atque adhuc hinc natum: Juvenis quidam ſub rege Philippo ſtipendia faciebat. Is cum admoneretur ut miſſionem peteret, ſeſeque à militia abdicaret, negavit ſe facturum, his quidem verbis:

Ἵππος με φέρει, βασιλεὺς με τρέφει.

Id eſt,

Equus me portat, rex me alit.

Significans ſe commodiſſime vivere, ut qui & pedibus alienis ingre-

ingrederetur, & aliena pecunia paſceretur. Huc alluſit Horatius, cum in Epiſtolis ſub Ariſtippi perſona ſic ait,

——Rectius hoc, &
Splendidius multo eſt, equus ut me portet, alat rex.

Quo quidem in loco Acron hujus admonet proverbii. cujus etiam meminit Diogenianus. Apparet e tragœdia quapiam aſcitum. Eſt enim carmen anapæſticum dimetrum.

Extra lutum pedem habes.

Ἐκτὸς πηλοῦ πόδα ἔχεις, i. e. Extra lutum pedem habes: hoc eſt, emerſiſti e periculo, aut extra periculum cōſtitutus es. A viatorib. ſumptum. Simile illi ἔξω βέλους, id eſt. Extra jaculum. Et in luto dicuntur hæſitare, qui moleſtis involvuntur negotiis, unde ſe nequeant explicare.

Extra periculum ferox.

In timidum, & ita demum ferocem, ſi procul abſit à periculo, velut in obtrectatorem clancularium, qui coram non auſit congredi, quadraverit illud ex eodem loco:

Ἀνδρῶν δυσμενέων ἑκὰς ἑστηκὼς πολεμίζειν.
Id eſt.
Pugnare & gnarus, verum eminus & procul hoſte.

Simile eſt illud Demoſthenis in oratione De corona: οὕτως οἰκείως ὑμᾶς ἐδέχοντο, ὥστε τῶν ὁπλιτῶν καὶ ἱππέων ὄντων εἰς τὰς οἰκίας καὶ τὸ ἄστυ δέχεσθαι τὴν στρατιὰν ἐπὶ παῖδας καὶ γυναῖκας, καὶ τὰ τιμιώτατα, id eſt: Adeo familiariter nos acceperunt, ut quum adeſſent armati & equites, in ædes atq; in civitatem reciperent exercitum ad liberos & uxores, & ea quæ ſunt chariſſima. Extra telorum jactum, ante recenſuimus: cui contrarium eſt, Intra tela. M. Tullius in Verrem actione 4. Non ego à Vibone parvo navigio inter fugitivorum ac prædonum ac tua tela veniſſem? quod Græci dicunt ἐντὸς βελῶν.

Extra telorum jactum.

Ἔξω βελῶν: id eſt. Extra telorum jactum: pro eo quod eſt, in tuto, citraque periculum. Tranſlatum à bellis, ubi qui nolunt feriri jaculis, longius ſemovent ſeſe, quam ut poſſint contingi jactu teli: aut in loco à jaculis defenſo ſe cōtinent. Unde illud frequens apud hiſtoricos: Jam ad teli jactum pervenerant. Q. Curtius lib. 3. Jam in conſpectu, ſed extra teli jactum utraque acies erat. Idem libro quarto. Ut extra teli jactum eſſent. Ac rurſum: Nondum ad teli jactum pervenerant. Quod Græci dicunt ἐντὸς βελῶν. Neque vero tantum ii dicuntur ἔξω βελῶν eſſe, qui longius abſunt quam ut jaculo contingi poſſint, verumetiam qui utcunque tuti ſunt. Seneca lib. De beneficiis ſeptimo, ſimili tropo dixit extra ictum: Injuriam deo ſacrilegus quidem non poteſt facere, quem extra ictum ſua divinitas poſuit. Lucianus in Votis: ἐπιπτερωθῆναι ἔξω βέλους ὑπεραιωρούμενος. Optat quiſpiam pennas, ut è ſublimi ſpectare poſſit dimicantes, ipſe tutus à jaculis. Idem: καὶ ἔξω ἦν βέλους, id eſt: Jamque extra teli conjectum erat. Polyphemus de Ulyſſe, qui jam fugerat, ut eum Cyclops telo aſſequi non poſſet. Odyſſ. ι. ad finem. Idem rurſus: αἱ δὲ μοῦσαι διὰ τί ἄγευστοι καὶ ἔξω βελῶν εἰσί: id eſt: Cur muſas non feris, atque tuis telis ſunt tutæ? Alluſit huc idem in Nigrino: καὶ καθάπερ ὁ Ζεὺς τὸν Ἕκτορα ὑπεξαγαγὼν ἐμαυτὸν ἐκ βελέων φασίν.

Ἔκ τ' ἀνδροκτασίης, ἔκ θ' αἵματος, ἔκ τε κυδοιμοῦ.

τὸ λοιπὸν οἰκουρεῖν εἱλόμην, id eſt: Quemadmodum Jupiter Hectorem, ita meipſum a jaculis eximens, ut ajunt:

Atque à cæde virum, atque à ſanguine, deque tumultu.

reliquum vitæ tempus domi ſedere deſtinabam. Eſt autem apud Homerum Iliados λ.

Ἐκ βελέων μίμνειν τις ἐφ', ἕλκεϊ ἕλκος ἄρηται.
Id eſt.
Extra tela, uti ne quis vulnus forſitan addat
Ad vulnus.——

Contra, quem obnoxium periculo videri volemus, hunc ἐντὸς τῶν βελῶν, dicere poterimus. Lucianus in Baccho. οὐδ' αὐτοὶ τῶν βελῶν ἐντὸς ὑπομείναντες. id eſt: Ne tantiſper quidem manentes, ut intra teli jactum eſſent. Vergilius in 11.

Jamque intra jactum teli progreſſus uterque.

Poſt principia.

Eandem ferme ſententiam habet. Poſt principia. Sumptum item à bellis, in quibus tutiſſimus locus eſt poſt principia. Siquidē in prima acie ſtabant haſtati, in ſecunda principes, robuſtior ætas: hos ſequebantur ſcutati omnes, maxime inſignes armis: poſt hoc triarii & rorarii: quemadmodum indicat T. Livius Decadis primæ, l. 8. Itaque nullus in acie locus tutior quam poſt principia. Terentius in Eunucho:

Tu hoſce inſtrue, hic ego ero poſt principia:
Inde omnibus ſignum dabo.

Erat autem hic locus timido nebuloni conveniens, id quod ridens Gnatho:

Illuc, inquit, eſt ſapere: ut hoſce inſtruxit, ipſus ſibi cavit
loco.
Idem hoc Pyrrhus factitavit.

Donatus admonet eum uſum verbo militari. Porro Vegetius libro De re militari 2. teſtatur, principales in acie milites, proprie dici principia. Sic enim ait: Antiqua ordinatione legionis expoſita, principalium militum, & (ut proprio verbo utar) principiorum nomina ac dignitates ſecundum præſentes matriculas indicabo. Axius apud Varronem: Ego vero, ut ajunt, poſt principia in caſtris. In proverbio, Res ad triarios rediit plura de his comperies.

Procul à pedibus equinis.

Ἐκ τῶν ποδῶν ἱππείων. id eſt. Procul à pedibus equinis. Etiam hodie vulgo dicitur, cum ſignificant fugiendum eſſe periculum. Hac voce monere conſueverunt, ut quiſque ſibi caveret in certaminibus equeſtribus. Ἔξω τῶν ποδῶν ἱππείων, id eſt. Extra pedes equinos. Eam deinde vulgus proverbii vice uſurpavit.

Procul à Iove atque fulmine.

Πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ, id eſt, Procul à Jove pariter atque fulmine. Refertur à Diogeniano. Admonet, non eſſe agendum cum præpotentibus, qui nutu poſſint perdere ſi quando libeat, maxime cum regibus ac tyrannis. Habent enim fulmen, ſi quando commoventur. Porro Jovi fulmen attribuunt Poetæ: & reges quidam hac effigie ſuos coloſſos fingi voluerunt, authore Plutarcho. Cujus eſt hæc cum primis elegans ὁμοίωσις. Quemadmodum in vulnere prius apparet ſanguis quam plaga, & quemadmodum prius emicat fulgur, quam tonitru audiatur: ita apud tyrannos, hoc eſt, principes ferme omneis, prius erumpit condemnatio quam probatio, & perit delatus prius quam coarguatur. Citatur à Suida hujuſmodi hemiſtichion:

——Ἀλεῦ ἀπὸ μείζονος ἀνδρός.
Id eſt,
Maiorem vitato virum.——

Refertur & hoc à Diogeniano inter adagia. Monet autem, parum eſſe tutum habere commercium cum principibus, quibus quod libuit licet, & in quos appoſite dixeris illud Græcorum apophthegma, μέγας κίνδυνος ἐκεῖνον βούλεσθαι ἃ μὴ δεῖ, τὸν ἃ βούλεται ποιεῖν δυνάμενον, id eſt, Ingens periculum velle quæ non decet eum, qui poſſit quicquid voluerit efficere. Huc pertinet quod Calliſthenem admonuit Ariſtoteles, ut cum Alexandro aut raro loqueretur, aut jucunda. Item quod refert Plutarchus in vita Solonis: is ſpretus eſt à Crœſo, quod de felicitate nimium libere reſpondiſſet: itaque cum Æſopus fabularum ſcriptor admoneret illum, ὅτι τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν, id eſt, quod regibus aut quam minime, aut quam iucundiſſime colloquendum eſſet: Solon retorſit dictum hunc in modum, μὰ Δία, ἀλλ' ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα, id eſt, Non per Jovem, imo potius aut quam minime, aut quam optime. Alluſit ad proverbium Ovidius hoc attactus fulmine:

Vive tibi, quantumque potes præluſtria vitas
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Non vulgari ancora nititur.

Demoſthenes in oratione in Cteſiphonte: οὐκ ἐπὶ τῆς αὐτῆς ὁρμεῖ τοῖς πολλοῖς, id eſt: Non eadem ancora nititur qua vulgus: ſignificans illum novis, minimiſq; vulgaribus præſidiis niti. Suidas admonet eſſe proverbium & ſubaudiendum ancorum.

Quid Achivos à turre judicatis.

Τί τοὺς ἀχαιοὺς ἀπὸ τοῦ πύργου κρίνετε.
Id eſt,
Cur judicatis Danaidas de mœnibus?

Dici conveniet, quoties quis pronunciat de re non ſatis accurate conſiderata. Ariſtides in Themiſtocle: τί οὖν τοὺς Ἀχαιοὺς ἀπὸ τοῦ πύργου κρίνομεν, i. e. Quid in his Achivos de turre judicamus? Sumptum apparet ex Iliados γ. quo loco Priamus in mœnibus Troianorum, accerſitam Helenam percontatur quinam eſſet, quos procul in Græcorum exercitu conſpiceret, & Agamemnonis formam laudat ad hunc modum:

Ὅς τις ὅδ' ἐστὶν ἀχαιὸς ἀνὴρ ἠΰς τε μέγας τε.
Ἤτοι μὲν κεφαλῇ καὶ μείζονες ἄλλοι ἔασι,
Καλὸν δ' οὕτως ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν,
Οὐδ' οὕτω γεραρόν· βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικε.
Id eſt,
Ille quis eſt, cedo, Graius homo, magnuſque bonuſque?
Sunt alii hunc, fateor, ſuperantes vertice plures,
Verum æque pulchrum memini me cernere nunquam,
Nec reverendum æque: regem præferre videtur.

Nec inconcinne torquebitur ad eos, qui in tuto conſtituti, de iis judicant, qui in periculo verſantur. Quemadmodum faciunt ii, qui in turre, aut vallo ſedentes ocioſi ſpectant iudicantq; præliantes: ac in multis animi robur aut conſilium deſiderant, quod ipſi nequaquam præſtaturi forent, ſi in eodem diſcrimine verſarentur. Ariſtides in Themiſtocle. οὐ μικρὸν ἔχει μοῖραν ἐν μέσῃ τῇ θαλάττῃ περὶ τῶν ἐν τῷ πλοίῳ λέγειν, καὶ τὴν εὐψυχίαν τὴν αὐτοῦ δεικνύναι, ἀλλὰ καθήμενον ἔξω τῆς ζάλης ὑπὸ τῷ τειχίῳ: id eſt. Atqui non parvi refert, ſi quis medio in mari, de iis loquatur qui in navi ſunt, animiq; præſentiam demonſtret, ſedenſque procul à procella inter parietes.

Timide mater non flet.

Vide in loco, Prudentia.

Legatus non cædit, neque violatur.

Vide in loco, Fides & Gravitas.

IVNII. *Sub tecto imbrem exaudire.*

Proverbialis extat in eadem epiſtola Sophoclis ſenarius:

——— ὑπὸ στέγῃ
Πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

Id eſt,

Anima ſopito audire ſpiſſum imbrem domi ſub tecto.

Quo verſu ſignificatur magna animi tranquillitas, & à curis omnibus vacuitas. verba Ciceronis hæc ſunt? Cupio iſtorum naufragia ex terra intueri, cupio, ut ait tuus amicus Sophocles:

——— Καὶ ὑπὸ στέγῃ
Πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

Lectionem germanam loci hujus primus repoſuit doctiſſimus acerrimique judicii vir Petrus Victorius: niſi quod lecturam vetuſti ſui exemplaris, quod ψακάδος habet, rejiciat, repoſita molliter dictione ψακάδος: quum illam agnoſcat & Heſychius, & Etymologici author ψακὰς enim, inquiunt, ſtillicidium eſt, & ψακάζειν, ſtillare. Verſus autem ex Sophoclis Tympaniſtis integri ſuis numeris ſunt, citati etiam à Stobæo:

Τί χάρμα τούτου μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ
Τοῦ γῆς ἐπιψαύσαντα κᾆθ' ὑπὸ στέγῃ
Πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί.

Id eſt,

Quod dulcius majuſque gaudium expetas,
Quam littus obtinentem & ſub tecto domi
Animo ſopito audire denſas ſtillulas.

Gratiores vero ſolent eſſe ſomni quum pluit, & tecta diſtillant. Porro Ciceronis prior ſententia deflexa videntur ex Archippo, cujus iſte verſus legitur,

Ὡς ἡδὺ μὴ θάλατταν ἀπὸ τῆς γῆς ὁρᾶν.

Id eſt,

Mare cernere è terra, dulce eſt ſpectaculum.

Vlyſſis vinculum.

Ὀδυσσέως δεσμὸς, Id eſt, Vlyſſis vinculum aut ligaculum, dicitur (ut annotat Euſtathius Odyſſ. θ.) de rebus tuto ſepoſitis, ac diligente opera obſeratis, ἐπὶ τῶν ἐσφραγισμένων ἀσφαλῶς. Occaſio adagii ſumpta ex Homero, loco jam antea citato, ubi Vlyſſes:

——— Θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλε
Ποικίλον, ὅν ποτέ μιν δέδαε φρεσὶ πότνια Κίρκη.

Id eſt,

——— Continuo firmum injicit ille
Vinclum, quod quondam monſtrarat nectere Circe.

Vetuſti moris fuit, vinculis munire, quod ab aliorum injuria tutum eſſe volebant, recentior enim eſt clavium uſus, quas Laconum eſſe inventum, ſunt qui annotat.

Extra omnem aleam.

Quicquid omni invidia majus eſt, quicquid excellit & ſupra vulgus eſt, quaſique extra periculi metum, id extra omnem aleam exiſtere proverbiali ſpecie dicimus. Plinius in prologo Naturalis hiſtoriæ, Vetus illa & M. Tullius: Extra omnem ingenii aleam poſitus.

BRASSICANI. *Vt templorum ſacra.*

Aulus Gellius noctium Atticarum libro 17. cap. 11. Niſi qui Grammaticorum nova inſtituta, ut περὶ τῶν ἱερῶν obſervant. Templorum ſacra vocat proverbialiter, rem quam anxie & tanquam religione quadam aſtricti colimus. Veluti ſi quis dicat, ſenum conſilia ut templorum ſacro eſſe conſervanda: Sophiſtas impuriſſimas artes ſuas (nam artes ſuas ipſi vocant, quæ ne juſta quidem artium partes exiſtimandæ ſunt) non aliter atque templorum ſacra defendere.

Manubrium eripere.

Plautus in Epidico: Eripe manubrium e manu. Idem in Aulularia: Exemi e manu manubrium. Manubrium eripere, ſcitiſſ. metaphora dicuntur, qui nocendi cauſam adimunt, qui viam omnem obſepiunt, qua periculum ipſis imminere videatur.

Fama os claudere.

Hoc proverbio Budæus utitur lib. 4. De aſſe & ejus partibus: Non comprimunt os famæ, qui nihil aliud curant, quam famam arcere. Quod ſi verum eſt, vulgata quia vera ſint, in proverbium evenire, authore Livio: quid tandem obſtat, quin & ea quæ apud Budæum, virum incomparabilis eruditionis, ac antiquis etiam merito conferendum, in hanc formam, tanquam ſpecioſe dicta reperiuntur, adagiis abſolutiſſ. connumeranda ſint? Famæ os comprimunt qui tam honeſte, tamque integre vivunt, ut nemo ſit omnino, qui de iis aliquid in deteriorem partem loqui poſſit. Qui vero nihil aliud agunt quam ut famam ſive ea ſit pecuniæ, magiſtratus, aut alterius glorioſæ conſequendæ, depellant: illi certe nullo unquam tempore efficient ut non traducantur, ſintque paſſim, ut Poeta inquit,

——— Incerti fabula vulgi.

Huc pertinet quod in Caligulæ vita ſcribit Sextus Aurelius Victor: de quo neſcio an aliquid decuerit memoriæ prodi, niſi forte quia juvat de principibus omnia noſſe, ut improbi ſaltem famæ metu talia declinent.

JOANNIS VLPII. *Pharus.*

Eleganter uſurpatur hæc dictio Pharus à Tertulliano, eo modo, quod a poetis Ara, arx, portus, anchora, & ſimilia. Fuit Pharus, altiſſima Ægyptii turris, quæ nocturnis ignibus naves ad portum dirigebat.

Intra quatuor eſſe.

Ἐντὸς τῶν τεττάρων εἶναι, pro eo quod eſt, intra januam eſſe, in ædibus, vel in tuto, familiaris loquendi modus apud Græcos. Jul Pollux. Simili ſchemate etiam dicitur, Intra quadrangulum eſſe, pro eo, quod, intra propriam domum, vel in tuto.

In portu dormire.

Ἐν λιμένι καθεύδειν, hoc eſt, In tuto & extra omne periculum eſſe, & tranquillam agere vitam. Chryſoſt.

Fluvii curſus non detorquendus.

Sentit proverbium, naturæ non debere fieri vim, ſed ad quod unumquodque natum eſt, eo adhibendum. Idem huic vicinum eſt quod Eraſmus habet: Equitandi peritus ne cantet.

COGNATI. *In limine portus eſſe.*

Virgilius libro ſeptimo Æneidos, alludens ad parœmiam, In portu navigare, pro eo quod eſt, extra periculum, & in tuto eſſe:

Nam mihi parta quies, omniſque in limine portus.

Sumpta à navigantibus. Latinus, bellum diſſuadens Turno, oſtendit ſuam ætatem in pace exactam, ac tranquillam ſenectutem conſecutum, ut nihil ſit, quod poſſit amplius ad abſolutam hominis fœlicitatem deſiderare præter regale funus quo per bellum ſpoliabitur, 1. Georg.

Cum preſſæ cum jam portum tetigere carinæ.

In ſuo regno eſſe.

Hoc frequens adhuc hodie in Gallici populi ore verſatur, cum dicunt: Il eſt en ſon royaume. Nam plerumque agricolæ ſibi regum fortunas ſuperare videntur, cum illis proprio agello frui licet, procul negociis, proculque diſcordibus armis. Huc pertinet Poetæ illud:

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint.
Agricolas. ———

Et item Horatii illud:

Beatus ille qui procul negociis,

& quæ ſequuntur, quæque Cicero in libro de Senectute, in laudem rei ruſticæ perſequitur. Apud quem & illud in Oratore lib. 1. metaphoricé legitur: Niſi hic in tuo regno eſſemus, non tuliſſem. Suas enim poſſeſſiones, ſuos fundos, homines lepide jocantes regna ſua vocare ſoleat, quod imitatus eſt. Quin & apud Horatium in epiſtola ad Mecœnatem:

——— Ad ſummam ſapiens minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta ſunt.

Melibœus ergo ex affectu apud Poetam Virgilium Sua regna vocat, pauperis tugurii culmen agellumque ſuum, quæ ſibi ſatis magna, quibuſque ſe fortunatum putabat, cum ea retineret: ſicut de Tityro ſua rura poſſeſſuro ait,

Fortunate ſenex, &c.

Ad Virgilii ſane locum alludit Quintilianus, qui in declamatione pauperis agentis contra divitem de apibus veneno interfectis, ſic inquit: Hoc mihi parvulum terræ, & humilis Tugurii ruſticum culmen æquitas animi regna fecerat: ſatiſque divitiarum erat, nihil amplius velle. Ad hoc item proverbium alludit Virgil. in Moreto hoc verſu:

Ergo aliam molitur opem ſibi providus hæres.

Cognatum illi, In foro tuo res agitur: Quod alibi dictum, &, Canis domi ferociſſimus.

Solidæ petræ innitendum.

Hoc utimur quum ſignificamus, non fortunæ, ſed bonæ conſcientiæ fidendum eſſe, atque in ſacræ ancoræ præſidio ſpem eſſe reponendam.

Canis domi ferociſſimus.

Germani vulgo dictitant, Canem in ſuo ædium veſtibulo ferociorem eſſe: Convenit cum his: Domi leones: Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt. Quorum explicationem qui cupiunt, Eraſmi præceptoris noſtri Chiliades adeant, & Gallos audiant dicentes: Deſſus ſon fumier ſe treot le chien fier. Autrement: Chien ſur ſon fumier eſt hardi. Vide ante, In regno ſuo eſſe.

Tabulis obſignatis agere.

Hoc dicendi genere nihil eſt frequentius Gallis, ſed in primis Juriſconſult. & eſt, aliquem conjungere teſtimonio ſuarum literarum. Translatio ducta eſt à chirographo, id eſt, cautione, manu alicujus inſcripta, annulove obſignata, quam ipſe inficiari nequit, Cicer. 5. Tuſculan. Tu quidem tabulis obſignatis agis mecum, & teſtificaris quid dixerim aliquando, aut ſcripſerim, hoc eſt, ſcripta mea objicis, ad aſtruendum quod e re tua eſt, aut deſtruendum quod tua refert everti. Diſputat enim Antonius adverſus Ciceronem, adducens teſtimonium ex lib. 4. De finib. Tabulæ autem nomina ſignificant, ut Cicer. in Topic. Multum enim differt, in arcano poſitum ſit argentum, an in tabulis habeatur. Vnde illud proverbium ejuſdem: Tabulis obſignatis mecum agis

gio. Galli dicunt: En vertu de lettres ſignees & ſeelees. Bud. Alciato: Tabulis prolatis diſceptari æquum eſt, id eſt, cautiones & documenta teſtimoniorum proferri ad rem judicandam. Tabulæ autem ſunt ſyngraphæ & chirographæ, item domeſticæ rationes, de quibus Cic. in Verr. Tuis ſolis tabulis cauſam te dicturum exiſtimaſti. Idem de Orat. Pro tabulis & contra tab. & pro teſtibus vel contra teſtes, vel ſeparatim dicere ſolemus.

Aquila volucrem parvam nido complectitur.

Miſeriæ & calamitates faciunt homines gratioſos apud omnes, propterea quod miſereſcere neceſſe eſt eorum, qui calamitoſi ſunt nulla ſua culpa. Homineſque ideo invicem commiſerantur, quia hæc conditio æqua eſt omnium: cum omnes ſint caſibus obnoxii. Hinc Greg. Theol. lib. 1 Sentent.

Πένητος ἀνδρὸς οὐδὲν ἀσφαλέστερον.
——Αὐτὸς παρ' οἷς λέγος
Πολὺς. καλιᾷ λεπτὸν ἀμφίεσεν,

Id eſt,

Nihil viro indigente ſecurum eſt magis,
——Namque nido (ut dicitur)
Aquila volucrem parvulam complectitur.

vide alibi, Pauperi pax in obſeſſa via.

Aiacis clypeo tectus.

Ex Homero ſumptum eſt Iliad. 8.

Τεῦκρος δ' εἴνατος ἦλθε παλίντονα τόξα τιταίνων·
Στῆ δ' ἄρ' ὑπ' Αἴαντος σάκεϊ Τελαμωνιάδαο.

Et reliqua.

Quo in loco Poeta deſcribit Teucrum, arcum contentum tenentem, multoſque Trojanos ſagittis interimentem, ita ut poſt Aiacis ſcutum lateret, tanquam in præſidio: quum viciſſim Aiax Telamonius ſcutum attolleret, & demitteret, ut Teucro ſubſerviret occulenti ſe ſubinde, atq; in hoſtes collimanti. Scutum autem ipſum Homerus l. 7. ſcribit his verbis:

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος, ἠΰτε πύργον,
Χάλκεον ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τυχίος κάμε τεύχων.

Budæus Nicolao Beraldo ſcribens: Accurſianæ majeſtatis umbra contectos, quaſi ſcuto Aiacis Homerici. His enim nominibus in ſacris protectores denotantur. Pſal. 83. Clypeus noſter, vide Deus Sept. ὑπερασπιστά. Geneſ. 15. Ne timeas Abraham, ego clypeus tibi. Pſal. 48. Quia Deo ſcuta terræ. Pſal. 34. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adjutorium mihi.

In foro tuo res agitur.

Eſt autem proverbiale, Res in tuo foro agitur: hoc eſt, Res hæc tibi melius cognita eſt: In ea re tu præſtas aliis, in qua tu exercitatus es plurimum. Ad quod alluſiſſe videtur Seneca l b. de Clem. 2. cap. 7. Ego ut breviter tanquam in alieno judicio dicam. Et Budæus Salmonio Macrino ſic ſcribens. Quibus in ſuo foro ut concedam, æquum eſſe mihi perſuadeo, &c. id eſt, Qui quum juris ſint profeſſores, literarum bonarum ſtudium huic profeſſioni addiderint, dignum eſſe cenſui ut eis id jam munus capeſſentibus cederem. Alia eſt Eraſmi noſtri interpretatio. Huic diverſum non eſt, In ſuo regno eſſe, &, Canis domi ferociſſimus.

Extra Noæ arcam non eſt ſalus.

Non enim extra Eccleſiam, extra Noæ arcam (ut veteres Hebræi loquebantur) ſalus eſt.

Ζητῶν τὰν κιβωτὸν. ἴσως μόνον ἀσφαλές.

inquit Nazianzenus carmine in epiſcopos. Cyprianus lib. 4. Epiſt. epiſtola 2. & tractatu 3. de ſimplicitate præſulum: Quiſvis ab Eccleſia ſegregatus, adulteræ jungitur à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. Si non potuit evadere, qui extra arcam Noæ fuit: & qui extra Eccleſiam foris fuerit, evadit? Monet Dominus, & dicit: qui non eſt mecum, adverſum me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit: Matth. 12. Hactenus Cyprianus. Vſurpat etiam Auguſtinus ſermone 181. de tempore: & lib. 2. De civitate Dei, cap. 21. Quiſquis autem ille eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.

De ſublimi ſpectare.

Tu namq; dicis hæc, veluti qui de ſublimi ſpectaveris: nos vero qui fecimus periculum, quanto exactius ſcimus?

Salva res eſt.

Verrius Flaccus: Salva res eſt, dum ſaltat ſenex, Apollinis paraſiti, in ſcena dictitant. Poſt, Salva res eſt, erubuit.

CAROLI BOVILLI. Eme lectum viri obærati.

A Gellius refert, Auguſtum, cum publica auctione militis obæratiſſimi ſupellex divenderetur, juſſiſſe emi ſibi ejuſdem lectum, & ad ſe deferri Rogatus à familiaribus cur lectum ſolum: Cætera, inquit, abunde mihi ſuppetunt: ſomno tantum, in tantis imperii moleſtiis, indigeo, cum ſi dulciſſimum & omnium curarum expertem militi tot tantiſq; nominibus debenti præbuerit hic lectus: præbebit, credo, & mihi. Obortus eſt riſus, & ſecutum proverbium, Eme lectum viri obærati: ubi quis remedium perpetuis vigiliis & ſollicitudinibus quæreret.

TVRNEBI, ET ALIORVM.

Evellere plantam cœno.

Proverbio illi Chil. Extra lutum pedem habes, ἐκτὸς πηλοῦ πόδας ἔχεις. ſimile iſtud Flaci:

Nequicquam cœno cupiens evellere plantam.

De his qui alicunde ſe expedierunt, & è moleſtia evaſerunt. Idem lib. 13. cap. 27.

SEMPER.

ERASMI. Quoad vixero.

Quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volemus, indicare licebit Homerico carmine, quod eſt in Iliados χ.

——Ὄφρ' ἂν ἔγωγε
Ζωοῖσιν μετέω καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

Id eſt,

——Donec
Vivos inter agam, genibus dum fulciar hiſce.

Hoc imitatus Maro.

Dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos regat artus.

SENIVM PRÆMATVRVM AVT MORS.

ERASMI. Ergini cani.

Ἐργίνου πολιαί, id eſt, Ergini canicies. De canicie præpropera, id eſt, quæ ante diem legitimum accidit. Erginus filius fuit Clymeni, unus ex Argonautis. Cum autem Hypſipyle, Thoantis Lemniorum regis filia, funerales ludos manibus parentis propoſuiſſet, Erginus adoleſcens præter ætatis rationem jam canus, acceſſit inter reliquos decertaturus, irriſus eſt autem à mulieribus Lemniacis, ob intempeſtivam capitis caniciem, & proverbio locum fecit: hoc inſignior, quod ſuperatis omnibus athletis pulcherrimam victoriam reportarit. Feſtivius fiet, ſi per ironiam dicetur in ſenes jam canos, qui tamen juvenes etiamdum haberi velint, cauſantes eam caniciem non ex annis ſed è curis, aut aliunde præmaturam accidiſſe Poterit torqueri & in illos, qui ætate juvenes, jam tum ingenio, moribuſque ſenem agunt. Et

—— Quibus rerum prudentia velox
Ante pilos venit, ——

ut inquit Perſius. Nulla vero res citius accelerat ſenium, quam animi curæ, amor, odium invidentia, metus ac mœror. Huc pertinet illud Theocriticum in Aeta:

——Οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι.

Id eſt.

Verum quos amor angit, in una luce ſeneſcunt.

Scholiaſtes adducit conſimile in verſum ex Odyſſeæ τ.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Id eſt.

Rebus in adverſis venit accelerata ſenectus.

Pindarus item in Olympiis:

Φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ,
Θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον.

Id eſt,

Naſcuntur & in juvenibus viris cani, frequenter & præter ætatis conveniens tempus. Deſiderantibus omne tempus longum eſt.

——Sic piger annus
Pupillis quos dura premit cuſtodia matrum.

Et hodie prædicant nautæ, in præſenti naufragii periculo derepente oboriri caniciem.

Mala ſenium accelerant.

Qui dicit ſenectam non eſſe metiendam annis, propterea quod ii qui ſe multis laboribus curiſque diſcruciant, ante diem conſeneſcunt, uſurpabit illud ex eodem libro.

Αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι.

Id eſt,

Quippe repente homines curiſque maliſque ſeneſcunt.

Præſtat canem irritare quam anum.

Refertur ex Menandro,

Πολὺ χεῖρόν ἐστιν ἐρεθίσαι γραῦν ἢ κύνα.

Id eſt,

Plus eſt periculi anum laceſſere quam canem.

Hebræorum ſententiæ negant ullam iram atrociorem eſſe ira muliebri. Irritabile enim ac vindex mulierum genus, partim ob rationis inopiam, partim ob animi humilitatem. Nam veræ magnanimitatis eſt, quaſdam injurias negligere, neque quoſvis homines dignari ira ſua. Eſt autem formidabile animal mulier, quum ad ſexus vitium accedit ſenectus. Canis irritatus tantum oblatrat, interdum & mordet: at aniculæ præter linguæ venenum, interdum inſtructæ ſunt malis artibus, veneficiis & incantamentis. Itaque nonnulli ingenti ſuo malo experti ſunt eſſe veriſſimum, quod dixit Menander.

Præmatura mors.

In hunc qui præmatura morte diſceſſerit, ſuperſtitibus parentibus, accommodabitur illud ex eodem lib. de Hippothoo Pelaſgo Leti filio dictum: quem Aiax Telamonius occiderat: quod Patrocli corpus pede apprehenſum ad Troiam pertrahere conatus erat.

——Οὐδὲ τοκεῦσι
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν.

Id eſt,

Aſt neque nutricandi grata parentibus ille
Reddidit officia: ſed ei breve contigit ævum.

EX APPENDIC. ERASMI.

Iapeto antiquior.

Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερος. Jupiter apud Lucia. ſic alloquitur Cupidinem, pueritiam excuſantem: σὺ παιδίον, ὦ Ἔρως, ὃς ἀρχαιότερος πολὺ τοῦ Ἰαπετοῦ. Plato in Sympoſio Auroram Saturno & Japeto antiquiorem dicit.

IVNII. *Equus Sophocleus.*

Ἵππῳ σοφοκλείῳ παραπλήσιος, id eſt, Equo Sophocleo ſimilis: proverbialiter dicitur de ſene ætatis quidem vitio defecto, qui tamen animo ſit vegeto. Philoſtratus lib. 2. de ſophiſtarum vitis, de Damiano Epheſio oratore loquens ita ait: εἶδον δὲ ἄνδρα παραπλήσιον τῷ σοφοκλείῳ ἵππῳ, id eſt, Vidi virum Sophocleo equo aſſimilem. Cauſam dicti adjungit: νωθρὸς γὰρ ὑφ' ἡλικίας δοκῶν, νεάζουσαν ὁρμὴν ἐν ταῖς σπουδαῖς ἀνεκτᾶτο, id eſt, Nam quum propter ætatem tardus videretur, juvenilem vigorem per ſtudia recuperabat. Parœmiæ origo fluxit ex loco Sophoclis, qui eſt in Electra ſtatim ab initio, ubi pædagogum nutritium ſuum ita compellat Oreſtes.

Ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἂν ᾖ γέρων,
Ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
Ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν· ὡσαύτως δὲ σὺ
Ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπῃ.

Id eſt,

Generoſus ut equus, ſit licet ſenio gravis
Animum ferocem nuſquam amittit in malis,
Erectasque aures ſubrigit: nec tu ſecus
Nos incitas, ipſuſque cum primis ades.

Ex quo perſpici facile poteſt duplex error Cælii, qui lib. 11. Antiquarum lectionum, putat alluſum eſſe ad tragici cothurni majeſtatem, qui ſit veluti equeſtris, ratione comicæ humilitatis, & ſequenti capite arbitratur proverbium reſpicere ad equum Colonũ, vel potius tumulum equeſtrem, in quo Sophocles habitarit. Sed toto cœlo illum oberraſſe quis non videt? Non errabit, qui Eraſmũ unicum noſtræ Hollandiæ decus & ornamentum, equo Sophocleo aſſimilem dixerit, qui corpuſculo imbecillo, ac propter perpetuam calculi vredinem invalido, gigantem quendam ſe præſtitit, in ſacris & Muſarum ſtudiis juvenilem vigorem recipiens.

Vvæ paſſæ ſimilis.

Ἀσταφίδι ἰσομοῖος, id eſt, Vvæ paſſæ ſimilis, ſcommate proverbiali in ſenilem ætatem rugis contractam & paſſa cute ſtrigoſam detorquetur, apud Gregorium Palamam Theſſalonicenſem Archiepiſcopum, qui animam ſic loquentem inducit, ὅτι δὲ τὸ πρεσβυτικὸν ὑπανίσχει κρανίον μηδὲν ἀσταφίδος, τὸ τῆς παροιμίας, ἀπεοικὸς, ὡς νήπιον αὖθις λογίζομαι, id eſt, Quum rurſus ſenilem ſubmiſerit calvam, nihil a paſſa uva (juxta proverbium) diſſidentem, iterum infantis loco habet.

Cervina ſenectus.

Vehementer longævo attribuitur proverbiali hyperbole ἐλάφειον γῆρας, id eſt, Senectus Cervina: occaſione ſumpta ab incredibili animantis hujus vivacitate, quam ſecutus Heſiodi opinionem Oppianus Cilix ita canit lib. Cyneget. 2.

Ζώει δ' αὖτ' ἔλαφος δολιχόχρονον, ἀτρεκίης δὲ
Ἀνθρώπων φάτις ἐστὶ, τετρακόρωνον ἱκάνειν.

Id eſt,

Longæva eſt cervis vita, & complere putatur,
Vt fert fama, quater cornicis ſecula longa.

Apud Ioan. Stobæum legitur epigrammatis initium tale,

Εἰ μὲ ζῆς ἐλάφου τόσον χρόνον ἢ κορώνης.

Id eſt,

Cornicem aut cervum ſenio ſi vincere poſſes.

Heſiodus cornici (inquit Plinius) novem noſtras attribuit ætates, quadruplum ejus cervis. Juvenalis ſatyra 14.

Jam torquet juvenem longa & cervina ſenectus.

Ad eandem ſpeciem effingi poterit & altera parœmia, Ἀργανθώνιον γῆρας, Arganthoniaca ſenectus: ab Arganthonio Gaditano Tarteſſiorum in Hiſpania rege, quem Anacreon Lyricus centum quinquaginta annos vixiſſe ait: octoginta annis regnaſſe prope certum eſt, unde nos olim in Philippeide noſtra,

Arganthoniacis ſuperet vivacior annis.

Senex vox & umbra.

Menander comicus apud Stobæum.

Τὸ γὰρ ἄλλο, φωνὴ καὶ σκιά ἐστι γέρων ἀνήρ.

Id eſt,

Nil aliud eſt quam & umbra vir ſenex.

Habet hoc ſenectus vitii, ut natura ſit loquacior: quod non diſſimulat Cicero. Poteſt & proverbiali dicterio diſtringi in ſenem garrulum, qui viribus effœtus ſola lingua juvenilem vigorem mentiatur. Euripides in Æolo.

Γέροντες οὐδέν ἐσμεν ἄλλο, πλὴν ὄχλος,
Καὶ σχῆμα, ὀνείρων δ' ἕρπομεν μιμήματα.

Id eſt,

Nos quid aliud ſenes quam garritus ſumus
Speciesque ſola, & ſomniorum repimus
Simulacra quædam.———

Idem in Hercule furente ait ſenem aliud nihil eſſe, præterquam γλώσσης ψόφον, hoc eſt, linguæ ſtrepitum.

Nihil amplius eſt.

Οὐδὲν ἔτι εἰμί, id eſt, Nihil eſt, proverbii vice nominatim utitur Ariſtides in oratione περὶ τοῦ παραφθέγματος, loquens de Neſtore, αὐτὸς οὐχ οἷός τε ὢν εἶναι ἀγωνίζεσθαι, ἀλλὰ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, οὐδὲν ἔτι ὢν ὑπὸ γήρως, id eſt: Quum ipſe obeundis certaminibus impar non ſufficeret, ſed juxta id quod dici ſolet, nihil amplius exiſtere præ ſenio. De ſene imbecillo, olim ſtrenuo.

Edentula maxillæ.

Ἀμύλοι γνάθοι, id eſt, Bucca edentula: proverbiale dicterium in eum, qui lædere aut fortunis officere alterius nequeat. Licebit & γέροντος ἀμύλους γνάθους, id eſt, edentulas aut exarmatas ſenis maxillas in contemptum ſenilium virium detorquere, ut ſi quis calamo conviciove ſenem laceſſens, injuriæque viciſſitudinem contemnens, dicat ſe nihili facere impotentis hoſtis ὥσπερ γέροντος ἀμύλους γνάθους veluti ſenis edentulas maxillas. Integrum videtur adagium legiſſe Gregorius Theſſalonicenſis, hoc modo,

Γέροντος ἀμύλοι γνάθοι βακτηρία.

Id eſt,

Sunt ſcipio ſeni maxillæ edentulæ.

Verba ejus hæc ſunt: ὅμως ἀλήθει γνάθοις, ἀμύλοις ὡς οἷόν τε ἃς καὶ τῆς παροιμίας ἐν τῇ βακτηρίας ἀντιχαρίζεται ἀνδρὶ γέροντι, i. e. Attamen edentulis malis, ut poteſt, cibum molit, quas proverbium ſcipionis vice ſeni tribuit.

Codri.

Κόδρους, id eſt, Codros dici parœmiace eos qui præ ſenio deliraſſ, τοὺς διὰ ἀρχαιότητα εὐήθεις, qui propter vetuſtatem ſtolidi cenſentur annotat Euſtathius Odyſſeæ 1. à Codro antiquiſſimo Athenienſium rege, Melanthi filio: quem depoſita veſte regia, paſtoralem cultum induiſſe ſcribit Velleius Paterculus, immiſſumque caſtris hoſtium, de induſtria imprudenter rixam cientem, interemptum fuiſſe, ut civitati obſeſſæ ſalutem ſua nece pareret, quam rem late deſcribit in oratione adverſus Leocratem Lycurgus. Alioqui & ἀπὸ Κόδρου, hoc eſt, Codri genus, dicuntur, qui antiqua proſapiæ nobilitate illuſtres ſunt, ut Themiſtius refert.

Tripuer ſenex.

Τρίπαιδα γερόντιον, quaſi dicas, Jam tertio puerum ſenem, vetulum decrepitum proverbiali ſchemate vocat Alcyphron in epiſtolis, ubi Phœbiana delicata juvencula ſenem ab intempeſtivo amore deterret, acerbius illum his verbis increpans: οὐ παύσῃ τρίπαιδα καὶ κάλανδρον γερόντιον πειρῶν τὰς ἀφ' ἡλικίας ἀνθούσας ἡμᾶς; id eſt, Nunquamne deſines Tripuer & carioſe ſenex nos in ipſo ætatis flore conſtitutas puellas fodere? Simili figura ferme, Triſeclíſenem vocavit Neſtorem Nævius Quin & τριγέρων μῦθος, ab Æſchylo in Agamemno. fabula dicitur.

Cucurbita glabrior.

De calvo proverbiale ſcomma eſt Apuleii. Cucurbita glabior: cui ſimillimum eſt Plautinum illud, Vulſo Lydio glabrior, apud eum enim hæc verba leguntur,

———Tu iſtum gallum, ſi ſapis,
Glabriorem reddes mihi, quam volſus Lydius.

quod inde natum putant, quod olim ludis Romanis pueri præſules glabri eſſent ac depiles: quos Romani Lydios appellabant, Varrone teſte l. 1. de vita pop. R. Rom. nam vitium eſt in Nonianis codicibus, in quib. legitur debiles, perperam: pro depiles: niſi quis putet referendum potius ad mollitiem Lydiorum notiſſimam.

COGNATI. *Senex Acheronticus.*

Senex Acheronticus apud eundem Plautum, capularem, mortique proximum ſignificat. Idem capulo proximum & capularem vocat. In Mercatore Lyſimachus,

Acheronticus ſenex, vetus, decrepitus.

Idem in Caſina,

Hunc Acherontem præmittam prius.

In milite glorioſo.

Itane tibi videor oppido Acheronticus,
Tam capularis.———

Acheronticus quoque capitur pro difficili & moroſo.

Omnia omnibus annuit.

Dicitur in valde ſenes, in quibus caloris naturalis inopia imbecillitatem, imbecillitas tremorem efficit, ita ut caput perpetuo motitantes, omnia omnibus annuere videantur. Catullus in nuptias Juliæ & Manlii.

Vſque dum tremulum movens cana tempus anilitas,
Omnia omnibus annuit.

Vvæ

Vva paſſæ.

Rugoſæ enim ac flaccidæ ſunt uvæ paſſæ, propter ſuccum ſole decoctum: unde veteres, & uvas paſſas vocabant ſenes, ob rugoſitatem. Lucilius l.9. ſatyr. citante Nonio,

Rugoſi paſſique ſenes eadem omnia quærunt.

Corpus enim ſenile, exhauſto ſucco, carnibuſque adeſis, eſt invalidum & flaccidum. Hinc illud,

Ἀνδρὸς γέροντος ἀσταφὶς τὸ κρανίον.

Id eſt,

Viri ſenis velut uva paſſa cranium. Lucian. in Cataplo: Flaccidi omnes, & apprime maturi, uvæ paſſæ. Vide Eraſ. Viri ſenis aſtaphis calvaria. *Dicitur* etiam ſenex, vietus, veternoſus, veter. Ennius.

Cum veter occubuit Priamus ſub Matre Pelaſgo.

Plautus autem in Penulo: Tu es mecum futurus pro uva paſſa penſilis. Vvæ ſæpenumero ſuſpenduntur, ut paſſæ fiant: etſi alia ratio earum faciendarum eſt, unde illud Varronis: Penſilia ut vuæ, ſorba, ipſa oſtendunt quando ad uſum oporteat promi. Horat. ſatyr. 2. lib. 2.

——Tu penſiles uvas ſecundas,
Et nux ornabat menſas.——

Libidinarii.

Plautus ſenes decrepitos, libidinarios appellat in Bacchidibus: Blandulæ, facetæ, pulchræ, incurvos, libidinarios, vetertumos ſenes illorum traherent partes. A Libidina. Dea ſunerum: à qua etiam qui funeribus procurandis ſunt occupati, Libidinarii dicuntur.

Connus ſenum magiſter.

Socrates apud Platonem in Euthydemo: Pueri condiſcipuli me quotidie rident, & Connum ipſum ſenum magiſtrum nuncupant,

COELII RHODIGINI.

Valetudo ſenilis.

De proſpera ſatis, minuſque morbis obnoxia: vel de ea, quæ ſanari nullo modo poteſt. Nam, ut ait Hipp. ſenes fere minus quam juvenes ægrotant, attamen qui morbi iis acciderint, plerunque inſanabiles ſunt, & tota vita concomitantur.

Contemnunt ſpinam, cum cecidere roſæ.

Proverbialiter hoc verſu Ovid. l. 6. Faſtorum utitur, volens ſignificare ſenilis ætatis nullum eſſe precium aut decus. Comparat autem roſis florem ætatis, quamvis e ſpina naſcentibus, ſenectam vero ſpinæ roſis caſſæ ſimilem facit. Vt enim amiſſis roſis ſpinæ jacent, maximoq; contemptui ſunt: ita corporis veternoſa & marcida ſenectute premente vileſcimus, nulloq; ſumus in precio. Martialis lib. 6. ad Lycorim,

Fœmina præferri potuit tibi nulla Lycori,
Præferri Glyceræ fœmina nulla poteſt.
Hoc erit hæc quod tu: tu non potes eſſe, quod hæc eſt,
Tempora quid faciunt? hanc volo: te volui.

Licebit paululum torquendo uſurpare de puella, poſt amiſſam virginitatem (ut fit) ab amatoribus ſuis faſtidita.

SERA POENITENTIA.

ERASMI. *Sero ſapiunt Phryges.*

Hoc proverbium ex vetuſtiſſima tragœdia Livii Andronici mutuo ſumptum eſt, quæ inſcribitur. Equus Trojanus: Sero ſapiunt Phryges. Uſurpatur à Cic. in Epiſt. famil. In equo, inquit, Trojano, ſcis eſſe Sero ſapiunt Phryges. Convenit in eos, quos ſtulte factorũ ſero pœnitet. Siquidem Troiani tot jam acceptis cladib., vix decimo demum anno de reſtituenda Helena conſultare cœperunt: quam ſi ſtatim initio repoſcenti Menelao reddidiſſent, innumerabilib. ſe ſe calamitatibus ſubduxiſſent. Euripides in Oreſte,

Ὀψέ γε φρονεῖς εὖ, τότε λιποῦσ᾽ αἰσχρῶς δόμους.

Id eſt,

At nunc profecto ſerius ſapis bene,
Cum tunc penates turpiter relinqueris.

Nam verba ſunt ad Helenam Electræ. Refertur à Feſto Pompeio, proverbii titulo. Demades, authore Plutarcho, dicere ſolebat: Athenienſes nunquam decernere pacem, niſi pullis veſtibus indutos: innuens eos bellandi cupidiores, quam ſat eſſet, nec niſi clade ſuorum admonitos de pace cogitare. At nos quanto ſumus Athenienſibus vecordiores, qui ne tot quidem annorum malis docti bellum odimus, nec de pace, quam inter Chriſtianos perpetuam eſſe oportebat, tandem incipimus cogitare.

Cumani ſero ſapiunt.

Ὀψὲ αἰσθάνονται οἱ κυμαῖοι id eſt, Sero ſapiunt Cumani. Id adagium refertur a Strabone Geographiæ lib. 13. putatque eos vulgo male audiſſe, tanquam ſtupidos atque inſulſos: ob hanc cauſam, quod ducentis annis portus vectigalia exegerint, hoc nomine, ut urbem ædificarent: quæ dare tamen non deſierunt, cum jam urbe eſſet extructa. Adjicit & aliam fabulam. Cumanos publica pecunia mutuo accepta, porticus conſtruxiſſe: deinde cum pecuniam eam ad diem præſcriptum non reddidiſſent, à deambulatione fuiſſe prohibitos. Aliquanto poſt cum ingens eſſet pluvia, creditores ludibrii cauſa præconem miſiſſe, qui publicaret edictum, uti Cumani porticus ſubirent. Atque ita voce præconis admonitos ſubiiſſe: inde natum adagium, Sero ſapere Cumanos, qui non niſi moniti ſenſerint defugiendam eſſe pluviam. Notat & Stephanus, Cumam ac Lesbium male vulgo audiſſe, ſtupiditatis nomine. Proverbium autem non ſentit de Cuma Italiæ ſed Æolidis: quæ eadem dicta fuiſſet Amazonium & Phriconitis, aut (ut Herodotus lib. 1.) Phryconis. Simillimum illi: Sero ſapiunt Phryges. Nihil enim vetat, quo minus dicatur & in illos, qui non niſi ſuo malo docti parent recte monentibus.

Malo accepto ſtultus ſapit.

Paulo diverſius extulit Heſiodus, eandem tamen ſententiam, cum ait in libro, cui titulus, Opera & dies,

——*Δίκη δ᾽ ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει*
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα, παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Id eſt,

——Tandem ſua pœna nocentem
Conſequitur, paſſuſque ſapit tum denique ſtultus.

Ad quam ſententiam videtur alludere & Homerus in Iliad. ψ. *ἵνα γνῷς ἄτην.* i. e. Vt tuo damno cognoſcas. Plato in Sympoſio: *ἃ δὴ καὶ σοὶ λέγω, ὦ Ἀγάθων, μὴ ἐξαπατᾶσθαι ὑπὸ τούτου, ἀλλ᾽ ἀπὸ τῶν ἡμετέρων παθημάτων γνόντα εὐλαβηθῆναι, καὶ μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν ὥσπερ νήπιον παθόντα γνῶναι*, id eſt, Quæ ſane tibi quoque dico Agathon: ne ab hoc fallaris, ſed ex cognitis his, quæ nobis acciderunt, caveas: nec, juxta proverbium, velut ſtultus poſt acceptum malum ſapias. Huc referendum & Plautinum illud in Mercat.

Feliciter is ſapit, qui alieno periculo ſapit.

In eandem ſententiam Tibullus elegiarum lib. 3.

——Felix quicunque dolore.
Alterius, diſces poſſe carere tuo.

Huc alludunt & illæ ſero ſapientium voces,

Nunc ſcio quid ſit amor.
Nunc ego & illam ſceleſtam, & me miſerum eſſe ſentio.
Ah, vix tandem ſenſi ſtolidus.

Videtur adagium ex illa vetuſtiſſima fabula manaſſe, de duobus fratribus Prometheo atq; Epimetheo, quæ quidem refertur apud Heſiodum, ad hanc ferme ſententiam: Jupiter iratus Prometheo propter ignem furto ſublatum e cœlo, ac mortalibus redditum, cupienſque illum ſimili retaliare dolo, Vulcano negocium dat, ut é luto puellæ ſimulachrum quando maximo poſſet artificio fingat. Id ſimulatque factum eſt, ſingulos deos deaſq; monent, ut ei ſimulachro ſuas quiſque dotes adjungerent. Vnde & virgini Pandoræ nomen aſſictum apparet. Hanc igitur omnibus formæ, cultus, ingenii, linguæque dotibus cumulatam, Jupiter cum pyxide pulcherrima quidem illa, ſed intus omne calamitatum genus occulente ad Prometheum mittit. Is recuſato munere, fratrem admonet, ut ſi quid muneris ſe ſe abſente mitteretur, ne reciperet. Redit Pandora, perſuaſoque Epimetheo, pyxidem donat. Eam ſimulac aperuiſſet, evolantibuſque morbis ſenſiſſet Jovis *ἄδωρα δῶρα*, ſero nimirum ſapere cœpit. Vbi Heſiodus palam ad adagionem alludens ait,

Αὐτὰρ ὁ δεξάμενος ὅτε δὴ κακὸν εἶχ᾽ ἐνόησεν.

Id eſt,

Accepit tactuſque malo, tum denique ſenſit.

Idem ſignificat in Theogonia: Hæc, inquit, peperit *ἀπρομηθίαν.*

Ποικίλον αἰολόμητιν, ἁμαρτίνοόν τ᾽ Ἐπιμηθέα.

Prometheum vafrum nominans, ac variis inſtructum conſiliis, Epimetheum poſt erratum ſapientem. Vnde & Pindarus in Pythiis, appellat illum *ὀψίνοον*, quaſi ſero ſapientem. Quod ipſa etiam indicant vocabula. Nam *προμηθεῖς* Græcis eum ſignificat, cui prius quam rem aggrediantur ſuppetit conſilium: *ἐπιμηθεῖς* cui re peracta, tum demum conſilium in mentem venit, *προμηθεῖσθαι*, eſt conſilio malis imminẽtibus occurrere. Lucianus in dialogo quodam, ex comico quopiam citat hunc verſiculum, dictum in Cleonem, quod ſero, nec niſi confecto negocio ſaperet,

Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα.

Id eſt,

Rebus peractis eſt Cleon Prometheus.

Idem in calce ejuſdem dialogi: *ἐπεὶ τό γε μεταβουλεύεσθαι Ἐπιμηθέως ἔργον, οὐ Προμηθέως ἐστίν*, id eſt, Nam illud quidem poſt rem conſulere, Epimethei eſt, non Promethei. Effertur etiam ad hunc modum parœmia: *μετὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος*, id eſt, Poſt mala prudentior. Rurſum hoc pacto: *ἐξ ὧν ἔπαθες, ἔμαθες*, id eſt, ut ſententiam magis quam verba reddam: Quæ nocent, docent. At multo conſultius eſt, alienis malis prudentiorem reddi, juxta Græcam ſententiam

Βλέπων πεπαίδευμ᾽ εἰς τὰ τῶν ἄλλων κακά.

Id eſt,

Aliena ſpectans, doctus evaſi mala.

Circumfertur & illud noſtrati vulgo jactatum: Mortaleis pudore & jactura doctiores evadere.

Factum ſtultus agnoſcit & piſcator ictus ſapiet.

Vide in loco, Eventu judicium.

Mus picem guſtans.

Μῦς ἄρτι πίττης γευόμενος, id eſt, Mus nunc picem guſtans. Quidam ajunt

ajunt dici ſolere in eos, qui cum antea fuerint audaculi & confidentes, poſtea periculo deguſtato, plane timidi videntur. Nondum ſatis liquet, utrum e mure in pice deprehenſo ſit translata allegoria; ſicuti placet Diogeniano: an ab illo, de quo meminit Herodotus 1. libro in pice deprehenſo, atq; ita pœnas dante: an à pugile illo Tarentino, de quo alibi dictum eſt ut in πίσσῃ ſit alluſio ad nomen urbis, apud quam celebrantur certamina. Theocritus in Idyl. ξ.

Νῦν δ' ὡσεὶ μῦς, φαντί, Θεώνυχε, γεύμεθα πίσσας.

id eſt:

Nunc tandem ſicuti mus, ut ajunt, Theonyche, guſtavimus picem.

Porro ſive ad animal referas, ſive ad pugilem domine Murem, eadem ferme manet adagii ſignificatio, videlicet experientiam male ceſſiſſe. Siquidem mus imperitus, ſi quando in picem inciderit, aut perit, aut vix eluctatur, ac deinde periculi memor timet contingere. Et pugil ante ferox & jactabundus, ſimulatq; certamen Olympiacum expertus eſt, ſenſitque quanti conſtiterit ea victoria, deinceps abſtinuit. Huc ſpectat illud Horatianum,

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. ——

Itidem juvenes bellorum imperiti, facile bellum ſuſcipiunt. Senes experti quantum malorum agmen ſecum trahat bellum, reformidant. Quare non intempeſtive dicetur in eum, quem pœnitet experimenti: aut qui rem parum feliciter tentatam, iterum aggredi refugit. Finitimum illis alibi dictis, *Sero ſapiunt Phryges* &, Cumani ſero ſapiunt: &, Piſcator ictus ſapiet. Eſt autem hæc una præcipua peſtis vitæ mortalium, quod non perinde diſcimus, cavere malum, atque admiſſo mederi. Quæritur hoc Plato libro De legib. 1x. *οὐκ ἔστι τὸ μὴ δρᾶν τὰ ἄδικα πρεσβεύομεν οἱ πολλοί, θεραπεύειν δὲ ἐξαμαρτάνοντας πειρώμεθα*, id eſt, Non huc incumbimus plerīq;, ne committamus injuſta, ſed ut poſteaquam fecerimus, medeamur. Atqui juxta Plautum, Nimio ſatius eſt non admittere malum, quam admiſſo mederi.

Poſt acerba prudentier.

Παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος, id eſt, Poſt mala prudentior. Finitimum illi,

—— *Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.*

Plato in Sympoſio, *ἃ δὴ καὶ σοὶ λέγω, ὦ Ἀγάθων, μὴ ἐξαπατᾶσθαι ὑπὸ τούτου, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἡμετέρων παθημάτων γνόντα εὐλαβηθῆναι, καὶ μὴ κατὰ τὴν παροιμίαν, ὥσπερ νήπιον, παθόντα γνῶναι*, id eſt, Quæ ſane & tibi dico Agathon, ne ab hoc fallaris, ſed meis doctus malis caveas, neque (quemadmodum habet proverbium) ſtulti more malo accepto ſapias. Congruet in eum qui ſuo malo redditus eſt cautior.

Sera in fundo parſimonia.

Proverbialis ſententia apud Senecam in prima epiſtola: Sera in fundo parſimonia: digna profecto, quæ omni ſcrinio, omni cado: omni cellæ penuariæ inſcribatur. Admonet, in tempore parcendum rebus neceſſariis: neque imitandum profuſorum vulgus, qui tum demūq; incipiunt parcere, poſteaquam viderint minimum ſupereſſe. Erit elegantior ſententia, ſi traducatur ad res animi: velut ſi quis admoneat juvenes, ne ſinant optimos illos annos inaniter effluere, ne illis eveniat quod pleriſq; ſolet evenire, ut jam natu grandes animum ad res honeſtas applicent: & cum perpuſillum vitæ ſuperſit tum tempori parcere incipiant, ſeram enim in fundo parſimoniam eſſe. Proverbium ſumptum apparet ex Heſiodo, cujus hi ſunt verſus in opere, cui titulus, Opera & dies,

Ἀρχομένου δὲ πίθου καὶ λήγοντος κορέσασθαι,
Μεσσόθι φείδεσθαι. δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

Id eſt:

Plena ubi dolia ſunt, aut jam prope inania vini,
Tum ſatiare, ſed in medio fac parcior eſto.
Abſurdum ſiquidem & grave in imo parcere fundo.

Alluſit huc Perſius Satyr. 2.

——Donec deceptus & exſpes,
Nequicquam fundo ſuſpiraret nummus in imo.

Plutarchus in Sympoſiacis Decadis 7. problemate 3. indicat poetam admonuiſſe tum eſſe bibendum vinum, cum eſt optimū. Vinum autem in medio ſaluberrimum optimumq; eſſe potu, quemadmodum ſumma pars olei potiſſimum laudatur, mellis infima. Primum, quod vini vis calor eſt, is autem videtur maxime colligi circa medium, proinde id optimum eſſe ſervare. Deinde vini pars inferior, vicina fæcis, corrumpitur: ſumma pars ab aere proximo læditur. Nam aerem inimicum eſſe vino, vel illud ſatis arguit, quod dolio pleno vinum minus vapeſcit, quam ſemipleno. Tum quod terra defoſſa, ut aer attingere non poſſit, quam diutiſſime vigorem ſuum conſervant. Theocritus item in Charitib.

——*Κενεᾶς ἐνὶ πυθμένι χηλοῦ.*

Id eſt,

——Vacuæ fundo capſæ,

ſcrinium inane ſignificans.

Poſt rem devoratam ratio.

Vide in loco Abſurda.

Quod dedi, datum nollem.

Lena Milenis in Ciſtellaria Plautina: Inter novam rem, inquit, verbum uſurpabo vetus: Quod dedi, non datum vellem: quod reliquum eſt, non dabo. Significare ſe pœnitere, quod puellæ fecerit copiam, de cætero non facturam. Uſus adagii fiet venuſtior, ſi paulo longius à ſimplici figura detorqueatur: veluti ſi quis indicans ſe ſuperioris operæ, quam in Poeticis ſtudiis inſumpſerit, pœnitere, nec eſſe conſilii diutius in ea tempus terere, dicat: Quod dedi, datum nollem, quod reliquum eſt, non dabo.

Satius eſt recurrere, quam currere male.

Πάλιν δραμεῖν μᾶλλον ἢ δραμεῖν κακῶς.

Id eſt.

Satiùs recurrere, atque uti curras male.

Senarius proverbio celebratus, cujus hic eſt ſenſus: Præſtat mutare conſilium in melius, quam in male inſtitutis pergere. Lucianicus aſinus ſententiam hanc ſecum volvebat, non admodum aſininam: *ἔγνων τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου*,

Πάλιν δραμεῖν μᾶλλον ἢ δραμεῖν κακῶς.

Id eſt.

Viſum eſt tandem, juxta vulgi ſermonem,
Potius recurrere, atque currere perperam.

Quib. & hoc ſeculo vulgo dictitant, Non prorſus aberrare eum, qui medio è curſu recurrat: ſignificantes probandos eos, qui mature reſipiſcunt ab ſtultitia.

Optimum aliena inſania frui.

Optimum aliena inſania frui. Plinius Secundus Naturalis hiſtoriæ lib. 18. cap. 5. nominatim proverbii loco citat: Eodem, inquiens, pertinet, quod agricolam vendacem oportere eſſe dixit, fundum in adoleſcentia conſerendum ſine cunctatione, ædificandum non niſi conſito agro, tunc quoq; cunctanter. Optimum eſt, ut vulgo dixere, aliena inſania frui: ſed ita, ut villarum tutela non ſit oneri. Hactenus Plin. Idem totidem verbis refertur à Plinio juniore in epiſtolis, de Reguli ſtultitia loquente, hominis ridicule ambitioſi, ſed tamen ad excitanda ſtudia non inidonei. Admonet adagium, ut ex aliorum erratis ipſi cautiores efficiamur, & alienis periculis reddamur prudentiores: & aliorum deſipientia nobis ſapiendi præbeat occaſionem. Vulgo jactatus verſus eſt in eandem ſententiam.

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Cicero in epiſtola quadam, bellum eſſe ſcripſit, ex aliorum erratis ſuam vitam in melius inſtituere. Plautus item: Feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit. Extat & hujuſmodi quidam mimus. Publianus, uti conjicio.

Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

Et Demea Terentianus jubet ex aliis exemplum capere. Poteſt & in hunc accipi ſenſum, ut is dicatur aliena frui inſania, qui alienis fruitur malis ipſe in tuto conſiſtens. Nulla enim voluptas minoris conſtat, neque ulla ſolet eſſe jucundior. Sumptum videri poteſt proverbium ex Sophoclis tragœdia, cui titulus, Aiax flagellifer. Apud quem, Aiace per inſaniam gloriante, quod hoſtes ſuſtuliſſet, cum ſæviſſet in pecudes, Pallas Ulyſſem ad hoc ſpectaculum invitat his verbis,

Οὔκουν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν.

Id eſt:

Ridere de hoſte, riſus eſt ſuaviſſimus.

Hedera poſt anthiſteria.

Κισσὸς μετ' ἀνθεστήρια, id eſt, Hedera poſt anthiſteria. Quum ſero quippiam adhibetur: nam hinc habent nomen, quod eo menſe plurima è terra efflorescant. Apparet in iis ludis morem fuiſſe coronari hedera. De anthiſteriis, id eſt, floralibus feſtis, diximus in proverbio, *κᾶρες θύραζε*, id eſt, Cares foras. Videntur illa fuiſſe quæ Latini vocant Bachanalia. Hedera autem Baccho ſacra erat, unde *κιττοφόροι* dicti, qui in ludis illis ferebant hederas. Convenit cum eo quod alibi retulimus, *μετὰ τὴν ἑορτήν*, id eſt, Poſt feſtum.

Atqui non eſt apud aram conſultandum.

Ἀλλ' οὐδὲν δεῖ πρὸς τῷ βωμῷ τὰς ἐπινοίας, id eſt, Atqui nihil opus juxta aram cogitare. Conſultandum antequam incipias: in ipſo negocio ſera conſultatio. Sumptum à ſacrificiis, qui pro ritu ſacrorum omnia præparant, priuſquam accedant ad aram. Nam in ipſis ſacris periculoſum exiſtimabatur, ſi quid parum rite dictum aut factum fuiſſet à ſacerdotibus aut patrimis ac matrimis. Declarat M. Tullius in oratione. De reſponſis aruſpicum: An ſi ludus conſticit, aut tibicem repente conticuit, aut puer ille matrimus, & matrima ſi terram non tenuit, aut thenſam, aut lorum omiſit, aut ſi ædilis verbo aut nutu aberravit, ludi ſunt non rite facti.

COGNATI. Prometheus Epimetheus.

Plato Romanos Prometheos appellat, procul aſpicientes; & utentes præmaturo conſilio, Siculos vero Epimetheos & imprudentes. Lucianus contra eum qui dixerat, Prometheus es in verbis, in calce, *ἐπεί τοί γε μετὰ τὴν πρᾶξιν βουλεύεσθαι ἐπιμηθέως ἔργον, οὐ προμηθέως ἐστί*, id eſt. Nam illud quidem poſt rem conſulere, Epimethei eſt, non Promethei, *προμηθεῖσθαι* enim, eſt conſilio malis imminentibus occurrere. Idem in eodem dialogo, ex Comico quopiam citat hunc verſiculum, dictum in Cleonem, quod ſero, nec niſi confecto negocio ſaperet,

Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα.

Id eſt,

Id eſt,

Rebus peractis eſt Cleon Prometheus.

Heſiodus in Theogonia: Hæc (inquit) peperit προμηθέα ποικίλον, αἰολομήτην, ἁμαρτίνοόν τ' ἐπιμηθέα. Prometheum vafrum nominans, ac variis inſtructum conſiliis. Epimetheum poſt erratum ſapientem. Idem Heſiodus lib. 1.

Ἰαπετιονίδη, πάντων πέρι μήδεα εἰδώς.

Id eſt,

Prometheï fili ſapere. Omnium qui conſiliorum conſcius es.

Vnde & Pindarus in Pithiis appellat illum ὀψίνοον, quaſi ſero ſapientem. De his duobus fratribus vetuſtiſſima fabula refertur apud Heſiodum in libro cui titulus, Opera & dies. & in Eraſmi adagiis.

SERVM REMEDIVM AVT TEMPESTIVUM.

ERASMI. Satius eſt initiis mederi, quam fieri.

Ἀρχὴν πολὺ λῷον ἢ τελευτήν.

Id eſt,

Multo quam finem, medicari initio præſtat.

Refertur à Suida proverbii loco.

In eandem ſententiam Theognis,

Ζητεῖσθαι δ' ἴσχει φάρμακα φυομένῳ.

Id eſt,

Pharmaca naſcenti ſunt adhibenda malo.

Similiter Perſius Satyr. 3.

Eleborum fruſtra, quum jam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas. venienti occurrite morbi.

Atque item Ovidius,

——Sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Admonet adagium, minore negotio tolli malum ſtatim initio, cum adhuc recens eſt, quam poſtea quam inveteraverit: Pueros à vitiis arcendos, dum adhuc tenera ac tractabilis ætas. Sarciendas protinus offenſas, ne in ſimultatem exoleſcant. Minima vitanda mala ex quibus maiora ſolent pullulaſcere. Occaſiones evitandas, quæ mali quippiam parituræ videantur.

Sero veniſti, ſed in colonum ito.

Ὀψ' ἦλθες, ἀλλ' ἄγ' εἰς κολωνὸν ἴθι.

Id eſt,

Serus ades, aſt colonon hic te conferas.

Jocus proverbialis adverſus eos, qui poſt tempus advenirent, aut qui mercede quippiam facerent. Porro Colonus eſt terra æditior, in ſpeciem tumuli ſeu collis. Huiuſmodi duo erant Athenis: alter juxta Neptuni templum, in quem equites conveniebant: alter juxta templum Vulcani: qui à foro ſeu mercatu dictus eſt ἀγοραῖος. Hinc colonetæ dicti, qui mercede conducerentur: quod illic conſiſterent, qui conductorem quærebant. Hujuſmodi ferme Suidas.

Poſt bellum auxilium.

Μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία, id eſt, Poſt bellum ſuppetiæ. Quoties ſerius adhibetur remedium. Refertur à Suida. Natum eſt, aut certe uſurpatum à Diogene Cynico. De quo Laertius hujuſmodi fabulam narrat. Adoleſcens quiſpiam jactantior nuper uxore ducta, titulum huiuſmodi inſcripſit ædibus ſuis: ὁ τοῦ Διὸς παῖς καλλίνικος Ἡρακλῆς ἐνθάδε κατοικεῖ, μηδὲν εἰσίτω κακόν. id eſt, Iovis filius Callinicus Hercules hic habitat, ne quid introeat mali. Diogenes aſſcripſit, μετὰ τὸν πόλεμον ἡ συμμαχία id eſt, Poſt bellum auxilium. videlicet ſignificans jam tunc receptum in eas malum, cum ipſe malus immigraſſet. Convenit cum Platonico illo, quod alibi commemoravimus. μετὰ τὸν πόλεμον ἥκειν, id eſt, Poſt bellum adeſſe. Brutus in Epiſtola ad Lycios, αἱ μηχαναὶ ὑμῶν μετὰ τὸν πόλεμον, ὡς ἡ παροιμία, κατεσκευάσθησαν. id eſt, Machinæ veſtræ poſt bellum, ut habet proverbium, allatæ ſunt. Item in epiſtola ad Myrenſes, ἡ γὰρ ἐν πολέμῳ βραδυτὴς ἴσον ἰσχύει τῷ μηδὲν ἀνυσθῆναι τὰ πραχθέντα. id eſt, Nam tarditas in bello perinde eſt, ac ſi nihil omnino ſit factum, quod fruſtra factum eſt. Quintilianus in declamatione Cadaveris paſti, duas habet ſententias non abſimiles proverbio: Quid, quod medicina mortuorum ſera eſt? Quid, quod nemo aquas infundit in cineres? Sic indicat ſerum remedium. Siquidem ægroto mortuo ſero venit medicus. Et ædibus in cinerem redactis ſero infunditur aqua.

Senem erigere.

Γίγνεται δ' ὀρθοῦν φλαῦρον ὃς νέος πίτνει.

Id eſt,

Erigere durum eſt, qui cadat juvenis, ſenem.

Haud facile dediſcuntur à ſenibus vitia, quæ pueri didicerint, & in omnem inhæſerint vitam. Et tamen in ſenecta quoq; conandum, ut vitiis careamus, quantumvis inhæſerint.

Sero veniſti.

Ὀψὲ ἦλθες, id eſt, Sero veniſti. Competit in eos, qui poſt tempus rem aliquam aggrediuntur. veluti ſi jam ætatis vitio frigidus, uxorem paret ducere, aut grandior literas addiſcere. Natum ex oraculo, quod Pythia vates ædidit cuidam conſulenti, num deberet ad rempublicam tractandam accedere: ὀψὲ μὲ ἦλθες ἀρχῆς καὶ δημαγωγίας δεόμενος, καὶ παρ' ὥραν στρατηγίου κόπτεις θύρας. id eſt, Sero veniſti, me de principatu & reipublicæ adminiſtratione conſulens, & alieno tempore militiæ pulſas januam. Meminit Plutarchus in commentario, cui titulus, εἰ πρεσβυτέρῳ πολιτευτέον.

IVNII. *In meridie vitæ philoſophantes.*

Ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου φιλοσοφεῖν, id eſt, In meridie vitæ philoſophari dicuntur proverbialiter, qui provecta ætate animum ad ſtudia applicant. Syneſius ad philoſopham: ἐσθῆτας ἐν λογισμοῖς ἀποδυσαμένους, ἤ τινας ἀπὸ μιᾶς γενομένους συμφορᾶς ἀναπεισθέντας ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου φιλοσοφεῖν. id eſt, Noſtri quoſdam depoſitis ad rationem veſtibus, aut accepto damno vel unico edoctos, in meridie vitæ philoſophiæ incumbere. Non abludit hinc mutuum M. Craſſi & Deiotari tetrarchæ Galatiæ convicium. nam Craſſus videns illum extremo in ſenio novam urbem condentem: Quid, inquit, ô rex hora diei duodecima ædificare inceptas? ὦ βασιλεῦ δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἄρχῃ; ridens ille ſubjecit, ἀλλ' οὐδ' αὐτὸς πρωὶ λίαν ἐπὶ Πάρθους ἐλαύνεις. id eſt, Atqui neque tu ipſe, ô imperator, maturius admodum in Parthos expeditionem ſuſcipis. Vterque intempeſtiva molimina alteri facere objecit quod perſcriptũ eſt ab Appiano in Parthico, & à Plutarcho in Craſſo, verbis plane iiſdem, ut & paginæ aliquot in utraq; hiſtoria nihil immutatis verbis leguntur: uter vero plagii inſimulandus ſit, difficile fuerit judicium, quod eadem ætate (ut opinor) vixerint. Poteſt ad quævis alieni temporis ſtudia aut negocia transferri, velut in ſenem intempeſtivæ libidinis. ἐν μεσημβρίᾳ τοῦ βίου μαλακιζόμενον. Ab hoc adagio non alienum eſt illud Alexidis comici.

Ἤδη γὰρ ὁ βίος ὁ ἐμὸς ἑσπέραν ἄγει.

Id eſt,

Nam vita ſeram veſperam trahit mea.

Ætatum curricula diei curſui comparantur. & Nazianzenus in Homeſium: βιότου πρὸς ἑσπέραν ἀλγεινὸς. id eſt, Miſere ſub veſpere vitæ.

SERVIRE TEMPORI.

ERASMI. Servire ſcenæ.

M. Tullius ſervire ſcenæ dixit: pro eo quod eſt, ſervire tempori, & rebus præſentibus ſeſe accommodare. Translatio ab hiſtrionibus fabularum metaphora. qui non ſuopte iudicio agunt, ſed hoc unum ſpectant, ut quovis modo populi oculis placeant, alioqui explodendi exibilandique. Sic enim ſcribit ad Brutum: Tibi nunc populo & ſcenæ, ut dicitur, ſerviendum eſt. Nam in te non ſolum exercitus tui, ſed omnium civium, ac pene gentium conjecti ſunt oculi. Quadrabit & in eos qui negocium aliquod ſuſceperunt illuſtre, unde neceſſe ſit: aut cum ſumma laude aut ſumma cum infamia diſcedere, propter plurimorum expectationem. Porro tempori ſerviendum eſſe viro ſapienti, monuit & Phocylides,

Καιρῷ λατρεύειν, μήτ' ἀντιπνεῖν.

Id eſt,

Temporibus ſemper cautus ſervire memento,
Neu reflare velis adverſum flamina venti.

Porro metaphora hæc ducta eſt à navigantibus, quos neceſſe eſt ſemel ingreſſos mare, ventorum atque æſtus arbitrio ferri fruſtra conaturos, ſi velint adverſus iſta pugnare.

Vti foro.

Huic affine eſt, τῇ ἀγορᾷ χρῆσθαι, uti foro: pro eo quod eſt, præſentem rerum ſtatum boni conſulere, & utcunque ſeſe obtulerit fortuna, ita animum applicare. Terent. in Phorm. Sciſti uti foro. Donatus vulgare proverb. admonet eſſe, ductamque metaphoram à mercatoribus, qui non ante locum commercii præſcribunt quanti vendant quæ advehunt, ſed ſecundum annonam fori, quam deprehenderint, conſilium de non vendendis, aut vendendis mercibus ſumunt. Seneca: Vtamur foro, & quod ſors feret, æquo feramus animo. Idem epiſt. 72. ſub manu naſci dixit, pro eo tempore. Ergo conſilium, inquit, ſub die naſci debet, & hoc quoque tardum eſt nimis: ſub manu, quod ajunt, naſcatur.

Aut bibat, aut abeat.

Aut bibat, aut abeat. Quo quidem adagio monemur, ut aut tempori locoque nos accommodemus, aut ab hominum conſuetudine nos ſubducamus. Quemadmodum Cato feciſſe legitur, qui cum non poſſet ſumere vultum floralium licentiæ convenientem, diſceſſit à theatro. Natum eſt à priſcis illis Græcorum ſympoſiacis, hoc eſt, compotationibus in quibus mos erat, talis ſortiri quempiam, qui convivio quaſi præſideret: ac decreta convivalia præſcriberet: quæ νόμους, id eſt, leges appellabant. De hiſce legibus Valerius Valentinus jocoſo carmine conſcripſit, cui titulum fecit Tapullæ, teſte Feſto Pompeio. Porro profectum, βασιλέα, hoc eſt, regem nominabant. Plutarchus, συμποσίαρχον vocat. Varro apud Nonium, Modiperatorem à Latinis vocatum ſcribit, quaſi modum imperantem, ne quis aut plus ſatis biberet, aut parum. Athenæus lib. 10. ex Eupolidis authoritate docet, huic præfectos rei, οἰνόπτας dictos, ab aliis ὀφθαλμούς. Huius conſuetudinis meminit & Horat. in Odis.

Nec regna vini ſortiere talis.

Ex legibus jocoſis hæc una fertur: Aut bibat, aut abeat. Commemoratus

moratur à Cicerone libro Tuſcul. quæſt. 5. Mihi quidem, inquit, in vita ſervanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinet: Aut bibat, inquit: aut abeat. Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, ne ſobrius in violentiam vinolentorum incidat: aut diſcedat. Sic injurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas. Hactenus ille. Quidam ſic efferunt, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, id eſt, Aut bibe, aut abi. Quanto civilior hæc lex, quam ea quam Empedocles in convivio præſcripſit conviviis præfectus, ut aut biberet, aut vinum in caput illius effunderetur. Eam rem tam indigne tulit Empedocles, ut poſtridie coacto concilio & invitatorem, cujus opera id erat factum, & ſympoſiarcham ſecum peregerit, damnandoſque curarit. Refert Diogenes Laertius. At noſtri Mnamones has quoque leges magis Scythicas præſcribunt: Aut bibe, inquiunt, aut hunc cantharum quantus eſt, in caput impingam tuum. Itaque non raro fit ex compotatione monomachia.

Gladiator in harena conſilium capit.

Gladiator in harena conſilium capit. Admonet, è renata mutandum aliquando conſilium, & tempori, quod ajunt, ſerviendum. Refertur & hoc ab Annæo Seneca lib. Epiſt. ad Lucil. lib. 3. Jam intelligit, inquit, educendum eſſe te ex iſtis occupationib. ſpecioſis & malis. Sed quomodo conſequi poſſis, quæris: Quædam non niſi à præſente monſtrantur. Non poteſt medicus per epiſtolas, cibi aut balnei tempus eligere, Vena tangenda eſt. Vetus proverbium eſt: Gladiatorem in harena capere conſilium. Aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis intuentem monet. Quid fieri ſoleat, quid oporteat, in univerſum & mandari poteſt, & ſcribi. Tale conſilium non tantum abſentibus, ſed etiam poſteris datur. Illud autem quando fieri debeat, aut quemadmodum, ex longinquo nemo ſuadebit. Cum rebus ipſis deliberandum eſt. Hactenus ille. Cæſar commentario belli Gallici 5. Quod plerunque his accidere conſuevit, qui in ipſo negocio conſilium capere coguntur. Dicimus, &, E re nata conſilium capere.

Polypi mentem obtine.

Vide in loco, Inconſtantiæ.

Spartam nactus es, hanc orna.

Ἣν ἔλαχες σπάρτην, κόσμει. id eſt, Spartam quam nactus es, orna, ſive adminiſtra. Admonet adagium ut quamcunque provinciam etiam ſorte nacti, ei nos accommodemus, proque hujus dignitate nos geramus. M. Tullius ad Atticum lib. 4. epiſtola 6. Reliquum eſt σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. Non mehercle poſſum. Et Philoxeno ignoſco, qui reduci in carcerem maluit. Idem ad eundem lib. 1. Eam cauſam quam mihi dicis obtigiſſe σπάρτην, non modo nunquam deſeram, ſed etiamſi ab illa deſerar, in mea priſtina ſententia permanebo. Quod à Cicerone refertur carmen eſt anapæſticum, e tragœdia quapiam. Spartam nactus es, hanc exorna. Theocriti Scholiaſtes indicat alluſum ad hoc proverbium in Hodœporis.

Αὐτόθι μοι ποτίμενε, καὶ αὐτόθι βουκολιάσδευ.
Τὰν σαυτῶ πατέων ἔχομες δρύας. ———

Id eſt,

Mecum iſthic certa, ſimul iſthic paſcito tauros.
Et terram calcans propriam, ne deſere quercus.

Proverbium igitur ad varios uſus licebit accommodare: vel cum admonebimus, ut ſuam quiſque perſonam quam ſuſcepit, cum decoro tueatur. Epiſcopus es, ne ſatrapam agas, ſed epiſcopum. Maritus es, cura quæ mariti ſunt officia. Aulicus es, aulicum age. Iudex es, ne jam amicum aut inimicum, ſed judicem agas. Principatus tibi contigit, principis officio fungere. Privatus es, ut privatum te gere. Sic propemodum uſus eſt Ariſtophanes (nam huic inſcribitur comœdia, cui titulus Θεσμοφοριάζουσαι.)

Χρὴ γὰρ ποιητὴν ἄνδρα πρὸς τὰ δράματα
Ἃ δεῖ ποιεῖν, πρὸς ταῦτα τοὺς τρόπους ἔχειν.

Id eſt,

Decet poetam accommodari moribus,
Utcunque ad argumenta, quæ tractaverit.

Vel cum jubebimus unumquemque ſua ſorte contentum eſſe oportere, quæcunque contigit. Quemadmodum enim peritus gubernator in omni tempeſtate bonum præſtat nauclerum, ita vir ſapiens in omni fortuna ſapienter ſe gerit. Eſt ampla res familiaris, ſapienter adminiſtra: non eſt, utere paupertatis commodis. Contigit eruditio, utere ad bene vivendũ: non contigit, ne macereris, ſufficit pietas ad conſequendam ſalutem. Plutarchus in commentario περὶ τῆς εὐθυμίας, admonens ut ſuam quiſque ſortem boni conſulat: σπάρτην, inquit, ἔλαχες, ταύτην κόσμει. id eſt, Sparta tibi obtigit, hanc exorna. In eodem libello monet hoc dictum à Solone proditum. Citatur autem ex Euripide,

Σπάρτην ἔλαχες, κείνην κόσμει,
τὰς δὲ Μυκήνας ἡμεῖς ἰδίᾳ.

Id eſt.

Spartam nactus es, hancce guberna,
Sors eſt proprie noſtra Mycenæ.

Videntur verba eſſe Agamemnonis ad Menelaum, Quod confine eſt illi Platonico, τὸ παρὸν εὖ διαθ. id eſt, Quod præſens eſt, bene diſpone, ſive boni conſule. Nunc vulgus hominum magis incumbit augendæ rei, quam bene adminiſtrandæ, contra quam recte monet Socrates in Theætero Platonis: κρεῖττον γὰρ σμικρὸν εὖ ἢ πολὺ μὴ ἱκανῶς περᾶναι, id eſt, Nam ſatius eſt, puſillum bene, quam multum non ut oportet peragere. Hanc igitur ſententiam paſſim in principum aulis inſculpi oportuit, σπάρτην ἔλαχες ταύτην κόσμει, quorum vix ullum reperias, qui vere cogitet quid ſit principis agere perſonam, quive ſua ditione contentus, non conetur aliquid imperii ſui finibus addere. Principis munus eſt, modis omnibus reipublicæ commodis providere, publicam tueri libertatem: alere pacem, excludere quam minimo ſuorum exitio maleficia, dare operam ut ſanctos & integros habeat magiſtratus. Cum igitur harum rerum ſecurus, ludit alea, ſaltat, ſcortatur, muſicatur, venatur, negociatur, breviter alibi intentus eſt totus: tum occinendum eſt adagium, σπάρτην ἔλαχες, ταύτην κόσμει. Rurſum ubi neglecta quæ contigit ditione, foris agit, aliis inhians imperiis, ſuos in ſummum adducit diſcrimen, ſuos exhaurit funditus, ſeque pariter & univerſam fortunam aleæ belli ſubiicit, ut unum aut alterum oppidulum adiiciat ſuis finibus, tum ſuggerendum adagium: Spartam nactus es. Nihil principi pulchrius, quam ut hoc quicquid eſt regni, quod fortuna dedit, ſua ſapientia, virtute, diligentia, reddat ornatius. Contigit oppidulum, imitare Epaminondam: fac ut frigidum illud oppidulum tua opera multo reddas celebrius ac locupletius. Contigit fera & intractabilis natio: da operam, ut eam paulatim cicurem, & legibus obtemperantem reddas. Contigit regnum parum ſplendidum: noli vexare finitimos, ſed hoc quod habes, citra alienum detrimentum exorna. Vix unquam feliciter ceſſit peregrinæ ditionis affectatio. Quaſdam nationes ingenium ac linguæ ſonus diſcrevit, ut Germanos & Hiſpanos: quoſdam ipſa natura diduxit, ut inſulares mari, Italos mari ſimul & Alpium molibus: nonnullis caſus ſuos terminos dedit. Si quiſque quod nactus ſit, ornatur ornate, nimirum ubique florebunt omnia: & inter amicos nempe Chriſtianos, omnia erunt omnium communia. Nunc ſæpenumero fit, ut dum aliena labefactare nitimur, noſtra funditus ſubvertamus: &, ut feliciter cedat res, tanto noſtrorum civium ſanguine, tantis ſumptibus, tot periculis, tot ſudoribus, tot orbitatibus, tot denique nunquam enumerandis malis, emimus titulum neſcio quem inanem, & magni nominis ſummum. Xerxes, Cyrus, Alexander Magnus, & vixiſſent diutius, & veriorem gloriam eſſent conſecuti, ſi ſuas civitates recte adminiſtrare, quam Alienas armis vexare maluiſſent. Carolus Burgundionum dux, hujus proavus, ſi vim ingenii qua pollebat, ſi magnitudinem animi contuliſſet ad ſua locupletanda potius, quam ad expugnanda aliena: nec infelicem mortem oppetiſſet in bello, & inter laudatiſſimos principes haberi poterat. Magna pars noſtræ ditionis id temporis fatali quadam peſte tenebatur, ſtultiſſima videlicet, ſed omnium perniciosiſſima diſſenſione, omnibus in duas factiones diviſis: quarum alteri nomen erat ab hamo, altera piſce aſello. Pugnabat civitas cum civitate, vicus cum vico, domus cum domo: ſæpe, quos idem lectus jungebat, factio diverſa ſegregabat: & fratrem à fratre, ruptis naturæ vinculis diſtrahebat. Et interim bonus ille princeps, perinde quaſi hæc nihil ad rem pertinerent, procul aliorum oppugnabat mœnia. Carolus Galliarum rex, hujus nominis octavus, peragrata Italia, reverſus eſt ad ſuos: ſed tanto ſuo ſuorumque malo ac periculo, ut pœnituerit ejus felicitatis. Denique ſunt qui affirment, eum ad ſenectutem pervenire potuiſſe, ſi Italiam Italis reliquiſſet. Quid dicam de Philippo, hujus Caroli patre? Adiit Hiſpanias, non Martis aleam experturus, ſed acceſſitus ad regni partem capeſſendam: pacata undique omnia. Et tamen hanc tam felicem peregrinationem quam flevit patria, non ferendis exactionibus expilata? Ipſe magno vitæ periculo non ſemel laboravit: Franciſcum Buſlidium archiepiſcopum Byzantinum amiſit, virum modis omnibus incomparabilem. Sed tamen utcunque rediit, non licuit iis malis ita defungi. Denuo reliquit ſuos, ſæviſſima jactatus tempeſtate delatus eſt in Angliam, tum temporis non admodum æquam noſtratibus. Quid illic acciderit, quid paſſus fuerit, quid pollicitus, quo pacto dimiſſus ſit, non libet commemorare. Servivit neceſſitati, fateor & ignoſco: ſed quid erat neceſſe in eam venire neceſſitatem? Nec iis admonitus malis, de repetenda patria cogitavit. Hiſpaniæ reviſendæ erant, ubi periret juvenis ad res maximas natus, niſi ipſe ſuam ſibi invidiſſet felicitatem. Atque unius hominis mors ſimul & patriam optimo principe, & Maximilianum unico orbavit filio. Quid dicam de Chriſtianiſſimo Francorum rege Ludovico ejus nominis duodecimo? Adortus eſt Venetos, id temporis, ut videbatur, inexpugnabiles: unico conflictu tot oppida reſtituit Romano pontifici Iulio, tot Imperatori Maximiliano, tot ſibi recepit. Rediit rebus feliciſſime, ſicuti videbatur confectis. Verum quantum malorum pelagus hinc exundavit in Gallos? Qui ſuo ſanguine tot inſignes triumphos Iulio pepererant, ejuſdem opera majore ſanguinis jactura, ex Italiæ finibus ejecti: parum hoc, & quo non tandem ignominiæ ſtigmate notati? Quod ni Iulium mors intercepiſſet, vidiſſemus regnum illud totius orbis florentiſſimum, funditus everſum. Quid autem de ſereniſſimo Scotorum rege Iacobo commemorem? Is vir abſolutam felicitatem abſolutæ laudi adjunxerat, ſi perpetuo ſuis ſe finibus continuiſſet. Erat ea corporis ſpecie, ut vel procul regem poſſes agnoſcere. Ingenii vis mira, incredibilis rerum omnium cognitio, invicta animi magnitudo, vere regia pectoris ſublimitas, ſumma comitas, effuſiſſima liberalitas. Denique nulla virtus erat quæ magnum deceret principẽ, in qua ille non ſic excelleret,

ferret, ut inimicorum quoque ſuffragio laudaretur. Contigerat uxor Margareta, ſereniſſimi Anglorum regis Henrici octavi ſoror: ea forma, ea prudentia, ea in maritum charitate, ut non alium à ſuperis optare potuiſſet. Regnum Scotiæ, quod multis & opibus & celebritate incolarum, & ſplendore fertur cedere: ſic ſuis virtutib. illuſtrarat, ſic auxerat, ſic ornarat, ut veram egregii principis laudem meruerit, ſi intra hoc gloriæ ſuæ ſtadium conſtitiſſet. Sed ô nunquam felicem regno, raro principi, regis diſceſſum: dum nimium amico in Gallorum regem animo, quo Britanniæ regem magnis rerum minis Gallias impetentem averteret, & ad inſulæ ſuæ defenſionem revocaret, egreſſus regni ſui fines, Anglos bello laceſſit. Quid multis? fortiter quidem ſed infeliciter periit, non tam ſibi quam regno. Periit adhuc ævo vigens. Diu Scotia tanto principe, diu Margareta tali marito, diu filius (nam filium ex ea ſuſtulerat) tali patre frui potuiſſet, atque ipſe viciſſim & his omnibus & ſua gloria, niſi ſibi vitam invidiſſet. Cæſus eſt una cum fortiſſimo patre filius, & filius eo patre digniſſimus Alexander archiepiſcopus, titulo divi Andreæ, juvenis quidem viginti ferme natus annos: in quo nullam conſummati viri laudem deſiderares. Mira formæ gratia mira dignitas, heroica proceritas, ingenium placidiſſimum quidem illud, ſed tamen ad cognitionem omnium diſciplinarum acerrimum. Nam mihi fuit cum eo quondam in urbe Senenſi domeſtica conſuetudo: quo tempore à nobis in rhetorum præceptis, Græcaniciſque literis exercebatur. Deum immortalem quam velox, quam felix, quam ad quidvis ſequax ingenium, quam multa ſimul complecti poterat? Eodem tempore diſcebat Jureconſultorum literas: nec eas admodum gratas, ob admixtam barbariem, & odioſam interpretum verboſitatem. Audiebat dicēdi præcepta & præſcripto themate declamabat, pariter & calamum exercens, & linguam. Diſcebat Græce, & quotidie quod traditum fuerat, ſtato reddebat tempore. Horis pomeridianis, muſicis operam dabat, monochordiis, tibiis, teſtudini. Modulabatur & voce nonnunquam. Ne ipſum quidem convivii tempus ſtudiorum vacabat fructu. Sacrificus perpetuo ſalutarem aliquem librum recitabat: puta decreta Pontificum, aut divum Hieronymum, aut Ambroſium: nec unquam recitantis vox interrumpebatur, niſi ſi quid alteruter doctorum, inter quos medius accumbebat, admonuiſſet, aut ipſe parum aſſequens quod legebatur, ſciſcitatus eſſet aliquid. Rurſum à convivio fabulæ, ſed breves, & hæ quoque literis conditæ. Proinde nulla omnino vitæ pars vacabat ſtudio, niſi quæ rei divinæ ſomnoque daretur. Nam etiam ſi quid ſuperfuiſſet temporis, quod tam variis ſtudiorum vicibus non ſuppetebat: tamen ſi quid forte ſupererat, id hiſtoricorum lectioni dabat. Nam hac cognitione præcipue capiebatur. His itaque rebus factum eſt, ut adoleſcentulus vixdum decimumoctavum egreſſus annum tantum in omni literarum genere conſecutus fuerit, quantum in quovis viro jure mireris. Nec illud in hoc uſu venit, quod fere ſolet in aliis, ut ad literas felix, ad bonos mores minus eſſet appoſitus. Verecundi mores erant, ſic tamen ut miram agnoſceres prudentiam. Animus ſublimis, & à ſordidis iſtis affectibus procul ſemotus: ſed ita, ut nihil adeſſet ferocitatis, nihil faſtidii. Nihil non ſentiebat, per multa diſſimulabat: nec unquam ad iracundiam poterat incitari. Tanta erat naturæ lenitas, animique moderatio. Salibus impendio delectabatur, ſed eruditis ac minime dentatis, hoc eſt, non nigro Momi, ſed candido Mercurii ſale tinctis. Si quid turbæ domi natum fuiſſet inter famulos, mirum quanta dexteritate, quantoque candore ſolitus ſit componere. Denique religionis erat & pietatis plurimum ſuperſtitionis nihil. In ſumma, nemo fuit dignior, qui ex rege, & ex illo rege naſceretur. Vtinam autem in parentem pietas quam fuit admirabilis, tam fuiſſet & felix. Comitatus eſt in bellum, ne uſquam patri deeſſet. Quæſo quid tibi cum Mavorte, omnium poeticorum deorum ſtupidiſſimo, qui Muſis, imo qui Chriſto eras initiatus? Quid iſti formæ, quid iſti ætati, quid naturæ tam miti, quid ingenio tam candido, cum taratantaris, bombardis, & ferro? Denique quid erudito cum acie? quid epiſcopo cum armis? Impoſuit nimirum tibi immodica quædam in parentem pietas: dumque nimium fortiter amas patrem, infeliciter cum patre cæſus occubuiſti. Tot naturæ dotes, tot virtutes, tot eximias ſpes, unica pugnæ procella abſorbuit. Periit & noſtrarum rerum nonnihil. Nempe quod in erudiendo te ſumpſimus operæ, quodque mea partim induſtria mihi in te vindico. At quantus felicitatis cumulus, niſi genius aliquis malus regem hunc impuliſſet, ut regni ſui limites egreſſus, in alienis agris cum ferociſſima gente Martem experiri vellet? Vtinam quod præclare cœperat, perficere maluiſſet: hoc eſt σπάρταν ἔλαχες κόσμει. Regibus proprius ac pulcherrimus laudum campus intra regni fines eſt. In apum gente cæteræ quidem huc & illuc volatu divagantur: ſolus rex, ut aculeo caret, ita proportione corporis alas habet multo minores, ut ad volatum parum ſit idoneus. Veteres ita Venerem fingebant, ut pedibus teſtudinem premeret: id innuentem, matremfamilias ab ædibus nuſquam oportere diſcedere, quippe cujus omne officium intra domeſticos parietes contineatur. Atqui multo magis ad rem pertinebat, principem hoc admoneri ſymbolo: qui ſi quid peccat, non unius familiæ, ſed orbis totius malo peccat. An parum eſt domi negociorum, ut foris ſint accerſenda? Tanta eſt ubique ſcelerum ſentina, tot ſacrilegia, tot latrocinia, tot oppreſſiones, tot injuriæ, tot contumeliæ, tot magiſtratuū corruptelæ, tot leges aut à tyrannis inſtitutæ, aut in tyrannidis miniſterium detortæ, ut illa minutiora ne dicam, neglectas oppidorum vias, collabentes ædes ſacras, incuratas fluminum ripas. His ita mederi, ut in remedium, quam minimum de ſanguine tuorum impendas, ut Reſpublica beneficium ſentiat, nō ſentiat diſpendium, an non egregium principis munus, & immortali laude dignum? Quod ſi cupis omnino gloriæ tuæ pomeria ultra ditionis tuæ finis extendere, fac ut qui finitimi ſunt, magnitudinem tuam benefactis, non malefactis experiantur. Exuris villas, proteris ſegetes, demoliris urbes, abigis pecora, trucidas homines, atque ita deniq; te magnum declaras. bellum certe, ſi id cum latrone ſuſcepiſſes. Heſiodus ſcripſit, malum vicinum magnam eſſe noxam: contra bonum ingens eſſe commodum. Hoc in te probent finitimi tui: fac ita te mirentur magnum, ut ament benignum. Verum ſatis jam dolori noſtro, ſatis datum diſcipuli memoriæ. Supereſt ut ad proverbiorum recenſionem redeamus.

Omnium horarum homo.

Qui ſeriis pariter ac jocis eſſet accommodatus, & qui cum aſſidue libeat convivere, eum veteres omnium horarum hominem appellabant. Atque ita vocatum Aſinium Pollionem, author eſt Fabius. Apud Suetonium Tiberius duos quoſdam combibones ſuos jucundiſſimos, & omnium horarum amicos profiteri ſolet, etiam codicillis. Ejuſmodi amicum eleganter ſimul, & graphice depinxit Ennius, ſub perſona Gemini Servilij. Carmen quanquam extat apud Aulum Gellium Noctium Atticarum lib. 12. c. 4. tamen non gravabor adſcribere,

> Hocce loquutu' vocat quicum bene ſæpe libenter
> Menſam, ſermoneſque ſuos: rerumque ſuarum
> Comiter impertit, magna cum lapſa dies jam
> Parte fuiſſet, de parvis, ſummiſque gerundis,
> Conſilio, indu foro, lato, ſanctoque ſenatu.
> Cui res audacter magnas parvaſque, jocumque
> Eloqueret: quæ tincta malis, & quæ bona dictu
> Evomeret, ſi quid vellet, tutoque locaret,
> Quocum multa volup' ac gaudia, clamque palamque,
> Ingenium, cui nulla malum ſententia ſuadet
> Vt faceret facinus, levis tamen, haud malus, idem
> Doctu', fidelis, ſuavis homo facundu', ſuoque
> Contentus, ſcitus, atque beatu', ſecunda loquens, in
> Tempore, commodus, & verborum vir paucorum.
> Multa tenens antiqua, ſepulta & ſæpe vetuſtas
> Quæ facit, & mores, vetereſque novoſque tenentem.
> Multorum veterum leges, divumque hominumque
> Prudentem, qui multa loquive, tacereve poſſit.

Talis & inter philoſophos fuiſſe traditur Ariſtippus. qui Dionyſij juſſu cum cæteris nec in fœminea purpura ſaltare detrectavit, Platone recuſante: addens vel in Bacchanalibus oportere pudicum eſſe,

Hinc Horatius,

> Omnis Ariſtippum decuit color. ——

Contra qui ſuis quibuſdam ſunt moribus, neque faciles ad cujuſvis hominis convictum, perpaucorum hominum homines dicuntur, ut apud Terentium. Apud Horatium autem,

> Communi ſenſu plane caret, inquimus. ——

Aut abi aut exuere.

Plato in Theæteto ſignificat apud Lacedæmonios hunc fuiſſe morem, ut in publicis certaminibus neminem cogerent ad congreſſum. ſed legem edicebant. ἢ ἄπιθι, ἢ ἀποδύου. id eſt. Aut abite, aut exite. Græcis autem ἀποδύεσθαι dicuntur qui ſe parant certamini, quod campeſtria ſi luctarentur olim, cæteris nudi. unde hæc ipſa vox ἀποδύεσθαι quoties transfertur ad rem animi, velut ad diſputandum, aut repugnandum carni, proverbii vim habet. Ita frequenter uſurpat D. Chryſoſtomus, ac divus Baſilius. Simile eſt id quod alibi dicitur, Aut bibat, aut abeat.

COGNATI. *Temporibus ſervire decet.*

Lucanus ad Calphurnium Piſonem.

> Temporibus ſervire decet, qui tempora certis,
> Ponderibus penſavit, eum ſi bella vocabunt,
> Miles erit: ſi pax, poſitis toga geſtiet armis.
> Hunc fora pacatum, bellantem caſtra decebant.

Cicero libro de finibus 3. commemorat inter præcepta veterum ſapientum, quæ conſtat proverbiorum vice celebrata: Quæque ſunt, inquit, vetera præcepta ſapientum, qui jubent tempori parere, & ſequi Deum, & ſe noſcere & nihil nimis. Pro parere, ſunt qui parcere legunt. Chriſtus Matth. 13. temporarios & tempori ſe accommodantes, quique ad tempus credunt, & in tentationis tempore recedunt, πρόσκαιρους vocat. Affinia ſunt, Servire ſcenæ &, Vti foro.

S E R V I T V S.

ERASMI. *Argentum accepi, imperium vendidi.*

Nihil hac ſententia decantatius: Qui accipit beneficium, perdit libertatem. Demenæus eleganter expreſſit hac ſententia.

> Argentum accepi, dote imperium vendidi.

Nam pauper uxorem duxerat pulchre dotatam, ſed in quam nihil haberet imperii. Talis inducitur & Nauſiſtrata in Phormione Terentiana.

Spartæ ſervi, maxime ſervi.

Plutarch. in vita Lycurgi refertur ceu vulgo jactatum. ἐν Λακεδαίμονι τὸν ἐλεύθερον μάλιστα ἐλεύθερον εἶναι καὶ τὸν δοῦλον μάλιστα δοῦλον. id eſt, apud Lacedæmonios qui liber eſt, maxime liberum eſſe, eum vero qui ſervus eſt, maxime ſervum eſſe. Apud Lacedæmonios ingenuis non erat fas diſcere, aut exercere ullum opificium aut negotiationem, aut agriculturam, ſed hæc omnia per Helotas (id erat ſervorum genus, quibus nefas erat ullam artem liberalem vel diſcere vel exercere) agebant: quos ipſos duriſſime tractabant. Cogebantur adeſſe conviviis, & illic inebriati, cantiones ridiculas canere, & ſaltationes indecoras agere, ut horum exemplo ingenui diſcerent quam indecora fœdaque res ſit temulentia. Quin & Ephori quum inirent magiſtratum, ſolent Helotibus bellum indicere, quo fas eſſet illos occidere. His rationibus ad tantam ſervitutem adigebantur, ut nihil auderent in juſſu dominorum: adeo ut quum Thebani, qui eruptione facta in Laconicam quoſdam in Helotibus ceperant, juberent illos canere cantiones Terpandri, Alcmanis, & Spondontis Laconici, reſponderint id heriles filias nolle. Generoſior Spartano, alias nobis dictum.

Subjugus homo.

Ὑποζύγιος ἄνθρωπος, id eſt, Subjugus homo. Qui non arbitratu ſuo, ſed alieno juſſu facit quippiam. Traductum à jumentis jugalibus. Huc pertinent illæ metaphoræ proverbiales, Mittere ſub jugum. Horat.

Sic viſum eſt Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.———

Item, Dejicere jugum, quod ſcripſit M. Tullius in prima Philippicarum. Subducere collum jugo.

Et tua læſuro ſubtrahe colla jugo.

Excutere jugum.

Leo chordula vinctus.

Lucianus in libello De mercede ſervientibus, νυνὶ δὲ τὸ τοῦ λόγου, λέων σμήρινθι δεθεὶς ἄνω καὶ κάτω συμπεριφέρομαι, id eſt, Nunc autem, quod dici ſolet, leo filo vinctus, ſurſum ac deorſum circumferor. Quum quis exiguo commodo captus, apud aulicos oſtentatur paſſim, quod princeps tantum alat virum. Hoc enim principes glorioſum ſibi ducunt, ſi epiſcopos aut doctos viros cogant ſua relinquere negotia, & aulicæ ſervire pompæ.

Samij literati.

Plutarchus in vita Periclis citat hunc verſiculum ex Ariſtophane Comico.

Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν ὡς πολυγράμματος.

Id eſt:

Populus Samiorum valde literatus eſt.

Arbitror hoc inde dictum, quod quum Samii captivis Athenienſium inuſſiſſent noctuam, Athenienſes viciſſim Samiorum captivis inurebant Samænam: quam in collectaneis opinor dictam σάμαιναν, Id erat navis genus lato ventre, à prora velut ſuilli roſtri ſpeciem præferens. unde & hic verſus jactatus eſt.

Ναῦς ἐστιν ὑὸς προπρώρῳ σαμία ναῦς εἶδος ἔχουσα.

Id eſt:

Navis erat velox Samia ſpecieque ſuilla.

Dicta eſt Samæna, quod à Samiis reperta ſit. Conveniet igitur in cicatricoſos, & ſtigmatum plenos. Heſychius & Suidas addunt, apud poetam dictum in Babylonios à piſtrino prodeuntes, ſtigmatibus notatos. Verum Ariſtoteles etiam hujus dicti monſtrat originem. Quum Samiorum gens eſſet afflicta à tyrannis, ob inopiã adminiſtrantium rempublicam coacti ſunt aliquot è ſervis admittere in conſortium adminiſtrandi magiſtratus. Sic Ariſtoteles. Servile eſt autem ac noxium, ſtigmatis notari. Apud Plautum in Caſina: Si hic literatus me ſinat. Literatum appellans notis inuſtis inſignem. Plin. lib. 18. cap. 3. inſcriptos appellat: Et nunc eadem illa, vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus, exercent. De Attagena diximus alias. Nec deſunt qui cauſam diverſam adferant, quod apud Samios inventæ ſunt viginti quatuor literæ à Calliſtrato. Sic Andron in Tripode. Idem Ionum literas tradidit Athenienſibus. Probabile eſt igitur, à repertis traditiſque literis, jocum fuiſſe verſum ad ſtigmata. Nam Samii ſimul & accipiebant, & tradebant infames notas. Nicanor Alexandrinus grammaticus populari joco dictus eſt ſtigmaticus, quod de ſcripturæ diſtinctiunculis, quas Græci στιγμὰς appellant, curioſe ſcripſerit.

Cum ſarcinis enatare.

Nec minus commode dictum eſt in eadem Epiſtola, Nemo cum ſarcinis enatat. id eſt, nemo ſeſe recipit in libertatem, niſi contemptis præmiis ſervitutis. Non enim poteſt evadere occupationes: qui curarum autoramentum non poteſt negligere. Congruit cum eo quod alibi retulimus ex Martiale. Totis pilea ſarcinis redemit: rurſum cum apologo, quem adducit Horatius De vulpe paſſa in camera frumentaria.

EX APPENDIC. ERASMI.

Circumpedes.

Qui proxime adſunt, cinguntque aliquem ad obſequia prædicanda, ut ſunt familiaritate perpetua nobis juncti. Sic à manibus, à pedibus vocamus eos, qui nobis domeſtice inſerviunt. Cicero.

IVNII. *Anima ſcrinium ſervitus.*

Ψυχῆς γλωττόκομον δουλεία, id eſt, Animæ marſupium ſervitus. Refertur à Dionyſio Longino proverbiali ſpecie dictum ex philoſopho quopiam, quod ſervitus ſit veluti carcer & retinaculum animi, neque patiatur eum libere loqui animique ſenſa plenis buccis depromere. Cauſam enim exquirens, cur ſua ætate nulli ad veterum gloriam aſpirare poſſent, ſubjicit, ſimul eum ſublato populari reipub. ſtatu, præclarorum ingeniorum optimo alumno, extinctam etiam eſſe libertatem eloquentiæ nutricem, libertatem inquam, ἣν θρέψαι καὶ γονιμώτατον λόγον ἔχει, hoc eſt, uberrimum & fœcundiſſimum eloquentiæ rivum. Reducta namque ad unius libidinem reipub. cura adulationibus corruptas eſſe vitiatasq; præclaras indoles, & adempta ſermonis libertate, veluti repagulis quibuſdam coercitas, ad inſtar Pygmæorum, qui in glottocomis ſcriniiſve educantur, quorum depreſſa anguſtia & prohibeatur adoleſcendi incrementum, & includatur libertas circumpoſito ori vinculo: uſque adeo ut concluſione definiat quamlibet ſervitutem etiam juſtiſſimam, animæ eſſe gloſſocomum. Græce eſt πᾶσαν δουλείαν κἂν ᾖ δικαιοτάτη, ψυχῆς εἶναι γλωττόκομον. Eſt autem Glottocomon, tibiarum theca, & tibiæ lingularum receptaculum, Polluce teſte, cujus meminit Apollodorus Caryſtius.

Μίαν φορβειὰν γλωττοκομεῖον.

& Lyſippus in Bacchis,

Αὐτοῖσιν αὐλοῖς ὁρμιαῖ καὶ γλωττοκομείοις.

Id eſt:

Simul cum tibiis modioli & gloſſocomum.

Videtur autem in hoc adagio Glottocomon accipi pro ſcrinio: quaſi dicat, ſervitute coerceri linguã ceu ſcrinio incluſam. in qua fere ſignificatione accipitur apud Ioannem c. 12. de Iuda. κλέπτης ἦν, καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, id eſt, Fur erat, & marſupium gerebat. quod Nonnus Panopolites κίστην & δοχήιον χρυσοῖο reddidit, id eſt, ſcrinium & arculam. Scholaſticus lib. 2. c. 27. γλωσσόκομον πλῆρες χρυσίου id eſt, auro plenum ſcrinium. Alioquin & pro capulo ſeu feretro accipitur apud Theodoritum Cyrenſem lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſt. c. 23. ubi memorat reſponſum pædagogi cujuſdam ad Libanium ſophiſtam, percontantem quid rerum ageret fabri filius, quo convicio Chriſtus deſignabatur: id tale fuit, γλωσσόκομον ἐργάζεται ὁ τοῦ παντὸς κατασκευαστὴς δημιουργός. id eſt, Sandapilam apparat univerſi fabricator. quo dicto auguratus fuit ille necem Iuliani apoſtatæ, qui non multo poſt ἐν γλωσσοκόμῳ, id eſt, in pheretro jacens funere elatus fuit. Quid, quod & medicis inſtrumentum mechanicum habetur Gloſſocomon, quo fracta oſſa appoſite comprehenduntur, & vinculis aſtringuntur, ne à ſitu ſuo excidant, donec conſolidata coaluerint. cujus deſcriptionem petere licet ex Galeni de fracturis comment. 2. Vbi igitur de cauſa herili, aut magnatum rebus parum tutum colloquium eſſe ſignificabimus, proverbii uſus erit: ſiquidem vulgato adagio monemur illius tueri patrocinium, cujus pane veſcimur.

COGNATI. *Qui cupit aut metuit, ſervus eſt.*

Horatius,

Qui cupit, aut metuit, liber mihi non erit unquam.

Qui cupit, id eſt, avarus eſt. Non diſſimile eſt illud Chriſti apud Ioan. c. 8. Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Itidem Paulus Rom. 6. Petrus quoque epiſt. 2. c. 2. Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis, à quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. Quiſquis ergo perpetrat peccatum, ſervum ſe facit peccati: & qui peccato eſt obnoxius, tranſit in jus & poteſtatem ſatanæ. Atque hoc chirographo toto fere mundus eſt obnoxius diabolo. Hæc vera, longeque miſerrima ſervitus eſt, ſervire vitiis. Vnde in myſticis literis, Ægyptus Ebræis ſonans tenebras, gerit typus vitæ, vitiis & erroribus obnoxiæ. Qui ſcrutantur venas auri & argenti, quorum animus ſemper eſt in ſcriniis, aut in patinis, qui latifundia jungunt latifundiis, quoniam habent oculos in terrã defixos, non vident ſignum perennis gloriæ, & ipſum Chriſtum.

SIMILITVDINIS ET CONGRVENTIÆ.

ERASMI. *De grege illo eſt.*

De grege illo eſt, ejuſdem factionis, aut contubernii. Terentius in Adelphis: At hic hercule de grege illo eſt. Idem in Eunucho: Ut me in veſtrum gregem recipiatis. M. Tullius ad Atticum, At vellem te in tuum veterem gregem retuliſſes. Item oratione in Verrem prima: Quartum quem ſit habiturus non video, niſi forte de illo grege oratorum, qui ſubſcriptionem ſibi poſtularunt. &c. In eundem actione 4. pro eodem, dixit De illo conventu: Turpis quidam illius excurſor & emiſſarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus. Alluſit autem ad id quod alibi diximus. ἀγελαστικῶν. Sic & Flaccus.

Scribe tui gregis hunc, & fortem crede bonumque.

Verum hoc frequenter & in bonam partem uſurpatur. Beatus Hieronymus adverſus Iovinianum lib. 2. De tuo, inquit, armento ſunt, imo inter tuos cives grunniunt. M. Tull. gregales appellat familiares & ejuſdem ſodalitii: velut in oratione pro domo ſua ad Pontifices: Quod vos ad Catilinæ gregales de me dicere ſolebatis.

Noſtra farina.

Ejuſdem farinæ dicuntur, inter quos eſt indiſcreta ſimilitudo. Quod enim aqua ad aquam collata, idem ad farinam farina. Perſius in 5. Satyr.

——Noſtræ paulo ante farinæ
Pelliculam veterem retines. ——

Perinde quaſi dicat, noſtri gregis, noſtræ conditionis. Pertinet ad illam claſſem, Eadem cera: &, Idem pulvis. de quibus alibi dictum eſt. Simili tropo Seneca dixit, Ejuſdem notæ. lib. 3. epiſt. 24. His adjicias & illud ejuſdem notæ licet, tantum hominum imprudentiam eſſe, imo dementiam, ut quidam timore mortis cogantur ad mortem.

Non eras in hoc albo.

Non eras in hoc albo, hoc eſt, Non eras in hoc numero. Translatum ab albata tabula, in qua quondam ſcribebantur nomina judicum. Plinius in præfatione hiſtoriarum mundi: Cum hanc operam condicerem, non eras in hoc albo. id eſt, non eras in eorum numero, quos hæc lecturos credebam. Erat & Album prætoris, in quo leges & formulæ deſcribebantur. Pandectarum lib. 2. tit. de edendo, ex Vlpiano eum quoque edere Labeo ait, qui producat adverſarium ſuum ad album, & demonſtret quid dictaturus ſit. Atque hoc ſane loco Adverſarium non declarat eum quicum lis eſt, ſed tabulas ex tempore notatas memoriæ gratia. In quem ſenſum M. Tullius uſus eſt in oratione pro Roſcio, idque non ſemel. Andreas Alciatus exiſtimat legendum, Adverſaria: non, adverſarium: libro Diſpunctionum tertio. Item ſecundo ejuſdem operis libro, titulo primo, multa fit mentio de albo, Quintilianus lib. Inſtitutionum 11. Quorum alii ſe ad album & rubricas tranſtulerunt. videlicet leguleios & formularios irridens, qui non ex libris Juriſprudentium, ſed ex albo prætoris, juris ſcientiam diſcerent. T. Livius Decadis 1. lib. 9. Civile jus repoſitum in penetralibus pontificum evulgavit, faſtoſque circa forum in albo propoſuit, ut quando lege agi poſſet, ſciretur. Apulejus metamorphoſeos lib. 6. meminit albi: Siquidem Iovem adlocuturum deos, ita facit exordiri: Dei conſcripti muſarum albo. Quibus in verbis mihi ſubeſſe videtur obſcura quidem, ſed faceta alluſio ſcriptoris ad deos à poetis confictos: quaſi ii demum in deorum numero ſint, quos illic Muſæ, quibus afflicti ſcribunt poetæ, conſtituerint.

Non ſum ex illis heroibus.

Οὐκ εἰμὶ τούτων τῶν ἡρώων, id eſt, Non ſum de numero iſtorum heroum, id eſt, Non ſum ex eorum numero, qui propenſiores ſunt ad lædendum quam benemerendum. A genius ſumptum, qui laceſſiti ſæpe perniciem adferunt, perraro juvant. Vnde qui ſe commodū, non noxam allaturos eſſe pollicebantur, hoc utebantur adagio. Zenodotus Menandrum citat ex Ephebis.

Patris eſt filius.

Τοῦ πατρὸς ἐστι τὸ παιδίον, id eſt, Patris eſt filius. Ita loquuntur, ubi quis mores imitatur patrios. Et in genere, ejus filium vocamus quemlibet, quem moribus expreſſerit, quod liberi fere parentes referre ſoleant. Hunc titulum Varro uni ex Menippeis indidit, citante Nonio Marcello. Varronis autem tituli fere proverbiales ſunt Philoſtratus in Ariſtide commemorat, ſophiſtam hoc proverbio notaſſe Alexandrum, quod patris ambitionem imitaretur.

Aphyarum honos.

Ἀφυῶν τιμή, id eſt, Aphyarum honos. Quoties humilib. exiguus quiſpiam honos contingit. Nam Aphya piſculus eſt vilis, cui coquendo nihil adhibetur præter oleum, quo frigitur. Vnde jactatum illud: ἀφύαις τιμὴ τοὔλαιον, id eſt, Aphyæ honos oleum.

Terra amat imbrem.

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖα.

Id eſt,

Nam terra gaudet imbre.

Vbi quis deſiderat ea quæ ſibi novit eſſe accommoda conducibiliaque. Citat hoc hemiſtichium, veluti proverbiale, Ariſtoteles libro Moralium Eudemiorum 7. oſtendens non ſolum ſimilitudinem conciliatricem eſſe amicitiæ, velut inter fures, graculos & lupos: verum etiam diſſimilitudinem nonnunquam benevolentiæ cauſam exiſtere, contra, ſimilitudinem odii. Nam terra cum ſuapte natura ſit ſicca, amat imbrem: & figulus odit figulum: indoctus amat literatum, mulier virum. Ibidem narrat ab Heraclito reprehenſum poetam, qui ſcripſit hoc carmen.

Ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.

Id eſt,

Lis utinam ſublata, deos: homineſque relinquat,

Athenæus lib. 13. carmen ex Euripide citat,

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ' ὅταν ξηρὸν πέδον.

Id eſt,

Tellus quidem imbrem amat, ſolum quum eſt aridum.

Ariſtoteles libro Moralium Nicomach. 8. citat eandem ex Euripide ſententiam, ſed perturbato metro: Εὐριπίδης μὲν φάσκων

Ἐρᾶν μὲν ὄμβρου γαῖαν ξηρανθεῖσαν,
Ἐρᾶν δὲ σεμνὸν οὐρανὸν πληρούμενον
Ὄμβρου, πεσεῖν εἰς γαῖαν.

Id eſt,

Euripides quum ait,

Requirere imbrem terram, ubi ſiti aruit,
Divum viciſſim cœlum ubi jam nubibus
Impletur, optat in ſolum delabier.

Hoc adfert ad confirmandam quorundam opinionem, qui dicebant ſecus quam haberent proverbia, diſſimile à diſſimili, contrarium à contrario appeti. Terra enim frigida & ſicca appetit imbrem, qui juxta aeris naturam unde venit, eſt calidus & humidus: ac imber viciſſim appetit terram.

Scopæ diſſolutæ: Scopas diſſoluere.

Homines nihili, nulliuſque prorſus conſilii. Cicer. ſcopas diſſolutas nominat, ſcribens ad Attic. epiſtol. lib. 6. his quidem verbis: Cæſarem vidi Minturnis ad VIII. Calend. Februarias mane, cum abſurdiſſimis mandatis, non ad homines, ſed ſcopas diſſolutas, ut id ipſum ille mihi videatur irridendi cauſa feciſſe. Idem in Oratore perfecto, agens contra eos qui numeros orationis contemnunt, ſcopas diſſoluere dixit: pro eo quod eſt, rem prorſus inutilem efficere. Nam ſcopæ colligatæ, & ſpeciem videntur habere qualemcumque, & ad verrendum pavimentum ſunt accommodatæ. Porro ſi diſſolueris, nihil inutilius, nihil inelegantius. Tulliana verba ſunt hæc: Sed ſi quos magis delectant ſoluta, ſequantur ea ſane: modo ſi quis Phidiæ clypeum diſſoluerit, collocationis univerſam ſpeciem ſuſtulerit, nō ſingulorum operum venuſtatem, ut in Thucydide orbem modo orationis deſidero, ornamenta comparent. Iſti autem cum diſſoluunt orationem, in qua nec res nec verbum ullum eſt, niſi abjectum: non clypeum, ſed ut in proverbio eſt (etſi humilius dictum eſt, tamen conſimile eſt) ſcopas, ut ita dicam, mihi videntur diſſolvere.

Vno tenore.

Tenorem, rei progreſſum vocant. Vnde quæ ſui ſimilia, ſibique veluti perpetua quadam ſuccedunt ſerie, horum eundem eſſe tenorem dicimus M. Tullius lib. De oratore perfecto: Iſque uno tenore, ut ajunt, in dicendo fluit. Loquitur de æquabilitate dictionis, nulla varietate reficientis auditorum aures. Idem in lib. De claris Oratoribus: Vnus enim tonus eſt orationis, & idem ſtylus. Quo quidem loco haud ſcio, an pro tono, tenor legere præſtiterit.

Boni ad bonorum convivia ultro accedunt.

Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασι.

Id eſt,

Sponte bonis mos eſt convivia adire bonorum.

Hexameter proverbialis, tum uſurpandus, ubi vir bonus, fiducia virtutis & amicitiæ, quæ generalis inter omnes probos intercedit, ad ſui ſimilem accedit, non expectatis vulgaribus iſtis invitatiunculis. Quidam natum putant ab Hercule: qui cum Ceii Trachenii domum invocatus inviſeret, hunc verſiculum primus dixerit. Fertur & trimeter jambicus in eandem ſententiam.

Ἀκλητὶ κωμάζουσιν εἰς φίλους φίλοι.

Id eſt,

Conviva amico amicus ultro etiam venit.

Tacite notavit adag. Homer. in 2. Iliad.

Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Id eſt,

Illi vocalis Menelaus venerat ultro.

Scholiaſtes indicat, hoc verbo fuiſſe ſignificatam Menelai fortitudinem in bello. Exilis enim vox formidoloſum arguit: & βοὴ apud Græcos interdum bellum declarat, quemadmodum & hodie apud Germanos. Zenodotus in collectaneis diverſa ſententia citat hoc adagium ex Eupolidis comœdia, cui titulus Chryſogenes,

Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ δειλῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασι.

Id eſt,

Vltro adeunt hominis timidi convivia fortes.

Idem ferme ſignificat Plato in Sympoſio, ἵνα καὶ τὴν παροιμίαν διαφθείρωμεν μεταβάλλοντες, ὡς ἄρα καὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν αὐτόματοι ἀγαθοί id eſt, Vt & proverbium perdamus hunc ad modum invertentes, boni ad bonorum convivia ultro veniunt Sentire videtur Plato. Homerum feciſſe Menelaum deteriorem ad præſtantiorem acceſſiſſe convivium: quod Agamemnon bello valuerit, Menelaus fuerit imbellis. Citatur hic locus & ab Athenæo lib. 4. Tametſi non hanc opinor Homeri mentem fuiſſe, cum virtutis ad... elogium,

——Βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.

Id eſt,

——Voce bonus Menelaus.

& cum aliquot locis illum fortiſſime rem gerentem inducat, alicubi etiam ἀρηΐφιλον cognomento honeſtet. Apud Athenæum lib. 1. ex Cilatino, quidam qui invocatus ad convivium acceſſerat, ita loquitur: ἀγαθὸς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἑστιασόμενος ἥκω· κοινὰ γὰρ τὰ τῶν φίλων, id eſt, Bonus enim ad bonos viros convivaturus veni. Nam res amicorum communes.

Æqualis æqualem delectat.

Similitudo mater eſt benevolentiæ, conſuetudiniſque & familiaritatis conciliatrix. Vnde videmus juvenes inter ſe libenter convenire, ſenes cum ſenibus congregari, doctos doctorum conventu capi, improbos congredi cum improbis, bibones cum bibonibus,

bus, nautas amare nautas, divitibus eſſe neceſſitudinem cum divitibus, atque in univerſum ſimilia ſimilibus gaudere. In hanc ſententiam extant aliquot veterum proverbia, quorum eſt illud: ἧλιξ ἥλικα τέρπει. id eſt, Æqualis æqualem delectat. Quod uſurpavit M. Tull. in Catone majore: Pares autem, inquit cum paribus, ut eſt in vetere proverbio, facillime congregantur. Nam prima familiaritatis conciliatio proficiſcitur ab ætatis æqualitate, quam Græci vocant ὁμηλικίαν. Ad quod alludens Homer. in Odyſſ. ο.

——— Ἀτὰρ καὶ ὁμήλικες εἰμέν.

Id eſt,

Quinetiam ſumus æquævi. ———

Huc reſpexit Plato 1. De repub. lib. apud quem Cephalus, qui ſe teſtatur jam perveniſſe in γήρως οὐδῷ, i. e. ſenectæ limen, ait: πολλάκις γὰρ συνερχόμεθά τινες εἰς ταὐτὸ παραπλησίαν ἡλικίαν ἔχοντες, διασώζοντες τὴν παλαιὰν παροιμίαν. id eſt, Sæpe numero plerique convenimus ferme æquales, antiquum illud ſervantes proverbium. Ariſtotel. 1. Rhetor. lib. recenſens quæ quibus ſint jucunda, ſcribit in totum ea natura ſeſe invicem delectari, quæ genere ſint conjuncta, aut ſimilia, ut hominem homine, equum equo, adoleſcentem adoleſcente. Atque huc tendere proverbia vulgo jacta: ἧλιξ ἥλικα τέρπει. Item id genus alia quædam. Verba illius hæc ſunt: τὰ συγγενῆ δὲ καὶ κατὰ φύσιν ἀλλήλοις ἡδέα ἅπαντα· τὰ συγγενῆ καὶ ὅμοια, ἥδεται ὡς ἐπὶ τὸ πολύ, οἷον ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ, καὶ ἵππος ἵππῳ, καὶ νέος νέῳ. ὅθεν καὶ αἱ παροιμίαι εἴρηνται ὡς ἧλιξ ἥλικα τέρπει, καὶ ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον, καὶ ἔγνω δὲ θὴρ θῆρα, καὶ ὡς αἰεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιόν, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα. Theognis ait amicitiam cohærere inter æquales, vicinos & ſenes.

Πάντες μὲν τιμῶσιν ὁμῶς ἴσοι, οἵ τε κατ' αὐτὸν
Οἵ τε νέοι χώρης, οἵ τε παλαιότεροι.

Omnes hunc venerantur amantque viciſſim,
Vicini, æquales viribus, atque ſenes.

Nec alienum eſt ab hoc proverbio, quod Empedocles ait apud Ariſtot. lib. De anima primo, animam eſſe quiddam ex omnibus elementis conflatum, imo ipſam horum quidvis eſſe: & unumquodque cognoſcere, eo quod habet affine quiddam cum ſingulis. Vnde & Plato in Timæo dicit, animam ex elementis conſtare. Empedoclis verſus ſic habent.

Γαίῃ μὲν γὰρ γαῖαν ὀπώπαμεν, ὕδατι δ' ὕδωρ,
Αἰθέρι δ' αἰθέρα δῖον, ἀτὰρ πυρὶ πῦρ ἀΐδηλον
Στοργῇ δὲ στοργήν, νεῖκος δέ τε νείκεϊ λυγρῷ.

Quos verſus quoniam initio deſperabamus commodius verti poſſe, ab Argyropylo verſos ſubjecimus:

Terram nam terra, lympha cognoſcimus aquam,
Æthera que æthere, ſane ignis dignoſcitur igni,
Sic & amore amor, ac triſti diſcordia lite.

Quanquam in primo verſu ſuſpicor à librariis undam verſam in aquam. Poſt amicorum rogatu, noſtra addidimus qualiacunque.

Terra quidem terra ſentitur, lymphaque lympha,
Ætherque æthere purus, at igni noxius ignis,
Dulcis amore amor, atque odio funeſta ſimultas.

Argyropylus explendi carminis gratia pro uno verbo ὀπώπαμεν, duo reddidit, cognoſcimus & dignoſcitur: duo epitheta prætermiſit, δῖον καὶ ἀΐδηλον. Deinde vocis repetitæ gratiam bis perdidit in aquam & undam, in diſcordia & lite, ut ne commemorem duritiem compoſitionis in Terram nam. Sic & Sane adverbium de ſuo attexuit. Nos amori addidimus epitheton, ſed quod fuerat additurus poeta, ſi per metri leges licuiſſet: quandoquidem voci contrariæ addidit ſuum νείκεϊ λυγρῷ. Non hæc mihi dicuntur, ut ſugillem virum de ſtudiis optimis optime meritum: ſed ut judicio proficiāt adoleſcentes, quibus hæc potiſſimum ſcribuntur. Philoſophorum quiſpiam Zenoni ni fallor, apud Auguſtinum prodidit, animam ipſam eſſe numerum ſeipſam moventem, atque hanc ob cauſſam rebus numeroſis natura capi delinirique: veluti muſicis modis afficiuntur & pueri cognato quodam naturæ ſenſu, cum prorſus neſciant, quid ſit muſica. Ariſtot. hoc ipſo quem modo retulimus loco, definitionem hanc adducit tacito authoris nomine.

Simile gaudet ſimili.

Ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον. id eſt, Simile gaudet ſimili. Ariſtoteles lib. Moralium 8. ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται, id eſt, Simile appetit ſimile. Item lib. 9. ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, id eſt, Simile ſimili amicum. Vnde eſt & illud. ὁμοιότης τῆς φιλότητος μήτηρ, id eſt, Similitudo mater amoris. Quare ubi abſoluta ſimilitudo, ibi vehementiſſimus amor: id quod indicat fabula Narciſſi. Agathon in convivio Platonis: ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. id eſt, Scite quidem veteri proverbio fertur, ſimile ſimili ſemper hærere. Plutarchus in commentario, cui titulus, Quo pacto ſit amicus ab adulatore dignoſcendus, refert hujuſmodi ſenarios.

Γέροντι γλῶτταν ἡδίστην ἔχει,
Παῖς παιδί, καὶ γυναικὶ πρόσφορον γυνή,
Νοσῶν τ' ἀνὴρ νοσοῦντι, καὶ δυσπραξίᾳ
Ἁλοὺς ἐπῳδός ἐστι τῷ πειρωμένῳ.

Id eſt,

Seni ſenilis lingua jucundiſſima eſt,
Pueroque puer, & mulier apta fœminæ,
Ægrotus itidem ægroto, & in malis ſitus,
Exercito malis placet, atque congruit.

Diogenes Laertius oſtendens quædam imitatum Platonem ex Epicharmi ſcriptis adducit & illud: Quod canis cani videtur pulcherrima, & bovi bos, & aſina aſino, & ſus ſui. Diximus alibi. Suum cuique reginæ placere regem. Plato lib. De legib. 8. φίλον μὲν που καλοῦμεν ὅμοιον ὁμοίῳ κατ' ἀρετὴν καὶ ἴσον ἴσῳ. id eſt, Amicum quidem vocamus ſimile ſimili, quod ad virtutem, & æquale æquali. Quanquam adagium recte transferetur & ad illos, quos ſimilitudo conciliat vitiorum. In quos eſt illud Catulli,

Pulchre convenit improbis cinædis.

Idem illud Martialis,

Vxor peſſima, peſſimus maritus.
Miror non bene convenire vobis.

Illud item Iuvenalis,

Magna inter molles concordia.

Semper ſimilem ducit deus ad ſimilem.

Poteſt autem adagium ex Homero natum videri, apud quem Odyſſ. ρ. Melanthius caprarius conſpicatus Eumæum ſubulcum, ipſum, Vlyſſem ſecum adducentem, ſed habitu ſpecieque pannoſi, ſcomma jacit in utrunque quaſi duo inter ſe ſimiles bene conveniſſent.

Νῦν μὲν δὴ μάλα πάγχυ κακὸς κακὸν ἡγηλάζει,
Ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.

Id eſt:

Nunc adeo malus ecce malum comitatur, ut uſque
Ad ſimilem Deus adducit, ſimulemque paremque.

Ariſtoteles lib. Moral. 8. proverbii loco refert: ὡς τὸν ὅμοιον φασὶν ὡς τὸν ὅμοιον, id eſt, Vnde ſimilem ajunt ad ſimilem.

Semper graculus aſſidet graculo.

Αἰεὶ κολοιὸς πρὸς κολοιὸν ἱζάνει.

Id eſt,

Aſſidet uſque graculus apud graculum.

Refertur à Diogeniano proverbialis ſenarius: notaturque ab Ariſtotele lib. Rhetor. quem modo citavimus: ubi inter alia complura hujus ſententiæ proverbia, hoc quoque commemorat. Item libro Moral. 8. καὶ κολοιὸς ποτὶ κολοιόν. id eſt, Et graculus, inquit, ad graculum. Græcis eſt trochaicus dimeter, haud dubium quin ex poeta quopiam decerptus. Eleganter uſurpavit adagium Gregorius in quadam ad Eudoxium epiſtola: κολοιὸν δὲ ποτὶ κολοιὸν ἱζάνειν, καὶ τῆς παροιμίας ἀκούεις. id eſt, Graculum autem aſſidere graculo, audis & à proverbio. Porro graculorum conventus olim notos fuiſſe, teſtatur M. Varro libro de re Ruſtic. 3. Vnde Plutarchus in libro De polyphilia, οὐκ ἀγελαστικὸν, οὐδὲ κολοιῶδες. id eſt, Non armentarium eſt, neque graculeum. Quin huic avi nomen inditum à κολλᾶν, quod eſt, conglutino. M. Varro graculos quoque Latinis inde dictos vult, quod gregatim volent. Quintilianus non probat, aſſeverans dictionem ab avium voce confictam.

Cicada cicadæ chara, formica formicæ.

Cæterum quod Ariſtot. in eo loco quem modo citavimus, addidit, Et ſi qua ſunt id genus alia: dubium non eſt, quin ſenſerit illa quæ ſunt apud Theocritum Idyl. 9.

Τέττιξ μὲν τέττιγι φίλος, μύρμακι δὲ μύρμαξ,
Ἴρηκες δ' ἴρηξιν. ———

Id eſt,

Formicæ grata eſt formica, cicada cicadæ,
Accipiter placet accipitri. ———

Porro nota eſt formicarum politia, & cicadarum concentus.

Cretenſis Cretenſem.

Ὁ πρὸς τὸν κρῆτα, Cretenſis Cretenſem, ſubaudi, quod erit commodum ſententiæ, provocat, conatur circumvenire, aut tale quippiam. Quoties improbus agit cum improbo, perfidus cum perfido. Sumptum adagium à Cretenſium moribus, quos plurimis conviciis inceſſit antiquitas.

Cretenſis cum Ægineta.

Eandem obtinet ſententiam, ὡς πρὸς αἰγινήτην, id eſt, Cretenſis cum Ægineta ſubaudiendum agit. Quadrat in pariter improbos, qui mutuis inter ſe fallaciis agunt. Nam Æginetæ quoque olim male audierunt, in quos etiam oraculum illud quidam æditum putant οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι. id eſt, Neque tertii, neque quarti.

Vulpinari cum vulpe.

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα, id eſt, Cum vulpe vulpinare tu quoque invicem. Senarius eſt proverbialis. Cum aſtutis aſtutiis agito. Horatius.

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Ariſtophanes in Veſpis:

Οὐκ ἔστιν ἀλωπεκίζειν.

Id eſt:

Non licet vulpinari.

Quod autem nos ἀλωπεκίζειν vertimus vulpinari, ne quis hoc verbi tanquam noſtrum ac novum aſpernetur, citatur ex M. Varrone à Nonio Marcello. Sic enim auſus eſt dicere Varro vulpinari pro ἀλωπεκίζειν, quemadmodum Horatius juvenari dixit pro νεανίζειν. Vide proverbium Βαυβαλίζειν.

Cretiza cum Cretenſi.

Πρὸς κρῆτα κρητίζειν. id eſt, Adverſum Cretenſem Cretiza, id eſt, adverſus mendacem mendaciis utere. Viſus eſt Plutarchus in vita Lyſan-

Lyſandri: πρὸς κρῆτα ἦ ἄρα τὸ τοῦ λόγου κρητίζων. Rurſus in vita Pauli Æmilii, τοὺς δὲ ἐπισταμένους ἀκριβῶς αὐτὸν οὐκ ἐλάνθανε κρητίζων πρὸς κρῆτας. id eſt, Eos quidem qui hominem penitus norant, haud latuit, quod cum Cretenſibus arte Cretica uteretur: propterea quod Cretenſium vanitas, de Jovis apud ſe ſepulchro, multaque id genus mentientium, in vulgi fabulam abierit, id quod palam teſtatur Epimenidis ille verſiculus, quem Paulus etiam Apoſtolus citat.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Id eſt,

Cretenſes ſemper Mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri.

Divus Hieronymus in commentariis quos in hanc ſcripſit epiſtolam, indicat hunc verſiculum repertum in opere Epimenidis, cui titulum fecit, De oraculis. Vnde & Paulus prophetam vocat, ſive per jocum, ſive ob argumentum. Hujus autem carminis initium κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, uſurpavit Callimachus poeta Cyrenenſis in hymno ſcribens adverſus Cretenſes in laudem Jovis, ac vanitatis eos arguens, quod jactitarent illius ſepulchrum eſſe apud ſe, cum is eſſet immortalis. Quo reſpiciens Ovidius:

——Nec fingunt, inquit, omnia Cretes.

Vnde κρητίζειν Græci pro mentiri dicunt. Suidas aliam adagionis cauſam indicat, ſcribens Idomeneum Cretenſem, cum illi negocium eſſet datum, ut æs quod è ſpoliis ab hoſtibus detractis collectum erat, diſtribueret, ſibi partem longe optimam delegiſſe. Vnde congruere videtur etiam in illos, qui fraudant alios, ſuiſq; commodis impenſius ubique ſtudent. Idem putat adagium quadrare etiam in eos, qui fruſtra mendaciis agunt adverſus artificem mentiendi. Quemadmodum vulgo dicunt, difficilimum eſſe furari apud fures, ita difficilimum mendaciis imponere mendacibus.

Cum Care Carizas.

Huic ſimillimum refert Diogenianus, πρὸς κᾶρα καρίζεις, id eſt, Cum Care Cariſſas. Ruſtice agis cum ruſtico, barbare loqueris barbaro, craſſe cum craſſo: Cares populi ſunt Aſiæ, de quibus alio loco dicemus: quorum mores proverbiis aliquot fecere locum.

Malus cum malo colliqueſcit voluptate.

Κακὸς κακῷ γὰρ συντέτηκεν ἡδονῇ.

Id eſt:

Etenim improbo vir eſt voluptati improbus.

Refertur ab Ariſtotele inter ſimilitudinis adagia, libro Moralium Eudemiorum ſeptimo, Malus malo jucundus ob vitiorum commercium & ſocietatem Juvenalis item,

Magna inter molles concordia.——

Ab eodem in Magnis Moralibus adducitur ex Euripide. Æſchines adverſus Timarchum citat ex Euripidis Phœnice eandem ſententiam:

Ὅστις δ' ὁμιλῶν ἥδεται κακοῖς ἀνήρ,
Οὐ πώποτ' ἠρώτησα, γιγνώσκων ὅτι
Τοιοῦτός ἐστιν οἷσπερ ἥδεται ξυνών.

Id eſt,

At cum malis quicunque gaudet vivere,
Nunquam rogavi, novi eum, quod talis eſt,
Cujuſmodi ſunt, queis amat convivere.

Æqualem uxorem quære.

Τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, id eſt, Æqualem tibi uxorem ducito. Adagium admonet, ne quis cupiditate aut ambitione allectus, ſe potentiorem ducat uxorem: nam ejuſmodi ferme connubia inauſpicato cedere. Plutarchus in libello de liberis educandis, parentes admonet, ut ejuſmodi liberis ſuis uxores deſpondeant, quæ non ſint multo vel ditiores vel potentiores. Prudenter enim dici proverbio, Tuæ ſortis uxorem ducito. Celebratur & hoc inter ſapientum apophthegmata, atque à nonnullis Pittaco aſcribitur, γάμει ἐκ τῶν ὁμοίων id eſt. Vxorem ducito ex æqualibus. Nam ſi duxeris ex potentioribus te prognatam, dominos tibi parabis, non affines. Diogenes Laertius in vitis philoſophorum hujuſmodi quiddam commemorat, quod quidem affirmat & Callimacho non inelegant epigrammate celebratum eſſe. Adoleſcens quidam Atarnetes, Pittacon conſulit, utra ſibi è duabus ducenda eſſet uxor. Nam duæ offerebantur: altera par opibus ac genere: altera utroque ſuperior. At ille ſublato ſcipione quo nitebatur, admonuit, uti pergeret ad trivia civitatis, quo pueri luſus cauſa conveniunt: eos conſuleret, & quod illi dediſſent conſilii, id ſequeretur. Pueri ex proverbiali cantione reſponderunt, Æqualem uxorem eſſe ducendam. Itaque adoleſcens altera prætermiſſa, duxit æqualem. Idem Dioni ſuadet Callimachus. Hæc autem ſententia hoc impenſius placuit Pittaco, quod ipſe nobiliorem ſe duxerat, Draconis ſororem, cujus imperium faſtidiaque moleſtiſſime legitur tuliſſe: ut hoc dictum non in tempore, ſed ſuo malo videatur reperiſſe. Extat autem epigramma (tametſi illic ἰὼν, non διὼν legitur, mendoſe opinor) id eſt hujuſmodi.

Ξεῖνος ἀταρνείτης τις ἀνείρετο πιττακὸν οὕτω,
Τὸν μιτυληναῖον παῖδα τὸν ὑῤῥάδιον.
Ἄττα γέρον δοιός με καλεῖ γάμος: ἡ μία μὲν δὴ
Νύμφη καὶ πλούτῳ καὶ γενεῇ κατ' ἐμέ.
Ἡ δ' ἑτέρη προβέβηκε, τί λώϊον; εἰ δ' ἄγε μοι σὺ
Βούλευσον ποτέρην εἰς ὑμέναιον ἄγω.
Εἶπεν ὁ δὲ σκίπωνα γεροντικὸν ὅπλον ἀείρας,
Ἤνιδ' ἐκεῖνοί σοι πᾶν ἐρέουσιν ἔπος.
Οἱ δ' ἄρ' ὑπὸ πληγῇσι θοὰς βέμβικας ἔχοντες
Ἔστρεφον εὐρείῃ παῖδες ἐνὶ τριόδῳ.
Κείνων ἔρχεο φησὶ μετ' ἴχνια, χ' ὁ μὲν ἐπέστη
Πλησίον. οἱ δ' ἔλεγον τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα:
Ταῦτ' ἀΐων ὁ ξεῖνος ἐφείσατο μείζονος οἴκου
Δράξασθαι, παίδων κληδόνι συνθέμενος.
Τὴν δ' ὀλίγην ὡς κεῖνος ἐς οἶκον ἐπήγετο νύμφην.
Οὕτω καὶ σὺ Δίων τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.

Quos verſus, quoniam Ambroſius Camaldulenſis, Diogenis interpres, non omnino infeliciter Latinos fecit, haud gravabor adſcribere:

Hoſpes Atarnites rogavit Pittacon olim,
Sic Mitylenæon, Hirradioque ſatum:
Magne ſenex, geminæ cupiunt mihi nubere, quarum,
Et genere atque opibus convenit una mihi:
Altera præcellit, quid præſtat, conſule, dicque
Vtra ex his potius ſit capienda mihi?
Hic baculum tollens, ſic, tela ſenilia, dixit:
Conſilium pueri, quod petis, expedient,
Queis celer in gyrum jactatus verbere turbo
Aſſiduo, latis vertitur in triviis.
I, ſequere illorum monitus, ſic fatur, at ille
Sciatur: referunt, Tu tibi ſume parem.
Quæ poſtquam audivit, monitis puerilibus hærens,
A magnis hoſpes abſtinuit thalamis:
Atque parem parvas lætus traduxit in ædes:
Sic Dion æqualem, ſi ſapis, ipſe cape.

Eſt autem allegoria à turbine puerili, qui flagellis circumagitur. Agebat enim quiſque pro ſuis viribus turbinem ſibi congruentem. Deianira apud Ovidium ad ſuum ſexum tranſtulit proverbium:

Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Tam juveni magno conjuge nupta minor.
Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes:
Si qua voles apte nubere, nube pari.

Plutarchus De liberis educandis, τὸ γάρ τὴν κατὰ σαυτὸν ἐλᾶν σοφόν, id eſt, Sapientis eſt, uxorem ſibi parem congruamque ducere. Huc adſcribendum putavi carmen illud ex Theſmophoriazuſis, Ariſtophanis titulo inſcripta.

Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Id eſt,

Regina ſiquidem mulier eſt ſponſo ſeni.

Idem admonet verſus ille Euripideus in Rheſo:

Οὐκ ἐξ ἐμαυτοῦ μειζόνων γαμεῖν θέλω.

Id eſt:

Nolim ex potentioribus me conjugem.

Neque vero ſolum id ſpectari conveniet, ut par ſit uxor generis claritate, aut modo rei familiaris, verum ut ætas non admodum diſcrepet ut forma, ut vitæ genus. Poteſt & longius trahi, nimirum ad negocium ſuſcipiendum, cui ſis conficiendo par & idoneus. Item ad vitæ genus aptum & amictum tuis accommodum moribus.

Ego ac tu idem trahimus jugum.

Ἐγώ τε καὶ σὺ τὸν αὐτὸν ἕλκομεν ζυγόν.

Id eſt:

Idem egoque tuque ducimus pariter jugum.

De his qui ſimilibus vitiis aut malis obnoxii ſunt. Non diſſimile illi. In eadem es navi: quanquam hoc magis pertinet ad commune periculum. Plinius in epiſtolis alicubi dixit, Ex æquo jugum ducere: pro eo quod eſt, negocii vices pariter ſuſtinere. Tranſlatum à bubus arantibus. Huc alluſiſſe videtur Horatius libro Odarum primo:

——Diffugium cadis
Cum fæce ſiccatis amici,
Ferre jugum pariter doloſi:

Non tam ovo ovum ſimile.

Extant apud autores aliquot ſimilitudinis adagia, quorum de numero eſt: Non tam ovum ovo ſimile: de rebus indiſcretæ ſimilitudinis. Cic. Academic. quæſt. lib. ſecundo. Videſne, ut in proverbio ſit, ovorum inter ſe ſimilitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complures ſalvis rebus illis, qui gallinas alere quæſtus cauſa ſolerent. Ii cum ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Neque id eſt contra nos. Nam nobis ſatis, ova internoſcere. Idem proverbium refertur & à Fabio Quintiliano. Vſurpatur & à Seneca in libello, quem in Claudium imperatorem luſit.

Non tam lac lacti ſimile.

Idem pollet, & à Plauto uſurpatur in Amphit. Neque lacte lacti magis eſt ſimile, quam ille ego ſimilis eſt mei. Dicitur à Soſia de Mercurio, qui hujus aſſumpſerat figuram. Idem in Milit. Tam ſimile quam lacte lacti eſt.

Non tam aqua ſimilis aquæ.

Eandem vim obtinet, quod uſurpat Plaut. in Menæchmis. Nec aqua aquæ, nec lacte lacti, crede mihi, uſquam ſimilius, quam hic tui eſt, tuque hujus. Ad hanc formam & illud ex eadem ſcena

Tam conſimilis eſt, quam poteſt ſpeculum tuum. Rurſus in Milite: Nam è ſummo puteo ſimilior nunquam poteſt aqua aquæ ſumi.

Quam apes apum ſimiles.

His M. Tullius illud etiam adjungit in Academicis quæſt. Ut ſimilia ſunt, & ova ovorum, & apes apum. Ubi jocatur in Democriti mundos usquequaque ſimiles inter ſeſe. Simili forma dicunt: Quam ovis eſt ovi ſimilis.

Furemque fur cognoſcit & lupum lupus.

Ἔγνω δὲ φὼρ τε φῶρα, καὶ λύκος λύκον.

Id eſt:

Furemque fur cognovit, & lupum lupus.

Ariſtoteles ſeptimo libro Moralium Eudemiorum hunc quoque ſenarium citat inter adagia ſimilitudinis. Amant enim vulgo ſe mutuo, qui ſimilibus vitiis laborant, præcipue fures. Et lupi latronum inſtar collecti graſſantur. Videmus in quibuſdam, ob arcanam ingeniorum cognationem protinus amorem naſci: contra adverſus alios odium ob naturæ diſſimilitudinem. Ad hanc ſimilitudinem & diſſimilitudinem Democritus referebat omnes omnium rerum cauſas, adeo ut interrogatus de cane ſemper eidem lateri incubante, quamobrem id faceret: reſponderit, ὅτι ἔχει τι κεραμίδι ὅμοιον ὁ κύων, id eſt, quoniam habet canis aliquid cum illo latere ſimile. Id obiter narrat Ariſtoteles libro Magnorum moralium 2. inter proverbialia ſimilitudinis, & irridens Democritum. Quid enim ſimile habet later cum cane? Nec tamen Democrito multum abſunt medici quidam, qui ad omnem percunctationem objiciunt nobis, neſcio quam occultam rerum proprietatem.

Similior fico.

Ὁμοιότερον σύκου, id eſt, Similior fico. Per jocum dicebatur, de vehementer inter ſe ſimilibus. Ducta metaphora a ficorum inter ipſas ſimilitudine. Plutarchus adverſus Stoicos. θαυμαστὸν δὲ καὶ παράδοξον, εἰ μήτε φάττῃ φάττα μήτε μελίττῃ μέλιττα, μήτε πυρὸς πυρῷ, μήτε, τὸ τοῦ λόγου, σῦκον σύκῳ πώποτε χρόνῳ γέγονεν ἀπαράλλακτον. id eſt: Mirum & inopinabile, ſi neque palumbus palumbo, nec api apis, nec tritico triticum, aut fico quod eſt in proverbio, ficus, ſemper adſimilis fuiſſet. Confine eſt iis quæ retulimus ante, Non tam ovum ovo ſimile, &, Non lac lacti magis eſt ſimile.

Eadem cera.

Ἓν κηρίον, id eſt, Idem favus, dicebantur qui uno ore idem affirmarent, aut qui inter ſe conſpiraſſent. Ductum à favorum cellulis inter ſe connexis. Sive quod cera tenax, ſibique hærens: ſive quod olim in ceratis tabellis ſcribebant. unde & Horatius:

——Cera laudatur eadem.

ſive quod olim imagines è cera fingebantur, varia quidem forma, nunc deorum, nunc regum, nunc plebejorum, ſed hæc omnia erant cera. Refert Zenodotus. Non diſſimile illi quod alio diximus loco. Idem pulvis: &, Eadem farina.

Aut ipſe fuiſti, aut tui ſimillimus.

Si quando per jocum judicabis eundem aliquem fuiſſe, qui tamen ſe fuiſſe erat inficias (veluti ſi quem incuſes, quod inter bibones compotaverit, iſque ſeſe neget fuiſſe, verum alium quempiam) non illepide detorſeris illud ex eodem lib. quod de Patrocli ſpectro dixit Homerus:

Omnia ſimilia.

Ἅπανθ' ὅμοια καὶ ῥοδῶπις ἡ καλή.

Id eſt.

Similia cuncta, Rhodopis ipſa etiam decens.

Eadem eſt conditio mortalium: formoſi pariter ac deformes ſeneſcunt, ac moriuntur. Rhodopis nomen eſt puellæ cujuſpiam formæ celebris, cui nomen a roſeo aſpectu videtur inditum. De Rhodope meretricula, multa Herodotus lib. 2. nonnulla Plin. lib. 36. cap. 12. Cum Græcum carmen habeat, ῥοδῶπις, mirum cur Juvenalis corripuerit.

Dum Rhodopes uda terit inguina barba.

Refertur a Suida proverbii loco.

Crobyli jugum.

Κρωβύλου ζεῦγος, id eſt, Crobyli jugum. De ſocietate duorum pari improbitate dici conſuevit, ut de quibus eſt in Epigrammatis Martialis libro octavo:

Uxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Ductum proverbium à Crobylo, lenone quodam omnium ſceleſtiſſimo. Is duo ſcorta domi alebat, quorum lenociniis quamplurimos adoleſcentes in perniciem alliciebat, nec his contentus eoſdem illectos furto compilabat. Unde Crobyli jugum dictum: vel quod digni viderentur, qui tanquam præ improbitate cum hoc copulari deberent: vel quod jugum, id eſt par ſcortorum aleret domi.

Ficus poſt piſcem.

Σῦκον μετ' ἰχθύν, ὄσπριον μετὰ κρέα.

Id eſt.

A piſce ficum, à carnibus legumina.

Athenæus in Dipnoſophiſtarum lib. 3. meminit hujus. Quadrabit, ubi dicemus aliis alia congruere. Quemadmodum & vulgo jubent ab eſu carnium apponi caſeum: ab eſu piſcium, nuces.

Ovo prognatus eodem.

Fortaſſis ſimpliciter dictum eſt ab Horatio:

——Ovo prognatus eodem.

Quandoquidem ad fabulam reſpicit Ledæ, quæ gravida ex Jove in cygnum converſo, ovum peperit, unde gemini prognati Caſtor & Pollux. Id ovum Pauſanias in Laconicis refert, oſtendi apud Lacedæmonios ſuſpenſum tæniis à teſtudine templi. Verum ſi quis hoc dictum deflectat ad iiſdem natos parentibus, aut ab eodē eruditos præceptore: aut in conſimilib. ingeniis, ut eodem ovo nati videri poſſint, nihil æque fuerit proverbiale, veluti ſi dicas: Vultus, ingenium, mores, facta, ac prorſus omnia ſic huic cum hoc conveniunt, ut jures eodem prognatos ovo. Ariſtot. lib. de generatione animalium quinto, oſtendit id juxta naturam fieri, ut ex eodē ovo duo pulli naſcantur, & quidē perfecti, ſi vitelli membrana dirimantur. Iidem ſi cohæreant & confundantur, fœtum edi monſtroſum.

Catulæ dominas imitantes.

Ταῖς δεσποίναις αἱ κύνες ἐμφερεῖς, id eſt, Dominas imitantes catellæ. Ubi ſervi dominorum ferociam repræſentant, aut diſcipuli præceptoris reſipiunt arrogantiam, aut miniſtri principum faſtum. Breviter, quoties ii qui ſubſunt, eorum exprimunt mores, ſub quorum imperio degunt. Unde & illud Juvenalis:

Maxima quæque domus ſervis eſt plena ſuperbis.

Videas autem & Melitæas, opulentarum mulierum delicias, faſtū laſciviam, totamque fermè morum imaginem reddere. Uſurpatur hoc adagium à Platone, lib. de Repub. octavo, ἀτεχνῶς γὰρ αἵ τε κύνες κατὰ τὴν παροιμίαν οἷαίπερ αἱ δέσποιναι, γίγνονταί τε δὴ καὶ ἵπποι καὶ ὄνοι πάνυ ἐλευθέρως καὶ σεμνῶς εἰθισμένοι πορεύεσθαι κατὰ τὰς ὁδούς, ἐμβάλλοντες τῷ ἀεὶ ἀπαντῶντι ἐὰν μὴ ἐξίστηται. id eſt: Palam enim tum catellæ, juxta proverbium, tales quales ſunt dominæ. Tum & equi & aſini tales redduntur, qui aſſuefacti fuerint admodum libere, faſtuoſeq; per vias ingredi: ſemper incurſantes in obvium, ni cedat.

Similes habent labra lactucas.

Similes habent labra lactucas. Ubi ſimilia ſimilibus contingunt: veluti præceptori parum docto diſcipulus indocilis: improbo populo magiſtratus improbus: contumelioſo patrono contumelioſus actor: uxori moroſæ maritus moroſus: breviter quoties mala malis, digna dignis eveniunt. Natum adagium ab aſino, carduos paſcente. Eſt autem lactuca, herba mollis ac tenera, quæ tamen non admodum ſit diſſimilis carduo, præſertim ſylveſtri. Itaq; quemadmodum carduus ſpinoſus eſt, atque majorem in modum aſperis foliis & caule, denique ipſo etiam flore: itidem & aſini labris nihil durius ac petricoſis, ut illis non alia lactuca magis apta videatur. Porro carduos lactucarum vice etiam in conviviis à nonnullis apponi ſolere, teſtis eſt Julius Capitolinus in vita Pertinacis Imperatoris. Plinius item libro 19. de carduis in hunc modum. Poterant videri dicta omnia, quæ in pretio ſunt, niſi reſtaret res maximi quæſtus, non ſine pudore dicenda. Certum eſt quippe carduos apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipue, ſeſtertium ſena millia è parvis his reddere, quoniam portenta quoq; terrarum in ganeam vertimus, etiam ea quæ refugiunt quadrupedes conſciæ. Uſurpat, ſimulque interpretatur proverbium divus Hieronymus, ſcribens ad Chromatium in hunc modum: Secundum illud quoque, de quo ſemel in vita Craſſum ait riſiſſe Lucilius: Similem habent labra lactucam, aſino carduos comedente: videlicet ut perforatam navim debilis gubernator regat, & cæcus cæcos ducat in foveã, & talis ſit rector, quales illi qui reguntur. Hactenus ille. Fuit autem hic Craſſus, avus ejus Craſſi, qui pugnans adverſus Parthus interiit: cujus ſigna poſtea retulit Auguſtus. Numeratur is inter eos qui nunquam in vita riſiſſe feruntur: eaque gratia ἀγέλαστοι, id eſt, irriſibiles cognominari. Marcus Tul. in actionib. Craſſum Licinium, autore Lucilio, ſemel duntaxat in vita riſiſſe teſtatur. Plinius lib. Naturalis hiſtoriæ ſeptimo, capite 18. Ferunt inquit, Craſſum avum Craſſi in Parthis interempti, nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum, ſicuti nec fleſſe multos. Divus Hieronymus contra Ruffinum: Ego certe ut homini ſeveriſſimo riſum moveam, ut imiteris aliquando Craſſum, quem ſemel in vita riſiſſe ſcribit Lucius. Meminit & Macrobius libro Saturnalium ſecundo.

Qualis hera tales pediſſequa.

Et hodie vulgo dicitur ex Athanaſii ſymbolo detortum: Qualis pater, talis filius. Huic ſimillimum eſt pervetus adagium, lib. Epiſt. ad Attic. 5. Epiſt. 11. Si verum eſt, inquit, illud, οἵα ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες, id eſt, Qualis hera: talis & ancillæ, Quanquam nec hoc multum abeſt à ſenario:

Αἰσχρᾶς ἐκείνης, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες.

Plato libr. De Republ. 4. ἢ ὡς ἀεὶ τὸ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ πελάζει. id eſt: Aut non ſemper quod eſt ſimile, ſimile accerſit.

Aſpis à vipera.

Tertullianus libr. adverſus Marcionem 3. proverbii titulo refert: Aſpis à vipera, quum peſſimus à peſſimo ſumit mali quippiam. Deſinat, inquit, nunc hæreticus à Judæo, aſpis (quod ajunt) à vipera mutuari venenum. Refertur autem inter Diogenis apophthegmata: qui conſpicatus duas fœminas inter ſe conferentes clam ſermonem, protulit verſiculum è comœdia quapiam ſumptum.

Ἀσπὶς παρ' ἐχίδνης φάρμακον δανείζεται.

Id eſt,

Sumit venenum à vipera aſpis mutuo.

Variaſ-

Vtriusque serpentis venenum immedicabile, pariterque noxium: nisi quod viperæ morsus magnis enecat cruciatibus, aspidis adeo nullum adfert dolorem, ut nec voluptas desit, Plinio credimus. Est autem aspidis genus, quod absque morsu, conspuens hominem veneno, perimit: unde Græcis dicta πτυάς. Vsus erit, quoties qui per se malus est, contagio mali fit deterior.

Sequitur perca sepiam.

Athenæus lib. 7. nullo autore refert hujusmodi proverbium, ἕπεται πέρκη μελανούρῳ. i. Comitem sibi ducit sepia percam. lib. 10. ex Aristophane adducit, nec addit in quem sensum soleat usurpari, nisi quod conjicio dictum de improborum societate. Apud eundem paulo inferius adducuntur hi versus Numenii, qui de piscibus prodiderit,

Φυκίδας ἀλφηστάς τε καὶ ἐν χροιῇσιν ἐρυθρά
Σκορπίον, ἢ πέρκας ἠδὲ γλαυκὸν μελάνουρον.

Dignum patella operculum.

Huic simillimum est illud, quod ab eodem Hieronymo refertur in epistola ad Chromatium: Dignum patella operculum. In mea enim, inquit, patria rusticitas vernacula. Deus venter est, & in Diem vivitur: & sanctior est ille, qui ditior est. Accessit huic patellæ, juxta tritum populi sermone proverbium, dignum operculum. Significat autem episcopum ad improbos populi mores accommodatum. Idem adversus Rufinum: Quod librum Eusebii pro Pamphili verteres, quod tuum quasi operculum venenatæ patellæ imponeres. Plato in Hippia majore, disserens de pulchro ac decoro, quiddam habet non abhorrens ab hoc proverbio. πότερον πρέπει, φήσει ὅπως τις τὴν χύτραν, ἢ ἡ συκίνη τορύνη τὴν καλὴν ἔτνους μεστὴν χρυσῆ τορύνη ἢ συκίνη, id est: Utrum, inquiet, ubi quis ollam illam pulchram de qua modo loquebamur, igni admoverit pulchris fabis plenam decet illam aurea toryne, ac ficulnea? Quod Græce dictum est, τορύνη. Platonis interpres vertit rudeculam Etymologus indicat, τορύνην vocem esse Atticis peculiarem, quæ illis significat ἀρύταιναν. Suidas ait instrumentum esse quo movetur olla.

Aut piscem olet, aut florem.

Aut piscem olet, aut timallum. Ambrosius Hexaemeron lib. 5. cap. 2. testatur dictum in eum qui bene oleret; quod timallus piscis sit odore gratissimus, & æque fragrans ejusdem nominis flos. Sed præstiterit Ambrosii verba subscribere. Neque te inhonoratum nostra prosecutione timalle dimittam, cui à flore nomen inolevit, seu Ticini unda te fluminis, seu amœni Atasis unda nutrierit, flores. Denique sermo testatur quod de eo qui gratiam redolet suavitatem dictum facete sit, aut piscem olet, aut florem: ita idem pronunciatus est, piscis odor esse, qui floris. Quid specie tua gratius? quid suavitate jucundius? quid odore fragrantius? quod mella fragrant, hoc tu corpore tuo spiras. Veram haud scio an pro timallo apud Ambrosium legi debeat tithymallos, cujus varia genera recenset Plinius lib. xxvj. cap. viij. cujusque subinde meminit Dioscorides locis diversis.

In matellam immeiere.

Εἰς τὴν ἀμίδα ἐνουρεῖν, id est, In matellam immeiere. Cum sordide tractantur, aut ad munus aliquod parum honestum adhibentur ii, qui non indigni videantur, utpote ipsi sordidi atque inhonesti, quasique ad contumelias ferendas facti. Lucianus de mercede servientibus, οὐδὲν δεινὸν αὐτοὶ ἐδόκουν πάσχειν ... ὥσπερ ... ὑβρίζειν ... εἰς τὴν ἀμίδα, φασίν, ἐνουροῦντες, id est, Itaque nec hi quicquam indignum aut acerbum patiuntur, neque illi eos contumeliis afficere videantur, si, quod ajunt, in matellam immingant. Si quidem ad hunc usum, quasi nascitur matella. Ex adverso Martialis Bassum quendam joco taxat, qui in auream vas incacaret, cum vitro biberet.

Ventris onus misero (nec te pudet) excipis auro
Basse, bibis vitro, carius ergo cacas.

Conto naviga.

Κοντῷ πλεῖν, id est, conto navigare dicebantur, qui sic rebus uterentur, quemadmodum uti conveniebat, aut qui vitæ genus suo accommodatum ingenio sequerentur. Neque enim contus ad ullum alium usum accommodatus, quam ad navigationem. Itidem non ad quamvis vitam quivis idoneus est. Vtaris licebit, si quem admonere voles, ut quisque re utatur ad id in quod inventa sit. ut, Quorsum servas nummos tuos, non in hoc natos ut spectentur, sed quo vitæ subsidio sint: conto navigandum est. Refertur à Suida.

Ipsa holera olla legit.

Vide superius in loco, Malum accersitum.

Surdaster cum surdastro litigabat.

Δύσκωφος δυσκώφῳ ἐκρίνετο, ὁ δὲ κριτὴς ἦν κωφότερος, id est, Surdaster cum surdastro litigabat: judex autem erat utroque surdior. Cum res agitur inter undequaque ridiculos ac stultos. Extat in hanc sententiam epigramma Græcum Nicarchi:

Δύσκωφος δυσκώφῳ ἐκρίνετο, καὶ πολὺ μᾶλλον
Ἦν ὁ κριτὴς τούτων τῶν δύο κωφότερος.
Ὧν ὁ μὲν ἀντέλεγεν, τὸ ἐνοίκιον αὐτὸν ὀφείλειν
Μηνῶν πέντ', ὁ δ' ἔφη, νυκτὸς ἀλήλεκ' ἐμέ.
Ἐμβλέψας δ' αὐτοῖς ὁ κριτὴς λέγει, τί μάχεσθε;
Μήτηρ ἐσθ' ὑμῖν, ἀμφότεροι τρέφετε.

Id Thomas Morus olim adolescens, scite vertit hunc in modum,

Lis agitur, surdusque reus, surdus fuit actor,
Ipse tamen judex, surdus utroque magis.
Pro ædibus hic petit æs quinto jam mense peracto:
Ille refert, Tota nocte mihi acta mola est.
Aspicit hos judex, &, Quid contenditis? inquit:
Annon utrique est mater? utrique alite.

Cascus cascam ducit.

Neque longe hinc dissidet illud, quod Varro refert libro De lingua latina tertio, Cascus cascam ducit, quoties similis similem delectat, vetulus vetulam, deformis deformem, barbarus barbarum, improbus improbum. Nam antiquitus cascum dicebatur, quod nos vetus appellamus: idque, ut autor est idem Varro, lingua Sabinorum, quæ in Oscam usque linguam radices egerit, qua Cainar senex dicitur: eoque Ennium, ut Oscæ linguæ peritum, scripsisse:

Quamprimum Casci populi genuere Latini.

Cascos Latinos priscos appellat M. Tullius Tusculanarum quæstionum libro primo. Itaque unum illud erat insitum priscis illis, quos appellat Cascos Ennius. Citat autem Varro adagium, tanquam à Manilio quodam profectum: qui dixerit, non esse mirum, si cascum casca duxisset, quoniam is canoras faciebat nuptias. Videtur esse jocus in anum vetulo nuptam, allusumque ad vocem casci, perinde quasi deducatur à canendo. Refertur ibidem epigramma Papinii cujusdam, quod scripsit in adolescentem nomine cascam.

Ridiculum est cum te Cascam tua Casca dicit.

Opinor adolescentem duxisse vetulam: proinde absurdum videri, quoties casca, id est, vetula, maritum juvenem veluti suo ipsius nomine Cascam vocaret. Fortasse proverbii jocus ad priscum nuptiarum morem spectat, quem refert Plutarch. in Problematis: Qui deducebant sponsam in domum sponsi, jubebant his verbis alloqui: Vbi tu Caja.

Omnia sub unam Myconum.

Πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκωνον, id est, Omnia sub unam Myconum. Strabo Geographiæ lib. 10: Μύκωνος δ' ἐστὶν ὑφ' ᾗ μυθεύουσι κεῖσθαι τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους, ὑφ' Ἡρακλέους καταλυθέντας. ἀφ' ὧν ἡ παροιμία πάνθ' ὑπὸ μίαν Μύκωνον, ἐπὶ τῶν ὑπὸ μίαν γραφὴν ἀγόντων τὰ διηρημένα τῇ φύσει. id est, Est autem Myconus, in qua fabulis proditum est, positos esse gigantes postremos ab Hercule confectos: unde ductum est illud proverbium, Omnia sub unam Myconum: in eos qui res natura diversas eodem titulo complectuntur. Quibus ex verbis magis colligitur usus adagii, quam ratio. tametsi consicere licet, quoniam summa gigantum & reliquiæ sub Mycono conderentur, sub ea gigantes omnes jacere vulgo dictum, cum sub aliis item montibus siti fuerint. Itaque qui eodem in lib. grammatica pariter & theologica, item dialectica, & jurisconsultorum literas tradat, in eum non inconcinne dicetur: omnia sub eandem Myconum, aut ubi diversa gesta, ab eo quod postremo loco factum sit, æstimentur. Est autem Myconus ex Cycladibus una, teste Stephano, qui proverbii quoque facit mentionem, in dictione Myconus. At Zenodotus longe diversam adfert fabulam, quæ proverbio dederit occasionem. Heleus, inquit, filiis suis Hegetori & Hippocli mandarat, ut insulas illas in mari sparsas subigerent. Deinde ubi Hegetor multas esset aggressus, Hippocles unam modo Myconum, velletque nihilominus reliquarum etiam omnium ex æquo particeps esse, consuluerunt super hac re oraculum, quænam insulæ Hippocli cederent. Respondit Deus, μία Μύκωνος, id est, una Myconus. Vsus est eleganter Plutarchus primo συμποσιακῶν lib. μίαν Μύκωνον ὡσπερεὶ τὰ συμπόσιον, id est: Vnam Myconum faciens convivium, significans indistinctos adhuc convivas. Vnde & de indiscretis dictum apparet.

Omnia idem pulvis.

Πάντα μία κόνις, id est, Omnia idem pulvis. De indiscreta similitudine. Lucianus, ἀλλὰ πάντες μία ἡμῖν κόνις φασί id est, Quin nobis omnis idem, quod ajunt, pulvis. Alludens ad defunctorum cineres, inter quos nihil apparet discriminis. Confine illi quod alio demonstravimus proverbio, Ejusdem farinæ. Siquidem antiqui carinam pollinem vocabant.

Convenerat Attabas & Numenius.

Συνῆλθεν ὁ ἀτταγᾶς τε καὶ νουμήνιος.

Id est:

Conjunctus est suo Attabas Numenio.

Quidam legunt Attagas.

Dici solitum quoties improbus aggregatur cum improbo Diogenianus tradit hos insigne par furum fuisse. Meminit hujus Diogenes Laertius in vita Timonis Nicei. Nam hoc proverbio notabat eos, qui putabant intellectu attestante sensibus esse credendum, quum ipse nec rationi nec sensibus assentiendum putaret. Simillimum illi, quod alibi dictum est, cum Bitho Bacchius.

Eundem calceum omni pedi inducere.

Galenus Therapeutices lib. 9. Ἐπεὶ μὲν οὖν ζητοῦσιν ... ἀλλὰ ... κατὰ τὴν παροιμίαν, ἐπὶ παντὶ ποδὶ τὸν αὐτὸν ὑποδοῦντες, id est, isti quidem

quidem igitur neque inquirunt, neque ſciunt: quin magis juxta proverbium, eodem calceamento calceant omnes. Loquitur de quibuſdam medicis imperitis, qui non habita ratione morborum, eadem remedia admovent omnibus: quum diverſa mala diverſam curationem deſiderent. Non diſſimile illi quod alio dictum eſt loco. Scis ſimulare cupreſſum. Ad hanc formam quod adducit Hieronymus in prima præfatione commentariorum, quos ædidit in epiſtolam ad Epheſios 1. Nec ad inſtar imperiti medici uno collyrio omnium oculos velle curare.

Nauſon Naucrati.

Ναύσων ναυκράτει, id eſt, Nauſon Naucrati. Quoties aliqui ſimilia invicem reſpondent. Veluti ſi quis herus ſalutatus herum reſalutet: & nebulo compellatus, nebulonem viciſſim compellet. Nauſon enim & Naucrates utrunque à nave dicitur, perinde quaſi dicas, nauta nautæ. Heſychius indicat vocem hanc confictam à Cratino Nauſon, à terrendis navibus. & ναυκράτης, à ναῦς & κρατεῖν. Sermonis color ſumptus eſt ab epiſtolis ut indicat Suidas: perinde quaſi dicas, Pompeius Pompilio ſalutem: aut, Iuvenis juvenem appello. Hujus formæ ſunt & illa, ἀγαθὸς ἀγαθοῖσι. & λάκωνι λακωνίζειν. Tale quiddam innuit, ni fallor, Ariſtophanes in Equitibus, ναῦσιν ναυφάρκτοις κατὰ τὰς ναυκράτου, ut ſubaudiatur, ἄρχει. Arbitror autem in proverbio ναύσων eſſe non hominis nomen, ſed civitatis, quemadmodum & Naucratis Ægypti civitas eſt.

Sequitur ver hyemem.

Sequitur ver hyemem. Hoc adagio rerum vices ſignificamus, neceſſario ſibi ſuccedentium: ut ſi quis ſuadens in rebus afflictis animum fulciendum ſpe meliorum, dicat: Sequetur ver hyemen, id eſt triſtib. ſuccedent lætiora. Ita Pindarus Iſthmiorum hymno 4. νῦν δ' αὖ μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον χθὼν ἅτε φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις. id eſt, Nunc vero rurſum poſt hybernam multiplicium menſium caliginem, terra veluti purpureis floret roſis. Auſonius in præfatione monoſyllabarum, nonnihil abuſus eſt proverbio: Vt in vetere verbo eſt: Sequitur ver hyemem. Iam ſimilium nugarum ſubtexo nequitiam.

Chius ad Coum.

Χῖος πρὸς Κῷον, id eſt, Chius ad Coum. De comparatione vehementer inæquali dicebatur. Nam in ludo talorum jactus, qui Chius dicebatur, unioni reſpondebat, Cous ſenioni. Quem Græci Chium dicunt, nos canem vocamus, & quem illi Coum ſive ἑξίτην nos ſenionem. Porro quemadmodum Cous inter felices jactus habebatur, ita Chius fuit inter infelices. Vnde Perſius:

——— Quid dexter ſenio ferret
Scire erat in votis, damnoſa canicula quantum
Raderet. ———

Videtur autem ſenio per ſe felix, infelix haberi ſolere, ſi accederet canis. Sic enim Martialis:

Senio nec noſtrum cum cane quaſſat ebur.

Quod ſi verum eſt, adagium conveniet non ſolum in collationem rerum inæqualium, verum etiam pugnantium. Veluti ſi quis conferat plebeium cum rege Chius eſt ad Coum: ſi quis adoleſcentem cum ſene, contrarietas eſt, non ſolum inæqualitas. Adagii meminerunt Zenodotus, Heſychius & Suidas: niſi quod Suidas pro ἐν habet ἰὼν: pro ἐξ, ἴξω. Id vitium ſcribæ culpa commiſſum ſit, an incerior tali pars & exterior intelligenda ſit, doctis excutiendum relinquo. Fit autem interim alluſio ad gentes quarum utriuſque mores non caruerunt nota, ſed præcipue Chiorum. Ita ſimile fuerit illi κρὴς πρὸς τὸν αἰγινήτην.

Clavum clavo pellere.

Ἧλον ἥλῳ ἐκκρούειν, id eſt, Clavum clavo pellere, καὶ πασσάλῳ πάσσαλον ἐξέκρουσας, id eſt, Paxillum paxillo pepuliſti: id eſt, Malum alio malo depuliſti. Lucian. in Philopſ. ἧλον φασὶν ἥλῳ ἐκκρούεις τὸν ἧλον id eſt, Et clavo, quod ajunt, extrudis clavum. Idem in apolog. δέδοικα μὴ καὶ σοὶ τῇ ἐπιφερομένῃ κατηγορίᾳ κολακείας αἰτίαν προσλαβεῖν πάνυ δίκαιον ἧλον φασὶν ἐκκρούειν τὸν ἧλον, τῷ μείζονι τὸν σμικρότερον. id eſt: Vereor ne ſi ad ſuſtentatum crimen, etiam adulationis accuſationem adjunxero, clavum, quod ajunt, clavo pellere videar, majore minorem. Ariſtot. lib. Politic. 5. cap. penult. ſcribit tyrannis amicos eſſe viros improbos & adulatores. Nam hos demum illis utiles eſſe, quippe malos ad mala, καὶ χρήσιμοι οἱ πονηροὶ εἰς τὰ πονηρά. ἥλῳ γὰρ ὁ ἧλος, ὥσπερ ἡ παροιμία. id eſt, Clavus enim clavo, ſubaudi truditur, ut habet proverbium. Syneſius ad Olympium: ἀντωθεῖ τοῖς ἐκκλησίας ἀδικοῦσι πονηροὶ διωθοῦντες αὐτούς. πασσάλῳ γὰρ πάσσαλος ἐκκρούεται. id eſt: Eccleſiam vexantes exterus, improbi, illos invade. Nam paxilli paxillos excutiunt. D. Hieronym. ad Ruſt. monachum: Philoſophi ſeculi, inquit, ſolent amorem veterem amore novo, quaſi clavum clavo pellere. M. Tul. Tuſcul. quæſt. lib. 4. Loci denique mutatione, tanquam ægroti non convaleſcentes, ſæpe curandus eſt. etiam novo quodam amore veterem amorem, tanquam clavum clavo ejiciendum putant. Iulius Pollux in 9 lib. ſcribit, adagium eſſe natum à luſu quodam qui κυνδαλισμὸς vocetur, quo paxillum argilloſæ terræ infixum, altero impacto paxillo excutiebant. Citatq; ſenarium hunc proverbialem.

Ἧλῳ τὸν ἧλον, πασσάλῳ τὸν πάσσαλον.

Id eſt:

Clavumque clavo, perticamque pertica.

Locus igitur adagio, non modo cum vitium vitio, malum malo, dolum dolo, vim vi, audaciam audacia, maledicentiam maledicentia retundimus: verum etiam quoties rem utcumque moleſtam diverſa moleſtia profligamus: ut cum libidinum incitamenta laboribus obtruimus: curam amoris, aliis majorib. curis domamus. Euſebius in Hieroclem, δαίμονας γὰρ ἀπελαύνει ἄλλον ἄλλῳ φασὶ δαίμονι. id eſt, Dæmones enim abigit, alium alio quemadmodum ajunt, dæmone. mirum ni alludens ad hoc proverbium. Nec abhorret his ille Publii Mimus:

Nunquam periculum ſine periculo vincitur.

Mali thripes, mali ſpes.

Κακὰ μὲν θρῖπες κακὰ δ' ἴπες, id eſt, Mala quidem thripes, malæ rurſum ipes. De duplici malo dici ſolitum, ut non magni referat, utrum elegeris. Thrips enim Græcis vermiculus eſt, qui lignis innaſcitur, materiaſque vitiat. Ips item cornibus & vitibus infeſtus. Extat apud eundem Diogenianum.

Balbus balbum rectius intelligit.

Balbus balbum rectius intelligit, id eſt, Barbarus barbari orationem. Ita enim natura comparatum eſt, ut qui balbutit, hoc eſt, parum expedite loquitur, melius intelligat ſermonem illius, qui & ipſe conſimili modo balbutiat, quam qui integre & articulate loquatur. Concinne dicetur in eos, quibus indoctis indocta magis & nota ſunt, & placent. Divus Hieronymus hoc adagio monachi cujuſdam ſtultitiam tangit, haud ſcio feſtiviuſne, an acrius: Et idcirco, inquit, ſe eruditum putat, quia Iovinianum ſolus intelligit. Eſt quippe proverbium, Balbum melius balbi verba cognoſcere. Hæc ille. Porro Ioviniani ſtylum, ut portentoſum vehementer obſcurum, idem Hieronymus miris ſalibus deridet in præfatione librorum, quibus illius coarguit errores.

Bithus contra Bacchium.

Bithus & Bacchius nobile par gladiatorum fuit, quorum mentionem Suetonius quoque fecit, pares arte, pares audacia. Proinde quoties duo æqualiter improbi contendunt inter ſeſe, ita ut neuter alteri velit concedere, non intempeſtiviter dicemus, Bacchium cum Bitho commiſſum. Horatius in Sermonibus:

——— Vti non
Compoſitus melius cum Bitho Bacchius: ———

Rupili Perſiique, parem inter ipſos improbitatem & maledicentiam ſignificans. Quicquid inſigniter improbum eſt, & ad omnem contentionem paratum, gladiatorium appellamus: Gladiatoria corporis firmitas, gladiatoria audacia, gladiatoriis animis ad me affectant viam. M. Tul. in Philippicis, Antonii fratrem aliquoties Mirmillonem appellat, ut in Philippica ſexta: Etiam ne ab hoc Mirmillone Aſiatico, ſenatus mandata, legatorū verba audientur?

Eſernius cum Pacidiano.

Simile fuerit illud ex Lucilio: Eſernius cum Pacidiano compoſitus. Erant & hi gladiatores per omnia pares, longeque omnium nobiliſſimi. M. Tul. in lib. De optimo oratorum genere: A me autem, quo maximis minima conferam, gladiatorum par nobiliſſimum inducitur. Æſchines tanquam Eſernius, ut ait Lucilius, non ſpurcus homo, ſed doctus & acer, cum Pacidiano hoc componitur, optimus longe poſt homines natos. Ejuſmodi ferme ſpectaculum nobis exhibuerunt, non ſine magna omnium voluptate, ſuperioribus hiſce diebus Londini apud Britannos duo theologici: quorum alter erat magnus ille Standicius, Franciſcanorum quos Conventuales vocant in ea inſula κορυφαῖος, homo mire vocalis, Scotiſta ſtrenuus, animo intrepido, tum lateribus, eaq; corporis firmitate ut vel triarius miles, vel gladiator eſſe poſſet, ni theologus eſſet. Alter Italus, ex eorum ſodalitio, quos vulgus fratres Servitas appellat, ob id (ut accipio) quod licet ſint ſcarabæis nigriores, tamen uni virgini Mariæ ſerviant, neque cum Chriſto, neque cum quoque alioqui divorum quicquam habeant commercii. Verum hic, ut Fortallis eruditione non inferior erat, ita gladiatoriis illis dotibus longe impar, ut ego quidem ſentio. Is ubi ſeſe ex more ſub quadrageſimam ſacram in Britanniam recepiſſet, quod declararet ſeſe non omnino luſiſſe operam, quam Theologicis literis annos jam aliquot impenderat Lutetiæ, concluſiones (ut vocant) aliquot proponere cœpit inter eruditos diſputandas, quarum pleræque ad negociatores pertinebant, excepta prima, quæ ad divi Franciſci contumeliam videbatur pertinere. Ea habebat hanc ferme ſententiam: Peccare fratres Minores ſi pecuniam accipiant, ſive ipſi ſive per alios: & ex conſequenti peccare, quiſquis pecuniam darent quod quiſquam miniſtraret occaſionem peccandi, peccaret ipſe quoque. Atque ut hoc auderet homo peregrinus, hæc perpulit occaſio. Diverſabatur hic Servita apud Auguſtinianos, qui ſe vocant Eremitas, κατ' ἀντίφρασιν opinor. Ii Londini non mediocrem quæſtum faciunt ex negociatoribus, præſertim Italis, & ob id inviſi Minoritis. Standicius igitur quo quæſtum illum ad ſuos averteret, in concione monuit populum, etiam atque etiam viderent quibus confiterentur. Nam duobus tantum ordinibus à Pontifice datum jus audiendi peccata quorumlibet nimirum Minoritis & Iacobitis. Hæc quoniam ad famem vocare videretur reliquos ordines, inito conſilio ſubornarunt Servitam, qui tam capitalem injuriam thematis ulciſceretur, quod linguæ Britannicæ rudis loqui populo non poſſet. Affiguntur igitur omnibus templis & angulis concluſiones, de quibus dicere cœperam. Hujus rumor paulatim, ut fit, ſparſus, cum ad Standicianas aures pervenisſet, ibi vir pius excelſique animi, ſe dignas ira animo concipit. Minatur dira: & omnino res ad magnam aliquam tragœdiam ſpectab-

ſpectare videbatur, ni deus aliquis ἀπὸ μηχανῆς interveniſſet. Intelligebat enim vir ſapiens, rem ad Saguntinam famem ſpectare, ſi ejuſmodi propoſitio vel audita fuiſſet publice. Et inter ipſos is ſanctiſſimus habetur, quiſquis nummorum quamplurimum poſſidet: Quid multa? Coactus eſt Servita adire hominem, quo ſe purgaret, & illius vocaret animum. Ibat homo gravate. Territabant enim hoſpitem compares, quod dictitarent Standicium hominem eſſe virulentum, clamoſum, bilis immodicæ: tum apud promiſcuam plebem: puta naviculatores, aurigas, & calcearios, veteramentarios, fullones, alioſque id genus proceres, eſſe aliquid: deinde tanto animi robore ut unus adverſus univerſam Britannorum Eccleſiam, immunitatis cauſam fortiſſime ſuſtinuerit, ob id ſacerdotibus & epiſcopis omnibus in viſus, ac bonæ plebis patri, quæ clericis bene vult. Vt coram ventum eſt Servita, quoniam non Theologiam modo; verumetiam Rhetoricen attigerat, hoc exordio aggreſſus hominem ſibi conciliare: Egregie pater, inquit, haud ſane volens huc venio, quod audiam à pleriſque te eſſe impotenter iracundum, & ſi quibuſdam credendum eſt, etiam furioſum. Atque hactenus μάλα ἐντέχνως captata benevolentia, rem paucis ſubjecit: Attamen, inquit, quoniam hi patres id tantopere à me contenderunt, adſum auditurus ſi quid velis. Hic alter protinus magnis conviciis debacchari in hominem, concluſionem eſſe ſcãdaloſam, offenſivam piarum aurium, hæreſim ſapientem, irreverentialem in ſeraphicum ordinem divi Franciſci, ipſum mox pœnas daturum, ni eam recantet. Contra Servita, ut fortem virum decuit, reſpondit ſe diſputandum propoſuiſſe, non recantandam. Ad tam impiam vocem ſupra modum commotus Standicius, jubet hominem pauliſper operiri, ac ſeſe proripit intro. Servita ne hic quidem obtemperans tanto viro, cœperat jam abire. Ac ille mox accitis ſatellitibus aliquot ſuis cucullatis (habet enim permultos, nec minus robuſtos, nec minus audaces regiis) abeuntem aſſequutus, correptum pedibus ceu Cacum quempiam introrſum trahit: ibi Servita deſtitutus, & extrema metuens, quod in deploratis rebus fieri ſolet, Jeſum implorat: Jeſum, Jeſum, quanta poteſt voce identidem exclamans. Nuſquam erat Jeſus inter Franciſcanos, ſed trahebatur interim miſer: verum è vicino ad Jeſu nomen exciti quidam opifices cœmentarii, cum ſaxis & inſtrumentis ſuis accurrebant, & hominem è ſatellitum illorum manibus eripuerunt. Atque hic fuit illius fabulæ primus actus. Proximus autem magnis utrinque conviciis actus eſt, utriuſque partis ducibus paſſim quiritantibus apud ſuam factionem. Servita votivam etiam tabellam Jeſu ſervatori ſuſpendiſſe dicitur, argumento coloribus expreſſo, & aſſcripto epigrammate. Jam fabula cito populum pervagata, ad Cardinalis etiam aures qui ejus regni præſes ac judex eſt, penetrat. Is ut eſt feſtivo ingenio, ratus ſpectaculum haud injucundum, ambos apud ſe ſiſti jubet. Accuſat Standicius fortiter. Servita gnaviter defendit. Cardinalis pronunciat, quandoquidem ſcholaſtica diſputabiliſque eſſet propoſitio, uti mox à paſcha Jovis die publice diſputarent in æde divi Pauli, id eſt templum ejus inſulæ celeberrimum. Neutra pars pugnam detrectat. Adornant ſeſe duces, apparant ſeſe milites: & affiguntur valvis, compitis ac palis omnibus, concluſiones: concurritur & è longinquo ad hoc ſpectaculi. Diverſa hominum ſtudia, ſed omnium æqua expectatio. Ne longum faciam: aderat dies pugnæ deſtinatus, doctis atque indoctis differta omnia. Et ecce quorundam opera factum eſt, ut à rege per Cardinalem interdictum exiret, ne quid ageretur. Ibi Standicius, quo gloriam eam in ſe derivaret, dimiſſis aliquot e ſuis, ſpargit per omnem populum, Servitam ſupplicem ſibi ad genua accidiſſe: deprecatumque, ne diſputatio procederet. Jamque id pleriſque perſuaſum erat, cum alter hoſpes Anglice neſciret: niſi neſcio quis Deus Servitæ in mentem miſiſſet quiddam. Is enim conſcenſo ſuggeſtu, ſic multitudinem eſt allocutus: Doctiſſimi doctores, voſque cæteri præſtantiſſimi viri: erat hodie futura diſputatio, ſed reverendiſſimus Cardinalis ob juſtas cauſas juſſit ſuperſedere, ne quid fruſtra expectetis. Minores ubi vident tantam gloriæ prædam ſibi è manibus eripi, adoriuntur hominem, etiam in medio templo dilaniaturi: ni providens Cardinalis illi cuſtodes aliquot ſuæ familiæ notos adjunxiſſet. Minores igitur quod illic ſolum licebat, motis capitibus multa procul minati, rurſus ad Cardinalem, magnis clamoribus Servitam accuſant: qui contra regnum interdictum auſus ſit apud populum teſtari, ſe paratum ad defendendam concluſionem tam impiam. Jubetur utraque pars adeſſe. Standicius præter ſatellites ſuos, etiam puerum cucullatum adduxerat, jam tum Scotiſſantem. Tanti refert à teneris recte inſtitui. Eum dum per diverſa atria ad Cardinalis aditum penetrat, oſtentat magnatibus aulicis. Nam ille pleriſque notus eſt magis quam charus. Affirmat fore, ut puer ille Servitam conficiat, proteratque. Ventum eſt, agit Standicius, ut puer cum illo committatur. At negat Cardinalis decorum, ſi cum homine graduato, ut vocant, puer committeretur. Nam Servita Theologiæ baccalaureus erat: currens an ſedens, formatus an mox formandus, incertum. Objectus eſt igitur minor ita quiſpiam, ſed Italus Italo, ut cornix cornici configeret oculos. Docti aliquot & proceres arrectis aurib. circumſtant. Ibi minor ita porrecto brachio, Tun, inquit, ais peccare Minores ſi tractent pecuniam? Ajo. Negas Pontificem poſſe indulgere: ut liceat? Haud nego. At nobis indulſit Credo. Licet igitur. Haud repugno. Mentitur igitur tua concluſio. Hoc telum ſic eluſit Servita: Mea inquit, concluſio de minoribus pronunciat. Illis non licet. Imo, inquit alter, bulla Pontificia nos minores vocat. Vocat, ait Servita ſed addit, Conventuales. Sic enim Minores. Conventuales Minores ſunt, ut homo mortuus eſt homo. Hic cum obmutuiſſet Minorita (non enim expectaret eam ſolutionem) Cardinalis admiratus dialecticum acumen, ariſit non inſuaviter. Standicius ubi videt primam coitionem parum feliciter proceſſiſſe, ipſe prodit in harenam, ac vultu minaci, & intento brachio: Ajo, inquit, te eſſe excommunicatum. Et mox neganti: Eſt nobis, inquit, bulla Pontificia, quæ excommunicat omnes, qui dicere auſint, fratres Minores Conventuales apud Anglos peccare, ſi recipiant pecuniam, tu vidiſti bullam & affirmas: ergo es excommunicatus. Hic plane jam ἔμβροχος tenebatur Servita, niſi elapſus eſſet, ut diceret bullam loqui de Minoribus Conventionalibus, qui Minores non eſſent: ſuam concluſionem loqui de Minoribus abſolute. Cardinalis qui animi gratia magis quam ſerio hæc ageret, ſic utrumque dimiſit ut nondum ſatis liqueret, uter eſſet vir fortior. Servita Lutetiam repetiit, triumphum illic acturus Standiciani contra apud ſuos jactitant, illum à puero ſuperatum, ſic ut nihil haberet quod hiſceret. Concluſio manet Oxoniæ Cantabrigiæque in ſcholis Theologicis diſputanda. Hoc ſpectaculi, quoniam nobis vehementer jucundum fuit, volui tibi, optime lector, eam voluptatem communicare, ut hac amœnitate lectionis tædium levares.

Non filius Achillis.

Inter carmina nobilium poetarum, quæ à doctis vice proverbiorum uſurpantur, hæc quoque referri poſſe videntur.

Οὐ παῖς Ἀχιλλέως, ἀλλ' Ἀχιλλεὺς αὐτὸς εἶ.

Id eſt:

Haud ſatus Achille, verum Achilles ipſus es.

E tragœdia quapiam aut comœdia ſumptum videtur. Eſt enim verſus trimeter jambicus. Vſurpatur à Plutarcho in eodem commentario quem inſcripſit, Qua ratione ſit adulator ab amico dignoſcendus. Ait enim adulatorem modis omnibus ſic amicum imitari, ut illud in eum dici poſſit, οὐ παῖς Ἀχιλλέως, &c. Itidem Terentianus Parmeno in Gnathonem Thraſonis orationi ſubſervientem:

Hem alterum hunc ex loco natum dicas.

Ab diagrammate.

Plutarchus in libello De diſcrimine inter adulatorem & amicum: ὁ δὲ κόλαξ ἀφ' ἑνὸς διαγράμματος ἀεὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ πρὸς χάριν εἰωθὼς ᾄδειν, οὔτ' ἔργον οἶδεν ἀντιτεῖνον, οὔτε ῥῆμα λυποῦν, ἀλλὰ μόνον ἑπόμενος ταῖς βουλήσεσι συνᾴδει ἀεὶ καὶ συμφθεγγόμενος. id eſt: Adulator autem ab uno diagrammate ſemper id quod jucundum eſt, quodque blandiatur ſolitus ſuccinere, neque facto reſiſtere novit, neque verbo contriſtare, ſed tantum obſecundat volenti, ſemper illi concinnens & conſonans. Palam eſt, proverbii ſpecie dictum eſſe ἀφ' ἑνὸς διαγράμματος. Eſt autem diagramma, pictura, deſcriptioque philoſophorum, qua rem exponunt oculis, ut perinde valeat, quaſi dicas de eadem formula.

Eodem in ludo docti.

Eodem in ludo docti dicebantur, ſimilibus vitiis laborantes & improbitate pares. Hoc dictum adeo vulgo manet, ut nihil ſit tritius. Terent. in Hecyra: in eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam. Solent enim ferme qui communibus uſi ſunt præceptoribus, ingenio, moribuſque convenire. Quod autem Terentius dixit in mulieres omnes inter ipſas ſimilibus eſſe moribus, idem Græcus atteſtatur ſenarius:

γυνὴ γυναικὸς πάντ' οὐδὲν διαφέρει.

Id eſt,

A fœmina nihil fœmina nunquam diſcrepat.

Innuit autem proverbium, nullam inveniri bonam mulierem.

Ejuſdem muſæ æmulus.

Ejuſdem artis aut diſciplinæ ſtudioſi, ejuſdem muſæ æmuli dicuntur. Vſurpatur apud A. Gellium proverbii vice Græci ὁμοτέχνους appellant ejuſdem artis opifices.

Bonus cantor, bonus cupediarius.

Ἀγαθὸς ψάλτης ἀγαθὸς ζωμοποιός: id eſt, Bonus cantor, bonus cupediarius. In vituperium muſicæ artis dictum, quaſi ejuſdem ſit hominis, aures delectare cantu, & palatum cupediis. Archidamus Zeuxippi filius: cum quidam ſibi commendaretur hoc nomine, quod bonus eſſet cantor: At hic, inquit, apud nos bonus cupediarius.

Mars haud concutit ſua ipſius arma.

Ἄρης τὰ αὑτοῦ ὅπλα οὐ σείει, id eſt, Marſus ipſius arma non jactat: Commode feruntur quibus aſſuevimus, quæque nobis quadrant, etiamſi ſint graviſſima. Jactamus enim quod incommode ferimus. Vnde Juvenalis:

Nec jactare jugum vita didiſtere magiſtra.

Ita ſtudiorum labor, qui occideret athletam, non gravat doctum.

Stultus ſtulta loquitur.

Euripides in Bacchis: μωρὰ γὰρ μωρὸς λέγει: id eſt: Nam ſtulta ſtulti oratio eſt. Totidem verbis Propheta noſter Eſaias eandem ſententiam extulit. Seneca ad Lucilium: Apud Græcos, inquit,

in

in proverbium ceſſit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Hoc cujuſmodi fuerit parum liquet, niſi quod tale quoddam carmen extat, Græcis celebratum:

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Id eſt,

Hominis figura oratione agnoſcitur.

Democritus philoſophus apud Laertium orationem εἴδωλον τοῦ βίου. id eſt, Vitæ ſimulacrum quandamque velut umbram eſſe dicebat. Qua quidem ſententia nihil dici poterat verius. Nam nullo in ſpeculo melius, expreſſiuſque relucet figura corporis, quam in oratione pectoris imago repræſentatur. Neque ſecius homines ex ſermone, quam ærea vaſa tinnitu dignoſcuntur.

Oratio vitæ ſimulacrum.

Vide in ſuperiore proverbio, Stultus ſtulta loquitur.

Inanium inania conſilia.

Κενῶν κενὰ βουλεύματα: Id eſt, Inanium inania conſilia: καὶ κενοὶ κενὰ λογίζονται, inanium inanes cogitationes: cum quis ſua ſpe fruſtratur. Cognatum illi, μωρὰ μωρὸς λέγει: id eſt, Fatuus fatua loquitur. Natum ajunt: ex evento. nam Archias ſtipulatus à Demetrio quingenta ſu talenta, ut Cyprum proderet, re deprehenſa, arrepto fune ex his quibus tenduntur tentoria, ſuſpendit ſeſe. Refertur in Græcorum collectaneis.

Malo nodo malus quærendus cuneus.

Ad hanc ſententiam alludit & illud: Malo nodo malus quærendus eſt cuneus. Ita Divus Hieron. ad Oceanum: Interim juxta vulgare proverbium, malo arboris nodo malus cuneus requirendus eſt. Eo licebit uti, quoties malum ſimili malitia retunditur. Sumptum à ſectoribus roborum, qui ſi quando durior in ligno nodus inciderit, nolunt in eo periclitari ſecurim, verum cuneum quempiam durum magis quam bonum inferunt. Congruit huic illud Sophoclis apud Plutarchum ἐν τῷ περὶ τῆς εὐθυμίας:

Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ.

Remedio amaro bilem amaram diluunt.

Mons cum monte non miſcetur.

Ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται: Mons cum monte non miſcetur. Non convenit inter pariter elatos, aut pariter potentes. Etiamſi Plinius tradit, duos montes concurriſſe, crepitu maximo aſſultantes recedenteſque, magna hominum turba ſpectante, idque luce.

Mores hominum regionis reſpondent.

Καὶ τῶν φυτῶν τὰ σπέρματα καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ βίοι ταῖς χώραις συνεξομοιοῦνται: id eſt, Et plantarum ſemina, & hominum mores ad regionis habitum reſpondent. Refertur & hoc in Græcorum proverbiorum Collectaneis: alioqui non eram adſcripturus. Id quidem arbitror natum ab apophthegmate, cujus meminit Plutarchus. Vt triticum in nonnullis agris degenerat in aliud genus, ſoli vitio: ita pro qualitate regionis variantur hominum ingenia. Montani aſperi fere ſunt, & inhumani. Littorales ferme prædones & immites. Campeſtres molles & humani. Herodotus in calce libri ultimi, ſatis declarat primum è Cyri reſponſo natum eſſe. Etenim quum Perſæ rerum potiti poſtularent, ut ex aſpera regione, quam tum incolebant, transferrentur in commodiorem ac feraciorem, annuit quidem, ſed admonitis, ut poſthac ſeſe pararent ad ſerviendum, non ad imperandum: φιλέειν γὰρ ἐκ τῶν μαλακῶν χώρων μαλακοὺς γίνεσθαι· οὐ γάρ τοι τῆς αὐτῆς γῆς εἶναι καρπόν τε θωμαστὸν φύειν, καὶ ἄνδρας ἀγαθοὺς τὰ πολέμια: id eſt: Ex mollibus enim regionibus molles homines naſci ſolere. Neque enim ejuſdem eſſe terræ fructum egregium producere, & viros in re bellica præſtantes.

Beſtiam beſtia novit.

Ariſtoteles lib. Rhetoricõn I. inter ſimilitudinis & affinitatis proverbia refert & hoc:

Ἔγνω δὲ θὴρ θῆρα:

Id eſt,

Novit profecto fera feram.

Videtur fragmentum jambici trimetri, utcunque depravatum eſt apud Ariſtotelem θὴρ Græcis beſtia dicitur, ſed proprie fera aut noxia: quod genus ſunt apri, lupi & viperæ. Vnde hominem moribus efferatis, ingenioque agreſti, θηριώδη vocant. Congruet, ubi convenit inter duos pariter improbos. Simile illi, Furemque fur cognovit, & lupum lupus.

Idem Accii, quod Titii.

Extabat olim adagium apud M. Varronem in ſatyra, cui titulus, Teſtamentum, refertur que apud Aul. Gellium in Noctibus Atticis, Idem Accii quod Titii: Quod ſi quis, inquit, undecimo menſe κατ' ἀριστοτέλην natus eſt, Accio idem quod Titio jus eſto. Nimirum ſignificans, eodem ſibi jure futurum, alium decimo menſe natum, quo eum qui natus ſit undecimo. Sumptum videtur à Juriſconſultorum conſuetudine. Titii & Accii vocabulum pro quibuslibet duobus ſubinde uſurpantium.

Aſinus aſino & ſus ſui pulcher.

Vide in loco, Alia aliis placent.

Doribus Dorice loqui.

Proverbii faciem habet, quod Gorgo in Syracuſiis apud Theocritum reſpondet hoſpiti, admonenti ut deſinant turturum more garrire:

Δωρίσδεν δ' ἔξεστι δοκῶ τοῖς Δωριέεσσι.

Id eſt,

Doriſſare tamen fas Doribus arbitror eſſe.

Conveniet in homines natura loquaces: aut cum oratio reſpondet moribus & ingenio: velut quum Pœnus fraudulenter loquitur, ut leno lenone digna.

Novum cribrum novo paxillo.

Nequaquam obſcurum eſt, proverbio fuiſſe jactatum quod Nonius citat ex Varronis Eumenidibus, ubi dicitur primus Zeno novam hæreſim novo paxillo ſuſpendiſſe. Zenonem notat qui primus Athenis invexit ſectam Stoicorum, idque novis rationibus ac paradoxis. Idem in Bimargo: Novum ut cribrum novo paxillo pendeat. Sic enim habet Aldina æditio. Quadrabit in eos, qui novi quippiam comminiſcuntur.

Purus putus.

Plautus in Pſeudolo purum putum dixit, pro prorſus ac verè: Purus putus eſt ipſus: novi, herus Polymachæroplacides. quaſi dicas ipſiſſimus eſt. Color ſermonis reſedit ex antiquitate: putum enim illi dicebant purgatum: unde & vites putare dicunt: & rejectamenta nucum aut ſimilium rerum dicuntur putamina. Proverbium ortum videtur ex aurificum officinis, qui ea forma dicebant purum putum, quemadmodum quâ juriſconſulti dicunt, Sarta tecta.

Veſtigiis inhærere.

Qui imitatur exempla progenitorum, majorum veſtigiis inhærere dicitur. M. Tullius pro P. Seſtio: Quem in majorum ſuorum veſtigiis ſtare oportebat. Translatum à viatoribus qui obſervant veſtigia præcedentium, ne quid aberrent. Similiter qui degenerant a progenitorum aut præceptorum exemplis, ab illorum veſtigiis dicuntur recedere. Eſt alienis veſtigiis ingredi, qui nihil ex ſe gignunt novi, ſed aliorum inventis inhærent.

EX APPENDICE ERASMI.

Conos artoxya.

Κῶνος ἀρτοξύα. De Similibus, & inter ſe reſpondentibus. Conum piſtorium inſtrumentum, non diſſimile artoxyæ, id eſt, panario ſcalpro, vel in eos qui levi munuſculo alterius operam compenſant: apparet enim ex conſequentibus apud Suidam, Conos, munuſcula quæpiam fuiſſe quæ pueris dono darentur apta ætatis, cujuſmodi ſunt armillæ. Proinde vide ne competat in eos qui vili leviqne munuſculo compenſant operam alicuius.

Vxor ſeni ſponſo regina.

Δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή. Regina ſiquidem mulier eſt ſponſo ſeni. Ariſtoph. Pertinet eo, ut non uxorem tantum, ſed omnia alia nobis congrua & paria deligamus.

IVNII. *Ex eodem præſepi.*

Ἐκ τῆς αὐτῆς φάτνης ἐδηδοκότες: id eſt, Ex eodem quaſi præſepi ediſſe dicuntur proverbiali ſchemate, qui eandem opinionem hauſerunt, eodem in ludo docti, iiſdemque imbuti præceptis. Eunapius, ni fallor, apud Suidam de Epicureis loquens: Μεσσήνιοι δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ τοὺς ἐκ τῆς αὐτῆς φάτνης ἐδηδοκότας ἐξήλασαν, λυμεῶνας εἶναι τῶν νέων λέγοντες. id eſt: Meſſenii qui in Arcadia ſunt, civitate pepulerunt quotquot ex eodem veluti præſepi paſti fuerant, juventutis corruptores eos eſſe dictitantes. Sentit de iis, qui Epicuri peſtiferam ſectam mordicus inſequebantur. Tracta ſimilitudo à jumentis, quæ communi pabulo ex eodem præſepi paſcuntur. Nõ abſimile eſt illud Petronii Arbitrii de eloquentiæ ratione: Sed omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuere uſque ad ſenectutem caneſcere.

Eodem laborat morbo.

In eum qui ſimilibus vitiis ſit obnoxius, convenit illud: τὴν ἐμὴν νοσῶν νόσον: Meo laborans morbo. Citatur ab Euſtathio Odyſſ. ε. dicitque convenire cum illo, ταυτὸν ἕλκομεν ζυγόν: id eſt, Idem trahimus jugum. ita apud Comicum ὁμοζυγοῦμεν dicitur, qui ſervus ſit non minus quam alter. Videtur autem ſenarii verſus hoc eſſe. Huic non diſſimile eſt illud Homeri Odyſſ. 17.

——Ὁμὸν δ' ἀμφότεροι ἕλκος ἔχουσιν.

Id eſt,

——Habet par vulnus uterque.

Idem furnus, idem duxit trochus.

Αὐτὸς κάμινος, αὐτὸς ἤλαυνε τροχός.

Caminus idem duxit, atque eadem rota.

Senarius proverbialis de iis, qui ſimilia efficiunt, teſtantibus Suida & Heſychio, quorum ille citat duplicem lectionem, καπνὸς ἢ τροχὸς, id eſt fumus aut rota, hic vero mutilatum adferens adagium, prioribus tantum duabus vocibus conſtans, ſubjicit clarius petitam eſſe translationem à figuli rota. Meo quidem judicio &

dictum

dictum fuiſſe, & non ſine gratia uſurpari poſſe videtur de conſimilibus operibus, aut dicendi ratione conformi & congenere, vel etiam de duobus hominibus ingenio ſimilibus, aut improbitate paribus, &, quod dici ſolet eodem in ludo eductis. tales namque.

κὐτὸ καμινόν αὐτὰς ἄλλους τρίχα

quaſi qui eodem in furno coctiſint, aut eadem rota currente effecti.

Ex eadem figlina.

Τῆς αὐτῆς κεραμείας, id eſt, Ejuſdem figlinæ eſſe dicuntur, quæ affinia ſunt & cognata ſimilitudine. Gregorius Palama: ἀδελφὰ φασὶ καὶ ἰσόχρωμα καὶ τῆς αὐτῆς κεραμείας Germana ſunt, quod ajunt, & concoloria, ejuſdemque figlinæ. Huic cognatum eſt illud Platonis in Gorgia, ἐκ τοῦ αὐτοῦ γυμνασίου, id eſt, ex eodem ludo, vel gymnaſio.

Amaris Pharmacis amara bilis proluitur.

——Ιατρὸς Πικρὰν πικροῖς κλύζει φαρμάκοις χολήν.
Id eſt.
——Medici amaram amaris Pharmacis bilem eluunt.

Senarius eſt integer cum fine alterius, ex Sophocle ſumptus, ut indicat Plutarch. libr. De facie in limæ circulo apparente. meminit & in lib. De animi tranquillitate: ὥσπερ οἱ σοφοκλέους ἰατροὶ πικρᾷ χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ. id eſt: ad exemplum medicorum Sophocleorum, qui bilem amaram amaro Pharmaco eluunt. Competit, ubi res nobis erit cum moroſo difficili homine, cujus improbitatem ſimili aſperitate frangendam eſſe videamus. Finitimum eſt illi: Cum Crete Cretizandum. Alluſiſſe huc videtur Symmachus in epiſtola quadam: Plerunque amara hauſtu ad ſalutem valent, & ſuccis triſtibus affecta refoventur. Quadrabit etiam, ubi aſperioribus verbis juvenilem audaciam aut calidum facinus caſtigandum eſſe indicabimus.

Domeſticum omne afficit.

Πᾶν τὸ οἰκεῖον πιέζει: id eſt, Domeſticum omne afficit. Quæ cognata & familiaria nobis ſunt vitia, nos maxime commovent, & excuſationem ſui moliri cogunt. Animus noſter propriis, aut generis ejuſdem calamitatibus imprimis exacerbatur. Nihil poteſt patrifamilias durius accidere, quam quod uxoris liberorumque turpitudinem audire cogatur. Pindarus in Nemeis: τὸ γὰρ οἰκεῖον πιέζει πάνθ' ὁμῶς. εὐθὺς δ' ἀπήμων κραδία κᾆδος ἀμφ' ἀλλότριον. hoc eſt: Domeſticum malum æqualiter cunctos afficit. ſed alienis in damnis animus acquieſcit illico. Nazianzenus in priore Stelitevtice: ὅτι δεῖ τὸ οἰκεῖον πιέζει πᾶν κατὰ Πίνδαρον, ἀναγκαῖος ὁ περὶ τούτων ἐμοὶ λόγος. id eſt, Quapropter ſi, juxta Pindarum, proprium omne moleſtum eſt, neceſſario mihi hiſce de rebus inſtituenda eſt oratio. Gregorius presbyter in vita Nazianzeni: εἰ γὰρ τὸ οἰκεῖον πιέζει πᾶν, κατὰ Πίνδαρον, εἰς ἕκαστος ἥδεται. τούτοις δ' ὅτῳ καὶ τιμώμενος γάννυται. id eſt: Si domeſticum omne afficit, quod Pindarus ait, quibus quiſque gaudet, iis etiam quoties laudatur, exultet & recreatur.

Eumeli equis magis conſimiles.

Τῶν ἵππων εὐμήλου μᾶλλον ἀλλήλοις ἰσοῦντες: id eſt, Aſſimiliores ſibi invicem, quam Eumeli quæ. Parœmiæ vice eo utitur in eadem epiſtola Syneſius. Effertur de rebus affinibus, aut hominibus conſimilibus cum ingenio & moribus, tum corporis filo: cujuſmodi homines, Oro magis conſimiles, loquitur vulgare proverbium. Verba facit de Euthalio quodam impoſtore inſigni, qui binas crumenas concinnarat, adeo ſibi mutuo ſimiles, ut non potuerint magis; earum alteram aureis nummis impleverat, alteram æreis: ac priorem quidem, abſtruſa altera, apud publicanos produxit: inox ejus loco, adnumerata jam, & ad bilancem appenſa pecunia, alteram ſuppoſuit clanculum, acceptis interim publicis tabellis conſignatis: quæ acceptum aurum teſtabantur. Similis impoſturæ rudimentum experta eſt noſtra regio, ubi pari arte fraus uſurario facta eſt, pro coriaceo involucro, quo pateræ argenteæ continebantur, ſuppoſito altero, quod ſtanneas capiebat. Authoris verba hæc ſunt: συνωρίδα τῶν βαλαντίων, ἃ τῶν ἵππων εὐμήλου πολὺ μᾶλλον ἀλλήλοις ἰσοῦντε κατασκευάσας, τῷ μὲν ἐνέθηκεν ὀβολοὺς χαλκοῦ, τῷ δὲ ἑτέρῳ χρυσίον. id eſt: Marſupiorum par, quod fabricatus alterum alteri aſſimilius, quam fuerint Eumeli equæ, huic æreos nummos, illi aureos ſtatere infarſit. Origo proverbii e Catalogo navium Homeri petita, qui de equabus (quarum non minor erat uſus Trojani belli tempore, quam equorum) Eumeli Admeti filii ſic ſcribit:

Τὰς Εὔμηλος ἔλαυνε ποδώκεας, ὄρνιθας ὥς,
Ὄτριχας, οἰέτεας, σταφύλῃ ἐπὶ νῶτον ἐΐσας.

Id eſt:

Quas avibus mage pernices Eumelus agebat,
Arduas adæquante ad amuſſim terga, piliſque
Conſimiles, annique pares.——

Adagio utemur, ubi ſignificabimus duos pari forma eſſe aut ingenio ſimili.

Reperit patella operculum.

Adagiſiſtius Græci ſalientes latuerunt hactenus, donec diligentiorem aliquanto operam repaſtinandis Nonii Marcelli lenticetis impendens ego, primus illora aperui: quum illic non uno loco legatur, nullo prorſus ſenſu: Varro heurenuolo patto poma περὶ ὑπὸ ... pro quibus verbis ita legendum e manuſcripto vetuſto codice, annotatum à me in Animadverſionum libris fuit antea: εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα. περὶ γεγαμηκότων. Conſtat autem, Varronem pleriſque ſuis libris proverbiales inſcriptiones dediſſe. Eſt igitur adagium iſtud εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα, id eſt, Reperit patella operculum, pure puteque idem cum eo quod divus Hieronymus detorſit ad ſuum uſum, Dignum patella operculum. quo utemur, ſi quando vecordi marito fatuam obtigiſſe uxorem ſignificare volumus aut difficili homini rem eſſe cum moroſis.

Corvus abſente graculo pulcher.

Adagium ſpirat quod in Theophylacti epiſtolis legitur: κολοιοῦ μὴ φαίνοντος καὶ κόραξ ἐν τοῖς καλοῖς ἐξετάζεται ὄρνισιν. id eſt: Non apparente graculo inter ſpecioſas aves numerabitur & corvus. Non invenuſte eo utimur, quum duorum fiet comparatio, ſimilis prope deformitatis. Elegantius ſonabit ſi ad ingenium transferatur: ut ſi dicamus, Saluſtii immanem illam in Ciceronem dicacitatem, merum eſſe luſum præ effrenis illa Caleni Fuſii apud Dionem in eundem virulentia, κολοιοῦ ἀπόντος τὸν κόρακα ἐν καλοῖς ὄρνισιν.

Aſino gramen & baculus.

Sapiens præceptum eſt. ὄνῳ χόρτος καὶ ῥάβδος, δούλῳ ἄρτος καὶ μάστιγες: id eſt, Aſino fœnum & baculus ſervo panis & ſcutica. Refertur à Gregorio Palama Theſſalonicenſi, ignaviæ ſedentariæque deſidiæ juſtiſſimum præmium. indicat namque duriter habendos qui nil recte faciunt, niſi urgeas flagris. Servilia ingenia non niſi plagis emendantur Phrygum in morem: & quæ in pravum indurverunt, minis, verberibus, & Manlianis imperiis frangenda ſunt: contra generoſi ſpiritus dura omnia reſpuunt, laude excitantur, honoriſque ambitu quocunque velis, ducuntur.

Parvis parva dant dii.

Αἰεὶ τοῖς μικροῖς μικρὰ διδοῦσι θεοί.
Id eſt.
Largitur parvis uſque puſilla Deus.

Verſus eſt pentameter, ad Callimachum authorem relatus. Ita ferme natura comparatum eſt, ut tenuis conditionis homines, tenui oblata ſorte non ſecus exultent, quam magna ſolent magnates. Artemidorus in libro de ſomniorum interpretationibus quarti calce. ἱκανὸς ἄν τις καὶ τὰ τυχὸν λαβὼν ἀγαπᾷ τι καὶ ὑπερχαίρων ... καὶ τὸ καλλίμαχειον ἔχει τό.

αἰεὶ τοῖς μικροῖς μικρὰ διδοῦσι θεοί.
Id eſt.

Hi namque vulgare quippiam nacti, amplectuntur illud ac ſupra modum gaudent: propterea recte habet Callimachi dictum,

Dat ſemper parvis munera parva Deus:

Proinde monet vulgi proverbium vernacula lingua, Auream quadrigam eſſe ambiendam: a qua ſi contingat toto excidere, rota ſaltem aut aureus radius obtingere poſſit, deſiderioque ſatisfacere.

*BRASSICANI. *Bos armenta.*

Proverbium indicat, unumquemque ſua quadam ingenerata voluptate teneri, atque ea præcipue ſequi. quæ ſimilitudine quadam commendatiora fiant: Cic. lib. 7. epiſt. ad Atticum. Ut bos armenta ſic ego bonos viros, aut eos qui cunque dicentur boni, ſequar, etiamſi ruent.

Si tibi non moleſtum, & mihi jucundum eſt.

Socrates apud Platonem in Theæteto, ſive de ſcientia. ἀλλ' εἰ οὕτως ὦ Θεόδωρε σοὶ φίλον, οὐδ' ἐμοὶ ἐχθρόν, φασὶν οἱ παροιμιαζόμενοι. id eſt, Quod ſi tibi hoc, ô Theodore, ita charum eſt, neque mihi diſplicebit, ut proverbio dicunt. Hoc unico proverbiali verbo, ſi conſtanter omnes homines uterentur, eſſet & amicitiæ nomen venerabilius, & minus etiam malorum in omnibus humanis rebus eſſe cerneremus: nunc quoniam omnia diverſis, & perinde vaniſſimis opinionibus oppleta ſunt, nuſquam non reperias quod bonis jucundum ſit, improbis eſſe cum primis odioſum: de hoc hominum genere loquor, qui de communi dividundo non amice ſentiunt, at ſeditioſe perfideque paſſim contendunt.

JOHANNIS VLPII.

Ars amat fortunam, fortuna artem.

Τέχνη τύχην ἔστερξε καὶ τύχη τέχνην. Ariſtoteles eo uſus eſt, ibi dicare

Id eſt:

Et ipſe Achilles, non Achillis filius.

Quo verſu quomodo ſcite uti poſſimus, veluti proverbio, hic Plutarchi locus commonſtrat. Vide Eraſmum noſtrum, & alibi Achilles.

Non qualis oratio ſed quales ſint, qui eam proferunt, ſpectari oportet.

Vnde putant, non qualis ſit oratio, ſed quales ſint qui eam dicunt, ſpectari oportere. Vt in foro, ſi duo homines eadem de re teſtimonium dicant, quorum alter honeſtus & probus, alter vero improbus eſſe videatur: haud ſane quidem judices teſtimonio improbi moveantur, ſed quidvis potius, & contrarium faciant: quod ſi is qui honeſtus & probus videtur hæc dicat eſſe etiam veriſſima credant. Addendum ad Syllogen & illud: Tale ingenium, qualis oratio.

Iidem ſumus.

Plato in Parmenide: Obſequendum tamen, cum & Zeno ipſe roget: iidem enim ſumus. In Lyſide, ſub finem: Ego me vobis annumero. Ibidem: Si amici eſtis invicem, natura quodammodo propinqui eſtis.

Mutuis nexibus amplecti: Mutuo quodam conjugio connecti.

Eos unum mutuis nexibus amplectitur. Et: Vtrumque unum mutuo quodam conjugio invicem eſt connexum.

Contrarium contrario amiciſſimum.

Addebat, tantum abeſſe amicum, ut ſimile ſimili ſit, ut contra, contrarium maxime, contrario ſit amiciſſimum. Vnumquodque enim appetere, non ſimile, ſed contrarium: ut aridum appetere humidum, frigidum vero calidum, &c. Vide ſtatim poſt, Similitudo mater benevolentiæ. &, Qui ſecum diſſentit, &c.

Similitudo mater benevolentiæ.

In Lyſide: Vos ſi amici eſtis invicem, natura quodammodo propinqui eſtis. Et quiſquis aliud deſiderat alium, aut amat, quod propinquus illi eſt vel ſecundum animam vel animæ conſuetudinem, aut mores, aut ſpeciem: alioquin nunquam diligeret. Ibidem: Poetarum carmina & ſapientiſſimorum ſcripta affirmant, Simile ſimili neceſſario ſemper amicum eſſe. Idem in Civili vel de regno: Modeſti homines ſimiles ſui mores quærunt, &c. Plin. Secundus in Paneg. Primo quod in alio ſua quemque natura delectat. Contra morum diſſimilitudo multis non poteſt ullam amicitiam eis conciliare, qui eodem ore calidum efflant & frigidum. Sui autem ſimilibus delectari omnes ſcribit etiam Ariſtot. 1. Rhetor. Quod annotavit Eraſm. in adag. Simile gaudet ſimili.

Arbitratu meo, tuo, ſuo agere.

Plato in Lyſide. Vide in Sylloge noſtra: Alieno more, nutu, arbitratu vivere. Alibi, Nare trahitur.

Voci conſentanea ſit actio.

Plato epiſt. 5. Reſp. voci conſentaneas actiones habeat, ut ſalva & incolumis in perpetuum floreat: quæ autem contra aget, labetur & corruet. Poſt, Tales ſimus, quales videri & haberi velimus. Turpe enim eſt doctori cum culpa redarguit ipſum. ff. de in jus vocand. l. ſed ſi hac lege. §. proſtituta. & in Authent. de præſidiis provinc. §. ex diverſo.

Tales ſimus, quales videri & haberi velimus.

Idem epiſt. 4. De nobis apud omnes conſtare debet, tales nos eſſe quales nempe videri atque haberi velimus, &c. Non diſſimile, Voci conſentanea ſit actio: ante.

Sunt ſimiles pareſque vita.

Martialis in 8. Cum ſitis ſimiles pareſque vita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus.
Miror, non bene convenire vobis.

Catullus in Mamurram & Cæſarem, in eandem prope ſententiam.

Pulchre convenit improbis cinædis,
Nec mirum, maculæ pares utriſque
Morboſi pariter, ———

Q. C. in comment. de petit. conſul. eodem prope modo: ambo ſicarii, ambo libidinoſi, ambo egentes.

Suo ſimilis patri.

Statius in 1. Sylvar. in epithal. Stellæ:
Multum de patre decoris,
Plus de matre capis.

Catullus in nuptias Iuliæ & Manlii:
Sit ſuo ſimilis patri
Manlio, & facile inſciis
Noſcitetur ab omnibus
Et pudicitiam ſuæ
Matris indicet ore.

Mea vita.

Catul. ad quendam de Lesbia:
Credis me potuiſſe meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ charior eſt oculis.
Idem ad eandem Lesbiam:
Iucundum mea vita, mihi proponis amorem
Hunc noſtrum inter nos perpetuumque fore.
Alibi, Deliciæ meæ. deſiderium meum, mea lux, &c.

POLYDORI VIRGILII.

Ait latro ad latronem.

Vbi rixæ incidunt inter duos, crimine pares, vel alter alterum paris delicti reprehendit. Luc. 23. Sic quoties flagitii alicujus cauſſa, inter aliquos coit amicitia, vel ex inimicis fiunt amici, conveniet illud ex eodem Luc. 23. Facti ſunt amici Herodes & Pilatus. Hiſtoriæ origo nota.

TVRNEBI ET ALIORVM.

Similis Thrax in Thracem compoſito.

De homine parvo & brevi. Senec. natur. quæſtion. 4. agens de adulatione: Te, inquit, longiorem Fido Annæo jurabo, & Apollonio Pyctæ: quamvis ſtaturam habeas Threcis ad Threcem compoſiti. Ita enim eum locum emendat Turneb. Adverſ. lib. 21. cap. xvix. In Amphitheatralibus muneribus Thraces, qui & Threces plerunque vocantur inter ſe committebantur: qui, cum exiguam haberent parmam; ſe totos velut in eam colligebant, ne vulneri paterent, & ſtaturam incurvando minuebant. Vſos autem Thraces eſſe peltis, id eſt, cetris, vel palmis, teſtatur Ariſtophanes in Acharnenſibus.

Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον.

Titulus eſt ſatyræ Varronianæ, quam item inſcribit περὶ παιδοποιίας. Vbi eis, qui parentes eſſe optimorum liberorum vellent, præcepta dabat. Apparet autem eam inſcriptionem fuiſſe proverbialem. nam & à B. Baſilio uſurpatur epiſtola ad Libanium: οἱ δ' ἴσασιν ... τοῦ πατρὸς, ἀλλ' οὐ τὸ παιδίον. Idem advers. 17. cap. 21. Quid ſi Varro eos demum velit eſſe parentum ſuorum liberos, qui ipſis digni ſint, eoſque moribus bonis, & recta indole referant? ſi certe etiam hodie vulgo idem uſurpamus, & recuſamus eſſe patres, id eſt, de iis omnem animum paternum ejicimus, qui etſi nobis nati ſint, degenerant tamen & moribus ac vita nobis filii eſſe nolunt.

GVLIELMI GENTII.

Aſinus aſinum non prehendit.

De æmulatione, quæ inter æquales eſt, cum quis alteri cedere negat, quia paris fuerit cum eo conditionis. Accurſ. refert in cap. 1. de acquir. poſſeſſ. quemadmodum & ſequentia, Qualis vervex, talis oſſa: in cap. quod in hæredem de tributo. Non diverſum ab illo, Similes habent ſua labra lactucas. Et ab Iaſone in cap. quæ extrinſecus. de verb. obliga. Tanti oſſa, quanti intinctus panis, de his, quæ diverſa exiſtimantur, cum eadem ſint effectu.

Hebræus nihil Hebræo, Catilina Cethego.

Vtitur Gloſſarius in c. quoniam. C. de jud. Cum idcirco quis alteri crimen impingere nequit, quod ipſe eodem laboret morbo. Non abſimile illud Iuvenalis in ſatyr. 2.

Clodius accuſet mœchos, Catilina Cethegum.

Notum eſt ex hiſtoriarum monumentis, de utriuſque intemperantia & improbitate. Sunt & alia quædam ſparſim apud juris interpretes annotata. Cujuſmodi illa Zaſii, Tanquam doctores in conſiliis: &, Relatum & gratum fecerunt Alonem vituperatum: in c. qui juriſdictioni. &c. ſi quis. de juriſd. Et Alciat. in c. non eſt novum. C. de edend. Duabus crumenis ire ad nundinas.

Puro precioſus eſt purus.

De æqualibus, & ſimilitudine morum congruentibus, Vtitur Nazianz. de præcep. virg. ἁγνῷ, inquiens, δεῖ τίμιος ἁγνὸς, καὶ πάλαι μὲν πάλαι, &c.

Ex ſe natus videtur.

Speciem habet adagii, quod Tiberius apud Tacitum lib. 11. dixit de Rufo, his verbis: Curtius Rufus videtur mihi ex ſeſe natus, de eo: qui ſui perquam ſimilis ſit, ſeipſum imitatur, & patrem non ſit ſecutus.

Haſitantia cantoris tuſſis.

Ἀπορία ψάλτου βήξ: id eſt, Hæſitantia cantoris tuſſis. Suidas adagium deotericum eſſe monet. Dictum videtur, quoties non ſuppetit quod dicamus, idque velut aliud agentes diſſimulamus: velut apud Platonem Ariſtophanes, ne diceret in convivio, ſingultum fingit. Sumptum apparet à cantoribus: qui cum hærent in cantione, tuſſim ſimulant, ut hac videatur interrupta cantilena, non inſcitia. Confine puto illi, quod mox ſequitur: Tuſſis pro crepitu.

Tuſſis pro crepitu.

Βὴξ ἀντὶ πορδῆς: Tuſſis pro crepitu Dici ſolitum, quoties aliquis perplexus, aliud pro alio ſimulat. Veluti ſi quis in adulteræ domo deprehenſus, fingeret ſe quippiam mercatum veniſſe. Tranſlatum ab iis, qui crepitum, clara tuſſi diſſimulant, quod genus homines etiam hoc tempore non raro, magno cum riſu, deprehenduntur.

Cretenſis mare.

Ὁ Κρὴς τὴν θάλασσαν: id eſt, Cretenſis mare: ſubaudiendum, neſcit, aut meminit. Hanc parœmiam refert pariter, atque exponit Strabo Geograph. lib. 9. ſcribens olim Cretenſes navigandi peritia, rerumque maritimarum uſu principatum tenuiſſe: atque hinc antiquitus increbuiſſe proverbium: Cretenſis mare neſcit: in eos qui neſcire fingerent, quod egregie callerent. Etenim qui conſentaneum eſt, Cretenſes cum ſint inſulares, ignorare mare, quo cinguntur undique. Vſus eſt eodem & Ariſtides in Pericle: *ὁ Κρὴς τὸν πόντον*. Zenodotus ſcribit apud Alcæum extare. His affine eſt quod habet Horatius in epi. ad Octavium:

> Ipſe ego qui nullos me affirmo ſcribere verſus,
> Invenior Parthis mendacior———

Connivere.

Proverbiali metaphora connivere dicuntur, qui prudentes culpam quam intelligunt, indulgentia tamen ac ſtudio diſſimulant, quaſique non vident id quod vident, quemadmodum vulgo loquuntur. ut. Parentes ad leviora quædam liberorum vitia connivent: &: Natura ad quædam adoleſcentiæ vitia quaſi connivet &: Maritis ad quædam uxorum errata connivendum. &: Corrupti judices, in cauſa connivent Hallucinamur imprudentes: cæcutimus nolentes: connivemus data opera. Exempla crebra ſunt in actionibus Ciceronis. Eſt autem connivere, ſubinde claudere oculos: quemadmodum faciunt ii, qui propter imbecillitatem viſus non ferunt lumen ſolis: at ii facile falluntur. Contra, qui *ἀτενὲς ἰδεῖν*, id eſt, qui fixis aſpiciunt oculis, hos nihil poteſt fallere. Quod nos connivere dicimus Græci vocant tum *σκαρδαμύττειν*, tum *ἀσκαρδαμυκτεῖν, βλέψον εἰς ἔμ' ἀσκαρδάμυκτος*. id eſt: Aſpice in me connivens, aut nihil connivens Quod nos hallucinari, illi *παραβλέπειν*: quod nos cæcutire, illi *ἀμβλυώττειν*. Quæ quidem omnia, ſi transferantur ad res animi, pertinebunt ad proverbiorum rationem.

Simia barbata ſeu caudata.

Πίθηκος πώγων' ἔχων: id eſt. Simia barbam portans. Ariſtophanes *ἐν ἐκκλησιαζούσαις*: *ὡς πίθηκος τὸν πώγων' ἔχων*. Interpres admonuit alluſum eſſe ad illud Archilochium, *τοιήνδ' ὦ πίθηκε τὴν πυγὴν ἔχων*: id eſt, Talem ô ſimia caudam habens. Dici ſolitum de ridiculis. Regulus Ruſticum Stoicorum ſimium dixit, contumeliæ gratia, ut refert Plinius in Epiſtolis: opinor quod barba & pallio Stoicum ageret verius, quam moribus. Idem Ariſtophanes alio quodam loco quoſdam *δημοπιθήκους* appellat, quaſi populi ſimias. Eſt autem hoc animal natura *γελωτοποιόν*, nec in alium uſum videtur natum: quum nec valeat ad cibum, ut oves: nec ad ædium cuſtodiam, ut canes: nec ad onera geſtanda, ut equi. Athenæus lib. 14. narrat Anacharſim philoſophum, genere Scytham, quum in convivium inducerentur homines ad riſum movendum edocti, ſolum omnium non riſiſſe. Tandem quum inducerentur ſimiæ, cœpit ridere. rogatus cauſam: Hæ, inquit, natura ſunt *γελωτοποιοί*, illi fingunt.

Sileni Alcibiadis.

Σιληνοὶ Ἀλκιβιάδου: id eſt, Sileni Alcibiadis, apud eruditos in proverbium abiiſſe videntur: certe in Collectaneis Græcorum proverbii vice referuntur, quo licebit uti, vel de re quæ cum in ſpeciem, & prima (quod ajunt) fronte vilis ac ridicula videatur, tamen interius ac propius contemplanti, ſit admirabilis: vel de homine, qui habitu vultuque longe minus præ ſe ferat, quam in animo claudat. Ajunt enim Silenos imagunculas quaſpiam fuiſſe ſectiles, & ita factas ut diduci & explicari poſſent & quæ clauſæ, ridiculam ac monſtroſam tibicinis ſpeciem habebant, apertæ ſubito numen oſtendebant: ut artem ſculptoris gratiorem jocoſus faceret error. Porro ſtatuarum argumentum ſumptum eſt à ridiculo illo Sileno Bacchi pædagogo, numinumque poeticorum morione. Quandoquidem habent & illi principum noſtratium exemplo ſuos *γελωτοποιούς*. Proinde apud Athenæum lib. 5. adoleſcens Critobulus irridens Socratem ſenem ac deformem, dicebat illum, *πολὺ τῶν σιληνῶν αἰσχίων*: id eſt, multo Silenis deformiorem. Locus autem eſt apud Xenophontem in Convivio. Socrates, *ὡς γὰρ καλλίων ἐν τούτῳ πάντων εἶναι*: Vt iſtud jactas quaſi ſis formoſior Critobulus, *νὴ Δία, ἢ πάντων τῶν Σιληνῶν τῶν ἐν τοῖς σατυρικοῖς, αἴσχιστος ἂν εἴην*: id eſt, Ita per Iovem, aut omnium Silenorum qui ſunt inter Satyros, turpiſſimus fuero. Et Alcibiades apud Platonem in Convivio, Socratis encomium dicturus, eum Silenis ejuſmodi diſſimilem facit: quod is multo alius eſſet propius intuenti, quam ſummo habitu ſpecieque videretur. Quem ſi de ſumma (quod dici ſolet) cute quis æſtimaſſet, non emiſſet aſſe. Facies erat ruſticana, taurinus aſpectus, nares ſimæ, mucoque plenæ. Sannionem quempiam bardum ac ſtupidum dixiſſes. Cultus neglectus, ſermo ſimplex ac plebeius, & humilis, ut qui ſemper aurigas, cerdones, fullones & fabros haberet in ore. Nam hinc fere ſumebat illas ſuas *ἐπαγωγάς*, quibus urgebat in diſputando. Fortuna tenuis: uxor qualem ne viliſſimus quidem carbonarius ferre poſſet. Videbatur mirari formas adoleſcentulorum, videbatur amare, & zelotypia tangi: cum eum ab his affectibus *διὰ παντὸς* abeſſe comperetit etiam Alcibiades. Denique jocus ille perpetuus nonnullam habebat morionis ſpeciem. Quum ea tempeſtate, ad inſaniam uſque ferveret inter ſtultos, profitendi ſapientiam ambitio: nec unus eſſet Gorgias, qui ſe nihil neſcire jactitaret: & ardelionibus hujuſmodi nuſquam non referta eſſent omnia: ſolus hic hoc unum ſcire ſe dictitabat, quod nihil ſciret. Videbatur ineptus ad omnia reipublicæ munia, adeo ut quodam die neſcio quid apud populum adorſus agere, cum riſu ſit exploſus. Atqui ſi Silenum hunc tam ridiculum explicuiſſet, videlicet numen inveniſſes potius quam hominem: animum ingentem, ſublimem, ac vere philoſophicum: omnium rerum pro quibus cæteri mortales currunt, navigant, ſudant, litigant, belligerantur, contemtorem: injuriis omnibus ſuperiorem, & in quem nullum omnino jus haberet fortuna: & uſque adeo nihil timentem, ut mortem quoque nulli non formidatam contempſerit: in tantum, ut cicutem eodem ebiberit vultu, quo vinum ſolet: utque jam moriens etiam in Phædonem ſuum jocaretur, admonens, ut voto ſe liberans Æſculapio gallum perſolveret: perinde quaſi ſumpto pharmaco jam ſanitatis beneficium ſentiret, cum exiret e corpore, unde omnes animi morbi ſcatent, ac pullulant. Proinde non injuria cum id tempeſtatis plena ſophis eſſent omnia, ſolus hic morio, ſapiens oraculo pronunciatus eſt: & plus judicatus eſt ſcire, qui nihil ſciebat, quam hi qui nihil neſcire ſe prædicabant: imo ob id ipſum judicatus eſt plus cæteris ſcire, quod unus omnium nihil ſciret. Hujuſmodi Silenus fuit Antiſthenes, baculo ſuo, pera, pallioque, maximorum regum fortunas antecellens. Hujuſmodi Silenus fuit Diogenes, vulgo canis habitus. Verum in hoc cane divinum quiddam animadverterat Alexander Magnus, principum (ut videbatur) omnium *κορυφαῖος* & alpha, cum animi magnitudinem admiratus, optaturum ſe diceret, ut ni Alexander eſſet, Diogenes eſſet: cum hoc magis optare debuerit Diogenis animum, quod Alexander eſſet. Hujuſmodi Silenus fuiſſet Epictetus, ſervus, pauper, claudus, ut indicat illius epitaphium: ſed idem, quod eſt feliciſſimum, charus ſuperis: id quod ſola vitæ præſtet integritas, cum ſapientia conjuncta. Hæc nimirum eſt natura rerum vere honeſtarum: quod habent eximium, id in intimis recondunt, abduntque, quod contemptiſſimum id prima ſpecie præ ſe gerunt, ac theſaurum ceu vili cortice diſſimulant, nec prophanis oſtendunt oculis. At vulgarium & umbraticarum longe diverſa ratio: ſumma ſpecie blandiuntur, quodque pulcherrimum habent, ſtatim obviis oſtentant, ſin penitus introſpicias, nihil minus ſunt, quam quod titulo ſpecieq; præ ſe ferebant. An non mirificus quidam Silenus fuit Chriſtus? ſi fas eſt de hoc ad eum loqui modum, quem equidem haud video cur non omnes pro virili debeant exprimere, qui Chriſtiani nomine gloriantur. Si ſumma Sileni faciem intuearis, quid juxta popularem æſtimationem abjectius, aut contemptius? Tenues & obſcuri parentes, domus humilis, ipſe pauper & pauculos, & pauperculos habuit diſcipulos; non è magnatum palatiis, non è phariſæorum cathedris, non è philoſophorum ſcholis, ſed à telonio & retibus aſcitos. Tum vita, quam à voluptatibus omnibus aliena; per famem, per laſſitudinem: per convicia, per ludibria, ad crucem denique pervenit. Hac illum parte contemplabatur myſticus ille vates, cum eum depingens; Non erat, inquit, ei ſpecies, neque decor. Vidimus eum, & non aſpectus, & deſideravimus eum deſpectum, ac noviſſimum virorum. Cæteraque permulta, quæ in hanc ſequuntur ſententiam. Iam ſi contingat apertum hunc Silenum propius intueri, hoc eſt, ſi cui dignetur ipſe ſe purgatis animi luminibus oſtendere, deum immortalem, quam ineffabilem reperies theſaurum, in quanta vilitate, quale margaritum, in quanta humilitate, quantam ſublimitatem, in quanta paupertate, quantas divitias; in quanta infirmitate, quam incogitabilem virtutem; in quanta ignominia, quantam gloriam; in quantis laboribus, quam abſolutam requiem; denique in morte tam acerba, perennem immortalibus fontem. Cur ſic abhorrent ab hac imagine, qui titulo tamen illius ſe jactant? Nimirum erat in proclivi Chriſto totius orbis occupare monarchiam, atque id poſſidere, quod olim Romani principes fruſtra affectarunt, ſatellitio ſuperare Xerxes, opibus anteire Crœſos, philoſophis univerſis ſilentium imponere, & inane ſophos detrahere. Verum hæc una forma placuit, quam ſuis diſcipulis & amicis, hoc eſt Chriſtianis, proponeret. Hanc potiſſimum delegit philoſophiam, à philoſophorum decre-

decretis, à mundi ratione longe lateque diverſam, ſed eam quæ ſola omnium præſtaret, quod alii aliis viis conantur aſſequi, nempe felicitatem. Hujuſmodi quondam Sileni fuere prophetæ exules, errantes in ſolitudinibus, cum feris exigentes vitam, vili holuſculo victitantes, ovium & caprarum amicti pellibus. Sed introſpexerat hos Silenos ille qui dixit, quibus dignus non erat mundus. Hujuſmodi Silenus fuit Iohannes Baptiſta: qui Camelorum tectus pilis, zona cinctus pellicea, longe regum purpuras ac gemmas vicit, locuſtis veſcens, principum omnium delicias ſuperavit. Nimirum cernebat quid theſauri lateret ſub agreſti pallio, qui miro illo elogio laudum ejus ſummam complexus; Inter natos, inquit, mulierum, non ſurrexit major Ioanne Baptiſta. Hujuſmodi Sileni fuerunt Apoſtoli, pauperes, inculti, illiterati, ignobiles, imbecilles, abjecti, omnibus omnium contumeliis expoſiti, triſi, invisi, execrabiles, ac pene publicum orbis ſimul & odium & ludibrium. Verum aperi mihi Silenum; quis tyrannorum cum horum potentia poſſit æquari, qui dicto imperant dæmonibus, nutu ſedant ſævientia maria, verbo vita defunctos in vitam revocant? Quis non Crœſus ad hos pauper eſſe videatur, qui vel umbra ſui conferunt ſanitatem ægrotis, qui ſolo manus contactu ſpiritum illum cœleſtem impertiunt? Quis non Ariſtoteles, ſtultus & indoctus ac nugator, cum his collatus, habeatur: qui ex ipſo fonte cœleſtem hauſerant ſapientiam, ad quam omnis humana ſapientia, mera ſtultitia eſt? Quod quidem eorum pace dictum eſto, qui nefas arbitrantur, & impium, uſquam Ariſtotelis autoritatem convellere. Fateor illum eſſe virum eximia doctrina: ſed quod lumen tam excellens, quod Chriſto collatum non obſcuretur? Tum vere regnum cœlorum, grani ſinapis imaginem habebat, ſpecie puſillum & contemptum, virtute maximum, à quo prorſus (ut dixi) & ἐκ διαμέτρου (quod ajunt) diſſidet hujus mundi ratio. Hujuſmodi Silenus fuit contemptus & triſus ille Martinus epiſcopus. Tales fuerunt veteres illi epiſcopi, humilitate ſublimes, paupertate locupletes, gloria neglecta glorioſi. Latitant & hodie boni quidam Sileni, ſed heu nimium pauci. Bona pars hominum, præpoſterum Silenum exprimunt. Siquis rerum vim ac naturam penitus introſpiciat, reperiet nullos à vera ſapientia longius abeſſe, quam iſtos qui magnificis titulis, qui ſapientibus pileis, qui ſplendidis cingulis, qui gemmatis annulis, abſolutam profitentur ſapientiam. Adeo ut non raro plus veræ germanæque ſapientiæ deprehendas in unoquopiam homuncione, juxta vulgi opinionem, idiota ſimplici ac ſemifatuo: cujus mentem non ſubtilis (ut vocant) Scotus, ſed cœleſtis ille Chriſti docuit ſpiritus, quam in multis theologorum tragicis perſonis, ac ter quaterque magiſtris noſtris, Ariſtotele ſuo turgidis magiſtralium definitionum, concluſionum, & propoſitionum turba differtis. Non in omnes hoc dixerim, ſed in heu nimium multos. Item videas in nullis minus eſſe veræ nobilitatis, quam in Thraſonibus iſtis, qui vetuſtis ſtemmatibus, qui torquibus aureis, qui ſplendidis cognominibus ſummam jactant nobilitatem: nec alios à vera fortitudine longius abeſſe, quam eos qui temeritatem ac præferoces animos, vulgo fortiſſimi judicantur & invicti. Nullos abjectius ac ſervilius ſervos, quàm hos qui ſedibus (ut ajunt) proximos, & omnium dominos putant. Nullos æque calamitoſos, atque eos qui videntur feliciſſimi. Nullos pauperius eſſe pauperes, his quos hominum vulgus ut divites adorat. Nullos eſſe minus epiſcopos, quam qui inter epiſcopos primas tenent. Etiam atque etiam te rogo lector, ne putes hæc in cujuſquam dici contumeliam. Rem notamus, non homines Optamus eſſe nullos, in quos hæc congruat. Et ſi nunc tales nulli ſunt quod faxit Chriſtus, tales olim fuerunt, & in poſterum fortaſſe futuri ſunt. Atque utinam illud quoque falſum eſſet, ſæpenumero longiſſime remotos eſſe à vera religione, qui titulo, qui cultu, qui ceremoniis, religionem abſolutam profitentur. Adeo quicquid in omni rerum genere præclarum eſt, id minus in conſpectu eſt. In arboribus flores & folia blandiuntur oculis: ipſa ſe late moles oſtentat. At ſemen, in quo vis eſt omnium, quam eſt res minutula, quam abdita, quam non lenocinans aſpectui, quam non oſtentatrix ſui? Aurum & gemmas in altiſſimas terræ latebras abdidit natura. In elementis (quæ vocant) quo quicque præſtantius eſt, hoc longius à ſenſibus eſt remotum: velut aer & ignis. In animantium genere quod eſt optimum & efficaciſſimum, id in intimis abditum habent. In homine quod eſt maxime divinum & immortale, id ſolum cerni non poteſt. In quovis rerum genere, materia pars vilior maxime patet ſenſibus, formæ vis & beneficium, utilitate ſentitur, & tamen ipſa procul abeſt à ſenſibus. Rurſum in corporis phyſici temperatura, cum phlegma & ſanguis ſenſibus ſit familiaris, & pateat, id quod plurimum confert ad vitam, minime patet, nempe ſpiritus. Demum in univerſo, quæ maxime ſunt, ea non videntur: veluti ſubſtantiæ, quas ſeparatas vocant. Et quod in his ſummum eſt, id à ſenſibus quam maxime ſepoſitum eſt, nempe Deus, adeo ut nec intelligi, nec cogitari poſſit: cum hic fons ſit unicus omnium. Quin & in Eccleſiæ ſacramentis reperire liceat nonnullam Silenorum imaginem. Abſit invidia verbis. Aquam vides, ſalem & oleum vides, vocem audis, ceu ſummam Sileni faciem: vim cœleſtem, nec audis, nec vides; quæ ſi non adſit, mera ludibria ſint cætera. Jam habent & ſuos Silenos arcanæ literæ. Si conſiſtas in ſuperficie, ridicula nonnunquam res ſit: ſi penetres uſque ad anagogen, divinam adores ſapientiam. Etenim ut de veteri loquamur inſtrumento, ſi præter hiſtoriam nihil ſpectes, & audias Adam e limo conditum, uxorculam dormientis latere furtim ſubtractam, ſerpentem illecebra pomi ſollicitantem mulierculam, Deum ad auram inambulantem, romphæam foribus præſidentem, ne poſtliminio redirent exules: non-ne putes ex Homeri officina profectam fabulam? Si legas Loth inceſtum, totam Sampſonis hiſtoriam (qua divus Hieronymus é cortice æſtimans, fabulam appellat) David adulterium, & in ſenis frigidi gremio cubitantem puellam, Oſeæ meretricium matrimonium: nonne qui verecundioribus ſit auribus, ut obſcœnam fabulam averſetur? At ſub his involucris, deum immortalem, quam ſplendida latet ſapientia? Evangelicas parabolas, ſi primum æſtimes corticem, quis non judicet hominis eſſe idiotæ? ſi nucem frangas, nimirum reperies arcanam illam, ac vere divinam ſapientiam, planeque quiddam ipſi Chriſto ſimillimum. Et ne ſingula perſequens ſim prolixior, in naturæ ſimul ac myſticis rebus ut quicque præſtantiſſimum eſt, ita quam maxime videbis abſtruſum, & à prophanis oculis longiſſime ſemotum. Itidem in cognitione, germana rerum veritas ſemper altiſſime latet, quæ nec facile, nec à multis deprehenditur. Craſſum vulgus quoniam præpoſtere judicat, nimirum ex his quæ maxime ſenſibus corporis obvia ſunt æſtimans omnia, paſſim & labitur & errat, ac falſis bonorum & malorum ſimulachris deluditur, inverſoſque Silenos miratur ac ſuſpicit. De malis loquar, bonos non lædam, imo ne malos quidem: quandoquidem generalis de vitiis diſputatio ad nullius perſonæ pertinet injuriam. Atque utinam pauciores eſſent, in quos hæc competere poſſint. Cum ſceptrum vides, cum inſignia, cum ſatellitium, cum titulos audis ſereniſſimum, clementiſſimum, inclytum: non ne principem adoras, terrenum quoddam numen, & quiddam homine majus intueri te putas? Sed aperi Silenum præpoſterum, tyrannum invenies; interdum civium hoſtem, publicæ concordiæ oſorem, diſcordiarum ſerendarum artificem, bonorum oppreſſorem, legum peſtem, urbium everſorem, Eccleſiæ compilatorem, latronem, ſacrilegum, inceſtum, aleatorem: breviter, ut eſt in Græcorum proverbiis, Ἰλιὰς κακῶν. Sunt qui titulo ſpecieque præ ſe ferant magiſtratum, & Reſpub. cuſtodiam, cum re lupi ſint & prædones civitatis. Sunt quorum ſi conſideres raſum verticem, veneretis ut ſacerdotes: ſi Silenum introſpicias, plus quam laicos reperies. Fortaſſis & epiſcopos aliquot reperias, quorum ſolennem illam conſecrationem ſi ſpectes, ſi novum ornatum inſpicias, mitram gemmis & auro nitentem, pedum item gemmeum: in ſumma, totam illam ἐκ πόδος εἰς κεφαλὴν myſticam πανοπλίαν videlicet cœleſtem quempiam, ac homine majorem virum expectes. Inverte Silenum, nihil interdum invenies niſi bellatorem: negociatorem, denique tyrannum; jamque magnifica illa inſignia, comœdiam fuiſſe judicabis. Sunt, atque utinam non tam paſſim obvii ſint, quos ſi quis e barbæ ſylva, pallore, cucullo, inflexis cervicibus, cingulo, ſupercilio, vultuſque truculentia velit æſtimare, Serapiones ac Paulos eſſe dicat: ſin explices, meros invenies balatrones, helluones, planos, ganeones, imo prædones ac tyrannos: ſed alia via, & haud ſcio an hoc peſtilentiore quo tectiore, planeque (quod ajunt) ἄνθρακες τῶν θησαυρῶν. Rurſum admoneo, neminem his offendi oportere, cum nullius deſignetur nomen. Si quis hujuſmodi non eſt, nihil ad ſe pertinere cogitet: ſin agnoſcit ſuum malum, admonitum ſe putet. Ille ſibi gratuletur, hic mihi gratias agat. Denique paſſim in omni mortalium genere ſunt quorum ſi formam contemplere corporis, homines & præclaros homines dicas: ſi Silenum explicueris, intus ſuem, aut leonem, aut urſum, aut aſinum fortaſſis invenies. Ac diverſum quiddam evenit ei, quod de Circes veneficiis poetarum fabulis eſt proditum. Apud hanc enim ferarum figuram habebant, mentem hominis: iſti ſub humana ſpecie plus quam beluam tegunt. Contra ſunt quos de ſpecie (ſicut dictum eſt) vix homines judices: cum in animi penetralibus angelum occultent. In hoc igitur diſcrimen eſt mundani & Chriſtiani, quod ille craſſiſſima quæque, ac ſtatim oculis obvia, maxime ſuſpicit & ſectatur, quæ ſecus habent, aut omnino negligit, aut certe poſtremo loco ponit: hic e diverſo, quæ minime cernuntur oculis, quæque longiſſime receſſerunt à natura corporum, ea ſola ſectatur, cæteris aut prætermiſſis, aut contemptius adhibitis, ab intimis illis omne rerum judicium ducens. In bonis (ſic enim vocat Ariſtoteles) quæ non pertinent proprie ad hominem, extremæ ſunt opes. At apud vulgus, imo pene apud omnes, is plurimi fit, qui has quacunque via poſſidet: has per ſaxa, per ignes expetunt univerſi. Proximum habet locum, generis claritas: ſi nihil accedat aliud, ridiculum prorſus & inane nomen. Semideus habetur, qui ſanguinis ſeriem ad Codrum Athenienſem, aut ad Brutum Trojanum [qui haud ſcio an unquam natus fuerit] aut ad fabuloſum Herculem referre poſſit: & obſcurus eſt, qui ſibi literis & virtute famam paravit? illuſtris eſt, cujus atavus in bello ſtrenuum præſtitit homicidam: & plebe jus eſt, atque imaginibus caret, qui bonis animi profuit orbi? In tertia claſſe ſunt, corporis commoda: id cui contigerit ingens, robuſtum, formoſum, prævalidum: eum non ſemovent quidem e numero felicium, ſed ita ut nihilo ſecius primas teneant divitiæ, proximas nobilitas, animi poſtrema cura eſt. Jam hunc ipſum ſi juxta Paulum in treis partes dividas, carnem, animam & ſpiritum, [utar enim illius verbis] infimam, quæ maxime in conſpicuo eſt, quamque prorſus damnat Apoſtolus, vulgus potiſſimum amplectitur. Mediam, quam ita demum probat, ſi ad ſpiritum acceſſerit, plures approbant. Porro ſpiritum optimam noſtri partem, à quo ceu fonte felicitas omnis noſtra

proſi-

proficiſcitur, quoque Deo copulamur, adeo non habent in pretio, ut nec illud inquirant, ſit ne, aut quid ſit ſpiritus, de quo tamen Paulus toties inculcat. Atque hinc præpoſterum, de rebus multitudinis judicium: ut quibus primus debebatur honos, horum ἄνω τῶν μεγάλων οὐδεὶς λόγος ſit: & quæ ſummo ſtudio fuerant expetenda, hæc in contemptiſſimis ducant. Hinc aurum anteponitur literis, generis antiquitas honeſto, corporis dotes animi bonis, ceremoniis poſthabetur vera pietas. Chriſti præcepta decretis hominum, perſona veritati; umbra rebus fucata nativis, fluxa ſolidis, momentanea æternis. Deinde ex præpoſteris opinionibus præpoſtera rerum vocabula. Quod excelſum eſt, humile vocant: quod amarum, dulce: quod pretioſum, utile: quod vita, mortem. Vtque nominatim obiter pauca delibem, amare dicuntur, qui vel indulgentia corrumpunt, vel pudicitiæ ſimul ac famæ inſidiantur: cum hac re quid eſſe poſſit hoſtilius? Juſtitiam appellant, cum malum malo, ſcelus ſcelere vincitur, cum injuria accepta multo cum fœnore reponitur. Parum æquus matrimonio dicitur, qui illud incontaminatum, & quam poteſt virginitati ſimillimum, ganeis diſſimillimum eſſe poſtulet. Proditorem appellant, & principis hoſtem, qui nihil illi ſupra leges, ac præter æquum licere velit, hoc eſt, qui illum optet vere principem agere, & a tyranni (qua belua non eſt alia terrior) imagine quam maxime velut abeſſe: ille contra conſultor, amicus fautor principum dicitur, qui illos perverſa educatione corrumpat, qui ſtultis inficiat opinionibus, qui aſſentatione ludat, qui malis conſiliis in odium populi pertrahat, qui bellis & inſanis rerum tumultibus involvat. Ajunt auctam principis majeſtatem, ubi tyrannidis aliquid acceſſit: hoc eſt, immani mali magna portio. Peculator eſt, qui de extortis vectigalibus velit nonnihil circuncidi. At cum principis præcipua bona ſint tria, quibus Deum, qui vere ſolus eſt rex, quodammodo repræſentat, bonitas, ſapientia, potentia: num is principi videtur amicus eſſe, qui duobus præcipuis bonis illum ſpoliet, bonitate & ſapientia, ſolamque potentiam illi relinquat: & hanc non modo falſam, verum ne propriam quidem? Siquidem potentia niſi ſit cum ſapientia bonitateque conjuncta, tyrannis eſt, non potentia: quam ipſam tamen populi conſenſus quemadmodum dedit, ita poteſt eripere, cum interim depulſum ab imperio, bonitas & ſapientia, ceu propria bona comitentur. Capitale eſt, violare principis inſignia: & præmium est his, qui animum illius vitiantes, pro bono crudelem, pro ſapiente verſutum, pro potente tyrannum reddunt? Parum eſt una mors, ei qui principis calicem toxico tentarit inficere: & præmium fert, qui mentem illius peſtilentiſſimis opinionibus corrumpit ac venenat, & veluti publicum Reip. fontem inficit ſummo totius orbis malo? Principis munus dominium vocant: cum revera nihil aliud ſit agere principem, quam rem communem adminiſtrare. Regum inter ipſos affinitates, ac ſubinde novanda fœdera, Chriſtianæ pacis glutinum appellat: cum his fontibus omnia pene bella, plurimos rerum humanarum tumultus naſci videamus. Juſtum bellum appellant, cum ad exauriendam opprimendamque Rempublicam principes inter ſe colludunt: pacem vocant, cum in hoc ipſum inter ſeſe conſpirant. Auctum ducunt imperium, cum unius aut alterius oppiduli titulus acceſſerit principi, tanta civium expilatione, tanto ſanguine, tot viduitatibus, tot orbitatibus emptus. Ad eundem modum Eccleſiam vocant ſacrificos, epiſcopos, ac ſummos pontifices: cum hi revera nihil aliud ſint, quam Eccleſiæ miniſtri. Cæterum Eccleſia populus eſt Chriſtianus, quem Chriſtus ipſe majorem vocat: ut cui recumbenti miniſtrent epiſcopi, obſequio minores, ſed alia ratione majores: ſi modo Chriſtum ut ſucceſſione muneris, ita morum ac vitæ referant imitatione: qui cum modis omnibus princeps ac dominus eſſet omnium, miniſtri partes ſuſcepit, non domini. Omne fulmen torquetur in illos, hoſtes Eccleſiæ vocantur, ac propemodum hæretici, qui ſacerdotum crumenam nummulis aliquot fraudarint. Equidem non adſum fraudatori, ne quis hoc interpretetur: verum cedo ſiquidem hoſtem Eccleſiæ juvat odiſſe, num eſſe poſſit hoſtis Eccleſiæ perniciofior aut capitalior quam impius pontifex? Vbi nonnihil de ſacerdotum prædiis aut cenſu diminutum fuerit, clamatur undique, opprimi Chriſtianam Eccleſiam. Vbi concitatur orbis ad bellum, ubi palam improba ſacerdotum vita, tot animarum millia pertrahuntur in exitium, nemo deplorat Eccleſiæ vicem: cum vere jam affligatur Eccleſia. Ornatam & cohoneſtatam vocant Eccleſiam, non cum in populo gliſcit pietas, cum vitia decreſcunt, boni mores augeſcunt, cum ſacra doctrina viget: verum cum auro gemmiſque lucent altaria: imo cum his neglectis, prædiis, famulicio, luxu mulis, equis, ſumptuoſis ædium, vel magis palatiorum ſubſtructionibus, ac reliquo vitæ ſtrepitu, ſatrapas æquant ſacerdotes. Atque hæc adeo videntur recta, ut in ipſis Pontificum diplomatibus inſeratur hujuſmodi elogium: Quoniam ille Cardinalis tot equos, tot purpuratos alens domi, vehementer ornat Eccleſiam Dei, concedimus illi quartam epiſcopi dignitatem. Et in ornamentum Eccleſiæ jubentur epiſcopi, ſacerdotes & clerici, purpura ſericiſque veſtiri. O miram Eccleſiæ dignitatem. Quid ſupereſt, poſteaquam etiam vocabula honeſti perdidimus? Neque enim libet interim eorum meminiſſe qui cenſum Eccleſiaſticum in impios uſus, magno plebis offendiculo profundunt. His ſi quid accreverit, gratamur, & auctam Chriſti Eccleſiam dicimus: cum verum & unicum Eccleſiæ lucrum ſit, Chriſtianæ vitæ profectus. Blaſphemiam vocant, ſi quis parum reverenter de Chriſtophoro loquatur, aut Georgio, nec omnes omnium fabulas æquet Evangelio. Verum Paulus blaſphemiam appellat quoties impiis Chriſtianorum moribus fit, ut Chriſti nomen infametur inter ethnicos. Quid enim conſentaneum eſt, Chriſtianæ religionis hoſtes dicere cum in Evangelicis literis viderint Chriſtum ad opum contemptum, ad voluptatum abdicationem, ad gloriæ neglectum hortantem: & e regione conſpexerint primores etiam ac duces Chriſtianæ profesſionis ita vivere ut opum accumulandarum ſtudio, ut voluptatum amore, ut vitæ ſplendore, ut belli ferocia, cæteriſque vere vitiis omnibus ipſos ſuperent ethnicos? Intelligit prudens lector, quid hic taceam, ob honorem Chriſtiani nominis, & quid apud me ſuſpirem. Quos cachinnos putas illos tollere: qui cum videant, in Evangelio Chriſtum non cultu non ceremoniis, non cibis inſigniſſe ſuos, ſed hac nota dignoſci voluiſſe Chriſtianos ſi mutua charitate conglutinentur, poſtea conſpiciant, adeo nihil inter nos convenire, ut neque turpius, neque perniciofius ulla gentilitas ſit tumultuata. Princeps cum principe belligeratur, civitas cum civitate pugnat: nec ſcolæ cum ſcola, nec religioni (ut nunc vocant) cum religione convenit: rixarum, factionum, litium apud nos plena ſunt omnia. Hæc vera demum eſt blaſphemia, cujus autores ſunt, qui juſtam miniſtrant occaſionem. Hæreſim appellant, ſi quis dixerit aut ſcripſerit aliquid, quod aliquo pacto cum magiſtralibus theologorum propoſitiunculis, vel in re grammatica diſſentiat? & hæreſis non eſt, ubi quis ceu præcipuam felicitatis humanæ portionem effert, id quod ipſe Chriſtus ubique docet eſſe negligendum: qui vitæ rationem inducit ab Evangelicis præceptis & Apoſtolicis inſtitutis longe diverſam: qui contra ſenſum Chriſti Apoſtolos ad Evangelii prædicationem profecturos, pro gladio ſpiritus (qui terrenis affectibus omnibus amputatis ſolus facit, ut gladio non ſit opus) ferro armat, quo ſe adverſus perſecutionem defendant; (Neque dubium, quin ſub gladii nomine baliſtas, bombardas, machinas, ac reliquum belli apparatum velit comprehendi.) Tum pera onerat, in qua geſtent pecuniam, videlicet ne quid uſquam deſit: ac ſub peræ nomine, quicquid ad hujus vitæ proviſionem pertinet, vult intelligi. Atque hæc qui docet, inter magnos theologos citatur. Sacrilegium eſt inexpiabile, ſi quis quidlibet e fano ſuſtulerit: & leve crimen habetur, pauperculos & viduas, vivum Dei templum expilare, fraudare opprimere? id quod paſſim à principibus ſit & optimatibus, interdum, & ab epiſcopis & abbatibus. Prophanus eſt, qui pugna aut ſeminis profluvio ſacram ædem contaminarit, & non execramur eum qui puram & caſtam virginem, templum Spiritus ſancti, blanditiis, muneribus pollicitis, lenociniis, violat, corrumpit, prophanat? Atque hæc qui facit, vulgo feſtivus & elegans dicitur. Non patrocinor malefactis, ſicut ante teſtatus ſum: illud oſtendo, vulgus hominum multo pluris ea facere quæ cernuntur oculis, quam quæ hoc verius ſunt, quo minus conſpiciuntur. Saxei templi conſecrationem vides: animi dedicationem quia non vides, negligis. Pro tuendis illius ornamentis digladiaris: pro ſervanda morum integritate, nemo capeſſit gladium illum Evangelicum, quem Chriſtus jubet etiam tunicæ divenditæ precio parari. Summa pietas vocatur, ſi quis pro defendenda aut augenda ditione & pecunia ſacerdotum, ſumat arma, ac bellicis tumultib. ſacra prophanaque miſceat. Atque interea dum ſacrificorum pecunia, nimirum res viliſſima, vindicatur, quam ingens totius pietatis diluvium admittitur, admiſſo bello? Quid enim eſt omnino mali, quod non ſecum trahat bellum? Sed forſitan obſtrepet interim mihi tacita lectoris cogitatio: Quorſum hæc tam putida tenduntur, inquiens? Num tu principem ejuſmodi vis eſſe, cujuſmodi Plato facit in ſua Repub. cuſtodes? Num ſacerdotes imperio, dignitate, gloria, divitiis ſpoliatos, ad Apoſtolorum peram & baculum revocas? Bona verba. Non ſpolio, ſed his potioribus locupleto: non dejicio de poſſesſione, ſed ad meliora provoco. Quæſo te, uter noſtrum de regis excellentia magnificentius ſentit: tu, qui vis illi licere quicquid libet, qui tyrannum vis eſſe non principem, qui voluptatibus exples, qui luxui prodis, qui cupiditatibus omnibus ſervum ac dedititium facis, qui nihilo plus ſapere vis quam quemvis è media plebe, qui his oneras rebus, quas apud ethnicos quoque ſemper magnificum fuit contemnere: an ego, qui principem Deo, cujus imaginem quandam gerit, quam fieri poteſt, ſimillimum eſſe cupio, ſapientia quæ propria regum laus, cæteris antecellere ab omnibus ſordidis affectibus, animique morbis, quibus craſſum & humile vulgus ἄγεται καὶ φέρεται, procul abeſſe; nihil mirari plebeium, opibus eſſe ſuperiorem: denique id eſſe in Repub. quod animus eſt in corpore, quod Deus in univerſo? Vter noſtrum verius perpendit epiſcopi dignitatem: tu, qui illum terrenis opibus oneras, ſordidis ac plebeiis implicas curis: bellorum procellis involvis: an ego, qui Chriſti vicarium, & cœleſtis ſponſæ cuſtodem, ab omni terræ contagio puriſſimum eſſe cupio, & quoad licet, ei cujus loco munereque fungitur, quam ſimillimum? Stoici negant bonum virum eſſe poſſe niſi qui vacet animi morbis. Morbos aut animi cupiditates ſive affectus vocant. Multo igitur magis Chriſtianorum eſt ab his eſſe liberos, ſed omnium maxime principem. Ac rurſum plus quam maxime principem ac patrem Eccleſiæ, hoc eſt, cœleſtis illius populi cœleſtem principem. Volo regnare ſacerdotem: ſed mundanam iſtam ditionem indignam judico, ut hac vir cœleſtis oneretur. Volo quam maxime triumphare pontificem: non his ſanguinariis triumphis, quos ſceleratus Marius, quos impius egit Julius: adeo vanis, ut Satyrarum

ſum jocis inceſſantur: quos ſi Democritus ille ſpectaſſet, riſu crediderim emoriturum: ſed vere magnificis & Apoſtolicis cujuſmodi Paulus bellator, ac dux longe ſplendidior Alexandro Magno deſcribit, ac veluti ſui canens encomium jactat: In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter: à Judæis quinquies quadragenas, una minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui: in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & in ſiti, in jejuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinſecus ſunt inſtantia, mea quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Rurſum paulo ſuperius: in omnibus, inquit, exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitiæ à dextris & ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut ſeductores, & veraces: ſicut ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce vivimus: ut caſtigati: & non mortificati: quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes: ſicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes. Vides quæ belli decora, quæ victoria qui triumphus Apoſtolicus? Hæc eſt illa gloria, per quam ceu ſacram rem Paulus aliquoties dejerat. Hæc ſunt egregia facinora, pro quibus ſibi coronam immortalem eſſe repoſitam confidit. Non gravabantur Apoſtolorum ingredi veſtigiis, qui locum & authoritatem ſibi vindicant Apoſtolorum. Cupio quam maxime divites eſſe pontifices: ſed Evangelico margarito, ſed cœleſtibus opibus: quas quo largius in omnes effuderint hoc ipſi magis abundabunt: nec periculum erit, ne benignitas pereat benignitate. Volo quam munitiſſimos eſſe: ſed armis Apoſtolici, nempe ſcuto fidei, lorica juſtitiæ, gladio ſalutis, quod eſt verbum Dei. Volo bellaciſſimos eſſe, ſed adverſus veros illos Eccleſiæ hoſtes, ſimoniam, ſuperbiam, libidinem, ambitionem, iracundiam, impietatem. Hi Turcæ ſunt ſemper obſervandi, ſemper oppugnandi Chriſtianis. Ad hujuſmodi bella dux ſit & hortator epiſcopus. Volo cum primis ſuſpiciendos eſſe ſacerdotes: at non tyrannico ſtrepitu, ſed excellentia doctrinæ ſanctæ, ſed eximiis virtutibus. Volo reverendos eſſe, ſed ob integritatem ac ſeveritatem vitæ, non tantum ob titulos, aut ornatum tragicum. Volo timeri: ſed ut patres, non ut tyrannos. Volo timeri ſed à malis duntaxat: imo tales eſſe volo, ut improbi revereantur potius quam formident oderintve. Denique volo deliciis affluere, ſed raris, ac longe quam quas vulgus novit, ſuavioribus. Vis audire vere ſummi pontificis divitias? Audi à pontificum principe proximum. Aurum & argentum non eſt mecum, quod autem habeo, hoc tibi do; in nomine Jeſu, ſurge & ambula. Vis audire Apoſtolici nominis decus, quod omnes titulos, quod omnes ſuperet fornices ac ſtatuas? Audi Paulum illum vere inclytum: Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Vis plus quam audire potentiam? Omnia poſſum, inquit, in eo qui me confortat. Vis audire gloriam? Gaudium meum & corona mea vos eſtis in Domino. Vis audire titulos epiſcopo dignos, & ornamenta veri pontificis? Paulus idem tibi depingit, ſobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hoſpitalem, doctorem: non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum: non litigioſum, non lucri cupidum, non neophytum: qui bonum habeat teſtimonium, & ab his qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli. Contemplare quibus ornamentis honeſtet Aaron pontificem Moyſes, quibus ornet opibus, quibus pictoret coloribus, quam variis gemmarum ſtellis illuſtret, quanto auri fulgore decoret. Quæ quid ſibi velint, ſi ex Origenis Hieronymique cognoveris interpretatione, nimirum intelliges, quæ ſupellex paranda ſit vere magnis epiſcopis. Quos potius exprimant vita pontifices, quam quos exprimunt plumbo, quos titulis referunt quorum vices occupant? An magis convenit, Julios, Alexandros, Crœſos & Xerxes, nihil aliud quam magnos latrones, imitari Chriſti vicarium, quam ipſum Chriſtum, unicum Eccleſiæ ducem & imperatorem? Quos juſtius æmulentur Apoſtolorum ſucceſſores, quam Apoſtolorum principem Chriſtus palam negavit regnum ſuum hujus eſſe mundi: & tu convenire putas, ut Chriſti ſucceſſor mundanam ditionem non ſolum admittat, verumetiam ambiat, proque hac omnem (quod ajunt) moveat lapidem? In hoc mundo, veluti duo ſunt mundi, modis omnibus inter ſe pugnantes: alter craſſus & corporeus, alter cœleſtis, jam nunc pro virili meditans id eſſe, quod aliquando futurus eſt. In illo primus eſt, qui à veris bonis quam maxime ſemotus eſt, ac falſis oneratus. Veluti rex ethnicus, libidine, luxu, violentia, ſuperbia, faſtu, divitiis, rapacitate ſuperat univerſos, & ita primus videtur, ſi maxima hujus ſentinæ portio, in hunc influxerit: ſapientiæ, temperantiæ, ſobrietatis, juſtitiæ, cæterorumque quæ vere ſunt bona, quam minimum. Contra, in hoc qui ſummus eſt, is ut plebeiis illis & craſſis bonis minimum eſt inquinatus, ita veris illis ac cœleſtibus opibus eſt cumulatiſſimus. Proinde cur Chriſtianum principem id eſſe vis, quod ethnici quoque philoſophi ſemper damnarunt & contempſerunt? Cur illius majeſtatem in his collocas rebus, quas contempſiſſe pulcherrimum eſt? Cur angelum Dei

(ſic enim in arcanis literis appellatur epiſcopus) his rebus oneras, quæ vel homine bono ſint indignæ? Cur eum his metiris opibus, quibus latrones ſunt divites, quibus tyranni ſunt formidabiles? Cœleſte quiddam eſt ſacerdos, & homine majus. Nihil hujus ſublimitate dignum, niſi cœleſte. Quid hujus dignitatem vulgaribus rebus dehoneſtas? Quid hujus puritatem mundanis ſordibus contaminas? Cur non ſinis eum ſua ditione potentem eſſe? Cur non pateris ſua nobilem eſſe gloria? ſua majeſtate reverendum? ſuis divitem opibus? Hunc e cœleſti corpore, quod eſt Eccleſia, cœleſtis ille ſpiritus ad res ſummas delegit. Cur eum ad ſatraparum furioſos tumultus pertrahis? Paulus ſegregatum ſeſe gloriatur: cur tu meum præſulem in mediam infimæ plebis ſentinam immergis? cur ad fœneratorum ſolicitudines dejicis? cur hominem divinum ad negocia detrahis, vix homine digna? cur hiſce rebus felicitatem Chriſtianorum ſacerdotum metiris, quas ut ſtultiſſimas riſit Democritus, ut miſerrimas flevit Heraclitus, uti frivolas ſprevit Diogenes, ut oneroſas abjecit Crates, ut peſtiferas ſemper fugere ſancti? Cur Petri ſucceſſorem his opibus æſtimas, quas ipſe Petrus ſe non habere gloriatur? Cur Apoſtolicos principes eis ornamentis magnos videri vis, quibus calcandis magni fuerunt Apoſtoli? Cur illud Petri patrimonium vocas, quod ipſe Petrus ſe non habere gloriatus eſt? Cur Chriſti vicarios opibus irretiendos putas, quas ipſe Chriſtus appellavit ſpinas? Cur eum, cujus ut proprium, ita præcipuum officium eſt, divini verbi ſemen jacere, divitiis obruis, quibus vel maxime jactum præfocatur? Cur æquitatis doctorem ac judicem iniquo vis ſervire mammonæ? Quid cœleſtium ſacramentorum diſpenſatorem, viliſſimarum rerum facis procuratorem? Expectat ab hoc Chriſtianus orbis ſacræ doctrinæ pabulum, expectat ſalutare conſilium, expectat paternam conſolationem, expectat vivendi formam. Quid tu rebus tam præclaris deſtinatum ac dicatum, in vulgarium curarum ergaſtulum detrudis, pariter & ſua dignitate ſpolians epiſcopum, & populum orbans epiſcopo? Habet ſuum Chriſtus regnum excellentius quam ut gentili regno, vel (ut verius dicam) tyrannide, pollui debeat: ſuum habet ſplendorem, ſuas habet opes, ſuas voluptates. Quid tam inter ſe pugnantia miſcemus? Quid terrena cœleſtibus, quid infima ſummis, quid ethnica Chriſtianis, quid prophana ſacris confundimus? Tam multa, tam magna ſunt dona ditiſſimi ſimul & benigniſſimi ſpiritus: dona linguarum, dona propheciæ, dona ſanitatum, dona ſcientiæ, dona ſapientiæ, dona doctrinæ, diſcretio ſpirituum, exhortatio, conſolatio. Cum his ſacris donatis quid tu prophana mundi dona conjungis? ne dicam extinguis. Quid cum mammona Chriſtum, cum Chriſti ſpiritu Belial conaris jungere? Quid mitræ cum galea, quid ſacræ pallæ cum Mavortia lorica, quid benedictionibus cum bombardis, quid clementiſſimo paſtori cum armatis latronibus, quid ſacerdotio cum bello? Qui machinis oppida ſubruit, qui claves habet regni cœlorum? Qui convenit authorem eſſe belli eum, qui pacis omine ſalutat populum? Quonam ore docebit plebem Chriſtianam, opes eſſe contemnendas, qui puppim & proram rerum ſuarum conſtituit in pecunia? Qua fronte docebit, quod & docuit & exhibuit Chriſtus, quod toties inculcant Apoſtoli, non eſſe reſiſtendum malo, ſed malorum improbitatem bonitate ſuperandam, injuriam beneficio penſandam, inimicum benefactis obruendum, qui propter oppiduli ditionem, aut ſalinarum vectigal, orbem bellorum tempeſtatibus commovet? Quo pacto duxerit ad regnum cœlorum (ſic enim Chriſtus ſuam vocat Eccleſiam) qui totus ſit in regno mundi? Sed impendio plus es, ornare vis Eccleſiam harum etiam opum acceſſione. Probarem, niſi cum paululo commodi tantum ſecum ea res traheret malorum. Cum imperium dediſti, ſimul dediſti congerendæ pecuniæ curam, dediſti tyrannicum ſatellitium, ferratas copias, exploratores, equos, mulos, tubas, bellum, ſtrages, triumphos, tumultus, fœdera, pugnas: breviter omnia ſine quibus imperium adminiſtrari non poteſt. Ut animus adſit, quando futurum eſt otium Apoſtolico fungendi munere quem tot curarum millia diverſum trahunt? dum ſcribitur delectus militum, dum panguntur & reſcinduntur fœdera, dum coercentur qui detrectant imperium, dum in fide retinentur qui ad res novas ſpectant, dum expugnantur hoſtes, dum muniuntur arces, dum audiuntur rationes, dum tractantur prophanæ legationes: dum convivus excipiuntur ſatrapæ, dum ad honores provehuntur amici, dum depelluntur qui locum dare jubentur felicioribus, dum alia fiunt, quæ nec meminiſſe libet & tamen fieri neceſſe eſt? An is tibi videtur intelligere Pontificis & Cardinalium excellentiam, qui eos ab oratione, qua cum Deo confabulantur: à ſacra contemplatione, qua verſantur inter angelos: à vernantiſſimis divinæ Scripturæ pratis, in quibus feliciſſime ſpaciantur: ab Apoſtolico evangelizandi munere, quo Chriſtum maxime referunt, ad has rerum ſordes detrahendos eſſe cenſet? An eis benevelle videtur, qui à tanta felicitate, vitæque tranquillitate qua fruebantur, ad has ærumnas, ad hos rerum tumultus pertrahi cupit? Etenim cum per ſe regnum infinitis laboribus obnoxium eſt, tum vero longe minus feliciter cedit ſacerdotibus quam laicis. Idque duabus fere de cauſis: partim quod vulgus hominum libentius paret in hoc genere prophanis quam Eccleſiaſticis: partim quod illi ceu liberis ſuis relicturi ditionem, ſtudent eam quam florentiſſimam reddere. Hi contra, quemadmodum ſerius ac plerunque jam ſenes ad imperium aſciſcuntur: ita quoniam ſibi gerunt, non hæredi, magis expilant quam ornant, perinde quaſi præda ſit objecta, non provincia. Ad hæc ubi prophanus rerum potitur, ibi ſemel fortaſſe

de regno

de regno digladiandum, ſemel evehendi locupletandique, quibus faveret princeps. Vbi ſecus, ibi ſubinde nova digladiatio, dejiciendi de poſſeſſione, quos prior evexerat: rurſus alii atque alii novi homines, populi malo locupletandi. Jam eſt & illud non nihil, quod populus multo facilius fert imperiũ ejus cui jam aſſuevit, etiam ſi durius imperet: qui ſi deceſſerit, tamẽ in hærede filio ſuperſtes eſſe videtur, ac plebs imaginatur, principem non in alium eſſe mutatum, ſed eundem ſibi renovatum. Et ſolent liberi parentes utcunque referre moribus, præſertim ab his inſtituti. E diverſo quia Deo dicatis viris commiſſum eſt imperium ſubita plerunque rerum omnium commutatio. Adde his, quod prophanus ille accedit ad rem gerendam meditatus, & ab incunabilis inſtituitur. Illic ſæpe numero præter omnem ſpem obvenit rerum ſumma, ut quem remis genuerat natura, fortunæ ludus evehat ad regnum. Poſtremo vix fieri poteſt, ut quemadmodum Hercules duobus monſtris, ita unus duabus difficillimis rebus adminiſtrandis par ſit. Omnium difficilimum eſt, bonum præſtare principem. At longe pulchrius, ſed idem longe difficilius, bonum agere ſacerdotem. Quid tandem utrunque? An non eſt neceſſe fieri, ut dum utrunque munus in ſe recipiunt, neutri ſatisfaciant? His nimirum rebus fit (niſi fallor) ut cum laicorum regum urbes, opibus, ædificiis, ac viris: magis ac magis florere videamus, ſacerdotum oppida fere frigeant ac collabantur. Quorſum igitur opus fuit harum acceſſione rerum, quas tot incommoditates comitantur? An vereris, ne parum potens futurus ſit Chriſtus propriis opibus, niſi laicus tyrannus aliquid impertiat ſuæ poteſtatis? Parum ornatum putas, niſi prophanus bellator aurum: Phrygionem, candidos mannos, & ſatellitium illi indulſerit, hoc eſt, aliquid de ſuo faſtu aſperſerit? Parum ſplendidus videtur, niſi his liceat inſignibus uti, quæ propter invidiam ambitioſiſſimus recuſavit Julius: Humilem judicas, niſi ſit mundano onuſtus imperio, quod ſi ſibi geri, tyrannus ſit: ſi reip. negotioſiſſimus? Habeant prophana prophanis in epiſcopo quod infimum eſt, totius imperii ſuperat faſtigium. Quo plus addideris de mundi bonis, hoc minus de ſuis impertiet Chriſtus. Quo ab illis erit purgatior, hoc effuſius hiſce locupletabitur. Vides, opinor, ut tota res in diverſum exeat, Si Silenum invertetis. Qui principi Chriſtiano maxime favere videbantur, hos proditores & hoſtes principis maximos deprehendis: quos pontificum dignitatem tueri dixiſſes, ab his conſpurcari comperis. Neque vero hæc dixerim, quod ſacerdotibus eripiendum putem, ſi quid quocunque modo contigit vel ditionis vel opum: tumultus enim nulli pio debet placere: verum illos ſuæ magnitudinis conſcios ac mi mores eſſe volo, ut iſta plebeja (ne dicam ethnica) vel rejiciant ultro, & infimis cedant, vel certe contemptum poſſideant, & juxta Paulum ſic habeant, quaſi non habeant. Denique ſic eos Chriſti opibus ornatos eſſe volo, ut quicquid acceſſerit ex hujus mundi ſplendore, aut meliorum obſcuretur luce, aut ſurdidum etiam ex collatione videatur. Ita fiet, ut & quod poſſident, hoc felicius poſſideant quo ſecurius: nec enim angentur metu, ne quis eripiat: nec pro rebus caducis & humilibus tanto tumultu dimicabunt, ſi quid aliunde deceſſerit. Poſtremo, non ornabuntur ſuis bonis, dum alienis gaudent diteſcere: nec Evangelicum amittent margaritum, dum vitreas mundi gemmas conſectantur: ut illud interim omittam, hæc ipſa quæ contemni volumus, ita copioſius acceſſura, ſi fuerint contempta, & honeſtius ſequentur fugientes, quam ab inſequentibus arripiuntur. Siquidem unde tandem natæ ſunt opes Eccleſiæ, niſi ab opum contemptu? unde gloria, niſi à gloriæ neglectu? Libentius iſta donabunt laici, ſi viderint rejici ab his quos plus ſapere credunt. Fortaſſe nonnunquam tolerandi ſunt & mali principes: deferendum aliquid eorum memoriæ, quorum occupare videntur locum? dandum nonnihil titulo. Non etis tentandum remedium: quod haud ſcio an infeliciter tentatum, vertat in graviorem perniciem. Verum quam male interim cum rebus humanis agitur, ſi quorum omnis vita debebat eſſe miraculo, tales ſunt, ut applaudant peſſimi, boni ſuſpirent & ingemiſcant: & quorum omnis dignitas vel ab improborum favore, vel à mediocrium modeſtia, vel à ſimplicium imperitia, vel à bonorum tolerantia pendet: imo quos incolumes reddit populi diſcordia, quos non alia res magnos facit, quam diſſidia civium, quorum felicitas publica infelicitate alitur. Quod ſi ſacerdotes rem recta æſtimarent via, tantum incommodum ſecum trahit acceſſio ditionis prophanæ, ut recuſanda ſit, etiam ſi ultro deferatur, Fiunt mancipia principum & aulæ, impetuntur ſeditionibus, involvuntur bellis. in quibus interdum exhalant animam, breviter fit, ut monarchæ habeant honeſtum famulitium: ſed ubi interim patres populi Chriſtiani? ubi paſtores? Quale vero jam eſt, abbates & epiſcopos ejuſmodi titulos magnis ſummis à monarchis emere? Abbas honeſtus non videtur, niſi idem ſit Comes. Ornaſſe ſacerdotium videtur, qui Ducis titulum admercatus eſt, O pulchre conjuncta vocabula, Abbas & ſatraps, Epiſcopus & bellator. At qui multo abſurdius, quod hic quidem fortes viros agunt: in eo quod erat proprium ipſorum munus, umbræ ſunt. Habent manus & gladios quibus occidant corpora, ſit hæc ſane juſtitia: at iidem non habent linguam qua ſanent animos. Abbas novit inſtruere aciem: at idem neſcit eſſe dux ad religionem. Epiſcopus ad confligendum armis ac bombardis affatim inſtructus eſt: ſed idem ad docendum, ad exhortandum, ad conſolandum mutus eſt. Armatus eſt jaculis ac baliſtis: divinis Scripturis prorſus inermis eſt. Et tamen interim quicquid emolumenti, quicquid honoris debetur piis abbatibus, quicquid bonis epiſcopis, ad aſſem exigunt à ſuis: imo interdum non quantum debetur, ſed quantum libet. Coronabit Dominus populi tolerantiam, qui tales amore quietis perpetitur, at vereor ne hoc duriorem experturi ſint judicem Deum. Hi rerum tumultus quid aliud nobis clamant, quam omnibus iratum Deum? Quid autem ſuper eſt, niſi ut omnes, maximi pariter ac minimi, ſacri ſimul ac prophani, ſubmiſſis animis ad Domini miſericordiam confugiamus? Quanto id conſultius, quam ſi dum ſuam quiſque culpam non agnoſcit, in alium rejiciens, & numinis iram magis etiam exaſperemus, & mutuis nos morſibus non ſanemus, ſed gravius vulneremus. Populus obmurmurat principibus, principes nec prophanis parcunt, nec ſacris, vulgus oppedit ſacerdotibus. Atqui non raro fit, ut Deus offenſus ſceleribus populi, tales immittat rectores, quales illi merentur accipere. Hactenus querimoniis, ſævitia, rixis, tumultibus, nihil profectum eſt. Quod unum ſuper eſt, ſit omnium communis confeſſio, ut ſit omnibus parata Dei miſericordia. Sed quo me ſermonis curſus abripuit: ut parœmiographum profeſſus, Eccleſiaſtes eſſe cœperim? Nimirum in hanc jam ſobriam diſputationem ebrius Alcibiades ſuis Silenis nos induxit: Verum hujus erroris non admodum me pœnituerit, ſi quod ad proverbiorum enarrationem non pertinet, ad vitæ pertineat emendationem: &, quod ad eruditionem non confert, conducat ad pietatem, quodque ad operis inſtituti rationem *πάρεργον καὶ ἀπροσδιόνυσον* videtur ad vivendi rationem fuerit accommodum.

Vulpi eſurienti ſomnus obrepit.

Πεινώσῃ ἀλώπεκι ὕπνος ἐπέρχεται, id eſt, Eſurienti vulpi ſomnus obrepit. Vbi quis inopia cibi dormit. Nam nonnullis pauperibus ſomnus loco paſtus, teſtante verſiculo illo proverbii inſtar celebrato,

Ὕπνος δὲ πεινῶν τὴν κακίστην δαμᾷ.

Id eſt,

Somnus domat famem malorum peſſimum.

Pauperem autem vulpem appellat, quod callida ſit inopia, & multarum repertrix artium: juxta illud quod alibi retulimus, *πενία τὴν σοφίαν ἔλαχε*. id eſt, Paupertas ſapientiam ſortita eſt Neque perperam dicetur & in illos qui diſſimulant, connivent que ad quædam, ut per occaſionem aliquid commodi ferant. Si quidem vulpes urgente fame ſomnum adſimulat, ut allectas aves capiat, devoretque. Fit autem hoc phyſica quadam ratione, ut famem ac ſitim extinguat ſomnus. Adagium recenſuit Diogenianus.

Audiens non audit.

Sunt quidam, qui ſi quid parum placet, id ſcire diſſimulant (veluti cum negant ſibi redditas literas, quibus commonefiant officii ſui, quod tamen malint effugere, quam præſtare) in hos quadrabit illud ex Iliados ψ.

——— *Ὡς οὐκ ἀΐοντι ἐοικώς.*

Id eſt.

Diſſimulans audiſſe. ———

De Antilocho dictum, qui Menelaum revocantem à curſu, cum audiret, perinde tamen quaſi non audiſſet, ita celerius etiam currebat:

Ἀντίλοχος δ᾽ ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἔλαυνε,
Κέντρῳ ἐπισπέρχων, ὡς οὐκ ἀΐοντι ἐοικώς.

Id eſt,

Quin etiam curſum Antilochus magis accelerabat
Inſtigans ſtimulis, audireque diſſimulabat.

Illo reſpiciens, ſed hic remitte bona.

Æſchylus in Ranis Ariſtophanis, cupiens redire ad ſuperos.

Ἐκεῖ φράσαιμ᾽ ἄν, ἐνθάδε δ᾽ οὐ βούλομαι.

Id eſt:

Dicturus illic, nam hic quidem haud volo eloqui.

Cui Bacchus ad hunc modum reſpondet:

Μὴ δῆτα γ᾽, ἀλλ᾽ ἐνθάδ᾽ ἄνιει τἀγαθά.

Id eſt,

Minime profecto, quin mage hic profer bona.

Interpres admonet alluſum ad parœmiam.

Ἐκεῖ βλέποντα δεῦρ᾽ ἄνιει τἀγαθά.

Id eſt,

Illuc tuens, at huc remitte commoda.

Conveniet, cum aliud præ nobis ferimus, aliud facimus: aut cum aliis adblandimur, in alios re beneficium conferimus. Quidam à Charitibus mutuo ſumptum exiſtimant, quarum una à tergo reſpicit, & alteri munus offert, arridens alteri.

Patrocli occaſio.

Πατρόκλου πρόφασις, id eſt, Patrocli occaſio, ſive prætextus. Diogenianus oſtendit dici ſolere de iis, qui cum ob metum non auſint proprias deplorare calamitates, deflent eas, ſub prætextu luctus alieni. Plutarchus in commentario cui titulus, Quomodo quis ſe citra invidiam laudare poſſit, *καὶ μὴ δοκῶμεν Πάτροκλον πρόφασιν, σφᾶς δ᾽ αὐτοὺς δι᾽ ἐκείνων ἐπαινεῖν.* id eſt: Et ne videamur Patroclum occaſionem, ſed nos ipſos per illos laudare. Agit enim de iis qui laudandis aliis ſuas ipſorum laudes inſinuant. Opinor ſumptum à Patrocli moribus, in quem aliquoties jocatur Ariſtophanes.

Melle litus gladius.

Melle litus gladius: in pernicioſam adulationem dici ſolitum. Divus

Divus Hieronymus ad Aurelium Auguſtum: Nonnulli familiares mei, & vaſa Chriſti, quorum Hieroſolymis & in ſanctis locis per magna copia eſt, ſuggerebant, non ſimplici animo à te factum, ſed laudem atque rumuſculos & glorìolam populi requirentem, ut de nobis creſceres, ut multi cognoſcerent, te provocare, me timere: te ſcribere ut doctum, me tacere ut imperitum: & tandem repeiſſe qui garrulitati meæ modum imponeret. Ego autem, ut ſimpliciter fatear, dignationi tuæ primum idcirco reſpondere nolui, quia tuam liquido epiſtolam non credebam, &, ut vulgi de quibuſdam proverbium eſt, melle litum gladium. Si locus hic mendo vacat, Hieronymus Auguſtini epiſtolam melle litum gladium appellat; propterea quod pariter & reprehenſionem haberet, quaſi gladium quo jugularet & blandimenta, quibus reprehenſionis aſperitatem diſſimularet. Porro proverbium, Auguſtinus reſpondens, palam explicat, videlicet deprecans atque abominans inſidioſum blandiloquium. Plinius lib. 21. tradit, Heracleæ in Ponto, ab iiſdem apibus aliquando mella reddi, pernicioſiſſimum habentia venenũ. Quæ qui ederint, abjiciunt ſe humi, refrigerium quærentes. Nam ſudore diffluunt. Id quur fiat, pabulum in cauſa eſt. Ea eſt herba alba, quam ægolethron appellant. Alluſum eſt autem ad morem barbaricum, qui ſolent tela venenis tingere, quo vulnus eſſet immedicabile: præſentiſſimum malum erat oleum incendiarium, quo illitum telo, ſicubi hæſiſſet in corpore, tenaciter cremabat: incendium aqua injecta irritabatur, ſolo pulvere inſperſo conſopiri poterat. Author Marcellinus lib. 23.

Altera manu fers lapidem, altera panem oſtentat.

Vide in loco, Inconſtantiæ & perfidiæ.

Charadrion imitans.

Χαραδριὸν μιμούμενος, id eſt, Charadrion imitans, dici ſolitum de diſſimulante, ac rem utilem occultante. Suidas refert hunc ſenarium ſcazontem ex Hipponacte:

Καὶ μὶν καλύπτει μῶν χαραδριὸν περνᾶς;

id eſt:

Et num Charadrion quæſo venditor cædat?

Item Ariſtophanes in Avibus:

Ἀπῶντ' ἀρ' οὔποψ ὡς ἰδεῖν ἐς τὴν λόχμην
Ἐμβὰς ἀπᾶξε χαραδριὸν μιμούμενος.

id eſt.

Alioqui upupa ut videtur ſaltum ingreſſa abdidit ſeſe, Chadrion imitans. Quo loco interpres fere cum Suida, conſentiens, narrat huic avi vim ineſſe medicam, ut illius aſpectu facile ſanentur, qui laborant ictero ſive regio morbo: eamq; ob cauſam qui vendunt, occultant eam, ne licitator remedium ſentiat priuſquam emerit. Addit eam avem mutare colorem, ad ſimilitudinem eorum quibus admovetur: non deeſſe tamen qui ſentiant non aſpectum, ſed eſum avis, habere remedium. Vocem autem diſtingui accentu. Nam ſi pronuncies ultima acuta χαραδριὸν declarari avem: ſi penultima acuta, χαράδριον, diminutivum a χαράδρα, ſignificari voraginem, ſive terræ hiatum, quod in hunc delabens aqua melodiam quandam reddere videtur. Tantum ex his, quæ indiligenter à Suida ſunt congeſta, tradere licuit. Meminit hujus avis & alias Comicus in eadem fabula. ὕδωρ ἐφόρουν κάτωθεν εἰς τὸν ἀέρα χαραδριοί, id eſt: Aquam ex imo portabant in aerem Charadrii. Interpres addit, avi nomen inditum, quod in voraginibus gaudeat verſari. Socrates apud Platonem in Gorgia, quum Calliniceen eo pellexiſſet, ut fateretur beatam vitam non eſſe ſitam in copia rerum, ſed in perpetuo influxu (nam qui ſatur eſt, aut non ſitit, quoniam nec moleſtiam ſentit, nec voluptatem, lapidis more vivit, potius quam hominis) ita ſubjicit. χαραδριοῦ τινα σὺ τὸν βίον λέγεις, ἀλλ' οὐ νεκροῦ, οὐδὲ λίθου, id eſt: Rurſus tu Charadrii quandam narras vitam, non mortui, lapidisve. Marſilius vertit avem: quum Socrates videatur ſentire de voragine, in quam quum perpetuo decurrat aqua, nunquam tamen expletur. Niſi forte Charadrius avis eſt de numero voracium, quemadmodum & Larus, ut hinc nomen invenerit à Charadra ductum.

De reduvia queritur.

Περὶ τῆς παρωνυχίας μέμφεται ὁ τῷ μείζονι ἔνοχος κακῷ. id eſt, De reduvia queritur majori obnoxius malo. Vbi quis pravo pudore, leviſſimis malis quærit remedium, diſſimulans majora. Hoc affectu ſunt complures, ut etiam apud medicum diſſimulent morbum, præcipue podagrici. Narrat Plutarchus quendam conſuluiſſe medicum de vitio unguium, quum color argueret illum eſſe vitiato hepate. At medicus intelligens ineptum hominis pudorem: Nihil, inquit, tibi periculi eſt à reduvia: ſed gravius malum urget te. Huc alluſit M. Tullius in oratione pro Roſcio Amerino: Intelligo me ante tempus hæc perſcrutari, & propemodum errare, qui quum capiti Sexti Roſcii mederi debeam, reduviam curem.

Simia in purpura.

Vide in loco, Diſſimilitudinis, & Formæ.

Poſtico diſcedere.

Galenus περὶ τῶν φυσικῶν δυνάμεων lib. 2. εἰ δὲ ἐκ πολλῶν σύγκειται τῇ κηπαίᾳ κατὰ τὴν παροιμίαν ὡς εἰς Ἀσκληπιάδην ἀποκεχωρήκαμεν, id eſt, Si ex pluribus conſtat, poſtico, quod dici ſolet, ad Aſclepiadem receſſimus ſive defecimus. Poſtico autem recedere dicitur, qui furtim abiit, aliis inſcius ſeſe ſubducens. Sic Horatius:

——Poſtico falle clientem,

quod & hodie non raro faciunt magnates. Idem alia forma dixit.

——In Ariſtippi furtim præcepta relabor.

Thomas Linacer, vir incomparabili doctrina, κηπαίαν vertit per horti poſticum: Ædes quibus eſt adjunctus hortus, duas habent januas, anticam & poſticam. Antica ſpectat ad publicam viam, poſtica ducit ad hortum: per hanc elabebantur, qui clanculum abire cupiebant. Quoſdam pudet παλινῳδεῖν, ſed diſſimulanter tranſeunt in alienam ſententiam: alii per occaſionem ſubducunt ſe negotiis: In hos congruet proverbium.

Barbatenus ſapientes.

Ἐκ πώγωνος σοφοὶ, καὶ ἀπὸ πώγωνος σοφισταὶ, καὶ ἀπὸ πώγωνος φιλόσοφοι, id eſt, Barbatenus ſapientes, & ſophiſtæ, & Philoſophi. Sic appellabantur, qui præter barbam & pallium, nihil haberent philoſophi. Vſurpatur aliquoties apud Plutarch. in Sympoſiacis. Huc alluſit Horatius cum ait:

——Juſſit ſapientem paſcere barbam.

Lucianus item ſubinde jocatur in Philoſophorum τὸν βαθὺν πώγωνα, id eſt, profundam barbam. In Eunucho Bagoas ait. Si philoſophum oporteat ex barba metiri, hircos primam laudem ablaturos. Similiter Martialis:

Propendet mento nec tibi barba minor.

Recte torquebitur in hos, qui univerſam vitæ ſanctimoniam non in animo, neque in moribus, ſed in cultu conſtituunt.

Alia Lacon, alia aſinus illius portat.

Ἄλλα μὲν Λάκων λέγει, ἄλλα δὲ Λάκωνος ὄνος φέρει, id eſt, Alia quidem Lacon dicit, alia Laconis Aſinus portat. Effertur apud quoſdam & ad hunc modum parœmia, ἄλλα μὲν Λεύκων, ἄλλα δὲ Λεύκωνος ὄνος φέρει, id eſt, Alia Leucon alia Leuconis aſinus portat. In eos dicebatur, quorum oratio diſſentiret à factis. Natum ajunt ab hujuſmodi quodam eventu. Agricola quiſpiam nomine Leucon, ſolitus eſt utres melle plenos ſtoreis obvolvere. Rogatus autem ab exactoribus vectigalium, quidnam portaret, ordeum ſe portare reſpondebat: videlicet quo minus pecuniæ perſolveret. Sed cum evenisſet aliquando, ut lapſus in terram aſinus onus effudiſſet, accurrerent exactores, in reponendis ſarcinis auxilio futuri. Verum ubi interim cognoviſſent, mel in utribus eſſe, non ordeum, Leuconem obtorto collo abduxerunt, tanquam qui ſe debito vectigali fraudaſſet. Atque illud ridentes addiderunt: Alia Leucon, alia portat aſinus. Nam in nonnullis codicibus, Dicit, non additur: atque ita mea ſententia dictum feſtivius redditur. Ea vox poſtea verſa eſt in adagionem. Refertur à Zenodoto, & à Diogeniano:

Non omnibus dormio.

Non omnibus dormire dicuntur, qui non omnibus inſerviunt, neque per omnia gerunt morẽ. Tranſlatum putant à maritis quibuſdam nimis obſequentibus, qui uxores ſuas adulteris, ſcientes produnt, ſomnum interim inter pocula ſimulantes, ut adultero quodlibet liceat. Quod genus obſequii notans Juvenalis.

——Doctus, inquit ſpectare lacunar,
Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Plutarchus in libro, cui titulum fecit ἐρωτικῷ, fabulam ſuper hac re non illepidam narrat. Cum Galba quiſpiam convivio Mecœnatem accepiſſet: ſentiretque jam è nutibus hominem inflammatum in uxorem ſuam, ſenſim demiſit caput, perinde quaſi dormiret. At cum interea famulus quiſpiam ad menſam accedens vinum clam tolleret, ibi jam vigil & oculatus, Infelix, inquit, an neſciebas me ſoli Mecœnati dormire? Meminit hujus adagii, & ad hunc quem dixi modum exponit Feſtus Pomp. citans ex Lucilio: tractum oſtendens à Capio quodam, qui Pararencho dictus ſit, quod ſimularet dormientem quo impunitius ejus uxor mœcharetur. Idem indicat hujus rei meminiſſe Lucilium. Vſurpat & M. Tullius lib. familiarium Epiſtolarum ſeptimo. Olim, Non omnibus dormio: ſed ego, mi Galle, non omnibus ſervio. Videtur indicare Cicero alterum: puta, Non omnibus dormio, vetus fuiſſe: alterum, nempe, Non omnibus ſervio, novum. Vtrunque certe proverbiale: ſed prius illud pertinet ad conceſſionem juris, hoc poſterius ad obſequium impendendum. Idem Tullius epiſtolarum ad Attic. lib. 13. Eſt bellum aliquem odiſſe libenter, & quemadmodum dicitur, non omnibus ſervire. Qui quidem locus, ut hoc obiter admoneam, mihi non videtur carere mendo. Fortaſſe ſcriptum erat: Et quemadmodum non omnibus dormire, ita non omnibus ſervire. Quin & hæc ipſa vox, Servire, non vacat metaphora, cum dicimus: Servire ſcenæ, ſervire tempori, ſervire vitiis, ſervire ingenio uxoris, ſervire populo, ſervire commodis privatis: pro eo quod eſt, nihil non facere quo ſatisfacias.

Lepus dormiens.

Λαγὼς καθεύδων, id eſt, Lepus dormiens. Quadrat in eum, qui quod non facit, id facere ſeſe adſimulat: aut quod facit, id ſe facere diſſimulat. Qualem quidam arbitrantur fuiſſe Vlyſſis ſomnum, cum à Phæacibus in Ithacam inſulam exponeretur, authore Plutarcho. Nam leporem patentibus genis dormire, cum alii permulti tradunt authores, tum Plinius lib. 11. c. 37. id quod etiam hominibus nonnullis ait accedere, quos Græci κορυβαντιᾶν appellant.

Neque

Neque perperam opinor, dicetur & in timidos. Adagium à multis authoribus refertur.

Paries dealbatus.

Τοῖχος κεκονιαμένος, id eſt: Paries dealbatus, aut incruſtatus. Paulus Apoſtolus in Actis Apoſtolicis, Ananiam ſacerdotem fictū & fucatum, parietem dealbatum appellat, quod longe alius eſſet intus, quam cultu habituque externe præ ſe ferret. Chriſtus item in Evangelicis literis, ſanctimoniæ ſimulatores ſepulchra dealbata vocat: quæ cum foris niteant, intus ſunt cadaverum oſſibus referta. Sic enim eſt apud Matthæum: οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὅτι παρομοιάζετε τάφοις κεκονιαμένοις, οἵτινες ἔξωθεν μὲν φαίνονται ὡραῖοι, ἔσωθεν δὲ γέμουσιν ὀστέων νεκρῶν καὶ πάσης ἀκαθαρσίας, id eſt, Væ vobis Scribæ & Phariſæi, qui ſimiles ſitis ſepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus autem referta ſunt oſſibus cadaverum, omnique ſpurcitia. Lucianus Myronis & Praxitelis coloſſos ad hujuſmodi ferme ſimilitudinem trahit in Gallo, quod foris multo niterent ebore, multo fulgerent auro, variiſque coloribus arriderent: præterea Jovis aut Neptuni repræſentarent imaginem, fulmen aut tridentem dextra tenentes, ut plane numen aliquod eſſe viderentur: cum intus nihil apparet, præter picem, clavos, araneas, mures, atque id genus ſordes alias: haudquaquam ad exteriorem illam imaginem reſpondentes. Atque hujuſmodi principum eſſe vitam affirmat: quorum ſi ſtrepitum & apparatum inſpicias, nihil felicius, nihil deorum vitæ ſimilius: ſin curas, ſuſpiciones, odia contemplere, quibus intus diſcruciantur, nihil calamitoſius. Seneca Philoſophos, qui cum docerent honeſta, turpiter viverent, ſimiles eſſe ſcripſit quorundam medicorum pyxidulis: quarum tituli remedium pollicerentur, cum intus venenum occultarent. E diverſo, qui meliores ſunt intus, quam oratione quam quę prima illa vitæ ſpecie, qualique fronte præ ſe ferunt, hos Plato Silenis adſimiles facit: de quibus alio diximus loco.

Mortuus jacet pedens.

Νεκρὸς κεῖται πέρδεται, id eſt, Mortuus jacet pedens: dici ſolitum, ſi quando pauper ſimularet opulentiam. Apud unum Apoſtolium Byzantium reperi, & haud ſcio, an ipſi vulgoque relinquendum.

Crocodili lachrymæ.

Κροκοδείλου δάκρυα, id eſt, Crocodili lachrymæ. De iis qui ſeſe ſimulant graviter angi incommodo cujuſpiam: cui perniciem attulerint ipſi, cuive magnum aliquod malum moliantur. Sunt qui ſcribant, Crocodilum conſpecto procul homine, lachrymas emittere, atque eundem mox devorare. Cujuſmodi propemodum erant lachrymæ Baſſiani imperatoris, apud Ælium Spartianum. Lachrymabatur quoties aut mentio fieret, aut imagines videret Getæ fratris, quem occiderat. Alii narrant hanc eſſe crocodili naturam, ut cum fame ſtimulatur, & inſidias machinatur, os hauſta impleat aqua, quam effundit in ſemita, qua novit aut alia quæpiam animantia, aut homines aquatum venturos: quo lapſos ob lubricum deſcenſum, neque valentes aufugere, corripiat, correptoſque devoret. Deinde reliquo devorato corpore, caput lachrymis effuſis macerat, itaque devorat hoc quoque.

Benevolus trucidator.

Εὔνους σφαγεύς, id eſt, Benevolus occiſor. Convenit in hos, qui cum ſummam adferant perniciem, tamen benevolentiæ ſpeciem admiſceant. Tractum ajunt ab Oreſte, qui trucidata matre Clytemneſtra, parentale convivium velut in illius honorem exhibuit. Quidam & ad Antigonum regem referunt, qui poſteaquam Semelem e medio ſuſtuliſſet, oſſa tamen illius ſummo cum honore curavit ad matrem deportanda. Sunt quibus magis placet, ut adagium ad Ptolemæum Philopatris filium referatur, is matrem Berenicem in palatio ipſius vinculis conſtrictam, Soſibio tradidit adſervandam: ubi illa non ferens eam filii contumeliam, ſumpto veneno interiit. At ille perturbatus inſomniis, monimentum in medio urbis extruit, quod nunc ſepulchrum appellatur. In hoc una cum matre majores omnes ſuos compoſuit, & inter hos Alexandrum Magnum. Nec hoc contentus officio vir pius, templum eidem conſtituit in Ægialis, cui nomen inditum, Berenices ſervatricis. Hæc ferme Zenodotus. Confine eſt illud quod alibi recenſuimus: Intempeſtiva benevolentia nihil à ſimultate differt. Ita Flaccus:

Nil moror officium quod me gravat. ———

Nec parum ſcire dixit Ennius apud Ciceronem libro Officiorum 2.

Benefacta male locata maleſacta arbitror.

Extra quærere ſeſe.

Proverbiali ſchemate dictum à Perſio, Satyra prima.

———Examenque improbum in illa
Caſtiges trutina, nec te quæſiveris extra.

Id eſt:

Tuis te facultatibus metiaris, non populari opinione. Reſpondet illi quod idem alibi dixit: Tecum habitas. Nam domi habemus quæ proprie noſtra ſunt, nec aliunde petenda. Qui non eſt contentus recti conſcientia, ſed famam ſpectat, ἔξω βλέπειν, id eſt, foras proſpicere dicitur. Plutarchus in commentario, qui inſcribitur, Quemadmodum quis intelligere poſſit ſe profeciſſe. δῆλός ἐστιν ἔξω βλέπων ἔτι, καὶ πρὸς δόξαν ἑλκόμενος, id eſt, Palam eſt illum adhuc foras proſpicere, & opinione famaque duci. Huc pertinet illud quoque quod alibi retulimus:

Ἀλλότριος βοῦς πολλάκις ἔξω βλέπει.

Id eſt:

Extraneus bos ſæpe proſpectat foras.

nimirum domi multa deſiderans. Porro ſapiens omnia ſua bona ſecum portat in ſeipſo, totus inſtar mundi teres atque rotundus.

Æſopicus graculus.

Αἰσώπειος κολοιός, id eſt, Æſopicus graculus, dicitur, qui aliena ſibi uſurpat, aliorumque bonis ſeſe venditat. Vſurpat Lucianus in Pſeudologiſta. Horatius:

———Moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus.

Extat Apologus inter alios, qui Æſopi nomine circumferuntur. Pindarus in Nemeis hymno tertio, οὐδ' ἀλλοτρίων ἔρωτες ἀνδρὶ φέρειν κρέσσονες, οἴκοθεν μάτευε, id eſt: Neque rerum alienarum cupiditates viro meliores ſunt ad ferendum, è domeſticis inquirere. Reprehendit ſuam digreſſionem poeta, jubetque: ut quem ſuſcepit celebrandum, laudet è propriis virtutibus, potius quam ex alienis.

Aurum ſubæratum.

Ὑπόχαλκον χρυσίον, id eſt, Subæratum aurum dicetur homo nequaquam ſincerus, ſed aliud præ ſe ferens, aliud intus occulens. Sumptum à numiſmatis adulteratis.

Diu diſſimulatum aperientis.

In eum, qui quod diu diſſimulavit, tandem irritatus eloquitur, non inconcinne detorquebitur illud, quod in eodem loco dictum eſt de Vlyſſe.

Ἀλλ' ὅτε δὴ ὄπα τε μεγάλην ἐκ στήθεος εἵη.

Id eſt:

At ubi jam promit prægrandem è pectore vocem.

Scytha acciſſans aſinum.

Ἀκκιζόμενος Σκύθης τὸν ὄνον, id eſt, Acciſſans Scytha aſinum. Adverſus eos qui verbis aveſantur, quod re cupiunt. Id ad hujuſmodi fabulam referunt. Quidam conſpecto aſini cadavere, Scythæ cuidam, qui forte aderat, dixit: En quod cœnes. Ille primum aſpernatus atque abominatus, poſtea tamen apparuit, cœnavitque. Ita ferme Suidas & Zenodotus. Heſychius ſecus effert, Σκύθης ὄνειον δαίνυται, id eſt: Scytha aſininum convivium ut ſubaudias, reperit: ſi tamen hic locus apud Heſychium mendo vacat. Nam mutilum eſſe conſtat: & fortaſſis ὄνειον, dictum eſt pro utili; ſic tamen ut alluſum ſit ad aſinum.

EX APPENDIC. ERASMI.

Φαιδροπροσωπεῖν.

Vultu præ ſe hilaritatem & benevolentiam ferre cum aliud geras in pectore. Cicer.

Spem vultu ſimulat, premit alto corde dolorem.
Vergilius.

Perſonam mavult quam faciem.

In ſtultum ſimulatorem, qui mavult videri, quam eſſe. Eodem referuntur ſuperiora illa.

Plures triobolos, paucos eſt cernere vates:

&, Multi qui boves ſtimulent, pauci aratores: &, non omnes qui habent citharam, ſunt citharœdi.

IVNII. In fronte mentem habet.

Ἐν τῷ μετώπῳ τὸν νοῦν ἔχειν μόνον, id eſt, In fronte ſolum mentem habet. In vanam & ſimulatam prudentiam convenit, aut in ſuperficiariam eruditionem, quam fronte promittunt nonnulli, in receſſu nihil habentes. Extat apud Amphin comicum, τὸ μόνον ἐν τῷ μετώπῳ τὸν νοῦν ἔχειν εἰώθεσαν, id eſt: In fronte ſolum mentem habere qui ſolent. Fronti nullam eſſe fidem dixit Martialis: & Cicero eam ſæpe mentiri ait. proinde recte umbram quandam eruditionis oſtentantes, & quod iſte dixit barbatenus philoſophantes, ἐν τῷ μετώπῳ τὸν νοῦν ἔχειν: in fronte, non autem in animi penetralibus: mentem habere dicemus.

Geometriam exercet in ſuperciliis.

Γεωμετρεῖν περὶ τὰ ἐπισκύνια, id eſt, Geometriam exercere in ſuperciliis, proverbiali figura dicuntur, qui formam fuci adulterio concinnant, ut annotat Iulius Pollux libro quinto, cujuſmodi homines οὐ πρόσωπα, ἀλλὰ προσωπεῖα φέρειν dicit, non faciem hominis, ſed perſonam ſeu larvam præferentes. quo etiam Nazianzenus uſus eſt adverſus fœminas, ſtibio formæ lenocinium quærentes: οὐ πρόσωπα, ἀλλὰ προσωπεῖα φέρειν. Appoſite vero geometriæ metaphora aſſumpta eſt, quod quemadmodum ea terram metitur accurate, ita compturæ ſtudioſi linea ſtibio nigricante ducta cilia pingebant. unde in Omphale Lydiæ regina inter cætera aſcititiæ formæ inſtrumenta Ion enumerat, καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον. Nigrumq; ſtibium oculorum picturamentum. Eſt autem ἐπισκύνιον, ſupercilium, ac velut projectum quoddam ciliorum. Cujus vocis creber eſt uſus apud Philoſtratum: ut de Achille,

ἐπι-

ἐπισκυνιον τι θυμωδεῖς φρύαγμα, id eſt, Supercilium & faſtus quidam iracundiæ index & de Medea, τίς ἡ βλοσυρὴ μὲν ἐπισκυνίων ὑπὲρ ὀφθαλμῶν ἀείρει. id eſt; Quænam eſt hæc, quæ terribilem ſuper oculos ſupercilium adducit? rurſus de Cercopibus ἐπισκυνιον ὀφρύων ἀκανθώδεις καὶ ἄγχουσι, id eſt, Supercilium ſuggrundas ſpinolas & immones.

Bifrons Mercurius.

De ſimulati ingenii homine dicitur, qui aliud coram in os, aliud averſus loquitur. Nazianzenus ad Nemeſium. ἀμφιπρόσωπος ἑρμῆς δίγλυφος οἷα, πρόσωθε μὲν, ἄλλο δ᾽ ὄπισθεν: Qualis Mercurius bifrons, aliud antrorſum, aliud poſtrinſecus. Hermæ lapides ligneive cippi erant in biviis triviiſque erigi ſoliti, ad indicanda viarum ferentium diſcrimina. Vlpianus in Demoſthenicam orationem, quæ eſt adverſus Leptinem. Hermas iſtos quadrangulos fuiſſe annotat: ſuprema parte Mercurii faciem præferentes, inferius inſcriptiones viarum oſtendentes. Thucydidis ſcholiaſtes in ſexto ſcribit, quadratos & cubiformes poni conſueviſſe, velut ſymbola quædam rationis & veritatis inconcuſſæ. Alioqui τρικέφαλος ἑρμῆς apud Etymologici authorem Triceps Mercurius, viarum index legitur.

Antica excluſum poſtica recipere.

Τῇ αὐλείᾳ ἀποκλείειν, τῇ δὲ παραθύρᾳ εἰσάγειν, Per atrii ſeu veſtibuli oſtium excludere, per poſticum intromittere. Competit adagium, ubi domum apertis verbis repudiatum, conniventer admittimus: aut quum ſententiæ aut opinioni, cui ex profeſſo ſumus refragati, diſſimulanter aſſentimur atque ſubſcribimus. Plutarchus Sympoſiacωn lib. 1. cap. 1. δέδια μὴ δοκῶμεν τῇ αὐλείῳ τὴν τέχνην ἀποκλείοντες ἐκ τῶν παραθύρων πιεῖν ἀδιαφορίας, id eſt, Vereor ne artium primore oſtio excluſum, poſtico intromittere citra diſcrimen videamus. Similiter dixit Galenus lib. 2. De natural. facul. τῇ κηπαίᾳ κατὰ τὴν παροιμίαν ἀποχωρεῖν. Poſtico juxta proverbium digreſſi ſumus. Eſt autem anterior ædium janua. Græcis αὔλειος: at poſtica, quæ à via regia abſcedit aut in hortum excurrit, παράθυρος à fallendi argumento, & κηπαία velut hortenſis, denique ψευδόθυρον dicta, qua voce præter Ammianum & Suetonium, uſus etiam eſt Cicero in Verrinis: Ea quemadmodum ad iſtum poſtea per pſeudothyrum revertatur, tabulis planum faciam. Poſticum in ea ſignificatione Horatio etiam notum eſt ibi:

Atria ſervantem poſtico falle clientem.

Sinopiſſare.

Σινωπίζειν. Sinopiſſare proverbialiter effertur de iis, qui præ ſe ferunt quod revera non ſunt: tractum à moribus Sinopes ſcorti, comœdiis Anaxilai & Amphidis olim nobilitati, quæ cum anus eſſet, fuci & purpuriſſi tectorio pro formoſiſſima ſeſe proſtituerit, ut in Rhetorico lexico annotatum eſt ab Harpocratione. Meminit hujus & Demoſthenes. Herodotus in tertio de Perſonis comice traductis refert, Sinopem meretricem cognomento dictam fuiſſe ἄβυδον antiphraſtice, quaſi juvenem & Belli antiqui diſſimilem, quum eſſet vetula: niſi malumus cum Suida ἀβυδον legere, à nota mollitiei, qua Abydeni Miletum incolentes aſperſi fuerunt, teſte Stephano. Hypocritam ergo in propatulo ſanctulum, domi diſſolutum, ſub agnina pelle lupinum animum abſcondentem σινωπίζειν dicemus, utcunque Suidas ad petulantiæ meretriciæ ſignificationem hoc transferat: quaſi vero non omnium in genere ſcortorum illud proprium ſit. Simili plane ratione σινωπίζειν, id eſt, Proſcenium dicimus, quod foris ſpecioſum apparet, latente intus multa fœditate: quod ipſum quoque hypocritis convenit, quo nomine vocitata fuit Nannium meretricula, teſte Antiphane, quæ facie quidem venuſta quum eſſet, formam adjuvantibus & veſtitu ſumptuoſiſque veſtibus utebatur, nuda tamen mire deformis videbatur: unde & comici cujuſpiam de illa jocus memoratur, proboſcidem illam nominantis, μετὰ τὰς ἐχ ὑμενίδας, hoc eſt, bracteatas ſortes.

Patroclum ſub ſpecie.

Πάτροκλον πρόφασιν. Patroclum ſub obtentu aut prætextu, proverbium dicitur de his qui rei cujuſpiam gratia ſimulant ſe facere aliquid, quod revera aliorum faciunt: quemadmodum flagriomum vulgus (quos batturos vocat Italia) ſpecie virtutis & umbræ, vitia flagellant ſua, alienæ interim pudicitiæ inſidiantes ſtrenue: aut qualiter alium qui laudant, ut ſuas in eo laudes recitent atque inculcent, iij. Patroclum obtendunt. Eſt autem elliptica oratio, ut plena ſit, πάτροκλον πρόφασιν τιθέναι aut ſimili quid; hoc eſt, Patroclum obtentum facere aut prætexere. Plutarchus in libello, Quomodo ſe quiſpiam extra invidiam laudare poſſit. δεῖ δὲ μάλα δεῖ φυλάττειν ἑαυτοὺς περὶ τοὺς ἐτέρων ἐπαίνους ὅπως μὴ δοκῶμεν πάτροκλον πρόφασιν σφᾶς δ᾽ αὐτοὺς ἐπαινεῖν. Quapropter diligenter attendendum eſt nobis circa alienas laudes, ne videamur Patroclum obtendendo, nos ipſos per alios laudare. Occaſio adagii ex Homero petita eſt Iliados 19. ubi Briſeida necem Patrocli lugentem, reliqua fœminarum turba ſequitur, non tam Patroclum, quam proprias ærumnas deflens, ſic enim inquit:

Ὣς ἔφατο κλαίουσ᾽, ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες.
Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ᾽ αὐτῶν κήδε᾽ ἑκάστη.
Id eſt.
Sic ait illacrymans, gemitum grex inſuper addit
Fœmineus, Patrocli obtentu, ſua funera lugens
Quælibet,———

Ita Paulo poſt Achille lachrymante, ſeniorum cœtus etiam illi lachrymat, memor pignorum domi relictorum. quod Euſtathius reddit, οἱ γέροντες κλαίουσι πρόφασιν ἀχιλλέα, ἕκαστος δὲ τὰ οἰκεῖα, neque enim propter Achillem lachrymis indulgebant, ſed memoria recolentes, quos parentes, quantum liberorum domi reliquiſſent. Hinc liquet, errare eum qui natum adagium putat è Patrocli cujuſdam moribus, cujus ſordes in comœdia traducuntur.

Equum Scytha.

Τὸν ἵππον ὁ σκύθης. id eſt, Scytha equum ſubaudi, βδελύττεται ἢ μυσάττεται, averſatur aut faſtidit. Citatur à Suida proverbium, de eo qui in propatulo rem quampiam rejicit & averſatur, clam appetit. Id genus hominum neutiquam rarum eſt, qui munerum publicorum adminiſtrationem verbis deſpuunt, & ceu onus quovis Ætna gravius exſecrantur, quum re ipſa nihil affectent magis, ambitionis pleniſſimi. Videtur etiam dici poſſe de eo, qui duplex una & eadem ex re commodum captant. Nam Scytha equo & ad itineris expeditionem & ad paſtum utitur, ut indicat D. Clemens in pædagogo. Nam conſcenſo equo avehitur quo velit cunque. & urgente fame epoto e ſecta vena ſanguine famem ſitimque placat.

Canis clanculum mordens.

Κύων λαίθαργος, id eſt, Canis clanculum mordens: proverbium de ſimulatoribus, qui benevolentiam & ſtudium ſuum ore prædicant, clam inſidiantur & detrahunt, & dolum blando riſu prætexunt. Citatur alicubi a Suida jambicus talis;

Σαίνεις δάκνουσα καὶ κύων λαίθαργος εἶ.
Id eſt:
Palpando mordes, clam canis dentem imprimens.

Alluſit huc Euſtathius Odyſſeæ 16. obtrectatores nominans λαιθάργους δάκνοντας. id eſt, in modum clanculariis canis mordentes. Leguntur apud Laertium poetæ cujuſdam verba, hypocritæ inſidias cavendas eſſe admonentis: πεφυλαγμένος ἄνδρα ἕκαστον ὅρα μὴ κρυπτὸν ἔγχος ἔχων κραδίῃ φαιδρῷ σε προσεννέπῃ, γλῶσσα δέ οἱ διχόμυθος ἐκ μελαίνης φρενὸς γεγωνῇ, id eſt, caute obſervans quemlibet virum, vide ne occultum corde gerens mucronem, nitida te fronte compellet, atque os bilingue ex atris præcordiis ſonet.

Roſcii.

Roſcius ſummus fuit hiſtrio: cujus generis artificium ſimulatione conſtat, & alienæ perſonæ in theatro imitatione. Hinc Roſcii nomine vulgo notantur artifices ſimulationis, quique ſimulatione vultuum bonos & comes ſeſe oſtendunt, quum revera alii ſint. Hoc nomine in primis taxantur aulici.

Ne vicini quidem ſentiunt.

Quum indicare volumus, ita geri tacite ac diſſimulanter quippiam, ut ne proximi quidem ſuboderentur factum, aut rem adeo trivialem eſſe & exigui momenti, ut ea nemo commoveatur, proverbii uſus erit. Plato in Alcibiade priore, differens quantum ponderis trabant res magnatum Perſarum, inquit, regi quum primogenitus naſcitur, cui hæreditario jure deſtinatur imperium cuncti ſubditi feſtum diem celebrant: ἡμῶν δὲ γενομένων, τὸ τοῦ κωμῳδοποιοῦ, οὐδ᾽ οἱ γείτονες σφόδρα τι αἰσθάνονται, i. e. At ut bis in lucem editis, ne vic ni quidem (juxta comici dictum) magnopere id perſenſcunt. Non liquet nunc mihi è quo Comico petitum ſit.

COGNATI. *Aliud in titulo, aliud in pixide.*

Sunt hujus generis homines, qui pietatem in lingua geſtant, intus impii. hoc eſt remedium in titulo habent, venenum in pixide. Hi enim (mirum) quanto fulmine vitia plebis exercentur, quanto boant, quanta jactatione debacchentur in errata aliena, & ſibi nihil non indigent: quaſi jam ſuis defuncti partibus ſint, ſi vulgo monſtraverint quæ illos oporteat facere. Metaphora à pharmacopolarum pixidibus ſumpta, quæ venena habent, cum titulo remedia oſtentent. Bonum autem opus dici merebitur, ſi non modo res ipſa, quæ fit, boni operis ſpeciem habeat, verumetiam vim atque odorem: ut eo perfuſus Chriſtus dicat, Bonum opus hæc operata eſt in me. Hoc unguentum non e manibus aut vultu, ſed ex alabaſtro mentis promitur, nam pius vultus, iejunia, vigiliæ, ſermo religioſus, veluti titulus eſt pixidis: pia ſinceraque domina unguentum eſt. titulum legunt homines, illis enim non aperitur pixis: ſed Chriſtus unguento delectatur. titulo non fallitur. Alioqui poſſunt res bonæ, fieri non bonæ. Kalophanta videtur à Plauto appellari in Curcul. qui in ſpeciem appareat bonus, cum ſit malus quales Græci χρυσολόγους vocant. Salluſtius de bello Catilinæ, de corruptis moribus populi Romani diſputans, inquit, Aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habere, videtur expreſſiſſe Homericum verſum. In nono enim libro Iliados Achilles orationi Vlyſſis reſpondens, oſtendit ſe ferre non poſſe hujuſmodi ingenium, quod aliud animo occulit, aliud autem dicit: nec minus hunc hominem odiſſe quam mortem. Erat enim generoſi animi iuvenis, ac quod ſentiebat, libere loquebatur, Locus poetæ, verbaque hæc ſunt:

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ᾽ ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

Idem

Idem Salluſtius cum Marci Catonis virtutis explicatis addidiſſet, Eſſe quam videri bonus malebat: manifeſto interpretatus eſt ſenarium hunc Æſchyli, qui Amphiarai auguris naturam probitatemque laudans, inquit, οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Seneca in epiſtolis: Pleriquc Philoſophorum tales ſunt, ut ſint diſerti in convicium ſuum, quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pixides venena. Vulgatum eſt illud Alexandri de Antipatro dictum, Ἀντίπατρος ἔξωθεν λευκοπάρυφος, ἔνδοθεν δὲ ὁλοπόρφυρος, id eſt: Antipater extrinſecus albis vulgaribuſq; veſtibus, intrinſecus vero plane purpureis, reconditam ſcilicet ejus ſapientiam ſignificans. Lucianus in Mercenario doctore, dicit aulicos omnes ſimiles eſſe pulcherrimis illis libris, quorum aurei quidem umbilici, purpurea foris pellis: cæterum intus aut Thyeſtes eſt, liberos in convivio comedens, aut Oedipus matris maritus, aut Thereus cum duabus pariter ſororibus rem habens. Ejuſmodi ſunt & illi, inquit, ſplendidi, conſpicuiq; porro intus ſub purpura varias occulunt tragœdias. Non diſſimile eſt hoc Ambroſii epiſcopi ad Valentinianum Auguſtum, contra L. Aurelium Avianium Symmachum. Hoc unum petens, inquit, ut non verborum elegantiam, ſed vim rerum ſpectandam putes. Aurea enim, ſicut Scriptura divina docet, eſt lingua ſapientium literatorum, quæ phaleratis dotata ſermonibus, & quodam ſplendentis eloquii, velut coloris pretioſi coruſco reſultans, capit animorum oculos ſpecie formoſi viſuſque perſtingit, Sed aurum ſi diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum eſt, id eſt, æs, genere ad ſpeciem contracto precium, ipſum aurum ſignificat. Vide infra Fronte politus: Albati ſcurræ: & Alia dicunt alia faciunt: Rhetorici colores: Apparere, quam eſſe malunt. Decipimur ſpecie recti, inquit Horatius. Idem libro 1. Epiſt. 16.

Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora.

Huic ſimile eſt hoc alterius cujuſpiam:

A verbis facies diſſidet ista tuis.

Πλάττεσθαι τρόπον.

Græce dicere conſueverunt, quandocunque quis ſua illa re propriaque non utitur, ſed alienum induit, & ad tempus ſibi accommodat. Lyſias in oratione ſuper Ariſtophanis pecunia, περὶ δημοσίων, ſic locutus eſt, [illegible] πλάττεσθαι τρόπον αὐτῶ [illegible], non diuturnam eſſe poſſe affirmans hanc alienæ perſonæ ſimulationem. Cicero manifeſto hoc intellexit, cum pro Cœlio dicens, de ingenio Catilinæ, & quanto artificio ille captaret voluntates hominum, diſputavit, ait enim: Verſare ſuam naturam & regere ad tempus atque huc atque illuc torquere & flectere, cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe vivere. Nam propium adhuc acceſſit ad ſententiam Lyſiæ, cùm in undecimo libro epiſtolarum ad Atticum exclamavit: Quam non eſt facilis virtus, quam vero difficilis ejus diuturna ſimulatio. Quæſivit autem Ariſtot. in poſteriore eorum librorum, qui ἠθικὰ μεγάλα vocantur, an id quod Cicero tribuit Catilinæ, in congreſſibus, ſcilicet par unicuique reddere, ac quib. moribus quiſque præditus ſit, talis ſe in colloquio illo congreſſuque conformato obſequi ſtudiis illius, ſit officium boni viri: ſtatim tamen id diſſolvit, atque omnem hunc ſcrupulum evellit, affirmans id eſſe proprium aſſentatoris, & ejus qui placere omnibus, quavis ratione ſtudeat, quem Græci ἄρεσκον appellant: Galli vero curialem. Apud Latinos fingere vultum, aut inceſſum, aut mores, idem valet quod πλάττεσθαι τρόπον.

Fronte politus.

Perſianum eſt ſatyra quinta.

——Fronte politus,
Aſtutam rapido ſervas ſub pectore vulpem:

Sic antea ſatyr. quarta.

Quin tu igitur ſumma nequicquam pelle decorus.

Sic Horatius epiſt. 16. lib 1.

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota,
Introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.

Simile eſt illis proverbiis noſtris quæ habentur ſuperius: Aliud in titulo, aliud in pixide: &, Hiantia ſepulchra & dealbata: item, Paries dealbatus, Ablati ſcurræ: Qui alia dicunt, alia faciunt. Rhetorici colores: & Phaleratus in eos, qui ſanctimoniam, boniq; viri ſpeciem oſtentant & præ ſe ferunt, intrinſecus ſunt fraudulenti. Tales ſunt hodie Papiſtæ ſacrificuli, extrinſecus albis veſtibus, intrinſecus vero purpureis & prorſus voluptuoſis, lupi rapaces. Innuunt autem hæc adagia, quod quiſpiam de veſtitu non eſt æſtimandus, ſed à virtute & animi dotibus probandus. Nec enim habitus virtutem dat, aut cuculla facit monachum, nec cathedra ſanctificat concionatorem. Nullus (inquit Seneca) dicit gladium eſſe bonum, ſi baltheus ejus deauratus eſt, & vagina gemmis diſtincta: ſed gladius bonus dicitur, qui bene incidit, & bonum acumen habet. Hinc dixit Hemus latro Apud Apuleium: Nec me putetis egenum, vel abjectum, neve de pannulis illis virtutes meas æſtimetis. Sæpe item [ut inquit Cæcilianus apud Ciceronem in Tuſcul.] etiam ſub ſordido palliolo latet ſapientia. Scribit Plinius in epiſtolis, quoſdam interdum ſeducto, cultuque pagano quaſi ruſticos non minus eſſe eruditos, quam eos qui ſtudia præferunt & oſtentant. Poteſt [inquit Seneca] ingenium feliciſſimum ſub quali-bet cute latere, poteſt è caſa vir magnus prodire, poteſt ex deformi humilique corpuſculo, formoſus animus, ac ingenuus. Conſimiliter poteſt in panniolo & ſordido corpore, animus generoſus ac robuſtus deliteſcere: in eleganti amictu, vitiis & ſceleribus inquinatus: ut in Papiſtis Cardinalibus: qui cum ſint purpurea ornati veſte, intrinſecus vitiis & ſceleribus redundant. Muſonius apud Gellium libr. 9. cap. 2. dicit ſibi doloris & ægritudini eſſe, quod iſtiuſmodi animalia ſpurca atque probra ſanctiſſimum nomen uſurpent, & Chriſtiani appellentur. Ita Quintilianus in lib. 1. ſcribit: Philoſophi nomen ſibi inſolentiſſimum arrogaverunt, ut ſoli ſapientiæ ſtudioſi vocarentur, quod neque ſummi imperatores, neque conſiliis rerum maximarum ac totius adminiſtratione reipub. præclariſſime verſati, ſibi unquam vendicare ſunt auſi. facere enim optima, quam promittere maluerunt. ac veterum quidem ſapientiæ profeſſorum multos & honeſta præcepiſſe, & ut præceperint, etiam vixiſſe, facile conceſſerim. Noſtris vero temporibus ſub hoc nomine maxima in pleriſque vitia latuerunt. Nō enim virtute ac ſtudiis ut haberentur philoſophi, laborabant, ſed vultum & triſtitiam, & diſſentientem à cæteris habitum, peſſimis moribus prætendebant. Hactenus & appoſitiſſime quidem Fabius. Hæc autem omnia fuſius attigit Tertullianus in Apologetico, capite ultimo. Gellius lib. 10. cap. 22. Platonicis verbis graviter objurgat deſidioſos, ignavoſque, qui obtentu philoſophiæ, nominis inutile ocium, & linguæ vitæque tenebras ſequuntur. Idem Gellius lib. 13. cap. 23. ſcribit, verbum hoc Catonis Tuſculani quod dicebat ſeſe hoc aliis vitio vertere, quod non poſſent egere, plus commovere ad exhortandam parſimoniam ſuſtinendamque inopiam, quam Græcas illorum præſtigias philoſophari ſeſe dicentium, umbraſq; verborum inanes fingentium, qui ſe nihil habere, & nihil tamen egere, ac nihil cupere dicunt, cum & habendo, & egendo, & cupiendo ardeant. Sic & mendici monachi, Pauli illud ſabinde jactitant, Nihil habentes, at omnia poſſidentes cum tamē non minus habendi fame ardeant, ac nihil poſſidentes. Idem libro 17. cap. 19. refert, Epictetum hujuſmodi philoſophos appellaſſe, ἄνευ τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν, id eſt, ſine ulla actione ad dicendum paratos. Seneca Philoſophos qui cum docerent honeſta, turpiter autem viverent, ſimiles eſſe ſcripſit quorundam pharmacopeorum pixidulis, quorum tituli remedium pollicerentur, cum intus venenum occultarent. Plutar. hos coloſſis comparat, qui cum foris multo niteant ebore, multo fulgeant auro, intus ſunt luto & ſordibus oppleti. Idem hoc genus philoſophorum in libro quem inſcripſit ἀπαίδευτον, graviter inſectatur. De iis Timon Phliaſius in Sillis dixit, authore Theodorito Cyrenſe, lib. 2. Therapeutic. ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί, nempe nihil aliud eſſe, quam utres vulgarium opinionum ſentibus inflatos: barba, palliòque raram quandam ſapientiā pollicentes, ſemper habentes in ore virtutem, honeſtum & libertatem: quum illorum plerique toti maderent vitiis plus quam vulgaribus, ac ventris gloriæque eſſent mancipia. Tales erant apud Judæos Pharaæi, qui triſtitia vultus, latis philacteriis aliiſq; fucis apud imperitam plebem venabantur opinionē ſanctimoniæ. Quoniam autē utrique virtutem in lingua circumferebant, ſimiliter audiunt utrique. Siquidem dux ille fortis magis quam eloquēs, quum audiſſet Philoſophos in Academia de recte vivendo diſputantes, peracta Diatriba, rogatus, quid de his ſentiret? Nihil inquit, ſupereſt, niſi ut quæ diſputatis, reb. ipſis præſtetis. Significabat illos de virtute per omnem vitam nihil aliud quam diſputare. Quid autem audit à Chriſto Pharisæus? Recte reſpondiſti, hoc fac & vives. Utinam autem non eſſent inter Chriſtianos, qui & Philoſophorum fucos & Phariſæorum ambitioſam hypocriſin ſuperarent. Prætererunt umbræ, venit lux, non decet filios lucis ullus fucus. In quos acrius ſævit veritas Chriſtus, quā in hypocritas? Tales ſunt Papiſtæ monachi, qui non ſolum mentiuntur oratione, ſemper habentes in ore religionem, Eccleſiam, & Chriſtum, fidem & Evangelium: verumetiam vultu ficto, veſte prodigioſa, cibis, titulis, ac ceremoniis orbi mentiuntur, non ſine gravi pernicie religionis, quam inſincere profitentur. Hæc mitrata mendicabula non in alienis foribus humeros ſuos (id quod ab Homerico mendico utcunque ferri poterat) atterunt, ſed paſſim in incorruptas Parthenonas impreſſionem faciunt: atque iſthic pro nefaria ſua libidine, non aliter omnia vaſtare conſueverunt, atque is qui floribus auſtrum perditus, & liquidis immittat fontib. apros. Hæc omnia volui adjuncta, ut reprimantur fœdiſſimi ganearum incolæ. Theologi ſuperficiales, Sorboniſtæ monachi, verius dicendi gaſteones aſophi, indigni ſane quibus accedat ſacri verbi & Chriſtiani nomenclatura. Sedulo autem cavendum eſt, ne cum vita mirabiliter pugnet oratio. Nam unde alias tantus doctorum, præſertim ſacrorum, contemptus?

Videntes non vident, audientes non audiunt.

In hos quadrat, qui ſi quid parum placet, id ſcire diſſimulant. Demoſthen. in prima oratione contra Ariſtog. [illegible] id eſt, Qui infelicium miſerorumque caſus & mala norunt, videntes (quod proverbio fertur) non vident, & audientes non audiunt: illi porro ſic ſe gerunt in iis quæ faciunt, ut cōſtet eos ſua tegere incommoda, & infamiam metuere. Homerus Iliad. ψ. de Antilogo, qui Menelaum revocantem à curſu, cum

audiret, perinde tamen quaſi non audiſſet, ita celerius etiam currebat,

> Ἀντίλοχος δ' ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἔλαυνε.
> Κέντρῳ ἐπισπέρχων, ὡς οὐκ ἀΐοντι ἐοικώς.

Coma brevior ſupercilio.

In Stoicos atque talos noſtri temporis monachos dici ſolitum eſt, qui præ ſe ferunt magnam in vultu ſeveritatem, cum tamen interea clam fœdis libidinibus dediti ſint. Hi, quod alere comam delicatum putarent, & parum virile, capillum raſitabant, & ἐν χρῷ κουρίας erant, quod Juvenalis dicit de Stoicis,

> Atque ſupercilio brevior coma.———

Lucianus de Stoicis in vitarum auctione, in Hermotimo, ſive de ſectis, ἄλλοι πάλαι, τὸ ἐν χρῷ κουρίας ἐκεῖνοι τὸν σωφρονικὸν ἀξιοῦσι εἶναι.

Apparere quam eſſe malunt.

Huic confinia ſunt, quæ ſuperius habentur: Aliud in titulo, aliud in pixide: Calophanta: χρηστολόγοι, aliud in pectore, aliud in lingua: Fronte politus: Albati ſcurræ: Alia dicunt, alia faciunt: Rhetorici colores: Paries dealbatus: Hiantia ſeu dealbata ſepulchra: Non re, ſed viſu terribiles: quæ omnia in eos dicuntur, qui in ſpeciem apparent boni, cum ſint mali. Contra Saluſtius de Marco Catone: Eſſe quam videri bonus malebat. Horat. libro primo, epiſtol. ad Quinctium,

> Tu recte vivis, ſi curas eſſe quod audis.

Id eſt,

quod diceris. Luc. 20. Miſerunt inſidiatores, qui ſe juſtos ſimularent.

Scytha aſinum videt.

Σκύθης ὄνον ὁρᾷ, proverbium eſt in eos; qui verbis averſantur, quod re cupiunt: à Suida relatum de Scytha, coram aliis averſari ſe ſimulante aſini cadaver, quibus digreſſis veſci eo cœpit. Cic. lib. 10. epiſt. ad Atticum: Habes Scytha ὄνον Significat. Atticum ſimulare proficiſci ab Italia velle, ſed retineri ſe fingere, & prohiberi à Curtio. Idem initio Iliad. ab Euſtathio, de Scytha equum mortuum coram aliis inſpiciente & abominante, narratur.

Poetæ in multis mentiuntur.

Inter illos dialogos, qui cum Platonis operibus circumferuntur, Platonici plane, quod Platonis ſententiis & verbis conſcripti ſunt, extat unus de juſto, in quo Hoſpes: Atqui, ô Socrates, recte habet proverbium vetus. Poetas in multis mẽtiri. Hinc illud quod frequenter uſurpatur ex libello de moribus, qui Catonis nomine inſcribitur, lib. 3.

> Nam miranda canunt, ſed non credenda poetæ.

Poetis non ubique fides adhibenda, licet illi res ſcribant admirabiles & eorum lectio plurimum delectet. Multa quidem legenda, ſed cum judicio, quoniam non omnia vera ſunt, quæ apud poetas leguntur.

Summis digitis.

Plato in Alcibia. 1. vel de natura hominis. Si ergo quærerent Athenienſes, adverſus quos palæſtra vel ſummis digitis, reliquo corpore intacto, & quemadmodum certandum ſit: ecquid ipſe melius quam gymnaſii magiſter conſuleres? Eraſm. noſter habet, Summis ingredi pedibus: &, Summis unguibus.

Larvæ & Simiæ maximæ.

Plato: Imo larvæ ipſæ, ſimiæ maximæ, maximique præſtigiatores, ſophiſtarumque ſophiſtæ. Sumus enim omnes invicem veluti ſimiæ factorum & dictorum noſtrorum, ſicuti & ſimiæ quoque ipſæ noſtri.

COELII RHODIGINI.

Ariſtogiton claudicat.

In eos qui morbum ſimulant, ut à militia, aliove munere publico liberentur. Ariſtogiton non niſi bella & Martem ſpirabat. Cum autem aliquando Athenis delectus haberentur, obligato crure tanquam vulneratus eſſet, & baculo innixus, ſeſe in publicum dedit. Vnde Phocion, agnita hominis aſtutia, ſcribe, inquiebat, Ariſtogitonem, eundemque & improbum & mendacem.

PETRI GODOFREDI.

Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes.

Hoc eſt multi in nomine pauci in opere Chryſoſtom. Referetur eleganter ad omnes ordines. Plures enim ubique videri volunt, & dici quam eſſe.

CAROLI BOVILLI.

Vlulare cum lupis.

Dicuntur qui in loco & tempore norunt ſimulare & diſſimulare, & omnibus fieri omnia. Veri illi Prothei ſeu Polypi quovis rege ſunt beatiores, dum ab omnibus gratiam ineunt omnes tamen interea pro ludo habent: ſibi vero ſapiunt maxime, in eo uno conſtantes. Huc illa etiam e vulgo referas, Hinnire cum equis, Rugire cum leonibus, Balare cum ovibus, &c.

EX APPENDICE TVRNEBI, ET ALIORVM.

Habes Scytha ὄνον.

Ita Cicero ſignificat Atticum ſimulare proficiſci ab Italia velle, ſed retinere ſe fingere, & prohiberi à Curtio. Alluſit ad proverbium, Σκύθης ὄνον ὁρᾷ: de quodam Scytha, coram aliis averſari ſe ſimulante cadaver aſini, quibus digreſſis veſci eo cœpit. Turnebus Adverſ. lib. 10. cap. 9. Vide Eraſm. proverb. Scytha aſinum.

EX APPEND. JUNII, CANTERI ET ALIORUM.

Mutuum ſumpſit.

Amphitruo uxorem ſtupri accuſans: Quid illac impudente audacius? Saltem tute ſi pudoris egeas, ſumas mutuum id eſt, etſi omnem jam pudorem foraſſe depoſueris, debebas ſaltem coram marito diſſimulare, & mihi adſcititio pudore imponere, eorum more, qui alienis opibus ſuam tegunt inopiam. Eadem forma, ſi quando in homine luxu perdito continentiam, in avaro liberalitatem, in inhumano affabilitatem notabimus, non illepide addemus, ea mutuo ſumpta eſſe.

Οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν.

Salvator Chriſtus acerrime inſectans Phariſæorum ac Scribarum ſimulatam religionis ſpeciem, erga memoriam ſanctorum vatum, ab ipſorum majoribus ob honeſti & veri libertatem crudeli morte affectorum: inſuper invectus in ſuperficiariam ac fictam eorum in homines pios ſanctoſq; obſervantiam & culturam: cum mente animiſque faverent majorum ſceleribus, inque juſtos odiis & parricidiis, qui moliebantur paria vel longe atrociora: præclaro proverbiali noemate eos teſtatur οἰκοδομεῖν τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, καὶ κοσμεῖν τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων, extruere monumenta Prophetarum, & ornare monumenta juſtorum. Verba ejus apud Lucam Evangeliſtam hæc leguntur: οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν, οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. ἄρα μαρτυρεῖτε, καὶ συνευδοκεῖτε τοῖς ἔργοις τῶν πατέρων ὑμῶν· ὅτι αὐτοὶ μὲν ἀπέκτειναν αὐτούς, ὑμεῖς δὲ οἰκοδομεῖτε αὐτῶν τὰ μνημεῖα. Apud Matthæum vero legitur, Matth. 23. κοσμεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν δικαίων. Quotquot hac tempeſtate fictæ religionis luæ veram religionem Apoſtolorum & Prophetarum teſtimoniis confirmatam prætexunt: næ illi vere οἰκοδομοῦσι τὰ μνημεῖα τῶν προφητῶν.

SOCIETAS.

EX APPENDICE ERASMI.

Commune tanquam Siſapo.

De re multis communi, nulli certo propria. Cicer. Minium apud Romanos magno erat in precio, uſu & religione, ejus cum multæ venæ eſſent Siſapone in Hiſpania Betica, quæ à compluribus ſocietate mercium & adulterandi minii conſuetudine inter ſe juncti tenerentur, proverbio locum Siſapo dedit. Plinius.

SOLITVDO.

ERASMI. *Ne muſca quidem.*

Huic affinis eſt & illa proverbialis hyperbole. Ne muſca quidem: qua maximam hominum ſolitudinem ſignificamus. Plautus in Truculento: Quas tu mulieres mihi narras? Vbi muſca nulla fœmina eſt in ædibus. Huc alluſit Vibius Criſpus orator delectationi natus, ut ait Fabius.

> Cujus erant mores, qualis facundia.———

quemadmodum ſcripſit Juvenalis, cum rogatus, ecquis eſſet cum Cæſare, in conclavi? reſpondit, Ne muſcam quidem intus eſſe. Accipiti joco Domitiani conſuetudinem notans, cui mos erat quotidie ſibi ſecretum horarum captare: nec interim aliud fere agebat, niſi quod muſcas captas ſtylo configeret.

Nullum animal, quod animal.

Proverbialis videtur & illa figura. Nullum animal, & quod animal. Ariſtoph. in Pluto,

> Πενία γάρ ἐστιν, ὦ πόνηρ', ἧς οὐδαμοῦ
> Οὐδὲν πέφυκε ζῷον ἐξωλέστερον:

Id eſt,

> Inopia namque eſt heu miſer, qua ſcilicet
> Haud aliud uſquam eſt animal exitialius:

Idem ἐν ὄρνισι,

Τοῦτο δ' ἦν τί τὸ θηρίον;

Id eſt,

Vſura at ipſa quæſo, quænam bellua eſt?

M. Tullius ad Atticum: Terentii veſtigium nullum agnovi, Metaſ genes certe periit. Fecit iter per poſſeſſionem, in qua animal reliquum nullum eſt. Nec abludit ab hac figura Plinianum illud: Regulus bipedum nequiſſimus.

Scytharum ſolitudo.

Σκυθῶν ἐρημία, id eſt, Scytharum ſolitudo, pro ſummis calamitatibus, exitioque dictum eſt apud Ariſtophanem ἐν Ἀχαρνεῦσι.

Ἐξόλοιο ... τῆς Σκυθῶν ἐρημίας.

Id eſt,

Impeditum deperire Scythiæ ſolitudini.

Quo loco commentator indicat, proverbium dici ſolitum de ingenti ſolitudine: ductum autem inde, quod Scythæ nullis certis ſedibus utantur, ſed vagi ferantur in plauſtris. Eamque ob cauſam regio feris abundat. Meminit adagii & Q. Curtius libro rerum ab Alexandro geſtarum 7. apud quem Scytharum legatus ad hunc loquitur modum: Scytharum ſolitudines Græcis etiam proverbiis audio eludi. Nos deſerta, & humano cultu vacua, magis quam urbis & opulentos agros ſequimur. Vſurpat & Plutarchus lib. de Stoicis contrarietatibus; quemadmodum ante retulimus in proverbio, In caput præcipitari.

IUNII. Timonis vita.

Τίμωνος βίος, id eſt, Timonis diæta proverbiali ſchemate dicitur vitæ ratio ſolitaria, & ſeceſſus ambitioſe amans extra hominum conſortium. Marcus Antonius pugna Actiaca debellatus, in extremo portu juxta Pharum objectis mari aggeribus maritimam ſibi cœnationem ædificari curaverat, in qua vitæ reliquum tranſigeret, velut in ſeceſſu quopiam ab amicis, per quos proditus fuerat, poſitus, exemplo Timonis, dictitans ſe laudare & ſequi vitam Timonis æmulam, τὸν Τίμωνος ἀγαπῶν καὶ ζηλῶν βίον. Itaque maritimam illam cœnationem, Τιμώνειον δίαιταν nominare identidem ſolebat, quemadmodum Strabo libro 17. & Plutarch. in Antonio referunt. Timon Athenienſis moroſiſſimi ingenii homo fuit, à re ipſa μισάνθρωπος, quaſi oſor hominum cognominatus: quippe qui commercia & congreſſus hominum vitaret, præter duos, Alcibiadem feroce natura juvenem, quod illum Athenienſibus multorum malorum authorem olim fore prævideret, & alterum Apimantum quendam, iiſdem plane moribus præditum. De Timone plura Lucianus in cognomine dialogo, Pauſanias in Atticis, & Plutarchus loco prædicto. Euanthes ſcripto prodidit, Timonem de piro arbore delapſum crus perfregiſſe: cumque medicorum operam pertinaciter recuſaret, putrefacto ulcere interiiſſe: in quem extat Callimachi epigramma, incerto authore relatum in Anthologion,

Τίμων μισάνθρωπος ἐνοικέω, ἀλλὰ πάρελθε,
Οἰμώζειν εἴπας πολλά, πάρελθε μόνον.

Id eſt,

Timo hominum hic oſor jaceo, tu perge viator,
Et lugere jubens plurima, perge modo.

SOLICITVDO.

ERASMI. Tantali lapis.

Ταντάλειος λίθος, id eſt, Tantali lapidem, vocant imminens capiti periculum. Apud Suidam hæc referuntur: ἐπειδὴ τὸν Ταντάλου λίθον τῆς κεφαλῆς ἀπεσεισάμεθα. id eſt, Quandoquidem Tantali ſaxum capiti impendens excuſſimus. Plato apud Stobæum. μηδ' εἰ τὸν λεγόμενον Ταντάλου λίθον ὑπερκρεμάμενόν τις ἔχοι. id eſt, Ne ſi Tantali quidem quem vocant lapidem imminentem haberet aliquis. Sumptum à fabula Tantali, quem quidam fingunt apud inferos, etiam hoc ſupplicii genus pati, ut ingens ſaxum ſic immineat capiti, ut jamjam caſurum videatur. Athenæus lib. Dipnoſophiſtarum 6. Fabulæ originem refert hunc in modum. Tãtalus voluptatum avidus, cum in deorum conſortium admiſſus impetraſſet optionem petẽdi quicquid vellet, à Jove poſtulavit, ut ad eum modum jugiter viveret inter epulas, nihil hac re ducens felicius. At indignatus Jupiter promiſſum præſtitit, hominiſque optatis ſatisfecit. Cæterum ne frui poſſet appoſitis, ſaxum ingens jamjam caſuro ſimile ſupra verticem ſuſpendit, cujus metu non libeat quicquam attingere. Vergil. Æneid. ſuæ libro 6. commentum hoc ad Lapithas, Ixionem ac Pirithoum refert,

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque,
Quos ſuper atra ſilex, jamjam lapſura, cadenti
Imminet aſſimilis? lucent genialibus altis
Aurea fulcra thoris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: Furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas,
Exurgitque facem attollens, atque intonat ore.

Vſurpat & Pindarus in Iſthmiis hymn. 7. ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς γε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός. id eſt, Quandoquidem lapidem Tantali imminentem capiti aliquis nobis admovit Deus. Sentit autem metum inſtantis belli. Interpres citat ex Euripide.

Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον
Ἀέρι ποτᾶται ——

Id eſt,

Saxum paveſcens vertici quod imminet
Per aerem volat.

Gregorius Nazianzenus in epiſtola quadam ad Baſilium fratrem, vitam ſolicitam ac periculis expoſitam, ταντάλειον ζωὴν appellat.

Mens eſt in tergoribus.

Ὁ νοῦς ἐστὶν ἐν τοῖς σκύτεσιν, id eſt, Animus eſt in tergoribus: de ſolicitis dictitari ſolitum, quique malum aliquod imminens timere videntur. Ariſtophanes in comœdia, cui titulus Pax.

Ἡμάρτομεν ταῦτ', ἀλλὰ συγγνώμην ἔχε.
Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσιν.

Id eſt,

Peccavimus quidem iſta, ſed veniam dabis.
Tum namque noſter animus in coriis erat.

Metaphora ſumpta eſt vel à loris, quibus cæduntur ſervi (nam hæc è bubulis tergoribus ſecantur. Vnde Plautinum ænigma, Vbi vivos homines mortui incurſant boves:) vel à clypeis, qui bubulo corio ſolent obduci. Proinde congruet vel in eos, qui flagra metuunt: vel in hos, quos belli impendentis metus habet ſolicitos. Non diſſimile Terentianum illud ex Eunucho: Jamdudum animus eſt in patinis. Item illud Ariſtophanicum in Veſpis, de homine litium avido.

Ὁ νοῦς πέτεται νύκτωρ περὶ τὴν κλεψύδραν.

Id eſt,

At volat animus nocte circa clepſydram.

Breviter quacunque in re ſumus intenti, in ea dicimur eſſe.

Ναικισσοφᾶν.

Ναικισσοφάνας dicebantur, qui ſtudio quippiam elevarent. Alii putant ναικισσοφᾶν dici ſolitum ei, qui quum videretur confiteri, nõ confitebatur, perplexis verbis occultans mendacium: quod fere ſolent hæretici in diſcrimen adducti. Vox compoſita videtur à ναί, quod eſt adfirmantis, & κίσσα pica, & φῶ quod eſt ſino: quod involuta loquacitate negent, quod affirmare videntur, rurſus affirment quod negant. Meminit Heſychius.

Σκύτη βλέπειν.

Σκύτη βλέπειν, id eſt, ut verbo verbum reddam, Tergora tueri, Confine proximo, quo ſignificabant quempiam præ ſe ferentem vultu, quod mali quippiam ſoltare ſuſpicaretur, idque conjecturis aliquib. colligeret: veluti ſi quis conſpectis boum tergoribus bellum futurum colligeret, quod his integuntur clypei. Citatur adagium ex Eupolidis fabula, cui tit. Chryſogenes,

Ἀτεχνῶς μὲν οὖν τὸ λεγόμενον σκύτη βλέπει.

Id eſt,

Plane quod ajunt obtuetur tergora.

Fortaſſe nec illud abſurdum fuerit, hinc natum proverbiũ dicere, quod in clypeis barbaricæ quæpiam & horrendæ facies depingi ſculpive ſolent barbarorum, aut Cyclopum, aut beluarum etiam, ut eam ob cauſam qui truculento eſſent vultu, σκύτη βλέπειν dicerentur Athenæus lib. 13. ὃ πολλά σε κατορθώσας καὶ διδάξας σκύτη βλέπειν. id eſt, Qui nihilo te fecit emendatiorem tantumque docuit torvum obtueri. Sentit enim, diſcipulum à Philoſopho nihil aliud didiciſſe, quam ſupercilium & vultus truculentiam. Quanquam hoc adagium in ſua duntaxat lingua gratiam habere poteſt. Ariſtophanes in Veſpis.

Ἐγώ σε τήμερον βλέπειν σκύτη ποιήσω.

Id eſt,

Ego hoc quidem faxo die, te tergora obtueri.

Animus eſt in coriis.

Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ.

Ἡμάρτομεν ταῦτ', ἀλλὰ συγγνώμην ἔχε·
Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ἦν τότ' ἐν τοῖς σκύτεσιν.

Id eſt,

In his quidem ſum lapſus, at veniam dabis,
Nam mens profecto noſtra tum in coriis erat.

Quanquam alias hujus proverbii meminimus. Simillimum eſt illi Terentiano: Animus eſt in patinis. Item illud quod legimus apud Athenæum libro Dipnoſophiſtarum 1.

Οὐδ' ἂν λέγῃ τις, οὐδαμῶς μαθεῖν δοκῶ·
Ὁ νοῦς γάρ ἐστι τῆς τραπέζης πλησίον.

Id eſt,

Ne quis loquatur, capere nunquam quibimus.

Interpres admonet hujus proverbii, ἐπὶ σκύτη βλέπειν, de his qui jam ad bellum ſpectant: quemadmodum alio demonſtratum eſt loco. Licebit uti, cum ob ſolicitudinem erit aliquis ad id quod agitur in præſentia, parum attentus.

Similes videntur captivis ex Pylo.

—— Ἐοίκασι
Τοῖς ἐκ Πύλου ληφθεῖσι τοῖς Λακωνικοῖς.

Id eſt,

—— Captivis mihi
Similes videntur e Pylo Laconicis.

Et apud Ariſtophanem ἐσκελετευμένους. Dici ſolitum de iis, qui vultu ſunt miſerandi: nempe pallidi, ſqualidi, macilenti. Pylus civitas quæpiam Laconiæ, quam obſeſſam Cleon expugnavit. Qui vero ſuperfuerant à cæde, ſecum abduxit Athenas, extenuatos, confectos, pallidos, deformi ſpecie: ſicuti conſentaneum eſt accidiſſe, tum ob diutinam obſidionem, præſertim in inſula deſerta, quæ rerum neceſſariarum copiam maligne ſuppeditabat: tum quod poſt expugnatam urbem complures dies in vinculis habiti fuiſſent. Hæc ferme Zenodotus. De Pylo dictum eſt nobis alias in proverbio, Pylas ante Pylum.

Arctum annulum ne geſtato.

Μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον, id eſt, Arctum annulum ne geſtato. hoc eſt, interprete divo Hieronymo, ne vixeris anxie: & ne temere in ſervitutem conjicias, aut in ejuſmodi vitæ inſtitutum, unde te non queas extricare. Siquidem quiſquis anulum anguſtum geſtat, is ſibi quodammodo vincula injicit.

Cor ne edito.

Vide in loco Tristitiæ.

In via ne ſeces ligna.

Ἐν ὁδῷ μὴ σχίζειν ξύλα. id eſt, In via ne ſeces ligna. Quidam exponunt, non eſſe diſcruciandam & abbreviandam vitam curis & anxiis cogitationibus.

Sale & aceto.

Parcum tenueque prandium ſignificans Grippus piſcator in Rudentibus ait: Sed hic rex cum aceto pranſurus eſt, ſine bono pulmento. Miſeris obſoniorum loco ſal eſt cum aceto. M. Tullius ad Papirium Pætum lib. 9. Tyrotarichi meminit. ceu plebei condimenti. Id erat jus è caſeo confectum, quod & hodie Itali vocant meneſtram Meminit & Pompili piſcis viliſſimi, qualis erat & gobio: Quem, inquit tu mihi Pompilum, quem denarium narras, quam Tyrotarchi patinam? De pompilo piſce crebra eſt apud Plinium mentio. Denarium ſuſpicor eſſe vocem depravatam. Certe mihi nondum liquet quid ſibi velit. Acetum tamen nonnunquam uſurpatur in ſignificationem acuminis, ut Plautus Acetum habet in pectore, & Perſius,

——— Mordaci lotus aceto.

Varro in Seſquiulyxe, citante Nonio: Alteram viam deformaſſe Carneadem virtutis, è cupis acris aceti. hoc eſt, magna ſubtilitate.

IVNII. Morderi corde.

Vtitur frequenter Syneſius proverbiali hac locutione, τὴν καρδίαν δάκνεσθαι id eſt, Corde morderi: quemadmodum Græci ſcriptores fere omnes ſimpliciter. δάκνεσθαι. id eſt, morderi quando animi gravem & moleſtam ſolicitudinem, & veluti vulnus quoddam indicare volunt, Ariſtoph. Acharnenſ.

Ὅσα δὴ δέδηγμαι τὴν ἐμαυτοῦ καρδίαν.

id eſt,

Quam multa ſunt quæ cor meum mordent nimis.

Syneſius initio libri de Calvitio: μέσην αὐτὴν δέδηγμαι τὴν καρδίαν, Medio corde morſus ſum. quaſi dicat, cor mihi medium ſaucium eſt, & rurſus in epiſtolis, πῶς δοκεῖτε δέδηχθαι τὴν καρδίαν; id eſt, Quo pacto morderi mihi cor putatis? Nazianzenus in epiſtolis: μὴ σφόδρα δάκνου τοῖς λυπηροῖς. Ne triſtibus admodum mordearis conficiariſque. Procopius, ἔδακνεν αὐτοῦ τὴν διάνοιαν, ὅτι ἀνάλωτον ἰσχυρίζοιτο εἶναι. id eſt, Mordebat illius animum, quod Edeſſam affirmarent inexpugnabilē eſſe, Xenophon δάκνομαι ἐπὶ τούτοις. id eſt, Has ob res mordeor & curis angor. Euripides de Medea, μεγαλόσπλαγχνος, δυσκατάπαυστος, δηχθεῖσα κακοῖσιν. id eſt, Magnanima, inquieta, ærumnis demorſa. Ariſtophanes, δάκνω τὴν καρδίαν, Cor mordeo: pro, Animum excrucio. Cicero lib. 13 epiſtol. ad Atticum δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat. jubet Atticum ſecurum eſſe & tranquillo animo. Hujus claſſis ſunt. θυμοβόρος ἄτη, id eſt, noxa animum mordens: & θυμοδακὴς μῦθος apud Homerum, ſermo animum ſaucians. Eodem pertinet illud Æſchyli in Prometheo, συνοίᾳ δ' ἐκδάκνομαι κέαρ. id eſt. Conſcientia animum exulcerat, vel exedit. Metaphora hac Latine etiam uſus eſt alibi Cicero: Scribis morderi te interdum, quod non ſimul ſis.

Flamma ſine Vulcano.

Γυναικεῖον ἀνήφαιστον καὶ ἄξυλον, quod ſonat incendium abſque Vulcano & lignorum expers: proverbio dici ſcribit Joan. Zezes in omnigena hiſtoria, animi angores & curas animum coquentes exulcerantesque: nullum autem gravius eſt incendium quam affectus, qui ita animum lancinant. Sic de amoris igne dixit Virgilius docte,

———Eſt mollis flamma medullas,

& de eadem Didone iterum,

———Et cæco capitur igni,

Secretum amoris incendium quo torrebatur, indicans.

BRASSICANI.

Quaſi theſaurum Draco.

Cicero in 13. Philippica, Qui Domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum Draco, De eo qui rem incredibili ſolicitudine cuſtodiat, cujuſmodi ſenes avaros deſcribunt Comici. Dracones dicuntur ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod eſt videre. Clariſſimam enim dicuntur habere oculorum aciem: qua ex cauſa incubantes eos theſauris cuſtodiæ cauſa finxerunt antiqui, authore Feſto Pompeio. Meminit & Artemidorus libro Onirocritic ῶn 2. cap. 17.

SOLICITVDINIS.

JUNII. Ἐξακανθίζειν.

Proverbialiter dixit illud Cicero libro epiſt. ad Attic. 6. Cætera noli ἐξακανθίζειν, pro ſollicite exquirere, & veluti periculoſa quadam cura examinare. Sumptum à rhizotomis & herbarum collectoribus, qui frequenter mediis in vepretis & ſpinoſis ſenticetis radices floreſue ſatagunt evellere aut decerpere, nō ſine vulneribus.

Teredo oſſium, cor ſollicitum.

Elegans extat proverbium apud Nazianzenum in diſtichis ſententioſis, ex Solomonis fontibus procul dubio derivatum,

Νοῦς ἐμμέριμνος, σὴς βεβρωκὼς ὀστέα.

id eſt,

Mens plena curarum, teredo eſt oſſa edens.

Ita enim Hebræus ille rex Proverbiorum 17. Animus hilaris floridam ætatem efficit, at mæſtus ſpiritus exſiccat oſſa. Nihil enim magis accelerat ſenium, quam curarum catenata ſeries: at vacuus curis animus & juventæ florem conſervat diutiſſime, & vividum ac vegetum reddit corpus. Nazianzenus in oratione funebri Baſilio dicta: ἐπειδὴ σὴς ὀστέων καρδία αἰσθητική, ὡς Σολομῶντι καὶ τῇ ἀληθείᾳ δοκεῖ. id eſt, Et enim cor affectum, teredo eſt oſſium, uti Solomoni veritatique placet. & mox, καὶ τήξις καρδίας, ἔμμονος λογισμός, hoc eſt, Cor exulcerat & erodit, aſſidua cogitatio. Idem in Apologeticos ἔργον ἐπίπονον καὶ ὄντως σὴς ἐστὶν τῷ γε νοῦν ἔχοντι. id eſt, Opus arduum, & revera prudenti viro, oſſium teredo.

COGNATI. *Caput fricare.*

Latini vulgo dicere ſolent ſolicitudinem animi moleſtiamque indicantes. Caput enim potius fricamus, cum hæremus animo in aliqua re, dubitamuſq;, quid faciendum nobis ſit. Quomodo ſane videtur loquutus Cicero in nobili illa προσωποποιίᾳ, qua inducit Lucium Piſonem reprehendentem C. Cæſarem generum, cupidum triumphi: Ad extremum enim inquit, quas rationes ſi cognoris, intelliges nemini plus quam mihi literas profuiſſe. Ita enim ſunt perſcriptæ ſcite & literate, ut ſcriba ad ærarium qui eas retulit perſcriptis rationibus, ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans commurmuratus ſit. Hoc enim geſtu corporis, quo Piſo narrat ſcribam uſum, videtur indicari, perturbatum illum vehemēter incertiq; animi fuiſſe. Æſchines idem ſignificare voluit in oratione, qua criminatus eſt eos, qui ſe in legatione ad Philippum improbe geſſerant, & tranſierant officium legatorum περὶ παραπρεσβείας. Græci id judicium vocant. Ait igitur, [illegible] [illegible]

Mens anxia pervigilat.

Catullus

———Cui mens anxia pervigilat.

In Pelei & Thetidis nuptiis.

———Magnis curarum fluctuat undis.

Virgil. in 3. Æneid.

———Et magno curarum fluctuat æſtu.

Idem Catullus ad Orthalum,

Etſi me aſſiduo confectum cura dolore
Sevocat e doctis Ortale virginibus,
Non potis eſt dulceis Muſarum expromere fœtus
Mens animi tantis fluctuat ipſa malis.

Sic Lucretius in eodem prope genere,

Perturbata animi mens in mœrore metuque.

Catullus in coma Berenices.

Cum penitus mœſtus exedit cura medullas.

Homerus etiam γυιοβόρους μελεδῶνας. Val. Flaccus in 2. Argon. eodem modo quo Catullus,

Ac primam Eurynomen, ac proxima limina coni
Occupat exeſam curis, caſtumque cubile
Servantem.———

Alius futurus, ubi propius acceſſerit periculum.

Plato in Axiocho: verum neſcio quo pacto, ubi propius acceſſit periculum fortia illa grandiaque verba occulte ſubtendant atque negliguntur. Eraſmus ex Homero: In diſcrimine apparet qui vir.

SOMNO-

SOMNOLENTIA:

ERASMI. *Endymionis ſomnum dormis.*

Ἐνδυμίωνος ὕπνον καθεύδεις, id eſt, Endymionis ſomnum dormis. In eos quadrabit, qui ſeſe immodico ſomno ſaginant: aut qui diuturno in ocio verſantur, nec ullis ſe negotiis exercent, ſed mollem feriatamque agunt vitam. Natum à fabula notiſſima Endymionis: is erat puer adprime formoſus, ac Lunæ adamatus. Cui quidem illa à patre Jove precibus impetravit, ut quicquid optaſſet id ferret. Optavit Endymion, ut perpetuum dormiret ſomnum *ἀθάνατος καὶ ἀγήρως μένων*, id eſt, Immortalis perſeverans & expers ſenii. Vſus eſt hoc adagio Ariſtoteles 10. Moralium libro, colligens, neque ocium convenire diis, neque rurſus ullam aliam actionem illis dignam videri, præter contemplationem. Porro cum conſtet inter omnes, illos vivere, conſentaneum eſt eoſdem & agere quippiam. Neque enim, inquit, oportet eos Endymionis, ut ajunt, dormire ſomnium. Cicero libro de Finibus 5. diſſerens id maxime nobis inſitum à natura, ut agamus aliquid, Itaque inquit, ne ſi jucundiſſimis quidem nos ſomniis uſuros putemus, Endymionis ſomnum nobis nolimus dari: idque ſi accidat, mortis inſtar putemus. Idem Tuſculanarum quæſtionum lib. 1. Quanquam qui leviorem faciunt ſomni ſimillimam volunt eſſe. Quaſi vero quiſquam ita nonaginta annos velit vivere, ut cum ſexaginta confecerit, reliquos dormiat. Ne ſues quidem id velint, non modo ipſe, Endymion vero, ſi fabulam audire volumus, neſcio quando in Latino obdormivit, qui eſt mons Cariæ; nondum opinor, eſt experrectus.

Vltra Epimenidem dormis.

Ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην κεκοίμηκας, id eſt, Vltra Epimenidis ſomnum dormiſti. In eos dicetur, qui perpetuum agunt ocium. Hiſtoria de Epimenide Cretenſi theologo extat in noctibus Gellianis: extat & apud Diogenem Laertium. Is ambulando feſſus, in ſpecum quendam ſubierat, illic obdormivit: nec experrectus eſt à ſomno ante exactos annos XLVII. Meminit hujus Plinius lib. 7. cap. 52. his verbis: Magna quidem fabuloſitate, quam equidem & in Gnoſio Epimenide ſimili modo accipio: puerum æſtu & itinere feſſum, in ſpecu ſeptem & quinquaginta dormiſſe annis: rerum faciem, mutationemque mirantem, velut poſtero experrectum die: hinc pari numero dierum, ſenio ingruente, ut tamen ſeptimum & quinquageſimum atque centeſimum vitæ duraret annum. Lucianus in Timone, *ὑπὲρ τὸν Ἐπιμενίδην γὰρ κεκοίμηται*, id eſt, Nam ipſum etiam Epimenidem ſomno vicitit. Si quid habet veri Pythagoræ *μετεμψύχωσις*, conſentaneum eſt, hujus Epimenidis theologi animam in ſophiſticos iſtos Theologos demigraſſe: qui tantum inanium ſomniorum invexerunt in orbem, quam multis vix ſufficiat ſomnus in ducentos continuatus annos.

Salem vehens dormis.

Fertur & his verbis adagium ex eodem eventu natum *ἅλας ἄγων καθεύδεις*, id eſt, Salem portans dormis. Quadrabit in eum, qui in re periculoſa ſocorditer atque indiligenter agit: propterea quod ſal in fluxu ſeutinæ facile corrumpitur.

Non decet principem ſolidam dormire noctem.

Inter pleraque Homeri carmina, quæ quondam proverbiorum vice celebrata fuiſſe teſtatur Macrobius, illud vel præcipue annumerarim, quod eſt in Iliados lib. 2.

> Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.
>
> Id eſt,
>
> Haud dignum duce id eſt, noctem dormire per omnem.

Admonet parœmia vigilantiam ac ſolicitudinem maxime convenire principibus, ut qui tantam negociorum ſarcinam ſuſtineant humeris. Vnde & Vergilius Æneam ſuum aliis dormientibus aut voluptati indulgentibus aut vigilantem facit, aut certe excitat, fingitque cogitabundum, ſobrium, & de futuris agitantem animo,

> At pius Æneas per noctem plurima volvens.

Et rurſum,

> Æneas potes hoc ſub caſu ducere ſomnos?

Atque iterum,

> ——— Vigilaſne deum gens
> Ænea? vigila. ———

Hujus rei præclarum exemplum præbuit Epaminondas ille dux Thebanus. Siquidem cum Thebani cives feſtis quibuſdam diebus ſolutius compotationibus indulgerent, licentiuſque voluptatibus fruerentur, ille ſolus vigil, ac ſobrius arma luſtrabat, & urbis obambulabat mœnia. Rogatus cur id faceret, reſpondit ſe *νήφειν καὶ ἀγρυπνεῖν, ὅπως ἐξῇ τοῖς ἄλλοις μεθύειν καὶ καθεύδειν*, id eſt, ſobrium eſſe ſe, ac vigilare, quo reliquis liceret temulentos eſſe ac dormire: quemadmodum refert Plutarchus in libello Adverſus ducem imperitum. Porro quæ modo retulimus ex Homero, dicuntur ad Agamemnonem ſub perſona ſomnii, Neſtoris ſpeciem imitantis. Integrum carmen ſic habet.

> Εὕδεις Ἀτρέος υἱὲ δαΐφρονος ἱπποδάμοιο;
> Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
> ᾯ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.
>
> Id eſt,
>
> Belligeri Atridæ proles dormiſne Agamemnon?
> Perpetuam noctem dormire haud principe dignum eſt,
> Cui populi commiſſi & tanta negotia curæ.

Eundem cæteris dormientibus ſolum vigilantem facit Iliados κ.

> Ἄλλοι μὲν παρὰ νηυσὶν ἀριστῆες Παναχαιῶν
> Εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ·
> Ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδην Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν
> Ὕπνος ἔχε γλυκερὸς, πολλὰ φρεσὶν ὁρμαίνοντα.
>
> Id eſt,
>
> At reliqui Danaum proceres noctem uſque per omnem
> Dormibant placido correpti membra ſopore.
> At non Atridem paſtorem Agamemnona plebis
> Somnus habet dulcis verſantem pectore multa.

Conſimilem ad modum Jovem vigilantem facit Iliad. β.

> Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
> Εὗδον παννύχιοι, Δία δ' οὐκ ἔχε νήδυμος ὕπνος,
> Ἀλλ' ὅγε μερμήριζε κατὰ φρένας. ———
>
> Id eſt,
>
> Tum reliquos omnes, diviſque viroſque tenebat
> Pernox ſomnus: at in ſomnis Saturnius unus,
> Pectore ſolicito volvebat.

Narrat Plutarchus in eodem commentario, quem modo citavimus, quiddam nec alienum ab hac parœmia, nec indignum memoratu: nimirum regi Perſarum hunc fuiſſe morem, ut ſemper unum quempiam haberet cubicularium, cui hoc muneris erat mandatum, ut mane regium thalamum ingreſſus, his verbis illum expergefaceret: *ἀνίστω ὦ βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν Μεσορομάσδης ἠθέλησε*. id eſt, Surge rex, & negocia cura, quæ te Meſoromaſdes curare juſſit. Quod ſi quis princeps eruditus ſit ac prudens, huic nihil opus fuerit ejuſmodi cubiculario monitore: ſed ipſa ratio ſemper in pectore tale quiddam inſonabit, *φρόντιζε*: & *οὐ χρὴ παννύχιον*. Plato 7. De legibus libro, multis modis vigilantiam commendat, maxime in principe. Ejus verba ſubſcribam. *ἐγρηγορότες δὲ ἄρχοντες ἐν πόλεσι νύκτωρ, φοβεροὶ μὲν κακοῖς, πολεμίοις τε ἅμα καὶ πολίταις*. id eſt, Principes qui noctu vigilant in civitatibus, malis ſunt formidabiles, civibus pariter & hoſtibus. Ac paulo ſuperius eodem in loco, *καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος*. id eſt, Nullus enim dormiens, alicujus eſt rei. Dormiunt autem qui oſcitanter agunt: quibus interdum ſuccedit, ſed raro. Proin recte Pindarus Olymp. 10. *ἄπονον δ' ἔλαβον χάρμα παῦροί τινες*, id eſt, gaudium citra laborem pauci quidam aſſequuti ſunt.

SPES PERTINAX.

ERASMI. *Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt.*

Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt. Sententia proverbialis admonet, ne in afflictiſſimis quidem rebus abjiciendam eſſe ſpem. M. Tullius ad Atticum: Vt ægroto dum anima eſt, ſpes eſſe dicitur: ſic ego quoad Pompeius in Italia fuit, ſperare non deſtiti. Sumptum videtur adagium ex Theocriti Batto:

> Θαρσεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τάχ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.
> Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
> Χὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.

Hos verſus quoniam non inelegantes vertit Philelphus, haud gravabor adſcribere.

> Fidere Batte decet: melius cras forſan habebis.
> Sperandum eſt vivis, non eſt ſpes ulla ſepultis,
> Nunc pluit & claro nunc Jupiter æthere fulget.

Item Euripides in Troadibus:

> Οὐ ταὐτὸν ὦ παῖ τῷ βλέπειν τὸ κατθανεῖν.
> Τὸ μὲν γὰρ οὐδὲν, τῷ δ' ἔνεισιν ἐλπίδες.
>
> Id eſt.
>
> Non eſt idem mi gnate vivere ac mori,
> Siquidem hoc nihil, ſpes ſunt in illo ſcilicet.

Eodem pertinet fabula de Pandoræ pyxide, in cujus ſummo labro ſola ſpes hæſerit, reliquis omnibus morbis evolantibus.

Spes alunt exules.

Αἱ ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, id eſt, Spes paſcunt exules. Vbi quis excuſſus à priſtina fortuna, ſemper id agit ut reſtituatur. Ab humano ſumptum ingenio, quo fieri videmus, ut nullus ita ſit exul, quin & velit, & ſperet futurum, ut aliquando poſtliminio redeat in patriam. Id ita eſſe, nos quoque complurium exulum exemplo cognovimus: nominatim Joannis Bentivoli Bononienſis, quem cum illic eſſemus, Gallus in gratiam Julii Romani Pontificis expulit. Eodem animo ſe fuiſſe teſtatur Ovidius, apud Tomitanos exulans. Ne Judæos quidem hodie ſpes deſtituit. Euripides proverbialem ſententiam fuiſſe ſignificat. Citatur autem à Plutarcho, libello quem De exilio conſcripſit.

> Αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος,
> Καλοῖς βλέπουσί γ' ὄμμασιν, μέλλουσι δέ.
>
> Id eſt,
>
> Spes exules alunt, ut habet adagium,
> Oculiſque ſpectant blandulis, ceſſant tamen.

Adhuc cœlum volvitur.

Quoties ſignificamus adhuc ſupereſſe ſpem & nondum omnē tempus quod melioris fortunæ ſolet occaſionem adducere, exactum eſſe, conveniet illud Theocriticum ex Charitibus,

Οὔπω μῆνας ἄγων ἔκαμ' οὐρανὸς, οὐδ' ἐνιαυτούς.

Id eſt,

Nondum defeſſus provolvere deſiit æther
Menſes atque annos.——

Quod enim unus annos negat, alter ultro defert.

Adhuc aliquis Deus reſpicit nos.

Cum in rebus vehementer afflictis negabimus nos prorſus abjeciſſe animum, verum eſſe ſpei nonnihil, conveniet illud, quod in eodem lib. dicitur à Priamo,

Ἀλλ' ἔτι τις καὶ ἐμεῖο θεῶν ὑπερέσχεθε χεῖρα.

Id eſt,

Numen adhuc aliquod dexteram mi obtendit amicum.

Spes ſervat afflictos.

Plutarchus in libello De ratione victus, indicat vulgatum fuiſſe proverbium de ſpe: nec tamen explicat quodnā id fuerit: *τοὺς πλείστους δὲ μαλακίας καὶ ἀκρασίας συνήγορον ἔχοντας παροιμιώδη ἐλπίδα ἀναπείθουσα, καὶ προσάγουσα βαδίζειν ἀναγκάζουσα ἐπὶ τὴν συνήθειαν.* id eſt, Pleroſque vero ſpes intemperantiæ mollicieiq; patrocinante proverbio adducit huc, ut relictis ſtratis, ad conſuetam redeant vitam. Quod autem ſit illud proverbium, quod intemperātiæ ſuæ prætexunt homines declarat in his quæ ſequuntur *ὡς οἶνον δὲ τὸν οἶνον κραιπάλην δὲ κραιπάλῃ ἐξελάσοντας καὶ διαφορήσοντας.* i. Tanquam vinum vino, & crapulam crapula ejecerint ac diſcuſſerint. Ex his apparet Plutarchum alluſiſſe ad proverbium. Clavum clavo pellere. Quod quidem & hodie manet æque celebratum inter compotores. Addunt jocum de pilo canis rabidi, & experiuntur facetiam multis exitialem. Quanquam & obiter alluſum eſt ad hoc quod extat in ſententiis e comœdiis, ut apparet, collectis,

Ἀνὴρ ἀτυχῶν, σώζεται ταῖς ἐλπίσιν.

Id eſt,

Spes ſervat hominem, rebus in duris bona.

Notum eſt illud Naſonis,

Spes bona dat vires, animum quoque ſpes bona firmat.
Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat.

Deinde Pindaricum illud apud eruditos pene ceſſit in proverbium,

Ἐλπὶς γηροτρόφος.

Id eſt,

Spes altrix ſenectæ.

Sic enim Plutarchus in libello De tranquillitate animi: *καὶ τὴν μνήμην ἡδίονα καὶ βεβαιοτέραν τῆς πινδαρικῆς γηροτρόφου ἐλπίδος.* id eſt, Et memoriam jucundiorem ac firmiorem Pindarica ſpe, ſenectæ altrice. Refert autem hunc Pindari locum Plato libro de Republ. 1. *ὅτι ὃς ἂν δικαίως καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγῃ, γλυκεῖά οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ ἐλπίς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ.* id eſt. Propterea quod qui juſte pieque vitam peregerit, huic dulcis cor exhilarans, ſenectutis altrix, familiaris eſt ſpes, quæ maxime verſatilem mortalium mentem gubernat.

In herbis.

In herbis eſſe dicuntur, quæ nondum maturuerunt, ſed ſpem modo bonam de ſe præbent: dixit M. Tullius in oratione pro M. Cœlio. Sed ego non loquor de ſapientia, quæ non cadit in hanc ætatem. de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia jam in his ætatibus noſtris contractiora eſſe debeant: in adoleſcentia vero tanquam in herbis ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Hoc proverbium alibi nobis dictum memini, ſed hunc locum adjicere viſum eſt. Ex quo ſi quid damni capit lector, eſt quod queratur: ſi quis cavilletur me captare numerum, ſilebit, ſi perpenderit innumera proverbia cæteris admixta, non referri in Chiliadum numerum.

Tenuis ſpes.

Spem infirmam, incertamque poetæ tenuem vocant eamque figuram ceu proverbialem annotarunt interpretes, nominatim Suidas. Ariſtophanes in Equitibus:

Λεπτή τις ἐλπίς ἐστ' ἐφ' ἧς ὀχούμεθα.

Id eſt,

Spes iſta tenuis quæpiam eſt qua nitimur.

Frigidam ſpem dixit Euripides in Iphigenia Aulidenſi:

Ψυχρὰ μὲν ἐλπίς.

Id eſt,

Spes frigida quidem.

■ Tull. pro Roſc. Comœdio: Inani & tenui ſpe te conſolaris. Ariſtoph. metaphorā duxit à navigantib. quum ait *ὀχούμεθα*. Unde M. Tullius dixit Sperat hinc afflare auram aliquam: pro eo quod erat, oſtendi ſpem, ut in Verrem actione 6. Video quid egerim erigit ſe, ſperat ſibi auram aliquam poſſe afflare in hoc crimine. Id tranſlatum à nautis: qui quum hærent mari nimium malaciſſante, è nebula, aut e mari procul criſpante divinant fore ventum. Plato De legib. 3. ſimili figura dixit, *λεπτὴν σωτηρίαν*, id eſt, tenuem ſalutem.

Apud Athenæum lib. 13. citatur ex Callimacho: *ἀδδὴ μάγειροι αἱ ἐλπίδες, ὥστ' ἐκ τῶν ἐχθρῶν συμμαχίας καλεῖν.* id eſt, Adeo laborant ſpes, ut ab hoſtibus petantur ſuppetiæ.

Ab ipſa meſſe.

Non eſt animus convertere in hoc opus, quicquid aliquam proverbii ſpeciem habet. Pauca quæ ſeſe caſu obtulerunt, viſum eſt nō præterire, præſertim ſi commodius & argutius dicta videbantur. Quod genus eſt illud apud Senecam Epiſtolar. lib. 3. epiſt. 22. Ab ipſa meſſe diſcedam? Agit enim de his, qui vel cōmodis, vel ſpe cōmodorum detinētur, quo minus ſemet explicent à negociis, quaſi deſerturi agrum, quum inſtat meſſis. Quam multi ſunt in principum aulis, quos tædit ejus vitæ, diſcruciantur que libertatis deſiderio: verum iſtis ad libertatem aſpirantibus, reclamat cupiditas Tam magnas ſpes relinquam? Ab ipſa meſſe diſcedam?

EX APPENDICE ERASMI.

Sperat hinc aliquam auram afflare.

Pro oſtendi ſpem. Nautæ cum hærent, mari nimium malaciſſante, à nubecula aut mari procul criſpante divinant fore ventum. Cicero.

Quantum ex Bacchanalibus.

Ὅσον ἐκ Διονυσίων. De rebus vehementer expectatis. Apud Atticos numerabant annos & numerum accedentem Dionyſiis, ut ex Olympiadibus, redibant autem ſingulis trienniis, unde trieterica. Virg. Suid. Licoph.

IVNII. *Dum nondum in nervo telum.*

Adhuc veniæ locum ſupereſſe ſignificare volentes, aut ad extremum periculum rem inſanabilem nondum perveniſſe, apte illud epigrammatarii Philodemi uſurpabimus,

Φεύγωμεν ἕως ἔτι τὸ βέλος οὐκ ἐπὶ νευρῇ.

Id eſt,

Dum nondum inſideat nervo telum, fugiamus.

Spes ſubventanea.

Ἀνεμαῖος ἐλπίς, id eſt, Spes ſubventanea, proverbialiter dicitur ſpes irrita & fruſtranea, à fugaci tenuitate venti, quo nihil eſt fallacius, magiſque irritum. Alciphron in epiſtolis: *ἀνεμιαίας ἐλπίδας ἔσχον ἐπὶ τῷ μειρακίῳ Πολυκρίτῳ.* i. Ventoſam habui ſpē de adoleſcente Polycrito Euſtat. Il. λ. *ἀνεμιαίους* dici annotat incōſtantes animoq; inſtabiles, ad modum venti mutabilis: unde *πολυπλάγκτων* epitheton, quod ventus maxime ſit erroneus. Syneſius de Dione: *ὅτι δὲ καὶ τέκοι, τοῦτο θρέψειε τυφλὸν καὶ ἀνεμιαῖον* id eſt. Quocunque pareret, cæcum & ſubventaneum, propter ſui indulgentiam loquitur de iis, qui quicquid in buccam venit, ſcriptis mandant. Græci ova inania *ἀνεμιαῖα* vocant & *ὑπηνέμια*, velut venta concepta: & *ἀνεμώλια βάζειν*, de inutili & inani loquacitate extulit Homerus. quod vitium notat Virgilius in Drance ventoſam linguam proſcindens. Huc ſpectat illud Euripidis in Helena,

Ἥρα δ' ἐξηνέμωσε τἀμ' Ἀλεξάνδρῳ λέχη.

Id eſt,

Junonis ira diſſipavit irritum
Thorum mihi in ventos.

Tanquam Palladium.

Proverbialiter dixit Cic. in orat. pro Milone: Exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod te ajunt eripuiſſe è domo & è mediis armis turbaque nocturna, tanquam Palladium ſuſtuliſſe. Proverbio utemur varie pro re nata, de re in qua multum ſpei nobis ſit poſitum, multumque præſidii verbi gratia: Piſani Pandectas Juſtiniani archetypas, tanquam palladium diligentiſſima cura cuſtodierunt. Poterit ita in avaros quoque ſtringi. Dicetur & in plagiarios alienorum librorum fures, qui clam depeculantur & tanquam Palladium tollunt alterius labores. Sumptum à Palladio, fatali Palladis ſigno, quod Antenoris opera edocti Diomedes & Ulyſſes direptum aſportarunt. Memorat enim Dictys Cretenſis fabricatum è ligno ſignum illud, de cœlo delapſum fuiſſe, quo tempore Ilus templum Minervæ ſacrum ad ſummum prope faſtigium perduxerat, nondum impoſito tecti culmine ibique ſedem ſibi delegiſſe. Arctius vetuſtiſſimus poeta apud Halicarnaſſ. libr. 1. refert, Palladium Dardano fuiſſe datum ab Jove, quod abſtruſum inacceſſo in loco aſſervaretur, altero ſimili ad evitandas hominum inſidias publice expoſito. Alii tradunt, Palladium ligneum ſimulachrum datum fuiſſe Troi regi Phrygum ab Aſio mathematico & ſacrifico, qui verbis illud incantarit: fuiſſeque hoſtibus proditum à Theano ſacerdote Antenoris uxore, penes quā cuſtodia illius erat. Fuit & Romæ cultum religioſe Palladium, quod Metellus pontifex maximus è templo Veſtæ, quum conflagraret, eripuit, cum oculorum orbitate fatali, quæ & Ilo regi acciderat, ut commemorat Plutarchus.

COGNATI. *Spes alit.*

Proverbii locum etiam obtinet. Nam qui in adverſis rebus ſiti, pendent ab inani aliqua longinquaque ſpe, ali ſpe etiam vulgo dicuntur, Tibullus enim inquit:

Spes alit agricolas.

Euripides in Phœniſſis αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος. Æſchylus in Agamemnone: οἶδ' ἐγὼ φεύγοντας ἄνδρας ἐλπίδας σιτουμένους. Plautus in Perſa. Eſtne quid in te ſpeculæ. Thucyd. libro ſecundo ἐλπὶς ἐν τῷ δεινῷ ἡ ἰσχύς. id eſt, Vis ſpei lubrica eſt. (Huc apta, ſpes alunt exules, apud Eraſm.

Cœlum, menſes, & annos efficere non deſiit.

Proverbium eſt, quo ſignificatur adhuc ſupereſſe ſpem, & nondum omne tempus quod melioris fortunæ ſolet occaſionem adducere, exactum eſſe. Theocrit. in Charitib. Neque adhuc cœlum motu ſuo menſes & annos efficere deſiit. id eſt, Erunt adhuc tempora, cum res magnæ ab Hierone atque aliis principib. gerentur, quæ materiam ſcribendi ſuppeditabunt. Non diſſimile: Il n'eſt moys qui ne revienne.

Sperant omnes quæ cupiunt nimis.

Hujuſmodi voces antiquorum poetarum, hodie ſermone omnium celebrantur, ac vim proverbiorum obtinent: Sperant omnes quæ cupiunt nimis, timent quæ nolunt. Et impenſe qui amat, impenſe idem odit nimis. Eſt enim vicinus amori, omniq; magnæ alicujus rei cupiditati, affectus. Omniſque cupiditas vehementior, magno motu impetuque ad eam rem quam cupit ſpiritus, ſanguinemque impellit. Atque hinc, id eſt, ex hujuſmodi motus ratione natum arbitror quod ajunt, Sperare omnes quæ cupiunt. Spes autē & metus ut nos afficiunt. Lucianus elegāter & vere ſcripſit in Charone, ſive contemplantibus, & in Pſeudomante. Hinc alia ſententia vulgaris: Amans quod ſuſpicatur, vigilans ſomniat. Adde, quod plerumque ſuave eſt, quid etiam apud ſe fingere. Virgilius:

Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.

Spe Crœſo ditior, inopia Iro pauperior.

Langius epiſt. 70. dicit Chymiſtas ſpe Crœſo ditiores, inopia vero Codro & Iro pauperiores. Hoc proverbium hodie quoque jactatur in aulicos, tanquam ſomnio beatos, qui compedibus aureis tenentur. De quibus illud Ovidianum lib. 1. De arte, dici poteſt,

Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.

Vide ante, Spes alit.

Vana ſpe plenus.

Plato in Philebo: Delectari dicimus inſipientem inſipientibus opinionibus ac vana ſpe plenum. Ibidem, Vnuſquiſque ſpe ducitur Idem dicere ſolet, Spes eſſe vigilantium ſomnia. Ad quod alluſiſſe videtur Virgilius, cum ait,

Neſcis, an qui amant. ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Num dictu mirum eſt, quam varias imaginationes patiantur in animo ſuo, qui vehementer ſperant aliquid. Atque his inanibus ſimulachris perinde ſemet oblectant, ac ſi jam tenerent quæ ſibi pollicentur. Vide poſt, Sperant omnes quæ cupiunt. &, Non qualia quis optaret, ſed qualia eſſe poſſunt.

Sperant omnes quæ cupiunt.

Cuique licet fingere, ſeu cumulum auri maximum poſſidere: oblectamentiſque variis abundantem omni ſuavitate perfundi. Plato in Philebo. Ælius Lampridius in Antonino Heliogabalo: Ita ſeſe habent vota hominum ad credulitatem feſtinantium, cum quod optant, verum eſſe deſiderant. Vide poſt, Non qualia quis optaret, ſed qualia eſſe poſſunt: & ante. Vana ſpe plenus. Vide Sylogen noſtram.

Non qualia quis optaret, ſed qualia eſſe poſſunt.

Ibidem: Talia quidem noſtra ſunt, non qualia quis optaret, ut trito proverbio fertur, ſed qualia eſſe poſſunt. Ita enim ſeſe habent vota hominum ad credulitatem feſtinantium, cum quod optant, verum eſſe deſiderant. Vide ante, Sperant omnes quæ cupiunt: &, Vana ſpe plenus.

STVPIDI.

EX APPENDICE ERASMI.

Non ſus quivis hoc ſciet.

Οὐ πᾶσα ὗς τοῦτο εἴσεται. De re ſcitu digna. Plat. Natum à myſteriis Deorum, quæ non niſi ab initiatis & puris cognoſci fas erat. Suem pro impuro, indocto & ſtupido uſurpari, notum eſt.

IVNII. *Pulmonis vitam vivere.*

Plato in Philebo, ζῆν δ' οὐκ ἀνθρώπου βίον, ἀλλά τινος πλεύμονος. id eſt, Non hominis, ſed pulmonis cujuſpiam vitam vivere. de homine ſtupido, & rationis mentiſque parum compote. Poteſt appoſite dici in ebrioſum, & abdomini καὶ γαστρὸς ἐπιθυμίαις (ut Aretas Cæſarienſis loquitur) addictum, farcire corpus ſolum promptum, ingenii viribus nuſquam uti. Eſt autem Pulmo marinum zoophyton, quaſi Plantanime dicas, mixtæ inter frutices & animantia naturæ, ſuapte ſponte proveniens: quod inter teſtacea ponit Ariſtoteles, & hoc ipſo in loco Plato, quando ſubjicit: ἢ τῶν ὅσα θαλάττια μετ' ὀστρεΐνων ἔμψυχά ἐστι σωμάτων: Aut alterius marini generis quod inter teſtacea corpora animatum eſt. Vſus eo eſt & Syneſius Ptolemaidos epiſcopus in lib. de Regno: βίον ζῶντας θαλαττίου πνεύμονος id eſt, Vitam degentes marini pulmonis. loquitur autem de voluptuariis hominibus, qui in ganeæ libidinumque uſu ſummum bonum ponunt.

Archigenis indiget.

Archigenis indigere dicitur, qui ſanæ mentis compos non eſt. Juvenalis ſatyr. 13.

Si non eget Anticyra nec Archigene.

Idem Satyra 14.

Ocyus Archigenem quære, atque eme quod Mithridates Compoſuit. ———

Fuit Archigenes ex Apamea Syriæ magni nominis medicus Romæ ſub Trajano: cujus ſcripta paſſim in teſtimonium vocant Galenus, Ætius, alii. Conſimili figura Ἀσκληπιοῦ δεῖν, id eſt: Æſculapio indigere, dixit apud Plutarchum Calliſthenes philoſophus & rhetor, qui in convivio Alexandri Macedonis, quum ingens poculum meraco vino plenum, ordine ad ipſum veniſſet, recuſavit ebibere, dictitans οὐ βούλομαι πιὼν Ἀλεξάνδρου Ἀσκληπιοῦ δεῖν. id eſt, Nolo Alexander bibendo Æſculapii indigere. ut in libro De frenanda ira ſcribit Plutarchus, ut & iterum in prima Sympoſ. decade, ubi lepidius paulo dictum illius argutiuſque repetitur: Nolle ſe Alexandri poculum exhauriendo, Æſculapio opus habere: nam ſcyphus qui in orbem ibat, Alexandro cognominis dicebatur. indicare autem voluit vir prudens, ſe nolle in medicorum manus, contracta per temulentiam adverſa valetudine, ac proinde etiam in præſens periculum conjicere. Æſculapius e Jove & Coronide nympha natus medicinæ ſcientiam ab Api Ægyptio inventam excoluit diligentius & præceptis auxit, ut teſtatur Clemens Alexandrinus. Æſculapio indigere viſus fuit Polemon Laodiceus, magni nominis orator, qui articulari morbo graviter vexatus, Pergami in fano Æſculapii obdormiit. cui quum noctu apparuiſſet Æſculapius, admonens ut ne frigidæ potu uteretur, experrectus reſpondit: Quid tandem præcepturus eras optime, ſi bovem laborantem curares? ut à Philoſtrato ſcriptum eſt. Hermocrates quoq; Phocenſis Æſculapio opus habuit, quum propoſitis illi à Severo imper. votis, thus popoſcit. dictitans ſibi à Pergameno Æſculapio imperatum eſſe, ut perdice uteretur thure ſuffito, ut idem refert. Porro duas fuiſſe Anticyras, alteram in Phocyde, alteram apud Malienſes. ſcribit Demetrius Callatianus: ubi præſtantiſſimum veratrum naſci tert fama. Celebratur & Anticyreus quidam nomine purgaſſe Herculem elebori poculo poſt inſaniam, ut commemorat Stephanus, καὶ τὴν μανίαν αὐτῷ περὶ αὐτὴν ἡ Ἀντίκυρα θεραπεύει. hoc eſt, Inſaniæ ipſe per ſe Anticyra medetur. ut ait Plutarchus lib. De compeſcenda iracundia. Diphilus comicus apud Clementem: ἀλλά μ' ἄνακτες διὰ τῶν νεφέων διαπέμψατ' εἰς Ἀντικύραν. id eſt, At nobis divinæ aer per nubila mittas Anticyram: expiatorium videlicet pharmacum. Alioqui & ἐλλέβορον, id eſt, elleborum pro mera inſania uſurpare videtur Nicoſtratus comicus apud Athenæum, ibi: ἁλύσεις, δακτυλίους, βουβάλια, ὄφεις, περισκελίδας, ἐλλέβορον. quo loco nominat torques, annulos, monilia, angues, periſcelidas, elleborum, velut inſaniæ inſtrumenta. & ἐξελλεβορίζειν pro veratri purgatione uſurparunt veteres, inter quos Euclides jambicus poeta: ea voce uſus legitur apud Ariſtotelem libr. de poetica: οὐκ ἂν γ' ἀράμενος τὸν ἐκείνου ἐξελλέβορον, id eſt, Haud aſſumpturus illius elleborum. Porro non abludit à proverbio Ariſtophanis illud in Pluto, ubi ait Caryon ſervus de Pluto, quod viſum receperit, Ἀσκληπιοῦ παιῶνος εὐμενοῦς τυχών, id eſt, nactus Æſculapium medicum propitium.

Phryx non minus quam Spyntharus.

Φρὺξ μηδὲν ἧττον Σπινθάρου, id eſt, Non minus Phryx quam Spindarus. De homine barbaro & inelegante, ac ſervilis conditionis. Spindarus traducitur in Comœdiis homo ineptus, Heracleotes genere, Tragœdiographus: quem propterea fortaſſe proſciderunt, ut barbarum, quod Heraclea eſſet oriundus, quemadmodum Tito Livio Patavinitas fuit objecta. Meminit tamen ejus inter teſtimonia Laertius Diogenes. Extat in Avibus Ariſtophanis.

Cucurbitino capite.

In capitones, qui inſigniter grande habent caput, aut in ſtupidos, quod convicio vulgari capitones ita audiant, diſtringi poteſt illud Hermippi comici:

τὴν κεφαλὴν ἔχει ὅσον κολοκύντη.

Id eſt,

Caput habet quantum cucurbita.

Cucurbita autem ſeſſilis in amplam ſolet alvum intumeſcere. unde Virgilius:

Et gravis in latum demiſſa cucurbita ventrem:

Accommodari ad uſum poterit hoc modo, in vecordem & inſulſum: Quantum arbitraris ſapientiæ ineſt τῇ κεφαλῇ τῇ κολοκυντίνῃ. id eſt, capiti cucurbitino. Sic laxo tumore diſtentas tibias habentem cucumerinos habere pedes dixit Plato comicus in Laio:

Σικυώνιος πώδας ἔχων.

Id eſt,

Id eſt,

Maturi ac mollis cucumeris tibias habens.

& Anaxilaus:

Τοὺς δ' ἀφρὰ ᾠδὴν μᾶλλον ἢ σικυὸς πέπων.

Id eſt,

Digitis credebant turgidi tali magis,

Quam maturus cucumis.

Dictum eſt alio ſenſu illud Apuleii in 1. de Aſino: cucurbitæ caput non habemus, ut pro te moriamur. quo innuit proverbiali figura, haud temere neci objiciendos homines, inſtar cucurbitarum, quas vulgatus uſus viliores facit.

Circa terram natat.

Περὶ γῆν νήχεσθαι. id eſt, Propter terram natare dicuntur, qui ad aliorum rerum contemplationem mentem non erigunt, ſed in terrenis fluxiſque rebus occupantur. Proclus epiſcopus Conſtantinopol. in epiſtola ad Armenios loquens de virtutum diffinitione ab Ethnicis poſita: ἅπερ εἰ καὶ καλὰ δοκεῖ τυγχάνειν, χθαμαλὰ τρέχει καὶ περὶ γῆν νήχεται. id eſt: Quæ tametſi bellua videantur, humi tamen repunt, & ſecundum terram innatant. Poteſt referri ad eos qui profanis literis ita penitus ſunt addicti, ut ſacrarum ſtudium, velut ſolis theologis concreditum, abnuunt item ad ſtylum depreſſum & jacentem nec uſquam iis, quas paſſiones & affectus vocant, aſſurgentem: quomodo dictum eſt illud à Fabio lib. 2. Inde fiunt humiles ſtatim & velut terram ſpectantes, qui nihil ſupra quotidianum ſermonem attollere audeant. Videtur autem petita metaphora ab his qui natandi imperiti, aut artis diffidentes, pelago aut amni medio committere ſe nō audent. ſed vicinam ripam littuſve premunt. Nazianzenus in oratione ad Baſilium dicta: ὧν ὁ βίος ἀνάπτερος καὶ κάτω νεύων ὁ βίος. id eſt: Quorum vita ſervilis eſt, & humum ſpectans. Idem in epiſtola quadam: τὴν πεζὴν φίλην φιλοσοφίαν καὶ κάτω μένουσαν, id eſt: Pedeſtrem humique reſidem philoſophiam amplecti. Idem ad Cæſarium fratrem τῶν μικρῶν καὶ χαμαὶ ἐρχομένων φροντίσαντες. id eſt: Curam nonnullam habentes puſillorum humique ingredientium. Jo. Chryſoſtomus: ἵνα τοὺς χαμαὶ συρομένους λογισμοὺς ἀνορθώσωμεν. id eſt: Ut humi reptantes cogitationes erigamus. Heliodorus Emeſenus lib. 3. Æthiop. hiſt. de Magia loquens: ἡ μὲν ἐστι δημώδης, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι χαμαὶ ἐρχομένη. id eſt. Altera plebeia eſt, & ut quis dixerit humi gradiens. Apud Theodoritum Marcus quidam χαμαιζήλους καὶ ἐπιγείους vocat caducarum rerum ſtudio addictos.

Simulachrum pictum.

De ſocorde homine, & nihil perficiente, non invenuſte dixeris illud ex Ariſtophanis Ranis:

Γεγραμμένον εἰκὼν ἑστάναι.

Pictum ſimulachrum velut immobilem, quomodo veruceam ſtatuam Plautus dixit. nec abludit hinc vernacula lingua ſtupidum, nec quicquam promoventem hominem, ligneam ſtatuam nuncupans. Laudat autem Ariſtophanes, viriq; cordati eſſe dicit, ad felicem inclinare parietem potius quam picti ſimulachri in modum ſtare unico indutum ſchemate. Græce ita habet: μετακυλίνδειν αὑτὸν ἀεὶ πρὸς τὸν εὖ πράττοντα τοῖχον μᾶλλον, ἢ γεγραμμένην εἰκόν' ἑστάναι λαβόνθ' ἓν σχῆμα. Huc pertinet illud Syneſii ex libello de Dione ἀφωνότερος ἀνδριάντος γενέσθαι hoc eſt, Evadere magis mutus quam ſtatua.

Alba præcordia.

Λευκαὶ φρένες hoc eſt, Alba præcordia habere dicitur homo ſtolidi ingenii & inſulſus, metaphora à coloris vitio tracta: ſiquidem Ariſtoteli albus color maxime emovet oculorum ſenſum, ut inde emotæ mentis hominem ac bliteum λευκόφρονα, & λευκὰς ἔχειν φρένας dicant. ita Pindarus in Pythiis uſus eſt: πείθομαι γάρ μιν πελίαν ἀθέμιν λευκαῖς πιθόντα φρασίν. Audio etenim iniquum Peliam albis uſum præcordiis. Interpres annotat, metaphoram ab aquis translatam, quæ quo minus profundæ ſint, limpidiores, & lucido quodā candore pellucidæ videntur, contra profundiores nigreſcunt, ut ita λευκὰς φρένας dixerit τὰς ἐπιπολαίους, ſuperficiaria quadam prudentia haud profunda præditas, Homer. μελαίνας φρένας prudentiæ argumento nominante. Huc ſpectat quod Horat. Leuconoen vocat quandam Genethliacorum vanitati fidem adhibentem, non ſine ſtolidatis morſu, ut in eum locum olim annotavimus.

Bubalus.

Βούβαλος, i. Bubalum recentior Græcorum ætas ſtupidum & craſſæ minervæ hominem, ingenioque indocili vocavit. Joan. Zezes:

Μὴ πείθου τοῖς βουβάλοις τοῖς παχυδέρμοις.

Id eſt,

Ne fidem habeas rudibus illis & craſſibus pellibus bubalis.

Et iterum: ὅμως βουβάλοις πείθομαι; Attamen ineptis iſtis bubalis accedo. Locum adagio fecit animantis hebetudo & ſtupiditas vernaculæ quoque linguæ noſtræ non incognita.

Otus & Othus.

Ὦτος, id eſt Oti, dicuntur proverbii ſpecie væcordes homines, ſtultique glorioſi, χαῦνοι καὶ κενόδοξοι ut ex Ælio Dionyſio annotat Euſtathius, ab avicula Oto, quam Aſionem Latini nominant, quæ geſticulabunda & ad laudes ſuas ſubſultabunda, eo modo capitur. Idem in Odyſſ. λ ὤτους vocari dicit, qui facile quavis in re circumveniuntur, ac præcipue qui ſe patiuntur dictis facile protelari, argumentis quibuſvis improvide aſſentientes, nihilque curioſius expendentes ejus hæc ſunt verba: οἱ τὰ μὲν ὦτα ἀεὶ ἀναπεπταμένα καὶ ἀνεξέταστα ἔχοντες. Aviculam hanc ſtolidam eſſe, facileque decipi, annotat Etymolog. author. de qua ita Ariſtot. Otus noctuæ ſimilis, circa aures alarum quandam ſimilitudinem præfert. Verum Othus pro fatuoſo homine, & qui gradus (uti Plautus loquitur) grandit, proverbialiter dici poteſt, aperiente huic rei viā Marcellino libro 22. ubi inquit: Grandiſque incedens tanquam Othus & Ephialtes, quorum proceritatem Homerus in immenſum tollit. Fabula de Otho & Ephialte Aloei filiis, ex Homeri Iliad. v. nota abunde eſt. qui majora viribus agreſſi, cœlumque aggeſtis temere montibus invadere adorti, dejecti occubuerunt: fabulantur autem illos quolibet menſe novem digitis excreviſſe. Higynio teſte.

Navis ſcopulum deprecatur.

Ναῦς ἱκετεύει πέτρας. id eſt, Navis cauti ſupplicat. Proverbium effertur de ſtupidis & inſulſis, ut annotat Suidas. Mihi videtur non male quadrare poſſe, quoties indocto ſacrifico cum officiali aut decano non minus illiterato res eſt: nam & navis & cautes inanimæ ſunt. vel etiā quando inexorabilem quis deprecatur. Cautes enim, & cæci ſub undis ſcopuli, non parcunt navibus in eos illiſis.

Hippocratis liberis cedis.

Τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴκεις, id eſt, Hippocratis liberis cedere, proverbialiter dicitur de inepto & ſtolidi ingenii homine. Ariſtophanes in Nubibus,

Τοῖς Ἱπποκράτους υἱέσιν εἴξεις.

Id eſt,

Hippocratis prolibus locum dabis.

Traducuntur in Comœdiis Hippocratis liberi ut rudes & indocti, ſtipites, ac hebeti ingenio, ὕες denique: unde Eupolis comicus in fabula quam Δήμους inſcripſit,

Ἱπποκράτους δὲ παῖδες ἐμβόλιμοί τινες,

Βληχητὰ τέκνα κοὐδαμῶς τοῦ τρόπου.

Id eſt,

Sunt liberi Hippocratis nothi, inſititii,

Pecudes balantes, moribus nullis bonis.

Meminit & Galenus in libello, quod Animi mores corporis temperamento reſpondeant: Ἱπποκράτους, inquit, υἱεῖς ἐπὶ μωρίᾳ κωμῳδοῦσιν οἱ κωμικοὶ διὰ τὴν ἄμετρον θερμότητα. i. Hippocratis filios ſtultitiæ nomine rident Comici ob immoderatum calorem. Indoctum itaque & ſtupidum, Hippocratis liberis vecordia cedere dicemus.

Vervecens.

Κριομύξους proverbiali tropo dixit Cercidas mimographus, poeta Megalopolitanus, ſtupidos & inſulſi judicii homines, velut vervecino mucco ſcatentes: quales Juvenalis nominat,

Vervecum in patria craſſoque ſub aere natos.

Galenus Therapeut. lib. 6. Θεσσαλὸς δ' ἅμα τοῖς ἑαυτοῦ σοφισταῖς ἐφ' ὑψηλοῦ θρόνου καθήμενος ἐν κριομύξοις ἀνθρώποις, ὡς ὁ Κερκίδας φησὶν, ἀποδεικνύμενος. id eſt, At Theſſalus una cum ſuis ſophiſtis edito in ſolio reſidens inter vervecinos viros (uti Cercidas ait) præclare de ſe loquetur. Ejuſmodi tenebriones mucci plenos βλεννομύξους quoque nominari invenio, qui facile ſibi imponi ſinunt, obtuſiores, quam ut alienas technas animadvertant aut intelligant, clara etiam luce caligantes. Heſychius βλεννόμυξος exponit μυξώδη, εὐαπάτητον, mucculentum facile deceptibilem. Non alienum eſt hinc illud Hermippi in Comœdia cui nomen, Palladis progenies,

Τὴν μὲν διάλεκτον καὶ τὸ πρόσωπον προβάτου

Ἔχειν δοκεῖς. τὰ δ' ἔνδον ἔνδον διαφέρεις

Δράκοντος. ———

Id eſt,

Loquelam habere pecudis & faciem mihi

Videris, aſt intus latet prudens draco.

Quod dici conveniet de eo, qui plus habes in receſſu, quam primore fronte promittat.

Somni plus.

Ὕπνου μεστός, id eſt, Somni plenus, proverbialiter effertur de ſocordis & ſtupidi ingenii homine, aut de oſcitabundo, parumque attento. Ariſtides in oratione de inepto reſponſo: εἰ μὴ παντάπασιν ὕπνου μεστὸς ἦ, id eſt, Niſi omnino ſit ſomni plenus.

Lapis molaris.

De homine ſtupido, vecorde, & cerebri experte, proverbialiter dicetur λίθος μυλίας, id eſt, Lapis molaris. Plato in Hippia majore: ὥσπερ οὖν παρακαθῆσθαί μοι λίθος καὶ οὗτος μυλίας, μήτε ὦτα μήτ' ἐγκέφαλον ἔχων. id eſt, Non aliter quam ſi lapis aſſideas mihi, iſq; molaris, & auribus & cerebro carens. Apud Ariſtophanem quidem λίθος, id eſt, lapis audit, propter vecordiam inſignem, & animi ſtupiditatem, διὰ σκληρότητα καὶ ἀναισθησίαν, ut exponit Euſtathius. Ariſtides ex Platone: τί δ' εἰ τοῦ Περικλέους υἱεῖς λίθοι ἐγένοντο. i. Quid, ſi Periclis filii lapides fuerint. ita fere & Plautus in Mercatore.

———Egomet credidi

Homini docto rem mandare, is lapidi mando maximo.

Somnus.

Sannas.

Sannas proverbialiter vocatur homo fatuus & ingenii ſtolidi, à Sanna quodam morione ſtulto & caudice. Cratinus enim comicus talem inducit τὸν Θεοδοτίδην σάνναν Theodotidem Sannam; de quo alicubi hunc in modum loquitur,

> Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων
> Βαδίζει. ——

Id eſt,

> Aſt ſtultus iſte, more ovis, be be ſonans
> Incedit. ——

Aut forte ab Aſiana gente Sannis, quorum Arrianus in luſtratione Ponti Euxini, & Procopius meminerunt, qui corrupta voce Tzanni poſtea vocitati barbari homines, & propter ruditatem & inſcitiam pro inſipidis & bardis habiti. Refertur ab Euſtachio Odyſſ. ξ. ex Ariſtophane grammatico. Rhinton Tarentinus poeta σάννορον fatuum hominem nominat. Ejuſmodi ſannæ non pauci in Comœdiis traducuntur: inter quos Melitides, qui ultra quinque numerare non poterat, & ultro parente editus furet, ignorabat (quod & de Margite recenſet Zezes) neq; ſponſam attingere auſus fuerit, veritus ne rem matri illa proderet: item Mammachutus, & Polyorus, qui fluctus dinumerabat: & alius quiſpiam, qui hydriam vacuam capiti loco pulvinaris appoſitam, quum duritie offenderetur, paleis eam implevit, quo mollius commentiret illi incubaret: & Achæus quidam, nomine χρηστός, per antiphraſin à mentis præſtantia dictus: item Corœbus Mygdon, Phryx genere, qui ſociorum poſtremus Priamo ſe adjunxit, qui undarum numerum inibat, ſupra triadem haud numerans, ſed recurrens iterato ad unum, duo, tria, ut Zezes indicat: denique & Margites, opulentiſſimis ortus parentibus, ut author poematis Homero adſcripti, quod ab illo Margites dicebatur, inſimulat: qui ducta uxore non prius Veneri libavit, quam illa ſuaſu parentum ſauciam ſe oſtendens, curari vulnus prius poſſe negaſſet, quam illi loco veterum ipſe admoviſſet: non immerito Margites à μαργαίνειν, hoc eſt, μωραίνειν dictus, ut Euſtath. Odyſſ. κ. latius annotavit. In eadem claſſe cenſetur & Acco fatua fœmina, quæ clavum ſpongia identidem pulſabat.

Βουγάϊος & Βουβάιξ.

Βουγάϊος parœmiace dicitur homo vaſta corporis mole, qui corpus ægre moliri queat præ nimio pondere tardum. Hector apud Homerum Iliados ν. alloquitur ita Ajacem:

> Αἶαν ἁμαρτοεπὲς βουγάϊε ποῖον ἔειπες.

Id eſt,

> Quid loqueris telluris onus, quid futilis Aiax?

Quo loco Zenodotus βουγάϊε ſcribit. Ariſtarchus βουγαίε, alii etiam βουκαῖε, quæ vox apud Nicandrum ſignificat hominem ruſticanum. Annotant veteres, βουγαίους vocari à Samiis & Dulichiotis, imbecillos parumque vegeto corpore validos, quaſi lacte enutritos. Habet autem βοῦς apud Græcos vim intenſivam, & magnitudinis ſignificativam in dictionibus compoſitis. ita & βουβάιξ homo magnus & ſtupidus dicitur, à bubuli ponderis argumento, ut Herodiani grammatici authoritate annotat Euſtachius, quo nomine deſignari ſuſpicor eum quem nos Heſychium appellamus, quod eadem in iſto verba legantur, quæ ille Herodiano ſuo tribuit. quanquam & vocis hujus βουβάιξ etymon trahunt quidam ad βαῖον navigii genus, quod ingentem navem magnitudine mentiatur. Quid, quod & βουκόρυζος, quaſi inſigniter muccoſum, vocari vecordem inſipidum hominem ac fatuum, in ejuſdem grammatici lexico invenio. Adde, quod ὠγύγιος ἄνθρωπος, id eſt, Ogygium hominem immani ſtatura nominat Heliodorus, quomodo Philon Judæus ὠγύγιον ἀνοίαν dixit immenſam ſtultitiam; tametſi ὠγύγιον etiam pro vetuſto accipiatur apud authores: ut apud Nazianzenum: ὡς φάτις ὠγυγίη. Id eſt; ut fert fama vetus: & apud Nicandrum in Theriacis:

> Ὠγύγιος δ' ἄρα μῦθος ἐν αἰζηοῖσι φορεῖται.

Id eſt,

> Ogygia aſt inter pueros hæc fabula fertur.

Sic Dionyſius Afer in peri exegeſi dixit:

> Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον.

Id eſt,

> Ogygiam Theben, centum quæ prædita portis.

Fuit autem Ogygus, Iſacio Zeze teſte, Neptuni & Aliſtræ filius, antiquiſſimus Thebanorum rex. nam apud Etymologici authorem male ſcriptum eſt αἰθιόπων, pro Θηβαίων.

Sex congios capit.

Ἑξχόας χωρεῖ id eſt, Sex congios capit: proverbium eſt in ſtolidos & emotæ mentis homines. Ariſtophan. in Nebulis, ἑξχόας χωρεῖ ζῶν, ſubaudi ὁ ἐγκέφαλος αὐτοῦ id eſt, Senos capit congios nempe cerebrum hominis. Metaphora ab urna aut teſta. citatur in Suidæ commentariis.

Λίμφος, Muccus.

Λίμφος, hoc eſt, Muccus, proverbiali tropo dicitur homo ſtupidus ac nullius ingenii, ὁ μάταιος καὶ ἀναιδής. Heſychio teſte. Euſtathius λαθὼ exponit. inſulſum Herennius Philon annotat, λίμφον apud Atticos vocari mucculentum. vulgo autem ſtoliditatis nomine male audiunt, quibus nares mucco diffluunt. Menander in Suppoſititio fabula; γέρων ἄθλιος λίμφος, id eſt, Senex miſellus muccosus. Eſt autem proprie λίμφος ἡ συναγωγὴ μύξα ἐν τῷ μυκτῆρι, id eſt, muccus naribus concretus. Libanius: κορύζης καὶ λίμφου ἐμπλέως. id eſt, Coryza muccoque oppletus. Huc pertinet Cratini comici jocus in obeſæ naris hominem, ὑλίζεις τὰς ῥῖνας, quo jubet illum defecare, & quaſi percolando nares repurgare. ſic enim ὑλίζειν & διυλίζειν τὸν οἶνον dixit Plutarchus, percolare ſeu defecare vinum. quo nomine miror Joachimum Camerarium, virum doctiſſimum, in ejus dicti explicatione tranſlatione deducere à frondatoribus & à putatione. Eſt & vicina huic vox λέμβος, qua ſcapha navem onerariam ſequens ſignificatur, non ineleganter in proverbialem cavillam tranſumpta, dum adulatorem & paraſitum eo vocabulo deſignant, Athenæi teſtimonio, velut menſarum aſſeclam; quod cognominis adhæſit Heraclidi Calletiano, ut eſt apud Laertium, & citatur non uno in loco apud Athenæum, ἡρακλείδης ὁ λέμβος, Heraclides cognomento Lembus. Crediderim λίμφος etiam dici poſſe, quem Latini Pedarium ſenatorem vocant: quod aliorum dictis ſuffragetur, alienæ ſententiæ ſervus.

BRASSICANI.

Ad gentiles & agnatos deducendus.

Varro libro De re ruſtica. 1. cap. 2. Qui ſalubrem locum negligit, mente eſt captus, atq; ad agnatos & gentiles deducendus. Meminit & Columella in 1. Quando igitur hominem mota mente furere ſignificamus ad agnatos & gentiles eſſe deducendum dicimus. Nam eſt placitis Jureconſultorum, furioſi & prodigi licet majores viginti quinque annis ſint, in curatione ſunt agnatorum, ex legib. XII. tabularum.

JOANNIS ULPII.

Pituitam à naribus allio & cepe detergere.

Vſurpatur à Galeno adverſus ſtupidos, demonſtrativæ methodi & dialecticæ imperitos, nec non deprehenſos & argumentis convictos. Adſimile eſt illi quod ab Eraſmo traditū eſt, Narib. trahere.

COGNATI.

Ad agnatos & gentiles deducere.

Cum hominem furere veteres ſignificabant, ad agnatos & gentiles deducendum dicebant. Columella lib. 1. cap. 3. Portius quidem Cato cenſebat in emendo agro inſpiciendoque præcipue duo eſſe conſideranda, &c. quorum alterum ſi deeſſet, & nihilominus vellet incolere, mente eſſe captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum. Tractum à legibus duodecim tabularum, quæ furioſum dominum rerum ſuarum eſſe vetant, ut Cicero docet Tuſculanarum quæſt. 3. eoſque curæ agnatorum commendant, ut Juſtinianus docet lib. Inſtitut. tractatu de curatoribus, & Ulpian. lib. Pandect. 27. tit. de curatoribus furioſ. &c. cap 1. Lege duodecim tabularum prodigo inter dicitur bonorum ſuorum adminiſtratione: quod moribus quidem ab initio introductum eſt: ſed ſolent hodie prætores vel præſides, ſi talem hominem invenerint, qui neque finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundit, curatorem ei dare, exemplo furioſi, & tandiu erunt ambo in curatione, quandiu vel furioſus ſanitatem, vel ille ſanos mores receperit. Quod ſi evenerit, ipſo jure deſinunt eſſe in poteſtate curatorum. Curatio autem ejus, cui bonis interdicitur, filio negabatur permittenda: ſed extat divi Pii reſcriptum, filio potius curationem permittendam in patre furioſo, ſi tam probus ſit. Prodigi, inquit Cic. lib. ij. Off. qui epulis & viſcerationibus & gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut nullam aut brevem ſunt relicturi. Varro lib. 1. De re ruſtica, c. 2. Qui ſalubrem locum negligit, mente eſt captus, atque ad agnatos & gentiles deducendus.

Serviles in animo pilos habere.

Plato ſtupidum, indoctum, & vecordem deſignans, ſerviles in animo pilos habere dicit, ἔχοντας ἀνδραποδώδεις ἐπὶ τῆς ψυχῆς τρίχας. Sic & Pythagoricus Lyſis, ſpiſſum atque hirſutum vepretum innaſci in illorum animis ait, qui non rite & pure diſciplinis ſunt inaugurati.

Βραδύς.

Βραδύς, ſive βαρδύς (utroque enim nomine dicitur per metatheſin) idem nunc vulgo jactatur, quod μοχλὸς hebes, tardus ingenio, ſtupidus ac ſegnis: cum tamen olim ſapientem ſignificaret & ingenioſum: qualis nimirum Bardos apud Celtas fuiſſe compertum eſt. Verum enimvero paulatim ejus ſignificatio, abutentium culpa in ſenſum contrarium detorta eſt. Unde Cicero libro De fato ſtupidum Socratem dicit & bardum. Idipſum in voce Sophiſta, factum videmus, in Tyranno, in Hoſte, in Muſico, in aliis pleriſque. Bardi autem Celtarum philoſophi, in Bardo Druyois filio, quinto Celtarum rege, qui ſectam poetarum & muſicorum introducit, cognominati fuere. tametſi & aliunde deduci poſſe videatur appellationis hujus etymologia. Nam Bardus etiam ipſis Gallis olim cantorem ſignificat, apud quos hodie Poeta & Muſicus pro leviſſimo homine uſurpatur.

Florent

Florent fabæ.

Apud Gallos in vulgari joco, fabarum flores hoc nomine laborant, quod ſtultitiam pariant. [Ejus rei cauſam affert Levinus Lemnius, nimirum propter gravem & fumidum inde halantem vaporem. Ejus occulta naturæ miracula pete ex ejuſd. lib. 2. cap. 7.] Si quando autem aliquem vacillantis, parumque firmi celebri deſignant, aut alienatæ emotæque mentis, & qui in moribus, geſtibus, dictis factiſque, atque in omni vitæ actione delitanti apparet ſimilis, in fabis illum verſari dictitāt adeo ut proverbii vicem obtineat, Fabæ florent: vel In fabis oberrat. Quod vacillantis cerebri hominibus accommodari ſolet, quique rationis mentiſq; judicio carent. Videmus enim pleroſque vernis menſibus, ubi culmi fabacei florere incipiunt: mente alienari, multaque abſurda ac ridicula proferre, quib. nonnunquam ſic increſcit delirium, ut vinculis coercendi ſint. Siquidem ineunte vere humores reſtagnare incipiunt, denſiſque fumis ac vaporibus cerebrum afficere, quos cum redolentes fabarum floſculi exacuunt, mentem corripi delirio, furiiſque agitari contingit. Tametſi enim ex fabarum floribus jucundus ſuaviſque odor emanat: cerebrum tamen afficit, vaporeque gravi etiam à longe imbuit, præſertim quibus id imbecille eſt atque invalidum, humoreque bilioſo ac melancholico oppletum. Quo fit, ut eorum nonnulli inquieti ſint ac palabundi, denique clamoſi, impenſeque loquaces: alii taciturni, ac cogitabundi. Proverbium ſic ſua lingua afferunt Celtæ:

Quand les feves ſont flories, les fols commencent leurs folies. &: Febues ſont en fleur: Belgæ in de boonen.

Cantio Bœotica.

Euſtathius in Iliados librum ſecundum, de cantione Bœotica diverſam narrat hiſtoriam: Sunt, inquit, qui putant Bœotiam dictum à bove. Quum Europa Phœnicis filia, &c. Equidem arbitror hanc fuiſſe primam originem adagii: utcunque poſtea detortum eſt ad alios uſus. Conſtat autem, Thebanos olim fuiſſe muſices ſtudioſiſſimos. Argumentum eſt illud Alcibiadis: Canent Thebani, qui loqui neſciunt. Ariſtophanis interpres modis harmoniarum ac Phrygiis, annumerat etiam Bœoticos. (Lege proverb. Eraſm. Bœotica cantilena.

Non plus ſenſus habet, quam ſurdi lapides.

Sic loquuntur omnes uno ore Galli: & eſt apertius & delucidius, quam ut interpretatione alia egeat. Operæ igitur verbiſque hic parco.

Bœotica ſus.

Veteres in Bœotorum ſtuporem cavillantes, ſuem Bœoticam dicebant. Pindarus quidem Olymp. proverbium hoc maledicti loco in Bœotios fatetur eſſe jactatum, jubetque Æneam quendam chori magiſtrum ſocios cohortari, dent operam ut intelligant auditores ac ſpectatores, hoc proverbium in Bœotios non convenire, neque ſe ſues eſſe, ſed Muſarū alumnos. Cicer. de fato, oſtendens quantum inter locorum naturas interſit, ita ſcribit: Inter locorum naturas quantū interſit, videmus: alios eſſe ſalubres, alios peſtilentes: in aliis eſſe pituitoſos & quaſi redundantes, in aliis exiccatos atque aridos: multaque ſunt alia, quæ inter locum & locum plurimum differunt. Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: craſſum Thebis, itaque pingues Thebani & valentes, &c. Ex quo loco intelligere licet, Bœotios qui craſſo cœlo uterentur (Thebæ enim in Bœotia fuerunt) pingues, craſſos, tardos atque hebetes fuiſſe. Hinc Horatianum illud,

Bœotum in craſſo jurares aere natum.

Cœlum autem aer plerunque dicitur Plinius: Namque & hoc cœlum appellavere majores, quod alio nomine aera. In aere autem craſſo ſtupidi & obtuſi plerunque ſunt qui naſcuntur: quod tamen perpetuum non eſt, & Juvenalis ſcribit,

Magnos ſæpe viros, & magna exempla daturos,
Vervecum in patria, craſſoque ſub aere naſci.

Æmylius Probus in Alcibiadis vita ſcribit, Thebanos & Bœotios corporis firmitati magis inſerviiſſe, quam ingenii acumini, quia craſſo utebantur cœlo: unde ſtupidi erant, & inepto craſſoq; ingenio præditi. Eam ob rem Cic. 2. De nat. deor. acutiora, & ad intelligendum aptiora eorum dicit eſſe ingenia, qui loca incolunt, quibus aer purus ſubtiliorque eſt, quam eorum qui aere craſſo ſpiſſoque utuntur. Quod & nos, dum id genus loca incolimus, verum eſſe ſumus experti (Repete, Eraſ. proverb. Bœotica ſus.)

Ἐμβρόντητοι & ἐμβροντηθέντες.

A Græcis κεραυνόβλητοι appellantur, quorum mens ictu fulminis aut incredibili ejus pavore obſtupeſcit. Vtrumque vocabulum per metaphoram ad alia transfertur. Lucianus in Icaro Menippo: [illegible] Stupidumque, atque animi impotem plerunque ſignificat. Moſcopulus: [illegible] Demoſthenes [illegible] Hos Latini attonitos dicunt. Celſus: Attonitos quoque raro videmus, quorum & corpus & mens ſtupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν hunc Græci vocant. Ex his Triſtium primo elucet Ovidius,

Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Xenophon [illegible]

Cyclaminum effodias ad Halenta.

Cyclaminum ex Halenti fluvio effodere, proverbiali figura jubebantur, qui craſſa pituita laborarent, atq; inde craſſo ſenſu præditi erant, ut cerebro rectius valerent. Theocritus in Viatoribus,

Ἐλθὼν τὰν κυκλάμινον ὄρυσσ' ἐπὶ τὸν Ἅλεντα.

Id eſt,

Vade ad Halens, atque inde Cyclaminum effodias.

De Cyclamino & ejus viribus, Gal. lib. 7. Simplic. medic. Dioſcorid. lib. 2. cap. 158. Similia huic & hæc ſunt: Scillas è ſepulchretis vellere. Naviga in Anticyram, &c. Elleboro te purgas de eo qui mente decerrat, vel inſanit. De iis apud Eraſmum. Sententia igitur hæc eſt: Pete tibi alicunde remedium, quo cerebrum purges, ut rectius mente valeas: jam enim inſanire videris.

Lenti.

Equidem dictionem hanc vice proverbii uſurpatam ſæpe obſervavimus: & lentos, adhuc hodie dicimus, qui affectibus non moventur, ac velut æquanimitate torpentes ſtupent. Virum quoque eſſe negamus, qui iraſci neſciat. Cic. de Oratore lib. 2. In quo ego, non quo libenter audiam, ſed quia cauſam non libenter relinquo, nimium patiens & lentus exiſtimor. Propertius,

Hoſtibus eveniat lenta puella meis.

Et Martialis,

Tu ſpectas hyemem ſuccincti lentus amici.

Cicero ad Q. Fratrem: Omnino, inquit, non iraſci, non ſolum eſt gravitatis, ſed nonnunquam etiam lenitudinis. Inde in epiſtolis ad Atticum, Lente ferre, videtur poſitum, pro eo quod eſt, æquo animo perpeti quicquid contingat: Credas, inquit, mihi velim, neminem adhuc offendi, qui hæc tam lente, quam ego ferret. Gellius lib. noct. Attic. 1. cap. ultimo: Tum Plutarchus lente & leniter Quid autem, inquit, verbero, ego tibi videor iraſci? Sunt autē qui opinantur lenitudinem latius patere, quam illa Græcorum ἀοργησία. Laberius. Nunc tu lentus es, nunc tu ſuſque deque fers. id eſt, quod accidit, non magni pendis, ac propemodum ἀδιαφορεῖς. Eſt in hanc fere ſententiam & illud. Mentem non habet, qui non iraſcitur, de quo infra. Vide etiam, Securus: &, Supinus. Lentus autem pro tardo & ſegne, opponitur prompto ac celeri ad cujus vocabuli vim Cicero reſpexit, cum C. Antonium debitorem lentum vocavit: Teucris, inquit, illa lentum ſane negocium. Hoc enim ſignificavit, eum libenter ſubterfugere, & tergiverſari, & diem ex die ducere, neque promptum eſſe ad diſſolvendum quod deberet. At contra Lucilius apud Nonium Marc. Lentum ſolvere, accepit pro eo qui facile ſolveret, bonumque nomen eſſet.

Tam fatuus, ut etiam regnare poſſit.

Hoc vulgi dicterio regum ſtulticia paſſim notatur, in quam & ab Eraſmo noſtro declamatum eſt, in ſimili proverbio: Aut regem, aut fatuum naſci oportet. Verumque in eodem ludo uſurpat Seneca: Craſſum vero tam fatuum, ut etiam regnare poſſet. Idem libro ſecundo. De beneficiis: Animoſa vox videtur, & cum regia ſit, eſt ſtultiſſima.

Nulla habetur perniciei ratio.

Vſurpatur à Plutarcho in Eumene, tanquam proverbii loco. Ibi inquit, Alcetæ Polemoni, & Docimo, ſecum de ſumma rerum contendentibus. Hoc erat, inquit, quod dici ſolet: At nulla habetur perniciei ratio. Hoc notantur ii, qui graviſſimo imminente periculo, adeoq; exitio tamen aliis curis vacent, ſalutis ſuæ poſthabita ratione. Quod tum Alcetas, Polemon, & Docimus faciebant, cum quidem damnati à Macedonibus, & ingruente Antigono, cum Eumene de imperio contenderent. Rectius Ariſtides: qui ut ſuos docuerit, iſta ambitione hoſtibus inſtantibus abſtinere, ac ſalutis potius ſuæ & victoriæ parandæ curam gerere, in ejus vita expoſuit Plutarchus.

Mentem non habet, qui non iraſcitur.

Levinus Lemnius De occultis naturæ miraculis lib. 2. cap. 16. Phlegmatici, inquit, utpote frigidæ humentiſque naturæ nullum propemodum ſentiunt animi motum, nec magnopere ullis rebus permoventur. Quo fit, ut ignavi exiſtant atque inertes, nec ad ullas res præclaras appoſiti: ſicut apte illis Platonis proverbium poſſit accommodari, Mentem non habere, qui non habet iram. Cic. ad Q. Fratrem: Omnino non iraſci, non ſolum eſt gravitatis, ſed nonnunquam etiam lenitudinis. Virum quoque alio proverbio eſſe negamus, qui iraſci neſciat. Stomachari autem interdum hominem juvat paulo iracundiorem. Phavorinus apud Gell. libro decimo octavo, cap. ſeptimo. Scitote, inquit, tamen intemperiem iſtam, quæ μελαγχολία dicitur non parvis, nec abjectis ingeniis accidere, [illegible] ſed eſſe ferme affectionem hanc heroicam, & maximis ingeniis accidere. Vide alibi aliud: Lenti.

Onocephali.

Metaphoricè Onocephali homines dicuntur, aſinino ſcilicet capite. Sic Deuteron. 22. Non junges bovem & aſinum, quaſi diceret: Fatuos ſapientibus non iunges. Præterea aſinus eſt natura tardus, nec vult ferre onera, niſi verberibus impulſus. Sic eſt natura multorum hominum, quos Galli aſinos & aſini caput vocant vulgariter. Inferius: Bovem aſino non junges.

Stultus digito loquitur.

Et Hebraico proverbio dicitur, Stultus digito loquitur. Prov. 6. Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia ſeminat. Extat Chilonis Lacedæmonii dictum, inter loquendum manum moveri non debere. Id enim eſſe vecordium. Terentianus ex Arbitro antiquo poeta, de jambico dimetro claudo loquens,

> Tinctus colore noctis
> Manu puer loquaci.

Inſtar ovis.

Vſurpatione vulgi, ovis cognomento inſipientes appellantur: in quos adagia etiam feruntur, προβάτου βίον ζῇς, καὶ προβατώδης, Inſtar ovis. Latini dicunt: quod, More ovium, Græci. De iis qui minimum ingenio valent, dicuntur. Divinæ etiam literæ pleriſque locis, homines divinæ inſtitutionis expertes, indocileſque, nunc oves, nunc pecora nuncupant, quæ, ut Græci eſt nominis etymologia, natura prona atq; ventri obedientia finxit. Galli Brutum vocant ſtultum & hebetem: Sic cognominatus fuit L. Junius à ſtultitia, quam Tarquinii metu ſimulabat. Oviculæ autê cognomento appellatus eſt Fab. Maximus. Vide apud Eraſmum. Ovium mores.

Plumbeus homo.

Cum autem velociſſima eſſe debeat mentis agitatio in eo, qui acutior ingenii laude commendandus ſit, ubi quem tardiorem ad ea excogitanda, conſulenda, conſtituenda, adeunda, peragendave, quæ uſu veniunt inſpeximus, à cunctatione ipſa, vel ab immobilitate, plumbeum ingenium per cavillum exprobramus. Hinc Terent. in Heaut. In me quidvis harum rerum convenit, quæ ſunt dicta in ſtultum: caudex, ſtipes, aſinus plumbeus, id eſt obtuſus & ſtupidus. Cic. 1. De finibus. In animi autem cogitatione dubitare non poſſumus niſi plane in Phyſicis plumbei ſimus, quin nihil ſit animis admiſtum Plumbeum ingenium, hebes, & obtuſum, quod cogitando penetrare non poteſt. Plumbeus vero homo à Plauto dicitur lividus. Hinc Plumbeæ iræ, graviſſimæ, & quæ altiſſime inſident pectoribus dicuntur. Plautus in Penulo. Verum ita ſunt omnes iſti noſtri divites: ſi quid benefacias, levior pluma eſt gratia: ſi quid peccatum eſt, Plumbeas iras gerunt.

Linariæ caput.

Gallicum vulgus amentes & ſtolidos homines, capita generis linariarum dictitat. Caput enim parvum vitioſæ conſtitutionis cerebri eſt indicium. Linariæ autem, miliariæ etiam dicuntur, à milio, quo delectantur: magnitudine carduelorum ſunt, ſed capite multo minore. Ideo natum adagium.

Varro.

Vt Longurio pro longo & inepto, voce à longuriis deducta, ponitur, pro vecordi & amente vacerra, quæ vox ſtipitem ſignificat: ita pro ſtupido, ruſtico & bardo, Varro, vocabulo à varris deflexo, qui parricas ſignificant, uſurpabatur. Lucilius apud Feſtum in voce ſqualoſus:

> Varronem, ac rupicum ſquarroſa incondita roſtra.

Cicero in eadem ultima epiſtola ad Pætum: Ille Varro te putabat quæſiturum unum cœlum eſſe, an innumerabilia? Idem libro ſecundo De finibus: Hæc cum loqueris, nos Varrones ſtupemus. Sic tardi & ſtolidi, parumque ingenioſi, ſtipites & caudices vocantur, etiam ab ipſis Gallis.

Nequam, magnus homo.

Marc. Terentius Varro lib. 6. De lingua Latina, ex Lucilio: Nequam magnus homo μέγας apud Ariſtophanem, eſt ſtolidus & ineptus: μεγαλόφρων, valde ſtultus, ἠμεγαλόφρων. Eraſmus noſter etiam ita interpretatur in proverbio οὐδεὶς παγρὸς μέγας ἰχθῦς. Videtur tamen author illius acroteleutii hoc ſenſiſſe: Omnis piſcis, quantumvis magnus nullus eſt, ſi putidus. Idcirco idem eſt apud Plautum. Nequam eſt piſcis niſi recens: Stratonicus vero primis hoc protulit in Simylam quendam, magnum, ac procerum, ſed ineptum & ſtolidum: ut putat Joſephus Scaliger, ex quodam poeta.

Mulus.

Mulus, eſt convicium in ſtupidos. Catullus:

> Mule nihil ſentis.———

Varro ſatyra quæ inſcripta eſt, Sexageſimus: Vix effatus erat, cum more majorum, ultro Caſnares arripiunt, de ponte in Tiberim deturbant. Senibus craſſis heu muli non videmus quid faciant.

Margites.

Margites iners, & nullius precii, ſtolidusque homo dicitur, cujus meminerunt ex Homero in Margite, Plato in Alcibiade 2. vel, de voto, Ariſtoteles atque Clemens Alexandrinus, & Eraſmus noſter in Chiliadibus ex Luciano. Plutarchus in Demoſthene dixit, Margitas Alexandro cognomentum fuiſſe. Demoſthenes, inquit obtinens, ad regis in Aſia duces ſcribebat, eos ad bellum Alexandro (quem puerum, & Margiten nominabat) faciendum inſtigans:

> Margitem neque foſſorum voluerunt nomina divum
> Eſſe, nec agri, colam nec in illa præterea re
> Scitum aut egregium: qui ſpontam attingere non eſt,
> Auſus, ne matri veritus, rem proderet illi.

Vide ipſum Platonem & noſtrum apologum, Margites: adagium item in noſtra Sylloge, Murgiſo.

Stultorum infinitus numerus.

Stultorum namque eſt infinita gens, ut ſi quis eos vituperare pergat, neceſſario defatigetur. Adde etiam quod dicitur, Nunquam ſapiunt ſtulti niſi in anguſtiis.

Torpedini ſimillimus.

Torpedo piſcis marinus latiſſimus atque ſtupidiſſimus, qui hominem ſibi propinquantem tangentemque, ſtupidum reddit. Dicitur in eos, qui præſtigiis, & veneficiis, incantationibusq; homines perturbant. Plato in Menone, vel, de virtute: Et nunc quidem, ut mihi videris, me præſtigiis, & veneficiis, incantationibusq, perturbas, adeo, ut ambiguitatis ſim plenus. Ac mihi videris omnino ſi tamen te jocãdo mordere aliquantulum decet, quam ſimillimus eſſe forma, cum cæteris omnibus, latiſſimo illi piſci marino, qui torpedo dicitur: ille ſiquidem hominem ſibi propinquantem tangentemque, ſtupidum reddit. Tu quoque nunc tale aliquid feciſſe videris, ut me ſtupefacias. Nam ſi in urbe aliena advena hæc ageres, utpote præſtigiator quidam atque veneficus, ſupplicio forſitan afficereris. Socrat. Video enim jam, quam ob cauſam hac imagine me depingas. Honeſtorum enim honeſtæ ſunt & imagines. Ambigere te compuli, & piſcis illius more ſtupidum feci te. Antigonus in mirabilium narrationem congerie. Ariſtotel. ait, Torpedinem in mare ſe demergere, & piſciculos (qui propius ubi acceſſere, præ torpore natare nequeunt) capere.

Λίθος μυλίας.

Lapis molaris. In ſtupidos & brutos, cerebri expertes & impetitos. Plato in Hippia majore: Tu non magis audiſti me, quam ſi lapis coram aſſediſſet, & molaris quidam, nec aures, neque cerebrum habens. Huic non diſſimile illud Ariſtippi, Lapis ſuper lapidem: & hoc, Lapidi loqueris: ex Terent. Ariadna apud Ovid. in epiſtolis

> Quamque lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

Catul. in Pelei & Thetidos nuptiis:

> Saxa ut effigies.———

Vide in Sylloge noſtra, Totus ſaxeus. Vide item Junium.

Omnino fatuum eſt.

Ante, Ruſticum: alibi, Abſurdum: &, Præter rationem, Abſurdum eſt hoc.

Terræ filius: Terrei.

Terræ & cœli filius dictus eſt Saturnus, quod apud Italos eſſet ignotis parentibus: ut in hodiernum inopinato viſos ignobiles & ignotos terræ filios nominamus. Terreos enim ſtupidos, craſſos, obturatos, ex mole terreæ, quæ proprie bruta dicitur, compactos, eaque ad cœleſtia percipienda minime accommodatos, dicimus.

Nare trahitur.

Hoc Græcis ac Gallis eſt perfamiliare, quum quis de eo loquitur, qui ſtolide alicui obſecundat, & quem pro arbitrio, quocunque vult, impellit. Stephanus ἕλκει αὐτὸν τῆς ῥινός. Eraſmus ex Luciano τῆς ῥινὸς ἕλκεται. Galli ad verbum, Ille mene par le nez.

Neſcit quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam.

De eo qui præ ætate aut ſtultitia nullius eſt judicii, & (verbi cauſſa) neſcit dextram multo valentiorem eſſe ſiniſtra.

SVBITVM EXITIVM.

ERASMI. *Occiſionis ala.*

Φθόνου πτερὸν, id eſt, imperfectionis ala, de ſubito interitu dici ſolitum. Sumpta metaphora ab alatis jaculis quæ repente mortem adferunt. Quanquam magis probat Zenodotus, ut accipiamus φθόνου πτερὸν dictum, περιφραστικῶς, id eſt, per circuitionem, pro morte: quaſi ſit & ipſa alata.

Eadem tibi & Pythia & Delia.

Ταῦτά σοι καὶ Πύθια καὶ Δήλια, id eſt, Hæc tibi & Pythia & Delia. Quo-

Quoties ſupremum aliquod opus ſignificamus. Perinde quaſi dicas: Hæc ſumma omnium quæ geſturus es in vita. Citatur adagium ex Menandro. Natum ajunt ob oraculum quodam, reddito Polycrati Samiorum tyranno Nam is poſteaquam Rheneam inſulam cepiſſet, eamque conſecraſſet Apollini, conſtitutis apud Delum ludis pulcherrimis, Delphos miſit conſultores, utrum oporteret eos ludos Delios an Pythios appellare. Reſpondit oraculum, καὶ Πύθια καὶ Δήλια, futurum innuens, ut propediem excederet e vita: idque evenit. Itaque res in proverbium verſa. Cæterum ſi ſcribas ταῦτα, vertes, eadem: ſi ταῦτα, vertes, hæc. Neque enim ad ſenſum magni refert.

Muris interitus.

Κατὰ μυὸς ὄλεθρον, id eſt, Juxta muris interitum. Ælianus lib. De natura animalium 11. cap. 10 tradit murem minime vivacem eſſe, ſed ſua ſponte defluentibus inteſtinis ocyus emori, atque hinc natum proverbium, κατὰ μυὸς ὄλεθρον id eſt, Iuxta muris interitum. Addit hoc uſum Menandrum in Ithade. Quadrare videtur in homines imbecilla valetudine, aut in μικροβίους, id eſt, Brevis ævi: quos μινυνθαδίους appellat Homerus. Aut in eos qui paulatim extabeſcunt. Veriſimile eſt enim, mures ſic emori quemadmodum naſcuntur in Ægypto: ut aliqua pars ſit vivus mus, altera nihil niſi limus.

IVNII. Amnis inſtar volvitur.

Ὥσπερ Σιμόεις κυλίνδεται, id eſt, Simoentis inſtar volvitur. Proverbiale eſt de rebus quæ in exitium præcipites feruntur, aut fortunis alicujus peſſum euntibus. Citatur ex Ariſtophane ſenarius hujuſmodi in reipubl. depeculatores:

Τὸ δὲ κοινὸν ὥσπερ Σιμόεις κυλίνδεται.

Id eſt,

Simoentis inſtar volvitur reſpublica.

Qui verſus mutilus apud Stobæum legitur, pro triſyllaba Σιμόεις ſuppoſita triſyllaba Σιμόεις. Transferri poterit ad religionem, difficillimis iſtis temporibus nutabundam & in præceps labentem, more fluentis aquæ, hoc modo.

Θρησκεία δ' ὥσπερ Σιμόεις κυλίνδεται.

Id eſt,

More Simoentis religio præceps abit.

Eſt autem Simois, Trojanus fluvius, ex Ida monte delapſus, nobilitatus Homeri & Virgilii ſcriptis.

IOANNIS VLPII. Repente tanquam procella.

Hoc utimur cum ſignificare volumus, aliquid ſubito eveniſſe ἐπὶ τούτῳ τῷ καιρῷ μεταξὺ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ πνεῦμα ἐφάνη, id eſt. Deinde ſubito rhetor ille tempore ex tranquillitate, ceu procella venti apparuit. Demoſthen.

COGNATI. Plauſtrum perculit.

Proverbium ruſticorum, qui plauſtrum perculiſſe dicuntur qui negociorum aliquod evertetunt ac perturbatunt. Meminit Donatus in Eunuchum, ubi ait ſervus: Perculeris tu jam me, id eſt, impellendo perturbaveris. Et eo uſus eſt Plautus in Epidico: Perii, plauſtrum perculi, id eſt, everti ac perturbavi rem falſa emptione. Percellere enim eſt evertere, & ad terram dejicere.

De improviſo.

Plato in Axiocho: Patet ex aliquo tempore viribus de improviſo deſtitutus eſt, & prope eſt exitum vitæ, moleſteque fert adeſſe ſibi finem: tametſi ante hac contemneret mortem horrenda imagine exprimentes, cominterque deſideret. Autor dialogi de deliberando, qui nomine Siſyphi inter Platonicos habetur: Improviſo temereque pronuncians.

Nulla perniciei ratio habetur.

Proverbium videtur eſſe, quo notentur ii, qui graviſſimo imminente periculo, adeoque exitio, tamen aliis curis vacent, ſalutis ſuæ poſthabita ratione. Quod tum Alcetas, Polemon & Docimus faciebant, cum quidem damnati à Macedonibus, & urgente Antigono, cum Eumene de imperio contenderent. Rectius Ariſtides: qui ut ſuos docuerit iſta ambitione hoſtibus inſtantibus abſtinere ac ſalutis potius ſuæ, & victoriæ parandæ curam gerere, in ejus vita expoſuit Plutarchus, qui in Eumeni vita hoc proverbio ſic uſus eſt: Ibi Alcetæ, Polemoni, Docimo ſecum de ſumma rerum contendentibus: Hoc erat, inquit, quod dici ſolet: At nulla habetur perniciei ratio.

BOVILLI. Ad perditam ſecurim abjicere manubrium.

De effeminatis, & qui ad levem fortunæ ictum deſperant, & ita animum dejiciunt, ut ſtatim aut ſibi vim adferant, aut quod reliquum eſt, furore quodam perciti, è manibus adjiciant, ſine ulla priſtinæ fortunæ ſpe. Galli dicunt: Iettet le manche apres la coignee.

MELCHIORIS NEPEI. Occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies.

Hieremias vates indicaturus, civitatem Hieroſolymorum cum populo ſuo gravibus calamitatibus oppreſſum & everſum iri, etſi opibus viriſque potentem ac florentem, nihil minus quam duræ ſortis inclementiam metuentem aut expectantem, ſed tanquam media in luce de nocte ſecuram: hoc edidit oraculum: Occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies. Traductum videtur à ſpurcis tempeſtatibus, quibus interdum ita eripitur cauſſa diei Sol & ſplendor: ut in atra nocte verſari ſe homines quota diei parte adhuc reliqua credant. Idem ſolet aliquando in eclipſi Solis accidere, ut anno 1543. 24. Januarii, experientia deprehenſum eſt. Locus adagio erit, ſi quem egregium præpropera morte abreptum fuiſſe dicamus, & vivere deſiiſſe, cum ſe primum vivere ſentiret, dulceque putaret hac lucis uſura frui. Vel cum repente ex magno rerum ſucceſſu opumque affluentia, & nominis dignitate in miſerias conjectum alicujus florentis Reip. ſtatum innuere voluerimus.

BOVILLI. Culex lychno ſe committens aduritur.

Spe inani & futili alicujus boni, multi miſere luduntur, & in præcipitium ruunt. Culex ſpecie nitentis flammæ illectus, velut colludens aliquandiu circum volitare ſtudens: poſtea tamen adultus, miſerum ludo finem imponit.

Adoniæ convivium.

De inani & ſtulta exultatione, qualis fuit Adoniæ, qui Davidis filius ad regnum adſpirans, omnibus regis filiis (Salomonem excipio) epulum dedit plane regium, ubi ſe ſalutari & proclamari regem juſſit. Miſer, qui mox prælato Salomone deluſus, præclara ſpe ſua excidit, tandemque cæſus eſt.

SVBITI INTERVENTVS.

ERASMI. Mercurius ſupervenit.

Ἑρμῆς ἐπεισῆλθεν, id eſt, Mercurius ſupervenit. Ita loqui, conſueverunt, ſi quando ſilentium oriretur in conciliabulo multorum, ſignificantes, non eſſe fas loqui, Mercurio præſente, qui ſermonis ſit autor. Ominoſum & hodie putatur, ſi quando in cœtu, aut convivio, ſubitum omnium ſilentium fuerit obortum. Refertur adagium à Plutarcho in commentario, περὶ τῆς ἀδολεσχίας. Affine eſt illi, quod ſequitur, Lupus in fabula.

Lupus in fabula.

Cum forte fortuna in medio ſermone intervenit is cujus mentio fiebat, conveniet illud Iliad. κ.

Οὔπω πᾶν εἴρητο ἔπος, ὅτ' ἄρ' ἤλυθεν αὐτός.

Id eſt,

Jamque aderant ipſi, nondum ſermone peracto.

Etiamſi lupi meminiſſes.

Εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης, id eſt, Etiamſi lupi mentionem feciſſes, ſubaudiendum, interveniſſet. Quoties præter expectationem intervenit is de quo fuerat mentio: cognatum ei, quod alibi recenſuimus, Lupus in fabula. Id frequenter accidit in comœdiis ac tragœdiis, arte curaque ſcriptoris, ut de quo fiunt verba, mox interveniat. Accommodari poterit ad rem: velut ſi apud autorem proximus vel caſu occurrat, id de quo vertebatur ſermo. Adagium refert Zenodotus. Plato in Phædro. λέγεται γοῦν ὦ Φαῖδρε δίκαιον εἶναι καὶ τὸ τοῦ λύκου εἰπεῖν, id eſt: Ajunt igitur ô Phædre juſtum eſſe etiam quod de lupo dicitur narrare.

SVMPTVOSA.

ERASMI. Hipparchi murus.

Ἱππάρχου τειχίον, id eſt Hipparchi murus, dicebatur res quæpiam, quæ magnis conſtaret impenſis. Hinc natum, quod Hipparchus Piſiſtrati filius Academiam muro ſepſit: atque hujus rei nomine, magnam pecuniæ vim ab Athenienſibus exegit. Autor Suidas.

Edax triremis.

Ἀδδηφάγοι τριήρεις, id eſt, Edaces triremes, dicuntur quod magnis conſtent impendiis. Tranſlatum videtur ab egregiis equis, & ad certamina alitis, quos oportet eſſe voraces. Extat apud Lyſiam oratorem. Alcæus autem in comœdo tragœdia, lucernas bibulas ἀδδηφάγους dixit, quod multum abſumant olei. Proverbii ſpeciem hæc habebunt, ſi ad hominem prodigum immodicique impendii transferantur, quemadmodum Edax currus: de quo nobis eſt dictum prius.

In beato omnia beata.

A divitibus omnia magnifice fiunt, à tenuibus frugaliter. Praxinoe in Charitibus Theocriti, laudans Ptolemæum, quod Adonidis feſtum magnificis ſumptibus apparaſſet, non ſine proverbii ſpecie dixit:

———Ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.

Id eſt.

———In divite divia cuncta.

Vſus erit, ſi dicas ab homine docto omnia docte fieri, à pio pie, à rege regaliter.

Saliares dapes.

Vetuſtiſſimum ſacerdotum genus fuit apud Romanos Salii, dicti quod Ancylia, quæ credebantur cœlo delapſa ſaltantes ferrent. Hinc opiparum convivium ac magnificum, Saliare dicitur. Horatius in Odis:

> Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
> Pulſanda tellus, nunc ſaliaribus
> Ornare pulvinar deorum
> Tempus erat dapibus ſodales.

Reor autem Horatium Saliares, pro Pontificales dixiſſe: hoc eſt, ſpeciem pro genere. Nam in omnibus ſacris adhibebatur apparatus ſplendidus ac magnificus, quæ cura delegata erat ſeptem viris epulonibus. Ariſtippus reprehenſus, quod homo Philoſophus ſumptuoſe viveret. Si, inquit, hoc eſſet crimen, dii non paterentur in ſuis ſacris. De pontificali cœna nobis alibi dictum eſt.

IOANNIS VLPII. Vltra pedem.

Ὑπὲρ τὸν πόδα. Vltra pedem: id eſt, Vltra vulgarem modum & vivendi conſuetudinem. De ſumptuoſis dicitur.

SVRDITAS.

ERASMI. Surdior Toronæo portu.

Κωφότερος τοῦ Τορωναίου λιμένος, id eſt, Surdior Toronæo portu. Ajunt portum eſſe quendam Toronæ Thraciæ civitatis, qui longis & anguſtis duobus excurſibus porrigitur in mare, ita ut in ipſo portus receſſu nullus fluctuum fragor audiatur. Unde proverbium in eos qui non audiunt. Quanquam alii Toronem ponunt in Macedonia. Stephanus meminit etiam ſinus, cognomento Toronæi: à quo proverbium ductum videri poſſit. Niſi quod Mare ſurdum vocatur, aut littus ſurdum, magno fragore reſonans, ut obſtrepitum undarum præterea nihil exaudire liceat.

Surdior turdo.

Κωφότερος κίχλης, id eſt, Surdior turdo. Zenodotus ex Eubuli Dionyſio citat. Adſcribi ſurditatem huic avi peculiarem, cum ſit loquaciſſima, vel proverbio teſte. Unde concinne dicatur in eos, qui perpetuo blaterantes ipſi non auſcultant quid viciſſim ab aliis dicatur: quod vitium in multis licet deprehendere.

COGNATI. Nulli ſunt prius ſurdi, quam ii qui audire nolunt.

Gallico proverbio fertur: Nulli ſunt pejus ſurdi, quam ii qui audire nolunt. Quo ſenſu etiam Poetæ deos ſæpe queruntur ſurdos eſſe. Nam qui loquitur non audienti, aut audire nolenti, is ſurdis auribus alio quoque proverbio loqui dicitur.

EX APPEND. JUNII CANTERI.

Fuſio ſurdior.

Vereor ne me alii dicant non tam colligere hinc inde adagia, quam extundere, & violento pro animi libidine proprie dicta tranſformare: quod ubiq; non multos authores laudamus, neq; in adductis exemplis vulgatus ille accentus audiatur ὡς φασὶ, φασίν, &c. Nihil moror. Tantũ cupio, meminerint ii, nos dicis cauſſa ex maculatiſſimis adverſariis hæc depromere: neq; nos aliis finibus, quã principes parœmiographos, circumſcribant. Videor igitur mihi ſurdiorem aut ſomnolentiorem Fuſio poſſe appellare eum, qui preces parentum, fratrum, aliorum amicorum, cum ex officio deberet, non admittit: aut qui, quod videtur poſſe capere, vel non poteſt, vel non vult. Et ſomnum Fuſii, vocare auſim ea omnia, quæ, cum ſimulate tantum & ex compoſito agi putantur, vere fiunt, & ſerio. Horatii verba ex ſatyr. 2. 3. ſunt hæc:

> ——Clamet amica
> Mater, honeſta ſoror, cum cognatis, pater, uxor:
> Hic eſt foſſa ingens: hic rupes maxima: ſerva:
> Non magis audierit: quam Fuſius ebrius olim,
> Cum Ilionam edormit, Catienis mille ducentis,
> Mater te appello, clamantibus.——

Dixerat paulo ante, eſſe duo genera τῶν [ut Xenophontis verbis utar] μαινομένων, τοὺς μὲν οὐδὲ τὰ δεινὰ δεδιότας, τοὺς δὲ καὶ τὰ μὴ φοβερὰ φοβουμένους. Secundi generis exemplum hic præponit. Alludit vero ad hiſtoriam hujuſmodi. Fuſius actor tragicus agebat Hecubam, ſive, quod idem putatur, Ilionam, Priami uxorem, eiq; cũ ſomnus ſimulandus eſſet, adveniente & inclamante Catieno, qui Polydori à Polymneſtore occiſi partes agebat, ſerio ipſe dormiit vino obrutus. Apparet autem, hiſtoriam tum valde in ore vulgi fuiſſe, cum Cicero amplius ter eam attingat, nominatim ex Attii, ut putatur, tragœdia, Polydori verba adducens, Mater te appello, quæ curam, &c. pro Sextio, Tuſculan. 1. Academic. 2. Per Ilionam vide num melius accipere poſſis ipſam tragœdiam Attii, ita dictam, quam Hecubam Priami uxorem: ut ſit, edormit Ilionam, id eſt, fabulæ ſuo ſomno finem impoſuit, &c. ut, emoverat orbem, pro, movenda tranſmiſerat. Diximus in Notis noſtris ad metamorphoſes Ovidii.

TACITVRNITAS LAVDATA, & illaudata.

ERASMI. Silentii tutum præmium.

Σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, id eſt, Tutum ſilentii præmium. Ariſtides in defenſione Periclis ex Cio quopiam Poeta citat. Plutarchus in apophthegmatis Auguſto Cæſari aſcribit, qui Athenodori conſilium approbans ſubjecerit, ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, verſus integer talis videtur.

> Ἀκίνδυνον γάρ ἐστι τῆς σιγῆς γέρας.
> Id eſt,
> Vacat periculo præmium ſilentii.

Vſurpat Horatius Odarum lib. 3.

> Eſt & fideli tuta ſilentio
> Merces.——

Silendo nemo peccat, loquendo perſæpe. Jam olim in proverbio eſt nobilis illa Simonidis ſententia, quæ celebratur & apud Latinos proverbii loco:

> Nam nulli tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum.

Etiam ſi Valerius Max. l. 7. c. 2. ſententiam hanc tribuit Xenocrati. Quid, inquit, Xenocratis reſponſum quam laudabile? Quum maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex his quærente, quur ſolus linguam ſuam cohiberet: Quia dixiſſe me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam.

Mulierem ornat ſilentium.

Sophocles in Aiace flagellifero:

> Γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
> Id eſt,
> Decus addit uſque fœminis ſilentium.

Sententia proverbialis, quam Servius in primum Æneidos citat ex Sophocle. Mulier animal natura loquax, nulla re magis cohoneſtatur quam ſilentio: maxime apud viros, quum de rebus ſeriis agitur. Sumptum eſt ex Homero, apud quem eſt non ſemel illud:

> ——μῦθος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.
> Id eſt,
> ——Fueritque viris oratio curæ.

Nec divus Paulus jus facit mulieribus, ut vel in Eccleſia loquantur, ſed domi viros ſuos interrogent.

Alia committenda, alia celanda.

Non temere quidvis apud quemvis effutiendum, at nec familiaribus arcana omnia, proferenda ſunt: verum alia communicare convenit cum amicis, aut uxoribus alia celare. Ad hanc ſententiam quadrat illud ex Odyſſ. λ.

> Ἀλλὰ τὸ μὲν φράσθαι, τὸ δὲ καὶ κεκρυμμένον εἶναι.
> Id eſt,
> Dicendum eſt aliud, contra eſt aliud reticendum.

Quod ſcis, neſcis.

Quod ſcis, neſcis. Terentius in Eunucho, Tu pol ſi ſapis, quod ſcis, neſcias. Idem in ſeipſum excrucianté. Neſcias quod ſcis ſi ſapis. Donatus admonet eſſe proverbium. Sumptum à dialecticorũ ludis, in quibus hujuſmodi quidam ſcyrpi proponi ſolent: Facio, & non facio: Sum amicus, & non ſum amicus! Audio, & non audio. Cujus generis etiam initio operis fecimus mentionem: admonentes, Omneis hujuſmodi figuras, quæ κατ' ἀντίφρασιν ſumuntur, ad proverbiorum cognationem pertinere. Quale eſt & Plautinum illud: Ubi ſum, ibi non ſum. Hoc jam prima, quod ajunt, fronte videtur ænigma. Sed interpretatur: Ubi non ſum, ibi eſt animus. Itaque proverbio certam in tacendo fidem ſignificamus, dum quis quod ſcit, perinde continet ac diſſimulat, quaſi neſciat.

Qui obticeſcit.

In eum qui metu attonitus, aut ſtupefactus admiratione tacet, aut cui non eſt quod reſpondeat, quadrabit illud ex Iliados ρ.

> Δὴν δέ μιν ἀμφασίη ἐπέων λάβε.——
> Id eſt,
> Illum corripuit ſtupor atque infantia linguæ.

Qui continet arcanum.

In eum qui celat arcanum ſibi commiſſum, neque cuiquam effudit, quadrabit illud in Odyſſ. φ.

> ——Τῇ δ' ἄπτερος ἔπλετο μῦθος.
> Id eſt,
> ——Huic pennis dicta carebant.

hoc eſt, haud longius avolabant.

Muti citius loquentur.

Ad ἀδυνάτων genus pertinet & hoc quod habet Plautus in Perſa, Muti prius loquentur quam ego:

> Ne hoc, inquit, cuiquam homini dicerem, edictum eſt mihi.
> Magnopere, nec cuiquam homini crederem.
> Omnes muti ut prius loquerentur hoc quam ego.

Caput ſine lingua.

Ab hoc non admodum abludit ille Laberianus trimeter:

Caput ſine lingua, pedaria eſt ſententia.

Competit in eos, qui in conſolationibus aut diſceptationibus ipſi quidem nihil habent quod dicant, verum aliorum ſententiis annuunt. Nam pedarii ſenatores dicebantur ij, qui in ſenatu quidem ſedebant, verum ſententiam non rogabantur, ſed in aliorum ſententias pedibus diſcedebant. Vnde referente Feſto Pompeio in dictione Pedarius à Lucilio dicti ſunt Agipedes, quod pedum diſceſſione dicerent ſententiam. Refertur a Gellio Noct. Attic. l. 3. c. 18. Habet & Crocodilus caput ſine lingua, ſed dentibus armatum: quales nunc videmus multos, qui quum bene dicere neſciant, tamen mordent lethaliter Nilus procul abeſt à nobis: ſed hoc genus Crocodilis plena ſunt omnia.

Muta perſona.

Κωφὸν πρόσωπον, id eſt, Muta perſona. Martialis in ſexto Epigrammatum libro:

> Comœdi tres ſunt, ſed amat tua Paula Luperce.
> Quatuor, & κωφὸν Paula πρόσωπον amat.

Quadrabit in eos, qui in conſeſſu deliberantium, aut diſputātium, aut etiam in convivus cæteris loquentibus, ſoli tacent. Traductum apparet a lege comœdiarum, in quibus non temere plures tribus perſonæ ſolent induci in eadem ſcena. Quod ſi quando quarta acceſſerit, aut muta prorſus eſt aut perpauca loquitur. M. Tullius ad Atticum libro decimotertio. Si Cottam & Varronem feciſſem inter ſe diſputantes, ut à te proximis literis admoneor, meum κωφὸν πρόσωπον eſſet. Mutas nuptias dixit alicubi Pindarus, pro clancularias, & in quibus non decantetur hymenæus, ἄφθογγον γάμον. De Doryphoremate dictum eſt alias.

Muti magiſtri.

Quod modo retulimus, uſurpavit & A. Gellius: atque huic alterum quoddam diverſum adjecit. Quoniam inquit, vocis, ut dicitur, vivæ penuria erat ex mutis, quod ajunt, magiſtris cognoſcerem. Mutos magiſtros libros ſentiens: qui loquuntur quidem nobis, ut apud Platonem ait ſocrates, ſed dubitanti non ſatis commode reſpondent. Nec illepide profecto literæ, muti vocantur præceptores: propterea quod mutorum eſt non voce, ſed nutibus, ſignisque loqui. Identidem & libri, notulis quibuſdam, & ſignificantibus figuris nobiſcum fabulantur. Quemadmodum enim voces, ſenſorum animi, velut εἴδωλα quæpiam ſunt, authore Ariſtotele: ſic literarum figuræ, vocum ſimulacra quædam recte dicuntur. Neque mirandum: ſiquidem ἀρχέτυπον illud pectoris exemplar efficacius repræſentat, ac transfundit affectus animi, quam alterum illud, quod non rem ipſam, ſed imitationem imitatur. Neque illud temere quæri ſolet a multis, utrum ſit ad eruditionem comparandam conducibilibus, ζώσης φωνῆς χρῆσθαι, ἢ τοῖς ἀφώνοις διδασκάλοις hoc eſt. Pluſve conferat lectio, an auſcultatio? Et habet res utraque ſua quædam peculiaria commoda. Nam ex libris, tum eruditiora ferme ſunt quæ diſcuntur, tum plura. Tantū enim quiſque diſcit, quantum ingenii celeritate conſequi, memoriæ fidelitate complecti poteſt. Adde, quod hi præceptores nunquam gravantur operam ſuam nobis impertire. Atque horum ut uberior, ita paratior copia. Accedit huc & ocium illud, & cogitationis ſecretum. Licet preſſius inſpicere ſingula, licet retractare, licet expendere. At e diverſo minore jactura, tum ingenii, tum oculorum, tum valetudinis conſtat quæ a Præceptore diſſerente percipimus: maxime ſi is dicat, quem & miremur & amemus. Deinde inſident altius animo, & hærent tenacius, & occurrunt promptius. Quare conſultum erit, alterum ſtudii genus cum altero conjungere, & ubi vivæ vocis erit copia, libentius auſcultare quam legere, ſi modo mediocri ſit eruditione quem audis. Vbi non erit, libenter quaſi non minus operæ precium facturus ſis, ad libros confugere, ſed optimos. Denique ut illud quoque adjiciamus, ea figura libri dicti ſunt muti magiſtri, qua M. Tullius legem appellat mutum magiſtratum, magiſtratum legem loquentem: & qua Plutarchus poeſim appellat picturam loquentem, & picturam mutam poeſim.

Mutus magis quam ſcapha.

Συστομώτερος σκάφης, id eſt, Magis elinguis quam ſcapha. De iis dici conſuevit, qui, propter humilitatem conditionis apud præſtantiores non audent hiſcere. Natum hinc ajunt, quod olim inquilini, & hoſpites alienæ Reipub. ludis popularibus, in pompa incedebant navim geſtantes: unde quoties hoſpitem, non civem ſignificabant, σκάφην ἢ σκαφηφόρον appellare conſueverunt. Proinde vulgo ſic minitabantur. χαλάσω σοι συστομώτερον σκάφης, id eſt, Reddam tibi os occluſius ſcapha. Etenim iis qui in Rep. vivunt non ſua, multa ſunt muſſitanda. Nam uti non convenit in aliena civitate curioſum eſſe, ita nec tutum eſt liberioris eſſe linguæ. Hujus interpretamenti Suidas autorem citat Theophraſtum in opere De legibus ſiquidem in pleriſque codicibus, εὐστομώτερος ſcriptum reperio, non συστομώτερος. Quæ lectio ſi cui magis arridebit, non reluctabor nempe ut metu contactum & humilem accipiat.

Mutus Hipparchion.

Ἄφωνος Ἱππαρχίων id eſt, Mutus Hipparchion. Vbi quis repente obmuteſcit, cum maxime vox illius expectatur, id quod non raro conſuevit quibuſdam in cœtu dicturis evenire, ut ſubito velut attonitis vox faucibus hæreat. Quod ajunt accidiſſe Theophraſto, homini in circulis alioquin eloquentiſſimo. In hujuſmodi caſu igitur fuerit huic adagio locus. Narrant olim apud Græcos, duos præcipuos fuiſſe citharœdos, Hipparchionem & Rufinum. Cum ajunt in ſolennibus ludis, qui decimo quoque anno apud Juliopolitas agebantur, eſſent inter ſe decertaturi: contigit, ut Hipparchion theatri ſtrepitu turbatus, obticuerit, atque res in vulgi jocum abiit. Autor Zenodotus.

Ne gry quidem.

Μηδὲ γρῦ φθέγξασθαι, id eſt, Ne gry quidem loquitor. Hyperbole item proverbialis apud Græcos: pro eo quod eſt, ne tantulum quidem. Nam Gry, minimum quiddam ſignificat, aut ſordes unguium, rem videlicet viliſſimam: aut vocem ſuillam, quam edere ſolent ii, qui gravantur ſermone reſpondere: aut nomiſma minutiſſimum. Ariſtophanes in Pluto:

> Καί μοι σιωπᾷ ἀναστενάζεται.
> Καὶ ταῦτ' ἀποκρινόμενος τὸ παράπαν οὐδὲ γρῦ.
> Id eſt.
> ——Meque vi ſubigit ſimul.
> Atque interim rogatus, hæc quid ſibi velint,
> Prorſum nihil reſpondet, ac ne gry quidem,
> Hinc & verbum deductum γρύζειν.

Idem in eadem fabula:

> Γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτε καθάρματα.
> Id eſt,
> Grunnire vero audetis etiam perditi?

Philoſtratus in vita Apollonii, οὐδαμοῦ ἐφθέγξατο, οὐδ' ὑπήχθη γρύξαι, id eſt, Haudquaquam loquutus eſt, neque adduci potuit ut vel hiſceret: Hujus vocis uſus admodum frequens eſt apud Ariſtophanem.

Acanthia cicada.

Ἀκάνθιος τέττιξ, id eſt, Acanthia cicada. In indoctos atque infantes, aut muſices ignaros torqueri proverbio ſolitum. Autor eſt Stephan. Byzantius, juxta oppidum Ætoliæ Acanthum cicadas, alibi vocales, mutas eſſe: atque hinc ortum adagium, cujus autorem citat Simonidem. Plin. Naturalis hiſtoriæ libro 11. capite vigeſimo ſeptimo, ſcribit in agro Rhegino cicadas omnes ſilere, ultra flumen in Locris canere. Idem teſtatur Pauſanias libro rerum Eliacarum ij. Strabo libro Geographiæ ſexto, refert Rheginum agrum à Locrenſi dirimi fluvio, cui nomen Alex. cicadas autem, quæ in Locrenſi verſatur ripa, ſonantius ſtridere, cum in Rhegino ſint mutæ. Hujus rei hanc eſſe cauſam conjectat, quod Rheginorum regio cum ſit umbroſa atque opaca, cicadarum pelliculas humore torpefaciat: eaſdem in agro Locrenſi, quod ſit aprica ſolis areſactas æſtu, ſtridorem aptius emittere. Auget autem miraculum Rheginenſium cicadarum, etiam fabuloſe celebrata vocalitas vicinarum. Nam idem Strabo Timæum citat autorem, quondam in Pythiorum certamine Eunomum Locrenſem, & Rheginenſem Ariſtonem, in canendi certamen veniſſe. Ariſtonem Apollinem invocaſſe Delphicum, ut ſibi canenti foret auxilio, quod à Delphis Rheginenſes olim eſſent profecti. Eunomus reſpondit, Rheginenſibus ne certandum quidem omnino de muſica, apud quod cicada vocaliſſimum animal voce careret. Vtriſque certantibus cum in Eunomi cithara, una inter canendum chorda frangeretur, cicada ſupervolans aſtitit, ac vocem alioqui defuturam, ſuo cantu ſupplevit. Atque ita victor declaratus, ſtatuam citharœdi poſuit, cum cicada citharæ inſidente. Hujuſmodi ferme tradit Strabo.

In ſinu gaudere.

In ſinu gaudere, eſt tacitam apud ſe voluptatem ſentire, neque quod vulgo faciunt, foras proferre gaudii notas. Tibullus:

> Qui ſapit, in tacito gaudeat ille ſinu.
> Propertius item:
> In tacito cohibe gaudia clauſa ſinu.
> Idem:
> Alter in alterius mutua flere ſinu.

De amantibus dictum, qui ſecretas animi curas invicem effundūt, quas aliis celant tamen. Cic. Tuſcul. quæſt. l. 3. Quoniam hæc plauſibilia non ſunt, ut in ſinu gaudeant, glorioſe loqui deſinant. Plinius libro ſecundo Epiſt. 1. Quibus ex cauſis neceſſe tanquam immaturam mortem ejus in ſinu tuo defleam. Eſt aliquoties apud Senecam, velut Epiſt. 106. Si bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere. Atq; ea quidem loquendi figura videtur ab Homero ſumpta mutuo, qui in Odyſſ. 22. lib. ſic ait.

> Ἐν θυμῷ γρηῦ χαῖρε, καὶ ἴσχεο.
> Id eſt.
> In tacito longæva ſinu preme gaudia nutrix.

Perinde dictum eſt, in ſinu, quaſi dicas, in pectore tuo, non in labiis aut fronte: quibus partibus vulgus conſuevit prodere, quid in animi penetralibus occultat M. Tullius in epiſt. quadam ad Q. fratrem: Mihi crede, in ſinu eſt, neque ego diſcingor. His verbis promittit fidem ſilentii. Nam ſi quis diſcingatur, effluit quod ſinui creditum eſt. Plutarch. in vita Catonis Vticenſis, e ſinu dixiſſe videtur, pro intima familiaritate. ὑπάτους ποιοῦντα Καλπούρνιον, ὃς ἦν πατὴρ τῆς Καίσαρος γυναικός, καὶ Γαβίνιον Αὖλον ἐκ τῶν Πομπηΐου κόλπων ἄνθρωπον ὥς φασιν, οἱ τὸν τρόπον αὐτοῦ διαπεπεικότες, id eſt, Piſonem Calphurnium, qui erat pater uxoris Cæſaris, & Gabinium

Paulum

Paulum ex intimis Pompeii finibus, ut ajunt, qui mores ac vitam hominis norunt. Scævola libro Pandect. 22. tit. De probationibus c. 27. paulo diverſius uſurpat: Quod omnem, inquit, fortunam & ſubſtantiam, ſi quam à matre ſuſceperat, in ſinu meo habui ſine ulla cautione. In ſinu meo, dixit: pro, in poteſtate ac fide mea, quod enim alterius fidei committimus, in ſinum deponere dicimur. Ita Terent. Hanc mihi in manum dat.

Areopagita taciturnior.

Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος, id eſt, Areopagita taciturnior dicebatur, qui commiſſum arcanum optime contineret. Alciphron in Epiſtola quadã. ἔστω μοι τὶ καὶ ἄρτι Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος, i. e. Eſto mihi nunc Areopagita taciturnior, σιωπηλὸς enim dicitur, non qui tacet ipſe, ſed qui continet arcanum, nec effutit uſquã. Tranſlatum eſt à vaſis ſolidis, nec ulla ex parte perſtillantibus. Athenis in Areopago cauſæ capitales audiebantur, idq; noctu, magna attentione. Et fortaſſis nefas erat illis quæ ibi fuiſſent acta, apud vulgus effutire. Extant & hodie apud Veſphalos reliquiæ generis judicum. Certi vulgo dicuntur. Qui in hunc ordinem admittuntur, magna religione adiguntur ad ſilentium: Eſt enim ratio quædam deprehendendi crimina, quam nullus intelligit, præter illos juratos.

Manum ad os apponere.

Hoc geſtu ſignificamus nos ſcire quippiam, quod tamen nolimus efferi. Cælius Ciceroni lib. 8. At Domitius quum manus ad os appoſuit, te ad 9. calend. Junii ſubroſtadrii (quod illorum capiti ſit) diſſiparant periſſe.

Bacchæ more.

Βάκχης τρόπον, id eſt, Bacchæ more. De tetricis ac taciturnis dictitari ſolitum, quod eſſent hujuſmodi Mænades illæ, Bacchico afflatæ furore. Autor idem Diogenianus. At Juvenalis retulit ad vitam intemperantem:

> Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt.

Magis mutus quam piſces.

Ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων, id eſt. Magis mutus ipſis piſcibus. Proverbialis metaphora & vehementer infantibus atque infacundis. Conveniet & in hominem immodicæ taciturnitatis. Horatius in Odis:

> O mutis quoque piſcibus
> Donatura cygni, ſi libeat, ſonum.

Piſces enim nullam ædunt vocem, exceptis perpaucis, inter quos canis marinus. Lucianus adverſus indoctum: μᾶλλον δὲ τῶν ἰχθύων ἀφωνότερος εἶ, id eſt: Imo vero magis es mutus quam piſces. Rurſus in Gallo: πολὺ ἀφωνότερος ἔσομαι τῶν ἰχθύων, id eſt, Multo magis ero mutus quam piſces. Unde Plutarchus in Sympoſiacis exiſtimat, Pythagoricos à piſcibus abſtinuiſſe, quod hos quaſi ſuæ diſciplinæ domeſticos agnoſcerẽt, propter ἐχεμυθίαν, id eſt, ſilentium, quod inter animantium genera piſcibus eſt proprium. Nam cæterorum ſua quibuſque vox eſt. Aves permultæ canoræ ſunt: quædam & humanum ſermonem referunt. Atque adeo terreſtrium quoque manticora apud Ægyptios, ſi Plinio credimus. Solis piſcibus nulla vox. Cauſam adfert Ariſtoteles, quod his neque pulmo ſit, neq; arteria, neque guttur. Etiamſi ſint nonnulli, qui ſonitum quendam ac ſtridorem ædunt: quorum de numero ſunt delphinus, lyra, chromis, voca (quem hinc dictum apparet, quod vocem ædat: Mercurio ſacrum, prodidit Athenæus lib. 8.) pecten. Verum eum ſonum non naturalib. organis vocis ædi putant: ſed vel attritu branchiarum, vel ab interioribus, quæ ſunt circa ventrem. Plutarch. exiſtimat Græci ἰχθῦς hinc appellari, quod vocem habeat compreſſam. Et Lucianus in Halcyone: ἄφωνα γὰρ δὴ τάγε καθ' ὕδατος διαιτώμενα, id eſt. Nam muta ſane quæ in aquis degunt. Athenæus libro Dipnoſoph. 8. citat autorem Mnaſeam Patrenſem, qui prodidit, in Clitorio amne Arcadiæ piſces eſſe vocales. Item Philoſtephanum, qui ſcripſerit in fluvio Aorno, qui Pheneum urbem interfluit, piſcibus dictis pœcillis vocem eſſe ferme qualis eſt turdorũ. Tametſi Ariſtoteles adimit omnibus piſcibus vocem: excepto ſcaphro, & porco fluviatili. Veteres autem quemvis piſcem vocabant ἔλλοπα, quod vocem ædere non poſſet: ἴλλειν, ſiquidem eſt εἴργειν, id eſt, cohibere, & ὄψ vox. Unde apud Theocritum ἐλλοπιεύειν, pro piſcari. Addit Athenæus, Pythagoricos à cæteris animantibus non prorſus abſtinere, ſed quibuſdam ex his veſci: quædam etiam ſacrificare, ſolos piſces non guſtare, quaſi ſacros, ob ἐχεμυθίαν quam Pythagoras docuit.

Rana Seriphia.

Βάτραχος ἐκ Σερίφου, id eſt Rana Seriphia. In homines mutos, & canendi dicendique prorſus imperitos dicebatur. Inde natum, quod Seriphiæ ranæ in Scyrum deportatæ non ædebant vocem. In hunc modum collectanea Græcorum proverbiorum decerpta è libris Didymi, Tarrhæi, & aliorum. Totidem verbis Suidas. Et βάτραχος Σερίφιος, id eſt, Rana Seriphia. Proditum enim eſt, in Seripho inſula ranas mutas haberi. Meminit hujuſce rei Plinius lib. 8. cap. 58. Cyrenis, inquit, mutæ fuere ranæ, illatis è continente vocalibus, durat genus earum. Mutæ ſunt etiamnum in Seripho inſula. Eædem alio tranſlatæ canunt, quod accipere & in lacu Theſſaliæ dicendo tradunt. Quanquam in vulgatis exemplaribus cicadarum Seriphiarum mentio ſit, non ranarum: ſed germanam lectionem Hermolaus ex fide veterum codicum reſtituit. Seriphus autem una eſt inſularum, quas Græci σποράδας vocant. Non videntur autem ſatis convenire verba Plinii cum Græcorum commentariis. Nam hic ait mutas eſſe in Seripho: illi negant vocem ædere deportatas in Scyrum: quaſi in Seripho vocales, in Scyro obmuteſcerent. Verum attentius intuenti rem, nihil eſt abſurdi. Seriphus ranas habebat mutas. Eas ut rem prodigioſam deportabant in Scyrum: quas cum Scyrii mirarentur eſſe mutas, præter ingenium ranarum indigenarum, dicebant, βάτραχος ἐκ Σερίφου. Ea vox abiit in proverbium.

Reddidit Harpocratem.

Catullus in Epigrammati proverbiali ſpecie dixit, Reddidit Harpocratem: pro eo quod eſt, impoſuit ſilentium. Carmen eſt hujuſmodi:

> Gellius audierat patruum objurgare ſolere,
> Si quis delicias diceret aut faceret.
> Hoc ne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam
> Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
> Quod voluit, fecit: nam quam vis irrumet ipſum
> Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

Harpocrates deus ita apud veteres fingebatur, ut digito admoto ori, ſilentium indiceret: qualis & apud Romanos dea Angerona.

Statua taciturnior.

His etiam temporibus in proverbio eſt, Statua taciturnior, in hominem vehementer infantem, ac tacitum. Uſus eſt hac hyperbole Horatius in epiſtola ad Julium Florum:

> ——Statua taciturnius exit
> Plerunque, & riſu populum quatit.——

Itidem Juvenalis divitem quempiam, ſed infantem & indoctum, Mercurii ſtatuæ ſimilem facit:

> ——Truncoque ſimillimus Hermæ.

Conſimili forma divus Chryſoſtomus libro περὶ ἱερωσύνης ſexto, de tardo & ſtupido. τότε δὴ τὸ θρυλλούμενον τῶν λίθων οὐδὲν διοίσει, id eſt, Tum illud quod Græci dicere ſolemus, à ſaxis nihil differret: quod & alibi retulimus. Xenophon in Sympoſio. ἐκείνων γοῦν ἧττον ἂν φωνὴν ἀκούσειας ἢ τῶν λιθίνων, id eſt, Illorum igitur vocem minus audias quam ſaxearum ſtatuarum. Statuæ frequenter habent ſpeciem ſapientum & eloquentium virorum, ipſæ tamen nihil loquuntur.

Taciturnior Pythagoreis.

Σιωπηλότερος ἔσομαι τῶν Πυθαγόρᾳ τελεσθέντων, id eſt, Taciturnior ero quam hi qui Pythagoræ ſunt initiati. De vehementer taciturnis uſurpari ſolet. Sumptum à Pythagoræ ſchola, in qua quinquennne ſilentium indicebatur auditoribus: quam ἐχεμυθίαν vocant, à cohibendo ſermone. Suidas proverbii titulo refert, & Zenodotus in collect.

Amyclas perdidit ſilentium.

Τὰς Ἀμύκλας ἀπώλεσεν ἡ σιγή: id eſt, Amyclas perdidit ſilentium. Quibuſdam eruditis (in quibus eſt autor operis haudquaquam aſpernandi, quod inſcribitur Copiæ cornu) placet hoc ad proverbiorum ordinem pertinere, neque nos ab illorum ſententia magnopere diſſidemus. Conſentaneum enim eſt, rem vulgari joco fuiſſe jactatam. Innuit autem adagium Vergilius Æneidos libr. 10. cum ait:

> ——Fulvumque Camertem.
> Magnanimo Volſcente ſatum, ditiſſimus agri
> Qui fuit Auſonidum, & tacitis regnavit Amyclis.

Videlicet epitheto notum ejus eventum indicans. Eum Servius interpres enarrat hunc in modum. Cum apud Amycleos ſubinde nunciaretur hoſtium adventus, idque falſo, & ob eam rem civitas frequenter inani terrore quaſſaretur, lata lege cautum eſt, ne quis unquam hoſtis nunciaret adventum. Atqui poſt evenit ut vere jam advenirent hoſtes. Quod cum nemo nunciaret, propter legis interdictum civitas de improviſo capta eſt. Qui caſus, ut apparet, populari joco dedit occaſionem, ut dicerent Amyclas ſilentio periiſſe, ſi cui ſua taciturnitas fuiſſet incommodo. Citat idem Lucilium, Mihi neceſſe eſt loqui. Nam ſcio Amyclas tacendo periiſſe. Accipiendæ ſunt autem hoc loco Amyclæ, non ut ſit una e centum illis urbibus Laconiæ, quam Lacedæmonis filius condidit: ſed oppidum quoddam ſitum inter Caietam & Terracinam, conditum ab iis Laconibus, qui comites Caſtoris & Pollucis fuerunt, eique nomen indidere, quo Laconicas illas Amyclas referret. Servius exiſtimat Laconas Pythagoricæ diſciplinæ fuiſſe ſequaces. Quoniam autem interdixiſſe creditus eſt Pythagoras ἐμψυχοφαγίαν, hoc commento, quod diceret humanas animas in animantium corpora demigrare, & ob eam rem prohibuiſſe ne quod animal occideretur (quemadmodum atteſtatur Juvenalis:

> ——A cunctis animalibus abſtinuit qui,
> Tanquam homine.)——

nefas eſſe ducebant ſerpentes, qui ex vicinis paludibus naſcebantur, occidere. Quorum tanta increvit multitudo ut civitatem eam deleverint, teſte etiam Plinio. Poteſt igitur & hinc ortum videri vulgare dictum. Amyclas ſilentio periiſſe: quod Pythagorici dogmatis obſervatio perniciem illis attulerit: quorum primum eſt, ἐχεμυθία, id eſt, ſilentium, quod in quinquennium indicebat iis, qui

quæ Philoſophiæ vellent initiari, ſicuti declarat Aulus Gellius. Porro quod ait Servius, Lacones Pythagoricæ fuiſſe factionis, non recordor apud alium autorem legiſſe me: niſi quod Plutarchus in Sympoſiacis tradit, Tyrrhenos hujus Philoſophi decretis uſque adeo fuiſſe addictos, ut etiam ea quæ ille ſymbolis illis præcepit, ridicula ſuperſtitione ſoliti ſint obſervare. Aut igitur ex his erant Amyclæi, aut ejuſdem inſtituti ſectatores. Meminit de Amyclæorum ſilentio Silius Italicus:

——Quaſque evertere ſilentia Amyclæ.

Meminit & Catullus (niſi fallit inſcriptio carminis) de Vere, quod nuper nobis Aldus Manutius noſter exhibuit in antiquiſſima quadam Galliæ bibliotheca repertum:

Sic Amyclas dum tacebant, perdidit ſilentium.

Proverbium ad varios uſus accommodare licebit: veluti ſi ubi quis pecuniam creditam perdidiſſet, quod non appellaſſet debitorem, aut jure præſcriptionis (ut vocant) excidiſſet à poſſeſſione, Amyclarum ſilentium appelles: aut ſi quis audacius agens cauſam ſuam juſſuſq; tacere, reſpondeat: τὰς ἀμυκλὰς ἡ σιγὴ ἀπώλεσεν. Hoc inutile ſilentium Græci vocant ἀνεπιαν, atque huic diverſum vitium ἀδολεσχίαν. De utroque extant Plutarchi præcepta.

Doryphorematis ritu.

Græci δορυφόρημα vocant ſatellitium illud ex barbarorum fæce conductum: quod olim tyranni ad cuſtodiam corporis adhibebant, nunc a regibus magis faſtus quam tutelæ gratia alitur: nec à regibus modo, verum etiam à ſummis pontificibus. In tragœdiis igitur ſic addebatur regum perſonis δορυφόρημα ut aſtarent modo, nihil etiam loquerentur. Vnde qui taciti aſſident, δορυφορήματος τρόπον adeſſe dicuntur. Sic Athenæus l. 5. παρεμβάλλοντος τινα λόγον Πεισιστράτου· χρὴ γὰρ καὶ τοῦτον μὴ παρεῖναι δορυφορήματος τρόπον: id eſt: Cum injeceret ſermonem quendam Piſiſtratus: neq; enim oportet hunc adeſſe more Doryphorematis: hoc eſt tacitum, & nihil adferentem in medium. Vſurpatur à Luciano in libello. De conſcribenda hiſtoria, his quidem verbis: οὐκοῦν ὦ φίλε, ὡς μὴ μόνος ἄφωνος εἴην ἐν οὕτω πολυφώνῳ τῷ καιρῷ, μηδ᾽ ὥσπερ κωμικὸν δορυφόρημα κεχηνὼς σιωπῇ περιφεροίμην, id eſt: Igitur amice, ne ſolus eſſem mutus in tempore tam vocali, neque veluti comicum Doryphorema hians cum ſilentio obambularem.

IVNII. *Clavis in lingua.*

In proverbii uſum ceſſit illud Æſchyli:

Ἀλλ᾽ ἐστὶ κἀμοὶ κλῆς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ.

Id eſt,

Et noſtra præfert lingua cuſtodem clavem.

Quoties fidam ſilentii fidem pollicemur. Citatur à D. Clemente Strommatum lib. 5. Conforme huic adagio eſt illud Sophoclis in Oedipo Colonæo: ὧν καὶ χρυσέα κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακε προσπόλων, id eſt: Quorum aurea clavis linguam coercet initiatorum, quod dixit propterea quod lingua veluti clave obſerata ſit, ne revelet myſteria. Nõ abludit hinc Æſchyli illud: πιστὸν ταμιεῖον ἐπὶ γλώσσης, id eſt: Fidum penu vel ærarium linguæ. Huc ſpectat Lucianicus verſiculus:

Ἀρρήτων ἐπέων γλώσσῃ σφρηγὶς ἐπικείσθω.

Id eſt,

Arcanum ut celet, claudenda eſt lingua ſigillo.

Præceptum eſt Jamblichi Pythagoræi: γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει, θεοῖς ἑπόμενος, id eſt: Linguam ante omnia contine. Dei exemplo Diverſum huic eſt illud apud Æſchylum in Perſis: οὐδ᾽ ἔτι γλῶσσα βροτοῖσιν ἐν φυλακαῖς, id eſt: Neque amplius in hominibus, lingua in cuſtodia eſt, quaſi dicat, rem illam libere ab omnibus & palam dici citra diſſimulationem.

Myſteria Eleuſina prophanos celanda.

De rebus haudquaquam trivialibus, ſed arduis dicturi, invidiam deprecari licebit illo proverbiali Lyſidis Pythagoræi dicto: βεβάλοις μὴ παρ᾽ Ἐλευσινίαιν θεαῖν μυστήρια διηγεῖσθαι id eſt: Prophanis non eſſe narranda dearum Eleuſiniarum (Cereris & Proſerpinæ) myſteria, quod attigit in Proteſilao tragicus Euripides, ibi,

Οὐ γὰρ θέμις βεβήλοις ἅπτεσθαι δόμων.

Id eſt,

Haud fas prophanis limina hæc attingere.

Conſtans in eo fuit antiquitatis conſenſus ut in vulgus publicari arcana ſua myſteria noluerit, magno levitatis noſtræ opprobrio, dum cerdones & in media fullonia nati, ad explicanda altiſſima ſacræ ſcripturæ myſteria magno ſupercilio, ſed illotis manibus accedunt, ſortis ſuæ & imperitiæ immemores, deque abſtruſis obſcurorum locorum ſententiis cenſuram exercent, tantaque ſui fiducia pronunciant, tanquam aut ipſi ea cõdiderint, aut ex oraculi tripode alicunde hauſerint, alioqui celanda eſſe vulgus myſteria, Chriſtus ipſe non dubio exemplo innuit, ubi initiatos diſcipulos in montem ſecum ſubducit, turbis ima in valle ſubſiſtere juſſis. Idem docuit Patriarcha Jacob exemplo luculento, dum virgulas partim corticibus veſtitas, partim delibratas in aquariis alveis, quo aquatum venturæ fuerant oves, ad conceptus ſpem reponit, quo in loco Jacob opilio, eccleſiaſten ſeu doctorem notat, oves, gregem auditorum lectorumve aqua, Scripturæ ſacræ fontes, ramuli, ejuſdem documenta & ſententias ſignificant, quarum aliæ ſunt decorticandæ & enucleandæ perfectiorib. aliæ vulgo minus capaci, integræ ſervato cortice apponendæ. Iſtud eſt quod cum alibi tum in libr. 1. Theolog. Nazianz. ſcribit, Βούλεται οὕτω πλαξὶ στερεαῖς καὶ λιθίναις ἐγγραφῆναι, καὶ ταύταις ἀμφοτέρωθεν, διὰ τὸ τοῦ νόμου τὸ φαινόμενον καὶ τὸ κεκρυμμένον, τὸ μὲν τοῖς πολλοῖς καὶ κάτω μένουσι, τὸ δὲ τοῖς ὀλίγοις καὶ ἄνω φθάνουσι id eſt: Solidis ſaxeiſq; abacis inſcribi vult ſermo, & quidem utrinq; propter & manifeſtum & occultum legis ſenſum, illum quidem vulgaribus & humi manentibus, hunc vero raris & ſurſum tendentibus. Hebræorum ſapientes ſacrorum quorundam librorum lectione juventuti interdicebant, ut animis tenellis nondumque confirmatis, non inutili modo, ſed & noxia ut idem Nazianzenus, in lib. De recto ordine ſit. Age videamus quæ fuerit hac in parte majorum noſtrorum conſtantia: occurrit primo loco Orpheus, antiquiſſimus Græcorum theologus, in ſuo ad Muſæum de vero Deo rebuſque divinis opere ita per initia canens.

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ᾽ ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Id eſt,

Pange, quibus fas eſt, foribus diſcede prophane.

Quem ſecutus Pythagoras, ita ſuum opus orditur.

Ἀείδω ξυνετοῖσι, θύρας δ᾽ ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Id eſt,

Doctis pange: fores clauſas munite profani.

Hippocrates quoque Cous, medicorum princeps, τὰ δὲ ἱερὰ ἐόντα πρήγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται· βεβήλοισι δὲ οὐ θέμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης, id eſt, Res ſacræ, ſacris viris demonſtrantur, nam profanis nefas eſt priuſquam ſcientiæ orgiis initiati fuerint. Themiſtius Philoſophus, τῷ οὐ κατὰ νόμον μεμυημένῳ, τὴν ναρθηκοφόρον βακχεῖον ἀγαγεῖν οὐ συγχωρεῖ τὰ μυστήρια. id eſt, Haud rite initiato, non permittunt myſteria feruligeri Bacchi pompam ductare. Citatur & à Theodorito in Therapeuticis Græcarum affectionum, Euripidis verſus a codicis vitio ita emendandus.

Ἄρρητ᾽ ἀβακχεύτοισιν εἰδέναι βροτῶν.

Arcana quæ ſcire haud fas Baccho haud ſacris.

Ariſtides in Pericle. τῶν βεβήλων ὀλίγος ὁ λόγος πάντως: id eſt, Prophanorum exigua eſt omnino ratio. Olim qui ſpecimen ſuorum ſtudiorum exhibebant, more recepto jubebant exire, τοὺς ἀμυήτους καὶ βεβήλους. id eſt, non initiatos & prophanos, quod & Epiphanius ſophiſta, exorſurus hymnum quem in Bacchi honorem ſcripſerat, fecit, ut ſcribit Nicephorus, ſubſiſtentibus in auditorio duobus Apollinaribus, quos Chriſtianos piaculum erat aures præbere prophanis fabulis: quæ cauſa fuit cur excommunicati fuerint. Philon Judæus libro de Caino: οὐχ ἱεροφαντοῦμεν τοῖς κατεσχημένοις ἀνιάτῳ κακῷ, τύφῳ ἰσχυρῷ, id eſt: Sacra non pandemus verborum faſtu, malo inſanabili, obnoxiis. Jubet Plato circumſpiciendum eſſe, ne quis profanus alicunde dicta excipiat: ἄθρει περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ. Pindarus quoq; in omnes efferendum eſſe vetus dictum negat: μὴ πρὸς ἅπαντας ἀναρρῆξαι τὸν ἀρχαῖον λόγον. A. Gellius in calce librorum: Eandem ego commentariis his legendis legem dabo, ut ea ne attingat, neve adeat profeſtum & profanum vulgus à ludo Muſico diverſum, quo ſpectant anapæſti Ariſtophanis eo in loco deſiderati:

Εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν,
Ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων, ἢ γνώμῃ μὴ καθαρεύει,
Ἢ γενναίων ὄργια Μουσῶν μήτ᾽ εἶδεν μήτ᾽ ἐχόρευσεν.

Id eſt,

Nempe choris excedere noſtris debet, linguiſque favere,
Dictorum quiſque rudis aſtat, mens & cui crimine fœda eſt,
Et dux nunquam cecinitve Libethridos orgia Muſæ.

Æſchylus tragicus quoniam in ſcena publice myſteria effutiverat, in Areopago capitis cauſam agens, abſolutus fuit eo nomine, quod initiatus non foret, uti refert Alexandrinus Clemens. contra Thebanus Pentheus quum temere inſiluiſſet & inſpectaſſet Bacchi orgia, à fanaticis mulierib. dilaniatus fuiſſe dicitur, propterea recte dictum eſt à Syneſio, ἀγνωσία σεμνότης ἐστὶ τελετῶν, hoc eſt: Sacrorũ dignitatem tuetur ignoratio. Porro maximi beneficii loco habebatur olim Eleuſiniis ſacris initiari, ſic Hippocratem medicorum numen, ob merita ipſius publico conſenſu communi, τοῖς Ἐλευσινίοις δεύτερον ἀφ᾽ Ἡρακλέους ἐμύησαν, hoc eſt, ſecundum ab Hercule initiarunt Athenienſes: uti Soranus ſcriptum reliquit.

Potes tacere.

Δύνασαι σιωπᾶν, Potes tacere. Dictum apparet in eos qui clanculum inter ſe muſſitant, ne ſilentii fide prodatur. Heſychius proverbium natum indicat ab Antigoni & Pyrrhi regum ſocietate, tanto ſilentio tamque arcane inita, ut ne ſcribis quidem ejus fides credita fuerit aut communicata. Refertur dicti origo ad Phœnicidem Megarenſem comicum, qui Athenis fabulas ſuas docens, proverbiali dicterio luſerit in tacitum pactum induciarum inter prædictos reges, dixiſſe enim ad tibicinas fœminas fertur his verbis: δύνασαι σιωπᾶν, Potes tacere: ut author ea paſtorum id exclamaſſe videretur.

Ne Sol quidem ſciet.

Quum tutam ſilentio fidem obſtringimus, ac nemini conſilium noſtrum detecturos, aut factum declaraturos innuimus, proverbio locus erit. Heliodorus Emeſenus lib. 7. Æthiopicæ hiſtoriæ: ἀλλὰ τούτου γε ἕνεκα θάρσει, ὡς οὐδ᾽ ὁ ἥλιος τοῦτο δὴ τὸ τοῦ λόγου γνώσεται, id eſt: Quin de ea re animo ſis ſecuro, nam ne ſol quidem, quod dicitur, ſciret. Sol mundi oculus à Philoſophis appellatur, quod omnia luſtret, unde Homerus:

Hlios

Ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει,

id eſt,

Sol oculus rerum cuncta audit & omnia cernit:

Vnde Plinius lib. 2. Natur. hiſt. Omnia intuens, omnia exaudiens, ut principi literarum Homero placuiſſe in uno video. Huc pertinet Polemonis ſophiſtæ dictum, qui arthriticos cruciatus non ferens, quum ſe vivum in ſepulchro condi juſſiſſet, ad familiares operam illi navantes dixit: ἐπίφραττε, μή με γὰρ ἴδοι με σιωπῶντα ἥλιος. i. Obſtrue obſtrue, ne me tacentem ſol aſpiciat. Diverſius dixit Antiochus Philoſophus de victoria Luculli adverſus Tigranem. οὐκ ἔφη πώποτε ἄλλον ἐναργέστερον τὸν ἥλιον: id eſt, dicebat ſolem non vidiſſe aliam majorem: victoriam ſcilicet.

Cicadæ humi canunt.

Τέττιγες χαμόθεν ᾄδουσιν, id eſt, Cicadæ humi canunt: proverbio ſignificatur ingens vaſtitas. Ariſtoteles lib. Rhetorices 2. ænigmatodes eſſe oſtendit: οἷον ὡς Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν, id eſt: Veluti quiſpiam dicat id quod in Locris extulit Steſichorus, non oportere conviciari, ne cicadæ humi concinant, quo innuit, temperandam eſſe a dicacitate linguam, eo quod convicia ſæpe concitent bellorum cauſas, unde fit ut regiones devaſtentur penitus, excidioque non arborum modo, ſed urbium quoque Marte liteetur. Meminit Euſtathius Iliados 3. μέμνηται δὲ χρήσεως συμβολικοῦ λόγου ἐν ᾧ ἀπειλήσας τις ποιήσειν τοὺς τέττιγας τοῖς ἐχθροῖς χαμόθεν ᾄδειν, ἀντὶ τοῦ διαφθαρήσεσθαι αὐτοῖς τὴν χώραν ἵνα ἐξ ἀνάγκης οἱ τέττιγες ἀπὸ γῆς ᾄδωσι, id eſt, Meminiſſe operæ precium eſt & ſymbolici dicti, quo minatus fuit quiſpiam hoſtibus, ſe effecturum ut cicadæ humi canerent: nimirum exciſurum ſe arbores omnes regionis, ut neceſſario cicadæ humi canerent. Natum inde, quod arbuſtis maxime gaudeant cicadæ, unde in Bucol. Virgilius:

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Et Plin. l. 11. dixit cicadas non naſci in raritate arborum.

Tanquam libri.

Plato in Protagora, de obmuteſcentibus, quippe reſpondendo non ſunt, uſurpavit proverbialiter: καὶ ἐάν τις ἐπανέρηταί τι αὐτούς, ὥσπερ βιβλία οὐδὲν ἔχουσιν οὔτε ἀποκρίνασθαι οὔτε αὐτοὶ ἐρέσθαι, id eſt: Si quis rhetorum quempiam interroget, ceu libri nihil habent quod vel reſpondeant vel ipſi ſciſcitentur. Sumptum inde, quod libri tametſi lectorem inſtruere poſſint, voce tamen non utuntur: unde & muti magiſtri vocantur.

BRASSICANI. Areopagita ſubticentior.

Et hoc ex Alciphronis epiſtolis Budæus animadvertit, Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος, id eſt, Areopagita taciturnior de homine dictū, qui arcanum optime novit continere, & linguæ ſuæ imperitare: cui contrarium eſt hoc hominum genus, quod apud Comicos rimarum plenum eſt & crebrius perlucet quam cribrum. De Areopagitarum integritate ſimul ac authoritate, multa ſcribit Iſocrates in Areopagitico, & Lucianus in Anchaſide.

COGNATI. Indictum puta.

Galli pro proverbio habent, cum certam in tacendo fidem ſignificant, ac dum quis quod ſcit, perinde continet ac diſſimulat, quaſi neſciat. Non diſſimile hoc Comicum: Dictum ſapienti ſat eſt. Plaut. in Perſa, & Terentius in Phormione, de quo alias mihi dictum eſt, ut arbitror, Gell. lib. 1. cap. 12. Indictum accipit, pro improprie & parum ſignificanter dictum. Nam quæ improprie & parum cum gratia efferuntur, ea perinde ſunt, ac ſi non dicerentur, indictaque manerent. Qui dicit inquit, ergo ſe ſupereſſe ei quem defendit, nihil iſtorum vult dicere, ſed neſcio quid aliud indictum inſcitumque dicit.

Audi, vide, ſile.

Lucianus ἐν ἁλιεῖ: ἄκουε σίγα, id eſt: Audi, tace. Zeno Citticus adoleſcentem multa temere garrientem hoc dicto corripuit: Ob id binas habemus aures, os unicum, ut plurima audiamus, loquamur pauciſſima. Idem alteri: Aures, inquit, tuæ in linguam defluxere. Submonens adoleſcentis eſſe, audire multa, loqui pauca. Sic Demonax Cynicus apud Lucianum, ſuſcitanti quomodo poſſet delegatam provinciam quam optime gerere? Si, inquit, ira vacaris, & quam minimum loquens, plurima audieris. Plutarch. περὶ ἀδολεσχίας, & Eraſmus noſter in Lingua, ubi: Cæterum quemadmodum natura voluit, linguam humanæ vitæ moderatricem eſſe promptam officio: ita diligenter admonuit, ne præcipiti petulantique facilitate perniciem adferret pro utilitate, exitium pro officio, venenum pro remedio, eoque quum oculos binos, aures binas, nares binas addiderit, unicam duntaxat linguam dedit. Sit igitur, ſuadente D. Jacobo in epiſtola, omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum.

Μηδὲ γρύζειν.

Apud Lucianum in vocalium judicio habetur hæc hyperbole proverbialis, cujus uſus admodum frequens eſt apud Ariſtophanem. Philoſtratus ea uſus eſt in Apollonii vita. Habetur quoque Exodi 11. cap. & Joſue 11 quoque, οὐκ ἔγρυξεν οὐδεὶς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ τῇ γλώσσῃ αὐτοῦ, ubi Latine: Nullus contra filios Iſrael mutire eſt auſus. Hanc Terent. in Andria ſic expreſſit: Nihil jam mutire audeo, id eſt, verbum ſonare. Videntur veteres ſyllabam Mu ad depulſionem faſcini & invidiæ, maliq;. imo ad ſilentium ominandum imperandumque uſurpaſſe: quam noſtri adhuc hodie retinent. Eraſmus noſter, μηδὲ γρῦ, annotavit. Vide alibi. Ne hilum.

Linguarium dare.

Seneca lib. 4. De beneficiis: Ecce, inquit, ut doleat tibi, ut poſtea conſideratius loquaris, quod dicere ſolemus, linguarium dabo. Linguarium hic appellat Seneca, tanquam linguarum thecam & repoſitorium, in quo ſe dicit linguam conditurum, ne temere promittat. Natum eſt hoc verbum e joculari vulgi ſermone: quo & nos plerunque jocantes utimur.

Digito compeſce labellum.

Hoc Juvenalis hemiſtichium ex ſatyra 1. celebratum eſt per hominum ora & domorum parietes, non ingratum, nec injucundum. quo ſilentium ac taciturnitas imperatur. Antiquis autem Harpocrates, qui os digito premit & ſignat, per ænigma ſignificat, ne Iſidis & Serapidis myſteria evulgentur & enuncientur. Varro: Hi Dei idem qui ab Ægyptiis Serapis & Iſis, etſi Harpocrates digito ſignificat ut taceam. Digitus enim ejus ori adpoſitus, ſilentium indicat. Talis fere apud Romanos priſcos erat Angeronia dea, ſilentii præſul, quæ ſimulachrum prænexo obligato, obſignatoque ore habebat. Cæterum Diana ab Horatio dicitur ſilentium regere ex ritu ſacrorum: in quibus imperabatur à præcone, ut qui aderant, linguam paſcerent, id eſt, tacerent, & linguis faverent. Ex his omnibus colligit quidam:

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam:

hoc eſt, moderari, ne quid temere loquaris.

Angenora os cohibeat.

Eſt enim dea ἐχεμυθίας, ut Sophocles, ὧν καὶ χρυσέα κλῂς ἐπὶ γλώσσᾳ βέβακεν. Ejus ſimulachrum erat obligato & obſignato ore: cujus feriæ erant 12. Calend. Januarii: & Angenoralia dicebantur. Cohibet enim os. Huc pertinent & hæc, de quibus nobis poſt dictum eſt: Si Harpocrates digito ſignificat: & Tacere optimum eſſe arbitror.

Si Harpocrates digito ſignificat.

Verſus eſt proverbialis Lucilii apud M. Varronem. De lingua Latina:

——Et Harpocrates digito qui ſignificat eſt.

Sic enim nota indicentis ſilentium. Pomponius Atellanarius Poeta apud Nonium:

Pater ac ſi, negator eſſe hic me: operibo caput.

Terent. in Phorm. Quid? non is obſecro es: quem ſemper eſſe dictitaſti? C. St. S. quin has metuis fores. C. Concluſam hic habeo uxorem ſævam. Plutarchus Harpocratem ſcribit filium eſſe Iſidis extericineum: i. e. ante exactos menſe genitum: quem ἠλιτόμηνον Græci vocant, eundem etiam pedibus debilem. Porro Auſonius vocat eum Sigalionem, eo verſu:

Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.

Harpocrates digito premens labrum, admonet, ut taceamus, & ne evulgemus, & enunciemus myſteria & arcana. Itaq; Harpocrates deus ita apud veteres fingebatur, ut digito ori adpoſito ſilentium & taciturnitatem indiceret. Proinde ſcripſit Catullus in Epigrammatis:

——Et patruum reddidit Harpocratem.

id eſt, mutum, & elinguem. Plutarchus de eo. Juvenalis ſatyra 1. ſub finem huc alluſiſſe videtur:

Cum veniet contra digito compeſce labellum,

Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.

Alius dicit, Pauca in convivio loquere. St autem vox eſt etiam apud Plautum. Cælius Ciceroni l. 8. At Domitius cum manus ad os appoſuit. &c. Hoc geſtu ſignificamus, nos ſcire quippiam, quod tamen nolumus eſſari. Non aliena ſunt: Tacere opinor eſſe optimum, &, Angenora os cohibeat.

Tacere opinor eſſe optimum.

Quia ſilendo nemo peccat, loquendo perſæpe. Hæc ſententia ut olim, etiam hodie in proverbio eſt, præcipue apud Gallos. Ennius Eumenidib. quas ex Æſchylo vertit.

——Tacere opinor eſſe optumum

Vt pro viribus ſapere, atque fabulari tute noverint.

Æſchylus ſic:

Σιγᾶν ἀρήγει καὶ μαθεῖν θεσμοὺς ἐμούς,

Πόλιν τε πᾶσαν εἰς τὸν αἰανῆ χρόνον

Καὶ τῶνδ' ὅπως ἂν εὖ κατεγνωσθῇ δίκη.

Hinc Harpocrates deus, & Angenora dea, apud Romanos digito admoto ori, ſilentium indicant.

Si tacent, ſatis dicunt.

Cic. in divinat. Etiamſi tacent, ſatis dicunt: & quod addit Pedianus, cum tacent, clamant. Non diſſimile illud Bonifacii, Qui tacet, conſentire videtur, Habetur quoq; in l. fine. C. de ſenat. Velleian. Catullus:

Ne quicquam tacitum cubile clamat,

Feſtus Pomp. in verbo, Tacitus: Tacitus, inquit, etiam argutus, quia poteſt aliquando tacere.

GODOFREDI. *Oleum in ore geſtat.*

De eo cui inhibitum eſt loqui, neque verbum fari licet. Alexander ab Alex. l. 5. c. 11. Miror à neutro originem proverbii notatam eſſe. Addit Godofr. eundem muneribus ligatum, & divitiis ſtatium, à Græcis dici, bovem in lingua habere.

COEL. RHOD. *Staterii paries.*

Hoc admonebimus, verbis parcendum eſſe, ne redituras per jugulum voces imprudentius effundamus. Cicero teſtatur Stateriū quendam ſua ætate ea effutiviſſe, bonis viris ſubauſcultantibus interpoſito pariete: quæ patefacta, in judiciumque prolata, miſerum rei capitalis jure damnarunt.

Ne interula quidem arcani conſcia.

Cum è Metello ſenatore quidam diligentius multa exquireret: Si interiorem, inquit, tunicam horum ſcirem eſſe conſciam, protinus eam igni exurerem. Hinc Celtæ: Tachemiſe ne ſache ta guiſe, Taciturnitas vix unquam damno eſt, loquacitas fere ſemper.

TÆDIVM EX ITERATIONE.

Longum procœmium audiendi cupido.

Proverbii ſpeciem habet quod eſt apud Platonem libro De Repub 4. μακρὸν τὸ προοίμιον τῷ ἐπιθυμοῦντι ἀκούειν. id eſt, Longum procœmium audienti cupido. Qui rem ipſam cupit cognoſcere, huic longum eſt omne procœmium. Vnde illud Terentianum: Vah, etiam procœmium mihi occeperat. Et Athenis præco qui dicendi poteſtatem faciebat rhetoribus præfabatur, ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν: id eſt, Sine procœmiis & affectibus: quod hæc extra cauſam ſint.

Terram video.

Qui moleſti prolixique laboris finem adeſſe ſignificabat dicere ſolet, γῆν ὁρῶ, id eſt, Terram video. Sumptum à navigantibus. Q. Curtius lib. 4. Haud ſecus quam profundum æquor ingreſſi terram oculis requirunt. Plautus in Mercatore: Equidem jam me cēſebam eſſe in terra. M. Tullius in oratione pro L. Murena: Quod ſi portu ſolventibus, ij qui jam in portum ex alto invehuntur, præcipere ſummo ſtudio ſolent, & tempeſtatum rationem & prædonū, & locorum: quod natura affert ut eis faveamus, qui eadem pericula quibus nos perfuncti ſumus, ingrediantur, quo tandem animo me eſſe oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reipub. tempeſtates eſſe ſubeundas? Idem in Catone ſeniore: Quaſi terram videam, ſentiens inſtare vitæ finem. Diogenes quum prolixum volumen recitans tandem eo perveniſſet, ut libri finem videret: Bene habet, inquit, amici, γῆν ὁρῶ: id eſt, terram video.

Iterum atque iterum ad Pythum via.

Αὖθις αὖ Πυθώδ' ὁδός

Id eſt,

Iterum atque iterum Pythum verſus via.

Dictum de iis, qui moleſti ſunt eadem de re iterum atque iterum percunctando. Quemadmodum ſolent ignari viæ quemcunq; obvium habuerint de via rogare. Porro Pythius civitas Apollini ſacra, quæ viſebatur à pleriſque. Apparet e comœdia ſumptum. Eſt enim hemiſtichium jambicum: verum ex qua, non indicat Diogenianus, & mihi non ſuccurrit. Finitimum illi, ὁ Διὸς Κόρινθος: id eſt, Jovis Corinthus.

Iterum tranquillitatem video.

Αὖθις αὖ γαλήνην ὁρῶ. id eſt, Rurſum denuo tranquillitatem aſpicio. Ariſtophanis interpres proverbium eſſe ſcribit quo nos ſignificamus e malis emergere, fortuna in melius commutata. A navigantibus ducta metaphora, quibus conquieſcente procella, grata ſolet eſſe tranquillitas. Ariſtophanes in Ranis:

Ἔξεστι δ' ὥσπερ Ἡγέλοχος ἡμῖν λέγειν,
Ἐκ κυμάτων γὰρ αὖθις αὖ γαλῆν ὁρῶ.

Id eſt,

Vt Hegelochus nobis item fas dicere,
Tranquillum ab undis rurſus iterum conſpicor.

Hegelochus erat hiſtrio quiſpiam tragœdiarum, ne quem vox ignota remoretur. Notat autem obiter Ariſtophanes Euripidis ταυτολογίαν, apud quem hic verſus eſt in Oreſte, αὖθις αὖ γαλήνην ὁρῶ, quam eandem irriſit etiam Stratis. Quanquam videtur & alluſio ſubeſſe in Græcanicis verbis γαλῆν ὁρῶ: id eſt felem video: &, γαλήν' ὁρῶ, id eſt, tranquilla video. Atqui viciſſim Euripides apud eum comicum Æſchilum taxat, quidem dixerit in hiſce verſibus:

δὶς ταυτὸν ἡμῖν εἶπεν ὁ σοφὸς Αἰσχύλος.
ἥκω γὰρ εἰς γῆν φησὶ, καὶ κατέρχομαι.
εἰ τὸν δ', ὥσπερ εἴτις εἴποι γείτονι
χρῆσον σὺ μάκτραν, εἰ δὲ βούλει κάρδοπον.

Id eſt,

Sapiens bis idem eſt nobis locutus Æſchylus.
Ad terram, enim, inquit, venio & accedo velut.
Si per Jovem, vicino ita quis dicat ſuo.
Mactram aut caniſtrum, ſi libet, mihi commoda.

Pindarus in Iſthmiis:

Ἀλλὰ νῦν μοι γαιάοχος εὐδίαν ὄπασεν ἐκ χειμῶνος.

Id eſt,

Sed nunc Neptunus mihi tranquillitatem præbuit ex tempeſtate.

Lens Deus.

Apud Athenæum lib. 4. refertur hic trimeter, ut apparet proverbialis:

φακός σε δαίμων καὶ φακὴ τύχη λάβοι

Te lens deus corripiat & fortuna lens.

φακὸς dicitur lens cruda, φακὴ cocta, ut indicat Etymologus. Conveniet quoties eadem ad faſtidium iterantur. Dæmon autē Græcis fortunam ſonat: unde cacodæmones dicuntur infelices. & idem ſonat τύχη: nec intereſt, niſi quod dæmon eſt mas, τύχη fœmina.

Iovis Corinthus.

Ὁ Διὸς Κόρινθος: id eſt, Jovis filius Corinthus. In eos dici ſolitum, qui ſemper eadem aut dicunt, aut faciunt. Pindarus in Nemeis hymno 7. ταῦτα δὲ τρὶς τετράκι τ' ἀμπολεῖν, ἀπορία τελέθει, τέκνοισιν ἅτε μαψυλάκας Διὸς Κόρινθος. Negat ſe velle iterum atque iterum eadem iterare: perinde quaſi pueris nugas narraret Διὸς Κόρινθος. Nam μαψυλάκας eum ſignificat, qui fruſtra nugas effutit. Interpres hoc loco fabulam adfert, ad proverbium hoc, meo quidem animo, non multum pertinentem, tamen adſcribam. Aletes, inquit, conſuluit Dodonæum oraculum, quod tum Jovis erat, num Corinthiorum imperio potiri poſſet. Reſponſum eſt, tum illum potiturum, cum quiſpiam illi glebam daret, aut jubet, idque die multarum coronarum: nam id addidit. Itaque Corinthum profectus, panem ab ruſtico quopiam petiit, is glebam porrexit. Senſit ille jam perfectum oraculum animumq; ad capeſſendum imperium adjecit. Parentabatur eo die manibus, eamque ob cauſam, cum pleraque civitas in momentis abeſſet, accedens, repetit Creōtis filias jam paciſcentes de imperio. Harum natu minimæ perſuadet, ſi velit adjutare, ſe ſimul atque principatum eſſe conſecutus, illam ducturum uxorem. Illa imperii cupiditate prodit civitatem, ac portis apertis Aletem admittit. Is itaque victor, Jovis Corinthum eam appellat, quod ex Jovis oraculo contigiſſet. Deinde ſubtexit aliam fabulam, cum aliorum interpretamento fere convenientem. Ea eſt hujuſmodi: Olim Megarenſes Corinthiis erant vectigales. Cæterum cum illorum imperium inſolentius gravatim ferrent, ac defectionem pararent, miſſus eſt legatus Corinthiorum nomine, qui apud plebem Megarenſem cum alia multa ferociter dixit tum illud indignabundus ac vociferans intonuit: οὐκ ἀνέξεται ὁ Διὸς Κόρινθος. id eſt, Non feret Jovis filius Corinthus. Id ubi ſæpius iteraret, concitatus populus, ſucclamare cœpit, Feri feri Jovis Corinthum, ſimulque legatum expulerunt. Erat autem Corinthus hic Corinthiorum rex, Iove prognatus: tametſi Pauſanias in Corinthiacis negat ſe apud autores idoneos reperiſſe, Corinthum Jovis fuiſſe filium: ſed vulgus duntaxat Corinthiorum ita prædicare. Vſurpat adagium Plutarchus in commentario, quem inſcripſit adverſus Stoicos πολὺς οὖν ὁ Διὸς Κόρινθος ἐπὶ τὸν λόγον ἀφιέσθω· τὴν γὰρ περιτροπὴν ἐάσω, μὴ σκώπτειν δοκῶ, ἐάσω, id eſt, Multus igitur Iovis Corinthus ad orationem illorum admittitur. Nam piſtilli circumvolutionem, ne mordere videaris, omitte. Ariſtophanes in Ranis.

τουτὶ τί ἦν τὸ πρᾶγμα;
ἀλλ' ἢ Διὸς Κόρινθος ἐν τοῖς στρώμασι.

Id eſt,

Quid aliud hæc erat res,
Niſi Jovis Corinthus in ipſis ſtragulis?

Verba ſunt miniſtri, Bacchi ταυτολογίαν notantis, qui dixerat:

αἴρου 'σαῦθις αὖ τὰ στρώματα.

Id eſt,

Hæc rurſus iterum tolle miniſter ſtromata.

Idem in Concionatricibus.

ὅτι δὴ ἀνασκοποῦσιν ἡμῖν ἐφαίνετο
ὁ Διὸς Κόρινθος, ———

Id eſt,

Vbi denuo conſiderantibus, Jovis
Apparuit Corinthus: ———

Philoſtratus in Antipatro Sophiſta: ἐθορύβουν δὲ αὐτὸν τῶν συγγενῶν ἐς τὸν γάμον, καὶ Διὸς Κόρινθον ἡγουμένων τὸν Ἀντίπατρον, id eſt, Impellentibus autem illum cognatis ad nuptias, & Jovis Corinthum exiſtimantibus Antipatrum. Quanquam hic Jovis Corinthum uſurpaſſe videtur, pro homine magnopere felici. Vſurpat adagium & Socrates apud Platonem in Euthyd. ἀλλ' ἀτεχνῶς, τὸ λεγόμενον, ὁ Διὸς Κόρινθος γίγνεται. i. Sed prorſus id quod dici ſolet, Jovis Corinthus fit. Convenit cum illo, quod alibi retulimus, δὶς κράμβη, id eſt, bis crambe. Neque ſolum uti licebit, cum eadem iterum atque iterum dicuntur: verum etiam cum in eodem negocio nimium aſſidue perſiſtitur. Veluti ſi quis cibum ſemper eundem apponat, aut ſi quis ſemper ſtudiis literariis incumbat, aut aſſidue venetur, ut hinc jam oboriatur ex aſſiduitate ſatietas, recte dicemus, ὁ Διὸς Κόρινθος. Moleſtum eſt enim, quicquid perpetuum, vel Pindaro teſte in Nemeis, ἀλλὰ γὰρ ἀνάπαυσις ἐν παντὶ γλυκεῖα ἔργῳ· κόρον δ' ἔχει καὶ μέλι καὶ τὰ τέρπν' ἄνθ' ἀφροδίσια, id eſt, Verum enimvero

vero intermiſſio in omni negocio jucunda. Accipiunt autem facetatem & cantilenæ & amœni floſculi Venerei. In nonnullis exemplaribus pro μέλη, ſcriptum erat μέλι. Sic in Epigrammate:

> Πᾶν τὸ περιττὸν ἄκαιρον· ἐπεὶ λόγος ἐστὶ παλαιός,
> Ὡς καὶ τοῦ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.
> Id eſt,
> Inſuave eſt, quicquid nimium eſt. Nam dicitur olim,
> Mel quoque ſi immodica eſt copia, bilis erit.

Illud admonitu non inutile duxerim, proverbium bifariam accipi poſſe (nam & hoc oſtendit interpres Pindari) vel cum eadem iterantur ſæpius vel cum ii, qui initio magnifice loquuntur, minanturq; ferociter, poſtea timide fugiunt: id quod evenit legatis Corinthiorum, qui cum ſæpius illud intonuiſſent in concione: δικαίως σεισθήσεται ὁ Διὸς Κόρινθος, εἰ μὴ λάβοιτε δίκας παρ' ὑμῶν, id eſt: Merito ſuſpirabit Iovis Corinthus, niſi pœnas ſumpſerit de vobis: poſtea cum ad manus eſſet ventum, ignaviter aufugerunt. Nec illud prætereundum, adagionem accommodari poſſe, tum ad rem, tum ad perſonam. Ad rem hoc pacto: Iam millies audivi, non poſſum diutius ferre τὸν Διὸς Κόρινθον. Ad perſonas: ut ſi quis hominem eadem ſemper inculcantem τὸν Διὸς Κόρινθον appellet. Indicat & hoc interpres Pindari.

Crambe bis poſita mors.

Δὶς κράμβη θάνατος: id eſt, Crambe bis mors eſt. Plinius libro 20. cap. 9. inter braſſicæ ſpecies, tertio loco refert & cramben. Dioſcorides libro 2. crambes tres ſpecies facit. Quarum prima præterquam quod alia ad multa remedia efficax eſt, etiam ebrietatis & crapulæ incommoda tollit, ſi crudam edas ante cœnam ex aceto, ut indicavit M. Cato. Ariſtoteles in cauſa putat eſſe, quod cum ipſa ſit frigida, & ſuccum habeat dulcem ac diſcutientem, fit ut vinoſos humores in alvum detrahat, tenues humores in veſicam delabantur, ipſa in ventriculo remanens, corpus refrigeret. Atque ita humoribus utrimque deductis, & refrigerato corpore ceſſare crapulam. Ineſt autem peculiaris quædam vis crambæ obſiſtendi vino: ut ſi in vineto ſeratur, vinum proveniat diluctius. Proinde apud Sybaritas & Ægyptios ſolenne erat, ante omnia ſumere crambem coctam: quibuſdam mos erat, ex amethyſtino vaſculo crambes ſemen ante compotationem capere, quo citra periculum ebrietatis indulgere vino poſſent. Hujuſmodi fere Athenæus libr. 1. addens illud, priſcis crambem ac raphanum pro eadem habita. Vnde Theophraſtus prodidit, vitem etiamnum vivam raphani odorem fugere. Verum ut ad proverbium redeamus, Suidas ſcribit illam antiquitus in conviviis adhiberi ſolere: verum incoctam adeo nauſeam afferre, ut Græcis in faſtidii proverbium abierit. Quoties enim rem iterum atque iterum repetitam non ſine moleſtia ſignificabant, dicebant δὶς κράμβη θάνατος: id eſt, Bis crambe mors. hoc eſt, κράμβη δίεφθος, crambe recocta. Ad hoc adagii Politianus arbitratur alluſiſſe Juvenalem, cum ſcribit in Satyra 7.

> Declamare doces, ô ferrea pectora Vecti,
> Cum perimit ſævos claſſis numeroſa tyrannos.
> Nam quæcunque ſedens modo legerat, hæc eadem ſtans
> Proferet, atque eadem cantabit verſibus iiſdem.
> Occidit miſeros crambe repetita magiſtros.

Crambem repetitam appellat declamationem, maximo cum tædio iterum atq; iterum audiendam. Finitimum eſt illi, quod alio commemoravimus loco ὁ Διὸς Κόρινθος: id eſt, Iovis filius Corinthus. Contrarium illi, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν: id eſt, Bis & ter quod eſt pulchrum. Quod enim per ſe præclarum, id vel decies repetitum, ut loquit Horatius, placere ſolet: quod ineptum, id primo guſtu cōmendatione novitatis utcunq; toleratur: cæterum iteratum, haud jam ferendum faſtidium adfert. Et tamen erat priſcis admodum celebris hæc herba, adeo ut nec religione careret, & ob hoc μάντις vocata. Per eandem jurare mos erat, præſertim apud Iones. καὶ μὰ τὴν κράμβην: ut hinc quoq; faſtidii proverbium videri poſſit autor. Athenæus libro Dipnoſophiſtarum nono.

Eandem tundere incudem.

Eandem incudem aſſidue tundere, eſt indefatigabili aſſiduitate in operis alicujus ſtudio perſeverare. Metaphora ducta à fabris, crebris ictibus incudem ferientibus: atque ita tandem ferri rigorem perpetuo labore vincentibus M. Tullius lib. De oratore 2. Ego autem ſi quem nunc plane rudem inſtitui ad dicendum velim, iis potius tradam aſſiduis, uno opere eandem incudem, die noctuque tundentibus. Conveniet in grammatiſtas ac literatores, quibus ſine fine eadem ſunt inculcanda pueris, ut hæreant aliquando.

Cantilenam eandem canis.

Τὸ αὐτὸ ᾄδεις ᾆσμα. id eſt, Cantilenam eandem canis. De eo qui moleſtus eſt, ſæpius eadem inculcans. Nihil enim odoſius, quam quod ſemper idem eſt, Dorio leno in Phormione Terentiana. Cantilenam eandem canis, &: Mirabar ſi quid adferres novi. Familiare Poetis eſt, nuncium, cantilenam appellare. Euripides in Ione:

> Τίς ἡ ᾠδὴ σοῦ χ' ὁ φόβος τίνων πέρι.
> Quæ cantio hæc quibuſve de rebus metus?

Idem in Hecuba:

> ἥξει τι μέλος γοεροῖς γοεραῖς.
> Aliqua accedet cantio triſtis triſtibus.

Sumptum eſt à cantoribus, qui ſi quando diutius eandem occinant cantionem, tædium adferunt auribus. Proinde periti ſubinde variant carminis genus, quo ſatietatem devitent.

Eadem per eadem.

Αὐτὰ δι' αὑτῶν, id eſt, Eadem per eadem. Refertur in Collectaneis Diogeniani, de his qui ſemper eadem inculcant, aut eadem aſſidua faciunt. Non diſſimile illi, quod alio reddidimus loco, ὁ Διὸς Κόρινθος. id eſt, Iovis Corinthus. Poteſt & in eos torqueri, qui res nugaces nugaciter tractant: veluti ſi quis in autorem indoctum indoctos ſcribat commentarios, aut in obſcœnam obſcœnos.

Hyperi vertigo.

Ὑπέρου περιτροπή: id eſt, Piſtilli circumvolutio. Vbi quis ſemper idem agitat, neque quicquam tamen explicat. Plato Comicus opinor in Adonide, ad Zenodotum:

> Εἶτ' οὐχ ὑπέρου μοι περιτροπὴ γενήσεται.
> Dehinc mihi vertigo piſtilli haud erit.

Plutarchus apud Stoicos, ſignificans illorū rationes eodem revolui: πολὺς οὖν ὁ Διὸς Κόρινθος ἐπὶ τοὺς λόγους αὐτῶν ἀφῖκται, τὴν γὰρ ὑπέρου περιτροπὴν, ἵνα μὴ σκυτάλης δοκῇ κινεῖν, id eſt, Multus igitur Iovis Corinthus ad rationem illorum admittitur. Nam piſtilli circumvolutionem, ne ſidere videaris omitte. Vnde videtur ſolere dici, cum eadem ſæpius iterantur non ſine tædio. Dialectici petiſ principium ajunt, quoties eodem revolvitur argumentatio. Heſychius interpretatur de his qui ſemper eadem ajunt, neque quicquam interim proficiunt. Huic etiam finitimum eſt, ut idem videri poſſit, quod Plato recenſet in Theæteto ἡ μὲν σκυτάλης ἢ ὑπέρου ἢ ὅτου δὴ λέγεται περιτροπή id eſt, Scytalæ quidem aut piſtilli, aut ſi cujus alterius dicitur circumvolutio, quum ſemper in idem revolvitur, quemadmodum illic Theætetus jubet aſſentiri rectæ opinioni, eum qui rectam habet opinionem, Scytalam interpres vertit, ſcuticam quum Plato loquatur de ligno quod ſurculo circumvolvitur.

Date mihi pelvim.

Δότε μοι λεκάνην: id eſt, Porrigite mihi pelvim. Vbi quid vehementer moleſtum eſſet, ita ut ferri jam diutius non poſſet, pelvim ſibi porrigi jubebant, quaſi præ bili nauſeaq; & faſtidio rerum vomituri: velut ſi quis orationem ſupra modum indoctam non ferens, aut ſophiſticis nænis offenſus dicat, δότε μοι λεκάνην, i. e. Porrigite mihi pelvim. Refertur à Suida. Extat autem apud Ariſtoph. ἐν ἱππεῦσι. Et Plutarchus in Politicis citat è Platone comico.

Parium ſcaphula.

Τὸ Παρίων σκαφίδιον, id eſt, Parium ſcaphula. Convenit in eos qui ob res minutulas multum litium & querelarum movent. Sumptum è Parno quopiam, qui naviculam ereptam, populo moleſtiſſimus fuiſſe legitur. Autor Diogenianus. Cum enim hujus cauſa ad populum deferretur, tandem in popularem jocum abiit, ὁ Διὸς Κόρινθος.

Sardi venales.

Vide in loco bonæ fortunæ.

Callicyrii plures.

Καλλικυρίων πλείους: id eſt, Plures Callicyriis. De maxima quidem illa, ſed ſordida hominum turba dicebatur. Callicyrii dicebantur exulum ſervi qui Syracuſis agricolationem exercebant, autore Timæo. Quoniam autem ingens erat id genus hominum multitudo, proverbio receptum eſt, ut ſi quos admodum numeroſos ſignificare vellent, καλλικυρίους appellarent. Ariſtoteles in republica Syracuſanorum, oſtendit eam ſervorum turbam ex omnigenis populis in unum confluxiſſe. Erant autem eodem loco Callicyrii apud Syracuſanos, quo apud Lacedæmonios captivi, apud Theſſalos Peneſtæ, qui vocantur apud Cretenſes Eleatoræ, apud Ægyptios Hebræi. Solitum eſt adagium hoc potiſſimum uſurpari, ſi quando ſignificabant metuendam multitudinem quæ numero freta, nonnunquam opprimit dominos. Nam & hi ſervi plures erant dominis, quamobrem etiam expulerunt illos. Hæc ferme referuntur à Suida.

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Proverbii ſpeciem habet illud etiam Horatianum in arte Poëtica:

> Non miſſura cutem niſi plena cruoris hirudo.

Quadrabit in homines nimium ſedulos, & quibuſvis in rebus immodicos. Cujuſmodi nonnullos videas, qui cum ſemel cœperint, nullum faciunt finem, donec defatigati deſiſtant: nec rationem ullam habent alieni faſtidii, ſed ſuo tantum animo negotii modum metiuntur, haudquaquam memores vetuſtiſſimi ſermonis, admonentis ut cum a luſu deſiſtamus, cum adhuc eſt jucundus, ne voluptatem odii moleſtia conſequuta contaminet. Nemo neſcit, hirudinem ubi ſemel hæſerit corpori, nulla ratione poſſe revelli donec ſuctu ſanguinis expleta decidat. Quidam appellant ſanguiſugam, Græci βδέλλαν ſive βδάλλαν. Linguam habet biſulcam ac fiſtula-

fiſtulatam, quam penitus infigit cuti. Meminit Plinius lib. 11. c. 34. atque ibi de altero quodam animali, cui nomen non ſit, quod ſemper infixo ſanguini capite vivat, donec nimia ſatietate dehiſcat, & ipſi immoriatur alimento, cum cibi non ſit exitus.

Linum lino nectis.

Vide in loco. Inanis opera.

Ad reſtim funiculum.

Ἐπὶ σπάρτῳ σχοινίον: id eſt, Ad reſtim funiculum. ſubaudiendum addis, aut reddis. ubi quis iiſdem rebus abundat, aut ſimilia ſimilibus penſat. Cognatum illi, λίνον λίνῳ συνάπτεις: id eſt, Linum annectis lino: veluti ſi quis mendacium attexat mendacio, dolum dolo, nugamentum nugamento,

Rhodiorum oraculum.

Ῥοδίων χρησμός, id eſt, Rhodiorum oraculum. Vbi quis de re minuta nimium crebro, nimiumque diligenter ſciſcitatur. Etenim Rhodienſes Lindiæ Minervæ ſacrificantes, dies aliquot apud aram deæ convivia prorogabant, atque ibi perpetuo manebant. Quumque illis mos non eſſet, matulam in ſacrificium inferre, ac ſuper hac re deum conſuluiſſent, atque ut inferrent, reſpondiſſet: illi rurſus ambigere cœperunt, utrum æream, an teſtaceam inferre deberent: ac denuo ſuper hoc adeuntibus oraculum, indignatus Deum, neutram reſpondit, refertur à Diogeniano.

COGNATI. Mel ſatietatem gignit.

Dionyſius Halicarnaſſeus in comparatione Herodoti & Thucydidis: Satietatem enim gignit, ait Pindarus, & mel, & dulces res venereæ: Jam vero & illud in animo reputavi, quam ſuavis & jucunda res ſit in hiſtoria, ſcriptionis varietas & immutatio Laurentius Hunfredus de Nobilitate libro tertio. Sed quicquid nimium eſt, ingratum & injucundum eſt. Lucianus τὸ ἀεὶ ὅμοιον, ταχὺ γίνεται ἀνθρώποις κόρον παρέχειν, id eſt: Quod ſemper idem eſt, celeriter homini ſatietatem affert. Cibi quoque aſſidue ſumpti, etiamſi ſuaviſſimi, faſtidium tamen pariunt. Vide poſt, Aſſiduum mirabile non eſt. Theocritus in Megara:

——Καὶ εὐφροσύνας κόρος ἐστί.

id eſt,

Et lætitia ſatietas eſt.

Aſſiduum mirabile non eſt.

Ea quæ admirationem generare debent, inaudita ac nova, & præter expectationem eſſe oportet. Quicquid enim frequentius accidit, tametſi per ſeipſum ſit admirabile, nihil tamen vel paulum admirationis in hominum animis gignit. Nam nonne curſus Solis admirabilis, cujus ortu & occaſu nihil certius cuicunque hominum generi? Quantum ejus adventu lumen? quantæ, cum occultatur, tenebræ? quantus calor acceſſu, quam magnū receſſu frigus? Is eſt qui fruges, cæteraque omnium animantium pabula & auget & ad maturitatem perducit, ac cum vult arida omnia efficit, & in nihilum prorſus convertit. Nonne hæc omnia ſtuporis admirationiſque plena? Et tamen ea vix eſt qui admiretur: quia aſſidua rei, quantumvis magnæ inſpectio, ab admiratione animū hominis quodammodo avertit. Et tamen quædam ſunt, quæ quia raro videntur, tametſi his multo leviora & faciliora revera exiſtant, admirabiliora tamen apparent. Sed multo certe majorem obſtupefaciendi vim habet, quam ſtella cometa: ſed quoniam ſolem crebro videmus, raro autem ſtellam cometam. ſtella hæc ita nos attonitos reddit, ut etiam portendi ea aliquid à diis putemus: at ſol non item. Quod ſi imaginemur ſolem raro apparentem, raro occidentem, & ubi ſimul omnia illuſtrarit, deinde repetente omnibus rurſus tenebras inducentem: reperiemus in hac re unde obſtupefieri valde debeamus. his reſpondent Ciceronis verba in lib. 1. Tuſcul. Quibuſque temporibus a noſtro aſpectu oblitescant, rurſuſque emerſi, terrorem incutiant rationis expertibus. Ad hæc, cibi aſſidue ſumpti, etiamſi ſuaviſſimi, faſtidium tamē pariunt. Vide ante. Mel ſatietatem gignit: &, Omne nimium non bonum. Fieri enim non poteſt, quin moveatur humana mens, quando accidunt inſolita. Ideo ſervavit ſibi Deus inuſitata quædam quæ faceret: ut tanquam dormitentes homines ad ſe colendum mirabilius excitaret. Mortuus reſurrexit, mirati ſunt omnes, tot quotidie naſcuntur, & nemo miratur. Si conſideremus prudentius, majoris miraculi eſt, eſſe qui non erat, quam reviviſcere qui erat. Etſi enim tota rerum natura, cœlum & terra, mare, & omnia quæ in his continentur abunde teſtantur eſſe Deum: tamen cum ea quæ naturaliter fiunt, & ſemper ob oculos verſantur, minus obſerventur, & aſſiduitate viluerint, addidit Deus inuſitata opera, naturæ ignota, quibus homines in admirationem verſi magis excitarentur, & convincerentur eſſe Deum, eſſe aliquam mentem æternam, hujuſmodi miraculoſa & inſtructa ex ea efficientem.

Vnum in multa diſcerpere.

Ἐξ ἑνὸς πολλὰ ποιεῖσθαι.

Plato in Theagete: Nec ut feciſti hactenus, unum in multa diſcerpas, quod jaciunt eos ſolet, qui idem ubique inculcant. Eraſm. habet, Ex uno multa facere: in eos, qui idem aliis modis variant, ut non jam unum, ſed plura videantur.

EX APPEND. JUNII, CANTERI & aliorum.

Crambe repetita.

De re identidem iterata. Juvenalis, apud quem ita legendum eſſe ſenſit Scopa, & præterquam quod idem adſerere videatur Ponticus Virunnius in epiſt. præfixa Britannicæ ſuæ hiſtoriæ, ipſe etiam in tribus Pulmanni mei vet. libr. ſcriptum idem legere memini. Fuit Crambe vicus ad radicem Gauri montis: in quo Capuani à Cumanis dicuntur cæſi, qua de re facta eſt hiſtoria aut fabula Crambe dicta, in ſcholis ad faſtidium uſque repetita.

TARDITATIS ET CVNCTATIONIS.

ERASMI. Non nos inſequitur.

Plato libro De legib. 10. ὡς οὐδὲν ἐν τῷ παρόντι δεῖ προτιμᾶν βραχυλογίαν μᾶλλον ἢ μῆκος, οὐδεὶς γὰρ ἡμᾶς τὸ λεγόμενον ἐπείγων διώκει, id eſt: Nam in præſentia nihil eſt cur breviloquentiam prolixitati anteponamus. Quandoquidem nemo nos inſequitur, qui feſtinare compellat, quemadmodum vulgo dicunt. Hoc parœmiæ etiam hodie tritum manet, quum ſignificat liberum eſſe, diutius in re quapiam immorari: Nemo nos, inquiunt, impellit.

Romanus ſedendo vincit.

Romanus ſedendo vincit. Vetus proverbium in eos qui tranquilli atque ocioſi, tamen quæ volunt efficiunt: aut qui non viribus, ſed arte rem gerunt. Marcus Varro libr. De re ruſtic. 1. c. 2. Vultis igitur interea vetus proverbium, quod eſt, Romanus ſedendo vincit, uſurpemus, dum iſte venit. Ex hiſtoria Fabii cunctatoris natum arbitror, qui Hannibalem, juveniliter exultantem ſua patientia fregit: de quo extat verſus ille Ennianus:

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

Citatur apud Ciceronem in Catone majore. Vſurpatus eſt diviniṫus à Marone l. 6. Quanquam Livius libro de bello Macedonico primo refert ſimile quiddam de Sulpitio conſule: Quib. inquit. ſi undique circumventus copiis foret, ſedentem Romanum debellaturum credi potuerit.

Feſtina lente.

Vide ſupra in loco. Feſtinatio præpropera.

Pedetentim.

Κατὰ πόδα βάδην. Græcis proverbio dicitur, quod Latini reddiderunt, pedetentim. ubi quis non præcipitanter atque inconſiderate, ſed ſenſim atque cunctanter aggreditur negocium, atque arte rem gerit magis quam impetu. Tranſlatum ab his qui cautim, ac prætentantes per glaciem locumve lubricum ingrediuntur. Terentius in Phormione: Dii bene vertant quod agas, pedetentim tamen. Quintilianus: At ſi quod ſecundo loco diximus, neſciet actor, quid propoſiti teſtis attulerit, paulatim. & (ut dicitur) pedetentim experietur. Alexis comœdiarum ſcriptor jam extremæ ſenectutis, quum lento inceſſu inambulans rogaretur à quodam, quid ageret: κατὰ πόδα βάδην, inquit. ἀποθνήσκω, id eſt: Pedetentim morior. M. Tullius de officiis l. 1. Sin minus, ſenſim erit pedetentimque faciendum. Idem in oratione pro P. Quintio: Viri boni quum palā fraudentur, quum experiundi poteſtas non eſt, timide tamen & pedetentim illuc deſcendunt, vi ac neceſſitate coacti, inviti, multis vadimoniis deſertis, ſæpe illuſi ac deſtituti. Et in Verrinis actione 1. Quæ tamen a me pedetentim cauteque dicentur.

Placide bos.

Ἀτρέμας βοῦς, id eſt, Lente bos: ſubaudiendum, incedit, aut ſimile quippiam. Congruet in illos, qui placide ac paulatim, citraque tumultum, ſed tamen aſſiduitate rem conficiunt. Equorum laus eſt velocitas. Boves non valent celeritate, ſed viribus, & aſſiduitate pollent, non impetu. Proinde pugna ſtataria, vel leonibus formidandum animal, & ad exhauriendos ingentes labores appoſitum. Eodem pertinet illud. Bos laſſus fortius figit pedem. In ſacris precibus, tradit Plutarchus in commentario de Oſiride & Iſide, mulieres Helæas publicis ac ſolennibus votis ad hunc modum ſolitas Bacchum invocare, ut accederet βοέῳ ποδί: id eſt, Bubulo pede: ſive quod huic animanti, cum ſit viribus immenſis præditum, deinde tanta corporis mole, tamen peculiare videatur molliter, quaſique pedetentim ingredi, nulloque ſtrepitu: vel quod bovis pedes arva calcatu reddunt meliora, quum reliquorum animantium noceant.

Tacito pede.

Huic ſimillimū eſt, quod indicavit, quiſquis is fuit, certe haudquaquam indiligens ſcriptor, qui Rhetoricam Ariſtotelis exponit. ἡσύχῳ ποδί: id eſt, Tacito pede, ſeu lento pede: cum cautim ac pedetentim ad rem accedimus. Apud Latinos aliquanto ſecius uſurpatur, Tacito pede pro furtim ac clanculum: ut apud Ovidium:

Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis.

Id imitatus Columella in carmine:

——Tacito nam tempora greſſu
Diffugiunt, nulloque ſono convertitur annus,

Manu ferendum non thylaco.

Vide ſuperius in loco Modeſtiæ.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.

Caudæ pilos equinæ paulatim vellit qui quod viribus atque impetu fieri nequit, id tempore atque aſſiduitate conficit. Horatius in Epiſtolis:

Vtor permiſſo, caudæque pilos ut equinæ
Paulatim vello, demo unum, demo etiam unum,
Dum cadat eluſus ratione ruentis acervi.
Qui redit ad faſtos, & virtutem æſtimat annis.

Natum e facto quodam dicis Sertorii, cujus rei meminit Plutarchus in ejus vita. Hic enim cum ſuis copiis ex barbara turba conflatis, rationibus perſuadere non poſſet, in re militari plus habere momenti conſilium, quam vires temerarias, poſteaquã illi parum feliciter pugnaſſent, duos proponit equos: alterum macilentum atq; invalidum, alterum vegetum, cauda piloſa. Atque invalido illi juvenem adhibet prægrandi corpore, & admirandis viribus: contra vegeto illi puſillum & imbecillum admovet homuncionem. Hic ſingulos pilos paulatim vellens, brevi ſpacio totam depillavit caudam. Juvenis e diverſo caudam omnem ſimul manibus utriſq; comprehenſam, vi atque impetu conatur evellere. Qui cum fruſtra ſudaret, riſui fuit circumſtantibus. Sub hæc aſſurgens Sertorius, cujus conſilio juſſuque hæc fuerant acta: Videtis, inquit, commilitones, quanto plus poſſit ingenium quam vires.

Non ſtatim decernendum.

Qui ſignificabit interponendam moram prius quam decernatur, & rem in poſterum diem rejiciendam, accommodabit illud ex eodem libro, quod Phœnici cum legatis ad reconciliandam gratiam miſſo ab Agamemnone reſpondit Achilles:

——ἅμ᾽ ἠοῖ φαινομένηφι
φρασσόμεθα.——

Id eſt,

Aurora ubi craſtina ſurget
Conſultabimus.——

Hinc apparet ſumptum celebre Græcis proverbium, ἐν νυκτὶ βουλή. Id eſt, In nocte conſilium: quod alio diximus loco.

Celerius elephanti pariunt.

Sunt quibus hoc quoque inter adagia videtur adnumerandum, quod ſcriptum eſt apud Plinium Secundum in præfatione hiſtoriæ mundi. Nam de grammaticis, inquit, ſemper expectavi parturiri adverſus libellos meos, quod de grammatica ædidi: & ſubinde abortus fecere jam decem annis, cum celerius etiam elephanti pariant. Hactenus Plinius. Itaque cunctationem immodicam, & quorundam nimis molimina, his verbis licebit ſignificare. Porro de elephantorum partu Plautus in Sticho? Audivi ſæpe hoc vulgo dicier, ſolere elephantum gravidam perpetuos decem eſſe annos. Huic aſtipulatur Plinius libr. 8. Decem annis geſtare in utero vulgus exiſtimat. Etiamſi Ariſtoteles biennio parere putat, nec ſæpius quam ſemel ſingulos gignere. Theophraſtus refert, arborem quandam Indicam non ferre ante centum annos. Latinis parturire dicuntur, qui moliuntur, animoque deſtinant aliquid. Proinde licebit adagium etiam in hanc vertere formam: Quando tandem paries, obſecro, quod tot jam annos parturis, ut nec elephanti diutius?

Bunas judex eſt.

Βούνας δικάζει: id eſt, Bunas judicat. (In nonnullis codic. ſcriptum eſt Βυλίας, non Βούνας: ſed depravate, ni fallor.) Vbi lis in longum profertur, nec unquam explicatur. Qui mos nunc eſt, perditiſſimis advocatis noſtri temporis, ut ſubinde novam reperiant cauſam producendæ litis, quo plus nummorum extorqueant à litigatoribus. Parœmia nata à Buna quodam Athenienſi. Cum eſſet controverſia inter Calydonios & Eleos, utrique rem ad arbitrium Bunæ detulerunt. Convenerat autem, ut à manibus temperarent, donec ille de negotio pronunciaſſet. Quod ubi ſenſiſſet Bunas, de induſtria audiebat quidem utranq; partem, cæterum per fictas occaſiones rem in longum diſtulit, nec unquam de lite voluit pronunciare. Autor Mnaſeas apud Zenodotum.

Aceſſæi luna.

Vide ſuperius in loco, Nunquam.

Laconicæ lunæ.

Λακωνικὰς σελήνας, id eſt, Laconicas lunas, ſubaudiendum, cauſaris, aut ejuſmodi quippiam. De promiſſis aut pactis incertis atque infirmis dicebatur. Nam (ut ajunt) Lacones, ſi quando pactum auxilium poſceretur, lunas cauſabantur, atque hoc prætextu ſuffugiebant: quod (ut teſtatur Lucianus) legẽ tuliſſet Lycurgus, ne prælium inirent, niſi plenilunio. In cæteris item negociis auſpicandis, lunæ rationes ſuperſtitioſius obſervabant: atque hinc occaſio proverbii. Ad hoc, ni fallor, alluſit Marcus Tullius in Epiſtola quadam ad Atticum, cujus initium eſt, Dionyſius vir optimus l. 7. Ego, quoniam quarto non. Jan. Compitalitius dies, nolo eo die in Albanum venire moleſtus familiæ: Veniam tertio nonarũ. Igitur inde ad urbem prid. non. Tua σεληνὶς quem in diem incurrat, neſcio: ſed prorſus commoveri te incommodo valetudinis tuæ nolo. Quanquam haud me clam eſt, hoc loco in vulgatis codicibus λῆψις ſcriptum eſſe, non σεληνὶς. Nonnulli λῆψις mutarerant: verũ ſenſus huc vocat, ut σεληνὶς, id eſt, lunula legamus. Cum enim ſignificaſſet, quos dies obſervaſſet, aut delegiſſet ipſe, veluti ſuperſtitioſior, adjecit de Attico, Tua lunula in quem indicat diem, neſcio: ludens & in illius ſuperſtitionem: ſed ita tamen, ut valetudinis rationem haberi velit ab Attico. Convenit cum eo quod alias recenſuimus, Aceſſæi luna.

Machinas poſt bellum adfers.

Τὰς μηχανὰς μετὰ τὸν πόλεμον κομίζεις, id eſt, Machinas poſt bellũ adferre dicebantur, qui peracto negocio, ſero adhiberent apparatum. Brutus in epiſtula quadam ad Lycios. αἱ μηχαναὶ ὑμῶν μετὰ τὸν πόλεμον, ὡς ἡ παροιμία, ἐσκευάσθησαν id eſt: Veſtræ machinæ poſt bellum, uti proverbio dicitur, adductæ ſunt. Alludit ad illud Platonis, quod alio reddidimus loco: οὕτως χρὴ τοῦ πολέμου μεταλαγχάνειν, id eſt: Ad iſtum modum oportet ad bellum accedere. De Milite dicetur ſuo loco, quam ajunt in Trojam veniſſe, quo Priamo ferret ſuppetias, civitate jam capta.

Sero veniſti, ſed in colonum ito.

Vide ſuperius in loco, Serum remedium.

Quiſquis tarde venit ad cœnam.

Theocriti Scholiaſtes indicat hos ſenarios proverbio fuiſſe jactatos:

Ὅστις ἐπὶ δεῖπνον ὀψὲ κληθεὶς ἔρχεται,
Ἢ χωλός ἐστιν ἢ οὐ δίδωσι συμβολάς.

Id eſt,

Quiſquis vocatus tardius ad cœnam venit,
Aut claudus eſt, aut non dat ille ſymbolas.

Theocritus ſic habet:

Ἢ μετὰ δεῖπνα κλητὸς ἐπείγεαι.

Id eſt,

An quoquam ad cœnam properas conviva vocatus?

Et addit, eos qui vocati ſunt, celerius ire: qui non vocati, tardius. Etenim qui vocatus ſe venturum promiſit, incivile putat, ſi convivatori ſit in mora. Qui non vocatus venit, vel pudore tardior eſt, vel quod excluſus ſpe alterius convivii. Ita qui ſymbolum dedit, properat ne mulctetur damno, ſi poſt tempus venerit. Qui non dedit, hujus rei ſecutus, ut lubet ambulat.

Corvus aquat.

Κόραξ ὑδρεύει: id eſt, Corvus aquat. Dici ſolitum, ubi quis non citra negotium, citraque ingenium conſequeretur ea quæ cuperet: aut ubi quis rem novis artibus tentaret efficere. Ductum ab apologo de corvo, quum ſitiret congeſtis lapillis aquam ex imo fundo in ſummam vaſis oram evocante. Quod Plin. ut rem geſtam memorat l. 10. cap. 43. Sed probabilius videtur, ut adagium referatur ad eam fabulam, quam Faſtorum lib. 2. narrat Ovidius ad hunc modum.

Forte Jovi Phœbus feſtum ſolenne parabat:
Non faciet longas fabula noſtra moras,
I mea, dixit avis, ne quid pia ſacra moretur:
Et tenuem vivis fontibus adfer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, & aereum pervolat altus iter.
Stabat adhuc ficus duris denſiſſima pomis:
Tentat eam roſtro: non erat apta legi.
Immemor imperii ſediſſe ſub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Jamque ſatur, nigris longum capit unguibus hydrum:
Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi cauſæ moræ vivarum obſeſſor aquarum,
Hic tenuit fonteis, officiumque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia, Phœbus: & audes
Faſtidium verbis fallere velle Deum?
At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.

Meminit hujus & Hyginus & Ælianus. De naturis animantium libro primo. Proinde proverbium mihi magis videtur conveniens in ceſſatorem.

Profectus ad apaturia.

Αὐτὸν ἐς ἀπατούρια, ἐπανῆκ᾽ ἐς Θαργηλιῶνα: id eſt, Profectus ad apaturia, rediit Maio. Dici ſolitum in eos, qui licentius immorarentur negocio cuipiam. Athenis feſtum erat, quod apaturia vocabant, id triduo peragebatur. Primum diem appellabant δόρπειαν, propterea quod ſub noctem convenientes φράτορες convivium agerent: ſecundum appellabant ἀνάῤῥυσιν, quod in eo rem divinam facerent Jovi Phratrio, ac Minervæ: tertium κουρεῶτιν, quod juvenes & puellæ in gentem tranſcriberentur. Meminit Suidas copioſius de hoc feſto: verum ea non multum attinent ad explicandum proverbium.

Poſt feſtum veniſti.

Κατόπιν τῆς ἑορτῆς ἥκεις. Poſt feſtum veniſti. Refertur à Diogeniano. Dicitur in eos, qui negocio cuipiam egregio non interfuerunt; propterea quod ſerius, jam re peracta, acceſſerint. Socrat. in Gorgia Platonis: ἀλλ' ἦ τὸ λεγόμενον κατόπιν ἑορτῆς ἥκομεν καὶ ὑστεροῦμεν; id eſt: Num, inquit, poſt feſtum, quemadmodum dici conſuevit, venimus ac ſerius? Legitur & hoc pacto, Παναθηναίων κατόπιν: id eſt Poſt Panathenæa. Item πυθίων ὕστερον ἥκεις: id eſt, Poſt Pythia veniſti.

Callippides.

Καλλιππίδης olim proverbio dicebatur, qui in moliendis negociis cum multa ſe facturum minaretur, nihil tamē conficeret: aut, quemadmodum ait Terentius, qui ſedulo movens ſeſe, nihil promoveret M. Tullius ad Atticum, lib. 13. Quod ad me de Varrone ſcribis, ſcis me antea orationis, aut aliquid id genus ſolitū ſcribere, ut Varronem nuſquam poſſem intexere. Poſtea autem quam hæc cœpi φιλολογώτερα. Varro mihi denunciaverat magnā ſane & gravem προσφώνησιν. Biennium præterit, cum ille Καλλιππίδης aſſiduo curſu nullum cubitum proceſſerit. Quibus verbis Cicero notat M. Varronis tarditatem, qui cum magnas quaſdam ſpes oſtenderet, tamen nihil unquam abſolveret. Suetonius Tranquillus in Tiberio: Ad extremum vota pro itu ac reditu ſuo ſuſcipi paſſus eſt, ut vulgo jā per jocum Callippedes vocaretur: quem curſitare ac ne cubiti quidem menſuram progredi, proverbio Græco notatum eſt. Hactenus Tranquillus. Parum autem liquet, utrum omnis proverbii ratio ſua ſit in Callipidis cognomine, quod à pulchritudine equorum eſt dictum: an aliud quoddam fuerit proverbium, quod in Callipidem ſit dictum quemadmodum ex Suetonii verbis conjectura ſumi poſſe videtur. Deinde quis hic fuerit Callipides, cujus tardam celeritatem notarit adagium, non ſatis perſpicuum eſt: niſi quod haud diſſimile veri videtur, accipiendū eſſe de Callipide tragœdiarum hiſtrione: cujus meminit Plutarchus in apophthegmatis Laconicis, his quidem verbis: ἃ δὲ τοὺς ἄλλους ἑώρα θαυμάζοντας, ἐδόκει μηδὲ γινώσκειν· καί ποτε Καλλιππίδης ὁ τῶν τραγῳδιῶν ὑποκριτὴς, ὄνομα καὶ δόξαν ἔχων ἐν τοῖς Ἕλλησι, καὶ σπουδαζόμενος ὑπὸ πάντων, πρῶτον μὲν ἀπήντησεν αὐτῷ, καὶ προσεῖπεν, ἔπειτα σοβαρῶς εἰς τοὺς συμπεριπατοῦντας ἐμβαλὼν ἑαυτὸν ἐπεδείκνυτο, νομίζων ἐκεῖνον ἄρξεσθαί τινος φιλοφροσύνης· τέλος δὲ εἶπεν· οὐκ ἐπιγινώσκεις με, ὦ βασιλεῦ; κἀκεῖνος ἀποβλέψας πρὸς αὐτὸν εἶπεν, ἀλλ' οὐ τύ ἐσσι Καλλιππίδας ὁ δεικηλίκτας; οὕτω δὲ Λακεδαιμόνιοι τοὺς μίμους καλοῦσι. Quorum verborum hæc ferme ſententia eſt: Quarum rerum admiratione reliquos teneri videbat, eas ipſe ne cognoſcere quidem videbatur. Evenit aliquando, ut Callipides tragœdiarum hiſtrio, multi nominis atque opinionis inter Græcos, & ab omnib. in precio habitus, primum illi fieret obvius, ac ſalutaret: deinde arrogantius inter reliquos regis aſſectatores admiſceret ſeſe, oſtentaretque, ratus futurum ut ille prior aliquid comitatis inciperet exhibere. Tandem cum diceret etiam: Non agnoſcis me rex, nec qui ſim audiſti? Ageſilaus contemplatus hominem: An non tu es, inquit, Callippides ille deicelicta? Nam ſic appellant Lacædemonii mimos. Hæc Plutarchus. δείκηλον autem apud Græcos ſimulachrum, ac repræſentationem imitamenq; ſignificat: ut autor eſt Eudemus. Unde Lacedæmonii mimi vocabulum duxiſſe videntur, quod ipſum etiam ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι hoc eſt, ab imitatione dictum eſt nobis. Licet igitur conjicere, Callipidem hunc, aut quiſquis is fuit, ita geſticulationibus uti ſolere, ut cum mira agilitate moveri videretur, à loco tamen non diſcederet. Meminit hujus nominis etiam in Nebulis Ariſtophanes, indicans eam vocem ἀπὸ τοῦ ἵππου eſſe deductam.

Diu delibera.

Δηρὸν βουλεύου: id eſt, Diu delibera. Non ſtatim aggrediundum negocium. Carmen integrum fertur hujuſmodi:

Δηρὸν βουλεύου ἵν' ἴσχῃς καὶ πολλὸν ἀμείνων.

Id eſt.

Conſultato diu, multo ut præcellere poſſis.

Lente conſultandum: at ubi ſtatueris, mature quod opus facto faciundum eſt. Qui ſecus faciunt, iis non raro ſolet evenire Platonicum illud, ut feſtinantes in principio, ſerius perveniant ad finem.

Annus eſt.

Arbitror nemini dubium fore, quin illa quoq; inter proverbiales hyperbolas referri debeant: Annus eſt, ſeculum eſt: atque id genus alia. Terentius in ſeipſum excruciante: Et noſti mores mulierum: dum comuntur, dum moliuntur, annus eſt: Idem alibi, Jamdudum ætatem: pro admodum dudum. Plautus in Aſinaria: Ætatem velim ſervire, Libanum qui conveniam modo. Et: Seculum eſt, quod nihil abs te redditur literarum. Proinde tempus prælongum hujuſmodi figuris ſignificabimus.

Ad aras.

Ἐπὶ βωμοῖς: id eſt, Ad aras. Refertur in collectaneis, quæ Plutarchi titulo feruntur, nec explicatur. Equidem opinor perinde valere, quaſi dicas, ipſo in negocio: juxta proverbium quod nobis alio dictum eſt loco, quo vetamur ad aras conſultare.

Sic eſt ad pugnæ partes re peracta veniendum.

Plato in Gorgia: πολέμου καὶ μάχης φασὶ χρῆναι, ὦ Σώκρατες, οὕτω μεταλαγχάνειν, id eſt: Ad belli pugnæq; munia Socrates ſic ajunt accedere oportere. Jocus erat proverbialis, ubi quis negocio peracto, tum demum adveniret. Quemadmodum ignavi milites ſolent, qui conflictu peracto, ſublatoq; metu, tum demq; ſolent adeſſe, vel ad colligendam prædam, vel ad epinicia, id eſt, epulum victoriale celebrandum. Nam verbum illud μεταλαγχάνειν, tarditatem ſignificat, ac ſeram muneris functionem. Socrates autem reſpondens, proverbiam explicat ſimili parœmia, ἀλλ' ἦ τὸ λεγόμενον κατόπιν ἑορτῆς ἥκομεν καὶ ὑστεροῦμεν, id eſt, Num poſt feſtum quod ajunt, venimus, ſeroq; adſumus? Sumptum videtur à Rheſo Thracum duce, quem apud Euripidem objurgat Hector, quod ſerius ad belli ſocietatem veniſſet, nimirum decimo demum anno:

Σύμμαχος μὲν οὔ, ξένος δὲ πρὸς τράπεζαν.

Id eſt,

Socius haud quidem advenis, ſed hoſpes ad menſam

Iſque reſpondet:

Ἀλλ' ὕστερος μὲν ἦλθον, ἐν καιρῷ δ' ὅμως.
Σὺ μὲν γὰρ ἤδη δέκατον αἰχμάζεις ἔτος,
Κοὐδὲν περαίνεις.

Id eſt,

Sero quidem, aſt in tempore advenio tamen.
Nam tu quidem jam præſtans decennium
Nihil explicas.

Alluſit huc, ni fallor, Diogenes. Quum enim quidam inſcripſiſſet ædibus ſuis hunc titulum: Jovis filius Callinicus Hercules hic habitat, ne quid ingrediatur mali: Diogenes adjecit aliam inſcriptionem μετὰ πόλεμον ἡ συμμαχία: Id eſt poſt bellum auxilium. Significans ſero vocari Herculem depulſorem malorum, quum jam malus hoſpes immigraſſet in eas ædes.

Amæa Azeſiam reperit.

Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν, id eſt. Amæa ad Azeſiam acceſſit. Dici conſuevit de re diu multumq; quæſita deſideratāq;. Didymus autor eſt, apud Trœzenios Cererem appellari Amæam: Proſerpinam, Azeſiam. Nota fabula de Proſerpina à Plutone adducta ad campos Elyſios, & Cerere toto orbe quærente filiam. Refertur à Plutarcho in Alexandrinenſium proverbiorum collectaneis.

Ζοφοροδορπίδες, & ſimilia.

Plutarchus in Sympoſiacis oſtendit olim cognomina quædam proverbiali joco jactata fuiſſe in eos, qui ſerius ac cunctantius ad convivium accederent. Dictos enim tum καλεσοδείπνους, tum ζοφοδορπίδας, tum τρεχεδείπνους. Quorum nominum rationem ſi conjectare licet, hanc eſſe puto: quod qui cunctarentur adire, hi quod aliis eſſent in mora, impedimento eſſe videbantur, quo minus illis cœnare liceret: deinde quod lenitudine ſua efficerent, ut convivium ad noctem uſque proferretur. Tertium cognomen κατ' ἀντίφρασιν, attributum apparet. Negat autem apud Plutarchum quiſpiam, Pittacum ab Alcæo Zophorodorpidem appellatum, quod ſerius iniret convivium, ſed quod ſordidis ac plebeis compotationibus gauderet. Antiquitus autem inelegans, ac parum urbanum habebatur, ſi quis ad convivium rogatus, tardius adveniſſet. Unde Polycharmus in apologia, qua vitæ ſuæ rationem reddit Athenienſibus, illud in laudem ſuam interpoſuit, ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ πρὸς τούτοις οὐδέποτε κληθεὶς ἐπὶ δεῖπνον ὕστερος ἀφικόμην, id eſt: Ad hæc inſuper Athenienſes nunquam ad cœnam accerſitus, poſt tempus acceſſi. Hujus opinionis Battus quidam ſcurra non illepide cauſam aperuit apud Cæſarem. Conſuevit enim is qui tardius venirent ad convivium, ἐπιθυμοδείπνους appellare, quaſi dicas, conviviorum appetentes: propterea quod quum eſſent occupati negociis, ob cœnarum tamen cupiditatem non excuſarent iis, à quibus rogarentur. Hujuſmodi ferme Plutarchus. At Terentius in Seipſum excruciante, indicat incivile fuiſſe, ſtatim & ante tempus adeſſe convivam, cum Chremes ait illos jamdudum præſto eſſe domi ſuæ, ſeque ipſum in mora convivis eſſe: nimirum indicans contra fieri ſolere. Apud Ariſtophanem in Concionatricibus huc alluditur aliquoties, ἐπὶ τὸ δεῖπνον ἔρχομαι, id eſt: Ad cœnam venio. In eadem: ἐπᾴσομαι μέλος τι μελλοδειπνικόν, id eſt: Accinam melos aliquod cœnaticum.

Μελλονικιᾶν.

Nicias traducebatur quod cunctator eſſet in re militari, qualis apud Romanos fuiſſe narratur Fabius: eoq; jocularem vocem finxit vetus comœdia, μελλονικιᾶν, ex μέλλειν, quod eſt cunctari, & Νικίας, qui fuit dux Athenienſibus. Ariſtophanes in Avibus:

——Οὐχὶ νυστάζειν ἔτι
Ὥρα 'στὶν ἡμῖν οὐδὲ μελλονικιᾶν,
Ἀλλ' ὡς τάχιστα δεῖ τι δρᾶν,

Id eſt,

Porro oſcitandi tempus haud eſt amplius,
Nec more Niciæ decet cunctarier,
Sed oportet aliquid agere quam celerrime.

Hercules hoſpitatur.

Ἡρακλῆς ξενίζεται; id eſt, Hercules accipitur. Dictitatum, ubi quis diutius

diutius in convivio commorari videretur: propterea quod qui recepiſſent Herculem hoſpitio convivioq;, his multum temporis erat operiendum, donec ille ſatur eſſet. Nam famelicum commovere parum erat tutum. Nec facile ſaturabatur edax, adeo ut legatur ſolidos etiam boves uno devoraſſe convivio. Vnde Græcis ἀδδηφάγος dictus eſt; & huic Larum avem conſecrarunt & ipſam βουφάγον. Legitur & certamen iniſſe cum Lepreo quodam, uter citius bovem conficeret. Hæc aliaque permulta refert Athenæus l. 10. de hujus edacitate: addens & Thaſio cuidam athletæ, cui nomen Theagenes, tum & Miloni Crotoniatæ bovem uno die confectum fuiſſe. Tales conviræ contingant hoſtibus.

Expecta bos aliquando herbam.

Μένε βοῦ ποτὲ βοτάνην, id eſt, Expecta bos olim herbam. Dicendum, ubi quid ſero continget. Laborat enim bos in agricolando, ſed aliquando guſtatura herbam enatam. Finitimum illi:

——Et adhuc tua meſſis in herba eſt.

Expecta anus.

Μένε γραῦ, ἵνα τὸν παῖδα φιλήσῃς, id eſt, expecta anus meum filium te ſuaviturum. Nam priuſquam adoleſcat puer, illa deceſſerit. Confine ſuperiori, cum ſera ſpes oſtenditur.

Inter cæſa & porrecta.

Elegans in primis adagium extat apud M. Tullium in epiſtolis ad Atticum: Ea multa, inquit, imo omnia, quorum ἀφέλαιεν, ne quid inter cæſa & porrecta, ut ajunt, oneris mihi addatur, aut temporis. Videtur ſignificare cunctationem, & ancipitem hæſitationem, ac velut intervallum illud, inter omittendum quod cœptum eſt, & incipiendum quod novari oportet. Sumptum eſt autem è priſco auſpiciorũ ritu, in quib. inter cæſa & porrecta ſacerdos ceremonias quaſdam agebat: quemadmodum teſtatur M. Varro lib. De lingua Latina 2. Nam flamen Dialis, inquit, auſpicatur vindemiam, & ut juſſit vinum legere, agna Jovi facit, inter cujus exta cæſa & porrecta flamen prorſus vinum legit. Porro quod exta cæſa prorogationem temporis apud veteres ſignificaverint, declarat Cicero libro. De divinatione. 2. Quid enim, inquiens, habet aruſpex, cur pulmo inciſus in bonis extis dirimat tempus, & proferat diem?

Quæ ſero contingunt, ſed magnifica.

Quoties intelligi volemus famam, aut præmium aliquod ſerius quidem contingere, verum hoc præſtantius ac durabilius, quo diutius dilatum, ut tarditatem ſtabilitate, perpetuitateque compenſet, non alienum fuerit Homericum illud ex Iliados ſecundo libro uſurpare:

Ὄψιμον ὀψιτέλεστον, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται.

Quem verſum ita Cicero vertit:

Tarda & ſera nimis, ſed fama & laude perenni.

Verba ſunt Chalcantis, animum addentis Græcis ut perdurent, quanquam enim victoria belli decimo demum anno contigerit, ejus famam tamen immortalem fore.

Hyperberetaa.

Ὑπερβερεταῖα: id eſt, Hyperberetæa, dicebantur olim admodum ſerotina, quæq; vix tandem advenirent. Apud Macedones extremus anni mẽſis ὑπερβερεταῖος appellabatur. Vnde quæ in longum proferebantur, Hyperberetæa dicebantur: perinde quaſi apud Latinos dicas Decembria. Et ὑπερβερεταῖοι, comperendinatores. Suidas exiſtimat eum eſſe menſem apud Macedones, quem nos Octobrem vocamus: quod tum ſera ſit æſtas: & quæ tum proveniunt, poſt legitimum tempus provenire videantur.

Myſorum ultimus navigat.

Ἔσχατος Μυσῶν πλεῖν: id eſt, Myſorum poſtremus navigare, proverbiali joco dicebatur, qui fruſtra laboraret. Origo proverbii, ſicuti fit in pleriſque, non uno narratur modo. Quidam tradunt olim Græcis peſtilentia laborantibus, oraculo reſponſum eſſe, ut ad ultimum Myſorum navigarent. Ac primum quidem ambigebant, quid ſibi vellet oraculum. Tandẽ diu circumacti repererunt Æolidem in extremis Myſorum eſſe ſitam, atque eo demigrandum eſſe, monuiſſe numen. Alii ſcribunt, Telepho, poſt interẽptos avunculos conſulenti Pythium, quo gentium ſibi demigrandum foret (nam antiquitus moserat, homicidis ſolum vertere) reſponſum, uti ad extremam Myſorum regionem ſeſe conferret: veniſſeq; in Teuthraniam, quæ Myſiæ extrema pars, atque ejus loci principatum obtinuiſſet. Sunt qui dicant, hunc non ob cædem avunculorum fugiſſe, ſed uti matrem quæreret, quam in Teuthrania tandẽ invenerit. Proverbium autem dictitatum, ubi dura quæpiam impetrarentur, factuque difficilia.

Intervallo perit fames, & optime perditur.

Διὰ μέσου καὶ λιμὸς ἔρρει, καὶ κάλλιστ' ἀπόλλυται: id eſt, Intercapedine optime perit fames. Mora multis reb. adfert remedium, & maxime iracundiæ. Invenitur etiam hoc interpretamentum, ut ſit ſenſus: Extincto famelico, fames item pereat neceſſe eſt.

Summis ingredi pedibus.

Vide ſuperius in loco, Occulta.

Plumbo pedes veniſſet.

Vide ſuperius in loco, Diligentiæ.

COGNATI. *Corvum miſimus.*

Miſimus corvum, de his qui curaturi negocium, diutius hærent in via, atque tardius revertuntur. Hoc proverbium natum eſt ex fabula ea, quam Faſtorum l. 2. narrat Ovid. Sunt qui referunt ad Noe corvum, Gen. 8. Corvus nuncius.

Callipedes.

Græco proverbio dicuntur, qui intra biennium cubitum vix proceſſerint: hoc eſt, in rebus agendis tardi.

Diphilus. Diphilo tardior.

In, ſegnes, & extra modum pigros in obeundis quæ ſemel fuerint injuncta, dici ſolere, ex Ciceronis ad Q. Fratrem l. 3. affirmat Cælius Rhodiginus l. 8. c. 45. ſuarum lectionum. Proverbio locum dedit Diphili architecti tarditas, qui in perducendis ad finem operibus tardiſſimus fuit.

Cras credo, hodie nihil.

Satyra Varronis fuit, inſcriptione, ut pleraque ejus, proverbiali: Cras credo, hodie nihil ab hominum ſermone ducto titulo, qui in præſentia ſe negant credere, ſe cras facturos dicunt.

Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.

Terentianum eſt iſtud & elegans, & multis admodum familiare: valetq; dum ſurgunt, dum ſe movent. Tertullianus lib. De habitu muliebri, habitus fœminæ duplicem ſpeciem ponit: cultum & ornatum: cultum, mundum muliebrem vocat ornatum, immundum. Ille in auro, gemmis & veſtibus conſiſtit: hic in capillorum, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.

Aſino pigrior.

Tarditas aſinorum nota eſt. Virg. 1. Georg.

Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli.

Hinc illud, E tardigradis aſinis equus.

Palladius Rutilius:

Si velocis equæ pigro miſcetur aſello
Ardor.——

Martialis:

Veientone aſinoque pigriorem.

De Veientone ſcribit Juvenalis:

——Hic Sergius idem
Accepta rude cœpiſſet Veiento videri.

Iterum:

Vt te reſpiciat clauſo Veiento labello.

Erat iſte obeſior, & natura pigrior & deformior.

Myrmice incedere.

Horatius Tuſcanella in illud Catulli:

Quæ ſi quæritis, illa quam videtis
Turpe incedere, myrmice, ac moleſte
Ridentem Catulli ore Gallicani.

Myrmice interpretatur gradu formicarum: hoc eſt tarde. Sed Achilles Statius Luſitanus pro Myrmice, legit Mimice, id eſt, ſcenice turpiterque geſticulantem ac mollem.

Sed moraris, abit dies.

Intercalaris verſus, pluries repetitus in hymenæo Juliæ & Mallii, apud Catullum,

Sed moraris, abit dies
Flere deſine.——
Prodeas nova nupta.
Perge ne remorare.
Prodeas nova nupta.
Gaudeas, ſed abit dies,
——Sed abit dies.

Odioſa res Circenſibus pompa.

Hoc uſus eſt Seneca in prologo declamationum: Sed jam non ſuſtineo vos morari. Scio enim quam ſit odioſa res Circenſibus pompa. Quum autem res expectatur, odioſi ſunt longi apparatus, quibus differtur id quod expectatur. Erant enim Circenſes ludi equeſtres Romæ, quibus equites decurrebant: antequam autem committerentur ludi præcedebat pompa, hoc eſt, præmiſſio equorum, qui in conſpectu populi traducebantur ocioſi ut viderentur à ſpectatoribus, & reliquus apparatus ludorum forte oſtendebatur populo. Idem De beneficiis libr. 2. Eſt enim bonarum etiam rerum ſolicitis expectatio gravis. Ibidem: Gaudere tardius beneficio ſuo manus adfert. Ibidem: Proprium eſt benefacientis, libenter & cito facere. Non diſſimilia ſunt ei, quod ſuperius ex Juſtiniano annotavimus: Plus dat, qui in tempore dat. & hoc Olympiæ Fulviæ Moratæ in quandam epiſtola ad Andream Gruntlerum ſponſum ſuum: Non mirandum, ſi hæc mora eſt mihi moleſta, quoniam odit verus amor, nec patitur moras Michael Verinus:

Hic cito qui belle negat, tribuiſſe videtur
Munera: nam ſemper eſt odioſa mora.

ad rhetoricum manus accedunt. Æneas ſophiſta in epiſtola quadā: οἱ μὲν πολλοὶ, τὸ δὴ λεγόμενον, ἀνίπτοις ποσὶν εἰσπηδῶσι τοῖς ἱεροῖς, id eſt: Plerique quidem illotis, quod ajunt pedibus irrumpunt ad ſacra. A. Gellius in Noctibus: Illotis, quod ajunt, pedibus & verbis, reprehendit doctiſſimi hominis orationem. Macrobius Saturnalium l. 1. Illotis pedibus prætereunt. De literatoribus loquitur, qui reconditam illam in Vergiliano Poemate doctrinam negligunt. Hujuſmodi Galenus lib. De virtute ſimplicium remediorum 7. ἀμυήτους vocat καὶ βεβήλους αὐτούς, inquit, ἴσως ἂν ὑμεῖς, εἴγε καὶ μυστηρίων βίβλους ὑπομνήματα τῶν ἀμυήτων ἀναγινώσκειν. ἀλλ' οὔτ' ἐκεῖνοι ἔγραψαν οἱ γράψαντες τοῖς βεβήλοις, οὔτ' ἐγὼ ταῦτα τοῖς μήπω οὐδὲ τὰ πρῶτα γεγυμνασμένοις. id eſt: Ac fortaſſis haudquaquam mirum eſt, ſi & myſteriorum libros quidam ſacris non initiati ſunt auſi legere. At eos libros nec illi qui ſcripſerunt, ſcripſerunt prophanis, nec ego hæc ſcribo iis, qui nondum in primis rudimentis ſunt exercitati. In genere, ſermonem omnem parum verecundum nimiſque procacem ac petulantem, illotum proverbio vocant.

Andabata.

Citatur apud Nonium Marcellum, cum aliis locis aliquot, cum in verbo Luſcioſi, Varro in Andabatis, quem equidem auguror titulum fuiſſe quempiam Satyræ proverbialem: cujuſmodi ſunt alii quoque complures ὄνος λύρας, γέροντοδιδάσκαλος, Neſcis quid ſerus veſper vehat. M. Tullius inſtar proverbii uſurpavit in epiſtola quapiam ad Trebatium lib. 7. Epiſtol. fam. Quem ante, inquit, ne Andabatam quidem defraudare poteramus. Et hunc æmulatus D. Hieronymus adverſus Helvidium: Ad hoc, inquit, probandum, congerit de ſcripturis exempla quam plurima, more Andabatarum in tenebris gladium ventilans. Idem contra Jovinianum: Periclitamur reſponſionis verecundia, & quaſi inter duos ſcopulos, & quaſdam neceſſitatis & prudentiæ ſymplegadas, hinc atque inde vel pudoris, vel cauſæ naufragium ſuſtinemus. Si ad propoſita reſpōdeamus, pudore ſuffundimur: ſi pudor impetrarit ſilentium, quaſi de loco videmur cedere, & adverſario feriendi occaſionem dare. Melius tamen eſt clauſis, quod dicitur, oculis Andabatarum more pugnare, quam directa ſpicula clypeo non repellere veritatis. Idem in ſecunda contra Ruffinū Apologia: Aliud eſt, ſi clauſis quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere. Rurſum in eodem opere: Habetur dialogus apud Græcos Origenis & Candidi Valentinianæ hæreſeos defenſoris, in quo duos Andabatas digladiantes inter ſe ſpectaſſe me fateor. Huc opinor reſpexit in præfatione Eſdræ: Aliud eſt, ſi clauſis, quod dicitur, oculis mihi volunt maledicere. Hier. videtur mutuatus à Tertulliano, qui lib. De carnis reſurrectione. Si tam abrupte, inquit, ut quidam volunt, clauſis, quod ajunt, oculis, ſine diſtinctione omnem paſſim carnem & ſanguinem à regno Dei extrulit. Hactenus ille. Clauſis oculis dixit, pro eo quod eſt, ſine delectu, quemadmodum & Auguſtinus lib. contra epiſtolam Parmeniani: Quæ tandem vis, niſi cæcitas & vanitas animi, cogit hominem clauſis, ut dicitur, oculis, tanquam in alterum jacere: quod quum in eum jecerit, continuo redeat, eumque ictu reciproco affligat, intacto eo quem vulnerare voluerat? Cæterum fuerint ne populi ad eum modum ſoliti pugnare, an gladiatorū genus, qui clauſis oculis tenderent in adverſarium, an potius luſus genus, ut propemodum ex Seneca licet conjicere, nondum (ut ingenue fatear) ſatis compertum habeo. Certe vox ipſa ἀνδαβάται indicat fuiſſe quoſdam, qui ſic hoſtem adverſum invaſerint. Tum Homerus Iliados ρ. Aiacem ſic pugnam ineuntem facit, quemadmodum leo pro catulis dimicans, clauſis oculis inſilit in venantium agmen:

> Αἴας δ' ἀμφὶ Μενοιτιάδῃ σάκος εὐρὺ καλύψας
> ἑστήκει ὥς τίς τε λέων περὶ οἷσι τέκεσσιν,
> ᾧ ῥά τε νήπι' ἄγοντι συναντήσονται ἐν ὕλῃ
> ἄνδρες ἐπακτῆρες· ὁ δέ τε σθένεϊ βλεμεαίνει,
> πᾶν δέ τ' ἐπισκύνιον κάτω ἕλκεται ὄσσε καλύπτων·
> ὣς Αἴας περὶ Πατρόκλῳ ἥρωϊ βεβήκει.

Id eſt,

> Aſt Ajax lato defenſans undique ſcuto
> Egregium juvenem prognatum patre Menœtio,
> Stabat uti leo depugnans ſua pignora circum,
> Cui catulos deportanti venit obvia turba
> Venantum in ſylvis: jaculis urgentibus: ille
> Deducto prorſum cilio ſua lumina velat.
> Sic cingens heros Patroclum protegit Aiax.

Baſilius in epiſtola quadam non ineleganter dixit νυκτομαχίαν: ὥστε τοῦ λοιποῦ γνωρίζειν ἡμᾶς τοὺς ὁμόφρονας, καὶ μὴ ὡς ἐν νυκτομαχίᾳ μηδεμίαν φίλων καὶ πολεμίων ἔχειν διάκρισιν, id eſt: Ut in poſterum noverimus eos qui nobiſcum ſentiunt, nec velut in nocturna pugna nullam amicorum & inimicorum habeamus diſcrimen. Conveniet illud in eos, qui prorſus temere, nulloque judicio inſectantur quippiam, aut repugnant alicui. Neque peſſime quadraverit in eos, in cujuſmodi jocus extat Demonactis autore Luciano: Hic mulget hircum, ille ſupponit cribrum, cum alter inepte proponeret, alter reſponderet ad id quod propoſitum erat, nihil facientia.

Ædilitatem gerit ſine populi ſuffragio.

Plautus in Sticho: Sine populi ſuffragio, tamen ædilitatem hic quidem gerit. Ubi quis imperioſior eſt in alieno negocio, aut in ædibus alienis, Nam Plautus ad paraſitum reſpicit, in domo non ſua mandantem & imperantem, non aliter ac ſua. His confine eſt quod habetur apud Ciceronem libro tertio De legibus: Sed quæro quid hac re ſit turpius, quam ſine provocatione ſenator, legatus ſine mandatis. Item in 13. Philippica, Senator voluntarius lectus ipſe à ſe.

Inſcitia confidentiam parit.

Ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, id eſt, Inſcitia quidem confidentiam, prudentia vero cunctationem parit. Extat apud Thucydidem libro Peloponneſiaci belli ſecundo. Divus Hieronymus in epiſtola ad Evagrium ita refert: Imperitia confidentiam, eruditio timorem creat. Refert & Plinius Epiſtolarum libro quarto. Sicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, perverſa confirmat audacia. Utitur eodem & Lucianus in Nigrino, ut dubium non ſit, quin hæc ſententia fuerit olim vulgi ſermone protrita. Cognitio rerum reddit hominem cunctantiorem ad aggrediendum negocium; hinc nimirum eſt, quod juventus audacior eſt quam ſenectus: & [ut docet Quintilianus] fortius dicunt qui minus habent artis: cum interim cordatus orator, ac periculum intelligens, initio trepidet. Et qui minus ſapiunt, minus habent pudoris. Et qui nondum didicere, quid ſit ſcire, nullius rei ſibi non arrogant ſcientiam. Denique maxime bellum affectant, qui quid ſit bellare, nunquam experti ſint: Quemadmodum hodie ſub adoleſcentibus principibus miſere tumultuatur orbis.

Ne incalceatus in montes.

Theocritus ἐν νομεῦσι.

> Εἰς ὄρος ὅκχ' ἕρπῃς, μὴ ἀνάλιπος ἔρχεο, Βάττε·
> ἐν γὰρ ὄρει ῥάμνοι τε καὶ ἀσπάλαθοι κομόωντι.

Id eſt,

> Batte cave pedibus nudis perrepere montem:
> Quippe rubis, tribuliſque viret mons undique denſus.

Qui ſuſcipit vitæ genus, armet ſeſe adverſus occurſura incommoda, ne pœniteat ſuſcepti.

IUN. *Vomentum in numero.*

Vomentum in numero eſſe dicuntur proverbiali ſpecie, quotquot non modo extemporaneam dicendi levitatem ſequuntur, quæ cruda pleraque & indigeſta effutit, in primoribus ſolum faucibus, non in pectore nata, verum etiam qui chartis illinunt, quicquid muſteus ingenii male feriati fervor ebullierit: quum ſcripta hagi oporteat urſino more, & lima addita expoliri. Ariſtides Smyrnæus, quum M. Antoninus fama viri commotus ipſum audire diſſerentem geſtiret, dixiſſe legitur, τήμερον πρόβαλε καὶ αὔριον ἀκροῶ, οὐ γάρ ἐσμεν τῶν ἐμούντων ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων, id eſt, Hodie proponito, & cras audito: neque enim e vomentium numero ſumus, ſed exacta cura elaborantium, quod à Philoſtrato in Sophiſtis traditum eſt, & a Zeze repetitur. Idem Philoſt. in Favorino judicii ſui cenſuram interponens de oratione quadam falſo illi attributa, ſic inquit, ἀλλ' οἴεσθαι αὐτὰ μειρακίου φροντίσματα μεθύοντος μᾶλλον δὲ ἐμοῦντος ἡγώμεθα, id eſt. Quin exiſtimamus eos eſſe luſus adoleſcentis cujuſpiam temulenti, ſeu potius vomentis. Ita Cicero probri loco recenſet M. Antonium orationem ab ipſo ſcriptam de ebrietate evomuiſſe, Syneſius in Dione, ubi autiſtos qui ſibi indulgent in ſtylo, cæca & ſubventanea parere ſubjicit. οὐ γὰρ ἐνθάλψαι τινὰ ἂν λόγον ἔστιν τὸν ἐφ' ἡμέραν ἐμεῖν ἀνάγκη, id eſt: Nec enim incubando foret intus orationem cui quotidie vomere neceſſum eſt: fit namque evanidus ſtylus & ἐξίτηλος, qui non congrua temporis mora dictionem elimat: imo, quod in fœtu immaturo ſolet accidere, abortit: eoque fieri aſſolet, ut abortus ejuſmodi in habitum abiens, nihil pariat vitale & integrum ac diuturnum. Huc ſpectat Lyſiæ orator dictum. οὐ βούλομαι ἔγωγε συγγράφειν ἃ ἐπείγει σπουδή, id eſt, Nolo ego conſcribere quæ feſtinatio præcipitavit.

COGNATI. *Excidit, Profluit.*

Excidiſſe verbum ex ore, μετεφορικῶς, cum id elapſum potius temere, quam, cogitate emiſſum ſit Cicero dixit ſæpe. Non diſſimili autem modo effugere dicunt ea verba, quæ parum conſiderate proferuntur. Homerus:

> Τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Hunc verſum ita interpretatus eſt vetus Poeta Livius:

> Mea puera, quid verbi ex ore tuo profluit?

Sic telum manu fluiſſe dicitur Græce & Latine: quibus verbis ſignificata eſt imprudentia, quæ tranſlatio habetur apud Cicer. libr. 3. De oratore: & in lege 12. tab. Apud Euripidem Oreſtes dicit: Interea telum manus meas reliquit. βοᾷ δ' ἀνακτεῖται δέ, πρὸς γένειον ἐμὸν τιθεῖσα χεῖρας· τίνος ἐμὸν λιταῖον παρῆκεν τ' ἐξ ἐμῶν ὄρχεσθ' ἄορ χεῖρας ἐμὰς λιπὸν βέλος, id eſt. Ille, inquit, clamabat, genæ meæ manus admovens. Filium obteſtor meum, geniſque meis pendebat: cum interea telum manus meas liquerit.

Quicquid in buccam venerit.

In Græcorum & Latinorum conſuetudine eſt dicere ſcribereve, quod in buccam venit: quod ſæpe à Gallis dicitur pro temere negligenterque loqui ſcribereve, nullo delectu ſententiarum habito. Plato libro octavo De repub. ἐκ στόματος ἐπ' αἰσχύλον ἔφη ἐρῶμεν, ὅτι νῦν ἦλθ' ἐπὶ στόμα. Plutarchus in commentario, quem inſcripſit ἐρωτικόν. Cum enim multum de vi ejus perturbationis diſputatum eſſet ...

ὁ τοῖσιν ἐν ἀρχῇ κακῶς ... [illegible] ... Dionyſ. vero Halicarnaſſeus in eadem ſententia explicanda, non γλῶσσαν, ſed γλῶσσαν, αἰτ. in lib. de compoſitione verborum: ... [illegible] ... (Sup. Eraſm. Quicquid in buccam venerit.)

Magis Phantaſticus quam Papa mula.

Hujus adagii frequentiſſimus eſt in Gallis uſus, in eos qui opinatione temerarii ſunt, præfracti, inſcientes, & opinioſi, quique voluntate, & non ratione ducuntur. Mula autem Papiſtica hic ſilentio prætereunda eſt, ne nobis calces incutiat. Mordax enim eſt, & calcitro, effrenis & indomitæ tarditatis. Nec eſt de genere ſterilium, ſed ſui generis in portentum coit & parit: nimirum Cardinales & variegatos Monachos, qui prodigii loco nunc omnibus habentur. De hac nihilominus, poſtea dicemus.

TEMPERANTIA.

ERASMI. *Catone moderatior.*

Ζήνωνος ἐγκρατέστερος, id eſt, Zenone temperantior. Teſtatur & Laertius in Zenonis vita Philoſophum hunc, tum in victu, tum in voluptatibus Veneris uſque adeo patientem ac parcum fuiſſe, ut crudis duntaxat veſceretur, ac pallio prætenui tegeretur. Unde & Philemon in comœdia taxat hominem, qui poſt panem obſonii loco caricis uteretur, aquam vini loco biberet, ac diſcipulos eſuriem doceret. Hinc & in vulgi ſermonem abiit, Zenone temperantior. Philemonis verſus apud Diogenem ex fabula, cui titulus Philoſophi, ſunt hujuſmodi:

> Εἷς ἄρτος, ὄψον ἰσχάδες, ἐπιπιεῖν ὕδωρ.
> φιλοσοφίαν καινὴν γὰρ οὗτος φιλοσοφεῖ
> πεινῆν διδάσκει, καὶ μαθητὰς λαμβάνει.
> Id eſt,
> Poſt panis eſum, cariceumque obſonium
> Aquam bibens perdurat inde ſimplicem,
> Novum enim Philoſophiæ celebrat hic genus.
> Docet eſurire, ac diſcipulos ita illicit.

Quanquam ſunt qui verſus hos Poſidippo tribuant, non Philemoni: velut idem admonet Laertius.

Philoſophari.

Qui ſententias ſerias dicunt, Græcis dicuntur φιλοσοφεῖν, quod aliquoties eſt apud Plautum. Hinc tranſlatum eſt ad cujuſcunque rei vehemens ac ſerium ſtudium. Sic uſus eſt Iſocrates in oratione De pace. Et Menander in Thraſileonte, φιλοσοφεῖ δὲ ... [illegible] ... id eſt: Hoc ſtudet ut conficiat nuptias. Philoſophari, pro temperare affectibus, & adverſus res acerbas infracto eſſe animo, frequenter uſurpat Chryſoſtomus, eamque animi moderationem appellat Philoſophiam: quibus vocibus apparet fuiſſe delectatos, & divum Baſilium & Gregorium Nazianzenum. M. Tullius lib. ad Atticum 2. Sed quid ego hæc, quæ cupio deponere, & toto animo atque omni cura φιλοσοφεῖν. Et alibi in iiſdem. Sed φιλοσοφητέον, ſentiens omnia æquo animo ferenda. Sic & Flaccus:

> ——— Atque mea me
> Virtute involvo ———

Aliiſque compluribus locis utitur in hunc modum ea voce, veluti l. 4. Vobis ἐμφιλοσοφῆσαι poſſum, hoc eſt, in amicitia veſtra ſic acquieſcere, ut reliqua negligam forti animo. Occurrit aliquoties & apud Plautum, ſi quid dicitur gravius ac ſententioſius. In captivis: Salva res eſt, philoſophatur quoque, jam non mendax modo eſt.

EX APPENDICE ERASMI.

Vento vivere.

Pro, vivere nullo impendio. Tractum à Siluro piſce, qui aura, ut ajunt, ſaginatur, & Chamæleonte. Juſtinian. Idem ſapit diverbium Gallicum, Vivre du vent.

IUN. *Muſicus apparatus.*

Μουσικῶς, id eſt, Muſicè, pro mediocri uſurpari, pluriſariam apud authores invenio. Damaſcius Syrius in hiſtoria quam de Philoſophis ſcripſit: ... [illegible] ... id eſt: Victum ſortitus eſt moderatum & frugalem, neque ob egeſtatem præparcum, neque propter opes diffluentem, ſed medium atque muſicum, pro fortunis vero temperatum, ad inſtar Doriorum modorum. Plutarchus in præceptis ſalubribus Timotheum Athenienſium ducem cœnaſſe dicit in Academia apud Platonem μουσικῶς καὶ λιτοδιαίτως i.e. Muſicam & frugalem cœnam, quod repetit idem in Sympoſ. 6. his verbis μουσικῶς καὶ ἀφελῶς, i.e. Tractavit illum muſice & abſq; gravi apparatu, nimirũ mediocriter. Similiter Athenæus libro decimo, ἑστιαθεὶς ἀφελῶς καὶ μουσικῶς, id eſt: Convivio acceptus mediocri & Muſico. Euphron. comicus ἅλας ... [illegible] ..., id eſt, Mediocri ſalis copia injecta. Huc referri puto illud Plauti in Moſtellaria, ubi ait: Muſice hercle agitis ætatem, ita ut vos decet: Vino & victu: piſcatu probo, electili, quum vellet innuere, mediam vivendi rationem illos ſequi, neque viles & minimi pretii, neque rurſus maxima dapibus victitando, ſed habito delectu media eligendo. Apud priſcos tria harmoniæ genera numerantur: inter quæ Lydios modulos ut luctui & funeralibus aptiores reſpuit Plato, quemadmodum & Jonicos ut ſolutiores & mollitie infames: Doricos laudat, ceu temperatis & modeſtis ingeniis congruos quibus perſimiles ſunt quos Æolios nominabant. Huc ſpectant Pratinæ Phliaſii Poetæ verſus, ab adagii ſenſu haud alieni:

> Μήτε σύντονον δίωκε, μήτ' ἀνειμέναν,
> Ἰαστὶ μοῦσαν, ἀλλὰ τὰν μέσαν νεῶν
> Ἀρουραν αἰόλιζε τῷ μέλει.
> Id eſt,
> Nec aſperum modum aut remiſſum Jonicum
> Sectare, ſed mediam tenens viam, melos
> Modulator Æolium.

Agreſtibus holeribus victitat.

De homine ſordido, qui ſuum defraudat genium, dictum eſt illud Pherecratis comici, in fabula cui ἄγριοι nomen, ἐν θρύμβοις ... [illegible] ... id eſt. Agreſtibus holuſculis ac carduis vivere, quumq; vehementer eſurierit, polyporum inſtar noctu digitos intus arrodere. Apud Athenæum male legitur pro ἐν τοῖς ... & θρύμβοις, pro θρύμβοις. Sunt autem θρύμβα & βράκανα teſte Heſychio, ἄγρια λάχανα, agreſtia quædam holera, τρόβιλοι vero cardui ſpecies. Poteſt etiam dici de homine egeno, qui omnis ſubſidii expers ad inhumana edulia adigitur. Porro quoniam iſtiuſmodi holera difficulter eluuntur, hinc Cratinus comicus proverbialiter dixit, quod intellectu arduum eſt, & ingenio ægre conſequi quis poſſit.

Dionyſium æquore mergendum.

Vetus eſt adagium, à vini cum aqua maris temperatura derivatum. Dionyſium æquore mergendum. Et Dionyſius hac de cauſa ad mare fugiſſe fingitur: quod apud Athenæum habemus libro decimo. Fingebant quoq; Poetæ, Delphinos maris beluas Libero patri ſacros eſſe, & dicatos Cum vero marina aqua adeo vino conferat, ut ea mixtum facilius conſervetur, rationem & Plinius & Dioſcorides alii tradidere. Columella ſcribit, hoc ſe ab agricola patruo didiciſſe. Hoc & piſcatoribus percelebre fuit, quod ſignificabat, vino marinam aquam affundi oportere: facit enim ea res defæcatius vinum, ſuavius, firmius & incorruptius, Id qui abſunt à mari conſequi putantur gypſo, ſi excuſſerint prius. Probatur autem ex Zacyntho præcipue. Hæc quoque temperatura maxime placebat antiquis, ut quinque vini cyathis duo adderentur aquæ, aut duobus unus. Vinum porro multa aqua diluendum ſignificant poetæ, quum Baccho plures addiderunt nutrices: quod hunc deum oporteat pluribus nympharum menſuris manſuefactum ac domitum, moderatiorem ac mitiorem reddere. Ponit vero & Heſiodus menſuram, qua ſit ad ſalubritatem bibendum:

> Τρὶς δ' ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέτρατον ἱέμεν οἴνου.
> Id eſt,
> Treis miſcebis aquæ parteis, ſit quarta Lyæi.

Et venuſtum admodum eſt epigramma Meleagri, quo à meraco ſalubriter exterremur:

> Αἱ νύμφαι τὸν βάκχον ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλατ' ὁ κοῦρος
> Νίψαν ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλινδόμενον.
> Τοὔνεκα σὺν νύμφαις Βρόμιος φίλος· ἢν δέ νιν εἴργῃς
> Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.
> Id eſt:
> Ardentem ex utero Semeles lavere Lyæum
> Naides, extincto fulminis igne ſacri.
> Cum Nymphis itaque eſt tractabilis: at ſine Nymphis
> Candenti rurſum fulmine corripitur.

Sicci homines.

Apud Plautum in Aſinaria, & Ciceronem in Academicis, Sicci homines proverbialiter dicuntur ſobrii. Sic in Afranii verſibus præcedentibus, ſicca, pro ſobria dicitur: ſicut contra Madidus & Madulſa, pro ebrio. Plautus in Amphitr. Faciam ut ſit madidus ſobrius, id eſt, efficiam, ut videatur ebrius, quum nihil biberit. Madulſa Plautus in Pſeud. à Græco μαδᾶν, vel quia madidus ſit vino. Plautus in Aſinaria: Sic cum frugi, continentem, amantem uxoris maxime. Idem in Pſeudolo. Vini modo cupidæ eſtis, quum ſim ego hic ſiccus. Cicero in Lucullo: Ea ſunt ejuſmodi, quæ à te diligentiſſime tractata ſunt dormientium, & vinolentorum, & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas quam vigilantium, ſiccorum ſanorum. Ita etiam Græca ξηρόν. Pindarus apud Plutarchum ... [illegible] ... Et Athenæus libro undecimo, ξηρὰν τροφὴν vocat abſtemiam, ... [illegible] ...

Vmbrorum convivium.

Vmbrorum convivia pro parciſſimis dicebant. Author, opinor, Plutarchus. Hinc Catullus:

Aut parcus Vmber, &c.

TEMPESTIVA.

ERASMI. *Dum virent genua.*

Nec illud caret proverbii ſpecie, quod eſt apud Theocritum in Thyonicho:

——Ποιεῖν τι δεῖ ἇς γόνυ χλωρόν

Id eſt,

Quando virent genua, tum aliquid faciamus oportet.

Studendum bonis literis, dum adhuc viget ingenium. Ducenda eſt uxor, ſed juveni. Conſimilem ad modum Horat.

——Dumque virent genua,

Et decet, obductæ ſolvatur fronte ſenectus.

Quanquam hæc ipſa figura, Genu viret, proverbialis eſt, quoties juventutem ſignificamus.

Nunc leguminum meſſis.

Νῦν ὀσπρίων ἄμητος, id eſt, Nunc leguminum meſſis, id eſt, nunc tempeſtivum, hoc aut aliud agere. Veluti ſi quis admoneat juvenem, nunc adeſſe tempus parandæ gloriæ, parandæ eruditioni, parandis opibus idoneum, dicat νῦν ὀσπρίων ἄμητος: Sumptum à ruſticis, qui tum maxime vigilant, nec ſinunt illud tempus per ocium perire. Recenſetur à Diogeniano & Suida.

Hernioſi in campum.

Κόκκυ ψωλοὶ πεδίονδε, id eſt, Coccy, hernioſi in campum. Ariſtophanes in Avibus refert proverbii loco. τοῦτ' ἄρ' ἐκεῖν' ἦν τοὔπος ἀληθῶς. κόκκυ, ψωλοὶ πεδίονδε. Quorum verborum hic ſenſus eſt: Hoc eſt vere quod proverbio dicitur, coccy, hernioſi in campum: ſubaudi, venite: quod hæc avis canit paulo ante meſſem, velut agricolas provocans ad laborem metendi. Vnde Heſiodus, ἦμος κόκκυξ κοκκύζει. Quod autem ψωλοὶ dixit pro agricolis, obiter taxavit Ægyptios, apud quos pleríque ſunt execti, qui omnes ad vocem cuculi coguntur eſſe in agris. Fingit enim, olim apud Ægyptios regnaſſe cuculum, priuſquam fieret avis. Quin hodie parum viri, & ob hoc uxores cum aliis habentes communes, vulgo cuculi vocantur. Alias annotavimus ex Horatio, cuculos à viatorib. appellari ſolere, qui tum demum veniſſent ad colendam vineam, quum auditus eſſet cuculus. Canit autem jam adulto vere: quia ſero prorepit e nido, quem ſibi parat ſub hyemem in cavis arboribus, exuens ſe plumis, atq; his ſeſe involvens, congeſtis in commeatum malis ac pyris. Interpres Ariſtophanis admonet eſſe proverbium, κόκκυ, ψωλοὶ πεδίονδε, quum ſegnes ipſum tempus provocat ad induſtriam.

Bæta tum hyeme, tum æſtate bona.

Βαίτη καὶ θέρευς καὶ ἐν χειμῶνι ἀγαθόν, id eſt, Bæta tum in æſtate, tum hyeme bona. Suidas, qui hujus adagii meminit, adſcribit Bætam veſtis pelliceæ genus, quod in utrumque tempus videatur appoſitum. Nam hyeme depellit ventos, æſtate Solem. Julius Pollux libro De rerum vocabulis ſeptimo, inter veſtes coriaceas meminit & bætæ: quam ait tunicam fuiſſe prælongam, quæ totum contegeret corpus. Convenit igitur de re ad multa uſui futura: veluti de literis, quæ juvenes juxta ac ſenes ornant: aut Philoſophia, quæ in rebus proſperis arcet ab inſolentia, in adverſis præſtat, ne frangamur animo.

Cum ceſſat boreas.

Ariſtoteles in problematis ſectione 27. problemat. 47. (juxta Theodori ſupputationem) teſtatur hunc verſiculum proverbio celebrem fuiſſe:

Ἀρχομένου τε νότου, καὶ λήγοντος βορέαο.

Id eſt,

Surgit ubi Notus exoriens, Boreaſque reſidit.

Quo ſignificabant tempus opportunum proſperæ navigationi. Subauditur enim πλεῖν, ſive πλεῖν, propterea quod Auſter minus vehemens oritur, deſinit autem per quam vehemens: diverſum accidit in Aquilone. Atque hujus rei Philoſophus cauſam admodum probabilem reddit: Nos enim inquit, ad Septentrionem potius quam ad Meridiem vergimus: & Aquilo flat à Septentrionibus. Auſter à meridie. Hinc fit, ut ille ſtatim vehementior proxima invadat loco, deinde vehementiam ſuam ad longius remotos transferat, propinquis ortui mitior. Hic è diverſo, ad Meridiem poſitos, primum urgeat: poſt, ubi præterierit, mitior ad nos veniat. Licebit & longius detorquere proverbium, nec id ſine gratia, ſi quando ſignificabimus tempus adeſſe commodum & aptum gerendæ rei: ut cum illo congruat, quod alibi poſitum eſt, Cum pluit, molendum.

Aliam ætatem alia decent.

Qui jam aliam ætatem ſignificabit, nec idem decere canum, quod juvenem aliquando decuit, uſurpabit illud ex eodem libro quanquam & alias iteratum.

Ἀλλ' ὅτε δὴ πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον.

Id eſt,

3 Verum ubi jam, canumque caput incanaque menta.

Noſce tempus.

Γνῶθι καιρόν, id eſt, Noveris tempus. Celebratur in primis inter 7. Sapientum apophthegmata, ac, ut alia pleraque, pluribus autorib. aſcribitur, à nullo non uſurpatum. Heſiodus:

Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.

Id eſt,

Obſervato modum, nam rebus in omnibus illud
Optimum erit ſi quis tempus ſpectaverit aptum.

Huc alludit Theocritus Idyllio λ.

Ἀλλὰ τὰ μὲν θέρεος, τὰ δὲ γίγνεται ἐν χειμῶνι.

Id eſt,

Verum alia æſtivo, atque hyberno tempore fiunt.

Quin & Iſocrates ad Demonicum ſcribit, Injucundum in omni re eſſe, quicquid intempeſtivum ſit. Adeo cunctis in negociis, plurimum habet momenti, temporis & opportunitatis obſervatio. Idem admonent Græcorum ſententiæ:

Θέμις γὰρ τὸ μικρὸν μέγιστον ἐν καιρῷ δοθέν.

Id eſt,

Vel maxima eſt puſilla res loco data.

Rurſus alia:

Καλὸν τὸ καιροῦ παντὸς εἰδέναι μέτρον.

Id eſt,

Res bella cuncti noſſe temporis modum.

Præterea Pindarus in Pythiis:

Ὁ δὲ καιρὸς ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν:

Id eſt,

Tempus pariter in omni re faſtigium obtinet.

Item illud Horatii:

Dulce eſt deſipere in loco.

Tantam vim habet opportunitas, ut ex honeſto inhoneſtũ, ex damno lucrum, ex voluptate moleſtiam, ex beneficio maleficium faciat, & contra: breviterq; rerum omnium naturam permutet. Hæc in aggrediundo conficiendoq; negocio præcipuum habet momẽtum: ut non ſine cauſa veteres videantur eam divinitate donaſſe, tametſi apud Græcos mas eſt hic Deus, appellaturq; καιρός. Ejus ſimulachrum ad hunc modum fingebat antiquitas. Volubili rotæ pennatis inſiſtens pedibus, vertigine quam citatiſſima ſemet in orbem circumagit, priore capitis parte capillis hirſuta, poſteriore glabra, ut illa facile prehendi queat, hæc nequaquam. Vnde dictum eſt, Occaſionem arripere. Ad quod erudite ſimul & eleganter alluſit quiſquis is fuit, qui verſiculum hunc conſcripſit:

Fronte capillata eſt, poſt hæc Occaſio calva.

Sed libet & Poſidippi ſuper hac re carmen adſcribere: quod quamobrem Politianus omittendum exiſtimarit, admiror. Eſt autem hujuſmodi:

Τίς πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. Οὔνομα δὴ τίς;
Λύσιππος. Σὺ δὲ τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσοὺς
Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
Ἡ δὲ κόμη τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ Δία, τἀξόπιθεν δ' εἰς τί φαλακρὰ πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά με ποσσὶν,
Οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
Τοὔνεχ' ὁ τεχνίτης με διέπλασεν; εἵνεκεν ὑμέων,
Ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Quos verſus nos ita vertimus, nõ quo cum Archetypo Græco certaremus, ſed craſſiore (ſicuti ſolemus) Minerva, planeque ex tempore: quod vel tacente me, carmen ipſum indicaverit, videlicet ut intelligi duntaxat poſſint ab his qui Græce neſciunt.

Quæ patria artifici? Sicyon quo nomine? nomen
Lyſippo dictum eſt, ipſe quis es? loquere.
Illa ego cuncta domans occaſio, cur age pinnis
Inſiſtis? volvorque ac rotor aſſidue:
Cur gemina in pedibus geſtas talaria? dicam,
Huc illuc volucrem me levis aura rapit.
Quid dextræ ſibi vult inſerta novacula? ſignum hoc
Quod quavis acie ſim mage acuta, docet.
Tecta capillitio facies quidnam admonet? illud,
Quiſque uti me, quoties offeror, arripiat.
Cur autem capitis pars poſticaria calvet?
Quem ſemel alatis præterii pedibus,
Is quanquam volet inde cito me prendere curſu,
Haud liceat, ſimul ac vertero terga viro.
Hac itaque, idque tua me finxit imagine cauſa
Hoſpes, ſcalptoris ingenioſa manus.
Spectandamque domus hic prima in fronte locavit:
Scilicet ut cunctos & moneam & doceam.

Non abs re fuerit & Auſonianum epigramma ſubſcribere: quod, ut admonet Politianus, è Græco videtur effictum, quanquam cum aliis nonnullis diverſum, tum illo potiſſimum nomine, quod hic additur pœnitentia comes. Carmen ſic habet:

Cujus opus? Phidiæ, qui ſignum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit. tertia palma ego ſum,
Sum dea, quæ rara, & paucis occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? ſtare loco nequeo.
Quid talaria habes? volucris ſum. Mercurius quæ
Fortunare ſolet, trado ego cum volui.
Crine tegis faciem? cognoſci nolo. Sed Heus tu
Occipiti calvo es? ne teneat fugiens.
Quæ tibi juncta comes? dicat tibi. Dic rogo, quæ ſis?
Sum dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit,
Sum dea quæ facti, non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet, hanc retinet quos ego præterii.
Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

Capra ad feſtum.

Αἲξ εἰς τὴν ἑορτήν, id eſt, Capra ad feſtum. Dici ſolitum, ubi quis in tempore ad negocium aliquod accederet: aut ubi quis commode in ſuam perniciem offert ſeſe. Nam in feſtis maxime Bacchi, capram immolabant. Refertur ab Athenæo.

Munus exiguum, ſed opportunum.

Cum munus indicamus, pretio quidem perpuſillum, ſed tamen accipiendi pro tempore gratiſſimum (veluti ſi quis panem porrigat de vita periclitanti) citabimus illud ex eodem libro:

——Δόσις δ' ὀλίγη τε φίλη τε:
Id eſt,
Exiguum munus, gratum tamen.——

Idem carmen extat in ξ.

Audi chelidonem.

Εἶδον χελιδόνα, id eſt, Audivi chelidonem: id eſt, in tempore curato tua negocia. Quidam a Theologo quodam ortum autumant, cui nomen Chelidoni. Nam ajunt huic fuiſſe morem, obſervatis prodigiis colligere rerum exitus. Atque hujus opinionis autor citatur Mnaſeas Patrenſis, ἐν τῷ περίπλῳ. Nonnulli malunt ad avem hirundinem referri, quod ſtridula ſit avis ac lugubris, ſive quod veris prænunciet adventum.

Oleum & ſalem oportet emere.

Τοὔλαιον καὶ τοὺς ἅλας δεῖ ὠνεῖσθαι, id eſt, Oleum & ſalem oportet emere. Refert adagium hoc Ariſtoteles Rhetoric. lib. 2. tractans de locis & enthymematis. Proponit autem hujuſmodi exemplum antiſtrephontis. Sacerdos quædam diſſuadebat filio, ne quando verba faceret apud populum. Nam ſi injuſta ſuaſeris, inquit, deos habebis iratos: ſin juſta, homines. Id hoc pacto ἀντιστρέφει id eſt, reciprocat filius: Imo expedit orationem habere apud populum. Quandoquidem ſi juſta dixero, dii me amabunt: ſi injuſta, homines. Atq; hujuſmodi genus argumentationis, conſine putat proverbio quo jubemur, oleum ac ſalem emere: ταυτὶ δ' ἐστὶ ταὐτὸ τῷ λεγομένῳ τὸ ἔλαιον πρίασθαι καὶ τοὺς ἅλας, id eſt, Hoc autem idem eſt cum eo quod dici ſolet, oleum emere & ſalem. ſignificans opus eſſe nonnunquam remediis contrariis, nunc acrimonia, nunc lenitudine. Sal enim mordet ac ſiccat: oleum lenit ac humectat. Sic medici oleum addunt ſali, ne plus ſatis erodat: & qui ſapiunt, admonitionis acrimoniam bonis verbis leniunt. Non me clam eſt, in æditione Aldina, pro ἔλαιον haberi ἔλεον: quaſi ex eodem dicto colligi poſſit & malum, & mali remedium, ſed quid ſolet vulnus emere?

Jovis tergus.

Διὸς κῴδιον, id eſt, Jovis tergus. De re ſordida quidem, ſed tamen in uſum aliquem ſervata. Nam olim victimæ pellem ſervabant in pompis Eleuſiniis circumferendam, vel ſubſternendam pedibus eorum qui piaculo quopiam tenebantur ad expiationem.

Nihil homini amico eſt opportuno amicius.

Gratiſſimum eſt officium, quod præſtatur in tempore. Contra intempeſtivum officium, plerumque moleſtum eſſe ſolet. Plautus:

Nihil homini amico opportuno amicius.

E diverſo nihil differt ab inimicitia, intempeſtiva benevolentia.

Domi Mileſia.

Οἴκοι τὰ Μιλήσια, id eſt, Domi Mileſia. In eos dici ſolitum, qui ibi domeſticum luxum celebrant, ubi minime probatur. Nam domi liberum eſt unicuiq; ſuo more vivere Hoſpitis autem eſt, ut eorum apud quos diverſatur, & cultum & mores tum laudet, tum imitetur, quoad poteſt: certe ſua non jactet, aliena damnans. Id quod facere ſolent quidam homines imperiti, qui quocunq; terrarum venerint, omnium omnia vituperant, ſua nimis importune laudibus tollunt, etiam vitia pro ſummis virtutibus efferentes. Refertur adagium ab Angelo Politiano in Miſcellaneis: additque inde natum, quod olim Mileſio cuidam hoſpiti, cum apud Lacedæmonios delicias patrias extolleret, ad hunc modum reſponſum fuerit: οἴκοι τὰ Μιλήσια, ἐνθάδε γὰρ οὐδέν, id eſt, Domi, non hic Mileſia. hujus ſententiæ citans autorem Zenodotum quendam adagiorum collectorem. Feruntur quidem Zenobii cujuſdam collectanea, quem an ille Zenodotum appellet, nondum ſatis mihi liquet: verum in his Collectaneis hujuſmodi quandam invenio fabulam, quam eandem refert Suidas. Ariſtagoras quidam Mileſius Lacedæmonem profectus, poſtulabat ut Jonibus à Perſis bello vexatis ſuppetias ferrent. Is autem cum in concionem prodiſſet, inſolita apud Lacedemonios veſtitus munditie, aliiſq; deliciis Jonicis affluens, quidam ex Ephoris cum hoc dicto ſubmonuiſſe fertur, οἴκοι τὰ Μιλήσια, id eſt, Domi Mileſia. Porro Ephorus Lacedæmoniorum eſt Magiſtratus, cujus munus eſt de contractibus cognoſcere: ut autor eſt Ariſtoteles 3. lib. Politicorum, alioqui vox ipſa ſonet, quaſi dicas inſpectorem. Cæterum Athenæus lib. 12. cauſam adagionis ſecus narrat: nempe Mileſios luxum Colophoniorum imitatos, morbum ſuum finitimis etiam regionibus tradidiſſe. Hoc nomine cum male audirent, ſeſe admonebant, ut domi ſuis deliciis uterentur, non etiam traducerent. Effertque proverbium ad hunc modum οἴκοι τὰ Μιλήσια καὶ μὴ χὠρῃ, καὶ μὴ ἐν μέσῳ, id eſt, Domi Mileſia, ac vernacula, non in propatulo. Ut autem Lacedæmoniorum ſeveritas multorum literis eſt celebrata, ita Mileſiorum luxus in hominum ſermonem abiit: adeo ut quicquid molle, parumque virile velint intelligi, Mileſium appellent. Unde Ariſtides quidam libro ſuo, fabulis obſcœnis ſcatenti, titulum indidit, Μιλησιακῶν. Et Lucianus in Amoribus, ſermones amatorios laſcivos, Mileſios vocat. Martianus Capella, Nam certe, loquit, μῦθους Poeticæ etiam diverſitatis delicias, Mileſiacas. Quin & Apuleius ſub carmine jambico, quo aſinum ſuum auſpicari voluit, demulcentes, & prurientes narrationes ſuas, ſermonem Mileſium vocat. Julius Capitolinus in vita Clodii Albini: Mileſias, inquit, nonnulli ejus dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter ſcriptæ ſunt. Et hæc de fabulis Apuleianis dici, teſtantur ea quæ paulo poſt citat ex epiſtola Severi: Major fuit dolor, quod illum pro literario laudandum duxiſtis, cum ille næniis quibuſdam anilibus occupatus, inter Mileſias Punicas Apuleii ſui, & ludicra literaria conſeneſceret. Hactenus Capitolinus. Quod autem ſui Apuleii illuc pertinet, quod & Albinus ipſe, itidem ut Apuleius, Afer eſſet. Cæterum præcipua Mileſiorum mollicies in veſtitu, propterea quod apud illos texta eſſent omnium molliſſima. Unde & Tyrius Maximus Mileſios ἀβροδιαίτους vocat, nimirum à cultus elegantia. Et Vergilius in Georgicis delicatiſſima vellera, Mileſia nominat Horatius item:

Alter Mileti textam, cane peius & angue
Vitabit chlamydem.——

Veſtem molliculam parumque ſeveram ſignificans. Ariſtophanes in Ranis. στρώμασι Μιλησίοις ἀνεστραμμένος, id eſt, Stragulis Mileſiis involutus. Horum meminit & Theocritus, & complures alii ſcriptores. Sed ad intelligendum adagii ſenſum, jam plus ſatis. Alluſit ad proverbium Euripides in Helena:

Οὐκ οὖν ἐκεῖ μὲν λαμπρὸς ἦσθ', οὐκ ἐνθάδε.
Id eſt,
Magnificus illic forte eras, non hic item.

Alluſit & Antiphanes apud Athenæum libr. 4. his quidem verbis:

[illegible]
Γίγνου λακωνικὸς τρόπους καθαπερεί
Ἐπὶ βάδιζ' εἰς τὰ φιδίτια.
Ἀπόλαυε ζωμοῦ, καὶ φέρε τὰς βύστακας.
Μὴ καταφρόνει, μηδ' ἕτερ' ἐπιζήτει καλά.
Id eſt.
Quando agis apud Lacedæmonem,
Vivas oportet moribus Laconicis.
Cœnatum eas in phiditia Laconica,
Nigro fruare jure quod ibi apponitur,
Geſteſque byſtacas, cave contempſeris
Quicquam, bonive aliud requiras inſuper.

Phallus deo.

Φαλλὸς τῷ θεῷ, id eſt, Phallus Deo. Dici ſolitum, ubi parum quidem honeſta, ſed tamen apta tribuuntur: quaſi dicas, ἐνουρεῖν εἰς ἀμίδα, id eſt, In matellam immeiere. Plutarchus in commentario περὶ τῆς φιλοπλουτίας, oſtendit hanc fuiſſe priſcorum in ludis ſolennibus pompam, ut primo loco duceretur amphora vini, & clematis, id eſt, fabæ genus: poſt aliquis hircum trahebat: deinde nucum ſportulam geſtabat alius: poſtremo loco Phallus ferebatur. Ea erat effigies obſcœni membri virilis. Cur autem id in myſteriis fuerit receptum, cauſam reddit Plutarchus in libr. De Iſide & Oſiride. Columella in carmine ipſum Priapum Ithyphallum vocat.

——Sed truncum forte dolatum
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

Et Pompeius oſtendit, Ithyhpallum dici membrum viri pudendum, Unde & hodie Itali, ſi quem contemnunt, hoc nomine notant. Nonnulla de Phallis Herodotus lib. 2. Dictum eſt alibi de Phallis Bacchi, nempe in proverbio, Erebinthius Bacchus.

Sacra hæc non aliter conſtant.

Sacra hæc non aliter conſtant. Hoc adagio licebit uti, ſi quando fatebimur culpam, ſed quæ rei locove conveniat: veluti ſi quis in balneis agat impudentius aut ruſticius in navi, aut in compotationibus ebriorum intemperantius, aut inter mulierculas ineptius, aut inter aulicos diſſimulantius, aut inter ſophiſtas loquacius, aut

tius, aut apud populum adulantius. Auſonius nuptialis Centonis excuſans licentiam: Etenim fabula eſt, inquit, de nuptiis, & velit, nolit, ſacra hæc aliter non conſtant. Sumptum à ſacris, quæ certis quibuſdam ceremoniis peraguntur: de quib. ſi quid demtum eſt, piaculum admiſſum putetur. Plutarchus in comment. De audiendis Poetis. θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν. id eſt. Sacra enim abſque choris ac tibiis novimus; non novimus autem abſque fabula ac mendacio poeſim.

IVN. *Comicus teſtis.*

Cicero Epiſtol. familiar. 2. lib. Mea vero officia ei non defuiſſe, tu es teſtis, quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accedit Phania, ita enim cum Camerario lego, niſi mavis, accedit. Nam vulgatum, accidit minime placet. Illud quin proverbialiter dictum ſit, nemo omnium addubitat: ſed in explicatione diſcrepant calculi. Cælius Calcagninus exiſtimat Comicum teſtem dici eum, qui ſe obtulerit non acceſſitus neque voluntarius, ſed fortuito & inexpectatius ad ſummovendam dubiæ rei difficultatem, propterea quod Phania Appii libertus opportune admodum, ſed repentino ſe obtulerit iis rebus quæ in laudem Appii à Cicerone gerebantur. Quam quidem expoſitionem probare mihi non poteſt: quum Phania libertus non potuerit tam inſperatus advenire teſtis, ut nedum in uno, ſed in pluribus (quod indicant Ciceronis verba) officiis, quibus Appium demereri orator ſtuduerat, præſens & oculatus, imo lateri quodammodo adſiduus, adeſſe teſtis debuerit ſi hero fidelis operę verum teſtimonium delaturus eſſet. Propius aliquanto ad ſcopum collimat Antiquarum lectionum autor, qui faceti & lepidi ingenii hominem deſignari putat, eo quod tales introducat fere Comœdia. Ioachimus Camerarius ſummæ eruditionis vir, & Germaniæ φωστὴρ, arbitratur accipi poſſe de glorioſo teſte, vel faceto, aut ad teſtificationes prompto: in quo poſtremo facile illi acceſſero. Petrus Victorius proferri adagium annotat de his, qui mendacium ficto aliquo teſte confirmare volebāt. Quo ſenſu accipi poſſe videtur à Polybio hiſtorico apud Suidam. ὁ δ᾽ ἵνα πίστιν φαίνηται τὴν αἰσχρολογίαν καὶ τὴν ἄλλην ἀναισχυντίαν καὶ ἀσυρματί ψεύδεται ἀνδρὸς, κωμικόν τινα μάρτυρα ἐπεισάγει ἀνώνυμον, i. e. Ille ut ſuis conviciis & reliquæ impudentiæ fidem aſtrueret, etiam mendacio virum aggreſſus eſt, Comicum quendam teſtem adducens innominatum. Ex quo loco manifeſtum fit κωμικὸν μάρτυρα id eſt, Comicum teſtem dici levem, & ad dicendum teſtimonium facilē atq; obvium, quod ejuſmodi ferme teſtium opera, è media ſervitiorum fæce, uti ſoleat Comœdia apud lenones & meretrices. Nō illepide aut citra Atticam venerem, κωμικὸν μάρτυρα vocari etiam poſſe autumo, teſtem familiarem & domeſticum quaſi compulonem, qui quod eum menſa & conviviorum lautitia dignemur, cauſæ noſtræ addictior eſſe, nobiſque operam dare debeat: à κῶμος, qua voce comeſſatio & convivatio quædam ſignificatur.

In agrum ſervus.

Εἰς ἀγρὸν μάνης. id eſt. In agrum famulus. Conveniet dici, ubi quid utiliter & appoſite ſuo loco fit. Nam famuli opera in agris neceſſaria eſt. Varinus ex Heſychio tranſcripſit. Eſt autem μάνης ſervile nomen: unde & ad ſignificationem larvæ æneæ transfertur, μαντικὴν χαλκοῦ αὐτόματον, ut annotat Euſtathius. Quadrabit item, ubi ſignificare volumus, ſuam cuique artem eſſe tractandam, non in alienā involandum: veluti theologus ea quæ ſacras literas reſpiciunt, medicus morborum curationes, fabri tractent fabrilia, ſic ruſticum opus verna exerceat.

Agnum demetere.

Ἀρνίον θερίζειν, id eſt, Agnum demetere: proverbium citat Euſtathius Odyſſ. 9. efferrique annotat. ἐπὶ τῶν διὰ λιμὸν ... τιμωρουμένων. de his qui ad pœnam conniveut, mulctamque in commodum tempus differunt: occaſione adagii petita ab agnis, qui primo vere inutiles lanitio relinquuntur, aſſervanturque in æſtatem ad idoneum tondendis lanarum villis tempus. Quadrabit, quando ſilentio prætermittimus quippiam, data occaſione opportuniore loco ac tempore diſertius de eo prolixiuſque acturi.

Vitex floret & botrus maturuit.

Ἥβη ἄγνος ἀνθεῖ, καὶ ὁ βότρυς πεπαίνεται.

Id eſt,

Flos vitice exit, & botrus maturuit.

Plutarchus libro 2. Sympoſ. ubi de remora piſce agit, oſtendit verſiculum hunc vulgi ſermone tritum fuiſſe, quando addit τοῦτο δὴ τὸ λεγόμενον, id eſt, quod dici ſolet: ſed uſum non addit neq; originem adagii. Uti eo non intempeſtive licebit, quando indicabimus tempus eſſe, ut juvenis maturi ingenii ſpecimen edat. ἄγνος eſt, quam ſalicem Amerinam & viticem Latini nominant, cujus frondes thori loco ſubſtratæ, veneris impetum cohibere creduntur: unde illi & nomen à ſterilitatis argumento, quaſi ἄγονος. hoc eſt, geniture inimico.

IOAN. VLP. *Mappam mittere.*

Mittere mappam, eſt certaminis incipiendi ſignum dare: in qua ſententia Suetonius in Nerone uſus eſt. Vide ſupra Junii, Quaſi mappa miſſa.

Plus dat qui in tempore dat.

Etiam vulgatum eſt hoc. Juſtin. libro ult. tit. de fidejuſſ. Non ſolum autem in quantitate, ſed etiam in tempore minus aut plus intelligitur. Plus eſt enim, ſtatim aliquid dare: minus eſt poſt tempus dare. Simile eſt ei quod Seneca dicit in prologo Declamationum: Scio quam ſit odioſa res Circenſibus pompa. Idem eo alluſit lib. 2. De beneficiis: Qui beneficium non reddit, magis peccat quam qui non dat citius. Idem libr. 2. De ira, cap 10. Non lento adjutorio opus eſt. Vetulus:

> Munera des lætus, corrumpunt tædia donum.
>
> Idem:
>
> Qui cito, qui belle negat, is tribuiſſe videtur
>
> Munera: nam ſemper eſt odioſa mora.

Solom. Prov. c. 3. Ne dicas amico tuo, Vade & revertere, & cras dabo tibi: cum ſtatim poſſis dare. Sic a Gallis exprimitur:

> Qui toſt donne, deux fois donne.

Huc refer illud e ſuperiorib. apud Eraſm. Gratia quæ tarda eſt, &c.

Κωμικὸς μάρτυς.

Qualis in fabulis comicis inducitur, hoc eſt, ſubitus atque importunus. Tales enim illic inducuntur, ut quum res poſtulat alicujus teſtimonium, repente ipſe appareat, præſtoque ſit tempori illi, Cic. lib. Epiſt. fam. 2. ad M. Cœlium: Mea vero officia ei non defuiſſe, tu es teſtis, quoniam κωμικὸς ὁ μάρτυς accedit Phania, (Lege ſup. Junii Centu 4. prov. 79. Comicus teſtis, ubi explicationem hanc Chalcagnini reprehendit, & meliorem adfert ex Victorio & Camerario.)

Servi comici.

Eadem quoque ratione videntur vocari à Plauto in Captivis, cum Ergaſilum paraſitum ita induxit loquentem: Nunc certa res eſt, eodem pacto, ut comici ſervi ſolent, conjiciam in collum pallium, primo ex me hanc rem ut audiat. necnon à Pomponio in præcone poſteriore. hæc enim ipſius verba, inde ſumpta, exempli loco ponuntur à Nonio: Si ſciam quid velis, quaſi ſervi comici commictilis, id eſt, compoſiti.

Mulieres ſcenicæ.

Afranius etiam in Emancipato, cujus teſtimonium à Nonio citatur, videtur idem ſecutus, à locoque in quo fabulæ ipſæ ſpectantur, formato nomine, appellaſſe mulieres ſcenicas, inquit enim, Quam beatæ ſcenicæ videntur mihi mulieres, quæ jurgio & benevolentia terreat de ſubito viros.

Aprilis piſcis.

Gallymœchum Aprilem piſcem nominant: quoniam menſe Aprili ſcombri, quos macquerellos recentior ætas appellavit, maxime ſunt in deliciis.

Λέγειν καίρια.

Æſchilus in tragœdia, quam inſcripſit ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, hoc modo loquendi duobus in locis uſus eſt, pro ſententias utiles ſapienteſq; edere: illæ namq; opportunæ ſunt ac tempori aptæ: κρᾶτος πολίταις χρὴ λέγειν τὰ καίρια. Alibi in eadem fabula: φιλεῖ δὲ σιγᾶν ἢ λέγειν τὰ καίρια. Idem in Cœphoris: σιγᾶν θ᾽ ὅπου δεῖ καὶ λέγειν τὰ καίρια.

Prius panis, quam claſſis.

Navale dicterium communi ſermone uſurpatum: qualia videmus vulgo ſingulis prope artificibus ſua eſſe, quæ non omnes alii intelligant. Demades apud Plutarchum in Cleomenis vita, Athenienſibus deducere naves & inſtruere claſſem jubentibus: Prius inquit, panis pinſendus eſt, quam de prora dicendum. i. Oportet prius quam proræ & clavo perficiantur rectores, & claſſis inſtruatur, de commeatu & ſumptibus conſtare.

Recte & ordine.

Locutio antiqua, quæ hodie adhuc retinetur. Græci ὀρθῶς ἔχων dicunt, & τεταγμένως. Cicero in Verrem: Recte atque ordine e republica factum. Budæus De contempt. rer for. lib. 3. Recte atq; ordine mores ad libram rationis perpendentibus. Idem Friſco: Quibus quum ipſis ex æquo bonoq; vivere quaſi ſuis legibus, ab initio rerum recte & ordine conſtitutarum datum eſſet.

Acroamata.

Acroamata, ſignificatione metaphorica dicuntur homines feſtivi, ἀκροάματα recitantes: hoc eſt, feſtivas & jucundas & auditu dignas ſententias vel narrationes, aut memoriter dicentes ſuper cœnam & prandium. Hinc Budæus Longolio ſcribens feriatarum horarum acroamata vocat homines, quos principes adhibere ſolent, cum ferias res acturi ſunt, non ſolum eum oblectari volunt fabula mentis. Sic Cicero pro Sextio: Ille ipſe Ludius (inquit) non ſolum ſpectator, ſed actor & acroama idem in Verrem 6 Hic quaſi feſtivum acroama, ne ſine corollario diſcederet, ibidem emblemata avellenda curavit convivis ſpectantibus. Ita autem dicitur acroama, quod ad verbum auditionem ſignificat, ſed auſcultationem ludicram, aut etiam ſcurrilem, ab audiendo: ut thema, id eſt, ſpectaculum à ſpectando. Sed à noſtris plerumque pro feſtiva & jucunda narratione, ludicraque recitatione accipitur: ut apud Cicer. pro Archia. Cum à Themiſtocle illo ſummo Athenienſium viro quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem libentiſſime au-

diret: Ejus, inquit, à quo ſua virtus optime prædicaretur. Acroama pro voce poſuit, dicto, & narratione Sic Budæus lib. 2. De contemptu rer. fortuit. Huic quieti humanæ ſolicitatoria acroama nullum jucundius eſt, quam hominis quiritatio. Suetonius de Auguſto ſcribit, Acroamata, hoc eſt, narrationes recitationeſq; ludicras & mimicas ab Auguſto interponi ſolere conviviis ad convictores obleſtandos. Lampridius in Alexandro, Alexandrum nanos, moriones, & omnia acroamata, & pantomimos populo donaſſe ſcribit. Similiter Plinius in Epiſt. Interdum, inquit, cupiebamus acroamata, interdum jucundiſſimis ſermonibus nox ducebatur. Cornelius Nepos in vita T. Pomponii Attici: Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit quam anagnoſten, quod nos quidem jucundiſſimum arbitramur: neque unquam ſine aliqua lectione apud eum cœnatum eſt: ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur. Prudentius [illegible] hymno 2. Acroama feſtivum fui.

In numerum.

In numerum moveri dicuntur proverbialiter, qui numeroſe, apte, & compoſite moventur. Lucretius lib. 2.

Armati in numerum pulſarent æribus æra,
Eodem libro:
——— In numerumque exultant ſanguine læti.
Iterum eodem libro:
Quod ſupereſt, non eſt mirum ſimulachra moveri,
Brachiaq; in numerum jactare, & cætera membra.
Idem lib. 4.
Quid porro in numerum procedere cum ſimulachra
Cernimus in ſomnis, & mollia membra movere
Mollia mobiliter? &c. ———

Translatio ducta eſt à ſaltatoribus, quorum motus & ſaltatio certis legibus ac numeris conſtabat. Ex quo hujus contrarium eſt, Extra numerum: quod valet, inepte, inſipienter, inconſiderate, temere. Idem Lucretius lib. 5.

Atque extra numerum procedere membra moventem
Duriter & duro terram pede pellere matrem.

Horatius lib. 1. epiſt. ad Lollium, Epiſt. 2.

Quam vis nil extra numerum feciſſe modumque,
Curas. ———

Virgil. l. 4. Georgic. de Cyclopibus

Illi inter ſeſe magna vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe ferrum.

Idem in Sileno, eclog. 6.

Tum vero in numerum Faunoſque, feraſque videres
Ludere. ———

Hoc loquendi genere uſus eſt Virgilius ſex locis. Ciceroni vero uſitatum fuit, extra numerum, & extra modum: quod valet, ſine modo, non ſervato modo. Paradox. [illegible]. Hiſtrio ſi paulo ſe movit extra numerum, aut ſi verſus pronunciatus eſt ſyllaba una brevior, aut longior, exſibilatur & exploditur. Idem De orat. ad Q. Fratrem: Vox extra modum abſona. Numerus autem ad ῥυθμόν, ſeu metrum refertur: modus ad cantum, ut Horat. de arte Poet.

Acceſſit numeriſque modiſque licentia major.

In modum autem, valet modulate: non numeroſe, ſeu ἀῤῥύθμως. Quo genere loquendi uſus eſt Catull. in nupt. Juliæ & Manlii.

Hyberno poluere, verno luto mete.

Dionyſius l. 2. oſtendit vetus hoc carmen.

Hyberno poluere, verno luto grandia farra Camille metes.

Quod Cato expreſſit his verbis: Agro ſicco per ſementem, agro læto per ver. Plutarchus in quæſtionibus naturalibus ſimile refert proverbium: [illegible] Nempe hæc quæſtio pendebat e ſuperiori: [illegible]

Surgere jam tempus.

Vel à ſomno & lecto, vel à menſa. Catullus in Nuptial.

Veſper adeſt, juvenes, conſurgite. ———
Surgere jam tempus jam pingues linquere menſas.

Sic multum tempus præteriiſſe ſignificabant. Virg.

Et jam tempus equum fumantia ſolvere colla.

Cum hora nona accubuiſſent, & ad horam ferme duodecimam convivium produxerant.

Nulla ætas ad diſcendum ſera.

Ambroſius Valentiniano Auguſto imperatori contra Symmachum. Non erubeſco cum toto orbe longæva converti. Verum certe eſt, quia nulla ætas ad perdiſcendum ſera eſt, Erubeſcat ſenectus, quæ emendare ſe non poteſt. Non annorum canities eſt laudanda, ſed morũ. Nullus pudor eſt, ad meliora tranſire ipſe Symmachus: Sera & contumelioſa eſt emendatio ſenectutis. Cato cenſorius, Fabio Quintiliano authore, idem orator, idem hiſtoriæ conditor, idem rerum ruſticarum peritiſſimus fuit: & inter tot operas militiæ, tantas domi contentiones, rudi ſeculo literas Græcas ætate jam declinata didicit.

Secunda navigatio.

Idem libro 9. Gratioſus quidem erat, hominem mendacii, ſimulationis, luxus & ſuperbiæ omnis inexpertum mori. Secunda (ajunt) navigatio eſt, ſatietate horum affectum, ante migrare è vita, quam illa vitia probare.

Ver ætatis.

Ver ætatis, Callimachus in hymno in Delon, & Pomponius Macer proverbialiter dixiſſe videntur. Catull. ad Mallium cum dicit.

Jucundum cum ætas florida ver ageret:

apte & eleganter expreſſit Homericum hoc, quo uſus eſt Plato in Protagora. τὴν ἥβην, καὶ τὴν ἀκμήν. Seleria apud Stobæum dixit, [illegible]. Et Ovidius.

Ætatis breve ver. ———

Ver agere, etiam dixit Vergilius.

——— Ver magnus agebat
Juppiter.

Paludem & ſalinas emere oportet.

[illegible] Quærenda bona aliquando ſunt quamvis non omnino careant incommodo. Natum fortaſſe ab eo, qui cum ſalinas venales haberet, in quibus erat palus, ſalinas alienare ſine palude ut vellet, induci nullo pacto potuit. Ita Franc. Luſinus Parergon 1. ver. codice & exemplari Veneto caſtigat, & explicat id, quod eſt in Chiliad. adag. Oleum & ſalem emere oportet.

IVN. *Quaſi mappa miſſa.*

Mappam mittere, pro ſignum dare, uſurpaſſe videtur Tertullianus libro adverſus Valentinianos: Quanto, inquit, meliores, qui totum hoc tædium de medio amolirs, nullum æonem voluerunt alium ex alio per gradus revera Gemoniis ſtructum, ſed mappa (quod ajunt) miſſa, ſemel octo jugum iſtam ex patre & Ennæa ejus excluſam, hoc eſt, velut edito quopiam ſigno. Eſſe autem proverbium, indicat addita clauſula, Quod ajunt. Alluſum ad morem Circenſibus ludis receptum, quo mappa tragœdis uſitata à Prætore demittebatur, in ſignum aurigationis aut certaminis. Sic etiam Nero aurigationis ſtudio impenſe deditus, rudimentum artis ſuæ exhibuit, liberto aliquo mappam mittente, ut Suetonius commeminit. Morem mittendæ mappæ indicat Martial. lib. 12. Epigrammatum.

Cretarum prætor quum vellet mittere mappam,
Prætori mappam ſurripit Hermogenes.

Meminit & Juvenal. ſatyr. 11.

Interea Megaleſiacæ ſpectacula mappæ.

Tibi ipſe calendas edicito.

Σεαυτῷ νουμηνίας κηρύττει, id eſt, Tibi ipſi novilunii diem aut calendas edicito. Licebit uti, quum alicujus arbitrio permittimus quippiam, ut pro ſuo jure ſtatuat quod velit. Apparet olim quum penes ſacerdotes jus omne eſſet intercalandi, ab iiſque petenda eſſet feriarum omnis ratio, conſuetudinem fuiſſe receptam, ut præconis publici voce in vulgus ederetur initialis cujuſque menſis dies, quem feriatum habebant. Eſt autem νουμηνία novilunio dicatus dies menſis auſpex. Fit hujus adagii mentio apud Heſychium: & indicat natum à Cæi inſulæ incolarum conſuetudine, ubi pro libito ferias ſibi quiſque deligebat, incerta & confuſa dierum feſtorum ratione.

BRASSICANI.

Tunc canunt cycni, quando tacuerint graculi.

Baſilius magnus in Epiſtola ad Celeuſium: [illegible]. Proverbio locus eſt, cum doctis opportunum eſſe, ut de bonis rebus, quam poſſunt erudititiſſime diſſerant, quando imperitis prius tanquam aqua & igni interdictum [illegible], ne loquantur. Ejuſmodi diſſimilitudinem plures proverbiales formulas Auſonius ad Paulinum eleganter expreſſit.

Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
Si confers fulicas cycnis, & aedona parræ,
Caſtaneis corylos æques, viburna cupreſſis.

COGNATI. *Prope eſt.*

Pro quaſi fere eſt. Albericus interpretatus eſt. Papinianus l. 39. tit. de mortis cauſa donationibus, cap 41. Et quod ab alio, nomine ipſius, præſente eo datur, prope eſt, ut ab ipſo datum intelligatur. Multa hujus generis ſæpe ad moleſtiam uſurpant Juriſconſ. ut, pene eſt, parum eſt, prope eſt, & ſimilia: quæ tamen in pleriſque libris plerunque mutata ſunt: & Haloander apud eundem Papinianum ſubſtituerat, propriè eſt.

Horis conſecratus.

Quicquid venuſtum gratum, & tempeſtivum veniret, id Horis conſecratum ferebant. Proverbiale igitur de re valde venuſta & jucunda eſt: quod idem in Thyrſide. poculum Horarum in fontibus collutum eſſe dicit: [illegible]

Sua cuique rei tempeſtivitas.

Cum omnia ſuo tempore fiant, & hic quæratur, quid ſit bonum, videndum eſt, ne id alieno tempore quæratur, ut enim inquit Eccleſiaſtes

cleſiaſtes c. 3. aliud ferendi, aliud metendi, &c. ſic aliud felicitatis, aliud infelicitatis tempus eſt. In hac vita, tempus eſt miſeriæ, quod ſi quis in ea bonum quærit, perinde facit, ac velit ſementis tempore metere. Expectanda meſſis eſt hoc eſt futura vita: in qua non, ut in hac, pro jure regnabit injuria, ſed ſola dominabitur juſtitia & veritas, ſublatis erroribus: Sed vitam illam non curantes, voluptati indulgent. Vulgo ita fertur, Omnia tempus habent. (Hoc cum aliis ſuperioribus confer, Noſce tempus: &, Aliam ætatem alia decent.)

Ἔντικα δὴ μάλα.

Demoſthenes dicere ſolet, *Ἔντικα δὴ μάλα*, pro eo quod Latinis uſu tritum eſt, Primo quoque tempore. Cum primum fieri poſſit. Sic Plin. in epiſtolis: Prima quaque die. Idem: Prima quaque occaſione mitte. *ὅπως τάχιστα ἐγχωρεῖ*: &, *ὅπως τάχιστα ἐν καιρῷ ἐγχωρεῖν κατὰ τὸν ἐνδεχόμενον καιρὸν ἐπειδὰν ἡ πρώτη ἐγχωρῇ ἀφορμή.*

TENACITAS.

ERASMI. *Avarus niſi cum moritur, nil recte facit.*

Omneis ferme Publianas ſententias video proverbiorum vice fuiſſe celebratas, nec injuria ſane. Nihil enim illis fingi poteſt nec argutius, nec jucundius. Cum mimos ipſi nuper emendatos non gravati ſumus breviſſimis ſcholiis explicare. Quamobrem non eſt animus eos omnes in hunc ordinem aſciſcere, præter unum aut alterum, qui mihi præter cæteros arrident, quorum hic unus eſt,

Avarus niſi cum moritur, nil recte facit.

Etenim qui ſeſe pecuniæ ſtudio addixit, nulli commodus eſt dum vivit. Sola mors voluptatem & emolumentum adfert hæredi.

Itidem ut Acheronti.

Apud eundem in eadem fabula amanti repoſcenti quæ dederat, reſpondet ſcortum: Nam itidē ut Acheronti hic ratio accepti ſcribitur. Intro receptum, quando acceptum eſt, non poteſt ferri foras. Sentit nihilo magis ad amantem redire, quod in meretricis domum eſt datum, quam redeunt ab inferis mortui: unde juxta Catullum, negant redire quenquam.

COGNATI. *Ferens non fert.*

Eſt hoc Antiphanis Bergæ Poetæ comœdici *ἐν Ζωγράφῳ* fabula, quod ille pluribus jambicis ſenariis complexus eſt, referente Athenæo in Dipnoſophiſtis: *φέρων τις μὴ φέρῃ*: quod ſcilicet aliquis ferens non ferat. Quod in eos dicitur, qui in conviviis dant ſymbolum, & non tamen dant ipſi convivium: vel cum multi ſimul extollunt onus, omnes enim ſimul elevant illud, non ſeorſum tamen unus.

TIMIDITAS.

ERASMI. *Vel muſcas metuit prætervolitantes.*

Proverbialis eſſe videtur hyperbole, quam refert Ariſtoteles ſeptimo De rep. libro: *ὥσπερ δεδιὼς καὶ τὰς μυίας παραπετομένας*, id eſt, Qui muſcas, inquiens, etiam prætervolitantes metuat, id eſt, quamvis frivola de cauſa. Idem ſimilem quandam commemorat in Moralium 7. loquens de iis, qui uſque adeo natura ſunt timidi, ut etiam ſi ſorex obſtrepat, protinus expaveſcant.

Umbram ſuam metuere.

Vide locum, Abſurda.

Timidior es proſpiciente.

Δειλότερος εἶ τοῦ παρακύπτοντος, id eſt, Formidoloſior es eo qui proſpectat. Dicitur in hominem ſupra modum pavidum. Id ortum ajunt ex hujuſmodi fabula. Quidam natura timidus audita Herculis fama, abdiderat ſe præ metu in ſpecum quendam: deinde cum aliquando proſpectaret, & Herculem forte fortuna prætereuntem vidiſſet, immodico metu exanimatus eſt, ac protinus diriguit in ſaxum verſus: quod adhuc viſitur ſpecie viri, velut à ſpecu proſpicientis. Unde *τὸν παρακύπτοντα*, ſaxum illud vocant, Suidas author. Meminit & Zenodotus, quemadmodum & mox ſequentis.

Timidior Piſandro.

Δειλότερος Πεισάνδρου, id eſt, Timidior Piſandro. Dicebatur olim, & hoc in immodice formidoloſos. Ajunt autem Piſandrum fuiſſe quempiam prodigioſa timiditate, adeo ut anxius eſſet, ne ſuam ipſius animam alicubi videret, quæ ſe vivum reliquiſſet. Idem videtur eſſe cum illo Ciceronis, umbram ſuam metuere.

Speo timidior.

Σπεῦ δειλότερος, id eſt, Speo timidior, de magnopere pavido dicebatur. Ab Speo quopiam dictum, notæ timiditatis homine. Datū eſt hoc cognominis Cratino comico, per alluſionem fortaſſis: quod cum Oenoidis trib. princeps eſſet, in eo munere ſe gereret,

Timidus Plutus.

Δειλὸς ὁ πλοῦτος, id eſt, Timidus Plutus. Hujuſmodi enim & Ariſtophanes inducit Plutum: atque hunc imitatus Lucianus in Timone, omnia formidantem, nulliq; fidentem. Neq; vero diſſimilem animi habitum opes adferunt divitibus: cum contra paupertas ſecura in utranque dormiat aurem. Ariſtophan. vulgo jactatam indicat opulentiæ timiditatem, cum ait,

——— *Ἀλλὰ λέγουσι πάντες ὡς*
Δειλότατόν ἐσθ' ὁ πλοῦτος.

Id eſt,

——— Quin id omnes dictitant.
Timidiſſimum quiddam eſſe divitias.

Interpres admonet, Comicum alluſiſſe ad illud Euripidis,

Δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, καὶ φιλόψυχον κακόν.

Id eſt,

Res cupida vitæ ſunt opes, pavidum malum.

Id ideo dictum eſt, quod divitibus multi tendunt inſidias: nempe latrones, hæredipetæ, principes, ſycophantæ, nonnunquā & uxor, & liberi. Quam ob cauſam addidit Euripides, *φιλόψυχον κακόν*. vel quod ob divitias magis illis libeat vivere, quam his, qui tenui ſunt fortuna: vel quod ob eas ſæpenumero de vita ſollicita ſunt. Id eleganter explicans Juvenalis.

Pauca licet, inquit, portes argenti vaſcula puri,
Nocte iter ingreſſus, gladium contumque timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

In ſumma, in omni negocio formidoloſior eſt dives, quam pauper. Cautius munit ædes furum metu. Metuit tempeſtates propter frumenta quæ habet in agris, propter merces quas habet in mari: metuit amicos, ne quid rogantibus donare cogatur: metuit inimicos, ne quid noceant. Convictatur metu mulctæ. Omnia circumſpectius & facit & dicit metu calumniæ, quæ potiſſimum divitibus ſtrui ſolet: quippe quibus eſt quod auferri poſſit. Si bellum immineat, dives in primis diſcruciatur. Denique nec ſuperſtitione vacat, ne quod numen parum amicum, damnum immittat.

Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum.

Ἀλλ' οὐ γὰρ ἀθυμοῦντες ἄνδρες οὔποτε
Τρόπαιον ἐστήσαντο. ———

Id eſt,

At enim trophæum nobile haud unquam viri
Statuere pavidi. ———

Suidas ex Eupolide citat. Uſurpatur à Platone in Critia: *ἀλλὰ γὰρ ἀθυμοῦντες ἄνδρες, οὔπω τρόπαιον ἔστησαν.* Apte dicetur in eos, qui per animi ſocordiam inertiamque nihil egregium, nihil arduum audent aggredi: aut qui periculi metu a magnis abſtinent negociis, cum inſignis gloria non niſi magnis periculis contingat. Neque triumphum egit quiſquam qui non ſit auſus. Matris creorum experiri. Eſt ſimile quiddam apud Hebræum illum concionatorem, non facere ſementem, qui ſuperſtitioſius obſervet ventum: & qui conſideret nubes, hunc haud unquam metere: *τηρῶν ἄνεμον οὐ σπερεῖ, καὶ βλέπων ἐν νεφέλαις οὐ θερίσει.* Profertur & illud in timidos e Sophocle: *πάντα γάρ τοι τῷ φοβουμένῳ ψοφεῖ*, id eſt, Formidoloſo ſtrepunt omnia.

Abjecit haſtam. Rhipſaſpis.

Haſtam abjicere dicitur utique proverbiali figura, qui cauſæ ſuæ diffiſus, abjicit animum, ac deſinit contra conari. Cicero pro L. Murena. Videſne tu illum triſtem demiſſum? Jacet, diffidit, abjecit haſtam Græcis item proverbiali convicio dicuntur, *ῥίψασπιδες*, ignavi ac timidi, quique in acie locum deſerunt, ac clypeum abjiciunt, quo probro notatus eſt Demoſthenes. Lucianus in Jove Tragœdo: *καὶ δειλὸς εἶ ῥίψειν ἔοικας τὴν ἀσπίδα.* i. Ac plane videtur ſcutum abjecturus: Uſque adeo vero probroſum habebatur antiquitus clypeum abjicere, ut Lacedæmonii Archilochum e finibus ſuis juſſerint excedere, quod ſcripſiſſet, ſatius eſſe clypeum abjicere, quam interire, teſte Plutarcho in Apophthegmatis Laconicis. Id Archilochi diſtichon refertur ab Ariſtophane in fabula, cui titulus, *εἰρήνη* eſtque hujuſmodi.

Ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται, ἣν παρὰ θάμνῳ
Ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.

Id eſt:

Scuto aliquis gaudet Saiorum, ego quod bene pulchrum
Deſerui nolens inter opaca rubi.

Interpres admonet, Saios eſſe Thraciæ populos, adverſus quos bellans Archilochus fugerit abjecto clypeo. Cujus exemplum poſtea ſecutus eſt Demoſthenes, ad dicendum quam pugnandum inſtructior. Notatur apud Ariſtophanem & Cleonymus hoc nomine, ut in Veſpis.

Ἀπέβαλε τὴν ἀσπίδα.

Id eſt,

Abjecit clypeum.

Quin & Iſocrates in oratione quam ſcripſit de Pace, declarat infames olim habitos, qui vel ordinem deſeruiſſent vel clypeum abjeciſſent. Idem indicat Æſchynes adverſus Timarchum, quod qui non fuiſſet in bello, aut qui haſtam abjeciſſet, ei non licebat in concione quicquam agere. Poſtremo Ariſtoteles libro Moralium 5. inter ea quæ lex vetat, commemorat *τὸ μὴ λείπειν*

τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα id eſt, non deſerere ordinem, non fugere, non abjicere arma. Et aliquanto poſt, agens de injuſtis, qui tamen κακοῦργοι dici non poſſunt, quod nihil capiant inde lucri, exempli loco ponit τοὺς ῥίψαντας τὰς ἀσπίδας διὰ δειλίαν, i. qui ob metum & ignaviam clypeos abjecerunt. Tale quiddam, opinor, ſubindicat Horatius in Lyricis, cum ait,

Tecum Philippos & celerem fugam
Senſi, relicta non bene parmula.

Qu. Curtius l. 3. Tum cæteri diſſipantur metu, & qua cuique patebat ad fugam via, erumpunt, arma jacientes, quæ paulo ante ad tutelam corporum ſumpſerant: adeo pavor etiam auxilia formidabat. Eſt aliquoties apud Julium Cæſarem, abjectis armis. Sed quo longius receditur à ſimplici ſermone, hoc major eſt adagii gratia: veluti ſi quis eum qui non reluctatur turpia ſuggerenti dæmoni, ſed ſtatim obſequitur, appellet ῥιψάσπιδα. Hujus proverbii facta nobis eſt antea mentio.

Rheginis timidior.

Ῥηγίνων δειλότερος, id eſt, Rheginis formidoloſior. Xenarchus apud Zenodotum, Sophronis, qui de menſibus ſcripſit, filius, in gratiam Dionyſii tyranni taxavit Rheginenſes, ut ignavos in rebus bellicis, animique pavidi: quemadmodum teſtantur Græcorum adagiorum collectanea.

Ante tubam trepidas.

Ante tubam trepidas: id eſt, animo conſternaris, priuſquam appareat periculum. Ab ignavis militibus ſumptum, qui pavitant, priuſquam bellicum canatur. Nam audita tuba, mirus quidam pavor ſolet militum animos inceſſere.

Vergilius,

——Cur ante tubam tremor occupat artus?

Qui ſi ſermo paulo longius detorqueatur, in proverbii ſpeciem abibit.

Ignavi vertitur color.

Τοῦ κακοῦ τρέπεται χρώς, i. Ignavi vertitur color. Plutarch. in cauſis naturalibus, problemate, Quamobrem polypus colorem mutet: hoc tanquam proverbio jactatum adducit, διὸ καὶ λέλεκται, τοῦ μὲν κακοῦ τρέπεται χρώς. i. Ignavi color vertitur. Nam id accidit in metu, ut vultus exalbeſcat, maxime timidis; videlicet ſanguine ad vitalia refugiente. Pluſculum accedet Veneris, ſi ad animum transferatur: velut ſi dicas, Philoſophum nihil omnino formidare eorum quæ vulgus horret. τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρώς, id eſt, Vertitur ignavi ſane color. Porro proverbium natum eſt ex Homerico Iliados N. Carmen ſic habet.

Τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ,
Οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμός,
Ἀλλὰ μετοκλάζει καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει,
Ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει
Κῆρας ὀϊομένῳ, πάταγος δέ τε γίγνετ' ὀδόντων.
Τοῦ δ' ἀγαθοῦ οὔτ' ἂρ τρέπεται χρώς, οὔ τι λίην
Ταρβεῖ.——

Id eſt,

Vertitur ignavi color, evariatque ſubinde,
Nec mens certa manet, verum huc illucque vacillat,
Ac migrans è corde pedes in utroſque reſidit,
Palpitat & valide cor ei præcordia ſubter,
Fata putanti animo: occipiunt quoque ſidere dentes.
Contra forti, nec variat color, at neque valde
Horreſcit.——

In pulicis morſu deum invocas.

Ἐν ψύλλης δήγματι θεὸν ἐπικαλεῖται, id eſt. In pulicis morſu deum invocat. In eos dictum, qui quantumlibet levi de re graviter perturbantur, perinde ut in maxima. Tractum ab apologo, qui fertur inter Æſopicos. Quidam offenſus dolore pulicis pedem mordentis, ſubſedit, & Herculem ἀλεξίκακον imploravit: mox deſiliente pulice, male precatus eſt Herculi, qui quum in tantillo periculo vocatus non tuliſſet opem, non videri veriſimile, eum in gravioribus adfuturum. Simile eſt quod refert Ariſtoteles moralium Nicomachiorum 7. de vehementer timidis, οἷος δεδιέναι πάντα κἂν ψοφήσῃ μῦς, veluti qui metuit omnia, ſi vel mus obſtrepat. Hanc timiditatem appellat θηριώδη hoc eſt ferinam.

Mulier imperator, & mulier miles.

Γυνὴ στρατηγεῖ, καὶ γυνὴ στρατεύεται.

Id eſt,

Et fœmina dux eſt, fœmina æque miles eſt.

Senarius eſt proverbialis, quoties totum negocium ignavis commiſſum eſt, quumq; & ii qui præſunt, & ii qui parent, pariter ſunt formidoloſi. Apud Athenæum lib. 3. citatur Alexis in fabula, cui titulus γυναικοκρατία. Natura fœminam in hoc finxit, non ut imperet, ſed pareat, vel Græco verſiculo teſte.

Γυναικὶ δ' ἀρχεῖν οὐ δίδωσιν ἡ φύσις.

Id eſt,

Natura non dedit imperare fœminis.

Etenim quod in homine ratio & affectus, id in vita vir & mulier ac juxta Moyſen, demiurgus ille fœminam viro ſubjecit. Tametſi Plato non omnino arcet mulierum genus ab adminiſtranda Republ. ſi qua modo reperiatur idonea. Tacite videtur huc alluſiſſe Æſchynes contra Timarchum: κατιδὼν γάρ οἰκίαν πλουσίαν, καὶ ἀδιοικήτως ἐχομένην, ἧς ἡγεμὼν μὲν ἦν γυνὴ μέγα φρονοῦσα καὶ νοῦν οὐκ ἔχουσα: Quum vidiſſet domum opulentam, maleque gubernatam, cujus dux erat mulier ſuperba & excors. Jucundior erit ſententia, quoties longius deflectetur: veluti ſi quis autorem, ac præcipuum Peripateticæ Philoſophiæ ducem, appellet Tartaretum: Ita Vergilius:

——Tanti dux fœmina facti.

Et in actis Apoſtolicis Paulus dux verbi dicitur. Sic Galenus alicubi Ariſtotelem appellat τοῦ λόγου πατέρα, quod ab ipſo profecta eſſet ſententia.

Cervinus vir.

Ἐλάφειος ἀνήρ, id eſt: Cervinus vir, olim dicebatur formidoloſus & fugæ fidens magis quam viribus. Cervus enim animal curſu perniciſſimum: & in venatu pedibus ſibi quærit ſalutem, Vnde apud Homerum Iliados 1. Achilles, ut vir fortis, Agamemnoni, veluti imbelli & ignavo convicium facit ad hunc modum:

Οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο.

Objicit illi temulentiam, impudentiam in occupandis aliorum præmiis, & cor cervinum quod ad congreſſum timidus eſſet. Ariſtoteles lib. De natura animantium 9. tradit, cervo nativam quandam eſſe prudentiam, ut quod vi nib. tueri non poteſt, id efficiat ingenio: parere enim juxta ſemitas, quo videlicet tutior ſit à beluis, propter hominum frequentiam. Deinde poſteaquam peperit, involucrum ſtatim exedit, ne deprehendatur, propterea hinnulum ducens in ſtabula, monſtrat, ac conſuefacit quo debeat refugere, ſi quod immineat periculum, id ait ſaxum eſſe abruptum.

Gallus inſilit.

Ἀλεκτρυὼν ἐπιπηδᾷ, id eſt: Gallus inſilit. Vbi quis ſemel victus, redintegrat certamen. A gallorum certaminibus ſumptum. Nam is huic animanti mos eſt, ut ad pugnam aſſiliat, quo magis lædat calcaribus ſuis, in hunc uſum à natura affixis.

Vir fugiens, & denuo pugnabit.

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Id eſt,

Qui fugerit, rurſum ille præliabitur.

Senarius proverbialis, quo monemur non protinus abjicere animum, ſi quid parum feliciter ſucceſſerit. Nam victos poſſe vincere. Proinde Homerus ἑτεραλκέα νίκην vocat, id eſt, viciſſim nunc apud hos, nunc apud illos pollentem, Apud eundem Iliad. 6. Alexander ſic loquitur Hectori,

——Νίκη δ' ἐπαμείβεται ἄνδρας.

Id eſt,

——Alterna viris victoria cedit.

Idem alibi Iliad. γ.

Νῦν μὲν γὰρ Μενέλαος ἐνίκησεν σὺν Ἀθήνῃ,
Κεῖνον δ' αὖθις ἐγώ.——

Id eſt,

Palladis auxilio nunc victor abit Menelaus:
Illum ego ſed poſthac pugna ſuperaro viciſſim.

Demoſtheni probro datũ eſt ab inimicis, quod in eo prælio, quo Philippus Macedonum rex Athenienſes apud Cheroneam vicit, clypeo abjecto fuiſſet, eaq; gratia ῥίψασπις ignominioſo cognomine vocatus. Verum id probri Demoſthenes, homo non admodum verecundus, proverbiali, notiſſimoque verſiculo legitur eludere ſolitus.

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

Huic confine eſt illud *Davi* Terentiani: Hac non ſucceſſit, alia aggrediendum eſt via. Vſurpat adagium Tertul. in libro De fuga in perſecutione: Sed omiſſis, inquit, quidam divinis exhortationibus, illum magis Græcum verſiculum ſecularis ſententiæ ſibi adhibent: Qui fugiebat, rurſum præliabitur: ut & rurſus forſitan fugiat. Et quando vincet, qui quum fugerit, victus eſt?

Leonis veſtigia quæris.

Τοῦ λέοντος ἴχνη ζητεῖς id eſt, Leonis veſtigia quæris. Dicterium in eum, qui verbis ferox eſſet, re timidus. Ductum ab apologo quopiam Æſopico, quo narrat venatorem quemdam paſtorem obvium rogaſſe, nuncubi leonem vidiſſet, ut eum ſibi commonſtraret. Atque eum reſpondiſſe: Equidem tibi leonis veſtigia mox oſtendero: neque enim procul abſunt: Tum ille: Satis eſt, inquit, neque enim ultra quicquam requiro. Convenit cum eo, quod alio propoſitum eſt loco: ἄρκτου παρούσης τὰ ἴχνια ζητεῖς, id eſt: Cum urſus adſit, veſtigia quæris.

Initio confidens, in facto timidus.

Euſtathius enarrans ſeptimum Iliados librum hujuſmodi refert parœmiam: Θρασὺς πρὸ ἔργου, ἐν αὐτῷ δὲ κακός, id eſt: Audax ante negocium, plerunque ignavus. Citat idem ex Epicharmo: κακὸς θαρρεῖ μάλ' αὐτίκα, ἔπειτα δὲ φεύγει, id eſt: Ignavus ſtatim admodum de ſe confidit, poſt autem fugit. Videmus hoc uſu venire vulgo, ut qui ſunt audaciſſimi, & magni loquentiſſimi, prius quam appareat periculum, ubi res virum poſtulat, ibi ſint animi nullius.

Lingua bellare.

Γλώττῃ πολεμίζειν, id eſt: Lingua bellare dicuntur, qui magnifice conviciatur, ac minantur hoſti, ſed cum tutum eſt. Sic enim Menelaus Græcorum ignaviam incuſat Iliados η.

Ὦ μοι ἀπειλητῆρες Ἀχαιΐδες οὐκέτ' Ἀχαιοί.

Id eſt,

Heu Graiæ, neque jam Graii, tantumque minaces.

Alluſit huc & Vergil. in Æneid.

——An tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit?——

Hæc enim Turnus in Drancem lingua pollentem in conſiliis, alioquin imbellem. Idem Rutulos maledicos facit.

O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges.——
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Sic autem loquitur Hector apud eundem Homerum Iliados υ.

Καί κεν ἐγὼ ἐπέεσσι καὶ ἀθανάτοισι μαχοίμην,
Ἔγχει δ' ἀργαλέον· ἐπεὶ ἦ πολὺ φέρτεροί εἰσιν.

Id eſt,

Sane ego vel divis poſſim contendere lingua,
Verum haſta durum, multo quia viribus illi
Præcellunt.——

Porro vera fortitudo neque maledica eſt, neque minax. Id quod innuit Homer. Iliad. lib. 5.

——Τὸν δ' οὔ τι προσέφη κορυθαίολος Ἕκτωρ,
Ἀλλὰ παραΐξας——

Id eſt,

Huic nihil omnino reſpondit Belliger Hector,
Quin mage cominus inſilit.——

Et ejuſdem operis libro tertio, fingit Græcos tacitos in prælium ire.

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί,
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.

Id eſt,

Aſt ibant taciti, vim ſpirantes Danaidæ,
Atque animo prompti auxilium ſibi ferre viciſſim.

Et Ariſtophanes in Nebulis,

Βροντῶν, βουλεύων, καὶ τῇ γλώττῃ πολεμίζων.

Id eſt,

Poſcens, conſultans, & lingua prælia miſcens.

De his eleganter apud Livium dictum lib. ab Urbe cond. 7. In caſtris feroces, in acie pavidi. Apuleius verbo feſtiviter novato, Verbigerari dixit, pro, verbis digladiari. Et Heſychius indicat γλωσσοπολέμους dictos, qui pro armis lingua uterentur. Hoc nomine ſignari poſſent, & qui aſpidis venenum in lingua circumferunt. Heraclitus ad Hermodorum ἐν ταῖς γλώτταις ἔχετε τὰ ὅπλα, ἀπεστερηκότες χρήματα, i.e. In linguis habitis arma poſteaquam abſtuliſtis pecunias. Cauſidicorum ac rhetorum eſt. γλώτταις πολεμίζειν ἢδὲ μάχεσθαι, id eſt linguis bellare atque pugnare.

Cum adſit urſus, veſtigia quæris.

Ἄρκτου παρούσης τὰ ἴχνη ζητεῖς, id eſt, Urſi præſentis veſtigia quæris. De iis dicunt, qui timiditate præſens negocium declinant, atque ad alias nugas dilabuntur. Tranſlatum à formidoloſis venatoribus, qui ſe diſſimulant ſenſiſſe urſum, & veſtigia perſequi fingunt, quo abſint a periculo. Hoc genus homines Plato De Repub. libr. 5. ſcripſit ſimiles eſſe τοῖς κυνιδίοις, ἃ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῇ χαλεπαίνει, τοῦ βάλλοντος οὐχ ἁπτόμενα. id eſt, catulis qui lapides mordent, cum eos qui jecerint, non auſint attingere. Ab hoc nõ eſt alienum quod ſcribit Plutarchus in vita Lucilli. Nam illum quum hortaretur Archelaus, ut relicto hoſte in Pontum trajiceret (ſic enim fore, ut protinus omnium rerum poteretur): οὐκ ἔφη δειλότερος εἶναι τῶν κυνηγῶν ὥστε τὰ θηρία παρελθὼν ἐπὶ κενοὺς αὐτῶν φωλεοὺς βαδίζειν. id eſt, Negavit ſe timidiorem eſſe venatoribus, ut præteritis feris, ad inania illarum luſtra vellet ire.

Cum adſit via, ſemitam quæris.

Ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖς.

Id eſt,

Cum præſto ſit via, tu requiris ſemitam.

Citatur ab Euſtathio in Odyſſ. ν. eſt autem ἀτραπὸς ſemita, quæ diverſa ſit à via plauſtrorum quam regiam vocant. Conveniet adagium in tergiverſatores, qui quo præſens negotium ſuffugiant, diverticula captant.

In formidoloſum.

In hominem vehementer pavidum, animoque conſternatum, quadrabunt hi verſus ex eodem libro:

——Οὐδέ μοι ἦτορ
Ἔμπεδον, ἀλλ' ἀλαλύκτημαι, κραδίη δέ μοι ἔξω
Στηθέων ἐκθρῴσκει, τρομέει δ' ὑπὸ φαίδιμα γυῖα.

Id eſt,

Nec mihi mens conſtat, ſed mota vacillat, & extra
Pectus cor ſalit, & trepidant quoque corporis artus.

Dicuntur autem hæc ab Agamemnone, populo metuente.

Γρύζειν.

Γρύζειν, proverbio dicunt hiſcere ſeu mutire. Sunt qui putent γρύζειν eſſe, vocẽ ſuillam edere, deductam ὑπὸ τοῦ γρῦ. de quo meminimus alibi. Unde & Grylli nomen fictum apud Plutarchum, & Grunni Corocottæ porcelli, cujus meminit divus Hieronymus. Ariſtophanes in Pluto.

Γρύζειν δὲ καὶ τολμᾶτον ὦ καθάρματε;

Id eſt,

Audetis & mutire ſceleratiſſimi?

Idem in eadem fabula.

Ἀλλὰ φθέγγου καὶ μὴ γρύζε.

Id eſt,

Imo pereas, ne re quid hiſcas.

Simili figura Terent. dixit in Adelphis: Quid gannis? Et in Phormione: Quod illi ad aurem obganniat.

Corinthus non indignatur Ilium.

Κορινθίοις δ' οὐ μέμφεται τὸ Ἴλιον.

Id eſt,

Incuſat haudquaquam Ilium Corinthios.

Hoc carmine clam exprobramus ignaviam alicui: qui ita ſe geſſerit, ut hoſtes nihil habeant, quod illi magnopere indignentur. Eſt autem carmen Simonidis: quod velut in contumeliam ſuam ſcriptum, iniquo animo tuliſſe Corinthios, ſcripſit Ariſtoteles libr. Rhet. 1 quod in bello Trojano non admodum egregiam operam navaſſe viderentur. Poteſt & huc detorqueri, veluti ſi quis ita inſulſe ſcripſiſſet adverſus bonas literas, ut eas ſua infantia commendaſſet potius quã infamaſſet; Κορινθίοις, &c. Plutarch. in vita Dionis aliquanto diverſius interpretatur adagium, ἀλλὰ γὰρ ὥσπερ ὁ Σιμωνίδης φησὶν, ὦ Σόσιε Σενεκίων, τοῖς Κορινθίοις οὐ μηνίει τὸ Ἴλιον, ἐπιστρατεύσασι μετὰ τῶν Ἀχαιῶν, ὅτι κἀκείνοις οἱ περὶ Γλαῦκον ἐξ ἀρχῆς Κορίνθιοι γεγονότες συνεμάχουν προθύμως. id eſt, Sane quemadmodum inquit Simonides, Soſſie Senecio, Corinthiis non indignatur Ilium, quod una cum Achivorum copiis veniſſent ad bellum, propterea quod illis quoque promptis animis fuiſſet auxilio Glauci comites, & ipſi e Corintho oriundi. Ex his Plutarchi verbis liquet illud ſentire proverbium levius offendi oportere, ſi quando læſerint qui quondam ſint benemeriti, ſed præſentem offenſam ſuperioribus officiis condonare.

Verbis pugnas, non re.

Facile eſt, conviciis altercari: verum re vincere, difficile. Ad eam ſententiam quadrabit illud ex Iliad. υ. dictum ab Ænea congreſſuro cum Achille.

——Ἐπεὶ σάφα οἶδα καὶ αὐτὸς
Ἠμὲν κερτομίας ἠδ' αἴσυλα μυθήσασθαι.

Id eſt,

——Siquidem novi probe & ipſe
Et petere probris, inimicaque dicere dicta.

Paulo poſt repetit copioſius eandem ſententiam.

Ἔστι γὰρ ἀμφοτέροισιν ὀνείδεα μυθήσασθαι
Πολλὰ μάλ', οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθος ἄροιτο.
Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ' ἐστὶ βροτῶν, πολέες δ' ἔνι μῦθοι
Παντοῖοι, ἐπέων δὲ πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ ἔνθα.
Ὁπποῖόν κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Id eſt,

Ambobus ſiquidem probra dicere plurima, promptum
eſt.
Quorum onus haud portet centum ratis obſita remis.
Eſt hominum quia lingua volubilis, omnigenique
Inſunt ſermones, variiſque & paſcua dictis,
Hinc atq; hinc, multæque vices, ſed qualia verba
Dices, talia reddentur tibi dicta viciſſim.

Ἀδικαπνίας.

Ἀδικαπνίας, olim appellabatur formidoloſus. Clearchus in Vitiis, ut citat Penodotus, ait quorundam epati vitium quoddam accidere, quod eos timidos reddat: atque hinc proverbio jactatum cognominis ſcomma. Videtur autem compoſita vox, ἀπὸ τοῦ λαβεῖν καὶ ἧπαρ, quod appellant plerunque, quibus epar eſt vitiatum: id quod apparet in amantibus. Pallor autem formidoloſis convenit.

In pedes retrocedit.

Ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖ, i. In pedem retrocedit, de eo qui metu dat locum potentiori, & revocat ſe in tutum. Ab athletis aut gladiatoribus ſumptum videtur. Hoc eſt quod Latini dicunt, Referre pedem. Quadrabit & in eos, qui mutant inſtitutum.

Myſorum præda.

Μυσῶν λεία, id eſt, Myſorum præda. In eos olim dicebatur, qui impune à quibuslibet læduntur ac diripiuntur. Ortum adagium à Myſis, quos ajunt quondam finitimorum incurſationibus male vexatos fuiſſe, quo tempore Telephus rex peregre agebat. Utitur hoc adagio Ariſtoteles libro Rhetoric. 1. tractans de locis conjecturalibus: καὶ τοὺς ὑπὸ πολλῶν ἀδικηθέντας, καὶ μὴ ἐπεξελθόντας, ὡς ὄντας κατὰ τὴν παροιμίαν Μυσῶν λείαν, id eſt, Eos item, inquit, qui e compluribus affecti injuria, non curant de ulciſcendo. Nam ut trito dicitur proverbio, Myſorum hi præda ſunt, hoc eſt, paſſim ab omnibus inceſſuntur, propterea quod veterem ferendo injuriam, invitant novam. Uſus eſt Demoſthenes adverſus Æſchinem. Quo quidem in loco ſtulti depravarunt pro Myſorum, miſerorum, in tranſlatione Leonardi Aretini. Citatur & ex Strattidis Medea, & Jambis Simonidis.

Animus

Animus in pedes decidit.

Qui vehementer conſternantur atque expaveſcunt, iis animus in pedes decidere dicitur. Quin hodie vulgo audimus: Totus animus mihi erat in genibus, pro eo quod eſt, Vehementer eram exanimatus. Homer. Iliad. ο.

Ταρβήσαν, πᾶσιν δὲ παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.

Id eſt,

——Pavor ingruit ingens

Omnibus, inque pedes animus mox decidit imos.

Trepidat in morem galli cuiuſpiam.

Πτήσσει ὥς τις ἀλέκτωρ, id eſt, Trepidat tanquam gallus gallinaceus. In male affectum & commotum, aut etiam pavitantem, opportune dicetur. πτήσσειν enim Græcis fugitare ſignificat, atque expaveſcere: peculiariter autem de avibus dicitur. Ariſtophan. in Veſpis.

Πτήσσει Φρύνιχος ὥς τις ἀλέκτωρ.

Id eſt,

Galli in morem Phrynichus horret.

Fuit hic Phrynichus Melanthiæ filius, Athenienſis tragœdiarum ſcriptor, quem Athenienſes mille drachmis mulctarunt, quod Mileſiorum excidium tragœdia complexus eſſet. Quod quidem ego non adſcripturus eram inter adagia, niſi commentarius Ariſtophanis hoc nominatim proverbii loco retuliſſet. Meminit hujus & Plutarch. in Alcibiade: qui cum antea fuiſſet ferox inſolens & ex Socratis familiaritate: cujus ſingularem integritatem ſuſpiciebat, cœpit eſſe manſuetus ac modeſtus. Citat autem hunc ſenarium e Poeta quopiam.

Ἔπτηξ' ἀλέκτωρ δοῦλος ὡς κλίνας πτερόν.

Id eſt,

Pavidus refugit more gallinacei,

Quum victus alas ille ſummittit ſuas.

Meminit hujus & in vita Pelopidæ. Certamen autem gallorum apud veteres ſolenniter ac publicitus exhibebatur. Cæterum quanquam animal natura pugnax eſt, tamen gallus ubi ſe ſentit imparem in conflictu, mire dejectus ac ſupplex profugit, riſum præbens ſpectatoribus.

Quem mater amictum dedit, obſervare.

Quem mater amictum dedit, obſervare: pro eo quod eſt, pueriliter ex alieno præſcripto vivere legitur apud Quintilianum libro quinto: Nam quid, inquit, illa miſerius lege, veluti præformatas infantibus literas proſequentium & ut Græci dicere ſolent, quem mater amictum dedit, ſollicite cuſtodientium? Quibus ex Fabii verbis apparet, Græcis in proverbio fuiſſe. Vſurpat autem & indicat adagium Lucian. in Nigrino: καὶ πόθεν σοι τοῦτο; καὶ σχῆμα τῆς μητρὸς ἐστιν αὐτῷ, id eſt, Et unde hic pavor atque fortaſſis materna veſtis eſt. Dicuntur hæc ſcommatis in eum, qui verſicolore veſte amictus advenerat. Plutarch. in commentario De fortuna Alexandri. δίκην ὥσπερ παῖδες φυλάττοντες τὴν περιβολήν, ἣν ὁ πατρῷος αὐτοῖς συνήθης παιδαγωγὸς περιέθηκε, id eſt, More puſilli pueri ſervantem amictum, quem illi patriæ conſuetudo veluti nutrix addiderat. Quin hoc ipſum, quo nihil jam tritius, Ex præſcripto vivere, proverbiali metaphora dictum apparet: tracta videlicet a pueris, quibus, ut inquit Plato, ἐν τῇ γραμματίδι, id eſt, in tabula graphiaria doctor exemplar præſcribit, quod imitantes, literarum notulas conſueſcant effingere. Hoc imitationis genus velut addictum ac ſervile ridet Horat.

O imitatores ſervum pecus, ut mihi ſæpe,

Riſum, ſæpe locum, veſtri movere tumultus.

Et Fabius nihil putat ad bene dicendum inutilius, quam ita ſervire præceptis artis, ut non auſis digitum latum ab illis diſcedere, ſi quando cauſæ ratio poſtulabit.

Nulla candidorum virorum utilitas.

Οὐδὲν λευκῶν ἀνδρῶν ὄφελος ἢ σκυτοτομεῖν, id eſt, Nullus candidorum virorum uſus, niſi ad cerdonicam. In molles & effœminatos dictum, ac veluti voluptatibus natos. Id enim innuit, opinor, per cerdonicam, juxta illud Martialis.

——Quid ad te,

De cute quid faciat ille, vel ille ſua.

Cæterum ii negociis gerendis inutiles. Contra qui nigra ſunt cute, & hiſpidi, hi magis allegendi ſunt ad adminiſtrandam Rempub. Vnde & Herculem μελάμπυγον, appellarunt, tanquam ſtrenuum, & a mollicie alienum: quemadmodum alibi demonſtratum, in proverbio, Ne in Melampygum.

Teuthidum more.

Themiſtocles (ut in ipſius vita refert Plutarchus) Eretrico cuidam exprobrans ignaviam, dixit: ἦ γὰρ ἔφη καὶ ὑμῖν περὶ πολέμου τις ἐστι λόγος, οἳ καθάπερ αἱ τευθίδες μάχαιραν μὲν ἔχετε, καρδίαν δὲ οὐκ ἔχετε, id eſt, Sane, inquit, & vobis aliquid de bello dicendum eſt, qui Teuthidum in morem gladium quidem habetis, cor autem non habetis. Quidam Teuthidas putant eſſe, quas nos vocamus ſepias. Sepia autem de genere mollium eſt: & arbitror huic generi cor non ineſſe.

Scrupulum injicere.

Scrupuli ſunt minuti lapilli, qui inter ambulandum inſiliunt in calceos hominis, ac pedem torquent. Inde injicere ſcrupulum dicitur, qui ſollicitudinem injicit animo cuiuſpiam. Et ſcrupulum eximit qui ſollicitudinem eximit. Terentius in Adelph. 2. Timet, injeci ſcrupulum homini. M. Tullius 4. De finibus, in fine diſputationis: Scrupulum inquam abeunti? Sed videbimus. Hoc non diſſimile eſt illi quod alias retulimus, Infixo jaculo fugere. Rurſum Terent. in Andria: At mihi unus etiam ſcrupulus reſtat, qui me habet male.

Non incedis per ignem.

Οὐ γὰρ ἐπὶ πυρὸς βέβηκας, id eſt, Non incedis per ignem. Theocritus in Hodœporis.

Μὴ σπεῦδ', οὐ γὰρ τοι πυρὶ θάλπῃ.——

Id eſt,

Ne properas neque enim igne caleſcis.——

Scholiaſtes indicat ſubeſſe proverbium, quo ſignificabant aliquem plus ſatis feſtinare. Nam paſtor, ut erat, promtus ſolebat canendi certamen inire. Alter non probans tantam celeritatem, provocat ad locum commodiorem. Properant enim qui per ignem incedunt, & celeritas reddit elementum innoxium: quemadmodum non læditur, qui manum per mediam flammam mittit, aut prunam ardentem ſubito manu correptam abjicit. Qui verſatur in re periculoſa dicitur & ipſe per ignem incedere. De quo prius nobis dictum eſt.

IVNII. Hinnulo timidior.

Τοῦ νεβροῦ δειλότερος. Hinnulo timidior: de vehementer & ſupra modum pavido. Herodicus Babylonius apud Athenæum lib. Dipnoſoph. 5.

Τῆς ξυδὲς δειλότεροι νεβροῦ.

Id eſt,

Grammatici tenero plus pavidi hinnuleo.

Horat. Od. 1.

Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe.

Eſt enim hinnulus formidoloſum, ſi quod aliud, animal.

Teleti animum habet.

In meticuloſum, qui animi nihil habeat, proverbio dicitur illud, ψυχὴν Τελέτου ἔχεις, Animum Teletis præfert. Citantur ex Hermippo comico illi anapæſti.

Βασιλεῦ Σατύρων τί ποτ' οὐκ ἐθέλεις δόρυ βαστάζειν;

Ἀλλὰ λόγους μὲν περὶ πολέμου δεινοὺς παρέχεις,

Ψυχὴν δὲ Τελέτου ἔχεις.——

Id eſt,

Rex Satyrorum quid haſtam gerere recuſas?

Qui grandia de bello verba quidem crepas,

At Teletis animum præfers.——

Teles iſte qui fuerit, ignorare me fateor, cujus timiditas Comico morſui paruerit: memini tamen legiſſe me Teletis quædam περὶ βίου, & περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ πενίας, hoc eſt, de vita, deque comparatione opulentiæ & paupertatis, apud Stobæum in Gnomologiis poſt Callimachum, & alibi. Solet autem Philoſophos & doctos fere comitari timiditas: unde nota eſt Socratis fuga: & Archilochus ac Demoſthenes abjectis clypeis indecori celebrantur.

Buccinam ne in ſomnis quidem.

Figura proverbiali dictum eſt a Phylarcho: πολεμικῆς σάλπιγγος οὐδ' ἐν ὕπνοις ὑπομένων ἀκούειν, i. Bellicam tubam ne in ſomno quidem audire ſuſtineat. De homine imbelli, & ſupra modum meticuloſo dicetur. Convenit cum illo, Ante tubam trepidas.

Coturnicula animus.

Ὀρτυγίου ψυχὴν ἔχειν, i. Coturniculæ animum habere, proverbio dicitur homo puſillanimus & formidoloſus. Antiphanes comicus in Ruſtico apud Athenæum.

Σὺ τί ποιεῖν δυνάμενος ὀρτυγίου ψυχὴν ἔχων;

Id eſt,

Tu quid facere vales coturniculæ animo præditus.

Leporem frondium crepitus terret.

Gregorius Nazianzenus in Diſtichis ſententioſis.

Φύλλων λαγωὸς ὀξέως δεδοίκε τὸν κτύπον,

Λαγωὸς δ' ἀνάνδρους αἱ σκιαὶ τῶν πραγμάτων.

Id eſt,

Lepus fragore territatur frondium,

Vmbræque rerum timidulos terrent viros.

Arduus & infractus animus non commovetur rebus adverſis & reſtante fortuna, neq; periculi tempeſtas illum aut honoris aura unquam de ſuo curſu vel ſpe vel metu depellit. quod de Qu. Catulo ſummo in republ. viro dixit M. Cicero, unde hauſiſſe videtur, invictiſſimus noſter Princeps Hiſpaniarum & Angliæ Rex D. PHILIPPUS egregium illud ſymbolum, quo monetam, quam in vulgus nimbi inſtar in Belgicæ inauguratu ſparſit, olim inſignivierat, conſtantiæ indubitatæ teſtimonio, quæ neq; periculorum magnitudine, neq; præmiorum oſtentatione a recti ſemita deduci ipſum pateretur. Nihil verius illo Poetæ oraculo.

Degeneres animos timor arguit.——

at vir

at vir fortis præſentis animi conſilio utitur, in rebus aſperis non perturbatur, neque tumultuando quaſi de gradu dejicitur.

Achææ, non Achivi.

Ἀχαιΐδες οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. id eſt, Achææ haudquaquam amplius Achivi. Proverbialis, ſed idem acerbus in Græcorum jactantiam morſus, quaſi præter verborum tumorem nihil habentes pectoris ac virilitatis, minimum à fœminis diſcrepantes, quarum tam proprium eſt garrire, quam ſit virorum, præclara edere facinora: unde & addit *ἀπειλητῆρες* velut qui minis territarent, procul tantum catellorum in morem allatrantes. Hanc Homeri ſententiam paraphraſtice reddens Sophocles aſperiore morſu dixit.

Μὴ γυναῖκας ἀντ' ἀνδρῶν πελάζεσθαι.

Id eſt,

Ne propius aſtare pro maribus fœminæ.

Longe namq; mitius eſt, nec aures tam odioſe radit. Achivam vocari, quam pro mare mulierem: unde compoſita voce Androgyni nominati ſunt. Neque minorem vehementiam obtinet Xerxis teſtimonium de Arthemiſiæ fortitudine, quæ Cariæ regina in navali conflictu ſtrenue pugnaverat, deque ſuorum ducum mollitie: quod tale commemorat Herodotus: *οἱ μὲν ἄνδρες γεγόνασί μοι γυναῖκες, αἱ δὲ γυναῖκες ἄνδρες*. i. Viri fuerunt mihi fœminæ, at vice verſa fœminæ viri. Quam vero acerbum viro ſit vulnus & contumeliæ plenum, fœminam audire, teſtatur idem Herodotus, ubi ait, *ἐσβαλόντες κακῶς μεγάλως ἐργάζοντο, καὶ γυναῖκας ἀνεκάλεον*, id eſt, Quos adorti ingenti clade affecerunt, fœminasque nuncuparunt. Idem alibi: *παρὰ δὲ Πέρσῃσι γυναικὸς κακίω ἀκοῦσαι, ὄνειδος μέγιστόν ἐστι*. id eſt, Apud Perſas graviſſima contumelia eſt, ut quis fœmina mollior vocitetur. Neque abludit hinc Seſoſtris regis factum, qui ſi quando parva moleſtia, citraque conflictum, in ditionem ſuam redegiſſet oppidum aliquod aut nationem quampiam, curabat cippis aut columnis erectis inſculpi muliebria pudenda cum maſculeis, ut effœminatam illorum virilitatem innueret. Quadrabit igitur in imbelles parumque viros ut & Virgilii illud lib. Æneidos nono.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.——

Quod haud dubie effictum eſt ad imitationē joci Homerici, quaſi qui ſecundum fabuloſas Poetarum metamorphoſes, priorem virilitatis naturam exuerint, vel cum leporibus ambiguum ſexum alternarint. Sunt qui paronomaſiæ ſchema inibi latere exiſtimant, quod annotat Euſtathius: quale illud eſt, *οὐ Φίλιππος, ἀλλὰ φιλίππειον ἐκράτησε τῆς Ἑλλάδος*, id eſt, Non Philippus, ſed Philippium Græciam ſubjugavit.

Tanquam Gorgone conſpecta.

De repente attonito, metuque perculſo dicitur. Heliodorus lib. 4. *ἡ δὲ ὥσπερ τὴν γοργοῦς θεασαμένη κεφαλὴν ἤ τι τῶν ἀπευκταίων ἐξάπινα μέγα ἀνέκραγε*. i. Illa non aliter ac conſpecto Gorgonis capite, aut alio quopiam monſtro: altum vociferata eſt. Gorgones Phorcynis Ponti Terræque filii natæ fuerunt, ut fabulantur Heſiodus in Theogonia, Hyginus, & Baſſus in Ataræo commentario, oculo uno exemptili præditæ tres alatæ, anguibus loco crinium implexæ, aprugnis dentibus, manus habentes æneas, & alas quibus volarent, ut annotatum eſt à doctiſſimo ſcholiaſte Æſchyli: quarum nomina fuerunt, Stheno à robore, Meduſa à regni cura, Euryale ab imperio maris appellatæ: quarum meminit in Agamemnone Æſchylus.

Αἰδὲ γοργόνων δίκην
Φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
Πυκνοῖς δράκουσιν.

Id eſt,

Atratæ & angues involutæ crinibus.
Illæ inſtar Gorgonum.

Gorgo autem & Gorgon ad incutiendum terrorem formidabilis fuiſſe fingitur, horribili aſpectu, unde Homer. Iliad. 11.

Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
Δεινὸν δερκομένη.——

Id eſt,

Torva tuens Gorgon clypei lucebat in ære.

Tam vero teter & horrendus earum obtutus fuiſſe perhibetur, ut in ſaxa obriguiſſe homines ſolo aſpectu crediti fuerint, quo ſpectat illud Homeri.

Δεργοὺς.

aut ut Zenodotus maluit,

Γοργόνος ὄμματ' ἔχων.——

Id eſt,

Gorgoneos torquens oculos.——

& Martialis lib. 9.

Avertam vultus, tanquam mihi pocula Gorgon
Porrigat, atque oculos oraque noſtra petat.

Æſchylus in Prometheo, de Typhone loquens,

Ἐξ ὀμμάτων δ' ἤστραπτε γοργωπὸν σέλας.

Id eſt,

Vibrabat ex oculis Meduſæum jubar.

Vlyſſes apud Homerum Odyſſeæ undecimo, pavidum fugiſſe ſe ait,

Μή μοι γοργείην κεφαλὴν δεινοῖο πελώρου
Ἐξ Ἀΐδεω πέμψειεν ἀγαυὴ Περσεφόνεια.

Id eſt,

Ne mihi Perſephone conjunx Plutonia tetrum
Gorgonei capitis monſtrum ſubmitteret Orco.

Jamblicus Gorgonem cupiditatem nominat, quæ illectos vecordibus affectionibus homines, materiæ immergit, ſaxeoſq; efficit. Alexander Myndius hiſtoricus apud Athanæum in 5. refert, Gorgona animal eſſe Libycum, non diſſimile vitulo, quod diro minacium oculorum aſpectu intuens enecet. De Gorgone lege Palæphatum.

BRASSICANI. *Inter meros lepores.*

Ariſtophanes in comœdia cui titul. *Σφῆκες*, *ἐν πᾶσι λαγῴοις*, id eſt, Tantum in leporibus. Interpres exponit, & Suidas etiam cum Heſychio meminit, *ἐν χρείᾳ λαγῶν, ἐν ἀγαθοῖς πᾶσι, ἐν τρυφῇ*, In media leporum carne, hoc eſt, in vaſtis commoditatibus atque deliciis. Quis enim ignorat ex Martiali Poeta lib. 5. atque Plin. lib. 28. c. 19. leporem in cibis ſumptum, gratiam corporis in ſeptem dies conſervare? Lampridius ſcribit Poetam quendam in Alexandrum Severum ita ſcripſiſſe.

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum regem,
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus facit & lepus comeſus,
Ex quo continuum capit leporem.

COGNATI. *Fugere nemine perſequente.*

Dicuntur qui pueriliter trepidant, ubi nihil omnino ſit periculi, aut quavis de cauſa expaveſcunt: Fugietis, inquit Moſes nemine perſequente (Levit. 26.) terrebit eos ſonitus folii volantis: & ita fugient, ut a gladio fugere ſolent homines: & cadetis nemine perſequente. Trepidabunt (inquit David Pſalm. 13.) illic timore, ubi non erat timor, id eſt, ubi nulla erat timendi cauſa. Proverb. 28. Fugit impius, nemine perſequente. Interpretatur id Polydorus in adag. de illo quem ſcelerum mordet conſcientia, & publici oculi metu patriam non ſemel mutat Gregorius Theologus lib. 2. Sententiarum.

Φύλλον λαγωοὺς ἐκφοβοῦσιν αἰτίαι,
Ἄνδρας δ' ἀνάνδρους αἱ σκιαὶ τῶν πραγμάτων.

Id eſt,

Folium ſono lepores ſtrepens ſuo, viros,
Effœminatos umbra rerum territat.

Sanguine caret.

Timidum ac nullius animi ſignificare volentes, ſanguine penitus carere dicimus. Sic Æſchines orator Demoſthenis contumelioſam vocem in Alexandrum Macedonem refellens, ſanguine carere illum ipſum dixit, ignavum eum ac nullius animi oſtendens. Verba ipſa oratoris hæc ſunt, *ἀντιλαμβάνεται δὲ λέγων ὡς οὐ ...* [illegible] Empedocles ait, vim animi eſſe ſanguinem circa præcordia. ille autem cui ſanguis frigidus eſt, natura eſt tardi ingenii, & hebetis: & ille cui ſanguis eſt calidus, eſt prompti & celeris ingenii.

Nebrida fert.

Nebrida ferre dicuntur, qui natura ſunt timidiores, ac vini amantes. Bacchus enim ab Indica expeditione rediens, id genus pellium Nebridum geſtabat.

Das aſſem elephanto.

Proverbium eſt, quod Auguſtus, Suetonio & Macrobio teſtibus, uſurpabat in eos qui timide aliquid agunt. Qui enim aſſem, id eſt, nummum elephanto dabat, cum pavore & formidine porrigebat: cujus meminit Quintilianus libro ſeptimo. Quod autem elephantis ſtipes à populo darentur, teſtatur Plinius lib. 8.

Lepore timidior.

Lepori ſupreme timidum eſt ingenium, & pavor ſupra unumquodque aliud animal peculiaris: à quo, uti Pollux ait, etiam *πτὼξ* appellatur, *πτώσσειν* enim formidare eſt. Hinc Cornificii Poetæ dictum: qui videns bello civili, quod inter Auguſtum & Antonium gerebatur, milites frequenter fugere, galeatos lepores eos in opprobrium appellitabat. Leporem enim etiam crepitus frondium terret, ut ait Greg. Nazianzenus in diſtichis ſententioſis.

Vmbræque rerum timidulos terrent viros.

Caudam inter crura ſubjicit.

Vulgatum in hæc tempora proverbium. Qui autem animum deſpondet, vel ab incœpto propter ignaviam percuſſus deſiſtit, ſubjicere, vel reflectere eum inter crura caudam objicimus. A canibus ſumptum, qui quoties fugam arripiunt, præ metu abacti, caudam inter crura ſubjiciunt. Quod etiam in lupo inſigniter obſervatur. Reducere enim caudam ſub uterum, præcipuum eſt ſignum pavitatis. Quod cum Virgil. non ignoraret, his verſib. ejus ingenium deſcripſit Æneid. 11.

Ac velut ille, priuſquam tela inimica ſequantur,
Continuo in montes ſeſe avius abdidit altos,
Occiſo paſtore lupus, magnove juvenco,

Conſcius

Conſcius audacis facti, caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, ſylvaſque petivit.

Caudam remulcens, id eſt, reflectens, & ſub verenda reducens.

Auro pallidior.

Catullus ad Juventium.
———Inaurata pallidior ſtatua.

Aurum etiam Græcis χλωρὸν dicitur. Notum illud vetus, & ab Ariſtoph. interprete expoſitum: τί ποτ' ἐστὶ χλωρὸν ἀντιβολῶ τὸ χρυσίον; δεδιὸς ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί. Silius hoc aſtures colore in aurifodinis verſantes, adfecta valetudine, atque ægros eſſe ſignificat, hiſce verbis

Sed ſcelerum cauſas aperit Deus, Aſtur avarus
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

Lucianus ſub finem Galli, οἴμωζε καὶ ἀγρύπνει καὶ ὅμοιος γίγνου τὸ χρῶμα τῷ χρυσῷ προσιτηκὼς αὐτῷ. id eſt, Plora ac vigila, aurique ſimilis corpore reddaris. quandoquidem illi affixus ac deditus es. Catullus in Pelei & Thetidis nuptiis.

Quanto ſæpe magis fulgore expalluit auri.

COELII RHODIGINI.

Umbram ſuam ipſius metuens.

Δέδιε τὴν ἑαυτοῦ σκιάν. Significat poſtremis rerum, perinde ac primis, ſtudium non magnopere impendendum, quoniam animæ perniciem concinnant, id eſt, veræ cognitioni, &c. quæ congruit in primis, tenebras perfectioni intendunt. Natum à Narciſſo, qui imaginem ſuam in aquis conſpicatus, ejus amore captus deſiluit, eoque modo abſumptus eſt: vel, quod verius, qui corpus & corpoream vitam, quæ animæ poſtremum idolum eſt, amplexatus arctius, ſuffocatus eſt.

Conclamare vaſa.

Pro demigrare, Cic. Cæſ. Tralatio à conſuetudine militari, qui caſtra moturi ſignum dant, & vaſa conclamant, ſeu convaſant.

GULIELMI GENTII.

Porrigis tanquam elephanto ſtipem.

De homine timido & verecundo. Sumptum à pueris, timide eſcam elephanto porrigentibus. Sueton. in Auguſto.

MELCHIORIS NEIPEI.

Ut ovis lupum conſpicata.

φεύγεις δ' ὥσπερ ὄις πολιὸν λύκον ἀθρήσασα.

Id eſt,

Contemplata lupum, fugis, ut pecus, improba, canum.

Theocrit. eidyl. 11. Qui indicabit ſe vehementer abhorrere à cujuſpiam uſu & conſuetudine, & longe fuere vitæ ſocietatem & amicitiam; hic Theocriti verſus vel in primis quadrabit. Ut ſi quis dixerit: A ſophiſtis ita abhorreo, ut non periode εἰς πολιὸν λύκον ἀθρήσασα. Quod ex Hom. ut multa alia, ductum eſt Iliad. 10. ubi Achilles ad Hectorem loquitur his verbis.

Ὡς οὐκ ἔστι λέουσι καὶ ἀνδράσιν ὅρκια πιστά.
Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν.
Ἀλλὰ κακὰ φρονέουσι διαμπερὲς ἀλλήλοισιν.
Ὡς οὐκ ἔστ' ἐμὲ καὶ σὲ φιλήμεναι. οὔτε τι νῶϊν
Ὅρκια ἔσσονται πρίν γ' ἢ ἕτερόν γε πεσόντα.

Hunc Homeri locum imitatus Horat. lib. Epodon, in Menam Pompeii libertum ita invehitur.

Lupis & agnis quanta ſortitio obtigit.
Tecum mihi diſcordia eſt.

TOLERANTIA.

ERASMI. Chalcenterus.

Χαλκέντερος olim dicebatur inſigniter patiens laborum, atque indefatigabilis, velut habens ærea inteſtina: qualem fabulæ narrant fuiſſe Talo, cuſtodem inſulæ Cretæ. Hoc cognomen inditum eſt Didymo grammatico, ob incredibilem numerum librorum, quos ſcripſiſſe dicitur. Eadem de cauſa Origenes dictus eſt Adamantius.

Socratis gallus, aut callus.

Nonius Marcellus è Varrone citat Socratis gallum, in ſignificationem calvitiei: inveniſſe ſe, quum dormire cœpiſſet tam glaber quam Socratis gallus, eſſe factum ericium cum pilis & proboſcide. Sentit, quiſquis illic loquitur, ſe quum iret cubitum, fuiſſe lævi corpore, nec ullos habuiſſe pilos toto corpore. In ſomno tráſformatum in ericium, qui totus hirſutus eſt, & ſuum more proboſcidem habet. Scio locum eſſe mendoſum, nec me fugit quid habeat Aldina æditio, quæ pro gallo, legit calvum. Lectio tolerabilis eſſet, ſi pro calvum legamus callum, hoc pacto, Inveniſſe ſe, quam dormire cœpiſſet tam glaber quam Socratis callus ſive callum, eſſe factum ericium, &c. Socrates corporis erat patientiſſimi, quod ad omnem laborem occalluerat: ambulabat nudis pedibus, dormiebat humi. Hinc jocus in Socratis callum. Non ignoro quid narrent de gallo deplumato, quem Diogenes, ni fallor, immiſerat in ſcholam Platonis: ſed magis placet, ut legamus callum: facilis enim tranſitus eſt, à c in g, cognatam illi literam. In corporis partibus quæ callum habent, non proveniunt pili, velut in pedum cavo, & vola manuum. Vulgus literarum ſignificans nihil eſſe quod det oſtenſa vola manus, dicere ſolet: Hinc mihi pilum evelle. Adagium conveniet in nudos & inopes.

EX APPEND. JUNII, CANTERI & aliorum.

Connivendo ferre.

Μύσαντα φέρειν. In eos qui patienter aliquid ferunt. Sumptum ab iis, qui clauſis oculis ictum accipiunt, vel Pharmacum bibunt, Ariſtid. in Rhodiaca.

TORVITAS.

ERASMI. Origanum tueri.

Ὀρίγανον βλέπειν, dicebantur qui robur & maſculum animum præferebant. Suidas refert hoc carmen ex Ariſtophane, uti conjicio, licet metro depravato.

Παρέξομ' αὐτὸν ἀνδρειότατον τὸ λῆμα καὶ βλέποντ' ὀρίγανον.

Id eſt,

Præbebo meipſum animo virilem, ac tuentem origanum.

Sumptum ab acrimonia herbæ, ut reſpondeat illis alibi dictis. Tueri ſinapi aut naſturtium. Quidam cunilem vocant, ejus generis, quod Dioſcorides appellat Heracleoticum. Nam eſt aliud genus, dictum ὄνιτις, eſt tertium quod Panaces Heracleum vocant. Ita Dioſcorides lib. 3. Plinius lib. 20. c. 14. tradit origanum cõ ſimile pulegio ſylveſtri.

Areopagita Titanicus aſpectus.

Vide locum, Lætitia.

Mortem tueri.

De torvo aſpectu.

Γοργὸν βλέπειν.

Vide in loco, Diligentiæ.

TOTUM UT NIHIL reliqui.

ERASMI. Omnia chnaumata.

Πάντα χναύματα, id eſt, Omnia chnaumata, dicebant olim, quoties omne negocium ſignificabant, χναύματα enim Græci placentarum, atque id genus ciborum fragmina vocant, Latini quoque Reliquias belli, & reliquias Danaum dicunt ſimili figura. Refertur adagium à Zenodoto.

Cum pulviſculo, una cum ipſis manipulis.

Vide in loco, Avaritiæ.

Una cum templis & aris.

Plutarchus locis aliquot in Sympoſiacis ſignificat antiquitus fuiſſe morem, ut quoties uni cuipiam deo res divina fieret, omnibus ſimul vota fierent: videlicet ne Calydonii ſuis tragœdia renovaretur. Invocantes autem deos, addebant hæc verba, ceu ſolennia: ἅμα σὺν ναοῖς καὶ βωμοῖς, id eſt, Una cum phanis & aris. Non admonet quidem ille palam, eſſe proverbium: tamen ita videtur uſurpare, ut conjicere poſſis, proverbio dici ſolitum, cum nihil omnino prætermiſſum volebant ſignificare. Quemadmodum & hodie vulgo dicunt, Una cum veſtibus & calciamentis; &, Demigrarunt una cum ſarcinis & impedimentis.

Ruta cæſa.

Ne in rutis quidem & cæſis, haud dubie proverbiali ſpecie dictum eſt à Cicerone libr. De Oratore 2. pro eo quod eſt, nulla in parte: Sed dicere te, cum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis, ſolium tibi paternum recepiſſe. Quo quidẽ loco illud obiter admodum, in vulgatis Tullii codicibus perperam pro recepiſſe, legi reliquiſſe: id quod ſatis liquere poteſt ex Nonio Marcello, qui in dictione Receptitius, hunc ipſum Ciceronis adducit locum. Eſt enim hoc loco recipere, idem quod excipere. Porro quod ſibi velint Ruta cæſa (nam verba ſunt peculiaria Jureconſultis) abunde patet ex Pandectar. libr. 19. lib. 18. Si ruta, inquit Ulpianus, cæſa excipiantur in venditione, ea placuit eſſe ruta, quæ eruta ſunt, ut harena, & ſimilia: cæſa ea eſſe, ut arbores cæſas & carbones, & his ſimilia. Gallus autem Aquilius, cujus Mela refert opinionem recte ait fruſtra in lege venditionis De rutis & cæſis contineri, quia ſi non ſpecialiter venierint, ad exhibendum de his agi poteſt. Neque magis de materia cæſa, aut de cementis, aut harena cavendum eſt venditori, quam de cæteris, quæ ſint precioſiora. Meminit & in Topicis de rutis & cæſis M. Cicero: Nam ne præterirem aliquid, quod ad argumentum tum in omni ratione reperiendum pertinet, plura fortaſſe quam abs te deſiderata erant, ſum complexus:

plexus. feceitque quod ſæpe liberales venditores ſolent, ut cum ædes, fundúmq; vendiderint, rutis cæſis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi cauſa apte & ſuo loco poſitum eſſe videatur. Meminit & in Partitionibus: Et cũ ſignificabimus inclementius tolli omnia, neq; quicquã fieri reliqui, venuſte dicemus: Ne rutis quidem ac cæſis receptis, ut Jureconſultorũ more loquar.

Cum ramento.

Tropo proverbiali cum ramento reddidiſſe dicitur, qui totum reddidit nulla ex parte decurtatum. Sumptum apparet à fabris ærariis, qui ſibi ſervant quod lima deraſerint. Plautus in Bacchidibus: Quia patri omne cum ramento reddidi, cum ramento additum ἑνιαυτόν gratia. idem velut interpretatur, ſubjiciens, Omne oppido: hoc eſt, omne prorſus. Cum pulviſculo, & cum ærugine, alias nobis dicta ſunt. Plautus in rudentibus: Converret jam hic me totum cum pulviſculo.

Et prædam & præmium.

Quoties ſignificamus omnino quippiam auferendum ſive jure ſive injuria, dicemus & præmium & prædam auferendum. Præmiũ datur pro meritis: præda per vim aut arte abducitur. Ballio in eadem fabula: Aufertur id præmium à me, quod promiſi per jocum. Correſpondet ſenex: De improbis viris auferri præmium & prædam decet, ſentiens malos quovis modo ſpoliandos, eo quod ſi quid male fit malis, benefactum eſt: ſicuti bene dictum eſt, quod divinis male dicitur.

Principium, medium, finis.

Plato lib. De legibus 4. refert hoc quaſi vulgo decantatum, Deũ univerſitatem rerum omnium complecti, hoc eſt, principium, medium & finem. Ab illo enim omnium quæ ſunt, initium, incrementum, & ſumma. ἄνδρες τοίνυν φῶμεν πρὸς αὐτούς, ὁ μὲν δὴ θεὸς ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος, ἀρχήν τε καὶ τελευτὴν καὶ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων, εὐθείᾳ περαίνει κατὰ φύσιν περιπορευόμενος. id eſt, Sic igitur illis loquamur, Deus quidem ô viri, quemadmodum & vetere proverbio dicitur omnium quæ ſunt principium, finem ac medium continẽs, rectum peragit curſum, ſecundum naturam circumiens.

TVMVLTVS.

ERASMI. Tyria maria.

Tyria maria proverbio dicebantur, de re magnopere tumultuoſa, periculique plena. Feſtus Pompeius inde natum adagium indicat, quod Pœni Tyro oriundi adeo potentes maris fuerunt, ut per hos omnibus mortalibus navigatio eſſet periculoſa. Citatque Afranium, qui ſcripſerit de quopiam, quod Tyria maria concitet: hoc eſt, ingentes turbas excitaret.

COGNATI. Cyclopica muſica.

Νυκτοπόροι, & qui nocte vagantur: tunc enim cum cibo potuque diſtenti ſunt, eorum Cyclopica muſica & tetræ vociferationes præcipue exaudiuntur. Euripides in Cyclope indicat, qualis ejus ſit muſica: ᾄδει δὲ παρὰ κλαίοντι συναοιδοῖς ἀμούσοις. Cyclopes in littore Siculo fuerunt.

Artus ſemi hominum patulis qui faucibus, imo
Integros vivoſque homines crudo ore vorarent:

ut canit Alcimus Avitus lib. 4. De horum Principe Polyphemo Virgil.

Viſceribus miſerorum, & ſanguine veſcitur atro.

Inter eos nulla honeſtas valuit, nullæ leges fuerunt, nulla ſocietas ſervata eſt, ut ex Homero patet, & Euripide, & vitam Cyclopicam ad Nicomachum deteſtatur Ariſtot. Cyclopum Deus venter fuit, μεγίστη δαιμόνων ἡ γαστήρ, quorum ſimiles ſunt, quos Apoſtolus ad Philippenſes notat: Deum ventrem fecerunt. Unde Polyphemus Homericus,

Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων. ———

Vide ſupra, Titani: & infra, Gigantes.

VANITAS.

ERASMI. Quæ apud inferos.

Eodem loco interpres admonet & hujus adagii, tanquam eundem habentis ſenſum, τὰ ἐν ᾅδου, id eſt, Ea quæ apud inferos. Citatque Ariſtarchum autorem: idque inde natum putat, quod Cratinus finxerit quendam apud inferos funem torquentem: aſinum autem arrodentem ea quæ ille jam torſiſſet, atque ita inaniter laborare qui torquebat. Quanquam illud, τὰ ἐν ᾅδου, generaliter ad omnia pertinet, quæ poetarum fabulis traduntur, nulli credita niſi pueris. unde cum inania ſomniiſque ſimilia ſignificabimus, apte dicemus, τὰ ἐν ᾅδου. Athenæus lib. 4. Dipnoſophiſtarum refert Democritum ſcripſiſſe volumen, cui titulus fuerit, τὰ περὶ τῶν ἐν ᾅδου, prodigioſis, ut conjectandum eſt, refertum fabulis: & hinc poteſt videri ductum proverbium.

Deinde expergiſcebar.

Εἶτ' ἐξηγειρόμην, id eſt, Deinde expergiſcebar. Hoc dicto ſignificabant vana fuiſſe quæ dicerentur. Ariſtophanes: κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγειρόμην: id eſt, Deinde ego expergiſcebar. Bacchus in Ranis jactat apud Herculem ſe navalem pugnam exercuiſſe, & duodecim aut tredecim hoſtium naves demerſiſſe. Id cum Herculi nequaquam veriſimile videretur, Bacchum imbellem & delicis effœminatum Deum, graviter in bello geſſiſſe ſeſe, per jocum ſubjecit, κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγειρόμην. Quanquam interpres admonet, hunc ſermonem a nonnullis non ad Herculem, ſed ad Xanthiam referri, nonnullis ad ipſum Bacchum, ut ſignificatur, ſe dedita opera mentitum fuiſſe quæ narrarat. Carmen Ariſtophanis adſcribam. Hercules,

Καὶ ναυμαχήσας.

Bacchus,

Καὶ κατεδύσαμέν γε ναῦς
Τῶν πολεμίων, ἢ δώδεκ' ἢ τρεῖς καὶ δέκα.

Hercules,

Σφώ;

Bacchus,

Νὴ τὸν Ἀπόλλω.

Hercules.

Κᾆτ' ἔγωγ' ἐξηγειρόμην.

Id eſt,

Et prælium navale geſſiſti? obſecro.
Quin duodecim hoſtium rates, aut tredecim
Submerſimus. Vos quæſo? Nos videlicet.
Ac poſtea ſane reliquit me ſopor.

Hic jocus proverbialis etiam hodiernis temporibus familiaris eſt vulgo, quoties quæ memorantur, vana ſomniiſque ſimillima videntur. Res enim frivolas ὀνείρατα vocamus. πάντα σχεδὸν οἷον ὀνείρατα λέγων, id eſt, Paſſim fere: velut ſomnia narrans. Unde frivolarum rerum obſervatores ὀνειροπόλους appellant Græci. Videtur ad hoc faceti alluſiſſe M. Tullius, dum ſomnium Scipionis, in quo multa fabuloſa commemorat de concentu orbium, de animabus, ita claudit: Ille diſceſſit, ego ſomno ſolutus ſum.

Cilix haud facile verum dicit.

Κίλιξ οὐ ῥᾳδίως ἀληθεύει, id eſt, Cilix haud facile verum dicit. Dionyſius in Epiſtola ad Rufum Scholaſticum: λόγος ἐστὶ παλαιὸς μὴ ῥᾳδίως ἀληθεύειν τοὺς Κίλικας. id eſt, Vetus verbum eſt, Cilices haud facile verum dicere. Quanquam ἀληθεύειν, aliquoties eſt re præſtare quod dixeris. Quadrabit in hominem avidum lucri, & ob id ſæpenumero dicentem non quæ vera ſint, ſed quæ utilia. Natum adagium à moribus ejus gentis quo nomine nunc vulgo notant Ultrajectinos.

Cretizare cum Cretenſi.

Vide in loco, Similitudinis.

Mentiuntur multa cantores.

Πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. id eſt, Multa mentiuntur cantores. In eos quadrabit, qui ad gratiam loquuntur, & auribus blandiuntur. Inde ductum, quod cantores hoc modo ſpectantes, ut delectent ac placeant, pleraque canunt in laudem auditorum falſa. Nihil enim veritate gravius, nihil aſſentatione ſuavius. Ariſtot. lib. τῶν μετὰ τὰ φυσικά. id eſt, ἀλλὰ κατὰ τὴν παροιμίαν, πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. id eſt, Sed juxta proverbium, Multa mentiuntur poetæ. Eſt autem, ni me fallit memoria, hemiſtichium, de citharœdis ſolitis in convivio canere. At hoc dictum quoſdam uſque adeo movet, ut prorſus ab omnibus omnium poetarum ſcriptis abſtineant, non minima portione eruditionis.

Fumos vendere.

Nimis quam elegans adagium extat apud Martialem, Fumos vendere: pro eo quod eſt, Principum benevolentiam, ſimulato cõmendationis officio, per occaſionem familiaritatis pretio, vendere. Nam fumus initio quidem magnum quiddam eſſe videtur, verum evaneſcit ilico. Martialis carmen hoc eſt,

Vendere nec vanos circum palatia fumos:
Plaudere nec Cano, plaudere nec Glaphyro.

Unde & præſtigioſam rerum magnarum ſpem atque oſtentationem, fumum ac nebulas vocamus. Divus Hieron. contra Ruffinum: De tanta librorum ſylva unum ſurculum ac fruticem proferre non potes. Hi ſunt veri fumi, hæ nebulæ. Nam Ruffinus opprobrarat Hieronymo, quod poetarum literas quaſi fumos objiceret virginibus non intellecturis. At Hieronymus proverbii telum imperite tortum in eum retorquet doctius, indicans eo verbo non obſcuritatem, ſed inanem ac falſam oſtentationem ſignificari. Plutarchus de Deo Socratis: τὸν δὲ τῦφον ὥσπερ τινὰ καπνὸν φιλοσοφίας εἰς τοὺς σοφιστὰς διασκεδάσας, id eſt: Faſtum autem ceu fumum quendam Philoſophiæ in ſophiſtas diſperſit. Porro genus hoc hominum, maximam aularum regalium peſtem, Helius Lampridius eleganter ac luculenter exponit in Imperatoris Heliogabali vita. Ejus verba libuit ſubſcribere: Zoticus, inquit, ſub eo tantum valuit, ut ab omnibus officiorum Principibus ſic haberetur, quaſi Domini maritus eſſet. Erat præterea idem Zoticus, qui hoc familiaritatis nomine abutens omnia Heliogabali dicta ac facta venderet, fumis quam maxime divitias enormes ſperans, cum aliis atque aliis polliceretur, omnes falleret. Egrediénſque ab illo, ſingulos audiret dicens, De te hoc locutus ſum, hoc de te audivi, hoc de te futurum eſt. Ut ſunt homines hujuſmodi, qui ſi admiſſi fuerint ad nimiam familiaritatem

tatem Principum famam non ſolum malorum, ſed & bonorum Principum vendunt: & qui ſtultitia vel innocentia Imperatorum, qui hoc non perſpiciunt, infami rumigeratione paſcuntur. Hactenus ille. Cæterum adagium fecit inſignius, Thurini Verconii ſupplicium. quod quidem in vita Alexandri Severi, idem Helius refert ad hunc modum: Solus, inquit, poſtmeridiem, vel matutinis horis, idcirco nunquam aliquos videbat, quod ementitos de ſe multa cognoverat, ſpeciatim Verconium Thurinum: quem cum familiarem habuiſſet, ille omnia vel fingendo ſic vendiderat, ut Alexandri quaſi ſtulti hominis, & quem ille in poteſtate haberet, & cui multa perſuaderet, infamaret imperium. Sicque omnibus perſuaſerat, quod ad nutum ſuum omnia faceret. Denique hac illum arte deprehendit, ut quendam immitteret, qui à ſe quiddam publice peteret, ab illo autem occulto quaſi præſidium poſtularet, ut pro ſe Alexandro ſecreto ſuggereret. Quod cum factum eſſet, & Thurinus ſuffragium promiſiſſet, dixiſſetque ſe quædam Imperatori dixiſſe, cum nihil dixiſſet, ſed in eo pendere ut adhuc impetraret, eventum vendens. Cumque iterum juſſiſſet Alexander interpellari, & Thurinus quaſi aliud agens, nutibus annuiſſet, neque tamen interim quicquam dixiſſet, impetratum autem eſſet quod petebatur: Thurinus autem ab illo qui meruerat, fumi venditor ingentia præmia percepiſſet, accuſari eum Alexander juſſit. Probatis per teſtes omnibus, & quibus præſentibus quid accepiſſet, & quibus audientibus quid promiſiſſet, in foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit: & fumo appoſito, quem è ſtipulis & lignis humidis fieri juſſerat, necavit, præcone dicente. Fumo punitur qui vendidit fumum. At ne in una tantum cauſa videretur crudelior fuiſſe quæſivit diligentiſſime antequam damnaret: & invenit, Thurinum ſæpe etiam in cauſis ab utraque parte accepiſſe, cum eventus venderet, & ab omnibus qui aut præpoſituras, aut provincias acceperant. Atque inibi paulo poſt: Nec dedit alicui facultatem, vel fumorum vendendorum de ſe, vel ubi de aliis male loquendi: maxime occiſo Thurino, qui illum quaſi fatuum & væcordem ſæpe vendiderat. Quid autem dixerit forum tranſitorium, ipſe in ejuſdem vita videtur explicare, cum alio quodam loco ſic ait: Qui de eo fumum vendiderat, & à quodam militari centum aureos acceperat, in crucem tolli juſſit, per eam viam qua eſſet ſervis ſuis ad ſuburbana Imperatoris iter frequentiſſimũ. Porro genus illud ſupplicii, Avidius Caſſius Imperator primus excogitaſſe legitur, ut ſtipitem prælongum poneret, pedum centum octoginta, id eſt, materiam, & e ſummo uſque ad imum damnatos ligaret, & ab imo focum apponeret, incenſiſque aliis, alios fumi cruciatu, timore etiam necaret. Hactenus ille. Immane profecto ſupplicium, ſed tamen factis tam peſtilentibus dignum. Atque utinam non etiam hodie, non Principum modo, verumetiam Epiſcoporum aulæ paſſim hoc teterrimo hominum genere ſcaterent, ac non complures haberent Thurinos, atque adeo plus quam Thurinos: Quippe qui non officium modo falſo promiſſum vendunt, verum etiam ipſum ſilentium, videlicet Demoſthenicum quiddam referentes: imo quod eſt utroque ſceleratius, linguæ venenis officiunt iis, à quibus officii pacti mercedem acceperunt. Utinamque noſtri temporis Principis Alexandrum Severum curent imitari: qui cum eſſet Ethnicus, præterea Syrus genere poſtremo vehementer adoleſcens, tamen adulatoribus, delatoribus, judicibus furacibus, fumi venditoribus, atque id genus aulæ peſtibus uſque adeo erat infenſus, ut vir alioqui moribus placidiſſimis, his demum eſſet implacabilis. Circumfertur & hoc tempore proverbium in ſplendida promiſſa aulicorum. Ajunt enim Thus aulicum, ſignificantes thureum illum vaporem, qui nunc inter ſacra ſpargitur acerra penſili. Quod quidem à noſtro non admodum abludit. Addunt & aquam conſecratam aulicorum, eam aquam ſignificantes, quæ pro templis proponitur, ut qui ingrediuntur aut egrediuntur, ea ſeſe conſpergant.

Somnium.

Rem futilem, inanem & nihili, ſomnium proverbio dicimus. Terentius in Adelphis: De Argento ſomnium. Lucianus in Harmonide, πάντα ἐκεῖνα ὑπηνέμια ὀνείρατά φασι, καὶ λόγων σκιαί id eſt, Omnia illa ſubventanea ſomnia, ſicut ajunt, & verborum umbræ. Idem in dialogo Nirei & Therſitæ & Menippi: ὀνείρατά μοι λέγεις. i. Somnia mihi narras. Plato lib. de Repub. 7. οὕτω ὕπαρ ἡμῖν καὶ ὑμῖν ἡ πόλις οἰκήσεται, ἀλλ' οὐκ ὄναρ id eſt, Atque ita vere nobis ac vobis civitas habitabitur, non autem ſomnium. Idem in Theæteto: ἄκουε δὴ ὄναρ ἀντὶ ὀνείρατος. i. Audi jam ſomnium pro ſomnio, frivolã rationem pro frivola. Et Syrus ſervus in Adelph. herum ſuum ſomnium vocat, præ Demea: Tu quantus quantus es, nihil niſi ſapientia es: ille futilis, ſomnium. Plautus in captivi duo: Hic vigilans ſomniat. Plato lib. De legibus 3. ſomnia dixit, pro tenuibus veſtigiis. Qum enim narraſſet Darium non fuiſſe Regis filium, ſed eruditione rectaque inſtitutione ſic ad regnum perveniſſe, ut ipſe in diviſione principatus ſeptimam modo portionem obtineret: οὗ καὶ νῦν ἔτι, inquit, σμικρὰ ὀνείρατα λέλειπται id eſt, Cujus rei nunc quoque exigua reſtant ſomnia.

Ne ſi bos quidem vocem edat.

Alciphron in Epiſtola Glyceræ ad Menandrum, ἀλλὰ τοῦτο μὲν οὐδενὶ τρόπῳ μὰ τὰς θεάς. οὐδ' εἰ βοῦς μοι, τὸ λεγόμενον, φθέγξαιτο, πεισθείην ἄν, id eſt, Hoc autem nullo pacto crediderim, ne ſi bos quidem fuerit elocuta. Hinc dictum eſt, quod in annalibus frequenter commemoratur, bos humanam vocem reddidiſſe. Memini legere, ni fallor, apud Platonem non diſſimili figura dictum, Etiam ſi quercus eloqueretur. Nam olim e quercubus Dodonæis reddebantur oracula.

Hiberæ næniæ.

Hiberas nænias Divus Hieronymus nugas appellat, in præfatione quam præpoſuit Moyſi Pentateucho: Quod multi ignorantes, inquit, apocryphorum deliramenta ſectantur, & Hiberas nævias libris authenticis præferunt. Idem in 11. quæſtionibus: Et Hiberas nævias Ægyptiaque portenta ſectari. Opinor Hiberas nænias dici, propter prodigioſas maleficiorum fabulas vulgo jactatas. Nam hiberos maleficiorum infamia laboraſſe, teſtis eſt in Odis Horatius. Niſi quis mavult ad flumen auriferum Tagum referre. Quanquam ipſe Divus Hieron. in Epiſtola adverſus Vigilantium, ſatis indicat de portentis ac monſtris intelligendum, ſcribens ad hunc modum: Et quia ad radices Pyrenæi habitas, vicinuſque es Hiberiæ, Baſilidis antiquiſſimi Hæretici, & imperitæ ſcientiæ incredibilia portenta perſequeris. Athenæus in ſecundo tradit Hiberos, cum eſſent opulentiſſimi, tamen ob parſimoniam ſemper ὑδροποτεῖν ſolitos, & μονοσιτεῖν, hoc eſt, aquam bibere, & ſolos cibum capere: cæterum veſtitu fuiſſe ſumptuoſiſſimo, Citat hoc ex Athenæo Stephanus. *Sed pro* μικρολογίᾳ, depravatum eſt μακρολογία.

Epiphyllides.

Refertur & hic ſenarius Ariſtophanis è comœdia quæ inſcribitur Ranæ, in proverbio,

Ἐπιφυλλίδες ταῦτ' ἐστὶ καὶ στωμύλματα.

id eſt,

Epiphyllides ſunt hæc & ampullæ meræ.

Eum ajunt convenire in blandiloquos, & phaleris verborum inſtructos magis quam egregiis factis. Epiphyllides enim Græcis dicuntur minutiores botri majoribus adhærentes. Calliſtratus omnes minutulos racemulos Epiphyllidas appellari ſcribit, quod ſub pampinis lateant. Nam hic nomen, quo foliis adhæreant, Eſt autem id luxuriantis arboris argumentum. Theocritus in Aita meminit de puſtulis naſo innatis, quæ mendacem arguunt, id ſuo loco dicetur.

Tantali horti.

Ταντάλου κῆποι, id eſt, Tantali horti. De bonis, quibus tamen frui non liceat: aut de iis, quæ videantur, aliquid eſſe, cum nihil ſint: Philoſtratus in vita Apollonii, lib. 4 τοὺς Ταντάλου ἴσθι κήπους ὁρᾷς, ὡς ὄντες οὐκ εἰσί id eſt. Tantali hortos videtis, inquit, eſſe cum non ſint. Nota eſt fabula de Tantalo apud inferos ad aquam ſtante, deque pomis in caput imminentibus: cum ſitiens interim atque eſuriens neutra poſſit contingere. De his nonnulla retulimus prius in proverbio, Adonidis horti.

Apologus Alcinoi.

Ἀπόλογος Ἀλκίνου, id eſt, Apologus Alcinoi. de longis & ancillibus fabulamentis. Refertur a Diogeniano & Julio Polluce lib 6. Sumptum ex Homeri Odyſſea. ubi Ulyſſes in convivio Alcinoi. Phæacum Regis, prodigioſas ac diridiculas fabulas, & portentoſa mendacia commemorat de Lotophagis, Læſtrigonibus, Circe, Cyclopibus, atque id genus aliis plurimis miraculis: fretus videlicet Phæacum inſcitia barbarieque. Plato de Repub. lib. 10. ἀλλ' οὐ μέντοι σοι ἦν δ' ἐγὼ Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ, ἀλλ' ἀλκίμου μὲν ἀνδρὸς Ἠρὸς τοῦ Ἀρμενίου τὸ γένος Παμφύλου, id eſt, Haud tibi ſum narraturus Alcinoi Apologum, ſed excellentiſſimi viri Eris Armenii genere Pamphyli. Narrat autem eo loco fabulam, quæ cum Læſtrygonum Cyclopumque figmento facile certare poſſit. Scribit enim, cum hic inter multos cecidiſſet in prælio, decimoq; poſt die cadavera cæſorum tollerentur, reliquis putribus, hujus unius cadaver integrum atque incorruptum adhuc apparuiſſe: domumque deportatum ut juſtis ceremoniis ſepeliretur, die duodecimo, cum eſſet imponendus rogo, revixiſſe, ac prodigioſa quædam narraſſe, quæ diebus illis decem apud inferos tum iens, tum rediens conſpicatus eſſet.

Anicularum deliramenta.

Γραῶν ὕθλος, id eſt, Anicularum deliramenta, De nugis inanibus, cujuſmodi ſolent effutire vetulæ, cum jam ſexus vitio vitium ætatis accedens, nugacitatis morbum conduplicat. Extat proverbium apud Platonem in Theæteto: ταῦτα μὲν γάρ ἐστιν ὁ λεγόμενος γραῶν ὕθλος, id eſt, Nam hæc quidem ſunt quod dici ſolet, anicularum nugæ. Itidem Cicero in oratione pro domo ſua, dixit anilem ſuperſtitionem.

Aſini mortes.

Ὄνου θανάτους, id eſt, Aſini mortes, ſubaudiendum narrat. Dicebatur in eos, qui narrarent abſurda, ridiculaque dictu, cujuſmodi fuerit, ſi quis lõga narratione perſequatur aſini pericula, quemadmodum Ulyſſis deſcripſit Homerus, Apuleius in Metamorphoſi ſua, plane ὄνου θανάτους commemorat, Adagium refertur à Suida.

Subventanea parit.

Ὑπηνέμια τίκτει, id eſt, Subventanea parit. De vanis ac frivolis

volis inventis. Tranſlatum ab avibus, quæ Veneris imaginatione concipiunt ova, ſed inania, hoc eſt, unde non gignatur fœtus. Ariſtophanes in Avibus,

Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν.

Id eſt,

Parit primum ſubventaneum nox nigripennis ovum.

Hos conceptus potiſſimum accidere in his avibus, quæ ſunt neque veloces, neque aduncis unguibus, cujuſmodi ſunt perdix, gallina, demonſtrat Ariſtot. libro De generatione animalium 3. cauſam eſſe, quod excremento magis abundant. Volaces & aduncas, nec ſalaces eſſe, nec fœcundas: quod in his excrementi ſeminalis pars, in pennas & in ungues abeat. Concipiuntur hujuſmodi fœtus aliquoties audita maris voce, ſicuti fit in perdicibus: aliquoties ex affrictu pulveris, aliquoties fœminis ob inopiam maris inter ſe ſalientibus. Author & Plinius. Eaque ova Græci *ὑπηνέμια*, id eſt, ſubventanea, ſive *ζεφύρια* vocant, à vento Favonio. Unde quæ vana ſunt, *ἀνεμιαῖα* dicuntur. Plato in Theæteto: *ἀλλὰ φέρε δὴ αὐτὸ κοινῇ σκεψώμεθα γόνιμον ἢ ἀνεμιαῖον τυγχάνει* id eſt, Sed age jam illud communiter diſpiciamus, ſolidus ne partus ſit, an ſubventaneus. Et Homerus: *κακὰ δ' ἀνεμώλια βάζεις* dicta inania, & ventis ſimilia ſignificans. M. Tullius, in Epiſtolis ad Atticum. *ἀνεμοφόρητα* vocat inania, quæ ventis ferantur, de gladiatoribus: De cæteris quæ ſcribis *ἀνεμοφόρητα*, facias me quotidie certiorem.

Cypariſſi fructus.

Κυπαρίττων καρπούς, id eſt, Cypariſſi fructus: de verbis dictu magnificis, cæterum inutilibus. Proverbium fluxit à natura arboris, quam Plin. lib. 16. ſcribit, natu moroſam eſſe, fructu ſupervacuam, baccis torvam, foliis amaram, odore violentam, ac ne umbra quidem gratioſa. Hactenus Plin. Atqui hujuſmodi cum ſit, tamen proceritate (unde & conifera vocatur à Poetis) ac perpetuo virore, neque non naſcendi difficultate, novum aliquem fructum polliceri videtur. Theophraſtus autem lib. De cauſis plantarum 1. ſcribit ſemen cupreſſi adeo eſſe minutum, ut vix oculis percipi poſſit. Neque enim hujus eſſe fructum totum id quod pilæ ſpeciē gerit, ſed quod cono innaſcitur, per quam tenue & exile, laricis ſemini proximum, quod pilula ſua dilabitur, nec legi niſi ab experto poteſt.

Cæcum inſomnium.

Τυφλὸν ἐνύπνιον, id eſt, Cæcum inſomnium, de re frivola vanaque. Quædam enim inſomnia portendunt aliquid, quædam inania ſunt, quemadmodum ſunt & bruta fulmina.

Calidum mendacium.

Calidum facinus, *θερμὸν ἔργον*, pro audaci dici monuimus alias. Simili figura dici ſolere calidum mendacium, pro audaci & impudenti, docet Plautus in Moſtellaria.

Calidum hercle audivi eſſe optimum mendacium.

Aut non eſt mentiendum, aut eſt fortiter mentiendum: alioqui mox deprehenditur, qui verecunde mentitur. Quemadmodum Æſchinus Terentianus. Non ſtas, quod ſciam.

Pſydracia.

Theocritus in Aita,

ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω.

Id eſt,

Non mihi naſcentur nares mendacia ſupra.

Scholiaſtes addit apud Siculos, qui ſupra nares haberent puſtulas albas, quas illi vocant *ψυδράκια* ſive *λεῦκας*, aut *ἴονθους*, pro mendacibus haberi ſolitos vulgo. Quin & hodie vulgo dicunt: Naſus tuus arguit mihi te mentiri. Idem jocus eſt vulgi de miraculis unguium. Quin & ipſas narium puſtulas Græci *φλύκταινας* vocant, ut indicat idem Scholiaſtes. Amans hoc ænigmate ſignificat ſe nihil mentiturum de amica. Iones *ψυδράκας* appellant varias puſtulas: Hinc diminutivum *ψυδράκια*. *ἐξανθήματα*, quod in ſumma cute efflореſcant. Res ipſa plane ſuperſtitioſa eſt, & caſum eſſe puto, quod novi quendam cui non naſus tantum, ſed tota pene facies pſydraciis erat operta. Nec ullum unquam animal vidi vanius aut impudentius mendax.

Doſones.

Plutarchus in vita Pauli Æmilii tradit Antigonum Regem, Demetrii nepotem, eo quod benigne promitteret omnibus, nec præſtaret promiſſa, populari joco dictum fuiſſe Doſonem, quaſi Latine dicas Dabonem: quod ille quidvis petentibus reſpondere ſoleat *δώσω* id eſt, Dabo. Tales ſunt *χειρολόγοι*, de quibus alibi nobis dictum eſt.

Ovidius,

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.

Hujuſmodi Doſonibus ſcatent aulæ Principum: Cras, mox redi.

EX APPEND. ERASMI.

Res palæſtræ & olei.

De rebus ad meram oſtentationem & luſum comparatis. In palæſtra non erant armati, ſed uncti, unde difficiliores prehenſiones. Unde & vires horridas ſine nitore & palæſtra vocat ſtylum inaccuratum Cic. & unctam conſuetudinem loquendi, nitidam vocat idem: itemque orationi afferre palæſtram, & extrema lineamenta orationi afferre, pro, venuſtatem addere, quanquam in poſtremo ſit alia metaphora, ſumpta à pictoribus.

IUNII. Splendida cœna famem non ſedat.

Λαμπροῖς δείπνοις τὸ πεινῆν οὐ παύεται, id eſt, Splendida cœna non placatur eſuries. Eruditi ſcriptoris & rerum varietate conditi lectio non ſaturat amicum, neque diſerti facundia aures exatiat. Citatur ab Athenæo in primo ex Antiphane.

Οὐχὶ δὲ τοῖς λαμπροῖσι γὰρ
Δείπνοις τὸ πεινῆν παύεται.

Id eſt,

Neque enim abjicialis & ſplendida
Cœna famem placaverit.

Varietas namque condita nea novam ſemper excitat orexim: alioqui ſplendida etiam cœna ad paſcendos oculos aureis argenteiſque lancibus inſtructa, eſuritionem haud ſedat. qualis illa fuit, quam lepide deſcribit Martialis libro quarto Epigrammate in vulgatis omiſſo, quod tale eſt:

Ad cœnam nuper Varus me forte vocarit:
Ornatus dives, parvula cœna fuit.
Auro, non dapibus oneratur menſa: miniſtri
Apponunt oculis plurima, pauca gulæ.
Tunc ego: Non oculos, ſed ventrem paſcere veni.
Aut appone dapes Vare, vel aufer opes.

Turgida nomina.

Φλεγμαίνοντα ὀνόματα, quaſi turgida nomina, dixit Syneſius proverbialiter grandiloquis, & haud vulgaris, in Epiſtola ad Euoptium, ubi deſcribit vim tempeſtatis, & decumanorum fluctuum impetum, apparatu ſplendido verborum minime trivialium. *Ἰδοῦ γάρ μοι*, inquit, *καὶ φλεγμαινόντων ὀνομάτων, ἵνα μὴ τὰ μεγάλα κατὰ μικροπρεπέστερον ἀπαγγείλω*. id eſt, Turgidis enim vocabulis mihi opus eſt, ne periculi magnitudinem indigniore quam par eſt oratione deteram. Idem in libello de inſomniis, *καὶ ξενιζούσης τῆς γλώττης ὑλομανούσης τε καὶ φλεγμαινούσης ὀνόμασι καινοτέροις*. id eſt, Linguæ apparatum luxuriantem & inuſitatis vocabulis turgentē. Philoſtrat. de Apollonio Tyaneo: *λόγων ἰδέαν ἐπήσκησεν οὐ διθυραμβώδη καὶ φλεγμαίνουσαν ποιητικοῖς ὀνόμασι*, id eſt, Dicendi genus exercuit non dithyrambicum & poeticis verbis turgidum. Simili modo Salvianus Epiſcopus Maſſilienſis, vir doctiſſimus, libro de providentia Dei, dixit, Scripta Latinitate tumida, ac ſi dicas, *λόγους φλεγμαίνοντας ἐμφαίνῃ γλώττῃ*. Theodoretus de paupertate loquens. *φλεγμαίνειν οὐκ ἐᾷ καὶ κατὰ τοῦ ἡνιόχου σκιρτᾶν*. id eſt; Turgere non permittit, & adverſus aurigam calcem tollere. Ita Philoſtorgius de Euſebia Conſtantini Imp. uxore; *ὑποδεχομένη τοῖς θέλγοις καὶ τὴν γνώμην φλεγμαίνουσα*. Id eſt; Ita accenſa, animoque tumens. D. Clemens *ἐπιθυμίας φλεγμαινούσας* vocat libidinem turgidam & exæſtuantem. Syneſius *τραπέζας φλεγμαινούσας* ſaltantibus dapibus refertam menſam. Nazianzenus libro De recto ordine, *ἡ φλεγμαίνουσα καὶ σπαταλῶσα τράπεζα* id eſt, Turgida & inſana menſa. Plutarch. Sympoſ. 4. *ὥσπερ ἀλεξιφάρμακα πρὸς τὰς πολυτελεῖς καὶ φλεγμαινούσας τραπέζας ἀποκρεμάσαντες*. id eſt: Veluti amuleta adverſus ſumptuoſas, & turgidas epulas ſuſpendentes. His opponit Jon. comicus *ἀφλεγμάντους τραπέζας*, menſam tenuem & non ad ſpecialem, non turgidam appellans. Athenæus, *οὕτω περιφερομένους ἀφλεγμάντους εἶναι τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχάς*. id eſt: Ita enutritos neque corpore turgeſcere. Huc ſpectat Antiphanis comici cœna frugalis ex bulbis & fungis: *τοιοῦτος βίος ἀπυρετος φλέγμ' οὐκ ἔχει*. id eſt, Ejuſmodi victus febrium vacuus eſt tumore omni carens. Heliodorus etiam *κύματα φλεγμαίνοντα*, ingentes fluctus dixit, libro quinto.

Tela aranea.

Ἱστὸς ἀράχνης, id eſt, Araneæ tela, pro re frivola & parvi momenti, proverbialiter accipitur apud Theodoretum Cyri Epiſcopum, lib. De providentia 6. *τὴν ὑπ' αὐτῶν πλακεῖσαν κατηγορίαν, ἱστὸν ἀράχνης ἀποδείξωμεν*. id eſt, Accuſationem ab illis contextam, araneæ telam eſſe oſtendamus, hoc eſt, nihilo fortiorem quam ſit caſſis araneæ, invalidam nimirum, & inanibus argumentis conſutam. Futiles ergo rationes & infirmas, *ἱστοὺς ἀράχνης*, id eſt, araneæ caſſes vocabimus appoſite quod eos quicquid illabitur, facile diſcindit. Proclus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, *πλέκοντες συλλογισμοὺς ἀράχνης ἀσθενεστέρους*, id eſt; Texentes ſyllogiſmos aranearum telis fragiliores. & iterum *ὄντως ἱστὸν ἀράχνης ὑφαίνουσιν οἱ ταῦτα λέγοντες*. id eſt. Qui iſta dictitant, revera telam araneæ contexunt. Nazianzenus in carminibus:

Ἱστοῖς ἀραχναίοις νήμασιν αἶσιν ἴκελον.

Id eſt

Ducere arachnæis ſtaminibus ſimilem.

Apollinarius illud Pſalmiſtæ. Conſumpſiſti animam ejus ut araneam, obſcure dictum Pſalmo 36. clarius ita reddidit:

Καὶ θυμοῦ ἔτηξας ἀραχνείοιο ἴσον ἀρωγήν.

Id eſt,

Fregiſti huic animi robur, ceu ſtamen arachnes.

Tales quoque Solon legum latori dixiſſe memoratur, vanam operam ſibi illo inſumi, ὅτι τοῖς ἀραχνίοις νήμασιν εἰσὶν ὅμοιοι οἱ νόμοι, &c. quoniam araneæ caſſibus ſimiles eſſent leges: quod à potentioribus ſolvantur.

Tenedia tegula.

Τενέδιος κέραμος, id eſt, Tenedium fictile, proverbiali ſchemate dicitur de re fragili, & in qua contrectanda magna opus ſit religione. Dion. Chryſoſt. oratione 42. ἐγγὺς δὲ παραπλήσιον πεπόνθαι τοῖς ἐμοῖς λόγοις τῷ κεράμῳ τῷ Τενεδίῳ· καὶ γὰρ ἐκείνου πᾶς μὲν ὁ παραπλέων ἐμβάλλεται χεῖρα μοι, οὐδεὶς δὲ ὑγιῆ διακομίζει ἐνδίως, ἀλλὰ πολλοὶ συντρίβουσι πλείονες, ἢ συντρίψαντες, ὄστρακα ἔχοντες λανθάνουσι αὐτούς, id eſt, Idem propemodum meis orationibus accidit, quod fictilibus Tenediis: illuc enim qui prӕternavigant advenӕ omnes, manum fictilib. immittunt, nemo autē fere integrum perfert, ſed pleriqne omnes ea vel atterendo perfringunt, vel collidunt, ignorantes teſtacea ſeſe tractare. Loquitur de ſuis ſcriptis, quӕ quum omnibus in ore eſſent, multi libere de induſtria verba immutabāt, vel ne memoriӕ lapſum proderent, vel etiam inviti, quibus nihil eſſet peculii, unde librum compararent, atqi verbatim ediſcerent. Transferri poteſt proverbium ad orationem aut carmen, in quibus qui immutare & liberius trāſponere verba conatur, is facile impingit, ut aut orationis vim enervet, aut ſanguinem deducat, aut curſum frangat. Anxietate ſumma & ſollicita cura hic opus eſt, quod interdum unica ſyllaba, imo litera, momentum omne trahat. Cōgrue, ut exiſtimo, de ſacra Scriptura dici poterit: quam cum veluti ceream, flectique facilem, in utramvis partem interpretentur Hӕretici, in ferme accidere videmus, ut quӕ confirmandӕ ſuӕ opinioni faciunt teſtimonia, mutilate hinc inde congerant, raro locum integrum in medium proferant. Sobriis autem animis tractari vult Scriptura ſacra, haud perfunctorie & ruditer: unde fit, quod inſimulat Nazianzenus, ut τοῖς μὲν ἀρετῆς ὅπλον, τοῖς δὲ κακίας κέντρον, hoc eſt, iſtis quidem virtutis ſit armamentum, illis vero nequitiӕ calcar. Quod de ſacra Scriptura dixi, locum habet etiam in aliis ſcientiis Non alio rſum Hieroſolyma multi & quidem doctiſſimi viri ſe contuliſſe leguntur, quam ut prototypos libros inſpicerent, lectioniſque fidem explorarent, ut ea ratione lubricos erroris materiam ſubtraherent: inter quos Originem & Melitonem Sardianum, alioſque Nicephorus commemorat. Ea in parte, prӕter Tachygraphos & Calligraphos, quos vetuſtas habuit, illos qui ſcribendi celeritate vivam vocem ferme exӕquarent, hos qui nitide literas calamo exararent, primatum obtinentij, quos ἀντιβολεῖς Strabo nominat, qui magna deligentia & religione conferebant, ab archetypo ne latum quidem unguem diſcedere auſi.

Tantali menſa.

Ταντάλου τράπεζα, id eſt, Menſa Tantali, effertur de re qua frui nō liceat. Melite Epheſia apud Achillem Statium libro quinto amore Clitophontis incenſa quum Veneris fructum ſolicitaret apud illū identidem tergiverſantem: Nӕ ego, inquit, totum Tantali menſӕ non abſimilem nacta ſum. Prӕceſſerunt autem hӕc verba: Tanto ne tempore ut propter fluvium ſedeam, neque ſitim explere queam? nam quum ſedulo inſtaret Melite, ut litando Veneri nuptias confirmaret amans, ille amaſiӕ ſuӕ Leucippes deſiderio hoc dans, congreſſum connubiumq; cum Melite vitabat, diem ſemper eximendo. Nota eſt de Tantalo fabula, in mediis undis ſitiente, & imminentibus ori ipſius pomis frui non potente. quam rem eleganter idem & breviter expreſſit Petronius Arbiter:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus, infelix, quem ſua vota premunt.

Oreſtis ſomnium.

Ὀρέστειον ὄνειρος id eſt, Oreſtӕum ſomnium, de re fabuloſa & commentitia, futilique dicitur, ita uſurpat Galenus Therapeutices methodi libro primo ὥσπερ ὀρέστου ὄναρ διηγῇ Θεσσαλε, id eſt, Oreſtis ſomnium nobis narras Theſſale. Huic ſimile eſt illud Dionis Chryſoſtomi, ἐνύπνιον ἔοικα ὁρᾶν ἀγροὺς καὶ κώμας, id eſt, Videbar mihi videre inſomnia quӕpiam, agros & vicos quos prӕdicabat.

Corticeus.

Dionyſius Longius Rhetor inſignis libello περὶ ὕψους, id eſt, de ſublimi dicendi genere, enumeratis aliquot ſcriptoribus frigide affectantibus arduum ſcribendi genus, Clitarchum (cujus ingenium probari, fidem infamari dicit Fabius) φλοιώδη ἄνδρα, id eſt, corticeum hominem appellat, vanum & ſubere leviorem, ac corticis inſtar abſque pondere innatantem. Verba ejus ſunt, φλοιώδης γὰρ ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα, μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς δ᾽ ἄτερ, id eſt, Corticeus vir, & juxta Sophoclem, exilibus tibiis ſpirans, ſed abſque ligals. Licebit torquere in futilem, fideique irritum hominem, Corticeum illum nominando. Diverſum ab eo eſt illud Crantoris Solenſis apud Laertium de tragœdo quopiam: τραγῳδὸν γὰρ ἀπελέκητον αὐτὸν ἔχειν φωνὴν καὶ φλοιοῦ μεστήν. id eſt, Tragœdum dixit habere vocem indolatam & cortice plenam. qua ratione rude & illaboratum carmen haud opus ſine cura ſcriptum, ἀπελέκητον καὶ φλοιοῦ μεστὸν proverbiali ſchemate dicemus, velut nondum aſcia delibratum aut dedolatum. Dictum illud Crantoris de tragœdo Suidas memorat de ipſo Crantore, ut qui rudem habuerit vocem, εἶχε δὲ, inquit, ὁ ῥήτωρ φωνὴν ἀπελέκητον καὶ φλοιοῦ μεστὴν τραγῳδῶν, id eſt: Habuit Rhetor indolatam & cortice inductam vocem in agendis fabulis.

BRASSICANI. Chorus domeſticus.

Lucianus in Rhetore χορὸν οἰκεῖον, Chorum domeſticum proverbialiter appellat Conductitios laudatores. Ita Cicero in primo de Oratore: Stultitiӕ ſuӕ quam plurimos teſtes domeſtico prӕconio conducentis, Idem in tertia Verrina: mercenarium prӕconium appellat.

Lamia turris.

Quintus Septimius Florens Tertullianus in libro adverſus Valentinianos: Nonne tale aliquid dabitur te in infantia inter ſomni difficultates à nutricula audiſſe, Lamiӕ turres, &c. Proverbium eſt; de re quӕ fingitur eſſe mirē formidabilis, cum tamen omni periculo careat: quemadmodum infantibus horribilia de Lamiis nutriculӕ narrare conſueverunt. Nonius Marcellus & Lactantius lib. 1 cap. 22. Divinarum Inſtitutionum, hos verſus ex Lucilio Poeta citant:

Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliique
Inſtituēre Numӕ, tremit hās, hic omnia ponit,
Ut pueri infantes credunt ſigna omnia ahena
Vivere, & eſſe homines, ſic iſti hӕc omnia ficta
Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe & ahenis.

De Lamiis & multa & abſtruſa quӕdam diximus in Lamiam Politiani.

Cantilena ex ſcholis.

Cantilena ex ſcholis, proverbio dicitur res nugatoria, ac plane nullius utilitatis: Cujuſmodi A. Gellius ſcholica nugalia vocat. Cicer. lib. 1. De oratore: Neque ex ſcholis cantilenam requirunt. Ita divus Hieronymus in prœmio 8. libri commentariorum in Eſaiam: Teſtamentum autem, inquit, Grunnii Corocottӕ Procelli decantant in ſcholis puerorum agmina cachinnantium. Idē adverſus Rufinum: Quaſi non Cyrrhatorū turba Mileſiorum in ſcholis figmenta decantent, & teſtamenta ſuis cachinno membra concutiat. Quoniam autem hoc loco tanquam aliud agentes teſtamenti Grunnii Porcelli mentionem fecimus: admonitum volumus optimum quemque lectorem, ne putet hoc eſſe γνήσιον hujus porci teſtamentum, quod quidam annis ſuperioribus neſcio quibus admixtis ineptiſſimis ineptiis, depravatum edidit. Mihi certe nō placet hoc hominum genus, quod rebus antiquis aliquid pro ſua libidine ſolet adjicere: cum ille germanam ſuam gratiam prorſus amittant, ſi quid aut addideris, aut detraxeris. Proinde nos hoc teſtamentum egregie feſtivum, ut à matre, hoc eſt, ab antiquiſſimo exemplari, Moguntiӕ deſcripſimus, citra fraudem invulgabimus. (Reperies hoc, Lector, infra poſt Pythagorӕ Symbola ex Braſſicano.)

COGNATI. In fumum abiit.

Itali & Galli ſermone ſuo hoc modo loquuntur, cum rem aliquam repente e manibus elapſam ſignificant. Dicunt enim: In fumum abiit atque ita evanuit. Lucretius lib. 3. De rerum nat.

Et nebula & fumus, quoniam diſcedit in auras.

Et paulo poſt:

Ergo diſſolui quoque convenit omnem animai
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.

Hoc primum argumentum eſt, quo Epicurus, ſeu Lucretius oſtendere conatur, animam eſſe mortalē. Anima conſtat ex primis corporibus longe ſubtilioribus & minoribus, quam aqua, aut nebula, aut fumus: at aqua vaſe fracto diffugit ac diffluit. fumus & nebula qua patet exitus, diſcedunt in auras: ergo multa magis anima cum exceſſit è corpore, diffunditur ac diſſipatur. Quod argumentum infirmum eſt Huic ſimile eſt Plautinum illud in Trinummo, quo Cic. in L. Piſonem uſus eſt: Ratio hercle apparet, argentum οἴχεται Gregorius Theolog. lib. 3. Sententiarum:

Ὡς οὐδὲν ἐστι τὸν βίον διαγράφειν,
Ἢ καπνὸν, ἢ ὄνειρον, ἢ ἄνθος χλόης.

Id eſt,

Ut vita ſit (nam rite ſic depinxeris)
In ſomnium, fumuſque floſue herbӕ brevis.

Ἐκ πίνακος καὶ πλαισίου.

Proverbium de re commentitia, quoniam in porticibus & tabulis depingi tabulӕ ſolebant. Plutarchus in libello de particula Ei inſcripta foribus, Delphici templi: Cӕterum iſta, inquit, profuſa ex porticu & tabula.

COGNATI. Aphrodiſium juſjurandum.

Venereum juſjurandum, pro vano & momenti nullius, ex adagio uſurpatur, quoniam ejuſmodi ſit amantium adjuratio, quibus pejerare frequentiſſimi moris eſt: vel impune. Catul. in nupt. Pelei & Thetid.

Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt.
Sed ſimul ac cupidӕ mentis ſatiata libido eſt,
Dicta nihil meruēre, nihil perjuria curant.

Tibullus ex collaudatione Pauſaniӕ apud Platonem in Sympoſio, Eleg. 1. lib. 3.

Nec jurare time, Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta ſumma ferunt.

Ovidii præceptum tale eſt in ij. de Arte amandi:

Promittas facito: quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt.

Nuſquam tuta fides: ———

[illegible] dixit Dido Virgiliana.

Et Catullus in iiſdem nuptiis:

Nunc jam nulla viro juranti fœmina credat.

Huc reſpiciens Ovidius ſub perſona Ariadnes querentis ſe à Baccho relictam fuiſſe, ſic ait in 3. Faſtorum:

Nunc quoque nulla viro, clamabo, fœmina credat.

(Lege hoc alibi in proverb. Venereum jusjurandum.)

Extra ſomnum, Somnium narrare.

Extra ſomnum uſurparunt veteres, pro revera. Inter quos Sophocles in Electra, Herodotus in Erato & in Melpomene, atque etiam alibi pro viſu miraculi ponit. Contra ſomnium narrare dicuntur, qui rem futilem, inanem & nihili recitant. Lucianus in Nerei & Therſitæ & Menippi dialogo ὀνείρατά μοι λέγεις, id eſt, Somnia mihi narras. Plato in Theæteto: ἄκουε δὴ ὄναρ ἀντὶ ὀνείρατος, id eſt, Audi jam ſomnium pro ſomnio, frivolam rationem pro frivola. Gregorius Theol. lib. 2. Sentent.

[illegible]
[illegible]

Id eſt,

Parvo parato cœna frugi plus juvat,
Quam menſæ lautæ quam ſtruas per inſomnium.

Idem.

[illegible]
[illegible]

Id eſt,

Diteſcit amens ſomnii prolixius,
Abyſſo auri quam cui ſit maxima.

(Huic finitimum in Eraſm. Somnium.)

Ajunt, Scilicet.

A clariſſimis Grammaticis annotatum eſt, apud Latinos authores plerunque in re falſa & non credenda verbum, Ajunt, uſurpari. Atque Paulus ad Rom. 3. eleganter dixit: Ajunt quidam nos dicere de re vana. Certos intelligit: quorum tamen nomina ſupprimit Chriſtiana modeſtia. In rem enim ſævire oportet, homini vero parcendum eſt. Donatus in Eunuch. Terentiana: Semper ait dicimus, inquit, cum rei inviſa nobis & audientibus, vel vana narramus alicujus. Idem in Hecy. Bene ait, quaſi vanum. Sic enim dicimus: Aio, ait, de rebus nugatoriis. Ibidem:

Quid morbi eſt? P. Febris S. Quotidiana? P. ita ajunt.

Vbi idem Donatus: Bene aliud adſcripſit, ſi falſum ſit, ut ipſis mendacium adſcribatur: & religioſe mendacium ad rumorem transtulit. In Andria:

Hodie uxorem ducis. P. Ajunt.

Vbi Donatus: Ajunt, de ea re dicimus, quam volumus eſſe falſam. Virg. 4. Æneid. Ironicôs de Ænea,

Quem ſecum patrios, ajunt, portare penates,
Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem.

Itidem, ſcilicet, per amaritudinem quandam cum riſu permiſtam, profertur, ut ait Valla lib. 2. Virgil. quarto Æneid.

Scilicet is ſuperis labor eſt. ———

Terent. in Andr. Meum gnatum rumor eſt amare. D. Id populus curat ſcilicet. hoc eſt, veluti per ſenſum contrarium, nimirum: Id populus non magnopere curat. Ita exiſtimato, populo non maxime eſſe curæ, filius tuus amet, necne. Hoc proverbii loco uſurpavit Cicero, Attico ſcribens lib. 13. Id populus curat, ſcilicet. Eraſmus noſter in commentario de Copia verborum: Non iſta curat populus, id populus curat ſcilicet. Hic per ironiam, inquit commutata eſt ſermonis facies. Cæſar in oratione quam habuit contra Catilinam: Quo illa oratio pertinuit? an ut vos infeſtos conjurationi faceret? Scilicet? Seneca de morte Claudii Cæſaris: Scilicet hic pius & juſtus. Sumuntur aut frequenter id genus dictiones & ironice à claris authoribus, & in proverbii vicem transferuntur, etiamſi nulla figura proverbialis adſit. Videlicet quoque, & Quaſi vero, particulæ ſunt ironiis omnino aptæ. Innumera ſunt alia apud Plautum & Terentium exempla. Scilicet autem, etiam pro ſcire licet: & Videlicet, pro videre licet, ſeu perſpicuum eſt, accipiuntur: nec ſunt inuſitata.

Verba dare, Nugas.

Dicuntur verba dare, qui beneficium verbis, non re dant, quique ſuos ſplendidis promiſſis alunt, officiaque pollicitis rependunt: hoc eſt verba pro farina, ut alio proverbio dicitur. Peculium, inquit Pomponius Juriſconſultus, re, non verbis, augendum eſt. Jacobus Curtius in Epiſtola, quam Inſtitutionum Juris civilis libris à Theophilo anteceſſore in Græcum translatis præfixit: Cum impellentibus huc amicis V. C. editionem hanc adornarem, quibus potius in animo habebam, quam ut cuiquam eos dicarem: propterea quod nihil in iis meum viderem, præter verba, hoc eſt, rem adeo levem ac nihili, ut inde natum ſit proverbium, de iis qui compoſita in fraudem oratione falſa pro veris obtrudunt, quod verba dare dicantur. Hinc Baptiſta Mantuanus Ecloga 5.

Si quid Roma dabit, nugas dabit accipit aurum.
Verba dat: heu Romæ nunc ſola pecunia regnat.

Ex eo lictum eſt, quod qui multa & magnifica pollicentur: nihil ſere præſtant. Cicero [illegible]. Scilicet verba dedimus, decepimus. Vbi explicat, quid ſit verba dare. Quadrigarius. Ea Lucani ubi reſciverunt, per fallacias ſibi verba data eſſe. Seneca l. 6. Epiſt. Ne verba nobis dentur, & eſſe in illis aliquid magni ſeſe ferret judicemus. Idem lib. De clement. 2. cap. 14. Poſſunt verba dare, & evadere puſilla mala: ingentibus obviam itur, quæ ſcilicet [illegible] luxuriant, quam prævideri præcaverive poſſint: poſſunt verba dare & decipere, etiam ſine verbis: ut docet Gell. lib. 17. cap. 2. Accipitur quoque pro decipere, quod Eraſmus noſter annotavit in ſuis Chiliadibus. Terent. in Eunucho: Data hercle verba mihi ſunt. In Adelphis: Satis jam verba dediſti nobis. Porro nugæ proverbialiter dicuntur verba frivola, & nihil ad propoſitum facientia, ridicula, parum ſeria, & ſuperflua, inania, futilia, nugatoria, & (ut utar Plautino verbo) mortualia, res vanæ: ſic dictæ quod nihil agant, & nullius ſint precii nec ponderis, aut ſermones levium rerum, & plerumque ſcurriles, joculariique, unde Catul. & Martialis poemata ſua vocant nugas, ut de manibus minimeque ſeriis rebus agentia. Plaut. in Menec. Nugæ ſunt meræ. Idem in Trin. Hic poſtulet frugi eſſe, nugas poſtulat. Perſ. ſatyr. 1. Ne mihi Labeonem prævaluerint. Nugæ. Lucilius apud Lactantium lib. 5. cap. 9. tenebroſam iſtam vitam circumſcripte breviterque depinxit his verſibus:

Nunc vero à mane ad noctem, feſto atque profeſto,
Totus item pariterque die populuſque patreſque
Jactare induſoro ſe omnes, decedere nuſquam,
Vni ſe atque eidem ſtudio omnes dedere & arti:
Verba dare ut caute poſſint, pugnare doloſe,
Blanditia certare, bonum ſimulare virum ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Res ad Ovidii metamorphoſes revocandæ.

Res fabuloſa denotatur, ac proinde digna quæ fictis Ovidii transformationibus inſulciatur. Deſcribit enim Ovidius μεταμορφώσεις fabuloſas, ut Æglés puellæ in populum arborem, Hecubæ in canem. Idem ibidem: Eam rem ad Ovidii metamorphoſeis adjiciendam.

Iam fama mimum fecit.

Adeo vulgaris res eſſe cœpit, etiam immeritos inter deos conſecrare, ut ſcenicis ludis argumentum ſubinde præbeat. Nam quid eſt aliud Senecæ ludus de apotheoſi Claudii Cæſaris, quam mimus quidam? Hinc: Olim, inquit, magna res erat Deum fieri. Jam fama mimum fecit, ſcilicet Deum: vel intelligas licet, fabulæ argumentum præbuit. Significat autem Mimus modo hiſtrionem actorem, modo carmen ipſum ſive fabulam. Sic Laberius Mimum quendam, ut author eſt Gellius, Cophinum inſcripſit, alium Alexandriam, alium Fullonem. Hujuſmodi mimus fuit Laureolus, quem Catullus mimographus edidit, in quo Judex agebatur in crucem. Laureoli mimi Juvenalis & Martialis meminerunt, & Tranquillus in Caio Caligula. Non diſſimilia huic hodie vulgo triviſſima ſunt: Fama ex muſca elephantum facit, Fama tantum notus de vulgari notitia. &. Fama doctus.

Λογοποιεῖν.

Plutarchus in Paulo, λογοποιεῖν poſuit, pro fabulas & falſos rumores ſpargere. Idem in extremo Niciæ: Is qui de clade Siculienſi incerto authore nuncium retulerat tonſor, δίκας λογοποιίας ἔσχε, infortunium habuit. Julianus quoque Apoſtata in Epiſtola quadam Herodotum per ignominiam [illegible] λογοποιὸν vocat, nugacem, & fabularum, non hiſtoriæ ſcriptorem. Galli ut eamque dictionem ſic exprimunt, idque proverbialiter, Fableur, & fabler.

Πυλαϊκὴ ὀχλαγωγία.

Græcis inanes & vulgares fabulæ, quibus rudes & inepti homines, otioque affluentes delectantur atque tenentur, dicuntur πυλαϊκὴ ὀχλαγωγία. Apud portas otioſos homines convenire nugandi & garriendi cauſa conſuevisse, notum, & adhuc uſitatum eſt Germanis hujuſmodi nugas, tantarlin dicunt.

Nihil fugacius.

Pervulgata ſignificatione intelligitur, quod illico è manibus hominum vel ex oculis effugit, cum teneri videatur. Fugax autem dicitur, quod tenorem ſuum diu non ſervat. Cicer. ad Plancum lib. 10. Epiſt. Perge igitur ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati: atque hæc omnia quæ habent ſpeciem gloriæ, collecta inanibus ſplendoris inſignibus contemne, brevia, fugacia, & caduca exiſtima. Budæus Delonio: Profecto (ut video) nihil fugacius ſimplicitate iſta morum. Idem lib. 1. De contempt. rer. fortuit. Nihil ante Chriſti adventum inveſtigabilius veritate, ab ejus vero deceſſione nihil fugacius fuiſſe. Sic Plin. lib. xv. Perſica mala præcocia, fugacia appellat: Non aliud, inquit pomum fugacius. Longiſſima namque decerpto bidui mora eſt. Sic vinum fugiens Ciceroni in Officiis appellatur, quod cito in vitium inclinat: hoc eſt, οἶνος ἐξιστάμενος. Et literæ fugientes dicuntur, quas Græci ἐξίτηλα γράμματα vocant, quæ tenuia literæ veſtigia tantum ſervant. quo verbo Cicero uſus eſt. Plinius: Literæ caducæ ſunt, id eſt, fugaces vel fugientes.

Ægri ſomnia.

Proverbii vice frequenter uſurpatur, Ægri ſomnia: pro vanis, incertis, temerariis & futilibus ſophiſtarum & aliorum ſenten-

tiis, qui tales animo menteque res agitant, & quæſtiones ejuſmodi, quales ægroti ſomniantes, delirantes ſenes, & vinolenti ſolent. Horatius in Arte:

——Velut ægri ſomnia vanæ
Fingentur ſpecies.——

Perſius ſatyra 3.

Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Quid enim (ait ex M. Varrone, veteri poeta, in Eudæmonibus Lactantius) ægrotus unquam ſomniavit, quod Philoſophorum aliquis non dixerit? Itaque Ariſton. Philoſophos dicebat eſſe ſimiles cancros edentibus, qui propter exiguum alimentum, circa plurimas cruſtas occupantur.

Nubecula eſt, pertranſibit.

[illegible] id eſt, Nubecula eſt, & pertranſibit, inquiebat Athanaſius [illegible] de Juliani perſecutione, apud Socratem Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Græcum & probatum ſcriptorem libro 7. cap. 21. Non diſſimile huic eſt ante, in fumum abiit quæ dicuntur de iis quæ non ſine & interitu concidunt, diſſipantur, ac in aerem evaneſcunt. Sed & nimbum eodem modo pro re frivola & nugatoria poſuiſſe videntur veteres ut proinde nimbatam dixerit Plautus vilem & contemnendam: Quam magis, inquit, aſpecto, tam magis eſt nimbata, & nugæ meræ. Sed & nebulam pro re nihili Plautus dixit in Pœnulo: Cujus ego vel nebulæ cyatho ſeptem noctes non emam. Nebulæ quoque in fumis, nugis, inanibus & nugacibus figmentis poni ſolent: unde & nebulones dicti.

Inanes.

In homines jejunos animi & laudis, ambitioſos, & honoris cupidos, quod enim iis carere videantur, & vacui eſſe: avide quo carent conſectari putantur. Nam ſi laude & gloria ſatiati pleríque eſſent, non tanto ad eam animi ſinum explendam ſtudio raperentur. Horatius de his qui poematum recitatione gloriam quærunt:

Inanes hoc jurat.

Et Perſius de iis qui ſcribenda oratione ſoluta, aut condendo carmine famam ingenii ſtulte ambiunt, aut ineptæ eloquentiæ & eruditionis nomen captant, & à vera laudis via aberrant:

——O quantum eſt in rebus inane.

Tacitus: Dein poſtquam inanem animum ſpe & cupidine impleverat. David quoque Pſalm. 4. Uſquequo diligetis inane? Inane ſive vanitatem vocat rem fallacem, quæ non ſolet ſuccedere ex animi ſententia: frivola nempe conſilia, & conatus qui ſpem fallunt.

Tipula levior.

Quum ſummam levitatem ſignificare volumus, Tipula leviorem dicimus. Beſtiolæ quippe genus id, ſex pedibus præditum, ſed tantæ levitatis, ut ſuper aquam currens non deſidat. Hinc Plautus in Perſa:

Neque tipula levius eſt pondus, quam fides lenonia.

Ut fama eſt hominum.

Frequens & iſtud in Latinis authoribus. Cic. de Aruſp. reſponſ. Mitto illam veterem ab ipſis diis immortalibus, ut hominum fama eſt, Hetruriæ datam diſciplinam. Lucret. lib. 5. De rerum nat.

Et ſemel (ut fama eſt) humor regnârit in arvis:

& non longo poſt intervallo.

Ut fama eſt hominum multas quando obruit urbes.

Hoc genere loquendi utitur multis locis Lucretius.

Vitrea fracta.

Res nihil frivolæque, & nugæ perquam ſcite à veteribus dictæ ſunt, Vitrea fracta: & adhuc hodie moris eſt Gallis, de neglectis dicere, Non darem vitreum fractum. Petronius Arbiter lepide & urbane dixit, An videlicet audirem ſententias: id eſt, vitrea fracta? Martialis:

——Sulphurata fractis permutat vitreis.

In leveis auras, aut in fumum abire.

Abire in leveis auras, & in fumum, mos eſt dictitare, quæ perdite conſumuntur, & collapſa ita defecerunt, ut eorum ne veſtigium quidem relictum ſit. Jocatur in hanc ſententiam Horatius, ubi Mennium paternorum maternorumque bonorum abliguritorem omnia in fumum ac cinerem vertiſſe dicit. Abiit, quod nos deſerit, effluit, præterit. Item quod evaneſcit, ſedatur, ceſſat, & dilabitur. Virgilius quarto Georgic.

——Ex oculis ſubito, ceu fumus in auras
Commiſtus tenues fugit

Æneid. 2.

——Deſeruit, tenueſque receſſit in auras.

Æneid. 5.

Ipſe volans, tenues ſe ſuſtulit ales in auras

Item 9.

Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.

Joan. Secundus in regia pecuniæ, in fine:

Par levibus fumis tenues evaſit in auras.

Vana.

Hoc proverbium Græci, Latini & Galli, ſæpe frequentant pro inanibus, irritis, & in nihilum redactis, caducis, & evanidis. Theocritus in [illegible].

——[illegible]

Joan. Auratus [illegible] audiendum cenſet [illegible] ſicque hunc verſum exponit. Cantero noſtro referente Non metuo, ne vanum & irritum atque inultum mihi iſtud inferas & incutias, ut non egregie tibi par pari referam. Nam vanum dicit iſtum, qui non refertur, quemque noſtri gladiatores vernaculo ſermone ſiccum appellant.

Quaſi per ſomnium.

Nunc igitur huic opiniones tales, quaſi per ſomnium ſuſcitatæ ſunt. Plato in Menone, vel, de virtute. In Philebo: Quos olim ſive ſomnians, ſive vigilans ſermones audivi. &c. In Lyſide: Somnium quoddam nacti videmur. In Theæteto: Audi igitur pro ſomnio ſomnium. Ibidem: In ſomniis unquam auſus fueris dicere tecum, quod paria proſus imparia ſint. Ibidem: Factiones autem ſodalitatum, quæ ad magiſtratus creandos ſpectant, & congreſſus, & cœnas, & laſciviora convivia, neque ſomniant quidem. Idem in Epiſt. 3. At iſta contumelia revera tanquam inanis inſtar ſomnii evanuit. In Civili. Videtur enim unuſquiſque noſtrûm tanquam per ſomnium noſſe omnia, revera autem rurſus omnia ignorare.

Fabula prorſus evanuit.

Plato in Civili: Fabula jam finem habeat. Ibidem: Ingentem fabulæ molem exaggeravimus, cujus finem haud penitus impoſuimus. Fabulæ nomine hic Plato abutitur, & in dial. 10. De Rep.

In manu.

Plato: Cogitationem ſcilicet, quam poſſidebat quidem antea, manu autem non habebat.

In rebus humanis nihil firmum.

Plato: Nihil enim in rebus humanis uſquequaque firmum & ſtabile.

Gerræ.

Gerræ, proverbio pro nugamentis, rebuſq. frivolis uſurpantur, authore Feſto Pompejo, hac quidem occaſione: Athenienſes quum Syracuſas obſiderent, & crebro gerras poſcerent, hoc eſt, vimineas crates, irridentes Siculi, Gerras clamitabant. Hinc in proverbium ceſſit. Unde & familiares, quique inter ſe nugas omnes communicant, congerrones vocantur.

Fumus & ſomnium.

Res futiles, inanes, & nihil, fumos & ſomnia proverbio dicimus. Fumus enim quiddam eſſe videtur, verum evaneſcit illico. Plato De legibus, res inanes & nihili, ſomnia dixit. Scio etiam [illegible] eſſe ſaltem, oſtentationem, ſuperbiamq. inanem, Fumo enim ceu caligini ab igne provenienti, vana elatio animi atque faſtus quum ſit ſimillimus, commodiſſima tranſlatione [illegible] Græcis dicitur, ac definitur [illegible]. Frequenter quoque res leves ac fluxæ in ſacris literis fumo comparantur, atq; in Pſalmo etiam Davidis eſt: Sicut fumus dies mei. In ſomniis ſæpe imaginamur nobis aliquid agere: nihil tamen efficimus, ſed (ut pulcherrime expreſſit Virgilius.)

——In mediis conatibus ægri
Succidimus, non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, aut verba ſequuntur.

M. Antonius lib. 5. de ſua vita: Quod ſi tibi vivere non conceditur tunc vita excede, ita quidem, ut qui nihil mali patiatur, ac fumi inſtar abeat.

Homo eſt.

Claudius Roſeletus in quendam mendacem:

Linquere tres libras nuper promiſerat auri
Petrus: at is tantum verba reliquit: homo eſt.

COELII RHODIGINI.

Palæphatia papyrus.

Libelli, quibus fabellis involuta memorantur, quæque fidem non capiunt. Vide ſupra, Nonuſtiſſe Palæphatus: apud Junium.

POLYDORI VIRGILII.

Umbras montium videre.

Levi auditione permoveri, parvaque pro magnis, & vana pro veris habere. Judic. 9. Mons magna eſt moles, ejuſque umbra, ſole præſertim præcipitante, longe maxima: vana tamen, minuſque extimeſcenda.

GULIELMI GENTII.

Κενοτάφιον.

Proprie inane & imaginarium ſepulchrum quo neque corpus neque reliquiæ illatæ ſunt: cap. 42. de religione. Poteſt non illepide torqueri ad hominem vanæ mentis, foris in ſpeciem illuſtre quid præſeferentem. Eadem formula, qua Horatius dixit, Corpus ſine pectore. Deſumptum ab honorariis ſepulchris & inanibus tumulis, in memoriam defuncti, cujus corpus alibi ſit humatum eſt, dicatis: quando ex officio & pro voto Cenotaphium (ut & hodie) religioſum faciebant veteres ceremoniis,

ad

ad inſtar veri ſepulchri: ûtitur iſtud Martianus in carmine tantum, de rer. diviſ. niſus Virgilii authoritate in iij. Æneidos.

Libabat cineri, &c. ———

IVNII, CANTERI, ET ALIORVM.

Tragelaphos fingere.

Τραγελάφους πλάττειν dicitur, qui quod nuſquam in rerum natura exiſtat, comminiſcitur. Ariſtophanes, Nazianzenus. De Tragelaphis, quos nonnulli Hirco cervos vocant, vide Solinum.

MELCHIORIS NEVPEI.

Πηγαὶ ἄνυδροι.

Petrus apoſtolus epiſtola ij. graviter inſectans falſos doctores, qui ſincera doctrina deſtituti, & charitate vacui, tantum ob quæſtum, & ambitionem non etiam ob veram pietatem, munus Evangelicum profitentur: vocat eos πηγὰς ἀνύδρους, hoc eſt, fontes aqua vacuos, non ſine proverbiali facie. Eſtque etiam mirus lepos in contrariis dictionibus: cum fontis definitio ſit, locus perpetuo aquam fundens, adeo ut vel differentia vel proprium ejus ſit, aquam habere ſemper: cui repugnat, aridam eſſe. Quadrat in eos, qui ſuæ profeſſionis vocabulo præclaro minime reſpondent.

VELOCITAS.

EX APPEND. ERASMI.

Αὐτοβοεί.

De ſumma cujuslibet actionis celeritate: quomodo illud Latine, Cum dicto: vel, Dicto citius. Translatum, vel à clamore militari qui hoſtem ſæpe confundit, priuſquam veniatur ad manus: vel ab arantibus, qui pollicentes ſe eodem die aliquid abſoluturos, dicebant, αὐτοβοεί, id eſt, Priuſquam deſiungam boves. Thucydid.

Prior occupavit.

Μή τις τοῦ κῦδος ἄροιτο βαλών, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι. Dictum de Achille qui reliquis retuerat Achivis, ne jaculum quis mitteret in Hectorem, quo gloriam totam ſibi ſervaret. Vtemur, cum quis lucrum præripuit alteri ſola celeritate. Homerus.

VENEFICIA.

ERASMI. *Mancipera.*

Narrant locum fuiſſe vicinum Hymetto, cui nomen fuerit κυλλοῦ πήρα, id eſt, claudi mantica. In eo fuiſſet templum, ſimulque fontem unde fœminæ ſteriles bibebant, & fiebant fœcundæ. Suidas indicat & compoſite dici κυλλοπήραν, admonens eſſe proverbium in eos, qui artificio vim adjuvent naturæ. Heſychius oſtendit Ariſtophanem in Cẽtauro, lupanar appellaſſe κυλλοπήραν, quod hujus nominis locus declivis ſit ac præceps. Conveniet in illos, qui bulbis aliiſve medicamentis irritant libidinem. Quidam elleboro ſuccurrunt ingenio, & quibuſdam medicaminibus memoriæ.

COGNATI. *Faſcinantium more laudare.*

Proverbii locum obtinet tum apud Græcos, tum apud Latinos, pro eo quod eſt, malevole atq; invide laudare, ut noceant, non proſint, hoc eſt, nominatim prodere. Plin. lib. vij. In eadem Africa familias quaſdam effaſcinantium Iſigonus & Memphodorus tradũt, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores, emoriantur infantes Faſcinare enim, eſt etiam invidere, atq; oculis improbis iniquiſq; intueri. hoc eſt, βασκαίνειν, τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἀντὶ τοῦ ... Vt enim faſcinantes, ſic invidi oculis homines coecant. Hoc proverbio ſæpe uſus eſt Budæus qui De contẽptu rerum fortuit. li. ij. Morem gerere oculis invidentium dicit. id eſt, ex eorum oculis faceſcere & abire.

Zoroaſtræi ſuſurri

Zoroaſtræi ſuſurri, quaſi proverbialiter pro magicis incantationibus, quæ voce ſubmiſſa pronunciari ſolent. & earum ſucceſſu. Prudentius in Apotheoſi dixit:

Qui Zoroaſtræos turbaſſes forte ſuſurros.

Zoroaſtres autem Indorum Bactrianorum rex, Nini tempore in Perſide ſuperſtitionis magicæ primus inventor fuiſſe perhibetur à Plinio. Cham Noe filium, à patre maledictum, hunc eſſe putant multi: qui Zoroaſtres dictus eſt à Perſis, quod velut ζῶν ἀστήρ, quaſi vivens aſtrum ab omnibus coleretur. Hujus meminerunt Plato, Plutarchus, Laertius, Pſellus, Juſtinus, Lucianus in Necyomantia, Beroſus, Apulejus, & multi alii.

Dardanarii, & Saccularii.

Veteres magnam vim eſſe magiæ putabant, ut & ejus vi meſſes alio traduci poſſe cenſerent, excantatis ſegetibus: quo nomine & legibus judicia conſtituebantur, ab ea opinione, qui annonam onerant & premunt, Dardanarii vocabantur: quod eorum tanquam maleficiis & venenis magicis credebant annonam averti in ipſorum horrea, & in metiendo menſuram imminui, ejuſque modo ſubtrahi. Hinc ad contumeliam & probrum magos eos increpabant, Dardanarios vocantes, cum eſſet odioſiſſimum magiæ, & infame vocabulum. Certe Dardanarii à Dardano nomen habere videntur, quem magum fuiſſe conſtat. Tertullianus. Vt ipſis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionem iſtarum magica ſonat, oſtentantes, & Typhon, & Dardanus. & Damigeron. & Nectabis, & Berenice. Sed & Dardaniæ artes Columellæ magicæ ſunt:

At ſi nulla valet medicina repellere peſtem.
Dardaniæ veniant artes ———

Dardanus etiã ab Apuleio inter inſignes magos nominatur. Apud Juriſconſultos in tit. de extraordinariis criminibus Saccularii ſunt fures, qui malefica & magica arte creduntur ſacculos, in quib. homines pecuniam gerunt, incantare & nummos ſubducere. Nam ſacculus, crumena eſt. Catullus ad Fabullum:

———Nam tui Catulli
Plenus ſacculus eſt aranearum.

Martialis:

———Neſcit ſacculus iſta meus.

Saccularii, inquit Juriſconſultus, qui vetitas in ſacculo artes exercentes partem ſubducunt, partem ſubtrahunt. Hodie Ægyptii πλανῆται, huc illuc paſſim vagantes, Saccularii ac Dardanarii appellati ſunt: Græcis vero ... ...

COELII RHODIGINI.

Mantis te vidit.

In eos quibus faſcinator oculos mali aliquid objecit. Mantis locuſtæ genus, virens colore, corpore prælongo, pedibus prioribus prælongis, quos & agitat aſſidue, in ſtipulis naſcens. hæc, ſi quod inſpexerit animal, protinus ille quippiam producit mali. Ariſtarchus in comment. Lycurgi.

V E R A.

IVNII. *Veriora Bacidis dictis.*

Ἀληθέστερα τῶν Σιβύλλης ἢ Βάκιδος, Veriora Sibyllinis aut Bacidis oraculis. De rebus indubitatis, minime que controverſis. Dion Chryſoſtomus, οὐδ' ἀληθέστερα λέγω τῶν Σιβύλλης ἢ Βάκιδος. Ne ſi veriora quidem dixero quam Sibyllæ dicta ſint aut Bacidis. Fuit Bacis ex iis, quos χρησμῳδοὺς velut fatidicos Græci nominant, ut in Theage oſtendit Plato χρησμολόγον oraculorum concentorẽ appellat. Suidas carminibus luſtralibus expiaſſe illũ fanaticas Lacænas, relatum eſt à Theopompo in nono Philippicarum. Pauſanias in Phocicis cõmemorat: lecta ſibi eſſe Bacidis oracula, arreptitiumque nympharum vocat, meminit ejuſdem & in Bœoticis. Philetas Epheſius tres numerat Sibyllas: unam Apollinis ſororem, alteram Erythræam, tertiã Sardianam: totidemq; Bacides. quorum primus oriundus fuerit Eleone Bœotiæ oppido, alter Athenienſis, tertius Arcas. Fuit autem is, quem diximus Lacedæmoniorum fœminas ab inſania liberaſſe, Apollinis juſſu immiſſum, genere Bœotius.

VICES OFFICII.

ERASMI. *Ordinem deſerere.*

Λιπεῖν τὴν τάξιν. Ordinem deſerere dicitur qui deeſt officio ſuo in re quapiam peragenda. Ducta allegoria ab iis qui ſtant in acie. Nam pœna capitalis erat, qui locum ab imperatore datum deſeruiſſet. Vnde & Deſertoris vocabulum apud militares homines ignominioſiſſimum. Plato lib. De legib. jubet, ... id eſt, qui excubias deſeruiſſet, in foro propalam deſcribi, infamiæ notæque cauſa: tanquam is quod in ipſo erat, rem publicam omnem prodiderit, loco relicto. Ariſtophanes in Veſpis:

Φυλακὴν καταλιπὼν νυκτερινὴν διδάσκομαι.

Id eſt,

Deſerere nocturnam doceor cuſtodiam.

Lucian. in libello De mercede ſervientibus: ... ... id eſt, Neceſſum eſt itaque ut aſſidue apud illum conſpiciaris, neque deſis unquam. quin diluculo ſurgas, teq; in famulitio cõſpiciendum exhibeas, neq; deſeras ordinem. Simpliciter uſus eſt Iſocrates in oratione De pace ... ... id eſt: Magis infames fiunt iis qui ordinem deſerunt, & clypeos abjiciunt. M. Tullius in Epiſtolis ad Atticum, De præſidio decedere dixit, in finibus bonorum. Deſerere præſidium: in Catone, De ſtatione decedere, Nimirum varie reddens, quod Græci dicunt: λιπεῖν τὴν τάξιν. Apud Athenæum lib. j. Eubulus comicus refert hunc verſiculum ex Archilocho:

Λευκόμβιλα ... ...
Ζεῦ ... ... καὶ τάξιν λιπεῖν.

Id eſt,

Ceſſando cœnæ quiſquis immuni deeſt,
Hic idem in acie facile deſeret locum.

Æſchines in Apologia objicit Demoſth. ὡς ... ... id eſt, quod illi dies eſſet dictus ob deſertum ordinem; quem ... probro dictum, alias commemoravimus. At ille eum qui diem ipſi dixeret, ad extremum adegit diem, occiſo eo Ariſtarchi præſidio, quemadmodum ibidem criminatur Æſchines. Poſtremo Latinis In ſuæ claſſe manere dicuntur, qui non deſerunt vitæ inſtitutum: & Claſſem ſuam deſerere, qui mutant.

Penſum abſolvere.

Penſum perſolvere, eſt ſuas implere partes, debitoque perfungi

gi officio. Tranſlatum à lanificio muliebri, in quo ſingulis certum lanæ pondus in opus diſtribuebatur. Plautus in Perſa: Penſum meum quod datum eſt, confeci. Idem in Bacchidibus: Ego penſum meum lepide accurabo. Et M. Tullius lib. De oratione iij. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus penſumque revocabo. Varro De re ruſtica: Nos noſtrum penſum abſolvimus. Hieronymus ad Ruſticum: Et operis tui penſum perſolvas. Verum quo longius erit detorta metaphora, hoc erit adagium venuſtius. Vel uti ſi ad ſermonem, ad ſtudium, ad officium, aut alias animi res referatur.

Contribulis factus, ſerva ordinem.

Γεννήτης γενόμενος τήρει τὴν τάξιν. id eſt. Tribulis factus ſerva ordinem, id eſt, poſteaquam aſcitus es in ordinem aliquem, fungere tuo officio, quemadmodum & cæteri faciunt. Natum à tribubus Athenienſium. Populus Athenienſis diſtributus erat in tribus duodecim, ad menſium numerum: rurſum unaquæque tribus in triginta genera, quemadmodum vocant, ad dierum numerum: unde γεννῆται vocabantur, non conjuncti ſanguinis propinquitate, ſed in eandem tribus partem aſciti.

Ἐγκεῶτις ἡμέρα.

Ἐγκεῶτις ἡμέρα Plutarchus in Collectaneis, ſi modo verax eſt titulus, tradit hoc dictum de his, qui convivium agunt, aut exhibent. Id ait hinc manaſſe quod olim apud Ceos mos fuerit, ut qui magiſtratum inire volunt, exhiberent populo. Quod ſi quando plures aſſeſſent magiſtratus, dies inter ſeſe diſtribuebant. Itaque ſi cui occurrerent, rogabant, τίς ἡμέρα, id eſt, Quis dies? Ea vox in vulgi jocum ceſſit. Videtur autem vox ἐγκεῶτις, data opera ridicule conflata, ex his verbis ἐν κείῳ τίς. id eſt, in Ceo quis, ſubaudi, dies.

COGNATI.

Ἕκαστος ἡμῶν οὐκ αὐτῷ μόνον γέγονεν.

Quam vulgaris ſit hæc Platonis ſententia, omnibus manifeſtum eſt, adeo ut eam Cicero eleganter ſic reddiderit: Nemo noſtrum ſibi tantum naſcitur, quam Seneca æmulari voluit, quum dicit, Nemo ſibi contigit.

Tua cauſa, ſive opera.

Sic veteres loquebantur, & hodie quoque vulgus uſurpat. Eſt autem, Tua opera, ſive cauſa, idem quod, propter te. Tale illud Attii apud Non. Marcell. Nunquam erit tam immanis, cum mea opera extinctum ſciat, quin frangeſcat. Et Æmylii Probi illud de Lyſandro: Hac victoria Lyſander elatus, cum antea ſemper factioſus audaxque fuiſſet, ſic ſibi indulſit, ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint.

POLYDORI VIRGILII.

Mercenarius.

In eos, qui non id quod ſui eſt officii, faciunt, ſed lucro ſoli intenti ſunt, idque unum expectant. Job. vij.

VICINVS.

ERASMI. Ne bos quidem pereat.

Jam ante proverbiis aliquot nobis declaratum eſt, quantum utilitatis adferat bonus vicinus, quantum incommodi malus. Sed quæ conducunt ad vitæ felicitatem, iterum atque iterum expedit inculcare, quo penitius infigantur animis. Neque enim ea res tantum habet locum in parandis ædibus aut fundo, ſed in omni pene vitæ, ut quod Portius Cato prodidit de commodo vicino habendo, non ſolum ad agricolas pertineat, verumetiam ad unumquemque noſtrûm. Etenim ſi quis jam provectior ætate vitæ totius curſum relegat, comperiet maximam bonorum malorumque partem à bonis, maliſque vicinis fuiſſe profectam. Heſiodi carmen Columella tanquam proverbiale refert:

Μηδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Id eſt.

Nec bos intereat, vicinus ſi improbus abſit.

At levis eſt bovis jactura, ſi cum his malis conferatur, quæ capiuntur ex improbis convictoribus, ex fucatis amicis, ex uxoribus & famulis parum fidelibus. At Catonis quidem ſententiam nonnulli rejiciendam eſſe duxerunt, quod in nobis ſitum non eſt, qualem habeamus vicinum, quem nonnunquam mors, aliæque diverſæ cauſæ nobiſcum mutant. Id tametſi negari non poteſt, ſapienter tamen à Catone præceptum eſt, ut agricola quantum in ipſo eſt, curet habere bonum vicinum: nec bonum tantum, ſed & commodum. Bonus enim eſſe poteſt, qui tibi commodus non ſit. Id ut contingat, duæ res potiſſimum adjuvabunt: diligentia in parando agro, & commodi mores erga vicinum. Frequenter enim habemus malum vicinum, quod ipſi nos præbeamus malos vicinos. Quemadmodum igitur, ut eleganter ſcribit Columella, ſapientis eſt, fortuitos caſus magno animo ſuſtinere: ita dementis eſt, ipſum ſibi malam facere fortunam. Quod facit, qui nequam vicinum ſuis nummis parat, cum a primis cunabulis, ſi modo liberis parentibus eſt oriundus, audiſſe potuerit:

Οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Quod non ſolum de bove dicitur, ſed de omnibus partibus rei noſtræ familiaris adeo quidem, ut multi prætulerint carere penatibus, & propter injuriam vicinorum ſedibus ſuis profugerint. Niſi aliter exiſtimamus diverſum orbem univerſas gentes petiſſe relicto patrio ſolo (Achæos dico & Hiberos), Albanos quoque nec minus Siculos, & ut primordia noſtra contingam, Pelaſgos, Aborigines, Arcadas; quam quia malos vicinos ferre non potuerunt. Ac ne tantum de publicis calamitatibus loquar, & privatos quoque memoria tradidit & in regionibus Græciæ, & in hac ipſa Heſperia deteſtabiles fuiſſe vicinos: niſi Autolycus ille potuit cuiquam tolerabilis eſſe contermimus, aut Aventini montis incola, Palatinis ullum gaudium finitimis ſuis Cacus attulit. Malo enim præteritorum quam præſentium meminiſſe, ne vicinum meum nominem, qui nec arborem prolixiorem ſtare noſtræ regionis, nec inviolatum ſeminarium, nec pedamentum annexum vineæ, nec etiam pecudes negligentius paſci ſinit. Jure igitur, quantum me fert opinio, M. Portius talem peſtem vitare cenſuit, & in primis futurum agricolam præmonuit, ne ſua ſponte ad eam perveniret. Hactenus quidem Columella declamatoria quadam eloquentia, ſimul & Catoni patrocinatus eſt, & nos docuit quanta peſtis ſit malus vicinus. Tamen Cato non ſolum de vicini moribus ſenſit, verumetiam quam lauta ſit re: Vicini, inquit, quo pacto niteant, id animadvertito. In bona regione bene nitere oportebit. Interdum enim nitor arguit agri bonitatem, in ſolo vero parum fertili declarat induſtriam agricolæ. Porro quemadmodum diligens vicinus extimulat ad ſtudium bene colendi, ita vicinorum luxus & ignavia corrumpit vicini familiam. Itidem & præpotens vicinus opprimit propinquum pauperem: & ſupra modum tenues vicini ſemper aliquid abradunt, ſive precibus, ſive furto. Jam cum moroſis & improbis vicinis nunquam rixa non eſt, nunc de finibus, nunc de damno dato, nunc de ſtillicidio, nunc de ſemita actuve, nunc de proſpectu aut lumine. Quod ſi fortuna nobis dederit talem vicinum, nec liceat mutare, reliquum eſt, ut noſtra commoditate reddamus illum ex malo bonum: certe caveamus ne laceſſitus fiat incommodior. Turpiſſimum enim fuerit, ſi noſtris moribus ex commodo vicino faciamus incommodum. Videlicet hoc eſt quod præcipit Cato: Vicinis bonus eſto. Et ne ſatis eſſe putares ſi ipſe temperes ab injuria vicini: adjungit. Familiam ne ſiveris peccare. Mox indicat, quid utilitatis capiatur ex bonis vicinis: Si te, inquit libenter vicinitas videbit facilius tua vendes, operas facilius locabis, operarios facilius conduces. Si ædificabis, operis, jumentis, materia juvabunt. Si quid bona ſalute uſus venerit benigne defendent. Olim igitur qui fundum proſcribebant venalem, præconem edocebant, quibus dotibus eſſet ager commendabilis, quam ſalubri cœlo, quam commodo ſitu, quam fertili ſolo, quam bene ædificatus villis. Sed vir acerrimi ingenii Themiſtocles, quum fundum venderet, juſſit hujuſmodi dotibus & illud adjici, quod haberet bonum vicinum. Id factum primum riſu jocoque multitudinis acceptum eſt, mox intellectum eſt, hanc agri commendationem eſſe præcipuam. Plurimum itaque refert ad totius vitæ commoditatem, qualem quiſque vicinum ſibi deligat, tum quo pacto, qui contigit, utatur. Princeps qui ditionem ambit, quam ſine maximo negocio, ſummoque ditionis avitæ diſpendio tueri non poſſit, malum vicinum ſibi adjungit. Rurſum qui cordatos ac fidos conſiliarios, qui magiſtratus integros & Reipublicæ amantes aſciſcit, bonos vicinos adjungit. Neque minimum intereſt, quas rationes in affinitatem adglutinet. Qui dotis aut honoris gratia ſponſam aſciſcit incōmodis moribus, aut cui ſint cognati procaces, malos vicinos ſibi adjungit. Qui cum improbis init amicitiæ fœdus, malam viciniam acceſſit. Qui ductus amore cœnſuum conjicit ſeſe in collegium aut monaſterium impiorum, aut etiam ſuperſtitioſorum, malam viciniam ſibi parat. Prima igitur cautio ſit in deligendo, proxima in corrigēdo, poſtrema in fugiendo quod corrigi non poteſt. Quanquam ne fuga quidem debet carere cautione. Alioqui vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte: neque raro fit, ut odio mali præcipitemus nos in aliud gravius malum. Raro pœnituit amicitiæ, qui judicio delegit amicum. Et ſæpe noſtra culpa fit, ut reſcindatur amicitia quod amicis bonis utamur non bene, tum quod parum commodos amicos nec ferre novimus, nec emendare. Neque vero levius peccant qui quum inciderint in amicos peſtilentes, neſciunt ſeſe ſubducere, ſed aut hærent his quos oderunt clanculum, aut non diſſuunt amicitiam, ſed abrumpunt. Idem accidit mei ſimilibus, in deligendis ac retinendis ſtudiorum noſtrorum patronis & altoribus. Negligimus oblatos aut amplectimur nobis parum aptos: aut ſi quis obtigit accōmodus, non ſtudemus illius erga nos benevolētiam mutuis officiis alere. In prima certe parte graviſſime peccavi adoleſcens. Etenim ſi tum reſpondiſſem favorib. magnatum, qui me cœperāt amplecti, futurus eram aliquid in literis: ſed immodicus libertatis amor effecit, ut diu cum perfidis amicis, & pervicaci paupertate colluctarer. Nec erat finis futurus, niſi GVILHELMVS ille WARAMVS, Archiepiſcopus Cantuarienſis, vir non tam ob tituli muneriſq; dignitatem, quam ob egregias, ſummoq; præſule dignas virtutes reverendus, me velut fugitantem in amicitiæ ſuæ naſſam pellexiſſet. Guſtata duntaxat illius humanitate contuli me in Italiam. Ibi ceſſantem neq; quicquam minus quam de repetenda Britannia cogitantē, ultro revocat delato ſacerdotio. Hoc quoq; neglectum eſt. Cæterum ubi me ventus alius retuliſſet in Angliā, ſic alliciebat non tam benignitate (quanquam ea quoq; fuit & eſt in illo ſingularis) quā morum amabili quadam jucunditate, miraq; in amando cōſtantia (id quod in viris primatibus ſane rariſſimum eſt) ut nolens illi præberem manus. Hæc erat eſca, qua me pertraxit in ſuū jus. Ita meo bono captus ſum, hoc uno nomine felix, quod hic

Mece-

Mæcenas obtigit: ſed longe felicius natus futurus, ſi mihi citius contigiſſet. An illum hujus alumni pœniteat neſcio: certe mutuis in illum officiis meo animo nondum ipſe ſatisfeci, nec videor unquam ſatisfacturus. Proinde mihi rogandi ſunt omnes, qui bonarum literarum, qui religionis amore ducuntur, ut ſi quid fructus non pœnitendi cœperunt ex meis lucubrationibus, huic ſanctiſſimo præſuli pro me gratias agant, atque adeo ſi poſſint, referant. Referent autem, ſi non patientur illius memoriam apud poſteros intermori; cujus benignitati debent, quicquid ex libris meis hauſerunt, ſi quid omnino frugiferum hauſerunt. Obſtrepunt undique querimoniæ, deplorantium ſibi ad ſtudiorum cultum deeſſe Mecœnates. Atqui Mecœnas non ſtatim amplexus eſt Vergilium aut Horatium, nec Mevio Bavio're fuit Mecœnas. Illud primum agat adoleſcens, ut egregium aliquod ſpecimen ſeu pignus de ſe præbeat, non periturū quod in ipſum conferatur. Nec ſatis eſſe putet, quibuſcunq; rationibus abſtuliſſe munus, vel prædam verius. Non eſt improbitate petēdi ambienda benignitas, ſed literis ac moribus ſemper in melius proficientibus. Sic invitat fundus agricolā ad uberiorē ſementē, ſi quod creditum erat, bona fide, multoq; cum fœnore reddat: Nec eſt ſubinde mutandus patronus, ut relicto quem defatigaſti; quæras integrum, & una quercu excuſſa, ſub alia colligas. Sic uni aut duobus ſerviendū eſt, quaſi ſis perpetuo iiſdē uſurus. Nunc quā multos videmus, qui ſuis morib. & literas odio, & patronos pudore invidiaque onerant. Eſt quidē nonnulla gratitudinis pars, literis dictiſq; celebrare nomen patroni: ſed magni refert, quo quem modo laudes. Vana laudatio fidē abrogat etiam vera prædicātibus itaq; fit, non ut lector melius ſentiat de laudato, ſed pejus de laudante. Immodicæ laudes conciliant invidiam potius quam gloriam. Jam qui laudibus vehunt ea quæ bonorum ac ſapientum judicio damnantur, laudando vituperant. Primum quod adfers ad encomium ſit verum: deinde quod verum eſt, ſic tractetur ut fiat etiam veriſimile. Abſint autem poetarum quorundam hyperbolæ, quibus ex homine quum libet, deum faciunt: hæ virtutes potiſſimum depingantur, quæ favorē ac benevolentiam conciliant: quod genus ſunt pietas, integritas, pudicitia, modeſtia, benignitas, morum candor ac facilitas. Nihil eſt humano ingenio invidentius, nihil hominum judiciis moroſius. Proinde ſi quid attingendum erit earum rerum; quas vulgus ſic miratur ut invideat poſſidentibus, id arte tractandum eſt, ne faſcinatio metuenda ſit laudato. Nullus invidet opulento, qui quod vel ex benignitate fortunæ, vel ſine fraude paratū poſſideat, ſic habet, ut diſpenſator ſit potius quā dominus. Neque quiſpiam invidet potenti, qui potens eſt Reip. cōmodis: qui quantum eminet dignitate, tantum ſe ſubmittit modeſtia, comitatē vincens etiam humiles. Nullus invidet formoſo, qui naturæ dono puderem ac pudicitiam adjunxit. Nullus invidet valenti aut longævo, qui magno plurimorum bono valet ac vivit. Quod ſi cui deeſt ingenium aut ars ad hæc prodigiotate tractanda, abſtineat potius, quam velut malus pictor bonā formam imperitia ſua reddat deteriorem. Alexander ille fortaſſe moroſius quā nullius manu pingi ſuſtinebat, niſi Apellis. Nemo tamen egregio corpore, à Fulvo Rutubaque pingi cupiat. Quod emittitur in lucem publicam, tale ſit, ut poſteritatis memoriam polliceatur. Denique ſic temperanda laudatio, ut hoc officium non appareat eſſe tributum ejus animo quem laudas (nulli enim minus expetunt, aut ſuſtinent etiam laudari, quam qui maxime promerentur) ſed ipſi potius virtuti, quam nolentem etiam ſequitur ſua gloria, ſed aliis ad ſimilia ſtudia provocandis. Sic & utiliter laudabitur qui promeritus eſt, & citra periculum invidiæ, aut aſſentationis ſuſpicionem. In defunctorum autem laudes uberius effundenda eſt vis eloquentiæ, quum jam mitior eſt invidia, & minor adulandi ſuſpicio. Hactenus oſtendi, quomodo ſtudioſi ſuis patronis commendari queant. Nunc paucis attingam, quibus rationibus & ſtudiis ipſis favorem omnium valeant conciliare. Multis enim in locis jam linguæ, bonæque quas vocant literæ, magna flagrant invidia: quod quidem fit partim culpa majorum, qui putant autoritati ſuæ detrahi ſi quid novæ eruditionis accedat juventuti: conventique his, quæ pueri didicerunt, alia nec doceri patiuntur, nec ſuſtinent diſcere, vel quia piget, vel quia pudet: partim etiam eorum vitio, qui hæc vetera nova invehunt. Sunt enim in hoc ordine quidam intolerabili inſolentia, qui ſimulatque tenuerint duodecim verba Latina, & quinque Græca, Demoſthenes ac Cicerones ſibi videntur, effutiunt ineptos libellos, nonnunquam & virulentos, liberales diſciplinas omnes miro faſtu aſpernātur, & in harum profeſſores ſcurriliter debacchantur. Nec deſunt qui bonis literis ad res peſſimas abutuntur, ad ſeditioſam maledicentiam, ad concutiendam, luxandam, & labefactandam concordiam tranquillitatemque Reipublicæ Chriſtianæ. At qui olim his literis erant inſtructi, principum tumultus ſua facundia componebant, cum hæreſiarchis bella gerabantur, celebrabant divorum memoriam, carmine proſaque decantabant Chriſti laudes, exhortabantur ad contemptum hujus mundi, ad amorem rerum cœleſtium. Talis erat Baſilius, talis Nazianzenus, talis Ambroſius, talis Prudentius, talis Lactantius: in quib. linguarum ac politioris literaturæ cognitio ideo caret invidia, quia ſervivit pietati. Solent autē & hominum mores ſtudiis imputari: quemadmodum hodie non pauci ſunt, qui deteſtantur Euangelium, ob impuros quorundam mores, Euangelii nomine ſeſe venditantium. Quod ſi quemadmodum Paulus cavens ab omni ſpecie mali, glorificat Euangelium ſuum, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaciat: ita literarum hujuſmodi profeſſores integritate morum, comitate, temperantiaque linguæ cōmendarent ſuam profeſſionē, longe plus eſſet fructus, & invidiæ minus. Et divites, ſi majores civiliter & æquis animis reciperent, non novos advenas, ſed veteres hoſpites poſtliminio ſeſe recipientes, ſentirent ſibi non mediocrem lucem, neque vulgarem utilitatem ex harum acceſſione accreſcere. Nunc cum veteribus amicis perinde atque cum hoſtibus irreconciliabile bellum gerunt. Nova vocant quæ ſunt vetuſtiſſima: vetera nominant quæ ſunt nova. In priſcis Eccleſiæ doctorib. ſacrorum voluminum cognitio, cum linguarum & humanioris literaturæ peritia fuit conjuncta. Idem videmus in priſcis philoſophis, Medicis, Jureconſultis. Ubi ſolœciſſat Ariſtoteles aut Hippocrates? Nonne facundi ſunt Plato & Galenus? In veteribus autem Juriſperitis quæ fuerit utriuſq; linguæ peritia, quæ Romani ſermonis tum puritas, tum majeſtas, declarant hæc ipſa fragmenta, quæ glorioſus Juſtinianus nobis pro ſolidis voluminibus obtruſit: quanquam hæc ipſa ſcatent undiq; mendis prodigioſis. Novum eſt, pueris ad grammaticam inſtituendis inculcare modos ſignificandi, prælegere delirā gloſſemata, quæ nihil aliud doceant quam impure loqui. Novum eſt, adoleſcentem ad Philoſophiæ, Juris, Medicinæ, Theologiæ ſtudium recipi, qui ob inſcitiam ſermonis nihil intelligat in vetuſtis autoribus. Novum eſt, à Theologiæ adytis excludi, niſi diu ſudarit in Averroe & Ariſtotele. Novum eſt, adoleſcentib. Philoſophiæ candidatis inculcari nugas ſophiſticas & commentitias quaſdam difficultates, meras ingeniorum cruces. Novum eſt, in publicis ſcholis, aliud reſpondere ſecundum viā Thomiſtarum & Scotiſtarum, nominalium & realium. Novum eſt, illic excludi argumēta, quæ petita ſunt è divinorum voluminum fontibus: ſola vero recipi, quæ ducuntur ex Ariſtotele, ex epiſtolis decretalibus, ex placitis ſcholaſticorum, ex gloſſematis juris Pontificii profeſſorum, aut ſimilitudinibus plerunque frigidis ex jure Cæſareo detortis. Si novis offendimur, hæc vere nova ſunt. Si vetera probamus, vetuſtiſſima ſunt quæ nunc efferantur: niſi forte novum eſt, quod ab Origenis ſeculo proficiſcitur: & vetus eſt quod ante trecentos annos exortum ſemper in deterius profecit. Sed his etiam iniquiores quidam non verentur privatim ac publice, atque adeo in ſacris etiam concionib. deblaterare, has literas eſſe fontes omnium hæreſeōn, non animadvertentes hanc blaſphemiam cadere in Hieronymum, Ambroſium, & Auguſtinum, aliosq; complures, quibus doctoribus gloriatur Eccleſia. Hujuſmodi ſtolidiſſimas nugas inculcant auribus adoleſcentium in ſecretis cōfeſſionibus. Cave à Græcis, ne fias hæreticus: fuge literas Hebræas, ne fias Judæorum ſimilis: abjice Ciceronem, ne cum illo damneris. O graves admonitiones. Nec cogitant futurum, ut hæc pueri paſſim effutiant ridenda cordatis. Eadem inſtillant parentum auribus, hoc agentes, ut ipſis tradatur liberorū inſtituendorum cura. Facile imponitur mulierculis & ſimplicibus, idiotis, ſanctimoniæ fuco. Verum ovem nihilo rectius lupo cōmiſeris, quam talibus ventrib. liberos. Quid audio? Valdēſes, pauperes à Lugduno, Vuicleuus, linguas ac bonas literas calluerunt? Deinde num Hieronymus hæreticus fuit, quia linguis & omni literarum genere præcelluit? Si quis Gallicæ duntaxat linguæ peritus, ſua lingua ſcriberet opiniones hæreticas, an protinus admoneremus omnes, ne quis diſceret Gallice? Nuper etiā principum aulis perſuadere cœperunt, totum hunc tumultum, & Lutheraniſmi & ruſticanæ ſeditionis, ex linguis humanioribusq; literis eſſe natum. Habent aulæ Midas ac Thraſones ſuos: ſummiq; principes hoc magis patent talium inſidiis, quo magis ingenui ſunt, quoq; vehementius indulgent ſuis affectibus. Si de hæreſi periclitatur qui Græce & Hebraice novit, quod Lutherus harum linguarum rudis non eſt: quur non potius in tuto eſſe dicitur, quod Joannes epiſcopus Roffenſis, quod Hieronymus Alexander archiepiſcopus Brunduſinus, propugnatores ſunt autātis Eccleſiæ: quorum hic omnibus linguis excellit, ille treis linguas ætate jam vergente non vulgari ſtudio amplectitur? Addunt & aliam calumniam. Forte in ſecretis admiſſorum conficientib. adoleſcētum audiunt aliquid laſciviæ, qui morbus peculiaris eſt illi ætati. Rogant quos autores legant: quum audiunt Vergilium aut Lucianum, ſtudiis imputant ætatis aut hominis vitium, traducuntq; protinus & ætatem & literas, quaſi vero non multo pejora audiant ab iis, qui nullas omnino literas attigerunt. Etenim quemadmodum literarum ſtudium non liberat ab omnibus vitiis, ita negari non poteſt, quin à multis arceat ætatem lubricam. Nihil autem tam ſanctum, quin is qui naturā improbus eſt, vertat in occaſionē peccandi. Quod ſi tollendum eſt, quicquid quomodocunque præbet turpitudinis occaſionem: quur tantopere laudatur coactus iſte cœlibatus? An putant ignotum, quæ lerna malorum hinc naſcatur? Sed quis tandem erit fructus, ſi ſtudiorum profeſſoribus invicem ſeſe lacerantibus collabantur omnes honeſtæ diſciplinæ, quod jam magna ex parte factū videmus locis aliquot? At ſine his vita hominum non eſt hominum, ſed ferarum. Quid igitur ſupereſt, niſi ut linguæ bonæ literæ poſtliminio redeuntes: ac velut à radice repullulantes, civiliter & comiter ſeſe inſinuent in ſodalitatem earum diſciplinarum, quæ tot jam ſeculis regnant in Academiis? neque cujuſquam ſtudium inceſſant, ſed omnium ſtudia potius adjuvent. Deferant nonnihil autoritati profeſſionis, deferant aliquid inolitæ & velut in naturam verſæ cōſuetudini, deferant aliquid & ætati multorum nō facile ad diverſa flexili. Quos viderint inſanabiles, ſuo relinquant ingenio, ne majores excitent tragœdias. Qui tractabiliores erunt, his inneſcant tēpeſtivis ac blandis admonitionibus. Sic admoneant, ſic adſint, ſic corrigant, ut officioſa pediſſequa monet, adeſt, corrigit herā ſuam. Merito regina diſciplinarum omnium eſt Theologia: verum hæc erit & honeſtior, & inſtructior, ſi tā utiles pediſequas quā

decet comitate recepcrit in ſuum famulitium. Præclara eſt phi loſophia: ſed huic plurimum accedet dignitatis, ſi veteres amicas agnoverit. Honeſta herâ eſt Jurisprudentia: verum huic ornamenti non parum adferent tam elegantes fabulæ. Egregia res Medicina: ſed abſque linguarum & veterum literarum cognitione penè cæca eſt. Ad hunc modum ſi ſua bona viciſſim inter ſeſe communicent, utræque fient & locupletiores & ſplendidiores. Monarchas autem illud admonitos velim, ne ſuſurronibus hujuſmodi præbeant aures: cogitent potius, quantum fructus ac dignitatis ex hoc ſtudiorum genere, rebus ipſorum ſit acceſſurum, & olim acceſſerit. Poſtremo res omnium & publicè & privatim erunt feliciores, ſi ſuo quiſque vicino bonum vicinum præſtiterit. Vt ad proverbium redeam congruit illi, quod alibi commemoratum eſt, Aliquid mali propter vicinum malum: quod uſurpavit Demoſth. in oratione contra Callicleam: οὐκ ἦν ἄρα ἄνδρες ἀθηναῖοι χαλεπώτερον οὐδὲν ἢ γείτονος πονηροῦ καὶ πλεονέκτου τυχεῖν. id eſt: Non erat quicquam, ô Athenienſes, perniciofius, quam improbum vicinum, nec luis contentum eſſe nactum.

VICTORIA VTRIVSQVE triſtis.

ERASMI. *Flet victus, victor interiit.*

Κλαίει ὁ νικηθεὶς, ὁ δὲ νικήσας ἀπώλετο.

id eſt,

Qui vicit, periit: plorant qui ſuccubuere.

Quoties utraque pars magno ſuo malo diſcedit: ita ut plerunque in bellis ſolet accidere, item in litibus forenſibus, in contentionib. Nam Heſiodus duas facit Eridas, quarum altera peſtifera ſit mortalibus, altera frugifera. In priore certaminis genere, qui vicerit, diſcedit improbior, victus fit infelicior. In poſteriore qui ſuperior evaſerit, diſcedit melior, ut ſuperatus fuerit, diſcedit ſeipſo melior. Traduntur hoc carmine à Sybillæ Erythrææ vaticinio quod ædidit de pugna apud Cheroneam commiſſa. Nam illic Athenienſes cum Thebanis victi periere, nec Philippus victor protinus a Pauſania ſublatus eſt. Meminit hujus Georgius Gemiſtus in Hellanicis. Quanquam idem evenit, quod evenit Trojanis & Græcis, poſt infaniſſimum bellum, decennium quoddam male mulierculæ tot annos geſtum. Nam Troja fundit us everſa eſt, Græci victores aut in reditu perierunt, aut domi rebus afflicti perierunt.

Teſta colliſa teſta.

Teſta teſtæ colliditur, cum duo confligantur utriuſque malo. Ariſtophanes in P.

Καὶ ὥσπερ πλινθος ὑπ' ὀργῆς ἀντιλακτισαι πίθῳ.

id eſt,

Ac recalcitrans per iram teſta teſtam vulnerat.

Talis eſt fere conflictatio, cum inter ſe bellum gerantium, qualis ollæ cum olla colliſio. Nonnunquam perit uterque. Certe neuter abſque graviſſimis damnis diſcedit. niſi quod illud mihi videtur iniquiſſime comparatum fari, quod cum par ſit in commoda bellis in eorum recidere capita, qui belli ſunt autores, & quorum refert viciſſe, in tantam partem malorum ingruat, quibus invitis & abominantibus bellum ſuſcipitur: & ad quos etiam ſi proſperrimo Marte pugnatum fuerit, nec teruncius quidem ſit rediturus.

Victoria non incruenta.

Facit hoc tum corruptela judicum, tum patronorum rapacitas, ut fere litigantium utraque pars perplectantur, adeo ut non raro pœnitentiam etiam eum qui vicit litem. In hoc igitur conveniet illud Iliados.

——Οὐδ' ἄρ γὰρ ἀναιμωτί γ' ἐμάχοντο.
——Nec ſine ſanguine pugnam Miſcebant.——

VILITAS.

EX APPEND. ERASMI.

Nummus plumbeus.

Vilitatem & contemptum deſignabat olim. Plaut. Cui ſi capitis res ſit, nummum nunquam credam plumbeum. Sic Cicer. Vatinium contemptim ſemiſſem hominem vocat. Et treſſis ſeu triobolaris agaſo, abjectus quidam alibi audit. Quin & Juſtin extremam ſtudioſorum claſſem dupondios agnominat.

VINCERE ET VINCI.

ERASMI. *Solus currens vicit.*

Μόνος θέων νικᾷ. id eſt Solus currens vicit. De iis qui vincunt, nemine contra certante Tractum à ſtadiis. Nihil autem eſt negocii vincere, ſi nemo tecum certet. Concione dicetur in eos, qui ſibi placent, quaſi pulchrè cauſam probarint, cum nullus adſit, qui contra diſputet. Lucianus in Imaginibus: μόνος θέων τοῦτό γε, κατὰ τὴν παροιμίαν, μόνος ἔοικας νικᾶν. id eſt Haud eſt difficile, juxta proverbium cum ſolus curras, vincere affine illi, quod alias recenſuimus, ἐρήμην νικᾶν: i. Deſertam cauſam vincere. Nec alienum ab illo, ἀκονιτὶ νικᾶν. i. Citra pulverem vincere. Et ἀνιδρωτὶ νικᾶν, id eſt, Citra ſudorem vincere: quorum alibi meminimus.

Extremum occupet ſcabies.

Olim pueri curſu certantes, clamare ſolebant: Occupet extremum ſcabies: adhortantes hac voce ſingulos ad curſum, ac male precantes ei qui omnium fuerit poſtremus. Id deductū eſt in adagium, quo utebantur qui ſignificarent ſeſe quocunque modo velle vincere, neque commiſſuros ut inter poſtremos ſint. Ita qui per fas nefaſque rem augent, ne non ſint inter optimates qui malis artibus emergunt ad magiſtratus, qui rationibus quibuslibet ampla venantur ſacerdotia, poſſunt alio vocanti reſpondere: Extremum occupet ſcabies. Quanquam nihil vetat, quo minus in bonam partem detorqueamus ut ſi quis ſummis virib. adnititur, ne ab æqualibus eruditione aut rectè factis, aut officiis ab amico ſuperetur, dicat Occupet extremum ſcabies. Hoc igitur proverbium pueris acceptum ſeſimus, quemadmodum & illud: τὸν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Et Evax gelu, ut hoc Matth. xj. Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis. Vſus eſt Horatius in Arte poetica:

Occupet extremum ſcabies, mihi turpe relinqui eſt.
Origine m Actor indicat.

Palmam ferre.

Palmam ferre, & palmam tribuere, & palmam præripere, & his conſimiles orationes, tametſi propter frequentem uſum ſint, licet eſſe videantur, tamen proverbiali ſchemate dictæ ſunt. Neque enim palma per ſe victoriam ſignificat, ſed arborem ἀειθαλὲς φύλλον, id eſt, perpetuo vireutem frondibus: quam Græci φοίνικα vocant. Cur autem ab hac potiſſimum ſumpta ſit metaphora, illud arbitror in cauſa fuiſſe, quod quemadmodum in Convivial. bus quæſtionib. refert Plutarchus. hæc una fuerit communis omnium ſacrorum certaminum corona, cum alioqui ſinguli ludi peculiares quaſdam arbores aut herbas haberent, quibus victores inſigniebantur: velut laurum, oleum, myrtum, apium. Præterea ſunt qui putent hanc arborem initio Phœbo ſacram fuiſſe ante laurum, & antiquiſſimū victoriæ inſigne fuiſſe palmam, non aliam quampiam arborem. Quamobrem autem hæc arbor potiſſimum delecta ſit ad eum uſum ab antiquis, A. Gell. cauſam reddit lib. N. Att. iij. c. vj. ſcribens arbori palmæ peculiare quiddam ineſſe quod cum ingenio fortium virorum conveniat. Nam ſi ſuper ejus, inquit, lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, onereſque, ut magnitudo oneris ſuſtineri non queat: non deorſum palma cedit, nec infra flectitur, ſed adverſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recurvaturque: hujuſque tam ſtupendæ rei citat autores, Ariſtotelem in vij. Problemat. libro. & Plutarchum in viij Sympoſiac. Plutarchi quidem verba ſuper hac reperi in eo quem Gellius citat libro: φοίνικος γὰρ ξύλον ἄνω πιεζόμενος βαρεσι οὐ κάτω ἐνδίδωσι. ἀλλὰ κυρτοῦται ἐπὶ τοὐναντίον, ὥσπερ ἀντιβιαζόμενον. τοῦτο δὲ καὶ περὶ τοὺς ἀθλητάς ἐστι. τοὺς μὲν γὰρ ὑπ' ἀσθενείας καὶ μαλακίας ἐνδόντας αὐτοῖς πιέζουσι κάμπτοντες. οἱ δ' ἐρρωμένως ὑπομένοντες τὴν ἄσκησιν, οὐ μόνον τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ καὶ ταῖς φρονήσεσιν ἐπαιρόμενοι καὶ αὐξόμενοι. id eſt, Nam palmæ lignum, ſi ſuper impoſito pondere graviter premas, haud deflectitur deorſum, verum in contrarium curvatur: perinde quaſi reſiſtens oneri vim facienti. Hoc ipſum ſane accidit & in certaminibus athletarum, Etenim qui per imbecillitatem animique mollitiem cedunt illis eos premendo deflectunt. At qui fortiter in eo ſtudio perdurant, hi non modo corporis robore, verumetiam animi prudentia provehuntur atque augentur. Idem affirmat Plinius libro xvj. capite xlij. Pondus inquiens, ſuſtinent validæ, abies, larix, etiam in tranſverſum poſitæ. Robur, olea incurvantur ceduntque ponderi, illæ renituntur: nec temere rumpuntur, priuſque carie quam viribus deficiunt. Et palma arborum valida: in diverſum enim curvatur. At populus contra omnia inferiora pandatur: palma è contrario fornicatur. Idem affirmat Theophraſtus libro De plantis v. Hoc virili animi robur. cum palmæ genuina vi congruens. Vergil. ſcite deſcripſit, cum ait:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.
Quam tua te fortuna ſinet.

Nec abhorret hoc Horatianum illud:

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipſo
Ducit opes, animumque ferro
Non hydra ſecto corpore firmior,
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monſtrumve ſummiſere Colchi,
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merſes profundo, pulchrior evenit.
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.

Invulnerabilis ut Cæneus.

Ἄτρωτος ὥσπερ ὁ Καινεύς. id eſt, Invulnerabilis es ut Cæneus. De his, qui lædi non poſſunt, Eſt in poetarum fabulis, Cæneum munere Neptuni nullo telo violari potuiſſe. Cæterum juxta fidem hiſtoriæ, Cæneum Theſſalum quempiam ajunt fuiſſe, rei bellicæ cum primis peritum, adeo ut cum multis præliis interfuiſſet, nunquam vulnus acceperit, Denique cum Lapithis auxilium ferret adverſus

adverſus Centauros, deprehenſus ſolus, ab hoſtium multitudine obrutus eſt, citraque corporis vulnus extinctus. Itaque Lapithæ, cadavere integro reperto, ſparſerunt rumorem, Cæneum in omni vita invulnerabilem fuiſſe. Venuſtius enunciabitur per comparationem.

Αὐτόθι κατάβαλλε.

Αὐτόθι κατάβαλλε, id eſt, Hoc ipſo depone loco. Ariſtides in Pericle: ἤδη μὲν ἀδολέσχων, ὦ Πλάτων, καὶ δειλῶν καὶ ἀνάνδρων αὐτόθι κατάβαλλε. μή πού τις καὶ Τρῶας ἐγείρῃσι θεὸς ἄλλος. id eſt: Jam de loquacibus, ô Plato, ignavis ac timidis, protinus depone, ne forte aliquis Deus alios Trojanos erigat. Interpres indicat proverbium eſſe, ſumptúmque à victoribus: qui vetat ne victus aliquis diſcedat, ſed inibi porrigat herbam, & victorem agnoſcat, ac victoriæ præmium perſolvat. Vſus erit, quoties ſtatim & abſque mora jubemus aliquid exhiberi: veluti probationem ejus quod dixerit aliquis, vel promiſſum vel ſpecimen artis in qua glorietur ſeſe pollere. Vſurpatur & apud Platonem.

Herbam dare.

Herbam dare, pro eo quod eſt, victorem agnoſcere, ac ſe victum fateri, paſſim obvium eſt apud doctos. Inde ſumptum, quod (ut eſt autor Feſtus Pompejus) id erat paſtoralis vitæ indicium: propterea quod antiquitus curſu, aut alio quopiam certamine, ſuperati, herbam ex eodem ſtatim loco decerptam, adverſario porrigebant, victoriæ agnitæ ſymbolum. Plin. li. 22. c. iiij. loquens de corona obſidionali graminea: Dabatur, inquit, viridi e gramine, decerpto inde, ubi obſeſſos ſervaſſet aliquis. Namque ſummum apud antiquos victoriæ ſignum erat, herbam porrigere victos: hoc eſt, terra & altrice humo & humatione etiam cedere. Quem morem, inquit, etiam nunc durare apud Germanos ſcio. Idem lib. viij. cap. v. de elephante: Mirus namq; pudor eſt victuſque vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit. Feſtivius autem erit adagium, ſi ad literariam victoriam transferatur.

Dare manus.

Simili figura dixit Horatius. Dare manus: pro eo quod eſt, ſe victum agnoſcere. Nam qui ſe victori dedunt ne interimantur, ultro manus ad vincula offerunt. Horatius in epodis:

> Jam jam efficaci do manus ſcientiæ.

M. Tullius in ſermone *De amicitia*: Ad extremum det manus, vincique ſe patiatur. Id ſi ad animi res deflectatur, redditur venuſtius. Eſt autem hominum genus, qui nunquam agnoſcunt ſe victos in diſputando, etiam cum maxime ſint dejecti. Quales depingit Galenus lib. ij. περὶ φυσικῶν δυνάμεων, ἀλλ' ὥσπερ τις ἀναισχυντῆ ἀπελέγχεσθαί τι καὶ μένειν κατὰ τὴν ἀρχὴν συγχωρεῖ. ὅμοιός ἐστι τοῖς ἰδιώταις τῶν παλαιστῶν, οἳ καταβληθέντες ὑπὸ τῶν παλαιστρικῶν καὶ κατὰ τῆς γῆς ὕπτιοι κείμενοι, τοσοῦτον δέουσι τὸ πτῶμα γνωρίζειν, ὥστε καὶ κρατοῦσι τῶν αὐχένων αὐτοὺς τοὺς καταβαλόντας, οὐκ ἐῶντες ἀπαλλαγῆναι, καὶ τοῦτῳ νικᾶν ὑπολαμβάνουσι. i. Verum ubi quis redargutus eſt, nihiloſecius complectitur tamen, nec agnoſcens ſe concidiſſe, ſimilis eſt vulgaribus iſtis palæſtricis, qui dejecti à luctatoribus, & humi jacentes ſupini, tantum abeſt ut lapſum agnoſcant, ut etiam cervices eorum, à quibus dejecti ſunt, teneant, non ſinentes illos avelli, ac vel ita ſe viciſſe arbitrantur.

Haſtam abjicere.

Haſtam abjicere, dixit M. Tullius in oratione pro Murena: pro eo quod eſt, cauſæ diffidere, & contentionem relinquere. Tranſlatum à militia. Deſperat enim, quiſquis arma in bello abjicit: & aut fugam ſpectat, aut mortem expectat. Græci ſimplici vocabulo ῥιψάσπιδας vocant timidos & in bello fugitivos: nimirum ab clypei jactu. Id cognominis Demoſthenes in prælio quodam emeruit: tam ignavus in bello, quam in concionibus invictus. Cleonymus apud Ariſtophanem in Vespis, ἀσπιδαποβλὴς appellatur. Plato lib. De legibus xij. declarat ῥιψάσπιδος nomen multo probroſiſſimum eſſe.

Harena cedere.

Confine eſt his, Harena cedere: pro, deſiſtere à certamine, & victoriam ultro concedere. Tranſlatum à pugna gladiatoria. Sic & Horatius:

> Jam Scythæ laxo meditantur arcu
> Cedere campis.

Mea eſt pila.

Mea eſt pila: id eſt, Vici, & voti ſum compos, aut, Res mihi in manu eſt, apud Plautum in Truculento. Sumptum à notiſſimo pilæ ludo, cum multis inſequentibus, unus aliquis præſtantior occupat. Conſimili figura dixit in Caſina: Sed ſi nunc vult hera facere officium ſuum, noſtra omnis lis eſt. id eſt, vicimus. Traducta metaphora à judiciis.

Quid niſi victis dolor.

Τί ἄλλο ἢ τοῖς νενικημένοις ὀδύνη; id eſt, Quid aliquid quam victis dolor? Vſurpandum, ubi palam fit in contumeliam quippiam. Sumptum à dicto Brenni, palam illudentis Romanos in appendendo auro, quod ſtipulatus fuerat ab illis deſperantibus auxilium, ut è Romanis finibus abduceret Gallorum exercitum. Sed ipſius Plutarchi verba libitum eſt ſubſcribere: ἐπεὶ δὲ ἔδοξε τοῖς ἡγεμόσιν, συνελθεῖν εἰς λόγους Βρέννῳ καὶ Σουλπικίῳ τῷ χιλιάρχῳ Ῥωμαίων, ὡμολογήθη, τοὺς μὲν χιλίας λίτρας χρυσίου καταβαλεῖν, τοὺς δὲ λαβόντας ἐκ τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας αὐτίκα ἀπελθεῖν. ἐπὶ τούτοις γενομένων ὅρκων, καὶ τοῦ χρυσίου κομισθέντος, τῶν δὲ Κελτῶν περὶ τὸν σταθμὸν ἀγνωμονούντων, κρύφα τὸ πρῶτον, εἶτα φανερῶς ἀφελκόντων καὶ διαστρεφόντων τὴν ῥοπὴν, ἠγανάκτουν οἱ Ῥωμαῖοι πρὸς αὐτούς. ὁ δὲ Βρέννος οἷον ἐφυβρίζων καὶ καταγελῶν ἀποδυσάμενος τὴν μάχαιραν ἅμα καὶ τὸν ζωστῆρα προσέθηκε τοῖς σταθμοῖς. πυνθανομένου δὲ τοῦ Σουλπικίου, τί τοῦτο; τί γὰρ ἄλλο, εἶπεν, ἢ τοῖς νενικημένοις ὀδύνη; τοῦτο μὲν ἤδη παροιμιώδης λόγος γέγονεν. id eſt: Itaque cum placuiſſet uti principes in colloquium [illegible] nirent Brennus & Sulpitius Romanorum ductor, convenit [illegible] Romani mille libras auri dependerent: hi ſimul atque [illegible] ſent aurum, ex urbe atque ex agris diſcederent: Super [illegible] jus jurandum interceſſiſſet, jamque aurum eſſet adductum [illegible] que pactæ fidei immemores, initio furtim, mox palam depr[illegible] rent, detorquerentque lancem. Romanorum adverſus illos commota eſt indignatio. At vero Brennus tanquam per ludibrium & irridendi cauſa enſem una cum balteo exutum lancibus appoſuit. Porro Sulpitio roganti quid hoc eſſet rei, quid enim aliud, inquit, niſi victis dolor? Atque id dictum jam in proverbium abiit. Cujus meminit Feſtus Pompejus, illud addens: Cum Camillus Brennum inſidiis circumventum concideret, & ille quereretur contra fœdus fieri, retorſit in eum ſuam vocem: Væ dictis. Sic etenim Feſtus effert proverbium. Vnde palam eſt, dolorem, non opprobrium in Plutarcho vertendum fuiſſe. Lapſus interpres aut lapſus eſt, aut uſus eſt exemplari, in quo ſcriptum erat, pro ὀδύνη, ὄνειδος. Huc alluſiſſe videtur Plautinus Ballio: Væ & victis, cum victus vel iniquis conditionibus parere cogitur. Et, ni fallor, Virgilius in Mœride:

> Nunc victi triſtes, quoniam ſors omnia verſat,
> Hos illi, quod nec bene vertat mittimus hœdos.

Nonius Marcellus in dictione Ceſtus, citat titulum ſatyræ Varronianæ, Væ victis.

Victi non audent hiſcere.

Νικώμενοι ἄνδρες τῇ ἀγλωττίᾳ δέδενται i. Qui vincuntur, ſilentio vincti ſunt. Plutarchus in libello cui titulus, Quo pacto quis utilitatem capere poſſit ex inimicis, citat ex Pindaro. Convenit cum illo quod alibi retulimus, Quid, niſi dolor victis? Eſt autem verbum per quam elegans ἀγλωττία: ubi quis non audet hiſcere, à verbo γρύζειν de quo non ſemel dictum eſt.

Tolle digitum.

Αἶρε δάκτυλον, id eſt, Tolle digitum, victum te fatere. Nam hoc ſigno qui in conflictu ſuccubuiſſet, τὴν ἧτταν agnoſcebat. Perſius in ſatyra v.

> Nil tibi conceſſit ratio? digitum exere, peccas.

Cognatum illi quod alio dictum eſt loco, Dare herbam, huc, ni fallor, reſpexit divus Hieronymus in dialogo Luciferiani & Orthodoxi, quum ait, En tollo manum, cedo, viciſti. Athenæus lib. vj. ex Antiphane refert hos verſus in tragicos poetas.

> Ὅταν μηδὲν δύνωντ' εἰπεῖν ἔτι,
> Κομιδῇ δ' ἀπειρηκῶσιν ἐν τοῖς δράμασιν,
> Αἴρουσιν ὥσπερ δάκτυλον τὴν μηχανήν.

Id eſt,

> Vbi nil habent quod dicere queant amplius,
> Sed prorſus hærent explicanda in fabula,
> Repente tollunt machinam digiti vice.

Paulo aliter uſus videtur M. Tullius libro in Verrem vj. Accurrunt tamen tutores, digitum tollit Junius patruus. Nam hic videtur eſſe geſtus comprobantis, aut ſe profitentis emptorem, ſive conductorem. Siquidem & hoc pacto olim ferebantur ſuffragia, & in auctionib. eodẽ qui volebat, declarabat ſe emptorem aut conductorem.

EX APPEND. ERASMI.

Longe viciſti.

> ——— Σὺ δὲ θάρσει τόνδε γ' ἄεθλον
> Οὔτις Φαιήκων τόνδ' ἵξεται, οὐδ' ὑπερήσει.

Id eſt,

> At tu fide animo, quando hoc certamine nullus
> Phæacum te nec æquabit, nec ſuperabit.

Quoties dicemus quempiam aliis egregie præcellere omni in re. Homerus.

IVNII. Vincat tuus tripes.

Heliodorus lib. ij. νικάτω ὁ τρίπους ὁ σὸς, ἐγὼ δὲ ψευδόμαντις ἀναφανείην id eſt: Tuus tripus vincat, egoque mendax vates inveniar. Conveniet, ubi alicui proterve pertinaci veritatem dicti concedimus, velut herbam illi porrigentes, victoriamque permittentes. Sumptum à tripode oraculari, cui inſiſtens vates, hauſto numine ventura canebat.

Ignis in vepribus.

Πῦρ ἐν ἀκάνθαις, id eſt, Ignis in vepribus. De acri diſputatore uſurpavit proverbialiter Nazianzenus, qui adverſariorum argumenta ignis inſtar abſumeret. ita enim de Baſilio Magno loquitur in Monodia: τοῖς δὲ γίνεται πέλεκυς ῥηγνὺς τὴν πέτραν. ἢ πῦρ ἐν ἀκάνθαις, ὅ φησιν ἡ θεία γραφή, ῥᾳδίως ἀναλίσκον τὰς φρυγανώδεις καὶ ὑβριστὰς τῶν θεοτι-

θεῖον, id eſt, Fit illis bipennis cotem diſcindens, aut ignis in ſenecto, juxta Scripturæ ſacræ dictum, abſumens haud difficulter ſarmentitias illas quiſquilias, deitatis violatores.

Nervos frangere.

Νευροκοπεῖν proverbiali ſpecie dictum eſt ab Hermia Damaſii patre, in libello quo gentiles proſcindit, pro animi conſtantiam labefactare, & ſententiam quam quis firmam habuerit, convellere atque ſubvertere. ſic enim ait: νευροκοπεῖ γὰρ μετ᾽ ἐμὴν ψυχὴν ... id eſt: Vetuſtiores iſti ſenes nervos animi incidunt. Simili modo dixit Fabius lib. 1. Inſtitut. orator. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis & corporis frangit. Nervi metaphorice pro robore & viribus accipiuntur, tam apud Græcos quam Latinos. hinc Demoſthenes, νεῦρα πολέμου τὰ χρήματα dixit, quomodo Cicero vectigalia nervos reipub. Ita Georgius Piſides jambographus:

Βλέπων μάλιστα καὶ τὰ νεῦρα τῆς μάχης
Τὸν πλοῦτον ἐκρέοντα πρὸς τοὺς βαρβάρους.

Id eſt,

Quum cerneret potiſſime pecunias
Belli nervos, ad barbaros dilabier.

Dion Nicenus in Veſpaſiano: νεῦρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεὶ ποτὲ εἶναι ἔλεγεν id eſt. Pecunias nervos eſſe imperii ſemper dixerunt. Olympiodorus νεῦρα ἀποδείξεως, nervos demonſtrationis pro ſolido robore dixit. Ejuſdem generis eſt ἐκνευρίζειν apud illos, ut Enervare apud noſtros, pro debilitare. Cydonius Theſſalonicenſis in oratione de mortis contemptu: ἐκλελυμένους καὶ ἐκνευρισμένους καὶ βλακείας ἀτεχνῶς. id eſt: Tantopere diſſolutus & enervos & palam ſocordes. Apud Suidam: διὰ τῶν Ἐπικούρου λόγων τὴν ψυχὴν ἐκνευρισθεὶς καὶ θῆλυς γενόμενος. id eſt: Epicuri librorum lectionem animo enervatus atq; effœminatus. Clariſſime Plutarchus in Sympoſiacôn 6. ubi diſceptat an vinum ſit percolandum: ἡ δὲ τοιαύτη κάθαρσις αὐτοῦ πρῶτον μὲν ἐκτέμνει τὰ νεῦρα καὶ τὴν θερμότητα κατασβέννυσι hoc eſt, Ejuſmodi purgatio primum quidem nervos omnes vini excindit, atque nativum calorem extinguit. Conſimiliter dixit Petronius Arbiter: Effeciſtis ut corpus orationis enervaretur & caderet. Ab hoc diverſum eſt illud Philonis Judæi. ὁ δὲ νοῦς ῥώμῃ τεθαρρηκὼς ... id eſt: Mens virili robore confirmata uſque adeo nervis compacta eſt: & rurſus: ὄντως ... id eſt, Reipſa athletico ſpiritu plenum totoque habitu nervis præditum & iterum: ἀήττητος καὶ ἀνίκητος ψυχὴ ἣν ὀρθὸς λόγος δόγμασι ... ἐνεύρωσε, i. Invictus eſt animus, & cedere neſcius, quem ſolidis dogmatibus, recta ratio roboravit, & nervoſum reddidit.

Argivos exarmat oraculum.

Citatur à Plutarcho in eo quem ἐρωτικὸν inſcripſit, ſenarius proverbii vice ab ipſo uſurpatus:

Τόδ᾽ ἐξοπλίζει τοὐπὸς Ἀργείων λεών.

Id eſt.

Exarmat Argivam gentem hoc oraculum.

Accommodari poterit, quando ſignificabimus, argumento quopiam valido aut ſyllogiſmi ariete deſtrui atque everti quæ per ſe firma antea & certa videbantur. Videtur e Tragico quopiam deſumptum. Exarmare proprie belluas dicimus, quando ungulas, aliave armenta contra hoſtilem injuriam à natura illis conceſſa demimus, ne nocere queant. Sic Plinius exarmare accuſationem tropice dixit, pro infirmare eam & convellere.

Pulvere extrito decertat.

Κόνιν ἀποψησάμενος ἀγωνίζεται. id eſt: Extrito pulvere decertat: aut, in certamen deſcendit. Citatur proverbium ab Euſtathio Iliados penultimo. Quadrat in eum, qui victus animum reſumit, & cũ hoſte digladiatur. Transferetur ad animum, ſi quis in congreſſu literario herbam alicui dare coactus, nihilo animo dejectior, ad cõflictum redeat, quaſi deterſis pulveris ſordibus. Veluti ſi dicas, Alcratum convictum erroris in ratione ponderum & menſurarum à Georgio Agricola, excuſſo pulvere ad pugnam redire, edito reſcripto adverſus hoſtem, nimirum κόνιν ἀποψησάμενος ἀγωνίζεσθαι.

COGNATI. Μονομερῶς.

Apud Paulum lib. Pandect. xxxvj. tit. j. c. lxxxj. pro peremptorie & ſine replicatione uſurpatur: Polycrates, inquit, fideicom. petierat, & obtinuerat apud Aurelium Proculum proconſulem Achaiæ. Appellatione facta, cum ſolus Phœbus egiſſet μονομερῶς victus eſt, quia ei vel eis verbo, utroſq; fratres complecterentur, &c. Apud Juriſconſultos videntur his plura ſimilia adduci, neſcio an vulgo ex authoribus jactata certe eorum, quæ Eraſmus noſter ex illis, & Alciatus inter proverbia connumerant.

Παλαισμα.

Hoc verbum proprie valet aſtutam rationem vincendi adverſarium, qua utebantur pugiles in certaminibus. Sæpe tamen apud authores ad alias res translatum invenitur, ſignificatque callidum aliquod conſilium ac vafrum. Æſchines contra Cteſiphontem admonens ne ſe paterentur decipi: μὴ δ᾽ ἀγνοεῖθ᾽ ὅτι παλαιστὰς τῶν ... Xenophon in ij. ... Ariſtophanes itidem in Βατράχοις, cum ait: φρενίτιδι παλαίσματα.

Provocat & vincitur.

Plerunque fit, ut provocans vincatur. Menalcas apud eundem Theocritum prior provocat & deligit judicem: prior incipit, & vincitur. Itidem Lacõ. Hoc verbum hodie in populari ore verſatur.

Manus intendere.

Pro eo, quod Græci proverbiali figura dicunt, χεῖρα ἀνατείνειν, id eſt, Manum intendere: Cicero lib. De conſolatione, cum morte Tulliolæ ſuæ à fortuna ſuperatum ſe fatens, manum tollere dixit: Cedo, inquit, en manum tollo. Locus eſt apud Lactantium libr. iij. c. xxxviij. Similiter Virg. xij. Æneid.

——Viciſti: & victum tendere (τείνειν hoc quidem eſt) palmas
Auſonii vidêre.——

Plutarch. in Lycur. χεῖρας οὐκ ἀνατείνεται, id eſt: Manus non intenditur. Conſimia ſunt his: Dare manus, Herbam porrigere, & Harena cedere: quæ omnia victum ſe fateri ſignificant, ac cedere: de quibus Eraſmus noſter. Cicero ad Atticum lib. ij. Ajebat: eum ſane diu multa contra ad extremum autem manus dediſſe: & affirmaſſe nihil ſe contra ejus voluntatem eſſe facturum. Lucretius.

——Et ſi tibi vera videtur,
Dedere manus: aut ſi falſa eſt, accingere contra.

quod Græci τὰ χεῖρε προΐσχειν dicerent.

Serra pugnare.

Ancipitem pugnam, victoriam alternatim modo in hanc, modo in illam partem, viciſſitudine ſæpius variata, inclinantem ſignificare qui volunt, Serra pugnare dicunt, aut præliari. Id eſſe tunc Feſtus ait, cum frequens eſt conſertæ pugnæ viciſſitudo, cumque aſſidue acceditur & receditur, neque ullo conſiſtitur tempore, quod quidem ab ſecandi geſtu deſumitur: ſerra quippe modo in hanc, modo in illam partem aſſidue tracta.

Manus dare, ſive tollere.

Latini manus dare & tollere dicunt, pro eo quod eſt, victum ſe fateri. Græci, χεῖρα ἀνατείνειν, proferunt. Cicero in lib. De conſolatione, cum morte Tulliolæ ſuæ à fortuna ſuperatum ſe fatens: Cedo, inquit, & manum tollo. Locus eſt apud Lactantium lib. iij. cap. xxviij: Similiter Virgil. xij. Æneid.

——Viciſti, & victum tendere palmas
Auſonii videre.——

τείνειν quidem tendere eſt. His ſimilia ſunt. Tollere digitum, Herbam dare ſive porrigere, Arena cedere, de quib. Eraſmus noſter in Chiliad. Catul. de quodam & calvo, Manus tollere, quoque dixit.

Fugientem inſequi.

Cic. contra concionem Q. Metelli, orat. xiij. apud Fortun. libr. iij. Sic enim, ut opinor, inſequar fugientem quoniam congredi non licet cum reſiſtente.

Oculis vertigine caligantibus vacillare.

Ego tanquam à pugili robuſto percuſſus, oculis vertigine caligantibus vacillavi.

MELCHIORIS NEIPEI.

Samnites.

Uno vocabulo complexus ſum modo adagium: complectar nunc etiam alterum, id ut liceat, effecerunt tum privati aliquot homines, tum etiam populi quidam plurimum nobilitati vulgo vel vitio aliquo peculiari & inſigni, vel laude. Samnites ergo Horat. ij. epiſt. ij vocat παροιμιακῶς eos, qui multum diuque lædunt, & læduntur, mordent, & mordentur: dente cruento & diro Marte laceſſunt: & laceſſuntur: breviter, Samnites vocare licebit, qui longo temporis ſpacio alios graviſſime vexant, vehementiſſimeque affligunt, niſi quoque atrociſſime vexati ab adverſariis, & graviſſimis calamitatibus preſſi Horatii verſus hi ſunt:

Cædimur & totidem plagis conſumimus hoſtem,
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Agit de poetis, qui aures pene inviti & fracti diu præberent alienis ſcriptis audiendis: cum ipſi viciſſim alienas aures ſuis poematis recitandis obtunderent, atque enecent Samnites, teſtibus hiſtoricis: Livio, Floro, Oroſio, Plinio, Juniore, & aliis, per annos xlix. atroci bello cum Romanis æquo marte depugnarent: tandem Pontio duce eorum capto, in Romanorum jus conceſſerunt: eamque ob cauſam gladiatores Romæ Samnitium nomine appellati ſunt. Cic. multis locis. Livius lib. ix. hujus appellationis originem refert ad Campanos, qui ſuperbia & odio Samnitium gladiatores, quod ſpectaculum inter epulas erat, eo ornatu (deſcripſerat ibidem illum paulo ante) armarunt; Samnitiumque nomine appellarunt.

Alterna atque viros victoria,——

Poſſit hoc Homeri carmen Iliad. ζ. in proverbium cadere: quando victos nos, ſed minime territos tamen, nec ſpem animumque depoſuiſſe ob ſortem adverſam ſignificabimus. Nam hunc locum παραφραστικῶς interpretatus Virgilius Æneid. xj. verbis Turni ſic diſſerit:

Multa dies, variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna reviſens
Luſit: & in ſolido rurſus fortuna locavit;

Num

Num capti potuere capi?

Con[trà]ria illa vocum συζυγία, vel ſi mavis ἀντιπαρώσια, quā Iunoni [indignabunda] quæritante, extat apud Virgil. Æneid. 7. mirām auxeſin habet [&] emphaſim turbulentiſſimam, meritoque Adagiorum locum o[c]cupabit: cum ſignificabimus nobis rem eſſe vel fuiſſe, ut negot[i]um, vel litem, vel bellum cum invictis, immanibus & importun[is], nulla re vel miſeria fractis, aut frangendis, nullo diſcrimine [f]eſſis, aut fatigandis: uſque eo, ut ne victi quidem victoriam tradan[t], ne capti quidem capi poſſe agnoſcant: nihilo ſecius ac rebus ſal[vis] & integris, fortem & intrepidum animum ſemper præſtante[s]. Virgilius ſic habet:

Heu ſtirpem inviſam, & fatis contraria noſtris
Fata Phrygum: num Sigæis occumbere campis:
Num capti potuere capi: num incenſa cremavit
Troja viros? ———

VINCVLVM INSOLVBILE.

ERASMI. *Vulcanium vinculum.*

Ὑφαίστειος δεσμός id eſt, Vulcanium vinculum. Vbi quis nobis inextricabilius eſſet illigatus. Vulcaniis vinculis teneri dicebatur. Sumpta denominatione ab adamantinis illis vinculis, quibus apud Homerum Vulcanus Venerem & Martem ſic irretivit, ut quo magis ſe conarentur explicare, hoc magis involverentur. Homeri Odyſſ. 8.

Βῆ δ' ἴμεν ἐς χαλκεῶνα κακὰ φρεσὶ βυσσοδομεύων.
Ἐν δ' ἔθετ' ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα, κόπτε δὲ δεσμοὺς
Ἀῤῥήκτους, ἀλύτους, ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τεῦξε δόλον κεχολωμένος Ἄρει,
Βῆ ῥ' ἴμεν ἐς θάλαμον, ὅθι οἱ φίλα δέμνι' ἔκειτο.
Ἀμφὶ δ' ἄρ' ἑρμῖσιν χέε δέσματα κύκλῳ ἁπάντῃ.
Πολλὰ δὲ καὶ καθύπερθε μελαθρόφιν ἐξεκέχυντο,
Ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά· τά γ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων,

id eſt,

Ille domum petiit, qua ſtat ferraria fornax,
Secum interea penitus mala pectore volvens:
At trunco impoſita prægrandi incude, ſecabat
Vincula vel nulli rumpenda, vel effugienda.
In quibus implexiti ſimul aſtrictique manerent:
At poſtquam inſidias Marti indignatus, & artes
Abſolviſſet, adit conclave, ubi dulce cubile
Stabat: & hinc illinc fallacia vincula fulcris
Obligat, & ſummo ſuſpendit plurima tecto,
Mire tenuia ſic: telas ut araneorum,
Sic uti non poſſint oculis deprendier ullis
Non vel divorum. ———

Adagium refertur à Suida.

Herculanus nodus.

Ἡράκλειος ἅμμα: i. Herculeus nodus, pro vinculo arctiſſimo atque indiſſolubili legitur apud eruditos. Seneca apud Lucilium. Vnus tibi nodus, ſed Herculeus reſtat. Sic enim vocat ſyllogiſmū, qui vix diſſolui poſſet. Quod in eos quadrabit, qui ſunt arctiſſima neceſſitudine copulati. Idq; unde ſit natum, Plutarchus propemodum indicat in Alexandri vita. Scribit enim Alexandrum Magnū, ſubacto oppido Gordio, Midæ regia, viſere voluiſſe plauſtrum illud celebre, mirando artificio ex corni lib. connexum. De quo talis fama apud barbaros increbuerat, quiſquis ejus nodos explicuiſſet, ei totius orbis imperium portendi fatis. Alexander enſe diſſecuit. Ariſtobulus ſcribit eum facillime diſſolviſſe: nempe adempto clavo quo temoni jugum connectitur. Alluſit huc Auſonius, ſcribēs Paulino ſuo: Nec tu Alexandri Macedonis pervicaciam ſupergreſſus es, qui fatalis jugi lora quum ſolvere non poſſet, abſcidit, & Pythiæ ſpecu quod nefas erat patere, penetravit. Rurſus ad eundem in carmine.

Ocyus illa jugi fatalis ſolvere lora
Pellæum potuiſſe ducem reor, abdita opertis
Principiis, & utroque caput celantia nodo.

Nodum autem eum, quem oſtendit Hercules, religioſum ac ſacrum apud priſcos fuiſſe, ſatis liquet ex iis Plinii verbis, quæ ſunt in hiſtoria mundi lib. 28. cap. 6. Ac vulnera nodo Herculis præligare, mirum quantum ocyor medicina eſt. Atq; etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam utilem habere dicuntur. Feſtus Pompejus oſtendit antiquitus fuiſſe morem, ut nova nupta laneo cingulo præcingeretur: vincto nodo Herculis: quem vir ominis gratia ſolvebat in lecto, ut & ipſe felix eſſet in liberis ſuſcipiendis: nam Hercules ſeptuaginta liberos reliquit. Athenæus lib. 11. tradit Heracleotas Bœotiæ gentem hoc inſigni à cæteris diſtingui: ὅτι ἐπεφόρουν ἐπὶ τῶν ὤτων αὐτοῖς ὁ λεγόμενος ἡράκλειος δεσμός. id eſt, quod ſuper aures geſtent vinculum, quod Herculanum dicitur. In conſimilem ſenſum M. Tullius uſurpavit, Trabali clavo, actione in Verrem 7. Et ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret, cum conſilio cauſam Mamertinorum cognoſcit. Meminit & Horatius clavorum Trabalium.

IVNII. *Contigua ſolvis.*

Κατάπτυχα λύεις: id eſt, Contigua ſolvis: vel, Induta ſolvis: utrunq; enim ſignificat κατάπτυχον, & contiguum, quod individuo nexu conjuncta ſe invicem contingant, & indutum, ita ut vivā cutim attingat: quo Ariſtophanes dixit, ἱππείοις δέρμασι καταπτυχήν, hinnulorum tergoribus amictum: utrunque vero difficulter exolvas, quod contiguum eſt, & quod corpori inductum atq; aſſutum quodammodo. Admonet Heſychius dici in eos, qui rem multis modis difficilem aggrediuntur ſolvere: & exponit καταπτυχήν, immiſſum ac inſutum pellibus, & ſcute adſtricta geſtantem: cujuſmodi hominē & periculoſe & magno labore exuere paraveris. Non male fortaſſis κρίματα λύεις legas, pro, Nodum diſſolvere, quo uſus eſt in Hyppolyto Euripides:

Τίνα νῦν ἢ τέχναν ἔχομεν ἢ λόγους,
Σφαλεῖσαι κρίματα λύειν λόγου.

Id eſt,

Qua arte quave ratione queamus
Errore commiſſo dicti nodum ſolvere.

Cujus origo refertur ad Gordii Midæ patris vehiculum fatale: cujus jugum inexplicabili vinculo ita adſtrictum erat, ut nodorum implicatorum nexus unde inciperet, quove ſe cōderet, nec ratione nec uſu percipi poſſet: ut ſcribit de eo Qu. Curtius Rufus lib. 3. Corrigēda interim eſt obiter lectio apud Suidam depravata: apud quem perperam legitur κρίματα λύεις: quæ vox piaculum ſonat.

Archimedeum problema.

Quia in mentionem Archimedis incidimus, lubet ſubjicerē quod haud dubie proverbii intellectu à Cicerone dictum eſt libro 13. Epiſt. ad Atticum, ita enim habet: Abiit illud quod tum me ſtimulabat, quod tibi dabam ἀρχιμήδειον πρόβλημα. Archimedeum problema appellat quæſtionem abſtruſam, ſolutu difficilem, ſolicitaq; indagine examinandam. Archimedis inventa admiranda, & infinitam ſolertiam prædicat Vitruvius lib. 9. ſingularemq; illius induſtriam ibidem narrat in expendendo ſacomate: quod & Rhemnius Fannius explicat verſibus. Archimedem ait Syneſius lib. De inſomniis, popoſciſſe locum ſibi extra telluris orbem, ubi cum univerſa terra ſe velut in lance appenderet: in terra namque poſitum, nullas adverſus illam habere vires. Memoratur & dictum ejus Dorica dialecto:

Πᾶ βῶ καὶ χαριστίωνι κινῶ τὰν γᾶν πᾶσαν.

Id eſt,

Quo ibo, & univerſam tellurem Chariſtioni commovebo:

Leguntur de ejus induſtria incomparabili, ſenarii Piſidæ iſti, ſic à me repoſiti:

Τὰς πέντε δυνάμεις ἀρχιμήδης εἰς μίαν
Συνάψας ἄλλων εἰς τὸ κινῆσαι μέρος,
Τῶν δυσφοροῦντων ἐξεκίνει τὰ φορτία.

Quorum verſuum hic ſenſus eſt: Archimedem Geometricas omnes facultates (quæ numero quinque cenſentur) in unum tractoriæ machinæ corpus conjunxiſſe, qua immenſi ponderis moles libraret verſaretque. legendum enim eſt, ἄλλων: non autem, ἴλων, apud Suidam verſus iſtos adducentem.

VIS INIVSTA.

ERASMI. *Leonis catulum ne alas.*

Æſchyli ſententia proverbialis refertur apud Ariſtophanem in Ranis:

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
Μάλιστα μὲν λέοντα μὴ ᾽ν πόλει τρέφειν.
Ἢν δ' ἐκτραφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.

Id eſt,

Catulum ne alas leonis in re publica,
Ac maxime ipſum ne leonem alas ibi:
Quod ſi quis alitus, obſequendum moribus.

Refert hunc locum Valerius Maximus lib. 7. cap. De ſapienter dictis. Admonet ænigma, non eſſe fovendam potentiam, quæ leges poſſet opprimere: quod ſi forte talis quiſpiam extiterit, non eſſe è Rep. decertare cum illo, quem nequeas niſi magno Reip. malo devincere. Tyrannus aut ferendus eſt, aut non recipiendus.

Lex in manibus.

Ἐν χειρῶν νόμῳ, id eſt, Lege manuum dicitur, quum res vi geritur, non ex præſcripto legum. Æſchines contra Timarchum: φυλακτέον δὲ τοῖς μὲν ὀλιγαρχικοῖς, καὶ τοῖς τὴν ἄνισον πολιτείαν πολιτευομένοις, τοὺς ἐν χειρῶν νόμῳ τὰς πολιτείας καταλύοντας id eſt: His vero qui ſequuntur oligarchiam, & apud quos inæqualis eſt Reipub. adminiſtratio, cavendi ſunt qui lege quæ eſt in manibus ſita, civitatis ſtatum labefactant. Manuum legem appellat violentiam ſive jus belli. Vſus eſt in hunc ſenſum Polybius Hiſtoriæ lib. 1. τῶν δὲ πολεμίων ὡς ποτε κρατήσειε, τοὺς μὲν ἐν χειρῶν νόμῳ διεφθείρε, τοὺς δὲ ζωγρίᾳ πρὸς αὐτὸν ἀνακομισθέντας ὑπέβαλε τοῖς θηρίοις. id eſt: Ex hoſtib. quoſcunq; devicisset aliquando, alios violenta manu perimebat. Rurſus lib. 2. ἐν δὲ τούτῳ τῷ καιρῷ συνέβη Γάιον μὲν τὸν ὕπατον παραβόλως ἀγωνιζόμενον, ἐν χειρῶν νόμῳ τελευτῆσαι τὸν βίον. id eſt: Per idem hoc tempus accidit, ut Cajus conſul dum audacius pugnat manuum lege vitam finierit. De αὐτοχειρία dictum eſt alias. Apud Plautum ſervus quiſpiam minitatur ſe manu litem acturum.

Leonina ſocietas.

Leonina ſocietas eſt, cum omne commodum ad unum aliquem

redit;

redit; reliquis vi fraudatis: qualis ferme ſolet eſſe cum Regibus aut præpotentibus plebejæ ſortis hominibus. Extat in Pandectis, in quibus ex Vlpiano refert Ariſto, Caſſium reſpondiſſe, ſocietatem talem coiri non poſſe, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiret: & hanc ſocietatem leoninam ſolitum appellare. Cæterum Caſſianam appellationem, haud dubium proverbialem, ex Æſopi Græci apologo natam apparet, qui talis circumfertur: Leo, aſinus & vulpes ſocietate inierant, ut quod venatu cœpiſſent, id in commune partirentur. Prædam ubi erant nacti, leo jubet ut aſinus partiatur. Ille, ut eſt ſtolidus, in treis æquas portiones diſtribuit. Qua gratia mox indignatus leo, quod cæteris æquaretur, aſinum adortus dilaniat. Reſtabat vulpes, eam de integro partiri jubet: illa totam ferme prædam leoni attribuit, ſibi vix paucula quædam ſervans. Leo comprobata diſtributione, rogat, quiſnam illam artem partiendi docuiſſet. Et vulpes: Calamitas, inquit, aſini.

Atticus advena.

Ἀττικὸς πάροικος: id eſt, Atticus advena: In violentos & feroces vicinos dicebatur. Duris apud Zenodotum ait ex Atticorum moribus natum, quod olim finitimos è ſedibus ſuis exigere conſueverint. Cratetus inde manaſſe putat, quod Athenienſes, qui Samum miſſi fuerant, indigenas expulerint. Notatur adagium ab Ariſtotele lib. Rhetoric. 3. ἔνια, inquit, τῶν παροιμιῶν καὶ γνῶμαί εἰσιν, οἷον παροιμίας Ἀττικὸς πάροικος. id eſt: Adhæc nonnulla proverbia ſunt & ſententiæ, tanquam teſtimonia, ut Atticus advena. Proinde proprie quadrabit in eos, qui ita nuper in munus aliquod aſciti ſunt, ut ſuperiores ejiciant.

Ad ſaga.

Sagum tunicula erat militaris. M. Tullius non ſine ſpecie proverbij aliquoties dicit, Ad ſaga ire, pro eo quod eſt, apparari bellum, & ad arma procurrere. Ita Philippica 6. Properent quod video facturos, vos ſaga parate. Eſt enim ita decretum, ut ſi ille authoritati ſenatus non paruiſſet, ad ſaga iretur. Rurſum in eadē: Iuſtitium edici, ſaga ſumi, dixi placere. Et ſuperius in quinta: Iuſtitium indici, ſaga ſumi, dici oportere. Poſt in ſeptima: Arma, ſaga, bellum, flagitaverunt. Rurſus in 8. Delectus tota Italia decreti, ſublatis vacationibus, ſaga cras ſumentur. Iterum in eadem, Equidem P. C. quanquam hoc honore uſi togati eſſe ſolent, quum eſt in armis civitas, ſtatui tamen à vobis cæteriſq; civibus in tanta atrocitate temporis tantaque perturbatione populum Romanum non differre veſtitu. Rurſus Philipp. 13. Te non intelligis delectu tota Italia habito, conſulibus miſſis, Cæſare ornato, ſagis deniq; ſumptis, hoſtem judicatum? Ac 14. frequenter, Ad ſaga iſſemus. Cras ſagati prodeamus, Ad ſaga ſumenda diſcedere. Ad ſaga iviſſe, Rediſſe ad togas. Actione in Verrem 3. conjungit ſimilia: Quum coegeris homines miſeros & calamitoſos, quaſi deſperatis noſtris legibus & judiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere.

Capillis trahere.

Τῶν τριχῶν ἕλκειν: id eſt, Capillis trahere dicuntur qui ut perpellunt: quod & hodie dicitur Aurıbus trahere. Æſchines in oratione quam modo citavi: οὐ κατεσχόμην τὴν ὕβριν, ἀλλὰ παροξυνθεὶς, ὅθ' ἡμᾶς εἱστία Ξενόδοκος τῶν ἑταίρων τις τοῦ Φιλίππου, εἰ λαβὼν τῶν τριχῶν καὶ λαβὼν ῥυτῆρα ἐμαστίγουν τὴν αἰχμάλωτον γυναῖκα. id eſt: Num perpeſſus fuiſſem contumeliam, ſed incanduiſſem, quum nos exciperet convivio quidam è Philippi amicis excipiendis hoſpitib. præfectus, & capillis traxiſſem & arrepto loro flagellaſſem captivam mulierem. Plaut. in Menæchmis:

Sed quis hic eſt, qui me capillo hinc de curru deripuit?

Opinor alluſum ad Palladem Homericam, quæ Achillem capillis revocavit à pugna. Idem in Mercatore:

Me iſtam capillo pertracturum in viam, niſi hinc abducit,

De naribus trahi, obtorto collo, obtorta gula, nobis alias dictum eſt. Quo longius à rebus corporeis recedet metaphora, hoc erit venuſtior: veluti ſi quis dicat, laſciviam capillis trahendam, & jejuniis laboribuſque caſtigandam.

Cyclopum more.

In eodem rurſus lib. Cyclopicam vitam appellat, ubi nullis publicis legibus vivitur, ſed quiſque ſuo arbitratu res gerit. ἐν δὲ ταῖς πλείσταις τῶν πόλεων ἠμέληται περὶ τῶν τοιούτων, καὶ ζῇ ἕκαστος, ὡς βούλεται, κυκλωπικῶς θεμιστεύων παίδων ἠδ' ἀλόχου. In cæteris autem civitatibus ſuper his, hoc eſt, educatione liberorum, nulla eſt habita cura, ſed quiſque vivit ut vult, Cyclopum ritu de liberis & uxore fas nefaſque ſtatuens. Cyclopes enim ſparſim habitare feruntur in montibus, nulla ſpecie vitæ civilis, ſed in ſuo quiſque antro facit quod lubet. Ne religio quidem apud illos ulla. κύκλωπος βίος alibi dictus eſt.

Oculum excludere.

Hac figura vulgus adimit omnem ſpem petenti, ut dicas: Si hoc impetraris, oculum mihi excludito, aut dentem excutito. Senex in Pſeudolo Plautino: Excludito hercule oculum ſi dedero. Senſit quidvis potius futurum, quam ut ſervo daret argentum pro amica filii. Itidem in Phormio Terentius: Vel oculum excludit, eſt ubi ulciſcar locus.

Centaurice.

Κενταυρικῶς: id eſt, Centaurice immaniter, ferociter, inciviliter fieret: ſumpta voce à Centaurorum moribus. Ariſtophanes in Ranis:

Τίς τὴν θύραν ἐπάταξεν ὡς κενταυρικῶς;

id eſt.

Quis oſtium pulſavit ita Centaurice?

Etenim Centauri viribus & vi peragebant omnia, legum & juris omnis ignari. Tametſi quidam exiſtimant hoc apud Ariſtophanem dictum εἰρωνικῶς in Bacchum mollem alioqui & imbellem.

Mars Rex.

Ἄρης τύραννος: id eſt, Mars Rex. Suidas interpretatur congruere in Principem, qui vi, non legibus Rempublicam tractat. Zenodotus ortum putat à Timotheo Athenienſium Imperatore, qui multa feliciſſime geſſit adverſus Perſas & Aſianos, & cujus ductu florebat Attica. Vnde dictum eſt Mars Rex. Heſychius proverbium recenſet tantum. Indicat Suidas aliquando Græcis ἄρη dici ferrum ipſum. Itaque poteſt hic eſſe ſenſus proverbii, ferrum Rex, quoties res vi geritur.

Rus civitas.

Ἀγρὸς ἡ πόλις: id eſt, Rus civitas. Vbi quis in urbe neglectis legibus, vi, proque ſua libidine rem gerit. In civitatibus enim legibus ex æquo vivitur, in agris licentius agitur. Epicharmus apud Diogenianum: ἀγρὸν τὴν πόλιν ποιεῖς, id eſt: E civitate rus facis. Quadrabit etiam in civitatem, in qua legum non magnus habetur reſpectus. Huc alluſit Seneca in ludicro bello, quem luſit in Claudium Imperatorem: Vos mera mapalia feciſtis, volo ſervetis diſciplinam curiæ.

Hoſpes indigenam.

Ἔπηλυς τὸν ἔνοικον: id eſt, Advena inquilinum, ſubaudiendum, ἐξέβαλε id eſt, ejecit. Vſus fuerit, cum alienæ profeſſionis quiſpiam alium in propria vincit arte. Quod genus, ſi Theologus in arte grammatica ſuperet grammatices profeſſorem: aut ſi arrogatus, aut adoptivus, filium ejiceret è familia: aut miles aſcititius ejiceret colonos.

Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω.

Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Admonet, iniquū non admittendum. Geometriam enim æquabilitatem accipiunt, ut apud Ariſtidem in Themiſtocle: ὅπου γὰρ δεῖ καὶ τῆς ἰσότητος καὶ γεωμετρίας. id eſt: Vbi opus eſt & æquabilitate, & geometria. Idem in Pericle: εἰ δ' ἡ γεωμετρία καλὸν καὶ ἡ κατ' αὐτὴν ἰσότης. id eſt, Si honeſta geometria, & quæ cum illa conjuncta eſt æqualitas. Vnde Lycurgus arithmeticen, ceu popularem ac turbulentam, ejecit è Lacedæmone: geometriam induxit, tanquam modeſtæ oligarchiæ, & legitimo regno convenientem, teſte Plutarcho. Sed mea quidem ſententia, magis valebit perinde proverbium, quaſi dicas ἀνίπτοις ποσίν: id eſt, illotis pedibus: hoc eſt, temere & imparatis. Nam hæc erant apud veteres prima philoſophiæ rudimenta, Muſica & Geometria. Quib. diſciplinis ſi qui non eſſent initiati, non admittebantur in ſcholam Platonis: cujus hanc ferunt fuiſſe inſcriptionem, ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω. Loquitur ad hunc modum & Taurus philoſophus apud Gellium. Nunc autem iſti, qui repente pedibus illotis ad Philoſophos divertunt, non eſt hoc ſatis, quod ſunt omnino ἀθεώρητοι, ἄμουσοι, ἀγεωμέτρητοι: id eſt, Speculatrix, muſicæ, geometriæ ignari. Præcipuus autem admirator geometriæ fuit Pythagoras: quem tradunt ob inventum unum problema, ſacrificaſſe diis. Id erat hujuſmodi, datis duabus figuris adjicere tertiam ab his diverſam, quæ alteri ſit æqualis, alteri ſimilis. Tum Philo, qui geometriam ἀρχὴν καὶ μητρόπολιν appellarit omnium diſciplinarum: quod hæc rerum intelligibilium imagines, veriſque veſtigia, tanquam in politiſſimo ſpeculo demonſtret, mentēque purgatam paulatim abducat à ſenſu. Plato quoq; dixiſſe creditur, Deum ipſum γεωμετρεῖν: ſive quod geometrica ſpeculatio animum à rebus corporeis abducat ad ea quæ ſemper eodem ſunt modo (Deus autem ab omni materia puriſſimus eſt:) ſive quod in Timæo principia mundi diviſit in tria, Deum, materiam, & ideam. Materia quiddam eſt omnium quæ ſubſternuntur, maxime confuſum & incompoſitū: Idea, exemplarium pulcherrimum: Deus, cauſarum optima. Cum igitur ita condiderit mundū, ac ſemper ita ſervet, ut materiæ ſit æqualis, ideæ ſimilis: videtur explicare Pythagoricum illud problema, cujus modo meminimus. Hæc itaque & alia id genus multa, Plutarch. Sympoſiac. decadis octavæ, problemate ſecundo. Plato videtur æmulatus ſolennem morem, tale quippiam inſcribendi foribus. Spado quidam effœminatus, quum oſtio domus inſcripſiſſet, μηδὲν εἰσίτω κακόν: Diogenes, At herus inquit, domus, qua tandē ingredietur? Socrates apud Platonem in Theæteto diſputaturus de rebus ſubtilioribus: ἄθρει δή, inquit, περισκοπῶν, μή τις τῶν ἀμυήτων ἐπακούῃ. id eſt, Obſerva jam circumſpiciens, ne quis prophanus exaudiat. Imitatus eſt Pythagoram, qui ſic præfatur?

Ἀείσω ξυνετοῖσι, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.

id eſt.

Cordatis cantabo, fores tamen obde prophane.

Cujus alibi meminimus.

Priuſquam ſortiaris, communia devoras.

Vide in loco, Avaritia & Rapacitas.

Non

Non movenda moves.

Ἀκίνητα κινεῖς: id eſt, Non movenda moves. Quadrabit aut in eos, qui moliuntur καινά τινα aliquid: aut qui res ſacras violant: aut qui pacta mutant: ſive qui conviciis inceſſunt eos, quibus ob autoritatem debetur reverentia. Zenodotus inde natum putat, quod fas non ſit movere, neq; aras, neq; ſepulchra, neq; ſacella, quibus reverentia quædam ac religio debetur. Plutarchus in commentario De dæmonio Socratis, ſcribit hanc vocem æditam cuidam evocanti manes amici defuncti: τὰ ἀκίνητα μὴ κινεῖν. Idem ἐν τῷ ἐρωτικῷ uſurpat in eum, qui receptam de diis opinionem convellere videbatur. Meminit hujus Plato lib. De legib. 8. proferens legē, quam Iovis terminalis appellat, ne quis vicini civis, aut hoſpitis, limites agrorum moveat; ne quis item urbis aut regionis pomœria moveat: malitq; quiſq; ſaxum ingens movere, quam exiguum lapidem fœdere jureq; jurando fixum τὸν ὅρον, inquit τὰ ἀκίνητα κινῶν ἀληθὲς τοῦτο εἶναι. id eſt: Exiſtimans hoc eſſe vere quod dicitur, non movenda movere, Idem lib. De legib. 11. Ἐπὶ πολλοῖς γὰρ εὖ λέγεται δὴ τὸ μὴ κινεῖν τὰ ἀκίνητα. id eſt: Inter multa illud recte ſane dicitur: Ne moveris non movenda. Meminit & ejuſdem operis libro 3. Et in Epigrammate quodam ita legitur:

Ἀκίνητον κινέειν οὐδ' Ἀΐδης.

Id eſt,

Immota haud tangit ne Libitina quidem.

Sophocles in Antigone:

Ὄρσεις με τ' ἀκίνητα διὰ φρενῶν φράσαι.

Id eſt,

Coegeris ma non movenda proloqui.

Idem in Oedipo Coloneo:

Ἀλλ' οὐ γὰρ αὐδᾶν ἡδὺ τ' ἀκίνητ' ἔπη.

Id eſt,

Neque enim ſuave eſt, verba in auras eloqui,
Quæ ſit nephas movere.

Plutarchus in libello De auſcultando: ἐπιθυμία κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινήτους. id eſt: Cupiditas chordas movens non movendas.
Idem περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης:

Κινοῦσα χορδὰς τὰς ἀκινήτους φρενῶν.

Id eſt.

Fides movens minime movendas mentium.

Eleganter huc alluſit oraculum quod extat in Eratone Herodoti:

Κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

Id eſt,

Et Delum, quamvis ſit adhuc immota, movebo.

Simul enim reſpexit ad fabulam, ſive mavis hiſtoriam. Delon antea fluitantem, poſtea fixam in gratiam Apollinis. Unde Maro:

Immotamque coli dedit & contemnere ventos.

In antrum haud legitimum ſtimulum impingis.

Εἰς τρυμαλιὴν οὐχ ὁσίην τὸ κέντρον ὠθεῖς, id eſt, In foramen haud licitum, ſtimulum trudis. Dicterium Sotadis in Philadelphum, qui ſororem Arſinoen exemplo Iovis uxorem duxerat, quo quidem dicto offenſus Rex, capitis ſupplicium ſumpſit de eo qui dixerat. Meminit Plutarchus in libello de liberis educandis.

Abſtinenda vis à Regibus.

Qui dicet haud temere manum immittendam in Reges, potentes, aut viros Deo dicatos, adducet illud ex eodem libro:

——— Δεινὸν δὲ γένος βασιλήϊόν ἐστι
Κτείνειν. ———

Id eſt,

——— Res dira ac plena pericli eſt,
Regale occidiſſe genus.

Ceſcon habitas.

Κέσκον οἰκεῖς: id eſt, Ceſcum habitas. In ſtupidum & bardum dicebatur. Ceſcos Pamphyliæ civitas, cujus cives ob vecordiam ſtultitiamq; vulgo male audiebant. Juxta Ceſcum urbem fluvius erat, cui nomen Ἄνους: id eſt, amens. Quanquam Suidas, qui & ipſe proverbii meminit, Celcum ponit in Cicilia, non in Pamphylia. Unde & vulgari ſermone jactatum eſt: πόλις Κέσκος νοῦν οὐκ ἔχουσα. id eſt, Ceſcus civitas mentis inops. Quadrabit & in cœtum, aut conciliabulum hominum ſtultorum. Convenit cum eo quod alias oſtendimus, Bœotica ſus. Adagium recenſet Zenodotus. Illud obiter admonendum, locum hunc in Suida depravatum haberi in dictione κέσκος: & pro κέσκος οἶκον ἔχει, legendum eſſe κέσκον οἰκεῖ.

Cyclopica vita.

Κυκλώπειος βίος: id eſt, Cyclopica vita: pro vita vehementer effera ac barbara, quæ neq; legibus, neq; diſciplina civili conſtet, neque religione deorum gubernetur. Qualem deſcribit Homerus Odyſſeæ lib. 9. ſub perſona Polyphemi:

Νήπιός εἰς, ὦ ξεῖν', ἢ τηλόθεν εἰλήλουθας,
Ὅς με θεοὺς κέλεαι ἢ δειδίμεν, ἢ ἀλέασθαι.
Οὐ γὰρ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσιν,
Οὐδὲ θεῶν μακάρων, ———

Id eſt,

Deſipis, aut certe longinquis hoſpes ab oris
Hic ades, ut qui me jubeas, curare moveri,
Sive timore Deûm, neque enim cyclopica turba.
Curamus ſummumve Iovem, divoſue beatos.

Eodem in libro:

Τῶνδ' ἀνδρῶν πειρήσομαι, οἵ τινές εἰσιν,
Ἤ ῥ' οἵ γ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι οὐδὲ δίκαιοι,
Ἦε φιλόξεινοι καί σφιν νόος ἐστὶ θεουδής.

Id eſt,

Quod genus hoc hominum experiar jam ſintne feroces,
Agreſtes, æquique rudes, an & hoſpitii jus
Obſervent, animo reverentes numina divûm.

Homerum æmulatus Euripides, Cyclopen hoc pacto loquentem facit:

Ζηνὸς δ' ἐγὼ κεραυνὸν οὐ φρίσσω, ξένε,
Οὐδ' οἶδ' ὅτι Ζεύς ἐστ' ἐμοῦ κρείσσων θεός,

Id eſt,

Atqui hoſpes ego fulmen Iovis non horreo,
Neque me Iovem præſtantiorem habeo Deum.

Strabo lib. Geographiæ 11. ſcribit, hoc vulgo dictum in Albanorum gentem, quod Cyclopum agerent vitam: utpote neq; culturæ ſtudioſi, & ad omnem vitæ cultum inertes & rudes:

Cyrnia terra.

Κυρνία γῆ: id eſt, Cyrnia tellus. dicebatur regio latrociniis infamis: cujuſmodi ferunt olim fuiſſe Cyrnum. Eſt autem Cyrnus inſula quædam ad Boream, oppoſita Iapygiæ mellificio nobilis, autore Stephano: verum ob latrocinia fuit inacceſſa navigantib. Plinius autumat hanc eſſe Corſicam: In Liguſtico, inquit, mari eſt Corſica, quā Græci Cyrnon appellavēre. Gens hæc & hodie male audit apud Italos. Proverbium non inepte detorquebitur in hominem alieni rapacem ac violentum. In collectaneis Zenobii per Aldum æditis, reperio κυρνία ἄτη: id eſt, Cyrnia noxa.

Martis campus.

Ἄρειος πεδίον: id eſt, Martis campus. Suidas ex Alexandridis Piſandro citat. In eos torquebatur, qui militari confidentia præditi viderentur, quique rem vi, non judicio, gererent: non doctis dictis, ſed pugnis; non ex jure manu conſertum, ſed improbis clamoribus & quibus jus eſt in armis: quos Heſiodus eleganter compoſita voce χειροδίκας vocat. Cæterum in quo quis valet, id Græci campum illius vocat.

In caput præcipitari.

Ἐπὶ κεφαλὴν ὠθεῖσθαι: id eſt, In caput impelli, hoc eſt præcipitem dari, dicebant eum, qui per ſummam contumeliam expelleretur, vel potius qui funditus perderetur. Eſt in Luciani libello De mercede ſervientibus. Uſurpavit non abſimili figura Terentius: *Autores erant, ut illam præcipitem darem.* id eſt, ut exturbarem ædibus. Plutarchus in Stoicorum contrarietatibus. [illegible] χρημάτων χάριν [illegible] id eſt: Chryſippus ſapientem fœnoris gratia præcipitem dat in Panticapæum, & Scytharum ſolitudinem. Panticapæum, urbs Scythiæ ad Boſphorum, autore Stephano. Equidem arbitror idem eſſe quod ait Seneca libro De beneficiis ſexto. Alia detinebo diutius, alia expellam, & capite agam. Notavit nonnihil adagii formam Phœnix Colophonius apud Athenæum libro decimo ſecundo de Nino Rege Aſſyriorum agens, qui præ corporis voluptatibus omnia contemnebat. Scazontes illius ſic habent:

Ἀλλ' ἦν ἄριστος ἐσθίειν τε καὶ πίνειν
Κἠρᾶν, τὰ δ' ἄλλα πάντα κατὰ κρημνῶν ὤθει.

Id eſt,

Sed erat edendo, poculumque miſcendo
Præſtans: reliqua autem cuncta abegit in ſaxa.

id eſt, prorſus contempſit.

IV N II. Calcibus proterit.

Λὰξ πατεῖν, id eſt, Calcibus proterere, adagialiter accipitur apud authores, pro manifeſto & omni injuriarum genere aliquem afficere atque opprimere, Æſchylus:

Καὶ ταῦτα πάντα λὰξ ἐγὼ πατήσομαι,

Id eſt,

Hæc cuncta proculcata cernoo calcibus.

Idem,

Τὸ μὴ θέμις γὰρ, οὐ λὰξ πέδοι πατούμενον.

Id eſt,

An non ſolum, quod nefas, calcib. proculcatum?

Idem in Eumenidibus: βωμὸν αἴδεσαι δίκας, μηδέ νιν κέρδος ἰδὼν, ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς: aut, ut doctiſſimus Henricus ille Steph. legere maluit, πατήσῃς, hoc eſt: Aram juſtitiæ reverētor, neve illam, lucro animum applicans, impia calce violes, aut proculces. Sophocles annotator idem extuliſſe. λακτίζειν πατεῖν, calce proterit: ut in Phædra, citante Stobæo:

Οὐ γάρ ποτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἀσφαλὴς πόλις,
Ἐν ᾗ τὰ μὲν δίκαια καὶ τὰ σώφρονα
Λὰξ ἐκποδὼν κεῖται, κατίλως δ' ἀνὴρ λαβὼν
Πανοῦργα χερσὶν ἔργα ναυβάτην πόλιν.

Id eſt,

Secura nunquam aut tuta civitas erit,
Leges ubi & conſulta recte, calcibus
Teruntur, & rempublicam aleæ in modum
Ardelio ludit compertus ſcelerum & loquax.

Quanquam poſtremus verſus perperam ibi legitur, hoc pacto.

Πανύστατα χειρὸς κίστεως κινήσειν πόλιν.

Scholiaſtes incertus in Luciani Lexiph. λὰξ πατεῖν dici annotat de his, qui calamitatib. involuti, fortiter animo inde ſe expediunt, καὶ τοῖς ἐνσχεθεῖσιν συμφοραῖς, ἐπιβαίνειν ἐξ ἀσφαλείας. Phineus apud Apollonium Rhodium Argonaut. lib. 2. cæcitatem ſuam deplorans, ſic inquit:

> ——*Οὐ γὰρ μοῦνον ἐπ' ὀφθαλμοῖσιν Ἐρινὺς*
> *Λὰξ ἐπέβη.*——

Id eſt.

> Incubuit non tantum oculis feralis Erinnys,
> Calcibus inſultans.——

Hinc compoſita vox λαξπάτητος apud Sophoclem, quæ denotat pelluſdatum & penitus extinctum, λαξπάτητοι ἀρτιγενεῖς χαράς: id eſt, Lætitiam omnem evertens atque obliterans.

COGNATI.

Nullum violentum perpetuum.

Ariſtot. adag. lib. 2. Celi. Nullum violentum perpetuum. Quod autem contra naturam, violentumq; eſt, etiam pluribus aliis Philoſophis, non eſt perpetuum. Gregor. Nazianz. in Apolog. Coactio ſiquidem, præterquam quod tyrannica eſt, nec laudem meretur, nec diuturna eſt. Solet enim quod coactum eſt perinde atque planta violenta manu attracta, ubi remittitur, ad ſeipſum recurrere. Quod vero voluntarie fit, & diuturnum eſt valde, & ſecuriſſimum, tanquam benevolentiæ vinculo munitum.

Colaphum labiis infringi.

In Hebræo, Colaphum labiis infringi, eſt, contumeliis affici, deludi, & confundi Proverbiorum decimo. Et ſtultus labiis cædetur. Non abſimile huic, Conſpuere faciem: & implere faciem ignominia. Ibidem: Stultus illudetur. hoc eſt, contumelia afficietur.

VITA HOMINIS MISERA & brevis.

ERASMI. Homo bulla.

Πομφόλυξ ὁ ἄνθρωπος. id eſt, Homo bulla. Proverbium hoc admonet humana vita nihil eſſe fragilius, nihil fugacius, nihil inanius. Eſt enim bulla, tumor ille inanis qui viſitur in aquis, momento temporis enaſcens ſimul & evaneſcens. M. Terentius Varro in præfatione, quam ſcripſit in libros De agricultura. Cogitans, inquit, eſſe properandum: quod ſi, ut dicitur, homo eſt bulla, eo magis & ſenex. Annus enim octogeſimus admonet me, ut ſarcinas colligam, antequam proficiſcar e vita. Lucianus item in Charonte, vitas hominum bullis hujuſmodi ſimiles facit: quarum aliæ ſimulatque natæ ſunt, protinus evaneſcunt, aliæ paulo diutius durant, omnes breviſſimis quibuſdam intervallis, aliæ ſuccedunt aliis. Neque quicquam profecto potuit excogitari, quod melius repræſentaret, quam nihil ſit hæc vita noſtra. Primum quanto diſcrimine prodimus in lucem, deinde quam deſtituta, quantis obnoxia periculis infantia? Quam fugax adoleſcentia, quam præceps juventa? Ariſtoteles in libris Polit. itemque Rhet. lib. 3. vigorem humani corporis tradit jam evaneſcere anno ferme trigeſimo quinto, animi unde quinquageſimo. Hippocrates extremam hominis ætatē terminat quadrageſimo nono. Iam ſi pueritiam & ſenectam deducas de ratione ævi, quæſo quantulum eſt hoc, quod relinquetur? Et hoc ipſum tamen circumſcriptum anguſtiis, ſexcenta morborum genera quotidie infeſtant: nec pauciores impetunt caſus, ruinæ, venena, naufragia, bellum, terræmotus, lapſus fulmen, & quid nō? Alius acini granum glutiens præfocatus eſt. Eſt quem potus cum lacte pilus ſtrangularit. Neque defuit, cui ſtiria gelu durata delapſa tecto, ſubitum attulerit exitium. Et hoc eſt animal illud, quod tantos molitur tumultus, cujuſque cupiditatib. orbis hic anguſtus eſt. Nec mihi temperare poſſum, quin hoc loco Plinii verba adſcribam ex lib. 7. vitæ fragilem brevitatem ſcite depingentis: Incertum ac fragile nimirum eſt hoc munus naturæ. quicquid datur nobis: malignum vero & breve, in iis etiam quibus largiſſime contingit, univerſum utique ævi tempus intuentibus. Quid quod æſtimatione nocturnæ quietis dimidio quiſque ſpacio vitæ ſuæ vivit: pars æqua morti ſimilis exigitur, aut pœnæ, niſi contingit quies, nec reputantur infantiæ anni, qui ſenſu carent: nec ſenectæ in pœnam vivacis: tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties invocata morte, ut nullum frequentius ſit votum. Natura vero nihil hominib. brevitate vitæ præſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus, membra retorquentur, præmoritur viſus, auditus, inceſſus: dentes etiam ac ciborum inſtrumenta. Et tamen vitæ hoc tempus annumeratur. Ad bullarum ſimilitudinem accedit nobilis illa Homeri comparatio de caducis arborum foliis. Sic enim Glaucus apud hunc loquitur Iliados 6.

> *Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν,*
> *Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη*
> *Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.*

Id eſt,

> Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum:
> Quorum hæc ventus humi fundit, rurſum illa viteſcens
> Profert ſylva, ſimul veris item aſſlaverit aura.

Hoc carmine Pyrrhonem Academicum peculiariter delectatum fuiſſe, teſtatur Diogenes Laertius. Rurſus Homerus Iliados φ.

> ——*Οἳ φύλλοισιν ἐοικότες, ἄλλοτε μέν τε*
> *Ζαφλεγέες τελέθουσιν, ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες,*
> *Ἄλλοτε δὲ φθινύθουσιν ἀκήριοι.*

Id eſt,

> Frondibus arboreis ſimiles, nunc ubere fœtu
> Exuperant, lætique ſatis veſcuntur agrorum,
> Nunc rurſum intereunt evaneſcuntque caduci.

Idem alio rurſum loco quopiam:

> *Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο.*

Id eſt,

> Nihil homine enutrit tellus infirmius alma.

Menander apud Plutarchum in libello conſolatorio ad Apollonium.

> *Τὸ γὰρ κεφάλαιον τῶν λόγων, ἄνθρωπος εἶ.*
> *Οὗ μεταβολὴν θᾶττον οὐδὲν θηρίον καὶ ...*
> *Ταπεινότητα ... λαμβάνει*
> *Καὶ μᾶλλον ... γῆ ...*
> *Φύσει μεγίστοις ἐγχειρεῖ πράγμασιν.*

Id eſt.

> Caput atque ſumma orationis hæc: Homo es.
> Quo non aliud eſt animal uſquam, quod modo
> Surgat, modo cadat, citius atque crebrius.
> Ac jure ſane: quippe debiliſſimum
> Cum ſit, negocia adminiſtrat maxima.

Euripides apud eundem:

> *Ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος.*
> *Καὶ ἡμέρα μία τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν.*
> *Τὰ δ' ἦρεν ἄνω.*

Id eſt,

> Nec ſtabilis eſt felicitas,
> Sed in diem durans, & unicus dies
> Et hæc ab alto traxit, hæc & ſuſtulit
> Ab imo in altum.——

Quo quidem in loco Demetrius Phalereus poëtam alioqui laudatum ob elegantiam taxaſſe legitur, non ἐφήμερος, id eſt, unum diem, ſed ἀκαρῆ χρόνον, id eſt, temporis punctum dicere debuerit. Pindarus vicit etiam Homericam ſimilitudinem: ut qui hominem non frondes, ſed umbræ ſomnium vocarit. Locus eſt in Pythiis hymno 8. ἐπάμεροι. τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. Id eſt: Diurni Quid autem aliquis? Quid autem nullus? Vmbræ ſomnium homo. Nihil inanius umbra. Videtur enim eſſe, cum nihil ſit. At hac quoque reperit quiddam inanius, nimirum umbræ ſomnium. Vt nemo poſſit dicere, Hic eſt aliquis: neque rurſum, Hic eſt nullus: quod tam ſubita ſit rerum humanarum immutatio, ut qui videtur aliquid eſſe, mox ſit nullus: & qui videtur periſſe, mox ſit aliquis. Æſchylus apud Stobæum, umbræ fumi ſimilem facit hominis vitam:

> *Τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφήμερα φρονεῖ,*
> *Καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά.*

Id eſt,

> Caduca molitur genus mortalium.
> Neque certa res eſt ulla, nec tuta haud magis
> Atque umbra fumi.——

Sophocles item in Ajace:

> *Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.*

Id eſt,

> Nil aliud ac umbra atque flatus eſt homo.

Pindarus in Nemeis hymno, εἰ δέ τις ὄλβον ἔχων μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων, ἔν τ' ἀέθλοισιν ἀριστεύων ἐπέδειξεν βίαν, θνατὰ μεμνάσθω περιστέλλων μέλη, καὶ τελευτὰν ἁπάντων γᾶν ἐπιεσσόμενος. id eſt: Si quis autem opes poſſidens, forma præcellat cæteris, & in certaminibus fortiter ſe gerens oſtendit robur, meminerit quod membra circumfert mortalia, quod finem omnium terram aditurus eſt. Hanc ſententiam inſcribi conveniebat aulis, poculis, aulæis, & inſignib. Principum potius quam illa glorioſa Qui volet: &, Adhuc longius: aliæque hujus generis. Nil autem venuſtius illa comparatione, roſarum repente naſcentium, ſeneſcentium, & intereuntium, cum hominum vita. Carmen extat titulo Maronis, quod etiamſi Vergilianam venam non admodum reſipit, tamen ita ſcatet gratiis, leporibusq;, ut ab autore non ſolum eruditiſſimo, verumetiam feſtiviſſimo quiſquis is fuit, profectum appareat. Huc pertinet, quod poëtæ fingunt, mortales omnes a Parcarum filis pendere, quibus inſectis protinus decidant. Atque alios quidem à candidis, alios à puſillis ſuſpendi filis. Rurſum alios in ſublime ſublatos pendere, alios terræ vicinos. Omnium tamen hanc eandem eſſe ſortem, ut ſimulatque inexorabilis Atropos pollice filum ſecuerit, ilico decidat is qui pendebat. Nec ullum eſſe diſcrimen, niſi quod majore tumultu decidat is qui pendebat altius. Rides, & hos luſus eſſe, jocoſq; poeticos exiſtimas? Luſus quidem, ſed ſævus ille nimiumque procax fatorum luſus: quem utinam in gregarios & inutiles homines duntaxat exercerent (in quos conveniat Homericum illud,

> ——*Ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης*)

ac non etiam viros cœleſti præditos ingenio, tum autem Principes optimos ante diem e medio tollerent. A quibus non ſolum non abſtinent hanc ludendi licentiam, verum etiam his quaſi dedita opera videntur inſidiari: nimirum ambitioſa quadam invidentia, ut hoc ipſum ſibi licere declarent, palamque faciant, omnē mortalem, quicunque is fuerit, ex æquo bullam eſſe. Quanta rei literariæ jactura nuper mors immatura terris eripuit Paulum Canalem, patricium Venetum, juvenem quidem illum vix-

dum

dum annos natum viginti quinque, ſed, Deum immortalem, quam felici ingenio, quam acri judicio, quam ubere facundia, quanta linguarum, quanta diſciplinarum omnium ſcientia præditum? Nihil huic ſeveritas putavit inexorabile fatum, quod tantum afferret diſpendium bonis literis, quibus ille jam ſuccurrere non mediocre cœperat: quod tam grave deſiderium excitaret literarum cultoribus, quod tantos fructus, tantas ſtudioſorum ſpes repente incideret. Iam vero Philippi Principis mei tam immaturum interitum, equidem nec memorare poſſum ob acerbiſſimum illius deſiderium, neque intactum, quandoquidem locus admonuit, præterire fas eſt, propter ſingularem etiam illius in me benignitatem. Hunc unum fortuna, Principum omnium, quos unquam ſol vidit, optimum, maximum, ornatiſſimum terris oſtendit: ſed, heu factum, oſtendit tantum, ac protinus ſubduxit. Nam quænam ſunt vel naturæ dotes, vel ornamenta fortunæ, quid divinitus à ſuperis dari poteſt mortalibus, quod in illo non fuerit & eximium, & cumulatiſſimum? Primum quam heroica corporis proceritas, quanta formæ tum dignitas, tum gratia? quis oculorum vigor? Quam felix indoles, quæ firmitas membrorum, quod robur, qui ſtatus, quæ habitudo? Nam de natalium ſplendore quid attinet dicere? In quib. tot Reges, tot Imperatores, tot heroas invenies, ut ne fingi quidem poſſit quicquam illuſtrius, amplius, luculentius. Accedebat ad hæc arcana vis quædam divinitus inſita, qua fiebat, ut non ſecus ac magnes quidam, regum, gentium, ſuorum, externorum, breviter omnium mortalium animos in ſui raperet amorem: adeo ut non ſolum conſpectus, congreſſuſq;, ſed vel auditum modo Philippi nomen, neſcio quomodo miram quandam excitaret benevolentiam. Qua quidem re quid poteſt ſummo Principi contingere felicius? Augebat fatalem hanc amabilitatem ſingularis quædam morum comitas, dexteritaſque. Itaque regum ac nationum omnium tam mirus in hoc amando conſenſus erat, ut etiam qui paulo ante bello confligebantur, jam poſitis armis, pari ſtudio ad ornandum Philippum incumberent. Adeo pacis, concordiæ, gratiarum, ac gaudiorum plena erant omnia, ubicunq; terrarum affuiſſet ille. Quem veterum ducem quem triumphum non contemnat is, qui ſpectarit, quantum veræ benevolentiæ, quantum ſtudiorum, quantum ornamentorum duabus illis in Hiſpaniam profectionibus certatim contulerunt tot reges, tot proceres, tot nationes, Gallia, Sabaudia, Hiſpania, Germania, Britannia. Multum ornamenti ſibi putabat adjungere, quiſquis in Philippum ornamenti quippiam contuliſſet. Quibus de rebus noſter extat Panegyricus. Adjunge adhæc uxoris fœcunditatem, liberos omneis incolumes, patrem (ut infinita decora verbo complectar) Maximilianum, adde tot reges affinitatis etiam vinculis adglutinatos. Adde imperii magnitudinem, in qua natus: adde regni luculentiam, in quod acceſſerat: adde paternæ majeſtatis ſucceſſionem: adde tantarum rerum ſpes quæ tali indoli, talibus fatis, talibus debebantur non dubie certas, ſi quid omnino certum eſſe ſuperi voluiſſent in rebus mortalium. Quæ jam contigerant, erant maxima, atque hoc majora, quod non quemadmodum pleriſq;, vi, ſanguine, & alienis calamitatibus accreverant. Vix enim aliter ingentia poſſidentur imperia. Nihil erat in tot felicitatis Philippi noſtri calculis eruentum, nihil cum ullius dolore jactura ve conjunctum. Quæ vero impendebant, ſic impendebant, non ut in raturus ea videretur, ſed ut recuſare non liceret. Tot, inquam, dotes, tot ornamenta, tot gentium ſtudia, tot Regum optata tam juſta, tam pia patris amantiſſimi vota, tot patriæ gaudia, tam amplas opes, tantam orbis expectationem repente properata mors interſecuit: nimiſq; crudeli docuit exemplo, neminem eſſe mortalem uſqueadeo ſublimibus vicinum quin bulla ſit. Sed jam dudum tempus eſt, ut his omiſſis ad inſtitutum negocium recurrat oratio, ne quis merito calumniari poſſit, nos in medijs adagijs declamare. Quanquam video Plinium in hujuſmodi locos cauſa voluptatis frequenter digredi. Me dolor à propoſito nonnihil tranſverſum egit, non illectavit amœnitas.

Optimum, non naſci.

Venuſtiſſimam, & omnium literis celebratam ſententiam uſurpat Plinius Secundus, in præfatione ſeptimi libri, ubi collectis innumerabilibus, tum nativitatis noſtræ periculis, tum vitæ incommodis, ita concludit: Itaque multi extitere, qui naſci, optimum cenſerent, aut quam ocyſſime aboleri. Hanc Tullius à Sileno profectam ſcribit, quam libro De conſolatione ſic extulit, teſte Lactantio: Non naſci, longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ proximum autem [illegible] natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Citat idem Lactantius duos hos ſenarios Græcos, quos Athenæus libro Dipnoſophiſtarum 3 oſtendit eſſe Alexidis comici:

Τὸ μὴ γενέσθαι μὲν κράτιστόν ἐστ' ἀεί.
Ἐπὰν γένηται δ', ὡς τάχιστ' ἔχειν τέλος.

Id eſt.

Haud unquam in auras prodiiſſe potiſſimum eſt,
Aboleri ubi ſis natus illico, proximum eſt.

Adducit & Theognidem:

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι.

Id eſt,

Non naſci omnino primum eſt mortalibus, atque
Haud unquam ſolis cernere triſte jubar:
Verum ubi ſis natus, quamprimum inviſere manes.

Citatur & ex Euripides:

Ἐγὼ τὸ μὲν δὴ πανταχοῦ θρυλούμενον
Κράτιστον εἶναί φημι μὴ φῦναι βροτῷ.

Id eſt,

Quod ubique celebre eſt, dictum ego verum puto,
Homini eſſe prorſus optimum, non naſcier.

Succinit huic Menander:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος.

Id eſt.

Quem diligunt dij, juvenis ille tollitur.

Extat in hanc ſententiam Epigramma Poſidippi, ſive (quemadmodum alijs placet) Cratetis Cynici, & huic e diverſo reſpondens, Metrodori. Quæ quoniam elegantiſſima ſunt, non gravabor adſcribere. Cratetis eſt hujuſmodi:

Ποίην τις βιότοιο τάμῃ τρίβον; εἰν ἀγορῇ μὲν
Νείκεα καὶ χαλεπαὶ πρήξιες, ἐν δὲ δόμοις
Φροντίδες. ἐν δ' ἀγροῖς καμάτων ἅλις. ἐν δὲ θαλάσσῃ
Τάρβος. ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, δέος.
Ἢν δ' ἀπορῇς, ἀνιηρόν. ἔχεις γάμον, οὐκ ἀμέριμνος
Ἔσσεαι. οὐ γαμέεις, ζῇς ἔτ' ἐρημότερος.
Τέκνα, πόνοι. πήρωσις ἄπαις βίος. αἱ νεότητες
Ἄφρονες. αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες.
Ἦν ἄρα τοῖν δοιοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Id nos ex tempore ſic utcunque vertimus:

Quodnam iter humanæ cupias inſiſtere vitæ?
Quoquo te vertas, omnia plena malis.
Litigijs cauſiſque forum ſtrepit uſque moleſtis.
Perpetua cruciat ſollicitudo domi.
Enecat aſſiduis rus triſte laboribus: undas
Et freta ſi ſulces, mille pericla premunt.
Viventi peregre, ſi res tibi ſuppetit ampla,
Cuncta miſer metues, nec bene tutus ages.
Rurſum ſi vacuæ pendebunt ære crumenæ,
Ve durum ac miſerum eſt hoſpitem egere vitum.
Conjugium ſequeris? quanta hic te cura ſequetur?
Deſolatus eris, ſi ſine conjuge eris.
Si tollis ſobolem, multo educenda labore eſt.
Non tolles? orbi lumine vita vacat.
Si juvenis fueris, vaga & inconſulta juventa eſt.
Viribus effœta eſt cana ſenectus.
Ergo quid reliquum eſt, quæſo, niſi laeus ut optes,
Alterutrum: aut nunquam triſtibus e luminibus
Materni prodiiſſe uteri: aut ubi protinus illinc
Exieris, Stygijs abdier in latebris?

Metrodori ſic habet, huic diverſum:

Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον. εἰν ἀγορῇ μὲν
Κύδεα καὶ πινυταὶ πρήξιες. ἐν δὲ δόμοις
Ἄμπαυμ'. ἐν δ' ἀγροῖς φύσιος χάρις. ἐν δὲ θαλάσσῃ
Κέρδος. ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, κλέος.
Ἢν δ' ἀπορῇς, μόνος οἶδας. ἔχεις γάμον, οἶκος ἄριστος
Ἔσσεται. οὐ γαμέεις, ζῇς ἔτ' ἐλαφρότερος.
Τέκνα, πόθος. ἄφροντις ἄπαις βίος. αἱ νεότητες
Ῥωμαλέαι. πολιοὶ δ' ἔμπαλιν εὐσεβέες.
Οὐκ ἄρα τοῖν δοιοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν. πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίῳ.

Quod ipſum etiam ad hunc modum vertimus:

Quam libet imo viam vitæ ingrediare licebit,
Undique blanditur plurima commoditas.
Concio ſi placet, atque forum, hinc uberrima famæ
Materia, hinc ingens gloria colligitur.
Hic bene tractandis prudentia callida rebus
Exeritur, rurſum vita quieta domi eſt.
Rura petis? vario illic oblectamine mentem
Naturæ facies paſcet amœna tuam.
Dulcia prædives lucra ſuppeditaverit æquor.
Si peregre vivis, ſi reſque tibi ſupereſt,
Multus honos comitatur, habes nihil? ergo pudoris
Eſt minus: ipſe tibi conſcius unus eris.
Uxor ducta tibi eſt? domus optima proinde futura eſt.
Non ducta eſt? curis exoneratus ages.
Si tibi dulce patris cognomen pignora nata
Donant, & quod ames, unde & ameris, erit.
Orbus ages? orbi eſt ſine ſollicitudine vita,
Quam patribus ſobolis ferre alitura ſolet.
Ut conſtant viridi, roburque vigorque juventæ,
Commendat pietas ſic ſua canitiem.
Nil igitur video cauſæ, cur alterutrum optes,
Aut naſci nunquam, aut interiiſſe ſtatim.
Quandoquidem humanæ quæ tandem eſt portio vitæ
Non optanda bonis atque adamanda ſuis?

Extat in hanc ſententiam & Auſonii carmen non inelegans, in collectis omnib. hujus vitæ malis, concludit ad hunc modum:

——Ergo
Optima Graiorum ſententia: quippe homini, ajunt,
Non naſci eſſe bonum aut natum cito morte perire.

In hac opinione videntur & Thraces fuiſſe, quibus mos erat in lucem æditos lachrymis proſequi, mortuos convivijs & tripudijs. Hujus rei meminit Quintilianus inſtitutionum oratoriarum

 libro

libro quinto. Item Plinius & Valerius Maximus. Herodotus in quinto hiſtoriæ ſuæ libro, à quo hæc fabula profecta eſt. ait Trauſigentem eſſe Thracibus finitimam, quæ cætera quidem cum Thracum moribus concordet, unum illud habeat peculiare, quod ædito infante propinqui circumſidentes cum ploratu commemorent, quantum calamitatum illi ſit perferendum, vitam ingreſſo; contra defunctum hominem cum lulu lætitiaque efferant, recenſentes quam multis malis ſubductus ſit. Plutarchus De audiendis poetis e tragico quopiam hos ſenarios refert, quos Ariſtides in Themiſtocle Euripidis eſſe docet:

> *Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά,*
> *Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον*
> *Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.*
>
> Id eſt,
>
> Plorare natum, ut maxima ingreſſum mala,
> At mortuum, vitæque ſubductum malis
> Efferre lætos, gratulanteſque ædibus.

Senſerunt veteres, vitam humanam per ſe miſeram & calamitoſam eſſe. Proinde Homerus paſſim *δειλοὺς βροτούς*, id eſt, miſeros mortales appellat. Et hunc æmulatus Maro:

> Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
> Prima fugit. ———

Menander apud Stobæum, ſufficere putat ad calamitoſi nomen, ut homo ſis: *ἄνθρωπος ἱκανὴ πρόφασις εἰς τὸ δυστυχεῖν.*

Homerus.

> *Ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσι*
> *Ζώειν ἀχνυμένους.* ———
>
> Id eſt,
>
> Sic enim ſtatuere Dei mortalibus ægris,
> Ut vivant curis diſtricti. ———

Idem Iliados ρ.

> *Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς,*
> *Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἔπι πνείει τε καὶ ἕρπει.*
>
> Id eſt,
>
> Nil æque miſerum eſt, ut homo, quæcunque animantum
> Vitaleſque trahunt auras, ſerpuntque per arva.

Sophocles in Oedipo Colonæo:

> *Μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νικᾷ λόγον.*
>
> Id eſt,
>
> Non naſci omnem ſuperat rationem.

Eleganter & Menander apud Plutarchum libello De animi tranquillitate:

> *Ἀεὶ δὲ συγγενές τι λύπη καὶ βίος.*
>
> Id eſt,
>
> Cognata ſunt hæc ſibi, dolere ac vivere.

quod hominum vita, ſuapte natura multis moleſtiis ſit obnoxia. Nec illepide Plautus in Bacchidibus:

> Vixiſſe nimio ſatius eſt, quam vivere.

Spithama vitæ.

Σπιθαμὴ τοῦ βίου, id eſt, Spithama vitæ, hoc eſt, modus vitæ perpuſillus. Proverbialis eſt figura, mutuo ſumpta à rerum menſoribus: apud quos Spithama ſeu palmus digitos duodecim continet, quantum ferme longiſſimo digitorum porrectu complecti licet. Quo hodieque pusillum homunculum, palmum aut pugillum nominis appellant idiotæ noſtrates. Translatum à fabris, qui quatuor digitis conjunctis metiuntur materiam: eam menſuram appellant palæſtam. Interdum diducta manu à ſummo pollice, uſque ad ſummum digiti medii, quam voce *σπιθαμήν*. Pſalm. 37. *ἰδοὺ παλαιστὰς ἔθου τὰς ἡμέρας μου* breviſſimum vitæ ſpacium deſignans. Refertur adagium à Diogeniano.

Temporis punctum.

Στιγμὴ χρόνου, id eſt, Punctum temporis. Simili figura dixit Terentius: Tum temporis ad hoc punctum mihi eſt. id eſt, ſpacium breviſſimum. M. Tulli. Philippica 2. Attende paulisper, cogitationemque ſobrii hominis ad temporis punctum ſuſcipe. Idem 8. Opus oſtenderat munitionemque legatis: ne punctum quidem temporis quum legati adeſſent, oppugnatio reſpiravit. Apud Mathematicos enim punctum indiviſibilis quædam pars eſt lineæ, cujus (ut inquit Euclides) pars nulla eſt. Plutarchus De pueris inſtituendis *στιγμὴ χρόνου πᾶς ἐστιν ὁ βίος*, id eſt, Temporis punctum eſt omnis vita.

Salillum animæ.

Apud Plautum Philto hominem vocat Salillum animæ: ſentiens hominis breviſſimam eſſe vitam, videlicet quantulum ſatis cuique in convivio apponitur. Locus Plautinus ſic habet:

> Dei divites ſunt, deos decet opulentia,
> Et factiones: nos homunculi ſumus
> Salillum animæ, quam quum extemplo amiſimus, æque mendicus
> Atque ille opulentiſſimus cenſetur, ad Acherontem mortuus.

Quanquam extremo ſenario deſunt duæ ſyllabæ, Pelops cenſetur, aut, cenſetur Crœſus: aut aliquid ſimile.

Ut herba ſolſtitialis.

Apud Plautum in Pſeudolo amans de ſpe ſubito dejectus, ita loquitur. Quaſi ſolſtitialis herba paulliſper fui, repente exortus ſum, repentino occidi. De Ephemero animalculo nobis alias dictum eſt. Sunt qui hoc loco ſolſtitialem herbam intelligi velint Heliotropium. Atqui tametſi heliotropium circumagitur ad ſolem ſpectans, nuſquam tamen legimus eam eodem die naſci ac mori: Vero propius eſt, Plautum ſentire de herba Ephemero, cujus aliquot locis meminit Dioſcorides: veluti lib. 4. cap. dcxviii. Item aliis nonnullis, rurſus lib. vi. cap. cxi. Is duo facit genera, alterum Colchicum, quod illic affatim proveniat, à quibus bulbus erraticus ſive agreſtis dicitur, quod ſub exitum autumni florem effundit ſubcandidum, non diſſimilem croceo. Alterum quod Irim ſylveſtrem appellant, foliis lilii, ſed tenuioribus, caule pari, florem habet cæruleum amarum: cujus deſcriptionem habet Plin. lib. 25. cap. 13. Colchicon bulbi ſimilitudine allicit ignaros. & jugulat, quemadmodum & fungi. Sed præſens remedium eſt lac bubulum. De hac herba non dubium eſt quin Plautus ſenſerit. Nam Dioſcorides ait provenire ſub exitum autumni: hoc eſt, ni fallor, circa ſolſtitium brumale. Nam autumnus Romanis & Græcis ſerior eſt quam nobis. Et Theophraſtus Ephemeron appellatam putat, quod ultra diem non vivat: idem prædicans de herba, quod Ariſtoteles de animante ejuſdem nominis.

Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus.

Ariſtoteles Moralium lib. 1. *ἥκιστα διάδηλος ὁ ἀγαθὸς καὶ ὁ κακὸς καθ' ὕπνον, ὅθεν φασὶν οὐδὲν διαφέρειν τὸ ἥμισυ τοῦ βίου τοὺς εὐδαίμονας τῶν ἀθλίων.* id eſt, Porro probus atque improbus nequaquam in ſomno dignoſcuntur. Unde natum eſt ut dicant: Felices nihil à reliquis differre dimidio vitæ. Idem refert libro Eudemiorum 1. reddens hanc cauſam, quod dormientes nihil agant. Ex actionibus autem naſcitur felicitas aut infelicitas hominis. Proinde non inſcite dixit Ariſton apud Plutarchum commentario De contentione ignis & aquæ, *ὀλίγον χρόνον τοῦ βίου τοῖς ἀνθρώποις διδόντος, ὥσπερ τελώνης τὸ ἥμισυ ἀφαιρεῖ τοῦτο.* id eſt, Cum exiguum vitæ tempus datum ſit hominibus, ſomnus velut publicanus dimidium ejus aufert. Plato lib. De legib. 7. *καθεύδων γὰρ οὐδεὶς οὐδενὸς ἄξιος, οὐδὲν μᾶλλον τοῦ μὴ ζῶντος*, id eſt, Nullus enim dormiens alicujus eſt precii, nihilo magis quam is, qui vivus non eſt. Proverbium conſolatur parum fortunatos, divitumque ac potentium inſolentiam retundit. Somnus enim adimit nobis noſtri ſenſum: unde fit, ut neque miſeris moleſta ſit ſua calamitas, neque fortunatis jucunda felicitas. Præterea felicitas, juxta philoſophos, ſita eſt in actu rationis, per habitum virtutis: ſomnus autem quies eſt animi, bonis pariter ac malis communis.

Fictilis homo.

Κεράμεος ἄνθρωπος, id eſt, Homo fictilis, id eſt, mollis, imbecillis, fragilis. Ductum à vaſis teſtaceis, quæ facile comminuuntur. Finitimum illi Homo bulla: In quibuſdam codicib. lego, *κεραμεὺς ἄνθρωπος*, in nonnullis, *κέραμος ἄνθρωπος*. Quorum poſtremum mihi magis arridet. Ceramеus enim figulum ſonat: ceramos, vas fictile. Sic & ſæculum hominem dicimus, ferreum, cereum, quernum, adamantinum. Contra quod eximium videri volumus aureum dicimus. Inde illud poetis frequens *χρυσῆ Ἀφροδίτη*, id eſt, Aurea Venus &, *τᾶς εὐνομίας χρύσεον πρόσωπον*: & *χρύσεον ὄμμα Δίκης*, id eſt, Juſtitiæ vultus aureus: &, Juſtitiæ oculus aureus: ut ex Pindaro, ni fallor, refert Athenæus lib. 12. Itidem hodie quoque Aurea verba, Gemmeos mores dicimus. M. Tull. Academicarum quæſtionum lib. 2. De libello loquens, quem Crantor ſcripſit de luctu: Eſt enim inquit, non magnus: verum aureolus, & ut Tuberoni præcipit Panætius, ad verbum ediſcendus libellus. Quod autem vile, *κεράμεον* ſive *κεράμινον*, dicunt Græci. Ita Paulus homines appellat vaſa fictilia. *Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν.* M. Tullius actione in Verrem 6. Tum illos cœpiſſe prætori dicere putaſſe ſe id quod audiſſent, alicujus precii ſcyphos eſſe Pamphili. Luteum negocium eſſe, non dignum quod in ſuo argento Verres haberet. Et alicubi Luteum hominem appellat contemptum, nulliuſque precii: interdum ipſum Lutum.

Stupa ſeniculus.

Στυππεῖον γέρων, id eſt, Stupa, ſive ſtipulaceus ſeniculus. De viribus effœto ſene. Simillimum illi quod alio diximus loco, Homo bulla. Sumptum à ligno, quod jam exaruit, exſuccumque redditum eſt & marcidum, in ſtipulæ morem. Stupa dicitur quod è lino excutitur ſiccum & inutile.

Vita mortalium brevis.

Qui monebit dandam operam ut apud poſteros honeſtæ vitæ memoriam relinquamus, quæ perpetuo vivat (nam hanc vitam anguſtis circumſcriptam eſſe terminis) accommodabit illud ex eodem libro:

> ——— *Ἀνθρώπου δὲ μινυνθάδιος πέλεται αἰών.*
>
> Id eſt,
>
> Aſt hominis brevibus ſpaciis conſtringitur ævum.

Vita hominis peregrinatio.

Παρεπιδημία τίς ἐστιν ὁ βίος, id eſt, Peregrinatio quædam eſt vita. Socrates in Axiocho Platonis adfert hanc ſententiam, ut vulgo apud omnes decantatam. quanquam is dialogus habetur inter nothos: videtur eſſe potius hominis Chriſtiani, qui Platonem voluerit imitari. Hæc enim ſententia frequenter occurrit in ſacris voluminibus vitam hanc eſſe exilium, eſſe incolatum & peregri-

egrinationem, quanquam & Socrates Platonicus narrat animas hominum à cœlo fuiſſe delapſas, quo ſibi per philoſophiæ ſtudium parant reditum.

Ephemeri vita.

Ἐφημέρου ζωή, Id eſt, Ephimeri vita. De iis qui ſtatim emoriuntur aut pereunt: ab animantibus, quæ ſic appellantur, quod ultra diem non vivant. Ariſtoteles li. De natura animalium quinto, prodit ad hunc modum de Ephemeris: Hypanis, inquit, fluvius apud Cimmerium Boſphorum (ſub ſolſtitio fert veluti folliculos acinis maiores, quib. quadrupedes volucres erumpunt, quod genus animalis ad poſtmeridianum tempus uſque vivit & volat, mox declinante ſole macreſcit & languet, mox occidente emoritur, vita non ultra unum diem peracta, unde ἐφήμερον appellatum. Retulit ſimilia Photius li. xi. c. xxxvi. niſi quod ait animal dictum ἡμερόβιον. Ariſtotelem citat M. Tullius Tuſculanarum quæſt. lib. 1. addens Hypanium ab Europæ parte profluere in Pontum.

EX APPEND. ERASMI.

Circulus rerum Mortalium.

Κύκλος τῶν ἀνθρωπίνων, ſubaudi, ſunt, quod circumagantur, & velut in orbem recurrant, viciſſitudinibus certis. Prud. Sic & victoriam Homerus facit ἑτεραλκέα, alternatim nunc his, nunc illis contingentem.

IUNII. Foliis ſimiles homines.

In proverbiorum claſſem vocatur & ille verſiculus, qui eodem loco legitur, à Glauco ad Diomedem prolatus:

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

Id eſt,

Frondibus arboreis ſunt aſſimiles mortales.

Humana natura caduca & momentanea rectè foliis comparatur, quæ læto arbores proventu profundunt, eadem incuſſu ventorum facile ſternuntur. unde rectè Mimnermus:

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἦρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇς αὔξεται ἠελίου.

Id eſt,

Naſcimur, ut veris facies nitidiſſima frondes
Fundit, dum ſolis creverit acre iubar.

Quanquam vero Glaucus revera ſortem humanam nunc firmam, mox deciduam, foliis comparat, quæ modo in aere ſublimia fluctuant penſili honore, mox humi ſternuntur: quomodo David rex agri floribus noſtram conditionem ſimiliter florere canit: tamen alio detorſiſſe eum legitur Stratonicus citharœdus, cujus paulo ante feci mentionem: Nam quum Caunios (civitas ea eſt Cariæ) animadvertiſſet omnes colore lurido & pallentes, aeris gravis & incommodi vitio, exclamavit hoc illud eſſe, quod à poeta dictum fuerit.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.

Id eſt,

Frondibus arboreis ſunt aſſimiles mortales.

Cumque nonnulli quærerentur, immerito convicio perſtringi ab ipſo civitatem ceu morboſam, reſpondit acerbiore joco μήπως ἐγὼ ὑμῖν ἄν λέγοιμι νοσώδη, εἰς ἣν καὶ οἱ νεκροὶ περιπατοῦσιν, id eſt, Abſit, ut morboſam vocitem urbem, ubi etiam mortui inambulant. Refertur illud & à Strabone libro decimoquarto, & à Stephano in dictione καυνός, & ab Euſtathio commentar. in Dionyſium. Poterit etiam non infacete torqueri in homines leves, & volubilingenio, ac quovis ventulo aliam in partem mobiles, foliorum inſtar. Trifariam igitur uti licebit: tum in vitream humanæ vitæ fragilitatem: tum in diſcolores & cachecticos, pallore viriditatem ſoſorem mentientes: tum denique in Protheos, & ad quamvis auriculam inſtabiles.

Brevis vitæ iſthmus.

Habet & illud brevitatis exiguæ ſignificationem, quod ex Sophoclis Syodipno citat Joan. Stobæus:

Μικρὸν ἰσθμὸν ἔχων βίου βραχυτάτου.

Id eſt,

Brevem vitæ ſuſtentans iſthmon inanis.

Nihil enim eſſe longiſſima vita hominis inanius & brevius. quare recte auſpicatur inde ſuos Aphoriſmos Hippocrates:

Ὁ μὲν βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή.

Id eſt,

Vita quidem brevis, ars vero longa.

Eſt autem Iſthmos, anguſtum terræ inter bina maria mediæ intervallum.

Vita ſuilla.

Spurcum & contaminatum vivendi genus, ὑώδης βίος, id eſt, ſuilla vita, à Clemente lib. Pædagog. iij. vocatur, ubi ait, τὴν μετὰ τῶν φαύλων συνδιαίτησιν ἀνθρώπων οὐδὲν γνωρίζων ὁ παιδαγωγὸς ἀλλ' ... μυστικῶς παιδαγωγεῖ, χοιρείων ἀπηγόρευσεν μεταλαμβάνειν, id eſt, Excogitans ille omniſcius, teicos converſationem cū improbis hominibus ſuillam eſſe, per Moyſen vetuit porcina veſci, innuere volēs, eos qui Deum invocant, cum impuris hominibus commercium habere non debere, qui ſuum ritu voluptatibus corporeis, cibis, ſpurcis, & effrena libidine prurientes venere ſe oblectant, voluptate ſupra modum nociva, ὑώδεις etiam ſtolidi craſſique ingenio dicuntur: ut apud Ariſtophanis ſcholiaſten Hippocratis liberi leguntur traducti fuiſſe per ora hominum de ſtupiditate, hoc eſt, διὰ τὸ βλακῶδες τῆς ἀμαθίας: & Eudemus de iiſdem ait: ὑώδεις καὶ ἀπαιδεύτους ... id eſt, Suilli & illiterati Comicorum ſannibus inceſſebantur. Ariſtoph. interpres de Phænippo quodam, ὑώδης ἦν καὶ πορνοκόπος, id eſt: Suinus & ſcortorum amoribus deditus erat. Bœoti ὕες dicti fuerunt propter ingenii craſſitiem. Pherecratis etiam ὑηνία pro imperitia extulit: & Plato ὑηνεῖν pro indocte & inſulſe, ſuum more aliquid conari. Nazianzenus:

Αὐτοὶ δ' ἐν σφετέρῃσιν αἰσχίστῃσιν ὕες,

Id eſt,

Ipſi in ſuis ipſorum probris ſunt ſues.

Dies digitus.

Δάκτυλος ἡμέρα, id eſt, Digitus dies Adagio indicatur, vitæ humanæ ſpacium eſſe exiguum, qualique digitale: hyperbole infra illam Spithama vitæ. Alcæus poeta apud Athenæum, πίνωμεν, τί τὰ λύχνα ἀμμένομεν; δάκτυλος ἀμέρα. κὰδ δ' ἄειρε κυλίχναις μεγάλαις ... τὸν κισσύβιον, οἶνον γὰρ Σεμέλας καὶ Διὸς υἱὸς λαθικαδέα ἀνθρώποισιν ἔδωκεν. ἔγχεε κέρναις ἕνα καὶ δύο, id eſt, ... mus, quid lucernam moramur? Digitus eſt dies: accipe majoribus poculis, quæ tu obducas: vinum namque Semeles Jovisque natus oblivioſum mortalibus dedit: infunde, miſce unum atq; plura. Huc alluſit procul dubio author Epigram. quod in fine vij lib. legitur.

Πίνωμεν βάκχου ζωρὸν πόμα, δάκτυλος ἀώς,
Ἢ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν.

Id eſt,

Ducamus Bacchi latices, digitus brevis eſt lux,
Somniger aut quid te lychne manere juvat?

Quanquam in Alcæi verbis pro ἀμμένομεν, σβέννυμεν, hoc eſt, extinguimus, ſupponunt: quum prioris lectionis fides vel ex Epigramm. aſtrui poſſit.

IOANNIS VLPII.

Εὖ κακῶς.

Græci ſine connexione, pro eo quod eſt mediocriter, perinde atq; ſi Latine dicas, Bene male, quo licebit quoq; uti, indicare volentibus nobis vitam humanam partim ex proſperis & lætis, partim ex triſtibus & adverſis conſtare. Euripides.

Hippodromica bona.

Ita vocat Chryſoſtomus bona hujus mundi, quæ more celeris equi citto diſcurrunt, & tranſvolant.

COGNATI. Optima citiſſime pereunt.

Homerus Iliados decimo octavo:

Ὠκύμορος δή μοι τέκος ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις.

hoc eſt,

Inſtant fata tibi, mi gnate, ita verba profaris.

Verba ſunt Thetidis ad Achillem, quibus indicat, ſe præſagire ex illius dictis, non longe ab eo mortem abeſſe, cum nimia aviditate ultroneus ad bellum fatale deproperaret. Abiit autem hic verſus poſtea in adagium, adaptatumque in eos uſus, ubi quem ob nimiam virtutem non diu in vita ſuperſtitem futurum auguramur. Optima enim citiſſime abolere comperium eſt. Ad celeberrimum hunc verſum videtur alluſiſſe Horatius lib. ij. Satyr. 1.

Quiſquis erit vitæ, ſcribam, color. O puer, ut ſis
Vitalis metuo.——

In iſtis verſibus vitalis, pro vivax ponitur. Timet enim Trebatius, ne Satyrica libertas Horatio brevi exitium conciliet. Vitalis, id eſt vivax ob Satyricam libertatem. Petrus Bunellus in epiſtola Petro Daneſco ſcripta, de morte Georgii Selvæ: Obſervaſſe etiam illud mihi videor, eos qui quam celerrime maturitatem aſſecuti ſunt, raro ad ſummam vivere ſenectutem. Vide ſupra adag. Summis negatum ſtare, & Celerius occidit feſtinata maturitas. Lege item Nannium Miſcellan. lib. iiij.

Summis negatum ſtare.

Lucanus quum dixit in primo.

——Summiſque negatum
Stare——

videtur alluſiſſe ad illud Luc. Annæi Senecæ avi ſui, in prologo Declamationum: Fati maligna perpetuaque in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum, velocius quidem quam aſcenderant, relabantur. Cujus rei meminit idem in Octavia, quando inquit:

Quid me potens fortuna, fallaci mihi
Blandita vultu ſorte contentum mea,
Alte extuliſti, gravius ut ruerem, edita
Receptus arce, totque perſpicerem metus?
Melius latebam, procul ab invidiæ malis.
Remotus, inter Corſici rupes maris,
Vbi liber animus, & ſui juris, mihi
Semper vacabat, ſtudia recolenti mea.

Idem De brevitate vitæ cap. xvij. Quod fortuito obvenit, inſtabile eſt quo altius ſurrexerit, vergit pronius in occaſum. Idem De conſolatione ad Polybium. cap. xxvj. Magna ſervitus eſt, magna fortuna. Idem ad Martiam cap. xxiij. Quicquid ad ſummum venit, ad exitū prope eſt. Sic ingenia quo illuſtriora, breviora ſunt.

judicium eſt imminentis exitii, maturitas: & appetit finis, ubi incrementa conſumpta ſunt. Vnde & Hippocrates in Aphoriſmis, quod etiam apud Græcos in proverbium verſum eſt. [illegible] id eſt. Summæ firmæ corporis conſtitutiones ſunt periculoſæ, ſi ad extremum progreſſæ fuerint: neque enim eodem in ſtatu conſiſtere poſſunt, neque interquieſcere. Quum vero non quieſcunt, jam in melius proficere haud poſſunt. Reſtat igitur, ut in deterius vergant. εὐεξίας autem firmam conſtitutionem interpretatur Cicero. & καχεξίαν infirmam conſtitutionem. ſeu affectionem. Petrus Bunellus in epiſtola Petro Daneſio ſcripta, de morte Georgii Selvæ Vaurenſis antiſtitis: Obſervaſſe etiam, inquit illud mihi videor, eos, qui quam celerrime maturitatem aſſecuti ſunt, raro ad ſummam vivere ſenectutē. Vide ſupra adagium 111. Optima citiſſime pereunt. Hæc ſimilia ſunt illi quod Saluſtius in Catilinario dicit: Omnia orta occidunt. & aucta ſeneſcunt. Vide ſupra, Livor ſumma petit &c. De male quæſitis non gaudet tertius hæres: item, Eminent, cadunt, &c.

[illegible]

Nemo mortalium perpetuo beatus. Euripidis in Iphigenia Aulidica verſus, ac etiam ſententia vulgo trita, monens res mortalium eſſe æſtuarias, nihilq; in hac vita perpetuum. Similis eſt apud Pindarum in Pythiis, hymno 111. ubi incertis ventorum flatibus vitæ præſentis æſtus comparare videtur. Stulti igitur ſunt, qui ſtabile eſſe cenſent, quod in lubrico ſitum eſt.

Vita mimus eſt.

Pincianus in Senecæ De tranquillitate vitæ libro primo, capite decimo quinto, legit: Omnia hominum negocia ſimilia mimis eſſe, ſive mimicis. Nam & vetus eſt, inquit adagium, mimum eſſe vitam. Et Auguſtus, authore Tranquillo, paulo ante obitum amicos percunctatus eſt, Ecquid iis videretur mimum vitæ commode tranſegiſſe.

Cui naſci contigit, mors reſtat.

Idem Epiſt. xcix. Cui naſci contigit, mori reſtat. Hinc illud Manilii lib. 1111. Aſtron.

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

Saluſtius in Jugur. Omniaque orta occidunt, & aucta ſeneſcunt. A die enim natali ſtatim cedit dies mortis, ut ſuperius dictum eſt. Inde metaphorice vita temporaria & ſiccta bonorum fruitio, tranſſenna appellatur, quaſi momentanea. Homo enim ut editus eſt in mundo, res ſeculares quaſi per tranſennam aſpicit, & poſtea interit. & ut inferius dicitur: Mortalia eminent, cadunt, creſcunt, deteruntur. Aloyſius Luiſinus. De compeſcendis animi affectibus lib. ij. c. x. Cum homo ortus ſit, neceſſe eſt ut occidat, &c. Hinc Greg. Theol. lib. ij. Sentent.

[illegible]

Id eſt,

Nam quod dies conſtruxit, id ſolvit dies.

Omnia enim quæcunq; generantur, in ſenium ocyus vergunt, & (ut alius inquit) orta ſeneſcunt Item alius apud Cic. quæſt. Tuſcu. lib. iii. Ego quum genui, tum moriturum ſcivi. Vide, Terra editus, terræ redditur.

Eminent, cadunt: Creſcunt, deteruntur.

Hæc per oppoſitum dicta a Seneca libro Epiſt. nono. Epiſt. lxxi. Mortalia eminent, cadunt, deteruntur, creſcunt, exhauriuntur, implentur. Eo reſpexiſſe videtur Olympia Fulvia Morata in quadam epiſtola ad Annā Eſtenſem: Nihil eſt, mihi crede, ſtabile hic; omnia mutantur. & Eccleſ. cap. xiiii. Alia generantur, & alia dejiciuntur: ſic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. Verinus:

Quum ſtabile hic nihil invenias, cur ſtare requiris:
Quum videas fluxu cuncta perire ſuo?

Vide ſupra, Cui naſci contigit, mors reſtat &c. Summis negatum ſtare. Item: Livor ſumma petit. Nihil perpetuum eſſe, docet Thucydides libro ſecundo, cum inquit, [illegible] i. Natura comparatum eſt, ut omnia decreſcant.

Terra editus, terræ redditur.

Gregorius Theolog. lib. ii. Sententiarum:

[illegible]
[illegible]

Id eſt,

Homini ſepulchrum eſt terra quævis mortuo:
Terra editus, terra ipſe, terræ redditur.

Terræ enim proprium eſt, cadavera conſumere, & ad primam ſuam originem revocare: hoc eſt, in humum convertere. Bibliorum pariter inſtiltata ſunt in hanc ſententiam oracula, ne dicam dogmata, Dei etiam illud Moſe referente. Geneſ. iii. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. David Pſal. ciii. Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Eccleſ. xii. Antequam revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Etiam poſt: Terra es, & in terram ibis. Varro in Eumenidibus: Empedocles, inquit, natos homines ex terra ait, ut blitum. Blitum eſt olus leve. Nonius.

Vita mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Proverbialis verſus Lucretii in lib. iii.

Sic aliud de alio nunquam deſiſtit oriri,
Vitaque mancipio nulli datur, omnibus uſu.

Ita nulli datur vita, ut propriam & perpetuam habeat, ſed tanquam utenda ab omnibus accipitur, & precarium omnes ſpiritum habemus: ut inquit Seneca. Accius in Medea, referente Nonio:

Fors dominatur, neque vita ulli propria in vita eſt.
id eſt, perpetua.

Lege, ſi vacat, quæ ſupra annotavimus, ad illud, Mancipio dare. Laberius apud Macrobium: Cecidi ego; cadet qui ſequitur: laus eſt publica. Id hanc habet ſententiam, inquit Turnebus adverſariorum li. xviij. cap. iij. Laus nulli mancipio datur, nulliuſque propria eſt, ſed communis & publica: proinde ad alium ſubinde tranſit. Budæus De contemptu rerum fortuitarum lib. iij. Fortunæ bona nemo precario ſe accipere credit, ſed mancipio: hoc eſt, tanquam propria, & perpetui dominii: cum interim vita ipſa, qua nihil magis proprium eſſe poteſt, uſu detur, non mancipio, ut inquit Lucret. Proinde valere ipſam, valere inquam ſinamus Fortunam cum ſuis fortunatis, &c. Mancipium autem eſt dominii comparatio, poſſidendique jus, atque etiam dominium & mancipatio. Hinc mancipio dare, eſt nexus ſolennitate abalienare, ita ut rem omnino accipientis faciamus. Nexus autem, juris quædam ſolennitas eſt, quæ fiebat eo modo, quo in Inſtit. Cajus exponit, & Budæus refert in l. ij. ff. de origin. jur. Mancipium igitur eſt nobis proprium, & cujus dominium habemus. Ex hoc autem Lucretii verſu differentiam inter mancipium & precarium, quod uſum vocat, colligere licet: & uſum eſſe, quando jus utendi alicui datur, quandiu libuerit concedenti. Precarium, dictio eſt juris ſtudioſis notiſſima, & (ut ait Vlp.) eſt, quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is qui conceſſit, patitur l. j. D. de precario, ubi plures differentias reperies: inter precarium & commodatum. Commodatum, ſtatutum modum habet, aut temporis, aut uſus: Precarium, nullum habet modum conſtitutum, quare quacunque hora revocari poteſt: ſicut humanæ mortis dies & hora ſemper cedit, ut dicit Cic. in Catone. Precarium autem genus eſt liberalitatis, quod ex jure gentium deſcendit, proximus gradus & poſtremus communicandi uſus rei ſine proprietate poſt commodatum, cui in hoc eſt ſimile. Nam & qui commodat rem, ſic commodat, ut non faciat rem accipientis. Precarium Græce dicitur παράκλησις & δέησις. Valerius lib. 111. Precarium ejus beneficio ſpiritum obtinere. Tacitus lib. j. Ne que precariam animam inter infenſos trahere. Idem lib. xx. Vita precaria. Inde Precario poſſidere, verbum nulli ignotum, [illegible] & precario accipere, quaſi utendum accipere, [illegible] ut precario rogare, [illegible]. Licet precarium & commodatum apud Juriſconſ. ut jam admonuimus, non ſemper eadem ſint. Precario nomen, ipſa terminatione ablativi, pro adverbio accipitur. Paulus juriſc. ait: Precario habere videtur, qui poſſeſſionem corporis vel juris adeptus, ex ſolummodo cauſſa, quod adhibuit preces, & impetravit quod ſibi poſſidere aut uti liceat: veluti ſi me precario rogaveris, per fundum meum ire, vel agere liceat: velut in tectum meum ſtillicidium, vel ſignum in parietem immiſſum habeas. Cicer. pro A. Cecin. Ne id quidem ſatis eſt, niſi docet ita ſe poſſediſſe, ut nec vi, nec clam, nec precario poſſederit. Curius ad Cicer. lib. vij. epiſt. Sum enim χρήσει μὲν (id eſt, uſu quidem) tuus: κτήσει δὲ (id eſt, poſſeſſione & mancipio) Attici noſtri. Ergo fructus eſt tuus, mancipium vero illius. Cicero Curio, eodem lib. Attici quando proprium te eſſe dicis mancipio, & nexu, meum autem uſu & fructo, contentus iſto ſum. Id enim cujuſque proprium eſt, quo quiſq; fruitur atque utitur. Plaut. Curcul. Quis tibi hanc dedit mancupio? aut unde emiſti? fac ſciam.

Celerius occidit feſtinata maturitas.

Quæcunque propere ac feſtinanter matureſcunt, vel quid aliud aſſequuntur, celerius intercidunt, nec diutinam ætatem perferunt: quod infantes, ac ſtirpium aliquot genera commonſtrant. Itaque melius eſt omnia cunctantius procedere, tardaque incrementa ſuſcipere. Levinus Lemnius. De occultis naturæ miraculis lib. ij. cap. xxxix. In omni, inquit ſtirpium genere ac fructibus obſervamus, ſerotina quæque diutius aſſervari, quæ vero feſtinantius matureſcunt, flaccida vietaque fieri, ac putredini obnoxia. Celerius ſiquidem occidit feſtinata maturitas. Quocirca minus nobis probari ſolet in adoleſcentibus præcox ac præmaturum ingenium, tum pleraque naturæ munia, aut corporis animique dotes, quæ præter vulgatam conſuetudinem, aut quam ea fert ætas præſtantius ſe proferunt. Tales enim minus vitales conſpici ſolent, morteque properata confici. Qua de re exorta eſt proverbialis ſententia, proverbium triviale apud Belgas: Omnia feſtinantius procedunt, Het ghaeter al voor ſyn iaer alleene, Quo deſignant, præter ſolitum, contraque communem temporis curſum, rerumque ordinem ac rationem pleraque evenire aut perfici: deſumpta tranſlatione ab infantibus, qui nec dum exacto anni curriculo pedibus inſiſtunt, nulliuſque fulti adminiculo hinc inde diſcurſitant: quod poſtmodum languide perficiunt, atque ab incepta incedendi conſuetudine deſiſtunt. In hanc ſententiam ſunt nobis ſuperius alia proverbia. Optima citiſſime pereunt: &, Summis negatum ſtare. Ab his non admodum diſcrepat quod ſcripſit Thucyd. lib. primo, [illegible] id eſt, Feſtinando fieri poſſit, ut tardius incœpta perficiatis, pro [illegible].

Mors & fugacem ſequitur.

Et antiquis temporibus & noſtris proverbiali loco dici ſolitum eſt, Mors & fugacem aſſequitur. Immo vero ſæpius ſervantur in prælio, qui fortiter pugnant, quam qui in fugâ ſpem ſalutis conſtituunt. Quod declarat Homerus Iliad ε.

Αἰδομένων δ' ἀνδρῶν πλέονες σόοι ἠὲ πέφανται,
Φευγόντων δ' οὔτ' ἂρ κλέος ὄρνυται, οὔτε τις ἀλκή.

Omnium enim hominum vitæ mors eſt extremum, etiam ſi quis belli periculum fugiat, aut ſe domi ſuæ incluſum contineat. Simonides:

Ὁ δ' αὖ θάνατος ἔφικε καὶ τὸν φυγόμαχον.
Id eſt.
Mors aſſequitur etiam eum, qui pugnam fugit.

Hunc Simonidis verſum Horatius lib. tertio, Carm. ode ij. ſic expreſſit:

Mors & fugacem perſequitur virum.

Hinc Gregorius tertius hortatur Bonifacium, ut doceat Germanos, ne adeo pavide peſtem fugiant, quaſi e Dei manu quis effugere queat: apud Nauclerũ generatione xxv. Quid eſt, inquit Lucretius lib. 3. quod tantopere trepidamus in rebus adverſis & periculoſis? Nam quantumvis diligenter & accurate vitæ & ſaluti noſtræ conſulamus, moriendum tamen eſt aliquando.

Certa quidem finis vitæ mortalibus adſtat,
Nec devitari lethum pote, quin obeamus.

Nihil perfectum.

Nihil unquam à Deo immortali humano generi datum eſt ex omni parte perfectum, atque omnibus numeris abſolutum. Et hoc hodie à vulgo receptum eſt. Huc pertinet, quod ſcripſit in Odis lib. ij. od. xvj. Horatius:

Nihil ab omni. Parte beatum.

Terra es & in terram ibis.

Admonitio proverbialis ex Geneſ. c. iij. Terra es, & in terram ibis. Hinc illud Euripideum carmen in Phœniſſis, à Cicerone converſum Tuſcul. iij. lib.

Reddenda eſt terræ terra, tum vita omnibus
Metenda, ut fruges, ſic jubet neceſſitas.

Eccleſiaſticus c. x. Quid ſuperbis terra & cinis? c. xlij. Omnes homines terra & cinis. Hujuſmodi eſt illud Pacuvianum

Omniumque idem eſt pater, in idemque eadem
Quæ erant de integro, atque eodem occidunt.

Et illud ejuſdem, ſcite quoque dictum:

Quicquid eſt hoc omnia animat, format, alit,
Auget, creat, ſepelit recipitque in ſeſe omnia.

Convenit cum his Ennianum illud, quod Varro de lingua Latina lib. iiij. citat: Terra ops, quod hic omne opus, & hac opus ad vivendum. & ideo dicitur ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes peperit, & reſumit denuo, quæ dat cibaria, ut ait Ennius. Vide ante, Cui naſci contigit, mori reſtat, &. Terra æditus terræ redditur.

Mortuus eſt & Ancus.

Hoc, vel ſimile quid in ore videntur habuiſſe Romani, cum exemplo adducto mortem, aut ſi quid humanius contingeret, æquo ferendum animo docere vellent. Eo referri poteſt illud Ennii:

Poſtquam lumina ſis oculis bonus Ancus reliquit.

quod Lucretius lib. De rerum nat. iij ita ſumpſit:

Lumina ſis oculis etiam bonus Ancus reliquit

Etſi id aliter etiam accipi poſſe ſciam. Sic Horat. iiij. Odyſſ. vij.

Quo pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus?

Et epiſt. j. ad Numicium:

Ire tamen reſtat, Numa quo devenit, & Ancus?

Ita regis Romuli, ſed alia in re, nomen uſurpare ſolent, & Hannibalis, pro crudeli quovis. Certe fuit Ancus cuilibet ſuperiorum (inquit Livius) regum belli paciſque & artibus & gloria par. Huic autem adagio ſimile eſt illud Gallicum: Etiam moriuntur reges.

Quæ dedit illa, capit, neque diſpendi facit hilum.

Elegans metaphora, à fœneratoribus ſumpta. Terra quæ dedit corpus, iterum illud recipit: neque patitur, ut ullum diſpendium, aut interrimentum crediti fiat, quo minus quod credidit, idipſum recipiat. Vſurpat Varro non Ennii verſum, ſervata metri lege, ſed verba tantum, lib. iiij. Nam verſus ipſe citatur ab eo libr. viij. De lingua Latina. Id autem Ennius etiam voluit in Epicarmo: Animam ex æthere, corpus ex terra eſſe: unumquodque vero illuc, unde profectum erat, reverti: terra corpus eſt, at mentis ignis eſt. Mentis, pro mens. Ignis pro ſole. Idem Varro uſurpat ex eodem Enni Epicarmo:

Iſthæc terris gentes omnes peperit & reſumit denuo:
Iſthæc dat cibaria, iſthæc omnibus fruges gerit.
Iſthic eſt de ſole ſumptus ignis, iſque mentis eſt.

Hujus loci videtur meminiſſe Varro libro j. De re ruſtic. cap. iiij. Ejus principia, quæ mundi eſſe Ennius ſcribit, aqua, terra, anima, & ſol. Cæterum verſus eſt Pacuvii e Chryſe: Mater eſt terra, ea peperit corpus, animam æther adjungit. Terra autem mortuo homine corpus recipit quod genuit, neque quicquam diſpendii facit: hoc eſt, amittit animæ & corporis diſceſſu, cum anima ſit ab æthere. Geneſ. iij. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Pſal. c. iij. Auferes ſpiritum eorum, & in pulverem ſuum revertentur Pſalm. cxlv. Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam Eccleſ. iij. De terra facta ſunt in terram pariter revertuntur. Item undecimo, Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Eccleſiaſtici iiij. Omnia quæ de terra ſunt, in terram convertentur. Neceſſe fuit hæc adducere ad confirmandam hanc Ennij proverbialem ſententiam.

POLYDORI VIRGILII.

Paries inclinatus.

In eum qui affecta ætate, moribundus eſt. Pſal. lxj. Paries ubi inclinari cœpit, futurum ut ſtatim ruat.

VLTIO MALEFACTI.

ERASMI. Canis vindictam.

Κυνὸς δίκην, id eſt, Canis vindictam. Macedonicum adagium in eos, qui præter expectationem pœnas dant iis, quos aliquando læſerunt. Natum ab Euripidis tragici poetæ interitu. In Macedonia vicus quiſpiam eſt, qui Thracum dicitur, propterea quod olim à Thracibus ſit inhabitatus. Hic cum canis quidam Archelai regis aberraſſet; Thraces de more ſuo mactatum ſacrificarunt, ac devorarunt. Quod ubi comperiſſet Archelaus, talentum eis mulctam dixit. Verum cum illi ſolvendo non eſſent, Euripidem ſubornarunt, qui regem exoraret ut ſibi mulctam remitteret: ita ut fecit. Poſtea vero cum Euripides in ſylva quadam ſolus eſſet, & Archelaus à venatu reverteretur, canes Euripidem cinctum diſcerpſerunt, devorarúntque. Exiſtimatum eſt autem, eos canes ex eo prognatos fuiſſe cane, quem Thraces ſacrificarant. Hinc adagium apud Macedonas increbuit, Canis vindictam: ſubaudiendum, paſſus eſt aut aliud commodius. Valerius Maximus libro nono, capite de morte non vulgari, refert Euripidem cum ab Archelao rege Macedonum cœnæ adhibitus fuiſſet, domum à convivio repetentem, à canibus fuiſſe diſcerptum. Eos canes ab æmulo quopiam immiſſos fuiſſe, confirmat Aul. Gellius Noctium Atticarum libro xv. cap. xx. Suidas addit, hos æmulos fuiſſe Arridæum Macedonem, & Cratevam Theſſalum poetam, quos Euripidis gloria urebat. Hi finxerunt eum à regiis canibus dilaceratum fuiſſe. Sunt qui narrent, eum non à canibus, ſed a mulieribus fuiſſe dilaniatum, cum intempeſta nocte Craterum adoleſcentem peteret, Archelai amaſium. Teſtatur enim & Gellius. Euripidem *μισογύνην*, id eſt, mulierum oſorem fuiſſe. Sed quod ad ſuperiorem attinet opinionem, fabulam non uſquequaque diſſimilem narrat Plutarchus in dialogo: De comparatione terreſtrium animantium & marinorum: Pyrrhus, inquit, rex iter faciens canem reperit, corpus hominis interfecti ſervantem; cumque cognoviſſet eum tertium jam diem impaſtum manere, nec a cadavere divelli, juſſit extinctum ſepeliri; canem ſecum adducendum curavit. Paucis poſt diebus militum delectus eſt actus, omneſque regem ſedentem prætéribant. Aderat & canis, quietus interim, donec domini interfectores prætereuntes conſpicatus eſt: in hos protinus iratus, cum clamore irruit, ac ſæpius allatravit, ſubinde reſpectans Pyrrhum: adeo ut non ſolum ipſi Pyrrho, ſed & omnibus qui aderant, ſuſpicio naſceretur. Proinde cum & aliæ nonnullæ conjecturæ, ita ut fit accederent aliunde, duo comprehenſi ſunt, & facinus confeſſi, ſupplicio ſunt affecti. Addit, & Heſiodi interfectores, ab ipſius cane proditos, ſupplicium dediſſe. Subjicit his, quod ſua memoria dicit accidiſſe; Quidam irrupit in Æſculapii templum ſublatis aureis & argenteis aliquot monumentis, clam & ignotus, ut putabat aufugit. At canis templi cuſtos, cui nomen Capparus (nam indigens qui peteret [illegible]) cum videret neminem æditurorum ſua voce commoveri, fugientem, ſacrilegum eſt inſequutus, ac primum quidem ſaxis petitus, haud tamen diſcedebat. Exorto die non accedebat propius, ſed procul oculis obſervans ſectabatur, nec cibum objectum capiebat. Rurſum juxta dormientem cubabat & ipſe, & abeuntem ad conſimilem modum inſequebatur: quod ſi qui viatores fuiſſent obvii, iis cauda adblandiebatur, in illum unum latrabat ac ſæviebat. Hæc cum ab aliis alii didiciſſent, ſimulque & canis & hominis figuram cognoviſſent, ſacrilegum apprehenderunt, & ad ſupplicium duxerunt, cane præcedente hilari jam ac geſtiente, quod maleficum eſſet venatus. Vnde ei cani de publico paſtus decretus eſt, ejuſque rei cura ſacerdotibus mandata. Verum ut ad proverbium redeamus, apparet apte dici poſſe & in hunc ſenſum, quoties autor illati mali diſſimulatur, veluti cum veneno tollitur inimicus, & ſpargitur in vulgum rumor, illum febri periſſe: aut cum princeps immiſſis in ædes alicujus ſatellitibus omnia diripit, & fama diſſipatur, à latronib. fuiſſe ſpoliatas: aut cum tyrannus ſubvertit eum cui male vult, deinde facti invidia confertur in magiſtratus, tanquam illo inſcio fecerint. Videtur hinc fluxiſſe, quod hodie paſſim apud Germanos dictitant, ubi quid accidit incommodi certi incerto autore, quodque nemini poſſit imputare, Id canis accidiſſe morſu.

Ornatur

Ornatus ex tuis virtutibus.

Hinc non multum abludit illa ironia Terentiana: Ornatus ex tuis virtutibus. in Adelphis. Si regnum poſſiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus, id eſt: haberes præmia tuis factis digna. Nam olim reges honorem habebant iis, qui facinus aliquod præclarum ædidiſſent.

Reperit deus nocentem.

Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν. id eſt. Reperit deus nocentem. Cum tandem ultio contingit improbis, quaſi divinitus immiſſa. Theocritus in Idyllio x.

Εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτρόν, ἔχεις πάλαι ἃν ἐπεθύμεις.

Id eſt.

Invenit Deus impium, habes quæ olim cupiebas.

Theocriti Scholiaſtes indicat, proverbium & alia forma ſolitum efferri: εὗρε θεὸς τὸν ἀλιτήριον. Simile eſt Homericum illud Iliados. δ.

Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.

Id eſt.

Quanquam etenim non punit Jupiter ilico ſontem,
At faciet tandem, & luerint ſua crimina magno.

Huc pertinet illud Sophocleum,

——— Ὅταν δέ τις θεῶν
Βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων φυγεῖν.

Id eſt.

——— Vbi quis Deorum læſerit,
Nemo queat ſuffugere quamlibet potens.

Aſtipulatur autem ſenarius ille proverbialis,

Θεοῦ τι πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός.

Id eſt,

Plagam deorum nullus hominum ſuffugit.

Pindarus item in Pythiis,

Θεὸς ὃ καὶ πτερόεντ' αἰετὸν κίχε, καὶ θαλασσαῖον παραμείβεται
Δελφῖνα, καὶ ὑψιφρόνων τιν' ἔκαμψε βροτῶν.

Id eſt.

Deus & alatam aquilam aſſequitur, & marinum prævertitur delphinum, & elatorum quempiam deprimit mortalium. Aſtipulatur huic ſententiæ & in Olympiis

Εἰ δὲ θεὸν ἀνήρ τις ἔλπεταί τι λαθέμεν ἔρδων, ἁμαρτάνει.

Id eſt,

Quod ſi Deum homo quiſpiam ſperat falſurum ſe, cum agit aliquid, errat.

Sero Jupiter diphtheram inſpexit.

Ὁ Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας, id eſt, inſpexit, etſi ſero, pellem Jupiter. Senarius proverbialis in eos, qui ſero quidem, ſed aliquando tamen pro malefactis dant pœnas. Antiquitas enim credidit, Jovem omnia in ſua diphtera, hoc eſt, pelle caprina ſcribere, ac multa quidem pro tempore diſſimulare, verum aliquando de improbis pœnas ſumere. Belle quadrabit & in principes, qui diu diſſimulata maleficia tandem puniunt.

Semper virgines furiæ.

Ἀεὶ παρθένοι ἐρινύες. id eſt. Semper virgines furiæ. Proverbium obſcurius deterret à peccando. Erinnyes enim malefactorum ultrices corrumpi non queunt, quo minus pœnas ſumant de iis qui commeruerunt, atque hac gratia pictæ virgines. Suidas è Sophocle citat.

Mali bibunt improbitatis fæcem.

Κακοὶ πίνουσι πονηρίας τὴν ὑπίχλην.

Id eſt,

Mali bibunt iniquitatis turbidum.

Græcus verſiculus videtur inverſione dictionum depravatus, quod non raro nobis deprehenſum eſt. Conſtabit hoc pacto:

Πίνουσ' ὑπίχλην τῆς πονηρίας κακοὶ ſive, οἱ κακοὶ πονηρίας.

Dici ſolitum, ubi pœna maleficiis digna meritis contigiſſet. Tranſlatum apparet ab iis, qui vino limpido epoto, tandem ad fæcem uſque perveniunt. Itaque voluptatem ex malefactis perceptam dolor ſupplicii conſequitur.

Sus acina dependes.

——— Ἀποτίσεις χοῖρε γίγαρτα.

Id eſt,

——— Acinos ſus improba pendes.

Lues quod admiſiſti, reddes quod abſtuliſti, non ſine fœnore. Quadrabit, ubi puſillum commodi magno penditur malo. Natum apparet à ruſtico quopiam, qui verbis hiſce comminatus ſit ſui paſcenti racemos.

Plagiadæ.

Πλακιάδαι καὶ ἰδαῖον. id eſt, Placiadæ etiam ſtelæum. Plutarchus iſtud oſtendit, dici conſueviſſe de deprehenſis adulteris, & contumelioſe, ſeu ut mereatur, tractatis. Vicus eſt quidam Atticæ regionis, cujus incolæ Placiadæ vocantur. Apud hos moris erat, ut qui fuiſſet in adulterio deprehenſus, ignominioſas pœnas daret, impactis in pudendam corporis partem raphanis, qui apud illos miræ magnitudinis eſſe dicuntur. Quod ſi raphani forte non fuiſſent ad manum, ſtelæo utebantur:

… id eſt, ligonis ligno. Non me clam eſt, hoc alio nobis dictum loco, ſed mutilatum: eoque duximus operæ pretium hic integrè repetere.

Hipparchorum tabula.

Ἱππάρχων πίναξ, id eſt, Hipparchorum tabula. Dici conveniet, quoties haud impune futurum ſignificamus, ſi quid peccetur. A Syracuſanis natum adagium. Apud hos enim mos erat, ut Hipparchi, hoc eſt, equitum præfecti in tabellis deſcriberent militum nomina, qui ordinem deſeruiſſent: Meminit Zenodotus. Heſychius indicat, apud Lacædemonios Hipparchum dici, qui juvenibus præfectus eſſet. Is in tabula notabat eos, qui ppiam indecore feciſſent.

Habet.

Habet proverbialiter dicitur, cum obtigit alicui quod expetivit, aut quo dignus eſt. Habet quod amet, ſimiles habent labra lactucas. Sumptum autem ant ab occupantibus, piſcantibus, aut venantibus quibus reverſus ſic ajunt. ἔχεις τι; id eſt, Habeſne aliquid? Citatur ex Ariſtophanis Nebulis. Seneca tragicus in Agamemnone: Habet, peractum eſt. Terentius in Andria: Egomet continuo mecum, certe captus eſt, habet. Donatus oſtendit proprie de gladiatoribus dici, quos prius alii vident quam ipſi ſe ſentiant eſſe percuſſos. Ex ea acclamatione natum videtur proverbium.

Ignem igni ne addas.

Μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, id eſt, Ne incendium incendio addas. Vſurpatur à Platone. Senſus liquet. Ne calamitatem adjungas calamitati, ne commotum magis etiam commoveas. Diogenianus putat à carbonario quodam eſſe natum, qui invaleſcente incendio conflagrârit, clamans interim μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ. Plato lib. De legib. ij. vetat, ne pueri ad annum uſque duodevigeſimum vinum bibant: ne ſi vini calor acceſſerit ad fervorem ætatis, ignem igni ſuggerere videantur. Item Plutarchus in præceptis conjugal. μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ζητεῖν, id eſt, Ne ignis ad ignem accedat. Vtitur idem cum aliis aliquot locis, tum in præceptis. De valetudine: ὥσπερ μὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ, ὥς φασι, πλησμονὴν ἐπὶ πλησμονῇ, καὶ ἄκρατον ἐπὶ ἀκράτῳ προσφέρειν id eſt, Vt ne igitur ignis ad ignem, quemadmodum proverbio dicitur, expletio ad expletionem, merum ad merum addatur.

Oleum camino addere.

Affinem huic habet ſententiam: Oleum camino addere: pro eo quod eſt, malo fomentum, ac velut alimoniam ſuppeditare, quo magis ac magis augeſcat. Horat. in Satyris.

Scarabeus aquilam quærit.

Κάνθαρος ἀετὸν μαίεται id eſt, Scarabæus aquilam quærit. Cum imbecillior atque impotentior, mali quippiam molitur, ſtruitque inſidias inimico longe potentiori. Eſt & altera lectio, atque ea (meo quidem judicio) verior, ὁ κάνθαρος ἀετὸν μαιεύεται, id eſt, Scarabeus aquilæ obſtetricatur. Senſus fermè idem eſt, ſive legas μαίεται, ſive μαιεύεται. Competit enim in humilem & imbecillum, qui viribus longe præpollenti, malicioſis inſidiis, & clancularis dolis perniciem machinatur. Ariſtophanes in Lyſiſtrata.

Ὑπερχολῶ γάρ, αἰετὸν τίκτοντά σε
Μαιεύσομαι ———

Id eſt,

Supra modum iraſcor tibi: ſcarabeus aquilam ego te,
Quando ova paries obſtetrix juvabo.

Super hac refertur apologus quidam apud Græcos non inelegans, quem Lucianus indicat Æſopicum eſſe, cum ait in Icaromenippo, fabulatum fuiſſe Æſopum, quemadmodum aliquando ſcarabei & cameli cœlum conſcenderint. Porro quod ad fabulam ſcarabei & aquilæ attinet, ad hunc habet modum. Eſt jam olim aquilarum generi, cum univerſa ſcarabeorum gente, vetus atque antiqua ſimultas, ac bellum prorſus internecinum, planeque, quod Græci ſolent dicere, ἄσπονδος πόλεμος. Nam odio diſſident plusquam Vatiniano, adeo ut ne Jupiter quidem (ὃς μέγατός ἐστι μέγιστος, & qui totum nutu tremefactat Olympum) rem inter eos componere, ac diſſidium finire potuerit, ſi modo vera narrant apologi. Denique nihilo magis inter eos convenit, quam hodie quoque convenit inter deos iſtos aulicos, & humilem obſcuramque plebem. Sed erit fortaſſis, qui Æſopicarum fabularum rudis & ἀμύητος admiretur, quid tandem negocii ſit cum aquila ſcarabeo: quæ cognatio, quæ vicinitas, quæ affinitas uſque adeo diſſimilibus intercedat, nam inter hos qui vinculis ejuſmodi copulantur, potiſſimum diſſidia ſolent oriri, præſertim inter principes. Adhæc, quænam tam atrocis odii cauſæ: poſtremo, unde tantum animoſum ſcarabeo, ut cum aquilarum populo bellum ſuſpicere non dubitârit. Rurſum, quæ contumelia tantopere fuerit offenſus aquilæ θυμῷ ἀγήνωρ, ut hoſtem tam humilem non contempſerit, ac ſuo vel odio judicârit indignum. Videlicet argumentum ingens, longa eſt injuria, longæ ambages, ac res omnino major, quam ut humana facundia queat explicari. Quod ſi Muſæ, quæ gravatæ non ſunt olim Homero dictare βατραχομυομαχίαν, mihi quoque relicto tantiſper Helicone, dignentur adeſſe,

rerum

rerum ſummam pro mea virili conabor exponere. Quid enim tam arduum eſſe poſſit, quod illis auſpicibus non audeant homines? Sed quo res cognitu fiat illuſtrior, prius quam ad ipſum negocii caput veniam, ducis utriuſque mores, formam, indolem, ingenium, quam potero pauciſſimis perſtringam. Primum igitur illud ſuccurrit admirari, quid olim Romanis viris, alioqui ſapientibus venerit in mentem, qui cum hujus alitis ſymbolo ſeſe præter cæteras nationes jactent, ac diis proximos ducant, cumque hujus auſpiciis tot victorias reportarint, tot egerint triumphos, tantum abeſt, ut benemeritæ gratiam referant, ut non toleranda etiam afficiant contumelia. Nam autem unam omnium maxime maſculam & invicti roboris, emaſculant evirantque, ac propemodum Tireſiam reddunt ipſi non admodum mares. Siquidem apud Græcos plane mas eſt αἰετὸς idque, ni fallor, longe magis quadrat in eum, cui ſummus ille pater & rex hominumque deumque, regnum in aves vagas permiſit, expertus fidelem Jupiter in Ganymede flavo: tum ei, qui cæteris diis procul abſiſtentibus ſolus irato Jovi, triſulca tela porrigat, nihil etiam proverbio deterritus, [illegible]. Neque vero ſine gravi ratione factum arbitror, ut inter tam multas avium nationes, tamque numeroſas tribus, aquila potiſſimum ſit viſa idonea, cui non ſolum avium φρᾶτραι, verum etiam ſenatus populuſque poeticus, ſuffragiis omnibus monarchiam decerneret. Nam quantum ad avium judicium attinet, ad hanc partem pleræque propendebant, ut pavoni rerum ſummam committerent. Siquidem hujus pulchritudini, ſplendori, ſublimitati, faſtuique plane regio, regnum deberi videbatur. Ac proſſum in hanc ſententiam itum fuiſſet, niſi quædam longo rerum uſu callidæ, cujuſmodi ſunt cornices, corvique, perpendiſſent, futurum ut ſi pavonem rebus præfeciſſent, eveniret, quod complures jam annos in monarchiis quibuſdam videre datum eſt: nimirum ut ſolo nomine & ſceptroque regem ageret, aquila nihilo ſecius, vel ſine populi ſuffragiis, regnum gereret. Cæterum poetas, viros ſapientiſſimos, illud arbitror perſpexiſſe, non alia magis imagine regum mores ac vitam effingi potuiſſe. Loquor de pleriſque, non de omnibus. In quovis enim rerum genere, ſemper fuit eritque bonorum paucitas. Et aliud ſeculum alios gignit. Sed paucis, ſi videtur, hinc atque hinc contentionem admoveamus. Jam primum ſi quid ominis eſt in vocabulo (ut certe eſt) apte profecto Græcis αἰετὸς dicitur, παρὰ τὸ ἀΐσσειν, quod eſt propemodum rapior impetu, & concitus feror. Quædam aves natura placidæ ſunt ac mites: tum quæ feræ ſunt, tamen arte cultuque cicurantur, ac manſueſcunt. Sola aquila nec eſt habilis ad ullam diſciplinam nec ullo ſtudio poteſt manſueſcere. Tantum impetu naturæ præceps fertur, & quicquid valde libuit, idem poſtulat ſibi licere. Libetne ſpectare pullum animo vere aquilino? Graphice depinxit Horatius,

> Qualem miniſtrum fulminis alitem
> Olim juventas & patrius vigor
> Nido laborum propulit inſcium:
> Vernique jam nimbis remotis,
> Inſolitos docuêre niſus
> Venti paventem: mox in ovilia
> Demiſit hoſtem vividus impetus
> Egit amor dapis atque pugnæ.
> Nunc in reluctantes dracones.

Melius intelligunt hoc ænigma regiones expertæ, quantis malis ſibi conſtiterint hujuſmodi indomiti juvenum principum impetus. Philoſophorum eſt, moderari affectibus ac rationis ductum in omnibus ſequi.

> ——— At nihil eſt, ait Satyra, violentius aure tyranni.

Cui illud ſemper in promptu,

> Sic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.

Deinde cum ſenex, opinor, aquilarum genera commemorentur, tamen illud inter omnes convenit, quod roſtro ſunt vehementer adunco, nec minus aduncis unguibus, ut vel ex ipſo corporis habitu poſſis intelligere, carnivoram eſſe avem, quietis ac pacis inimicam, pugnis, rapinis, ac prædationibus natam. Et quaſi parum ſit carnivoras eſſe, ſunt & quæ oſſifraga dicantur; & ſint. Sed his protinus tacite mihi dicis, optime lector: Quid hæc imago ad regem, cujus propria laus eſt clementia: cum que plurimum poſſit, nulli tamen velle nocere, ac ſolum aculeo carere, ſeſeque totum in populi ſui commoditates impendere: adeo ut Niloxenus ille ſapiens rogatus, quid eſſet utiliſſimum, reſponderit, Rex. Id eſſe proprium veri principis indicans, ut quantum in ipſo ſit, nemini noceat, proſit omnibus ſitque magis optimus, quam maximus. Quanquam non alia ratione poteſt eſſe maximus, niſi ut ſit quam optimus: hoc eſt, beneficentiſſimus in omnes. Equidem exemplar laudo non inſcite depictum à philoſophis: & haud ſcio, an ejuſmodi principes adminiſtrent Rempublicam in urbe Platonica. Verum in annalibus vix unum aut alterum reperias, quem auſis cum hac imagine componere. Porro ſi quis recentiorum temporum principes expendat, vereor ne non ita paſſim reperiat, in quem non quadret fœdiſſimum illud convicium, quod apud Homerum Achilles torquet in Agamemnonem, δημοβόρος βασιλεύς. Nam Heſiodus δωροφάγους appellat, rectius tamen παμφάγους appellaturus. Et cum Ariſtoteles evidentiſſima nota diſtinxerit regem & tyrannum, quod hic ſuum ac privatum commodum ſpectat, ille populi rebus conſulit: tamen quibuſdam regis appellatio, quæ priſcis illis ac tantis principibus Romanis immodica viſa eſt, & ob invidiam refugienda, vix etiam latis eſt, niſi longam ſplendidiſſimorum mendaciorum addas coronidem, ut divi cognominentur, qui vix ſunt homines: invicti, qui nunquam non victi diſceſſerunt è prælio: auguſti, quibus anguſta ſunt omnia: sereniſſimi, qui belli tempeſtatibus, & inſanis rerum motibus orbem concutiunt: illuſtriſſimi, qui profundiſſima omnium bonarum rerum ignorantia caligant: catholici, qui quovis ſpectant potius quam ad Chriſtum. Atque his divis, inclytis, triumphatoribus, ſi quid eſt ocii ab alea, à poculis, à venatu, à ſcortis, id omne jam vere regiis cogitationibus dicant: Nec eſt ullum aliud ſtudium, niſi ut leges, edicta, bella, paces, fœdera, conſilia, judicia, ſacra prophanaque eo conferant, ut omnes omnium fortunas in ſuum convertant fiſcum: hoc eſt, in dolium pertuſum congerant, & aquilarum in morem, innoxiarum avium viſceribus ſe ſuoſque ſaginent pullos. Age ſi quis mihi jam phyſiognomon non omnino malus, vultum ipſum & os aquilæ diligentius contempletur, oculos avidos atque improbos, rictum minacem, genas truculentas, frontem torvam, denique illud quod Cyrum Perſarum regem tantopere delectabat in principe γρυπόν: nonne plane regium quoddam ſimulachrum agnoſcere, magnificum ac majeſtatis plenum? Accedit huc & color ipſe funeſtus, teter & inauſpicatus, fuſco ſqualore nigricans. Unde etiam quod fuſcum eſt ac ſubnigrum, aquilum vocamus. Tum vox inamœna, terribilis exanimatrix, ac minax ille queruluſque clangor, quem nullum animantium genus non expaveſcit. Jam hoc ſymbolum protinus agnoſcit, qui modo periculum fecerit, aut viderit certe, quam ſint formidandæ principum minæ, vel joco prolatæ: & quantopere contremiſcant omnia, quoties hujuſmodi vox intonuit aquilina.

> Εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι
> Ἢ τεὸν, ἢ Αἴαντος ἰὼν γέρας, ἢ Ὀδυσῆος
> Ἄξω ἑλών· ὁ δέ κεν κεχολώσεται ὅν κεν ἵκωμαι.

Aut illa non minus βασιλικά

> Μή νύ τοι οὐ χραίσμωσιν ὅσοι θεοί εἰσ' ἐν Ὀλύμπῳ,
> Ἆσσον ἰόνθ', ὅτε κέν τοι ἀάπτους χεῖρας ἐφείω.

Ad hunc, inquam, aquilæ ſtridorem illico pavitat omne vulgus, contrahit ſeſe ſenatus, obſervit nobilitas, obſecundant judices, ſilent theologi, aſſentantur juriſconſulti, cedunt leges, cedunt inſtituta: nihil valet, nec fas, nec pietas, nec æquitas, nec humanitas. Cumque tam multæ ſint aves non ineloquentes, tam multæ canoræ, tamque variæ ſint voces ac modulatus, qui vel ſaxa poſſint flectere: plus tamen omnibus valet inſuavis ille & minime muſicus unius aquilæ ſtridor. Quanquam eſt unum aquilarum genus, quod impenſe placuit Ariſtoteli (fortaſſis ob id, quod talem optarit pullum ſuum Alexandrum) haud multo minus prædabundum ac vorax, at paulo tamen tum modeſtius, tum taciturnius, & omnino pluſculum habens humanitatis, quippe quod pullos etiam ſuos educet. Nam cæteræ faciunt quod impii ſolent parentes, qui fœtus ſuos exponunt: cum tigrides etiam catulos tollant ſuos. Atque eam ob cauſſam γνήσιον appellant: quaſi germanum ac vere ingenium dicas. Vidit hoc genus Homerus, & oculis captus. Nam μελάνωτον appellat ac θηρευτήν, id eſt, nigro tergo, ac venatricem: videlicet epithetis aptiſſime quadrantibus in tales principes, qualis fuit Nero, qualis Caligula, aliique nimium multi. At horum aliquot, quanto per Jovem γνησιώτεροι, ac prope dixerim plus quam aquilini, qui cum diis proximi ſint, ob ſceptrum ac majorum imagines, tamen aliquoties plebeiis etiam homunculis blandiri quoque ſuſtinent, ac prope dixerim paraſitos agere, modo prædæ ſpes ſit non aſpernandæ. Jam & vivacem eſſe aquilam, ab autoribus proditum eſt. Ea tamen cum ad extremam pervenerit ſenectutem, nihil admodum ſitit, niſi ſanguinem: cujus luctu vitam omnibus inviſam prorogat: nimirum roſtro ſuperiore adeo increſcente, ut carnes depaſci non poſſit. Atque hinc ortum eſt adagium illud notiſſimum, ἀετοῦ γῆρας, in ſenes ætate vinoſiores: cum alioqui omne ferme genus hoc avium, quibus adunci ſunt ungues, aut non bibant omnino, aut certe perquam raro, ſi quidem Ariſtoteli credimus. Et tamen hæ ſi quando bibunt, aquam bibunt. Sola aquila ſanguinem ſitit. Ergo roſtro intorto natura, certe non ſemper noverca, reliquis animantibus utcunque conſuluiſſe videtur, & inexplebili voracitati modum aliquem impoſuiſſe. Quemadmodum & hac ratione proſpexit, quod non ſinat aquilam ova parere, plura tribus, nec pullos alere plures duobus. Atque adeo ſi Muſæi verſiculo credimus, quem teſtem adducit Ariſtoteles.

> Excludit binos, ædit terna, educat unum.

Atque per hos ipſos dies, quibus incubat (incubat autem ferme tricenos) naturæ providentia cibum illis negavit, inverſis interim & unguibus videlicet omnium ferarum fœtus raperentur. Itaque per id tempus pennæ albeſcunt inedia. Atque hinc odium in fœtus proprios. Verum hoc in Romanis aquilis optare magis licet, quam cernere: quibus omnino nullus eſt compilandæ plebis, neque finis, neque modus. Nam & ætate creſcit exigendi ſitis: & nunquam incumbunt gravius, quam cum pullus excluſus eſt. Tum vero populus alio atque alio feritur munere. Super hæc omnia, plurimos hoſtes oppoſuit uni: de quibus mox dicturi ſumus. Atque hanc naturæ ſolicitudinis mirari deſinet, cui perſuaſum ſit eſſe verum, quod ſcripſit Plinius, (prodigioſum quidem illud & haud ſcio, an vel Democrito autore credendum, inſatiabilis aviditatis argumentum, etiam ſi ceu compertum & confeſſum narrat Plutarchus, autor cum primis gravis) nempe aquilarum pennas quoque, ſi cæterarum avium plumis admiſceantur.

antur, eas devorare, aut paulatim extenuatas conficere. Tanta vis nativæ rapacitatis. Equidem arbitror idem eventurum, ſi tyrannorum oſſa cum plebejorum oſſibus commiſceantur, ne ſanguinem quidem magis miſceri poſſe, quam Ægithi & Flori. Jam vero vide mihi, num illud ſatis quadret in quoſdam principes. Nam de piis ac bonis non loquor: quod ſemel dictum ubique velim meminiſſe lectorem. Aquilarum unicum par, magno ad populandum tractu indiget, nec alterum in propinquo prædonem eſſe patiuntur: itaque ſpacia determinant. Porro noſtris aquilis, quæ non anguſta ditio? Quantum in immenſum uſque propagandi regni ſtudium? Quanta cum finitimis aquilis aut milviis de regni, hoc eſt, de prædandi terminis digladiatio? Verum illud fortaſſe non perinde congruit, quod avis hæc tantopere rapax, non tamen prædatur in proximo (videlicet ne vices injuriarum in ipſius aliquando caput retorqueantur) ſed è longinquo magis prædas in nidum convehit: cum interim tyranni nec ab intimis temperent, nec à maxime cognatis ac domeſticis rapaces abſtineant ungues: imo hoc quiſque magis ſit obnoxius periculo, quo principi ceu Jovi ac fulmini propior. Atque inſitam hanc & à parentibus ingenitam rapiendi famem, nonnihil auget & educatio. Quandoquidem aquilam ferunt pullos vix dum ſatis volucres, ad prædandum è nidis extrudere, quo ſtatim & à teneris (ut ajunt) unguiculis conſueſcant rapto; ſuiſque ipſorum unguibus vivere. At in nonnullis principibus, Deum immortalem, quam multi accedunt ad rapacitatem ſtimuli: præter corruptiſſimam educationem, tantum aſſentatorum examen, tot officiales perditi, tot corrupti conſultores, tot ſtultiſſimi familiares, tot nequiſſimi congerrones, qui publicis incommodis vel gratis delectantur. Adde his faſtum, voluptates, luxum, delicias, quibus nullæ rapinæ ſatis eſſe poſſint. Adde ſtultitiam & imperitiam: quæ nihil intractabilius, ſi cum felicitate copuletur. His itaque rebus cum vel benigniſſima corrumpi queant ingenia, quid cenſes futurum, ſi hæc ad avidam & improbatam naturam, velut oleum ad caminum acceſſerint? Sed parum βασιλικῶς erat inſtructa aquila, ſi tantum adunco roſtro, ſi tantum aduncis unguibus ad prædandum eſſet armata: niſi additi fuiſſent oculi plus quam lyncei, & nec ad clariſſimum ſolem conniventes: quo quidem experimento fœtus ſuos an legitimi ſint, explorare dicuntur. Itaque prædam quamvis è longinquo ſpeculantur, quam deſtinant invadere. Quanquam avium regi bini duntaxat ſunt oculi, roſtrum unicum, ungues pauci, venter item unicus. At noſtris aquilis pape, quam multæ ſunt Corycæorum aures, quot exploratorum oculi, quot officialium ungues, quot præfectorum roſtra, quot judicum & advocatorum ventres, fame prorſus inexplebili, ut neque ſatis eſſe quicquam, nec tutum ab his eſſe poſſit, ne ea quidem, quæ intimis penetralibus, aut abditiſſimis etiam ſcriniis ſunt abſtruſa. Veruntamen eſſet eadem fortaſſis aliquanto minus noxia, niſi ad arma doteſque corporis, aſtus accederet ingenii: hoc eſt, niſi nocens per ſe ferrum veneno tingeretur. Ungues ſuos quoties ingreditur, contrahit, ne videlicet aciem deterat, minuſque valeant in prædando: id quod habet cum leonibus commune. Neque quemvis impetit, ſed eum duntaxat, quo ſe credat viribus eſſe ſuperiorem. Neque ſe repente præcipitem dat in terram, more cæterarum, cum prædam appetit, ſed ſenſim demittit; ne perpulſu offendatur. Nec leporem quidem (nam hunc maxime petit) aggreditur, niſi viderit in plana deſcendiſſe. Neque quovis graſſatur tempore, ne quis opprimat fatigatam: ſed à prandio ad meridianum ad prædandum provolat: reliquis horis, otioſa ſedet: donec hominum conventu fora complеantur. Tum quod occiderit, non ibi ſtatim devorat: ne quis ſubitus hoſtium incurſus, incautam deprehendat in præda. Sed exploratis prius ac ſubinde refectis viribus, prædam in nidum, velut in caſtra devehit. Nam quibus artibus cervum ſe præſtantiorem capiat, mox dicetur. Illud in primis memorandum ingenii documentum, teſtudinem raptam, ex alto ſpeculata locum idoneum, in ſaxum aliquod demittit, ut ad eum modum rupta teſta, carne veſci poſſit. Quanquam in Æſchylo parum aquilinis fuit oculis, cum in hujus albicantem calvariam, ſaxum eſſe rata, demiſſa teſtudine, miſerum occideret, ut vel ob hanc unam cauſſam, optimo jure poetis omnibus conveniat inviſam eſſe. Atque id quidem nunc aſſidue velut ſuo jure facit. Cæterum primitus teſtudinem dolis ad id pellexit, dum perſuadet illi futurum, uti ſua opera, volandi artem perdiſceret. Atque hac ſpe ſublatam in altum, dejecit in ſaxum, ut illius calamitatem tyrannico more verteret in ſuas delicias. Atqui ſi quis ſecum perpenderit, quam variis artibus, quot technis, quot machinis, quot præſtigiis, improbi principes inſtructi ſint ad expilandam plebem, quæſtuoſis legibus, mulctis, fucatis titulis, ſimulatis bellis, delationibus, affinitatibus indignam propemodum tæbitur aquilam, cui regni nomen tribuatur. Supereſt, ut cum quibus potiſſimum hoſtibus huic generoſo prædoni res ſit, paucis exponamus. Nam verum eſt illud, quod proverbiis dicitur, aquilam non captare muſcas, nec aſpicere thripas. Negligit, ſi qua præda videatur regis unguibus indigna: niſi ſi quæ ſint cognatæ Veſpaſiano, cui viſus eſt lucri bonus odor ex re qualibet. Sunt enim & degeneres aquilæ, quæ piſcatu vivunt, & quas non pudeat cadaver alienum tollere. Sed quæ generoſiores ſunt, veluti tyranni, quædam piratis ac latronibus concedunt: à quibus (ut apud Alexandrum Macedonum nobilis ille dixit pirata) nihil differunt, niſi quod ipſi majore claſſe, majoreque manu magnam orbis partem ſuis diverſant latrociniis, minutulas illas prædas accipitribus ac milviis relinquentes, cum quadrupedibus belligerantur: nec id ſane ſine periculo, nec ruſſum citra victoriæ ſpem, ſicuti ſtrenuo duce dignum eſt. Atque in his leporem potiſſimum, ut dixi venatur aquila: unde & leporariæ cognomen additum uni generi: perinde quaſi ducem Africanum aut Numantinum appelles. Neque contemnit imbellem hoſtem, ſed eſculentum appetit: ut etiam ſi parum gloriæ veniat ex victoria, non parum tamen auferatur emolumenti. At fit aliquoties, ut cum maxime leporem captat, tum maxime capiatur, icta pennato jaculo: dicatque proverbium, quod illi ferimus acceptum, τοῖς ἰδίοις πτεροῖς ἁλισκόμεθα. Audet & cum cervo confligere: inferior tamen futura, niſi vulpinam adderet pellem. Nam aſtu ſupplet, quod viribus eſt diminutum. Commiſſura cum hoſte, prius in pulvere volutat ſeſe, deinde cornibus inſidens cervinis, pulverem pennis collectum, in oculos ſpargit, alis ora verberans, donec exoculatum in rupes det præcipitem. Sed eſt eidem acrior, multoque magis anceps cum dracone pugna, etiam in aere. Draco maleficiis artibus ova conſectatur aquilæ. Illa viciſſim hoſtem ubicunque viſum rapit. Nam quod illi cum vulpe ſimultas eſt irreconciliabilis nemo mirabitur, quiſquis cognorit, quam olim regaliter illam acceperit. Inierat cum vicina neceſſitudinem: cumque incubanti paſtus deeſſet, proximæ catulos in nidum ſuſtulit. Reverſa vulpes cum ſpectaret indignam ſuorum laniationem, quod unum poterat, teſtata deos eſſi atque inter hos præcipue Jovem φίλιον, amicitiæ violatæ vindicem. Et audiſſe videtur iſta vota deus aliquis. Pauculis poſt diebus evenit, ut aquila prunam carnibus è ſacrificio raptis hærentem, in nidum devexerit imprudens. Igitur abſente aquila, igni paulatim ventis excitato, nidus conflagrare cœpit. Pulli tertii, præcipites ſe dedere, nimirum adhuc in volucres. Vulpes delapſos excipit, & in cavum delatos devorat. At poſt id quidem temporis, nihil omnino convenit inter aquilam & vulpem: quanquam id ſane non mediocri vulpinæ gentis malo. Quo tamen haud ſcio an digni videri debeant, quæ quondam leporibus συμμαχίας adverſus aquilam petentib. auxilium negarint, ut refertur in annalibus quadrupedum, ex quibus Homerus Βατραχομυομαχίας eſt mutuatus. Jam vero acre diſſidium eſt & cum vulture, velut homotechno, & edacitatis æmulo: tametſi hoc quidem nomine, ut crudelior, ita & generoſior aquila, quod non devorat animal, niſi quod occiderit, nec per ignaviam alienis inſidit cadaveribus. Nam ſittam jure habet exoſam, quæ miris artibus aquilæ ova frangere ſtudet. Pugna & cum ardeolis, quod & hæc avis unguibus freta, non vereatur eam aliquoties adoriri, adeo dimicans acriter, ut in conflictu emoriatur: Neque vero jam mirum, quod illi parum convenit cum oloribus, ave nimirum poetica, illud minirum, ab iis ſæpenumero victum pugnacem belluam. Nec admodum gratum eſſe conſuevit poeticum genus male ſibi conſcius monarchis: utpote liberum & loquax, quodque nonnunquam cum Philoxeno in Latumias reduci malit, quam ſilere. Nam ſi quid dolet, id chartis illinunt atris, & regum myſteria ad ipſos etiam poſteros evulgant. Nec cum gruibus ſatis convenit: opinor ob id, quod illis impendio placeat democratia, vehementer invila monarchis: à quibus tamen ingenio ſuperantur. Etenim cum grues è Cilicia demigrantes montem Taurum aquilis plenum parant tranſmittere, ingentibus lapidibus, quo vocem cohibeant, in os ſumptis, noctu tacite tranſvolant: atque ita deceptis aquilis, tuto trajiciunt. Sed peculiaris quædam cum trochilo (nam id eſt avi nomen) ſimultas intercedit: non ob aliud (ut autumat magnus ille deambulator) niſi quod huic quoque regis ac βουλη-φόρον nomen tribuitur: idque potiſſimum apud Latinos, Proinde ceu regni affectatorem extremo perſequitur odio. Quanquam non is hoſtis eſt, cujus vires metuat aquila. Nam trochilus imbecillis eſt ac fugax, ſolertia tamen & ingenio præditus, fruticetis & cavis abdit ſeſe, ut quamvis à potentiore facile capi non poſſit. Quin olim cum certamen volandi cum aquila ſuſcepiſſet, vicit aſtu magis quam viribus. Denique cum cybindo bellum gerit internecinum, adeo ut ſæpenumero cohærentes prendantur. Eſt autem cybindus, nocturnus accipiter. Nec tyrannis eſt ullum hominum genus magis inviſum, quamobrem, qui à vulgi ſententia longe lateque diſſentientes, nimium acute cernunt per tenebras. Sed annon egregie ſtultus ſim, ſi omnes ejus hoſtes percenſere pergam, quæ cum nullo non gerat bellum? Atque in reliquis animantium ordinibus aliis cum aliis partim bellum eſt, partim amicitia. Multos habet inimicos vulpes, attamen corvum habet amicum: cujus auxilio adverſus Æſalonem avem, catulos ſuos divexantem adjuvatur. Eidem bene convenit & cum ſerpentibus, cum æque cuniculis gaudeant: Crocodilus hoſtem habet ichneumonem, ſed cum trochilo familiaritas eſt, adeo ut illi liceat, vel in ipſas belluæ fauces impune penetrare. Uni aquilæ cum nullo prorſus animante nec amicitia, nec affinitas, nec ſodalitas, nec conſuetudo, nec fœdus, nec induciæ. Hoſtis eſt omnibus, & neminem non habet hoſtem. Siquidem non poteſt non omnium eſſe hoſtis, qui omnium malo vivit ac ſaginatur. Proinde ſibi conſcia, non nidulatur in plano, ſed in præruptis & excelſis rupibus, aliquoties & arboribus, ſed præaltis: videlicet tyrannicum illud ſecum volvens. Oderint, dum metuant. Proinde cum ciconiæ ſacræ ſint Ægyptiis, adeo ut occidiſſe ſit capitale: apud Romanos ſacri anſeres, milvis apud Britannos nemo noceat, ſuis parcant Judæi, nec Delphines venabantur antiqui, neque lædere fas erat, ſed ſi quid in venatu peccaſſent, pauculis modo plagis

plagis puerorum more caſtigabantur. At in aquilas ubique gentium eadem lex eſt, quæ in lupos & tyrannos, ut præmium ſit, qui communem omnium hoſtem occiderit. Ergo nec amat ullum, nec amatur ab ullo animante aquila: non magis profecto quam mali Principes, qui magno Reip. malo ſibi gerunt imperium. Fortaſſe privatorum ſunt affectus iſtiuſmodi. Magos ſatrapæ uſque adeo ſunt ab his alieni, ut interdum nec liberos ament, niſi emolumenti cauſa: ſæpenumero ſuſpectos habeant, & inviſos. Leonem animal tam immane retuliſſe gratiam homini de ſe benemerito, & vitam dediſſe, à quo pedis ſanitatem acceperat, prope creditum eſt ab omnibus. Draconem ſervaſſe nutricium ſuum, & ad agnitam vocem accurriſſe, credunt permulti. Quin & aſpidem, ad menſam cujuſdam quotidie ventitare ſolitam, ubi ſenſit ab uno catulorum ſuorum hoſpitis filium interemptum, cum occidiſſe, violatique hoſpitii pœnam & de ſuo partu ſumpſiſſe, neque præ pudore deinde in eas ædes reverſam, retulit Philarchus: neque deſunt qui credant, ſcribendum exiſtimavit Demetrius Phyſicus, recenſendum Plinius. Item pantheram ob catulos eductos e fovea, hominem officioſe produxiſſe, donec egreſſus ſolitudine in viam publicam rediſſet. Ariſtophani grammatico puellam Stephanopolidem adamanti, rivalis erat elephantus. Eam quæ rem ut omnibus notiſſimam, & omnium ſermone celebratam retulit Plutarchus. Apud eundem draco quiſpiam perdite amat puellam Ætolidem. Nam Delphinum erga homines amor, erga Arionem ſervatum, erga Heſiodum in litus devectum, & virginem Leſbiam cum amatore ſervatam, erga puerum vectum & revectum officium, propemodum in confeſſo eſt. At virginem ab aquila adamatam, nec hi credunt, qui credunt omnia. Nam fatale quoddam hujus & in homines odium, vel hinc colligas licebit, quod Prometheo deorum omnium φιλανθρωποτάτῳ addita ſit in Caucaſo carnifex. Et tamen in tam multis vitiis eſt, quod laudare poſſis. Minime bibaces ſunt, minimeque ſalaces, quæ maxime ſunt rapaces. Nam quod Ganymedem rapuit aquila, Iovi rapuit, non ſibi. At vides nonnullos noſtros ἀετοὺς, qui ſibi rapiant: nec unum Ganymedem, ſibi matronas abducant, ut hac parte propemodum intolerabiliores ſint, quam rapinis, quibus maxime ſunt intolerandi. Ergo cum innumerabiles ſint avium ſpecies, atque inter has aliæ plumarum opibus ac picturis admirandæ, ſicuti pavones: aliæ candore niveo inſignes, ut olores: aliæ contra decenti nigore lucentes, ut corvi: aliæ corporum proceritate præminentes, veluti ſtruthiones: aliæ fabuloſis etiam miraculis celebres, ut phœnix: aliæ fœcunditate commendatæ, ut columbæ: aliæ gratæ lautorum menſis, ut perdices, ac phaſiani: aliæ loquacitate jucundæ, ut pſittaci: aliæ cantu mirabiles, ut luſciniæ: aliæ fortitudine animi præſtantes, ut galli gallinacei: aliæ delitiis hominum natæ, ut paſſerculi: tamen ex univerſis, una aquila viris tam ſapientibus idonea viſa eſt, quæ Regis imaginem repræſentet, nec formoſa, nec canora, nec eſculenta, ſed carnivora, rapax, prædatrix, populatrix, bellatrix, ſolitaria, inviſa omnibus, omnium peſtis, quæ cum plurimum nocere poſſit, plus tamen velit, quam poſſit. Nec alio judicio leoni mandatum eſt regnum inter quadrupedes, quo non alia belua vel immanior, vel putidior. Canes cum ad multa ſunt uſui, tum ad hoc præcipue, quod pro rebus hominum excubias agunt. Boves agricolantur. Equi & elephanti bellig erantur. Multi & aſini geſtandis oneribus ſunt utiles. Paraſitatur ſimia. Draco vel hoc utilis nomine, quod uſum marathri monſtrarit ad oculorum aciem acuendam. Leo nihil niſi tyrannus, hoſtis ac devorator omnium, nec niſi viribus ac metu tutus, planeque Regium animal, quemadmodum & aquila. Quod videntur perſpexiſſe, qui nobiles illos clypeos leonibus quam maxime hiantibus & explicatis ad prædam unguibus inſigniunt. At plus appetet vidiſſe Pyrrhum, qui ſeſe aquilam vocari gaudebat, quam Antiochum, qui accipitris cognomine delectabatur. Sed minus jam mirum, leonem in quadrupedum genere regnare: cum diis etiam poeticis, Iupiter adminiſtrando regno potiſſimum viſus ſit idoneus, impius exſecto & exſecto patre inceſtus ſororis conjugio, tot ſtupris, tot adulteriis, tot raptibus exornatus, & poſt hæc κυανέῃσιν ὀφρύσι & ψολόεντι κεραυνῷ territans univerſa. Nam apum politiam, in qua uni regi non licet geſtare culeum, etiamſi laudatur a multis, nemo tamen imitatur, non hercle magis quam Platonis. Sed ad aquilam redeo, cui ob dotes quas commemoravi, tam βασιλικὰς, ob tam egregia in omne animantium genus merita, ſenatus populuſque poetarum, magno conſenſu decrevit, primum, ut rex omnium, atque etiam θεῖος, id eſt, divinus appellaretur. Deinde ſatis honeſtum inter ſidera locum dederunt, ac ſtellulis aliquot inſignierunt. Poſtremo munus inter cœlites honorificum mandarunt, ut ſolus arma miniſtret irato Iovi, quibus orbem commovet univerſum. Quoque id impune poſſit, illud quoque tribuerunt, ut una animantium nec metuat fulmen, nec lædatur à fulmine, ſed iiſdem oculis fulmen emicans obtueatur, quibus adverſum aſpicit ſolem. His addiderunt ſapientiſſimi illi Caſeique Romani, ut in legionum ſuarum vexillis, primas teneret aquila, eſſetque vexillorum ipſorum vexillifera: poſthabitis etiam lupis, Romanæ gentis nutricibus, poſthabitis Minotauris, & apris, non extremæ rapacitatis beluis, poſthabitis denique & equis. Nam his quatuor animantibus inſignita vexilla, quondam aquilam ſequebantur. Paulo poſt nec comites eos eſt paſſa, ſed illis in caſtris relictis ipſa ſola prodibat in prælium. Hanc inquam unam dignam cenſuerunt, quæ totius orbis monarchæ ſceptra, ſigna, clypeos, domos, veſtes, vaſa, miniſteria decoret: cum tamen vulturem, ni fallor, augurio conditum ſit Romanorum imperium, non aquilatum. Addidit hoc augurum collegium, ut ſi cujus ædibus inſediſſet aquila, aut ſi pileum in caput alicujus immittat, imperium portendatur. Habes è Ducibus alterum: hunc ad Scarabeum vediam. Eſt animal, ac vix etiam animal, quippe cui ſenſus aliquot deſint ex inſectorum infima gente: quod infami ſane vocabulo Græci κάνθαρον, Latini Scarabeum appellant, aſpectu tetrum, odore tetrius, ſonitu teterrimum, alis cruſtacea vagina obtectis. Quin magis totus ipſe Scarabeus nihil eſt, niſi cruſtum. Naſcitur in excrementis, hoc eſt animantium ſtercoribus, in iiſdem vivit, verſatur, oblectatur, deliciatur. Præcipuum huic ſtudium, pilas quam maxime poteſt ingentes componere, ceu paſtillos, non ex odoribus, ſed ſtercore, potiſſimum caprino: nam id illi prorſus amaracinum olet. Eas miro conamine volvit averſus, pedibus poſterioribus quos habet longiores, ſuperne injectis, capite in terram prono. Quod ſi quando contingat, ut adverſus collem aliquem onus protrudant, elapſis ſubinde pilis, ac deorſum recurrentibus, putes te Siſyphum volventem ſaxum videre. Nec defatigantur, nec conquieſcunt. Tantus operis ardor, donec in antrum ſuum devexerint. In his pilis ut ipſi nati ſunt, ita fœtus etiam ſuos educant, & teneros adhuc ad verſus hyemis rigorem nidulantes fovent. Equidem ſcio nulli non eſſe notum ſcarabeum, ut qui paſſim ſit obvius, niſi ſicubi nulla omnino ſunt ſtercora: ſed non eſt eadem omnium ſpecies. Etenim ſunt, quibus nigro quodam vitrore luceat cruſta. Pleriſque tetro nigrore horrent. Sunt nonnulli grandiores, prælongis ac biſulcis armati cornibus, cacumine forcipibus dentato: ea cum viſum eſt, ad morſum contrahunt, ſtringuntque. Sunt item rutili, & iidem prægrandes, qui terram aridam fodiunt, atque illic nodos ponunt. Sunt qui metuendo bombo formidabilique ſtrepitu provolent, ut imprudentem non mediocriter terreant. Sunt & alia formarum diſcrimina. Verum illud commune eſt omnibus, e ſtercore ortus, e ſtercore victus, in ſtercore vita delitiumque. Jam opinor futurum, ut aliquis Romanus Ducibus impenſe favens, aquilæ vicem deploret, qui cum tam humili, tamque plebejo hoſte res inciderit, avi tam regali: quem vincere glorioſum non ſit, à quo vinci turpiſſimum, & cui abunde multum laudis contingat, quod cum aquila decertarit, etiamſi victus diſceſſerit. Apud poetas pudet Ajacem Vlyſſis adverſarij tam imbellis: & aquila cogitur cum ſcarabeo confligere. Rurſum alius magis etiam demirabitur, unde huic inſecto viliſſimo, tantum animorum, tantum audaciæ, ut non ſit veritum cum ave multo pugnaciſſima bellum ſuſcipere. Tum unde opes, vires, facultates, auxilia, ut tot jam annos bellum ducere potuerit. Verum ſi quis hunc explicet Silenum, & contemptum hoc animalculum propius ac veluti domi contempletur, tam multas in eo dotes haud vulgares animadvertet, ut omnibus diligenter penſitatis, propemodum ſcarabeum ſe malit eſſe, quam aquilam. Ne vero mihi reclamet & obturbet quiſquam, prius atque rem cognoverit. Primum in hoc aquilæ præſtat etiam ſcarabeus, quod ſenectam quotannis exuit, ac ſubinde repubeſcit. Jam hoc ipſum tanti eſt, ut exiſtimem Romanos etiam Pontifices aliquos, cum eis liceat recta in cœlum immigrare, quippe cujus clavem gerunt, tamen ubi perventum eſt ad inamabilem illam ſenectutem, quæ voluptatibus omnibus abdicat, malle cum ſcarabæis γῆρας abjicere, quam pro triplici corona, ſeptemplicem accipere. Deinde in tantulo corpore, quantum animi robur, quam heroica mentis vis, quantus ad invadendum impetus, ut nihil jam ſit ad ſcarabeum Homerica muſca. Nam hinc ni fallor, quibuſdam ſcarabeis nomen etiam inditum, ut tauri dicantur. At cum tauris nec leones temere congrediuntur, tantum abeſt, ut id faciant aquilæ. Jam vero nec ingenium vulgare, niſi quis ſine cauſa, vel natum olim, vel ubique celebratum exiſtimet Græcum illud proverbium κανθάρου σοφώτερος, quo nimirum ſingularis quædam & incomparabilis huic videtur ſapientia. Neque mea refert, ſi quis cavilletur eum parum bene habitare in domicilio deformi. Quanquam quod ad corporis quoque formam attinet, abſit modo vulgaris & judicium occupans imaginatio, non eſt quod contemni poſſit ſcarabeus. Etenim ſi vere proditum eſt à Philoſophis, eam figuram quam vocant ſphæricam, non modo pulcherrimam eſſe, verumetiam modis omnibus optimam, nec aliam magis demiurgo illi placuiſſe, qua cœlum hoc, rerum omnium multo pulcherrimum, fabricaretur: cur non & formoſus videatur ſcarabeus, qui ad hujus ſpeciem longe propius accedit quam aquila? Denique ſi equus in ſuo genere formoſus eſt, ſi canis in ſuo: qui minus in ſuo placeat ſcarabeus? Niſi omnes omnium formas noſtra metimur, ut quicquid ad hominis formam non acceſſerit, id continuo deforme judicetur. Nam colorem ſcarabei nemo puto calumniabitur, ut qui gemmas etiam nonnullas commendet. Porro quod animantium excrementis ad ſuam commoditatem abutitur, ingenii laus eſt, non crimen. Quaſi vero non idem faciant Medici, qui cum multorum animantium, tum hominis etiam excrementa, non illinunt ſolum, verum in potiones miniſtrant in morbis. Nec pudet Alcumiſtas, viros plane divinos, ad quintam illam eſſentiam eliciendam uti fimo: nec agricolas, quo quidem hominum genere nullum fuit olim honoratius, ſtercoribus arva ſaginare. Sunt & populi, quibus ad incruſtandos domiciliorum parietes, fimus pro gypſo eſt. Eodem conculo, & ad ſolem exiccato, ad ignis alimentum utuntur, lignorũ vice. Cyprii boves ſuos humano ſtercore ſaginant: nec ſaginant tantum, ſed etiam medentur. Sed illi, inquis, res tam putida bene olet. Stultum vero ſit, naſum hominis in ſca-

videbatur) contemnendus: Siquidem nulli ſua levis eſt autoritas. Iam ſuccurrebat & illud, fore ut univerſum ſcarabeorum genus in contemptum veniret, ſi ſemel id factum aquilæ ceſſiſſet impune. Ac tum quidem temporis, quoniam ulciſcendi facultas non erat, omnino regium quiddam exhibuit ſcarabeus. Nempe hoc ipſum, quod de Agamemnone, cæteriſque Regibus dixit Chalcas:

> Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
> Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον, ὄφρα τελέσσῃ
> Ἐν στήθεσσιν ἑοῖσι. ———

Omnes igitur artes, omnes dolos in pectus advocat. Nec vulgarē molitur pœnam, internecionem, ac plane πανωλεθρίαν in animo volvit. At cum ipſa quidem aquila hoſte tam bellaci, Martem experiri, non ſatis tutum eſſe ducebat: non ſolum ob id, quod copiis eſſet inferior, verumetiam quod Mars, ſtupidus Deus ac væcors, nec minus cæcus quam ipſe Plutus aut Cupido, plerumque faveat cauſæ deteriori. Quod ſi maxime par viribus fuiſſet, ſi felicius pugnarent hi, quorum melior eſſet cauſa: tamen eſſe videbat, in quo gravius excruciaret aquilam, & odium ſuum pleniore vindicta ſatiaret, ſi poſteritate ſublata, vivam etiam & ſentientem aquilam longe morte exanimaret. Nulla in re gravius diſcrutiantur parentes, quam in liberis: adeo ut qui ſui corporis ſæviſſimos negligunt cruciatus, filiorum tormenta non ferant. Viderat aſinos per ignes objectos, miro vitæ contemptu, pullis ſuis ſuccurrere: viderat exempla hujus animi in animantibus permultis. Exiſtimabat ab his communibus affectibus non eſſe alienam aquilam. Denique ſuo genere tutius eſſe judicabat, ſi inimicum tam pertinacem ab ipſa quod ajunt, ſtirpe perdidiſſet. Audierat, opinor, celebratum illud proverbium,

> Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει.

Titillabat & blanda quædam ſpes, ſi facinus ſucceſſiſſet, futurum ut profligata aquila, ipſe regno potiretur. Atque ut dolor non ſolum fortes facit, & intrepidos, verumetiam ſagaces, diligenter explorat, quo loco ſpem ſuæ poſteritatis hoſtis recondidiſſet. Quo pervestigato, Vulcanum adit, quicum illi nonnulla familiaritas eſt, ob coloris ſimilitudinem. Exorat, ut arma ſibi cudat, quæ neque ſint oneroſa volanti, & tamen adverſus mediocrem vim tueantur. Armat à ſummo vertice ad imum uſque calcaneum Vulcanus ſcarabeum, his armis quibus adhuc utitur: nam antea muſcarum more inermis erat. Nidus erat procul illinc ſemotus, in excelſo prærupoque ſcopulo, multa ſarmentorum ac ſtipularum vi congeſtus & communitus. Huc mihi protinus egregius ſcarabeus advolaritne an adrepſerit, parum liquet, certe pervenit. Sunt qui dicant, tum cum pennis aquilæ ferretur, adhærentem clanculum ab inſciente aquila in nidum deportatum eſſe. Et quo nec homines (quibus non eſt aliud animal inſidioſius, nec ad nocendum ingenioſius) pervenire potuiſſent, eo penetravit ſcarabeus. Inter ſtipulas in inſidiis abdit ſeſe, ac tempus nactus idoneum, aquilæ ova protrudit è nido, aliud poſt aliud, donec nullum reliquum faceret. Ea delapſa, comminuta ſunt: ipſi pulli informes adhuc miſerabiliter in ſaxa eliſi, prius orbati vita ſunt, quam vitæ ſenſum accepiſſent: nec hac tam atroci pœna contentus fuit ſcarabei dolor. Eſt gemma cum primis nobilis, quam ab aquilæ nomine Græci vocant aetiten: non diſſimilis eſt ovo, ſexu quoque diſtinguitur, nam in fœmina fœtum incluſum invenias, pulli propemodum ſpecie. Mira vis ad eliciendum partum. Quamobrem hodieque parturientibus admovetur, quo partum acceleret. Hujus itaque generis par, aquila ſolet in nido ſuo ponere: alioquin nunquam poſitura ova, aut certe non excluſura pullos. Tantum etiam theſaurum dejicit è nido ſcarabeus, quo pariendi facultatem in poſterum eripiat: lapides acutis excepti ſaxis, minutatim diſſiliere. Ne hæc quidem adhuc ſatis viſa ſunt iræ ſcarabei: Levem calamitatem putat, niſi dolore quoque ac lamentis hoſtis frueretur. Itaque rurſum abdit ſe penitus in ſtipulis. Redit aquila, novam ſui generis cladem conſpicatur: videt ſua viſcera fruſtulatim diſcerpta, videt nobilis gemmæ non æſtimabilem jacturam: queritur, clangit, fremit, ſtridet, ejulat, obteſtatur deos, ac ſuis illis oculis, quos jam dolor etiam acuebat, hoſtem tam potentem circumſpectat. Atque omnia potius in mentem veniunt reputanti, quam ſcarabeus ille contemptus. Dira minatur, dira precatur ei quiſquis tantæ calamitatis fuiſſet author. Quantam interea voluptatem animo perſenſiſſe credis ſcarabeum, dum hæc audit? Quid faciat miſera? Rurſum in Fortunatas inſulas illi devolandum fuit (neque enim aliunde importatur ἀετίτης) alterum par inveniendum. Nidus in locum multo ſemotiorem æditioremque transfertur. Rurſus ova ponit, & huc nihilo ſecius ignotus hoſtis penetrat: populatur omnia, totam ſuperiorem renovat tragœdiam. Rurſum hinc in tutiorem arcem demigrat aquila: alia deponit ova: alios adhibet aetitas. Rurſum adeſt ſcarabeus. Nec modus nec finis fugiendi atque inſequendi, donec delaſſata tot cladibus ales, conſtituit ſacram movere ancoram, ac ſuis diffiſa viribus ad deorum præſidia confugere: Iovem adit, exponit calamitatis ſuæ tragœdiam, hoſtem tam potentem, eumque (quod eſſet graviſſimum) ignotum, ut tanta paſſæ, facultas etiam ulciſcendi eriperetur. Addit, hanc ſuam perniciem ad ipſum quoque Iovem pertinere: periturum imperii munus, quod ille donaſſet, mutandum atque migrarum, ſi quemadmodum inſtituit hoſtis, pergeret: eſſe nonnihil aſſuetis ac notis uti miniſteriis, etiamſi novitas in ſuffecto Ganymede feliciter ſucceſſiſſet. Movet Iovem ſatellitis ſui periculum, præſertim cum recens rapti Ganymedis officium hæreret animo. Iubet, ſi videatur in ſuo ipſius ſinu deponat ova: aut illic, aut nuſquam omnino in tuto futura. Paret ales, & in ſummi Iovis ſinu, extremam gentis ſuæ ſpem deponit: multum obteſtata, per feliciſſima illa ova, quæ quondam illi Leda pepererat, ut ſua bona fide tueretur. Quid non efficit pertinax animi dolor? Vereor ne cui res ſupra veriſimilē eſſe videatur. Ad ipſam ſummi Iovis arcem invictus ſubvolat ſcarabeus, haud ſcio an numinis alicujus favore adiutus. Paſtillum in hunc uſum è ſtercoribus paratum, in ſinum illius demittit. Iupiter ut eſt ſordium inſolens, quippe in puriſſima mundi parte habitans, & a terreno contagio longiſſimo ſemotus intervallo, dum offenſus teterrimo odore, fimum è ſinu ſtudet excutere, ova aquilæ dejicit imprudens: quæ videlicet ex alto delapſa, perierunt, & priusquam terram contingerent. Atque ita tandem cognitus eſt illi tot cladium artifex: & hoc ipſum voluptatis cumulum addidit ſcarabeo, juvit agnoſci. Contra aquilæ (nam rem geſtam ex ipſo didicit Iove) non mediocre doloris pondus adjecit, tam contemptus ſuæ calamitatis author. Quandóquidē eſt & hoc nonnullum mali ſolatium, ſi cuis à magno ſuperetur hoſte. Hinc velut de integro dirum inter eos coortum bellum: aquila pro viribus ubicunque conſpectam ſcarabeorum gentem vexat, rapit, proterit, perdit. Viciſſim ſcarabeus in aquilæ perniciem nervos intendit univerſos. Itaque prædandi, inſidiandi, jugulandi, nec mora, nec quiés, nec ullus omnino finis futurus videbatur, niſi utraque gente pariter ſublata funditus, ut Cadmeam victoriam diceres: adeo gladiatoriis animis uterque in alterum affectabat viam. Nec vinci poterat aquila, neque cedere novit ſcarabeus. Tandem Iupiter in tantis rerum periculis ſuccurrendum putat, conatur privatim inter eos rem componere. Quo magis conatur, hoc magis horum increduſcit odium, gliſcunt iræ, ferveſcunt pugnæ. Et erat ille quidem haud dubie propenſior in aquilæ partem: ſed e diverſo movebat exemplum longe pernicioſiſſimum, ſi cui licuiſſet impune ἱκετήσιον, φίλιον, aut ξένιον contemnere. Proinde facit quod in extremo rerum diſcrimine ſolet, deos in concilium advocat: pauca prælocutus, rem, ut eſt geſta, proponit. Præconio Mercurii fit dicendi poteſtas, rogantur ac dicuntur ſententiæ. Variatum eſt ſtudiis. Dii contemptiores fere favebant ſcarabeo: ex maximis etiam Iuno vehementer huic ſtudebat, nimirum odio Ganymedis, aquilæ rebus infenſa. Tandem in hoc ſenatuſconſultum pedibus itum eſt, quod arguta voce pronunciavit Mercurius, Vulcanus in æs incidit, uti bellum æternum ſcarabeus & aquila ſuo gerant arbitratu. Quod cuique acciderit incommodi, ob id in jus vocare non liceat, bello imputetur. Quod quiſque rapuerit, id jure belli poſſeſſurum: tantum non placere diis internecionem ullius gentis. Proinde triginta dies, per quos incubat aquila, temperetur à manibus, ſerventur induciæ. Nec fas ſit ſcarabeis per id tempus in publicum prodire: ne videlicet ad mediam ac forenſi laborem, belli quoque tædium accederet aquilæ. Addidit illud ex ſuo ſtudio Iupiter, idque reclamantibus nonnullis: Æquum eſt, inquit, ex tam immenſis terræ ſpatiis, vel exiguum angulum, velut aſylum ſupereſſe meo ſatelliti, quo tutus ſit à ſcarabeorum incurſu. Neque vero novum exemplum induco: Sunt loca quæ lupum neſciunt: ſunt in quæ non immigrent venena: ſunt in quibus non vivant talpæ. Metabor & ipſe in Thracia jugerum aliquot ſpacium apud Olynthum, in quod ſi quoquo cunque modo prudens, imprudens, volens, nolens, pedem intulerit ſcarabeus, capitale eſt: nec fas ſit exire ſemel ingreſſo, verum inibi torqueat ſeſe, donec emoriatur. Loco nomen tribuitur, Cantharolethrus, ut rei ipſo monitus vocabulo ſciat ſcarabeus actum fore de ſe, ſi contra noſtrum ſenatuſconſultum non vereatur in eum locum irrumpere. Rhodo exulat aquila, ne cui videatur inhumanum, Olyntho excludi ſcarabeum.

> Sic ait, & totum nutu tremefecit Olympum

Adfremebat omnis deorum conſeſſus. Valet in hodiernum uſque diem ſenatuſconſultum, ſemperque valebit. Scarabeis & aquilis durat exitiale bellum: per eos dies, per quos incubat aquila, nuſquam apparent ſcarabeorum filii. Locum eum, quem deſignavit, Iupiter, ſummo ſtudio vitat: quod ſi quis importet, protinus exanimatur. Ejuſque rei, ſi quis forte requiret, teſtimonium perhibet Plin. lib. xi. ca. xxvij. Atque hoc quoque gravior autor Plutarch. in commentario De animi tranquillitate. Sed jamdudū ſat ſcio, ſic tecum cogitas optime lector: Quid iſti venit in mentem, ut tantum nugarum de nihilo nobis effutiat: ac non quidem elephantum e muſca (quod ajunt) ſed è ſcarabeo gigantem reddat. Quaſi vero parum ingenii ſit, tot adagiorum Chiliadas evolvere, niſi fabulis inſuper tam verboſis nos enecet. Dicam equidem Ut eſt ſua cuique ſententia, ſunt quib. in explicandis adagiis inops videor, ac jejunus. Exiſtimant enim id demum eſſe magnificum ſi quis volumen in immenſum extendat. Illis nimirum libuit oſtendere, me in cæteris data opera breviorem eſſe, alioqui non futurum fuiſſe, quo rem locupletarem, ſi oſtentandæ copiæ, quam juvando lectori ſtudere maluiſſem. Sed, ut ad proverbiorum negocium redeamus. Meminit hujus fabulæ Comicus Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ, his quidem verſibus,

> Ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις ἐξηυρέθη,
> Μόνος πετεινῶν εἰς θεοὺς ἀφιγμένος.
> Ἄπιστον εἶπας μῦθον, ὦ πάτερ πάτερ,
> Ὅπως κάνθαρος ἦλθεν εἰς θεούς.
> Ἦλθεν κατ' ἔχθραν αἰετοῦ πάλαι ποτέ,
> Ὤ' ἐκκυλίνδων, καὶ ἀντιτιμωρούμενος.

Id eſt,

In fabulis id eſt repertum Æſopicis,
Adiiſſe divos unicum è volucribus.
Haud credibilem ais fabulam pater pater,
Adiiſſe divos animal obſcœnum atque olens.
Pervenit olim, inquam, ob ſimultatem aſperam,
Quæ illi fuit cum aquila, tum volens illius,
Et expetiit pœnas ab hoſte mutuas.

Admonet autem apologus, non eſſe cuiquã contemnendum hoſtem, quamvis infima fortuna. Sunt enim homunculi quidam infimæ quidem ſortis, ſed tamen malitioſi, non minus atri, quam ſcarabei; neq; minus putidi, neq; minus abjecti: qui tamen pertinaci quadam ingenii malitia, cum nulli omnino mortalium prodeſſe poſſint, magnis etiam ſæpenumero viris faceſſant negocium. Territant nigrore, obſtrepunt ſtridore, obturbant fœtore, circumvolitant, hærent, inſidiantur, ut non paulo ſatius ſit, cum magnis aliquando viris ſimultatem ſuſcipere, quã hos laceſſere ſcarabeos: quos pudeat etiam viciſſe, quoſque nec excutere poſſis, neque conflictati cum illis queas, niſi diſcedas contaminatior.

Promeri canes.

Προμέρου κύνες, id eſt, Promeri canes. Dici ſolitum, ubi quis novo caſu pœnas daret iis, quos aliquando læſiſſet. Promerus regius quidam miniſter fuit. Is Euripidem tragicum poetam, ſupra modũ exoſũ habebat delatus ab eodem aliquando neſcio quo nomine apud regem. Quare poſtea canes quoſdam feros in poetam ſolvit, à quibus ille devoratus interiit. Proinde quoties potens quiſpiam offenſus aliquos ſubornat, ſubmittitque, qui tibi negocium faceſſant, tempeſtive dixeris, Προμέρου κύνες. Convenit cum illo, quod alio dictum eſt loco, κυνὸς δίκην, id eſt, Canis vindictam. Recenſetur à Diogeniano.

Ciſſamis Cous.

Κισσαμις κῷος, Ciſſamis Cous. Hunc ajunt pecuariis gregibus ſupra modum divitem. Verum anguillam quotannis apparere ſolitam, quæ pulcherrimam omnium pecudem raperet. Ea cum in ſomnis apparens hominem commoviſſet, ut ſepeliret ſeſe, & ille negligeret, evenit ut cum ipſe tum univerſum illius genus radicitus interiret. Hæc ferme Zenodotus. Et hoc quoque proverbium, Delium aliquem natatorem requirit. Apparet affine, quod alibi dictum eſt, Aderit Temeſſæus genius.

Improbi conſilium, in extremum incidit malum.

Ἀπλήστου κακοῦ βουλὴ ἐπ' ἐσχάτην ἄτην.

Id eſt,

Incidit extremam in noxam mens improba tandem.

Heroicus proverbialis in eum, qui poſteaquam diu peccavit impune, tandem in calamitatem incidit, pœnas omnium ſcelerum ſemel dependat.

Ibyci grues.

Αἱ Ἰβύκου γέρανοι id eſt, Ibyci grues. Græcis in proverbium abierunt, quod dici conſuevit, quoties ſceleribus novo quodã & improviſo caſu proditis ſceleſti pœnas dant iis, quos læſerunt. Id ex hujuſmodi quodam eventu natum memorant: Ibycus poeta quidam, cum in latrones incidiſſet jam occidendus, grues forte ſupervolantes obteſtatus eſt. Aliquanto poſt tempore, cum iidem latrones in foro ſederent, ruſumq; grues ſupervolarent, per jocum inter ſe ſuſurrabant in aurem αἱ Ἰβύκου ἔκδικοι πάρεισι. id eſt, Adſunt Ibyci ultores. Eum ſermonem alii audientes in ſuſpicionem rapuerunt, maxime deſiderato jam pridem Ibyco. Rogati quidnam ſibi vellet ea oratio, hæſitanter atque inconſtanter reſponderunt: ſubjecti tormentis facinus confeſſi ſunt. Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, ac potius ſuo ipſorum indicio, ut dicitur, perierunt. Hujuſmodi ferme Plutarchus in commentario De futili loquacitate. Meminit hujus adagii Auſonius in Monoſyllabis:

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

Extat ſuper re Græcum Epigramma, titulo Antipatri, quod non gravabimur aſcribere,

Ἴβυκε λῃσταί σε κατέκτανον. ἐκ ποτε νήσου
 Βάντες ἐρημαίην ἄστιβον ἠιόνα
Πολλ' ἐπιβωσάμενον γεράνων νέφος, αἵ τοι ἵκοντο
 Μάρτυρες, ἄλγιστον ὀλλυμένῳ θάνατον.
Οὐδὲ μάτην ἰάχησας, ἐπεὶ ποινῆτις ἐριννὺς
 Τῶνδε διὰ κλαγγὴν τίσατο σεῖο φόνον
Σισυφίην κατὰ γαῖαν. ἰὼ φιλοκερδέα φῦλα
 Ληιστῶν, τί θεῶν οὐ πεφόβησθε χόλον,
Οὐδὲ γὰρ ὁ προπάροιθε κατακτανὼν Αἴγισθος ἀοιδὸν
 Ὄμμα μελαμπέπλων ἐξέφυγεν Εὐμενίδων.

Vertiſſem & hos verſus meo more, (ni commodum Petrus Ægidius Antuerpienſis, hoſpes meus, imo Pylades meus, & ſi quid hoc quoque uſquam eſt amicius, jam Latinos feciſſet, ac (mea quidem ſententia) feliciter. Eos aſcribam, ſimul & hoc laboris haud illibenter effugiens, & incomparabilis amici mentionem cupide arripiens

Quondam ad deſertum venientes Ibyce littus.
 Vitam prædones eripuêre tibi,
Sæpe gruum nubem imploranti, quæ tibi teſtes
 Advenere necis quum moreret atrox.
Attamen haud fruſtra: ſiquidem clangore volucrum
 Siſyphio cædem eſt Eumenis ulta ſolo.
Latronum genus heu cupidum lucri atque rapinæ,
 Cur vos nequaquam terruit ira Deûm?
Quando nec Ægiſthus, vatem qui occiderat olim,
 Atrarum occurſus fugerat Eumenidum.

Meminit hujus poetæ M. Tull. lib. Tuſculanarum quæſtionum 4: cujus poema maxime laſcivum fuiſſe teſtatur.

Dii laneos habent pedes.

Macrobius lib. Saturnalium 1. cap. 6. ſcribit in hunc modum: Cur autem Saturnus ipſe in compedib. viſatur, Verrius Flaccus cauſam ſe ignorare dicit. Verum mihi Apollodori lectio ſuggerit: Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & ſolvi ad diem ſibi feſtum: id eſt menſe hoc Decembri. Atque inde proverbium dictum, Deos laneos pedes habere: ſignificari vero, decimo menſe ſemẽ in utero animatũ in vitam grandeſcere: quod donec erumpat in lucem, mollib. naturæ vinculis detinetur. Hactenus Macrobius. Lucianus item in Cronoſolone, Saturnum in compedib. fingi ſolere ſignificat. Atque hujus figmenti rationem reddit in lib. de Aſtrolog. nempe quod orbis Saturni longiſſime à nobis remotus ſit: ob hoc in tartara conjectum finxere, ex aeris profunditate ſumpta occaſione. Deinde quod motus ſit omnium tardiſſimi, ut quaſi ſtare videatur, compedibus alligatũ finxerunt. Plutarch. in problematis ſcribit, Tyriis fuiſſe morem, ut deorum ſtatuis vincula injicerent. Ænigma proverbii indicat, deos ad ſcelerum ultionem lente quidem procedere, ſed tamen aliquando de maleficis pœnã ſumere vel inopinato. Sic interpretatur Porphyrio demonſtrans quod ſcribit Horat. lib. Odarum tertio, Oda ſecunda,

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo:

affine eſſe proverbio, quo dicitur, deos iratos, pedes lanatos habere, quia nonnunquam tarde veniunt nocentibus.

Ad deorum aures pervenit.

Εἰς θεῶν ὦτα ἀφῖκται. Ad deorum aures pervenit. Ubi facinus aliquod clanculum patratum, reſciſcitur ab iis qui poſſunt vel remunerari recte factum, vel punire ſecus admiſſum. Sic enim imaginantur poetæ, quæ recte, ſecuſve gerantur in terris, ea per Mercurium explorata referri Jovi. Is deinde concilio deorum convocato, de pœna ſtatuit. Eſt illud etiam nunc ſolenne in Principum & Pontificum literis. Ad noſtras aures pervenit. Paulo diverſius paſtor ille Vergilianus.

Et quoties, & quæ nobis Galatea locuta eſt,
Partem aliquam venti divum referatis ad aures.

De rebus egregiis, quaſque deorum auribus dignas judices. Itidem Horatius,

—— Et Jovis auribus iſta,
Servas. ——

Oetæus genius.

Οἰταῖος δαίμων: id eſt, Oetæus genius. Diogenianus ait ferociam & arrogantiam huic dæmoni vehementer inviſam fuiſſe, nec inultam ſinere ſolitum: unde tumidis ac præferocibus minitabantur Oetæum dæmonem. Collectanea vulgata proverbium referunt ad authorem Clearchum. Eſt autem Oeta, mons finitimus Trachini, atque eodem nomine civitas Melienſium. Proinde ſimilis erit hujus uſus proverbii, qualis eſt illius: Aderit Temeſſæus genius.

Adraſtia Nemeſis, Rhamnuſia Nemeſis.

Ἀδράστεια νέμεσις, id eſt, Adraſtia Nemeſis, ſubaudiendum; adeſt, aut aderit, aut ejuſmodi quippiam. Licebit uti vel in eos, quibus ob inſolentiam arrogantiamq; fortunæ commutationem minamur, vel quia rebus florentibus ad calamitoſam fortunam redacti ſunt. Hanc quidem Nemeſim deam eſſe putant, inſolentiæ & arrogantiæ vindicem, quæque ſpes immoderatas & vetet & puniat. Ἀδράστεια dicta ἀπὸ τοῦ ἀδιαφύκτου καὶ ἀδρανοῦς, quod nemo nocens meritam pœnam uſquam effugerit: etiam ſi quando ſerius aſſequitur. Lucianus in Meretriciis dialogis: ἔστι τις θεὸς ἡ Ἀδράστεια, καὶ τὰ τοιαῦτα ὁρᾷ, id eſt, Eſt Dea quæpiam Adraſtia, videtque iſta. Euripides in Rheſo.

Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς
Εἴργοι στομάτων φθόνον.

Id eſt,

Adraſtia, Jovis filia, arceas dictorum invidiam.

Idem in eadem fabula,

Σὺν δ' Ἀδραστείᾳ λέγω.

Id eſt,

Volente vero dixerim hoc Adraſtia.

Idem teſtantur etiam Epigrammata,

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει τῷ τε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Id eſt,

Innuit hoc Nemeſis cubito frenoque gerendis
 Sit modus in rebus, dictaque frenum habeant.

Item aliud.

Ἡ Νεμ-

Ἡ Νέμεσις πῆχυν κατέχω. τίνος οὕνεκα; λέξεις.
Πᾶσι παραγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.

Id eſt,

Contineo Nemeſis cubitum. Quæ cauſa? requires.
Nam cunctis jubeo rebus adeſſe modum.

Strabo lib. Geographiæ 13. Adraſtiam dictam tradit, non ab aufugiendo, ſed ab Adraſto Rege, qui primus huic templum conſtituerit: idque Antimachi poetæ verſibus confirmat,

Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχεν. βωμὸν δέ οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδρηστος, ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο.
Ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδρήστεια καλεῖται.

Id eſt,

Eſt quædam Nemeſis dea magna: cui omnia quædam hæc
Sunt data ſorte deûm. Aſt huic primus condidit aram
Adraſtus juxta Æſopi ſacrata fluenta.
Atque ibi nunc colitur, Adraſtia nomen.

Hujus oppidi meminit Plin. lib. 5. cap. 32 his verbis: Parium Colonia, quam Homerus Adraſtiam appellavit. Adraſtiæ deæ mentionem facit & Plato in Phædro Ammianus lib. 14. Hæc & hujuſmodi innumerabilia ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix aliquando operatur Adraſtia, atque utinam ſemper: quam vocabulo duplici etiam Nemeſim appellamus. Hanc ajunt ex opinione veterum theologorum lunæ ſuperpoſitam, generali potentia præſidere fatis, omnia terrena deſpectantem, ut reginam & arbitram rerum omnium: quæ præcipue faſtu inſenſa, nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat: nunc bonos ab imo ſuſcitans ad bene vivendum extollit. Huic antiquitas addidit pennas, celeritatis ſymbolum: dedit gubernaculum & rotam, ſignificans illam per omnia diſcurrentem ſingula moderari. Idem lib. 22. Ideo intolerabilem, humanorum ſpectatrix Adraſtia, aurem, quod dicitur, vellens, monens ut caſtigatius viveret, &c. Zenodotus originem adagionis ad hujuſmodi fabulam refert, quam equidē non admodum ſane lubens, adſcribam tamen, ne lectorem avidum hac fraudaſſe videar. Eteocles & Polynices poſt interitum Oedipi patris de regno Thebanorum hac lege pacti ſunt, ut imperium alternis annis adminiſtrarent. At Eteocles (nam huic ſorte primus obtigerat annus) exacto tempore recuſavit fratri vices regni tradere. Itaq; Polynices repulſus, in Adraſti ditionem Argos profugit, noctuq; appulit. Hic quum forte Tydeum eſſet nactus, qui ob cædem perpetratam è Calydone profugerat, cum eodem prælium conſeruit: inter quos clamore tumultuque coorto, intervenit Adraſtus, & pugnantes diremit. Atq; ibi ſimul recordatus oraculi cujuſdam, quo monitus fuerat, ut apro & leoni filias ſuas in matrimonium collocaret, utrumq; ſibi generum aſcivit. Habebāt enim in clypeis, alter apri, alter leonis figuram: pollicitusq; eſt ſe utrumque reſtituturum in patriam. Cumque primum Polynicis nomine Thebas fuiſſet adortus, cæſis Argivorum optimatibus, Adraſtus ſolus effugit. Interfectorum cadavera cum Thebani inſepulta abjicerent, neque ſepultura dignarentur, liberi cæſorum ad aram Miſericordiæ confugientes, parentum cadavera repoſcebant. Athenienſibus exercitum admoventib. Thebani cadavera reddiderūt. Quo tempore & Evadne Capanei uxor ſemet in rogum abijciens, una cum viri cadavere combuſta eſt. Poſt id temporis filii Argivorum, qui perierant ad Thebas nullam unquam reportarunt victoriam, ſuis partā auſpiciis: ſed ſtipendiarii pro externis militabant. Diogenianus parœmiam citat ad hunc modum: *ἡ Νέμεσις παρὰ πόδας βαίνει*. id eſt, Nemeſis ad pedes adeſt. Galenus deniq; libro De uſu partium humani corporis 6. *μεμνῆσθαί τε καὶ δεῖξαι τὸν ἀδραστείας ὡς οὐδεὶς ἐκφεύξεται θεσμὸν*, id eſt, Meminiſſe ac declarare quod Adraſtiæ legem nullus effugiet. Ac paulo inferius: *οὐκ ἐννοῶν οἶμαι τὸν τῆς ἀδραστείας θεσμὸν*, id eſt, Haud cogitans opinor Adraſtiæ legem. Minitatur medicus, qui falſa pro veris docent. Eadem appellatur Rhamnuſia, à Rhamnunte Atticæ loco cognominata: ubi (quemadmodum oſtendit Zenodotus) huic deæ ſtatua eſt, ſolido lapide, decem cubitorum magnitudine, Phidiæ opus. Fingebatur autem olim Veneris ſpecie, quamobrem & malum arborem dextra tenebat, ut autor eſt Eudemus. Hoc adagium quanquam ſeparavit Zenodotus, mihi tamen viſum eſt cum ſuperiore cōjungere, quum nihil interſit præter commutatam cognominis vocem. Plinius lib. 28. cap. 2. Cur & faſcinationibus adoratione peculiari occurrimus? alij Græcam Nemeſim invocantes: cujus ob id Romæ ſimulachrum in Capitolio eſt, quamvis Latinum nomen non ſit.

Bos laſſus fortius figit pedem.

Divus Hiero. oppido quam elegans adagium uſurpavit, ad beatum Aurelium Auguſt. ſcribens, eumq; deterrere cupiens, ne juvenis ſenes provocet: propterea quod tardius quidem ad pugnam excitantur hi, qui jam ſunt ætate quaſi feſſi: verum iidem gravius ſæviunt atque urgent, ſi quando ſenilis illa virtus irritata recaluit: Memento, inquit, Daretis & Entelli, & vulgaris proverbii, quod bos laſſus fortius figat pedem. A veteri trituræ more ductum apparet, cum circumactis à bubus ſuper manipulos plauſtris, grana excutiebantur: partim è totis in hoc armatis, partim à taurorum ungulis: Et lex illa Moſaica, quam citat Apoſt. Paulus ad Timoth. vetat, ne bovi trituranti os obligetur. Itaque bos laſſus, quoniam gravius figit pedem, magis eſt ad trituram idoneus. At non item equus ad curſum. Poteſt alluſum videri & ad hoc, quod juvenes corporis agilitate præpollent: ſenes in ſtataria pugna ad virib. ſuperiores ſunt. id quod & Vergil. in Daretis Entelli congreſſu declarat. Nec admodum hinc abludit illud quod in Græcorum collectaneis poſitum reperio, *ἀτρέμας βοῦς*, id eſt: Lente bos: ſubaudiendum, movet pedem. Nam leniter quidem movet, at gravius premit.

Evenit malo male.

Cum ſcelerato cuipiam evenit, quod omnes imprecabantur & optabant, locus erit illi ex eodem libro,

——*Ἢν ἐθέλῃς, ἀνάγκῃ δ' οὔτι μιν ἄξω.*

Id eſt,

Si voles: invitum hunc haudquaquam abduxero quoquam.

Aderit Temeſſæus genius.

Strabo lib. Geographiæ 6. refert, Temeſſam ab Lao primam urbem eſſe Brutiæ, ipſius ætate dictam Templam: quam ab Auſonijs conditam, Thoantis comites Ætoli deinde tenuerint, atque his expulſis Brutij, demum Hannibal & Romani funditus everterint. Iuxta hanc ſacellum fuiſſe oleaſtris circumſeptum, Politæ cuidam ex Vlyſſis comitibus ſacrum. Hunc, quod eſſet à Barbaris violatus, graveis iras in eos exercuiſſe: adeo ut in proverbium abierit, dicerentq; cavendum, ne Temeſſæus genius immineret. Deinde Locrenſib. Epizephyreis urbe potitis, Euthymum quendam, ut inquit, Ælianus, ex Italia illuc veniſſe pugilem inclytum, & inſigni robore, qui & lapidem ingentis magnitudine geſtaverit, qui Locris oſtendi ſoleat. Hunc cum Polite congreſſum, ac victorem è certamine deceſſiſſe: atque ita finitimos hujus opera liberatos à tributo, quod ille conſueverat extorquere. Quin & compuliſſe illum, ut quod per vim abſtulerat, redderet etiam cum fœnore. Atq; hinc proverbium natum putant, iis qui ſordidos & injuſtos quæſtus faciunt, adfore Temeſſæum genium. quo ſignificabant, aliquando dependenda cum fœnore, quæ præter jus, & fraude ſeu vi rapuiſſent. Pauſanias in Eliacis paulo diverſius rem narrat, nempe comitem quendam Vlyſſis ob virginem cōſtupratam occiſum fuiſſe: atque ob id larvas ejus, niſi quotannis oblata virgine placarentur, graſſari ſolitas ac perniciem adferre omni ſexui atque ætati. Atque hunc quidem ejus loci genium vulgo fuiſſe creditum, quē Euthymus pugil Temeſſam reverſus compeſcuerit, virgine quam devorarant, liberata atque in matrimonium accepta. Apud Strab. mihi locus in codice Græco videtur non vacare menda. Sic enim legimus in editione Aldina, *ὥστε τοὺς περιοίκους δασμολογεῖν αὐτῷ κατὰ τὸ λόγιον καὶ παροιμίαν εἶναι πρὸς αὐτούς, μηδ' εἷς τὸν ἥρωα, τὸν ἐν Τεμέσῃ λέγεσθαι ἐπικεῖσθαι αὐτοῖς.* Fortaſſe tolerabilior erit lectio, ſi tolles conjunctionem *δὴ*, & pro *λέγεσθαι* reponas *λεγέσθω*. Cæterum cum Strabo recenſeat proverbium, priuſquam referat cohibitum heroem indicat potius in eos dici ſolitum, qui potentiorem ſe laceſſunt. Etiamſi nihil vetat, proverbium ad varios uſus accommodari.

Mala malis eveniunt.

Clytemneſtra objurgans Electram filiam, quod per eam traduceretur, ut viricida, viciſſim audit,

Αἰσχροῖς γὰρ αἰσχρὰ πράγματ' ἐκδιδάσκεται.

Id eſt,

E turpibus enim, facta turpia diſcimus.

Significans, quod filia de matre parum honeſte loqueretur, ei imputandam, quæ necando maritum, & filii necem moliendo, docuiſſet liberos odiſſe matrem: id paulo poſt dicit explanatius,

Τὰ δ' ἔργα τοὺς λόγους εὑρίσκεται.

Id eſt,

Porro ipſa facta, verba reperiunt ſua.

Scitum eſt illud Socratis, ut ſe quiſq; talem præſtaret re, qualis haberi cuperet. Fama enim è factis, velut è fonte naſcitur, è bonis bona, è malis mala proinde qui factis ignominioſis ſibi peperit ignominioſam famam, ne ſuccenſeat male loquentibus: ſed ſibi qui ora aperuerit populo: nec moliatur vindictam in maledicos, ſed benefactis rumorem fœdum abolere ſtudeat.

Salis onus unde venerat, illuc abiit.

Ἁλὸς δὲ φόρτος ἔνθεν ἦλθεν, ἔνθ' ἔβη.

Id eſt,

Sal abiit illuc, unde demanaverat.

Senarius proverbialis in eos, qui parta tueri nequeunt: aut in eos, quibus male parta male diſpereunt. Natum adagium ab eventu, Negociator quidam navem onuſtam ſale vehebat: nautis dormitantibus, influxu aquæ marinæ ſentina vehementer adaucta, & ſalem univerſum ſoluit ac corrupit, & navem ipſam demerſit: itaque quod ex aqua marina natum fuerat (nam hinc concreſcit ſal) in eandem denuo liquefactum eſt.

Ductus per Phratores canis.

Ἀγόμενος διὰ φρατέρων κύων, id eſt, Ductus per Phratores canis. Vbi quis inciderit in eos, quibus pœnas det. Canis enim apud hos protinus occiditur. Apud Athenienſes populus in trib. erat diſtributus: uniuſcujuſque tribus tertia pars *φρατρία* dicebatur: & huic præfectus, *φρατρίαρχος*. In comitiis igitur, ſi quis canis interſcurriſſet, continuo petebatur à populo.

Invitus Iupiter novit.

Ἄκων μὲν ὁ Ζεὺς οἶδε, i. Invitus quidem Iupiter novit. Vbi quis pollicetur quippiam, ſed invitus. In quibuſdam codicibus lego,

ἄκων μὲν ὡς Ζεὺς εἶδεν. id eſt Invitus tanquam Iupiter cognovit. Mihi videtur & recte quadraturum, ubi ſerius pœnas dant nocentes, ut affine ſit ei quod alibi referimus, Ζεὺς κατεῖδε χρόνιος εἰς τὰς διφθέρας. Etenim qui ſero dat, aut punit, gravatim id facere videtur.

Habet & muſca ſplenem.

Ἔχει καὶ ἡ μυῖα σπλῆνα. i. Habet & muſca ſplenem. Simillimum illi,
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.
Item illi ἔνεστι καὶ μύρμηκι χολὴ, id eſt, Ineſt & formicæ bilis. Olet fæcem.

In tergore bovis deſedit.

Ἐπὶ βύρσης καθίζεται, i. In tergore bovis deſedit, id eſt, ſupplex implorat auxilia. Natum adagium à conſuetudine vernacula Scythis, quemadmodũ teſtatur Lucianus in Toxaride. Nam apud hos ſi quis forte læſus eſſet, neq; ſuppeteret ulciſcendi facultas, immolato bove carnes minutim ſectas coquebat, ipſe in tergore humi ſtrato ſedebat, manibus in tergum reductis. Idque maximum ſupplicandi genus apud illos habebatur. Accedabat quicunq; vellet opitulari, & carnium portione guſtata, dextroq; pede tergori impoſito pollicebatur pro viribus auxilio futurum. Atque hoc fœdus apud Scythas ſanctiſſimum habebatur.

Ineſt & formicæ & ſerpho bilis.

Ἔνεστι κἀν μύρμηκι κἀν σέρφῳ χολή.
Id eſt,
Formicæ ineſt ſua bilis, & ſerpho ſua.

Admonet adagium, non eſſe contemnendum inimicum quempiam, nec ullum temere laceſſendum: quandoquidem nullum animal tam minutum aut imbecillum, quod iratum non excandeſcat ira. Quadrabit & in homunculos nullis præditos viribus: tamen vindictam molientes, ira (ut ſolet) animos ſuppeditante. Serphus minutulum animal, non diſſimile formicæ. Braſidas autore Plutarcho, cum manum in caricas temere miſiſſet, & à mure ibi forte fortuna latente morderetur: Papæ, inquit, ut nullum eſt animal tam puſillum, neque tam invalidum, quod laceſſitum, non cupiat ulciſci ſeſe.

Stultus, qui patre cæſo liberis pepercit.

Ariſtoteles lib. Rhet. 2. hoc adfert proverbii nomine, καὶ τὰς ἀποφθεγμάτων, ὅτι καὶ τὰς παροιμίας.
Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, παῖδας καταλείπει.
Ei qui ſuadeat occidere liberos, quorum patrem occideris, huic atteſtatur hoc proverbium: Stultus qui patre occiſo liberos relinquat. Refert idem poſtea inter ſententias: Fatuus qui occiſo patre liberis pepercit. Eſt autem verſus proverbialis,
Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας, υἱοὺς ὑπολείπει.
Id eſt,
Eſt fatuus, qui patre perempto pignora linquit.
Vſus eſt & Herodot. in Clione: ὅμοιον γάρ μοι νῦν φαίνομαι πεποιηκέναι, ὡς εἴ τις πατέρα ἀποκτείνας τῶν παίδων αὐτοῦ φείσαιτο. id eſt, Nam mihi nunc perinde feciſſe videor, ac ſi quis occiſo patre, liberis illius parcat. Hoc adagium uſurpaſſe ſcribitur Philippus Macedo, cum liberos etiam e medio tolleret, quorum parentes occiderat. Aut enim oportebat primum à parentibus occidendis abſtinere, aut filios item ſubmovere, paternæ necis ultores aliquando futuros. Fertur vox memorabilis militum, qui Maximum Imperatorẽ trucidarunt una cum filio: Ex peſſimo genere ne catulum quidem eſſe relinquendum. Huc pertinet Homericum illud ex Odyſſ. γ.
Ὡς ἀγαθὸν καὶ παῖδα καταφθιμένοιο λιπέσθαι
Ἀνδρός.———
Id eſt,
Vt bene habet cæſo prolem ſupereſſe parenti.
Erit hujus adagij uſus, quoties admonebimus, aut non eſſe provocandos homines: aut ita conficiendos, ne in poſterum reliquiæ nos exerceant.

Super te hæc omnia Leparge.

———Αὐτὰρ τοῖδε πάντα λέπαργε.
Id eſt,
———Super hæc te cuncta Leparge.
Hemiſtichium heroicum, dici ſolitum in eum, cui ne poſt laborẽ quidem exhauſtũ datur reſpirare. Tranſſumptum à bubus, quibus perfunctis jam agricolandi labore, laboris etiam reliquus eſt, ut aratrum, reliquaq; inſtrumenta domum referant. Ea ſolent imponi, qui ſit è duobus robuſtior: Taurum autem λέπαργον appellat, ob candorem pili. Videri poſſunt verba aſini ſub onere collabentis ad bovem: qui rogatus ut ſarcinæ partem reciperet, recuſavit: moxque deficiente aſino, coactus eſt totam ſarcinam unacum aſini pelle geſtare.

Nunc dii beati.

Νῦν θεοὶ μάκαρες. i. Nunc dii beati. Vox erat velut adgaudentis & adgratulantis, quoties nocentibus ſupplicium meritis dignum contigiſſet: perinde quaſi diis & jucundum & honeſtum ſit, ut ſcelerati dent pœnas: contra probroſum, ſi viris improbis res ſecundæ ſint, videlicet juxta ſententiam illam proverbialem,
Θεοῦ δ' ὄνειδος τοὺς κακοὺς εὐδαιμονεῖν.
Id eſt,
Probrum eſt Deo, ſi res malis ſint properæ.
Siquidem hinc alii collegerunt, nullos omnino deos eſſe.

Anus ſimia ſero quidem.

Γέρων πίθηκος ἁλίσκεται μὲν, κατὰ χρόνον δ' ἁλίσκεται, id eſt, Anus ſimia ſero quidem capitur, ſed tamen aliquando capitur. Vbi veterator aliquis, qui diu eluſerit, tandem dat pœnas. Valebit ad exhortandum, ut quiſque veris rationib. agat ſi velit eſſe tutus, ne fidat callidis quidem, ſed inhoneſtis conſiliis. Nullum enim tam inſtructum dolis, ut perpetuo fallat, ſed tandem caſus aliquis in apertum profert diſſimulatam malitiam.

Doli pœnam.

Vide ſuperius in loco, Calumnia.

Virum improbum vel mus mordeat.

———Κἂν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.
Id eſt,
———Sceleroſum mordeat & mus.
Hemiſtichium heroicum. quo ſignificatum eſt, quacunq; ratione vindictam non deeſſe malis, ſed eos aliquo pacto meritas dare pœnas. Competit & in eos, qui de re quantumvis frivola rixam movent, ſeque læſos queruntur, & offenſos ſimulant ne quid dent. Id quod nuper cuidam accidit apud Britannos, medico, mihi ut patria communi, ita & amicitia conjunctiſſimo. Libet enim obiter hanc fabulam inſerere. Civem quendam Londonienſem, virum egregie nummatum, & habitum deprime probum, arte curaque ſua liberarat, non ſine ſuo ipſius periculo. Nam is peſtilentiſſima febre tenebatur. Ei, ut fit in periculis, medico montes aureos fuerat pollicitus, ſi nõ gravaretur ſibi, in tanto vitæ diſcrimine, dexter adeſſe, obteſtatus & amicitiam, quæ illi cum eo intercedebat. Quid multis? perſuaſit & juveni, & Germano: Adfuit: nihil nõ fecit. Revixit ille. Vbi verecunde de pecunia medicus admonuiſſet, eluſit nugator, negans de mercede quicquam addubitandum, cæterum arcæ nummariæ clavem penes uxorem eſſe. Et noſti, inquit, mulierum ingenium Nolo ſentiat tantam pecuniæ ſummam à me datam. Deinde poſt dies aliquot hominem obvium forte factum, jam nitidum, & nulla morbi veſtigia præſeferentem, appellavit, & nondum datæ mercedis admonuit. Ille conſtanter aſſeverare, pecuniã ſuo juſſu ab uxore numeratam eſſe. Medicum negare factum. Hic vide quam anſam bonus ille vir arripuerit. cum forte medicus eum Latine numero ſingulari appellaſſet, ibi velut atroci laceſſitus injuria: Vah, inquit, homo Germanus tuiſſis Anglum? moxque velut impos animi, præ iracundia caput movens, diraque minitans, ſubduxit ſeſe. Atq; ad eum modum honeſtus ille civis eluſit, dignus profecto quem ſua peſtis repetat. Riſimus quidem fabulam, nec tamen ſine dolore, propter indigne fruſtratũ amicum, nec ſine tã inſignis ingratitudinis admiratione. Referunt gratiam leones in periculis adjuti, meminerunt officij dracones. homo homini, amicus amico ſic merito, pro mercede, quæ nulla ſatis digna rependi poterat, ludibrium reponit. Atq; hæc in facti deteſtationem diximus, non gentis odium. Nec enim par eſt, ex hoc uno nebulone Britannos omneis æſtimari. Refertur adagium inter Græca Epigrammata.
Φασὶ παροιμιακῶς, κἂν μῦς δάκοι ἄνδρα πονηρόν.
Id eſt,
Vulgo ajunt, vel murem etiam mordere ſceleſtum.
At is quiſquis eſt (nam incertus autor) invertit proverbium, dicens bonos viros vel à mure morderi, malis ne draconem quidem audere dentes admoliri, hoc eſt, inſontibus paſſim noceri, propterea quod ii impune lædi poſſe videantur, utpote nõ relaturi injuriam.

Vel capra mordeat nocentem.

Κἂν αἲξ δάκοι ἄνδρα πονηρόν.
Id eſt,
Mordebit vel capra nocentem.
Ita reperitur in collectaneis Diogeniani. Senſus nihil diſcrepat à proximo. Nam capra minime alioqui mordax eſt, niſi quod improbis omnia ſunt infeſta. Suidas indicat orthographiam, cum enim ad corpus refertur, hoc eſt, cum ſignificat hominem afflictum ac miſerum, vult primam acui, πόνηρος, unde & πονήρως ἔχειν dicuntur, quibus res ſunt adverſæ & Ariſtophanes in Pluto:
Πονηρούς γ' ἄρα ἡμῖν ξυμμάχους.
Id eſt,
Auxilia nobis miſera ſane prædicas.
Cum ad animum, ultimam acui πονηρός, id eſt, improbus, & πονηρῶς improbe. Nam cum dicimus, πονηροῦ χρήματος, καὶ πονηρὸν ὕδωρ, quod hominis eſt, ad rem inanimam transferimus: quemadmodum frigus ſceleratum, & fallaces divitias dicimus.

In me hæc cudetur faba.

Terentius in Eunucho, At enim iſthæc in me cudetur faba: hoc eſt, Donato interprete, In me malum hoc recidet, in me hæc vindicabitur culpa. Translatum vel à faba, quæ cum ſiliquis exuitur ac batuitur, aut fuſtibus intertunditur. ita ut fit in areis more ruſticorum, non ipſa perinde laborat, ſed id demum in quo cuditur. Alii malunt ad male coctam fabam referre: quæ ſi quando non maduerit, ſed dura permanſerit, ab irato heris ſupra coqui caput ſaxo nonnunquam comminui conſuevit, tanquam fabam ulciſcentibus, non coquum, cum univerſum interim malum ad coquum perveniat.

Ob textoris erratum.

Ὑφάντου πταίσαντος, ὑπέτης ἐτύφθη, Id eſt, ob textoris erratum, hypetes vapulavit, cum quod hic peccavit, alius dependit. Quid ſit hypetes, nondum apud auctores repperi.

Æſopicus ſanguis.

Αἰσώπειον αἷμα, id eſt, Æſopicus ſanguis. Delphi Æſopum quendam nihil commeritum interemerunt: eamque ob cauſam iratum numen dira illis vaticinabatur. Sunt qui putent hunc Æſopum eſſe cujus nomine feruntur Apologi. Traduntque hujuſmodi quædam ſuper illius interitu, tametſi fabulis quam vero propiora. Cum Delphos profectus gentis illius iram in ſe convitiis & contumelioſis apologis concitaſſet, Delphi ſacra phiala in hujus peram clanculum impoſita, Phocidem conſecuti, comprehenſum ſacrilegii damnârunt, obreſtantemq; ac dira imprecantem præcipitârunt. Mox oborta peſtilentia, conſultum oraculum, admonuit ut Æſopi manes placarentur. Itaque Delphi monumentum Æſopo conſtituerunt. Cæterum Græciæ principes & eruditi, ſimulatq; cognoviſſent indignam Æſopi mortem, Æſopicum ſanguinem ulti ſunt, ſublatis iis qui fuerant mortis autores. Vnde dici ſolitum, aut ubi quis præter meritum acerba pateretur, aut ubi propter læſam innocentiam irati ſuperi pœnam immittere viderétur. Meminit hujus hiſtoriæ Plutarchus in commentario, cui titulus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων. Nempe Æſopum multum auri vim accepiſſe a Crœſo, uti Delphis ſplendide ſacrificarent, & Delphorum ſingulis quatuor minas diſtribueret. Verum cum incidiſſet illi neſcio quid diſſidii cum Delphis, ſacrum quidem fecit, cæterum pecuniam quam acceperat diſtribuendam, Sardis miſit, Delphos indignos judicans eo beneficio. Quamobrem irati, ſacrilegii condemnatum præcipitârunt è rupe, quam Hiampejam vocant. Eo facto deus indicavit, terræ ſterilitatem, & morborum prodigiorum vim inſtare. Proinde territi Delphi, in publicis Græciæ conventibus aſſidue per præconem clamabant, ſi quis eſſet qui pœnas Æſopi nomine de ſe vellet ſumere. Tandem tertia generatione Samius Idmon advenit, nihil adfinis Æſopo, ſed nepos eorum qui Æſopum Sami emerant: huic cum pœnas quaſdam dediſſent, malis levati ſunt. Indicat eodem in loco Plutarchus dici ſolere, quoties ſero pœna datur.

Auriculam mordicus.

Et hodie vulgus illiteratum quam impotentem inimicitiam ſignificant, impatientemque vindictæ cupiditatem ajunt: Vel auriculam illi lubens mordicus amputaſſem. M. Tullius ad Qu. fratr. Epiſt. libro tertio. Ad inimicitias res veniſſet, ſi cum Eſernino Samnite Pacideianus comparatus videretur: auriculâ fortaſſe mordicus abſtuliſſet: cum Clodio quidem certe rediiſſet in gratiam. Hæc M. Tullius. Aptius dicetur in hominem qui quantum vis indignetur, magis cupiat quam poſſit lædere. Mulierum enim ac puerorū eſt, auriculam mordicus arripere. De Eſernino ſive Eſernino & Pacidiano, nobis alibi dictum eſt ex autoritate Flacci.

Qui prior læſit.

In eodē libro epiſt. Subito quum mihi dixiſſet, &c. uſurpat verſum Homericum, minitans vindictam ei qui prior laceſſeret: Nam nos quidem, inquit, ſi per iſtum tuum ſodalem Publium licebit, φιλοσοφοῦντες cogitamus. Si ille cogitat tantum duntaxat nos offendere, & quod proprium eſt artis hujus ἐπαγγέλλομαι.

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Id eſt,

Vlturum me hominem quiſquis prior irritarit.

Sortem & uſuram perſolvere.

Καὶ τὸν τόκον καὶ τὸ κεφάλαιον ἐκτίνειν dicuntur, qui ſerius quidem, ſed gravius puniuntur: aut qui differunt vindictam, ut per occaſionem lædant gravius. Nam prorogatione creſcit uſura. Dion libello περὶ τῆς ἀπιστίας, ὥσπερ τὰ θηρία πολλάκις ἠρεμεῖ κοιμώμενα ἢ μὴ πεπληρωμένα, τὴν μὲν φύσιν οὐκ ἀποβέβληκε τὴν αὐτῶν [illegible] συμβάντος ἀναφαίνεται, καὶ τόν τε φασὶ καὶ τὸ κεφάλαιον, τὰς πονηρίας ἐκτίνουσι. i. Quemadmodum noxiæ beſtiæ ſæpenumero quiete agunt, ſive quum dormiunt, ſive quum cibo expletæ ſunt, quanquā naturam interim ſuā non exuerunt: ſimiliter & illi ad tempus aliquod non lædunt, at ubi ſe dederit occaſio, & uſuram ut ajunt, & ſortem malitiæ perſolvunt.

Deus ulciſcetur.

Cum ſignificabimus nobis in præſentia deeſſe facultatem depellendi, verum optare ut ſuperi puniant aliquando, uti fuerit illud ex eodem libro:

——Ἐγὼ δὲ θεοὺς ἐπιβώσομαι αἰὲν ἐόντας,
Αἴ κέ ποθι Ζεὺς δῷσι παλίντιτα ἔργα γενέσθαι.

Id eſt,

Aſt equidem immortales implora vero divos.
Si fors Jupiter ipſe vices aliquando reponat.

Flagitiorum turpis exitus.

Cum res perperam inſtituta, male cedit, conveniet illud ex eodem libro:

——Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα

Id eſt,

Haud bene ſuccedunt facta improba.——

Dictum eſt de Martis adulterio deprehenſo.

Male parta, male dilabuntur.

Reſpondet ſuperiori ſententiæ, quod eſt in ſecunda Ciceronis Philippica: Sed ut eſt, inquit, apud poetam neſcio quem, Male parta, male dilabuntur. Quod autem de autore dubitat Tullius, eſt apud Plautum in Pœnulo: Male partum, male diſperit. Feſtus Pompejus ex Nevio citat: Male parta, male dilabuntur.

Mala proditio.

Κακὴ προδοσία, id eſt, Mala proditio. Vbi quis pactam mercedem non accipit, cum turpem præſtiterit conditionem. Natum ab hiſtoria quapiam, quam tamen non indicabit interpretes. Notum eſt illud dictum: Proditionem laudo, proditorem nō laudo. Quum igitur per ſe res inhoneſta ſit proditio, tamen nonnunquam utilis eſt, & ei in cujus gratiam ſit, & ei qui facit. Cæterum ubi non ſuccedit, aut ubi proditor fraudatur ſuo præmio, κακὴ προδοσία dicitur. Refertur a Diogeniano.

Malis ter mala.

Τοῖς κακοῖς τρὶς κακά, id eſt, Malis ter mala hoc eſt, digna dignis eveniunt. Hanc parœmiam ajunt ab hujuſmodi quadam fabula profectam. Narrant attagines aves cum primum è Lydia in Ægyptum eſſent deportatæ, atque in ſylvas dimiſſæ, coturnicis vocem ædidiſſe: deinde evenit, ut deſiccato Nili fluminis alveo peſtilentia regionem Ægyptiorum infeſtaret, magnamque hominum vim abſumeret. Inter hæc, attagines vocem ædere cœperunt humanam & articulatam, aliquanto majorem puerili, dicentes hæc verba, τοῖς κακοῖς τρὶς κακά. id eſt, malis ter mala. Atque hujus quidem fabulæ autorem citat Athenæus libro nono. Socratem in opere De finibus, ſic efferens adagium: τρὶς τοῖς κακούργοις κακά. Circumfertur inter Græcas ſententias & hic verſus,

Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ ἐσθλὰ καὶ διδοῖ θεός.

Id eſt,

Viro bono bona largiuntur cœlites.

Referuntur & hi ſenarii ex poeta quopiam, in Commentariis De audiendis poetis.

Εἰ γὰρ μέλλοι γε τῶν κακῶν βουλευμάτων
Κακὰς ἀμοιβὰς ἔστι καρποῦσθαι βροτοῖς.

Id eſt,

Conſilia ſi quis deſtinarit improba,
Huic neceſſe eſt, præmium ferre improbum.

Miſeram meſſem metere.

Malam metere meſſem, eſt pro malefactis luere pœnas. Non admodum abhorret ab eo, quod alibi retulimus: Vt ſementem feceris, ita & metes. Stobæus hoc carmen citat ex Euripidis Ione:

Καὶ νῦν φιλάργυροι ἀνόσιοι τιμὰς βροτοί.
Καὶ κτᾶσθε πλοῦτον πάντοθεν θηρώμενοι,
Σύμμικτ' ἄμη δίκαια καὶ δίκαι' ὁμοῦ,
Ἔπειτ' ἀμᾶσθε τῶνδε δύστηνον θέρος.

Id eſt,

At nunc honores ò ſceleſti accerſitis.
Et opes paratis aucupantes undique
Promiſcue per fas nefaſque. poſtea
Meſſem metitis ob iſta triſtem & aſperam,

Æſchylus in Perſis:

Ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
Ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

Id eſt,

Florens enim ſpicam tulit ferocia
Noxæ, unde prorſum flebilem meſſem metit.

Plato in Phædro, ποῖόν τινα οἴει μετὰ ταῦτα τὴν ῥητορικὴν καρπὸν ὧν ἔσπειρε θερίζειν, id eſt, Quēnam putas poſtea rhetorice meſſem meſſura eſt, quam ſeminavit? Ariſtoteles Rhetoricorum tertio, citat ex Gorgia, σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας, id eſt, Tu quidem hæc turpiter ſeminaſti, & miſere meſſuiſti.

Canis ſæviens in lapidem.

Κύων ὁ τὸν λίθον ἀγανακτοῦσα, id eſt, Canis indignans in lapidem. Competit in eos, qui mali ſui cauſam imputant, non ipſi autori ſed alteri cuipiam. Velut ſi quis iracundiæ vitium juventæ, non ſtultitiæ attribueret, unde proficiſcitur. Plato lib. de Rep. v. damnans eos qui cæſorum cadavera deſpoliant, ait hæc perinde facere, ut ſolent canes ſævientes in lapidem, eo qui jecit omiſſo. Pacuvius apud Nonium in armorum judicio: Nam canis cum eſt percuſſus lapide, non tam petit illum qui ſe jecit, quam eum ipſum lapidem quo ictus eſt petit.

Canis peccatum ſus dependit.

Τὸ κυνὸς κακὸν, ἡ ὗς ἀπέτισεν, id eſt, Canis malum ſus dependit. Quoties pro iis quæ peccavit alius, alius dat pœnas. Ex quonam eventu natum ſit, non liquet, nec admodum refert. Sapit enim vulgus.

Fortis in alium fortiorem incidit.

Ἐσθλὸς ἐὼν ἄλλου κρείττονος ἀντέτυχεν.

Id eſt,

Id eſt,

Forti alius potior contigit ac melior.

Dici ſolitum, ubi quis nimium fretus ſuis viribus, aliquando nanciſcitur, à quo vincatur. Sumptum putant ab Hyllo Herculis filio, & Euchemo Algeate. Ita Zenodotus. Suidas hujuſmodi verba recenſet, tacito autoris nomine. ἔστι δ' ὅτε καὶ συμβαίνει ἐν ταῖς ἐπιβολαῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐστιν ὅτε πάλιν κατὰ τὴν παροιμίαν,

Ἐσθλὸς ἐὼν ἄλλου κρείττονος ἀντέτυχεν.

id eſt: Fit nonnunquam, ut juxta proverbium, ipſa per ſe res, bonorum virorum conatibus obſiſtat. Fit rurſus interdum,

Forti ut contingat fortior ac melior.

Sententia poteſt videri ducta ex Iliados χ. ubi Hector incidit in Achillem:

Πρόσθε μὲν ἐσθλὸς ἔφευγε, δίωκε δέ μιν μέγ' ἀμείνων.

Id eſt,

Fugit qui prius acer erat, cui jam acrior inſtat.

Ne ſpina quidem vulnerabit bonos.

Μηδ' ἄκανθα ἀμύξῃ τοὺς ἀγαθούς, id eſt, Ne ſpina quidem vulnerabit bonos. Nemo moleſtus fuerit innocenti. Nam ſpina natura pungit quemlibet. Sed ubique tuta eſt innocentia vitæque integritas.

Sui cuique mores fingunt fortunam.

Cornelius Nepos in vita Pomponii Attici: Itaque hic fecit, ut vere dictum videatur: Sui cuiq; mores fingunt fortunam. Et paulo poſt in eodem opere: Supra ſignificavimus, ſuos cuique mores plerunque conciliare fortunam. E medio videtur ſumpta ſententia. Nam plerunq; videmus mala malis evenire, digna dignis, idq; vulgo dictitant. Malus malũ reperit: & κακοῖς τοῖς κακά, id eſt, Malis cet mala. Atteſtatur & verſiculus proverbialis:

Ἐσθλῷ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἐσθλὰ καὶ δίδωσι θεός.

Id eſt,

Viro bono fortuna ſuppeditat bona.

Item Menander, citante Plutarcho:

Ὁ νοῦς γὰρ ἡμῶν ὁ θεός.

Id eſt,

Nobis enim animus eſt Deus.

Et apud eundem Heraclitus, ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων. Id eſt: Mores hominis deus ſive fortuna. Eodem pertinet quod Alcmao ſcripſit, fortunam eſſe ſororem εὐνομίας πειθοῦς καὶ προμηθείας: id eſt, Rectæ inſtitutionis, perſuaſionis & providentiæ: ut refert Plutarchus in commentario, De fortuna Romanorum. Plautus in Trinummo: Sapiens ipſe ſibi fingit fortunam. T. Livius Decadis quartæ libro primo, de M. Portio Catone ita prædicat: In hoc viro tãta vis animi ingeniique fuit, ut quocunque loco natus eſſet, fortunam ſibi ipſe facturus videretur. Pacatus in Panegyrico: Sua, inquit, cuique prudentia deus. Fulgentius in commentariis Vergilianis citat ex Teleſiaco Carneadis: Omnis fortuna in ſenſu ſapientis habitat. Opinor idem eſſe quod adducit M. Tullius Paradoxo quinto, ex poeta neſcio quo. Tametſi locus is habetur mendoſus, arbitror emendandum ad hunc modum: Cui quidem etiam quæ vim habet maximam, fortuna ipſe cedit. & ſicut ſapiens poeta dixit, Suis cuique moribus fingitur. Sentit enim fortunam fingi cuique ſuis moribus.

Fumantem naſum urſi ne tentaveris.

Proverbii ſpeciem habet & illud apud Martialem:

——Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum vivi tentaveris urſi:
Sit placidus licet, & lambat digitoſque manuſque,
Si dolor & bilis, ſi juſta coegerit ira,
Vrſus erit, vacua dentes in pelle fatiges.

Admonet, non eſſe tentandos, qui poſſint nocere. Conſimili modo Syneſius in Encomio Calvitii ſcripſit, Canem naribus prendere: pro eo quod eſt, provocare mordacem & nociturum. Hac parte corporis icta potiſſimum urſos irritari docent beſtiarii.

Vindicta tarda, ſed gravis.

Vbi qui diu multa patravit impune, tandem in extremum malum adducitur, ſemelque dependit ſuperiora flagitia; congruet illud ex eodem libro:

Νῦν δ' ἀθρόα πάντ' ἀποτίσεις.

Id eſt,

——Nunc cuncta lues ſemel adglomerata.

Verba ſunt Achillis ad Hectorem.

Vitandæ potentum offenſæ.

Quid dicet formidandas divitum & principum offenſas (propterea quod quantumlibet leviter offenſi, graviter indignantur, &, ut ait Plautus, Plumbeas iras gerunt) accommodabit illud ex eodem libro:

——χαλεποὶ δέ τ' ἀνάκτων εἰσὶν ὁμοκλαί.

Id eſt,

Sunt formidandæ regum offenſæque minæque.

Aratro jacularis.

Vide locum, Abſurda.

Dulce pomum, cum abeſt cuſtos.

Γλυκεῖ' ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος.

Id eſt,

Cuſtos ubi deeſt, dulce pomum eſt ſcilicet.

Senarius eſt proverbialis, quo licebit uti, cum ſignificabimus impunitate malos ad peccandum provocari. Sumpta metaphora à pueris & adoleſcentibus, qui ſibi non temperant, quo minus furentur poma, ſi ſenſerint abeſſe cuſtodem. Vtitur Plutarchus in libello quem inſcripſit, ἐρωτικός, in philoſophos, qui ſub prætextu philoſophiæ, libidini ſuæ ſerviunt: πρόφασις ἦν φιλία καὶ ἀρετή, κονίεται δὲ καὶ ψυχρολουτεῖ καὶ τὰς ὀφρῦς αἴρει, καὶ φιλοσοφεῖν φησι καὶ σωφρονεῖν ἔξω διὰ τὸν νόμον, νύκτωρ δὲ καὶ καθ' ἡσυχίαν.

Γλυκεῖ' ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος.

Id eſt,

Igitur occaſio amicitia ac virtus eſt. Sordidatur autem pulvere, frigidaque lavat, attollit ſupercilium, philoſophari ſe prædicat, & foris ſobrius eſt ob legem, deinde noctu clanculum,

Pomum ſuave eſt, tunc ubi cuſtos abeſt.

Extat in proverbiis Hebræorum: Aquæ furtivæ dulciores ſunt. Et Pindarus in Iſthmiis hymno vj. τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκὺ πικροτάτα μένει τελευτά, id eſt, Id quod præter honeſtum dulce eſt, manet finis amariſſimus.

Sero molunt deorum molæ.

Plutarchus in commentario cui titulus, περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ θείου βραδέως τιμωρουμένων οὐχ ὁρῶ τί χρήσιμον ἔνεστι τοῖς ὀψὲ δὴ τούτοις ἀλέουσι λεγομένοις μύλοις τῶν θεῶν, id eſt: itaque non video quidnam utilitatis inſit, iſtis deorum molis quæ ſero dicuntur molere. Cæterum ex his, quæ præcedunt eodem loco, colligere licet dici ſolitum de his, qui licet ſerius, tamen aliquando pœnas dant malefactorum, vindici Deo.

IVNII. Dium vides.

Ὁρᾷς τὸ δῖον οὗ βέλος διέπτατο.

Id eſt,

Divum vides, cujus tranſmiſit jaculum.

Cujus ſenſus eſt iſte: Vides ob oculos velut exemplum quoddam Dium, de ſe vindictam ſumens. Senarius proverbialis vulgo celebratus, cujus uſus eſt longe elegantiſſimus, ὅταν τοῖς ὁμοίοις τὴν πρότερον ὕβριν ἀμυνώμεθα, quum talionem referimus, aut refricata malorum perpetratorum memoria, mentionem juſtæ vindictæ ingerimus, verbi gratia, ſi injuriam bello illatam a Gallis occupato perfidioſe oppido, hoſtes viciſſim reponant capta adverſæ partis urbe aut ditione. Natum ab hiſtoria quam perſtringit Polybius hiſtoricus libro quinto. Ætoli nefario bello depopulati fuerant Jovis Dodonæi templum & Dium, quod eſt, Stephano teſte, Macedoniæ oppidum, Olympiaco certamine celebre. Hanc illorum impietatem pari talione ulti fuerunt Macedones. Philippum regem co inſtigante Arato, capta hoſtili, terque direpta copioſiſſima ditiſſimaq; & Ætolorum nundinis ac mercatu celeberrima urbe Thermo, inſcripto oppidi muris elogio prioris injuriæ exprobratorio:

Ὁρᾷς τὸ δῖον οὗ βέλος διέπτατο.

Id eſt:

Dion vides, telo volantem vindice.

Quo dicterio maleficii, imo ſacrilegii, memoriam partim illis regeſſerunt, atque ob oculos poſuerunt, partim poſteritati conſignarunt. Perottus interpres re non perpenſa male convertit verſiculum ita:

Vides numen cujus jaculum volaverit?
Aranea prolem neſcit ut ſuam educet.
Quas namque eduxit, mortis illi cauſa ſunt.

Non propter pedis cum lyra diſſidium.

Refertur in Suidæ collectaneis proverbium in eos, qui aliam ob cauſam puniuntur, aut mulcta afficiuntur, quam ipſi exiſtiment, ἀλλ' οὐ διὰ τὴν ἐν τῷ ποδὶ πρὸς τὴν λύραν ἁμαρτίαν. id eſt: At non propterea quod pes lyræ haud reſponderit, aut ſi ita mavis, Non propter pedis à lyra diſſenſum. Vſus eſt Plutarchus in libro De inutili verecundia, καί τοι οὐ διὰ τὴν τοῦ ποδὸς πρὸς τὴν λύραν ἀμετρίαν, ὡς Πλάτων ἔλεγε, ἀλλὰ διὰ τὴν περὶ τὰ νόμιμα καὶ δίκαια πλημμέλειαν, id eſt, Tametſi non propter pedis a lyra diſcordiam, ut Plato ajebat, ſed propterea quod in legum obſervatione & æquitate peccetur. Illud vero obſervandum eſt diſcrimen eſſe in lectione, ſed exiguum, inter ἁμαρτίας errorem, & ἀμετρίας immoderationem, quando videlicet rhythmi & modulati pulſus modum non obſervant & legem ſuam.

BRASSICANI. Saga ſumere.

Saga ſumere, ſaga parare, ad ſaga ire, dixit Cicero in vj. Philippica, & in aliis compluribus locis: pro eo quod eſt, ſeſe ad certamen accingere. Vſus eſt & Vellejus Paterculus lib. ij. Vtque ad ſaga iretur. Hoc eſt, ut omnes ſeſe ad bellum pararent.

IOANNIS VLPII.

Pauca male parta, multa bene comparata perdunt.

Multum affinis hæc Chryſoſtomi ſententia Plautinæ eſt:

Male partum male diſperit.

COGNATI. Sub unum Myconum.

In Mycono ex Cycladibus una ſepultos eſſe ajunt Gigantum excellen-

excellentiſſimos, ab Hercule interfectos. Vnde dicitur de iis qui una ſententia condemnantur, ὑπὸ μίαν ψῆφον, id eſt, Omnes ſub unam noxam, aut condemnationem.

Σκυρία δίκη.

Affecti exilio apud Athenienſes in Lembum fugiebant, aut Scyrum. Veteri adagio σκυρία δίκη, de acri rigidoque judicio. Artemidorus à Theſeo dictum tradit, quo capite poſtulatus aufugit in Scyrum, ubi ſacris initiatus eſt.

De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Vſurpatur frequenter hic verſus, quoties injuſtæ acquiſitionis fit mentio: quam qui exercent, ita divinitus puniuntur ut familiæ eorum peſſum eant, & opes eorum non diu permaneant, & hoc cito fiat, ut hæres non poſſit diu frui opibus injuſtæ partis. Male enim partum, male diſperit. Injuſte autem parantur divitiæ, aut per vim, quæ manibus vel aperte vel clam exercetur: aut per fraudes dolos & varias circumventiones, quæ ore & lingua fiunt. Petrus Bunellus in quadam epiſtola, Jacobo Fabro ſcripta: Sed quis ſcit, inquit, an longe æquius ſit rem malis artibus quæſitam, ab hærede conviviis & aliis diſſipari? Ita patris improbitatem, liberorum corruptiſſimi mores ulciſcentur. Seneca De brevitate vitæ, capite decimoſeptimo dicit, quod fortuito obvenit, inſtabile eſſe. Id quod etiam apud Gallos in proverbium ceſſit. Vide adagium, Summis negatum ſtare. Fieri enim nequit, injuriis, perjuriis & mendaciis ut firmum imperium comparetur, ſed talia ſemel, brevique tempore durant, ut inquit Demoſth. Olynth. ij. Ad hoc quoque alludit Euripides in Electra, actu iiij. in antitheſi bonorum ingenii & opum, ubi Electra ait:

> Ὁ δ' ὄλβος ἄδικος καὶ μετὰ σκαιῶν ξυνών.
> Ἐξέπτατ' οἴκων, σμικρὸν ἀνθήσας χρόνον.

Id eſt;

> Opulentia autem injuſta, & cum pravis commorans,
> Evolat ex ædibus, exiguo ubi floruerit tempore.

At ſi male parta, male dilabuntur, miſerrimumque ut ſortiantur finem digni ſunt, qui ſummis ſceleribus divitias parant: jam videor videre quoſdam noſtri ſeculi, qui rempubl. tectis rapinis diſcerpunt, pauperesque fœnore & fraudibus deglubunt, opibus ac re domeſtica exutos, infortuniis, extremiſque undique appeti miſeriis, ut non amplius per invidioſam temeritatem ſuperbiant, præque ſeipſis, licet ſordidis & infamibus reliquos omnes ſordeſcere & vileſcere dictitent: ſed cunctis ſupplices, ſtipem emendicando cogant: vel ad ſupplicium ducti, eorum quos lædunt laniantque, iras exaturent. Sequuntur huic non diſſimilia, aliquot; Aquilæ pennæ: &, Ovinis pellibus junctæ lupinæ. Id nullius in bonis eſt, quod divini juris. (Conſule ſup. Male parta, male dilabuntur.)

Dii lenti, ſed certi vindices.

Idem Seneca libro decimo, Declam in principio: Sunt dii immortales lenti quidem, ſed certi vindices generis humani. Ad id alludit Valerius Maximus, libro primo de neglecta religione & Dionyſio Syracuſano: Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat. Tibullus libro primo eleg. ix:

> Ah miſer, & ſi quis primo perjuria cælat,
> Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Affine eſt proverbii iſtis, Dii laneos pedes habent: &, Tacito pede: de quibus Eraſmus. Iis utimur, quandocunque ſignificamus Deum μακρόθυμον, id eſt, patientem & longanimum, qui tamen aliquando etiam juſtæ iræ debitam ſeveritatem exercet. Dieu punit tout, quand il luy plait. Horat. lib. iij. Carmin. ode. ij.

> Raro antecedentem ſceleſtum
> Deſeruit pede pœna claudo.

Eo quoque reſpicit Lucan. lib. vij.

> ——Quis enim læſos impune putaret
> Eſſe deos? ſervat nullos fortuna nocentes,
> Et tantum miſeris iraſci numina poſſunt.

Vide Plutarchi librum De ſera numinis vindicta.

Imbecilla etiam ſe lædi putant, ſi tangantur.

Natura in primis ita comparatum eſt, ut animalia quæque ſibi quantum fieri poteſt, ſemper conſulant, tum ſalutem ſuam tuendo, tum etiam mortem perniciemque devitando. Hinc Seneca lib. ſecundo de ira, capite vigeſimoquarto. Mures formicæque ſi manum admoveris, ora convertunt. Imbecilla enim ſe lædi putant, ſi tangantur. Huic ſimillima Eraſmus noſter aliquot annotavit: Muſca ſplenem habet. Formicæ ineſt bilis: &, Pueri naſum Rhinocerotis habent. Braſidas cum manum in Caricas temere miſiſſet, & à mure inibi fortuna latente morderetur: Papæ inquit, ut nullum eſt animal tam puſillum & invalidum, quod irritatum non excandeſcat ira, ac non cupiat ulciſci ſeſe. Aliud eſt exemplum de quodam puero: qui quum Ageſilao vidente murem captum è cavo protraheret, muſq; converſus momordiſſet tenentis manum, atq; effugiſſet, Ageſilaus dixit: Minimum animalculum ulciſcitur eos à quibus læditur, Adagium hoc ac exempla valent, ne quis quamlibet potens, injuria provocet infirmiorem, Fit enim ſæpe numero, ut qui, ſicut ait Flaccus,

> ——Fragili quærit illidere dentem,
> Infringet ſolido.——

Anyti, & Meliti.

Quomodo ſcite uti poſſimus veluti proverbio, Anyti & Meliti; Lucianus in Demonacte commonſtrat. Vnde, inquit, factum eſt, ut nonnulli quoque adverſus illum inſurgerent, Anyti & Meliti, ea ipſa in Demonacte accuſantes, quæ prius in accuſando Socrate per illos in crimen vocata fuerant? nempe quod nunquam viſus ſit ſacrificans; quodque ſolus omnium nunquam ſit Eleuſiniis initiatus. Socrates autem cum omnem virtutis laudem in actione poneret, Athenienſem populum ad honeſtæ vitæ rationem animare nunquam deſinebat, cunctorum vitia inſectari, & bonos quoad liceret cives facere, qua ex re, cum multorum, & quidem potentum in ſe conflaſſet invidiam (veritas enim odium parit) in primis vero Anyti locupletis & factioſi hominis inimicitiam contraxit. qui cum Socratis morſus ferre nequiret, Ariſtophanem doctum quidem comicum, ſed hominem parum probum induxit, qui comœdiam, cui titulus eſt, Nebulæ, ſcripſit, & agendam in ſcena ſpectandamque curavit, in ea & alia complura in Socratem, & illud finxit: Socratem nebulas colere, & Athenienſium religioni detrectare. Ea res cum univerſum populum à Socrate avertiſſet, auribus ab ipſa adhuc recitatione calentibus, poſtridie Socrates in judicium vocatur, accuſatores apponuntur Anytus dives, Melitus Larii filius Athenienſis, Tragicus poeta, Lycon orator. Polycrates autem Sophiſta accuſationem ſcripſit: quam ad judices Polyeuctus habuit. Capita accuſationis ex ipſa oratione licet adhuc cognoſcere, quæ ſunt ejuſmodi: Iura violantur a Socrate, cum quia minime deos exiſtimat, quos a civitate coli videt, pœna mors eſto. Surrexerat ad Socratis defenſionem Plato, ſed reclamatione populi & judicum circumfuſus conticuit. itaq; multitudinis invidia & furore venenum cicutæ bibere juſſus Socrates; in carcere occubuit. Ejus poſt mortem, ut ait ille:

> Sciditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Maxima pars Socratem ſanctitate & omni virtutis genere venerabilem luget, publicus mœror inclinatur, clauduntur officinæ, deſeruntur gymnaſia, deſtituuntur theatra, fit in urbe juſtitium, fit in accuſatores impetus quorum cum alii exilio turpique fuga ſalutem ſibi quæſiviſſent, Melitus deprehenſus lapidibus obruitur, ut ſcribit Suidas: ut vero Laertius, & alii; ultimo ſupplicio afficitur. Anytus cum Heracleam fugiſſet, ab Heracleenſibus turpiter pulſus, ejus bona fiſco addicta, Socrati ærea ſtatua, Lyſippi opus, poſita pro vita, quæ ſempiternam eius memoriam propagaret. Cic. j: Orator, & j. Tuſculana, de morte Socratis. Plin. libro ſeptimo. Auguſtin. libro octavo, De civitate Dei, capite primo, Guarinus Veronenſ. in vita Platonis. Iuvenalis ſaty. xi.j. Perſ. ſat iiij. Verum in primis vide Platonem, Plutarch. in Vitis. Xenophontem in apologia pro Socrate, Max. Tyrium ſermone xxxix. Apuleium aureí aſini libro decimo. Tertull. in Apologet. c. xiiij. Laert. Socrate, Quintilian. lib. ij. & xj. Cic. iij. De natura deorum. Socrati morti illacrymari ſoleo, Platonem legens.

Literam longam facere.

Scitum hoc videri adagium poteſt, inquit Ludovic. Cælius Rhodig. Lectionum antiq. libro decimo, capite octavo, & apertum ſatis, in eos qui præpollere cœ nominatur, præcluſo (ut inquit Plin.) ſpiritu, cui quæreretur exitus. Sic autem Staphyla anus, avari Euclionis ancilla, ad deſperationem adacta heri verberibus & conviciis, de ſuſpendenda ſe deliberat, atque apud Plautum in Aulularia.

> ——Neque quicquam melius eſt mihi,
> Vt opinor, quam ex me ut unam faciam literam
> Longam, meum laqueo collum quando obſtrinxero.

Literam longam ταῦ, dici vult Cælius, non L. Quoniam qui pendet, inquit, eam plane reddit imaginem, ſuſpendioſi defuncto obtinente vicem lineæ ex ſuperiori parte in imam productæ. Trabes vero unde laqueus deſtinatur, tranſverſam elementi portionem fingere videtur. Hinc Lucianus in libello cui titulus eſt δίκη φωνηέντων, ταῦ à σίγμα dignum eſſe dicitur, quod in id contolleretur ſupplicium, quod ipſius exprimeret figura Nam & Maro ταῦ Gallicum pro cruce ac furca feſtive dixit, & ſymbolicos. Galli enim aſſueti ſunt cruces in ſimilitudinem ταῦ literæ formare Carmen Virgilii eſt hoc:

> Tau Gallicum imminet, ipſemet male illuſit.

Quid ſignificet ταῦ, quærit Auſonius in Monoſyllabis:

> Scire velim catalepta legens quid ſignificet ταῦ.

Hieronymus ſuper Marcum: ταῦ, inquit, litera ſalutis ſignum demonſtrat, & crucis. Immo vero & crucis nomen Græcum, quod eſt σταυρὸς non aliunde videtur appellationem duxiſſe: quanquam grammaticis aliud videatur. Video, inquit Seneca, iſthic cruces non unius quidem generis; ſed aliter ab aliis fabricatas. Sunt qui capite in terram converſo ſuſpendant. Alii per obſcœna ſtipitem egunt. Alii brachia patibulo explicuerunt. Cruciarios vero idem Seneca & Plautus vocant, qui tolluntur in crucem, qui & patibulati dicuntur. Supplicii autem huius Vlpianus commeminit ad leg. Iuliam, de ſacrilegiis, & Calliſtratus de pœnis. Summum, inquit, ſupplicium eſſe videtur ad furcam damnatio. Cum autem ſimilitudinem literæ præ ſe ferat qui pendet ideo dixit Plautus, Continuo hercle ante dedam diſcipulam cruci. quod ſuſpendam te, faciamque ut crux diſcipulam te ſcribere doceat, & longam literæ facere.

Id nullius in bonis eſt, quod divini juris.

Et pie vulgo uſurpatur iſtud, quod habetur in Juſtiniani Inſtitutionibus li.ij.tit.j. de rerum diviſione, & acquirendo ipſarum dominio. Nullius inquit, ſunt res ſacræ & religioſæ, & ſanctæ. Quod enim divini juris eſt, id nullius in bonis eſt. Hinc illud de regulis juris libro ſexto. Quod ſemel Deo dicatum eſt, ad prophanos uſus transferri non poteſt. Nec ulla ratio permittit, ut quod pro communi utilitate datum eſt, propriis cuiuſq; uſibus applicetur, & recte ſic ſentiunt pii omnes. Similia ſunt. Ovinis pellibus junctæ lupinæ; &, Male parta, male dilabuntur: poſt, Aquilarum pennæ.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Horatii Flacci carmen, Epiſtolarum libro primo ad Lollium, epiſt.j. quod factum eſt jam tritum ſermone proverbium & eo utimur, quum ſignificare volumus principum ſtultitiam plebeiis nocere. Sumptum eſt ex Homeri Odyſſea:

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi,

Sunt qui delirare à Græco ληρεῖν, quod ineptire eſt, trahunt. Alii tractum putant ab aratore, qui à lira id eſt, ſulco aberrat. Lirare enim, agros in ſulcos dirigere ſignificat. Hinc compoſitum, delirare: pro, à recto decedere, ſive à recta via declinare & aberrare. Plectuntur: id eſt, eius luunt pœnas, ſuſtinent, & patiuntur. Tria autem ſunt flagella, fames, bellum, & peſtis, quibus juſto Dei Iſrael judicio pœnas peccatorum, luimus, noſtrorum enim delictorum ſunt vindices, in peccata noſtra pariter omnes primariam illorum cauſam referunt. Peſte vero nullum ſeverius: quam Deus, noſtris offenſus criminibus, noxio ſiderum influxu, & temporum alteratione, ſub concavo orbis lunæ excitat. Ea mandati ſui prævaricatores acerbius afflixit olim, quum David contra Moſaicæ legis edictum, Joab ducē, populum Iſrael cenſere juſſiſſet, lxx. virorum millia triduo peſte perierunt. Nec ceſſavit peſtis, donec David rex delicti ſibi conſcius, constructo in area Jebuſæi altari cilicio indutus, pronus cadens in terram, ſupplex culpam deprecaretur. Hæc ij. Regum cap.xxiiii. & j. Paralipom.cap.xxi. Joſeph. lib.vii. Antiq.cap.xiii. Id Ethnici quoque verum eſſe cognoverũt. Nam & Apollo, ob raptam Chryſis ſacerdotis ſui filiam Aſtynomen, ſuis peſtiferis ſpiculis & radiis corrupto cœli tractu, contagiem illam diſpergentibus totum Græcorum exercitum confeciſſet: niſi Chalcas, vates Agamemnoni, ut Chryſeida, patri redderet, & ea iratum Apollinis numen litare ſuaſiſſet. De hac Græcorum peſte Homerus Iliad j. Ex hac autem Homerica narratione, Papiſtica impietas e Divorum numero Sebaſtianum ſagittis impetitum, dum Chriſto fidei teſtimonium præſtat, adverſus peſtilentiam ſibi tutelarem propoſuit.

Aquilarum pennæ.

Hoc adagium fertur de bonis publicis, propriis uſibus applicatis. Vt enim Aquilarum pennæ, cæterarum avium conſumunt pennas: ſic bona quæ pro communi utilitate data ſunt, ſi propriis uſib. applicentur, vorant alia bona, cum quibus admiſcentur: quod bonorũ quæ publici uſus ſunt, puta Scholæ ac Eccleſiæ, nulla ſit ſympathia cum cæteris bonis, etiam juſtæ partis adjuncta & commixta, quæ devorant, ut ſolent aquilarum pennæ reliquarum avium caloris defectu conſumere, τὰ τῶν ἀετῶν πτερὰ ... ut ſcribunt Phyſiologi. Plutarch. Sympoſiacõn decad.v. problem.vii. Ælianus libro nono cap.ii. hiſtoriæ animalium. Diſpergunt enim hæc bona cætera, & efficiunt ut evaneſcant. Huiuſmodi enim bona ſibi rapientes. Juliani ſimiles ſunt: de quo Suidas. Cuius ſimiles nunc fiunt multi principes, potentes & nobiles, in primis Papiſtæ præſules & abbates. Antichriſti aſſeclæ, hoſtes Chriſti & ſponſæ eius Eccleſiæ: qui bona Eccleſiæ & Scholarum, quocunque titulo, jure, prætextu, ſibi vendicant ac publicum his rapinis vaſtant & premunt, nihil lucrantur aliud, quam ut ex divitibus pauperes fiant, ac mendici. Tales Papicolæ plerique nec curant literas: & non tantum nihil conferunt ad ſtudiorum & artium conſervationem, ac literatorum ſuſtentationem, ſed etiam rapiunt, quod jam olim pii maiores ad hos uſus decreverunt, & ſuis uſibus privatis, equis, canibus, ſcortis, ac lenonibus diſtribuunt. Huic proverbio ſimilia ſunt ante hæc: Id nullius in bonis eſt, quod divini juris: &, Ovinis pellibus junctæ lupinæ: & Male parta, male dilabuntur: ſive, De male quæſitis non gaudet tertius hæres.

Qui non habet in ære, luat in corpore.

In legum pœnis uſurpari ſolet illud: Quod non habet in ære, luat in corpore. Quod, meo iudicio, Salomon voluit ſignificare, cum Proverb.cap.xiii. dicit, Redimunt vitam divitiæ. Pleræque enim ſententiæ non tam præcepta, quam cõmunes caſus continent. Videmus quidem ſæpe accidere, ut opulenti divitiis vitam redimant. Et nota eſt vox cuiuſpiam: Similes eſſe leges aranearum telis quas muſcæ validiores perrumpunt, imbecilliores tantum irretitæ tenentur. Exiſtimo huc pertinere & illud Juvenalis:

Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Dictum autem Juriſconſultorum habetur. ff. de in jus vocando l.fin.

Ocnus funiculum torquet.

Eſt autem ocnus, nomen cuiuſdam apud inferos, multis inſignium artificum picturis celebrati: quem effinxerunt perpetuo torquentem funem, aſtante aſella, quæ quantum ille torſiſſet, ſtatim prærodéret. Inde ortum eſt proverbium, Ocnus funiculum torquet, quod cum in eos omnes competat, qui ſupplicio non diſſimili Danaidum pœnæ afficiuntur, aut qui in ignem lanam trahunt, qui ſcilicet perpetuo ſine effectu laborant, quomodo apud inferos Ocnum puniri opinio erat: tum in eos præcipue, qui cum nihil neque laboris, neque induſtriæ ad augendam rem familiarem prætermittant, nihilo tamen redduntur ditiores, quod domi habeant ſellam, hoc eſt, uxorem prodigam, quæ quicquid miſellus multis ſudoribus corraſit, ſtrenue profundit. Ad hanc picturam alludit Propert. libro quarto Eleg.

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Æternuſq; tuam paſcat aſelle famem.

POLYDORI VIRGILII.

Tange montes, & fumigabunt.

Ita David fiducia plenus Dominum rogat, ut inimicos, licet montis inſtar ſuperbia elatos, ad nihilum redigat. Tralatio à torre, qui extinctus maxime fumat. Conveniet in eos, qui in ſumma virum & potentiæ fiducia, aliquo incommodo affecti, animo plane deficiunt. Vulgus aliter, hoc enim ſignificat, potentes non eſſe irritandos, quod ſtatim more facis accenſæ, exardeſcant ira, ſæviantque ſine modo.

Reges, viſitabis eos virga ferrea.

De eo qui acriter ſe vindicaturum quorundam commiſſa, aut dure regnaturum eſſe minatur. Pſal.ii. & lxxxviii. A domitoribus jumentorum, feroci animalia ferrato verbere coercentibus.

PETRI GODOFREDI.

Planis ſemel crura fregit.

Porphyrio in epiſt. Horat. ortum eſſe monet ab inſigni quodam impoſtorē, qui ſæpe fingens crus ſibi fractum, aliquando multos irriſis, quorum in vehicula tollebatur: tandem vere fracto crure, quaſi etiam tum luderet, neglectus eſt. Hæc eſt pœna hominis mendacis, ut ſi quando cœperit verum dicere, careat apud omnes fide, De quo extat apologus apud Æſopum elegantiſſimus.

Dæmonem dæmone pellis.

In eum qui pravo vel imprudens utitur ad pravos corrigendos, ut qui certi criminis aliquos damnari jubet ab iis, quos ſibi cõſcius eſt eodem crimine implicari. Euſeb. Cæſarienſis. Similia, Canis caninam non edit. Varro: Corvus corvo oculum non eruit. Antonius Monach. hiſtor. Franc. iii. cap. xxvi.

GVLIELMI GENTII.

Noxa caput ſequitur.

Proverbialiter hoc Gordianus Imper. pronunciavit in cap. licet C. an ſer. pro ſuo fact. poſt mo. tenea. Nam, ut M. Cato ait, nequiter factum ſemper durat, & reum comitatur. Sic & poeta:

Pœna poteſt demi, culpa perennis erit.

Cogitationis pœnam nemo patitur.

Figura proverbialis eſt haud dubie apud Vlpian. in cap. xviii. de pœna. Etiam apud vulgus, cogitationum neque pœna eſt, neque vectigal. ullum fieri cenſebat Oldendorph.

MELCHIORIS NEIPEI.

Oculus Dei fortiſſimus.

Θεοῦ ἀλάμπρον ὄμμα. Nemo neſcit, multas veterum oraculorum ſententias, quemadmodum & poetarum, inprimis Homeri, ... vice fuiſſe celebratas, poſſeque hodie etiamnum celebrari. Ex his impenſe placuit illud ab Eugubino adductum ex Porphyrii ... φιλοσοφίας libro. Nam Dæmon interrogatus, an quis peccans Deum latere poſſit reſpondit hoc diſticho:

Οὐδεὶς ἂν λάθοι τὸν θεὸν ...
Κέρδεσιν, οὐδὲ λόγοις ... ὄμμα.

Id eſt,

Nemo Deum fallet, viſum non effugit acrem,
Qui verſare dolos verbis factiſque paratus.

Huius rei velut cauſam explicans Apoſtolus, de Chriſto ita loquitur, Heb. iiii. οὐκ ἔστι κτίσις ἀφανὴς ἐνώπιον αὐτοῦ, πάντα δὲ γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ. id eſt, Non eſt creatura coram eo inconſpicua, ſed omnia nuda & reſupinata oculis ejus. Philo quoque ... ὁ θεοῦ λόγος ὀξυδερκέστατός ἐστιν, ... id eſt, Dei ſermo viſus acutiſſimi eſt, facile ut conſpicere poſſit. Ab hoc non diſſentit Heſiodi illud operum libro primo,

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας.

Id eſt,

Omnia conſpiciens oculus Jovis, omnia luſtrans.

Plutarchus in ſympoſio, Ariona, quem nautæ ſalo demerſerat, inducit in cœlum ſuſpicientem, ſicq; ſecum cogitantem, ... Quod non unus juſtitiæ ſit oculus: ſed omnibus his ſpeculatur Deus circumquaque, quæ terra mariq; geruntur.

tantur. Vſus erit præcipuus, quando aliquem à peccando deterrere volumus, metu divinæ præſentiæ, hoc modo: Si proximo tuo inferre malum, ut meditaris, pergas, θεοῦ ἄκοιμον ὄμμα.

Cunctabundus natura Deus.

Μέλλει τὸ θεῖον, ἔστι δὲ τοιοῦτον φύσει. Cunctatio almo numini uſque propria. Senarius eſt alicunde deſumptus ex Euripide qui ſententiarum gravitate, vel Fabio teſte, ſummis quibuſque philoſophis par eſt, cujuſque tragœdiæ ſemper magno apud eruditos omnes in precio fuêre. Nihil enim hic Ariſtophanis dicacitatem moror: qui neſcio quo æmulationis ſtudio, certe invidiæ odiique plenas habenas effundit, non ſolum in religiones partim peregrinas, partim domeſticas, quas perpetuo vexat ac ſugillat, & ut Græce dicam aptius, χλευάζει: verum etiam Morſimum, Pindarum, aliſque tam ſui ſæculi quam prioris poetas multis ſalibus exponit deridendo: qui Euripidi tam fuit iniquus, ut nuſquam non captet occaſionem traducendi eum. Qua acerbitate provectus ad rabiem uſque principem philoſophiæ Socratem ὡς νεφίλαις, tanquam delirũ omniſque ſenſus communis expertem, atrociſſime exagitat. Sed hæc præter inſtitutum. Senſus hujus proverbialis ſententiæ non raro Plutarcho uſurpatæ, eſt, Deum lenem & clementem eſſe, nec facile ad ulciſcendum malos, pœnaſq; de his ſumendum properare, quod etiam divinis literis expreſſum eſt Eccleſiaſti. 5. Ne dixeris, Peccavi, & quid mihi accidit triſte, Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Idcirco μακρόθυμος appellatur variis in locis ſacrarum literarum. Cur autem mali non ſtatim pœnas pendant, docet Petrus Apoſtolus his verbis: μακροθυμεῖ εἰς ἡμᾶς, μὴ βουλόμενός τινας ἀπολέσθαι, ἀλλὰ πάντας εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι.

V O T V M.

ERASMI. Utinam mihi contingant ea, quæ ſunt inter Corinthum & Sicyonem.

Euſtathius enarrans Iliad. ſecundum lib. ait hunc verſum olim proverbio fuiſſe celebratum:

Εἴη μοι τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.

Id eſt,

Sit mihi quod Sicyonem interjacet atque Corinthum.

Id inde venit in adagium, quod urbi utraque eſſet opulentiſſima, agriq; longe feraciſſimi interjacerent. Ariſtophanes in Avibus, indicat ex oraculo natum:

Ἀλλ' ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι
Ἐν ταυτῷ τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.

Id eſt,

Cornix cana lupuſque ubi eadem ſede morantes
Quod ſpacium Sicyonem dirimit atque Corinthum.

Interpres adſcribit Æſopo conſulenti de parandis opibus, ita reſponſum fuiſſe:

Εἰ τὸ μέσον κτήσαιο Κορίνθου καὶ Σικυῶνος.

Id eſt,

Si teneas quod agri Sicyonem, interque Corinthum eſt.

Refertur & à Zenodoto, atque item Athenæo lib. Dipnoſophiſtarum quinto. Conveniet, ubi quis optat ingentia. Poterit & per jocum torqueri in eum, qui quod aſſequi non poteſt, id votis tamen quaſi ſomniat. Simili figura dictum eſt illud Theocriti in Ergatinis.

Αἴθε μοι ἦς ὅσα Κροῖσον ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι.

Id eſt,

Quæ Crœſum tenuiſſe ferunt, utinam illa mihi ſint.

Omne æs alienum cepe, & mulcta allium.

Πᾶν μοι χρέος κρόμμυον καὶ τὸ ἐπίμετρον σκόροδα, id eſt. Univerſum æs alienum cepe, & mulcta allium. ſubaudiendum, εἴη. Cum quis obſtrictus multo ære alieno, optat ut parvo dependere poſſit quicquid debet. Nonnihil vereor ne & hoc Apoſtolius hauſerit, non ex autoribus priſcis, ſed e ſuis combibonibus.

Votum munificum.

Εὐχὴ μεγαλόδωρος, id eſt, Votum munificum. Ubi quis animo ſpes regias concipit, jamque voto dives eſt, μεγαλόδωρος Græcis dicitur, qui magna donat. Nihil autem voto hominis liberalius. Largitur enim cuilibet, quantumcunque petit. Meminit hujus Lucianus in Hæreſibus.

Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt,

ait Ovidius, ſed multo facilius eſt votis eſſe liberalem ac divitem.

Alia dantur, alia negantur.

Quoties è duabus naturæ dotibus altera contigit, altera negata eſt (veluti ſi cui formæ decus adſit, deſit ingenii laus) ſive cum é duobus poſtularis, alterum duntaxat impetratur: quadraverit illud ex Iliad. π.

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Id eſt,

Annuit hoc illi divûm pater, abnuit illud.

Hunc verſiculum uſurpat Plinius in epiſtola quadam. Dictus eſt autem de Achille, qui in votis, quæ facit pro Patroclo, ſuis armis ituro prælium, duo quædam rogârat: alterum ut cum laude pugnaret: alterum, ut peracta pugna referret arma, incolumis & ipſe. Quorum alterum annuit Jupiter, nempe ut fortiſſime pugnaret, cæterum Achillis arma non retulit, nec incolumis rediit. Feſtiviter abuſus eſt hoc carmine Stratonicus citharœdus: qui cum audiſſet quendam cithara canentem, ſubjecit hunc Homeri verſum:

Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε.

Ac mox alio quodam rogante, cur ita diceret: Quoniam inquit, male canere cithara dedit, cæterum bene canere voce abnuit. Ita ferme Athenæus libro octavo.

Canis panes ſomnians.

Sunt quibus proverbiali figura dictum videatur illud apud Theocritum in Piſcatoribus:

——*Καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις*
Πᾶσα κύων ἄρτους μαντεύεται, ἰχθύα κἠγών.

Id eſt,

——Siquidem omnis
Panes in ſomnis canis ariolatur, at ipſe
Piſces.——

Senſus eſt, unicuique ea per ſomnium occurrere, quæ impenſe deſiderat, quibus magnopere deditus eſt. Ariſtoteles non ſolum homini, verum etiam cæteris animantibus ſomnia tribuit, etiamſi id in canibus evidentiſſimum, quippe quos audimus ſæpenumero dormientes venationem ſomniare, quæ res haud difficile deprehenditur ex ratione latratus, quem ædunt ſopiti. Proinde mihi rectius quadraturum videtur, ſi pro ἄρτους legatur ἀγροὺς aut ἄγρας, id eſt, agros, aut venationes. Verum hoc tantum eruditis penſitandum proponimus, ſuper hoc pronunciaturis, ubi codicem emendatiorem erunt nacti. Nobis adhuc non contigit. Ex ſomniis autem qui ariolentur eventura præ noſtris quidem temporibus deſunt; quanquam non probat Ariſtoteles.

Etiam dormiens ſomniat.

Ὀνειροπολεῖ καὶ καθεύδων. id eſt, Somniat etiam dormiens, hodie quoque vulgo dicitur, quoties ſignificant aliquem toto pectore rei cuipiam addictum, deditumque. Siquidem ita evenire ſolet, ut quæ interdiu voluerint animo, noctu ſomnient. Ariſtophanes in Nebulis:

Ὀνειροπολεῖ γὰρ καὶ καθεύδων ἱππικήν.

Id eſt,

Et dormiens equeſtre ſtudium ſomniat.

De juvene dictum eſt, qui ſtudio alendorum equorum rem patriam omnem abſumpſerat. Item paulo ſuperius, ὀνειροπολεῖ ἵππους, id eſt, Equoſque ſomniat. Dicet aliquis, quid mirum ſi quis dormiens ſomniet? Sed ὀνειροπολεῖν non tam eſt ſomniare, quã ſomnia interpretari, & hinc ſpem concipere aut facere. Porro curam illam juvenis, ſomnium vult videri poeta. Ita bis ſomniat eadem, & vigilans & dormiens. Plautus contra, Vigilans ſomniat, dixit, Terentius: Num ille ſomniat ea, quæ vigilans voluit: Et apud Horatium Europa ſic loquitur,

——Vigilanſne ploro
Turpe commiſſum, an vitiis carentem
Ludit imago
Vana?——

Ne contra bovem opta.

Μὴ κατὰ βοὸς εὔχου, id eſt, Ne contra bovem opta. Admonet adagium non eſſe vitam inſtituẽdam juxta votum animi, neq; quid vis ſperandum à ſuperis, ſed ut ea duntaxat ſibi quiſq; promittat, quæ poſſit induſtria conſequi. Refertur in collectaneis Diogeniani. Unde ſumpta metaphora, parum liquet: niſi quod apparet ductam ab agricola, qui negligens adhibere bonis operam in colendis agris, optat ut citra ſuum laborem proveniat ſeges.

Adoraturi ſedeant.

Καθῆσθαι προσκυνήσοντας, id eſt. Adoraturi ſedeant. Significat vota certa concipere oportere, & in his quæ ſunt optima, perſeverare. Et hoc Plutarchus aſcribit Numæ: niſi quod in ædito per Aldinos volumine προσκυνήσαντας legimus, non προσκυνήσοντας. addens id fuiſſe velut augurium, vota rata firmaque fore. Addit, quibuſdam hanc quietem videri diſtinctionem actionum, tanquam qui priori actioni finem impoſuerint, ſedentes apud deos, initium alterius actionis ab iiſdem auſpicentur. Quidam arbitrantur alium ſubeſſe ſenſum, quod oporteat eos qui ſacris operantur, non obiter ac velut aliud agentes hoc facere, ſed vacuos ac totos rei divinæ intentos. Unde Plutarchus idem tradit, quoties pontifex auguria ſeu ſacra aggrediebatur, præcones clamabant, Hoc age. Ea vox hortabatur, ut qui ſacra adirent, reverenter & attente id facerent. Idem in Problematibus rerum priſcarum refert, qui diis vota feciſſent, in templis manere, & quietem agere ſolitos, quod actiones hujus vitæ frequenter involvant hominem moleſtiis.

Non quidvis continget quod optaris.

Qui negabit omnia contingere homini quæ ſuperaverit, animoque conceperit, accommodabit illud ex eodem libro:

Ἦ τοι μὲν ὄνειροι ἀμήχανοι, ἀκριτόμυθοι
Γίγνοντ', οὐδέ τι πάντα τελείεται ἀνθρώποισι.

Id eſt,

Frivola ſcilicet exiſtunt, & inania quædam
Somnia, nec quodcunque vides, ſic evenit omne.

Atque hoc in loco ſubjungit pulcherrimum illud de duabus ſomniorum portis figmentum eſt, quod in ſexto Vergilius retulit.

Qua-

Quæcunque in ſomnio videntur.

Ὅσα ἐν ὀνείρῳ βλέπεις, id eſt, Quæcunque per ſomnium vides. De votis immodicis dicitur. Nam quicquid optatis, id ſomniare contigit quibuslibet: ſicuti Micyllus ille Lucianicus divitem ſe ac præpotentem ſomniat. Apud Theocritum piſcator ſomniat aureum piſcem. Et infimæ ſortis homines, nonnunquam reginarum conjugium ſomniant. Paſtor quidam apud Theocritum in Ecloga nona:

——Ἔχω δ' ὅσσ' ἐν ὀνείρῳ
Φαίνονται, πολλὰς μὲν ὄϊς, πολλὰς δὲ χιμαίρας.

Id eſt,

Poſſideo quæcunque ſolent ſub nocte videri
In ſomnis, vim magnam ovium, multaſque capellas.

Interpres admonet, proferri hunc in modum: ὅσα ἐν ὀνείρῳ φέρειν, id eſt, Ferre quicquid in ſomnio videtur. Citat & verſum Homericum:

Οὐ δ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε,

Id eſt,

Nec mihi ſi tantum dederis quam multa ſopitis
Somnia vana ferunt.——

Eſt autem apud hunc poëtam Iliados ι. ſed paulo aliter:

Οὐδ' εἴ μοι τόσα δοίη, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε

Id eſt,

Nec mihi ſi tantum dederis quantum extat harenæ ac
Pulveris.——

Videtur huc alluſiſſe M. Tullius in Saluſtium: Unde tu, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tanquã ſomnio beatus, hortos precioſiſſimos: villam Tiburti, & Cæſaris reliquas poſſeſſiones paraveris.

Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.

Vergilius in Pharmaceutria:

Credimus, an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt?

Servius proverbialiter admonet dictum à poeta. Nam quod quiſque ſperat, facile credit. Et tarde quæ credita lædunt, credimus, ut ait Ovidius. Metus autem & ſpes, ut eleganter & vere ſcripſit Lucianus in Pſeudomante, divinationem & auguria repererunt. Qui impenſe cupiunt ſuis votis undecunque blandiuntur & quidvis in omen optati eventus trahunt. Rurſum qui miſere metuunt, quavis ex re ſolatium formidinis aucupantur. Non uſquequaque diſcrepat ab hoc Terentianum illud: Mihi non fit veriſimile atqui ipſis commentum placet. Non videtur alienum ab hac forma Theocriticum illud:

Πάντα κύνες ἄρτον ὀνειρώσσοντι, κἠγὼ ἰχθύας.

Id eſt,

Somnia cuncta canum panes. ego ſomnio piſcem.

Qui ſuis votis blandiuntur, ii Græcis dicuntur ἑαυτοῖς ὀνειροπολοῦντες, id eſt, ſibi ipſis ſua interpretari ſomnia, quod omnia rapiunt in alimentum ſpei ſuæ.

Quid non fies, profectus Arbelas.

Τί οὐ γενήσῃ εἰς Ἄρβηλα, id eſt, Quid non fies, Arbelas profectus? Deo eo dici ſolitum, qui peregre proficiſcens ingentia ſibi pollicetur, fretus gentis ad quam demigrat inſcitia, barbarieque. Siquidem Arbela Siciliæ civitas authore Stephano. cujus cives male audiebant, olim ut ſtupidi & quibus facile imponeretur. Apud nos igitur etiam contemptus alibi, magnum aliquid eſſe poſſit. Quanquam eſt hujus nominis civitas in Perſide, cujus meminit Strabo lib. xvj. Et Qu. Curtio eſt oppidum Meſopotamiæ, Darii copiarum internecione nobile.

Semper ſuperioris anni proventus melior.

Αἰεὶ τὸ πέρυσι βέλτιον.

Id eſt,

Superior annus ſemper anteponitur.

Cum præſentia diſplicent, & anteferuntur anteacta. Diogenianus admonet, id acclamatum ab Athenienſibus in rebus Macedonicis. Sumpta metaphora ab agricolis, qui ſemper de præſentibus anni fructibus queruntur apud dominos. Huc pertinet illud Horatianum:

——Laudatur temporis acti
Se puero——

EX APPEND. ERASMI.

Voti compos.

Vbi quis aſſecutus eſt quod affectabat & captabat, quadrabit illud Homericum:

Καὶ βάλεν οὐδ' ἅμαρτεν ἄλιον βέλος ἔκφυγε χειρός.

Id eſt,

Attigit, eque manu non irrita miſſa ſagitta eſt.

Simile Ovidianum hoc:

Decidit in caſſes præda petita meos.

IVNII. Tritogenes filius, non Tritogenia.

Παῖς μοι τριτογενὴς εἴη, μὴ τριτογένεια.

Id eſt,

Sit mihi tritogenes gnatus, non Tritogenia.

Adagium eſt deprecantis fœmineum imperium, Minerva maſcula virgo habebatur antiquitus, & virile robur homini addere credebatur. Decet autem fœminas magis demiſſas eſſe, uti viros imperioſos. Citatur à Suida. Poteſt referri etiam ad minoris impendii votum, quod optabilius ſit magnis ſumptibus. Viri namque, niſi luxu effœminentur, minore impenſa educuntur, quam fœminæ & puellæ: illis ſæpe in cultum & mundum muliebrem plus profundentibus, quam ſit cenſus mariti. his vero delicias omnes quærentibus, ut amatorem inveniant.

Achilleum votum.

Ἀχίλλειος εὐχή. id eſt, Achilleum votum, proverbialiter dicitur à Budæo, incomparabili hujus ſeculi ornamento, votum efficax, quo ad innocentiæ faciẽdam fidem, noſtri deſiderium ingratis obrepere precamur. Ita enim ſonant ejus verba: Quibuſdam fortaſſe paulo vehementioris animi ſuave nonnunquam fuit Achillei (quod ajunt) voti compotes ſe videre: quod votum Furius Camillus Liviano elogio nobilis Imperator concepiſſe, aut etiam nuncupaſſe dicitur. Is namque poſt res feliciſſime geſtas (ſempiterna præclaræ virtutis comite invidia) in exilium abiens, precatus eſt à diis immortalibus, ut ſi innoxio ſibi ea injuria fieret, primo quoque tempore deſiderium ſui ingratæ civitati facerent, ut lib. v. primæ Decadis Livius ſcribit. Achillis votum ejuſmodi memorat Iliados primo Homerus, ubi ad Agamemnonem

Ἦ ποτ' Ἀχιλλῆος ποθὴ ἵξεται υἷας Ἀχαιῶν.

Id eſt,

Grajugenas deſiderium olim tanget Achillis,
Acciſis quum re nequeunte occurrere rebus,
Hectoreum Danaos ferrum conſumet inultos.

Agnoſco, proh dolor, non ſine graviſſimo vulneris recrudeſcentis ſenſu, tuum nobiliſſime Henrice Surrene, Achilleum votum, tibi exitiale, nobis etiam luctuoſum, quum circumventus fraudulenta malique exempli conſpiratione nonnullarum Senatus tunc principum, in tuum caput & principis familiæ perniciem conjuratorum, capitis jam tum antequam accuſatoris, reus, inexhauſtum illum eloquentiæ primariæ fontem, nihil innocentiæ tuæ profuturum, inaniter conſumpſiſti. Nam quum cœtus ille conjuratus Vulcanii operis conſarcinaſſet per menſes aliquot cauſſas vere futiles opprimendæ tuæ innocentiæ: aggreſſus es ex impræmeditato diluere, & evidentibus documentis confutare contextas ſutelas: ſed fruſtra ſurdis auribus occinens, in modum fluctuum littori obſtrepentium, corruptis ac depravatis judicium (quorum plerique novi homines vetuſtæ nobilitati invidebant) arbitriis. Obtendebantur machinæ, & tanquam helepoles quædam te expugnaturæ, cauſæ aliquot variæ: primo picta imago tua, quam pictores pro arbitrio quidlibet audentes, columnæ innixam, ad experimentum aptius corporis heroici filum, depinxerunt: deinde adjecta effigiei pauca generis inſignia, antiquitatem regii ſtemmatis teſtantia: adhæc ſymbolum, ſat ſupereſt, quo plura ſuperesse docebatur: denique propugnacula tria fictitia, quæ tu tui, ut tui horti ornamenta, architecti induſtria eſſe volueras: non opprimendæ vicinæ urbis (quod præclari mendaciorum architecti fingebant) parata munimina, nimis imbecillia. Aderant delatores impudentiſſimi, alter rubida puſtuloſaque facie notiſſimus, alter gibberoſo dorſo clitellariis jumentis ſimilis, uterque tibi devinctiſſimus, & beneficiis cumulatus, hic e ſordibus, ille etiam à furca, in quam multo ante fuiſſet actus, illuſtriſſimi tui parentis ope liberatus. Neque defuit his (inauditum, dictuque turpe flagitium) ſuus ſuccenturiator, primarius regni arbiter, in ea actione præcipuus judex, qui virulento ore tuæ, Surrene, calamitati inſultaret, crabronicum illud frequenter ingeminans, ſupereſſe ſibi quo Surrenum pungeret aculeo. Neque vero defuerat & tuæ innocentiæ patrocinium etiam ab aliis: ſed quum unus & alter conſilii rationẽ reddituri factique excuſationem expoſituri, & de tuo capite periculum depulſuri, ora recluderent, illico regni Cancellarius truci vultu, & atrociore etiam voce cœpit intonare illud quæſitoris more. Et quis tandem obloquitur Regis? quo ceu tonitruo quodam perculſæ pavidæ mentes, conticuerunt. Is tuus erat genius, ut omnibus eſſes charus, tam exteris, quam popularibus. Erat tibi heroicum corporis filum, ingenium velox & expromptum, memoria inexhauſta, planeque Mithridatica, ſermo ab ipſis Gratiis affictus, linguarum multiplex cognitio, vernacula lingua credebaris utrunque & Tullium & Maronem æquare, ne dicam ſuperare. Ad iſtas dotes accedebat & beneficiorum in regnum longa catena, inter quæ non poſtremum fuit, quod Henrico regi athoi, & qui tibi per fontis lavacrum renato nomen impoſuerat, præclaram operam militiæ præſtiteras. Geſſoriacum à Gallis incurſibus fortiter defenderas, portum hoſtium injuriis obnoxium, & navium ſtationi male tutum egregio opere muniveras. Quid dicam nobilitatem altiſſimam, minimeque fucatis imaginibus innixam, cui etiam cœlum ipſum atteſtatum fuiſſe novi (nec enim dubium eſt, altiſſimæ cujuſque & nobiliſſimæ ſtirpis magnam cum cœlo cognationem eſſe.) Documento eſſe poſſunt prodigia, quæ tuam tuique generis ruinam præceſſerant: inter quæ duo fuerũt memorabilia, primum fax ignea, quæ tribus ante ſolis occaſum horis longiſſimo tractu per aures delata, & ad equitantis genitoris tui dextram cubitali intervallo in humum impacta diſtabuit. Alterum fuit quercus bifida in duos à radice truncos aſſurgens, qui terminus noviſſimus in collimitio veſtræ ditiunculæ ſtabat, ea de cœlo tacta conflagravit, altero trunco in ſuidis ſtaturæ altitudinem ſuperſtite

ſtus, alterò etiam illud tecum abolitò: ille patris iſ ſeptenoni (pedes enim ſeptem ſtaturæ viri aſſignabatur) captivitatem bonis & facultatibus omnib. exuti portendebant, hic tuum interitum in humidum abituri. Cæterum nil profuit cauſas vaniſſimas, quibus aſſectari regni arceſſebaris, diſſertiſſima oratione, quam vis impræſſæ ditata diluiſſe nihil profuit conſutata mendacia, ſcopiſque diſſolutis minus cohærentia, tametſi nō uno menſe fabricata retexiſſes: nil profuit benefacta majorum, regalis affinitatis cognationiſque jura, intemeratam à ſexcentis annis generis longiſſimo ordine integritatem, captorum Regum trophæa recenſuiſſe, clypeum non illum Argolicum, qui tertio ambitu inſigniebatur, ſed centenis & amplius clariſſimarum familiarum inſignibus illuſtrem explicuiſſe. Verum ut à diverticulo ad inſtitutum revertar, quum diſſertiſſima oratione & argumentis evidentibus, innocentiam tutari tuam inſtituiſſes, neque tamen vel ea te, vel beneficiorum enumerata multitudine, vel recenſita ſtirpis longiſſima ſerie, quicquam proficere te, ſex prope horarum clepſydra inaniter conſumpta, ſenſiſſes, ſed perjuri nebulonis (qui e ſummis vitæ ſordibus ad Heraldici nominis primum faſtigium creverat) verbis plus fidei tribui, quam heroicæ tuæ authoritati, animadvertiſſes, veluti concepto quodam vitæ tædio, eo tandem erupit tibi oratio, & quidem (ſi fas eſt dicere) fatidica, ut d ctitares te nunc quidem in ſontem abripi, ſed paucis poſt annis deſiderium tui fruſtra flagitaturam patriam, & quantumvis deturbatam proſi gatamque nunc ſtirpem, lætis vivi radicibus repullulaturam, eorum aliquot qui ſua tunc vitæ illuderent, oppreſſis cervicibus. Id quod evenit, votumque Achilleum comprobavit Deus. Nam quoties te turbulentis tempeſtatibus concuſſa patria deſiderarit, quoties illa inteſtinis principum virorum alterno ſanguine mercantium, diſſidiis in nihilum pene redacta, te Camillo quopiam indiguerit, quid attinet dicere? Certe prævideras, non multis poſt annis, beneficio immortali inviƈtiſſimæ Reginæ Mariæ, ſobolem tuam, avo illuſtriſſimo in ditionem ſuam repoſito, ſucceſſuram, dignitatique priſtinæ & loco reſtitutum iri, illorum pleriſque ante diem à juſtiſſima vindice Nemeſi conſumptis.

Voce optato.

Μετὰ φωνῆς εὔχου, id eſt, Voce precator. Inter Pythagorica ſymbola commemoratur, quæ omnia proverbialem faciem præ ſe ferre indubitatum eſt. Ejus uſus eſt in liberali voto, quoties non iniquum aliquid petendum eſſe admonebimus. atque ita exponit Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum: [Greek illegible] id eſt, Quid igitur volunt Pythagoræi, quod voce optandum eſſe jubeant, mihi quidem videntur ea de cauſa illud ſanxiſſe, non quod exiſtimarent Deum tacite loquentes non exaudire, ſed quod juſta & liberalia eſſe debere vota vellent, quæ nullus facere dubitaret, etiam pluribus conſcius. Natum ab ingenio hominum perverſo, & improbo qui taciti apud ſe pudenda, votoque omni majora flagitare non desinant, quæ coram aliis clara voce poſtulare in animum nunquam induƈturi forent. Quo ſpeƈtant Ciceronis verba in Pompejana: Neminem unquam tam impudentem fuiſſe, qui à diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerant. Reſpexiſſe autem videtur Clemens ad oraculum de Deo illud:

> Καὶ κωφοῦ συνίημι, καὶ οὐ λαλέοντος ἀκούω,
> id eſt.
> Et mutos intelligo, & audio vota tacentum.

Ægypti ſacerdotes mutum & ſine mente ſonum olim inter ſacrorum preces effundere conſuevisse legimus, alio, ut arbitror, ſenſu: nimirum infantiam ſuam declarare volentes, qua plurimum quidem ſe cupere, nihil tamen admodum præſtare poſſe teſtarentur.

In Ægypto optaris eſſe potius.

Citatur in Suida ex incerto authore, [Greek illegible], id eſt, Optaris in Ægypto eſſe potius, quam perperam judicare. Videtur imprecation eſſe genus, ad deteſtationem pertinens, vel quia Ægyptus latronibus infeſta fuit ſemper: vel quia regio illa ſole torreatur, pluviis vix unquam humeƈta. quod & Pomponius Mela de ea teſtatur his verbis: Terra expers imbrium.

BRASSICANI. *Iupiter plue mel.*

Galenus medicus libro tertio περὶ τροφῶν δυνάμεως, id eſt, de poteſtate nutrimentorum, ſcribit æſtatis tempore, ſi quando inſignis copia mellis paſſim in virgultis ac arborum foliis inveniretur, ruſticos exclamare conſueviſſe, ὁ Ζεὺς βρέχε μέλι, O Jupiter plue mel, quo verbo commode uti conveniet, quando omnia fauſta & felicia precamur. Angelus Politianus lib. 1. epiſtolarum ad Pirium, diverſum citat ex Tragœdia quidpiam: ὁ Ζεὺς βρέχει τὰς ſυμφοράς, O Jupiter plue calamitates. Sic exclamamus, dum ob rei indignitatem, etiam perniciosis votis utimur, ita quod Plato in dialogo, qui inſcribitur Alcibiades ſecundus, putat eſſe probi Poetæ verſiculos illos:

> Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
> Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ λυγρὰ καὶ εὐχομένων ἀπερύκειν.

id eſt.

> Rex Jupiter; optima quidem nobis & voventibus & non voventibus tribue
> Cæterum pernicioſa petentibus etiam quam longiſſime jubeas abeſſe.

Filius mihi ſit Tritogenes, non Tritogenia.

Suidas ſcribit eſſe proverbiale. παῖς μοι τριτογενὴς εἴη, μὴ τριτογένεια. Opto filium potius Tritogenem, quam Tritogeniam: quod Minerva, quam virilem exiſtimamus, maſculos pueros exhibeat nec aliud addit. Adagii uſus eſt, quoties rem parvi impendii præferimus iis quæ immodicis ſumptibus redimenda ſint. Siquidem puellæ perpetuo, ut Græci vocant πολυδάπανοι ſunt, hoc eſt, graviore ſumptu educantur: quod & Megadorus ille Plautinus, enumerata omni muliebri ſupelleƈtile teſtatur. Plautus in Epidico dicit, mulieres eſſe totis fundis exornatas. Columella in præfatione lib. 12. graviter damnat veſtes muliebres totis cenſibus redemptas. Sic Ovid. in tertio de arte:

> Quis pudor eſt, cenſus corpore ferre ſuos?

Viri, ſi tamen eſſe voluerint quod dicuntur, cum immodico cultu non indigeant, mediocribus etiam impendiis educantur.

IOHANNIS VLPII. *Quicquid licet, minus deſideratur.*

Quicquid, inquit D. Hieronymus, licet, minus deſideratur. ergo è contrario, quod non licet, fomentum accipit deſiderii. Ovidius:

> Quod licet, ingratum eſt quod non licet, acrius urget.

Et alibi:

> Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.

Omnium rerum, inquit Plinius, cupido langueſcit, cum facilis occaſio eſt.

COGNATI. *Sera vota.*

Idem in eodem lib.

> ——— Votiſque deos venerabere ſeris.

Reſpexit ad proverbia:

> ——— Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω. Stultus poſt factum ſapit.

vel, ἁλιεὺς πληγεὶς νόον ἔχει. Piſcator iƈtus cognovit, ut ſero Phryges accepto damno, ſtultitiam ſeu potius dementiam agnoverunt. Item Geor. 4.

> Venimus huc lapſis quæſitum oracula rebus.

(Hoc refer illa, Sero ſapiunt Phryges, &c. Accepto damno ſtultus ſapit.)

Aderit vocatus Apollo.

Hoc quoque utimur, quando oſtendimus Deum invocantibus adeſſe & omnia adverſa mitigare. Is enim ἀποτρόπαιος καὶ ἀλεξίκακος dicitur, idem Georg. 5.

> ——— Auditque vocatus Apollo.

Ad quod Ovidius viſus eſt alluſiſſe cum ait,

> Sæpe Jovem vidi cum jam ſua mittere vellet
> Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

Dii meliora.

Pro eo quod eſt, abſit: dicimus, Dii meliora. Modus optandi, imperfeƈto ſermone, cui ſubauditur verbum, adferant, vel dent. Livius de bello Macedonico: Perturbata dii meliora. Virgilius 3. Æneid.

> Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum.

Cicer. 8. Philip. Quid nos nunquid tale habemus? dii meliora. Non diſſimilis precatio apud Ciceronem frequens: Ne id accidat quod imminere videtur. Pro Murena: Si (quod Jupiter omen avertat) hunc veſtris ſententiis afflixeritis. Ad Brutum: Velim deinceps meliori: ſin ſecus fuerit (quod dii omen avertant) reip. vicē doleo. Sic idem Caſſio: & Philip. 3. & Philip. 11. Paulus Rom. 3. μὴ γένοιτο, id eſt Abſit, non eſt fas, non eſt juſtum. Eſt autem abominantis ſermo, frequenter obvius apud Paulum. Sic Gen. 18. Ne ſit, aut ne contingat: ſive, Deus avertat aut prohibeat. Donatus in Terent. in Eunuch. illud: Dii bene vertant: In omnibus quæ cupit evenerint, dici ſolet, ait. Vide ſupra. Bene eveniat, ſive vertat.

Canis prædam ſomnians.

Græcum proverbium, κύων ἄγραν ὀνειρώττων, id eſt, Canis prædam ſomnians. Theocritus in piſcatoribus, κύων ἄγραν μαντεύεται, id eſt: Prædam in ſomnis canis hariolatur. Dormientibus enim illis, eorum imagines objiciunt, quæ vigilantes aut egerunt aut cogitaverunt. Uſque adeo intereſt, quo quiſque ſtudio teneatur, quaque voluntate ſit. Lucret. lib. 4.

> Et cui quiſque fere ſtudio devinƈtus adhæret:
> Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati:
> Atque in qua ratione fuit contenta magis mens:
> In ſomnis eadem plerunque videmur obire.
> Cauſidici cauſas agere, & componere leges:
> Induperatores pugnare, ac prælia obire.
> Cætera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
> In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere:
> Venantumque canes in molli ſæpe quiete
> Jaƈtant crura tamen ſubito, voceſque repente

Mittunt, & crebras reddeunt naribus auras,
Vt veſtigia ſi teneant inventa ferarum, &c.
Sic fere Ennius:
Quæ in vita uſurpant homines, cogitant, curant, vident,
Quæque agunt vigilantes, agitantque, ea ſi cui in ſomno accidunt,
Minus mirum eſt. ——
Cum Lucretianis congruunt illa Claudiani:
Omnia quæ ſenſu volvuntur voto diurno,
Pectore ſopito reddit amica quies.
Venator defeſſa toro cum membra repoſuit,
Mens tamen ad ſilvas, & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Theocritus ecloga 9 verba ſunt paſtoris:
——Ἔχω δ' ὅσσ' ἐν ὀνείρῳ
Φαίνονται, πολλὰς μὲν οἶς, πολλὰς δὲ χιμαίρας.
Id eſt,
——Poſſideo vero, quæcunque in ſomnis
Solent videri, multas oves, & multas capellas.
De votis immodicis dicitur. Nam quicquid optatis, id ſomniare contigit quibus libet: ſicuti Micyllus eſt Lucianicus, divitem ſe ac præpotentem ſomniat. Apud eundem Theocritum piſcator ſomniat aureum piſcem.

Dii magnifacite.

Catullus ad ſeipſum.
O Dii, ſi veſtrum eſt miſereri, aut ſi quibus unquam
Extrema jam ipſi in morte tuliſtis opem.
Me miſerum aſpicite, &, ſi vitam puriter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemque mihi,
Quæ mihi ſubrepens imos, ut torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Ipſe valere opto, & tetrum hunc deponere morbum
O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.
Sic Euripides in Iphigenia: ὦ θεοί. & Virgilius:
O Deus omnipotens precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos. ——
Aſpiciendi autem verbo Virgilius, & particula, ſi, uſus eſt ſæpe. Ante, Dii magni: & ὦ πότνια.

V S V R A.

ERASMI. *Citius uſura currit quam Heraclitus.*

Θᾶττον ὁ τόκος Ἡρακλείτου ἀσκωλία τρέχει, id eſt: Citius uſura quam Heraclitus celerrimus currit. Admonet adagium, abſtinendum à mutua pecunia, quæ credatur ad uſuram. Nam opinione celerius recurrere diem uſurarium. Sumptum proverbium ab Heraclito quodam celeritate currendi præter cæteros eximio atque excellenti. Juxta Doricam dialecton dictum eſt, Ἡρακλείτω & ἀσκωλία, pro Ἡρακλείτου ἀσκωλίου. Videtur carmen fuiſſe trochaicum tetrametrum catalecton, paucis ſyllabis depravatis.

Eſt Pylus ante Pylum.

Plutarchus in libello, cui titulus, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, teſtatur hunc verſum apud Meſſenios proverbio fuiſſe celebratum,
Ἔστι Πύλος πρὸ Πύλοιο, Πύλος γε μὲν ἐστὶ καὶ ἄλλος.
Id eſt,
Eſt Pylus ante Pylum, ſiquidem eſt Pylus altera ſane.
Dictum apparet, ubi quid alteri præfertur velut antiquius & præſtantius. Aut ubi aliquis jactat ſeſe, quaſi vel ſolus ſit, vel ſummus: cum reperiantur & alii, qui poſſint cum eo decertare. Pylus enim Meſſeniorum civitas, Neſtore nobilis, ut affirmant quidam. Hoc autem carmen Plutarchus hoc pacto commutavit:
Ἔστι τόκος πρὸ τόκοιο, τόκος γε μὲν ἐστὶ καὶ ἄλλος.
Id eſt,
Vſura uſura prior, uſura altera ſane eſt.
In eos accommodari poteſt, quibus alia uſura ex alia naſcitur. Vnde natum ſit adagium, Euſtathius interpretans Homeri Bœotiam indicavit. Scribit enim juxta eos, qui de populis conſcripſerūt treis fuiſſe Pylos: unam Meſſeniæ, alteram Triphyliæ, tertiam Arcadiæ Triphyliacam obtinuiſſe Neſtorem. Idem Geographum teſtem adducit, Strabonem opinor, qui treis item Pylos conſtituerit in Peloponneſo. Tractat autem hac de re Strabo lib. Geographiæ octavo, demonſtrans fuiſſe multas hujus nominis urbes, quarum unaquæque ſibi vendicaverit Neſtorem, ob viri celebritatē. Quanquam idem poſt autumat, Neſtoris patriam fuiſſe, ut utraque parte Alphei. Alluſit ad adagium Ariſtophanes in Equitibus:
Ἀλλὰ τί δὲ φρᾶς ὦ, περὶ πύλῳ πύλον νῦν σοί φράζεις,
Ἔστι πύλος πρὸ πύλοιο. τί τοῦτο λέγει πρὸ πύλοιο;
Id eſt,
Hoc age dic, Pylus ante Pylum eſt, quam tu mihi narras.
Eſt Pylus ante Pylum, ſibi quid vult ante Pylum iſtuc?
Interpres adſcribit verſiculum, quem paulo ante citavimus è Plutarcho, proditum oraculo fuiſſe.

Felix qui nihil debet.

Εὐδαίμων ὁ μηδὲν ὀφείλων, id eſt, Felix qui nihil debet. Sententia Græcis celebrata: quam facile bis veram dicet, qui periculum fecerit, quid ſit ære alieno obſtrictum eſſe. Qui non ſit expertus, is Plutarchi commentarium evoluat. De vitandis uſuris: quamque ſit miſerum debere, facile cognoſcet. Quid enim calamitoſius quam toties erubeſcere: toties perfricare faciem, fugitare, latitare, mentiri, diſſimulare: nunc ſupplicem agere, nunc flagitare: palam appellari, vitari, notari digito: breviter, nunquam tui juris eſſe? Nam hæc cumq; his multa alia incommoda ſecum adfert æs alienum. Extat in hanc ſententiam epigramma Græcum hujuſmodi, titulo Automedontis:
Εὐδαίμων, πρῶτον μὲν, ὁ μηδενὶ μηδὲν ὀφείλων.
Εἶτα δ' ὁ μὴ γήμας· τὸ τρίτον, ὅς τις ἄπαις.
Ἢν δὲ μανεὶς γήμῃ τις, ἔχει χάριν, ἢν κατορύξῃ
Εὐθὺς τὴν γαμετὴν, προῖκα λαβὼν μεγάλην.
Ταῦτ' εἰδὼς, σοφὸς ἴσθι· μάτην δ' Ἐπίκουρον ἔασον,
Ποῦ τὸ κενὸν ζητεῖν, καὶ τίνες αἱ μονάδες.
Id eſt,
Qui nulli debet, fortunatiſſimus ille eſt.
Proximus huic cœlebs: tertius orbus erit.
Quod ſi quis demens uxorem duxerit illi
Hæc ita res demum commoda grata feret:
Eveniat ſi fors, ut grandi dote recepta,
Protinus uxorem deferat in tumulum.
Hæc doctus ſapies: Epicurum quærere fruſtra.
Qua ſit inane ſinas, quæque ſicut monades.
Plutarchus in libello, cui titulus, περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, ſcribit Perſis duo fuiſſe peccata: primum debere, proximum mentiri. Nam ea judicabant cohærere, quod qui ſunt obærati, ſæpius cogantur mentiri. Quod autem refert Plutarchus, eſt apud Herodotum lib. 1.

Animam debet.

Vide in loco, Paupertas.

Semel rubidus, ac decies pallidus.

Ἅπαξ πυῤῥὸς καὶ δέκακις χλωρός, id eſt, Semel rubidus, & decies pallidus. Suidas admonet dictum de iis, qui mutuum accipiunt, quos neceſſe eſt crebro tum rubeſcere pudore, tum metu palleſcere. Rubeſcere, dum petunt mutuum: palleſcere, dum ſolvendo non ſunt, & metuunt, ne trahantur in jus, aut in nervum.

APPEN-

APPENDIX PROVERBIORVM ERASMI, IVNII, COGNATI, ET ALIORVM.

Typographus Lectori.

Quum, Lector benevole, pene finem operi impoſuiſſem, animadverti pleraque proverbia Eraſmi prætérita ab iis qui prius in locos ea digeſſerant: & accidit etiam ut quædam nobis elapſa ſint in aliis: quæ tu ne merito deſiderares, viſum eſt in appendicem colligere, & eadem eodem locorum ordine tibi exhibere. Ea tu, quæſo, noſtrumq; laborem, æqui boniq; conſule.

ABERRANDI.

ERASMI. Nec propius ferire.

Οὐδ' ἴκταρ βάλλει, id eſt, Ne propius quidem ferire dicuntur qui procul abſunt à ſcopo, multoque intervallo aberrant à re propoſita. Sumptum eſt ab imperitis ſagittariis: cujuſmodi cum Diogenes ille Cynicus conſpexiſſet, proxime ſcopum conſedit: rogatus quid ſibi vellet. Ne me feriat, inquit: innuens quidvis illum tacturum potius quam ſcopum. Ergo qui nimium aberrant à ſigno, οὐδ' ἴκταρ βάλλειν dicebantur. Perinde valet quaſi dicas, οὐδὲν ὅμοιον, id eſt, Nihil ſimile, οὐδ' ἐγγύς dixit Homerus. Vſurpavit hoc adagium Plato libro de Repub. 9. καὶ ταῦτα δὴ πάντα, ὡς τύραννος πρὸς πλοῦτόν τε καὶ ἀθλιότητι πόλεως παραβαλλόμενα, τὸ λεγόμενον οὐδ' ἴκταρ βάλλει, id eſt, Hæc quidem ſane omnia ad tyrannum collata, malitia miſeriaque civitatis haudquam accedunt ad ſcopum, ut proverbio dici ſolet. Suidas admonet, e linguæ proprietate dictum proverbium, velud & illud quod proxime ſequitur. Huc alluſiſſe videtur Lucianus in Dialogo quem inſcripſit, ὑπὲρ τῶν εἰκόνων. μηδ' ἄν τῶν τηλικούτων ἀξίαν μηδ' ἴκταρ, id eſt, Neque enim eſſe me tantis laudibus dignam, ne prope quidem. Item Ariſtides in Miltiade, πολλοῦ δεῖ ταῦτα, οὐδ' ἐγγύς, id eſt: Multum abeſt, ut hæc ita ſe habeant. Adagium hoc referendum in gregem illorum quæ commemoravimus alibi, τῆς θύρας ἁμαρτάνειν, &, Toto errare cœlo: &, Tota errare via.

COGNATI. Ex pharetra obſcura ſagittare.

Ficinus in Timæum: Si quem illorum aliquis de re interroget, tanquam ex pharetra obſcura verbula depromentes ſagittant. Idque unum obſervandiſſime curant, &c. Alibi. Nugantur de ſublimibus, ex Philoſophia, vel de amatoribus. Item. Scopus nullus propoſitus: &, A ſigno aberrare.

ABSVRDA.

Baccæ egent oleo.

Τὰ στέμφυλα δεῖται ἐλαίου, id eſt, Baccæ egent oleo. Neque enim credibile eſt, illi opus eſſe oleo, unde naſcitur oleum. E baccis autem olivarum exprimitur oleum. Cognatum illi quod alibi retulimus, Ipſi fontes ſitiunt.

Delphinum ſylvis appingit, fluctibus aprum.

Horatius in Arte Poetica, proverbiali ſchemate dixit:

Delphinum ſylvis appingit, fluctibus aprum.

Indocti Poetæ ſtultitiam taxans, qui multa non ſuo loco neque tempeſtiviter deſcribit: perinde quaſi pictor delphinum piſcem, juxta Callimachi dictum, in nemoribus pingeret, rurſus aprum in undis. Confine illi, ἐν φακῇ τὸ μύρον, i. In lenticula unguentum.

Magno flumini rivulum inducis.

Ποταμῷ μεγάλῳ ὀχετὸν ἐπάγεις, id eſt, Magno flumini canalem inducis, id eſt, maximis rebus puſillum & inutile momentum addis. Commemoratur à Suida. Finitimum eſt illis, Sylvæ addere ligna, mari aquam, ſoli lucernam.

Poſterius dictum.

Doctum doces, Memorem mones, Scienti loqueris, aliaque ejus formæ, antea retulimus. Eundem ſenſum feſtiviſſime extulit Plautus in Aſinaria, quum enim Demænetus queritans de moribus uxoris dixiſſet. Fateor eam eſſe importunam atq; incommodam: reſpondit Libanus ſervus. Poſterius iſtuc dixti quam credo tibi, hoc eſt, ſciebam priuſquam diceres. Nec video quamobrem Nonius hic poſterius interpretetur minus. Ne id quidem caret proverbiali ſchemate quod mox ſequitur, Tu primus ſentis, nos tamen prænoſcimus. Dedecus ille domus ſciet ultimus, ait Satyricus, & Terentius, Is ſolus neſcit omnia. Sed aliena mala licet priores intelligamus, non dolent nobis. Senſus igitur mali primum ad illos pervenit ad quod res attinet, notitia ad alios.

Sellam oleo ne abſterſeris.

Ἐλαίῳ θᾶκον μὴ ἀπομόργνυσθαι, id eſt, Ne ſedem abſterſeris oleo. Ne hujus interpretamentum occurrit. Arbitror tamen, non eſſe abutendum rebus optimis ad ea, quibus neque dignæ videantur, neque utiles.

EX APPENDICE ERASMI.

Ollam exornas.

Χύτραν ποικίλλεις. De re abſurda, qualis eſt vaſi uſibus culinariis deſtinato picturæ lenocinium adhibere, & bracteis aureis inaurare juglandum putamina.

ADVLATIO.

ERASMI. Blandius alloqui.

In eum qui blandius & honorificentius compellat aliquem, gentilitiis etiam prænominibus additis, Quinte puta, aut Publi, videlicet quo gratiam aliquam ineat apud illum recte torquebitur illud quod eodem in libro dictum ab Agamemnone, jubente Menelaum blandiri copiis Græcorum:

Πατρόθεν ἐκ γενεῆς ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον

id eſt,

Compellans patris ac gentis cognomine quemque.

Palpo percutere.

Palpo percutere dicitur, qui blanditur, ac ſpem inanem verbis injicit. Plautus in Mercatore: Liberum caput tibi faciam, paucos menſes. Palpo percutis. Egon' auſim unquam quicquam facinus falſum proloqui: Idem alibi: Mihi obtrudere non potes palpum. Tranſlatum ab equiſonibus, qui plauſu manus blandiuntur equis. Vergilius tertio Georgicôn libro.

Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare.

Horatius in Satyris:

Cui male ſi palpere, recalcitrat undique tutus.

Roſas loqui.

Ῥόδα μ' εἴρηκας: i. Roſas mihi locutus es, id eſt, verba gratiſſima, & roſarum inſtar amabilia. Suidas ex Ariſtophane citat, apud quem eſt ἐν τοῖς Γεωργοῖς. Sic & Plautus in Pœnulo: Obſecro hercle, ut mulſa loquitur. Huic affine Perſianum illud:

Non nunc è tumulo, non nunc è manibus iſtis
Naſcentur violæ.——— Ac rurſum:
———Quicquid calcaverit hic, roſa fiat.

Cui plane diverſum eſt illud ex Aularia Plauti, Lapides loqueris, quod illi dicta quaſi cerebrum excuterent.

Auribus dare.

C. Trebonius epiſt. Cic. lib. 12. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare, id eſt, tibi aſſentari, & blandiri. Seneca, libro De clementia 1. cap. 1. Quæ non compoſita, nec alienis auribus data ſubito crepuit, id eſt, in gratiam audientium prolata, ſic ut nihil aliud quam aures delinirei.

ÆQVALITAS.

COGNATI. Eadem menſura redde, qua accepiſti.

Heſiodum præceptum eſt, quod eadem menſura reddere jubet, qua acceperis: aut etiam cumulatione, ſi poſſis. Alioqui. Qua menſura uſi fueritis erga alios, eadem rependetur vobis, inquit Chriſtus Matth. 7. & Marci 4. Id vulgo frequenter uſurpatur. Cic. epiſt. Ad Atticum lib. 13. Ego autem me parabam ad id quod ille mihi miſiſſet, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον ſi modo potuiſſem. Nam hoc etiam Heſiodus adſcribit, αἴκε δύνηαι. i. Aut menſura eadem, aut melius quoq;, ſi qua facultas ſuppetat. Idem de Officiis primo. Quod ſi ea quæ utenda acceperis, majore menſura, ſi modo poſſis, jubet reddere Heſiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus, an imitari, &c. Idem De claris oratoribus. Quanquam illud Heſiodeum

ſiodeum laudatur à doctis, quod eadem menſura, &c. Heſiodus in opuſculo quod inſcribitur.

Ἔργα καὶ ἡμέραι.

BOVILLI. Rotundæ quàm quadratæ menſæ præſtat accumbere.

Quoties loco, ordinis, bonorum æqualitatem in æqualitati præferemus. Quadratæ enim, præſertim oblongæ menſæ, diſtinctos habere videntur accubitus quoſdam ſupremos, quoſdam imos, alios medios. Rotundæ eam diſtinctionem ignorant. Hinc non abludit proverbium, quo nos paſſim curam, affectationem, fucum damnare, ſimplicitatem commendare ſolemus: Il eſt tout rond.

ALIA ALIIS PLACENT.

ERASMI. Patria ſua cuique jucundiſſima.

Vnicuique ſua patria jucundiſſima, quæcunque contigit. Homerus Odyſſ.

Ὡς οὐδὲν γλύκιον ἧς πατρίδος οὐδὲ τοκήων
Γίγνεται. ———

Id eſt:

Vt nihil eſt patria propriiſve parentibus ulli
Dulcius. ———

ALIBI DIMINVTVM ALIBI redditum.

ERASMI. Malum bono penſatum.

Quoties natura dotem aliquam egregiam largitur, verum eadem eam aliquo vitio penſat: aut cum quis beneficium ſuum aliquo vitiat maleficio: quadrabit illud ex Odyſſeæ θ. de Demodoco muſico dictum:

Τὸν περὶ μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε.
Ὀφθαλμῶν μὲν ἄμερσε, δίδου δ' ἡδεῖαν ἀοιδήν.

[illegible] id eſt,

Hunc alios ultra dilexit muſa, deditque,
Atque boni, atque mali quiddam. Nam lumina ademit:
At dedit emulcere ſuavi pectora cantu.

ALIENA A RE.

ERASMI. Pereant amici, &c.

M. Tullius in oratione pro Deiotaro rege refert hunc verſiculum, ut proverbio jactatum.

Pereant amici dum una inimici intereant.

Dicit eandem ſententiam Græco quoq; verſiculo celebrari, quem nondum comperi. Niſi forte is eſt cujus fragmentum ante retulimus: *ἐῤῥέτω φίλος σὺν ἐχθρῷ*, id eſt, Valeat amicus cum inimico. Ciceronis verba ſubſcribam: Itaque cum eſſet ei nunciatum, Domitium naufragio periiſſe, etiam te in caſtello circumſederi, de Domitio dixit verſum Græcum eadem ſententia, quæ etiam nos habemus Latinum,

Pereant amici, dum una inimici intereant.

Quod ille ſi eſſet tibi inimiciſſimus, nunquam tamen dixiſſet: ipſe enim manſuetus eſt, verſus inanis. Congruet in illos, qui nec amicis, modo quod impenſe cupiunt, aſſequantur. Verſus autem non ſolum inanis eſt, verumetiam immanis; quam humanitatis ſit, & inimicos multos ſinere, ne lædas amicos. Neque dubitem contendere, à Cicerone immanis ſcriptum, quod ſcriba depravarit in inanis: quum manſuetus nõ reſpondeat inanis, ſed immanis nec in hoc verſu quicquam ſit inane, hoc eſt, glorioſum aut frivolum, ſed feritas homine indigna. Quanquam carmen apud Ciceronem non ſatis conſtat ſuis numeris, conſtabit, ſi legas.

Pereant amici, inimici dum intereant ſimul.

Talis eſt & ille quem alibi retulimus,

Me mortuo terra incendio miſceatur.

AMICITIA.

ERASMI. Panem ne frangito.

Ἄρτον μὴ καταγνύειν, id eſt, Panem ne frangito. Admonet non eſſe dirimendam amicitiam: propterea quod antiquitus amicitia pane conciliabatur. Vnde & Chriſtus Princeps noſter diſtributo pane, perpetuam inter ſuos amicitiam conſecrabat. Proinde non convenire frangi id, per quod amici conglutinarentur.

Verbotenus amicus.

In eum qui ſimulat oratione benevolentiam: cæterum longe diverſa parans in animo, quadrabit illud ex eodem libro.

——— *θέλγε δὲ θυμὸν*
Μειλιχίοις ἐπέεσσι· νόος δέ οἱ ἄλλα μενοίνα.

Id eſt,

—Animum præmollibus iſti
Leniebat dictis, at mens diverſa putabat.

A M O R.

ERASMI. Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Hunc verſum Craſſus orator uſque adeo vulgo jactatum ait, ut Tarracinæ paſſim in omnibus parietibus inſcriptus viſeretur. Fabula unde natum eſt adagium, ſic habent. Memmius quidam Romanus cum ageret Tarracinæ, muliérculam quandam deperibat, ſed non citra rivalem. Cum hoc igitur cum aliquando rixa incidiſſet, eo iracundiæ, provectus eſt Memmius, ut Largi (nam id Rivali nomen) brachium mordicus arriperet. Ea res poſteaquam in popularem abiit jocum, faceti quidam & *φιλόγελοι* ſenarium hunc in omnibus ejus urbis parietibus quinq; literis notarunt, depictis tribus LLL. & duobus MM. videlicet ut advenis percunctandi adminiſtrarent occaſionem Itaq; cum M. Craſſus Tarracinam aliquando veniſſet, admiratus novum literarum ænigma, ſenem quendam oppidanum percunctatus eſt, quidnam ſibi vellent ejuſmodi literæ. Atque is expoſita fabula, verſiculum explicuit:

Lacerat lacertum Largi mordax Memmius.

Hujus rei mentionem fecit M. Tullius libro De oratore 2. Tametſi L. Cæſar, qui hæc loquitur apud Ciceronem, exiſtimat narrationem hanc totam in Memmium adverſarium, dedita opera confictam fuiſſe.

Non ſoli Atridæ amant uxores.

Quoties ſignificabimus ſuam cuique dolere injuriam, contumeliam, aut damnum, nec oportere quenquam impune lædi, conveniet Homericus ille verſus ex Iliad. ι.

Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι.

Id eſt,

Num ſolis hominum Atridis affectus amorque
Vxorum eſt?

Eum Sextus Cœlius, citante Vlpiano, ceu vulgo jactatum adfert lib. Pandect. 46. titu. ad legem Juliam de adulteriis, lege, ſi uxor. Virgilius imitatus eſt lib. Æneid. 9.

——— Nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor.

COGNATI. Amor tuſſiſque non celatur.

Pervulgata vox eſt, & quæ vim proverbii habet, qua negamus amorem tuſſimque cælari poſſe: quod hujuſmodi ſint morbi, alter animi, corporis alter, ut invitis nobis intelligantur, & quaſi ſorices ſuo indicio deprehẽdantur. Sententia ſimilis eſt apud Antiphanem comicum, ac pene eadem in epitome libri primi Athenæi. Medea apud Ovidium, Jaſoni.

———Quis enim bene celat amorem?
Eminet indicio prodita flamma ſuo.

Apud eundem Paris Helenæ,

———Quis enim celaverit ignem?
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo.

Deliciæ meæ.

Hoc blandimento utebantur Romani in rebus chariſſimis appellandis. Catullus ad paſſerem Lesbiæ:

Paſſer, deliciæ meæ puellæ.

Idem poſt.

Amabo mea dulcis Ipſithilla,
Meæ deliciæ, mei lepores.

In veteribus monumentis Romæ mariti conjuges ſuas, & matres filias blande vocant, Delicio ſuo chariſſimo. Mart. de ſua puella libro 7.

Accidit infandum noſtræ ſcelus Aula puellæ,
Amiſit luſus, deliciaſque ſuas.
Non quales teneri ploravit amica Catulli
Lesbia nequitiis paſſeris orba ſui.

Pro eo idem ibidem deſiderium capit.

Cum deſiderio meo nitenti.

Id eſt,

puellæ meæ. Cic. ad Terentiam: Meum deſiderium, mea lux. Item, mea vita, apud eundem Catullum ſæpiſſime. Author carminum in Priapum,

Deliciæ populi, toto notiſſima circo,
Quinctia, vibratas docto movere nates.

Oculis geſtare.

Proverbiale eſt & hoc oculis geſtare, ſive ferre, & gerere. Terentius in Eunucho.

G. Rex te ergo in oculis. T. ſcilicet G. geſtare.

pro inſigniter amare. Translatum a matribus, liberos ſuos amantibus, à quibus non dimovent oculos, ſolicitæ ne quid illis accidat incommodi. Exemplis caret Eraſmus noſter.

ANCEPS ET DVBIVS.

ERASMI. Anceps eventus rei.

Cum ancepsrei diſcrimen ſignificamus, & incertum utro vergat victoria, congruet illud ex eodem libro.

Καὶ

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα.

id eſt,

Tum pater auratas librabat utrinq; bilances.

Idem eſt Iliad. χ.

Nec Deus, nec homo.

Hoc ſchema proverbiale frequenter obvium eſt apud Poetas; Diis hominibuſque invitis, Proh deum atque hominum fidem. Ibi de divinis atque humanis cernitur. Horatius,

Non dii, non homines, non conceſſere columnæ.

Pindarus in Pythiis hymno 3. κλέπτει νιν, οὐ θεὸς, οὐ βροτὸς ἔργοις οὔτε βουλαῖς, id eſt: Nec Deus illum fallit, nec homo, nec factis nec conſiliis. Laudat Apollinem, qui quum omnia ſciat, nihil tamen mentiatur.

Neque intus, neque foris.

Irenæus lib. 1. cap. 9. refert hoc proverbium, dicens hoc quadrare in mulierculas quaſdam, quæ cum intelligerent ſe fuiſſe deluſas à diſcipulis Valentini, non tamen ſe committebant Eccleſiæ, ut remedio pœnitentiæ reciperentur in conſortium unde diſceſſerãt: ſed inter utrumque degentes, nec Valentinianis adhærebant, nec Eccleſiæ ſeſe reconciliabant. Simili figura dicunt hodie, Neque caro eſt, neque piſcis de homine qui ſibi vivit, nec ullarum eſt partium.

IVNII. *Aliud problema.*

Ἄλλο πρόβλημα, id eſt, Aliud problema ſeu controverſia. Cicer. l. 6. ad Atticum vice adagii uſus eſt: Dies deceſſionis quum advenerit, ἄλλο πρόβλημα, quam præficiam. Indicat ſe in procinctu quum demigrandum erit, per occaſionem & ex re nata conſilium eſſe capturum de præficiendo aliquo. Vti eo licebit, quando diſceptationi locum eſſe, & opinionem forte mutaturos non pro loci & temporis ratione oſtendimus.

Per quædam fideicommiſſa.

Arnobius libro adverſus gentes 6. indicat receptum fuiſſe ſua ætate adagium iſtud, pro eo, quod per alium fit aliena fide & aliena ex authoritate, ubi loquitur de diis gentilium per ſimulachra cultis: Per tramites ergo, inquit, quoſdam & per quædam fideicommiſſa (ut dicitur) veſtras ſumunt atque accipiunt cultiones. Eſt autem fideicommiſſum, ultimi elogii ſpecies, quo teſtator alienæ fidei credit, quod alteri ſit daturus, veluti ſi dicamus de L. Flori hiſtoriarum compendio, aut de Sexti Pompeii collectaneis, quod Titi Livii hiſtorias à Lu. Floro, & Verrii Flacci lexicon à Sex. Pompeio per quædam fideicommiſſa accepimus, licet parum integra fide.

BRASSIC. *Rectis an inclinatis haſtis.*

Lyſander apud Plutarchum in Apophthegmatis, cum per agros Bœotiorum agmen duceret, atque dubitaret, cui tandem parti illi adhærerent, miſit ad eos interrogans an per eorum regionem ὀρθοῖς τοῖς δόρασιν ἢ κεκλιμένοις id eſt, erectis an inclinatis lanceis proficiſci poſſet. Nimirum an ut amico, ſive ut hoſti iſtic ſibi tranſeundum eſſet.

COGN. *Scrupulos inicere.*

Audieram morem eſſe tuum, nihil aliud quam dubitare, & aliis ſcrupulos dubitationum injicere. In Philebo: Quo dubitationum ſcrupulos injicis. Scrupulus quidam reſtat, qui me male habet, quem videlicet Protagoras facile eximet.

APERTE.

ERASMI. *More Romano.*

M. Tullius non ſine proverbii ſpecie dixit, More Romano: pro eo quod eſt, ſimpliciter & abſque fuco potius quam erudite. Tales enim fuerunt illi Romani priſci, Græcorum diſſimiles. De quo, inquit, hominem tibi ſpondeo, non illo vetere verbo meo, quod quum ad te de Milone ſcripſiſſem, jure luſiſti, ſed more Romano, quum homines non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem eſſe neminem. Penes Romanos erat ruſticana veritas. Talem inducit libro De finibus ſecundo. Quod noſtri quidem optime diſputant, nihil opus eſſe eum qui Philoſophus futurus ſit, ſcire literas. Itaque ut majores noſtri ab aratro adduxerunt Cincinnatum illum, ut dictator eſſet, ſic vos de Pelaſgis omnibus colligite, bonos quidem viros, ſed certe non ſemper eruditos. Idem ad Trebatium l. 6. Balbus mihi confirmat te divitem futurum: id utrum Romano more loquutus ſit, bene nummatum te futurum, an quando Stoici dicunt, omnes eſſe divites qui cœlo & terra frui poſſunt, poſtea videro. Romano more dixit, pro indocto & ſimplici. Nam Stoici ſubtiliter definiunt divitem ac pauperem. Ac mox ad eundem: Ego te Balbo quum ad vos proficiſcetur, more Romano commendabo.

ARROGANTIÆ ET IACTANTIÆ.

ERASMI. Αὐτοβοεῖν.

Ante retulimus proverbium, αὐτὸς αὐτὸν αὐλεῖ, id eſt, Ipſe ſui tibicen eſt. Huic ſimillimum eſt, quod unico verbo Græci dicunt αὐτοβοεῖν, ſi quis ſua voce ſeipſum prædicat, hoc eſt, ipſe ſui præconem agit. Solent enim præcones hominum venalium artes ac dotes evulgare, quo magis emptorem irritarent. Ridiculum autem habetur, hominem ſui præconem eſſe. Congruit cum eo quod alibi diximus, οἴκοθεν ὁ μάρτυς. Proverbium refertur apud Suidam. Simili figura dicunt Attici, αὐτοῖς ῥέμμασιν ἀπόλλυται, Vna cum ipſis dicens pereat. Et Ariſtophanes in Equitibus: τὸν Παφλαγόνα αὐτοῖσι βουλαῖς ἐξολέσειαν οἱ θεοί, id eſt, Paphlagonem ipſis cum conſiliis perdant dii. Et mox: αὐταῖς ἀβουλίαις, id eſt, Vna cum ipſis calumniis.

Camarine loqui.

Huic non diſſimile eſt quod extat apud eundem, καμαρινὸν λέγειν, id eſt, Camarine loqui: pro eo quod eſt, audacter, præcise & ſeveriter loqui. Vnde natum ſit, non ſatis liquet, niſi quod Juvenalis Camarinos inter vetuſtæ nobilitatis familias recenſet.

—Ne tu, inquit, ſis Creticus aut Camarinus,

Heſychius indicat, militum zonas dici καμάρας. Itaque fieri poteſt, ut ab horum ferocia proverbium duxerit originem. Idem docet columnas quaſdam, in quibus erat depictus Aſiæ circuitus, dictas καμάρους. Fortaſſis ab hac oſtentatione dicti ſunt καμαρινεῖν, loqui qui ſeſe jactarent barbarico more. Rurſum idem oſtendit, καμάρας dici cubile, in quo ſunt plures cameræ. In ſuo quiſque cubiculo quæ vult loquitur. Poſſem adferre plures divinationes niſi vererer has ipſas eſſe plus ſatis lectori.

Philippi Gallus.

Φιλίππου ἀλεκτρυών, id eſt, Philippi gallus. Hoc dictari conſuevit, ubi quis de levi quopiam facinore, perinde ut maximo ſeſe jactaret. Nam Alectryon dux quidam erat Philippi regis, quem Chares Athenienſis confecerit. Apparet autem Charetem hunc hujus facti, nimirum crebro, nimiſque inſolenter apud populum Athenienſem verba facere ſolere, ut hinc vulgo ſit uſurpatum. Recenſetur apud Zenodotum.

Nos decem Rhodienſes, decem naves.

Ἡμεῖς δέκα Ῥόδιοι, δέκα νῆες, id eſt, Nos decem Rhodienſes, decem naves. In eos torquendum, qui nimium ſuis tribuunt viribus. Natum videtur à dicto Thraſonis cujuſpiam, qui decem homines, decem navibus oppoſuerit. Niſi malumus ad Homericum illud referre.

> Τληπόλεμος δ' Ἡρακλείδης ἠΰς τε μέγας τε
> Ἐκ Ῥόδου ἐννέα νῆας ἄγεν Ῥοδίων ἀγερώχων.

Id eſt,

> Tlepolemuſque Heraclides, magnuſque bonuſque
> Ter ternas naves Rhodiis præſtantibus aptas
> E Rhodo egit.

EX APPENDIC. ERASMI.

Πτωχαλαζών.

Pauper divitiarum oſtentator: ab ἀλαζονεύεσθαι, gloriari. Athen. Quid ſi hoc intelligatur de paupere inſoleſcente, qui ſit rerum meliorem ſucceſſum nactus? ut huc referamus Juvenalis illud,

Aſperius nihil eſt humili cum ſurgit in altum.

IVNII. *Piſandri galea & ſupercilium.*

Πεισάνδρου λόφοι καὶ ὀφρύες, id eſt, Piſandri apices galeæ & ſupercilia. Quadrat in Thraſones, qui ſuperciliis & galea tenus formidabiles ſunt, & conflictus neſcio quos & duella crepant, ut Plautinus ille Pyrgopolinices facit: quum ferme tales poſt principia ſtent, Terentiani illius militis more, timidi, atq; imbelles. Piſandri timiditas etiam proverbio locum dedit, is procero corpore fuiſſe ſcribitur, ſed ſupra modum meticuloſus: unde & Aſinus Cnidius cognomento fuit dictus: utebatur autem galea tribus conis & apicibus inſigni, ſpecioſiſque armis ut vel ea parte fortitudinis nomen aucuparetur. Sic Miles glorioſus apud Plautum, clypeum ſplendidiorem vult eſſe, quam ſolis radii ſunt, ut oculorum aciem hoſtibus præſtringat. Extat adag. apud Ariſtoph.

Aſtydamæ in morem.

Σαυτὴν ἐπαινεῖς, ὥσπερ Ἀστυδάμας, γύναι. Laudas teipſam, mulier, Aſtydamæ in modum, fuit enim Aſtydamas hiſtrio, cui ſtatua in theatro ponenda decreta fuerat, quod in agendo Parthenæum ſeſe naviter & ſcite geſſiſſet. Titulum ergo ſibi fecit, inq; concionem, quo ab omnibus approbaretur, attulit hujuſmodi,

> Εἴθ' ἐγὼ ἐν κείνοις γενόμην, ἢ κεῖνοι ἅμ' ἐμοί,
> Οἱ γλώσσης τερπνῆς πρῶτα δοκοῦσι φέρειν·
> Ὡς ἐπ' ἀληθείας ἐκρίθην ἀφεθεὶς παράμιλλος·
> Νῦν δὲ χρόνῳ προέχουσ', οἷς φθόνος οὐχ ἕπεται.

Id eſt,

> Vixiſſent utinam mecum illi, aut inter ego illos,
> Quos penes eſt linguæ ſuaviloquentis honos:
> Præmia prima equidem citra certamen haberem,
> Nunc adimunt, in quos nil habet invidia.

At vero ſuffragiis populi decretum, ne moleſtus ille titulus inſcriberetur. Ea res primum comœdiæ jocis agitata, poſtea in proverbium abiit. Imo & hodie, malignos eſſe vicinos illi dicimus, qui ipſe laudator ſit ſui. Suid. Zenod. Julian.

BRASSIC. Ῥήματα ἱπποβάμονα.

Ariſtophanes in Ranis appellat ῥήματ' ἱπποβάμονα, verba quæ in rupium & ſcopulorum morem grandia ſunt, quæ & ἱπποβάμονα vocat nimirum ita ſublimia, tanquam equis veherentur: unde interpres ibidem & Suidas etiam admonent, dictionem ἵππος in compoſitione ad magnitudinem pertinere: quemadmodum ἱππόκρημνος Æſchini, apud Dioſcoridem Hipposelinon, & Virgilio noſtro in Georg. Hippomanes dicitur. Senec. lib. 1. Suaſoriarum ſcribit. Seneſionem quendam cognomento Grandionem fuiſſe dictum. qui nihil niſi grande dicebat, ſervos habere nolebat niſi grandes, & argentea vaſa non niſi grandia: atq; eo pervenit inſania ejus, calceos majores ſumebat, ficus non edebat niſi mariſcas. omnia grandia probabat, &c. Ejuſmodi grandionum hac ætate innumerabilem gregem invenias. qui res ferè omnes, mole, non utilitate ſolent expendere, Neque vero quod Cic. dixit optimam eſſe Demoſthenis orationem, quæ ſit longiſſima, & Ariſtoph. Poetæ longiſſ. quiſque verſus Archilochi gratiſſ. & dulciſſ. erat: itidem & ego conceſſerim omnes illos meliores eſſe libros, qui ſint grandiores, nam Athenæus l. 3. Dipnoſoph. memorabile verbum hoc citat ab exordio: Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς τὸ μέγα βιβλίον ἴσον ἔλεγεν εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ.

ASPERITAS ET MOROSITAS.

ERASMI. *Tertius Cato.*

Tertius Cato, proverbialis eſt ironia. In viros impendió tetricos, atq; alienæ vitæ cenſores. Nam duorum Catonum, ſenioris, cui nomen Cenſorio, & minoris, cui nomen Vticenſi, gravitas pariter atq; integritas, vulgo celebratiſſime quondam fuit: adeo ut è cœlo demiſſi dicerentur, ut bellum cum vitiis gererent. Juvenalis.

——Habeat jam Roma pudorem,
Tertius e cœlo cecidit Cato.

Rubo arefacto præfractior.

Ἀγναμπτότερος βάτου αὔου, id eſt, Rigidiſſimus rubus aridus, aut, ἀγναμπτότερος βάτου αὔου, i. Rigidior arido rubo. Proverbialis eſt comparatio, in difficilem atque inexorabilem, ac præfractum & ſuorum, ut vulgo vocant, morum hominem. Quod genus homines Græci vocant αὐθέκαστους, id eſt, ſuo quodam inſtituto viventes, expertesque lenius communis. Refertur adagium à Suida ſimul & à Zenodoto. Ductum admonet à rubo, qui ſimulatque exaruit, rumpi poteſt, inflecti nequaquam. Vnde & in ſenes accommodatius dicetur, ætatis vitio difficiliores.

Ὁλόσχοινος.

Alibi retulimus ex oratione Æſchinis, ἀεὶ ὁλοσχοίνου ἀτεράμων, quũ lexicographi pro ὁλοσχοίνου, habeant ὀλοσχίνου, qui adjecit ſcholia in Demoſthenem, citat orationem Æſchinis adverſus Demoſthenem περὶ παραπρεσβείας, & Theophraſtum in 4. lib. Apud Æſchinem reperti ὁλοσχοίνου: Similiter Theophraſtus lib. De plantis 4. inter ea quæ proveniunt in aquis, tacit (quod admonet ſcholiaſtes) tria σχοίνων h. e. ſparti ſive junci genera: quorum unum ſit acutum, quod appellant maſculum. i. infrugiferum: alterum frugiferũ quod à nigro fructu vocant μελαγκρανίν: tertium, quod dicitur ὁλόσχοινος, pinguitudine, magnitudine & calloſitate cæteris præſtans. Hoc ultimum putat accommodatius ad plectendos funes, quod mollius ſit & carnoſius. Dioſcorides l. 4. paulo ſecus diſtinguit genera. ſed admonet, tertium quod ὁλόσχοινος dicitur, eſſe cæteris & aſperius & calloſius. Vt autem quidam pro σχοῖνος ſcriberent, ἐχῖνος, ſuſpicor in cauſa fuiſſe, quod Theophraſtus meminit carnoſitatis: quaſi novum ſit audire carnem mali aut ceraſi Echinus tamen terreſtris, quem appellant Erinaceum. in hoc convenit holoſchœno, quod habet aſperitatem: unde & cutis detracta eum ſpinis, utilis eſt ad defricanda vaſa. Proinde dictum videtur de duro & procaci ſermone, quo velut os alicui percellimus. Hoc quicquid eſt appendicis, lectorem celare nolui.

Gallica glacie frigidius.

Apud Petronium Arbitrum extat proverbium, quod non prætereundum eſt, Frigidior Gallica hyeme. Gallia enim, quæ ad Septentriones tota pene vergit, horridiorem & ſeveriorem experitur hyemem: Ego autem, inquit, frigidior hyeme Gallica factus, non potui verbum emittere.

A V A R I T I A.

ERASMI. *Quæ deciderint, ne tollito.*

Τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι, id eſt, Quæ deciderint, ne tollas. Admonet ut aſſueſcamus moderatius cibum ſumere. Ariſtophanes in Heroibus, teſte Laertio, ſuperſtitioſam hujus ſymboli cauſam adfert Heroum enim eſſe quæ ceciderint e menſa. eoq; nefas guſtare. Alii ſic efferunt μηδὲ γεύεσθαι ἀπὸ τῶν ἐκπιπτόντων τῆς τραπέζης κατὰ μικρόν. i. e. Ne guſtato, quæcunque in menſa deciderint.

Vel a mortuo tributum auferre.

Κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρει. i. Etiam à mortuo tollit. In hominem undecunque per fas nefasq; lucrum captantem. Ariſtoteles lib. Rhetor. 3. tractans de iis, quæ pudenda habeantur: οἷον, inquit, κερδαίνειν ἢ ἀπὸ μικρῶν ἢ ἀπ' αἰσχρῶν, ἢ ἀπὸ ἀδυνάτων· οἷον πενήτων ἢ τεθνεώτων. ὅθεν καὶ ἡ παροιμία, τὸ κἂν ἀπὸ νεκροῦ φέρειν· διὰ αἰσχροκέρδειαν γάρ. i. e. Veluti ſi quis exigat a pauperibus, ſive à defunctis: unde etiam illud ortum eſt adagium. Etiam à defuncto tollere: propterea quod id à turpi lucri cupiditate proficiſcitur. Finitimum eſt illi:

Αὐτοῦ γε καὶ τοὺς ἀνδριάντας ἄλφιτα.

Id eſt,

Ipſis vel à ſtatuis farinas poſtulat.

Natum à tyrannis qui á ſepulchris, aut defunctorum ſtatuis, vectigal colligunt. Legitur in epiſtola quadam ad Cratetem Diogenis: καὶ τοὺς ἀνδριάντας τοὺς ἐν τῇ ἀγορᾷ περιιὼν αἰτεῖν ἄλφιτα. id eſt, Adi & ſtatuas quæ in foro ſunt, atque ab his cibum poſcito.

Vatum genus avarum.

In Antigona Creon ita loquitur Tireſiæ.

Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος.

Id eſt,

Genus omne vatum eſt appetens pecuniæ.

Hoc nomine olim male audiebant divini augures & haruſpices. Nunc utinam præter meritum idem audiant, qui divina tractant. Vera non poteſt ſemper loqui, qui corruptus muneribus ad hominum gratiam loquitur.

Telemachi olla.

Τελεμάχου χύτρα, id eſt, Telemachi olla. Meminit hujus adagionis Athenæus 9. tradens Telemachum Acharnenſem fuiſſe quempiam, qui plerunq; victitarit fabis. Vnde conjicere licet, in ſordidos dici conſueſſe.

More Carico.

Σχήματι Καρικῷ, id eſt, Figura ſive modo Carico fieri dicebatur, quod ſordide incompoſiteq; fiebat, præſertim in rebus obſcœnis: quod tamen ad alia transferri poteſt, velut ad mores indecoros atque inciviles, ad orationem inconditam. Legimus & πλοίῳ καρικῷ id eſt, Nave Carica.

IVNII. *Fabilibus victitat.*

Κυαμοτρώγειν, id eſt, Fabilibus victitare, dicitur proverbialiter homo ſordidus, qui præ nimia parſimonia quoivis cibos eſitat, ut impenſis parcat. Cratinus comicus, citante Etymologici authore: δυσκολὸν ἔχει τὸ πρόσωπον. ἀπὸ κυάμου ἐσθίειν. proſcindit hominem agreſtem & avarum, vel inde, quod fabarum recrementis veſceretur. Sunt autem κυάμια proprie τὰ ἀποβρασματα τῶν κυάμων, id eſt, fabarum furfures & repurgamenta, quæ Pliniano vocabulo fabilia vocari poſſunt.

COGNATI. Αἰσχροκερδὴς καὶ μικρολόγος.

Simul recenſet Ariſt. l. 1. Magnorum moralium, pro turpi lucro, ſordido & parco, quem minima quæque movent. Plutarchus in Problematibus: ἵνα μὴ πάνυ μικρολογῇ πρὸς τοὺς θεούς. i. e. Ne ultra perparce agas & ſordide cum diis: parcens ſcilicet thuri in ſacrificando. Idem φειδωλός. Eraſmus in Chiliadib. his ſimilia congeſſit in adagio: Cumini ſector.

IVNII. *Nihil hydropico ſiccius.*

Dionyſius Longinus in libello περὶ ὕψους adagium hoc vulgo uſitatum oſtendit: οὐδὲν γάρ φασι ξηρότερον ὑδρωπικοῦ. hoc eſt, Nihil (quod ajunt) hydropico ſiccius. Avarus quo plura habet, eo plura deſiderat: tam enim illi deeſt quod habet, quam quod non habet, ut inquit Seneca.

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops.
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi.
Ceſſerit venis.——

Notum eſt de Heraclito Philoſopho, qui aqua intercute miſere affectus, bubulo ſterquilinio ſe oblevit, addens, ἐπομβρίας ἐνδεῆ, ſe opus habere pluvio madore: aut, ut Philoſtratus refert lib. 1. de vita Apollonii, δεῖσθαι τοῦ ποιήσοντος ἐξ ἐπομβρίας αὐχμόν, indigere ſe eo qui pro madore ſqualorem induceret.

Lari vita.

Λάρου βίον ζῆν, Lari vitam vivere: pro lucri gratia maria omnia obire navigando proverbii ſpecie dixit Ælianus ſophiſta in ruſticis epiſtolis: ἐν τοῖς κύμασι κινδυνεύει καὶ λάρου βίον ζῇ καὶ ἀνέμοις μάχεται διαφόροις. In undis fluctuat. Larique vitam degit, cum ventis diverſis dimicans. Dici cõveniet de mercatore, qui augendi peculii gratia quovis terrarum navigat, & ad extremos etiam Indos decurrit. Larus enim vorax avis e mari victum quæritat, aut lacubus, quam Gaviam Latini nuncupant, & Matron Parodus Chærephontem paraſitum laro aſſimilat famelico, ob inexplebilem voracitatem, ſic enim ait: πεινῶντι λάρῳ ἐναλίγκιος.

AVDACIA.

ERASMI. *Cor calidum in re frigida.*

Iſmene dehortans Antigonem ab audaci facinore, ait:

Θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις.

Id eſt,

Profecto tu cor calidum habes in frigidis.

Alibi diximus, calidum facinus audax & præceps appellari. Frigida hic appellat, quorum feliciter perficiendorum exigua ſpes erat.

AVXILIVM.

ERASMI. Tollenti onus auxiliare, deponenti nequaquam.

Φορτίον συγκαθαιρεῖν, μὴ δὲ συνεπιτιθέναι. Divus Hieronymus hoc ita refert: Oneratis ſuperimponendum onus, deponentib. non cõmittendum. Putatque hunc eſſe ſenſum: Ad virtutem incedentibus augenda præcepta, tradentes ſe ocio relinquendos. Vnde proferẽdum hoc pacto: *φορτίον συγκαθαιρεῖν, μὴ δὲ συναναιρεῖσθαι*, i., Tollenti onus auxiliandum haud adjuvandus tamen qui deponat. Hoc admonendum putavi, quod in quibuſdam impreſſis codicibus depravatum eſt hoc ſymbolum.

Dædali alæ.

Δαιδάλου πτερά, id eſt, Dædali alæ. Dici ſolitum, ubi quis alioqui non ſatis idoneus ad negocium conficiendum artis alicujus, aut auxilii acceſſionem adjungere. Aut cum quis urgente neceſſitate, ad nova confugit conſilia. Nota fabula quæ proverbio miniſtravit occaſionem: nempe de Dædalo, qui novo commento aſſutis alis elapſus eſt e manibus Minois.

Semper aliquem virum magnum.

Ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν. Hoc hemiſtichium M. Tullius ut vulgo jactatum adducit in epiſtola ad Qu. fratrem, cujus initium, Statius ad me venit: Quod autem expectationem tui, concurſumque eum quærerat futurus, ſi una tecum decederet, neque antea viſus eſſet ſuſtulit, id mihi non incommode viſum eſt accidiſſe. Exhauſtus eſt enim ſermo hominum, & multæ emiſſæ jam ejuſmodi voces, *ἀλλ' αἰεί τινα φῶτα μέγαν*: quæ te abſente confecta eſſe lætor. Vnde ſumptum ſit hemiſtichium, nondum liquet, niſi quod fortaſſe pro *αἰεί*, legendum eſt *αἴτει*, id eſt, poſtula: aut *αἰτεῖ*, id eſt, poſtulat & requirit.

Curre denuo.

Τρέχ' αὖθις, id eſt, Curre denuo. Hoc ita refertur à Luciano in tragœdia, cui titulus *ὠκύπους* quaſi ſit in tonſtrina natum. Quanquam totum hoc poema mendis ſcatet, nec ullam habet micam ſalis Lucianici. Inducitur illic podagroſus juvenis, qui tamen affectabat videri *ὠκύπους*. Is rogatus à ſene, unde accidiſſet pedis dolor, reſpondit, ſe cum magna celeritate curreret, diſtrinxiſſe talum, atque hinc eſſe cruciatum. Huic reſpondet ſenex.

> *Τρέχ' αὖθις ὥς τις εἶπεν ἡ καθήμενος*
> *Πώγωνα τίλλων κουρέων ὑπ' ἀγκάλαις.*

Si legas, *εἶπεν ὅς*, ſenſus erit: Curre denuo, ſicuti dixit quidam, qui ſedens vellit barbam ſub cubitis tonſorum: hoc eſt, qui curatur à tonſore. Podagroſi remedium petunt à tonſoribus: & tamen nolunt videri podagram, ſed pedem alioqui læſum, ut ex immodico curſu. Interim aliquis eorum qui tondentur, ſentiens ſictam eſſe cauſam, reſpondet *τρέχ' αὖθις*. Nam id ſolet eſſe remediũ in ſimili malo. Poſteaquam enim nervus incaluit violento motu, ceſſat dolor. Quod quotidie videre eſt in equis, qui poſt curſum aut non claudicant, aut levius claudicant: Probabilius tamen eſt pro, *κουρέων* legendum *κουριῶν*, participium à verbo *κουριάω*, quod eſt hirſutum eſſe, & tonſoris egere, quemadmodum aliquis dixit, qui ſedens in tonſtrina vellit barbam, quam habet hirſutam ſub alis. Illic enim deſident ocioſi & garruli. Horatius.

> Cultello proprios purgantem leniter ungues.

Hæc mea divinatio ſi cui non placet, ſequatur quod magis arridet, res non eſt magni momenti.

Amentatæ haſtæ.

Arma parata ad pugnam M. Tullius appellat haſtas amentatas. Amentum enim lorum eſt haſtæ affixum, cui manum inſerit haſtam miſſile torturus. Transferri poteſt ad dictum, aut orationem ab alio ſuppeditatam. Locus eo quem hactenus citavi libro, ſic habet: In eo autem jure quod ambigitur inter peritiſſimos, non eſſe difficile oratori ejus partis, quamcunque defendet, autorem aliquem invenire à quo quum amentatas haſtas acceperit, ipſe eas oratoris lacertis viribuſque torquebit. Idem in Bruto de T. Accio Piſaurenſi loquens: Reſpondit pro A Cluentio, qui & accurate dicebat, & ſatis copioſe, eratque præterea doctus Hermagoræ præceptis: quibus etſi ornamenta non ſatis optima dicendi, tamen ut haſtæ velitibus amentatæ, ſic apta quædam, & parata ſingulis cauſarum generibus argumenta traduntur. Rurſus in Topicis, de Jureconſultis agens: Nam & adſunt multum, & adhibentur in conſilium, & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant. Item Quintil. lib. 12. cap 3. Neque ego noſtri moris ignarus, oblituſve eorum qui velut ad arculas ſedent, & tela agentibus ſubminiſtrant: neque idem Græcos quoq; neſcio factitaſſe, unde nomẽn his Pragmaticorum datum. Telum igitur paratum ad torquendum, ut inventio ſit alterius, dictio tantum tua, recte haſtam amentatam dixeris. Non diſſimile eſt illi quod alibi retulimus de calciamento, quod ab alio conſutum alius induerat. Tale telum, taliſque calceus erat oratio Lyſiæ: quam Socrates probabat quidem, ut perelegantem, ſed negabat ſibi convenire.

Cibo opus duraturis in labore.

Inituri bellum, ne omnino jejuni ſint, ne viribus deſtituantur. Id trahi poterit ad ſtudium literarum, ad exercitium pietatis, atq; alia complura. Ad id congruunt verſus Homerici, ex Iliad. τ.

> *Οὐ γὰρ ἀνὴρ πρόπαν ἦμαρ ἐς ἠέλιον καταδύντα*
> *Ἄκμηνος σίτοιο δυνήσεται ἄντα μάχεσθαι.*
> *Εἴπερ γὰρ θυμῷ γε μενοινάᾳ πολεμίζειν,*
> *Ἀλλά τε λάθρῃ γυῖα βαρύνεται, ἠδὲ κιχάνει*
> *Δίψα τε καὶ λιμός, βλάβεται δέ τε γούνατ' ἰόντι.*
> *Ὃς δέ κ' ἀνὴρ οἴνοιο κορεσσάμενος καὶ ἐδωδῆς*
> *Ἀνδράσι δυσμενέεσσι πανημέριος πολεμίζῃ,*
> *Θαρσαλέον νύ οἱ ἦτορ ἐνὶ φρεσίν, οὐδέ τι γυῖα*
> *Πρὶν κάμνει, πρὶν πάντας ἐρωῆσαι πολέμοιο.*

Id eſt,

> Nam quis ad occaſum uſque valebit ſolis ab ortu
> Impaſtus jugi durans confligere pugna?
> Pectore enim quamvis ſit prompto ad belligerandum,
> Senſim membra gravant tamen, ac ſitis atra, fameſque
> Corripiunt, genuaque labant tendentis in hoſtem.
> Rurſus erit quicunque ſatur vinoque ciboque,
> Is demum potuit confligere perdius hoſti.
> Huic animus viget uſque ferox, neque membra laborant
> Huic prius ac victos bello ſubmoverit omnes.

BONÆ FORTVNÆ.

ERASMI. Bonus e pharetra dies.

Ἀγαθὴ ἐκ τῆς φαρέτρας ἡμέρα, id eſt, Bonus e pharetra dies, De die fortunato dicebatur. Translatum a Scytharum conſuetudine, quibus, ut narrat Philarchus, mos erat, ut veſperi prius quam dormirent, calculum in pharetram immitterent: candidum, ſi forte is dies citra moleſtiam abiiſſet: atrum, ſi ſecus. Demum ubi quis vita decederet, ejus pharetram proferebant: in qua ſi plures candidos calculos reperiſſent, felicem pronunciabant: contra, ſi plures nigros. Atq; hinc vitæ ſummam æſtimabant: unde proverbio receptum eſt, ut dicerent bonum diem e pharetra eſſe ſi quid ex animi ſententia accidiſſet.

Deum eſſe, Deum facere.

Hyperbolæ ſunt proverbiales de ſingulari laude dignis: M. Tull. in Orator. ſec. libr. 2. In quo tu mihi, inquit, Deus eſſe videris, i. ſingularis ac ſummus. Terent. in Adelphis: Deum te facio, i. ſummis laudib. effero. Inde natum, quod priſci mortales, ſi quem ob egregias ac minime vulgares virtutes ſuſpiciebant, eum Deum, ac Diis genitum ajebant. Id quod evenit Alexandro Magno, Scipioni Africano, Octavio Auguſto, cum quibus aliis compluribus. Cui quidem rei Ariſtoteles adſtipulatur Moralium l. 8. Hanc, inquiens, virtutem, heroicam, velut homine majorem, & divinitati proximam vocant. Hinc & Homerus Priamum de Hectore loquentem facit ad hunc modum Iliad. ω.

> ——— *Οὐδὲ ἐῴκει*
> *Ἀνδρός γε θνητοῦ πάϊς ἔμμεναι, ἀλλὰ θεοῖο.*

Id eſt,

> Nec jam hominis ſane mortalis filius ille.
> Eſſe videbatur, ſed divo ſemine natus.

Porro Laconibus, ut idem teſtatur, peculiaris hic erat mos, ut cum vehementer quempiam admirentur, divum virum appellarent. Idem commemorat Socrates apud Platonem in Menone: *καὶ οἱ Λάκωνες ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος, φασίν, ἀνὴρ οὗτος*, id eſt, Et Lacones quoties laudant aliquem virum bonum, Divinus, inquiunt, vir hic. Inde illa apud Homerum ſolennia: *θεοείκελος καὶ θεοειδής*, id eſt, Deo ſimilis, & divina ſpecie *καὶ ἰσόθεος καὶ ζάθεος*, id eſt, Deo par, & admodum divinus. Contra, inſigni improbitate viros, beluas appellamus: idq; etiam vulgo tritiſſimũ eſt Divus Hieronymus ad Aurelium Auguſtinum ſcribens, per ironiam torſit in quoſdam, non contentos communi hominum judicio, ſed nova quædam deſiderantes, deos illos appellans. Quintilianus Inſtitutionum l. 1. hominem omnibus numeris conſummatum vulgo mortalem Deum dici ſolitum indicat. Nam ſapientes, inquit, formantes eum, qui ſit futurus conſummatus undiq;, &, ut dicunt, mortalis quidam Deus, non modo cognitione cœleſtium vel mortalium putant inſtituendum, &c.

Ad ſacietatem uſque.

Ἄχρι κόρου. Vſque ſatietatem, id eſt, quantumlibet aut ampliter. Quod ita demum proverbium fuerit, ſi longiuſcule transferatur, ut, In poeticis literis verſatus ſum *ἄχρι κόρου*, & illuſit nobis, *ἄχρι κόρου*, & Quintilianus metaphoris gaudet *ἄχρι κόρου*. Idem compoſita voce dicunt *κατακόρως*, id eſt, affatim. Julius Pollux addit *ὑπὲρ κόρον* id eſt, ultra ſatietatem. Atque ita veſcentem indicat dici ſolere *ἀδδηφάγον*, & *χοίνικα*, à *χοῖνιξ*, quod eſt tritici menſura: quemadmodum Latini bibacem dicunt tricongium. Iidem dicunt *ἄχρι χείλους*, id eſt, uſque ad labrum: ſumpta à vaſis metaphora, & Vſque ad ambas aures, de quo meminimus alibi. Julius Pollux vas plenum appellat *ἰσοχειλής*, ſive *ἐπιχειλής*, redundans *ὑπερχειλής*: à labro vaſis ſumpta voce. Refertur a Zenodoto.

Ne quæras Deus eſſe.

Μὴ ζήτει θεὸς γενέσθαι, id eſt, Ne quære fieri Deus. In hominem undequaque beatum in hac vita. Pindarus in Olympiacon hymno 5.

Ὑγίεντα δ' εἴ τις ὄλβον
Ἄρδει, ἐξαρκέων κτεάτεσσι καὶ
Εὐλογίαν προστιθείς, μὴ ματεύ-
σῃ θεὸς γενέσθαι.

Id eſt.

Si quis autem opes cum ſanitate conjunctas auget, ac ſuis poſſeſſionibus contentus eſt, atq; his adjunxit honeſtam famam, ne petat à diis ut fiat Deus. Itidem apud noſtrates vulgo dicitur: ſat fortunatus es. Quid tibi vis? Num poſtulas eſſe Deus?

Quemadmodum olim inſignem felicitatem ſignificantes dicebatur, Deus ſum: aut In cœlo ſum: ita Plautus in Pœnulo dicit, Rex ſum, ſi ego illum hodie ad me hominem allexero. Verba ſunt Lyci lenonis, ſperantis ſe divitem fore, ſi quendam bene nummatum ad ſe pertraxiſſet.

EX APPENDICE ERASMI.

Mortalis Deus.

Hominem omnibus numeris conſummatum, mortalem Deum vocatum fuiſſe. & Græce θεῖον ἄνδρα, θεῷ ἴκελον, θεοειδῆ, ἰσόθεον καὶ δαίμονα, divinum virum, Deo ſimilem, divina ſpecie, Deo parem, & admodum divinum, ſcribunt Quintil. Ariſt. Hom. Contra, infelicem vocat Cic. ex aſtris lapſum.

Navigare cum felicibus.

Καὶ τῶν παλαιῶν ῥῆμ' ἔστ' ἐν ἀπολαύσει φίλων,
Συμπλεῖν δὲ τοῖς φίλοισι, δυστυχοῦσι δ' οὔ.

Id eſt,

Cui res ſecundæ, huic naviganti quilibet
Comes ire quærit, non item infelicibus.

Euripid. Idem eſt cum eo quod habet Juſtin. lib. 5. Quo ſe fortuna, eodem favor hominum inclinat. Et certe pauperi neminem amicum eſſe tradit idem Euripid. in Medea: *πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος.*

EX APPEND. ERASMI.

Fauſtus exitus.

Θάρσει, οὔ τοι ἄνευ θεοῦ ἥδε γε βουλή.

Id eſt,

Fide, hoc conſilium non eſt ſine numine, nutrix.

Quoties de re, quam inſtituimus, exitu bene ſperamus. Homerus.

Χιόνος δίκην: Nivis ritu.

Χιόνος δίκην, i. Nivis ritu: hyperbole proverbialis eſt apud eundem Virgil. 11. Æneid.

——Fundunt ſimul undique tela
Crebra, nivis ritu, cœlumq; obtexitur umbra.

COGNATI. *Area.*

Dicitur metaphorice, ut quemadmodum dicimus: Nimis patentem campum ingrediar, ſi tuas virtutes enumerare velim. Sic enim non ſit novum, maxima in tuas laudes area patet, & majorem aream terunt noſtri equi, Ovidius in 4. Faſt.

Ex his ægrotamus, quibus vivimus.

Ἐκ τούτων γὰρ (inquit Diogenianus) νοσοῦμεν ἐξ ὧν καὶ ζῶμεν. Ex his enim ægrotamus, quibus vivimus. Ad ſanitatis quippe conſervationem, & morbi effugium, plurimum referre, quo quiſq; cibo aut potu utatur. Julius Cæſar de bellis civilibus teſtatur, in quib. aſſerit, Maſſilienſes gravi peſte conflictatos, quod in obſidione ob annonæ inopiam, veterem panicum ordeumque exoletum edere, fame coacti fuiſſent. Nihil ſane æque parit novos morbos, ac prava cibi & potus victus ratio. Vide Plutarchum octavo Sympoſii, & Hippoc. l. 1. De natura humana. De optimarum autem rerum abuſu, dulciſſimi extant verſiculi apud Ovidium, l. 2. Triſtium, hoc adagium mirabiliter illuſtrantes. Sunt autem hujuſmodi:

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem
Quæque juvet monſtrat, quæque ſit herba nocens.

Vide alibi lædere qui potuit prodeſſe aliquando valebit. Vſus autem rei ſalutem præſtat adverſus necem aut detrimentum ſaltem adfert. Certe ita demum unumquodque aut commodat, aut officit, prout eo vel utare, & abutaris. Lex eadem alio atque alio ſenſu accepta, quem gravaret reum abſolvit, innocentem involvit.

Signandi melioribus lapillis.

Modus hic loquendi à Thracibus eſt deductus, qui (ut ſcribit Plinius libro ſeptimo) eos dies quibus ſecunda fortuna eſſent uſi, jucundeque & beate vixiſſent, albo lapillo notabant, nigro contrarios. Martial. in 9. & in 10. epig. 38.

O nox omnis & hora quæ notata eſt,
Caris littoris Indici lapillis.

Pranſum paratum.

Pranſum paratum, ſatyræ eſt Varronis epigraphe, velut de epulis paratis: atq; ſpeciem proverbii præ ſe fert, ut reliqui fere omnes tituli ſatyrarum Varronis Menippearum.

O factum bene, vel male.

In proſperis nunciis & lætis rebus dicitur, O factum bene. Contra, ubi aliquid nunciatur quod nolumus, vel ubi quid infeliciter evenit, O factum male, dicimus. Vtriuſq; exempla apud Plautum & Terentium crebra ſunt.

CARPENTIS SEIPSVM.

ERASMI. Nihil eſt miſerius quam animus conſcius.

Sæpe etiam eſt olitor valde opportuna loquutus, ut habet proverbium. Apud Plautum in Muſtellaria Tranio ſervus nequiſſimus ſententiam profert, quovis dignam Theologo: Nihil eſt miſerius quam animus hominis conſcius. Convenit cum Hebræorum dicto: Secura mens quaſi juge convivium. Item cum illo: Conſcientia mille teſtes. Et Horatius felix eſſe judicat.

Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

CEDENDVM MVLTItudini.

ERASMI. Duobus malis reſiſtere, difficillimum.

Εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ, καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.

Id eſt,

Jam pariter ſubigit bellumque & morbus Achivos.

Si quando dicemus eundem hominem duobus, aut plurimis premi malis. Eſt apud Homerum Iliad. 1.

EX APPEND. ERASMI.

Vni cum duobus non eſt pugnandum.

Ἀπέπτα. τὸ γὰρ δίκαιον οὐκ ἔχει λόγον
Δυοῖν ἐρίζειν.——

Id eſt,

Factura ſum, non æquum enim eſt reſiſtere
Vnam duobus.——

Sophocl. Noli pugnare duobus. Catull. Habes ſupra, Ne Hercules quidem contra duos.

COMMODO MAGNO emptum.

ERASMI. Pecuniæ pedibus compenſantur.

Inter Catonis dicta quæ proverbiorum vice celebrantur, refertur & illud. Pecuniam pedibus compenſari: quod tamen in libris ejus viri nondum repertiſſe fieri poteſt, ut hoc M. Tullius joco dixerit. Nec diſſimile veri eſt, multas Catonis ſententias fuiſſe celebres, quas ille dixit tantum, non ſcripſit. Ciceronis ex oratione pro L. Flacco verba ſubſcribam: Si te Craſſi agri delectabant, hæc alicubi in Cruſtumino, aut in Capenati paraviſſes. Verum eſto, Catonis eſt dictum, pedibus compenſari pecuniam, longe omnino è Tiberi ad Caicum, &c. Sententiam autem hanc eſſe arbitror, ſi longius abſit fundus, plus impendiorum eſſe domino, & minus ad eum redire lucri. Id damni ſarcitur pedibus domini, ſi non gravetur ſubinde fundum inviſere.

Cui nullum negocium erat, Harmenen muro cinxit.

Strabo libro Geographiæ 12. refert hujuſmodi proverbium,

Ὅτῳ ἔργον οὐδὲν εἶχεν, Ἁρμήνην ἐτείχισεν.

Id eſt,

Qui negoci nil habebat, Harmenæ murum addidit.

Eſt enim trochaicus tetrameter. Tradit autem Harmenen vicum eſſe Sinopenſium, portum habentem. Cujus meminit & Stephanus ſitum indicans in Paphlagonia, & à nonnullis dictam *ἀρμένην*: quod hic ſane carminis ratio non patitur. Neuter indicat originem aut ſenſum adagii. Conjectare licet, vicum fuiſſe frigidum, quem aliquis cinxerit muro, ſi fieret oppidulum, æque frigidum. Non enim dixit *ἔκτισεν* (quod interpres videtur ſomniaſſe, qui vertit, conſtruxit) ſed *ἐτείχισεν*, hoc eſt, muro cinxit.

CONA-

CONATVS.

ERASMI. *Vltra vires nihil aggrediendum.*

Qui dicet non eſſe ſuſcipiendum negocium, ad quod peragendum non ſuppetant vires, non inconcinniter illud accommodaverit ex eodem libro.

Πὰρ δύναμιν δ' οὐκ ἔστι καὶ ἐσσύμενον πολεμίζειν.

Id eſt.

Vires ultra nemo queat bellare licet ſit
Quantumvis animo promptus.——

Sarcinatoris ſummum centonem.

Apud eundem citatur hic verſus ex Lucilio,
Sarcinatoris eſſe, ſummum ſuere centonem optime.

Videtur eſſe verſus trochaicus, tetrameter, catalecticus: & conſtat eliſos, in ſarcinatoris, Sarcinator à ſarcina dicitur, non à ſarciendo. Convenit cum illo quod alibi retulimus: Boni Poetæ eſt, in extremo actu eſſe optimum: Lucilianum tamen dictum germaniorem ac venuſtiorem habet adagii ſpeciem.

Omnes adhibere machinas.

M. Tull. lib. Epiſt. ad Brutum: Ad reliquos hic quoque labor mihi acceſſit, ut omnes machinas adhibeam ad tenendum adoleſcentem. Item Plato De legib. lib. 7. [illegible] id eſt. Itaque dicimus omnem adhibendam machinam. Rurſum in eodem: [illegible] i. Omnem machinam admovens. Sumptum eſt ab his, qui ſumma vi oppugnant arcem aut oppidum, nullum machinæ genus non admoventes, nihilque relinquunt intentatum.

Omni voce.

Quod ſummâ contentione aſſeritur, omni ſeu tota voce dicitur prædicari. Vehementes enim affectus animi ſolent vocem intendere. Plato libro de legib. 10. [illegible] id eſt, Omni emiſſa voce Clare loquimur, quum aſſeveramus: & quanto poſſumus clamore ſonamus, ſiquid magnopere nos commovet. Poteſt & in hunc uſum accommodari, ut omnem vocem promere dicitur, qui modis omnibus conatur perſuadere, nunc blandiens, nunc objurgans, nunc pollicitans nunc minitans.

Plenis velis.

Paſſis velis pleniſque velis agere dicuntur, qui toto impetu ſummoque conatu moliuntur aliquid. Item M. Tullius pro domo ſua ad pontifices. Quid tandem ſi tu in illis Reipub. tenebris cæciſque nubibus & procellis ſenatum à gubernaculis dejeciſſes, populum e navi exturbaſſes, ipſe Archipirata cum grege prædonum impuriſſimo plenis velis navigaſſes, ſi quæ tum promulgaſti, conſtituiſti, promiſiſti, vendidiſti, perferre potuiſſes, qui locus terrarum vacuus extraordinariis faſcibus atque imperio Clodiano fuiſſet? Hactenus Cicero. Philoſtratus in Polemone: [illegible] id eſt: Poſteaquam audivit Euphratem Tyrium: plenis velis ad illius Philoſophiam ſe contendit. De ſimilibus figuris alias nobis non ſemel dictum eſt.

Virtutem omnem explica.

Eodem libro uſurpat Homericum carmen, ut vulgo celebre [illegible] ἀρετῆς [illegible]. Curaque & effice, ut ab omnibus & laudemur & amemur Carmen ita reddi poteſt.

Omnijugæ tibi virtutis ſuccurrit imago.

Id eſt: In hoc negocio expedi omnes vires, omneſque ingenii nervos.

IVNII. *Vicinus pedem movens.*

Γείτων κινῶν τὸν πόδα: id eſt: Vicinus pedem ciens. Citatur ab etymologici authore nominatim parœmiæ appellatione, dicique annotatur de his qui vix initia alicujus rei artiſve aſſecuti, ad ipſum faſtigium & culmen fruſtra enituntur, verba authoris hæc ſunt: [illegible] *γείτων κινῶν τὸν πόδα.* [illegible] Originem tamen proverbii non indicat.

Ἀνηδονί.

Ducti adverbium, Priſcianus ex Plauto in Curculione annotavit & interpretatus fuit *ἀνηδονί*, quod ſignificat in ſcribendo aviditatem & copiam: id eſt, uno ſpiritu Lena apud Plautum:

Invergere in meliquores tuos ſino ductim.

CONCORDIA.

ERASMI. *Mutua defenſio tutiſſima.*

Qui ſignificabit minus eos lædi poſſe, qui concordes ſeſe mutuo defendunt: contra omnium injuriæ obnoxios illos qui diſſident factionibus inteſtinis, accommodabit illud ex Iliad. ε.

[illegible]
[illegible]
Multo turba minor periit, quod in agmine ſemper
Mutuam opem ſibi ferre, malumque arcere ſtudebant.

Surculus ſurculum ferens.

Qui ſinguli ſunt infirmi, tamen concordia juncti multum habent roboris. Ita Ennius apud Feſtum:

Vnus ſurus ſurum ferre, tamen defendere poſſent.

Veteres enim, ut Feſtus admonet, ſurum dicebant: unde nos dicimus ſurculum, diminutive. Non me fugit, carmen eſſe vitiatum etiam in Aldina æditione, fortaſſe legendum: Si unus ſurdum ſurus ferret, cum aut ſe defendere poſſet, aut poſſent. Stirps habet robur, ſurculi nihil habent virium, niſi juncti.

Communis tanquam Siſapo.

Proverbiali ſchemate ſine controverſia dictum eſt M. Tullius Philippica 2. Domum dico? Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres? præter unum Miſenum, quod cum ſociis tanquam Siſaponem tenebas. Senſit Antonium Miſenum non habuiſſe ut veram poſſeſſionem, ſed ut venam redemptam ad quæſtum. Plinius libro 13. cap. 7. docet, minium (quod Græci μίλτον appellant, nonnulli cinnabar) apud priſcos non tantum ſummo in precio, ſed etiam magnos in religione fuiſſe. Nam feſtis diebus ſimulachra deorum minio oblinebantur, quemadmodum & triumphantes: quod tamen Galba ſenex in ſe fieri paſſus non eſt, ut refert Cornelius Tacitus. Siſapo autem Beticæ oppidum eſt olim Romanis vectigale, venas habens miniarias. Neque enim temere Romam aliunde minium advehebatur. Negat autem Plinius, ullius rei Romanis fuiſſe diligentiorem cuſtodiam. Neque enim ibi fas erat perfici minium, excoquique, ubi naſcebatur: vena ſignata ad dena millia fere pondo annua, Romæ lavabatur. In vendendo lex præſcribebat precii modum, ne in immenſum excederet Sed multis modis adulterabatur: unde inquit: præda ſocietati. Et mox de minio adulterino. Hoc ergo adulteratur in officinis ſociorum. Ex his liquet, eam regionem in multos ſocios fuiſſe diviſam, quemadmodum & hodie metalla argentaria auraria ve juxta certos tractus à redemptoribus occupantur.

In idem conſpirare.

Εἰς ταὐτὸ ξυμφῦναι. id eſt, In unum coaleſcere. Plato De legib. 4. [illegible] id eſt: Cæterum conſpirare ac velut equorum jugum, ſingulos in idem (ut dici ſolet) coaleſcere multo eget tempore, eſtque perdifficile. Interpres ξυμφῦναι vertit, unum & idem efflare: quum magis videatur dictum a φύω naſcor. Itaque mihi magis arriſit coaleſcendi verbum. Quanquam hujus rei judicium doctis defero. Si jungas duos equos inter ſe ignotos, non ferunt ſeſe. Tandem aſſuetudine diutina poſteaquam uterque alterius halitui aſſueverit, concordes ſunt. Itaque pariter anhelaſſe ſub eodem jugo gignit concordiam. Et Vergilius ait:

——Vdoque docent inoleſcere libro

Achaicum telum.

Ἀχαϊκὸν βέλος, id eſt. Telum Achaicum, dicitur telum habile, & quod apte collineat. Conjecturam alicujus artificioſam & pulchre ſcopum attingentem, aut ſcommata apposite mores cujuſpiam perſtringens, licebit parœmiace vocare *βέλος ἀχαϊκόν*. Citatur à Suida. Apparet autem fuiſſe telum funditoribus gentis Achaicæ peculiare, aptum cum primis in obſidione.

CONTEMPTVS ET VILITATIS.

ERASMI. *Vnguium crinium que præſegmina ne commingito.*

[illegible] id eſt: Vnguium criniumque præſegmina ne commingito, neque inſiſtito. Hujus nullum adhuc interpretamentum reperi. Verum conjicio ſenſum hunc eſſe: ſi quos habeamus affines, aut cognatos humiles & inutiles, eos tamen non eſſe uſquequaque ſpernendos, & contumeliis inſectandos.

Connæ calculus.

Κόννου ψῆφος: id eſt, Connæ calculus in hominem, aut rem nihili, nulliuſque momenti. Proverbium manavit à Conna quopiam citharœdo, ſive (ut quidam volunt) lyriſta, ex eorum numero, qui citra vocem organo canebant. Sunt qui dicunt, Connam fuiſſe quendam extremæ ſortis hominem, qui devorato patrimonio pauperrimus fuerit. Calliſtratus apud Ariſtophanis interpretem ad hunc modum effert parœmiam: *κόννου θρῖον*: id eſt, Connæ ficulneum folium, quod eo luſitare ſit ſolitus. Ariſtophanes in Facis:

Σὲ μὲν ἡγοῦνται Κόννου ψῆφον.

Id eſt,

Te quidem Connæ ſuffragium exiſtimant.

hoc eſt, nihil ducunt.

Dignus

Dignus pilo.

Ἄξιοι τριχός: id eſt: Pilo digni, dicuntur Græcis, nulla bona re digni, quod pilo nihil contemptius. Ariſtophanes in Ranis:

Εἰ πώποτ' ἦλθον δεῦρ', ἐθέλω τεθνηκέναι,
Ἢ 'κλεψα τῶν σῶν ἄξιόν τι καὶ τριχός.

Id eſt,

Si quando veni huc, emori ſane volo, aut
Si quid tuorum ſuſtuli, dignum pilo.

Adagium commemoratur à Diogeniano.

In ſeditione vel Androclides belli ducem agit.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ κ' Ἀνδροκλείδης πολέμαρχος.

Id eſt,

Seditione orta dux eſt etiam Androclides.

Carmen heroicum proverbio celebratum, in homines contemptos & humiles, qui per occaſionem aliquam incidentem, dignitatem ſortiuntur. Quemadmodum in rerum tumultu nonnunquã infimi quidam pro tempore regnant. Detorqueri poteſt ad malos principes, qui rebus pacatis minus valent in republica, atque ob id aliquoties data opera rerum motus excitant arte tyrannica, quo commodius ſuo arbitratu populum compilent. Aut in Theologos quoſdam, eo nomine indignos, qui diſſidium ac tumultus concitant in plebe Chriſtiana: quo nimirum hac occaſione celebres reddantur, maluntq; publico omnium malo nobilitari, quam inglorii vivere. Refertur à Suida, Diogeniano, atq; item a Plutarcho in vita Niciæ, & apud eundem in commentario περὶ φιλαδελφίας. Effertur etiam ad hunc modum:

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

Id eſt,

Rebus turbatis vel peſſimus eſt in honore.

Citat idem in comparatione Lyſandri & Syllæ: niſi quod illic Aldina æditio mendoſe habet, πάγκαλος pro πάγκακος. Ruſum effertur hoc pacto:

Ἐν γὰρ ἀπειμαχίῃ καὶ καρκῖνος ἔμμορε τιμῆς.

Id eſt,

Fert rebus deſperatis & cancer honorem.

Ad hanc ſententiam pertinet & illud, Græcis proverbii vice celebratum:

Καιροῦ τυχὼν γὰρ πτωχὸς ἰσχύει μέγα.
Mendicus etiam plurimum in loco poteſt.

Picifer.

Κιττοφόρος: id eſt, Picifer: vulgare convicium videtur in hominem infimum, & deſpicatiſſimæ ſortis. Siquidem Demoſthenes in oratione pro Cteſiphonte dicitur Æſchinem hoc nomine ab aniculis compellatum; quemadmodum & λικνοφόρος, quod picas & vannos capite bajularet. Nam has in myſteriis Bachanalibus utebantur, quod ea avis ſacra ſit Baccho, & vannus in omnibus myſteriis adhibebatur. Unde Maro:

Et myſtica vannus Jacchi.

Ἀπωγωνισθέντες.

Athenæus lib. 5. narrat quod Scythæ quum multis calamitatibus premerentur per luxum ac delicias omnibus populis quibus imperabant, detondebant comam: unde cæteri raſuram ignominioſe ludibriiq; cauſa factam, appellabant ἀπωγωνισθέντες. Simile quiddam legimus 2. Reg. l. c. 10. Hanon raſit dimidium barbæ ſervis David, præciditque veſtes uſque ad nates: nimirum ignominiæ cauſa. Quæ res atrocis belli cauſa fuit. Conveniet in quoſdam aſperis moribus quibuſcum vix quiſquam habet commercium, niſi diſcedat cum ignominia.

Caricum vinum.

Καρικὸς οἶνος, Suidas indicat fuiſſe proverbium de vino, ut opinor, tenui, quod non adferret hilaritatem: qualis erat Carica muſa, de qua dictum eſt alias. Quicquid enim vile, lugubre, moleſtum, aut querulum Caricum dicebatur. Sed haud ſcio an apud Suidam pro νόμος ſcriptum ſit οἶνος: niſi quod Heſychius neſcio quid attingit de Carica vite, velut inculta & incompoſita. Nam genus hoc militare negligit agricolationem.

Ariſtylli more.

Ariſtophanes in Pluto. σὺ δ' Ἀρίστυλλος ὑποχάσκων, ἐρεῖς: id eſt, Tu vero Ariſtyllus ſubhians dices. Interpres admonet Ariſtyllum fuiſſe Poetam deformem, ore ſemper hiante. Quem obiter taxat Ariſtophanes, cujus & meminit in ἐκκλησιαζούσαις. Tragicum autem eſt, & hiſtrionum, ore nimium diducto loqui. At mihi videtur magis taxatus Ariſtyllus, quod ore paululum diducto loqueretur, ut vox magna ex parte prodiret per nares ſtridula, qualis eſt porcorum: quod vitium in quorundam pronunciatione cantuque videmus.

Menia columna.

Quemadmodum dicimus de trivio, aut de lapide, hominem vehementer contemptum ſignificantes, ita M. Tullius in Verrem actione 1. à columna Menia dixit: Tantane, inquit, vobis inopia eſſe videor amicorum, ut mihi non ex his quos mecum adduxerim, ſed de populo ſubſcriptor addatur: vobis autem tanta inopia reorum, ut mihi cauſam præripere conemini, potius quam aliquos à columna Menia veſtri ordinis reos reperiatis? Aſconius Pedianus indicat, apud columnam Meniam ſordidos reos, veluti fures, aut ſervos nequam apud triumviros capitales ſolere judicari. Cognomen autem inditum à Menio: qui quum domum ſuã venderet Catoni & Flacco cenſoribus, ut ibi baſilica ædificaretur, exceperat jus ſibi unius columnæ, ſuper quam tectum projiceret, & provolantibus tabulatis, inde ipſe & poſteri ejus ſpectare munus gladiatorium poſſent, quod etiam tum in foro dabatur. Hinc Meniæ cognomen. Ad tales autem cauſas quæ illic agebantur, adhibebantur ſordidi cauſidici.

Ἐκφυλλοφορεῖσθαι.

Quibus jus ferendi ſuffragia adimebatur, & ex albo judicum ſubmovebantur olim dicebantur ἐκφυλλοφορεῖσθαι: quemadmodum Exauctorari dicebantur milites, quibus jus pugnandi adimebatur. Olim non calculis, ſed foliis ferebantur ſuffragia, quaſi dicas, à foliis ferendis excludi.

Celei ſupellex.

Vilem & ruſticanam ſupellectilem Celei fuiſſe dictam indicat Maro Georg. l. 1.

Virgea præterea Celei viliſque ſupellex.

Item Ovidius lib. Faſtorum 4.

Sors ſua cuique loco eſt: qui nunc Cerealis Eleuſis
Dicitur, hic Celei rura fuere ſenis.
Ille domum, glandes excuſſaque mora rubetis
Portat, & arſuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat monte capellas,
Et tener in cunis filius æger erat.

Celeus rex erat Eleuſine, pater Triptolemi, cui Ceres quod eſſet ab illo excepta hoſpitio, commonſtravit omnem agriculturæ rationem. Verba Plauti ſunt hæc: Quaſi ſupellex Celionis, palus palo proximus eſt. Mirum eſt autem a Plauto primam ſyllabam in Celione produci, quum ab aliis corripiatur. Nam Celionem pro Celio dictum, nihil eſt novi: ſic & ſcorpium dicimus, & ſcorpionem.

Cyatho non emam.

Non abſq; ſpecie proverbii Miles apud Plautum in Pœnulo dixit. Proh nebulæ, cujus ego cyatho ſeptem noctes non emam. Loquitur de muliere faſtidioſa, ſed non perinde formoſa. & cyathum dixit pro minimo precio miles, cui res erat cum cyathis. Cyathus minimum erat poculum, crater amplius.

Nihil eſt, aut nihil curæ eſt.

M. Tullius, epiſtola cujus initium, Quum è Pompeiano, verſiculum Rhintonis ut vulgo jactatum refert: Illud tamen inquit velim exiſtimes, me hanc vitam optimatum poſt Catuli mortem, nec præſidio ullo, nec comitatu tenere. Nam ut Rhinton, ut opinor,

Οἱ μὲν παρ' οὐδὲν εἰσί, τοῖς δ' οὐδὲν μέλει.

Id eſt,

Nihili quidem hi ſunt, cæteris curæ eſt nihil.

Sentit ſe non uti præſidiis magnatum, quod partim nihil poſſint, partim negligant res.

Mortuo vilior.

Nihil abjectius cadavere. Plautus in eadem fabula: Eia bonum habe animum. Unde habeam? Mortuus pluris precii eſt quam ego ſum. Et in Perſa, quidam alterum per contemptum appellat morticinum: Non hercle ſi os præciderem tibi, metuam morticine.

Ἀγάλματα ἀγορᾶς.

Cum contemptu Euripides in Electra ἀγάλματα ἀγορᾶς vocavit homines ſpecie tantum corporis inſignes, nullaque virtute inſtructos, ſuperbe ambulantes: ἀγάλματα ἀγορᾶς εἰσίν. Item apud Athenæum libro 1. [illegible] ἀγάλματα φοιτᾶς, &c. Eodem autem pene modo nos quoque patrio ſermone hujuſcemodi vocare homines conſuevimus, qui cum magnum formoſumque corpus habeant, nullius conſilii ſunt, nec ſtudio operaque ſua proſunt quicquam Reipub. quaſi ad ornatum tantum fori aptos, oblectandiſque oculis ſpectantium à natura factos.

Aſini ſepultura.

De iis qui memoria hominum indigni ſunt: aut quia ignavi nihil laude dignum geſſerunt, aut potius quia peſſima quæque perpetrarunt. Hierem. 2.

Numo addicere.

Proverbiale & hoc eſt, quod noſtrates dicunt, fragmento panis vendere, nam addicere, hic eſt venundare: quod ipſum eſt inſtar donationum: cum obtentu venditionis donantes invidiam donationis vitamus, aut pudori accipientis conſulimus. Eo ſenſu uſus eſt Vlpian. in c. ſi quis locati. Tranq. in Cæſare: Bello civili ſuper alias donationes ampliſſima prædia numo addixit, ubi hactenus mendoſe lectum eſt, minimo. Eodem ſchemate utitur Vlpian. in cap. 10. de acq. poſſ. Quia conductio, inquit, nulla eſt quæ in uno nummo: ſin vero precio, tunc diſtinguendum quod prius factum eſt. Numus unus pro forma, ut vulgo loquimur, dabatur: quod & dicitur, Dicis cauſa tradi.

Inter

Inter medios collocare.

Εἰς μέσους τάττειν. Conveniet in res parvi precii. Sumptum à re militari. Solent enim cornua & alæ lectiſſimis militibus conſtare: medias acies etiam eos, qui tantum numerum augent, recipere. Ariſtides hymno in Jovem.

CRVDELITAS.

Clemens laniſta.

Alibi commemoravimus Græcum proverbium, εὔνους σφάκτης: id eſt, Benevolus mactator. huic ſimillimũ quod habet M. Tullius epiſtola ad Atticum lib. 1. (epiſtolæ initium eſt, Quæris ex me) laniſta clemens: Nam ut rejectio facta eſt clamoribus maximis, quũ accuſator tanquam cenſor bonus homines nequiſſimos rejiceret: reus tanquam clemens laniſta frugaliſſimum quemque ſecerniit ut primum judices conſederunt, valde diffidere boni cœperunt.

Mortuos rurſus occidere.

In Antigona: verba Tireſiæ ſunt ad Creontem, ſuadentis ut Polynicis corpus ſinat condi ſepulchro.

> Ἀλλ' εἶκε τῷ θανόντι, μηδ' ὀλωλότα
> Κέντει· τίς ἀλκὴ τὸν θανόντ' ἐπικτανεῖν;
> Age, mortuo concede, nec qui extinctus eſt,
> Stimulato: quænam eſt fortitudo, mortuum
> Necare rurſum?

Confine eſt illi quod alibi retulimus, Iugulare mortuos.

CVRIOSITAS.

ERASMI. Hoc tu mihi dices.

Apud Platonem lib. De Republ. Socrati interroganti, quo pacto viveret vir tyrannicus, reſpondet Adimantus: τί τοῦ πειρῶντος τοῦτο σύ μοι ἐρεῖς, id eſt: Iſtud tu mihi, quod joco dici ſolet, dices. Vſus erit, quum reſponſio invidioſa rejicitur in percontatorem: aut quum is qui percontatur, talis eſt, ut oporteat ipſum rectius ſcire quod ab alio cupit diſcere.

DEPRECANTIS.

ERASMI. Obteſtatio veterum meritorum.

Cum obteſtabimur per memoriam veterum officiorum, conveniet illud ex eodem libro, quanquam & alias apud hunc poetam:

> Ἤ βοὸς ἢ ὄϊος κατὰ πίονα μηρί' ἔκηε,
> Νῦν μοι μνῆσαι.
> Si aut bovis aut ovis incendi tibi pinguia membra,
> Horum nunc memor eſto.——

Sunt autem verba Penelopes, precantis numen, ut memor ſacrificiorum & nidoris, quo ſæpenumero paſtum eſt, nunc viciſſim opituletur.

Velatis manibus orare.

Qui ſuppliciter orant, Velatis manibus orare dicuntur, Sumptũ ab antiquo more oratorum, quo qui pacẽ petituri veniẽt, ramum olivæ prætendebant. Velatis autem dictum arbitror pro vittatis. Plautus in Amphitrione: Poſtridie in caſtra ex urbe ad nos veniunt flẽtes principes, velatis manib. orant, ignoſcamus peccatum ſuum.

DESPERATIO.

ERASMI. Mortui non dolent.

Electra ſignificans ſe ſpontanea morte quæſituram malorum finem, ait:

> Τοὺς γὰρ θανόντας οὐχ' ὁρῶ λυπουμένους.
> Id eſt,
> Nam mortuum dolere video neminem.

Eoque Plinius exiſtimat, nullum beneficium à diis datum homini majus, quam quod cuiq; in manu eſt, quum velit è vita excedere. Melius Socrates, qui docet eſſe nefas animam injuſſu imperatoris Dei è corporis præſidio decedere.

DIFFICVLTAS.

ERASMI. Ire per extentum funem.

Proverbiali figura dixit Horatius, Ire per extentum funem: pro eo quod eſt, rem factu per quam difficilem præſtare, neq; vel tantillum aberrare. Sumptum à funambulis, ut Acroni placet, qui non ſine ſumma arte ſummoque uſu per funem protenſum ingrediuntur. Quæ res, ſicuti conjicere licet, priſcis ingenti miraculo fuit: hodie nihil vulgatius. Horatii carmen hoc eſt,

> Ille per extentum funem mihi poſſe videtur
> Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit.

Eſurienti leoni prædam exculpere.

Nonius Marcellus ex Lucilio citat hunc verſum:

> Vt eſurienti leoni ex ore exculpere prædam.

Verſus conſtat, ſi amoveas, ut: aut, quod vero propius eſt, pro ut, legas vi: & ſi in eſurienti corripatur i, aut ſi legas eſuriente. Metrum durius eſt, quod nullam habeat cæſuram, ſed non abhorrens à compoſitione Lucilii. Adagium ſimillimum eſt illi quod alias retulimus, Clavam extorquere de manu Herculis: &, Lupo agnum eripere.

DIGNITAS.

ERASMI. Iapeto antiquior.

Ἰαπετοῦ ἀρχαιότερος: id eſt, Iapeto antiquior. Jupiter apud Lucianum ſic alloquitur Cupidinem, pueritiam excuſantem: σὺ παιδίον εἶ Ἔρως, ὃς ἀρχαιότερος πολὺ τοῦ Ἰαπετοῦ.

In numerum pervenire.

Qui in aliquo pretio haberi incipiunt, in numerum aliquem pervenire dicuntur: quemadmodum in aliquo numero eſſe dicuntur, qui ſunt alicujus exiſtimationis: in nullo numero eſſe, qui plane contempti ſunt. M. Tullius in eodem libro: His enim rebus infimo loco natus, & honores & gratiam & pecuniam conſecutus, etiam patronorum ſine doctrina, ſine ingenio aliquem in numerum pervenerat & aliquanto poſt, de C. Sicinio loquens: Has ille tenens & paratas ad cauſas veniens, verborum non egens, ipſa illa comparatione diſciplinaque dicendi jam in patronorum numerum pervenerat.

Honos alit artes.

Id quod eſt apud M. Tullium, Honos alit artes: videtur eſſe ſumptum ex Ariſtophanis Pluto:

> Οὔτε γὰρ ὁ μισθὸς, οὐδεὶς ἔθ' ἡ τέχνη:
> Id eſt,
> Neque præmium ullum eſt, ars nec ipſa item viget.

Colligit enim non eſſe conſentaneum, Athenis ullos eſſe bonos medicos, cum medicis nulla ſint præmia. Diogenianus autem hoc inter adagia commemorat. Huc alluſit Martialis cum ait:

> Sint Mecœnates, non deerunt Flacce Marones:
> Vergiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Et Ariſtoteles ſcribit, honorem eſſe præmium virtutis. Ac priſcorum leges non ſolum comminabantur pœnam maleficis, ſed & præmiis & honoribus invitabant ad recte agendum. Pindarus in Iſthm. ii, hymno nono, tanquam vulgo celebrem ſententiam citat, ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώπων, τετελεσμένον ἐσλὸν μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι. id eſt, Eſt autem dictum quoddam inter homines celebre, Bonum peractum, non eſſe in terra occultandum ſilentio. Huc pertinet Euangelica parabola, non eſſe lucernam occultandam ſub modium. In hoc autẽ prædicanda ſunt recta facta virorum illuſtrium, ut cæteris prælucеant ad capeſſendam virtutem.

Quaſi locum in balneis.

Proverbii ſpeciem habet quod eſt apud Tertullianum libro adverſus Marcionem tertio: Sed quia prior eis venit, & prior virtutum documẽta ſignavit, idcirco quaſi locum in balneis, ita fidem occupavit, poſteris quibuſque præripuit. Conveniet uti, ubi non ex merito datur locus, ſed ex vetuſtate, Qui quidem ordo & hodie ſervatur inter Monachos & Canonicos, atque item Theologos, nimirum ad excludendam contentionem de dignitate. Apud priſcos unuſquiſque ex annorum numero æſtimabatur. Juvenalis.

> ——Atque uni cedit Homero
> Propter mille annos.——

Et Horatius ſtomachatur in eos, qui redeunt ad faſtos, & virtutem æſtimant annis. Non abhorret ab hoc, quod hodie vulgo jactatur apud noſtrates, ſumptum ex lege moliſtoria. Qui primus venerit, primus molet.

Immunem venire.

Immunem Latini vocant, quem Græci ἀσύμβολον: nempe eum, qui nihil confert ad convivium. Horatius in Odis.

> Nardi parvus Onyx eliciet cadum.
> Non ego te meis
> Immunem meditor tingere poculis,
> Plena dives ut in domo.

Sed pluſculum habebit gratiæ, ſi transferatur ad res animi puta doctrinam, verſas, aut ſimile quippiam. Aulus Gellius lib. 6. cap. 13. indicat vocem hanc in proverbium abiiſſe. Ne omnino, ut dicitur immunes & aſymboli veniremus connectabamur ad cœnulam, non cupedias ciborum ſed argutias quæſtionum. Terentius in Phormione. Tene aſymbolum venire unctum atque lautum e balneis? Apud Athenæum Ephippus eleganter dixit, Immunem manu.

> Ἀλλότριον εἰσελθὼν δεῖπνον ἐσθίειν μάθε,
> Ἀσύμβολόν τι χεῖρα ἀεὶ βάλλη φορῶ.
> Id eſt,
> Ingreſſus alienum edere diſce obſonium.

Edu-

Eduliſque porrigere immanem magnum.

Humeris ſuſtinere.

Quorum autoritas diligentiaque plurimum valet in conſervanda ſalute cujuſpiã, ii dicuntur humeris ſuſtinere. M. Tullius pro L. Flacco: De ſumma Reip. taceo, quam vos univerſam hoc judicio, veſtris nunquam humeris judices ſuſtinetis. Ammianus Marcellinus lib. xvi. Vbi bellorum abundantem molem humeris ſuis, quod dicitur, vehens ſcindebatur in multiplices curas. Huic affine eſt Humeris referre. Cicero pro Domo ſua: Dicebas te tuis humeris me cuſtodem urbis in urbem relaturum. Ab hac metaphora dicuntur Atlantes Reipub. qui eam ſuis humeris ſuſtinent, alioqui collapſuram.

Non è quercu aut ſaxo.

Οὐκ ἐκ δρυὸς, οὐκ ἐκ πέτρας: id eſt, Non è quercu ſaxove: quum ſignificamus, non conſtare materiã externa, ſed ex animi virtutibus. Veluti vulgus civitatem appellat, muros ac domos è lapidibus lignisque conſtructas. Eccleſiam appellat ſtructuram ſimili materia congeſtam: quum revera civitas conſtet hominum moribus & eccleſia ſit animorum in vera religione conſenſus. Plato libro De repub. octavo: ἢ οἴει ἐκ δρυός ποθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν; id eſt, An exiſtimas è quercu qualibet, ut è ſaxo reſpub. fieri ac non potius ex moribus eorum qui in civitatibus verſantur.

Calceos mutare.

Non ſine ſpecie proverbii Ciceroni dictus eſt mutaſſe calceos qui nullo ſuo merito ſenatoriam dignitatem uſurpavit, cujus inſigne erat nigro calceo addita lunula circa talum: M. Tullii verba ſic habent: Eſt etiam Aſinius quidam ſenator voluntarius, lectus ipſe à ſe. Apertam vidit curiam poſt Cæſaris mortem, mutavit calceos, pater conſcriptus repente factus eſt. Quemadmodum clavus aureus in toga ſignum erat ſenatoriæ dignitatis, ita nigra aluta circa talos addita, declarabat eandem dignitatem.

DILIGENTIÆ.

ERASMI. *Ex perpendiculo.*

Ammianus libro xxj. ex perpendiculo dixit, pro eo quod erat, exacto judicio: Palatinas, inquit, dignitates velut ex quodam tribuens perpendiculo: & ſub eo nemo celſum aliquid acturus, in regiam repentinus adhibitus eſt, vel incognitus. Ad hanc formam & illa pertinent quæ cum alibi frequenter, tum apud Gellium ſunt lib. 1. cap. 1. Ad amuſſim exigere: & Libris perpẽdere. &. Ad æquilibrium æſtimare. Et apud Plinium lib. xxxvi. capit. xxv. ad regulã ac libellam exigere. Præterea Digitis metiri, Trutina penſare. Ad unguem facere, aliaque, quorum nonnulla ſuis locis indicavimus: quæ omnia plus habẽt veneris, ſi ad res animi transferantur. Sumpta metaphora à perpendiculo fabrorum, quo explorant vel æqualitatem ſoli, vel parietis rectitudinem. Amuſſis eſt penſilis, infimo plumbum habens affixum: additur in medio regulæ, quæ conſtat duobus gnomonibus: hac explorant æqualitatem ſoli. M. Tullius in Verrem actione tertia: Tu Verres hic quod moliare nihil habes, niſi forte vis ad perpendiculum columnas exigere. Dicunt ei fore nullam eſſe columnam, quæ ad perpendiculũ eſſe poſſit Nam hercle, inquit, ſic agamus, columnæ, ad perpendiculum exigantur, &c.

Stellis ſignare.

Ἀστράσι σημειοῦσθαι τὴν ὁδόν id eſt, Stellis viam ſignare dicuntur, qui notulis quibuſdam & conjecturis rem alioqui pervеſtigatu difficilem inquirunt. Euſtathius exponens quintum Odyſſeæ librum, admonet convenire in eos, qui longam ac deſertam ingrediuntur viam. Sumpta metaphora à nautis, qui in nocturna navigatione viam, ſtellarum obſervatione conjectant. Quemadmodum apud Homerum Vlyſſes Odyſſeæ lib. 5.

> Αὐτὰρ ὁ πηδαλίῳ ἰθύνετο τεχνηέντως
> Ἥμενος· οὐδέ οἱ ὕπνος ἐπὶ βλεφάροισιν ἔπιπτε
> Πληϊάδας τ' ἐσορῶντι καὶ ὀψὲ δύοντα Βοώτην
> Ἄρκτον θ' ἣν καὶ ἄμαξαν ἐπίκλησιν καλέουσι.
>
> Id eſt,
>
> At clavo ille ſedens navim mira arte regebat.
> Nunquam corripuit nutantia lumina ſomnus.
> Verum Pleiadas ſpectat ſerique Booten
> Occaſus. Vrſamque, alio cognomine Currum,

Alluſit huc eleganter M. Tullius libro Academicarum quæſtionum 4. cum ait: Abſoluti ſapientis eſſe, non duci opinionibus, ſed certo verum tenere: idque ductu & indicio Cynoſuræ, quæ quod minore orbe circumferatur, utpote polo vicinior, certius monſtrat viam, etiam ſi minus ſit conſpicua. At nondum perfecte ſapientem, dum ubique quod probabile videtur, amplectitur, interdum errantem, veluti Helicen ſequi: quæ ut clarior eſt, & magis oculis perſpicua, ita non perinde certa viæ monſtratrix, quod laxiore ambitu circumagatur, eo quod à polo ſeu vertice mundi longius abſit. Verba Ciceronis ſunt hæc: Nec tamen ego is ſum, qui nihil unquam falſi approbem, qui nunquam aſſentiar, qui nihil opiner. Sed quærimus de ſapiente. Ego vero ipſe & magnus quidem ſum opinator, non enim ſum ſapiens, & meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam parvulam Cynoſuram,

> (Qua fidunt duce nocturna Phœnices in alto,

ut ait Aratus: eoque directius gubernant, quod eam tenent;

> Quæ curſu interiore, brevi convertitur orbe:)

ſed ad Helicen & clariſſimos Septentriones: id eſt, rationes has latiore ſpecie non ad tenue elimatas. Eo fit, ut errem, & vager latius.

Qui e nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem.

Qui commodum appetit, ne fugiat laborem. Qui quærit voluptatem, prius exponatur ſudorem, ſine quo non paratur vera voluptas. Hanc ſententiam Plautus figura ſane quam proverbiali extulit: Qui è nuce, inquiens, nucleum eſſe vult, frangit nucem. Qui quærit animi pabulum in arcanis literis ſcrutetur ſub allegoriæ involucro conditum myſterium. Sic enim uſurpavit alicubi divus Hieronymus. Nux enim foris tum dura eſt, tum amara, intus ſuaviſſimum condit cibum; Huc referendum illud Homericum figmentum de Moly herba, quam ait radicem quidem habere nigram, ſed florem lacteum. Hanc ita deſcribit Odyſſ. lib. x.

> Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος·
> Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί· χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν
> Ἀνδράσι γε θνητοῖσι· θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.
>
> Id eſt,
>
> Atra quidem radix ſuberat, ſed lacteolus flos:
> Moly vocant ſuperi: mortalibus ardua res eſt
> Evulſiſſe virus: cœleſtes omnia poſſunt.

Accommodari poteſt cum ad omnem diſciplinam, tum peculiariter ad grammaticam; quæ cum ſit pueris amara, ſenibus jucunda eſt. Quadraverit & in virtutis ſtudium, cujus initium acerbum, progreſſus facilis, finis jucundus.

Excubiarum cauſa canens.

Φρουρᾶς ᾄδων: id eſt: Excubiarum gratia canens. Dicebatur olim in hominem vigilantem ac diligentem inde ductum, quod qui excubias agunt, canere conſueverant: veluti vigiliarum tædium cantu ſolentur, vel ne interim obdormiſcant. Sic ait Strepſiades in Nubibus Ariſtophanis, male acceptus in ſchola Socratis:

> Φροῦδα τὰ χρήματα, φρούδη χροιά,
> Φρούδη ψυχή, φρούδη δ' ἐμβάς.
> Καὶ πρὸς τούτοις ἔτι τοῖσι κακοῖς
> Φρουρᾶς ᾄδων ὀλίγου φροῦδος γεγένημαι.
>
> Id eſt,
>
> Caſſi nummique, caſſuſque color,
> Caſſa eſt anima, caſſæ ſoleæ:
> Hiſque malis accedit & illud,
> Dum canto vigil, pene interii.

Effertur autem bifariam participium: φρουρᾶς ᾄδων καὶ φρουρὸς ᾄδων. Alluditur ad hanc vocem: φροῦδος quæ ſignificat caſſum & inanem.

IUNII. *Bubulum obtueri.*

Βοηδὸν ἐμβλέπειν, id eſt, Bubulum obtueri: pro, defixis & intentis oculis obſervare. Syneſius lib. De calvitio: ὥστε βόειον ἐμβλέπειν αὐτῷ id eſt: Vt bubulo obtutu aſpectet. Natum fortaſſis inde, quod grandes oculos bos habeat unde βοῶπις, hoc eſt Bouecula Junonis epitheton apud poetam: quum tales oculi connivere magis videantur.

Polypus ſcopulo affixus.

Πετροφυὴς πολύπους, id eſt, Affixus ſcopulo Polypus, proverbio dici poteſt, qui ita affixus & deditus alicui ſtudio, aut rei adhæret, ut nullis inde machinis divelli queat. Menander Byſantius, qui Agathii hiſtoriæ ſuam ſubtexuit, de Sapiro fortiſſimo milite: καὶ ἐπιλαβόμενος τὰς χεῖρας ἐμβαλὼν, οἷα πολύπους ἀφύκτους πλεκτάνας τινάς, id eſt, Propugnaculo manus injiciens, ut Polypus cirros ſuos inexplicabiles. Nazianzenus in Monodia Baſilii: τὸ τῶν πολυπόδων πεπόνθαμεν, ὧν τῆς θαλάμης ἐξελκομένων, συνεξέλκονται ταῖς κοτυλίσιν αἱ πέτραι id eſt: Accidit mihi id quod Polypis ulu venit, quorum flagellis tenaciter hærent, ſi nido eos avellere tentaveris. Et in libro Carminum:

> Πουλύποδ' ἐν θαλάμαις πέτρης κοτυληδόσιν ἐχόμενον.
>
> Id eſt,
>
> Hærentem polypum crinali corpore ſaxis:

Transferri poteſt ad ſtudioſum ita libris addictum; ut vix ſomni voluptas, aut cibi neceſſitas ſtudium interpellare queat. quod de Joanne Pico Mirandulano Comite memoratur, cui rarum aliquem codicem in bibliothecis nacto, miniſtri cibum & neceſſaria ad eum ipſum locum adferre cogebantur; ut ne interim dum cibum capit, otiarentur oculi. Poteſt & in amatorem quadrare, amoris caſſibus irretitum, cujus animus (juxta Plautum) adhæret affixus clavo Cupidinis.

Mora ſemper obfuit, diligentia profuit.

In ore vulgi, atque in communibus proverbiis verſatur hoc Plauti dictum: Cui mora ſemper abfuit, diligentia profuit. Hinc mora dicitur damnoſa ab Ovid. lib. Metamorph. xi. Aloyſius Luiſinus libro 3. De compeſcendis animi affectibus. Hippocratis igitur præceptum eſt, 1. aphor. 6. morbis remedia eſſe uſui, & levibus quidem levia, extremis extrema. Ea porro ipſa opportune admovenda, quoniam ἐν ἀκμῇ (ut ipſe inquit) ὀξύς. Quemadmodum

edendum in valde acutis; ſi materia turget, eadem die monet; nec moram in talibus, quod periculoſa ſit, contrahendam. Virg. 3. Æneid.

Hic tibi ne qua moræ fuerint diſpendia tanti.

Ovidius:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Hinc Galli: Diligence paſſe ſcience. &, Tard medecine eſt apprêſtee à maladie enracinee. Eò reſpicit Demoſthenes in xxv. proœm. Nihil eſt cautis hominibus & circumſpectis adeo formidabile, quin diligentia præcaveri poſſit: neque ullum malum eſt, quin incautis & pigris evenire queat. Idem epiſt. 1. Quod ſi quis exiſtimat Alexandrum eo fortunatum, quia ad eum quem optabat exitum, perducebat omnia, illud cogitet, quod agendo & laborando & audiendo, non deſidendo, fœlix fortunatuſque ſit. Et in Philipp. 1. Rerum occaſiones tarditatem noſtram & ignaviam non expectant. Pœnitentia enim ſocordiam ſequitur, & incuriam propter occaſionem prætermiſſam. Accius rogatarum fabularum ſcriptor, in Didaſcalico, citante Nonio: Multa amittuntur tarditate & ſocordia, inquit.

Malvam ſere, ne tamen edas.

Μολόχην φύτευε, μὴ ἐσθίε δέ: Malvam ſere, ne tamen edas. Malva, quam authore Athenæo veteres μολόχην, primi autem Athenienſes μαλάχην dixerunt, ab emolliendo ventre, quod Plinius etiam docet lib. xx. cap. xxi. cum ſole tanquam Heliotropium circumagitur. Cujus rei rationem reddit Theophraſtus de cauſis Plantarum lib. 1. cap. 16. & Columella in Hortulo hoc intellexit:

Et Malache prono ſequitur quæ vertice ſolem.

Flos enim humore coacto & quaſi concreto comprimitur, calore autem diffuſo & laxante ſe opera ſolis, aperit, id quod nos in Scholiis noſtris longe fuſius explicuimus. Symbolum admonet, ejuſmodi ſecretas naturalium rerum obſervationes diligenter animadvertendas eſſe, & quod & in malva deprehenſum eſt, in reliquis etiam, præcipue in tam amœno hujus mundi ſpectaculo conſiderandum eſſe, nimirum in herbis, lapidibus, fontibus, fluminibus, animalibus. Quemadmodum ſole circumagitur, ita & animum atque oculos in aliis etiam deprehendendis circumferre convenit. Denique quod addit μὴ ἐσθίε intelligendum eſt, μὴ ἀφανίζε τὰς τοιαύτας παρατηρήσεις ἀλλὰ καὶ αὔξε ... (Greek partly illegible). hoc eſt: Ejuſmodi obſervationes neutiquam occultabis, ſed multa acceſſione augeas, in morem optimi hortulani qui tranſplantatione ſuos hortulos aſſidue fœcundiores efficit.

DISCRIMINIS ET PERICULI.

ERASMI. *A fabis abſtineto.*

Κυάμων ἀπέχεσθαι. i. A fabis abſtineto. Hujus ænigmatis variâ reperitur interpretatio. Plutarchus in comment. de liberis educandis, ad hunc enarrat modum: Abſtinendum a tractandis reipub. muneribus, propterea quod antiquitus in creandis magiſtratibus ſuffragia per fabas vice calculorum ferebantur. Quanquam idem in Probl. diverſam adfert cauſam: nempe quod omnia legumina ventum & humorum impurum adferant corporibus, atque hanc ob cauſam ad Venerem incitent. In eadem ſententia M. Tullius item fuiſſe videtur, qui in lib. De divinat. 1. ſcribit ad hunc modum: Jubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, ut nihil ſit quod errorem animis perturbationemque adferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba veſceretur, quæ res habet inflationem magnam, is cibus tranquillitatem mentis quærentibus videtur eſſe contrarius. Ariſtoxenus tamen apud A. Gellium lib. 4. cap. 11. refellit hanc opinionem, affirmans Pythagoram nullo legumine ſæpius uſum quam fabis, quod is cibus & alvum ſenſim ſubduceret & levigaret. Porro Gellius de cyamo non eſitato cauſam erroris fuiſſe putat, quod in Empedoclis carmine, qui diſciplinas Pythagoricas ſectatus eſt, verſus hic invenitur,

Δειλοὶ πάνδειλοι κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι.
Ah miſeri e cyamo, miſeri ſubducite dextras.

Opinati enim ſunt plerique, κυάμους legumentum vulgo dici. Sed qui diligentius ſcitiuſque carmina Empedoclis arbitrati ſunt (utar enim verbis Gellianis) κυάμους hoc in loco teſticulos ſignificare dicunt eoſque more Pythagoræ operte atque ſymbolice κυάμους appellatos, quaſi ſint εἰς τὸ κύειν δεινοὶ καὶ αἴτιοι τοῦ κύειν id eſt, ad ferendum uterum efficaces, cauſæque ferendi uteri, & geniture humanæ vim præbeant: Idcirco Empedoclem verſu iſto non à fabulo edendo, ſed à rei Venereæ proluvio voluiſſe homines deducere. De cauſis interdictæ fabæ hæc ex Ariſt. refert Laertius: φησὶ δ' Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ τῶν κυάμων, παραγγέλλειν αὐτὸν ἀπέχεσθαι τῶν κυάμων, ἤτοι ὅτι αἰδοίοις εἰσὶν ὅμοιοι, ἢ ὅτι ᾅδου πύλαις ... ἢ ὅτι φθείρει, ἢ ὅτι τῇ τοῦ ὅλου φύσει ὅμοιον, ἢ ὅτι ὀλιγαρχικόν· κληροῦνται γοῦν αὐτοῖς. id eſt: Ait autem Ariſt. in lib. De fabis, illum juſſiſſe à fabis abſtinere, vel quod pudendis eſſent ſimiles, vel quod inferorum portis (unum enim hoc legumen expers geniture) vel quod corrumpat, vel quod univerſi naturæ ſimile, vel quod ad oligarchiam pertineat: nam fabis ſortiuntur. Cum eo quod poſtremo loco attigit Ariſt. convenit quorundam ſententia, qui putant Pythagoram hoc ænigmate deterruiſſe à capeſſenda repub. Mihi magis etiam arridet, quod addit is qui hiſtorias quas Gregorius Nazianzenus attigit, collegit, edere fabas, qui lucro corrupti ferunt ſuffragia. Plutarchus apud eundem Gellium teſtatur, Ariſtotelem ſcriptum reliquiſſe, quod Pythagoras μήτρας καὶ καρδίας καὶ ἀκαλήφης καὶ τοιούτων ἄλλων ἀπέχεσθαι id eſt, vulva, corde, & marina urtica, atque id genus quibuſdam aliis abſtinuerit. Theon grammaticus apud Plutarch. in Symp. narrat, apud Ægyptios tantam eſſe fabarum religionem, ut eas neque ſerant, neque comedant, imo nec aſpicere fas ſit. Herodoto teſte. Quin & apud Romanos inter funeſta habebantur fabæ: quippe quas nec tangere, nec nominare Diali flamini liceret, quod ad mortuos pertinere putarentur. Nam & lemuribus jaciebantur larvis, & parentalibus adhibebantur ſacrificiis, & in flore earum literæ luctus apparere videntur, ut teſtatur Feſtus Pompeius. Plinius exiſtimat ob id a Pythagora damnatam fabam, quod hebetet ſenſus, & pariat inſomnia. vel quod animæ mortuorum ſint in ea. Qua de cauſa & in parentalibus aſſumitur. Unde & Plutarchus teſtatur, legumina potiſſimum valere ad evocandos manes. Varro ob hoc flaminem ea non veſci tradit, quoniã & in flore ejus literæ lugubres inveniuntur. Cæterum quod Plutarchus in probl. rerum priſcarũ inter cætera refert, ob id damnatas fabas, quod Lethes & Erebi ſint cognomines, quid ſibi velit, non ſatis intelligebam: niſi quod conſultis Græcis codicibus, comperi tandem vel librarii vel interpretis errorem. Siquidem & Græca ſic habent: πότερον ὡς οἱ Πυθαγορικοὶ τοὺς μὲν κυάμους ἀφωσιοῦντο διὰ τὰς λεγομένας αἰτίας, τὸν δὲ λάθυρον καὶ τὸν ἐρέβινθον, ὡς παρωνύμους τοῦ ἐρέβους καὶ τῆς λήθης. id eſt: An quod Pythagorei fabas quidem abominabantur, ob cauſas quæ feruntur, lathyrum autem & erebinthum, quod nomen à Lethe & erebo deductum habeant? Hactenus Plutarchi verba retulimus. Lathyrus autem & Erebinthus ciceris genera ſunt. Lethe Græcis oblivionem ſonat. Erebus à caligine nomen habet: inauſpicatæ voces, ſapientiæ ſtudioſis. Hic lapſus in hoc profuit, ut Latini codicis mendum oſtenderimus, nẽ quis ad eundem impingat lapidem.

A gallo candido abſtineas.

Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ id eſt: Albo gallo ne manum admoliaris: quod Menſi ſacer ſit ut pote horarum nuncius.

E paucis verbis ingens bonum aut malum.

In Antigona Electra ſic loquitur ſorori Chryſothemidi:

Πολλά τοι σμικροὶ λόγοι
Ἔσφηλαν ἤδη καὶ κατώρθωσαν βροτούς.

Id eſt,

Sermo profecto rebus in compluribus
Dejecit homines, ſimul & erexit, brevis.

Accidit interdum ex paucis verbis perperam intellectis, magnos naſci errores: atque etiam erroris correctionem ex paucis recte intellectis. De leviſſimæ rei graviſſimis pœnis dictum eſt alias.

Coronam ne carpſeris.

Στέφανον μὴ δρέπτεσθαι. id eſt: Coronam ne carpſeris. Divus Hieronymus adverſus Ruffinum interpretatur, urbium leges obſervandas eſſe, non violandas, neque reprehendendas, quod urbium turrita mœnia coronarum ſpeciem præbeant.

Sub omni lapide ſcorpius dormit.

Ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος εὕδει

Id eſt,

Sub omni lapide ſcorpius dormit. aut (ut metri quoque ratio ſervetur: eſt enim anapæſticus dimeter)

Eſt ſub lapide ſcorpius omni.

Admonet adagium, cavendum eſſe, ne quis apud captioſos, & calumnioſos temere loquatur: quicquid enim attigerit, periculum eſſe ne mordeatur. Conſtat autem, ſcorpios ſolere ſub ſaxis cubitare: quæ ſi quis tollat incautius, fit ut ictus vulnus accipiat. Conveniet & in moroſos, qui quidvis cauſari ſolent: vel in pigros, qui frivola quædam prætexentes, ſuffugiunt laborem. Ariſtophanes ἐν Θεσμοφοριαζούσαις:

Τὴν παροιμίαν δ' ἐπαινῶ
Τὴν παλαιάν· ὑπὸ λίθῳ γὰρ παντὶ που
Χρὴ μὴ δάκῃ ῥήτωρ ἀθρεῖν.

Id eſt:

Sermo mi vetus probatur:
Nam decet lapide ſub omni.
Mordeat ne rhetor, obſervare.

Nicandri cõmentator, hunc ſenarium citat ex captivis Sophoclis.

Ἐν παντὶ γάρ τοι σκορπίος φρουρεῖ λίθῳ.

Id eſt:

Etenim hoc ſub omni lapide ſcorpius excubat.

hoc eſt, nihil tutum, & omnia cavenda.

Cavendum a potentiore.

Qui ſe negabit rem habere velle cum homine longe potentiori, quique magnopere poſſit lædere, recte accommodaverit illud eodem è libro:

Οὐ γὰρ ἐγὼ γ' ἐθέλοιμι Διὶ Κρονίωνι μάχεσθαι.

Id eſt.

Cum Jove ego ſane nolim certamen inire.

Periculum ne temere ſubeas.

Nemo longam navigationem ſuſcipit animi cauſa; ſed adactus

 gravi

gravi quapiam neceſſitate: aut nemo diuturdum, gravemque laborem capeſſit temerè. Ad id congruet illud ex eodem libro:

Τίς δ' ἂν ξεῖνον ἄλλοθεν ἀνδρὶ ῥήμασι ἀλκυονίδων;

Id eſt:

Quis tantum ſalſi lateris percurreret ultro?

Fortunæ novacula.

Tireſiæ verba ſunt ad Creontem, admonentis ut in ſummo diſcrimine poſitus ſapiat:

Φρόνει βεβὼς αὖ νῦν ἐπὶ ξυροῦ τύχης.

Id eſt,

Sape, denuo nunc poſitus in novacula
Fortunæ.

Calamitati quam excitarat Eteoclis & Polynicis contentio, ſucceſſit hæc quam offenſis diis excitavit Creon. Quanquam hic verſus obiter nobis alibi citatus eſt, in proverbio, In acie novaculæ.

Navigationis ſocius.

Ante retulimus, In eadem eſſe navi, qui communi tenentur periculo. Ad hoc alluſit Iſmene, in eadem fabula, dicens ſe non recuſare, quo minus ſubiret idem periculum quod ſubiret Antigone ſoror.

Ἀλλ' ἐν κακοῖς τοῖς σοῖσιν οὐκ αἰσχύνομαι
Ξύμπλουν ἐμαυτὴν τοῦ πάθους ποιουμένη.

Id eſt:

Sed in tuis non erubeſco me malis
Rate vecta eadem calamitati adjungere.

Non movenda loqui.

In Antigona jam irritatior Tireſia ſic minatur Creonti:

Ὄρσεις με τἀκίνητα διὰ φρενῶν φράσαι.

Id eſt:

Tu me excitas, ut quæ latent in pectore
Immota, cogar proloqui.

Vſus erit, quoties adverſariorum improbitas eo nos compellit, ut quæ decreveramus ſilentio tegere, efferamus. Creon enim illum convicio terigerat, dicens:

Σοφὸς σὺ μάντις, ἀλλὰ τἀδικεῖν φιλῶν.

Id eſt,

Tu doctus augur, at ſuetus lædere.

Quod ipſum convenit in hominem prudentem aut eruditum, ſed improbum. Confine eſt illi, Non movenda moves.

Vati non conviciandum.

In Antigona Creon Tireſiæ, more vatum incandeſcenti, ac liberioribus dictis impetenti regem, ita loquitur:

Οὐ βούλομαι τὸν μάντιν ἀντειπεῖν κακῶς.

Id eſt:

Vati viciſſim nolo proloqui male.

Quod Horatius ait,

——Genus irritabile vatum:

non tantum ad poetas, ſed multo magis ad divinos pertinet. Eblandiendum eſt, ſi quid ab eis velis exculpere: quos ſi provoces, divinant omnia mala. Conveniet uti, ubi quis non impetierit impotenti convicio, velut afflatus furore quodam, cui honoris gratia nolimus viciſſim maledicere, quum non deſit quod retorqueatur: aut quum libertatem eam tribuimus iræ: veluti furori cuidam. Cum irato enim nihilo ſanius decertes conviciis quam cum furioſo. Finitimum eſt illi quod ante retulimus: Omitte vatem. Præterea illi: Ni pater eſſes, quod eſt in hac eadem fabula, ſub perſona Hæmonis.

Thraſybulo Dionyſium dicitis eſſe ſimilem.

Δημοσθένην Διονύσιον φάτ' εἶναι ὅμοιον: id eſt, Dionyſium Thraſybulo ſimilem eſſe dicitis. Dici ſol tum, ubi quis ea componit, quæ nimio intervallo inter ſe differunt. Dionyſius enim inter peſtilentiſſimos tyrannos commemoratur, Thraſybulus laudatus, quod Reipublicæ ſtudioſiſſimus fuerit. Sumptum eſt è Pluto Ariſtophanis.

D I V I T I Æ.

ERASMI. *Auro habet ſuppactum ſolum.*

Proverbiali figura dixit Plautus in Bacchidibus:

Sed diveſne eſt iſthic Theotimus?
Etiam rogas? qui ſoccis habeat auro ſuppactum ſolum.

De prædivite, cui tanta ſuppetat auri vis, ut oedibus calcet. Solum enim pro infima crepidarū parte poſuit, aut certe pro pavimento.

DIVITVM PRÆROGATIVA.

ERASMI. *Locupletum reditus.*

In locupletes, quibus alius ex alio ſuccedit reditus, accommodabitur illud ex eodem libro de pomariis Alcinoi dictum.

Οὐδέ ποτε καρπὸς ἀπόλλυται, οὐδ' ἐπιλείπει
Χείματος οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος· ἀλλὰ μάλ' αἰεὶ
Ζεφυρίη πνείουσα, τὰ μὲν φύει, ἄλλα δὲ πέσσει.
Ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
Αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.

Id eſt,

——Nec ſingulos æſtas renovatur in annos:
Sed flans perpetuo Zephyrus ſpiramine fœtus
Hos producit, & hos demittit ab arbore mites:
Et pyra adulta pyris ſuccedunt, malaque malis,
A fico ficus, atque uva ſeneſcit ab uva.

Deorum concio.

Θεῶν ἀγορά: id eſt, Deorum concio, ſive curia. Heſychius indicat dici ſolitum in eos, qui libere, magnaque cum autoritate loquuntur, perinde quaſi dii loquantur hominibus. Addit Athenis eſſe locum hujus cognominis. Conveniet in divites aut præpotentes, qui nonnunquam quum ſtultiſſime loquantur, tamen freti opibus ac potentia, pro oraculo volunt haberi quicquid dixerint. Cognatum eſt illi quod alibi retulimus, Argēti fontes loquuntur.

Bathyclis poculum.

Βαθυκλέους κύλιξ. id eſt, Bathyclis calix, dictum videtur in eos, qui divitiis ſuis ſoli fruuntur, nemini quicquam impartientes. Apud Plutarchum in Convivio ſeptem ſapientum, Ardalus quidam ſic alloquitur Æſopum: Tu nunquam huc tranſmittes poculum ad nos, quum videas iſtos tanquam Bathyclis calicem inter ſeſe tranſmittere, cæterum alii nemini impartientes. Cui reſpondet Æſopus. At ne hoc quidem poculum eſt publicum: ſiquidem uni Soloni jam dudum aſtat. Bathycles Græcis ſonat profundæ gloriæ: quo nomine videtur fuiſſe quiſpiam dives ſibi vivens, ſibique bibens.

Satietas ferociam parit.

Nicolaus Stobæus in Collectaneis ſuis hanc ſententiam proverbii titulo citat: τίκτει κόρος μὲν ὕβριν, ἀπαιδευσία δὲ μετ' ἐξουσίας ἄνοιαν. id eſt: Parit ſatietas ferociam, imperitia cum poteſtate conjuncta, inſaniam. Tollit animos opulentia: quod ſi ad inſcitiam accedat poteſtas, jam res ad inſaniam uſque procedit, Concinit cum illo, Fœnum habet in cornu. Pindarus in Olympiis invertit ſententiam dicens, ὕβριν κόρου ματέρα: id eſt, ferociam matrem ſatietatis. Sed reprehenditur ab interprete, qui magis approbat Homeri verſum:

Τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.

Id eſt:

Faſtum copia gignit, opes ubi pravus adeptus.

Cæterum hunc verſum non memini legere apud Homerum, nec videtur illi γνήσιος: certe quod conſtat, extat in ſententiis Theognidis.

COGNATI. *Caput unctum.*

Vnctum caput, divitiarum argumentum: & uncti divites dicuntur. Iuvenalis:

Vnctamque Corinthum.

Cic. in 4. contra Verrem: Ita palæſtritas defendebat, ut ab illis unctior diſcederet. Catullus de Varri ſcorto:

Cur quiſquam caput unctius referret?

Idem in Cæſarem & Mamurram:

——Quid hic poteſt,
Niſi vaſta devorare patrimonia?

Horatius in 1. epiſt. ad Scævum:

——Accedes ſiccus ad unctum,

id eſt, pauper ad divitem.

COGNATI. *Contrariorum eadem diſciplina.*

Iſtud in Philoſophorum ſcholis tritum ac celebratum eſt: Contrariorum eandem eſſe vim ac poteſtatem; cum de vi percipiente, & ea qua contraria apprehenduntur, agitur. Etenim album & nigrum eadem facultate cognoſcimus, itemque conſonum & diſſonum, calidum & frigidum, & ſimilia. Et de hac poteſtate intelligendus eſt locus ille in principio v. Ethicorum, ubi hoc dicitur: Quinetiam ob hanc ipſam cauſam cōtrariorum eadem ars eſt, eadem ſcientia. Oppoſita autem juxta ſe poſita, magis eluceſcunt. Sic Ariſtoteles more ſuo brevitatem amans, ex altero alterum voluit intelligi: quoniam quæ contraria ſunt, eaſdem ſortiuntur per contrarium conſiderationes.

E L A B E N D I.

EX APP. ERASM. *Rodere caſſes.*

Pro, effugii occaſionem quærere, etiam cum argumentis implicitè tenemur, aut alia ratione capti ſumus. Repete proverb. ſup. Chil. 3. centur. v. quod eſt ordine 58. ἐκ λινοῖαι.

COGNATI. *Luto pedem evellere.*

Simile eſt huic Græco proverbio, αὐτὸς πηλοῦ πόδας ἔχεις quod eſt, Extra lutum pedes habes: de his qui alicunde ſe expedierunt, & è moleſtia evaſerunt. Horatius:

Nec quicquam cœno cupiens evellere plantam.

Plinius libro viii. cap. xlii. Evellere ſeſe è cœno dixit. Vide alibi, Aqua hæret. Et apud Eraſmum, in eodem hæſitas luto.

EX-

EXCELLENTIÆ.

ERASMI. *Longa vicit.*

Qui ſentiet aliquem ita præcellere, ut periculum non ſit, ne quis illi præripiat palmam, conveniet illud ex eodem libro:

——— Σὺ καὶ ϑάρσει· τίν δὲ γ᾽ ἄεϑλον
Οὔτις φαιήκων τόν δ᾽ ἵξεται, οὐδ᾽ ὑπερήσει.

Id eſt:

At tu fide animo, quando hoc certamine nullus
Phæacum, te nec æquabit, nec ſuperabit.

EXECRANDI.

ERASMI. *In directum.*

Quibus precamur exitium, eos jubemus ire in malam crucem; ad corvos, ad cynoſarges. Pro eodem priſci dixerunt in directum: quod illi directos appellarent in crucem ſuffixos. Nonius citat ex Varrone: Apage in directum à domo noſtra iſtam inſanitatem. Directos dici putat, quaſi in diem erectos. Fortaſſe ſcriptum erat, in dium erectos: quod qui crucifiguntur, ſub dium exponuntur. Præſertim quum addat, à domo noſtra. Sub dium rapiuntur, quæ domo efferuntur. In ſanitatem autem pro inſania dixit M. Tullius; ne quis mendum ſuſpicetur.

IUNII. *Luce perire liceat.*

Is qui malis ſuccumbere non recuſet, modo miſceatur læti quippiam, hoc eſt mortem non abnuat, dum votis ſuis reſpondeat fortuna: proverbii ſpecie Homericum illud hemiſtichium, uſurpabit, quo uſus eſt Idomeneus Iliad ς.

——— Ἐν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον:

Luce perire etiam liceat.

optat enim ab Iove diſcuſſa caligine lucem reddi: qua conceſſa mortem oppetere non detrectet. Tali notum eſt illud in Odyſſ.

——— Ἰδόντα καὶ φίλοισι μὴ λίπω αἰῶν.

Defungar vita, dum videro grata.

Ita paraſitus famelico ventre moriens, optet ſaturo difrumpier alvo: & qui naufragio perit, non recuſaret mortem in terra occumbere.

FACILITAS.

Doceat qui didicit.

Idem in eodem Encomio: τὸ δὲ διδάξασθαι δὲ τῷ εἰδότι ῥᾴτερον: id eſt. Docere porro facilius eſt qui didicit. juxta illud:

Diſce, ſed à doctis. ———

Nemo facilius artem tradit alteri, quã qui eam exacte callet. Novit enim multa in compendium contrahere, novit obſcuris dare lucem. Proinde quod quidam tot ambagibus circumagunt ac detinent adoleſcentes in diſciplinis, in cauſſa eſt, aut quæſtus, aut livor, aut imperitia.

EX APP. ERASM. *Sine ſanguine.*

Facilem voti expletionem ſignificant & illa. ἀναιμωτί, citra ſudorem, ἀναιμακτί, abſque cruore. Dormienti Dii confecerunt. Tenent. Duci nihil agenti cœlo in ſinum devolavit hiſtoria. Ovid. ὦ πόλις ὡς ἀτυχὴς εἶ καὶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρονεῖς. O civitas, ut tu quidem es felix magis quam provida. Athen.

FACUNDIA.

Sybaritica oratio.

Συβαριτικοὶ λόγοι: id eſt, Sybaritici ſermones. Heſychius narrat ἀκούσας quempiam, Sybaritam opinor, ſummo ſtudio incubuiſſe ut orationis quoque genus haberet lautum & opiparum: hinc jocum proverbialem ortum, ut oratio nitidior & accuratior, Sybaritica diceretur. De luxu Sybaritarum in apparandis conviviis; dictum eſt in proverbio, Sybaritica menſa. Sic & Aſiaticum dicendi genus venit in proverbium. Fit enim fere, ut qualis vita, talis ſit oratio. Congruet & in orationem arrogantem atque ampulloſam. Nam & faſtus nomine notati ſunt Sybaritæ, Sybaritæ per plateas.

IUNII. *Muſarum favus.*

Μουσῶν κηρίον ἀειϑαλέων: id eſt, Favus Muſarum propitiarum. Dicetur non inveniſte de omnibus numeris abſoluto, & carminis elegantia nulli ſecundo poeta. Dictum eſt poetæ cujuſpiam de Sophocle, ut refert Philoſtratus Iunior in Iconibus, quanquam ibi corrupta voce ἀσμένως legitur. Conſtat autem Sophoclem ob carminis ſuavitatem μέλιτταν velut apem fuiſſe dictum. & νέαν σειρῆνα, id eſt, Sirenem novam. Favus mellis dulciſſimus eſt, unde illa phraſis Davidica: γλυκύτερα ὑπὲρ μέλι καὶ κηρίον. id eſt: Præ melle & favorum nectare dulcia. Huc trahi poteſt illud Ariſtophanis: μέλιττα μόνος χαρίτων ϑρέμμα. id eſt: Apis Muſarum, & Charitum deliciæ. de erudito viro.

FESTINATIO.

Celeritas in malis optima.

Sophocles in Antigona:

Βραχύτατα γὰρ κρατεῖ τὰ τοὺς κακοῦς κακά.

Id eſt:

Vrgentibus malis celeritas optima eſt.

Verba ſunt Chori ad Creontem, in vario luctu domus cupientem è medio tolli. Nam cuo perire quem vitæ tædet, nonnihil eſt lucri. Nihil moleſtius, quam diu animo diſcruciari, ſi quid mali immineet, quod vitari non queat: optimum eſt, dare operam ut ſit quam breviſſimum.

Antequam incipias, conſulto.

Antequam incipias, conſulto: ubi conſulueris, mature facto opus eſt. Hanc ſententiam Saluſtianam Ariſtoteles ut proverbialem refert libro Moralium Eudemiorum v. & Nicomachiorum vi. καί φασιν πράττειν μὲν δεῖν ταχὺ τὰ βουλευϑέντα, βουλεύεσϑαι δὲ βραδέως. id eſt: Et ajunt quidem mature faciunda quæ decreta ſunt cæterum lente cunctanterque deliberandum. Diogenes Laert ius hujus dicti autorem facit Biantem. In hanc ſententiam copioſius dicimus in proverbio, σπεῦδε βραδέως. Laudatur hoc nomine Datames apud Æmylium Probum, quod ubi cogitaſſet, facere nolebat cogitata, ſolitus cogitare, priuſquam conari.

FIDES ET GRAVITAS.

ERASMI. *Barbati.*

Apparet apud Romanos proverbiali joco barbatos dici conſueſſe, homines priſcis ac ſimplicibus moribus ruſticanæque veritatis, quod illic ſero acceptum ſit barbam radere, aut tondere. Siquidem, autore Plinio, P. Ticinius Mena primus è Sicilia tonſorem induxit, anno ab urbe condita quadringenteſimo quinquageſimoquarto, quum hactenus fuiſſent intonſi. M. Tullius lib. De ſinibus 4. Hoc vero te ferre non potuiſſe, quod antiqui illi quaſi barbati, ut nos de noſtris ſolemus dicere, crediderunt ejus qui honeſte viveret, ſi idem & bene valeret, & bene audiret, copioſuſque eſſet, optabiliorem fore vitam, melioremq; & magis expetendam quam illius, qui æque vir bonus, multis modis eſſet, ut Ennii Alcmæon,

Circumventus morbo, exilio atque inopia.

Illi igitur antiqui non tam acute optabiliorem illam vitam putant præſtantiorem, beatiorem. Stoici autem, &c. Eo ſpectat illud Iuvenalis:

———Facile eſt barbato imponere regi.

FOEMINÆ.

ERASMI. *Ampullacea.*

Plautus in Menæchmis videtur ampullaceam vocare, mulierem magnifice cultam, carmen ſic fertur: Quando te auratam & veſtitã bene habet, ampula ſpem. Recte perhibent, melius ſanam eſt mulier mentem ſumere. Ampula ſpem certum eſt depravatas eſſe voces. Quidam reponunt ampulloſam: verum hanc dictionem trochaici carminis ratio non patitur. Ampullaceam, & metro congruit, & ſenſui. Plin. lib. xv. inter genera pyrorum commemorat ampullacea. Qui tamen locus haud ſcio an mendo vacet: verba Plinii ſic habent: Ab odore myrrhapia, laurea, nardina: à tempore, hordearia: à collo, ampullacea, & coriolana.

COGNATI. *Silena.*

Si qua puella ſimis eſt naribus, ſilena & ſatyra ab amante nominatur. Silenus enim Bacchi nutricius & pædagogus: & ſatyri, compreſſæ & ſimæ naris finguntur. Lucret. lib. 4.

Simula σιληνὴ ac ſatyra eſt.———

Ex Sileni enim & ſatyrorũ vitio excogitata eſt Lucretio ſpecioſa in amica excuſatio deformitatis, quæ eadem in diis ſit: ut prope venuſtum videri debeat, & decorum, quod in diis reperiatur, qui omnis labis & turpitudinis expertes habentur.

COGNATI. *Δορκάς.*

Vox in Græco ſermone pervalgata, qua mulier nervoſa ac lignea, ſive cute dura & arida, contumeliæ cauſa dicitur. Eſt enim quoque macula formæ nævus, & dorcas belua gracilis, & pelle coloribus diſtincta. Lucretius.

———Nervoſa ac lignea δορκάς.

FORMA ET DEFORMITAS.

ERASMI. *Nutricis pallium.*

Nutrices quoniam tractant infantes, ſæpe veſtes habent, pus, ſalita,

ſaliva, miſtu foriaque contaminatas. Vnde Plautus in Bacchidibus: Si unam peccaviſſes ſyllabam, fieret corium tam maculoſum quam eſt nutricis pallium. In arcanis literis crebra mentio panni menſtruatæ.

FORTITVDO.

ERASMI. Suſtine & abſtine.

Epictetus Cynicæ ſectæ philoſophus univerſa philoſophorum dogmata, quæ ad humanæ vitæ pertineant felicitatem, quæque tot voluminibus vix explicant cæteri, duobus verbis abſolute cõplexus eſt, quæ jam olim proverbii vice celebrantur à doctis, digna profecto, quæ omnibus parietibus, omnibus columnis inſcribantur, omnibus annulis inſculpantur. Ea ſunt hujuſmodi. ἀνέχου καὶ ἀπέχου. id eſt: Suſtine aut abſtine. Quorum altero monemur, ut adverſa fortiter toleremus: altero, ut ab illicitis temperemus voluptatibus. Referuntur in Noctibus Gellianis lib. 17. cap. 19. Apud Athenæum refertur hoc carmen, tacito autoris nomine,

> Ἀγαθὸς ἀνὴρ λέγοιτ' ἂν ὁ φέρων τἀγαθά,
> Ἀγαθὸς ἂν εἴη καὶ ὁ φέρων τὰ κακὰ καλῶς.
>
> Id eſt,
>
> Bona quiſquis adfert, vir bonus vocabitur:
> Bonus erit & ille, qui mala pertulerit bene.

Recipere animum.

Vbi quis re ſubitaria conſternatus, poſtea recipit ſeſe, conveniet illud ex Odyſſeæ ω.

> Αὐτὰρ ἐπεὶ ῥ' ἄμπνυτο καὶ ἐς φρένα θυμὸς ἀγέρθη,
> Vt reſpiravit, rediitque in pectora ſenſus.

FORTVNÆ COMMVTATIO.

IOANNIS VLPII. Ager quam multos habuiſti & quam multos habiturus es dominos.

Citatur à Chryſoſtomo ex his, quæ vulgo dicuntur: quod & ad domos, pecunias, veſtes, ornamenta, & terrena omnia rectiſſime dici poteſt. indicat quæ hujus ſeculi ſunt relinquenda eſſe, ſolam vero virtutem & recte factorum conſcientiam nobiſcum ad ſupercœleſtem illam vitam commigrare.

FRAVDIS.

Diverſarum partium.

Qui volet innuere Metium quempiam, & cum utraque parte colludentes, aut advocatum prævaricatorem, aut proditorem ducem, non ineleganter uſurpaverit illud ex Iliad. lib. ε.

> Τυδεΐδην δ' οὐκ ἂν γνοίης, ποτέροισι μετείη,
> Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἦ μετ' Ἀχαιοῖς.
>
> Id eſt,
>
> Porro Tytiden minime dignoſcere poſſis,
> Troianos ne inter verſetur, an inter Achivos.

Phrynichi lucta.

Τὸ Φρυνίχου πάλαισμα: id eſt, Phrynichi luctatio. Diogenianus indicat dictari ſuetum de iis, qui aſtu doliſque negocium peragunt. Fuit is Phrynicus Lacedæmoniorum proditor, quem vetus Comœdia carbone notavit.

FRVGALITAS.

De ſportula cœnare.

Athenæus lib. 8. Græci τὸ δεῖπνον ἀπὸ σπυρίδος δειπνεῖν, id eſt, cœnam è ſportula proprie vocabant, quoties aliquis ſibi paraſſet cœnam, eaque in ſportulam compoſita, iret apud alium cœnatus. Quod genus & hodie durat inter homines frugi, qui nec gravari volunt ſumptu, nec alios gravare. Lepidius erit, ſi transferatur ad eum, qui ſic adit diſcendi gratia, ut ipſe viciſſim adferat quod doceat, ut fiat eruditionis permutatio.

Ἀγαθοδαιμονισταί.

Agathodæmoniſtæ dicebantur olim, qui parce biberent. Tantum Heſychius, autor ex re nomen habens: niſi forte hoc operis quod habemus, epitome eſt ejus quod ille ſcripſit. Proditum eſt, Socratem nunquam de primo cratere bibere ſolitum, ſed ſecundo ſervare ſitim. Tertium autem craterem ἀγαθοῦ δαίμονος appellabant, quemadmodum alibi declaratum. itaque qui ſitim ſervabant tertio crateri, ἀγαθοδαιμονίζειν dicebantur. Itali raro bibunt in convivio, nec niſi taburrato, ut Plautino verbo utar, ſtomacho. Nos à potu auſpicamur convivium, & potu claudimus, fruſtra reclamantibus medicis.

FRVSTRATA SPES.

Cœlo ac terra loqui.

Qui fruſtra vociferantur, cœlo ac terræ loqui dicuntur. Sic enim ſolent, qui diffidunt hominum præſidiis, exclamare: O cœlum, ô terra. Theogenetus apud Athenæum lib. 3. ac rurſus lib. 15.

> Πεφιλοσόφηκας γῇ καὶ οὐρανῷ λαλῶν,
> Οἷς οὐδέν ἐστιν ἐπιμελὲς τῶν σῶν λόγων.
>
> Id eſt:
>
> Terræ loquens, cœloque philoſophatus es,
> Sed hiſce nulla eſt cura ſermonis tui.

Confine eſt illi, quod alibi retulimus: Vento loqueris.

FVERVNT NON SVNT.

ERASMI. Haud ſolide.

Οὐ παγίως: id eſt, Haud firmiter. Plato in Theæteto, miror quamobrem proverbii loco retulerit: niſi forte ob metaphoram duriuſculam, παγίως, addidit ὡς φασίν. Agit enim illic Socrates de his, quæ ſuapte natura firma non ſunt, ſed aliis adhærentia reciprocis motibus variantur, ut ſint aut non ſint velut album & nigrum, agens & patiens. Locus ſic habet: καὶ πάντα τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπολαμβάνειν, αὐτὸ μὲν καθ' αὑτὸ μηδὲν εἶναι, ὃ δὴ καὶ τότε ἐλέγομεν, ἐν δὲ τῇ πρὸς ἄλληλα ὁμιλίᾳ πάντα γίγνεσθαι καὶ παντοῖα ἀπὸ τῆς κινήσεως, ἐπεὶ καὶ τὸ ποιοῦν εἶναί τι καὶ τὸ πάσχον αὐτῶν ἐπὶ ἑνὸς νοῆσαι, ὥς φασιν, οὐκ εἶναι παγίως. id eſt: Atque ad eundem modum de reliquis ſentiendum eſt, unumquodq; per ſe nihil eſſe, quod ſane ego & tu dicebamus, ſed in mutuo inter ſe congreſſu omnia fieri, & omnifaria, videlicet à motu. Quandoquidem & agens eſſe aliquid, & patiens, unumquodque per ſe intelligere, ſicut ajunt, ſolide non poſſumus. Ariſtoteles lib. Rhet. 2. ait, ſenes ob rerum experientiam ſemper addubitare, neque quicquam aſſeverare, ſed omnibus dictis addere, ἴσως καὶ τάχα, id eſt, forte & forſitan: παγίως δ' οὐδέν, id eſt nihil fixe, πάγιος Græcis dicitur, quod compactum eſt: à πήγω, quod eſt figo ſive compingo. Inde παγίως, pro ſolide & certo. Accidentia quodammodo fluunt. Subſtantia ſolida eſt: & eorum quæ dicuntur ad aliquid, ratio pendet aliunde: patris enim ratio perit patri, ſi moriatur filius, quũ nihilo ſecius ſubſiſtat patris ſubſtantia. Quia & Latinis res ſoli dicuntur, bona immobilia: & à ſolo ſolidum dicitur, quod integrum eſt & compactum. Id Oſci ſolum vocant pro toto. Iuvenalis:

> ——— Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Sic hanc vocem frequenter uſurpat divus Hieronymus. Hinc Sextus Pompejus Feſtus, dicta putat ſoliferrea tela, quæ tota ferrea ſunt: & hominem ſolertem, quod omnes artes calleat: & ſolenne, quod omnibus annis fit. Indidem & terram ſolum dicimus, quod fixa ſit & compacta, non profluens aeris & aquæ inſtar.

FVCVS.

COGNATI. Rhetorici colores.

Quid ad exornationes atque figuras ſe conferunt, apud Gallos proverbio dicuntur, rhetoricis coloribus uti: hoc eſt, fucatis pigmentis, quibus nihil ineptius, ſi bonis ſententiis non fuerint conjuncta. Hujuſmodi ſunt apud Lucianum de mercede conductis, tragœdiarum libri cocco, purpura, auro, argentove foris amplifice decorati, intro vero ſimulac inſpexeris, nihil lætabile, nihil delitioſum deprehendas, ſed adulteria infanda, inceſtus, ſacrilegia, turpiſſimas cædes, & omne ſcelerum & impietatis genus, ὀψαυχενῆ enim, ut antiquus Phocylides ait, ὁ πολὺς πλοῦτος, καὶ ἐς ὕβριν αἴξει.

> Divitiæ elatum faciunt, ſcelera impia adaugent.

Vide, Aliud in titulo, aliud in pixide: ſupra:

GARRVLITAS.

ERASMI. Citeria.

Citeriæ convicium in homines impendio loquaces olim jactatum eſt. Cato in M. Cælium: Quid ego dicerem amplius? quem denique credo in pompam veſtitatum iri ludis pro Citeria, atque ſpectatoribus ſermocinaturum. Feſtus Pompeius admonet, Citeriam dictam fuiſſe quandam effigiem argutam ac loquacem, quæ ridiculi gratia in pompis vehi ſoleat, crepitum & ſtrepitum aſſidue edens. Nunc in pompis non circumfertur Citeria, ſed multi Citerias habent domi, factitiis illis multo magis obſtreperas.

Siculæ nugæ, Gerræ, Perſolæ nugæ.

Siculæ nugæ proverbio dicuntur res leviculæ. Auſonius in epiſtola ad Symmachum:

> Cogitans, inquit, non illud Catullianum,
> Cui dono lepidum, novum libellum:

ſed amargoteron & verius,

> Cui dono illepidum, & rudem libellum.

non diu quæſivi. Tu enim occurriſti, quem ego, ſi mihi poteſtas ſit, ex omnibus unum ſemper eligerem. Miſi itaque ad te frivola gerris Siculis vaniora. Porro Siculorum dicacitas nota eſt veterum literis. Nam Siculus fuit Epicharmus: ad cujus exemplar properare Plautus dictus eſt Horatio. Plautus autem in nugis ac jocis eſt immodicus, nec raro ineptus. Porro gerras Græci crates vimineas appellant. Ea vox poſtea vulgo pro nugamentis rebuſque frivolis uſurpata eſt, autore Feſto Pompeio, hac quidem occaſione, Athenienſes cum Syracuſas obſiderent, & crebro gerras poſcerent, irridentes Siculi Gerras clamitabant. Hinc in proverbium ceſſit. Vnde & familiares, quique inter ſe nugas omneis communicant, Congerrones vocantur. Suidas neutro genere γέῤῥα refert, ut Perſicam vocem: quæ quidem tum arma declaret, tum quodvis defenſaculum. Etymologicon Græcum addit, apud Siculos naturam muliebrem gerron appellari: γέῤῥα nanque dici, commutatione literæ, quaſi, δέῤῥα. Δέῤῥας autem apud Græcos pellem ſignificat: & gerra proprie defenſacula ſunt pellicea. Plautus in Pœnulo: Scitum per tempus hoc jam eſt verbum ſi verbum vetus. Nam iſtæ blanditiæ mihi ſunt, quod dici ſolet, gerræ germanæ. Ædepol liræ, liræ. Germanas dixit, non Germanicas, abſit, ſed meras ac veras nugas. Quod autem Plautus vocat liræ, Græci dicunt λῆροι, ſive λαρέγγανα. Vocem dictam putant à λήθω & ῥέω: quod dictum fallens memori excidit. Quemadmodum & φλύαρον & φλυαρίαν dictam à φλύω & ῥέω: quod ſuperfluant, exundentque verbis garruli. Apud hunc ipſum Plautum & Perſolas nugas legimus; opinor ob montes aureos, qui apud Perſas eſſe perhibentur.

Χηναλώπηξ.

Theagenes, quod eſſet garrulus ac ſtupidus more anſerum, & verſipellis more vulpium, vulgari joco dictus eſt χηναλώπηξ: voce compoſita ex anſere & vulpe. Quanquam Didymo magis probatur, anſeris nomen additum, quod avitio, ac præſertim anſerinis ſupra modum delectaretur, videlicet vulpium more. Anſeris jecur olim in ſummis erat deliciis. Hujus adagii meminit Ariſtophanes in Avibus.

Cribro Crebrius.

Scite dictum eſt Plauto, nec ſine proverbii ſchemate. Cribro crebrius, pro eo quod erat, plurimis locis, ac paſſim: Villam integundam intelligo totam mihi. Nam nunc pellucet ea quam cribrum crebrius. Vulgus de futili ac loquaci dicit: Tam ſolidus eſt quam cribrum.

Larus.

Κέπφος λάρος, id eſt, Cepphus larus. In garrulum ac vecordem dicebatur, præcipue qui cujuſvis rei cupiditate deceptus capitur. Ab avis ingenio ductum, quam ſpuma marina gaudere tradunt. Capitur autem ad hunc modum. Objicitur ſpuma primum longiore intervallo: deinde propius propiuſque. Poſtremo manibus geſtantes exhibent. Larus itaque cibi aviditate captus comprehenditur. Ariſtophanes utitur in Pluto. Interpres admonet cognomen eſſe proverbiale. Rurſum in Nebulis Cleonem Larum vocat, quod furtis ac rapinis inhiaret. Lucianus in libello De mercede ſervientibus, αὐτὸς δὲ παραχρῆμα θαῤῥῶν, ἐπιχείρει τῇ ἄγρᾳ, εἰ θέλεις, καθάπερ ὁ λάρος ὅλον καταπιὼν τὸ δέλεαρ, id eſt, Sumpta vero fiducia, venatum aggredere, ſi videtur, larian morem, totam eſcam ore devorans. Athenæus libr. Dipnoſophiſtarum 10. indicat avem hanc Herculi attributum à priſcis, quod & ille fuerit ἀδηφάγος, atque itidem βουφάγον eſſe vocatam. Olim præcipuus gurgitum luxus erat in piſcibus, id quod omnium libri teſtantur, quicunque vel apud Græcos apud Latinos ſcripſerunt de hoc genere. (Quo magis mirum eſt hodie religionis cauſa vulgus piſcibus veſci.) Proinde congruet & in obſonatores, quod larus avis piſcium ſit appetens.

Cepphus parturit.

Κέπφος ὠδίνει, id eſt, Larus parturit. Dicebatur in eos qui pollicerentur ingentia, deinde nihil promiſſis dignum præſtarent. Eſt enim larus avis multa plumarum copia circumtecta, cæterum carnibus exiguis: pariens autem vociferatur. Recenſetur adagium ab Ariſtophanis interprete, in comœdia cui titulus, pax Conſine eſt illi,

Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus.

Dicenda tacenda locutus.

Horatius:

———Dicenda tacenda locutus.

Tacenda & tacita à Græcis τὰ ἀπόῤῥητα dicuntur. Catullus ad Cornelium:

Si quicquam tacitum commiſſum eſt fido ab amico,
Cujus ſit penitus nota fides animi.
Me unum eſſe invenies illorum jure ſacratum,
Corneli, & factum me eſſe puta Harpocratem.

Sic ſanctum hominem ſe, ac fidei plenum ſignificat. Vide apud Eraſmum, Reddidit Harpocratem.

GLORIA.

Simulachrum ſibi relinquere.

Simulachrum ſibi fabricari & relinquere dicuntur, qui ingenii ſui imagines, quaſique ſtatuas perennes poſteris committunt. id quod fit libris edendis, quæ monumenta ſunt hominum cariem non ſentientia. Bud. Caveto: Præſtantiſſimi quique homines, maximeque eximii animi & ingenii, ſimulachra ſibi fabricantur in ævum perennatura. Greg. Theol. lib. 1. Sentent.

Γραφεὺς δείκνυται τῷ πλάνῳ τοῖς πλάνοις τοῖς ἑαυτοῦ πόνοις.
Pictor tabellis comprobatur editis.

Gloria ad Herculeas innotuit uſque columnas.

Arato Sicyonii æream columnam poſuerunt, aliquod elegis inſcriptum, Plutarcho referente. quorum primum huc adſcribam, ſed Latine eandem rem continens:

Gloria ad Herculeas innotuit uſque columnas,
Inclyta virtutis maxime Arate tuæ.

Sentiebant Aratum ad extremam perveniſſe laudem, ultra quam non poſſit creſcere. Quod ſi quis præterea quicquam laudis requirat. id perinde eſſe, ac ſi quis ultra columnas ab Hercule fixas conetur tranſire. Vltra enim has columnas nemini licet progredi. Ad Herculis columnas ab Eraſmo noſtro exponitur.

Miſerum eſt aliena incumbere fama.

Carminis pars eſt ex Iuvenalis ſatyra octava, vulgo jactata de iis, qui cum nihil ipſi habeant proprium, quod laudem mereatur, ad paternas & avitas laudes (ut claudi ad equum) recurrere ſolent. Quaſi vero ſis occini merito non queat, Heroum filios eſſe notas: & illud Dionyſiodori Trœzenii apud Plutarchum in Arati vita, Eraſmo interprete:

Quis patrem laudet, niſi proles indigna laudis?

Extant ad hanc ſententiam multæ graves & argutæ veterum Græcorum ſententiæ Accius in Didaliſco, Nonio referente:

Non genus virum ornat: generi vir fortis loco.

Eleganter Ovidius ſub Vlyſſis perſona:

Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra voco.———

Et Gregor. Theol. lib. 1. Sentent.

Ὡς καλὸν εἶναι, ἢ καλῶν πεφυκέναι.
Id eſt:
Melius bonum eſſe, quam crearier bonis.

Nec te quæſiveris extra.

Sententia proverbialis eſt apud eundem Perſium ſatyra 1. qua monemur, neminem oportere in rebus gerendis famam popularem captare, nec alieno vivere judicio: ſed ut ex Ciceronis ſententia habetur, ſufficere debere ad gloriam benefacti conſcientiam. Vnde illud Virg.

———Pulcherrima primum
Dii moreſque dabunt veſtri: tum cætera reddet
Actutum pius Æneas.———

Sit igitur vir bonus & ſapiens, judex ſui, ut idem Virg. dicit. Nec aliis (ut ſcribit Horatius) de ſe plus quam ſibi credat. Nec quærat quod à multis fit, quid de ſe homines loquantur. unde illud emergit ejuſdem Perſii:

Et verum, inquis, amo: verum mihi dicito, de me
Quis populi ſermo?

Huic reſpondet quod idem ſatyra 4. dixit:

Tecum habita.———

Ac ſi dicat: Teipſum judica, & ſola recte factorum conſcientia fruere. Cicero in Tuſculanis quæſtionibus lib. 3. Tuo tibi, inquit, judicio eſt utendū. Nemo enim debet ſe extra & ex alieno judicio æſtimare, ſed populare judicium, & plebeculæ famam floccipendere. Nec diſſimile eſt hoc Horatianum, Serm. lib. 1. ſatyr. 3.

———Denique teipſum
Concute, num tibi quid vitiorum inſeverit olim
Natura, an etiam conſuetudo mala: namque
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.

GRATITVDO.

ERASMI. Benefactorum memoria.

Vbi quid boni contingit alicui propter veterum benefactorum memoriam quadrabit illud ex eodem libro:

Ὡς κατορθοῦν κρεῖττον ἢ κακῶς ἁμαρτάνειν.
Id eſt:
Officio fungi multo ac delinquere præſtat.

Equo ſeneſcenti minora cicela admove.

Ἵππῳ γηράσκοντι τὰ μείονα κύκλα ἐπίβαλλε, id eſt, Equo ſeneſcenti minora cicela admove. Admonet adagiū, ubi vires per ætatē fatiſcunt, reſpirationem ac refocillationem quandam à laboribus dandam: & decreſcente robore, minuendos labores, augendam remiſſionem. Ductum ajunt ab equis militaribus, quib. ſeneſcentibus,

tibus, levius περίττωσιν admovebant. Eſt autem τρισπιθῶν ces cutula quædam, publica nota, quæ igni candefacta, malis equorum imprimi conſuevit. Zenodotus oſtendit proverbium extitiſſe apud Cratetem comicum in Samiis. Videtur carmen heroicum, ſi tantum legas ἀλλ' ἐπίβαλε. Nam τρισπιθῶν nondum reperi apud ullum autorem, præterquam apud Zenodotum. Triſippi meminit Heſychius. Videtur autem τρισπιθῶν aliquid eſſe non diſſimile triſippio.

EX APPEND. ERASMI.

Merces conſtituitur amico.

• Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.

Æqua viro merces fac præſtituatur amico.

Pitthæi præceptum fuit celebratiſſimum, quo jubebat inter amicos ex æquo & vero debere omnia agi. Plutarchus.

POLYD. VIRG. Bos cognoſcit poſſeſſorem.

In gratum, & agnoſcentem accepta beneficia. Norunt enim bubulcum, & à quo paſcuntur boves. Poterit item argumento ſumpto à minori torqueri in ingratos: quomodo à Chriſto dictum in Iudæos, quod à bove intelligentia vincerentur. Eſa. 1.

HONOS INDIGNO HABITVS.

ERASMI. Tragica Simia.

Τραγικὸς πίθηκος, id eſt, Tragica ſimia. Proverbiali convicio dicebatur qui fungeretur honoribus, opibuſque polleret, alioquin indignus. Simiam appellant homuncionem, vix hominem, ſed ſimulachrum hominis magis. Tragicam addunt, propter fortunæ ſtrepitum & perſonam additam. Demoſt. in oratione pro Cteſiphonte. Æſchinem tragicam ſimiam appellat, quod, quum eſſet nequiſſimus, ſplendidis verbis probum civem ageret. Cujus proverbii meminit Philoſtratus in Ariſtide. D. Hieronymus in Epiſtolis oſtendit hoc ſcomma jaci ſolere vulgo in Chriſtianos, ſed ab impiis, ethnicisque perinde quaſi vultu habituque ſanctimoniam præ ſe ferrent, cum eſſent improbi. Quanquam hic locus in exemplaribus non eodē habetur modo, ſicut admonuimus in ſcholiis quibus vere divini viri lucubrationes, (quo à piis hominibus, ſed mediocriter doctis, poſſent in offenſe legi) ſummis vigiliis emendatas illuſtravimus. Convenit & in eos, qui barba pallioque philoſophos ſe profitentur, cum extera cultui non reſpondeant. Sic enim Plutarchus: οὔτε γὰρ φιλοσόφους πωγωνοτροφίαι καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσιν οὔτε ἰσιακοὺς λινοστολίαι: id eſt, Neque enim alere barbam, aut geſtare vile pallium, philoſophum facit: neque lineis veſtiri, Iſiacos, hoc eſt, Iſidis ſacerdotes.

IGNAVIA.

ERASMI. Apud matrem manere.

Παρὰ μητρὶ μένειν, dicebantur qui per ignaviam ſemper domi manentes, nihil audent præclari facinoris. Pindarus Pythiorum Od. 4 μή τινα λειπόμενον τὸν ἀκίνδυνον παρὰ ματρὶ μένειν. id eſt: Ne quis immunis à periculo relictus apud matrem maneret. Loquitur, ni fallor, de Argonautis qui audaci peregrinatione quærebant gloriam, Iunonis auſpiciis. Molles & effœminati temporibus Auguſtini. μαμμόθρεπτοι dicebantur: ſive quod ab aviis eſſent educati, quæ nepotulos ſuos tenerius amant quam ipſæ matres: ſive quod Græci μάμμαν diminutive dicunt materculam. Quin & hodie vulgus matriſſilium appellat adoleſcentem delicatius educatum. Ac tales dicebantur Matriſſare.

ILLECEBRÆ.

ERASMI. Obolum reperit Parnœtes.

Ὀβολὸν εὗρε παρνοίτης: id eſt, reperit obolum Parnœtes. Accommodari poterit ad illos, qui novum aliquod excogitarunt præmium, quo illectent. Natum ajunt à Calliſtrato Athenienſium reipublicæ principe, cui cognomen additum Parnœtes. Is enim inſtituit, ut in judiciis & concionibus numuli quidam diſtribuerentur. Quam rem Comicorum inſectatio vertit in proverbium.

IMPERITIÆ.

ERASMI. Ἀπάλαιστος.

Motus & homines inconditos & arte carentes M. Tullius in Oratore teſtatur à Græcis appellari ἀπαλαίστους, quaſi dicat à palæſtra alienos: quod in palæſtra exercitati, etiam in cæteris actionibus venuſtatem quandam habent, quemadmodum indicat in Oratore ad Brutum: Non, inquit, ut in ea tamen omnia ſint, ſed ut ſic adjuvent, ut palæſtra hiſtrionem. Talis eſt ſaltatio Cyclopica & Sileni. Verba Ciceronis aſſcribam: itaque qualis eorum motus quos ἀπαλαίστους Græci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris ſententiar. In libro De optimo genere dicendi, dixit palæſtrice ſpaciari, pro, decoro numeroſoque geſtu incedere: Hæc, inquit, vitaverunt fere omnes qui aut Attici numerantur aut dicunt Attice: ſed quatenus voluerunt, ſint & ſyri duntaxat habeantur: ſed ita, palæſtrice in Xyſto ſpatiari ut liceat, non ut ab Olympiis coronam petant. Quin hoc ipſum, ab Olympiis coronam petere, proverbii ſpeciem habet, pro eo quod eſt, è rebus arduis magnam ac ſolidam affectare laudem: hoc eſt, in cauſſis ſeriis & gravibus vincere. Qui in privatim in porticibus ad voluptatem diſſerunt, in Xyſto ſpaciantur: qui in foro cauſas graves agunt in ſolem & pulverem prodeunt, magnum periculum magnæ laudis ſpe ſuſcipientes.

Pedibus ingredior: natare enim non didici.

Πεζῇ βαδίζω, νεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.

Id eſt:

Ambulo pedes: nandi imperitus ſcilicet.

Proverbialis ſenarius, in eum, qui majorum rerum imperitus minutioribus negociis ſeſe exercet. Aut qui propter imperitiam privatus & humilis vivit: aut qui ſeſe neceſſario confert ad aliud genus, quandoquidem ad illud nequaquam eſt idoneus: veluti ſi quis negociator fiat, ad literas indocilis. Refertur huic adſimilis verſus,

Πεζῇ βαδίζω, σκάπτειν οὐκ ἐπίσταμαι.

Id eſt:

Fodere imperitus, pedibus ambulo meis.

Apud Ariſtophanem in Avibus ſycophanta ſimiliter excuſat ſuam profeſſionem:

Τί γὰρ πάθω, σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.

Id eſt:

Quid quæſo facerem, quando fodere neſcio.

Huc videtur referendum & Evangelicum illud: Fodere non valeo, σκάπτειν οὐκ ἰσχύω. Foſſionem enim pro quavis opera mercenaria poſuit Ariſtophanes in Veſpis:

Συγγνωθ' αὐλεῖν γὰρ οὐκ ἐπίσταται.

Id eſt:

Ignoſce: neque enim canere doctus eſt cheli.

Nimirum alludens ad vulgatum adagium, perinde quaſi dicat: Reliquarum imperitus artium, furto tantum rem parat. Item in Equitibus:

Οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι.

Id eſt:

Ne muſicam quidem ſcio.

COGNATI. Chryſippus.

Hoc nomine vulgo imbecilli conſilij, nulliuſque induſtriæ homo ſignificatur, quo etiam nomine contumeliæ cauſa vocatus fuit Chryſippus à Zenone Epicureo: ut teſtatur Cic. in libr. De natura Deorum.

IMPOSSIBILIA.

ERASMI. Quod fieri non poteſt, nec incipiendum quidem eſt.

Alibi retulimus, ἀδύνατα θηρᾶν: id eſt, Impoſſibilia venari. Quod aliis verbis expreſſit Sophocles in Antigone:

Ἀρχὴν δὲ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα.

Id eſt:

Quæ efficere nequeas, nec vel ordiri decet.

Verba ſunt Iſmenes, deterrentis Antigonem, ne Pynicem ſepeliat adverſus regium edictum.

Fruſtra niti, dementia eſt.

Rurſus in eadem ita loquitur: ——— καὶ

Περισσὰ πράσσειν οὐκ ἔχει νοῦν οὐδένα.

Id eſt:

Fruſtranea agere, inſignis eſt amentiæ.

Non ſolum amentiæ eſt, injuſta agere, verumetiam ſupervacanea. Ex injuſtis interdum aliquod eſt lucrum, ex ſupervacaneis nullum.

IMPROBI.

ERASMI. Ætoli.

Αἰτωλοὶ dicti ſunt olim, joco proverbiali, qui juxta morē Ætolorum petaces eſſent & improbi. Alluſum eſt enim ad vocem: quemadmodum avidi munerum Dorice loqui dicebantur, ſic αἰτωλοὶ dicti videntur, quod omnia petant, παρὰ τὸ αἰτεῖν. Meminit Stephanus.

Alieno ferox præſidio.

Si quæras, in nonnullis, quod ferox ſit quiſpiam, & improba moliatur,

tat. Id cum non facere domeſticis viribus fretum, rerum alicujus potentioris fultum præſidio, qui clanculum illi ſuppeditat & animum & opem (quemadmodum vulgus noſtratium ſuſpicatur ducem Geldriæ tot jam annos negotium faceſſere nobis, diſſimulatis Gallorum ſuppetiis) illud accommodes licebit eodem ex libro:

Οὐκ ὅ γ' ἄνευθε θεοῦ τάδε μαίνεται, ἀλλά τις ἄγχι
Ἕστηκ' ἀθανάτων νεφέλῃ εἰλυμένος ὤμους.
Iſta quidem hic nequaquam audet ſine numine, verum
Adſtat divum aliquis, humeros caligine tectus.

Liba Coalemo.

Σπένδε τῷ κοαλέμῳ; id eſt, Liba Coalemo. Competit in eum, cui ſua improbitas fuit bono. Fingit enim comicus dæmonis nomen improbitatem innuens. Perinde quaſi quis dicat, Sacrifica μωρίᾳ, ſi quis morionem agens, evectus ſit ad opes ac dignitatem. Nam Græcis κοάλεμος fatuum ac ſtultum ſignificat, à κοῶ, pro νοῶ. Nam Callimachus pro ἀνόητος dixit ἄκοος. Hinc ἀνάλογος ἀγὸς, pro νοῦς, & ἄλη, quod mente errat. Simili figura Gratiis itali dicuntur, qui fortunati ſunt in amicitiis conciliandis. Habent & temulenti Comum deum, & fures deam Lavernam. Itaque furtis ditato, facere diceretur Liba Laverno.

Omnibus modis nocens.

Oreſti percontanti, quibus modis eſſet moleſta Clytæmneſtra, manibus an veneno reſpondet Electra,

Καὶ χερὶ καὶ λόγοισι καὶ πᾶσιν κακοῖς.
Id eſt:
Manu & venenis & malis demum omnibus.

Quadrabit in hominem, modis omnibus pernicioſum, factis, vi, verbis, factis.

Macula, Labes.

Frequens eſt apud M. Tull. ut hominem infamem ac ſceleroſum, maculam, labem, ſordes, lutum appellet, pro eo Plautus, citante Feſto, ſuaſum dixit.

Quia tibi ſuaſo infeciſti propudioſa pallulam.

Suaſum Feſtus putat eſſe maculam, quæ fit in veſte alba è ſtillicidio fumoſo Plautio. Trochaicus quadrabit in eos, qui famam honeſtam vel à majoribus traditam, vel benefactis partam, aliquo ſcelere contaminant.

EX APPENDIC. ERASMI.

Rejicientes culpam.

Ἀεὶ μὲ δαίμονος αἶσα κακὴ καὶ ἀθέσφατος οἶνος. Homer.
Id eſt,
Mi mala fata Deum nocuerunt, viſque Lyæi.

quo pertinet apologus de gibboſo quodam, qui cum ſuam ipſius umbram in ſole conſpicaretur, gibbum ſuum in ſolem rejecit.

IVNII. Siniſtras literas doctus.

In hominem invenuſtum, & perverſi ingenii maleque feriati illud dici conveniet quod apud Athenæum libro 13. loquitur Mirtylus ... literulas Muſæ docuere ſiniſtras, est enim hemiſtichium heroicum. Idem refert ex Theog. eri Phaſmate hunc ſenarium:

...
Id eſt,
Inepte levas imbibiſti literas.

COGNATI. Iapetus.

Japetus cœli & Terræ filius fuit, gigas potens & protervi ingenii, magiſque filiorum, quam ſua virtute clarus. De eo Valerius Flaccus lib. 1. Ovid. 1. Metamor. Syllius lib. 12. In Saturnalibus Luciani Saturno æqualis Japetus dicitur. Pro deliro apud Ariſtophanem ponitur, citante Suida: Neque acceptarum plagarum memor, ob ætatem, quæ re ab infantia nutriit, & educavit, Japetum me vocabis.

Λυκάνθρωποι.

Hodie Papiſtæ & mendici monachi, vulgari convicio dicuntur Λυκάνθρωποι, à Lycaone Arcadiæ tyranno in Jovem contumelioſo, & in homines violenter injurio, quem ideo Jupiter in lupum transformavit. Monachi autem mendici humano veſtitu abjecto, in monaſteriis cucullam ac aliam veſtem induunt, transfigurantur que in lupos, & cum cæteris ejuſdem generis congregantur: qui ſi abjecta cuculla humanam veſtem receperint, rurſum reſtituuntur. Eorum ſecta ac ſuperſtitio Lychantropia dicitur, atque iidem Λυκάνθρωποι appellantur. Sed gregis Franciſcorum vir & hircus, Gardianus dicitur, reliquorum porro, Prior. Sed hæc multo ſatius, & pluribus authoritatibus in adagio alio à me differuntur.

IMPRVDENTIÆ.

COGNATI. Non putavi.

Hæc vox vim proverbii habet: qua frequenter ſe purgant, qui propter imprudentiam peccarunt, cui plane reſpondet hæc Græcorum, οὐκ ᾤμην quam uſurpavit Polyb. lib. 10. hiſtoriæ, cum accuſaret Marcellum, quod ſe collegamque temere in inſidias conjeciſſet, nimia cupiditate dimicandi. Nam Annibalis peccato enim ipſius expoſitio, unde pene interitus rerum Rom. natus eſt, cum itidem antea docuiſſet in rebus ibus hominibus periculum earum rerum ſubeundum eſſe, non in perſona imperatoris, addidit certiſſimam notam eſſe imperitiæ ducis ac tarditatis, dicere: Non putavi. Quis unquam ſperaſſet hoc futurum quare non poſſit ullo modo ita defendi. Verba ipſius hæc ſunt: τὸ μὲν γὰρ λέγειν οὐκ ᾤμην ... μέγιστον εἶναί μοι δοκεῖ σημεῖον ἀπειρίας στρατηγικῆς καὶ βραδυτῆτος. Sed etiam Plutarchus in libro de Tranquillitate animi, cum antea docuiſſet habitum illum animi Anaxagoræ, qui audita morte filii dixit, Sciebam me genuiſſe mortalem, non eſſe ſolum laudandum, ſed etiam mirandum: illo enim modo nihil novum & inexpectatum accidere poſſe, adjunxit, ... Collegit enim omnia, quæ cuiquam intemperatum aliquid contigiſſet, parum prudentes homines, & qui iniquam conditionem rerum humanarum meditati fuerant, dicere conſueverant. Cicero pro Ligario, omnem una ratiónem colligens parem huic aptam ad veniam impetrandam, culpaque confeſſa pœnam evitandam nunquam hoc modo: Ignoſcite judices, erravit lapſus eſt, non putavit, ſi unquam poſthac, ad parentem ſic agi ſoler. Simonem etiam Terentianum eodem conſilio exiſtimavit eruditus interpres idem verbum protuliſſe, cum errorem animi indicavit, falſoque ſe ſenſiſſe de moribus officiiſque filii confeſſus eſt. Sic enim ait: Hæc ego eſſe putabam mira humani ingenii, manſuetique animi officia, ita enim locum hunc Donatus declaravit: Putare eſt ejus, qui ſimplicitate pectoris aberravit. Demoſthenes in 3. Philip. ... id eſt, Illud quidem turpe eſt, poſtea aliquando dicere ſi quid acciderit: Quis enim putaſſet hæc futura eſſe? haud dubie oportebat unum facere, & alterum non facere. Nec expectaram, ſive Non putaram, voces ſunt, quas turpiſſimas cenſuit Iphicrates, teſte Plutarcho in Apophthegmat. Et Cic. 1. de Offic. dedecore non carere innuit.

IMPVDICITIÆ.

Δωριάζειν.

Δωριάζειν, olim dicebantur, qui corpore parum decore nudato incedebant: ductum à virginibus quæ in Peloponneſo diſcinctæ, & abſque tunicis eſſe conſueverunt tantum pallio tectæ utrinque feneſtrato, per quod padebant nuda corporis. Apud Lacedæmonios autem virgines certis diebus totæ nudæ incedebant. De Romanorum multitiis pellucentibus multa queritur Juvenalis.

ERASMI. Anus hircum olet.

Γραῦς ἀναδυθῇ, id eſt, Anus hircum redolet. De vetula libidinante: propterea quod alarum ac reliquarum partium odor excitat ad libidinem incenſis. Horatius in anum hujuſmodi:

——Namque ſagacius unus odoror
Quam canis acer, ubi lateat ſus.——
Polypus an gravis hirſutis cubet hircus in alis.

Hedera laſcivior.

Non ſine proverbii ſpecie dictum eſt, quod hederæ natura ſit, omnia complexu ſuo vincire. Unde Flaccus arctiſſimum amicæ complexum ſignificare volens, ait in Odis,

Arctius atque hedera procera aſtringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis.——

Rurſus alibi: Laſcivis hederis ambitioſius. Sed complexu ſuo enecat arbores: quod idem amantibus faciunt laſcivæ puellæ. Unde Romæ Flamini diali nefas erat tangere hederam, atque adeo ne nominare quidem fas erat. Hoc ænigmate declaravit antiquitas, quanta puritas quantaque caſtitas deceat ſacerdotem, atque adeo quanta libertas. Nam amare, mera ſervitus eſt. Nec anulum ſolidum geſtare conceſſum erat, aut ullum omnino in corpore nodum habere, ut teſtatur Feſtus Pompejus: opinor quod oporteat ſacerdotem ab omni angore liberum eſſe, nec ullius mali ſibi conſcium.

INANIS OPERÆ.

ERASMI. Aſino fabulam.

Galenus περὶ φυσικῶν δυνάμεων lib. 3 ... id eſt, Reliquis vero tam inutile fuerit ſcriptum, quam ſi quis aſino narret fabulam. Extat in Græcorum Collectaneis, ὄνῳ τις ἔλεγε μῦθον, ὁ δὲ τὰ ὦτα ἐκίνει. Id eſt, Aſino quiſpiam narrabat fabulam, at ille movebat aures. Ad hoc alluſit Galen. lib. De differentia pulſuum. 2. ... id eſt, Ad hæc tenex quidem ille, veluti aſinus quatiebat auriculas, opinor, quod non aſſentiretur. Exiſtimo nobis de his altas dictum nonnihil.

Aquam e pumice poſtulas.

Superiori non admodum diverſum quod apud Plautum poetam legitur.

legitur, Aquam è pumice poſtulare: pro eo quod eſt, fruſtra ab alio petere, cujus ipſe à quo petas, maxime ſit indigus. Nihil enim pumice lapide ſiccius, nihil ſiticuloſius. Perinde ac ſi quis ab indoctiſſimo doceri poſtulet, ab inconſultiſſimo conſilium expectet, ab egeno munus, ab inope præſidium, denique ab avaro ac tenaci pecuniam. Plaut. Nam tu aquam è pumice nunc poſtulas, qui ipſus ſitiat. Pumex (inquit idem) non æque eſt aridus, atq; hic ſenex. Eſt autem pumex lapis cavernoſus, quo ſolent poliri codices: naturæ adeo ſiccæ, ut ſi in urceum bullientem immiſeris, fervorem extinguat: non ſolum ad tempus, ſed in totum. Nec aliud in cauſa putat eſſe Theophraſtus, niſi quod vehementiſſima ſiccitate ſpumam totam ad ſe trahere nitatur. Meminit & de Chio quopiam Eudemo, qui pumice acri conſperſo aceto, munire ſeſe conſueverit, ut poſt ſeptimam Ellebori potionem, nec balneis, nec vini potatione provocaretur ad vomitum.

BOVILLI. Qui plura ambit, male aſtringit.

In eos, qui plura quam vires ferre queant, affectant, & in ſuos humeros recipiunt: more ruſticorum, qui dum manipulos plures aut majores quam brachiorum complexus ferunt, non arcte adſtringunt, excidere denuo patiuntur. Trahi poterit ad omnes, qui animum diverſis ſtudiis diſtrahunt, & nullam ſcientiam aut artem intactam relinquunt: irrito ſcilicet conatu, communibus jocis digniſſimo. Extat in hanc ſententiam elegantiſſimum Junii emblema, in ejus opere decimum & ſextum.

COGNATI. Suadere ſurdis.

Dicitur, ubi quid fruſtra fit, & iis qui intelligere non curant, ſeu non intelligentibus, ſuadere aliquid tentatur. Lucret. lib. 5.

Nec ratione docere ulla ſuadereque ſurdis
Quid ſit opus facto.

Vide apud Eraſmum noſtrum: ſurdo oppedere, canere, fabulam narrare.

INCERTVS EVENTVS.

ERASMI. Vana conjectura.

——Ὄρνιθες δὲ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
Φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι.——

Id eſt,

At permulta avium verſatur in aere turba,
Quarum non quævis portendere idonea fatum.

In eos: qui de eventu negotii ſolent augurari, & ſic de exitu pronunciant, ac ſi perfectam haberent futuri cognitionem: quo fit, ut ſæpiſſime mendaces deprehendantur. τὰ γὰρ μέλλοντα ... οὐχ ὁμοίως φύσιν ἔχει, ait Iſocrat. & Pindar. Olymp. 12. τῶν δὲ μελλόντων τετύφλωνται φραδαί.

INCONSTANTIÆ.

ERASMI. Subere levior.

Φελλοῦ κουφότερος, id eſt, Subere levior. Proverbialis hyperbole, in homines inconſtantes & lubrica fide. Suberis enim lignum cavernoſum, quod in aqua non ſidit, verumetiam retibus & natantibus alligatur, ne poſſint ſidere. Horatius in Odis:

——Quanquam ſidere pulchrior
Ille eſt, tu levior cortice, & improbo
Iracundior Adria.

Strabo lib. 1. inter hyperbolas proverbiales hanc quoque commemorat Subere levior umbra. Quanquam hic locus apud Strabonem non caret ſuſpicione mendoſitatis. Græca ſic habent: καὶ ὑπερβάλλουσιν ὑπερβολὰς ἐπὶ ὑπερβολαῖς, ὡς καὶ τὸ κουφότερον εἶναι φελλοῦ σκιᾶς, δειλότερον δὲ λαγὼς Φρυγὸς, ἐλάττω δ' ἔχειν τὴν γῆν τὸν ἀγρὸν ἐπιστολῆς Λακωνικῆς. Hæc ita vertit Gregorius Typhernas, ſive Guarinus: Et ſicut nonnulli ſuper exceſſibus exceſſus ſunt, ut illud, Leviorem ſubere umbram: & illud, Formidoloſiorem lepore Phrygem: & illud, Ager minorem tellurem habet quam epiſtola Laconica. Primum umbram eſſe leviorem ſubere, non eſt, inſignis hyperbole, imo nulla potius eſt, ut jam demus, Græce recte dici κουφότερον σκιᾶς. Unde hic pro σκιᾶς, legendum arbitror σκιᾶς, ut ſic dicta ſit ſuberis umbra, quemadmodum dicimus umbræ ſomnium. Item δειλότερον λαγὼ Φρυγὸς, id eſt, timidiorem lepore Phrygem: quo modo legiſſe videtur interpres. Nec abſurdum, ſi intelligamus Phrygium leporem, veluti cæteris pavidiorem: quod ea gens imbellis habebatur, & effœminata deliciis. Pindarus in Pythiis hymno ſecundo metaphoram flexit ad laudem hominis: qui quanquam preſſus calumniis malorum, non dejicit tamen animum, ſed ſe ſuapte natura recipit in apertum: unde & φελλὸν ἀβάπτιστον appellat, id eſt, ſuper quod mergi nequeat. Huc reſpexit Horat. Epiſt. lib. 1. de Vlyſſe loquens,

Dum ſibi dum ſociis reditum parat aſpera multa
Pertulit adverſis rerum immerſabilis undis.

Ad utrumvis paratus.

Hominem ad utramque fortunam inſtructum, ludicris pariter ac ſeriis accommodatum, aut qui norit cum bonis pariter ac malis convenire, notabimus hoc carmine, quod eſt in Iliad. 4.

Οἶδ' ἐπὶ δεξιὰ, οἶδ' ἐπ' ἀριστερὰ νωμῆσαι βῶν.

Id eſt:

Novi equidem clypeum dextra, lævaque movere.

Manuari.

Sicut fures multis artibus inſtructi ſunt, ita ſtudium illorum variis nominibus appellabatur: velut Involare & Manticulari, pro eodem Laberius, citante Nonio Marcello, dixit Manuari. Nec dubium, quin ea vox joco populari fuerit jactata: quemadmodum & hodie, quoniam furandi verbum nimis odioſum eſt, mitiore verbo dicunt, Digitavit, ſi quid furto ſublatum volunt intelligi, ſimul ut effugiant actionem injuriarum, Quid ais? Appellas me furem? Nequaquam, ſed manuatorem. Hujuſmodi voces obſoletæ non carent gratia, ſi in loco adhibeantur, nec ſine ἀρχαϊσμῷ, Vt priſci loquebantur, Vt vetere verbo utar.

Mæandri.

Quum res agitur non ſimpliciter, ſed vafris & obliquis conſiliis, Mæandros dicimus: metaphora ſumpta à fluvio Mæandro, qui ſinuoſus ac flexuoſus labitur: unde & nomen habere videtur, quaſi oberret, quærens hominum conſortia. M. Tullius in Piſonem: Quos tu Mæandros dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diverticula flexioneſq; quæſiſti? Vtitur & Prudentius in hymno quod alibi nobis creatum eſt in proverbio Labyrintho. Fluvius eſt, Lydiam flexuoſis recurſibus perfundens. De quo Plin. li. 5. c. 29. Mæander ortus e lacu in monte Aulocrene, pluriniſq; affuſus oppidis, & repletus fluminibus, crebris ita ſinuoſus flexibus, ut ſæpe credatur reverti: Apamenam primum pervagatur regionem: mox Eumeneticam, ac dein Bargylioticos campos: poſtremo Cariam placidus, omneſq; eos agros fertiliſſimo rigans limo: ad decimum à Mileto ſtadium, lenis illabitur mari. Eſt & picturæ genus Mæander, in morem labyrinthorum flexuoſis ambagibus implexum, quod oris chlamydum addi ſolet. Vnde Maro Æneid. lib. 5.

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Veriſimiliter mentiens.

In eum qui falſum perinde quaſi verum ſit, narret, quadrabit illud ex eodem libro.

Ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

Id eſt:

Plurima narrabat figmenta ſimillima veris.

Dictum de Vlyſſe. Notatur & apud Platonem, quod Homerus Vlyſſem induxerit mendacem: Achillem contra veracem.

Cavendum ab eo qui ſemel impoſuit.

Qui ſe negabit habere velle commercium cum eo à quo ſemel ſit deceptus, uſurpabit illud ex eodem libro:

Οὐ δή τοι μάλα ... ἔργον
Ἐν γὰρ ... οὐδ' ... αὐτις
...
Ἔρξειν.——

Id eſt,

Hoc ego cum nihil aggrediar: neq; enim expedit unquam
Quippe ubi fruſtratus ſemel eſt, ac fraude fefellit,
Sit feciſſe Satis, quin poſthac ille quieſcat,
Ac valeat.——

Mens læva.

Frequenter hominum mens læva eſt, & peſſima pro optimis ſequuntur, optima pro peſſimis repudiant. Ad hanc ſententiam facit illud ex Iliade.

Ἕκτορι μὲν γὰρ ἐπῄνησαν κακὰ μητιόωντι
Πουλυδάμαντι δ' ἄρ' οὔ τις, ὃς ἐσθλὴν φράζετο βουλήν.

Id eſt,

Conſilium Hectoreum laudabat inutile quiſque.
Nemo Polydamanti: at hic dabat utile ſolus.

Φελλεύς.

Φελλεύς levis dicitur, quaſi dicas ſuberinus. Nam φελλὸς cortex eſt arboris ſemper fluitans, qui Latinis dicitur Suber. Vnde & φελλεὺς dicitur locus aſper ac petricoſus, aptior ad paſcendas capras quam ferendas fruges, quod terra veluti ſupernatet ſaxis. Vnde & φελλεὺς dicitur, quod fluitat, nec habet radices. Quin & hodie lingua Britannica commodum hominem minimeq; difficilem, φελλὸν vocat. Hanc morum levitatem Græci vocant εὐήθειαν: quæ vox in vitium ſonat. Plato lib. de Repub. 3. εὐλογία ἄρα καὶ εὐαρμοστία καὶ εὐσχημοσύνη καὶ εὐρυθμία εὐηθείᾳ ἀκολουθεῖ, οὐχ ἣν ἄνοιαν οὖσαν ὑποκοριζόμενοι καλοῦμεν ὡς εὐήθειαν, ἀλλὰ τὴν ὡς ἀληθῶς εὖ τε καὶ καλῶς τὸ ἦθος κατεσκευασμένην διάνοιαν. id eſt, Ergo ſermonis probitas, morum compoſitio, decus & concinnitas ſequitur εὐήθειαν, non hanc inquam, quam vitio blādientes vocamus eo nomine, quaſi ſit morum bonitas, quum ſit amentia: ſed mentem vere moribus bonis pulchriſque inſtructam. De his nonnihil attigimus in proverbio, Subere levior. De profundo ſulco animi, dictum eſt alias.

Suberinus. Subere levior.

Φελλεὺς φελλοῦ κουφότερος. In hominem lubrica fide. Suberis lignum

cum cavernoſum in quo non ſidit, imo alii ne ſidant alligatur. Horatius. Strab. Hinc [illegible] ſluitare eſt, & radicibus carere. Jam dictis adnumerari poſſunt & hæc: Vtroque pede claudicare: Duobus dominis ſervire: Neque calidum eſſe, neque frigidum: Hebræa omnia.

Præſentibus offenditur.

Plato in Axiocho. Quod vitæ genus quiſquam inſtitutum, quamve artem deliget, ut non de ea, atq; præſentibus offendatur;

Liquida tempeſtate liquidior.

Trajano in Moſtell. de patre filio minime irato: Tam liquidus eſt, quam eſſe tempeſtas ſolet. Periplectomenes in Milite de ſe: Opus leni? leniorem dices, quam mutum eſt mare: Liquidiuſculuſque ero, quam ventus eſt Favonius. Monſtroſas aliquis putarit eſſe translationes: ſed profecto è media rerum natura arceſſitæ ſunt, quid enim aere puro, ſereno, & quaſi renidente lætius, blandius? Favonium nominavit, alludens ad vocis etymon, & venti naturam: qui, ubi maritimus non eſt, vere eſt ζωηφόρος. At unde, inquis, liquidum eſt ſerenum: Sunt qui putent liquidum primaria notione idem eſſe quod humidum, & deducunt à λείβειν. Mihi vero, ab eo tempore, quo apud Prudentium eam vocem toties attributam videbam aeri, ſpiritui, menti, longe aliud in mentem venit: nempe eam proprie valere fluxile τὸ ῥευστὸν, facile in omnes partes loci ſui ſeſe ſpargens, ut reſpondeat ἐτύμῳ ſuo, liquare. Auſus ſum etiam non ſemel inter æquales meos adſerere, deſcriptione illa (difficulter finiri termino ſuo, facile alieno) liquorem potius notari, quam madorem ſeu humidum aquæ, teſte Ariſtot. meteor. 4. maxime proprium: cum liquor proprius aquæ minime ſit, qui potius aeri & igni peculiaris & indivulſus ineſt. quo enim corpuratius eſt, hoc facilius alieno termino formatur. Liquet de noſtro igne, qui tamen de genere miſtorum eſt. quid de illo ſimplice, & puro puto elemento rariſſimo exiſtimandum? Atq; hac ratione, cum ignis & aer liquidiſſima ſint corpora, ideoque maxime limpida tralucida, ſeu διαφανῆ: factum puto ut liquidum etiam pro claro, puro, ſereno accipiatur, opponaturq; turbido, impuro, fæculento: quod quo magis tale eſt, hoc minus per continentis loci partes omnes ſeſe extendit, eoque longius à liquidi ratione abeſt. Affinxerunt iſtis alii, diffuſione res percolari paulatim, eoq; liquida pro claris poni. Verum hoc commentum illi ſibi habeant: quid enim igni & aeri cum colo? aut quid opus tam longe ad impura abire: præſertim cum ea neque omnia, neque primaria ratione per diffuſionem percolentur. Hæc etſi nuper cum aliis communicaverim privatim: quia tamen ab iis non ſatis recte accepta video, publicare volui.

IN DEPREHENSOS.

ERASMI. In ſaltu uno duos apros capere.

In ſaltu uno duos apros capere, eſt eadem in re duos pariter deprehendere. Plautus in Caſina.

Jam ego uno in ſaltu lepide apros capiam duos.

INDVSTRIÆ.

POLYDORI VIRGILII. Torcular calcavi ſolus.

De eo qui egregium & laborioſum faciunt nullis adminiculis, ſed propriis conficit Eſa. 63. Tractum ab iis qui in lacu uvas premunt pedibus.

Bœotiſſare.

Inter convicia quibus Æſchines lapidat Demoſthenem, etiam illud objecit, quod Bœotorum more vociferaretur immodice & indecore: ταῦτα δέ μου μεταξὺ λέγοντος ἀναβοᾷ μεγαλοφωνότατα Δημοσθένης, ὡς ἴσασιν ἅπαντες οἱ συμπρέσβεις ὑμῶν, καὶ γὰρ πρὸς τοῖς ἄλλοις κακοῖς βοιωτιάζει. id eſt, Hæc me loquente vehementer exclamat Demoſthenes, quemadmodum ſciunt omnes qui nobis in ea legione fuere collegæ. Nam præter alia mala, etiam Bœotiſſat. In clamore ſit alluſio ad boum mugitum. Quanquam βοιωτιάζειν accipi poteſt, pro favere Bœotorum partibus.

Somnium hybernum.

Χειμερινὸς ὄνειρος, id eſt, Hybernum ſomnium dicitur prolixa narratio, ſed inepta, quod hyeme noctes ſint longiore, & proinde longiora ſomnia. Lucianus in ſomnio: μεταξὺ δὲ λέγοντος, Ἡράκλεις, ἔφη τις, ὡς μακρὸν τὸ ἐνύπνιον καὶ δικανικὸν· εἶτ' ἄλλος ὑπέκρουσε, χειμερινὸς ὄνειρος, id eſt, Sed interim dum hæc loquor, Papæ dixerit aliquis, ut longum inſomnium ac forenſe: mox alius ſubjecerit, Hybernum ſomnium. Dicanicum dixit, vel quod duę perſonæ inter ſe decertent, vel quod forenſes cauſæ multis clepſydris perorentur.

INFACVNDIÆ.

ERASMI. Non ab hymetto.

Craſſam philoſophiam ac ruſticanam, quam diſcimus ex congreſſu plebejorum, non ex commentariis Zenonis aut Platonis, M. Tull. ad Qu. fratr. lib. 1. appellat philoſophiam ab area Syra: Nos enim, inquit, ita philologi ſumus, ut vel cum fabris habitare poſſimus: habemus hanc philoſophiam non ab Hymetto, ſed ab area Syra. Hymettus Atticæ mons eſt, unde Hymettia mella. Cui opponit aream Syram, ſubindicans ruſticanam ſimplicitatem. Nam paulo ante nonnihil attigerat de dicterüs argutis. Apparet id temporis M. Tull. in prædio quodam ædificaſſe. Quanquam haud ſcio an hic locus, quoniam varius habetur in exemplaribus, mendo vacet. Diſpiciat eruditus lector, an pro area Syra, legendum ſit, ex hara, ſic enim loquitur in Piſonem: Ex hara productæ, non ſchola Syri barbarie nobiles erant id temporis, quemadmodum Attici lepore dictorum.

Humi ſerpere.

Humi ſerpit oratio, quæ preſſior humiliorque eſt, quam oportet, ſemper quaſi jacens, nunquam aſſurgens. Horatius,

——Nec ſermones ego mallem
Repentes per humum, quam res componere geſtas.

Idem in Arte poetica:

Serpit humi tutus nimium, timiduſque procellæ.

Quod quidem aut à navigantibus translatum eſt, aut ab iis, qui procumbentes in terram ita repetant, ne erectos turbo ventorum auferat. Gregorius Nazianzenus in oratione contra Eunomianos, deflexit ad homines, oſtendens non eſſe cujuslibet, de rebus divinis diſſerere: οὐ παντός, οὐχ οὕτω τὸ πρᾶγμα εὔωνον καὶ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων: id eſt, Non eſt cujuſvis, nec adeo vilis res, atque humi gradientium. Quanquam nihil vetat, & hic res aut actiones intelligi vulgares humileſque. Simillimum eſt huic, aut fortaſſis idem, quod habet Pindarus in Olympiis. οὔ τι χαμαιπετέων λόγων ἐφάψεαι. id eſt, Haudquaquam ſermones humi reptantes attingas. Item in Pythiis: χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέρριψεν, id eſt, Humile vero verbum non effutivit. Sumpſiſſe metaphoram videtur ab avibus, haud procul à terra ſubvolantibus, quod idem Pindarus tribuit graculis, κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται, ut huic reſpondeat, Aquila in nubibus.

Harena ſine calce.

Vt author eſt Suetonius, Caligulæ Cæſari uſque adeo placebat ardor ac vis in dicendo, ut Senecæ orationem, ſine calce arenam ſit ſolitus appellare, tanquam diſſolutam ac nervis carentem ordine: quæ quodammodo compages eſt totius ſermonis, ſuo quicque loco diſponens. Quanquam autem Caligula multa parum integræ mentis dedit argumenta tamen in hoc judicio minimum aberravit à ſcopo. Seneca fertur impetu quodam, minime ſerviens ordini. hoc inter egregias virtutes habet nævi. Male cohæret arena ni calcem admiſceas. Confine illi quod alio dictum eſt loco, Scopæ diſſolutæ.

INFORTVNII.

ERASMI. Nihil eſt ab omni parte beatum.

Quod ſcripſit in Odis Horatius,

——Nihil eſt ab omni
Parte beatum:

proverbialem habet ſententiam, quam Græci ſic efferunt,

Οὐκ ἔστιν ὅστις πάντ' ἀνὴρ εὐδαιμονεῖ.

Id eſt,

Felix per omnia nullus eſt mortalium.

Hunc ſenarium citat Ariſtotel. lib. Rhet. 2. inter exempla ſententiarum. Eſt aliquoties & apud Theognidem. Clearchus apud Athenæum adducit hunc verſum.

Ἀμώμητος δ' οὐδεὶς ἐγένετο βροτῶν.

Id eſt:

Nil uſquam eſt hominum carpere quod nequeas.

Menander apud Plutarchum περὶ εὐθυμίας,

Ἆρ' ἐστι συγγενές τι λύπη καὶ βίος;

Id eſt,

Num quæpiam intercedit his cognatio,
Vitæ ac doloris?——

Ad hanc ſententiam pertinet quod alibi diximus, Omnib. galeritis innaſci criſtam. Theſeus priuſquam veniret in Atticam, inſtituit ſacra quædam, quæ ludis ac lætitia peragerentur: quædam contra, quæ mœrore luctuque. Cæterum cum appuliſſet in Atticam, quoniam multos reperit ſqualidos ac mœſtos ob mortem regis Ægei, qui deſperato filii reditu, præ dolore ſeſe è ſaxo præcipitem dedit: multos contra lætitia geſtiẽtes ob filii reditum: inſtitutũ eſt, ut in ὀσχοφορίοις (i. nomen feſto, à geſtandis ramis) non nuncius ipſe, ſed caduceum coronaretur: deinde qui ſacris inter fuerunt, emitterent has voces, ἐλελεῦ ἰοὺ, i. eia heu: quarum prior gratulationis eſt, & in bellicis pæanib. cani ſolet (quod liquet ex Ariſtophan. Pace, ubi crebro repetuntur illa, ἰὴ, ἐλελεῦ, ἐλελεῦ, ἰοὺ) altera luctus eſt. Vnde & αἶαι dictus Græcis, & αἰάζειν. Hæc videlicet eſt imago vitæ mortalium. Hiſtoria refertur à Plutar. in vita Theſei. Pindarus in Iſthmiis hymno 3. ad tempus torquet ſententiam: αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις ἄλλοτ' ἄλλ' ἐξάλλαξεν· ἄτρωτοι γε μὰν παῖδες θεῶν. i. Secundum autem volvendis diebus nunc huc, nũc illuc ſeſe flectit. Cæterum dii extra telorum jactum ſunt. Nam interpres admonet hic παῖδες θεῶν, eſſe dictum pro θεοί. Simile quiddam habet in Pythiis hymno 7. φαντὶ γε μὰν οὕτω κεν ἀνδρὶ παρμονίμαν θάλλοισαν εὐδαιμονίαν τὰ καὶ τὰ φέρεσθαι. i. Ajunt ſane ſic viro ſtabilem florere felicitatẽ, ſi hæc

hæc & hæc ferat, hoc eſt ſi ferat tum proſpera cum adverſa. Perpetua felicitas minitatur ſubitum exitium: quod temperatum eſt, ſolet eſſe diuturnius. Interpres in hanc ſententiam adduxit verſum Homericum.

Τὸν πέρι μοῦσ' ἐφίλησε, δίδου δ' ἀγαθόν τε κακόν τε.

Id eſt,

Vnice amans dederat cui Muſa bonumque malumque.

Extat autem hoc carmen Odyſſ. θ. de Demodoco. Rurſum Pindarus hymn. 5. πόνων δ' οὔτις ἀκλαρωτὸς οὔτ' ἔσσεται. id eſt, Laborum autem exors nullus eſt, nec erit. Ac mox, νέμω τὰ ἑτέρα. id eſt, Hæc & hæc diſpertiens: videlicet bona cum malis. Interpres adducit & alium Pindari locum, qui eſt in Pythiis hymn. 3. ἓν παρ' ἐσλὸν πήματα σύνδυο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι. Ad unum Bonum duo ſimul mala partiuntur mortalib. immortales. Adducit & illud Homericum, quod alibi retulimus ex Odyſſ. ω.

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει.

Id eſt,

Dolia namque Jovis duo ſunt in limine poſta.

Huc pertinent & illa, de quibus nobis alias dictum eſt. Vbi mel, ibi fel. ubi uber, ibi tuber: & hujus generis alia. Nec alienum arbitror ab hac ſententia, quod prisci Romani duas divas coluerunt. Angeroniam atque Volupiam: alteram ab angoribus dictam, alteram à voluptate, & Angeroniæ quidem pontifices in ſacello Voluptæ ſacrum faciunt, ſignificantes dolores ac voluptates in vita hominum invicem mixtas eſſe. Addunt, Angeroniæ ſimulacrum in ara Volupiæ fuiſſe collocatum, quod dolor comes ſit voluptati, & voluptas dolori: hac figura, ut os habeat obligatum atque ſignatum, hoc ænigmate ſignificantes, eos qui dolores & anxietates animi diſſimulant, patientiæ beneficio ad maximam pervenire voluptatem. Hujuſmodi ferme Macrobius lib. in Somnium Scipionis 1. Deſinam ſi Æſchyli verſum aſcripſero, quem Julius Pollux lib. 6. c. 11. teſtatur extare apud Ariſtophanem.

Ὀξυγλυκεῖαν τἄρα ῥοιὰν ...

Id eſt:

Hujus enim pomi grana gratam quandam habent acrimoniam. Ad eundem modum temperata eſt vita mortalium.

Cilicium exitium.

Κιλίκιος ὄλεθρος, id eſt, Cilicium exitium. De crudeli & immani dicebatur. Cilices enim ob piraticam quam exercebant, & aſſiduas hoſtium deprædationes, infames erant immanitatis & crudelitatis nomine. Quapropter & Attici vindictas acerbiores, κιλικίους appellabant. Meminit præter alios Heſychius. Similis formæ eſt, quod apud Jureconſultos legimus Iſauricum, pro crudeli immanique latrone.

Fortuna prorſus adverſa.

Cum res bonis inſtituta conſiliis, tamen male cedit, illud appoſite dixeris.

—— Θεὸς νύ τις ἐστὶ κοτήεις.

Id eſt,

Infenſus deus eſt aliquis. ——

Item in ζ.

Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ κεῖνος ἀπήχθετο πᾶσι θεοῖσιν.

Id eſt:

Ille ubi jam inviſus divis etiam omnibus eſſet.

Magis quam ſol Heracliti.

Qui ſine ſpe reparationis deficiunt, eos Socrates apud Platonem De rep. lib. 6. μᾶλλον τοῦ Ἡρακλειτείου ἡλίου ἀποσβέννυνται, hoc eſt, magis ipſo Heracliti ſole extingui dixit. Agit illic de ſenibus, qui ad perdiſcendas philoſophiæ difficultates idonei non ſunt, in adoleſcentia defatigati. Heraclitus enim exiſtimavit ſolem ſcaphæ ſpeciem habere, ejuſq. lumen deficere, quoties cavum ad ſuperiora vertitur, ſed rurſus fieri lucidum, poſtquam invertitur. Non diſſimile ſomnium de ſole prodidit Xenophanes, qui putavit eum in occaſu perire, ſed exortu novum fieri ſolem. At ſenes nunquam renovantur ad vigorem juvenilem. Huc alluſiſſe videtur Horatius in Odis,

Damna tamen celeres reparant cœleſtia lunæ,
Nos ubi decidimus, &c.

Quaſi dies dicta ſit.

Olim rei ſolent eſſe mœſti, ſqualidique; ac lugentibus ſimiles, quo judices ad miſericordiam inflecterent. Hinc illud Plautinum in Aſinaria.

Quem videam æque mœſtum eſſe, ut quaſi dies dicta ſit ſiet:

Cauſa cadere, Formula cadere, Ex jure manu conſertum.

Quemadmodum priſci Jureconſulti dicebant aliquem ex jure manu conſertum vocari, cui lis intendebatur: ita cauſa cadere dicebatur, qui male agendo jus agendi perdidiſſet. Vtrunq; fiet παροιμιῶδες, ſi accedat tranſlatio: velut ſi quis dicat: Theologi Laurentium Vallam ex jure manu conſertum vocare non deſinunt, quod homo grammaticus materias theologicas occupaverit. Vtrumque eſt apud M. Tullium eodem libro, ſub perſona Scævolæ: Quod vero in extrema oratione quaſi tuo jure ſumpſiſti, oratorem in omni ſermonis diſputatione copioſiſſime poſſe verſari, id niſi in tuo regno eſſemus, non tuliſſem, multiſque præiſſem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu conſertum vocarent. Et aliquanto poſt, quum Hypſeus maxima voce plurimis verbis à M. Craſſo prætore contenderet, ut ei quem defendebat, cauſa cadere liceret: Cn. autem Octavius, homo conſularis, non minus longa oratione recuſaret, ne adverſarius cauſa caderet. Idem pro L. Murena: Et ſi turpe exiſtimas te advocato illum ipſum quem contra veneris, cauſa cadere. Meminit & Quintilianus lib. 7. cap. 4. Apud priſcos ſuperſtitioſe ſervabatur, ut qui in actione inſtituenda vel verbo lapſus eſſet, cauſa caderet. cujus ſuperſtitionis veſtigia non exigua adhuc reſident apud Anglos, interdum totum inſtrumentum rejicientes, ſi cognomen aliquod una litera ſecus fuerit ſcriptum. Juſtinianus Inſtitutionum juris lib. 4. titul. de actionibus, paragrapho, ſi quis: Si quis, inquit, in intentione ſua pluſ complexus fuerit quam ad eũ pertineat, cauſa cadebat. id eſt, rem amittebat. nec facile in integrum reſtituebatur, niſi minor erat 25. annis, &c. Proximo autem paragrapho, vocem hanc Plus, oſtendit quadrifariam intelligi: re, tempore, loco & cauſa. Re, ſi quis pro decem aureis petat viginti. Tempore, ſi quis ante diem vel ante conditionem petat. Loco, ſi quis Romæ petat, quod Epheſi promiſſum eſt. Cauſa, ſi quis ſtipuletur Stichum aut viginti aureos, petat Stichum pura actione, cum electio ſit promiſſoris. Pro eodem dici videtur Rem amittere. Litem perdere, & formula cadere: Juſtinianus lib. 4. titu. De exceptionibus, paragrapho, appellantur. Cum temere, inquit, rem in judicium deducebant, & conſumebant, qua ratione rem amittebant. Horatius in Sermonibus,

—Et caſu jam reſpondere vadato.
Debebat: quod ni feciſſet, perdere litem.

Quintilianus lib. 3. c. 8. Neque ignoro multa transferri in omnibus fere cauſis, in quibus cecidiſſe quis formula dicitur: hæ ſunt quæſtiones. An huic, an cum hoc, an hac lege, an apud hunc an hoc tempore liceat. Seneca lib. Epiſtol. 49. de philoſophis agens, qui vocum argutiis oſtentabãt eruditionem: Quid enim, inquit, aliud agitis, quum eum quem interrogatis, ſcientes in fraudem inducitis quam ut formula cecidiſſe videatur? Sed quemadmodum illum prætor, ſic hos philoſophia in integrum reſtituit. ita Seneca. Quin hoc ipſum in integrum reſtituere, ſi à foro transferatur ad alia, παροιμιῶδες eſt. Poterit ita deflecti, ut dicatur cauſa cecidiſſe; qui jus objurgandi filium amiſit quod eum ſuo exẽplo aut largitione ad nequitiam provocarit. Illa porro ſermonis formula, Ex jure manu conſertum, ab ipſis duodecim tabulis ſumpta videtur: quemadmodum indicat Aul. Gellius libr. Noctium Attic. 20. cap. 9. Antiquitus inter quos erat de agro aut ſimili de re controverſia, in rem præſentem veniebant, & apud prætorem vindiciarum cauſa manus conſerebant: hoc eſt, alter alterius manum corripiebat. Sed quum propagatis Italiæ finibus gravarentur prætores vindiciarum cauſa longius proficiſci, inſtitutum eſt, ut litigantes non ex jure apud prætorem manum conſererent, ſed ex jure manu conſertum, vocarent: hoc eſt, alter alterum ex jure ad conſerendum manum in rem de qua ageretur, vocaret: ſimulque profecti in agrum de quo litigabatur terræ aliquid ex eo, aut unam glebam in jus in urbem ad prætorem deferrent & in ea gleba tanquam in toto agro vindicarent. M. Tullius lib. Epiſto. 7. ſcribens Trebatio jureconſulto: Tantum metuo, ne artificium tuum tibi parum proſit. Nam ut audio, iſthic

Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

Hujuſmodi vindiciarum formulam M. Tull. faceti ſſime expreſſit in oratione pro L. Murena: Itaque irati illi, quod ſunt veriti, ne dierum ratione pervulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, notas quaſdam compoſuerunt, ne omnib. in rebus ipſi intereſſent, quum hoc fieri belliſſime poſſet. Fundus Sabinus meus, eſt imo meus, deinde judicium voluerunt. Fundus inquit, qui eſt in agro qui Sabinus vocatur. ſatis verboſe. Cedo, quid poſtea? Eum ego ex jure meum eſſe ajo. Quid tum? Inde ibi ego te ex jure manu conſertum voco. Quid tam loquaciter litigioſo reſponderet ille unde petebatur, non habebat. Tranſit Jurecõſultus, tibicinis Latini modo: Vnde tu me, inquit ex jure manu conſertum vocaſti, inde ibi te revoco. Hactenus M. Tullius. Metaphora ſumpta eſt a bellis, in quibus manus conſerere dicuntur, qui cominus confligunt: quemadmodum indicat M. Varro lib. de Lingua Latina 2.

IVNII. Aliena in miſeria cruciatum proprium metit.

Proverbium iſtud convenit in eos, qui neceſſariorum aut amici miſeriæ ſpectatores, animo inde non leve vulnus concipiunt: vel qui dum alienam miſeriam levare ſatagunt, ipſi periculis ſe involvunt. Naz. anz. in Apologetico: ἐν ἀλλοτρίαις συμφοραῖς ἰδίας καρποῦσθαι λύπας. ὡς ἔφη τις τῶν περὶ ταῦτα σοφῶν. id eſt, In alienis ærumnis proprios metere angores. Euſebius lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ de Chriſto loquens: οἷά τις ἰατρῶν ἄριστος τῶν κακῶς ἐχόντων ἕνεκα σωτηρίας, ὁρᾷ μὲν δεινά, θιγγάνει δ' ἀηδῶν, ἐπ' ἀλλοτρίαισί τε συμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας. id eſt, Tanquam medicorum princeps quiſpiam, quo ægris medeatur horrenda videt, ac terra contrectat manu, & in aliena miſeria, propriũ cruciatum metit. Medici namque dum curandæ aliorum valetudini operam dant, ipſi interim non ſunt immunes: quippe qui labores, moleſtias, pervigilia, ceu teſtibilem quandam meſſem ex alienis malis metant, anxii de ſoſpitate ægrotorum, omniaq; evolventes, ut & honori ſuo conſulant, & circa ægros intentatum nihil relinquant. Locus eſt apud Hippocratem

pocratem in libello De flatibus: ἃ γὰρ ἰητρὸς ὁρέει μὲν δεινά, θιγγάνει δ' ἀηδέων, καὶ ἐπ' ἀλλοτρίῃσι ξυμφορῇσιν ἰδίας καρποῦται λύπας. Vbi quum dixiſſet, artium nonnullas authoribus ſuis laborioſas eſſe, ſed utentibus proficuas, quod nimirum in commune quidem proſint omnibus, ipſas exercentibus vero moleſtiarum affatim exhibeant, ſubjungit, ex earum numero eſſe artem medicam; quippe (inquit) medicus & horrenda cernit, & moleſta contrectat manu, maliſque in alienis, proprias moleſtias ceu fructus percipit. Quid enim moleſtius eſſe poteſt, quam gemitus & ſuſpiria audire ægrotum, fœtores, excrementa, ſordes, ſæpe cum magna nauſea inſpicere, ne dicam olfactare? quid gravius, quam querimonias, malo non è veſtigio cedente, non ægri modo, ſed & affinium cognatorumque perpeti? quid laborioſius, quam ultro citroque commeare, labores ſubire, noctes inſomnes ducere, medio e ſomno exturbari? ſed heus, quo proveheris orationis impetu? quid non profuturam querelam, in arte quam profiteris pia ac ſancta, effundis? Meminit & Zezes in omnigena hiſtoria hoc modo, ἐπ' ἀλλοτρίαις ξυμφοραῖς ἰδίας θερίζεις λύπας. id eſt, Alienis in ærumnis propriarum moleſtiarum meſſem facere.

Veluti prati ultimus flos periit.

Quum aliquid plane periiſſe indicare volebant veteres, dicebant, Veluti prati ultimus flos periit. Vltimos prati flores vocamus, qui ſunt proxime viam; ii autem fere aut viatorum pedibus, aut curruum prætereuntium rotis obteri ſolent. Catullus ad Furium & Aurelium,

Qui illius culpa cecidit, velut prati
Vltimus flos, prætereunte poſtquam.

COGNATI. *Manus diſſolvi.*

Hebræi quum ſignificant aliquem viribus deſtitui, dicunt ejus manus diſſolvi Eſa. 13. Propter hoc omnes manus diſſolventur. hoc eſt. Vobis omnibus ſuo robore deſtituentur, neque hic obniti poterunt.

INGENII MALITIA.

ERASMI. *Omnibus malis punicis ineſt granum putre.*

Innuebat hoc Crates, vix quemquam reperiri, qui omni vitio careret. Laertius. Ovidius item:

Nil prodeſt quod non lædere poſſit idem.

Circumfertur & illud Menandri nomine:

Εὕροις δ' ἂν οὐδὲν τῶν πάντων ἄνευ ψόγου,
Ἀγαθὸν ἐν ᾧ τι μὴ πρόσεστι καὶ κακόν.

COGNATI. *Cum lacte bibere.*

Proverbiale, pro eo quod eſt, moribus his aut illis ab infantia imbui. Prudent. Symmach. 1.

——Puerorum infantia primo
Errorem cum lacte bibit.

INIVSTITIÆ.

ERASMI. *Quod non ſatis eſt, non multum eſt.*

Nunquam multum eſt, quod ſatis non eſt, proverbium vulgo jactatum apud Gallos, ut hoc. Juſtum eſt autem quod plenum eſt. Satis autem eſſe. à Plinio in epiſtolis dicitur: Interim abunde eſt, ſi epiſtolæ non ſunt tibi moleſtæ ἐξ ὀψιγνώμονος ἔχω Bud. Draconi filio: Indulgentius etiam fortaſſe, & prolixius, quam quod abunde eſſe alteri videretur, id eſt, ſupra id, quod aliusquiſpiam ſatis eſſe duceret.

INSALVBRITAS.

Iſthmiázein.

Ἰσθμιάζειν, olim dicebantur qui parum commode, parumque ſalubriter viverent: propterea quod Iſthmiorum ludorum tempus morbis eſſet obnoxium ob ingentem hominum conventum. Meminit Suidas & Heſychius. Fortaſſe non abſurde dicetur in hos, qui fruſtra conantur, propter Iſthmi perfoſſionem à multis infeliciter tentatam. Qua de re dictum eſt nobis alibi copioſius.

INTEMPERANTIÆ.

ERASMI. *Non capit ſomnum, niſi hoc, aut illud fecerit.*

Sunt duæ figuræ proverbiales, quibus intemperantem, atque impotentem rei cujuſpiam cupiditatem ſignificamus. Altera eſt apud Ariſtophanem in Veſpis hujuſmodi:

Ἢν μὴ 'πὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου,
Ὕπνου δ' ὁρᾷ τῆς νυκτὸς οὐδὲ πασπάλην.

Id eſt,

Ligno niſi fors primus ille aſſederit,
Somni videt nil nocte, non vel paſpalam.

Primum lignum dixit, primum gradum. Paſpalam autem Græci vocant minutiſſimum aliquem farinæ pulviſculum. Ad eundem modum Juvenalis:

——Quibuſdam
Somnum rixa facit.——

Altera eſt apud Maronem in Bucolicis:

Quod ſi non aliqua nocuiſſes, mortuus eſſes.

Priorem reperire eſt apud Hebræum κακοποιοῦσιν: Non enim dormiunt, niſi quum malefecerint, nec capitur ſomnus ab eis niſi ſupplantaverint.

IVNII. *Mulierum accipitres.*

Γυναικοϊέρακες, velut mulierum accipitres proverbii ſpecie mulieroſi & mœchi dicuntur, inſanis amoribus operati, & pudicitiæ muliebri inſidiantes. Eunapius, ni fallor, de Zenonis Iſaurici imperatoris fratre Longino, impuriſſimo homine ſcribens, ſubinfert: δεινοὶ γὰρ οἱ γυναικοϊέρακες εὐπρεπεῖς αἰτίας ἐφευρίσκειν εἰς ἁρπαγὴν τῶν θηλειῶν, id eſt, Norunt enim iſti mulierum accipitres ſpecioſas excogitare cauſas ad irretiendas fœminas. Effictum inde nomen, quod accipiter rapax ſit avis. Ejuſmodi homines libidinoſos & formarum inſidiatores, λίχνον ὄμμα καὶ ἀσελγὲς ποιμαίνειν, hoc eſt, ganeatum & procacem oculum paſcere cum Æliano dicemus, ſic enim ille: αὐτὸς λίχνον ὄμμα καὶ ἀσελγὲς ποιμαίνων κατὰ τὴν ἱστορίαν τῶν ἐρωμένων ἔργα ἰδεῖν ...ἀπελαύσας ἄν. id eſt, Iſſagiorans flagitioſis epulis procacem & obſcœnum oculum, Gereæ orgia ſpectare gliſcebat, haud initiatus.

Mergorum inſtar.

Αἰθυιῶν τρόπον, id eſt, In modum mergorum: de inexplebili ingluvie, & nunquam ſatiata edacitate dicitur. Philon Judæus lib. De vita contemplativa: οἱ τρόπον αἰθυιῶν ἐμφορούμενοι ... καὶ τοῖς ὀστέοις ἐπιτραγῶσι, id eſt, Qui expleti mergorum in morem ita ventrus oblonia abligurium, ut & ab oſſibus arrodendis non abſtineant. Eſt autem αἴθυια (quam mergum cum Geſnero doctiſſimo limatiſſimoque homine interpretor) inſatiabilis avis & voraciſſima, vel Oppiano teſte: ab ignea quadam abſumendi vi nomen, ut ſuſpicor, habens: quomodo & Eryſichthon inter helluonum gurgites voraciſſimus, cognomento αἴθων dictus fuit, teſtibus Athenæo Lycophrone & Zeze.

INTEMPESTIVA.

ERASMI. *Apage hoſpitem in tempeſtate.*

Ἄπαγε ξεῖνον ἐν χειμῶνι. id eſt, Apage hoſpitem in tempeſtate. Dici ſolitum, ubi quis importunius advenitet. Nam moleſtiam adferunt hoſpites, ſi quando in rebus adverſis & afflictis ſuperveniunt: quando familiares magis adeſſe convenit, ægrimoniæ lenitores. Si peregrini ſuperveniant, ad calamitatis moleſtiam accedit pudor, interdum maxima malorum pars. Recte accommodabitur, ſi quando petitur quippiam à principe, negociis parum lætis occupato. Admonet idem adagium, ne quis externus domeſticis aliorum malis admiſceat ſeſe. Simile quiddam dixit Euripides in Alceſtide:

Ἄγαν τ' ξένον
Στυγνῷ προσώπῳ, ἐν κακοῖς δεδεγμένος.

Id eſt,

——An non mihi jure optimo
Inviſus hoſpes, qui in malis advenerit?

Verba ſervi ad Herculem advenientem, domo Admeti jam occupata luctu. Rurſus in eadem fabula:

Λυπηρὸς ἥκοις ἂν λυπουμένοις ξένος.

Id eſt,

Moleſtus hoſpes triſtibus ſi advenerit.

EX APPENDICE ERASMI.

Non ſemper Saturnalia.

Simile, Foras Cares, non amplius Antheſteria. Non ſemper Antheſteria, ſeu Floralia. Sen. Saturnalia ſervos etiam libertate donaſſe notum.

Poſt cineres gloria ſera.

Inanis applauſus, & vanæ laudationes mortuis nihil conferunt, juxta illud:

——Poſt cineres gloria ſera venit.

Sic Anna Didonis ſoror refert apud Vergil. lib. 4. Æneid.

Id cinerem, aut manes credis curare ſepultos?

Interpretatur, quid cinerem appellet, mortuorum animas. Natum ex veteri conſuetudine, qui mortuorum corpora cremabant, cineresque in urnis conſervabant. Refellit autem Anna Didonis ſororis ſuæ dictum, reſpondens aut nihil ad mortuos viventium vote pertinere, aut nullum eorum ſenſum ad illos pervenire. Et quidam Græcus epigrammatum ſcriptor ait, malle ſe vivum madere unguentis & vino, quam utrumque ſervare ad exequias ſuas.

INVIDIA ET ÆMVLATIO.

ERASMI. *Invidus vicini oculus.*

Aliclytus Eucymoni, ἀνὴρ ἀνδρὸς γὰρ καὶ φάσκανος ὁ τοῦ γείτονος ὀφθαλμός

ὀφθαλμὸς φθονερὸς γειτονία. id eſt, Malevolus & invidus vicinorum oculus, inquit proverbium. Reſpexit, ni fallor, ad Heſiodium dictum de figulo, cantore, & vicino, quod alibi retulimus. Sic Ovidius:

Fertilior ſeges eſt alieno ſemper in agro,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

COGNATI. *Fumus pulchriorem perſequitur.*

Hoc proverbium non recens eſt, ſed multis ſeculis & apud diverſas gentes celebratum eſt ac viguit, quo fertur, fumum natura ſua formoſiorem cujus domus lectari. Ariſtophan. apud Athenæum libro ſexto *δευτεροφρῶν*, ubi paraſitus in formoſis tentandis, cum ſe reliquos ſuperare dicere vellet, inquit in illis ſe fumum eſſe. ὑποφήτης πλαγίων ἄκμων τῶν καλῶν πάντων ἢ τελαμών, τοῖς καλοῖς πυρῶν, καπνός.

IUSTITIA.

ERASMI. *Homines frugi omnia recte faciunt.*

M. Tullius lib. Tuſculan. quæſt. 4. Frugalitatis nomen tanquam ad caput referre volumus, quod niſi eo nomine virtutes continerentur, nunquam illud tam pervulgatum eſſet, ut, jam proverbii locum obtineret: Homines frugi, omnia recte facere. Hactenus Cicero. Docet adagium, quoſdam improbos homines certis in rebus nonnunquam eius, ac præclare ſe gerere: verum ubique ac perpetuo præſtare virum integrum atque inculpatum, id ejus demum eſſe videtur, qui natura vereque ſit probus. Alludit ad hanc ſententiam Euripides in Hecuba, cum ait:

——Ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
Ὁ μὲν πονηρὸς, οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός.
Ὁ δ' ἐσθλὸς, ἐσθλός, συμφορᾶς ὕπο,
φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.
id eſt,
——Cæterum in mortalibus
Quiſquis malus, nil aliud eſſe quam malus:
Frugi uſque frugi eſt, non enim ingenium gravis
Fortuna vitiat, ſed probus ſemper manet.
Item in Iphigenia in Aulide,
——Ὁ δ' ἐσθλὸς,
Ἐσθλὸς ἀμφὶς ἀεὶ.
id eſt,
——At qui probus,
Is palam eſt ſemper probus,
Ariſtoteles libro Moralium 7. εἰ τε γὰρ ἀγαθὸν ἁπλοῦν τὸ δὲ κακὸν ποίκιλμα μὲν μὲν ἀγαθὸς μὲν ὅμοιος αἰεὶ καὶ οὐ μεταβάλλει τὸ ἦθος· ὁ δὲ φαῦλος καὶ ἄφρων οὐδὲν ἔοικεν ἑωυτῷ ἕωθεν καὶ ἑσπέρας. id eſt, Siquidem quod bonum, idem ſimplex: contra quod malum, id varium eſt. Et qui bonus is ſemper ſui ſimilis, neque unquam commutat mores. At quiſquis improbus & ſtultus, haudquaquam idem eſſe videtur mane & veſperi. Huic mire concinit illud literarum arcanarum. Stultus ut luna mutatur, ſapiens permanet ut ſol.

Salem apponito.

Τοὺς ἅλας παρατίθει, id eſt, Salem apponito. Admonet juſtitiam & æquitatem omni adhibendam negocio. Sal enim quicquid occupaverit ſervat, & ex rebus puriſſimis conſtat, aqua & mari.

HÆREDIPETÆ.

ERASMI. *Herciſcere.*

Quædam voces ob hoc ipſum habent proverbii gratiam, quod ſunt vel obſoletæ, vel alicui profeſſioni peculiares, veluti priſci Jure conſulti, herciſcere dicebant hæreditatem dividere. Inde apud Juriſconſultos actio herciſcundæ familiæ. Porro familiæ vox omnem hæreditatem ac res hæreditarias complectitur. Hæc actio nata eſt è duodecim tabulis, quarum hæc verba recitantur in codice: Cohæredes à communione diſcedere volentes agunto. Id ſi transferatur alterius rei diviſionem, erit proverbiale, veluti ſi quis dicat: Inter Guilielmum Budæum, & Leonardum Portium, de aſſis inventione concertantes, Janum Laſcarem datum herciſcundæ gloriæ arbitrum. Et hoc ſeculo nonnulli monachi rem prius communem inter ſe non dubitarunt herciſcere, idque ſine prætore.

HOSPITALITAS.

ERASMI. *Hoſpitis habenda cura.*

Qui dicet hoſpitum habendam eſſe rationem: uſurpabit illud ex eodem libro.

Αἰδοῖος μὲν τ' ἐστὶ καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσιν.
Ἀνδρῶν ὅς τις ἵκηται ἀλώμενος ὡς καὶ ἐγὼ νῦν.
id eſt,
Nam divis reverendus & immortalibus ille eſt,
Quicunque appulerit multis erroribus actus
Nunc uti ego,——

LÆTITIÆ.

ERASMI. *Φιλοφρονεῖσθαι.*

Hac voce M. Tullius videtur delectatus: ita ſubinde uſurpat in epiſtolis. Eſt autem vultu fronteque præferre hilaritatem ac benevolentiam, quum aliud geras in animo. Unde illud Maronis:

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Feſtivus ſermo.

Ubi quis in convivio ſermonem inducit admodum hilarem ac feſtivum, qui diſcutiat omnem triſtitiam, conveniet illud ex eodem libro. quod Homerus finxit de Helena pharmacum immittente in convivarum cyathos, quod omnium ante actorum induceret oblivionem.

Αὐτίκ' ἄρ' εἰς οἶνον βάλε φάρμακον ἔνθεν ἔπινον.
Νηπενθές τ' ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.
id eſt,
In vinum immiſit mox pharmacon, unde biberent.
Luctuſque, biliſque malique oblivia cuncti.

Hujus meminit Plin. lib. 25. Nobile, inquit, illud oblivionem triſtitiæ veniamque adferens, & ab Helena utique omnibus mortalibus propinandum. Dioſcorides lib. 4. refert herbam ἄλυπον, quæ inferne ſumpta atræ bili medeatur: unde & nomen indutum videtur, quaſi dolore carens. quemadmodum νηπενθὴς & ἄχολον, quod luctum ac ſitim pellant.

INEPTA.

COGNATI. *Pennas majores nido extendere.*

Tractum ab avium pullis, qui paulatim plumis naſcentibus nidos ſuos ſuperant. De iis qui in anguſta & modica re familiari nata virtute tamen & ingenii præſtantia tenuitatem & humilitatem generis ſui illuſtrarunt, atque extulerunt. Horat. lib. 1 epiſt. ad librum ſuum:

Me libertino natum patre & in tenui re
Majores pennas nido extendiſſe loqueris:
Ut quantum generi demas, virtutibus addas.

Conſimili metaphora dixit Guntherus in fine Ligurini:

——Cunctis præbere legendum
Te poteris totaſque palam diſtendere pennas.

id eſt, exponere te judicio lectorum, volitareque per ora doctorum virorum.

LAUTITIÆ.

ERASMI. *Gallam bibere oportet.*

Qui plus ſatis indulgent ventri gulæque, proverbiali joco jubebantur gallam bibere. Is eſt fructus ſub autumnum adoleſcens arboribus præcipue robori, ſpecie rotundæ nucis. De cujus natura multa prodiderunt Plinius Dioſcorides, Galenus ac Theophraſtus. Vim habet aſtringendi ex quandique, & ob id utilis ad multa. Inde illud Lucil. quum nepotes ac lurcones jubet gallam bibere, & rugas inducere ventri: ſentiens coarctandos eſſe ventres. Refert Sext. Pompejus Feſtus. Simile eſt Horatianum illud, quum ſcribit ventres nepotum inurendos candenti lamina.

LIBERALITAS.

COGNATI. *Ἐλαφρὰ χάρις ἡ εὐφημία.*

Levis eſt laudis gratia. Dicetur de re non valde operoſa, qualis eſt commendatio, laudatio. Idem de concordia. Et vulgata eſt monitio, ut liberales ſimus eorum officiorum, quæ nihil adferunt impendii.

LIBERTAS, VERITAS.

ERASMI. *Auſcultandum bene loquenti.*

Tireſia in eodem ſermone.

Εὖ σοι φρονοῦντος, εὖ λέγω τι χρήσιμον
Δ' ὅσ' ἄριστος εὖ λέγοντος, εἰ κέρδος λέγοι.
id eſt,
Tibi benevolus bene loquor: ſuaviſſimum eſt
A bene loquente, lucra ſi fert, diſcere.

Eandem ſententiam antea dixerat Hæmon:

Καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν.
id eſt,
Recte loquentem audire par eſt, ac decet.

Conveniet cum illo, Audi quæ ex animo dicuntur. Item cum Heſiodo, quo probatur & is qui pares recta moneant.

Fama prodit omnia.

Æſchines in oratione contra Timarchum refert ſententiam Euripidis:

Φημὶ τ' ἐσθλὸν καὶ μηνύει δίκαιον τῆς.

id eſt,

Id eſt,

Virum bonum fama aperit vel in terræ cavis.

Interpretatur autem hoc ſenſiſſe Poetam, non viventium tantum virtutem illuſtrari fama, verum etiam ſepultorum. Terra corpus tegit, ſed fama non ſinit occultari quod quis bene geſſit in vita. Eodem in loco citat Heſiodi verſum quem antea commemoravimus.

Φημὴ δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται ἥντινα λαοὶ
Πολλοὶ φημίζουσι. θεός νύ τίς ἐστι καὶ αὐτή.

quem locum citat & in oratione *περὶ τῆς παραπρεσβείας*.

Oculis & manibus.

Quod omnibus modis compertum eſt, oculis & manibus deprehenſum dicitur M. Tullius pro Cluentio: Quum manifeſto venenum deprehendiſſet, quod vir matris Oppianicus ei paraviſſet, & res non conjectura, ſed oculis ac manibus teneretur; neque in cauſa ulla dubitatio poſſet eſſe, accuſavit. Oculis magis creditur quam auribus. Quidam porro adeo ſunt *δυσπειθεῖς*, ut niſi manibus contrectent, non credant. Quemadmodum de Thoma Didymo narrat Evangelica hiſtoria.

Amicitiæ perſonam.

Τὸ *προσωπεῖον ἀφελεῖν τῆς φιλίας*, id eſt, Amicitiæ perſonam detrahere dicimur, cum aperte quæ ſentimus animo, tum facimus, tum loquimur apud amicos, & quicquid in pectore clauſum eſt, id præ nobis ferimus. Vultus enim ab animo diſcrepans, perſona verius eſt quam vultus. Et eleganter à Seneca dictum eſt in Cæſarem, ut perſonam malit quam faciem: id eſt, ut videri malit, quam eſſe. M. Tullius Tuſculanarum quæſtionum 5. ſcribit Epicurum tantummodo perſonam induiſſe Philoſophi. Martialis:

Mentiris juvenem tinctis Lentine capillis,
Tam ſubito corvus, qui modo cygnus eras.
Non omnes fallis, ſcit te Proſerpina canum:
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Neq; ſemper tamen perſona ſonat in malam partem. Etenim cum ſcribit M. Tullius in Officiis. Ponit enim perſonam amici, cum induit judicis: non ſignificat fictum amicum, aut fictum judicem. Eſt autem traductum à perſonis hiſtrionum.

Lampon jurat per anſerem.

Λάμπων ὄμνυσι τὸν χῆνα, id eſt, Lampon jurat per anſerem. Ita loquebantur ubi quis decipere tentaret jurejurãdo. Lampon ſacrificus quiſpiam fuit ac vates, & oraculorum author. Is ſolitus eſt per anſerem jurare, tanquam per avem auguralem. Vel quod olim ita inſtituerat Rhadamanthus ne per deorum aliquem juraretur, ſed per canem, anſerem, id quod Socrati familiare apud Platonem. Tradunt, hoc Lampone authore factum, ut Athenienſes coloniam miſerint in Sybarim. Adagii meminit Ariſtophanes in Avibus.

Λάμπων δ' ὄμνυσ' ἔτι καὶ νῦν τὸν χῆν', ὅταν ἐξαπατᾷ τι.

id eſt,

Lampon etiam nunc jurat per anſerem, ubi quis fallit in aliquo.

Mendacem memorem eſſe oportet.

Quintilianus Inſtitutionum oratoriarum libro quarto ſententiam hanc proverbii vice citat: Mendacem memorem eſſe oportere. Item Apuleius in Apologia Magiæ ſecunda. Sæpe, inquit, audivi, non de nihilo dici. Mendacem memorem eſſe oportere. Divus Hieronymus: Oblitus veteris proverbii, Mendaces memores eſſe oportere. Satis liquet adagii ſenſus: nempe perdifficile eſſe, ut qui mentitur, ſemper ſibi conſtet, niſi ſit ſumma memoria. Eſt autem fictarum rerum memoria non paulo difficilior quam verarũ. Proinde plerunq; deprehenduntur hoc pacto mendaciorum architecti, dum obliti quæ prius dixerint, diverſa à ſuperioribus loquuntur. Sic deprehenditur apud Terentium Davus; ſic Pſyches Apuleianæ commentum à ſororibus ſentitur.

Philoxeni non.

Τὸ *Φιλοξένου οὔ*, id eſt, Philoxeni non. Dicendum, ubi quis obſtinate vel inficiatur, vel recuſat: aut ubi quis alteri neſcit concedere, neq; quicquam ad gratiam loqui. Quod genus homines à principum conſuetudine debent abſtinere: apud quos aut tacendum eſt, aut loquendum quod gratum ſit auribus. Philoxenus Poeta, quemadmodum alibi diximus, uſque adeo non potuit carmina Dionyſii probare, ut maluerit reduci ad fodinas lapidarias.

COGNATI. *Laxa cervice.*

Laxa cervice, proverbiali ſchemate, dicimus eſſe remiſſi ac liberi: ſumpta metaphora ab equis qui laxatis & remiſſis habenis collum ſubmiſſius & inclinatius gerunt, atque liberius agunt. Hinc Perſius Satyr. i.

Et laxa cervice legendum.

id eſt, libero ac remiſſo ſono.

LVXVS ET MOLLICIES.

ERASMI. *Naviges in Maſſiliam.*

Πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν. Scribit Athenæus lib. 12. Maſſilienſes uſque adeo delicatos effœminatos olim fuiſſe, ut proverbio dici conſueverit, *πλεύσειας εἰς Μασσαλίαν*, id eſt, Naviges in Maſſiliam. Non explicat quidem ille proverbii ſenſum: ſed facile conjicitur, in molles, & moribus cultuq; parum virili, torqueri debere, Paulus in Caſſina: Ubi tu es, qui colere mores Maſſilienſes poſtulas? Tametſi, quod ait Plautus, mihi potius referendum videtur ad ſeveritatem vitæ, quemadmodum Plutarchus in vita Ageſilai docet, Spartanam diſciplinam appellatam, ſeveram, minimeque deliciis indulgentem. Nam non alia gens laudatior quam Maſſilienſium; ſi Ciceroni credimus, ſique vera memorat Valerius Maximus libro ſecundo, capite De inſtitutis: multa commemorans de diſciplina ejus civitatis, quæ nec mimos ullos in ſcenam admiſerit, ne parum pudicis fabularum argumentis civium mores inficerentur, nec eos qui religionis prætextu vitam inertem & ocioſam ſectarentur, intra portas receperit. Aliaque id genus de Maſſilienſium ſeveritate referuntur apud authores: ut appareat, Athenæum non de Gallica Maſſilia, ſed de Libyca loqui, cujus meminit Vergilius quarto Æneidos libro:

Hic mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos.

Quo quidem ex loco conjecturam facere licet, Maſſylos maleficiis olim infames fuiſſe, quemadmodum & Theſſalos. Cæterum quoniam apud Athenæum Maſſalia eſt, non Maſſylia: fieri poteſt ut nec Maſſilia quæ eſt Galliæ Narbonenſis, nec Maſſylia Maurorum, ſed tertia quæpiam. Licet hanc nominum differentiam interdum confundant Græci ſcriptores. Stephanus indicat hoc nomine fuiſſe civitatem Liguſticæ, Phocenſium coloniam, authore Hecatæo: Timæum vero illud addere, quum nauclerus adnavigaſſet, viſo piſcatori projecto in terram fune dixiſſe: Alliga rudentem. Et hinc loco nomen inditum Maſſalia. *μάσσαι* enim Æolib. eſt, quod alii dicunt *δῆσαι*. *ἁλιεὺς* piſcator, ex *μάσσαι* igitur & *ἁλιεὺς* dicta Maſſilia.

MAGNI MOMENTI.

ERASMI. *Decumanum.*

Olim decumanum ovum dicebant, & fluctum decumanum, pro magno: quod à ruſticis ac nautis obſervatum ſit, decimum quodq; ovum naſci cæteris majus & decimum quemq; fluctum cæteris eſſe vehementiorem. Unde Ovidius:

——Decimæ ruit impetus undæ.

Hinc quicquid ingens eſſet, decumanum vocant captum, ut Lucilius:

——Acipenſere cum decumano.

Sicco junco.

Proverbii ſpeciem habet quod eſt apud Æſchinem *περὶ τῆς παραπρεσβείας*, *ὁλοσχοίνῳ ἀβρόχῳ*, id eſt Junco ſive fune ſicco, *πηγὰς δὲ λόγων ἀφθόνους ἔχειν ἐπηγγέλλετο, καὶ περὶ τῶν δικαίων τῶν Ἀμφιπόλεως καὶ τῆς ἀρχῆς τοῦ πολέμου τοιαῦτ' ἐρεῖν ὥστ' ἀποῤῥάψειν τὸ Φιλίππου στόμα ὁλοσχοίνῳ ἀβρόχῳ*, id eſt, jam vero & rationum copioſos fontes habere ſe jactabat, atque de jure Amphipolis, deque belli origine talia dicturum, ut Philippi os ſicco fune obvincturus eſſet. *ἄβροχος* dici poteſt, vel ſiccum, quodque non rigatur, vel quod laqueum non habeat. Nam junci gaudent humido, & ex his interdum texuntur funes. Heſychius indicat, *ὁλόσχοινον* idem eſſe quod *ὀξύσχοινον*, id eſt, Juncum marinum, ad hæc *ὁλοίτροχον*, id eſt, verſatilem. Denique & *ὁλοίτροχον λίθον*, id eſt rotundum ac volubile ſaxum. Itaque perpendat eruditus lector, an *ὁλοσχοίνῳ ἀβρόχῳ*, intelligat orationem ſalſam, non aqua marina, ſed acribus ac pungentibus rationibus. Quin & in illis verbis, *πηγὰς λόγων*, ſubeſt proverbium: quum ingentem copiam ſignificabant. Frequens eſt apud Chryſoſtomum.

Larinum verbum.

Λαρινὸν ἔπος, id eſt, Larinum verbum appellabant ingens atque egregium, hinc orto proverbio, quod in Lariſſa boves ſint prægrandes ac præpingues. Alii putant Larinos dictos obeſos ac prægrandes, à Larino quodam paſtore ſupra modum magno corpore. Boves autem prægrandes paſci in Epiro, poſteritatem boum Geryonis. Ariſtophanes in Avibus:

Ἀλλὰ λέγ' ὅ τι σοι πάλαι
Μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι.

Id eſt,

——Sed tibi
——Jam quæro dudum grande verbum dicere,
Atque Larinon.——

Huc pertinet quod Græci rebus ingentibus bovem addunt, ut *βουφάγος*, edax. Simili modo Latini veteres Lucam dicebant pro grandi.

MALVM ACCERSITVM.

ERASMI. *Apros immittere fontibus.*

Qui ſibi accerſit, optatve perniciem allaturã, in hunc quadrat Vergilianum illud,

——Et liquidis immiſi fontibus apros.

Neque enim id ſine proverbii ſpecie dictum apparet. Siquidem apri non tantum bibunt è fonte impreſſis pedibus, verumetiam volutant ſeſe.

Hoſtis domeſticus.

Plato in Sophiſta, domeſticum hoſtem proverbio ſolitum dici teſtatur, ubi malum non aliunde proficiſcitur, ſed ex nobisipſis naſcitur, velut cum quis ipſe ſe prodit, aut redarguit, ipſe ſua bili aut livore ſeſe conficit. οὐκ ἄλλων δέονται τῶν ἐλεγχόντων, ἀλλὰ τὸ λεγόμενον, οἴκοθεν τὸν πολέμιον καὶ ἐναντιωσόμενον ἔχοντες. id eſt, Non opus habent aliis qui redarguant, ſed juxta proverbium, cum domi hoſtem habent, quiq; ſit adverſaturus. &c. Agit, opinor, de ſophiſta, qui cum ſit loquax, ipſe ex ſeſe præbere ſolet quo revincatur.

IVNII. Aſciam cruribus ſuis illidere.

Aſciam cruribus meis illidere proverbiali ſchemate dicitur, qui ſibi ipſi malum accerſit dedita opera, aut temeritate quapiam. Apuleius libro tertio de Aſino: Meque ſponte aſciam cruribus meis illidere compellis. Tranſlatum videtur à fabula, quæ memorat Lycurgum Thracem ſuccidendis vineis intentum crura ſibi amputaſſe, impacta ſecuri. Conveniet in dicaces, qui virulenta lingua & conviciis exitii authores ſibi ſunt, vel ſaltem ingentis damni: qualem conſtat fuiſſe Sotadam, qui amarulento dicterio perſtricto Ptolemæi inceſſu, regis in ſe iram, mox necem concitavit: Similiter Theocritus Chius ſophiſta, appellitans Antigonum regem Cyclopem, funeſtam cruribus ſuis aſciam illiſit. Eſt autem aſcia fabrile inſtrumentum, ad cædendam materiam comparatum: cujus inventio Dædalo attribuitur à Plinio. Simili metaphora Cicero dixit in oratione pro Plancio, infigere ſecurim, pro damnum adferre.

MALVM CONDVPLICATVM.

COGNATI. Nemo prope ex morbo aut peregrinatione Romana melior evadit.

Inolevit opinio quædam ac perſuaſio ubique, quæ objici ſolet ex morbo convaleſcentibus, aut peregrinis: Neminem ab ancipiti morbo diutinoque, aut longinqua peregrinatione meliorem effici, quod plerunque ita uſuvenire palam eſt. Ea ſiquidem eſt natura mortalium, ut quamlibet ſævis morbis divexata fuerit, quantumvis anxia terra marique peregrinatione atque erroribus fuerit agitata, ubi eluctari contingit, profunda ſubeat oblivio, atque inſiſtant homines vivere laxius, licentiuſque, adeo ut poſteriora illis ſint prioribus deteriora, atque inſequens tempus antecedente deploratius. Nam ubi priſtino vigori ſunt redditi, ad mores natura recurrit damnatos fixa ac mutari neſcia. Extat præclara Plinii Junioris epiſt. lib. 7. qua ex amici cujuſdam ægrotatione admonitum ſe teſtatur, optimos eſſe nos dum lecto ſumus affixi, quem enim infirmum aut libido incitat, aut avaritia ſollicitat? Non eſt amori deditus, non appetit honores, opes negligit, animoſque dimittit, ac ferocire deſinit: poſtremo vitam prorſus innoxiam beatamque deſtinat, ſi contingat evadere. Itaque arrepta hinc monendi occaſione, cum ſibi tum amico præcipit, ut tales perſeverent eſſe ſani, quales ſe futuros profitentur infirmi. Quæ quidem exhortatio ſalubris eſt ac frugifera. At ignorabat is, nec commonſtrare potuit, quo duce, cujuſque afflatu atque adminiculo hæc eſſent perficienda. Hoc proverbium ſic profertur in Galliis. Le loup alla à Rome, & y laiſſa de ſon poil, & rien de ſes couſtumes Aliud Trot arriere, trot auant, ceux qui viennent de Rome, valent pis que deuant.

MANSVETVDO.

ERASMI. Ne ſacrificato ſine farina.

Μὴ θύειν ἄτερ ἀλφίτων, id eſt: Abſque farina ne ſacrificato. Hoc ænigma morum manſuetudinem commendat, ut dictum eſt.

Ne libaris diis ex vitibus non amputatis.

Μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων, id eſt. Ne libaris diis ex vitibus non amputatis, Nihil gratum ſuperis, quod non purum purgatumque ſit. Hoc ænigma Plutarchus tribuit Numæ, in ipſius vita, divinans eo manſuetudinem commendari, quæ pars ſit pietatis: quemadmodum & Evangelica doctrina rejicit munera ferocis; qui nolit fratri ſuo reconciliari. Quod enim purgatum non eſt, agreſte eſt, & farina conducit leniendis quæ dura ſunt.

MEMORIA.

ERASMI. Virtus æterna.

Pindarus in Olympiis Encomio θ. refert hujuſmodi ſententiam: Αἴδα τοι λάθεται ἄρμενα πράξαις ἀνήρ, id eſt, Orci obliviſcitur vir qui ſe digna geſſit. Vita brevis eſt, ſed immortalis eſt benefactorum memoria: eoque qui ſe præclaras & æterna memoria dignas res geſſerunt, æquiore animo decedunt è vita nec perinde mortem horrent, quod intelligant ſe gloria nominis ſemper apud poſteritatem victuros.

Poſt homines natos.

Quoties univerſos homines intelligi volumus, poſt homines natos dicimus: M. Tullius in oratione pro domo ſua ad Pontifices: Quis homini poſt homines natos turpiſſimo, contaminatiſſimo: quis illam opimam fertilemque Syriam, quis bellum pacatiſſimis gentibus, quis pecuniam ad emendos agros conſtitutam, ereptam vi ex Cæſaris rebus actis, qui imperium infinitum dedit? Rurſus in eadem: At id quod crimini dabatur, non modo peccatum non erat, ſed erat res poſt homines natos pulcherrima. Item pro Cornelio Balbo: Etenim quum pro ſua patria pauci poſt genus hominum natum reperti ſint, qui nullis præmiis propoſitis, vitam ſuam hoſtium telis objecerint, &c. Item pro Milone: Unius poſt homines natos fortiſſimi viri. Item in Antonium: Duo teterrima & ſpurciſſima capita poſt homines natos, Dolobella & Antonius. Idem de optimo genere oratorum: Optimus longe poſt homines natos. Idem in Bruto: Longe autem poſt natos homines improbiſſimus Caius Servilius Glaucia.

Poſt hominum memoriam.

Huic ſimillimum eſt, Poſt hominum memoriam. M. Tullius in oratione ad Pontifices, pro domo ſua: Grave crimen eſt hoc, & vehemens, & poſt hominum memoriam, judiciaq; de pecuniis repetundis conſtituta graviſſimum. Item in oratione De aruſpicum reſponſis: Vobis vero referentibus poſt hominum memoriam fortiſſimi atque optimi conſules. Idem pro Plancio. Aderat mecum ſenatus, & quidem veſte mutata, quod pro uno poſt hominum memoriam publico conſilio ſuſceptum eſt. Ibidem. Nihil poſt hominum memoriam glorioſius. Item pro eodem: Conſules poſt hominum memoriam teterrimi atq; turpiſſimi. Item ad Plancum Epiſt. fam. l. 10. Nihil poſt hominum memoriã glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius accidere vidi, quam tuas Plance literas, Rurſus ad Brutum lib. 11. Quare hortatore tu quidem non eges, ſi ne in illa quidem re quæ à te geſta eſt poſt hominum memoriam maxima, hortatorem deſideraſti. Rurſum pro Seſtio: Quid enim quiſquam poteſt ex omni memoria ſumere illuſtrius, quam pro me uno cive, & bonos omnes privato conſenſu, & univerſum ſenatum publico conſilio mutaſſe veſtem? Idem in Catilinam: In hoc autem uno poſt hominum memoriam maximo crudeliſſimoq; bello. Ibidem: Bellum inteſtinum ac domeſticum poſt hominum memoriam crudeliſſimum & maximum. Idem pro Rabirio perduellione. Poſt hominum memoriam rem nullam majorem. Idem pro lege Manilia: Quæ in omnibus hominibus nova poſt hominum memoriam conſtituta ſunt. Rurſus in Vatinium teſtem: In omni memoria inauditam.

COGNATI. Mortui linguis non imperant.

Celebre quoque iſtud eſt, vulgoque fertur. Hoc vero in primis curæ debet eſſe principibus & magnatibus, qualem famam ac quale nomen habituri ſint ad poſteros. Nam ut maxime poſſint dum vivunt, linguas omnium continere, mortui certe linguis non imperant. Imo vero in eos ſub quibus minime licet tum demum avidius effunditur, quicquid uſquam eſt conviciorum, cum eorum morte parta libertas. Nullum, inquit Plinius in Panegyr. eſt tempus, quo funeſtorum principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant. Hinc illud Senecæ lib. 1. De clementia, cap. 1. Parcetur ubique manibus tuis.

MINANTIS.

GODOFREDI. Pyrı finem facies.

Ita facinoroſum hominem deterrebimus, & ad meliorem vitæ rationem incundam exhortabimur, ni faciat, futurum ut collum in laqueum inſerat, ſuſpendio vitam finiat, ut pendens de arbore, ſummaque acuminata parte veluti collo obligato matureſcat, & conſumatur pyrum. Cynus in Cod. 5 32. 22.

MIRA NOVA.

ERASMI. Paſetis ſemiobulus.

Τὸ Πάσητος ἡμιωβόλιον, id eſt, Paſetis ſemiobolus. De re nova ſtupendaque, & præſtigiis ſimillima. Veluti cum orator efficit, ut eadem cauſa primum optima, mox peſſima videatur res eadem maxima ſtatimque minima appareat. Et cum ſophiſtæ demonſtrant eundem & aſinum eſſe, & hominem Aut ubi quis aſſeverat id factum, quod citra magiam aliquam fieri non potuerit, licebit λέγειν, Πάσητος ἡμιωβόλιον. Nec intempeſtive dixeris, quum quidam ita dant munus aliquod, ut idẽ mox arte quadam ad ſe retrahant. Tradunt Paſetem quendam præſtigiarum & magiæ peritia primum nomen meruiſſe. Is incantamentis quibuſdam efficiebat, ut repente convivium omnibus inſtructum parti adeſſe videretur: rurſum ubi libuiſſet, omnia protinus evaneſcebant. Emebat autem frequenter, preciumque rei numerabat: verum mox nummus non apud venditorem; ſed apud Paſetem reperiebatur. Hujuſmodi ferme tradit Suidas.

Ἀπ' ἀκροφυσίων.

Ἀπ' ἀκροφυσίων, proverbialiter dicebant, pro eo quod eſt, recens ab officina profectum: proinde quaſi modo productum à follibus, ærariaque fornace, Nam ab his ſumpta metaphora. Ariſtophanes:

Ῥήματα τεχνουργὰ καὶ παίγνια ἐνδείκνυσθαι,
Πάντα ἀπ' ἀρχετύπων καὶ ἀπὸ κινναβάρου γεγονότα.

Id eſt,

Dictaque ſplendida, & luſus oſtentare, omnia à ſollibus & archetypis. Porro cinnabeum vocatur exemplar & ſimulachrum, ad cujus imitationem pictores ac ſtatuarii ſignum effingunt ac repræſentant. Vnde quod nuper natum eſt, id ἀπὸ τοῦ κινναβάρου ἥκειν venire dicitur.

MIXTA.

ERASMI. *Nova Hymetia, falerna vetera.*

Maccobius libro Saturnalium ſeptimo. Cur Diſari mel & vinum diverſis ætatibus habentur optima? Mel, quod recẽtiſſimum: vinum, quod vetuſtiſſimum. Vnde eſt & illud proverbium, quo utuntur gulones: Mulſum quod probe temperes, miſcendum eſt novo Hymetio, falerno vetulo. Quod adagium non video ubi nobis poſſit uſui eſſe: ſed tamen adſcripſimus, ne nihil omnino de popinis mutuari videremur. Niſi forte placeat eo torqueri, ut dicamus, e diverſis rebus quædam optime conflari.

MODESTIA, MODVSQVE.

ERASMI. *Porta itineri longiſſima eſt.*

M. Varro lib. De re ruſtic. 1. cap. 2. ſubindicat vulgo dici ſolere, Portam itineri eſſe longiſſimam. cujus arbitror eundem eſſe ſenſum, qui eſt illius: Dimidium facti qui cœpit habet. Quin & hodie dicunt, bonam itineris partem confectam ei, qui portam egreſſus ſit: ſemper enim eſt quod iter apparantem remoretur, & ſi nihil ſit negocii, remorantur amicorum affectus, apud noſtrates autem nõ creditur profectio futura felix, niſi dies aliquot dati fuerint convivιis & compotationibus amicorum. Varronis verba ſubſcribam: Vultis igitur interea vetus proverbium, quod eſt, Romanus ſedendo vincit, uſurpemus dum iſte venit? & ſimul cogitans portam itineri dici longiſſimam eſſe, ad ſubſellia ſequentibus nobis præcedit.

Pſallium injicere.

Ψάλιον ἐμβαλεῖν, id eſt, Pſallium injicere dicuntur, qui ferocientem animum moderamine quopiam premunt: metaphora ſumpta ab equis animoſioribus. Plato libro De legibus tertio. ὁ δὲ τρίτος σωτὴρ ὑμῖν ἔτι σπαργῶσαν καὶ θυμουμένην τὴν ἀρχὴν ὁρῶν, οἷον ψάλιον ἐνέβαλεν αὐτῇ τὴν τῶν ἐφόρων δύναμιν. id eſt, At tertius vobis ſervator, luxuriantem etiamnum frementemque conſpiciens principatum, veluti pſallium illi injecit, Ephororum potentiam. De Lacedæmoniorum republica loquitur, in qua quinque Ephori ſunt inſtituti, ad temperandam regiam potentiam. Pſallium autem eſt circulus qui freno additur, unde & pro fræno ponitur interdum. Niſi forte alluſit ad bubalos, qui circulo ferreo naribus injecto circumaguntur. Vnde proverbium, Naribus trahere, quod alio dictum eſt loco.

Duobus digitis primoribus.

Quod avide arripimus, tota manu ſumimus, aut (ut habet proverbium) ambabus. Contra qui parce ſumunt, duobus digitis accipiunt. Plautus in Bacchidibus:

Quid igitur ſtulte? quoniam occaſio ad eam rem fuit,
Mea virtute parta, ut quantum velles, tantum ſumeres,
Hoc tu digitulis duobus ſumebas primoribus.

ſentit opinor de pollice & indice. Rurſus in Pœnulo:

Teneris rem? vix quidem hercle, ita pauxilla eſt, digitis primoribus.

Ad res animi tranſlatum, pluſculum habebit veneris. ut: Tanta occaſio non erat tibi duobus digitis primoribus accipienda, ſed toto arripienda corpore.

MVTATÆ SENTENTIÆ.

ERASMI. *Stylum vertere.*

Stylum vertere, eſt mutare quod ſcripſeris. Horatius in Sermonibus,

Sæpe ſtylum vertas.———

Antiquitus in tabellis ceratis ſcriptitabant ſtylo graphiario: cujus altera parte, nimirum acuta, per æquor cereum ducta literas exarabant, altera latiore, rurſum obliterabant quod exaraſſent. Hieronymus adverſus Ruffinum: Quamdiu non renuebam laudationem tuam, ſequebaris ut magiſtrum, fratrem & collegam vocabas, & catholicum in omnibus fatebaris. Poſtquam vero non agnovi laudes tuas, & me indignum tanti viri præconio judicavi vertis ſtylum, & omnia laudata prius, vituperas, de eodem ore & dulce proferens, & amarum. Hieronymus imitatus eſt Ciceronem, qui Verrinarum actionum 4. ſcribit in hunc modum: Timuit aliquando, & commotus eſt: vertit ſtylum in tabulis ſuis: quo facto cauſam hominem evertit ſuam. Invenitur & Stylum infigere, & ſtylo appetere: pro eo quod eſt, ſcriptis inſectari atque invehi.

COGNATI. *Veſtigium iterato percurrere.*

Soc. Opportune admonuiſti. forte enim haud abre erit, tanquam veſtigium iterato percurrere, &c. Ibid. Reſtat ut falſa in hoc opinemur, quando te cognoſcens, ſervanſque in cætera illa effigie utriuſque figuras longo ex tempore, tanquam annulorum veſtrorum ſignacula, neq; acute cernens utroſque tento, proprium utriuſque ſignum propriæ viſioni attribuendo, ejus accommodare veſtigio, ut agnitio fiat. Sed aberro, & inſtar eorum qui commutatis calceis errant, commuto, & utriuſque viſionem ad alienũ ſimulachrum transfero, & ſimilia quædam patior iis, quæ in ſpeculis tranſverſo reſultant, cum aſpectus dextera in ſiniſtra commutat.

NECESSITAS.

ERASMI. *Nemo cogendus officij cauſa.*

Nullus hoſpes retinendus adverſum animi ſententiam, & invitus. Nemo cogendus, ut cujuſquam utatur beneficio, ut nolit. Ad hanc ſententiam accommodabitur illud ex eodem libro:

Εἰ δ' ἐθέλοντι μένοις, ἀέκοντα δέ σ' οὔτις ἐρύξει.

Id eſt.

Si maneas ſponte, invitum nemo retinebit.

Dicitur ad Vlyſſem ab Alcinoo, Phæacum tyranno.

Fato non repugnandum.

In Antigon. Creon ita loquitur,

Ἀνάγκῃ δ' οὐχὶ δυσμαχητέον,

Id eſt,

Sed fata contra, quando (id eſt, perquam) arduum
Non eſt reluctandum.

Eandem ſententiam alias ex variis citavimus authoribus. Nemo poteſt vitare, quod Deus nobis immittit. Quod autem vitari non poteſt, ferendum eſt, non culpandum. Ducunt enim volentem fata, nolentem trahunt, ut ait Tragicus.

NOTA.

ERASMI. *Quantum ex Bacchanalibus.*

Ὅσον ἐκ Διονυσίων, id eſt, Quantum ex Dionyſiis ſive Bacchanalibus, Suidas pro verbi loco refert, ſed perturbatius, ut aſſolet. Antiquitus apud Atticos conſueverunt annos ac numerum accedentem à Dionyſiis numerare, quemadmodum ex Olympiadibus. Iterabatur autem Dionyſiorum feſtum tertio quoque anno. Vnde Vergilius, trieterica vocat. Suidas ſic integre recenſet, ἐξ αὐτοῦ σχεδὸν τοσοῦτον ὅσον ἐκ Διονυσίων. id eſt, Ex hoc prope tantum quantum ex Bacchanalibus. Addit dictum de rebus vehementer expetendis, atq; expectatis. Ad hoc facit quod refert ex authore neſcio quo. ὦ Διονύσια, αὐτὰ μὲν ὄζει ἀμβροσίας καὶ νέκταρος, id eſt, O Bacchanalia, ipſa quidem redolent ambroſiam & nectar.

NVGALIA.

ERASMI. *Res palæſtræ & olei.*

Quæ non ad ſerium negocium, ſed ad luſum & oſtentationem adhibentur, palæſtræ & olei dicuntur, quum in prælio majoribus opus ſit viribus. In palæſtra non armati, ſed uncti concertabant: tum quo difficilior eſſet apprehenſio, & elapſus facilior: tum quo corpus eſſet nitidius: certabant enim nudi. M. Tullius libro De oratore primo. Nitidum quoddam genus eſt verborum & lætum, ſed palæſtræ magis & olei, quam hujus civilis turbæ ac fori. Hujuſmodi ferme eſt in ſcholis quibuſdam trita ſophiſtica, quæ ad oſtentationem ac ludicram cõcertationem reddit hominem invictum, ad ſerias tractationes inutilem. Itaque recte in eodem libro, monet quidam, ut dictionem ex domeſtica exercitatione & umbratili, medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in caſtra atque in aciem forenſem educamus. Conſimiliter libro ſecundo de Iſocratis diſcipulis agens; Sed eorum, inquit, partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Eodem ſpectat quod ait libro De legibus primo. Fannii autem ætate conjunctus Antipater, paulo inflavit vehementius, habuitque vires agreſtes ille quidem atque horridas, ſine nitore ac palæſtra, ſed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius ſcriberent. Hæc ibi. Quod prius dixerat oleum, hic vocat nitorem? Et in libro De claris oratoribus unctius vocat, quod eſt nitidius: Iam, inquit, erat unctior quædam ſplendidiorque conſuetudo loquendi. Rurſus in Oratore ad Brutum: Numerus autem nondum depromebatur, neque habebat aliquam neceſſitudinem aut cognationem cum oratione: itaque ſerius aliquanto notatus & cognitus, quaſi quandam palæſtram & extrema lineamenta orationi attulit. Palæſtram appellat venuſtatem, ad oſtentationem adhibitam. In his porro verbis, nec illud abſque proverbii ſpecie dictum eſt. Extrema lineamenta, pro extrema manu, metaphora ducta à pictoribus.

E ſchola cantilena.

Plautus, ut alibi admonui, Theatri nugas appellat, quæ ſolent in comœdiis recitari. M. Tullius è ſcholis cantilenam appellat orationem declamatoriam ac juvenilem, plus habentem oſtentationis

quam ſapientiæ. Locus ſic habet eodem libro: Gerendus eſt tibi mos adoleſcentibus Craſſe, qui non Græci alicujus quotidianam loquacitatem, neque ex ſcholis cantilenam requirũt, ſed ex homine omnium ſapientiſſimo atque eloquentiſſimo, atque ex eo qui non in libellis ſed in maximis cauſis, & in hoc domicilio imperii & gloriæ, ſit conſilio linguaque princeps. Conveniet in illos, qui nũquam verſati ſunt in bonis authoribus, nec ex ipſis fontibus hauſerunt eruditionem ſolidam, ſed tantum in ſcholis decantata tenent. Quod genus ſunt illa: Non crederem Evangelio, niſi me Eccleſiæ compelleret authoritas. &: Ingratum eſt ſpiritui ſancto quicquid offertur, eo prætermiſſo quod debebatur. Multa fecit Dominus Ieſus quæ non ſunt ſcripta. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

COGNATI. Rhapſodi.

Olim, & adhuc hodie, rhapſodi dicuntur feſtivarum & jucundarum narrationum recitatores: rhapſodiæ vero hujuſmodi recitationes, & ipſa carmina, poematumq; compoſitorum ſeries. Qui vero Homerica carmina & antiquorum vatum recitabant artifici pronunciatione, aut memoriter canebant, dicti ſunt etiam Homeriſtæ.

OBSEQVVNDANTIS.

ERASMI. Pax redimenda.

Divus Auguſtinus Homilia 10. narrat apud Pœnos hujuſmodi vetus proverbium fuiſſe celebre: Vt habeas quietum tempus, perde aliquid. Rato carent lite, qui nuſquam ſuſtinent de ſuo jure cõcedere. Magnum interdum eſt lucrum, jactura rei moleſtiam & inquietudinem excluſiſſe.

Circumpedes.

Qui proxime adſunt, cinguntque quempiam ad obſequium parati, circumpedes eſſe dicuntur. M. Tullius actione in Verrem 3. circumpedes autem homines formoſos & literatos ſuos eſſe dicebat, ſe emiſſe. Ita perpetua familiaritate junctos dixit circumpedes, quemadmodum A manibus, A pedibus appellamus, qui nobis domeſtice inſerviunt.

Principi obtemperandum in omnibus.

Non ſine proverbiali ſchemate dictum eſt in eadem tragœdia, quod ait Creon:

Ἀλλ' ὃν πόλις στήσειε, τοῦδε χρὴ κλύειν
Καὶ σμικρὰ καὶ δίκαια καὶ τ' ἀναντία.

Id eſt:

Sed principatum civitas cui tradidit
Hic audiendus, ſive levia præcipit,
Sive æqua mandat, ſive & his contraria.

Vox autem tyranni eſt, non principis. Neque enim princeps eſt, qui præſcribit injuſta.

Πεῖσις ὁμηρικὴ.

Plutarchus in libello de coercenda iracundia, Homericam obedientiam proverbialiter uſurpavit. Qui videtur alluſiſſe ad locum Homericum, qui eſt Odyſſ. υ.

Ὣς ἔφατ', ἐν στήθεσσι καθαπτόμενος φίλον ἦτορ.
Τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα νωλεμέως. ——

Et paulo poſt:

Στῆθος δὲ πλήξας κραδίην ἠνίπαπε μύθῳ
Τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Eo utemur cum affectus rationi obtemperant. (Totum id, ni fallor, videtur mutuatum ex Iohan. Hartungi Decuriæ locorum memorabil. cap. 6. aitque obedientiam Homericam, πεῖσις ὁμηρικὴ, proverbialiter dici, cum affectus rationi obtemperant.)

OBTRECTATIO ET MALEDICENTIA.

ERASMI. Αἰξωνεύειν.

Quemadmodum multa proverbia retulimus è gentium moribus deſumpta, ita αἰξωνεύειν olim dicebantur calumniandi morbo obnoxii, quod is populus hoc nomine taxatus ſit veterũ Comœdiarum ſalibus: quemadmodum indicat Stephanus, docens, Æxoniam eſſe Magneſiæ civitatem. Eſt autem & αἰξωνεύς ultima acuta, populus tribus Cecropidis, ab utraque voce deducitur αἰξωνεύειν. Citant teſtem Menandrum ἐν κανηφόρῳ. Plato in dialogo De fortitudine, οὐδὲν ἐγὼ πρὸς ταῦτα ἔχω εἰπεῖν, μή με φῇς ὡς ἀληθῶς αἰξωνέα εἶναι. id eſt: Nihil ad iſta reſpondeo, quum quod dicam habeam, ne me merito dicas Æxonenſem eſſe. Marſilius vertit maledicum & calumniatorem.

Quam Clinia ex Demetrio.

Plautus in Rudentibus: Plura ex me audies hodie mala quam audivit unquam Clinia ex Demetrio. Quidam eruditi hoc loco pro Clinia, legunt Lamia. Et verum eſt, Lamiam fuiſſe ſupra modum adamatam à Demetrio rege Macedonum: quo nomine ipſe quidem male audiebat vulgo, ſed eam à rege fuiſſe conviciis affectam, nuſquam legimus, præterea vocem Lamiam, carminis ratio non admittit. Vero propius eſt, ſumptum è comœdia Turpilii, cui titulus Demetrius, vel alia quapiam, ubi pater prolixius & acerbius objurgat filium. Talis enim inducitur Clinia in Sene ſeipſum excruciante, qui à patre nimium ſæpe nimiumque acerbe objurgatus, tandem profugit in militiam. Et haud ſcio an ad hanc fabulam alludat Plautus. Nam fieri poteſt, ut Terentius pro Demetrio ſenem appellaverit Menedemum. Nec obſtat, quod Terentius Plauto fuit poſterior: quum Græcus author fabulæ fuerit utroque prior.

Eurymnus.

Εὐρύμνος, id eſt, Eurymnus, dictus eſt olim proverbio, qui per calumniam conaretur fidos amicos inter ſeſe committere. Nam hic cum moliretur ſerere diſſidium inter Caſtorem & Pollucem, alterum apud alterum inſimulans, poſt deprehenſus, utrique graviſſimas pœnas dedit. Hoc autem fere ſolet accidere iis, qui malis artibus ſtudent dirimere eos, quos inſolubili vinculo natura copulavit, ut uxorem & maritum, parẽtem & filium, ac fratres. Fit enim ut hi redeant in gratiam & præteritæ ſimultatis pœnas utrique repetant ab authore. Id evenit Athenis Hyperbolo, qui Niciam, ac Alcibiadem conatus eſt committere.

IVNII. Aſpergere.

Πλύνειν, quaſi lavare aut aſpergere, dicunt Græci pro, maledictis conviciiſque inceſſere aliquem: ut Iul. Pollux oſtendit, pro λοιδορεῖν accipi annotans. apertiſſime vero Artemidorus libro ſecundo, De inſomniis, ubi exponit quid portendat ſi quis ſomniet ſe lavare veſtimenta, ſubjungit, πλύνειν γὰρ καὶ τὸ χαρακτηρίζειν τὸ ἐλέγχειν ἔλεγον οἱ παλαιοί. id eſt, Aſpergere veteres abuſive dixerunt maledictis proſcindere aliquem adducit & Menandrum:

Ἢ καταλαλεῖς μου τὴν γυναῖκ' ἔτι λέγων,
Τὸν πατέρα καὶ σὲ τούς τε σοὺς ἐγὼ πλυνῶ.

Id eſt,

Si pergis uxori meæ maledicere,
Lavabo ego non te modo, at patrem & tuos.

hoc eſt: Viciſſim te redarguam, quæque domi tuæ latent vitia, in propatulum proferam. Metaphora à veſtibus ſumpta, quæ lotæ extritæque deterſis ſordibus, produnt panni aut coloris vitium ſi quod inſit. Gregorius Theſſalonicenſis, καὶ ὕβρεσι πλύνοις τί μὴ οὐ ... id eſt: Conviciiſque aſpergeas quid non in me converſatur. Vſus eſt & Comicus in Pluto:

Πλυνόν με ποιεῖς.

Id eſt,

Elotum me reddis.

In tanta hominum corona me dicteriis aſpergis, & reticenda objicis.

O C C A S I O.

ERASMI. Tollenda mali occaſio.

Qui ſuadebit, ut mali ſubmoveatur occaſio, non abſurde citabit illud ex eodem libro:

——Αὐτὸς ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

Id eſt:

——Quippe viros ferrum illicit ipſum.

Ita divitiæ proliciunt ad luxum, conſuetudo puellarum ad amorem.

Hyberno pulvere, verno luto.

Feſtus Pompejus ex antiquo carmine citat, nec aſſcribit authoris nomen: unde intelligitur vulgo decantari ſolitum. In eo inducitur pater, de agricultura præcipiens filio, his verbis: Hyberno pulvere, verno luto, grandia farra Camille metas. Quibus verbis arbitror ſignificatum, far ſi ſeminetur ſerena hyeme, & ſuccedat ver humidum copioſius provenire.

Præſentibus rebus conſulendum.

Procopius belli Gotthici libro primo. Vetus nimirum me ſubit dictum, quod utique præſentibus rebus ut conſulatur injungit. Arbitror eſſe idem quod alias ex Platone retulimus, δεῖ τὸ παρὸν εὖ θέσθαι. Quod præteriit, in integrum revocari non poteſt: conſultationem de futuris variæ interrumpunt occaſiones: quod urget, in primis curandum eſt.

O D I V M.

ERASMI. Nec Deus, nec homo.

Οὔτε θεοῖς οὔτε βροτοῖς, Diis hominibuſque inviſis, pro nomine & omnibus Pind. Hor. Vide num huc referre commode liceat Ariſt. illud in Ethicis, ubi hominem in ſolitudine degentem ait eſſe vel Deum vel Dæmona.

O M I N A N D I.

ERASMI. Fauſtus exitus.

Cum ſignificabimus rem quam inſtituimus, bene ceſſuram, ceu deo quopiam aſpice, quadrabit illud ex Odyſſ. β.

Θάρσει μαῖ', ἐπεὶ οὔτι ἄνευ θεοῦ ἥδε γε βουλή.

Id eſt,

Id eſt:

Fide, hoc conſilium non eſt ſine numine nutrix.

Vana conjectura.

In eos, qui de eventu negocii ſolent augurari, competit illud ex eodem libro:

Ὄρνιθες δέ τε πολλοὶ ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο
φοιτῶσ', οὐδέ τε πάντες ἐναίσιμοι.

Id eſt

Aſt permulta ovium verſatur in æthere turba,
Quarum non quævis portendere idonea fatum.

COGNATI. Viderit Deus.

Dictum eſt optantis vel ſperantis, & bene ominantis, admodum Latinis & nobis vulgare. Bud. Philecon: Deus optim. max. humani generis amantiſſ. viderit & ſtatuerit. Cic. 4. Acad. Viderit Epicurus, μελέτω τῷ Ἐπικούρῳ: videat, & hujus cura ſit, vel hujus opinionis rationem reddat, non ego. Sic accipienda ſunt: Tu videris, Vos videritis illi viderint. Cicer. ad Brutum: De hoc tu videris. Teren. in Adelph. Ego iſthuc videro, id eſt, iſthuc mihi curæ erit. Vide adagium in vita voluit. Volente Deo: &. Diis ſecundis, & ſic viſum ſuperis.

OMNIA.

ERASMI. In orbem circumiens.

Lucian. in Hermotimo. Πάντας ἐν κύκλῳ περιελθών, id eſt, Omnes in circulo obiens, dixit: mirum ni proverbiali figura, quæ durat etiam in hodiernum apud vulgus illiteratum: pro eo quod eſt, uſque ad unum omnes, nemine præterito. Unde & Latinis dictum eſt Ambire, quod ſingulos prenſarent: & Obire provinciam, qui d qui ſuſcipit adminiſtrationem, nuſquam non adeſſe oporteat. Lepidius erit ſi accommodetur ad res animi; velut ſi dicas, In conſultando, πάντα ἐν κύκλῳ commoda atque incommoda circumſpicienda.

ORIGINIS.

COGNATI. Ambigui generis homo.

Plato in Axiocho: Terreſtris enim homo velut ambigui generis ipſe in mare ſeſe projecit, totuſque arbitrij factus eſt fortunæ.

OTIVM.

COGNATI. Digitum qua proferat.

Schemate proverbiali M. Tullius dixit pro A. Cæcinna: Digitum qua proferat, nō habet. hyperbolicôs indicans, illi nihil proſtiteſſe quod dicat, agatve. Locus ſic habet: Denique iſta nimia quæ dominatur in civitate potentia, in hoc ſolo genere quieſcit quid agat quomodo aggrediatur judicem, qua denique digitum proferat non habet. Sumptum eſt à geſtu rhetorum qui varius traditur à Quintiliano. ſimpliciſſimus eſt, proterere digitum: quod plebeiorum eſt & ruſticorum.

ERASMI. Ne in tonſtrinis quidem.

Lucianus in libello, cui titulus, Quomodo conſcribenda ſit hiſtoria: ὅτε τὰ λεγόμενα δὴ ταῦτα ἐπὶ κουρείων καὶ τοιαῦτα μυθολογοῦντα ἀκούσειε, id eſt, Quæ nec in tonſtrinis, quod dici ſolet, talia fabulantes audieris. quod in tonſorum officinis fere otioſi deſideant, & ſuam quiſque fabulam adferas in medium, unde Flaccus:

———Gaudent ubi vertice raſo
Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Item alibi:

———Opinor
Omnibus & lippis notum & tonſoribus eſſe.

Cujus alibi meminimus.

COGNATI. Pauſam facere.

Παῦσις, παῦστις, ἀνάπαυσις Græcis, nobis vero pauſa: à verbo παύεσθαι deducta dictione, quandoquidem finem & ceſſationem ſignificant. παύω quoque, ut παύω μύθους, finem imponere, & ceſſare facere, finire, ſiſtere, ſignificat. Pauſam autem facere, veteribus uſitatum fuit: quod Galli ſic hodie ſua lingua exprimunt Faire pauſe. Lucretius hac voce ſexcentis locis utitur. Lucil.

Hæc ubi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi.

Satyr. lib. 1. Ennius ex Varr. lib. 6. de ling. Lat.

Pauſam facit ore fremendi.

Plautus Rudente: Aliquando oſculando melius eſt uxor pauſam fieri. Dicunt etiam, Dare pauſam: pro, ceſſare. & ceſſandi facultatē dare. Hinc Pauſus Deus videtur fuiſſe, qui pauſam afferret, & quietem, quem belli adverſarium, repugnantiſque Bellonæ poteſtatis fuiſſe arbitramur.

PARASITI.

ERASMI. Qui mori nolit ante tempus.

Athenæus in ſermonibus convivalibus, de Sybaritis loquens, ſic di refert proverbium: ὁ βουλόμενος ἐν Συβάρει μὴ πρὸ μοίρας ἀποθανεῖν, οὔτε δυόμενον οὔτε ἀνίσχοντα τὸν ἥλιον ὁρᾶν δεῖ. hoc eſt: Qui non velit apud Sybaritas ante diem fatalem mori, cum haud oportet ſolem conſpicere, nec occidentem nec orientem. Hoc ideo vulgo jactatum ſcribit, quod Sybaritarum civitas in humili loco, ac velut in convalle ſita fuerit, ut æſtatis tempore mane pariter ac veſperi frigus immenſum ſentirent, meridie intolerandum ardorem. Cicero libro De finibus bonorum ij. docet idem dictum in quoſdam Aſotos, cui genti nomen inditum eſt à luxu vitæ. Nam ſub Solis occaſum erant ebrij, mane ſtertebant. Columella in proœmio rerum ruſticarum, uſurpat in gancones. qui noctes libidinibus & ebrietate, dies ſomno vel ludo conſumunt. Nos deinde, inquit, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam crudelitatem Laconicis excoquimus, & exuſti ſudore ſitim quærimus. noctesq; libidinib. & ebrietatibus. dies ludo vel ſomno conſumimus. Ac nos dicimus fortunatos, quod nec orientem ſolem videmus, nec occidentem.

COGNATI. Edere & bibere utile.

Lucian. in Paraſito: Ego vero quam edere & bibere, in vita mortalium nihil invenio utilius aut præſtantius, & citra quod vita non poteſt ſubſiſtere. Paraſitorum eſt & Epicureorum, ſummorum voluptatis aſſertorum. Quod à Germanis ita profertur: Meum vivere, nil aliud eſt, quam edere & bibere.

PAVPERTAS.

ERASMI. Salacones.

Quemadmodum Irus & Codrus ob inopiam in vulgi fabulam abierunt, ita & Salacon quidā extremæ paupertatis homo effecit, ut omnes fortuna tenui Salacones dicerentur: & ipſa paupertas, Salaconia. Meminit Heſychius: ſed idem indicat, eodem nomine fuiſſe notatos faſtuoſos & arrogantes; unde ductum ſit verbum σαλακωνίζειν, & σαλακωνεύειν, pro eo quod eſt, fracto delicatoque gradu incedere. Addunt teſtem Theophraſtum, qui σαλάκωνα dicere eum, qui ſua profundit temere. Ex his colligere licet, adagii convicium non hæſiſſe in quoſuis pauperes, ſed in eos dumtaxat, qui faſtu luxuque redacti ſunt ad inopiam. Vox autem dicta videtur à verbo σαλεύειν, quod eſt labefactari, & ad ruinam tendere.

Lingere ſalem.

Olim tenuis fortunæ hominibus ſal pulmentarij vice fuit, ut nunc quibuſdam eſt acetum. Quæ res in proverbium abiit. tametſi non ſatis liquet cujuſmodi id fuerit. Sed præſtiterit ipſius Plinij verba ſuper hac re ſubſcribere ex lib. 31. c. 7. Varro, inquit, veteres etiam pulmentarij vice uſos, author eſt. Eſitaſſe enim ſalem cum pane & caſeo, ut proverbio apparet. Perſius in ſatyr. 5.

———Jura; ſed Jupiter audiet. heu heu,
Varo, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.

hoc eſt, vitam ages pauperrimam.

Tenuem nectis.

Λεπτὸν ὑφαίνεις, id eſt, Tenuem nectis. De pauperibus dictum, quibus plerumque tenuibus in rebus labor. Dicitur & λεπτὰ ἐλπίς, id eſt, Spes tenuis, pro exigua. & λεπτὴ φροντίς: id eſt, Tenuis cura, pro ſubtili & curioſa, & λεπτῶς ἐξάγειν, id eſt, Tenuiter deducis. In ſordidos, quique vel minutiſſimarum rerum habent rationem. ducta metaphora à textoribus.

Ut ex bulga matris.

Nonius Marcellus refert hunc trochaicum tetrametrum catalecticum è Lucilio:

Ita uti quiſque noſtrum è bulga eſt matris in lucem editus.

Id ad nuditatem inopiamque referri poteſt. Poteſt & ad æquam omnibus vitæ conditionem. Nativitas enim non diſtinguit Crœſum ab Iro, non regem à plebeio. Eædem ſunt voces reginæ parturientis & mendicæ. Idem vagitus Cæſaris emergentis & tenuiſſimi cujuslibet. Neque mundius eſt cavum unde ſe profert monarchæ filius, quam unde prodit ancillæ proles. Feſtus indicat vocem eſſe Gallorum, qui folliculos, aut crumenas, aut ſacculos ſcorteos hoc eſt e pellibus factos, olim appellabant bulgas. Lucilius Satyrica libertate matricem ſive vulvam, bulgæ nomine deſignavit. Quod Græci dicunt, Nudus tanquam ex matre, alibi nobis commemoratum eſt.

PENSATIO BENEFICII.

ERASMI. Mutuum muli ſcabunt.

Mutuum muli ſcabunt. Ubi improbi atque illaudati ſe viciſſim mirantur ac prædicant. Tranſlatum à mulis, qui ſicuti reliqua jumenta, ſeſe invicem dentibus ſcabere ſolent. Citatur hic titulus. Mutuum muli ſcabunt, à Nonio Marcello inter reliquos Menippearum titulos M. Varronis, mirum ni proverbialis: Auſonius in altera præfatione monoſyllaborum: Sed ut quod per adagionem cœpimus, proverbio finiamus, Mutuo muli ſcabunt. Meminit hujus & Varro libro de lingua Latina tertio, Quanquam in-

is locus eſt fœdiſſime depravatus, non temporum modo culpa, verum etiam impreſſorum iſtorum vulgarium: quib. hoc unice propoſitum videtur, ut omnes bonos libros radicitus extinguant. Sic autem legitur: Amica Philopotorus, ejus qui ſenex puerum dicit pulſum, puellam pulſam. Sic fiet mutuam mulinam. Arbitror legendum, mutuam muli: ut ſubaudiatur, ſcabunt. Symmachus in epiſtola quadam: Mutuum, inquit, ſcabere mulos: cui proverbio ne videar eſſe conſimis, præconium virtutum tuarum, preſſo dente reſtringo. Non videtur autem adagium recte accipi poſſe, niſi malam in partem: veluti ſi indoctum indoctus, deformem deformis, improbum improbus, viciſſim laudaret. Cujuſmodi fabulam memorat Horatius de duobus fratribus, qui ſe mutuum ſcabebant, ac mutuo officio alterum alter viciſſim efferebant laudibus.

> Frater, inquit, erat Romæ, conſulti rhetor, ut alter
> Alterius ſermone meros audiret honores,
> Gracchus ut hic illi foret, hic ut Mutius illi.

Idem poetas indoctos notans, qui tamen invicem ſe recitantes audiebant, ac laudabant:

> Diſcedo Alcæus puncto illius, ille meo, quis?
> Quis, niſi Callimachus? ———

Merces conſtituatur.

Plutarchus in vita Theſei tradit, fuiſſe quendam Pitheum avum Theſei maternum, à quo Hippolytus ille pudicus fuerit inſtitutus. Is gnomologiis, quæ tum temporis præcipua habebatur ſapientia, clarus erat. Ex ejus ſententiis hanc unam fuiſſe ferunt:

> Μισθὸς δ' ἀνδρὶ φίλῳ εἰρημένος ἄρκιος ἔστω.
> Id eſt:
> Æqua viro merces fac præſtituatur amico.

Ariſtoteles nono Moralium Nicomachiorum, narrat Protagoram cum nemine diſcipulorum ſolere paciſci, verum ubi jam didiciſſent quæ volebant, juſſiſſe ipſos diſpicere, quanti æſtimarent ea quæ didicerant: & quicquid ab illis dabatur, accipiebat. Hoc animo qui ſunt, iis in hoc genere commerciorum putat eſſe ſatis Pithei præceptum, qui jubet amico viro ſtatui mercedem juſtam & æquam. Bene haberet, ſi medici quoque nihil paciſcerentur, ſed ægro levato acciperent quod daretur. Nam quod Ariſtoteles inibi refert de quibuſdam ſophiſtis, qui neminem recipiebant in diſciplinam, niſi numerata mercede, mox acceptis nummis non præſtabant quod erant polliciti: videmus interdum fieri à chirurgis ac medicis malæ fidei: ac fere comperiuntur eſſe impoſtores, qui ſtipulantur ingens præmium: nec admovent manum, niſi aut tota ſumma, aut maxima pars ſtatim numeretur.

POLYDOR. VIRGIL. Ferrum ferro acuitur.

De iis qui mutuo ſibi conſulunt, mutuoque conſilio evadunt ſapientiores, ut ferramenta mutuo attritu.

PERFICIENDI.

ERASMI. Ante myſteria diſcedere.

Ἀπιέναι πρὸ τῶν μυστηρίων, id eſt, Ante myſteria diſcedere: eſt re nondum abſoluta ſubducere ſeſe. Sumpta metaphora à ſacris, in quibus prophani jubebantur abire, cum jam eſſent peragenda myſteria: initiati manebant, nec fas erat niſi peractis ritib. abire. Plato in Menone, εἰ μὴ ὥσπερ χθὲς ἔλεγες, ἀναγκαῖόν σοι ἀπιέναι πρὸ τῶν μυστηρίων, ἀλλ' εἰ περιμείναις τε καὶ μυηθείης. id eſt: Niſi quemadmodum heri dicebas, tibi fuerat ante myſteria diſcedendum: verum ſi & permaneas, & myſteriorum particeps fias. & cætera quæ ſequuntur.

COGNATI. Fabula prorſus evanuit.

In Civili: Fabula jam finem habeat. Ibidem: Ingentem fabulæ molem exaggeravimus cujus finem haud penitus impoſuimus. Fabulæ nomine hic Plato abutitur, & in dial. 10. De rep.

PERFIDIÆ.

ERASMI. Qui nocere poteſt, & idem prodeſſe.

In medicos imperitos, qui non raro venenum pro remedio miniſtrant, quadrabit illud ex eodem libro, quod uſurpavit in Pſeudomante Lucianus, eſtque pluribus apud Homerum locis:

> Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
> Id eſt:
> Pharmaca miſta, ſalubria multa, at noxia multa.

Idem quadrabit in hominem & bonis & malis inſtructum artibus, qui vel juvare poſſit, ſi velit, vel lædere.

Halopanta.

Halopantam veteres appellabant omnia mentientem. Plautus in Curculione: Ædepol nugatorem lepide nactus eſt hunc Phædromus: Halopantam an ſycophantam magis hunc dicam, neſcio. Verba ſunt militis, conquerentis de Curculione, qui annulo militis impoſuerat lenoni. Nonius Marcellus citans hunc Plauti locum, hæc refert: Halopantam aut ſycophantam hominum genus nequam, quod ob lucrum mendacia, miſerrima mercede conducitur. Feſtus hunc in modum: Halapanta ſignificat omnia mentientem, πάντα enim Græci, omnia: ἀλινδεῖν fallentem appellant. Quantum autem tribuendum ſit ejuſmodi fragmentis, non minus depravatis quam decurtatis, neſcio. Aldina æditio habuit aliam etymologiam, ſed magis etiam mendoſam. Nam ſi halopanta venit ab ἀλῶ ſive ἀλωπεκίζω, neutra dictio habet primam aſpiratam: & utraque corripit primam quum apud Plautum ſit producta, ut exigit trochaici carminis ratio. Rurſus ſi venit ab ἅλς, convenit quidem aſpiratio, ſed hæc quoque vox habet primam brevem. Adde, quod eſt nova compoſitionis forma, à nomine, non à verbo, mollius erat πανταλήτης. Quoniam autem eſt in his vocibus duabus ſchema παρονομασίας, propius alludit ad ſycophantem halophantam, quam halopanta. ἁλοφάντης autem dici videtur, qui defert eos qui telonas conantur fraudare vectigalibus: quemadmodum ſycophantæ dicti ſunt, qui deferebant exportantes ficos Athenis. Si legimus ἀλλοφάντην quaſi aliena loquentem, varieque mentientem, convenit quidem metiratio, ſed abjicienda eſt aſpiratio primæ vocalis. Metrum tamen conſtabit, ſi Græce pronuncies halophantem, aut ſycophantem. Tum enim in primo loco erit anapæſtus pro ſpondæo. Plautus autem non raro græcaſſat in comœdia. Verum hoc doctis relinquo diſcutiendum.

IVNII. Neoclide furacior.

Νεοκλείδου κλεπτίστερος, id eſt, Neoclide furacior: in furacem inſigniter & ſtrenuum ærulcatorem dicitur. Neoclides Rhetor in comœdia traducitur furtis nobilis, quamvis oculis captus. Quare ludit in eum ita Ariſtophanes, quod dicat eum furando longe ſuperare videntes, ſic enim inquit, κλέπτων δὲ τοὺς βλέποντας ὑπερηκόντισεν.

EX APPEND. ERASMI.

Diverſarum partium.

> Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη
> Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.
> Id eſt,
> Porro tytidem minime cognoſcere poſſis,
> Trojanoſne inter verſetur, an inter Achivos:
> Homerus.

De Metio quodam, cum utraque parte colludente, advocato ſcilicet, duce, aut alioqui amico bilingui. Supra proverb. Veſpertio.

PERSPICVITAS.

ERASMI. Vbi cognitum eſt, quod erat occultum.

Vbi res quæ magno ſtudio celebratur, fuerit aliquo pacto deprehenſa, quadrabit illud ex eodem libro,

> Ἤ τίς οἱ τόδ' ἔειπε θεῶν, ἢ εἴσιδεν αὐτός.
> Id eſt,
> Sive illis Deus hoc aliquis deprodidit index,
> Sive ipſi videre. ———

PERTINACIA.

IVNII. Ne ſuadela quidem perſuaſerit.

De homine duro, & quem frangas citius, quam conceptam opinionem deponat, dicere licebit illud comici Stratonis:

> Τὸν δ' οὐκ ἂν οὐδ' ἡ Πειθὼ πείσειεν.
> Id eſt:
> Nec illi forte Suadela ipſa perſuaſerit.

Affine eſt illi Ariſtophanico quod Paupertas loquitur.

> Οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ' ἢν πείσῃς.
> Non ſuadebis, etiam ſi ſuaſeris.

Pertinet huc & illa hyperbole apud Grego. Nazianzenum in Monodia Baſilio dicta, πειθοῦς ἰσχυρότερος, id eſt, Suadela fortior: quum velit indicare, viribus eloquentiæ tantum potuiſſe apud auditorũ animos, ut ſuadendo in quamcunq; partem eos ageret. Pitho Græcis perſuadendi dea eſt, de qua trimeter ille:

> Οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο, πλὴν λόγος.
> Id eſt,
> Suadæ delubrum haud aliud eſt, quam oratio
> Sappho poetria Pitho Veneris filiam facit.

PHILAVTIA.

ERASMI. Pſaphonis aves.

Ψάφωνος ὄρνιθες, id eſt, Pſaphonis aves. Vbi quis nova, quapiam arte famam captat, ut cum aliquis ſubornat, à quibus laudetur, eiſque veluti dictat encomia, quib. apud vulgus celebrari velit. Narrant in Libya fuiſſe quendam nomine Pſaphonem, qui divinitatis opinionem affectans, quam plurimas aves cepit vocales, & humani ſermonis dociles, eas ſonare docuit hæc verba, μέγας θεὸς Ψάφων, id eſt, Magnus Deus Pſaphon: atque ita doctas emiſit in montes. At illæ quæ didicerant, canebant: ac reliquas item aves ſonare docebant. Porro Libes cum ignorarent commentum, credentes id divinitus accedere, Pſaphoni rem divinã facere inſtituerunt,

ipſum que in deorum numerum retulerunt. Proverbium in collectaneis Apoſtoli reperi.

φίλαυτοι.

Qui ſibi vehementer placent, quique ſuis ipſorum commodis impense ſtudent, aliorum rebus vel neglectis, vel etiam afflictis, à Græcis eleganter *φίλαυτοι* vocantur. Vitium ipſum *φιλαυτία* dicitur. Quod appoſite circumloquens Horatius:

Cæcus, inquit, amor ſui.———

Id vitii Plato malorum omnium fontem autumat. Ariſtoteles ix. moralium lib. ſatis indicat, hanc *φιλαύτου* probrosam appellationem, ceu proverbialem vulgo jactatam fuiſſe, cum ait, homines ſui ſupra modum amantes à multitudine male audire, quippe qui fœdo infamique cognomine vocentur *φίλαυτοι*. Contra qui ſibi diſplicent, putiduli vocantur. Martialis.

Altera rancidula eſt, altera putidula eſt.

Eſt autem id vitium fere inſitum, ut ſua cuique magis probentur quam aliena: quod tamen eximie videtur fuiſſe in Atticis. Nuſquam autem hæc peſtis immedicabilior quam in dogmatibus, quorum perſuaſione ſemel imbuti ſumus: id quod eleganter notat Galenus lib. *τῶν φυσικῶν δυνάμεων* primo, *οὕτως ἄρα δυσεκνιπτότατόν τι κακόν ἐστιν ἡ περὶ τὰς αἱρέσεις φιλοτιμία καὶ δυσιατότατον ἐν τοῖς μάλιστα καὶ ψώρας ἁπάσης δυσιατότερον*, id eſt? Adeo de ſectis contentio malum eſt, quod ægre excutitur, & cum primis indelebile, denique quavis ſcabie inſanabilius.

Qui per ſe ſufficit.

Qui negabit ſibi opus eſſe opera aliena, ſe ſatis idoneum ad rem peragendam, conveniet illud ex Odyſſ. ν.

Εἰσί μοι ὀφθαλμοί τε καὶ οὔατα καὶ πόδες ἄμφω,
Καὶ νόος ἐν στήθεσσι τετυγμένος οὐδὲν ἀεικής.

Id eſt,

Sunt oculi mihi, ſunt aures, geminique pedes ſunt,
Inſita pectoribus mens eſt, neque ſtulta nec excors.

Muſopatagos.

Μουσοπάταγος dicitur qui percitus eſt, & attonitus furore muſarum. Ita Maro in Georgicis:

———Quarum perculſus amore
Sacra fero.———

Transfertur ad eos, qui ſua poemata ſic amant, quemadmodum parentes liberos. M. Tullius ad Qu. fratr. lib. 2. Non mehercle quiſquam *μουσοπάταγος* libentius ſua recentia poemata legit, quam ego te audio. Horatius:

———Verſus amat, hoc ſtudet unum.

POTENTES.

ERASMI. *Deo nemo poteſt nocere.*

Sententia pia eſt, ſed à Creonte impio animo dicta.

Θεοὺς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει.

Id eſt,

Violare (ſive polluere) divos nemo quit mortalium.

Veteribus perſuaſum erat, offendi divos inferos, ſi mortuo negaretur ſepultura: offendi Jovem ſupplicium, ſi quis ſupplicem rejiceret. At Creon putabat nihil hujuſmodi rerũ curæ eſſe diis, quod illi non queant à quoquam lædi. Hoc carmen occini poteſt iis qui indignum Deo putant, in matrice virginis latitaſſe, & per uterum virginis exiſſe, unde prodeunt homines cæteri: aut qui putant corpus Domini pollui, quod in ſtomachum hominis immundum deſcendat.

Θεὸς μιαίνειν οὔτις ἀνθρώπων σθένει.

Neque ſol polluitur, tot cloacas ac paludes luſtrans:

Civitas non civitas.

Hæmon Creontem tendentem ad tyrannidem, ita tangit:

Πόλις γὰρ οὐκ ἔσθ' ἥτις ἀνδρός ἐσθ' ἑνός.

Id eſt:

Quæ unius hominis, illa non eſt civitas.

Dixerat Creon, ipſius eſſe, non alterius, imperare regioni. Hæmon negat eam eſſe civitatem ubi ſumma rerum penes unum hominem eſt. Polis enim Græcis vel à verſando, vel à multitudine dicta videtur. Latini Rempublicam appellant. At Reſpub. non eſt, ubi unius arbitratu aguntur feruntque omnia, itaque quum Creon reſpondiſſet, civitatem cenſeri illius, qui illi imperat, ſubjicit Hæmon:

Καλῶς ἐρήμης γ' ἂν σὺ γῆς ἄρχοις μόνος.

Id eſt,

Recte: unus ut deſerto in agro regem agas.

Regium eſt, imperare liberis, neque quicquam abſq; civium conſenſu tentare.

COGNATI. *Magnus.*

Merito magni appellatione hodie cenſentur à rerum geſtarum magnitudine: ut olim Hector recte magnus dictus eſt qui Trojanorum fuit fortiſſimus. Virgil. Æneid. ſexto.

Hectoris hic magni fuerat comes.———

Rerum ab Hectore geſtarum egregius præco Homerus eſt in Iliade. Poſteris temporib. Alexander & Carolus Magnus hoc ipſum cognomen ſua virtute invenere. (Plutarch. in Pompeji vita ſcribit à Sylla Magnum Pompejum alta voce ſalutatum poſtquam Domitium una cum exercitu in Africa conciſſet. Alii in Africa primum ferunt ita ei fuiſſe ab univerſo exercitu acclamatum. Adhæc populus Romanus duos Maximos dixit, Valerium nempe, qui diſſidentem ab ſe Senatum in concordiam reduxit: & Fabium Rutilianum, qui locupletes aliquos libertinæ ſtirpis in Senatum allectos eo ordine movit.)

Ioves, Iunones, Veneres.

Omnes regum primogenitos, Joves appellamus: ut omnes reginas, regum primogenitas, Iunones: urbium conditores, Saturnos: ut Xenophon in Æquivocis teſtatur. Seneca in Ludo de morte Claudii Cæſaris: Oropemque ſororem ſuam feſtiviſſimam omnium puellarum: quam quoniam omnes Venerem vocarent, maluit Iunonem vocare. Significat enim per Venerem, non admodum caſtam fœminam Iuniam Calvinam: quam & Tacitus decoram, ſed procacem appellat, à fratre Syllano uxoris pene loco habitam, id quod per Iunonem, Iovi nexu conjugali copulatam, eleganter innuit. Virgil. in Palæmone, Galateam, Venerem vocat. Theocrit. Hodœpor. *ἥγημαι*, &c. Plautus in Caſina, ſub perſona Olympii ſervi: Quaſi tu neſcias repente, ut emoriantur humani Ioves.

Potentum amicitiæ ſunt periculoſæ.

Multorum ſermone celebratum eſt hoc dictum, quod primum videtur monere, periculoſas eſſe potentium amicitias, quod & ille verſus ſignificavit:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:

Et Accius in Atreo, citante Nonio:

Ne cum tyranno quiſpiam epulandi gratia
Accumbat menſam, aut eandem veſcatur dapem.

Item Salomon Proverbiorum cap. xxiii: Cum accumbis, ut comedas cum principe, obſerva quæ præponantur, & intenta cultrum gutturi tuo, ut vitam tueare. Ne capias cibum ejus: eſt enim fallax cibus. Docet enim quotidiana experientia, tales amicitias non eſſe durabiles: ut apud Alexandrum, non duravit Cliti gratia, Parmenonis & Colophonis.

PRÆPOSTERA.

IUNII. *Antepilos.*

———Et rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Perſ. De ſapientia præcoci, præſertim boni ominis, ſive ea naturæ debeatur, ſive cauſæ alii extraneæ. Ea qui valent natura *ἀνδρόπαιδας*, ſeu pueros viriles vocat Sophocles. Aliunde vero, ſi non ſapientiam, certe canos accedere, teſtatur illud Theocr.

———*Οἱ δὲ προώροι ἐν ἄρμασι γηράσκουσι.*

PRÆTER SPEM BONUM.

ERASMI. *Sine ſacris hæreditas.*

Ubi quæ commoditas de improviſo præter ſumptum objecta eſſet, veteres ſine ſacris hæreditatem vocabãt, & omnino quicquid citra noſtram operam aliunde obtigiſſet lucri, quaſi proverbialiter hæreditatem appellabant: propterea quod ea quæ ſic obveniunt, gratis, quaſique dormientibus, à fortuna donari videntur. Ergaſilus paraſitus apud Plautum in captivi duo: Sine ſacris hæreditatem ſum adeptus effertiſſimam. Et alibi: Annona eſt, ſine ſacris hæreditas. Nam hæredes alioqui vel pro ſalute laborantis, vel in parentalibus defuncti, ſacra quædam ſuo ſumptu factitare mos erat. Idem Plautus alibi. Mihi tales hæreditates non ſæpe obveniunt. Cicero in Verrem actione quinta: Hic Verres hæreditatem ſibi veniſſe arbitratus eſt, quod in ejus regnum ac manus venerat iſte. Andreas Alciatus Prætermiſſorum lib. 1. mavult adagionis originem ad priſci juris conſuetudinem referri. Lex enim XII. tabularum ſic habebat: Sacra privata perpetua manento. Ea verba interpretatur Cicero lib. De legibus 2. ut omnis ad quem patrisfamilias pecunia pervenerit, is teneretur ſacra celebrare. Refertque Scævolæ pontificis interpretationem, qua traditum eſt, quinque modis aſtringi ſacris hæreditatem. Proinde ad quos ex jure propinquitatis redibat hæreditas, tenebantur communium ſacrorum ſocietate. Suavius autem eſſe ſolet, quod inopinato contingit boni, quemadmodum ſine ſacris hæreditas. Hæc aliaque doctiſſime ſane diſſerit Alciatus noſter, cujus equidem ſententiæ ludens addo meum ſuffragium, quamquam à mea minimum diſſentientis. Porro in Plautino dicto alluſum arbitror ad Græcorum illud adagium: *ἄθυτα ἱερὰ καπνίζειν*. id eſt: Non ſacrificata ſacra devorare. Item ad Heſiodum illud:

Ἀπὸ χυτροπόδων ἀνεπιρρέκτων ἀνελόντα
Ἔσθειν.———

Id eſt:

Ante ſacrum factum, cibum ab ollis tollere raptum,
Atque edere.———

PROFUSUS.

ERASMI. *Virgo primum.*

Παρθένος τὰ πρῶτα, id eſt, Virgo primum. De iis dici ſolitum

qui

qui rem paternam profunderent. Haud ſcio an inde ductum, quod virgines adhuc rudes & meretricii quæſtus ignaræ, facile ſui copiam faciunt. Poſtea quo plus auferant præmii difficiles ſeſe præbent. Itidem adoleſcentes nuper nacti facultates, priusquam intelligant quid ſit pecunia, largius effundunt. Et prima vitæ pars, quæ quidem eſt optima, ſtultiſſime nobis conteritur.

COGNATI. Plus æquo, impendio.

Plus æquo vel juſto, id eſt, plus, quam oporteat. Sic Ovidius.

Cur mihi plus æquo flavi placuere capilli?

Idem, Impendio: id eſt ſupra modum, plus ſatis: ſolique comparativo jungitur ἀντικρύς. Gell. lib. 1. cap. 2. Impendio loquacior. Sic ad Attic. At ille impendio magis odit ſenatum, id eſt, magis atque magis: ut inquit Donatus in Eunu. b. Budæus libr. 3. De contempt. rerum fortuit. Quo impendio magis admirari ſubit cuique hæc reputanti, &c. Seneca lib. De clementia 2. cap. 7. Nihil ... his facit, tanquam juſto minus fecerit, &c.

PROPRII COMMODI ſtudium.

ERASMI. Hermonium officium.

Ἑρμώνειος χάρις, id eſt, Hermonium beneficium. Quoties aliquis ſtudet officii cauſa videri facere, quod alioqui coactus facit non quo commendet cuipiam, ſed quod non liceat ſecus agere. Hanc parœmiam ad hujuſmodi referunt fabulam. Gens quædam Pelaſgica, quæ Lemnum incolebat, navib. tranſmiſit in Bæbronem, vel (ut Herodotus) Brauronem Atticæ regionem, atque ex ea mulieres raptas abduxerunt. Poſt ubi peſtilentia laborarent, oraculo juſſi ſunt Athenienſibus ſatisfacere: atque ita futurum, ut peſtilentia liberarentur. Athenienſes rogati quo pacto placari vellent, denunciarent ut Lemno decederent. Hanc conditionem cum audiſſent Pelaſgi, per jocum reſponderunt id facturos ſeſe, ſi quis Borea vento unius diei navigatione domo profectus Lemnum tranſmitteret. Evenit deinde, ut cum Darius in Thracia agens, omnia undiq; ſubigeret, Miltiades dux Athenienſium è Cherſoneſo ſolvens, Lemnum aggrederetur, Pelaſgis denuncians ſe Borea, uniuſque diei curſu adeſſe domo profectum. Nam Cherſoneſum tenebat, atque illic habitabat. Itaq; Hermon Pelaſgorum princeps Lemno ceſſit. Idque cum Darii metu compulſus faceret, adſimulabat tamen ſe volentem cedere, quo gradum faceret Athenienſib. Hujuſmodi ferme comperi in Græcorum collectaneis. Æmilius Probus in Miltiade aliquanto diverſius rem narrat. Quum Athenienſes decreviſſent coloniam mittere in Cherſoneſum, quæ tum à Thracibus tenebatur, conſultus Apollo quem ſibi ducem ſumerent ad expellendos Thraces, juſſit ut Miltiadem aſciſcerent. Is Lemnum aggreſſus, poſtulavit, ut ſe ſponte dederent Athenienſibus Lemnii per jocum reſponderunt, ſe id tum facturos, cum ille domo navibus proficiſcens vento Aquilone veniſſet Lemnum. Nã hic ventus adverſus eſt Athenis proficiſcentibus Lemnum Miltiades ne illic tempus tereret. Cherſoneſum profectus eſt. Ea capta, rebuſque illic ex animi ſententia ordinatis, rediit Lemnum, & ex pacto poſtulavit inſulam. Nam è vento Borea domo profectum veniſſe, quod in Cherſoneſo domum habeat: decreverat enim illic manere. Itaq; qui Lemnum tenebant, ceſſere metu. Simplicius quidem Pamphilus ille Terentianus, negans liberi hominis officium eſſe, cum nihil mereatur, poſtulare id ſibi gratiæ apponi. Atqui in principum aulis, atque adeo paſſim in omni mortalium cœtu, Hermonum iſtiuſmodi plene ſunt omnia: qui cum maxime beneficium dare videntur, tum maxime commodis ſerviunt ſuis. Proverbii meminit & Suidas & Heſychius.

EX APPEND. ERASMI.

A veru rapere.

Eos, qui præpropera aviditate commodum auferre, aut voluptatibus frui ſtudent prius, quam oporteat, veluti ſi populum novus rex ſtatim exactionib. ſpoliet, aut ſi quis ſponſam puellam ante tempus amplectatur, eos eleganter ἀφ᾽ ὀβελίσκου ἁρπάζειν, rapere à veru, ἀπὸ τηγάνου, è ſartagine tollere: cibum deniq; nondum ſacrificatum abripere dicemus. Athenienſ. Nobis iidem ſimili metaphora dicuntur ſata ſua etiamnum viridia paſci, Manger ſon bleden herbe.

PROXIMIS VTENDVM.

ERASMI. Catone hoc contenti ſimus.

Inter ea quæ Cæſar Auguſtus quotidiano ſermone ſolet uſurpare, Suetonius & illud commemorat, quod quoties ſignificabat præſentem rerum ſtatum eſſe boni conſulendum, dicebat: Contenti ſimus hoc Catone. Cato Uticenſis conatus eſt tueri præſentem Reip. ſtatum, excluſa tyrannide: at non ſucceſſit: vicit ea pars quæ tyrannidem videbatur affectare. Auguſtus autem in hoc cum Catone ſentiebat, quod præſentem Reip. ſtatum nollet immutari. Itaque ipſe quodammodo ſui temporis Cato fuit. Retulimus ex Macrobio inter apophthegmata, Cæſarem Auguſtum aliquando veniſſe in ædes, in quibus habitaverat Cato. Hic quum Strabo in gratiam Auguſti incuſaret Catonis pervicaciam, quod ſibi necem conſciſcere, quam Julio victori ſe ſubjicere maluiſſet: Auguſtus reſpondit, Quiſquis præſentem civitatis ſtatum mutari non vult, is & civis & vir bonus eſt. Eodem dicto & Catonis memoriam tutatus eſt & ſibi conſuluit, ne quis in poſterum affectaret res novas.

PRVDENTIA.

ERASMI. Mendacium utile.

Dives ille apud Satyricum Juvenalem dicit:

—Quis enim ſalvis infamia nummis?

& Dorionem Terentianum non pudet vanitatis, dum ob rem. Sed honeſto propius eſt quod ait Oreſtes in Electra Sophoclis:

Δοκῶ μὲν οὐδὲν ῥῆμα σὺν κέρδει κακόν.

Id eſt:

Nullum reor verbum quod eſt lucro, malum.

Convenerat autem ut fingerent ipſum eſſe mortuum. Sentit igitur, famam mortis vivo nihil nocituram, ſe: ad id quod conſtituerant fore accommodam, venerant enim ulturi Agamemnonis mortem idque perfecerunt.

Caventis clancularias inſidias.

Μή τοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

Id eſt:

Ne quis te à tergo fugientem cuſpide figat.

Cum ſignificamus circumſpectius agendum, ne quis noceat imprudenti, Diogenes uſurpavit mutata vocula in adoleſcentem formoſum, qui incuſtodite dormiebat:

Μή τίς σοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

Omnia ſapientibus facilia.

Ἀπόνως τοῖς σοφοῖσιν ἅπαντα.

Id eſt,

Facilia cuncta ſunt viris ſapientibus.

Nihil eſt tam arduum, quod Prudenti conſilio non facile conficiatur, aut: Nihil tam acerbum, quod ſapiens non æquo animo facileque ferat, ratione cuncta leniente. Si addas verbum, conſtat ſenarius, ἴσα δ᾽ ἅπαντα. Refertur à Zenodoto.

Aliter cum aliis agendum.

Qui ſignificabit cum aliis blandius agendum, cum aliis aſperius, ut cujuſque fuerit ingenium, aut fortuna, dignitaſque, allegabit illud ex eodem libro:

Ἄλλον μειλιχίοις, ἄλλον στερεοῖς ἐπέεσσι,
Νείκεον,———

Id eſt,

Verbis hunc placidis, contra aſperioribus illum
Increpuere.———

Imperator bonus, & idem robuſtus miles.

Refert Plutarchus in commentario de fortuna Alexandri (ſi modo is liber illius eſt) quum in convivio propoſitum eſſet quinam inter verſus Homericos maxime probandus videretur aliis alios præferentibus, Alexander huic carmini palmam tribuit quod extat Iliados γ.

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς, κρατερός τ᾽ αἰχμητής.

Id eſt:

Dux bonus, ac miles præpollens viribus idem.

Nam hoc & Agamemnonis laudem expreſſit, & Alexandri virtutem eſt vaticinatus. Quanquam mea quidem ſententia, non magnum habet momentum in principe corporis robur, plurimum autem conſilium & prudentia. Proinde graviter Timotheus, quum rhetores Charetem quendam efferrent laudibus, juvenem corporis viribus inſignem, cenſerentque ejuſmodi belli ducem Athenienſibus eſſe quærendum: Haudquaquam, inquit. Nam iſtiuſmodi quidem optarim qui culcitras & ſtragulas ſit exercitui deportaturus: at ducem velim qui à fronte pariter atque à tergo ſit oculatus, & quem a perpendendo quid utile factu ſit, nulla impediat animi perturbatio.

Sapientia gubernatur navis.

Dictum eſt à ſapientiſſimis viris, etiam in bellis plus habere momenti conſilia, quam vires. Idem eleganter expreſſit Titinnius, citante Nonio:

Sed in ſapientia gubernator navim torquet, non valentia.

Mens cœli, terræque regina.

Socrates apud Platonem in Philebo. πάντες γὰρ συμφωνοῦσιν οἱ σοφοὶ, ἑαυτοὺς ὄντως σεμνύνοντες, ὡς νοῦς ἐστι βασιλεὺς ἡμῖν οὐρανοῦ καὶ γῆς. Id eſt, Omnes enim ſapientes conſentiunt hoc pacto ſeipſos honeſtantes, quod mens nobis regina cœli & terræ. Sentit, ſapientia gubernari omnia potius quam voluptate. Quum enim Philebus probaſſet felicitatem ex ſapientia & voluptate mixtam, quæri cœptum eſt, utra duarum plus haberet momenti ad beatitudinem. Quoniam autem Plato dicit in hoc omnes conſentire, ſubindicat fuiſſe vulgo jactatum. Convenit huic quod habet Hæmon Sophocleus,

[illegible]

Πολ

Πάντων δ' ἐστὶ χρημάτων ὑπέρτατον.

Id eſt:

Pater, dei mentem inſerunt mortalibus,
Quæ res opes exuperat omnes maxime.

Prima felicitatis mater ſapere.

Sophocles in Antigona.

Πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει.

Id eſt:

Vt ſis felix longe primum
Sapere eſt.

De Creonte dictum eſt, qui dum mavult animo ſuo quam rectis conſiliis obtemperare, & ſuos & ſe funditus perdidit. Magna fortuna facile vertitur in magnam calamitatem, ſi abſit ſapientia. Idem paulo ante contrariis expreſſit verbis, de Hæmone loquens, qui ſibi mortem conſciverat.

Δείξας ἐν ἀνθρώποισι τὴν ἀβουλίαν
Ὅσῳ μέγιστον ἀνδρὶ πρόσκειται κακόν.

Id eſt:

Monſtrans quod inconſulta temeritas viro
Adjuncta, ſit longe malorum maximum.

PVDORIS.

ERASMI. *Stragula ſemper convoluta habeto.*

Τὰ στρώματα ἀεὶ συνδεδεμένα ἔχειν, id eſt, Stragula ſemper convoluta habeto. Id is quoque temporibus inelegans & inurbanum habetur, ſi quis ſtragula lecti non componat. Quid autem ſibi velit hoc ſymbolum, aliis divinandum relinquo. Tametſi ſuſpicor commendatum verecundiam, etiam his in rebus, quib. cogimur naturæ neceſſitati ſatisfacere.

Surgens è lectio, veſtigium corporis confundito.

Ἀναστὰς ἐξ εὐνῆς συνταράττειν τὰ στρώματα, id eſt, Cum ſurrexeris, ſtragulas confundito; Videtur idem cum ſuperiore, de ſtragulis complicandis.

RAPACITAS.

ERASMI. *Quæ uncis ſunt unguibus, ne nutrias.*

Γαμψώνυχα μὴ τρέφειν, id eſt, Quæ ſunt unguibus uncis, ne nutrias. Rapacitatem fugito, interprete Tryphone. Equidem arbitror convenire cum illo Aſchyli dicto, quod ſuo reddemus loco, Catulum leonis non eſſe alendum in repub. hoc eſt, Non admittendos δημοβόρους, ut ait Homerus βασιλῆας, reges populi devoratores: aut factioſos, & præpotentes, qui opes civium ad paucos contrahunt, id quod nunc ſolenne eſt.

Prior occupat.

Vbi quis lucrum celeritate præripuit cuipiam, conveniet illud ex Iliad. χ.

Μή τις κῦδος ἄροιτο βαλών, ὁ δὲ δεύτερος ἔλθοι.
Ne quis præciperet jaculans, laudemque, decuſque,
Atque ita ſerior ipſe veniret, jamque ſecundus.

Id eſt:

Dictum de Achille, qui reliquis Achivis innuit, ne quis jaculum mitteret in Hectorem, quo ſibi gloriam totam ſervaret.

Ἡμερόκοιτος.

Vulgari joco fures dicti videntur, ἡμερόκοιτοι, quod interdiu dormiant, noctu vigilent. Sic enim Heſiodus in operibus ac diebus,

Μήποτέ σ' ἡμερόκοιτος ἀνὴρ ἀπὸ χρήμαθ' ἕληται.

Id eſt:

Ne ſolitus dormire die tua tollere poſſit.

Apte torquebitur in tollionem & furacem. Eſt & piſcis ejuſdem nominis, ut indicat Suidas, Phoca opinor.

RELIGIONIS.

ERASMI. *Adorato circumactus.*

Προσκυνεῖν περιφερόμενος. id eſt, Adorandum circumactu corporis. Nimirum ad imitationem cœli perpetua vertigine circumacti. Cœlum autem, Deum antiquitas credidit. Plutarchus & hoc tribuit Numæ, ceu peculiare. Ac meminit quidem de cœli circumactu, cæterum addit & alias interpretationes: videlicet cum ſacra ſpectent exortum ſolis, qui adorat vertens ſe circumacto corpore ad Orientem, videtur ſemet ad Deum convertere, factoque circulo per utramque mundi partem vota facere. Subjicit & tertiam, quam videtur maxime probare: Corpus vertigine ſignificari rotas Ægyptias, ſentit opinor de hieroglyphicis quibus illi ſignificabant nihil in rebus humanis eſſe ſtabile aut perpetuum, ſed utcunq; viſum fuerit Deo vitam noſtram vertere ac volvere, æquum eſſe ut boni conſulamus.

Adoraturi ſedeant.

Καθῆσθαι προσκυνήσαντας, id eſt, Adoraturi ſedeant. Significat, vota certa concipere oportere, & in his quæ ſunt optima perſeverare. Et hoc Plutarchus aſſcribit Numæ: niſi quod in ædito per Aldinos volumine προσκυνήσοντας legimus, non προσκυνήσαντας, addens id fuiſſe velut augurium, vota rata firmaque fore. Addit, quibuſdam hanc quietem videri diſtinctionem actionum tanquam qui priori actioni finem impoſuerint, ſedentes apud eos, initium alterius actionis ab iiſdem auſpicentur. Quidam arbitrantur alium ſubeſſe ſenſum, quod oporteat eos qui ſacris operantur, non obiter ac velut, aliud agentes hoc facere, ſed vacuos ac totos rei divinæ intentos. Vnde Plutarchus idem tradit, quoties pontifex auguria ſeu ſacra aggrediebatur, præcones clamabant, Hoc age. Ea vox hortabatur, ut qui ſacra adirent, reverenter & attente id facerent. Idem in Problematibus rerum priſcarum refert, qui diis vota feciſſent, in templis manere, & quietem agere ſolitos, quod actiones hujus vitæ frequenter involuant hominem moleſtiis.

In anulo, Dei figuram ne geſtato.

Ἐν δακτυλίῳ θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν, id eſt. In anulo Dei imaginem ne circumferas. Fortaſſis admonet: non paſſim admiſcendam Dei mentionem.

A piſcibus abſtineto.

Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι, id eſt, Piſces ne guſtato. Quamobrem Pythagoras ab urtica marina juſſerit abſtinere, fortaſſis illud in cauſa fuit, quod is piſcis Hecatæ ſit ſacer, propter myſterium ternionis, quem ajunt huic deæ dicatum. Sed qua gratia reliquorum item piſcium eſum interdixerit, non æque promptum fuerit expedire. Quanquam apud Plutarchum in Quæſtionibus convivalibus, quiſpiam hujuſmodi cauſam adfert: Piſces quodammodo Pythagoricæ diſciplinæ contubernales videri, propter ἐχεμυθίαν, id eſt, ſilentium, ita ut etiam in proverbium abierit. ἀφωνότερος ἰχθύων, id eſt. Magis mutus quam piſcis. Theon grammaticus apud eundem Plutarchum diverſam rationem allegat. Nam piſcem maris indigenam & alumnum eſſe, elementi videlicet non ſolum alieniſſimi, verumetiam inimiciſſimi naturæ hominis. Neque enim deos hinc ali, quemadmodum de ſtellis opinantur Stoici: quia parentem & ſervatorem regionis Ægyptiorum Oſiridem in hoc dejectum periiſſe. Proinde nec aqua maris ad potum utuntur, nec quicquam eorum quæ in eo gignuntur, aluntúrque, purum & ad hominis uſum accommodatum exiſtimant, ut cum quibus nec aerem communem, neque regionem habeamus communem. Quinimo aer hic, per quem reliqua omnia vivunt aluntúrque, illis perniciem adfert, tanquam præter naturam, citraque uſum & genitis & viventibus. Neque mirum, inquit, ſi ab animantibus abſtineus, propter elementum maris ab humana natura alienis, nec ob id idoneis, quæ cum noſtro ſpiritu ac ſanguine miſceantur: quando ſiant obvii, quippe qui ex mari victum ſibi parent. Rurſum Sylla eodem in loco cauſam aliam adducit: nempe Pythagoram fere veſci ſolitum iis quæ fuiſſent diis immolata, primitiis illis dicatis. Atqui nullus piſcis idoneus ad ſacrificium, Plutarchus ipſe rationes ſuperiores ita refellit, ut dicat, hoc ipſo nomine magis oportere veſci piſcibus, quod peregrini generis eſſe videantur. Immane enim planeque Cyclopicum eſſe, ſi quæ ſunt ejuſdem generis, mutuo laniatu paſcantur. Nam quod narrant, aliquando Pythagoram empto retium jactu, piſces captos emiſſe, non eos contempſit velut hoſtes & alienigenas, ſed tanquam amicis jam factis & captivis pepercit, perſoluto illorum nomine pretio. Reddit autem duplicem cauſam, quare Pythagoræ non probaretur piſcium eſus: partim quod res cum injuſtitia conjuncta videretur, perſequi, occidere, vorare animal, quod ipſa natura nullo pacto lædat hominem, aut lædere poſſit: deinde quod non ad neceſſitatem, ſed ad luxum, ſupervacaneamque gulæ voluptatem pertineat piſcium eſus. Hinc eſſe quod Homerus fecerit non Græcos ſolum, cum circa Helleſpontum militarent, à piſcibus abſtinentes, verumetiam Phæacas ipſos alioqui helluones. Ne procis quidem lurconibus marinum obſonium appoſuit, cum utriq; inſulares eſſent. Nam apud hos majorem fere videmus tum immanitatem, tum luxum. Neque ſocii Vlyſſis unquam aut hamo, aut retibus uſi ſunt, donec farina ſuppeteret: Verum omni commeatu abſumpto, paulo prius quam ſacros Solis boves devorarent, piſcari cœperunt non obſonii cauſa, ſed ob famem depellendam. Commemorantur hoc loco apud Plutarchum & alia nonnulla de piſcium abſtinentia: ſed hæc ad ſymboli interpretationem ſatis eſſe viſa ſunt. Tribuitur Pythagoræ & illa nobilis ſententia, teſte Plutarcho in commentario De exilio, ἑλοῦ βίον τὸν ἄριστον, ἡδὺν δὲ αὐτὸν ἡ συνήθεια ποιήσει, id eſt, Optimã vitæ rationẽ elige, eam jucundã reddet conſuetudo. Divus Hieronymus hoc etiam dogma Pythagoricum refert, quo vir ille totius moralis philoſophiæ ſummã complexus videtur: Δεῖ φυγαδεύειν πάντῃ τρόπῳ καὶ ἐκκόπτειν νόσον ἀπὸ τοῦ σώματος, τὴν ἀπαιδευσίαν ἀπὸ τῆς ψυχῆς, τὴν ἀσέλγειαν ἀπὸ γαστρός, τὴν στάσιν ἀπὸ πόλεως, τὴν διαφωνίαν ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ κοινῇ ἀπὸ πάντων τὸ ἄμετρον, id eſt, Fugare convenit, ac modis omnib. reſecare, morbum à corpore, inſcitiam ab animo, luxuriem à ventre, ſeditionẽ à civitate,

civitate, diſcordiam à familia, in ſumma ab omni negotio intemperantiam.

RIXOSVS.

Hæc Helena.

Non diſſimili figura dicit Lucianus in Eunucho: αὕτη ἡ περιμάχητος [illegible] ὑπὲρ ἧς ἐμονομάχουν. id eſt, Hæc ipſa erat Helena, pro qua digladiabantur. Loquitur autem de duobus Peripateticis, mercedis ac lucri cupiditate turpiter apud judices contédentibus. Alluſit ad monomachiam, id eſt, ſingulare certamen, quod inter Menelaum & Paridem factum deſcribit Homer. Iliad. lib. 3.

SCVRILITAS.

Πομπεύειν.

Veteres πομπεύειν dicebant conviciari, πομπείας convicia, hinc natum quod in pompis Bacchanalib. quidam e curribus convicia jaciebant in alios, & viciſſim ab illis impetebantur. Citantur hi verſus e Menandri Perinthia,

> Ἐπὶ τῶν ἁμαξῶν εἰσὶ πομπεῖαί τινες,
> Σφόδρα λοίδοροι.———

Id eſt,

> In curribus nonnulla ſunt dicteria
> Acerba valde.———

De plauſtro loqui, dictum eſt alias.

SECVRITAS.

ERASMI. *Saburratus.*

Plautus in Ciſtellaria, nove quidem, ſed admodum eleganter dixit ſaburratus: pro onuſtus cibo. Sumpta metaphora a navibus, quas onerant harenis aut argilla, ne jactentur, vacillentque in fluctibus. Quod equidem inter adagia non retuliſſem, niſi etiam vulgo paſſim diceretur. Plauti verba ſunt hæc: idem mihi, magnæ quod parti eſt vitium mulierum, quæ nunc quæſtum facimus. Quę ubi ſaburratæ ſimus largiloquæ ex templo ſumus. Venuſtius fiet, ſi longius detorqueatur: veluti ſi quis aures ſaburratas dicat alicujus multiloquio: aut, animus philoſophiæ præceptis ſaburratus, ne rerum tempeſtate jactetur.

Quaſi millus cani.

Sapit & hoc proverbium, quod apud eundem ad populum dixit Scipio Æmilianus: Nobis, inquit, reique publicæ præſidio eritis, quaſi millus cani. Nam millus eſt collare canum venaticorum, coriaceum, confixum clavis ferreis eminentibus adverſus impetum luporum. Ad hunc igitur modum, certum firmumque præſidium ſignificabimus.

Mihi iſta curæ futura ſunt, &c.

> Ἐμοὶ μελήσει ταῦτα καὶ λευκαῖς κόραις.

Id eſt,

> Curæ iſta mihi erunt, ac puellis candidis.

Senarius ex oraculo ductus in popularem ſermonem. Cum Brennus Gallicis copiis ingrueret in Delphos, Delphi conſuluerunt oraculum, quid opus eſſet facto. Reſponſum eſt hoc quod modo retuli carmine. Paulo poſt viſus Apollo cum duabus puellis, Pallade ac Diana, nam & his fana ſunt apud Delphos. Conveniet uti, ſi quando ſignificabimus nihil eſſe periculi, negocium iis curæ futurum, ad quos pertinet. Refertur in Plutarchi collectaneis. Cicero vertit Græcum carmen De divinatione primo.

> Ego providebo rem iſtam & albæ virgines.

Omnes intus.

Theocritus in Syracuſanis,

> Καλῶς, ἔνδοι πᾶσαι, ὁ τὰν νυὸν εἶπ' ἀποκλάξας

Id eſt,

> Optime habet, cunctæ ſunt intus, fertur ut olim
> Incluſa ſponſa ſponſus dixiſſe.———

Scholiaſtes admonet eſſe proverbium, e tali caſu natum, ut conjicio. Sponſus quidam pertæſus ſponſam excluſit ædibus: quumque illa pulſaret fores, cupiens recipi, ſponſus reſpondit, ἔνδοι πᾶσαι, id eſt, Omnes ſunt intus. forte quum ſponſa ex more duceretur ad ædes ſponſi, ille occluſis foribus ita loquutus eſt. Accommodari poteſt ad uſum magis ſerium. veluti ſi ambienti in amicorum numerum recipi, qui ſit indignus amicitia, reſpondeant, πᾶσαι ἔνδοι. Aut, quod vero proprius eſt, quum ſignificabimus omnia eſſe in tuto. Siquidem ἀποκλείειν non ſolum ſonat excludo, verumetiam includo quod ſemotum in tuto eſſe volumus: unde [illegible] pro cuſtodia. Itaque fieri poteſt, ut ſponſus ſponſa in thalamum recluſa, cæteras ſubmoverit dicens, Omnes intus ſponſo una ſufficit, cæteras ut ſupervacaneas excluſit, καὶ [illegible]. Siculis dicitur clavis: inde ἀποκλάξας, pro ἀποκλείσας.

EX APPENDICE ERASMI.

Saburratus.

Suffartus, & diſtentus cibis: vel, cui aures multiloquio alterius obtunduntur: vel, qui philoſophiæ præceptis inſtructus rerum tempeſtatibus non jactatur, proprie ſaburrantur naves, quæ arenis aut argilla, ne jactentur fluctibus, onerantur. Plautus.

SENIVM PRÆMATVRVM.

ERASMI. *Equi generoſi ſenectus.*

Ἱππογήρως, alias dictum eſt, de his qui poſt res præclare geſtas, ob ſenium rejiciuntur. Sed Sophocles in eadem fabula declarat generoſi equi ſenectutem, his verſibus.

> Ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενής, κἂν ᾖ γέρων,
> Ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν οὐκ ἀπώλεσεν,
> Ἀλλ' ὀρθὸν οὖς ἵστησιν, ὡσαύτως δὲ σὺ
> Ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις, καὐτὸς ἐν πρώτοις ἕπῃ.

Id eſt,

> Generoſus ut equus, conſenuerit jam licet,
> Animum tamen nunquam in periculis abjicit,
> Sed auribus rectis ſtat: itidem tu quoque
> Et incitas me, & ipſe cum primis ades.

Verba ſunt Oreſtis ad pædagogum ſenem, cujus conſilio & auxilio occidit Clytemneſtram & Ægiſthum.

Fatale vitæ tempus exactum.

In decrepitos, quorum ætas jam exacta videbitur, quadrabit illud ex eodem libro.

> Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς Ὑπερίονος Ἠελίοιο
> Ἤσθιον.———

Id eſt,

> Dementes, ut qui ſacros ubi maxime Phœbe
> Abſumpſere.——

Nam per Solis boves, annos fatales, ut opinor, innuit poeta.

Coſſi.

Olim vulgari convicio Coſſi dicebantur homines natura rugoſi, à ſimilitudine vermium, qui lignis naſcuntur. Ii natura rugas habent, ut ſe contrahant ac porrigant. Horum Plinius meminit compluribus locis, ut libro 11. cap. 33. rurſus, lib. 30. cap. 13. Libri vero 17. cap. 24. indicat hujus generis grandiores in cibis, atque etiam in luxu fuiſſe antiquitus. Meminit & Hieronymus adverſus Jovinianum lib. 2. Græci [illegible] vocant: qui quum ſint juniores, tamen vultu ſenium præ ſe ferunt. Autor Feſtus Pompejus.

Fungus putidus.

Senem jam delirum & inutilem Plautus in Bacchidibus fungum putidum appellat. Fungi licet natura inſipidi, olim in deliciis erant, & adhuc ſunt apud Italos, ſed teneri ac recentes: vetulis nihil inſipidius. Verba Plauti ſic habent: Terræ odium ambulat. Jam nihil ſapit nihil ſentit: tanti eſt, quanti fungus putidus. Quin & hoc ipſum, Terræ odium, proverbii figuram habet: veluti illud, Telluris inutile pondus. Idem in Bacchidibus, inter ſtoliditatis convicia ponit & fungos: Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones. In Moſtellaria pro ſtolido fruticem appellat: Nec veriſimile loquere, nec verum frutex. In cæteris arboribus eſt nonnulla imago dignitatis ac prudentiæ. Frutex temere naſcitur, expers cultus: & aut nullum habet fructum, aut ſylveſtrem & inutilem.

SERA POENITENTIA.

ERASMI. *Poſt mala prudentior.*

Μετὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος, id eſt, Poſt acerba prudentior, ubi quis ſuo malo ſit cautior non aliter quam qui guſtato veneno non prius intelligunt eſſe venenum, quam noxiam ejus vim ſenſere cœperint. Finitimum eſt ei quod alibi dicetur,

> ———Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Id eſt:

> ———At novit rem factam denique ſtultus.

Item ei,

> Κλέων Προμηθεύς ἐστι μετὰ τὰ πράγματα.

Id eſt:

> Rebus peractis eſt Cleon Prometheus.

Adagium recenſetur in Collectaneis Apoſtolii, quem equidem autorem non adducerem in medium, niſi cogeret inopia magis idoneorum.

Terreſtria balnea.

Χθόνια λουτρά. id eſt, Terreſtria, ſive inferorum balnea. Dictum videtur (nam conjectandum eſt) ubi quid ſero jam adhibetur nulli futurum uſui ei cui exhibetur. Veluti ſi quis tum reo patrocinetur, poſtquam pronunciata fuerit irrevocabilis judicum ſententia. Mos olim fuit, defunctis ad ſepulchrum balnea quædam inferre. Cadavera item ſepulturæ danda, prius lavabantur. Unde Ennius.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Fit & noſtra tempeſtate, fortaſſis ex priſca relictum conſuetudine: ut defunctorum monumentis aquam inſpergant conſecratã, præſertim apud Germanos, hujus rei præter cæteros benignos.

Pura à nuptiis.

Ἀγνὴ γάμων. id eſt, Rudis nuptiarum. Per ironiam dicebatur in impudicam, quod citra nuptias ſui copiam faceret.

Horatius,

Nuptiarum expers, & adhuc protervo.
Cruda marito.

Sero vidit juſticiam.

Sophocles in Antigona:

Οἴμ' ὡς ἔοικας ὀψὲ τὴν δίκην ἰδεῖν.

Id eſt.

Proh ut videre juſta ſero cernere.

De Creonte dictum eſt, qui prius nec Tireſiæ, nec cuiquam ſuorum obtemperat, magnis doctus cladib. incuſat ſuam ſtulticiam. Eadem ſententia repetitur in clauſula tragœdiæ, ſed diverſo ſchemate.

Μεγάλαι δὲ πληγαὶ τῶν ὑπεραύχων
Ἀποτίσαντες,
Γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξαν.

Id eſt,

Divi pœnas poſtquam atroces
De verbis ſumpſere ſuperbis:
Ætate docent ſapere extrema.

Convenit cum illo, Seró ſapiunt Phryges.

SIMILITVDINIS.

ERASMI. Omnia bonos viros decent.

Ἅπαντα τοῖς καλοῖσιν ἀνδράσιν πρέπει,

id eſt,

Bonos proboſque cuncta perdocent viros.

Habet hoc improbitas, ut ſi quis illaudatus, recta faciat dicatve, tamen neſcio quo pacto non adſit decorum illud: contra verum virtutem decus quoddam comitatur, quicquid vir bonus agat, id decorum eſſe videatur. Tametſi poteſt & hic accipi ſenſus, Cuncta formoſos viros decent: quod formæ gratia commendat & dicentem & canentem, & quidvis agentem. Id erit venuſtius ſi hoc deflectas, ut dicas, In bonam partem accipi, laudarique, quicquid dixerint fecerintque gratioſi apud principes: adeo ut quod huic capitale ſit futurum, illi laudem etiam pariat, Refertur à Diogeniano.

Iiſdem veſcentes cepit.

Ταὐτὸν θύμον φαγόντες, id eſt, Qui idem ederunt thymum Proverbiali figura dictum ab Ariſtophane in Pluto. Congruit in pauperes ac bonos viros inter ſeſe amicos. θύμον enim viliſſimum herbæ genus, quo tenues & agreſtes, utcunq; vitam ſuſtinent. Quidam cepam agreſtem eſſe putant: etiamſi diſſentiant Plinius & Dioſcorides. Suidas admonet agreſtis ac vilis herbæ genus eſſe, cujus eſu Comicus paupertatem veſcentem voluerit intelligi. Quemadmodum Heſiodus per maluam & aſphodelum tenues ſignificavit. Huic affine quod ſcriptum eſt apud Juvenalem.

Quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra comedit?

Faciles partus.

Theocritus in Encomio Ptolemæi,

Ῥεῖα μὲν γυναῖκες, τίκτουσι δ' οὔ ποτ' ἐοικότα πατρί.

Id eſt,

Sunt faciles partus, ſed proles nata parentem
Ore refert nunquam.———

Pater eſt juxta Jureconſultos, quem nuptiæ deſignant: ſed proles non ſemper facie maritum parentis exprimit, eoque, juxta Flaccum.

Laudantur ſimili prole puerperæ.

Quanquam & hic natura ludit varietate, quemadmodum ferme in omnibus. Proles non ſemper refert matrem aut patrem, ſed interdum avum paternum aut maternum, interdum aviam, interdum patruum aut propatruum.

Ubi tu Caius, ibi ego Caia.

Plutarchus in Problematibus Romanis, quærit unde mos ille natus ſit, ut qui ſponſam ad ſponſum deducerent, juberent illam hæc verba profari: ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα, id eſt, Ubi tu Caius, ego Caja. Dubitatque, an priſci voluerint ſponſam his verbis depaciſci cum ſponſo, ut inter ipſos omnia eſſent communia, pariterq; imperarent in familia, quaſi diceret: Ut tu dominus domus & autor, ita ego domina domus atque hera. Forma ſermonis ſumpta videtur à Jureconſultis, qui pro quibuſvis nominibus ponunt. C. Seium & L. Titium, quemadmodum Philoſophi Dionem & Theonem. Unde & illud proverbium, quod alibi citavimus ex Varrone, Idem Actii quod Titii: quum par duorum jus ſignificatur. An potius ominis cauſa Caja nominetur, quod fuerit quædam Caja Cecilia, mulier cum eleganti forma, tum probatiſſimis moribus, antea dicta Tanaquil: quæ nupſit uni e filiis Tarquinii, videlicet Tarquinio Priſco. Huic Caiæ Romani poſuerant ſtatuam æream in templo Sancti. Sic enim ſcribit Plutarchus: ἐν τῷ τοῦ Σάγκτου ἱερῷ. Is erat deus olim hoc nomine cultus apud Romanos, unus e numero duodecim ſelectorum. Ibidem antiquitus erant repoſita illius ſandalia & colus: quorum illa teſtabantur, eam domi manentem familiæ curam habuiſſe: hæc induſtriam ſignificabat, quod muliebres operas diligenter obierit, lanificii ſtudioſa. Hujus itaque nominis mentio ſponſam admonebat, ut talis eſſet ſuo marito, qualis Caja Cecilia fuerat ſuo. Inter priſcas nuptiarum ceremonias ſervabatur & illud, quod inauſpicatum habebatur, vel ſponſum vel ſpõſam propriis appellare nominibus. Quin & in hodiernum uſque diem obſervatur: ut ſponſa relicto cognomento gentilitio tranſeat ad cognomen viri, ut Hectoris Andromache. Proverbium è conjugio natum inter conjuges maneat: niſi quod poteſt & ad ſororem fratremque accommodari.

SIMVLATIO.

ERASMI. Simia fucata.

Πίθηκος ἀνάπλεως ψιμυθίου, id eſt, Simia plena fuci. De formi anu, fucata tamen, & meretriciis culta lenociniis. Nam ψιμύθιον Græcis appellatur color ille, quo quondam meretrices, nunc honeſtæ etiam (ſi diis placet) matronæ faciem oblinunt, quo ſenectam ac formæ vitia diſſimulent. Ariſtophanes ἐν ταῖς Ἐκκλησιαζούσαις.

Πότερον πίθηκος ἀνάπλεως ψιμυθίου;
Ἢ γραῦς ἀνεστηκυῖα παρὰ τῶν νερτέρων;

Id eſt,

Utrumne variis picta fucis ſimia?
An anus ab imis huc reverſa manibus?

Poteſt & ad rem accommodari: velut ſi quis turpem cauſam, orationis phaleris adornet, ut honeſta videatur, πιθηκίζειν, eſt fucis, aut blanditiis fallere, unde πιθηκισμὸς Ariſtophanes in Equitibus.

Οἴμοι τάλας, οἵοις πιθηκισμοῖς με περιελαύνει.

Id eſt:

Me miſerum, cujuſmodi pithecilmis me circumagit.

Manticulari.

Feſtus Pompeius oſtendit Poetas hoc verbo manticulari uſos pro fucum facere, ac ſubdole agere. Citatq; Pacuvium ita loquentem: Ad manticulãdum aſtu aggreditur. Tractum autumat à manticulis, quas fures attrectare ſolent, nimirum quo furentur. Equidem magis arbitror hinc ſumptam metaphoram quod qui in convivio diſſimulant, mantilibus tegunt faciem, velut extergentes. Unde in Sermonibus Horatius.

———Mappa compeſcere riſum.

Plautus item in Captivi duo, pro pallio latebraq; poſuit, qua dolus tegi poſſit.

Nec mendaciis ſubdolis mihi uſquam mantellum eſt meis:
Nec ſycophantiis: nec fucis ullum mantellum obvium
eſt.

Equidem haud ſcio, num ad hanc pertineat formam, quod legitur apud Originem homilia in Ezechielem v. Qui dixit proximo ſuo, Ignoſcit nobis peccata noſtra Deus. Siquidem & in talibus ſacramentis ludimus, viciſſim nobis pollicentes, Mappam mittit Deus, id eſt, teget noſtra flagitia, miſſa Mappa. Verum quoniam Græcis non adeſt copia, ſuper hac re præſtiterit Academicum agere. Docti quibus adeſt, locum hunc excutient à nobis admoniti Utitur eodem dicto Tertull. lib. adverſus Valentinianos: Sed mappa, quod aiunt, amiſſa.

EX APPEND. JVNII.
Canteri.

Vulpes pro Leone.

Ἀλώπηξ ἀντὶ λέοντος, De iis qui ſuis vitiis virtutis nomen, artis ignorantiæ prætexunt. Ariſt. Platonicis ij.

SOLLI-

S O L I C I T V D O.

ERASMI. *Siculus mare.*

Σικελὸς θάλατταν, id eſt, Siculus mare. ſubaudi, proſpectat. De his qui denuo ſollicitantur ad ſubeundum periculum. Natum ajunt à Siculo quodam, qui cum ficos navi portans, naufragium feciſſet, ac deinde ſedens in littore, mare placidum ac tranquillum videret, velut invitans ad iterandum navigationem, dixiſſe fertur: οἶδ' ὃ θέλεις, σῦκα θέλεις, i. e. Novi quid velis, ficos vis. Recenſetur ab omnibus ferme proverbiorum Græcorum collectoribus.

COGNATI. *Furunculi in modum.*

Plato in Axioch. Reip. cura per multas rapitur anxietates, & gaudia habet furunculi in modum trepida ſemper, atq; ſtimulis repleta repulſas vere acerbas, & millies morte peiores.

SPES FRVSTRATA.

ERASMI. *In ſpem fruſtratam.*

Si quando ſignificabimus aliquem ſua ſpe fruſtratum, ac rem evenisse ſecus atq; ille expectabat, non infeſtiviter applicabimus illud ex Iliad. l. 2.

Νήπιος, οὐδὲ τὰ ᾔδη ἅ ῥα Ζεὺς μήδετο ἔργα.
Id eſt,
Inſipiens nam Jupiter his diverſa parabat.
Ignaro.———

S T V P I D I.

ERASMI. *In cotyla geſtaris.*

Ἐν κοτύλῃ φέρῃ, id eſt, In cotyla portaris. Suſpicor dictum de iis, quo arbitrio alieno, quo libitum eſſet, huc atque illuc ducerentur. Aut ubi quis indulgentius foveretur. Tractum eſt adagium à genere luſus puerilis, qui dictus eſt, ἐγκοτύλη. Hujus meminit Julius Pollux lib. ix. De rerum vocabulis. Erat autem hujuſmodi. Vnus quiſpiam reductas in tergum manus conjungebat, ſtringebatque. Rurſum alter impoſitis in eas genibus tollebatur, ſuis interim manibus oculos geſtantis obtegens. Et ad hunc geſtatus modum, ἐν κοτύλῃ portari dicebatur, quod manuum complexu geſtaretur. Nā κοτύλη Græcis cum alia permulta, tum manus etiam cavam partem ſignificat. Hunc luſum Julius Pollux ait aliis item vocabulis appellari, veluti ἱππάδας & κυβερνίνδαν.

Vir videbatur navis ſupplicans ſcopulo.

Ἀνὴρ ἐδόκει ναῦς ἱκετεύειν πέτραν.
Id eſt.
Vir viſus eſſe eſt, navis obſecrans petram.

De ſtupidis ac ſolidis, quibus aliud pro alio videtur, dictum indicat Suidas: ducta metaphora à nave, quæ impingit in ſcopulum.

Circumtondere comam.

Περικείρειν τοὺς πλοκάμους, id eſt, Circumtondere comam, Græcis in proverbio eſt, pro eo quod eſt, ludibrio habere. Nam id luſus gratia fieri ſolet ſtupidis, ut eis non ſentientibus cæſariei circumtondeatur. Lucianus in Miſanthropo: ἐκαθέζου τοὺς πλοκάμους περικειρόμενος ὑπ' αὐτῶν. id eſt, Sedebas cum tibi cæſaries ab illis circumtonderetur. Vtitur idem in Pſeudomante.

Bezitare, lachanizare.

Lachanizare vulgo dicebant pro languere, teſte Suetonio in vita Octavii Cæſaris: pro quo Auguſtus novavit betizare. Quadrabit & in inſulſos & inſipidos.

Catullus,
Languidior tenera cui pendens Sicula beta.

Idem Martialis,
Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam ſæpe petet vina pigerque coquus.

Eodem pertinet illud Diogenis Cynici dictum apud Laertium, quum adoleſcentes quidam eum canem vocarent, ſeque cauturos dicerent, ne ab illo morderentur, bono animo eſſe juſſit: canem enim haudquaquam veſci betis, molliciem illorum notans. Bliteos appellant ſtupidos. Eſt βλίτον herbæ genus: cui nomen etiam à ſtupore ſaporis inditum putant, quaſi βλάξ, quæ vox bardum & ſtupidum ſignificat Ariſtophanes in Avibus: ὡς βλακικῶς διακονεῖς, Vt ſtupide miniſtras. Plautus in Truculento: Blitea & lutea eſt meretrix, niſi quæ ſapit in vino, ad rem ſuam. Laberius Mimographus apud Nonium Marcellum bipedem & bliteam beluam appellat inſulſum & vecordem. Apud Menandrum quoq; mariti uxoribus ex blito convicium faciunt, bliteas eas nominantes. Ariſtophanes, in Nebulis: καὶ με καλοῦσι βλιτομάμμαν id eſt, Teque vocant bardum ac ſtultum. Fieri poteſt ut Gallica quoq; vox hinc manarit, qua nunc vulgo contemptiſſimos, extremæque notæ homines compellant Bliteros, addita literula.

Ex poteſtate exiſſe.

Exiſſe è poteſtate dicebantur, qui à mente excidiſſent, & qui ſpreta ratione, cupiditatum arbitrio præcipites ferebantur. M. Tullius libro Tuſculanarum quæſtionum 3. Eos, inquit, ſanos intelligi neceſſe eſt. Itaque nihil melius quam quod eſt in conſuetudine ſermonis Latini, quum exiſſe è poteſtate dicimus eos qui effrenati feruntur, aut libidine aut iracundia. Ac mox: Qui igitur exiſſe e poteſtate dicuntur ideo dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnum totius animi à natura tributum eſt. Hæc M. Tullius: unde Compotes atque impotes mentis dicimus, & impotenter commoti dicuntur, qui animum non habent in ſua poteſtate, ſed feruntur affectuum arbitrio. Formula ſermonis detorta videtur à Jureconſultis, apud quos filii ex juſtis nuptiis procreati dicuntur eſſe in poteſtate parentum niſi emancipentur, aut niſi pater moriatur. Rurſus emancipati dicuntur exiſſe de poteſtate parentum.

EX APPENDICE ERASMI.

Antiquiores Luna.

Arcades ob eam cauſſam ſtupidi ſunt habiti, quod aſtrologiam inſigniter contemnerent, facerentque ſe Luna antiquiores: unde προσέληνοι dicti ſunt, & βαλανηφάγοι, glandibus victitantes: is enim erat priſcorum cibus. Appellationes eædem conveniunt in omnes ſtupidos & ignavos qui literas, quia ignorant, deſpiciunt, gloriantes de nobilitate ſua, quaſi videntur καὶ Διὸς αὐτοῦ ἀρχαιότεροι, αὐτοῦ τε Κρόνου καὶ τιτάνων. Lucian. Ariſtophan.

COGNATI. *Rore paſcitur.*

Si hoc referamus ad proverbium, transferetur ad ingenium, ſive ſtylum jejunum & aridum, aut per ironiam in hominem vehementer obeſo corpore. Theocritus in Nomeo Batto.

———Μὴ πρῶκας σιτίζεται ὥσπερ ὁ τέττιξ;
Id eſt;
Nunquid rorem depaſcitur ut cicada?

Cicadas autem rore ali, teſtis eſt Plinius libro duodecimo capite viceſimoſexto. Ore carent, ſed habent in pectore fiſtuloſo quiddam aculeatum linguæ ſimile, eo rorem lambunt. Cum excitatæ ſubvolant, reddunt humorem: quod ſolum argumentum eſt, illas rore paſci. Neq; enim ad excrementa corporis ullum foramen eſt. Virgil. in Daphnide.

Cum juga montis aper fluvio dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

Hæc ſunt τὰ ἀναγκαῖα, id eſt, neceſſaria, & proverbii ſpeciem habent: quibus indicare licebit, quod in vita perpetuum nobis futurum intelligi volemus. Itidem Virg. hoc quod habetur 4. Æneid. dum memor ipſe mei, dum ſpiritus hos reget artus.

Phaaces.

In communibus proverbiis Phæaces ſunt, pro crudelib. & ſtolidis. Alcinoo enim Corcyræ reg. & ejus populis Phæacibus. Vlyſſes Leſtrigonas & Cyclopas & alia monſtra à ſe conficta narrabat, & ea vera omnia eſſe perſuadebat. Vnde Juvenalis.

Tum vacui capitis populum Phæaca putavit.

Lucianus lib. 1. veræ hiſtoriæ in principio. Hujus ſcurrilitatis, inquit, artifex & inventor extitit. Homericus ille Vlyſſes, qui apud Alcinoum ventorum ſervitutem, & unoculos, crudaque vorantes homines, & multorum capitum animalia, ſocioſque meretricum veneficiis permutatos, multaque monſtra ſimilia, rudi Phæacum populo eſt ementitus. Hac autem voce proverbialiter uſus eſt Budæus de aſſe.

Ἐμβρόντητος εἶ.

Plerique apud Græcos dicunt, ἐμβρόντητος εἶ, id eſt, Attonitus eſt. Nam tonitru homines de ſtatu mentis & prudentia dejiciuntur. Hinc illud Horatii ſatyra tertia, libro 2.

Hunc circum tonuit gaudens Bellona cruentis.
Id eſt.
hic inſanus & furioſus eſt.

COGNATI. *Lorio.*

Galli homines luteis veſtibus veſtitos, Loriones proverbialiter cognominant: à Chlorione ave toto luteo: qui ideo à quibuſdam luteus, ſive lutea dicitur: Gallis vero duabus literis prioribus detractis, Lorio vocatur.

EX APPEND. IVNII. *Canteri.*

Caput hoc ventoſa cucurbita quæras.

Sicut qui parum ſanæ mentis eſt, vel elleboro indigere dicitur, vel Anticyra dignus: ſic non minus lepide & facete Juvenalis ſtultum & inſanum hominem ventoſam cucurbitam quærere jubet quod ipſum tam proverbiale eſt, quam illa ſuperiora. Locus eſt ſatyr. 14.

Vnde

Unde tibi frontem libertatemq; parentis,
Cum facias pejora ſenex? vacuumq; cerebro
Jam pridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?

Sive autem per cucurbitam intelligas κολοκυνθίδα, quæ ſumpta humores cerebri actionem impedientes potenter educit, ſive etiam τὴν σικύαν, quam ventoſam dicimus, qua ſanguis levi ſcarificatione educitur, eodem recidit.

SUMPTUOSA.

ERASMI. *Aureo piſcari hamo.*

Aureo piſcari hamo dicuntur, qui mediocris commodi cupiditate periculum adeunt, ut maximarum rerum faciant jacturam: Commemoratur inter facete dicta Octavii Cæſaris à Suetonio. Fit enim nonnunquam, ut piſcis hamum etiam ipſum ſecum auferat. Porro metaphoræ pleræque à piſcatione ductæ, proverbii vice ſunt uſurpatæ. Sicut Expiſcari apud Terent, pro eo quod eſt, diligenter elicere atque exquirere. Vorare hamum, apud Plautum,

—Semper tibi pendeat hamus.

apud Naſonem.

Quod ſi quis pugnet, Auguſti dictum non eſſe proverbium, certè proverbiale eſt, nec indignum, quod in hunc ordinem adlegatur. Poteſt fieri ut quibuſdam etiam hoc libuerit, aureo hamo piſcari. Siquidem, autore Suetonio Nero Cæſar reti aurato, funibus purpura coccoque nexis, piſcari ſolitus eſt. Proinde quoties ſic ambimus quippiam, ut ſi potiamur optatis, mediocre ſit emolumentum: ſin fallat ſpes, damnum ingens: apte dicemur aureo piſcari hamo. Id quod frequenter uſu venit iis, qui ſcrutantur abditas terræ venas, ſed frequentius qui vulgo dicuntur Alcumiſtæ, de quibus apud Athenæum libr. 6. venuſte dixit Phalereus Demetrius: ὅτι πολλάκις καταναλώσαντες τὰ φανερὰ τῶν ἀδήλων ἕνεκα, ἃ μὲν ἤμελλον οὐκ ἔλαβον, ἃ δ᾽ εἶχον ἀπώλεσαν, id eſt, Quod frequenter certis conſumptis incertorum gratia, quæ ſe capturos ſperabant non ceperunt quæ vero habebant adjecerunt.

Excubias agere, aut ditari.

Φρουρεῖν ἢ πλουτεῖν, id eſt, Excubias oportet agere, aut divitem eſſe de iis dicebatur, qui ampliter facerent ſumpt⁹ de alieno. Nam ut divites, quibus ampla res domi eſt, large profundunt: ita milites non parcunt opibus alienis, ſed prodigunt gnaviter, & ſcelere parta perdunt ſceleratius. Athenienſes excubiis agendis inſulares magno ſtipendio conducere ſolebant. Non diſſimile illi,

Ἵππος με φέρει, βασιλεύς με τρέφει.

Id eſt:

Equus me portat, alit rex.

TACITURNITAS LAUDATA.

ERASMI. *Surda teſtimonia.*

Κωφαὶ μαρτυρίαι, id eſt, Surda teſtimonia, dicuntur quæ feruntur per tabulas, propterea quod hæ rogatæ nihil reſpondeant, ut non diſcrepet ab illo, Muti magiſtri. Unde ſurdis agere teſtimoniis, proverbio dicuntur, qui vel procul abſentes, vel vita defunctos modo citant, ne queant deprehendi.

TARDITAS.

ERASMI. *Gralatorius aut teſtudineus gradus.*

Plaut in Amphitrione: Blep. Non potuimus noſtros grandibus grandire gradus. Amphit. Sive gralatorius, ſive teſtudineus fuerit, certum eſt mihi hunc ſceleſtum perdere. Item in Pœnulo: Vinceretis cervum curſu, gralatorem gradu. Gralæ dicuntur fuſtes, quibus innixi quidam ingrediuntur: quos gralatores appellavit antiquitas, Græcis κωλοβάθραι dicuntur: quemadmodum ſchœnobatæ vocantur funambuli. Ii fuſtes quo ſunt longiores à gradu cui pes innititur, hoc gradus ſunt majores. Tantum elicere licuit è corruptiſſimo loco apud Nonium, præſertim in æditione Aldina. Idem Plautus in Menæchmis: Atque eccum inceditmore formicinum gradum. Formicæ videntur currere, quum minimum promoveant. Rurſus in Pœnulo: Viciſtis cochleam tarditudine. In eadem tardos appellat ſpiſſi gradiſſimos, & tardiores quam ſint corbitæ in tranquillo mari. Rurſus talium gradum dicit eſſe ſucceretum cribro pollinario, quod ſimilia per anguſta foramina, pulatim defluant.

In arduis cuntanter agendum.

Electræ quærenti de fratre,

Φησίν γε, φάσκων δ᾽ οὐδὲν ὧν λέγει ποιεῖ.

Id eſt:

Dicit quidem, ſed edictis facit nihil;

ita reſpondet Chorus,

Φιλεῖ γὰρ ὀκνεῖν πρᾶγμ᾽ ἀνὴρ πράσσων μέγα.

Id eſt:

Qui facinus ingens tentat, ille lentus eſt.

Sentiens, in arduis ac periculoſis negociis non eſſe præcipitandum conſilium. Huic rurſus ita reſpondet Electra:

Καὶ μὴν ἔγωγ᾽ ἔσωσ᾽ ἐκεῖνον οὐκ ὄκνῳ.

Id eſt:

At is quidem haud contante me ſervatus eſt.

Sentiens. perniicioſam eſſe contationem, quum urget præſens periculum.

Cur ceſſatum eſt.

Eodem in commentatio uſurpat & hunc Homeri verſum ex Iliad. λ.

Τυδεΐδη, τί παθόντε λελάσμεθα θούριδος ἀλκῆς.

Id eſt:

Dic quidnam acciderit nobis, ut Martia virtus
Tydide exciderit animis.

Licebit uti, quoties communem culpam apud amicum agnoſcemus, & in re quapiam male ceſſatum eſſe ſignificabimus.

Cunctatio noxia.

In Antigone fabula Electra de Oreſte qui reditum proferebat, ita loquitur,

Δρᾶν γὰρ αἰεὶ δρῶν τι μέλλων τὰς οὔσας τέ μου
Καὶ τὰς ἀπούσας ἐλπίδας διέφθορεν

Id eſt:

Dum facere ſemper pro rogat quæ adſunt ſimul.
Simul & futuras perdidit mihi ſpes meas

Proverbii ratio eſt in tropo, quo præſentes & abſentes dixit pro omnes.

Furis paſſu progredi.

Pro, lente, ſenſim, & magno ſilentio proponere negocium, ut tum rem, quam molimur eo uſque tegi volumus, dum non procul à fine & coronide abſimus, & impedientium conatus queamus eludere. Fures paſſu incedunt librato in aere, vix ſummis digitis terram prementes, unde furtum, latenter, clam, furtivum, occultum, non vulgatum.

TIMIDITAS.

ERASMI. *Ne my quidem facere audet.*

Qui metu non auderent hiſcere, ii quondam negabantur my facere audere. Refertur adagium à Varrone, libro De lingua Latina 3. Putat enim ille, Muſſare verbum deductum à my literæ vocabulo, quaſi μύζειν: propterea quod muti non amplius ſonare queant, quam my, Eſt enim m litera maxime omnium muta, præſertim in fine, mire os contrahens & occludens. Verba Varronis ſunt hæc: A quo idem dicit quod minimum eſt, neque (ut ajunt) μῦ facere audent. Videtur eſſe carmen Ennianum. nam hunc paulo ſuperius citaverat: Dicit, quod minimum eſt, neque (ut ajunt) My facere audent. Eſt autem Græcis μύζω tum fugo, tum naribus vocem reddo, Ariſtophan. ἐν θεσμοφοριαζούσαις,

Τί μύζεις; πάντα πέπρακται καλῶς.

Quum enim Mneſilochus dixiſſet, μῦ μῦ, id eſt, mu, mu, Euripides reſpondet,

Quid muſſites? peracta ſunt cuncta optime.

Et apud Latinos Mutire, ac muſſare, eſt tacite ferre, & quaſi vocem abſorbere Terentius,

Muſſitanda injuria adoleſcentium.

Vergilius,

—Muſſat rex ipſe Latinus.

Apud Ariſtopanem in Equitibus, duo priverim apud ſe queſturi quædam de vitiis civitatis, ſenarium hunc concinnunt,

Μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ μῦ.

Ex quo licet conjicere, hanc eſſe vocem loqui formidantium.

In fugitivum.

Ubi quis impotenti animi cupiditate ad rem quampiam inſtigatur, præcipue parum honeſtam, vel magis ſi quis turpiter fugiat, in hunc quadrabit, ſi dixeris,

Τόνδ᾽ αὖ ἡ κυνάμυια ἄγει.—

Id eſt:

Hunc Cynamya rapit.—

Sic enim in eodem libro Juno de Marte è prælio fugiente.

Καὶ δ᾽ αὖθ᾽ ἡ κυνάμυια ἄγει βροτολοιγὸν Ἄρηα.

Id eſt:

Peſtiferum Martem rurſum exagitat Cynamya

id eſt, muſca canina.

Domi pugnans more galli.

Ἐνδομάχας ἅτ᾽ ἀλέκτωρ, i. Domi pugnax more galli, In eum qui ſemper domi deſidens, non [illegible]et vel in bellum vel in certamina

proficiſci foras. Nam hoc animal pugnaciſſimum quidem eſt, ſed domi. Nihil autem confert Reipub. nec ea certamina celebrantur. Ita quidem interpretes: ſed addubito tamē an ſcriptum ſit, οἰκομάχος, id eſt, domi abditus, οἰκομάχης dictio nove compoſita, ab οἶκος & μάχομαι. Hærebit in iſtos qui domi perpetuo rixantur, quum foris ſint placidiſſimis moribus.

BRASSICANI. *Cavum pedis oſtendere.*

Κοῖλον τῶν ποδῶν δεῖξαι, Heſychius admonet ἐπὶ τῶν εἰς φυγὴν τετραμμένων, id eſt, de iis dici qui ſint in fugam verſi, qui pedibus ſibi conſulant. Ut Turnus de Drance apud Virg.

—— An tibi Mavors.
Ventoſa in lingua pedibuſq; fugacibus iſtis
Semper erit?

Pullus de nido avolat.

De eo, qui opus aliquod pavide aggreditur, ac errabundus quid agat, præ timore neſcit: qualis eſt ſtatus aufugientium. Eſa. 16. Pulli primum excuntes, nido trepiduli huc atq; volitantes circumſtrepunt.

Canes muti.

In omnes, qui cum pro re & tempore loqui debeant, metu aut gratia victi tacent. Eſa. 56. Alluſum ad canes villaticos, conjuncta villæ ſolo aſpectu, ſonore & latratu cuſtodientes.

TOLERANTIA.

ERASMI. *Aſſuevit malis.*

In eum qui ferendis contumeliis aſſueverit, congruet illud ex eodem libro:

Οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων οὐδὲ βολάων.
Id eſt:
Jam minime plagas tolerare rudis, neq; jactus.

VANITAS.

ERASMI. *Non perſuadebis, ne ſi perſuaderis quidem.*

Οὐ γὰρ πείσεις, οὐδ᾽ ἂν πείσῃς.
Id eſt:
Haud etenim perſuaſeris unquam,
Nec ſi etiam perſuaſeris iſtud.

Proverbiali ſchemate dictum ab Ariſtophane. Eſt autem hyperbolæ genus, qua ſignificamus tanquam ἀδυνατώτατον. Perinde quaſi dicas: Non credam etiamſi videro.

Cape nihil, & ſerva bene.

Λάβε μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς, id eſt, Cape nihil, & ſerva bene. Videtur in eos dictum, qui cum doceant frivola, tamen jubent auditores meminiſſe. Galenus de Platonis & Hippocratis placitis lib. 3. οὕτω γὰρ μόνως οἶμαι πεισθήσεσθαι, τὸ κατὰ τὴν παροιμίαν λεγόμενον ὑπάρχειν αὐτῷ, τὸ λάβε μηδὲν, καὶ κράτει καλῶς, id eſt, Siquidem hoc uno modo perſuadebitur, quod adſit illi illud proverbii: Cape nihil, & ſerva bene. Congruet in doctrinam inutilem ac falſam.

Figuli opes.

Κεράμειος πλοῦτος, id eſt, Fictiles divitiæ. De rebus incertis, fragilibus, ac nequaquam duraturis. Quemadmodum figulorum vaſa facile comminuuntur quolibet caſu. Refertur adagium à Diogeniano.

Multa incredibilia.

Idem in eodem opere citat hunc ſenarium ceu proverbialem.

Ἄπιστ᾽ ἀληθῆ πολλὰ συμβαίνει βροτοῖς.

Hac ſententia putat utendum ei qui gaudet mentiri, & quod fingit, vult haberi pro vero. Et aliquanto poſt eandem ſententiam refert ex Agathone.

Τάχ᾽ ἄν τις εἰκὸς αὐτὸ τοῦτ᾽ εἶναι λέγοι,
Βροτοῖσι πολλὰ τυγχάνειν οὐκ εἰκότα.
Id eſt:
Probabile hoc fortaſſis aliquis dixerit,
Permulta hominibus inopinata obtingere.

Fumus.

Καπνὸς dicuntur promiſſa magnifica quidem, ſed inania. Unde Fumos vendere, & fumos effundere. Hoc nomen inditum Theageni cuidam: qui quum pauper eſſet, affectavit tamen haberi prædives ac magnificus negotiator: unde vulgo dictus eſt καπνός. Ariſtophanis interpres authorem citat Eupolim Comicum in fabula cui titulus Δῆμοι.

Vetera vaticinari.

Alibi retulimus ἀρχαῖα λέγειν. Frivola loqui. Ballio in Pſeudolo Plautino ad atrocia convicia, quibus è duobus impetitur, reſpondet, Vetera vaticinamini. Conveniet in eos qui nihil adferunt novi, ſed jam olim vulgo jactatum. Nam vatum eſt, aut aliquid novi dicere quod nondum accidit, aut aliquid proferre, quod nulli cognitum eſt. Solent enim prognoſtæ quidam mira quædam divinare de præteritis annis. Lenoni nihil eſt novi audire, ſceleſtus, perjurus, ſacrilegus.

Eadem queri.

Συναυλίαν κλαίειν dicuntur, qui ſimul iiſdem de malis queruntur. inde ſumptum, quod apud veteres interdum duo tibicines eandem cantionem ſonabant. Ariſtophan. in Equitibus,

Ξυναυλίαν κλαύσωμεν, οὐλύμπου νόμον.
Id eſt:
Modis Olympi concinamus triſtia.

Olympus quidam fuit Marſyæ diſcipulus. Is conſcripſit de lugubribus modis tibia canendis. At Marſyæ male ceſſit ſua muſica. Diſcipulus igitur magiſtro accinit lugubria.

Agones.

Admonuimus Antigonum regem Demetrii nepotem militari joco dictum Doſonem: quod omnibus polliceretur, dicens, δώσω, nec præſtaret ſemper pollicita. Ita qui apud Romanos percutiebant victimam, Agones dicti ſunt: quod ex more priuſquam ferirent, populum rogabant, Agon? id eſt, agone? Ovid. in Faſtis.

Semper agatne rogat, nec niſi juſſus agit.

Agonum meminit Lactantius, Statii enarrator. Quadrabit in cunctatores, qui ſemper deliberant, neque quicquam aggrediuntur.

VENEFICIA.

ERASMI. *Præficarum more.*

Præficæ dicebantur mulieres, in hoc conductæ, ut in funere lamentarentur, ac defuncti laudes prædicarent, aliis plorandi modum præirent, unde & præficæ dictæ ſunt, quaſi præfectæ. Ab his jocus ſumitur in eos qui ſimulant amorem aut dolorem, quum lucri cauſa faciant quicquid faciunt. Lucilius citante Nonio.

Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos ſcindunt & clamant magis.

Id imitatus eſt Horatius,

Ut quæ conductæ plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.

Plautus apud Nonium in Frivolaria:

Superavere omnes argutando præficas.

Conveniet & in illos, qui præ invidia non ſuſtinent laudare niſi vita defunctos. Nævius apud Feſtum: Hæc quidem mehercle opinor præfica eſt, quæ ſic mortuū collaudat. Id familiare eſt uxoribꝰ, ut maritum defunctum in alterius invidiam ſine fine prædicent. Quadrabit & in illos, qui quum ipſi nihil habeant quod laudem promereatur, laudandis aliis affectant videri aliquid. Plautus in Truculento. Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica, alios quæ collaudat, eapſe ſeſe vero non poteſt.

Ne faſcines.

Ἵνα μὴ βασκάνῃς με, id eſt Ne me faſcines. Dici ſolitū, ubi quis rem ſuavem nactus, præſentibus impartit aliquid, ne ſolus fruens alios contriſtet. Indicat hoc Ariſtoteles ſectionis 20. problemate 24. Ubi de menſa communi aliquis ſibi privatim ſumeret aliquid, intuenti communicans dicebat, Ne me faſcines. Itaque ſumpturi cibum prius edebant rutam, ceu remedium adverſus faſcinum. Tum enim metuebant noxam faſcini, quoties vel avidius veſcerentur, vel alicujus incommodi ſuſpicione tenerentur, aut cibum haberent ſuſpectum quem capiebant. Ita fiebat, ut ſemper cum perturbatione vel biberent vel ederent, flatu ſimul hauſto: qui ſi expellitur, ſimul exit cibus: ſi retinetur, movet tormina. Itaque ruta prius comeſa, & ſtomachum & reliquum corpus calfacit, ut ſpiritus ille incluſus diſcuti atque abigi poſſit. Unde & illud proverbiale quiddam habet. Ruta opus eſt: ubi ſignificabimus periculum cujuſpiam incommodi: quemadmodum de baccare & apio diximus alias.

Ardens veſtis.

Αἴθων χιτών, id eſt, Ardens veſtis, ſive (quemadmodum in aliis legitur exemplaribus) αἴθεις ἐν χιτῶνι, id eſt, Incenſus in veſte. Zenodotus prodidit dici ſolitum de iis, qui ſeditionem moverent, calumniaſq; ſererent. Exiſtimat autem adagium natum à veſte Neſſi Cētauri ſanguine infecta: quam à Deianira miſſam cum induiſſet Hercules, incenſus igni ſacro periit. Porro fabulam idem recenſet ad hanc ferme ſententiam. Reliquis Centauris expūgnatis ac cōfectis ab Hercule, Neſſus unus omnium ſuffugerāt. Is pervenit ad flumen Evenum, & in ejus ripa verſans, ſolitus eſt advenientes tranſmittere. Deinde evenit, ut Hercules in Trachinem ad Ceycem, una cum Deianira proficiſceretur. Poſteaquam igitur ipſe jam fluvium tranſmiſiſſet, Neſſo mandavit, ut Deianiram tranſ-

transferret. At is inter tranſvehendum, vim cœpit adferre mulieri. Quod ſimulac Hercules intellexiſſet, videlicet illa vociferante; Neſſi præcordia jaculo perfodit. At is ſentiens lethale vulnus, neq; ſe poſſe mortem effugere, mulierem acceſſit: Si vis, inquiens, tibi amatorium efficaciſſimum parare, quo poſſis Herculem inflammare in amorem tui, & ſi quando deperibit alium, in tui cupidinem revocare, fac illum meo ſanguine perungas. Atque ea perſuaſa, Neſſi ſanguinem è vulnere fluentem apud ſeſe ſervavit. Itaque poſtquam Trachinem adiiſſet, ac rurſum inde profectus Oechaliam adortus civitatem cepiſſet, reliqua populatus, Jolen puellam captivam ſecum abduxit. Immolaturus autem Jovi patenti victimas ob res bene fortunatas, ad Deianiram mittit, jubens ut ſibi veſtem aliquam magnificam mitteret. Illa certior facta de Joles raptu, veritaque ne Hercules illam pluris quam ſeſe faceret, ut eſt zelotypum mulierum genus, veſtem Neſſi cruore tinctam, imbutamque mittit, philtrum ſe mittere rata. Hanc indutus Hercules, rem divinam peregit. Cæterum ubi calefacta veſte venenum excitatum corpus graviter adurere cœpiſſet, avellere conatus eſt: verum jam ita penitus adhæſerat, ut non ſine carnibus ipſis revelli poſſet. His itaque malis diſcruciatus Hercules, in Trachinem deducitur. Interim illa, cognitis iis quæ acciderant, ſuſpendio ſpontaneam mortem ſibi conſcivit. At Hercules juſſit Hyllo (nam hunc ex Deianira ſuſtulerat natu jam grandem) Jolen duceret uxorem. Quo facto, in monte Oeta rogum extruxit, eumque conſcendit. Porro cum illo jubente, nullus ex Herculis comitibus auderet ignem ſubdere, videlicet metu contagii, paſtor quidam forte repertus, qui ignem immitteret: atq; huic officii præmium ſua tela dono dedit. Ardente jam rogo ferunt nubem non ſine tonitru obſepſiſſe Herculem, atq; ita ſublatum ad deorum conſortium. Adagium referri non abſurde poterit & ad veſtem illam, quã Medea venenis imbutam, Jaſonis novæ nuptæ dono miſit: quidã exiſtimant naphtha infectam fuiſſe. Itaque admotis undiq; ex nuptiarum ritu tædis, flamma tranſiliit pariter & puellam & patrem auxiliari cupientem exuſſit. Hujus rei mentionem facit Euripides in tragœdia, cui titulus Medea. Hujuſmodi fabellas, ut ſæpenumero teſtatus ſum, niſi vererer, ne parum eruditis viderer incuria præteriiſſe, cum in vulgaris collectaneis habeantur, nequaquam aſcripturus eram.

VICES OFFICII.

ERASMI. *Nemo ſibi naſcitur.*

Hæc ſententia Platonis ſic eſt ab eruditis omnibus celebrata, ut optimo jure poſſit inter proverbia recenſeri. Eam primus Plato prodidit in epiſtola quam ſcripſit ad Archytam: *ἀλλὰ καὶ ἐκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονεν, ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν, τὸ μέν τι ἡ πατρὶς μερίζεται, τὸ δέ τι οἱ γεννήσαντες, τὸ δὲ οἱ λοιποὶ φίλοι, πολλὰ δὲ καὶ τοῖς καιροῖς δίδοται τοῖς τὸν βίον ἡμῶν καταλαμβάνουσιν*, id eſt, Quin & illud tibi conſiderandum eſt, quod quiſq; noſtrum non ſibi tantum natus eſt, ſed ortus noſtri partem ſibi vendicat patria, partem parentes, partem amici cæteri. Multa vero dantur & occaſionibus, quæ incidunt in vitam noſtram. Adducit hunc locum M. Tullius libro De officiis 1. Sed quoniam, inquit, ut præclare ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolum nati ſumus, ortuſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Quam ſententiam quum dilucide, commode & eleganter verterit Cicero, miror quare Seneca dicere maluit, Nemo ſibi contigit. Nam videtur exprimere voluiſſe illud *γέγονε*, ſic enim ſcribit ad Lucilium l. 5. Epiſt. 32. Vis ſcire quid ſit, quod faciat homines avidos futuri? Nemo ſibi contigit. Videtur enim hoc imputare parentibus, quod non ſtatim experimus optima. Subjicit enim: Optaverunt itaq; tibi alia parentes tui: ſed ego contra, omnium tibi corũ contemptum opto, quorum illi copiam. Vota illorum multos cõpilant, ut te locupletent. Idem ſtudii fuiſſe videtur Quintiliano, ut omni ſecus diceret quam diceret Cicero. Quare fit, ut non raro dicat inelegantius, atq; etiam obſcurius.

VINCERE ET VINCI.

ERASMI. *Prælio victus, non bello.*

Non ſtatim victor eſt, qui in uno alterove negocii actu diſceſſit ſuperior, ſed qui totam cauſam evicit. Prælium enim eſt conflictus bellicus: bellum totum hoc tempus dicitur, etiamſi ceſſetur a præliis, aut ſi intercedant induciæ. Sola pax finit bellum: induciæ diſimunt congreſſus. Nonius hos trochiacos citat ex Lucilio, Ut Romanus populus victus vi, & ſuperatus præliis ſæpe multis, bello vero nunquam, in quo ſunt omnia. Congruunt illi, Vir fugiens & denuo pugnabit.

VIS INJUSTA.

ERASMI. *Rapina rerum Cinnari.*

Ἁρπαγὴ τῶν Κινάρου, id eſt, Direptio bonorum Cinnari. De facultatibus per tumultum direptis. Veluti cum principes præter jus in alienas fortunas injiciunt manus. Timæus ſcriptum reliquit, Cinnarum quempiam fuiſſe, patria Selinuſium, arte lenonem, qui hoc quæſtu ad ſummas opes pervenerit. Is quoad vivebat, pollicebatur ſe facultates omnes Veneri conſecraturum: cæterum moriens, populo diripiendas expoſuit. Huic non diſſimile, quod alibi commemoravimus, Porſenæ bona.

Nuncio nihil imputandum.

Hic fere eſt hominum affectus, ut triſtia nuncianti perinde indignentur, quaſi fecerit quod factum nunciat. Creonti itaq; ſuccenſenti nuncio, quod parum læta adferret, ita reſpondet.

Ὁ δρῶν ἀνιᾷ τὰς φρένας, τὰ δ' ὦτ' ἐγώ.

Id eſt:

Qui fecit, animum diſcruciat, aures ego.

Ejuſdem nuncii verſus eſt,

Στέργει γὰρ οὐδεὶς ἄγγελον κακῶν ἐπῶν.

Id eſt:

Nemo hunc amat, qui verba nunciat mala.

Accommodari poterit ad eum, qui lapſum admonet, ut magis ſibi ipſi ſuccenſeat qui crimen admiſit, quam ei qui neceſſariam admovet correptionem. Nam correptio ad tempus moleſta eſt auribus, ſed ſceleris conſcientia perpetuo mentem fodicat.

COGNATI. *Κατὰ κράτος.*

Κατὰ κράτος proverbii quædam figura vehementer & prorſus ſignificat Plato de legibus *κατὰ κράτος ἑλεῖν*. id eſt, Vi expugnavit. Xenoph. 4. Pæd. *κατὰ κράτος φεύγουσι.*

VITA HOMINIS MISERA.

POLYDORI VIRGILII.

Domos luteas habitare.

Hujuſmodi metaphoræ ſunt quamplurimæ, ſuntque præconibus ſacri verbi mire utiles, ad hominum ſuperbiam frangendam: brutum illud elementum, quo ſe circumdatos norunt, ſæpe iiſdem ponendo ob oculos, ejuſque vilitatem amplificando, Job. 4. Eodem tendit illud Pauli, 2. Cor. 4. Habemus theſaurum hunc in vaſis fictilibus.

VLTIO.

ERASMI. *Numinis ira inevitabilis.*

Apud Homerum Jupiter uxori minitans, appellat manus ſuas *ἀάπτους*, quod lædant quoſcunque velit, quum a nemine viciſſim lædi queant. Simile eſt quod in eadem fabula dicit Oreſtis pædagogus,

—Ὅταν δέ τις θεῶν
Βλάπτῃ δυνάμενον, οὐδ' ἂν ἰσχύων φύγοι.

Id eſt:

At ubi viro nocet deorum quiſpiam,
Vitare poſſit nemo quamlibet potens.

Solent homines calamitates ſuas in hanc aut illam cauſam rejicere: quum pleraq; mala ſic præter omnem expectationem accidant, ut appareat à ſuperis immitti. Adverſus numinis decretum nihil valet humana providentia.

Apud equum & virginem.

Æſchines adverſus Timarchum refert, Athenis fuiſſe quendã tantæ ſeveritatis, ut filiam quod impudice ſe geſſerit, nec integritatem ſuam ſervarit uſque ad matrimonium, deportarit in locum deſertum, atq; ibi una cum equo incluſerit, haud dubie fame perituram. Ejuſq; domicilii ſolum ſua etiamnum ætate ſuperfuiſſe tradit, quod ex re dicebatur *παρ' ἵππον καὶ κόρην*, id eſt, Apud equum & virginem. Dici poteſt in exemplum immodicæ ſeveritatis.

Mala malis eveniunt.

Clytemneſtra objurgans Electram filiam, quod per eam traduceretur, ut viricida, viciſſim audit.

Αἰσχροῖς γὰρ αἰσχρὰ πράγματ' ἐκδιδάσκεται.

Id eſt:

E turpibus enim facta turpia diſcimus.

Significans, quod filia de matre parum honeſte loqueretur, ei imputandum, quæ necando maritum, & filii necem moliendo, docuiſſet liberos odiſſe matrem, id paulo poſt dicit explanatius,

Τὰ δ' ἔργα τοὺς λόγους ηὑρίσκεται.

Id eſt:

Porro ipſa facta, verba reperiunt ſua.

Scitum eſt illud Socratis, ut ſe quiſque talem præſtaret re, qualis haberi cuperet. Fama enim è factis, velut è fonte naſcitur, è bonis bona: è malis mala, proinde qui factis ignominioſis ſibi peperit

ignominioſam famam, ne ſuccenſeat male loquentib. ſed ſibi qui ora aperuit populo: nec moliatur vindictam in maledicos, ſed benefactis rumorem fœdum abolere ſtudeat.

Hæc juſticia.

Αὕτη γὰρ δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

Id eſt:

Divum hæc juſticia eſt, magnus quos claudit Olympus.

Dici ſolitum, quoties pœnas darent ſceleſti veluti diis ipſis ultoribus. Sumptum eſt ex Homero.

Cicadæ ſibi canent.

Οἱ τέττιγες ἑαυτοῖς χαμόθεν ᾄσονται. id eſt, Cicadæ ſibi ipſis ex humo canent. Hoc exemplum Ariſtot. lib. 3. adducit ex Steſichoro, ſchematis, quo quis dicit quod nō dicit. Nec aliud addit (unde poſſis dicti ſenſum deprehendere: niſi quod ſuſpicor poëtam his verbis comminatum iis à quib. erat læſus: quos ſi ulciſci alioqui non poſſet, certe carminibus ſuis eſſe illos infamiæ traditurus. Adducit idem ejuſdem operis lib. 2 inter ſententias obſcure dictas: ὅπερ Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν, id eſt, Quod quidem Steſichorus apud Locrenſes dixit, Non oportere cuiquam injuriam facere, ne cicadæ ex humo canant. Cicadæ poëtarum habent ſymbolum. χαμόθεν dixit ob inopiam & conditionis humilitatem. Unumquodque animal minatur his armis, quibus à natura inſtructum eſt. Poetæ præter verſus nihil habent: quib. tamen hominem vel album vel nigrum ad poſteros tranſmittunt. Unde & Plato dicitur amicos admonere ſolitus, ne quem hominem poëticum ſibi redderent inimicum. Eſt enim, ut ait Flaccus, genus irritabile vatum: & in his ſunt, qui fœnū habeant in cornu. Doctis tamen nonnullis placet, alio ſpectare Steſichori dictum. Quoniam cicadæ ſolent, Marone atteſtante, in arborib. canere, apparet Steſichorum civiliter hoc ænigmate Locrenſes admonere, ne per petulantiam à finitimorum injuriis parum temperantes, tandem arma illorum in ſe concitent, qui cum exercitu fines illorum ingreſſi, quicquid arbuſtorum ſit in agris, hoſtiliter excidant: itaque fiat, ut cicadæ illis jam humi canere incipiant ſublatis arborib. quibus inſideant. Forſaſſe tale quiddam refert Gregorius Nazianzenus, cujus in hoc opus commentarios vidimus Venetiæ.

Exemplum utile.

Creon Hæmoni filio liberius agenti minitans malum, ita loquitur.

Κλαίων φρενώσεις, ὢν φρενῶν αὐτὸς κενός.

Id eſt:

Plorando facies mentem ut habeant cæteri,
Mente ipſe vacuus.——

Quum improbi luunt ſtulticiæ ſuæ pœnas, quanquam ipſi nihilo ſiunt meliores, tamen aliis exemplo ſunt, ne per incogitantiam in ſimiles incurrant calamitates.

Pervicacia ſtulticia dat pœnas.

In Antigona, Tireſias Creontem admonens, ne præfractus ac rigidus perſiſtat in ſententia, ita loquitur.

Αὐθαδία τοι σκαιότητ᾽ ὀφλισκάνει.

Id eſt:

Præfracta mens, amentiæ pœnas luit.

Intractabilis illa ferocia fere ſolet magnæ cujuſdam calamitatis eſſe præludium, quemadmodum indicant & Hebræorum proverbia: Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Hoc Tireſiæ dictum eleganter expreſſit Hæmon in eadem fabula, duplici metaphora arborum & nautarum. Carmen ſic habet.

Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάρροις ὅσα
Δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσῴζεται.
Τὰ δ᾽ ἀντιτείνοντ᾽ αὐτόπρεμν᾽ ἀπόλλυται.
Αὕτως δὲ ναὸς ὅστις ἐγκρατὴς πόδα
Τείνας ὑπείκει μηδὲν ὑπτίοις κάτω
Στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται.

Id eſt:

Vides ut in torrentium decurſibus,
Quæ cedit arbor, ſurculos ſervat ſuos:
At quæ reſiſtit, ſtirpe cum ipſa deperit,
Nauclerus itidem, qui tenens clavum, nihil
Concedit auræ & fluctibus, devolvitur
At jam ſupinis navigat nixus foris.

Vindicta velox.

De ſera vindicta numinum aliquot proverbiis teſtatum eſt, quæ ſupra retulimus. Sed quod ait Sophocles expeditam deorum vindictam magis huc conducit, ut in aliquod prolapſi malum, mature reſipiſcamus. Verba ſunt Chori ad Creontem.

Ὅσον γ᾽ ἄναξ τάχιστα· συντέμνουσι γὰρ
Θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι.

Id eſt:

Rex iſta facito quam potes celerrime
Noxæ citi pedes numinum improbos viros.
Subito occupant junctæ ſimul compendio.

Id evenit Creonti, cui vindicta pene prius adfert, quam abſolveretur Tireſiæ vaticinium.

Da panem & pugnum.

Δὸς ἄρτον τε χεὶρ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ᾽ αὐτῷ.

Id eſt:

Porrige, ſi poſſis panem, hinc obſonia pugnos,

Proverbium expreſſis verbis docet eſſe Euſtathius Ili. ψ quo ſignificetur, pugnos plagaſq; illi deberi, qui moderatis contentus eſſe nolit. Poterit etiam ejus eſſe uſus, quoties expectatione bonæ fortunæ diverſa obtingit ſors.

IVNII. *Oreſtis inſaniam inſanire.*

Simocatus in epiſtolis de paupertate loquens malum calamitoſiſſimum illam vocat, qui cum nullus habere commercium deſideret, etiamſi Oreſtæa inſania laboret: [illegible] Oreſtis inſaniæ pleni ſunt authorum libri, qua diræ ſcelerum ultrices furiæ illum agitarunt, parricidii reum.

POLYDORI VIRGILII.

Excudere pulverem pedum.

Dicemus eum qui inceptum iter perficit: vel qui ne tantulum quidem mercedis, ob ſuſceptum laborem accipit. Matth. x jubentur Apoſtoli è domo, aut civitate, ubi excepti non fuerint, egredientes excutere pulverem pedum: vel in teſtimonium laboris, quo conſtaret prædicationem Evangelicam eo uſque perveniſſe: vel in explorationem impietatis, ut e terra Evangelium ſpernente ne vel pulveris aliquid ſecum ferrent.

VOTVM.

VLPII. *Quicquid licet, minus deſideratur.*

Quicquid, inquit ‖ Hieronymus, licet, minus deſideratur. ergo e contrario, quod non licet, fomentum accipit deſiderii. Ovidius.

COGNATI. *Faciat tibi Dominus ſicut Ephraim & Manaſſe.*

His verbis precabantur Hebræi alicui præclaram felicitatem, refertur Gene. c. xlviii. ubi Jacob benedicit filiis, Joſeph, brachiis decuſſatim poſitis, ſic ut dextra ſenis contingeret caput natu minoris, qui ſtabat ad lævam: & ſiniſtra caput natu majoris, qui ſtabat ad dextram. Prædixit autem utrunque futurum magnum, adeo ut illorum felicitas locum faceret proverbio in Iſraele.

SYMBOLA PYTHAGORÆ
EX BRASSICANO I. C.

Cum templum ingreſſus, reverenter adorato, neque quicquam interea quod ad victum pertineat, aut dicas, aut facias.

EIς ἱερὸν ἀπιὼν προσκυνῆσαι, μηδὲν ἄλλο μεταξὺ βιωτικὸν μήτε λέγε, μήτε πρᾶττε. hoc eſt, cum templum ingreſſus ſis, reverenter adorato, neque quicquam interea quod ad victum pertineat, aut dicas, aut facias. Pythagoræ ſymbola ſingula ſingulis virtutibus docendis accommodata ſunt: verum ut Jamblichus inquit, τὰ πρῶτα εἰς εὐσέβειαν καὶ τὴν θείαν ἐπιστήμην ἐστὶ παρακλητικά, id eſt, prima illa ad pietatem & divinarum rerum cognitionem ardentiſſ. quadam adhortatione perducunt. Nam cum omnia quæ ad Deum pertineant, pura ſint, & ab omni mixtione aliena: convenit omnino quod purum in nobis eſt, puriſſimo pariter (quod Deus eſt) accommodemus, neque ad divinum cultum aliquid humanum adducamus: humana ſiquidem cum divinis in comparationem nequaquam venire poſſunt, ut cura rei familiaris immodica, rei divinæ non ſit admiſcenda, recte itaq; Jamblichus: οὐδὲν οὖν ἄλλο παρακελεύεται ἐν τούτοις ἢ τοὺς λόγους τοὺς ἱεροὺς καὶ τὰς θείας πράξεις μὴ συμμιγνύναι τοῖς ἀνθρωπίνοις ἀσταθέσιν ἤθεσι. Nihil aliud hoc Symbolo docetur, quam ſacros ſermones & divina negocia non eſſe moribus hominum, prorſus incertis & inconſtantibus, adſcenda.

Ex itineris diverticulo non eſt ingrediendum in templum neque orandum omnino, etiamſi juxta veſtibulum ipſum tibi tranſeundum ſit.

Οδοῦ πάρεργον οὔτε εἰσιτέον εἰς ἱερὸν, οὔτε προσκυνητέον τὸ παράπαν, οὐδ᾽ εἰ πρὸς ταῖς θύραις αὐταῖς παριὼν γένοιο, id eſt, Ex itineris diverticulo non eſt ingrediendum in templum, neq; orandum omnino, etiamſi juxta veſtibulum ipſum tibi tranſeundum ſit. Simile ſimili cum primis eſt appoſitum. Diis igitur qui principem omnium rerum poteſtatem habent, primus etiam cultus & obſervatio debetur: quam ſi quis ob aliam cauſam diis exhibeat jam inde ſecundo loco æſtimat quod modis omnibus eſt præcipuum. Ridiculum itaque fuerit, noſtra quæ longe contemptiora ſunt, primo loco ponere, divina vero non aliter atq; quædam additamenta ducere.

Nudis pedibus ſacrifica & adorato.

Ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει, id eſt, Nudis pedibus ſacrifica ſimul ac adorato. Quorum primum ſignificat, diis immortalib. eatenus eſſe ſacrificandum, quatenus fortunarum noſtrarum mediocritas admittat, id quod & Heſiodus indicat in Ergis.

Καδ᾽ δύναμιν δ᾽ ἔρδειν ἱερ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Ita Lycurgus apud Lacedæmonios tenuiſſima ſacrificia inſtituit, ut expeditius faciliuſq;, & perinde etiam frequentius rebus divinis intenderet. authore Plutarch. in Apophtheg. Alterum indicat, in re divina facienda, animum eſſe debere prorſus expeditum, atque nullis omnino vinculis implicatum. Eſt enim Pythagoricorum ſcitum, ſymbolis à corpore mutuatis, ea quæ animum pertinent oſtendere. Unde Servius etiam Virg. lib. 4. Æneid. huc alluſiſſe putat, cum de Dione inquit.

Unum exuta pedem vinclis, in veſte recincta.

Et in flaminum Romanorum veſtibus nullus erat nodus, quod ad hoc ſymbolum jam explicatum valde quam appoſitum eſt.

De diis, rebuſque divinis nihil tam admirabile dicitur, quod non debeas credere.

Περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπίστει, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων, id eſt, De Diis, atque adeo de placitis divinis, nihil ita admirandum dicitur, quod non debeas conſtanter credere. Symbolum admonet, divina non eſſe collocatione noſtræ imbecillitatis æſtimanda. Nam & morborum varietas, & hoſpiti tenuitas, ad hæc inconſulta noſtra temeritas, merito nos admonere debebant, nihil hic eſſe diuturnum aut perpetuum, atque eo minus divinis rebus comparandum. Sed & Mathematis ſuis, τὸ μὴ ἀπιστεῖν, Pythagorici authore Jamblicho acceptum ferunt. & hoc ſymbolum, ut in alio loco docet Jamblich: προτρέπει καὶ τούτοις καὶ ἀπὸ τῶν ὁμοίων τῇ μαθηματικῇ διὰ τὸ δύνασθαι ἐκείνην καὶ περὶ θεῶν, καὶ περὶ θείων δογμάτων.

Linguam coerce, Deum imitans.

Γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει, θεοῖς ἑπόμενος, id eſt, Linguam apud omnia contine, Deum imitans. Primum prudentiæ officium eſt, linguæ ſuæ imperare: & animi conſummata perfectio eſt, ad exempla divinæ bonitatis ubique ſe componere.

Flantibus ventis echon adora.

Ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει.

Id eſt:

Flantibus ventis echon adora.

Ἐ αὐτὸ τὸ θεῖας σοφίας ἐστὶ γνώρισμα· αἰνίττεται γὰρ ὡς δεῖ τῶν θείων φύσεων καὶ δυνάμεων τὴν ὁμοιότητα ἀγαπᾶν. Et hoc ad divinæ ſapientiæ cognitionem pertinet. Tacite enim indicat, divinarum eſſentiarum & facultatum ſimilitudinem quandam & expreſſam imaginem amandam eſſe. Siquidem dii immortales ubi proſunt, quæ ſumma illorum poteſtas eſt, hoc certis quibuſdam & quaſi ſpirantibus, ut ita dixerim, argumentis oſtendunt. Sic interpretatur Jamblichus: quod ſi quibuſdam longius accerſitum eſſe videbitur, hoc authori poterunt reſcribere.

Omne acutum abs te dimove.

Οξύτατα ἀπὸ σεαυτοῦ ἀπότρεφε πάντα: Omne quod acutum ſit à te procul amoveas. hoc in Jamblicho ſubjicitur ſymbolo. Ignem gladio ne fodito. proinde inquit: καὶ τοῦτο φρονήσεως ἐφάπτεται παρακελεύεται, καὶ μὴ θυμῷ ... ψυχῆς ... ἀλλὰ ... λογισμῷ καὶ φρονήσει ὑπείκοντας. ... θυμὸς ... ὀξὺς ... θυμοειδής. Et hoc admonet, omnibus rebus adhibendam eſſe prudentiam, neq; tantulu... quidẽ eſſe concedendum iracundiæ. Quod acutum eſt in animo, θυμὸν appellamus: atque id à ratione prudentiaque valde quam alienum eſt. Adhæc iracundia non aliter efferveſcere conſuevit quam lebes igne calefactus. Sic Homerus Iliad. φ.

Ὡς δὲ λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ.

In calceum dextrum præmitte pedem: in podoniptrum autem ſiniſtrum.

Εἰς μὲν ὑπόδησιν τὸν δεξιὸν πόδα προπάρεχε, εἰς δὲ ποδονιπτῆρα, τὸν εὐώνυμον. In calceum, dextrum præmitte pedem: in podoniptrum autẽ, ſiniſtrum: εἰς τὴν πρακτικὴν φρόνησιν προτρέπει. τὰς μὲν σπουδαίας πράξεις ὡς δεξιὰς προτιθέναι παραγγέλλει τὸ σύμβολον, τὰς δὲ φαύλας ὡς ἀριστερὰς ἀποθέσθαι παντάπασι καὶ ἀπορρίπτειν. Ad prudentiam activam adhortatur, nam actiones honeſtas tanquam dexteriores primo loco collocandas eſſe ſymbolum hoc indicat: inutiles autem tanquam ſiniſtras relinquendas, & omnino abjiciendas eſſe.

Ad lucernæ lumen ne te ſpeculo contempleris.

Παρὰ λύχνον μὴ ἐσοπτρίζου, Ad lucernæ lumen ne te ſpeculo contempleris. Hæc vere Pythagorica admonitio eſt, Philoſophiæ diligentem operam impendendam eſſe, neque quicquam credendum viſis illis, quæ per ſenſus in animos inferuntur (Phantaſiæ ſiquidem aliquam lucem, per comprehenſionem efficiunt, ſed minime veram aut naturalem) ſed longe plus eſſe tribuendum iis, quæ prudentia atq; ſententiis conſequimur, ab iis enim mire ſplendida, ac minime conficta lux efficitur, quam recte quiſpiã τῆς ψυχῆς ὄμμα, id eſt, animæ oculum appellaverit: hoc nos exactiſſime conſtant. & perinde parum etiam ſtabilia ſunt. Quoniam autem de ſenſibus & viſis hic fit mentio, præſtat adſcribere verba Philonis Judæi ex libro De mundo: αἴσθησις μὲν οὖν ὡς αὐτὸ δηλοῖ τὸ ὄνομα εἴσθεσίς τις οὖσα τῶν φαινομένων ἐπὶ τὸν νοῦν, φαντασία δὲ τύπωσις ἐν ψυχῇ, εἰσὶν φαντασία τις αὕτη. id eſt, Senſus quidem ut ipſum nomẽ indicat, illatio quædam eſt in mentem eorum quæ apparent & videntur. At Phantaſia ſic dicta, tanquam φαντασία, impreſſio quædam eſt in anima, &c. Huc pertinet, quod Ariſtotelem frequenter dixiſſe refert Stobæus: ὡς ἡ μὲν ὄψις ἀπὸ τοῦ περιέχοντος ἀέρος λαμβάνει τὸ φῶς, ἡ δὲ ψυχὴ ἀπὸ τῶν μαθημάτων, id eſt, Quemadmodum viſus accipit lumen à circumfuſo aere, ſic animus optimis diſciplinis illuſtratur.

A riſu effuſo abſtine te.

Ἀκράτῳ γέλωτι μὴ ἔχεσθαι. A riſu effuſo abſtine. δηλοῖ κρατεῖν τῶν παθῶν. Symbolum admonet, affectus eſſe ſumma cura reprimendos, & addit Jamblich. μήτε πρὸς εὐτυχίαις ἐπαιρόμενος, μήτε συμφοραῖς συστελλόμενος, quod Auſonius ex ſententia Periandri iis verbis expreſſit.

Dum fortuna juvat, caveto tolli:
Dum fortuna tonat, caveto mergi.

Riſu autem in affectibus ſignificandis, uſus eſt Pythagoras: ſive quod in expoſito & aperto corporis humani loco, nimirum in ipſa facie cernatur: ſive quod ipſum etiam hominem aliqui ζῷον γελαστικὸν ὡρίζοντο.

Juxta ſacrificium ne incidas ungues.

Παρὰ θυσίαν μὴ ὀνυχίζου, Juxta ſacrificium ne incidas ungues, [illegible] Symbolum admonet, amicitiam cum primis eſſe colendam & conſervandam. Nam familiares & amici noſtri, & qui nobis ſanguinis neceſſitudine quam proxime conjuncti ſunt, nempe fratres, parentes, & nati natorum, & qui naſcuntur ab illis, recte comparantur corporis noſtri partib. Quod ſi quis illos à nobis auferat, non aliter nos turbari, & ex aliqua parte immuni neceſſarium eſt quam ſi quis abſcinderet noſtros digitos, manus, aures, naſum, & ejuſmodi ſimilia, quod autẽ juxta ſacrificium dixit, amicitiam omni tempore tanquam rem ſacram puriſſime colendam eſſe intellexit.

Cerebrum ne edas.

Ἐγκέφαλον μὴ ἔσθιε, Cerebrum ne edas, [illegible] Symbolum admonet, reverenter eſſe colendum omnium ſenſuum fontem, ac appoſitiſſ. intelligendi inſtrumentum, cujus unius præſidio ſapientiam poſſidemus. Quis autem ignorat, ex Philoſophorum placitis [illegible]

Rubrum aliquid ne ſuſcipias.

Ἐρυθρὸν μὴ ἀντιλαμβάνου, Rubrum aliquid ne ſuſcipias: hoc eſt, [illegible] In omni negocio vitandi ſunt qui vel immodice verecundi, vel nimis demiſſi animi fuerint.

Aurum habenti ne adhæreſcas filiorum generatione.

Χρυσὸν ἔχοντι μὴ πλησιάζειν ἐπὶ τεκνοποιΐᾳ, Aurum habenti ne adhæreſcas in filiorum generatione: [illegible] φιλοσοφίᾳ. Non mulieri dicit, ſed Philoſophiæ, aut alicui ſectæ: omniũ autem quæ in terra reperiuntur, conſtat aurum eſſe graviſſimum: unde per aurum intelligit corpoream quandam, ut ita dixerim gravitatẽ, quæ neutiquam in Philoſophia requirenda eſt, ubi nihil niſi quod ad animum pertinet, inveſtigare convenit, πλησιάζειν autem [illegible]: Non tantum eſt convivere, ſed quam proxime accedere. Symbolum indicat, ad ingenii fructum conſequẽdum (quem iſthic τεκνοποιΐαν vocat) ea præcipue ſtudia colenda eſſe, quæ prorſus incorrupta ſint, & ad vitæ ſinceritatem quam plurimum conducant.

Honora cum primis figuram & aram, figuram & triobolum.

Προτίμα τὸ σχῆμα καὶ βῆμα, τὸ σχῆμα καὶ τριώβολον, Honora cum primis figuram & aram, figuram & triobolum. Symbolum indicat, diſciplinas aſſidue colendas eſſe, nam iis ceu gradibus, ad abſtruſiſſima quæque perveniri poteſt. quemadmodum gradibus quibuſdam ad aras aſcendimus. Quanquam τὸ βῆμα & aram & gradum ſignificet. Addit & triobolum, frugalitatem commendans, & mediocria impendia.

Malvam ſere: nec tamen edas.

Μαλάχην φύτευε, μὴ ἔσθιε δέ, Malvam ſere, ne tamen edas Malva, quam authore Athenæo veteres [illegible], primi autem Athenienſes μαλάχην dixerunt, ab emoliendo ventre. quod Plinius etiã docet, l. 20. c. 21. cum ſole tanquam Heliotropium circumagitur. Cujus rei rationem reddit Theophraſt. de cauſis Plantarum lib 1. c. 16. & Columella in Hortulo hoc intellexit.

E Malache prono ſequitur quæ vertice ſolem:

Flos enim humore coacto, & quaſi concreto comprimitur, calore autem diffuſo & laxante ſe opera ſolis, aperit, id quod nos in ſcholiis noſtris longe fuſius explicavimus. Symbolum admonet, ejuſmodi ſecretas naturalium rerum obſervationes diligenter animadvertendas eſſe, & quod in malva deprehenſum eſt, in reliquis etiam, præcipue in tam amœno hujuſmundi ſpectaculo conſiderandum eſſe nimirum in herbis, lapidibus, fontibus, fluminibus, animalibus. Quemadmodum autem malva cum ſole circumagitur, ita & animum atq; oculos in aliis etiam deprehendendis circumferre convenit. Deniq; quod addit, μὴ ἔσθιε, intelligendum eſt, [illegible], hoc eſt, Ejuſmodi obſervationes neutiquam occultabis, ſed multa acceſſione ſubinde augeas, in morem optimi hortulani, qui tranſplantatione ſuos hortulos aſſidue fœcundiores & locupletiores efficit.

Ab animalibus abſtine.

Ἐμψύχων ἀπέχου, Ab animalibus abſtine. Symbolum hoc [illegible], adhortatur ad colendam juſtitiam, & honorem omnibus tandem, quæ nobis cognata ſunt, exhibendum. Hoc Ovid. l. 15. Metamorph. ex Pythagoræ ſententia, multis & vere aureis verſibus exequitur.

De Pythagoricis rebus abſque lumine ne loquaris.

Περὶ Πυθαγορείων ἄνευ φωτὸς μὴ λάλει. De Pythagoricis ſive divinis rebus abſque lumine ne loquaris, [illegible], in omnibus iis rebus, quæ ſunt in hac vita pulchræ & honeſtæ inveniendis, explorandiſque, mentem ipſam tanquam ducem adhibere convenit, præcipue vero in cognoſcendis Pythagoricis placitis: quæ niſi animum intenderis, & tanquam lumen aliquod habeas, neq; quaquam intelligi poſſunt.

M. GRUN-

M. GRVNNII COROCOTTÆ PORCELLI TESTAMENTUM, venerandæ Antiquitatis gemma quædam, cujus etiam D. Hieronymus Tomo V. ad Euſtochium, in viij. Commentariorum Eſaiæ φρυαγμάζων, & adverſus Rufinum Tomo iij. nominatim meminit, per JOANNEM Alexandrum Braſſicanum I.C. ex antiquo exemplari Dominicalium patrum apud Moguntiam bona fide deſcriptum, & recens ab addititiis nugis aſſertum, quamque puriſſime fieri potuit, invulgatum.

M. Grunnius Corocotta Porcellus teſtamentum feci: quod quoniam manu mea ſcribere non potui, ſcribendum dictavi. Mag. rus coquus dixit: Veni huc everſor domus, Soli verſor fugitive Porcelle, ego hodie tibi vitam adimo. Corocotta Porcellus dixit: Si qua feci, ſi qua peccavi, ſi qua vaſcula pedibus meis confregi? Mag. rus coquus dixit: Tranſi puer, affer mihi de culina cultrum, ut hunc Porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur à famulis, ductus ſub die 16. Calend. Lucernin. ubi abundant Cynæ, Clibanato & Piperato coſſ. & ut vidit ſe moriturum eſſe, horæ ſpacium petiit, & coquum rogavit, ut teſtamentum facere poſſet. Inclamavit ad ſe ſuos parentes, ut de cibariis ſuis aliquid dimitteret eis, qui ait: Patri meo Verrino Lardino, do lego dari glandis modios xxx. & matri meæ Veturinæ Scrofæ, do lego dari Laconicæ ſiliginis modios xl. & ſorori meæ Quirinæ, in cujus votum intereſſe non potui, do lego dari hordei modios xxx. Et de meis viſceribus dabo donabo Sutoribus ſetas, Rixatoribus capitinas, Surdis auriculas, Cauſidicis & verboſis linguam, Bubalariis inteſtina, Eſiciariis femora, Mulieribus lumbulos, Pueris veſicam, Puellis caudam, Cinædis muſculos, Curſoribus & Venatoribus talos. Latronibus ungulas: & nec nominando coquo do, lego, ac dimitto popam & piſtillum, quæ mecum detuleram à querceto uſque ad haram: liget ſibi collum de reſte. Volo mihi fieri monumentum ex aureis literis ſcriptum: M. GRUNNIUS COROCOTTA PORCELLUS VIXIT ANNOS D. CCCC. XCIX. QUOD SI SEMIS VIXISSET, MILLE ANNOS IMPLESSET. *Optimam amatores mei vel conſimiles vitæ, roge vos ut corpori meo benefaciatis, bene condiatis de bonis condimentis, nucleis piperis & mellis ut nomen meum in ſempiternum nominetur. Mei domini vel conſobrini mei, qui huic teſtamento interfuiſtis jubete ſignari.*

Lucanicus ſignavit. *Lardio ſignavit.*
Tergillus ſignavit. *Offellicus ſignavit.*
Nuptialicus ſignavit. *Cymatus ſignavit:*
Celſamus ſignavit.

En tibi, Lector, colophonis vice, turbam quandam proverbiorum: quam è mediis triviis petitam, haud quidem incommode; ipſis ſanctiſſ. antiquitatis reliquiis immiſcueris: ſua tamen potius lingua & patriæ, ubi nata principem locum tenent, relinquendam.

DAbo merulum album, ni hoc ita ſe habuerit.

Dentium tenus pravus, doctus, felix.

Ex parva flamma minime ingens lux prodit.

Fac de neceſſitate virtutem.

Famem pellere ſatius, quam purpura indui.

Faviores convenit ampliari.

Felix qui non litigat.

Ferrum edit.

Intelligunt ſe mutuo, ut fures in nundinis.

Menſa inſtructa venit.

Ne ſpectes cui gratificeris, ſed cui ingratum facias.

Nihil, ne canem vel catum reliquit.

Non eſt Abbas prudentior, quam qui monachus fuit.

Non eſt bonum quod non ſit malum, & malum quod non ſit bonum.

Non eſt fori tui.

Non eſt tam bonus, qui non ceſpitet, equus.

Non eſt triticum ſine paleis.

Non omnis ſanctus.

Non omnium eſt olere moſchum.

Non prodeſt ratio, ubi vis imperat.

Nux, aſinus, mulier, verbere opus habent.

Parvulus facit ut parvulus.

Paſcitur vento.

Paupertas mors altera.

De male quæſitis, non gaudet tertius hæres.

Plures occidit gula quam gladius.

Tonitrua pluvia ſequitur.

Præſtat aliquando quam nunquam.

Pro quartana non pulſatur campana.

Qui amat me, amat & canem meum.

Qui neſcit orare, aſcendat mare.

Qui nimium feſtinat, caldum edit.

Qui tempus præſtolatur, tempus ei deeſt.

Qui totum vult, totum perdit.

Regio quæq; ſuis utitur legibus.

Satius fugere, quam male manere.

Ad ſcholam iter facit.

Semel in omni vita cuique arridet fortuna.

Vir, non fundus, in precio habendus.

Vnus vir, nemo vir.

Vt planca putrida infidus.

Vxoris probrum, ultimus, qui reſciat, eſt maritus.

ADAGIORUM FINIS.

INDEX

INDEX PROVERBIORUM JUXTA LOGOS:

ABERRANDI 6.

Quis aberret à janua.
Tota erras via.
Toto cœlo errare.
Extra calcem.
In portu impingere.
In limine deficere aut offendere.
Cantherius in porta.
De limine offendere.
Ἀμφὶ μφαλητοῖς.
A lineis excidere.
Faber cadit cum feriat fullonem.
Solœcus.
Non reſpondet opinioni calculus.
Solœciſmum admittere.
Retrorſum currere.
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.
Tota regione errare.
A vitæ à vera longe ratione recedit.
A ſigno aberrare.
In foveam incidere.
Viam in forum ignorat.
Ad pedes.
Ne currente rota funis eat retrò.
Pro amphora urceus.
Dum vitat humum nubes & inania captat.
Hærere in iisdem ſcopulis.
Nec propius ferire.
Ex pharetra obſcura ſagittare.

AB INITIO AD finem 9.

Ab ipſo lare.
A capite usq; ad calcem.
A capite arceſſere, A fonte ducere.
Prora & puppis.
Venimus ad ſummam lineam.
A carceribus.
A carcere.
Ad calcem pervenire.
Ab ovo usq; ad mala.
A linea incipere.
A teneris unguiculis.
Ab incunabulis.
Principium dimidium totius.
Caput.
Quodcunq; in ſolum venit.
Ea tela texitur.
Exordiri telam.
Scindere glaciem.
Toto organo.
A fronte atq; à tergo.
A carcere.
A cœlo ad terram.
Ne inter apia quidem ſunt.
Fores aperire.
Primum cunabulum.
Ex eodem lare.
Primas lineas ducere.
A calvo ad calvum.
Telam texere.
Curſum vitæ.
A planta pedis usq; ad verticem.
Extrema linea.
Ad caput.
A teneris annis.

ABSVRDA, INDECORA, præpoſtera. 12.

Fluvius quæ procul abſunt irrigat.
Fruſtra habet qui non utitur.
A ſinus avis.
Herculis cothurnos aptare infanti.
Lumen Soli mutuas.
Lucernam adhibes in meridie.
Soli lumen inferre.
Rana equam.
Sus minervam.
Mercurius infans.
Sus cum Minerva certamen ſuſcepit.
Veſpa cicada obſtrepens.
Pica cum luſcinia certat, Epoma cum cygnis.
Currus bovem trahit.
Cancer leporem capit.
Velocem tardus aſſequitur.
Virgulta ſcaphula Ægeum tranſmittere.
Annulus aureus in naribus ſuis.
Archilochi melos.
Agninis lactibus alligare canem.
Diſerte ſaltare.
Eodem collyrio mederi omnibus.
Eundem calceum omni pedi induere.
Præpoſtere.
Ante barbam doces ſenes.
Aratro jaculari.
Bove venari leporem & ſimilia.
Primus jactare haſtas.
Omiſſis fontibus conſectamini rivulos.
In herba luxuries.
Sus comeſſatur.
Quam in tragœdia comici.
Iungere vulpes.
Mulgere hircum.
Noctu lucidus interdiu inutilis.
Cum aqua fauces ſtrangulet.
Tuum tibi narro ſomnium.
Terra volat.
Nil intra eſt oleam nil extra eſt in nuce duri.
Iupiter orbus.
In mari aquam quæris.
Balbus non credit.
Iugulare mortuos.
Mortuum unguento perungis.
Ad conſilium ne acceſſeris antequam voceris.
Adverſus Solem ne loquitor.
Lanam in officinam fullonis.
Accepta candela.
Nec aures habeo nec tango.
Sincerum vas incruſtare.
Iuxta fluvium puteum fodis.
Per parietem loqui.
Prius quam aſſa ſit farina.
Capra nondum peperit, hœdus autem ludit in tectis.
Umbram ſuam metuere.
Furari littoris arenas.
Canem excoriatum excoriare.
Nudo veſtimenta detrahere.
Nudo mandas excubias.
Caput artis ducere quod facias.
Gallos quid exerceat.
In aere piſcari. Venari in mari.
Piſcem natare doces.
Aſinum tondes.
Lupi alas quæris.
Serenitati nubem inducit.
Cervus canes trahit.
Aquam igni miſcere.
Faber cum ſit.
Elephantum ex muſca facis.
Ebur atramento candefacere.
Exacta via viaticum quærere.
Qui ſe non habet, Samum habere poſtulat.
Leonis exuvium ſuper crocoton.
Cantherium in foſſa.
Iocandum ut ſeria agas.
E natali emortualem facere.
Ibyci equus.
Poſt rem devoratam ratio.
Trabem baiulans.
Caligare in ſole.
Teipſum non alens, canes alis.
Mari è foſſa aquam.
Mus non ingrediens antrum, cucurbitam ferebat.
Solem adiuvare facibus.
Ad menſuram aquam bibunt, citra menſuram offam comedentes.
Alterum medicus.
Anus Eriphus.
Tritus.
Anus ſaltat.
Anus cothoniſſat.
In toga ſaltantis perſonam inducere.
Camelus ſaltat.
Clave findere ligna, & ſecur aperire fores.
Cani das paleas, aſino oſſa.
Vulpes bovem agit.
Daſypus carnes deſiderat.
Tute lepus es, & pulpamentum quæris.
Sidera addere cœlo.
Culicem colans.
Smaragdus in luto obſcurus.
Piſcis eget ſale.
In pace leones.
Ollam exornas.
Aquas infundere cineri.
Χαρωνεία.
Fronti ocream, tibia galeam applicas.
Herculis ſacrificium.
Acceſſorium operis loco.
Priuſquam pinſueris farinam ſubigis.
In pace leones, in prælio cervi.
Piſtillum exornatum.
Subula leonem excipere.
Sanæ corporis parti ſcalpellum adhibere.
Calcei Sycionii.
Teſtudo volat.
Ornamentum in luto, dignitas in indigno.
Pica Syrenem imitans.
Eburneis raſtris ſolum vertere: ligonibus aureis terram fodere.
Τὸ ἑωυτῆς ἐμοὶ λέγεις ὄναρ.
Piſtillum ornatum.
Annulus aureus in nare ſuis.
Saul inter prophetas.
Præfatio libro prolixior.
Manum poteris & pedem porrigis.
Coquus male condiens.
Mandrabuli in morem.
Fulmenta lectum ſcandunt.
Moniter capras age.
Indoctus pater filium erudit.
Crocum in Ciciliam.
Morſimi verſus qui deſcripſerit.
A cauda ad os transferre.
Papulas alienas obſervans ipſe hulceribus obſitus.
Camelo tranſmiſſo culex in cribro deprehenſus hæſi.
Muſica in luctu importuna.
Medice cura teipſum.
Perſuadebis album eſſe nigrum.
Lux tenebra.
Sine ſcopo iaculari.
Accepto damno ianuam claudere.
Meretrix pudicam.
Iungere gryphes equis.
Deploratis vulneribus manum admovere.
Ante victoriam encomium canis.
Excolantes culicem camelum glutiunt.
Clypeum poſt vulnera ſumere.
Albati ad exequias pullati ad nuptias procedunt.
Alcinoo poma dare.
Bacca egent oleo.
Delphinum ſylvis appingit fluctibus aprum.
Magno flumini rivulum inducis.
Poſterius dictum.
Sellam oleo ne abſterſeris.
Ollam exornas.

ACCESSIO PUSILLA aut nimia. 14.

Crœſi pecuniæ teruncium addere.
Holerum appoſitiones.
Gleba arvum.
Gutta vini.
Ne maior thylaco acceſſio.

AD REM PERTInentia. 14.

Nunc in regionem venis.
Ipſum oſtii limen tetigiſti.
Rem acu tetigiſti.
Ædibus in noſtris quæ prava aut recta geruntur.
Ipſi curandum.

Omiſſis nugis rem experiamur.
Pedem conferre.
Ab unguibus incipere.
Rectam inſtare viam.
Ventorum ſtationes.
Quod ſal carni.
Lapis ad funiculum.
Veſtigia relegere.
Seri & meti.
Vinalia ſine vino expediri non poſſunt.

ADULATIO. 25.

Mercenarium praeconium.
Salvete equorum filia.
Verbis coquinariis.
In oſtio formoſus.
Μαστιγίας.
Athenis laudare.
Pithon formoſus.
Cura eſſe quod audis.
Herculana ſcabies.
Ficum cupit.
Demulcere caput.
Refutantis laudem immodicam.
Cauda blandiri.
Praeſtat habere acerbos.
Benignior pellace vulpe.
Lethale mulſum.
Χειρολόγος.
Io Paean
Polycrates matrem paſcit.
Ipſe ſemet canit.
Magis ipſe Phryx.
Climacides.
Gloſſogaſtores.
Ex cohorte praetoria.
Confeſſus in ſalario ludi.
Herculana ſcabies.
Οἰκουρία.
Ius in manu.
Ἀδελφίζειν.
Floccos demere.
Frumentum in populum.
Laudare nimis manu.
Chriſtologus.
Vulpinari non doces, nec utrique parti illudere.
Rex eris.
Oleum ore ferre.
Blandius alloqui.
Palpo percutere.
Roſas loqui.
Auribus dare.

ÆQUALITAS. 28.

Aequa concertatio.
Pari iugo.
Pertinax contentio.
In eandem lancem imponere.
Media aginam ferri.
Aequalia reddere capita inpugna.
Graecis barbaris, ſapientibus & inſipientibus.
Affectus eiusdem.
Patere legem quam ipſe tuliſti.
Pari filo.
Eiusdem notae.
Eadem menſura redde qua accepiſti.
Rotunda quam quadrata menſa praeſtat accumbere.

ÆQUANIMITAS. 29.

In re mala ſi animo bono parare adiuvant.
Lactare inguen.
Magiſtratum gerens audi & iuſte & iniuſte.
Ad finem ubi perveneris ne velis reverti.
Quo fata trahunt retrahuntque ſequamur.
Id devorandum tanquam lacte dulcius.
Durate. Durandum.
Nil paſſus ſi diſſimulaveris.
Non eſt in ventum reſtandum.
Nil paſſus eſt mali ſi diſſimulaverit.
Ferre frenum.
Difficile iuſtum dolorem temperare.

ALIA ALIIS PLACENT. 31.

Felix Corinthus at ego ſum Teneates.
Aſinus aſino & ſus ſui pulcher.
Quot homines tot ſententiae.
Suum cuique pulchrum.
Velle ſuum cuique eſt.
Alia apud alios bona.
Multi multa.
Patria ſui cuique iucundiſſima.

ALIBI DIMINUTUM ALIBI redditum. 32.

Claudus optime virum agit.
Non omnia poſſumus omnes.
Marinam auditionem fluviali abluit ſermone.
Quod alibi diminutum exaequatur alibi.
Non omnis fert omnia tellus.
Pauperis eſt numerare pecus.
Non eſt cuiusvis manu lyram pulſare.
Aliud ſceptrum aliud plectrum.
Nullus omnia ſcire poteſt.

ALIENA A RE. 34.

Nihil ad verſum.
Nihil ad fides
Nihil ad Bacchum.
Alias es.
Alia Menecles, alia porcellus loquitur.
Quid ad farinas.
Mira de lente.
Neque caelum neque terram attigit.
Quid ad Mercurium?
Ego tibi de alliis loquor tu reſpondes de cepis.
Falces poſtulabam.
Extra chorum ſaltare.
Ultra ſepta tranſilire.
Extra oleas.
Incita equum iuxta Nyſſam.
Haud contra oſtium.
Extra cantionem.
Nihil ad rem.
Meos corymbos nolle.
Omiſſa hypera pedem inſequeris.
De curru delapſus.
Quo terrarum raperis?
Me mortuo terra miſceatur incendio.
Mihi iſthic nec ſeritur nec metitur.
Non luctu ſed remedio opus in malis.
Reſpublica nihil ad muſicam.
Ἐξ ἀγχόνης.
Simia in pelle leonis.
Prorſus ignotus.
Ἀπροσδιόνυσα.
Charixena non ſunt iſta.
Ilio indigna verba.
Theatrum ſimul & aperit & claudit.
Equus ſeſſorem rapit.
Herculis aedem mulier non intrat.
Quid Cothurnus cum clava?
Quid barbiton Crocoto loquitur.
Ubi Atridarum ſcapha.
Aliud quippiam exorna.
Ἀνάξυλος.
Extra curriculum ferri.
Inter lugentes iocari.
Oceanum capiti, tibia galeam aptare.
Hercules in Lydia.
Ludere inter moerentes.
Malum malo penſatum.
Peraene amici.

ALIENA CURANTIS. 38.

Bellum Cononi curae fuerit.
In alieno choro pedem ponere.
Ne depugnes in alieno negotio.
Quae ſupra nos nihil ad nos.
Utere curru de aſinis nihil laborans.
Stultior Morycho.
Senator abſque provocatione.
Legatus ſine mandatis.
Curioſus idem & garrulus.

ALIIS SAPERE. 39.

Aliis proficiens non ſibi.
Facile cum valemus recta conſilia aegrotis damus.
Quarta luna nati.
Nummum quaeris peſtilentia duos illi da & ducat ſeſe.
Plus in alieno quam in ſuo videt.
Cenſor omni careat peccato.
Solus habet mentem reliquis errantibus umbris.

ALIENO PERICULO. 40.

De alieno ludis corio.
Alienam metis meſſem.
Innocuus alium afficiam, meum habentem malum.
Coctum ab alio edere.
De alieno liberalis.
Alieno diſce periclo.

AMICITIA. 41.

Amicitia ſtabilium, felicitas temporariorum.
Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus.
Mores amici noveris, non oderis.
Novos parans amicos ne obliviſcere veterum.
Non potes Thetiden ſimul ac Galatheam amare.
Unus Deus & plures amici.
Mus non uni fidit antro.
Neque nulli ſis amicus neque multis.
Ne cuivis dextram iniceris.
De manu in manum.
Ex ſinu illius.
Χρεῶν κἀντίον.
Ipſis & Chiis.
Amicorum communia omnia.
Amicitia aequalitas, amicus alter ipſe.
Vultu ſaepe laeditur pietas.
Sal & menſa.
Philotheſius crater.
Amico amicus.
Amicus magis neceſſarius quam ignis & aqua.
Naara & Charmione.
Salem & fabam.
Intempeſtiva benevolentia nihil a ſimultate differt.
Non ſunt amici, amici qui degunt procul.
Multas amicitias ſilentium diremit.
Ubi amici ibi opes.
Uſque ad aras amicus.
Amicorum eſt admonere mutuum.
Fidus amicus.
In are meo eſt.
Ἀμφιδήλως ἔχεις.
Abiit & Taurus in ſylvam.
Animo aegrotanti medicus eſt oratio.
Syncretiſmus.
Conciliant homines mala.
Cum amicorum certandum aemulatione.
Queruli in amicitia.
Foelicitas multos habet amicos.
Lingua amicus.
Oculis ferre, & ſimilia.
Foelicium multi cognati.
Ad foelicem inflectere parietem.
Qui circa ſalem & fabam.
Salem & menſam ne praetereas.
Olla amicitia.
Nuda gratia.
Viri infortunati procul amici.
Plures adorant Solem orientem quam Occidentem.
Sapientes tyranni ſapientum congreſſu.
Amicitias immortales eſſe oportet.
Tota vita.
Tantali philotheſia.
Sanguis & anima.
Plus oculis ſuis.
Amicus cum vitiis ferendus.
Amare fruſtra, odio ne ſis fruſtra.
Charitates ſeptem eſſe oportet.
Non odi. Odi, & amo.
Eas nidum unum una in arbore.

Idem

Idem velle, atq; nolle, ea demum firma eſt amicitia.
Pulchrum amicum.
Panem ne frangito.
Verbotenus amicus.

AMOR. 49.

Caninus amor.
Librorum amantior quam Gello.
Iniuria ſoluit amorem.
Amantium ira.
Manſum ex ore dare.
Medullitus, Oculitus.
Vt lupus ovem.
Vt Phrygius amat Pieriam.
Adamantis tenere.
Ceſtum habet veneris.
Ex aſpectu naſcitur amor.
Parcus ſemper tuus pullus.
Aurea compedes.
E Creta raptus.
Capite geſtare.
Quis non zelat?
Muſicam docet amor.
Capra cinnamomum.
Maritalis affectio.
Amor fit ira iucundior.
Caunius amor.
Iyngem habet.
Sanguis meus.
Oculis charius.
Mellitus Mulſus.
Deſultoria amicitia.
Delige quem diligas.
Comaſtes.
Amantes amentes ſunt.
Omnes qui amant, ægrè ſibi dari uxores ferunt.
Amantium marſupia folio porri vinciuntur.
Non ſoli Atridæ uxores amant.
Laceras lacertum Lary, mordax.
Memmius.
Amor tuſſiſque non celatur.
Delitiæ meæ.
Oculis geſtare.

ANCEPS ET DUBIUS. 52.

Neceſſarium malum.
Neq; cum malis, neq; ſine malis.
Polypi caput.
Gaudium dolori iunctum.
Plus aloes quam mellis habet.
Quid primum aut ultimum.
Aut mortuus eſt, aut docet literas.
Aut quinq; bibe aut tres aut ne quatuor.
Excubias agere in Naupacto.
Quocunq; pedes ferent.
In trivio ſum.
Vtroq; mutans ſententiam.
Volens nolente animo.
Nolens volens.
Vnica filia duos parare generos.
Inter pueros ſenex.
Aut cucurbitæ florem aut cucurbitari.
Aut Plato Philoniſſat aut Philo Platoniſſat.
Aut oportet tragœdias agere omnes aut inſanire.
Oportet teſtudinis carnes aut edere aut non edere.
Ancipitis animi.
Ancipitis conſilii.
Haſta caduceum.
Delphicus gladius.
Vtrumque.
Iisdem literis tragœdia, ac comœdia componitur.
Navis aut galerus.
Tertium caput.
Triceps Mercurius.
Pſecas aut res.
Quod dubitas ne feceris.
Ingratiis, velim, nolim.
In medio relinquere.
Aqua hæret.

Fortaſſe fieri poteſt, Arbitror.
Volentibus invitis.
Nos alio mentes, alio divisimus aures.
Quid facerem?
Perplexos nos reddidiſti.
Fluctuantium inſtar.
Quo me vertam neſcio.
Anceps eventus rei.
Nec Deus nec homo.
Neq; intus neq; foris.
Aliud problema.
Per quadam fideicomiſſa.
Rectis an inclinatis haſtis.
Scrupulos iniicere.

APERTE ET CRASSE. 56.

Præmanſum in os inſerere.
Craſſa Minerva, pingui Minerva.
Craſſiore Muſa.
Rudius ac planius.
Homo multum demiſſus & pinguis ſive ſtipſus.
Παχυμερῶς.
Loquor quæ ſentio.
Dicis cauſa.
Τύπῳ γε περιλαβεῖν.
More Romano.

APPROBANDI. 57.

Vno ore.
Premere pollicem Convertere pollicem.
Album calculum addere.
Creta notare. Carbone notare.
Omne tulit punctum. Omnium calculis.
Momo ſatisfacere.
Pedibus in ſententiam diſcedere.
Vt Phydiæ ſignum.
Ne Iupiter quidem omnibus placet.
Servum haud velis.
Si tibi amicum nec mihi inimicum.
Omni voce.
Concinere.
Omnibus iudicibus vincit.
Macte virtute.
De meliore nota.

ARROGANTIA JActantiaque. 59.

Sine ut incolumis redeat.
Arcem ex Cloaca facere.
Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt.
Tollere criſtas.
Attollere ſupercilium. Ponere ſupercilium.
Nauphractum tueri.
Tollere cornua.
Arrogantia non ferenda.
Toto te pede metire.
Vltra peram ſapere.
Videberis me videns, plane Mortem videre.
Taxamari ara.
Sophocles Laudiceni.
Baſilica facinora.
Campana ſuperbia.
Dea excogitavit.
Altius Oromedonte.
Laureolam in Muſtaceis quærere.
Palmarium facinus.
Periſtromata campanica.
Pulchrum ſepulchri elogio.
Phania ianua.
Sybarita per plateas.
Cicadis pleni.
Ex Academia venit.
Ingredi Iunonium.
Summis unguibus ingredi.
Cœlum territas.
Ex uno multa facere.
Cœlum digito attingere.
Iovis Sandalium.
Imperitus anaxyrides indictus id omnibus oſtentat.
Faſtuoſus maximus.
Tanquam Argivum clypeum tulerit ita gloriatur.
Homo bombylius.

De palmone revellere.
Ipſe dixit.
Auro loquente nihil pollet quævis oratio.
Ne mihi ſuffenus eſſem.
Pennas nido maiores extendere.
Ne ſutor ultra crepidam.
Cœnei haſta.
Gigantum arrogantia.
Magis ſibi placet quam Peleus in machæra.
Hic Rhodus, hic ſaltus.
Atticus inportum.
Calliphanes.
Bullatæ nugæ.
Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil opus.
Belliſſare.
Divinum excipio ſermonem.
Altius Oromedonte.
Salacones.
Delphinis in terra vires.
Coturnicis naturam induere.
Opulentum ſpirat.
Ampullas loqui.
Lapithæ.
Lemnius obtutus.
Tigranem ſalutare.
Groſſus maturus eſui ineptus.
Verba ſine penu & pecunia.
Nihil ad medicorum arrogantiam.
Tragici cothurni ſtrepitus.
Tentonium ſupercilium.
Angularis bombyx.
Briareus, alias lepus.
Non verbis at factis opus eſt.
Megabyzi ſermones.
Ruſticanus Oenomaus.
Ambitioſior Cleophonte.
Gigantizare.
Pallenicum tueri.
Iube facta proclivia.
Saperda videmur quum ſimus coracini.
Campana ſuperbia.
Ne Sannione domi relicto.
Laureolam in Muſtaceo quærere.
Tritones piſcinarum.
Vbi uber, ibi tuber.
Vteri.
Neſcis teipſum.
Τοργύλος.
Piſces magni parvulos comedunt.
Tollit ſupercilia.
Vter faſtu plenus.
Iovi paria intonas.
Tanquam pavo circumſpectare ſe.
Pavonis more rotari.
Gorgonei capitis poſteritas.
Piſcium vitia.
Io. Saturnalia.
Laudata Pavone ſuperbior.
Caudam trahere.
Ampullatum.
Labeone inſanior.
Dura cervicis.
Præfracti.
Ἱππότυφοι.
Leonum animos præ ſe ferentes.
Gallinacei lactis hauſtulum polliceri.
Superfluens.
Cœlo animum ferre.
Aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum.
Ἀλαζὼν.
Laus in ore proprio ſordeſcit.
Collo valido.
Oſtentator.
Vaſa vacua plurimum ſonant.
Homo genius elephantinis.
Vacuum vas altius pleno vaſe reſonat.
Loqueris equo inſidens.
Timones.
Ardelio.
Siſyphidæ.
Αὐτοβοεὶ.
Camarinæ loqui.
Philippi Gallus.
Nos decem Rhodienſes, Decem naves.
Πυργοκλεῖς.

Piſandri galea & ſupercilium.
Aſtydamæ in morem.
Βαρυαλγὴς ὑπόπτερον.

ASPERITAS MOROSItas. 70.

Inexorabilis.
Cornea fibra.
Terreus Abeneus.
Verſatilis Artemon.
Scitharum oratio.
Pandeletias ſententias.
Thymbra victitans.
Scabroſior leberide.
Totus echinus aſper.
Durus alloquiis.
Echino aſperior.
Corinthus & collibus ſurgit & vallibus deprimitur.
Etiam quercus bacchatur.
Agamemnonis hoſtia.
Mateolæchus.
Ne move feſtucam.
Alaris rixa quæritur.
Difficilis vir.
In durum & implacabilem.
Κεραβὰλ.
Scytha malus.
Ἀμετακίνητος.
Ipſa bile ai κακίονα.
Vua acerba immitior.
Ἀτίγγητος.
Omphacinus.
Æs triplex.
Fretis acrior Adria.
Neminem in os vultumque reſpicit.
Ferreus.
Adamante durior.
Totus ſaxeus.
Deme ſupercilio nubem.
Non re ſed viſu terribiles.
Κεραβὰλ.
Ἀρχαιικὰ καὶ ἀρχαῖα.
Εὐβοι τιμεφρύδιον.
Sortitus es, M.
Abſynthium.
Triceps Geryone.
E mari natus.
Fronte caperata.
Auſteritas ſolitudinis ſocia & comes.
Paucorum hominum homo.
Tertius Cato.
Ruto areſacto præfractior.
Ὀλοίχιος.
Gallica glacie frigidius.

ASSIDUITAS. 74.

Minutula pluvia imbrem parit.
Aſſidua ſtilla ſaxum excavat.
Latum unguem.
Dicendo dicere diſcunt.
Taurum tollet qui vitulum ſuſtulerit.
Noctesque dieſque.
Velut umbra ſequi.
Ne altero quidem pede.
Saxum volutum non obducitur muſco.
Multis ictibus deiicitur quercus.
Exercitatio poteſt omnia.
Ne genu quidem flexo.
Gutta cavat lapidem.
Sine fine.
Hoc eſt quod palles.
Labor improbus omnia vincit.

ATTENTIO ET CONTRA. 76.

Purgatis auribus.
Mens peregrina.
Præſens abeſt.
Auribus arrectis.
Erecti.
Auſculta & perpende.
Hoc age.
Ceram auribus obdis.
Κνυζῶν εἶχες.
Aliud agit.
Mens volat.

AVARITIA ET RAPACItas. 77.

A mortuo tributum exigere.
Undecunque lucrum captans.
Fabarum arroſor.
Feles Tarteſſia.
Lacunam explere.
Nullam corporis partem.
Quod utile honeſtum.
Exigit à ſtatuis farinas.
Nec omnia nec paſſim nec ab omnibus.
Mendici pera non impletur.
Mendicorum loculi ſemper inanes.
Lucri bonus eſt odor ex re qualibet.
Una cum ipſis manipulis.
Cum pulviſculo.
Lucrum pudori præſtat.
Charybdis, barathrum.
Megaricæ Sphynges.
Boni paſtoris eſt tondere pecus non deglubere.
Canis circum inteſtina.
Rapina Cotytiis.
Ne à Chytropode cibum nondum ſacrificatum rapias.
Bona Porſenæ.
Partitio non præſecatio.
Perſæpe ſacra haud ſacrificata devorat.
Vulturis umbra.
Edax currus.
Voracior purpura.
Laudant ut pueri pavonem.
Atticus moriens porrigit manum.
Pamphili furtum.
Non curat numerum lupus.
Argivi fures.
Vorare hamum.
Polypi.
Candidum linum lucri cauſa ducis.
Nutricum more male paſcis.
Pecuniarum cupiditas ſpartam capiet præterea nihil.
Inexplebile dolium.
Larus hians.
Labrax Mileſius.
Buthus obambulat.
Serpens ni edat ſerpentem draco non fiet.
Priuſquam ſortiaris communia devoras.
Novit hæc Phyllea & Tythias.
Quæ deciderint ne tollito.
A mortuo tributum auferre.
Vatum genus avarum.
Telemachi olla.
More carico.
Fabalibus victitas.
Αἰσχροκερδὴς καὶ μικρολόγος.
Nihil hydropico ſiccius.
Laris vita.

SORDES ET PARSIMONIA. 82.

Tribus minis inſumptis duodecim imputat.
Cumini ſector.
Ficos dividere.
Nullus emptor difficilis bonum emit obſonium.
E Patroclis domo venis.
Cochleæ vita.
Ex Phelleo.
In ventrem inſilire.
Cradophagus.
Τρωγλῦται.
Luto lutulentior.
Pediculi Platonis.
Macilentior Leotrophide.
Lapſana vivere.
Nihil de vitello.
Rore paſcitur.
Victitans ſucco ſuo.
Philippide tenuius.
Monophagi.
Patroclo ſordidior.
Nephalium ſacrum.
Sacrum ſine fumo.
Nephalia ſigna.
Caninum prandium.
Cereri ſacrificans.
Bos Cyprius.
Cyprio bovi merendam.
Tolle tolle mazam quam ociſſime ſcarabeo.
Pſyrice facta.
Parvo emptas carnes.
Pſyra Bacchum.
Tenuiter diducis.
Gutta fortunæ præ dolio ſapientiæ.
Ficivorus.
Obolum ſuper deos evehunt.
Muli vitam agere.
Quem bos non nutrit illum nec Ægyptus.
Plutus mortuus.
Aloade.
Carica victima.
Phaſelitarum ſacrificium.
In ſinu manum habere.
Laris ſacrificant.
Ῥωποπώλης.
Canem vite palmum.
Tantali pœna.
Convivia non convivia.
Sacra nihil ſunt.
Simone rapacior.
Ne corticem quidem dederit.
Cappari victitas qui potes anthia.
Καπνοφορίτης.
Aquam plorat, quum lavat fundere.
Ne ſalem quidem dederis.
Iecicœna.
Μυσκελλῶν.
Inteſtina adolens ipſe canes devorat.
Manus in Ætolis mens autem in Clopidis.
Clauſis theſauris incubare.
Plus vertere quam ferre.
Vacinum ſemper invenies.
Spicilegium relinquere.
Spartis redemerunt crimina nummis.
Tonderi pecus non radi debet.
Ad vivum radi.
Piſcari in aqua turbida.
Cupiditati nihil ſatis.
Cupiditas inhians.
Nunquam ſecum benigne.
Nomadicam vitam agere.
Cynice vivere.
Habet quod deeſt.
Avidus.
In diem vivere.
Barathro.
Defraudare genium.
Κυμινοπρίστης μύξῶν.
Myrmidones.
Amicitia avarorum complexus ſpharavum.

AUDACIA. 89.

Fortes fortuna adiuvat.
Animus præſens.
Animus heptaboeus.
Alter Hercules.
Aqua præterfluit.
Martis pullus.
Non abiicit animum.
In diſcrimine apparet qui vir.
Non cedendum cuivis.
Neque terræ motus timet neque fluctus.
Improbitas muſca.
More galli domi pugnacis.
Canis novem animas habens.
Gyaro dignum.
Ad ſcamnum producere.
Inops audacia tuta.
Cercalidum in re frigida.

AUXILIUM ET CITRA AUxilium. 91.

Frater viro adſit.
Sine ope divina nihil valemus.
Ne gladium tollas mulier.
Non abſque Theſeo.
Duobus pariter euntibus.
Nihil profuerit bulbus.
Tradunt operas mutuas.
Aliena auxilio potentes.
Titanas implorat.
Ancora domus.

Calamo,

Columen familiæ.
Noſtro Marte.
Sine cortice nabis.
Α'ειζώος ii.
Multa manus onus levius reddunt.
Re opitulandum, non verbis.
Chorda vice.
Verus fueris vel cepe ſolum accipiens.
Papyri fructus non poſtulat magnam ſpicam.
Si deus voluerit.
Meis auſpiciis.
Porrigere manum.
Sine canibus & retibus.
Pecunia abſq; peculio.
Summa vi defendere.
Tanquam heros in clypeo excipere.
Iolaum implorat.
Priuſquam in medulla obriguerit.
Ab alno ſpectat.
Arma Achillea.
Lorica gladius.
Ara.
Contraria contrariis pelluntur.
Cornua inibi aduri.
Pæonia manus.
Ius in præteritum dare.
Hippocratis laniena.
Si deus pro nobis quis contra nos.
Umbone pellere.
Dii noſtri.
Δαδυχῶ.
Quaſi deos habere aliquos.
Dioſcuri ſalvatores & advocati ſalutiferi.
Præſtat vineæ ulmum eſſe quam hederæ.
Pauperi vitulus eſt caſtrum.
Tollenti onus auxiliare, deponenti nequaquam.
Dædali alæ.
Semper aliquem virum magnum.
Curre denuo.
Amentatæ haſtæ.
Cibo opus duraturis in labore.

AUXILIUM INFIRMUM. 95.

Lunæ radiis non matureſcit botrus.
Per fluvium traducere.
Sacer manipulus.
Ficulnus.
Coriaceum auxilium.
Vulgari piſci non inſunt ſpinæ.
Nec ſine te nec tecum vivere poſſum.

BENEFICIUM CORRUPTUM. 96.

Perdidiſti vinum infuſa aqua.
Capra Scyria.
Panis lapidoſus.

BIBACITAS. 96.

Vinaria angina.
Maduſa.
Parthi qui plus biberint.
Βαλανάγρας.
Nec elephantus ebiberet.
Cothoniſare.
Cyliceum remiges.
Κυαθίζειν.
Rana aquam.
Argenteus puteus.

BONÆ FORTUNÆ, COPIÆ, fœlicitatis, aut ominis. 97.

Aſinus in paleas.
In votis compotem.
Procridis telum.
Albæ gallinæ filius.
Aut piſcem olet aut florem.
Virgula divina.
Bonis avibus, Malis avibus.
Gygis annulus.
Orci galea.
Iecit Achilles duas teſſeras & quatuor.
Secundo aſtu.
Secundis ventis.
Omnia ex ſententia cedunt.
Datyli dies
Diis hominibusq; plaudentibus.
Semper fœliciter cadunt Iovis taxilli.
Sapiens ſua bona ſecum fert.
Contigit & malis venatio.
Tranquillo quilibet gubernator eſt.
Inveni, non quod pueri in faba.
Sardi venales.
Mare bonorum.
Acervus bonorum.
Bonorum myrmecia.
Dathus bonorum.
Thaſſus bonorum.
Horna meſſis.
Gargara bonorum.
Bona terra.
Ingens rerum magnitudo.
Bonorum glomi.
Copia cornu.
Lac gallinaceum.
Ex tuo pluit.
Capram cœleſtem Orientem conſpexerunt.
Bona fortuna ſive boni genii.
Oculus dexter mihi ſalit.
Bona ſpes oſtenſa.
Deus undecunque juvat, ſi modo propitius.
Lux affulſit.
Noctua volat.
Laureum baculum geſto.
Midas in teſſeris conſultor optimus.
Boves meſſis tempus expectantes.
Bos apud acervum.
Bos ad præſepe.
Quæ divinitus contingunt.
Autoritas divinitus.
Felicitas à Deo.
Primum recte valere, proxima forma, tertio loco divitiæ.
In cœlo eſſe.
Quævis terra patria.
Virtute duce comite fortuna.
Sale nihil utilius.
Supercilium ſalit.
Unione ſignare.
Rex ſum.
Non ſine diis.
Tanquam torrens.
Manſum male reiicias.
Cyclopica vita.
Albus dies.
Saturnalia vita.
Deo præeunte pullus efficit obex.
Cuius nunc calent aræ.
Pergama non triſtia incolis.
Ter ſex jacit.
Mare amnium non indiget.
Præſente arbore ligna omnes colligunt.
Terram video.
Hac nos deus ipſe ducit.
Hortus altera ſuccidia.
Quorſum opus amicis ſi modo faveat Deus.
A te judor abeſt ſaliva mucuſq;.
Diis ſecundis.
Ante obitum nemo beatus.
Homini nihil utilius ſanitate.
Felices ter.
Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit.
Bene habet, bene ſit.
Deus omnia dirigit.
Οὐκ ἄνευ θεοῦ, volente Deo, nihil ſine Deo.
Sic viſum ſuperis.
Εξ ὑγείας πλοῦς.
Vivunt dum vivent.
Deus ita voluit.
Sylva.
Sinu luculento.
Occupanti ſiunt derelicta.
Ex uſu & è re eſſe.
Iovis omnia plena.
Seculum aureum.
Luce diſſolvuntur tenebræ.
Iupiter hunc totis animis, hunc magnus Apollo diligit.
In deliciis eſſe.
Firma valetudine nihil melius.
Sani Ægris ditiores.
Si Deus voluerit, Deus non perire ſiſit.
Sat es beatus.
Dii meminerint.
Blande offert vultus.
Divinitus.
Fœlici hora nihil optatius.
Fici cadunt in os comedentis.
Bonus è pharetra dies.
Deum eſſe. Deum facere.
Ad ſatietatem uſq;.
Ne quæras Deus eſſe.
Mortalis Deus.
Navigare cum felicibus.
Fauſtus exitus.
Χειρὸς ἐξ ἴσω.
Area.
Ex his ægrotamus quibus vivimus.
Signandi melioribus lapillis.
Pranſum paratum.
O factum bene vel male.

BREVILOQUENTIA. 109.

Grata brevitas.
Ἐν ἐπιτομῇ.
Laconiſmus.
Tribus bolis.
Pauciloquus ſed eruditus.
Minore finire pomœrio.
Numero dicis.
Uno faſce complecti.
Tribus verbis.
Chilonius modus.
Ἐν κεφαλαίῳ ſummatim.
Cætera doctus.
Nihil opus verbis.
Summatim.
Ut ſummatim dicam, ὡς κεφαλαίῳ.
Sermonis prolixitas faſtidioſa.

CÆCUTIENTIA. 110.

Lolio victitans.
Saturnia lemma.
Cucurbitas lippis.
Ollas lippire.
Talpa cæcior.
Cæcior leboride.
Tireſia cæcior.
Hypſæa cæcior.
In canis podicem inſpicere.
Cimmeriæ tenebræ.
Cæca ſpeculatio.
Cæcus cæco dux.
E duobus tria vides.
Neq; cæcum ducem, neq; amentem conſultorem.
Palpari in tenebris.
Pulverem oculis offundere.
Nox humida.
Cæci præſcriptio.
Cæco nihil coloratum.

CALUMNIA. 112.

Sycophanta.
Tragicus Theocrines.
Falſum probrum.
Hoc municeps, aut vicinus nunciavit.
Albo reti aliено captant bono.
Non ineſt remedium adverſus ſycophantæ morſum.
Agriva calumnia.
Bolitis pœnam.
Cydi pœnam debet.
Chius.
Pattacione calumnioſior.
Crater litium.
Fruſtra Herculi.
Samii mores.
Abydus, Abydenus.
Halopanta, vel Halophanta.
Cum Protogene mortuo bellum geris.
Fumus è ficubus.
Genuinum dentem infigere.

CARPENTIS SEIPSUM. 114.

Domeſticum theſaurum calumniari.

Propria vineta cadere.
Ædibus in noſtris quæ prava aut recta geruntur.
Quo tranſgreſſus?
Caput ſerpentis conterere.
Nollem factum
Nihil eſt miſerius quam animus conſcius.

CAUSA IN DEFENSA. 114.

Heteromolia cauſa.
Deſerta cauſa.
Ne de lite pronuncies.
Haud impune vindemiam facies.

CEDENDUM MULTITUDINI. 115.

Ne Hercules quidem adverſus duos.
Vnus vir nullus vir.
Cedendum multitudini.
Plurimum calculus vincit.
Extra publicam viam ne deflectas.
Facile fertur quod omnibus commune eſt.
Multorum peccatum inultum.
Cave multos, ſi ſingulos non times.
Veſparum examen metuit Phrynicus velut gallus gallinaceus.
Duobus malis reſiſtere difficillimum.

CITRA LABOREM. 116.

Citra pulverem.
Citra arationem, citraq; ſementem.
Vltro Deus ſubiicit bona.
Sub aliena arbore fructum.
Dormienti rete trahit.
Gemmas ex alieno littore petit.
Ἀκονιτί.

CLAMOSUS. 117.

Septem convivium, novem convicium.
Clamoſior lauro ardente.
Claudiana tonitrua.
Vſq; ad ravim.
Apertis tibiis.
Cyclobori vox.
Sarpedonium littus.
Stentore clamoſior.
In clamoſos.
Abſit clamor in colloquio aut luſu.
Abydena illatio.
Calamobous.
Λαρυγγίζειν.
Columnas rumpere.
Tollitur in cœlum clamor.

COMMODUM MAGNO emptum, & commodum interverſum. 118.

Vale charum lumen.
Alii ſementem faciunt, alii metent.
Mazam pinſuit à me piſtam.
Vt egeni ornum.
E ſpinis uvas colligere.
Lac avium fert Samus Ionica.
Summovere vicinos.
Pecunia pedibus compenſantur.
Cui nullum negotium erat Harmonem mare cinxit.

CONATUS. 119.

Manibus pedibuſque.
Omnibus nervis.
Velis equiſque.
Remis veliſque
Omnem vocem mittere.
Omni telorum genere oppugnare.
Ancoras tollere
Pro mea virili.
Omni pede ſtandum.
Toto pectore.
Cum haſta cum ſcuto.
Omnem movere lapidem.
Omnem rudentem movere.
Omni certaminis genere.
Surſum atq; deorſum.
Rem novam aggredior.
Summis uti velis.
In magnis & voluiſſe ſat eſt.
Miſcebis ſacra prophanis.
Aut terra aut mari.
Commovere ſacra.
Mare cœlo miſcere.
Terra marique.
Fruſtratus conatus.
Rurſum prorſum.
Æqua & iniqua.
Ἀπογυμνάζεσθαι.
Firmo & maximo progreſſu.
Inferos cœlo miſcere, & terram mari.
Calculum à linea movere.
Conando Græci Troia potiti ſunt.
Nervos addere.
Velis quod poſſis.
Intendere in ſcopum.
Excutere præcordia.
Eadem opera.
Velitari.
Contrahe te ipſum.
Stans pede in uno.
Machinatur.
Vltima experiri.
Ἐξώλης.
Omni rudente explicato.
Pro mea virili
Pro mentis viribus.
Vires tuas excita.
Collige te ipſum.
Eminus & cominus.
Vltro citroque.
Non in magnis arduiſq;, ſed in minimis & facilibus inchoandum.
Nimium properans ſerius abſoluit.
Omnia experiri.
Nervos intendere.
Vtramq; inflare tibiam.
Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta movebo.
Vltra vires nihil aggrediendum.
Sarcinator ſummum centonem.
Omnes adhibere machinas.
Omni voce.
Plenis velis.
Virtutem omnem explica.
Vicinus pedem movens.

CONCORDIA. 124.

Concordia.
Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ.
Concinere.
Dorice concinere.
Pariter remum ducere.
Velut in cratere.
Mutua defenſatio.
Tradunt operas mutuas.
Vt in velabro olearii
Acum & filum ſumens rupturam conſue.
Vno ſpiritu & pari voce.
Convenit ut veſpis.
Iugo paria armenta.
Omne colligatum ſolvi poteſt.
Funiculus triplex indiſſolubilis.
Fraternum dulce ſolatium.
Hedera tenax.
Συναγείρασθαι.
Anima una.
Funiculus triplex non facile rumpitur.
Mutua defenſio tutiſſima.
Surculus ſurculum ferens.
Communis tanquam Siſapo.

CONJECTURÆ. 125.

Leonem unguibus æſtimare.
Cauda de vulpe teſtatur.
E fimbria de texto iudico.
Deguſtu cognoſco.
Æthiopem ex vultu iudico.
De fructu arborem cognoſco.
E naevo cognoſcere.
De facie noſce.
Ex fronte perſpicere.
Ex ſtipula cognoſcere.
E cantu dignoſcitur avis.
Effœminatorum oratio effœminata.
Ex uno omnia ſpecta.
Domi coniecturam facere.
Prima facie, prima fronte.
Cribro divinare.
Stellis ſignare.
Obelo notare.
Signum bonum aut malum.
Vna hirundo non facit ver.
Omnibus veſtigiis inquirere.
Qui bene conjiciet hunc vatem.
Certum proſpicio.
Rem acu tetigiſti.
Scopum attingere.
Mortuus per ſomnum vacabis curis.
Mortuos videns.
Leonem videre hoſtium prælia portendit.
Protinus apparet, quæ planta frugifera futura.
Quanquam non dixeris tamen apparet è pelle.
Qualis vir talis oratio.
Crepitu probabis.
Et crimine ab uno diſce omnes.
Vt men fert opinio.

CONSILIUM. 128.

Res ſacra conſultor.
Suadeo quod ipſe facturus eſſem.
In orbem circumiens.
Conferre capita.
Extra mala poſitus admones.
Quo curris potius quam ad Ephebum.
Coſa conſilium.
In Piſa animum confirma.
Archilochi vulpes.
Elige vitam optimam.
Cum aquila eſſe queas, inter graculos primas ne opta.
Ratio ſapienti pro neceſſitate.
Panis prior prora.
Ἀρχὴ παντὸς ἐπιβουλῆς.
Ἐπιβουλὴ καθ' ἥλιον.
Noctu urgenda conſilia.
Αὐξεῖσθαι.
Humana conſilia divinitus gubernantur.
E duobus malis minimum eligendum.
Conſilium res ſacra.
Primo, crede mulieris conſilio, ſecundo noli.
Pulvillum conſuere.

CONTEMPTUS ET Vilitatis. 130.

Tineas paſcere.
Pili non facio.
Nauci non facio.
Flocci non facio.
Huius non facio.
Vitioſa nuce non emam.
Ne teruncium quidem inſumpſit.
Homo trioboli
Nec uno dignus.
Homo treſſis.
Nummus plumbeus.
Ne crepitu quidem digiti dignum.
Concha dignus.
Ne ligula quidem dignus.
Tithymalus Laconicus.
Semper me tales hoſtes inſequantur.
Incus maxima non metuit ſtrepitum.
Aquila non captat muſcas.
Elephantus non capit murem.
Aquila thripas aſpiciens.
Aquilam cornix provocat.
Aſinus compluitur.
Suſque deque.
Manum non verterim, Digitum non porrexerim.
Quod non opus eſt, aſſe charum eſt.
Vapula papyria.
Aſinus eſuriens fuſtem negligit.
Fruſto panis.
Quatuor obolis non æſtimo.
Quam curat teſtudo muſcam.
Cœnum barbaricum.
Diobolares.
Myrthagyrtes non daducus.
Nummo addicere.
Non magis quam canem.
Obolo dignus.

Vt luti baiuli.
Tetrobſlitum.
Ne nummus quidem plumbeus.
Ne umbram eius novit.
Ne allii quidem caput.
Ne terra quidem inuis.
Ne guttam quidem.
Ne ran. .nza quidem.
Ne feſtuca quidem.
Nihil ſacri es.
Nihil ſanum.
E circulo.
Exiguum oboli precium.
Ἀθερίζειν.
Holerum appoſitiones.
Multa Syrorum olera.
Trica. Apina.
Nebula in pariete.
Trium literarum homo.
Caſſa glande.
Etiam corchorus inter olera.
Inter doctos etiam corylus ſonat.
Medium oſtendere digitum.
Minimo provocare.
Antehac putabam te habere cornua.
Plumbeo iugulare gladio.
Hoc noveram priuſquam.
Locrenſis bos.
Scarabei umbra.
Scrapta.
Bos Homolottorum.
Septimus bos.
Generoſus es ex crumena.
Attagen.
Aſinos non curo.
Sale emptum mancipium.
De lapide emptus.
Siculus miles.
Servorum civitas.
Imi ſubſellii.
De face haurire.
Carsca muſa.
Pomarius Hercules.
Malum Hercules.
Munus leuidenſe.
Cicernus Bacchus.
Ollaru Deus.
Soterichi lecti.
Cecidit Buphoniorum.
Ficulnus.
Ficulnus gladius.
In foribus urceum.
Ficum Mercurio.
Merx ultronea putet.
Numerus.
Telluris onus.
Abominandus ſcarabeus.
Ætnæus cantharus.
Minus de iſtis laboro quam de ranis paluſtribus.
Indus elephantus haud culicem.
Cochleare creſcis.
Inertium chorus.
Megarenſes neq; tertii neq; quarti.
E flamma cibum petere.
Ruſticanum oratorem ne contempſeris.
Myſorum poſtremus.
Caricus hircus.
Indoctior Philonide.
Calabri hoſpitis xenia.
Principatus Scyrius.
Ciceris emptor.
Cubito emungere.
Non eſt cura Hippoclidi.
Contemnentis inimicum.
Non admodum miſces.
Canis vivens è Magdalia.
Indignus qui illi matellam porrigat.
Contemnentis dicterium.
Tragicus Rex.
Vterq; ambo.
Βατταρίσμος.
Pannus lacer.
Quis uſus copiæ putridæ.
Inutilior blaco.
Extritum ingenium.
Barbam vellere.
Nihil coccio eſt.
Non pluris quàm ſimia.
Fumi umbra.
Fulgur ex pelui.
Dionis gry.
Oppedere, & oppedere contra tonitrua.
Bona mala. Tenuiter.
Fungus putidus.
Nihil eſt, aut nihil cura eſt.
Alabaſtrus unguenti putet illi.
Quadrante dignum.
Cubitale.
Fimo abiectior.
Puerorum crepundia.
Ne cicadam quidem inumbret.
Præ formicis exilis.
Caprarum nomina.
Ne ſtilla quidem.
Ne in viginti quidem eſſe poteſt.
Ἀποβλακίζεσθαι.
Scrutarius & ῥωποπώλης.
Laterities.
Caris loco habere.
Circa montis radices verſari.
Ne ad Adonia quidem.
Iis qua ex trivio ſimile.
Inter Soſias & Tybios referre.
Lutea progenies.
Virtutem infortunatam deſpicere miſerum.
In ſolum.
Bambalio.
Literatus.
Proletarius ſcriptor.
Minuunt præſentia famam.
Familiaris dominus fatuum nutrit ſervum.
Senex vetulus.
Nequam, locus.
Invenis.
Ιντιδ@ pellis.
Σχῆμα καὶ τριώβολον.
Verpus.
Charognia.
Digni pilo.
Ὑδαρής.
Βαρεῖζο ἀδδου.
Χῖρος.
Palea.
Sarmentarii.
Alex.
Αὐθεκάδαλος, ἀυτολήκυθος.
Fabula nunc ille eſt.
Villani.
Συρφετός.
Vulgus eſſe.
Somnium hominis.
Ἀκίφαλος.
Hybrida.
Cordi.
Nihil niſi umbra.
Eius regula non ſunt Prætorum edicta.
Εχολαιτις.
Nimia familiaritas contemptum parit.
Quinta claſſis.
In cuneum ſedere.
Iacent.
Scombris tunica.
Τελμηγαμευής.
Aſinus Ægyptius.
Ye Fy.
Truo.
Ciſtigeri.
Nullo numero eſſe.
Opicus.
Ἀνδηρος.
Eſſe in numeris.
Manducus.
Ne cicum quidem dederim.
Quotidiano convictu autoritas minuitur.
Nullius precii eſt.
Mechanici.
Βλιτάδες.
Aſinus.
Ruſticum.
Minus quam nihil.
Terra pondus iners.
Vappa.
Vulcano tradenda.
Inficeto inficetior ruro.
Vltimus cerro.
Dama.
Æſtimare unius aſſis.
Hircoſus.
Villica.
Suppurati.
Varius.
Nullus.
Nulla in eo mica ſalis.
Ruſtici.
Terræ filius. Terrei.
Atqui Suilla caro eſt.
Litera muta.
Canem mortuum vel pulicem unum perſequi
Onager.
Trahere caudam.
De plebe.
Cinerem quærere.
Paganus.
Pro cottabo haberi.
Vnguium criniumq; præſegmina ne comminguito.
Conna calculus.
In ſeditione vel Androclides belli ducem agit.
Picifer.
Ἀπερικτῆς.
Carinum vinum.
Ariſtylli more.
Mænia columnæ.
Celei ſupellex.
Cyatho non emam.
Nihil eſt aut nihil cura eſt.
Mortuo vilior.
Ἀγάλματα ἀγορᾶς.
Aſini ſepultura.
Numo addicere.
Inter medios collocare.

CONTRA. 150.

Cantherium in foſſa.
In puteo conſtrictus.
Nunc mea in arctum cogentur copia.
Invita Minerva.
Delphinis in tellure vis.

CONTRARIUM PHILAUTIÆ. 151.

Non eſt beatus eſſe qui neſciat.
Ἀξύλου πλοῦτος.
Vbi nunc Pelopidarum facta.

CORRECTIO DICTI AUT facti. 151.

Corrigentis quod dictum ab alio.
Correctio dicti.
In abſurde locutum.
Ὀβελίζειν.
Πλύνειν.
Proba materia proba artifici.
Expumigare.
Ex te ipſo hæc audis.
Περιτρέπεται ὁ λόγος.
Decretorius ſtilus.
Bona verba quæſo.
Strigilis.
Virga moderari.

CRUDELITAS. 152.

Manliana imperia.
Opera Syloſontis ampla regio.
Phalaridis imperium.
Omnium quos ſol videt.
Omnis herus ſervo monoſyllabus.
Budoro more.
Lemnia manus.
Crudelis Bacchus.
Non magis parcemus quam lupis.
Lutum ſanguine maceratum.
Non eſt oleum in lecytho.
Boni viri lachrymabiles.
Draconis leges.
Flamma perſequeris qua genueras.
Quaſi Nauplius Caphareo redeunte.
Cyclopicum monſtrum.
Echeti imperium.
Marſyæ mors.
Licyniis & licyninis fulmen.

Cyclopicus obtutus.
Thyeſtea cœna.
Medea immanior.
Taurica ara crudelior.
Veſpa acerbior.
Neptuni ſive Martis filii.
Regie & crudeliter.
Saturni hoſtia.
Catilina Sylla.
Scytharum more.
Thyeſtea epula.
Timonea cœna.
Exuto homine inferam tranſiit.
Canis caninam non eſt.
Homine non ſatus.
Ha, nimis, fero corde.
Leana procreatus, vel genitus.
Lupi rapaces.
Sævus & indomitus.
Bellua. Beſtia. Homo.
Cyclops excæcatus.
Initte.
Pater flagellis, ego ſcorpionibus vos cædam.
Phocenſium deſperatio.
Dardanarii.
Timoniano more.
Sicula aula.
Orba tigride peior.
Antiphanes trepidilaris, & Polyphemus.
Clemens laniſta.
Mortuos rurſus occidere.

CURIOSITAS. 157.

Scit quomodo Iupiter duxerit Iunonem.
Canes venatici.
Nihil dulcius quam omnia ſcire.
Mylus omnia audiens.
Nihil inanius quam multa ſcire.
Zenonium eſt & lentem coquere.
Corycæus auſcultavit.
Multa regum aures atque oculi.
Nodum in ſcyrpo quæris.
Tudiculum expolivit.
Acclamant inſtar ciconum.
Inferorum triacades.
Spinas colligens.
Aliud homini aliud humanitati ſatis.
Dulcedo cuncta intelligendi ſuperat omnes ſuavitates.
Corycæus audit.
Κοσφθαλμίζειν.
Novit quid toto fiat in orbe.
Muſcarum in morem.
Delatoria curioſitas.
Hoc tu mihi dices.

DAMNANDI. 159.

Notare ungui.
Triſtis litera.
Contra retiarium ferula.
Ni pater eſſes.
Calculo mordere.
Æquales calculi.
Non probantis.
Ne nomen quidem.
O præfigere.
In abſurde loquutum.
Abiiciendum procul.
Tabellis obſignatis agere.
Ex faſtis evellendi.
Pennas incidere.
Lolium à tritico repurgandum.
Gehennæ mancipium.
A calvo ad calvum.
Albo eradere & adſcribere.
Spongia.
Apollo Tortor.
Ἐιφυλαφορεῖν.

DECRETUM. 161.

Nurus ahenaus.
Nullus dies omnino malus.

DEGENERANTIUM IN PEJUS. 161.

Ab equis ad aſinos.
Mandrabuli more res ſuccedit.
O domus antiqua quam diſpari domino dominaris.
Heroum filii noxæ.
Haud canit paternas cantiones.
Filius generans.
Bene natis turpe eſt male vivere.
Quis parentem laudabit niſi infelices filii.
Aceſia medicatus eſt.
Taurum tollet qui vitulum ſuſtulerit.
Ut nunc ſunt homines.
Diſcum quam philoſophum audire malunt.
Eamus Athenas.
Ταραντῖνοι.
O domus antiqua.
Ratio apparet, argentum οἴχεται.
Deteuſi.

DEPRECANTIS ET ABOMINANTIS. 163.

Deſpuere malum.
Vates ſecum auferas omen.
In capras ſylveſtres.
Baon malus piſcis.
Si quid mali in Pyrrham.
Procul auribus nuncius veniat.
Abhorrentis ac deteſtantis.
Dulcis cubitus.
Terra mihi prius dehiſcat.
Reiicientis culpam.
Laſcinia obtinere.
Ἐξώλεια.
Ne dii ſiverint.
Stomachus non fert.
Obteſtatio veterum meritorum.
Velatis manibus orare.

DERISIO. 164.

Omnia præclara dictis.
E ſublimi me derides.
Ἐγχιμολίζειν.
Naſo ſuſpendere.
Poſtica janna.
In eo ipſo ſtas lapide in quo præco prædicat.
Loripedem rectus derideat.
Μυκτηρίζειν.
Cadaveris inſtar venuſtus.
Perfuſus aceto.

DESPERATIO. 165.

Actum eſt.
Nullus ſum.
Pinus in morem.
Perierunt bona.
Ad reſtim res rediit.
Suſpendio deligenda arbor.
Ad porcellum da mihi mutuo tres drachmas.
A quinque ſcopulis deſilire inſtuctus.
Femur ferire.
Non ſum apud me.
Capiti capillos evellere.
Quod perit perit.
Quid morarum emori.
Vale atque ſalve.
Nulla ſpes.
Οἴ οἱ μοι τρέχωσιν τετραχόσεις ἐπί ἄριθμον.
Mortui non dolent.

DIFFICULTATIS. 167.

Non eſt cuiuslibet Corinthum appellere.
Cum principe non pugnandum.
Clavam extorquere Herculi.
Nemo malus hoc ſciet.
Non omnibus contingit.
Ægre ſed tamen contingit.
Ægre quidem ſed facimus tamen.
Centum Plauſtri trabes.
Azanaa mala.
Capere provinciam.
Tradere provinciam.
Capere civitatem.
Omnes laqueos effugere.
Trabs in omnibus.
Gravius quam ſit Troiam capere.
Amnis curſum cogere.
Scapendam trahere.
Umbra prohibent.
Habenas ignarus non tractet.
Senex fatiſcens.
Camelus pyrrhicham didicerit.
Nodus Gordius.
Teucrum Pacuvii ediſcere.
Plura ſunt negocia quam vocabula.
Nodus ineſt.
Sphinges negotia faceſſit.
Scrupoſa.
Eſt opera non mediocris.
Quæ pulchra, difficilia.
Puteo incluſus.
Varium animal non altera manu duntaxat adprehendendum.
Omnes effugere difficile.
Bonum manere difficile eſſe.
Non ſi te ruperis.
Ire per extentum funem.
Eſurienti leoni prædam exſculpere.

DIFFERENTIÆ ET DISSIMILITUDINIS. 170.

Longe lateque.
Quiſquis fuerit.
Pilus in medio.
Myſorum ac Phrygum termini diſcreti ſunt.
Seiuncta ſunt Merrha ac Siloam fluenta.
Δις διὰ πασῶν.
Paſtillos Ruſillus olet. Gorgonius hircum.
Valeat amicus cum inimico.
Ne punctum quidem.
Ingens intervallum.
Quid diſtent æra lupinis.

DISSIMILITUDINIS. 172.

Nil Graculo cum fidibus.
Quid cani & balneo?
Nihil cum amaricino ſui.
Nihil adverſum.
Nihil ad fides.
Nihil ad Bacchum.
Aſinus ad lyram.
Quid cæco cum ſpeculo.
Aſinus ad tibiam.
Aliud noctua ſonat, aliud cornix.
Aliter catuli longe olent aliter ſues.
Alia voce pittacus, alia cornix loquitur.
Graculus inter muſas.
Nunquid & Saul inter prophetas.
Syrus cum ſis ne Syriſſa.
Aſinus in unguento.
Aſinus portans myſteria.
Telis crocoton.
Cibum in matellam ne immittas.
Ex diametro oppoſita.
Diametro diſtant.
Alia res ſceptrum, alia plectrum.
Calvus comatus.
Simia in purpura.
Induiſti me leonis exuvium.
In eburna vagina plumbeus gladius.
Extra organon.
Ne puero gladium.
In lente unguentum.
Congregare cum leonibus vulpes.
Canis in præſepi.
Servus cum ſis comam geris.
Quæ ſemel ancilla, nunquam hera.
In agro ſurculario capras.
Tu in legione, in culina.
Chorus alius maior alius concinentior.
Quis Eteobutades quiſve ſervus.
Non quacunque manu.
Pica Syrenem imitans.
Quid Lecitho cum ſtrophio.
Quantum aquila culicem.
Fulicam cygno comparas.
Impuro purum nefas contingere.
A Dorio ad Phrygium.
Orimalides cum Acylis ne conſuleris.
Bovem aſino non junges.

Rana cum grillo.
Cygnis antus melior quam gruum.
Amphion & Zetho.
Qui ſecum diſſentit, nullo modo cum alio conſentiet.
Alterius alter eſt ſenſus.
Cum Leonibus vulpes congregare.
Aquilis ſimiles facere.
Quod cani cum balneo commercium.

DIFFIDENTIÆ. 179.

Simul & da & accipe.
Fiducia pecuniae amiſi.
Nemini fidat niſi cum quo prius medimnum ſalis abſumpſerit.
Ne Mercurio quidem credere.
Confringere teſſeram.
Caeca dies & occulta dies.
Pluris eſt oculatus teſtis quam auriti decem.
Oculatae manus
Quot ſervos habemus totidem habemus hoſtes.
Hoſtium munera non munera.
Homo homini lupus.
Etiamſi Cato dicat.
Lydus oſtium claudit.
Tuam ipſius terram calca.
Cochlea diffidentior.
Graculo imperſuaſibilior.
Nervi & artus ſapientiae ſunt non temere credere.
Viſus fidelior auditu.
Credimus quae coram intuemur.

DIGNITAS ET EXCELLENTIA. 181.

Digna canis pabulo.
Canis digna ſede.
Dignus obeliſco.
Quavis re dignus.
Dignus Argivo clypeo.
Dignum propter quod vadimonium deſeratur.
Digna cedro.
Regia vaccula.
Botri ſilphium.
Decernetur equa Theſſalica.
Bos in civitate.
Sapientum octavus.
Columen familiae.
Vtramq; paginam facit.
Eſto promus.
Iupiter aquilam delegit.
Glaucus comeſa herba habitat in mari.
Antiquior Codro.
Pro dignitate cuiusq;.
Myrteam coronam ambis.
Omnibus antevertenda vitae cura.
Caecus & claudus non intrabunt templum.
Roſcius.
Primas tenere.
Iapeto antiquior.
In numerum pervenire.
Honos alit artes.
Quaſi locum in balneis.
Immunem venire.
Humeris ſuſtinere.
Non è quercu aut ſaxo.
Calceos mutare.

EXCELLENTIA ET INÆQUALITAS. 183.

Aquilam noctua comparas.
Cicada apem comparas.
Teſtudinem pegaſo comparas.
Tibiam tuba comparas.
Rana cum locuſta.
Officere luminibus.
Rotam cum antemone confert.
Acanthida vincit cornix.
Cancros lepori comparas.
Optima quidem aqua.
Croeſi pecuniae teruncium addere.
Senecta leonis praeſtantior hinnulorum iuventa.
Crotoniatarum poſtremus reliquorum primus eſt.
Plus apud Campanos unguenti, quam apud caeteros olei fit.
Aquila ſinella Gorydi [illegible]
Equis albis praecedere.
Culicem Elephanti conferre.
Multis paraſangis praecurrere.
Teſtudinem equus inſequitur.
Pica cum Luſcinia certat, Epopa cum cygnis.
Nihil ſimile.
Sedecim pedibus ſuperavit.
Bubo canit luſciniae.
Si tanti vitrum quanti margaritum.
Quanti aſinis praeſtantiores muli.
Fluvius cum mari certat.
Hirundo tetes ſchoenes anteibit.
Hinnulus leonem.
Minerva felem.
Nihil ad Parmenonis ſuem.
Poſt Leſbium cantorem.
Nihil alia civitatis ad Crotonem.
Indignus qui illi matellam porrigat.
Nec dignus qui me intueatur.
Celmus in ferro.
Aquila in nubibus.
Manica.
Pedibus trahere.
Solus ſapit.
Formica camelus.
Hercules & ſimia.
Elucet egregia virtus.
Quum ſis nanus cede.
Corvi luſciniis honoratiores.
Hac potior.
Antiquis debetur veneratio.
Acarnici equi.
Inter caecos regnat ſtrabus,
Qui probus Athenienſis.
Vnus multorum inſtar.
Alabanda fortiſſima.
Alpha penulatorum.
Aceſeus & Helicon opera.
Foenum eſſe.
Ambroſia alendus.
Gorgonem Perſeus aggreditur.
Lydius currus.
Ne caprea contra Leonem.
Monſtrari digito.
Prodico doctior.

Quo properas, num ad Ephebum.
Alius aliis in rebus praeſtantior.
Non omnia poſſumus omnes.
Divinum excipio ſermonem.
Dii omnia poſſunt.
Aurea barba dignus.
Omnia bonos viros decent.
Calceos mutare.
Luſcinia Muſarum.
Coryphaeus.
Mantiſſa obſonia vincit.
Coelo tenus altum.
Ουρανομήκης.
Nive candidior.
Alcinoi horti.
Tu ipſe & liberi tui.
Maſis tabula.
Moleues.
Bibliotheca animata.
Ver unicum inter anni partes.
Nectar ſpirat.
Coloſſi fragmenta.
Γοργοπός.
In acervum mittere.
Καρυκεία.
Curratis.

Daphnis inter paſtores primus.
Priſca manus.
Clavum tenere.
Contenti ſimus hoc Catone.
Locum in balneis occupare.
Primus, ſecundus, tertius, primus medius noviſſimus.
Beta ſapientum.
Digito oſtendere, ſeu monſtrari.
Ducere funem.
Primo gradu.
Athleta.

In gradum reponere.
Διοπετής, delapſa de coelo.
Ζωφος.
Optimates.
Flos.
Os ſee loqui.
Cedro dignum.
Λῆρος.
Ad ſydera uſq; notus.
Non bella quaedam faciunt duo.
Politus civilis, & urbanus.
Cantatiſſima.
Accedit huc.
Vnus multorum inſtar.
Quibus vis montium collibus altior.
Attalica.
Ἀπέχιδον.
Oculus.
Lumen.
Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.
Gigantes.
Αδαμάντινος.
Candidior nive.
Iunonio inceſſu ambulas.
Vates profecto es.
Virtus eſt gaudere honeſtis.
Pentathli ſimilis.
Ὠς πονδάκιν ἴσως.
Theſſalia homines.
Mirifice mirificum.
Vnicus.
Dignus admiratione.
Numen.
In coelum ferre.
Cato ſui temporis.
Dulcius ambroſia.
Flores.
Toto cantabitur orbe.
Omnia Deo plena.
Vina Theologica.
Vnum quidem ſed leonem.
Minerva Phydiae.
Iovis Corinthus.
Exigua aqua maiori interdum ſupernatat.
Iulio, & Caeſare Conſulibus.
Ignis cineribus alitur ſuis.
Familiam ducere.
Herculis Clypeus.
Homo omni exceptione maior
Scintilla etiam exigua tenebris micat.
Solem manibus geſtare.
Facere totum.
Talem oportet ducere, aut non ducere.
Peplo dignus.
Μοῖς ἄν τὰ τόρω.
Novem muſis celatum opus.
Per genium alicuius deierare.
Genium habere aliquid.
Mundi oculus.

DILIGENTIA. 199.

Ad amuſſim.
Ad unguem.
Vltro citroq;.
Thynni more.
Iuxta melam.
In quadrum redigere.
In nocte conſilium.
Ruminare negocium.
Fixis oculis intueri.
Γοργόβλεπος.
In occipitio oculos gerit.
Vnum ad unum.
Incudi reddere.
Ruris ſono.
Iſthmus.
Ariſtophanis & Cleanthis lucerna.
Olet lucernam.
Homini diligenti.
Non una manu capere.
Metiri digitis.
Arator niſi incurvus praevaricatur.
Non navigas noctu.
Somnus abſit ab oculis.
Somnum non vidit.
Neq; quantum luſcinia dormitans.
Succiſiva opera.
Vel acum inveniſſes.
Grues lapidem deglutientes.
Frons occipitio prior.
Arripe negocii auram.
Fermentum ad lapidem.

Eadem

Factum tranſactum.
Pleno gradu.
Noctis æquare diem.
Sapit demorſos ungues.
Euclionis gallus gallinaceus.
Hoc age.
Studium generat ſtudium, ignavia ignaviam.
Paſſuſcius.
Indeſinenter.
Quaſi theſaurum draco.
Patiens pulveris atq; ſolis.
Ad unguem, ad amuſſim, ad regulam.
Qui inſtat extendit.
Leporinus ſomnus.
Manu admota Deum invocandum.
Nemo primo quoq; die fit doctus.
Telo non aque, opus facto eſt.
Cum Muſis certare.
Cum mortuis converſari.
Cyrenaus videris.
Cerebrum interius inquirere.
Violento remigio.
Antrum Mercurii.
Gallinaceus Euclionis.
Ad arculas ſedere.
Ad perpendiculum.
Introite nam & hic dii ſunt.
Quam ob rem tu quisq; eſt, ad eam properas.
Quare adoleſcens, utere ſenex.
Trutina exquirere.
Ludendum domi ſua.
Diſcenti aſſidue multa ſenecta venit.
Demandere calamum.
Fugitivum retrahere.
Ex perpendiculo.
Stellis ſignare.

DISCORDIA. 204.

Bellum omnium pater.
Tuas res tibi habeto.
Gamma betam perſequitur.
Domeſticum diſſidium.
Ultro citroq;.
Ποδαπὸν χελώνη.
Facilius inter horologia convenit.
Diametro diſtant.

DISCRIMINIS. 204.

Apio opus eſt.
Sub cultro liquit.
Sus ſubſultim.
In Pythii templo cacare.
Utinam domi ſim.
Fuge procul à viro malo.
Fuga tutior.
Poſt folia cadunt arbores.
Nunc contingat ſervari.
De tuo capite nunc aguntur comitia.
E canis podice.
Aſtiſte ad extremum ſcientiam.
In eadem es navi.
De pilo pendet De filo pendet.
Periculum prora ſollis.
Inter ſacrum & ſaxum.
Inter malleum & incudem.
A fronte præcipitium, à tergo lupi.
Flamma fumo eſt proxima.
Tua res agitur cum proximus ardet paries.
Per ignem incedis.
In nervum ire.
Nocuit & nocebit.
In acie novaculæ.
Res in cardine.
E naſſa eſcam petere.
Undarum ex ulnis.
Ὀλολυγών.
Calvus cum ſis.
Ne uni navi facultates.
Filum contentionis tunc erat.
Obiicere canibus agnos.
Ovem lupo commiſiſti.
Ne in Melampygum incidas.
Ne temere Abydum.
Ad Scalam res profeiſcetur ipſe nos alterutri comitaberis.
Cave thoracem.
Æganum navigas.
Ne in nervum erumpat.
Abu ſeptem undis.
Gladium acutum evitas.
Perque enſes perque ignem opertet erumpere.
Non certatur de oleaſtro.
Maleam legens quæ ſunt domi obliviſcere.
Per haſta cuſpidem currere.
Ex ore lupi.
In periculoſo negotio non eſt dormitandum.
Lepus pro carnibus.
Certamen non accipit excuſationes.
Corpore effugere.
Ingens diſcrimen.
Inter vitam & necem.
Stella abſumpta bovem non expectet.
Curriculum animæ decurrere.
Inter Orci cantros adhaſit.
Approperat ut letho ſit viciníor.
Argi tumulus.
Extra callem.
Terram ne legas navigando.
Tempeſtas ingruit.
Rudens omnis diſruptus eſt.
Tria Theramenis cavenda.
Nihil ad Perſium.
Ad Scirrhonem tendere.
Dura flagello mens docetur rectius.
In eodem valetudinario incero.
Suſpenſos pedes ponere.
Res ad Triarios rediit.
Sed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes.
Dimicare pro carnibus.
Ἐντὸς τοῦ βέλους.
Intra telum.
Tibi luditur.
Indagine cinctus.
Incidere in laqueos.
Hac urget lupus, hac canis angit.
Ab equinis pedibus procul ſecede.
Miles Romane.
Ægyptum cave.
In foſſa ruere.
Labyrinthus.
Iudem lusus dimicare.
Cave canem.
Non eſt fumus abſq; igne.
Neque inter mortuos, neque inter vivos eſt.
In foveam incidere.
Medius verſatur in undis.
Cervus ad ſagittam propera.
Leo eſt foris. Leæna in itineribus.
Cave tibi à cane muto & aqua ſilente.
Serpens occiſus dudum è domo.
Arundo alas verberat.
In medio Tybure Sardinia eſt.
A fabis abſtineto.
A gallo candido abſtineas.
E paucis verbis ingens bonum aut malum.
Coronam ne carpſeris.
Sub omni lapide ſcorpius dormit.
Cavendum à potentiore.
Periculum ne temere ſubeas.
Fortuna novacula.
Navigationis ſectio.
Non movenda loqui.
Vati non conviciandum.
Thraſybulo Dionyſium dicitis eſſe ſimilem.

DIVITIÆ. 213.

Crœſo, Craſſo ditior.
Pactoli opes.
Pelopis talenta.
Mida divitiæ.
Lyſiſtrati divitias habes.
Cinyræ opes.
Ne decima quidem Syracuſanorum pars.
Ultra res Callicratis.
Zopyri talenta.
Dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres.
Octupedes.
Quantum non milvus oberret.
Tantali talenta.
Herculis quaſtus.
Lyſicrates alter.
Veſtis virum facit.
Noctua Laureotica.
Pradives.
Quantum habet.
Adminicula vitæ.
Unde excoquat ſervum.
Pecunia vir.
Magnum os anni.
Nullius indigens Deus.
Attagena noviluniùm.
Euparyphus ex Comœdia.
Ad pedes ad caput.
Ἀνανέκλουτοι.
Divitiæ non ſemper optimis.
Arabum gaza.
Fluctibus non ſtadiis certare.
Quantum vel Midam ſatiaris.
Darii opes.
Gygis opes.
Agripedex.
Diotrephes doliares habens alas.
Lydia arena.
Pythia Myſi talenta.
Narciſſi opes.
Χρυσόμαλλοι δῆμοι.
Vellus aureum.
Pythia Miſis talenta.
Pecunia nervus.
Arcam habet.
Polytionis dentes.
Sulcus Ægypti Lybia arenas non curat.
Tantali divitias aſſequutus.
Auro habes ſuppactum ſolum.

DIVITUM PRÆROGATIVA. 217.

Felicibus ſunt & trimeſtres liberi.
Multitudo imperatorum Cariam perdidit.
Citius Telegora donarim.
Non bene imperat niſi qui paruerit imperio.
Bonus dux bonum reddit comitem.
Umbra.
Arbore deiecta quivis ligna colligit.
Viva vox.
Annus producit non ager.
Aliis lingua, aliis dentes.
Larus fortuna ſuperior eſt.
Ventus & mare & ignis ſerviunt.
Quantum ubiq; poſſunt duo oboli.
Teipſum continens impera.
In auro non ſinc incidere.
Iuli inſtar greſſiles.
Πάνσοφος.
Vitula trima.
Pecunioſus, etiam nocens non damnatur.
Si quid habes viges, ſin nihil iaces.
Deus nullis indiget.
Manibus habere.
Flagellare opes.
Solis menſa.
Locuples in reditus.
Bathyclis poculum.
Satietas ferociam parit.
Caput unctum, Contrariorum eadem diſciplina.

DIUTURNUM. 220.

Et nati natorum.
Ultra hyperboreos.
Priuſquam ignitus lapis enatarit.
Cumas anni.
Quæ conſecravit ſapientia perire non poſſunt.
Bene fert atatem.
Clavo trabali figere.

DOCILITAS. 221.

Aperta muſarum ianua.
Bos alienus ſubinde foras proſpectat.
Muſarum fores candida.
Dictis non armis.
Lutum niſi tundatur non fit teſta.
Niſus eſt recte loquentis non aſſentiri.

DOMI VIVERE. 221.

Domus amica, domus optima.
Domi miniervo operam bello fortitudinem.
Domus prima.
Domi manendum.
Parietes amicitiæ cuſtodes.

ELABENDI. 222.

[illegible]
[illegible]
Reperire rimam.
Formica ſumiſtam camelo.
Deſcamuniato egredi.
Thynnus elapſus.
Rodere caſſes.
Luto pedem evellere.

EXECRANDI. 223.

Devotionis templum.
Oedipi imprecatio.
Phocenſium execratio.
Phocenſium deſperatio.
Adjurantes ſe facturum aliquid.
In omni fabula & Dædali execratio.
In ultimas terras.
Abjiciendum procul.
Diris agere.
Malis ſibus eveniat.
Ultra Herculis columnas.
Thyeſtea execratio.
In morbo conſumat.
Capiti eveniat.
Pro dii immortales.
Abi Morboniam.
Vertatur in cinerem.
Anathema eſt.
Quis hoc poteſt videre? quis poteſt pati?
Hæc videbis & feres?
Dii magni.
Deum immortalem velim benefacere ego pro certo habe.
Rure centum illilia.
Morbos commutare.
Indirectum.
Luce parere liceat.

EX EVENTU JUDICIUM. 225.

Mali principii malus finis.
Mul ſerunt melius vata.
Colla numerabimus ova.
Res indicabit.
Magiſtratus virum indicat.
Piſcator ictus ſapiet.
Factum ſtultus cognoſcit.
Res eventu quo tu ſis coarguit.
Dicti dabit ipſa fidem res.
Ipſa res hoc oſtendet.

EXITIUM HONESTUM. 226.

De pulchro ligno vel ſtrangulare.
Ne veſtigium quidem.

EXILIUM. 227.

Servabis bovem.
Teſtaceum flagellum.
Terram pro terra.

EXPERIENTIÆ ET PERICLITATIONIS. 227.

In Care periculum.
In doliis figularem artem diſcere.
In arenam deſcendere.
Quanta mus apud Piſam.
Omnem movere lapidem.
Omnem rudentem movere.
Reſpublica virum docet.
Omnem jacere aleam.
Aut ter ſex aut tres teſſeræ.
Rex aut aſinus.
Vela ventis permittere.
Deo fortunæque committo.
Ad aſylum confugere.
Quo properas unus ad Ephebum?
Tanquam ad aram.
Res ad triarios rediit.
Sacram anchoram ſolvere.
Movebo talum à ſacra linea.
Semper tibi pendeat hamus.
Tentantes ad Trojam pervenerunt Græci.
Et poſt malam ſegetem ſerendum eſt.
Tractant fabrilia fabri.
Vnedo.
Βασανίζειν.
Mittere lineam.
Jacta eſt alea.
Igne probatum.
Faciamus periculum.
Quam alta ſit aqua, ipſa oſtendet.

EX SESE. 231.

Domi habet.
Domi naſcitur.
Domeſticum malum.
Nihil grave paſſus es.
Emere malo quam rogare.

EXERCITATIO. 231.

Exerce inventam.
Cotem eſſe.

FACUNDIA. 231.

Attica Muſa.
Lepos Atticus eloquentia Attica.
Cygnea cantio.
Tunc canent Cygni cum tacebunt graculi.
Neſtorea eloquentia.
Nihil ex agro dicis.
Nunc ipſa vivit ſapientia.
Nunc ipſa floret Muſa.
Muſarum aves.
Corinthia verba & Ionica.
Gratias Muſis commiſcere.
Mercurii typus.
Os duodecim ſalientium.
Byſſina verba.
Mercurii Catena.
Quanto verborum ſtillat auro.
Præcantata narratio.
Flumina in terram commeant.
Sirenibus ad perſuadendum aptior.
Inſtar Olympicæ turbæ.
Præ Nili cataractis.
Eloquentia malo ſine moribus diſcitur.
Attice dicere.
In toga.
Ab auro revinctos ducit.
Non incedit ſed fertur.
Summi artificii artem diſſimulare.
Ornare res ipſa negat, contenta doceri.
Vivam vocem edere.
Iconice & ethice.
Urbanus ſermo.
Sybaritica oratio.
Muſarum favus.

FAMES. 235.

Fames & mora bilem in naſum conciunt.
Miſerrimum fame mori.
Moleſtus interpellator venter.
Ceſtreus jejunat.
Non interpellandus famelicus.
Ventre pleno melior conſultatio.
Etiam bacillum devorares.
Manduces.
Maza eſurienti auro charior.
Argentea fame convivari.
Chœros tragicos moleſte fert.
Inflatum ſalivit ovis ad utrem.
Mala ſuada fames.
Dentes dentire.
Eius dentes vel ſilicem comedere poſſunt.
Autumnalis appetentia.
Animæ eſurienti etiam amara dulcia videntur.
Famem peſtilentia ſequitur.
Fames præter ſeipſam adulcat omnia.

FESTINATIONIS. 236.

Navibus atque quadrigis.
Citis quadrigis.
Jovis quadrigas.
Dædaleum remigium.
Equis albis præcedere.
Talaria induere.
Citius quam aſparagi coquuntur.
E veſtigio.
Celerius quam Butes.
Simul & dictum & factum.
Duobus pedibus fugere.
In foribus adeſſe.
Velis equiſque.
Vir fugiens haud moratur lyræ ſtrepitum.
Ocyor accipitre.
Parit puella etiamſi male adſit viro.
Pegaſo velocior.
Salaminia navis.
Ne nimium calidum hoc ſit modo.
Priuſquam gallus iterum cecinerit.
Intra ſeptimam.
Vivit, incende ignem.
A ſubeunte portum navi.
Matura ſatio ſæpe decipit, ſera ſemper mala eſt.
Sacra celeriter abſolvenda.
Lupinum potum.
Ut canis è Nilo.
Alienis ſoleis uti.
Quantum pedibus potes.
Criſonem Hymeræum præcurrere.
Celeritas in malis optima.
Antequam incipias conſulito.

FESTINATIO PRÆPROPERA. 230.

Qui nimium properat ſerius abſolvit.
Canis feſtinans cæcos parit catulos.
Ante victoriam Encomium canis.
Ante lentem augere ollam.
Æſtate penulam deteris.
Muſtum demetere.
Siculus omphacizas.
Præmovere venatum.
Odi puerulos præcoci ſapientia.
Non ſtatim cinis apparet.
Feſtina lente.
Opus eſt Zephyris & hirundinibus multis.
Nihil cunctandum.
Citius quam gradarius.
Ne propera nondum ignem calcas.
Utroque velo fugere.
Abaridis ſagitta.
Lada pernicior.
Dædaleis ferri remigiis.
Demiſſis manibus fugere.
Alieno more nutu, vel arbitratu vivere.
Fulminis in morem.
Curſu prævertere ventos.
Volat.
In idem flumen bis non deſcendimus.
Ictu oculi.
Vaſis conclamatis abire.
Pegaſus vincitur.
Equus Probi.
Pegaſeo ferri volatu.
Sub manu.
Noli reſpicere poſt tergum.
Salaminia navis.
Celer ut mens vel ala.

FIDES ET GRAVITAS. 246.

Folium Sybillæ.
Dives promiſſis.
Priſcis credendum.
Recto pectore.
Ex tripode.
Multi boni.
Legatus non caditur neque violatur.
Ex Jovis tabulis teſtis.
Rhadamantheum judicium.
Rhadamanthi jusjurandum.
Atticus teſtis.
Attica fides.
Jovem lapidem jurare.
Jovis faſtigium.
Amphictyonum conſeſſus.
Pollicentis ſe promiſſa re præſtiturum.
Dictum ac factum.
Suffragium optimum.
Minervæ ſuffragium.
Verborum quæ apud Saturnum acciderunt.

Oculis magis habenda fides quam auribus.
Domeſticus teſtis.
Venereum iusiurandum.
Dignus quicum in tenebris mices.
De manu in manum.
Manu longa & manu brevi tradere.
Iusiurandum emplaſtrum debiti.
Navem rectam ſemper.
Azymus.
Manus porrigenda, non confuſis digitis.
Aphrodiſium iusiurandum.
Totus teres atq; rotundus.
[illegible]
Inratiſſimus.
Omni exceptione maior.
Omnibus numeris.
In ſummo labro iusiurandum.
Promiſſis morari.
Ne tibi ſit fraudi.
Conceptis verbis iurare.
Certiora iis quæ apud Sagram acciderunt.
Capaneus.
Non quibuslibet temere credendum.
Credendum eſt veteribus.
Venereum iusiurandum.
Toto pectore, atq; animo.
Arietinum oraculum.
Latine loqui.
[illegible]
Barbari.

FOEMINÆ. 251.

Fœmina nihil peſtilentius.
Sublata lucerna nihil intereſt inter mulieres.
Male coniugati.
Nec mulieri nec gratiis credendum.
Mulierum exitia.
Mulieri oculus.
Mulier pudica ne ſola ſit unquam.
Qui non litigat cœlebs eſt.
Tanquam Chalcidica nobis pepérit uxor.
Theſſala mulier.
[illegible]
Sublata lucerna nihil diſcriminis eſt inter mulieres.
Fœmina aut minus quam canem, aut plusquam ſonſonem iacit.
Mulier Satanæ opus.
Muliebre eſt furere.
Mulier os.
Mulieri non temere credendum.
Siccinus cornu.
Boni ſemper laudantur.
Pudica & formoſa.
Ampullacea.
Silena.
[illegible]

FOCUS 253.

[illegible]

FORMA ET DEFORmitas. 253.

Ominabitur aliquis te conſpecto.
Aſteris oriundus.
Leporem non edit.
Myconius calvus.
Piſtillo calvior.
Multam Sylvam geſtas.
Pronomi barba.
Naviges Trœzenam.
Perdicis crura.
Callipyges.
Quod pulchrum idem amicum.
Ex ovo prodiit.
Pulchrorum etiam Autumnus pulcher eſt.
Simia in purpura.
Simia, Simia eſt, etiamſi aurea geſtet inſignia.
Therſitæ facies.
Corythæo deformior.
Simiarum pulcherrima deformis eſt.
[illegible]
Scapha lignea.
Coma vetuſtate vel ipſum Abſalomum vincentes.
[illegible]

Forma regia.
[illegible]
Incoctæ mulieres.
Speciosiſſima ſimiarum deformis eſt.
Splendophori.
Bellus.
Ligneus. Iunceus.
Roſea.
Quod pulchrum eſt placet.

FORTITUDINIS. 256.

Maſculum.
Adamantinus.
Aut manentem vincendum aut moriendum.
Thurium lema.
Infige plagam ab aratro.
Mœnia ferrea non terrea.
Præbere viros.
Unum augurium optimum, tueri patriam.
In Lipſydrio pugnas.
Solæ Lacenæ viros pariunt.
Pedem nunquam.
[illegible]
Noxiacos.
Trabali clavo figere.
Murus Semiramidis.
Servus non eſt qui mortem negligit.
Achillem ſpirat.
Armata ſententia.
Inconcuſſa columna.
Lingua quidem ſegnis ſed dextra viget.
Tydæus corpore, animo Hercules.
In repagulis ſtare.
Atticus miles.
Acervus.
Tyrtæo bellicoſior.
Non verbis at factis ſpectari vult Græcia.
Pro aris & focis.
Gradum figere.
Sanguis integer.
Pygmæi vel Thyodamas cum Hercule.
Ille velut Pelagi rupes immota reſiſtit.
Hercules. *Achilles.*
Gallica furia.
Elata manu.
Ubi mures ferrum rodunt.
Decianum ſacrificium.
Leones.
Utroq; cornu bovem continere.
Tortus tortore fortior.
Quaſi lupus in armis.
[illegible]
Athenienſis.
Romanus vir.
Contraria fortitudo timiditati.
Verendus & acer.
Cunctos umbone repellet.
Achilles.
Hoſtibus pectore notus.
Stylo ferreo ſcribit.
Unus lanius non timet multas oves.
Penis à tergo abruptus eſt.
[illegible]
Suſtine & abſtine.
Recipere animum.

FORTUNÆ COMMUTATIO. 261.

Teſtulæ transmutatio.
Alia vita, alia diæta.
Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere fulget.
Cum Deo quiſq; gaudet & flet.
Ipſa dies quandoq; parens quandoq; noverca.
Omnium rerum viciſſitudo eſt.
Multa rota volventur.
Fortuna æſtuaria.
Fors domina campi.
Multa in medio.
Inter manum & mentum.
Res in foro noſtro vertitur.
Flos citius.
Cataſtrophe fabulæ.
Ubi non ſis, qui fueris, non eſt cur velis vivere.
Ad priſtina præſepia.
A remo ad tribunal.
Dionyſius Corinthi.
Citius quam formica papaver.
Nemo mortalium omnibus horis ſapit.

Pitanaſum.
Bona nemini hora eſt.
Oſculana pugna.
Per manus tradere.
Rerum omnium viciſſitudo.
Herculis cornu.
Homo Dei ludibrium.
Computatorum digiti.
Zonam deponere vel amittere.
Cataſtrophe vitæ.
Ager quam multos habuiſti & quam multos habiturus es dominos.

FORTUNATA STULtitia. 265.

Athenienſium inconſulta temeritas.
Dormienti rete trahit.
Malum vas non frangitur.

FRAUS AB AMICO. 266.

[illegible]
Vallus vitem decepit.
Canis mendico auxilians.

FRUGALITAS 266.

Acolo non frui.
[illegible]
Allium in retibus.
Phormionis thori.
Cilicis Imperatores.
Vita doliaris.
Tanquam in phiditiis.
Hecatæ cœna.
Olivam ne comedas.
Sicyon arrodens uxor lucernam texit.
Thymbra victitans.
Salem lingere.
Si caſeum haberem non deſiderarem obſonium.
Xenocratis caſeolus.
Aſpera vita ſed ſalubris.
Salem & caſeum edere.
Aere & rore paſtus.
Laconicæ cœnæ.
Anima ſicca ſapientiſſima.
Hecales cœna.
Cogitato quam longa ſit hyems.
Indigentia mater ſanitatis.
Parſimonia ſummum vectigal.
Civiliter cœnare.
Orphica vita.
Frugi homo.
Lucernæ qui indigent oleum affundunt.
Frigidior Salamandra.
Oleo fraudare lucernas.
De ſportula cœnare.
[illegible]

FRUSTRATA SPES. 269.

Corvum delusit hiantem.
Theſaurus carbones erant.
Bolus ereptus è faucibus.
Murem oſtendit pro Leone.
Concupivit aſſam farinam.
Ne per ſomnium quidem.
Aliena iacis.
Larus parturit.
Parturiunt montes naſcetur ridiculus mus.
Lupus circumpoſitum chorum agit.
Lupus hiat.
Cadere in curſu.
Ne quære mollia ne tibi contingant dura.
Duos inſequens lepores neutrum capit.
Huic funis nihil attraxit.
Inanis ſpe flagrat.
Spem precio emere.
Semper agricola in novum annum dives.
Cretenſis ſacrum.
Nucleum amiſi, reliqui pignori putamina.
Prævertit anchora iactum Dæmi.
In caducum parietem inclinare.
Fœdum & manſiſſe diu, vacuumq; rediſſe.
Non omnia eveniunt quæ in animo ſtatueris.
Scipioni arundineo inniti.
In ſpem fruſtram.
Eſurienti prædam exſculpere.
In dubiis dubius incidit.

Cani.

Caniciemque ſibi & longos promiſerat annos.
Alterum contingit, alterum negat.
Salve æternumque vale.
Conclamatum eſt.
Fruſtra eſſe.
Cœlo ac terra loqui.

FVCVS. 273.

Lecythum habet in malis.
Schœnicola.
Oleo nitidius.
Meniculari.
Facus.
Geometriam exercere in ciliis.
Totam ſpirare Arabiam.
Calathum Sycaminorum in malis habere.
Fucum facere.
Velut vinum aqua miſtum.
Phaleratus. bis
Perſonatus.
Specioſum nomen.
Praſepio n habet non proſopon.
Linire parietem luto.

FVERVNT NON ſunt. 274.

Sæpe etiam eſt holitor valde opportuna loquutus.
Summaria judicatura.
Nam iam illi non ſunt, at qui ſunt, mali.
Fuere quondam ſtrenui Mileſii.
Fuimus Troes.
Hactenus petui, habui, fui.
Scimus nos quales fuimus.
Vixit.
Haud ſolide.

GARRVLITAS. 275.

Archita crepitaculum.
Arabius tibicen.
Turture loquacior.
Prolixius Iliade.
Cornicari.
Muſarum aves.
Tam multa quam ſapiens.
Daulia cornix.
Hirundinum muſea.
Luſcinia nugis inſidentes.
Dodonæum æs.
Cante loquacior.
Cicada vocalior.
Littore loquacior.
Non eſt eiuſdem & multa & opportuna dicere.
Os infrene.
Tanquam ſuber.
Telenicia Echo.
Balneator.
Battologia, Laconiſmus.
Moſchus canens Bœoticum.
Si corvus poſſit tacitus paſci.
Quidquid in buccam veneris.
Quidquid in linguam venerit.
Citra vinum temulentia.
Meliacum navigium.
Interſecta muſica.
Lingua quo vadis.
Cane Tellenis cantilenas.
Ad vivum deſecti.
Leviſſima res oratio.
Farcire centones.
Sine capite fabula.
Ἀναμετρώεια.
Lingua præconi.
Citeria loquacior.
Frenum non habet lingua.
Chius Coum loqui non ſinit.
Ἐγχέλυαν &c.
Argivi aſſimilis.
Cornice loquacior.
Ἐξωχῆσθαι.
Aeiderologus.
Decem lites.
Supra clepſydram dicere.
Qualia canicies loquitur.
Novus iſte Palæphatus.
Paphlagon.
Una clamare.

Ne adas ſuperat.
Tanquam pelues compleſa.
Alcinoi Apologus.
Arabicus tubicen.
Ῥωποπερπερήθρα.
Muliere loquacior.
Verba in conſilio valent, inceram incrobur
Sine vivus abeam.
Mortuaria Gloſſaria.
Λογοποιΐς.
Bis eadem recenſere ridiculum.
Nihil penſi eſt illi.
Citeria.
Sicula nuga, Gerra, Perſola nugæ.
Χιὼν λόπαξ.
Cribro crebrius.
Larus.
Cepphus parturit.
Dicenda tacenda locutus.

GLORIA. 00.

Simulachrum ſibi relinquere.
Gloria ad Herculeas innotuit uſq; columnas.
Miſerum eſt aliena incumbere fama.
Nec te quæſiveris extra.

GRATITVDO. 281.

Qui lucerna egent infundunt oleum.
Lingua ſeorſum inciditur.
Pro bonis glomi.
Syloſontis chlamys.
Ἀντιπελαργεῖν. bis.
Obteſtatio veterum meritorum.
Benefactorum memoria.
Immortales gratiarum horti.
Gratia non ducitur pœnitentia.
Cordi eſſe.
Nemo unquam benefactori bovem immolavit, præter Pariam.
Κριὸς τροφεῖα ἀπέτισεν.
Benefactorum memoria.
Equo ſeneſcenti minora cicela admove.
Merces conſtituitur amico.
Bos cognovit poſſeſſorem.

HÆREDIPETÆ. 282.

Si vultur, es cadaver expecta.
Eidem inhiantes teſtamento.
Vulturius aut corvus.
Abſens hæres non erit.

HONOS INDIGNO habitus. 283.

Bos in quadrâ argenteâ.
Fato Metelli.
Malus Choraules, bonus ſymphoniacus.
Strumam dibapho tegere.
Induitu me leonis exuvium.
Omnem lapidem nitidum adorantes.
Tragica ſimia.

HOSPITALITATIS & contra. 284.

Haudquaquam arcet oſtium.
Semper aliquis in Cydonis domo.
Scindere penulam.
Fores habet tritas ut paſtorum caſa.
Cura hoſpitum habenda.
Apertis ianuis.
Igne eodem & aqua uti.

IGNAVIA ET INSCITIA. 284.

Neq; compluitur, neq; ſole aduritur.
Neq; natare, neq; literas.
Ne tria quidem Steſichori noſti.
Inelegantior Libethriis.
Barbarus ex trivio.
Nec ſibi nec aliis utilis.
Ἄμυσι πίνων.
Claudi more tenere pilam.
Equi ſenecta.
Anus velut equus profundam habebis foſſam.
Ἄμουσοι.
Libera capra ab aratro.
Ne Æſopum quidem trivisti.

Nullam hodie lineam duxi.
Neglectis urenda filix innaſcitur agris.
Ameles angulus.
Mulieris podex.
Qui domi compluitur.
Ne vides quidem oleum.
Ignavi quidvis tentant.
Niobes Archetypum.
Θαλλοφόροι.
In Ialemos adſcribendus.
Βλιτομάμμας.
Exſibilatus ſenex.
Bucula.
Ἀνδάλαισποι.
Fortes in tabula.
Ἀεργοῖς αἰεὶ ἑορτή, pigris ſemper eſſe feſtum.
Terræ odium.
Corbita tardiores.
Glire ſomnolentior.
Futilis.
Cedere caſui.
Ἀμφίβιοι.
Oſcitat.
Tempore hybernali, quando exoſſis ſuum pedem rodit.
Fucus.
Pueri more.
Par impar ludunt.
Viro forti fœmina notere indoctrum.
Veternoſus.
Lepores mœnibus indormire.
Cæcus parietem palpat.
Corvus ab aquila relictis cadaveribus.
Veſcitur.
Surgentem auſcultare avenam.
Ἀφανέστερος χάρων.
Subroſtrani.
Apud matrem manere.

IGNORATIO. 289.

Nullius coloris.
Iuxta cum ignariſſimis.
In alio mundo.
In alieno foro litigare.
In tua ipſius harena.
Albus an ater ſit neſcio.
Non novis natos.
Ne pictum quidem vidis.
Nomine tantum notus.
Late vivens.
Accepta candela.
Nemo natum novit.
Neſcio.
Si illum, fata trahebant.
Neſcire præſtat.
Albus an ater.
In turpiſſima inſcitia verſaris.
Indocto nihil iniquius.
Cæcutio.

IMPOSSIBILIA. 290.

Prius lupus ovem ducat uxorem.
Prius duo Echini amicitiam ineant.
Prius locuſta bovem pariet.
Mare prius vitem culeris.
Prius teſtudo leporem præverterit.
Surſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes.
Citius in ravi cadens à ligno exciderei.
Fontes ipſi ſitiunt.
Aquilam teſtudo vincit.
Terra volat.
Citius elephantum ſub ala cedes.
Capram portare non poſſum & vos imponitis bovem.
Ab aſino lanam.
Simul ſorbere & flare difficile.
Sine pennis volare haud facile eſt.
Impoſſibilia captas.
Scarabeus citius faciet mel.
Statuam faucibus colas.
Nunquam efficies ut recte ingrediantur cancri.
Sambucam citius.
Lenticulam angulo tenet.
Ex harena funiculum nectis.
Aſini cauda.
Veſte circumfers ignem.
Augiæ ſtabulum repurgare.
Lupo agnum eripere poſtulans.
Luſcinia deeſt cantio.

Quid ſi cœlum ruat.
Bos porrecto ultra Taygeton capite.
Athlanticum mare.
Cotyla exorbere.
Mulgens hircos ſanguinem ducit.
Citius terra ætherem conſcendet.
Ne Mercurius ipſe quidem cum Muſis ſanarit.
Cribro vaticinans.
Aufidus Adriam retrofugit.
Stulti ad cribrum.
Nunquam expugnabis urbem.
Quicquid eſt factum ſemper factum eſt totum.
Factum infectum fieri non poteſt.
Montem transferre.
Si laveris tenitro maculatas.
Prius ca vum à concavo disjunxeris.

ILLECEBRA MALI. 294.

Letum guſtavit.
Periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe.
Obolum reperit Parnœsus.
Πυλάδειον.
Πεδονίζειν.
Ceſtopellacine.
Iynges
Syrenas præternavigare.
Ferrum virum attrahit.
Aliquando qui luſit, iterum ludet.
Trahit ſua quemque voluptas.
Pulchra placent.
Stipuli flamma proxima ignem concipit.
Oſcitat.
Conſuere pulvillos ſub cubito.
Pomum Atalantæ ſequi.

IMPERITIA. 295.

Dulce bellum inexpertis.
Pedum vita eſt via.
Operaris.
Cuculus.
Threicia hirundo labiis inſtrepit.
Ferreus.
Indoctior quam in tragœdia Comici.
In navibus nutritus.
Πισχομαῦσ͂@-.
Per nebulam ſive caliginem videre ſive audire.
Ne eruditum quidem pulverem attigit.
Loqui neſcis at tacere non poteſt.
Crudus.
Neſcio.
Monacho indoctior.
Ανάκρ@-.
Aglaus alter.
Ignorantia ſcientiæ inimica.
Imperito nihil iniquius.
Non eſt filius piſcatoris qui ignorat quid ſit menuiſe.
Medici ex commentario.
Qui multas ignorat ignorabit & unum.
Nec numerare ſcit.
Ne prophanus audiat.
Viam inforum ignorat.
Magis latet eos quam maris arena.
Res divina vulgus latent.
Lapis ſuper lapidem.
Dupondii iuvenes.
Απάλαιστρ.
Pedibus ingredior, natare non didici. Cheſippus.

IMPOSTVRÆ. 304.

Dare verba.
Addere manum.
Os ſublinere.
Fucum facere.
Obtrudere palpum.
Nova hirundo.
In laqueum inducere.
Epheſia litera.
Phœnicium mendacium.
Manducones.
Lamiæ turres.
Sirenas.
Frondis fructum expertus.

Dardania artes.

IMPROBI. 307.

Lydi mali, poſt hos Ægyptii.
Leris mali.
Mali commatis.
Bipedum nequiſſimus.
Βωμολόχ@-. βωμολοχεύεσθαι.
Diagoras Melius.
Lupi decas.
Cum ſacco adire.
Onobatis.
Cercopum cœtus.
Cercopiſſare.
Αλιτήρι@-.
Tenedius tibicen.
Eurybatizare.
Phrynondas alter
Novi Simonem & Simon me.
Ballario.
Ambrones.
Βυζυγίζειν.
Tria cappa peſſima.
Duplex cappa.
Inexploratus homo.
Ferre iugum.
Magis impius Hippomene.
Mare proluit omnia mortalium mala.
Qui omnes in re & omni tempore.
Servilis capillus.
Vlyſſis remigium.
Dii tibi dent tuam mentem.
Non eſt laudandus, ne in cœna quidem.
Compendiaria res improbitas.
Inſania non omnibus eadem.
Ætoli.
Salmoneus alter.
Murana.
Cybiratici canes.
Cilicia inſolentia.
Scæva
Cœni agitor.
Agreſtis apis.
Multa noris quibus Deum faciis.
Vnum alveare.
Chalanes turris.
Chylones.
Circulator Cybelicus.
Eſcurra facilius dives quam paterfamilias fit.
Bene conſulit ſed male facit.
Hiantia ſepulchra.
Sarabaita.
Κακὰ θηρία.
Mala beſtia.
Scelera non habent conſilium.
Gergeſeni.
Lydi mali, ſecundi Ægyptii, tertii Cares.
Albus & alter.
Nepos.
Poſtremi.
Vir ſacer.
Mala mens.
Ratio ſimilis.
Sceleri nunquam defuit ratio.
Iniuria à conſilio.
Veriq; fures & qui recipit, & qui furatur.
Niger eſt Chuſſius.
Αγαθὸς ἀλιτήρι@-.
Sentina Reipublica.
Peſtis Italica.
A ſignatis caveto
Alia dicunt, alia faciunt.
Sterdalus.
Belial.
Peſtis eſt.
Retro gradi.
Spinæ ſe invicem complectuntur.
Cercopum forum.
Subiicere pedibus Acheronteum.
Στιγματίας.
Ætoli.
Aliena ferox præſidio.
Liba Coaltemo
Omnibus modis nocens.
Macula.
Labes.
Reiicientis culpam.
Siniſtras literas edoctus.
Iapetus.

Ανάδεια.

IMPVDENTIÆ. 315.

Lingua non reddarguta.
Faciem perfricare.
Frontis perfricta.
Dea impudentia.
Nudo capite.
Atticus aſpectus.
Κυνάλωπηξ.
Χλωρὸν δέλεαρ.
In triclinio Chea.
Cane impudentior.
Perſonam, non faciem gerit.
Tabernariam exercet fronte.
Κυρήβαξ.
Τρίψας μέτωπον.
Σκαρίφ@-.
Flis.
Obducta frons.
Τὸ ἀμῷ@- ἐκδαρμές.
Cynice vivere.
Ridet canum more.
Os canis.

IMPVDICITIA. 317.

Oſce loqui.
Æſtivenit.
Æditimus conſſalit.
Coryus contubernalis.
In Cybeles ſacrario factus.
Dorice incedere.
Quadrantaria Clytemneſtra.
Philenidis commentarii.
Laxare fibulam.
Fœcennina licentia.
Hircus, cuculus.
Eruca.
Cauponaria mulieres.
Βαυβὼ τεμίρσιον.
Τραγίζειν.
Quadrantaria.
Cluſinum pectus.
Lupa.
Mileſius ſermo.
Linge culas & crepidas.
Datatim dare ſe.
Τηγανιστ.
Δωρίζειν.
Annis hircum olet.
Hedera laſcivior.

INANIS MEDVS. 319.

Panicus caſus.
Da lapidi volam.
Metum maorem metuiſti.
Multa in bellis inania.
Theagenis hecateum
Canes timidi vehementius latrant.
Aſperſiſti aquam.
Vtre terrestas
Leonem larva terres.
Obſipas aquam.
Canis etiam Hecate terretur.

INANIS OPERA. 320.

Aſinum tondes.
Ab aſino lanam.
Vitrem vellis.
Calvum vellis.
Laterem lavas.
Lapidem elixas.
Æthiopem lavas, dealbas.
Arare littus.
Harena mandas ſemina.
In aqua ſementem facis.
In ſaxis ſeminas.
In aqua ſcribis.
In harena ædificas.
Ventos colas.
Ferrum natare doces.
Cribro aquam haurire.
Apud fimum odorum vaporem ſpargis.
Et operam & oleum perdere.
Senis mutare linguam.
Reti ventos venaris.
Tranquillum æthera remigas.

Mortuum flagellas.
Ollam exornas.
Mortuo verba facit.
Surdo canis, surdo fabulam narras.
Littori loqueris.
Aquilam volare doces.
Delphinum natare doces.
Delphinum cauda ligas.
Nebulas diverberare.
Aſini caput ne laves nitro.
Adfractam canis.
De fumo diſceptare.
Arenam metiris.
De lana caprina.
Iſthmum perfodere.
Lapidas loqueris.
Sterilem fundum ne colas.
Utrem mergis vento plenum.
Cavam Arabiam ſerere.
Aranearum telas texere.
Ex multupali paulum fructus collegi.
Ovum a [illegible]
Penelopes telam retexere.
Oleum et operam perdidi.
Nihil agere.
Parvis, [illegible]
Quid opus erat longis canere tibiis.
Ollas oſtentare.
Cum diis pugnare.
Cum diis non pugnandum.
Aſinum ſub freno currere doces.
Apud novercam queri.
Cauda tenes anguillam.
Auſtrum perendi.
Σκιαμαχεῖν.
Milium terebrare.
Vacuam inhabitare.
In frigidum furnum panes immittere.
Linum lino nectis.
Surdo oppedere.
De aſini proſpectu.
Cantharicum metere.
De aſini umbra.
Verberare lapidem.
Laterem lavare.
A lupi venatu.
Alienum arare fundum.
Hylam inclamas.
Hic ſumiens nihil attrevit.
Hydram ſecas.
Coterm alis.
Cum Coryco luctari.
Cavam Arabiam ſerere.
Cum larvis luctari.
Undas numeras.
Inaniter aquam conſumis.
Volvitur dolium.
In cœlum iacularis.
Ululas Athenas.
In eodem haſitas luto.
In ſylvam ligna ferre.
Contorquet piger funiculum.
Vento loqueris.
Nugas agere.
Actum agere.
Aquam in mortario tundere.
Volantia ſectari.
Verſuram ſolvere.
Saxum volvere.
Ex inanibus palais.
Fruſtra canis.
Fruſtra curris.
Milium torno ſculpere.
Memorem mones.
Doctum doces.
Obturbas fruſtra velut unda.
Invitos boves plauſtro inducere.
Invitis canibus venari.
Contra torrentem niti.
Contra ſtimulum calces.
Sonis doctior.
Aſinus balneatoris.
Excurrere mare.
Mare exhauris.
Muſcas depellere.
Conchas legere.
Aves quaris.
Hoemi haurit.
Inſtuit quod exhauritur.
Herculis labores.
E Tantali horto fructum colligis.
Dentem dente rodere.
Oreſti pallium texere.
Ver ex anno tollere.
Bulbos quarit.
Nudo veſtimenta detrahere.
Utrem cadis.
Inter lapides pugnabant nec lapidem tollere poterant.
Impete peritum uris.
Canis.
Eundem calceum omni pedi inducere.
Corvus albus.
Inanis conatus.
Quaſi Sutrium eant.
Τυφλὴ ... (Greek, illegible)
Dolium Danaidum.
Ocni funem retorquet.
Dormienti loquere.
Perdix congregat divitias ſine iudicio.
In aſini aures canere.
Humeris licet perdas aquam incernendo.
Inconcuſſa perſequi.
Ventos paſcere.
Per eandem lineam ſerram reciprocare.
Glomerare inglomerabilia.
Non omnia per bovem obtinebis.
Tricas conduplicare tollicenas.
Rete inflas.
In cinere ſcribere.
Fluctibus obloqui.
Nodorum vincula nectentes.
Barbam ab ulna puerorum vellere.
Aerem ferire.
Ne hilum.
Campas dictis abigi.
Ἐς τίθογι γραφω. (Greek, illegible)
Oleribus verba facere.
Διδάσκω δρίμυ ... (Greek, illegible)
Σκιαμαχεῖν.
Arena ſine calce.
Hylam vocare.
Nihil agere.
Nullum cum victis certamen, & athere caſſis.
Ludere operam.
Cum diis ne contende.
Si ſolus ſapias, nempe quis uſus erit.
A ſino caput ſapone lavare.
Fruſtra legis non intelligis.
Nihil opus verbis.
Dolium pertuſum.
Memorem monere.
Verbis verba profundere.
Invita venere.
Sine ſera inutilia verba audire.
Per rupes proiectio ſemina ſterilet.
Lapidem elixare.
De pilo luteve diſceptare.
Per longas ambages fruſtra vagari.
Diis invitis.
Platano aſſimilis.
Similis cupreſſo.
Æſchinaus venator.
Aerem verberare.
Ædificant domos & non habitabunt.
Aſini vellera quaris.
Fidere unius noctis glaciei.
Culex lychno ſe committens adurit ur.
Abſque deo pingere.
Dumum cadam, ut tua ſint arva.
In foribus urceum.
Aſini fabulam.
Aquam è tumice poſtulas.
Qui plura ambit male aſtringit.
Suadere ſurdis.

INÆQUALIS PENSATIO. 338.

Ne verba pro farina.
Pro perca ſcorpium.
Umbra pro corpore.
Palumbem pro columba.
Piles pro lana.
Pro malo canes ſuum repoſcis.
In parte vel iugum praditur aliquid.
Diomedis & Glauci permutatio.
Si vinum poſtulas pugnus illi dato.

INCERTUS EVENTUS. 339.

Mars communis.
Inter os & offam.
Multa cadunt inter calicem ſupremaq; labra.
Neſcis quid ſerus veſper vehat.
In herba eſſe.
Nullo ſcopo iaculari.
Si crebro iacias, aliud alias iaceris.
In Coo quis dies.
Nec vola nec veſtigium.
Ignotius quam maris choes.
Nondum dierum omnium ſol occidit.
Nihil deſperandum, & nulli rei fidendum.
Κύβος.
Eripuit Turno.
Succeſſum fortuna, experientiam laus ſequitur.
Omne futurum incertum.
Multa cadunt inter duo tempora.
Ἀδηλα ... (Greek, illegible)
Propius nil factum.
Quæ poſt vitam futura ſunt incerta.
Si mihi vera nunciantur.
Iactus recte.
Vana coniectura.

INCITARE. 342.

Citharæ incitat ad bellum.
Alas addere.
Frigidam aquam ſuffundere.
Medius omnibus incitans.
Feripuer.
Ignarium dare.
Cur ceſſatum eſt.
Fodere.
Pennas addere.
Nondum incurvam cervicem Iupiter habet.
Mercurii virga excitare.
Sol exorere.
Bonum habe animum.
Perge qua iuſta ſunt curare.
Bono animo eſto.
Accingere.
Equitas in campum provocare.

INCONSTANTIÆ, PERFIDIÆ: verſutiæ. 343.

Chimæra.
De ſtatu demigrare.
Modo palliatus, modo togatus.
Trochi in morem.
Veſpertilio.
Venti campus.
Panaga Diana.
Lachryma nil citius areſcit.
Mutabilior Metra Eriſichthonis.
Chamæleonte mutabilior.
Proteo mutabilior.
Polypi mentem obtine.
Mulieris animus.
Euripus homo.
Crispi in loco.
Cothurno verſatilior.
Aliud ſtans aliud edens.
Duabus ſedere ſellis.
Duos parietes eadem dealbare fidelia.
Duplices viros.
De toga ad pallium.
Duodecim artium.
Theſſalorum commentum.
Phœnicum pacta.
Locrenſe pactum.
Thracium commentum.
Teraces fœdera naſcitur.
Hoc calceamentum conſuit Hiſtiæus, & Ariſtagoras induit.
Repariaxare.
Quibus nec ara neq; fides.
Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.
Maritimi mores.
Lingua iuravit.
Punica fides.
Non idem ſunt ſcriptura & Lectum.
Dædali opera.
Admirabiles in inveniendis machinis Ægyptii.

Multa novit vulpes, verum echinus unum magnum.
Magnus verſator in repuſillo.
Simia non capitur laqueo.
Volaticum ſimulandum.
Semper Africa novi aliquid apportat.
Semper affert Libya mali quidpiam.
Magis varius quam hydra.
Syſiphi artes.
Pyrrhandri commentum.
Expedit habere plura cognomina.
Vna novit quibus effugit Eucrates.
Lybica fera.
Αἰγυπτιάζειν.
E poculo perforato bibere.
Si leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda.
Non Chius ſed Ceus.
Dextrum pedem in calceo, ſiniſtrum in pelvi.
Multa norit oportet quibus Deum fallat.
Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.
Ex ſe fingit velut araneus.
Obliquus curſus.
Cantharo aſtutior.
Pardi mortem adſimulat.
Sphondyla fugiens peſſime pedit.
Cothurnus.
Theſſalicum Numiſma.
Themiſtoclea vafrities.
Πυσταλάμοι.
Syri adverſum Phoenices.
Pergæa Diana.
Vulpis reliquia.
Cepphus.
Laconiſare.
Veſpertinum amant, matutinum oderunt.
Æoliſare.
Lunula.
Deſultores.
Vulpina lingua.
Pardalis exuvium induere.
Archilochia vulpis.
Βυζάντιον. Incurvicervicum.
Telchines.
Hamaxobio inſtabilior.
Imbrus, & Lemnus.
Theramenes.
Pyrrhonia haſitatio.
Evannas ad omnem auram.
Statua viatores omnes intuens.
Leo prius, nunc leporem agit.
Cercops.
Eſcam hamo circumponere.
In caſſes inducere.
Gallus bibit neque meiit, Myxus non bibit attamen meit.
Μάθλης.
Verſatilior cardine.
Βιβλιαίγισθος.
Turbine verſatilior.
Latrunculis ludere.
Nullus aleator ſapientior.
Boſquis Vlyſſes.
Inſuere in ſaccum vulculum.
Agitatur vento.
Strutio.
Recoctus.
Syri adverſus Phoenices.
Ἀ[illegible].
Caracalla nummi.
Κίσσαρις.
In vento & rapida ſcribere aqua.
Sinapi callidior.
Sinapi tueri.
Anima nunc huc nunc fluitans illuc.
Mutuum ſumpſiſti.
Ἀργυρ[illegible].
Vlyſſes.
Arte Pelaſga.
[illegible]
Mali.
Omnia venalia habet.
In utrumque paratus.
Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem.
Æolida.
Theramenes Cothurnus.
Aulicaſtri.
Imbutum limo & convalitum.
Magis phantaſticum quam papa mula.
Turba turbida.
Corvos ſequeris.
Meropes.
Scorpiones.
Iura pudorque & coniugii ſancta fides fugiunt aulas.
Viſcatis manibus.
Non eſt mentiri meum.
Ἀργός.
Bilinguis.
Δαιμόνιον.
Tu es obitus.
Hinc illinc.
Vtitur manu ſiniſtra.
Alius futurus, ubi propius acceſſerit periculum.
Surſum deorſumque.
Dædalus videris.
Ligneo equo inſidere.
Proteus es.
Etiamſi Iupiter vel rex magnus ſit.
Vir bonus, nunc pravus, nunc bonus eſt.
Pro rebus verba.
Stropha.
Nocte latent fures.
Terra ſerpentes & ciconias fert.
Σκανδαλίζεις.
Iudas non dormit.
Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.
Expandere rete.
De tribu Levi.
Deſultoria levitas.
Iudicium circulatorium.
Exenterare.
Κώδων.
Subere levior.
Ad utrumvis paratus.
Manuari.
Mæandri.
Veriſimiliter mentiens.
Cavendum ab eo qui ſemel impoſuit.
Manus læva.
[illegible]
Suberinus, ſubere levior.
Præſentibus offenditur.
Liquida tempeſtate liquidior.

INCULPATUS. 360.

Purior clavo.
A puro pura defluit aqua.
Aurum igni probatur.
Aurum colophonium.
Alauda non eſt ſine criſta.
Purior ſalillo.
In parvulis nulla culpa.
Maſſilienſes mores.
Animo probi re improbi.
Involuntaria venia dignum.
Puræ manus.

IN DELICIIS. 361.

Porcellus Acarnanius.
Mus albus.
Catella Melitæa.
Melitæus catulus.
Pectide ſuavior.
[illegible]

IN DEPREHENSOS. 362.

Folio ficulno tenes anguillam.
Medius teneris.
Decipula murem cepit.
In laqueos lupus.
In area lucitas.
Culleo dignus, aut non uno culleo dignus.
In eaſdem anſas veniſti.
Laqueus laqueum cepit.
Hinc illæ lachrymæ.
Hydrus in dolio.
Tempus omnia revelat.
Cuculus.
Vbi deprehenſum eſt quod erat occultum.
Erubuit, ſalva res eſt.
In ſaltu uno, duos apros capere.

INDILIGENTIA. 363.

Princeps indiligens.
Si quis iuxta cervicem clypeus.
Malus ianitor.
Phani oſtium.
A limine ſalutare.
Lacinia tenere.
Surculum defringere.
Vt canis e Nilo.
Per tranſennam inſpicere.
Per nebulam, per caliginem, per ſomnium.
Moriendum priuſquam.
Per ſatyram.
Summo pede.
In tranſcurſu.
Summis labiis.
Summis naribus olfacere.
Extremis digitis attingere.
Primoribus labiis deguſtare.
Molli brachio.
Levi brachio.
Conſperſa manu.
Compreſſis manibus.
Pulmo prius veniſſet.
Summis auribus inſidet.
E diverticulo.
Ficus & tribulus.
De paxillo ſuſpendere.
Supra ſummum clavum.
Dicis gratia.
[illegible]
Paxillis in clavo ſuſpendere.
Per indiceis.
In tranſitu.
E[illegible].
Scutis ſupinis.
Lente.
Molli articulo.
In cortina eſſe.
Vagari deſine.
Dicis cauſa.
De plano aliquid cognoſcere.
Tranſlaticie agere.

INDUSTRIÆ. 367.

Dii facientes adiuvant.
Manum admoventi fortuna eſt imploranda.
Cum Minerva manum quoque move.
Neque mel neque apes.
Qui vitat molam, vitat farinam.
Induſtriam adiuvat Deus.
Optimum obſonium labor ſenectuti.
Ni purges & melas, non comedes.
Lutum niſi tundatur non fit urceus.
Manu fingere.
Serere ne dubites.
Qui arat olivetum.
Quid tandem non efficiant manus.
Proba eſt materia, probum ſi adhibeas artificem.
Artem quævis alit terra.
Ex umbra in Solem.
Manus pectium.
Muli Mariani.
Qui per ſe ſufficit.
Am[illegible] inopia.
Multis brachiis æqualis.
Telephi citi pariunt.
Palamedeum inventum.
Iſthic vellus non carpitur.
Neceſſitas rationum inventrix.
Ex pialis bona obtingunt.
Aſteropam.
Domi militiæque.
Plerumque manus ipſa repræſtat.
Αἰγυπτιάζειν.
Ἀ[illegible].
Quod natura negat labor præbet.
Capitalis.
Aoth ambidexter.
In centro & circumferentia contendere.
Ars cenſus opera, vita.
Torcular calcavi ſolus.
Bœotiſſare.
Somnium hybernum.

INEPTA. 370.

Neronianas Thermas refrigerat.
Nudato Petro Paulum tegere.
Non eſſet rectum minori parere maiorem.
Ne manus quidem ad cantum.
Forum baiuli vicani.
Γλαὺξ ςρατηγῶ.
Devorata verba.
A bellariis epulum commendare.

INFACUNDIÆ. 371.

Βατταρίζειν.
Cancer ad Myrtum.
Peius Babys tibia canit.
Ialemo frigidior.
Veneris expers.
Non è palaſtra.
Γαλῆν γαλῆν ὁρῶ.
Suilla harmonia.
Turtur cantat.
Manliana.
Alabandicum opus.
Frigus inducit.
Carmen deductum.
Barbarus.
Non ab Hymetto.
Humi ſerpere.
Harena ſine calce.

INFORTUNII SIVE EXITII. 373.

Aſinus inter ſimias.
Novacula in cotem.
Victus ſpinoſus.
Hodie nihil ſuccedit.
Tempeſtas rerum.
Aſinus inter apes.
Aqua & terra reddamini.
In apes irruiſti.
Dicas tria ex curia.
Ad aquam malus.
Canis in vincula.
Mitte in aquam.
Ad Cynoſarges.
Ad lapidicinas.
In puteo cum canibus pugnare.
In beatam.
In Orci culum incidas.
Charontis ianua.
Equum habes Seianum.
Tragicum malum.
Muſtelam habes.
Cadmea victoria.
Fortunatior Strobilis Carcini.
Iſſa.
Genius malus.
Vel hoſti miſerandus.
Mala ultro adſunt.
Per medium anulum trahatis oportet.
E tribus malis unum.
Extrema extremorum mala.
Ogygia mala.
Diolygium malum.
Labore laborioſus.
Lemnium malum.
Magnetum mala.
Malis mala ſuccedunt.
Tanarium malum.
Tam perit quam extrema faba.
Vrum, videnſque.
Ilias malorum.
Lerna malorum.
Mare malorum.
Theſaurus malorum.
Semper Ilio mala.
Sybaritica calamitas.
Alio relinquente fluctu alius excepit.
Cyrbes malum.
Malorum Panegyris.
Per tenebras qua apud quercum.
Graviora Sambico patitur.
Malo aſino vehitur.
Quæ ex antiqua.
Miſerior monachis.
Cuiuſmodi portento me involuit fortuna.
Myſortitus es.
Nefaſti dies.
Servabis bovem.
Intus dolores.
Niobes mala.
Antiopa luctus.
Cythnica calamitates.
Cyrnia iactura.
Argi collis.
Archidamicum bellum.
Ægypti nuptiæ.
Militavit cum Eraſinade.
Excubias agere in Naupacto.
Lemnia manus.
Lepus apparens infortunatum facit iter.
Minxit in patrios cineres.
Rupta ancora.
Commune naufragium.
Obedientia felicitatis mater.
Niger.
Magis quam Sol Heracliti extingui.
Malorum omnium pedem habet.
Graviora quam ab Archidamo Athenienſes.
Priamiſare.
Ad genua venire.
Adverſo æſtu.
Mariandynus tibicen.
Myſorum more inclama.
Lacryma Simonidis.
Saturnius oculus.
In Catonium agi.
Olim pelagi. Danaida poſtea.
Agamemnonium epulum.
Cedrus cecidit.
Oneras aliquam Zamiam.
Sale conſperſi.
Exunguare.
Mulctores res reip. peſtis.
*Aſſonges ut citius ad exitii terminos perve-
niat.*
Miſeriorem quam Panos puerum.
Lacuna.
Ad inferos proficiſci.
Mures migraverunt.
Neque remi, neque venti.
Eodem iugo urgeri.
Deorum dona ſæpe non dona.
Mithrii pœnas ſuſtinere.
Manuarium æs.
Calvis & comatis pilos velli moleſtum.
Περμυαθλῆν.
De ſtatu mentis deturbare.
Διχηριφεῖν
Præter plorare nihil.
Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.
Mortuus, rurſus id eris quod prius.
Barbata emittitur ſalutanda.
Civitatem ſive domum venti perſpirans.
Παρὰ λύδιον ἅρμα θεῖν.
Ad Manticam res rediit.
Quarta luna natus.
Tactus aratro eſt.
Ruit cœlo nox.
Miſerebitur hoſtis.
Charontis cymba.
Pinus in morem.
Maius tuum putas naufragium.
Lapſus viribus.
Adverſo flumine.
Excedunt dii.
In dies res in peius ruunt.
Charontis ſymbolum.
Calamitas nulla ſola.
Ex ulmis.
Ne paxillus quidem relictus.
Perperi.
Ire ad ſcopulum.
Ζῶντι καὶ ἔρδοντι.
Θάνατος ἀθάνατος.
Rebus relictis.
Vigilans dormio.
In igni nere.
Deploratum eſt.
Morticinus.
Ne reſpexeris.
Percutere femur.
In diem atram decurrere.
Funditus ſubvertere.
Torvum tuentes.
Coma erigitur.
O factum male.
Factum bene.
Miſer vive.
Tota cum ſtirpe domus procumbit.
Caſu concuſſus acerbo.
Ruunt de montibus amnes.
Infœlix cui omnia licent.
Tabus in ſacco.
*Allienſis pugna dies funeſtior eſt quam urbis
capta.*
Corinthus ſuperciliosa.
Paxillus infractus eſt.
Non rudit onager quum herbam habet.
Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo.
Luctuoſum ſaxum.
Frigida aqua ferventem ollam adſpergere.
Veſticulariam vitam agere.
*Qui comederit de ovis eorum, morietur &
quod confotum eſt erumpet in regulum.*
Nihil eſt ab omni parte beatum.
Cilicium exitium.
Fortuna prorſus adverſa.
Magis quam ſol Heracliti.
Quaſi dies dicta ſit.
Cauſa cadere formula cadere.
Aliena in miſeria proprium cruciatum metit.
Velut prati ultimus flos periit.
Manus diſſolvi.

INGENII MALITIA ET inſtitutio. 387.

Lupus pilum mutat, non mentem.
Naturam expellas furca tamen uſque recurrit.
Qui ſemel ſcurra nunquam paterfamilias.
Lignum tortum haud unquam rectum.
Æthiops non albeſcit.
Podex lotionem vincit.
Occaſione duntaxat opus improbitati.
Salivam imbibere.
Quo ſemel eſt imbuta.
Embarus es.
Pardus maculas non deponit.
Αὐτόφυις.
Humor.
Emolliti enerveſque nati in vitiis manent.
Naturam mutare difficile.
Vbi intenderis ingenium valet.
Sic ſum.
Conſuetudo altera natura.
A teneris conſueſcere multum eſt.
Tota cum ſtirpe domus procumbit.
Mentis vetus læſa figura.
Aceto, acrius, melle dulcius.
Ὀρτυγοτροφεῖν, aut ὀρτυγοκοπεῖν.
Vulpes pilum mutat, non mores.
Omnibus malis Punicis ineſt granum putre.
Veluti prati ultimus flos periit.
Manus diſſolui.

INGRATITUDO. 390.

Ingratitudo vulgi.
Vrunm noveris.
Ale luporum catulos.
Aries nutricationis mercedem perſolvit.
Qui canem alit externum.
Hirundines ſub eodem tecto non habeas.
*Pro beneficentia Agamemnonem viti ſunt
Achivi.*
Properca ſcorpium.
Nemo bene merito bovem immolavit.
Præter Pyrrham.
Simul & miſertum eſt & interiit gratia.
In ſenem ne quod collocaris beneficium.
Noſtis non hoſtis.
Arietis miniſterium.
Gubernatori ſomnolento ne benefacito.
Canes nutrire.
Pertuſum vas.
Vapula Papyria.
Ingrato credita pereunt.
Nihil fecisse benigne ingratum.
Serra gloriatur contra trahentem.
Equus ſuo defraudatus pabulo ignavus.
Rota plauſtri male uncta ſtridet.
Mus & pera.

INGRATA OBVETUSTATEM. 392.

Piſcis nequam eſt niſi recens.

Piſcis repoſitus.
Antiquiora diphthera loqueris.
A Nannaco.
Res Cannaca.
Antiquior quam Chaos & Saturni tempora.
Per antiquum diem.
Pellenæa tunica.
Cum Evandri matre loqui.
Rancescit.
Aquas pluvias colligere.

INITIUM LAUDATUM. 392.

Operi incipienti favendum.
In hoc calceamento pedem habet.
Veſtigium ponere.
Primum Ægina pueros optimos alit.
Primum Mars in filiis laudatus eſt.
Fabarum arroſor.
Autumnales arbores.
Principii boni finis bonus.
A Tarteſſo ad tartarum.
A Veſta incipiens.
Ab ipſa Veſta.
Argentum verſum eſt in ſcoriam.

INJUSTITIÆ. 394.

Stateram ne tranſgrediaris.
Lucrum malum æquale diſpendio.
Κριμαντίζειν.
Briarei manus iniicere.
Bruta fulmina.
Digito attingere.
Quo iure quave iniuria.
Apes peſſima furto proveniunt.
Peſte.
Ab Herode ad Pilatum.

INSALUBRITAS. 394.

Herculana ſcabies.
Ipſa ſenectus morbus eſt.
Ἰσθμιάζειν.
Umbris macilentior.
Aurei generis.
Qui medicè vivit, vivit miſerrimè.
Amarius helleboro.
Æſtiva ægritudo.
Ἀσθμάζειν.

INSIDIÆ. 395.

Βυσσοδομεύειν.
Canis ad cibum.
Ἀνδρὸς ἵππος.
Arundinea crura & tabis propheta.
Ineſcare homines.
Oportet omnibus corydalis.
Tragulam iniicere.
Cuniculis oppugnare.
In tranſennam inducere.
Pulchre fallis vulpem.
Equus Troianus.
Leo in luſtris.
Magis nocent inſidiæ quæ latent.
More leonis favus mellis.

INSTANS. 397.

Ante pedes.
Præſentia atque viva.

IN STUPIDOS. 397.

De fera comediſti.
Ede naſturtium.
Nihil differs à Chærephonte.
Nihil ab elephante differs.
Sacer piſcis.
Tanagræus cetus.
Loquax talpa.
Bos marinus.
Mens non ineſt Centauris.
Bεccεſelenus.
Saturni podex.
Caput vacuum cerebro.
Margites.
Ranagyrina ſapientior.
Ovium nullus uſus.
Ovium mores.

Faunum eſſe.
Ambroſia alendus.
Tibicines mente capti.
Ne quis unquam Megarenſibus.
Midas auriculas aſini.
Fungus.
Aut regem aut fatuum naſci oportere.
Stultior Meliride.
Neſcit capitis & inguinis diſcrimen.
Terra infeſtina.
Larus hians.
Κορυβαντιᾶν.
Lucerna pinguior.
Lecytho pinguior.
Bœotica ſus.
Bœoticorum ingenium.
Bœotica cantilena.
Bœotica aves.
Aſinus ſtramenta mavult quam aurum.
Colophonium calceamentum.
In navibus educatus.
Vaſis inſtar.
Mittere ſanguinem.
Tredecim cubitorum.
Salſitudo non ineſt illi.
Bibe elleborum.
Naviget Anticyras.
Strychnum bibit.
Porcum immola.
Squillas à ſepulchro vellas.
Minus habes mentis quam Dithyramborum poeta.
Piſtillo retuſius.
Embarus ſum.
Phryx plagis emendatur.
Servilior ■ eſſena.
Stultior Chorœbo.
Stultior Moricho.
Stupidior Praxilla Adonide.
Verucea ſtatua.
Corpus ſine pectore.
Antronius aſinus.
Naribus trahere.
Arcadicum germen.
Arcadas imitans.
Aſinum in rupes protrudere.
Non ineſt illi dentale.
Stulto ne permittas digitum.
Septennis quum ſit nondum edidit dentes.
Stultitia eſt Iovem putare eſſe.
Ut Bagas conſtitiſti.
Deſertum obtueri.
Terebintho ſtultior.
Cæcus auribus ac mente.
Bis pueri ſenes.
Saturnia lema.
Auris Batava.
Abderitica mens.
Ὀνόξυλον.
Tuditanus.
Lanarius.
Non plus ſenſus habet quam ſurdi lapides.
Fœcunda de gente Menenii.
Nequam magnus homo.
Inſepelibilis ſtultitia.
Septimani tragœdi.
Vagina quam gladii plures.
In mari balneandus.
Ad citellas natus.
Elephanti corio circumtectus.
Occiſa ſus ſæpe plus multo ſapit.

INTEMPERANTIA & LIBIDO. 408

Myconius vicinus.
Unico digitulo ſcalpit caput.
Bacoli ſimilis.
Herniosus usque ad gulam.
Batalus.
Tibicinis vitam vivas.
Samiorum flores.
Sponſa vita.
Melle teipſum perunge.
Samiorum laura.
Samium comatum.
Sardanapalus.
Lesbiis digna.
Lesbiari.
Corinthiari.
Lydus in meridie.

Lydus cauponatur.
Lydio more.
Pepones.
Videre mihi Labda.
Adonidis horti.
Ut Corinthia videris.
Agathonia cantio.
Chalcidiſſare.
Phicidiſſare.
Siphniaſſare.
Αὐτολήκυθοι.
Κλειτοριάζειν.
Cliſthenem video.
Cleocritus.
Sinopiſſat.
Sus per roſas.
Aries cornibus laſciviens.
Ἰωνικὰ σκιᾶν.
Caprarius in aſtu.
Quæ ſub alis fiunt.
E Maſſilia veniſti.
Complura maſculi canis cubilia.
Lentiſcum mandere.
Peniciſſare.
Πτερυγίζειν.
Voluptas fœda.
Laciada.
Physcone impurior.
Perdicis inſtar.
Theſſalica bucca.
Mens abeſt in popina.
Bacchi ſacerdos.
Gavia in ſtagnis.
Charadrii vitam vivis.
Cerylus evadam.
Aſello piſci ſimilis.
Venter ſolatium.
Siphnia turba.
Suis typus.
Caricum ſchema.
Menſura aquam bibens.
Ætna gravius.
Nil boni cogitat vir arrigens.
Phæacum more vivere.
Unam lac veneris.
Vita Charadrii.
In communi piſce non inſunt ſpinæ.
Ad oculos magis quam ad veſicam pertinet.
Ebrius inebriatus.
Voluptas malorum eſca.
Phagones.
Φοινικίζειν. Phœniſſare.
Ipſa olera olla legit.
Oſce loqui.
Mente agitare coquos.
Toſcani.
Eurycles.
Mures molas lingunt.
Lichnobius.
Eſſe, bibere, futuere.
Proſtas & in qua ſtupro meretrice ſedet.
Pueris alienis adhæret.
Labia proluere.
Intempeſtivi convivii comes ſaltatio.
Non immolata ſacra devorat.
Equina libido.
Dolor voluptatis comes.
Hercules Socraticus.
Brachium exercere.
Vino ſomnoque ſepulti.
In luſtris vivere.
Prætextata verba.
Satyrion bibit.
Prandium ferarum.
Voluptate liqueſcit.
Cum muliere fuit.
Ὁ ἄνακτος ἴσχει.
Thaſiusne erat is, an Chius.
A voluptatibus ſuperari, extrema inſcitia eſt.
Cubito tangens.
Noctu tenebris committere.
Pullus eius.
Sybaritici libelli.
Ioco eſſe.
Cathedralicii miniſtri.
Ignis in medullis ardet.
Ludite.

Zonam.

Zonam ſolvere.
Cinædus.
Benè naſati mentulati.
Propola.
Facit amor maciem.
Bonus amor.
Admiſſarius.
Inſanis.
Paſſere ſalacior.
Impenſius uror.
Quod voluit facit.
Delicias dicere aut facere.
Inſaturabile abdomen.
Proci Penelopes.
Licia coma.
Perdicis libido & vafricies.
[illegible]
Non capit ſomnum niſi hoc aut illud fecerit.
Mulierum accipitres.
Mergorum inſtar.

INTEMPESTIVA. 417.

Simulare cupreſſum.
Intempeſtiva benevolentia nihil à ſimultate differt.
In lente unguentum.
In craſtinum ſeria.
Æſtate penulam deteris.
Menſe Maio nubunt malæ.
Mensam belli tempore neque ferito, neque merito.
Roſam quæ præterierit, ne quæras iterum.
Foras Cares, non amplius antheſteria.
Anus hirciſſans.
Anus bacchatur.
Feli crocoton.
Quid de puſillis magna prooemia.
Ab unguibus incipere.
Tragœdias in nugis agere.
Annoſam arborem tranſplantare.
Ne unquam viri ſenis.
In ſenem libidinoſum.
Moleſtum, ſapientem apud ſtultos loqui.
Malum eſt bonum.
In pace leones.
Mira de lente.
Volſellis pugnare cum gladio.
Tanquam ſuper ſpinas incedere.
Oreſtis ſomnium narrare.
Panis ſine ſale.
Nihil hoc ad ius.
[illegible] ferus ſtudiorum.
Claudicat.
Dignus qui ranis miniſtres.
Figulinam de dolio diſcere.
[illegible]
Mapalia mora.
Capitis cautio ſtultorum eſt.
Puerile eſt.
Importuna benevolentia nullo differt ab odio.
Exotica.
Clodius accuſat mœchos.
Vnguenta vaſi ſordido quis credidit.
Sit riſus extra cachinnum.
Fungus una nocte naſcitur.
Repente oritur non expectatum.
Accepto damno ianuam claudere.
Cupreſſum ſimulare.
More maiorum.
Quid mihi cum longis tibiis.
Laudare nimis mane.
In lenticula unguentum.
Fruſtra chordarum ictibus ſtrepitum.
Deploratis vulneribus manus admovere.
Nondum capillos animo prius imperitum abraſerunt.
Abſque ordine ſparſim ferri.
Grande ſententiis imponere.
Nihil ad rem, ad propoſitum.
Quum nullus ſit morbus, nulla medela opus.
Non iam illud quæro.
Aliud agendo male interdum agitur.
Arare bove & aſino.
Extra circinum & regulam neſcio quid piam.
Saturninus.
Rem non novam aggredi.

Poſt cauſam vulneratam remedium quærere.
Coryphæus chorum loquens.
Intempeſtiva Minerva.
Apage hoſpitem in tempeſtate.
Non ſemper Saturnalia.
Poſt cineres gloria ſera.

INTERNECIO. 422.

Funditus, radicitus.
Ne bolus quidem relictus.
Ne ignifer quidem reliquus eſt factus.
Πανωλεθρία.
Pinus in morem.
Perdere naulum.
Cum cane ſimul & lorum.
Qui iure perierunt.
Omitte vatem.

INVIDIA ET ÆMULATIO. 423.

Cognatio movet invidiam.
Eſurienti ne occurras.
Figulus figulo invidet, faber fabro.
Inimicus & invidus vicinorum oculos.
Vnicum arbuſtum haud alit duos erythacos.
Zoili.
Edentulus veſcentium dentibus invidet.
Expertes invidentiæ Muſarum fores.
Iactantia comes invidiæ.
Turpe ſilere.
Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.
Fertilior ſeges eſt alieno in arvo.
Præſtat invidiſum eſſe.
Laudaret faciem livor quoque.
Sol non invidet veſpera.
Matrea bellum alit.
Non fratri tuo bene eſt.
Terram continentem incolentes, mare deſiderant.
Livor ſumma petit.
Vivus fama negatur.
Canino more.
Cognatio movet invidiam.
Invidus vicini oculus.
Fumus pulchriorem proſequitur.

IRA. 425.

Lucernam accendere poſſis.
Herculis ira.
Iſthmum ſinapi bibit.
Sanguinis plenus.
Bilis in naribus.
Vox non hominem ſonat.
Ictinus iracundia.
Ira agre ſeneſcit.
Intemperiis agitatur.
Achæmenia ira.
Stultus ſtatim prodit iram.
Naſum facis aſcendere.
Vir non videtur qui iraſci neſcit.
In fermento iacere.
Fluctus mutus.
Iracundior Adria.
Demiſſis auriculis.
Mordere frenum.
Mordere labrum.
Tacite ſtomachari.
Ira ſenectus mors.
Ignem ſpiras.
Senis ira.
Ira non perfectè rationem audit.
Ira impedit animum.
Iracundia iecunda.
[illegible]

ITERATIO CITRA TÆDIUM. 428.

Bis ac ter quod pulchrum eſt.
Poematis refractus.

ITERATUS ERROR. 428.

Eadem oberrare chorda.
Iterum eundem lapidem offendere.
Vulpes non iterum capitur laqueo.
Non licet bis in bellis peccare.

Venia primum experienti.
Sus in volutabro cœni.
Canis reverſus ad vomitum.
Decipiens ſemel.
Sui gratius cœnum quam unguentum.

JUDICANDI RECTE, ſecus. 429.

In quinque Iuditum gentibus ſitum eſt.
Panidis ſuffragium.
Sus tubam audivit.
Quod index auro, id aurum homini.
Lydius lapis, ſive Heracleus lapis.
Gnomon & regula.
Emunctæ naris, Mucoſis naribus.
Tenedius homo.
Tenedius patronus.
Manum ferulæ ſubduximus.
Novit mala & bona.
Purpura iuxta purpuram diiudicanda.
Amuſſis alba.
Nullus delectus.
Lesbia regula.
Cæci praeſcriptio.
Cenſoria virgula.
[illegible]
Velut Minervæ calculus.
Lycurgei.
Veteris moneta.
De ſummo pectore.
In montes offendere.
Pulchra apud pueros ſimia.
Roſcius.
Oculis clauſis agere vel perſtringere.
Ex utroque latere.
Album colorem ab atro non diſtinguit.
Quæ ignoramus, aſpernuntur.
[illegible]
Lapides in ſilum.
[illegible]
Lychnus in Prytaneo.
Magis ſpectandum quid liceat, quam quid expediat.
Ad aurem referre.
Abſque præiudicio.
Ex cortice de nucleo ſententiam ferre.
Ex guſtu iudicium.
Iudicium præceps, inſani iudicis index.
Caſſiana iudicia.
Actio pro amico.
Qua de re agitur.
Arbitratu meo, tuo, ſuo.
Pictor tabellis comprobatur editis.
Inter pocula.
Peritis in ſua arte credendum.
Capite retrogradi.
De plano.
Sub formula.
Nemo innocens, ſi accuſaſſe ſufficit.
Cuius moneta ſit, vel ab ipſis notis cognoſcitur.
Audi utramque partem & rectè iudica.
Ægrotanti omnia amara.
Iudex lentus & conſideratus ſit.
Levato velo de cauſa cognoſcere.

JUSTITIÆ. 434.

Iuſtitia in ſe virtutem complectitur omnem.
Exigua res ipſa iuſtitia.
Trutina iuſtitia.
Iuſtitia oculus.
Iuſtitia iuſtior.
Maras.
Bocchyris.
Radamantheum iudicium.
Orphica vita.
Virtus ſimplex.
Eadem penſari trutina.
Rhamnuſius.
Prienenſis iuſtitia.
Rectam ingredi viam.
Dum clavum rectum teneam.
Ad amuſſim applica lapidem, non ad lapidem amuſſim.
Nemo moveto lineam.
Ex æquo partire.
Æqualitas haud parit bellum.
Quæ non poſuiſti, ne tollas.
A ſacris abſtinenda manus.
Nemo quenquam ire prohibet publica via.

Zaleuci lex.
Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.
Vrbanus nihil æqui cogitat.
Quod aliis vitio vertis, ipſe ne feceris.
Omnia iudicia abſolutoria eſſe.
Publica privatis potiora.
Rex Iupiter omnibus idem.
Ad denarium ſive quadrantem ſolvere.
Salva conſcientia.
Cedo quemvis arbitrum.
Suum ſervare.
Aliis ne feceris quod tibi fieri non vis.
Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum.
Quod tibi fieri non vis alteri ne feceris.
Ad regulam, ad libellam facta.
Digna feras.
Homines frugi recte omnia faciunt.
Sillam apponito.

JUVENTA. 437.

Iuventa viribus pollet.
Iuvenari.
Novior liberide.

HÆREDIPETÆ.

Herciſcere.

HOSPITALITAS.

Hoſpitis habenda cura.

LACESSENTIS. 437.

Arietem emittis.
Cominus, atque eminus.
Ad pilam ubi ventum.
Non ut prior lædam, ſed ut iniuriam retaliem.
Nunquam meos boves abegerunt nec equos.
Omni conatu invadere.
Pugnis & calcibus.
Irritare crabrones.
Refricare cicatricem.
Tangere ulcus.
Vt lupus ovem.
Ignem ne gladio fodito.
Temulentus dormiens non eſt excitandus.
Thunniſſare.
A vipera morſum culpas.
Vnguis in ulcere ulcus.
Τεργυρδιῶ.
Πυυτευσαῶ.

LÆTITIA, TRISTITIA. 439.

Irriſibilis lapis.
Sinapi victitare.
Animus habitat in auribus.
Harmodii cantilena.
In antro Trophonii vaticinatus eſt.
Admeti nænia.
Argivos vides.
Arctum annulum ne geſtato.
Cor ne edito.
Mutare veſtem.
Ne ſi ad Iovis quidem aulam.
Suſtollere manus.
Canere de Telamone.
Litycrſam cantionem canis.
Tragicum tueri.
Tauricum tueri.
Atrei oculi.
Titanicus aſpectus.
Cepas edere aut olfacere.
Superatus es à gallo quopiam.
Triſtis Scytala.
Areopagita.
Ne ſis patruus mihi.
Sapere patruos.
Frontem exporrigere.
Frontem contrahere.
Magis gaudet eo qui ſenectam exuit.
Contrahere ſupercilium, inflare buccas.
Sanguine flere.
Lapides flere.
Erinnys ex tragœdia.
Sarone magis nauticus.
Helena crater.
Nullus equus tam eſt effœtus, tamq́; exhauſto corpore quin menſe Maio hinnitum edat.
Carmen lytierſa.
Cor ſalit.
Pallentes procul abite curæ.
Laticia.
Riſi.
Declarant gaudia vultu.
Vultuoſus.
Curis gaudia miſce.
In Capitolium aſcendere.
Κάλει ϲάδι πᾶσαι.
Φασσοπωγωνεῖν.
Feſtivus ſermo.

LANGUOR, VEHEMENTIA. 443.

Oeſtro percitus.
Pyrrichen oculis præ ſe ferens.
Manum habere ſub pallio.
Non contis aut ramulis.

LAUTITIÆ. 444.

Iovis & regis cerebrum.
Iovis lac.
Deorum cibus.
Attica bellaria.
Herculana balnea.
ὑπερμαζᾶν.
ματτυάζειν.
De lautitiis.
Mellis medulla.
Optimum condimentum fames.
Afra avis.
Anima & vita.
Coturniſſare.
Dubia cœna.
Cœna popularis.
In leporinis.
Lydorum carica.
Qui poſſim ab hoc epulo abeſſe.
Thaſium infundis.
Theſſalus miſſus.
Menſa Sicula, Aſiana, Perſica, & Italica.
Cœna adiecialis.
Dapalis cœna.
Propinare deridendum.
Quis me uno vivit felicior?
Gallam bibere oportet.

LIBENTER. 446.

Accipit & glebam erro.
Obviis ulnis.

LIBERALITAS. 447.

Plena manu.
Quod recte datum eſt.
Pleno modio.
Pingui menſura.
Bis dat qui cito dat.
Ambabus manibus haurire.
Ipſo horreo.
Promus magis quam condus.
Larus in paludibus.
Bona Porſena.
De alieno liberalis.
Communis Mercurius.
Theagenis munificentia.
Canibus oſſa prodo.
De iure ſuo decedere.
Mancipio dare.
Recte data eripi non licet.
Terra lacte & melle fluit.
In mari magni piſces capiuntur.
Ἐλαφεῦ χάριτας τῆς ἀλφιμίας.

LIBERTAS VERITAS. 449.

De plauſtro loqui.
Iubentis aperte loqui.
Obſequium amicos, veritas odium parit.
Aſſeverantius dicere.
Byzeni libertas.
Non poſſum non dicere.
Et fama fuit & erat.
Aperto pectore.
Aperte ſimpliciterque loqui.
Veritatis ſimplex oratio.
Ad cribrum dicta.
Curatum os.
Quod in animo ſobrii, id eſt in lingua ebrii.
In vino veritas.
Emendus cui imperes.
Libero lecto nihil iucundius.
Oracula loqui.
Vera fronte.
Vero verius.
Ficus ficus ligonem ligonem vocat.
Profundum ſulcum.
Os ineſt orationi.
Audi quæ ex animo dicuntur.
Liberi poetæ & pictores.
Libera Corcyra, caca ubi libet.
Ter.
Vinum, equus, poeta.
Vinum animi ſpeculum.
Veriora Bacidis dictis.
Libera in Cynadra aqua.
In cavea non canit luſcinia.
Xenocratis teſtimonium.
Etiam ſaxa loquentur.
In cavea minus bene canit luſcinia.
Vinculis Hippocratis alligare.
Sua fronte.
Romana libertas, Latina libertas.
Libertas, res inæſtimabilis.
Alieno more nutu, vel arbitratu vivere.
Κωμῳδεῖσθαι σαυτῷ ἐλευθερώτερον.
Primum quodq; veriſſimum eſt.
Ebrietas & amor ſecreta produnt.
Οἶνος χωρὶς τῆς ἀληθείας.
Noxa & nexu ſolutus.
Αὐτόνομος.
Facere vivere, & ire in pace.
Veritatis ſimplex oratio.
Veritas in profundo.
Hiſtorica fide.
Licet Plato amicus, magis tamen amica veritas.
Tam verum, quam quod veriſſimum. Iuris Italici eſſe.
Dicenda, tacenda.
Conſtat certum.
Latine loqui.
Sic ſe res habet: Res ita ut dicitur non habet.
Quæ cernimus ſcire affirmabimus.
Vera opinari pulchrum, mentiri turpe.
Socratico more.
Soluti legibus.
Noli temere de Hippolyto mentiri.
Tempus omnium explorator.
Auſcultandum bene loquenti.
Fama prodit omnia.
Oculis & manibus.
Amicitia perſonam.
Lampon iurat per anſerem.
Mendacem memorem eſſe oportet.
Philoxeni non.
Laxa cervice.

LONGÆVITAS. 454.

Neſtorea ſenecta.
Vltra penſum vivit.
Vltra catalogum.
Vltra linum.
Cornicibus vivacior.
Heſiodi ſenecta.
Tithoni ſenecta.
Phœnice vivacior.
Sibylla vivacior.
Facies tua computat annos.
Alterum pedem in cymba Charontis habere.
Vivi ſenis Aſtaphis calvaria.
Mature fias ſenex.
Sexagenarios de ponte deiicere.
Vitias lapidem longum tempus.
Mors optima rapit, deterrima relinquit.
In ſola Sparta expedit ſeneſcere.
Senex bos non lugetur.
Vivum cadaver.
Vivum ſepulchrum.
Dannce.
Epimenideum corium.
Viro ſeni maxilla baculus.
Effœta ſenecta.
Limen ſenectæ.
Seneſcit bos.
Fatale vitæ tempus exactum.
Mathuſalæ vivacior.

LUCRUM EX SCELERE. 457.

Vſura nautica.
Tributis potiora.
Aquæ furtivæ dulciores ſunt.
Omnes lucri cupidi.
Nondum capillos animo præ imperitia abraſerunt.
In ſinum vertere.
Quis iſtic fluvius, quem non recipiat mare.
Solem mercede præſtare.

LVXVS ET MOLLITIES. 457.

Indulgere genio.
Curare cuticulam.
Vita macerata.
Pontificalis cœna.
Pergræcari.
Semper leontini iuxta pocula.
Thericlei amicus.
Sale perunctus hic adiuvabitur.
E clibano boves.
Theſſalorum ala.
Sapientia vino obumbratur.
Sine Cerere & Baccho friget Venus.
Heterognatus es.
Siculiſſare.
Ficus avibus grata.
Aſini mandibula.
Riſus Ionicus.
Matrem ſequimini porci.
Porcus Troianus.
Decempes umbra.
Ventres.
Venter auribus caret.
Ventrem mihi obiicis.
Vires. Thylaci.
Methyſocottabi.
Pyramis non fert vaſa inania.
Bos in ſtabulo.
Herculani lecti.
Abronis vita.
Sybaritica menſa.
Epiſcythiſare.
Syracuſana menſa.
Vixit, dum vixit, bene.
Teneri calidis balneis.
Amazonum Cantilena.
Coronam quidem geſtans, cætera ſibi perditus.
Ex amphitheatro bibiſti.
Maſchalam tollere.
Vinum ſenem etiam vel nolentem, ſaltare compellit.
Vinum caret clavo.
Amphidromiam agis.
Calloniæ.
Cedali phœnix.
Naviges in Maſſiliam.
Theſſalicus ſaltus.
Thymo nemo veſcitur ubi adeſt caro.
Tanquam fungus ſuffocat.
Gaditanum.
Cucumere veſcens, chlamydem texito.
Tritones piſcinarum.
Volſellis pugnant non gladiis.
Malorum abyſſus.
Abdominis miniſter.
Idem furnus idem duxit trochus.
Εἰς ὤμους βολβὸν κατρῆς.
Agnina lana mollior.
Satyrorum rex.
Binis tonderi forficibus.
Melanthio delicatior.
Caræ inſtar.
Nemo comatus qui non pæcidictur.
Smyrnæi mores.
Fracti.
Apud Sirenas aut Lotophagos hærere.
Helepolis.
Collaria cadavera.
Lumbos fractus ut Myſius aſinus.
Vuida vita.
Aſiatici mores.
Sybaris.
Canopiſmus.
Alexandrinæ deliciæ.
Medica menſa.
Hercules in Lydia.
Chiorum more vellera.
Seplaſia dignus.
Iunonis puer.
Anima ſui pro ſale data.
Animus apud cauponam.
Nil niſi potantes.
Quatuor habens capita.
Qualem demens ille chlamydem diſperdit.
Alexandrinæ deliciæ.
Ad Sirenum ſcopulos conſeneſcere.
E cubitu cœnare.
Da mihi hodiernum, tu ſume craſtinum.
Diſſoluti, diſcincti.
Κοζίεως.
Sardanapalus.
Straton Pathicus.
Θιασώτης [illegible].
Fœmina.
Cepa.
Περιπατέτης.
Μολουδάτη μάχαιρα.
Binis tonderi forficibus.
Μυσσῶ ἴχνη.
Criſpiores apio.
Mileſia ſtragula.
Fabula Mileſia.
Mores Maſſilienſes.
Indulgere genio.
Vrinantes.
Obſonare pollucibiliter.
Gula plures quam gladius perimit.
Aſoti.
Perſice epulari.
Epicureus.
Abyſſus eſt.
Penelopæ proci.
Cedere ſtomacho.
Volutare ſues.
Apolauſti.
Κατωφαγᾶς.
Βαυκισμός.
Etruſcorum commune.
Vnguentatus.
Sybariticus miſſus.
Molli requieſcere ſomno.
Fluviatiles aves.
Naviges in Maſſiliam.

MAGNIFICA PROMISSA. 470.

Aureus in Olympia ſtato.
Aureos montes polliceri.
Montes frumenti.
Solidos e clibano boves.
Theagenis Hecateum.
Charetis pollicitationes.
Album panem pinſo tibi.
Arioliari.
Ἐπαύλια ἄγειν.
Modio demetiar.
Verba importat Hermodorus.
Heſperidum mala.
Alybantis hoſpitis munera.
Adpileum vocare.
Bona Cilliconis.
Ego faciam omnia more Nicoſtrati.
Sponde, noxa præſto eſt.
Pygmæum imponere Coloſſo.
Maria & montes polliceri.
Verba cupreſſi ſimilia.

MAGNI MOMENTI. 472.

Vel Megarum uſque.
Dignum propter quod vadimonium deſeratur.
Incantatione quavis efficacius.
Quæſtio non eſt trioboläris.
Auro carius.
Decumanum.
Sicco iunco.
Larinum verbum.

MALEDICENTIA ET OBtrectatio. 473.

Iambizein.
Ἐκκωκᾶν.
Exſecrationes ferere.
Maſonica dicteria.
Vltra Hyperbolum.
Mortui non mordent.
Mortuis non conviciandum.
Non impetam lingua.
Cum larvis luctari.
Iugulare mortuos.
Tuis te pingam coloribus.
Sphæram inter ſeſe reddere.
Infixo aculeo fugere.
Vulgus ſuſpicax.
Zoili.
Vitilitigator.
Archilochum teris.
Archilochi patria.
Genuino mordere.
Dente Theonino rodi.
Carpet citius aliquis quam imitabitur.
Etiam in deorum cœtu.
Dentata charta.
Hipponacteum præconium.
Archilochia edicta.
Plauſtra conviciis onuſta.
Naves onuſta conviciis.
Morſus aſpidos.
Hyſtricis ſeta.
Π[illegible].
Ὀ[illegible].
Quam Clinias ex Demetrio.
Canis [illegible] cynocephalum oppugnat.
Cuminum ſerere.
Lachrymas ſopitas ſerere.
Bupali pugna.
Anus rabi[illegible].
Intus Hecuba foris Helena.
Αἰξωνεύεσθαι.
Bellum cum Protogene mortuo gerere.
Non plaga, ſed contumelia iram concitavit.
Β[illegible] μάχη.
Sycophantice obſervare.
Apologum facere.
Poſtica æcurrere ſanna.
Manichæi morbo laborat.
Σατυρικῶς.
Stultorum theſaurus maledicentia.
Ocyma cantare.
Maledicus a maledico non diſtat, niſi occaſione.

MALI RETALIATIO. 477.

Neoptolemi vindicta.
Termeria mala.
Cædimus inque vicem præbemus crura ſagittis.
Dedi malum & accepi.
Qui quæ vult dicit, quæ non vult audiet.
Eodem bibere poculo.
Pro pede xenium.
Fures ipſi accuſant.
Ὁ τρώσας ἰάσεται.
Dum eris inſanum quis me, totidem audies.

MALUM CONDUPLICAtum aut renovatum. 479.

Ignem igni ne addas.
Oleum camino addere.
Oleo incendium reſtinguere.
Ignis non extinguitur.
Hydram ſecas.
Malum malo medicari.
Morbum morbo addere.
Lutum luto purgare.
Pro cæco exoculatus eſt.
Poſt Marathonem pugna.
Lis litem ſerit.
De fumo ad flammam.
Fallacia alia aliam trudit.
Refricare cicatricem.
Illico hyems erit.
Præſtat uni malo obnoxium eſſe quam duobus.
Lorica ſeu corona inſtar.
Errorum Odyſſea.
Malorum abyſſus.
Decumani malorum fluctus.
Ex lino tua ducis.

Magis

Magis ſpectandum quid liceat, quam quid expediat.
Solida petra innitendum.
Soracus malorum.
Addere gangranam.
Argentum amanti dare.
Damnum tunc factum, nunc apparuit.
Odyſſea errorum.
Abyſſus abyſſum invocat.
Magnus liber, magnum malum.
Hæc via eſt.
Solem, ventum adverſum, averſum habere.
Fornax ferrea.

MALUM VERTENS BENE. 481.

Nunc bene navigavi, cum naufragium feci.
Laqueus auxiliari videtur.
De parva ſcintilla magnum ſæpe excitatur incendium.
Bellum haudquaquam lachrymoſum.
Malum bene penſatum.
E tragico comicum drama.
Amiſit urbem, & pugionem recepit.
Etiam è vite rubus naſcitur.
In Paro frigida quidem eſt aqua, ſed pulchræ mulieres.
Literarum radices amaræ, fructus dulces.
Aurum ex ſtercore colligendum.
Optima nomina non appellando fieri mala.
Nec ſic quidem mala.
Redivivus homo.
Ædificare poſitis deciſis lateribus.
Monachum facit deſperatio.
Torris de igne erutus.
Lanièna hippocratica.

MALUM ASSUETUM. 483.

Callum ducere.
Dies adimit ægritudinem.
Malorum aſſuetudo.
Nota res mala, optima.
Vſus eſt altera natura.
Scarabeo citius perſuaſeris.
Dolorem longa conſumit dies.
Leviora quibus aſſuevimus.
Nux, aſinus, mulier nil recte faciunt ſi verbera ceſſent.
Nullum mendacium ſine teſte.

MALVM ACCERSITVM aut receptum. 484.

Nemo ſit tragœdias conduxit.
Suo ſibi hunc jugulo gladio, ſuo telo.
Incidit in foveam quam fecit.
Suo ipſius laqueo captus eſt.
Hanc technam in teipſum ſtruxiſti.
Turdus ipſe ſibi malum cacat.
Ipſe ſibi mali fontem reperit.
Suo ipſius judicio perit ſorex.
Captantes capti ſumus.
In venatu periit.
Qui inſpuerit in cavernam formicarum &c.
Ex ipſo bove lora ſumere.
Vero Lydo negocium non erat.
Talia gignit bellum.
Securim inſicere.
Sibi parat malum qui alteri parat.
Clavus dominum emit.
Mala attrahens ad ſe ut Cæcias nubes.
Omnes attrahens ut magnes lapis.
Ne quid ſuo ſuat capiti.
In cœlum exſpuis.
Spontanea moleſtia.
In tuum ipſius malum latrinam deducas.
Lunam detrahere.
Dares Entellum provocans.
Atlas cœlum.
Accerſitum malum.
Bu interimitur qui ſuis armis perit.
Corvus ſerpentem.
Colubrum in ſinu fovere.
Hoſtis domeſticus.
Capra gladium.
Pyrauſta gaudes gaudium.
Prudens in flammam mitto manum.
Calidum prandium comediſti.
Malum conſilium.
Camelus deſiderans cornua etiam aures perdidit.
Sibi malum reperit.
Cœno puram aquam turbans nunquam invenies potum.
Bellerophontes literas.
Ale luporum catulos.
Phoci convivium.
Puer glaciem.
Tu te hoc intriſti, omne totum exedundum eſt.
Bos adverſus ſeipſum pulverem movet.
Faber compedes quas fecit, ipſe geſtet.
Ipſi teſtudines edite qui cepiſtis.
Echinus partum differt.
Noſtris ipſorum alis capimur.
Capra contra ſeſe cortina.
Carpathius leporem.
Calidam veruti partem.
Cornix ſcorpium.
Cornutam beſtiam petis.
Cicadam ala corripuiſti.
Obſtipedem excitas.
Movere camarinam.
Anagyrum commoves.
Suem irritas.
Leonem ſtimulas.
Ipſa olera olla legit.
Fontibus apros floribus auſtrum.
Lernam radere.
Arcadiam me poſtulas.
Euryeles.
Ipſe ſibi perniciem accerſivit.
Bœotus vaticinare.
Oenoe charadram.
Malum bene conditum ne moveris.
Pyrauſtæ interitus.
Ipſo cratere.
Docui te urinandi artem.
Pacem bibas qui vinum bibis.
Archilochum calcas.
Neſcit aranea ſobolem ut erudiat.
Facem accendere.
Protervia ignominiam precedit.
Capra in morem.
Lepus nidum ſuum prodit.
Igni aliud fervenius.
Formicarum nidos ſuſpiravit.
Agaſonem vincit.
Sibi ipſi exitii autor.
Carpathius teſtem.
Serpentem foves, & is te.
Ictus ictus eſt.
Canibus oſſa prado.
Echinus parturiens cunctatur.
Simia ſanguinem profudiſſe.
Cacias nubes trahit.
Sua cuique nocet ſtultitia.
Optima nomina non appellando fieri mala.
Ova aſſidue rumpere.
Sibi malum arceſſit tumento ſuo.
Excitas ignem.
Indicto ſalis ſuiſſuis.
Inſtar veſparum.
Poculo amparato, amovet obiectu dolio.
Ova aſſiduum rumperunt.
Apros immittere fontibus.
Hoſtis domeſticus.
Aſciam cruribus ſuis illidere.

MALUM MALE VITATUM. 493.

Fumum fugiens, in ignem incidi.
Ne cinerem vitans, in prunas incidas.
Cucurrit quiſpiam ne pluvia madeſieret, & in foveam præfocatus eſt.
Reiicientis culpam.
Evitata Charybdi in Scyllam incidi.
Semper aliquem virum magnum.
Dum alterum evitant, in alterum incidunt.
Dum paſtores odia exercent, lupus intrat ovile.
Ex lebro ſi podagra.

MALUM IMMEDICABILE. 494.

Chironium vulnus.
Podex lotionem vincit.
Aceſcit medicatus eſt.
Non liberat podagra calceus.
Mala ſenium accelerant.
Neque Phaſis mala eluat.
Inſanus appenſis pellibus non curatur.
Malum ſectionis egens.
Roma quoque homines moriuntur.
Tonitru imbrem antecedit.
Chironia ulcera.
Onus Atho aut Ætna gravius ſuſtinere.
Πῦρ ἐπὶ πῦρ.
Præterita non mutantur.
Vlcus eſt.
In foveam neceſſario decidit.
Cæcum vulnus habes.
Ne paxillus quidem relictus.
Hoc habet.
Auferre cum pulviſculo.
Caco ſtultu.
Captus es.
Immedicabile vulnus enſe recidendum eſt.
Ab inferis nullus reditus.
Quod præteriit, levius eſt.
Poetam nemo ſibi inſenſum reddat.
Nunquid fœderabitur, ferrum ferro ab Aquilone, & æs?

MALAS VICINUS. 497.

Sal fuginoſa vicinia.
Aliquid mali propter vicinum malum.
Si juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.
An ſit bonus vel malus vicinus.
Cui bonus eſt vicinus, felix illucet dies.

MANSUETUDO. 498.

Mactata hoſtia lenior.
Auricula infima mollior.
Apio mollior aut mitior.
Spongia mollior.
Sedens columba.
Oleo tranquillior.
Mitior columba.
Cera tractabilior.
Pecorarius.
Molle ac fatuum.
Homo ſacra res homini.
Ne ſacrificato ſine farina.
Ne labaris diis ex vitibus non amputatis.

MEMORIA. 499.

Iucundi acti labores.
Quæ dolent ea moleſtum eſt contingere.
Vbi quis dolet, ibidem & manum habet.
Aurem vellere.
Iucunda malorum præteritorum memoria.
Ignarium dare.
Tanquam meum nomen: Tanquam digitos.
Supra Simonidem memor.
Adamante notare.
Vt aditum reſponſa numinis prædicat.
Ἐγὼ φίλον φίλῳ.
Verſatur mihi in labris primoribus.
Vulneratus ſemper plagam contrectat.
Nota nulli magis eſt domus ſua.
Manus alta mente repoſtum.
Dicti nova mil.
Rem tenes.
Cum canes lacena inſequi.
Verna æterna.
Poſt homines natos.
Poſt hominum memoriam.
Mortui linguis non utuntur.

METUS EX CONSCIENTIA. 500.

Fures clamorem.
Lupus aquilam fugit.
Lupus ante clamorem ſuſtinet.
Conſcientia mille teſtes.
Animo conſcio nihil miſerius.
Volucrum delubra.
Polydamas primus obiiciet probrum.

Cave-

Conſcientia crimen prodit.
Authoritatem defugere.
Conſcientia mentem exagitat.
Verecundus metui comes eſt pudor.
Silentium fatentis eſt.
Non eſt pax impiis.
Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent.

METVS POENÆ. 502.

Funiculum fugiunt miniatum.
Manum de tabula.
Metus infamia.
Abſq; baculo ne ingreditor.
Cautus enim metuit:
In tempore cavenda pœna mali.
Samiorum mala metuis:
Volam pedis oſtendere.
Περίτριμμα.

MINANTIS. 503.

Et meum telum aſpidem habet acuminatam.
Si tibi machæra eſt, & nobis urbina eſt domi.
Æacidina mina.
Ψολόεσσα.
Complurium ebriorum ego ſtrepitum audivi.
Ollam alere.
Ferrum & flamma.
Igne ferroq; minari.
Tolle calcar.
Qui paratus ad reſiſtendum.
Ne mihi vacuam abſtergas.
Habenas immittere.
Cari capite audius.
Ut nutrices lamiam,
Minus occidit.
Ferus agitare putaſti.
Vas vacuum detergere.
Vide quid agas.
Quaſſare ſeu movere caput.
Id non impune feres.
Invenies aliam Galatheam,
Pyri finem facies

MIRA, NOVA. 505.

Agamemnonis putei.
Annus clibanum.
Annus clibanum.
Cyziceni ſtateres
Cornicum oculos configere
Præſtat uni malo obnoxium eſſe quam duobus
Glauci ars
Tenui filo.
Tenui vena, divite vena, Tenui canali.
Agas aſellum.
Magna civitas magna ſolitudo.
Ad id quod erat opus.
Corcyræa ſcutica.
Monſtrum eſt.
Omnia monſtra facis.
Mitrium iocinora.
Paſetis ſemiobolus.
Ἀπ' ἀκροφυσίων.

MIXTA. 506.

[illegible].
Copia cornu.
Farcire centones.
[illegible].
Γαυκάμιον.
Ubi verba tuber.
Chium & Amminæum miſcere.
Spinoſum aliquid in prato.
Nova Hymmettia, falerna vetera.

MODESTIA MODVSQVE. 506.

Demittere ſeſe ad alterum mediocritatem.
Noſce teipſum.
In tuum ipſius ſinum inſpue.
In ſe deſcendere.
Tecum habita
Meſſe tenus propria vive.
Intra tuam pelliculam te contine.
Ne quid nimis.
Ter abſtergeri.
Contrahere vela.
Efficimus pro noſtris opibus mœnia.
Manu ſerendum non thylaco.
Ita fugias ne præter caſam.
Arabius tibicen.
Ne vitiis muſicam.
Nihil minus expedit, quam agrum optime colere.
Dimidium plus toto.
Ubi paveris impera.
Domus recta.
Neque Lydorum caryeas.
Neq; peſſimus, neq; primus.
Funem abrumpere nimium tendendo.
Ne ſupra pedem calceus
Iucundiſſima navigatio juxta terram.
Iucunda viciſſitudo rerum.
Iniquum petendum, ut æquum auferas.
Summum cape & medium habebis.
Paſtillos Ruſillus olet, Gorgonius hircum.
Arcus tenſus rumpitur.
Oportet agnum imbecilliorem eſſe.
Eſt modus matulæ,
Poſtes tranſcendere.
Alba linea.
Offula contentus.
Cubitu metiri, ut Nili incrementa.
Mel ſummis digitis delibandum.
Eleuſina ſervat quod oſtendat.
Sumptus cenſum ne ſuperet.
Neq; defraudat, neq; marginem excedit.
Intra propriis limites conſiſtere.
Xenocratem modeſtia ſuperat.
Medium ſequere.
Schema & gradus.
Ne meas vites lædite.
Omnis virtus eſt mediocritas.
Omne nimium non bonum.
Mediam viam eligere.
In ſinum deſpuere.
Navigare per mare.
Aites
Reſpue quod non es.
Diſce modum ſervare, alieno diſce periclo.
Πεισανδρομαχαιρίτης.
Ex moderatis corpus bene habet.
Nihil nimis.
Moderata laudamus, exceſſus vituperamus.
Quo ſe modulo metiri.
Quis erit modus.
Umbram ſuam metiri.
Porta itineris longiſſima eſt.
Pſallium injicere.
Duobus digitis primoribus.

MOLESTI, INTOLERABILES. 514.

Ferire frontem.
Lippo oculo ſimilis.
Ne beſtia quidem ferre poſſet.
Tota ulcus eſt.
Improbitas muſcæ.
Onus navis.
Quod non tollerent centum Ægyptii.
Ægyptius laterifer.
In culmo arare.
Quis conturbat omnia.
Anno ſenior fio.
Ut fici oculis incumbunt.
Ἄγροικος φύσει.
Manivoro vinculo.
Athos celat latera lemniæ bovis.
Ætna, Athon.
Lapides loqueris.
Ieiunium olet.
Bilem vomere.
Νεφέλας ἄγειν.
Anſeres ex Phalerno.
Ducere ſerram.
Νυας ἀγγεῖν.
Ieiuna anima.
Obſurduerunt aures.
Longo ex itinere etiam palea oneri eſt.

MORVM CONTAGIO. 516.

Ne guſtaris quibus nigra eſt cauda.
Oſcitante uno, deinde oſcitat & alter.
Corrumpunt mores bonos colloquia prava.
Si juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces.
A bonis bona diſce.
Barbarus evaſit inter barbaros.
Talis quiſq; eſt, qualis quibus cum familiaris.
Mobile mutatur ſemper cum principe vulgus.
Errare humanum eſt:
Ἐστὶ μὲν καλὸν, ἀστάχυν ἔλειν.
Dum caput dolet, cætera membra dolent.
Regum cajus norunt omnes.
Novus rex nova lex.
Qui cum ſapientibus verſatur, ſapiens erit.
Uva ab uva livorem ducit.
Averſor morum vitia, ipſum amo.
Suus cuiq; mos.

MVLTI. 519.

Non una vehit navis.
Pueri ſeneſque.
Arenam ſuperat.
Quot ilicis folia: quot fluctus Inula.
Καταβεμβῦσαι.
Innumerus numerus.
Inſtar opum.
Arenæ maris numerum ſuperat.
Panegyrica.
Sagena ex omni piſcium genere congregata.

MVNERVM CORRVPTELA. 520.

Bos in lingua.
Argentanginam patitur.
Bovem in faucibus portat.
Lupi illum priores viderunt.
Malo ferire.
Muneribus vel dii capiuntur.
Virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines.
Dorica muſa Munerum corruptela.
Pecuniæ obediunt omnia.
Muneribus res agitur.
Argenteis haſtis pugnare.
Qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſalvus erit.
Vulpes haud corrumpitur muneribus.
Corrupta iudicia.
Faba nummus.
Guttam aſpergere.
Salvete equorum filia.
Pecuniæ ſua damnari non poteſt.
Lepus leonem trahit aureo laqueo.
Bos in lingua.
Labefactare munere.
Ganelo.
Cauponari bellum.
Suffragia emendicata.

MVNVS NON MVNVS. 523.

Cyclopis donum.
Hoſtium munera non munera.
Malum munus.
Cum Delphis ſacrificaveris, ipſe carnes abſumit
Labra, non palatum rigat.
Amaro dulce miſtum.
Succeſſorem viventi dare.
Largis effice muneribus.
Cibus alienis dentibus molitus.

MVNVS APTVM aut ineptum. 524.

Ranis vinum præminiſtras
Non noſtrum onus: bos clitellas?
Negotium non aptum
Non e quovis ligno Mercurius fiat.
Officium humilius.
Navis annoſa, haud quaquam navigabit per mare.
Apta provincia.
Ad pedem.
Bos ſub jugum.
Veneri ſuem immolavit.

Iuxta navem.
Pygmæorum atrothinia Coloſſo adoptare.
A Deo ſilti...
Non eſt cuiuſuis recte condire.
Æſopicum onus.
Sal patriæ pluris faciendus eſt, quam hoſpitis menſa.
Κατὰ πόδα.
In te omnis domus inclinata recumbit.
Id maxime decet quemq; quod eſt ſuum.

MVNVS BONI CONſulendum. 526.

Munerum animus optimus.
Arripienda quæ offeruntur.
Nihil recuſandum quod donatur.
Donum quodcunq; dat aliquis proba.
Equi dentes inſpicere donati.
Vilis amicorum annona eſt.

MVTANDÆ SENTENTIÆ. 527.

Calculum reducere.
Palinodiam canere.
Vertere velaſunem reducere.
Conſilium in melius commutandum.
Reprehenſio cogitationis.
Imitabor nepam.
Talum reponere.
Pugna conſilia ſcindit.
Inhibere remos.
Ab inceptis deſiſtere.
In aliam terram transferri.

MVTATI INSTITVTI. 528.

Nuces relinquere.
De calcaria in carbonariam.
A Dorio ad Phrygium.
Pro eleganti medico malus poeta.
Rudentes & remos cum armis commutavit.
Maritimus cum ſis, ne velis fieri terreſtris.
Sui diſſimilis.
Qui multum obfuit.
Vlyſſes pannos exuit.
Subito alius.
Ad bonam frugem.
De toga ad pallium.
Circe poculo.
Longum valere iuſſit.
Ab hymetto, ab area Syra.
Recoquere.
Quid ſole relicto venis.
Stilum vertere.
Veſtigium iterato percurrere.
Ad aliud prooemium tranſeo.
Spongia medebitur.
Capra annicula pera.
Cras credo, hodie nihil.
Etiam vetus arbuſtum transferri poteſt.
Rerum reliquit habenas.
Decedere de ſuo more.
Nuces relinquere.

NECESSITAS. 530.

Feras, non culpes. quod vitari non poteſt.
Diomedea neceſſitas.
Vocatus atq; non vocatus Deus aderit.
Ingens telum neceſſitas.
Adverſum neceſſitatem ne dii quidem reſiſtunt.
Quo factum eſt infactum fieri non poteſt.
Transverſum agere
Omnia eſculenta obſeſſis.
Adactum iuſiurandum.
Viro eſurienti neceſſe eſt furari.
Lepori eſurienti etiam placenta fieri.
Fatis imputandum.
Nemo cogendus amicus.
Mors omnibus communis.
Ne dii quidem à morte liberant.
Fatum immutabile.
Fatum inevitabile.
Factis adactus.
Officium ne collocaris in invitum.
Volentem bovem ducito.
Neceſſitas magiſtra.
Neceſſitas moleſta.
Deſerere vadimonium.
Sontica cauſa.
Neceſſitas linealis.
Neceſſariam fortunam terit.
Neceſſitatem edere.
Aſtra inclinant. ſed non urgent.
Fata viam inveniens.
Volens eo quo ducit neceſſitas ſequere.
Neceſſitati nec Deus ipſe repugnat.
Argento vomere aratur.
Nemo cogendus officii cauſa.
Fato non repugnandum.

NOBILITAS OBSCVRITAS. 533.

Generoſior Codro.
Generoſior Sparta.
Subditititius es.
Nec patris nomen quidem dicere poſſit.
Terræ filius.
Matris ut capra dicitur.
Lychnobii.
Virtus gloriam parit.
Quanta vix cœlo capi poſſit.
Avis ex avibus.
Cymbalum mundi.
Διαπαρ...
Domi nobilis.
E domo in domum.
Fumoſa imagines.
Iovis germen
In aſtragalis nobilitas.
Ad manus ferre.
Cecrope generoſior.
Deorum liberi ſunt invulnerabiles.
Cera & ære nobilis.
Terræ filii
Anne ſuum laudet patrem, niſi proſpera proles.

NON SOLVS ILLE. 535.

Braſidas quidem vir bonus.
Multi Mannis Aricia.
Multi bonique.

NOTVS. 535.

Hoc iam & vates ſciunt.
In ore atq; oculis.
Rumor publicus non omnino fruſtra eſt.
Domeſtice notus.
Intus & in cute.
Principes inter ſe noti.
In Plauti comœdia mœchus.
Nec me animi fallit.
Oculorum ſubdere viſu.
Puer qui vis intelligis.
Bene te cognoſco.
Fama loquetur anus.
A veſpere ſolis adortum.
Sol omnia aperit.
Quantum ex Bacchanalibus.

NOVITAS. 536.

In ſolle efferre.
Aliud genus remi.
Grata novitas.
Qui modus equitum.
Calaturam olet.
Nihil dictum quod non dictum prius.
Nullo exemplo factu.
H'τις ἡ κοινή.

NVGALIA. 575.

Κρουνοχυτρολήραιος.
Nugæ theatri.
Nugarum inſtitores.
Lyra, Lyra.
Ioco, non ſerio.
Nugari de ſublimibus.
In nugas merſus.
Poema longum.
Ne ſit nobis cura nomen.
Poſt ludos ad ſeria.
Ογυγοπροφίμια, ut, ἀγυγοφωνία.
De Gallo in aſinum.
Αὐλίς & μῦθ@.
Res paleſtræ & olei.
E ſchola cantilena.
Rapſodi.
Cum mula pepererit.
Ad Græcas calendas.
Vbi per Harma fulguravit.
A ceſſat luna.
Cum Nibas coccyſſaverit.
Peliam recoquere.
Cum Æſone iuveneſcere.
Prius unda cum flamma redibit in gratiam.
Myrica etiam poma ferens.
Quum plumbum natabit ſuberis inſtar.
Λογοδαίδαλ@.
Ne in ſomno.
Contra vim mortis, non naſcitur herba in hortis.

NVPERA. 539.

Heri & nudius tertius.
Novus homo.
Nova ac pulchra ſtupeſcimus.

NVSQVAM. 539.

Vbi cervi abiiciunt cornua.
In Aphanis.
Nec apud homines, nec in mari.

NVNCIVS LÆTVS. 540.

Vulcanus tibi vaticinatus eſt.
Siren amicam nuntiat apud hoſpitem.
Haud annuncias bellum.
Quid tibi Apollo cecinit.
Provoluitur ad milvios
Immolare Evangelia.

OBLIVIO. 540.

Olla veſtigium in cinere turbato.
Verorum oportet meminiſſe.
Odi memorem compotorem.
Ne malorum memineris.
Proprii nominis oblivisci.
Oblivionis campus.
Malorum oblivio.
Ventis tradere.
Imis ceris tradere.
Bibere mandragoram.
Ex libro gubernatores.
Aures ferre dedit.
In ima cera.
Illud devoravi imprudens.
Meminiſſe iacet.
E gremio defluere.

OBSCVRITAS. 542.

Davus ſum non Oedipus.
Per nebulam, per caliginem, per ſomnium.
In canis podicem inſpicere.
Bœotia ænigmata.
Sarcini poemata
Numeris Platonicis obſcurius.
Ne Apollo quidem intelligat.
Sol Apollo & Apollo Sol.
Problema Archimedeum.
Noctem ſive tenebras inducere rebus.
Heracliti dicta.
Doſiada Ara, Lycophronis Alexandra.
Obſcurus fio, dum brevis eſſe laboro.
Pythagorico more.
Demiſſo capite.
Latitat omnino.
Ægyptiis caciores.
Lucerna ſub modio.
Lex Africani.

OBSECVNDANTIS. 544.

Ad digituli crepitum.
Cum uterque concedit alteri.
Deum ſequere.
Lex & regio.
Non ſtatuas leœnam in machæra.
Obedientia felicitatis mater.
Inſanire cum in ſanientibus.
Faſces ſubmittere.
Qui honorat, ſeipſum honorat.
Ἡ ...
Quocunque Deus.
Nunquid vis.
Audio haud auſculto.
Cede Deo.

Pax retinenda.
Circumpedes.
Principi obtemperandum in omnibus.
Πάντα ἐρρεγμένα.

OCCASIO. 545.

Feneſtram aperire & ſimiles metaphora.
Anſam quærere & conſimiles metaphora.
Gladium dediſti, quo ſe occideret.
Premenda occaſio.
Eximere è manu manubrium.
Non ſemper erit æſtas.
Nunc tuum ferrum in igni eſt.
Capere crines.
Χειρὶ φείδου.
Non ſemper Saturnalia erunt.
Pro re nata.
Eſt tempus.
Scimus qua tibi liceant.
Sol admonet.
Nundinis diſſolutis non eſt negotiationis commercium.
Ferrum, cum igni candet, tundendum.
Tollenda mali occaſio.
Hyberno pulvere, verno luto.
Præſentibus rebus conſulendum.

OCCULTA. 547.

Terra defoſſum habet.
Occultæ muſices nullus reſpectus.
Qui apud inferos ſunt terniones.
Niſi ſi qua vidit avis.
Attici Eleuſinia.
In tenebris ſaltare.
Menſtrum alere.
Muris circumcurrentibus.
Summis ingredi pedibus.
In aurem dicere.
Oſtium obdite prophani.
In ſimpulo.
In angulo.
Admeto capite.
Urit abſq; torre.
Sub pallio condere.
Sub tunica & ſinu.
Sine arbitris.
Sub ala.
Secretum petis.
Ne vicini ſentiant.
Menſtrum.
Theſaurus in agro abſconditus.

OCCUPATIO.
otium. 549.

Ne ad aures quidem ſcalpendas otium eſt.
Nullum otium ſervis.
Peſtum multas habens.
Vincula Tyrrhena.
Cum liceat fugere, ne quære litem.
Conchas legere.
Liber non eſt qui non aliquando nihil agit.
In puram fames immigrat.
Phidias pacem amat.
Rureſtris locuſta.
Eſcala.
Tanquam ovis meridians.
Murgiſo.
Sedet.
Otia dant vitia.
Otiari ſtrenue & actuoſe.
Tibicinem expectare.
Fluctus numerare.
Πολλαῖσι ἀσχολίαις.
Curſum ſiſtere paululum ad reſpirandum.
Otium fortunas ſecundas perdit.
Scalpendis auribus otium non eſt.
Diem humeris protrudere.
Digitum qua proferas.
Ne in tonſtrinis quidem.
Pauſam facere.

ODIUM. 551.

Odium agreſte.
Odium vatinianum.
Odium novercale.
Oderint dum metuant.
Odit cane pejus & angue.
Empedoclis ſimultas.
Ἄσπονδος πόλεμος.
Archidamicum bellum.
Et Sellii filium abominantur.

Non magis quam canem.
Cui iſta arrident mris ut gaudeat.
Ne vita quidem eadem cum illo vult ingredi.
Fratrum inter ſe iræ ſunt acerbiſſima.
Ira omnium tardiſſime ſeneſcit.
Ut lupus ovem.
Si tu proreta.
Principum favor neceſſarius.
Epirotico cane vehementius.
Bupali odium.
Attica hoſtilitas.
Balneum ingreſſus, depone odium.
Βουκόλος αἶγ.*
Oculi dolent.
Vitis & Braſſica.
Oculis limis & taurine tueri.
Laſi inviſi & odioſi.
Ovinis pellibus induta lupina.
Diis hominibusq; inviſus.
Qui parcit virga, odit filium.
Eurycles.
Amictus ut oleum plantis.
Inviſus ut orci porta.
Nec Deus, nec homo.

OMINANDI. 554.

Bene ſit.
Cum muſis.
Adſint dii beati.
Mercurio dextro.
In morbo conſumatur.
In tuum ipſius caput.
Bona ſpes oſtenſa.
Sternutaverunt amores.
Bona ſalute.
Felix & fauſtum ſit lumen.
Erat melius.
Bene veniat ſive vertat.
Aut omnia me fallunt.
Tam infauſti ominis quam noctua.
Non raro parva magnarum rerum ſunt indicia.
Ternus.
Deus avertat.
Auris tinnit.
Avi ſiniſtra.
Quod fauſtum felixque ſit.
Cum bona alite. Auſpicio bono.
Non eſt Deus neſcius noſtri.
Tinniunt aures.
Tinnire aures.
Κατεπτύφον.
Qui te conſpexerit, augurium capere poterit.
Fauſtus exitus.
Vana conjectura.
Viderit Deus.

OMNIA. 555.

Loca feriaq;.
Nec animans, nec inanime.
Pueri ſeneſq;.
Latum & anguſtum.
Dulce & amarum.
Omnium quos Sol videt.
Etiam mater & ſorores.
A calvo uſq; ad calvum.
Quod in ſolum venit.
Amore dulce permixtum.
In orbem circumitus.

ORIGINIS. 556.

Et tardigradu aſinis equus prodiit.
E quercubus ac ſaxis nati.
Eſquilla non naſcitur roſa.
Ex minimis initiis maxima.
Exiguum malum ingens bonum.
Bonæ leges ex malis moribus procreantur.
Initium belli.
Hinc belli initium.
Piſcis primum à capite fœtet.
Ab impiis egreſſa eſt iniquitas.
Mali corvi malum ovum.
Autor omnium & fons.
Ex tua officina.
Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt.
Magnorum fluminum navigabiles fontes.
Hinc illa lachryma.
Fons & radix.
Elementum.
Proœmium & exordium rei.
Erroris ſcala.

Ex eodem lare.
Taurus Draco genuit, & taurum draco.
Romulus.
Ad ſemen nata reſpondent.
Pumilio licet in monte non eſt magnus.
Ætas alia ex alia oritur.
Luto eodem factus.
Sata de quercu.
Ortus unius alterius interitus.
Ex ſolito enaſci.
Τῷ γενναίῳ γένος.
Troia non producit Thracem.
Philoſophare cœlum intuens.
Ambigui generis homo.

PARASITI. 560.

Muſca.
Myconiorum more.
Quadra propria.
Muris in morem.
Sartaginum pernicies.
Hectorem imitaris ab Ilio nunquam recedis.
In ollis venari.
Muſca eſt.
Ad ſolarium verſari.
Suave me ſuffocet.
Chamæleontem imitari.
Fucus.
Detergo menſam.
Qui mori volit ante tempus.
Edere & bibere utile.

PAUPERTAS. 561.

Nec obolum habet unde reſtim emat.
Nudior leberide.
Iro, Codro pauperior.
Nudior paxillo.
Telenico pauperior.
Ne in pelle quidem.
Nudus tanquam ex matre.
Araneas ejicere.
Cum exoſſis ſuum rodit pedem.
Macilenta manu pinguem pedem.
Pedem ubi ponas, non habes.
Piſtillo nudior.
Conditus.
Pauper ſed ingenioſus.
Multa docet fames.
Centro & ſpatio circumſcriptus.
Paupertas ſapientiam ſortita eſt.
Ad rincitas.
Quum ſis nanus ſede.
Ne tempeſtas quidem nocere poſſit.
Λιμοδωριεύς.
Omnia præter animam.
Zonam perdidit.
Animam debes.
Non habet cui indormiat.
Fames Melaia.
Saguntina fames.
Famis campus.
Aquam bibens nihil boni pariat.
Non eſt dithyrambus, ſi bibat aquam.
Pauſone mendicior.
Sterilior Agrippo.
Trium dierum commeatum.
Qui eget, in turba verſetur.
Quærenda facultates, deinde virtus.
Mendico ne parentes quidem amici ſunt.
Omnem facultatem indutus eſt.
Cleomenis ſuperat cubilia.
Certiſſima paupertas.
Oſtiatim.
Theagenis pecunia.
Socratis gallus, vel callus.
Utre bulga matris.
Nauſiclidis ſolitudo nec ver, nec amicos.
Turturis inſtar male canis.
Mugilis vitam degere.
Ovo nudior.
Tranquillitate calvior.
Araneis abundat propter inopiam.
Manus in Ætolis habet.
Arenearum plenus alvus.
Centum viri unum pauperem ſpoliare non poſſunt.
Cœna ſine ſanguine ſive terreſtris.
Ne gleba agri illi relicta ad locum ſepulturæ.
Calvior tranquillitate.
Ovo depili nudior.
Dierum pater.

Ipſo carpere è rogo cœnam.
Oſſa atq; cutis.
Nec aceti quidem ſatis.
Calamitas virtutis occaſio.
Nemo amicus, nemo propinquus.
Pauperi pax in obſeſſa via.
Proletarii.
Inter inquilinos cenſeri.
Egeſtas artes docet.
Cognatus pauperi nullus.
Commune ſepulchrum.
Ille nec ſervus eſt, nec arca.
Pauperes à diſpendio tuti.
Nunquam becale bos.
E cucumere bibere.
Crateis poetica.
Salacones.
Lingere ſalem.
Tenuem noctis.
Ut ex bulga matris.

PENSATIO BENEFICII vel officii. 568.

Manus manum fricat.
Gratia gratiam parit.
Par pari referre.
Botrus oppoſitus botro maturaſcit.
Senes mutuum fricant.
Fricantem refrica.
Da mihi mutuum teſtimonium.
Pro celo calauriam.
Eodem cubito.
Eadem menſura.
Heſtimentum eſt opera pro pecunia.
Ut ſementem feceris, ita & metes.
Pro boni glomi.
Beneficiis penſare delicta.
Fures furibus.
Propythio Tanarum.
Ut quiſq; eſt meritus præmium ferat.
Mutuum muli ſcabunt.
Merces conſtituatur.
Ferrum ferro acuitur.

PERFICIENDI SIVE ABSOLvendi. 570.

Nodum ſolvere.
Tenedia bipennis.
Colophonem addidit.
Colophonium ſuffragium.
Summum faſtigium imponere.
Circulum abſolvere.
Summam manum addere.
Supremum fabulæ actum addere.
Ad umbilicum ducere.
Ad coronidem uſq;.
Servatori tertius.
Omnia octo.
Si meus ille ſtylus fuiſſet.
Ad Phaſim uſq; navigavit.
Toto devorato bove in cauda defecit.
Bellicum canere. Receptui canere.
Hic telam texuit, ille deduxit.
Filum neviſti, & acu opus eſt.
Luna radiis non mature ſcit botrus.
Nihil poteſt nec addi nec adimi.
Quadratus homo.
Rudem accipere, Rude donare.
Capere provinciam. Tradere provinciam.
Finem vitæ ſpecta.
Haud perficiet.
Curſu lampada trado.
Sarta tecta.
Dominum redemmus.
Coronidem imponere.
Quantum pedes noſtri poſſunt.
Polycleti norma.
Tenedius vir.
Extremam imponere manum.
Penſum abſolvere.
Iucunda & utilia.
Septima decoctionis ſaccharum.
Summa ſummarum.
Quod ſupereſt.
More maiorum.
Πλῆρες ἐφ. λιτανεία.
A limbo tunicam abſolvere.
Ante myſteria diſcere.
Fabula prorſus evanuit.

PERFIDIÆ. 576.

Verbis conceptis peierare.
Θηραμένης.
Superavit dolum Troianum.
Græca fide.
Punica fides.
Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.
Ex eodem ore calidum & frigidum efflare.
Magadari.
Altera manu fert aquam, &c.
Utrunq;.
Qui nocere poteſt, & idem prodeſſe.
Altera manu ſcabit, altera ferit.
Altera caduceum, haſtam altera.
Ventis & ſcriptura in aqua cedere.
Theryonem imitatur.
Anguilla in ſtrigmento.
Παρὰ φρουρεῖν.
Græca fides.
Βεργαΐζειν.
Deos abſentes teſtes facis.
Titani.
Rimoſus.
Fronti nulla fides.
Altera manu trahere, altera repellere.
In ſummo labro iusiurandum.
Punica fides.
Lingua prædatur.
Pacem orare manu, præfigere puppib. arma.
Qui nocere poteſt & idem prodeſſe.
Halopanta.
Neoclide furacior.
Diverſarum partium.

PERPLEXUS. 578.

Ventus neq; manere ſinit, neq; navigare.
Auribus lupum teneo.
Hæret in vado.
Gangamon.
Nunc mea in arctum coguntur copia.
De gradu deiicere.
In aqua hæret.
In puteo conſtrictus.
Ne ex quæſtides quidem viam inveneris.
Labyrinthus.
De poſſeſſione deiicere.
Perplexus, animiq; conſternati.
Perplexus.
Peribis ſi non feceris.
Nec currimus, nec remigamus.
Nec caput, nec pedes.
Tanquam in nocturno prælio.
Geminas chordas fecit.
Ἀμφιδέξιος Θερμοπύλαις.
Determinare foſſam.
Cyceon.
Sufflaminare.
Contrahis & dimittis animum.
Mutuum reddidiſſe.

PERICULI. 580.

Teſtudo extra tegumenta.

PERSPICACITAS. 580.

Lynceo perſpicacior.
Serpentis oculus.
Ἐν πλάτει.
Odorari ac ſimiles aliquot metaphoræ.
Deo nihil clauſum.

PERSPICUITAS. 581.

Vel cæco apparent.
Et puero perſpicuum eſt.
Notum lippis ac tonſoribus.
Tanquam in ſpeculo: tanquam in tabula.
Electro lucidior.
Archimedes non poſſet melius deſcribere.
Velut è ſpecula.
Mens videt mens audit.
Candidus ſermo.
Nubem ſummovere.
Καὶ τυφλῷ γνῶθι.
Lynceus.
Superis & inferis notum.
Ut liquidius pateat.
Sciunt hæc coqui.
In promptu habere.
Latiſſimus campus.
Verbi cauſa.

PERTINACIA. 582.

Oſtrei in morem.
Alios tragœdos provocat.
Mordicus tenere.
Toto corpore pennibus unguiculis.
Gladiatorio animo.
Niſi crure fracto.
Gradum figere.
Retinere cor in encorali ſumé.
Ne ſuadela quidem perſuaſerit.

PHILAUTIA. 583.

Non videmus manticæ, quod in tergo eſt.
Feſtucam ex alterius oculo eiicere.
Quod volumus ſanctum eſt.
Papa Myxus.
Amicos tragœdos æmulatur.
Tragice loqui.
Turpis iactantia.
Nec magna loquaris.
Argenti fontes.
Fortuna reddit inſolentes.
Fœnum habet in cornu.
Colophonii ferocitas.
Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris.
Oleum in auricula ferre.
Ab Eteobutadis ducit genus.
Ne intra veſtibulum quidem.
Aut minus animi, aut plus potentiæ.
Mendax Atraphaxis.
Suum cuique pulchrum.
Suo quiſq; ſtudio gaudet.
Suus cuiq; crepitus bene olet.
Ipſis placet.
Pedere thus.
In armis acciſſat.
Quæ quis ipſe facit.
Et me mater.
Teipſum laudas.
Teipſum inſpice.
Patria fumus igni alieno luculentior.
Multi te oderunt, ſi teipſum amas.
Sine te vale diligere.
Cenſor bonus clemens laniſta.
Scruta laudat ſcrutarius.
Qui celocem regere nequit, onerariam petit.
Telephus è ferula.
Delphinum patina non capit.
Non reſpondet opinioni calculus.
Omnes fallimur.
Suffenus.
Sua cuiq; chara patria.
Pſaphonis aves.
Φίλαυτοι.
Qui per ſe ſufficit.
Muſopatages.

POTENTES. 587.

In omnia potentes.
Nutu ac renutu.
Preces armatæ.
Annum in menſem contrahis.
Valet ima ſummis mutare.
Χαρώνειοι ſive Orcini.
Dii poetici.
Dii Stoici.
Ubi Papa ibi Roma.
Sic Reges faciunt.
Coryphæi.
Libanus in Carmelum.
Cardamo ſimilis.
Quicquid dominatur vim Dei habet.
Domi ſuæ quilibet rex.
Καρδίας θρόνος.
Deo nemo poteſt nocere.
Civitas non civitas.
Magnus.
Ioves, Iuvenes, Veneres.
Potentum amicitiæ ſunt periculoſa.

PRÆLONGI. 589.

Coloſſi magnitudine.
Caliga Maximini.
Clematis Ægyptia.
Amens longus.
Nullus malus magnus piſcis.
Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem.
Puſillus quantus Molon.

PRÆTER SPEM BONUM aut malum. 590.

Coturnix Herculem.
Fascinus & ſphaceli immunitatem.
Omnia ſecunda ſaltat ſenex.

Hom,

Homo homini Deus.
Deus ex improviſo apparens.
Mercuriale.
Deorum manus.
Negocium ex ocio.
Eventus præter expectationem.
Mopſo Niſa datur.
Glaucus poto melle reſurrexit.
Inſperabilem vitam vivis.
Lavares Peliam.
Subitum remedium periculi.
Pro virgine cerva.
Alauda in nido latet gramen.
Ad fores venire.
Phœnicis inſtar reviviſcere.
Aſcapha in triumphalem quadrigam.
A greſtis in nido Corydi.
Etiam inter vepres roſa naſcuntur.
Nova lux effulſit.
Ne hoc quidem malè.
Τρὶς ἐξ [illegible].
Intervenit [illegible].
Tanquam tibiæ ad fontem.
Securus adverſus mendacia.
Aure tenus experire tumultum.
Sine patris hæreditas.

PROBRUM, GLORIA. 594.

Glorioſum & apud deſidentes.
Gloria futuri.
Non omnino temerè eſt, quod vulgo dictitant.
Sutorium atramentum.
Scarabeo nigrior.
Dedecus publicum.
Gythonymi probrum.
Cerite cera dignus.
Hic bonorum virorum eſt morbus.
Quem fortuna pinxerit.
Cur non ſuſpendis te.
Adhortantis ad gloriam.
Fracta auribus.

PROCLIVITAS. 595.

Currentem incitare.
Calcar addere currenti.
Bene plauſtrum perculit.
A vicinis exemplum habens.
In planiciem equum.
Muſtela ſevum.
Vna ſcutica omnes impellis.
Lydum in planiciem provocat.
Sphæra per præcipitium.
Vno digitulo.
Suade lupis ut inſaniant.
In numerato.
Titio ad ignem.
Maturior moro.
Olla lenticulam attigit.
Ignis ad torrem.
Quam facile vulpes pyrum comedit.
Tam in proclivi quam imber.
Tanquam de Narthetio.
Mercator naviga, & expone.
Vna pertica.
Taricheus aſſus eſt ſimulatq; videris ignem.
Tanquam ſi pupillas moveas.
Facilius quam Orcum devicerint Bœoti.
Quam facile canis exta edit.
Muſas hortari ut canant.
In mundo ad manum.
Πάρεστι [illegible].
In numerato eſſe, ſeu habere.
Ponere radium, difficilis eſt.
In manu eſt.

PROFICIENDUM IN MElius. 597.

Ab aſinis ad boves tranſcendere.
Divus factus tam deſiſt gaudere lente.
Satis quercus.
Non enim ſpina.
Effugi malum, inveni bonum.
Iuxta cubitum profecit.
Meliores nanciſci aves.
Melius nobis eſt quam heri.
Ego ex bono in bonum traductus ſum.
Fuit & Mandrodi fiſtula navis.
Hodie nullus cras maximus.
I modo, venare leporem: nunc ithym tenes.
Puteus ſi hauriatur melior evadit.
Cubitis adoleſcere.
Aureum lac haurire.
Ritedula ex vepribus.
Artificium omne incrementum recipit.
Quo longius à Papa eo melius.
Perficiuntur ſemper artes.
Res incrementum tempore ſuſcipiunt.
Quod cupis capis.
Felici diplomate uti.
Hers ſervus hodie liber.
Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

PROFUSIO. 599.

Callia deſtuunt pennæ.
Opus ad opus
Protevium fecit.
Gallorum incurſare ventres.
Relinque quippiam & Medis.
E dolio hauris.
Vna cum ipſo caniſtro.
Largitio non habet fundum.
Ipſo horreo.
Plena manu.
Cupidinum crumena porri folio vincta eſt.
Feſto die ſi quid prodegeris.
Bello parta.
Glaucus alter.
Immolare boves.
Caricum ſepulchrum.
Cui multum eſt piperis etiam oleribus immiſcet.
Non navigamus ad Hippolaitas.
Drachma grando.
Vergo primum.
Collativus venter.
Fundo carens calix.
Καλλικυρίων [illegible].
Locuſta ſtipularis.
Babylo.
Paſſim & effuſè.
Panis filiorum non obiiciendus canibus.
Nunquam lagenam crateri impone.
Marſupio alvum levare.

PROPRII COMMODI ſtudium. 602.

Tunica pallio propior eſt.
Intus canere.
Aſpendius citharœdus.
Nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit.
Ad ſuum quemque quæſtum, æquum eſt eſſe callidum.
Decora teipſum.
Anguillas captare.
Vna lavabor.
Manum admovere.
Vndecunq; lucrum captant.
Genu ſura propius.
Omnes ſibi melius eſſe malunt, quam alteri
Simonidis cantilena.
Mihi ipſi balneum miniſtrabo.
Sibi cavere.
Aſtutior coccyce.
Civitates ludimus.
Mercator eſt.
Opta vicino ut habeat, magis autem illa.
Suam quiſq; homo rem meminit
Venias hoſpes quiſquis profuturus eſt.
Candidatus Cæſaris.
Sine corollario non recedere.
Piſcatur in aqua turbida.
Ades tritico, dum molitur, tuo.
Sacculariis opera.
Hermionium officium.

PROXIMIS VTENDUM. 604.

Viam qui neſcit ad mare, &c.
Vt poſſumus, quando ut volumus non licet.
Quando id fieri non poteſt.
Bona etiam oſſa poſt panem.
Si non adſunt carnes, taricho contentos eſſe oportet.
Auladus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit.
Si bovem non poſſis, aſinum agas.
Altera navigatio.
Præſentem fortunam boni conſule.
Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris.
Quod adeſt, boni conſule.
Quæ dantur.
Quod datur.
Extrema linea.
Præſtat poſſidere quam perſequi.
Pro incerta ſpe, certa præmia.
Manum prehendere, complecti.
Maiora cura tuenda, quæ parta ſunt.
Catoni hoc contenti ſimus.

PRUDENTIÆ. 606.

A fronte ſimul & occipitio.
Alter Ianus.
Acetum habet in pectore.
Amyris inſanit.
Mus non uni fidit antro.
Non oportet hoſpitem ſemper hoſpitem eſſe.
Sapiens non eget.
Tanquam ſpecula.
Qui bene coniiciet, vatem hunc perhibeto eſſe optimum.
Homo Thales.
In holmo cubabo.
Perendinum ventum præſcire.
Non pluet poſt noctem, qua ſua agreſtis peperit.
Lesbius Prylis.
Timidi mater non flet.
Senum conſilia, iuvenum lancea.
Crania bina gerit & innumeros oculos.
Ventura per diopetram proſpicit.
Fortunatus ſapiens.
Manu ignavus, mente præſens.
Melanurum perca ſequitur.
Sphingis ænigmata diſſoluit.
Cum Vulpe habens commercium dolos cave
Turbinem felix proſpecta.
Qui ſitiunt, ſilentio bibunt.
Quod Magas inter organa.
Mente ſenex
In paguro ſapientia.
Sapientes ſunt qui veteri vino utuntur.
Sapientis in exitu canitur.
Multum navigavit aqua.
Bonum ſervat caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum.
Strenuis abunde dictum puta.
Ex præteritis præſentia æſtimantur.
Intelligenti pauca.
Sapiens à ſe ipſo pendet.
Tutela ſua eſt factus.
Patruos ſapere.
Ianus.
Sagaces.
Corculus cordatus.
Naris vel auris acuta homo.
Felicis cerebri.
Divinus.
Prius panis pinſendus, quam de prora dicendum.
Neſtore ſapientior.
Epimetheus & Prometheus.
Scientias qui primas habes, à cæteris non lædetur.
Sapiens ſibi ſapiat.
Ex adito libri locutus.
Extremum diem ſemper adeſſe putet.
Mopſo certior.
Eruditi oculi.
Cor.
Qui feſtivus eſt pedibus offendit.
Amyris furit.
Figulus ollis anſas pro voluntate ponit.
Parva pluvia magnum ſedavit ventum.
Elephantina olfacere promuſcida.
Quaſi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero.
Mendacium utile.
Caventis clancularias inſidias.
Omnia ſapientibus facilia.
Imperator bonus, & idem robuſtus miles.
Sapientia gubernator navis.
Mens cœli terraq; regina.
Prima felicitatis mater ſapere

PRUDENTIA SENILIS. 612.

Senum prudentia.
Ætate prudentiores reddimur.
Annoſa vulpes haud capitur laqueo.
Anus ſubſultans multum excitat pulveris.
Eum auſculta cui quatuor ſunt aures.
Moderator negotii
Multorum ſeſtorum Iovis glandes comedit.
Seneſco ſemper aliquid addiſcens.
Sine cortice nabis.

PRUDENTIA CONJUNCTA cum viribus. 912.

Conſiliis ſimul & facto valens.
Prudentia coniuncta cum viribus.

PVDICITIA. 612.

Hippolytum imitabor.
Melanione caſtior
Bellerophonte caſtior.
Veſtalium thoro purior.
Gubernaculo caſtior
Verecundus metui comes pudor.

PVDOR. 613.

Pudor in oculis.
Pudor & metus.
Verecundia inutilis viro egenti.
Tinctura Sardonica.
Tinctura Cyzicena.
Vbi timor, ibi & pudor.
Adverſus Solem ne meito.
Superis impari numero, inferis pari ſacrificandum.
Per publicam viam ne ambules.
Apud menſam verecundari neminem decet
Ne putes artem.
Vultum demittit tanquam Telephus.
Squilla rubicundior aſſa.
Caput tegere.
Si non hominum, ſaltem ſolis vos pudeat.
Scribere cur metuam cum ſcribo de Iove ſummo.
Stragula ſemper convoluta habeto.
Surgens è lecto veſtigium corporis confundito.
Pallium breve utramq; operire non poteſt.

PVNIRI PRO ALIO. 615.

Canis peccatum.
Tibicen vapulat.

RAPACITAS. Ibid.

Radicitus.
Hydrarętro furacior.
Nudum ſpoliare veſtibus.
Aperi burſam aperiam buccam.
Quæ uncis ſunt unguibus, ne nutrias.
Prior occupat
Ἡμιχόαι. &c.

RARITAS. 616.

Phœnice rarior
Vbi harma fulguraris.
Lac gallinaceum.
Rara avis.
Corvus albus.
Noctuarum ovum.
Rarum, carum.
Tales ſcabere.

REFVGIVM. 616.

Abdera pulchra Teiorum Colonia.
Andromachen ex unguibus concinnare.
Surculum defringere.
Cito, procul, tarde.
Platanis ſimiles.
Præſtat ferro quam morbo mori.
Longe fugit, qui ſuos fugit.
Æneus clavus.
Geſtare hyems hyeme & phaſianum pellat.
Ad inferiora ſe convertere.
Conchas legere.

REPELLENTIS. 617.

Aliam quercum excute.
Tollat te, qui non novit.
Quærere peregrinum.
Π, &c.
Sunt & alia vulpes.
Philoxeni codicillus.
Nuncium remittere.
Vivite, valete.
Dii benefaciant vobis.
Avertere oculos.
Movere baculum.
Circum baculum currere.
Morbum iurare.
Præteritum eſt.
E medio pellere, tollere.
Moleſte, ægre ferre.
Lavi manus.
Expellere furca, vel furcillis.
Revoluto mantello.
Vtraque manu cadere.
Communibus oſtiis excludere.
Deus hoc habeat decus.

RIGOR. 619.

Summum ius, ſumma iniuria.
Ad vivum reſecare
Rades uſque ad cutem.

Exſyngrapha agere.
Ad libellam debere.
Cenſoria virgula.
Obtorto collo.
Ε, χεῖ.
Τὸ ἐν χρῷ ξυρεῖν.
Gratiis lisa.

RISVS. 620.

Intra labia riſus.
Riſus Ionicus.
Riſus Sardonius.
Aiacis Riſus.
Riſus ſyncruſius.
Riſus Megaricus.
Riſus Chius.
Stultior Meletide
Emori riſu.
Regula rectior.
Mandibulis alienis ridere.
Labiis ridere.
Ἀχρειόγελως.
Sardonius riſus.
Catuli riſus.
Sint modici riſus.
Riſus cauponæ.
Riſus profundior lacrymas parit.
Crocum odit.

RIXOSVS. 623.

Rhodii ſacrificium.
Spirat Cacias.
Inſana laurus adeſt.
Lindei ſacrum.
Litem movebit, ſi vel aſinus cuncam memorderit.
Canina facundia.
Litem incipere.
Ne alia comedas & fabas.
Problematica lis.
Vltra hyperbolum.
Tetigit lapidem à cane morſum.
Syrbena chorus.
Cretienſium Rho.
Hæc Helena.
Funem contentionis ducere.
Cum Muſis certare.
Terram & aquam poſcere.
Diſſidii pomum.
Mulierum ritu altercari.
Poſt verba verbera.
Comitialis.
Euricles.
Gigantium pugna.
Tricones.
Andabata.
Cane milite peior.

SALVBRITAS. 624.

Crotone ſalubrius.
Cucurbita ſanior.
Valere pancratice.
Saniores piſce.
Tria ſaluberrima.

SCIENTIA. 625.

Nil ſcientia potentius.

SCVRRILITAS. 615.

A ſeptuaginta viris venio.
Equitandi peritus ne cantes.
Gephyræi & Gephyriaſmos.
Scommata Dionyſiaca.
Cynicus. Momus.
Στωμύλματα.
Galba.
Albati ſcurræ.
Democritus. Heraclitus.
Παντομαθεῖς.
Cybioſactes.

SECVNDÆ EXPERIENTIÆ. 626.

Poſterioribus melioribus.
Danda venia lapſo.
Deſtitutus ventis remos adhibe.
Alteris melioribus.
Semel in laqueum vulpes.
Poſteriores prioribus potiores.
Δεύτεροι ἀμείνονες.
Succidanea hoſtiae

SECVRITATIS ET REI tutæ. 627.

In tranquillo eſt.
In vado.

In portu navigare.
Duabus ancoris fultus.
Ad aſylum confugere.
Arx.
Bonum eſt duabus niti ancoris.
Extra fumum & undam.
E terra ſpectare naufragium.
Mortuo leoni & lepores inſultant.
Ne ſi ad Iovis quidem aulam.
Primum apes abigendæ.
Pugno tenere.
Heu Medus non inſidiabitur?
Otioſus eſt.
Cheirichinæ inſidens.
Thymbra victitans.
Rem factam habere.
Hermionis vice.
In terra pauperem.
Mœnia Semyramidis.
In tuo regno.
In tuo luco & fano eſt ſitum.
Intra tuum præſepe.
Aliud cura.
Porrectis dormire pedibus.
Canis tanquam Delum navigans.
In utramvis dormire aurem.
In dextram aurem.
Leporis vita.
In utrumvis dormire oculum.
Halcedonia ſunt apud forum
Vita molita.
Extra lutum pedes habes.
Extra periculum ferox
Extra telorum iactum.
Poſt principia.
Procul à pedibus equinis.
Porro à Iove atque fulmine.
Non vulgari ancora nititur.
Quid Achivos à turre moleſtas.
Timidi mater non flet.
Sub tecto imbrem exaudire.
Vlyſſis vinculum.
Extra omnem aleam.
Vt templorum ſacra.
Manubrium eripere.
Famæ os claudere.
Pharus.
Intra quatuor eſſe.
In portu dormire.
Fluvii curſus non detorquendus.
In limine portus eſſe.
In ſuo regno eſſe.
Solida petra innitendum.
Canis domi ferociſſimus.
Tabulis obſignatis agere.
Aquilo volucrē parvam nido complectitur.
Aiacis clypeo tectus.
In foro tuo res agitur.
Extra Noa arcam non eſt ſalus.
De ſublimi ſpectare.
Salva res eſt.
Eme lectum viri obærati.
Evellere plantam cane.

SEMPER. 633.

Quod vivere.

SENIVM PRÆMATVRVM aut mors. 633.

Argivi cani.
Mala ſenium accelerant.
Præſtat canem irritare quam anum.
Præmatura mors.
Iapeto antiquior.
Equus Sophocleus.
Vva paſſa ſimilis
Cervina ſenectus.
Senex vox & umbra.
Nihil amplius eſt.
Edentula maxilla.
Codex.
Tepuer ſenex.
Cucurbita glabrior.
Senex Acheronticus.
Omnia omnibus annuis.
Vva paſſa.
Libitinarii.
Contus ſenum magiſter.
Valetudo ſenilis.

Con-

Conſenescunt ſpinae, cum occiderit roſa.
Equi generoſi ſenectus.
Fatale vitae tempus exactum.
Coſſi.
Fungus putridus.

SERA POENITENTIA. 635.

Sero ſapiunt Phryges.
Cumani ſero ſapiunt.
Malo accepto ſtultus ſapit.
Factū ſtultus agnoſcit & piſcator ictus ſapiet.
Nunc picem guſtans.
Poſt acerba prudentior.
Sera in fundo parſimonia.
Poſt rem devoratam ratio.
Quae dodecatum nollem.
Satius eſt recurrere quam currere male.
Optimum aliena inſania frui.
Hedera poſt anteſtheria.
Atqui non eſt apud aram conſultandum.
Prometheus. Epimetheus.
Poſt mala prudentior.
Terreſtria balnea.
Puer à nuptiis.
Sero vidit iuſtitiam.

SERUM REMEDIUM AUT tempeſtivum. 637.

Satius eſt initiis mederi, quam fini.
Sero veniſti, ſed in colonum ito.
Poſt bellum auxilium.
Senem erigere.
Sero veniſti.
In meridie vitae philoſophantes.

SERVIRE TEMPORI. 637.

Servire ſcenae.
Verſura.
Aut bibat aut abeat.
Gladiator in arena conſilium capit.
Polypi mentem obtine.
Spartam nactus es, hanc orna.
Omnium horarum homo.
Aut abi aut exue te.
Temporibus ſe vir decet.

SERVITUS. 639.

Argentum accepi. Imperium vendidi.
Sparte, ſervus maxime ſervus.
Subiugus homo.
Leo cicadula vinctus.
Samii literati.
Cum ſarcinis enatare.
Circumpedes.
Autonoi ... ſervitus.
Quae ... ſervus eſt.

SIMILITUDINIS & CONGRUentiae. 640.

De grege illo eſt.
Noſtra farina.
Nunc aras in hoc albo.
Non ſum ex illis à crvibus.
Patris eſt filius.
Aphiarum bonus.
Terra amat imbrem.
Scopa diſſoluta. Scopas diſſolvere.
Uno tenore.
Boni ad bonorum convivia ultrò accedunt.
Aequalis aequalem delectat.
Simile gaudet ſimili.
Semper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.
Semper graculus aſſidet graculo.
Cicada cicadae chara, formica formicae.
Cretenſis Cretenſem.
Cretenſis cum Aegineta.
Vulpinari cum vulpe.
Cretizare cum Cretenſi.
Cum Care Carizas.
Malo cum malo colliqueſcit voluptate.
Aequalem uxorem quaere.
Ego ac tu idem trahimus iugum.
Non tam ovo ovum ſimile.
Non tam lac lacti ſimile.
Non tam aqua ſimilis aqua.
Quam ... apum ſimiles.
Fur furem cognoſcit, & lupus lupum.
Similior ficu.
Eadem cera.
Aut ipſe fuiſti aut tui ſimillimus.
Omnia ſimilia.
Crebile iugum.
Eſcam poſt piſcem.
Ovo prognatus eodem.

Catulae dominas imitantes.
Similes habent labra lactucas.
Qualis hera, tales pediſſequae.
Aſpis à vipera.
Sequitur pera ſepiam.
Dignum patella operculum.
Aut piſcem olet aut florem.
In marellam immittere.
Conto navigas.
Ipſa olera olla legit.
Surdaſter cum ſurdaſtro litigabat.
Caecus caecum ducit.
Omnia ſub unam Myconum.
Omnia idem pulvis.
Convenerat Attabus & Numenius.
Eundem calceum omni pedi inducere.
Nauſon Naucrati.
Sequitur ver hyemem.
Cous ad Coum.
Clavum clavo pellere.
Mali thripes, mali ſpios.
Balbus balbum rectius intelligit.
Bithus contra Bacchium.
Emerimus cum Paredriano.
Non ſilius Achillis.
Ab diagrammate.
Eodem in ludo doctus.
Etiam demum muſa aemulus.
Bonus cantor, bonus cupediarius.
Mars haud concutit ſua ipſius arma.
Stultus ſtulta loquitur.
Oratio vitae ſimulachrum.
Inanium inania conſilia.
Malo nodo malus quaerendus cuneus.
Mons cum monte non miſcetur.
Mores hominum regioni reſpondent.
Beſtia beſtiam novit.
Idem Accius, quod Titius.
Aſinus aſino, & ſus ſui pulcher.
Doribus dorice loqui.
Novum cribrum novo paxillo.
Puteus puteus.
Veſtigiis inhaerere.
Contraria ... xya.
Uxor ſemi ſponſo regina.
Ex eodem praeſepe.
Eodem laborat morbo.
Ex eadem figlina.
Amaris pharmacis amara bilis probuitur.
Domeſticum omnem affices.
Eumeis equis magis conſimiles.
Reperit patella operculum.
Corvus abſente graculo pulcher.
Aſino gramen & baculum.
Parva parva dant Dii.
Bos armenta.
Si tibi non moleſtum & mihi iucundum eſt.
Ars amat fortunam fortuna artem.
Mulum de aſino pingere.
Tale ingenium qualis oratio.
Nubi pars.
Conveniunt rebus nomina ſaepe ſuis.
Germanus.
Iecur. veſcentium iecinora exhilarat.
Quid Plato, niſi Moſes Atticus.
Malum malo ſanare.
Coquus domini debet habere gulam.
Caetera de genere hoc.
Nonne tu filius Achillis.
Non qualis oratio, ſed quales ſint, qui eam profitentur, ſpectari oportet.
Idem iumentum.
Mutuis nexibus amplecti: ut uno quodam coniugio connecti.
Contrarium contrario amiciſſimum.
Similitudo mater benevolentiae.
Arbitratu meo, tuo, ſuo agere.
Voci conſentanea ſit actio.
Tales ſimus quales videri & haberi volumus.
Sunt ſimiles pareſque vita.
Suo ſimilis patri.
Mea vita.
Aut latro ad latronem.
Similis Thrax in Thracem compoſitus.
Τὸ πατρὸς ... οἶμαι.
Aſinus non prehendet.
Hebraeus hebraeo. Catilina Cethego.
Pro opretio ſuus eſt parens.
Ex ſe natus ...
Canis in eadem dormitat tegula.

Omnia bonos viros decent.
Iudam veſcentes capis.
Faciens partus.
Ubi tu Caius, ibi ego Caia.

SIMULATIO & DISSIMULATIO. 652.

Salem & fabam.
Non omnes qui habent citharam ſunt citharoedi.
Plures thyrſobolos, paucos eſt cernere vates.
Multi qui boves ſtimulent, pauci aratores.
Multi thyrſigeri, pauci Bacchi.
Flere ad tumulum.
Megarenſium lachryma.
Acciſſare.
Hallucinatio cantoris tuſſis.
Tuſſis pro crepitu.
Cretenſis mare.
Connivere.
Simia barbata ſeu caudata.
Silenus Alcibiadis.
Virgo parturienti ſomnus obrepſit.
Audiens non audit.
Illo reſpiciens ſed hic remitte bona.
Patrocli occaſio.
Melle litus gladius.
Altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat.
Charadrium imitans.
De reduvia queritur.
Simia in purpura.
Poſtico diſcede.
Barba tenus ſapientes.
Alia Lacon, alia aſinus illius portat.
Non omnibus dormio.
Lepus dormiens.
Paries dealbatus.
Mortuus iacet pendens.
Crocodili lachryma.
Bonus ne tencidator.
Extra quaerere ſeſe.
Aeſopicus graculus.
Aurum ſubaratum.
Deus diſſimulatum aperiens.
Scytha acceſſans aſinum.
... .
Perſonam mavult quam faciem.
In fronte mentem habet.
Geometriam exercet in ſuperciliis.
Bifrons Mercurius.
Antica excluſum, poſtica recipere.
Suppiſſare.
Patroclum ſub ſpecie.
Equum Scytha.
Canis laneculum mordens.
Roſcii.
Ne vicini quidem ſentiunt.
Πλάτταξ ... .
Frontis letus.
Videntes non vident, audientes non audiunt.
Apparere quam eſſe malunt.
Scytha aſinum videt.
Summis digitis.
Larva & ſimia maxima.
Ariſtippus melandicas.
Multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes.
Ululare cum lupis.
Habes Scytham.
Muſtum ſumpſit.
Οἰκοδεν ... .
Simia fucata.
Manticulari.
Vulpes pro Leone.

SOCIETAS. 662.

Communis tanquam Siſapo.

SOLITUDO. 668.

Ne muſca quidem.
Nullum animal, quod animal.
Scytharum ſolitudo.
Timonia vita.

SOLICITUDO. 669.

Tantali lapis.
Mens eſt in tergoribus.
Nauſea ... .
Σ ... βλέπει.
Animus eſt in coriis.
Arctum annulum ne geſtato.
Cor ne edito.
In via ne ſeces ligna.

Sale & aceto.
Morderi corde.
Flamma ſine vulcano.
Quaſi theſaurum Draco.
Siculus mare.
Furunculi in modum.
Ἐξακανθίζειν.
Teredo oſſium, cor ſollicitum.
Caput ſit ære
Mens anxia pervigilat.
Alius futurus, ubi propius acceſſeris periculum.

SOMOLENTIA. 665.

Endimionis ſomnum dormis.
Vltra Epimenidem dormis.
Non decet Principem ſolidam dormire noctem.

SPES PERTINAX. 665.

Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt.
Spes alunt exules.
Adhuc cœlum volvitur
Adhuc aliquis Deus reſpicit nos.
Spes ſervat afflictos.
In herbis.
Tenuis ſpes.
Ab ipſa meſſe.
Sperat hinc aliquam auram afflare.
Quantum ex Bacchanalibus.
Dum nondum in nervo telum.
Spes ſubventanea.
Tanquam palladium.
Spes alit.
Cœlum menſes & annos efficere non deſiit.
Sperant omnes quæ capiunt nemo.
Spe Crœſo ditior, inopia Iro pauperior.
Vana ſpe plenus.
Sperant omnes quæ cupiunt
Non qualia quis optaret, ſed qualia eſſe poſſunt.
In ſpem fruſtratam.

STVPIDI. 667.

Non ſus quivis hoc ſciet.
Pulmonis vitam vivere.
Archigene indiget
Stryx non minus quam Sphyntharus.
Cucurbitino capite.
Orca terram natat.
Simulachrum pictum.
Alba præcordia.
Bubalus.
Otus & Othus.
Navis, ſcopulum deprecatur.
Hippocratis liberis cadit.
Vervecea.
Somni plenus.
Lapis molaris.
Sannas.
Βυγαῖος & Βυλάγε.
Sex congios capit.
Ἀμ..., Muccus.
Ad gentiles & agnatos deducendus.
Pituitam à naribus allio & cepe detergere.
Serviles in animo pilos habere.
Beodes.
Florent fabæ.
Cantio Bœotica.
Non plus ſenſus habet, quam ſurdi lapides.
Bœotica ſus.
Ἐμβρόντητος & ἐμβροντητοί.
Cyclaminum effodias ad balenam.
Lenti
Tam fatuus, ut etiam regnare poſſit.
Nulla habetur perniciei ratio.
Mentem non habet qui non iraſcitur.
Onocephali.
Stultus digito loquitur.
Inſtar ovis.
Plumbeus homo.
Linaria caput.
Varro.
Nequam, magnus homo.
Mulus.
Margites
Stultorum infinitus numerus.
Torpedini ſimillimus.
Αἶθος νωλιός.
Omnino fatuum eſt.
Terræ filius, Terrei.

Mare trahitur.
Neſcit quid ſit inter dextram & ſiniſtram ſuam.
In cotyla geſtaris.
Vix videbatur navis ſupplicare ſcopulo.
Circumtondere comam.
Betizare, laconizare.
Ex poteſtate exiſſe.
Antiquiores luna.
Rore paſcuntur.
Phæaces.
Βυβρωτικὸς ἐστίν.
Morio.
Caput hoc ventoſa cucurbita quærat.

SVBITVM EXITIVM. 671.

Occiſionis ala.
Eadem tibi & Pythia & Delia.
Muris interitus.
Amnis inſtar volvitur
Repente tanquam procella.
Plauſtrum perculit.
De improviſo.
Nulla perniciei ratio habetur.
Ad perditam ſecurim abiicere manubrium.
Occidit ei ſol cum adhuc eſſet dies
Culex lychno ſe committens aduritur.
Adonia convivium.

SVBITI INTERVENTVS. 672.

Mercurius ſupervenit.
Lupus in fabula.
Etiamſi lupi meminiſſes.

SVMPTVOSA: 672.

Hipparchi murus.
Edax triremis.
In beato omnia beata.
Saliares dapes
Aureo piſcari hamo.
Excubias agere aut ditari.

SVRDITAS. 673:

Surdior Toronæo portu.
Surdior turdo
Nulli ſunt peius ſurdi, quam ii qui audire nolunt
Fuſio ſurdior.

TACITVRNITAS LAVDATA & illaudata. 673.

Silentii tutum præmium.
Mulierem ornat ſilentium.
Alia committenda, alia celanda.
Quæ ſcis, neſcis.
Quo obticeſcis
Qui continet arcanum.
Muti citius loquentur.
Caput ſine lingua.
Muta perſona.
Muti magiſtri.
Muti magis quam ſcapha.
Mutus Hipparchion.
Negri quidem.
Acanthia cicada.
In ſinu gaudere.
Areopagita taciturnior.
Manum ad os opponere.
Bacchæ more
Magis mutus quam piſces.
Rana Seriphia.
Reddidit Harpocratem.
Statua taciturnior
Taciturnior Pythagoreis.
Amyclas perdidit ſilentium.
Doryphorematos ritu.
Clavis in lingua.
Myſteria Eleuſinia prophanos, celanda.
Poteſt tacere
Ne ſol quidem ſciat
Cicada humi canens.
Tanquam libri.
Areopagita ſubticentior.
Indictum puta.
Audi, vide, ſile.
Μυδὶ χρόζειν.
Linguarium dare.
Digito compeſce labellum.
Angerona os cohibeat
Et. Harpocrates digito ſignificat.

Tacere opinor eſſe optimum.
Si tacent ſatis dicunt.
Oleum in ore geſtat.
Stateris paries.
Ne interula quidem arcani conſcia.
Surda teſtimonia.

TÆDIVM EX ITERAtione. 678.

Longum proœmium audiendi cupido.
Terram video
Iterum atque iterum ad Pythum via.
Iterum tranquillitatem video.
Lens Deus.
Iovis Corinthus.
Crambe bis poſita, mors.
Eandem tundere incudem.
Cantilenam eandem canis.
Eadem per eadem.
Hyperi vertigo
Date mihi pelvim.
Sardi venales.
Callicyrii plures.
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.
Linum lino nectis.
Ad reſtim funiculum.
Rhodiorum oraculum.
Mel ſatietatem gignit.
Aſſiduum mirabile non eſt.
Vnum in multa diſcerpere.
Crambe repetita.

TARDITATIS & CVNCTAtionis. 680.

Nemo nos inſequitur.
Romanus ſedendo vincit.
Feſtina lente.
Pedetentim.
Placide bos.
Tacito pede.
Manu ſerendum non thylaco.
Caudæ pilos equinæ paulatim vellere.
Non ſtatim decernendum.
Celerius elephanti pariunt.
Bunas Iudex eſt.
Acceſſit luna.
Laconica luna
Machinas poſt bellum affers.
Sero veniſti ſed in celonum ito.
Quiſquis tarde venit ad cœnam.
Corvus aquas
Profectus ad apaturia.
Poſt feſtum veniſti.
Diu delibera.
Annus eſt.
Ad aras.
Sic eſt ad pugnæ partes re peracta veniendum.
Amen Axeſiam reperit.
Ζωπυρισμοί, & ſimilia.
Μελλονικιᾶν.
Hercules hoſpitatur.
Expecta bos aliquando herbam.
Expectat anus.
Inter caſa & porrecta.
Quæ ſero contingunt ſed magnifica.
Hyperberetæa
Majorum ultimus navigat.
Intervallo perit fames & optime perditur.
Summis ingredi pedibus.
Pulvis prius veniſſet.
Cervum miſimus.
Calliſpedes
Diphilus Diphilo tardior.
Cras credo hodie nihil.
Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt.
Aſino pigrior.
Myrmice incedere.
Sed morarum abit dies.
Odioſa res Circenſibus pompa.
Grelatorius aut teſtudineus gradus.
In arduis cunctanter agendum.
Cur ceſſatum eſt.
Cunctatio noxia.
Parvo paſſu progredi.

TEMERITAS. 684.

Oportet remum ducere qui didicit.

Exitii nulla ratio.
Ne præceps fueris ad jurandum.
Quam quiſq; norit artem, in hac ſe exerceat.
Cœnare m . . . ces.
Non ſuſcipiendum negocium temere.
Illotis pedibus ingredi.
Andabata.
Ædilitatem fert ſine populi ſuffragio.
Inſcitia confidentiam parit.
Ne incalceatus in montes.
Vomentum in numero.
Excidit profluit.
Quicquid in buccam venerit.
Magis phantaſticus quam Papæ mula.
TEMPERANTIA. 686.
Zenone moderatior.
Philoſophari.
Vento vivere.
Muſicus apparatus.
Agreſtibus holeribus victitat.
Dionyſium æquore mergendum.
Sicci homines.
Vmbrorum convivium.
TEMPESTIVA. 687.
Dum virent genua.
Nunc leguminum meſſis
Hernioſi in campum.
Bata tum hyeme, tum æſtate bona.
Cum ceſſat boreas.
Aliam ætatem alia decent.
Noſce tempus.
Capra ad feſtum.
Munus exiguum ſed opportunum.
Audi Chelidonem.
Oleum & ſalem oportet emere.
Iovis tergus.
Nihil homini amico eſt opportuno amicius.
Dona Mileſia.
Phallus Deo.
Sacra hæc non aliter conſtant.
Comicus teſtis.
In agrum ſervus.
Agnum demetere.
Vitex floret & botrus maturuit.
Mappam mittere.
Plus dat, qui in tempore dat.
Κωμικὸς μάρτυς.
Servi comici.
Mulieres ſcenicæ.
Aprilis piſcis.
Αἶγα τὴν οὐρανίαν.
Prius paratus, quam claſſis.
Recte & ordine.
Acroamata.
In numerum.
Hyberno pulvere, verno luto meſſis.
Surgere jam tempus.
Nulla ætas ad diſcendum ſera.
Secunda navigatio.
Ver æſtatis.
Paludem & ſalinas emere oportet.
Quaſi mappa miſſa.
Tibi ipſe Calendas edicito.
Nunc cantant cygni, quando tacuerint graculi.
Prope eſt.
Horis conſecratus.
Sua cuiq; rei tempeſtivitas.
Κατὰ καιρὸν . . .

TENACITAS. 691.
Avarus niſi cum moritur nil recte facit.
Itidem ut Acheronti.
Ferens non fert.

TIMIDITAS. 691.

Vel muſcas metuit prætervolitantes.
Vmbram ſuam metuere.
Timidior & proſpiciente.
Timidior Piſandro.
Epeo timidior.
Timidus Plutus.
Timidi nunquam ſtatuerunt Trophæum.
Abjecit haſtam. Rhipſaſpis.
Rheginis timidior.
Ante tubam trepidas.
Ignavi vertitur color.
In publicis morſu Deum invocat.
Mulier Imperator & mulier miles.
Cervinus vir.
Gallus inſilit.
Vir fugiens & denuo pugnabit.
Leonis veſtigia quæris.
Initio confidens, in facto timidus.
Lingua bellare.
Cum adſit urſus, veſtigia quæris.
Cum adſit via, ſemitam quæris.
Informidoloſum.
Γρύζειν.
Corinthiis non indignatur Ilium.
Verbis pugnas non re.
Ἀδωνιάζειν . . .
In pedes retrocedit.
Myſorum præda.
Animus in pedes decidit.
Trepidat in morem galli cuiuſpiam.
Quem mater amictum dedit obſervare.
Nulla candidorum virorum utilitas.
Teuthidum more.
Scrupulum injicere.
Non incedit per ignem.
Hinnulo timidior.
Taletis animum habet.
Buccinam ne in ſomnis quidem.
Coturnicula animus.
Leporem ſtridentium crepitus terret.
Achææ non Achivi.
Tanquam Gorgone conſpecta.
Inter mares lepores.
Fugere nemine perſequente.
Sanguine caret.
Nebridas fert.
Das aſſem elephanto.
Lepore timidior.
Caudam inter crura ſubjicit.
Auro pallidior.
Vmbram ſuam ipſius metuens.
Conclamare vaſa.
Porrigis tanquam elephanto ſtipem.
Vt ovis lupum conſpicata.
Ne my quidem facere audet.
In fugitivum.
Domi pugnans more galli.
Cavum pedis oſtendere.
Pullus de nido avolat.
Canes muti.
TOLERANTIA. 696.
Chalcenterus.
Socratis Gallus, aut callus.
Connivendo ferre.
Aſſuevit malis.
TORVITAS. 696.
Origanum tueri.
Areopagita taciturnior aſſeſſor.
Mortem tueri.
Γοργὸν βλέπειν.
TOTUM AUT NIHIL RELIQUI. 696.
Omnia chnaumata.
Cum pulviſculo, una cum ipſis manipulis.
Vna cum templis & aris.
Ruta caſa.
Cum ramento.
Et prædam & præmium.
Principium, medium, finis.

TUMVLTVS. 697.
Tyria maria.
Cyclopica muſica.
VANITAS. 697.
Quæ apud inferos.
Deinde expergiſcebar.
Cilix haud facile verum dicit.
Cretiza cum Cretenſi.
Mentiuntur multa cantores.
Fumos vendere.
Somnium.
Ne ſi bos quidem vocem edat.
Hibera nænia.
Epiphyllides.
Tantali horti.
Apologus Alcinoi.
Anicularum deliramenta.
Aſini mortes.
Subventanea parit.
Cypariſſi fructus.
Cæcum in ſomnium.
Calidum mendacium.
Pſydracia.
Doſones.
Res palæſtræ & olei.
Splendida cœna famem non ſedat.
Turgida nomina.
Tela aranea.
Tenedia regula.
Tantali menſa.
Oreſtis ſomnium.
Corticeus.
Chorus domeſticus.
Lamiæ turres.
Cantilena ex ſcholis.
In fumum abiit.
Ἐν πίθων ἢ πιθάκνας.
Aphrodiſium Iuſiurandum.
Extra ſomnium hominum narrare.
Aiunt, ſcilicet.
Verba dare, nugas.
Res ad Ovidii Metamorphoſes revocanda.
Λογοποιεῖν.
Πυλαϊκὴ ὀχλαγωγία.
Nihil fugacius.
Ægri ſomnia.
Nubecula eſt, pertranſibit.
Inanes.
Tipula levior.
Vt fama eſt hominum.
Vitrea fracta.
In leves auras, aut in fumum abire.
Vana.
Quaſi per ſomnium.
Fabula prorſus evanuit.
In manu.
In rebus humanis nihil firmum.
Gerra.
Fumus & ſomnium.
Homo eſt.
Paphatia papyrus.
Vmbras montium videre.
Καπνὸς ἐπιθυμεῖν.
Tragœ aphos fingere.
Πίνειν ἀνύδρως.
Non perſuadebis, ne ſi perſuaſeris quidem.
Cape nihil & ſerva bene.
Figuli opes
Multa incredibilia.
Fumus.
Vetera vaticinari.
Eadem quæri.
Agones.
VELOCITAS. 703.
Αὐτοβοεί.
Prior occupavit.
VENEFICIA. 703.
Manci pera.
Faſcinantium more laudare.
Zoroaſtræi ſuſurri.
Dardanarii & Saccularii.
Mantis te videt.
Præficarum more.
Ne faſcines.
Ardens veſtis.
VERA. 703.
Veriora Bacidis dictis.
VICES OFFICII. 703.
Ordinem deſerere.
Penſum abſolvere.
Contribulis factus ſerva ordinem.
Ἐγκλήματι ἐξ ἐμῆς.
Ἕκαστος ἐμοὶ . . . αὐτῷ μόνον γίγνεται.
Tua cauſa ſive opera.
Mercenarius.
Nemo ſibi naſcitur.
VICINUS. 704.
Ne bos quidem pereat.
VICTORIA UTRIUSQUE triſtis. 706.
Flet victus, victor interiit.
Teſta colliſa teſta.
Victoria non incruenta.

VILITAS. 706.

Nummus plumbeus.

VINCERE & VINCI. 706.

Solus currens vicit.
Extremum occupet ſcabies.
Palmam ferre.
Invulnerabilis ut Caneus.
Αὐτοῖσι ναυτίλοισι.
Herbam dare.
Dare manus.
Harena cedere.
Mea eſt pila.
Quid niſi victis dolor.
Victi nunc audent hiſcere.
Tolle digitum.
Longe viciſti.
Vincat unus tripes.
Ignis eſt in vepribus.
Nervos frangere.
Argivos exarmat oraculum.
Pulvere extrito decertat.
Μονομαχεῖς.
Πάλαισμα.
Provocat & vincitur.
Manus intendere.
Serra pugnare.
Manus dare ſive tollere.
Fugientem inſequi.
Samnites.
Num capti potuere capi.
Prælio victus, non bello.

VINCULUM INSOLUBILE. 709.

Vulcanium vinculum.
Herculanus nodus.
Contigua ſolvu.
Archimedeum problema.

VIS INJUSTA. 709.

Leonis catulum ne alas.
Lex in manibus.
Leonina ſocietas.
Atticus advena.
Ad ſaga.
Capillis trahere.
Cyclopum more.
Oculum excludere.
Centaurice.
Marsyas.
Rus civitas.
Hoſpes indigenam.
Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω.
Non movenda moves.
In antrum haud legitimum, ſtimulum impingis.
Abſtinenda vis à regibus.
Ceſcon habitas.
Cyclopica vita.
Cyrnia terra.
Martis campus.
In caput præcipitari.
Calcibus proterit.
Nullum violentum perpetuum.
Colaphum labiis infringi.
Rapina rerum Cinnari.
Nuntio nihil imputandum.
Κατάρατος.

VITA HOMINIS MISERA & brevis. 712.

Homo bulla.
Optimum, non naſci.
Sphithama vita.
Temporis punctum.
Salillum animæ.
Ut herba ſolſtitialis.
Dimidio vitæ nihil differunt felices ab infelicibus.
Fictilis homo.
Sampſa ſeniculum.
Vita mortalium brevis.
Vita hominis peregrinatio.
Ephemeri vita.
Circulus res mortalium.
Foliis ſimiles homines.
Brevis vita iſthmus.
Vita ſuilla.
Dies digitus.
Οὐ κακός.
Optima citiſſime pereunt.
Summis negatum ſtare.
Vita minus eſt.
Cui naſci contigit, mori reſtat.
Eminent, cadunt: creſcunt deteruntur.
Terra editus terræ redditur.
Vita mancipio nulli datur, omnibus uſu.
Celerius occidit feſtinata maturitas.
Mors & fugacem aſſequitur.
Nihil perfectum.
Terra es, & in terram ibis.
Mortuus eſt & Ancus.
Quæ dedit illa, capit, neq; diſpendii facit hilum.
Paries inclinatus.
Domos luteas habitare.

ULTIO MALEFACTI. 717.

Canis vindictam.
Ornatus ex tuis virtutibus.
Everit Deus nocentem.
Sero Jupiter diphtheram inſpexit.
Semper virgines furiæ.
Mali bibunt improbitatis fæcem.
Sus acina dependes.
Pleiade.
Hipparchorum tabula.
Habet.
Ignem igni ne addas.
Oleum camino addere.
Scarabeus aquilam quærit.
Promeri canes.
Ciſſamis Cous.
Improbi conſilium in extremum incidit malum.
Ibyci grues.
Dii laneos habent pedes.
Ad deorum aures pervenit.
Oetæus genius.
Adraſtia Nemeſis, Rhamnuſia Nemeſis.
Bos laſſus fortius figit pedem.
Evenit malo male.
Aderit Temeſſæus genius.
Mala malis eveniunt.
Salis onus unde venias, illuc abiis.
Ductus per Phratores canis.
Invitus Jupiter novit.
Habet & muſca ſplenem.
In tergore bovis deſedit.
Ineſt & formicæ & ſerpho bilis.
Stultus, qui patre cæſo liberis pepercit.
Super te hæc omnia Leparge.
Nunc dii beati.
Anus ſimia ſero quidem.
Boliti pœnam.
Vel capra mordeat nocentem.
In me hæc cudetur faba.
Ob texteris erratum.
Æſopicus ſanguis.
Auriculam mordicus.
Qui prior læſit.
Sortem & uſuram perſolvere.
Deus ulciſcetur.
Flagitiorum turpis exitus.
Male parta male dilabuntur.
Mala proditio.
Malis ter mala.
Miſeram meſſem metere.
Canis ſæviens in lapidem.
Canis peccatum ſus dependit.
Fortis in alium fortiorem incidit.
Ne ſpina quidem vulnerabit bonos.
Sui cuiq; mores fingunt fortunam.
Fumantem naſum urſi ne tentaveris.
Vindicta tarda, ſed gravis.
Vitanda potentum offenſa.
Aratro jacularis.
Dulce pomum, cum abeſt cuſtos.
Sero molunt Deorum molæ.
Divum vides.
Non propter pedis cum lyra diſſidium.
Saga ſumere.
Pauca maleparta, multa bene comparata perdunt.
Sub unam myconum.
Ξενία Διός.
De male quæſitis non gaudet tertius hæres.
Dii lenti ſed certi vindices.
Imbecilles etiam ſe lædi putant ſi tangantur.
Anyti & meliti.
Literam longam facere.
Id nullius in bonis eſt quod divini Juris.
Quicquid delirant reges plectuntur Achivi.
Aquilarum penna.
Qui non habet in ære luat in corpore.
Ocnus funiculum torquet.
Tange montes & fumigabunt.
Panus ſemel crura fugit.
Dæmonem dæmone pellis.
Noxa caput ſequitur.
Cogitationis pœnam nemo patitur.
Oculus Dei fortiſſimus.
Cunctabundus natura Deus.
Numinis ira inevitabilis.
Apud equum & virginem.
Mala malis eveniunt.
Hæc juſtitia.
Cicada ſibi canens.
Exemplum utile.
Pervicacia ſtultitia dat pœnas.

VOTUM. 732.

Utinam mihi contingant ea quæ ſunt inter Corinthum & Sicyonem.
Omne æs alienum cepe, & moſchis allium.
Votum munificum.
Alia dantur, alia negantur.
Canis panes ſomnians.
Etiam dormiens ſomnias.
Ne contra bovem opta.
Adoraturi ſedeant.
Non quidvis continget quod optaris.
Quæcunq; in ſomnio videntur.
Qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.
Quid non fiat, profectus Arbelas.
Semper ſuperioris anni proventus melior.
Voti compos.
Tritogenes filius non Tritogenia.
Achilleum votum.
Voce optato.
In Ægypto optaris eſſe potius.
Jupiter pluit mel.
Filius mihi ſit Tritogenes non Tritogenia.
Quicquid licet minus deſideratur.
Sera vota.
Aderit vocatus Apollo.
Dii meliora.
Canis prædam ſomnians.
Dii magnifacite.
Faciat tibi Dominus ſicut Ephraim & Manaſſe.

USURÆ. 734.

Citius uſura currit quam Heraclitus.
Eſt pylus ante pylum.
Felix qui nihil debet.
Animam debet.
Semel rubidus, ac decies pallidus.

TYPO-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

SICUTI unum hoc, candide Lector, ſemper ded tiſſima egimus opera, ut ex noſtra Officina, quum quæ jamdudum edita, in tuum uſum recudenda eſſent, tum quæ recens typis noſtris publicarentur nitidiſſima prodirent & caſtigatiſſima: ita hoc tempore, cum magni illius Deſ. Eraſmi Roterod. Adagia denuo efflagitarent publicationem, ſedulo advigilavimus ut ita prodirent, ne quid hic jure quereris poſſes. Hæc ſarta tecta adſervavimus, ſicut ab ipſomet ſunt ſcripta. Ne vero & hac in parte aliquid deſideres ecce adjunximus Henrici Stephani, viri undiquaque doctiſſ. in hæſ. e Eraſmi Adagiorum Chiliades Animadverſiones, vice ſcholiorum: annotantes locum communem, & proverbium: ſubductionem item paginæ. Addidimus etiam eadem opera Hadriani Junij Adagia, cum reliquis omnibus, quæ nuper editio Lutetiana adjecit. His inſuper omnibus peculiares Indices adſignavimus: quo Rei literariæ rectiſſime conſuleremus. Hac itaque opera noſtra utere, fruere feliciter, ac impenſum boni conſule noſtrum laborem. Vale.

In loco Lætitia, Triſtitia, Proverbio. Cor ſalit. pag. 441. ψυχὰς καὶ θυμὸν. Ponit hic Eraſmus duo, θυμὸν δάκνειν & θυμὸν ἔδειν, ſive κατέδειν, tanquam ſimilia: ut videlicet ἐσθίειν καρδίαν cum utroque horum conveniat. at ego cum poſteriore, non item cum priore convenire exiſtimo. Nam ἐσθίειν τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν ſive θυμὸν ille demum dicitur, qui ita ſe totum mœrori tradit, ut eo paulatim, quaſi lenta quadam tabe abſumatur: at vero δάκνεσθαι καρδίαν, ſive θυμὸν, ſive ψυχὴν, dici poteſt, qui ad breve tempus duntaxat vel etiam ad momentum temporis angatur. Et quod eleganter dicunt Latini, Urere quempiam facto, vel dicto (ut ſi quis in eum ſcomma jaciat) id pari eleganter dicunt Græci δάκνειν: eumque qui ita uratur, δάκνεσθαι. Sic Plutarchus dixit, αἱ κατὰ παιδιὰς καὶ σκωμμάτων δῆξις. ſic idem λόγῳ δάκνει καὶ παῤῥησίᾳ χλευάζων καὶ δακνόμενος. Quinetiam ἐκ τοῦ δάκνειν θυμὸν compoſuerunt nomen δακέθυμος, & inverſo vocum ordine θυμοδακής, ut apud Anacreontem, δακέθυμοι δ' ἐρωτες: & apud Homerum, θυμοδακὴς μῦθος. Julianus Imperator in quadam oratione: ποδαπὸν καὶ χρῆμα λοιδορία, ὡς θυμοδακὴς ἀληθῶς. καὶ ἀμύσσει ψυχὴν μᾶλλον ἢ σίδηρος χρῶτα. Ubi obſerva. θυμοδακὴς & ἀμύττειν ψυχὴν pro eodem poſita, utrumque ex Homero. Expreſſit autem Græcum verbum Horatius eadem in re, cum dixit, Mordeat opprobriis falſis. Sed & Terentius ac Cicero non Mordere ſolum, ſed & Pungere (quod plane τῷ ἀμύσσειν, reſpondet) ita uſurpant. Sic & Ovidius:

Mordeat iſta tuas aliquando cura medullas.

quod recte dixeris, δάκνει τοι τὸν σὸν θυμὸν. at male, ἐσθίει τὸν σὸν: vel τὴν σὴν καρδίαν. Denique quiſquis ἐσθίει τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν, is & δάκνει, ſed non contra.

In loco, Auxilium, Proverbio, Tollentionus auxiliare. p. 739. φορτίον συγκαθαιρεῖν, &c. i. Tollenti onus, &c.) Atqui καθαιρεῖν non ſignificat tollere ſive attollere, ſed detrahere: & συγκαθαιρεῖν, una cum alio detrahere, & in detrahendo ſive deponendo adiuvare [ideoque convenit hoc verbum iis præſertim oneribus, quæ capiti committuntur, ut loquitur Propertius] adeo ut ſequendo hanc lectionem quam Eraſmus, altera reiecta, probat, hic futurus ſit ſenſus: Deponenti onus auxiliandum, haud adjuvandus tamen qui deponat. Aut magis ad verbum, Detrahentionus auxil. &c. Quod quidam abſurde dicatur, neminem eſſe puto qui non perſpiciat. Ad ſi retineatur altera illa lectio quam reiicit, hic erit ſenſus [non abſurdus quidem, ſed ex diametro tamen cum eo pugnans, quem D. Hieronymi verba oſtendunt] auxiliandum in detrahendo ſive deponendo onere. non autem auxiliandum in imponendo. hoc eſt. Operam noſtram cuiquam adſe onerandum commodare non debemus, ſed ad ſe exonerandum. Nam ex verbis συγκαθαιρεῖν & συντιθέναι [non autem συνεπιτιθέναι] quis non hanc ſententiam elici fatebitur? Quæ quidem tantum abeſt ut abſurdi quidpiam præ ſe ferre, quemadmodum & illa altera, ut potius rationi maxime conſentanea eſſe videatur: eo potiſſimum nomine, quod humanitatem nobis commendet. Videamus tamen quam lectionem ſequutum D. Hieronymum credibile ſit: [etenim. ut oſtendi, ferri nequit illa quam ex eius interpretatione colligit Eraſmus] & eam ſequendo, quid ſit quod nobis αἰνίττεται hoc Pythagoræ ſymbolum. Crediderim certe ex illis particulis μὴ & δὲ totum errorem manaſſet: quarum ſedem mutando, ſi ita legeris, φορτίον μὴ συγκαθαιρεῖν, συνεπιτιθέναι μέν, his Græcis verbis Latina D. Hieronymi plane reſpondere comperies: niſi quod ordinem invertit. Quid autem ænigmatice nobis ſignificabit hoc ſymbolum? Hoc, ut opinor: Hominum inertiæ non indulgendum, ſed eorum φιλοπονίαν circa rem quamlibet eſſe excitandam. Hæc ego cum ſcripſiſſem, & ad Plutarchi deinde opuſcula, quendam alium locum inveſtigaturus, me contuliſſem, forte fortuna, ſimulatque librum aperui, in Sympoſiacῶν decadis 8 c. 7. incidi: in quo hoc ſymbolum & obiter eius expoſitionem refert. Eum poſtquam adſcripſerim, quam bona de huius ſymboli tum ſcriptura, tum expoſitione, coniectura mea fuerit, tibi, lector, iudicandum relinquam. Eſt igitur huiuſmodi: τούτοις δ' συμμαρτυρεῖν ἐδόει καὶ τὸν παρ' ἡμῶν, αὐτοῦ ποδαγρικῶς τοῖς ἑταίροις, μηδενὸς ἀφαιρεῖν βάρος, συνεπιτιθέναι μὲν καὶ συνεπιφορτίζειν, ὡς μηδεμίαν σχολὴν μηδὲ ῥᾳστώνην ἐπιδιχομένους.

In loco, Ingratitudo, Proverbio. Hirundines ſub eodem pag. 960. Multo magis obſtreperas, non arceamus, &c.] Quis hoc unquam nobis perſuaſerit, gallos, graculos, perdices, picas hirundinibus multo magis eſſe obſtreperas? Atqui his ſua garrulitas iam inde à priſco ſeculo exprobrata fuit: ut teſtatur nomen κωτίλη, quod ideo illi tributum fuit: & ab eo factum κωτίλλειν, ad exprimendam loquacitatem muliebrem, apud Heſiodum. Teſtatur & elegantiſſimum Anacreontis odarium: ad cuius imitationem factum deinde fuit illud epigramma, cuius initium eſt, πᾶσαν ἐγὼ τὴν νύκτα κινύρομαι. Quinetiam illa Nicoſtrati ſententia nonne garrulitatis quandam ὑπερβολὴν huic avi tribuit?

> εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ καὶ ταχέως λαλεῖν
> ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον αἱ χελιδόνες
> ἐλέγοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.

At enim hæc de ſuo non profert Eraſmus, ſed ex Plutarcho interpretatur: à quo dicti huius [nimirum multo magis obſtrepera hirundinibus eſſe illa quatuor autem genera] exigenda eſt ratio: ſi tamen hoc pro ſuo agnoſcere velit. Quo modo autem agnoſceret, cum non dixerit, λαλιαὶ μὲν καὶ πολυφωνίας μᾶλλον ἧττον, &c. ſed, ἡ μᾶλλον ἧττον. Quam negativam particulam omittendo, depravatum fuit, quod ab eo fuerat alioqui bene dictum. Niſi quod miror, πολυφωνίαν etiam perdicibus ab eo tribui, à quo petitum proverbium vidimus antea, ἀφωνότερος πέρδικος. Nam quod ad graculos & gallos attinet, hæc duo nomina ipſe nequaquam agnoverit, cum illud avium genus ne nomine quidem prorſus: [etſi non abs re in hoc numero poſitum eſſe videtur] huius autem generis non marem, ſed fœminam [ἀλεκτορὶς] dicens, non ἀλεκτρυόνα.] obſtreperæ garrulitatis inſimularit.

Ullius rei aut diſciplinæ] Pro, Aut diſciplinæ: lege, aut luſus. quid enim avi cum diſciplina? Inde autem natus eſt error, quod παιδείας legerit Eraſmus, pro παιδιᾶς.

In loco, Pudoris, Proverbio Stragula ſemper habe convoluta, pag. 765. Tametſi ſuſpicor commendatam verecundiam.] At ego aliud innuiſſe exiſtimo Pythagoram: nimirum quum

quum mane ignoremus ubi veſperi moraturi ſimus & ſomnum capturi (ut incertæ ſunt, & infinitis mutationibus obnoxiæ res humanæ) debere nos ſemper ſtragula noſtra habere συνδεδεμένα, id eſt, in unum quaſi faſciculum colligata, atq; ita ad aſportationem parata, ſimulatque ex uno loco in alium migrandum erit. Et ita ſpecies poſita pro genere fuerit, ſtragula pro tota ſupellectile. ut perinde ſit quaſi præcepiſſet, ἀεὶ τὰ ἑαυτοῦ συσκευάζεσθαι, ut loquitur Xenophon: id eſt, ſarcinas ſuas ſemper colligere (vel, de verbo ad verbum, vaſa colligere. ut de militibus dicitur) tanquam ſe itineri accingentes. Quam ſententiam ſequendo, præterquam, quod participii συνδεδεμένα maxime propriam ſignificationem retinebimus, & Pythagora digna admonitio hæc erit: illud etiam incommodi vitabimus, ne, cum Eraſmo, hoc ſymbolum cogamur dicere idem eſſe cum iſto quod col. ſequente ponit, ἀναστὰς ἐξ εὐνῆς συνταράττειν τὰ στρώματα.

In eodem loco, Proverb. Surgens è lecto, veſtigium corporis confundito. pag. 765. Videtur idem, &c.] Imo plane diverſum fuerit, ſi ſequamur illam expoſitionem quam modo adnotavi: de qua, ut opinor, illis mecum conveniet, qui attente eam conſideraverint. Clemens autem lib. στρωματέων 5. videtur hoc ſymbolum eodem pertinere exiſtimaſſe, quo illud quod habuiſti paulo ante, col. 19. χύτρας ἴχνος συγχεῖν ἐν τῇ τέφρᾳ. Poſtquam enim explicavit illud ſymbolum, χελιδόνα ἐν οἰκίᾳ μὴ ἔχειν (ut eo ſignificetur, non recipiendos eſſe garrulos & futiles homines) paucis interiectis, addit: πάλιν ὁ πυθαγόρας, τῆς χύτρας ἀρθείσης ἀπὸ τοῦ πυρὸς, τὸν ἐν τῇ σποδῷ τύπον μὴ ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ συγχεῖν ἐφορεύταττεν καὶ ταράττειν ἀναστὰν ἐξ εὐνῆς τὰ στρώματα. ὁ γὰρ τὸν τύπον ἀφανίζειν δεῖ ᾐνίττετο. ἀλλὰ μηδὲ ὀργῆς ἴχνος ὑπολιπεῖν μηχᾶν καὶ ἀναζέσασαν παύσῃ καὶ, καθίστασθαι αὐτὴν καὶ πᾶσαν ἀπαλείφειν μνησικακίαν.

In loco, Religionis. A piſcibus abſtineto. pag. 765. Symbolo XXXVI. pag. ead. verſu Neque regionem.] Apud Plutarchum legitur, οἷς μήτε πνεύματος κοινοῦ συμφύλου νομῆς μέτεστι. adeo ut pro Regionem, debuerit vertere Eraſmus Paſtum, aut Paſcua. Hic enim aut catachreſi utendum, aut certe periphraſi etiamſi autem νομὴ aliquando in illa altera ſignificatione acciperetur, pro νομὸς, nec fides codicum ſuſpecta foret: at hic nullo modo eam habere poſſet.

In loco, Intemperantia. Adonidis horti, pag. 410. Adagio III. pag. 23. verſu 4. Foventque animas brevi duraturas, in, &c.] Hic invertit Eraſmus ſententiam authoris: abſurde etiam dans animas illis hortis Adonidis. Invertit autem, quia quod Plutarchus Deo, id ipſe mulieribus tribuit, nempe fovere animas: & cum ad animas hominum id pertineat, ita interpretatur, quaſi ad neſcio quas illorum hortorum animas hoc referendum eſſet. Sed video quid Eraſmum in errorem impulerit: nempe latens parentheſis eum fefellit. Hæc enim omnia verba per parentheſim poſita ſunt, ὥσπερ αἱ τοὺς Ἀδώνιδος κήπους ἐπ' ὀστράκοις τισὶ τιθέμεναι καὶ θεραπεύουσαι γυναῖκες. Verum mutavit caſum Plutarchus poſt parentheſin (quod ἀνακόλουθον fit aliquando ab authoribus) & quaſi præceſſiſſet μηδὲν ἔχοντας ἡμᾶς ἐν λόγῳ τίθεσθαι, aut tale quid [non autem μηδὲν ἐχόντων ποιεῖσθαι λόγον) ſubiunxit per appoſitionem, ἐφημέρους ψυχὰς ἐν, &c.

Proverbio, Syncretiſmus. Loco de Amicitia. Pagina 45. Conſuetudinem habeas & convictum cum illorum amicis) Nemo non videat (qui quidem propius intueri hunc locum) abſurdum eſſe quod hiſce Latinis verbis præcipitur, nimirum ut illud tempus obſervemus, quo inter ſe diſſidebunt fratres, ut tum potiſſimum cum eorum amicis conſuetudinem & convictum habeamus. Quorſum hoc? quæſo. Rationi enim minime conſentaneum eſt, ut conſuetudinem habeamus cum amico eius qui nobis ſit inimicus. Ac potius præcipiendum eſſet, ut eorum inimicis nos adiungentes, viribus collatis eos opprimeremus, interim dum illi, ob diſſidium, ſibi mutuo laturi opem non ſunt, & vel hac ratione multo εὐαλωτότεροι futuri. Sed hoc non cogitavit Plutarchus: multo vero minus illud. Quid igitur? Conſilium dat unicuique ut ſi acciderit illi diſſidium eſſe cum ſuis fratribus (intellige etiam, cum ſuo fratre, prout vel plures, vel unicum eſſe contigerit) operam det ut eo potiſſimum tempore cum ſuis ipſius amicis verſetur, & ab eorum latere quam minimum poterit, recedat: contra vero ſuos inimicos procul fugiat. Cur vero ita faciendum ſit, oſtendit iis quæ ſubiungit: Quia, inquit ſinceri & minime fucati amici una cum amico ſuum fratrem amante, & ipſi amant: at ii demum qui inimici ſunt, & quidem omnium maxime maligni, quum aliquem reperiunt cui ſit diſſidium & odium adverſus ſuum fratrem, cum illo diſſidente & ipſi diſſidere, & odiſſe eundem videntur. Et merito profecto Plutarchus omnium maxime malignos hos eſſe dicit. cur enim apud fratrem fratri iraſcentem, & ipſi adverſus eundem iram præ ſe ferunt? Ut eum magis ac magis accendant, & oleum, quod aiunt, addant incendio. Interim vero ex illo, ubi commotum eſſe viderint (quo maxime tempore dicenda tacenda loqui homines ſolent) ea ſecreta expiſcentur, quæ alioqui ſe dato animo, nunquam vulgaviſſet: & quæ occuluiſſe multo illi utilius fuiſſet. Pulcherrimus eſt profecto hic locus, & Plutarcho vere dignus: ideoque hunc in eius interpretatione errorem ſilentio prætereundum non exiſtimavi: præſertim quum eam ſequendo, quod additur Cretenſium exemplum ἀπροσδιόνυσον eſſe videatur. illi enim, invadentibus hoſtibus, non cum inimicorum amicis, ſed cum ſuis ipſorum inimicis ſocietatem inibant, ſeque cum iis reconciliabant.

Proverbio. Annus producit, non ager, In loco, Divitum prærogativa pag. 2.8. Tamen nonnihil etiam diſcriminis ſitum eſſe in ipſo, &c.] Atqui hic διαφέρει non ſignificat differre: ſed hac vel ſimili phraſi exprimendum fuit hoc verbum, Nonnihil etiam momenti eſſe in ipſo ſoli ingenio, vel, Alicuius etiam momenti eſſe ipſum ſoli ingenium. Quanquam nec illud Nonnihil, video cur dicat Eraſmus: quum ſit apud Theophraſtum, μέγα.

In loco malum accerſitum: Proverbio Ipſe ſibi perniciem. pag. 490. Sunt enim & perniciosi, &c.] Tales reperiri fontes conſtat: ſed eo tamen reſpexiſſe poetam non crediderim: ſed huc potius, quod, ut ſemel fons eſt repertus, nunquam poſtea deeſt aqua, ſed alia poſt aliam ſemper fluit: ita etiam hæc res futura ſit tanquam fons malorum, i. alia ex aliis mala hinc naſcitura: vel fore κακὸν ἀένναον, ut ſæpe dicunt. Solent etiam πηγὴν pro abundantia de re qualibet dicere: unde & πηγὴ δακρύων paſſim legitur. Sic & πηγὰς λόγων dixit Æſchines in oratione περὶ παραπρεσβείας. Quinetiam fontem malorum pro prima cauſa, ex qua mala nova, tanquam novi ex fonte rivi, ſubinde manant, exponere poſſumus. Quemadmodum & radix malorum dicitur avaritia, quod ex ea tanquam ex radice, infinita mala, alia ex aliis ſuppullulent. Qui vero malorum metropolin eam appellavit, itidem primam & præcipuam cauſam malorum ſignificare voluit. Quo etiam modo Latine Caput uſurpatur. Denique cur ad pernicioſos fontes referre hoc Æſchyli dictum neceſſe ſit, non intelligo: quum alii adſint non tam longe petiti explicationis modi.

In loco INFORTUNII. *Proverb. Genius malus. p. 376.*) Fallitur hic, dum hunc verſum exempli cauſa profert, quaſi bonis divis accipiatur, pro propitiis, & opponatur illi Iratis diis, cum, ut recte Acron admonet, & facile perſpici poteſt, hoc dictum illi ſit ſimile, Diis genite & geniture deos. Sic prolem vel Progeniem divum, Genus divum, ſolent vocare poetæ hunc vel illum, quum quandam nobilitatis vel generoſitatis animi ὑπερβολὴν exprimere volunt: Hac in re, ſi in alia ulla, Homerum imitantes, apud quem frequenter διογενεῖς appellantur reges.

In loco, bonæ fortunæ, Prov. Albæ gallinæ filius p. 97.] Exemplo aliquo confirmaturus, Albũ pro fœlici accipi. Senecę locũ affert, in quo albæ ſententiæ pro apertis ſumuntur: quũ citare debuerit aliquod genus loquendi in quo albũ

pro

pro felici dictum ſit. quale eſt hoc apud poetas: Albi ſi ve candidi dies, quale apud Catullum.

Fulſere quondam candidi tibi ſoles.

Sic. Candida hora Ovidio, cuius eſt & hic verſus:

Candidus & felix proximus annus erit.

In loco, Malis retaliatio, Proverbio. Temeria mala. pag. 477. Græce finem ſignificat: & τερμερίαν ἡμέραν, extremum vitæ diem vocant.] Imo vero non τερίμερίαν, ſed τερμίαν ita vocat Suidas. Sic & Heſychius τέρμιον, (non τερμέριον,) exponit ἔσχατον. ſic τέρμιοι, ὕστατοι (licet mendoſe in vulgatis exemplaribus ἄνστατοι legatur. quod mendum non animadverterunt qui in iſtis Græcolatinis lexicis adnotarunt, τέρμιος inconſtans ſignificare.) Sic denique & τερμιόεις, non τερμερόεις apud eoſdem lexicographos, & apud authorem Etymologici reperitur: apud quem & τέρμιος ὀξύς. Et à τέρμα durior ſane eſſet παραγωγὴ, τερμέριος.

In loco, Fides. Proverb. Oculis magis adhibenda fides pag. 148. Indicans Herodotum, &c.] Necui poſthac tale commentum placeat, profero hæc Plutarchi verba ex libello De exilio: Τὸ δὲ Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδεξις ἥδε, πολλοὶ μεταγράφουσιν, Ἡροδότου Θουρίου. μετῴκησε γὰρ εἰς Θουρίους, & τῆς ἀποικίας ἐκείνης μετέσχε.

In loco, Vltio malefacti, Prov. Longæ regum manus.] Qui unquam κρείσσων. hic interpretatus ſit deus, ex veteribus fuiſſe puto neminem: nec video quid illum in hanc interpretationem impulerit: cum uſitatiſſima nominis huius ſignificatio loco optimè conveniat. Poteſt autem hic verſus vel à ſequente diſiungi, ut hic eſt deſiunctus: vel cum eo coniungi, ut γάρ τι ſint παραπληρωματικά.

In loco, Alia aliis placent. proverb. Suum cuique pulchrum, pag. 31.) ἔραντι ponitur ἀντὶ ἔρωτος, pro præ amore, unde & quidam Autorem compellans, dixit: ἦ μὴ διδάσκεται αἰσχρὰ φέρουσθαι καλά.

In loco Curioſitas. Proverb. Corycæus auſcultavit, pag. 157.) Errat hic ipſemet, in eo quod putat erratum eſſe in exemplari Strabonis. nam primum λίσυριας optime legitur, ſed iungendo πάντα cum παράπαν, aliter quam ipſe facit: deinde bene ſcriptum eſt διαλεγομένων, ſed male ab eo intellectum. nam διαλεγομένων, non ſignificat, eorum quæ dicuntur: ſed, eorum qui colloquuntur, nec poſſum ſatis mirari, quomodo πραττομένων & διαλεγομένων, coniunxerit, nullam inter διαλεγομένων & λεγομένων conſtituens differentiam: cum tamen hoc ſimplex ſit verbum, illud compoſitum: hoc ſignificationem habeat activam, illud paſſivam: cum deniq; λέγομαι, ſignificet dicor. at διαλέγομαι, colloquor, diſſero, diſputo. Sed talia multa viro infinitis negotiis diſtricto condonanda ſunt. Tu ita interpretare Strabonis locum: Avidum auſcultandi eos qui clanculum & in occulto colloquuntur.

In loco Proclivitas. Proverb. Calcar addere currenti pag. 595.) Lapſus eſt hic memoria, ut & in aliis aliquot locis citandis author. contrarium enim eſt quod ſcribitur ab Ovidio, Nil nocet admiſſo, &c. Quod ſi aliter legeretur, inter ſe cohærentia non loqueretur poeta. His enim claudit verſibus libri 2. De Ponto, elegiam. 6.

Quæ tu quum præſtes, remo tamen utar & aura.

Nil nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

In loco Inſtupidos, Proverb. Feles Tarteſſia. p. 405.] Vertit Eraſmus geſtantem, legens ἔχοντα, & ad με referens, non levi errore: quum in ἔχοντ', non α ſed ε eliſerit apoſtroph. ideoq; vertendum fuerit, geſtantes: videlicet duo ex his.

In loco Securitas Prov. Extra lutum pedes habes. p. 631.] ἔξω βελῶν. Imò diverſum hoc dicendi genus videtur eſſe ab illo. Nam extra lutum pedes habere is demum dicitur, quin in luto aliquandiu hæſerit, ſed ex eo tandem emerſerit. At extra iaculum, vel potius, teli iactum, eſſe is dicitur etiam, qui intra teli iactum antea non fuerit: ſed ab eo ſemper longiſſimè ſe removerit.

In loco, Abſurda: Proverb. Ad conſilium ne acceſſeris, pag. 16. ἄκλητοι δειλοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασι.] At Euſtathius narrans ex Il. β. verſum: αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος. ait hinc proverbium illud poſtea fuiſſe excogitatum: ἀκλητὶ κωμάζουσιν ἐς φίλους φίλοι. παροιμιώδης Μενέλαος. dicetur, qui proverbio locum fecerit, cuius factum in proverbium ceſſerit. At ſi vertas, obnoxius proverbio intellige, obnoxius proverbio quod ab eo poſtea ortum eſt. Sed hoc non placet.

In loco Paraſiti, Proverbio, Qui mori nolit ante tempus. p. 761.) Putavit aſotos certæ cuiuſdam gentis proprium eſſe nomen, dum nimium properante oculo, & per tranſennam, quod aiunt, Ciceronis locum illum inſpexit. Alioqui certè animadvertiſſet, non de certa quapiam gente loqui Ciceronem, cui à luxu vitæ nomen tributū ſit: ſed quos antea vocaverat Latino verbo luxurioſos, eoſdem poſtea nuncupare Græco aſotos. Cuiuſmodi homines videre eſt hodieq; in quavis gente & natione, non incerta quapiam. adeo ut non dicendum fuerit, quaſi de gente quæ noſtro tempore abolita eſſet, Erant ebrii: & Stertebant: ſed ut degenere hominum, cuius noſtrum quoq; ſeculum feraciſſimum eſt, Sunt ebrii & ſtertunt.

In loco, Ingrata ob vetuſtatem Proverb. Piſcis repoſitus, p. 31. ἰχθὺν ἔδει ἐς τὸ μέσον ἕλκειν) Non intellectus ab eo loci Plutarchi ſenſus, fecit ut ita efferendum eſſe proverbium exiſtimaret. Sed depravatio quæ ibi in vulgatis exemplaribus habetur, Eraſmum apud me facile excuſat, & apud alios quoq; excuſet velim. Eſt autem ea in his verbis ἰχθὺν ἑλκόμενον: pro quibus legendum eſt, ut in veteribus libris ἔστι ἰχθὺν ἕλκομεν, omninò enim poſtulat verbum aliquod oratio, utpote alioqui imperfecta manens. Reponentes igitur hanc ſectionem, ſimul & in locum huius Eraſmicæ interpretationis, Quin illum piſcem qui in medium non trahitur una cum chœnice Pythagorica: hanc ſubſtituamus, cur non illum piſcem in medium trahimus una cum chœnice Pythagorica? Habetur autem hic locus συμποσιακῶν decadis 7. c. 4. in qua quæritur, cur priſcis Romanis ne menſa inanis tolleretur, item ne lucerna extingueretur, providere moris eſſet. Ibi cum ſinguli quædam ad problema de lucerna facientia protuliſſent, & Euſtrophus de altero ſententiam ſuam pronunciaſſet, dicens, illis morem fuiſſe ne menſa inanis removeretur cavere, quod ſemper aliquid ſervis & ſervorum liberis à cœna relinquendum exiſtimarent: unde & Perſarum reges non ſolum amicis & præfectis ſatellitibus particulas ſuarum cœnarum mittere ſolitos, ſed etiam ſervorum, atq; adeò canum cœnam in illorum menſa proponi ſolitam: cum, inquam, hæc Euſtrophus dixiſſet, tum Plutar. At illum ex proverbio repoſitum piſcem cur non trahimus in medium, una cum Pythagorea chœnice? Quib. verbis quid ſignificat: Nimirum perinde eſt ac ſi dixiſſet: Cur non proverbium, quo piſcis repoſitus iactatur, & chœnicem Phytagoricam in medium proferimus, & eorum mentionem facimus, cum ad id de quo quæritur problema vel maximè pertineant? Vel: Cur non è proverbio ſumimus piſcem ἀποκείμενον, eumq; in medio ponimus, una cum Pythagorica chœnice? Vel: cur non Proverbium hoc, Piſcis repoſitus, & Pythagoræ de chœnice ſymbolum præſenti ſermoni accommodamus? Ac feſtiviſſime profecto dixit & loco convenientiſſime (in convivio. n. habebantur hi ſermones) Quin piſcem reconditum in medium retrahimus? quaſi videlicet in medio poni edendum vellet. cum, uti dixi, intelligeret, Quin piſcem reconditum in medium proferimus, huic ſermoni noſtro adaptandum? Quin trahimus in ſermonem noſtrum proverbiale dictum, Piſcis repoſitus? Hinc ſatis ſuperq; apparet, ex proverbii huius verbis non eſſe illa ἐς τὸ μέσον ἕλκειν.

In loco Luxus, Proverb. Theſſalorum alæ. p. 458.] Recte quidem, ſi πτέρυγες ſive πτερύγια, manicas ſignificarent: ſed non hoc dicit Pollux, non Heſychius, non Euſtathius: nō deniq; ipſe unde proverbium hoc ſumptum eſt, Suidas. ſcribit enim Θετταλικαὶ πτέρυγες dictum fuit, quod πτερύγιον haberent chlamydes Theſſalicæ. ſunt autē anguli ex utraque parte, quod alis ſint ſimiles. Heſychius autem ait, πτέρυγας eſſe partem tunicæ eam quæ eſt circa fimbrias: item πτερυγίᾳ inter cætera ſignificare dicit extremitates indumentorum. Pollux autem apertè χειρίδας (à quibus χειρίδωτοι χιτῶνες appellantur) à pterygibus ſeu pterygiis diſtinguens, ait: μέρη δὲ ἐσθῆτων, πτέρυγες μὲν καὶ πτερύγιον (malim πτερύγια) τὸ ἥμισυ τῆ χιτωνίσκου

τανίσκυ χειρῖδες δὲ τὰ περὶ ταῖς χερσίν. Idem alibi : θώραξ, καὶ τὰ μέρη τοῦ θώρακος, πτέρυγες. καὶ τὸ μέσον αὐτοῦ, γύαλον. Quod autem illic pterygas χιτωνίσκῳ tribuerit, hic autem θώρακι tribuat, mirandum non eſt : cum etiam Xenophon in 4. ἀναβάσεως ſcribat : εἶχον δὲ θώρακας λινοῦς μέχρι τοῦ ἤτρου· ἀντὶ δὲ τῶν πτερυγίων, σπάρτα πυκνὰ ἐστραμμένα. ubi vocis huius ſignificationem plane ignoraverunt interpretes : utpote quorum alter fundas, alter plumulas verterit, Recte autem. & magis proprie fortaſſe, thoracibus dantur pteryges, quibus Theſſalos delectatos, ex hoc proverbio (ſi tamen proverbium eſt) videtur eſſe perſpicuum : cum & thoracibus illos præcipue uſos quidam tradiderint : & Pollux illis verbis quæ ultima ex eo protuli, ſubiungat : ἰάσων δὲ ὁ θετταλὸς καὶ ὑμιθωράκια προσεξεῦρε. Euſtat. autem ſcribit, θετταλικὰ γέρα nominat, quod pro præmio certaminis conſtitutæ illic eſſent.

In loco, Taciturnitas. Proverb. in ſinu gaudere. pag. 674.) Hic verſus non eodem pertinet quo præcedentes duo. nam illis ſignificatur, apud ſe continere, hic autem indicat, apud alium effundere. Flentes enim mutua alter in alterius ſinu, ſuos viciſſim alter alteri mœrores exponunt.

In loco, Securitas, Proverbio Porro à Iove atque fulmine pag. 631.) Ita explicat Eraſ. hoc proverbium, quaſi ita efferretur, πόῤῥω Διὸς τοῦ κεραυνὸν ἔχοντος. id eſt, Procul à Iove, procul item à fulmine, non ſimpliciter admonemur eſſe cavendum à præpotentibus quibus vires ſuppetunt ad ſæviendum in nos pro ſua libidine : ſed fortunam ſplendidam, vel vitæ ſplendorem, quẽ aſſequi poſſumus verſando cum principibus non tanti nobis eſſe debere, ut pericula quæ illam vitam comitantur, non magis exhorreſcamus, quam eius ſplendorem admiteremur. Vel brevius. Vitam privatam fortunamque mediocrem, cum ſecuritate coniunctam longe anteferendam eſſe vitæ quæ dignitati & magnis opibus adiunctam ſemper habeat periculum. Sic fere videtur explicare Syneſius, quũ ſcribit in oratione de regno : ὧν τἀναντία τοῖς τυράννοις ὑπάρχει, δι᾽ οὓς ἡ κωμῳδὴ χαριεντίζεται, πόῤῥω Διός τε καὶ κεραυνοῦ διὰ τὰς ἐπιβουλὰς τοῖς αὐτοῦ συγχρωμένοις, ἀδεέστερον εἶναι λέγουσα τὴν μετ᾽ ἀπραγμοσύνης ἀσφάλειαν τῶν ἐν ἐπιφανεῖ βίῳ κινδύνων, Sic & Ovid. ſcribit, carendum eſſe commodis quæ potentes afferunt ſecum verſantibus ut ſimul careamus incommodis. & malis quæ ab iiſdem afferri poſſunt, poſt quam enim [alludens, ut opinor, ad hoc adagium] dixit,

Vive tibi quantumque potes prælustria vita :

Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

rationem reddens propter quam hoc det conſilium, ſubiungit,

Nam, quanquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes ;

Non proſit potius ſi quis obeſſe poteſt.

ita enim legendum eſt : non, ut in quibuſdam editionib.

Non proſunt, potius plurimum obeſſe ſolent.

nam hæc electio, præterquam quod duriſſimum verſum & vix Ovidianum reddit, non ſatis veram continet ſententiam : ut omnibus aliquo præditis iudicio perſpicuum eſſe puto. Certum eſt enim principes aliquando prodeſſe, ſed viciſſim interdum nocere. Cæterum quo reſpexit in illis verſibus eodem & in his reſpicere videtur :

Ignoſcant auguſta mihi loca, dique locorum.

Venit in hoc illa fulmen ab arte caput.

In loco, Ignavia. *Proverb. Neque natare, neque literas.* p. 286. λεγόμενον ὡς τὸ.] Male traiecit interpretationem harum vocum, ὡς τὸ λεγόμενον δὴ τοῦ τὸ. reponetur ea in ſuum locum hoc modo : Sed perinde coarguendum exiſtimas, quaſi qui, quemadmodum dici conſuevit, neque literas, &c.

In loco, Feſtinatio, Proverb. Velis equiſque. pag. 237. Similem conatum ſignificat, Velis, &c.) Non Velis equiſq; (duo quæ ad contraria elementa pertinent, copulando) ſed Velis remiſque, Viris equiſque, Ciceronem alioſque antiquos ſcriptores dixiſſe exiſtimo : hoc loquendi genere ſumpto à bello, vehementiſſimam contentionem virium : illo autem à re navali tranſlato, ſummam celeritatem exprimere volentes. Ac primum qui ſem, quod ad Ciceronis locum attinet, ex libro de Offic. 3. in quo Eraſmus vulgata quædam exemplaria ſequens, legit, Cum his equis veliſque decertandum eſt : hanc lectionem authoritate veterum codicum refello, in quibus non Equis veliſque, ſed Viris equiſq; legitur. Illius autem lod lectionem, quem ex epiſt. ad Qu. fratr. affert, ſuſpectam reddunt, vel me tacente, etiam vulgata exemplaria, quæ inter ſe de ea minime conſentiunt. Auget autem ſuſpicionem tertius hic eiuſdem authoris locus, libri 9. epiſtolarum ad familiares epiſtola 7. Nunc quando conſecta ſunt omnia, dubitandum non eſt quin equis viris, nam ut, &c. Etenim quum hic quoque illa lectio ſit in quibuſdam typographicis editionibus, at in aliis, hæc : Equis velis : permutari temere ab imperitis librariis ſolitas horum loquendi generum voces, quis non perſpiciat ? Hoc igitur me (& alios, ut opinor) merito inducat ad ſuſpicandum, illis Cicer. in epiſt. ad Qu. fratrem verbis ſubeſſe depravationem. Sed ipſa ratio non in hanc ſuſpicionem nos inducere, ſed plane id perſuadere, & ad credendum adigere videtur. Fingamus enim M. Tullium duabus diverſis loquendi formulis eundem dativum, equis videlicet ; ad diverſa ſignificanda, adhibere voluiſſe : quod equi ut certamini ob vires, ita celeri cui ſui ob agilitatem ſint apti : certe eadem ratione qua dixiſſet, Tum equis, tum velis, ad magnam velocitatem oſtendendam, eadem dicere potuiſſet, Tum equis, tum ventis. Quod ſi licuiſſet illi ita loqui, & nobis liceret ſic ; Quadrigis & velis : vel, Tum quadrigis, tum ventis. Atqui non ſunt ἀνάλογα, Quadrigæ & venti, aut vela : ſed Quadrigæ & naves. ἀνάλογα autem eſſent Laxæ habenæ & Vela. Nam qui navibus & quadrigis ſe aliquid quærere dicit, terra marique id à ſe quæri indicat, non protinus tamen & celeritatem viæ ſignificat, eam ſi denotare velit, laxatis equorum habenis & paſſis navium velis ſe dicet currere. Verum non quid à Cicerone dici potuerit vel non, ſed quid dictum ſit, videamus, vulgatis codicibus plus fidei quam antiquis libris non adhibentes. Velis remiſq; fugienda legimus apud eum Tuſc. 3. eodẽ modo dictum quod Plauto, Remigio veloque fugere : nimirum maximam indicando celeritatem. Pro eodem alibi, Remis ventiſque. At ubi maximum conatum ſignificare vult, dicit Equis viriſque. Super eſt igitur, ut illa epiſt. ad Qu. fratrem verba expendamus, Curſu corrigam tarditatem, tum equis, tum velis. Hic alia exemplaria habent, Tum equis, tum viris : ut teſtatur etiam Eraſmus. Verum Equis, viris, non de celeritate curſus, ut modo vidimus, ſed de ſummo niſu uſurpat Cicero. Hic ergo cum ad exprimendam celeritatem uſum eſſe illa ſermonis formula, mihi non eſt veriſimile. unde fit, ut Tum equis, tum viris, nihilo magis hic ſcripſiſſe Ciceronem exiſtimem, quam Tum equis, tum velis. Extat & tertia lectio. Tum equis, tum vero : ablativo viris, in particulam vero, mutato, & quidem ex coniectura, quæ tamen in noviſſimis operum Ciceronis editionibus in textum, velut authoritate veterum codicum nitens, recepta eſt. At loquendo ſic, Tum equis, tum vero quadrigis, figura omnium maxime poetica videtur futura, ἓν διὰ δυοῖν. per quadrigas enim, quadrigarum equos [qui & quadriiuges appellantur] ſcimus intelligi. Quod ſi hac figura uti voluiſſet particulam. Tum huic ſermoni non adhibuiſſet, ſed copulativam Et, dicens Equis & quadrigis, id eſt, Quadriiugis equis. Niſi forte aliquis, vitans huiuſmodi figuram [ut certe vitanda eſt] equis exponat τῶν κελήτων, quadrigis autem de equis curru iunctis, aut certe, quoniam additur poëticis, inſolitum neſcio quid, & à communi uſu remotum ſignificari exiſtimet. Verum enimvero quum hæc lectio, Tum equis, tum vero quadrigis, ex coniunctura duntaxat profecta ſit, eam illi tueantur qui excogitarunt. Interim ſi illis in contextum eam reponere permiſſum fuit, liceat mihi quod longe minus eſt, meam non ipſi Ciceronis loco, ſed tantum his annotationibus inſerere, & quidem licebit credo. Dico

do. Dico itaque mihi videri, quod in aliis M. Tullii locis contigiſſe pauloante oſtendimus, idem & in hoc accidiſſe: ut nimirum duorum loquendi generum diverſorum verba permutata fuerint: & me ſuſpicari Ciceronē ita ſcriptum reliquiſſe, Curſu corrigam tarditatem, tum remis tum velis: aut (quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis. Ac de his quidem locis quid prætereadicam, non habeo. Reliquum eſt ut illius generis loquendi, Equis viris, citra proverbialem figuram, atq; adeo citra metaphoram uſurpati, pauca ex multis exempla proferam: quo major iis quæ dixi, fides adhibeatur. Ciceronem videlicet Remis & velis. Equis & viris, non autem Equis & velis dixiſſe Livius: Quacunq; ibant, equis viriſq; longe ac late fuſo agmine immenſum obtinentes loci. Idē: Armis, viris, equis, commeatibus juvant. Salluſtius Equis, viris, pecunia amiſſa, nunquam defeſſi ſunt armati de imperio certare. Cæſar De bello civili 3. Pompejani, quod is mons erat ſine aqua, diffiſi ei loco, relicto monte, univerſi viris equis Lariſſam verſus ſe recipere cœperunt. Ita enim hic legendum puto: hæc verba, Univerſi juris ejus (quæ vir doctiſſimus Petrus Victorius ex antiquo exemplari profert, ſenſum qualemcunq; ex iis elicere conans) veſtigia eſſe huj⁹ antiquæ & veræ lectionis, Univerſi viris equis, perſuaſum habens: & vel ipſi Victorio, ni fallor, facile perſuaſurus. Cæterum ne quis exiſtimet in hoc duntaxat caſu hanc ſermonis formulam efferri ſolitam, en apud Salluſtium: Vbi quemq; periculum ceperat, ibi reſiſtere ac propulſare: arma, tela, equi, viri, hoſtes atq; cives permiſti. Et ita quidem in propria ſignificatione, eis abſq; metaphora ut dixi. Aptiſſima autem metaphora equis viriſq; id fieri dicitur, quod omni virium contentione fit: quum equi & viri, id eſt, equitatus & peditatus, milites omnes & totum belli robur (externa adjumenta excipio) complectamur.

Eodem loco Proverb. Citis quadrigis. pag. 236.] Hi ablativi, Quadrigis poeticis, non junguntur cum infinitivo probari, ſed cum illis verbis, Curſu corrigam tarditatem, nam per parentheſin poſita ſunt hæc, Quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari. Sed totum Ciceronis locum afferre præſtiterit. ita igitur ille: Ac fortaſſe efficiam quod ſæpe viatoribus, quum properant, evenit, ut ſi ſerius quam voluerunt, forte ſurrexerint, properando, etiam citius quam ſi de multa nocte evigilaſſent, perveniant quo velint: ſic ego, quoniā in iſto homine colendo tam indormivi diu, te me hercule ſæpe excitante, curſu corrigam tarditatem, tum remis, tum velis, aut (quoniam ſcribis poema ab eo noſtrum probari) quadrigis poeticis. Nam cur legendum hic cenſeam, Tum remis, tum velis, aut quadrigis, ſatis ſuperque in præcedente annotatione declaravi: evigilaſſent autem, non vigilaſſent, legi debere, in meis in Ciceronem caſtigationibus probavi: aut certe probaſſe mihi viſus ſum.

In loco Excellentia. Proverb. Equis albis præcedere. p. 184.] Videtur potius ita efferendum proverbium verbis Horatianis, Albis equis præcurrere.

Ibid. Dicebant: vel antiquitus equi albi meliores.] Atqui etiam Virgil. equos albos plane vituperat, quum ſcribit:

——Honeſti Spadices, glauciq; ue. color deterrimus albis.

Ibid. Vel quod victores. Etiamſi conſtaret, triumphantes equis albis vectari ſolitos: at in pompa triumphi tanta uti ſolitos celeritate, nequam veriſimile foret.

Ibid Græci ſimpliciter dicunt παριππεῦσαι.] Suidas παριππεύσαντες exponens παραδραμόντες, non accipit verbum παρατρέχειν (cujus participiū eſt παραδραμόντες) metaphoricè pro longe antecellere: ſed in propria ſignificatione pro præcurrere, prætergredi. Deinde παριππεύειν ſonat equitandi ſive equeſtri curſu præcedere, ad verbum præequitare: non facta collatione cum alio genere curſus, ſed inter diverſos ἱππεύοντας, qui cæteros præcurrit, is dicitur παριππεύειν.

In loco Pertinacia. Proverb. Mordicus tenere. pag. 582. Quod Græci vocant ὀδάξ.] Imo potius ἀπρὶξ: nam ὀδὰξ reſpondet quidem plane Latino mordicus, ſed abſque metaphora ſumpto: ut quum dicit Homer. Iliad β

πρηνέες ἐν κονίῃσιν ὀδὰξ λαζοίατο γαῖαν & Odyſ. α.

...οἱ δ' ἄρα πάντες ὀδὰξ ἐν χείλεσι φύντες.

At quum tranſlate uſurpatur adverbium mordicus pro pertinaciter, tum verò haud ſcio an poſſit aliquis recte interpretari ὀδάξ. De ἀπρὶξ autem dubitandum nō eſt: quod jungitur præſertim cum verbo ἔχεσθαι, in hac ſignificatione. ut apud Lucianum in Necyomantia: *τοὺς γοῦν καταφρονεῖν παραινοῦντας χρημάτων ἑώρων ἀπρὶξ ἐχομένους αὐτῶν, καὶ περὶ τόκον διαφερομένους, καὶ*, &c. Transfertur autem & ad res incorporeas. ut quum dicit Longinus: *καὶ τούτου γε φίλτατε ἀπρὶξ ἐχώμεθα τοῦ σκοποῦ.* adeo ut dubium non ſit, quin quod dixi Cicero, Perſpicuitatem mordicus tenere debemus. Græce dici poſſit, *τῆς ἐναργείας ἡμᾶς ἀπρὶξ ἔχεσθαι χρή.*

In loco Experientia. Proverb. Omnē rudentem movere. p. 228. Nunc te neceſſe eſt.] Infinitivi ἐξεῖναι proprietas non exprimitur verbo expedire. idē enim va et hic, ἐξεῖναι, quod apud platonem ἐφιέναι quo uſus eſt in efferendo hoc proverbio, quum diceret, *πάντα κάλων ἐφιέντες.* Scimus autem ἐφιέναι, verbum è verbo, eſſe immittere, atq; hac ipſa voce uſus eſt (neſcio an ad Græcam reſpiciens) Plinius junior in quadam epiſtola, ſcribens: Proinde jure vatum invocatis diis, & inter deos ipſos cujus res, opera, conſilia dicturus es, immitte rudentes, pande vela: ac ſi quando alias, toto ingenio vehere. Quem locum citaſſe profuerit non tantum ad confirmandum hoc loquendi genus, ſed multo etiam magis ad intelligendum, quis ſit apud Latinos quoque hujus proverbii uſus. qua de re tacuit Eraſmus. Cæterum quod dixit Plinius quatuor verbis, immitte rudentes, pande vela: Græcus quidam author in ſuo epigrammate expreſſit tribus illa quidem Platonis vocabula retinens, ſed orationis formam mutans. ita enim claudit quendam pentametrum,

—λαῖφος ἵφιεθε κάλως.

Obiter etiam admoneo, omiſſum eſſe ab illo genitivum σεαυτοῦ poſt ἐξεῖναι. ut in Græcis verbis, ita & in eorum interpretatiòne. cui tamen non parum ſubeſt elegantiæ. Cæterum video & alio modo poſſe accipi ἐξεῖναι: ſed cur ab illa tam apta ſignificatione diſcedere debeamus, non video.

Et lemma.] Major eſt hic quam in proxime præcedenti verſu error, ob male uſurpatam vocem lemma: nam hac Latini à Græcis mutuo ſumpta utuntur duobus modis: quorum utrumlibet hic accipias, alieniſſimam habebit à mente Ariſtophanis ſignificationem, ac nullo pacto huic loco congruentem. Miror autem cur lectionem Aldinam λῆμα, in λῆμμα mutandam putaverit, niſi forte non veniebat illi in mentem, eſſe in uſu etiam λῆμα: idq; longe aliud quam λῆμμα ſignificans: nimirum animi præſentiam, animi robur, audaciam. quæ vocis ad hujus loci interpretationem ſunt aptiſſimæ.

In loco. Diſcriminis, Proverbio, Sub omni lapide ſcorpius dormit pag. 745.] Ita exponit hoc adagium Eraſmus, quaſi ſcriptum ſit, Cave à lapide ſub quo ſcorpius dormit: ut videlicet admoneat proverbium, Cave ne apud captioſos & calumnioſos temere loquaris. Atqui effertur alio modo proverbium, ut videmus: iſto videlicet, Sub omni lapide ſcorpius dormit. Quod qui dicit, non monet ut caveamus à ſcorpio (quis enim tali admonitione opus habet?) ſed monet paſſim & ſub omni ſaxorum genere ſcorpios ſolere latitare. cogitandum relinquens, omni ſaxi genus ſuſpectum nobis eſſe debere. Videtur itaque hæc proverbialis allegoria, Sub omni lapidum genere ſcorpius dormit, hunc ſenſum aperte præ ſe ferre: Omni in loco reperiuntur doloſi homines, Nullum eſt hominum genus cui non admixti ſint aliqui fraudulenti, Inter omnes homines, cujuſcunque conditionis ſint, inſidioſi & fallaces aliqui reperiuntur. At ſi velimus in præcepti formam ſenſum hujus adagii redigere, ita licebit explicare: Nulli homini incognito fidendum,

 nihilo

nihilo magis quam ulli lapidi temere inſidendum: ne forte ſub eo ſcorpius latens, & quæ veluti ſint inſidiis (ὑπολαιλοχῆμες, ait Nicander) ex ſuis latebris ſenſim protepat, & incautum pone feriat.

Ibid. verſ. Conveniet & in moroſos.] Hoc erit magis abuti quam uti adagio. Nam quum hæc verba veram & utilē admonitionem habeant, ubiq; eſſe à fraudibus & inſidiis periculum: ſi exponamus ea de moroſis aut pigris hominibus, vanum neſcio cujus periculi metum in excuſationem ſtulte proferentibus, ſerium dictum veluti in jocum convertemus, ac plane faciemus hoc proverbium ſimile illi, Quid ſi cœlum ruat?

Ibid. verſ. Τὴν παλαιάν. ὑπὸ λίθῳ γὰρ παντὶ μου χρὴ δάκῃ ἤτοι ῥήτωρ.] Animadverte, in his Ariſtophanis verbis alluſionem eſſe, nō tam ad illa verba quæ Eraſmus, modo attulit, quam ad ea quæ illis adjunguntur in ſcholio. id enim integrum ita quidam proferunt, ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος ὦ ἑταῖρε φυλάσσεο μή σε δάκῃ. alii, quorum eſt Athenæus, ſic ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος ὦ ἑταῖρε ὑποδύεται. φράζευ μή σε βάλῃ: τῷ δ' ἀφανεῖ πᾶς ἕπεται δόλος. Hinc autem apparet mendoſa eſſe hoc in proverbio, vulgata exemplaria Suidæ, quum ibi legatur ita, ὑπὸ παντὶ λίθῳ σκορπίος ὦ ἑταῖρε, φυλάσσεο. nam poſt φυλάσσεο ſententiam manere imperfectam perſpicuum eſt nec dubito quin ille addidiſſet μή σε δάκῃ, vel μή σε βάλῃ, ut eſt apud Athenæum. cujus tamen vulgata exemplaria (de hoc enim admonitum eſſe volo) fruſtra adieris, ut hæc verba, & reliqua quæ modo citavi, invenias. habentur enim in illa libri ultimi parte, quæ in typographicis editionibus deſiderantur.

In loco, Inanis opera. Proverb. Aranearum telas texere. pag. 323.] Puto lapſum memoria Eraſmum hic poſuiſſe magnas aves αἱ τὶ σφηκὸς ἢ μελίττης. Sic enim apud Stobæum: ὥσπερ γὰρ εἰς ἀράχνια ἐὰν μὲν ἐμπέσῃ μυῖα ἢ κώνωψ, κατέχεται, ἐὰν δὲ σφὴξ ἢ μέλιττα, διαῤῥήξασα ἀφίπταται. οὕτω, &c. cujuſmodi apophthegma quidam Anacharſidi adſcribunt.

Ibid. in Proverb. ovū adglutinas, ᾠὸν κολλήσεις.] Quomodo κολλήσεις poſſit eſſe verbum indicativi modi, præſentis temporis, ſecundæ perſonæ, quod ſignificet adglutinas, intelligere non poſſum. ἀκολλάω enim eſſet κολλάεις: & per contractionem κολλᾷς & hoc in uſu potius quam illud, ut βοάεις potius quam βοᾷς. Quia tamen κολλάεις vicinius eſt lectioni quam habemus, reponendum puto: aut certe futurum κολλήσεις, id eſt, adglutinabis. Ut ſi quem videamus multum temporis & laboris fruſtra impendentem in rem aliquam, illi dicamus ᾠὸν κολλήσεις. Ovum conglutinabis, id eſt: Si hoc effeceris quod efficere conaris, perinde fuerit ac ſi ovum conglutinaris vel: Non minus hac re tempus atque operam perdes, quam in ovo conglutinando.

Ibidem. Proverb. Actum gere. pag. 327. M. Tullius libello De amicitia, indicat, &c.] Itidem in proverbio, Priuſquam mactaris, excorias, ex loco hoc Ciceronis probare vult, hoc adagium, Actum agis, eſſe finitimū illi, Priuſquam mactaris, excorias. Quod mihi perſuaderi ullo modo poteſt, ob eas quas proferam ibi cauſas.

Ibidem. Proverb. Cotem alis pag. 326. ἀκόνην σιτίζεις: id eſt, Cotem alis] σιτίζειν hic non ſimpliciter ſignificat alere, ſed largo cibo alere ad ſaginandum: quemadmodum & σιτεύειν. à quo σιτευτὸς, ut ab illo σιτιστὸς pro ſaginato, quo modo & altilis à Latinis uſurpatur. Ac σιτίζειν ſignificare hic quod dico, apparet ex declaratione Zenobii, ſive, ut vult Eraſmus Zenodoti. qui his verbis, ἀκόνην σιτίζειν (ita enim legitur illic per infinitivum) ſubjungit: ἐπὶ τῶν τροφῇ μὲν πολλῇ χρωμένων, μηδὲν δὲ εἰς τὸ σῶμα ἐπιδιδόντων. Sed & apud Suidam totidem habentur verba excepto hoc. πολλῇ: omiſſo non conſulto, ſed librarii incuria.

In loco Impoſſibilia. Proverb. Ab aſino lanam. pag. 291. ὄνου πόκαι.] Proverbium ὄνου πόκαι, vel potius πόκες, aut πόκοι (nec enim fidendum eſt vulgaris Suidæ exemplaribus) Ariſtophanis interpres non ait de iis quæ nuſquam ſunt dici, ſed de re inutili, οὐδὲ γὰρ αὐτοῦ ὄνου πόκες χρησιμεύουσιν, inquit, id eſt, Neque enim aſini πόκες ullam utilitatem adferunt. Sic & Euſtachius ἐπὶ τῶν ἀχρήστων καὶ ἀλυσιτελῶν uſurpari ſcribit. ſed apud eum male effertur proverbiū ita, εἰς ὄνου πόκους, perperam addita præpoſitione ex Ariſtophanis loco. Cæterum quum ejus ſcholiaſtes ait, aſini πόκας nulli uſui eſſe, fatetur illum habere πόκας, quam vocem quum abſurdum videatur hoc loco lanam vertere (quis enim aſini lanam uſui non eſſe dixerit, quum nullam habeat?) malim interpretari villos. At quum altero modo effertur adagiū, ὄνου πόκας ζητεῖς: tunc πόκας interpretanti lanam non repugnabo. Neque enim Aſini villos quæris, jactari poſſet in eum qui ſtulte quæreret quod nuſquam reperiri poteſt, ſi verum ſit aſinum habere villos. Niſi forte quis reſpondeat eſſe quidem villos aſino, ſed quos habiturum ſe nemo ſperare debeat. Quamobrem? Quoniam, ut ait Ariſtophanis enarrator, τὸν ὄνον οὔτε πέξαι τις δύναται, οὔτε κάρειν: id eſt aſinum neq; pectere poteſt quiſquam, neq; tondere. Quod etiam videntur exiſtimaſſe qui, Aſinum tondes, uſurpari putaverunt ἐπὶ τῶν ἀνηνύτοις ἐπιχειρούντων: id eſt, de iis qui impoſſibilia tentant, quæ etiam ejuſdem enarratoris eſt ſententia. Idem vero ait eam ob cauſam quod neq; pecti neq; tonderi poſſit aſinus, proverbium ὄνου πόκας dici ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀνυποστάτων. Suidas quoq; ait proverbium uſurpari ἐπὶ τῶν ἀνυπάρκτων. (nam ex errore eſt in vulgatis editionibus ἀνοήτων) καὶ μὴ ὄντων. at ego ſcire velim, de quibus aſinis hoc intelligendum ſit, eos neq; pecti poſſe neque tonderi. nullum enim vidi in quo hæc eſſent impoſſibilia, nimirum ejus villos (præter paucos quoſdam) pectere, eoſdemque tondere. Sed agaſonum hac de re eſto judicium. miſſum enim hunc ſermonem faciam, nec de lana aſinina diſputans, de lana caprina diſputare dicar.

In loco Vanitas. Proverb, Quæ apud inferos. pag. 697.] Imo vero nihil minus quam hæc verba, τὰ ἐν ᾅδου, proverbialia eſſe tradit. Nam hos Ariſtophanis verſus enarrans,

τίς εἰς ἀναπαύλας ἐκ κακῶν καὶ πραγμάτων:
τίς εἰς τὸ λήθης πεδίον, ἢ 'ς ὄνου πόκας,
ἢ 'ς κερβερίους, ἢ 'ς κόρακας, ἢ 'πὶ ταίναρον.

poſtquam dixit Ariſtophanem ex hoc ſecundo (loco quem appellat ὄνου πόκας id eſt, aſini villos) indicare τὸ ἀδύνατον τῶν καθ' ᾅδου, id eſt, impoſſibile eſſe ut extent apud inferos quæ feruntur extare: addit paucis interjectis: λέγεται δὲ καὶ ὄνον κείρεις, ἐπὶ τῶν ἀνηνύτοις ἐπιχειρούντων. ἐν τῷ τρόπῳ φαμὲν καὶ τὸ χύτραν ποικίλλεις, καὶ κόπρον αὖ θυμιᾷς. ἀνήνυτα δὲ καὶ τὰ ἐν ᾅδου. διὰ τοῦτο αὐτοῦ ὄνου πόκας ἀνέπλασε ποιητικῶς id eſt. Dicitur etiam Aſinum tondes, de iis qui aggrediuntur impoſſibilia. eodem videlicet modo quo dicimus. Ollam variegas: & Stercus odoribus profundis. Impoſſibilia ſunt autem & quæ apud inferos (ἀνήνυτα καὶ τὰ ἐν ᾅδου) propterea igitur aſini villos poetico more finxit. Hæc ille: non dicens proverbium eſſe τὰ ἐν ᾅδου: ſed in eos qui aggrediuntur impoſſibilia, jactari hoc inter cætera Aſinum tondes. quoniam vero itidem ἀνήνυτα καὶ τὰ ἐν ᾅδου, id eſt, impoſſibiles ſunt res quæ apud inferos eſſe commemorantur: ideo poetam finxiſſe locum quendam illic applicari aſini lanam, ejus nomen ſumendo à re quam impoſſibile eſt eſſe. indicare volentem, nihilo magis eſſe poſſe res quæ apud inferos eſſe narrantur, quam eſſe poteſt res illa à qua locus ille nomen acceperit. Obiter autem & de hoc te admonebo, ut quæ hic dicuntur ab Eraſmo, Eodem loco interpres admonet, &c. ita intelligas: Eodem loco ubi eſt proverbium, ὄνου πόκας ſive πόκος, interpres Ariſtophanis admonet, &c. Hoc enim ita dicit quaſi hoc proverbium proxime ſubjungeretur illi, Ab aſino lanam, quanquam in eo non citaverat ipſum interpretem, ſed tantum poetam.

Citatq; Ariſtarchum authorem.] Lapſus memoria hoc dixit. non enim à ſcholiaſte Ariſtophanis, ſed à Suida hic Ariſtarchi locus citatur in proverbio, ὄνου πόκαι.

In loco, Inanis opera. Proverb. Contorquet piger funiculum, pag. 327.] Præſenti tempore pro præterito nititur Paulus

nias in narratione Græci ſermonis conſuetudinem ſequens. ideo vertendus ita fuit hic locus: Hunc Ocnum ajunt hominem fuiſſe induſtrium, operique intentum, ſed uxorem habuiſſe ſumptuoſam ac prodigam: ut quicquid is ſuo labore corraſiſſet, id mox abſumeretur ab illa.

Ibid.] Hujus loci Plutarchi falſam lectionem protulit, cui reſpondentem affert interpretationem. tu utramq; corrige, ita legens Græca verba: ἀλλ' ὥσπερ ὁ ἐν ᾅδου ζωγραφούμενος σχοινοπλόκος ὄνῳ τινὶ παρέχων ἐπιβοσκομένῳ καταναλίσκειν τὸ πλεκόμενον. & ea Latine ſic interpretans: Sed quemadmodum is qui apud inferos depictus habetur funis contortor aſino cuidam permittit depaſcenti abſumere. Miror autem cur verterit ᾧ τινὶ παρέχων, cui adeſt. nam ᾧ τινὶ quidem ſignificat cui: ſed παρέχων pro adeſt, hoc eſt pro πάρεστι, nullo modo accipi queat.

In loco Modeſtia. Proverb. Ita fugias ne præter caſam. p. 508. ἤδη καὶ παρὰ θύραν, &c.] Quod vertit ἤδη καὶ παρὰ θύραν βιαζόμενοι, jam & præter caſam incitati, vereor ut nimis violenta ſit interpretatio: & hic Luciani locus obtorto, quod ajunt, collo, ad Latini proverbii ſenſum trahi videatur. Atque ut verb. facile eam admitterent, non video quomodo præcedentibus & ſequentibus reſpondeat. Haud ſcio an referri poſſit ad id quod ſæpe legitur & apud hiſtoricos: qui quum deſcribere volunt magnam hominum turbam certatim properantium irrumpere in aliquem locum, dicunt eos ὠθίζεσθαι περὶ τὰς θύρας, vel, τὰς πύλας. interdum etiam ad hoc exprimendum utuntur verbo βιάζεσθαι, niſi me fallit memoria. Sed & παραβιάζεσθαι interdum ita uſurpatum reperitur: ut apud hunc ipſum authorē, in dialogo qui ἁλιεὺς ἢ ἀναβιοῦντες inſcribitur: πολλοὶ γέλωτα ὀφλισκάνειν ὠθιζόμενοι ἐπὶ ταῦτα, καὶ περὶ τὰς τῶν πλουσίων θύρας ἀλλήλους παρωθούμενοι. Fateor quidem non περὶ θύραν hic legi, ſed παρὰ: verum, niſi errorem librarii hic eſſe ſuſpicabimur, παρὰ θύραν ita hic accipere poterimus, ut apud Ariſtophanem παρὰ τὴν εἴσοδον, pro κατὰ. Sive autem legas εἰσβιαζόμενοι, ut in vulgatis editionibus Luciani habetur: ſive cum Eraſm. βιαζόμενοι perinde eſt.

In loco, Repellentis, Proverb. Aliam quercum excute. pag. 617. ἄλλην δρῦν βαλάνιζε.] Fortaſſe rectius ſic: Ex alia quercu glandes collige.

In loco, In Stupidos. Proverbio. Bis pueri ſenes. p. 406. ἄρ' ὡς ἔοικε.] Error eſt in his Græcis verbis: quem quum Eraſmus non perſpiceret, falſum ſenſum, eumq; abſurdum, in ſua interpretatione ſequutus eſt. Ita enim legi debet Platonis locus: ἆρ', ὡς ἔοικεν, ὁ γέρων δὶς παῖς γίγνοιτ' ἄν. i. e. Ergo, ut apparet, ſenex fit bis puer.

In loco, Sera Pœnitentia. Proverb. Cumani ſero ſapiunt. pag. 635. ὀψὲ αἰσθάνονται οἱ Κυμαῖοι.] αἰσθάνονται in ultitata ſignificatione accipitur, itidē ut ἠσθημένων & αἰσθανομένων apud Strabon. in explicationem hujus proverbii.

In loco, Abſurda Proverb. Umbram ſuam metuere. p. 16.] Ne hic quidem nulla ſupereſt depravatio. quid enim ſibi vult illud, manium? Nimirum Manius legendum eſſe, vetera exemplaria docent.

In loco, Tædium ex iteratione Proverb. Eadem per eadem pag. 678. αὐτὰ δι' αὐτῶν.] Αὐτὰ δι' αὐτῶν, ſonat Ea per ea: at eadem per eadem, additis articulis diceretur, τὰ αὐτὰ διὰ τῶν αὐτῶν.

In loco, Diligentia, Proverb. Ad unguem p. 199.] Miror eum exiſtimaſſe διόνυχος & διόνυχον dici uno verbo: quum in loco Plutarchi duæ ſint orationis partes, interpoſita videlicet apoſtrophi notula: quam præ tenuitate oculos Eraſmi fefelliſſe, haud abſimile vero eſt.

Ibid. Explorat omnia quæ &c.] Nemo eſt, ut opinor, cui legenti non ſuboleat magnus aliquis error in his verbis: *omniaque congruunt in, quæ cum ſpinis diſputant.* Et tamen quatenus eſt, duntaxat ex non animadverſa diſtinctiuncula præpoſteræ collocatione eſt ortus. Siquidem interpunctio quæ poſt συνδιειλεγμένοις ponenda fuit, in editione Aldina poſt ἀκάνθας poſita eſt, tam apertum in conſtructione errorem efficiens, & tam abſurdum etiam ſenſum exhibens, ut imprudenti Eraſmo hanc interpretationem obrepſiſſe, plane mihi perſuadeam. Sed in ejus locum hanc noſtram repone. Porro ad unguem explorat omnia quæ tecum diſputationibus occurrunt & incidunt, ſpinas colligens. Addo enim participium συνάγων, poſt ἀκάνθας.

In loco, Similitudinis, Proverb. Scopæ diſſolutæ. p. 641.] Longe vereor, vel potius ſola vera eſt altera lectio, Non hominem, ſed ſcopas diſſolutas. Siquidem legendo, Non ad homines, non in ipſum J. Cæſarem, cui mandata erant data, ſed in eos ad quos data erant, dicterium hoc jactaretur. Quod vel ſuſpicari abſurdum fuerit: præſertim quum alibi hujus legationem itidem irriſam ſcribat Cicero. Reponatur ergo hæc lectio, Non hominem, ſed ſcopas diſſolutas. At quo ſenſu ſcopas diſſolutas illum à Cicerone vocari putavimus? Mihi non placet exponi hominem nihili, quod latius pateat hoc genus loquendi, homo nihili, & eo velut generalis quidam contemptus ſignificetur. Atq;, ut quod ſentio proferam, ſic appellari exiſtimo eum, qui ſuam rationem, ſuaſq; cogitationes non in unum locum quaſi collectas, ſed diſperſas habeat (quo fere modo Colligere ſe, interdum uſurpatur) ac veluti mente vagetur. Aut potius hominem, cujus ſermonum, factorum & conſiliorum nec pes nec caput appareat. Si quis tamen hic ad ejus tantummodo ſermonem mandata illa exponentis reſpexiſſe dicat Ciceronem, ei facile ſubſcribam: ut videlicet id Cicero tribuat homini, quod ejus ſermoni tribuendum erat nomen. Siquidē ſermoni hominis tumultuoſiora quædam nunciantis (hac voce utitur Cicero turbulenta Trebonius dicit) vel tumultuoſe res aliquas exponentis, aptiſſime, meo quidē judicio, ſcopis diſſolutis comparabitur. Sæpe enim fieri videmus, ut poſtrema ejus verba cum primis nullo modo cohæreant. Quid ſi, ut apta & diſſoluta opponuntur apud Ciceronem, ita & quē hic ſcopas diſſolutas appellat, ei opponi dicamus, quem aptum ex ſeſe in Paradoxo ſecundo nominavit? Nimirum hoc dicentibus fidem habeat fortaſſe qui locum illum non adierit: at qui adierit, verbis tenus inter ſe opponi comperiet illa, ac quod ad ſenſum attinet, nequaquam. Imo vero in hoc genere loquendi ne verba quidem ipſa ἀντικεῖσθαι comperientur. Siquidem pro eo quid ibi dicit, Is qui eſt totus aptus ex ſeſe: alibi dixit, Cui ex ſe ipſo apta ſunt omnia quibus verbis Platonica hæc interpretatur ὅτῳ εἰς ἑαυτὸν ἀνήρτηται πάντα. Cæterum ne cui videatur inſolens hæc orationis forma, Ille non eſt homo, ſed ſcopæ diſſolutæ: proferam ex primo earundem epiſtolarum libro prorſus ſimilem. nam circa principium tertiæ à fine epiſtolæ leguntur hæc verba: Metellus non homo, ſed litus atque aër, & ſolitudo mera: Quanquam in vulgatis editionibus nomen hoc Metellus, inepte cum præcedenti voce amantiſſimus conjungitur, ob miſſam videlicet πλημμελείαν.

Ibid.] Diſſolutarū ſcoparum nullum eſſe uſum poſſe, conſtat: nec tamen Cicero, ut opinor, ſcopis diſſolutis orationem iſtorum diſſolutam comparans, plane inutilem factam intelligi vult, ſed ex abjecta & contempta multo abjectiorem & contemptiorem, ex languida parumq; nervoſa, multo languidiorem & magis enervem eſſe redditam. Eo enim mihi reſpicere videtur, quod ſcopæ ſint quidem res vilis & abjecta, parumque firmitudinis habens, etiam dum ſunt conglobatæ (quibus ſimilis ſit iſtorum oratio, antequam diſſolvatur) at diſſolutæ multo abjectiores, multoq; etiam quam antea infirmiores ſint ac fragiliores. Nam etiam firmitatis eam rationem in hac comparatione habere non dubium eſt: quum paulo ante Demoſthenicæ orationis vehementiam ex eo eſſe dixerit, quod contra numeris feratur: numeris contortam appellans, quam antea vocarat

aptam (cui ſolutam ſive diſſolutam & diſſipatam, itemque diffluentem opponit) non tamen ſimpliciter aptam & compoſitam, ſed numeris quibuſdam & denſioribus & grandioribus. Poſſit enim aliquis, etiam minutos numeros ſequens apte compoſiteque dicere: ſed graviter ſimul dicere non poſſit.

In loco, Infortunii. Proverb. Alio relinquente fluctu, alius excipit. p. 378. τὸ μὲν μ' ἔλειπε.] In ſuperioribus horum adagiorum editionibus legitur ἔλιπε: in hac repoſitum fuit ἔλειπε, per ει: quia verſus alioqui non legeretur integre, ut vult Eraſmus: quaſi in ἔλιπε produci poſſit. Sed quum ἔλιπε legeret (ut oſtendit ejus interpretatio, per præteritum, reliquit) debeat illi in mentem venire ἐγκατελάμβανεν mutandum eſſe in ἐγκατέλαβεν, ut poſſet itidem verti per præteritum Excipit. Cui mutationi aperte reclamat metri ratio. Legendum eſt igitur utrobiq; ἔλειπε: & ex Reliquit faciendum Relinquebat: Excipiebat itẽ, ex Excepit ut ita efferatur Latine proverbium: Hæc me relinquebat unda, at illa excipiebat. vel potius, intercipiebat. Hæc autem præterita imperfecta indicant ſumptum eſſe hoc proverbium ex alicujus ſermone, narrantis quemadmodum tempeſtate agitatus fuiſſet. Sic vero & alia proverbia itidem ex alicujus narratione ſumpta, tempus imperfectum ſervarunt: ex quibus eſt & illud, Δίκη δίκην ἔτικτε, καὶ βλάβην βλάβη. Quod hic quoq; non perſpiciens Eraſmus, ἔτικτε (veram & indubitatam lectionem, ut arguit, ipſum metrum) vertit quaſi eſſet τίκτει. Idem tempus habes & in iſto proverbio, Ἀμὰς ἀχήτουν, οἱ δ' ἀπηγρουῦντο σκάφας.

In loco, Facundia. Proverb. Sybaritica oratio. pag. 747.] Senſum verborum Heſychii plane pervertit Eraſmus, dum nõ intelligit quid ſit vel ſignificet σπουδασθῆναι, quid itẽ ἐπιδαψιλεῦσαι. hæc n. Heſychius: Συβαριτικοὶ λόγοι. τὸν γὰρ Αἴσωπον ἐν Ἰταλίᾳ γενόμενον σπουδασθῆναι σφόδρα φασὶν ὡς καὶ τὸ τῶν λόγων αὐτοῦ εἶδος ἐπιδαψιλεῦσαι, καὶ συβαριτικὸν προσαγορευθῆναι: παροιμιώδεις οὖν οἱ συβαριτικοὶ λόγοι. id eſt: Sybaritici ſermones. Acopum enim, quum in Italiam veniſſet, magnam exiſtimationem & gratiam collegiſſe ajunt: adeo ut genus ſermonum ejus abundare cœperit, & Sybariticum appellatum ſit. In proverbium ergo Sybaritici ſermones abierunt. Hic apud Heſichiũ de orationis genere lauto & opiparo ne γρῦ quidem habes, meam ſequendo interpretationẽ, quæ unicuique Græcorum verborum propriam (ut viri docti animadverterent) tribuit ſignificationem. Unde igitur lautitiam illam Eraſmus huc invexit? Nimirum ex verbo ἐπιδαψιλεῦσαι male intellecto. Pro eo autem quod verto, Magnam exiſtimationem & gratiam collegiſſe: vertit ille, Summo ſtudio incubuiſſe ut, &c. non bene σπουδασθῆναι cum σπουδάσαι confundens: & novam etiam conſtructionem dans huic verbo σπουδάσαι ὡς ἐπιδαψιλεῦσαι. Idem error infra.

Ibidem. Hinc jocum proverbialem ortam.] Hæc proverbii enarratio apud Heſychium (cui illam adſcribit) nuſquã apparet: ut præcedente adnotatione oſtendi.

In loco, Longævitas. Proverb. Tithoni ſenecta. p. 455. Τιθωνοῦ γῆρας.] Quem uſum habeat hoc adagium, & utram in partem accipiatur, in ambiguo relinquit, quum tamen Euſtach. aperte dicat, ἡ δὲ παροιμία ἐπὶ δυστυχῶν γερόντων τίθησι Τιθωνοῦ ὄνομα, id eſt: Proverbium autem de infelicibus ſenibus Tithoni nomen uſurpat. Quum tamen vivacitatis duntaxat habetur ratio, male ſonare non videtur. unde & illud ab aliquo bene precante alii, prolatum, καταγηράσειας Τιθωνοῦ βαθύτερον.

In loco, Modeſtia. Proverb. In tuum ipſius ſinũ inſpue. p. 5[illegible]. Siquidem qui carpit aliena, ſpe quadã improba peccat; quaſi ſperet ſibi nihil ſimile à quoquam opprobrari poſſe.] Ita novo quodam modo ſpem exponit, ut Plinii dictum à proverbio quod modo poſuit, & ab ejus ſententia non abhorrere putetur. At nihil neceſſe eſt: quum ſimpliciter accipiendo ſpẽ in ſua ſignificatione, plane hoc quod ait Plinius, cum proverbii præcepto conveniat. ut apertiſſime oſtendunt hæc Libanii verba in epiſtola 191. quæ eſt ad Modeſtum: ἐμὲ μὲν τὰς χελιδόνας κινεῖ. ἀλλ' εἰσὶ καὶ λοιπαί, πτύω δὲ εἰς κόλπον, τῇ παροιμίᾳ πειθόμενος. Ergo modo ob hanc, modo ob illam cauſam nos in ſinum jubemur deſpuere. Sane quidem. Quinetiam hoc addere debuit Eraſmus, nonnunquam in ſinum ſuum deſpuere, non eſſe invidiam vitare volentium, ob ullam ex iis rebus quæ hic referuntur, ſed irridentium duntaxat. Sic Tibul. lib. 2. eleg. 2. de ſene amatore loquens, ancillam charæ puellæ in medio foro detinente,

Hunc puer, hunc juvenis turba circumſtitit arcta
Deſpuit in molles & ſibi quiſq; ſinus.

Sic & apud Theocritum puella quædam ex urbe ruſticum quendam à quo amabatur deridens, interim dum illi deformitatem, graveolentiam, aliaque exprobrans, in ſinum ſuum deſpuit; idque ter, ſcribit enim:

Τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.

Quæ particula Ter hic à Tibullo eſt omiſſa, ut videmus, ubi irridentes pueros in ſinum ſuum deſpuentes facit: at in eadem, ubi declarat quomodo magæ cantibus ſit utendum dicit:

Ter cane, ter dictis deſpue carminibus.

Ubi an intelligendũ ſit, Deſpue in tuum ſinum, aliquis fortaſſe roget. Plinius quidem certe deſpuere & ipſe abſolute dixit, ſcribens Eadem ratione, terna deſpuere deprecatione in omni medicina mos eſt. At Lucianus Chaldæum quendam facit μετὰ τὴν ἐπῳδὴν (id eſt dictis carminibus ut loquitur Tibullus) deſpuentem ter in faciem non ſuam, ſed ejus propter quem dicebat carmina.

In loco, Libertas. Proverb. In vino veritas pag. 450. Quæ vero nunc ſequuntur, non prius audieris.] Hæc eſt Marſilii Ficini interpretatio: in qua eum Alcibiadis verba ita detorſiſſe & Eraſmum, quum eam mutuaretur, id non perſpexiſſe, ſummopere miror. Hic enim eſt ſenſus eorum manifeſtum. Quod autem ſequitur, ex me non audiſſetis, niſi primum quidem (ut vulgo ajunt) vinum & ſine pueris & cum pueris eſſet veridicum. At in illa interpretatione ita vertuntur hæc verba, οὐκ ἄν μου ἠκούσατε ac ſi idem valerẽt quod οὐκ ἀκουστέον μου εἰ μὴ πρῶτον μὲν τὸ λεγόμενον, quaſi idem ſignificarent quod ἐὰν μὴ πρότερον λέξω, οἶνος, &c. aut, ἐὰν μὴ πρότερον φέρωμαι: vel εἰ μὴ τὸ λεγόμενον: extrinſecus addendo hunc conjunctivum. Atqui ſequitur ſtatim poſt ἦν τό, ad quod tendere hoc πρῶτον manifeſtum eſt.

In loco, Contemptus & vilitatis. Proverb. Etiam corchorus inter olera. p. 134. Dici ſolitum in homines, &c.] Cur potius in malam partem uſurpetur hoc proverbium, quam in bonam, non ſatis perſpicio. Negaverit enim, ut opinor, nemo, quin hoc ſonent ipſa proverbii verba, latius explicata: Etiam corchorus, quantumvis ſit amarus, inter olera numeratur. aut, in olerum numero habetur. aut, oleris nomen obtinet. vel alia forma. Ne corchoro quidem, quantumlibet amaro, oleris appellatio denegatur. aut: Ne corchorum quidem ſua amarities ab olerum numero ſegregavit. Quod ſi hic eſt verborum ſenſus, aptiſſime profecto etiam in bonam partem uſurpabitur: veluti ſi de eo quem cæteris longe inferiorem aliqua in arte vel ſcientia eſſe fatebimur, ita tamen, ut inter ejus generis artifices cenſeatur, dicamus: Etiam corchorus eſt de olerum numero, id eſt: Hic, qualis qualis eſt, ita locum habet inter ὁμοτέχνους, ut corchorus inter olera. Sic de Chœrilo quopiam loquentes, ſi velimus ſignificare, eum, quantumvis abjectus & contemptus ſit præ aliis, de poetarum tamen eſſe grege: dicemus, Etiam corchorus inter olera. vel ſic: Etiam Chœrilo inter poetas, ut corchoro inter olera ſuus eſt locus. aut: Ut corchorus inter olera, itidem Chœrilus inter poetas locum habet. Quod dictum & elegantius redderetur, & apertius ita dilatatum: Ut in olerib. non craſſicæ ſoli locus eſt, aut malvæ, aut aſphodelo, aut lapatho, verumetiam corchoro: ita in poetis non Homero ſoli locus eſt, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, ſed etiam Chœrilo. Quod ſi ab olerib. ad legumina comparationem transferre libeat, non minus proverbialem formam præ ſe

Ferei

ſtet tua oratio. quin etiam proverbium habebis plane ſimile ad hujus veteris exemplar, ſi leguminis omniũ amariſſimi nomen ponas, ut omniũ olerum amariſſimi corchori vides in eo poſitum eſſe nomen. nimirum ſi ita loquaris: Etiam lupinus inter legumina. Quod dilatari & ipſum ſic poterit: Quemadmodum non faba tantum, vel piſum, vel lens, leguminum nomen obtinent, ſed id lupino cum illis commune eſt. ita etiam, &c. Ex his, ut opinor, ſatis apparet alium eſſe hujus adagii uſum, quam Eraſmus ſcribat: videlicet dici in homines nullius precii, qui tamen in numero aliquo ſtudeant haberi: quaſi videlicet hoc modo efferetur adagium. Etiam corchorus vult haberi inter olera, vel ſtudet, aut cupit haberi. Quæ oratio longe diverſa eſt ab hac. Etiam corchorus eſt inter olera: vel de olerum numero. Cæterum hoc quoque obiter adnotabo, legendum eſſe λαχανώσει: ut ſit anapæſticum dimetrum catalecticum.

Deinde corchorum attigimus.] Vertit, ἥψαμεν ὦ κόρχορε, corchorum attigimus: quaſi ἥψαμεν ſit ab ἅπτω, qui idem ſignificet quod ἅπτομαι, id eſt tango: quum ſit à verbo ἕψω, id eſt coquo. Sed impoſuiſſe Eraſmo videtur genitivus, cujus non animadvertit eundem eſſe hic uſum qui eſt in illa phraſi, πιεῖν τοῦ οἴνου.

In loco, Aſperitas. Proverb. Ferreus. pag. 70. Ferrea vero ignis venit in præcordia virtus.] Non illud ſonant Homerica verba, ſed hoc: Ferream vero ignis vim immiſit (Achilles videlicet) in rogum Patroclo extructum, non in præcordia. Ignem autem ferreum intellige eo ſenſu, quo indomitus Latine appellatur. ut autem ſervari poſſet illa interpretatio: verſus non ſtaret: quum venit, in præterito priorem producat ſyllabam.

In loco, Riſus. Proverb. Ajacis riſus. pag. 622. Maximos ſues.] Κριούς, id eſt, arietes, interpretatus ſues, per incogitantiam, ut opinor: ſicut alibi κάπρον hircum. Accepit autẽ hæc ex Zenobio, apud quem legitur, δύο δὲ μεγίστους κριοὺς &c. Zenobius autem ex Sophocle: occiſos tamen dicens, δύο δ' ἀργίποδας κριοὺς ἀνελών. Cæterum Zenobius Agamemnonem & Menelaum facit illos arietes: Ajacis quidem opinione: at Sophoclis ſcholiaſtes ait: Fortaſſe unum quidem exiſtimabat eſſe Ulyſſem, alterum autem Neſtorem aut Menelaum. Eraſmus, ut vides, neutrum ſequutus eſt.

In loco, Fortunæ commutatio Prover. Omnium rerum viciſſitudo eſt. p. 261. Nec animus idem, &c.] Unum Græcum vocabulum πνεῦμα, duobus Latinis reddidit, animus & flagrantia vel, ut in alia editione, fragrantia. quum nil tale ſignificet, ſed metaphorice accipiatur: eo modo quo apud Latinos interdum Aura.

In loco, Tempeſtiva. Proverb. Noſce tempus. p. 687. Huc alluſit Theocritus.] Non intelligo qualis iſta eſſe poſſit alluſio: nam de duobus florũ generibus Polyphemus loquens amicæ apud Theocritum ait: Sed unum æſtate, alterum hyeme naſcitur: quare utrunque una tibi adferre non poſſem. Quid hoc pertinet ad iſtud apophthegma proverbiale. Noſce tempus: quo inclinationes rerum & momenta temporum (ex quibus rerum agendarum occaſiones pendent) obſervare jubemur.

Ibidem. Verum alia æſtive, &c. γίγνεται ſignificat hic non, fiunt, ſed, naſcuntur. quod ſi Eraſmus conſideraſſet, nequaquam, ut opinor, alluſum eſſe ad proverbium, dixiſſet.

In loco, Libertas. proverb. De plauſtro loqui. pag. 449. Alluſit huc opinor, Ariſtophanis.] Ne hic quidem dixiſſet alluſionem eſſe ad hoc proverbium, ſi propius Ariſtophanis locum inſpexiſſet. In eo enim chorus hæc dicit ἀλλαντοπώλῃ, verbis adverſus Cleonem velitanti. qui quum orationi ſuæ vocabula quædam adhibuiſſet minime abjecta, ſed graviſſima & ſignificatiſſima, & ea quidem ab arte τῶν ἁμαξουργῶν, id eſt carpentariorum, tranſlata: chorus metuens, ne ἀλλαντοπώλης, hujuſmodi vocum inopia, Cleone in hac velitatione diſcenderet inferior, illum ita loquitur. Οἴμοι, σὺ δ' οὐδὲν ἐξ ἁμαξουργοῦ λέγεις: q. d. Tu quoque quemadmodum & Cleon, ex carpentariorum officina verba grandia non depromis. Verba autem metaphorica quibus utebatur Cleon, ſunt hæc, πηκτούμενα, γομφούμενα, κολλώμενα, quæ nihil minus quã convicioſa ſunt, aut ad conviciandum prolata. Ergo quovis potius hic alluſit Ariſtophanes, quam ad proverbium de quo nunc agitur, quod ſummam in conviciando indicat licentiam. Ego certe illum aut ad nullũ, aut ad hoc reſpexiſſe proverbium, οὐδὲν ἐξ ἀρχῆς λέγεις, quum ſcriberet, οὐδὲν ἐξ ἁμαξουργοῦ λέγεις, & non aliunde quam hinc tam feſtivam loquendi formulam mutuatum eſſe, mihi perſuadeo.

In loco, Penſatio beneficii. Proverb. Fricantem refrica. p. 569. Si pro, λάβε τι, legas λάμβανέ τι.] Imo vero legendo λάμβανέ τι, nihilo melius conſtabit quam antea. oportebit enim in λάμβανε mediam ſyllabam produci: quod plane eſt inauditum, nec ullo, ut opinor, veteris poetæ exemplo defendi poteſt, in verſu cujus non ſit ſuſpecta lectio. Legendum ergo potius, λάβοις τι σύ. quam lectionem apud Stobæum aliquando reperiſſe mihi videor. Ipſe Eraſmus antea ſcripſit λάβοις τι, recte, ſi addidiſſet σύ. quod pronomen non caret aliqua gratia & emphaſi, quantum judicio: & cum eo plenus eſt verſus trochaicus catalecticus.

In loco, Similitudinis. Proverb. Æqualem uxorem quære. pag. 645. τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα.] Mirum eſt hunc errorem apud omnes propemodum invaluiſſe, ut cum Eraſmo hanc Græcam orationem τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, putent Latine ad verbum interpretatam, ſonare, Æqualem tibi uxorem ducito: ſubaudiendo videlicet accuſativum γυναῖκα. Hoc enim exiſtimare abſurdum eſſe, legentibus quę dicam, perſuaſurum me ſpero. Hæc verba quum Eraſmus ita interpretatur, Æqualem tibi uxorem ducito, perinde eſt ac ſi iſtud proverbiale dictum, σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει, Latine ita redderet: Uxorem nactus es, hanc inſtitue: vel hanc tuo modo rege. Atqui hoc eſſet (dixerit aliquis) non ipſum proverbium interpretari, ſed ejus uſum & accommodationẽ oſtendere. nam nomen uxorem, in proverbio non reperitur, ſed Spartam. Nimirum nec in hoc de quo nunc agitur. reperitur Uxorem ſed Turbinem. Quum enim pueri hæc verba inter ludendũ alii aliis inclamitarent, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, id eſt, Eum qui ſecundum te eſt verſa, ex re præſenti, videlicet ſubaudiebant accuſativum βέμβικα, id eſt, turbinem. Nec vero quod Pittacus puerorum dictum de eligendo turbine, locum habere in eligenda uxore voluerit, ideo verba eorum idem quod antea ſignificare deſierunt. Nec Callimachus his verb. quib. ſuum epigramma claudit, ὅ τοι καὶ σὺ Δίων τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, aliud ſignificat quam, Itidem & tu Dion turbinem eum qui ſecundũ te eſt verſa: ſi nuda verborum proferatur interpretatio. ſed ea ad propoſitũ accommodando, ſenſus eorum eſt: Eam quæ ſecundũ te eſt, in uxorem ducito. Quæ verba qui tanquam ſimplicem Greci proverbii interpretationem ponit, eo magis reprehenſionẽ meretur, quod anguſtiſſimis finibus includit illud dictum quod latiſſime patere, & ad quam plurima accommodari poteſt. Nam quemadmodum ad amicum Dionem ſcribam, Quod attinet ad duas illas puellas, quarum tibi datur optio, utram velis in uxorẽ ducere, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα: ita etiam ad alias ejus literas reſpondens, dicere poſſũ, Quod ſcribis te incertũ eſſe, hancne an illam capere debeas provinciã τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, Itẽ, quod ſcribis ut tibi dem conſilium, vitamne aulicam an illam alterã amplecti debeas ad pueros te remitto, dicentes, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. Item: Jam binas à te literas accepi, in quibus me conſulis de eligenda, in qua ſtylum exerceas, materia: illud puerorum dictũ, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, optimũ tibi conſiliũ fore exiſtimo. Ad alia denique permulta hæ puerorum voces eleganter accomodari poſſunt. Sed eſto, non alia eſſe eorum uſus exempla, quam quæ hic ponimus: ſaltẽ eadem ratione qua dicentur ſignificare, Æqualem vel convenientem tibi uxorem ducito: ſignificare dixero & hæc, Materiã tibi convenientem ſume: Provinciam cui ſis idoneus cape: Vitæ genus tibi congruum, ſequere. Sed nemo eſt, ut opinor, qui nõ ſtatim his expoſitionib. (ſi in-

ſi interpretatione appellentur, reclamaturus ſit: Nam ut poſſemus ita interpretari, dicendum foret, in articulo τὴν quemlibet horum trium accuſativorum ſubaudiri, ἀπὸ θεῶν, ἐπιμέλειαν, ζωὴν (quoniam cum τὴν nõ conveniret βίον, alioqui locum hic potius habens.) at has phraſes, ἀπὸ θεῶν ἐλαύνειν, vel ἐλᾶν ἐπιμέλειαν, ἐλαύνειν, ζωὴν ἐλαύνειν, quibus niſi plane ferreis auribus audire poſſemus? Quid? iſta, γυναῖκα ἐλαύνειν, pro γυναῖκα ἄγεσθαι, minuſne dura nobis cenſebitur: Nec vero tot verbis opus eſſe ad refellendam hanc interpretationem exiſtimaſſem, niſi Eraſmum tantam illi authoritatem dediſſe animadvertiſſem, ut paſſim à viris etiam non indoctis recipiatur. Cæterum quod attinet ad illa duo verba κατὰ σαυτὸν quomodo duobus Latinis apte exprimi poſſint, ignorare me fateor: ac vereor ut præpoſitio Secundum, qua uſus ſum, parum ſit Latina: & tamen quam per catachreſin (ſi aliter non poſſumus) uſurpare potius debeamus, non invenio.

Σοφόν, id eſt: Sapientis eſt, uxorem, &c.] Duo ſunt quæ aperte repugnant huic interpretationi: unum, quod κατὰ σαυτὸν accipiendum eſſet pro καθ' ἑαυτὸν, novo plane modo: non ſecus quã ſi quis Latine Te aut teipſum, pro Se aut ſeipſum uſurparet: alterum, quod ἐλᾶν pro ἄγεσθαι intelligendum foret. Legendum eſt ergo apud Plutarchum ἔλα, non ἐλᾶν, nec ἐλῶν: & ita interpretanda ejus verba: Nam dictum illud. Eum qui ſecundum te eſt, verſa, ſapiens eſt. De his autem verbis, τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, vide proxime præcedentem annotationem.

In loco, Taciturnitas. Proverb. Ne gry quidem p.674. Μηδὲ γρῦ φθέγξεται.] Satius videtur proverbium efferre ſine verbo φθέγξεται, hoc modo. Μηδὲ γρῦ: vel, οὐδὲ γρῦ. quia nõ tantum ad verba refertur, verumetiam ad res: ideoq; nõ jungitur duntaxat cum verbis loqui ſignificantibus, ſed & cum aliis. Julianus Imperator in oratione ſcripta ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ: ὁ γάρ τοι καλὸς Κωνστάντιος ἐκληρονόμησεν αὐτὸς τὴν ἐμοῦ τὴν πατρῴαν οὐσίαν ἅπασαν, ὥστε ὅπερ ἔφην, οὔτε γρῦ μετέδωκεν αὐτῆς. Athen. lib. 8. [illegible] μηδὲν εἰς πλεῖν, μηδὲ γρῦ.

In loco, Contemptus. Proverb. Dignus pilo. pagin. 742. ἄξιος τριχός.] Ita quidem legitur apud Zenobium: ſed fortaſſe mendoſe, pro, οὐδὲ ἄξιος τριχός: vel οὐδὲ τριχὸς ἄξιος: id eſt, Ne pilo quidem dignus. Ita enim uſurpatur ut frequentius, nec minus de rebus quam de perſonis: ut οὐδὲ τριχὸς ἄξιον τοῦτο. Ariſtophanis etiam locus negationem admittet, ſi ita mutetur orationis forma: Ne pilo quidem dignum furatus ſum quicquam: alioqui mori velim.

In loco, Dignitatis. Proverb. Dignus qui cum in tenebris mices. pag. 181. κ' ἀνάμοτες πτέσθαι &c.] Paſſivo πτέσθαι hic utendum erat: [illegible]

In loco, Inconſtantia. Prov. Altera manu fert lapidem, altera panem oſtendat. pag. 547. Manu ſcabat caput.] Verte potius, demulceat caput, nam ſcabere caput magis proprie dicitur: κνᾶν [illegible]

In loco, Fortunata ſtultitia, Proverb. Athenienſiũ inconſulta temeritas, pag. 265 ἡ τῶν Ἀθηναίων δυσβουλία.] Cur δυσβουλίαν, utrobique reddiderit inconſultam temeritatem, & cujus diſcriminis gratia adjectivum inconſultam addiderit, non perſpicio. ſed perinde mihi videtur eſſe, ac ſi quis ſtultam amentiam, aut amentem ſtultitiam dicat. Nam inconſultus ac temerarius ad majorem expreſſionem, ut ſynonyma, copulantur. An ergo interpretari oportet, Athenienſium temeritas, omiſſo illo adjectivo? Ne ſic quidem recte, meo judicio, Græcam vocem reddideris. Periculum eſt enim, ne quis Athenienſes de rebus ſuis non conſultare, ſed inconſulto & ſine ullo conſilio (id enim proprie ſonat temere) eos ſolitos agere intelligat, quum contra nullos magis de illis conſultare ſolitos conſtet: ſed nequaquam prudenter. Unde vertendum cenſuerim, Athenienſium ſiniſtra conſilia, aut perverſa conſilia. ut ſit δυσβουλία, pro κακοβουλία.

In loco Arrogantia. Prover. Tollere cornua p. 60.] Aliud eſt, Cornua ſumere: aliud, Cornua tollere. Nam cornua ſumit qui non habet: id eſt, per metaphoram, animos & ferociam ſumit. At cornua tollere dicitur ab Horatio, non qui ferociam accipit, ſed qui, tanquam cornuta beſtia (unde apud Plautum, Cornutam beſtiam petis) cornibus eos à quibus laceſſitur, ferit.

Ibidem Ariſtophanes in Pace dixit.] Imo ſine ulla metaphora hoc dicit.

In loco, Rixoſus. Proverb. Litem movebit ſi vel aſinus canẽ momorderit. p. 623.] δίκην ὑπέχειν non ſignificat litem movere, ſed pœnas dare. ac ut male accepit hoc loquendi genus, ita & participiũ συκοφαντουμένων, quod eſt apud Suidam & Zenobium. putavit enim uſurpatum eſſe in voce media pro συκοφαντούντων, & inde contrariũ huic proverbio dedit ſenſum, ſuæ videlicet interpretationi congruũ. nam ἐπὶ τῶν ἐπὶ μικροῖς συκοφαντουμένων, ſignificat, De iis quibus ob res parvi momenti ſtruuntur calumniæ. Puto præterea trajecta eſſe verba, [illegible] ὄνος δάκῃ κύνα ὑφέξει. ut ad eundem nominativum [illegible] ratur utrunque verbum. Sic alicubi memini me legere trajectam orationem, in qua eſſet particula κἄν. Hoc autem ſequendo verborum ordinationem videri poſſet ad quandam Draconis legem eſſe alluſum, qua & in bruta animadverti volebat.

In loco, Intempeſtiva, Proverb. Anus hirciſſans p. 419.] Sic & paulo poſt vertit, Anus capriſſantis, deceptus vocum in diverſis linguis affinitate. quaſi κάπρος is eſſet Græcis, qui à Latinis dicitur caper: quum illi contra appellent τράγον hircum, ſive caprum: at κάπρον, aprum.

In loco, Ultio malefactis. Proverb. Ibyci equus. p. 714. In proverbium abierunt; quod dici conſuevit, quoties.] Plutarchus ſequentem hiſtoriam ſuo de loquacitate ſermoni accommodat: nec ex ea probare vult, quod Eraſmus hic ait, ſed homines plerunq; ſua loquacitate ſibi magna mala accerſere quod & aliis hiſtoriis ante confirmaverat. Hanc vero narraturus, ita præfatur: Qui autem Ibicum interfecerant, nonne ita comprehenſi fuerunt, dum in theatro ſederent? Et poſtquam narravit, addit: ἐλεγχθέντες οὖν οὕτως ἀπήχθησαν, οὐχ ὑπὸ τῶν γεράνων κολασθέντες, ἀλλ' ὑπὸ τῆς αὐτῶν γλωσσαλγίας ὥσπερ ἐρινύος ἢ ποινῆς, εἰς τὸ ἐξαγορεῦσαι τὸν φόνον id eſt, Convicti autem ad ſupplicium ita ducti fuerunt, non à gruibus puniti, ſed à ſua ipſorum garrulitate, tanquam Erynni aut Pœna ad cædis confeſſionem adacti. Ubi obſervandum eſt, Plutarchum narrationem ipſam velut per parentheſim ponere: jam quum dixiſſet, οὐχ οὕτως ἑάλωσαν: ſubjungit ἐλεγχθέντες δὲ οὕτως ἀπήχθησαν. adeo ut per interrogationem totus ſermo contineatur, hoc modo, Ibyci autem interfectores nonne ita comprehenſi fuerunt, in theatro ſedentes? quum gruibus conſpectis, &c. nonne convicti abducti fuerunt ita, nõ à gruibus puniti, &c. Intelligendum eſt autem, Ita capti & ita tracti ad mortem, quemadmodum ii quibus ſuam loquacitatem mortis cauſam attuliſſe oſtenderat: ac præſertim is de quo proxime mentionem fecerat ſacrilego. At Eraſmus, quum vertit, Atque ita velut gruum indicio pœnas Ibyco dederunt, longe a ſenſu horum Plutarchi verborum diſcedit, ἐλεγχθέντες δὲ οὕτως ἀπήχθησαν, οὐχ ὑπὸ τῶν γεράνων κολασθέντες. Quin tamen & ad vindictæ divinæ mirabile exemplũ accommodari poſſint Ibyci grues, inficias non eo. vix enim ullum illuſtrius in profanis ſcriptoribus reperitur. Unde cum alii Chriſtiani ſcriptores hanc citaverunt hiſtoriam ad probandam divinam providentiam, tum vero Nemeſius, qui quum dixiſſet: Quinetiam punitio quæ delicta conſequitur, vel potius ipſorum delictorum patefactio, quando accidunt quædã per quæ ea produntur, quum alioqui à nemine redargui poſſint, providentiam eſſe declarat. quum, inquam, hæc dixiſſet Nemeſius, ſtatim addit γέμει δὲ τῶν τοιούτων ἱστοριῶν ἥ τε τῶν Ἑβραίων γραφὴ καὶ τὰ παρ' Ἕλλησι συγγράμματα. τοιοῦτο γὰρ ἐν μὲν τοῖς γραφεῖσι καὶ τὸ Συνειπεῖν παιδός ἐν δὲ τοῖς ἑτέροις αἱ τοῦ Ἰβύκου γέρανοι [illegible]. Sed hoc animadvertendum eſt, aliud eſſe, verba hæc citare, Ibyci grues reſpiciendo ad totam hiſtoriam: aliud autem, ſi quis non ulterius quam ad hæc verba reſpiciat, Ibyci ultrices adſunt: vel Ecce Ibyci vindices, quæ ab interfe-

[illegible] ſtoribus effutita, per jugulum illis redierunt. Græca verba ſunt apud Nemeſium, ἰδοὺ αἱ ἡμέτεραι ἴϋγγες· apud Plutarchum, αἱ ἴϋγγες ἐκδίκοι πάρεισιν. unde corrige fœdiſſimum in Suidæ vulgatis editionibus mendum, in hujus hiſtoriæ narratione, pro ἀδίκους reponens ἐκδίκους.

In loco, Malum acceſſitum. Proverb. Cicadam ala corripuiſti, p. 489. Dicitur in eos, qui quempiam provocant, &c.] Nimirũ generalis foret hæc expoſitio, & huic proverbio communis cum illis, ἐκ πτεροῦ ἀνάγειρε, ἀνάγυρον κινεῖς. Eum igitur cicadam ala prehendere dicamus, qui aliquem ad id incitat & inſtigat, ad quod ſua ſponte & ſine ulla inſtigatione plus ſatis promptus paratusq; eſt. Quia cicada natura quidem ſua garrula eſt, ſed quum ala prehenditur, tum vero multo vehementius perſtrepit.

In loco, Fruſtrata ſpes. Proverb. Theſaurus carbones erant. p. 169. ἄνθρακες ὁ θησαυρὸς πέφυκεν.] πέφυκεν ſignificare non poteſt, erant, ſimpliciter: & depravatum eſt apud Zenobium pro πέφηνεν. quod legebat apud Lucianum pro πέφυκας.

In loco, Temeritas. Proverb. Illotis pedibus ingredi. pag. 684. ἀνίπτοις ποσὶ ἀναβαίνειν.] ἀναβαίνειν non ſignificat ingredi, id eſt, incedere aut intrare: ſed aſcendere: Nec proverbium neceſſario effertur cum hoc verbo, non magis quam cum ἥκειν, aut ἐπιπηδᾶν, aut alio hujuſmodi: ſed proverbialia verba ſunt, ἀνίπτοις ποσὶν: ut &, ἀνίπτοις χερσὶν: quibus authores, prout viſum eſt, hoc vel illud verbum accommodant. Unde igitur illud ἀναβαίνειν, Eraſmus ſumpſit? Nimirum ex proverbio quod integre ita effertur, ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τέγος. id eſt: Illotis pedibus conſcendens tectum. Nam Suidas, poſtquam illis verbis ἀνίπτοις ποσὶν explicationem dedit, ἀνεπιτηδείοις καὶ χωρὶς τινὸς παρασκευῆς (ubi fortaſſe melius legeretur ἀνεπιτηδείως, id eſt, imparato) affert & hæc, quibus ſuam tribuit expoſitionem ſeorſum, hanc videlicet ἐπὶ τῶν ἀμαθῶς ἐπὶ πράγματα καὶ παράξεις ἀφικνουμένων: id eſt, De iis qui imperite ad rem aliquam agendam ſe conferunt. Apud Zenobium autem illud ἀνίπτοις ποσὶν, non ponitur ſeorſum, ſed duntaxat cum his verbis, ἀναβαίνων ἐπὶ τὸ τέγος, cum eadem enarratione quæ & apud Suidam.

In loco, Abſurda. Proverb. Jupiter Orbus. p. 15. Ζεὺς ἄγονος: id eſt, Jupiter orbus.] ἄγονος vulgo recepta ſignificatione non ſonat orbus, id eſt, qui liberos amiſit: ſed ſterilis, non generans, ὁ μὴ γεννῶν. Quod ſi vertas, Jupiter orbus, id eſt, qui liberos amiſit: non video quomodo jactari poterit hoc proverbii in eum qui palam falſa aſſeverat. Quid tum enim ſi Jupiter quam plurimos habuerit liberos, utpote longe mulieroſiſſimus ſalaciſſimusque deus: nonne amiſiſſe omnes potuit?

In loco, Indiligentia. Proverb. Primoribus labiis deguſtare. pag. 364. Quibus in verbis illud nove dictum, quod digito guſtũ, &c.] Imo vero non dixit hoc nove Procopius, nec præter Græci ſermonis conſuetudinem. Sic enim & Julianus imperator in oratione εἰς τοὺς ἀπαιδεύτους κύνας loquutus eſt, dicens: γεύσασθαι τῆς τρυφῆς μηδὲ ἄκρῳ, φασὶ, τῷ δακτύλῳ, ἕως αὐτὴν παντελῶς πατήσῃ. Sic & Lucianus: ſed pro δακτύλῳ, ponens ὄνυχι (quod obiter notandum eſt, ut eo quum opus erit, ad majorem utamur hyperbolem) in dialogo De ſectis: οὐδὲ γὰρ ταῦτα, ἐπείπερ θανατηφόρα ἦν, ἀπεκτείνοι ἄν, εἴ τις ὀλίγον ὅσον ἀκαριαῖον ἀπογεύσαιτο αὐτῶν, ἄκρῳ τῷ ὄνυχι ἀπογευσάμενος.

In loco eodem. Proverb. Summis labiis. p. 364. ἐπ' ἄκρου τοῦ χείλους τοὺς ὅρκους ἔχουσι.] Fallitur hic, eodem pertinere hoc genus loquendi quo illud prius, eandemq; ſignificationem habere exiſtimãns: quum hæ duæ parvæ voculæ ἀπὸ & ἐπὶ, magnum inter ipſa diſcrimen ponant: adeo ut Senecæ quidem ac Hieronymi verba cum priori plane conveniant, cum poſteriori autem minime. Luciano enim hic dicitur ἀπ' ἄκρου χείλους φιλοσοφεῖν, cujus philoſophici ſermones à ſummis labris veniunt, nec habent fundamentum: ut ex altero quod ſubjungit paullo poſt proverbio manifeſtiſſimum eſt (cujus hic mentionem non faciam, quod ei inter prætermiſſa ab Eraſmo proverbia ſuum locum aſſignaverim) & Homeri etiã verſu proxime illa verba, ſequens apertiſſime declarat. At eos ἐπ' ἄκρου τοῦ χείλους τοὺς ὅρκους ἔχειν dicit (id eſt, in primoribus labris juramenta habere) quib. ſemper aliquod in promptu eſt jusjurandum. Sic autem & ἐν τῷ ῥητόρων διδασκάλῳ locus eſt; ἡ τόλμα χρὴ καὶ ἡ ἀναισχυντία, καὶ τὸ ψεῦσμα πρόχειρον, καὶ ὅρκος ἐπ' ἄκροις ἀεὶ τοῖς χείλεσι. Ubi & vocẽ πρόχειρον obſerva. ea enim ſignificatur, quæ paratum & in promptu nobis eſt. quaſi quod manu teneamus, aut velut ad manum habeamus. Ut igitur Jupiter fulmen ſuum πρόχειρον (id eſt, apud eundem ſcriptorem, quod manu tenet) paratiſſimum ſemper habet, quoties jaculari libuerit: ita cui jusjurandum in primoribus labris verſari dicitur, id habere intelligitur veluti πρόχειρον, & maxime in promptu ſimulatq; proferre viſum illi fuerit: adeo ut extemporale futurum ſit. Nam quod eſt in primoribus labris, id in oris eſſe limine, & proinde greſſui proximum videtur. Iam vero quoniam uſu venit aliquãdo, ut quæ egreſſui ſunt proxima, & quæ jamjam videntur exitura, aliquo caſu intro retineantur: hinc fit, ut Plautina phraſi dicamus, etiam in primoribus labris nobis verſari verbum aliquod (Galli noſtri dicuntur habere in extrema lingua) quod parum abſit quin proferri poſſimus, & cujus quædam veluti veſtigia memoriæ adhuc habeamus impreſſa. An vero & hoc modo uſurpetur Græcis ἐπ' ἄκρου χείλους, neſcio: Luciano quidẽ certe ſignificare id quod dixi, alter quem ex eo protuli locus ſatis, vel me tacente, oſtendit. Nec iſtud dubium eſt, quin ut ὅρκον, itidem hoc vel illud dicatur aliquis ἀεὶ ἐπ' ἄκρου τοῦ χείλους, vel ἐπ' ἄκροις τοῖς χείλεσιν ἔχειν.

In loco, Contemptus & vitalis. Proverb. Non eſt curæ Hippoclidi. p. 140. A veritate deſultavit, dicere.] εἰπεῖν ἄν, valet dicturus eſſe: non dicere. Sed nec iſtam interpretationem, A veritate deſultavit, probo.

In loco, Dignitatis & excellentiæ. Proverbio, Monſtrari digito. pagin. [illegible]4. Natum videri poteſt, &c.] Quomodo hinc natum eſſe, quum ab Æſchylo tot annis ante uſurpatum fuerit? Adi ejus Agamemnonem, pag. 217. meæ editionis.

In loco Bonæ fortunæ. Felicitatis. Prov. Cyclopica vita. p. 105. Κυκλώπειος βίος.] Interpretatur hoc proverbium de vita vehementer effera ac barbara: βίον, id eſt vitam accipiens pro vitæ inſtituto ac moribus. ideoq; proverbii explicationẽ ex illis Homeri verſibus petens, in quibus eorum vitæ genus agreſte ac ferum deſcribit. Atqui βίος hoc in proverbio non ita accipitur, ſed ut in illis. βίος μιμηλαγυρτικὸς, βίος ἀλήλατος, item: ἄσπερμος βίος, pro victu videlicet. & ita veteres intellexerunt, non ad illos Homeri verſus reſpicientes, ſed ad hos:

> οὔτε φυτεύουσιν χερσὶν φυτὸν, οὔτ' ἀρόωσιν.
> ἀλλὰ τάγ' ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύονται.

Unde & ab Euſtathio Cyclopica vita exponitur beata & laboris expers, in ſuis Dionyſium τὸν περιηγητὴν commentariis, pag. 110. noſtræ editionis. Strabo quoque ad illum verſum ἀλλὰ τάγ', &c. Cyclopicæ vitæ appellationem refert. apud quem tamen non reperias quod Eraſmus ab eo dici ait, nimirum hoc vulgo jactatum in Albanorum gentem. ſed cum dixiſſet eos exercitum in Albanorum regione duxiſſent, commemorare ibi ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα πάντα φύεσθαι (quod videlicet Homer. de Cyclopibus ſcripſit) addit, illos Cyclopeam quandam narrare vitam: id eſt, Albanorum vitam appellandam eſſe Cyclopicam, ſi vera ſint quæ de iis narrant illi: utpote talem, qualem Homerus Cyclopibus tribuit. Quin etiam Cyclopicam vitam appellari beatam ocioſam, & omnis laboris expertem, hinc apparet, quod illa ipſa verba quæ modo protuli, ab Homero de illis uſurpata, in proverbium de hujuſmodi vita abierint. Lucianus De mercede ſervictib. ἀτεχνῶς γὰρ ἄσπορα καὶ ἀνήροτα τοῖς ποιηταῖς τὰ πάντα φύεται. Jam vero cur κυκλώπειος βίος de vita efferata ac barbara potius in proverbium abiiſſet quam λαιστρυγόνειος βίος, quũ ſimilẽ utriſq; idem poetã

iti-

tribuat barbatiem? Quin tamen Cyclopicam vitam, ut & Leſtrigoniam, uſurpare poſſit aliquis pro agreſti & barbara, non nego: ſed quomodo veteres uſurpaverint, ad illum Homericum verſum reſpicientes, declaro. Nam Max. Tyrius alio reſpiciens, & proverbialem uſum non ſpectans, Cyclopicam vitam de ſolitaria uſurpavit.

In loco, Morum contagio. Proverb. Corrumpunt bonos mores. pag. 517. Corrumpunt bonos mores colloquia prava.] Qui hic ὁμιλίας interpretantur colloquia, non plenam Græci proverbii ſententiam reddere, ſed eam velut reſtringere mihi videntur. Non dubito enim, quin Menander ſenſerit, mores bonos corrumpi, non ſolum colloquendo cum improbis hominibus eorumq; dicta audiendo, verumetiam facta cernendo: præſertim cum improbos probis ſuo exemplo multifariam nocere, etiam prorſus tacentes, quotidiana experientia ſatis probet. Accipiendam igitur alteram ſignificationem hujus vocis ὁμιλίαι cenſeo: ut intelligamus, converſatione cum improbis eos qui alioqui ſint bene morati, corrumpi. Niſi forte exiſtimet aliquis interpretandum aliter nomen ὁμιλία hoc in verſu, quam verbum ὁμιλεῖν in illo ad eandem pertinente ſententiam: Κακοῖς ὁμιλῶν κ' αὐτὸς ἐκβήσῃ κακός. apud Theognin, item, quum ſcribit:

ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλει. ——

Dixerat autem paulo ante:

——κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει ... ἀνδράσιν. ——

Sed qui hoc exiſtimabit, qua ratione moveri poſſit, alii viderint. Cæterum & hoc obiter annotabo, me (dum pater meus Novum teſtamentum Græcum excuderet) in margine unius veterum exemplarium quæ habebat, legiſſe è regione hujus loci Pauli, μὴ πλανᾶσθε· φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί hæc paucula verba, τὸ χρηστὰ, αὐτὶ τοῦ χύφα τίθεικεν. Ibidem ſcriptum eſt. Μενάνδρου τοῦ κωμικοῦ γνώμη ἐν Θαΐδι.

In loco, Dignitatis. Prov. Pedibus trahere. p. 187. Pedibus trahere, eſt rem pro ſuo arbitratu verſare.] Hoc dixit, quia legebat apud Ciceronem, Per me pedibus trahuntur: &, Per me, trahuntur, accipiat pro, Ego traho, Sed ...ahantur, legi debere, & per me, alia ſignificatione accipi, in meis in Ciceronem caſtigationibus oſtendi.

In loco, In ſtupidos. Prover. Naribus trahere. p. 405. Et volentem & mento trahens.] Non mento trahens, ſed barba trahens, interpretari debuit. quam enim λαβὴν præbet mentum? Nempe eum decepit illa quam falſo imaginabatur ab equis metaphora.

In loco, Infortunii Prov. in lapidicinas. p. 374.] Εἰς λατομίας. Mutilavit adagium Eraſmus: & male (ac ſine authore, ut opinor) in claſſem retulit illorum, ἐς κόρακας: & ἐς τὴν μακαρίαν. nam integrum proverbium eſt apud Suidam: ἀπαγέ με εἰς τὰς λατομίας. id eſt: Abducito me in latomias, quæ verba dicta Dionyſio à Philoxeno (mallem te in latomias iterum abduci, quam cogi laudare ejus poemata) in proverbium abierunt. Id autem iis quadrat, qui paratos ſe ajunt quidvis potius perpeti, quam ut ad hoc vel illud indigne adigantur. ut Philoxenus à ſeipſo impetrare non poterat, & animo ſuo imperare, ut tyranno aſſentaretur.

In loco, Contra, Proverbio, In puteo conſtrictus. pag. 151. τὰ δὲ χρέα &c.] τὰ χρέα non recte interpretatur. ita enim ſumitur, ut in iſto genere loquendi: οὐκ ἔχων τὰ χρήσιμα τοῖς παροῦσι.

In loco, Deprecantis. Proverb. Deprecantis. p. 164. Quod qui rerum civilium ſunt peritiſſimi, &c.] Alius Græcorum verborum eſt ſenſus, nimirum: Qui ex politicis, vel inter politicos excelſiſſimo ſunt animo præditi. Nam μέγιστα φρονοῦντες non ſignificat peritiſſimi, ſed maxime elato animo vel excelſo ſupra alias animi præditi: nec πολιτικῶν μέγιστα φρονοῦντες regitur: nec eſt neutri generis, ut nominativus ſit πολιτικά, id eſt, res civiles: ſed eſt genitivus partitionis, ut Grammatici loquuntur maſculini generis: nominativum habens: πολιτικοί, id eſt, rerum civilium periti.

In loco, bona fortuna. Proverb. Bos ad præſepe. p. 103. βοῦς ἐπὶ φάτνῃ.] In emeritos, & ob ætatem ocio vitæq; molliori indulgentes, dici putat hoc adagium, quod exiſtimet idem eſſe cum illo, βοῦς ἐν αὐλίῳ. Qua in re falli eum, non obſcurum eſt. neq; enim admittebatur bos ad præſepe tum primum quum conſenuiſſet, ſed in juventute perinde ac in ſenectute edebat ἐπὶ φάτνῃ, id eſt, in præſepi. Ita enim vertere malo, quam Ad præſepe: ne ambiguitas ulla ſit: quū Ad præſepe ſonet potius ἐπὶ φάτνην veluti ſubaudito verbo aliquo motus, aut participio. Porro nec verba hæc, βοῦς ἐπὶ φάτνῃ, proverbialia eſſe, nec talem ſenſum habere apud Philoſtratum; dicturus erat, meo quidem judicio, ſi quo eſſet ab eo alluſum, intellexiſſet. Is enim Agamemnonis cædem deſcribens, alludit ad Homeri verba, vel potius ea uſurpat, quæ apud illum habentur de eadem cæde. Habentur autem duobus locis: primum Odyſſ. δ.

τὸν δ' οὐκ εἰδότ' ὄλεθρον ἀνήγαγε καὶ κατέπεφνε δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Deinde ejuſdem Odyſſ. λ.

ἀλλά μοι Αἴγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε.
ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ, οἶκόν δε καλέσσας.
δειπνίσσας, ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Nunc totum Philoſtrati proferemus lo. ... ἐπὶ φάτνῃ ... ἐν πεδίοις Τρωικοῖς, οὐδ' ἐπὶ Σκαμάνδρου ταῖς ἠϊόσιν, ἀλλ' ἐν μειρακίοις καὶ γυναίοις, βοῦς ἐπὶ φάτνῃ ... τὸ μετὰ τοὺς πόνους τι καὶ τὸ ἐν δείπνῳ id eſt: Præcipuam autem ſcenæ partem Agamemnon habet, non in Trojanis campis verſans, nec in Scamandri alicujus ripis, ſed inter adoleſcentes & mulierculas, bos in præſepi. Hoc enim eſt illud, & poſt labores & in cœna. Nec vero tantum uſurpat Homeri dictum Philoſtratus, ſed & explicat poſtremis his verbis, quæ Homerico dicto ſubjungit: quaſi videlicet Homerus ea comparatione ſignificare voluerit, duo, τὸ μετὰ τοὺς πόνους & τὸ ἐν δείπνῳ: id eſt, & poſt labores, & inter cœnandum. Nam bos reverſus à laboribus, in præſepi edit ſimul & requieſcit, Illud igitur nullo modo verum competetur, de Agamemnone voluptariam agente vitam loqui hic Philoſtratum. Nec vero Euſtathius ullam proverbii ſpeciem his verbis ſubeſſe ait, ſed duntaxat comparationem eſſe dicit, eamque honorificentiſſimam: quod videlicet tauro comparetur, quem aliquis aperte adoriri non auderet, utpote ſuperiorem futurum, clam & ex inſidiis aggreſſus interficiat.

Ibidem, efferetur, & ad hunc modum, βοῦς ἐν αὐλίῳ &c.] At in iſtis verbis, βοῦς ἐν αὐλίῳ κάθῃ (aut κάθεται, ut apud Euſtathium) proverbium agnoſco: in eo tamen illum quem hic Eraſmus explicat, non agnoſco ſenſum: nec veteres, ut opinor, agnoverunt. Ait enim Suidas: βοῦς ἐν αὐλίῳ κάθῃ, παροιμία ἐπὶ τῶν ἀχρήστων. id eſt, Proverbium de inutilibus. Sed & Euſtathius ex Pauſania docet hæc verba proverbialia eſſe, ἐπὶ ἀχρήστων. Jam vero & apud Longum in Pœmenicis, dicit quidam: οὐδ' εἰ μέλλω βοῦς φασὶν ἐν αὐλίῳ καταλείπεσθαι, τὰ Δάφνιδος τύχης ... οὐ σιωπήσομαι. id eſt: Ne ſi hoc quidem futurū ſit, ut bos, quod ajunt, in ſtabulo relinquar, quo loco ſint res Daphnidis, reticebo. Quibus ex verbis conjicio dici ſolitū de iis proverbiū, qui accepti ſub eſſe deſinunt, nulloque in precio apud ſuos eſſe, ſed potius contemtui ab illis haberi incipiunt: quod videlicet & bobus ſol uſu veniat, poſtquam ſenectute ad labores ruſticos redditi plane inutiles ſtabulo incluſi manent, foras non prodeuntes. Et aptiſſime hoc ſenſu, ni fallor, dixerit ille apud Longum Ne hic quidem me deterrere poterit metus, ne quod ajunt, bos in ſtabulo relinquar. At eo ſenſu quē Eraſmus ſequitur, ineptiſſime dictum id fuerit, imo vero ne conſiſtere quidem poſſit: nimirum ut hoc intelligat, Ne ille quidem metus, ne mihi accidat ut molliter & in ocio vivam. Mecum facit & illud proverbium, γέρων βοῦς ἀπείρηκεν δήμοσιν.

Ibidem: Sceleratus ille cantor, tanquam bovem ad &c.] Hæc citat Eraſmus, quod in iis alluſiſſe Stratonicum putet ad proverbium: quum verba hæc omnia, Tanquam bovem ad præſepe data cœna occidit, ſint Homerica

ſed

(ſed non proverbialia tamen, ad quæ non alluſerit, ſed potius quæ feſtive detorſerit Stratonicus.

Ibidem: Quod in Athenas verbis legimus ψαλλόμενος, *&c.*] Male opinatur pro ψαλλόμενος legendum eſſe σφαλλόμενος: quam lectionem ſequutus, male etiam interpretatus eſt. Ac Stratonicus eo fruſtraretur: pro, Stratonicus illius pſallentis auditor eſſet. ita enim uſurpatur hic ψαλλόμενος, ut θεριζόμενος, αὐλούμενος, κιθαρῳδούμενος. quarum ſignificationum exempla in noſtro Græcæ linguæ theſauro habes. Quod ſi hic aliter legas quã ψαλλόμενος, amittit gratiam: imo vero vix ſatis intelligitur feſtivum Stratonici verſus illum ψάλλω dicterium.

In loco, Aſſiduitas. Proverb. Ne genu quidem flexo. p.76. At ne genu quidem curvato, adverſus Antæum exnitur.] Rectius, In certamen prodit, vel progreditur. Sic accipitur & in proverbio, ἢ ἄπιθι, ἢ ἀπόδυθι.

Ibid. Sumptum apparet ex Æſchyli Promethe.] Nihilo minus, imo etiam magis ex hoc ejuſdem tragœdiæ loco ſumptum videri poſſet, (p.28. meæ editionis) ubi Oceanus de ſuo grype dicit,

——ἄσμενος δέ τ' ἂν
σταθμοῖς ἐν οἰκείοισι κάμψειεν γόνυ:

Sed cur ex Æſchylo potius quam ex Homero dicendum ſit ſumptum eſſe proverbium, non intelligo: præſertim quum ipſemet Æſchylus ſi ullum aliud, vel hoc maxime loquendi genus ex Homero petiiſſe comperiatur, ex ἀσπασίως γοῦνα κάμψειν, faciens ἄσμενος κάμψειεν γόνυ: adverbio ἀσπασίως, quod verſus non admittebat, in nomen ſynonymum mutato.

In loco, Inanis opera Proverbio, Quum primum laboraverimus. pagin.323. verſ. At juxta proverbium, &c.] Nihil minus quam proverbium redolent hæc verba: Quum multum laboraverimus, itidem & antea ſimus. quid enim hic eorum quæ ſubeſſe ſolent proverbiis? Ait Lucianus ipſe ait eſſe proverbialia dicet aliquis? Ait, Eraſmi quidem judicio, & eorum qui cum eo παροιμιαζομένους depones faciunt: at ſi quis paſſive accipiat hoc participiũ, nihil tale ab eo dici comperiet. Qua in ſignificatione accipiendum eſſe mihi viſum eſt, antequam hunc Eraſmi locum legiſſem: & nunc eo lecto, in ſententia permaneo, ut videlicet τοὺς παροιμιαζομένους ſignificet, Velut ii qui proverbio feruntur. vel, Qui proverbiis celebrantur. vel, Qui proverbiis locum dederunt. vel, Qui in proverbia abierunt. Illi autem qui ſunt? Non intelligo qui potius eſſe dici debeant, quam Siſyphus, Tantalus, Danaïdes.

In loco, Inanis opera.] *Proverbio, Aquã in mortario tundere. pagin.328. Suidas ad hunc effert modum.*] Imo non Suidas ita effert (frigidum autem illud foret ἂν ἀπαλῆς τοὺς ὤμους, id eſt, Verſas ſcapulas) ſed ita effertur in quibuſdam mendoſis Suidæ exemplaribus: at in minus depravatis, hoc modo, ἂν ἀπολῆς τοὺς ὤμους. quod idem eſt cum illo, ἂν ἀποβάλῃς τοὺς ὤμους: id eſt, etiam ſi amittas humeros non, ut Eraſmus vertit, decutias. Quanquam apud Lucianum (ut & hoc obiter adnotem) eſt ἀποβάλῃ. ut mirer cur Eraſmus per ſecundam perſonam reddiderit, decutias. niſi forte putavit eſſe ἀποβάλῃ ſecundam, ut ἀποβάλλομαι prima eſſet. Sed præterquam quod durius in media voce uſurpatur hoc verbum, pro ἀποβάλλειν, etiam ipſa orationis ἀκολουθία tertiam perſonam aperte exigit.

In loco, Diſſimilitudinis Proverb. Nunquid & Saul inter Prophetas. pagin.175. Corchorus inter olera. &c. In lente unguentum: ſive, Lenti.] Atqui explicans antea proverbium, In fimum aromatum odorem ſpargis, dixit: Conveniet autem in hos, qui rem egregiam indignis adhibent. quod genus eſt illud, In lente unguentum. Quomodo igitur hoc proverbium, In lente unguentum, ſi affine eſt huic, In fimum aromatum odorem ſpargis, etiam illi, Nunquid Saul inter prophetas, affine eſſe poterit? Hæc duo proverbia, In fimum aromatum odorem ſpargis: & Nunquid Saul inter prophetas, quid commune inter ſe habent, ut jam cum utroque affinitatem habere tertium illud poſſit?

In loco, Ingenii malitia. Proverb. Occaſione duntaxat opus improbitati. pag.388. Occaſione duntaxat opus, &c.] Verti potius debere prætextu quam occaſione, ſequens annotatio docebit.

Ibidem, A quibus beneficio fuerunt affecti, aut cura habiti, vel ipſi, vel, &c.] Miror non animadvertiſſe Eraſmum, hæc plane à ratione aliena eſſe, ut improbi occaſionem maleſaciendi habeant eorum nomine (ita enim loquitur) à quibus beneficio fuerunt affecti, aut curæ habiti: ideoque non καλῶς, ſed κακῶς: nec μελῆσαι τινι, ſed μελησάντων legendum eſſe. Nam καλῶς quidẽ Græcè dicitur, ſed abſurde in hujus loci ſententia: at μελησάντων participium admittit quidem linguæ Græcæ conſuetudo: quum non uſurpetur μέλω, ſed μέλει impersonaliter idque genitivo jungatur, non accuſativo. Verum totum locum interpretari ſatius fuerit, ut etiam appareat πρόφασιν hic prætextum ſignificare, ſicut à me modo dictũ eſt. Hic ergo, ni fallor, Ariſtotelicorum verborum eſt ſenſus: Iis etiam injuriam inferunt, adverſus quos prætextum habent: quippe quod ipſorum majores, aut illi ipſi, certe amici eorum malo aliquo effecerint aut affecturi fuerint, aut ipſos aut ipſorũ majores, aut eos quorum curam ſuſceperunt. Ut enim in proverbio eſt, Prætextu duntaxat indiget improbitas. Animadverte igitur, πρόφασιν utrobiq; à me verti prætextum, non occaſionem: ne forte intelligas opportunitatem. qua verum quidem eſt opus habere improbos ad committenda ſua maleficia: ſed non de ea nunc agit Ariſtoteles. Quum enim mihi dicit vir aliquis improbus, Tui majores: aut, Tui amici mihi fuerunt injurii: vel, Tui majores injuriã illaturi erant meis majoribus, ſi potuiſſent: hæc dicendo non captat idoneam inferendæ injuriæ occaſionem, ſed hoc vel illud prætexit improbæ ſuæ voluntati: hoc vel illud cauſatur, propter quod ratione aliqua moveri videatur ad volendum mihi injuriam inferre: quam illaturus ſit, cum occaſionem nactus fuerit. Eſt autem hic locus in primo Rhetoricorum libro, non in ſecundo.

In loco, Odium, Proverb. Odium agreſte p.551. Atrox odiũ veteres ſic appellabant, propterea quod ruſtici plerumq; μισάνθρωποι ſunt.] Quin à Luciano hic ita uſurpetur ἄγριον, ut à Phocylide in ἄγριον ὀργή, ab Homero in ἄγριος χόλος, ἄγριος θυμός, neminem inficiaturum puto. At, qua in ſignificatione ἄγριος hic uſurpat Homerus? Nimirũ pro θηριώδης, ſi gramaticis credimus: id eſt pro Ferus: tranſlatione videlicet non à ruſticis, id eſt iis qui agros incolunt, ſed à feris beſtiis ſumpta. Quod ſi quis fidem grammaticis derogat, ab ipſo Homero adhibeat, qui inde ſumi à ſe metaphoram aperte oſtendit, quum ait:

ᾧ οὔτ' ἂρ φρένες εἰσὶν ἐναίσιμοι οὔτε νόημα
γναμπτὸν ἐνὶ στήθεσσι, λέων δ' ὣς ἄγρια οἶδεν:

Hinc etiã manarunt illa, ἄγριον κακόν, ἄγριον ἕλκος. unde & Latini per vocem ferum interpretantur, non ad ruſticorum videlicet mores, ſed ad ferarũ intractabile ingenium reſpici exiſtimantes: quibus & ἀγριᾶ φωνῇ poteſt addi. Quin etiam à feris, nõ à ruſticorũ moribus, ductam eſſe verborum ἀγριαίνειν & ἀγριαίνεσθαι metaphorã conſtat. Jam vero quum Lucianus, ſi ruſticũ (id eſt rurale aut ruſtice) quoddam odium ſignificare voluiſſet, alio potius, nõ ambiguo uſus fuiſſet vocabulo, nimirum ἄγροικον, minime dubium eſt. ἄγριον enim, itidem ut apud Latinos agreſte, nonnunquam pro rurali, nonnunquam pro fero poſitum reperitur. quanquam in hac ſignificatione ſæpiſſime, in illa autẽ perquam raro: adeo ut agreſte carmen, agreſtem muſam, id eſt, agreſtiũ ſeu agricolarum, aut etiam paſtorũ ἄγροικον μέλος. ἀγροικὴν μοῦσαν recte appellaturi ſimus: ἄγριον μέλος ἀγρίαν μοῦσαν vix recte. illa certe Julius Pollux habet, hæc nõ item. à quo hoc quoq; obſervandum eſt annotari, ἄγριον dici ἐπὶ τοῦ ἑκαιοῦ, καὶ ἐπὶ τοῦ ἐν ἀγρῷ ζῶντος καὶ μᾶλλον ἐπὶ τοῦ σκαιοῦ. At vero de ἀγρικὸν, quod hic Eraſmus poſuit, quid dicendum eſt? Unde accepiſſet, ſcire vellem. Niſi forte ſine autore hanc ſcripturam poſuit: quod facile inducor ut credam. nam ut, ἄγριον μῖσος idem ſonare quod ἄγροικον ita etiam ἄγριον vel ἄγροικον indifferenter ſcribi exiſti-

marit

mans fieri poteſt ut apud Lucianum ſive ἄγελον μῦς ſive ἀγελικὸν legeretur, perinde eſſe putaverit. At ego nec pro fero nec pro ruſtico ἀγελικὸν uſquam reperio, præterquam apud Theocritum, & quidem metri lege coactũ. Quid ſi ergo ἄχοικον μῦς ſcribatur apud Lucianum? Huic certe ſcripturæ conſentanea fuerit expoſitio Eraſmica: ſed non tanti eſt eam tueri, ut hoc nomine ſcripturam illam mutare velim. Imo vero ſi in Luciani exemplarib. ἀχοικον μῦς legeretur ea lectio ſuſpecta mihi eſſet, & ad mutandam in ἄγελ. tot exempla, quæ attuli, me ſolicitarent. Quibus plus ponderis apud nos habere non debet locus quidam Ariſtophanis, in quo ἄχοικος ὀργὴν, invenitur. præſertim quum ejus ſcholiaſtes duram eſſe hanc explicationem ſentiens, ut ἄχοικος ὀργὴν ponatur pro ἄγελ., aliam adferat.

Ibidem, Laboras autem agreſti: ſicuti dicitur.] φασὶν hic proverbii ſymbolum eſſe non puto. etſi Eraſmus non aliunde fortaſſe quam ex hoc verbo, ſuſpicatus eſt proverbiale dictum eſſe, ἄγελον μῦς. Sic alibi verbum λέγεται, & participium λεγόμενον, ſymbola proverbiorum eſſe, falſo exiſtimavit, ut ſuo loco oſtendemus.

Ibidem, Græci quicquid barbarũ, immane aut crudele volunt intelligi, id ἄγελον vocant.] Hoc fateor: ſed ad mores ruſticorum in hac appellatione reſpicere nego. nec certe id Eraſmus ipſe dicturus erat, ſi θηριώδες & τιθασευμένον pro ἄγελον & ἀγελωμένον uſurpari recordatus fuiſſet. ut omittam, inter ſylveſtres homines potius quam inter ruſticos, Timones aliquos ac Cyclopes reperiri.

In loco, Garrulitas, Proverb. laſcivia magis inſidentes. p. 27.] ἀνδρες λέσχαις ἐγκαθήμενοι.] λέσχας interpretari hic nugas, eſt meras nugas agere. nec minus nugatorium fuit antea, apud Heſiodum ἐπαλέα λέσχην, tepidas nugas vertere. cum hic λέσχη ſignificet domum publicam, in qua mendici confabulantur: illic autem λέσχαι cathedras vel loca, in quibus congregati quilibet garrire, aut ea in quibus philoſophari ſolebant. Unde & λέσχη ἐγκάθην, ἐπὶ τῶν διαλεγομένων καὶ φιλοσοφούντων. hic autem ἀνδρες λέσχαις ἐγκαθήμενοι, de conſeſſu hominum eloquentium dici videtur. Sed plura in noſtro linguæ Græcæ Theſauro.

In loco, Arrogant. Proverb. Summis unguibus ingredi. pag. 61. ἐπ' ἄκρων ὀνύχων.] Non ait Ariſtophanis interpres, ἐπ' ἄκρων ὀνύχων eſſe proverbium in eos qui avidius auſcultant: ſed Ariſtophanem dixiſſe, ἐπ' ἄκρων τῶν πυγιδίων ἐκάθητο, alludendo ad proverbialia verba, ἐπ' ἄκρων τῶν ὀνύχων: quia εἰώθασί τι ἀκροώμενοι, δοκοῦσιν ἐπαίρειν τῶν πυγῶν καθίζεσθαι. Profert deinde hoc genus loquendi, ἐπ' ἄκρων ὁδοιπορεῖν, ex his Sophoclis verſibus:

ἔπειτα περιφεὶς αὖ μηκέτ' ὄρθιος ἄπο,
ὑψηλ' ἐνομίζες κἀπ' ἄκρων ὡδοιπόρεις.

Subjungit. Solent enim inſolentes, ἐπ' ἄκρων ὀνύχων βαδίζειν: id eſt, ſummis pedum unguibus ingredi. item qui laudes ſuas audiunt, nates ſedili extollere conſueverunt. Hæc ille. Cæterum ἐκάθητο, cum ſit præteritum imperfectum, neſcio cur Eraſmus per præſens vertat.

In loco, Cauſa indefenſa. Proverbio, Haud impune vindemiam facies. p. 115 οὐκ ἐρήμας] ἐρήμας, quod adjectivũ eſt nomen, putavit eſſe adverbium, quod nullum ſubſtantivum videret. Atqui ſubaudiendum relinquitur ἀμπέλους: de quibus dici τρυγᾶν, notiſſimum eſt adeo ut οὐκ ἐρήμας τρυγήσεις, ad verbum ſonet, Non vindemiabis deſertas. hoc eſt, incuſtoditas, ſubaudiendo vites.

Ibidem pagin. & verſ iiſdem: In eos competet, qui nullo, &c.] Proverbium hoc, Haud impune vindemiam facies, competere in eos qui impune decerpunt uvas (vel potius, decerpturos ſe ſperant) ſupervacaneum eſt admonere: quum ipſa proverbii verba id prima fronte oſtendant. At quis eſſet ejus uſus, & quomodo ad alia transferri & apte accommodari poſſet, hoc vero docere neceſſarium erat. Quod quum ab eo prætermiſſum ſit, ego Ariſtophanis verba proferens, ejus uſum docebo, & eadem opera falſam eorum interpretationem corrigam. Quum ergo chorus apud Ariſtophanem oratione Philocleonis laudans, dixiſſet, Nunquam ita diluci de neq; ita prudenter ullum audivimus loquentem: reſpondet ipſe Philocleon, οὐκ ἀλλ' ἐρήμας ᾤεθ' οὐ τρυγήσειν ῥᾳδίως, id eſt: Minime vero: (ſubaudi, ita loquuturum putabat) ſed deſertas vites ſic facile ſe vindemiaturum eſſe arbitrabatur. Dicere volens, Sed patrocinium nobis defuturum exiſtimabat Bdelycleon, & nobis patronum nullum habentibus, fore ut cauſam ſuam nullo negotio teneret, ſperabat. Hic particulam οὐκ vides cum verbo τρυγήσειν non jungi, & huic lectioni non reſpondere hanc Eraſmi interpretationem: neq; eſſe eum loci ſenſum, quem illa præ ſe fert, At ne exiſtimetis vos adeo facile atq; impune vindemiam facturos. Sed nec cum altera lectione quam ponit, ullo modo convenit. ſiquidem οὐκ ᾤεθ' non ſignificat, At ne exiſtimetis: ſed, At non exiſtimabat. Mirum eſt vero, ut hic ᾤεθ' (quaſi videlicet pro ᾤετο poſitum foret, eliſa per apoſtrophum ε, deinde tenui in aſpiratam mutata) imperativi modi eſſe credidit: ita & οἴει nonnunquam in loco pro imperativo accepiſſe: ut in proverbio, Quatuor obolis non æſtimo. Hic enim τεττάρων ὀβολῶν οἴει, interpretatur, Quatuor obolorum eſſe puta: & paulo poſt pro puta, ponit exiſtimato. Atqui fingamus uſurpari οἴω in ſoluta oratione, pro οἴομαι, at in imperativo non erit ᾤετο (unde enim ω?) ſed οἴετο: & in ſingulari numero, non οἴει (unde enim ει?) ſed οἴου.

Ibidem: Nam ἐρήμας Græci fieri dicunt, &c.] Dicit ἐρήμας à Græcis ita uſurpari, deceptus loco Ariſtophanis male intellecto, ut modo vidimus. Sed in omnibus quæ quidem viderim Lexicis Græcolatinis erratum eſt, ubi ἐρήμην adverbium eſſe dicitur, pro Indicta cauſa, Nullo defendente. Nam nec ἐρήμας nec ἐρήμης tanquam adverbia, vel nomina abſolute poſita, ſic à Græcis uſurpantur, ſed cum Indicta cauſa, vel Nullo cauſam defendente, ſignificare volunt (non ut Eraſmus ait, Impune, Nullo obſiſtente) utuntur τῷ ἐρήμην: ne hoc quidem velut adverbio, ſed tanquam nomine adjectivo, ſubauditum extrinſecus habente δίκην: ut cum dicunt, ἐκεῖνος ἐρήμην ἑάλω. vel, ἐρήμην καταδικάσθη.

In loco, Sollicitudo. Proverb. Σκύτη βλέπει, *p. 663. Idq; conjecturis aliquibus colligeret, &c.*] Imo vero hæc opinio priore videtur abſurdior: ac ſi ad vultum referendum hoc eſſet, non de truculento vultu, ſed de mæſtitiam præ ſe ferente intelligi deberet, quaſi videlicet ſcorteo, ſive coriaceo. neque enim apud Ariſtophanem, qui minatur alteri ſic facturum illum σκύτη βλέπειν intelligit ſe facturum ut ille truculentiam vultu oſtendat, ſed potius ut plane dejecto mæſtoque ſit vultu, utpote de ſua cauſa deſperans. Sequendo autem hanc explicationem, eadẽ forma diceretur σκύτη βλέπειν, qua ὀρίγανον βλέπειν, & νάπυ βλέπειν apud eundem Ariſtophanem dicitur, nec non ἄγλιν βλέπειν. Et initio quidem mea fuit hæc ſententia (pro qua etiam facere mihi videbatur hic Athenæi locus lib. 13. μετὰ σοφιστῶν τὰ διὰ λεπτῶν ἀσίτων, σκυτίων) ſed poſteaquam cogitare cœpi, σκύτος à Demoſthene & aliis accipi pro ſcutica, ſeu loro quo cædebantur ſervi: & vidi Ariſtophanis interpretem, præterquam quod dicit proverbium de illis uſurpari; quibus ſuſpicio oritur de futuris malis (quæ expoſitio & apud Zenobium habetur) etiam hæc verba Ariſtophanis ἢ μὴν ἐγώ σε τήμερον βλέπειν σκύτη ποιήσω, exponere, πληγάς σοι ἐμβαλῶ, id eſt plagas tibi infligam: tum vero ſententiam illam retractavi. & credidi, quod & nunc credo σκύτη βλέπειν à ſervis eſſe ſumptum parata ad eos cædendos verbera intuentibus, quum enim illis nullum eſſe poſſit triſtius ſpectaculum, & ad quod magis exhorreſcant, elegantiſſimo videntur proverbio dici σκύτη βλέπειν, id eſt lora vel ſcuticam cernere, quicunq; impendentis mali cogitatione anguntur, & vultu dejiciuntur.

Ibid. Torvum obtueri, Sentit enim, diſcipulum à Philoſopho, &c.] Si locum ipſum Athenæi adieris, lector, quam parum ei conveniat, σκύτη βλέπειν ad ſupercilium & vultus truculentiam referri, contra quam apte ita explicari poſſint illa verba, ut modo dixi, facile perſpicies: dummodo negativam particulam ἀπὸ τῶν σφῶν, ante ἀπεδέξατο, reperias: quod Eraſmus non fecit. Nam

ut ſer-

ut ſervos à dominis, ita & liberos à patribus ſcimus verberum metu plerunque magis quam ulla alia ratione σωφρονίζεσθαι. At nulla in hoc Athenæi loco fit patrum mentio: dixerit aliquis. Imo vero: in veteribus quidem codicibus, in quibus πρὸς ſcriptum & compendiarie pro πατρὸς. ſed hoc compendium aut non animadverſum, aut certe ignoratum à typographis fuit. ita enim tum in Aldina, tum in Germanica editione legitur: ὄντως γὰρ ἔρχεται χαλὰς νιφάς, ὃ κρηπιδοπεῖον πρὸς ἀπελθόντα σωφρονίσαντος, καὶ διδάξαντος ἐκεῖνο βλέπειν. quum legi debeat, σωφρονίσαντος πατρὸς, & ὃ κρηπιδοπεῖον πρὸς, id eſt, πατρὸς. Quid error quum lateret Eraſmum, non filii à patre, ſed diſcipuli à magiſtro caſtigationem intellexit.

In loco Contemptus & utilitatis. Proverbio, Cochleare creſcet p.138. Δοίδυξ αὔξει id eſt, Cochleare creſcet.] αὔξει futuri temporis eſſe, aut ejus ſignificationem habere poſſe non puto, & creſcit; vertendum cenſeo non creſcat. Sed δοίδυξ cur potius pro cochleari accipiat, quã pro piſtillo quod in mortario circumagitur, non intelligo præſertim quũ optime illi conveniat quod à Zenodoto & à ſcholiaſte Ariſtophanis dicitur, eſſe μικρὸν καὶ στρογγύλον, i. parvum & rotundum (nam Eraſmus στρογγύλον neſcio quam recte interpretatus ſit contortũ dum certæ cuidam cochlearium formæ accommodare vult hoc vocabulũ) quum item in alio ejuſdem Ariſtophanis loco aperte pro piſtillo ſumatur: in eo autem qui hic citatur, nihil ſit quod in altera ſignificatione potius quam in hac accipere nos cogat: quũ deniq; (quod præcipue conſiderandum eſt) de hac teſtimonium Pollucis, Heſychii, ſcholiaſtæ Ariſtophanis habeamus, de illa nequaquam. Sic enim Pollux: ἐστὶ δὲ ἀλετρίβανος, ὁ καὶ δοίδυξ, ἄβαξ τις ἢ ὁ δοίδυκος ἐν τῇ θυείᾳ περιαγωγός, περὶ ἀμφίδας δὲ πολις κέκληκε. Heſychius, δοίδυξ, ἀλετρίβανος. Enarrator Ariſtophanis, exponens illa poetæ verba in Pace, οἴσεις ἀλετρίβανον τρέχων, ait, ἀλετρίβανον οἱ μὲν δασέως, παρὰ τὸ τοὺς ἅλας τρίβειν. οἱ δὲ ψιλῶς παρὰ τὸ ἀλεῖν: καὶ δοίδυξ μὲν ἁπλοῦν, ἀλετρίβανον δὲ σύνθετον. Locus autem Ariſtophanis, in quo manifeſte de piſtillo uſurpari dico, eſt in Pluto hic:

> ἔπειτα πᾶς αὐτῷ λίθινον θυείδιον
> περιέθηκε καὶ δοίδυκα καὶ κιβώτιον.

Sed apertius etiam apud Dioſcoridem, cum alibi, tum ubi dicit: ἐγχέας εἰς θυείαν κυπρείου χαλκοῦ, ἔχουσαν δὲ καὶ δοίδυκα ἀπὸ τῆς αὐτῆς πεποιημένον ὕλης. At de altera ſignificatione apud Suidam duntaxat teſtimonium reperio, neſcio an ex recentiore quopiam, ut alia multa, adjectũ. Quanquam eſto, perinde conſtare de una ac de altera, rationem, ob quam de chochleari hoc adagium dicatur, nullam video. at propter quã de piſtillo dici poſſit, perſpicio. & eam quidem, ut opinor, ſi non veram, certe veriſimilem, quam habet in ſequenti annotatione.

Ibidem. Hanc parœmiã dici ſolere in puſillos homunciones per ironiam.] Non animadvertit quæ illic dicuntur: quæ ſi quis bona fide referri ſibi velit, hæc Zenodoto ſcribi ſciat. δοίδυξ αὔξει, de iis qui nõ creſcunt, inquit Chryſippus. quin etiam de iis, qui parvi manent, proverbium dictum fuit. nam δοίδυξ parvus eſt & rotundus. Ab Ariſtophanis autem ſcholiaſte iſta ſcribi: proverbiũ δοίδυξ αὔξει, de valde parvis: ant de iis qui non creſcunt, inquit Chryſippus. de iis præterea qui parvi manent. dictũ fuit adagium, nam δοίδυξ parvus & rotundus. Sed apud hunc in vulgatis exemplaribus male legitur, ἐπὶ τῶν αὐξανομένων: pro ἐπὶ τῶν μὴ αὐξανομένων, ut apud Zenodotum habetur. Cæterum jam videmus falſum eſſe quod Eraſmus ait, Chryſippum apud illos ſcriptores tradere, parœmiam iſtam dici ſolere in puſillos homunciones per ironiam. Nam primum, Zenodotus ne meminit quidẽ prorſus hujuſmodi expoſitionis, ſed Ariſtophanis enarrator duntaxat: qui tamen authorem profert Chryſippũ non hujus, ſed illius quam ſubjungit: fortaſſe ex Zenodoto ejus autoritatem mutans. Deinde ironiæ neuter mentionem facit ullam. Sed & illud miror cur ex tribus explicationibus unam duntaxat protulerit, quæ apud Ariſtophanis ſcholiaſtem ſolum habetur; reliquis duabus, quas & apud Zenodotum inveniebat, prætermiſſis. Ego contra illam plane rejiciens (utpote quæ δοίδυξ ſimpliciter exponere videatur potius, quam δοίδυξ αὔξει) reliquas duas optimè convenire dico: modo δοίδυξ non pro cochleari accipiatur, ſed pro piſtillo (quam receptam paſſim ejus ſignificationem eſſe, præcedente annotatione docui) ut videlicet intelligamus jactari ſolitum adagium generaliter de iis, qui non creſcerent, & de quibus nihilo magis ſpes eſſe fore ut creſcerent, quam de piſtillo. Aut non generaliter de omnibus non creſcentibus. ſed de parvis, qui ſemper manerent parvi, & quos creſcere non magis poſſibile videretur quam piſtillum creſcere poſſibile eſt. Aptiſſime autem ad hyperbolem ſumptum videtur piſtillum: quia tantum abeſt ut id poſſit creſcere, ut potius decreſcere & diminui attritu aſſiduo neceſſe ſit. Plane igitur, meo quidem judicio adagium hoc è numero eſt, eorũ, quibus τὸ ἀδύνατον exprimitur: adeo ut ſi hic ironia conſtituatur, talis ironia intelligenda ſit, qualis eſt in illis, Terra volat, Ipſi fontes ſitiunt.

In loco, Invidia. Proverbio, Unicum arbuſtum haud alit duos erithacos. p. 423 μία λόχμη οὐ τρέφει &c.] Melius meo quidem judicio, hic interpretatus eſſ: ε λόχμη ſaltus (ut paulo poſt) quam arbuſtum.

In loco, Garrulitas. Proverb. Larus. pag. 749. κέπφος.] Cur hæc duo conjunxerit Eraſmus, κέπφος λάρος, non intelligo. neq; enim habetur apud Ariſtophanem, ὦ κέπφε λάρε. ſed duntaxat, ὦ κέπφε. Ac etiamſi forent ſynonyma hæc nomina, ut Eraſmus hic exiſtimat, nõ tamen utrunque ponendum eſſet. ut Sappho propter ſuam canoram poeſin non dicitur luſcinia philomela, ſed vel luſcinia, vel philomela. Quanquam ſuſpicari poſſit aliquis illum hæc duo nomina ſcripſiſſe, interpoſita diaſtole, tanquam optionem dantem nobis utro uti vellemus. Sed ubi ſunt duo nomina ſynonyma, eodem quo accomodatur unum per metaphoram, non protinus accommodabitur & alterũ. κέπφον igitur pro fatuo poni conſtat: unde & κεπφωθεὶς ab Heſychio exponitur ἐπαρθεὶς ἀπατηθείς: at vero, ut certum foret λάρον eandem avem vocari, tamen an λάρον & λαρωθεὶς eadem metaphora uſurpare poſſemus, incertum eſſet. Jam vero diverſas eſſe aves κέπφον & λάρον, ex Nicandri ſcholiaſte liquet ait enim: ὁ δὲ κέπφος, θαλάσσιον ἐστὶ ὄρνεον παρὰ πλήσιον λάρῳ. Quãobrem nomen λάρος, & quæ de eo aſſeruntur, ab hoc proverbio aliena cenſenda ſunt.

In loco Arrogantia. Proverb. Sybarita per plateas p. 61. Συβαρίτης διὰ πλατειῶν.] διὰ πλατειῶν, eſſet per plateas: at διὰ πλατείας, eſt per plateam.

In loco, Intemperantia. Proverb. Quæ ſub aliis fiunt. pag. 411. in iis rebus quæ ſub ala fiunt, &c.] Mirũ eſt formulæ loquendi tam pervagatæ adeo peregrinam hic ab Eraſmo afferri explicationem: mirumq;, quomodo hanc ignorare potuerit, quæ non longe & veluti receſſu petita eſt, ut illa, ſed quam prima fronte ipſa oſtendũt verba: certiorem tamen illa, imo vero ſolam certam confeſſamque, & minime dubiam Quæ nam eſt? Nimirum ut ἐν ταῖς ὑπὸ μάλης πράξεσι ſignificet, in clanculariis miniſteriis eo quod ſub ala geſtentur. quæ occultare libet. ut apud Syneſiũ clypei ὑπὸ μάλης inquit, ἐκρύπτον τὰς ἀσπίδας, apud Athenæum lapides, libro decimo: μόνος εἰσέβαινε, λίθους ὑπὸ μάλης ἔχων, οἷς ἔβαλλε τὸν ἴδιον τοὺς ἀγαλλιῶντας αὐτῷ. apud hiſtoricos paſſim ξίφη, vel potius ξιφίδια Sed & in hyperbole quadam proverbiali Lucianus uſurpat, ὑπὸ μάλης κρύψαντας, ut Syneſius, ὑπὸ μάλης ἐκρυπτον, illius verba ſunt: θᾶττον ἂν πέντε ἐλέφαντας ὑπὸ μάλης κρύψειας ἢ ἕνα κίναιδον. Hinc vero transfertur ad omnia quæ clam fiunt vel dicuntur, aut etiam in animo occultantur. Sicuti ſunt cum alii antiqui ſcriptores, tũ Demoſthenes: ut in oratione πρὸς Λ' φοβον: ἀλλ' ἐμοὶ μὲν οὐχ οὕτως οὐδὲ δίς ταῦτ' ἴσασιν, οὐδ' ὑπὸ μάλης ἡ πρόκλησις γέγονεν ἀλλ' ἐν τῇ ἀγορᾷ μέσῃ πολλῶν παρόντων. Sic poſtea recẽtiores ut Dion Cocceius: οὔ τι γὰρ ὑπὸ μάλης τι αὐτῶν, ὦ Κικέρων, ἐπράχθη, ἀλλ' ἐς στήλας, ὡς καὶ αὐτὸς φῄς, πάντ' ἀνεγράφη. ut denique Plutarch. & Lucianus in iis qui ab Eraſmo

[illegible] citan-

citantur his locis. Neq; enim Lucianus, ſive Menippus, apud Lucianum quæ ſit origo & ſedes adulationis in hominis corpore, deſcribere cogitat (qua de re viderint alii quam recte hic Eraſmus philoſophetur: adulantibus quidem certe pruritum aurium non recte tribuit, qui eorum eſt qui ſibi adulantes audiunt) nec de illa ex corpore extrahenda, & magno molimine avellenda hic agitur: ſed duntaxat de deponenda quæ occulte circumferebatur. Admonuerat enim Mercurium Menippus, ut philoſophum quendam ad Charonis cymbam accedentem veſtem exuere juberet; Nam multa, inquit, eaque ridicula ſub veſte occultari comperies. Quum ergo is Mercurii juſſu, & eam & multa quæ ſub ea latebant, arrogantiam, ignorantiam, impudentiam, iracundiam, luxum, interrogationes inexplicabiles, diſputationes ſpinoſas, nec pauciora his alia abjeciſſet: & tanquam omnibus quæ circunferebat, abjectis, cum jam navim conſcendere Mercurius juberet: tum Menippus iterum commonefaciens Mercurium, ait: Rem unam adhuc omnium ponderoſiſſimam ſub ala geſtat, nimirum adulationem. Et hæc quidem quod ad Luciani locum. Ad Plutarchum veniamus. dixerat is paulo ante ea quæ Eraſmus profert verba, adulatores ad laborioſa & periculoſa miniſteria remiſſo animo eſſe, at in fœdis ac vilibus, ad omnia ſe offerre, pedibus etiam, ſi opus ſit, proterendos ſe præbere. His addit, paucis interjectis: οὕτω δὴ καὶ ὁ κόλαξ, οὐ συνειπεῖν οὐ συνεπιτυχεῖν οὐ συναγωνίσασθαι δυνάμενος, πόνου τε καὶ σπουδῆς ἁπάσης ἀπολειπόμενος, ἐν ταῖς ὑπομαλακαῖς πράξεσιν ἀπροφάσιστός ἐστι, πιστὸς ἐρωτικῆς ὑπηρέτης, καὶ, &c. Quæ verba ita Latine reddit Eraſmus in ea quam edidit libelli hujus interpretatione: Sic & adulator, quoniam nec in dicendo, nec in conſulendo, nec in certaminibus ac periculis adeſſe poteſt amico, quippe ab omnibus laboribus omnique ſtudio abhorrens: in negotiis ſubalaribus, id eſt quæ ad voluptatem pertinent, nihil recuſat, fidus amoris miniſter, & in adducendo, &c. Videmus ergo hic quoque iſtud loquendi genus Eraſmum ita exponere (nam de cæteris non fideliter redditis, quale eſt illud, omni ſtudio, pro omnibus ſeriis negotiis, non eſt hic dicendi locus) ut ſibi optime in ejus explicatione, tanquam certa & indubitata, conſtet. Atqui vel illud ſaltem ſcrupulum illi aliquem movere debuerat, quod Plutarchus, quum enumerationem aliquot τῶν ὑπομαλακῶν πράξεων ſubjungit, inter eas recenſet etiam aliquas quæ ad voluptatem nec pertinet ullo modo, nec pertinere videri poſſunt. At omnes revera ſunt clancularia, id eſt, ad quas operam ſuam non coram omnibus, ſed clam commodat adulator: & ad quas is qui ejus opera utitur, ſed uti diſſimulat, ſi non apud domeſticos, ſaltem apud cæteros, quum amici officia contra, veluti συνειπεῖν, συνεπιτυχεῖν, συναγωνίσασθαι, & ejuſmodi ſint, ut ea palam conferre poſſit, nec metuat ne aut ſibi qui confert, aut illi in quem conferuntur, ullam ignominiam, ullumque dedecus, ubi fuerint divulgata afferre queant. Sed de hoc dicendi genere ſatis multa, meo quidem, aliorum autem judicio fortaſſe nimis multa jam dicta ſunt. Quanquam qui paucioribus verbis abſolvi hæc diſceptatio potuerit, non video. probanda enim quæ dicebam, mihi erant: ad id opus erat exemplis. Ad iſta vulgaria Lexica Græco Latina remitti te debuiſſe dices fortaſſe, ut inde ea peteres. Quomodo? quum illa ipſa, ſuo more, ad hunc ipſum authorem, tanquam ἀξιοπιστότατον, de hujus formulæ loquendi ſignificatione remittant?

In loco Adulatio. Proverbio. Ficum cupit. pag. 26. Ariſtophanes in Veſpis: σὺ δὲ νῦν &c.] In hoc tamen loco Ariſtophanis enarrator σὺ καμ' αἰτεῖς expõit; Delicate vis vivere. Siquidem, inquit, qui edebant carycas (ἰσχάδας dicit) delicate vivere dicebantur. Ac revera hic filius à patre caryças poſtulabat. Cui ille reſpondet: Nequaquam profecto tibi eas emam. Nam quum mercedula mea vix mihi ſufficiat ad comparanda quæ ſunt neceſſaria, farinam, ligna, opſonium: tu ficus poſtulas. quaſi dicat, cibos lautos. Quare hic locus adferri non debuit ad probandam illam proverbii explicationem, quæ nullo modo ei quadrat. Imo vero non pro parœmiis accipi debent Ariſtophanis verba, ſed duntaxat ad parœmiam alluſionem habere dici poſſunt.

In loco, Fides, Proverbio, Domeſticus teſtis. pag. 234. Lucianus in Iove Tragœdo: οἴκοθεν, &c.] Alienum eſt plane hoc exemplum ab eo ſenſu, quem proverbio tribuit: ait enim, οἴκοθεν ὁ μάρτυς dici, ubi quis ipſe ſeſe laudat, quaſi domi teſtem habeat, non aliunde adductum. Atqui in hoc Luciani loco, quum Jupiter dicit Herculi, οἴκοθεν ὁ μάρτυς, intelligit: Tu adverſus temetipſum teſtimonium pronuncias, Tu adverſario tuo argumenta in te ac nos omnes ſuggeris. Pro adverſario eſt quod ais. Quod tu dicis in ſuam rem vertet adverſarius noſter Damis, Ipſemet profers quod adverſarii cauſæ ſerviat. Hunc eſſe in illo Luciani loco, proverbii hujus ſenſum, ſi mihi non credis, lector, eum adi ac diligenter expende: &, ſi alium quam hunc mihi oſtendes, χρυσοῦς, φασὶν, ἐν Ὀλυμπίᾳ σταθήτι.

In loco, Obſcuritas. Proverb. Bœotica ænigmatica. p. 543. Eſt bipes in terris: &c.] Legendum, οὗ μία φωνή; ut ſit, cujus unica vox.

In loco Prudentia. Proverbio, Acetum habet in pectore, pag. 606. Nunc experiar, ſit ne acetum.] Hic acetum habere in pectore, non ſignificat ſapere, & aliquid aſtutiæ habere, ut explicat Eraſmus: ſed acri vel acerba quadam ſeveritate præditum eſſe. Verba enim ſunt Lydi pædagogi ad Philoxenem, de cujus nimia erga filium indulgentia & clementia conqueritur: quum poſſet contra ſeverum ſe & rigidum exhibens, eum à nequitia deterrere. Et huic expoſitioni conſentanea eſt illa Philoxenis reſponſio: Eia Lyde, leniter qui ſæviunt, ſapiunt magis. Cæterum hic Plauti locus mendo non caret, meo quidem judicio: ac fortaſſe, aceto, legendum fuerit. alioqui illa verba, Cor acre, veluti pro expoſitione poſita videri poſſent.

Ibidem. Et hoc ipſum, Aceto perfundere proverbii ſpeciem habet.] Atqui ſi proverbii ſpeciem habere hoc dictum concedamus, eadem opera & illi Perſiano,

— Aurem mordaci lotus aceto.

aliiſque hujuſmodi locum inter proverbia dare neceſſe erit.

In loco, Fides & Gravitas. Proverbio, Venereum juſjurandum pag. 248. Prior verſus non caret mendo] Mendum id collitur, ita legendo verſum:

ὤμοσεν, ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐπ' ἔρωτι.

In loco, Bona fortuna, Proverbio, Dactylides. pag. 99 δακτύλου ἡμέρα.] Fateor ita legi apud Zenobium, quem Eraſmus vult eſſe Zenodotum; ſed reperio non uno in loco citata hæc ex Alcæo verba: πίνωμεν· τί τὸν λύχνον σβέννυμεν, δάκτυλος ἁμέρα. Ad quæ alludens, vel potius, quæ mutuo ſumens ab Alcæo quidem incerto nomine in Anthologia Græcorum epigrammatum, ita clauſit ſuum epigramma:

πίνομεν Βάκχου ζωρὸν πόμα· δάκτυλος ἀώς.
ἦ πάλι κοιμιστὰν λύχνον ἰδεῖν μένομεν;

Qui verſus melius reſpondebunt Alcæi verbis, ſi ea ita legamus ut habentur alicubi apud Athenæum: τὸν λύχνον ἀμμένομεν, ut ſit, ἀμμένομεν, pro ἀναμένομεν. Eſſe autem longe diverſum adagii ſenſum, legendo δάκτυλος ἡμέρα, nemo non videt. Ac fieri poteſt, ut depravata lectio commentitiæ explicationis anſam præbuerit. Horum Alcæi verborum memini & in meis in Anacreontem obſervationibus.

In loco Ulcio maleſactis. Proverbio ineſt & formicæ & ſerpho bilis. p. 726. Formicæ ineſt ſua bilis, &c.] Puto vocem χολή non pro bili, ſed pro felle uſurpatam hic eſſe, & multo elegantius videtur fore, ut ex uno alterum intelligatur: quaſi quis dicatur: Quantumvis minuta ſint animantia, formica & ſerphus (Latine fortaſſe coſſus) in eorum tamen corpuſculo fel locum invenit. Fel autem ita intelligetur, ut quum metaphorice de homine dicitur.

In loco Manſuetudo. Proverbio, Manſueta beſtia lenior. p. 498. De ſpontaneis ac manſuetis, &c.] Tam craſſus eſt hoc in loco

error

error, ut ab Eraſmo ſcripta eſſe iſta, mihi perſuadere non queam. Certe quicunq; hoc ſcripſit, ignoravit quod, ut ajunt, ne puer quidem ignoret: nimirum, Mactata hoſtia, ablativum eſſe abſolutum, & ſignificare, poſtquam mactata hoſtia fuerit, non autem à comparativo lenior legi. At quod ait de ſignificatione verbi Macto, multos ignorare pueros exiſtimo, juveneſq; ſeneſque: quod tamen vereor ne plus quam puerile comperiatur. Illud quidem certe ſi non puerile, ſaltem anile appellandum eſt, quod inde natum eſſe putat, ut qui ſpectata eſſent virtute, Mactati virtute vocarentur. ſi tamen bene nos Grammatici noſtri docent, Mactus pro magis auctus uſurpari.

In loco, Mutati inſtituti. Proverb. A Dorio ad Phrygium. pag. 528. Neq; ſordidum ac moleſtum.] κακουργοῦσιν non ſignificat moleſtum, ſed maleficum, improbe agentem.

Non videbor hominum, &c.] οὐ φανοῦμαι στρογγύλων λογάδεια non ſignificat, Non videbor hominum rotunde loquentium verbula: ſed, Non comperiar rotundare, vel rotundant verbula. Nam στρογγύλων non eſt nomen, ut putavit ſed participium.

In loco, Timiditas Proverb. Timidi nunquam ſtatuerunt tropæum. 691. Timidi nunquam.] Paulo poſt reddit ἀθυμοῦντες, pavidi. Atque ἀθυμεῖν, non eſt timidum & meticuloſum eſſe, ſed animum deſpondere, non eſſe bono animo, quod non ſolum timidis contingit, ſed & audaciſſimis plerunque.

In loco, Vltio malefacti. Proverb. Adraſtia Nemeſis p 724. Ἀδράστεια μὲν ἡ Διὸς παῖς.] Ex his nominibus νέμεσις & ἀδράστεια, varia ſunt orta varia loquendi proverbialia: quæ omnia hic Eraſmus non ponit. uſus autem eorum quæ ponit, quum ſint diverſi, confundit. At ego quum ea confuſa eſſe non poſſim aliter quam diſtinguendo oſtendere, id præſtare conabor, ſimul nonnulla ex omiſſis, quæ mihi memoria ſuggeret, inſerens. præſertim quũ ſciam apud Græcos ſcriptores ea paſſim occurrere, ideoque, illorum cognitionem eos lecturo longe maximam utilitatem allaturam eſſe. Primum igitur, ἀδράστεια νέμεσις quum dicitur conjunctim, ita ut νέμεσις ſit proprium nomen, ἀδράστεια epithetum: tunc epithetũ ἀδράστεια: alii volunt ab Adraſto eſſe derivatum, ut dicatur Nemeſis Adraſtea, quæ ſortem Adraſti miro quodam modo gubernavit. quia quum ſolus inter duces ex bello Thebano evaſiſſet, ἐνεμέσησε τὸ θεῖον (animadvertere verbum eſſe ad eadẽ origine) id eſt, invidit divinum numen: adeõ ut ex poſteris ducum qui apud Thebas ceciderant dictiſq; Epigonis Diomedes & Stenelus, ac reliqui ſervati ſint, ſolus autem is qui ab Adraſto erat oriundus, vel, Adraſti filius, occubuerit. Alii autẽ epithetum ἀδράστεια ἐτυμολογοῦσιν à verbo ἀποδιδράσκειν, i.e. effugere. ἀπὸ τοῦ μηδένα αὐτὴν ἀποδιδράσκειν, inquit Pauſanias: id eſt, ex eo quod nihil eam effugiat. vel διὰ τὸ τῆς θείας δίκης ἀναπόδραστον. id eſt: quod nulla ſit ultionis divinæ evitatio. Hæc fere Euſtathius. Habes autem apud Suidam locum iſtum, in quo cõjuncta ſunt illa duo nomina: ἀδράστεια αὐτῷ νέμεσις τιμωρὸς ἐπετράγη καὶ ἀχάλινον λόγων ἡ ἀγλωσσία. quæ verba priuſquã citet, dicit: ἀδράστεια νέμεσις, ἣν οὐκ ἄν τις ἀποδράσειεν. poſtquam autẽ citavit, ſubjungit: ἀδράστεια ἡ νέμεσις ἀπὸ Ἀδράστου. At ego exiſtimo, eos qui his duobus nominib. cõjunctim uſi ſint ἀδράστεια νέμεσις, potius ad Adraſtum reſpexiſſe & ita Adraſteam nemeſim dixiſſe, ut Oreſteæ furiæ alicubi dictæ leguntur. Uſurpari autem hæc verba de iis, qui à proſpera fortuna in adverſam delapſi ſunt, ait Zenobius: quæ expoſitio & apud Suidam habetur. Addit autem Eraſmus, licere uti & in eos, quibus ob inſolentiam commutationem fortunæ minamur: ſunt minitantium hujoſmodi potius genera loquendi: ἔστι τις θεὸς ἡ ἀδράστεια: &, ἡ ἀδράστεια ὁρᾷ ταῦτα. quæ duo in unum conjungens Lucianus dixit: ἔστι τις θεὸς ἡ ἀδράστεια, καὶ τὰ τοιαῦτα ὁρᾷ. Sæpe item ἀδραστείας nomen præfantur dicto paulo exultantiori, vel inſolenti, aut invidioſo, ejus veluti deprecantes iram. ſic chorus apud Euripidem, quum exultantius in Rheſi laudes vellet erumpere, præfatur.

ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς,
εἴργοι στομάτων φθόνον.

Apud eundẽ Rheſus huic ſuæ orationi paulo inſolẽtiori,

ξὺν σοὶ ς ἐρῶ τοῦτ' εἰπὼ γλῶσσ' ἐπ' Ἀργείοις θέλω,
καὶ πάντας ἐλθὼν εἰς λάβ' ἐκπέρσαι δορί.

præfatur, ———σὺν δ' ἀδραστείᾳ λέγω.

Sæpiſſime autẽ hujuſmodi locis adhibẽt hanc ſermonis formulã oratores. ἀπείη ἡ ἀδράστεια. Lucian. ἂν ἀπάντων (ἀπείη δὲ καὶ ἡ ἀδράστεια) ἐπὶ συλλεγομένῳ ἀποφράξαι ἄν μοι δοκῶ τὸ στόμα. ubi animadvertere, ἀδράστειαν pro invidia accipi. perinde eſt enim ac ſi dixiſſet, ἀπείη ὁ φθόνος: i.e. Abſit dicto invidia. At Euripides in illis quæ modo protulimus verbis, vult ipſam deam Adraſteam invidiam ab ore evertere. Quinetiam illud mirari quis poſſit, quo modo apud hunc poetam Rheſus ſuæ orationis arrogantiam velut præmolliens, dicat,

———σὺν δ' ἀδραστείᾳ λέγω:

id eſt, adverbium, Cum Adraſtea dico: at vero Lucianus præmolliens itidem ſuæ inſolentia, ita loquatur, ἀπείη δὲ καὶ ἀδράστεια: hoc eſt, Abſit autem etiam Adraſtea. Sed animadvertendum eſt, in Luciani loco ἀδράστειαν pro invidia poni, uti dixi; at vero apud Euripidem pro dea Adraſtea: & dici σὺν δ' ἀδραστείᾳ λέγω, eo modo quo dixit Plato, ὥστε σὺν θεῷ εἰπεῖν, μηδὲν δεινὸν πάσχειν διὰ τὸ ὁμολογεῖν σοφιστὴς εἶναι i.e. Quod utinã deo benevolente, vel deo propitio, aut cum bona dei venia dictum ſit. Adeo ut σὺν δ' ἀδραστείᾳ λέγω, itidem interpretandũ ſit, Quod propitia Adraſtea, vel, cum bonâ venia Adraſteæ dici à me volo. Odioſo autem & acerbo dicto ita præfantur ἀδράστεια. Lucian. in Pſeudolog. ἀμὴν γὰρ ὑπὸ τοῦ πονηρίας ἐλαυνόμενος πολλῆς, ἀδράστεια φίλη οὐκ ἄν τινι ὀνειδίσαι μι συγγνωμῇ γε ἂν εἴης λιμώττης ζώμενος, &c. Plato l. De Rep. 5. προσκυνῶ δὲ ἀδράστειαν, ὦ Γλαύκων, χάριν οὗ μέλλω λέγειν. ἐλπίζω γὰρ οὖν ἔλαττον ἁμάρτημα ἀκουσίως τινὸς φονέα γενέσθαι, ἢ ἀπατεῶνα καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν καὶ δικαίων καὶ νομίμων. Jã vero illud, ἡ νέμεσις παρὰ πόδας βαίνει, explicatur his Luciani verb. loquentis de quodã qui in ea vitia inciderat, quæ in aliis magnopere damnaverat: ἰσχυρῶς ἀδράστεια ἐπὶ τοὺς κατὰ τῶν ἐφεστώτων εὐδοκιμοῦντι φ' οἷς κατηγόρεις τῶν ἄλλων, καταγελᾶν. ὡς ἂν θεὸς εὐθὺς τὴν μέλλουσαν σοι ἐς τὰ ὅμοια μεταβολὴν dixerat autẽ paulo ante: ταχεῖα γοῦν παρὰ πόδας εὐθὺς ἐπῆλθε δίκη, πρῶτος μὲν θεραπεύσαμεν τοὺς, &c. Illud obiter notandum eſt, videri eſſe finem verſus illud proverbiale dictum, ut legitur apud Suidam, ſi tantum ex πόδας feceris πόδα, hoc modo: νέμεσις δέ γε παρὰ πόδα βαίνει. Appellant autem ἀδραστείας θεσμὸν ſive νόμον, aut plurali numero νόμους, ultionem divinam. Syneſius in quam Epiſt. ὁ γὰρ προσευχὴν καὶ κερδᾶναι, νόμους ἀδραστείας αἰδέσθητι, μὴ οὐχὶ μικρὸν τι μέρος ἀποδιδόναι τῷ χρεωκοπουμένῳ τὸ πλεονάζειν. Sic & Galenus accipit utroque in loco, quem citat Eraſmus. ἀδραστείας θεσμόν. Sed hoc animadverti debet in priore, quod ait inevitabile eſſe, idem & à Plutarcho & aliis dici, & quidem eodem verbo ἐκφεύγειν, aut ſimili διαφεύγειν utentibus, adeo ut videri poſſit fuiſſe dictum alicujus celebre, & fortaſſe etiam proverbiale.

In loco, Diligentia. Proverb. Rurũ ſant. p. 200. ἀγροῦ πυγή.] Atqui nõ πηγὴ ſcriptum reperitur, ſed πυγή. id eſt nates. nec aliam ſcripturam præter hanc agnoſcit Euſtathius, qui ait, ductam eſſe à carneis natibus metaphorã: adeo ut nonnulli πυγὴν ἀγροῦ id eſt nates agri, acceperint pro pinguiſſima parte agri (eo modo quo dicitur οὖθαρ ἀρούρης, id eſt, uber terræ:) alii proverbialiter dictum putaverint de iis qui non ſolum agro, ſed cuivis loco aut operi perpetuo aſſiderent: aliis de valde ruſticis dictum eſſe placuerit.

In loco, Lautitia. Proverb ὑπερμαζᾶν. pag. 445. Vnde vulgari joco ducebant ὑπερμαζᾶν.] ὑπερμαζᾶν non ſignificat ſimpliciter, opipare vivere: ſed ſupra modum oppipare vel delicate. nam ὑπὲρ, exceſſum hic denotat: adeo ut nec egregias mazas, nec aliquid his etiam lautius ſumi, hac præpoſitione ſignificari exiſtimandum ſit.

In loco, Bonæ fortunæ. Proverb. Ad ſatietatem uſq; p. 739. Iu-

ſive Pollux vas plenum appellat ἰσοχειλὲς, *ſive* ἐπιχειλές.] Imo dicit: ἰσοχειλῆ μὲν, τὰ ἐπίμετρα, ὥσπερ χειλῆ, ὤν, ὑπεραίρει τὸ χεῖλος. ἐπιχειλὲς δὲ, τὸ ἐνδέον, alio loco: τὸ δὲ ἰσοχειλῆ μὲν τὰ πλήρη, ἐπιχειλῆ δὲ τὰ κατωτέρω χείλους. inſuper & alio: πλήρεις, ἰσοχειλεῖς, μεστόν. ἐπίμεστον, ἐμπλέων, ὑπέρπλεων, ὑπερχειλές, τὸ δὲ μικροῦ ἐνδεέστερον, ἀπλήρωτον, ἐπιχειλές. Vide ut aperte his tribus in locis ἰσοχειλὲς ab ἐπιχειλὲς diſtinguat, non, ut ait Eraſmus, eandem utrique ſignificationem tribuat.

In loco, Votum. Proverb. Vtinam ita ut, &c. p. 731. Vtinam ita ut male reperiſti jus, & ejicias male.] ἔνθεσις non ſignificat jus, ſed bolum, id eſt, fruſtum rei eſculentæ, quod in os inditur: ut in proverbio, Θετταλικὴ ἔνθεσις (omiſſo in hoc opere) & Antiphanem:

—ἀλλ' ὅταν τὴν ἔνθεσιν
ἐντὸς ἤδη τῶν ὀδόντων τυγχάνῃ κατεσπακώς,
τοῦτ' ἐν ἀσφαλεῖ νόμιζε τοῦτ' ὑπάρχον τοῦτο μόνον.

In loco, Sera pœnitentia. Proverb. Pura à nuptiis p. 767. Nuptiarũ expers, &c.] Plane ἀπροσδιόνυσον eſſe hoc exemplũ, animadvertet quiſquis totum Horatii locum legerit.

In loco, Abſurda Proverb. Mercurius infans. p. 13. ἑρμῆς ἀμύθητος: *id eſt, Mercurius infans, &c.*] At nõ ita uſurpatur ἀμύθητος, ſed paſſiva ſignificatione: pro, dictu impoſſibile, inenarrabile, ineffabile, immenſum. Quare ἀμύητος potius legendum.

In loco, Execrandi. Proverb. In omni fabula. p. 224. ἐν παντὶ μύθῳ.] Ita legiſſe Eraſmum apparet ex hac ejus interpretatione, In omni fabula. Habetur tamen apud Zenodot. θυμῷ: non μύθῳ.

In loco, Diſcriminis. Proverb. Apio opus eſt. p. 204. ὁ σελίνου δεῖται: *id eſt, Apio eſt opus.*] δεῖται impersonale verbum non eſt. ideo vertendum fuit, Opus habet, indiget, ſubaud. hic vel ille.

In loco, Inanis opera Proverb. humi hauris. pag. 329. Apparet dici poſſe, quoties exhauſta copia, non multum ſupereſt quod haurias.] At Zenodotus hoc proverbium iis annumerat, quæ in aggredientes impoſſibilia jactari ſolent, & vel tacente Zenodoto, hunc ſenſum ipſa verba præ ſe ferunt, quomodo enim liquorem aliquem, qui ſit in ſuperficie terræ, hauriemus? certe ab humo extet aqua neceſſe eſt, ut eam haurire poſſimus. Eraſmus tamen putat hoc dici, quia nihil eſt quod ab imo putei fundo haurias, ſi is ſiccus ſit. Atqui non ſolum ab imo putei fundo nihil haurire poſſis, ſed ne à medio quidem puteo, ſi is ſiccus ſit.

In loco, Veneficia. Prov. Ardens veſtis. p. 470. αἴθεις πέπλος.] Non video quomodo αἴθεις πέπλος ſignificare poſſit ardens veſtis: quum αἴθεις verbum ſit, non autem participium, nec nomen. Si ſublata litera σ, legas αἴθει πέπλος, ſonabunt hæ voces, Ardet veſtis. Itidem αἴθεις ἐν πέπλῳ non ſignificat, Ardens vel incenſus in veſte: ſed Ardes vel incenderis: accipiendo αἴθειν pro paſſivo αἴθεσθαι.

In loco, Profuſio. Prov. Drachma grandinans. p. 601. δραχμὴ χαλαζῶσα. *Miſſilium mos, &c.*] Senſum verborum Zenodoti nõ eſt aſſecutus, alioqui tamen minime obſcurũ, ea ſunt: ἐπὶ τοῦ Διοφάντου τὸ θεωρικὸν ἐγένετο δραχμή, ἐπεὶ δὲ τότε ἔπεσε χάλαζα τότε ἀπὸ τοῦ ἀέρος, χαλαζῶσαν αὐτὴν ἐπέσκωπτον. i.e. Sub Diophanto theorica pecunia fuit drachma: quũ autem grando è cœlo tum cecidiſſet, eam drachmã per jocum appellabant grandinantem. Hæc Zenodotus, à quibus Eraſmus, ut videmus, longe diſcedit: dum ea ſuo commento adaptare vult, non animadvertens ſe ab eo quem authorem citat, plane diſſentire. Iſtud enim commentus eſt de drachma theatrali præmio, eã, velut grandinis in morem, in populũ ſpargi ſolitam. Quibus adjungit, tanquam ex Zenodoto: Unde ſi quando grando accidiſſet, per jocum ajebant, Drachma grandinans: quũ Zenodotus non dicat ipſam grandinem appellatam Drachmam grandinantẽ, ſed vice verſa drachmam vocatam fuiſſe grandinantem, quod forte fortuna, dum ea in theatro diſtribuebatur, grando de cœlo cecidiſſet. Quod perinde eſt, meo quidem judicio, ac ſi drachmam ſanguinolentam vocaſſent eam, quæ dum ſingulis divideretur, exorta cædes & fuſus ſanguis fuiſſet. Sed Eraſm. quum hæc verba, ἐπεὶ δὲ ἔπεσε χαλάζα τότε (id eſt, Quia autem cecidit grando eo tempore) interpretaretur. Si quando grando cecidiſſet, non mirum eſt ſi dictum ſequens inverterit. Cæterum quod ad vocem θεωρικὸν attinet, neſcio cur præmium theatrale interpretetur: quũ potius veluti ſtips quædam fuerit. Item ἐπὶ Διοφάντου male vertit, A Diaphanto inſtitutum: quum ſignificet Sub Diophanto, Tempore Diophanto, Sempore Diophãti, ut ſi diceretur, ἐπὶ ἄρχοντος ἀθήνησι Διοφάντου. apud Zenodotũ mendoſe ſcriptũ eſt, ἐπὶ τῶν Διοφάντου, pro ἐπὶ τοῦ Διοφάντου, aut ſine articulo, ἐπὶ Διοφάντου, ut apud Heſychium. Apud Suidam autem ἐπεὶ ἔτι pro ἔπεσε: item χαλαζῶν pro χαλαζῶσαν male legitur. Quanquam cum ἐπεὶ ἔτι ſenſum aliquem eſſe haud nego: ſed cum illo minime convenire exiſtimo, & ... dicitur: ... τῶν ἀέρος, nequaquam.

In loco, Garrulitatis. Prov. Leviſſima res oratio. p. 298. κουφότατον πρᾶγμα λόγος: *id eſt, Leviſſima res, oratio.*] Minime vero Synesius propter hæc ſola verba dixit, τοῦτο δὴ τὸ θρυλούμενον: ſed propter hæc omnia, λόγου κουφοτάτου πράγματος βαρυτάτην ζημίαν, cujus dicti Plutar. etiam autorem citans Platonem, ait: διὸ κουφοτάτου πράγματος, ὥς φησιν ὁ Πλάτων, λόγου βαρυτάτην ζημίαν τίνειν. & in eo ipſo qui hic ex Platone citatur loco non legimus, κοῦφοι καὶ πτηνοὶ λόγοι: ſed, κούφου καὶ πτηνῶν λόγων βαρυτάτη ζημία. Non dubium eſt ergo, quin proverbium cujus meminit Synesius, conſtet his aut ſynonymis verbis: κουφοτάτου πράγματος λόγου βαρυτάτη τιμωρία, id eſt: Leviſſimæ rei ſermonis graviſſima pœna. Omiſit tamen vocabulum λόγου, utpote de quo perſpicuũ eſſet ... (quum præceſſiſſet, περὶ τῆς ἀνθρώπων γλώττης) de quo celebrari dictum iſtud ſolet notiſſimum. Cæterum animadvertendum eſt, huic dicto non parum addere gratiæ eam quæ eſt inter κουφοτάτου & βαρυτάτην antitheſin, quam & alibi ſervavit, de ipſo ſermone aliud quiddam dicens, non longe ab illa proverbiali ſententia remotum, ſic enim lib. De legib. 11. loquitur: ... λόγων, κούφου πράγματος, ἔργῳ μισεῖν τε καὶ ἔχθραι βαρύταται γίγνονται. Antitheſi uſum hic eſſe dico? Imo vero duabus eſt uſus: quum enim dixit, ἐκ λόγων ἔργῳ ... βαρύταται, ad illud loquendi genus alluſit quod paſſim eſt obvium, ἔργῳ, καὶ οὐ λόγῳ.

In loco, Fruſtrata ſpes. Prov. Murem oſtendit pro leone. pag. 270. Μῦν ἀντὶ λέοντος ἀπέδειξε.] Quin potius ita vertiſſe & explicuiſſe hoc proverbium debuit Eraſmus: Murem pro leone reddidit: vel, Ex leone murem effecit: Proverbiali ſchemate dictum: pro eo quod eſt, Eum qui leoninam quandam ferociam præ ſe ferebat, reddidit mure non minus placidũ, vel: Eum qui tanquam leo quidam, formidoloſus aliis eſſe volebat, reddidit murem nihilo formidabiliorem. Vide proxime ſequentem annotationem.

Ibid. Deinde murem pro leone exhibuit ſcelus.] Per tranſennam certe, quod ajunt, hæc Synesii verba ſtrictim aſpexerat Eraſm. alioqui enim ea neq; ita interpretatus eſſet, neq; talem in iis metaphoram eſſet imaginatus. Loquitur n. Synesius de Andronico, homine ſuperbia incredibili prædito, & effrænem uſurpante potentiam cujus ... Julius ita impetum retuderit, audacter eum conviciis proſcindendo, ut illum ex leone murem reddiderit, unde & ſubjungit, Julium Andronico uti tanquam vili mancipio: utpote qui ne in angulis quidem adverſus dominum vel ſurſum clam edere audeat. Dicit autem Andronicum à Julio redditũ eſſe ex leone murem: pro eo quod eſt, ex ferociſſimo placidiſſimum, vel ex formidabili ſupra modum ut quidem videbatur, mure nihilo magis formidabilem. Fortaſſe &, ad utriuſq; beſtiæ morſum alluſit, perinde ac ſi dixiſſet, Andronici morſum ex leonino quodam (qualem videlicet ille præ ſe ferebat) redditum fuiſſe à Julio murinum. At Eraſ. ita interpretatur, quaſi κάθαρμα nominativus ſit, nõ accuſativus: & non Andronicus, ſed Julius vocetur ſcelus, id eſt, vir ſceleratus: qui dicatur murem pro leone exhibuiſſe, hoc eſt ingentia pollicitus, & fortia, longe diverſa exhibuiſſe.

Quo-

Digitized by Google

Quorum dictorum ne umbram quidem apud Syneſium quiſquam reperire queat.

In loco, Aſperitas. Proverb. Difficilis vir. p. 72. Forſan & innocentem culpet vir ſævus & acer.] Poſſit aliquem impellere in errorē hæc interpretatio: utpote qui eam legens, exiſtimaturus ſit Homerum dicere, Quiſquis eſt vir ſævus atq; acer (ita enim vertit δεινὸς) ille fortaſſe etiam innocuum culpare poſſit, quum Homerus non generaliter de quolibet viro qui ſit δεινὸς, hoc dixerit: ſed de certo quodam, nimirum de Achille, imo vero quū ne cohæreat quidem apud eum δεινὸς cum verbo αἰτιόῳτο, id eſt culpet: ſed diaſtole interpoſita ab illo disjungatur, idq; in vulgatis quoq; editionibus: verum poſt οἷος ἐστίν nullam habent, quum tamen ibi quoq; opus ea eſſe putem, ut ita dicantur hæc veluti conciſim: Ipſe probe noſti qualis ille ſit: nimirum eſt vir acer: adeo quidem, ut fortaſſe (vel potius ſtatim) etiam culpa vacantem culpaturus ſit. Itidem Cicero verſum Homericum uſurpans, δεινὸς ἀνὴρ cum αἰτιόῳτο nō conjungit. Sic enim ait libro Epiſt. ad Attic. 13. Volo Varronem, præſertim quum ille deſideret, ſed eſt, ut ſcis, δεινὸς ἀνὴρ, τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο, Perinde eſt enim hic ſive dicas, Sed eſt, ut ſcis, δεινὸς ἀνὴρ: ſive, Sed eſt δεινὸς ἀνὴρ, ut ſcis, τάχα κεν, &c. Cæterum an in proverbium abierit hic verſus, ſicut & proxime ſequens, alii viderint. De hoc ſane dubitare nemo poſſit: at illum cur à Cicerone uſurpari dicamus proverbialiter, potius quam aliquot alios, quos paſſim in eodem Epiſtolarum volumine, ſuo ſermoni inſerit? Lucianus quidem certe, quum dicit, ἀναίτιον δοκεῖς μοι, τὸ τὸν ποιητὴν, αἰτιᾶσθαι αὐτόν, proverbii locum hæc verba occupare non vult, meo judicio.

In loco, Contemptus, Proverbio, Minus de iſtis laboro quam de ranis. p. 138. Nihil omnino ad nos pertinere negocium.] Vel potius, nihil omnino nos curare negocium, nam οὐδὲν μέλει τούτων, non ſignificat, Hoc ad me non pertinet: ſed, Hoc nihil curo. Diverſa autem hæc eſſe conſtat: quum multi non curent quæ ad ſe vel maxime pertinent: contra vero curæ habeant aliena, & ad ſe nihil pertinentia. Cæterum ita efferendo proverbium ut hic habemus, μέλει μοι τῶν τοιούτων οὐδὲν ἧττον τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων, ſupervacaneum videtur eſſe οὐδέν. Certe apud Julianum παρὰ βάτραχον in Oſore barbarum, ita plane effertur ut hic (& inde fortaſſe Suidas deſcripſit) ſed abſq; hoc adverbio ἧττον. Sic enim ille: χαίρειν δ' ἔασον τὸν ὀρχηστὴν καὶ τὰ χαίτων. οὐχ ὅτι τοὺς ἄλλους ὑπεριδὼ τούτων, ἀλλ' ὅτι μέλει μοι τῶν τοιούτων ἧττον ἢ τῶν ἐν τοῖς τέλμασι βατράχων. Suſpicor autē duplicem lectionem cauſam hujus erroris præbuiſſe: quod videlicet quum legeretur, μέλει μοι τῶν τοιούτων ἧττον, item (reſolvendo ἧττον in οὐδὲν μᾶλλον) ſic μέλει μοι τῶν τοιούτων οὐδὲν μᾶλλον τῶν, &c. poſita fuerit una lectio nimirum cum ἧττον, ſimulq; ex duobus vocabulis in quæ reſolutum fuerat ἧττον, videlicet οὐδὲν μᾶλλον, remanſerit alterum. Certe ſi velimus lectionem quam habemus, interpretari ad verbum, ſenſus erit contrarius, nimirum hic: Non minor eſt mihi rerum hujuſmodi cura, quam ran. &c. Unū duntaxat video effugium, ſi videlicet hæc duo, οὐδὲν ἧττον, non conjungamus, ſed alterum ab altero hypodiaſtole disjungētes, dicamus, Nihil curo res iſtas: minus, inquam, curo quam ranas paluſtres. Sed poſt οὐδὲν. ponendo ἧττον τῶν, &c. oratio deficeret, nam qui ſibi nullam omnino rei alicujus curam eſſe ait, plus dicit quam qui, per comparationem loquens, rem quampiam ſibi minori curæ eſſe quam hoc vel illud, dicit. Niſi forte aliquis hyperbolen id excuſare putet.

In loco, Intemperantia; Proverb. ἱπποµανεῖν. *p. 411.* ἱπποµανεῖν.] Si attentius Ariſtotelis verba expendiſſet, mulieres viroſas non ἱπποµανεῖν dici (quale enim illud eſſet; viroſam fœminam ἱπποµανεῖν: id eſt, equi coitum inſane appetere?) ſed ἵππους, id eſt, equas, probroſo nomine appellari animadvertiſſet. Ait enim: ἐπὶ τὴν βλασφημίαν τὸ ὄνομα αὐτῶν ἐπιφέρουσι τὴν ἐπὶ τῶν ἀκολάστων περὶ τὰ ἀφροδισιάζειν, id eſt: Nomen ipſarū, (equarū videlicet) ad convicium in libidinoſas mulieres torquent. At nomen equarum Græcis non eſt ἱπποµανεῖν, ſed ἵπποι. Igitur mulier viroſa dicetur ἵππος, non ἱπποµανεῖν, quod videlicet ut equa ἱπποµανεῖ, id eſt, ad furorem uſq; coitum equi appetit: ita etiam ipſa ἀνδροµανεῖ, id eſt, inſanit præ deſiderio cōſueſcendi cum viro. Abſit enim ut mulieres ſibi libidinoſas ſuſpicemur ἱπποµανεῖν, niſi forte quæpiā inveniatur mōſtroſa libidine percita, poſſit enim ea ἱπποµανεῖν, itidem ut Paſiphae ἐταυροµανεῖ, ſi credere dignum eſt. Sed & hoc ſecum pugnat, viroſam fœminam ἱπποµανεῖν, perinde eſt enim ac ſi dicas, ἀνδροµανοῦσαν fœminam ἱπποµανεῖν. Cæterū notandū eſt, hinc eſſe quod Græci meretricē perditæ & inexpletæ libidinis ἱππόπορνον nominarunt: non, ut quidam grammatici nugantur, quod ἵππος in hoc vocabulo, ut & in aliis nonnullis, ἐπὶ τοῦ μεγάλου accipiatur. Locum autem Alciphronis, in quo vocem illam uſurpat, ex Theſauro noſtro pete.

In loco, In ſtupidos. Proverb. Ovium mores. pag. 398. Προβάτων ἦθος.] Etſi Ariſtophanis enarratori aſſentior, προβάτιον βίον exponenti μωρὸν καὶ ἀνόητα, tamen προβάτων ἦθος, id eſt, ovium mores, non minus in bonam quam in malam partem interpretari nos poſſe exiſtimo: de ſimplicibus videlicet ac placidis. Nam & inter cætera hoc ait Ariſtoteles, quod omnes uſu compertū habent, ovem ἀλφίφρονα καὶ πρᾳότητα: & apud Suidam, ἀμνοὶ τοὺς πράους, αὐτὶ τοῦ πρᾳεῖς ἀνθρώπους, ἁπλοῖ, οἱ χαλοί: ἢ μαλακοί. & apud Æſchylum προβατογνώμων, pro ἁπλοῦς καὶ ἄκακος τὴν γνώμην, poſitum reperi, in Agamemnone, pag. 200. meæ editionis.

In loco, Similitudinis. Proverb. Conto navigo. pag. 645. Conto navigare dicebantur, qui ſic rebus uterentur, quemadmodum uti conveniebat.] Videant viri docti, anon ſit alius ſenſus hujus proverbii, Conto navigare. Legūtur enim apud Ammianum Marcellinum libr. 18. hæc verba: Non contis, nec remulco, ut ajunt (id eſt, non flexiloquis ambagib⁹, vel obſcuris) ſed velificatione plena in Rempublicam ferebatur. Ex quo loco perſpicuum mihi videtur eſſe, eos qui contis navigarent, id eſt, quorum navis contis propelleretur, non expedite, ſed lente ſolitos navigare. Unde per metaphoram conto vel contis navigare recte dicetur, meo quidem judicio, qui non cum ſummo conatu & omni virium contentione, nec quanta poteſt celeritate, ſed pedetentim & ſedato niſu negocium aliquod agit: aut qui vires quidem omnes adhibet, nervoſque intendit omne, ac feſtinat quantū poteſt: non multum tamen promovet, ſed lentos progreſſus facit. Aut brevius, Qui aliquod negocium lente & paulatim, non celeriter nec efficaciter agit: aut quod nolit, aut quod non poſſit. Ut autem contos & vela videmus hic oppoſita: ſic remos & vela Cic. inter ſe opponit, paulo tamen diverſo ſenſu, lib. Tuſc. quæſt. 4. ita loquens: Quærebam igitur utrum panderem vela orationis ſtatim, an eam ante paulum dialecticorum remis propellerem, id eſt, Utrum oratione libera & expedita ſtatim de re propoſita diſputarem, an vero ad eam diſputationem pedetentim accederem, moleſtis illis & laborioſis partitionib. ac diffinitionib. prius explicatis. Opponit. n. hic Cicero laborem & tarditatem quæ eſt in remigando, facilitati & celeritati velificationis. At Ovid. cum ait, Difficile eſt tamen dicere, remis ne an vento hic uti debeas: perinde eſt ut opinor, ac ſi verbis Horatianis (quæ & ipſa habent allegoriam) dixiſſet, altumne urgere an littus premere debeas, in alto enim potius quam in littore panduntur vela, unde ille apud Virg.

Litus ama, & lævas ſtringat ſine palmula cautes.
Altum alii teneant.—

His autem verb. Altumne urgendū, an litus premendū tibi ſit, ſignificat Ovid an intra humilia loca te cōtinere, an excelſa & anguſta petere oporteat: an tibi ſatis eſſe debeat ſi à populo excipiaris, an principem ipſum adire, & ut te excipiat rogare debeas. Alloquitur enim poeta librum ſuum, quem Romam mittit: cui quum hæc, inter cætera dixiſſet.

Forſitan expectes, an in alta palatia miſſum
Scandere te jubeam, Cæſareamq; domum:
Ignoſcant anguſta mihi loca, &c.

verſibus aliquot interjectis, quibus cur loca illa reformidet, exponit: hos ſubjungit:

Ergo cave liber, & timida circumſpice mente
Vt ſatis à media ſit tibi plebe legi.
Cum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
Difficile eſt tamen hic remis utaris an aura,
Dicere: conſilium reſq; locuſq; dabunt.

Nam hiſce duobus poſtremis carminibus in dubium revocat quod modo dixerat:

Vt ſatis à media ſit tibi plebe legi.

Quanquam, inquit, quem curſum tenere debeas, pro re nata deliberabis. Perinde ac ſi diceret: Nihil certi tamen poſſum ſtatuere, an timide intra humilem locum te continere, & quod à media plebe legaris, boni conſulere, an curſu audaciore ad ipſum uſq; Principem contendere oporteat. Unde & ſequitur:

——*Adi* (ipſum videlicet Cæſarem)
Si poteris tradi vacuo: ſi cuncta videbis
Mitia: ſi, &c.

Et mea quidem de hoc loco ſententia hęc eſt. At is cujus extant in illum librum commentaria, Remis an aura, exponens, ait: Tuo an alieno auxilio, vel odio, an favore, aut (quod magis placet) difficultate adeundi Imperatoris, an facilitate. Ita ille: qui quam bene ſentiendo, à me diſſentiat, aliorum eſto judicium. Neminem certe exiſtimo eſſe, qui abſurde illud à poeta dictum iri non perſpiciat, Difficile eſt tamen dicere odio ne an favore, vel utrum difficultate adeundi Imperatoris, an facilitate uti debeas. Sed enim (dicet fortaſſe quiſpiā) utaris nō pro uti debeas, ſed pro uſurus ſis, videtur accepiſſe is qui hāc explicationem attulit. Atqui utaris, linguæ Latinæ conſuetudinem ſequendo, accipi ita vix poteſt. Eſto tamen ſic accipi, quid ſpectantes, remotum appellatione odiū intelligere poſſemus? Deinde cum præcedentib. verſib. declaret ſuam cymbam horrere Cæſaris adire palatia, ideoq; timida mente circumſpiciendum ipſi libro, ut ſatis ſit illi à media legi plebe: conſiderent omnes, quomodo illis cōſentanea ſubjuncturus ſit, ita loquens: Difficile eſt tamen dicere, poſtquam illuc veneris, ordine an favore Cæſaris ſis uſurus: vel facilem an difficilē aditum ad ipſum Cæſarem ſis habiturus: verum ibi pro re nata & pro tempore conſiliū capere poteris. Hactenus de hoc loco: quem ideo citavi, ut cum Ciceroniano cōferrem: cum utroque autem illum Ammiani conferre poſſem. Sed aliquis ſcire velit an perinde ſit ſive dicamus, Contis aut conto navigare: ſive, Remis aut remo navigare. Ego nullum aliud diſcrimen eſſe puto, quam quod remo navigare generalius dici poſſit: conto navigare is videatur dici, qui minore quopiam navigio utatur, illud conto propellens, nam κοντωτὰ πλοῖα minora eſſe navigia (qua de re Lazarus Baiſius non admonet) ex Appiano ſatis conſtat. Cæterum quod ad locum Ammiani attinet, in eo non contis, nec remulco, in recentioribus editionibus legi ſcio: at priores hanc lectionem habuiſſe, Non contis nec ramulis, ipſe Eraſmus oſtendit: ubi pro ramulis reponendum cenſet remulis, ut videlicet diminutivum ſit à remus. At ego doctos viros rogo, ut etiam atque etiam expendant, an non potius palmulis, quā remulis aut remulco reponi debeat. Jam vero cum ex hoc Ammiani loco probare conatus ſum, alium hoc adagiū ſenſum præ ſe ferre, quam eum quem Eraſmus affert, etiam à Suida (cujus tamen verbis nec ille prorſus inſiſtit) diſſentire me non fui neſcius. Sed viderit Suidas (ſi modo ejus exemplar eo loco depravatū non eſt) quo reſpiciens, dixerit: κοντῷ πλεῖν, παροιμία, ἤγουν τεθνηκότως ζῆν, fieri enim poteſt ut occulta quempiam ſit hujus explicationis ratio. Eraſmus certe hujus ſuæ expoſitionis (Conto navigare, eſſe vitæ genus ſuo accommodatum ingenio ſequi) rationem reddere futilem mihi videtur: ideo videlicet illud proverbialiter dici, quod contus ad nullum alium uſum ſit accommodatus, quam ad navigationem.

In loco, Infortunii. Prov. Cilicum exitium pag. 754. κιλίκιος ὄλεθρος.] Hic Cilicii duces pro Ciliciis hircis poſiti ſunt, neſcio magiſne periculoſo errore, an ridiculo. Suidas Κιλίκιος τράγος ὁ δασύς. τελοῦσι γὰρ ἐν Κιλικίᾳ γινόμενοι τράγοι, ὅθεν καὶ τὰ ἐκ τῶν τριχῶν συντιθέμενα, κιλίκια καλεῖται. Heſychius: Κιλίκιοι λόγοι, ἐπεὶ ἀεὶ ἀφόριστοι εἰς κύρβασιν, ἢ κυρβασίαν· ἢ τράγοι δασεῖς, καὶ τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα, κιλίκια. Sed unde ἐκ τράγων στρατηγοὺς, id eſt, ex hircis Imperatores ſeu Duces, factos eſſe dicemus. Ego errorem hunc natum eſſe ex aliquo exemplari ſuſpicor, in quo λάγοι pro τράγοι, omiſſa per incuriam una litera, ſcriptum eſſet. Credibile eſt enim, lectorem quempiam cum λάγοι nihil ſignificare videret, accentu in priore ſyllaba collocato, eū in poſteriorē retrahendo, feciſſe λαγοὶ ex λάγοι: Deinde vel eum ipſum, vel alium qui poſtea ſupervenerit, vocem hanc στρατηγοὶ illi λαγοὶ (utpote raræ & obſcuræ, atque adeo poeticæ) pro explicatione ſuperſcripſiſſe, aut certe è regione illius adſcripſiſſe. Errores ex eodem fonte ortos in variis libris deprehendi non paucos: unde fit ut de hoc minus dubitem, quin hanc originem habuerit: ita tamen ut aliis dubitare per me liceat.

In loco, Vis injuſta. Proverb. Centaurice. p. 710. Quis oſtium pulſavit ita centaurice.] ὡς κενταυρικῶς, cum præcedente verbo ἐπάταξεν, non jungitur, ſed cum ſequenti ἐνήλατο, ut ſit: Quis oſtium pulſavit? quam centaurice inſilit quiſquis is eſt. Admirative igitur poſitum ὡς non pro οὕτως.

In loco, Frugalitas, Proverb. Cilicii Imperatores. p. 266. Vnde & κιλικίζεσθαι dicuntur. &c.] Errorem in Heſychii exemplarib. ſatis per ſe gravem auget Eraſmus, quum dicit: Unde (id eſt à qua voce κιλίκιοι quæ robuſtos, ſordidos & magnos ſignificat) & κιλικίζεσθαι dicuntur, qui pravis ſunt moribus. Nemo eſt enim qui hanc deductionem conſiderans, quemadmodum hoc verbum, ita etiam illud adjectivū nomen de hominib. dici non exiſtimet. Atqui de panibus dictum eſſe ab Heſychio poſtquam unam ejus vocem correxero, comperietur. Corrigam autem ex autoritate Athenæi, cujus verba commoditim mihi in mentem venerunt, dum in ea emendanda non parum, ut ingenue fatear, laborarem. Ea vox eſt ἄνδρες quam perperam eſſe poſitam contendo, pro ἄρτοι, ut ita legatur hic Heſychii locus. κιλίκιοι ἄρτοι ῥυπαροὶ μεγάλοι. Sic enim Athen. lib. 3. Πλάτων δ' ὁ κωμῳδοποιὸς ἐν Νυκτὶ μακρᾷ τοὺς μεγάλους ἄρτους καὶ ῥυπαροὺς κιλικίους ὀνομάζει διὰ τούτων· κᾆτ' ἄρτος ὁδὶ πελάθων μὴ τῶν καθαρῶν, ἀλλὰ μεγάλους κιλικίους.

Ibid. Memorantur κιλλικύριοι &c.] Non κιλλικύριοι, ſed καλλικύριοι, hi appellantur à Suida & cæteris, & ab ipſo Eraſmo col. ſequente: nec quicquam ad hoc proverbiū pertinent. Sed nec illud, Κιλλικῶν ἀγαθῶν, quicquam cum proverbio de quo agitur, commune habet. Illam autem explicationem τῶν κιλικίων λόγων, aliis excutiendum relinquo.

In loco, Proprii commodi ſtudium. Prov. Civitates ludimus. p. 603 Alluſit ad hoc proverbium Plato.] Alluſiſſe ad hoc proverbium videri poſſet, ſi ita ſcripſiſſet, ἀλλ' ἡ πλείστη τῶν παιζόντων, ſed quum ſit τὸ τῶν παιζόντων, id eſt, quemadmodum vulgo dicunt ludentes: hic certe ludentes ſignificat potius jocantes meo quidem judicio (ut paſſim quum dicitur, τοῦτο δὴ τὸ παιζόμενον: & ὡς φασιν: vel [illegible] οἱ παίζοντες) quam refertur ad ludentes ludum illum πόλεις. Nam etiamſi alluſionem hanc ipſa orationis forma faciliſſime admitteret, tamen an ſatis ſententiæ quadraret, conſiderandum eſſet.

In loco. Manſuetudo, Prov. Cera tractabilior pag. 498] εὐπλατίστερος, tractabilior exponi nō poteſt, nam à πλάτος εὐπλατής deducitur, & valde latum ſeu peramplum ſonat: ut ἀπλατής, εὐπλατίστερος, latitudinis expers; ab eodem ſubſtantivo derivatum. Sed εὐπλατίστερος, accommodando genitivo κηροῦ, interpretandum eſſet, Cera dilatabilior (ſi hoc vocabulum liceret uſurpare) id eſt, qui facilius quam cera dilatatur. Quanquam nō placet hæc lectio: ac legendum puto, εὐπλαστότερος, nam cera arbitrio formari ac fingi poteſt.

In loco, Contemptus. Proverbio, Bos Homoletterum. pag. 115.

Βοῦς

βοῦς ὁ μολοττῶν.] Quinam ſint illi Homolotti, diu multumq; licet quæras, lector, non invenies: nec Homolottorum mentionem factam à Zenodoto reperies (quod Eraſmi pace dictum velim) ſed Molottorum. Quid igitur Eraſmo depravationis occaſionem præbuit? Articulus ὁ non bene à genetivo μολοττῶν disjunctus. quum enim legendum ſit, βοῦς ὁ μολοττῶν, legit ille βοῦς ὁμολοττῶν. En quam levis res quá gravis erroris cauſa extiterit.

In loco, Malum acerſitum, Proverbio, Arcadiam me poſtulas. p. 490. Arcadiam me oras, &c.] Vertit, Haud dabo quicquam: non animadvertens particulam ἄ hic eſſe παραπλήρωμα ſolum, ut ſæpe apud ſcriptores etiam proſæ orationis. Debuit enim vertere, Haud dabo, vel ſubaudito vel expreſſo relativo pronomine illam, ſive eam. Apud Suidam legitur ἄλγε, apud ipſum Herodotum ἔτι, quam lectionem ſequens Eraſmus, in errorem non incidiſſet. Quinetiam penultimum ipſius oraculi verſum hanc interpretationem aperte refellere, perſpicere poterat, ſi animum attendiſſet. Eſt enim hujuſmodi:

Δώσω τοι Τεγέην ποσσίκροτον ὀρχήσασθαι.

Ceterū hujus proverbii uſus ex Libanio cognoſci poteſt, cujus hæc verba ſunt in Epiſt. ad Acacium, quæ eſt 40. in veteri codice: δοκεῖν δέ μοι εὖ καὶ τὴν Ἀρκαδίαν αἰτεῖς παρ᾽ ἐμοῦ, μὴ ἂν εἰ τῶν, οὔτοι δώσω, δοίην ἂν χαίρων ὤν. Item in quadam ad Maximum, quæ eſt 201. Ἀρκαδίαν σε αἰτῶν μέγα αἰτῶν τὸ δ᾽ ἄκρον πλέον μεταβεὶς ἐρῶ ὅτι δώσεις πολλά γὰρ δὴ καὶ ἕτερα δέδωκας, μείζω τῆς Ἀρκαδίας, ἐκεῖνα, &c. Non dubium eſt autem, quin & penultimum verſum eleganter propoſito noſtro accommodare poſſimus verbi gratia, ſi quod à nobis petitur, recuſantes, aliud ejus loco, minus tamen daturos nos polliceamur: eleganter dixerimus, Ἀρκαδίαν μ᾽ αἰτεῖς, οὐ δώσω, τι μέγα δ᾽ αὖτ᾽ αὐτῆς δώσω. Sed ego neſcio quomodo argumenti mihi propoſiti fines egredior.

In loco, Abſurda, Proverb. Mari è Foſſa aquam. p. 18. Simile illi, βῶλος ἀρούρας] Lege potius, βῶλος ἀρούρᾳ, id eſt, Gleba arvo.

In loco, Feſtinatio præpropera, Proverb. Muſcum demere. pag. 240. ἄμνια θερίζειν.] Corrupteritne hoc proverbium Eraſmus deſcribendo, an ex libro in quo corruptum haberetur, deſcripſerit, neſcio. utut ſit, inſigniter profecto ſcriptura in eo depravata eſt. Nam Euſtathius, poſtquam dixit, Σημείωσαι δὲ καὶ ὅτι ὁ ἀμνὸς καὶ θηλυκῶς ἡ ἀμνή, παρ᾽ ὃ ἄρνα τὸν μέχρι τῆς ἡλικίας, καὶ ὅτι ἀμνὴ ἀναίσχυντον ἄρνα δηλοῖ: addit, καὶ ὅτι, παροιμία ἀμνεῖν, τὸ θερίζειν, ἐπὶ τῶν ἐκ διαλείμματος τιμωρουμένων, τὰ γὰρ ἀρνία ἐν τῷ ἔαρι ἄκαρπα ἐᾶται. Et Heſych. ἀμνεῖν, τὸ θερίζειν. Proverbium igitur unica effertur voce ἀμνεῖν quod additur τὸ θερίζειν, ad ejus explicationem pertinet non autem ejus pars eſt, nec quicquam eſt huic proverbio cum muſco commune: ſed ab agnis ductum eſt, quibus (apud Euſtathium ἄκαρπα pro ἄκαρτα lego) certo tempore, vere videlicet, intonſis eſſe permittitur. Quoniã igitur paſtores non omni tempore illis moleſti ſunt, illos tondendo: ſed nõ niſi poſt certum temporis intervallum ad eos tondendos revertuntur: de iis dicitur proverbium, qui repetitis per intervalla pœnis puniuntur. Non video enim quomodo commodius interpretari hæc Euſtathii verba poſſim, ἐπὶ τῶν ἐκ διαλείμματος τιμωρουμένων. quarum vocum poſtrema mihi ſuſpecta eſt. Quod ſi mihi eam mutare liceret, τιμωρουμένων in τὸ θεριζομένων mutarem: ut ſenſus eſſet, de iis dici proverbium, qui non aſſidue emolumento alicui aut lucro inſtarent, ſed certa ejus percipiendi tempora expectarent: quemadmodum videlicet paſtores certum tempus anni ab agnorum tonſura intermittunt. Quid ſi vero ex τιμωρουμένων faciendū eſſe τὸ δωρουμένων dicerem? Nihil, ut opinor, magis vicinum illi participio excogitari poteſt. Verum objiciet aliquis fortaſſe, θερίζειν metaphorice dici eum debere cui detur, non eum qui dat. nam qui dat, ſerenti: qui accipit, meteriti comparandus videtur. Cui quod reſpondeam non habeo, niſi iſtud; ex relativis, qualia ſunt dare & accipere, alterum pro altero ſæpenumero poni.

Ibid. μυῖον enim muſcus, & additione literæ ἄμνιον.] Ut ſuã hanc interpretationem tueatur, Muſcum demetere, hoc addit, ἄμνιον, dici pro μνίον, ut ἄσταχυς pro στάχυς: ſed ἁμάρτημα eſt hoc ejus dictum. Ac vero ſimilius fuiſſet, ἄμνια corrupte poſitum eſſe pro τὰ μνία: cujuſmodi errores nonnunquam occurrunt. Ceterum mira videri non debet hæc depravatio, ἄμνια θερίζειν: pro, ἀμνεῖν τὸ θερίζειν: cùm etiam Euſtathii commentariis habeatur ea lectio quam dixi: & tamen index in illos habeat ἄμνιον θερίζειν, ad illum ipſum locum remittens lectorem, in quo ſcriptum eſt ἀμνεῖν τὸ θερίζειν.

In loco, Bona fortuna. Prover. Ex tu pluit. p. 102. ἄλασιν ὗε.] Si reperit in ſuo exemplari ἁλσίν, non debuit interpretari Lucanicis, ſed ſale: ſin vero habuit in ſuo codice ἄλλασι, non debuit nobis dare pro eo ἄλασιν: interim tamen illud, non hoc interpretari. Sed quum poſtea ſcribat ἀλλᾶς & ἀλλαντοπώλαι, & unico λ, & cum aſpero ſpiritu, ut in ἅλας, id eſt ſal: ſuſpicor illum ſcripturam hanc in ſuo exemplari inveniſſe ἄλασιν: verū ut ἀλλᾶς Lucanica, ita ἄλασιν Lucanicis ſignificare crediſſe. Quanquam etiamſi ἅλας pro Lucanica recte ſcriberetur in nominativo ſingulari, nec eſſet neceſſe ἀλλᾶς cum tenui ſpiritu & duplici λ ſcribere: tamen quum nominativum ſingularem ἀλᾶς pro Lucanica, ab ἅλας pro ſale accentu ſaltem diſtingueret: debuit & dativum pluralem accentu itidẽ diſtinguendum exiſtimare. Ceterum Græcos ſalis appellationem ſæpe in plurali numero ponere, notius eſt quam ut probatione indigeat. quos tamen dativo ἁλσὶν ab ἅλς potius quam ἁλάσιν ab ἅλας uti fateor.

In loco Feſtinationis. Prover. A ſubeunte portum navi. p. 238. ἀπὸ καταδυομένης.] Quum ἀπὸ καταδυομένης, vertit, A ſubeunti portum nave, nimirum ipſe in portu, quod ajunt, impingit fœdiſſime. Siquidem proverbiū enarrare aggrediens, in interpretatione verborum, quib. illud effertur, veluti in limine labitur. Quis enim apud ullum Græcū ſcriptorem καταδυομένην ναῦν: in hoc ſenſu uſurpatum invenit: Eum qui navem ad portum appellit ſive applicat, dicunt ὁρμίζειν, vel κατάγειν τὴν ναῦν: ipsã autẽ navem ὁρμεῖν, vel κατάγεσθαι. At καταδύειν & καταδύεσθαι apud quẽ in hac ſignificatione legitur? Imo καταδύει τὴν ναῦν, qui navem ſubmergit: navis quæ ſubmergitur, à Græcis καταδύεσθαι dicitur. Cujus ſignificationis exempla ni paſſim obvia eſſent, proferrem. Ceterum quum proverbii enarratio ex ipſarum proverbialium vocum interpretatione pendeat: ut Eraſmus ſuæ falſæ & commentitiæ interpretationi conſentaneam explicationem ſubjunxit, nimirum & ipſam comentitiam: ita ego meæ veræ & indubitatæ (apud eos quidem qui Græcas literas callent) conſentaneam, id eſt veram & minime dubiam, ſubjungam, non meam, ſed Suidæ expoſitionem. Ait enim ille: ἀπὸ καταδυομένης. λείπει, ὅ τι ἂν λάβῃς κέρδος, ἀπὸ τῶν ἐμπόρων ἡ μεταφορά, οἳ καταδυομένης τῆς νεὼς ὅ τι ἂν λάβωσι κέρδος ἡγοῦνται. In quibus verbis nullū eſt mendum: quod ὅ, τι poſitum eſſe debuerat, interſectū lineola; utpote non cum κέρδος ſed cum ὅ, ∗ jungendū. Quæ duo levia menda non deprehendens Eraſmus, errat non leviter etiam circa horum Suidæ verborum interpretationem, ὅ τι ἂν λάβῃς κέρδος. quaſi videlicet ille dicat, poſt A ſubeunte portum nave, ſubaudiri, lucrum capias. Atq; ita vertens, particulas ὅ τι ἂν quaſi ſupervacaneas prætermittit, λάβῃς pro λάβε accipiens. At nos voculæ ὅ τι priorem ſyllabam à poſteriore dirimentes lineola, uti dixi, & poſt λάβῃς hypodiaſtolen ponentes, Suidæ verba ſic interpretemur, A nave quæ ſubmergitur. Deeſt, Quodcunq; ceperis, eſt lucrum. Metaphora eſt à mercatorib. qui quum navis ſubmergitur, quodcunq; ceperint, in lucro deputant. Hæc Suidas. Quæ ſi ſequamur (ut ſequi debemus) nequaquam profecto dicemus cum Eraſmo, admonere adagium, celeritatem ad quæſtum plurimum valere: aut trahi poſſe ad eam ſententiam, ut ſi quis dicat ſtatim arripiendam oblatam occaſionem lucri: aut tum rogandum quempiam, ut fortuna recentem aliquam commoditatem objecerit. Sed hoc proverbio admoneſti nos exiſtimabimus, rerum earum, quæ perire incipiunt, aut jamjam perituræ ſunt, ſervatam vel minimam

partem, deputandam eſſe in lucro. Quemadmodum videlicet cum mercator ſuam navem mercib. variis onuſtam ſubmergi videt, & jam de illis ſimul omnib. actum eſſe credit: ſi præter ſpem ei contingat partem earũ vel minimam naufragio eripere illam, quantulacunque eſt, in lucro ponit. Multa igitur incidunt quotidie, ad quæ hoc adagium eleganter accommodari poterit. Ego pauca ex multis exempla proferam. Si quem amicum hortari velimus, ut boni conſulat paucula illa quæ ex medio domus ſuæ incendio eripuerit, aut ex patria ſua ab hoſtibus expugnata aſportaverit: recte hoc adagiũ proferemus. Si quis ſit qui cauſa ceciderit, ſed ita tamẽ ut paulo mitius cum eo Judex egerit quam ſperaret: hic locum habebit iſtud adagium. Si fures noctu ædes ingreſſi noſtras, nõ omnes pecunias ſurripuerint, ſed aliquid de illis reliqui fecerint: tum nos hoc vetus verbũ ſolabitur. Si is à quo periculum erat ne toto debito fraudaremur, ejus parte duntaxat nos fraudaverit: tum nos bono eſſe animo declarantes, hujus proverbii mentionẽ opportune faciemus. Poterimus autem hoc adagium in varias veluti facies vertere. Neq; enim tantum dicere licebit, ἀλλὰ μέμνημαι τῆς παροιμίας: vel, ἀλλὰ ἐνθυμεῖσθαι ἔχω τῆς παροιμίας, ἀπὸ καταδυομένης ὅ, τι ἂν λάβῃς, κέρδος: vel, ἀλλ' ἑπόμενος τῇ παλαιᾷ παροιμίᾳ, ὅπερ ἀπὸ καταδυομένης ἔλαβον, κέρδος ἡγησάμην, ſed & hoc modo loqui poterimus, ut brevius, ita etiã fortaſſis elegantius: ἀλλὰ ταῦτα ὡς ἀπὸ καταδυομένης ἔλαβον: aut λαμβάνειν δεῖ: aut λαβεῖν, id eſt, Verum proverbii illius memini: vel, ſed me ſolatur proverbiale illud dictũ: Ex naufragio quocunq; receperis, lucrum eſt, aut: Sed proverbium antiquum ſequens, quod recuperavi è naufragio, in lucro deputavi. Brevius autem ita: Verum hæc ego tanquam ex naufragio ſervavi: vel, me ſervare oportet. Quinetiam dilatari poterit eleganter hic ſermo: veluti ſi dicamus: Sed hæc boni cõſulenda ſunt mihi, utpote tanquã ex naufragio recuperata, vel: At enim non quid amiſerim, ſed potius quid lucrifecerim, cogitare debeo, illud n. quicquid eſt, nonne velut ex nave quę jam ſubmergebatur, accepi? Facile autem fuerit eaſdem dicendi formulas ad ſecundã perſonam accommodare: hoc modo, Sed illius proverbii recordare, Sed deſoletur proverb. &c. At enim nõ quid amiſeris, ſed quid lucratus ſis, cogita, &c. Interim prætermittendũ non videtur huic Græco adagio plane reſpondens (quod quidem ad metaphoram attinet) Latinorum hoc adagium. Ex naufragio tabula, quo elegantiſſime eſt uſus Cic. ad Atticum hæc ſcribens: Perſpice æquitatem animi mei, & ludum & contemptionem Seleucianæ provinciæ, & meam Hercule cum Cæſare ſuaviſſimam conjectionem, hæc enim una ex hoc naufragio tabula me delectat, id eſt: Lætor n. cæteris amiſſis, ſaltem hoc reliqui mihi eſſe, vel: Hæ enim quantulæcunque ex tot tantiſque bonis reliquiæ me delectant. Atq; ita exponens, Ciceronem ipſum ſequor, qui Epiſt. ad Famil. lib. 13. Qu. Valerio ita ſcribit: C. Curtio ab ineunte ætate familiariſſime ſum uſus: ejus & Syllani temporis injuſtiſſima calamitate dolui: & cum iis qui ſimilem injuriam acceperant, amiſſis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adjutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano poſſeſſionem, cum in eam tanquam è naufragio reliquias contuliſſet. Hoc autem, &c. Et hactenus quidem de hoc proverbio, cujus & elegantiſſimus & utiliſſimus uſus longiorem etiam mereri tractationem videtur, ſed hæc ego nunc pro tempore.

In loco, Avaritia. Proverb. Exigit & à ſtatuis farinas. p. 79. καὶ ἀπὸ νεκροῦ φορεῖ.] Tributum colligo, non dicitur φορέω, ſed, φορολογῶ. ideo ut conveniat hæc interpretatio, legendum φορολογεῖ. Antea tamen, ἀπὸ νεκροῦ φέρειν, non φορεῖν, nec φορολογεῖν, habuimus.

In loco, Intemperantia. Prov. Πτερυγίζειν. p. 411. πτερυγίζειν dicitur, qui conatur & geſtit quidpiã efficere.] Nõ dicunt Græci lexicographi, πτερυγίζειν generaliter dici eos qui aliquid conantur efficere: ſed eos duntaxat qui fruſtra & inaniter conantur: quemadmodum videlicet pulli adhuc involucres fruſtra volare nituntur, & fruſtra, tanquam volaturi, alas expandunt.

Ibid. Sed nugarum geſticulandæ.] Neſcio unde imaginatus ſit geſticulationis ſignificationem in hoc verbo quanquam de Luciani loco adhuc ἐπέχω, quia cum non legi quod ad hunc attinet, certe nec is eam ſignificationem poſcere videtur, nec ipſe enarrator aut Suidas quicquam tale dicunt: ſed πτερυγίζειν exponunt, futilia & vana loqueris: ſive, tumultuaris: aut potius perſtrepis: eo quod pennæ ſonitum & ſtrepitum edant. Explicant & verbo ματαιοπονεῖς, ob eam quam præcedente annotatione attulimus rationem. Sed & hoc obiter animadvertendũ, non legi in vulgatis exemplarib. οὐδὲ οὔγε λέξαι: ſed οὐδὲ οὔγε ἐλέγξαι, quæ lectio reponenda eſt, ac ſimul interpretatio hæc, Tu me nondum potes redarguere hac de re in locum illius, Tu mihi nondum fari, &c.

In loco, Abſurda. Prov. Priuſquam mactaris excorias. pag. 16. πρὶν ἐσφάχθαι δέρεις.] Non debuit verbũ σφάζειν interpretari Mactare quũ σφάζειν non ſit verbum ſacrorum, ut Mactare apud Latinos: ſed generale, ſicut apud illos Jugulare. Quo verbo ſi uſus fuiſſet, lectori prudenti quo debeat referri hoc adagium, cogitandum reliquiſſet. Fortaſſe enim ad alia quoque poſſit accommodari. Verbi gratia: Si quis princeps velit genti cuipiam leges ponere, & eam tributariam reddere, antequam ab eo domita & in ſervitutem redacta fuerit: non male, ut opinor hoc in illum jacietur, πρὶν ἐσφάχθαι δέρεις. Hoc etiam annotare libet. πρὶν ἐσφάχθαι nõ ſignificare Priuſquam jugularis: ſed Priuſquam jugulatus ſit (aut à te videlicet, aut ab alio) ſive jugulata, ſive etiam jugulatum: prout vel hoc vel illud nomen ſubaudiemus. Nam σφαχθῆναι quidem in voce media pro σφάξαι poſſet accipi: at ἐσφάχθαι pro ἐσφαχέναι, tam durum eſſet quam τετύφθαι pro τετυφέναι.

Ibid. Finitimum illi quod alibi retulimus, Actum agere.] Imo is qui excoriat priuſquam jugulaverit, præpoſtere quidem facere, non tamen actum agere, ut opinor, dici poteſt, Quis enim dicitur actum agere? Qui de re jam peracta, tanquam adhuc integra, deliberat, & conſiliũ init: atq; ejus agendæ, tanquam non actæ, viam & rationem quærit. Sic apud Terentium Demiphoni dicit Phormio, Actum ne agas: eum admonens, ne fruſtra contendat ac litiget de re jam tranſacta, & rem de qua judices ſententiam jam pronunciarint, ne iterum in judicium deducat. Sic & Cicero, quum dicit, Sed cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis & deligendis & colendis: præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus: quod vetamur veteri proverbio: hoc ſignificat, Non utimur judicio, conſilio & prudentia in deligendis amicis, priuſquam eos diligamus: ſed poſtquam eos diligere cœpimus, tum vero eos non fuiſſe diligendos judicamus: & acta agimus, id eſt, de iis conſilium inimus, perinde quaſi eos in amicitiam noſtram recipere, vel ab ea excludere integrũ adhuc eſſet. Atq; hunc eſſe horum verborum ſenſum, apertiſſime declarare mihi videntur iſta proxime præcedentia: Quocirca (dicendum eſt enim ſæpius) cum judicaveris, diligere oportet: non quum dilexeris, judicare. Non igitur idem plane dicit Cicero his poſteriorib. verbis, Acta agimus: quod illis, præpoſteris utimur conſiliis. Poteſt enim unum eſſe ſine altero. Sic Demipho actum agebat, præpoſteris tamen non utens conſiliis: reſcindere enim volebat judicum ſententiam (quod erat actum agere) ſed quæ eo abſente & inſcio lata erat, & de qua conſilium capere, cum adhuc integra res eſſet, nõ potuerat. Quod ſi adfuiſſet tum cum pronunciata fuit, & conſilium iniſſet ea jam pronunciata, quod antequã pronunciaretur, inire debuiſſet: tum certe præpoſtero uti cõſilio dici recte potuiſſet. In quibus ſi ego non fallor, falſum eſſe cõperietur quod Eraſm. hic ſcribit, adagium hoc, Actum agere, finitimũ eſſe illi, Priuſquam mactaris excorias. Quid enim non Demipho Terentianus, cum illi dicitur, Actũ ne agas, admonetur ne rem præpoſtere agat, & ne poſteriore loco faciat quod priore faciendum ſit: ut is qui priuſquam jugu-

jugularit, excoriat? Nequaquam profecto: ſed ne in re jam peracta, tanquam adhuc integra, tempus atq; operam ponat, & ne fruſtra laboret in eo, quod cum factum ſit, infectum reddi non poteſt: admonet eum hoc dicto proverbiali Phormio. Cæterum ut in Demiphonem nõ competebat illud adagium, Priuſquam jugularis, excorias: ita nec is qui, priuſquam jugularit, excoriat, actum agere dici poſſit. Siquidem actum agit, qui in re facta, perinde ac ſi eſſet infecta, fruſtra laborat: unde Actum agere generaliter pro operam perdere uſurpatur. At is qui excoriat antequam jugularit, præpoſtero quidem labore, ideoq; multum, ſed nõ incaſſum tamen, laborat. Denique actum agere is dicetur, qui vult κύνα δέρειν δεδαρμένην, id eſt, carnem excoriatam excoriare (ſi libeat in hujus proverbii explicatione Diogenianum ſequi) non is qui πρὶν ἐσφάχθαι δέρει, id eſt, priuſquam jugulata ſit, excoriat. Sed de jugulationibus & excoriationibus plus ſatis.

In loco, Rigor. Proverbio, Radit uſq; ad cutem. p. 619. Grammatici citant ex Sophocle.] At nequaquam iſtud in Sophoclis verſu ſignificare dicunt grammatici: inter quos Suidas, integrum illum citans, ait Ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ ὥστε μὴ χαίρειν τινά, ἄν τι δ' μέγ' ἐλβάδας δακεῖται ὥστε μὴ χαίρειν, τινὰ, κτερίλαυον. Eſt autem ex Ajace maſtigophoro petitus, in cujus tragœdiæ vulgatis editionibus legitur τοῦτο, non ὥστε, exponit autem illic ſcholiaſtes: ἀπέπτωται τῶν ἀναγκαίων ὁ χρατὶς, καὶ ἐστι παροιμία ἐπὶ τῶν ἐπικινδυνώδων πραγμάτων. ξυρεῖ ἐν χρῷ, ἐπειδὴ γὰρ καὶ ὁ σώματος ἐφάπτεται ὁ σίδηρος. Et Demetrius Triclinus non ſolum ait uſurpari de imminentibus ex aliqua periculis, ſed & illud addit, hoc proverbium efferri & ita, ἐν ξυρῷ ἵσταται τὸ πρᾶγμα, adeo ut dubitari non poſſit, quin ſignificetur illo Sophoclis verſu, graviſſimum quoddam, & triſtitiam maximam allaturum imminere malum, ſumpta videlicet ab iis, qui radunt pilos corporis, metaphora, à quorum novacula, ne cum pilis etiam ipſam pellem attingat, impendet periculum. Syneſius autem dixit, ἐν χρῷ δ' κινδυνεύειν γίνεσθαι pro, Eſſe proximum periculo.

In loco, Fruſtrata ſpes. Proverbio, Duos inſequens lepores neutrum capit. p. 668. δυοῖν ἐπιθυμήσας, οὐδετέρου ἔτυχες.] Imo non videntur eſſe proverbialia hæc verba, ſicut & illa: ſed pro præcedentis proverbii explicatione eſſe poſita. Niſi forte & à Zenobio poſt hoc proverbium, ἀεὶ ἡ λεοντῆ μὴ ἐξίκηται, τὴν ἀλωπεκῆν προσράψον. poni quis exiſtimet hanc orationem, tanquam proverbialem & ipſam, ἀδ μὴ φανερῶς δύνῃ βλάψαι πανουργίᾳ χρῆσαι, item quæ ei adjungitur, ἀδ μὴ τῇ ῥώμῃ τὸ προκείμενον ἐξανύσῃς, μηχανῇ καὶ τέχνῃ περαινέσθω τὸ λειπόμενον, ac revera in editione Florentina, litera majuſcula initio utriuſque orationis, tanquam proverbialis, collocata eſt. Siquidem nullæ illic niſi primæ proverbiorum voces à litera majuſcula incipiunt. Non eſſe tamen proverbiales orationes, ſed iis præcedentis proverbii explicationem contineri, nemo ut opinor negaverit. Idem vero de hac oratione dicendum exiſtimo, δυοῖν ἐπιθυμήσας, οὐδετέρου ἔτυχες. Nec movere quenquam debet, quod ἔτυχες legitur non τυγχάνει, quod reſponderet verbo καταλαμβάνει, neq; enim eum qui ita expoſuit, lectionem hanc ſequutum eſſe neceſſe eſt. Sic & illud, ἀδύνατα θηρᾷς, quum explicatio alicujus præcedentis proverbii eſſet, caſu quodam in adagiorum ordinem irrepſiſſe exiſtimo.

In loco, Profuſio. Proverbio, cui multum eſt piperis, etiam oleribus immiſcet. p. 601. Cui rei cujuſpiam largior adeſt copia, ea profuſius utatur, licebit: de puſillo parcius inſumendum.] Recte hoc diceretur, Ea utatur licebit, ſi in proverbio haberetur τιθέτω, non τίθησι, tum enim eſſet velut admonentis, quid fieri conveniat. At quum ſit τίθησι, certe hoc proverbio non datur conſilium de eo quod faciendum ſit, ſed quod vulgo factitari ſolet, exponitur.

Ibidem. Putre ſalſamentum amat origanum.] Non dubito quin hujus proverbii, ὁ πολὺ ἔχων πέπερι, τίθησι κἂν λαχάνοις, hæc ſit ſententia: Qui re quapiam abundat, nullum in ejus uſu delectum adhibet. *Verbi gratia:* Qui pecunioſus eſt, in quos uſus pecunias inſumat, nihil penſi habet. Qui pectus habet multarum rerum cognitione refertum, ſubinde aliquid ex eo depromit apud quoslibet, qui ne tandem fœcundum ſui pectoris penu abſumatur, nequaquam metuit. Quod ſi hæc eſt hujus adagii ſententia (ut & ipſe Eraſmus exiſtimare videtur: niſi quod formã orationis proverbialis in ſua expoſitione mutat, & ad res animi non accommodat) quomodo illi proverbio, Putre ſalſamentum amat origanum, ſimile erit: eam ipſam ſequendo, quam Eraſmus protulit ejus explicationem? Apte (inquit) dicetur de re per ſe parum honeſta aut jucunda, atq; ob id exoticis condimentis & honeſtamentis egente. Veritas per ſe placet, honeſta per ſe decent, falſa fucis, turpia phaleris indigent, hoc eſt, putre ſalſamentum origano. Hæc Eraſmus: in quib. affinitatem aliquam cum proverbio de quo hic agitur, neſcio an alii perſpicere poterunt, ego certe nullo modo perſpicio.

In loco, Domi vivere. Prov. Domus amica domus optima, pag. 221. Periculum ipſis fore quemadmodũ teſtudinibus, &c.] Male interpretatur hunc locum, neque enim eo ſignificatur (quod tamen verum eſt) periculum eſſe teſtudinibus caput exerentibus: ſed hoc ſonant verba, in periculũ venturos illos, ſi teſtudinum more, ultra Peloponneſum caput proferrent. At Eraſmus ita vertit, quaſi ἂν nõ poneretur pro ἐὰν, id eſt ſi: verũ potentialis eſſet particula, quæ cum κινδυνεύσειν jungeretur, & ei ſignificationem futuri daret. Quũ ergo interpretatur, Si proferret, unde hanc particulam, Si, accipit? Nimirum ut hic ſenſus eliceretur, legendum eſſet bis ἂν hoc modo κινδυνεύσειν, ἂν pro κινδυνεύσειν, id eſt, periclitaturos, ἂν vel ἐὰν προτείνωσι, ſi proferrent, aut mutãdo præſens in futurũ, κινδυνεύειν in κινδυνεύσειν (quod in vetuſtis libris habetur) tum ἂν ſuo loco movere, & poſt χελῶναι ponere eſſet neceſſe: repugnantibus antiquis exemplaribus. Contra quorum authoritate non video quomodo Plutarchi verba ad ſenſum Livianorum, etſi elegantiſſimum, liceat adigere. Sic & alibi Eraſmum locos quoſdam diverſorum authorum, vi, id eſt, violenta interpretatione, ſimiles inter ſe reddidiſſe comperi, ſed hunc ex multis attuliſſe ſatis erit, qui lectorem de cautione in aliis multo periculoſioribus adhibenda admoneat. Cæterũ in oratione Plutarchi ſubaudiendũ aliquid relinquitur, ut ſæpe fit poſt ὥσπερ, in comparationibus hoc enim modo abſoluta eſſet ſententia, In periculum venturos iſtos, ſi caput ultra Peloponneſum (veluti teſtudines ultra ſuum tegumen) proferrent. Illud quoque obiter animadvertendum, aliud eſſe Vltra Peloponneſum (quod ſignificant Græca verba) aliud Longius à Peloponneſo. Nam poteſt aliquis ultra Peloponneſi terminos abire, qui tamen longius à Peloponeſi terminis nõ dicatur abſceſſiſſe ſi videlicet ita illos egrediatur, ut tamẽ nõ procul ab iis abſit.

In loco, Inconſtantiæ. Proverb. Aliud ſtans, aliud ſedens. p. 345. Verſiculo notat hominis inconſtantis ingenium.] Minime vero ingenium hominis inconſtantis, ſed hominis ignavi vehementi timore correpti geſtum notat Homerus hoc verſu: qui petitus eſt ex Iliad. ν. eo loco ubi poeta ignavũ trepidantem metu inſtantis prælii perquam ſcite nobis ob oculos ponit quinq; carminibus: quorum tertium eſt id quod hic ab Eraſmo citatur. Sed totum locum afferre neceſſe eſt, ait ergo Homerus.

τοῦ μὲν γάρ τε κακοῦ τρέπεται χρὼς ἄλλυδις ἄλλῃ.
οὐδέ οἱ ἀτρέμας ἧσθαι ἐρητύετ' ἐν φρεσὶ θυμὸς,
ἀλλὰ μετοκλάζει, καὶ ἐπ' ἀμφοτέρους πόδας ἵζει,
ἐν δέ τέ οἱ κραδίη μεγάλα στέρνοισι πατάσσει.
κῆρας ὀιομένῳ· πάταγος δέ τε γίνετ' ὀδόντων.

Quis id quod dixi, verũ eſſe non perſpicit? nimirũ hunc verſum haberi inter eos, quibus hominẽ ingenti metu perculſum poeta deſcribit? Quinetiam notandum eſt, eam quam continet labantium per vacillationẽ genuũ deſcriptionem, præ cæteris, tum quæ præcedunt, tum quæ ſequuntur, Latinis poetis videri placuiſſe: quippe qui eam potiſſimum uſurpent. Virg. Æneid. 5.

Hic membris & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant: vaſtos quatit æger anhelitus artus.

Idem ejuſdem Æneidos libro ultimo:

Genua labant, gelidus concrevit frigore ſanguis.

Horatius 1. Car. Ode 23.

Nam ſeu mobilibus veris inhorruit
Adventus foliis, ſeu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde & genibus tremit.

Ovidius Metamorph. 2.

Vt vero ſummo deſpexit ab æthere terras
Infelix Phaeton penitus penitusq; jacentes,
Palluit, & ſubito genua intremuêre timore.

In loco, Vis injuſta, Prov. οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. *Imitatus eſt Pythagoram. p. 710.*] Memoria lapſus Pythagoram hic, ut opinor, pro Orpheo poſuit: cujus ſunt hæc ſaltem verba, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι. illa autem ἀείσω ξυνετοῖς, aliunde petita fuiſſe neceſſe eſt. ejus enim verſus integer eſt hic:

φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί· θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι.

Vide proverbium, Oſtium obdite profani.

In loco, Votum. Proverb. Etiam dormiens, ſomniat. p. 731. Sed ὀνειροπολεῖν *non tam eſt ſomniare, &c.*] Ad expediendũ nodum non videtur ad hanc verbi ὀνειροπολεῖν confugiendum eſſe ſignificationem, quæ eſt ſomnia interpretari. nam nec apud ſcriptore. Homero poſteriores ita uſurpatur, ut inquit Euſtathius: nec juveni Phidippidæ ſollicitudinem de interpretatione ſomniorum tribuere, rationi conſentaneum eſt. Sed hoc potius reſpondendũ: cum uſitatiſſima ſignificatione homines dicantur eam rem ὀνειροπολεῖν, quam vigilantes in animo verſant atque agitant: Ariſtophanem ita loquutum eſſe, ὀνειροπολεῖ καὶ καθεύδων. id eſt, in animo verſat, etiã dormiens. quaſi diceret: Non ſolum dum vigilat, ὀνειροπολεῖ τὴν ἱππικήν, ſed etiam dum dormit: Ac de induſtria, ut ridiculi ſpeciem præ ſe ferret hoc dictum, uſus eſt verbo ὀνειροπολεῖν. quia prima fronte ei, qui non conſiderat ὀνειροπολεῖν. de vigilantibus ſolere dici (proprie iis qui talia in animo volutant, & ſibi fingunt, qualia ſomniantibus obſervari ſolent) ſtulte additũ illud videbitur, Etiam dormiens. Sed quid ipſe ſcholiaſtes poetę ὀνειροπολεῖν exponit φροντίζειν: ait enim hunc locum enarrans: δεῖγμα δὲ τῆς περὶ τὴν ἱππικὴν αὐτοῦ σπουδῆς τὸ φροντίζειν καὶ καθεύδοντα περὶ τούτων. Vel hunc ergo ſi ſequutus Eraſmus foret, non ita vertiſſet Ariſtophanis verba, Somniat etiam dormiens, proinde nec in proverbialium numerum ea referenda exiſtimaſſet.

In loco, Vis injuſta, Proverb. In caput præcipitari. p. 711. Sed erat edendo, &c.] Quum animadverteret κεράν mendoſe poſitum eſſe pro κἠρᾶν (qui tamen error deprehenſu facilis videtur) vertit, Poculumq; miſcendo: pro, Amorique vacando. Quod tertium ſi poeta nõ addidiſſet, certe ad reddendum luxum omnibus ſuis numeris abſolutum lector accuratus jure optimo illud deſideraſſet, ut contra poſt πίνειν abundare κεράν, id eſt, poculum miſcere, merito quis diceret: nec abundare tantum, ſed inepte à poeta regi tributum eſſe: perinde ac ſi miniſtrorum penuria, ipſemet illud miniſterium ſubiret. Quinetiam quum manifeſtum ſit, poſt ἐσθίειν τε καὶ πίνειν alium infinitivum ab eodem ſuperlativo ἄριστος pendens, ſine aliqua copula ſtare non poſſe: vel hoc debuit de mendo iſto Eraſmum admonuiſſe. Fateor tamen in Aldina editione, ſicut & in Germanica, κεράν legi, non κἠρᾶν. ſed in utraque permulta eſſe alia menda conſtat: μετ̀ καὶ τάδε ποιεῖ χρείθω.

In loco, odium, Proverb. ἄσπονδος πόλεμος. *p. 551. Hujus nec indicti, & ſine ſacris ſuſcepti belli, &c.*] Novam, ut opinor, & antea inauditam ἀσπόνδου πολέμου adfert interpretationem: dum ex duabus nominis σπονδὴ ſignificationibus huic adjectivo convenientem non deligit. Nam quum ἄσπονδος ex α privativa litera & nomine σπονδὴ compoſitum eſſe, & σπονδὴ fœdus, item libamen, ſive ſacrificium (nam ἀσπονδεὶ Suidas exponit ἀνεφιδίας, ἢ χωρὶς θυσίας) ſignificare conſtet: atq; adeo ipſemet paulo ante ἀσπόνδους ἐχθροὺς appellarit eos, qui in concordiam redigi non poſſunt, quaſi quis dicat inconfœderabiles: necnon in Ciceronis loco bellum ἄσπονδον, per pemũ & atrox & irreconciliabile vocari dixerit, illam videlicet priorem ſignificationem reſpiciens: hic, quaſi ſurſolitus, ἄσπονδον πόλεμον, ſine ſacris ſuſceptum bellum, & paulo poſt, ἀσπόνδους πολέμους, bella ſacris carentia poſteriorem nominis σπονδὴ ſignificationem ſequendo, interpretatur. Atqui hujus interpretationis author nuſquam comparet: illam Heſychii & Suidæ authoritate tueri poterat, quam illi dant ἀσπόνδοις ἐχθροῖς, ut ἄσπονδον πόλεμον accommodando explicationem. Quanquã, ſi diligenter vim hujus verbi excutiamus, ἄσπονδον πόλεμον non bellum inſedabile, quod Eraſmus irreconciliabile appellat: ſed bellum ita acre & pertinax, ut ne breviſſimæ quidem inter id gerentes interveniant induciæ, vocari comperimus, Nam ἄσπονδος opponi τῷ ἐνσπόνδῳ certiſſimum eſt. at dicuntur etiam in medio bello σπονδαὶ ἐξεγχεῖσθαι ἀφίεσθαί τε, quibuſcum pactis mancus, data fide dimittuntur. Atq; ita potius accipi bellum ἄσπονδον, quam pro eo quod ſedari non queat, vel hinc perſpicuum eſt, quod nonnunquam bellum alioqui breviſſimum, ἄσπονδον fuiſſe dicatur.

In loco, Senium Proverb. Ergini cani. pag. 633. Ἐργίνου πολιαί.] Imo potius de canicie quę à natura eſt. ſi Pindari ſcholia ſequi volumus, in quibus φῦναι πολιὸς hic fuiſſe perhibetur, & hiſtoria hęc ſive fabula narratur, nulla tamen proverbii facta mentione. Attingit eam & ipſe Pindarus, hæc ſubjungens: φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. ex quibus tamen illud, nimirum eum fuiſſe φῦναι πολιὸν, nequaquam poteſt colligi. Quin & Euſtathius duorum tantum meminit, Tarconis & Cicni, qui à nativitate cani fuiſſe dicti ſunt: illis hunc Erginum non annumerans. Eſto igitur, Erginus canos à nativitate non habuerit, ſed duntaxat accelerata ei canities fuerit: an hoc proverbium aliud quam acceleratam & præproperam ſenectutem non ſignificabit? cur Ergini potius quam alius canities in proverbium abierit? Nimirum hoc adagium magis reconditum ſenſum habet, quem ex ea quæ ſtatim hic ſubjungitur hiſtoria (ex ſcholiis in Pindarum, ut opinor, depromptia) facillimum eſſe puto eruere: ut videlicet, Ergini cani proverbium ſit de iis, qui ſub canitie ſenili juvenilem quendam vigorem occultant.

Ibid. Verum quos amor angit, &c.] πόθον & πόθους ut Latine amorem & amores uſurpari, ſatis notum eſt: at, ποθεῖν pro amori operam dare, non temere profecto repertias. Unde fit, ut cum ſcholiaſte, quem Eraſmus ſequitur, ποθεῦντες pro ἐρῶντες accipiendum non cenſeam: ſed eorum magis probem ſententiam, qui ποθεῦντες in vulgata ſignificatione pro deſiderantes accipiunt, ut videlicet generale ſit dictum, Qui deſiderant aliquid aut, Qui cum deſiderio quidpiam expectant, vel uno die conſeneſcunt, id eſt: Rem quampiam aut hominem aliquem cum deſiderio expectantibus, tam longa videtur eſſe unius diei mora, ut in eo ſe ad ſenectutem perveniſſe exiſtiment. His enim verbis alloquitur ὁ ἐραστὴς τὸν ἐρώμενον apud Theocritum:

ἤλυθες, ὦ φίλε κοῦρε, τρίτῃ σὺν νυκτὶ καὶ ἠοῖ,
ἤλυθες· οἱ δὲ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσιν.

id eſt: Veniſti chare puer tertia poſt nocte & die: veniſti, inquam. Sed qui deſiderant, uno die ſeneſcunt, perinde ac ſi diceret: Tu ſeorſum à me tribus tantum diebus ac totidem noctibus moratus es: ſed eam moram tui deſiderium mihi reddidit longiſſimam. Deſiderantibus enim vel unius diei mora ſeniũ adferre ſolet. Atq; ita, ſi intelligentes hunc locum, aliquid ſubaudire nõ cogemur, ſicuti ſcholiaſtes: qui ποθεῦντες accipiens pro amantes ſive amatores, ita exponit hunc verſum: Sed amatores uno die lugentes conſeneſcunt, participiũ lugentes, extrinſecus aſſumens. Exponit & hoc modo, aliis ſubauditis: Sed amatores uno die ſeneſcunt, à ſuis ſejuncti amaſiis. Adjungit & hanc explicationem: Qui amant ſi unum duntaxat diem à ſuis abfuerint amaſiis, tota ſe vita præſeriſſe illa-

illorum privatos fuiſſe exiſtimant. At quanto ſimplicior eſt altera illa ſententia, juxta quam & participium illud in uſitatiſſima ſignificatione uſurpatur, nec quicquam ſubaudiendum relinquitur: & generaliter eſt dictum de omni deſiderii genere, quod omni uſu venire comperitur? Nec tamen vero, quominus poſt generale dictum, *οἱ ποθεῦντες ἐν ἤματι γηράσκουσι*, ſubaudiamus, *καὶ τὸ ἐπιτυχίαν*, vel hæc vel ſimilia, *ὥσπερ ἢ μᾶλλον ὁ ἐρῶντα* [illegible] *ἀπὸ* [illegible] *ποθεῦν*.

Ibidem. αἲ ψαὶ γὰρ ἐν κακότητι, &c.] Qui verſum hunc conſideraverit, commune quicquam cum Theocritico habere, quod ad ſententiam attinet, ſtatim inficiabitur. Ait enim Theocritus, eos qui aliquid deſiderāt, aut eos qui amant, ut vult ſcholiaſtes (ſubaudiens, ſejunctos à ſuis amaſiis) uno die conſeneſcere. Hoc dictum quis nō videt eſſe hyperbolicum? pro eo quod eſt, illis videri tam longum diei unius ſpacium, ut dum illud exigitur, interim ſenectutem ſibi obrepere exiſtiment. Quo etiam modo paſtor apud Maronem diem unum anno longiorem ſibi videri queritur dicens:

Imo ego Sard. &c —

Si mihi non hæc lux toto jam longior anno eſt.

At Homerus citra hyperbolen loquitur, & quidem nō de ſenecta quam affert deſiderium (id eſt, quam homines dū rei alicujus aguntur deſiderio, falſo in ſe imaginantur, longitudinem temporis ex deſiderii ſui magnitudine metientes) ſed de ea quam mala hominibus vere apportant ante tempus, ſcimus enim hominum corpora curis & laborib. ac moleſtiis ſic paulatim atteri, ut ex juvenibus ſenilia; hoc eſt infirma & imbecilla, perinde ut in matura ſenectute, reddantur. Denique hæc ſenectus quam Homerus inter mala mortalib. ſupervenire ait, nihil aliud eſt quam ætatis ruina, de qua & Naſo conquerens, eamque non tantum ſuis annis, ſed & malis quæ paſſus erat imputans, hæc ad uxorem ſcribit:

Nec ſi me ſubito videas, agnoſcere poſſis.

Ætatis facta eſt tanta ruina mea.

Confiteor facere hoc annos: ſed & altera cauſa eſt,

Anxietas animi continuuſq; labor.

In loco, Deriſio. Prov. ἐσκιμαλίχασ. p. 165. Eſt enim Græcis ἐσκιμαλίσαι, &c.] Hic ἐσκιμαλίσαι, & paulo poſt ἐσκιμαλίζειν, pro σκιμαλίσαι & σκιμαλίζειν poſuit: quum in ἐσκιμάλισεν, quod eſt apud Suidam, ε incrementum eſſe ſyllabicum aoriſto præfixum non animadverteret. Qui etiam evidentior eſt fortaſſe, quam ut hic à me annotare metuerit.

In loco, Avaritia & ſordes. Proverb. Patrocle ſordidior. p. 84. πατροκλέους φειδωλότερος.] Quum Græci hæc nomina diſtinguant πάτροκλος & πατροκλῆς, non debuit in ſua interpretatione confundere, quod tamen fecit & in proverbii illius enarratione, Lerii mali, non, &c.

In loco Crudelitatis Prover. Omnis herus, ſervo monoſyllabus. p. 153. πᾶς δεσπότης, δούλῳ μονοσύλλαβον, τὸ δ' ἱκετεύειν, μακρόν.] Attexit proverbiu verba hæc, τὸ δ' ἱκετεύειν, μακρὸν, omnino ἀπροσδιόνυσα. In quem errorem non incidiſſet, ſi Demetrii Phalerei (ut quidam vocant) locū unde hæc petita ſunt, attentius conſideraſſet, ac præcipue ipſam verborum ſeriem propius inſpexiſſet. Repetam paulo altius, ut facilius error perſpiciatur: *δεινότερον γὰρ τὸ ἐν ὀλίγῳ πολὺ ἐμφαινόμενον, καὶ σφοδρότερον, διὸ καὶ οἱ Λάκωνες βραχυλόγοι ὑπὸ δεινότητος, καὶ τὸ μὲν ἐπιτάσσειν, σύντομον καὶ βραχύ, (καὶ πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος) τὸ δ' ἱκετεύειν, μακρὸν καὶ τὸ ὀδύρεσθαι.* Vides lector ut hæc verba τὸ δ' ἱκετεύειν, reſpondeant proxime præcedentibus illis, τὸ μὲν ἐπιτάσσειν: & iſta proverbialia, καὶ πᾶς δεσπότης δούλῳ μονοσύλλαβος, per parentheſin interjiciantur: ſed quā Eraſmus minime animadverterit. Atq. hunc locum alioqui ſatis perſpicuum declarat alius ejuſdem authoris in quo pene iiſdem & totidem verbis idem de brevitate & prolixitate tradens ait: *δεινότερον γὰρ τὸ βραχὺ καὶ ἐπιτακτικόν. τὸ μακρηγορεῖν δὲ τῷ ἱκετεύειν πρέπει καὶ αἰτεῖν.* Quod ſi verba hæc τὸ δ' ἱκετεύειν, μακρὸν, proverbio aſſuenda exiſtimabat, nimirum & illa quæ cum illis cohærent videlicet καὶ τὸ ὀδύρεσθαι, eadem ratione illi aſſuere debuerat. Cæterū miror, cur μονοσύλλαβον potius quam μονοσύλλαβος ſcribendum cenſuerit, ac in Latino præſertim ſermone genus neutrum maſculino prætulerit. Scio Græcos ita ſæpe loqui (quos imitatus dixerit etiam Virgilius,

Triſte lupus ſtabulis.——

pro eo quod eſt, res triſtis) unde & hic in Græco ſermone ferri utcunq; poſſet genus neutrum, quanquam huic quidem loco duriuſcule adhibitum: at in Latina oratione, eaq; ſoluta, vereor ne duriſſimum ſit, addo etiam ineptiſſimum, ita loqui, Omnis herus ſervo monoſyllabū: id eſt, res monoſyllaba. Quare pro μονοσύλλαβον, ubique μονοσύλλαβος reponendum.

Ibidem. Monoſyllaba & diſſyllaba nomina convenire ſervis.] Quod hic ait, monoſyllaba & diſſyllaba nomina convenire, ſervis, omnino à proverbii ſententia alienum eſt, nam qui huc referre illud vellet, ab ea quam habemus lectione diſcedere cogeretur permutatiſq; caſibus & ſedibus illorum nominum δεσπότης & δοῦλος, ita legendum ei foret, πᾶς δοῦλος δεσπότῃ μονοσύλλαβος: vel manentibus in ſua ſede illis nominibus & duntaxat permutatis eorum caſibus ita, πᾶς δεσπότῃ δοῦλος μονοσύλλαβος. Sed cur innovandum ſit quicquam in hac proverbiali oratione (ut eam apud Demetrium Phalerum habemus) nō video, quum maxime idoneus ex ea ſenſus eliciatur, nimirum hero apud ſervum ſuum unica opus eſſe ſyllaba: id eſt, pauciſſimis verbis. Ac eo magis mihi placet is ſenſus, quod eundem in ſimilibus Gallici ſermonis verbis reperiam. Noſtri enim quum oſtendere volunt aliquem moribus alterius eſſe optime aſſuetum, & quibus gaudeat, à quib. abhorreat, cognoſcere atq; adeo ad nutus ejus velut i factum eſſe, ita loquuntur. *Il l'entend à demi mot*. perinde ac ſi dicas Latine, illum intelligit ex dimidiato vocabulo.

In loco, Timiditas, Proverb. In publicis morſu Deum invocat, p. 692. Veluti qui metuit omnia.] οἷος non ſignificat veluti, nam Ariſtoteles ita loquitur: *ὁ μὲν γὰρ φύσει τοιοῦτος οἷος δεδιέναι πάντα, κἂν ψοφήσῃ μῦς, θηριώδη δειλίαν δειλός*, &c. Nam qui natura talis eſt, ut metuat omnia, ſi vel, &c.

In loco, Fortitudinis. Proverbio, Mœnia ferrea, non terrea. p. 257. Rurſum velimus excitare.] ἐπανιστάναι hic non ſignificat rurſum excitare: ſed, attollere, evehere, non enim poſuit κατασκαφθέντα, aut ſynonymum aliud ſed κατακείμενα. Nam ἀτειχίστον habebant ſuam civitatem Lacedæmonii.

In loco, Sera pœnitentia. Proverbio, Atqui non eſt apud aram conſultandū. p. 656. ἀλλ' οὐδὲν δεῖ περὶ τὸν βωμὸν τὰς θυσίας.] Nullo modo ſtare poteſt hęc lectio: ac prætorquā quod verbum δεῖ exigit genitivum non accuſativum, non videtur nomen θυσίας, aut verbum θύειν, tam bene ſententiæ hujus adagii quadrare, quam βουλεύειν, quod apud Zenobium habetur, ſi enim is efferr illud: *ἀλλ' οὐδὲν δεῖ περὶ τὸν βωμὸν τὸ βουλεύειν*, quam lectionem in alterius locum reponendam potius, quam in hac corrigenda immorandum cenſeo. Quanquam mihi magis placeret βουλεύεσθαι, quod ſtatim ſequitur apud Zenobiū, quum ait: *ὅτι μὴ χρὴ ἐν αὐτοῖς τοῖς ἔργοις βουλεύεσθαι, ἀλλὰ πρὸ τῶν πραγμάτων.*

In loco, Similitudinis Prov. Mars non concutit ſua ipſius arma. p. 647. Mars ſua ipſius arma non jactat.] Puto plane aliū eſſe hujus proverbii ſenſum, ac illis qui armati magna ſe mole ferent, arma etiam ſua quaſſantes ad oſtentationem (cujus rei exemplum eſt & apud Æſchylum) perinde quaſi hic geſtus virtutem bellicam teſtaretur objici ſolitum, *ἄρης τὰ αὑτοῦ ὅπλα οὐ σαλεύει*: id eſt, Mars ſua non quatit arma.

In loco, Fruſtrata ſpes. Proverb. Aurificem tu futurū credebas. pag 271. Extat & apud Platonem libro, &c.] Ad vulgatam Platonis editionem & ex ea locum hunc atque ejus interpretationem emenda.

Platonis verba legend. ſunt ita: *τί δὲ ἦ δ' ὃς ὁ Θρασύμαχος, χρυσοχοήσοντας οἴει τούσδε νῦν ἐνθάδε ἀφῖχθαι, ἀλλ' οὐ λόγων ἀκουσομένους*: Interpretanda autem ſic: Quid? (inquit Thraſymachus) hoſne veniſſe huc exiſtimas auri fundendi, ac non ſermonis audiendi gratia?

In

In loco, Excellentia, Proverb. Sedecim pedib. ſuperavit, p. 185. Dicendo, quoties præteribat.] ὁπότε παρέλθοι, non ſignificat, Quoties præteribat: ſed, Quoties, vel quum accederet ad dicendum, ut: ὁ παρελθὼν φερέσθω τὶς ἐμοί.

Ibidem. Tonat, coruſcat, &c. Græca verba ſunt in præterito imperfecto. Tonabat, coruſcabat, miſcebat.

In loco, Fœmina. Proverb. Sublata lucerna nihil intereſt inter mulieres. p. 252. Sentit adagium, nullam mulierem nō eſſe impudicam, &c.] Peſſimam ponit adagii hujus explicationem, & in qua peſſime de muliebri ſexu meretur: dicens hoc ſentire adagium, nullam mulierem non eſſe impudicam, ſi detur facultas ſine teſte peccandi. Nimirum quæ inter eas vere pudicitiam colunt, jure hic illi occinant:

Parcite paucarum
(multarum dixerit aliquis μισογυνής.)
diffundere crimen in omnes.

Ego certe ita illum pervertiſſe hujus proverbii ſententiam eo magis miror, quod cum Plutarchi locum legiſſet, ex quo veram facillimum videtur eſſe colligere. Sic enim Plutarchus: γυνή τις πρὸς τὸν Φίλιππον, ἄκουσαν ἐφελκόμενον αὐτὴν, ἄφες με, εἶπε, πᾶσα γυνὴ τοῦ λύχνου ἀρθέντος ἡ αὐτή ἐστι. id eſt: Mulier quædam Philippo ipſam invitam ad ſe pertrahenti, miſſam me facito, dixit: omnis mulier, amota lucerna eſt eadem, hoc eſt, ut Eraſmus exponit, Omnis mulier impudica eſt, ſi teſtis abſit. Quorſum obſecro hoc dixiſſet Philippo iſta fœmina? quid ſe profecturam ſperans? an quia impudicam aliam præter illam inventurum ſe Philippus non putabat, qua ratione effecturus ſit, ut omnes ſe impudicas præſtent, illum docet: nimirum ſi lucernam, id eſt teſtem, amoveat illis peccaturis? Scilicet regi, & quidem regi Philippo deerant fœminæ, aliæ clam, aliæ & clam & palam impudicæ. Imo vero quum ita loqueretur illi hæc mulier, perinde erat ac ſi dixiſſet: Contemtus eſto iis quas habes fœminis, nā ſi forma differo aliquid à cæteris, at quicquid eſt inter eas & me diſcriminis id nox tollit. Non ergo mulierum impudicitiam notat hoc proverbium, ſed ſtultum eſſe oſtendit libidinoſorum hominum in conſectandis earum formis ſtudium. Unde & Plutarchus verbis proxime à me citatis adjungit: τὸν πρὸς τοὺς μοιχικοὺς καὶ ἀκολάστους εἴρηται καλῶς. Quæ verba quum in rectam viam deducere Eraſmum debuerint, illi contra occaſionem errandi præbuiſſe ſuſpicor; fieri enim poteſt, ut quum legiſſet τοὺς μοιχικοὺς, aliquanto poſt fallax memoria illi ſubjecerit τὰς μοιχικάς. Ego certe antequam Plutarchi locum adiiſſem, hujuſce Græci adagii ſenſum à Gallico edoctus eram adagio. *De nuict tous chats ſont gris*, quo memineram ſolitos admoneri quoſdam, qui de formoſa uxore deligenda nimium ſolliciti eſſent, nihil aliud quam volentes ὀφθαλμοῖς γαμεῖν, ut elegantiſſime dicebat Alexandri mater Olympias.

In loco, Riſus. Proverb. Riſus Sardonius p. 620. τὸν ἐπὶ οὐδενὶ γιῆ, hoc eſt, omnino inſanum.] Non ſcribitur ὑγιῆ, apud Pauſaniam: ſed, ὑγιεῖ, ut ſit, ἐπὶ οὐδενὶ ὑγιεῖ: pro, δι' οὐδὲν ὑγιές: vel, περὶ οὐδενὸς ὑγιοῦς, ſcimus autem Græcis οὐδὲν ὑγιὲς ſignificare Nihil rectum, Nihil probum.

In loco, Juſtitia. Proverbio, Rectam ingredi viam. p. 435. Ariſtides in Pericle: ὥστε βαδίζειν τεταγμένα, &c.] Plane alienus eſt ab illa proverbii ſententia hic Ariſtidis locus: in quo ὁδὸς nihil minus quam metaphorice accipitur: ſiquidem is Periclis laudes exordiens poſtquam dixit: ἐκεῖνος τοίνυν λέγεται βιῶναι μὲν οὕτω σεμνῶς ὥστε μηδὲν τῶν περιφοιτώντων καὶ τῶν ἱερέων τὸν ἐκείνου βίον διαφέρειν: addit, οὕτω δ' εἶναι σώφρων, ὥστε καὶ βαδίζειν τεταγμένα, καὶ τὴν ὀρθὴν ὁδὸν σώζειν, κατὰ τὴν παροιμίαν: id eſt: Adeo autē moderatus fuiſſe fertur, ut etiam compoſitis gradibus incederet, rectamq; viam, ut eſt in proverbio, ſervaret. Hic Ariſtides ſi rectam viam metaphorice pro honeſtis & rectis actionibus acciperet, non tam hominem σώφρονα quam δίκαιον deſcriberet: deinde annon hoc, Adeo moderatus ut etiam ab honeſto & æquo in ſuis actionibus non deflecteret, frigide dictum eſſet. quæ enim iſta auxeſis foret? Præterea, quorſum non rectæ viæ duntaxat, ſed etiam inceſſus compoſiti meminiſſet? Quum ergo citra metaphoram, & ut ſonant verba, intelligendum eſſe hunc locum pateat: quis iſte ſit compoſitus inceſſus, quæ iſta recta via (de quorum utroque multi nihil audierunt) explicare conabor. Quod igitur attinet ad prius τεταγμένα βαδίζειν, minime dubiū eſt, quin idem ſit cum Ariſtophanis dicto, εὐτάκτως βαδίζειν, quod illi demabilo σωφροσύνῃ tribuitur, ita enim in ſuis νεφέλαις inducit loquentem δίκαιον λόγον:

λέξω τοίνυν τὴν ἀρχαίαν παιδείαν ὡς διέκειτο.
ὅτ' ἐγὼ τὰ δίκαια λέγων ἤνθουν, καὶ σωφροσύνη νενόμιστο
πρῶτον μὲν ἔδει φωνὴν παιδὸς γρύξαντος μηδέν' ἀκοῦσαι·
εἶτα βαδίζειν ἐν ταῖσιν ὁδοῖς εὐτάκτως εἰς κιθαριστοῦ.

Sed & εὐρύθμως βαδίζειν dicebant, pro εὐτάκτως: ut contra ἀρρύθμως, pro ἀτάκτως, ſic enim Alexis apud Athenæum libro primo:

ἓν γὰρ νομίζω τοῦτο μὲν τῶν ἀνελευθέρων
εἶναι, τὸ βαδίζειν ἀρρύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς,
ἐξὸν καλῶς, οὐ. &c. ——

De poſteriori autem dicto non convenit mihi cum Ariſtidis ſcholiaſte, ſiquidem parœmiam quam intelligi voluerit Ariſtides, putat eſſe τὸ μίαν ὁδὸν εἰδέναι τὴν ἀπὸ τῆς οἰκίας ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, & addit, οὐχ ὅτι τὰς ἄλλας ὁδοὺς ἠγνόει, ἀλλ' ὡς σωφρόνως διῆγε. Atqui quum ita loquitur, καὶ τὴν ὀρθὴν ὁδὸν σώζειν, κατὰ τὴν παροιμίαν, ipſiſſima eſſe adagii verba ea quæ ponit, aut certe ſynonyma, quis negaverit? Niſi forte, quū Ariſtoteles dicit, ὡς ὄντως, καὶ τὴν παροιμιαζομένην λεῖαν: item Lucianus, ἐπὶ γὰρ κατὰ τὴν παροιμίαν, ἰλιγγιῶσιν ὑπὸ ... quod proverbium uterq; intellexerit, quærendum aliquis exiſtimat. Eò autem eodem pertinet utrumq; adagium, τὴν ὀρθὴν ὁδὸν σώζειν, & μίαν ὁδὸν εἰδέναι, nimirum ad σωφροσύνης commendationem: non idem tamen utroq; ſignificari perſpicuū eſt. Nam qui ἀπὸ τῆς οἰκίας alio ibit quam ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν, non dicetur μίαν ὁδὸν εἰδέναι: at inter eundum poterit τὴν ὀρθὴν ὁδὸν σώζειν, ſi videlicet eo quo iter inſtituit, recta pergat, ad nullum prorſus diverticulum deflectens. Quod quia pueri ab ædibus ſuis ad ſcholam euntes, contra facere ſolent, tritiſſimo apud noſtrates adagio, is qui non rectam viam tenuit eundo aliquo, ſed longis ambages quæſivit, viam ad ſcholam euntium puerorum confeciſſe dicitur.

In loco, Vincere & vinci. Proverbio, αὐτόθεν καταβάλλε. pag. 707. αὐτόθεν καταβάλλε: id eſt, Hoc ipſo depone loco.] Non video quid intelligi his verbis debeat aut poſſit, Hoc ipſe depone loco: nec qua ſignificatione Depone abſolute uſurpetur, puto igitur vertendum, In re præſenti perſolve, vel, Ex tempore, aut Confeſtim perſolve. & ipſe ſcholiaſtes huic meæ interpretationi aſtipulari videtur.

Ibidem Deus alius Trojanos erigat.] Hic ἐγείρῃ non ponitur pro erigat, ſed pro expergefaciat, excitet à ſomno. Eſt autem verſus ex ἰλ. κ.

In loco, Occulta. Proverbio, Oſtium obdite prophani. p. 47. Levis omnino ratio eſt.] Non ita hoc loco accipitur λόγος, ſed pro curæ, adeo ut interpretari oporteat: Parva omnino mihi cura eſt, vel: Profanos autem parum curo.

In loco, Contemptus. Proverb. Exiguum oboli precium. p. 555. μικρὸν τοῦ ὀβολοῦ τίμιον: in eſt, Exiguum oboli preciū.] In vulgatis Suidæ exemplarib. legitur μικροῦ: ſed utrolibet modo legatur, τίμιον pro adjectivo, non pro ſubſtantivo accipiendum videtur.

In loco, Inconſtantia. Proverbio, Phœnicum pacta pag. 340. Phœnix ut vir, cœpit.] cœpiſti eſt enim ἔθου ſecundæ perſonæ.

In loco, Arrogantia. Proverbio, Ultra peram ſapere. pag. 601. ὑπὲρ τὴν πήραν, &c.] ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν nō ſignificat his ultra perā ſapere, aut quærere: ſed quemadmodu is dici ſolet ὑπὲρ ἄνθρωπον φρονεῖν, qui ſe ſuo conditionis humanæ modulo non metitur, ſed majora quam pro ea cogitat: ita jocoſo dicit ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν, cogitare de pluribus quam pro peræ menſura: vel, de pluribus quam capere-

capere poſſit pera. Siquidem rationem reddens philoſophus, cur non plura petat quam quæ ad implendam ſuam peram ſufficiant, ſubjungit, oportere philoſophum μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν.

In loco, Internecio. Proverb. Perdere naulum. p. 423. Ariſtippus interrogatus a quodã, num eſſet ubiq; ridens: οὐκ οὖν, &c.] Duarum vocularum falſa disjunctio fecit, ut quum Ariſtippus ſe naulum dicat perdere, Eraſmus eum id negare putaverit. Male enim disjunctæ fuerunt hæ duæ particulæ οὐκ οὖν, perinde ac ſi ſignificarent, Nõ igitur (pro qua tamen ſignificatione paſſim reperitur ſcriptum οὔκουν) quum conjunctim legendum ſit οὐκοῦν, id eſt, Igitur, non incluſa negatione. & hæc lectio in vulgaris editionibus habetur: at illam ſequentia Plutarchi verba manifeſtiſſime refellunt, ſubjungit enim: Quid ni dicas tu quoque, Perditur merces quæ datur pædagogis, ſi, &c. Nam ſi ita interpreteris Ariſtippi dictum, Naulum igitur non perdo: quomodo ſequentibus aptari poterit à Plutarcho? Nec enim procedet hæc oratio, Quemadmodum dixit Ariſtippus ſe naulum non perdere ſi ubiq; eſſet: cur non dixeris itidem, Perditur merces pędagog. &c. Nimirum quiſquis aliquo præditus eſt judicio, hic expectat, Non perditur merces, quum tamen Plutarchum ſignificare contrariũ voluiſſe, perſpicuum ſit. At procedet optimè ratio ſi, ut verba Græca ſonant interpreteris: Quemadmodum Ariſtippus dixit ſe naulum perdere, ſi, &c. quidni dixeris & ipſe, Perditur, &c. Quinetiam hujus dicti ratio nobis optime conſtat: hujus dico, Naulum itaque perdo, ſi ubiq; ſum. Non abs re enim Ariſtippus, quum naulum ſit pecunia quæ nautis pro vectura numeratur: dixit, ſi ubiq; eſſet, ſe pecuniam illam perdere quã nautis ſolveret, ut ipſum ex uno loco in aliũ veherent. Vel, ſe pecuniam invecturam fruſtra inſumere, & inutiliter impendere, id enim ſonat verbum παραπόλλυμαι. Quanquam gramaticus quidam ex Luciano citans hoc ipſum proverbium παραπόλλυμι τὸ ναῦλον, exponit, ἔξω τοῦ πρέποντος ἀναλίσκω: id eſt, indecenter & contra decorum inſumo.

In loco, Abſurda. Proverbio, Rana aquam p. 12. Non metuat potans, &c.] Alius eſt verborum Theocriti ſenſus, nam qui hic loquitur, ἀπεχθάνεσθαι τὸν ἐργοδότην, ὡς μὴ αὐταρκὲς τὸ ποτὸν παρεχόμενον: ut ait ipſe ſcholiaſtes, id eſt: Obtrectat ei cui ſuam operam conduxerat, ut non miniſtranti potus quantum ſatis eſſet. Ita igitur interpretari oportet hunc locum: Optabilis eſt ranæ vita, utpote quę non curet eum qui illi potum infundit. Legendum enim ἐγχεῦντος, ab ἐγχέω, quod paſſim in hac ſignificatione invenitur. Niſi quis accipiat ἐγχέοντα, id eſt, ἐκ τοῦ κεραννῦντος, vel ἐκ τοῦ μεγάλου κρατῆρος ἐγχέοντος εἰς τὸ μικρόν. Quamvis autem retineretur ἐγχέοντα, & intelligeretur pro effundentem, non eſſet tamen hic ſenſus: Non metuat potans effundere. Nam Græce hoc dicendum foret, οὐ μελεδαίνει ἐν τῷ πίνειν ἐγχεῖν, quanquam nec μελεδαίνω ſignificat metuo.

In loco, Forma & Deformitas. Proverb. Multam ſylvam geſtat. pag. 254. Dictum in Phormionem militem quendam hirſutum.] Fortaſſe de barba hoc intelligendum eſt. Julianus certe de ſua, quæ promiſſa erat, loquens dixit: ταῦτά τοι διαθέουσι τῶν ἀνέχομαι τῶν φθειρῶν ὥσπερ ἐν λόχμῃ τῶν θηρίων: in Miſopogone.

In loco, Proficientium in melius. Proverb. Ego ex bono in bonũ traductus ſum. p. 589. Ego quidem è bono in bonum tranſii.] μετέβαινα non ſignificat Tranſii aut Traductus ſum (id eſt μεταβαίνομαι, ſive μεταβῆναι ἐχόλιου) ſed Traduxi.

In loco, Ancepi & dubius. Proverbio, Vtraq; nutans ſententia. pag. 53. δίχωλος per ω magnum, ut ſit, utroq; claudicantes.] At Zenodotus aperte reclamat: cujus hæc ſunt verba, διχόλοι γνῶμαι, παρὰ τὸ διχῇ διϊστάναι, ἢ μεταλῆψαι, χόλος γὰρ ἡ ὀργὴ, ἢ τρόπος.

In loco, Simulationis. Proverbio, Æſopicus graculus. pag. 659. Αἰσώπειος κολοιὸς, id eſt, Æſopicus graculus.] Expendant viri docti, annon potius Æſopica monedula interpretari oporteat. Quum enim Horatius corniculam appellaverit κολοιὸν, monedulam autem, de cornicum genere eſſe (ſiquidem cornicũ nomen generaliter ſumatur) dicere poſſimus, eamq; furaciſſimam eſſe conſtet: hujus certe furti ſuſpicionem in eam potius quam in aliam quampiam competere, nemo, ut opinor, negaverit. Quod autem ad graculum attinet, ſi verum eſſet quod nonnulli exiſtimant, eandem eſſe avem cum monedula: perinde hic eſſe ſive Æſopicus graculus, ſive Æſopica monedula interpretaremur. Sed falli mihi videntur qui eandem faciunt: quum etiam Plinius ut de diverſis loquatur. Quam longe craſſior eorum eſt error, qui graculum avem eſſe putant eam, quæ à noſtris vocatur *ungeay*, reclamantibus cum aliis autorum locis, tum vero illo poetæ, in quo mulier nigerrima graculo nigrior appellatur. Miror autem illos non animadvertere, quod narratur de cornicula ab Horatio, in graculum nullo modo poſſe quadrare, ſi is ſit *ungeay*. Primum enim quomodo veriſimile eſſet hanc avem, quam *geay* dicimus, furatam eſſe aliarum avium plumas, ad ſe ornandam: quum natura pulcherrimas illi dederit? Deinde etiãſi concederemus, furatam eſſe illã quas ſuis adderet, quomodo repetentibus illas avibus, deformis ex pulchra foret reddita, cui aſcititia tantum pulchritudo ablata foret, ſua adhuc ſupereſſet? Sed hanc opinionẽ nec veram nec veriſimilẽ, miſſam faciamus: ad eos qui graculum putant eſſe noſtram *chucas* ſive *chouette*, (veris quidẽ propiora, nõ vera tamen dicentes) veniamus, Monedulam eſſe noſtram *chouette*, oſtendunt inter ſe collata utriuſq; linguæ proverbia. Dicimus enim, *larron comme une chouette*: Latini quoq; furacem hominem monedulæ comparant. Unde dictum eſt à Cicerone in orat. pro Flacco: Non plus aurum tibi quam monedulæ committebant. Et Plinius ait: Inſubrium tractu examina graculorũ monedularumq;: Qui ergo vellet graculum eſſe noſtram *chucas*, quæ alio nomine *chouette*, ille eandem avem diverſis nominib. appellari graculum & monedulam dicere cogeretur. Sed tunc illi vel hic ipſe Plinii locus aperte reclamaret. Jam vero an noſter *geay* appellari debeat galgulus, doctiorib. conſiderandum relinquo: & ad proverbium noſtrum revertẽs, quod paulo ante dixi, repeto, Αἰσώπειον κολοιὸν, Æſopicam monedulam, interpretationem mihi videri veriſſimam. Ac pro ea certe faciunt quæ Tzetzes ait περὶ τοῦ κολοιοῦ, nimirum eſſe minorem corniculam, quæ in tectorum foraminib. habitet. hoc enim de monedula dictum, veriſſimum eſſe, & ipſe Horatius cornicula potius quam cornix, non temere dixiſſe comperietur. Quem niſi authorem ſequeremur, ſcrupulum aliquem nobis injicere poſſet quod Simocatus tradidit, κολοιὸν videlicet avem quandam eſſe pulcherrimam, unde fictam ſibi videri fabulam Tzetzes ſcribit, quod nimirum quum prius eſſet deformiſſima, ſumptis à qualibet ave pennis, omnium facta ſit formoſiſſima.

In loco, Solicitudo. Proverb. Animus eſt in corio. p. 663. In his quidem ſum lapſus.] Quaſi legeretur, ἥμαρτον μέν. Verum hanc lectionem nullo modo ferre poſſet verſus. Retinenda igitur quam habemus: ſed mutanda interpretatio.

Ibidem Ne quis loquatur.] Putavit prohibentis eſſe hic particulam οὐδὲ & οὐδ' ἂν λέγῃ τις, accipi pro μὴ λέγῃ τις, vel λεγέτω. Sed ita non ſolet uſurpari οὐδέ. Præterea particula ἄν, in prohibendi formula foret ſupervacanea. Interpretandum igitur: Percipere nunquam quibimus, ne ſi loquatur quidem aliquis, vel: Ne ſi dicat quidem aliquis, diſcere poſſimus.

In loco, Moleſti Proverb. ἄγχειν καὶ φέρειν. p. 515. Poſſeſſiones pignori opponens meas.] Potius, Pignori opponuntur, capitur enim paſſive non active.

In loco, Intemperantia. Prov. Non capit ſomnum niſi hoc aut. p. 755. Ligno niſi fori primus ille aſſederit.] Non Primus ligno aſſederit: ſed Primo ligno aſſederit: ἐπὶ τοῦ πρώτου καθίζηται ξύλου.

In loco, Moleſti, Proverbio, Anno ſenior fio. pagin. 414. Faxis cavveo, quippe quoties conſpicor.] θεώμενος hic ſignificat, Dum ſpectaculis interſum, dum in theatro ſum ſpectator,

ror. & *συφίσματα* non pro negociis accipitur, ſed pro commentis, figmentis.

In loco, Aſſiduitas. Proverbio, Velut umbra ſequi. p. 75. Nam umbra corpus aſſectatur, velit nolit.] Atqui non adeſt ſemper umbra. Ovid. 1. Triſt. eleg. 8.

Utque comes radios per ſolis euntibus umbra eſt:
Quum latet hic preſſus nubibus, illa fugit.

Dicetur ergo ſequi ut umbra corpus, non qui ſemper adeſt: ſed qui quandiu adeſt, individuus ſociabilis eſt comes.

In loco, Ab initio ad finem. Proverbio, Venimus ad ſummam lineam p. 10. Venimus ad ſummum.] Magis fortaſſe huic adagio convenirent hæc ejuſdem poetæ verba:

—— Mors ultima linea rerum eſt.

In loco, Avaritia & ſordes. Proverb. Tenuiter diducti. pag. 85. ἀρκοῦντα δὲ περὶ τούτων, &c. id eſt; Gratum igitur fuerit, de talibus & talibus differentes, &c.] ἀρκοῦντα nō ponitur hic pro gratum, ſed pro ſufficiens. & hoc vel ſimili modo interpretari oportuit: Satis igitur fuerit.

In loco, Languor. Prov. Pyrrichen oculis præ ſe ferens p. 445. Ille vero artificio quodam cadebat.] Conſentanea eſt hæc interpretatio lectioni quam ſequitur, videlicet ἔπεσε. ſed legendum, ἔπαιε: & reponendum hic, percutiebat, vel cædebat.

In loco, Diſſimulatio. Proverbio, Manticulari. pag. 767. Hinc ſumptam metaphoram, quod qui in convivio diſſimulant, mantilibus tegunt faciem, &c.] A mantilibus dicens eſſe ſumptā metaphoram, manticulas (à quibus manticulari tractū eſſe, maniſeſtiſſimum eſt) pro mantilibus etiam accipit: huic ſignificationi nō repugnare exiſtimans, quod pauperib. in numis recondendis uſum earum fuiſſe dicit Feſtus. & fortaſſis eam colligens ex iis etiam quæ de voce manticularia leguntur ibidem verbis. Eſto igitur, manticulas & pro mantilib. ſumi: hoc ego illi non invitus dabo. ſed illud non item, à quibuſdam per diſſimulationem mantili faciem tegentibus ſumptam eſſe verbi manticulari metaphoram. Siquidem in promptu eſt hic Catulli locus:

Marrucine Aſini manu ſiniſtrâ
Non belle uteris in joco atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.

Quo ex loco conjicere eſt, ſolitos quoſdam in conviviis inter confabulandum & jocandum, aliorum mantilia, tanquam aliud agentes attrectare, quæ occaſionem nacti (illis videlicet vel oculos deflectentibus, vel ad ea quæ dicerentur, non ad ea quæ fierent, animum attendentibus) manu ſiniſtra, ut ait poeta, averterent. His autem conſentaneum eſt, ut Manticulari primum dictum ſit pro Furandi gratia mantilia attrectare: deinde per metaphoram pro Subdole quidvis agere, uſurpatum fuerit.

In loco, Divitiæ. Prov. Auro habet ſuppactum ſolum p. 746. Aut certe pro pavimento.] Hanc explicationem (quæ plane verbis Plautinis vim adfert, & rem fortaſſe poſt hominum memoriam non auditam narrat) nequaquā quæſiviſſet Eraſmus, ſed alteri acquiſiviſſet, ſi hunc Athenæi locum legiſſet, vel potius ſi legere ſe meminiſſet, lib. 12. Φύλαρχος δὲ ἐν τῇ τρίτῃ καὶ εἰκοστῇ τῶν ἱστοριῶν, καὶ ὁ γαλατοφρχίδης ὁ κνίδιος ἐν τῶν δεκάτῳ περὶ ἀσίας, καὶ τοὺς ἑταίρους φησὶ τοῦ ἀλεξάνδρου ὑπερβαλλούσῃ τρυφῇ χρήσασθαι. ὧν ἄγνων καὶ χρυσοῦς ἥλους ἐν ταῖς κρηπῖσι καὶ τοῖς ὑποδήμασιν ἐφόρει. Quanquam Plutarchus in Alexandri vita de eodem loquēs, nō aureos ſed argenteos clavos geſtaſſe commemorat his verbis. ἐπεὶ δὲ τοὺς περὶ αὐτὸν ἑώρα παντάπασιν ἐκτετρυφηκότας, καὶ φορτικοὺς ταῖς διαίταις καὶ πολυτελείαις ὄντας, ὥστε Ἄγνωνα μὲν τὸν Τήϊον ἀργυροῦς ἐν ταῖς κρηπῖσιν ἥλους φορεῖν, Λεοννάτῳ δὲ, &c. David quoque Pſ 68. Perde cœtum arundinis congregationē taurorū, cum vitulis populorū calcantem in fruſtis argenti. diſſipa populos qui bella volunt. Hæc enim eſt ſimpliciſſima verborum Hebraicorum interpretatio. quam tamen refugiſſe bona pars interpretum videtur. quod per hujuſmodi calcationem quid intelligendum foret, ne conjicere quidem poſſet. unde factum eſt, ut variæ à variis excogitatæ ſint iſtius loci expoſitiones, ſed hujuſce calcationis mentionem nullam facientes. Donec tandem quidam exortus eſt, qui (ut eſt ſagaci ingēnio præditus) hunc illorum verborum ſenſum odoratus eſt: explicans, illos exultare calcando fruſtra argenti. quod fieri poſſit, ut præ immodico luxu fibulas argenti in calceis geſtaverint. At jam dubitatio nulla ſupereſt, quin hoc factum fuerit: imo vero quin clavos etiam argenteos, atque adeo (qui multo prodigioſior eſt luxus) aureos in illis geſtaverint.

In loco, Mira nova. Proverb. Agas aſellum. p. 505. Fortaſſe legendum, Agaſo aſellum.] Hanc Eraſmi conjecturam qui ſequetur depravabit lectionem emendatam, meo quidem judicio, non depravatam corriget. Recte enim legi apud Ciceronem: Agas aſellum: nec mutilum, ſed integrum illic referri adagium, ex Martialis epigrammate mihi probare poſſe videor: quod eſt hujuſmodi:

Semper agis cauſam & reges agis Attale ſemper.
Eſt, non eſt quod agas: Attale ſemper agis.
Si res & cauſa deſunt, agis Attale mulas.
Attale, ne quod agas deſit, agas animam.

Sed non eodem pertinet hoc dictum apud Martialem, quo apud Ciceronem: dixerit aliquis. Imo plane eodem referri manifeſtum eſt. Ut enim hic Martialis Attalum dicit, poſtquam deſunt illi res & cauſæ quas agat, agere mulas. ita Scipio Aſello omnes provincias ſtipendia merentem ſe peragraſſe glorianti (quaſi quum novus illi locus deeſſet, ubi ſuam artem exerceret, ad aliud vitæ inſtitutum ſe conferre deberet) dicit, Agas aſellum. Veriſimile eſt autem, inde natum hoc adagium, quod olim qui varia vitæ genera ſectati eſſent, & in omnibus rem infeliciter geſſiſſent (Vertumnis omnibus iniquis nati) tandem ad inopiam redacti, agaſonum collegio nomen darent. Cujus rei & Horatii locus hic conjecturam videtur afferre:

—Beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia & ſpes,
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium nummos alienos paſcet, ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

Sed & Martialis alibi Catino paupertatem, ut opinor, imprecatus dixit:

Quid imprecabor, ô Severe, liventi.
Hoc opto, mulas habeat & ſuburbanum.

Puto enim per ſuburbanum intellexiſſe hortum ſuburbanum, & eum quidem olitorium. ludentem videlicet ex ambiguo: quia vel rus vel prædium ſubaudiri ſolet dixerat autem proxime præcedentibus verſibus;

Sed quod ſuburbanum habemus æſtivum,
Vehimurque mulis non ut ante conductis.

Intellige autem, Sed livet Catinus, quod, &c. Atque hic erit, meo quidem judicio, verus totius loci ſenſus: Catinus invidia rumpitur, quod ſub urbe rus æſtivum habeam, & mulis veharr, non conductis, ſed meis: at ego contra, quod mihi invidet, illi opto: mulas videlicet & ſuburbanum. Ita quidem prima fronte quod Catinus ipſi invidebat, id ei videtur optare: ex ambiguitate videlicet vocis Suburbanum, joci occaſionem captans: nec non ex ambiguo in ablativo mulis genere (nec enim dubium eſt, quin etiam fœminino genere uſurparetur Mulis, ut & Equis, pro equabus, apud Columellam legimus) at in receſſu hunc ſenſum habent iſta verba. Invidet mihi Catinus aliquam fortunarum acceſſionem: quia ſicut ſuburbanum rus nunc habeam, in quo æſtivare poſſim, & vehar mulis propriis, antea ſolitus cōductis vehi. At ego illi pro iſta ſua invidentia contra fortunarū tantam imminutionem imprecor. ut præ inopia cogatur ex ſuburbano horto olitorio victum quærere, mulas per urbem agens oleribus onuſtas. Hunc enim fuiſſe morem Romæ, ut hodieque eſt apud noſtrates, vel ex illis Horatii verbis ſatis videtur eſſe manifeſtum:

—Aut olitoris aget mercede caballum.

ſive caballum pro vili equo uſurpaverit, ſive olitoris caballum jocoſa catachreſi pro mulo aut aſino olitoris po-

lue

fuerit. Et his quidem Martialis verſibus, ſi ita exponantur, argutam ſubeſſe ſententiam, neminem negaturum exiſtimo. At vero Domitii explicationem ſequendo, talem minime reperiemus, ſic enim ille: Opto hab. m. & ſubur. i. e. Opto amittat divitias quas habet & ſit noſtræ conditionis ac fortunæ cui invidet, id eſt, ſit pauper. Quam tamen expoſitionem ſi quis meæ anteferre velit, ut nimis longe petitæ, ei certe pertinacius non reſiſtam: ſed cum pro Mulas reponere Mulos neceſſe fuerit. Et de hoc Martialis loco hactenus, cujus explicatio quum in dubium revocari poſſit, ad illum alterum ejuſdem redeundum eſt, qui cum Ciceroniano aperte convenit. Si igitur verum eſt quod ex Horatii loco colligi dixi, agaſonum artem factitare ſolitos eos, qui varia vitæ genera ſectati, in nullo rem feciſſent, unde & ad inopiam redacti forent: hoc proverbium, Agas mulas, olim jactatum putabimus in eos qui, quum in nullo paulo honeſtiore vitæ genere amplius verſari poſſent, ad infima ſe demittere officia neceſſe haberent: aut latius accipiendo, quibus in novo vitæ genere licet prioribus minus honeſto, experiundam eſſe fortunam, vellent dicere. Nec dubium eſt quin Martialis, quum dicere debuiſſet. Si res & cauſæ deſunt, agas mulas: dixerit, Agis mulas (quaſi Attalus jam id faceret) παρὰ προσδοκίαν addiderit, Agas animam. Hoc ergo ſenſu & Scipio militi novum in quo militaret locum ſibi deeſſe dicenti reſpondit: Agas mulas: Ne quem autem moveant illa duo vocabula, & cætera (ex quibus Eraſm. mutilum eſſe adagium non bene ſibi perſuaſerat) admoneo vidiſſe me vetus exemplar, in quo eorum ne veſtigia quidem apparent ulla.

In loco, Anceps & Dubius. Proverb. Tertium caput. p. 55. Τρίτη κεφαλῇ, τρίτῳ ἐγκεφάλῳ: id eſt, Tertium caput, & tertio cerebro.] Videtur itidem legendum in dativo, Τρίτῃ κεφαλῇ, ut ſit, Tertio capite, & tertio cerebro.

In loco, Conatus. Proverb. Fruſtratus conatus. p. 121. Verum & tunc ille fiſellus.] ἁμαρτάνω neutrum eſt, ſignificans aberror, fallor: non, fallo. Quanquam ne illo quidem paſſivo Fallor, ſatis commode redditur.

In loco, Timiditas. Prov. Verbis pugnas, non re. p. 693. Inſani ſermones variiq; & paſcua dictis.] νομὸς ἐπέων idem valet quod πλῆθος. Ideo non oportet interpretari, paſcua dictorum, vel paſcua dictis: ſed, copia dictorum.

In loco, Carpentis ſe ipſum. Proverb. Quo tranſgreſſus. p. 114. Eam ſententiam latius ac fuſius explicavit, &c.] Putavit latius explicatam eſſe iſtis quatuor verſibus illius uniti ſententiam: quum trium Græcorum contineant interpretationem.

In loco, Divitum prærogativa. Prov. Locupletũ reditus. p. 746. Nec ſingulos æſtas renovatur in annos.] Omnino falſa eſt hæc interpretatio: alioquin enim Θέρος cum ἐπετήσιος, ut ſubſtantivum cum adjectivo, jungi dicendum eſſet: quod abſurdiſſimum foret: &, ut ferri talis oratio poſſet, at rem non minus abſurdam ſignificaret: æſtatem videlicet ſingulos in annos non novari, ſed Zephyrum perpetuo flare. Accidit autem hic error ex amputato hujus ſententiæ principio: quod illi redditum, quam aliena ſit illa expoſitio tũ à ratione ſimul & à ſermonis Græci conſuetudine, ita etiam à mente Homeri, apertiſſime declarabit. Ita enim legitur:

> ἔνθα δὲ δένδρεα μακρὰ πεφύκει τηλεθόωντα,
> ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
> συκαῖ γλυκεραὶ καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι,
> τάων οὔποτε καρπὸς ἀπόλλυται οὐδ' ἀπολείπει
> χείματος οὐδὲ θέρευς ἐπετήσιος· ἀλλὰ, &c.

Vide quid commune habeat hæc ſententia cum Eraſmi interpretatione,

> ——*Non ſingulos æſtas renovatur in annos.*

Imo vero, Quarum arborum fructus per ſingulas æſtates & hyemes renovatur, ad verbum: Quarum fructus nunquam perit, nec deficit, neq; hyeme, neq; æſtate, in totum annum ſufficiens.

In loco, Bona fortuna, Prov. Capram caleſtem orientem conſpexerunt. p. 102 Felix multorum agrorum poſſeſſor.] Quum ita interpretatur πολύαχος, oſtendit ſe pro appellativo nomine id accepiſſe, quod tamen proprium eſt nomen in hoc ipſo quem citat Plutarchi loco. Nec vero per υ ſcriptum habetur Πολύαχος, in vulgaris ejus editionibus: ſed per ι, Πολίαχος. Quæ ſcriptura ſi vera eſt, à πόλις & ἄχω derivari dicendum fuerit. Cæterum ut hic Eraſmus ex nomine proprio facit appellativum, ita viciſſim ex nomine appellativo fecit nomen proprium antea, qua etiam de re te admonui.

In loco, Maledicentia, Proverb. Archilochum teris pag. 474. Archilochum teris, ſeu calcas. De maledico dicebatur.] Imo nõ de eo qui maledicus eſſet, ſed de eo qui maledicũ provocaret, dicebatur: alludendo ad eos qui anguem calcant, à quo poſtea feriuntur. Nota eſt autem Archilochi maledicentia, quam & ipſe innuens, ei à quo laceſſitus fuerat conviciis, dixit, τέττιγα δ' εἴληφας πτεροῦ: quod dictum poſtea in proverbium abiit. Unde & Archilochum terere ſeu calcare dicebatur, qui crabrones, ut alio proverbio dicitur, irritaret, ut etiam ex quodam epigrammate Græco apparet, in quo admonetur viator, ut ſine ſtrepitu tumulum Archilochi pertranſeat, ne forte inſidentes ei veſpas ſiva crabrones excitet. Verba epigrammatis ſunt hæc:

> σῆμα τόδ' Ἀρχιλόχου παραπόντιον, ὅς ποτε πικρὴν
> μοῦσαν ἐχίδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ,
> αἱμάξας Ἑλικῶνα τὸν ἥμερον, οἶδε Λυκάμβης,
> μυρόμενος τρισσῶν ἅμματα θυγατέρων.
> ἠρέμα δὴ παράμειψον ὁδοιπόρε, μή ποτε τοῦδε
> κινήσῃς τύμβῳ σφῆκας ἐφεζομένους.

Quod autem Ιυλιανὸς ἀπὸ ὑπάρχων de Archilocho dicit hoc poſtremo diſticho, idem de Hipponacte, nõ minus maledico & ipſo, à Leonide dictum reperitur proxime ſequenti epigrammate, his duobus primis verſibus.

> ἀτρέμα τὸν τύμβον παραμείβετε, μὴ τὸν ἐν ὕπνῳ
> πικρὸν ἐγείρητε σφῆκ' ἀναπαυόμενον.

Ibidem. Vel quod hujus veſtigiis ingreditur. Α'ρχίλοχον πατεῖς, non minus pure diceretur pro Archilochi veſtigiis ingrederis, quam Latinis, Archilochum calcas, aut conculcas.

Ibidem. Equidem ſuſpicor. Non bene hoc ſuſpicatur. Diverſa enim ſunt, licet de eodem homine, proverbia, Α'ρχίλοχον πατεῖς, Α'ρχιλόχου πατρίς, hujus ſenſum modo expoſuimus; illud in civitates aut populos hominibus maledicis plenos jactatum fuit, quaſi in Archilochi patria multos maledicos eſſe veriſimile foret, ab illo videlicet edoctos, & ad ejus imitationem ſe componentes, ut ſiquis urbem in qua qui mulas ſectarentur, eſſent egregii potores, Arcteontis patriam appellaret.

In loco. Imperitia. Proverb. Dulce bellum inexpertis. pag. 295. At expertus quiſpiam horret, ſi acceſſerit cordi, &c.] In his verbis, ἐμπείρων δέ τις περβεῖ προσιόντα νιν καρδία περισσῶς: dativus καρδίᾳ non cum προσιόντα, ſed cum ταρβεῖ jungitur: ut pro, Aſt expertus quiſpiam horret, ſi acceſſerit cordi ſupra modum: vertere oportear. Aſt expertus quiſpiam illuc accedens horret corde ſupra modum.

In loco, Aſperitas, Proverb Verſatilis Artemon. p. 70. Quem ſuſpicor ob id dictum περιφόρητον.] At περιφόρητος in hac vel illa ſignificatione ubi reperitur?

Ibid. Qui cum claudus eſſet, &c.] Atqui περιφόρητος non activam, ſed paſſivam ſignificationem habere quis negaverit?

Ibidem. Quibus ex verbis apparet; &c.] Imo vero nihil commune cum Alcibiadis moribus habent quæ hic ab Anacreonte de illo dicuntur; & ipſe Athenæus non dicit poetam his verbis oſtendere, illum verſatili ingenio fuiſſe præditum (qualo re vera Alcibiadis ingenium erat) ſed illum ex paupertate ad luxum emerſiſſe, ait enim: καὶ διὰ πενίαν αὐτὸν ἐκ τρυφῆς εἰς τρυφὴν ὁρμῆσαι φησὶν ἐν τούτοις.

In loco, Nota Proverb. Quantum ex Bacchanalibus. pag. 759: Addit dictum de rebus vehementer expetendis.] Confudit Eraſmus quæ omnino ſeparari neceſſe eſt: non attendens quid Suidas diceret, is enim ait, εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν ἀποδοχῆς ἀξίων:

ἀξίων: de his verbis loquens, ὦ διονύσια, &c. non de illis, ἐξ αὐτῆς σχεδὸν πεπωκότες ἐκ διονυσίων, pro quorum expoſitione dixerat: ἔθος ἦν ἀπλῶς λέγειν τὰ ἔτη, καὶ τὸν ὑπὲρ πάντων ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν διονυσίων, cum quibus optime convenit hic ex quadam Alciphronis Epiſtola locus: κλυθῆναι ἀπὸ γλυκείας εἰς ποιῶ τι χρόνον, ἀπὸ τῶν διονυσίων γὰρ ὑμῖν ἀπήγγελλον.

In loco, Dignitatis, Prov. Decernetur equa Theſſalica. p. 182. ἐπικρινεῖται ἵππος θεσσαλική.] Verbum ἐπικρινεῖται putavit eſſe unum ex hujus adagii verbis, quum ſit ipſius Euſtathii, quanquam in vulgata editione ejus commentariorum legitur ἐπικρίνεται, ut & debet legi. Ait enim: ἔτι φασὶν οἱ παλαιοὶ ὅτι τὰς Εὐμήλου ἵππους προκρίνει ὁ ποιητής, διὰ τὴν παροιμίαν ἐν ᾗ ἐπικρίνεται ἵππος θεσσαλική id eſt: Præterea dicunt antiqui, Eumeli equas cæteris præferri à poeta, ob proverbium in quo ἐπικρίνεται (id eſt deligitur) ἵππος θεσσαλική, equa Theſſalica. At Eraſmus putavit hoc verbum ἐπικρίνεται (aut, ut ipſe legit, ἐπικρινεῖ) ex proverbio eſſe, quum perinde ſit ac ſi diceret Euſtathius, ob adagium, quo equa Theſſalica inter aliarum regionum equas potiſſimum deligitur celebranda. Eſt igitur proverbium ἵππος θεσσαλική, quod & apud Ariſtotelem reperitur, originem autem videri poſſit habuiſſe ex illo verſu oraculi Æginenſibus, aut, ut aliis placet, Megarenſibus redditi: ἵππον θεσσαλικήν, λακεδαιμονίην τε γυναῖκα. Huc pertinet quod ἵππον γε θετταλὸν dicit Maximus Tyrius, pag 56. meæ editionis.

In loco, Memoria. Prov. Quæ dolent, ea moleſtum eſt contingere. p. 499. Minime ſuave eſt admonere, &c.] Atqui πλησιάζειν τόπῳ non ſignificat Admovere manum loco, aut contingere manu locum, ſed ad locum accedere, quod eſt non manum, ſed pedem loco admovere, ſi ita loqui liceret: pro, inferre pedem. Huc igitur pertinent hæc Ovidiana.

Quicunq; Argolica de claſſe Capharea fugit,
Semper ab Euboicis vela retorquet aquis.
Et mea cymba ſemel vaſta percuſſa procella.
Illum quo læſa eſt horret adire locum.

In loco. Improbi Prov. Dii tibi dent tuam mentem. pag. 310. Quid enim precemur infælicius ſceleſtis hominibus?] Imo nihil infelix precamur ei cui dicimus, Dii tibi dent tuam mentem, & illud dicendi genus, quo optamus alicui mentē meliorem dari, idem eſt cum hoc non huic contrarium, ut Eraſmus exiſtimat, qui quum ait, Dii tibi dent tuam mentem, in inſanum congruere, & ſua dignum mente: nihilq; nos precari poſſe infelicius ſceleſtis hominibus: ita accipit hoc genus loquendi ac ſi inſano homini, & quidem ſceleſto, diceremus, Dii tibi dent convenientem tibi inſano, & qua dignus es mentem, id eſt: Dii tibi dent inſanam tuam mentem. Atqui ille ipſe inſanus eſſet, qui inſanum quempiam vocans, ei mentem inſanam optaret, quis enim eſt inſanus, niſi qui mentē inſanam habet? cur autem quod illum habere fateretur, id optaret? Dico igitur, Dii tibi dent tuam mentem, ita eſſe accipiendum, Dii tibi reſtituant quam habuiſti quondam mentem, vel quam tibi eripuerunt, & qua te privarunt mentem, ut Homerus de Glauco dicit, ei Jovem ſuam mentem eripuiſſe, dum aurea ſua arma æreis permutaret, ait enim:

ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
ὃς πρὸς Τυδείδην, &c.— Sic Heſiodus.
—τοῦ μὲν φρένας ἐξέλετο Ζεύς, ὃς προλιπών, &c.—

Solent enim dicere à Jove aut generaliter à diis, illi mentem ſuam ablatam eſſe, qui inſignem in opere aliquo ſtultitiam ſeu inſaniam demonſtrat. Sic Cicero dicit Suæ mentis eſſe, pro Sua mente privatum non eſſe, Non eſſe inſanum. Jure igitur ei quem optamus ab inſania deſiſtere dicimus: Dii tibi dent tuam mentem. Sed & ſub pronomine jocoſo αὐτίκ' ἐθέλεις apud poetam videtur latere.

Ibidem. Contra Demea Terentianus, &c.] Proxima dixi annotatione, non contrarium eſſe hanc phraſin præcedenti, ut putat Eraſmus: ſed eandem cum illa. Nam utraque eſt optantis alicui, ut ſtultus aut inſanus eſſe deſinant. Quemadmodum enim de eo qui ſtulte aut inſane agit, poetæ nonnunquam ſimpliciter dicunt, deos ſuam mentem ei eripuiſſe: interdum vero, ſuam bonam mentem (quaſi videlicet relinquatur inſanis mens, ſed non bona: unde & mentem habere dicuntur, ſed inſanam) ita & ei quem ab inſania deſiſtere optamus, aliquando dicimus, Dii tibi dent tuam mentem: aliquando Dii tibi dent bonam vel meliorem mentem. Locum Homeri, in quo Jovem dicit Glauco ſuam mentem abſtuliſſe, modo protuli: at Automedonti itidem ſtulte agenti deorum quempiam mentem bonam eripuiſſe dicit, his verbis:

αὐτόμεδον, τίς τοί νυ θεῶν νηκερδέα βουλὴν
ἐν στήθεσσιν ἔθηκε, καὶ ἐξέλετο φρένας ἐσθλάς.

In loco, Mutanda ſententia. Proverb. Imitabor nepam. p. 527. Hæc Nonius. At ſi nepa nihil eſt quam ſcorpius, mirum cur Cicero maluerit dicere nepam.] At ſi nepa eſt aliquid quam ſcorpius, mirum cur Cicero paſſim apud Aratum ſcorpium interpretari nepam voluerit.

In loco, Inanis opera. Prov. Γύργαθον φυσᾷς: pag. 334. id eſt, Gyrgathum ſpiras.] Miror Eraſmum, quū perſpiceret (nec enim illum hoc latuiſſe exiſtimo) duram eſſe horū verborum interpretationem & duriorem etiam explicationem, de aliter interpretandis illis & explicandis nō cogitaſſe: præſertim quum obvia eſſet alia utriuſque vocis, ſenſum optimum efficiens, ſignificatio, quid enim γύργαθος ſignificat: nonne rete? quid φυσᾷν: annon Sufflare? Quid dicit Suidas γύργαθον φυσᾷς, proverbium de iis qui fruſtra laborant. Quis magis fruſtra laborat, quam is qui aere ſufflat, aut qui (ut alio proverbio dicitur) rete ventos venatur? Apage ergo iſtum paralyticorum & dæmoniacorum lectum. Fateor quidem eſſe errorem apud Suidam, ſed qui deprehendi facile poſſit, ac potuerit. Poſt illa enim verba: γύργαθος, καὶ παροιμίας, γύργαθον φυσᾷς, ἐπὶ τῶν μάτην πονούντων, ſequitur, γύργαθος οὖν κλίνη, ἐν ᾗ τοὺς παρέτους καὶ δαιμονιῶντας ἐφόρουν. At dicenti mihi perperam hic, poſitam particulam οὖν, & hæc verba γύργαθος οὖν, &c. nihil ad præcedentia pertinere, quod ad ſenſum attinet (ſed ab illis ſeparata eſſe, utpote aliunde addita & conſarcinata, ad exponendam alteram hujus vocis γύργαθος ſignificationem) is demum fidem nō habebit, qui Suidam nunquam evoluerit. Quæ res tamen ab Eraſmo & in aliis illius lexici locis non animadverſa, in alios errores eum impulit: quorum antea quædam annotavi.

In loco. Proximus utendum. Proverbio. Quæ dantur. pag. 605. Non admodum liquet quid ſibi velit.] Videtur mihi ſatis liquere ex alio ejus loco, in quo eodem modo uſurpat: Quod dat, accipimus. Sed ne alibi à me dicta cogat repetere, ad meum caſtigationum in Ciceronem libellum te remitto.

In loco, Acceſſio puſilla, Prov. Gutta vini non miſcetur aquæ ſæpius infuſa pag. 24. Græca verba ſonant: Gutta vini infinitis congiis aquæ non miſcetur, aut, cum decem millibus congiorum aquæ, ut μυρίοις ſit à nominativo μυρίοι non μύριοι.

In loco, Anceps, Proverb. Inter pueros ſenex. p. 54. Convenit in hominem grandiuſculum, majorem, &c.] Nihil minus quam hoc ſignificare volebat Antioch. ſophiſta, quum illud ſcomma in Hermogenem jaceret, cujus verus ſenſus ex iis quæ de ipſo narrat Philoſtratus, facile ab Eraſ. colligi potuiſſe videtur. Refert enim Hermogenem quindecim duntaxat annos natum, maximi fuiſſe inter ſophiſtas nominis adeo ut & Marco Regi deſiderium ſui audiendi accenderit: ſed quū virilem ætatem attingeret, quem habebat dicendi uſum amiſiſſe, unde & æmulis ſuis occaſionē riſus præbuiſſe. Dicebāt enim verba vere juxta Homer. eſſe pennata: utpote quæ Hermogenes tanquā pennas amiſiſſet. His ſubjungit: καὶ Ἀντίοχος δὲ ὁ σοφιστὴς ἀποσκώπτων ποτὲ ἐς αὐτόν, οὗτός ἐστιν, ἔφη, Ἑρμογένης, ὁ ἐν παισὶ μὲν γέρων, ἐν δὲ γέρουσι παῖς. Quib⁹ lectis, cuncti, ut opinor, mihi aſſentientur, huj⁹ dicterii ſensū hunc eſſe affirmāti: Qui in pueritia, mente & judicio præditus fuit ſenili, vel digno quovis ſene: in ſenectute plane puerilē men-

tem

tem habet. Addit autem Philoſtratus, illum ad ſummam ſenectutem perveniſſe.

In loco, Acceſſio puſilla, Prov. Ne major thylaco acceſſio. p. 24. Ne tibi thylaco major ſit acceſſoria ſarcinula] Ita interpretans hunc locum, à vulgatis exemplarib. diſcedit in duobus vocabulis: quum tamen unius duntaxat mentionem hic faciat. Fatetur enim ſe τὸ ἐπίγραμμα in τὸ πρόσαγμα mutaſſe: at de θυλάκῳ, pro quo in ſua interpretatione legit θυλάκου, nihil dicit, & quidem hic locum citat cum τὸ ἐπίγραμμα, non cum τὸ πρόσαγμα: at θυλάκῳ dativum ſervat: quũ tamen μεῖζον θυλάκῳ pro Majus thylaco, nemo ſit qui ferendum eſſe dicere auſit. Ego τὸ ἐπίγραμμα, ſicut τῷ θυλάκῳ, retinendo, & dativum hunc cum προσ- ἐπιγράμματι jungendo, ſic verti poſſe exiſtimo: Ne ſacculo inſcriptio accedat juſto major. Fortaſſe enim moris fuit, ſacculis chartulam, inſcriptionem eorum quæ in illis repoſita eſſent habentem affigere, ut & hodie cauſidici noſtri ſacculis inſtrumenta litis continentib. affigunt. Fingamus ergo tale aliquid: tum ita poſſit accommodari hæc proverbialis comparatio, Vereris ne, ſi laudaturũ te Demoſthenem profeſſus, tot argumenta diverſa congereres, plura eſſet illa quam pro materiæ quam ſuſcepiſſes tractandam, menſura, hoc modo θύλακος reſpondebit materiæ quæ tractatur: eorum autem quæ tractantur argumenta, inſcriptioni ſacculo affixæ. Quanquam, ut ingenue fatear, hoc meum commentum mihi parum placet: ſed qualecunque eſt, lectionem quam habemus ſervat integram. At Eraſ. ſuum cum mutatione vocis unius (ut alia taceam) induxit: quod tamen, ut oſtendi, niſi & altera mutetur, ſtare non poteſt.

In loco, Dignitas. Prov. Gorgonem Perſeus aggreditur. p. 189. Γοργόνα Περσεὺς ἐγχειρήσαντι: id eſt, Gorgonem Perſeus adortus eſt] Potius, expugnavit, ſubegit.

In loco, Dignitas. Prov. Eſto promus. pag. 182. Dictum in eum cui felicitas immerenti contigiſſet, peculiariter in eunuchos.] Hallucinatur hic, dum vult proverbiũ efferri quidẽ ut depromo (ita enim interpretatur ταμίας) at vero peculiariter in eunuchos dici. Neq; hoc dicturus erat, ſi errorem qui eſt in voce ταμίας, animadvertiſſet, eſt enim non ταμίας legendum, ſed τομίας, qua voce eunuchus ſignificatur. Hoc autem erratum nõ ex ullius codicis auctoritate emendo (quia unde petitum ſit hoc adagium, neſcio) ſed ille ipſe, quicunq; eſt, ex quo Eraſmus reſcivit peculiariter in eunuchos id dici ſolitum, hoc mendũ mihi velut digito monſtrat: Quin etiam ipſa carminis menſura (quæ poſtulat ut μ longum ſit, quum in ταμίας ſit breve) hanc lectionem prima fronte ſuſpectam mihi reddidit. Nec vero dubito, quin hoc proverbium ex eo natum ſit, quod quum olim res magnam diligentiam & cautionem in deligendis eunuchis adhiberent (utpote quibuscum ita res ferret, & gazas & uxores ſuas credituri eſſent) poſtea tanta diligentia in eorũ delectu adhiberi paulatim deſierit: tandem etiam ſine ullo delectu id officii mandari cœptum ſit quibuslibet, qui modo ſpadones eſſent. Faceſſat ergo hinc ταμίας, & in ejus locum ſubſtituatur τομίας, ſed una cum voce ταμίας faceſſant quæ de ea ex Suida petita ſint, tanquam videlicet adagii rationem reddentia. Quanquam hoc de ſuo Eraſmus addidit: cum magiſtratum interdum furacib. committi ſolitum. Miror vero cur pro Magiſtratu accipiens ταμίας, verteret promum: item cur ἔσω interpretaretur Sis, niſi forte eum lingua Latina decepit, in qua eſto pro Sis dicitur. Quinetiam τἆλλα rectius vertiſſet Cætera, eo modo quo dixit *Virgilius*:

—Cætera Grajus.

Sed libet de accommodatione hujus proverbii pauca dicere. In eum qui, quod ſit nobili familia natus, aut dives, ad honores admittitur, quum ſit alioqui improbus recte torquebitur hoc proverbium, mutata voce ταμίας in ἄρχων aut πλούσιος. Sic qui à vulgo non ob ullam virtutem, ſed duntaxat quod nobilis ſit, tanquam belli dux aut conſul honoratur, recte quis dixerit; Eſto dux aut conſul: cętera eſto canis. Recte item quadrabit in omne genus hominũ, ubi quis ſine ullo ſuo merito, cum alioquin ſit plane ineptus, ad munus in Republica obeundum fuerit admiſſus.

In loco, Impoſſibilia. Prov. Veſte circumfers ignem. p. 292. ἱματίῳ τὸ πῦρ περιστέλλεις: id eſt, Veſte circumfers ignẽ.] Hoc proverbium ut male interpretatus eſt, ita nunc male exponit, neq; enim περιστέλλω Circumfero (quod eſt περιφέρω) ſignificat, ſed inter alia, Cooperio, Tego, Occulto: aut potius, ut Græcum compoſitum Latinis compoſitis reddatur, Circumtego, Circumvoluo, Obtego, Obvelo, Obduco. Ergo τὸ πῦρ ἱματίῳ περιστέλλεις, non ſonat, Veſte circumfers ignem: ſed Veſte ignem circumtegis, vel occulis, ſæpe enim hanc ſignificationẽ habet, unde & περισταλτικῶς adverbium pro Occulto, & nomen περιστολὴ pro occultatio, ſed quid verbis opus eſt? ipſe nos Socrates quomodo & interpretari & explicare hoc adagium debeamus, docebit hoc ſuo apophthegmatẽ: οὔτε πῦρ ἱματίῳ περιστέλλειν δυνατὸν, οὔτε αἰσχρὸν ἁμάρτημα χρόνῳ. i.e. Neq; ignem veſte, neq; turpe delictum tempore occultare poſſibile eſt. Simile ergo fuerit hoc illi, Elephantum ſub ala occultas. Huc pertinent illi Ovidiani verſus, in quibus igni amoris accommodatur, quod de altero igni proverbio jactari ſolet:

Sed male diſſimulo, quis enim celaverit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

In loco, Inanis opera. Proverb. Volutur dolium. p. 327. In eum qui commovetur alieno exemplo ſine inſtinctu ad ſtulte quid faciendum] Voluere doliũ is dicitur à Luciano (ad id videlicet reſpiciente, quod de Diogene narratur) qui occupatos alios cernens otium & ipſe abrumpit, inter negocioſos & ipſe aliquid negotii ſibi imponit: qui denique quidvis quantumlibet inutile agit, ne inter occupatos ſolus otioſus ſit. Sed Luciani locum ſatius fuerit afferre, unde etiam quæ addit Eraſmus de ſapiente tetragono ſimili, plane ἀπροσδιόνυσα eſſe appareat. Cum (inquit) Philippum adventare cum exercitu fama eſſet, ideoq; omnes Corinthi in varios operib. eſſent occupati ad belli apparatũ pertinentibus, tunc & Diogenes dolium ſuum ſurſum ac deorſum per Cranium provoluere cœpit. Roganti quid ageret, reſpondit: Ego quoq; doliũ voluto: ne ſolus otioſus eſſe inter tot negocioſos videar. Ego itidem, ô Philo, ne ſolus in tam clamoſo tempore tacerem, recte facturum me exiſtimavi, ſi pro mea virili dolium volutarem: nimirum hiſtoriam non ſcribens, ſed aliis eam ſcribentibus pauca quædam præcepta ſuggerens. Libellum autem circa cujus principium hæc dicit, is inſcribitur: πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν his claudit verbis: οὗτός σοι κανὼν καὶ στάθμη ἱστορίας δικαίας καὶ εἰ μὲν σταθμήσονταί τινες αὐτῇ, εὖ ἂν ἔχοι, καὶ εἰς δέον ἡμῖν γέγραπται, εἰ δὲ μὴ, κεκύλισται ὁ πίθος ἐν κρανείῳ. Quanquam in Aldina editione & aliis pro πίθος, legitur λίθος, quum in loco quem modo interpretatus ſum, habeant κυλίειν τὸν πίθον: non λίθον.

In loco, In Stupidos. Prov. Terebintho ſtultior. pag 406. Τερεβίνθου ἀνοητότερος; id eſt, Terebintho dementior.] Dementior, eſt ἀνοητότερος. Sed vereor ne alius ſub ea lectione quam habemus, lateat error.

In loco, Fides & gravitas. Proverb. Dives promiſſis. p. 246.] Falſo ponuntur in capite hæc verba tanquam proverbialia: quum nec in eo dicto quod Eraſmus citat, habeantur, nec ad ejus ſenſum pertineant, ſequente annotatione docebitur. Quanquam ne ſi pertinerent quidem proverbii locum obtinere deberent.

Ibid. ὁ μὲν λόγος θαυμαστὸς, &c. Quũ vellet Eraſm. Plutarchi locum proferre non debuit ex illo poſtrema hæc verba reſecare, οὐ γὰρ πέπεισμαι: quum in iis tota ſita ſit dicti elegantia, nã illa, ὁ μὲν λόγος θαυμαστὸς, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, nihil niſi vulgarem & generalem ſententiam habent. Quinetiã hæc verba ἄπιστος οὐ γὰρ potuerunt omitti, ut à Plutarcho uno in loco omittũtur, brevitatis gratia. Cæterum Eraſmus, dicens hoc Eudæmonidæ dictum convenire in Theologos cœleſtia quædam docentes, quum orationi vita non reſpondeat: male id accommodat, & ſe ejus non aſſequutum eſſe ſenſum oſtendit, neq; enim quum hoc diceret Philoſopho Eudæmonidas, vi-

tam ejus ac mores orationi non reſpondere innuebat: ſed nimirum hoc ſignificabat, Egregia quidem eſt hæc oratio: vel Egregium quidem eſt hoc dictum: ſed qui loquitur non loquitur expertus: cum nunquam circunſonantem tubam audierit, ideoq; ille fide dignus non eſt. Sic enim potius verti debet, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος. Sed qui loquitur, fide non eſt dignus: vel fidem non meretur: quã cum Eraſmo, Cæterum non habetur fides loquenti. Poteſt enim aliquis eſſe fide indignus, cui tamen fides habeatur: at Eudæmonidas ſignificare vult, illum fidem nõ mereri, & fide dignum non eſſe: quippe qui neſciat quid ſit ars imperatoria, quum eum tubarum clangore nunquam ejus aures perſonuerint. Latiſſime autem patet uſus hujus proverbii. Poterit igitur qui ad ſuum propoſitum id accommodare volet, περισεσαλπίσθαι retinere (quo modo nonnunquam verbum in proverbio de re una dictum, per catachreſin elegantem ad alias multas transfertur) poterit & in ejus locum aliud à re de qua loquitur ſumptum ſubſtituere. Et quemadmodum dixit Theocritus de quodam, quem ſignificare volebat, athleticæ artis prorſus ignarum,

Καὶ πόκα τῆνος ἔλαιον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὄπωπε;

id eſt, Quando obſecro ille oleum conſpexerat; ita Imperatoris alicujus ſermonem de philoſophia & de arte oratoria (quarũ neutram ne à limine quidẽ ſalutarit) his verb. excipere poterim⁹: *ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, οὔτε γὰρ ἦν αὐτοῦ φροντιστήριον ἢ ἐκκλησίαν ἑώρακεν.*

Ibid. Idem conveniet in Theologos, &c. Male ad hunc uſum accommodari proverbium, proxima docui annotatione poterit quidem convenire in theologos: ſed hoc modo, Si quis theologus, qui nunquam paupertate conflictatus ſit, quempiam exhortetur ad onus paupertatis patienter ferendum, merito audiet: *ὁ μὲν λόγος θαυμαστός, ὁ δὲ λέγων ἄπιστος, οὐ γὰρ περισεσάλπισται.* At in Theologos cœleſtia quædam docentes, quum orationi vita non reſpondeat, non hoc jactari poſſit, ſed illud: *τρόπος ἐσθ' ὁ πείθων τοῦ λέγοντος, οὐ λόγος.*

In loco, Sera pœnitentia. Prov. Poſt acerba prudentior. p. 636. Παρὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος] Falſo exiſtimat παρὰ ſignificare Poſt, quaſi pro μετὰ accipiatur, cujus ſignificationis exemplum nullum invenio apud Grammaticos. At vero παρὰ τὰ δεινὰ, pro ἐν τοῖς δεινοῖς, dici, ut παρὰ τὸ δεῖπνον pro δείπνῳ, ex illis notiſſimum eſt. Interpretabimur itaque, In malis prudentior, nec convenire dicemus cum illo Homerico, ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω (quod congruit cum Proverbio, Piſcator ictus ſapiet) ſed cum hoc Ovidiana ſententia.

—Miſeriſq; venit ſolertia rebus.

Hinc nõ alienum videri poſſit illud Plutarchi in Themiſtocle, ἀπὸ τῶν ἔργων παρὰ τοὺς κινδύνους διδαχθέντας, ubi etiam animadverte, παρὰ τοὺς κινδύνους, pro ἐν τοῖς κινδύνοις. Alio tamen loco, ni me fallit memoria, Eraſmus verba hæc ut proverbialia citat, μετὰ τὰ δεινὰ φρονιμώτερος.

In loco, Forma & deformitas. Proverb. Therſitæ facies p. 255. Θερσίτειον βλέμμα.] Sed βλέμμα pro facie poſitum, ubi tandẽ reperitur? quid vero neceſſe eſt novam aut raram illi ſignificationem hic dare, quum uſitata optime conveniat? Si enim Θερσίτειον βλέμμα, Therſiteum aſpectũ, ſive intuitum, aut contuitum interpreteris, de depravato & diſtorto, qualis eſt ſtraborum: tuam hanc interpretationem ex eõdem Homero confirmare poteris, ſiquidem is inter cætera quibus deformitatem ejus depingit, hoc ponit, & quidem primum omnium φολκὸς ἔην.

In loco, Proclivitas. Proverb. Suade lupis ut inſaniant. p. 596, Hoc quoq; Milo lupis mox perſuadeto, rabire.] πείσαι credidit imperativi eſſe modi, ſecundam perſonam, media in voce: ideo vertit, Perſuadeto, Suade. Atqui (ut omittam, πείσαι legi, non πεῖσαι & imperativum πεῖσαι pro πεῖσον non temere inveniri, ut nec infinitivum πείσασθαι pro πεῖσαι, paſtor Battus, qui hunc profert verſum, apud Theocritum, non alloquitur Milonem: ſed de eo abſente hoc dicit Corydoni. Interpretare igitur, Perſuadeat, vel perſuaſerit, id eſt, perſuadere poſſit. Quam certe interpretationem attuliſſet, ſimul & aliam hujus proverbii explicationem quam attulerit: ſi attentius totum hunc locum conſideraſſet. Battus enim mirans potuiſſe Milonẽ Ægoni paſtori, qui ne oleum quidem athleticum unquã viderat, perſuadere ut Olympiam proficiſceretur: dicit Corydoni, vel lupis perſuadere queat Milo, & ſtatim more canum agantur in rabiem. At ſi Eraſmicam expoſitionẽ ſequentes, dicamus, Perſuadere etiam velit Milo, lupis ut inſaniant, quum plus ſatis ſua ſponte id faciant, quis non videt minime conſtare ſibi Battum, & prioribus ejus verbis poſteriora non eſſe conſentanea? Sed enim illam alteram expoſitionẽ tenendo, cogemur dicere rabiem proprie canũ eſſe, quod Eraſmus ex ſcholiaſte proferens, & refellens, ait canes aliquando rabire, lupos, nunquam non rabire. At ego eadem ratione dici rabire, vel potius rabidos eſſe lupos, qua canes, plane nego: & λύσσαν, id eſt rabiem, proprie appellari quendã morbum canum, quo correpti inſaniant (unde & lupos rabidos, tigres quoque, aliaſque feras rabidas appellarit, quum tamen eodem quo canes morbo non laborent) probaturum me confido. De canibus enim ſic Plinius: Eſt vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Unde jam liquet, peculiarem eſſe canibus hunc vermiculum, de cujus nomine appellatus ſit morbus à Græcis, quem ipſe illis adferat: pro quo Latini rabiem dixerunt. At feras ſi putaremus morbo laborare quum rabidæ ſunt, perpetuum morbum illis tribueremus, quum omni tempore dicantur eſſe rabidæ. Præterea ſi inter rabidum canem & rabidum lupum, aut rabidam tigrim, aliamve feram nihil intereſt, cur non, quemadmodum diſtinguitur morſus canis rabidi, à morſu canis non rabidi, ita etiam lupi rabidi morſus à lupi non rabidi, morſu diſtinguitur? Cur deniq; qui lupũ aliquem rabidum appellat, intelligitur uni epithetum dare quod omnibus ejuſdem generis belluis, ſecundum naturam ſe habentibus (ut philoſophicam phraſin uſurpemus) conveniat: at qui canem aliquem rabidum vocat, intelligitur uni cani appellationem dare, quæ illi communis ſit, non cum aliis omnibus canibus, ſed cum iis duntaxat qui præter naturam ſe habent? Ex his ſatis ſuperq; manifeſtum eſſe puto, non eodem intellectu lupos rabidos appellari quo canes. Non debuit ergo ſcholiaſtæ explicationem improbare Eraſm. præſertim quum Theocritus utatur verbo λυσσῆν, unde & nomen λυσσώδης: quæ Græci à canis morbo ad furibundum feratum impetum non eo modo transferũt, quo Latini nomen rabidus transferre ſolent.

In loco, Excellentia, Prov. Nihil ſimile. pag. 185. ἀλλ' οὐ συμβλητ' ἐστι &c.] Hoc dictum proverbii ſpeciem duntaxat nõ habet, ut quædam in verſib. ante citatis, ſed vere proverbiale eſt: ac proprius ejus locus erat cum illis ad idem proverbium pertinentibus verbis, *ῥόδον ἀνεμώνῃ συγκρίνεις*: id eſt, Roſam cum anemona confers.

In loco, Modeſtia. Prov. Ubi paveris impera. pag. 509.] Imo ſonant verba Theocriti: ubi comparaveris, impera, vel: impera ubi poſſeſſor fueris. Sic proverbiale dictum eſt plane cum illo Plautino conveniens: Emere mel us eſt cui imperes. Quod aliis verbis ſic effert idem: Emere oportet quem tibi obedire velis. Sed nimirum non cogitavit Eraſmus quum ita interpretaretur πασάμενος non ſignificare duntaxat γευσάμενος καὶ φαγεῖν, ſed etiam κτησάμενος: ſicut πεπᾶσθαι idem poeta uſurpat pro κεκτῆσθαι in hoc verſu, qui habetur Idyll. 10.

αἴθε μοι ἦς ὅσσον Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι.

hinc & πολυπάμμων, Multa poſſidens, Dives. Quanquã nec alteram ſignificationem accipiendo, carebit errore illa interpretatio. Ubi paveris impera, vel. Ubi eſca ſatiaveris. Cum enim πάσασθαι ſignificet guſtare, edere, non autem paſcere, ſive alere: vertendum fuiſſet, eam ſequendo, ubi paſtus fueris: vel, Ubi eſca ſatiatus fueris.

In loco, Contemptus Prover. Cecidæ & Buphoniorum. p. 137. Priſca hæc ſane atq; obſita canis.] πολιώδη interpretatur obſita canis, pro πολιὰ ſumens. Verum apud Ariſtoph. non legitur, καὶ δὴ πολιώδη: ſed καὶ Διιπολιώδη. Et hanc lectionem

nem apud eum agnoſcit ſcholiaſtes ſcribens διιπόλεια fuiſſe unum ex antiquiſſimis feſtis appellatum alio nomine διάσια. Idem hos Ariſtophanis verſus enarrans ex Pace:

θυσίαις τε ταῖς ἄλλαις πελεταῖς τε τῶν θεῶν,

μυστήρι', Ἑρμῆ, διιπόλει', ἀδώνια:

ſcribit διιπόλεια fuiſſe feſtum Athenis, in quo Jovi πολιεῖ ſacrificarent decimaquarta die menſis Maii. Hanc tamen lectionem διιπολιώδη, itidem in proverbio, Cicadis pleni, poſuit Eraſmus, qui an alibi πολιώδεις pro πολιῶν legiſſet, neſcio: ego certe legere me non memini. Cæterùm ſi τὰ κηκείδη καὶ βουφονίων proverbialia ſint, huic nomini διιπολιώδη fiet injuria, niſi & ipſi inter proverbialia locus detur.

In loco, Intemperantia. Proverb. αὐτὸ πλὴν χυθεῖ. p. 410. Quiq; tam demũ audiunt, &c.] ἀκουομένους pro ἀκούοντας accepit, vertens, Quique tum demum audiunt. Item, μετὰ τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ, malum, Poſtquam prolata ſunt hæc verba, τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ: id eſt: Poſtquam poſtulata eſt aqua manibus.

In loco, Excellentia. Prov. Teſtudinem equus inſequitur. pag. 185. Id quod proverbio dicitur.] τὸ τοῦ λόγου φασὶ, vertit, Id quod proverbio dicitur. quaſi τὸ τοῦ λόγου φασὶ, non plus ſignificaret quam τὸ τοῦ λόγου, aut φασὶ ſeorſum. Imo φασὶν ii contra quos Plutarchus diſputat, adeo ut ita interpretari oporteat. Ne ſiquidem (inquiunt) teſtudinem, ut eſt in proverbio, inſequatur, &c. Hoc etiam obiter adnotabo, quod non videtur deprehendiſſe (ſolet enim diligenter hac de re admonere) ex poeta quopiam ſumpta eſſe poſtrema hujus loci verba, nam μετὰ πόδα διώκει, finis eſt unius verſus hexametri: & ὁ δ' ἐρίζει ταχὺς ἵππος, principium alterius.

In loco. Ultio malefacti, Prov. Sero moluit deorum mola pag. 728. Dici ſolitum de his qui licet ſerius, &c.] Si integrum proverbium conſideramus, aliud ſignificare videbimus: nimirum, quo ſerius eo gravius punire deos. Nam verſus proverbialis, cujus priorem duntaxat partem ponit hic Plutarchus, eſt iſte:

ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά.

In loco, Ultio malefacti. Prov. Dulce pomum quum abeſt cuſtos. pag. 728. Impunitate malos ad peccandum provocari.] Verum eſt, malos impunitate & impunitatis ſpe ad peccandum provocari: &, ut Cicero ait ſpem impunitatis maximam eſſe illecebram peccandi: ſed huc non reſpicere puto adagium: quaſi videlicet pomum, dum cuſtoditur, non putet aliquis eſſe dulce, nec ejus deſiderio teneatur: at ubi incuſtoditum viderit, adeò ut carpere impune poſſit, tum vero id concupiſcere incipiat, dulce eſſe ſibi perſuadens: quaſi ipſa impunitatis ſpe ad illud deſiderandum ſollicitante, cujus alioqui nullum excitatum fuiſſet deſiderium. Huc inquam non puto proverbium reſpicere, vel potius eum à quo verſus hic ſcriptus fuit, qui poſtea in proverbium abiit. Aperte enim huic ſententiæ repugnat quotidiana experientia: quum videamus multo magis placere, & majorem ſui (ut ita dicam) amorem excitare illa, quæ diligenter aſſervantur, & quæ nobis conceſſa non ſunt, quam quæ ſunt incuſtodita, & à quibus nullius periculi metus arcere poteſt. Quod non ignoravit, atque adeo non tacuit Naſo: qui elegiam quandam inchoat:

Si tibi non opus eſt ſervata ſtulte puellâ:
At mihi fac ſerves, quo magis ipſe velim.
Quod licet ingratum eſt: quod non licet, acrius urit.
Ferreus eſt, ſi quis quod ſinit alter, amat.

Idem in alia elegia:

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata.
Sic interdictis imminet æger aquis.

Et paulo poſt, ubi dixit Penelopem quamvis carentem cuſtode, inter tam multos procos intemeratam manſiſſe: quum Danae contra illo ſuo thalamo incluſa virginitatem amiſiſſet, ſubjungit:

Quicquid ſervatur, cupimus magis, ipſaq; furem.
Cura vocat: pauci, quod ſinit alter amant.

Ad quæ Ovidii verba fortaſſe alludens Seneca, dixit, Furem ſignata ſollicitant, in quadam epiſtola: tale eſſe humanum ingenium oſtendens, quale & Ovidius deſcribit, ita enim ait, lib. 9. epiſt. 69. Multi aperta tranſeunt, condita & abſtruſa rimantur. Furem ſignata ſollicitant. Vile videtur quicquid patet, aperta effractarius præterit. Hos mores habet populus, hos imperitiſſimus quiſq; in ſecreta irrumpere cupit. Huc pertinet & quod ſcribit Horatius his verſib. 1. Serm. ſatyr. 2.

——Leporem venator ut alta
In nive ſectatur, poſitum ſic tangere nolit:
Cantat & apponit, Meus eſt amor huic ſimilis, nam
Tranſvolat in medio poſita, & fugientia captat.

Nec amator ſolus in rebus amatoriis

—τὰ ἑτοῖμα λιπὼν, αὖ ἑπόμενα διώκει,

ut hic eleganter deſcribit Flaccus: ſed omnium hominum ita comparata eſt natura, ut quod in promptu eſt, quod ſine labore, ſine periculo conſequi poſſunt, minus gratum ſit, minuſque arrideat, quam illud quod procul poſitum vident, & cujus laborioſa ſit periculoſaq; adeptio. Contra naturam igitur eſſet, ut pomum, quod adhibitus ei cuſtos foret, minus placeret. Imo vero ſi poteſtatem faciat cuſtos carpendi pomi, id non tam dulce videbitur, quam ſi vi & eo invito, vel clam, eo inſcio, decerptum fuerit. Hæc igitur proverbialis oratio, Dulce pomum eſt poſtquam cuſtode caruerit: non ſignificat, meo quidem judicio, cuſtodis abſentiam pomum reddere dulce: id eſt, eum qui præſente cuſtode, pomi deſiderio non tangeretur; eo abſente id deſiderare, tanquã dulce: quum videlicet tuum furtum impunitum fore ſperat. Nam cuſtodis abſentia ut quis audeat pomũ decerpere quod alioqui non fuiſſet auſus, facit: at ut magis id deſideret quam antea, magiſque illi placeat, nequaquam, imo ſi verum eſt, deſideria noſtra in vetitum niti, ut prohibitione accenduntur, ita permiſſione relangueſcere fatendũ eſt. Quidnam ergo ſibi vult proverbiale dictum? Ei præbuiſſe occaſionem exiſtimo quempiam, qui, dum cuſtodiebatur pomum, id ſe appetere negaverit, utpote adhuc acerbum: ut cuſtodem abiiſſe cernens, illud, tanquam dulce, decerpſerit. Ideoque in eos jactari ſolitum, qui ſine arbitris, & clanculum iis rebus gauderent, ac dediti eſſent, à quibus abhorrere, tanquã ingratis exiſtimari vellent: ut in philoſophos, qui q um ſe voluptates exoſas habere dicerent, ut pernicioſas, iis tamen domi, teſte omni remoto, indulgerent, earum capti dulcedine. Atque hoc ſenſu apertiſſime uſurpatum fuerit à Plutarcho iſt .d adagium: qui τὸν παιδικὸν ἔρωτα τῷ γαμηλίῳ καὶ γυναικείῳ comparans, dicit: Ille autem voluptatem inficiatur, ob pudorem ac metum: ideoq; honeſto aliquo prætextu attingendi formoſos opus habet, amicitiam ergo, & virtutem prætexit, & quidem athletico pulvere ſe conſpergit, ac frigida lavat, ſuperciliaq; attollit, ac philoſophari ſe prædicat, temperantiam colens foris, propter legem: at verò noctu & per ſilentium, Pomum dulce, quod cuſtodiri deſiit. Perinde ac ſi diceret: Iſti puerorum amatores (nam per ἔρωτα παιδικὸν intelligit τοὺς ἐρῶντας τῶν παίδων) cum illis verſantur in gymnaſiis, ſuo amori prætextum honeſtum quærentes, & quidem voluptatem inficiantur, omniaq; agunt quibus ab ea ſe abhorrerere oſtendant: ac remotis teſtibus voluptas illis eſt dulcis: ut pomum dulce eſt, cuſtode amoto: id eſt, ut is, qui dum cuſtos adeſt, pomum ait ſe nõ curare, ut minime dulce: at illo abſente, id decerpit, non jam negans eſſe dulce. Sic Plutarchus accommodare ſuæ orationi videtur hunc proverbialem verſum, quem ſecuti, ad multa quæ in quotidiano ſermone incidunt, eleganter accommodare & nos poterimus. Verbi gratia, ſi de adoleſcente quopiam ita loquamur. Dum ætas, metus, magiſter prohibebant, ſibi comeſſationes, ſibi ſcorta, ſibi aleam diſplicere dicebat: at poſtquam liberius vivendi fuit poteſtas, γλυκὺ ὀπώρα φύλακος ἐκλελοιπότος. Sic & vernaculo ſermone, ei qui rem aliquam deſiderat, ſed quam conſequi ſe non poſſe videns, ejus deſiderio ſe teneri diſſimulat, & hoc vel illo nomine ſibi non placere ait: dicere ſolemus, Tu de re

iſta dicis, quod vulpes de uvis dicebat, vel, Dicis idem quod vulpes, adhuc acerbás eſſe uvas. Quam proverbialem orationem ex quadam Æſopica fabula traximus, in qua narratur vulpes, quum maturas uvas pendentes conſpicata, eas comedere conaretur, ſed attingere non poſſet: dixiſſe. Acerbæ ſunt adhuc. Ut igitur in principio dixi, occaſionem huic proverbiali, de quo nunc agimus, dicto, dediſſe videri poſſit aliquis, qui pomum quod habere nō poterat, obſtante videlicet cuſtode, acerbū adhuc eſſe dixerit (eodem plane modo, quo vulpes uvas: quas ut maturas deſiderabat, quum attingere non valeret, acerbas eſſe ajebat) ſimulatq; abſceſſit cuſtos, ad id decerpendum, tanquā dulce ſe contulerit. Et de proverbio quidem hactenus. In Plutarchi autem loco, ex quo id depromptum eſt, obſervari debet, πρόφασιν prætextum ſignificare, ut ego interpretatus ſum: non, ut Eraſmus, occaſionem, nam ut prætextu accipiatur, ſententia ipſa manifeſte poſtulat, dicit enim Plutar. τοὺς παίδων ἐρῶντας, id eſt, τοὺς παίδων ἐρῶντας, pudore & metu impediti, quo minus voluptatem, id eſt, voluptatis ſtudium, fateantur: ideoq; ſuæ cum formoſis conſuetudini colorem & titulum aliquem quærere, nimirum amicitiam & virtutem harum rerum obtentu, eos attingere: vel his nominib. culpam ſuam prætexere. Quin & ipſe Plutarch. aperte ὑπόθεσιν & πρόφασιν pro eodem ponit. Sic tamen & in loco quodam Ariſtotelis πρόφασιν interpretatus eſt Eraſm. occaſionem, quum itidem ut hic, prætextum ſignificaret (ut admonui antea) neſcio an idem valere apud Latinos utrunq; exiſtimās. Animadverte præterea σωφρονῶν perperam ab illo ſobrium verti. nam ſobrius à Latinis vinolento proprie opponitur, non autem libidinoſo. At Plutarch. hic per σωφρονῶν intelligit à libidinibus abſtinentem, quod eſt temperantiæ, non ſobrietatis. Nec illud præterire volo καθ' ἡσυχίαν non vertiſſe me clanculum, cū Eraſm. ſed, per ſilentium, quod καθ' ἡσυχίαν pro clanculū nuſquam legerim, quod ſciam: at vero τὸ ἡσυχάζον τῆς νυκτὸς, non uno in loco, adeo ut veriſimile videatur, νύκτωρ καὶ καθ' ἡσυχίαν, pro κατὰ τὸ ἡσυχάζον τῆς νυκτὸς dixiſſe, id eſt Per ſilentiū noctis, vel, Noctis ſilentio, cum Livio: aut, Nocte ſilenti, cum Virgilio. Jam vero quod attinet ad participium ἐκλελοιπότος, in activa ſignificatione hic poſitum eſſe puto, nō in neutra: ideoq; φύλακος ἐκλελοιπότος ad verbum nō ſonare, Quū abeſt cuſtos: aut, Ubi deeſt cuſtos: ſed, Poſtquā reliquit cuſtos, ſub ipſum pomum. Aut ſi neutram ſignificationem retinere velis, redde ad verbum, Ubi defecerit cuſtos: vel, Ubi deſierit: ſed Latini ſermonis conſuetudo vix hoc patiatur: ac potius admittat, Ubi defecerit cuſtodia. Quanquam & hoc durum, minus aſperum eſſet, Ubi illuc cuſtodia defecerit, adhuc mollius, mutato in verbum nomine, Ubi cuſtodiri deſierit. Ideo autem hac de re te admoneo, quia dici poteſt deeſſe cuſtos pomo, vel abeſſe cuſtos à pomo, quod nunquā cuſtodem habuerit, ut quum dicitur quiſpiam ab aliquo loco abeſſe, non protinus intelligimus eum aliquando in eo fuiſſe. At nequaquam is poterit eſſe hujus proverbii ſenſus, quem diximus, ne fortaſſe alius idoneus, niſi de pomo quod cuſtodem antea habuerit, mentionem fieri intelligamus. Verum enimvero dum hoc proverbium excutio, jam tertia pagella procedit. Hic ergo finē faciam: ſi tamen hoc addidero, quod Eraſm. ex proverbiis Hebræorum citat, Aquæ furtivæ dulciores ſunt, pro me non minus quam pro illo facere: at locum Pindari quem ſubjungit, eum vero, pro neutro noſtrûm, imo ne ad proverbium quem ipſum ullo modo facere, ſed plane ἀπροσδιόνυσον eſſe.

In loco, Frugalitatis. Proverb. Hecatæ cœna. pag. 267. Hecatæ cœnam appellabant, quod apud inferos tenuiſſimo, &c.] Non puto ad hoc reſpicere proverbium, ſed ad Hecates ſacrificium, quod à piſce viliſſimo & contemptiſſimo erat, mænide videlicet.

In loco, Amor. Proverb. Muſicam docet amor. pag. 50. Muſicen docet amor, etſi fuerit indoctus prius.] Non placet hæc interpretatio, Etſi fuerit indoctus prius. Videntur enim ſupervacanea eſſe illa verba: quia quum dicitur, Muſicam docet amor, ſatis intelligitur docere eum, qui non doctus fuerit prius. Potius igitur vertendum cenſuerim, Etiamſi alienus ſit à muſica: vel, Etiamſi alieno a muſica præditus ſit ingenio: aut, Alieno à literis, ſi μοῦσαν, cum Eraſm. pro literis accipias, quam ſignificationem hic nequaquam habere puto. Vide Plutarchum.

In loco, Arrogantiæ. Prov. Divinum excipio ſermonem, p. 64.] Una litera loco alterius poſita, videlicet pro υ, tenebras Eraſmo offudit, nam ſi legiſſet λόγου, vidiſſet non dicere Platonem, Divinum ſermonem excipio: ſed, Deum excipio & ſecerno ab hoc ſermone, vel ab hac oratione: Deum ex oratione hac eximo. Sic alibi dixit idem Plato. Συγχωρητέον δ', ἐξαίρω τοῦ λόγου. Sic & Syneſius in fine cujuſdam epiſtolæ: ἐξῃρήσθω τοῦ λόγου θεῖος τε καὶ αὐθέντης.

In loco, Paupertas, Prov. Certiſſima paupertas p. 564. Habemus Columellæ verba retulimus. Imo non Columellæ ſunt, ſed Ciceronis ut opinor. Hoc conſtat, utriuſcunq; ſint, eſſe hoc proverbium Latine de his Xenoph. verbis expreſſum: ἔστι μὲν γὰρ πενία αὕτη σαφὴς τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι. Vide mei Ciceroniani lexici Græcolatini paginam 135.

In loco, Concordiæ. Prov. In idem conſpirare. p. 741. Singulos in idem (ut dici ſolet) coaleſcere.] Intelligit ξυμφῦναι magis dictū videri à φύω, id eſt naſcor: quam à ξυμφυσῶ, id eſt ſimul flo, vel efflo. Atqui nō ab illo magis quā ab hoc, ſed ab illo ſolo deduci poteſt, quomodo enim ξυμφῦναι à ξυμφυσῶ eſſe poſſit? Nimirū ut à ξυμφύω ξυμφῦναι, ſic à ξυμφυσῶ ξυμφυσῆσαι formatur. Quem infinitivum legiſſe non dubium eſt interpretem: quippe qui vertat, Unum & idem efflare. Euſebius quidem certe hanc lectionem habet, idem enim ἵππων, non ἱππέων legit, in quo itidem ſequendum illum exiſtimo: ut equos potius quā equites jugum trahentes faciamus.

In loco, Auxilium infirmum. Prov. Sacer manipulus pag. 95. Quemadmodum dicimus ſacram ancoram jaciendā, aut rem ad triarios rediiſſe.] Nequaquam profecto ſacer eo ſenſu vocatus fuit: neq talem hujus appellationis rationem Eraſmus imaginat' eſſet, ſi, quomodo ſe res habeat, quod ad hanc ſacram cohortem attinet, intellexiſſet, neq; enim mos erat apud Thebanos, exercitus partem habere ex amantibus & amatis collectam quam ad extrema pericula (ut nautæ ſacram ancoram) reſervarent: ſed ab Epaminonda hæc ratio, amantes una cum amatis ad præliū convocandi, excogitata fuit: non quos ad extremū aliquod diſcrimen: aliis interim præliantibus reſervaret: ſed quos in acié primo quoque tempore educeret, ſperabat enim fore, ut ἐρασταὶ conſpectu τῶν ἐρωμένων, ad ſtrenuiſſime pugnandum incitarentur. Nec eum ſpes hæc fefellit, nam Thebas, acerrime dimicando, à Lacedæmoniis aſſeruerunt. Sed unde tandem iſtud huic manipulo inditum fuit nomen? Nimirū quod quum ex amatoribus & amaſiis conſtaret, Amori ſacer eſſet. Qui mihi fidem adhibere non vult, at Maximo Tyrio eam adhibeat: cujus hæc ſunt verba, meæ editionis p. 47. ὅπλα δὲ ἐπιτηδεύουσι τοῖς ἐρασταῖς καὶ τοῖς ἐρωμένοις, ξυντάξει λόχον ἱερὸν τοῦ ἔρωτος, δεινὸν καὶ ἄμαχον, καὶ συνασπίζοντα ἀκριβῶς, καὶ ἄρρηκτον.

In loco, Fortuito. Proverb. Thurium lemma pag 256. Θεῖος λόγος, pro ſermone divinitus afflato ac vehementi.] Sic & an tea Θεῖον λόγον, Herodoti quoddam dictum a Juliano appellari dixit ob impetum divinum, vel quia is ſcriptor apud Thurios vixit, & mortuus eſt. Ubi ex Plutarchi loco, appellationis hujus non illam eſſe rationem, ſed hanc, oſtendi.

In loco, Inconſtantiæ, Prov. Φελλίνας p. 752. Unde & Φελλεὺς dicitur locus aſper ac pernicioſus, quod terra veluti ſupernatat ſaxis.] Quum Suidas dicit Φελλεῖς appellari τόπους τινὰς πετρώδεις μὲν κάτωθεν, ἐπιπολῆς δὲ ὀλίγην ἔχοντας γῆν: his verbis, ἐπιπολῆς ὀλίγην ἔχοντας γῆν, non ſignificat hoc quod ait Eraſmus, terram velute ſupernatare ſaxis, ſed in ſuperficie paulum terræ habere. Ac plane duræ mihi videtur dici aqua ſupernatare ſaxis, ut ſuber aquæ, unde aliam hujus appellationis rationem quærendā eſſe ex-

iſtimo. Videamus ergo, an ex Græcis lexicographis aliam elicere poſſimus. Nam quod ad φελλῖνας attinet, dicit Heſychius (fateor) ſignificare κῦφας, ἀπὸ τοῦ φελλοῦ, id eſt à ſubere, ſed φελλὸς non tantum pro ſubere accipitur, ſed & nomen eſt aſperi cujuſdam Atticæ loci, ut Suidas teſtatur, a quo & φελλίτας ait dici τοὺς κισσηρώδεις λίθους, pro quo apud ſcholiaſten Ariſtoph. legitur φελλαύτας. Heſychius autem dicit (ſi modo caret mendo hic locus) φελλαῖτας λίθους σκληρὸς, ἀπὸ τόπου. Quemadmodum igitur φελλεῖται ſive φελλεαῖται λίθοι dicuntur non à nomine φελλὸς, ſuber ſignificante, ſed à loco petricoſo Atticæ, cui nomē φελλεύς: ita nec φελλὸς ſive φελλεὺς dici puto locū petricoſum, tranſlatione ſumpta à φελλὸς quod eſt ſuber (quod ut illud aquæ ſupernatat, ita etiam in hujuſmodi loco terra veluti ſupernatet ſaxis) ſed ex nomine proprio, nomen appellativum factum eſſe puto, ut in aliis videmus accidiſſe, id eſt, a certo quodam loco petricoſo, vocato Φελλὸς, locos omnes petroſos φελλοὺς ſeu φελλεῖς fuiſſe appellatos.

In loco, Abſurda, Proverbio, Accepta candela pag. 16.] Atqui ἅπτω non ſignificat accipio, ſed accendo: adeo ut hic verti debuerit, Accenſa candela ſeu potius lucerna. Fortaſſe decepit illum ν pro υ poſitum: (ut contra υ pro ν poſitum, erroris occaſionem illi dediſſe dictum eſt in proverbio, Divinum excipio ſermonem.) Legendum enim λύχνου, non λύχνον ut apud Ariſtophanem initio Nubium ἅπτε παῖ λύχνον. Quanquā etiamſi legeretur λύχνου, cogitandum erat ἅπτω, non poni pro ἅπτομαι, quod plane videtur perſuaſum habuiſſe: quum itidem in proverbio, Etiam corchorus inter olera, κἦθ' ἥψαμεν τὸν κορχόρον, interpretetur, Deinde corchorum attigimus: putans ἥψαμεν eſſe ab ἅπτω, & idem valere quod ἡψάμεθα, quum ſit ab ἕψω, quod coquo ſignificat.

In loco, Præter ſpem, Bonum aut malum. Prov. Mercuriale. p. 591. ἑρμαῖον Græci vocabant lucrum.] Ut ἑρμῆς proverbialiter non dicitur, ſed κοινὸς ἑρμῆς: ita nomen ſolum ἑρμαῖον (vel potius ἕρμαιον) an proverbiale ſit, dubito: ac potius adagii formam ei ſubeſſe exiſtimo, quum additur κοινὸν, & dicitur κοινὸν τὸ ἕρμαιον, quo genere loquendi utitur Lucianus eodem plane modo, quo illo κοινὸς ὁ ἑρμῆς. Sic & Syneſius dixit, κοινώσασθαι τὸ ἕρμαιον, in epiſtola quadā ad Pylæmenem: κἄν μὲν ἐντύχῃς αὐδεὶ συντόνως ἐργαζομένῳ φιλοσοφίαν, καὶ αὐτῷ τὸ ἕρμαιον κοίνωσαι. Quare qui cum Eraſmo volent huic voci nudæ ἕρμαιον ſubeſſe proverbialem figuram; videant etiam atq; etiam quem ille ſequutus ſit, & quem cum eo ſequantur authorem. In iſtis quidem Lexicis Græcolatinis ſcribitur, ἕρμαιον ſignificare commune inventum: non minus falſo, quam illa duo quæ adduntur, uſurpari & pro Mercurii fano: & ἕρμαιος idē valere quod tumulus, perinde quaſi ἕρμαιον poſſet idem quod ἑρμαῖον ſignificare, & quod ἕρμαιον κοινὸν: item ἕρμαιος idem quod λόφος. De quibus plura in noſtro linguæ Græcæ Theſauro.

Ibidem. A primitiis quas olim in viis, &c.] Duas hiſce iſtius vocabuli declarationes apud Suidam inveniri fateor: ſed longe petitas eſſe, ac fortaſſe etiam ex errore ortas dico. Euſtathius quidem certe neutram harum ponit, ſed aliam ex proximo petitam, & ſolam, ut opinor, veram: quæ hic prætermitti non debuit: eſſe videlicet appellatum ἕρμαιον, bonum, quod nobis forte fortuna offertur, inde quod veteres omnia emolumenta Mercurio accepta ferrent. Et vel tacente Euſtathio, nemo eſt qui ignorare poſſit, non lucrorum duntaxat, ſed & furtorum exiſtimatum fuiſſe præſidem. Quinetiam ut κοινὸς ἑρμῆς, ita etiam κοινὸν τὸ ἕρμαιον dicitur. Si ergo illius generis loquendi rationem hanc reddimus, non illas duas quæ ſunt apud Suidam; equidem hujus quoque eandem reddere par erit. Sed quid verbis opus eſt? en ipſe Libanius dubitationem omnem tollit, ἑρμοῦ δῶρον pro ἕρμαιον proferens. Ita enim epiſtola 149. ſcribit ad Belæum: ἐγὼ δὲ ἑρμοῦ δῶρον τὸν ἄνθρωπον ἡγούμην. Cæterum cum re quam late pateat uſus vocabuli ἕρμαιον, non docuerit Eraſmus (quanquam id poſtulabat hic locus) ſed ea tantum quæ apud Suidam de eo invenit, protulerit: operæ precium me facturum arbitror, ſi quæ ab eo non videntur debuiſſe omitti, addidero: ἕρμαιον igitur non ſignificat duntaxat lucrum præter expectationem oblatum, lucrum inopinatum & adventitium: ſed ἕρμαιον vocatur interdum res omnis commoda & utilis etiam quæ præter expectationem & forte fortuna nobis non obveniat. Plato lib. De legib. 11. πᾶς μὲν δὴ, καθάπερ ἕρμαιον προϊέναι χρεών. ζῶντας μὲν γὰρ τῶν ἐχόντων τὸν βίον, καὶ ἀπιόντι νέοι, σφόδρα μηδενὶ, τῶν δὲ κακῶς, Δαιμόνων φοβεροί. Ac plane tam late patet interdum quam εὐτύχημα: quod vocabulum etiam adjungitur nonnunquā illi, ut apud eundem in Sympoſio: ἡγούμενος δὲ αὐτὸν ἐσπουδακέναι ἐπὶ τῇ ἐμῇ ὥρᾳ, ἕρμαιον ἡγησάμην εἶναι καὶ εὐτύχημα ἐμὸν θαυμαστόν, ὡς ὑπάρχον &c. Et pro quo hic ἕρμαιον καὶ εὐτύχημα θαυμαστὸν, alibi θαυμάσιον κέρδος uſurpat, ut in apologia Socratis, quum hic dicit: καὶ εἴτε δὴ μηδεμία αἴσθησίς ἐστιν, ἀλλ' οἷον ὕπνος, ἐπειδάν τις καθεύδων μηδ' ὄναρ μηδὲν ὁρᾷ, θαυμάσιον κέρδος ἂν εἴη ὁ θάνατος quæ poſtrema verba Cicero interpretatur Tuſcul. 1. Dii boni qui lucri eſt emori? Quanquam ſemper ad primam ſignificationem alludi fateor, quum ἕρμαιον pro lucro quolibet ponitur. Interdum etiam pro occaſione uſurpatur, quæ nobis velut quoddam lucrum, præter expectationē offertur. Athenæus δειπνοσοφ. lib. 13. καὶ ἐλπίσας, ὥσπερ ἕρμαιόν τι, λαλοῦντος τὸ μυρτίλον, ἔφη, ubi & ſubaudiendum verbum aliquod. Cicero quadam ad Atticum epiſtola: Itaq; ut legi tuas de Varrone, tanquam ἕρμαιον arripui. Aptius eſſe nihil potuit ad id philoſophiæ genus, quo ille maxime mihi delectari videtur, id eſt, Occaſionē ſcribendi de Academicis valde optabilē arripui, vel, Occaſionem illam, avide tanquam aliquod lucrum inſperanti objectum, arripui. Dixerat enim in principio alius epiſtolæ: Commotus tuis literis, quod ad me de Varrone ſcripſeras, totam Academiam ab hominibus nobiliſſimis abſtuli, tranſtuliq; ad noſtrum ſodalem, & ex duobus libris contuli in quatuor. In quo Ciceronis loco quædam editiones habent ἑρμαῖον, ſicut & hic in principio annotationis Eraſmicæ legitur, ſed utrobiq; male, ἑρμαῖον enim templum Mercurii ſignificat, ea forma qua dicitur θησεῖον & ἀσκληπιεῖον. Sed nec ἑρμαιόν recte cū circumflexo in penultima ſcribitur hic, nec in lexicis, reclamant enim grammatici qui ἕρμαιον ajunt in ea ſignificatione qua hic ſumitur, debere προπαροξυνέσθαι.

In loco. Auxiliū infirmum. Prov. Coriaceum auxilium. p. 95. σκυτίνη ἐπικουρία] Pro σκυτίνη, ſcribe hic συκίνη, & Ficulnum, pro Coriaceum ſeu Pelliceum, eſt enim error in exemplari Heſychii. Sic & apud Ariſtophanem legitur, συκίνη ἐπικουρία: & σύζυγος σύκινος, apud eundem Heſychium, συκίνη μάχαιρα. Ita dicitur & συκίνη ναῦς lacera, συκίνη βακτηρία, apud Alciphr.

In loco, Curioſitas Prov. Zenonium eſt & lentem coquere p. 157: καὶ ζηνώνειόν γε φακῆν ἑψεῖν: id eſt, Zenonis & lentem coquere.] Non ſubaudiendum eſt verbum ἐστὶ, ut putavit Eraſmus, nec ζηνώνειον ita debet accipi: ſed pro adjectivo, quod jungatur cum ſubſtantivo φακῆν pendet enim infinitivus ἑψεῖν à verbo μεμάθηκεν, quod ſequitur apud Athenæum ſtatim poſt. ubi legitur: διὸ καὶ Τίμων ὁ Φλιάσιος ἔφη, καὶ Ζηνώνειόν γε φακῆν ἑψεῖν ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν, id eſt: Et qui Zenoniam lentem coquere ſapienter non didicit. Sed Eraſmum decepiſſe veriſimile eſt τελείαν στιγμὴν, quæ poſt ἑψεῖν habetur: ac putaſſe illi verba Timonis finiri: quum potius hæc, ὃς μὴ φρονίμως μεμάθηκεν, hexametrum ipſius abſolvant verſum.

In loco, Proclivitas. Prov. Olla lenticulam attigit. pag. 596. χύτρα καὶ φακῆς ἥψετο Sed olla lenticulam attigit.] Vertendum fuit, Olla lenticulæ coquebatur, nam ἥψετο nō deducitur ab ἅπτομαι, quod eſt attingo: ſed ab ἕψομαι, quod eſt coquor. Idem plane erratum admiſit antea, hæc Ariſtophanis verba, κἦθ' ἥψαμεν τὸν κορχόρον, interpretans, Deinde corchorum attigimus, nam ἥψαμεν non ſignificat Attigimus, (nec eſt ab ἅπτω quod pro ἅπτομαι, i. e. attingo putavit uſurpari) ſed Coximus, ab ἕψω. Eſt autem locus hic in proverbio, Etiam corchorus inter olera.

In loco, Amor. Prov. Qui non zelat. p. 50. δοκὸς δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται: id eſt, Trabes in omnibus ſacta eſt.] Fruſtra nititur ex his Græcis vocibus ita interpretatis ſenſum aliquem elicere, translationem ab aratione putans eſſe. Nec vero hic vox prima omnium, ad trabem & ad conſiderationem anceps eſt: ſed omnino δόκος legere & interpretari Opinatio neceſſe eſt, ut ſit ſenſus: Sed opinatio eſt in omnibus. Illud quidem certe non male ſuſpicatus eſt Eraſmus, hemiſtichium videlicet hæc verba, nam revera claudunt verſum, cujus principium eſt, αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε, eſt autem Xenophantis, ut docet Sext. philoſophus, ex quo (quia remittere ad eum non poſſum, quum nondum editus ſit) & præcedentes hunc, verſus proferam. Is enim loquens de iis qui κριτήριον ſuſtulerunt, ait ex eorum numero eſſe Xenophanem, qui nihil poſſe comprehendi dixerit his verſibus:

> *καὶ τὸ μὲν οὖν σαφὲς οὔ τις ἀνὴρ ἴδεν, οὐδέ τις ἔσται*
> *εἰδὼς ἀμφὶ θεῶν τε καὶ ἅσσα λέγω περὶ πάντων*
> *εἰ δ' καὶ τὰ μάλιστα τύχοι τετελεσμένον εἰπὼν*
> *αὐτὸς ὅμως οὐκ οἶδε· δόκος δ' ἐπὶ πᾶσι τέτυκται.*

In loco, Inanis opera. Proverb. Aſino Fabulam. p. 751. Opinor quod aſſentiretur. Exiſtimo nobis de his aliis dictum nonnihil.] Exiſtimo potius velut aſſenſus ſignũ hoc dicit (ſubjungit enim Galenus, καὶ τοῖς ἄλλοις ἢ τοῖς παροῦσιν ἐδόκουν μέν τι λέγειν) ſed qui ſit abſq; ullo judicio, utpote re de qua agitur, non intellecta. Sic & Lucianus videtur accepiſſe, quum indoctum, multos libros ementem irridens, ait: Tu quoq; ergo librum quidem in manu habes, & ſemper legis at eorum quæ a te leguntur, nihil percipis, ſed aſinus lyram audis, aures motans.

In loco, Vis injuſta. Prov. Lex in manibus. p. 709. χειρῶν νόμῳ. id eſt, Lege manuum dicitur quũ res vi geritur, non ex præſcripto legum.] At Budæus ait: χειρῶν νόμος eſt conſertis manibus pugnare, manu prælium inire: citatq; tres Polybii locos, ex quibus eſt is qui habetur etiam hic, ἐν τούτῳ, &c. In quo certe (ut & in altero quem hic, & aliis duobus quos illic habemus) Polybius his verbis, ἐν χειρῶν νόμῳ, non ſignificat contra præſcriptum legum (quid enim bello præſcribunt leges?) ſed inter præliandum, inter conſerendum manus, in ipſo conflictu dicit enim ἀγωνιζόμενον ἐν χειρῶν νόμῳ τελευτῆσαι τὸν βίον, item διαγωνιζομένους, μεταλλάξαι τὸν βίον ἐν χειρῶν νόμῳ. Sed erat ſatis dixiſſe ἀγωνιζόμενον, & διαγωνιζομένους, objiciet aliquis. Reſpondeo, ἐν χειρῶν νόμῳ non jungi cum ἀγωνιζόμενον, nec cum διαγωνιζομένους, ſed cum τελευτῆσαι τὸν βίον, & μεταλλάξαι τὸν βίον, & additum illud ſignificare, interiiſſe illos in ipſo articulo temporis quo manus conſerebantur, vel quo calebat pugna, quod non expreſſiſſe dicendo ſimpliciter, ἀγωνιζόμενον τελευτῆσαι. Illorum ergo trium verborum vim is quidem reddet, qui, cum Eraſmo, Violenta manu, interpretabitur. Quinetiam merito ſupervacanea diceremus illa eſſe, quum ſciamus in bello non aliter homines quam violenta manu perimi. Jam vero, quod ad Æſchinis locum attinet, in eo quoq; non puto ἐν χειρῶν νόμῳ ſignificare, Non ex præſcripto legum, aut per vim, ſimpliciter: ſed eos dici ἐν χειρῶν νόμῳ τὰς πολιτείας καταλύειν, qui prælio cum oligarchicis initio, ſimulatq; ſuperiores evaſerunt, ſine mora eorum reſpublicas evertunt, quaſi calente adhuc pugna. Porro an proverbialia ſint hæc verba, ἐν χειρῶν νόμῳ, dubito.

In loco, Avaritia & Fames. Proverb. In ventrem inſilire. p. 83. In ventrem irrumpere dicitur, qui curam omnem ad cibũ ac potum confert.] Imo nihil ad cibum potumve pertinet hoc genus loquendi, ſiquis proprium ejus uſum ſpectet, nõ autem quo Plutarchus jocoſe illud detorſerit. Nam εἰς τὴν γαστέρα ἐνάλλεσθαι, id eſt, In ventrem inſilire, eſt eorum qui primo impetu aliquem volunt opprimere. Et vel ipſum verbum per ſe ſubitum & violentum irruentis impetum denotat, ut quũ dicitur, λὰξ ἐνάλλεσθαί τινι: &, λὰξ ἰσχίοις ἐνάλλεσθαι, ſic εἰς τὸν αὐχένα ἐνάλλεσθαι, aut ἐνάλλεσθαι apud Sophoclem: τῷ γεραλεῖ καὶ ἀκειμένῳ μόνον εἰς τὸν αὐχέν' ἐνηλάλατο. At Plutarchus ludens, ait illum in ventrem inſilire, qui adverſarium opprimere conatur, non impetum faciens in ejus ventrem, calces puta aut pugnos in eum ingerendo: ſed ad famem extremam agendo. Siquidem enim eſurire cogimus, cum ejus ventre quaſi bellum gerere videmur, quo etiam modo dixit Horatius, ventri bellum indicere. 1 Serm. ſatyr. 5.

> *Hic ego, propter aquam, quod erat deterrima ventri*
> *Indico bellum: cœnantes haud animo æquo*
> *Expectans comites.—*

Ita igitur à Plutarcho uſurpatur hoc proverbium, ſed uti dixi, detortum, ita, inquam, uſurpatur, de eo nimirũ qui fame adverſarium nititur opprimere, cibum ei eripiens: non de eo qui curam omnem ad cibum confert, ad quem ſenſum comminiſcendum miror quid Eraſmum impulerit. Hoc certe quum dicit, non ſolum vulgarem & proprium adagii ſenſum non exponit, ſed ne illum quidem ad quem Plutarchus ipſum accommodat explicare mihi videtur. Dicit enim Plutarchus (ut & ipſe Eraſmus interpretatus eſt) Lucullum impetum in ventrem feciſſe, nihil non molientem, ut hoſti commeatum ſubtraheret.

Ibidem. Utpote cum Lucullus jam non palam, neq; ad oſtentationem bellaret, ſed quemadmodum dici ſolet, &c.] Mirior cur novo modo, & eo quidem plane ad hujus loci ſententia alieno, adverbium θεατρικῶς interpretatur palam, quaſi vero ſynonyma nõ ſint θεατρικῶς & ἐπιδεικτικῶς, adde etiam πανηγυρικῶς apud eundem Plutarchum. De quibus plura in noſtro Græcæ linguæ Theſauro.

In loco, Securitatis. Prov. Pugno tenere. p. 628. Pugno ſtringere, dicitur quod ipſo contactu ſentitur.] Atqui quum ipſo contactu ſentiamus non ea ſolum quę ſtrictim manibus apprehendimus, ſed ea etiam quæ vel primoribus digitis leviter attingimus duntaxat: cur ita loquutus eſſet Plato? cur dixiſſet ἀπρὶξ λαβέσθαι, quaſi ἅπτεσθαι nõ ſufficeret? Equidem non fruſtra illo genere loquendi uſum eum arbitror: & dicentem, Quicquid non poſſint manib. apprehendere, non ſignificare ſimpliciter voluiſſe, Quicquid non poſſint ipſo contactu ſentire: ſed ὑπερβολικῶς loquutum eſſe, perinde ac ſi dixiſſet: Quicquid non poſſint manibus apprehendere, & quidem ſtrictim ac preſſis manib. ut elabi nullo modo poſſit. Cæterum an proverbialis ſit hæc loquendi formula, dubito, &, proverbialiter ſi uſurpetur, tum potius ita eam uſurpari crediderim, quum metaphorice ponitur, eodem videlicet modo quo Mordicus apud Latinos.

In loco, In ſtupidos, Proverb. Vaſis inſtar, p. 402. ἀγγεῖον δίκην, id eſt, Vaſis inſtar.] Dura eſt profecto hæc ſermonis formula, Vaſis inſtar loqui, & quidẽ durior, ut opinor, quam ut eam prolaturus unquam fuerit Plato: tantum abeſt ut ex iſto ejus loco elici eam poſſe concedam, neq; enim video quo pacto hæc qua utitur. Ex alienis fontibus per auditum impletus ſim inſtar vaſis, illi ſit ἀγγεῖον δίκην λέγειν, Vaſis inſtar loqui, nec cur is qui ſermonibus, veluti vas liquoribus impletus fuerit: itidem & veluti vas loqui debeat dici. Fuiſſe autẽ in uſu comparationem hanc, πληροῦσθαι vel πεπληρῶσθαι δίκην ἀγγείου, ſatis oſtendit hoc loquendi genus, ἄχρι χείλους, à vaſis labro (nam id quoque χεῖλος appellatur) translatum, oſtendunt & itidem deducta nomina, metaphorice & ipſa uſurpata, ἰσοχειλὲς ὑπερχειλὲς, ἐπιχειλές: quorum poſtremum exponit Pollux, nomine ab hoc ipſo verbo πληροῦσθαι facto, videlicet ἀπλήρωτον.

In loco, Inconſtantia. Proverb. Trochi in morem. pag. 343. De verſatilibus & inconſtantibus dici ſolitum.] Quũ Suidas hæc Ariſtophanis verba, βέμβικος οὐδὲν διαφέρειν δεῖ, exponit, εὐκίνητον καὶ εὔστροφον εἶναι δεῖ (quæ expoſitio iiſdẽ verbis apud ipſum ſcholiaſtem Ariſtophanis habetur) non accipit εὐκίνητον aut εὔστροφον pro inconſtanti, ſed pro volubili & verſatili, ut dicat comicus. Oportet te verſatilem & volubilem eſſe: non autem, Te inconſtantem eſſe oportet. Conſtat enim, εὐκίνητον eſſe qui facile movetur: εὔστροφον, qui facile volvitur ſeu verſatur, & neutri Græcarum vocum ſignificationem Inconſtantis

tri-

tribuunt lexicographi. atq; ut tribuerent, loco Ariſtophanis non conveniret: ut ſtatim animadverteret qui illum adierit. Nihilo magis conveniet, inquam, hæc ſignificatio illi Ariſtophanis loco, quam huic Plautino P. Scitne in re adverſa verſari? CH. Turbo non æquè eſt ſcitus. Ubi male Valla enarrator ait ambiguum eſſe per turbinem ventúmne an trochum intelligat. Virgilius autem dixit:

Tum vero infelix, ingentibus excita monſtris.
Immenſam ſine more furit lymphata per urbem.
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri, &c.

Deniq; ſiquis, ut ait idem poeta:

---Magno curarum fluctuat æſtu,
Atq; animum nunc huc celerem; nunc dividit illuc,
In parteſq; rapit varias, perq; omnia verſat:

is recte cum Tibullo dicturus videtur,

Namq; agor ut per plana citus ſola verbere turbo,
Quem celer aſſueta verſat ab arte puer.

Hoc autem in cauſa eſſe ait poeta, cur in eodem propoſito manere non queat, ſed mutare ſententiam cogatur, quod inconſtantis eſt. Quin igitur de eo quoque, qui identidem ſententiam mutando inconſtantiam ſuam prodat, hoc adagium uſurpari poſſit, non nego: ſed in loco illo Ariſtophanis, Te nihil à trocho differre oportet, ſignificare, Oportet inconſtantem te eſſe: hoc vero pernego.

In loco, Morum contagio. Proverb. A bonis bona diſce. p.517.] Itē paulo poſt διδάξεαι vertit diſcito, quū tamen nō imperativi ſit modi διδάξεαι, ſed indicativi, futuri temporis: & imperativus ſententiæ ipſius loci non conveniat, nec enim præcipit Theogenis Cyrno, ut à bonis bona diſcat (nam ſupervacaneum foret hoc præceptum) ſed illi præcipiens ut cum bonis aſſidue verſetur, & ab eorum latere nunquam diſcedat, malos contra fugiat: addit, Nam à bonis bona diſces: ſin conſuetudinem habeas cum improbis, amittes eam etiam qua præditus eras mentem. Integrum diſtichum eſt hoc:

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιχθῇς, ὀλεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Quod ſi vertendum eſſet in priore verſu, A bonis bona diſce, non diſces: itidem & in poſteriore, Amitte mentem, non autem, amittes.

In loco, Contemptus. Prov. Mithragyrtes, nō daduchus. p.132] Falſa eſt hæc ſcriptura, ſed falſæ etymologiæ quā paulo poſt affert, conveniens. Vera ſcriptura eſt metragyrtes, μητραγύρτης, veræ etymologiæ conſona, à μήτηρ & ἀγύρτης. Appellabantur enim hoc nomine, qui matri deorū ſtipem colligebant. Cic. de leg. lib. 2. hæc ex duodecim tabulis affert verba: Præter Idææ matris famulos, eoſq; juſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Vile autem habitū fuiſſe & abjectū hoc eorum miniſterium, credibile eſt, utpote exiguam ſtipem emendicantium, ſolitos enim vel exigua contentos eſſe, diſcimus ex Ovidio, qui 1. De Ponto elegia 1. ſcribit:

Ante deûm matrem cornu tibicen adunco.
Quum canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?

Quanquam in editis ſuperiori tempore exemplaribus Ariſtotelis legitur μιτραγύρτης cum ι, nō η, in prima ſyllaba, & hanc lectionem ſcholiaſtes agnoſcit, ſcribens: οἱ μὲν λέγουσι μιτραγύρτην τον τὰς ζώνας συνάγοντα, οἱ δὲ ἀνθρώπους τινὰς εἶναι λέγουσιν ἔχοντας τὰς ἑαυτῶν κεφαλὰς ὑπὸ μιτρας, ὡς κεφαλοδεσμίαν καὶ διαδέτον, καὶ ἄνω καὶ κάτω τῆς πανηγύρεως διαστρεφομένους. Quæ verba ideo cito, quod curioſis aliquid novi afferant, in quo examinando tempus, ſi libuerit, conſumere poſſint. Ego (quod pace illius dictum velim) hanc vocabuli iſtius explicationē pro mero ſomnio habeo, & ut alicubi poſſe id reperiri in hac ſignificatione faterer, nihilo ſecius μητραγύρτης, non μιτραγύρτης hic legendum eſſe contenderem. Dicitur autem & μητρὸς ἀγύρτης ſeparatim, unde & ipſa compoſitio apertiſſime indicatur. Quo magis miror, virum quendam non parvi inter hujus temporis ſcriptores nominis, ſcriptū reliquiſſe μητραγύρτην magnam matrem à Græcis vocatum. Sic tribus modis à tribus diverſis circa hanc vocem erratum eſt: ab Eraſmo hic, ſcribente μιθραγύρτης cum ι & θ, & à μίθρα deducente: à ſcholiaſte Ariſtotelis, qui μιτραγύρτης cum ι & τ ſcribit, à μίτρα derivans: ab illo cujus modo memini, recte quidem μητραγύρτης ſcribente, ſed hanc appellationem Idææ matri cum ejus ſacerdote communem eſſe non recte dicenti. Nos ergo in verſandis veterum ſcriptorum monumentis reddant aliena pericula cautos.

Ibidem. Significans illū non fuiſſe initiatum ſacris.] Imo nō Iphicrates Calliæ, ſed Iphicrati Callias hoc dicit: At tu, inquiens, ô Iphicrates, ne ſacris quidem initiatus es: alioqui enim nō μητραγύρτην, ſed δᾳδοῦχον me appellaviſſes. Ariſtot. verba ſunt hæc: ὡς καὶ Ἰφικράτης Καλλίαν μητραγύρτην, ἀλλ' οὐ δᾳδοῦχον· ὁ δὲ ἔφη ἀμύητον αὐτὸν εἶναι, οὐ γὰρ ἂν μητραγύρτην αὐτὸν καλεῖν, ἀλλὰ δᾳδοῦχον. Videtur autē hoc dicere Callias voluiſſe. Tu me dicis eſſe metragyrten, nō daduchū: at ego te nec metragyrten, nec daduchum eſſe dico, ſed ne initiatum quidem ſacris alioqui enim, &c.

In loco, Prudentia. Proverb. Sapiens non eget. p.607.] Mutilavit locum poetæ ab Ariſtotele citatum, vel potius partem ejus dimidiam abſcidit, nam quum duobus verſibus conſtet, & ita quidem, ut imperfecta relinquatur ſententia in priore: ipſe prorſus aliam & quidem plane alienam à mente authoris commentus eſt ſententiam, quam priore claudit, poſteriorem omittens. Sed eos conjungam, ut apud Ariſtotelem, atque adeo apud Euripidem cujus ſunt, conjuncti habentur:

χρὴ δ' οὔποθ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνήρ,
παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς. id eſt:

Haud unquam oportet eum qui mente ſana ſit præditus, liberos ſuos docendo eximie ſapientes reddere, vel ad exactam quandam erudire ſapientiam. At cum Eraſmo priorem verſum interpretando ita, Haud unquam eget qui mente ſana eſt præditus: præterquam quod poſterior illi cohærere nullo modo poterit: etiam verbo χρὴ omnino novam & inauditam ſignificationem dare oportebit.

In loco, Fucus. Prov. Lecythum habet in malis. pag. 273. Quæ rugas illitu pigmenti diſſimulat.] At lecythum habere ad malas, ſive in malis, non eſt ſimpliciter illita malis pigmenta habere: ſed tantam pigmentorum copiam, quantam lecythus ipſa capere poſſit, ut videlicet dixit Cicero ad Attic. lib. 2. epiſt. 1. Meus autem liber totum Iſocratis μυροθήκιον, atq; omnes ejus diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta cōſumpſit.

In loco, Abſurda. Prov. Piſcis eget ſale. pag. 20. ἰχθὺς δεῖται ἁλός.] Atqui hoc dictum, Piſcis eget ſale: de piſce, quandiu in mari agit, intelligendum non eſt: ideoque abſurdum exiſtimari non debet, ut paulo poſt oſtendemus, ſimul uſum hujus proverbii (ſiquidem proverbialia ſunt hæc verba) declarantes.

Ibidem. Piſces in mari agentes opus habere ſale.] Si attente conſideraſſet Eraſmus quid Ariſtoteles dicat animadvertiſſet hæc verba nō eſſe populi reclamantis orationi Androclis, ſed ab ipſo Androcle fuiſſe pronunciata: quibus reſpondebat populo reclamanti iſti orationi ejus, Egent leges, lege quæ corrigat. Sic enim Ariſtoteles: οἷον Ἀνδροκλῆς ἔλεγεν ὁ Πιτθεὺς, κατηγορῶν τοῦ νόμου, ἐπεὶ ἐθορύβησαν αὐτῷ εἰπόντι, δέονται οἱ νόμοι τοῦ διορθώσοντος, καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλός, καί τοι οὐκ εἰκός, &c. i.e. Quale Androclis Pithenſis eſt dictum, accuſantis legem, quū obſtrepiſſent ipſi dicenti, leges opus habere lege, qua corrigentur: Atqui & piſce ſale, ſub opus habent. Perinde ac ſi loquutus ita fuiſſet: Cur hanc meam orationem ſic excipitis? cur huic meæ orationi, Leges lege qua corrigantur, indigent, ita obſtrepitis: vel, ita, obſtrependo reclamatis? An abſurda loqui vobis videor, quum legibus (quæ ſunt correctrices, & ad corrigendū latæ) opus eſſe dico lege qua corrigantur? Atqui & piſces, licet in ſalſo mari nutriti fuerint, ſale indigere noſtis. Hæc igitur verba, καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλός Androclis eſſe, & ipſe orationis Ariſtotelicæ

licæ contextus oſtendit, & rationi conſentaneum eſt: ut contra plane alienum à ratione foret, ea populo adſcribere: quia iis dictum illud cui reclamaverat, aperte confirmaret. At vir quidam doctiſſimus hunc Ariſtotelis locum ita exponit, ut iſta verba, καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλὸς, ſint quidem Androclis, obſtrepenti populo reſpondentis: ſed ita ut pro reſponſione prolatis illis verbis, Leges egent lege correctrice: ſtatim ſubjunxerit, Nam & piſces ſale. At vel ego fallor, vel ex Ariſtotelis contextu manifeſtum eſt, hæc verba, Leges egent lege correctrice, eſſe ea ipſa, propter quæ populus obſtreperet (tantum abeſt ut ad compeſcendum ſtrepitum ea pronunciata credendum ſit:) & ad quorum confirmationem, quum populus ita loquentem interpellaſſet, ſubjunxerit, Nam & piſces ſale. Quũ enim dicit Ariſtoteles ἐθορύβησαν αὐτῷ εἰπόντι δέονται, &c. dubitatio nulla relinqui videtur, quin intelligendũ ſit εἰπόντι quod ſequitur τί εἰπόντι αὐτῷ ἐθορύβησαν; obſtrepuiſſent ipſi poſtquam dixiſſent, Quidnam? Leges, &c. Sed hoc facilius intelligetur, quũ verba quæ velut per parentheſin illic poſita ſunt, ejus nota ſigna fuerint, hoc modo: οἷον Ἀνδροκλῆς ἔλεγεν ὁ Πιτθεὺς, κατηγορῶν τοῦ νόμου (ἐπεὶ ἐθορύβησαν αὐτῷ εἰπόντι. δέονται οἱ νόμοι νόμου τοῦ διορθώσοντος) καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες δέονται ἁλός, addo autem poſt ἰχθύες vocabulum δέονται, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ apud Ariſtotelẽ reperitur, ut ſi quis velit ea quæ parentheſεως nota includuntur, omittere, perfectam orationem in cæteris verbis inveniat, ita: οἷον Ἀνδροκλῆς ἔλεγεν ὁ Πιτθεὺς κατηγορῶν τοῦ νόμου καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες δέονται ἁλός. Illæ autem particulæ quum ita uſurpantur, veluti ellyptica eſt oratio, perinde eſt enim ac ſi Androcles continuans ſuum ſermonem populi tumultu interruptum, diceret, τί γὰρ οὐχί, ἐπεὶ καὶ οἱ, &c. Quidni vero? quum & piſces ſale opus habeant?

Ibidem. Idq; non minus abſurdum ſit, quam ſi piſces marini dicantur egere ſale.] Imo non abſurde hoc dicitur, & ipſa experientia verum eſſe comperitur; non enim intelligendum, piſces, quum in mari agunt, egere ſale: ſed quum ad eſum noſtrum condiuntur (præcipuum enim eorum condimentum eſt ſal) aut quum ταριχεύονται, ſervari non poſſent, ſed putreſcerent ſtatim, niſi ſalirentur. Nõ igitur utendum fuerit hoc proverbio (ſi tamen proverbialia ſunt hæc verba) quum rem aliquam abſurde dici volemus ſignificare: ſed quum aliquem ea re indigere oſtendemus, in cujus abundantia verſari ſolitus ſit. Veluti ſi quis dicat, inter literas & literatos educatum hominem literis & literatis opus habere.

In loco, Abſurda. Prov. Baccæ egent oleo. p. 735. τὰ στέμφυλα δεῖται ἐλαίου: id eſt Baccæ egent oleo.] στέμφυλα non ſignificat baccas, ſed quod ex oleis expreſſis ſupereſt, τὰ ἀποπιέσματα τῶν ἐλαιῶν, inquit Ariſtophanis enarrator. Athenæus li. 2 Ἀθηναῖοι δὲ τὰς πεπτωκυίας ἐλαίας στέμφυλα ἐκάλουν. Id igitur in oliva στέμφυλον dicitur à Græcis, quod in uva vinacium appellatur à Latinis. Eadem autem quæ de præcedenti proverbio dixi, huic quoq; conveniunt. Hic enim abſurdum eſt dicere ſtemphyla indigere oleo ut ſerventur, imo legimus iis veſci ſolitos veteres, oleo permiſtis. Cæterum hæc quoq; verba, καὶ τὰ στέμφυλα ἐλαίου, Androclis eſſe exiſtimo, quæ ſubjunxerit illis, καὶ γὰρ οἱ ἰχθύες ἁλός, ſed Ariſtoteles inter hæc & illa interjecit iſta verba, καί τοι οὐκ εἰκὸς οὐδὲ πιθανὸν ἐν ἅλμῃ τρεφομένους δεῖσθαι ἁλός.

In loco, Bonæ fortunæ. Proverb. Ne quæras Deus eſſe. p. 740. μὴ ζήτει θεὸς γενέσθαι.] Pindarus ait, hominem cui contingunt illæ felicitates quas deſcribit, nõ debere rationem qua deus evadat, quærere, perinde ac ſi diceret, debere illum ſua ſorte contentum eſſe, nec ea potiorem aliam quærere: quum nulla, nec ipſa quidem ſors deorum: vel, quum ea ſors ne cum deorũ quidem ſorte ſit commutanda. In hanc ſententiam videtur ille hæc verba ὑπερβολικῶς uſurpaſſe. At proprius eorum uſus eſt, quum volumus quempiam admonere, ne ſe nimis inſolenter efferat, ne majora cogitet vel affectet quam pro humana conditione. Denique ut meminerit quod dixit quidam poeta: θνατὰ χρὴ τὸν θνατὸν, οὐκ ἀθάνατα τὸν θνατὸν φρονεῖν. Sic utitur Palladas, quoddam epigramma ſic inchoans:

μηδεὶς ζητήσῃ μερόπων ποτὲ καὶ θεὸς εἶναι.
μηδ᾽ ἀρχῆς μεγάλης κόμπον ὑπερβίαλον.
γίνεται αὐτὸς ἔδειξε κατὴν ἔχθη γὰρ ἀνηρθείς,
θνητὸς, &c. ——

Sed in vulgatis editionibus pro ζητήσῃ, male ζητείτω poſitum eſt.

In loco, Timiditas. Prov. Domi pugnandũ more galli. p. 769. ἐνδομάχας ἅτ᾽ ἀλέκτωρ: id eſt, Domi pugnax more galli.] Melius opinor, verteretur, More galli domi pugnacis (vel, potius pugnantis) ut ἐνδομάχας ſit ipſius galli epithetũ, de quo quamobrem dubitare debuerit Eraſmus; & in ἐνδομύχας mutandum ſuſpicari, non video pulchre enim convenit eo proverbio, Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt. Quin & ab ea qua præditus eſt audacia, dum in ſuo ſterquilinio verſatur, tranſlatum eſt illud noſtrate dictum, Tu es audax in tuo ſterquilinio, quum aliquis domi ſuæ. & (ut Cicero loquitur) in ſuo regno audaciam præ ſe fert, extra illud timidus futurus. Cæterum ἅτε per anaſtrophen poſitum erit: ut etiam ὥς aliquando ponitur, veluti apud Theocritum:

---λάτραγχος δέ τι τὰ ἀκρίδας ὥς τις ἐρείδει. item:
---ὀδοιπόρος ἰδ᾽ ἔρημον ὥς τις.

In loco, Deriſio Proverb Omnia præclara dicis. p. 164. Legiſſe videtur nõ εἶεν, ſed εἶν aut εἰνί, quod Græcis ſonat en.] Imo εἶν & εἰνί poeticæ ſunt voculæ, pro ἐν, id eſt in ac pro En eas accipi, id eſt, pro ἰδού, à nullo grammatico, aut lexicographo adnotatum reperio. Ac niſi poneret etiam εἶν, putarem illum ἦν voluiſſe dicere, quanquam & ab εἶεν, longe remotum eſt, & in ſolutam orationem aut nunquam, aut perquam raro admittitur.

In loco, Dignitatis Proverb Optima quidem aqua. pag. 184. Videtur in proverbium abiiſſe.] Ex verbo λέγεται duntaxat proverbialia eſſe hæc verba argumentatur: ut antea vidimus non aliunde quam ex participio λεγόμενον conjeciſſe proverbialiter vocem ἀπνοῖς uſurpari, quaſi vero λέγεσθαι ſemper ſignificet proverbialiter dici: & λεγόμενον quod proverbialiter dicitur. Certe nihilo magis adagiũ his Pindari verbis quam illis Plutarchi ſubeſt. Nec inter adagia, credo, relaturus erat ea, ſi quorſum ab Ariſtotele citentur, perpendiſſet, (eſt autem hic locus lib. 1. non tertio) quum enim dixiſſet philoſophus, καὶ τὸ σπάνιον τοῦ ἀφθόνου ὑπερέχει, οἷον χρυσὸς σιδήρου ἀχρηστότερος ὤν, μείζων γὰρ ἡ κτῆσις, διὰ τὸ χαλεπωτέραν εἶναι: ſubjicit ἄλλον δὲ τρόπον τὸ ἄφθονον τοῦ σπανίου ὅτι ἡ χρῆσις ὑπερέχει, τὸ γὰρ πολλάκις τοῦ ὀλιγάκις ὑπερέχει, ὅθεν λέγεται, ἄριστον μὲν ὕδωρ. Citat & Plato in Euthydemo hæc Pindari verba: dicens, Nam quod ratũ eſt, ô Euthydeme, precioſum: at vero aqua viliſſima, quum optima ſit, ut ait Pindarus. Sic autem & Horatius viliſſimam appellavit aquam, 1. Serm. ſat. 5.

-- *Venit viliſſima rerum Hic aqua.* --

Propertius autem vilem dixit. Eodem videlicet quo Plato & hic & ille reſpicientes, epithetum hoc ei dederunt: nimirum ad ejus abundantiam. Nam quum Plato dicit, Nam quod rarum eſt, precioſum: at vero aqua viliſſima: intelligere debemus à contrario, ob abundantiam viliſſima, addit autem, quum optima ſit, ut ait Pindarus: ſive præſtantiſſima. Conſidera lector, ut ne umbra quidem proverbii hic appareat, nec apud Ariſtotelem, nec apud Platonem.

In loco, Fides & gravitas. Prov. Suffragium optimum. p. 248. Alius præterea locis ejuſdem operis uſurpat Ariſtoteles hoc loquendi genus, γνώμῃ ἀρίστῃ: ex quorum inter ſe collatione γνώμην hic non ſatis commode verti ſuffragium colligo, nec ἀρίστην, optimum nam ſuffragium ferre poteſt aliquis παρὰ τὴν αὐτοῦ γνώμην, id eſt, contra mentem ſuam, & id quod in animo ſuo ſentiat, ac tacite ſecum judicat, & nihil obſtat quominus ſuffragium alicujus appelletur optimum, in quo ferendo non ἐπιεικείας rationem habuerit, id eſt æqui & boni: ſed jus ſummum ſpectaverit, at vero Ariſtotel. paulo ante eum quem habemus hic locum, dixerat, Manifeſtum

eſt

eſt enim, ſi lex ſcripta rei adverſetur, communi utendū eſſe, καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν ὡς δικαιοτέροις, & hoc eſſe mente optima, non omnino uti ſcriptis, ac ſcipſum quidem ἐπιεικὲς ſemper manere, & nunquam mutari, ſicut nec legem communem (ſecundum naturam eſt enim) at ſcriptis mutationem ſæpe contingere. Quorum verborum ſi recordatus fuiſſet Eraſmus, γνώμην ἀρίστην ad ἐπιεικὲς, id eſt æquum & bonum, referri intellexiſſet, docente id ipſo Ariſtotele: & eam quidem ἐπιεικὲς latè patere, nec in una ea re conſiſtere, ut non ex neceſſariis ſolum, verum etiam ex veriſimilibus judicetur. Jam vero illa verba, καὶ τοῖς ἐπιεικέσιν ὡς δικαιοτέροις non tantum ad intelligendum quid ſit τῇ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ, ſed etiam ad corrigendum Julii Pollucis locum nobis plurimum proſunt, in quo ſcribitur: ὁ δὲ ὅρκος ἦν τῶν δικαστῶν, περὶ μὲν ὧν νόμοι εἰσὶ, κατὰ τοὺς νόμους ψηφιεῖσθαι· περὶ δὲ ὧν μή εἰσι, συγγνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ legendū enim eſſe σὺν γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ perſpicuū hinc eſſe puto, quanquam illa vocula σὺν, ſuſpecta eſſe poſſit alicui: quum etiam abſq; ulla præpoſitione Demoſthenes dicat, γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ δικάσειν ὀμωμόκασιν. Hanc autem γνώμην δικαιοτάτην eſſe eam quam Ariſtoteles appellat ἀρίστην, oſtendit locus ejuſdem, qui paucis interjectis ſequitur eum quem modo protuli, ait enim: Sin lex ſcripta pro re noſtra faciat, tunc dicendum eſt γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ non eſſe ad judicandum contra legem, ſed ut, ſi ignoraverit quid lex indicat, non peieret. Quum n. hic dicit Ariſtoteles, de judice, ne peieret, quin id dicat ob idē jusjurandū, quod hic in Pollucis & in Demoſthenis loco legimus, ecquis dubitaturus eſt? Animadvertendum præterea, in loco Ariſtotelis qui hic citatur ab Eraſmo, itidem γνώμῃ ἀρίστῃ de judicibus dici, nam poſt ἀρίστῃ ſubaudiendum eſt verbum κρίνειν, quod etiam ibi ſcriptum in quibuſdam exemplaribus reperitur, & libr. ſecundo legitur eodem modo: τοῦτο γάρ ἐστι τὸ γνώμῃ τῇ ἀρίστῃ κρίνειν. In loco autē proxime citato pro κρίνειν, ponit δικάζειν: quo & Demoſthenes utitur. Quare, ut omittam γνώμην ἀρίστην præcedere ipſam ſententiæ pronunciationem, & concedam poſſe confundi: at quomodo judici ſuffragium tribui queat, dicendo illum optimo ſuffragio judicare, viderint qui hanc interpretationem ſequi volent.

Ibid. Optima probatio eſt ex conjecturis, quæ illi εἰκότα vocāt.] Non hoc dicit Ariſtoteles, omnium ἀτέχνων probationum optimā eſſe, quæ ἐκ τῶν εἰκότων petitur: ſed quod dicendo, is qui argumentis niti poſſit, non teſtibus authoritatem his dempturus ſit, illis autem adjuncturus, declarat: ut ſtatim poſt, eum cui teſtes aderunt, argumenta autem deerunt, viciſſim rationibus inſtruit ad elevandam his fidem, illis augendam appoſitis.

In loco, Avaritia & ſordes. Proverbio, Ex philleo. pagin. 83. Qui ex humili fortuna aſtraque vita ad dignitatem emerſiſſent.] Loco Ariſtophanis nulla hujuſmodi ſubeſſe poteſt allegoria: ſed verba ſimpliciter, ut ſonant, accipienda ſunt.

In loco, Damnandi. Proverb. Ἐκφυλλοφορῆσαι p. 161. Olim non calculis, ſed foliis ferebantur ſuffragia.] Nequaquam hoc dicit ita generaliter Suidas: ſed eos qui exauctorabant, in ferendis de hujuſmodi exauctoratione ſuffragiis, foliis loco calculorum uti ſolitos, ut oſtraco in ferendis de oſtraciſmo ſuffragiis.

In loco, Avaritia & ſordes. Proverb. Nullam corporis partem. pag. 78. At is qui nullam corporis partem habes ocioſam, ne eam, &c.] Noluit hoc ſignificare Æſchines, ſed potius Demoſthenem nullam corporis partem (legendum enim ἄπρατον) habere non venalem, de quo ſenſu Eraſmus nihil præter ſuſpicionem affert, ſed multi ſunt apud utrunque oratorem loci, ex quibus affirmare id audacter quis poſſit.

In loco, Philautia. Proverb. Muſopatages. pag. 763. Quarum perculſus amore Satra fere.] Mihi non ita videtur accipi μουσοπάταγος, ſed in malam partem, id autem ex Homeri verſu conjicio, in quo participio ἐπιπαταγμένος aperte in malam partem utitur. Odyſſ. σ.

ξεῖνε τάλαν, οὔ τις φρένας ἐκπεπαταγμένος, ἐσσί·

Ibidem. Transfertur ad eos, qui ſua poemata ſic amant quemadmodū parentes liberos.] Iſtam tranſlationē non agnoſco: ſed a Cicerone in propria ſignificatione uſurpari exiſtimo, in illo epiſt. ad Qu. fratrem loco. Nam ſi dicit Cicero, μουσοπάταγος libentiſſime ſua recentia poemata legere, an propterea hoc nomen ad eos transfertur, qui ſua poemata non aliter amant, quam parentes liberos? Hoc ſi concedimus, illud concedamus oportet (quod eſt abſurdū) quoſvis poetas μουσοπάταγος poſſe dici, quotus quiſq; enim reperietur, qui non ita erga ſuum poema ſit affectus? Cæterum quin μουσοπάταγος à πάταγος dici debeat, potius quam μουσοπάταγος à πάταγος, nemini dubium eſſe debet.

In loco, Auxilium. Proverb. Semper aliquem virum magnum. p. 759. Unde ſumptum ſit hemiſtichium, nondum liquet: niſi quod fortaſſe pro αἰεὶ, legendum eſt αἴτει, id eſt, poſtula: aut αἰτεῖ, id eſt poſtulat aut requirit. Et unde ſumptum ſit hemiſtichium, & in eo recte αἰεὶ legi, nec ullo modo mutari debere in αἴτει aut αἰτεῖ, iis liquet qui verborum Polyphemi apud Homer. lib. Odyſſ. 10. meminerunt, ibi enim cyclops ille ait, ſibi quidem prædictum fuiſſe à Telemo vate, fore ut ab Ulyſſe orbaretur oculo: ſed ſe expectaſſe ſemper adventum cujuſdam Ulyſſis: qui proceritate corporis & ſpecie oris ſpectabilis vir eſſet: quum tamen malum hoc illi à viro contra parvo ac imbecillo allatum ſit. Verba ejus ſunt:

ἀλλ᾽ αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην
ἐνθάδ᾽ ἐλεύσεσθαι, μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν.
νῦν δέ μ᾽ ἐὼν ὀλίγος τε καὶ οὐτιδανὸς καὶ ἄκικυς
ὀφθαλμοῦ ἀλάωσεν, ἐπεί μ᾽ ἐδαμάσσατο οἴνῳ.

Jam ergo videamus, quando utatur hoc hemiſtichio M. C. Multi Stachium ex ea qua valebat apud Qu. Ciceronē authoritate æſtimabant: ideo tantum poſſe apud illum credentes, quod is in eo nihil humile nec abjectū, nihil vulgare in ejus ingenio perſpiceret. Et hoc quidem judicabant, antequam ipſum Stachium vidiſſent, atque adeo cognoviſſent. Qui viſus & cognitus quum eorum non reſponderet expectationi, multorum hujuſmodi ſermonum materiam dabat, qualis erat ille Polyphemi de Ulyſſe: ἀλλ᾽ αἰεί τινα φῶτα μέγαν καὶ καλὸν ἐδέγμην, &c.

In loco, Arrogantia. Proverb. Baſilica facinora pag. 60. Nihil enim humile decet reges.] Iſtud quidem verum eſt, nihil humile, ſed potius magnifica omnia dicere reges: eo tamē non reſpiciebat Porus, nec quum Alexandro diceret, Gere te regie erga me, intelligebat, Regali magnificentia utere erga me: ſed perinde erat ac ſi dixiſſet, βασιλικῶς, ἀλλὰ μή τι τυραννικῶς, ſcimus enim magnificentiam tyrannis cum regibus eſſe communem, at clementiam nequaquā, quam Alexandro adeſſe, Poro in ejus poteſtatem redacto, optabile erat. Plutarchus certe quodam loco, poſtquam dixit Alexandrum erga Calliſthenem & Clitum ſæviorem, quam pro more ſuo fuiſſe, ſubjungit hoc quod Porus Alexandro dedit reſponſum, cui continuo poſt addit: διὸ καὶ τῶν θεῶν τὸν βασιλέα μειλίχιον, ἀθλίων, οἱ δὲ μαιμάκτην, ὅμως, καλοῦσι, τὸ δὲ κολαστικὸν, ἐριννυῶδες, καὶ δαιμονικὸν, οὐ θεῖον δὲ οὐδ᾽ ὀλύμπιον.

In loco, Modeſtia. Prov. Contrahere vela p. 508. Pro eo quod eſt reprimere ſeſe, & cautius agere.] Multi poſſunt cautius agere, & cautius eſſe in hoc vel illo negocio, qui tamen vela contrahere non dicantur. Eſt enim Vela contrahere, remiſſionem vel moderationem adhibere: quam nō protinus adhibet, quiſquis cautius agit. Verbi gratia: Si quis relicta periculoſa conficiendi alicujus negocii via & ratione, ſequatur aliam quæ tuta ſit, cautius agere dicetur, vel prudentius, non ſe reſtringere, & moderatius agere. Vela autem contrahere, moderationem adhibere ex Horatio, & ex hoc Ovidii loco expono:

Ah nimium eſt quod amice petis, moderatius opta.
Et voti, quæ ſo, contrahe vela tui.

id eſt: Votum tuum reſtringe. Sic & in Ciceronis loco, Contraxi vela, non ſignificat Cautius egi (neq; enim di-

cit Cicero ſe non ſatis caute antea egiſſe) ſed Remiſſionem adhibui: de contentione & vehementia priſtinarum actionum aliquid remiſi aut potius, verbis ipſius Ciceronis hanc metaphoram explicando, Contraxi vela: id eſt, minus quam ſolebam, præliatus ſum. Dixerat enim Cicero initio epiſtolæ: Vis ſcire quando ego minus quam ſoleam, præliatus ſim. Incipiens deinde hujus rei cauſam exponere. Ego enim, quandiu Senatus authoritas mihi defendenda fuit, ſic acriter & vehementer præliatus ſum, ut clamor, &c. Aliquanto poſt: Poſtea vero quam Hortenſius excogitavit, ut legem de religione Fuſ. trib. pleb. ferret, contraxi vela, perſpiciens inopiam judicum.

In loco, Modeſtia. Prov. Ἔσπετε νῦν μοι. *p. 508.* ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὅπως δὴ πρῶτον ἔπεσε.] Non dubium eſt quin vetera ſequenda ſint exemplaria, in quibus legitur: ὅπως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε. Sunt autem prima hæc duorum Homeri verſuum verba: qui ita leguntur Iliad. π.

ἔσπετε νῦν μοι μοῦσαι ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ὅππως δὴ πρῶτον πῦρ ἔμπεσε νηυσὶν ἀχαιῶν.

Hos autem apposite ſuæ narrationi inſerit Cicero, tanquam hic & ipſe nodum vindice non indignū habens. At ὅπως δὴ πρῶτον ἔπεσε unde ſit & quid ſit, alii viderint, nam ἔπεσε pro dixiſtis (ut Eraſmus interpretatur) neſcio an recipiendum ſit.

In loco, Securitatis & rei tutæ. Proverb. E terra ſpectare naufragium. pag. 628. Videtur eſſe verſus trochaicus catalecticus.] Quum putaret hæc omnia verba unius eſſe verſus, non mirum ſi hoc dixerit, at ex Stobæo, qui integrum citat hunc Sophoclis poetæ locum, ex duobus illa eſſe cognoſcimus, ita enim apud eum legitur:

τί τοῦδε χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ,
ἢ γῆς ἐπιψαύσαντα, καὶ ὑπὸ στέγῃ
πυκνῆς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὑδούσῃ φρενί;

Sed prior à poſteriore diſſentit editio hujus authoris. ποτὲ habet prior, at rectius poſterior δέ: viciſſim prior καὶ ὑπὸ, rectius quam poſterior ὑπὸ, non præcedente καί: item πυκνῆς in priori legitur melius quam in poſteriore πυκνῇ, utrobique vero erratum eſt in eo, quod hoc πυκνῇ ſive πυκνῆς in fine ſecundi verſus ponitur: quum tertii debeat eſſe principium, qui imperfectus alioqui manet: ut contra ſecundus, addendo πυκνῆς (aut πυκνᾶς, ut in Ciceronis libris) poſt καὶ ὑπὸ στέγῃ longior eſt quam decet. Cui malo mederi videntur voluiſſe, qui in poſteriore editione καὶ illud ſuſtulerunt, nullum interim tertio remedium adhibentes, qui juſto eſt brevior, incipiendo ab ἀκοῦσαι, & in φρενὶ finiendo. Jam vero quod ad ψεκάδος attinet (Eraſmus habuit ψάκαλος, quod ferri nō poteſt) miror cur quidam in veteribus libris à ſe inventum repudiaverint: ut mendoſum, ac in ψεκάδος mutare neceſſe putaverint: quum ψακὰς nihilominus dicatur quam ψεκάς. Sed & illud ὑπὸ στέγης mutare in ὑπὸ στέγῃ, non video quid illos coegerit, cur enim ut ſpectare è terra, ita & audire è terra, audire è tecto ſeu domo non dicatur? Porro quamvis poſterior duntaxat pars hujus loci Sophoclis à Cicerone ponatur, quin ad totum reſpiciat (non ſimpliciter exprimere volens magnam animi ſecuritatem ac tranquillitatem, ſed ſecuritatem poſt relictum periculoſum locum, unaq; ablatum periculi metum) minime dubium eſt, nam & Sophoc. γῆς ἐπιψαύσαντα dicit eum qui terram contingit, qui è navi exiit: ut hic dicit Cicero, Quū cogat exire de navi. Et ut libere ſententiam meam de hoc Sophoclis loco proferam; iis non aſſentior, qui mentionem imbris facere illum putant, ſuavitatem duntaxat exprimentem, quam pluvia ſomno addere ſolet, ubicunque quis cubet: ſed γῆς ἐπιψαύσαντα πυκνᾶς ἀκοῦσαι ψεκάδος de eo dicere puto, qui poſtquam è navi exiit, terramque contigit, è loco ubi cubat mari vicino imbrem denſum ſecure audit, tempeſtatem cum eo exortam in mari, aut, ne exoriatur una tempeſtas (ut apud Virgilium imber noctem hyememq; fert, eoque exorto, continuo venti volvunt mare) non jam ut antea timet, utpote in tuto collocatus. Sic M. Tullius, licet poſteriora duntaxat hujus loci verba citans, ad priora tamen ſimul reſpexiſſe comperietur. Merito autem dixerit Sophocles (ſi hunc ſequamur ſenſum) nullam rem majus afferre poſſe gaudium. Nam ſi per ſe dulce eſt, Neptunum à terra procul aſpectare furentem: ſi per ſe dulce eſt, è terra naufragium intueri (quod & teſtatur Lucretius.

Dulce mari è magno, turbantibus æquora ventis,
E terra magnum alterius ſpectare laborem:)

quanto dulcius eſt, è terra ſpectare illius navis naufragium è qua exieris, & è qua quod exieris, reliquum vitæ in lucro deputare debeas?

In loco, Potentes. Proverb. Preces armatæ p. 587. Idem lib. 9. &c. πειθανάγκην appellat ſuaſionem, &c.] Verbum πειθανάγκη proverbium cenſeri, ut opinor, non debet: nihilo magis quam πειθὼ σὺν ἀνάγκῃ apud Dionem Pruſæum, ex quibus duobus vocabulis illud compoſitum eſt, at quum dicitur θετταλικὴ πειθανάγκη, tum vero adagium agnoſco, nam ipſe Julianus his utens, proverbialium indices præfigit voces, τὸ λεγόμενον, in oratione ad ſenatum populumq; Athenienſem, dicens: καὶ τὸ λεγόμενον ἡ θετταλικὴ προσεβιάζετο πειθανάγκη: Apud eundem autem reperio in Conſtantii encomio ſolum adjectivum θετταλικῇ, omiſſo (non conſulto, ut opinor, ſed incuria librarii) ſubſtantivo πειθανάγκη. ita enim illic legitur, ὁ δ' ἄκων μὲν καὶ μόλις εἴξας δ' ὅμως ὀψέ ποτε φασὶ τῇ θετταλικῇ, προσήγαγέ σοι περιελόμενος τὴν ἀλουργίδα.

In loco, Infortunii. Proverb. Tempeſtas rerum. pag. 373. Quum ſignificabimus magnam rerum confuſionem, uti licebit.] At nō ita utitur Cicero in loco qui hic citatur: ſed abſque ulla allegoria, id quod ſonant verba, intelligit, ita enim ſcribit Romæ, & maxime Appia ad Martis mira proluvies. Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ: magna vis aquæ uſq; ad piſcinam publicam. Viget illud Homeri ἤματ' ὀπωρινῷ (cadit enim in abſolutionem Gabinii) ὅτε λαβρότατον, &c. Hic perſpicuum eſt, meo quidem judicio, ob proluviem quæ acciderat eo tempore quo abſolvebatur Gabinius omnium ſermone celebrari, & omnibus eſſe in ore Homeri verſus, quibus ait proluviem à Jove mitti, quū iniquis judicibus eſt infenſus. Nam iniquo judicio Gabinius abſolutus exiſtimabatur: in cujus abſolutionis tempus cadere dicit hanc proluviem.

In loco, Læti. Proverb. φαινοπροσωπεῖν. pag. 756. Eſt autem vultu frontéq; præferre hilaritatem.] Imo potius φαινοπροσωπεῖν apud illum ſignificat, quod ait doctiſſimus Budæus, In publicum prodire, nec ſe domi aut in ſeceſſu continere. Quum enim dicit Cicero, Nullus uſquam delectus, neque conquiſitores φαινοπροσωπεῖν audent: quomodo conveniet, ut intelligamus conquiſitores non audere vultu fronteque præferre hilaritatem ac benevolentiam?

In loco, Ultio malefacti. Proverb. Cicadæ ſibi canunt. p. 772. οἱ τέττιγες ἑαυτοῖς χαμόθεν ᾄσονται: id eſt, Cicadæ ſibi ipſis è humo canent.] Deceptus fuit errore exemplaris, in quo ἑαυτοῖς male poſitum erat pro αὐτοῖς: quod & apud ipſum Ariſtotelis ſcholiaſten habetur, & hic reponendum: ſicut in interpretatione ipſis pro ſibi vel ſibi ipſis. Quis autem ſit hujus apophthegmatis ſenſus (nam hoc dictum Ariſtoteles apophthegma vocat, non proverbiū) ſequens annotatio te docebit.

Ibidem. Quos ſi ulciſci alioqui non poſſet, certe carminibus ſuis, &c.] Falſa eſt hæc explicatio quam οἴκοθεν affert Eraſmus: at vera eſt illa altera, quam doctis nonnullis, ut ipſe teſtatur, paulo poſt afferet: & ne cui de ea dubitatio ulla relinquatur, eam trium veterum ſcriptorum ἀξιοπίστων teſtimonio cōfirmabo. At igitur Demetrius Phalereus ἐν τῷ περὶ ἑρμηνείας (ſi tamen ejus eſt is libellus) incipiens de allegoria loqui: Eſt etiam magnificum quiddam allegoria, & maxime in minitando, ut Dionyſius, Cicadæ ipſis ab humo canent. Quod ſi ita ſimpliciter dixiſſet, vaſtaturum ſe Locrenſem regionem, & iracundior viſus fuiſſet, & contemptior. Idem alibi: Quare ſymbola etiam habent vehementiam: quia brevius dicti,

dictis ſunt ſimilia, nam ex eo quod cum brevitate ſit enunciatum plurima concipere mente oportet, quemadmodum ex ſymbolis. Sic & , Ab humo cicadæ vobis canent, majorem vehementiam habet allegorice enunciatum, quam ſi ſimpliciter dictum fuiſſet, Veſtræ arbores excindentur. Euſtathius autem in 3. Iliad. exponens illa Homeri verba:

—ἀλλ' ἀγορηταὶ ἐσθλοί, τεττίγεσσιν.—

cum alia, tum hæc dicit: Ut plurimum enim ſuper ramos, non autem à terra cantus ſuos exercent cicadæ. Ubi etiam meminiſſe convenit ſymbolici dicti, quo quidam minatus eſt ſe facturum hoſtibus cicadas ab humo canere pro eo quod eſt, arbores regionis eorum ſe exciſurum, adeo ut cicadis ab humo canere neceſſe futurũ eſſet. Jam vero ipſe Ariſtotelis ſcholiaſtes, enarrans illũ quem Eraſmus ex ſecundo libro Rhetoricorum protulit locum, ait: Laconica apophthegmata vocat brevia: ut illud, Non oportet injurioſos eſſe; ne ab hoſtibus ita evertamur: ut ne arbor quidem aut lignum in regione noſtra remaneat, ubi vel cicadæ ſedentes canant. Verum obiter hoc obſerva, Demetrium Phalereum (aut quicunque eſt illius libelli author) in eo ab Ariſtot. diſſentire, quod Dionyſio dictum iſtud adſcribat, quod illum Steſichoro adſcribere videmus. Sed fieri poteſt, ut Steſichori dictum uſurpaverit Dionyſius. Cæterum animadvertendum eſt, elegantiam majorem hujus dicti eſſe in Græco ſermone quam in Latino: quod δενδροτεμεῖν ſonet quidem arbores exſcindere, verbum è verbo: ſed tamen generalem vaſtationem denotet: adeo ut δενδροτομεῖν χώραν (quod & δενδροκοπεῖν dicitur) vaſtare ſeu populari, Latine interpretari poſſimus.

In loco, Arrogantia. Proverb. Salacones p. 64. ita & Salaconi quidã extremæ paupertatis homo effecit, ut omnes fortuna tenui, Salacones dicerentur.] Non animadvertit quid Heſychius diceret, non enim hoc ait, σαλάκωνα appellari quemvis fortuna tenui hominem, item quemvis faſtuoſum & arrogantem, id eſt; quamlibet πτωχὸν vel ἀλαζόνα, ſed quemlibet πτωχὸν ἀλαζόνα, id eſt, ſimul & fortuna tenui (ſic vertit Eraſmus πτωχὸν) & arrogantem. Nec σαλακωνίαν ſimpliciter eſſe dicit paupertatem aut arrogantiam: ſed in paupertate arrogantiam, ejus enim verba ſunt hæc: σαλάκων, ὁ πτωχὸς ἀλαζών· σαλακωνία, ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία. Et Suidę, σαλάκων, ὁ προσποιούμενος πλούσιος εἶναι πένης ὤν. Quod autem addit Eraſmus, Unde ductum ſit verbum σαλακωνίζειν & σαλακωνεύειν, pro eo quod eſt fracto delicatoq; gradu incidere, non video quomodo ex eodem Heſychio collegerit: utpote qui dicat, ἔλεγον τοὺς διαθρυπτομένους σαλάκωνας. ἀπὸ δὲ ἁβρῶς καὶ μετὰ θρύψεως βαδίζειν: exponens σαλάκωνα, voce διαθρυπτομένους, quæ ad mollem & delicatum inceſſum duntaxat nõ pertinet, ſed generaliter ad quodvis mollitiei genus refertur. Niſi forte his infinitivos σαλακωνίσαι, σαλακωνεῦσαι, ſequentibus verbis adnectendos, ac pro ἀπὸ δὲ legendũ τὸ, & quæ interpoſita ſunt, omittenda exiſtimavit. quã in re aſſentiri illi nullo modo poſſum. Cæterum cum hac expoſitione Heſychii, ut σαλάκωνες ſint οἱ διαθρυπτόμενοι, convenit quod Ariſtoteles τρυφεροὶ & σαλάκωνες conjungit: Alciphron autem τρυφὰς καὶ σαλακωνίας. Quanquam non eodem uterq; modo, ni fallor, nam ille propemodum ut ſynonyma videtur copulare τρυφὰς & σαλακωνίας, ille autem eoſdem quidem dicit, & τρυφεροὺς eſſe & σαλάκωνας, ſed non eandem utriuſque appellationis rationem reddens. Verum eorum verba proferre latius fuerit, apud Alciphronem igitur Menander Glyceræ inter cætera ſcribit: ἃ δὲ νῦν ἐν χερσί μου ἐν Πειραιεῖ μαλακιζόμενον (οἶσθα γάρ μου τὰς συνήθεις ἀσθενείας, ἃς οἱ μὴ φιλοῦντές με, τρυφὰς καὶ σαλακωνίας καλεῖν εἰώθασιν) (ἐπεί σοι ἐν ἄστει μένειν διὰ τὰ Ἁλῷα τοῦ θεοῦ) τοῦτ' ἐστιν. Hic certe non video, quid aliud τρυφὰς σαλακωνίας appellet, quam ea quæ molliter & effœminatæ fiunt, ſive nimias quaſdam delicias. At vero Ariſtot. lib. 2. Rhet. divitum mores deſcribens, poſtquam dixit illos eſſe ὑβριστὰς καὶ ὑπερηφάνους, paucis interjectis, addit: καὶ τρυφεροὶ καὶ σαλάκωνες, τρυφεροὶ μὲν διὰ τὴν τρυφὴν, καὶ τὴν ἔνδειξιν τῆς εὐδαιμονίας· σαλάκωνες δὲ καὶ σόλοικοι, διὰ τὸ πάντας εἰωθέναι διατρίβειν περὶ τὸ ἐρώμενον καὶ θαυμαζόμενον ὑπ' αὐτῶν, καὶ τὸ οἴεσθαι ζηλοῦν τοὺς ἄλλους ἃ καὶ αὐτοί. Quo in loco ita uſurpatur nomen σαλάκωνες, ut nulla earum ſignificationum quas afferunt Suidas & Heſychius, illi convenire poſſe videatur. Niſi forte eam quam ex Theophraſto hic profert, illi accommodandum exiſtimemus: ut videlicet σαλάκωνας appellet Ariſtoteles, qui ſumptus ubi non oportet, faciunt, quæ expoſitio non longe diſcedit, ut opinor, ab ea quam ipſe Ariſtot. ſcholiaſtes hoc loco affert, dicens: σαλακωνίαν eſſe ὑπερβολὴν μεγαλοπρεπείας, ut magnificentiæ exceſſus ſit, quum volumus circa ea quoque ſumptuoſi eſſe, quæ ſumptu & magnificentia digna non ſunt. Atque hæc magnificentia vere ineptorum eſt hominum, &; ut Ariſtot. appellat σολοικίαν.

ANIMADVERSIONUM HENRICI STEPHANI in Chiliades Adagiorum Eraſmi.

F I N I S.

INDEX PROVERBIORUM, ERASMI, JUNII, COGNATI, ET ALIORUM QUÆ HOC OPERE CONTINENTUR, SECUNDUM ORDINEM ALPHABETI, CORRECTUS, DIGESTUS, ET DENUO LOCUPLETATUS.

INDICEM literarium comperi præter omnem ſpem confuſum ac mutilum, quod ad hæc humilia doctiores ægre ſeſe demittunt. Ea res quoniam mihi quoq; incommoda fuit, adeo ut hac de cauſa quædam in alienum locum fuerint infulcienda, devoravimus & hoc tædii, effecimuſq; ut Index & plenior ſit, & accurate digeſtus juxta literarum ordinem: nec hoc contenti, quæ obiter incidunt in tractando proverbio, vel à ſpecie proverbii non abhorrentia, vel alioquin cognitu digna, adjecimus. Et interdum idem adagium variis modis effertur, nonnunquam plura in eundem numerum congero. Ad hoc quoq; conducit hæc diligentia. Porro ne quid turbet ordo verborum, diverſus interdum in titulis operis, & in Indice, ſcito me in Indice proverbii ſenſum ab his verbis auſpicari, quæ præcipua ſunt ac peculiaria. Eminent autem potiſſimum propria hominum, locorum, animantium, aut rerum vocabula: proximo loco, quod in contextu minime vulgare eſt. Exemplum primi eſt, Obolus Paſetis, Paſetis obolus, ſecundi, Ne temere Abydum, Abydum ne temere eas, &, Non eſt cujuſvis Corinthum appellere, Corinthum appellere non eſt cuiuſvis: tertii, Bibe elleborũ Elleborũ bibe: quarti, Sæpe etiã eſt olitor valde opportuna loquutus: &, Olitor opportuna loquutus. Quædã in quibus nihil eminebat, bis poſuimus. Hunc ſcopum ſequens, non poteris falli, quin quod quæris invenias. Nec tamen tanta eſt facta verborum mutatio, quin tenuiter etiam eruditus facillime poſſit agnoſcere proverbium: nec id tamen factum eſt in admodum multis, nec enim fuit opus. Secundus Index, qui ſententiarũ congruentiam ſequitur, tumultuaria opera nobis congeſtus fuit, olim Venetiæ. Eum ut eſt reliquimus: niſi quod adjecimus multa quæ deerant. Poterant addi plures tituli: nec pauca ſunt adagia quæ pluribus congruant titulis: veluti, Dolium pertuſum, dici poteſt in avarum in prodigum, & in ambitioſum: ſed creviſſet Index immenſum: Indicavimus multa: quod ſupereſt, ingeniis reliquimus. Acceſſerunt ad Eraſmi proverbia, Iunii, Cognati & aliorum, quæ in unum indicem, eadem qua Eraſmus opera, & diligentia conjecimus: & Secum etiam juxta locos, adjecimus, quo facilius omnia ſub aſpectum lectoris veniant.

A.

AB Aboriginum ſeculo 392
abacos Moſis 192
ab alto ſpectat 94
ab amicorum conviviis non diu abſtinendum 43
ab animalibus abſtine 774
ab area Syra, ab Hymetto 529
Abaridis ſagitta 244
ab aſino delapſus vel excuſſus ibid.
ab aſino lanam 291. 320
ab aſinis ad boves tranſcendere 597
ab aureo evinctos duci 234
abdera pulchra Teiorum colonia 616
Abderitica mens 407
Abderiticum 279
Abderiticum imperium 616
abderologus 279
ab diagrammate 647
abdomen inſaturabile 382. 417
abdominis miniſter 463
à bellariis epulum commendare 371
ab epulo hoc qui poſſum abeſſe 446
ab equis ad aſinos 161
ab equinis pedibus procul ſecede 212
ab Erecbutadis ducit genus 435
ab Herode ad Pilatum 394
abhorrentis ac deteſtantis 164
Ab Hymetto ab area Syra 529
ab Hymetto profectum 231
abjecit haſtam 691
abjectiores vilibus pomis 144
abjectior fimo 142
abjicere ſcutum 691
abjiciendum procul 224. 160
abiit & taurus in ſylvam 44
abiit in fumum 700
abi Morboniam 225
ab impiis egreſſa eſt iniquitas 557
ab impuris dona non ſumenda 514
ab incepto deſiſtere 528
ab incunabulis 10
ab inferis nullus reditus 496
abi in perniciem 374
ab ipſa meſſe 666
ab ipſa Veſta 393
ἀβίωτ☉ βί☉ 215
abire in levis auras, aut in fumum 702
à bis ſeptem undis 208
abominandus ſcarabeus 138
à bonis bona diſce [illegible]
ab ovo uſq; ad mala 10
Abronis vita 460
abrumpere funem 410
abſens hæres non erit 285
abſente gracculo corvus pulcher. 649
abſentes Deos teſtes facis 577
abſolvere penſum 575. 703
abſolvere tunicam à limbo 576
abſoluta eſt potatio 576
abſque baculo non ingreditor 502
abſit clamor in colloquiis aut luſu 117
abſq; lumine de Pythagoricis rebus ne loquaris 794
abſq; oleo pingere 338
abſq; ordine ſparſim ferri 422
abſque præjudicio 432
abſque provocatione Senatus, legatus, ſine mandatis 39
abſque Vulcano incendium 664
abſtine à riſu effuſo 774
abſtinenda vis à regibus 713
abſumpta ſuilla [illegible] 208
abſynthium 74
ab tranſenna cibum petere 396
ab ulnis puerorum barbam vellere 335
abundat araneis propter inopiam 565
ab unguibus incipere 24. 439
ab unguiculo ad pilum ſummum 9
ab uno diagrammate 647
abydena illatio 117
Abydum ne temere 207
abydus Ab. deinus 113
abyſſus abyſſum invocat 481
abyſſus eſt 469
abyſſus laborum 177
abyſſus malorum 463. 480
acalanthis 239
à calce ad carceres 10
à calvo ad calvitiem [illegible]
à cane muto & aqua ſilente caveto 213
acanthia cicada 674
acanthis vincit cornix 184
à capite arceſſere [illegible]
à capite uſque ad calcem [illegible]
ἄκαπνα θύειν 84
acarnici equi 183
à carcere [illegible]
à carceribus 10
à carceribus ad metam 10
acarnanius porcellus 361
à cauda ad os transferre 12
accedit his 195
accendere facem 493
accepta candela 16. 290
accepto damno januam claudere 23. 431
accepto damno ſtultus ſapit 635
accerſitum malum 486
acceſſorium operis loco [illegible]
accidere alas [illegible]

accingere 343
accipis & glebam erro 446
accipitres mulierum 755
acciſſare & acciſmus 652
accuſans aſinum Scytha 659
acclamant inſtar ciconum 158
accuſare deſertam 115
accuſationem exarmare 708
ἀκέφαλος 146
acerba bella fratrum 552
acerbo concuſſus caſu 387
acerbior veſpa 155
acer & verecundus 260
acervus 259
acervus bonorum 100
Aceſei & Heliconis opera 189
Aceſias medicatus eſt 162. 494
Aceſſei luna 538. 681
aceto acrius 389
aceto perfundere 606
aceto perfuſus 165
acetum habet in pectore 606
Achææ, non Achivi 68. 695
Achæmenia ira 426
Achaicum telum 741
Acherontem pedibus ſubjicere 315
Acheronticus ſenex 634
Achilles 90. 259. 260
Achillea arma 94
Achilleos pedes 258
Achilles jecit duas teſſeras 99
Achilleum argumentum 90. 503
Achilleum hordeum 218
Achilleum ſpirat ibid.
Achilleum votum 732
Achillis haſta 52
ἄχρι 133
ἀχρειόγελως 622
ἄχεσχέλυς, & ſimilia 739
à chytropode cibum 80
à cœlo ad terram 11
acolo non ficui 266
ἀκονιτὶ 117
acrius Epirotica cane 552
acroamata 689
ἀκροθώρακες 96
ἀκρότητα κύμβαλα 35. 174
ἀκροχειρίζεσθαι 364
Acrii & Titii idem jus 648
acti labores jucundi 499
actio pro amico 433
actio ſit voci conſentanea 651
actum agere 327
actum eſt 165
aculeo infixo fugere 474
acum & filum ſumens, rupturam conſue 124
acum inveniſſes 201
acu rem tetigiſti 24. 127
ἀκήρυκτος πόλεμος 551
ἀκύθηρος 148
adactum jusjurandum 532
ad agnatos & gentiles deducere 669
ad aliud proœmium tranſeo 530
ad ambas uſq; aures 214
adamante durior 73
adamantinis clavis 531
adamante notare 499
adamantinus 256
ad amantis tenere 49
adamuſſim 199. 202
ad amuſſim adplica lapidem non ad lapidem amuſſim 435
adaptare capiti ocream, tibiæ galeam 38
ad aquam malus 573
ad aram confugere 129. 628
ad arculas ſedere 203
ad aras 6[illegible]
ad aurem referre 432
ad aſylum confugere 229. & 628
ad bonam frugem 529
ad caput ad pedes 216
ad caput 12. 216
ad calcem pervenire 10
ad clepſydram dicere 326
ad clitellas natus 407
ad coronidem uſq; 571
ad conſilium ne acceſſeris 16
ad corvos 473
ad cribrum dicta 450
ad Cynoſarges 374
ad denarium ſive quadrantem ſolvere 436
addere gangrænam 411
addere manum 305
addere nervos 122
addere pennas 342
addiſcere nummo 132. 742
ἀδελφίζειν 26. 27
ἀδδηφάγος 739
ad deorum aures pervenit 724
ad digituli crepitum 544
aderit vocatus Apollo 733
à Deo ſitil 525
ad Ephebum properare 189. 229
ades tritico, tum molitur, tuo 604
aderit Temeſſæus genius 721
ad felicem inflectere parietem 46
ad felicius latus inflectere ib.
ad finem ubi perveneris, ne velis reverti 30
adfluit quod exhauritur 329
ad fores venire 592
ad fractum canis 322
ad funiculum lapis 25
ad gentiles & agnatos deducendus 669
ad genua venire 380
ad Græcas calendas 538
adhæret pueris alienis 415
adhæſit inter orci cancros 209
ad Herculis columnas 572
adhibere ſana corporis parti ſcalpellum 21
ad hoc nati, ſculpti, facti 524
adhortantis ad gloriam 594
adhuc aliquis Deus reſpicit nos 666
adhuc cœlum volvitur 666
ad id quod erat opus 506
adjicialis cœna 446
ad incitas 563
ad inferos proficiſci 383
ad inferiora ſe convertere 617
à diſpendio pauperes tuti 568
adjurantis ſe facturum aliquid 223
ad libellam exigere 744
ad libellam debere 620
ad lineas 10
ad lineas & in gradum 7
ad lucerna lumen ne te ſpeculo contempleris 771
ad mendicam res rediit 384
ad manum in mundo 596
ad manus ferre 515
ad menſuram aquam bibunt circa menſuram offam comedentes 18
Admeti nænia 440
adminicula vitæ 215
admirabiles in nectendis machinis Ægyptii 348
admiratione dignus 197
admiſſarius 417
admittere ſolœciſmum 8
admones extra mala poſitus 128
admota manu Deum invocandum 203
admoto capite 548
admovere manum deploratis vulneribus 23. 422
admovere ignem ſtipulæ, non tutum 210
ad novercæ tumulum flere 612
adoleſcenturire 437
ad oculos magis quam ad veſicam pertinet 415
adolens inteſtina ipſe carnes devorat 87
adoleſcere cubitis 598
ad omnem auram evannat 354
Adonia convivium 672
adonidis horti 410
adorantes omnem lapidem nitidum 284
adorato circumactus 765
adoraturi ſedeant 731. 765
à Dorio ad Phrygium 178. 528
ad pedem 525
ad pedes, ad caput 216
ad pedes 8
ad perditam ſecurim abjicere manubrium 672
ad perpendiculum 203
ad phaſim uſq; navigavit 673
ad pila ubi ventum 438
ad pileum vocare 471
adplaudite uſq; 10
ad procellã da mihi mutuo tres drachmas 166
ad priſtina præſepia 265
ad pugnam peracta re veniendum 682
Adraſtia Nemeſis 724
ad regulam & libellam facta 437
ad regulam reſpondere 417
ad reſtim, funiculum 680
ad reſtim res rediit 166
ad ſaga 710
ad ſaga ire 728
ad ſatietatem 107. 739
ad ſatietatem uſq; 739
ad ſtamina producere 91
ad Schirrhontem tendere 211
ad Scelon nec proficiſceris ipſe, nec alterum comitaberis 207
ad ſcopulum ire 385
adſcribendus in Talemos 287
ad ſemen nata reſpondens 159
ad ſydera uſq; notus 195
adſunt dii beati 554
ad Sirenum ſcopulos conſeneſcere 467
ad ſolarium verſari 561
ad ſuum quemque quæſtum æquum eſt eſſe callidum 602
ad teli jactum 631
ad Triarios res rediit 211. 229
adverſo aſtu 380
adverſo flumine 385
adverſum neceſſitatem ne dii quidem reſiſtunt 531
adverſum Phœnices Syri 351. 356
adverſus mendacia ſecuris 593
adverſus ſolem ne loquitor 16
adverſus ſolem ne meito 614
adverſis auſtris 99
ad vinum diſerti 278
ad vivam cutem tondere 619
ad vivum reſecare 619
ad vivum radi 88
adulatore & amico non poteſt eodẽ uti 292
adulter ad adulterum trahit 527
adulterinus 307
ad umbilicum ducere 578
ad unguem 199
ad unguem, ad amuſſim, ad regulam 202
ad utrumvis paratus 752
Æacidina mina 503
ædem Herculis mulier non intrat 37
ædibus in noſtris quæ prava aut recta geruntur 24. 114
ædificant domos, & non habitabunt 338
ædificare politis deciſis lateribus 483
ædilitatem gerit ſine populi ſuffragio 685
æditimus Coniſſalis 317
Ægæum navigat 207
Ægæum ſcaphula tranſmittere 13
Æginenſis neq; tertii neq; quarti 138
ægis venit 317
Ægina primum pueros optimos alit 393
ægre ferre 619
ægre quidem, ſed facimus tamen 168
ægre, ſed tamen contingit 168
ægri ſomnia 705
ægrotamus ex his quibus vivimus 744
ægrotanti omnia amara 434
ægroto dum anima eſt, ſpes eſt 665
αἰγυπτιάζειν 370
Ægyptii cœnum non tollerent 514
Ægyptii machinarum artifices 348
Ægyptii mali 307
Ægyptii nuptiæ 379
Ægyptius c. ciores 544
Ægypti ſulcum Libia arenas non curat 217
Ægyptius aſinus 147. 150
Ægyptius laterifer 514
Ægyptum cave miles Romane 212
æneus clavus 617
ænigmata Sphyngis diſſolvit 608
Æolicum miraculum 686
Æolida 357
Æoliſare 352
æqua concertatio 28
æqua & iniqua 121
æqua lance 432. 569
æqualem ducito uxorem 650
æqualem tibi uxorem quære 643
æquales calculi 160
æqualia reddere capita in pugna 29
æqualibus cyathis bibere 568

æqualis æqualem delectat 642
æqualitas haud paris bellum 435
æquare diem nocti 202
adoleſcere cubitis 598
æra lupinis quid diſtent 172
Aere & rore paſtus 267
aere levior 366
aerem ferire 335
aerem verberare 338
in aere piſcari, venari in mari 17
ἀεργοῖς ἀεὶ ἑορτή: pigris ſemper eſſe feſtum 287
æs alienum cepo, mulcta allium 731
æs manuarium 383
æs triplex 75
Æſopi unionem 526
Æſopicus graculus 659
Æſopicus ſanguis 727
Æſopum terere 286
æſtatem loquitur hirundo 554
æſtate penulam deteris 240.418
Æſtimare unius aſſis 149
Æſtiva ægritudo 395
ætas alia ex alia oritur 559
ætas nulla ad diſcendum ſera 690
ætate prudentiores reddimur 612
ætatem, ſeculum, & ſimil. 682
ætatis ver 690
æternum ſalve, æternumq; vale 272
Æthiopem lavas, dealbas, &c. 320
Æthiopem ex vultu judico 125
Æthiops non albeſcit 388
Ætna, Athon, Ætnæi 495.515
Ætna gravius 413
Ætnæus cantarus 138
Ætnæus venator 338
Ætoli 317.750
à fabis abſtineto 645
affectio Martialis 51
affectus ejuſdem 19
afficit omne domeſticum 649
affixus ſcopulo Polypus 744
affundunt oleum, qui indigent lucerna 269
à fonte ducere 9
Afra avis 445
Africa ſemper aliquid novi 319
à fronte atq; à tergo 11
à fronte præcipitium, à tergo lupi 206
à fronte ſimul & occipitio 606
à furiis oriundus 253
à galeo candido abſtinent 745
ἀγάμματα ἀγορᾶς 742
Agamemnonis puteus 505
Agamemnonis hoſtia 71
Agamemnonium epulum 382
agas aſellum 505
agaſonem vincit 491
ἀγαθοδαιμονισταί 748
Agathonia cantio 410
age capras mecum 10
agelaſti 421
ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω 710
agere diris 224
agere muli vitam 85
agere tabellis obſignatis 160.632
agere tranſlatitia 366
agere vel perſtringere oculis clauſis 431
agere vitam Nomadicam 88
agere vitam pulmonis 667
Ager quam multos habuiſti, & quam multos habiturus es dominos 748
ἄγειν καὶ φέρειν 515
aggredi rem non novam 422
agi & ferri 315
agitare coquos mense 414
agitator cani 311
agitatur intemperiis 416
agitatur vento 355
Aglaus alter 304
agnam lupo eripere 272
agni lana mollior 463
agninis lactibus alligare canem 14
agnos canibus objicere 207
agnum demetere 689
agones 770
ἄγειν καὶ φέρειν 515
agreſtibus oleribus victitat 686
agreſtis apis 211
agricola ſemper in novum annum dives 271
agri podex 216
Agrippo ſterilior 564
agrum imbecilliorem eſſe oportet 511
agrum optime colere 509
agros alienos irrigas tuis ſitientibus 00
Agruſtis in nido Corydi 593
ahenei 70
Ajacis clypeo tectus 633
Ajacis riſus 612
à januis aberrare 6
αἰδέομαι Τρῶας 362
αἴδης πλούσιος 601
αἰγανέα 60
αἰγιαλίζειν 350
Ajoth ambidexter 370
αἰσχροκερδὴς καὶ μικρολόγος 738
aites 513
ait latro ad latronem 651
αἴθ' ὄφελες τ' ἄγονος τ' ἔμμεναι ἄγαμος τ' ἀπολέσθαι 00
ajunt 701
αἶξ οὐράνιος 476.760
Alabanda fortunatiſſima 288
Alabandicum opus 372
alabaſtrus unguenti huic putet 173
alabaſtrus unguenti putet illi 142
ala Theſſalorum 458
à lare ordiri 9
alas addere 341
à laſſerixa quæritur 71
Alaſtor 314
ἀλάστωρ 314
alauda in nido latet gramen 592
alauda non eſt ſine criſta 361
ἀλαζὼν 69.125
alba avis 616
alba gallinæ filius 97
alba ſententia ibid.
alba faba 58
alba felicia 57
alba nota 58
alba linea 511
alba præcordia 668
albati ad exequias, pullati ad nuptias prodeunt 23
albati ſcurra 626
albo eradere & adſcribere 161
albo rete aliena captant bona 133
album calculum addere 57
album colorem ab atro non diſtinguit 432
album & nigrum novit 410
album panem pinſo tibi 472
albus vel ater 313
albus an ater ſis neſcio 289
albus an ater ſit 290
albus dies 105
Alcinoi apologus 280.698
Alcinoi horti 191
Alcinoi menſa 460
Alcinoo poma dare 23
alea eſt jacta 228.230
alea extrema 130
aleam jacere ibid.
aleam omnem jacere 228
ale luporum catulos 390.488
alex 145
Alexandrina delicia 466.467
alia æſtate, alia hyeme 687
aliam ætatem alia decent 687
alia alibi proveniunt 34
alia apud alios bona 32
alia committenda, alia celanda 673
Alia dantur, alia negantur 731
alia dicunt, alia faciunt 315
alia Lacon, alia aſinus portat 658
alia Menecles Porcellus loquitur 35
aliam invenies Galatheam 504
aliam quercum excute 617
alia res ſceptrum, alia res plectrum 175
alias res agis 77
alia vita, alia diæta 261
alia voce pittacus, alia coturnix loquitur 174
aliena jacis 270
aliena incumbere fama, miſerum eſt. 749
aliena in miſeria cruciatum proprium metis 754
aliena inſania frui optimum 636
alienam meſſem metere 117
alienam metis meſſem 40
alienas obſervans pupulas, ipſe hulceribus obſitus 22
alienis malis ridere 428
alienis mandibulis ridere 421.622
alienis uti ſoleis 230
alieno auxilio potentes 92
alieno choro pedem inferre 138
alieno diſce periclo 40
alieno ferox præſidio 750
alieno more, nutu, vel arbitratu vivere 245.451
alieno periculo cautus 502
alienos rigas agros, tuis ſitientibus 326
alienum arare fundum 325
alii ſementem faciunt, alii metent 118
Alius lingua, alius dentes 219
alius ne feceris, quod tibi fieri non vis 437
aliis proſpiciens, non ſibi 99
à limbo tunicam abſcindere 576
à limine ſalutare 363
à linea calculum movere 122
à linea incipere 20
à lineam excedere 7
alio e xulo natus 289
in alio mundo ibid.
alio relinquente fluctu alius excipit 378
aliorum medicus 339
aliorum medicus, ipſe ulceribus ſcates 19
alios tragœdos provocat 582
aliquando qui luſit, iterum ludet 295
aliquid mali propter vicinum malum 497
aliter catuli longe olent, aliter ſues 374
aliter cum aliis agendum 464
ἀλιτήριος 308.310
alis Matrea belluam 425
aliud agendo interdum male agitur 422
aliud agit 77
aliud cura 619
aliud genus remi 556
aliud homini, aliud humanitati ſatis 159
aliud in ore, aliud in corde 346
aliud in titulo, aliud in pixide 660
aliud noctua ſonat, aliud cornix 174
aliud ſceptrum, aliud plectrum 34
aliud problema 737
aliud quippiam exorna 37
alligare vinculis Hippocraticis 452
aliud ſtans, aliud ſedens 345
alius alius in rebus præſtantior 189
alius futurus ubi propius acceſſerit periculum 359.664
allia & fabas ne edas 623
allio & cepe pituitam, &c 609
Allienſis pugna dies, funeſtior eſt, quam urbs capta 387
allium in retibus 266
ἀλλοτρίεπίσκοπος 345
ἀλλοτριοφάγοι 560
alma Ceres 447
Aloadæ 86
aloes plus quam mellis habet 52
alpha & ω 9
alpha penulatorum 128
ἀλφεσίβοια 255
altera caduceum, haſtam altera 576
altera manu fert aquam 576
altera manu ſcabit, altera ferit ibid.
altera manu fert lapidem, altera panem oſtentat 347.576.658
altera manu trahere, altera repellere 577
altera navigatio 605
altera ſuccidia hortus 106
alter cari mulierum vita 614
alter Hercules 89
alter Ianus 636
alteri monſtrat viam, &c. 8
alteri ne feceris, &c. 437
alterius alter eſt ſenſus 178
alteris melioribus 627
alter Salmoneus 310
alterum contingit, alterum negatur 172
alterum pede in cymba Charontis habere 453
altiſis Oromedonte 65.64
alto cœno operiri 212
à lupo venatu 323

Altum

alvum mirſupio lavare 601
alvus araneaurum plenus 565
Alybantis hoſpitis munera 478
Amaa Azeſiam repetit 682
Amalthea cornu 301
amantes amentes ſunt 52
amantes ſibi ſomnia fingunt 732
amantium ira 49
amantiũ marſupia folio porri vinciuntur 52
amant veſpertinum, &c. 352
amare amicum, odiſſe hoſtem 81
amare & ſapere vix Deo conceditur 292
amare oculitus 48
amariora ipſa bile 72
amarulenta emacu, amara bilis proluitur 649
amarius helleboro 395
amaro dulce miſtum 522.556
ἄμας ἀντλεῖν 35
amas teipſum, ideo nullus tibi amicus 586
ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus 41
amat pacem Phidias 549
Amazonum cantilena 461
ambabus manibus haurire 447
ambabus manibus largiens ibid.
ambigui generis homo 761
ambitioſior Cleophonte [illegible]
ambobus pedibus fugere 237
Ambrones 309.312
ambroſia alendus 189.398
ambroſia dulcius 197
ambulas Iunonis inceſſu 197
ambulatio juxta mare 310
ameles anguſtia 286
amens conſultor 112
amens longũ 589
amentata haſta 719
amentata ſententia 258
amore fruſtra, odio ne ſis fruſtra 48
à meta ad carceres 10
amici mores noveris, non oderis 41
amici procul agentes, non ſunt amici 43
amicitia æqualis 42
amicitia deſultoria 51
amicitia avarorum complexus ſphærarum 89
amicitiæ potentum, ſunt periculoſæ 763
amicitia quæ deſiit, nunquam vera fuit 41
amicitia ſtabilimen. felicitas temperantium ibid.
amicitias immortales eſſe oportet 48
amicitia perſonata 757
amico amicus 43
amico & adulatore non potes eodem uti 292
amico Hercule 215
amico merces conſtituatur 750.762
amico oportuno homini nihil amicius 488
amicorum communia omnia 42.51
amicorum eſt admonere mutuum 44
amicos multos habet felicitas 46
amicos ne cito pares 41
amicos tragœdos æmulatur 583
amictu e viſare tela 209
amicum quod pulchrum 254.31.49
amicus alter ipſe 42
amicus certus in re incerta cernitur 46
amicus cum vitiis ferendus 48
amicus fidus 44
amicus lingua 46
amicus magis neceſſarius quam ignis & aqua 43
Amicus nemo cogendus 532
amicus neq; nullis neq; multis 41
amicus non eſt qui eſſe deſiit ibid.
amicus Plato, magis amica veritas 48.453
amicus ſalute tenus 46
amicus uſq; ad aras 44
amicus ut oleum plantis 553
Amiſit urbem, & pugionem recepit 482
amittere vel deponere zonam 265
Ammineum & Chium miſcere 506
Amnis curſum cogere 169
amnis inſtar volvitur 672
Ἀμνηστία 541
Amor Cunnius 52.49
amores ſternutaverunt 554
amor & ebrietas ſecreta produnt 453
amor ex aſpectu naſcitur 50
amor facit maciem 417
amor fit ira iracundior 51
amor tuſſisq; non celatur 736
A mortuo tributum exigere 77
Ἄμυσιν 285
Ἀμυσολογία 35
Ἀμφαξονεῖν 7
Ἀμφίβιοι 288
Amphyctionicum conſeſſus 247
Amphidromiam agit 462
Amphion & Zetho 279
Ἀμπλακογεῖν, φορμορραφεῖν 178
Ἀμφιθαλὴς ἔρως 44
Amplecti mutuis nexibus 651
Ampullacea 747
Ampullas loqui 64
Ampullas projicit ibid.
ampullatur 68
Amuſſi applica lapidem, non contrà 435
amuſſis alba 430
Amyclas perdidit ſilentium 675
Amyris furit 611
amyris inſanit 606
Ἄμυστι πίνειν 285
Ἀνάγκη Parcarum mater 531
Anagyrim commoves 489
Ἀναιμωτὶ 116
Ἀναπηδάζειν 347
Ἀνάπηρος 304
A Nannaco 392
Ἀναπυτίζειν 200
Anaribus pituitam allio & cepe detergere 669
Anathema eſt 225
Anaxyrida oſtentare 62
Ancilla ſemel, nunquam hera 177
Ancipitis animi 54
ancipitis conſilii ibid.
Ancora domus 92
ancora non vulgari nititur 631
ancora rupta 380
ancora jactum proverbii dato 271
ancoras tollere 119
ancoris duabus fultus 627
ancoris duabus niti, bonum 6[illegible]
Andabata 624.685
Ἀνδραχθεῖς 60
Ἀνδρείκελοι 240
Androclides in ſeditione dux 742
Andromachen ex anguibus concinnare 617
Ἀνεμίδια 699
Ἀνεμώλια 215
Ἀνεμοφόρητα ibid.
Ἀνεπιφέρεσθαι 356
Ἀνεψιὸς ὁ 92
Ἀνέστιος 562
Angeronæ os cohibeat 677
Angeronia Volupia comes 754
Anguem foves 492
Anguilla in ſtrigmento 577
anguillas captare 601
anguillam cauda tenet 324
Angina vinaria 96
Angularis bombyx 65
Anguſtum & latum 556
Anicula capra pera 550
anicularum deliramenta 698
Ἀνιδρωτὶ 116
Anima curriculum decurrere 109
Anima & vita 445
anima eſurienti etiam amara &c. 236
anima ſcrinium ſervitus 640
anima & ſanguis 48
anima jejuna 516
animam debet 563.734
Animal varium non alteram manu duntaxat apprehendendum 270
anima ſicca ſapientiſſima 268
anima ſui pro ſale data 466
anima una 125
animata bibliotheca 192
animo ægrotanti medicus eſt oratio 45
animo conſcio nihil miſerius 500
animo Hercules, corpore Tyd. 258
animo nunc huc, nunc fluctuas illuc 357
animo probi, re improbi 361
animo quicquid ſtatueris, non evenies 172
animum abjicit 268
animos leonum præ ſeferentis 69
animum cœlo ferre 69
animum contrahit & dimittit 580
animum in Piſa confirma 129
animum Te etiu habet 694
animus apud Cauponem 466
animus bonus in re mala 29
animus coturnicula 694
animus eſt in coriis 665
animus heptaboeus 89
animus in auribus 419
animus in pedes decidit 694
animus præſens 89
ἀνὴρ ἐρμαῖος 250
Annacum plorare 392
Annas Clibanum 505
anne ſuum laudet patrem, niſi proſpera proles? 535
anni Cumæi 220
annoſam arborem tranſplantare 419
anno ſenior fio 514
annoſa vulpes haud capitur laqueo 612
annulus aureus in nare ſuilla 24.22
annum in menſem contrahit 587
annus clibanum 505
annus eſt 682
annus magnus Platonis 392
annus producit, non ager 218
annus ſuperior ſemper melior 732
Ἄνωθεν 10
Ἄνω καὶ κάτω 132
Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν 291
anſam quærere, conſimiles metaphoræ 545
anſeres ex Phalerno 516
an ſit bonus vel malus vicinus 497
ἀντ' ἀγαθῶν ἀγαθίδες 281
ante bubulus, nunc caprarius 529
ante barbam doces ſenes 14
ante capeos piſces mare agitas, aut ſolum aquam miſces 20
antecedit tonitrus imbrem 495
ἀνομματὶ 116
Antehac putabam te habere cornua 334
ante lentem augere ollam 240
ante myſteria diſcedere 762
ante obitum nemo beatus 106
ante pedes 397
ante pilos 763
ante pilos ſapit 14
antequam incipias, conſulito 747
ante tubam trepidas 692
ante victoriam encomium canis 23.259
Antevorta & Poſtvorta 11
Anthericum metere 325
antica exclusimo, poſtica recipere 660
Anticyras naviget 405
antidotum ante venenum 16
Antiopæ luctus 379
ἀντιπελαργεῖν 282
Antiphates trepidilaris ; & Polyphemus
antiquiora diphthera loqueris 392
antiquior Codro 183
antiquiores Crono & Titanibus 405
antiquiores Luna 768
antiquior Iapeto 634.748
antiquior quam chaos & Saturnus 92
antiquis debetur veneratio 188
Antronius aſinus 405
antrum Mercurii 203
anui aſſimilis 279
annulum habeo 123
annulus aureus in naribus ſuis 14.21
à nuptiis pura 767
anus bacchatur 419
anus cothoniſſat 19
anus eriphus ibid.
anus hirciſſans 419
anus hircum olet 792
anus rabioſa 478
anus ſaltat 29
anus ſimia ſero quidem 726
anus ſubſultans multum excitat pulveris 612
anus velut equus profanum habebis foſſam 285

anus unguentum eructare 29
anxia nocte pervigilas 664
anyri & Melitti 729
Ἄοινα συμπόσια 278
apage ad corvos 334
apage hoſpitem in tempeſtate 755
ἀπάλαιστροι 287
ἀπάλαιστροι 750
ἀπ' ἀκροφυσίων 758
à patella rapere 80
ad Apaturia profectus 681
aperi burſam, aperiam buccam 635
aperire feneſtram 545
aperire viam ibid.
aperire januam ibid.
aperta muſarum janua 221
aperte, ſimpliciterque, æqui 449
apertis januis 284
apertis tibiis 11. 118
aperto pectore 449
apes 358
apes apum ſimiles 644
apes peſſima furto proveniunt 594
in Aphannis 540
ἀφιλοχρηματία ἀναίρεσιν ὀλεῖ, ἄλλο δὲ οὐδέν 691
ἀφροδίσιος ὅρκος 288
ἄφθογγος γάμος 674
Aphricani lex 544
Aphrodiſium jusjurandum 249. 700
aphya in ignem 238
aphyarum honos 6.1
ne inter Apia quidem ſunt 11
apicem imponere 570
apina tricæque 134
apio criſpiores 465
apio mollior, aut mitior 498
apio opus eſt 204
apis agreſtis 3.2
à piſcibus abſtineto 765
apis hoſpitem, ſiren amicum nunciat 540
à planta pedis usque ad verticem 12
ἄπιθοι 741
ἀπὸ κόρρης 196
ἀπογυμνώσεις 122
Apolauſti 4.9
Apollo quid ſibi voluit? 540
Apono Tirter 161
apologum facere 476
apologus Alcinoi 180. 698
ἀποφράδες 379
ἀποσκορακίζειν 381
ἀποσυνάγωγος 72. 742
ἀποθυμιάζειν 439
ἀποθυμιάζεις 145
ἀπὸ τῆς κοιλίας μάχεται 759
apparatus muſicus 686
apparatus Perſici 2.3
apparere quam eſſe malum 662
appenſis pellibus inſanus non curatur 295
applicat fronti ocream, tibiis galeam 20
appropera, ut lectio ſis tractior 209
Aprilis piſcis 689
ἀπροσδιόνυσος 37
apros immittere fontibus 49. 737
ἄψινθος 483
apta provincia 525
ἄπυρος μῦθος 528
aptior ad perſuadendum ſirenibus 223
aptarum honor 238
aqua vidit ignem ibid.
apud aram conſultare 636
apud Campanos plus unguenti, quam cæteros olei 635
apud equum & virginem 771
apud ſimum odorum vaporem ſpargis 321
apud matrem manere 752
apud menſam verecundari neminem decet 614
apud novercam queri 324
apud pueros ſimia pulchra 431
apud Sirenes aut Lotophagos hærere 465
apum inſtar 520
à puro pura defluit aqua 369
ἀπυθμένα 600
aqua aqua ſimilis 643
aqua conſecrata aulicorum 698
aqua & igne eodem uti 284
aqua & terra redamini 373
aqua exigua majori ſupernatat 198
aqua furtivæ dulciores ſunt 457
aqua frigida ferventem ollam adſpergere 387
aqua hæret 55
in aqua hæret 578
aqua inſcribitur jusjurandum improbi 321
aqualiculus 415
aquam bibens, nihil boni paries 564
aquam cribro haurire 321
aquam è pumice poſtulas 751
aquam & terram poſcere 624
aquam igni miſcere 17
aquam inaniter conſumis 326
aquam infundere cineri 20
aquam in mari quærere 15
aquam in mortario tundere 328
aquam obſipat 320
aquam perdere 279
aquam plorat quum lavat ſundere 87
aqua præterfluit 90
aqua quam alta ſit, ipſa oſtendit 250
aquas infundere oneri 470
aqua pluviam colligere 392
aqua ſtrangulat fauces 25
aqua Tiberis aut Nili non id elueret 677
aquila columbam non gignunt 557
aquilæ penna 728
aquilæ ſenecta 184
aquilæ ſenecta, corydi juventa ibid.
aquila in nubibus 186
aquilam cornix provocat 151
aquila cum eſſe queas, inter graculos primus ne opta 119
aquilam noctuæ comparas 183
aquilam volare doces 322
aquila non captat muſcas 151
aquilam teſtudo vincit 291
aquilarum pennæ 730
aquila thripas aſpiciens 151
aquila volucrem parvam nido complectitur 653
aquilis ſimiles facere noctuas 178
aquilone ſecundo 99
à quinque ſcopulis deſilire in fluctus 146
ara 94
Arabiam ſpirare totam 275
Arabicus tibicen 275. 508
Arabum tubicen 280
Arabum Gaza 216
Arabum gaza 213
à radicibus, ſtirpibus 10
Ara Doſiada, Lycophronis Alexandra 543
ara legis 94
nec aram neque fidem habet 307
ara miſericordiæ 95
aranea telas texere 337
aranea neſcit ſobolem ut erudiat 491
araneorum plenus 136
araneis abundat propter inopiam 565
araneus 146
aranearum plenus alvus 362
aranearum telas texere 323
araneas ejicere 165
arare bove & aſino 412
arare littus 328
ara Taurica crudelior 155
citra Arationem, citraque ſementem 115
Arator, niſi incurvus, prævaricatur 200
aratro eſt tactus 384
aratro jaculari 34. 728
Ara virtutis 94
Arbelas profectus quid non fiet 732
arbitratu meo, tuo, ſuo, agere 433. 643
Arbutor 5
Arbutum quemvis cede 436
arbore dejecta quivis ligna colligit 358
arbor è fructu cognoſcitur 125
arbore præſente ligna omnes colligunt 106
arbores autumnales 393
arbores cadunt poſt folia 205
Arcadas imitans 405
arcadiam me poſtulas 490
arcadicum germen 405
Arcam habes 217
arcanum celas 673
arcem ex cloaca facere 19
arceſſit ſibi malum jumento ſuo 492
archidamicum bellum 379. 552
archigenis indiges 667
archilochia edicta 475
Archilochi melos 14
archilochi patria 424
archilochi vulpes 729. 353
Archilochia vulpes 353
archi ochum calcas 491
archilochum teris 474
ἀρχιλόχου ἀλώπηξ 357
Archimedes non poſſet melius deſcribere 581
archimedeum problema 543. 709
ἀρχιτέκτων ἐπιβουλῆς 129
Archita crepitaculum 275
arctum annulum ne geſtato 440. 664
arcus tenſus rumpitur 510
ardens veſtis 270
ardelio 70
area 740
à remo ad tribunal 263
arena maris numerum ſuperas 120
arena Lydia 217
Arenam metiris 322
arenam ſuperas 119
arena ſine calce 556
areopagita 442
areopagita ſubticentior 677
areopagita taciturnior 675
à repentis 9.11
Arganthoniaca ſenectus 934
argentanginam patitur 520
argentea fame convivari 235
argentea fames ibid.
argenteis haſtis pugnare 522
argenteo vomere aratur 533
argenteus puteus 97
argentei fontes 584
Argi collis 179
Argi tumulus 210
Argiva oratio 198
Argiva calumnia 113
Argivi fures 81
Argivo clypeo dignum 181
argivos exarmat oraculum 708
Argivum clypeum detraxit 68
Argum fallere 58
Argivos vides 400
argento vivo furacior 615
argentum accepi, imperium vendidi 639
argentum amanti dare 482
argentum verſum eſt in ſcoriam 393
aries cornibus laſceſcens 418
aries nutricationis mercedem perſolvit 390
arietem emittit 437
Arietinum oraculum 258
arietis miniſterium 397
ariolari 471
Ariſtarchus ſempiternus 55
ariſtogiton claudicat 602
ariſtylli more 748
Ariſtophanis & Cleanthis lucerna 200
à riſu effuſo abſtinere 673
arma Achillea 4
arrectis auribus 76. 77
armenta ejuſdem 247
arrepta candela 76. 290

arripe negocii curam 201
arripienda quæ offeruntur 526
arrodere ungues 200
arrogantia non ferenda 60
ars amat fortunam, fortuna artem 649
ars cenſus, opera vita 370
ars Megarica 349
ars portus inopiæ 369
ars, portus miſeriæ 368
ars mul a vulpi, aſt echino 348
artem quævis alit terra 368
artem quam quiſque norit, illam exerceat 684
artem ſummi artificis eſt diſſimulare 234
artem turrificare 291
arte Pelaſga 357
artes Dardaniæ 306
artes docet egeſtas 569
artes ſemper perficiuntur 399
Artemon periphoretus 70
artificioſior Dædalo 00
artificium omne incrementum recipit 599
artus & nervi ſapientiæ ſunt, non temere credere 181
arundinea crura, & tabis prophetæ 496
arundo alas verberat 213
arx alicujus rei 11
arx 628
à ſacris abſtinendæ manus 436
ἀσκληπιεῖον 238
à ſartagine rapere 88
à ſcapha in triumphalem quadrigam 593
ἀσκαρδάμυκτος 653
aſcendere in Capitolium 443
aſciam cruribus illidere 758
aſciſce ad extremum ſcientiam 205
aſello piſci ſimilis 412
à ſexaginta viro venio 625
Aſiana menſa 446
Aſiatici mores 465
à ſignatu caveto 315
à ſigno aberrare 8
aſina Vejentone pigriores 288
aſini caput ne laves nitro 322
aſini cauda 292
aſini lana 291. 320
aſini mandibula 419
aſini mortes 698
aſini ſepultura 742
aſini vellera quæris 338
aſino caput, ſapone lavare 337
aſino fabulam 752
aſino gramen & baculus 649
aſino non junges bovem 178
aſino pigrior 683
aſino oſſa das, cani paleas 19
aſinos non curo 135
aſinum in rupes protrudere 405
aſinum Scytha videt 662
aſinum ſub freno currere doces 324
aſinum tondes 17. 320
aſinus 149
aſinus ad lyram 174
aſinus ad tibiam ibid.
aſinus Ægyptius 147. 150
aſinus apud Cumanos 652
aſinus aſino pulcher 31. 648
aſinus aſinum comprehendit 651
aſinus avis 12
aſinus auriculas movens 174
aſinus balneatoris 329
ſi vel aſinus canem mordeat, licet movebo 623
aſinus compluitur 131
aſinus de Æſopi putas 280
aſinus eſuriens fuſtem negligit 132
aſinus in unguento 175
aſinus in paleas 97
aſinus in pelle leonis 399
aſinus in rupem 284
aſinus inter apes 373
aſinus inter ſimias ibid.
aſinus mulier, nux, nil recte faciunt ſi verberata eſſent 484
aſinus, nux, mulier, verbera opus habent ibid.
aſinus portans myſteria 175
aſinus ſedes 229
aſinus ſtramenta mavult quam aurum 402
aſoti 469
aſparagi 137
aſpectus Titanicus 441. 696
Aſpendius citharœdus 602
aſpera vita, ſed ſalubris 267
aſpergere 760
aſperior leberide 71
aſperius nihil eſt humili, cum ſurgit in altum 69
aſperſiſti aquam 320
ἀσπὶς ἀσπίδα ἀντιβάλλει 711
aſpidis morſus 475
aſpidis ova rumpere 492
aſpidis telum 475
aſpidum ova ruperunt 491
aſpis à vipera 644
ἄσπονδος πόλεμος 551
aſſa ſquilla rubicundior 615
aſſam farinam concupivit 270
aſſem elephantodas 695
aſſequutus Tantali divitias 217
aſſeverantius dicere 449
aſſidua ſtilla ſaxum excavat 74
aſſiduum mirabile non eſt 680
aſſimilis anni 270
aſſimilis platano 337
Aſſon eas, ut citius ad exitii terminos pervenias 283
aſſuetudo malorum 483
aſſuevit malis 770
Ἀστερόπαιος 369. 370
ἀστέρας ἀριθμεῖν 00
aſtra inclinant, ſed non urgent 533
aſtrictus 577
à ſtirpibus exordiri 10
aſtutam vapido ſervat ſub pectore vulpem 357
aſtutior coccyce 603
à ſtatuis farinas exigere 79
Aſtydama in morem 737
Aſtydamas ſeipſum laudat 386
à ſubeunte portum navi 238
à Tarteſſo ad Tartarum 393
ἀταύρωτος βίος 44
Ate, Litæ 552
A teneris unguiculis 10
à teneris annis 12
à teneris conſueſcere multum eſt 329
ἀτέρμων 72
à te ſudor abeſt, abeſt ſaliva mucuſque 106
Athenas noctuam 32
Athenienſem Athenis laudare haud difficile 26
Athenienſis 260
Athenienſis probus, &c. 188
Athenienſium inconſulta temeritas 265
ἀθερίζειν 133
Athon, Athones 315
Athos celat latera Lemniæ bovis ibid.
ἀθέλγητος 277
ἀτιμαγελεῖν 44
ἀτιμάγελος ibid.
Atlas cœlum 486
Athlanticum more cotyla exorbere 293
Athleta 194
atqui non eſt apud aram conſultandum 636
atqui ſuilla caro eſt 150
Atraphaxis mendax 385
Atrei oculi 443
Attida non ſoli armant uxores 736
Attabas & Numenius convenerant 645
attagen 135
attagena novilunium 136
Attalica 196
Attica bellaria 444
Attica hoſtilitas 552
Attica eloquentia 231
Attica fides 147
Attica muſa 231
Attice dicere 234
Attici Eleuſina 147
Atticus advena 719
Atticus aſpectus 516
Atticus in portum 03
Atticus lepos 231
Atticus moriens porrigit manum 81
Atticus miles 259
Atticus teſtis 147
attingere digitis 394
attollere ſupercilium 60
attollere ſupercilium 67
attonitus eſt 768
attrahens ſpinas 158
avarus niſi cum moritur nil recte facit 691
audi Chelidonem 688
audiens non audit 657
audientes non audiunt, videntes non vident 661
audio, haud auſculto 543
audi quæ ex animo dicuntur 451
audire verba inutilia ſine corde 337
audire vivam vocem 134
audis hæc ex teipſo 152
audi, vide, ſile 677
audi utramque partem, & recte judica 434
averſor morum vitia, ipſum amo 519
averte gladium acutum 212
avertere oculos 619
à vertice ad imos talos 9
à veru rapere 764
aves concolores plerunque una volitant 476
aves fluviatiles 470
aves meliores naniſci 598
aves quæris 329
à veſpere ſolis ad ortum 536
à Veſta incipiens 393
aufer in aquam 374
aufer Mathonem à remo 176
auferre cum pulviſculo 496
Aufidus Hadriam retro fugit 203
Augiæ ſtabulum repurgare 292
augurium optimum tueri patriam 257
à vicinis exemplum habent 595
avidus 89
à vipera morſum culpas 439
avis aſinus 12
avis è cantu dignoſcitur 126
avis ex avibus 534
avis mala 598
avis optima 257
avis rara 616
avis vidua 647
avis ſiniſtra 555
avis à vera longe ratione recedit 8
aula Sicula 156
aulicaſtri 318
auledus ſit, qui citharœdus eſſe non poſſit 605
avolat pullus de nido 08
à voluptatibus ſuperari, extrema inſcitia eſt 416
auram bonam a flare ſperas 666
aurea æris permutare 00
aurea barba dignus 190. 470
aurea verba, Veneri 714
aurea, pro egregia ibid.
aureæ compedes 50
aurei generis 395
aurei viri 137. 95
aureum vellere 499
aureo piſcari hamo 769
aureolus libellus 714
aureorum nuncius verborum 542
aureos montes polliceri 470
aures nec habeo, nec tango 16
aures occalluerunt 429
aures tinnire 555
aures tinniunt ibid.
auretenus experiri tumultuum 594
aureum lac haurire 199
aureum ſeculum 108
aureum vellus 417
aureus in Olympia ſtato 470
aures obſorduerunt 516
aures perſonare 77

auribus arrectis 76.77
auribus dare 735
auribus lupum teneo 578
auribus ſcalpendis deeſt otium 569.550
auricula infima mollior 498
auriculam mordicus 727
aurificem te futurum credebas 273
auris Batava 406
auris Bœotica 402
auris dextra tinniit 103
auris ſupina, rigida, ſublimis 585
auris ferre dedit 542
aures tinnit 555
auro auratio 562
auro carius 473
auro habet ſuppactum ſolum 746
auro loquente, nihil pollet quævis oratio
63
auro pallidior 696
aurum Colophonium 361
aurum ex ſtercore colligendum 482
aurum habens ne adhæreſcas ſlidrum generatione 774
aurum habet Tholoſanum 375
aurum igni probatum 360
aurum index homini 429
aurum indice exploratum 361
aurum ſubaratum 659
auſculta & perpende 77
auſcultandum bene loquenti 756
auſcultare ſurgentem avenam 288
auſpicio bono 555
auſteritas ſolitudinis ſocia & comes 74
auſtrum floribus 490
auſtrum perculi 324
aut abi aut exuere 630
aut bibat aut abeat 637
aut cucurbitæ florem, aut cucurbitam 34
αὐθέκαστος 738
αὖθις αὖ γε 198
authoritatem defugere 501
aut hunc, aut ſuper hunc 256
aut ipſe fuiſti, aut tuiſimillimus 644
aut manentem vincendum, aut moriendum
256
aut minime aut jucundiſſime 631
aut minus animi, aut plus potentiæ 585
aut morere Prœte, aut occide Bellerophontem 488
aut mortuus eſt, aut docet literas 53
αὐτοβοᾶν 737
αὐτοβοεί 237.248
αὐτοβοεῖ 705
αὐτομαίδαλος 146
αὐτόχθονες 150.672
αὐτοληκυθεῖ 146
αὐτοληκυθεῖς 410
aut omnia me fallunt 555
αὐτόνομαι 453
αὐτοθυές 389
aut oportet tragœdias agere, aut inſanire
54
autoritas divinitus 105
autor omnium & fons 558
αὐτὸ δὴ τὸ κατὰ τὸ βαλλε 707
aut piſcem olet, aut florem 97.645
aut Plato Philoniſſat, aut Philo Platoniſſat
54
aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor 53
aut regem aut fatuum naſci oportere 399
aut terra aut mari 121
aut ter ſex, aut tres teſſeræ 228
autumnales arbores 503
autumnalis appetentia 236
ἄξιος τοῦ παντός 00
ἄξιος τριχός 529
Azanea mala 169
azymus 249
ἄξυλος ὕλη 251

B.

Babalus 280
Babylo 602
Babys chorus 371
Bacca egens olei 735
Bacca more 675
Bacchi ſacerdos 412
Bacchum Nymphis temperare 96
Baceli ſimilis 408
Bacelus 280
Bacidis dictis veriora 452.703
baculum movere 619
baculum non habens ne ingreditor 502
Baon malis piſcis 163
bata tum hyeme tum æſtate bona 687
Bagas ſtas 406
Bagas ibid.
βαλανοφάγοι 405
Batylum devorares 235
balare cum ovibus 662
balba non credis 35
balba ſenectus 00
Balbinum polypus Agnæ delectat 32
balbus balbum rectius intelligit 646
βαλλ' οὕτως 27
Ballio 309
balnea Herculana 444
balneator 277
balneator ero mihi ipſe 603
balneatoris aſinus 329
balneatoris more diſcedere 474
balneis calidis teneri 461
balneum ingreſſus depone odium 353
Bambalio 280.144
baratho 89
barathrum 79
barbara aurea dignus 190
barba tenus ſapientes 658
barbam ab ulnis puerorum vellere 535
barbam vellere 141
barba non facit philoſophum 790
barbata eminus ſalutanda 384
Barbaris & Græcis, ſapientibus & inſipientibus 29
barbatus 372
barbarus è trivio 284
Barbarus evaſit inter Barbaros 517
barbari 747
baſilica facinora 60
βατταλίζειν 408
βασιλικῶς, pro magnifice 00
Batalus 280
Batalus 408
Batava auris 406
βατταρίζειν 731
βαττολογία 96.141
Batti ſilphium 182
Battalogia 277
Bathyclis poculum 746
beatus ab omni parte nil 711
beatus non eſt, eſſe qui ſe neſciat 151
beccaſelenus 398
βέλτερος ἐσθίειν 427
Belial 315
bellaria Attica 444
Bellerophonte caſtior 613
Bellerophontes literas 488
bellicoſior Tyrtæo 259
bellicum canere 573
belli initium 557
bello parta 601
bello peracto auxilium 637
bello peracto machinas adferre 681
bellua 156
belluam blatea alis 415
bellum abſque ferro 482
bellum cauponari 523
bellum dulce inexpertis 295
bellum gerit cum Protogene mortuo 113.476
bellum haud annuncias 540
bellum Cononi curæ fuerit 38
bellum haudquaquam lachrymoſum 481
bellum amnuſum pater 104
bellus 256
βέλος ἀχαϊκόν 741
bene conſulit, ſed male facit 312
bene currunt, ſed extra viam 7
bene dicere animo malo 346
bene eveniat 554
benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant 599
benefacta male locata 619
benefacta non occultanda 743
benefacta penſare delicta 570
benefactorum memoria 181.749
benefert aratem 228
bene habet 107
bene, male 715
bene naſcati, mentulati 417
bene natis turpe eſt male vivere 162
bene plauſtrum perculit 595
bene ſit 107.554
bene te cognoſco 536
benevolentia mater, ſimilitudo 658
benevolentia importuna nullo differt ab odio
421
benevolentia intempeſtiva 43.417
benevolus trucidator 659
benignior pellace vulpe 26
βεγγαίζειν 309.577
beſtia 158
beſtia beſtiam novit 648
beſtia cornu 00
Betam gamma perſequitur 104
beta ſapientum 193
bethizare, lachanizare 763
bibe elleborum 403
bibe mandragoram 541
bibe quinque, aut tres 53
bibere è cucumere 568
bibere & edere, utile 761
bibere cum lacte 755
bibit gallus, neque meit: Myſtes non bibit, attamen meit 355
bibit ſiſhmum ſinapi 426
bibit ſatyrion 416
βιβλιακαινός 355
bibliotheca animata 192
bifrons Ianus 11
bifrons Mercurius 660
bilem vomere 516
bilingues 346
bilinguis 359
bilis in naribus 416
bina crania gerit, & innumeros oculos
607
binis fidibus canit 00
binis tonderi forficibus 464.468
Bionei ſermones, pro mordacibus
474
bipedalis moduli homunculi 187.
564
bipedum nequiſſimus 507
bipennis Tenedia 570
bis ac ter quod pulchrum eſt 418
bipes 00
bis dat qui cito dat 447
bis eadem recenſere ridiculum 281
bis gratum quod ultro offertur 138
bis interimitur, qui ſuis armis perit
484
bis pueri ſenes 406
bis ſeptem plagis polypus tunſus 75
Bithus contra Bacchium 646
blace inutilior 148
blandius alloqui 735
blande offert vultum 109
βλάξ 00
blitea 462
βλιτάδες 148
blites, blitea bellua 708
βλιτομάμμας 287
Bœotyris 437
Bœotica ænigmata 541
Bœotica auris 402
Bœotica cantilena ibid.
Bœotica cantio 670
Bœotica ſus 401.670
Bœotis facilius quam Oraculum dederint
596
Bœotici mores 405
Bœoticum ingenium ibid.
Bœoticus animus ibid.
Bœotiſſare 75
Bœotis vaticinare 410
bolis tribus 109
boleti pœnitio 113.726
βολίτινος pro vili ibid.
boliti ſerò ibid.
bolum ereptum è faucibus 260

bolus non eſt relictus 422
βωμβαύλιος proloquaſ 64
bombylius homo 62
bombyx angularis 65
βωμαχεύματα 307
βωμολόχος βωμολοχεύεσθαι ibid.
bona Gallicana 472
bona ſemper laudantur 253
bona etiam offa poſt panem 605
bona Fortuna ſive boni genii 102
bona leges ex malis moribus procreantur 557
bona Hippodromica 715
bona mala 142
bona mixta malis 52
bona nemini hora eſt 264
bona nomina ſiunt mala, ſi nunquam interpelles 482. 498
bona obtingunt expiatis 369
bona perierunt 166
bona Perſina 80. 447
bona ſalute 554
bona ſpe oſtenſa 103 554
bona terra 2. 101
bona verba quaſo 152
boni ad bonorum convivia ultro accedunt 641
boni genii 102
boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere 79
boni principii, finis bonus 393
boni viri lachrymabiles 153
bonis avibus 98
bonis benefacit deus 727
bonis bona eveniunt ibid.
bono animo eſto 343
bono auſpicio 555
bonorum glomi 101
bonorum Ilias 377
bonorum myrmecia 100
bonorum paluſtra 481. 101
bonorum Thaſſus 101. 106
bonorum virorum morbus 594
bonos viros omnia decent 190
bonum eſt duabus niti ancoris 618
bonum habe animum 343
bonum inveni effugiens malum 120. 598
bonum manere, difficile eſſe 170
bonum ſervat caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum 609
bonus amor 417
bonus animus laſus gravius multo iraſcitur 00
bonus cantor, bonus cupediarius 647
bonus de bono theſauro cordis profert bona, malus mala 00
bonus dux bonum reddit comitem 218
bonus e pharetra dies 739
bonus magnusq; 246. 535
boreæ ceſſante 687
boreadibus pernicior 244
bos ad ceroma 325
bos alienus ſubinde foras proſpectat 221
bos ad lyram 174. 197
bos ad præſepe, in ſtabulo 103
bos adverſus ſeipſum pulverem movet 488
bos apud acervum 103
bos armenta 649
bos cognoſcit poſſeſſorem 750
bos conſeneſcit 457
bos currum trahit, non bovem currus 00
bos Cyprius 84
bos ephippia optat 424
bos expectat aliquando herbam [illegible]
bos Homolottorum 135
bos in civitate 182
bos in lingua 510. 522
bos in quadra argentea 283
bos in ſtabulo 460
bos in ſtabulo ſenex 103
bos laſſus fortius figit pedem 725
bos lento aut placide 680
bos marinus 397
bos porrecto ultra Taygetum capite 293
bos ſenex non lugetur 456
bos ſeptimus 135
bos ſub jugum 525
botrus oppoſitus botro maturus eſcit 558
bove & aſino arare 422
bovem aſino non junges 178
bovem in faucibus portas 520
bovem non expectes, abſumpta ſuilla 209
bovem ſi nequeas, aſinum agas 605
bovem volentem ducito 532
bovem utroq; cornu contineri 260
boves è clibano 458. 470
boves meos nunquam abegerunt nec equos 438
boves meſſis tempus expectantes 103
boves ſolidi è clibano 470
boves Solis 00
bove toto devorato, in cauda defecit 573
bovis in tergore deſedet 726
boves immolare 601
bove venari, & ſimilia 14
βουγάιος & βουβάρας 669
bovi clitellas 324
bovis & delphino quid commune 177
βουλιμιᾶν 364
βουφάγος 749
βουπάλιος μάχη 476
βουπάλειον ζυγός 553
βουθυσία 105
brachas oſtendere 62
brachium exerere 415
bracteis aureis inaurare juglandium putamina 10. 322
βραδύς 669
Braſidas quidem vir bonus 535
braſſica & vitis 533
braſſicam jurare 247
breve pallium utrunque operire non poteſt 615
brevis vita iſthmus 715
brevitas grata 109
Briarei manus injicere 394
Briareus, alias lepus 65
Britannica menſa 463
bruta fulmina 394
bubalus 568
bubo canit laſcinia 185
bubulcus antea, nunc caprarius 529
bubulum obteneri 744
bucca edentula 634
in Buccam quicquid venerit 685
buccas inflare 60. 442
buccea Theſſalica 411
buccinam ne inſomnis quidem 604
buccis peregrinis videre 624
Budoro more 153
bucula 287
bulbos quærit 333
bulbus nihil profuerit 91
bullata nugæ 64
Bupali pugna 476
Bupali odium 552
Buthus obambulat 82
burſam aperi, aperiam buccam 615
Bunus judex eſt 681
βυσαύχην, Incurvicervicus 353
byſſina verba 234
βυσοδομεύειν 395
Byzanti libertas. 449

C.

CAballus arare optat 424
καβασος 739
κακὰ θηρία, mala beſtia 313
κακοδαιμονᾶν 00
κακῶν βάθος 00
cada vera collaria 465
cadaveris inſtar venuſtus 265
cadaver vivum 456
cadere in curſu 272
cadere cauſa, formula 754
Cadmea victoria 375
cæca dies, & oculata dies 179
cæca divitia 151
cades faber cum ferias fullonem 7
cæca ſpeculatio 112
caduceum altera, altera haſtam 576
caducus, eminens 716
cæcias nubes attrahens 458
cæcias nubes trahit 492. 485
cæciores Ægyptii 544
cæcior leberide 111
cæci præſcriptio 111. 431
cæco cum ſpeculo nihil 175
vel Cæco apparent 581
cæco fluctu 496
cæco nihil coloratum 112
cæcum inſomnium 699
cæcum vulnus habet 496
cæcus auribus & mente 406
cæcus cæco dux 112
cæcus de coloribus ibid.
cæcus de coloribus diſputat. ibid.
cæcus dux ibid.
cæcus iter oſtendit ibid.
cæcus & claudus non intrabunt templum 183
cæcus parietem palpat 288
cæcutio 290
cadere utraq; manu 619
cadimus, inque vicem præbemus crura ſagittis 477
cælaturam olet 537
cælum adhibere 159
cæna deorum 189. 398
cænare me docet 696
Canei haſta 63
Cæneus invulnerabilis 706
inter Cæſa & porrecta 683
Cæſare & Iulio conſulibus 198
Cæſaris candidatus 604
Cæſim ac punctim 00
caſtum habere 00
cætera de genere hoc 650
cætera doctus 110
καιρὸς δεινός 687
Caius Caja 645
καὶ τυφλῷ δῆλον 582
καλαμαία μάντις locuſta ſtipularis 601
calamitas virtutis occaſio 567
calamitas nulla ſola 585
Calamobates 117
calamum demandere 204
calathum Sycaminorum in malis habere 273
Calauriam pro Delo 569
calcas Archilochum 491
calcar addere currenti 595
calcar tollere 503
calcei Sicyonii 21
calceos mutare 190. 744
calceum eundem omni pedi inducere 334. 14. 645
calceus podagra non liberat 494
calceus major pede 510
calciamenta portare 140. 186
calcibus & pugnis 438
calcibus proteris 711
calculis omnium 58
calculo mordere 159
calculos movere ibid.
ad calculos reverti ibid.
ad calculos vocare ibid.
calculos utrinq; ponere 527.
calculum à linea movere 112
calculum detrahere ibid.
calculum reducere ibid. & 527
calculus non reſpondet opinioni 8. 587
calere in frigidis 238
caldum edit, qui nimium feſtinat 00
calendas tibi ipſe edicito 690
calicum remiges 97
calid in veruti partem 489
calidis balneis teneri 471
calidum & frigidum ex eodem ore efflare 350. 576
calidum mendacium 699
calidum plus ſatis 238
calidum prandium comediſti 487.
caliga Maximini 589
caligare in ſole [illegible]
calix fundo carens 601
Callia defluunt pennæ 599
callicyrii plures 679
callidior ſinapi 356
callidum eſſe aquum eſt ad ſuum quemq; quæſtum 602
callipedes 683
Calliphanes 63

Calli-

Callipides 682
Callipyges 244
καλλιπλόκαμος 255
καλλις' ἐνδοῖ πᾶσαι 443
callum ducere 483
Calpurnius lanarius 407
calvior tranquillitate 565. 566
calvis & comatis pilos velli moleſtum 383
calumnia Argiva 113
calvum vellis 320
calvus comatus 175
calvus quum ſis 206
camarinam movere 489
camarinæ loqui 737
camelo transmiſſo, culex in cribro deprehenſus hæſit 22
camelus pyrrhicham didicerit 170
camelus ſaltat 19
camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit 487
camelus vel ſcabioſa complurium aſinorum geſtat onera 184
Campana ſuperbia 60.66
Campus dictis abegi 335
campus latiſſimus 582
cancellis circumſcriptus 35
canalicola 564
cancer leporem capit 13
cancri nunquam recte ingrediuntur 292
cancros lepori comparas 184
cancrum ingredi doces 328
candida muſarum fores 221
candidatus eloquentia 573
candidatus Cæſaris 604
candidior nive 197.191
candidorum virorum nulla utilitas 694
candidum linum lucri cauſa ducis 81
candidus ſermo 582
cane Epirotico vehementius 552
cane impudentior 316
canem adducis ad præſepe 34
canem alens externum, præter linum nil habet 390
canem excoriatam excoriare 16
cane milite pejor 624
canem mortuum vel pulicem unum perſequi 150
canem ut cadas, facile invenires fuſtem 388
canens vita palmum 86
cane pejus & angue odit 551
canere ad myrtum 371
canere de Telamone 441
canere intus 602
canere Dorica harmonia 59.124
canere in aures aſini 334
canes Cybiratice 311
canes duos non alit una domus 424
canes muti 770
canes nutrire 391
canes timidi vehementius latrant 320
canes venatici 157
canes vetulos loris aſſueſacere 321
cane Tellenis cantilenas 278
cani cum balneo nihil 172.178
cani das paleas, aſino oſſa 19
canibus agnos objicere 207
canibus oſſa prodo 448.492
caniciei congrua effutire 79
caniciemque ſibi, & longos promiſerat annos 272
canina facundia 625
caninam pellem rodere 474
canina victitans, cynocephalum oppugnas 475
canini mores 316
canino more 425
caninum prandium 84
canis 334
canis ad cibum 396
canis aſſuetus corio 294
canis caninam non eſt 155
canis circum inteſtina 80
canes clanculum mordens 660
canis digna pabulo 181
canis digna ſede ibid.
canis domi ferociſſimus 632
ut Canis è Nilo 239.364
canis etiam Hecatæ terretur 320
canis feſtinans cæcos parit catulos 239.611
canis in balneo 259
canis in eadem dormitat tegula 652
canis in præſepi 176
canis in vincula 373
canem inteſtina guſtaſſe 294
canis lapidem mordens 693
canis maſculi infinita cubilia 413
canis mendico auxilians 266
canis morſus 717
canis novem animas habens 90
canis panes ſomnians 751
canis peccatum ſus dependit 615.727
canis per Phratores ductus 725
canis podicem inſpicere 111.492
canis prædam ſomnians 733
canis reverſus ad vomitum 428
canis ſæviens in lapidem 727
canis tanquam Delum navigans 630
caniſtrum caniſtrum vocas 452
canis vindictam 717
canis vivens è magdalia 140
canis formica ſemitam 221
canum more renidet 317
Cannacæ res ſine more 392
Canopiſmus 466
cantare ocyma 477
cantatiſſima 195
cantat turtur 372
Canthara aſtutior 311
cantherius in porta 7
cantherium in foſſa 150.18
cantilena ex ſcholis 700.759
cantilenam eandem canis 679
cantilenas Tellenis cane 278
cantio Agathonia 410
cantio Bœotica 670
cantionem Lityerſam canis 441
cantionem Telemonis canis ibid.
cantores mentiuntur multa 697
cantoris hæſitantia tuſſis 633
canunt humi cicadæ 677
Capaneus 251
cape nihil, & ſerva bene 770
caperata fronte 74
capere civitatem 169
capere crines 546
capere deſertam 115
capere incrementum 599
capere provinciam 169.574
καπηλεύειν μάχην 89
capillis trahere 710
capillus quoque umbram ſuam habet 51
capis, quod cupis 599
capita conferre 128
capita habens quatuor 467
capitalis 370
capita reddere æqualia in pugna 29
capite admoto 148
capite cucurbitino 667
capite demiſſo 544
capite geſtare 50
capite capillos evellere 266
capite retrogradi 433
capiti eveniat 225
capiti ne quid ſiet 486
capitiocram, tibia galeam adaptare 38
capitis & inguinis diſcrimen neſcit 401
capitis cantio: ſtultorum eſt 410
capitis Gorgonis poſteritas 67
capit ſex congios 669
καπνοφορίτης 87
Κάπνος pro vano pollicitatore 320
cappa duplex 304
capadocium portentum 154
Cappari victitas, qui potas Antinia 87
cappa tria peſſima 309
capra ad feſtum 688
capra cinnamomum 50
capra cæleſtis 101.506
capra anicula pera 530
capra in morem 491
capra libera ab aratro 286
capra contra ſeſe cornua 499
capra gladium, culeum 487
capra gladium miniſtrans ibid.
capram cæleſtem orientem conſpexerunt 102
vel capra mordeat nocentem 726
capram portare non poſſum, & impoſitis bovem 291
capra nondum peperit, hædus autem ludit in tecto 16
caprarius in aſtu 411
caprarum nomina 142
capras age monitor 22
capra Scyria 96
capra contra leonem 189
captantes capti ſumus 485
captus es 496
caput 10
caput artis docere quod facias 17
caput eſt 18
caput fricare 664
caput hoc ventoſa cucurbita quærat 768
caput in trunco 205
caput linaria 671
caput quaſſare ſeu movere 504
caput ſerpentis conterere 114
caput ſine lingua 673
caput ſcabere, & conſimilia 200
caput tertium 58
caput vacuum cerebro 358
caput unctum 746
caput tegere 645
καπυρισμοί 469
Caracalla nummi 356
Καρβάζειν 336
carbone notare 57
Carcini poemata 543
Carcini ſtrobili 575
Carcinus quoque in rebus deſperatis 741
καρδαμίζειν 397
καρδαμογλύφος 81
Cardamo ſimilis 588
cardine verſatilior 355
cardo rei 206
καρδοπεῖον 103
Cares 313
in Care periculum ibid.
Cares ite foras 419
caret ſanguine 695
καρηπικροῦντες 96.141
Carica muſa 136
Carica ſaltatio ibid.
Carica victima 86
Cari capite nudius 504
Carico more 738
Caricum ſchema 413
Caricum ſepulchrum 601
Caricum vinum 742
Caricus hircus 139
Caris loco habere 143
caries auro 473
Carizare cum Care 643
carmen deductum 372
carmen Lytierſa 449
carne ipſi Delphis immolata veſcitur. 524
Carognia 145
Carpathius leporem 489
Carpathius teſtem 492
καρυκκεία 193
caſſes rodere 746
Caſſina judicia 453
carpet citius aliquis quam imitabitur 474
Caryſtii Calliſtrati fortuna 214
caſcus caſcam ducit 645
caſeum habens non eget obſonio 267
caſſa nuce non emam 130
caſſa glande 154
Caſſioditus nodus 351
caſtellum ſervat bonum, qui cuſtodierit corpus ſuum 609
caſtior Bellerophonte 619
caſtior gubernaculo ibid.
caſus regum norunt omnes 518
καταβομβεῖσθαι 520
κατάκερατος 771
κατάπιδα 526
cataſtrophe vitæ 265
catena Mercurii 233
κατεσθίειν δακτύλους 362
cathedralicii miniſtri 416
Catilina 155
καθημερόβιοι 89
κατὰ χειρῶν ὕδωρ 560
καταπιεῖν 610

cata

cataſtrophe fabulæ 263
catella Melitæa 661
catena negotiorum 510
Catone hoc contenti ſumus 193.764
Cato ſui temporis 197
Catoniana ſeveritatis norma 575
ne Catoni quidem credere 180
catula dominas imitantes 644
catuli riſus 623
catulus leonem allatrans 13
catenari labores 577
catinus malorum 577
catinus malorum 578
cavum Arabiam ſerere 323.326
cauda blandiri 26
cauda de vulpe teſtatur 325
cauda piloſequina paulatim vellere 681
caudam inter crura ſubjicit 695
caudam nigram habentia ne guſta 516
caudam trahere 68 150
cauda tenes anguillam 324
cave Ægyptum Miles Romane 212
cave canem ibid.
cave multos, ſi ſingulos non times 116
cavendum ab eo, qui ſemel impoſuit 752
cavendum à potentiore 745
caveto clancularias inſidias 764
cave Thoracem 207
cave tibi à cane muto & aqua ſilente 213
cavete à ſignatis 315
Caunius amor 49.51
cauponariæ mulieres 319
cauponari bellum 523
cauponis riſus 623
cauſa cadere 754
caute loquacior 276
cautus enim metuit, &c. 502
cavum pedis oſtendere 770
Cecidis & Buphoniorum 137
Cecrope generoſior 535
cede Deo 545
cedendum multitudini 116
cedere caſui 287
cedere de gradu 259
cedere de jure ſuo 448
cedere ſtomacho 469
cedit liberis Hippocratis 668
cede quemvis arbitrum vis 463
cedro digna 181
cedro dignum 195
Cedrus cecidit 382
Celei ſupellex 742
celeritas in malis optima 747
celerius elephanti pariunt 581
celerius occidit feſtivata maturitas 726
celerius quam Butes 237
celer, nemens, volala 246
Celmis in ferro 186
κερατίδιον 555.702
cenſeri inter inquilinos 567
cenſor bonus, clemens Maniſta 386
cenſoria virgula 431.620
cenſorium ſupercilium 65
cenſor omni careat peccato 29
cenſus ſumptus ne ſuperet 512
cenſura dat veniam corvis, vexat columbas 434
Centaurice 720
Centaurus menſa non inſit 397
centones ſarcire 278.506
centro & ſpatio circumſcripta 562
Centum plauſtri trabes 168
centum viri unum pauperem ſpoliare non poſſunt 566
cepas edere aut olfacere 441
cepe tantum ſumpſerit 92
Cepphus 352
cepphus, larus 749
Cepphus parturit ibid.
cepis iiſdem veſci 767
cepe putridi nullus uſus 141
ceræ inſtar 464
cera & ære nobilis 535
ceram auribus obdere 257
ceram auribus obdu 77
κερασβόλος 72.74
cera tractabilior 498
Cercopum fraudulentia 356
κέρκωπες ibid.
Cercopiſſare 328
Cercops 354
Cercopum cœtus 356
Cercopum forum 315
Cercopum hedra 356
Cercyræa ſcutica 506
Cerealis cœna 458
cerebri felicis 611
cerebro vacuum caput 398
cerebrum interius inquirere 203
cerebrum ne edas 774
Cereri ſacrificant 84
Cerite cera dignus 594
certa præmia, pro incerta ſpe 606
certamen non accipit excuſationes 208
certare cum Muſis 203.644
certiora iis, quæ apud Sagram acciderunt 220
certiora quam illa quæ apud Sagram 258
certior Mopſo 611
certiſſima paupertas 564
certum ponere difficile eſt 597
certum proſpicio 117
cervina ſenectus 634
cervi ubi abjiciunt cornua 539
cervicoſus vir 692
cerula miniatula 516
cervo vivacior 454
cervus ad ſagittam properat 213
cervum canes trahit 17
Cerylus evadam 411
Ceſcon habitas 711
ceſſare, cunctari 769
ceſtopellacius 294
Ceſtreus jejunat 235
ceſtum habent Veneris 50
ceu canes Lacænæ inſequi 500
Chærephonti ſimilis 397
Chalanes turris 312
Chalcenterus 696
Chalcidica uxor 252
Chalcidiſſare 410
chamæleon de ſuo corio ludit 40
chamæleonte mutabilior 344
Chamæleontem imitari 561
Chao antiquiora 392
Charadrii natura 413
Charadrii vita ibid.
Charadrii vitam vivit 412
charadrium imitans 658
charum lumen vale 118
Charetis pollicitationes 471
χαριγλωττεῖν 26
χάριν ἀφανιοῦντος 288
Charitati fœtum eſſe oportet 48
charius oculis 51
Charizena non ſunt iſta 37
Χαρωνῖται 20.587
χαρωνῖται, ſive orcini 587
Charontis cymba 375.384
Charontis janua ibid.
Charontis ſymbolum 385
charybdim vitans in Scyllam incidi 493
charybdis 79
χεῖρας ἀνατείνειν 708
χεῖρες γιγαντικαὶ 66
χειροδικαὶ 332
χειροτονεῖν 58
χῆρος 145
Cherſippus 750
Chiloneus modus 110
Chimæra 343
χλωαλώπηξ 316.749
Chiorum more vellere 466
Chironia ulcera 491
Chironium vulnus 494
Chironia manus ibid.
Chium & dimineum miſcere 506
Chius 313
Chius ad Coum 646
Chius Coum loqui non ſinit 278
Chius Dominum emit 485
Chius riſus 622
chlamydem omni vento obvertit 354
chlamydem texito, cucumere veſcens 463
chnaumata omnia 696
chœnici ne inſideas 628
chœnix Pythagorica ibid.
χιὼν ἄχλυν: nivis ritu 750
chordæ vice 92
chordarum ſtrepitum fruſtra ciebis 422
chordas geminas ferit 579
chordas non movendas movere 718
chorea Ionica 559.620
choro alieno pedem ponere 38
choros tragicos moleſte fert 236
chorus domeſticus 700
chorus illius major, meus concinentior 177
chorus inertium 138
chorus major & concinentior 177
Chryſologus 28
χρεᾶ ὅπῃ ἐπιχρῆσθαι 470
χρυσὸς καὶ κλῆρος 42
Χρυσολόγος 27
χρυσῆ φειδὼ 546
χρυσόμαλλον δέρας: vellus aureum 217
Chryſes 314
à Chytropode cibum 80
cibo opus duraturis in labore 739
κίβδηλος 307
κιβδηλεύειν, κιβδηλία ibid.
cibum è flamma petere 139
cibum in matellam ne immittas 175
cibus alienis dentibus molitus nauſeoſus 524
cicada Acanthia 674
cicada cicadæ chara, formica formicæ 642
cicadæ humi canunt 677
cicadam apem comparas 183
cicadam ala corripuiſti 489
cica ſtridet 276
cicada vocalior 276
cicadæ ſibi ex humo canunt 772
cicadis pleni 61
cicatricem refricare 438.480
ciceris emptor 139
cicernus Bacchus 136
ciceroniana menſa 191
κιχλίζειν & κιχλισμός 445
Ciconum inſtar acclamans 158
κιγκλίζειν 180
Cilicia inſolentia 511
Cilices imperatores 266
Cilicium exitium 754
Κιλίκιοι ibid.
Κιλικίζεσθαι ibid.
Cilicon bona 472
Cilix haud facile verum dicit 697
κιλλικιτής 505
cimbicum 82
Cimmeriæ tenebræ 211
cinædo mollior 498
cinædus 417
κλωαλώπηξ 316
cinclus 362
cinctus indagine 211
cinerem quærere 150
cinerem vitans in prunas incidit 493
cineri aquas infundere 20.392
Cinnari bonorum direptio 772
Cinyræ opes 214
cingulum Veneris 50
circa clepſydram animus 663
circa montis radices verſari 144
circa terram natat 668
Circe Dædala 348
Circeo poculo 529
Circes virga 350
circes virga, fons Dodonæus ibid.
circulator cybeleius 312
circulatoris judicium 360
circulum abſolvere 571
circulus res mortalium 715.262
circum baculum currere 619
circumiens in orbem 128.761
circumpedes 640.760
circumponere eſcam hamo 354
circumtondere comam 768
circumſpectans ſe tanquam pavo 67
Ciſſamis Cous 724
ciſtiferi 247.140
citeria 278.748
citeria loquacior 278
cithara canere non didici 750
cithara incitat ad bellum 341
citiparium Telephi 369
citius quadrigis 236
citius quam formica papaver 263
citius quam gradatim 244
citius elephantum ſub ala celes 293

citius

citius in navi cadens à ligno exciderit 291
citius quam aſparagi coquuntur 237
citius Iolegora docuerim 218
citius terra atherem conſcendet 293
citius uſura currit quam Heraclitus 733
cito perſuadebis, ſi dicas bene 109
cito, procul, tarde 617
cito ſapientes non tuto ſapiunt 144
citra arationem, citra ſementem 116
citra pulverem ibid.
citra vinum temulentia 277
civiliter cœnare 269
civitas non civitas 763
civitatem, ſive domum venti perſpirant 384
civitates ludimus 603
Cius non Chius 350
chârenia 105
clamore una Neadas ſuperas 280
clamor in cœlum tollitur 118
clamoſior lauro ardente 117
claſſem ſuam deſerere 703
claſſici 131
claſſicum canere 573
claſſis prima extr. &c 147
clavam extorques Herculi 168
claudere januam accepto damnô 13.421
claudiana tonitrua 117
claudicare utroq; 345
claudicas 420
claudi more tenere pilam 285
claudo vicinus diſces claudicare 497.517
claudus optime virum agit 32
claudus ſutor 285
clave findere ligna, & ſecuri fores aperire 19
clavis duobus figere 237
clavus in lingua 676
clavo purior 360
χειρὶ καὶ ποδὶ 122
clavo ſive paxillo ſuſpendere 366
clavo trabali figere 257
clauſis oculis 100
clauſis oculis agere vel perſtringere 431
clauſis theſauris incubare 87
clavum clavo pellere 646
clavum rectum tenere 435
clavus aneus 617
clavus ſupra fumum 361
clavus trabalis 709
Cleantis lucerna 200
κλεπτοφρονεῖν 410
clematis Ægyptia 419
Clemens laniſta 745
clemens laniſta, cenſor bonus 586
Cleocritus 410
Cleomenes ſuperas cubile 364
Cleophonte ambitioſior 66
κλιμακίζειν 394
climacides 27
Cliſtene intemperantior 410
Cliſtenem video ibid.
cloacas Augiæ purgare 202
Clodius accuſet mœchos? 421
Cluſinum pecus 319
clypeo Ajacis tectus 633
clypeum abjecit 691
clypeum poſt vulnera ſumere 23
clypeus Herculis 198
clypeus juxta civitatem 361
Clytæmneſtra quadrantaria 318
cnips in loco 345
coagulo candidior 191
coccyce aſtutior 603
cochlea vita 83
cochleare creſces 138
cochlea diffidentior 181
coctia numerabimus extra 236
coctum ab alio edere 40
Codali chœnix 462
codicillus Philoxeni 618
Codri 644
codro antiquior 183
codro antiquior, generoſior 196
codro generoſior 533
codro pauperior 51
cœlebs expers litium 152
cœlo ac terra loqui 748
cœlo animum ferre 69
cœlo delapſus 194
cœlo inferos miſcere, & terram mari 122
cœlo tenus altum, ἢ οὐρανομήκης 191
cœlum ac terras miſcere 111
cœlum capite perrumpere 62
cœlum digito contingere ibid.
cœlum in tartara ſolvere 23
cœlum manibus contingere 100
cœlum menſes & annos efficere non deſiit 667
cœlum terræ miſcere 111
cœlum territas 62
cœna adjicialis 446
cœna deorum 189.398
cœna dubia 445
cœna Hecales 269
cœna Icci 87
cœnas Laconice 268
cœna Pontificalis 457
cœna popularis 445
cœnare civiliter 269
cœnare è cubitu 467
cœnare me doce 684
cœna ſine ſanguine, ſive terreſtris 566
cœna ſplendida famem non ſedat 699
cœna Thyeſtea 154
cœna Timonea 155
cœna agitator 311
cœno puram aquam turbans, nunquam in venies potum 487
cœnum barbaricum 132
coercere linguam, Deum imitans 773
cogi ad bibendum inhumanum 461
cogitationes poſteriores plerunq; ſapientiores 617
cogere amnis curſum 169
cogitationis pœnam nemo patitur 730
cogitatio quam longa ſit hyems 269
cognati multi felicium 46
cognatio movet invidiam 423.425
cognatus pauperi nullus 567
cognomina plura expedit habere 349
cognoſcere aliquid de plano 366
κοινόβιον 00
κοινοφιλαμίζειν 159
colaphum labiis infringi 712
collaria cadavera 465
collatrum venter 601
colligens ſpinas 158
colligere aquas pluvias 392
colligere uvas è ſpinis 118
colligere ſeipſum 123
collocare inter medios 743
collo valido 69
collyrio uno, vel eodem 646
colophonem addidit, impoſuit 570
colophonem imponere ibid.
Colophonia ferocitas 584
Colophonium calciamentum 402
Colophonium aurum 361
Colophonium ſuffragium 571
colo quod aptaſti, ipſi tibi nendum eſt 488
colores rhetorici 748
Coloſſi fragmenta 192
coloſſi magnitudine 589
Coloſſo Pygmæum imponere 472
colubrum in ſinu fovere 487
columba mitior 498
columba ſedens 498.294
columen familiæ 182.92
columna inconcuſſa 258
columnas rumpere 118
coma brevior ſupercilio 662
coma erigitur 386
coma venuſtate vel ipſum Abſolona vincentes 255
coma Lycia 417
comam gerit cum ſit ſervus 177
comaſtes 51
comatu & calvi pilos velli moleſtum 383
comes & ſocia ſolitudinis, auſteritas 74
comes voluptatis, dolor 415
comici ſervi 169
κωμικὸς μάρτυς ibid.
Comicum teſtis 689
cominus atq; eminus 438
comminus caentiens 153
cominus & eminus 123
Comis menti non ineſt 398
comitatur ruina præter viam, humiliationem gloria 491
comitia de tuo capite aguntur 205
comitiales 624
commeatus trium dierum 364
commendare epulum à bellariis 371
commentarii Philanidis 38
commercium cum vulpe habens dolos cave 608
commiſcere gratias Muſis 152
commorari in cœtu gigantum 66
commovere ſacra 121
commune naufragium 380
commune ſepulchrum 367
commune tanquam Siſapo 661.74
communibus oſtiis excludere 619
communis Mercurius 448
κωμῳδεῖσθαι, τραγῳδεῖν 453
κωμῳδοτραγῳδία 506
commutas flumina in terram 233
comœdia & tragœdia iiſdem è literis componitur 35
comparas fulicam cygno 177
compedes aureæ 50
compendiariæ res improbitas 310
complecti manum 606
complexus ſphærarum, amicitia avarorum 89
compleſa tanquam polues 280
complura maſculi canis cubilia 411
complurium thriorum ego ſtrepitum audivi 203
compos voti 97.732
compreſſis manibus 365
computatorum digiti 263
computruerunt jumenta in ſtercore ſuo 387
conando Græci Trojam potiti ſunt 112.576
conceptis verbis jurare 250
concha dignus 130
concha levior 565
conchas legere 329.549.617
conciliant homines mala 45
concinere 59.124
conclamare vaſa 696
conclamatum eſt 272
concolores aves plerunque una volitant 475
conclamati 700
concordia 124
concordia fulciuntur opes etiam exiguæ ibid.
condere ſub pallio 548
condere recte non eſt cujuſvis 525
concepit aſſam farinam 270
conditione tua non utar 204
conferre capita 118
conferre gradum 259
conferre pedem 124
confidentia Herculea 426
configere cornicum oculos 105
confirma animum in Piſa 129
confringere teſſeram 579
congios ſex capit 669
conglomerare inglomerabilia 335
congregare cum leonibus vulpes 176.178
congregat perdix divitias ſine judicio 334
conjectura vana 752.761
coniſſalus æditimus 317
conjugii ſancta fides, jura, pudorque fugiunt aulas 358
Conna calculus 748
convecti mutuo quodam conjugio 651
connivendo ferre 696
connivere 653
connus ſenum magiſter 635
Conon curabit prælia 13
conos artoxya 648
κοινοφιλαμίζειν 159
conſcendet terra cœlum ac horeas 293
conſcientia animum exulcerat 664
conſcientia animum verberat 501
conſcientia crimen prodit ibid.
conſcientia mentem exagitat ibid.
conſcientia mille teſtes 500
conſcio animo nihil miſerius ibid.

Conſeneſcere ad Sirenum ſcopulos 467
Conſerere pugnam cum leone caprea nolim 189
Conſertis manibus ſupinus 630
Conſeſſus in talario ludo 27
Conſilia humana divinitus gubernantur 129
Conſilia inania inanium 648
Conſilia noctu urgenda 129.199
Conſilia ſcindit pugna 527
Conſilia ſenum, juvenum lancea 607
Conſilii & curſus non idem exitus 199
Conſilio ſimul & factis valens 612
Conſilium Coſa 129
Conſilium improbi, in extremum incidit malum 724
Conſilium in melius commut. 527
Conſilium ne adeas invocatus 16
Conſilium, res ſacra 128.129
Conſiſtire intra proprios limites 512
Conſolatio miſerorum eſt, habere ſocios 118
Conſperſi ſale 382
Conſpuere faciem 712
Conſtat certum 454
Conſuere pulvillos ſub cubito 295
Conſueſcere à teneris multum eſt 389
Conſuetudo altera natura ibid.
Conſulendum, & conſiliis parendum 77
Conſulit bene, ſed male facit 312
Conſultor amens 112
Conſumat in morbo 225.554
Contemnentis inimicum 140
Contemnentis dicterium ib.
Contemnunt ſpinam, cum cecidere roſa 633
Contentionis filum 207
Contentionis funem ducere 624
Contenti ſimus hoc Catone 103.764
Contentus offula 518
Contigit & malis venatio 100
Contigua ſolvis 709
Continentem terram incolentes mare deſiderant 415
Contineri bovem utroq; cornu 260
Contingit alterum, alterum negatur 272
Conto navigare 645
Contorquet piger funiculum 327
Contra bovem ne opta 731
Contra duo contraria pugnare difficile 115
Contrahe te in teipſum 122
Contrahere ſupercilium 424
Contrahere vela 508
Contrahit annum in menſem 587
Contrahit & demittit animum 580
Contra oſtium 36
Contra retiarium ferula 159
Contraria contrariis pelluntur 94
Contraria fortitudo timiditati 260
Contrariorum eadem diſciplina 746
Contrarium contrario amiciſſimum 651
Contra ſtimulum calces 329
Contra torrentem niti ibid.
Contra vim mortis, non naſcitur herba in hortis 539
Contribulis factus ſerva ordinem 704
Conturbat omnia 514
Convenerat Attabas & Numenius 654
Convenit fautores ampliari 776
Convertitur veſpis 124
Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis 650
Conventualis 640
Converſari cum mortuis 203
Convertere pollicem 57
Convicilis quotidiano authoritas minuitur 148
Convivia non convicia 86
Convivatur argentea fame 307
Convivia Etruſcorum 470
Convivii intempeſtivi comis ſaltatio 415
Convivium Adonis 672
Convivium Umbrarum 687
Copa 468
Copia cornu 101 506
Copia mea in arctum nunc cogitur 151.578
Copiis noſtris 93
Coquere hædum in lacte matris 481
Coquos mente agitare 414
Coquus domini debet habere gulam 650
Coquus male condiens [illegible]
Cor 611
Corbis malorum 481
Corbita tardiores 287
Corchorus inter olera 148
Corchorus inter olera 134
Cor calidum in re frigida 738
Corculus 610
Corcyra libera caca ubi libet 451
Chordas non movendas moves 711
Cordatus 610
Corde amare 451
Corde morderi 664
Cordi 146
Cordi eſſe 282
Cordiſta 177
Coriaceum auxilium 95
Cor in encoralis ſuus retinere 583
Corinthiari 409
Corinthia verba & Ionica 232
Corinthia videris 410
Corinthiis non indignatur Ilium 693
Corinthus ſuperciliosa 387
inter Corinthum & Sicyonem 731
Corinthum ire non eſt cuiuslibet 167
Corinthus & collibus ſurgit, & vallibus deprimitur 71
Corinthus fortunata, at ego ſim Teneates 31
Chorœbo ſtultior 404
Corio elephanti circumtectus 407
Corio Panthera magis varius, magisq; maculoſus 23
Corium redolet, qui poſcit unguenta 87
Cornea fibra 70
Cor ne edito 440.664
Cornicari 276
Cornicibus vivacior 454
Cornicum oculos configere 505
Cornix acanthida vincit 184
Cornix aquilam provocat 131
Cornix cornici confodit oculos 505
Cornix ſcorpium 489
Cornua te habere putabam 134
Cornutam beſtiam petis 489
Cornutus ſyllogiſmus 134
Cornice loquacior 279
Cornua inibi aduri 94
Cornu Herculis 264
Cornu ſiccius 253
Cornu utroq; bovem contineri 260
Corona ſeu lorica inſtar 480
Coronam ab Olympiis petere 746
Coronam ne carpito 745
Coronam quidem geſtans, tamen fuit perditus 461
Coronidem addere 571
Coronidem imponere 574
Corpore effugere 209
Corpore Tydæus, animo Hercules 258
Cor ſalit 443
Corporis veſtigium confundito, è lecto ſurgens 765
Corpus ſine pectore 405
Correctio dicti 152
Corrigentis quod dictum eſt ab alio 151
Corrumpunt mores bonos colloquia prava 517
Corrupta judicia 512.327
κόρακες 467
Corticem 700
Corvi luſciniis honoratiores 197
Corvos ſequeris 358
Corvum deluſit hiantem 269
Corvum excludere 492
Corvum miſimus 683
Corvus albus 334.616
Corvus ab aquila relictis cadaveribus veſcitur 288
Corvus abſente graculo pulcher 649
Corvus aquat 681
Corvus aut vulturius 283
Corvus corvo oculum non eruit 730
Corvus hians 269
Corvus oculos vorat, canes inteſtina, cætera membra lupi 225
Corvus ſerpentem 486
Corvus ſi poſſit tacitus paſci 277
Corybantiari 40
κορυβαντιᾶν ibid.
κορυβαντιᾶς 638
Corycaeus audit 159
Corycaeus auſcultavit 157
Corycaeus dæmon 158
Coryco reluctari 326
Corydalis omnibus oportet criſtam ineſſe 396
Corydi juventa 184
Corydus etiam inter indoctos ſonat 134
Corymbos meos necto 36
Coryphæi 388
Coryphaeus 190
Coryphæus chorum ſequens 422
Κορυφὴ τοῦ λόγου 570
Corythæo deformior 255
Coſa conſilium 129
Cos, ſeu coticula aurum, aurum hominem 709
Coſſi 766
Cotem alit 316
Cotem eſſe 238
Cothoniſſare 96
κώθων ibid.
κωθωνίζειν ἢ κωθωνίζεσθαι ib.
κωθωνισμός ibid.
Coturniſſare 445
Cothurni Tragici ſtrepitus 65
Coturnium Herculem 590
Cothurno verſatilior 345
Cothurnus 352
Cothurnus Theramenes 357
Coturnicis naturam induere 64
Coturnicula animus 694
Cotyos contubernalis 317
κότυος θιασώτης ibid.
Crabrones irritare 438
Cradophagus 83
Crambe bis poſita mors 679
Crambe recocta 679
Crambe repetita 680
Crania bina geris, & innumeros colos 608
Cras credo, hodie nihil 530.683
Craſſa aut pingui Minerva 59
Craſſiora Muſa ibid.
Craſſo ditior 213
Craſtinum tu ſume, mihi da hodiernum 467
Crater Helenæ 443
Crater litium 113
Crater Philoteſius 43
Cratetis poetica 568
Crebro jaciens, aliud alias jeceris 00
Credendum eſt veteribus 251
Credit facile quod quiſq; ſperat 732
Credendum peritis in ſua arte 433
Credo primo mulieris conſilio, ſecundo nolo 130
Credimur qua coram intuemur 181
Crepitu probabis 128
Crepitus authori ſuo bene olet 585
Crepitus frondium leporem terret 694
Crepundia puerorum 142
Creſcunt, deteruntur 716
Creta notare, Craſſa nota 57
Creta raptus 50
Cretenſis Cretenſem 642
Cretenſis cum Æginetâ ibid.
Cretiza cum cretenſi 642.697
Cretenſis mare 653
Cretenſes ſacrum 271
Cribro aquam haurire 328
Cribro crebrius 749
Cribro divinare 126
Cribro haurire aquam 336
Cribro vaticinans 293
Cribrum ſupponere, mulgere hircum 15
κρίνον γνώμη [illegible] 431
Crines capere 546
κρήμνοζοι 316
κριοῦ τροφεῖα ἀποτίνειν 282
Criſonem Himeræum præcurrere 139
criſpiores apio 463
crocodili lachrymæ 659
crobili jugum 644
criſtas detrahere 59
crocum edit 623
crocum in Ciliciam 50.22
Crœſi pecuniæ teruncium addere 24.184

Cro-

Crœſi opes 217
Crœſo ditior 213
Crœſo ſpe ditior. &c. 667
Crœſus quæ tenuit 751
crono & Titanibus antiquiores 405
κροτάλισμοι 455
Crotoni comparata civit. 186
Crotone ſalubrius 624
Crotoniatarum poſtremus, reliquorũ Græcorum primus 184
κρυοχυτρολήρημα 537
κρώζειν 572
cruciatum proprium, in aliena miſeria quærit 754
crudelior Medea 155
crudelior Taurica ara ibid.
crudelis Bacchus 153
crudeliter & regie 155
crudus 303
crura arundinea, & tabis propheta 396
cruribus aſciam illidere 758
cubitale 142
cubitu adoleſcere 598
cubitis metiri, ut Nili incrementa 511
cubiti ſpacio increſcere 758
cubito emungere 139
cubito eodem 569
cubito tangens 416
cubito tangere 303
cuculi 302
cuculus 302.363
cuculus, hirci 318
cucumere veſcens, chlamydem texito 461
cucurbitæ florem aut cucurbitam 54
cucurbita glabrior 634
cucurbita ſanior 625
cucurbitæ lippis 111
cucurbitino capite 667
cucurrit quiſpiam, ne pluvia madeſceret, & in fovea præfocatus eſt 493
cui iſta arrident, meus ne gaudeat 551
cui bonus eſt vicinus, felix illucet dies 498
cui gratificeris ne ſpectes, ſed cui ingratum facias 776
cui multum eſt piperis, etiam oleribus immiſcet 601
cui naſci contigit, mori reſtat 716
cui nullum negocium erat, Harmenæ mœnia addit 740
cui places, obliviſcitur: cui doles, meminit 552
cujuſmodi portento me involvit fortuna 378
cujus moneta ſit, vel ab ipſis notis agnoſcitur 434
cujus hunc calone ara 105
cujus pane veſcor, ejus verba melior 474
culex lychno ſe committens, aduritur 338. 672
culicem colant 19
culicem elephanti conferre 184
culicem excolantes, &c. 23
culleo dignus 362
culmum latum 75
culos lingo & crepidas 319
culpam rejicientes 164.493.751
cultro adhæret 205
cultrum præbens capra 487
Cumæi anni 220
cum Æſone juveneſcere 539
cum adſit urſus, veſtigia quæris 693
cum adſit via, ſemitam quæris ibid.
cum amico non certandum æmulatione 45
Cumani ſero ſapiunt 635
cum aqua fauces ſtrangulet 15
cum aquila eſſe queas, inter graculos primus ne opta 129
cum bona alite 555
cum cane ſimul & lorum 423
cum Care Cariza 643
cum ceſſat Boreas 687
Cum Crete Cretizandum 649
Cum Coryco luctari 326
Cum Deo quiſq; & gaudet & flet 261
Cum Delphũ ſacrificaverit, ipſe carnes abſumit 524
Cum Diis non pugnandum 324
cum diis ne contende 336
cum diis non pugnandum ibid.
cum diis pugnare 324
cum Evandri matre loqui 392
cum exoſſis jeiunus rodit pedem 562
cum felicibus navigare 740
cum ferias fullonem faber cadit 7
cum genio belligerare 468
cum haſta, cum ſcuto 120
cumini ſector, cum aliis ſimilibus aliquot 82
cuminum convitiis ſeritur ibid.
cuminum ſerere 475
cum lacte bibere 715
cum lacte nutricis 10
cum larvis luctari 326.473
cum leonibus vulpes congregare 176.178
cum liceat fugere, ne quære litem 549
cum lupis ululare 662
cum Minerva manum quoq; move 367
cum mortuis converſari 203
cum mula pepererit 558
cum muliere fuit 416
cum muſis 557
cum Muſis certare 203.624
cum naufragium feci, bene navigavi 481
cum Nibas coccyſſaverit 538
cum parvula eſt, bona videtur ſpina 393
cum primis adora figuram & aram, figuram & triobolum 774
cum principe non pugnandum 168
cum Protogene mortuo bellum geris 123 476
cum pulviſculo 79.696
cum pulviſculo auferre 496
cum ramento 697
cum ſacco adire 398
cum ſarcinis enatare 640
cum ſis nanus, cede 187.563
cum templum ingreſſus ſis, reverenter adorato. &c. 775
cum vitiis amicum ferendus 48
cumulus meritorum 104
cumulare officiis 100
cum uterq; concedit alteri 544
cum vulpe habens commercium, dolos cave 608
cunabulum primum 11
cunctabundus natura Deus 731
cunctatio noxia 769
cunctos umbone repelles 260
cuniculis oppugnare 396
cupiditas inhians 88
cupiditati nihil ſatis ibid.
cupreſſo ſimilia 337
cupreſſum ſimulare 417.421
cupidinum crumena porri folio vincta eſt 600
cura eſſe, quod audis 26
cura hoſpitum habenda 284.756
cura majore tuenda, quæ parta ſunt 606
curare cuticulam 457
curarum laborumq; neſcii vivunt 117
cura teipſum Medice 22
curatore opus eſt, curat, eget 403
cur ceſſatum eſt 341.769
curetum es 450
curioſitas delatoria 159
curioſus item & garrulus 39
curioſus perinde ac delator ibid.
curis gaudia miſce 443
cur non ſuſpendis te? 594
curre denuo 739
currenti calcar addere 595
currentem incitare ibid.
currere circum baculum 619
currere retrorſum 8
curriculum animæ decurrere 209
Currulis 15
currunt bene, ſed extra viam 7
currus bovem trahit 13
currus edax 80
curru vtere, de aſinis nihil laborans 38
curſu contendere recte 437
curſu lampada trado 574
curſum amnis cogere 169
curſum ſiſtere paululum ad reſpirandum 550
curſum vitæ 12
curſu prævertere ventos 245
curſus fluvii non detorquendus 632
curſu vadere in ſententiam 38
cutem uſq; radis 619
cuticulam curare 457
κυαθίζειν 97
κύμινον 745
Cythiſſare 97
cyatho non emam 742
Cybeleius circulator 312
Cybiſtates 626
Cybiratici canes 311
κυκεών 340
κύκνου 360
Cyceon 379
cyclaminon infodias Halenti 404
Cyclaminum effodias ad Halenta 670
Cyclobori vox 117
κύκλῳ ἀθέλκει 266
Cyclopica muſica 697
Cyclopica vita 105.718
Cyclopicum monſtrum 114
Cyclopicus obtutus 154
Cyclopis donum 513
Cyclops excæcatus 156
Cyclopum more 710
Cydis pœnam debet 113
Cydonis in domo ſemper aliquis 284
cygni tunc canunt, quando tacuerint graculi 231.690
κύκνος 745
cygnea cantio 132
cygni cantus melior quam gemitus 178
cygno fulicam comparas 177
Cylicum remiges 97
Cylones 312
cymbalum mundi 134
cymba Charontis 375.384
κυμινοπρίστης 316
Cynice vivere 88.317
Cynicus, momus 616
Cynocephalum oppugnas, vigilantis canina 475
κυνισμός 316
Cynoſarges 574
cypariſſi fructus 699
Cyprio bovi mercadam 54
Cyprius bos ibid.
cyrbes malorum 378
Cyrenaeus videtis 203
Cytnia jactura 379
Cyrnia noxa 718
Cyrnia terra ibid.
Cythnica calamitates 379
cythni inſtar perditus 166
κυθνώδης 266
cyrbonimi probrum 594
cyzicena tinctura 614.615
Cyziceni ſtateres 505

D

DAbo merulum album, ni hic ita ſe habuerit 776
δαδουχεῖν 95
Dædaleis ferri remigiis 245
Dædala Circe 148
Dædala tellus 100
Dædaleum remigium 136
Dædali ala 739
Dædali excetratio 324
Dædali opera 348
Dædalis videris 319
dæmonem dæmone pellit 710
da lapidi volam 320
Dama 149
da mihi hodiernum, tu ſume craſtinum 467
da mihi mutuum teſtimonium 569
damnum tunc factum, nunc apparuit 481
damno accepto januam claudere 33.428
Danaæ 456
Danaidum dolium 336
danda venia lapſo 027
Dapalis cœna 446
da panem & pugnum 772
Daphnis inter paſtores primus 193
Dardanarii 136
Dardanarii & Sacularii 703
Dardaniæ artes 306
dare Alcinoo poma 13

dare

dare amanti argentum 481
dare auribus 735
dare ſeſe in præteritum 94
dare ignarium 677
dare mancipia 448
dare manus. ſive tollere 708
dare manus 708
Dares Entellum provocat 486
dare ſucceſſorem viventi, 524
dare verba 304.701
Darii opes 216
das aſſem elephanto 695
da ſimul & accipe 179
daſipus carnes deſiderat 19
datatim dare ſe 319
date mihi peluim 679
Dathus bonorum 101
Daridis cantilena 97
Dariſmus ibid.
das ſine mente ſonum 280
datum nollem, quod dedi 656
Datyli dies 99
dat veniam corvis, vexat cenſura columbas 436
Daulia cornix 176
Davus ſum, non Oedipus 542
dea excogitavit 61
de alieno liberalis 40.447
de alieno ludis corio 40
dea impudentia 316
de alliis loquenti, reſpondes de cepis 35
de aſini proſpectu 325
de aſini umbra ibin.
de calcaria in carbonariam 528
decedere de ſuo more 530
decempes umbra 459
decernatur equa Theſſalica 182
decertat extrito pulvere 708
decet temporibus ſervire 639
Decianum ſacrificium 260
decidere pennas 262
decidit neceſſario in foveam 295
decipienti ſemel 429
decipula murem cepit 362
declarant gaudia vultus 443
decora teipſum 602
decretorius ſtylus 152
decumani malorum fluctus 480
decumanum 757
decurrere anima curriculum 209
de curru delapſus 36
dedecus publicum 594
De diis, rebuſque divinis nihil tam admirabile dicitur, quod non debeas credere 773
dedi malum & accepi 477
dedit auris ferre 542
deducendus ad gentiles & agnatos 669
deductum carmen 372
de facie noſſe 125
de fece haurire 136
de fera comediſti 307
defluere è gremio 542
defraudare genium 89 E57
de filo pendet 205
defringere ſurculum 364.617
de fructu arborem cognoſco 125
defugere authoritatem 501
de fumo ad flammam 480.481
de fumo diſceptare 322
de gallo in aſinum 336
degere mitigilis vitam 565
de gradu cedere 259.583
de gradu dejicere 578
de gradu pellere 259
de gradu primo præludere ibid.
de grege illo eſt 640
de guſtu cognoſco 125
deguſtare ſummo digito 364
de Hippolyto non temere mentiri 454
dejerare per genium alicujus 198
Dei ludibrium, homo 265
de improviſo 672
deinde expergiſcebar 697
Dei oculus fortiſſimus 710
de jure ſuo cedere 418
de lana caprina 362
de lapide emptus 135
delapſus de cœlo 194
delatoria curioſitas 159
de lauticiis 445
delectas Balbinum polypus Agn. 32
delicati, & formæ fiducia laſcivientes 470
delicatior Melanthio 464
deliciæ Alexandrinæ 466.467
deliciæ meæ 736
delicias dicere, aut facere 417
delige quem diligas 51
de limine offendere 7
Delius natator 543
Delphica umbra 325
Delphicus gladius 54
Delphinus in tellure vis 64.151
Delphino & bovi quid commune 177
delphinum cauda ligas 322
delphinum natare doces ibid.
delphinum patina non capit 587
delphinum ſylvis appingis, fluctib. aprum 735
de male quæſitis non gaudet tertius hæres 729
demandere calamum 204
de manu in manum 41.249
de meliore nota 50
dementis felicitas 652
demere floccos 27
deme ſupercilio nubem 73
demetere agnum 689
demiſſis auriculis 426
demiſſis manibus fugere 245
demiſſo capite 544
demittere ſeſe ad aliorum mediocritatem 506
demittis vultum tanquam Telephus 614
Democritici 626
demorſos ungues ſapere 200
demorſos ungues ſapit 202
demulcere caput 26
dentale non ineſt illi 405
dentata charta 475
dentem dente rodere 333
dentem genuinum infigere 114
dente Theonino rodi 474
dentes dentire 236
dentium tenus pravus, doctus, felix 776
Deo cede 545
Deo fortunæq; committo 219
de omnibus aliquid, & de omnibus nihil 776
Deo poteſt nocere nemo 763
Deo nihil clauſum 581
Deo præeunte, nullus officit obex 105
deorum cibus 444
deorum cœtus 475
deorum concio 746
Deorum dona ſæpe non dona 383
deorum manus 591
Deorum liberi in vulnerabiles 585
Deos abſentes teſtes facis 577
Deo volente, quiſq; ridet, atq; flet 261
Deo volente 107
de parva ſcintilla magnum ſæpe excitatur incendium 481
de paxillo ſuſpendere 365
de pilo pendet 205
de pilis lutóve diſceptare 317
de plano 433
de plano aliquid cognoſcere 366
de plebe 150
de plauſtro loqui 449
deploratis vulneribus manus admovere 23 421
deploratum eſt 385
deponere vel amittere zonam 265
de poſſeſſione dejicere 579
deprecatur navis ſcopulum 668
de pulmone revellere 62
de pulchro ligno vel ſtrangulari 226
de puſillis magna proœmia 419
de Pythagoricis rebus abſq; lumine ne loquaris 774
de rediviva queritur 658
derelicta occupanti fiunt 108
de ſcurra multo facilius divitem, quam patrem familias fieri poſſe 312
deſerere vadimonium 332.472
deridendum propinare 446
de ſcammate egredi 222
de ſcaphia ad triumphalem currum tranſitione 393
deſerere locum 703
deſerta cauſa 115
deſertam capere, vincere, accuſare ibid.
deſertum obtueri 406
deſine vagari 366
deſperatio monachum facit 483
deſperatio Phocenſium 123
deſpicere infortunatam virtutem miſerum 144
de ſportula cœnare 748
deſpuere malum 163
deſpuere in ſinum 507.513
de ſtatu demigrare 343
de ſtatu mentis deturbare 383
deſtitutus ventis remos adhibe 627
de ſublime ſpectare 633
de ſublimibus nugari 537
de ſultoria amicitia 51
de ſultoria levitas 360
deſultorius 352
deſultorius in quadrigarum curriculum incurrit 528
de ſummo pectore 431
de ſuo more decedere 530
detergere menſam 562
detergere vacuum vas 504
deteriorum victoria 187
determinare foſſam 579
de toga ad pallium 346.529
detonſi 163
de tribu Levi 360
de tribus capellis dici 35
de tripode 246
de tuo armento ſunt 539
de tuo capite aguntur comitia 205
deturbare gradu 556
Deum admota manu invocandum 203
Deum eſſe, deum facere 739
Deum fallere volenti multa ſcienda 312
Deum fieri 195
Deum ſequere 544
Deum velim bene facere 220
devorare radium 580
devorata verba 370
devoravit illud imprudens 542
devotionis templum 223
Deus avertat 515
Deus ex improviſo apparens 592
Deus ex machina ibid.
Deus hoc habeat decus 619
Deus ita voluit 108
Deus mortalis 740
Deus natura cunctabundus 731
Deus non permiſit 109
Deus nullius indiget 221
Deus nullius indigens 216
Deus ollaris 137
Deus omnia dirigit 107
Deus viderit 761
Deus ulciſcitur 727
Deus ultro ſubjicit bona 116
Deus unus, amici plures 41
Deus undecunq; juvat, ſi modo propicius 103
δεύτερον ἀμεινόνων 627
de vulpe teſtatur cauda 125
dextera non cuivis injicienda 41
dextero, aut amico Hercule 215
dextrum pedem in calceo, ſiniſtrum in pelui 350
διασκευάζειν
Diagoras melius
diametro diſtant 104
diametro diſtare 178
Diana Pergæa 351
διαρρήδην οὐδὲν λέγει 383
dicat tria ex curia 373
dicelistes 279
dicenda, tacenda 454
dicenda tacenda locutus 749
dicendo dicere diſcunt 75
dicere Attice 234
dicere ſupra clepſydram 279
δικῶν ζυγῷ 432
dicis cauſa 57.366
dicis gratia 365
dicta Coſa 129
dicta Heracliti 543
dictis Bacidis veriora 451.703
dictis dabit ipſa ipſa fidem res 216

Dictis non armis 222
Dictum ac factum 237.248
Dictum ſapienti ſat eſt 677
Diem humeris protrudere 551
Diem noctibus aquare 202
Dies adimit ægritudinem 483
Dies albus 105
Dies antiquus 392
Dies bonus è pharetra 739
Dies Dasyli 99
Dies noverca & parens 261
Dies poſterior prioris diſcipulus eſt 615
[illegible] 129
Difficile eſſe bonum manere 170
Difficile, juſtum dolorem temperare 31
Difficile, naturam mutare 389
Difficile, omnes effugere 170
Difficile eſt certum ponere 597
Difficilia quæ pulchra 168.170
Difficilis vir 72
Diffidentior cochleis 181
Digiti computatorum 265
Digiti crepantis ſignum 544
Digitis ſummis 662
Digito attingere 394
Digito compeſce labellum 677
Digito loquitur ſtultus 671
Digito monſtrari 189
Digito oſtendere, ſeu monſtrare 193 189
Digitis attingere 394
Digitos prærodere 562
Digitum non porrexerim 131
Digitum medium oſtendere 134
Digitum quà proferas 761
Digitum ſtulto ne permittas 405
Digitum tolle 707
Digitum tranſverſum 75
Digitus dies 715
Digna canis pabulo 181
Digna canis ſede ibid.
Digna cedro ibid.
Digna feras 437
Digna, indigna, & ſimilia 555
Digni pilo 145
Digni ſermone colligante 00
Dignum cedro 195
Dignum Gyaro 91
Dignum patella operculum 645
Dignum propter quod vadimonium deſeratur 181.472
Dignum quadrante 142
Dignus admiratione 179
Dignus Argivo clypeo 181
Dignus aurea barba 190.470
Dignus obeliſco 181
Dignus peplo 198
Dignus pilo 742
Dignus quavis re 181
Dignus qui cum in tenebris mices 181.249
Dignus qui vanis miniſtres 410
Dignus Seplaſia 466
Dii beati adſint 554
Dii benefaciant vobis 618
Dii excedunt 385
Dii facientes adjuvant 367
Dii laboribus vendunt omnia 75
Dii laneos habent pedes 724
Dii lenti, ſed certi vindices 729
Dii magni 225
Dii magni facite 734
Dii meliora 753
Dii meminerunt 109
Dii noſtri 97
Dii omnia poſſunt 190
Dii parvis parva dant 649
Dii poetici 588
Diis hominibusque inviſus 553
Diis hominibusque plaudentibus 99
Diis injecta vincula 724
Diis inviſis 106.337
Diis iratis 106
Diis iratis aut propitiis ibid.
Diis ſecundis 106
Dii Stoici 588
Dii tibi dent tuam mentem 310
Dii trephes deliraret habens alas 216
Dii vinctis pedibus 724
Diligentia profuit, mora ſemper obfuit 744
Domicare pro carnibus 211
Dimidio vita nihil differunt felices ab infelicibus 724
dimidium plus toto 509
dimittit & contrahit animum 580
[illegible] 359
dimove abs te omne acutum 771
diobolares 132
[illegible] 336
diolygium malum 176
Diomedea neceſſitas 531
Diomedis & Glauci permutatio 338
Dionis gry 141
Dionyſiaca ſcommata 626
Dionyſiaci 408
[illegible] 461
Dionyſium æquore mergendum 686
Dionyſium Thraſibulo dicitis eſſe ſimilem 746
Dionyſius Corinthi 263
[illegible], delapſus de cœlo 194
Dioſcuri ſalvatores & advocati ſalutiferi 95
Diphilo tardior 683
Diphilus ibid.
diphthera antiquiora 392
diphtheram ſero inſpexit Iupiter 718
directè 747
diris agere 224
diſce alieno periculo 40
diſce modum ſervare, alieno diſce periclo 513
diſcenti aſſidue multa ſenecta venit 204
diſceptare de pilis, lutóve 337
diſcere figulinam de dolio 227 410
diſcipuli magiſtris præſtantiores 186
diſcordia fit charior concordia 49
diſcum quam philoſophum audire malunt 162
[illegible] 171
diſerte ſaltare 14
diſpendio æquale malum lucrum 394
diſruptus eſt omnis rudens 210
diſſidii pomum 624
diſſimulare artem ſummi artificis 234
diſſolvi manus 755
diſſolvit Sphyngis ænigmata 608
diſſoluti, diſcincti 467
diſtant diametri 204
dithyramborum poetis inſanior 404
dithyrambus non eſt, aquam ſi bibas 564
ditior iis qui Carthaginenſium rebus ſtudent 00
diu delibera 682
diu diſſimulatum aperientis 659
diverſarum partium 748 761
dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres 214
dives factus faſtidit lentem 597
divina res vulgus latens 304
dives p[r]omiſſis 246
divinator ſapiens 607
divinitus 109.261
divinitus data 103
divinum excipio ſermonem 64.190
divinus 193 613
divite vena 505
divitiæ non ſemper optimis 215.216
divitias congregat perdix ſine judicio 334
divitias Tantali aſſequutus 217
divus vir 739
Divum vides 728
div[i]num petere 566
dixeris inſanum quis me, totidem audies 478
dixi: novi nil 500
doceat qui didicit 747
docet artes egeſtas 507
docti eodem in ludo 647
doctum doces, & ſimilia 328
doctus dentium tenus 776
docuit te urinandi artem 491
Dodonæum æs 276
Dodonæus fons, Circes virga 550
dolent oculi 553
dolia duo Homerica 261
dolia Iovis ibid.
doliaris vita 266
in dolio figulariam artem diſcere 218
dolium Danaidum 534
dolium inexplebile 81
dolium pertuſum 537
dolium volvitur 327
dolorem longa conſumit dies 483
dolor voluptatis comes 415
dolos texere 410
domeſtice notus 556
domeſticum diſſidium 204
domeſticum malum 132
domeſticum omne afficit 649
domeſticum theſaurum calumniari 114
domeſticus chorus 700
domeſticus teſtis 248
domi militiæque 370
domi conjecturam facere 126
domi habet, domi naſcitur 235
domi judicium 255
dominus domino, ſervus ſervo præſtat 188
domi inſpicere 318
domi leones 20.410
domi manendum 222
domi manere oportet belle fortunatum 221
domi Mileſia 628
domi coquus debet habere gulam 650
domi nobilis 534
domi non eſſe 36
Dominus faciat tibi ſicut Ephraim & Manaſſe 772
dominus familiaris fatuum nutrit ſervum 144
domi pugnans more galli 769
domi ſuæ ludendum 204
domi ſuæ quilibet rex 188
domos ædificant, & non habitabunt 338
domos luteas habitare 771
domum cum facis, ne relinquas impolitam 572
domum imperfectam ne relinquito ibid.
domum redeamus 574
domum redire 38.166
domus amica, domus optima 221
domus cum tota ſtirpe procumbit 387.389
domus optima 222
domus Pulytionis 217
domus recta 309
dona Deorum ſæpe non dona 383
donum quodcunque dat aliquis, proba 526
[illegible] 747
Doribus Dorice loqui fas eſt 648
Dorica Harmonia canere 670
Dorice incedere 318
Dorice loqui 750
Dorica muſica 528
Dorice concinere 124
dormiens nullius rei eſt 665
dormiens ſomniat 738
dormienti dii conficiunt 116
dormienti loquor 334
dormientis rete trahit 116.265
dormio vigilans 386
dormire in portu 632
Doſiada ara. Lycophronis Alexandra 554
doſ[i]nes 699
[illegible] 751
[illegible] 81
[illegible] 528
doryphorematis ritu 676
[illegible] 135
[illegible] 396
drachma canis, quatuor deſinis 275
drachma grandinans 601
drachma grando 602
drachmas tres da mihi mutuo ad porcellum 166
draco heſperidum 100
draco non fiet ſerpens, ni edat ſerpentem 82
Draconis leges 153
Draco taurus Genuit & taurum draco 559
drama Comicum e Tragico 482
duabus ancoris fultus 627
duabus ſedere ſellis 345
dubia cœna 445
dubitatio Pyrrhonica 314
ducere ad umbilicum 572
ducere familiam 398.399
ducere funem 104
ducere funem contentionis 624
ducere primas lineas 18

Duceres ferrum 516
Ducis me exilio 480
Ducit revinctos ab aure 234
Ducit una ab uva livorem 519
Ductus per phratores canis 725
Dulce amaro miſtum 524.516
Dulce bellum inexpertis 295
Dulcedo cuncta intelligendi, ſuperat caeteras omnes ſuavitates 159
Dulce & amarum 556
Dulce pomum quum abeſt cuſtos 728
Dulcis cubitus 164
Dulcius Ambroſia 197
Dulcius melle 389
Dum alterum evitans, in alterum incidunt 494
Dum caput dolet, caetera membra dolent 518
Dum clavum rectum teneam 435
dum moluntur, dum comuntur, annus eſt 683
Dum nondum in nervo telum 666
Dum paſtores odia exercent, lupus intrat ovile 494
Dum vigent genua 687
Dum virent vivunt 180
Dum vitat humum, nubes & inania captat 9
Dum cadam, ut tua ſint aves? 338
Duobus clavis figere 234
Duobus digitis primoribus 759
Duobus Dominis ſervire 752.753
Duobus malis reſiſtere difficile 740
Duobus pariter euntibus 98
Duobus pedibus fugere 257
Duobus pugnare noli 740
Duodecim artium 346
Duodecim ſalientum os 232
Duos inſequens lepores, neutrum capit 271
Duos fures non alit unus ſaltus 424
Duos parietes eadem dealbare fidelia 346
Duplex cappa 309
Duplices viros 346
Dupondii 130.133
Dupondii juvenes 304
Dura cervice [illegible]
Durandum 30
Durate ibid.
Durei equi ſpeciem praefert 352
Durior adamante 73
Duro flagello mens docetur rectius 211
Durum telum neceſſitas 523
Durus alloquiis 71
Durus & implacabilis 72
Durus & inexorabilis 110.738
Dux aut pater facti aut verbi 692
Dux caecus 112
Dux bonus bonum reddit comitem 218

E.

EAdem ancora nixus, qua vulgus hominum 627
Eadem cera 644
Eadem diſciplina contrariorum 746
Eadem menſura 369
Eadem menſura redde qua accepiſti 735
Eadem oberrare chorda 428
Eadem opera 122
Eadem penſare trutina 435
Eadem per eadem 679
Eadem queri 770
Eadem tibi & Pythia & Delia 671
Eamus Athenas 162
Eandem incudem diu noctuque tundere 315
Eandem tundere incudem 679
Eas Aſſon, ut citius ad exitii terminos pervenias 382
[illegible] 145
Ea tela texitur 118
[illegible] 74
Ebrietas & amor ſecreta produnt 433
Ebrietas abſque vino 277
Ebrius, inebriatus 414
Ebur atramento candefacere 17
Eburneis raſtris ſolum vertere, Ligonibus aureis terram fodere [illegible]
è canis podice 205
è cantu dignoſcitur avis 126
[illegible] 704
[illegible] 427
[illegible] 123
[illegible] 230
[illegible] 675
Echeti imperium 154
[illegible] 168
Echini duo primus amicitiam ineant 291
Echino aſperior 72
Echinus aſperior tetus 71
Echinus partum differt 489
Echinus parturiens cunctatur 492
[illegible] 146
[illegible] 432
è circulo 133
è clibano bovei 458.470
[illegible] 222
[illegible] 222
[illegible] 161.742
[illegible] 700
è Creta raptus 50
è crumena nobilis 135
[illegible] 583
E cubitis coenare 467
è cucumere bibere 508
è culmo ſpicam conjicere 126
è curſu revocare 658
Edacior purpura 516
Edax currus 80
Edax triremis 672
Ede naſturtium 397
Edentula 475
Edentula maxilla 634
Edentulus ſeptennis 405
Edentulus veſcentium dentibus invidet 424
Edere coctum ab alio 40
Edere fabas 745
Edere & bibere, utile 761
Edere neceſſitatem 533
Edicito tibi ipſe calendas 69[illegible]
Ediſcere Teucrum Pacuvii 170
Edit crochm 623
Edit ferrum 776
Edit marinum leporem 253
Editur terra, terra redditur 716
è diverticulo 365
Edoctus ſiniſtras literas 751
Edolare 152
è dolio haurie 600
è domo in domum 534
è duobus tria vides 412
è dumo ſerpens ejiciundus 213
è duobus malis minimum eligendum 129
Efficimus pro noſtris opibus moenia 508
Effodias Cyclaminum ad Halenta 670
Effoeminatorum etiam oratio effoeminata 116
Effoeta ſenecta 456
Effrons 316
Effugere omnes, difficile 170
Effugi malum, inveni bonum 100.568
Effulſit nova lux 593
è figlina regium currum conſcendit 593
è fimbria de texto judico 125
è flamma cibum petere 139
è fontibus haurire 680
Egens in turba verſetur 564
[illegible] 704
Egeſtas artes docet 567
Ego ac tu idem trahimus jugum 643
Ego ex bono in bonum traductus ſum 598
Ego faciam omnia more Nicoſtrati 472
Ego tibi de alliis loquor, tu reſpondes de cepis 35
Egredi de ſcammate 222
è gremio defluere 342
[illegible] 754
Eidem inhiantes teſtamento 283
[illegible] 129
è jure manu conſertus 754
Ejuſdem affectus 29
Ejuſdem muſae aemulus 647
Ejuſdem nota 29.641
Ejus dentes vel ſilicem comedere poſſunt 236
Ejus regulae non ſunt praetorum edicta 146
[illegible] 756
Elata manu 260
Elementum 558
Electro lucidior 58
Elephanti celerius pariunt [illegible]
Elephanti corio circumtectus 407
Elephanti culicem conferre 184
Elephantina olfacere promuſcide 611
Elephanti ſimilis 397
Elephanto das aſſem 695
Elephantum ex muſca facis 17
Elephantum ſub ala citius celes 291
Elephantus Indus haud curat culicem 138
Elephantus non capit murem 131
Eleuſinia myſteria prophanos celanda 676
Eleuſina ſervat quod oſtendat 511
Eligere mediam viam 512
Eligam vitam optimam 129
Elixare lapidem 337
[illegible] 101
[illegible] 403
[illegible] ibid.
Elleborum bibe 403
Eloquentia Attica 231
Eloquentia male ſine moribus diſcitur 234
Elucet egregia virtus 187
[illegible] 319
Emanſorem agere 360
è mari natus 74
è [illegible]aſſilia veniſti 411
Embarus es 388
Embarus ſum 404
[illegible] 670
[illegible] 768
è media flamma ſervare 592
è medio pellere 619
Eme lectum viri obaeraeti 633
Emendicata ſuffragia 523
Emendus cui imperes 450
Emere malo quam rogare 232
Eminent, cadunt 716
Eminus barbata ſalutanda 384
Eminus & cominus 123.438
Emolliti, enerveſque nati, in vitio manent 389
Emori riſu 622
Empedoclis ſimultas 558
Emptor difficilis haud bonum edit obſonium 83
Empuſa mutabilior 344
è mulctro bibere 600
è multis paleis paululum fructus collegi 323
Emuncta naris 429
Emungens acrius eligis ſanguinem 510
[illegible] 245
[illegible] 77
è naſſa eſcam petere 206
[illegible] 110
[illegible], ſummatim, ſumma facere 110
[illegible] 620
Encomium canis ante victoriam 13
[illegible] 761
[illegible] 341
[illegible] 546
Endymionis ſomnum dormis 665
[illegible] 109.110
E natali emortualem facere 18
è naevo cognoſcere 125
[illegible] 580
Encomium ante victoriam canis 13.239
[illegible], quarta luna nati 384
[illegible]. Divinus, deum fieri 195
[illegible] 694
[illegible], intra telum 211
Eodem bibere poculo 478
Eodem collyrio mederi omnibus 14
Eodem cubito 569
Eodem gradu occurrere 259
Eodem igne & aqua uti 284
Eodem in ludo docti 647
Eodem jugo urgeri 383
Eodem laborat morbo 648
Eodem luto fictus 559
è Patroclis domo venit 83
è paucis verbis ingens bonum aut malum 745
[illegible] 471
[illegible] 518
è pelle apparet 127
Epeo timidior 691
è Phelleo 83
Ephemeri vita 715
Epheſia litera 305

ἐφύ-

ἐφήμερος τῷ βίῳ 566
ἐφιάλτης 420
ἐπειδὰν τὰ ἀρχαῖα 129
ἐπαμφοτερίζειν 96
Epicureus 469
Epimenideum corium 456
Epimenidis ſomnus 665
ἐπιμηθεύς 635
Epimetheus non Prometheus ibid.
Epimetheus 611
Epimetheus & Prometheus ibid. 636
epiphyllides 698
Epirotico cane vehementius 552
epiſcythizare 460
ἐπιθυμόδειπνος 682
ἐπὶ θύραις ὕδωρ 318
E poculo perforato bibere 310
ἐπίσημος porticus 276
epulum Agamemnonium 382
ἐπίσιτος 89
epops cum cygnis certat 13.185
epula Thyeſtea 155
epulari Perſice 469
equa Theſſalica decernetur 182
elephantum ex muſca facis 17
equi Durei ſpeciem præfert 352
equi generoſi ſenectus 766
equina libido 415
equis albis præcedere 184.236
equis Eumeli magis conſimiles 649
equi ſenecta 285
Equi dentes inſpicere donati 526
equis iungere gryphes 23
equis ligneis inſidere 359
equitandi peritus ne cantet 625
equo ſeneſcenti minora ſicela admove 749
equites in campum provocare 343
equum in planitiem 595
equo inſidens loqueris 69
equum Scytha 660
equum Sejanum habes 375
equus ex aſino 556
equus in quadrigis, in aratro bos 684
equus me portat, alit rex 630
equus non eſt tam bonus qui non ceſpitet 776
equus poetæ, vinum 452
equus Probi 246
equus Trojanus 396
equus ſeſſorem rapit 37
equus Sophocleus 634
equus ſuo defraudatus pabulo, ignavus 391
equus Trojanus 397
eradere & adſcribere albo 161
Eraſinados 379
erat nemo Thaſius, an Chius 416
erecti 77
è re nata conſilium capere 638
è re eſſe 108
Erethrienſium rho 624
Ergini cani 633
erigitur coma 386
ἐρημοδικία 115
erynnis ex tragœdia 442
eripere manubrium 632
eripuit Turno 341
eris rex 28
eris melius 554
Eriſichthonis Metra mutabilior 344
ἐρινὺς τρικέφαλος 660
errare humanum eſt 518
errare tota regione 8
erra Siphnia 412
erronem agere 360
erroris ſcala 559
errorum Odyſſea 480.481
Erubuit, ſalva res eſt 363
eruca 319
eruditi oculi 611
è ſcala 549
eſca malorum, voluptas 414
eſcam hamo circumponere 354
es captus 496
ἐσχάτοις κακοῖς 477
è ſcilla roſa non naſcitur 557
è ſchola cantilena 739
ἐσθίουσιν ἰχθῦς 165
è ſcapulis enavigare 10
è ſcurra dives 388
è ſcurra facilius dives quam paterfamilias fit 312
es Embarus 388
Eſernius cum Pacidiano 646
es mulier 253
[illegible] 508
è ſpecula 581
è ſpinis uvas colligere 118
è ſquilla non naſcitur roſa 557
eſſe, bibere facere 414
eſſe in cortina 366
eſſe in curſu 271
eſſe in eadem arbore 125
eſſe in eodem valetudinario 211
eſſe in limine portus 623
eſſe in numero 148
eſſe in ſuo regno 632
eſſe intra quatuor 632
eſſe iuris Italici 454
eſſe nullo numero 147
ἐς τὸ φθόρου χωρίον 336
eſt in manu 597
eſt modus matulæ 511.513
eſt opera non mediocris 170
eſto promus 182
eſt Pylus ante Pylum 734
eſt tempus 546
è ſublimi me derides 165
eſurienti anima etiam amara dulcia videntur 236
eſurienti maza auro charior 235
eſurienti ne occurras 423
eſurienti leoni prædam excutere 272.273
è Tantali horto fructus colligis 333
Ethice & Iconice 234
è tardigradis aſinis equus prodiit 516
Et crimine ab uno Diſce omnes 118
è terra ſpectare naufragium 628
Et fama fuit, & erat 449
è thymbra non fit lancea 535
etiam batylum devorares 235
etiam capillus unus 13
etiam chorus inter olera 134
etiam dormiens ſomniat 731
etiam è vite rubus naſcitur 482
etiam in deorum cœtu 475
etiam inter vepres roſa naſcuntur 593
etiam moriuntur reges 709
etiam Hecate canis terretur 320
etiam mater & ſorores 556
etiam palea longo ex itinere oneri eſt 516
etiam quercus bacchatur 71
etiam ſaxa loquentur 452
etiamſi Cato dicat 180
etiamſi Iupiter vel rex magnus ſit 359
etiamſi lupi meminiſſes 672
etiam vetus arbuſtum transferri poteſt 350
Et me mater, &c. 586
& meum telum cuſpidem habet acuminatam 503
& nati natorum 210
& operam & retiam perdere 321
& poſt malam ſegetem ſerendum 230
& prædam & præmium 697
& puero perſpicuum eſt 381
& quondam ego fui 275
è Tragico comicum drama 482
Etruſcorum convivia 470
& Scellii filium abominor 551
è tribus malis unum 376
evadam Corylus 412
Evangelia immolare 540
evannat ad omnem auram 554
evaſit Barbarus inter Barbaros 517
εὖ πρᾶττε 715
Euclionis gallus gallinaceus 202
Euclionis ſordes 00
Eucrates 349
evehunt obolum ſuper deos 85
evellendi ex faſtis 160
evellere capitis capillos 166
evellere pedem luto 746
evellere plantam cœno 633
eveniat capiti 225
eveniat hoſtibus 224
eveniat ſive vertat bene 514
evenit malo male 725
eventus præter expectationem 591
eventus ſtultorum magiſter 599
è veſtigio 239
è vipera rurſum vipera naſcitur 558
evitata charybdi in ſcyllam incidi 493
Eum auſculta cui quatuor ſunt aures 612
Eumeli equis magis conſimiles 649
eundem calceum omni pedi inducere 14. 534.645.
euparypha narratio 233
Euparyphus ex comœdia 216
Euripus homo 345
Euripiſtos ibid.
Eurybatizare 308
Eurycles 414.490.553.614
Eurymnus 760
Εὔνεως ἐν μύλᾳ 698
ex academia venis 68
ἐξακανθίζειν 664
exacta via, viaticum quærere 17
ex adyto 246
ex adyto libri locutus 618
ἐξαγώνια, aliena à re 36
ex æquo partire 415
ex agro, ſive è rure 212
examen veſparum metuis Phrynicus, velut gallus gallinaceus 126
ex alieno littore gemmas petit 118
examen virtutum, voluptatum, &c. 100
examen voluptatum 105
ex amphitheto bibiſti 461
ex anguibus Andromachen concinnare 617
ex animo loqui 458
ex aphæreſeos curare 402
ex aſino equus 559
exaſcitare 152
ex aſpectu naſcitur amor 510
ex aſtris delapſus 104
exaudire imbrem ſub tecto 638
ex bono in bonum 598
excæcatus Cyclops 154
excedunt dii 385
exceſſus vituperamus, moderata laudamus 513
excidere à lineis 71
excedit, profluit 685
excipere leonem ſubula 28
excitare Mercurii virga 342
excitas lachrymas ſopitas 478
excitat ignem 492
excita vires tuas 123
excludere communibus oſtiis 619
excluſum antica, poſtica recipere 660
ex cohorte prætoris 27
excolantes culicem, camelum glutiunt 23
ex cortice de nucleo ſententiam ferre [illegible]
excoriat priuſquam mactarit 26
excubiarum gratia canens 744
excubias agere aut ditari 769
excubias agere in Naupacto 53.380
excuſationes non accipit certamen 208
excutere præcordia 122
excutere pulverem 149
excutere pulverem pedum 772
ex diametro oppoſita 178
ex eadem figlina 649
execrationes ſeveræ 475.125
execratio Thyeſtea 125
exemplum utile 772
ἐξ [illegible] 128
ἐξ [illegible] 680
exenterare 360
ex eodem gymnaſio 649
ex eodem lare 11.559
ex eodem ludo 649
ex eodem præſepi 648
ex eodem ore calidum & frigidum efflare 350.576
exerce juventam 258
exercere Geometriam in cilio 273
exercet Geometriam in ſupercilio 659
exercitatio domeſt. & umbr. 699
exercitatio poteſt omnia 75
exercere brachium 415
ex faſtis evellendi 160
ex fronte perſpicere 125
ex guſtu judicium 432
ex habitu bonum virum præ ſe ferre 126
ex hara profectus 13
ex harena funiculum nectis 294
exhaurire totum mamerta dolium 499

ex hoc

Ex his ægrotamus, quibus vivimus 740
Exigit & à flatu iis farinas 79
Exigua aqua majori interdum ſupernatat 189
Exigua etiã ſcintilla in tenebris micat 198
Exigua res eſt ipſa juſtitia 434
Exiguum malum, ingens bonum 557
Exiguum oboli precium 133
Ex Ilio me ducis 480
Exilu pra formicis 142
Ex illo convenis 520
Ex Iovis tabula teſtis 247
Ex ipſo bove lora ſumere 485
Eximere è manu manubrium 546
Ex inanibus paleis 328
Exitus fauſtus 740.760
Ex lithiaſi podagra 494
Ex itinere diverticulo non eſt ingrediendum in templum, neq; orandum omnino, etiamſi juxta veſtibulum ipſum tibi tranſeundum ſit 773
Exitii nulla ratio 684
Ex jure manu conſertum 714
Ex libro gubernatores 542
Ex minimis initiis maxima 557
Ex moderatis corpus bene habet 513
Ex natali amos tualem facere 18
ἐξ ὕπαγε 164
ἐξονυχίζειν, pro exacte expend. 262
ἐξ ὄνυχος 279.37
Exordiri telam 11
Exordium & prœmium rei 558
Ex ore lupi 208
Exorere Sol 342
Exorna aliud quippiam 37
Exornas ollam 20.322.735
Exornatum piſtillum 21
ἔξωρος 49
Exotica 428
Ex ovo prodiit 254
ἐξ ὕψους 108
Ex paleis manibus trituram facis 328
Expandere rete 360
Expandere utrunq; velum 244
Ex parva flamma minime ingens lux prodit 776
Ex patre malo nunquam bonus filius 556
Expecta anus 683
Expecta bos aliquando herbam 683
Expectare tibicinem 550
Expedit habere plura cogn. 349
Expellere furca, vel furcilla 619
Expendere, expenſum ferre, dependere, rependere, & ſimil. 744
Experientia rerum magiſtra 230
experiri omnia 123
Experiri ultima 223
Ex perpendiculo 344
Expers Veneris 371
Expertes invidentia muſarum fores 424
Ex Phalerno anſeres 516
Ex pharetra obſcura ſagittare 735
Ex Phelleo 83
Expiatis bona obtingunt 369
Explicato omni rudente 123
Explorator omnium temporis 454
Expolivit rudiculam 158
Ex poteſtate exiiſſe 768
Ex præteritis præſentia æſtimantur 610
Expuis in cœlum 486
Expumicare 152
Ex Pylo captivi 644
Ex quercubus & ſaxis nati 556
Exquirere trutina 204
Ex reliquiis conjicere 125
Ex ſcholis cantilena 700
Ex ſe fingit velut araneus 350
Ex ſe natus videtur 651
Ex ſinu illius 42
Ex ſolido enaſci 560
Ex ſtipula cognoſcere 125
Ex ſtercore aurum colligendum 482
Ex ſyngrapha agere 620
Ex teipſo hæc audis 152
Ex tempore dicere 629
Extibiatus ſenex 287
Extinguntur magis quam Heracliti ſol. 380.383
Extu pluit 108
Extra cachinnum ſit riſus 421
Extra calcem 7
Extra callem 210
Extra chorum ſaltare 35
Extra cantionem 36
extra circinum & regulam neſcio quidquã 422
Extra curriculum ferri 37
Extra fumum & undam 628
Extra jaculum 631
Extra illum ibid.
Extra lutum pedes habes 631
Extra mala poſitus admones 128
Extraneus bos foras proſpectat 135.659
Extra Noa arcam non eſt ſalus 633
Extra oleas 35
extra omnem aleam 632
Extra organum 176
Extra periculum ferox 632
Extra publicam viam ne deflectas 116
Extra quærere ſeſe 659
Extra ſcopum jaculari 127
Extra ſomnum 701
Extra telorum jactum 632
Extra viam viam currere 7.328
Extrema cera 542
Extrema claſſis 139
Extrema extremorum mala 376
Extrema inſcitia eſt, à voluptatibus ſuperari 416
Extrema linea 12.606
Extrema lineamenta 699
Extrema manus 364
Extremam imponere manum 575
Extremis digitis attingere 364
Extremum diem ſemper adeſſe putes 611
Extremum occupet ſcabies 706
Extremus actus fabula 571
Ex tripode dicta 264
Extrito pulvere decertat 708
Extritum ingenium 141
Ex tua officina 558
Ex vepribus nitedula 599
Ex viribus non amputaris ne libaris diis 758
Ex ulnis 385
Ex umbra in ſolem 368
Exunguare 382
Ex uno latere 431
Ex uno multa facere 62
Ex uno omnia ſpecta 126
Exurere mare 329
Ex uſu eſſe 108
Exuto homine, in feram tranſiit 155
Ex utroq; latere, &c. 431
Exuvium pardalis induere 353

F.

Faba cudetur in me 726
Faba alba 57
Faba florent 670
Faba nummus 522
Fabam & ſalem 43 46.65
Fabarum arroſor 78.393
Fabas ne comedas 623
Faber cadit cum ferias fullonem 7
Faber compedes quas fecit ipſe geſtat 488
Faber quum ſis 27
Faber fabro invidet 413
Fabilibus victitat 738
Fabis abſtineto 745
Fabis victitare 78.393
Fabri fabrilia tractant 230
Fabula ſupremum actum addere 571
Fabulam conſummare 263
Fabula Mileſia 468
Fabula prorſus evanuit 701.762
Fabula nunc ille eſt 146
Fac de neceſſitate virtutem 776
Facem accendere 491
facere apologum 476
Facere aut dicere delicias 417
Facere fucum 273 305
Facere longam literam 729
Facere pauſam 761
Facere totum 198
Facere verba oloribus 336
Facere vivere 453
Faciat tibi Dominus ſicut Ephraim & Manaſſe 772
Faciem laudares liver quoq; 414
Faciem perfricare 316
Facies tuos computas annos 455
Facile cum valemus recta conſilia ægrotis damus 39
Facile fertur quod omnibus commune eſt 116
Facile fuſtem inveneris qui cupit cædere canem 3[illegible]
Facilis partus 767
Facilius fit è ſeurra dives quam paterfamilias 312
Facinus & ſphaceli immunitatem 590
Facilius inter horologia convenit 204
Facilius quam Oreũ devicerint Bœoti 596
Facit abſentes deos teſtes 577
Facit iter ad ſcholam 776
Facit telum ira 475
Fac nidum unum una in arbore 49
Facta ad regulam & libellam 437
Facta juvenum, conſilia mediocrium, vota ſenum 33
Facta ſubalaria 411
Factis vult ſpectari Gracia, non verbis 259
Factum benè 386
Factum infectum fieri non poteſt 293.531
Factum tranſactum 202
Factum ſtultus cognoſcit 226.635
Factu proclivia jube 66
Factus eodem luto 559
Factus in Cybeles ſacrario 318
Facem bibat, qui vinum bibit 491
Falcem petenti denegabant ſarculum 21
Falces poſtulabam 35
Fallacia alia aliam trudit 480
Falſum probrum 113
fama doctus 701
Fama aliena incumbere miſerum eſt 749
Fama os claudere 632
Fama ex muſca elephantum facit 17
Fama loquetur anus 536
Fama tantum notus 701
Fama non temere ſpargitur 594
Fama prodit omnia 756
Fama vevis negatur 415
Fame argentea convivari 235
Famelicis nullus non ſuavis eſt cibus 531
Famelicus non interpellandus 235
Famem non ſedat ſplendida cœna 699
Fame mori miſerum 235
Famem pellere ſatius, quam purpura indui 776
Fames perit intervallo, & optime perditur 683
Famem peſtilentia ſequitur 236
Fames & mora bilem in naſum conciunt 235
Fames in pura immigrat 549
Fames magiſtra 55
Fames Meliaa 564
Fames maleſuada 236
Fames præter ſeipſam edulcat omnia 236
Fames multa docet 562
Fames optimum condimentum 445
Fames Saguntina 564
Familiam ducere 198.196
Familiaris dominus fatuum nutrit ſervũ 144
Famulus in agrum 989
Famis campus 564
Farcire centones 278.506
Farina ejuſdem 641
Farina noſtra 641
Farinam fugit quicunq; molã devitat 367
Farinam nondum coctam inſpergis 18
Farinam ſubigis prius quam pinſueris 26
Farinas exigit à flatus 79
Falces ſubmittere 345
Faſcinantium more laudare 703
Faſtigium imponere 571
Faſtuoſus Maximus 62
Fatale vitæ tempus exactum 457.766
Fata ſic illum trahebant 190
Fata viam invenient 533
Fatentis eſt ſilentium 501
Fatis adactus 512
Fatis imputandum ibid.
Fato miſelli 283
Fato non repugnandum 759

Fatum inevitabile 532
Fatum immutabile 532
Fatuos non invenis 618
Favere linguis 548
Favores convenit ampliari 776
Fauſtum & felix ſit lumen 554
Fauſtus exitus 740.760
Favus mellis in ord. leonis 397
Favum muſarum 747
Fecimus periculum 230
Fecit amor maciem 417
Fecit quod voluit ibid.
Fele rapacior 87.405
Feles Tarteſſia ibid.
Felices adſint ſuperi 554
Felices quod differant ab infelicibus 714
Felices ter 107
Felicibus ſunt & trimeſtres filii 217
Felici diplomate uti 599
Felici hora nihil optatius 109
Felicis cerebri 612
Felicitas à deo 103
Felicitas à funibus penſilis 206
Felicitas multos habet amicos 46
Felicitas temperantium, amicitia ſtabiliū 41
Feliciter ſapit qui periculo alieno ſapit 635
Felicium multi cognati 46
Feli crocoton 175.419
Felix Corinthus, at ego ſim Teneates 31
Felix dentium tenus 776
Felix & fauſtum ſit lumen 554
Felix qui nihil debet 734
Felix qui non litigat 776
Felix quem faciunt aliena pericula cautum 636
Felix turbinem proſpecta 608
Femur percutere 166.386
Feneſtram aperire, & ſimiles metaphora 545
Fera apis 312
Feram praturbare 240
Ferarum prandium 416
Feras agitare putaſti 504
Feras, non culpes quod vitari non poteſt 530
Ferens non fert 691
Ferent myrica citius poma 539
Feri puer 342
Ferire frontem 514
Ferire aerem 335
Ferire femur 166
Ferire frontem 514
Ferit geminas chordas 579
Ferociam ſatietas parit 746
Ferre ad manus 535
Ferre animum cœlo 69
Ferre frænum 31
Ferre in capite, oculis, ſinu 46
Ferre in cœlum 179
Ferre jugum 309
Ferre ore oleum 29
Ferre ſententiam ex cortice de nucleo 432
Ferreus 73.302
Ferreus, aheneus 70
Ferri extra curriculum 37
Ferri media agina 28
Ferri Pegaſeo volatu 246
Ferri remigiis Dædalæis 245
Ferri ſparſim abſq; ordine 422
Ferro dividere 188
Ferro praſtat, quam morbo mori 817
Ferrum, cum igni candet, tundendum 547
Ferrum e lit 776
Ferrum & flammâ 503
Ferrum ferro acuitur 569 762
Ferrum natare doces 321
Ferrum rex 710
Ferrum virum attrahit 295
Ferrum tuum nunc in igni eſt 546
Fertilior ſeges eſt alieno in arvo 424
Fert nebridâ 695
Fertur facile quod omnibus commune eſt 118
Fervet ollâ, vivit amicitia 47
Ferula manum ſubducere 430
Feſcennina licentia 318
Feſtina lentè 240.680
Feſtinans initio ſerius abſolvit 300
Feſtinantem ultro incitare 593
Feſtivus ſermo 756
Feſto die ſi quid prodegeris 601
Feſtucam ne move 72
Feſtucam ex alterius oculo ejicere 583
Feſtum multas habens 549
Fibulam laxare 318
Ficus cadunt in os comedentis 109
in fici oculis incumbunt 514
Fices vorat 85
Ficos dividere 83
Fictilis homo 714
Fictile Tenedium 700
Ficulna machæra 95
Ficulna mens ibid.
Ficulnum auxilium ibid.
Ficulnus 95.137
Ficulnus gladius 137
Ficum cupit 26
Ficum Mercurio 138
Ficus avibus grata 439
Ficus ficus, ligonem ligonem vocat 451
Ficus poſt piſcem 644
Fide hiſtorica 453
Fidere unius noctis glaciei 338
Fides Græca 577
Fides Punica 547.576.577
Fides oculata 148
Fides rara 179
Fiducia pecunias amiſi ibid.
Fidus amicus 44
Fieri deum 195
Fieri poteſt 55
Figere clavo trabali 221.257
Figere gradum 258
Figulus ollis anſas pro voluntate ponit 611
Figulinam de dolio diſcere 227.420
Figuli opes 770
Figulus figulo invidet, faber fabro 423
Figura & triobulus 365
Filiis terra 535
Filiorum generatione aurum habenti ne hæreſcas 774
Filius degenerans 162
Filius mihi ſit Tritogenes, non Tritogenia 733
Filius piſcatoris non eſt, qui ignorat quid ſit menuſe 304
Filius ſapiens qui patrem ſuum novit 533
Filius Tritogenes, non Tritogenia 732
Filix innaſcitur agris neglectis 286
Filum contentionis tunc erat 207
Filum nevîſti, & acu opus eſt 573
Fimo abjectior 142
Fimo ſuffitura factis 321
Finem Pyriſacies 758
Finem vitæ ſpecta 574
Fingere Tragelaphos 703
Fio obſcurus, dum brevis eſſe laboro 343
Firma valetudine nihil melius 109
Firmo & maximo progreſſu 122
Fixis oculis intueri 200
Flagellare opes 220
Flagellas mortuum 321
Flagello duro mens docetur rectius 211
Flagellum ipſe paravit quo vapularet 488
Flamma fumo eſt proxima 206
Flagitiorum turpis exitus 727
Flamma fumo eſt proxima 206
Flammam citius ore preſſeris 291
Flamma perſequeris quem genueras 153
Flamma ſine Vulcano 664
Flantibus ventis echon adora 773
Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo 123
Flere ad noverca tumulum 653
Flere ſanguine 442
Flet victus, victor interiit 706
Flocci non facio 148
Flocci non facio, aut flocci facio 130
Flocces demitte 27
Florens faba 670
Floret 198
Floret vitex, & betrus maturuit 689
Flos 194 317
Floſculus 262
Floctibus obloqui 335
Fluctuantium inſtar 56
Fluctus fluctum excipit 378
Fluctus cæco 496
Fluctus numerare 550
Flumina in terram commutat 233
Flumine adverſo 385
Fluminis in morem 245
Fluviali ſermone marinam abluit auditionem 33
Fluviatiles aves 470
Fluvii curſus non detorquendus 632
Fluctus mutus 416
Fluvio rivulum inducere 735
Fluvius cum mari certat 185
Fluvius non ſemper fert ſecures 273
Fluvius quæ procul abſunt irrigat 12
focus luculentus in ædibus 153
Fodere 342
Fodere latus 342.499
Fodere non didici 750
Fodere ſtimulis 142
Fœcunda de gente Meneni 407
Fœdum eſt & manſiſſe diu, vacuumque redire 272
Fœmina 252.467
Fœmina mortua non credendum 252
Fœmina nihil peſtilentius 252
Fœnerum fœnora 229
Fœnum eſſe 189.398
Fœnum habet in cornu 584
Folia cadunt, poſt cadent arbores 74
Folii ſimiles homines 715
Folio ficulno tenes anguillam 362
Folium Sibyllæ 246
Fons Dodonæus 350
Fons Dodonæus: Circes virga ibid.
Fons & radix 588
Fontes ipſi ſitiunt 261
Frondibus apros floribus auſtrum 490. 757
Fontibus omiſſis ſectari rivulos 15
Foras Cares, non amplius anteſteriâ 419
Foras famem 564
Foras proſpectare 222
Fores aperire 22
Fores habet tritas ut paſtorum caſa 284
Fores Muſarum candida 228
Forficibus binis tonderi 464.468
Foris habere pedem 300
Foris Helena, intus Hecuba 476
Foris oculatus 14
Foris enim non eſt 776
Forma regia 255
Formica camelus 187
Formica ineſt bilis 726
Formica ſemitam canit 222
Formica formicæ chara 742
Formica quoque ſua bilis 726
Formicarum nidos inſpiravit 492
Formicinus gradus 769
Formidoloſus 693
Formoſa & pudica 253
Formoſus in oſtio 25
Formoſus ſine pulchritudine 273
Formula cadere 754
Fornax ferrea 481
Fors domina campi 262
Fortaſſe 56
Fortes fortuna adjuvat 89
Fortes in tabula 187
Fortiorem te vita 292
Fortis in alium fortiorem incidit 727
Fortitudo contraria timiditati 260
Fortuna artem amat, ars fortunam 640
Fortuna ſui portento me involvit 378
Fortuna cornu 264
Fortuna novacula 746
Fortuna Caryſtii Callicratis 214
Fortuna æſtuaria 162
Fortuna Euripus 345
Fortunam neceſſariam terit 533
Fortunam præſentem boni conſule 605
Fortunam ſuis cuique mores fingunt 828
Fortuna non contenta ſemel nocere 00
Fortuna obeſſe nulli contenta eſt ſemel 00
Fortuna proſpera adverſa 754
Fortuna quem nigrum pinxit 594
Fortuna reddit inſolentes 584
Fortuna Romana 265
Fortuna ſucceſſum, experientiam laus ſequitur. 341
Fortunatior quam ſapientior 115
Fortunatior Strobilus Cartuni 575

Fortunatum domi manere oportet 221
Fortunatus ſapiens 608
Fortuna vertit clavum cuilibet 00
Fortunis ſuperat Larus 218
Forum bajuli vicani 370
Forum Cercopum 315
Foſſam determinare 579
Foſſa pariter & vallum 484
in foveam incidit quam fecit ibid.
Foves ſerpentem, & is te 492
Fracta vitrea 702
Fracti 464
Fractis auribus 595
Fragmenta Coloſſi 192
Frangere nervos 708
Fraternum dulce ſodalitium 124
Frater viro adſit 92
Fratrum ira acerbiſſima 552
Freno egere 203
Frenum non habet lingua 278
Fretis Acrior Adria 73
Fricantem refrica 596
Fricare caput 664
Frigida aqua ferventem ollam adſpergere 387
Frigida in Paro eſt aqua, ſed pulchra mulieres 482
Frigidam aquam ſuffundere 341
Frigidior Íalemo 371
Frigidior Salamandra 269
Frigidius Gallica glacie 738
Frigus inducit 372
Frondes fructuum expertes 306
Frondium crepitus leporem terret 694
Frons obducta 317
Frons occipitio prior 201
Frons perit 316
Fronte caperata 74
Frontem exporrigere, frontem contrahere 442
Fronte politus 661
Fronte vira aliquid facere 450
Fronti ocream, tibiæ galeam applicat 20
Fronti nulla fides 577
Frontis perfricta 316
Fructibus, non ſtadiis certare 216
Frugi homines omnia recta faciunt 756
Frugi homo 269
Frumentum in populum 28
Fruſto panis 132
Fruſtra amare, odio ne ſis fruſtra 48
Fruſtra canis 328
Fruſtra chordarum ciebis ſtrepitum 412
Fruſtra curris 328
Fruſtra eſſe 272
Fruſtra habet qui non utitur 12
Fruſtra Herculi 113
Fruſtra jacitur rete ante oculos pennatorũ 362
Fruſtra legit qui non intelligit 337
Fruſtra niti, dementia eſt 750
Fruſtratus conatus 121
Fruſtra vagari per longas ambages 337
Frutex 766
Fucum facere 273.305
Fucus 273.288.561
Fuere quondam ſtrenui Mileſii 274
Fuga tutior 205
Fuge ad corvos 334
Fuge procul à viro majore 205
Fugere manibus demiſſis 245
Fugere nemine perſequente 695
Fugere ſatius, quam male manere 776
Fugere utroq; velo 244
Fugientem inſequi 708
Fugientem quid inſequeris, præſentem mulge 605
Fugientes fumum, in ignem incidimus 494
Fugitivus 769
Fugitivum retrahere 204
Fugit longe, qui ſuos fugit 617
Fui & ego quondam 275
Fuimus Troes ibid.
Fuit cum muliere 416.
Fuit & Mandroni ficulnea navis 598
Fuit ſui facti index 765
Fulgur expelui 148
Fugitivum autem inſequitur fugiens 401
Fulicam cygno comparas 177
Fulmen Licynium & Licynii 154
Fulmenta lectum ſcandunt 22
Fulmenta lectum ſcandunt 238
Fulminis in morem 245
Fulmina bruta 394
Fumantem naſum urſi ne tentaveris 728
Fumi umbra 141
Fumoſæ imagines 534
Fumos vendere 697
Fumum olfacere 87
Fumum fugiens, in ignem incidi 493
Fumus 770
Fumus à ficubus 114
Fumus & ſomnium 702
Fumus pulchriorem perſequitur 756
Fundamenta jacere 571
Funditus, radicitus, &c. 422
Funditus ſubvertere 386
Fundo carens calix 601
Fundum alienum arare 325
Fundus quem paſſis mit. fun. 562
Funem abrumpere 194
Funem abrumpere nimium tendendo 510
Funem contentionis ducere 624
Funem ducere 194
Funem Ocni torquet 334
Funem reducere 527
Fungus putidus 142.766
Fungus 399
Fungus una nocte naſcitur 421
Funiculo lapidem applica 25
Funiculum ad lapidem 201
Funiculum ad reſtim 680
Funiculum miniatum fugiunt 502
Funiculum torquet Ocnus 730
Funiculus curarum 510
Funiculus triplex indiſſolubilis 124
Funiculus triplex non facile rumpitur 125
Funis nihil attraxit 271.326
Furacior hydrargyro 615
Furacior Neoclide 762
Furacior Simone 86
Furari apud fures difficillimum 643
Furari littoris harenas 16
Furari neceſſe viro eſurienti 532
Furca vel furcillis expellere 619
Furemque fur cognoſcit, & lupus lupum 644
Furere muliebre eſt 253
Fures clamorem 500
Fures ipſi accuſant 478
Fures nocte latent 560
Fures furibus 570
Furia Gallica 259
Furioſi manibus commiſſus gladius 176
Furis paſſu progredi 769
Furnus idem, idem duxit trochum 462.648
Furor fit læſa ſæpius patientia 510
Furtivæ aquæ dulciores ſunt 457
Furtiva opera 201
Furunculi in modum 768
Fuſio ſurdior 673
Fuſilis 278
Fy, ὗς 147

G

Galateam & Thetidem ſimul amare non potes 48
Gaditanum 463
Galba 626
Galerus aut navis 55
Galeam tibiæ, capiti ocream adaptare 20. 38
Galeam tibiæ, fronti ocream applicas 20
Galea Piſandri & ſupercilium 737
Galeritis omnibus oportet criſtam ineſſe 397
γαλκῶ γαλκῶ ὁρῶ 372
Gallam bibere 756
Gallica furia 259
Gallica glacie frigidius 738
Gallinaceus in morem trepidat 00
Gallinacei lactis hauſtrum polliceri 96
Gallinaceus Euclionis 203
Gallonius 462
Gallorum incuſare ventres 600
Gallos quid excæcas? 17
Gallus bibit neq; mejit: Myrmus non bibit, attamen mejit 355
Gallus gallinaceus Euclionis 612
Gallinæ inſilit 692
Gallus in ſuo ſterquilinio multum poteſt 576
Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt 59
Gallus ſubmiſſis alis 694
Gallus antequam iterum cantet 238
Gamma Betam perſequitur 204
Ganelo 523
Gangamon 578
Gangrænam addere 481
Gargara bonorum 101
Garrire optimus 275
Gaudere honeſtis, virtus eſt 197
Gaudia miſce curis 443
Gaudium dolori junctum 52
Gaudium pyrauſtæ gaudes 487
Gavia in ſtagnis 412
Gehenna mancipium 161
Gello puerorum amantior 49
Geminas chordas ferit 579
Gemina tondere forfice 447.468
Gemmas ex alieno littore petit 116
Gemmei mores 716
Generis ambigui homo 768
Generis aurei 395
Generoſior Cecrope 535
Generoſior Codro ibid.
Generoſioris arboris ſtatim planta cum fructu eſt 558
Generoſior Sparta 33
Generoſus ex crumena 135
Genialis dies 457
Genio indulgere 457.448
Genium defraudare 89.457
Genium habere aliquid 198
Genius malus 376
Genius Octavi 724
Genuinum dentem infigere 114
Geometriam exercere in ciliis 173
Genu ſura propius 603
Genua quum virent 687
Genuino mordere 474
Genuinum frangere ibid.
Geometriam exercet in ſuperciliis 659
Gephyrei & Gephyraſmus 625
Gerere bellum cum Protogene mortuo 113. 476
Gergeſeni 313
Geris bina crania & innumeros oculos 607
Germanus 650
Gerra 702.748
Geſtare hyænæ, hyenæ, & phocarum pelles 617
Geſtare oculis 738
Geſtare ſolem manibus 196
Geſtat oleum in ore 678
γιγάντων δρᾶμα 66
Gigantes 196
Gigantiſare 66
Gigantum pugna 624
Gigantum arrogantia 63
Gigantum fraterculus 537
γελᾶς ibid.
γογγύζειν pro querela loqui 136
Ginglymo verſatilior 355
γνῶθι σεαυτόν 282
Glabrior cucurbita 634
Glabrius Cari capite 504
Glacies unius noctis fidere 338
Glaciem ſcindere 11
Gladiator in harena conſilium capit 638
Gladiatorio animo 383
Gladium acutum averte 412
Gladium acutum avertas 208
Gladium dediſti quo ſe occideret 546
Gladium ne tollas mulier 91
ne gladium puero 178
Gladio plumbeo jugulare 134
Gladio ſuo jugulari 484
Gladius Delphicus 54.576
Gladius lorica 94
Gladius plumbeus in eburna vagina 176
Glande caſſa 134
Glandes mihi coquam 503
Glandibus victitantes 405
Glauci ars 505
Glaucum alter 601

Glan-

Glaucus comeſa herba habitat in mari 182
Glaucus poto melle reſurrexit 592
Glebæ arvum 24
Glebam quoque accipit ervo 446
Glire ſomnolentior 287
Glomerare inglomerabilia 335
glomi pro bonis 281.570
Gloria ad Herculeas innotuit uſque columnas 749
Gloria futuri 594
Gloria poſt cineres ſera 755
Gloriatur ſerra contra trahentem 391
Glorioſum apud poſteros 594
γλῶσσα δίοσι 357
Gloſſaria mortuaria 281
Gloſſa ſpides 280
Gloſſogaſtores 27
Glutiunt camelum, excolantes culicem 23
γλυκύπικρον 506
gnatum crudis menſis parum ſanus pater 22
γνώμη τῇ ἀρίστῃ κρίνειν 431
Gnomon & regula 429
Gordius nodus 170.709
γοργόνειον 192.67
Gorgonei capitis poſteritas 67
Gorgonem Perſeus aggreditur 189
γοργὸν βλέπειν 200.696
Graculi quando tacuerint, tunc canent cygni 231.690
Graculo abſente corvus pulcher 649
Graculo cum fidibus nihil 172
Graculo imperſuaſibilior 181
Graculus Æſopicus 659
Graculus graculo aſſidet 642
Graculus inter Muſas 174.516
Gradum conferre 159.583
Gradum limenque excedere 511
Gradum figere 259.583
Gradu primo 194
Gradus & ſchema 512
Gradus ſuccretus cribro pollinario 769
Græca fide 576
Græca fides 577
Græcia Græcia 101
Græcis & Barbaris, ſapientibus & inſipientibus 25
Græci Troja conando potiti ſunt 122
Græco more 458
γεγράφασιν ἐν φύλλοις 500
Grallator ius aut teſtud. grad. 769
Gramen lædet in nido alauda 592
Grande ſeni onus imponere 422
Grata brevitas 109
Grata novitas 536
Gratia nuda 47
Gratia gratiam parit 568
gratia non ducitur pœnitentia 282
Gratiarum horti ſunt immortales ibid.
Gratias Muſis commiſcere 232
Gratiis lita 620
Graves caſus decent rectiſſime 211
Graviora quam ab Archidamo Athenienſes 380
Graviora Sambico patitur 378
Graviſtellus 468
Gravius Ætna 413
Gravius quam ſit Trojam capere 169
Gregis ejuſdem 640
Gregis noſtri ibid.
Groſſiles Iuli inſtar 219
Groſſus maturus eſui ineptus 65
Grues lapidem deglutientes 201
Gryphes equis jungere 23
Gry 674
χύζειν 693
Gubernaculo caſtior 613
Gubernaculo purior 360
Gubernare clavum 00
Gubernatorem prudentem nox terret 209
Gubernatori ſomnolento ne benefacito 391
Gula plures occidit, quam gladius 468
Guſtu dignoſcere 00
Guſtum dare 00
Gutta cavat lapidem 76
Gutta fortunæ præ dolio ſapientiæ 85
Gutta vini 24
Guttam aſpergere 512
Guttam non habet ibid.
Guttatim ibid.
Gyaro dignum 91
Gygis annulus 98
Gygæopes 216
γύης 405
γυμνῇ τῇ κεφαλῇ 370
Gyrina rana ſapientior 398
γύργαθον φυσᾷς 334

H

Habe bonum animum 343
Habenas injicere 169
Habenas injicere 503
Habens commercium cum vulpe, dolos cave 608
Habens quatuor capita 467
Habere Caris loco 143
Habere in promptu 582
Habere manibus 220
Habere pilos ſerviles in animo 669
Haberi pro Cattabo 110
Habes Scythæ ... 662
Habet 618
Habet animum Teleſis 694
Habet arcam 217
Habet & muſca ſplenem 726
Habet lyngem 51
Habet manum in Ætolis 565
Habet menſem in fronte 659
Habet pedem omnium malorum 380
Habet quod deeſt 88
Habitare domos luteas 771
Habitus virum bonum indicat 126
Habui Chreme 275
Habuiſſe miſerum verbum ibid.
Hac nos Deus ipſe ducit 106
Hac nos Deus ducit 716
Hactenus potui, habui, fui 275
Hac urget lupus, hac canis angit 212
Hadriam retro fugit Aufidus 293
Hæc Helena 624.760
Hæc juſtitia 772
Hæc potior 187
Hæc videbis, & feres?, 217
Hæc vis eſt 481
Hæreditas ſine ſacris 763
Hærere apud Sirenas aut Lotophagos 465
Hæſitantia cantoris tuſſis 653
Hærere in iiſdem ſcopulis 9
Hæret aqua 55
Hæret in vado 578
Hæret in ſalebra ibid.
Hæſitatio Pyrrhonia 354
Halcedonia ſunt apud forum 630
Halopanta 762
Halopanta vel Halophanta 113
Hamaxiæ 60
Hamaxobii 226
Hamaxobeo inſtabilior 353
Hamo eſcam circumponere 354
hamus ſemper pendeat 230
Ha nimis fero corde 156
Hanc technam in te ipſum ſtruxiſti 484
Harena cedere 708
Harena copia 733
Harenæ mandas ſemina 321
Harena Lydia 217
Harenam deſcendere 218
Harenam metiris 322
Harena ſine calce 713
Harena cedere 707
Harmodii cantilena 439
Harmonia Dorica canere 59.124
Harmonia ſuilla 572
Harpocratem reddidit 675
Haſta Achillis 52
Haſta caduceum 54
Haſta & ſcuto 120
Haſta amentata 739
Haſtam abjicere 691.707
Haſtam altera, altera caduceum 576
Haſtas primas jactare 14
Haud annuncias bellum 540
Haud canit paternas cantiones 162
Haud contra oſtium 36
Haud curat Hippoclides 140
Haud impune vindemiam facies 115
haud perficiet 573
Haudquaquam difficile Athenienſem Athenis laudare 26
Haud ſolide 748
Haud unquam arcet æſtum 284
Haurire aureum lac 599
Hebræus nihil Hebræo, Catilina Cethego 651
Hecala pauperior 561
Hecalæ cœna 269
Hecatæ cœna 267
Hecatæ ſacrificant 68
Hectorem imitatu, ab illo nunquam recedas 561
Hedera laſcivior 571
Hedera nil opus vino vendibili 64
Hedera poſt antheſteria 636
Hedera tenax 121
Helenæ cibi 444
Helenæ crater 443
Helepolis 465
Hellebero amarius 395
Heraclitici 626
Heracliti dicta 543
Heraclius lapis 429
Herbam dare 707
Herbam porrigere 708
herciſcere 756
Herculana balnea 444
Herculana ſcabies 26.27.394
Herculani lecti 460
Herculanus morbus 395
Herculanus nodus 709
Herculea confidentia 416
Herculei labores 330
Hercules 219
Hercules æriam gloriam reliquit 198
Hercules animo, corpore Tydeus 358
Hercules contra duos 215
Hercules ... 191.419
Hercules & ſimia 187
Hercules hoſpitatur 682
Hercules in Lydia 38.466
Hercules Socraticus 415
Hercules malorum 136
Herculis ædem mulier non intrat 37
Herculis clypeus 198
Herculis columnæ 572
Herculis cornu 562
Herculis cothurnos aptare infanti 12
Herculis quæſtus 215
Herculis ſacrificium 20
Heri & nudius tertius 539
Heri ſacrilegi, hodie ſacrifici 530.683
Heri ſervus, hodie liber 599
Hermionis vita 629
Hermodorus verba importat 471
Hermonium officium 764
Hermioſi in campum 687
Hernioſus uſque ad gulam 408
Heroum filii noxa 162
Herus omnis ſervo monoſyllabus 153
Herum nemo pene gerit, niſi ſervieris bene 218
Heſiodi ſenecta 455
Heſperidum mala 478
Heterognatus es 459
Heteromolia cauſa 114
Hiantiæ ſepulchra 313
Hic bonorum virorum eſt morbus 594
Hibera nænia 698
Hic depone 63
Hic mulget hircum, ille ſupp. cri. 624
Hic rhodus, hic ſaltus 63
Hic telam texuit, ille deduxit 578
Hic belli initium 557
Hinc illa lachryma 362.358
Hinc illinc 359
Hinnire cum equis 662
Hinnire cum equis 662
Hinnulo timidior 694
Hinnulus ne cum leone partiatur 189
Hinnulus leonem 185
Hipparchi murus 672
Hipparchorum tabula 718
Hippocratica laniena 94.483
Hippocratica laniena 94
Hippocratis liberis cedit 663
Hippocraticis vinculis alligare 452

Hippodromica bona 715
Hippoclides non curat 140
Hippolyto caſtior 615
Hippolytum imitabor 612
Hippomene magis impius 309
Hypponacteum praeconium 475
Hirci cuculus 318
Hircos mulgens ſanguinem ducit 293
Hircoſus 149
Hircus Caricus 193
Hircum olet anus 751
Hircus Themnitarum 412
Hirquitallire 319
Hirſuto corde homines 73
Hirundo niſi plena non omittit cutem 695
Hirundines ſub eodem tecto ne habeas 390
Hirundinum muſea 276
Hirundo aeſtatem loquitur 554
Hirundo Thraicia labiis inſtrepit 302
Hirundo totos ſchoenos anteibit 185
His accedit 195
His lingua, at illis dentes 219
His Medus non inſidiabitur 628
Hiſtorica fide 453
Hoc age 202. 77
Hoc calciamentum conſuit Hiſtiaeus, Ariſtagoras induit 347
Hoc catone contenti ſimus 193
Hoc eſt quod palles 76
Hoc habet 496
Hoc tu mihi dices 743
Hoc jam & vates ſciunt 535
Hoc ipſo loco depone 63
Hoc municeps aut vicinus nunciavit 183
Hoc nihil ad jus 420
Hoc noveram prinſquam 155
Hodie nihil ſuccedet 371
Hodie nullus, cras maximus 598
Hodiernum da mihi, tu ſume craſtinū 467
Hoedum coquere in lacte matris 481
Holeribus agreſtibus victitat 686
Holerum appoſitiones 24.133
Holiter opportuna loquens 274
Holmus erit mihi tubile 607
Homerica obedientia 545
Homine exuto inferam tranſiit 155
Homine non ſatus 156
Homines foliis ſimiles 715
Homines frugi omnia recte faciunt 756
Homines nihil agendo, male agere diſcunt 550
Homines quoque Romae moriuntur 495
Homines ſicci 689
Homines Theſſalici 197
Homini aliud, aliud humanitati ſatis 159
Homini diligenti 200
Homini nihil utilius ſanitate 107
Hominis ſomnium 154
Hominum univerſa proluit pelagus mala 309
Homo 156
Homo ambigui generis 761
Homo bombylius 62
Homo bulla 712
Homo eſt 702
Homo Dei ludibrium 265
Homo fictilis, ficul puer &c. 714
Homo genibus elephantinis 69
Homo homini Deus 590
Homo homini lupus 180
Homo multum demiſſus & pinguis ſive ſpiſſus 57
Homo naris vel auris acuta 610
Homo novus 539
Homo omni exceptione major 198
Homo paucorum hominum 74
Homo plumbeus 671
Homo redivivus 482
Homo ſacra res homini 498
Homo ſemper contradicens 277
Homo Tenedius 430 575
Homo Thales 607
Homo treſſis 130
Homo triobolі ibid.
Homo trium literarum 134
Homo umbra ſomnium 712
Honora cum primis ficuram & aram, ficuram & triobolum 774
Honos alit artes 743
Honeſti nulla ſatietas 428
Hordeum Achilleum 258
Horis conſecratus 690
Horis omnibus nemo ſapit 263
Horna meſſis 108
Hordeo ipſo 447.600
Hordarii Muſae ne canant 596
Horti Alcinoi 191
Horti Gratiarum immortales 282
Horſus altera ſuccidia 106
Hoſpes indigenam 710
Hoſpes intempeſtate aut hyeme moleſtus 755
Hoſpes quiſquis profuturus eſt veniat 604
Hoſpitibus aliquid relinquito 600
Hoſpitis habenda cura 756
Hoſpitum cura habenda 284
Hoſtia Saturni 155
Hoſtia ſuccidanea 627
Hoſtimentum eſt opera pro pecunia 569
Hoſtes ſemper tales me inſequantur 151
Hoſtibus eveniat 224
Hoſtibus pectore notus 260
Hoſtis domeſticus 487.758
Hoſtis miſeraturus ſi vidiſſ. 376
Hoſtis miſerebitur 384
Hoſtis non hoſtis 391
Hoſtium munera non munera 180.523
Huic funis nihil attraxit 271
Hujus non facio 130.148
Humana conſilia divinitus gubernantur 129
Humanum eſt errare 518
Humeris ſuſtinere 744
Humeros licet perdas aquam incurvando 314
Humi canunt cicadae 677
Humi haurit 329
Humi ſerpere 713
Humor 389
Hyberno pulvere, verno luto 760
Hyberno pulvere, verno luto metere 690
Hybrida 146
Hydria magis varius 349
Hydram ſecas 326.479
Hydrargyro furacior 615
Hydriam in foribus 157
Hydropico nihil ſiccius 738
Hydrus in dolio 362
Hyems illico erit 480
Hylam inclamas 326
Hylam vocare 336
Hymettia nova, falerna vetera 759
Hypera omiſſa pedem inſequeris 36
Hyperbe retaa 663
Hyperbolo pejor 473
Hyperi vertigo 679
Hypſea caecior 111
Hyſtricis ſeta 475

I

Iacus 147
Iacere aleam 228
Iacere in eodem valetudinario 231
Iacere in fermento 426
Iacit ter ſex 106
Iacta eſt alea 228.230
Iactantia comes invidiae 424
Iactantia turpis 583
Iactare jugum 29
Iactus retis 341
Iaculari ſine ſcopo 23 340
Iaculo immiſſo fugere 474
ἰαλαμίζειν 171
Ialemo frigidior ibid.
Ialemo miſerior ibid.
Iam famam mimum fecit 701
Iam olim Oedipus cum ſit, aenigmata haud canis 625
Ἰαμβίζειν 473
A janua aberrare 6
Ianuam accepto damno claudere 23.421
Ianuam fama patefacere 545
Ianuam aperire ibid.
Ianuis apertis 284
Ianus 610
Ianus bifrons 11.200
Iapeto antiquior 634.743
Iapetus 751
Ibidem una trabe 00
Ibi tuber, ubi ver 87.508
Ibyci equus 11
Ibyci grues 724
Icci coena 87
ὁ χαίρων μηδὲν ἄγνοεῖν 282
Iciens ictus eſt 492
Iconice & Ethice 254
ἴκτιδος πελλὶς 145
Ictus oculi 245
Id devorandum tanquam lacte dulcius 30
Idem Accii quod Titii 648
Idem favus 644
Idem furnus, idem duxit trochus 463.648
Idem pulvis 645
Idem trahere jugum 29
Idem trahimus jugum 643
Idem velle atque idem nolle, ea demum firma eſt amicitia 49
Id maxime decet quemque quod eſt ſuum 526
Id non impone feres 504
Id nullius in bonis eſt, quod divini juris 730
Id quod in frumenti inopia, ervum 118
Id venti abripiant 541
Iecit Achilles duas teſſeras & quatuor 99
Iecoraria 498
Iecur, veſcentium jecinora exhilarat 630
Iejuna anima 516
Iejuna iracundia 426.427
Iejunium olere 516
Iejunium olet ibid.
Ignarium dare 342.469
Ignarus non tractet habenas 169
Ignavia generat ignaviam, ſtudium ſtudium 202
Ignavi nec ſaxum ex acervo tollerent 333
Ignavi quidvis tentant 286
Ignavis ſemper feriae ſunt 286
Ignavi vertitur color 692
Ignavum manu, mente praeſens 608
Igne aliud ferventius 491
Ignem diſſecare, diverberare 321
Ignem excitat 492
Ignem gladio ne fodito 430
Ignem igni ne addas 479.718
Ignem ne gladio fodito 439
Ignem palma 238
Ignem ſacrum inſtare illi nefas 312
Ignem ſpirat 427
Ignem ſtipula admovere non tutum 210
Igne eodem & aqua uti 284
Igne probatus 230
Ne ignifer quidem reliquus eſt factus 423
Igni ferroque minari 503
Ignis ad torrem 596
Ignis cineribus alitur ſuis 198
Ignis in medullis ardet 416
Ignis in vepribus 707
Ignis, mare, mulier tria mala 251
Ignis non extinguitur igne 479
Ignominiam protervia praecedit 491
Ignorantia ſcientiae inimica 304
Ignoras viam in forum 8.304
Ignotius quam maris Choes 340
Iidem ſumus 651
Iiſdem dimicare lineis 7
Iiſdem literis comoedia ac tragoedia componitur 53
Iiſdem numeris 569
Iiſdem veſcentes copiis 767
Ita qua ex trivio ſimile 144
Iliade prolixius 276
Ilia ille rumpantur 225
Ilias bonorum 277
ἰλιὰς κακῶν 277
Ilias malorum ibid.
Ilico hyems erit 480
Ilienſis tragoedos conducit 484
Ilio indigna verba 37
Ilio ſemper mala 378
Ilitus in fancibus 223
Illaudatus 310
ἰλλὰ κάτ 875
Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit 259
Illidere aſciam cruribus 758
Illo nec ſervus eſt nec arca 568

Illo-

I N D E X.

illotis manibus 684
illotis pedibus ingredi ibid.
illo reſpiciens, ſed hic remitte bona 657
illud devoravi imprudens 542
illud jam non quæro 422
ima ſummis mutare vales 587
imbecilla etiam ſe lædi putant, ſi tangantur 729
imberbis ſenes doces 24
imbrem ſub tecto exaudire 631
imbrem tonitrus antecedit 495
imbre terra gaudet 640
Imbrii & Lemnii 353
imbutus jam & contractus 358
imitari Chamæleontem 561
iμεjοίαγιτ 81.765
imis ceris eradere 541
imi ſubſellii 135
imitabor nepam 527
imitaris Hectorem, ab Ilio nunquam recedis 561
imitatur Thoryctionem 577
immanior Medea 115
immedicabile vulnus enſe recidendum eſt 496
imitior uva acerba 72
immolare boves 601
immolare Evangelia 540
immortales gratias umbo hortis 282
immunem venire 743
i modo, venare leporem, nunc ityn tenes 598
impari numero ſuperis, inferis pari ſacrificandum 614
impenſius uror 427
imparato pecula, amovet obicem dolio 493
imperator bonus, & idem robuſtus miles 764
imperatorum multitudo Cariam perdidit 217
imperito nihil iniquius 304
imperitus anaxyride indutus, omnibus id oſtentat 62
imperium Echeti 154
imperſuaſibilior graculo 181
impete peritum artes 334
impetere lingua 473
impiis non eſt pax 502
impingere in portu 7
implacabilis & durus 70.73
implorat Iolaum 93
impone Coloſſo Pygmæum 472
imponere extremam manum 575
imponere in eandem lancem 29
imponere ſeni grande onus 422
importuna benevolentia nullo differt ab odio 421
impoſſibilia captas 292
improbi conſilium in extremum incidit malum 724
improbitas muſca 90.514
improbitas compendiaria res 310
improbus labor omnia vincit 76
impudentior cane 316
impurior Phyſcone 411
impuro puram nefas contingere 177
in abſurde locutum 152.160
in acervum metere 193
in acie novacula 206
in ædibus eſſe 632
in Ægypto optaris eſſe potius 733
in aere piſcari 17
in Ætolis manus habet 565
in ære meo eſt 44
in Ætolis manus, mens autem in Clopidis 87.565
in agro ſurculario capras 177
in agrum ſervus 689
in albo eſſe 641
in altam terram transferri 528
in alta regione eſſe 36
in alieno plus quam in ſuo videt 39
in aliqua re eſſe 663
in alieno foro litigare 289
in alieno choro pedem ponere 38
in alieno munere 289
in alterum incidunt, dum alterum vitant 494
in angulo 348
inanem metuis metum 320
inanes 702
inanis conatus 334
inania multa in bellis 320
inanior leberide 111
inaniter aquam conſumis 316
inani ſpe flagrat 271
inanium inania conſilia 648
in antro Trophonii vaticinatus 440
in antrum haud legitimum, ſtimulum impingis 711
in annulo Dei figuram ne geſtato 765
in apes irruiſti 373
in Aphannis 540
in apio eundum eſt 11
in aqua hæret 578
in aquam hiante ore deſilire 123
in aqua ſcribis 321
in aqua ſitire 334
in aqua ſementem facis, jacis 321
in aqua turbida piſcari 88.604
in arctum cogi copias 151
in arduis cunctanter agendum 769
in area latitas 362
in armum accipias 586
in aſini aures canere 334
in aſtragalis nobilitas 534
in auro nomina incidere 219
in aurem dicere 547
in balneis locum occupare 193.199
in beatam 374
in beato omnia beata 672
in bello peccare bis non licet 428
in buccam quicquid venerit 277.685
in caducum parietem inclinare 272
in canis podicem inſpicere 111.542
incantatione quavis efficacius 472
in calceum dextrum præmitte pedem, in pedoniptrum autem ſiniſtrum 773
in capitolium aſcendere 443
in capras ſylveſtres 165
in caput præcipitari 711
in Care periculum 227
in caſſes incidere 355
in Catonium agi 381
in cavea minus bene canit luſcinia 452
incedere Dorice 318
incedere myrmice 685
incedere tanquam ſuper ſpinas 420
incendium abſque Vulcano 664
in Ceo quis dies 310
in centro & circumferentia contend. 370
incerta pro certis 00
in Cilio geometriam exercere 273
in cinere ſcribere 335
in cineres vertatur 225
incidere nomina in auro 219
incidere penitus 160
incidimus in ignem fugientes fumum 494
incerta quæ poſt vitam futura ſunt 341
incidit in foveam quam fecit 484
in Cilicium crocum 22
incipiens à Veſta 343
incita equum juxta Nyſſam 35
incitare currentem 595
inclama Myſorum more 181
in clamoſos 117
inclinant aſtra, ſed non urgent 535
incluſus puteo 170
in colla mulieres 215
in cœlo eſſe 104
in cœlum expuis 484
in cœlum ferre 197
in cœlum jacularis 327
in cœtu Gigantum commorari 66
in communi piſce non inſunt ſpinæ 413
in concuſſa columna 258
in concuſſa perſequi 314
in cornu eſt animus 663
in cornu eſſe 366
in cotyla geſtaris 768
in craſtinum ſeria 418
incrementum capere 599
increſcere cubiti ſpacio ibid.
incubare clauſis theſauris 87
in cubiculo nola 313
incudem eandem tundere 679
Incudi reddere 200
in culmo arare 514
incumbere alienæ famæ miſerum eſt 740
in cuneis ſedere 174
incurrere in diem atram 386
incurvice vicus 351
incus maxima non metuit ſtrepitus 151
in curſu eſſe 271
in cute 620
in cute præternavigare ibid.
In Cybeles ſacrario ſaltus 218
indagine cinctus 211
in debiles debilis incidit 272
in decorum viro forti fœmina necare 288
indeſinenter 206
indicio ſui facti fuit 493
in dictum puta 677
in diem atram incurrere 386
in diem vivere 89.629
in dies res in pejus ruunt 385
indigentia mater ſanitatis 269
indigere elephantina ſeu muſcida 407
indiges Archigenis 667
indignus qui illi calceos detrahat 186
indignus, qui illi matellam porrigat 140.186
in dexteram aurem 630
index aurum, aurum hominem 429
in diem vivere 630
indignus qui me vel aſpicias 186
in diem rectum 747
in diſcrimine apparet qui vir 90
indoctior monacho 303
indoctior Philonide 139
indoctior quam in tragœdia comici 305
indocto nihil iniquius 290
indoctus pater filium erudit 22
in dolio figularem artem diſcere 227
in dominum adferre dentes 390
Induere coturnices naturam 64
inducere caſſes 355
inducere rebus noctem 545
inducit frigus 372
induere pardalis exuvium 358
Induiſti me leonis exuvium 457.283
indulgere genio 457.468
in durum & implacabilem 72
Indus elephantus haud curat culicem 138
induſtriam adjuvat deus 367
induta ſolvis 00
indutus eſt omnem facultatem 564
in eadem arbore eſſe 125
in eadem es navi 205
in eadem regula canis dormitat 652
in eandem lancem imponere 29
in eandem naſſam 362
in eaſdem anſas veniſti ibid.
inebriatus, ebrius 414
in eburnea vagina plumbeus gladius 176
in encorali fune cor retinere 583
in eodem hæſitas luto, veſtigio 327
in eodem valetudinario eſſe 211
in eodem valetudinario jacere ibid.
in eo ipſo ſtas lapide, in quo præco prædicat 165
in elegantior Libethriis 284
inertes jactas voces, dat ſine mente ſonum 280
inertium chorus 158
ineſcare homines 596
ineſcari pecuniis 355
ineſt & formicæ & ſerpho bilis 726
ineſt nodus 170
inevitabile fatum 532
in exitium 374
in exitu cavitur ſapientia 609
inexorabilis 70
inexploratus homo 309
in fabis oberras 670
infelix cui omnia licent 387
infelix felicitas 140
in ferram tranſiſti, homines cauto 115
in ſitu & ſuper in tectum 182
in fermento jacere 426
inferorum triacadas 158
inferos cœlo miſcere, & terram mari 322
infirmo infirmior rure 140
infigere dentem genuinum 114
infinitus ſtultorum numerus 671

in,ſi-

in fixo aculeo fugere 474
in flammam manum mittere pudens 487
in flare buccas 442
in flare ſacrum ignem illi nefas 312
in flare vtramque tibiam 123
in flas rete 335
in flatum ſaliunt omnes ad vtrem 236
in flige plagam ab aratro 256
in fluit quod exhauritur 329
in folla offerre 536
in foribus adeſſe 237
in foribus vrceum 337.338
in formidoloſum 693
in foro noſtro res vertitur 262
in foro tuo res agitur 633
infortunatam virtutem diſpicere, miſerum 144.
in foſſa ruere 212
in foveam incidere 8.213
in foveam neceſſario decidit 495
in frigidum furnum panes immittere 324
in fronte mentem habet 659
infructuoſior Adonidis hortis 410
in fugitivum 769
in fumum abiit 700
in genio canis etiam ante canes 609
in genibus deorum ſita 429
ingens diſcrimen 209
ingens intervallum 172
ingens rerum multitudo 101
ingens telum neceſſitas 532
in glomerabilia glomerare 335
in gradum redire 259
in gratum reponere 194.578
in gradum rurſus ac lineas regredere 7
in gratiis, velim, nolim 55
ingratitudo vulgi 390.191
ingrato credita pereunt ibid.
invenient fata viam 552
ingredi Iunonium 61
ingreſſus balneum odium depone 553
ingruit tempeſtas 210
inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit 401
in harena ædificas 321
in harenam deſcendere 217
in herba eſſe 340
in herba luxuries 15
in herbis 666
in hoc calciamento pedem habet 393
inhibere remos 527
in holmo cubabo 607
in horas 630
in Ialemos adſcribendus 287
in idem conſpirare 741
in idem flumen bis non deſcendimus 245
injecta aqua more balneatorum abire 474
in igni nere 386
injici 156
injicere habenas 503
injicere manus Briarei 394
injicere ſcrupulos 694.737
injicere ſecurim 485.492
in iiſdem hærere ſcopulis 9
in iiſdem lineis dimicare 222
in ima cera 542
inimicus & invidus vicini oculus 423
inimico reconciliato non fidendum 180 523
inimicus contemptus 140
inire cum Muſis certamen 205
in integrum reſtituere 754
iniquum petendum, vt æquum feras 510
iniquus ne ingreditor 710
initiis mederi præſtat 10.637.
initio confidens, in facto timidus 692
initium belli 557
initium, medium, finis 9
in læva parte geſtas linguam 234
injuria à conſilio 314
injurato credere 181
injuria ſolvit amorem 49
in lapidicinas 374
in laqueo lupus 362
in laqueos incidere 211
in laqueum inducere 305
in lente vnguentum 176.418
in lenticula vnguenta 418.422
in leporinus 445
in leves auras, aut in fumum abire 702
In Libiam abire 381
In limine deficere, offendere 7
In limine potens eſſe 632
In lingua clavis 676
ad linguam quicquid venerit 277
In Lipſydrio pugnas 257
In luctu muſica importuna 22
In luto hæſitare 631
In luto ornamentum, in judno dignitas 21
In luſtris vivere 415
In Lydia Hercules 38 466
In Macedoniam 575
In Magnis & voluiſſe ſat eſt 121
In malis celeritas optima 747
In manibus eſſe 396
In manu 702
In manu eſt 397
In mari balneandus 407
In mari magni piſces capiuntur 449
In mari aquam quæris 15
In Maſſiliam naviges 462.757
In matellam immeiere 645
In medio relinquere 55
In medio Tybure Sardinia eſt 213
In me hæc cudetur faba 726
In menſem annum contrahis 587
In mentem quicquid venerit 277
In meridie vita philoſophantes 637
In miſeria aliena cruciatum proprium metis 754.
In montes offendere 631
In morbo conſumas 225.554
In morem fluminis 245
In multis poetæ mentiuntur 662
In mundo ad manum 596
In Muſtaceo laureolam quærere 61.66
In nare bilis 235
In naribus bilis 426
In navibus educatus 402
In navibus nutritus 383
in neutrum ire 206
In nihil faciendo incundiſſima vita 206
In nocte conſilium 199
In nocturna pugna 612
Innocuus alium aſpiciam, meum habentem malum 40
In Norvegiam aſſeres comportas 22
In nugas merſus 537
In numerato 596
In numerato eſſe ſeu habere 597
In numero eſſe 148
In numero vomentium 685
In numerum 690
In numerum pervenire 743
In numeros numeros 520
In occipitio oculos gerit 200
In occio tumultuoſi in bello ſegnes 20. 420
In oculis ferre 535
In ollis venari 561
In omnia potentes 587
In omni fabula & Dædali execratio 224
Inopia Iro pauperior, ſpe Craſo ditior 667
Inopi nullus amicus 46
Inops audacia tuta 91
In orbem circumiens 128.761.
In orci culum incidas 375
In ore atque oculis 535
In ore leonis favus mellis 397
In oſtio formoſus 25
In pace ire 453
In pace leones 20.420
In Panticapæum 711
In paguro ſapientia 609
In Parofrigida quidem eſt aqua, ſed pulchræ mulieres 482
In parte vel ignem prædetur aliquis 338
In parvulis nulla culpa 361
In pedes retrocedit 693
In periculoſo negotio non eſt dormitandum 208
In pertuſum dolium ingerere 81
In Piſa animum confirma 129
In planiciem equum 595
In Plauti comœdia machus 556
In populum frumentum 28
In portu dormire 632
In portu impingere
In portu navigare 627.6372
In prælio cervi. in pace leones 20
In profundo veritas 453
In promptu habere 582
In promptu poſita 597
In publicum morſu deum invocat 692
In puta fames immigrat 549
In puteo conſtrictus 151.578
In puteo cum cane pugnare 496
In puteo cum canibus pugnare 374
In Pythii templo cacare 505
In quadrum redigere 199
In quinque judicum genibus ſitum eſt 429
In rebus humanis nihil firmum 702
In regno ſuo eſſe 702
In re mala animo ſi bono vtare, adjuvat 29
In rem eſſe 108
In rem ſuam vertere ibid.
In repagulis ſtare 258
In rupes abigere 711
In ſaltu vno duos apros capere 733
In ſana laurus adeſt 723
Inſania aliena frui optimum 636
Inſaniam Oreſtis inſanire 772
Inſania non omnibus eadem 310
Inſani judices Index præceps judicium 432
Inſanior Labeone 68
Inſanire cum inſanientibus 544
Inſanit 417
Inſanus appenſis pellibus non curatur 495
Inſaturabile abdomen 437
In ſaxa abigere 712
In ſaxis ſeminas 325
Inſcitia confidentiam parit 685
In ſcopum intendere 222
Inſcribere cineri 335
In ſe deſcendere 507
In ſeditione vel Androclides belli ducem agit 742
In ſenem libidinoſum 419
In ſenem ne quod collocaris beneficium 391
Inſepelibilis ſtultitia 407
Inſequi fugientem 708
inſidens equo loqueris 69
Inſidere equis ligneis 559
Inſidet ſummis auribus 365
Inſidiæ quæ latent, magis nocent 394
In ſimpulo 548
In ſinu ferre 46
In ſinu gaudere 674
In ſinu manum habere 86
In ſinum deſpuere 313
In ſinum vertere 457
Inſipientibus & ſapientibus, Græcis & Barbaris 29
In ſola Sparta expedit ſeneſcere 416
In ſolem & pulverem prodire 750
Inſolentia Cilicica 311
In ſolum 144
In ſomnis quæcunque videntur 732
In ſpem fruſtratam 272.768
Inſperabilem vitam vivis 592
Inſpiravit formicarum nidos 491
Inſtabilior Hamaxobiis 353
Inſtar anguillæ lubricus 577
Inſtar apum 520
inſtar Corinthiacæ capræ 491
Inſtare viam rectam 25
Inſtar mergorum 755
Inſtar multorum, vnus 195.188
Inſtar nutricum Lamiam pueris objicientium 504
Inſtar Olympica turba 233
inſtar ovis 671
Inſtar Phœnicis reviviſcere 592
Inſtar veſparum 491
Inſtitores nugarum 537
Inſtitutio à puero 498
Inſtrepit labiis Threicia hirundo 135
In ſtrigmento anguilla 577
Inſtructa menſa venit 776
In ſtupidos 768
Inſuere in ſaccum vel culeum 315
In ſummo labro ſuſurrandum 250.577
In ſuo regno eſſe 732
In ſuperciliis Geometriam exerces 619
In tabula fortes 287
In ſummo clivo deficere 7

in ſylvam ligna ferre 317
Integer ſanguis 259
intelligenti pauca 610
intelligunt ſe mutuo, ut fures in nundinis 7[illegible]6
intemperiis aestatur 426
inter ipſa va benevolentia nihil à ſimultate differt 45.[illegible]7
Intempeſtiva Minerva 422
inter [illegible] convivium comes ſaltatio 415
in tempore cavenda poena mali 502
intendere in ſcopum [illegible]
intendere manus 708
intendere nervos 123
in tenebris gladium ventilare 624
in tenebris ſaltare 547
in te omnis domus inclinata recumbit [illegible]26
inter calicem & os 00
inter caſa & porrecta 683
inter caecos regnat ſtrabus 188
inter crura caudam ſubjicit 695
in tergore bovis dedit 72[illegible]
in tergoribus mensest 663
inter Corinthum & Sicyonem 411
inter indoctos etiam Corydus ſonat 134
inter inquilinos ceniers 567
inter lapides pugnabant 333
inter lugentes iocari 37
inter manum & mentum 262
inter malleum & incudem 206
inſanus appenſis pellibus non curatur 495
inter medios collocare 743
inter moerentes ludere 38
inter micros letores 695
inter os & offam 339
inter Orci cancros adhaſit 209
inter paſtores Daphnis primus 193
inter pocula 433
inter pueros ſenex 54
in terra pauperem 629
in terra eſſe 627
inter ſacrum & ſaxum 205
inter ſacrum ſaxumque 209
interjecta muſica 278
Inter ſeptimam 238
inter Soſias & Tybios referre 144
intervallo perit fames, & optime perditur 683
intervenit [illegible] 593
inter vitam & necem 209
inteſtina adolens ipſe carnes devorat 87
in toga 234
in toga ſaltantis perſonam inducere 19
intra januam eſſe 632
Intra Ilium 5[illegible]1
intra labra riſit 620
in tranquillo eſt 627
in tranſcurſu 364
in tranſennam inducere 396
in tranſitu 366
intra pelliculam tuam te contine 507
intra pietatis terminos manere 512
intra proprios limites conſiſtere 512
intra quadrangulum eſſe 632
intra quatuor eſſe ibid.
intra ſeptimam 238
intra ſuum praeſepes 629
intra teli jactum 631
intra telum 211
in triclinio choa 316
in triſti, exedendum 483
in trivio ſum 53
in triumphalem quadrigam a ſcapha 193
introite, nam & hic dii ſunt 203
in tua ipſius harena 289
in tuo luco & fano eſt ſitum 629
in tuo regno 629
in turpiſſima inſcitia verſaris 290
intus canere 602
intus & in cute 536
intus Hecuba, foris Helena 476
in tuto eſſe 632
in tuum ipſius caput 554
in tuum ipſius malum lunam deduces 486
in tuum ipſius ſinum inſpue 507
in vado 627
in venatu perit 485
inveni non quod pueri in faba 100
invenient fata viam 533
invenies aliam Galatheam 504
invenies ſemper vicinum 87
in vento & rapida ſcribere aqua 356
in ventrem inſilire 83
in ventis ex rationum necesſitas 369
in ventum non eſt reſpuendum 40
inventum Palamedicum 369
invertit veſtem 557
in via ne ſeces ligna 664
invidus vicini oculus 755
in vino veritas 450.452
inviſus diis hominibuſque 553
inviſus ut caeci porta 553
invita Minerva 151
invita Venere 337
in vitis canibus venari 328
invitos boves plauſtro inducere 329
invitus Iupiter movit 725
in ulcere unguis 439
in ulnis undarum 206
in ultimis terris 224
invocate abyſſus abyſſum 481
involuntarium venia dignum 361
in votis compotem [illegible]
Inus dolores 3[illegible]9
Inutilia verba ſine cera audire 357
inutilior blace 141
in utrumque paratus 537
in utramvis dormire aurem 630
in utramvis dormire oculum ibid.
invulnerabiles ſunt Deorum liberi 535
invulnerabilis ut Caeneus 706
in xyſto ſpatiari 750
iocari inter lugentes 37
ioca ſeriaque 555
iocandum ut ſeria agas 19
jocinora murium 506
joco eſſe 416
joco, non ſerio 537
jocus nequam 145
Iolaum imploras 93
Ionica chorea 459.620
Ionica verba & Corinthia 232
Ionice, pro laſcive 620
Io paean, Io triumphe 27
In Saturnalia 68
Iovem eſſe credere ſtultitia eſt 406
Iovem lapidem jurare 247
Ioves 763
Iovi paria intonat 67
Iovis auribus ſervare 724
Iovis Corinthus 198.678
Iovis dolia duo 754
Iovis germen 534
Iovis lac 444
Iovis & regis cerebrum 44[illegible]
Iovis omnia plena 148
Iovis quadrigis 236
Iovis ſandalium 62
Iovis ſuffragium 247
ex Iovis tabulis teſtis 247
Iovis taxilli ſemper feliciter cadunt 99
Iovis tergus 688
Ipes mali 646
[illegible] 411
[illegible] 68
[illegible] 68
ipſa bile amariora 72
ipſa dies quandoque parens quandoque noverca 261
ipſa olera olla legit 414.490.493
ipſa pelle prae te fers 455
ipſa res hoc oſtendet 22[illegible]
ipſa ſenectus morbus eſt 395
ipſe dixit 62
[illegible] 15
ipſe pariter cum liberis 191
ipſe ſemet canit 27
ipſe ſibi exitii author 491
ipſe ſibi mali fontem reperit 484
ipſe ſibi perniciem accerſivit 490
ipſe tu & liberi tui 191
ipſi curandum 24
ipſi teſtudines edite qui cepiſtis 488
ipſis & Chiis 42
ipſis placet 585
ipſo carpere è rogo coenam 566
ipſo cratere 491
ipſo horreo 447.600
ipſos cuſtodes quis cuſtodiet? 211
ipſum oſtii limen tetigiſti 24
ira Achamenta 416
ira agre ſeneſcit 426
iracundia jejunia 426.427
iracundior Adria 420
ira regum plus valet 728
ira ſenectus moris 427
ira Herculis 425
ira impedit animum 427
ira non perſpicere ratione audit 427
ira omnium tardiſſime ſeneſcit 552
ira ſenis 427
ira telum facit 00
irato diis 136
iratis Muſis ibid.
iratus deis 376
ire ad ſepulchrum 385
ire in pace 453
ire per extentum funem 168.743
irriſibilis lapis 439
irritare crabrones 438
Iro pauperior 561.667
Iſauricus 714
[illegible]
[illegible] 739
iſſa 3[illegible]5
iſthic vellus non carpitur 369
[illegible] 391.[illegible]55
iſthmum perfodere 322
Iſthmum ſinapi bibit 426
ita Deus voluit 108
ita fugias, ne praeter caſam 508
Italica menſa 445
Italica peſtis 314
[illegible] 257
iteranti culpam venia non danda 418
[illegible] 537
iterato veſtigium percurrere 759
iter infortunatum lepus apparens facit 380
iterum atque iterum ad Pythum via 678
iterum eundem ad lapidem offendere 428
iterum ludet, &c. 295
iterum tranquillitatem video 678
ithorks 200
itidem ut Acheronti 691
[illegible] 136
Itym nunc tenes, imodo, venare leporem 198
jube facta proclivia 66
jucunda & utilia 575
jubentis aperte loqui 449
jucunda malorum praeteritorum memoria 499
jucunda viciſſitudo rerum 510
jucundi acti labores 499
jucundiſſima navigatio juxta terram 510
judas non dormit 360
judex lentus & conſideratus ſit 434
judicia Caſſiana 433
judicia omnia abſolutoria eſſe 436
judicibus omnibus vincit 59
judicium, ante inquiſitionem praeceps judicium 432
judicium circulatorum 360
judicium ex guſtu 432
judicium praeceps, inſani judicis index 432
jugo eodem urgeri 383
jugo paria armenta 124
jugulare mortuos 15.474
jugulare plumbeo gladio 434
jugulare quempiam ſuo gladio 484
jugum lactare 29
jugum idem trahere 219
juli inſtar greſſiles 219
Iulio & Caeſare conſulibus 198
jumento ſuo ſibi malum accerſit 484.492
junceus [illegible]6
junco ſicco 757
jungere gryphes equis 23
jungere vulpes 25
junones 763
Iunonium ingredi 61
junonio inceſſu ambulas 157
Iunonis puer 406
Iunonium incedis ibid.
Iupiter aliquando pluit aliquando ſerenus eſt 254
Iupiter aquilam delegit 182

Iupi-

Iupiter hunc totis animis &c. 109
Iupiter inuitus novit 725
Iupiter nondum habet incurvam cervicem 342
Iupiter non omnibus placet 59
Iupiter orbus 15
Iupiter plue mel 733
jura, pudorque & conjugii ſancta fides fugiunt aulas 358
Iupiter quomodo duxerit Iunonem, novit 157
Iurare conceptis verbis 250
Iurare morbum 619
Iurare per braſſicam 247
Iuratiſſimus 250
Iuris Italici eſſe 454
Ius in manu 27
Ius in manibus 188
Ius in armis ibid.
Ius in prateritum dare 94
Iuſiurandum adactum 532
Iuſiurandum Aphrodiſium 249.700
Iuſiurandum emplaſtrum debiti 249
Iuſiurandum in ſummo labro 250.577
Iuſiurandum Venereum 251.248
Iuſtitia ne murum, an fraudis 128
Iuſtitia oculus 434
Iuſticia juſtior 434
Iuſticia per ſe exiguares 434
Iuſticia Prienenſis 435
Iuſticia in ſe virtutem complectitur omnem 434
difficile juſtum dolorem temperare 31
Iuvenari 437
Iuveneſcere cum Æſone 539
Iuvenes dupondii 304
Iuvenis 145
Iuventam exerce 231
Iuventa viribus pollet 437
Iuvenum facta, virorum conſil. 33
Iuvenum lancea, ſenum conſil. 33.607
Iuxta cubitum profecis 598
Iuxta fluvium puteum fodis 16
Iuxta Herodicum 472
Iuxta Lydium currum pedes 191
Iuxta cum ignariſſimis 289
Iuxta Mandrabuli morem res ſuccedit 350
Iuxta Melam 199
Iuxta ſacrificium ne incidas ungues 774
Iyngem habet 51
Iynges 294
Iynge trahor 50
Iuxta navem 525

L

LAbefactare munere 523
Labeone inſanior 68
Labia proluere 415
Labiis inſtrepit Threicia hirundo 302
Labiis ridere 622
Laboras meo morbo 618
Laboras eodem morbo 648
Laborat Manichais morbo 476
Labore laborioſus 376
Laborem ſerere 325
Labores acti jucundi 499
Labores catenati 377
Labor improbus omnia vincit 76
Labor prabet, quod natura negat 370
Labor ſenectuti optimum obſonium 367
Laborum curarumque neſcii vivunt 117
Labra, non palatum rigat 524
Labrax Mileſius 82
Labrum mordere 427
Labyrinthus 222.579
Lacena ſola viros pariunt 257
Lac avium fert Samus Ionica 219
Lac aureum haurire 599
λακκόπρωκτοι 216
Lacerat lacertum Largi argi mordax Memmius 736
Lachanixare, betizare 768
Lac gallinaceum 69.102.616
Lactada 411
Lacinia obtinere 264
Lacinia tenere 363
Lac lacti ſimile 643
Laconica claves 352
Laconica luna 681
Laconice cœnas 2[illegible]
Laconiſare 352
Laconiſmus 277.109
Lacryma Simonidis 381
Lacryma nil citius areſcit 341
Lacrymas ſopitas excitas 473
Lac ſenum 184
Lac Veneris 458
Lac Veneris, vinum 413
lacuna 382
lacunam explere 78
Lada pernicior 244
Ladere facile, mederi difficile 168
ladere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit 107
Laſi, inviſi & odioſi 555
laticia 443
Lavior ore vel rotundo 566
Lavior concha 565
Lamia turres 306.700
Lampada tradere 574
Lampon jurat per anſerem 757
de lana caprina 322
Lanam in officinam fullonis 16
Lancea juventum, conſilia ſenum 607
Lanei pedes Deorum 724
Laniena Hippocratica 94.483
Laniſta clemens, cenſor bonus 586
Lanius unus non timet mults oves 260
Lapide empti 165.303
Lapidem ad Spartam agentes 25
Lapidem decoquere 291
Lapidem elixare 337
Lapidem elixas 320
Lapidem omnem movere 110.228
Lapidem gutta cavat 76
Lapides ad filum 432
Lapides flere 442
Lapides loqueris 516
Lapidi loqueris 322.516
Lapis 325
Lapis ad funiculum 25
Lapis Lydius ſive Heraclius 429
Lapis molaris 668
Lapis ſuper lapidem 304
Lapitha 64
Lapſana vivere 83
Lapſus viribus 384
Laqueo ſuo captus eſt 484
Laqueum effugere 222.169
Laqueum mandare 134
Laqueus auxiliare videtur 481
Laqueus laqueum cepit 362
à Lare ordiri 9
Largis effice muneribus 524
Largitio non habet fundum 600
Lari ſacrificant 86
Larinum verbum 757
Lari vita 738
Larua & ſimia maxima 662
Larus fortuna ſuperior eſt 219
Λαρυγγίζειν 118
cum larvis luctari 326.473
Larus 749
Larus hians 82.402
Larus in paludibus 447
Larus parturit 270
Laſcivire ſine perſona 586
Laterem lavas 320
Lateritius 143
Late vivens 290
Latina libertas, Romana libertas 453
Latine loqui 251.454
Latiſſimus campus 582
Latitat omnino 544
Latrunculis ludere 355
Latum & anguſtum 536
Latum unguem, & ſimilia 75
Latumia Syracuſana 374
lavare alvum marſupio 602
Lavare aſino caput ſapone 337
Lavares Peliam 592
Laudant ut pueri pavonem [illegible]
Laudare aquum, capere tamen plus aquo 00
Laudare faſcinantium more 703
Laudare nimis mane 28.421
Laudaret faciem livor quoque 424
Laudat ſeipſam 386
Laudata pavone ſuperbior 68
Laudiceni 60
Lavi manus 619
Laverniones 81
Laureolam in muſtaciis quarere 61.66
Lauro clamoſior ac lenio 117
Laureum baculum geſto 103
Lauriotica noctua 215
Laurus inſana 623
Laus in ore proprio ſordeſcit 69
Lautitia 445
Laxa cervice 757
Laxare fibulam 318
Leana in itineribus 213
Leana non ſtatuar in machara 544
Leana procreatus, vel genitus 156
Leberide cacior, inanior 111
Lebeide novior 437
Leberide nudior 561
Leberide ſcabroſior 71
Lectum emo viris obarati 633
Lecytho pinguior 401
Lecythum habet in malis 273
Legatus non caditur, neq; violatur 247.631
Λήγειν κύριον 689
Legem patere, quam ipſe tuliſti 29
Legere conchas 329.549.617
Leges Draconis 153
Legibus ſoluti 454
Lyſiterſa carmen 443
Legit fruſtra, qui non intelligit 337
Lemnia manu 153.180
Lemnia manus ibid.
Lemnia bovis latera Athos celat 515
Lemnos & Imbris 353
Lemnium malum 64.377
Lemnius obtutus 64
Λεμφός, *Muccus* 669
Lens deus 678
Lente bos 728
Lente gaudere deſiit dives factus 597
Lenti 366.670
Lenticulam angulo tenes 292
Lentiſcum mandere 412
Lenti unguentum infundere 428
Leo chordula vinctus 640
Leoni mortuo barbam vellere 141
Leonina ſocietas 709
Leonis catulum ne alas in republica 709
Leo eſt foris 213
Leo in luſtro 397
Leonem ab ungue abſolvere 552
Leonem excipere ſubula 21
Leonem ex unguibus aſtimare 125
Leonem larva territas 320
Leonem radere 490
Leonem ſtimulas 490
Leonem videre, hoſtium pralia portendit 127
Leonem trahit lepus, aureo laqueo 522
Leones 260
Leoni eſurienti pradam exſculpere 172.743
Leonibus vulpes jungere 176.178
Leonis exuvium induitis 178.175.283
Leonis exuvium ſuper crocoton 17
Leonis loco murem oſtendis 270
Leonis ſenecta 184
Leonis veſtigia quaris 692
Leontini ſemper circa pocula 458
Leonum animos pra ſe ferentes 69
Leo prius, nunc leporem agit 354
Λέπαργος, λεπάργιος, λεπίζω 445
Leporem frondium crepitus terret 694
Leporem non edit 253
Lepores mœnibus indormire 288
Lepori eſurienti etiam placenta ſici 532
Leeporinus ſomnus 202
Leporis vita 630
Lepos Atticus 231
Lepus, alias Briareus 65
Lepus apparens infortunatum facit iter 380
Lepus dormiens 658
Lepus leonem trahit aureo laqueo 522
Lepus marinus 253
Lepus nidum ſuum prodit 491
Lepus pro canibus 208
Lepus pulpamentum quarit 18
Λεπτολογεῖν 85
Λεπτουργεῖν ibid.

Lerna malorum 577
Lernæ mali 307
Lesbia regula 438
Lesbiari 409
Lesbio digna 409
Lesbius cantor 186
Lesbius Prytis 607
λεσβιάζειν 188
Lethale mulierum 26
Levato velo de cauſa cognoſcere 434
Leucaus & ſcriptura non idem 547
λευκανθίζειν 603
λευκὴ ἡμέρα 207
Levior ſtipula 752
λευκόπυγος 197
Levi brachio 565
Levidenſe munus 156
leviora quibus aſſuevimus 484
levior ſubere 752
leviſſima res oratio 278
leve eſt laudis gratia 756
leviſſ rei graviſſima pœna 278
levitas deſultoria 560
lex Aphricani 544
lex & regio ibid.
lexis manibus 709
libanum in Carmelum 588
libera pharetra 416
liba Cereris 711
libera & Canadra aqua 452
libera & diverſa ubi libet 431
liberalis de alieno 40.447
liberi Deorum ſunt invulnerabiles 535
libera Hippocratis cenis 668
liber magnus, magnum malum 481
libera capra 216
liber poeta & pictores 432
liber non eſt, qui non aliquando nihil agit 549
libero electo nihil jucundius 450
liberorum amantior quam Gallo 49
libertas res inæſtimabilis 453
Libethris inelegantior 684
Libido equina 415
Lybitinarij 635
Libya ſemper adfert mali quippiam 549
Libyca fera ibid.
Liceat luce perire 747
Licentia Feſcennina 518
Licet Plato amicus, magis tamen amica veritas 453
Lichnobius 434
Licyny & Licynium fulmen 154
Ligna in ſylvam ferre 327
Lignea ſcapha 255
Ligneo equo inſidere 359
Ligneus 256
Lignum ligno adglutinare 324.680
Lignum tortum, haud unquam rectum 588
Ligula non dignus 138
Limam addere 00
Limen tenella 456
Limen oſtij tetigiſti 24
Limis oculis & tranſverſe tueri 513
λιμοδιψάς 563
Lineatis capus 671
Lindij ſacrum 623
Linea alba 511
à linea incipere 10
Linea inſiſtere 7
Linea extrema 22.606
Linealis neceſſitas 552
Lineam ducere 286
Lineam mittere 230
Lineam ne movere 435
lineas aliquas producere 7
lineas primas ducere 81
lineis claudere materiam 7
linge culos & crepidas 319
lingere ſalem 267.761
lingua bellare 693
litem incipere 623
lingua amicus 46
lingua his, at illis dentes 219
lingua impetere 473
lingua juravit 347
lingua lapſum verum dicere 450
linguam carere Deum imitans 773
linguam leva parte geſtare 215
in linguam quicquam venerit 277
lingua non habet frenum 278
lingua non redarguta 315
lingua præcurrens 278
lingua prædatur 577
lingua quidem ſegnis, ſed dextra vigens 258
lingua quo vadis 278
lingua ſocrum inciditur 281
linguarium dare 677
lingua vulpina 552
linguis mortui non imperant 758
linire parietem luto 270
linum candidum lucri cauſa ducis 81
linum lino nectis 324.680
lippis ac tonſoribus notum 581
lippo oculo ſimilis 514
lippus oculus ſolis radios non fert 503
liqueſcit voluptate 416
liquida tempeſtate liquidior 753
λῖτος 187
lis litem ſerit 479
lita 552
lita Gratiis 620
litem parit lis, noxa item noxam 480
litem movebit ſi vel aſinus canem momorderit 623
litem incipere 623
litem ne quære quum liceat fugere 549
litera muta 150
litera ſiniſtra 225
literam longam facere 729
literarum radices amaræ, fructus dulces 482
literas ſiniſtras edoctus 751
literatus 144
λίθος μύλινος 621
littoris harenas furari 16
littore loquacior 277
littori loqueris 322
lyterſam cantionem canis 441
livor in vivis 510
livor quoque laudares faciem 424
livor ſumma petit 425
loco virginis cerva 592
locrenſe paſtum 346
locrenſis bos 155
loculi mendicorum ſemper inanes 79
locum deſerere 703
locum in balneis occupare 199.193
locupletum reditus 746
locuſta prior bovem pariet 292
locuſta ruroſtris 549
locuſta ſtipularis 601
λογόμαχος 491
λογοδαίδαλος 279
λογοδιάρροια 279
λόγοι 359
λόγοι καλοί 281
λογομανία 701
λογοθήρατος 559
loiiginis ſuccus 474
lolio victitans 110
lolium à tritico repurgandum 161
longa dies conſumit dolorem 483
longa manus 205.652
longe fugit, qui ſuos fugit 617
longe lateque 270.617
longe vicit 747
longe viciſti 707
longe lineis ſieri 7
longis tibiis canere 323
longo ex itinere etiam palea oneri eſt 516
longum præmium audiendi cupido 678
longum valere juſſit 519
longuriones 402
loquacior citeria 278
λόγος ἀργός 210
loquacior Citeria 278
loquacior cornice 279
loquacior muſicis 281
loquacior turture 276
loquax talpa 397
loquere equo inſidens 69
loquere lapides 516
loqui ampullas 64
loqui cum Evandri matre 92
loqui neſcis, at tacere non poteſt 303
loqui oſce 195.317.414
loqui ſupra clepſydram 279
loquitur æſtatem hirundo 554
loquor dementi 334
loquor, quæ ſentio 57
lorica gladius 94
lorica ſeu corona inſtar 480
lorio 768
lorſpedem vectus derideat 165
lorum ex ipſo bove ſumere 483
lorum una cum cane 428
lorum guſtavit 294
luat in corpore, qui non habet in ære 750
lucanicis pluit 101
luce diſſolvuntur tenebræ 108
luce ſerere lucas 747
lucerna Ariſtophanis 100
lucerna Cleanthis ibid.
lucernam accendere poſſis 415
lucernam in meridie adhibes 12
lucernam olet 103
lucerna pinguior, & lecytho pinguior 401
lucerna qui indigent, oleum affundunt 269 281
lucernas oleo fraudare ibid.
lucerna ſublata, nihil diſcriminis inter mulieres 252
lucerna ſub modio 544
lucerna ſuper candelabrum 00
lucri bonus odor ex re qualibet 79
lucrum pudori præſtat 79
lucrum cape à ſubeunte navi 219
lucrum malum æquale diſpendio 394
lucrum undecunque captans 78.619
luctuoſum ſaxum 387
luculento ſinu 108
ludendum domi ſua 204
ludere inter mœrentes 38
ludere latrunculis 355
ludere operam 356
ludet iterum qui luſit aliquando 295
ludibrium Deorum 265
ludite 416
ludunt par impar 218
lumbis fractis ut Myſius aſinus 465
lumen 196
lumen ſoli mutuum 12
lumen ſoli inferre ibid.
luna radiis non matureſcis botrus 95.573
luna antiquiores 788
lunam in tuum malum deducis 486
lunam detrahere 486
lunula 352
lupa 319
lupus alas quæris 17
lupi decas 308
lupi à tergo, præcipitium à fronte 206
lupi etiam ſi meminiſſes 672
lupi illum priores viderunt 520
lupinum potum 239
lupi rapaces 156
lupis parcere 353
lupi venatus 325
lupo agnum eripere poſtulant 203
luporum catulos alere 390.488
lupum auribus teneo 578
lupus ante clamorem feſtinat 500
lupus aquilam fugit 500
lupus circum puteum chorum agit 270
lupus hiat ibid.
lupus in fabula 672
lupus lupum, fur furem cognoſcis 644
lupus Mileſius 82
lupus non curat numerum 81
lupus non emenaatur ſenio 390
lupus ovem prius ducat uxorem 290
lupus pilum mutat, non mentem 387
luſcinia decoli cantic 295
luſcinia ungui inſidentes 276
luſcinia ſomnus 208
luſcini minus bene canit in cavea 452
luſcinia Muſarum 190
luſcinia non canit in cavea 454
luſus quemeſcis legem, abſtineat 684
lutea progenies 144
lutea pro vilibus 714
luteus ibid.
luto eodem factus 559
luto pedem evellere 746
luto inſulentior 83
lutum luto purgare 479
lutum, niſi tunditur, non fit teſta 215

lutu in

Lutum niſi tundatur, non fit urceus 367
Lutum ſanguine maceratum 153
Lux affulſit 103
Lux non affulſit 593
Lux tenebra 22
[illegible] 751
Lychnobii 534
Lychnus in Prytaneo 432
Lycia coena 417
Lycophronis Alexandra, Deſiada ara 543
Lycurgeus 431
Lydia aranea 217
Lydi mali, poſt hos Ægyptii 309
Lydi mali, ſecundi Ægyptii, tertii Cares 313
Lydio more 409
Λυδίζειν ibid.
Lydium pſegma 217
Lydius currus 189
Lydius lapis 429
Lydo non erat negocium 485
Lydo ditior auro 213
Lydorum carica 446.510
Lydum in planitiem provocas 595
Lydus in meridie 409
Lydus cauponatur ibid.
Lydus oſtium clauſit 180
Lynceus 582
Lynceo perſpicacior 580
Lyra, lyra 535
Lyſis prorſum aberravit 6
Lyſicrates alter 215
Lyſiſtrati divitias habes 214
Lyttorſa carmen 443

M.

Μάχαιρα μαχαίρα 468
Machæra tibi eſt; & nobis machæra 503
[illegible] 476
Machinamentum Megaricum 349
Machinas poſt bellum adferre 681
Machinatur 123
Macilenta manus pinguem pedem 562
Macilentior Leotrephide 83
Mactata hoſtia lenior 498
Macilentior umbris 395
Mactata veniet lenior beſtia 498
Macte virtute 59
Macula, labes 751
Maculas non deponit pardus 389
Maduſa 96
Mæandri 752
Majonica dicteria 473
Magadari 578
[illegible] 3[illegible]
Magdalia canem alens 132
Magis calvus ſerenitate 172.566
Magis extinguetur quam Heracliti ſol 380 383
Magis garrulus cornice 279
Magis gaudet eo qui ſenectam exuit 442
Magis impius Hippomene 309
Magis ipſe Phryx 27
Magis latet os, quam maris arena 304
Magis mutus quam perdix 279
Magis mutus quam piſces 675
Magis nocent inſidia qua latent 397
Magis phantaſticus quam Papa mula 358 686
Magis quam ſol Heracliti 754
Magis quam ſol Heracliti, extingui 180
Magis ſibi placet, quam Peleus in machæra 03
Magis ſpectandum quid liceat, quam quid expediat 431.430
Magiſtratum gerens, audi & juſte & injuſte 19
Magiſtratus virum indicat 226
Magis varius quam hydra 319
Magna civitas, magna ſolitudo 506
Magna loqui 584
Magnetis more attrahere 486
Magnetum mala 377
Magni piſces parvulos comedunt 67
Magnus 763
Magno flumini rivuulum inducere 735
Magnorum fluminum navigabiles fontes 558
Magnum os anni 216
Magnus annus Platonis 392
Magnus liber, magnum malum 481
Magnus verſator in re puſilla 348
Majore cura tuenda, quæ parta ſunt 606
Majores pennas nido extendere 63.756
Major omni exceptione 250
Major ætate, major iniquitate 396
Majus tuum putas naufragium 384
Mala attrahens ut Cacias nubes 485
Mala avis 598
Mala beſtia 313
Mala bona 242
Mala conciliant homines 45
Mala extrema extremorum 376
Mala malis eveniunt 725.771
Mala mens 314
Mala proditio 727
Mala ſenium accelerant 494.633
Mala turba inexpugnabilia 251
Mala ultro adſunt 376
Malam legens, quæ ſunt domi oblivisſcere 208
Male conjugati 252
Maledicentia ſtultorum theſaurus 477
Maledictus à maleſico non diſtat, niſi occaſione 477
Male parta, male dilabuntur 727
Maleſuada fames 2.6
Mali bibunt improbitatis facem 718
Malitia varia eſt 756
Mali commatis 307
Mali corvi malum ovum 557
Mali fontem ipſe ſibi reperit 484
Mali paſtu nunquam bonus filius 356
Mali principii malus finis 215
Malis avibus 98
malis ferire, petere 521
malis mala eveniunt 771
malis mala ſuccedunt 377
malis non cedendum 90
malis tripes mali ſpes 646
malis ter mala 727
mali viri honeſta oratio 14
mali viri inutilia munera 180.523
malo accepto ſtultus ſapit 635
malo aſino vehitur 378
malo mala evenit 725
malo nodo, malus cuneus 479
malo nodo, malus quærendus cuneus 648
malorum abyſſus 463.480
malorum aſſuetudo 481
malorum corbis 481
malorum eſca, voluptas 414
malorum hydram 481
malorum Ilias 377
malorum Lerna ibid.
malorum mare ibid.
malorum meminiſſe 541
malorum oblivio 541
malorum omnium pedem habet 341
malorum panegyris 380
malorum plauſtra 481
malorum ſoracus ibid.
malorum theſaurus 377
malo uni obnoxium eſſe præſtat quam duobus 480.505
malum ferens, ne tamen edas 711.774
malum ad ſe attrahens, ut Cacias nubes 485
malum bene conditum ne moveas 490
malum bono penſatum 482.736
malum conſilium 487
malum eſt bonum 419
malum foras 164
malum Hercules 136
malum malo ſanare 650
malum ſeditione egens 495
malum lucro conjunctum non eſt malum 79
malum lucrum, æquale diſpendio 394
malum malo medicari 479
malum munus 523
malum neceſſarium 52
malum vas non frangitur 266
malum apparere quam eſſe 662
malus choraules bonus ſymphoniacus 283
malus cum malo colliqueſcit voluptate 143
malus de malo theſauro cordis profert mala: bonus bona 549
malus janitor 363
malus malum reperit 728
malus ne quis ingreditor 710
malus nullus hoc ſtetet 168
malus poeta, pro eleganti medico 528
malus ſub aquam 375
mamacutha 408
[illegible] 718
manci pera 703
mancipio dare 448
mancipium gehenna 161
mandare laqueum 1:4
mandibulis alienis videre 622
mandrabuli in morem 21
mandrabuli more res ſuccedit 161
mandragoram bibere 545
mandrons fuit ſcultea navis 598
manduces 235
manducones 306
manducus 148
manenti vincendum, aut moriendum 256
manere bonum, difficile eſſe 170
manet alta mente repoſtum 500
manere in ſua claſſe 703
manij Aricia multi 535
manibus demiſſis fugere 245
manibus habere 210
manibus nihil non fit 133
manibus pedibusque 119
manibus ſolem geſtare 198
manibus velatis orare 164.743
manibus viſcatis 358
manica 186
manichæi morbo laboras 476
manivoro vinculo 515
manliana 372
manliana imperia 152
manſiſſe diu, & vacuum rediiſſe, fœdum eſt 272 272
manſum ex ore dare 49
manſum male rejicias 105
mantello revoluto 619
mantellum 728
mantica in tergo 583
manticulari 273.767
[illegible]: locuſta ſtipularum 608
mantiſſa obſonia vincit 191
manum te vidit 703
manu admota Deum invocandum 203
manu altera trahere, altera repellere 577
manuari 752
manuarium as 383
manubrium ad perditam ſecurim abjicere 672
manubrium eripere 632
manubrium è manu eximere 546
manu elata 260
manu fingere 367
manu ignavus, mente præſens 608
manu longa & manu brevi tradere 249
manu lyram pulſare, non eſt cujusvis 33
manum admoventi fortuna eſt imploranda 367
manum admovere 603
manum ad os apponere 675
manum de tabula 508
manum extremam imponere 575
manum ferulæ ſubduximus 430
manum habere ſub pallio 444
manum non verterim 131
manum poteris, & pedem porrigit 28
manum porrigere 94
manum prehendere, amplecti 606
manum prudens mitte in flammam 487
manus Briareo injicere 394
manus conſerere 714
manus dare, ſive tollere 708
manus deploratis vulneribus admovere 25.422
manus diſſolvi 755
manus in Ætolis habet 565
manus in Ætolis, mens autem in Clopidis 87.565
manus in ſinu habere 86

manus intendere 708
manu ſiniſtra utitur 359
manus longa 205.611
manus ipſa plerumque re præſtat 370
manus lavi 619
manus multæ onus levius reddunt 92
manus Pæonia 94
manus porrigenda non confuſis digitis 240
manus priſca 193
manus pura 161
manu utraque cadere 619
manu ſerendum, non thylaco 50..681
manus pretium 368
manus manum fricat lavat 568
manu utraque adeſſe 447
Mapalia mora 420
mappam mittere 689
Marcus 434
mars 434
Marci Grunnij Corocotæ Porcelli teſtamentum 775
mare amnium non indiget 106
mare aſcendat qui neſcit orare 776
mare Atlanticum cotyla exorbere 293
mare aureum 470
mare bonorum 100
mare cælo confundere 122
mare cælo miſcere 122
mare exhaurit 329
mare inexpugnabile 251
mare malorum 377
mare prius vetem tulerit 291
mare proluit omnia mortalium mala 309
mare ſalſum eſſe, è paucis guttis cognoſcitur 115
margites 398.671
maria & montes polliceri 472
mariandynus tibicen 380
mari aquam addere 327
mari e foſſa aquam 18
marinam auditionem fluviali abluit ſermone 33
maritimi mores 347
maritimus quum ſis, ne velis fieri terreſtris 529
mars communis 339
mars haud concuti ſua ipſius arma 647
mars initio laudatus ob filios 393
mars rex 710
marſya mors 154
marſupia amantium folio porri vinciuntur 52
marſupio alvum lavare 602
marſupium anima ſervitus 640
martem tueri 60.443
marte noſtro 92
maritalis affectio 51
martis campus 711
martis pullus 90
μάρπτ' ἀγαθόν 689
maſchalam tollere 462
maſculum 256
maſſilienſes mores 36.468
maſſiliam naviges 254
[illegible] 355
matella immeiere 645
mater benevolentiæ ſimilitudo 651
materia proba probus artifex 368
materia proba, probo artifici 152
mater ſanitatis, indigentia 269
mathuſala vivacitas 457
matiolæchus 71
matrea belluam alit 425
matrem ſequimini porci 459
matris filius 711
matris ut capra dicitur 532
ματτυάζειν 445
matulam porrigere 140.186
matura ſatio ſæpe decipit, ſera ſemper mala eſt 239
maturè ſis ſenex 455
maturior moro 596
matutinum oderunt, veſpertinum amant 352
mavult perſonam quam faciem 659
maxilla edentula 634
maximo & firmo progreſſu 122
maza eſurienti 605
maza eſurienti auro charior 335
mazam pinſuit à me piſtam 118
mazam ſcarabeo 85
maza poſt panem bona 655
mazonomon canto 454
mea eſt pila 707
mea vita 651
mechanici 148
me cu[illegible] amantior 155
me debitor ſpongia 530
media agina ferri 19
mediam viam eligere 512
medica menſa 466
medice cura teipſum 12
medice qui vivit, vivit miſerrime 395
medici ex commentario 304
medicus multorum inſtar 130
medicus oratio animo ægrotanti 45
mediis verſatur in undis 213
medii aliquid relinque 650
medium oſtendere digitum 124
medium ſequere 512
medius teneris 362
medullam relicto cortice exquirere 203
megabyzi ſermones 66
medullitus 49
medus hic non inſidiabitur 618
μέγα θεοῖς 584
μέγα θησαυρὸς ibid.
megarenſes neque tertij, neque quarti 138
megarenſibus nunquam 399
megarenſium lachryma 612
megarica machina 79
megarica ſphinges 79
megaricum machinamentum 349
megaricus riſus 622
meis auſpiciis 93
meis telis vulneror 484
melampygum ne incidas 207
melanione caſtior 613
melanthio delicatior 464
melanurum perca ſequitur 608
meliacum navigium 277
melias fames 560
meliore lapillo 54
meliores naſciſci aves 598
melioribus lapillis ſignandi 740
melioris nota 59
melitæus catulus 361
melitide ſtultior 401
meliti & Anyti 719
melius erit 554
melius nobis eſt quam heri 598
mella poetica 211
mellea præfocatio 658
melle dulcius 389
melle litus gladius 657
melle poto Glaucus reſurrexit 592
melle teipſum perunge 404
mellis medulla 445
mellitum venenum 658
mellitus 51
mel pluit Iupiter 733
mel ſatietatem gignit 680
mel ſummis digitis attingendum 511
μὴ κινεῖν 682
meminiſſe iuvat 542
memorem compotorem odi 540
memorem monere 337
memorem mones & ſimilia 328
memoria benefactorum 281.749
memor ſupra Simonidem 499
me mortuo terra miſceatur incendio 36
mendacem memorem eſſe oportet 757
mendacium Phœnicum 305
mendacium utile 774
mendax Atraphaxes 585
mendici pera non impletur 79
mendico ne parentes quidem amici ſunt 564
mendici loculi ſemper inanes 79
mendicus etiam plurimum in loco poteſt 134
Menecles alio, alia porcellus loquitur 35
menta columna 742
menſa Agamemnonia 380
menſa Alcinoi 460
menſa Britanna 461
menſa Ciceroniana 191
menſa communis 47
menſa amici ibid.
Menſa Aſiana 446
Menſa Sicula ibid.
Menſa Italica ibid.
Menſa Perſica ibid.
Menſa inſtructa venit 776
Menſam detergere 551
Menſa Medica 466
Menſa ſolis 220
Menſa Tantali 710
Menſa Thyeſtea 154
Mens abeſt in popina 412
Mens animi pervigilat 654
Mens cæli terræq; regina 764
Mens cuique Deus 544
Mens eſt in tergoribus 663
Mens læva 712
Mens non ineſt Centauri 557
Mens peregrina 76
Mens videt, mens audit 582
Mens volat 77
Menſe Maio nubunt malæ 418
Menſura aquam bibens 413
Menſura eadem redde, qua excepiſti 735
mentam belli tempore neque ſerito, neq; edito 418
mente agitare coquos 414
mentem exagitat conſcientia 5[illegible]
mentem habet in [illegible] 619
mentem non habet qui non iraſcitur 670
in Mentem quicquid venerit 177
mente præſens, manu ignavus 608
mente senex 609
mentis bonæ bona opera 557
mentis vitio læſa figura 589
mentiuntur in multis poetæ 662
mentiuntur multa cantores 697
mento trahere 658
meo arbitratu 405
meo laborat morbo 648
meos corymbos necte 36
mera Mapalia 420
mercator eſt 604
mercator naviga & expone 59[illegible]
mercenarium præconium 25
mercenarius 704
mercenarius præſtolatur finem operis ſui 704
merces amico conſtituatur 750.762
mercuriale 591
mercurii antrum 203
mercurii catena 235
mercurii typus 232
mercurii virga 521
mercurii virga excitare 324
mercurio dextro 554
ne mercurio quidem credere 179
mercurius bifrons 650
mercurius communis 448
mercurius infans 15
mercurius non è quovis ligno fingitur 525
mercurius ſupervenit 672
mercurius triceps 55.662
meretrix puxicam 25
mergorum inſtar 755
meritorum veterum obteſtatio 282.743
meritorum cumulus 104
meropes 358
merrha ac Siloam flumina ſeiuncta ſunt 171
merſus in nugas 537
merx ultronea putet 138
meſſem miſeram metere 727
Meſſena ſervilior 404
meſſe tenus propria vivere 507
meſſis in herba 00
meſſis tempus boves expectantes 203
metam præſtituere 109
metere in acervum 205
methyſocottabi 400
metes & feri 25
metiri cubitis, ut Nili incrementum 518
metiri digitis 260
metiri ſe ſuo modulo 503
metiri umbram ſuam 519
μετρεῖν τὴν [illegible] 316
metuit veſparum examen Phrynicus, velut gallus gallinaceus 210
meum meum [illegible] 120

motus infamia 502
Meminiſſe tibi ne ſit 517.3
mendacium non eſt mentiri 359
meus ſanguis 51
mica ſalis non ineſt 150.402
micam non habet 153
micare in tenebris cum quop. 219
μικρόλογοι 718
Midæ divitiæ 214
Mida roſarum 151
Midas auriculas aſini 349
Midas in fabis ibid.
Midas in teſſeris conſultor opt. 153
μηδὲ χολῆν 627
μηδὲν ἄγαν 513
migraverunt mures 383
mihi cura erat hoc negocium 201
mihi ipſi balneum miniſtrabo 903
mihi iſta curæ futura ſunt 766
mihi iſthic nec ſeritur nec metitur 36
miles Atticus 259
mileſia fabula 468
mileſia ſtragula ibid. & 274.
mileſia ſtromata 683
mileſii quondam ſtrenui 274
mileſius lupus 82
mileſius ſermo 319
miles Romane Ægyptum cave 212
miltiades cum Eraſinade 379
milium terebrare 324
milium torno ſculpere 328
millus canis 766
milvium adorat 540
milvus quantum non oberret 214
minerva felem 285
minerva ſuffragium 248
cum minerva manum quoque move 367
minerva Phydiæ 198
minimo provocare 134
minus occidit 104
minus tribus inſumptis duodecim imputas 82
miniſter abdominis 463
minore ſinitra pomaria 109
minori parere majorem, non eſſet reſtum 370
minus de iſtis laboro quam de ranis paluſtribus 138
minus deſideratur, quicquid licet 733.772
minus habet mentis quam Dithyramborum poeta 404
minus quam nihil 149
minutula pluvia imbrem parit 74
minuunt præſentia famam 144
minxit in patrios cineres 380
miraculum Æolicum 686
mira de lente 35.420
mirifice 197
mirificus ibid.
miſcebis ſacra prophanis 121
miſce gaudia curis 443
miſcere Chium & Amminæum 506
miſcere inferos cœlo, & terram mari 122
miſeram meſſem metere 727
miſerebitur beſtiæ 384
miſericordia ara 94
miſeriorem quam panus puerum 382
miſerior monomachis 378
miſerum nihil animo conſcio 500.740
miſerrimum fame mori 235
miſer vive 386
miſerum eſt aliena incumbere famæ 740
miſerum infortunatam virtutem deſpicere 144
miſimus corvum 683
miſſus Sybariticus 749
miſſus Theſſalus 446
mithragyrtes, non daducus 132
mithrij pœnas juſtinere 383
mitior columba 498
mitior malva 498
mitior vervece 464
μιτρὴν ἰλύεσθ' 319
μιτρὲστηλις 710
mitte in aquam 374
mittere lineam 230
mittere mappam 689
mittere ſanguinem 402
μνησικακεῖν 541
mobile mutatur ſemper cum principe vulgus 518
moderari virga 152
moderata laudamus, exceſſus vituperam. 513
moderator negocij 612
modeſtia Xenocratem ſuperat 512
modo demetiar 41
modus omnibus incitat 342
modius ſalis abſumendus priuſquam fidas 179.184
modo palliatus, modo togatus 343
modo Chilonius 110
mœchus in Plauti comœdia 536
mœnia ferrea non terrea 257
mœnia pro opibus 508
mœnia Semiramidis 629
μοῖαν ἀντὶ ... 198
molam qui vitat, vitat farinam 567
molaris lapis 668
moleſte ferre 619
moleſtum eſt, ſed jam aſſuevimus 483
moleſtum ſapientem apud ſtultos loqui 419
moleſtus interpellator venter 235
molle ac facetum 494
molli brachio, levi brachio 365
molli articulo 366
mollior cinædo, pepone, malva 498
mollior agnilana 463
molli requieſcere ſomno 470
molon 589
molenes 192
μολυνόμεν μαχαίραν 468
momo ſatisfacere, & ſimilia 58
momus, Cynicus 626
monacho indoctior 303
monachum facit deſperatio 483
monitor adjuvat 575
monitor capras age 22
μονογράμμοι 255
μονομάχης 261
monophagi 84
μονομερὴς 708
monſtrari digito 193.189
monſtrum 549
monſtrum alere 547
monſtrum cyclopicum 154
monſtrum eſt 506
monoſyllabus 153
mons cum monte non miſcetur 648
monſtrum alere 547
monſtro cui me fortuna implic. 378
montes frumenti 470
Montes tange, & fumigabunt 730
Montes transferre, triturare 293
Montium umbras videre 702
Mopſo tertior 611
Mopſo Niſa datur 391
Morari promiſſis 210
Mora ſemper obfuit, diligentia profuit 744
Morbo eodem laboras 648
Morbo Manichæi laborat 476
Morbo meo laborat 648
Morbonium abi 225
Morbonium mittere ibid.
Morbum jurare 619
Morbum morbo addere 479
Mordere frenum 417
Mordere corde 664
Mordere labrum 427
Mordicus auriculam 727
Mordicus tenere 582
More alieno, nutu, vel arbitratu vivere 245.413
More canino 425
More Carico 738
More Chiorum vellere 466
More faſcinantium laudare 703
More galli domi pugnacis 90.769
More majorum 411.576
More Myſorum inclama 381
More novo 418
More pavonis rotari 67
More Phæacum vivere 413
More pueri 288
More Pythagorico 344
More ranarum 12.97
More Romano 737
Mores amici noveris, non oderis 41
Mores Aſiatici 465
Mores maſſilienſes 361.462
Mores regionis reſpondent 648
More Socratico 454
Mores Smyrnæi 464
More Timoniano 156
Moriendum priuſquam, &c. 364
Mori reſtat, cui naſci contingit 716
μορμολύκειον 180
Mors altera, paupertas 776
Mors & fugacem aſſequitur 717
Morſimi verſus qui deſcripſerit 22
Mors Marſyæ 154
Mors optima rapit, deterrima relinquit 456
Morſum à vipera culpas 439
Mortalis Deus 740
Mortem tueri 696
Morticinus 385
Mortuaria gloſſaria 281
Mortui linguis non imperant 718
Mortui non mordent 473
Mortui non dolent 743
Mortuis non conviciandum 473
Mortuo mederi, ſenem admonere 329
Mortuo verba facere 336
Mortuo verba facit 322
Mortuo leoni barbam vellere 141
Mortuo leoni & lepores inſultant 628
Mortuos rurſus occidere 743
Mortuus viliter 742
Mortuos videns 127
Mortuum canem vel pulicem unum perſequi 150
Mortuum flagellas 321
Mortuum unguento perungis 16
Mortuus eſt & Ancus 717
Mortuus jacet pedens 659
Mortuus per ſomnum, vacabis curis 127
Mortuus rurſus id erit, quod prius 385
Morum vitia averſor, ipſum amo 519
Morycho ſtultior 38.404
Moſchus canens Bœoticum 277
Moſis tabula 196
Mors omnibus communis 532
Mors 474
Mortem non dolent 745
Mortalis quidam Deus 739
Morſus aſpidis 475
Mortui non mordent 473
Mortuis non conviciandum ibid.
Mothonem à remo aufer 176
Movebo talum à ſacra linea 230
Moveat baculum 619
Movere calculos 527
Movere calculum ſi linea 123
Movere Camarinam 489
Movere loco 578
Movere ſeu quaſſare caput 504
mox ſcientia melius vaſe 226
M ſeriſtus es 74
mucoſis naribus 429
muccus 669
in mucronem tuum ipſe incurris 484
mugilis vitam degere 565
mula ubi pepererit 538
mulcta allium, as alienum cepa 738
mulctores reſpub. peſtis 382
mulctro bibere 600
mulgens hircos, ſanguinem ducit 293
mulgere hircum 15
muli 317
muli aſinis quantum præſtant 185
muliebre eſt, furere 253
mulier, aſinus, nux, nil recte faciunt ſi verbera ceſſent 484
muliere loquacior 281
mulieres 253
mulieres cauponariæ 319
mulieres incoctæ 255
muli mariani 368
mulierem ornat ſilentium 673
mulier imperator, & mulier miles 692
mulieres ſicenicæ 689
mulieri deſunt verba 293
mulieri ne credas, ne mortua quidem 252
mulieri non temere credendum 253
mulieris animus 345
mulieris oculus 252
mulieris podex 286
mulier mala 252

mulier non intrat Herculis ædem 57
mulier, nux, aſinus, verbere opus habent 4 3 .
mulier pudica ne ſola ſit uſquam 252
mulier Sathanæ organum 253
mulierum accipitres 755
mulierum exitia 252
mulierum vitia a tercenti 624
mu i vitam agere 85
mul. iis 51
multa cadunt inter calicem ſupremaque labra 339
multa cadunt inter duo tempora 341
mala dicere & opportuna, non ejuſdem 2 .
multa docet fames 562
multa n . . . us onus levius reddunt 116
multa in bellis inania 320
multa incredibilia 7 0
multa in medio 262
multa norit quibus Deum fallas 3 2
multa novit, ſed male novit omnia 290
multa Syrorum olera 133
multa manus onus levius reddunt 92
multa noctua ſub regulis latet. 520
multæ regum aures &c. 168
multa rota volvuntur 262
multam ſylvam geſtas 254
multa noris oportet, quibus Deum fallas 350
multa novit vulpes, verum echinus unum magnum 348
multas amicitias ſilentium diremit 44
multi diſcipuli præſtantiores magiſtris 186
multi ſunt boni que 246.535
multi Manniæ Aritia 535
multi multa 32
multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes 662
multi brachiis æqualis 369
multis ictibus deiicitur quercus 75
multis hirundinibus opus eſt 86
multis paraſangis præcurrere 184
multi qui boves ſtimulent, pauci aratores 652
multis ictibus diicitur quercus 116
multi te oderint, ſi teipſum amas 586
multi thyrſigeri, pauci Bacchi 652
multitudo imperatorum Cariam perdidit 217
multorum feſſorum Iovis glandes comedit 612
multorum peccatum inultum 116
multos cave ſi ſingulos non times ibid.
multum navigavit aqua 609
mulum de aſino pingere 650
mulus 671
munde oculos 199
mundus non capit duos ſoles 424
munere labefactare 523
muneribus res agitur 522
muneribus vel dii capiuntur 521
munerum animus optimus 526
munerum corruptela 521
Munificentia Theagenis 448
Munus levidenſe 136
Munus exiguum, ſed opportunum 688
Murana 311
Murem cepit decipula 362
Mure obſtrepente etiam timet 692
Murem pro leone oſtendit 270
Mures migra verum 383
Mures molas lingunt 414
Mures ubi ferrum rodunt 260
Murgiſo 510
Muris in morem 560
Muris circumcurrentibus 547
Muris interitus 672
Murium iecinora 506
Mures aheneus 161
Murus Semiramidis 257
Muſa Attica 231
Muſæum vivum 192
Muſa nunc floret 232
Muſarum aperta ianua 221
Muſarum aves 232.276
Muſa ejuſdem amulus 647
Muſarum favus 747
Muſarum flores candida 222
Muſarum luſcinia 190
Muſarum os fervens 198
Muſas hortari ut canant 596
Mus albus 361
Mus apud Piſam 227.636
Muſca eſt 561
Muſcarum in morem 159
Muſca ſplenem habet 00
Muſica Cyclopica 697
Muſica in luctu importuna 22
Muſicam neſcio 750
Muſicam ne vitia 508
Muſices occulta nullus reſpectus 547
Muſice vivere 408
Muſicus apparatus 686
Mus in muria 87
Mus in pera, &c. 391
Muſis Gratias commiſcere 232
Mus in pice 87
Mus in Piſa ibid.
Muſis iratis 106
Muſis litare 221.285
Muſis ſociis 514
vel Mus mordeat virum improbum 726
Mus non ingrediens antrum cucurbitam ferebat 18
Mus non uni fidit antro 41.607
Mus picem guſtans 635
Muſca 760
Muſca improbitas 90.514
Muſca quoque ſplen eſt 726
Muſcas depellere 329
Muſcas prætervolitantes metuere 691
Muſco lapis volutus haud obducitur 75
Muſcum demetere 140
Muſicam docet amor 50
Muſopatagos 763
Muſtela ſevum 595
Muſtelam habes 375
Mutabilior metra Eriſichthonis 344
Mutabilior Proteo 344
Mutæ litera 150
Muta perſona 674
Multare calceos 190.744
Mutare veſtem 441
Mutare naturam, difficile 389
Mutare in horas 89
Mutat vulpes pilum, non mores 389
Muti canes 770
Muti citius loquentur 673
Muti magiſtri, muti præceptores 674
Mutua defenſatio 124
Mutua defenſatio tutiſſima 741
Mutuas operas tradunt 92.124
Mutuis nexibus amplecti 651
Mutuum reddidiſti 580
Mutuo quodam coniugio connecti 651
Mutus Hippathion 674
Mutus magiſtratus ibid.
Mutus magis quam piſcis 675
Mutus magis quam ſcapha 674
Mutuum fricant ſenes 509
Mutuum muli ſcabunt 761
Mutuum ſumpſit 357
Mutuum ſumpſiſti 662
Mutuum teſtimonium 549
Myconius calvus 254
Myconius vicinus 408
Myconiorum more 560
Myconius conviva 254
Myconus una omnia ibid.
Μύζειν ibid.
Myconius criſpus ibid.
Μυκτηρίζειν 165
My facere 769
Μῦς ἐν πίσσῃ 526
Μυσῶν 26
Mylus omnia audiens 157
Myrica citius poma ferens 539
Myrmecia honorum 100
Myrmicè incedere 683
Myrmidones 89
Μυρμηκίζειν 468
Myrteam coronam ambis 183
Μυσάχνη 87
Μυσῶν λεία 166
Myſorum ultimus es 378
Myſorum more inclama 381
Myſorum ac Phrygum termini diſcreti ſunt 171
Myſorum poſtremus 139
Myſorum præda 693
Myſorum ultimus navigat 683
Myſteria Eleuſinia prophanes celanda 676
Μῦθος ἐσώθη 538
Mum 460

N

NAara & Charmione 48
Ν . . . 663
Nam illi tam non ſunt, atque ſunt mali 174
nannacus 392
nanus quum ſis, cede 187.563
narciſſi opes 217
nare ſine cortice 92.612
nare trahitur 671
naribus trahere 405
naris vel auris acuta homo 610
narrare Oreſtis ſomnium 430
narratio prætextata 233
narrare ſomnium 701
naſci cui contigit, mori reſtat 716
naſcitur etiam è vite rubus 482
naſcitur fungus una nocte 411
naſcitur vipera rurſum è vipera 558
naſo ſuſpendere 165
naſturtium edere 397
naſturtium obtueri ibid.
naſturtia oculis exhibere ibid.
naſum facit aſcendere 426
naſus 580
nata ad ſemen reſpondent 559
natare non didici 730
natat circa terram 668
nati infelicibus ovis 97
nati naterum 220
natum nemo novit 290
natum non novit 289
natura Charadrii 412
naturam coturnicis induere 64
naturam expellas furca, tamen uſque recurrit 387
naturam mutare, difficile 389
natus è mari 74
nauci non facio 130
navem rectam ſemper 249
naves onuſta conviciis 475
naufragium commune 380
navibus atque quadrigis 136
naviga in Anticyram 670
navigando ne legas terram 210
navigare cum deo 13
navigare cum felicibus 740
navigare per mare 513
navigatio ad menſam 167
navigatio iuxta terram 510
navigationis ſocius 746
navigatio ſecunda 650
naviges in Maſſiliam 462.757
naviges Trœzenem 254
naviges Anticyras 403
navis annoſa haudquaquam navigabit per mare 525
navis aut galerus 55
navis Salaminia 238.246
navis ſcopulum deprecatur 668
navis una non vehit 519
naulum perdere 423
nauphracton tueri 60
nauſiclidis ſolendo nec ver , nec amicos 565
nauſon nauerasi 646
naxiacos 257
ne aceti quidem ſatis 567
ne à chytropode cibum nondum ſacrificatum rapis 80
ne ad Adonia quidem 414
ad adhæreſcas aurum habenti filiorum generatione 774
ne ad aures quidem ſcalpendas ocium eſt 549
ne allia comedas & fabas 632
ne allii quidem caput 133
ne Æſopum quidem trivisti 286
ne amicum decipias 17
ne altero quidem pede 75
ne Apollo quidem intelligit 543
ne Bœon piſcis mihi moleſtus ſit 404
ne benefacito gubernatori ſomnolento 398
ne beſtia quidem ferre poſſent 514
ne bolus quidem relictus 412

ne

Ne bos quidem pereat 704
Nebrida fert 695
Nebula in par iete 134
Nebulas diverberare 312
Nec animabus nec inanime 556
Nec apud homines nec in mari 540
Nec caput nec pedes 579
Nec aures habeo, nec tango 16
Nec ara nec fides illis 347
Ne caprea contra leonem. 189
Ne Catoni quidem crederem 180
Ne catulus quidem relinquendus ex genere malo 726
Nec cum bonis, nec cum malis amicis certandum 423
Nec currimus nec remigamus 579
Nec Deus nec homo 737
Nec dignus qui me intueatur 186
Nec elephantus ebiberet 96
Neceſſariam fortunam terit 533
Neceſſario in foveam decidit 495
Neceſſarium malum 52
Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent 502
Neceſſitas magiſtra 532
Neceſſitas ingens telum, dira 531
Neceſſitas in virtutem commutare 533
Neceſſitas lineala 532
Neceſſitas moleſta ibid.
Neceſſitas rationum inventrix 369
Neceſſitatem edere 533
Neceſſitati nec Deus ipſe repugnat ibid.
Neceſſitati ne dii quidem reſiſtunt 531
Nec homo nec Deus 760
Ne cicadam quidem inumbrat 142
Ne cibum quidem dederim 148
Nec fidei quidem credere 424
Ne cinerem vitans, in prunas incidas 493
Nec in funerali cœna laudandus 310
Nec me animus fallit 536
Nec mulieri, nec gremio credendum 252
Nec muſicam ſcio 750
Nec oculus quidem parcere 51
Nec omnis fert omnia tellus 55
Ne contende cum diis 336
Ne contra bovem opta 738
Ne contuleris Ossimalides cum Acylis 176
Ne corticem quidem dederis 87
Ne ſic quidem male 482
Nec ſine te, nec tecum vivere poſſum 96
Nectar ſpiras 192
nec te quæſiveris extra 749
Nec curvum dextram iniecerit 41
Nec obolum habet unde reſtim emat 561
Nec omnia, nec paſſim, nec ab omnibus 79
Nec propius ſerire 735
Ne crepitu quidem digiti dignum 130
Νεκρὸν ζῶν 181
Nec ſeritur, nec metitur mihi 36
Nec ſibi nec aliis utile 285
Ne ſi quercus loqueretur 698
Nectaris ſlos 444
Ne currente rota funis eat retro 8
Nec uno dignus 130
Nec vola nec veſtigium 340
Nec vox hominem ſonat 416
Nec utile, nec inutile 138
Ne decima quidem Syracuſanorum pars 214
Ne de lite pronuncies 115
Ne depugnes in alieno negocio 38
Ne dii quidem à morte liberant 532
Ne dum ſeveris 164
Ne odas cerebrum 774
Ne è quovis ligno Mercurius fiat 525
Ne eruditum quidem pulverem attigit 303
Ne Execeſtides quidem viam inveneris 578
Nefas eſt recta loquenti non aſſentiri 221
Ne faſcines 770
Ne feſtuca quidem 133
Ne feceris alii, quod tibi fieri non vis 437
Ne feceris quod dubites 55
Negatur alterum alterum contingit 272
Negatur vivit fama 425
Ne genu quidem flexo 76
Ne gladium tollas mulier 91
Ne gleba agri illi reiicla ad locum ſepultura 166
Neglectis urenda filix innaſcitur agris 180
Negocia plura ſunt quàm vocabula 170
Negocium ex ocio 591
Negocium meum non eſt, multum valeas 40
Negocium non apeum 525
Negocium non ſuſcipiendum temere 684
Negocium ruminare 196
Ne gry quidem 335.674
Ne guſtaris quibus nigra eſt cauda 516
Ne guttam quidem 133
Ne Hercules quidem adverſus duos 115
Ne hilum 355
Ne igniſer quidem reliquus eſt factus 423
Ne hoc quidem male 393
Ne in apio quidem 11
Ne incalcitres in montes 685
Ne inſidas ungues juxta ſacrificium 774
Ne in Melampygum incidas 207
Ne in nervum erumpas 207
Ne in pelle quidem 562
in inſciens quidem verum dicit 770
Ne in ſomnis quidem buccinam 694
Ne in omne 536
Ne inter ovia quidem ſunt 11
Ne inter ulla quidem arcani conſcia 678
Ne in conſtrinis quidem 761
Ne in viginti quidem ſi poteſt 143
Ne intra veſtibulum quidem 585
Ne Iuppiter quidem omnibus placet 59
Ne legas terram navigando 210
Ne libaris diis, ex vitibus non amputatis 758
Ne lagula quidem dignus 130
Ne loquaris abſque lumine de Pythagoricis rebus 774
Ne magna loquaris 584
Ne major thylaco acceſſio 24
Ne malorum memineris 541
Ne manus quidem ad cantum 370
Ne meas vires lædite 512
Ne Mercurium ipſo quidem cum Muſis ſonaris 298
Ne Mercurio quidem crederem 179
Nemeſis ad pedes adeſt 725
Nemeſis Adraſtia 724
Nemeſis in dorſo 165
Nemeſis Rhamnuſia 724
Ne mihi Suffenus eſſem 63
Ne mihi vacuam abſtergas 503
Neminem ne es vultumque reſpicit 73
Nemini fidas niſi cum quo prius modium ſalis abſumſeris 179.584
Nemo amicus, nemo propinquus 567
Nemo ante obitum beatus 106
Nemo bene merito bovem immolavit præter Pyrrhiam 390
Nemo bene imperat, niſi qui paruerit imperio 227
Nemo cogendus amicus 532
Nemo cogendus officii cauſâ 759
Nemo comatus, qui non præciditur 464
Nemo innocens, ſi accuſare ſufficit 433
Nemo læditur niſi à ſeipſo 231
Nemo malus hoc ſciet 168
Nemo mortalium omnibus horis ſapit 263
Ne Momus quidem id poteſt reprehendere 58
Nemo natum novit 290
Nemo natus 189
Nemo nos inſequitur 680
Nemo omnibus horis ſapit 263
Nemo primo quoque die fit doctus 203
Nemo prope ex morbo aut peregrinatione Rhomana melior evadit 758
Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua 196
Nemo quenquam prohibet ire publica via 436
Nemo ſeipſo diligit quenquam magis 603
Nemo ſibi naſcitur 771
Ne move feſtucam 71
Nemo ſine crimine 263
Nemo veſcitur thymo, ubi adeſt caro 4 2
Ne moveto lineam 435
Nemo unquam benefactori bovem immolavit, præter Pyrrhiam 282
Ne hoc quidem 663
Ne my quidem facere auderet 9
Ne ... 3.4
Ne nimium callidum hoc ſit modo 238
Ne nomen quidem 1 0
Ne nummus quidem plumbeus 132
Neoclide furacior 762
Neoptolemi vindicta 477
Nepam imitabor 527
Ne paſſalum quidem 135
Ne patris quidem nomen dicere poſſit 531
Ne pauxillus quidem relictus 496 385
Ne per ſomnium quidem 270
nephalia ligna 84
nephalium ſacrum ibid.
nep. aſtuties 379
ne pictum quidem vidit 290
nepos 3.2
ne propheta audiet 304
ne properans ... ignem calide 244
ne pudeat artem 614
neptunis ſive maris filii 155
ne puero gladium 176
ne punctum quidem 172
ne præceps fueris ad iracundum 634
ne pluerit Deus eſſe 740
ne quære mollia, ne tibi contingant dura 2.1
nequam iſtud 145
ne quidem 416
nequam magnus homo 407.678
neque ... ducem, neque equitem conjiciebam 112
neque calidum eſſe, neque frigidum 752
neque cælum neque terram attingit 35
neque complutus, neque ſole ... 284
neque cum malis, neque ſine malis 52
neque defraudat, neque marginem excedit 52
neque dicta neque facta 418
neque enim ignari ſumus 483
neque inter mortuos, neque inter vivos eſt 215
neque intus neque foris 737
neque Lydorum caryca 110
neque mel neque apes 367
neque natare, neque literas 284
neque nullis ſis amicus, neque multis 48
neque Phaſis malo eluit 494
neque peſſimus neque primus 110
neque quantum lumen a dormiente 205
neque remi neque venti 383
neque terra motus timet, neque fluctus 93
nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit 602
ne quid moveare verborum ſtrepitu 90
ne quid nimis 507
ne quid ſuo ſuat capiti 486
ne quis malus ingreditor 710
ne quis unquam Megarenſibus 309
ne ramenta quidem 113
nere in igni 386
ne rebus proſperis mihi venias 46
neroniana thermas refrigerat 370
ne reſpexeris 316
nervi & artus ſapientia ſunt, non temere credere 185
nervus omnibus 119
nervos addere 112
nervos frangere 708
nervos intendere 125
ne ſacrificato ſine farina 718
ne ſalem quidem dederis 87
neſcis quid ſerus veſper vehat. 340
ne Sauromone domi relicto 66
neſcio 290.3.5.
neſcio quo me vertam 56
neſcis quod ſcis 675
neſcit anus ſebelem ut erudiat 498
neſcit capitis & inguinis diſcrimen 408
neſcire præſtat 280
neſcit quid ſit inter dexteram, & ſiniſtram ſuam 672
neſcit ſeipſum 67
ne ſi ad Iovis quidem aulam 442.628
ne ſi bos quidem vocem edat 698

medij

ne cicum quidem dederim 148
ne ſis patruus mihi 442
ne ſit nobis cura nomen 157
ne ſol quidem ſciret 686
ne ſpectes cui gratificeris, ſed cui ingratum facias 776
ne ſpina quidem vulnerabit bonos 728
ne ſtella quidem 142
neſtorea eloquentia 21
neſtorea ſenecta 414
neſtores 198
neſtore ſapientior 611
ne ſuadela quidem perſuaſerit 762
ne ſupra pedem calceus 510
ne ſuſcipias rubrum aliquid 774
ne ſutor ultra crepidam 63
ne tempeſtas quidem nocere poteſt 563
ne temere Abydum 207
ne terra quidem ſervit 133
ne terruncium quidem inſumpſit 138
ne tria quidem Steſichori noſti 284
ne tibi ſit fraudi 250
ne verba pro farina 138
ne viceni quidem ſentiunt 548.(60)
ne veſtigium quidem 226
ne via quidem eadem cum illo vult ingredi 512
ne vidit quidem oleum 285
ne vitiet muſicam 508
ne umbram quidem ejus novit 133
ne uni navi facultates 206
ne unquam vivi ſenis 419
Niba coccyſſante 138
νικᾷ ἀμέρα τὸν ἄνδρας 259
Nicoſtrati more 472
Nidos formicarum inſpiravit 491
Niger 580
Niger, infamis 17
Niger lapillus ibid.
Niger eſt, Chuſſus 314
Nihil ab elephante differt 397
Nihil ad Bacchum 34.173
Nihil ad carmen ibid.
Nihil ad farinas 35
Nihil ad fides 34.173
Nihil ad Parmenonis ſuem 186
Nihil ad Perſium 210
Nihil ad medicorum arrogantiam 65
Nihil ad propoſitum 422
Nihil ad rem 326.422
Nihil ad verbum 34.173
Nihil ad verſum ibid.
Nihil agere 323.336
Nihil alia civitates ad Crot: 186
Nihil amplius eſt 634
Nihil ocio eſt 141
Nihil cum amaracino ſui 172
Nihil cunctandum 244
Nihil Deo clauſum 581
Nihil deſperandum, & nulli rei fidendum 340
Nihil deſperandum 592
Nihil de vitello 84
Nihil dictum quod non dictum prius 537
Nihil differt à Chaerephonte 307
Nihil dulcius quam omnia ſcire 157
Nihil eſt ab omni parte beatum 753
Nihil eſt miſerius quam animus conſcius 740
Nihil ex agro dicis 232
Nihil feciſſe benigne, ingratum 391
Nihil felice hora optatius 109
Nihil firmum in rebus humanis 702
Nihil fugacius 701
Nihil graculo cum fidibus 172
Nihil grave paſſ. es, niſi &c. 231
Nihil hoc ad jus 420
Nihil homini amico eſt opportuno amicius 688
Nihil homini utilius ſanitate 107
Nihil hydropico ſiccius 738
Nihil eſt, aut nihil cura eſt 142.742
Nihil imperito iniquius 304
Nihil inanius, quam multa ſcire 157
Nihil indocto iniquius 290
Nihil melius firma valetudine 109
Nihil minus expedit, quam agrum optime colere 509
Nihil miſerius animo conſcio 580
Nihil, ne canem vel catum reliquit 776
Nihil nimis 513
Nihil niſi umbra 146
Nihil opus verbis 110.337
nihil penſi eſt illis 281
Nihil perfectum 717
Nihil poteſt nec addi nec adimi 573
Nihil praeter plorare 383
Nihil profuerit bulbus 91
Nihil recuſandum quod donatur 526
Nihil ſacri es 131
Nihil ſanum ibid.
Nihil ſimile 185
Nihil ſynceri 131
Nihil tam malum, cui non boni quippiam adjunctum 52
Nihil ſine Deo 109
Nil intra eſt oleum, nil extra eſt in nuce duri 15
Nil boni cogitat vir arrigens 413
Nil niſi potantes 466
Nilina fluenta 236
Nil paſſus eſt mali, ſi diſſimulaveris 30
Nil paſſus ſi diſſimulaveris ibid
Nil ſcientia potentius 625
Nimia familiaritas contemptum parit 147
Nimis mane laudare 28.421
Nimium properans, ſerius abſolvit 123. 239.
Niobes archetypum 286
Niobes mala 379
Ni pater eſſet 159
νηφάλιοι 84
Ni purges & molas, non comedes 367
Niſi crura fracta. &c. 583
Niſi ſi qua vidit avis 547
νῆστιν ὄζειν. jejunium olere 516
Nitedula ex vepribus 599
Niti contra torrentem 329
Nitor 759
Nitro caput aſini ne laves 322
Nive candidior 197.191
Nive candidius 198
Nivis ritu 740
Nix alba non eſt 19
Nobilitas in aſtragalis 534
nocentum reperit Deus 718
nocte latent fures 360
nocte lucidas, interdiu inutilis 15
noctem ſive tenebras inducere rebus 543
noctes atque dies patet atri janua Ditis 383
noctes dieſque 75
nocti aequare diem 202
noctis tenebris committere 416
noctua aliud ſonat, aliud cornix 174
noctua inter cornices 373
noctua volat 103
noctua Lauriotica 215
noctuas aquilis ſimiles facere 178.183
noctua ſub tegulis 521
noctu urgenda conſilia 129
nocturnum ovum 616
noctu navigare 201
nocturna pugna 624
nocuit & nocebit 206
nodorum vincula texentes 333
nodum in ſcyrpo quaeris 158
nodum ſolvere 570
nodus Caſſioticus 551
nodus Gordius 170
nodus ineſt ibid.
nolens volens 54
nolim 55
noli pugnare duobus 740
noli reſpicere poſt tergum 246
noli temere de Hippolyto mentiri 454
nollem factum 114
nomadicam vitam agere 88
nomen 197
nomen ſpecioſum 274
nomina caprarum 142
nomina in auro incidere 219
nomina optima non appellando fieri mala 482.492
nomina turgida 699
nomine tantum notus 290
nominis paterni oblitus 541
nominis proprii oblivio ibid.
non ab Hymetto 753
non abjicit animum 90
non abſque Theſeo 91
non admodum cura eſt 48
non admodum miſces 140
non belle quadam faciunt duo 195
non bene imperat, niſi qui paruerit imperio 218
non canit luſcinia in cavea 412
non cano vetera 47
non capit Delphinum patina 587
non carpit ſomnum, niſi hoc aut aliud fecerit 755
non carpitur iſthic vel jus 369
non cedendum malis 90
non certatur de oleaſtro 258
non confuſis digitis manus porrigenda 249
non cuivis homini contingit adire Corinthum 33.169
non Chius, ſed Cius 350
non contis aut remulis 444
non curat numerum lupus 81
non curatur inſanus pellibus appenſis 495
non decet principem ſolidam dormire noctem 665
non decet vulpinari, nec utrique parti illudere 28
non deponit pardus maculas 389
non diſtinguit album colorem ab atro 432
non ducitur gratia poenitentia 282
nondum capillos animo prae imperitia abraſerunt 422.457
nondum in curvam cervicem Iupiter habet 342
nondum omnium dierum Sol occidit 340
nondum ſacrificata devorat 80
non è paleſtra 376
non è quercu aut ſaxo 744
non è quovis ligno fingitur Mercurius 525
non enim ſpina 597
non erat hoc albo 641
non eſſe rectum, minori parere majorem 370
non eſt Abbas prudentior, quam qui monachus fuit 776
non eſt amicus qui deſinit amare 41
non eſt beatus, eſſe qui ſe neſciat 151
non eſt bonum quod non ſit malum, & malum quod non ſit bonum 776
non eſt cujuslibet Corinthum appellere 167
non eſt cujusvis, manu lyram pulſare 33
non eſt cujusvis recte condire 525
non eſt cura Hippoclidi 140
non eſt Deus neſcius noſtri 555
non eſt dithyrambus, ſi bibat aquam 564
non eſt ejuſdem, & multa & opportuna dicere 277
non eſt filius piſcatoris, qui ignorat quid ſit menuiſſe 304
non eſt fumus abſque igne 213
non eſt fori tui 776
non eſt laudandus, ne in coena quidem 310
non eſt mentiri meum 359
non eſt meum negocium, multum valeat 40
non eſt oleum in lecytho 153
non ex pax impiis 502
non eſt quaeſtio triobolaris 473
non eſt ſalus extra Noe arcam 633
non eſt ſervilis qui mortem negligit 528
non eſt tam bonus, qui non ceſpitet, equus 776
non eſt triticum ſine paleis ibid.
non es tu Achillis filius 650
non eſt in ventum reſtandum 30
non filius Achillis 647
non guſtanda quae nigra ſunt cauda 207
non habe cui indormiat 563
non habet mentem, qui non iraſcitur 670
non huc navigatur à bonis viris 267
non idem ſunt ſcriptura & Leucama 347
non impetam lingua 473
non jam illud quaero 422
non immolata ſacra devorat 425
non imperant mortui linguis 758
non incedas per ignem 694
non incedit, ſed fertur 238

non im-

Non ineſt illi denuale 475
Non ineſt remedium adverſus ſyceph. mor. 173
Non in magnis arduiſque, ſed in minimis & facilibus inchoandum 123
Non interpellandus famelicus 215
Non iterum vulpes 428
Non intrat mulier Herculis adem 37
Non invidet Sol veſpera 424
Non junges aſino bovem 178
Non liberat podagra calceus 494
Non licet bis in bello peccare 428
Non luctu, ſed remedio opus 30
Non magis aſſimile eſt, quam ludo Scythis 22
Non magis parcemus quam lupis 113
Non magis quam canem 132.551
Non minus Phryx quam Spytharus 667
Non myſtura cutem niſi plena cruoris hirudo 679
Non movenda loqui 745
Non movenda moves 711
Non multum eſt, non ſatis eſt 715
Non naſci optimum 713
Non navigantes ad Hippolitas 601
non navigas noctu 201
Non noſtrum onus, bos clitellas 524
Non novit natos 289
Non odi, odi & amo 48
Non omnes Martinus ſanctus 776
Non omnes poſſunt olere unguenta exotica 33
Non omnes qui habent citharam, ſunt citharœdi 652
Non omnia eveniunt, quæ in animo ſtatueris 272
Non omnia per bovem obtineris 335
Non omnia poſſumus omnes 32.189
Non omnibus contingit 168
Non omnibus dormio 658
Non omnibus ſervio ibid.
Non omnino temere eſt quod vulgo dictitant 594
Non omnis fert omnis tellus 33
Non oportet hoſpitem ſ h.e. 607
non perſuadebis, ne ſi perſuaſeris quidem 770
Non percite ira rationem audit 427
Non Philippus, ſed Philippum Græciam ſubjugavit 68
Non plaga, ſed contumelia iram concitavit 477
Non pluit poſt noctem qua ſus agreſtis peperere 607
Non pluris quam ſimiæ 141
Non plus ſenſus habet quam ſurdi lapides 407.670
Non poſſum non dicere 419
Non potes Thediſtem ſimul & Galatheam amare 41
Non probantis 160
Non prodeſt ratio, ubi vis imperat 776
Non propter pedis cum lyra diſſidium 728
Non puro purum nefas ſit contingere 177
Non putavi 751
Non quacunque manu 177
Non qualia quis optares, ſed qualia eſſe poſſunt 667
Non qualis oratio ſed quales ſint, qui eam proferunt, ſpectari oportet 651
Non quibuslibet temere credendum 251
Non quidvis continget quod optaris 731
Non quivis ſus hoc ſciet 168.667
Non raro parva, magnarum rerum ſunt inditia 555
Non recedere ſine corollario 604
Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum 437
Non re, ſed viſu terribiles 74
Non reſpondet opinioni calculus 8.187
Non rudit onager, cum herbam habet 387
Non ſacrificata devoras 80.763
Non ſemper erit æſtas 546
Non ſemper optimis divitiæ 215.216
Non ſemper ſaturnalia 755
Non ſemper Saturnalia erunt 546
Non ſine Diis 104
Non ſinit Chius Coum loqui 278
Non ſi te ruperis 170
Non ſoli Atridæ uxores amant 52.736
Non ſtatim decernendum 681
Non ſtatim finis apparet 240
Non ſtatuar leæna in machæra 544
non ſum apud me 166
Non ſum divinus 542
Non ſum ex iſtis Heroibus 641
Non ſunt amici amici qui degunt procul 43
Non ſuſcipiendum negocium temere 684
Non ſus quivis hoc ſciet 667
non tam aqua ſimilis aqua 642
non tam ovum ovo ſimile ibid.
non tam lac lacti ſimile ibid.
non temere credere, ſunt nervi & artus ſapientiæ 181
non temere mulieri credendum 253
non verbis, at factis opus eſt 65
non videmus manticæ quod in tergo eſt 583
non una manu manum capere 200
non una vehit navis 519
non uno culleo dignus 362
non videtur vir, qui iraſci neſcit 426
non verbis, at factis ſpectari vult Græcia 259
non ut prior lædam, ſed ut injuriam retaliem 438
non vulgari ancora nititur 631
noris multa quibus Deum fallas 312.350
norma Catoniana ſeveritatis 575
norma Polycleti ibid.
nos alio mentes, alio diviſimus aures 56
noſce teipſum 506.513
noſce tempus 687
nos decem Rhodienſes, decem naves 737
noſtra farina 641
noſtri gregis ibid.
noſtris diis 94
noſtris ipſorum alis capimur 489
noſtro Marte 92
nota ejuſdem 29.641
nota melioris 59
nota prima 139
nota etiam lippientibus ac cæcis 188
nota nulli magis domus eſt ſua 500
notare adamante ibid.
notare ungue, & ſimilia 159
nota res mala optima 483
notare carbone 57.126
notum lippis ac tonſoribus 581
notum ſuperis & inferis 582
notus uſque ad ſidera 195
nova ac pulchra ſtupeſcimus 530
novacula in cotem 374
nova hirundo 305
nova Hymettia, falerna vetera 719
nova lux effulſit 593
nova pictura interpolare opus lepidiſſimum 17
novem vem Muſis celatum opus 198
nova placent 130
novercale odium 551
novior Leberide 487
novi Simonem & Simon me 309
novitas grata 536
novit Hac Pylea & Tyttygias 82
novit mala & bona 430
novit multa, ſed male novit omnia 290
novit quid album, quid nigrum 430
novit, quod toto fiat in orbe 159
novit rem factam denique ſtultus 76
novos parans amicos ne obliviſcere veterum 41
novus homo 539
novus iſte Palaphatus 280
novus rex, nova lex 518
noxa caput ſequitur 730
nox dabit conſilium 130
noxa & nexu ſolutus 455
nox ἀϋϑρόνη 199
nox humida 112
noxa malus vicinus 498
nox gubernatorem prudentem terret 289
nox ruit cœlo 384
novo more factum 628
novum cribrum novo paxillo 648
nubecula eſt, tranſibit 702
nubem ſummovere 582
nubem ſupercilio deme 73
nube pars 650
nubes Cæcias trahit 485.492
nuces relinquere 528.530
nuce caſſa 130
nucem frangis quid nuce nucleum eſſe vult 744
nucleum amiſi, relinquis pignori putamina 271.
nuda Gratia 47
nudato Petro Paulum tegere 370
nudior ovo 565
nudior ovo depili 566
nudior paxillo 562
nudior leberide 561
nudis pedibus ſacrifica & adorato 773
nudius Cari capite 504
nudo capite 316
nudo mandas excubias 16
nudo veſtimenta detrahere 16.333
nudum ſpoliare veſtibus 615
nudus nec à centum viris ſpoliari poteſt 16.333
nudus tanquam ex matre 526
nugæ canoræ 64
nugæ Sicula Perſola 748
nugæ theatri 517
nugari de ſublimibus ibid.
nugarum inſtitores ibid.
nugas 701
nugas agere 327
nulla ætas ad diſcendum ſera 690
nulla calamitas ſola 38
nulla candidorum virorum utilitas 694
nulla culpa in parvulis 363
nulla habetur perniciei ratio 670
nulla in tam mago corpore mica ſalis 403
nulla in eo mica ſalis 150
nullam corporis partem 78
nullam hodie lineam duxi 286
nulla pernicies ratio habetur 670.672
nulla ſpes 167
nulli ſunt pejus ſurdi, quam ii qui audire nolunt 673
nullius coloris 289
nullius indigens deus 216
nullius precii eſt 248
nullo exemplo factis 537
nullo numero eſſe 147
nullo ſcopo jaculari 340
nullum animal quod animal 662
nullum cum victis certamen & æthere caſſis 336
nullum mendacium ſine teſte 484
nullum ocium ſervis 549
nullum violentum perpetuum 712
nullus 150
nullus aleator ſapientior 355
nullus cognatus pauperi 567
nullus delectus 431
nullus dies omnino malus 162
nullus emptor difficilis bonum emit obſonium 83
nullus equus tam eſt effœtus, tamque exhauſto corpore, quin menſe Majo hinniens edat 443
nullus malus magnus piſcis 589
nullus omnia ſcire poteſt 34
nullus reditus ab inferis 496
nullus redditur deformis amaſius 31
nullus ſum 165.166
num capti potuere capi? 709
numerare fluctus 550
numerare pecus pauperis eſt 33
numerare præteritas undas [illegible]
numeris Platonicis obſcurius 543
numero dicis 109
numerus 138
numerus ſtultorum infinitus 671
num fratri tuo bene eſt 425
numinis ira inevitabilis 771
numiſma Theſſalicum 351
Nummi Catocalla 356
nummo adjicere 132
nummum plumbeum non credam 130
nummum quærit peſtilentia: duos illi da, & ducat ſeſe 39
nummus plumbeus 130.132.706
nummo addicere 742

numi

nunc bene navigavi, quum naufragium ſeci 481
nunc contingat ſervari 205
nunc dii beati 726
nuncium remittere 618
nunc illa ad venit Davidis cantil. 97
nuncio nihil imputandum 771
nuncium remiſit virtuti 529
nuncius aureorum verborum 540
nuncius bonus honore dignus ibid.
nuncius procul abſit aure 164
nuncius Pegaſus 246
ne nuncius quidem relictus 423
nunc in regionem veni 41
nunc ipſa floret muſa 212
nunc mea in arctum cogunt copia 151 578
nunc ipſa vivit ſapientia 212
nunc leguminum meſſis 687
nunc pluit & claro nunc Iupiter æthere fulget 261
nunc tuum ferrum in igni eſt 546
nundinis diſſolutis non eſt negociationis commercium ibid.
nunquam efficies ut recte ingrediantur cancri 292
nunquam enim meos boves abegerunt, nec equos 438
nunquam ex malo patre bonus filius 516
nunquam expugnabis urbem 169.293
nunquam Siecale fies 569
nunquam lagenam crateri impone 662
nunquam ſapiunt ſtulti, niſi in anguſtiis 671
nunquam ſceleri defuit ratio 314
nunquam ſecum benigne egit 88
nunquid & Saul inter proph. 175
nunquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone, & æs 497
Nunquid vis 545
nutricis pallium 747
nutrire canes 391
nutritus in navibus 303
nutu ac renutu 587
nux, aſinus, mulier, nil recte faciunt ſi verbera ceſſent 484
nux, aſinus, mulier, verbere opus habent ibid.
nutricis pallium 747
nutricum more male [illegible]
Nymphæ Baccho conveniunt 96

O

Obtingunt bona expiatis 369
Obtextoris errarum 727
Obtorto collo trahere 620
Obtrudere palpum 305
Obtrudere bubullum 744
Obturbas fruſtra velut unda 328
Obtutus Cyclopicus 154
Obtutus Lemnius 64
Οὔτιν ὑλιυς 447
ὄχνου & ἵππος 416
Occalluerunt aures 429
Occaſio virtutis calamitas 567
Occidit es ſol, cum adhuc eſſet dies 672
Occaſio dea 687
Occaſio premenda 546
Occaſione duntaxat opus improbitati 388
Occidit minis 504
Occipitium oculos habet 200
Occiſa ſus ſæpe plus multo ſapit 408
Occiſionis ala 671
Occulta muſices nulla eſt utilitas 547
Occulta muſica nullus eſt reſpectus 547.
Occupantis fiunt derelicta 109
Occupare lolium in balneis 199.193
Occurrere eodem gradu 259
Ocia dant vitia 550
Ociari ſtrenue & æſtuoſe ibid.
ocioſus eſto 628
ὀχλαγωγία τὸ ἀμεῖν 701
Ocium & cibus alienus 408
Ocium fortunas ſecundas perdit 550
ocium ſervis nullum 549
Ocium non eſt auribus ſculpendis 550
Ocni funem torquet 330
Ocnus funem torquet 327
Ocream capiti, tibia galeam adaptare 38.
Ocream fronti, tibia galeam applicat 10
Octapedes 214
Octipedem excitas 489
Oculata dies 179
Oculata fides ibid.
Oculata manus 180
Oculatus teſtis, & auritus teſtis 179
Oculi Atrei 441
oculi dolent 253
Oculi ictu 245
Oculis ac manibus 757
Oculis charitas 51
Oculis clauſis 431
Oculis & manibus 757
Oculis clauſis agere vel perſtringere 431
Oculis ferre & ſimilia 46
Oculis geſtare 736
Oculis fixis intueri 200
Peulis limis & taurinè tuer 553
Oculis magis habenda fides quam auribus 248
Oculis offundere pulverem 112
Oculis vertigine caligantibus vacillare 708
Oculiſſimus 49
Oculitus amare 48
Oculorum ſubdere viſui 536
Oculos avertere 619
Oculos impartiri 51
Oculo utroque dormire 630
Oculum excludere 710
Oculus 196
Oculus Dei fortiſſimus 730
Oculus mundi 199
Oculus lippus ſolis radios non fert 303
Oculus Saturninus 381
Oculus vicinorum invidus 423.755
Oculus dexter mihi fallit 202
Ocyma cantare 477
ὠκυμόροι 491
Ocior accipitre 237
Oderint dum metuant 551
Oderunt matutinum, veſpertinum amant 352
Odio & amo 28
Odi memorem compotorem 540
Odioſa res eſt Circenſibus pompa 683
Obteſtatio veterum meritorum 282.743
Obteſtatio Lacinia 264
odi puerulos præcoci ſapientia 21
odit cane peius, & angue 551
Odit filium, qui parcit virgæ 551
Odium agreſte 551
Odium novercale ibid.
Odium Bupali 552
Odium terræ 287
Odium Vatinianum 558
O domus antiqua quam diſpari domino dominaris 161.163
odorari 580
ὀδὸν παρεργον 36
odyſſea errorum 480.481
oedipi imprecatio 213
oenoe charadram 410
oenomaus ruſticanus 66
oeſtro percitus 441
octavus genius 724
o factum bene vel male 740
o factum male 316
offa etiam bona poſt panem 605
offendere de limine 7
offendere in montes 431
offendit, qui feſtinus eſt pedibus 611
offenditur præſentibus 713
officere luminibus 383
officium humilius 525
Officium ne collocaveris in invitum 552. 60
officia 505
offula contentus 521
Ogygia mala 376
οἴκοι μεῖζον 60
οἰκονομεῖν τὰ περὶ μεῖζον τὰ τοῦ ἀνθρώπου 662
οἰκούρια 27
οἴκοι μοι, ταχύτερον ... 167
ὀκλάζοντες 106
ὀκνηρὸν ἆγος 443
ὀκνηρός 176
ὀκνοῖεν 327
ὀκνεῖν, & ſimilia 134
ὀκτάπους 637
olearii velabrum 124
oleo incendium reſtinguere 479
oleo fraudare lucernas 269
oleo nitidius 273
oleo tranquillior 498
oleribus verba facere 436
olet calaturum 537
olet jejunium 516
oleum affundunt, qui indigent lucerna 269. 281
olet lucernam 290
oleum camino addere 479.718
oleum & operam perdidi 523
oleum & ſalem oportet emere 688
oleum in auricula ferre 585
oleum incendiarum 658
oleum in ore geſtat 678
oleum non eſt in lecytho 153
oleum non vidit 286
oleum ori ferre 28
oleum vendere 585
olfacere fumum 87
ὀλίγου ἄξιος 130
olim Pelaſgi, Danaidæ poſtea 381
olitor opportuna loquens 274
olitorem odi qui radit 80
olivam ne comedas 267
olla 533
olla amicitia 47
olla fabaria toryna aurea 645
olla veſtigium in cinere turbato 540
olla fervet 47
olla ipſa legit holera 414.490.493
olla lenticulam attigit 566
ollam alere 503
ollam exornas 10.322.735
ollam ferventem frigida aqua aſpergere 387.
ollaris deus 137
ollas lippire 318
ollas oſtentare 328
ὀλείγχος· ὀλείγχοιος 758
ὄλμος ἄπελμος 404.607
olim letho datus eſt 540
ὀλοαῖς μηνιμας 417
ὀλόχωος 475
Olympica turba inſtar 233

omina-

Ominabitur aliquis te conſpecto 133
omiſſa hypera, pedem inſequeris 56
omiſſis fontibus ſectari rivulos 15
omiſſis ungit rem experiamur 24
omitte vatem 423
omne acutum abs te dimove 773
omne artificium incrementum recipit 589
omne colligatum ſolvi poteſt 514
omne domeſticum afficit 649
omne futurum incertum 341
omnem facultatem indutus eſt 564
omnem iacere aleam 228
omnem lapidem nitidum adorantes 284
omnem movere funem 199.218
omnem rudentem movere 120.228
omne nimium non bonum 511
omnium vocem mittere 119
omne as alemannum cepe, & multa allium 731
omnes adhibere machinas 741
omnes attrahens ut magnes lapis 170
omnes effugere, difficile 170
omnes fallimur 587
omnes tutus 766
omnes laqueos effugere 122.169
omnes liceri cupidi 457
omnes norunt regum caſus 518
omnes qui amant, ægrè ſibi uxores dari ferunt 52
omnes ſperant quæ cupiunt nimis 667
omnes ſibi melius eſſe malunt quam alteri 603
omne tulit punctum 58
omnia amicorum communia 42.51
omnia bonos viros decent 190.767
omnia chnaumata 696
omnia Deo plena 198
omnia eſculenta obſeſſa 531
omnia experiri 123
omnia ex ſententia cadunt 99
omnia idem pulvis 645
omnia iudicia abſolutoria eſſe 436
omnia monſtra facis 505
omnia non poſſumus omnes 32.189
omnia octo 572
omnia omnibus annuit 634
omnia præclara dictu 164
omnia potenti 587
omnia præter animam 563
omnia potentes 587
omnia ſecunda, ſaliunt ſenex 590
omnia ſimilia 644
omnia ſapientibus facilia 764
omnia ſub unam Myconum 645
omnia tempus habent 690
omnia venalia habet 357
omnibus antevertenda vita tuta 183
omnibus armis præſidiiſque deſtitutus 166
omnibus horis nemo mortalium ſapit 263
omnibus judicibus vincis 59
omnibus malis punicis ineſt granum putre 755
omnibus modis nocens 310.751
omnibus nervis 119
omnibus numeris 250
omnibus veſtigiis inquirere 187
omnibus unguiculis 583
omni certaminis genere 120
omni conatu invadere 438
omni devorato bove in cauda defecit 573
omni exceptione major 250
omnino factum eſt 971
omnis heros ſervo monoſyll. 153
omni pede ſtandum 219
omni rudente explicato 123
omnis rudens disruptus eſt 210
omnis virtus eſt mediocritas 512
omnium dulciſſimum eſſe accipere 512
omnium horarum homo 659
omnium rerum viciſſitudo eſt 262.264
omnium quos ſol vidit 153.556
omni telorum genere oppugnare 119
omnium explorator tempus 454
omnium calculis 58
omni voce 50.741
omphacinus 73
ὀμπνίᾳ χειρί 447
ὁμόσε χωρεῖν τῇ ἀληθείᾳ 453
Onager 150
onager non rudit, cum herbam habet 387
onerat aliquam Zamiam 382
onobatis 308
onocephali 671
ὄνομα γενναιότερον 66
onus Æſopicum 526
onus Atho aut Ætna gravius ſuſtinere 495
onus grande ſeni imponere 421
onus multæ manus levius reddunt 92
onus navis 514
onus tollenti auxiliare, deponenti nequaquam 739
opera eadem 122
operam ludere 336
opera ſæcularis 604
opera Syloſontis ampla regio 152
operam & oleum perdidit 321
operarii 502
opera vita 370
operi incipienti favendum 392
opes Darii 216
opes flagellare 220
opes Gygis 216
opes Narciſſi 217
opes Tantaleæ 214
ὀφθαλμὸν διαστρέφειν 383
Opicus 148
opinari vera, pulchrum, mentiri, turpe 454
opinio plus valet quam res ipſa 434
opinor optimum eſſe tacere 677
oportet paludem, & ſalinas emere 690
oportet teſtudinis carnes aut edere aut non edere 54
oportet omnibus corydalis ineſſe criſtam 396
oportet agrum imbecilliorem eſſe 512
oportet remum ducere eum qui didicit 684
oppedere, & oppetere contra tonitrua 141
oppugnat cynocephalum, canina victitans 475
ὀψίνοος 635
ὀψιμαθής, ſerus ſtudiorum 420
ὀψοδαίδαλος 348
opſoniorum opſonium 47
optat ephippia bos piger, optat arare caballus 424
opta vicino ut habitet, magis autem alia 604
optima citiſſime pereunt 715
optimam vitam elige 129
optima nomina non appellando fieri mala 482.492
optimis divitiæ non ſemper contingunt 215. 216
optimum aliena inſania frui 636
optimum non naſci 713
optimum condimentum fames 445
opus ad opus 599
optimum obſonium labor ſenectuti 367
optima quidem aqua 184
optimus 294
opulentum ſpirat 44
opus alabandicum 372
opus eſt Zephyris, & hirundine multa 244
oraculum loqui 450
oraculum Arietinum 251
oraculum exarmat Argivos 708
orare qui neſcit, aſcendat mare 776
orare velatis manibus 164.743
oratio effœminatorum etiam effœminata 126
oratio leviſſima res 278
oratio pharmacum optimum 45
oratio magnifica, ſed fide carens 246
oratio medicus 45
oratio ſimplex veritatis 450.453
oratio vitæ ſpeculum 648
orba tigride pejor 357
orci culeus 375
orci galea 89
orchilus ſive χαραδριός 587
ordine & recte 689
ordinem deſerere 703
Oreſti pallium texere 333
Oreſtis inſaniam inſanire 772
Oreſtis ſomnium 700
Oreſtis ſomnium narrare 420
organo toto 11.12
organum lucri 696
Orimalides cum Acylis ne conſulueris 178
oritur repente non expectatum 422
ornamentum in luto, dignitas in indigno 22
ornari res ipſa negat contenta doceri 234
ornatus ex tuis virtutibus 718
Oromedonte altius 62.64
ὀρῶντι καὶ ζῶντι 385
Orphica vita 269.435
ὀρθὴν τὴν ναῦν 260
ortus unius, alterius interitus 560
ὀρτυγοκοπίαν 538.389
ὀρτυγοτροφίαν 538.389
oſcines 317
Oſce loqui 195.317.414
oſcitante uno deinde oſcitat & alter 517
oſcitat 295.288
Oſculana pugna 264
os Curetum 450
os duodecim ſalientium 232
os fama claudere 632
os impudens, durum, &c. 304
os ineſt rationi 451
os infame, & ſimilia 504
os infrene 277
ὡς πεντάθλῳ ἔοικε 197.198
os atque cutis 566
Oſſa dea 594
oſſium terendo, aut ſollicitum 564
os ſublinire 305
oſtendere pedes cervum 770
oſtendere ſeu monſtrari digito 193
oſtentator 69
oſtiis communibus excludere 619
oſtiatim 565
oſtii limen tetigiſti 24
oſtium haud unquam decet 284
oſtium movet Lydus 180
oſtium obdite prophani 147
ὀστρακισμός 261
oſtrei in morem hæret 582
ὡς τύπῳ dicere 365
ὡς τύπῳ εἰπεῖν 85
οἱ τακτικοί 79
ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται 478
Otus & Othus 668
ova aſpidis rumpere 492
ova aſpidum rumpunt 493
οὐκ ἄνευ θεοῦ volente Deo, nihil ſine Deo 107
οὐκ ὄναρ, ἀλλ᾽ ὕπαρ 452
οὐδὲν πρὸς ἔπος 34.173
οὐδὲν πρὸς τὰ ἄλφιτα 35
ovem lupo commiſiſti 207
oves ſaliunt ad inflatum utrem 236
ovium pellibus juncta lupina 553.729
Ovis χρυσόμαλλος 398
ovis cultrum reperit 487
ovis inſtar 671
ovium mores 398
ovium nullus uſus ibid.
ovo depili nudior 566
ovo magis conſimiles 649
ovo nudior 563
ovo prognatus eodem 644
οὐρανομήκης: cælo tenus altum 191
ovum adglutinas 323
ovum ovo ſimile 643
ὀξύγλυκυ 754

P.

Pacem amat Phidias 549
pacem orare manu, præfigere puppibus arma 578
παχυμερῶς, ſive παχυμερέστερον 57
παχὺ στομίας 136
παχὺς ὗς 469

pacis tempore cogitandum de bello 609
Pactoli opes 245
pactum Locrenſium 346
Pacuvii Teucrum ediſcere 170
Pæonia manus 94
Paganus 150
paginam utramq; facere 182
παιπάλημα 308. 356
πάλαισμα 708
paleſtra 759
palato ſatisfacere 580
Palamedeum inventum 369
palea 145
Palephatia papyrus 702
παλίντρια 294. 498
παλίμβολον 308. 356
παλίμπαιδες 406
palinodiam canere 527
Pallenicum tueri 66
pallentem procul abire cura 443
pallidior auro 696
pallio manum tegunt 444
pallium breve utrumq; operire non poteſt 615
pallium nutricis 747
palmam ferre & ſimilia 706
palmarium facinus 61
palpum obtrudere 305
palpari in tenebris 212
palpo percutere 735
paludem & ſalinas emere oportet 690
paludem pro columba 538
Pamphili furtum 81
Panagæa Diana 345
pancratice valere, & ſimil. 625
Pandeletias ſententias 71
panegyrica 520
panegyris malorum 378
panem album pinſo tibi 471
panem & pugnum dans 772
panem ne frangito 736
Panici terrores 320
Panicus caſus 319
Panidis ſuffragium 429
panis bene confectus 471
panis fractio 47
panis lapidoſus 96
panis prius, quam claſſis 689
panis filiorum non objiciendus canibus 602
panis prior prora 129
panis ſine ſale 420
παννύχιον ἄδειν 665
pannus lacer 141
πανωλεθρία 425
πανωλεθροί 626
papæ Myxus 583
Paphlagon 280
Papiria vapula 391
papyri fructus non poſtulans magnam ſpicam 93
papulas alienas obſervans, ipſe ulceribus obſitus 22
παράβολος 98
παρὰ λύδιον ἅρμα θεῖν 384
παρα[illegible] 603
παραμῆλος 36
παραχορδεῖν ibid.
paratus in utrumq; 357
παραθρυκτικόν 577
Parcarum mater 531
pardalis exuvium induere 355
pardi mortem adſimulat 351
pardus maculas non deponit 389
parem calculum ponere 568
pares cum paribus faciliime congregantur 642
πάρεστι πρόοδος 597
paraſangis multis præcurrere 184
paria facere 643
paries dealbatus 659
paries inclinatus 717
paries Statenſi 678
parietem cæcus palpat 288
parietem luto linire 274
parietes amicitiæ cuſtodes 222
parieti loquitur 322
parē ſilo 29
pari jugo 29
pari lance 435
pari libra 203
par impar ludunt 288
pari nube 650
pari numero inferis ſacrificandum 614
pariter remum ducere 224
parit puella, etiamſi male adſit viro 237
pari voce & uno ſpiritu 124
parmula relicta 691
Parni ſcaphula 679
Parnetes obulum repetit 294. 730
paropſis malorum 378
par pari referre 568
parſimonia ſummum vectigal 269
partem utramque audi, & recte judica 434
Parthi quo plus biberint 69
partitio non præſecatio 80
parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus 270
parturit larus 270
parturit cepphus 749
parva pluvia magnum ſedavit ventum 611
parvis parva dant dii 649
parvo emptas carnes 85
parvulus facit ut parvulus 776
parvum ſemper tuum pallium 50
paſcere ventos 335
paſcitur in vivis livor, poſt fata quieſcit 310
paſcitur vento, rore 94. 768
Paſetis ſemiobolus 758
paſſalam non habet 133
paſſere ſalacior 417
paſſim corvus inſequitur 328
paſſim & effuſe 602
paſſis velis 741
paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum 172. 510
paſtoris boni eſt tondere pecus, non glubere 79
paſtus aere & rore 267
patella dignum operculum 645
patere legem, quam ipſe tuliſti 29
patere legem, quam ipſe tuleris 435
pater flagellis, ego ſcorpionibus vos cædam 156
pater indoctus filium erudit 22
paterni nominis oblitus 545
paternas cantiones non canit 162
Pathicus Straton 467
patiens pulveris atq; ſolis 202
patrem ſuum nemo novit 537
Patria fumus igni alieno luculentior 586
patria ſal pluris faciundus eſt, quam hoſpitis menſa 526
patria ibi eſt, ubi bene 104
patria ſua cuiq; jucundiſſima 736
patris eſt filius 643
patris mali nunquam bonus filius 6
patris ſui nomen citius obliviſceretur 541
patris nomen non novit 533
patri ſuo ſimilis 651
Patrocli occaſio 657
Patroclo ſordidior 84
Patroclum ſub ſpecie 660
patrua lingua 442
patruos ſapere 442
Pattacione calumnioſior 113
patruum eſſe, patruos ſapere 442
pauca intelligenti 610
pauca male parta, multa bene comparata perdunt 728
pauciloquus, ſed eruditus 209
paucorum hominum homo 74
pavone laudata ſuperbior 68
pavone magis varius 67
pavone picturatior 349
pavonis more rotari 67
pavor etiam auxilia formidat 688
pauper diviti dans, petit 280. 523
pauperem unum centum viri ſpoliare non poſſunt 566
pauper, ſed ingenioſus 562
pauperes à diſpendio tuti 568
pauperi nullus cognatus 567
pauperi pax in obſeſſa via 567
pauperis eſt numerare pecus 33
pauperi vitulus eſt caſtrum 95
paupertas mors altera 776
paupertas ſapientiam ſortita eſt 562
pauſam facere 761
Pauſone mendicior 564
pauxillo nudior 562
paxillo ſive clavo ſuſpendere 366
Paxillus infractus eſt 587
Paxillum paxillo pellere 646
pax redimenda 760
παῦ᾽ ἐγὼ μὲν, σὺ δὲ μάλα λυγρῶς 109
πανστρατιᾷ 103
peccare bis in bello non licet 428
peccatum non remittitur, niſi reſtituatur ablatum 457
pecte 394
pectide ſuavior 361
pectore aperto 449
pecunia abſq; peculio 95
pecunia anima 445
pecuniæ obediunt omnia 521
pecunia pedibus compenſantur 740
pecunia vir 125
pecunia nervus 127
pecunia primum quærenda 564
pecuniarum cupiditas Spartam capiet, præterea nihil 81
pecuniis ineſcari 354
pecunioſus damnari non poteſt 522
pecunioſus, etiam nocens non damnatur 220
pecus tondere, non radi debet 88
pedem alterum in ſepulchro habere 455
pedem conferre 24
pedem dextrum in calceo, ſiniſtrum in pelvi 350
pedem luto evellere 746
pedem nunquam 257
pedem ubi ponat, non habet 563
pedere thus 586
pedes Achilleos 258
pedes ſuſpenſos ponere 211
pede tacito 680
pedetentim ibid.
pede tuo te metire 60
pedens mortuus jacet 659
pedibus ingredior, natare enim non didici 750
pedibus in ſententiam diſcedere 58
pedibus nudis ſacrifica & adorato 773
pedibus ſedecim ſuperavit 185
pedibus ſubjicere Acherontem 315
pedibus trahere 157
pedibus utriq; claudicans 51
pediculi Platonis 83
pedis cavum oſtendere 779
pedum viſa eſt via 501
Pegaſo velocior 238
Pegaſeo ferri volatu 246
Pegaſus nuncius 246
pejerare verbis conceptis 576
pejor cane milite 614
pejor orba tigride 357
πειρώμενος εἰπεῖν 513
[illegible] 545. 760
pejus Babys tibia canit 378
Pelaſga arte 357
Peleus in machæra 43
Peliam recoquere 548
pellace vulpe benignior 26
pellem caninam rodere 474
Pellana tunica 392
pelle præ te fers, etiamſi non dicas 527
pellere de gradu 578
pellere è medio 619
pellere famem ſatius, quam purpura indui 776
pellibus appenſis inſanus non curatur 495
pellibus ovinis juncta lupina 533
Pelopis talenta 219
πέμπελοι 455
Penelope pro i 427. 469
Penelopes telam retexere 323
peniciſſare 411
penna aquilarum 750
pennas addere 548
pennas incidere 110

pen-

pennas majores nido extendere 63.756
penſum abſolvere 375.703
Pentathli ſimilis 197.238
penulam æſtate deteris 240.418
penulam ſcindere 284
penſum perſolvere 703
πεντωβολόν 506
peplo dignus 198
pepone mollior 498
pepones 409
pera capra anicula 530
pera capra anicula 530
per antiquum diem 392
per anulum medium trahi 376
per bovem non omnia obtinebis 335
perca ſequitur tr elanurum 608
perca ſequitur ſepiam 645
per crambem 679
perculit plauſtrum 672
percutere femur 166.386
percutiens idem & percuſſus 492
perde aliquid, ut habeas quietum tempus 760
perdere naulum 423
perdicis crura 254
perdicis inſtar 411
perdicis libido & vafrities 417
perdidiſti vinum, infuſa aqua 96
per dioptram ventura proſpicis 607
perdit totum, qui totum vult 776
perdix congregat divitias ſine judicio 334
per eandem lineam ſerram reciprocare 335
pereant, amici, &c. 736
peregrinis buccis ridere 624
peregrinum quærere 618
perendinum ventum prædicere 607
per enſes, per ignem oportet irrumpere 208
per octentum funem ire 168.743
perficiuntur ſemper artes 599
perfidia plus quam Punica 560
per fluvium traducere 95
perfricare faciem 316
perfricare os ibid.
perfrictæ frontis ibid
perfundi unguento annum hauddocet 463
perfuſus aceto 165
Pergæa Diana 351
pergama non triſtia incolit 305
per genium alicujus dejerare 345
perge quæ juſta ſunt curare 343
per haſtæ cuſpitem currere 208
per Harma aliquid facere 558.616
pergræcari 458
peribis ſi non feceris 579
periclo diſce alieno 40.513
periculo alieno cautus 40
periculo alieno ſapiens ibid.
periculoſum eſt canem inteſtina guſtaſſe 294
periculum fecimus 230
periculum ne temere ſubeas 745
periculum prora ſolis 205
perierunt bona 166
per ignem incedis 206
periit ſus 323
Perilli taurus 477
per indicem 366
peripheretus Artemon 70
περιφόρητος ibid.
perire luce liceat 747
perire non poſſunt, quæ conſecravit ſapientia 220
periſtromata Campanica 61
peritis in ſua arte credendum 433
περὶ τῶν πέντε λόγος 152
περίτριμμα 503
peritum artis impete 334
per longas ambages fruſtra vagari 137
per manus tradere 264
per mare navigare 513
per medium anulum trahaeris oportet 376
permiſcere ſacra prophanis 121
per nebulam, per caliginem, per ſomnium 364.542
per nebulam ſive caligine videre ſeu audire 303
perniciei nulla habetur ratio 670.672
pernicior boreadibus 244
pernicior Lada 244
per omnes numeros cognoſcere 571
per parietem loqui 16
perperi 385
perplexos nos reddidiſti 56
perplexus 579
perplexus animique conſternari ibid.
per publicam viam ne ambules 614
per quadam fideicommiſſa 737
per rupes projecto ſemine ſteriles 337
perſæpe ſatra haud ſacrificata devorat 80
per ſatyram 364
perſequens e nemine fugere 695
perſequeris flamma quem genueras 353
perſequi inconcuſſa 334
Perſica menſa 446
Perſice epulari 469
Perſici apparatus 216
Perſolæ nugæ 748
perſonam mavult quam faciem 659.273
perſonam non faciem geris 316
perſonare aures 77
perſonati 273
perſonatus ibid.
perſpicere ex fronte 125
perſuadebis cito, ſi bene dicas 109
perſuadebis minime, ne ſi perſuaſeris quidem 770
perſuadebit album eſſe nigrum 22
per tenebras quæ apud quercum 378
pertinax contentio 29
per tranſennam inſpicere 364
pertuſum dolium 337
pertuſum vas 391
pervicacia ſtultitia dat pœnas 772
peſſima apes furto proveniunt 394
peſtiferis furiis 417
peſtilentia famam ſequitur 236
peſtis eſt 315
peſtis Italica 314
peſtis reip. mulctores 382
petere diurnum 566
peteris manum, & pedem porrigis 21
petis ex alieno litore gemmas 116
petit ſecretum 548
petra ſolida innitendum 480.632
Phæaces 768
Phæacum more vivere 413
Phagones 414
Φαινοπροσωπεῖν 657.756
Phalaridis Imperium 153
Φαλακρισμός ibid.
phaleratus 273
phallus deo 688
Phania janua 61
phani oſtium 363
pharmacis amaris amara bilis proluitur 649
pharmacum Helenæ 756
Pharus 632
Phaſelitarum ſacrificium 86
Phaſim neque navigavit 573
Φαῦλιναι 752
Φειδίτια, & alia ſimilia 266
pheidiſſare 410
Phidiæ ſignum 58
Phidias pacem amat 549
Philænidis commentarii 318
Φίλαυτοι 763
Philippi gallus 737
Philippide tenuius 84
Philonide indoctior 139
philoſophantes in meridie vita 637
philoſophare cælum intuens 560
philoſophari 686
Philoteſia Tantali 48
Philoteſius crater 43
Philoxeni codicellus 618
Philoxeni non 757
Phocenſium deſperatio 156.223
Phocenſium execratio 223
Phoci convivium 488
Phœnicia commutatio 179
Phœnice varior 616
phœnice vivacior 453
phœnicis inſtar reviviſcere 392
phœniciſſare 414
phœnicum mendacium 305
phœnicum more 179
phœnicum pacta 346
Φοινικίζειν 414
Phormionis thori 266
Φῶς ἀγαθῶν 554
Phrynichi lucta 748
Phrynicus examen veſparum metuit, velut gallus gallinaceus 116
Phrynondas alter 308
Phryges ſero ſapiunt 635
Phrygium mancipium 404
Φρυγὸς ᾆδων 744
Phryx ipſe magis 27
Phryx non minus quam Spyntharis 667
Phryx plagis emendatur 404
Phydia Minerva 198
Phyſcone impurior 411
Pica cum luſcinia certat 13.185
Pica Sirenem imitans 21.177
Picem mus guſtat 635
picem olens 533
Picifer 742
Pictor tabellis comprobatur ædiſque 433
Pictum ſimulachrum 668
Pictura loquens 674
Pictura poeſis tacita 451
πηγαὶ ἄνυδροι 703
Pigrior aſino 683
Pigriores Vejentone aſinaque 288
Pigris ſemper eſſe feſtum 287
Pila mea eſt 707
Pilam tenere more claudi 285
Pileum donat ut pallium recipiat [illegible]
Pili non facio 130
Pilo digni 145
Pilo dignum 742
Pilos pro lana 338
Pilos ſerviles in animo habere 669
Pilos velli calvis & comatis moleſtum 383
Pilum non habet 133
Pilum injicere 419
Pilus in medio 178
Pingere abſque oleo 338
Pingere malum de aſino 650
Pingui menſura 447
Pinguis venter non gignit ſenſum tenuem 589
Pingui Minerva 56
Pinguior lucerna, lecytho 401
pinus in morem 166.384.423
pipere abundans, etiam oleribus immiſcet 601
Pirenis non fert vaſa inania 460
Piſandri galea & ſupercilium 737
piſcari in aere 17
piſcari in aqua turbida [illegible]
piſcator ictus ſapiet 226.635
piſcatoris filius non eſt, qui ignorat quid ſit menniſe 304
piſcatur in aqua turbida 604
piſce ſanior 625
piſcem aut florem olet 97.645
piſces magni in mari capiuntur 449
piſces magni parvulos comedunt 67
piſci aſello ſimilis 412
piſcinarum tritones 66.463
piſcis magnus nullus malus 589
piſcem natare doces 17
piſcibus abſtineto 765
piſcis eget ſale 20
piſcis mutus 675
piſcis nequam eſt, niſi recens 392
piſcis primum à capite fœtet 557
piſcis repoſitus 392
piſcium vita 68
piſci vulgari non inſunt ſpinæ 96
Piſtilli circumvolutio 679
piſtillo calvior 254
piſtillo nudior 562
piſtillo retuſius 404
piſtillum exornatum 21
piſtillum ornatum ibid.
pitana ſum 264
Pithon formoſus 26

πλαταγίζειν 294
pituitam à naribus alio, & cepe detergere 669
Placiada 718
placida bos 680
πλάγια τ̀ φρονεῖν 357
πλάνος 618
plantam cum eo evellere 633
planus ſemel crura fregit 730
platanis ſimiles 617
platano aſſimiles 537
Platonis numerus obſcurius 543
Plato Philoniſſat aut Philon Platoniſſat 54
πλάτωνος τρόπον 661
adplaudite nos 10
plauſtra bonorum 481.101
plauſtra conviciorum 475
plauſtra conviciis onuſta 475
plauſtra malorum 431
plauſtri centum ligna, trabes 1 8
plauſtri rota male uncta ſtridet 391
de plauſtro loqui 449
plauſtrum percellere 595.675
plauſtrum perculit 595. 72
plena manu 447.600
plenilunio ſtat 538
pleno velo 741
pleno gradu 202
pleno modio 447
plenus aranearum 146
plenus ſanguine 426
plenus ſomni 568
plenus vana ſpe 667
plerunque manus ipſa re praeſtat 3 0
plexu anguinem Andromachen exornare 617
πλήρης ἡ φιλοτησία 576
πλησίστιος φέρεται 218
plumbea regum ira 728
plumbeus gladius in vag. eburn. 176
plumbeo jugulare gladio 134
plumbeum nummum non credam 132
plorat aquam, quum lavas, fundere 87
pluit mel Iupiter 733
plumbeus homo 671
plumbeus nummus 130.132.706
plura qui ambit, male aſtringit 752
plura ſunt negocia quam vocabula 170
plures adorant ſolem orientem quam occidentem 47
plures gladii quam vagina 407
plures gula quam gladius perimit 468
plures thriobolos, paucos eſt cernere vates 652
pluris eſt oculatus teſtis unus quam auriti decem 179
plurium calculus vincit 216
plus aloes quam mellis habet 52
plus aequo, impendio 764
plus apud Campanos unguenti quam apud caeteros olei fit 184
plus dat, qui in tempore dat 689
plus in alieno quam ſuo vides 39
plus oculis ſuis 48
plus verrere quam ferere 87
pluteum cadere 200
Plutus ἄζηλος 151
Plutus caecus 85
Plutus mortuus ibid.
Plutus timidus 691
pluvias aquas colligere 392
pluvia tonitrua ſequuntur 776
πλωΐζειν 152
πλωΐειν 342
pocula Siphnia 412
poculo eodem bibere 478
poculo imparato, amoves obicem dolio 493
è poculo perforato bibere 03
poculum Helenae 443
podex lotionem vincit 388.494
poema longum 537
poematis refractus 428
poenas Mithrii ſuſtinere 386
poeta, equus, vinum 452
poetae & pictores liberi 451
poetae in multis mentiuntur 662
poeta malus pro eleganti medico 582
poetam nemo ſibi infenſum reddat 497
poenam cogitationis nemo patitur 730
poetici dii 588
πολεμεῖν χρόνῳ 204
politus, civilis & urbanus 191
pollicem premere, aut vertere 57
pollicentis ſe promiſſa repraeſtiturum 248
polliceri hauſtum lactis gallinacei 69
polliceri maria & montes 472
pollucibiliter obſonare 468
pulvere hyberno, verno luto mete 690
Polycleti norma 575
Polycrates matrem paſcit 27
Polydamas primus objiciet probrum 500
polypi 81
polypi caput 52
πολυφιλία 41
polypi mentem obtine 344.638
πολυαγρεῖν 217
Polypus ſcopulo affixus 744
pomarium Herculis 116
pometum Alcinoi 191
pomis vitioſis vilior 144
pomoerio minore finire 109
πομπεύειν 475.766
pomum Atalantae ſequi 295
pomum diſſidii 624
ponere certum, difficile eſt 597
ponere pedes ſuſpenſos 211
ponere ſupercilium 60
πόνος πόνῳ πόνον φέρει 329
πομπικῶς 468
pons à tergo abruptus eſt 200
pontificalis coena 457
popularis coena 415
porcellus Acarnanius 561
porcos paſcere hircabo 431
porcum immola 403
porcus obeſus 589
porcus Trojanus 459
porcus tubam 429
porcellis dormire pedibus 650
porrigere herbam 708
porrigere manum 94
porrigere manus 93
porrigis tanquam elephanto ſtipem 696
porro à Iove atque fulmine 631
portentum Cyclopicum 154
Porſena bona 80.147
portus miſeriae ars 368
porta itineris longiſſima eſt 719
porticus ἐπίφθονος 276
poſcere terram & aquam 624
poſſidere praeſtat, quam perſequi 607
poſt acerba prudentior 636
poſt bellum auxilium 637
poſt cauſam vulneratam remedium quaerere 422
poſt cineres gloria ſera 755
poſteriores cog. cur. meliores 627
poſteriores curae meliores ibid.
poſteriores prioribus potiores 627
poſterioribus melioribus 626
poſteritas Gorgonei capitis 67
poſterius dictum 735
poſtes tranſcendere 511
poſt feſtum veniſti 682
poſt folia cadunt arbores 205
poſt homines natos 758
poſt hominum memoriam ibid.
poſtica accurrite ſanna 476
poſtica recipere antica excluſum 660
poſtica ſanna 161
poſtico diſcedere 658
poſt Lesbium cantorem 186
poſt ludos ad feria 537
poſt mala prudentior 766
poſt Marathonem pugna 479
poſt Panathenaea 681
poſt principia 631
poſt Pythia 681
poſt rem devoratam ratio 18.656
poſtremi 51
poſt tergum noli reſpicere 246
poſt verba verbera 614
poſt vulnera clypeum ſumere 21
potentum amicitia ſunt periculoſa 763
potes tacere 676
praebere viros 257
praeceps judicium, index inſani judicii 431
praecedit praeter viam igni nimium 491
praecordia alba 668
praecordia excutere 123
praedives 215
praeeunte Deo, nullus officit obex 105
praefatio libro prolixior 18
praefert ſpeciem Durei equi 352
praeficarum more 770
prae formicis exilis 142
praefracti 68
praelio victus, non bello 778
praeludere de primo gradu 578
praemanſum in os inſerere 56
praematura mors 634
praemovere venarum 240
prae Nili cataractis 134
praepoſtere 14
praepoſtere oculatus 24.154
praerodere digitos 162
praeſente arbore, ligna omnes colligunt 106
praeſentia atque viva 397
praeſentia minuunt famam 144
praeſentibus offendi ut 755
praeſentibus rebus conſulendum 760
praeſens abeſt 76
praeſentem fortunam boni conſule 605
praeſentem mulge, quid fugientem inſequeris? 605
praeſtantes in contexendis machinis Aegyptii 348
praeſtare ſolem mercede 437
praeſtat aliquando quam nunquam 776
praeſtat ferro, quam morbo mori 617
praeſtat habere acerbos 26
praeſtat invidioſum eſſe quam miſerabilem 424
praeſtat neſcire 110
praeſtat poſſidere, quam perſequi 606
praeſtat rotunda quam quadrada menſa 424
praeſtat vinea ulmum eſſe, quam hedera 91
praeſtat uni malo obnoxium eſſe, quam duobus 490.505
praeſtat canem irritare quam anum 635
praeter cantilenam 36
praeter caſam ne fugias 528
praeterita non mutantur 495
praeteriiſſe eſt 614
praeternavigare Sirenas 293
praeter plorare nihil 381
praeter Sibyllam leget nemo 168
praetextata narratio 233
praetextata verba 415
praevertere ventos curſu 245
praevertit ancora jactum dem 271
prandium ferarum 416
pranſum paratum 743
pravus dentium tenus 776
Praxilla Adonide ſtupidior 401
precatur voce 735
preces armatae 157
prehendere manum 608
premere pollicem 57
premenda occaſio 545
preſſius agere 419
πρεσβυτέρων 183
Priamiſare 380
Prienenſis juſtitia 435
prima facie, prima fronte 128
prima felicitatis pars, ſapere 765
primas jactare haſtas 14
primas lineas ducere 15
primas tenere 183
primo crede mulieris conſilio, ſecundo noli 130
primo gradu 194
primo quoque die nemo fit doctus 235
primoribus labiis deguſtare 364
primum Aeginae pueros optimos alit 393
primum cunabulum [illegible]
primum & medium ac poſtremum 9
primum apes abigenda 628
primum aut ultimum quid 32

pro-

primum experienti venia 428
primum amori in filiis laudem uſus eſt 393
primum quoq; veriſſimum eſt 433
primum recte valere, proxima forma, tertio loco divitiæ 104
primus error veniam meretur 428
primus & ultimus 9
princeps & æqua & iniqua audit 19
primus ſecundus, tertius : primus, medius, noviſſimus 195
primus veniens, primus molet 199.743
princeps ſapis congreſſu ſuperatum 48
princeps indiligens 363
principis boni ſitus bonus 493
principatus Scyrius 139
principes inter ſe noti 536
principium dimidium totius 10
principium, medium, finis 997
principi obtemperandum in omnibus 760
principum favor neceſſarius 552
prior occupat 765
prior occupavit 703
priſca manus 193
priſcis credendum 246
privatis publica potiora 436
prius antidotum quam venenum 26
prius cavum à convexo disjunxerit 294
prius duo echini amicitiam ineant 291
prius leo, nunc leporem agit 314
prius locuſta bovem pariet 291
prius lupus ovem ducat uxorem 290
prius oculatus 20.154
prius panu prætendū, quam de prora dicendum 611
prius pana, quam claſſis 689
priuſquam aſſa ſit farina 16
priuſquam gallus iterum cecinerit 238
priuſquam mactaris, excorias 16
priuſquam ignitus lapis enataverit 210
priuſquam in medulla obriguerit 93
priuſquam pinſueris, farinam ſubigis 20
priuſquam ſortiaris, communia devoras 82
710
prius teſtudo leporem 297
prius unda tam flamma redibit in gratiam 539
pro amphora urceus 9
pro aris & focis 159
proba materia, probo artifici 152
proba merx facile emptorem reperit 64
proba eſt materia, ſi probum adhibeas artificem 152.368
proba materia probus artifex ibid.
probatus igne 130
pro beneficentia Agamemnonem alii ſunt Achivi 390
problema aliud 717
probl. omnia Archimedeum 543.709
pro bonis gemi 281.570
probum honeſtum 460.594
pro cæco exoculatus eſt 479
pro carnibus dimicare 221
proci Penelopes 417.469
prodigia factu jube 6
Procorum cruſtum 408
Procridis telum 97
pro Cottabo haberi 130
procreatus leæna 150
procul 617
procul ab aurib. nuntius venias 164
procul abjiciendum 224.160
procul à Jove & fulmine 631
procul à me faceſſas Baccho malus piſcis 163
procul à pedibus equinis 222.631
prophani fores occludite 547.710
pro Delo Calauriam 569
prodeſſe poteſt qui nocere 576.762
Prodico doctior 189
pro dignitate cujusq; 283
pro dii immortales 225
prodit conſcientia crimen 561
prodit nidum ſuum lepus 491
prode canibus oſſa 448.492
producere ad ſtamina 91
pro eleganti medico malus poeta 528
profectus ad Apaturia 681
profluit, excidit 685
profundere ventis verba 337
profundior riſus lachrymis parit 623
profundum ſulcum 451
progenies lutea 144
progredi ſurſum paſſu 769
progreſſu primo & maximo 112
prohibens me umbra 169
pro incerta ſpe, certa præmia 606
proletarii 567
proletarius ſcriptor 144
prolixitas ſermonis faſtidioſa 110
prolixius Iliade 276
proluere labia 415
pro malo cane ſuum repoſcit 338
pro mea virili 123
pro mea virili 119
promentis viribus 123
Promeri canes 724
Prometheus & Epimetheus 936
Prometheus poſt factum 635
promiſſis morari 250
proœmium & exordium rei 558
promus magis quam condus 447
Pronomi barba 254
præmia magna de parva re 419
pro pede xenium 478
prope eſt 690
propellere umbone 94
properans nimium ſerius abſolvit 123.239
propera ſcorpium 338.390
προπετῶς μὴ ὄμνυε 251
propera propere 240
propinare deridendum 446
prophanus ne audiat 304
propius nil factum 341
Propola 427
propria vincta cadere 114
proprii nominis oblivisci 541
propter inopiam araneis abundat 565
pro Pytho Tænarum 170
pro quartana non pulſatur campana 776
prora & puppis 9
pro rebus verba 359
pro xenia 546
prorſus ignotus 37
προσανέχειν 405
proſopon habet non proſopon 474
proſpicit venturum per dioptram 607
proſtat, & in quæſtu pro meretrice ſedet 424
Protei more 344
Proteo mutabilior ibid.
proterit calcibus 711
protervia ignominiam præcedit 491
protervam fecit 491
προσπαίζει, & ſimilia 189
Prætenues 359
protinus apparet, quæ plantæ frugifera futura 117
protrudere diem humeris 551
provinciam capere aut tradere 169.574
pro virgine cerva 392
provocare equites in campum 343
provocat & vincitur 708
provolvitur ad milvios 540
prudens in flammam mitto manum 487
prudentem gubernatorem non terret 209
prudentia conjuncta cum viribus 612
prudentior poſt mala 766
prudentia ſenum 612
pruriunt dentes, & ſimilia 102
pſallitur injicere 759
Pſaphonis aves 762
pſectas autres 55
pſegma Lydium 217
ψεῦδ' ἐπιθεῖ 15
ψευδόνυμον 503
pſydracia 699
Pſyra Bacchum 85
Pſyrice facta ibid.
πτερύγιζεν 411
πτωχαλαζών 737
πτωχομύσος 303
Ptolemaica lis 623
pub. ſeu privatis potiora 436
publica via ingredi 436
publica via ne ambulato 612
pudebat recuſare, & non audebant ſuſcipere 613
pudica & formoſa 253
pudor & metus 613
pudor in oculis ibid.
pudori lucrum præſtat 79
pudor, jugum, & conjugii fructu fides fugiunt nuptiæ 358
puer glaciem 488
puerile eſt 421
pueri more 288
puer ſeneſq; 519.556
pueris alienis adhæres 415
pueris puer, in conſilio ſenex 81
puer Junonis 466
puero gladium 176
vel puero perſpicuum 581
puerorum crepundia 142
pueros odi præcoci ſapientia 140
pueros talis, viros jurejurando optime falli 247
puer quivis intelligit 536
pugionem recipit, & amiſit urbem 482
pugio plumbeus 134
pugna Bupalia 476
pugna conſilia ſcindit 527
pugna erat in ſaxis, nec ſaxum tollere quibant 334
pugna Gigantum 624
pugnat volſellis, non gladio 463.467
468
pugna peracta venire 681
pugnare cum umbris 336
pugnare ferro 708
pugnare volſellis cum gladio 420
pugnare volſellis, non gladio 467
pugnis & calcibus 438
pugno tenere 628
pugnum & panem da 379
pulchra ac nova ſtupeſcimus 519
pulchra apud pueros ſimia 438
pulchra placent 295
pulchre fallis vulpem 396
pulchrorum etiam autumnus pulcher eſt 134
pulchrum ſepulchri elogio 61
pulchrum amicum 31.49.254
pullati ad nuptias, albati ad exequias procedunt 23
pullus de nido avolat 770
pullus ejus 416
pullus ſuus ſemper parvus 50
pulmonis vitam vivere 667
pulmo prius veniſſet 365.683
pulſare lyram manu, non eſt cujusvis 33
pulvere extrito decertat 708
pulverem eruditum ne quidem attigit 503
pulverem excutere 149
pulverem oculis offundere 112
pulverem pedum excutere 772
pulvillos ſub cubito conſuere 295
pulvillum conſulere 130
Pulytionis domus 217
pumilio licet in monte, non eſt magnus 550
punctis omnibus 58
punctis ſingulis ibid.
puncto non diſcedam 75
punctum temporis 714
Punica fides 347.576.577
Punicis malis omnibus ineſt granum aliquod putre 755
pura à nuptiis 767
pura manus 361
purgatis auribus 76
purior clavo, gubernaculo 360
purior ſalillo 361
purior Veſtalium choro 613
puro pretioſius eſt purum 652
purpura voracior 80
purpura juxta purpuram dijudicanda 410
purus puram deſiluit aquam 360
purus putus 649
puſillum malum, ingens bonum 557
puſillum puſillo addere 71
puſillus quantus Melon 589
putaſti feras agitare 504
puteo incluſiſti 170
puteum fodit juxta fluvium 11
puteus, ſi hauriatur, melior evadit 598
putidus fungus 142.766

πυκτεύειν 439
patre ſa'amentum amas origanum 523
πύγαργος 207
Pygmæi vel Thiodamas cum Hercule 259
Pygmæorum a rothinia coloſſo adhibere 525
Pygmæum impenere Coloſſo 473
πυλαίικὴ ὀχλαγωγία 701
πυλαικῆς ὀχλαγωγίας 550
Pylos ante Pylum 734
pyrauſta gaudet gaudium 487
pyrauſta interitus 490
πῦρ καὶ σπινθήρ 495
Pyri finem facies 752
πυρπαλάμοι 351
Pyrrhandri commentum 349
πυῤῥιχίζειν 444
pyrrichen oculis præ ſe ferens 443
Pyrrhias bovem immolavit benemerenti 282
Pythagoreus taciturnior 675
Pythagorico more 544
Pythia Myſis ta'cuta 2.7
Pythia & Delta eadem 6-1
Pythum verſus via iterum atque iterum 678
Pyrrhonia hæſitatio 314
Pyxis Pandora 666

Q.

QVa de re agitur 433
quadrantaria 319
quadrantaria Clytamneſtra 318
quadrante dignum 142
quadra propria 560
quæ apud inferos 697
quæ apud Sagram 248.250
quadratus homo 573
quæ cernimus, ſcire affirmabimus 454
quæ conſecravit ſapientia, perire non poſſunt 220
quæ coram intuemur, credimus 181
quæcunque in ſomnio videntur 732
quæcunque mentiuntur ſomnia ibid.
quæ deciderunt, ne tollito 738
quæ dantur 605
quæ dedit illa capit, neque diſpendii facis bilum 717
quæ divinitus contingunt 103
quæ dolent, ea moleſtum eſt contingere 499
quæ ex antiqua 378
quæ ignoramus, aſpernantur 432
quæ infra nos, nihil ad nos 38
quæ nocent docent 631
Quæ non poſuiſti ne tollas 455
quæ juſta ſunt curare perge 343
quæ parta ſunt, majore cura tuenda 606
quæ peccamus juvenes, ea luimus ſenes 481
quæ poſt vitam futura ſunt, incerta 341
quæ pulchra difficilia 162.170
quæ quis ipſe facit 586
quare adoleſcens, uxore ſenex 204
quære hoſpitem 618
Quære peregrinum 618
quærenda pecunia primum 564
quærenda facultates, deinde virtus 364
quærens obſonium, veſtem perdidi 273
quærere cinerem 130
quærere laureolam in muſtaceo 61.66
quærere peregrinum 618
quæris aſini vellera 338
quæ ſemel ancilla, nunquam hera 177
quæ ſentio loquor 37
quæ ſero contingunt, ſed magnifice 683
quæſtio non eſt triobolaris 473
quæ ſub alis ſiunt 411
quæ ſupra nos, nihil ad nos 38
quæ ubi terra patria 104
quæ uncis ſunt unguibus, ne nutrias 765
quæ in re clarus quiſque eſt, ad eam properas 203
qualem demens illi chlamydem diſperdis? 467
quales fuimus ſcimus 275
quales principes, tales populi 518
qualia canities loquitur 297
qualis hera, talis & canis 318
qualis hera, tales pediſſequa 644
qualis oratio, tale ingenium 650
qualis vir, talis oratio 127
quam alia ſit ab aqua, ipſa oſtendet 230
quam apes apum ſimiles 644
quam Clinia ex Demetrio 475.760
quam curat teſtudo muſcam 132
quam facile canis exta edit 596
quam facile vulpes pyrum comeſt 596
quam in tragœdia comici 15
quam peſſima beſtia venter 313
quam quiſque novit artem, in hac ſe exerceat 684
quando id fieri non poteſt 604
quanquam non dixeris tamen apparet è pelle 227
quanta mons apud Piſam 227
quanta vix cœlo capi poſſit 5 4
quanto aſini præſtantiores muli 185
quanta verborum ſtillat auro 233
quantum aquila culicem 177
quantum ex bacchanalibus 666.650
quantum exiat harena ac pulveris 731
quantum habes 215
quantum non milvus oberret 214
quantum pedibus potes 239.575
quantum ſuperat vultur culicem 177
quantum ubique poſſunt duo oboli? 219
quantum vel Midiam ſatiaverit 216
quarta luna nati 39.384
quaſi deos habere aliquos 95
quaſi dies dicta ſit 754
quaſi lotium in balneis 743
quaſi locum in balneis occupare 199 743
quaſi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero 611
quaſi lupus in armis 260
quaſi mappa miſſa 690
quaſi millus cani 706
quaſi Nauplius Caphareo rediens 154
quaſi per ſomnium 702
quaſi theſaurum Draco 102.664
quaſi Sutrini eant 334
quaſſare, ſeu movere caput 504
quatuor aures habenti auſcu'ta 612
quatuor habens capita 467
quatuor obolis non æſtimo 132
quatuor obolis æſtimas 142
quavis re dignus 181
quem Cos non nutrit, illum nec Ægyptus 85
quem diligas delige 52
quem mater amiculum dedit obſervare 674
quem fortuna pinxerit 594
quem multi timent, neceſſe eſt multos timeant 502
ex quercubus ac ſaxis nati 556
quercum aliam excute 617
quercus bacchatur 73
quercus multis ictibus dejicitur 75
Querulis in amicitia 45
qui amans, ipſi ſibi ſomnia fingunt 732
qui amat me, amat & canem meum 776
qui apud inferos ſunt ternones 547
qui arat olivetum 368
qui bene conjiciet hunc vatem 127.607
quibuslibet non temere credendum 211
quibus nec ara nec fides 347
quibuſvis montium collibus altior 196
quibus vivimus, & hu agrotamus 740
qui canem alit externum 390
qui colocem vogare nequit, onerarium petit 587
qui circa ſalem & fabam 6
qui comederit de vis corum, morietur. & quod conſutum eſt, erumpet in regulum 387
qui commiſit aremuna 673
qui conturbat omnia 514
quicquid delirant reges, plectuntur Achivi 730
quicquid dominatur, vim Dei habet 588
quicquid eſt factum, ſemper factum eſt totum 293
quicquid in buccam venerit 277.685
quicquid in linguam 277
quicquid in mentem venerit ibid.
quicquid licet, minus deſideratur 733.772
qui cum contemptu vitæ invadunt 90
qui cum ſapientibus verſatur, ſapiens erit 519
qui cupit aut metuit, ſervus eſt 640
qui cuſtodierit corpus ſuum, ſervat bonum caſtellum 609
quid Achivos à turre judicarint 631
quid ad farinas? 35
quid ad Mercurium? ibid.
quid agas vide 504
quid approperas, neque enim vivo carboni inſides 156
quid Barbiton Crocoto loquitur 57
quid cæco cum ſpeculo 174
quid cani & balneo 172
quid cothurnus cum clava 37
quid delphino & bovi commune 177
quid de puſillis magna proœmiat 419
quid diſtent æra lupinis 172
qui domi compluitur 2[illegible]
quid facerem 56
quid graculo cum fidibus 197
quid Lecytho cum Strophio 177
quid mihi cum longis tibiis 421
quid moraris emori 167
quid niſi victis dolor? 707
quid non fies profectus Arbelas 732
quid opus erat longa canere tibiis 325
quid primum aut ultimum? 52
quid ſi cœlum ruat? 253
quid ſpeculo commercii cum gladio 177
quid cælato, niſi Moſes Atticus 650
quid ſole relicto venis 530
quid tandem non efficiunt manus 368
quid tibi Apollo cecinit? 540
quid toto fiat in orbe, novit 159
qui eget, in turba verſetur 564
qui è nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem 744
qui feſtinis eſt pedibus, offendit 611
qui honorat, ſeipſum honorat 545
qui indigent lucerna, oleum affundunt 264
qui inſtat, extrudit 102
qui inſpuerit in cavernam formicarum 485
qui iraſci neſcit, vir non videtur 426
qui lucerna egent, infundunt oleum 281, 269
qui jure perierunt 423
qui luſit aliquando, iterum ludet 293
qui luſum non novit legem, abſtineat 684
qui luxurioſus eſſe neceſſe eſt ut & avarus ſit [illegible]
qui medice vivit, miſerrimè vivit 395
qui modus equitum 337
qui mori nolit ante tempus 701
qui mortem negligit, ſervus non eſt 258
qui multa rapuerit, pauca ſuffragatoribus dederit, ſalvus erit 528
qui multos ignoras, ignorabis & unum 304
qui multum obfuit 19
qui neſcit orare, aſcendat mare 776
qui nimium feſtinat, caldum edit ibid.
qui nimium properat, ſerius abſolvit 123, 239
qui nocere poteſt, & idem prodeſſe 567, 962
qui non habet in ære, luat in corpore 730
qui non intelligit, fruſtra legit 337
qui non trajecit, non habet ſortitum 670
qui non litig. calebſoft 251
qui non zelat 50
quinta claſſis 142
quinta claſſis, pro poſtremo ibid.
qui non litigat, felix 770
qui nunc nullus, erat grammaticus 550, 683
qui obticeſcit 671

qui omni in re, & in omni tempore 309
qui paratus ad reſiſtendum 503
qui parcit virgæ, odit filium 553
qui per ſe ſufficit 368. 763
qui petit, accipit 202
qui plura ambit, male adſtringit 752
qui poteſt capere capiat, poſſeſſio valet 606
qui potuit lædere, prodeſſe aliquando valebit 107
qui primas habet ſcientiæ, à cæteris non læditur 418
qui quærit, invenit 202
qui ranis miniſtres, dignus 420
quis aberret à janua 6
quis credidit unguenta vaſi ſordido 421
quis deſcripſerit verſus Morſimi? 22
quis dies in Coo 340
quis ſecum diſſentit, nullo modo cum alio conſentiet 178
quis erit modus? 513
quis Etcobutades, quiſnam ſervus 177
quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati 225
quis per ſe ſufficit 763
qui poſſim ab hoc epulo abeſſe? 446
qui primus venit, primus molet 743
qui prior læſit 727
qui probus Athenienſis 188
quis quæ vult dicit, quæ non vult, audiet 478
quiritari 92
Quirites invocare ibid.
qui ſemel ſcurra, nunquam paterfamilias 388
qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam 8
quis iſthic fluvius, quem non recipiat mare? 457
qui ſitiunt ſilentio bibunt 608
quis me uno vivit felicior? 446
quis parentem laudabit, niſi infelices filii? 162
quis uſus cepis putridi? 141
qui ſeſe non habet, Samum habere poſtulat 17
quiſq; ſibi Suffenus, Mevius 31. 32
quiſquis is fuerit 171
quiſquis tarde venit ad cœnam 681
qui te conſpexit, auguinum capere poterit 555
qui tempus præſtolatur tempus ei deeſt 776
qui totum vult, totum perdit ibid.
qui vitat molam, vitat farinam 367
quoad vixero 633
quocunque Deus 545
quocunq; pedes ferent 53
quo curris potius quam ad ephebum 128
quod adeſt, boni conſule 605
quod alibi diminutum, exæquatur alibi 33
quod aliis vitio vertas, ipſe ne feceris 436
quod alius condivit coquus, aliter condiam 264
quod cani cum balneo commercium? 178
Quodcunq; in ſolum venit 12
quod cupit, capit 599
quod datur 606
quod dedi, datum nollem 636
quod deeſt habet 88
quod Deus bene vertat 554
quod dubites, ne feceris 55
quod factum eſt infectum fieri nequit 531
quod factum eſt, infectum fieri non poteſt 531
quod fauſtum felixq; ſit 555
quod fieri nequit, incipiendum quidem 750
quod in animo ſobrii, id in lingua ebrii ibid.
quod in corde ſobrii, id in lingua ebrii 450
quod index auro, id aurum homini 419
quod in ſolum venit 556
quod Magas inter organa 609
quod natura negat, labor præbet 370
quod non es reſpue 513
quod non opus eſt, aſſe charum eſt 131
quod non ſatis eſt, non multum eſt 755
quod omnibus commune eſt, facile fertur 116
quod periit, periit 167
quod poſſis, velis 122
quod præteriit, levius eſt 496
quod pulchrum, idem amicum 31. 49. 254
quod quiſq; ſperat, facile credit 73
quod recte datum eſt 447
quod ſal carni 25
Quod ſcis neſcis 673
quod ſupereſt 575
quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris 437
quod voluit, fecit 417
quod utile, honeſtum 78
quod volumus, ſanctum eſt 583
quo fata trahunt, retrahuntque ſequamur 30
quo jure quaq; injuria 394
quo longius à Papa, eo melius 599
quo me vertam neſcio 56
quoniam id fieri quod vis non poteſt 604
quo properas, num ad Ephebum 189. 229
quorſum opus amicis, ſi modo faveant Deus 106
quo ſemel eſt imbuta 388
quos non tolleremus centum Ægyptii 514
quo terrarum raperis 36
quot fluctus inſula: quot ilicis folia 520
quot homines, tot ſententiæ 31
quotidiano convictu authoritas minuitur 148
quo tranſgreſſus, &c. 124
quot ſervos habeamus, totidem habemus hoſtes 180. 520
quum nullus ſit morbus, nulla medela opus 422
quum plumbum natabit ſuberis inſtar 539
Quum ſis nanus, cede 187

R.

Rαβάσσειν 202
rabioſa anus 476
radere leonem 400
radices literarum amaræ, fructus dulces 482
radicitus 422. 615
radicitus, à ſtirpe & ſim. 80
radios ſolis oculus lippus non fert 303
radit uſq; ad cutem 619
radix & fons 558
ne ramenta quidem, ne feſtuca quidem 133
raina cum grillo 178
rana Gyrina ſapientior 398
rana cum locuſta 183
rana aquam 12. 79
ranarum more bibentes ibid.
ranarum paluſtrium major eſt mihi cura, quam rerum iſtarum 138
rana Seriphia 675
rancoſis 392
ranæ vinum præminiſtras 524
rapacior Simone 86
rapere à veru 764
rapina cotytiis 80
rapina rerum Cinnari 771
rara avis 616
rara fides 379
rarum, carum 616
raſtris obiruntis ſolum vertere: Ligonibus aureis terram fodere 21
ratio non prodeſt ubi vis imperat 776
rationem inventrix, neceſſitas 369
ratio quidem apparet 163
ratio ſapienti pro neceſſitate 119
ratio ſceleri nunquam defuit 314
robus peractus eſt Clavo Prometheus 613
robus velictis 386
recadere de gradu 259
recepit pugionem & urbem amiſit 482
receptui canere 573
reciprocare ſerram per eandem lineam 335
recipere animam 748
retorquere 529
recoctus 355
recoquere Peliam 538
rectam inſtans viam 25
rectam ingredi viam 435
recte & ordine 680
recte data, eripi non licet 449
recte loquenti nefas eſt non aſſentiri 221
rectior regula 622
rectis an inclinatis haſtis 737
recto contendere curſu 437
recto pectore 246
rectum non eſſe, minori parere majorem 370
rectus loripedem deridet 165
recurrere ſatius quam currere male 636
recuſare pudebant, & non audebant ſuſcipere 613
redde eadem menſura, qua accepiſti 735
reddere æqualia capeta impugna 25
redeamus domum 574
reddidit Harpocratem 675
reditus locupletum 746
redivivus homo 482
redolet corium, qui poſſit unguenta 87
reducere funem 527
re facta ſtultus intelligit 484
refingere, recoquere 200
refractus poematis 428
refricare cicatricem 438. 480
refrigere thermas Neronianas 374
refutantes laudem immodicam 26
reges viſitabis eos virga ferrea 730
regia forma 255
regia vaccula 188
regie & crudeliter 155
Rheginis timidior 692
regio quaq; ſuis utitur legibus 776
regis cerebrum 444
regula rectior 622
regum aures atq; oculi multi 158
regum caſus norunt omnes 528
regum offenſa vitanda 583
ῥεῖα ζώοντες 219
rejicias male manſum 105
rejicientis autorem formidinis 257
rejicientis culpam 164. 493. 751
re improbi, animo probi 361
rei proœmium & exordium 559
reipublica ſentina 314
rejuveneſcere cum Æſone 535
relegere veſtigia 43
relicta parmula 692
re inq; quippiam & Medis 600
relinquere in medio 33
relinquere nuces 528. 550
relinquere parmulam 692
relinquere ſibi ſimulachrum 749
relinquere ſpicilegium 87
reliquiæ vulpis 352
rem acu tetigiſti 24. 27
remedium quærere poſt cauſam vulneratam 422
rem facere 108
rem factam habere 629
remigiis Dædaleis ferri 245
remigio violento 203
remiſſius agere 448
remittere nuncium 618
rem non novam aggredi 422
rem ſuam quiſq; meminit 604
remis & ventis haud ſuff. 605
remis veliſq; 819
rem novam aggredior 121
remo inhibere 527
rem tenes 500
remulum ducat qui didicit 684
renidet caninum more 317
re epitulandum, non verbis 92
repagula aperire 545
repariazare 347
repente oritur non expectatum 421
repente tanquam procella 672
reperire rimam 222
reperit Deus nocentem 718

reperit patella operculum 649
reponere in gradum 194.578
reprehenſio cogitationis 527
requieſcere molli ſomno 470
requieſcere ſub fico 550
rerum omnium viciſſitudo 262.264
rerum reliquas habemus 530
res ad Ovidii metamorphoſes revocanda 701
res ad Triarios rediit 211.229
res authorem, qualis ſit, coarguit 226
res Cannaca 392
res divina vulgus latent 304
res eſt in cardine 206
res indicabit 226
res ineſtimabilis, libertas 455
res incrementum tempore ſuſcipiunt 599
res indies in pejus ruunt 385
res in foro tuo agitur 633
res ipſa hoc oſtendet 226
res ipſa per ſe clamitat ibid.
res ita, ut dicitur, non habet 654
res mortalium, circulus 715
res odioſa Circenſibus pompa 683
res palaſtra & olei 699.759
reſpue quod non es 513
res ſacra, conſilium 128.129
reſtat mori, cui naſci contigit 716
res ubi abeſt, optima eſt opinio 434
reſecare ad vivum 619
reſiſtere paratus 503
res in noſtro foro vertitur 262
res palaſtra & olei 759
reſpiciens illo, ſed hic remitte bona 657
reſpublica virum docet 228
reſpublica nihil ad muſicum 36
res ſalva eſt, ſaltat ſenex 590
reſtituere in locum 578
res tuas tibi habeto 204
rete albo aliena captas bona 313
rete expandere 360
rete hoc nihil attraxit 271
rete fruſtra jacitur ante oculos pennatorum 360
rete inflas 335
retinere cor in ancoralifune 583
retiis aſtus 541
rete ventos venaris, captas 421
retrahere fugitivum 204
retrogradi 311
retrogradi capite 433
retrorſum currere 8
reviviſcere Phœnicis inſtar 592
revocare à curſu 271
revoluto mantello 619
rex aut aſinus 128
rex eris 28
rex Iupiter omnibus idem 436
rex Satyrorum 464
rex ſum 104.219
rex tragicus 140
Rhadamantheum judicium 247.434
Rhadamanthi jusjurandum 247
Rhamnuſia Nemeſis 724
Rhamnuſius 435
rhapſodi 760
Rheginis timidior 692
rhetorici colores 748
rhinocerotis naſus 165
Rhodienſes decem, naves decem 737
Rhodiorum oraculum 680
Rhodii ſacrificium 623
Rhodus hic, hic ſaltus 65
ridere alienis malis 421
ridere labiis 622
ridiculum, bis eadem recenſere 281
rigat labra, non palatum 524
ῥήματα ἁμαξιαῖα 738
rimam reperire 212
rimoſus 577
ῥωποπώλης 86
ῥωποπεπερήθρα 691
riſi 443
riſu emori 622
riſus catuli 623
riſus cauponis ibid.
riſus Chius 622
riſus de hoſte jucundiſſimus 636
riſus equinus 735
riſus Ionicus 459.620
riſus Megaricus 622
riſus profundior lacrymarum pars 623
riſus Sardonius 620.622
riſus ſyncruſius 622
riſus ſit extra cachinnum 421
ritu mulierum altercari 624
rivulos ſectari, omiſſis fontibus 15
rixari de lana caprina 322
rodere caſſes 746
Romanus ſedendo vincit 680
Romana libertas, Latina libertas 453
Romæ quoque homines moriuntur 495
ῥωμαῖος ἀνήρ 250
Romanus vir 260
Romulus 559
ῥωποπερπερήθρα 281
ῥωποπώλης & Scrutarius 143
ῥωποπερπερήθρα 281
rore & acre paſtus 267
rore paſcitur 84.768
roſa etiam inter vepres naſcuntur 593
roſa è ſcilla non naſcitur 559
roſam cum anemona confers 184
roſam qua præterieris, ne quæras iterum 418
roſa non naſcitur è ſquilla 557
roſas loqui 735
ros aut pſecas 55
Roſcii 660
Roſcius 183.431.660
roſea 256
rota multa volvuntur 262
rota plauſtri male uncta ſtridet 391
rotari pavonis more 67
rotundâ, quam quadrata menſa præſtat accumbere 736
rotundo levior 566
rubicundior ſquilla aſſa 615
rubicundus ſemel ac decies pallidus 734
rubo areſacto præfractior 938
rubricam dirigere 42
rubrum aliquid ne ſuſpicias 774
rubus etiam è vite naſcitur 484
rude donare 573
rudem accipere ibid.
rudens omnis diruptus eſt 210
rudentem omnem movere 120.228
rudentes & remos cum armis commutavit 529
rudius ac planius 136
ruere in foſſa 312
rugire cum leonibus 662
Ruſillus paſtillos olet, Gorgonius hircum 172. 510
ruina comitatur protervitam 491
ruit cœlo nox 384
ruminare negocium 199
rumor publicus non omnino fruſtra eſt 536
rumpantur illi ilia 225
rumpere aſſidue ovum 492
rupta ancora 380
ruralis Oenomaus 56
ruſtica locuſta 549
ruris fons 200
rurſum è vipera naſcitur vipera 558
rurſum prorſum 121
rurſus iterum tranquillitatem video 678
rus civitas 710
ruſticanum oratorem ne contemſeris 139
ruſticanus Oenomaus 66
ruſtici 150
ruſticum 249
ruta caſa 606
ruta operis eſt 770
ruunt de montibus amnes 387
ῥωποπώλης 86

S

SAburratus 766
Sſaccharum ſeptima decoctionis 575
ſæcularia opera 604
Sacculari & Dardanarii 703
ſacerdos Bacchi 412
ſacerdotes multi, & ſacerdotes pauci 662
ſacer manipulus 95
ſacer morbus 395
ſacer piſcis 397
ſacer vir 31
Satietas ferociam parit 746
ſacra celerius abſolvenda 239
ſacra hæc non aliter conſtant 688
à ſacra linea movere calculum 197
ſacram ancoram ſolvere 219
ſacra nihil ſunt 86
ſacra non ſacrificiis devorare 415.763
ſacra profanis miſcere 322
ſacra profanis permiſcere ibid.
ſacrificium Decianum 260
ſacrificium Herculis 20
ſacrum ignem inſtare illi vefas 312
ſacrum ſine fumo 84
ſæpe etiam eſt holitor valde op. loc. 274
ſæpe eſt etiam ſub pallio ſordido ſapientia ibid.
ſævus & indomitus 158
ſagaces 610
ſaga parare 728
ſaga ſumere 728
ſagena ex omni genere piſcium congregat, 520
ſagitta Abaridis 244
ſagittare ex pharetra obſcura 735
Saguntina fames 564
ſalacior paſſere 417
Salacones 64.761
ſalamandra frigidior 269
Salaminia navis 238.246
ſale conſperſi 381
ſale emptum mancipium 115
ſale & aceto 664
ſalem appoſito 756
ſal & faba 46
ſalem & fabam 43.46.652
ſalem & caſeum edere 267
ſalem & menſam ne prætereas 47
ſalem & oleum oportet emere 688
ſalem lingere 267.761
ſalem vehens dormis 665
ſale nihil utilius 104
ſale perunctus hic adſervabitur 458
ſales dentati 475
ſal & menſa 41
ſaliares dapes 673
ſalillo purior 361
ſalillum animæ 714
ſalinas & paludem emere oportet 690
ſalis modius abſumendus priusquam fides 584.
ſalis onus unde venerat, illuc abiit 725
ſaliva Mercurialis 138
ſalivam imbiberit 388
Salmoneus alter 310
ſalniger 474
ſalpa picturatior 349
ſal patria pluris faciendus eſt; quam hoſpitis menſa 526
ſalſamentum putre amat origanum 525
ſalſitudo non ineſt illi 402
ſalſuginoſa vicinia 497
ſaltantis perſonam in toga induere 19
ſaltare Cyclopem ibid.
ſaltare cordacem, more Sileni ibid.
ſaltus Theſſalicus 462
ſalva conſcientia 439
ſalva res eſt 635
ſalubrius Crotone 624
ſalve æternum, æternumque vale 272
ſalve atque vale 767
ſalutare Tigranem 65
ſalute tenus amici 46
ſalvete equorum filia 25. 522
Sambice graviora patitur 378
ſambucam citius caloni 292
Samii literati 640
Samius mores 113
Samiorum flores 408
Samiorum lauræ 409
Samiorum mala metuit 508
Samiis dedecoratum 409
Samnites 708
Samus Ionica fert avium lac 189
ſana corporis parti ſcalpellum adhibere 21
ſanare malum malo 650
ſancta fides conjugii, juſtitia, pudorque fugiunt ſeculas 358

ſan-

ſanguine caret 695
ſanguine ſiere, gemere 442
ſanguinis plenus 426
ſanguis & anima 48
ſanguis integer 259
ſanguis mens 31
ſani ægris ditiores 109
ſanitatis mater indigentia 269
ſantor eſpiſce 625
Sannas 669
ſaperda videmur, quum ſimus [illegible] 66
ſapere patruos 442. 610
ſapere complectitur omnia 434
ſapiens à ſeipſo pendet 610
ſapiens erit, qui cum ſapientibus verſatur 519
ſapiens fortunatus 608
ſapiens ſibi ſapiat 618
ſapiens ſua bona ſecum fert 100
ſapiens non eget 607
ſapiens divinat 607
ſapientia gubernator navis 764
ſapientia nunc vivit 232
ſapientia vino obumbratur 458
ſapientem apud ſtultos loqui moleſtum 419
ſapientes ſunt qui veteri vino utuntur 609
ſapientibus omnia facilia 764
ſapientes tyranni, ſapientum congreſſu 48
ſapientia nervi & artus ſunt, non temere credere 181
ſapientia in paguro 609
ſapientia in exitu canitur 609
ſapientibus & inſipientibus, Græcis & Barbaris 29
ſapientior Neſtore 611
ſapienti ratio pro neceſſitate 129
ſapientum beta 193
ſapit demorſos ungues 202
ſapientum octavus 182
ſapiunt arrogantiam & ſimilia 580
Sardi venales 100. 679
Sarabaita 313
ſarcinator ſummum centonem 741
ſarcire centones 278. 506
Sardanapalus 409. 467
Sardonica tinctura 614
Sardonius riſus 620. 622
Sarmentarii 145
Sarone magis nauticus 442
Sarpedonium littus 117
ſartaginum pernicies 560
ſarta tecta 574
ſata de quercu 559
ſatanas ſatanam 646
ſat cito ſi ſat bene 244
ſat es beatus 109
ſatietas ferociam parit 746
ſatis quercus 597
ſatius erat hoc ulcus non attingere 495
ſatius eſt initiis mederi quam fini 10. 637
ſatius eſt recurrere quam currere male 636
ſatius fugere, quam male manere 776
tam ſatur eſt quam Anglus 461
ſaturans intera 509
Saturnalia non ſemper erunt 546. 715
Saturnia vita 105
Saturnia lema 110. 406
Saturni lacryma ibid.
Saturnia olet ibid.
Saturnia tempora 392
Saturni hoſtia 155
Saturnius 482
Saturni podex 398
Saturnius oculus 381
Satyriaca ſaltatio 464
[illegible] 453
[illegible] 477
ſatyrion bibit 416
Satyrorum rex 464
Saul inter prophetas 21
ſaxa etiam loquentur 452
in ſaxis ſeminas 321
ſaxum luctuoſum 387
ſaxum volutum non obducitur muſco 75
ſaxum volvere 328
ſcabere caput 200
ſcabere talos 616
ſcabies Herculana 26. 27. 394
ſcabroſior loberide 71
ſcæva 311
ſcala erroris 559
σκαληνὴ ὁδός 360
ſcalpellum ſanæ corporis parti adhibere 21
ſcalpendis auribus otium non eſt 550
ſcalprum olet 533
ſcandunt fulmenta lectum 22
ſcaperdam trahere 169
ſcapha magis mutuis 674
ſcapha lignea 255
ſcaphula virgultea Ægæum tranſmittere 13
ſcarabeo citius perſuaſeris 483
ſcarabeo ocyſſime maxam 85
ſcarabeus citius fecit mel 292
ſcarabei umbra 135
ſcarabeo nigrior 574
ſcarabeo unguentum inviſum 173
ſcarabeus aquilam quærit 718
ſcelera non habent conſilium 313
ſceleri nunquam fuit ratio 314
Selli filium abominabor 551
ſcena ſervire 637
ſcenica mulieres 689
ſchema Caricum 413
ſchema & gradus 512
σχῆμα καὶ τελώβολον 145
σκιαμαχεῖν 342. 336
ſchœnicola 273
σχολαστικὸς 146
ſcientias qui primas habet; à cæteris non læditur 611
ſcientia inimica ignorantia 304
ſcilicet 701
ſcimus nos quales fuimus 275
ſcimus quæ tibi liceant 546
ſcindere glaciem 11
ſcindere penulam 284
ſcintilla etiam exigua in tenebris micat 198
ſcipioni arundineo inniti 271
ſcire affirmabimus, quæ cernimus 454
ſcis quomodo Iupiter duxerit Iunonem 157
ſciunt hæc coqui 582
Scolon nec proficiſceris, ipſe, & cæt. 207
ſcombris tunica 147
ſcommata Dionyſiaca 626
ſcopa diſſoluta: ſcopas diſſolvere 641
ſcopo aberrare 127
ſcopulo affixus Polypus 744
ſcopulum navis deprecatur 668
ſcopum attingere 127
ſcordalus 315
σκοροδίζειν 441
ſcorpiones 358
ſcorpius properet 338. 390
ſcorpius ſub omni lapide 745
ſcrapta 135
ſcribere cur metuam quem ſcribo de Iove ſummo 615
ſcribere in cinere 335
ſcrinium anima ſervitus 640
ſcriptor proletarius 144
ſcriptum Alabandicum 372
ſcrupuloſa 170
ſcrupulos injicere 737
ſcrupulum injicere 694
ſcruta laudat ſcrutarius 586
ſcrutarius & [illegible] 143
ſcurra albati 616
ſcurra ſemel nunquam paterfamilias 388
ſcutica omnes impellis 595
ſcutum abjicere 691
σκυρία δίκη 729
Scyrius principatus 139
Scytha acciſſans aſinum 659
Scytha aſinum videt 662
Scytha equum 660
Scytha malus 72
Scytha triſtis 442
Scytharum more 155
Scytharum oratio 71
Scytharum ſolitudo 663
Scytha tetrior 155
Scythica potatio 461
σκύτη βλέπειν 665
ſecede procul ab equinis pedibus 212
ſecretum petit 548
ſector zonarius 82
ſeculum aureum 108
ſeculum eſt 682
ſeculum vivere 507
ſecunda navigatio 690
ſecundis ventis 99. 106
ſecundo aſtu 99
ſecuri 366
ſecurim injicere 485. 492
ſecurus adverſus mendacia 595
ſedecim pedibus ſuperavit 185
ſedens aliud quam ſtans 345
ſedens columba 498
ſedere ad arculas 203
ſedere in cuneis 147
ſedes 550
ſedet ſententia 62
ſedet moraris, abit dies 683
ſed quis cuſtodiet ipſos cuſtodes? 211
Seianus equus 375
ſeipſum honorat qui honorat 545
ſeipſum neſcit 67
ſeipſum vincere 161
σειρὰ διὸς χρυσῆ 588
ſejuncta ſunt Merrhe ac Siloam fluenta 171
ſellam oleo ne abſterſeris 735
Seliſſare 64
ſemel in laqueum vulpes 617
ſemel in omni vita cuique arridet fortuna 776
ſemel malus ſemper malus 295
ſementem ut feceris, ita metes 569
ſemel rubidus, ac decies pallidus 734
ſeminare in ſaxis 328
Semiramidis muris 629. 257
ſemiſſis homo 130
ſemitam formica canit 232
ſemitam quæris quum adſit via 693
ſemper aliquem virum magnum 494. 739
ſemper perficiuntur artes 599
ſemper affert Libya mali quippiam 349
ſemper Africa novi aliquid apportat ibid.
ſemper agricola in novum annum dives 271
ſemper aliquis in Cydonis domo 284
ſemper graculus aſſidet graculo 642
ſemper feliciter cadunt Iovis taxilli 99
ſemper Ilio mala 378
ſemper Locuſtini juxta pocula 458
ſemper me tales hoſtes inſequantur 131
ſemper ſenis juvenculam ſubjice 33
ſemper ſimilem ducit deus ad ſimilem 642
ſemper ſuperior annus melior 752
ſemper tibi pendeat hamus 230
ſemper vicinum invenies 87
ſemper virgines furiæ 718
Semiramidis muri 257. 629
Senator abſque provocatione, Legatus ſine mandatis 39
ſenecta leonis præſtantior hinnulorum juventa 184
ſenectuti labor obſonium optimum 367
ſenectus ipſa morbus 395
ſenectus non ſola venit ibid.
ſenectus Arganthoniaca 634
ſenectus cervina 634
ſenem admonere 58
ſenem erigere 637
in ſenem ne quod collocaris beneficium 391
ſeneſcere in ſola Sparta expedit 456
ſeneſcit bos 457
ſeneſco ſemper multa addiſcens 612
ſenex mutuum fricans 569
ſenex Acheronticus 534
ſenex bos non lugetur 456
ſenex excibiatus 287
ſenex fatiſcens 269
ſenex libidinoſus 419
ſenex pſittacus negligit ferulam 328

ſenex

ſenex ſecunda ſalus 590
ſenex, vetulus 145
ſenex vox & umbra 634
ſeni baculus maxilla 456
ſeni grande onus imponere 422
ſenilis juventa 240
ſenilis valetudo 635
ſenior anno ſit 514
ſeni puellam ſubjice 33
ſenis doctor 329
ſenis ira 427
ſenis mutare linguam 321
ſenium mala accelerant 494.633
ſententia amentata 258
ſententiam ferre ex cortice de nucleo 432
ſentina reipublicæ 314
ſenum conſilia, juvenum lancea 607
ſenum magiſter Connus 635
ſenum prudentia 612
ſententia utroque nutans 53
ſententia alba 97
Seplaſia dignus 466
ſepta tranſilire 35
ſeptem convivium novem convicium 117
ſeptennis cum ſit, nondum edidit dentes 465
ſeptima decoctionis ſaccharum 575
ſeptimani tragœdia 407
ſepulchra biantia 313
ſepulchrum commune 567
ſepulchrum vivum 456
ſeptimus bos 135
ſepultura aſini 742
ſequere medium 512
ſequeris corvos 318
ſequi pomum Atalantæ 295
ſequitur porca ſepiam 645
ſequitur ver hyemem 646
ſera in fundo parſimonia 636
ſera poſt cineres gloria 755
ſera vota 733
ſere maluam, ne tamen edas 745.774
ſerendum & poſt malam ſegetem 230
ſerere cuminum 475
ſerere ne dubites 368
ſerenitati nubem inducis 17
Seribus vivacior 454
ſeri & meſſi 25
nec ſeritur nec metitur mihi 36
ſermo Mileſius 319
ſermonem divinum excipio 64.190
ſermones Megabyzi 66
ſermonis prolixitas faſtidioſa 110
ſermo urbanus 235
ſero Iupiter diphtheram inſpexit 718
ſero veniſti 637
ſero molunt deorum molæ 728
ſero veniſti, ſed in calenum ito 637.681
ſero ſapiunt Phryges 615
ſero vidit juſtitiam 767
ſerpens ejiciendus e domo 213
ſerpentem foves, & uta 492
ſerpens ni edat ſerpentem, draco non fiet 82
ſerpentes avibus, agnos tigribus geminare 23
ſerpentis caput conterere 114
ſerpentis oculus 580
ſerra ſuabilis 726
ſerra gloriatur contra trahentem 391
ſerram ducere 516
ſerram reciprocare per eandem lineam 335
ſerra pugnare 708
ſervabis bovem 227.379
ſervare è media flamma 592
ſervat bonum caſtellum, qui cuſtodierit corpus ſuum 609
ſervatori tertium 571
ſervi comici 689
ſervi dimidio menſis carent 180
ſerviles in animo pilos habere 669
ſervilis capillus 310
ſervilior Meſſena 404
ſervire decet temporibus 639
ſervire ſcenæ 637
ſervire tempori ibid.
ſervis nullum otium 349
ſervitus ſcrinium animæ 540
ſerum eſt canes vitulos adſuefacere loris 331
ſervorum civitas 135
ſervus ſtudiorum 420
ſervum haud vehe 59
ſervum pecus 694
ſervus Car. 117
ſervus cum ſis, comam geris 797
ſervus ſervo præſtat, dominus domino 188
ſervus eſt, qui cupit, aut metuit 640
ſervus in agrum 689
ſervus non eſt qui mortem negligit 258
ſeſquipedalia verba 584
ſeſqui ulyſſes 355
ſevum unde exequat 215
ſexagenarios de ponte dejicere 451.617
ſex congios capit 669
ſi accuſare ſufficit, nemo innocens 433
ſibi canere 803
ſibi ipſe exitii author 491
ſibi malum arceſſit jumento ſuo 484.492
ſibi malum reperit 487
ſibi parat malum, qui alteri parat 485
ſibi placet 31
ſibi pulcher ibid.
ſibi quiſque amicus eſt 599
ſibi ſapere qui neſcit fruſtra ſapit 602
ſi bovem non poſſis, aſinum agas 605
Sibyllæ folium 246
Sibylla vivacior 415
ſi caſeum haberem, non deſiderarem obſonium 267
ſicca anima ſapientiſſima 268
ſicci homines 686
ſicco junco 757
ſiccius cornu 253
ſic illum fata trahebant 290
ſi corvus poſſet tacitus paſci 277
ſi reges faciunt 588
ſi crebro jacias aliud alias jeceris 340
ſic eſt ad pugna partes re peracta veniendum 682
ſic viſum ſuperis 107
Sicula aula 156
Sicula menſa 446
Sicula nuga, gerra, Perſole nuga 748
Siculiſſare 459
Siculus coquus 401
Siculus mare 768
Siculus miles 135
Siculus omphacizat 240
Sicyon arrodens uxor lacernam tere 467
ſic ſe res habet 454
ſic ſum 389
Sicyonii calvi 21
ſi Deus pro nobis, quis contra nos 94
ſi Deus voluerit 93.109
ſi Deus voluerit: Deus non perm fit 109
ſi diſſimulas veru, nil paſſus es mali 30
ſi dixeris quæ vis, audies quæ non vis 478
ſignandi melioribus lapillis 740
ſignare unione 104
ſignum bonum aut malum 127
ſi hauriatur puteus, melior evadit 598
ſi juxta claudum habites, ſubclaudicare diſces 497.517
ſi laveris te nitro, maculata es 294
ſile 677
Silena 474
Sileni Alcibiadis 653
Silenis deformior ibid.
ſilentii tutum præmium 671
ſilentii meta 563
ſilentium fatentis eſt 501
ſilentium multas amicitias diremit 44
ſilentium mulierem ornat 673
ſi leonina pellis non ſatis eſt, vulpina addenda 350
ſiluros patris in quadra argent. 14
ſi meus ille ſtylus fuiſſet 572
ſimia apud pueros pulchra 431
ſimia barbata ſeu caudata 653
ſimia ſanguinem profudiſſe 491
ſimia fucata 767
ſimia in pelle leonis 37.283
ſimia in purpura 173.254.658
ſimia non capitur laqueo 349
ſimiarum pulcherrima deformis eſt 255
ſimia ſimia eſt, etiam ſi aurea geſtet inſignia 25
ſi mihi vera nunciantur 341
ſimile gaudet ſimili 642
ſimilem ſimili adducit Deus ibid.
ſimile habent labra lactucas 644
ſimiles platanis 617
ſimiles videntur captivis ex Pylo 663
ſimilia cupreſſo 317
ſimilior ficu 644
ſimilimus torpedini 671
ſimilis cardamo 588
ſimilis Pentathlo 197.198
ſimilis Thraci in Thracem compoſito 651
ſimilis Tityo 314
ſimilis uva paſſa 634
ſimilitudo mater amoris 642
ſimilitudo mater benevolentiæ 618
Simoentis inſtar volvitur 412
Simone rapacior 26
Simonidis cantilena 603
Simonidis lacryma 311
ſimplex oratio veritatis 450.453
ſimpula 548
ſimpularia ibid.
ſimulachrum pictum 668
ſimulachrum ſibi relinquere 749
ſimulare cupreſſum 417.421
ſimul & da & accipe 179
ſimul & dictum & factum 237.248
ſimul & miſertum eſt, & interiit gratia 591
ſimus contenti hoc Catone 193
ſimultas Attica 552
ſimul ſit dictum, ac factum 628
ſimul ſorbere & flare difficile 292
ſinapi callidior 356
ſinapi tueri ibid.
ſinapi victitare 419
ſincere & ex animo 151
ſincerum vas incruſtare 16
ſine arbitris 548
ſine calce arena 356.751
ſine canibus & retibus 63
ſine capite fabula 278
ſine cera inutilia verba audire 557
ſine Cerere & Baccho friget Venus 458.469
ſine corolario non recedere 604
ſine cortice nabis 91.612
ſine criſta non eſt alauda 361
ſine Deo nihil 107
ſine farina ne ſacrificato 758
ſine fine 76
ſine moribus eloquentia male diſcitur 234
ſine ope divina nihil valemus 98
ſine pennis volare haud facile 298
ſine rivale diligere 586
ſine pulchritudine formoſus 278
ſine ſacris hæreditas 765
ſine ſanguine vincere 481
ſine ſale panis 420
ſine ut incolumis redeas 58
ſine ſanguine 747
ſine ſanguine cœna ſive terreſtris 566
ſine ſcopo jaculari 23
ſine ſplene vel liene 421
ſine vino venalia expediri non poſſunt 25
ſine vivus abeam 281
ſine Vulcano flamma 664
ſiniſtra avi 551
ſiniſtra litera 751
ſiniſtra manu utitur 319
ſiniſtras literas edoctus 751
ſi non adſunt carnes, tarycho contentos eſſe oportet 505
ſi non hominum, ſaltem ſolis vereare 615
ſinapiſſare 660
Sinapiſſat 410
ſint modici riſus 625
ſinui inſpuere 527
ſinu luculento 108
Siphna arrha 416
Siphniaſſare 410
ſi quid habes, viges ſin nihil, jaces 220
ſi quid mali, in tyrcham 263
ſi quis juxta civitatem clypeus 383
ſi tu amicum nuncias, apis hoſpitem 540
Sirenas præternavigare 295

Sirenibus ad perſuadendum aptior 233
ſi ſæpe jactaveris, aliquando Venereum jacies 00
Si ſolus ſapias, nempe quis uſus erit 336
ſi ſingulos non times, multitudine cave 116
Siſyphi artes 349
Siſyphida 70
Siſyphi ſaxum 528
Siſyphus 306
ſi tacent, ſatis dicunt 677
ſi tibi non moleſtum, & non mihi jucundum eſt 649
ſi tanti vitrum, quanti margaritum? 185
ſi tibi amicum, nec mihi inimicum 59
ſi tibi machæra eſt, & nobis verbina eſt domi 503
ſi tu proreta 552
ſit riſus extra cachinnum 421
ſi vel aſinus canem momorderit, litem movebit 523
ſi vinum poſtules, pugnos illi dato 339
ſi vultur es, cadaver expecta 282
σκληρὸν ἦθος 317
ſmaragdus in luce obſcurus 20
Smyrnæi mores 464
Socratico more 454
Socraticus Hercules 415
Socratis gallus, vel callus 365 696
ſodalitium fraternum dulce 124
ſol admonet 546
ſola Lacæn. viros pariunt 257
Sol Apollo, & Apollo Sol 543
ſolea alienis uti 230
ſolem manibus geſtare 198
ſolem mercede præſtare 457
ſolem orientem plures adorant, quam occidentem 47
ſolem nec orientem nec occidentem conſpicere 761
ſolem ventum adverſum averſum habere 481
Sol exoritur 342
ſolem adjuvare facibus 18
ſolida petra innitendum 480.632
ſolis medicis licet impune occidere 212
ſolis menſa 218
ſolis radios lippus oculus non fert 303
ſolitudinis ſocia & comes auſteritas 74
ſolitudo Nauſicliditæ nec ver nec amicos 565
ſolitudo Scytharum 663
ſolidos è clibano boves 470
ſoli lumen inferre 12
ſoli mutuare lumen ibid.
ſoli boves 766
Sol non invidet veſpera 424
ſolœciſmum admittere 8
Solœcus 7
ſol omnia aperit 936
ſol omnium dierum nondum occidit 340
ſolvere ad denarium ſive quadrantem 436
ſolvere cœlum in tartara 23
ſolvere zonam 416
ſolvis contigua 709
ſolum vertere 217
ſolus ama 586
ſolus currens vicit 706
ſolus habet mentem, reliquis errantibus umbris 40
ſolus ſapit 187
ſoluti legibus 454
ſolutus noxa & nexu 453
ſomnio beatus 732
ſomni plenus 668
ſomnium 698
ſomnium & fumus 702
ſomnium hominis 146
ſomnium hybernum 753
ſomnium narrare 701
ſomnium Oreſtis 760
ſomnium Oreſtis narrare 420
ſomnium tuum tibi narro 15
ſomnolentior glire 287
ſomnolento gubernatori ne benefacito 391
ſomno vinoque ſepulti 415
ſomnium non vidit 201
ſomnium non capit, niſi hoc aut illud fecerit 755
ſomnus abſit ab oculis 201
ſomnus domat famem 643
ſomnus leporinus 202
ſontica cauſa 132
Sophocles 60
Sophoclem æquus 634
σοφός 194
ſopitas lacrymas excitas 475
ſoracus malorum 481
ſorbere & flare ſimul 292
ſordido vaſi unguenta qui tradidit 421
ſorex ſuo indicio perit 484
ſortitus es M. 74.378
προοδαίμονες 455
ſortitione nondum facta, communia devoras 82
ſortem & uſuram perſolvere 727
Soterichi lecti 137
ſpatio cubiti increſcere 758
ſpatiari in xyſto 750
Spartana diſciplina 757
Sparta ſervi maxime ſervi 640
Sparta generoſior 533
ſparſim abſque ordine ferri 422
ſparſis redemerunt crimina nummis 87
Spartam nactus es, hanc orna 638
ſpecioſiſſima ſimiarum deformis eſt 256
ſpecioſum nomen 274
ſpe Crœſo ditior, Inopia Iro pauperior 667
ſpeculo ne te contempſeris ad lucernam ſumen 773
è ſpecula 581
ſpectare de ſublimi 633
ſpectat ab alno 94
ſpeculum animi, vinum 452
ſpe inani flagras 271
ſpem emere ibid.
Spe timidior 691
ſperas hinc aliquam auram afflare 666
ſperant omnes quæ cupiunt nimis ibid.
ſpes alit 666
ſpes alunt exules 665
ſpes bona oſtenſa 103.554
ſpes fruſtrata 768
ſpes in fabro pyxidis 666
ſpes in nobis, in deo exitus 429
ſpes nulla 167
ſpes ſervat afflictos 666
ſpes ſub ventanea ibid.
ſpes tenuis ibid.
ſpe vana plenus 667
ſphaceli faciunt immunitatem 590
ſphærarum complexus, amicitia avarorum 89
ſphæram inter ſe reddere 473
ſphæra per præcipitium 39
Sphingis negocia faceſſit 170
Sphondyla fugiens peſſime pedit 351
ſi vel aſinus canem momorderit, litem movebit 623
Sphyngis ænigmata diſſolvit 608
ſpicam è culmo conjicere 126
ſpicilegium relinquere 87
ſpicam magnam non poſtulat papyri fructus 93
ſpica cum parva eſt, bona videtur 393
σπιλάδες 315
ſpinæ 597
ſpinæ non inſunt in communi piſce 413
ſpinæ non inſunt piſci vulgari 96
ſpinæ ſe invicem complectuntur 315
ſpinam contemnimus, cum ceciderit roſa 635
ſpinas colligent 158
ſpinoſa vita 598
ſpinoſum aliquid in prato 506
ſpinoſus victus 373
ſpirare totam Arabiam 273
ſpirat Achilleum 258
ſpirat catinum 623
ſpithamæ vita 714
ſpirat ignem 427
ſpirat nectar 192
ſpirat opulentum 64
ſplendida cœna famem non ſedat 699
ſplendephori 256
ſponde, noxa præſto eſt 472
ſpongia corrigere 159
ſpongia 161
ſpongia madebitur 350
ſpongia mollior 498
ſponſi vita 409
ſponſi Penelopes ibid.
ſpontanea moleſtia 486
ſquilla rubicundior aſſa 615
ſquillas à ſepulchro vellas 404
ſtadiis centum præcedere 185
ſtans aliud quam ſedens 345
ſtandum utroque pede 129
ſtans pede in uno 122
ſtare in repagulis 258
ſtateram ne tranſgrediaris 394
Stateris paries 678
ſtatua taciturnior 675
ſtationes ventorum 25
ſtatuam faucibus colas 292
ſtatua viatores omnes intuens 354
ſtellis ſignare 126. 744
Stentore clamoſior 117
ſterilior Agrippo 564
ſterilem fundum ne colas 322
ſternuta verunt amores 554
ſterquilinio abjectior 144
Steſichori ne tria quidem noſti 284
ſi Harpocrates digito ſignificat 677
στιϊῶται 473
ſtilla aſſidua cavat lapidem 74
ſtimulatores bonum multi, aratores pauci 652
ſtimulis fodere 342.499
ſtimulum in foramen non licitū trudere 711
ſtipula ignem admovere non tutum 210
ſtipula flamma proxima ignem concipit 295
ſtipularis locuſta 601
à ſtirpibus imis 10
ex ſtipula cognoſcere 125
ſtrabus inter cæcos regnat 188
Stoici dii 588
ſtomacho cedere 469
ſtomachus non fert 164
στωμύλματα 626
ſtragula Mileſia 468
ſtragula ſemper convoluta habe 765
Straton Pathicus 467
ſtrenue & actuoſe ociari 550
ſtrenuis abunde dictum puta 609
ſtrepitum chordarum fruſtra ciebis 422
ſtrepitus Tragici cothurni 65
στρέψιμαλλος 278
ſtrychnum bibit 403
ſtriges 313
ſtrigites 252
ſtrobilis Carcini fortunatior 375
ſtropha 359
ſtrutio 355
ſtrumam dibapho tegere 283
ſtudium generat ſtudium, ignavia ignaviam 201
ſtulti ad cribrum 293
ſtultior es barbaro Potitio 213
ſtultior Morycho 38.404
ſtultior Meliſide 401.622
ſtultior Corœbo 404
ſtultitia eſt Iovem putare eſſe 406
ſtultitia inſepelibilis 407
ſtulto ne permittas digitum 405
ſtultorum eſt capitis cautio 420
ſtultorum infinitus numerus 671
ſtultorum theſaurus maledicentia 477
ſtultus digito loquitur 671
ſtultus malo accepto ſapit 635
ſtultus opportuna loquens 274
ſtultus qui patre cæſo liberis pepercit 726
ſtultus ſtatim prodit iram 426
ſtultus ſtulta loquitur 647
ſtupa ſeniculus 714
ſtupidior Praxilla Adonide 405
συὸς βαυκάλεων 553
Stylo ferreo ſcribis 260
ſtylo appetere 759
ſtylum vertere, infigere ibid.
ſtylus decretorius 152
ſua cuique chara patria 587
ſua cuique nocet ſtultitia 492
ſua cuique res tempeſtiviſſima 690
ſua cuique ſponſa ſponſo placet 31
ſua cuique ars pro viatico 368

ſua

ſua cuiq; videntur eſſe multi pretiâ 625
ſuadere ſuadis 752
ſuada medulla 445
ſuadeo quod ipſe facturus eſſem 228
ſuade lupis inſaniens 596
ſua fronte 452
ſuam quenq; domi regem eſſe 588
ſuam cuiq; ſponſam 31
ſuam quiſq; honorem meminit 604
ſuave me ſuffocas 561
ſuavior pectide 361
ſub ala 548
ſub aliena arb. fructum 126
ſub alis qua fiunt 411
ſub aquam malos 373
ſub cubito pulvillos conſuere 295
ſub cultro liquit 225
ſubdere oculorum viſu 336
ſubditus es 533
ſubere levior 752
ſuber 277
ſuber immerſibile 752
ſuberinus 752
ſub ficu requieſcere 550
ſub formula 433
ſubjicere pedibus Acheronteis 315
ſubjicis caudam inter crura 695
ſubitò alius 529
ſubjugus homo 640
ſubitum remedium periculi 592
ſublata lucerna, nihil intereſt inter mulieres 252
ſublata lucerna, nihil diſcriminis eſt inter mulieres 252
ſubligaculum ſeu brachas oſtentare 62
ſub manu diu naſci 637
ſub manu 246
ſubmittere faſces 545
ſubmiſſis alis gallus 694
ſub omni lapide ſcorpius dormit 745
ſub pallio condere 548
ſub pallio habere manum 444
ſub pallio ſordido ſapientia 274
ſub pollice ducere 498
ſub ſinu 548
ſubroſtrani 289
ſub ſpecie Patroclum 610
ſub tecto imbrem exaudire 631
ſubticentior Areopagita 677
ſub tunica & ſinu 548
ſubventanea ſpes 666
ſubventanea parit 698
ſubverte funditus 386
ſubula leonem excipere 21
ſub unam Myconum 645. 728
ſucceſſorem viventi dare 524
ſucceſſum fortuna, experientiam laus ſequitur 343
ſuccidanea hoſtia 627
ſuccidia altera hortus 106
ſucciſiva opera 201
ſucco ſuo vivere 84
ſuccus loliginis 474
ſuem irritas 490
ſuem Veneri immolavit 525
ſuem repoſcis pro malo cane 338
ſuere capiti malum 486
ſues volitantes 469
Suffenus 63. 587
Suffenus aut Menecus tibi ne ſis 63. 587
ſuffitum fimo facere 321
ſuffiaminare 580
ſuffocas tanquam fungus 4 1
ſuffoces me ſuave 561
ſuffragia emendicata 523
ſuffragium optimum 248
ſui anima pro ſale data 466
ſui cuiq; mores fingunt fortunam 728
ſui cum amaracino nihil 173
ſui diſſimilis 529
ſui gratius cœnum, quam unguentum 429
ſuilla abſumpta, bovem non expectes 209
ſuilla harmonia 372
ſuilla vita 715
ſuis quiſq; laudibus favet 26
ſui tibicen 27
ſuus typus 483
ſuus utitur legibus regio quaq; 776
ſulcus Ægypti Libus arenas non curat 217
ſutorem acum & filum conſue rupturam 124
ſumere clypeum poſt vulnera 23
ſumere ſaga 728
ſumma & ima chorda 261
ſumma facere 210
ſummam manum addere 305. 571
ſumma petit livor 425
ſummaria indicaturis 274
ſumma ſummarum 371
ſummatim 110
ſumma vi defendere 93
ſummi artificis, artem diſſimulare 234
ſummis auribus inſidet 365
ſummis digitis 662
ſummis ingredi pedibus 547. 683
ſummis labiis 364
ſummis naribus olfacere 364
ſummis negatum ſtare 715
ſummis velis uti 121
ſummis unguibus ingredi 61
ſummo animo inhærere, id eſt leviter 00
ſummo animo inhærere 619
ſummo digito 364
ſummo pede 364
ſummovere nubem 582
ſummovere vicinos 119
ſummum cape & medium habebis 510
ſummum faſtigium imponere 571
ſummum jus, ſumma injuria 619
ſummum fuere centonem 743
ſummum vectigal parſimonia 249
ſumpſiſti mutuum 357
ſumpſit mutuum 662
ſumptus cenſum ne ſuperet 512
ſum rex 104
ſuus & alia vulpes 618
ſuus ſimiles pareſq; vita 651
ſuo arbitratu ibid.
ſuo gladio jugulari 484
ſuo ipſius indicio perit ſorex 484
ſuo ipſius laqueo captus 487. 496
ſuo jumento ſibi malum accerſere 484. 492
ſuo modulo 60
ſuo quiſq; ſtudio gaudet 585
ſuo ſe modulo metiri 513
ſuo ſibi gladio pereunt 492
ſuo ſimilis patri 651
ſuper apio certamus 205
ſuperari à voluptatibus, extrema inſcitia eſt 416
ſuperavit dolium Trojanum 576
ſuperatus es à gallo quopiam 441
ſuperat arenam 519
ſu, erat numerum arenæ maris ibid.
ſuperat Xenocratem modeſtia 512
ſupercilia tollit 67
ſupercilium attollere 60. 67
ſuperbia Campana 60. 66
ſuperbior pavone laudata 68
ſupercilium nubem demo 73
ſupercilium cenſorium 65
ſuper capita ferre 46
ſupercilium ponere 60
ſupercilium contrahere 442
ſupercilium ſalit 104
ſuper deos obolum evehunt 85
ſuperfluens 69
ſuperis & inferis notum 582
ſuperis impari numero, inferis pari ſacrificandum 614
ſuper te hæc omnia Leparge 726
ſupini 366
ſupinus 630
ſupremum fabulæ actum addere 571
ſuppurati 150
ſupra clepſydram dicere 279
ſupra fumum clavus 365
ſupra fumum ſeponere gubernaculum ibid.
ſupra Simonidem memor 499
ſurculus ſurculum ferens 741
ſurculum defringere 364. 617
ſurdaſter cum ſurdaſtro litigabat 645
ſurda teſtimonia 769
ſurdis teſtimoniis agere ibid.
ſurdior Fuſio 673
ſurdior Toronæo porto 673
ſurdior ſurdo ibid.
ſurdo canis 322
ſurdo fabulam narrare ibid
ſurdo oppedere 325
ſurgens à lecto, veſtigium corporis confundito 765
ſurgentem auſcultare avenam 288
ſurgere jam tempus 690
ſurſum ac deorſum 120. 353
ſurſum verſus ſacrorum fluminum feruntur fontes 291
ſus acina depend 718
ſus agreſtis ubi pepererit, non plura 607
ſus Bœotica 401. 670
ſus comeſſatur, aut ſaltavit 15
ſus cum Minerva certamen ſuſcepit 15
ſus in volutabro cœni 418
ſus Minervam 15
ſuſpendere clavo ſive paxillo 368
ſuſpendere 394
ſuſpendere naſo 165
ſuſpendere de paxillo 365
ſuſpendio deligenda arbor 166
ſuſpenſa manu 365
ſuſpenſos pedes ponere 218
ſuſque, deque 151
ſus per roſas 410
ſus ſub ſuſtem 205
ſus quivis non hoc ſciet 667
ſus ſui pulcher, aſinus aſino 31. 548
ſuſtine & abſtine 748
ſuſtinere Mithrii pœnas 383
ſuſtollere manus 442
ſus tubam audivit 419
ſuſurri Zoroaſtræi 703
ſutorium atramentum 594
ne ſutor ultra crepidam 65
Sutrium ire 334
ſuum cuique pulchrum 31. 585
ſuum cuique eſt velle 32
ſuum ſervare 437
ſuus cuique crepitus bene olet 586
ſuus cuique mos 519
ſuus rex reginæ placet 32
Sybaris 465
Sybaritici libelli 416
Sybariſſare 460
Sybariticus miſſus 470
Sybarita per plateas 61
Sybaritica calamitas 378
Sybaritica menſa 400
Sybaritica oratio 747
Sybari qui mori nolit ante tempus 768
Sycaminorum calathum in malis habere 273
συκόβιος, & ſimilia 112
ſycophanta 112
ſycophantæ morſus inevitabilis 122
Sycophantice obſervare 476
ſydera addere cœlo 59
[illegible] 203. 624
Sylla 155
συλλήβδην 110
ſyllogiſmus cornutus 134
Syloſontis chlamys 281
ſylva 108
ſylvam multam portas 254
ſylva ligna inferre 327
ſymbolum Charontis 385
συναποθνήσκοντες 43
ſyncerum vas incruſtare 16
ſyncretiſmus 43
σύφαρ 111
Syracuſana menſa 461
Syracuſanorum ne decima quidem pars 214
συρακουσίων δεκάτη ibid.
ſyrbenæ chorus 623
Syri adverſus Phœnices 351. 556
Syri contra Phœnices 154
Syrorum olera 133
συρφετός 146
Syrus quum non ſis, ne ſyriſſa 175

T

Tabellis obſignatis agere 160
Tabernariam exercet frontem 556
tabula Moſis 191
tabulis obſignatis agere 260. 631
tabum in ſacco 387
tacenda, dicenda 424
tacere opinor eſſe optimum 677
tacite ſtomachari 427

nec-

Tacito pede 680.729
Taciturnior Areopagita 675
Taciturnior Pythagoreis ibid.
Tallus aratro eſt 384
Tadas ardentes tradere 574
Tanarium malum 377
Tanarium pro Pytho 570
Tagibarena 213
Talaria induere 237
Tale ingenium, qualis oratio 650
Talem oportet ducere, aut non ducere 198
Talenta Pelopis 214
Tales reddimur, qualia ſunt noſtra colloquia 517
Tales ſimus, quales videri & haberi velimus 651
Talia gignit bellum 485
Talis quiſque eſt, quales quibus cum familiaris 517
Talos ſcabere 616
Talum reponere 527
Talpa cacior 111
Talpam Coroneam 12.97
Tam fatuus, ut etiam regnare poſſit 670
Tam infauſti ominis, quam noctua 555
Tam in pro: livi quam imber 596
Tam multa quam ſapiens 276
Tam perit quam extrema faba 377.755
Vam pinguis quam cos 326
Tam verum, quam quod veriſſimum 434
Tanagraus coctus 397
Tange montes & fumigabunt 730
Tangens cubito 416
Tangere bulcos 438
Tangere extre extrema manu 364
Tanquam ad aram 229.628
Tanquam Argivum clypeum abſtuleris 62
Tanquam conchylium diſcerpere 140
Tanquam Chalcidica nobis ep uxor 252
Tanquam de narthecio 596
Tanquam de ſpecula 607
Tanquam fungus ſuffocat 462
Tanquam Gorgone conſpecta 695
Tanquam heros in clypeo excipere 93
Tanquam in nocturno prælio 579
Tanquam in phiditiis 266
Tanquam in ſpeculo, tanquã in tabula 581
Tanquam libri 677
Tanquam meum nomen, tanquam digitos 499
Tanquam mus ſupra farinam 386
Tanquam ovis meridiani 550
Tanquam Palladium 666
Tanquam parvo circumſpectans ſe 67
Tanquam pelues complosæ 280
Tanquam ſi pupillas movens 596
Tanquam ſuber 277
Tanquam ſuper ſpinas incedere 420
Tamquam Telephus vultum demittis 624
Tanquam tibias ad fontem 593
Tan quam torrens 104
Tantalica opes 214
Tantali divitias aſſequutus 217
Tantali horti 698
Tantali lapis 663
Tantali menſa 700
Tantali philoſophia 48
Tantali pœna [illegible]
Tantali talenta 214.217
Tantali talenta 214
ταύτῃ ἀσφαλής 163
tarde 617
tardior Diphilo 683
tardiores corbitæ 287
tarditas conſilio adimit 53
taricbus aſſus eſt, ſimulatque viderit ignem 596
taricbum boſti conſulitur ubi deſunt carnes 603
taricbus haud lauatus eſt quoii dignus eſt 596
taricheus non feret ſe digna ibid.
Taurica ara crudelior 155
tauricum tueri 441
taurina & limis oculis tueri 553
taurum tollet qui vitulũ ſuſtulerit 75.162
taurus draco, Genuit & taurum draco 559
taurus in ſylvam 44
techinam hanc in te ſtruxiſti 84
techinam in teipſum ſtruxiſti 496
tectus Ajacis clypeo 633
tecum habita 507
τηγάνες 319
tegere caput 615
tegere Paulum nudato Petro 370
tegula Tenedia, 700
teipſum collige 123
teipſum continens, impera 219
teipſum cura Medice 22
teipſum inſpice 586
teipſum non alens, canes alis 18
teipſum laudas. ibid.
teipſum noſce 506.513
tela aranea 699
telam hic texuit. ille diduxit 573
Telamonis canit cantionem 441
telam texere 11.12
Telegora citius donarim 218
Telemachi olla 728
Telenicia echo 277
Telenico pauperior 562
Telchines 353
Telephus è perula 587
Telesis animum habet 694
Tellenis tricas conduplicare 335
Tellenis cane ibid.
telluris onus 138
Tellenis cantilenas cane 278
τελχῖνες 353
telo non aque opus facto eſt 203
telum ingens neceſſitas 531
telo ſuo confodi, vulnerari 484
telum Achaicum 741
& telum meum cuſpidem habet acuminatam. 503
Temeſſæus genius 725
temperare juſtum difficile 32
tempeſtas ingruit 210
tempeſtas rerum 373
tempeſtate liquida liquidior 753
templum quum ingreſſus ſis, &c. 773
tempore hybernali, quando exoſſis ſuum pedem rodit 288
tempore pacis cogitandum de bello 609
temporibus ſervire decet 639
temporis filia, veritas 362
temporis punctum 714
tempus arguit amicum 46
tempus ei deeſt, qui tempus præſtolatur 776
tempus longum vitiat lapidem 456
tempus dolorem lenit 483
tempus noſce 687
tempus omnia revelat 362
tempus omnium pater 363
tempus omnium explorator 454
tempus omnium ſapientiſſimum ibid.
temulentus dormiens non excitandus 439
tendere ad Scyrrhonem 211
tenebræ apud quercum 378
tenebræ luce diſſolvuntur 308
tenebras ſive noctem inducere rebus 543
tenedia bipennis 570
Tenedia tegula 700
Tenedius homo 430
Tenedius patronus 430
Tenedius tibicen 308
tenens teneris 483
Tenedius vir, homo 575
tenere clavum 193
teneri calidis balneis 461
tentantes ad Trojam pervenerunt Græci 230
tenuem noctis 761
tenui filo 505
tenuis ſpes 666
tenuiter 142
tenui vena, tenui canali 305
teniuiter diducis 85
ter 451
ter abſtergeri 508
ter abſterſis diidant meliora 316
ter bibe 53
terebintho ſtultior 406
teredo oſſium, cor ſollicitum 664
ter felices 107
tergora tueri 663
tertia neceſſariam fortunam 599
Termeria mala 477
Termerius carcer ibid.
τερμέριον κακόν ibid.
terniones apud inferos 547
terra amat imbrem 641
terra citius ætherem conſcendet 293
terra defoſſum habes 347
terra bona 2.108
terra editus, terra redditur 716
terra filii 535
terra filius 150.533.678
terra inteſtina 408
terra odium 287
terræ onus 138
terra pondus iners 149
terra es, & in terram ibis 717
terra lacte & melle fluet 449
terra marique 121
terram continentem incolentes, mare deſiderant 425
terram & aquam poſcere 624
terra mihi prius dehiſcat 164
terram ne legas navigando 210
terram pro terra 227
terram video 106.678
terra non profuit 183
terra quavis alit artem 368
terra ſerpentes & ciconias fert 360
terra volat 15.291
terrei 671
terreſtria balnea 767
terret leporem frondium crepitus 694
terretur canis etiam Hecate 310
tereus 150.678
terrores Panici 320
ter ſex jacit 106
tertium caput 55
tertius Cato 758
teruntium non inſumpſit 130
teſſeram hoſpitalem confringere 179
teſta colliſa teſta 706
teſtaceum flagellum 227
teſtamentum M. Grunnii Corocottæ Porcelli 775
teſta non fit lutum niſi tundatur 221
teſta tenax odoris quo primum imbuta 388
teſtimonia cæca, ſurda 769
teſtimonium Xenocratis 452
teſtis comicus 689
teſtis domeſticus 248
teſtudinem equus inſequitur 185
teſtudinem Pegaſo comparas 183
teſtudines edenda aut non edenda 54
teſtudines ipſi edite, qui cepiſtis 488
teſtudines vincunt ſapientiam & virtutem 528
teſtudineus gradus 769
teſtudo extra tegumenta 580
teſtudo intra tegumenta 211
teſtudo leporem citius 291
teſtudo non curat muſcam 132
teſtudo volat 21
teſtula tranſmutatio 261
Tethidem & Galatheam ſimul amare non potes 41
tetrior Scytha 155
tetigit lapidem à cane morſum 625
τετράκις ἄλλοι 612
tetragonus 299
te tua, me mea delectant 31
Teucrus 555
Teucrum Pacuvii ediſcere 170
Teuthidum more 694
texere dolos 480
texentes nodorum vincula 335
texere telam 11.12
texere telas aranea 337
texito chlamydem, cucumere veſcens 463
θυμόσοφος 287
Thales pro ſapiente 607
θεῖον ἀμαθίας [illegible] 386
Thaſium infundis 446
Thaſius ne critis, ait Chius 416
Thaſſus bonorum 101
Thaſus bonorum 106
Theagenis hecatæum 320.471
Theagenis munificentia 448
Theagenis pecunia 565

[illegible] 740
theatrum ſimul & aperis & claudis 37
Telephi citi parium 369
Telephus è perula 00
Themiſtoclea vafricies 351
Theocrines tragicus 112
Themino dente rodi 474
Thyeſtea epula 155
[illegible] 750
theologica vina 198
[illegible] 593
Theramenes 353
Theramenes cothurnus 357
Theramenis tria cavenda 210
Thericles amicus 458
thermas Neronianas refrigerat 370
Therſita facies 255
theſaurus carbones erant 269
theſaurus cinis ibid.
theſauris clauſis incubare 87
theſaurus in agro abſconditus 549
theſaurus malorum 377
theſaurus ſtultorum maledicentia 477
Theſſala mulier 152
Theſſalica buccea 411
Theſſalici homines 197
Theſſalicum nomiſma 351
Theſſalicus ſaltus 462
Theſſalorum ala 458
Theſſalus miſſus 446
Theſſalorum commentum 346
Theſſalorum res ſemper infida ibid.
Theſſalico equo vehi 184
[illegible] 26
[illegible] 00
thori Phormionis 266
Thoodamas vel Pygmaicum Hercule 259
Thmuitarum hircus 412
tho praſigere 160
Thraces fœdera neſciunt 346
Thorcyonim imitatur 577
thoro Veſtalium purior 613
Thracium commentum 746
Thraſybulo Dionyſium dicitis eſſe ſimilem 746
[illegible] 579
Threicia hirundo labiis inſtrepis 502
thriorum complurium ſtrepitum audivi 503
thripes mali 646
thunicum enthymema 439
thunniſſare 439
Thunniſſari 439
thuricum lemna 256
thus aulicum 698
thus pedere 586
Thyeſtea cœna 154
Thyeſtea epula 155
Thyeſtea execratio 225
[illegible] 460
thylaco non ferendum, ſed manu 681.508
thymbra victitans 71.267.629
[illegible] 525
thymo nemo veſcitur, ubi adeſt caro 462
thynni mora 199
thynnus elapſus 222
thyrſigeri multi pauci Bacchi 652
[illegible] 431
tibia galeam, capiti ocream adaptare 38
tibia galeam ocream fronti applica 20.38
tibiam utramq; inflare 123
tibi arma, tibi occas, &c. 36
tibiam tuba comparas 183
tibicen vapulat 615
tibicinem expectare 550
tibicines mente capti 398
tibicinis vitam vivis 408
tibiis apertis 117.118
tibiis magnis ſpirat 523
tibiis longis canere ibid.
tibi luditur 221
tibicinem expectare 550
tibi ipſe calendas edicito 690
ubi timor, ibi pudor 591
Tigranem ſalutare 65
timidi mater non flet 607.631
timidi nunquam ſtatuerunt tropha[illegible] 691
timidior et proſpiciente ibid.
timidior hinnulo 694
timidior lepore 695
timidior Piſandro 691
timiditati fortitudo contraria 260
timidus Plutus 691
Timonea cœna 155.156
Timones 69
timoniano more 156
Timonia vita 663
[illegible] 124
tinctura Cyzicena 614.615
tinctura Sardonica 614
tineas paſcere 130
tinnit auris 555
tinniunt aures ibid.
tinnula rationes 63
tipula levior 702
Tireſia cacior 118
Tireſia vivacior 454
Titana imploras, invocas 92
Titani 577
Titanibus & Crono antiquiores 405
Titanicum tueri 441
Titanicus aſpectus 441.696
Tithoni ſenecta 455
Tithymallus Laconicus 131
titivilitium 132
titio ad ignem 596
Titius 19
Tityo ſimilis 314
[illegible] 21
[illegible] 620
tollas te, qui non novit 618
tolle calcar 503
tollere è medio 619
tolle digitum 707
tollenda mali occaſio 760
tolle tolle mazam ſcarabeo 85
tollenti onus auxiliare deponenti nequaquam 739
tollere criſtas 59
tollere cornua 60
tollere manus 706
tollit ſupercilia 66
tollitur in cœlum clamor 118
Toloſanum aurum 375
tonderi binis forficibus 464.468
tonderi pecus, non radi debet: ad vivum radi 88
tonitrua pluvia ſequitur 776
tonitrus imbrem antecedit 495
tonſoribus omnibus notum [illegible]
tonſoris eget 403
torcular calcavi ſolus 753
Torono perſtu ſurdior 673
torpedini ſimillimus 671
torques funiculum Ocnus 334.730
torrentis fluvii perſimilis 104
torris de igne eductus 483
tortus tortore fortior 260
torvum tuentes 386
Toſcani 414
tota cum ſtirpe domus procumbit 387.389
tota erras via 7
tota hulcus eſt 514
totam ſpirare Arabiam 273
tota regione errare 8
tota vita 48
tota vita nobis eſt ibid.
toto animo 251
toto cantabitur orbe 198
toto cœlo errare 7
toto corpore 583
toto devorato bove, in cauda deficis 573
toto organo 11.12
toto pectore 251.120
totum facere 120
totum memoria dolium exhaurire 499
totum perdit, qui totum vult 776
totum ſubvertere [illegible]
totus echinus aſper 71
totus ſaxeus [illegible]
totus teres atque rotundus 251.249
[illegible] 130
[illegible] 651
[illegible] 560
trabali clavo figere 221.257
trabem bajulans 18
trabs in omnibus 169
tractant fabrilia fabri 230
tradere provinciam 169.574
tradunt operas mutuas 29.124
Tragelaphos fingere 705
[illegible] 224
tragica execrationes 223
tragica ſimia 710
tragice loqui 583
tragici cothurni ſtrepitus 65
tragicos choros moleſte ferre 238
tragicum malum 378
tragicum tueri 441
tragicus rex 140
tragicus Theocrines 112
[illegible] 319
tragœdias agere aut inſanire 54
tragœdias in nugis agere 419
[illegible] 439
tragulam injicere 396
trahere altera manu, altera repellere 577
trahere caudam 68.150
trahere naribus 405
trahere ſcaperdam 160
trahimus idem jugum 643
trahit adulter ad adulterum 517
trahit lepus leonem aureo laqueo 522
trahit nubes cacias 485.492
trahit ſua quemque voluptas 295
trahitur nave 671
tranquillitate calvior 565.566
in Tranquillo eſt 627
tranquillo quilibet gubernator eſt 100
tranquillum aethera remigat 328
tranquillum viaro 678
tranſcendere poſtes 518
tranſeo ad aliud præmium 530
transferre à cauda ad os 32
transferre montes 293
transferri in aliam terram 528
translatitie agere 366
tranſmiſſo camelo, culex in cribro deprehenditur 22
tranſverſum agere 528
tranſverſum unguem, digitum 75
[illegible] 410
[illegible] 378
[illegible] 682
tredecim cubitorum 406
trepidus ante tubam 692
trepidilarii Antiphates, & Polyphemus 157
trepidat in morem galli cujuſpiam 694
treacadas inferorum 158
tria cappa peſſima 309
tria mala 312
tria Theramenis cavenda 210
tria ex curia 578
tria ſaluberrima 625
ad triarios rediit 221.229
tria vides è duobus 112
tribulus factus ſervo ordinem 704
tribulibolus 106
tribus minis in ſumptis duodecim imputas 82
trica, apina 134
tributis potiora 457
tribus verbis 110
tributum vel à mortuo auferre 77.738
tricas conduplicare Tellenas 335
tricones 624
triceps Geryone 74
triceps Mercurius 55
[illegible] 00
triobolus figura 365
[illegible] 145
triplex as 73
triplex funiculus non facile rumpitur 125
trimeſtres ſolii 317
[illegible] ibid.
[illegible] 316
triobolares 310
trioboli homo ibid.
ex Tripode 246
tripudii ſenex 634
[illegible] 593
triſtis litera 159
triſtis nota 17
triſtis ſcytala 443
trium dierum commeatum 514
trium literarum homo 134
trochi in morem 343
[illegible] 147
Tritogenes filius, non Tritogenia 712

Trito-

Tritogenes ſit mihi filius, non Tritogenia 733
tritones piſcinarum 66.463
Trœzenem naviges 254
Troja non producit Thracem 560
Trojanus equus 396
trophæum incruentum 481
Trophonii antrum 449
[illegible] 661
[illegible] 464
Truo 147
trutina eadem penſari 435
trutina exquirere 204
trutina juſtius 434
[illegible] 83
tua cauſa, ſive opera 704
tuam ipſius terram calca 180
tua res agitur, quum proximus ardet paries 206.211
tua res tibi habeto 204
tubam ſuis audivit 429
tibicen Arabicus 280
tudiculam expolivit 158
Tudetanus 407
tueri oculis limis & taurinis 553
tuere Pallenicum 66
tuere ſinapi 356
tui es oblitus 359
tu in legione, ego in culina 377
tu ipſe & liberi tui 191
tum te pingam coloribus 473
tuis veſtigiis 127
tumultus poſt bellum 479
tumulus Argi 210
tunc canent cygni, cum tacebunt graculi 231.690
tunicam à limbo abſolvere 576
tunica pallio propior eſt 602
tunicari 216
tu teipſum contrahe 122
tuo arbitratu 651
tuo te pede metire 60
turba Olympicæ inſtar 233
turbas me ut unda inaniter 328
turba turbida 358
turbinem felix proſpecta 608
turbine verſatilior 355
turdo ſurdior 673
turdus malum cacat ſibi 484
turgida nomina 699
Turno eripuis 341
turpe ſilere 424
turpis jactantia 583
turres Lamiæ 306.700
turrificare artem 191
turris Chalanes 312
turris Lamia 700
turtur cantat 372
tu turture loquacior 278
turturis inſtar male canis 565
tuſſis, amorque non celatur 736
tuſſis pro crepitu 653
tu ſume craſtinum, da mihi hodiernũ 467
tutorem eſſe alieni 442
tute hoc intriſti, omne tibi exedendum eſt 488
tutela ſua eſt factus 610
tute lepus es, & pulpamentum quæris 19
tuum tibi narro ſomnium 15
Tydæus corpore, animo Hercules 258
[illegible] 455
[illegible] 85
[illegible] 57
typus Mercurii 232
typus fuit 413
tyrotarichus 664
Tyria maria 697
Tyrtæo bellicoſior 259

V.

VAcuam abſtergere 503
vacuam inhabitare 324
vacuum vas altius plenõ vaſe reſonãt 69
vadimonium deſerere 472.532
væ victis 707
vafricies Themiſtoclea 358
vagari deſine 366
vagina quam gladii plures 407
vale æternum, æternumque ſalve 272
valeas amicus cum inimico 172
valeas multum; negocium meum non eſt 40
vale atque ſalve 567
vale charum lumen 118
valentes recte conſulunt ægrotis 39
valere pancratice, & ſimilia 625
Valeriani vita cenſura eſt 575
valete 618
valet ima ſummis laudare 587
valetudine firma nihil melius 109
valetudo ſenilis 635
valido collo 69
vallum ac foſſa 484
vallus vitem decepit 269
vana 701
vana conjectura 752.761
vana ſpe plenus 667
vappa 249
vapula Papyria 132
vapula Papyria 391
varium animal, non alterã manu & duntaxat apprehendendum 170
Varius 150
Varro 671
vaſa conclamare 696
vaſa vacua plurimum ſonant 69
vaſis inſtar 402
vas malum non frangitur 266
vaſis non conclamatis abire 246
vas pertuſum 391
vas vacuum detergere 504
vates optimus qui bene conjicit 127
vates profecto es 197
vates ruſtica 549
vates ſecum auferat omen 173
vatem omitte 423
Vatinianum odium 551
vati non conviciandum 746
vatum irritabile genus 489
vatum genus avarum 738
ubi amici, ibi opes 44
ubi Atridarum ſcapha 37
ubi bene es, ibi patria eſt 9
ubi cervi abjiciunt cornua 539
ubi cognitum eſt quod erat occultum 762
ubi deprehenſum eſt, quod erat occultum 363
ubi intenderis ingenium valet 389
ubi mures ferrum rodunt 260
ubi nec Pelopidarum facta 151
ubi Papa, ibi Roma 588
ubi per Harma fulguraverit 538.616
ubi uber, ibi tuber 506.67
ubi timor, ibi pudor 614
ubi tu Cajus, ego Caja 767
ubi non ſis qui fueris, non eſt cur velis vivere 263
ubi paveris impera 509
ubi quis dolet, ibidem & manum habet 499
ubi ver, ibi tuber 67.506
ubi vis imperas, non prodeſt ratio 00
veſticulariam vitam vivere 387
vehementius Epirotico cane 552
Vejentone aſinaque pigriores 288
vel ab ipſis notus agnoſcitur, cujus monetæ ſit 434
vel acum inveniſſes 201
vel à mortuo tributum auferre 738
velatis manibus orare 164.743
vela ventis permittere 229
vela vertere, funem reducere 327
vel cæco appareat 383
vel puero perſpicuum ibid.
vel capra mordeat nocentem 726
vel hoſti miſerandus 376
velim 55
velis equiſque 237.119
velis quod poſſis 112
velitari 123
velle idem atque idem nolle, ea demum firma eſt amicitia 49
vellera aſini quæris 338
vellere barbam ab ulnis puerorum 335
vellere Chiorum more 466
velle ſuum cuique eſt 32
vellus aureum 217
vellus iſthic non carpitur 369
vel Megaram uſque 472
vel mus mordeat improbum 721
vel muſcas metuit præter volantes 696
velocem tardus aſſequitur 13
velo utroque fugere 244
velut è ſpecula 581
veluti Minervæ calculus 431
velut in cratere 324
veluti prati ultimus flos periit 755
velut mulierum accipitres 755
velut vinum aqua miſtum 273
velut umbra ſequi 75
venari in mari 17
venari in ollis 561
venatio datur & malis 100
venatum præmovere 240
Venere invita 337
Venerem jacies ſi ſæpe jactaveris 00
Veneres 763
Venereum jusjurandum 251.248
Veneris ceſtum habens 50
Veneris expers 372
Veneris lac vinum 413
Veneris lac 458
Venerem ſui immolavit 525
Venereum jusjurandum 248
veniat hoſpes quiſquis profuturus eſt 604
veniat qui proderit hoſpes ibid.
venia primum experienti 428
veni in regionem 24
venimus ad ſummam lineam 10
venire ad fores 392
venire ad genua 380
venter auribus caret 460
venter collatinus 602
venter pinguis non gignit ſenſum tenuem 589.268
venter ſolatium 412
venti campus 343
venti civitatem ſive domum perſpirat 324
ventis & mare & ignis ſerviunt 119
ventis & ſcriptura in aqua credere 577
ventis flantibus echon adora 773
ventis tradere 542
ventis verba profundere 337
vento agitur 355
vento loqueris 327
vento paſcitur 776
ventorum ſtationes 25
ventos colis 325
ventos curſu prævertere 245
ventos paſcere 335
vento vivere 686
ventum adverſum, ſolem averſum habere 481
ventum perendinum prædicere 607
ventrem mihi objicis 460
ventre pleno melior conſultatio 235
ventres 459
ventura per diopteram proſpicit 607
ventus neq; manere ſinit, neque navigare 578
ventus quocumque tulerit 53
Venus friget ſine Cerere & Baccho 458 469
Venuſtus cadaveris inſtar 165
ver ætatis 690
vera fronte 450
vera opinari, pulchrum: mentiri, turpe 454
verba byſſina 234
verba Corinthia & Ionica 232
verba importat Hermodorus 471
verba alata, volucria 278
verba cupreſſis ſimilia 472
verba dare, nugas 304.701
verba deverata 370
verba facere oleribus 336
verba in conſilio, valet in certamine robur 181
verba indigna Ilio 37
verba inutilia ſine cera audire 337
verba præſentata 415
verba pro farinis 32
verba ſine pennis 8
verba ſine penu & pecunia 65
verbera poſt verba 624
verberare aerem 338
verberare lapidem 325
verberat arundo alas 213
verbi cauſa 584

Verbigerari 693
Verbis conceptis pejerare 576
Verbis pugnas non re 493
Verbis coquinariis 25
Verbis jurare conceptis 250
Verbis non, at factis Græcia vult ſpectari 259
Verborum ſtrepitu ne quid me veare 90
Verbotenus amicus 736
Verecundia inutilis viro egenti 613
Verecundiæ me ut comes pudor 501.613
Verendus & acer 260
Ver ex anno tollere 333
Ver hyemem ſequitur 646
Verſora Bacidis dicta 452.703
Verſora ius, quæ apud Sagram acciderunt 248
Veriſimiliter mentiens 752
Veritas in profundo 453
Veritas odium, obſequium amicos parit 449
Veritatem aperit dies 362
Veritatis ſimplex oratio 450.453
Vermis 138
Vero verius 451
Verpus 145
Verrucis offendi qui tubera habet 583
Verſari circa montis radices 144
Verſaris in turpiſſima inſcitia 290
Verſatilis Artemon 70
Verſator mag. in negocio levi 348
Verſatur mihi in labris primoribus 500
Verſatilior cardine 355
Verſatilior turbine 355
Verſus m[illegible] eſime quis deſcripſeris 22
Vertatur in cineres 225
Vertere ſolum 227
Vertere vela 527
Vertumno inconſtantior 344
Vervece ſtatua 401
Vervece mitior 464
Vervecea 668
Ver unicum inter anni partes 192
Veru ſignare 74.128
Veſpa cicadæ obſtrepens 13
Veſper quid vehat neſcis 340
Veſpertilio 343
Veſcens cucumere, chlamydem texito 463
Veſpa acerbior 155
Velut gallus gallinaceus 116
Veſparum inſtar 491
Veſpertinum amant, matutinum oderunt 235
Veſtalium thoro purior 613
Veſtem invertit 317
Veſtem mutare 441
Veſte circumferens ignem 292
Veſtigiis inhærere 648
Veſtigiis omnibus inquirere 127
Veſtigia relegere 25
Veſtigium iterato percurrere 719
Veſtigium ponere 393
Veſtis virum facit 215
Vetera vaticinari 770
Veteribus eſt credendum 251
Veteris moneta 431
Veternoſus 288
Veterum meritorum obteſtatio 282.743
Vetulo cane latrante 612
Vetulus, ſenex 145
Via cum adſit, ſemitam quæris 693
Viam in forum ignoras 8.304
Viam qui neſcit ad mare, fluvium ſequatur 604.692
Viis novis quibus effugit Encrates 349
Vix exacta viaticum quærere 17
Viam rectam ingredi 435
Via publica nemo quenquam ire prohibet 436
Via peditum eſt viſa 302
Vicinia ſalſuginoſa 497
Vicini ne quidem ſentiunt 548.660
Vicino opera ut habeas, magis autem olla 604
Vicinos ſummovere 119
Vicinum ſemper invenies 87
Vicinus aut malus aut bonus 295
Victimam pedem movens 741
Vicinus vocandus ad convivium 44
Victimam carpimus & carpimur 477
Viciſſitudo rerum jucundiſſ. 510
Viciſſitudo rerum omnium 262.264
Victi non audent hiſcere 707
Victitans canina, cynocephalum oppugnans 475
Victitant ſucco ſuo 84
Victitas Cappari, qui potes Ambia 87
Victitas agreſtibus holeribus 686
Victitat fabilibus 738
Victoria [illegible] 261
Victoria meliorum 187
Victoria non incruenta 706
Victis dolor 707
Victus ſpinoſus 573
Victus victorem complectens 707
Vide 677
Videberis, me videns, plane Martem videre 60
Videmur ſaperda quum ſimus [illegible] 66
Videntes non vident, audientes non audiunt 661
Video terram 106.678
Vide quid agas 504
Videre mihi labda 409
Videre ſive audire per nebulam ſive caliginem 303
Viderit Deus 741
Videris Dædalus 319
Vides Deum 728
Videt aſinum Scyta 662
Videtur ex ſe natus 651
Vigeas ſi quid habes: ſin nihil, jaces 220
Vigilans dormio 386
Vile videtur quicquid patet 137
Vilior vitioſis pomis 144
Vilis amicorum annona eſt 126
Vilis cœna non gignit debacchationem 71
Villani 346
Villica 110
Vim Dei habet quicquid dominatur 588
Vina theologica 298
Vinaria angina 96
Vinalia ſine vino expediri non poſſunt 25
Vincat tuus tripes 707
Vincere ſine ſanguine 481
Vincit Agaſonem 491
Vincit mantiſſa obſonia 191
Vincit omnibus judicibus 59
Vincula Tyrrhena 549
Vinculis Hippocratis alligare 452
Vinculo manivero 515
Vinculum Herculanum 709
Vinculum [illegible]lyſſis 632
Vindemiam impune facere 185
Vindicta velox 772
Vindicta tarda, ſed gravis 728
Vincat ulmum præſtat eſſe, quam hædera 95
Vincta propria cædere 114
Vino inſcribere mulieris jusjurandum 541
Vino repuerаſcere 462
Vino ſapientia obumbratur 458
Vino ſomnoque ſepulti 415
Vino vendibili ſuſpenſa hedera nihil opus 64
in Vino veritas 450.452
Vinum, animi ſpeculum 452
Vinum caret clavo 462
Vinum dementat ſapientes ibid
Vinum, equus poetæ 452
Vinum & veritas 450
Vinum lac Veneris 413
Vinum quum adſit, acetum bibis 100.598
Vinum vanis præminiſtrare 524
Vinum ſenem etiam vel nolentem, ſaltare compellit 462
Vinum ſi poſtulat, pugnos dato 339
Violento remigio 203
Vir arrigens nil boni cogitat 413
Vir bonus nunc pravus, nunc bonus eſt 359
Vir difficilis 72
Vir fugiens haud moratur lyræ ſtrepitum 237
Vir fugiens denuo pugnabit 692
Vires tuas excita 113
Virga Mercurii 521
virga Mercurii excitare 342
virga moderari 152
virgines ſemper furiæ 718
virgo primum 601.763
virgula cenſoria 412.620
virgula divina 97
virgultea ſcaphula Ægæum tranſmittere 13
viri aurei 95
viri boni lachrymabiles 153
viri centum unum pauperem ſpoliare non poſſint 566
viri duplices 346
viri infortunati procul amici 47
viri mali inutilia munera 110
viri Pharatæ lectum eme 633
viri jurejurando pueri talis fallendi 247
viri ſenis alaphus calvaria 415
vir, non fundus, in precio habendus 77
776
viro eſurienti neceſſe furari 532
viro forti fœmina nocere, indecorum 288
viro malo ne comes via fueris 512
vir non videtur, qui trajici neſcit 426
viro Lydo neque ovum commiſeras 485
viros bonos omnia d[illegible]nt 190.767
viro ſenis maxylla baculus 456
vir Romanus 260
vir ſacer 314
virtus æterna 758
virtus eſt gaudere honeſtis 107
virtus gloriam parit 535
virtus omnis eſt mediocritas 512
virtus ſimplex 415
virtute duce, comite fortuna 104
virtutem & ſapientiam vincunt teſtudines 521
virtutem infortunatam deſpicere, miſerum 144
virtutem omnem expliса 741
virtutem omnem in ſe complectitur juſtitia 434
virtutis ara 94
virtutis occaſio, calamitas 561
vir videbatur navis ſupplicans ſcopulo 7[illegible]
virum facit veſtis 215
virum improbum vel mus mordeat 726
viſcatis manibus 358
vis loqui diſce tacere prius 219
viſu non re terribiles 74
viſus fidelior auditu 181
vita Charadrii 413
vita contemptu, qui invadunt 90
vita Cyclopica 105.718
vita doliaris 266
vita brevis iſthmus 715
vita curſum 12
vita finem ſpecta 574
vita & anima 445
vita curam antep. omnibus 183
vita homini peregrinatio 714
vita jucundiſſima in nihil ſapiendo [illegible]
vita macerata 457
vita mancipio nulli datur, omnibus uſu 716
vita mimus eſt 716
vitam in ugulis degere 461
vita moleſta 610
vitam mulæ agere 85
vitam Nomadicam agere 88
vitam optimam eligere 129
vita mortalium brevis 714
vitam pulmonis agere 667
vitam vivis inſperatam 592
vita piſcium 68
vita Orphica 269.435
vita Saturnia 105
vita ſpinoſa 257
Vita ſponſi 409
Vitanda potentum offenſa 728
Vita ſuilla 715
Vita Timonia 665
Vita unda 465
Vitelliana cicatrice ſtigmoſus 594
Vites meas ne lædite 522
Vitex floret & botrus maturuit 689
Vitiat & lapidem longum tempus 456
Vitilitigator 474
Vitioſa nuce non emam 130
Vitioſis pomis vilior 144

Vitis

viti & braſſica 553
vitex floret, & botrus maturuit 689
vitrea fracta 702
vitula trima 219
vivacitas Mathuſala 457
vivam vocem audire 234
vivamus 468
viva ſecabit cute tenus 495
viva vox 218
viverram tenes 598
vivere alieno more, nutu, vel arbitratu 245.453
vivere Cynicè 88.317
vivere facere 453
vivere in diem 89.629
vivere in luſtris 415
vivere Phaeacum more 413
vivere propria meſſe tenus 507
vivere pulmonis vitam 667
vivere vento 685
vivus fama negatur 425
vivit aut mortuus eſt 54
vivit Charadrii vitam 412
vivite, valete 518
vivit. incende ignem 238
vivo argento furacior 615
vivorum meminiſſe oportet 540
vivum cadaver 456
vivum muſeum 192
vivum noveris 290
vivum ſepulchrum 436
vivunt, dum vivent 108
vivunt laborum curarumque neſcii 117
vivus an mortuus ſit neſcio 289
vivus fueris vel cepe ſolum accipiens 93
vivus videnſque 377
vixerunt 272
vixiſſe ſatius quam vivere 713
vixit 275
vixit dum vixit, bene 461
ulcera Chironia 495
ulcus 439
ulcus eſt 495
ultima experiri 223
ultimus ceris 149
ultra catalogum 454
ultra Epimenidem dormis 665
ultra Eurybatum 308
ultra fuſum, vel penſum 454
ultra Gades 219
ultra Herculis columnas 224
ultra Hyperbolum 473.623
ultra Hyperboreos 220
ultra linum 454
ultra pedem 673
ultra param ſapere 60
ultra res Callicratis 214
ultra ſepta tranſilire 35
ultra vires nihil aggredi 741
ultro citroque 123.204
ultro citroque 199
ultro deus ſuppeditat bona 116
ululare cum lupis 662
ululas Athenas 327
Ulyſſes 357
Ulyſſes pannos exuit 529
Ulyſſeum commentum 349
Ulyſſis remigium 310
Ulyſſis vinculum 632
Umbilicus 329
umbone propellere 94
umbra amici, panis, &c. 133
umbra 2.8
umbrae me prohibent 169
umbra fumi 141
umbra in morem ſequi 75
umbra volitant 187
ne umbram quidem ejus novit 133
umbram ſuam ipſius metuens 690
umbram ſuam metuere 16.691
umbram ſuam metiri 513
umbra pro corpore 338
umbras montium videre 702
umbra territas 310
umbris macilentior 395
cum umbris pugnare 336
umbrorum convivium 687
una anima 125
una clamore Neadas ſuperas 280
una cum ipſo caniſtro 600
una cum ipſis manipulis 79.696
una cum templis & aris 696
una die conſeneſcere 633
una domus non alit duos canes 424
una hirundo non facit ver 127
una lavabor 603
una Myconus omnia 645
una navis non vehit [illegible]9
una pertica 596
una ſcutica omnes impellis 595
una voce 57
unciis unguibus quae ſunt ne nutrias 765
unctum caput 746
unda cum flamma prius redibit in gratiam 539
undarum in ulnis 206
undas numeras 326
undecunque lucrum captant 78.603
unde excoquas ſevum 215
unedo 230
unedones 427
unguem medium oſtendere 134
unguentatus 470
unguenta vaſi ſordido quis crediderit? 422
unguento mortuum perunge 16
unguento perfundi anum haud decet 463
unguentum in lenticula 418
ungues arrodere 200
ungues demerſos ſapit, 202
ungui notare 159
unguis in ulcere, ulcus 439
unguium, criniumque praeſegmina ne commingito 741
unica filia duos parare generos 54
unico digitulo ſcalpit caput 408
unicum arbuſtum haud alit duos erithacos 423
unus cum duobus non eſt pugnandum 115 740
unicum ver inter anni partes 192
unicus 197
uni navi ne committas omnia 206
unione ſignare 104
unius manus infirma pugna 92
unius ortus, alterius interitus 360
unius noctu glaciei ſidere 138
unius aſſis aeſtimare 149
unius peccatum tota civitas 269
uno collyrio 14.334
uno die conſeneſcere 633
uno digitulo 596
uno digno 130
uno faſce complecti 120
uno ore 57
uno ſpiritu & pari voce 124
uno tenore 641
unum ad unum 200
unum alveare 312
unum augurium optimum tueri patriam 255
unus contra multos 115
unum è tribus malis 376
unum in multa diſcerpere 680
unum quidem, ſed leonem 198
unus deus & plures amici 41
unus homo non facit civitatem 86
unus lanius non timet multas oves 260
unus multorum inſtar 195.188
unus vir haud cernit omnia 115
unus vir, nemo vir 776
unus vir, nullus vir 115
vocare Hylam 336
vocales 241
vocatus atque non vocatus deus aderit 331
vocem omnem mittere 119
voces jactas inertes, das ſine mente ſonum 280
voce optato 733
voci conſentanea ſit actio 631
vociferatio 317
volam pedis oſtendere 502
volantia ſectari 328
volare ſine pennis haud facile 392
volas 245
volat teſtudo 21
voluntarium jusjurandum 349
volatu Pegaſeo ferri 246
volens eo quo ducit neceſſitas, ſequere 533
volens, nolens 54
volens nolente animo 53
volente Deo 207
volentem bovem ducito 532
volentibus & invitis 56
volſellis pugnare non gladiis 467.468
volſellis pugnans non gladiis 463
volſellis pugnare cum gladio 420
volucrem parvam aquila nido complectitur 633
volvitur amnis inſtar 672
volvitur dolium 327
voluptas foeda 418
voluptas, malorum eſca 414
voluptate liqueſcit 416
voluptatis comes, dolor 415
volutatum examen 104
volutares ſues 469
vomentum in numero 685
vomere argenteo arature 533
vomere bilem 516
veracior purpura 80
vorare hamum [illegible]
verſuram ſolvere, facere 328
vos ajera 733
vots compos 732
votum Achilleum 732
votum municipum 731
vox & umbra ſenex 634
vox non nominetis ſonat 426
urbanus ſermo 235
urbanus nihil aqui cogitat 436
urbem amiſit, & pugnam recepit 482
urceum in foribus 137.138
urgere eodem jugo 383
urinandi artem docui te 491
urit ab, que torre 548
urſi naſum fumantem ne tentaveris 728
urſus quum adſit, veſtigia quaeris 693
uſque ad aras amicus 44
uſque ad ravim 117
uſque ad ſidera notus 195
uſque ad vivam cutem tondere 619
uſura ante uſuram 734
uſura currit citius quam Heraclitus ibid.
uſura nautica 417
uſus, eſt altera natura 483
ut adytum reſponſa nummis praedicas 500
ut Bagas conſtituiſti 406
ut canis è Nilo 239.364
ut Corinthum videris 410
ut è bulga matris 565.761
ut egens ervum 118
uter 67
utere curru, de aſinis nihil laborans 38
uter faſtu plenus 67
uterque ambo 141
ut ex bulga matris 565.761
ut fama eſt hominum 702
ut ficis oculis incumbunt 514
ut verba ſolſtitialis 714
uti aqua & igne eodem 284
uti felici diplomate 599
uti foro 637
utile, edere & bibere 761
utilia & jucunda 575
utilis nec ſibi nec aliis 285
utinam domi ſim 205
utinam male, quemadmodum inveniſti, ejicias ibid.
utinam mihi contingant ea quae ſunt inter Corinthum & Sicyonem 731
ut inter muſica inſtrumenta magas 609
ut in Velabro olearii 124
uti nutrices Lamiam 504
ut ita loquar 85
utitur manu ſiniſtra 359
ut liquidum pateat 582
ut lucorum delubra 500
ut lupus ovem 49.438.552
ut lutis bajuli 132
ut mea fert opinio 128
ut nunc ſunt homines 162
ut Orci porta invitus 533
ut ovis lupus conſpicata 696
ut Phidiae ſignum 58
ut Phrygius amavit Pieriam 49
ut planta putrida confidens 776

ut poſſumus, quando ut volumus non licet 604
ut quiſque eſt meritus, præmium ferat 570
utramque audi partem, & recte judica 434
utramque inflare tibiam 123
utramque paginam facis 182
utraque manu adeſſe 447
utraque manu cadere 619
utrem cædis, excorias 311
utrem mergis vento plenum 323
utrem vellis 320
utres thylaci 460
utre territus 320
utrique fures, & qui recipit, & qui furatur 314
utroque claudicare 345
utroque cornu bovem continerè 260
utroque nutans ſententia 53
utroque pede claudicare 345
utroque pollice laudare 57
utroque velo fugere 244
utrunque 55.576
ut ſementem feceris, ita metes 569
ut ſportulam furunculus captare 355
ut ſummatim dicam: ὡς κεφαλαίῳ 310
ut templorum ſacra 632
ut vineta egomet cædam meá 114
uva ab uva livorem ducit 519
uva acerba immitior 72
uva paſſa 635
uva paſſa ſimilis 634
uvas è ſpinis colligere 118
uvida vita 465
Vulcano tradenda 149
Vulcanus tibi vaticinatus eſt 540
Vulcanium vinculum 709
vulgari piſci non inſunt ſpinæ 96
vulgi ingratitudo 390.391
vulgus eſſe 146
vulgus ſuſpicax 474
vulneratus ſemper plagam contrectant 500
vulneribus deploratis manus admovere 23.422
vulnus immedicabile enſe recidendum eſt 496
vulpe pellace benignior 26
vulpes ætate fit aſtutior 389
vulpes annoſa haud capitur laqueo 612
vulpes Archilochi 129
vulpes Archilochia 353
vulpes bovem agit 19
vulpes cum leonibus congregare 176.178
vulpes haud corrumpitur muneribus 322
vulpes multa, echinus unum novit 348
vulpes non iterum capitur laqueo 428
vulpes pilum mutat, non mores 389
vulpes pro leone 767
vulpes quam facile pyrum comeſt 596
vulpi eſurienti ſomnus obrepit 617
vulpina pellis aſſuenda, ſi leonina non ſufficit 350
vulpes ſemel in laqueum 627
vulpina lingua 352
vulpinari cum vulpe 642
vulpinari non decet, nec utrique parti illudere 28
vulpis reliquiæ 352
vultum demittit tanquam Telephus 614
vultuoſus 443
vultu pulchro magis venuſto 256
vultures viva ſepulchra 37
vulturius aut corvus 283
vultur ſi es, cadaver expecta ibid.
vulturum ritu ibid.
vultu ſæpe læditur pietas 42
vulturis umbra 80
uxoris probrum ultimus, qui reſciat, eſt maritus 677
uxor ſeni ſponſa regina 648
uxoris vitium aut tollendum aut ferendum 538

X.

XEnocratem modeſtia ſuperat 512
Xenocratis caſeolus 267
Xenocratis teſtimonium 412
Xerxes Perſarum Iupiter 17.407
ξυναπτεκνοῦν 125
in Xyſto ſpatiari 750

Y.

YΛαξίς 145
ὕφαιμος ὀφθαλμός 317
ὑπερ ἐμέ 334
ὑπὸ ξύλον 37.407
ὑπὸ τὸ ἄρμενα βέματα 738
Υολίας 327
Υπὸψ ἀνατρόφος 252
Υακχαζω 345
ὖ. Fy 347

Z.

ZAleuci lex 436
Ζάκορος 719
Zenone moderatior 686
Zenonium eſt & lentem coquere 157
Zoili 474.124
Zonam deponere vel amittere 265
Zonam perdidit 563
Zonam ſolvere 426
ζῶν ἢ ὁρῶν 385
ζωφοειδής 682
Zopyri talenta 214
Zoroaſtri ſuſurri 702
ζωμοποιεῖν 462

FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN HOC ADAGIORVM OPERE
Præcipue memorabilium, Index.

LECTOR I. S.

Quicquid paſſim, amice Lector, hocce in opere tractatur, & cujus in primo Indice non ſit mentio, hic annotatum invenies, tanta copia, ut potiùs aliquid ſupereſſe quàm deeſſe queraris. Nihil hic omiſſum eſt, niſi in primo habeatur elencho. Vale.

INDEX TERTIVS.

A.

Abaridis jaculum 244
Abaris Scytha Seuthæ filius ibid.
Ἀβλαβίσκος quid 309
Abdera, Abderita 407
Abderitani fatui 79
Abderitus Erimi filius ibid.
Herculis amicus ibid. *ab equis Diomedis dilaceratus* ibid.
Abderologi qui dicantur ibid.
Abdero, Thracia civitas ibid.
Abjicere ſcutum probroſum 00
Abominantium ſputum 163
Aborigines ante repertum papyri uſum in quid ſcribere ſoliti 392
Aborigines à quibus literas acceperint ibi.
ἄβιος ἀβροδίαιτος 460
Abſcondita ſapientia utilitas 87
Abſolvere nocentem minus malum quam damnare innocentem 160
Abſtemii cur à Perſis conſilio rejiciantur 433
Abſtruſi theſauri nulla utilitas 87
Abydeni calumniatores 207
Abydenorum mores 113
Ἀβυδοκόμης quis dictus ibid.
Abyſſus quid 377
ἄβυσσος πίθος 67
Abyſſus quid ibid.
Abyſſus unde dicta 469
ἄκαινα virga 55
Acanthis avicula 184
Acarnanes populus 188
Accidentia fluere 748
Accinctus quis dicatur 122
Accurare penſum 575
Accurſiana ineptia 372
Accuſatores quibus comparandi 626
Accus fœmina fatua 669
Accus ſtultitia 553
Accumbendi mos Græcorum 239
ἀκέφαλος quis dicatur 146
Aceris arboris lignum cur ab artificibus ad opera elegantia & ſubtilia commendetur 219
Acervus quis dicatur ibid.
In acervum mittere qui dicantur 173
Aceſſeus nauta 518
Aceſeus Patarenſis 139
Aceſias medicus qualis ibid.
Aceti bonitas 380
Acetum metaphorice 664
Achamenes Perſarum rex 426
Achæus cur παλαιμάχος dictus 669
Achillæum quid dicatur 503
Achilles qualis 241
Achilles qui dici poſſint 90
Achillis haſta 52
Achilles juvenis animi generoſi 660
Achilles quibus Telephum ſanaverit 478
Achilles quis dicatur 90
Achilles quomodo à Qu. Calabro appellatus 354
Achilleus quid 232
Achillis ad Vlyſſis orationem reſponſum 660
Achillis ambitio 375
Achillis cæſaries 258
Achillis equi perniciſſimi 334
Achillis haſta 617
ἀχρειόγελως quis dicatur 622
ἀχρειόγελως quis ibid.
ἄχυρον quid 246
Aciei ordo quid contineat 211
ἀκμὴ quid 245
ἄκολοι quid 266
ἄκολοι quid Græcis 312
ἀκόνιτον quid 76
ἀκρωτήριον quid 55
Acroamata recitantes qui dicantur 689. 690
Acroama unde dictum ibid.
ἀκρόπτατα κύμβαλα 37
Acriſii fabula 98
ἀκρατισμός 429
ἀκροκωλίζειν, ἀκροθίγγανειν 96
ἀκρωνύχια quid 547
ἀκρόστιχον & ἀκροτελεύτιον quid 34. 173
Actæonis fabula 390
Actæon cur in cervum mutatus ibid.
Actio claudicans quæ dicatur 420
Actiones honeſtæ quomodo collocandæ 771
Actionum vita finis, mori 341
Actio, orationis vita eſt 218
Actus comœdiarum quot 265
Acutæ naris homo quis dicatur & acutæ auris 615
Acutum amovendum 773
ἀκύθηρον quid 148
Adagiorum celebritas unde 2
Adagia ſacrorum Myſteriis ſimilia 3
Adagiorum crebritas vitanda 4
Adag. operis conſcribendi difficultas quanta 330. & inde
Adagium unde dictum 155
Adamante durior quis dicatur 73
Adamante notare 500
Adamantis natura 73
Addicere, pro venundare 232
ἀδελφίζομαι quis 256
ἄδεια quid 614
ἀδιάφορον 131
ἀδικεῖν, ἀδικῶν 3
Ad gallinas, villa 97
Ad Agnatos & gentiles qui deducendi 403
Adigere jurejurando quis dicatur 250
ἀδηφάγοι qui 216
Aditus ad literas, difficilis 482
Admetus rex 440
Adoleſcentes indomiti quomodo cicurentur 75
Adoleſcentis ingenium quando præſtantius evadat 598
Adoleſcentis officium 677
Adoleſcenturire 437
ἀδολεσχία quid 675. 676
Adonia ſacra 244
Adorandi priſca ratio 732
Adraſti facta 725
Adraſtia, & unde dicta 752
Adriani factum 569
Adriaticum mare quale 426
Adverſante Deo nihil conandum 306
Adverſitas omnis quo ſuperetur 31
Adulationis ſedes ubi 412
Adulatio quid ibid.
Adulatorum oratio unde naſcatur 432
Adulatoris ſimulatio 647
Adulterii pœna olim 308
Adumbrare, quid 146
Adumbrata quæ dicantur ibid.
Advocatorum iniquitas 696
aetites lapis 723
Æacus quomodo à poetis appellatus 194
Ædificationem exhaurire fructus 368
Ædificatores, abſoluto ædificio, quid imponere ſoleant 575
ἀηδὼν qualis avis 184
Ægeus cur ſe præcipitaverit de ſaxo 753
Æginenſium cum Ætolis pugna 138
Æginenſibus oraculum redditum 278
Æginata 642
Æginetæ illuſtres qui 303
Æginetæ cur Myrmidones dicti ibid.
αἴγειον τεῖχος 60
Ægis quid ſignific. 317

I N D E X.

Ægipedes qui 674
Ægyptiis mare, marina & quicquid ea tractat inviſum 765
Ægritudines oculorum quæ ab Alexandro dicantur 553
Ægrorum gemitus & ſuſpiria audire, moleſtiſſimum 754
Ægyptii cur beſtias coluerint 590
Ægyptii Muſici ſomnium 334
Ægyptii quare Mercurium in Hieroglyphicis notis juvenili ſpecie ſeni aſtantem pinxerint ibid.
Ægyptii quid per feræ effigiem intellexerint ibid.
Ægyptii quomodo ab Æſchylo vocati 316
Ægyptii unde liberis ſuis nomina imponere ſoliti 492
Ægyptiorum caritas 544
Ægyptiorum hieroglyphica 241
Ægyptiorum mollities 212
Ægyptiorum ſacerdotum in precando mos 732.733
Ægyptius Muſicus cur verberibus affectus 334
ex Ægypto fugere, quid 212
Ægyptus latronibus infeſta 733
Ægyſti adulteri convivium 382
Ægyſthus adulter paternæ necis vindex 311
Ælius Ariſtides rethor diſertiſſimus 627
Æmilius Rectus Ægypti prætor 293
Æmulatio duplex 421
αἶνος quid, & ejus varia cognomina 2
Æneæ in patrem ſanctitas 592
Ænigma quid 2
Æolicum miraculum 686
Æolida qui dicatur 357
Æolida unde dicti ibid.
Æolis regio 683
Æqualis æqualem delectat 517
Æqualis uxor ducenda 124
Æqualitatis proportio 200
Æquilibrium quid 434
Aera ferire qui dicatur 335
Aer & ignis corpora liquidiſſima 753
Æruſcatores qui dicantur 417
Æſchyli πυργολογία 628
Æſchyli locus caſtigatus 93
Æſchyli mors qualis 720
Æſchyli dictum 192
Æſchines cur Oenomaus dictus 66
Æſchinis dictum in Demoſt. 228
Æſchinis cognomen 742
Æſcinis locus correctus 738
Æſculapio auream barbam quis detraxerit 137
Æſculapius cur à Iove occiſus 440
Æſculapius Iovis & Coronidis filius 667
Cum Æſone juveneſcere qui dicantur 535
Æſon Iaſonis pater cujus veneficiis juventa reſtitutus ibid.
Æſopi apologus 604
Æſopo de parandis opibus conſulenti quid reſponſum 731
Æſopi dictum de Iove 262
Æſopi dictum 27
Æſopus & ejus fabula 286
Æſopi interitus & interfectorum ultio ibid.
Æs quid 617
Ætas hominis quibus comparetur 560
Ætas nulla ad diſcendum ſera 321
Ætas unaquæque quot habeat momenta 265
Ætatem bene ferre qui dicantur 221
Ætatum curricula cui comparentur 637
Æthiopes unde deſcendant 314
Ætna mons 413.515
Ætna quomodo ſervarit unum ex gigantum excidio 138
Ætna mons 515
Æthnæi qui dicantur 589
Ætoliæ fertilitas unde 101
Ætoli quales 225
Ætolorum proprium quid 87
Affectibus dominari, ſapientia 416
Ab affectionibus ſuperari, inſcitia ibid.
Affectus in ſenecta remiſſiores 427
Affectibus ſerviens ineptus eſt ad imperium 218
Affectus vocem intendit 59
Affectus idem in animo, quod pedes in corpore 239
Affectus qualis incendium 664
Affectiſſima cura reprimendi 774
Affectuum genera duo 375
Afflictorum miſereri, nihil humanius 144
Afranii fabula 416
Afrorum ingenium 763
ἀγαθῶν μυρμηκιὰ qui dicantur 742
Agamemnon qualis 399
Agamemnonis interitus 390
Agamedes Scymphalis rex 440
Agaſonis fabula 367
ἀγαθίδες qui 281
Agathocles Siculus figulus 593
Agathonis tibicen 607
ἀγελαστοι qui 644
Aliud agere qui dicantur 336
Nihil agere qui dicantur ibid.
Ageſilai apoph. 12
Agina quid 29
Aginator quis ibid.
Aglaonice Aſtrologiæ perita 486
Aglaonices jactantia ibid.
Aglaus alter quis dicatur 304
Aglaus ſenex Pſophidius 304
ἄγος quid 689
Agnum demetere qui dicantur 00
Agricolarum innocentia & neceſſitas 77
Agricolis olim nullum genus hominum honoratius 722
Agricolatio à ſue oſtenſa 14
Agrigentum Siciliæ oculus 196
Agri quomodo colendi 141
ἄγρια quid 551
Agrippus quid 568
Agrorum fides 247
Agrorum venalium commendatio 704
ἀγρευξία quid 707
Ajax Auguſti deletus 159
Ajax cur inſanus factus 622
Ajacis clypeus 89
Ajax Telamonius 257
ἀΐζειν quid 753
ἀειδὼς quid 189
ἀΐσιον convivium 207
ἄκολος quid 352
Ajoth Hebræorum dux 370
ἀκροχειρισμὸς quis dicatur 00
Aries qui dicatur 5.3
αἴθων quid 413
αἴθων ὄνος qualis 715
αἶπος quid 513
αἶγες in civitas Magneſia 476
αἰγεια ibid.
Aiguri & Aexodia 476
Alabanda Cariæ urbs 372
Alabandus, alabanda 188
ſub ala fieri quid dicatur 548
Alaſtor quis dicatur 314
ἀλάστορα animalia 239
Ala pro eque 188
Alas accidere & addere quid 292
ἀλάστωρ 375
Alauda nidum ſuum quomodo luſtrare ſoleat 592
ἀλαζονεύεσθαι quid 64
ἀλαζονικὰ 737
Alazones qui dicantur 69
ἀλαζὼν quid ibid.
Albani Cyclopicam vitam agere cur dicantur 105
Albani populus qualis 105
Albani Iberis proximi ibid.
Albanorum terra quid opus habeat ibid.
Alba pro ſalibus 380
Alba, Latinis lata 97.98
Albati qui dicantur 626
Albati ſcurra qui dicantur ibid.
Albidius helluo 599
Albo adſcribere quid 161
Albo eradere quid ibid.
Albula aqua cur vulneribus mederi dicatur 213
Album colorem ab atro non diſtinguere qui dicantur. 432
Album prætoris 641
Albus color quid plurimum habeat 577.578
Albus qui dicatur 173
Alcameni quid oraculum reſponderit 81
Alchimiſtica artis libros cur Diocletianus combuſſerit 217
Alcibiades qualis 344
Alcibiades & Alpimantus quales à natura juvenes 663
Alcibiadis faſtus 152
Alcibiadis dictum 57
Alcibiades tibias abjecit 275
Alcibiades cur muſicam damnaverit 402
Alcibiadis apophthegm. 549
Alcibiadis ingenium 70
Alcinoi Phæacum regis naves 246
Alcinous Phæacum rex 191
Alea ludere qui dicantur 500
Alector dux Philip 717
Ales pro augurio aliquo 593
ἀλεκτρυόνων 308
Aletis fabula 678
ἀλήθεια quid 697
Aletæ factum 443
Alexander Hegius Eraſmi præceptor, & Rod Agricolæ diſcipulus 175
Alexander Mag. Midæ nodum diſſolvit 570
Alexander M. qualis 241
Alexander Mag. cur ad Venerem parum ſtrenuus 459
Alexander Magnus quomodo muſicis modis immutatus 528
Alexandri Magni dictum 30
Alexandri Magni factum 570
Alexandri judicium de Homeri verſibus 764
Alexandri Severi præſtantia 698
Alexandri Severi dictum 522
Alexander Archiepiſcopus 668
Alexandri de Antipatro dictum 660
Alexandri dictum 260
Alexandri Macedonis factum 434
Alexandri Macedonis pervicacia 170
Alexandria cur πόλις dicta 467
Alexandria emporium copioſiſſimum 466
Alexandria omnium civitatum vertex 167
Alexandrina delicia 467
Alexandrinorum ibides 479
Alexandrinorum natura 626
Alexandri Seleucienſis ſophiſtæ dictum 192
ἀλεξίκακοι qui dicantur 555
Alexidis dictum 680
Aliena manu quid agere quid dicantur 608
Alienis malis ridere 628
Alienis maxillis ridere qui dicantur ibidem
Alienis oculis intueri qui dicantur ibid.
Ex alieno jecore ſapere 545
Alieno ore manducare qui dicantur 622
Alieno vultu quis gaudere dicatur ibid.
Aliterius quis dicatur 375
Aliterius cur Iuppiter ibid.
Aliteris qui 308
ἀλιτήριον quid 310
Alligare vinculis Hippocratis 452
ἀλλοπρόσαλλος 345
ἀλλοπρόσαλλος Mars ibid.
Almandarus dux 380
ἀλληλοφ quid dicatur 87
Alnus arbor 94
Aloe frutex 52
Aloeus Othi & Ephialtis pater 668
ἀλφάνειν 113
ἀλφηστὴς ἀλφηστής 762
Alpha quid ſignificet 188
Alpha oculus Xerxis 48
ἀλφιτεύειν 623
Alterum pedem in Charontis cymba habere

bere qui dicantur 385
Althæa mater Meleagri 154
Alexion pater Oenomai 66
Alypius Cæſarii frater 476
Amæa quæ 682
Amalthea capra fab. 101
Amara hauſtu ad quid conducant 649
Amare oculitus 48
Amare quando non dicatur amare 49
ἀμοργὶς & ἀμοργία quomodo differunt 728
Amator ſubdolus quomodo ab Apuleio appelletur 353
ἀμαξιαῖοι qui 449
ἀμαξιαῖα quæ ibid.
Amazonum mores 32
Ambilævi qui dicantur 369
Ambire unde dictum 761
Ambrones Gallica gens 309
Ambrones qui dicantur ibid.
Ambrones populi 309
Ambroſia quid 189
Ambroſia deorum cibus 187
Ambroſium quid ibid.
Ambroſius Leo Nolanus 171
ἀμέλαινα locus 286
Amenus fluvius 70
Amentia pharmacum vinum 268
Amentum genus quale 278
ἀμιπρυγοι quid 382
Amicitia inter quos cohæret 641
Amicitia laudata Ægyptius quæ 43
Amicitia incommodi qui 45
In amicitiis tripliciter peccari 704
Amicitia cum primis conſervanda 773 774
Amicitia deſultoria quæ dicatur 51
Amicitia potentum periculoſa 763
Amicitia principum, laus 147
Amicitia vinculum, conſenſus conſiliorum 49
Amicitia ubi quærenda 106
Amici veri officium ibid.
Amici vitia quomodo ferenda 41
Amicos amicorum communes eſſe debere 42
Amicum quod pulchrum 31
Amicos opibus utiliores 44
Amicorum omnium non eadem ratio 603
Amicus vetus quis 46
ἀμιτροι qui dicantur 319
Ammon quis 182
Amor cui competat 48.49
Amor ebrietatis ſimul. 600
Amorem præcedat judicium 179
Amor unde concilietur 644
Amori & benevolentiæ qui incommodi 486
Amorem ex aſpectu naſci 252
Amor quantum poſſit 50
Amor melle & felle fœcundiſſimus 51
Amor mortalibus unde naſcatur 295
Amoris immoderati vitium 586
ἀμοργοὶ ſive ἀμοργοὶ qui dicantur 382
ἀμουσολογίη 36
ἀμουσολογία 214
Ampeloora populus 182
ἀμφιβολοι qui dicantur 288
ἀμφίβολος ibid.
ἀμφιπερόνας quid 417
Amphibetum quid 491
Amphion & Zethus fratres 108
Amphitryon Thebanorum princeps 166
Ampullacea mulier quæ dicatur 68
Ampulla quid 64
Amuſſis quid 202.199
Amyclarum deſcriptio 675 676
Amyridis hiſtoria 606
ἀμυστὶ potatio 285
Amythaon pater Ciconis 158
ἀναβάσεις quid 622.623
ἀνακάμψαντες venti 485
Anacharſidis dictum 450
Anacharſidis aſperitas 71
Anacharſis inſignis philoſoph. 232
Anacreon Teius 414
Anagyraſios genius 490
Anagyrus quid 489
αἰσχροφαγία quid 529
ἀδαμάντινοι quid 747
ἀναλογητικοί qui dicantur 432
Ananias quomodo à Paulo appellatus 311
ἀναπτυσσεῖν 202
Anapæſtorum lex 465
ἀναφρόδιτος quid 148
ἀναπηρος quis dicatur 304
ἀναπτηρεῖν quid 342
ἀναρχία quam perniccioſa 515
ἀναρχία quid & qualis 218
ἀνάστασις quid 00
Anaxagoras Clazomenius 22
Anaxagoras quæ in re Periclem juverit, & eius apophth. 281
Anaxagoræ dictum 482
Anaxarchus adulatorum omnium abjectiſſimus 602
Anaxarchi modeſt. 506
Anaxarchi adulatio 521
Anaximenes Mileſius 412
Anaxyris quid 62
Antæi fabula 350
Anceps quid 356
Acipenſer piſcis qualis 74
ἀγκὼν quid, & unde dicatur 164
Anemi qui 717
ἀνδράποδα qui 763
Andreæ Hieroſolymitani locus 558
Andreas Alciatus 763.764
Androclis Pitenſis dictum 20
Andromache Hectoris uxor 517
Androcydis oratoris dictum 268
ἀνεμώνη quid 666
ἀνεμωνιος quis dicatur ibid.
ἀνεμοτροφα ova 599
ἀνεμώνια quæ 341
Anemone quid 184
ἀνὴρ σύνοικος quis 137
ἀνεμώνιοι qui 562
Angelus Politianus 617
Angelus Politianus 41
Angelos duos ſingulis Theologi veteres adſcribebant 180
Angenora dea 676.678
Angenoræ feriæ quando habitæ, & quomodo dictæ 578
Angeronia dea 753
Anglus quidem civis Londinenſis quomodo medicum fefellerit 726
ἄνυδροι quid 747
Anima à vitiis expurganda 177
Anima Dei conceptaculum 277
Anima quid 642
Animam debere quid 563
Animæ hominis partes tres 243
Anima unde 717
Anima quibus pro ſale data 466
Anima ſicca jubar ſapientiſſimum 268
Anima ſicca ſapientiſſima ibid.
Anima divinitas probatur 296
Animi affectum quæ maxime declarent 451
Animalia duo domeſtica nunquam manſueſcere 390
Animalium ætates 455
Animalium aliquot deſcriptiones 721
Animal quodcunque laceſſitum vindictam molitur 741.742
Ab animalibus abſtinendum 774
Animam quid eſurire faciat à beata vita 268
Animantes terreſtres quæ vocentur 566
Animantium quæ diis mactabantur olim 135
Animantibus quibuſdam muſices ineſſe ſenſum 174
Animi conſummata perfectio 773
Animi fortis & magni proprium 383
Animi mores cui reſpondeant 268
Animo compoſitus & præcinctus quis dicatur 467
Ex animo polliceri 210
Animum relaxare 389
Animus avaritia obſeſſus non facile expugnandus 169
Animus cui ſimilis 250
Animus hominis anceps 376
Animus integer, res precioſa 549
Animus unde illuſtretur 774
ἀνὴρ ἰσομοιρος qui dicatur 250
Anna Didonis ſoror 355
Annacos quandiu vixerit 598
Annibalem quis domuerit 61
Annius Luſcus 364
Anus Ptolemais 623
Anus cuiuſdam dictum 118
Anſa quid 545
Anſas binas cuique rei eſſe ibid.
Anſer poeta M. Antonii Triumviri amicus 516
Anſeres quibus ſacri 728
Antæus Lybicus quomodo excreverit 598
Antevorta 11
ἀνθηδὼν Samius 408
Anthericus quid 515
Anthermon quis 475
Anthias piſcis 87
Antianira dictum 32
Anticyra dua 490
Anticyris dignus quis dicatur 768
Antigenides tibicen 528
Antigenidæ dictum 603
Antigoni & Pyrrhi ſocietas 676
Antigoni memorabile dictum 559
Antigonus rex 581
Antigonus Doſon dictus 699
Antimachi Clarii poetæ dictum 188
ἀντιμυκτηρίζειν 165
ἀντιμυκτηρίζειν quid 165
Antinoi Penelopes proci interitus 351
Antiochi Illuſtris liberalitas 159
Antiochus accipiter dici voluit 722
Antiope fabula 379
Antipatri dictum 278
Antipater cur καλαυρβίας dictus 117
Antiphanes faceti ſſimus poeta 492
Antiphemo quid reſponderit oraculum 612
Antipolemos Eraſmi liber qui ſuppreſſus eſt 260
Antiqui quos oculos regum vocaverint 48
Antiquitas quem Nympharum numerum Baccho attribuerit 232
Antiſthenis elegans dictum 146.203
Antiſthenis apophthegma 429
Antiſterion menſis 691
Antiſtrophon quid 557
Antiſtrophos quid 114
Antonii Caracallæ in ſolvendo ſuos ſenatores mos 356
Antonii Imp. odium quantum in Getam fratrem 00
M. Antonius Cæſar quomodo ab Athenis vocatus 370
Antonius Ciceronis collega cur Teneris vocatus 555
M. Antonius cur Bambalio cognominatus 144
M. Antonii & Auguſti geniorum æmulatio 552
Antonii familiaris quid de eo dixerit 376
Antron civitas 405
ἀνθρωπόμορφος radix Mandragoræ 540
Antrum Mercurii ingredi qui dicantur 203
Anus omnis garrula 280
Anyti quid dicantur 729
Apalaſtri qui dicantur 257
ἀπικνάδες dies 379
Apelles pictor nobiliſſimus 63
Apellis pictoris dictum 502
Apellis & Protogenis æmulatio 286
Apellis patientia erga Alexandrum mag. 684 6850
Apellis pudor 614
ἀπειροκαλία quid 277
Apes muſarum volucres 394
Apes qui dicantur 358
Apes ubi abundent 449
Apes ubi aculeum relinquere ſoleant 312
ἀφροδισιακή quid 336
Aphanna locus 540
Aphya piſciculus 641
M. Apicius cur deorſus vi... ab Eunapio vo-

vocatus 465
ἀφ' ὧν unde dicatur 540
Apina oppidum 12
Apii olim ſatio & uſus 11
Apis Muſarum & Charitum delicia 747
Apius quid Græcis 493
Apluda quid 83
ἀπαλοῖν quid 766
ἀπὸ διαίτης quid 639.640
Apolauſti qui dicti 469
Apollinis boves 191
Apollinis Pythii oraculum 518
Apollo cur Tortor dictus 161
Apollo imberbis 128
Apollo Sibyllæ amore captus 452
Apollinis nutrices 652
Apollinis exilium 440
Apollinis in ſacris qualis acclamatio 342
Apollo nobilis inſeſſor 412
Amicos quod habuerit ibid.
Apollonii Tyanæi, ad Menippum Lìcium, dictum 492
Apologatio, vox parum Lati. 2
Apologum facere qui dicantur 477
Apophthegm. quid, & quomodo differat à parœmia ibid.
ἀποφράδες dies 379
ἀπόῤῥηξις quid 229
ἀποῤῥίζειν ἀποῤῥίζειν 80
ἀποκαλύπτειν quid 616
Apoſtata inutilis 671
Apoſtolius Byzant. 45
Apoſtolius taxatur 567
ἀποτρόπαιοι qui dicantur 433.436
ἀποτρόπαιος καὶ ἀλεξίκακος qui dicatur 733
ἄπραυτος quis 78
ἄπρατος ibid.
Aprilis piſcis quomodo à Gallis nominetur 689
Apri ubi vivant 151
Aprorum cubilia quomodo vocentur 415
ἀπτοεπιγεια quid 44
ἄψινθον quid 483
Apum natura fera 394
Apis Ægyptius 667
ἀπόδεσι quid 741
Aqualiculus quid & quis dicatur 415
Aquam & terram poſcere 624
Aquam perdere qui dicantur 87
Aquam plorare quum lavat, fundere, quis dicatur ibid.
Aqua prævocationi utilis 15
Aquæ miniſteriis in cauſarum actionibus Athenis 373
Aquæ quanta utilitas 270
Aquæ proprium quod 17
Aqua marina qualis 111
Aqua marina uſus 309
Aquam vendere qui dicantur 457
Aqua pigra ſi moveatur, nihilo fit deterior 598
Aquæ res optima 616.618
Aquarum ſcaturigines quomodo appellentur 216
In aqua turbida piſcari qui dicantur 604
Aquila avis rapaciſſima 288
Aquila quomodo ſoleat nidum ſuum luſtrare 592
Aquilarum pennarum vis & natura 553
Aquila viſus acerrimi 178
Aquila viſus 183
Aquilas fame mori 184
Aquila & teſtudinis fabul. 205
Aquilam Rhodo exul. 723.724
Aquila & ſcarabei fabul. 722
Aquilarum genera & natura 718
Aquila cur Iovi fulmina ſubminiſtrare fingatur 182
Aquilius cur morbum iuraris 602
Arabicus tubicen quis dicatur 280
Arabum mos in feriendis fœderibus 248
Ad Aram confugere 94
Ara quid ibid.
Aranearum genus mirabile 602
Araneæ natura 357
Aratus cur à Iove exordium ſumpſerit 105
Arato Theſſalo quid oraculum reſponderit 346
Arator cur incurvus dicatur 200
Arbela multa 712
Arbitrari quid 181.43
Arbitri qui dicantur 548
Arcades quare ſtupidi habiti 768
Arcades unde ἀντισέληνοι καὶ βαλανηφάγοι dicti ibid.
Arcades qualis populus 405
Arcadus rex 143
Arcam habere qui dicatur 217
Arceſilai dictum 15.16
ἀρχεῖα quæ 111
ἀρχαϊκῶς pro ſtulto 39
ἀρχαῖον quid 377
ἀρχαὶ quid 409
Archeſtrati locus 191
Archeſtratus poeta Syracuſanus cur τῶν ἑπτὰ σοφῶν ἐπ' ὀνόματος dictus 395. cur item in bilance poſitus ibid.
Archiadas pater Theagenis 448
Archias cur ſe ſuſpenderit 648
Archias qualis 457
Archidami dictum in cantorem 647
Archidamus Archeſilai filius 380
Archidamus Lacedæmoniorum rex 380
Archidamus Lacedæmoniorum dux 451
Archidami dictum 529
Archidemus 405
Archigenes quis & unde natus 667
ἀρχίλοχον ἀκούεις quis dicatur 357
Archilochus quis 491
Archimedes Geometricas omnes facultates in unum tractoria machina corpus coniunxit 709
Archimedis Syracuſani fulgurationes 310
Archimedes Syracu. 582
Archilochi mordacitas 471
Archilochus cur à Lacedæmoniis expulſus 651
Archil. vulpecula 26
Archipoſia quid 337
Architectus quid agat 302
Archytæ Tarentini apophthegma 96
Archytas qualis architect. 275
Ad Arculas ſedere qui dicantur 201
Ardeleones qui dicantur 70
Ardeliones unde cognoſcantur ibid.
Ardices legatus 577
Arduum opus cui oſſium terendo 664.665
Arenæ cedere 708
Areopagitarum authoritas & iudicia 442
ἀρεσκος quis à Græcis appelletur 661
ἀρετὴν quid 152
Areta commentatoris in Apocalypſin patria 481
ἀρετὴ pro ferro 710
Arganthonius Gaditanus Tarteſſiorum rex quot annos vixerit 634. quot annos regnarit 395
ἀργεῖον quid 57
Argentea fame convivari qui dicantur 226
Argivorum ingenia 440
Argyrophylus notatur 642
Argonauta quomodo à Theocrito vocetur 194
ἀργὸς quid 373.374
Argos civitas [illegible]
Argus totus oculeus 607
Argyrrhius dux 254
Aridus fulgor mens ſapientiſſima 268
Aries aureus ex arce Palladis 411
Arietibus quomodo omnis ferocia adimatur 463.464
Ariolari quid 471
Ariſtagoras Mileſ. 688
Ariſtarchus Homeri carmina digeſſit 126
Ariſtarchus quomodo uſurpetur 152
Ariſtarchi obeliſci 181
Ariſtarcheum Dianæ temp. 378
Ariſtidis authoritas 180
Ariſtidis damnatio 261
Ariſtidis pictura 216
Ariſtippus philoſop. 639
Ariſtocrates 551
Ariſtodemi dictum 217
Ariſtogitonis aſtutia 662
Ariſtogiton quis 439
Ariſton tyrannus 625
Ariſtophanis locus caſtigatus 265
Ariſtotelis ad adoleſcentem ſuperbientem, dictum 214
Ariſtotelis locus caſtigatus 474
Ariſtotelem ſua ſcripta mathematicis collationibus obſcuraſſe 57
Ariſtotelis divitiæ 83
Ariſtotelis apophthegma 556
Ariſtotelem abſolutiſſimè corpus philoſophiæ tradidiſſe 143
Ariſtot. λόγου πατὴρ 692
Ariſtotel Meliacus 278
Ariſtyllus poeta qualis 742
Arithmeticam cur Lacedæmone eiecerit Lycurgus 710
ἀρίζηλος, quid 152
Armatos cur deos finxerint Lacones 189
Armenta ubi abundent 449
Armis confligere, plus quam ſerinum eſſe 295
ἀρμογὴ quid 625
Arnobius Lactantii Firmiani præceptor 217
Arquatus morbus à medicis quomodo nominatus 210
Arrideus Macedo 717
Arrogantia cur ſacer morbus dicta 395
Arrogantis propria 467
Artaphernes dux regis 358
Artemon quid 704
Artem qui bene tradit 746.747
Artes Dardaniæ unde dictæ 306
Artes Palladiæ quid fugiant 509. quid ament ibid.
ad Artes quando fugiendum 205
Arthemiſia fortitudo 194.695
Arthemiſii factum 311
Artificem quenque ſuo impenſo opere delectari 31
Artificii ſimilitudo æmulationem conciliat 423
Artis aulicæ propria 358
Artis & fortunæ affinitas 650
Artis præceptis quomodo inſerviendum 694
Artium tutela Minervæ attributa 63.64
Artium inventor & magiſter quis 532.536
Artium omnium repertrix, paupertas 567
Artopteſia 505
ἀρτεμνις 604.605
Arundinea crura, & tabis propheta quis dicatur 650
ἀσκαλάφος cur Bacchus vocatus 246
ἀσαμινθος quid 372
ἀσαρωτὸν 283
Aſcia, quid 758
Aſclepiadis dictum 571
ἀσκωλιάζειν & ἀπαφλαυρίζειν 320
ἀσελγὴς quid 410.411
Aſellicipites qui dicantur 178
Aſellus piſcis 451
Aſia provincia 404
Aſianorum & Atticorum diſcrimen 405
Aſinarii qui dicantur 145.146
Aſini cur apud Ægyptios in pretio habiti 150
Aſini natura 671
Aſinis pigriores qui dicantur 683
Aſinius Pollio qualis vir 639
Ab aſino delapſus vel excuſſus qui dicatur 189
Aſinum acerrime audire 399
inter aſinum & mulum ſimilitudo 650
Aſinus Ægyptius quis 147
Aſinus Cumanus 175
Aſinus de Æſopi putea quis 280
Aſinus Eleuſiniorum ſacrorum baiulus 174.175

Aſinus

Aſinus Horatianus 285
Aſinorum ingenium 113
Aſinus quibus abominabilis 722
Aſini qua in parte plus ſapiant hominibus 401
Aſotus qui dicantur 469
ἀσωτία quid 322
Aſparagus quid ibid.
Aſpectus primus plerumque fallit 129
Aſpendus civitas 602
ἄσφαλες quid 366
Aſphodelus herba 409
Aſpidis natura 475
Aſpidistius hoſpitalitatis ſervatus 720.721
Aſpidis genera & venena 644.645
Aſpidum ova edere qui dicantur 443
ἄστυ quid Argivis 62
Aſſerina locus 430
Aſſidua cogitatio cor exulcerat 664.665
Aſſis quid 130
Aſſiduitas vis quanta 74.75
Aſſon urbs aſiatica 289
Aſſos Lycia civitas 282
Aſteropæi qui & unde dicantur 370
Aſteropæus ambi dexter 370
Aſteropæus Pælegonis filius 370
Aſtragali qui dicantur 653
Aſtrictus quis dicatur 577
Aſtrologi quales hodie 127
Aſtrorum obſervatio ſucceſſit in locum augurorum 598
Aſtuti unde dicantur 436
Aſtyagis Medorum regis crudele factum 436
Aſtydamæ titulus 718
Aſtydamas quis 738
Atalanta fabula 521
ἄτακτος quis 72
ἀτελὴς ἱερεύς 653
ἀτιμία quid 236
Ater quis dicatur 313
Athamas inſanus liberos occidit 379
Athanaſius Alexandrinus cur à Gregorio Nazianzeno μεγάλη σάλπιγξ τῆς ἀληθείας vocetur 224
Athanaſius Eccleſiæ columna 258
ἀτελεστ... fœmina 72
Athena cur ἄστυ dicta 467
Athenæ locus reſtitutus 237
Athenagoras Athenienſis, philoſophus Chriſtianus 23
Athenienſium pompa 287
Athenio vir impurus & conſceleratus 136
Athenis quid Sibylla ſit vaticinata 322
Athenienſes belli quam pacis cupidiores 635
Athenienſes quales 320
Athenienſes quomodo ſuum populum in tribus diſtinxerint 704
Athenienſes quomodo ad conciones alle..i 131
Athenienſium incogitantia & δυσβουλία 99
Athenienſium mores 626
Athenienſium fames 308
Athenienſibus oraculum redditum 188
Athenienſium contra Siculos prælium 53
Athenienſes ad quid utebantur nummis 138
Athenienſium cum Thebanis prælium quale 706
Athenienſium luxus reprehenſus 445
Athenienſium excubiæ 769
Athenienſes quomodo ſummum in Chioſiorum teſtiure 107
Athenienſium populi diſtributio per tribus 725
Athenienſ. Reip. adminiſtratores quales 25
Athenodori dictum 244
Athenodori philoſophi admonitio 427
Athos mons 515
Athlantes Reip. 743.744
Athleta cur leones dicti 200
Athleta quis dicatur 194
Athletarum dieta quomodo ab Ariſtotele vocetur 533
Atho mons 413
Athon mons ibid.
Athos Theſſaliæ mons 495
Athlantis fabula 95
Athletha cur uncti 282
ἀθηρηλοιγὸς qui dicantur 39
ἄτεχνος quid 71
P. Atilius cur à P. R. ſapiens appellatus 190. quomodo à populo nominatus ibidem.
ἀτιμαγελεῖν quid 436
ἀτιμαγέλος ταῦρος ibid.
Atlanta Cerei filia 395
Atoa regis dictum ad Byzantios 504
Atoa Scythiæ rex ibid.
Atraphaxis quid 585
ἀτραπὸς quid 693
Atrei Pelopis filii crudele factum 354
Atrum antiquis inauſpicatum 97.98
Atraginta aves 727
Attalica quæ & unde dicta 196
Attalus cur populum Romanum in hæredem inſtituerit 196
Attalus Pergamenus martyr 258
Attalus Pergami rex 196
Attellana trica quid 335
Attentos eſſe quomodo jub. 76
Attice dicere quid 234
Atticum dicendi genus 231
Atticorum mores 316
Attici αὐτόχθονες & τεττιγοφόροι 61
Atticus miles quis dicatur 259
Attii tragœdia 673
Attis dictum 323
Avari cur Alojada dicendi [illegible]
Avaritia in gratitudinis cauſa 617
Avaritia quid 269
Ex avaritia quid erumpat 269
Avari unde lucri devoratores dicantur 86
Avaro tam deeſt quod habet, quam quod non habet 334
Avaro vicino quid moleſtius 497
Avarus alienas opes quomodo ſibi aggreget 335
Avarus quomodo divitias congreget ibid.
Audacia unde naſcatur 295
Audiendum, non parentum 545
Aves impedientes unde Arcula dicta 555
Aves quæ colorem mut. 345
Auſugientium ſtatus 770
Augeus ærarium conſtruxit 440
Augurante aciem olim coronatus incedebat 423
Auguria ex corporis affectibus 204
Auguria quis invenerit 732
Auguriis ſucceſſit aſtrorum obſervatio 598
Augurium latum unde 535
Auguſta dictum ad Iuſtinianum 61
Auguſti Cæſaris dictum 143
Auguſti & M. Antonii geniorum certamen 376
Auguſti Imp dictum 764
Auguſti dicto notatus 274
Auguſti Imp apophth. 673
Auguſtini opus de Civitate Dei qui ſuis gloſſematis conſpurcarint 97
Aug locus correct. 341
Avidi qui dicantur 89
Avidius Caſſius Imp. 344
Avis pro augurio 598
Avium impedientium nomina multifaria 555
Avium quæ aduncis unguibus ſunt, quo potu utantur 00
Aula quid 558
Aulica converſatio philoſophiæ contraria 204
Aulicaſtri qui dicantur 358
Aulica vita 640
Aulici cur Theramenes & cothurni dicantur 357
Aulici quibus ſimiles 661
Aulicorum ſervitus 408
αὖλαξ quid 373
Avelare, revolare 237
Aura pro ſpe 666
Aurea quadriga ambiendi 649
Aurei generis qui dicantur 395
Aures aqua offenduntur, oleo juvantur 585
Aures cur patulæ 160
Aureum lac haurire qui dicantur 599
Aureum tempus quando extiterit 105
Auribus alienis auſcultare qui dicantur 610
Auribus dare quid 735.737
Auribus fracti qui 463
Aurium ſenſus citius habetatur quam oculorum 172
Auris memoria digna 499
Auris tyranni qualis 719
Aurium meatus ſemper patere 582
Aurium mobilitas in animalibus 730
in auro nomina incidere qui dicantur 219
Aurum cur metallis cunctis præferatur 361
Aurum ex ſtercore colligendum 282
αὐθέκαστοι qui 738
Authoritate carere qui dicantur 149
Authoritate prodiis unde claſſici dicti 147
Author prudentiæ, ſcientiæ 268
αὐτολήκυθοι qui 47
Autumnales arbores qui dicantur 393
αὔριον 21
αὐχὴν quid 68
αὐλὸς quid Græcis 659.660
αὐτολεκι unde translatum 703
αὐτοναύκληρος qui dicantur 146
αὐτεπάγγελτοι qui dicantur 146
αὐτοτελής quid 140.141
αὐτόχειρες qui dicantur 00
Axiochum non eſſe Platonis 714
ἄξιος quid 378
Azanæ plures 169
Azeſia qua 682
ἄζυλος quid 152
Azymus quis dicatur 250

B.

Babali qui dicantur 144
Babylo quis dicatur ibid.
Babylon quo oſtento capta à Dario 538
Babyos cum Apolline contentio 378
Bacchus quomodo apud Eleas mulieres invocatus 680.696
Bacchus oblivionis filius 548
Bacchi facies 503
Bacchi ſimulacr. 38
Bacchanalia celebrantium mos 438
Bacchius Corinthius 646
Baceliæ quis dicatur
Batus Athenienſis 145
Batulum movere qui dicantur 451
Bata veſtis genus 619
Batylus quid 687
Bagas quis 235
Bagoæ dictum in philoſoph. 406
Βαΐνης quis 658
Baiæ piſcis 408
Bajon piſcis quomodo alio nomine appellatur 168
βαλαντίου βάλλω 463.464
Balaniſta qui 603
βαλανηφάγοι qui 617.618
Balathrones ſeu balithrones qui & unde dicti 83
Balbuties unde & quotuplex 89
Βαλλαι 371
Ballena Thraciæ urbs 351
Balnea ad quid inventa 66
Balnea calida cur Herculana dicta 178.179
Balneatores cur garruli 444
Balnea calida cur taxata 568
Bambalio quis dicatur 282. unde dictus 144
Βαμβαλιάζω quid ibid.
Banderus pro principe 188
Baptiſmi vis recond. 273
Barathro quis dicatur 89
Barbaporum 254
Barbam à puerorum ulnis qui vellere dicantur 315
Barbam radere, quando cœperunt 589

βαςβαςιτικὰ 136
Barbari qui & unde dicantur 373
βαρβαρίζειν quid ibid.
Barbarus ſervitutis impatiens quomodo occiderit ſeipſum 388
Barbiton ſive barbitus quid 37
Bardi unde dicti 669
Bardus quid Gallis ibid.
βάρις navigii genus ibid.
βαττολογεῖν 309
βάσκανος 189
Baſianus quomodo dictus 153.154
Baſilii patria 482
Baſſus Corinthius parricida 279
Batali qui dicantur 280 281
Batalus Epheſius tibicen 465
βάτος & βάτταρος 96
βατταρίζειν quid 357
Batavi populus 427
βατραχομυομαχίαν unde mutuatus Homerus 720
βαττισμὸς quid 00
Batrarus quid ibid.
Battus Thebanus ibid.
Battus paſtor ibid.
Battus quomodo donatus ibid.
Battus rex 301
Beatitudo hominis in quo ſita 716
Beatus quis dicendus 106.107
Belial quis dicatur 315
Bellerophontis fabula 4[illegible]
Bellerophontes quomodo antea dictus 613
Bellerus Corinthiorum princeps 613
Belluas exarmare quid 708
Belli indicendi mos 409
Belli prima cauſa qua 00
Bellum quid pepererit 00
Bellum quam temere & à quibuſcunque ſuſcipiatur 295.296
Belli conſuetudo 297
Belli ſimulachrum exprimitur 296
Bellorum exitus incertus 31
Bellum & prælium differunt 771
Bella Ethnicorum & Chriſtianorum 305
Bellum quid, & ejus incommoda 297
Bellum ſuſcipientium excuſatio ibid.
Bellum inferri Chriſtiano à Chriſtiano quam indecorum 298
Bella quomodo priſcis & quomodo nunc gerantur 299
Bella unde naſcatur hodie inter Chriſtianos 573
Bellum cauponari qui dicantur 573
Bellum cum Protogene mortuo gerere qui dicantur 476
Bellum umbone propelli, quid 94
Bellus homo quis dicatur 255
βέμβιξ quid 81
βέμβιξ unde turbo dicatur 355
Bene conſulere, ſed male facere, qui dicantur 312.313
Bene facientis proprium 683
Benefactorum memoria quanta 758
Beneficentia nihil homini divinius 590
Beneficii collati memoria immortalis 281
Beneficiorum memoria fragilis 387
Beneficium accipiens perdit libertatem 639.640
Beneficium neminem gratis conferre, & beneficium beneficio provocare 497
Bene nemo non aliquando facit 309.310
Bene qui ominentur 554
Benevolentiæ mater, ſimilitudo 651
Benevolentia pulchra ſcala 559
Benevolentia, quibus concilietur 219
Benignitatis quomodo diſpenſanda 408
Berenices ſervatricis templum 659
βερρίζειν quid 309
Berrhœa civitas 309
Beſtias cur Ægyptii coluerint 509
Biantis dictum 243
Biantis factum 277
Biantis ſententia 40.41
Biantis integritas 435
βιβλιαγράφων cognomentum qui mereantur 355
Bibli quantum amarit fratrem ſuum 51
Bilinguis quis dicatur 359
Bilis animi amarulentia 72
Bilioſi iracundi 774
βίος quid ibid.
Bionis mordacitas 474
Bionis dictum 139
βλακεία 141
Blace piſciculus ibid.
Blanda oratio quomodo à Diogene appellata 358
Blaſphemia quid juxta Paulum 655
βλέννος piſcis unde ſic dictus 449
βλίττειν pro urere 102.103
βλιτομάμμας qua dicantur 148
Bliti qui dicantur 566
βλίτον & bliti 768
Bliterus quid Gallis ibid.
Blitus quid 287
βλωμὸς quid 208
βοηδρομίων quid 174
Bocchus Africæ rex 65.96
Bœotia unde dicta 289
Bœoti cur corporis firmitati quam ingenii acumini magis inſervierint 48
Bœoti cur ὕες dicti 715
Bœoti muſarum alumni 491
Bœoti qualis gens ibid.
Bœtius Solaſter quomodo à Græcis vocatus 259.260
Bœotorum mos immolandi 102
Bœoti quomodo ſacrificent Herculi, 136
Bœotorum mores, & unde dicti 402
βόλβιτον & βόλιτον 113
Bolus quid 109.110
Bombalio quid dicatur 144.145
Bombylius, βομβυλιὸς, & bombylio quid 61
Bombalio, βομβαλιὸς ibid.
βομβαλόμενοι & βομβολοχούμενοι 307.308
βωμὸς quid 120.23
Bona precationis formula 555
Bona hujus vitæ quot 104
Bona malis miſceri 52.53
Bona mundi quomodo à Chryſoſtomo appellata 715
Bona opera quæ dicenda 66[illegible]
Bona ſapientiæ quibus non communicanda 432
Bona valetudo unde 519
Bona vere induſtria paranda 100
Bona ſua noſſe, felicitatis pars maxima 151
Bonorum ordo ſecundum Ariſtotelem 654
Bonos fere pauperes eſſe 153.154
Bonoſus imperator 268
Bonum nulli, niſi cum diſpendio alterius 264
Bonum opus cœptum quam diu reſumendum 201
Bonum unde hominibus proficiſcatur 497.498
Bonus vir Stoicis qui 656.655
βοῶπις Junonis epitheton 744
βοῶπις quid 553
βορβορῶπιν quid 311.312
Bos animal laborioſiſſimum 24
Bos à quibus uno die conſectus 683
Bos arator 214
Bos cibi genus 283
Bos inſigne nomiſmatis didrachmis 32
Bos pro ſtupido 401
Bos olim vocabatur nummus, & quanti valuerit 522.523
Bovem Apollini eſſe ſacrum ibid.
pro bovem divina litera quid intelligant 178
Bovem & aſinum cur non liceat ſub idem jugum mittere 185
Bovem humanam edidiſſe vocem 698
Bovem ſolidum quis voraverit 520.521
Boves aſinis non jungendi 178
Boves Lariſſæi 757
Boves placidi & manſueto ingenio 529.530
Boves quare valeant 680.696
Boum ſimulachrum è farina 135
Boves ſelis, Homeri 766
Boves ſub oculis cornua habentes 58
Bottiæi qui 162.163
βουβαλος quis dicatur 669
βουκέφαλος unde dicti 229
βουλία, βούλιον, βουλαία 153
βούφαγος cur Hercul. 83
βούπαλα 390
βούζυγες ara 613
Braccha quid 61
Brachium exerere qui dicantur 415
Bradeus lenis Herodis Attici ſophiſta
βράδος quis dicatur 669.670
Braſidas dux 464
Braſidæ dictum 726
Braſſica divinationem ineſſe 248
Brenni arrogans dictum 707
Brevis, loca qua 91
Brevitas in oratione virtus ſumma 543.544
Brevitatis gratia quanta 109
Briarei manus in jicere qui dicantur 394
Briareus quis ibid.
Briareus quot brachia & manus habuerit 418.419
Britones populus 307
Bromius quid 136
Bruno Amerbach 33
Bruta fulmina quæ dicantur 394
Brutus quis dicatur 671
Bubulæ veſica uſus in quem finem à veteribus habitus 413
Bubaſtii quale numen habuerint 412
Bubulci quos mores imitentur 530
Bucca edentula quis dicatur 634
Buccolico carmini familiaria qua 4
Bulbi patria 424
Bulbi natura 91.92
Bulga quid 570.571
Bulga quid 565
Bulga quid 100
Bunas quis 681
Bupalus Chius pictor 552
Bupalus quis 475
Buphonia feſtum 157
Burrus Neronis præfectus 290
Buſiritarum mores 721.722
Buſapiſſima 237
Butes Neptuni filius 177
Buttubata quid 130
βυζάντιος quis dicatur 671
Byorigus quis dicatur 671
Byorigus Cymbrorum rex 233.324
Byſſus quid 235
Byzantiis mercatoribus quot capita attribuit Menander 467
Byzantium civitas 461.462

C.

Κακοθηλία quis dicatur 513
Κακοχυμίας qui dicantur 379
κακοζηλία quid 715.716
Cachinnari quid 421
Cachinnones qui dicti ibid.
καχλάζειν 279.290
κακοδαιμονῶν quid 408
κακοί μαγειρ... qui dicantur 416
κακοσιτία 136
Cadaverum ante ſepulturam ablutio 766.767
Caddus, caddiſſare 140
Caddiſcus, caddiſcatus ibid.
Cadere formula, quid 714
Cadmea victoria quid, apud medicos 375
Caco nihil coloratum 112
Cacum amaſſe 50
Cacum quid 495.496
Cacos catulos quæ animata pariant 239
Cacum quid dicatur 151
Cæcutire, connivere, hallucinari 651
Calis ſecundi dictum 518
Calius Calcagninus 389
Calius Rhodiginus taxatur 461
Calius Rhodiginus taxatur 461
Cælum pro regione 7
Cœna olim canaſtris inferebantur 600

Cœnæ olim quibus cibis incepta & quibus finita 10
Cœnarum epiparum nomina varia 457. 458
Cæus inſula 690
Caiapha concilium 312
καινοτέρως quid 533. 537
Καισὰς deus 546
Caja Cæcilia qualis mulier 767
Cajus Scipio Naſica cur optimus à Senatu appellatus 194. 195
καλαμαία cur πάνυ καλαμαία dicta 601. 602
καλαμαία ubi naſcatur ibid.
Calabri pyris divites 139
calamitas cur àruſticis grando vocetur 298
Calamitas nulla, ſola 325
Calamitas virtutis occaſio 567
per Calamitatem quid intelligendum 601. 602
Calamitoſum virtutem deſpicere, turpe 144
Calamitoſiſſimum quid 457
Calauria inſula 569
Calcaria quibus animalibus 503
Calceos mutare qui dicantur 191
Calcibus protervere 711. 712
Calculo candido qui notari ſoliti 57. 104
Calculum parem ponere 568
Calculorum apud priſcos ratio 58
Calendas non eſſe Græcis 538
Calicis primi, ſecundi & tertii mixtio olim qualis 571
Calidum pro audacia 699
Caligula natandi imperitus 284
Caligula judicium de ſtylo Senecæ 753
Callias quis 00
Callicrates Cariſtius 214
Callicyrii qui 679
Callidior ſinapi quis dicatur 356
Callidorus adoleſcens 484
Callimachi dictum 649
Callimachus Cyrenæus poeta 476
Callipedes qui dicantur 683
Callipedes tragœd. 681. 682
Callippus occiſor Dionis 482
Callirhoes fons Athenienſium 232
Calliſthenes philoſophus & rhetor 667
Calliſtratus Athenienſium Princeps 750
quid inſtituerit ib.
Calliſtratus orator 100. 101
Καλλιβίαντος quid 769
Calphurnius Lanarius quis dicatur 407
Calumniæ imago 399
Calumnia enſe acutior 233. Igne ardentior. ibid. Sirenibus ad perſuadendum potentior ibid.
Calumniatores cur omnia venalia habere dicantur 158
Camaria, palus & frutex 489
Camarinorum familia 737
Camelus aſſus calidus Regi Perſarum appoſitus 470
Camelus, animal. ſaltationi ineptum 170
Campana ſuperbia quid 60
Campani cur ſuperbi ibid.
Campaniæ felicitas 60
Campaniæ luxus 61
Cancer exuit ſenium 561
Cancri fabula 529
Cancrorum teſtis navigari 430
Candidati Cæſaris qui dicantur 604
Candidati qui 174
Candido calculo qui notari ſoliti 104
Cane impudentior quis dicatur 316
Cane milite pejor quis dicatur 624
Cane nihil invidentius 625
Canes cur ſagaces dicantur 610
Canes quibus terreantur 320
Canes quomodo ad gignendum acriores reddantur 46. 47
Canes aliquot ſuos heros ſervaſſe, & ſceleratos prodidiſſe 717
Canes philoſophi 282
Canis marinus, piſcis voralis 675
Canibus honos habitus à dominis 181
Canib. oſſa prodere quis dicatur 448. 449
Canino more vivere qui dicantur 69
Canis clanculũ mordens quis dicatur 660
Canis impudentia 334
Canis nomen cur Diogeni impoſitum 625. 626
κανῆς quid 575
Canopus Ægypti opidum 466
Canum celeritas 244
Canum tria genera 361
Canes cur infeſti mendicis 266
Canum varius uſus, & varia genera 361
Canere ad citharam 322
Canere foris & intus quid 602
Canendi mos in conviviis qualis apud antiquos 371
Cancio pro nuncio 697
Cannacus Rex 38. 39
Cannacus ſtatuarius ibid.
Cantharus impoſtor 351
Cantharides quid 138
Canthatelethrus locus 723
Cantilena pro oratione 382
κανοῦν 60. 61
Capaneus cur fulmine percuſſus 492
Capaneus quid ſe facturum gloriatus 563
Caper cur Libero mactetur 521. 522
Caperare unde dictum 442
Capius Peraroncho uxoris ſuæ leno 697. 698
Caphareus Euboicus ſcopulus 153. 154
Capillos evellere 166
Capitales qui dicantur 370
Capita linariarum gerere qui dicantur 671
Capitellum imponere 574
Capite retrogradi qui dicantur 433
Cappadocum gens improba 154
Caprarii quos mores imitentur 530
Caprarum nomina qui recenſere dicantur 142
Capra omnibus plantis noxia 177
Captanda auditorum benevolentia, proœmium omnis actionis 558
Capua cum Roma de principatu contendit 61
Capua dignus quis dicatur 466
Capuani à quibus cæſi 680
Caput rei quid 29
Caput tegere qui dicantur 615
καπυρίας quid 372
καρδάζειν, καρδαίζειν, καρβανίζειν 136
Carbonum durabilitas 269
Carbone notari 614
Carcinus impiger & ſtrenuus dux 93
Carcinus poeta 375
κάρκινος quid 543
κάρδακες qui 227
Cardami ſive naſturtii natura 553. 588
καρδαμίζειν unde dictum 44
Cardine verſatilior quis dicatur 355
καρδοπεῖον quid 143
Cordopus quid 456
Carduos pro lactucis olim appoſitos fuiſſe 644
Cares 643
Cares Bœotiæ populi 143
Cares cur βαρβαρόφωνοι ab Homero appellati 372
Cares cur male audierint 140
Cares incertæ originis eſſe, & quales ſint 218. 372
Cari ad legatos Regis Perſici dictum 504
Carica ſaltatio 136
καρίδες ſeu καρίδας quid 615
καρμαρίζειν qui dicantur 145
Carinus juvenili in ætate trucidatus 504
Carmenta cur ſic vocata 39
Carminibus traducendis multum ſibi permiſere antiqui 454. 455
Carminum menſuratio per digitos 200
Carni condimentum, ſal 25
Carnium eſu quomodo Pythagoras interdixerit 675
Carnium ſagina & vinum qualem reddãt animum 268. quid adjiciant corpori ib.
Carni ferina peculiare quid 44
Carognia quis dicatur 145
καρωνία quid ibid.
Carolus Burgundiorum Dux 638
Carolus octavus Galliæ Rex ibid.
Carpathus inſula 492
Carthago quomodo à Naſica appellata 00
Carthaginenſ. puerorum ænigma 204
Carus Imperator 504. in expeditione Perſica oppreſſus ibid.
Carus pater filii perditiſſimi 504. militaris laboris frugalitatiſq; patientiſſimus, ibid. ſenex optimus ibid.
καρύκη quid 193
Caryca poetica quid ibid.
καρύκη quid 510
καρυκεύειν ibid.
καρυκεύειν, καρυκοποιεῖν ibid.
καρυκεία ibid.
Caryca quid ibid.
Caſnar quid Oſcis 645
Caſſandra fatiloqua cur Teucris vocata 555
Caſſandra quomodo à Tryphiodoro appellata 316
Caſſiana judicia 435. unde dicta ibid.
Caſſii Severi jocus 7
Caſſius mons 351
Caſſiterida inſula 442
Caſtor & Pollux Iovis filii 95
Caſtoris & Pollucis nativitas 254
Caſtrenſium mores 577
κατὰ χειρός 47
καταπυγοσύνη quid
καταπυγὼν quid 709
κατωφαγᾶς 600
καταστοιχεῖν quid 122. 123
Catilina qualis 350
Cati cur corculi cognominati 610
Cato Uticenſis 764
Catones duo 738
Catones qui dicti 197. 198
Catonis majoris de Scipione minore dictum 187
Catonis dictum 599
Catonis factum 637
Catonis auctoritas 180
Cato Cenſorius quater & quadragies in jus vocatus ſemper eſt abſolutus 113. 114
Catonis Cenſorii dictum 604
M. Cato quot ſervos in militia habuerit 66
Cato quantum potuerit 193
Catulus leonem allatrans 13
Catulus Luctatius 44
caudam inter crura ſubjicere qui dicantur 317
Caudam trahere qui dicantur 68
Caudex quis dicatur 73. 74
Caudices qui dicantur 671
Caunus Cariæ urbs 711. 51
unde dicta 51
Caunus cur laqueo ſibi mortem conſciverit ibid.
Cauſarum actio ad aquæ modum 677
Cauponis induſtria 678
Cauſa ingratitudinis, avaritia 617
Cauponari bellum qui dicantur 523
Cautio triplex in omni actione 704
Cavum pedis oſtendere qui dicantur 769. 770
καῦαξ & κηΰξ avis 239
Cecides poeta dithyrambicus 61
Cecrope generoſior quis dicatur 535
Cecrops Ægyptius ubi regnum adeptus 535
Cecrops Athenienſium Rex 196
Cedere ſtomacho 469
Cedri ſuccus qualis 181
Cedri arboris natura 194. 195
Cedrus arbor qualis 282
Coi magiſtratum inituri epulum populo exhibebant 704
Celeus Rex Eleuſinæ 748
Celeris & prompti ingenii quis dicatur 259
Colex quid 586. 587
Celtica audacia 568. 569
Cenſores qui Romæ dicti 65
Centauri 90
Centaurice fieri quid dicatur 19
Centaurorum iniquitas 710
Centones quid 277
κέντρωνες ibid.
Cephalus quomodo uxorem interemerit 97
κεφάλαιον quid 110
Cephedius orator 433
Cepphe qualis avis 352

κεκρυφαλῶν qui dicantur ibid.
κίκφος avis 270
Cera & ara nobilis quis 535
Cerastes quid 345
κερκυρὲλ@ quis dicatur 73.74
ceratarum tabellarum uſus apud antiquos 57.58
Cerberus canis niger 314
Cerberus triſaux 520
κέρκωπες qui dicantur 356
Cercopes qui 207
κερκωπίζειν quid 356
Cercops quis dicatur ibid.
κέρκωψ quid ibid. & 356
Cercyreorum ſeditiones 506
κερδύλλι@ quid 608
κερδῶ quid ibid.
Cereales cœna qua & unde dicantur 446
Cerebri eſus apud Athenienſes abominandus 143
Cerebri vitioſa conſtitutionis indicia 671
Cerebrum capra comitialibus prodeſſe 376
Cerebrum non edendum 773.774
Cereris ſaxum 439
Cereris & Proſerpina templum 629
Cereris ad Triptolemum dicta 367.368
Cerites à Romanis ſubacti 594
Cerites tabula ibid.
κέρκ@ quid 488.489
Cernuare quid 236
Ceroma quid 323
Certum ponere, difficile 597
Cervicoſus quis dicatur 667
Cervix quid ibid.
Cervi quomodo cornua abjiciunt 539.470
Cervi pernicitas in curſu 692
Cervi quando auriti & quando ſurdi 745
Ceſcus civitas 711
Ceſſare qui dicantur 549
Ceſtius contemptor Ciceronis 40
κεστρεύς, κεστρεῖν 235
Ceſtrina Chaonia pars ibid.
Ceſtus baltheus Veneris 294
Conciliandæ gratiæ efficaciſſimus ibid.
Chærephon tragicus cur noctua dictus 44
Chalcantis vitium 262
χάλκεος 594
Chabria dictum 354
Chalcidenſium vitia 57
Chagantus Scytharum ductor 542
Chamæleon qualis 344
Chalcas vates 730
Chamæleontis natura 344
Chamæleontem imitari qui dicantur 561
Chamæleontis natura ibid.
Cham Noe filius cur Zoroaſtres dictus 703
Chara qua ſint 131.132
χαρακτὴρ quid 650
χαράδρα quid 48
χαραδριός, χαραδριὸν 618
Charadrium qui imitari dicantur 60.61
Charadrius avis qualis 59
Charadrius unde dictus 60.61
χάραξ quid 513
Charetis dictum 737
Chares Athenienſium dux 471
χάρις quid ſignific. 447
Charitas Chriſtiana 590.591
Charitatem à ſeipſa proficiſci, Theologorum proverb. 603
Charitum deſcriptio 657
Charixena poetria fidicina 37
Charmani χαλκοφάγοι 489
Charon inferorum portitor 384
χάρων quid 384
Charonitarum cognomen quibus apud Romanos tributum 20
χάλλ@ quid 512
Charybdis qua 494
χειρίδωτοι veſtes 458
Chelidon Theolog. 185.688
χελώνη numiſmata 473
χέρνιες qui vocantur 145
χερνὶς quid ib.
Cheſippi qui dicantur 750
Chis ſervus traditi 485
Chilon Demageti filius 110
Chilonis apophthegma 312
Chilonis Lacedæmonii dictum 671

Chilonis ſententia breves 180
Chilonis apophthegm. 478
Chilonis Lacedæmonii præcepta 472
χηνεία quid 216.217
Chimera interitus 96
Chiorum vitia 350
Chiorum licentia 451
Chius talorum jactus 648
Chiorum exemplum 465
Chiorum more vellere qui dicantur 466
Chiorum ſcurrilitas 248
Chiron educavit Achillem 494
Chiron vulneratus 494
Chiſius publicanus pecunioſiſſimus 87
Chium & Thaſium vina nobiliſſima 63
Chiron medicus 495
Χλαῖνα qua veſtis 240
Χλαῖνα καὶ χιτὼν 602
Choa quid 316
Chœnix Pythagorica 628
Chœnix quid 629
χοῖρ@, χοιροπωλῶ quid 57
Chordarum muſicarum inventio 271
Choros tragicos qui agre ferre dicantur 236
Choſroes Rex Perſarum 66
Χοινίκαν quid 692.693
χόρια quid 108
Chrematra quid 38.39
χρεωκόποι qui dicantur 660
χρυσὸς quid 28
Chriſtus amicitiam cum ſuis poculo conſecravit 124
Chriſtophorus Fiſcher 96
κιτηλιὸς, κιδάλιος 307
χρό@ quid 383
χρυσήλατα pocula 458
Chryſippi acumen quale 46
Chryſippi φιλαυτία 187
Chryſippeum acumen pro ſtupido 50.51
Chryſippum ter elleborum in vita bibiſſe 50
Chus ſive Choa quid 314
Chuſſia provincia à Græcis quomodo appellata ibid.
Cibi ſumendi nulli horam præſcriptam eſſe quam Regibus 459
cibi ſemper aliquid reponendum prudentes 392
cicada ubi naſcantur 676.677
cicada quibus gaudeant ibid.
Cibyra vel Cybira urbs Lycaonia 311
cibus priſcorum quis 768
cibus principum qualis 763
Cicada poeta ſymbolum 772
Cicada ubi muta 674
cicada natura 491
κικκίνος quid 749.750
civilitas 15
cicada unde vivant 768
Ciceroni nihil addi poſſe 181
Ciceronis loci caſtigati 597
Ciceronis filius patri diſſimilis 556
Ciceronis ſcomma 139
Ciceronis dicturi quis geſtus fuerit 315.316
Ciceroni quid Saluſtius objecerit 20
Cicon Apollinis & Rhodopes filius 158
Cicones Thraciæ populus 158
Ciconia utilitas 590
Ciconia quibus ſacra 720.721
Ciconia quomodo ova ſua ſervent à noctuis 616
Ciconiarum pietas 282
κικοφόλοι quid 79
Cilicum mores quales 596
κιλικίζειν, κιλίκιος, &c. 445
Cilicum qua veſtis 264
Cilliconis proditio & interitus 472
Cimonis Athenienſis laudabile factum 463.464
Cimon dux 352.353
Cimonis fabula 50
Cimonis dictum 109.110
Cinabaris quid 502
Cynadi qui priſcis 498
Cincii oratio qualis 459.463
in cinere ſcribere quis dicatur 337
Cineſias cur Thiaceus cognominatus 43.44
Cineſias Evagora filius ibid.

Cineſias poeta cur φιλύρινος dictus 83.84
Cineſias poeta 169.170
Cur διδύραμβος vocatus 42.43
Cineſia dictum ad Alexan. 560
κιννία 318
κινάβδρα 758.759
cinnamomi ſua violentia 50.51
cinnamomum ſurculus Arabicus ibid.
Cinnarus leno 778
κινῶδα quid 659.660
κύφος quid 314
circe quomodo Scyllam infecerit 494
Circeum poculum 85
circularis figura 570.571
κισσύβια
κισσοφόροι qui 636
ciſtigeri qui dicantur 147.148
Citeria quid apud Romanos 278
citius falli qui dicantur
civiles qui dicantur 469
civilitas quid & unde 551
civitatis tutamentum optimum quod 217
claſſes ſcholaſticorum unde dicta 147
infra claſſem qui dicantur 147
claſſici qui 135.136
claſſici qui dicantur 147
clava cujus geſtamen 534
claudicare qui dicantur 420
claudicare utroq; qui dicantur ibid.
Claudii Cæſaris boletus 282
Claudius Aſellus 51
Claudius Imp 322.323
Claudii Imperatoris ambitio 542
Claudius cur caſtris ſalacior 32
Claudii manticulatus 705
κλωὸς quid 766
clavis trabales quid 121
clavo ſuſpendere 318
clauſis oculis agere vel perſtringere quis dicantur oculis
clauſis theſauris incubare qui dicantur 87
Cleantes philoſophus quomodo cognominatus 89.90
Cleomenes Dux Athenienſ. 502.503
Cleantes Samius 7
Clearchus Heracleus tyrannus crudeliſſimus 197
clementia gloria non affectanda 436
Cleombroti dictum 551
Cleon cur ſeipſum κυνικὸν appellarit 316
Cleon Athenienſis 407
Cleon bos 174
Cleones Athenienſis quomodo ab Ariſtophane nominatus 280
Cleonis Thebani cantoris ſtatua 191
Cleopatra Ægypti regina 414
Cleophora quis ... quo natus ibid.
Cleopida unde dicti 565
clepſydra uſus 316
clibanus quid 505
clibanorum inventio ibid.
clibanorum uſus 46
Clitarchus quomodo à Dionyſio Longinus vocatus 770
Clypeorum pictura 603
clypeus Argivus qualis 62
clytemneſtra Agamemnonis uxor 318. cur à Caſio quadrantaria appellata 319
κνῆφοι & κνίπες 82
cnips animalculum quale 345
κνιπολόγος quid 750
coarmentari 44
coccyx qua avis 363
cochlea unde victitent 181
κόχλ@ quid 319
coctum quid 355
Codri generis qui dicantur 634
Codri qui dicantur ibid.
Codrus Athenienſium Rex ibid. & 196
Codrus Melanthi filius ibid.
Codrus pro patria mortuus 594
cœli filii qui 144
cœlo animum ferre qui dicantur 148
De cœlo cadere vel venire quis dicatur 194
de cœlo detracti qui dicantur 195
in cœlo eſſe qui dicantur ibid.
cœna Auguſti Cæſaris quomodo appellata 161

cœna recta quæ dicatur 219
cœna Timonis 70
cogitatio aſſidua cor exulcerat 664.665
cogitatione nihil inſtabilius 345
cognatum pauperis reperire, difficile 567
cognitio Dei ſupremus theſaurus 546
cognoſcere per omnes numeros 178
cognoſcere ſeipſum prudentia 513
κοιτωνίον 42
coitus unde dicatur 309
collegium trilingue Lovanienſium 293
colloquia formant animos 517
colloquiis eruditionis ſale conditis animus paſcitur 232
collo valido præditi qui dicantur 69
colluviares qui & cur dicantur 470
κολακώδης quid 166.167
κολακευτικὴ quæ 111
colores naturales duo 430
coloſſi quid 525
color quid 112
coloſſica quæ dicantur 192
columen quid dicatur 182
Columella quid ibid.
comam ſtupidis circumtondere moris 768
comam qui aluerit apud Lacones 176 177
κομμάζειν quid 15
Combe heroina centum liberorum mater 152
Combita quale habuerint numen 412
comicorum proprius iocus 65
κωμικὸς κόσμος quis dicatur 689
comitia Romanorum 205
Comitiales qui dicantur 624
in comitiis præterire qui dicantur 618.619
comma numiſmatis genus 307
communia eſſe omnia bonis viris 42
communitas Platonis & Pythagoræ ibid.
comœdia veteris liber 449
κῶμος ſaltatio 443
κωμῳδιοδιδάσκαλοι qui dicantur 453
comœdiam Græcorum, excepto Ariſtophane interiiſſe 331
comœdiarum actus quot 265
comœdice pro ſuaviter 375
κώμαρος, κωμαρεῖν, κωμάζειν 62
computatorum digiti qui dicantur 265
computus olim in digitis peragebatur 499
κῶν quid Cares vocent 187
conando quid perficiatur 122.123
conceptis verbis iuraſſe qui dicantur 250
conchas legere qui dicantur 229
ex concoctionis impotentia quid naſcatur 277.278
conditio humana rebus ancipitibus obnoxia 341
concordia quare contineatur 435
κόνδυλοι pro plagis 350
conferre capita quid 44.45
congerrones qui dicantur 703
coni quid 648.649
conjectura quando locum habeant 24
κονιᾶν quid 488
conjugium unde dictum 309
Conna quis 741
Connus γεροντοδιδάσκαλος 00
Conon dux 38
Conradus Goclenius 586
conſcientia quid 501
conſcientia bona fidendum 480
conſcientiæ vis quanta 502
conſcientia pectoris teſtis 248
conſcientia ultrix 501
conſcientiæ quanta vis 500
conſcii animi iudicium 186
conſilii tempus quando conferendum 129.130
conſiliis dux, miles manu 624
conſiliis dandis qui idonei 33
conſilium quando non præcipitandum 770
conſiliorum inventrix neceſſitas 567
conſilium ubi naſcitur 597
à Conſortio malorum cavendum 609
Conſtantini Imperatoris dictum 558
Conſtantius delationibus gaudebat 112
Conſtantinopolis
conſuetudinis potentia 517
quorum conſuetudo vitanda 295
conſultandi ratio 202
conſultatio quid deſideret 235
contatio quando damnoſa 770
in contexendis machinis qui præſtantes dicantur 349
conticinium quid 238
continere bovem utroque cornu 260
contracto ſinu quis dicatur 108
contrariorum ars eadem 746
contrariorum figuras pleraſque eſſe proverbiales 556
contumelia ara 316
converſatio aulica Philoſophia contraria 104.205
conviciator ſe laqueo præfocavit 141
conviva rogatus ne tarde veniat 682
convivarum quorundam ruſticus pudor 614
in Conviviis nullum odium manib. exercendum 553
in Convivio pauca loquenda 522
conviviorum fabulæ olim 278
conviviorum genera tria 488
conv diſtribuendorum mos 82
conum quale inſtrumentum 648
Coos inſula qualis 278
κῶος quid 259 260
κοπίαι 659
copia faſtidium parit 616
κοπὶς convivium 26
coquos eſſe dicaces 473
coquos non lædendos 00
Coracon locus 374
corbita à quo inventa 287
corbita quid ibid.
corbitare quid ibid.
corbita unde dicta ibid.
corbita naves 55
Corabus Mygdon 669
Corchorus unde dictus 148
Corchorus herba qualis 134
cor craſſum habere quis dicatur 56.57
corculus quis dicatur 610
cordati pro prudentibus 480
κάρδαμον quid 193.194
corda quæ dicantur 146.147
κόρδαξ ſaltatio 443
corde amare 250
ex Corde dicere ibid.
cordi qui dicantur 146.147
Cordis virtutes & vitia ubi contineantur 149
Cordus quid 225
Corinthi portus, templum Veneris, meretrices 166
Corinthi opulentia 730.731
Corinthi portus duo 208
Corinthiaca capta 492
Corinthia opera laudatiſſima 232
Corinthia ſcorta ſcriptis nobilitata ibid.
κορινθιάζειν quid id id.
Corinthus lumen Græciæ 48
Corinthus urbs quomodo à Cicerone vocata 196
Corinthii ſervos ſexies millè poſſederunt, & cur χοινικομέτραι dicti 628.629
Corinthiorum luxus 600
Corinthiorum regio qualis 71
Corinthiorum urbs à Romanis everſa 34
cor leonis unde fortiſſimum 611
Cornarius vir doctiſſimus 426
P. Cornelius Rufin. 52
Cornificii poetæ dictum 695
Cornix quomodo nidum ſuum ſoleat luſtrare 592
Cornix qualis avis 572
cornu bovis quid ſignificet 264
cornu pro faſtu 59.60
cornua ſenſu carere 70
cornua quando beſtiis pruriant 410.411
cornuta beſtia quæ 134
cornutus ſyllogiſmus ibid.
cor occæcatum habere quis dicatur 611
cor ubi ſedem habeat 549
ſine corollario non recedere qui dicantur 604
corollarium unde dictum ibid.
Corona ex virgulis oleaginis cur dona 182
Corona Principum qualis 183
Coronea civitas 12.13
κορώνη quid 578
coronis quid ibid.
Coronis quid ibid.
coronidem imponere, quid 574
Corpora inanima cur pro diis habita 590
corporis humani conſider. 795 296
corpus vividum & opime paſtum quid adaugeat 268
corpus unde 717
κόρυν qui dicti 467
Corſica quæ olim Cyrnus 712
Corticeus quis dicatur 770
Corvi qui dicantur 283
Corvi in ſacris literis qui dicantur 437
Corvos ſequi qui dicantur 319
Corvus ſalutator 323
Corvi locus 374
Corvinus proprii nominis oblitus 548
Corycon urbs 157.158
Corycus Ciliciæ urbs 22
Corydus avicul. qualis 134
κορυνηφόροι Sycioniorum 485
Coryphæi qui dicantur 190.191
Coryphæus quid ibid.
Cos inſula cur Meropis appellata 358
Coſas vir conſultus, & iuſtus 129
Cos inſula ferax 85.86
κοσκινομαντεύειν quid 561
κόθορνος, κοθορνίζειν & κοθορνώδης 462
κόθορνος quid 617
cothurnus quale calceamenti genus 353
cottabus quid 150
Cottabus poculum 460
coturnicum natura 64
coturnix cur Herculi à Phœnicibus immoletur 590
coturnix qualis 174
Cotyla quid 293
κοτύλη quid 768
cotytia quid 79.80
Cous talorum iactus 350
Crabro quale animal 438
κράδαινε quid 83
κράδη quid 380
crambe herba 679
crambe vicus ubi ſitus 580
Crantor rhetor 700
crapula quid reddat 268
quid concilies ibid. quid item oblitteres ibid.
craſſa & opima ſagina quæ obnubilet 268
Craſſus cur Agelaſtus dictus 421
M. Craſſus 585.589
Craſſi dictum 213
Craſſi riſus 644
crater ſecundus & tertius quibus ſacri 614
crater ἀγαθοῦ δαίμονος 42.43
crater quale poculum 742
crater Philotheſius 124
Crates Thebanus aurum in mare abiecit 373.374
Crateris dictum 239
Cratéva Theſſalus 717
Cratini comici iocus 669
Cratini timiditas 691
κρατὴς quid 602
κρίζω quid 492.493
cui credendum 456
Creſſa nota apud Horatium quid 57.58
Cretenſes mendaces 313
Cretenſium feſtum 277
κριβανίτης panis 472
cribrà ex qua fiant materia 292
crimina diluere, pro purgare 108
crinibus nudati qui dicebantur 163
κρήμνοι qui 316
κρίκος quid ibid.
Criſonis celeritas 329
criſta pro alacritate 59.60
κροαίνειν quid 445
κρηπὶς quid 152
Crobylus leno 644
κροκιδίζειν quid 28
croci natura 623
crocodilus animal homini infenſiſſimum 142
Crœſi divitiæ 154
Crœſus Indorum Rex 107
Crœſus Lydorum Rex 21

Crœſus Cyrum in ſe provocavit 485
Crœſi dictum 28
Crœſum Epheſiis literis in rogo uſum fuiſſe 302
κρόνος & χρόνος 110
κρόνος quid 363
κρονόληρος 110
Cropida populus quid 565
Cropida unde dicti ibid.
κρούματα qui dicantur 512
κρώζω quid 279
Croton 624
Crotonis ædificanda oraculum 526
Crotoniata pugiles 186
κρώζειν quid 276
Cruciari qui dicantur 729
Crudi qui dicantur 303
Cteſiphontis pancratiaſtæ ſtultum facinus 329
Cubilia veteribus qualia 563
Cubitis adoleſcere 511
Cubitus quid ſignif. 598
Cuculus avis 363
Cuculus quare cum reliquis avibus commercium non habeat ibid.
Cucumeris eſus quid excitare poſſit 463 464
Cucurbita glabrior quis dicatur 634
Cucurbitæ ſalubritas 625
Culex beſtia qualis 23
Culleus quid 362
Culpa damnoſa 491
Cumani quales 283
Cumanorum fabula 635
Cuncta ſcire, res jucundiſſima 159
In cuneis ſedere quis dicatur 147
Cunguiſta Tartari commentum 125
Cupidinis laudes 601
Cupiditas animi morbus 39
Cupiditas avara mentis infinita 88
Cupiditas avarorum formicarum vitæ ſimillima 93
Cupiditas immodica 88
Cupido cur cæcus fingatur
Cupidum non eſſe, quid 602.603
Cupreſſi natura 337
Cura rei familiaris immodica, rei divinæ non admiſcenda 773
Cura quorum prior, quorum poſterior [illegible]
Curatio humana in quot partes dividatur 56
Curatores quibus dentur 403
Curioſitas quid 42
curioſitas & garrulitas germana vitia 277
Curioſitas verborum vitanda 110
Curioſitas & garrulitas, vitia germana 71
Curioſitas vitium deterrimum 39
Currere quando natura dicantur 579
Currendi per haſtas intentatas ſupplicium 208
Curriles medici qui dicantur 193
Curulus quis dicatur ibid.
Cyathus quale poc. 742
Cyathus à propinante acceptus quid efficiat 43
Cybeles cur viritatem amiſerit 318
Cybeleſius circulator quis dicatur 312
κυβιστᾶν quid 360
Cybindus avis qua 720
Cyceon potio qualis 579
Cyclaminum ex Halenti fluvio effodere quibus jubebatur 670
Cycleborus flu. 117
Cyclopes cur Cercopes dicti 354
Cydnus fluvius 470
Cydon Corynthius 284
Cydonis Corynthii laudabile factum 284
κύκλος, κυκλίζειν 113
Cygni canori 178
Cygni quando canant 231.21
Cylon Athenienſis cur à Thucydide Olympionices vocatus 312
Cylones qui dicantur ibid.
Cylonis interitus ib.
κυμῖνον, κυμινοπρίστης 81
κυμινοκύμβιξ ibid.
κύμινον quid 626
Cynadra quid 452
κυνάγχη quid 520
Cynea dictum 326
κυνῆ pro galero 500
Cyniſca Lycæ amaſia 44
Cynice vivere qui dicantur 88.89
Cynici cur canes cognominati 623
Cynici qui dicantur ibid.
Cynicorum Philoſophorum victus qualis 88
κυνοῦλκοι qui 316
Cynocephali quale genus hominum 475
Cynoſbatos quid 185
Cynoſura 126
Cynus Neptuni fil. 570
κυνῶπις quid 378
Cyrene διὰ τὸ μαλακὸς 346
κύρβις quid ſignific. 188
Cyrnus quid 379
Cythnus ibid.
Cythnus inſula ibid.
Cytherea cur Venus dicta 371
Cythnus inſula ibid.
Cyziceni qualis populus 614

D.

DÆdalus quomodo Augeæ fures deprehenderit 40
Dædalus Cretenſium manus quomodo effugerit 359
Dædalus quam artificioſus plaſtes fuerit 348
dæmones cur invidi 353
dæmonum corpora qualia 572
Daiphantus quis 223
δαῖτρος quid 596
Damaſcus oculus orientis 48
Damaſcus urbs quomodo à Iuliano vocata 196
Damaſcus ab Hercule præcipitatus 477
Damianus Epheſius orator 634
damnare quod neſcias, temeritas 431.432
damnatis quid ante ſupplicium licuerit 373
damnatis tria deferri ſolita 376
Danaidum fabula 377
Danaidum puellarum fabula 391
Danai filiæ cur fingantur apud inferos ſitulis perſtillantibus aquam haurire 334
danunt pro dant 606
Daphita Grammaticus cur cruci ſuffixus 207
Daphnis cur inter paſtores primus extiterit 193
Daphnis Mercurii amaſius ibid.
Daphnis unde nominatus ibid.
Daphnis unde prognatus. ibid. ex quibus nutritus ibid.
Dardanarii qui, cur, & unde dicantur 703
Dardanæ artes unde dictæ 306
Dardanidarum fœmina cur liberos in amnem profundiſſimum demerſerint 258
Dardanus magus inſignis 306
dare auribus, quid 735.736
dare manus, quid 708
dare panſam 761
Darii laudabile factum 409
Dario quis potus ſuaviſſimus 445
Darii teſtimonium de Zopyro 214
Darii dictum in Hyſtranum 347
Darii Dux Regis Perſarum 97
δᾶος quid [illegible]
Daſypus quid 19
data pro donis 449
Datamis prudentia 747
Datylus quis 99
Davidis Epiſcopi Trajectenſis acutum dictum 536
Debacchationes per noctes quid minentur 209 210
debere quam miſerum 734
debitores olim vincti tradebantur creditoribus 206
decretum quid 152
Decumana unda 378
decus hominis, ingenium 72
definitionis perfectæ partes quot 1
defraudare genium ſuum quis dicatur 89
defunctorum monumenta quomodo coronabantur 104.205
defunctos vita ter acclamatos antiquitus 322
Degumiare quid 148
Deglubere quid 79
δειπνίδιον ſive δειπνάριον quid Græci vocent 279
δειπνολόγοι qui dicantur ibid.
Dei appellatio nemini communicanda 58
Dei cognitio ſupremus theſaurus 549
Dei Eccleſia quot monſtris oppreſſa 19
Decide poſſeſſione 385
Dei metus, ſapientiæ initium 11
Dei regnum ubi 633
δῆτα quid 716
Dejotari dictum 637
in Deliciis eſſe 208.209
Deli emporium 596
Deliciæ olim magna in ſoleis & calceis 34 44
Delineare quid 255
Delirare quid proprie 527
Delirare, quid 729.730
Delphi quomodo Æſopum tractaverint 726.727
Delphini ubi vivant 190
Delphica umbra 325
Delphica ſacra immolans, ipſis veſcebatur 524
Delphini celeritas & natura 242
Delphinos lædere nefas olim 728
Delphini erga hominem amor ibid.
Delphinus piſcis prævalidus 151
Delphinus piſcis qualis 150 151
unde moriatur ibid.
δελφὶς ſeu δελφὶς quid 87
Demades orator 265
Demetrii ad libertinum dictum 312
Demetrii Phalerei dictum 260
Demetrius cur Poliorcetes cognomento dictus 113.114
Demetrius Grammaticus Adramytenus unde dictus fuerit Ixion 355
Demetrius Phalereus cur χαριτοβλέφαρος dictus 273
Demetrius Poliorcetes 476
Demetrius Scepſius 704.705
Democratia monarchis inviſa 728
Demiſſi qui dicantur 590
Democriti qui & unde dicantur 626
Democritus Abderitanus 279
Democritus cur Geleſinus dictus 626
Demonactis dictum 407
Demophilus præſul Conſtant. 105
Demoſthenes cur Æſchinem Oenomaum vocarit 30
Demoſthenica vehementia 609
Demoſthenes Batalus & Argas nominatus 685
Demoſthenes deſertor accuſatus 703
Demoſthenes Dux Athenienſium ſtrenuus 118
Demoſthenis δεινότης 520
Demoſthenis quæ elucubrata fuerit oratio 200
Demoſth. ſ[illegible] 707
Demoſthenis tergiverſatio 72
Demoſtheni nihil demi poſſe 573
ad denarium ſolvere, quid 436
dentale quid 405
denſum veſtimenti genus unde dictum 148
dentem genuinum infigere qui dicantur 114
dentes dentire qui dicantur 236
dentes quando naſcantur pueris 405
dentiſcalpa ex quibus 411
à Deo auſpicium captandum 103
Deo invito nihil conandum 106
Deo nihil obſcurum 580
Deos abſentes teſtes facere qui dicantur 577
depellentes dii qui dicantur 555
depiles qui dicantur 16[illegible]
deplorata Reſpublica quæ dicantur [illegible]
deplorati qui dicantur ibid.
Depontani qui 617.618
Dercyllida legatio 461
Dercyllidas cur Siſyphus dictus 310
deſertoris nomen 703
deſignare, quid 533.537
deſpicere unde dictum 165
deſultoria amicitia quæ dicantur 52
de-

Deſultorium quid, & unde dictum ibid.
Deteſtationes quædam apud veteres publica 104
δειλώτερος κτλ. 119
δεινοπαθεῖν 189
δεινοπαθοῦσαι ibid.
deterioris nota homines qui dicantur 634
Detonſi qui dicantur 163
Deucalion Promethei filius 585
Deorum ſtatuis cur vincula iniecta olim 72
Deos octo eſſe qui ſumma rerum imperent 572
Deum nec intelligi nec cogitari poſſe 65
Deum quid exiſtimarit antiquitas ibid.
Deum inuocantes cum quibus commercium habere debeant 715
Deorum ſtatua cur ſupinis manib. fingantur 521
Deus quis dicatur 95
Deus duplex apud Ægyptios 590
Deus nec iuuare nec lædi poteſt 330
Deus cur Chuſum atro colore naſci voluerit 314
Deus non eſt delector perſonarum 177
Diagramma quid 647
Per diametrum opponi, quid 204
Diana quomodo à Iunone appellata 316
Dialectica quomodo à Platone definita 480
Dialectices commendatio 132
Diametrus quid 175
Diana fabula 446
διάστασις 573
Dibaphon quid 683
Dicelicta quid 681.682
δείκηλον ibid.
Dicelites qui dicantur 279
Dicendi gratia & pulchritudo, efficaciſſima vincula 466
Dicere ex tempore 89
Dicendi genera varia diuerſis populis 109
Dicis nomen unde deducatur 365
Dicis patrius caſus ibid.
Dictum Antigoni memorabile 559
Didymus Grammaticus Adamantius dictus 696
Dierecti qui 747
Dies cæca & oculata 179
Diem quemuis alicui ſaltem negotio felicem 161
Dies feſti & ſacri qui 4
Dies ſignandi mos Scythis qualis 738 739
Dies quos in paſtiones partitus 369
διεφθαρμένος quid 22
Digitare 752
Digitos prærodere qui dicantur 362
Digni pilo qui dicantur 145
Digni qui cum eis micent, qui dicantur 67
Dignitate carere qui dicantur 147
Dignum venia quid 86
Dii cur felices 390
Dii ex qua materia ficti 136
Dii auertentes qui 555
Dii noſtri qui dicantur 95
Dii poetici qui dicantur 588
Diis immortalib. quomodo ſacrificandum 773
Diis iratis fieri quid dicatur 106
Dii Stoici qui dicantur 5[illegible]
Diitrephes doliares habens pennas de quo dicatur 217
Diitrephes unde ditatus ibid.
Dilatio unde remedium 427
Diligentiam nimiam ſæpe nocere 502
Diligentia triplex 468
δημαγωγία quid 234
Dimicare in iiſdem lineis 212
Dinarchi oratoris locus 394
Dinolochus Comicus 485
Diobolare quid 132
Diocles ὁ διάγ[illegible] 176
Diocles guges 599
Dioclesianus Aprum ſoceri Numeriani occidit 102
Diocledes Abderita helepolium fabricator 465
Diogenis apophthegma 176
Diogenis execrationes 223
Diogenis dictum in ſcorta formoſa 26
Diogenis dictum in Demoſthenem 6
Diogenis dicta 643.227.479.219.24
Diogenis factum 369
Diogenis factum ridiculum 12.13
Diogen. vita doliaris 266
Diogenes qualis à Platone iudicatus 628
Diog. Cynici mors 486
Diomedea equa 531
διομῆς 626
Diomi ſacrificium 374
Dion. Chryſoſtomus quibus diuites onero ſa famulorum turba ſtipatos aſſimilet 219
δίοπος quid 594
δίοπτρα quid 293
Dionyſii edacitas 469
Dionyſii tyranni deliciæ 618
Dionyſius Heracleo Pontica tyrannus 469
Dionyſius Syracuſanus 368
Dionyſii ad cytharœdum reſponſum 168
Dionyſius tyrann. Syracuſarum Corinthi muſicam docuit 263
Dionyſii tonſor cur in crucem actus 581
Dionyſii carmina 374
Dionyſii minoris ebrietas 461
Dionyſius Sicul. barbam auream Æſculapio detraxit 141
Dionyſium actum in Pheraum 140
Dionyſio ius nigrum faſtidienti quid cocus reſponſ. 266.445
διοπετὴς quid 625.624
Diophantis inſtitutum 601
Diotrephes Hippa 341
Diphthera quid 718
Diphili Architecti tarditas 683
Diphilo tardiores qui dicantur ibid.
Diphilus quis dicatur ibid.
Diſcendum quamdiu 560
Diſceſſio quid 58
Diſci iuſtus qualis 162
Diſciplina colenda 774
Diſciplinæ cuique peculiaria eſſe vocabula 265
Diſciplinarum liberaliũ cognitionis quanta vis 296
Diſciplinarum cultores quales olim fuerint 705
Diſciplin. inclinatio & peruerſa tractatio ibid.
Diſcincti qui dicantur 467
Diſcordiarum mater quæ 455
Diſpendium compendio ſarciendum 282
Diſſoluti qui dicantur 467
Diues in omni negotio formidoloſior paupere 691
Diuexatio ſatanica virtutis materia 567
Diuina, collatione noſtra imbecillitatis non æſtimanda 773
Diuina negotia hominum moribus non inferenda ibid.
Diuinarum eſſentiarum & facultatum ſimilitudo quædam & expreſſa imago amanda 773
Diuina ultio gladius anceps 207
Diuini cum eſſent reſponſuri, ſalem & fabam apponebant
Diuinatio unde inuenta 732
Diuinitatis comites 31
Diuites qui 213
Diuiti iuſto quomodo diuitiis utendũ 708
Diuitum arrogantia 584
Diuitiæ deliciarum autores 311
Diuitiæ quomodo iniuſtæ parentur 729
Diuitiæ ſine uſu, inutiles 86
Diuitiarum cupiditas formicarum vitæ ſimillima 89
Diuitum liberis munia Reipub. committenda 614
Diuitias qui aſſequantur 309
Diuortii forma 329.104
Dium Macedoniæ oppidum 768
Diurnum petere qui dicantur 566
Diuus vir Laconibus quis 793
δμωίτης Cretenſium 404
δήμαρχοι Athenien. qui 232
δίκη quid ſignific. 169
Docti qui habendi 276
Doctrina virtutis fons 166
Dodoneum oraculum 481
Dolia Iouis duo 52
Doliares qui dicantur 61.62
Dolium quid 600
Dolichodromi qui 239
Dolor quid faciat 723
Dolor comes voluptatis 62
Domeſticum præconium 248
Domini præſentia quantum poſſit 293
Domitianus quo cibo multos ſuſtulerit 254
Domitiani mos 662
Domit. Chalderinus 585
Domitii Piſonis dictum 575
Domus propriæ immunitas quæ 269
Domi quando manendum, & quando non 270
Domus ornamentum primum 253
Donatiſta 263
Dorcas quid 747.748
Dores in voluptate quid ſtatuerint 59
Dores populus ubi 564
Dorica harmonia canere, quid 59
Dorica muſica inter quos temperata ibid.
Dorice incedere qui dicantur 318
Doricum muſica genus maxime probatum 114
Dormiens nullius eſt pretii 714
δορίαλωτος 521
δορύξενοι 522
δώρημα quid 681
dorycnion herba 50
drachma quot obolorum ſit 317
drachma ſparſio 604
Draconis leges 436
Draco Athenienſis 55. quas leges ſanxerit. ibid. eadem cur ſanguine ſcripta ibid.
Dracones quibus incubent 202
Dracones qui dicantur 664
Dracones vigilantiſſimi 202
Draconi quid ex eſu formicarum contingat 491
Draconum oculorum acies 664
Dracones etiam grates eſſe 726
Draconis & aquilæ diſſidium 720
Draconis erga nutricium amor 721
Dranci vitium 668
Druſus Iureconſultus 222
δρύφακτοι quid 87
δουλείας χιλιάδος 135.136
Ducere ſerram qui dicantur 516
Duo genera veſtium virilium apud Græcos 233
Duræ ceruicis quis dicatur 667
Dureus equus à quo fabricatus 352
Duriter qui habendi 649
durum os quid 706
dux qualis quærendus 764
δουλεία Athenien. 265
δυσπνοία quid 676
δυσφορος 344

E.

Ebria corna quæ dicta 48
ebrietas cur mentem expellerel ibid.
ebrii qui dicantur ibid.
ebrietatis vis 96
ebrietatis remedium 679
ebrii quales 450
ebrii cur loquaces 450
ebrio omnia geminata 467
ἐγγύης quid 369
Eccleſia quid 654
Eccleſia lucrum quod ibid.
Eccleſia ex quibus conſtet 744
Eccleſiam ſuam quid eſſe Chriſtus voluerit 301
Eccleſiæ opes unde natæ, & quantum ei obſint 657
Eccleſia abuſus 301
Eccleſiaſticorum ambitio 657
ἐκδεῖς quid 457
ἐκκλησία quid 765.675
Echetus Anchenoris & Phlogeæ filius 154 Rex Epiri ibid. filiam ſuam cur oculis orbarit ibid.
Echinus parturiens procraſtinat, de quibus dicatur 492
echinus duplex 72
ἐχίνους qui dicantur 432
ἐκφυλλοφορία qui dicebantur 161
Ecſtaticus quis dicatur 654
ecſtaſis quid ibid.
ἐκσκαφή quid 392

ἐκδρομάδες quid 357
ἐκκαρποδίζειν quid 68
ἐκτραχηλίζειν quid 583
ἐκπεριπατίζειν quid 422
ἐλευθεριότης quid 28
effigies hominis & feræ conjuncta, muri inexpugnabilis 625
effrontes qui 316
ἐγχεῖν quid 80
ἔγχελυς quid 143
egentes unde inciti dicantur 132
egestas morum magistra 396
εἰσοδος quid 54.55
ἐλαπίνη quid 527
Elarota 679
elementa præcipua 576
elephantorum partus 681
elephantinus genibus homo quis dicatur 69
elephantis natura 612
elephantis ingeniositas 44
elephantis amor in puellam 721
Eleuſynia magna ſacra 449
Eleuſin ſive Eleuſina, locus Atticæ ibid.
Eleuſinus Mercurii filius 582
climata quæ 159
elimare 151.152
eloquentia famis ſtulti 332
ἕλκος ἕλκος 376
ἐλλέβορος quid 667
ellebori uſus & ſpecies 50
ἐλλεβορᾶν, ἐλλεβορίζειν ibid.
ἐλλόγιμοι quid 675
ἑλωτες Laconum 485
ἔλυμος ἄλυμος 185
ἐμβρόντητοι qui dicantur 670
ἐμβρόντητοι qui dicantur ibid.
emancipati 768
emendatio ſenectutis contumelioſa 690
Emim (gigantum genus) cur Zanzumim dicti 19
ἐμποδάλιον quid 130
ἐμβατήριοι tibia 117
emiſſarii canes 157
emiſſarii qui dicantur 63.64
ἐμμέλεια ſaltatio 443
Empedoclis ingenium 551
ἐμπεδόφυλλος arbor 706
ἐμφιλοσοφεῖν quid 686
emporium Græciæ unde dictum 387
ἐμποδὼν quid 44
emptitii ſervi 155
Empuſa quid 344
Enachim gigantes unde dicti 198
ἐναντίωσις fit duobus modis 4
ἐνιαυτὸς annus 242
ἔγκρυφος quid 70
ἐγκεντρίδες 308
ἐνδιατρίβειν quid 546
Endymionis fabula 664.665
Ennii locus caſtigatus 162
ἔνοικος qui dicatur 567
enthei qui Græcis dicantur 192
Entimo quid reſponderit oraculum 612
ἐνταφιάζειν quid 317
Epaminondas Dux Theb. 65
Epaminondæ dictum 277
ἐπαύλια quid 471
ἐς ἐνιαυτόν 354
ephemera herba 714
Epheſiorum armatura 280
ἐφήμεροι τῷ βίῳ qui dicantur 366
ephippium quid 424
ἐφίστασθαι quid 55
ἐφόλκιον quid 420
Ephorus magiſtratus 688
Ephori quinque Laconum 659
Epicharmi ſententia 181
ἐπιχειλής quid 512
ἐπινεφελίζειν 96
ἐπιχύσεις quid 749.750
Epicratis barba 254
Epictetus duobus verbis humanæ vitæ felicitatem complexus 748
Epicteti lucernula 200
Epictetus Philoſophus Arriani Nicomedienſis præceptor 383
Epicurei qui dicantur 469
Epicuri Philoſophia 25
inter Epibarum & Ganones diſcriminis quid 469
Epigenes Sicyonius 34
ἐπιγλωττίδες quid 473
ἐπίκλητος quid 250
Epimenidis Cretenſis commentum 268
ejuſdem ſententia 586
Epimenidis ſomnus 456
Epimenidem de Philoſophis vaticinatum eſſe 535
Epimetheus quis dicatur 636
Epimetheus quomodo à Pindaro appellatus ibid.
ἐπιψοφίζειν quid 104
Epiſcopus quomodo à Nazianzeno vocetur 232
ἐπισκύνιον quid 659
ἐπιφώνημα quid 217
ἐπιφόρημα quid ibid.
Epiſcoporum donationes 524
Epiſcopi quales olim 653.654
Epiſcopi quales nunc 654
Epiſcopi dignitas quomodo perpendenda 656.655.
Epiſcopi ornamenta ibid.
epitomis autorum quæ gratia debeatur 331
ἐπίτριπτος quid 109
Epodes quid 284
ἔπος unde dicatur 34
epulæ lautiores tibicine præcedente inferebantur olim 461
ἐπιτροχία quid 28
equus Diomedis homines pro pabulo voraſſe 531
equi figura qui dicantur 212
ab Equinis pedibus cur ſecedendum ibid.
equi perniciſſimi à veteribus quomodo appellati 246
equi Probi Imperatoris celeritas ibid.
equi quibus regantur 530
equites quomodo equitare ſoleant 410
equos incitandi modus 358
equorum ferocia quomodo domatur 405
equorum laus quæ 680
equus Trojanus 396
Ἔρανος quid 488
Eraſiſtrati dictum 281
Eraſiſtrati medici de natura dictum 143
Eraſmum qui juvarint libros communicando, dum Adagiorum opus conſcriberet 243
Eraſmum qualis oratio delectarit ſemper 153
Eraſmus quomodo tandem è paupertate emerſerit, & per quem 704.705
Eraſmi patria 407
Eraſinades Dux 379
Eratoſthenes quid inter doctos tenuerint 193
Erebinthi cognomen unde Baccho 137
erebinthus ciceris genus 745
Erebus unde dicatur ibid.
erepta eſſe gratiora 208
ἐρημοδικία quæ ſint 115
Eremodicia ibid.
Erginus quis 631
Erides duæ 705 706
ἐρίδων ἐρίζειν 13
erinaceus 291
Erynnes cur virgines dictæ 718
ἔρκος quid 65
eripere manubrium qui dicantur 632
Eriphia virgo conſenuit 19
Eriſichthon Theſſalus tyrannus crudeliſſimus 197
Eriſichthon 344
Eryſichthonis cognomen 413
Eryſichthon cur αἴθων dictus 751
ἐριθεῖς, ἐρίθολος, ἐρίθακος, idem 423
ἕρμαιον quid 591
errare hominis proprium 518
errare qui dicantur 454
eruca quis dicatur 319
eruditio genuina animi opes 22
eruditio quomodo facile pareretur 674
eruditionem citra laborem non contingere 639
Eruditorum & horum ſtudiis faventium ſortem deplorat 5
ne Eruditum quidem pulverem attigiſſe quis dicatur 303
ἐσκαμμένα quid 577
eſſe, bibere, facere, qui dicantur 414
ἐτυμος quid 413
ἐτὶς quid ...9
ἦθος, affectus qualis 375
Eteoclis erga Polynicem perfidia 724
Eteoclis & Polynicis pugna 725
Ethicæ imagines quæ dicantur 254
Ethice elaborata quæ dicantur ibid.
Etruſcorum convivia quæ dicantur 470
ἑτεροφαλκία
Etymologici autor carpitur 459
Evandri mater Nicoſtrata 39
Evangelii prædicatorum quis apparatus 674
evangelica littera cur plerunque vulgo ſumpſerint 20
evathli cum Protagora præceptore concertatio 557
euclio ſenex avarus 202
euclionis gallinaceum quis imitetur ibid.
eucrates molitor 549
eudamidæ apophtheg. 319
eudoxius rhetor 127
evellere ſibi capillum præ luctu 165
eventus ſtultorum magiſter 635.636
eventum cui non imputandum 435
εὐήθεια quid 752
eumeli equis magis conſimiles qui dicantur 649
eumelius Admeti filius ibid.
eunica puella 270
eunica puella civilis 535
eunus ligurritor quomodo ab Auſonio vocatus
εὐφημεῖν in ſacris 532 734
euphorbi paſtoris ſacrificium 169
euphorionis Colophonii poetæ locus 504
εὐφρόνη nox cur 119
εὔχλοον quid 413
euripi æſtus creberrimi 262
euripidis æmuli 717
euripidis mors ibid.
euripidis tautologia 678
euripiſtos quis 545
euriſionis inventum & interitus 487
europa Phœnicis filia 670
eurybates Crœſi proditor 356
eurybatis vafritia 306
eurybatus quis 308
eurycles qui dicantur 490
eurycles ubi ventriloquus fuerit ibid.
eurydicæ præceptum 386
euryſtheus 52
euryſthei interitus 574
euſebia Conſtantii Imperatoris uxor 699 770
euthalius impoſtor 649
eutropius eunuchus 512
ἐξαμβλίζειν quid 664.665
ἐξάγιστος quid 250
exanimantes quib. revocari ſoleant 300
ἐξάντης quid 40
ἐξαφίσαντα quid 699
exarmare accuſationem 708
exarmare belluas quid ibid.
excitare ignem 492
exclamantes culicem, camelum glutientes, qui dicantur 23
excutere pulverem pedum quis dicatur 772
execeſtidis peregrinationes 578
execrationes variæ 223
execrationis templum ibid.
ἐξαναβιβάζειν quid 667
exempla viva quæ à Cicerone dicantur 44
exemplo nullo aliquid facere 522
ad exemplum divinæ bonitatis quiſque ſe componat 778
exemplum quid 537
exenterare quid 360
exercitus educendi mos apud Athenienſ. 258
exerere brachium qui dicantur 415
exetri cur accenſi dicantur 222
ex hara profectum quid 15
exigere penſum 375
exilitas veſparum 742
eximii qui dicantur 250
ἐξωμάδες qui dicantur 380
ἐξίτης quid 250
exitium ſubitum unde conjiciendum 753

em-

Exitus bellorum incerti 541
Exodium quid 558
ἐξορυχίζειν quid 202
Exordiri quid 10.11
Exordiri telam Plauto ibid.
Exorbitare quid 7
ἐξώλεις quid 608
expalleſcere aſſiduo ſtudio qui dicantur 76
Expandere rete, quid 360
Expectare ſibicinem qui dicantur 550
Experiendo quid perficiatur 122
Experientia rerum magiſtra 221
Experientia & cognitio quid proficiat 685
Experientiam lutus ſequitur 128
Extrema linea amare 11.12
Extremi contemptus ſignum quale 772
Extremis labris philoſophari 325
Extremum quid Latinis 477
Extrito decertare pulvere qui dicantur 708
Extundere quid 202
Exulcerat cor aſſidua cogitatio 665
ἐντέρευμα quid 689
εὐθ' ἁμιλλᾶν 26
εὐήθεια quid 715.716
εὐθετεῖν quid 129.130
εὐθυμία quid 366
ἐύζωνος quid 467
εὔζωνοι qui appellentur ibid.

F.

FAbarum uſus & religio 745
in Fabis oberrare qui dicantur 670
Fabius Maximus quomodo cognominatus 671
Fabius Maximus cunctator 241
Fabius Rutilianus cur magnus dictus 763
C. Fabritii dictum 224
Fabri Fabrilia tractent 689
Fabula Æſopica olim omnib. nota 21.86
Fabula protaſis, epitaſis & cataſtrophe 265
Fabula in plauſtra act. 449
Fabularum varia cognomina eſſe 2
Fabula de Draconis dentibus à Cadmo ſatis 301
Fabula Gorgonei 287
Facere dorvum quid 108
Factum argenteum quod 367.368
Factum medicorum, facto latronum deterius 212
Facultates Geometricæ quot 709
Falli dignus, qui bis ab eodem eſt falſus 76
Fama bella ſtare 310
Fama os claudere qui dicantur 632
Fames malum implicabile 296
Fames olim virgis ex ædibus ejecta 564
Familiam ducere 194.196
à familiaritate nimia quid oriatur 147
Familiaritatis conciliatio unde proveniat 641
Famuli opera ubi neceſſaria 689
Fanum Æſculapii 667
Farrago quid 506
Faſces ſubmittere quid 545
Faſcinare quid 703
Ex Faſtu evellere quid 160
Ex faſtu qui evellendi ibid.
Faſtum copia gigni 746
Faſtus & ſuperbia comites opulentiæ 67
Fata volentem ducunt, nolentem trahunt 759
Fatali neceſſitati parendum 30
Fatua dea 567
Favere linguis, & Faventia 548
Faunus Aboriginum rex 625
impiger & cordatus ibid.
Faunus Pici regis filius 539
Fauſtus Andrelinus 461
Favus mellis dulciſſimus 747
Feles Veneris 255
Felix quis 251
Felicitas in quibus ſita 41
Felicitas vera in quibus 573
Felicitas & infelicitas unde naſcantur 724
Felicitas omnis non contingit uni 189.190
Felicitatis quæ magna pars 605
Felicitatem ſtabilem qui pollicentur 753
Felicia quæ ſua aliter fuerunt olim 375
à Felicitate quid oriatur 147
Femur ferire qui dicantur 166
Ferarum prandium quod dicatur 425.426
Feraulegra quomodo à Græcis dicta 495
Fercula opipara ad quid hominem irritent 268
Ferens non fert, quis dicatur 691
Feriarum apud Chriſtianos abuſus 284
Feriæ cur agricolis datæ ibid.
Feriæ ethnicorum ibid.
Ferre frenum 31
Ferreum os quid 73
Ferocia comes felicitat. 584
Feronia ſervorum dea, & ejus templum 471. 472
Ferreus quis dicatur 73
Ferbis uſus à Græcis receptus 243
Ferrum quando niteſcat 598
Ferula quid 430
Ferula pueri cædebantur 540
Feſcennina licentia 318
Feſcennium Campaniæ oppidum ib.
Feſtinationis comites qui 243
Feſtum conviciandi 473
Feſti Pompeii fragmenta Romæ inveniri 534
ſub ficu requieſcere qui dicantur
Ficus morbus 514.515
Fici folium quale 362
Fides mutata quæ 179
Fidei templum 248
Fidere nemini, inhumanum: omnibus, ſtultum 179
Fide jubens pro altero, quid faciat 472
Figura Græca Latinis incognita 101
Figura circularis abſolutiſſima 571
Filii Belial qui dicantur 315
Filii paternorum morum æmuli 559
Filios præſtantium virorum à progenitoribus multum abeſſe 554
Filix herba 286
Fimi quantus & quam varius uſus 721
Fingere quibus liberum 451
Finis actionum, mors 341
Fiſcus principum, pertuſum dolium 78
Finis bonorum quis 196
Finis vitæ ſpectandus 609
Flagellare opes qui dicantur 220
Flagellorum genera quot 729
Flaminis dialis puritas 651
Floces quid 83
Floccus quid 130
Floralia 419
Florentia civitas 302
Floridam ætatem quid efficiat 335
Floris nomine qui judicetur 194
Fluctus numerare, quid 550
Fluida oratio quomodo à Zeta appellata 234
Florvil aurifici qui 413
Fœcunda de gente nomini quis dicatur 407
Fœderum adſtrictio 238
Fœdum etiam ætate niter 254
Fœmina iracundia quid efficiatur 253
Fœmina quid conveniat 692
Fons animæ quis 518
Fons omnium ſenſuum colendus 773.774
Fons quid 702.703
Fontes quando magis dulceſcant 598
Fontis proprium 702.703
Forma quanta gratia 706.767
Formica ſemitam canere quis dicatur 198 199.222
Formicarum cætus cur opulentiam ſignificet 61
Formicarum antra inſpirantibus aperto ore quid contingat 491
Formicarum cibus ibid.
Formica, colore felium, magnitudine luporum 100
Formicarum ingenium [illegible]
Formoſi ſine pulchritudine qui dicantur 273
ſub Formula judicare, quid 436
Fortes in tabula qui dicantur 287
Fortis animi proprium 383
Fortiſſimi qui æſtimandi 501
Fortitudinis munus ibid.
Fortitudo timiditati contraria 258
Fortitudo vera qualis 692
Fortuna adverſante nihil conandum 593
Fortuna læva manu qui contineat 105
Fortunatus ſatis quis 607
Fortunæ ſorores quæ 727.728
in Foveam incidere 8
Frates quid 83
Frænum mordere 30.31
Franciſcus Buſſidius 638
Fraterculus Italis blandimentum 26
Fraudulentus agens ab Apuleio quomodo vocetur 352.353
Fraus in quo accipiatur 497
frigere quid 497.470.
Frigoris injuria æquo animo ferenda 30
Frigus inducere qui dicantur 372
Frigus obſtare formitud. 65.66
Jo. Frobenii diligentia & inſignia 353
Frons Genio ſacra 208
Frons animi janua 225
Frons pudori ſacra 315.316
Frons ſæpe mentitur 639
Frontem obducere qui dicantur 317
Fronte politus quis dicatur 665
Fronti nulla fides 659
Frontis indicia 426
Fronte exigua homines eſſe indociles 13
Frugalitas ars œconomica 512
Fruticis natura 399
Frugi & bona frugi qui 529
Fuci cur peſtilentes apes dicti 561
Fuci qui dicantur ibid.
Fucum facere qui dicantur 275
Fucus & fucare quid 305
Fucus quale genus 273
Fugax quid 701.702
Fugere ex Ægypto quid 112
Fugere nemine perſequente qui dicantur 695
Fulgor aridus, mens ſapientiſſima 268
Fulgur quomodo Pythici vates obſervarint 616
Fulgurus ignis facit 47
Fulica avis 447
Fulmen cur Jovi & regibus attributum 631
Fulmentum quid 21.22
Fulmina bruta quæ dicantur 398
Fulvius cur à patre necatus 204
Fulvius Peregrinus Olympia moratus pater 682
in Fumum abiiſſe quis dicatur 494
Fumum olfacere quis dicatur 87
Fumus flammæ indicium 213
Funambuli 168
Fundamenta jacere 571
Fundus Lacedæmonis cur uſi 320
Funeralium mores ib.
Fungos in deliciis eſſe 45
Furca expellere, quid 389
Furere, muliebre 253
Fures ipſos accuſare qui dicantur 478
Furis paſſu progredi 769
Furfur quid 85
Furiarum habitus tragicus 442
Furius Camillus imperator 723
Furum quæ ars præcipua 447.448
Furum par nobile 451
Furto parta in medium ponenda eſſe 448
Furor triplex 528
Fuſius actor tragicus 673
Fuſius qui dicatur ibid.
Futilis qui dicatur 287.288
Futurorum præſcientia unde petenda 127
Futurorum nulla certa cognitio 472

G.

GAbinius quomodo à Cicerone vocatus 147
Gadinarum puellarum laſcivia 308
Galba cur à Cicerone potius ineptus appellatur 421.422
Galba Mecœnati dormiens 338
Galba quis dicatur 626
Galeati lepores qui dicantur 695
Galea triremis genus 55
Galenus Thamyram cur φιλάρχην vocarit 203
Galeni loctus caſtigatus 15
γαλῆ quid 419
γαλεῶτ quid 372
Galla quid 756
Gallieni Imperatoris faceta impoſtura 594 595
Gallinaceus Euclionis quis dicatur 203
Gallina Africa 252
Gallicinium quid 258
Gallonis luxus 462

Gallus avis pugnaciſſ. 90
Gallus adoleſcens in avem mutatus ibid.
Gallus albus menſi ſacer 745
Gallus domi pugnaciſſ. 769.770
Gallus vincens & victus qualis 441
Galli ubi muti 538
Galli Cybelis ſacerdot. 17
Galli gallinacei natura 23.27
γάμ☉ quid 488
Ganelus proditor 522.523
Ganges fluvius 213.214
γάγγαμοι qui 578
γαγγαμεῖς qui ibid.
Gangrenam addere 481
Garrulus quis vocatus 281
γαργαλισμοὶ qui 459.480
Gaudere honeſti, virtus 197
Gravia avis 412. ubi citò augeſcat ibid.
Gavia avis 447
Gehenna mancipium quis 160.161
γελγοπώλης quid 143
A. Gellii locus caſtigatus 176.375
Gelon Syracuſanus 353
Gemina veſtis quid 357
Gemitus & ſuſpiria audire ægrorum, res moleſtiſſima 754
Genera flagellorum quot 729.730
Genera tributorum quot 453.454
Generis claritas 654
Genere conjuncta ſe invicem delectare 642
Generoſi cur panda & prælonga veſtimenta gerant 535
Generoſus animus rectius ducitur quam trahitur 404
Geniales homines qui 468
Cum genio pugnare qui dicantur ibid.
Genios binos attribuebat ſingulis antiquitas: ubi multa de geniis 375.376
Genitura an inſtitutio prævaleat 219
Genium quid 89
Genium ſuum defraudare quis dicatur ib.
D. Genovefa corpus Lutetiæ 121
Gens Cappadocum improba 154
Gens cum vento bellum gerens
Gens Menenii natio ſtultorum 407
Gentes quæ tribus χ notata 309
ad Gentiles & agnatos qui deducendi 669
Gentiles homines qui 539
Genuinum dentem infigere qui dicatur 114
Geometriam exercere in cœlo qui dicantur 275
Geometria pro æquabilitate 710
Geometria quantus admirator fuerit Pythagoras ibid.
γεωμετρεῖν ipſum deum ibid.
Geometricæ facultates quot 709
Gephyra oppidum Bœotiæ 625
Gephyræi à quibus bello infeſtati 577
Gephyrei populus, & eorum oraculum 54.55
γεφυρίζειν quid 575
γεφυρεῖς qui ibid.
Gerada Laconis apoph. 293
γεράσμιος quid 522
Gercyon Agamedis germanus 440
Gergeſeni qui dicantur 313
Germani milites conductitii 482
Germani quomodo lætitiam indicent 461.462
Germanica nobilitas taxatur 660
Germanica lingua proprium 401
Gerron quid 749
Geryon trium Hiſpanicarum inſularum rex 74
Gibberoſi aſtuti 314.315
Gibboſus quare gibbum ſuum in ſolem rejecerit 751
Gigantes è terra prognatos 533
Gigantes & Titanes quibus bellum intulerint 577
Gigantes homines quales 66
Gigantes qui dicantur 19
Gigantum genera quot ibid.
γίγλοις quid 144
γιγγλυμώδης quid 315
γίγγρας unde quid ibid.
Gladiatores qui 378
Gladiatores Romæ quomodo dicti 708
Gladiatorum contemptus 482
Gladiatorum quid 646
Glans bellariorum loco in Hiſpania 597.598
Glandibus victitare quando deſierint homines ibid.
Glandiarii qui 617.618
Glaucon Meleagri pater 302
Glaucothea mater Æſchinis 629
Glaucus Hippolochi 338
Glaucus Scyllæ amator 493
Glauci Cariſtii certamina 256
Glauci verſutia 182.183
Glicera menſa unde dicta 446
Glire ſomnolentiores qui dicantur 287
Glocire, gallinarum 367
γλαῦξ quid 577
Gloria inſepelibilis quæ 407.408
Gloria inſignis non niſi magnis periculis acquiritur 691
Gloria majorum poſteris lumen 518
Gloria quid 146.147
γλωσσάλγοι qui dicantur 357
γλωσσοκομεῖς qui 692.693
γλωσσοδεσμίδες qui 280
Glottomon quid 640
γνωμολογία quid 2
Gnomon quid 429.430
γνωσιμαχεῖν quia 630
γοῦ, catie 578
γόμ☉ quid 148
Gordii vehiculum 170. fatale 709
Gordiorum mores 544
Gordius Midæ pater 709
Gorgia Leontini audax factum 193
γοργεύειν quid 192
Gorgonas capitis progenies qui dicantur ibid.
Gorgo & Gorgonis horriditas 695
Gorgona Lydicum animal ib.
Gorgonei fabula 287
Gorgones Phorcynis Ponti Terræq; filiæ 695
Gorgon quomodo à Lambino vocatus ib.
Gorgonis ſanguis 440
Gorgonis ſorores 98.99
γοργὸς unde dictum 200
C. Gracchi dictum 621
Graciles quomodo à Græcis vocentur 256
Graculi quomodo genus ſuũ colãt 180.181
De gradu dejicere 383
Gradum figere, quid 259
in gradum reponere 578
Gradus unde dicti 394
in gradum reponere 383
Græca crudelitas
Græca facere Latina quam difficile 331
Græci magis lingua quam factis ſtrenui 259
Græci quomodo potent 431
Græci quomodo verba proferant 431
Græcorum cum Trojanis bellum 705.706
Græcorum in fide ſervanda mos 577
Græcorum librorum quanta inopia 331
Græcorum juramentum quid 248
Græcos ſemper perfidos 369
Græcus quis dicatur 540
Grala quid 769
γραῖ☉ quid 150
Gratia dicendi & pulchritudo, res pellaciſſima 465
Gratia quibus minima reddatur 370
Gratum ut invenias, etiam ingratos experiundos 141
Gregales qui 42
Gregorii Nazianzeni patria 482
Gregorius Typhernas 712
Gremio non credendum 279.280
γρῖφος ibid.
Grudius in pangendo carmine dexter 592
M. Grunnii Corocottæ Porcelli teſtamentum 775
Gruum aſtutia 270.721
Gruum natura 201
Grylli unde dicti 693
Gryphes animalia quibus infeſta 23
Gry quid ſignificet 674
γρύζειν 674
Gubernaculo caſtiores qui dicantur 613
Guilhelmus Montzius 312
Gruma qui dicantur 148
Guttatim donare quid 522
Gyaros inſula qualis 92
Gyges cur Lydiæ regnum adeptus 216
Gyges quomodo appellatus ibid.
Gygis opes qui habere dicantur ibid.
Gymnaſia tria 373.374
γύργαθ☉ quid 334

H.

Habet nihil, verbum miſerum 275
Habuiſſe, verbum peſſimum ibid.
Hadriani imperatoris dictum 598
Hadrianus Tyrius adoleſcens 192
Hæmatites lapis 271.272
Hæreditas quid antiquis 486
Hæreditatem quinq; modis adſtringi ſacris ibid.
Hæretici qui hodie dicantur 655
Halcyon avis 630
Hallucinari, cæcutire, connivere quid 653
Halophanta qui 213.214
Hamaxobii qui 353
Hamon Libyæ rex 264
Hannibalis ad milites dictum 567
Hatena cedere, quid 708
Harena pro functione 227
Harma vicus ubi, & cur ſic dictus 616
Harmene civitas 740.741
Harmodii & Ariſtogitonis nomina ex feſtis non evellenda, cur ſanxerint Athenienſes 160
Harmodius quis 439
Harmonia Martis & Veneris filia 402
Harmoniarum ſpecies quot 172
Harpocrates cur Sigalion ab Auſonio vocatus 677
Harpocrates deus ibid.
Harpocrates Iſidis filius ibid.
Harpocratis ori cur digitus appoſitus 677
Harpocratis ſtatua 675
Haſta Achillis 52
Hebræi pro ſervis 679
Hebrus fluvius 215
Hecale cur laudata 269
Hecale mulier pauperrima 88.89
Hecalis in Theſeum beneficia 269
Hecata quomodo & quando ſacrificatum 267
Hecate ſagittatrix 427
Hector cur magnus dictus 763
Hectorem imitari, ab Ilio nunquam recedere, qui dicantur 561
Hecuba cur canis appellata 620
cur in canem converſa 476
Hecuba Priami uxor ibid.
Hedera natura 754
Hedera uſus 636
Hegeſias Cyrenaicus philoſophus cur πεισιθάνατος dictus 322
Helea mulieres quomodo Bacchum invocarint 680
Helena pharmacum 563
Helepolis à quo excogitata 465
Helepoles quid ibid.
Heleus 645
Helice 126
Heliogabali impudens factum 377.378
Heliogabalus homo effœminatiſſimus 307
Heliogabalus cur Varius dictus 150
Heliogabalus quales convivas coenæ adhibuerit 572
Heliogabali luxus 378
Heliotropium herba 714
Helleboro indigere quis dicatur
Helleſponti denominatio unde 379
Helycon Caryſtius 581
Hemerodromi qui 239
Hemerodromus cur dicatur ſol à Poetis 239
Hemitheon Sybarita 460
Henricus ſeptimus Angliæ rex 176
Henricus Bergen epiſc. 63.64
Heraclida Pamphili 97
Heraclidæ ubi primũ navim extruxerint 53
Heraclides cur Lembus cognominatus 649
Heraclides cur ... ab Atticis vocatus 467.468
Heracleotici qui & unde dicantur 626
Heracliteis dictum 380
Heraclitus obſcur. 543
Heracliti fletus 553
Heraclitus cur ... dictus 54

Hera-

Heraclitus curſor 734
Heraclitus philoſophus
Herbam dare 708
Hercules 52
Hercules cur Charops cognominatus 553
Hercules deus roboris 317
Hercules & Mercurius idem Ægyptiis 351
Hercules in Lydia quis dicatur 38
Hercules hebetis craſſiq; animi 39
Hercules Lini præceptoris ſui interemptor 197
Hercules mortalium ferociſſimus 553
Hercules pro Marte 90
Hercules qui dici potuerint 259
Hercules Thebanus 401
Hercules cur Melampygus vocatus 207
Hercules odore coturnicis ad vitam revocatus 590
Hercules quarta luna nat. 39
Hercules quomodo à Lycophrone nominatus 314
Hercules ubi bis integrum bovem devoraverit 259
Hercules vi, non dolis res alienas abducebat 113.114
Hercules qui fuerint dicti 89.90
Herculis dictum 133 366
Herculis ira quid 425
Herculis nomen cur Theſeo tributum 259
Herculis Ogmii catena 219
Herculis ornatus 289
Herculis ſimplicitas 426
Herculis voracitas 749
Herculis navigat. nova 536
Herculis gymnaſium 373.374
Herculis convivium & ſacra apud Lindũ 623 625
Herculis interitus 770.771
Herculi cur decimas bonorum priſci voverint 215
Herma 659.660
Hermanus à Nova aquila 83
Hermicus Luſitanus 96
Hermia Damaſii patris dictum 708
Hermon quis 764
Hermodorus Platonis auditor 471
Herodes Atticus 431
Herodicus 472
Herodis Attici apoph. 652
Herodoti loc. caſtig. 281
Heroes qui 572
Heroum veterum mos 93
Heſiodi præceptum 735. ejuſdem ſententia 606
Heſiodus & Perſa fratres 178
Heſiodus Homero antiquior 46
Heſiodi ſepultura duplex 455
Heſiodi interitus ibid. & 717
Heſſenorum gens 135.136
Hiberorum mores 698
Hiero & Tlepolemus fratres 311
Hieroglyphica Ægyptiorum 241
Hieronymi laus 335.336
Hieronymus Alexander 398
Hieron, Syracuſarum rex 618
Hieronymi Cardani locus 494
Hieronymus niger Paravianus quid ſupra januam domus ſuæ incidi curaverit 511 512
Hilum quid 335 336
Himera Siciliæ civitas 329
Hinnulus animal formidoloſum 694
Hipparchi monumentum
Hipparchi præceptum ibid.
Hipparchion citharœd. 674
Hippobota 601
Hipparchus quid Lacedæmoniis 718
Hippoclidis ſaltatio & procatio 37.140
Hippocrates ab epiſtolis Mindaro 166
Hippocrates medicorum princeps 676
Hippocratis vinculis alligata quæ dicantur 416
Hippocratis patria 676
Hippocratis præceptum 744
Hippola civitas 601
Hippolaitis Minerva ibid.
Hippomanis crudelitas in filiam 309
Hipponactes Epheſius poeta clariſſimus 552. cur gulam laqueo ſibi confregerit ibid.
Hippolyti dictum 43.44
Hipponax poeta mordaciſſimus 352
Hipponicus cur Bacchi ſacrificulum nominatus 412
ἱππόδρομος quid 200
Hipponax qualis poeta 475
Hipponax Pythiæ 49.50
Hirci qui dicantur 318
Hirculi qui 149
Hircum olere qui dicantur 319
Hirundo avis qualis no. veris nuncia 244
Hirundo qualis avicula 386.390
Hirundinis ſtridor 276
Hirundines quid monſtrarint 514
Hiſtiæi Samii inventum 350
Hiſtoria condimentum, veritas 25
Hiſtoria unde dicta 608. ἱστορεῖν quid ibid.
Hiſtoricorum officium 453
Hiſtriographorum mos 557
Hoc age, vox in ſacris 739.740
Homeri Odyſſea ab Vlyſſe nominata 480
Homeriſtæ qui dicti, 606
Hollandiæ laus 406.407
Homerus omnis Poeſeos parens 558
Homerus vinoſus 499
Homicidæ quomodo ſuas veſtes abluerint 207.208
Homicidis ſolum olim vertendum 683
Homicidis extra ſacrorum ſepta conſiſtendum 585
Homines abſurdarum rerum ſervi 425
Homine nullum animal vivacius Ariſtoteli 454.455
Homines boni quibus alantur 197
Homines cur invicem commiſerentur 633
Homines cur deos appellarit antiquitas 739 740
homines ex ſermone, vaſa ex tinnitu dignoſcuntur 648
Homines diſſoluti cur nepotes dicti 692
Homines geniales qui dicantur 468
homines liberi cur ſui juris eſſe dicantur 610
Homines paraboli qui dicantur 91
Homines per paucorum hominum qui 639
Homines priſci recentiorib. præferendi 251
Homines qualiter ab initio vixerint, & quomodo inſtituti 452
Homines quibus capiantur 414
Homines repentini quomodo à Cicerone vocati 539
Homines rimoſi qui 140
Homines ſicci qui 686
Homines Theſſalici qui dicantur 197
Hominis ætas quib. ab Homero comparetur 560
Hominis diviſio juxta Paulum 655
Hominis cujuſque menſura 591
per Hominis effigiem quid Ægyptii intellexerint 622.625
Hominis imbecillitas 712
Homini nulla fera pernicioſior homine 292 293
Hominis & feræ effigies conjuncta, murus Semiramidis 625
Hominis innocentia in quo ſita 623.625
Hominis inſcitia cur arguenda 251
Hominis proprium, errare 518
Hominis ſomnium quis dicatur 146
Hominis voluptuarii epitheta 354
Hominum conditio tripl. 185
Hominum conſortium in peſtilentia quando maxime fugiendum 617
Hominũ mollium conſuetudo vitanda 295
Hominum vitia ferenda 519
Hominum potentum ignorantia teterrima 472
Hominum negotia quibus ſimilia 716
Hominum perverſi mores 521.522
Hominum philautia 587
Homo animal inſatiabile 268
Homo Belial quis dicatur 313
Homo cur μολγὸς vel ἀοιδὸς à Græcis dictus 67
Homo genialis quis & unde dicatur 89
Homo genibus elephantinis quis dicatur 69
Homo novus quis 539
Homo oculiſſimus quis dicatur 84.51
Homo perſonatus quis 273
Homo proletarius quis dicatur 144.145
Homo quis natura 67
Homo redivivus quis dicatur 281.282
Homo ſacer quis 314
Homo unde probandus 661
Homoleterum mos in fœderibus jungendis 135
Homo ſolus ſuo ſtercore offenditur 721
Homo ingratior quam ulla fera 390
Homo ab homine quomodo diſtinguatur 174
Honeſti nulla ſatietas 428
Honeſtis gaudere, virtus 197
Honeſtorum honeſtæ imagines 671
Honor omnibus, quæ nobis cognata, exhibendus 774
Honor præmium virtutis 743
Honorum apices qui dicantur 177
in horam vel horas 89
Horarum diſtinctio apud antiquos 327
Horas diei quomodo veteres notarint 459
Horatii vitium 345
Hormiſda Saporis Perſarum regis filius 154
Horologiorum uſus 327
Hortenſius cur Romæ primus pavonem occiderit 448
Hortenſius orator 66.67
ubi piſcinam habuerit ibid.
Horti qui Veneri ſacrati 410
Hortus Ægyptius 241
Hoſpes quando moleſtus 755
Hoſpitale conſilium alicui præſtare 129.130
Hoſpites aliena plerunque mirari 289
Hoſpites cedant his quibuſcum converſantur 45
Hoſpites qui 607
Hoſpitii jus ſanctiſſ. 393
Hoſtem duobus modis impetimus 120
Hoſtibus quid precandum 224
Hoſtire & redhoſtire 569
Hoſtimentum ibid.
Humana conditio rebus ancipitibus obnoxia 341
humana curatio in quot partes dividatur 56
Humana vita moderatrix lingua 677
Humana vita ſpatium exiguum 715
humana natura cur foliis comparetur 714.715
Humanarum rerum ſubita mutatio 68
Humoriſta quis dicatur Italis 385 386
Hyampeia rupes 727
Hybrida quis dicatur 146
Hydra Lernea 326
Hydrargyrus fur 615 616
Hydra ſeptem capitum ubi delituerit, & unde fuerit prognata 337
Hydrus quid 362.363
Hydri ingentis magnitudinis 362
Hyenæ pelles Ægyptiorum ſymbolum 617
Hylas adamatus Herculi 325.326
Hylam vocare qui dicantur 336
Hyla Theodamantis filius ibid.
Hymettus mons 238
Hymni Dianæ Pergeæ 351
Hypanis fluvius 714.715
Hypera quid 36
Hyperborei populus quis & ubi terrarum poſitus 220
Hyperbole adagiis eſt peculiaris 5
Hyperbolus Athenienſis 473.261
Hyperbolis artificium 112
hypocritã Chriſtianũ eſſe, quantũ malũ 299
Hypocritarum inſidiæ cavendæ 660
Hyſtrices ubi proveniant potiſſimum 475
Græca quare in litera y.

I.

IAcens virtus non deſpicienda 144
Jacere quæ dicantur 147
Jacobus Ceratinus 369
Jacobus Scotiæ rex 638
Jacobus Tutor 478.479
Jalemus Calliopæ filius 287
Homo inamœnus ibid.
Jambe maledica 473
ἰαμβίζειν quis dicatur ibid.
Jani bifrontis ſymbolum 11
Jamblichi Pythagoræi præceptum 676
Jani cur obliqua ſentire dicantur 357
Janus Latii rex 610
Janus quis dicatur ibid.
Japetus Cœli & terræ filius 751
Japetus Saturno æqualis ibid.

Iby-

Ibyci poetæ hiſtoria 724
Iccus medicus Tarentinus 48
Ichneumon crocodilo hoſtis 720
Icteus ictus eſt, quis dicatur 492
Iconia imagines quæ & unde dicantur 234
Iconicè elaborata quæ dicantur ibid.
ικτίδος pellis 145
ἰκτὶς quid 145
Idæi dactyli 186
Idomeneus Cretenſis 643
Idones unde claſſici dicti 147
Jecorarii qui dicantur 408
Jecorarius piſcis ibid.
Jecur ſedes concupiſcentiæ & libidinis 13
Jejunium olere qui dicantur 516
Jejunorum ora cur puteant ibid.
ἱερὰ ὁσίων, locus 110
ἱεροδοῦλοι civitas 135.136
Ignaviæ exemplum 200
Ignavis omnia difficilia 200
Igne eodem & aqua uti qui dicantur 184
Ignis quomodo hominib. à Prometheo allatus 430
Igni nihil jucundius 43
Ignem excitare 492.493
Ignem gladio diſſecare, ludi genus 438 439
Igne nihil mobilius 351
Igne probatus quis dicatur 320
Ab igne quæ abſumantur 495
Ignis Ariſtoteli quid 213
Ignis & aer corpora le liquidiſſima 753
Ignorantia potentium hominum teterrima 304
Ignorantia quibus res teterrima 290
Ignorantia ſtoliditas ibid.
Ignoti homines quomodo à Cicerone vocati 539
ἰὴ προμοῦ 411
Ilias Homeri 276
ἰλιγγιᾶν quid 675
Ex Ilio rapere 480
Iliſſus Athenarum fluvius 231
ἰμερόφωνος quid 519
Imbris ac terræ mutuum deſiderium 641
Imbrus inſula qualis 353
Imminentis exitii indicium, maturitas 715.716
non immolata ſacra devorare qui dicantur 415
Immunis quis 743.744
Impedientes aves unde Arcula dicta 555
Impia animalia quæ 282
Impius nunquam pacata mens 501
Ex impotentia concoctionis quid naſcatur 279
Improbi à Republica ſummovendi 496
Improbitatis potentia 766.767
Improbus quis dicatur 361
Impudicis indicia 408
Inauſpicati qui habiti 555
Incantamenta quæ dicantur 409
Incerta linea unde dicta 122
Incerta quid, & Incisi 564
Incocta mulieres quæ 256
Incoctum quid 355.356
Ab incepto deſiſtere 527.528
Incolarum Cat inſulæ mos 690
Incommoda præſentia cur æquiori animo ferenda 30
Incommoditas commoditatum comes 367
Incubare clauſis theſauris qui dicantur 87
Indagine cinctus quis dicatur 211 212
Indago quid ibid.
Indeſinenter fieri quid dicatur 202
Indices quomodo à Græcis appellentur 366
Indoctiori omnia inculcanda 609 610
Indorum more fieri quæ dicantur 155
Indulgere genio quando dicamur 468
Indulgere genio, quid 89
Induſtria humana vis 744
Infans natus ubi deploretur 713.714
Infantes ubi hoſpitib. adferantur ſuaviandi 153
Infelicitas comes ſtultitiæ 263
Inebriati qui dicantur 414
Ineptiæ Accurſianæ 372
Ineſt ars pecuniis 744
Infelices qui dicantur 283 387
Infortunus ſe ante parare ſapiētes 680.612
Ingenia illuſtriora, breviora 715.716
Ingenii libertate cur nihil præſtantius 640
Ex ingenio ſuo migrare 530
Ingenium adoleſcentis quando præſtantius evadat
Ingenium hominis decus 425
Ingenium quid confundat 514
Ingenium hominis quale 75 76
Ingenium magnum non eſſe ſine mixtura dementiæ 451
Ingenii vigor qua ætate evaneſcat 406
Ingenio ſuperare vires 681
Ingenia præmatura 240
Ingenuis Spartanis quid convenerit, quid non 630
Ingluvies unde dicta 148
Ingrata bile amariora 72
Inhibere remos, quid 527
Inhumani quib. nominibus vocentur 70
Injicere mentem, quid 129
Initium ſapientiæ, Dei metus 11
Injuria incendio magis extinguenda 481
Injuriarum remedium oblivio 30
Injuria retecanda, non retaxanda 479.480
Injuriam facere, pejus quam pati 487
Injuriarum memoria tenax 391
Injuſto victo quid moleſtius 487
Innocentia ubique tuta 727.728
Inopia et ſibona 106
Inquilinus quis 567
Inſaniæ principium, iracundia 283.387
Inſanire qui dicantur 417
Inſaniæ ſpecies multæ 310
Inſanum quid proprie 186
Inſcitia hominis cur arguenda 251
Inſolentiam eſſe ebrietatem 277
Inſtitutaq; publica, privata ætate potiora
Inſtituti quantum valeat 219
Inſtituto ſuo decedere 530
Inſuere in ſaccum vel culeum 356
Integer animus pretioſa res 549
Integer ſanguis quis
Intemperantia fugienda 413
Intempeſtivum quodvis injucundum 687
Intemperiis agitari qui dicantur 426
Intendere animum quis dicatur 389
Intendere quid ibid.
Intercipere quid 601.602
Interitus Romanorum unde 751
Intus Hecuba, foris Helena, quæ dicatur 467
Inventio rerum in oratione quid 674
Inventrix conſiliorum, neceſſitas 566.567
Invertiſſe veſtem qui dicantur 557
Invidiæ natura 425
Invidia felicitatis comes 424
Invidia in bonas literas unde 705
Invidia inter quos oriatur 423
Invidiam ſtare extra chorum divinum 572
Invidiam in recte facto nō poſſe vitari 330
Invidia quæ natura ibid.
Invidi à republica ſummovendi 161
Invidia ſummæ felicitatis inimica 425
Invito Deo nihil conandum 106
Involare quid 752
Joachimus Camerarius 689
Joachimus Vadianus 617
Joalus pro auxiliario 93
Joannes Baptiſta 653 654
Jo. Baptiſta Egnatius 137
Jo Bentivolus Bononien. 666
Jo. Campanus 429
Joannes Coletus 517
Joannes Roffenſis 705
Joas Juda rex, filii præceptoris interfector 197
Joannes Picus Mirandulus Comes 744
Joannes fabritii Montani locus 606
Jocus quid Græcis 145
ἰοσῦες quid 22
Jonii XII. civitatib. imperaverunt 570.571
Jonum mollicies & luxus & inventa 459
Jonica comœdia ibid.
ἰοσῦες quid 699
à Jove ſati qui dicantur 74
Joves qui dicantur 763
Jovis filii qui à poetis appellati 394
Jovis libido 559
Iphigeniæ fabula 592
Ipſa olera olla legere qui dicantur 414
Ips quid 646
Iracundiæ nihil concedendum 773
Iracundia conſilio inimica 343
Iracundia fortitudinis cos 426
Iracundiores cur ſint ſenes & ægroti 414
Ira regum quales 721
Iræ remedium, dilatio 417
Ira quibus obſtet ibid.
Ira unde naſcatur 476
Iratus furioſo ſimilis 746
Iri mendici 154
Irriſores quomodo dicti 165
Irus mendicus quomodo Vlyſſem exceperit 279
Irus, Arnæus alias 561
Iſauricus imperator 715
Iſchomachus taxat 408
ἰσόψηφοι quid 28 29
ἰσχνάς quid 107
Iſter fluvius nominatiſſim' Germaniæ 495
Iſthmos quid 715
Iſthmiorum ludorum inſtitutio 379
Iſthmum perfodere qui tentarint 322.323
Italica frugalitas 461
Italica peſtis quis dicatur 314
ἰτέα quid 513
ἰθύφαλλοι quid 137
Ithys quæ avis 598
Jubellius Taurea Campanus 131
Judicandum non temere 433.434
Judicanti quid reſpiciendum ibid.
recte Judicare qui dicantur 181
à Judicibus quis condemnandus 40
Judiciorum moroſitas 284
Judicis conſiderati proprium 414
Judicis lenti proprium ibid.
Judices cur ſine manibus pingantur 722
Judiciorum priſcus mos 327
Juliani de Damaſci urbe dictum 48
Julianus apoſtata cur Herodotum Θέσπεσιον λόγγιον vocarit 701.702
Julianus Capella 397
Juliani dictum 435
Julius Ligur cujus beneficio inſignibus Eccleſiaſticorum honorum ornatus 593
Julius II pont. 263
Julii Caſ imperandi cupiditas 641
Jumentum 484
Jumentum pro plauſtro onerario ibid.
Junii locus 287
Junius Baſſus cur aſinus appellatus 178
L. Julius quomodo cognominatus 671
Junonium unde dictus 457
Juno Acræa 487
Junonis epitheton 181
Junones quæ dicantur 763
Junonio inceſſu ambulare qui dicantur 197
Junonis puer quis dicatur 466
Jupiter Olympius & Soſpitator 572
Jupiter Olympius Phidiæ opus 750
Jupiter in culeum verſus 157
Jovis convicia 721
Jovis nutrices 53
Jovis ineptia 399
Jovis oraculum in Dodona 276.277
Jovis Terminalis lex 718
Jovis oculus ſol Ægyptiis 241
Jurare per haſtam 63
Jurandi mos olim 328.329
Juramenta varia 248
Jurare in nomen principis, & jurare in leges, quid 250
Jurare morbum qui dicantur 619
Juraſſe conceptis verbis 250
Juratiſſimi amici qui dicantur 250
Juratiſſimus quis dicatur ibid.
Inter Juriſconſulti & Oratoris officium diſcrimen 420
juris formula quibus verbis concepta 433
Jus cui faveat 385
Juſjurandum non temere fiat 349
Juſjurandi genera tria 531.532
Jus in manu reponere qui dicantur 27
Jus in præteritum dare, quid adimere 55 ibid.
Jus Italicum quid 454
Juſjurandum, ad aſtringendam fidem vinculum 249
ad Juſjurandum adigere qui dicantur 250
Juſjurandum egregius artifex doli 249
Jus ſummum 619
Juſtitia colenda 774

Juſtitiæ ſymbolum 434
Juſtiniani locus 130
Juſtinianus quo modo extremam ſtudiorum claſſem cognominet ibid.
Juvenari 643
Juveni pecuniæ adminiſtrationem non eſſe committendam 176
Juvene parandum, ſeni utendum 203.204
Juventæ vitia mature vitanda 455
Juventa docilis ibid.
Juventa cur audax 295
Juventa ſenilis quid indicet 240
Jynx filia Echus 51
Jyngem habere qui dicantur 51
Jynx avis qualis 294. & 51. cur Latinis tortuca ſive tortilla dicta ibid.
Jynx Echi filia 294
Jynx amatorcula cur à Jove in avem mutata 294
ἰξοφάγος vel ἰξοβόρος turdus 52

L.

Labeo Amiſtius quis fuerit 65
Laberis dictum 345
Laberius mimographus 381
Labeus poeta 501
Labor cui convenientiſſimus 230.204
Labyrinthus quid 212
Laborem ut continuemus quid faciat 331
Labores catenati 378
Labrax idem qui nobis lupus 176
Lac aureum haurire qui dicantur 599
Lacænarum virginum mores 317.318
Lacedæmoniorum reſponſum ad Philippum regem 263
Lacedæmoniorum mos in conviviis excipiendis 541
Lacedæmonii chori cantilena 275
Lacedæmoniorum Reſp. quomodo temperata 571
Lacedæmoniorum convivia 267
Lacedæmonii quales 109.110
Lacedæmoniorum veſtitus color 614
Lacedæmoniorum in ſenes reverentia quanta 436
Lacedæm. fortitudo 217
Lacedæmoniorum avaritia 88 perfidia 352
Laches quis 207
Lacrymas quid invitus eliciat 50 51
Lacinia obtinere qui dicantur 164
λακωνίζειν quid 314
λακωνίζειν 109.110
Laconis cujuſdam dictum in divitias 205
Laconis cujuſdam apoph. 168
Lacones halluciſſimi homines 444
Laconiſmus 277
Laconum inventum 631.632
Laconum in victu frugalitas 268
Lactes quid 14
λακτίζειν quid 328.329
Lactuca 644
Lacuna fama quid 383
Lacuna quid ibid.
Ladas cur primam velocitatis palmam adeptus 244.245
Lana veſtis 240
Lanum augurium unde 555
Lavum quid ibid.
λαμπαδίας qua dicantur 255
Lamia Beli & Libyes filia 306. ubi regina ibid.
Lamia facinus ibid.
Lamia fœmina formoſa ibid.
Lamia Scyllæ mater ibid.
Lamia Trachiniorum regina ibid.
Lamia unde dicta 466
Lamia adamata à Demetrio 760
Lampades in quib. certaminib. geſtare ſolitum 174
λαμπαδοῦχος ibid.
Lampon quis 756.757
λάμπτειν quid 599
Lampreus Muſicus aquæ potator 190
λάφυρα quid 601
λαφυραγωγεῖν, λαφυροπωλεῖν ibid.
Lapis pro ſtupido homine 322
Lapides pro inutilibus 402
Lapidem elixare 337
Lapillo nigro qui notati 310
Lapis amuſſi applicandus 432
Lapis moralis quis dicatur 668
Lapis quis dicatur 707
Lapitha Apollinis & Stilbes nymphæ filius 627.628
Lapithæ unde ortum duxerint ibid.
Lapſus animi viribus quis dicatur 384
Lapſus primus caſui, iteratus ſtultitiæ tribuitur 428
Lapſus omnes humanæ vitæ in tribus conſiſtere 114
Lapſus florent. 140
Larentia Fauſtuli uxor cur lupa inter paſtores dicta 319
Laribus immolata foras efferre nefas [illegible]
Larinus & Larini qui 757
Larus avis 749
Larus cur Herculi ſacratus 683
Larus avis rapax 412
Latina ſimplicitas 251
Latini quomodo verba proferant 432
Latina lingua cur pudicæ matronæ comparetur 705.706
Latine loqui quid 56
Lathyrus ciceris genus 745
Latifundia quæ 224
Latomia Syracuſana 374
Latona fabula 27
Latmus mons 664.665
Latrunculis ludere qui dicantur 355
Latrunculorum luſus ibid.
Lavacra divitum ac pauperum olim communia 602.603
Lavare quid Germaniſmo dicatur 152
Laverna dea 81
Laura apud Samios quid 408
Laureus Atticæ locus 327
Laureotica noctua ibid.
Lauricis regio 215
Laurum incendendi mos in amatoriis maleficiis 117
Lauri vis medica 103
Lauro locus 164
Laurus cur Muſtace cognominata 61
Laus qualis eſſe debeat 704.705
Laudatio vana quid faciat ibid.
Laudantium geſtus 315.316
Laus nulli propria 716
Laus, principium amicitiæ 147
Laxa cervice eſſe dicantur 755
λαξευτὸς quid 711.712
Leæna cur à poetis torva dicta 553
de Leæna & vulpe fabula 198
Lebetis quid 561 111
Lectio eſt colloquium 517
Lecythus quid 273
Leda partus 254
Legati ſine mandatis qui dicantur 38.39
Legatus quis eſſe poterit ibid.
Legere & non intelligere, negligere 337
Leges aranearum telis ſimiles quæ dicantur 32
Leges quibus ſimiles 199.770
Leges priſcorum quales 743
Legis inſtituendæ author apud Æginetas mulctabatur
legem naturæ omnibus eſſe communem 171
Legibus ſoluti qui dicantur 454
Legum cutis ſumma litera 619.620
Legumina omnia corporibus noxia eſſe, & quis eorum uſus 745
λεσχάζειν quid 409
λευκόθυμια quid 310
λῆμμα κῦμμα 256
λέμβος quid 669
Lemniarum factum 628
Lemnii efferi & immanes ibid.
Lenitas ſeveritati anteferenda 496
Lenocinium pulchritas res dehoneſtas 17
Lens legum utiliſſimum 240
Lenti qui dicantur 366
in Lentis pulmento cur unguentum non admiſcendum 176
Lenticulæ natura ibid.
Lentiſcus quid 411
Leo Pont. X. 302
Leo à Macedonib. quomodo vocatus 384
Leo cur ab Ariſtotele charopos & à Catullo caſius appellatus 553
Leonem ſubtiliter excipere quis dicatur 20
Leones in luſtro qui 397
Leones qui dicantur 354.260
Leonis proprium 397
Leonis Byzantii dictum 165
Leonem quæ terreant 320
Leones in periculis adjutos gratiam referre 726.727
λέοντος quid 553
Leontium meretricula in Theophraſtum ſcribere cauſa 166
Leotrephides maciſentiſſimus 83
Leotrephides quis 165
unde dictus ibid.
Lepore nihil meticuloſius 707
Lepori ingenium timidum 695
Leporis in cibis ſumpti gratia 695
Leporis in dormiendo & vigilando mos ib.
Leporis vitam vivere 553
Leporum more dormientes in medicis quomodo appellentur 522.523
Lepus quale animal 19
Lepus ubi non ſit 489
Leporem mortuum à canibus non attingi 208
Leporis ſomnus qualis 658
Leporina præſtantia 446
Lepus cur πτὼξ appellatus 695
Leprei cum Hercule certamen 683
λεπτολογεῖν 322
λεπτομερῶς λέγειν quid ibid.
λεπτότητος λῆρος ibid.
Leria inſula 307
Lerna quid 377
λῆρος quid 327
λίχοι quid 278 537
Lesbiis cantoribus cur primas dederint Lacones 186
Lesbiorum vanitas 409
λεσβιάζειν quid ibid.
Lesbus cur Pelaſgia dicta 382
λίχοι quid 537.278
Lethe quid ſignificet 745
Lethæus fluvius 207
Leuconis factum 658
Leucophryna, Tenedos 429.430
Levidenſa quid 96
Levitas vitium deterrimum 357
Lex naturæ quomodo comparata 219
Lex mutus magiſtratus 293
Lex ſatyra quid 564
ad libellam & regulam facta quæ dicantur 202
ad libellam exige 203
Libelli Sybaritici qui dicantur 416
Liberæ civitatis liberas linguas etiam debere eſſe 30
Liberalis ingenii proprium 245
Liberi cantiunculis majorum oblectantur 162
Liberi homines cur ſui juris eſſe dicantur 610
Liberi Neptuni quomodo vocentur 74
Liber quis dicatur 452
libertas omnib. rebus favorabilior 452.453
Libertas res inæſtimabilis 452
Libertate nihil felicius 399
Libethrii quales 484
Libidinis furor quid expectoret 413
Libidinoſorum hominum conſuetudo vitanda 295
Libitina funerum Dea 635
Libitinarii qui ibid.
Libri muti magiſtri 293
Libri cur muti magiſtri dicti 677
Libri quam familiariſſimi reddendi 203
tanquam Libri qui dicantur 677
Libya cur monſtra ferat 349
Libyci cymbalorum harmonia 505
λιχνεύειν quid 269
Lichnobii qui 414
Liciæ ſortes 475
Licinnius incendiarius 154
λικνῖται quid 68
Lignum aceris arboris cur ab artificibus ad opera elegantia & ſubtilia commendetur 259
Ligurire quid 560.561
Lilii Gyraldi lapſus 279
Limaces quæ, & unde dicantur 248
Limis oculis aſpicere 553
Limites cœli quot 493
λίμνιοι qui dicti 353
λιμοκίμβικες quid 82

Lina

Lina pro retibus 222
Linaria quid, & unde qui dicantur 671
Linariarum capita gerere qui dicantur ib.
Lindus civitas 623
Lindus ruſticus ab Hercule depradatus ib.
Linea extrema amare 12
Lineam mittere qui dicantur 230
ex linearum ductu quid diſcamus ibid.
Lingua cur à dicacitate temperanda 772
Lingua cur veluti clave obſerata 676
Linguæ imperandum 773
Lingua Romana uſus quomodo ab Apuleio vocatus 352
Lingua humana vitæ moderatrix 677
Lingua quale membrum 878
Lingua quibus olim dabatur in ſacrificiis 281
Lingua cur dentibus obvallata 160
Lingua quando optima ſit armatura 280
Linguarium quid 296
Linum pro decreto fatali 454
Lineis veſtibus ſola mulieres utebantur apud priſcos 81
Lipſidrium locus 257
Liqueſcere voluptate, quid 416
Liquidum pro claro, puro, ſereno 753
Lirare quid 729.730
λιρεῖν quid ibid.
Lita quid 327
Litera ſalutaris, & triſtis qua 159
Literarum ſtudium citra jocium frigere 114.115
Literas collapſas vindicare quam difficile. & cur laude dignum 242
Literæ omni ætati & conditioni utiles 54.55
Literarum ordo & dignitas 189
Literis tribus quid notetur 114
Literis quatenus incumbendum 408
Literarum ſacrarum Sileni 654
Literarum bonarum uſus 705
Literam longam facere qui dicantur 729
Literarum inventio quibus tribuatur 305
Literarum poſſeſſio jucunda 282
Literatus quis dicatur 148
Lites & fora judicialia fugienda 39
λιθὰ quid 381
λίθος quid 268
Littora cur ſurda dican. 322
Littorales homines eſſe cæteris inhumaniores 402.403
Livii fragmentum cui debeatur 542
Loca quæ evitanda 94
Loco nullo numerare 250
Locum in balneis occupare qui dicantur 193
Loco movere, reſtituere in locum 578
Locrenſes fœdifragi 546
Locupletes unde claſſici dicti 147
Locus Nonii Marcelli corrigendus 66
Locuſta agreſtis quomodo Græce dicatur 19
Lod. Cælius Rhodiginus 629
λόγοι, λογιμοι & quid 471
λογογραφεῖν quid 701.702
λόγος pro fabula 281
λογοθέτης quis 539
Lolium à tritico repurgandum 161
Lolii natura 86
Longinus Craſſus præceptor Porphyrii 192
Longinus homo impuriſſimus 755
Longurius quis, & unde dicatur prælongus 671
Longuriones riſus cauſa vocatos prælongos 401
Londinum unde dictum 623
λοπαδυγχόνιος ſive λοπαδάγχων qui dicantur 160
Loquendum ut plures, ſapiendum ut pauci 116
Inter Loquendum manus cur non movenda 671
Loqui pauca, & probum eſſe, cognata ſunt 398
Loricæ utilitas 94
Lorsones qui, & unde dicantur 768.769
Lorus maceratus cur in omnia flexilis 355
Lothi uxor cur in ſalis ſtatuam verſa 683
Lotophagorum fabula 294
Lotus quid ibid.
Lotus arboris fructus 465
Lucas prograndi 757
Luciani locus caſtigatus 284
Lucilius poeta 474
Lucius Papyrius curſor Romanus 412
Lucripedi qui dicantur 417
Lucrum gratiſſimum quod 418
Luculenta opera quomodo vocentur 245
Luculento ſinu quis dicatur 108
Luculli magnificentia 192
ejuſdem victoria 676.677
Luculli animoſum dictum 187.188
Ludere inter mœrentes qui dicantur 38
Ludere operam quis dicatur 336
Ludere pro laſcivire 415
Ludovicus Gallorum rex 638
Inter lugentes jocari qui dicantur 37
Lumina quæ appellentur 196
Lunæ ſubjecti qui 293
Lunam qui ſuperſtitioſe obſervent 555
Lunam quantopere obſervarint Lacones 171
Lunæ defectus quid Macedonibus incommodi tulerit 320
Lupa quæ dicantur 319
Lupercius armorum magiſter 628.629
Lupinarum pellium natura & vis 553
Lupus Apollini ſacer 21.22
Lupus qui prædam properat 500
Lupus cur & quando vocem homini adimat 672
Lupus ex coco factus tibicen 528.529
Lupi interfectoribus quæ olim præmia data 724
Lupi ſitientis mos 270
Lupi prædæ inhiantis mos ibid.
Lupi fabulæ 67
Lupos ſemper rabire 595.596
Luſcinia quot diebus cantum ſuum continuet 276
Luſciniæ ingenium 452
Luſtra quid 415
In luſtris vitam agere qui dicantur ibid
Luſus legem qui neſcit, abſtineat 789
Lutetianarum fœminarum pronunciatio 410
Lutea progenies qui dicantur 144
Luteum negocium 143
Luto pedem evellere qui dicantur 746
Luxuries & luxuriare quid 15
Luxurioſi ventres à Diogene quomodo vocari 466
Luxurioſus quis dicatur 88
Luxus antiquitus in quo fuerit 666
Luxus & intemperantiæ genitrix, opulentia 467
Luxus Gallonii 462
Luxus juventutis helepolis 465
Lycambes Archilochi ſocer 475
λυκάβαντος qui dicantur 751
Lycaon Arcadiæ tyrannus cur in lupum tranſformatus 19.751
λυκάγαι qui, & unde dicantur 751
Lycopolitani quale habuerit numen 412
λύκειος λυκοκτόνος, Apollinis cognomen 153
λύχνος quid, & à quo conſtructum 239
Lycurgi canes 219
Lycurges rhetor 506
Lycurgus quis dicatur 431
Lycurgi leges ibid.
Lycurgus qualia ſacrificia inſtituerit 773
Lycurgus Thrax quomodo ſibi crura amputarit 758
Lycus Cyniſcæ amator 43
Lydi cur male audiant 315
Lydo more vellere qui dicantur 466
Lydiorum mollities
præter Lydium currum currere qui dicantur 384
Lydius verbero 355
Lydi ab initio Hetruſci 100
Lydios equitatu præſt. 289
Lyncei fabula 581
Lynceus quis dicatur ibid.
Lynceus vir oculatiſſimus ibid.
Lyſandri & Pharnabazi commenta 349
Lyſandri apophtheg. 409
Lyſiæ oratoris dictum 685.686
Lyſandri dictum 248
Lyſandri frugalitas 19.20
Lyſia bos Athenis 182
Lyſiæ orationem quomodo probarit Socrates 738.739
Lyſidis Pythagorei dictum 676
Lyſimachi inſolentia 62
λύττα quæ dicantur 304
Lytæ qui 133
Lytierſes inſignis meſſor 443
cur ab Hercule interfectus ibid.
Lytierſes nothus Midæ filius ibid.
Lytierſes ubi habitaverit ibid.
Lytierſis crudele factum ibid.
Lytierſes quis 442
λύτρα quid 15

M.

Macarius Ægyptius 609
Macaria, locus & Herculis filia, & plus
μακαρίζειν quid 374.375
Macedones quomodo fœdera faciebant 470
Machæra quid 503
In Machinis contexendis qui præſtantes dicantur 350
Machonis comici locus 599
Macilenti quomodo à Græcis vocentur 255.256
Macrobius omnium authorum fucus 180
Macte virtute 27
Mactos virtute quos vocemus 590
Madathes quis 123.124
Madidus & madulia pro ebrio 686
μαδᾶν quid 467.8
Meander picturæ genus 579
Maſon quid 473
μαγαδίς, μαγαδίζειν 310
Magadis & magadus 576
μαγαδᾶν, μαγαδίζειν ibid.
Magada cur ψαλμὸς ἀντίφθογγος à Pindaro vocata 609
Magdas tibiæ genus. ibid. Lydorum inventum ibid.
Magirus coquus 775
Magia vocabulum odioſiſſimum 703
Magicam vim ineſſe annulis & virgis ferendis 98
Magiſtratus lex loquens 674
Magiſtratui gerendo qui idonei 617.618
Magus phantaſticus quam Papa mula, quis dicatur 318
Magiſtra rerum, experientia 230
Magiſtratus quomodo creari ſoliti 74
Magna Epheſiorum Diana quomodo ab Evangeliſta Luca nominata 18
Magna in momento aſſequi, cujus ingenii 34
Magnam pecuniæ vim qui conquirere poſſint 312.313
Magnes qui Heraclius 486
Magnetis natura & ſpecies, ibid.
Magnetes populus 577
Magni animi proprium 383
Magnifica opera quomodo vocentur 244.245
à magniloquentia cur temperandum 280
Magnitudo finita qua 241.242
Majorum gloria poſteris lumen 518
Majorum more petere, quid 425
Majus unde dictus 418
Mala beſtia quis dicatur 313
Mala concillant homines
Mala vera non licet effugere 100
Mala ter abſtergendo depellebant antiqui 407
Malea promontorium 208
quibus non maledicendum 479
Maledici quomodo appellandi 663
Inter Maledicum & maleficum quid diſcriminis 477
Maledicis quis non debeat iraſci 771
Malefica diſtinguere qui dicantur 361
Male pro malum 290
Male qui ominentur 534.535
Malis alienis ridere 622
Malitia quæ corrigenda, & quæ abſcindenda 496
Malorum conſortium cur fugiendum 608
Malva unde dicta 774
Malum commune facilius ferri 380

ma-

malum ex nobis proficiſci 757
malum omne quomodo irrepat 299
malum hominibus unde proficiſcatur 497 498
Mamurra Formianus adulter & nequam 414
mancipia unde dicta 180
mancipio dare, quid 716.446
mandibulis aliena eſtare qui dicantur 622
mandragora vis 541.542
Mandron navicularius fit Imperator 346
manducorum nomina multifaria 148
manducus qui dicatur ibid.
mane diei unde dicatur 102.103
manere in ſua claſſe quid 703
manibus nullum id convivii odium exercendum 552 553
à Manibus quos vocemus 640
Manichæi morbo laborantes qui dicantur 476.477
manifeſtæ veritati non repugnandum 211 212
μάνης quid 689
Manius Curius quot ſervos habuerit 66
Manliana leges: ut auribus moleſta 372
Manliana imperia 649
Manliana quid 372
Manlii rigiditas ibid.
Manlius Torquatus 152
T. Manlius ibid.
Mannius Dianæ lucum conſecravit 531. 532
manticulari quid 752
mantice hominis bina 583
μάντις herba 679
mantis genus locuſta. 703
μάντις quid 549.550
mantiſſa quid 190.191
manu aliena quid agere, qui dicantur 622
manubrium eripere qui dicantur 632
ſub Manu eſſe, quid 597
manus auxilii inſtrumentum 94
manus dare, ſive tollere 708
manus inter loquendum cur non movenda 671
manus ſiniſtra uſus 359
manumiſſio apud Athenienſes qualis 309 310
manum conſerere quid 630
manus gracileſcere fame 302
mapalia quid 410
mappam mittere 689
μαψυλάκας quis 678
Maracus Syracuſanus 54
marathon locus 479
Marci Antonii dictum 160
Marci Bruti, ad dictum M. Antonii reſponſio ibid.
Marci Craſſi dictum 637
Marcus Apicus cur ἀσωτίας πέρας ab Eunapio vocatus. 465
Marcus Cato quot ſervos habuerit 66
Marcus Scaurus à Plinio quomodo vocatus 548.549
mare cur magna alit animantia 449
Margareta Henrici Angelorum regis ſoror 638
Margitas Alexandri cognomen 671
Margites ex quibus parentibus natus 669
margites quis dicatur 00. unde dictus 669
Margitis ſtultitia 673
mare cur ſurdum dicatur 673
Maria Catonis filia 51. cur marito mortuo alteri non nupſerit ibid.
Mariandyni gens Pontica 381
Mariandynus & Priolaus filii Titi ibid.
à Marinatus quis dicatur 74
maris filii qui dicantur 155
maris metus 416
mariſca quid, & ejus vermis 92
mariſcus quid 475
maritorum iniquitas in uxores 411
Marius tyrannus gladio quem ipſe fabricavit confoſſus 484
C. Marius quomodo ſuos milites tractaverit 368
Marius Plotius, grammaticus vetuſtiſſimus 463.464
Mars cur ἀλλοπρόσαλλος ab Homero vocatus 351
Mars & Saturnus cur planetæ maligni vocentur 381
Mars quomodo ab Homero vocatus 351
Marſya Phrygis fabula 593
Marſias excoriatus 507
Marſias tibicen 371
Martiani Minei locus 279
Martinus Lutherus 705
Marti qui ſacrificarint 85
martyres cur ἱεράτας τέλας Nazianzenus nominet 192
Marulli mimographi jocus 558
maſculus non ſolum ſexum ſignificat 256
μαχάλη μαχλάω 462
Maſſilia à Phocenſibus condita 223
Maſſilia tres 757
Maſſilia unde dicta ibid.
Maſſilienſium luxus 411
Maſſilienſes effœminati 757
Maſſiniſſa laus 361
μάθαλλις quid 00. quis dicatur ibid.
mater benevolentia, ſimilitudo 651
mathematicas diſciplinas eſſe Philoſophiæ anſas 546
materia pars vilior ſenſibus patet 654
materfamilias qualis ſit 639
Matron Alexandrinus 425
matrimonium quomodo appellandum 506
Matronis Parodi locus 191
matrici qui & unde dicantur 148
ματτύη cibus 483
maturare quid 241
maturitas imminentis exitii indicium 715. 716
Mauſoli ſepulchrum 402
Mauſolea quæ dicantur ibid.
Maximus Imp. 589.347
Maximus Tyrius philoſophus nobiliſſimus 107
μᾶζα quid 445
maza quomodo fiebat 605.85
mechanici qui dicantur 148
Mecœnas quale habuerit ingenium 467
mecœnates quomodo parandi 704.705
Medea qualem veſtem Jaſonis nuptæ donarit. 770.771
Medea cur Peliæ corpus in aheno lebete coxerit. 538
Medea Æetæ Colchorum regis filia crudeliſſima 155
medici ex commentario qui dicantur 304
medici quid commendent 265
medico ea qua curationes morborum reſpiciunt, tractanda 689
medicorum axioma 94
medicorum factum Latronum facto deterius 212
Medicum familia 301
mediocritas quid præſtet 573
mediocritatem quomodo aſſequamur 510
medius digitus qualis 134
Medorum deliciæ 466
medulla quid dicatur metaphorice ſumpta 93 94
Megabyces rex Perſarum 66
Megadorus quid à ſorore petierit 516
μεγαλόδωρος quis 731
μεγαλόφωνοι qui 117
Megarenſes olim Corinthiis vectigales 678
Megarenſium fraudulentia 349
mel ubi perniciofiſſimum 658
mel Atticum & Hymettium 291
Melampygus lapis 207
μελάμπυγος quis dicatur 498
melancholici cur manes ſuos ſe videre putent 16
Melanionis odium in mulieres 613
Melanti principatus 533
Melanuri aſtutia 623.625
Melanurus Perea ductor ibid.
Melanurus piſcis unde dictus ibid.
melanuros piſcis 516
μέλαν & μελάνω 199.200
Meleager 91
Meleager flammis conſumptus 154
Meleager Glauconis filius 363
Melas Pelaſgo quare oraculum redditum 104
Meleſia inſuperabilis eloquentiæ vir 372
Melia civitas, & genus arboris 278
meliores nota homines qui dicantur 650
Meliſſa dictum 324
Melita inſula 361
Melitidis auxilium everſa jam Troja 681
Melitidis ſtultitia 400 401
Meliti interitus. 729
Meliti qui dicantur ibid.
μέλιττα quid 394
Melitus poeta tragicus cur διδάσκαλος vocatus 2.43
Melus oppidum 564
Memmius Romanus 736.564
memoria adempta exempl. 541
μεμυῆσθαι quid 542
memorem monere 337
memoria carentes quibus perſimiles 282
Memphis urbs 334
Menander aleatorem alea inſigniter deditum quomodo nominet 312
Menades mulieres quæ 71.72
mendacium acriter punitum 430
mendaces quid lucrentur 618
Menecrates Syracuſanus 628
Menedeſii qualia habuerint numina 412
μηλῶσος quid 407
Memmius paternorum maternorumq́ bonorum abligurritor 702
mens multo cibo potioneq́ madida altum ſapere non poteſt 268
mens ſapientiſſima, fulgur aridus ibid.
menſa ſacra antiquis 80.81
menſes primus & ſecundus quib. ſacri 614
in Menſura defraudare qui dicantur 143.144
mentis compotes, impotes 768
mente agitare coquos qui dicantur 453
mente captus quis dicatur 669.667
de mente exire qui dicantur 383
mentem dare 129
mente ſenex quis dicatur 609
mentis acies quo hebeteſcat. 522
meracum olim poſt convivium inferri ſolitum 102
Mercurius & Hercules apud Ægyptios idem 350.351
Mercurius ſolemniorum delator Conſtantii 425
Mercur. orationis author 35
Mercurius prima ſors, idem viatorum deus 554
Mercur. cur inter ſuperos & inferos medius fingatur 448
Mercurius cur triceps fingebatur 55
Mercurii Munera 742
Merc. cognomina varia 349
Mercurii virga 528
Mercurii magicum ſimulachrum 524.525
Mercurii ſtatuæ plures 398
Mercurii antrum ingredi qui dicantur 203
Mercurii virga 342
Mercurium cur Ægyptii in Hieroglyphicis notis juvenili ſpecie ſeni aſtantem pinxerint 624
Mercurius cur ἀργειφόντης appellatus 552
Mercurius deus orationis 317
Mercurius eloquentiæ antiſtes 232
meretrices à Theocrito quomodo vocatæ 601. 602
meretrix quadrantaria quæ 319
meretricibus ubi honos maximus 409
meropes qui dicantur 385.317
merops Triopæ filius ibid.
μέροψ ἴχνος 6
Merrha locus 171
meruiſſe quid 570
Meſſapius poeta 198
Meſſenius corde hirſuto 310
Meſſenii cur in ſervitutem acti à Lacedæmoniis 276.177
meta quomodo olim ſignata 435
μετάσταλτος quid 102
metaphora aſſidua adagiorum comes 2
Metelli dictum 283
Metelli Numidici tabula 452
μέθη quid 84
Metra puella varietas 344
metus exanimatum quendam fabula 698

metus Dei, ſapientia initium 51
metus quid 501
meum & non meum in beata Rep. non debent eſſe 42
Mezantii crudelitas 197. impietas ibid.
μικρολόγος qui dicatur
μικρολογία 85
Midas homo otioſus & avarus 216
midas Phrygiæ tyrannus 214
midæ currus 570
Midæ cur aſininas aures dederit Phœbus 399
Midæ fabula 80.81
midas vermiculus & iactus talorum 100
μιγάδες quid 513.514
migrare ex ingenio ſuo 530
miles Atticus quis dicatur 219
Mileſia unde dicantur 468
mileſiorum luxus ibid.
mileſius Dionyſius 192
mileſius quis dicatur 468
militantes quomodo cincti 467
milites mercenarii primi qui 227
milit Nigri præliatures pecuniam Reip. commendabant 563
militum glorioſorum inſignia 216
militia quid requirat 202
militia Chriſtianorum qualis 279
militaris vita incommoda ibid.
μίλαξ quid 178
Milonis Crotoniatæ robur & exercitium 743. 744
μίλτος quid 500
mimice quid 683
milvii quando prodeant 540
milvii quibus ſacri 720 721
Mindarus Lacedæmoniorum Rex 166
Mimnermus poeta 191
mimus quid 716
Minerva tibia unde confecta 593
Minerva maſculos exhibere dicitur pueros 733
Minerva quibus præeſſe dicatur 412
minii quanta cura Romanis 741
Minerva γλαυκῶπις 185 186
Minos quomodo à poetis appellatus 194
Minotauri annuum ſacrum 214
miraculum Æolicum 313
miremur quæ maxime omnes 316
μισάνθρωπος cur Timon Athenienſis 663
miſereri afflictorum nihil humanius 144
miſſus Theſſalus quid 446
mithra Perſis Sol 572
Mithridates Ponti Rex 618
Mithridatis Pontici elogium 635
Mithridatis Ponti Regis dictum 144
μισο... ἀγύρται qui dicantur 312
M. litera ſignum quale 74
mnemones qui 540
mnamones Germanici 637.638
mnaſea Patrenſis 675
mnaſea colophonis Salpa dictus 349
mnemoſyna ſacrum quale fiebat 84
qui moderatis conſentus non vult eſſe, quid illi debeatur 772
modeſtia benevolentiam allicit 585
modius & μέδιμνος, idem 471
modo non, quid ſignificet 470
molaris corona 174. & 175
moleſtarum rerum nomina 514
Moliones filii Actoris 191.192
molles qui cenſeantur 464
mollia quæ dicantur in artibus 73
mollis articulus quid 366
mollium hominum conſuetudo tanquam peſtis certiſſima vitanda 295
Molonis dictum in Platonem 263
molones duo 589
moly herba 367
momi qui dicantur 626.621
μῶμος quid ſignificet 58
momus quid in hominum pectore deſideraris 449
momus à diis arbiter electus 58
monachi noſtra ætatis quales 654
monachi mendicantes 298.299
monachorum reges taxantur 515
monachi quomodo olim & nunc dicti 156
monachi indoctiores qui 303
monachorum propria ibid.
monachos totius orbis peſtis ibid.
μονάς, iactus talorum 130
monetarii quid dicantur 124
μονοχρώματα, pictura 351
μονόξυλον quid 29
monomachia apud Piſam 228
monoſyllaba & diſſyllaba nomina quibus conveniant 153
monſtrum quid dicatur 549
in montes offendere qui dicantur 433 435
circa montis radices hærere quis dicatur 144
montium partus fabula 270
monumentum Xerxis 142
mora quando profit 244
mora fructus quando appareant 595.596
mora edaſa 683 684
mora unde damnoſa dicatur 745
morbum iurare qui dicantur 619
morbus graviſſimus quis 522
morbi animi qui 655.656
mordere frenum 32
more canino vivere qui dicantur 425
more maiorum petere, quid 421
mores ad honeſtarum artium præſcriptum corrigendi 432
mores hominum verſipellium noſſe difficile 315
mores prætextati qui dicantur 415.416
de more ſuo decedere 374.375
more Timonſano 69
mores quando formandi 321
μορμώ qui dicti 382
μορμολυκεῖον μορμολύττεσθαι, quid 320
morphnos aquilæ ſpecies 205
mors omnium beneficiorum optimum 743
mors animo æquo ferenda 717
morſimus poeta Athenienſis 22
mors omnium vitæ actionum finis 341
mortalis nemo perfectus 17
mortales omnes è terra naſci 533.537
mortis intus, convicium quale 386
mortualia quid 281
mortuus ubi cum lætitia efferantur 713.714
mortuos allatrantes quibus comparentur 326
morum pernicies à bello provenit 257
morum bonorum ſimilitudine quid amabilius 48.49
morum canities laudanda 690
mortuos plurimum in ore habere, ... 326
mortuorum rogo ... mos 541
moſchus citharœdus 455
μόθων quid 176.177
motus vitæ argumentum optimum 218
movere baculum qui dicantur 618.619
Moyſi virga 98
mucius quid 676
muccius quis dicatur ibid.
mugil piſcis qualis 585
mugilum velocitas 43
mulcta quibus dicebatur 113
mulæ cur non pariant 534.337.538
mulier quale animal 286
mulier affecta acate bis virum requirit 237.238
mulieres apud poetas ſemper male audiiſſe 151
mulieres Hollandicæ ibid
mulieres cur irritabiles 633.934
mulieres omnium fere calamitatum autores 252
mulierum zelotypia 692.693
mulierum officium 692
mulierum quæ in partu adſunt mos 462
mulier ampullacea quæ dicatur [illegible]
mulier animal quale 281
mulier bona unde noſcatur 253
mulieres incoctæ quæ dicantur ibid.
mulieri non credendum 252
mulierum grex quo nomine male audiat 280
mulierum proprium 624
mulier ſathanæ opus 253
mulſa efficta quæ dicantur 51.52
mulſum quid ibid.
multa prudenter incepta cur infelicem ſortiantur exitum 342
multiloquentia vitanda 277
multitudinis licentia perniciosiſſima 217
mundi principia quæ 727
mundi principia 710
mundani & Chriſtiani diſcrimen 654
munera quæ diis primo oblata 390.386
munerum potentia 63
Munychius & Munychia Diana 404
murænæ quales habeant dentes 311
murem audire acerrime 399
mures domeſtici ſalaciſſimi 361
murus ferreus in acie quid 161
Muſæ quando infelices 106.107
Muſæum menſa Ægyptia 192
Muſas hortari ut canant, qui dicantur 596
muſca qui dicti 561
muſcarum impudentia 359
muſcarum natura ibid.
muſcam indocilem eſſe ac ſemimaſculam 390
muſica natura 180
muſica quomodo conſtet & perpendatur 171. 172
muſica non recipit mediocritatem 34
muſices bonos apud antiquos, & quid ſub hoc nomine comprehendatur 371
muſica ſcientia qualis 349
muſica harmonia quod olim & nunc ſpectet 171
muſicarum harmoniarum diverſitas & vis 518
muſicos eſſe imbelles 663
μουσικώτερος 285
muſtella animal inauſpicatum 373
muttire quid 769 770
μῦ qualis vox & litera ibid.
μύζειν quid ibid.
Myconus inſula 764
μυκτηρίζειν quid 265
μύλλος quid 157
μυωνία quid 561
μύραινα quid 511
Myrmidones qui & unde dicantur 89
μυροβάλανοι qui dicantur 468
μυσαχνὲς quis dicatur 87
μύουρος, μύουροι quid 460
Myſcellus 516
Myſi ciendo luctui appoſitiſſimi 581
Myſi populus 139
Myſi ... iniuriis obiecti 693
myſteria Theologiæ impiis non prodenda 421
Myxus Dianæ ſacerdos 583
Myxus aſtutus & faſtuoſus 354.355
Myxus Dianæ ſacerdos ibid.

N.

NL. cuius rei nota 159.170
ναύα quid 130
Nævius quid 747.748
Naphtha quid 196
Narciſſi divitiæ 319
Narciſſus quomodo abſumptus 696
naris acutæ homo quis dicatur 610
Naſica cur corculus appellatus 689
νάρθηξ quid 430
naſſa quid 206.207
naſturtium unde dictum 397
naſus cui dicatur 165
nativitas omnes facit pares 565
natrum non facile mutatur 387
natrix quid 362.363
natura coturnicum quæ 64
natura cur accuſanda 450
naturæ lex quomodo comparata 219
natura ſecreta ſtultis non inveſtiganda 293
natura paucis contenta 158
natura univerſa poeſis ænigmatum plena 290
naturam numeroſis rebus capi & deliniri 641
naturam inſtitutioni præferendam 345
natura quomodo ſua munera largiatur 735. 736
natura quomodo ab uſu differat 483
natura vis repugnat ibid.
naturæ efficacia ibid.
ναυαγεῖν unde dictum 646

natu-

naves dita Athenis publico uſui deſtinata 227 228
in Navibus nutriti qui dicantur 303
navigatio facilis qua 629.630
navigatio prima qua 605
Naupactus civitas & unde dicta 53
Nauplii actum quid 591
Nauplius Palamedis pater 154
Nauſiclides homo ſolitarius 169
nauta unde divitent 462
nautæ quando certius navigant 593
nauticum genus ſuo elemento reſpondet 402
nautilo piſcis qualis 527.528
Naxum & Naxium marmor, & inguis 256
ναυκλῆρος quis dicatur 554
nebrida ferre qui dicantur 695
per Nebulam audita 303
nebulones unde dicti 702
neceſſariam fortunam terere quis dicatur 535
de Neceſſariis in tempore proſpiciendum 129
neceſſarium sui anteponendum ibid.
neceſſitas conſiliorum inventrix 569.567
neceſſitas omni arte efficacior 567
neceſſitas rerum magiſtra ibid.
neceſſitatem edere quis dicatur 553
neceſſitate potentius quid 221
neceſſitatem in virtutem commutare qui dicantur 553
neceſſitati fatali parendum 29 30
νεκρὸν ἐλεεῖν 77
nectar qualis potus 192
negligens quis dicatur 379
negotia divina hominum moribus non inferenda 773
negotia hominum quibus ſimilia 716
negotium periculoſa alea plenum cavendum 770
Neida in avem eſſe mutatam 2[illegible]
νεία quid 528 529
Nemeſis dea 584
Nemeſis unde dicta 715
Nemeſis quales non ſinat impunitos 280
Nemeſius à Nazianzeno quomodo vocatus 196
Nemeſius ornamentum juris & eloquentiæ 48
nemo non aliqua in re deſipit 310
Neoclides rhetor 762
nepa quid 527
nepotes qui dicantur 313
Neptuni fabula 570
Neptuni filii qui dicantur 155
Neptuni liberi quomodo vocentur 74
Neptunus à Minerva victus 265
nequam qui dicantur 145
Nero Imp. muſicus 365.366
Neronis ſtatuæ culleum impoſitum fuiſſe 362
nervi imperii, pecunia 227
nervis quid contineatur ibid.
Neronis dictum 290
in Nervis quid exiſtat 122
nervos addere. quid ibid.
nervos incidere quid 292
nervoſa quæ dicantur 119
Neſſus Centaurus 770.771
Neſtor bonus conſultor 33
Neſtor inutilis bellator ibid.
Neſtor Pylyorum dux 611
Neſtor quomodo à Nævio vocatus 634
Nexi qui dicantur 135
nexu ſolutus quis dicatur 453
νηκία: quid 279.280
Niba vicus 535.538
Nicias cunctator 682
Niciæ unde cognomen datum 352
Nicias dux cur cothurnus cognominatus 357.358
Nicolai Perennoti Burgundi ſymbolum 107
Nicon Thrax 576
Nicoſtrata cur Themis dicta 392
Evandri mater ibid.
niger quis dicatur 313
nigri qui dicantur 314
nigro lapillo qui notati 80.81
nigrum pro inauſpicato 58
Nilus fluvius 581
nimietas omni in re peccat 472
Nimium ingratum 512
Ninus Aſſyriorum rex 257.258
Niobe in ſcopulum verſus 278
Niphlim gigantes unde dicti 196
νίψον ἀνομήματα 47
nitedula quid 599
nivem albam negaſſe quendam 15
nobilitas empta, aut nuper nata non magni fit 554
nobilitetur quis unde 534
nocentium proprium 501
nocere quis dicatur 234
nocere valentes ne tentes 728
noctis partium dimenſio priſcorum 238
noctua volantis ſymbolum 103
noctua Minervæ ſacra numiſmati Athenienſium inſculpta. ibid. & 237
noctua cur numiſmatis inſculpta 215
noctu conſilta urgenda 129
nocturno congreſſu quid uſu venire ſoleat 579
nocturnum tempus infauſtum 314
nodorum vincula texere quid dicuntur 335
νομάδες quid 202
Nomades Africæ populi 226. unde dicti ibid.
Nomadicam vitam agere qui dicantur ibid.
νομάδιν quid ibid.
nomina caprarum qui recenſere dicatur 142
nomina rebus quomodo impoſita 650
νομοφύλακες qui 456
Norvegia regio nemoroſa 22
noſtra quæ proprie poſſint dici 133
notitia rerum carentes quibus perſimiles 288
nothi ubi exercebantur 373
Notus ventus 479
noverca mortua privignum occidit 252
novi homines qui dicantur 539
novus iſte Palaphatus quis dicatur 279.280
nox ad quid idonea 129
noxæ dediti qui dicantur 453
noxa quid ibid.
noxa ſolutus quis dicatur ibid.
noxia ſoluti qui dicantur ibid.
nox unde derivetur 129
νυμφίου quid 690
nubes futuræ tempeſtatis ſigna 73 74
nucum luſus quibus conveniens 530
nudato Petro Paulum tegere qui dicantur 370
nugæ cur aniles oculus Evangelia vocentur 280
nugæ quæ dicantur 701
nugator quis vocandus 281
nullo numero eſſe qui dicantur 147
nullum ſimulatum diuturnum 147
nullus aleator ſapientior quis dicatur 327
Numæ libri quomodo à carie D. ſervati annis 181
Numenii Apamenſis Syri, Philoſophi Pythagorici dictum 650
nomen medicorum, Hippocrates 676
Numerenus quis 599
Numeriani interitus 118
numero non offendi rationem 171
numerorum myſteria 614
numeros impares ad omnia eſſe efficaciores 53
numeroſa oratio quæ dicatur 771
numerum augere 250
numerus quid 148
numiſma Athenien, quale 520
nuncium qui remittere non poſſint 618
nuncium remittere ibid.
nunquam ſecum benigne agere quid dicantur [illegible]
nuptæ ſandaliis non utebantur 211
nuptæ novæ quomodo cincta & diſcincta 734
nuptiarum antiqua ceremonia 645.767
nuptiarum poſtero die quæ pompa fiebat olim 471
nutrices quot ſingulis diis antiqui adſcripſerunt 53
nutrices quales habeant veſtes 747.748
nutrimenti capiendi genera quæ 268
nutu efficere quid 544

O.

OBæratum eſſe, & mentiri, cohærere 714
ὀβελίζειν 126
ὀβελίζειν quid 152
obducere ſerenis rebus tenebras 108
obeſiones inertes 57
obeſi quomodo à Perſis vocati 415
obeſi infames Laconib. 589
obire provinciam 761
oblivionis lex 754
oblivio, injuriarum remedium 30
oblivionis mater quæ 693
ὀβολοςάτει, ὀβολοςατεῖν 82
obolus quid 132
obolus quibus Athenis ex ærario datus 132
obſcœnorum hominum conſuetudo 285
obſequium ultroneum ingratum 183
Octavius Auguſtus 438
Octavii Cæſ jocus 47
obvenientia fortuito inſtabilia 729
occaſio virtutis, calamitas 695
occulta inimicitia timenda 396
occupare quis dicatur 108
Ochus Perſarum rex quomodo ab Ægyptiis vocatus 107
ocioſi qui dicuntur 365
Ocnus apud quos induſtrius 343
Ocnus quis ibid.
Octavia Meſſalinæ filia 550
Octavii magnanimitas 241
Octavii Cæſ. dictum 503
octo deos eſſe ſumma rerum præſides 570
oculata fides quæ 181
oculi quid 196
oculis alienis intueri qui dicantur 612
oculis arbitrari quid 881
oculis clauſis agere vel perſtringere qui dicantur 431.432
oculis ferre quid 368
oculiſſimus homo quis dicatur ibid.
oculis alienis agere 201 202
oculis ferre quid 580
oculis amor potiſſimum conciliatur 50
oculis ineſſe ſedem animi ibid.
oculitus amare 632
oculos animantium ad ſpeculorum imaginem factos eſſe 581
oculos qui ſibi effoderint ibid.
oculorum ægritudines quæ ab Alexandro dicantur 558
oculorum ſenſu nihil charius 48
oculorum ſenſus chariſſimus 58
oculos avertere 618.619
oculos dolore de quibus dicatur 58
ocymacantare, quid 477
ὀκνοφόρος quid 369
ὀκνηρὸς κιθάρα quid Timotheo poeta ibid.
odii principium vituperatio 147
nullum Odium ſuſcipiendum 49
Oedipi imprecatio 225
Oedipi Laii indigne factum 155
Oedipus ſuos filios execratus eſt 223
Oedipo ænigma objectum 548
Oeneus 52
Oenoe vicus 490
Oenomaus pater Hippodamiæ 319
Oenomaus rex Piſæ ibid.
œſtrum, οἶστρος quid 443
Oeta mons 714
officina quid 558
officium eadem menſura vel majori remetiendum 735.736
offis Romanos olim victitaſſe 350
offucia quid 305
ὀγκεῖ· ἐσοίχεται 376
ὀγύγιον quid 669
Ogyges Neptuni & Aliſtræ filius ibidem, Thebanorum rex ibid.
οἴμοι quid 56
οἴμοι quomodo Latine 478
οἶνος quid 508
οἰνοπέδοχος, οἰνοχοεῖν 443
olei cedrini virtutes 195
abſq; Oleo pingere qui dicantur 338
olei natura 498
oleribus verba facere qui dicantur 336
ὄλεθρος quid 314
oleum in auricula ferre quis dicatur 18

Oleum in ſacris literis quid ibid.
Oleum ore ferre qui dicantur ibid.
Oleum plantis infeſtiſſimum 553
Oleum duntaxat cur Homerus ὑγρὸν vocarit olei uſus 250
olfacere fumum quis dicatur 87
ὀλιγωρεῖν 130
Ollius letho datus 540
ὄλμος quid 607
τὸ ὀλοσχερές 6
ὀλύμπιος quid 757
Olympia Morantha Fulvii Peregri 215
Olympus Marſiæ diſcipulus 124
ὀμβρία quid 605
omnia eidem non adeſſe 104
omne nimium vitandum 513
omnes effugere, difficile 170
per omnes numeros cognoſcere 250
omnia aperto animo facienda 249
omnia judicia abſolutoria 436
omnia omnibus annuere qui dicantur 635
non omnia ſcire, jucundiſſimum 159
omnia venalia habere quis dicatur 357
omnibus in rebus prudentia adhibenda 774
omnibus judicibus victor quis dicatur 59
omnibus moriendum 730
omni cuſtodia cur cor cuſtodiendum 609
in omni negotio qui vitandi 774
ὁμογάστριοι qui dicantur 265
Omphala Lydorum regina 37 660
Omphales Lydorum regina impudicitia 164
Omphax quid Græcis 240
ὀμφαλός 124
onagrorum venatio 473
onager animal quale 150.387
onagri natura ibid.
ὄναρ & ὕπαρ quomodo differant, & unde deriventur 402
ὀνειροπολεῖν 731
ὀνειράττω, ὀνειρώττω 697
onerare Zamia quid 382
oneraria quid 586.387
onocephali qui dicantur 671
ὀνοματοθέτης quis dicatur 650
ὀνοματουργός quis dicatur ibid.
ὄνος pro lapide molari 175
ὄνδιος quid 699
ὄνθος quid 649.695
opera bona quæ dicenda 660
opera famuli ubi neceſſaria 689
opera furtiva 201
operam quis perdere dicatur 392
opes cur inſidientur 480
opes flagellare qui dicantur 229
opes quibus contingant 215
opes ingentes vix parari ſine fraude 214
opes cur parentur 153
opes quantum noceant eccleſiæ 617
ὄφις quid 544
Opicus Italiæ populus 248. unde dictus ibid
opinio potior ipſa re 434
opinio quomodo firmetur 91.92
opipara fercula hominem ad quid irritent 168
ὀπώρα quid 195
oppido pro valde, unde 470
opportunit. vis quanta 687
oppoſitio perfectiſſima 204.205
optima ſemper ſectanda 129
optimatibus quid cavendum 467
opulentia confidentiam parit 584
opulentia penes quos ſit, & quos fugiat 563
opulentia luxus & intemperantiæ genitrix 466
opuntius luſcus 214
opus eſſe ingenii fœtum 31.32
opus arduum cui oſſibus teredo 664
opus ſathanæ explere qui dicantur 253
ὀρθρογόης quid 67
ὥρα quid 195
oracula quæ olim præcipua 246
oracula nulla certiora antiquis quam Apollinis 612
oratio blanda à Diogene quomodo appellata 358.359
oratio cibus eſt animi 175
orationibus deos lætari maximo 448
orationis præſtantia ibid
oratio fluida quomodo à Zeze vocetur 754
orationem cui Horatius aſſimulet ibid.
oratores cur ἀμαγοὶ ſive ἀνάγωγοι dicti 82
Oratores pacem petituri quid prætendere ſoliti 164
oratores quomodo ab Athenienſibus appellati 234
oratorum laus ibid.
orator quis dicatur 234
orcini qui dicantur 588
ordo in acie quid 229
ordinum apices qui dicantur 588
Oreſtis parentale convivium 659
ore alieno manducare qui dicantur 500
Oreon urbs Eubœæ 596
Oreſtes & Pylades quomodo ab Euripide nominati 354
Oreſtis ſomnium narrare quis dicatur 420
organi muſici conſiſtentia 11
Oribaſius medicus 361
origanum herba 525.696
Origenes cur adamantius vocatus 256
origenes fontium quomodo appellentur 216
Orithyia ubi à Borea rapta 233
ὅρμος quid 598
Oromedon mons 61
Oromedon mons altiſſimus ibid
Orontes Artaxerxis regis gener 265
ὄρος quid 178
Orpheus, antiquiſſimus Græcorum theologus 676
Orpheus poeta 354
Orpheus ubi occiſus 284
Orphicam vitam agere qui dicantur 269
Orphica vita à quibus rebus pura ibid
Orthus frater Cerberi 552
oryges quid 38
os ipſo aſpectu 535
ὄχος quid 506
ὀχοφορία 714
oſcitantia quid Latinis 517
oſcitantem videns cur etiam oſcites ibid.
oſcitatio unde dicta 288
Oſcorum mores 317
oſſa quid exiccet 665
oſtentatores qui dicantur 66
Oſyris adoleſcens qualis 245
Oſyris Ægyptiorum 241
Oſyris & Typhon fratres 268.424.425
oſtiatim pro ſingulatim 509
oſtraciſmus quid 261
[illegible] 248
Otius & Ephialtes filii Aloëi 668
Oti qui dicantur 668.86
Otus avis ibid. quomodo à Latinis appelletur ibid. quomodo & cur capiatur ibid
Otus noctuæ ſimiles ibid.
ova aſpidis rumpere 492
ova aſpidum edere qui dicantur 493
oves quis dicantur 671
ovis cur Samiis ſacra 21
ovium quando nulla utilitas 494
ovium natura qua 398
ovum decimum majus cæteris naſci 575
ovo depili nudiores qui dicantur 566
Oxyodontes qui dicantur 148
[illegible] quid 144
ὄζος quid 144.87
ὀξία quid 108
ὀξεῖα quid 50

P.

Παχυλῶς quid 142
παχυνεῖν quid ibid.
Paci ſtudendum 552
Pactolus fluvius 213
Pacuviana fabula cur delectationis plena 372
Paan Apollinis cognomen 427
Pædagogi ſive præceptores cur Calmenſeri dicti 147
Pæon Deorum medicus 94
Pagani qui dicantur 150
Paganum teſtamentum ibid.
Pagurus ſapientiam quis habere dicatur 609
Pagurus cancri genus ibid.
παιδομαθής quis dicatur 420
παιπάλημα quid 356
παιπάλη, παιπαλᾶς quid 308
παλαιομάγαδις 150
Palæphatus narrationum fabuloſarum ſcriptor [illegible]
Paleſtæ menſura 714
Paleſtra quid 713
in Palæſtra non armati, ſed uncti comparere ſoliti, & quare 713
Palæſtra quomodo corpus formet 712
παλαίστρα 178
Palamedes in philoſophia excellens 192
Palamedes Nauplii filius 568.[illegible]
Palamedis inventa 389
Palamedis vafricia 325
παλάθη quid 498
παλίμβολος quis dicatur 516
παλλάδιον quid 256
παλιμπαις 406
παλιγγενεσία quid 529
Palinuri dictum 417
Palladia artes quid fugiant 509. quid armis ibid.
Pallas Athenienſium protectrix 61
Pallas Polias 159
Palladis cantilena 541
Pallene Thraciæ urbs 41
Palma natura, & cur victoriæ ſignum 702
Palpare, palpones 289.290
Palumbes quomodo ſe muniant 593
Palumbes quomodo ſoleant nidum ſuum luſtrare 620.621
παμφάγος quis 452
πανδαισία quid 86
Pandeletus ſycophanta 71
Pandion Athenarum rex 177
Pandora dolium 299
Pandora fabula 635.636
Panætius philoſophus 107
Panegyrica oratio quæ dicatur 372
Panegyris quid ibid & 378
[illegible] quid 319
Panidis judicium de Heſiodo & Homero quale 429
Panionium concilium 571
Panis inventio 503
Panis genera varia 471
Pane fœdus inibant Macedones 47
Pane olim amicitia conſecrabatur, & quid Panis diſtributio Chriſtianis 716
Panuria ebrietas quæ 177
[illegible] urbs 711
[illegible] qui 626
Pantolabus ſcurra ibid
[illegible] 150
Panis quid oo. cur ſic appellatus ibid.
Paphlagon quis 80
παφλάζω quid ibid.
[illegible] quid ibid.
Papiſtica impietas 730
Papula quid 23
Papulas alienas obſervans, ipſe ulceribus obſitus quis dicatur ibid.
Papus quis 148
Papyrius prætextatus 132
Papyrii Curſoris prudens factum 457
Papyrus quid 93
παραχορδίζειν 36
ὑπὸ [illegible] ſaxum 691
παράδειγμα quis 91
παράδοξον quid 716
παρακαταθήκη qui dicantur 577
παράθεσις qua 471
παρακλητικὸν quid 396.397
Paraſito nihil oleribus inimicius 366
Paraſitorum epitheta 560.561
Paraſitorum nomina qualia 134
Paraſitus ad nullam honeſtam functionem aptus 386
παράθεσις quid 660
Paratus in utrunque quis dicatur 317
πάραυλα μέλη 37
Parcarum fuſi 434
Parcior ornatus laudabilior 518
Pardalis quale animal 512
Pardi exuvio amictus quis dicatur 308
πάρεργον quid 201
παρρησία quid proprie 346
Parta facere 293
Paridis lyra quando extiterit 412
Parietes amicitiæ cuſtodes 221
Parietum conſtruendorum inventum 114

Parii fœdifragi 348
[illegible] 184
Paros inſula ibid.
Parmeno mimus 186
Parnetis inſtitutum 570
Parnus qui 679
Parœmia quid, ejus proprium quid & quatenus 1
Parœmia quæ optima ibid.
Parœmia unde dicta ibid.
Parœmiæ unde novitas accedat 2
Parœmiarum commendatio & utilitas 2.3. & inde
Parœmia quomodo differat ab his quæ illi videntur eſſe confinia 2
Parrhaſius pictor 34
Parricidium quid & unde dictum priſcis 362
Parricidarum pœna apud Romanos 374
Partes boni viri 13
Parthicus luxus 466
Parthos fugere conjecto jaculo 493
Parturitionis initium, violatio 558
Partus legitimi qui 217
Pariphis qualis veſtis 216
Parva magnarum calamitatum ſigna 555
Paryſatis Cyri & Artaxerxis mater 234
Paſiphae regina Cretæ 224
Paſes præſtigiator 758.759
[illegible] 133
Paſſalus & Acmonus fratres cur in ſaxa converſi ibid.
Paſtillus quid 172
Paſtinaca piſcis 13
Paſtoris boni officium 615
Paſtorum voluptas 550
Paterfamilias quis 318
Paterfamilias diligens quis 132
πάθη, affectus quales 375
Patibulati qui dicantur 366
Patriæ ſaluti qui ſuam vitam impenderint 594
Patricii antrum in Hybernia 440
Patrisfamilias prudentis & cauti quid ſit 604
Patrocli mores 699
Patroclus cur Achillis armaturam flagitarit 93.94
Patroclus cur haſta Achillis abſtinuerit 525
Patroclus Lætus 307
Patruos ſapere qui dicantur 530
Pauca in convivio loquenda 677
Pauli Manutii induſtria 348.349
Paulus Bombaſius Bononien. 274
Paulus Canalis 713
Paulus Cathena 164.165
Pavo avis ſuperba 67
Pavo cur ab Ovidio Junonia volucris nominatus 466
Pavonis more rotari qui dicantur 67
Pavonis pulchritudo inimitabilis ibid.
Pavonis ſuperbia ibid.
Pauperi nulli amici 740
Pauperis cognatum reperire difficile 567
Paupertas artium omnium repertrix ibid.
Paupertas timidos facit 148
Paupertatem ut effugias, quibus opus ſit 584
Pauſam dare 761
Pauſus Deus qualis ibid.
Pauſon pictor 189
Pax quid, & ejus commoda 298
Pacem iniquam præferendam bello æquo 298
Pacis veſtes quæ 343
Pacem petentium mos 164
Paxillo ſuſpendere 365.366
de Paxillo ſuſpendere quis dicatur 365
Paxillus quid 00. unde dictus ibid.
[illegible] & [illegible] quid 00
Pectis genus organi 136
Peculium quid 95
Peculium re non verbis arguendum 701
Pecunia altera hominis anima 217
Pecunia vis ibid.
Pecunia imperii nervi 707.708
Pecunia unde dicta 365
Pecuniam ut pecunia pariat contra naturam eſt 746
pecunia vis 522
Pecunia ſacra quibus commiſſa olim 182
Pecunia mortalibus anima 390
Pecunia ineſcari 354
Pecunioſior quis 220.88
Pecus tondendum, non deglubendum 293
Pedarii ſenatores 674
Pedem alterum in Charontis cymba habere qui dicantur 384
à pedibus equinis cur ſecedendum 212
à Pedibus quos vocemus 640
Pegaſius nuncius quis dicatur 246
πειθὼ vocis ſignificatio 200
Pitho Græcis perſuadendi dea 762
Pitho veneris filia ibid.
Pelaſgi gens valida & numeroſa 381.382
Pelaſgi qui, & unde dicti 357
Pelaſgi Attica pulſi quomodo ſe ulti ſint 577
Pelei gladius 63
Peliæ fabula 592
Peliam recoquere qui dicantur 538
Peliæ Neptuni filia. ibid. unde dicta ibid.
Pellene Atticæ oppidum 129
Pellenæ civitas 93
Pellis victimæ uſus 688
Pellis hyænæ Ægyptiorum ſymbolum 617
Pellium lupinarum vis & natura 553
Pelops Tantali filius 166. ditiſſimus ibid.
πηλοφορία 132
Pelopidarum familia 353
Peloponnenſes puellæ quomodo incedere ſolitæ 318
Pelops quomodo Oenomaum ſocerum vicerit 189
Peneſtæ qui 679
[illegible] quid ſignificet 58
[illegible] quid 236
Pennarum aquilarum vis & natura 553
Pennas incidere, quid 160
Pennas majores nido extendere qui dicantur 756
Penſum abſolvere 575
πένταθλος vir undecunque doctiſſimus 669
Penteconterus navis 138
Pentheus ſero Bacchum eſt veneratus 635
[illegible] 132.133
Peplum Palladis Poliadis 189
Peplum quid 198
[illegible] quid 404
Perca piſcis 338
Perca cur melanuros comitentur 465.466
Percolare vinum 669
Perdicia [illegible] 475
Perdicis frons 334
Perdicis præſervatio 292.293
Perdicis vafrities 64
Perdicis venatoris interitus ibid.
Perdix alienum ovum cur incubet 334
Perdix quomodo auribus faſtidium creet 279
Perfidis tutus locus nullus 108
Pergæa Diana unde appellata 351
Periander Corinthius 168
Periandri conatus 75
Pericles [illegible] 439
Pericles copiam ſuam quomodo & in quos partes ſit partitus 105
Pericles quomodo Elpinicæ, Cimonis præclari ducis ſorori, os obſtruxerit ibid.
Periclis Athenienſis oratio qualis 233
Periclis Athenienſis patientia 30
Periclis filii quales 364
Periclis dictum 44
Pericles totam Græciam miſcuit 140
Pericles quales fecerit Athenienſes 595
Periculum multarum rerum non intelligitur, niſi experientia 296
Periculoſis in rebus duo adhibenda 91.92
Perilli taurus æneus 153
Perilli inventum in ſuum ipſius caput recidit 477
Periodus Theologis quid 454
[illegible] quid 89
[illegible] quid 211
Pernoctes debacchationes quid moneant 482
Pero Vergilii maſtix 424
Perperi fratres 207
Perperi fratres in ſimios verſi 187
Perpetuum nihil patitur natura 592
Perſæ cuiuſpiam apoph. 450
Perſæ quomodo natales celebrent 470
Perſæ quomodo lautum cibum appellarint 444
Perſæ cur homines adunco naſo pulcherrimos eſſe exiſtimarint 416.417
Perſæ natali ſuo quid facere ſoliti 464
Perſarum rex quot victimas quotidie jugularit ibid.
Perſicus apparatus ibid.
Perſarum rex quomodo excitabatur 665
Perſarum mores 734
Perſeus Danaes filius 99
Perſona non ſemper in malam partem 756.757
Perſonati qui 305
Perſonam, non faciem gerere qui dicantur ibid.
Perſonatus homo quis dicatur 273
Pertexere, pro perficere 11
Pertica pro decempeda 596
Pertinax imperator 716
Pertinax cur Chreſtologus dictus 28
Peſſimum vicinum quis habeat 498
Pet[illegible] quid 237
Pedum meretricum proprietas 27.28
Pedes intumeſcere frigore 562
Peſtilentia fugienda 616.617
Peſtilentia nomine formidabilis ibid.
Peſtis Italica qui dicantur 314
Petere diurnum qui dicantur 563
Petere majorum more quid 421
Peti principium quid 679
Petitioni ſuæ ſecurim injicere quis dicatur 492
Petri Victorii patria 424.425
Petrus Victorius vir doctiſſimus 501
Petrus Ægidius 724
Petrus Bembus 241
Phæax apud Homerum 310
Phæaces qui dicantur 768
Phæacum convivia qualia 469
Phæacum more vivere quis dicatur 413
Phænippus ſuinus, & ſcortorum amoribus deditus 715
Phagones qui dicantur 413
Phagonis voracitas 80.81
[illegible] quid 268
Phalaris Leontinis victis quomodo imperarit 458
Phalaridis crudelitas 153
Phalera quid 275
Phaleratus quis dicatur ibid.
Phallus quid 549
Phanias [illegible] 581
[illegible] quis 563
Phaulia Appii libertus 689
Phantaſia quid 774
Phanus uſurarius 363
Pharmacum amentiæ vinum 269
Pharnabazus ſatrapa 442
Phaſelita 86
Phaſianus avis 598
Phaſis & Phaſiani 573
Phaſis fluvius 495
Phavorini philoſophi admonitio, loquacitas 416.80
Phavorinii de Socrate dictum 258
[illegible] quid 123
[illegible] quid 635
[illegible] quid 92
Φέναξ, φενακίζειν & φενακισμὸς quid 505
Phenacis ſtoliditas 293
[illegible] ludendi modus 228
Pheræus Alex. 140
φέρειν, φόρος, φορολόγοι 77
Phidias unde nomen traxerit 549
Philenides qualis 318
φιλαυτία fons malorum 603
φιλαυτία quale vitium 557
Phileas Thmuitarum epiſcopus 412
vir ſanctiſſimus ibid.
Philetas poeta cur [illegible] vocatus 43
Philetas quam tenui & levi fuerit corpore 83
Phidias ſtatuarius 125
Phidiæ opus 724.725
[illegible] 112
Philides equiſo 595.596

Philippus orator qualis 14
Philippi Maced. dictum 716
Philippi Maced. apophthegma 674
Philippo regi quare oraculum redditum 522
Philippus Maximiliani filius Caroli pater 710.727
Philippi Hiſpaniarum regis ſymbolum 694.695
Philippus cur militi ingrato frontem literis inſigniri juſſerit 144
Philippus Hiſpaniarum & Angliæ rex 594
Philippus Macedonum rex 629.629
Philippus Macedo pater Alexandri Magni 144
Philippus Pepolus Bononienſis 00
Philætius bubulcus 599
φιλάνθρωπος quid 483
φιλοῖδας φίλαυτος 31
Philonides quis 139
Philonis Judæi eruditio 512
Philonome delatrix 508
Philoſophari quid 652
philoſophari extremis labris 250
φιλοσοφεῖν quid 656
Philoſophia paucis judicibus contenta 177
Philoſophus ſolus imperare poteſt 399.400
Philoſophorum umbraticum iſtud ſtudium plane inutile 291
Philoſophi, legum vallum 9.10
Philoſophiæ ſtudium inexplicabile 212
Philoſtrati ſ[illegible] dictum 114
Philoxenus Cytherius guloſiſſimus quid optarit 599 ibid.
Philoxenus cur à Dionyſio tyranno in latomias miſſus 616 617
Philoxenus Cytherius dythyramborum ſcriptor ibid.
Philoxenus quid voto expetierit 465
Philoxenus poëta cur in lapidicinas truſus 374
Philoxeni paraſiti dictum in aliũm paraſitum 94
Phlegræi campi 62
Phocarum pelles Ægyptiorum ſymbolum 617
Phocenſes lapidem ignitum cur in altum mare projecerint 120
Phocenſium amolitio 156
Phocenſes populi 213
Phocæa qua urbe 123
Phocis qua ibid.
Phoci interitus 488
Phocion Demoſthenis argumentorum ſecuris 485
Phœbiana juvencula delicata 494
Phœnices cur male audierint 351
Phœnices & Syrigentes contermini 311
Phœnicia mercimonia 306
Phœnicium commentum ib.
φοινίξ 706
Phœnicia raritas 616
Phœnicum cauponatio 179
Phœnicum ingenia 346
Phœnix avis 592
Phœnix Jovi ſacra 616
Phorci filias ſtatim natas fuiſſe anus 98
φωνασκεῖν 142.143
φρυγίαν φρυγίακος 725
φροντιστήριον 122
φρυγῶ quid 577
Phryges citando luctui appoſitiſſimi 381
Phrygius Neleis filius 473
Phrygum antiquitas 308
Phryne meretrix 273
Phrynichus quomodo & cur ab Athenienſibus mulctatus 694
Phrynichus quid excogitaverit 365
Phrynondis vafrities 306
Phylarchi locus 694
φ[illegible] quis 540
φθινάς morbus 83
Piaculi commiſſi expiatio 590
[illegible] quid 302
Pictura muta poëſis 674
Pictura ex ceru colorata 498
Pictura initia progreſſusque & nomina 251
Picus Martius 345
picus Aboriginum rex 535
picus Fauni pater ibid.
picus Saturni filius ibid.
pieres qui 184
pieria Pythiæ filia quomodo Meleſios & Myuntios reconciliarit 451.452
pietas quid 508
pietas in parentes quanta debeat eſſe 42
pila quid 24
pili ubi non proveniant 696
pilo digni qui 145
pilum injicere 492
pindarus qua in re Homerum vicerit 712
pingues qui 590
pingui ingenio qui ibid.
πινακίς quid 150
pirata dictum in Alexandrum Magnum 720
piræus inſula 51
piræus portus 460
pirithous 91
piſandri timiditas 691
piſarii Græci monachi dictum 20
piſa urbs 129
Piſcari in aqua turbida qui dicantur [illegible]
Piſces olim in ſummis deliciis 749
piſces etiam ægrotare 616
Piſcinarum tritones qui 67
Piſcis putredo ubi incipiat 518
Piſcis Syriis ſacer 31
Piſcium calliditas 212
Piſcium proprium ſilentium, & qui in his vocales 675
Piſcibus cur Ægyptii abſtineant 765
Piſiſtratus tyrannus 590
Piſtillum exarmatum quis dicatur 23
Piſtoribus quandiu Roma caruerit 471
Pitana civitas 264
πιθηκίζειν quid 359
πίθος probibate 359
Pitthæi præceptum 750
Pittaci apophtheg. 643
Pittacus Mitylenæus cur magiſtratum depoſ. 167.168
Pittaci oraculum 481
Pitthæus Theſeo avus 762
Planetæ qui maligni 381
Planus quid ſignific 618
de Plano aliquid cognoſcere 364
de Plano, cognoſcere, quid 616
πλάνητες quid 618
πλανητῶν quid 128
Platani foliorum uſus 418
Plato à Diogene morſus 262
Platonis dictum 681
Platonis ſchola qui excludebantur 710
Platonis locus illuſtratus 593
Platonis ad Dionyſium profectio & continentia 270
Platoni quid familiare 53
Platonem numeris ſuam obſcuraſſe philoſoph. 56
Platonica ſpecus 133
Plato cur comœdiam è ſua Repub. exploſerit 280
Platonica ſimplicitas 690
Platonis dictum 105
plauſtrum perculiſſe qui dicantur 672
Plauti dicacitas 749
Plauti locus reſtitutus 104
Plauti locus 29 30
Plauto non novum admiſcere voces Græcas Latinis 177
de Plebe eſſe, quid 190
Plebeja veſtis qua dicatur ibid.
Plebejorum vindict. 159
πλάνης & ῥιψοξ quid Græcis 229
Plinii locus dubius 747
Plinium voluptatis cauſa frequentibus uti digreſſionibus 713
πλεῖστος quid 143
πλοῦτος [illegible] 216
Plumbeus homo à Plauto quomodo vocatus 671
Pluere quando ceſſet 607
Plus dare quid 689
Plus in alieno quam in ſuo videre, qui dicantur 39
Plus vertere quam ferere, qui dicantur 87
Plutarchi ad diſcipulum minus attentum dictum 7[illegible]
Plutarchus omnis ſcientiæ ſcriptor locupletiſſimus 371
Plutarchi locus reſtitutus 745
pluci carcer 16
pluto cur illachrymabilis 153
plutonis galea 58.99
πλύνειν quid 343
poculum ternatile quis primus invenerit 458
poculum philotheſinm apud Germanos 00
ποδισμὸς ſaltatio 443
podoniptron quid 310
pœcilis piſcibus qualis vox 671
[illegible], & [illegible] 290
pœni quomodo à Plutarcho nominati 577
pœnitentes parcendum 414
pœnorum dictum 511
pœnarum origo & potentia 697
pœnorum ingenium quale 348
poëſis pictura loquens 201
poëſim non conſtare ſine mendatio & fabula 689 poëta bonus aut malus 100
poëtarum ſurer 54
poëta Muſarum aves 190
poëtarum in laudando & vituperando vis 497
poëtarum ſcripta quomodo legenda 662
poëtis non ubiq. fides habenda ibid.
poëtica non recipit mediocritatem 54
Pogon portus 569
πόλις qua non ſit 701
polemonis Sophiſtæ dictum 638
polemon Laodicenſis orator 8
poliager uxoris ſuæ leno 102
poliorcetes helepolum inventor 455
politi qui dicantur 175
pollice favorem indicari 57
pollux & Caſtor Jovis filii 95
πολυμαθίη quid 217
polycrates Samiorum tyrannus 274
polycrates apud Samios inſtitutum 164
polycrates Thebanus 128
polycrati Samiorum tyranno quale oraculum redditum 672
polycrates Epheſinus epiſcopus 558
[illegible] 591 592
polymeſtor Thrax 309
polymeſtor Thrax tyrannus crudeliſſimus 196
polynicis cum Thydeo pugna 725
polyphemi fabula 156
polypi cur obliqua ſentire dicantur 357
polypi ſtultitia, & quomodo capiatur 81
πολυπράγμων quid 666
πολυπράγμονες qui à Græcis dicantur 39
polypus quomodo eſcul. fiat 36
polypus exoſſis 562
polypum ſeipſum edere ibid.
polypus piſcis quando carnem ſuam rodere dicatur 72
polyrrhene inſula 271
polyzeli locus 210
pompa Circenſibus odioſa 683
pompa ludorum ſolemnium 688
pompejus Coppium Romam deportavit 270
pompejus dicto tactus 274
pompeji factum 19
Cn. pompeji apophthegma 253
pompejus à quibus obtruncatus 212
pompejus à Scipione tibicen vocatus 562
pompejus tibicinis filius ibid.
pomponia hera Quinti 577
ponere certum, difficile 397
πονηρὸς quis 376
πόνηρος & πονηρὸς 726
πονηρόπολις 135
pontificis triumphus & divitiæ quales debeant eſſe 555
pontifices potuiſſe errare 298
pontus cur ἄξενος dictus 291
populi mores quid formet 556
populorum variorum varii mores traduntur 544
populi judicium 318
populus capitum multorum bellua ibid.

popu-

populi Athenienſis de Alcibiade ſenſus 472
peppyſorata veterum contra fulgura 142
porca quid 327
porcina veſica uſus in quem finem à veteribus habitus 60.61
porci qui dicantur 469
porri reſponſum ad Alexandrum 591
Porphyrionu avus caſtitas 61. temperantia ibid.
porri natura 601
porrigere herbam 708
porſena munificentia ergà Romanos 447
portumi ſtaφaνῖ in Olympia 276
Poſidippus Comic. 378
Poſidonia quæ Træzen. 509
Poſidonius ſapiens 59
Poſſeſſio priſcorum in quibus 520
de poſſeſſione dejici 385
Poſſidonius philoſophus 107
Poſteriores cogitationes ſapientiores 627
Poſthomis 52
Poſthum. Tiburtius 152
Poſtula ſubſannationis ſpecies quæ 476
Poſtremi qui dicantur 413
Poſtvorta 11
ποτ... locus 185
Potatio cur à lotione cœpta, & in eo finita olim 572
Potatio ſine aſpiratione quomodo à Græcis appelletur 743
Potentes unde creſcant 82
Potentium commercium fugiendum 205
Potentioribus non repugnandum 212
Potentiæ neceſſitate quid 221
Potentium amicitia periculoſa 759
Potentium hominum ignorantia teterrima 504
Potentium injuria quomodo ferenda 288
de poteſtate exire qui dicantur 383
Potiones vinum imitantes 156
Præcocia eſſe inutilia 14
Præceptorum efficacia 271
Præconum lingua 281
Præficæ mulieres quæ 772
Præfracti qui dicantur 68
Prælibandum divis in convivio 80
Prælium olim non committebatur inconſultis auſpiciis 93
Prælium & bellum differunt 771
Præliorum errata inemendabilia 76
Prærodere digitos qui dicantur 362
Præſentia ferenda 193
Præſentia incommoda cur æquiori animo ferenda 26
Præſtantia eſſe à ſenſu remota 654
Præſtare alicui ſacrum conſilium 329
ex præteritis quid æſtimetur 610
Prætextati mores qui dicantur 416
Prævaricator quis 366
Prævaricari quid 200
Prandium ferarum quod 416
Praxilla poetria 405
Precandi mos vetuſtus
Precario poſſidere, quid 717
Precarium quid ibid
Precarium liberalitatis genus ibid.
Precationis bonæ formula 555
Preces Thyeſteæ 225
Preces tyrannorum neceſſitatibus permiſſa 533
Preſſius pro exactius 619.620
Prienenſium & Samiorum prælium 378
Priapi adminiſtri, dii 317
Prima navigatio temeraria 627
Prima claſſis, ſortis, notæ, homo, & ſimilia 139
Primas lineas ducere qui dicantur 11
Primi, ſecundi, tertii, & primi, medii, & noviſſimi qui dicantur 193
Primitiarum conſecratio 220
Primum prudentiæ officium 773
Princeps qualis homo ſit, & quantum in ipſo ſitum 400
Princeps quid docendus, & quid eum deceat 400
Princeps non eſt, injuſta præcipiens 759.60
Princeps aut magno orbis bono ſepit, aut magno malo ſituus eſt 399
Principis animus qualis ſit ibid.
Principis bona præcipua tria 655
Principem agere quid ibid.
Principem quid maxime deceat 666.667
Principes quales nunc 654
Principum inanes tituli, & inania ſtudia 719
Principum malorum mos 488
Principum affinitates & fœdera quid boni pariant 379
Principum munus quod 683
Principum conſuetudo quibus vitanda 57
Principum commercium fugiendum 631
Principia pro principalibus ib.
cum principibus jucundiſſime loquendum 334
Principibus non repugnandum 208
Principis vitæ cenſura 519
Principum amicitia, laus 147
Principum cibus quis 763
Proclus & Mariandynus filii Ἰ... prior tempore, potior jure 354
Prior quid 201
Priſca manus opus quod dicamus 194
Priſci cur cerebrum intactum relinquerint 143
Priſci homines recentioribus præferendi 131
Priſcorum cibus quis 768
Priſci qui dicantur 246
πριτανεῖς quid 530
Probationum genera 248
Probi imperatoris equi celeritas 212
Probi maximo in pretio habendi 148
Probitas facundiæ anteponenda 234
Probus amator quis 386
Probus quibus 46
Proceritas nimia male audit 589
in procinctu vivere 597
πρόκνης quis 462
Proci quomodo terantur 409
προκεῖτό quid 599
Procorum in vivendo mos 468
προκυλινδεῖσθαι τοῖς ποσὶ quid 396.397
Prodici quam acre judicium 190
Proditio licet inhoneſta ſit, utilis tamen aliquando 727
Profunda immenſa 611
Profundo corde qui dicantur ibid.
Progne crudele factum 553
Proles aliquando pro maioribus 767
Proletarii cives qui dicantur 144
Proletarii qui 367
Proletarius homo quis 144
πρόλογοι qui dicantur 304
Promereri quis 724
Promethei providentia imitanda 650
Prometheus Deucalionis pater quid primum finxerit 535
Prometheus Titanis nepos
Promethei erga homines ſtudium 448
προμηθεὺς & προμηθής 635
Promethei fabula 655
Promiſſa parum certa eſſe 629
Prompti & celeris ingenii quis dicatur 259
in promptu habere 382
Promus quid 447
Pronomus tibicen 254
Prophani qui 304
Propeanorum egregia ratio 676
Propinantium olim vox ſolennis quæ 568
προπίνειν quid 344
Propolæ qui dicantur 417
Proprium omne moleſtum 649
Proportiones in vino deluſione 53
προπύλαιον quid 404
Prora, πρῶρα τριήρους πρωρεὺς 552
προσαγορεύειν 158
προσαιτ... quis dicatur 639.640
προσέληνοι Arcades 398
Proſpera valetudo, rerum omnium optima 108
Protagoras cum diſcipulis quomodo egerit 364
Protagoræ & Evathli concertatio 597
Protei Ægyptii ſtoliditas 21
Protei cur obliqua ſentire dicantur 701
Protogenes pictor illuſtris 113.114
Protogenes unde Appellem cognoverit 125
Protogenis pict. opus 502
Protogenis & Apellis contentio artificioſa 185.184
προτογυνικαὶ ibid.
Proverbium quid, &c. vide Parœmia de proverbiis qui autores ſcripſerint 2
Proxineæ maritus ſtultus 302
Prudentia præpropera periculoſa 488
Prudentes qui dicantur 146
Prudentiæ author, ſiccitas 268
Prudentia ſine viribus cadit 623
Prudentia ſumma quæ 304
Prylis Mercurii fil. 607
πτῶσις quid ſignific. ibid.
πτύρεσθαι ... quid 527.528
Prytaneum unde dictum 432
ψάκας quid 142.143
ψάλ... 631.632
ψαλίδιον qui dicantur 280
Pſallium quid 759
ψαμμακοσιοι 322
Pſecas quid 76.55
Pſella lapis 404
ψέλλος ψελλίζειν 64
Pſeudolus ſervus callidus 606
ψευδοπλαστα quæ 503
ψευδόθυρον quid 659.660
ψίμμυθος quid 699
ψῆφα quid 217
ψῆφα ubi copioſum ibid.
Pſittacorum docilitas 321
ψυχή 687
ψύθυροι, ψυθυρίζειν 699
Pſyra inſula 85
πτίσμα quid 216.217
πτέρνα quid 142
πτερύγιον quid 599
πτισάνη quid 334.335
πτύον quid ibid.
πτύσσειν quid 694
Ptolemæi Philopatoris contumelia in matrem 659
Ptolemæi Philadelphi laudabile factum 85.86
Ptolemæus Ægypti Rex 418
πτύελον quid 695
πύγμη aſpectus ſpecies 645
Publica inſtituta privatæ pietate potiora 44
Pudefacti cur aures rubeſcant 610
Pudicitia incomparabilis theſaurus 49
Pudor inutilis 611.614
Pudoris & pudoris ruſticani judicium 316
Puellaris ludus quo amorem expiſcantur 128
Puella perpetuo 735
Pueri plagis & verberibus non cogendi 478
Puerorum mos 468
Puerorum proprium 624
Pueri clypeos in pompis geſtabant olim 658
Pueri Athenis quæ prima didicerint 284
Pueri naſcentes quam primum vocem edant 189
Pueros muſicis modis affici 642
Pueros multo paſtu corrumpi 529
pugni pro plagis 350
Pugno percutere 439
Pulchra ſchala, benevolentia 559
Pulchri & nitentes oculi quomodo à Luciano vocati 553
Pulchritudo & dicendi gratia, res pellaciſſima 465
Pulchrum amicum 294
Pulegium ubi pipere pretioſius 616.617
Pullus ſive πῶλος quid Græcis 50
Pulmo quid 667
Pulmonis motus 305
Pulvere extrito decertare qui dicantur 708
Pulverem excutere 149
Pumicis uſus 152
Pumiliones quomodo à Græcis appellentur 559
Pumiliones cur grati 109
Punctum quid mathematicis 172
Puppis quæ navis pars 552
Putamen quid 648.649
Putare quibus proprium 718
Putei quando meliores evadant 598
Puteus pro poculo 97
Putiduli qui dicantur 763
Pygmæorum gens 525
πυγὴ ... quid 550

Pylus civitas 663.664.
Pylii tres, quorum ſinguli ſibi vendicabant Neſtorem 734
πύργος quid 610.602.446
Pyrauſta quale animal 490
Pyrrha dua 164
Pyrrha omnib. exoſa ibid.
Pyrrhichiſta qui 445
Pyrrhi & Antigoni ſocietas 673
Pyrrhon Elæus philoſophus 354
Pyrrhonii qui dicti ib.
Pyrrhus quomodo à cane ſervatus fuerit 715
Pyrrhi dictum 188
Pyrrhiche quid 443
Pyrrichius unde dict. 446
Pyſiades Byſantius 62
Pythagoras quomodo σαρκοφαγίαν interdixerit 675.676
Pythagora factum 125
Pythag. autoritas 62
Pythagora quid familiare 54
Pythagoras quantus fuerit admirator geometriæ 710
Pythagoras philoſophiam ad numeros traxit 143
Pythag. religio in inſtituendis adoleſcentibus 114
Pythagora ſymbola oraculorum inſtar autoribus celebrata 629
Pythagoras cur piſcibus abſtinuerint 675
Pythagoricorum ſilentium 676
Pythagoric. juramentum, & quem numerum venerantur 248
Pythagorica ſymbola ad paroemiarum naturam accedere 5
Pythagoræ ſententia 129
Pythagoras cur ſe non ſapientem, ſed philoſophum nominari voluerit 294
Pythes quis 49.50
Pythia citharistica artis præſes 427
Pythonis interitus 27
Pythus civitas 678
Pythiorum ludorum cantus ſpecies quinque 27
πυξίον quid 42.43

Q

QVadrans quid 416
Quadrantariæ mulieres quæ dicantur ibid
Quadrantaria meretricula 142
quadrantaria meretrix quæ dicatur 319
quadrantarii quid dicantur 436
quadruplatores qui 347
quale odium ſuſcipiendum 774
quarta luna nati qui dicantur 384
quartarii qui 319
quaſſare caput 504
quatuor radices rerum 558
quercus Iovi ſacra 612
quercuum omnium altiſſime radices agere 419
quinta claſſis qui dicatur 147
Quintiliani locus caſtigatur 131.132
Quintiliano quid ſtudii fuerit in docendo 772
Quint. Cæpio 375
T. Quintius 472
Quirites quando invocati fuerint à Rom. 91.92.

R

R Litera canina 623
Raja quomodo piſces decipiat 13
rana Ægyptia 138
rana ubi muta 675
ranunculus herba 622
Raphael Regius 524
Raphaim gigantum genus unde dicti 196.197
rapo quis dicatur 148
ῥάμνος quid 132
ratio quid 204
rationis vis quanta 172
ratum augurium unde 555
raveſcere qui dicantur 392
rebus ſerenis tenebras obducere 108.109
recocti aulici qui 355
recocti ſcribæ qui ibid.
recoctus quis dicatur ibid.
redivivus homo quis dicatur 482.483
reducere caudam ſub uterum, ſignum quale 695
regio morbo ægrotans unde convaleſcat 413
regiones cœli quæ 536
regis Tercarum immane factum 154
regnum Dei ubi 481
ad Regulam & libellam facta quæ dicantur 202
ad Regulam reſpondere ibid.
regis laus quæ 399
regis ſimulacrum quod 343
regi apum cur alæ minores datæ 639
regem quæ deceant 718.719
regis & tyranni diſtinctio ibid.
regum inter ſe conſtellationes quales ſint 706
regum quid ſit 763
Regulus orator 307
regum multorum ſtolida recenſentur facta 399
Reipublicæ nervi, vectigalia 217
Reipublicæ ſecurim infligere qui dicantur 492
Reipublicæ ſentina quis dicatur 314
relaxare animum 389
religio his temporib. nutabunda 672
religio quibus rebus debeatur 711
reliquias ad quæſtum circumferentes 132
ῥέμβευξ quid 366
ῥέμβος quid ib.
remedium injuriarum, oblivio 30
remi umbram Majo menſe apparuiſſe 418
remittere quid 616.617
remos inhibere quid 525.526
repertrix omnium artium, paupertas 569
reprehenſionem veram pauci libenter audiunt 58
repudiorum mos 139
in Republica qui non ferendi 496
rerum honeſtarum nulla ſatietas 269
rerum humanarum ſubita mutatio 107
rerum magiſtra, experientia 230
rerum notitia carētes quib. perſimiles 288
res divinas qui tractant, quibus conſenti eſſe debeant 268
res familiaris quibus rebus quærenda 260
quibus conſervanda ibid.
quibus item augenda ibid.
res mancipi quæ dicantur 448
res ſine nervis, debilis [illegible]
res uſu æſtimanda 402
res inſtituenda quid[illegible]endum 239
rerum conjunctionis temperantia qualis 33
rerum precioſarum, item vulgarium quæ natura 613.614
retexere quid 10.11
rex chartaceus 140
rex tragicus ibid.
rete expandere quid 359.360
retrogradi qui 415
rex perſarum quot victimas quotidie jugularit 466
rex quis dicatur 28
Rhamnuſiæ deſcriptio 725
Rhamnuſia dea 235
Rhapſodi qui 759.760
Rheginenſium numiſmati cur leporem inſculpſerit Anaxitas 489
Rhetores ſine geſtu langueſcunt 444
Rhetorice unde ad homines devenerit. & ejus utilitas 600
Remnii Fanii locus 293
Rhetoricis coloribus uti qui dicantur 748
Rhodii qualis pop. 623
Rhodiorum ad Demetrium dictū 113.114
Rhodius publicis votis hirundinem invitare 305
Rhodope meretricula 644
Rhodes aureo imbri à Iove perfuſus 233
Rhœa quid Græcis 410.411
Rhytus poculum 40
Richardus Pacæus 580
ridiculum quid 281
rimoſi homines qui 577
rimoſus quis ibid.
ῥίψασπις 707
ῥιψοκίνδυνος quid 91
à riſu effuſo abſtinendum 773
riſus genera tria 623
riſus quis viro forti indecorus 691
riſus varia exempla 622
riſus equinus ibid.
riſus intemperantia unde 421
riſus ſine cauſa quid ſignificet 622
robur in nervis ſitum ibid.
robur cum ingenio conjungendum 634
robur juvenum cur ſenum prudentia conjungendum 628
Rodolphus Agricola 35.172
Rodolphi Agric. mors 209
Rogo, verbum durum ingenuis animis 258
Rom. quales olim 727
Romani quomodo ara Dorinthia ſuſtulerint 77
Romana fortuna 265
Roma avaritiæ caput 588
Roma cur à Perſis turbida appellata 358
Roma cur Urbs dicta 467
inter Romanam & Latinam libertatem quid diſcriminis 455
Romana ſimplicitas 258
Romani à Platone quomodo aggell ari 636
Romani præſtantiſſimi quid gloriari 66
Romaniſtæ quid peregrinando perficiant 551
Romanorum interitus unde 751
Romanorum mos 254
Romanus quis dicatur 250
Romulus quis dicatur 519
ῥώμη quid 245
ῥωμαϊκή qui dicantur 281
ῥῶπος quid 343
ῥῶπες ῥώπων 274
rore paſci qui dicantur 768
roſa conditio 419
Roſcii qui dicantur 133
rotundi qui dicantur 250
rubrica Verſio quid 450
rudis & rudiarii 573
Ruffinus citharœdus 674
rumores in vulgus non ſpargendi 281
ruſtici qui dicantur 150
ruſticam vitam urbana innocentiorem eſſe 436
ruſticus cur Stoicorū ſimius vocatus 635
ruſtici miſanthropi 552
Ruticellus robuſtiſſimus 90
ῥύπος quid 86

S

Σίνηπι quis mutant 410
Sabinius orator ineptus & frigidus 370
ſaburra quis dicatur 148
ſacculari qui dicantur ibid.
ſacculus quid 149
ſacerdotum in Ægypto in ſacrorum precibus mos 733
ſacerdotum mos 41
ſacerdotum avaritia, & ſacrorum venditio 78
ſacerdotalis dignitatis ſublimitas ibid.
in ſacra ancora præſidio ſpes reponēda 632
ſacra comodo lata 197
ſac. ſcriptura ſobriis animis tractāda 770
Iuxta ſacrificium ungues non incidendi 773.774
heri ſacrilegi, hodie ſacrifici qui dicantur 530
ſacrum alicui conſilium præſtare 130
ſacrum quid Græcis 133
ſacrum quid veterib. 397
ſacrorum titus 246
ſacris abſtinendum 375
ſacramentorum Eccleſiæ vis abdita 654
ſacrificare à cœna quib. moris fuerit 140
ſacrificandi diis mos 696
ſacrificium Roman. ob partam victoriam quale 100
ſacrilegus à cane proditus 717
ſacrilegium quid 655
ſagaces qui dicantur 610
ſaga ſumere quis dicatur 728
Sagra Italiæ fluvius 210
Sagra fluvius 248
ſagum quid 710
Saguntum 564
Saii populus 691
Saitæ quale habuerint numen 412
σαλάκων, σαλακωνίζειν, σαλακωνεύειν, σαλακωνία 761.764

ſal

ſal cur menſa præcipuè apponatur 47
ſal pulmentarii vice 761
ſalis uſus 756
ſalis honor & vis 46.47
ſal primum & communiſſimum condimentum ejusq; uſus 403
ſales quid ibid.
ſalis natura 688
ſales dentati ne ſint 475
σαλακωνίζω, σαλακωνεία 64.762
σαλάκων quid ibid.
ſalamandra quale animal, & quæ eius natura 269
ſal carni condimentum 25
ſale conſperſi qui dicantur 382
ne Salem quidem dare quis dicatur 87
ſalis puritas ſumma 361
Salii ſacerdotes 673
ſalvia & eius vis 388
Salmoneus Elienſis tyrannus crudeliſſimus 196
Salmoneus filius Æoli 311
Salmoneus induſtrius mechanicarum operarum artifex ibid.
ſaltatio Ionica 459
ſaltationum aliquot genera & nomina 443
ſaltatores in conviviis quo utantur 21
Salvianus epiſcopus Maſſilienſis 699
Saluſtius Ciceroni collatus obtumeſcit 430
ſalutis ratio habenda 109
Sama pro ſupplicio 502
Same quid ibid.
Sambuci locus 385
Sambucus Eleus 378
Sambuca quid 292
Samii ferocitas 392
Samii feracitas 102
Samiorum mores 113
Samiorum & Prienenſium prælium 378
Samiorum flores locus 164
Samiorum ab Athenienſibus obſeſſio 105
Samnites qui dicantur 715
Samyrion comicus cur αἰδεῖφωτας *vocatus* 395
Sannyrion matilentiſſ. 96
ſanctum quod volumus 337
Sanctus. Deus Ro. 767
Sanctum canibus non dandum 411
ſanctum quid Iudæis ibid.
ſanguine carere quis dicatur 495
ſanguis integer quis dicatur 259
in ſanguine quid 259
ſanguinis plenus quis dicatur 780
ſanguis vehiculum & ſedes animæ 48
ſanguiſuga quid 680
ſani agris deteriores 108
ſanitatis argumentum 625
Sannas quis dicatur 669
ſannio unde dictus 476
Sanſeverinus Cardinalis 87
ſapere ex alieno jecore 545
ſapiens cui ſapiat 611
ſapiens tetragono ſimilis 327
ſapientis præſtantia 18.19
ſapientes Græciæ ſeptem 182
ſapientem eſſe quem deceat 537
ſapientes qui dicantur 609
ſapientia abſcondita utilitas 87
ſapientiæ bona quibus non communicanda 432
ſapirus fortiſſimus miles 744
Sarabaita qui 313
Sarapion & Pamprepius Ægyptius ſophiſta 105
ſarcinator unde dictus 740.441
arcire & ſarta quid 574
Sardanapali helluones 157
ſardanapalus quis dicatur 467
ſardoa quid 621
ſardanapali ſtatua 130
ſardanap. epitaph. 409
Sardanapali ſepulchrum 130
ſardoa herba vis 620
Sardo inſ 614
Sardonica purpura ibid.
Sardonius viſus cur in adagium ceſſerit ibid.
ſarmentarii qui dicantur 145
Saronicum mare unde dicatur 442
Sarpedon quomodo à poetis vocatus 194
ſatagere quid 575
ſathanica divexatio virtutis materia 567
ſathanæ opus explere qui dicti 253
ſati à jove qui dicantur 74
ſatietatem & faſtidium quæ pariant 510
ſaturnalia Rom. 419
ſaturnium quid 398
ſaturnus cur compedibus impeditus 724
ſaturnus cur ſaxum devoraſſe fingatur 456
ſaturni fabula 121
ſaturno quomodo ſacrificatum 620
ſaturnaliorum licentia 546
Saturni qui dicantur 763
Saturnus cur cœli & terræ filius 533
Saturnus & Mars cur Planetæ Maligni vocentur 381
Satyra mordax 477
Satyra, quale carminum genus 413
Satyri fabula 350
Satyrica libertas 715.716
Satyrici qui 453
σατυρικὸς quis 477
ſatyricon bibiſſe quis dicatur 416
ſatyrionis vis ibid.
ſatyrion unde dictum ibid
Satyrum ſimiæ genus 464
ſcæva qui dicantur 359
Scævola unde dictus ibid.
σκαιὸς qui dicatur 311.312
σκάμμα quid 222
σκαπάνην σκάφην 35
σκάφη, σκαφηφόρος 674
Scaperdam trahere quis dicatur 169
ſcarabeus quale animal 138
ſcarabei & aquilæ fabula 758. & inde
ſcarabeorum genus, deſcript. nobilitas 721 & inde
Scauri qui 255.256
ſcelera ſceleribus tuenda 654
ſcelera hominum à quibus prodantur 112.113.
ſcholiorum Eraſmi in D. Hieronymum ſcribendorum labor 333
σχῆμα καὶ τρίβων quis dicatur 145
σχῆμα quid 365
σχῖνος herba 558
ſchœnum quid 149
σχοῖνος quid 285
σχοίνου genera tria
ſchœnobata 769
σχολάζειν quid 550
σκιαμαχεῖν quid 504
ſcientia maximum vitæ decus 23
ſcientia quando maximum malum ibid.
σκίλλα herba qualis 558
ſcilla herba 557
Scipionis Æmilii dictum 368
Scipionis factum 471
Scipio Æmilianus quot ſervos habuerit [illegible]
σκυτάλιδας quid 93
ad Scirrhonem tendere quis dicatur 211
Scirrhon latro inſignis ibid.
Scirrho Pila regis Megaridis filius ibid.
ſcirpus quid 158
ſcis, pro ſcire 290
ſcitum quid dicatur 1
σκινδαψ quid 341
σκολιὸν carmen 371
Scolon vicus 207
Scopa princeps in Theſſalia vir 461
Scopeliani in perſuadendo vis 94
Scopeliani pater 48
Scopelianus ſophiſta 265
σκωπὰς quid 22.25
ſcopiones quid dicantur 358
σκορδινώμενος quid 444
ſcorpio ſcutica geminà 156
ſcorpius etiam piſcis 390
σκυθρωποὶ qui dicantur 626
ſcratia quæ & unde dicta 148
ſcreare quid 135
ſcriptura vox eſt 218
ſcriptura ſacra prophanis diſciplinis contaminata 299
ſcrupi quid 160
ſcrupulus quibus moleſtus ib.
ſcrupulus quid 694
ſcruta quid 586
ſcrutariam facere ib.
ſculptura quid reſpuat 259
è ſcurra facilius divites, quam patres familias fieri, de quibus dicantur 312
ſcurrilitas Chiorum 278
σκύλα quid 601
Scylla quid 493
Scyrus inſula qualis 119
Scytale quid 442
Scytæ quo ad quid utatur 660
Scytæ famem ſitimque quomodo placet ibid.
Scytharum more fieri quæ dicantur 158
Scythis qui ditiſſim. 44
Scythæ quomodo amicitias concilient 124
Scythæ quomodo jurent 590
Scythæ gens vaga 663
Scythæ calamitatibus preſſi quid egerint 72
Scytharum reſponſum ad Darium, item ferocitas 70.71
Scytharum ingenia 72
σκυθιστὶ πίνειν 460.461
σκυθιστὶ & σκυθίζει & σκύθος quis ibid
σκύζεσθαι quid 70.71
ſecreta naturalium rerum obſervationes animadvertenda 774
ſecreta naturæ ſtultis non inveſtiganda 293
ſectores qui, & unde dicti 368
ſeculi bona relinquenda 748
ſecundæ cogitationes prudentiores 627
ſecurim injicere qui dicantur 483
ſecuri qui dicantur 366
ſecuritatis portio 508
ſedere qui dicantur 549.550
per Sedere verbum quid denotetur ibidem.
ſedere pro placere 58.59
ſeditionis cauſa quæ 240
ſeipſos neſcire qui dicantur 67.66
ſeipſum cognoſcere, prudentia 59
σεισάχθεια quid 8.9
σῆμα quid 352
Selis quid 205
σεμνίζεσθαι 64
σεμνύνειν ibid.
σέλινοι & σεμνίζειν 561
ſemen ſinapis fervidum 356
ſemidei qui 572
ſemiferi qui dicantur 146
Sempronius quomodo à populo Romano cognominatus 194
ſenatores abſque provocatione qui dicantur 38.39
ſenatoria dignitatis inſignia 744
Seneca oratio qualis 753
ſenecta cur timida 295
ſenectus morbus ipſa 385
ſenectus morti vicina ibid.
ſenectus natura loquatior 634
ſenectutis emendatio contumelioſa 690
ſenes cur ſtulti dicantur 385
ſenes decrepiti quomodo à Plauto nominentur 635
Penesſo cur Grandio cognominatus 490
ejuſdem inſania ibid.
ſenex Acheronticus quis 634
ſenex cur vox & umbra dicatur 634
ſenex recoctus quis dicatur 355
ſenex moleſta res 456
ſenes quid olere deceat 517
ſenes cur ſemper dubitent 748
ſenes remota melius videre quam propinqua 24
ſenecta vitia 455
ſenectutis vitium præcipuum 17
ſenectutis incommoda
ſenectutis ſors quæ 292
ſenio quid 646
ſenibus ſenectus quam odioſa 496
ſenium quid acceleret 665
ſenium quæ cito accelerent 633
ſenium unde dictum 145
ſenſus corporis anguſtior eſſe 171
ſenſuum judicium eſſe fallax 628
ſenſu oculorum nihil carius 40.51
ſenſus quid 773.774
ſentina Reipublicæ quis dicatur 314
ſepia piſcis qualis 289

Seplaſia, ſignites quis 466
ſeplaſiam fronte tollere qui dicantur ibid.
Seplaſia quid ibid.
ſeptuagenarii ubi Saturno ſacrificati 737
ſepulchri paterni quanta religio 380
ſepultura mlegio apud antiquos 78
Seriphus inſula 675
ſermo intempeſtivus lethale venenum 45
ſermones ſacri hominum morbus non inferendi 773
ſermonis comitas quantum proſit 439
ſermonem ineſſe etiam oculis, fronti, & vultui 42
ſerpens cur & quando ſe commovere nequeat 593
ſerpentum interitus unde ibid.
ſerpentes quoties in anno ſenectutem exuant 561
ſerpentes vinum appetere 562
ſerphus quid 720
ſerram ducere qui dicantur 516
ſerram per eandem lineam reciprocare quis dicatur 535
Sertorius quomodo Celtiberos vicerit 112
Sertorii ducis exemplum 621
ſerviles in animo pilos habere qui dicantur 669
ſervi Athenien. 419
ſervorum varia nomina 485
ſervi impiſtrino laborantes quomodo ligati 101
ſervos abſente domino peccare licentius 201
ſervorum omnium odium in dominos 180
ſervorum manumiſſio qualis Athenis ibid
ſervorum civitates multa 135
ſervitus qua graviſſima 549
ſervitus quomodo olim profitebatur 373
Servita monachi quare ſic dicti 646
Servitæ diſputatio cum Standitio ib.
Serum pop vivacitas 414
ſerum vel ſebum quid 215
σεισμὸς quid 539
Seſoſtris regis factum 695
ſeſquipedalia verba qua dicantur 68
ſeveri quomodo à Græcis appellentur 707
ſeveritas ſanitatis poſtferenda 496
ſeveritatis gloria non affectanda 414
Severus imperator 668
ſex congios capere qui dicatur 669
Sextus Africanus Philoſophus 204
Sextus Clodius quomodo à Cicerone nominatus 319
Sibylla Erythræa 703
Sibylla Sardiana ibid
Sibylla ſoror Apollinis ibid.
Sibylla mors 455
Sibyllam palmarum foliis oracula inſcripſiſſe 246
ſicca anima jubar ſapientiſſimum 268
ſicca pro ſobria 647
ſicci homines qui dicantur ib.
ſiccitas prudentiæ author 268
in Siciliam apud Ætnam cur canes odoratu careant 338
σικιννὶς ſaltatio 443
Siculi quales 461
σικελίζειν quid 464
Siculi Pacavii ſocius 364
Siculorum dicacitas 474
Sicyon quid 267
Sicyon & Sicyonium calciamentum 402
Sicyonis opulentia 730
σικυώνια quid 21
Sicyonia calcia qui utantur ibid.
σιδηρίτης lapis 429
Silena qua dicatur 747.748
ſilentio bibere qui dicantur 608
ſilentium, aſſenſus ſignum 501
Silenorum imagunculæ 653
Silenis quos compares ibid.
ſilentium ominoſum 692
ſilentium, primum Pythagoricum dogma 675
ſilentes meta dialecticis quid 164
Silenus Bacchi pædagogus 747
ſilurus piſcis quis 14 141
ſilurum aura ſaginari 686
ſilurus piſcis ibid.
unde ſaginetur ibid.
σιμία quid 28
ſimia animal quale 359
ſimia qui dicantur ibid.
ſimiæ ſanguinem profudiſſe qui dicantur 453
ſimia quale animal 373.653
ſimia pro homuncione 730
ſimiam maxime ad hominis ingenium accedere 255
ſimiarum φιλαυτία 26
ſimile ſimili amicum 652
ſimilia ſimilibus gaudere 642
ſimilitudine morum bonorum nihil copulatius 651
ſimilitudo mater benevolentiæ ibid.
Simois fluvius Trojanus 672. unde delapſus, ibid quorum ſcriptis nobilitatus ibid.
Simones Telchines 309
Simonides avarior 14
Simonidis dictum 451
Simonidis ſententia 073
Simonides concitando luctui appoſitiſſimus 381
Simonis ſophiſta facinora 86
ſimplicitas legibus amica 515
ſimplicitate morum nihil ſugacius 701
ſimpulum, ſimpulatrices 548
ſimulachra priſca artis quo indigeant 193
ſimulachrum ſibi fabricari & relinquere qui dicantur 740
ſimulationem diuturnam eſſe non poſſe 125
ſingula non naſci ad plures uſus 55
Sinope meretrix 113
Sinope altera impudiciſſima, altera caſtiſſ. 58
Sinopes cur ἄθεον cognominata 660
Sinopes meretrix ibid.
ſinus quomodo interpretetur 675
Siphnos inſula 410
Siphniorum libido ibid
Siphniorum mores 412
Siphnus Cicladum inſula ibid.
Siphnus Sunii filius ibid.
Sirena Archeloi & Steropes Amythaonis filia 235
Sirena cultrices virginitatis ibid.
Sirena cur ἀνλήδεαι à Pyndaro nominentur ibid.
Sirena cur in aves mutata ibid.
apud Sirenas aut Lotophagos hærere 467
Sirenas præterna vigilantia dicatur 195
Sirenas Archeloi & Melpomenes filia 465
Siren inſecti genus 518
Siſapo oppidum 741
Siſyphidæ qui dicantur 703
Siſyphi prudentia 306
Siſyphi qui dicantur ibid.
Siſyphi vafricia ibid.
Siſyphus Æoli filius, ib. Corinthi rex, ibid. fur vaferrimus ibid.
Siſyphus Cous Teucri ſcriba ibid.
Smyrna Ionia civitas 603
ſobrietas laudanda 269
ſocietas conſiliorum, amicitia vinculum 49
ſocietas nulla inter Cyclopes ſervata 697
ſocietas & amicitia quam res neceſſaria 296
Socrates ἀγλαὸς 419
Socrates cur non juraret deos 248
Socrates cur ſupplicio damnatus 729
Socrates patientiſſimus laborum 565. ubi dormierit ibid.
Socratis & Ariſtodemi fabula 238
Socratis fuga 729. interitus 694
Socratis genius 376
Socratis pictura 327
Socratis Platonici mos 305
Socratis aſpectus torvus 441
Socratis juramentum 756.757
Socratici dæmonii fabula 572
ſol pro die 536
ſol oculus mundi 113
ſolis veneratio 47.48
de Sole ſententia varia 754
Sol ab Achæmeniis quomodo appelletur 200 quomodo à Perſis ibid. quomodo ab Aſſyriis ibid.
ad Solarium verſari qui dicantur 562
Sol cur mundi oculus dictus 679
ſolem cur Orpheus æternum mundi oculum appellarit 106
ſolem mercede præſtare qui dicantur 457
ſolearum uſus ant quis 402
ſolœciſare qui dicantur 78
ſolœciſmum admittere qui dicantur 8
ſolœciſmus quid ibid.
Solonis præceptum 104
Solon quid de athletis, Olympiacis ſenſerit 141
Solonis ſtatua 444
Solonis lex 345
ſolum bonum quid 196
ſolum, pro toto 752
ſolœces qua dicantur ib.
ſoluti legibus qui dicantur 454
ſomniare, ſperandi genus eſſe 270
ſomni quando gratiores 632
ſomnium hominis quid 146
ſomnium narrare qui dicantur 701
ſomnolentiores gliri qui 587
ſomnum quo latere ſiat 630
ſophiſta in tabula ductis 287
Sophocles cur apis dictus 747
ſophos olim ſapientia myſteria involucris obtexiſſe 56
Sophronis mimographi dictum 306
ſorices quid differant à muribus 484
ſortem alienam miramur, noſtram contemnimus 424
ſortium judicia nota triplices 108
ſors humana à Glauco foliis comparata 714. 715
Soſia qui dicantur 144
Soſicrates ex amore mendicus 567
Sotada quomodo ſibi necem conciuerit 758
Sotadis dictum 718
ſpatium humanæ vitæ exiguum 715
Sparamixon 450
Spartana puella quomodo olim incedere ſolita 318
Spartanorum rigiditas 4.8
σπάρτον quid 25
Spartanorum exercitium quod 518
Spartanorum deſcriptio 135
Spartanorum perfidia 319
Spatha quid 24
ſpe aliqui dicantur 656
ſpe Crœſo ditiores, inopia vero Codro & Iro pauperiores, qui dicantur 667
ſpectrum apud Lesbios 49
ſpecula fulgur irritantia 142
ſpecula reddunt magines 582
ſpeculum artis, & ſpeculum naturæ idem
ſpeculorum ratio ibid.
ſpecus Platonica 173
ſperata facile credimus 732
ſpes quid 667
ſpes ubi conſiſtat 262
ſphæra ludendi quatuor modi 128
σφαιρικὸς quid Arithmeticis 142
σφαιρικὸς quid Medicis ibid.
Sphinx, & ejus ænigma 543
Sphinx quid ſignificarit Ægyptiis 79
Sphinx animal quale 668
Sphinx cur in templorum veſtibulis collocata 625
ſpicilegium relinquere qui dicantur 687
σπιθαμὴ quid dicantur 315
Spintharus homo ineptus 607 unde ortus ibid.
ſpiſſigradi qui dicantur 684
ſpiſſum & hirſutum vepretum in quibus animis naſcatur 609
ſplendida cœna haud ſedat eſuritionem 699
ſplendephori qui dicantur 256
ſpondere quid, & pro quibus ſpondeamus 472
ſpondyla quale animal 558
ſpongia uſus 452
ſponſa tranſit in cognomen mariti 767
ſponſi qui 471
ſpuendi in admirandis remedium mos 165
ſpuriorum nota, & cur nothi dicti 533
ſtatera qualis 677

στιχεῖν quid 434
Stadia curriculorum qualia 36
Standicii Franciſcani cum Servita duellum 646
Stanislaus Hoſius pontifex eccleſiæ Varmienſis 23
Staphyla Eudionis ancilla 729
Staphylus vini diluendi author 96
Statera æquitatis ſymbolum 40
Staterius corpœna capitali damnatus 678
de ſtatu dejicere 383
σταυρὸς quid 652
στὰς quid 215
Stelaum quid 718
στεριλέσειν 322
Steſichorus poeta cæcus factus 527
Steſichori poemata qualia 284
Steſichorus Syrius poeta 530
Steſichorius numerus ibid.
Stoicam ſectam quis primus invexerit Athenis 648
Steſichori ſepulchrum artificioſum 572
Stipites qui dicantur 671
στιγμὴ quid 112
στιχομυθία quid 484
στίχος quid ibid.
Stoicorum ſapiens 101
Stoicorum ſententia 304
Stomacho cedere 469
Stomacho ſuo vivere 164
Stomachus quid ibid.
στραγγὸς quid 357
Storax, qualis vox 18
Strabonis locus emendatur 723 752
Stratocles Athenienſis 577
Stratocles inſignis adulator 491
ejuſdem impudens factum ibid.
Straton Pathicus quis dicatur 467
Stratonicus citharœdus ibid.
Stratonicus citharœdus à mulierculis notatus 138
Stratonici dictum 375.589
In Strepitu audire 387.383
Strictim tondere, quid 88
Striges quid 313
Strigilis quis 156
Strobilis γλυκυπίκραις 375
Strophe quid 284
στρωματεῖς Origenis 592
στροφεὺς quid 311
στρόφιον quem appellant Græci ibid.
Struma quid 283
Struthio animal quale 355
Struthio quis dicatur ibid.
Strychnum herba 403
Studia ad honeſtarum artium præſcriptum applicanda 432
Studia colenda 203
Studia incorrupte colenda 774
ex Studiis quid hauriendum 203
Studiorum vis ad conciliandam benevolentiam 296
Studiorum ſummum qui adhibere debeant 224
Stulti quando ſapiant 671
Stultitia proprium 39.40
Stultis pœna quid proſint 772
Stultus unde noſcatur 426
Stupa quid 97
Stupens membrum quomodo curetur 507
Sturio piſcis 141
στῦπος quid 413
Stylus quid 327
Stympicorum mores 544
Στῆνια feſtum 473
Στῆνιος quid ibid.
Sua cuique ars tractanda 689
Suaſum quid 751
Suberis lignum cavernoſum 753
Suberis natura 277
Subroſtrani qui 289
Subſannationis poſtrea ſpecies quot 476
Subſidium ab audacia qui petere dicantur 226
Subula leonem excipere quis dicatur 21
Subulci non admittebantur in templa Ægyptiorum 273
Succidium quid 106
Succinctus quis dicatur 122
Sues cur animum pro ſale habere dicantur 426
Sues volutares qui dicantur 469
Suffenus quis dicatur 587
Suffenus poeta ineptiſſimus
Sufflamen quid 580
Suffragia quibus ferre non licuerit 617.618
Suffragiorum ferendorum modus 512
Suffragia de exauctoratione quomodo olim lata 161
Suidæ locus 431
Suidæ locus depravatus 351
Sulpitius Galba 47
Summa quomodo à Dionyſio Areopagita vocata ibid.
in ſummo libro juſjurandum habere qui dicantur 250
Sumienſes qui dicantur 530
Sunium Athenarum emporium ib.
Sumptus quarum rerum chariſſimus 271
Superari ab affectionibus, inſcitia 416
Superbiæ domicilium ubi inventum 66
Superbia & faſtus comites opulentiæ 506
Superbia ubi nata 66
Superciliorum uſus 60
Supernumerarius quis
Supina aure audire 117
Supina ignorantia ib.
Supini qui dicantur ib.
Supinitas quid 630
Supplicandi genus maximum apud Scythas quid 726
Surculum defringere qui dicantur 304
ſurgentem auſculare avenam quis dicantur 288
Sus, quale animal 13
Sus cur Veneri inviſ. 525
Sus agricolationem monſtraſſe creditur 14
Suis natura 608.621.622
Suſpiciones ingenii nubes 582
Sutrium oppidum 334
Sybaritarum mores 297
Sybaris urbs deliciis affluentiſſima 466
Sybaritarum mos ibid.
Sybaritici libelli qui 417
Sybaritici abdomini dediſſimi ibid.
Sybaritica eloquia 417
Sybaritis luxus ibid.
συκάζειν σῦκα λέγειν 152
Sycophanta unde dicti 113
συγκεφαλαίωμα quid 210
συλλογὴ quid 715
Sylla dictum 467
Sylla quid 625
Sylla Romanorum imperator 277
Sylla quomodo morſus à ſcutis 153
Sylla quid objectum 214
συμβόλαιον 100
Symbolum quid 221 222.231
συμφοιτηταὶ qui dicantur 146
συμπλέγματα 347
Sympuvium 548
συνήγορος quid 520
Syngrapha quid 619.620
Syneſius Ptolemaidos epiſcopus 667
συνεταιρίζειν quis dicatur 74
συντρέχειν quid 125
συνεφῆβος quis dicatur 707
συνωρίς 304
σύριγξ quid 561
Syracuſia Theocriti patria 618
συρβηνέων χορός 625
Syri barbari nobiles 529
Syri cur male audierint 356
Syri & Iudæi ſervituti nati 351
Syrorum ingenia 134
Syrrancorum mores 544
συσσίτια qua 206

T.

T Quid notarit 160
tabula legum apud Athen. 378
tabula quid 160
tabulæ unde dicantur 542
tabulis obſignatis agere qui dicantur 160
Tachi dictum in Ageſilaum 270
taditum ingenii vigorem habetas 331
Tanarus oppidum 377
Tagus fluvius 215
talentum & talentum magnum quid 214
tali fabula 620
tales ſcabere, quid 616.618
talus cuſtos Cretæ 696
talorum jactu nihil incertius 351
talpa ubi nec vivat nec naſcatur 13
ταμίας qui 447
Tamiſius Romanus 87
Tanagra civitas 397
tantali fabula 698
tantali fabula, ejuſdem hiſtoria 770
tantum, non, quid ſignificet 470
Tarcotella morſus qualis 611
Tarquinii dictum 373
tarteſſus urbs ubi ſita 393
ταῦ litera ſalutis ſignum 729
tauri Epirotici 44
tauri, natio Scythica 155
de Tauro & vanis fabula 170
taurum quadrimum quis humeris ſuſtulerit 120
ταῦρος ἀτίμαγελος 44
ταπείνωσις quid 774
τέγος quid 80
Tegeates unde ortus 319
τεῖχος quid 708
temea civitas 31
Telis populus 616.617
Telamon quantopere filii Ajacis mortem fleverit 441
telam texere 12
telas araneæ texere 517
teles quis 694
telchines qui 353
Telchines quot in Rhodo inſula reperti ibid.
Telegoras quis 218
Telemachi dictum 538
telephus ſolum vertens 683
telephus Grammaticus Pergamenus 369.587
Telephus mendicus ibid.
Telephus Myſorum rex exul 614
Telephus quis dicatur 587
τελεστικὴ ſaltatio 443
teleſphori qui dicantur 256
Teleſuſa laſciviſſima puella 463. ſalaciſſima 534
tellen quis fuerit 278
τελχίνες, τελχινώδης, τελχινεύειν, τελχίνιοι 309
tellenis quis 335
temeſſa, alias Tempſa 725
tempeſtas quibus non nocebit 564
tempeſtas criſpantur omnia 468
in templis nullum odium manibus exercendum 553
templorum ſacra 632
in templorum veſtibulis cur Sphinx 623
templum execrationis 223
temperis ſymbolum apud Ægyptios quale 241
tempori parcendum 546
tempus conſilii quando conferendum 129
tempus nocturnum infauſtum 314
temulenti cur loquaces 450
temulenta vitium 96
temulentus Bacchus ſobriis deabus 232
nymphis contemperandus 232
Tenedus qua & unde dicta 430
Tenedis regis numiſma, & lex in adulteros 570
tenediorum inſigne quod 570
tenedius vir quis 575
tenedorum mos ibid.
tenellæ ætati cur vini uſus non tutus 210
tenax vox 430
tenor quid 641
tentyritæ quale habuerint numen 411
terebinthi natura 406
Terentiani Mauri locus 105
L. Terentius 472
Temera urbs 477
ternarius numerus 452
terniorum honor apud inferos
Terpander Lesbius 17

terra

Terræ & imbris mutua appetitio 641
Terræ filii qui 533
Terra cur mater dicta 717
Terræ filii qui 144
Terræ proprium 337
Terram & aquam dare qui dicantur 624
Terrei qui dicantur 150
Terreſtres animantes quæ 177
Terrigenæ fratres 402
Tertulliani dictum 453
teruncius unde dictum 24
teruncium quale numiſma 130
teſſerarum luſus qualis 230
teſſerarum uſus antiquus qualis 228
in Teſſeris qui numeri inſcripti 259.260
Teſtamenti novi editio per Eraſmum qualis 526
Teſtimonia cæca quæ 179
Teſtimonium falſum ſeverè punitum 430
teſtis exceptione major qui dicatur 210
teſtudo cur & quando ægrotare dicatur 474
quando convaleſcat iterum ibid.
teſtudo quomodo Jovi reſponderit 221
teſtudinis inteſtinus 291
teſtudinum carnes quales 54
teſtudinum teſtis integi domos 484
τετραγλωσσ quid 689.690
τεττιγοφόροι Attici 592
τετράκωμος ſaltatio 443
τετραχορδος quid 248
Teucri dictum 104
Teutrania regio 683
textrices venereæ 462.463
θ quid notet 159.160
Thaletis dictum de amicorum memoria 540
Thaletis dictum 109.110
Thales Mileſius 403. quomodo ab ancilla redargutus 8
Thaletis caſus ibid.
θαλίαι quid 84
Thamyras quomodo à Galeno vocatus 203
Thaſium & Chium, vina nobiliſſima 415. 416
Thaſus maris Ægæi inſula 106
cur Cereris granarium dicta ibid.
Thaſſus inſula 446
Theagenes ... 319
Theag. χ... 749
Theagenis athletæ voracitas 520
Theagenes quis 448
Theagenes quomodo dictus 316
theatrica quæ dicantur 537
Thebæ quomodo conditæ 402
Thebanorum feſtivitates 665
Thebanorum exercitus pars melior ibid.
Thebanis quale oraculum redditum 490
Thebani cur corporis firmitati quam ingenii acumini magis inſervierint 670
Thebani muſices ſtudioſiſſimi 670
theca ſapientiæ anima 408
θηγανον quid 258
Themaſinus Epicardus cur à Suetonio hybrida vocatus 146
Themiſon Cyprius medicus 628
Themiſtocles Athenarum princeps 617
Themiſtoclis de ſe ipſo dictum 337.338
Themiſtocles cur indoctior habitus 371
Themiſtocles quomodo ſuum fundum commendarit venalem 497
Themiſtoclis apophthegm. 36
Themiſtoclis dictum 395.396
Theocritus Chius ſophiſta 758
quomodo mortem ſibi conciliarit ibid.
Theocritus quomodo puellam quandam appellaverit 601.602
Theodamantis fabula 259
Theodamantis Dryopis cur ab Hercule interfectus 336
Theocrines quis 152
Theocriti Chii dictum 599
Theodorus Gaza 43.44
Theodori Gazæ ei dictum in Tib. Cæſarem 153
Theodoſius dux conſilio, miles exemplo 624
Theognis Tragicus 135
Theologia diſciplinarum omnium regina 705.706
Theologo ea quæ ſacras literas reſpiciunt tractanda 689
Theonis meretrix quomodo illuſa 434
Theophraſti ætas & epitaphium 510
Theophraſti locus reſtitutus 218
Theophraſto de ſtura quid acciderit 674
Theopompo quid reſponderit oraculum ibid.
Theoris navigium 237.238
Theramenes rhetor 345
Theramenis unde cognomen datum 351
Theretis dictum in filium 206
thericlis figuli inventum 458
θέριον quid 205
Theſauri abſtruſi nulli utilitas 87
Theſauris clauſis incubare qui dicantur ib.
Theſeus cur Hecaleſion feſtum inſtituerit 269
Theſeus quibus viris auxilio fuerit 91
Theſeus alter Hercules cognominatus 89. 90
Theſei duplicia ſacrificia 753
Theſſali qualis gens 252
Theſſalorum & Phocenſium diſſidia 323
Theſſalici homines qui dicantur 197
Theſſalicum numiſma adulterinum 351
Theſſali edaces 462. in menſis inſtruendis valde operoſi 446
quomodo carnes partiri ſoliti 462
Theſſalus medicus 65
Theta quid ſignarit 160
θετταλὶς calceamenti genus 412
Θεττάλων σοφισμα quid dicantur 407
Thiodamantis Lindii convicia 219
Thmuis oppidum 412
Thmuitæ quale habuerint numen ibid.
Thomas Linacer 658
Thorax mons 207
θοῶν quid 200
Themiſtoclis in 627
Thraces populus 346.347
Thraces quomodo mancipia commutabant 135
Thracum vicus 717
Thracum dictum 345.347
Thraces quomodo nates, & quomodo mortuos prajecuti 713.714
Θρασυδειλος qui dicatur 239
Thraſybulus triginta tyrannos ſuſtulit & lex ejus ...
Thraſybuli dictum 607
Thraſyllai inſania 265.266
Thrauſi qui & ... populus 714
θρῖον quid 576
Thria quid Græcis 632
Trioboli quid ibid
Tryphiodori locus 244
θρύμμα καὶ ... quid 725
θ eriam virorum capitalis nota 28
Thurini Vercelli ſupplicium 477.478
θύειν & θύρσος 256
thyeſtea preces 225
thyeſtes Pelopis filius 385
thylacus quid 24
Thymbra herba 71
θύμος quid 773
Thymus herba 767
θυννίζειν 419
thynnus ibid.
thynnus piſcis qualis unde dictus 142.143
θυννοσκόπος 545.546
Tiberius Cæſar 630
Tiberius Sempronius Gracchus Sardinia domitor 100
Tiberii dictum 293
Tiberius & Cajus cur populo frumentum dari inſtituerint 82
tibiarum uſus in luctu 136
tibiarum longarum uſus 117
tibiarum quantus olim uſus, & cur eas Alcibiades abjecerit 275
tibicinem expectare qui dicantur 550
tibicines mali 371
tibicinum mollities 214
tibicinum munus quondam 24
Ticonius Donatiſta [illegible]
Tigranes Armeniæ rex 628
Timæus hiſtoricus 312
timidita unde naſcatur 269
timiditas omnia tardat 169
Timocrates quid poſtulaverit 369
Timocreontis epitaphium 138
Timon miſanthropus 839
Timon Colyttenſis Echecratidis filius 335
Timotheus Athenienſium dux 686
Timotheus cantor quibus modis animum Alexandri ad bellum incitarit 595
Timoth. Athen. Imp. 710
Timothei dictum 754
tipula animal quale 762
Tireſias cur oculis privatus 326
quomodo à Luciano vocatus 288
Titanum fabula 91.92
Tithoni & Auroræ fabula 415
Thitymallus flos 97.98
Tithymallus herba 131
titillationem cur quædam corporis partes ſentiant 603.11
titivillitium 130
Titius malus orator, & ſaltationis genus 19
Triton deus marin, fabuloſus 66.67
à quibus genitus ibid.
quomodo formatus ibid.
titurinus buſequa 50
Tityi magnitudo 314
Tityus filius terræ ibid.
Tlepolemus & Hiero fratres 25.28
Tmolus fluvius 42
tmolus mons 22
toga quæ veſtis 602
toga ephebis dabatur apud Romanos 19
toga quando uſus erat ibid.
toga Rom 146
tolerantia quorum optimum remedium 30
tollere manus, quid 708
tolle ſupercilia 67
τόμος quid 67
toloſſa oppidum 378
tondere pro deludere 619
tonitrua imbris prænuncia 495
tones quid 215
tonſorem quis primus induxerit 747
tonſores cur garruli 581
tonſorum modeſta diligentia 619.620
Topſius luctator 142
Torona civitas 673
torpendines qui dicantur 676
torpedinis natura ibid.
torpedo piſcis ſtupidiſſimus ibid.
torpedo piſcis quomodo capiatur 13
torpedinis aſtus 212
torquere oculum 122
torvitas unde ducta 551
τορύνη quale inſtrumentum 158
τορεύειν quid 645
tota regione errare 22
totum auferre, tyrannicum: totius dimidium, regium 509
totus teres atque rotundus quis dicatur 250
τραγάδια quid vocent Græci 158
tragelaphos fingere qui dicantur 702.703
tragicorum proprius cothurnus 65
tragœdia Luciano indigna 739
tragœdiam Latinis præter Senecam interciderit 311
tragœdiarum argumenta unde deſumpta 377
tragicæ execrationes 213
tragicorum character qualis 563
τραγικῶς λέγειν quid 419
trajectitia pecunia quæ 477
in tranſlatione quæ ſervanda 280
tranſlationes à corporis ſenſibus proverbiales 119
Trapezitas ad lunas dare pecunias 314
τραπεζοκόμος quid 561
τραχηλίζειν quid 171
Cn. Tremelius Scrofa 195
tres undarum cumuli in unum coëuntes, tempeſtas gravis 477
Triarii qui 229
tributorum genera quæ 414
Trica quid & Tricenes 236
tricones qui dicantur 624
τριχάλλαγμα 130
τριχαϊκὰ Tyrtæi 275
tricliniorum argentearum uſus 137
Trieterica feſta 759
Trigla Hecatæ ſacra 567

tra-

triobolares qui dicantur 359
Triobolus 32
Triopolis civitas 564
Se[illegible] quid 131
[illegible] vermiculi ibid.
Tripodis oraculi deſcriptio 246
[illegible] 83
[illegible] quid 399
triſtes quomodo à Græcis appellentur 43
triticum à lolio repurgandum 161
[illegible] quid 357
triticum cur in calidis ac frigidis regionibus. aeq; proveniat 219
trit[illegible]nes piſcinarum qui dicantur 67
triviale quomodo à Latinis uſurpetur 144
trivialia verba ibid.
trochili & aquilæ ſimultas 720
trochus piſcis 539
[illegible] piſcis nomen 306
Trojades à Perſio quomodo appellentur 407
Troja urbs opulentiſſima 169
Trojanorum cum Græcis bellum 706
Troili epitaphium 543
Trœzen cur Poſidonia 569
Trophonii fanum hiſtoriaq; 440
tropus quando tranſeat in proverbii ſpeciem 529
truo avis qualis 147
truo quis dicatur ibid.
trutina exquirere 204
tubam cur Buſiritæ non tolerent 722
Tuciam Veſtalem cribro aquam tuliſſe 321
tudicula quid Græcis 158
tudites mallei unde dicti 407
tumidus quis dicatur 280
ſub tunica & ſinu fieri quid dicatur 548
turba quavis in re pariat confuſionem 117
turbinis avilitas expedita 351
Turcis an bellum inferendum 301
Turca quomodo debellandi ibid
Turcica bella cur ſæpe prætexta ſint 299
turdus nidum ſuum quomodo luſtrare ſoleat 592
turdorum tria genera 484
turgidus quis dicatur 280
turtur quando canere ſoleat ibid.
tutores quibus dentur 403
tutorum vulgus quale 81
[illegible] 678
Tydeus Oenei Ætolorum regis ex Periboea filius [illegible] 259
cur parvos ceciderit ibid.
Tydeus quomodo formatus
tympani[illegible] 534
Typ[illegible] adoleſcens qualis 268
Typhon frater Oſiridis 425
Typhon nimbus quibus formidoloſus 210
[illegible] quid 667
typographi quidam taxantur 241
tyrannus unde oriatur 240
tyrannus aut ferendus aut, non recipiendus 710
tyranni nomen quando ortum 196
tyranni unde dicti ibid.
tyrannorum preces neceſſitatibus permiſta 532
Tyrii bilingues 346
Tyrocneſtes quid ſignificet 619
[illegible] quid 482
Tyrrhenorum in captivos crudelitas 549
Tyrrhenorum ſuperſtitio 675
Tyrrhenos fuiſſe Pythagoritos ibid.
Tyrtæi inſtitutum apud Lacedæmonios 275
Tyrtæi locus 342
Tyrtæo bellicoſior quis dicatur 259
Tyrtæus Athenienſis poeta ibid.
Tyrus ab Alexandro devaſtata 378

V.

VAcare ſtudio qui dicantur 550
Vaccam uno partu ſex edidiſſe vitulos 82
Vacuum in ſacris aliquid habere, nefas 182
Vadum quid 62
Vagabundi quomodo appellentur [illegible]
in eodem Valetudinario jacere qui dicantur 211
Valetudo bona divinum bonum. 107
valetudo bona unde 518
valetudo proſpera, omnium rerum optima 69
Valerius cur magnus 763
Valerius Publicola 545
valido collo præditi qui dicantur 69
vanitas quid 702
vannus myſteriis adhibitus olim 742
vappa quis dicatur 149
varietas ubiq; delectat 510
ex varietate quid oriatur 77
Varro quis, & unde dicatur 671
vates in bello aciem olim præcedebat 422
vaticinium per cribrum 126
vectigalia Reipublicæ nervi 217
vehementia quomodo Hebræi exprimunt 376
Vejentium cum Romulo bellum 100
Vejentonis natura 689
velabrum quid 124
vendi pro impoſturam pati 165
vendrigoli qui dicantur 417
veneres qui dicantur 763
Venereus talorum jactus fortunatiſſimus 357
veneris appetitum quid extimulet 468
veneris impetum quid cohibeat 382
Venetorum urbis celebritas 222
venia dignum quid 361
venter natura inexplebilis 81.82
venter quo diſtentior cibo eo levior 460
venter optimum horologium 459
venter beſtia peſſima 314
venter Cyclopum Deus 697
venter ingenii largitor 369
à Vento agitari qui dicantur 355
ventorum celeritas 245
venti ſingulis regionibus qui peculiares 25
ventorum prognoſtica nautica 666
venteſam cucurbitam quærere quis dicatur 692
ventoſi qui dicantur 343
ventos paſcere quis dicatur 332
ventres luxurioſi quomodo à Diogene vocati 415
ventres pigri qui 268
ventroſi qui 415
in ventum non reſtandum 50
Venus lignea Dædali 345
Venus cur teſtudinem calcans fingatur 639
Venus [illegible] cur 254
Veneris amaſius 410
Veneris cingulus ad quid utilis 50
Ver anni pars præcipua 333
veratrum quid 625
vera fortitudo quid 280
verba alata cur dicta [illegible]
in verba adigere quis dicatur 250
Verba dare qui dicantur 701
in verba jurare, quid 210
Verba phalerata quæ 273
Verba ſeſquipedalia quæ 666
Verbis conceptis juraſſe qui dicantur 250
Verbis cur parcendum 678
Verborum curioſitas vitanda 110
Verecundia ad multa inutilis 613
Verecundia ubi maxime ratio habenda 614
Vergiliæ latinus, Homer. 160
Virgilii apophth. 168
Veritas non ſemper mendacio, ſed aliquando ſimulationi reſpondet 450
Verum à quibus audiatur ibid.
Veritas filia temporis 363
Veritas ubi iucunda & ubi moleſta: neq; ſemper proferenda 449
Veritas cur ſolis radiis comparetur 453
Veritas hiſtoriæ anima 453
Veritas hiſtoriæ condimentum 25
Veritas temporis filia 454
Veritati manifeſtæ non repugnandum 212
Veritatis inventio impoſſibilis 434
Veritas ſimplex gratia oratio 352 450
Vermis nivalis 275
à Vermibus quæ corrumpantur 495
Ver prima anni pars 443
Verſari in eodem periculo 382
Verſatilior cardine quis dicatur 355
Vertices mundi qui dicantur 204
Vertumni cur obliqua ſentire dicantur 701
Vertumnus quis 344
vervex aries caſtratus 464
veſpa inſecti genus pertinaciſſimum 454
Veſparum exilitas 382
Veſparum ictus acerbi 455
veſparum natura 124
Veſpaſiani dictum 412
Veſpaſiani laudabile factum 284
Veſpaſianus cur Cybiotates dictus 626
Veſpaſiani turpis [illegible] 746
T. Veſpaſiani magnanimitas & numiſma 241
Veſpaſiani dictum 471
veſpertilio unde dicatur 343
veſpertilionum interitus unde 593
Weſphalorum judicium 675
Veſta dea 9
Veſtes olim pro xeniis miſſitari ſolitas 392
veſtes muliebres totis cenſibus redemptæ, à Columella graviter notata 733
veſtium virilium apud Græcos duo genera 233
vetus quid dicatur 76
veterum in luctu mos 380
veterum in mortuorum ſalutatione mos 272
veterum in ſolennibus feriis mos 279
vetulus convicii nomen 125
vexilla Rom. qualia. 599
via ad bonos mores nulla ſera 369
via pro conſilii ratione 53
in Via, & extra viam eſſe 7
via extrema inopia 601
vicinos ſemper invenire qui dicantur 87
vicino avaro nihil moleſtius 497
vicinus vel ſummum malum, vel magnum commodum 497
vicini quantum poſſint 704
viciniatis bona commoda ibid.
vicinus peſſimus quis 497
victor quis 28
victores in triumpho albis equis vehi ſolitos 184.
victores quibus rebus olim impetiti 518
victoria infelices 375
victoria turpis quæ 404
victo non inſultandum 473
victi judicium 709
victus priſcorum qualis 505
villani qui 146
vim pugnare cum natura 483
vina theologica quæ 198
vincere ubi facile 706
vinculis Hippocraticis alligata quæ dicantur 452
vinculis quid [illegible] 638
[illegible] incommoditas 433
vini immodicus uſus incitamentum rei Venereæ 414
vino affuſa lympha diluto temperies robur q; corporis conſervatur 132
vinum & carnium ſagina qualem reddant animum 268
vinum veritatis filia 413
vinum olim non guſtabatur, niſi Deo prælibatum fuiſſet 374
vinum da[illegible] regibus cur prohibeant divinæ literæ 450
vinum quis diluere docuerit 96
vinum largius dilutum quid noxæ habeat ibid.
vinum omnium malorum metropolis 11
vinum quando ſuavius 600
vini diluendi mos 53
vini primitias quando libarint Athenienſes 103
vini potum non permittebat Plato pueris uſq; ad annum decimum octavum 479
vini natura 636
vini odium unde 678
vinum lac Veneris 459
vini uſus nimius quid faciat ibid.
vini potentia 449
vinolentia quibus minime ignoſcenda 462
violento remigio fieri quid dicatur 203
vipera metu quando exanimentur 593
à Vipera morſum culpare quis dicatur 419
viperarum impietas 181
vipera morſus qualis 645
vipera quando obtorpeſcat. 595

vir

vir bonus, & liber idem. 105
vir fortis leo ſit & vulpes 176
vires conſilio nunquam potiores 613.625
vires quid adjuvet 259
vires ſine prudentia cadunt 612
Virgiliana gravitas 498
virginum Veſtalium mos 613
Virginum Peloponneſiacarum veſtitus qualis 751
virgines Lacænas certis diebus inceſſiſſe nudas ibid.
viri boni alienis morib. obſecundant 344
virgis geſtandis ineſſe vim magicam 98
viri fortis deſcriptio 29
viri loquaces à Gallis quomodo appellentur 281
viros mediocribus impendiis educari 733
virorum nomina pleraq; diſſyllaba 346
virorum præſtantium filios eſſe ignavos 556
virum bonum, fieri arduum 619
virtus circa quæ verſetur 168
virtutem calamitoſam deſpicari, miſerum 144
virtuti fortuna non exprobranda ibid.
virtutis diuturna ſimulatio difficilis 661
virtutis occaſio, calamitas 567
virtutis propria 106
virtus ubi diſcatur optime 573
virtutis anſa una, vitiorum plures 545
virtutis præmia apud Romanos quæ olim 23
virtutem nullam eſſe ſine prudentia 414
virtutem ſolam in rebus humanis eſſe ſtabilem 41
virtutem in arduo eſſe 435
viſcum unde proveniat 484
viſcatis manibus qui dicantur 357
vis conſcientiæ quanta 502
viſus unde lumen accipiat 773
vitam humanam aleæ eſſe ſimilem 21
vita ſpinoſa 457
vita lucernæ ſymbolo repræſentata 103
vitia haud facile dediſcuntur 637
vitia noxia quæ 209
vitæ genus quod cuiq; tuendum 256
vita hominum leviſſimi momenti 565.564
vita hominis nihil habet certi 343
vitæ piæ fructus 606
vitæ finis ſpectandus 610
vitæ humanæ moderatrix, lingua 238
vitæ humanæ ſpacium exiguum 715
vita inopis bona 106
vita humana quomodo appellanda 506
vita longiſſima hominis nihil inanius & brevius 715
vitam Charadrii vivere qui dicantur 415
vita media tutiſſima 514
vitam Orphicam agere qui dicantur 269
Vitellii ſemper gula 80
vitia hominum ferenda 519
vitia inveterata raro corriguntur 387
vitium eſſe in proclivi 435
vitia quæ difficile relinquuntur 483
viticis frondium efficacitas 689
vitilitigatores qui dicantur 378
vitioſæ conſtitutionis cerebri indicia 671
vitrum plumbo ſublitum cur imagines reddat 581
vituperatio, odii principium 247
viva quæ dicantur 252
viva exempla quæ Ciceroni 546
vivere turpiter non eſt vivere 373
vivere turpiter quæ putentur 362
vivere in horam 89
ὑαλὶ ὕαλις 79
ulcus quid 439
Vlilagus Herulorum præfectus 93
ulmus quid 95
Vlpianus Tyrius 358
ultima linea 571
ultio divina gladius anceps 208
ululare cum lupis qui dicantur 662
ululas quomodo deterruerint Athenienſes 513
Vlyſſis ſomnus 598
Vlyſſis ſocii quando hamo aut retibus uſi ſunt 765.766
Vlyſſes quomodo milites compeſcuerit 218
Vlyſſes cur ab Homero πολύτροπος dictus 357
Vlyſſes quis dicatur ibid.
Vlyſſes quomodo ab Homer. vocatus 351
quomodo ab Horatio 357
Vlyſſes unde verba deprompſerit 431
Vlyſſis fabula 295
Οὔτις fictum nomen Vlyſſis 523
umbilicus quid 307
umbram propellere 94
umbra nihil inanius 712
umbra quæ paraſitis gratiſſima 459
umbra quæ dicantur 16
umbra piſcis qualis 87
umbrarum victus 267
umbri cur pingues dicti 470
Vmbrorum convivia quæ dicantur 686
unedo quid 418
unedo unde dicta 552
unguentatus quis 432
ungues ſenſu carere 70
unio, quid 130
unione qui notari ſoliti 104
ex Vno multa facere qui dicantur 680
vocabula peculiaria unicuiq; eſſe diſciplinæ 263
vocem deducere 373
voces jactare inertes qui dicantur 280
volenti nihil operoſum 76
volſella quid 463
volſellis, non gladiis pugnare, qui dicantur 407
volſellis pugnare cum gladio, qui dicantur 420
Volupia dea 75
voluptatis incendium duplex 479
voluptas in amicorum malis unde proficiſcatur 425
voluptate liqueſcere, quid 416
à Voluptatibus ſuperari, extrema injuſtitia 416
voluptarii hominis epitheta 354
volutares ſues qui dicantur 469
vomentum in numero eſſe, qui dicantur 685
Vopiſci Syracuſani hiſtoria 504
vota facientes quomodo ſe geſſerint in templis 765
vox ſenſorum animi idolum 674
vocis maris ad incitandam Venerem quanta vis 318
upupa vim medicam ineſſe 658
upuparum præſervatio 593
ὑγεία quid 229
ὑγιαίνετε 533.537
urbani qui dicantur 195
urbanus ſermo quis dicatur 235
urbina quid 503
urbium leges obſervandas 745
Vria litera 468
uria ſigna 614
ὑετοδοκοῦς 219
urſi quomodo irritentur 612
urſos apud Anglos ali 361
urtica marina piſcis Hecatæ ſacer 765
uſura priſcis damnata 77
uſus ferri cur apud Græcos in contemptum jerit 143
uſus optimus rerum magiſter 75
uſus vis 483
ſub Vterum candam reducere, ſignum quale 695
utramq; inflare tibiam qui dicantur 223
in Vtrumq; paratus quis dicatur 37
uva paſſa qui dicantur 635
uva paſſa 120
Vvalica linguæ origo 623.625
uvidus victus mortalibus inimicus 465
Vulcanus quomodo junxerit Martem & Venerem 709
Vulcani fabula 25
Vulcano quæ tradenda 149
vulgus quis dicatur 146
vulgus cur erret 654
vulgi error & perverſum judicium ibid.
vulgo quod placet, ſuſpectum habendum 30

F I N I S.

vulnerati muneribus qui dicantur 523
de Vulpe & Leæna fabula 198
vulpes animal quale 28
vulpinari qui dicantur 357
vulpinarius amaſius quis 351
vulpio quis 357
vulpis & aquilæ odium. 720
vulpis aſtutia 428
vultuoſi qui 443
vulturii qui 283
vulturis & aquilæ pura 720
vulturum ſagacitas & genus 283
vulturum interitus unde 593
vultus ab animo diſcrepans quid 757
uxoris vitium aut tollendum aut ferendum 530.531
uxor hoſtis marito quæ 13
uxor qualis ducenda 643
uxor æqualis ducenda 124
uxor Lothi cur in ſalis ſtatuam verſa 386

X.

XEnocratem modeſtia ſuperantes qui dicantur 512
Xenocratis Chalcedonii philoſophi dictum 369
Xenocratis teſtimonium 452
Xenocratis authoritas 181
Xenocratis frugalitas 267
Xenophanis de ſole ſententia 750
Xenophon dictus Attica muſa 231
Xenophon cur Ἀττικὴ μέλιττα nuncupatus 312
Xenophon Attica Muſa dictus 198
Xerxes quid tentarit 213
Xerxes aquam manibus hauſtum à ruſtico libenter accepit 126
Xerxis monumentum 142
Xerxis teſtimonium 695
ξιφισμὸς, ſaltatio 443
ξυνωρικὶα quid 124
ξυμφύεται quid 59

Y.

YBeæ quid 146
ὑδράργυρος quid 217
ὕλη quid 715
Υπαρουσίτης 26
ὑπερχολὶς quid 512.739.740
ὑπερβιγεταῖος menſis 681
ὑπερμαζᾶν quid 483
ὑπερίασ[illegible] 14
ὑπ[illegible] quid 524
ὑπ[illegible]μια quid 666
ὑπηνίμια quæ 343
ὑποδίθυνος quis 451
ὑποβάλιμαι 452
ὑλακεῖν quid 327

Z.

Z Litera qualis in ſortibus 375
Appio Claudio inviſa ibid.
Zelotypia unde naſcatur 50
Zenon, & ejus dictum 157
Zenonis philoſophi frugalitas 686
Zenonis dictum 570
Zenonis dictum in Theophraſtum 187
Zenonis ſtatua 589
Zenon cur à Philone Epicureorum corypheus appellatus 588
Zenon imperator 466
Zenonis Cittici in adoleſcentem garrientem dictum 677
Zenonis dictum 293
Zetho & Amphion fratres 178
Zenonis nup. 265
ζιφύγανον 699
Zephyrus lat. Favonius 218
Zephyri vis in vinum 102
Zeuxis mors 628
ζημία quid 382
ζητητικοὶ qui 354
Zoilus Homeromaſtix 424
Zonam ſolvere. 416
Zopyri erga Darium fides 214
ζώπυρος quid 216
Zoroaſtres ſuſurri qui dicantur 703
Zoroaſtres Indorum Bactrianorum rex ibid.
ζωστῆρες qui dicantur 467
Zotitus Heliogabali familiaris 697

A01 1467427

Digitized by Google

Digitized by Google